# P. IOSEPHI
# MANSI
LOCUPLETISSIMA
# BIBLIOTHECA
MORALIS
PRÆDICABILIS.

# P. IOSEPHI
# MANSI
## LOCUPLETISSIMA
# BIBLIOTHECA
## MORALIS
## PRÆDICABILIS.

A Colegio dela Comp.ª de JHS de Granada. R.1046

LOCUPLETISSIMA

# BIBLIOTHECA MORALIS PRÆDICABILIS,

HOC EST,

DISCVRSVS VARII EXQVISITI,

IN QUIBUS PER TRACTATUS ORDINE DIGESTOS AD VERBUM DEI fructuosè & faciliter prædicandum, de Virtutibus & Vitijs copioſiſſimæ materiæ morales ſubminiſtrantur, & ad plenum digeruntur.

NEC NON IN GRATIAM CONCIONATORUM,

*Quibus ad comparandam ſibi varijs ex Libris Bibliothecam æris non ſuppetit facultas, vel ad perluſtrandum ipſos SS. Patres & Sacræ Scripturæ Interpretes, tempus aut Commoditas deficit, ex reconditis S. Scripturæ ſcrinijs, & ſanctorum Patrum ac Divini Verbi Interpretum pulpitis; nec non copioſis ſelectiſſimorum Prædicatorum armarijs, per Diſcurſus multiplices in ſuas claſſes ordinatè diſtributis, nova quædam & locupletiſſima Bibliotheca Moralis concinno ordine erigitur, & in Commodum omnium Divini Verbi Præconum inſtauratur;*

OPERA ET STUDIO REVEREND. PATRIS

P. JOSEPHI MANSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERI.

## TOMUS PRIMUS.

Primò quidem ſeparatim in Lingua Italica, demum verò ut univerſaliori Uſui deſervire poſſet, in Linguam Latinam ab alio ſincerè, fideliterque, traducta, diu hactenus à Divini Verbi Prædicatoribus deſiderata, poſteà verò in Germania conjunctim in hac præſenti forma primùm edita.

CUI PRÆTER INDICES NECESSARIOS ACCEDIT INDEX COPIOSISSIMUS Concionum pro Diebus Dominicis, & Feſtis totius Anni.

*Qui jam tertiò in lucem prodit, ab innumeris mendis; quibus editiones externæ ſcatebant; hac editione expurgatus, Sacræ Scripturæ plurimis quæ deerant citationibus additis & correctis.*




Ex omissa S.ta gen.li Inquisitionis hic Liber correctus est, x.º Edicti anni 1745
Paulus de Cardenas

ANTVERPIÆ,

Apud Viduam & Filium JOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN, viâ vulgò Cammerſtraet ſub ſigno duarum Ciconiarum. Anno M.DCCI.

Cum Gratia & Privilegio.




AMPLISSIMO, REVERENDISSIMOQUE

# DOMINO D. JOANNI CHRYSOSTOMO TENIERS

CELEBERRIMÆ ECCLESIÆ

SANCTI MICHAELIS

SACRI, ET CANONICI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS ANTVERPIÆ

ABBATI DIGNISSIMO

FRISIÆ, ET BRABANTIÆ VICARIO AC ILLUSTRISSIMORUM BRABANTIÆ ORDINUM ASSESSORI PERPETUO,

TRIUM ABBATIARUM

Averbodienſis, Tongerloënſis, ac Middelburgenſis,

*PATRI ABBATI*

Toparchæ de Santvliet, Berendrecht, Neder Ockerzeel, Liſt,

Domino in Wilrijck, Beirſe, & Voſſelaer.

Amplissime, ac Reverendissime Domine

BEnevolus affectus veſter, quo familiam noſtram minimam Verduſſianam multùm tibi charam proſequeris, & quem erga fratrem meum Germanum oſtendiſti ſæpius, & adhuc oſtendis, dum eum candido Canonico-

* 3 rum

rum tuorum Regularium aſſociaſti, & adſcripſiſti Collegio, movit me ſæpius, & excitavit ſedulò, ut amorem amori, affectui affectum rependerem. Exigit id gratitudo, humanitas poſtulat, atque ingenuitas quædam animi noſtri: Sed occaſio ſæpius, & opportunitas defuit, ut pro modulo noſtro affectum noſtrum monſtrare poſſemus. Scio quidem Reverendiſſimam Dominationem Veſtram non delectari muneribus, ſed affectum penſare, nec quantum ſit, ſed ex quanto detur, ut ait Gregorius: cum pateat tamen magis affectus ille, licet dono in ſe major non fiat, quando foras ſe prodit, & manifeſtat hominibus, non ut gloriam inde, ſed æmulationem habeat, multùm anceps hæſi, quonam modo meliori id facerem. Nec diu tamen deliberandum fuit, cum occaſionem nactus ſim denuò typis edendi Bibliothecam Manſij opus illud vaſtiſſimum, atque in primis concionatoribus utiliſſimum, in quo uno ſolo continentur omnia, quæ in alijs ſparſim omnibus, ut Bibliotheca quædam meritò dici queat. Dignum ſanè opus, conceptibus fertiliſſimum non ſcripturiſticis tantum, & Theologicis, ſed & hiſtoricis, omnium genere ſcientiarum refertiſſimum. Audeo autem illud, REVERENDISSIME DOMINE, Patrocinio tuo, & protectioni committere, ac ſic iterum novo beneficio me devincire, eâ ſpe, & fiduciâ fretus, quod eâdem benevolentiâ, quâ Fratrem meum Germanum, *Amplitudini veſtræ* multò debitum, Canonicorum tuorum cœtui aſſociare dignatus fuiſti, non dedignaturus ſis etiam Bibliothecam noſtram famoſiſſimam in curam tuam, & protectionem ſuſcipere, quæ ut denuò à me prælo daretur, à tot viris doctis Orbis totius Catholici deſideratum ſæpius, & expetitum fuit. Audeo, inquam, REVERENDISSIME DOMINE Bibliothecam noſtram Concionatoriam Patrocinio tuo, & protectioni committere. Cui enim magis debetur Bibliotheca noſtra, quam illi, qui librorum, & ſcientiæ amans, præter communem Monaſterij Bibliothecam libris optimis, & pretioſis omnis generis ſcientiarum repletam, quam & erigere altius, & amplificare amplius meditaris animo; ſi modo tempus permittat, aliam quoque privatam (potius communem dixero, cum pro innata bonitate tua, & benevolentia eam omnibus libentiſſimè pandas) in Abbatia tua ad uſus tuos extruxiſti de novo, & pulcherrimè ædificaſti; qui in conquirendis rariſſimis libris tum antiquis, tum novis, in quos jam aliquot millia in communem utilitatem omnium laudabiliter expendiſti, ſtudium omne, & lectionem impendis? norunt non tantum Anverpienſes, ſed & Bruxellenſes, & Hollandi Typographi; quantum autem inde illi ſingulis annis emolumenti capiant, tantum ſcias te tuos animare ad ſtudia, tantum tuos inde majorem indies progreſſum facere. Quantus autem ſit ille, teſtantur facilè lucubrationes Tuorum, defenſiones, ac Theſes annuæ, quæ ut nullis cedere debent in ullo ordine, aut familia, ita de adverſarijs ſuis palmam meritiſſimò ſibi vendicant (Verbo abſit invidia) & reportant. Unde illa omnia, REVERENDISSIME DOMINE, niſi ex zelo tuo aſſiduo & indefeſſo, ex amore innato ad ſtudia, quo tuos ipſe præcedis, & ad majorem profectum animas, ita ut Scholas ipſe Theologicas frequentes ſæpius, & argumenta proponas non trivialia illa, & communia Sophiſtarum, ſed ex Scripturis ſacris, & venerandâ Patrum traditione deſumpta, cujus amator ſtudioſus es, nec immeritò? animant illa Tuos, & ad ſtudia excitant præſertim, dum novâ in Scripturis ſacris lectione inſtitutâ præter duas in doctrina Theologica quaſi ipſam Cathedram te aſcendere videant, & prælegere Scripturas ſacras, dum expoſitiones, quas ſummo ſtudio ipſemet compoſuiſti, per alios dictare facis, quamvis non deeſſent ex Canonicis tuis tam intùs, quam foris eruditionis ſufficientis, ac ſanæ doctrinæ, qui illo munere fungi poſſent; cum non ità pridem Lectorem novum ex familia tua Collegio Præmonſtratenſi in alma Univerſitate Lovanienſi dederis; animant illa tuos, quos (tamquam parvulis lac potum dares) ſpe favorum & præmiorum illectos ad æmulationem inducis, & quater in anno in præſentia tua tum in ſtudio Theologico, tùm Scripturiſtico per Profeſſores tuos examinari curas, & ipſe examinas.

Cui magis debetur (iterum repeto) REVERENDISSIME DOMINE Bibliotheca noſtra Concionatoria, quam illi, qui in ea familia, & eo Ordine, qui non ad pſallendum tantum, & contemplandum, ut Ordo Monachalis, quamvis & hoc Angelicum munus ſit, qui & ter ſanctum Triſagion canunt, & inveſtigare formidant Divina Myſteria, verum etiam ad Prædicandum inſtitutus eſt, magni Patris veſtri NORBERTI, cui quam multùm debet, novit tota ANTVERPIA noſtra, & ſociorum ipſius prædeceſſorum tuorum, es Succeſſor non degener. Quantum ille, & ſocij ejus Præmonſtratenſes Canonici prædicationibus ſuis hîc fructum fecerint, commemorare neceſſè non eſt, cum id abundè oſtendant reſtaurata templa, reſtituta altaria, Sacramenta reddita, atque Adamitica Tanchelini Hæreſis profligata, ita ut meritò dici queat, quod Eccleſia noſtra Antverpienſis, quæ à SANCTO ELISIO plantata fuerat, & inchoata, Concionibus AMANDI, & WILLEBRORDI irrigata, à TANCHELINO





destructa, Prædicationibus NORBERTI, ac ſociorum ejus reſtituta fuerit, ac reſtaurata: Auxerat illam GODEFRIDUS Antverpiæ Marchio, ac Dux Bullonij, poſteà verò Saracenis devictis Rex Terræ Sanctæ bellum ſacrum auſpicaturus Collegio præpoſiti, & Canonicorum duodecim, quando & in eadem Eccleſia veſtra, quæ tunc ſæcularium erat ac olim fanum Martis fuerat, nunc verò Divo Archangelo Michaëli dicatâ præliorum præpoſito enſem ſuum, clypeumque ſuſpendit: verum cum paucis poſt Godefridum annis Sacramentaria illa, & Adamitica Tanchelini hæreſis emerſiſſet ab erebo, quæ nec poſt mortem ipſius extingui poterat: tam altas enim radices egerat tùm ſuaſu peſtifero radicata Hæreſiarchæ iſtius, tum ſtabilita potentiâ, ab HILDOLPHO Præpoſito, & CAPITULO SANCTI MICHAELIS Antverpiæ, concilio BURCHARDI Cameracenſis Epiſcopi in auxilium vocatus Patriarcha veſter NORBERTUS verbo potens, & opere, ac Doctrinæ, & vitæ ſpectabilis tam multum brevî, divino auxilio fultus, prædicationibus ſuis, & ſuorum effecit, ut nefanda illa, & infernalis hæreſis, quæ nec ab inceſtuoſo Paſtore, nec à reliquis Clericis, ac Capitulo extingui poterat, profligata fuerit penitùs, & extincta. Quo factum ſanè, ut & HILDOLPHUS Præpoſitus, & CAPITULUM ANTVERPIENSE Eccleſiam ſuam matricem SANCTI MICHAELIS Sanctiſſimo Patri veſtro NORBERTO ejuſque auxiliaribus ſocijs Canonicis PRÆMONSTRATENSIBUS liberam omninò, *ac in altius per divinam inſpirationem ſublimatam*, ut documenta loquuntur, cum aliquot capellis, fundo omni adjacente, ac quatuor præbendis, ſeu bonorum triente ceſſerint, migrantes ipſi ad Eccleſiam Beatæ Mariæ, quæ jam votis præſertim navigantium, miraculiſque Virginis clareſcere cæperat, *dignè* (ut inquiunt) *Perpendentes* in documentis prædictis, *Quod eorum ſaginarentur orationibus, & bonis ſpiritualibus, ſe eos beneficijs temporalibus ſuſtentarent.* Neque hic ſtetit munificentia eorum, & gratitudo, aut limitem habuit, ſed & Parochialium tunc miniſteriorum, atque obventionum conſortes fecerunt, atque in perpetuam in omnibus neceſſitatibus charitate invicem ſupportantes ſocietatem, & fraternitatem adſciverunt, adeò ut juges debeant pro invicem preces, & in proceſſionibus ſolemnibus *per omnia conſimiliter* ſic *cum ijs participantes* ante erectam Epiſcopalem Cathedram ſive alterna nigrorum, & alborum paria, ſive ſeriatim hinc nigri, inde albi incederent, ſemper tamen Ordinem Abbates Sancti Michaëlis clauderent tamquam primæ tunc in hac urbe Antverpienſi perſonæ, qui & præpoſiti ſæpius, & Decani Capituli Antverpienſis fuerunt. Ordo ſcilicet veſter Monachalis non eſt, ſed Canonicus, qui & beneficiorum non tantum curatorum, ſed & ſimplicium etiam ſæcularium capax eſt, idque abſque ulla ſpeciali diſpenſatione Pontificis, cum ab initio inſtitutionis veſtræ ante annum Chriſti milleſimum ducentiſſimum nonum ad ſedecim uſque obtinueretis Eccleſias Cathedrales, & Metropolitanas, in quibus à Præmonſtratenſibus Canonicis veſtris Archiepiſcopus, & Epiſcopus è ſuo numero eligebantur: manet autem tam arcta Confraternitas illa, quæ & quaſi Patrimonium Patriarchæ veſtri NORBERTI eſt, & Teſtimonium publicum, quam multùm debuerit prædeceſſoribus veſtris ANTVERPIENSE CAPITULUM, & adhuc debeat, ut numquam illa diſſolvi potuerit, ſed adhuc vigeat, ita ut quotieſcumque alterutrius Eccleſiæ Canonicus moritur, ad eam, in qua funus celebratur, Eccleſiam Collegialiter procedat congregatio altera, & hinc inde conſidentes in choro communiter vigilias mortuorum decantent, ac poſtridie Miſſam de requiem, atque in proceſſionibus omnibus præcedentibus albis, ſubſequentibus nigris ſub eadem cruce quaſi unum corpus incedant. Sed quorſum hæc omnia REVERENDISSIME DOMINE? quorſum primæ fundationis veſtræ, & privilegiorum memini? Niſi ut hinc apertè oſtenderem, Apoſtolico prædicandi munere, docendique officio Abbatiam veſtram SANCTI MICHAELIS ſatam fuiſſe, natam, enutritam, & robuſtatam, ac ad tantum, ut modo eſt, honoris culmen, & dignitatis evectam. Viderant nempe BURCHARDUS Cameracenſis Epiſcopus, & HILDOLPHUS Præpoſitus Præmonſtratenſes Canonicos, ut eos vocant in bulla ſua, & Pontifices varij, in ea Eccleſia poſitos, in qua Godefridus Bullonius fundator ejuſdem olim ſua arma ſuſpenderat, armis ſpiritualibus militaturos, & ut alter Michaël debellaturos poteſtates aërias, atque hæreſum monſtra, ita ut meritò comparari poſſint *Sexaginta fortibus, qui lectulum Salomonis ambiunt ex fortiſſimis Iſraël*, & Abbatia veſtra in Eccleſia DIVI MICHAELIS erecta ſit *tamquam turris* fortiſſima *David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, ut de eâ meritò affirmari poſſit, quod ſponſus dicit de collo ſponſæ, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Non deſierunt hoc adhuc oſtendere retortionis tempore, dum contra Hollandos Hæreticos exorto bello miniſtris varijs Catholicis fugientibus ex Baronatu Bredano, & Comitatu Hooghſtratano perſecutorum metu, veſtri non tantum remanerent fortiter, & perſtarent intrepidè, ſed & loca fugitivorum etiam cum periculo vitæ

*In actis confirmatorijs, & diplomate Burchardi.*

*In diplomate Hildolphi præpoſiti apud Baronium.*

*In diplomate Hildolphi apud eundem.*

*Joannes le Paige in Dedicatione Bibliothecæ Præmonſtratenſis Urbano VIII.*

*Cant. cap. 3. v. 7.*

*Idem cap. 4. v. 4.*

ſupplerent conſolando afflictos, confortando infirmos, roborando puſillanimes, Sacramenta miniſtrando, à quo nec metu ſivè lytri ingentis, ſive ſquallidi carceris abduci umquam, aut deterreri potuerunt, parati pro fide, & ſanguinem ſimul, & vitam dare. Remuneravit autem Deus etiam in temporalibus labores eorum, qui Eccleſiæ ſuæ afflictæ ſuccurrerant, ac jam in Cœlis mercedem habebant, dum non ita pridem Princeps Auriacus acatholicus GUILIELMUS TERTIUS Angliæ Rex, ac Baro Bredanus inter alia debita ſua etiam ſtipendia miniſtrorum, qui quaſi proprijs ſuis, aut Monaſteriorum ſumptibus Eccleſijs inſervierant, à Principibus prædeceſſoribus ſuis debita, quod decimas omnes acceperant, ſuſtentationem vero ad quam loco decimarum tenebantur, miniſtris non dederant, ſolvi juſſit, ac procurante, & promovente cauſam uno ex Canonicis veſtris, tum Hagæ Comitis, tum Bredæ, tum alibi ſumma quædam notabilis multorum millium, tranſactione factâ, partim pro Monaſterio veſtro, partim pro Religioſis alijs, ac Clericis ſæcularibus accepta fuit, ad quam umquam recuperandam ſpes nulla ſupererat. Ita ut omnes illi in primis tibi gratias debeant, quorum cauſam per unum ex Canonicis veſtris à te ſubſtitutum, & litteris commendatum ſuſcepiſti ſedulò, & perduxiſti ad exitum.

Ecce quomodo non tantum initio, verum etiam ſucceſſu temporis, atque hoc etiam ſæculo non deſierint tui contra hæreticos bellum gerere, gladio oris pugnare, tamquam Lilia inter ſpinas creſcere, & prædicationibus ſuis fructum multum facere, ut meritò debeatur tibi Bibliotheca noſtra Concionatoria noviter typis excuſa, qui & horum caput es, & prædeceſſorum tuorum non tantum in Abbatiali dignitate Succeſſor, verum etiam in prædicandi munere imitator egregius. Ut enim taceam, quomodo poſt abſolutum Philoſophiæ curſum, quam ut Profeſſor docueras in Monaſterio tuo, & tam intelligebas ſubtiliter, ut primæ lineæ palmam inter primos apud Grudios reportaveris, cum vix ſcirent Superiores tui, ad quænam munia te applicarent potius, an ad Theologiam tradendam Diſcipulis, an ad habendam Concionem pro populo (ita eras ad utrumque aptus) ut inquam taceam, quomodo per plures annos, antequam Prioris officio magna cum laude fuiſti functus, in Eccleſia veſtra DIVI MICHAELIS, quæ & jus prædicandi manè Parochiale obtinet, cum utilitate maximâ, nec minori cum plauſu, (quamvis nec plauſum populi, nec exiſtimationem quæras, cum vera virtus latêre malit quam manifeſta fieri) ſingulis diebus Dominicis, ac feſtis plurimis ad populum Concionem habueris. Nullum ferè eſt templum, nulla ferè Eccleſia, ſacellum nullũ in hac tota urbe Antverpienſi, in quibus non docuiſti publicè, & ad populum Concionem habuiſti. Quam ſubtiliter olim, & doctè in Jubilæo ſanctiſſimæ Trinitatis in Eccleſia Collegiata Canonicorum ſæcularium BEATI JACOBI quando & tam honorificè es deductus ad Cathedram, & quanto ibi cũ fructu diſcurriſti, & quam feliciter; Quid de Eccleſia ipſa Cathedrali dicam, in qua in anniverſario fidelium omnium defunctorum primo die octavæ ſubſequentibus alternis vicibus, diebus reliquis nunc Canonicis Cathedralibus BEATÆ MARIÆ, nunc Præmonſtratenſis DIVI MICHAELIS primus omnium aſcendiſti Cathedram, & mirâ eloquentiâ tuâ, atque facundiâ ore verè aureo, ut alter CHRYSOSTOMUS, facilè ſuperaſti omnes? quam aureè ibi multa dixiſti, & quam facundè? quam ſubtiliter, quam acutè? quam nervosè, quam doctè, quam pro animabus piè? omnium facile rapuiſſes animos, atque ex ſaxis elicuiſſes lacrymas, ſi modò flêre poſſent: ita omnes erant & amantes tuî, & ad audiendum avidi. Sed quid Eccleſiam veſtram, Matrem veſtram, ſponſam veſtram prætereo, in qua cum in juvenili ætate tam laboraveris ſtrenuè, & indefeſſo zelo, in altiori jam dignitate conſtitutus laborare non ceſſas, dum in ſolemnioribus feſtis totius anni Prælatus ipſe Cathedram ipſam aſcendis, ac doces populum concurſu magno, apolauſu ſummo, nec minore cum fructu. Imitaris in hoc Norbertum illum Buſcoducenſem in Abbatiali dignitate prædeceſſorem tuum mediatum, ac magni Patris veſtri NORBERTI æmulum. Quantus autem, & qualis ille? eloquentiæ ſummæ, Doctrinæ ſpectabilis, manſuetudinis admirabilis, ac pietatis Angelicæ, quibus tam ſcitè noverat omnium corda trahere, ac movere animos, ut præ nimio concurſu populi templa ſumma nimis eſſent anguſta, aſcenderentur feneſtræ, ac ſumma ſedilium occuparentur. Quaſi Propheta denique fuit habitus à toto populo, dum inter concionandum illo textu JEREMIÆ allegato:
Cap.1.v.11. *quid tu vides* JEREMIA? *Virgam vigilantem ego video*, quam nimirum ſe vidêre dicebat, ac minabatur imminere ANTVERPIÆ, niſi à peccatis deſiſterent, ut ſic terroribus, & minis incuſſis peccatores fortius deterreret à vitijs, ſubitis motibus poſterâ die mox terra concuſſa eſt, & contremuit, ita ut omnes ad illum accurrerent, mirarentur omnes, & præſagâ mente videretur dixiſſe, quod caſu acciderat. Viſus fuit Deus hoc modo Concionibus, & verbis ejus majorem auctoritatem, & pondus dare, quæ quam multiplices fuerint, imo pœnè innumeræ oſtendunt manuſcripta ipſius, quæ in decem tomis in folio poſteritati reliquit, nec

minora



minora de te ſperâre liceat REVERENDISSIME DOMINE, ita frequenter Concionaris populo, ſi Deus vitam tibi longiorem donet. Fructum illum habeant tui ex Concionibus tuis, qui te Patrem ſuum nec degeneres, nec indigni filij tam glorioſè ſequuntur. Teſtes ſunt Eccleſiæ totius Antverpiæ præſertim verò antiquiſſima illa Divæ WALBURGIS, in qua per totas aliquando octavas nullos alios vidimus aſcendere Cathedram & concionari populo, quam Canonicos Abbatiæ veſtræ. Quot viris autẽ doctis, & facundis abundet illa verè celeberrima Abbatia veſtra (ita nulla doctorum in omni materia, & ſcientia apud vos penuria eſt) oſtendunt ſatis; quod ſingulis diebus octavæ, quod unus ſolus potuiſſet facere, ſingulos, & diverſos Concionatores dederis, & plures etiam potuiſſes dare, ſi ſolemnitates feſti duraſſent diutius.

Sed quid horum dumtaxat memini, dum non tantum paſcis verbo, & quaſi URSA lambendo informes fœtus, corripiendo vitia, mores hominum informas, quod & Urſus indicat in armis tuis, & inſignibus gentilitijs poſitus, ſed & opere, & largâ manu munificentiâ verè Abbatiali, & Paternâ, quando in nupera caritate annonæ, ut alter Joſeph tot hominum millibus alimenta dediſti, quæ & propriâ ſæpius diſtribuiſti manu, ut ſic tuos in humilitate præcederes, quos in dignitate anteibas, ac in te illud CHRISTI verè Chriſtianum adimpleretur, *qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter. Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.* Matth. 33. 11. Matth. 20. 28. Miniſtraſti verè ſed in ſolo pane, in quo non vivit homo ſecundùm ſpiritum, quando olim munere Cellarij fuiſti functus, nunc verò miniſtras, ſed non in ſolo pane, dum quos pane ſatias, ſimul imbuis verbo Dei. Ordo veſter verè benevolus, verè miſericors, verè pius in pauperes, præſertim verò duæ illæ famoſiſſimæ Abbatiæ Campiniæ, quæ & ſpiritum illum ab Eccleſia ſua matrice Antverpienſi hauſerunt, AVERBODIENSIS una, TONGERLOËNSIS altera, verè magna utraque, ac multùm potens, quas tamquam filias adhuc ſuperſtites, MIDDELBURGENSI miſerè ab hæreticis jam occupatâ, & deſtructâ, deſcendentes, ac genitas ex Abbatia veſtra moderaris, ac regis. Indicant hoc quatuor ſceptra per modum crucis poſita in inſignibus Abbatiæ veſtræ, quaſi tot ſceptra teneres manu, quot Abbatias, & monaſteria ſecundùm lemma inſignium Abbatiæ veſtræ MODERATE regis. Quæ ſi BENE TENUERIS, ſi BENE rexeris, & moderatus fueris, quod optamus ex animo, Coronam capiti ſuperaddet Deus non manu factam in terris, ſed incorruptibilem, & immarceſſibilem conſervatam in cœlis, quam in illa die pro juſtitiæ operibus reddet tibi juſtus judex. *Qui* BENE *præſunt Presbyteri*, inquit Apoſtolus, *duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* 1. Tim. cap. 5. 17. PRÆFUISTI BENE REVERENDISSIME DOMINE & in temporalibus, & in ſpiritualibus. PRÆFUISTI BENE in temporalibus, dum monaſteriũ tuum multis debitis gravatum, (ut luctuoſa ſæpius fuerunt tempora) exoneraſti plurimùm, & ſublevaſti. PRÆFUISTI BENE in temporalibus, dum nova hoſpitia, & ſumptuoſa ædificaſti pro advenis, dum dormitorium religioſorum tuorum locum anteà obſcurum, ac indignum Canonicis veſtris tam ſuperbè extruxiſti de novo decorando illud ampliſſimis portis, ac plurimis ſtatuis, ac fornices in medio elevando altiùs quaſi laternæ in modum reddidiſti tam clarum, ut ſolis radij terram ipſam penetrare videantur. PRÆFUISTI BENE, dum ad majorem profectum ſtudij novam ſcholam tam amplè, tam ſuperbè, ac tanto ſumptu ædificas, ut nulli cedere debeat, ſed omnes ſuperet monaſteriorum omnium in hoc toto Belgio. Denique PRÆFUISTI BENE in temporalibus, & in ſpiritualibus ſimul, dum pro eminenti pietate tua, quam aſſiduo ſemper ſtudio, & doctrinæ conjungis, ſacellum illud antiquiſſimum DIVO MARTINO Sacrum, in quo a Sexcentis pœnè annis Patriarcha veſter NORBERTUS ſupra idem altare, quod adhuc extat, ſacrificium Deo obtulit, ferè de novo tam eleganter, tam nitidè, ac pulchrè ædificaſti, & arte ſculptoriâ, novo altari, ac pavimento marmoreo decoraſti, ut ara quædam cœli meritò vocari poſſet: tantus in eo candor, tantus nitor, ac fulgor tantus eſt, ut lumen in eo cælitus ſubminiſtrari videatur. BENE PRÆFUISTI in ſpiritualibus, dum ſtudium diſciplinæ commendaſti ſæpius, & promoviſti ſedulò, dum ad pietatem tuos, & amorem Dei tam ſæpe hortatus es, & accendiſti inflammans, dum Concionibus tuis, & monitionibus publicis è ſuggeſtu ſæpius docuiſti populum commendando virtutes, arguendo vitia, verbo denique præmonſtrando & opere, quod talis eſſes in actionibus tuis, quales alios voluiſſes fieri, in quo nullum laborem, nullam operam, ſtudium nullum omittis. PRÆFUISTI BENE dum privilegia Ordinis tui, ac jura Eccleſiæ tuæ tam ſtrenuè, ac viriliter defendiſti, & conſervaſti. Pro temporalibus, quæ TENUISTI BENE, & adminiſtraſti optimè hîc in terris mercedem habes applauſum populi, exiſtimationem tuorum, cunctorum gaudium, & gratulationem omnium. Pro ſpiritualibus aliam, ſed majorẽ Deus tibi reddet in cœlo, qui nec pro temporalibus benè adminiſtratis deërit tibi dare præmium, perennem gloriam, & fælicitatem æternam. Hæc omnium finis, hæc ſcopus omnium eſt, ad quem omnes collimare debent, & actiones dirigere. Faxit Deus, quod vovemus ex animo, ut poſt fauſtum regimen hîc temporale in terris, æternum habeas cum Sanctis in cœlo, & quos hîc habes laboris tui, & inſtituti ſocios participes ibî videas fælicitatis tuæ & æternæ gloriæ. Ita optat, & vovet

REVERENDISSIME DOMINE

*Ampliſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis veſtræ*
*Minimus Famulus*
*Joan. Bapt. Verduſſen Typographus.*

# PRÆFATIO AUTHORIS
## Ad Benevolum Lectorem.

POſtquam annis ſuperioribus in tui gratiam & obſequium in lucem publicam edidimus primo quidem Promptuarium Sacrum, deinde Ærarium Evangelicum; nunc ſupereſt ut promiſſionem noſtram, quâ tibi alios Tomos Morales de Virtutibus & vitijs in quibus materiæ morales copiosè dilucidantur, edendos polliciti, ſumus, reapsè adimpleamus.

Præterquam quod Sanctiſſimum S. Philippi Nerij Inſtitutum, quod in hac ejus Congregatione Oratorij Romani, ex Dei clementia profiteor, ſolemnem habeat ex Regula verbum Dei quotidie per quatuor diſtinctos, in mediam horam protenſos, ſibique mutuò immediatè ſubſequentes Diſcurſus, ſalubriter exponendi conſuetudinem; de quo ſalutari valdeque proficuo exercitio Eminentiſſimus Cardinalis noſter Baronius Tomo primo Annalium laudabilem facit mentionem, dum alium quemdam ex eadem Congregatione aſſumptum Cardinalem Tarugium, qui una ſecum uno eodemque tempore Sancti Philippi Nerij diſcipulus fuit, ob diu continuatum hoc ſermocinandi exercitium; nobili Elogio DUCEM VERBI appellat; ac proinde licet inficiari nequeam, me ob continuatum multis abhinc annis præfatum quotidianæ prædicationis miniſterium, non modicam in hiſce libris conſcribendis perſenſiſſe facilitatem, tametſi utplurimùm in Diſcurſibus meis de alijs materijs longè ab ijs, quæ in hiſce Tomis tanguntur, diverſis, & ſpeciatim multos Sacræ Scripturæ libros in ſenſu morali explicando, diſſeruerim.

Porro inter materias morales eas dumtaxat ſtudioſe mihi ſelegi, quas tibi utiliores magisque neceſſarias futuras eſſe duxi, easque per modum Tractatuum & Diſcurſuum diſtribui & fuſiùs extendi; præſertim ob oculos habens, quod licet non ſolùm varij, ſed etiam multi Divini Verbi Præcones tam in Feſta quam Anni Dominicas in lucem prodierint, non tam omnibus omnimodè pro qualitate Perſonarum vel locorum ſufficientiam præſtetit, quod tamen hic abundantiſſimè peragitur; verum etiam, non omnibus, prout dici ſolet, *detur ire Corinthum*, hoc eſt, locupletiores viſitare Bibliothecas, & ex ipſiſmet fontibus haurire aquas SS. Patrum, quæ tamen hic abundè & ſine magno pecuniarũ diſpendio hoc in Opere copioſiſſimæ hujus Bibliothecæ Moralis, quæ in multos annos glorioſè prædicandi ſubminiſtrat divitem materiam, in qua modò datur quaſi quædam luxuries undique evagandi, quod nec Auditoribus utile nec Tractanti videtur accommodum, ſed magis utrimque ſi in unius materiæ filo pergatur, proficuum, prout non ſolùm doctiorum teſtimonio, ſed etiam proprio experimento patebit, comparare poteris. Ut vel hoc ſolùm nomine etiam Laborem meum tibi gratum acceptumque futurum eſſe planè confidam, maximè ſi finem conſideres, quem in hiſce materijs conſcribendis mihi aſſiduè propoſitum habui, qui certè alius non eſt, quàm ut animarum ſpirituali lucro & ſaluti, pro debilis ingenij mei viribus & exiguo talento cooperari in Domino poſſim, ſic enim me adimpleturum eſſe ratus ſum, quod prædicatorem Evangelicum monet S. Pater noſter Philippus, quodque cuidam Eccleſiaſtico modum verbum Dei utiliter annuntiandi ſibi præſcribi cupienti reſpondit Sanctus Genevenſium Antiſtes, Franciſcus Saleſius, cujus hæc ſunt è Gallico in Latinum ſermonem tranſlata ipſiſſima Verba. *Finis Prædicatoris unicus hic eſſe debet, ut peccatores per iniquitates ſuas mortui ad gratia vitam redeant: juſti vero qui vita ſpirituali feliciter gaudent, ſeſe magis magisq; perficiendo abundantiùs eamdem poſſideant; Denique quemadmodum Deus Jeremiæ Prophetæ præcepit, ut evellas & deſtruas vitia & peccata, & ædifices & plantes virtutes & dona vitæ perfectioris.*

Cæterùm libens agnoſco omnes hactenùs à me in lucem editos Libros, & inter eos HOSCE PRÆCIPUE ESSE, velut centonem quemdam ex varijs Scripturæ locis, Sanctorumque Patrum, aliorumque inſignium Authorum ſententijs & Doctrinis undique refertum, & celeri calamo, ſine methodo, & ordine neglectisque bonæ Locutionis, ſtylique comptioris & elegantioris Regulis Rhetoricis obiter congeſtum; *verumtamen inſuper ingenuè fateor & proteſtor, me ad nihil aliud æque contendiſſe, quam ut nudam tibi & abundanter quidem ſubminiſtrarem materiam, cui Lectorum quilibet pro ſuo talento eam inſerere formam facile poterit, quæ ſuopte ingenio vel maximè arrideat.*

Omninò etiam mihi perſuaſum habeo, quod (niſi Typographi vel Correctores erraverint, ſuoque, ut fieri ab iisdem aſſolet, officio defuerint) in allegationibus me ſincerum atque fidelem experieris; in quibus diffuſus ſum valdeque copioſus, ob commodum & utilitatem eorum, qui loca illa Marte proprio inveniendi nec tempus habent, nec commoditatem. Si tamen aliquos in hac parte errores deprehenderis, ab ijs facili negotio me excuſabis, ſi longam, quæ Romam, ubi continuò reſideo, & Venetias inter, ubi primi Tomi primum Italicè prodierunt in Lucem, vel etiam Francofurtum intercedit, diſtantiam conſiderare libuerit, licet ab ijs qui per propriam ignorantiam aut inadvertentiam irrepſerunt erroribus, excuſare me non poſſim, nec velim, ſed potiùs tuam benigne Lector interpellem æquanimitatem, ut ſi quos tales inveneris benignè ignoſcere digneris, nam *ſæpe etiam bonus dormitat Homerus.* Denique obteſtor te, devote Lector, ut tuis ardentibus precibus Deum pro me obſecres, ut ſtudia (quæ ad majorem ſui nominis gloriam dirigo) unicè à me intentum aſſequantur finem, ſalutem videlicet animarum, mihique conſtantem impertiatur corporis ſanitatem, & habilitatem mentis hiſce materijs conſcribendis convenientem; meam etenim debilitatem libenter agnoſcens dico cum Apoſtolo: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Vale feliciter, meisque ſtudijs utiliter fruere.

### CENSURA.

RDi Adm. Patris JOSEPHI MANSI Bibliotheca prædicabilis iteratò impreſſa utiliter admodum evulgabitur, in qua verbi divini præcones amplam concionum materiam invenient, & omnis generis argumenta congrua ad inculcandum fidelibus verarum virtutum exercitia, & oppoſitorum vitiorum fugam, quibus ſolis perveniri poteſt ad portum ſalutis æternæ. Ita cenſui hac 19. Aprilis 1701.

*Arnoldus Eyben Cath. Antverp.*
*Can: Theol. Librorum Cenſor.*

### SUMMA PRIVILEGII.

CAROLUS II. Dei gratiâ Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps; diplomate ſuo ſanxit, ne quis præter JOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN Typographi Antverpienſis voluntatem, *Eximij Domini P. Joſephi Manſi Congregat. Oratorij Romani Presbyteri, locupletiſſimam Bibliothecam Moralem prædicabilem in folio 4. Tomis*, intra novennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum excuſam in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve exponat. Qui ſecùs faxit, præter exemplarium confiſcationem, triginta florenorum Rhenenſium pro unoquoque exemplari perſolvendorum pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,

*Signat*
LOYENS.

INDEX AU-

# INDEX AUTHORUM,
## Quorum Libris Author in Compilatione Bibliothecæ Moralis uſus fuit.

A.

*ABdias Babylonicus.*
*Abſolon Abbas.*
*Acta Eccleſiæ Mediolanenſis ſub S. Carolo Card. Borromæo Archiep. Mediolanenſi.*
*Adrichomius.*
*Ægeſippus.*
*Ægidius Romanus S.R.E. Card. Ord. Eremitarum S. Auguſtini.*
*Ælianus.*
*Æneas Sylvius.*
*Æſopus.*
*Agellius congregat. Clericorum Theatinorum.*
*Alanus.*
*B. Albertus Magnus Epiſcop. Ratisponenſ. Ord. Præd.*
*Albertus Picus Comes Mirandulanus.*
*Alcaſar.* Soc. Jeſ.
*Alcuinus Monachus Ord. S. Benedicti Præceptor Caroli Magni.*
*B. Algerus.*
*Alexander ab Alexandro.*
*Alexander Alenſis Ord. Minorum.*
*Aloyſius Lipomannus Epiſcopus Veronenſis.*
*Aloyſius Novarinus congregat. Clericor. Theatinorum.*
*Alphonſus Rodriquez Soc. Jeſu.*
*Alphonſus Salmeron.* Soc. Jeſ.
*Alphonſ. Toſtatus Epiſcopus Abulenſis.*
*Alphonſus Valmerannus.*
*Alphonſus Vaijliegas.*
*Alvarus Pelagius Epiſcopus Sylvenſis.*
*Amalaricus.*
*S. Ambroſius Doct. Eccleſ. Epiſcopus Mediolanenſ.*
*Ambroſius Catherinus Ordin. Præd. Epiſcopus.*
*Amphilochius.*
*S. Anacletus Papa.*
*S. Anaſtaſius Synaita.*
*Anaſtaſius Monachus.*
*Anaſtaſius Diaconus.*
*S. Andreas Cæſarienſis.*
*S. Andreas Cretenſis.*
*Andreas Capella.*
*Andreas Maſius.*
*Annales Eccleſiaſtici Baronij.*
*Annales Eccleſiaſtici Raynaldi.*
*Annales Ciſtertienſes.*
*Annales Ord. S. Franciſci.*
*S. Anicetus Papa.*
*S. Anſbertus.*
*S. Anſelmus Epiſcop. Cantuarien. Ord. S. Benedicti.*
*S. Antiochius.*
*Antiochus Monachus.*
*S. Antonius Magnus. Abbas.*
*S. Antonius de Padua Ord. Minorum.*
*S. Antonius Archiepiſ. Florentinus.*
*Antonius Senenſis Ord. Prædic.*
*Appollinarius.*
*Aponus.*
*Apophthegmata S. Franciſci.*
*Aquila.*
*Arabica Verſio.*
*Arethas Epiſcop. Cappadociæ.*
*Arias Montanus.*
*Ariſtoteles Stagyrita Philoſophus.*
*Arnobius Epiſcop. Veronenſis.*
*Arnoldus Carnotenſis.*
*S. Aſterius.*
*S. Athanaſius Doct. Eccleſ. Epiſc. Alexandrinus.*
*Athæneus.*
*S. Auguſtinus Doct. Eccleſ. Epiſc. Hipponenſ.*
*Aulus Gellius.*
*Author Operis Imperfecti.*
*Author Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.*
*Author Incognitus Ord. Carmelit.*

B.

*BAlduinus.*
*Bartholomæus Piſanus Ord. Minorum.*
*S. Baſilius Magnus Epiſcop. Cæſarienſis in Cappadocia.*
*S. Baſilius Seleucus.*
*V. Beda Monachus Ord. S. Benedicti.*
*Benedictus Pererius.* Soc. Jeſ.
*Bencejus.*
*Berengarius Abbas.*
*S. Bernardus Abbas Clarævallenſ.*
*Bernardus Luxenburgenſis. Ord. Præd.*
*S. Bernardinus Senenſis Ord. Minor.*
*Bernardinus.*
*Bibliotheca SS. Patrum.*
*Biblia Arabica.*
*Biblia Græca.*
*Biblia Hebraica.*
*Biblia Regia.*
*Biblia Syriaca.*
*Biblia Tigurina.*
*S. Birgittæ Revelationes.*
*Blaſius Viegas Soc. Jeſu.*
*Boëthius Severinus.*
*S. Bonaventura S.R.E. Card. Epiſc. Albanenſis Ord. Minor.*
*Bonartius.*
*S. Bonifacius Archiepiſcop. Mogunt.*
*Boulduicus.*
*S. Bruno Colonienſis Patriarcha Carthuſianorum.*
*Bullarium Magnum.*

C.

*CArolus Sigonius.*
*Cœlius Rhodiginius.*
*Cæſar Card. Baronius Congregat. Oratorij Romani S. Philippi Nerij.*
*Cæſar Franciotti.*
*S. Cæſarius Arelatenſis.*
*Cæſarius Heiſterbacenſ.*
*Capitolinus.*
*Caſſiodorus.*
*S. Catharina Senenſis Ord. Præd.*
*Catechiſmus hiſtorialis.*
*Catechiſmus Novitiorum.*
*Catena Græcorum Patrum.*
*Cauſini Aula Sancta.*
*Celada.* Soc. Jeſ.
*Chaldaica Verſio.*
*Chavaſſæus.*
*Cicero.*
*Cineas Orator.*
*S. Claudianus.*
*S. Clemens Alexandrinus.*
*S. Clemens Romanus.*
*Columella.*
*Concilium Aquiſgranenſe.*
*Concilium Baſilenſe.*
*Concilium Bituricenſe An. 1584.*
*Concilium Burdigalenſe An. 1583. 1587. & An. 1624.*
*Concilium Colonienſe.*
*Concilium Epheſinum Oecumenicum.*
*Concilium Gallicanum poſt Tridentinum.*
*Concilium Lateranenſe.*
*Concilium Matiſconenſe ſub Pelagio.*
*Concilium Mediolanenſe.*
*Concilium Narbonenſe An. 1551. 1609.*
*Concilium Pariſienſe ſub Greg. IV. an. 827.*
*Concilium Toletanum.*
*Concilium Tridentinum Oecumenicum.*
*Concilium Turonenſe ann. 1583.*
*Conciliorum Tomi.*
*Conradus Clingius.*
*Corderius Soc. Jeſu.*
*Cornelius Fanenſius Epiſcopus.*
*Cornelius Janſenius Epiſcop. Iprenſis.*
*Cornelius a Lapide Soc. Jeſu.*
*Cornelius Tacitus.*
*S. Cyprianus Martyr.*
*S. Cyrillus Alexandrinus Ord. Carmelit.*
*S. Cyrillus Hieroſolymitanus.*

D.

*DEcreta Eccleſiæ Gallicanæ.*
*Decretum Gratiani.*
*Demoſthenes.*
*Diadochus.*
*Didacus Baëza.* Soc. Jeſ.
*Didacus Stella Ord. Min. S. Franciſci.*
*Dio.*
*Diogenes Laertius.*
*Diodorus Siculus.*
*S. Dionyſius Alexandrinus.*
*S. Dionyſius Areopagita.*
*Dionyſius Carthuſianus.*
*Dionyſius Rickelius Carthuſianus.*
*Diſcipulus.*
*Doctrina Patrum.*
*Dominicus Soto Ord. Prædicat.*
*S. Dorotheus.*
*Drogo Hoſtienſis.*
*Dydimus.*

E.

*ELias Cretenſis Commentator Nazianzeni.*
*Eligius Noviomenſis Epiſcopus.*
*Emanuël Sa Soc. Jeſu.*
*Ennodius.*
*Epictetus Philoſophus.*
*S. Epiphanius Epiſcopus.*
*S. Ephrem Syrus.*
*Eraſmus Roterodamus.*
*S. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis.*
*Euſebius Cæſarienſis.*
*Euſebius S. Hieronymi Diſcipulus.*
*Euſebius Emiſſenus.*
*Euſebius Gallicanus.*
*Euſebius Hiſtoricus.*
*S. Euthymius.*

F.

*FAmianus Strada.* Soc. Jeſ.
*Fernandez.* Soc. Jeſ.
*Floremundus Remundus.*
*Flores Exemplorum.*
*S. Fortunatus.*
*Franciſcus Arias Soc. Jeſu.*
*S. Franciſcus Aſſiſinas Patriarcha Ordin. Minor.*
*Franciſcus Benzonius.*
*Franciſcus Fervardentius Ord. Minor.*
*Franciſcus Petrarcha.*
*Franciſcus Ribera Soc. Jeſu.*
*S. Franciſcus Saleſius.*

Fran-

Franciſcus Suarez.
Franciſcus Titelmannus Ord. Minor.
Franciſcus Card. Toletus Soc. Jeſu.
Franciſcus Valliſoletanus.
Franco Abbas.
Fulbertus Carnotenſis.
S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis.
Fulgoſius.

G.

GAgnæius.
Galatinus.
Galfredus Abbas.
Gaſpar Manzius, J. Conſult.
Gaſpar Sanctius Soc. Jeſu.
S. Gaudentius Epiſcopus.
Genebrardus.
Gennadius.
Georgius Bruin.
Gerardi Itinerarium.
Ghiſlerius.
Gillibertus Abbas.
Giuſſani Author vitæ S. Caroli Borromæi.
Gloſſa Interlinearis.
Gloſſa Ordinaria.
Godfredi Allegoriæ.
Gratianus Monachus Ord. S. Benedicti.
Græcus Textus.
S. Gregorius Magnus Papa Doct. Eccleſ. Ord. S. Benedicti.
S. Gregorius Nazianzenus Epiſcop. & Doct. Eccleſ.
S. Gregorius Nyſſenus Epiſcop. & Doct. Eccleſ. Græca Lectio.
S. Gregorius Thaumaturgus.
S. Gregorius Turonenſis.
S. Gregorius de Valentia.
S. Guerricus Abbas.
Guilielmus Abbas Ord. Ciſtercienſ.
Guilielmus Durandus.
Guilielmus Eſtius.
Guilielmus Pepinus Ord. Præd.
Guilielmus Peraldus.
Guilielmus Valdemarus.

H.

HAmeras.
Haye.
Haymo Epiſcop Halberſtadienſis.
Hebræus Textus.
Hector Boëtius.
Hector Pintus Ord. S. Hieronymi.
Heliodorus.
Henricus Henriquez.
B. Henricus Suſo.
Heraclitus.
Hermas.
Herodotus.
Herolt Ord. Minor.
Heſychius.
Jeremias Drexelius.
S. Hieronymus Stridonenſis Doct. Eccleſiæ.
Hieronymus Duxand.
Hieronymus Oleaſter Ord. Præd.
S. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis.
S. Hilarius Papa.
S. Hildebertus Epiſcopus Cenomacenſis.
Hiſtoria Tripartita.
Hiſtoria de Viris Illuſtribus Ord. Ciſtercienſ.
Honorius Auguſtodunenſis.
Hugo à S. Charo. S.R.E. Card. Ord. Præd.
Hugo à S. Victore Canon. Regul. S. Auguſtini.
B. Humbertus General. Ord. Præd.
Hymni Eccleſiaſtici.
S. Hyppolitus Martyr.

I.

IAcobus Alvarez.
Jacobus Bergomus.
Jacobus Marchantius ſeu Hortus Paſtorum.
Jacobus Tyrinus Soc. Jeſu.
Idelbertus.
Idiota.
S. Ignatius Epiſcopus & Martyr.
S. Ignatius Loyola Fundat. Soc. Jeſu.
S. Ildephonſus Epiſcop. Toletanus.
Innocentius III. Papa.
Ioannes Aedus Ord. Minor.
Ioannes Arboreus.
Ioannes de Avila.
Ioannes Azorius.
Ioannes Bencius.
Ioannes Benedictus.
Ioannes Bollandus Soc. Jeſu.
Ioannes Bromiardt. Ord. Præd.
S. Ioannes Caſſianus.
S. Ioannes Chryſoſtomus Epiſc. Antiochenus & Doct. Eccl.
S. Ioannes Climacus.
S. Ioannes Damaſcenus.
Ioannes Diaconus.
Ioannes Ferus. Ord. Minor.
Ioannes Gerſon Cancellarius Univerſitat. Pariſienſis.
Ioannes Guilielmus.
Ioannes Lorinus Soc. Jeſu.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Manlius.
Ioannes Meſfreth.
Ioannes Pelecius.
Ioannes Rho. Soc. Jeſu.
Ioannes Stephanus Durantus.
Ioannes de Sylveira. Ord. Carmelit.
Iordanus Saxo. Ord. Eremit. S. Auguſtini.
Ioſeph à Coſta. Soc. Jeſu.
Ioſeph Hebræus.
S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis.
S. Iſaac Abbas.
S. Iſaac Presbyter.
Iſaac Monachus.
S. Iſidorus Epiſc. Hiſpalenſis.
S. Iſidorus Peluſiota.
Iſidorus Clarius.
S. Ivo Carnotenſis.
Judocus Clichtovæus.
Iulianus Imperator.
Iulius III. Papa.
Iuſtinianus Imperator.
S. Iuſtinus Martyr.
S. Iuſtinus Hiſtoricus.
Iuſtinus Imperator.
Iuſtus Lipſius.

L.

LActantius Firmianus.
Laurentius Beyerlinck.
S. Laurentius Iuſtinianus Patriarcha Venetiarum.
Laurentius Surius Carthuſianus Colonienſis.
S. Leander Hiſpalenſis.
Lectiones S. Antonij Magni.
Lectiones S. Auguſtini.
Lectiones S. Bibianæ.
Lectiones S. Caſimiri.
Lectiones S. Claræ.
Lectiones S. Ignatij Loyolæ.
Lectiones S. Leonis.
Lectiones S. Marcellini Papæ & Martyr.
Lectiones S. Philippi Nerij.
Lectiones Quadraginta Martyrum.
Lectiones SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.
Lectiones S. Viti Martyr. 15. Iunij.
S. Leo Magnus Papa.
Litteræ annuæ Soc. Ieſu.
Lucas Burgenſis.
Lucas Pineda. Soc. Ieſu.
Lucas Waddingus Ord. Minor.
S. Lucas Epiſc. Tholoſanus.
Ludovicus Bloſius Abbas.
Ludovicus Granatenſis. Ord. Præd.
Ludovicus Epiſcop. Tudenſis.
Ludovicus Molina. Soc. Ieſu.

M.

S. MAcharius.
Macharius Alexandrinus.
Macrobius.
Magaglianes.
Magiſter Sententiarum.
Manipulus Exemplorum.
M. Antonius Muretus.
S. Marcus Eremita.
Marcus Marulus.
M. T. Cicero.
Mariana.
S. Martianus.
Martinus Becanus Soc. Ieſu.
Martinus Cromerus.
Martinus Delrio Soc. Ieſu.
Martyrologium Romanum.
Maſius.
Maſcardus.
Matthæus Clingius.
S. Mathildis Revelationes.
S. Maximus Epiſcopus.
Metaphraſtes.
Michael Ayguanus Bononienſis Ord. Carmelit.
Michaël Glycas.
Michael ab Iſſeldt.
Michael de Palatio.
Minutius Felix.
Moyſes Barceſa Epiſcop. Syrus.

N.

S. NEmeſius.
Nicephorus Calliſtus.
Nicetas Commentat. Nazianzeni.
Nicolaus Boërius.
Nicolaus C[illegible]ſſinus Soc. Ieſu.
Nicolaus Durerus.
Nicolaus Lyranus Ord. Minor.
Nicolaus I. Papa.
Nicolaus Trigaultius Soc. Ieſu.
S. Nilus.

O.

ODericus Raynaldus Congregat. Orator. Roman.
Oecumenius.
Officium Eccleſiaſticum.
Olaus Magnus.
Olike Dux.
Olympiodorus.
Optatus Milevitanus.
Origenes.

P.

PAez.
Palladeus.
Panormitanus Abbas.
S. Paſchaſius.
S. Patianus.
S. Paulinus.
Paulus Æmilius.
Paulus Diaconus.
Paulus Frigenus à Rom. Congr. Orat. Romani Presbyter.
Paulus Fugerius.





Paulus Oroſius.
Paulus de Palatio.
Paulus Wann.
Pauſanias.
Petrus de Æliano Cardinalis.
Petrus Berchorius Ord. S. Benedicti.
Petrus Bleſenſis.
Petrus Cellenſis Abbas.
S. Petrus Chryſologus Epiſcop. Ravenn.
S. Petrus Damianus S.R.E. Cardinalis.
Petrus Maffejus.
Petrus de Molina.
Petrus Ribadeneira Soc. Jeſu.
Petrus Thyræus Soc. Jeſu.
Philippus Abbas.
Philo Carpathius.
Philo Hebræus.
Photius.
Pierius Valerianus.
Pigna.
Pizzani Chronicon.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Pontificale Romanum.
Porrecta.
Pratum floridum.
Primaſius.
Procopius.
Promptuarium Exemplorum.
S. Proſper Aquitanicus.

Q.

QVintilianus.

R.

RAbanus Maurus Ord. S. Bened. Archiep. Moguntin.
Radulphus.
Raphaël Volaterranus.
Rationale Græcorum.
S. Raymundus Ord. Præd.
S. Remigius Epiſcop. Rhemenſis.
S. Remigius Epiſcop. Altiſiodorenſis.
Richardus à S. Laurentio } Canon. Regul.
Richardus à S. Victore. } S. Auguſtini.
Richardus à media villa.
Richardus Pampolitanus.
Robertus Cardinal. Bellarminus Soc. Jeſu.
Robertus Holcoth Ord. Præd.
Rodericus Sancius.
Rodulphus Clutius.
Roverius Lincolnicus, Epiſcopus.
Ruffinus Hiſtoricus.
V. Rupertus Abbas Tuitienſis.

S.

SAbellicus.
Sanctes Pagninus Ord. Præd.
Salazar Soc. Jeſu.
Salonius.
Salvianus Epiſcop. Maſſilienſis.
Salluſtius.
Scholiaſtes Climaci.
Sebaſtianus Barradas.
Seneca.
Septuaginta Interpretes.
Severinus Manlius Boëthius.
S. Severus Sulpitius Epiſcop. Bituricenſis.
Sextus Julini.
Sidonius Apollinaris.
Sigebertus.
Simon de Caſſia Ord. Erem. S. Auguſtini.
Simon Majolus Epiſc. Vulturienſis.
Sineſius.
Sixtus Papa III.
Socrates.
Solon Lycurgus.
Sophocles.
Sophronius.
Speculum Exemplorum.
Stephanus Cantuarienſis.
Stevartius.
Stobæus.
Strabo Fuldenſis monachus Ord. S. Benedicti.
Suetonius.
Summa Prædicantium.
Sylva Hiſtoriarum.
Sylva Allegoriarum.
Symmachus.
Syneſius.
Synodus Andegavenſis.
Synodus Moguntina.
Synodus Ebroicenſis.
Synodus Senonenſis.
Syriaca Lectio.
Syricius Papa.

T.

TErtullianus.
Textus Chaldæus.
Textus Græcus.
Textus Hebræus.
Theatrum vitæ humanæ.
Theodoretus.
Theodorus Siculus.
S. Theodorus Studita.
Theodoſius Imperator.
Theophylactus.
Theophilus Antiochenus.
Theſaurus in Panegyrico.
S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus Ord. Præd.
Thomas Bozius Congreg. Orat. Roman.
Thomas Cantuarienſis.
Thomas Cantipratenſis Epiſcop. Ord. Præd.
Thomas de Kempis.
Thomas Morus Magnus Angliæ Cancellarius & Martyr.
Thomas Sanchez.
Thomas Stapletonus Anglus.
S. Thomas de Villa nova Archiepiſc. Valent. Ord. Eremit. S. Auguſtini.
Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus Ord. Præd.
Tigurina Verſio.
Tilmannus Bredembachius.
Timotheus Presbyter.
Titelmannus.
Titus Boſtrenſis.
Titus Livius.
Tranquillinus.
Trebellius.

V.

S. Valerianus.
Valerius Maximus.
Vatablus.
S. Venantius Fortunatus.
Veranejus.
Victor Antiochenus.
Victor Uticenſis.
Vigliegas.
Viguerius Cardinal.
Vincentius Bellovacenſis.
S. Vincentius Ferrerius Ord. Præd.
Vincentius Manardi.
Virgilius Cepati. Soc. Jeſu.
Virgilius Malvezzi Marchio.
Vita S. Aloyſij Gonzagæ.
Vita S. Angelæ de Fulginio.
Vita S. Anthonij Magni Abbatis.
Vita S. Arſenij Abbatis.
Vita S. Bernardi Abbatis Claravallenſis.
Vita Camilli Lellis fundatoris Clericorum miniſtrantium infirmis.
Vita S. Caroli Borromæi Cardinal.
Vita S. Catharinæ Senenſis Ord. Præd.
Vita S. Elzearij Comitis.
Vita S. Franciſci Aſſiſſinatis.
Vita S. Franciſci de Paula.
Vita S. Franciſcæ viduæ Romanæ.
Vita S. Franciſci Saleſij Epiſcopi Gabennenſis.
Vita S. Gertrudis.
Vita B. Henrici Suſonis.
Vita S. Hereberti Archiepiſcop. Colonienſ.
Vita S. Joannis Eleemoſynarij.
Vita Joannis Baptiſtæ Vitelli.
Vita Venerab. Joannis Baptiſtæ de Fulginio.
Vita B. Jordani.
Vita S. Laurentij Juſtiniani Patriarchæ Venetiar. & Canon. Regular.
Vita S. Georgij in Alga. ibid.
Vita S. Lydwinæ virginis.
Vita S. Martini Epiſcop. Turonenſis.
Vita S. Norberti Archiepiſc. Magdeb.
Vita S. Philippi Nerij Fundatoris Congreg. Oratorij Romani.
Vita S. Pauli Primi Eremitæ.
Vita S. Sylveſtri.
Vita Thomæ Mori Regni Angliæ Cancellar.
Vita S. Thereſiæ Virginis.
Vita S. Vincentij Ferrerij.
Vitæ Patrum.
Vitalis.
Vopiſcus.

X.

XEnocrates.
Xenophon.

Z.

S. Zeno Epiſcopus Veronenſis.
Zonaras Hiſtoricus.

F I N I S.

# INDEX
# TRACTATUUM ET DISCURSUUM.

## TRACTATUS I.
## De Abſtinentia, Jejunio, Sobrietate.

*Continens Diſcurſus XVIII.*

Diſc.I. MUltæ conſiderantur abſtinentię & jejunij conditiones, ad hoc ut meritum habeant, dicique poſſint virtutes.

II. Appetitum etiam rerum vilium vitioſum eſſe poſſe oſtenditur; jejunium, quod exceſſivo & delicato cibo compenſatur, veluti adulterium reprobatur: è contra ut jejunium Deo gratum ſit pauperi dandum eſt, quod ex parſimonia abſtinentiæ lucramur; fieriq; ex libenti animo, non vero ob vanam gloriam ſervari debet.

III. Primum præceptū protoparentibus noſtris in ipſo mundi exordio impoſitū, abſtinentiæ fuit, quam Chriſtus ad exemplum ſuorum ſequacium in omni rigore implevit; in cujus etiam virtute abundantia confertur gratiarum, cùm Deo ſummè grata exiſtat.

IV. Jejunium quidpiam angelicum & divinum in ſe continet, nosq; Deo ſimiles reddit.

V. Abſtinentia & jejunium media ſunt efficacia, ad cœlū nobis aperiendū, nosq; ad gloriæ poſſeſſionem tranſmittendos.

VI. Sobrietas & temperantia victus, ad divinorum myſteriorum, cœleſtiumque revelationum notitiam nos diſponit, mentem ad Deum elevat, atque ad acquirendam ſapientiam, beneque faciendam orationem auxilia præſtat.

VII. Jejunium ad ſanctitatem acquirendam coöperatur, eſtque illius fundamentum; quod Sancti egregiè obſervantes, plurima patrarunt miracula.

VIII. Per jejuniū eradicantur vitia; eoque mediante Moyſes legem Dei accepit, ad cujus etiam obſervantiam efficaciter coöperatur, omnes nobis virtutes inſerendo, aliaque bona communicando, interque illa pacem præcipuè & tranquillitatem publicam.

IX. In virtute jejunij victoria adverſus ſenſualitatem reportatur, ipſeque ſpiritus carni principatur.

X. Concupiſcentiæ carnalis impetus per jejunium reprimitur, neque à caſtitate ſobrietas umquam diſſociatur.

XI. Abſtinentiam, fortem adverſus dæmones armaturam eſſe, Chriſti jejunantis exemplo oſtenditur.

XII. Abſtinentia & jejunium, ad inimici infernalis tentationes & inſultus ſuperandos, vires animique robur ſubminiſtrant.

XIII. Ninivitarum exemplo, jejunium opportunum ad abolendum peccatum, nosque ab eo præſervandos, nec non ad placandam divinam juſtitiam, aliunde per gulam & abſtinentiæ tranſgreſſionem graviter irritatam, remedium eſſe oſtenditur.

XIV. Per varia Sacræ Scripturæ loca, aliaſque hiſtorias, per jejunij merita, multas fuiſſe glorioſè obtentas victorias, oſtenditur.

XV. Jejunia ſaluti etiam corporali conducunt, faciuntque, ut homines in optimo virium vigore & ſanitate, diu vivant.

XVI. Deus jejunium cum innocentia à nobis conjungi, illudque operibus bonis, præſertim verò Eleëmoſynâ, ſanctificari deſiderat.

XVII. Jejunium ad vitia eradicanda ordinatur, & ideò ſpecialiter placet Deo; neceſſum eſt autem, ut non modo corpus, ſed & omnes ſenſus ſpiritualiter jejunent.

XVIII. De myſterijs jejunij quatuor temporum & quadrageſimæ; deque finibus, in quos hæc jejunia ordinantur: contra eos, qui illa facillimè tranſgrediuntur, vel ob metum lædendæ ſanitatis, vel ſub alijs prætextibus ab illis ſe eximunt. Recenſentur quoque exempla Sanctorum quorumdam, abſtinentiæ jejuniorumque virtute inſignium.

## TRACTATUS II.
## De Adulatione.

*Continens Diſcurſus XII.*

Diſc.I. INimicus infernalis, primus adulationis author & inſtrumentum fuit; ideòque vitium hoc diabolicum eſſe oſtenditur.

II. Dæmon per hoc vitium, eos, qui perfectiores ſunt & ſanctiores, quantum poteſt, ſeducere ſatagit.

III. Adulatio oleo, ſimiæ, peſti, echo, umbræ & ſpeculo aſſimilatur; unde aliquæ adulatorum proprietates examinantur.

IV. Adulator per adulationes in vitijs fovet, ſuiſque culpis magis illaqueat.

V. Qui per adulationem efficiunt, ut vitia virtutes eſſe appareant, alienasque virtutes contemnunt, ſeverè puniuntur.

VI. Adulationis dulcedo licet animam vulneret, mortemque eidem inferat, omnibus tamen placet.

VII. Longè melius eſt à detractoribus corrigi, reprehendi, injurias pati &c. quàm ab adulatoribus decipi.

VIII. Adulatio genericè nequitia appellatur, ut tantò magis ejus exprimatur malitia, ſecumque hypocriſin ſubinfert, & ideo quantum Chriſto abominabilis ſit, oſtenditur.

IX. Adulatores Reipublicæ pernitioſos, multarumque ruinarum cauſas & primam idololatriæ originem eſſe demonſtratur.

X. Adulatio proprium lucrū & intereſſe pro objecto habet.

XI. Adulatores à Principibus magni æſtimantur, utpote quorum intellectum excæcant, & veritatem abſcondunt, quæ à paucis principibus libenter auſcultatur.

XII. Multa conſiderantur damna, quorum adulatores cauſa exiſtunt; variæ quoque illorum malæ, indignæ & viles qualitates, nec non quæ ijs inferuntur ſevera ſupplicia, exponuntur, & conſiderantur aliqua circa hoc vitium remedia.

## TRACTATUS III.
## De Ambitione.

*Continens Diſcurſus XVIII.*

Diſc.I. LUcifer primus ambitioſus fuit, qui ambitionis venenum in cœleſtem pariter & terreſtrem paradiſum, imo & in ipſum collegium Apoſtolicum invexit; ac denique ipſummet Dei Filium in idem vitium præcipitare attentavit.

II. Ambitio omnium eſt malorum origo, omnique legi naturali & divinæ renunciat, cunctarum quoque diſſenſionum, bellorum, ſtragum, hęreſium, apoſtaſiarum, imo & idololatriæ cauſa fuit.

III. Ambitioſi ſe prius dejiciunt, ut poſtea exaltentur; atque ad omne malum proclives ſunt; eſtque aulicorum ad honores aſpirantium propriiſſimum hoc vitium.

IV. Effręne dominandi deſiderium intellectum excęcat, eorumque, qui ad honores evehuntur, naturam & mores in diverſa commutat.

V. Superbi quia terrena avidè nimis concupiſcunt, à cœleſti gloria excluduntur: unde dignitatum gradus etiam illis, qui ad eosdem à Deo ſublimantur, periculoſos eſſe, ex varijs cauſis oſtenditur.

VI. Sublimia loca, pręcipitia vicina comminantur: fortuna quem exaltat, eumdem pariter deprimit: unde & viri perfectiſſimi, magnum ſibi ex honoribus periculum conciliant.

VII. Vita & gloria mundana Magnatum hujus ſæculi, quòd brevis ſit, oſtenditur, ipſaque dignitatum terrenarum fugacitas & inſtabilitas penitius conſideratur.

VIII. Principes multis ſunt periculis & anxietatibus obnoxij, ideòque numquam ſunt plenè contenti, imo præ cunctis alijs,



alijs, gravioribus ſunt ſemper inſidiis obnoxij.

IX. Deducitur fuſius eadem materia ex alijs argumentis.

X. Gravitas ponderis, quod honores (qui honos & onus dicuntur) ſecum afferunt, conſideratur; variæque Prælatorum obligationes perpenduntur.

XI. Ornamenta Aaroni quondam præſcripta, præcipuè verò ea, quibus Epiſcopi uti ſolent, ritus item & ceremoniæ ſacræ, in ipſorum honorem & reverentiam inſtitutæ, eas ſubindicant virtutes, quibus ipſos præditos eſſe oportet, ipſosque ad majorem perfectionem obſtringunt.

XII. Honores merita ſemper prærequirunt; & ideò indigni ad honores evecti, infamiam ſibi majorem adſciſcunt: quibus cogitandum eſt, quod reverentia illis exhibita non tam illis, quam dignitati, quâ fulgent, attribuenda ſit; pœnæ quoque, quibus Deus in ambitioſos animadvertit, exponuntur.

XIII. Textus ille Apoſtolicus: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: examinatur; varięque adducuntur plurium ſacrorum Interpretum, textus illius expoſitiones.

XIV. Illi, qui dignitates fugiunt & accipere detrectant, illis accipiendis digniores & aptiores ſunt: pro quo argumento ſuadendo Chriſti, Moyſis, Joſue, Eldad &c. afferuntur exempla.

XV. Multos Dei ſervos, oblatos ſibi honores pro viribus reſpuiſſe, per varia Sanctorum Novi Teſtamenti exempla oſtenditur.

XVI. Prælaturæ Eccleſiaſticæ à Chriſto non ad dominium, ſed ad obſequium ſubditorum ordinatæ ſunt: ideoque dominia etiam ſęcularia ob onus & obligationes, quas habent annexas, honoratas aliquas ſervitutis ſpecies eſſe oſtenditur.

XVII. Honores ambientibus, omnia moleſtiarum & periculorum genera occurrunt; eſtque inſuper vana omnis eorum fiducia, qua viris Principibus innituntur.

XVIII. Ambitionis contagio ad omnes, etiam viros perfectiſſimos transfunditur; idque verum eſſe aliquibus exemplis demonſtratur: ubi etiam oſtenditur, quæ prælaturis obligatio & periculum adhæreſcat.

## TRACTATUS IV.
## De Amore Dei.

*Continens Diſcurſus XVIII.*

Diſc.I. CUm cor humanum ſine amore exiſtere nequeat, Deus illud ad ſuum amorem invitat: oſtenditur dignitas objecti divini amoris, quod ſuper omnia creata, cuncta in ſe bona ſuperexceſſivè continet; ac tandem honor conſideratur, qui homini Deum amando accedit.

II. Præceptum charitatis primum & maximum nominatur, quia omnes leges & præcepta ad charitatem diriguntur: ipſa quoque charitas velut regina omnibus virtutibus imperat: aliæ quoque illius aſſignantur rationes.

III. Nullum opus bonum ſine amore Dei quidquam valet: hic autem omnes res, etiam minimas, pretioſas efficit, & ſolus cœlo comparando ſufficit, utpote ad quod ſecuram brevemque viam ſternit.

IV. Amor Dei natales ſuos directè Deo, in quo reſidet, attribuit, ipſique nos ſimiles efficit & unit, ipſumque totaliter noſtrum eſſe facit, ac demum nos cœli poſſeſſores conſtituit.

V. Amor Dei debita noſtrorum peccatorum remittit, ijsque pariter opponitur: item ad perfectionem acquirendam nos juvat, & cum vitijs pugnat.

VI. Amor vita eſt animæ, quæ valdè ingrata eſt, niſi Deum amet, qui tot modis ſalutem ejus curat: ſive eamdem exſpectando ad pœnitentiam, ſive à peccatis præſervando. Alia quoque conſiderantur hujus amoris motiva.

VII. Deus tantopere in nos beneficus conſideratur, quia quocumque nos vertimus, per communicata nobis beneficia, amorem noſtrum erga ſe exſtimulat, cunctaſque creaturas ipſum ad nobis ſerviendum ordinaſſe conſtat.

VIII. Alia Deum amandi motiva perpenduntur; quia ad hoc, ut illum amemus, eſſe quoddam adeo nobile, & ad ejus ſimilitudinem factum, nobis contulit, cunctaſque creaturas noſtro ſervitio deputavit.

IX. Variæ inſtituuntur amoris Dei ponderationes, dum circa illa verba diſcurritur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

X. Majorem Deus in nos amorem in Redemptione, quàm in Creatione noſtra oſtendit: quia ipſemet in propria perſona corpus aſſumendo paſſibile, redimere nos voluit: conſiderantur variæ invĕtiones, quibus Dei Filius uſus eſt, ut magis pateretur.

XI. Amor Redemptoris erga nos tantus fuit, ut, quantò nos illum indignius tractavimus, tantò ille erga nos magis beneficus exſtiterit: idque per varios paſſionis ejus ſucceſſus & eventus oſtenditur: quæ proinde à nobis omnem viciſſim amorem efflagitat.

XII. Beneficia vocationis ad fidem, juſtificationis, præſervationis à multis peccatis & periculis, conſervationis creaturarum, ad amorem Dei nos obligant: & hoc tributum aliunde multis titulis debitum remuneratur.

XIII. Quia Deus, ut à nobis ametur, primo loco cor noſtrum expoſcit, varij explicantur modi, Deum ex toto corde, anima & mente noſtra amandi.

XIV. Amor, quo erga terrena bona ferimur, condemnatur, quando is amori Dei anteponitur; ſimulque amorem Dei & mundi ſe mutuò compati non poſſe oſtenditur, eò quod inter ſe prorſus ſint contrarij.

XV. Deus cor noſtrum totum habere deſiderat, adeòque diviſionem in amore odit, cum ſit inſtar ſponſi valdè zelotypus: in cujus probationem aliquæ conſiderantur Veteris Teſtamenti figuræ.

XVI. Æſtimatio, quam Deus de amore noſtro habet, nos ad illum ſine limite amandum obligat, maximè cū totum illius lucrū, noſtrū ſit, perque ipſum omni debito noſtro ſatisfaciamus.

XVII. Præceptorum obſervantia amore, qui omnia quantumvis aſpera facilitat, ſuavis efficitur: Unde nemo excuſare ſe poteſt, quod non amet, cum ſuave ſit amare, & cuivis perſonæ adaptetur.

XVIII. Signa, hunc amorem verè indicantia ſunt ſequentia: nimirum quòd ſit operativus, quòd omni nos exuat affectu terreno, Deum ſuper omnia deſideret & cogitet, legem ejus adimpleat: tribulationes patiatur, & non ſentiat: denique quòd ſine ullo intereſſe aut commodo quæſito amet.

## TRACTATUS V.
## De Charitate in proximum, concordia & pace.

*Continens Diſcurſus X.*

Diſc.I. OMnia præcepta ad proximi dilectionem tendere, perque illius adimpletionem, homines, cujusvis alterius legis obſervantiam & meritum adipiſci oſtenditur.

II. Non datur amor Dei ſine amore proximi, hinc enim evidens eſt ſignum, quod Deus ametur, utpote qui in proximo, tamquam viva Dei imagine & effigie relucet.

III. Amor, quo Deus nos diligit, & cura, quam habet, ut nos eum diligamus, varia nobis motiva modosque inſinuant, quibus proximos noſtros diligere debemus.

IV. Charitas in proximos, nos veros fideles & in virtute fundatos eſſe oſtendit: hujus autem dilectionis defectus & diſſenſiones convincunt nos dæmonis eſſe ſequaces.

V. Ex varietate operationum in membris corporis noſtri, varij deducuntur modi, charitatem & dilectionem erga proximos exercendi.

VI. Ex cœlo Empyreo, viſione pacis, ex diſpoſitione elementorum, item ex unius dumtaxat viri formatione, atque ex illius coſta, fabricata unica ſolum muliere: nec non ex unica tantum à diluvio præſervata familia Noëtica, ſollicitudo Dei, quâ unionem inter nos procurare voluit, conſideratur.

VII. Per quorumdam veteris Teſtamenti rituum & Scripturarum ponderationem, docetur, quantum Deus mutuam in-

ter nos concordiam amarit, oderitque diſſenſiones.

VIII. Eadem Dei ſollicitudo, quâ concordiam & unionem inter proximos procuravit, ex multis Chriſti, in novo Teſtamento, operibus deducitur.

IX. Variæ conſiderationes circa præceptum, quo proximos, ſicut nos ipſos amare tenemur, adducuntur.

X. Quanta cum facilitate, delectabilitate & lucro, debito fraternæ dilectionis ſatisfacere poſſimus: item hujus defectum dilectionis, reprobationis eſſe indicium oſtenditur: varia quoque, ejuſdem præcepti tranſgreſſoribus irrogata ſupplicia conſiderantur.

## TRACTATUS VI.
## De Angelis.

*Continens Diſcurſus XVI.*

Diſc. I. De numero, diſtinctione & varijs officijs Angelorum, qui per continuum cœlorum motum; & cauſatas inde in rebus omnibus inferioribus influentias, mundum gubernant & dirigunt.

II. Angelis aſſignata eſt tutela regnorum: & ideo ſeps Synagogæ, & quovis tempore Eccleſiæ fuêre defenſores: prout ex multis exemplis deducitur, multaq; à nobis removent ſupplicia.

III. Angelos invitos eſſe ad inferendum nobis ſupplicia & pœnas; valde autem ad nobis benefaciendum, Deumque nobis reddendum propitium, proclives eſſe oſtenditur.

IV. De Angelorum; in exequendis Dei juſſis, ad noſtrum bonum cedentibus, velocitate & promptitudine: ubi etiam illos nobis, poſt Chriſti incarnationem & noſtram redemptionem, majorem exhibuiſſe amorem, oſtenditur.

V. Dignitas Angelorum oſtenditur: nec non, quod hâc non obſtante, in varijs miniſterijs nobis ſervire non fuerint dedignati, varias in noſtrum obſequium ſpecies aſſumendo.

VI. Angeli nos adjuvant, ut in proſperitate innocenter vivamus; noſque à multis periculis ſpiritualibus & corporalibus eripiunt.

VII. Super illa Pſal. 90. verba: *Angelis ſuis Deus mandavit de te &c.* variæ inſtituuntur conſiderationes.

VIII. De defenſione & prælijs Sanctorum Angelorum, adverſus inimici infernalis tentationes, inſultus atque inſidias in beneficium noſtrum.

IX. Angelorum in fine vitæ noſtræ adverſus dęmonem auxilia, ipſorumque pro noſtra ſalute interceſſiones perpenduntur: adverſus illos autem, qui nullum ex illorum cuſtodiâ retulère profectum, in extremo die judicij teſtes erunt.

X. Angelos, licet noſtram reprobationem prępvideant, numquam tamen nos totaliter deſerere probatur: ubi ſimul agitur de auxilijs, quæ nobis ſubminiſtrant, ut à peccati ſtatu egrediamur, exemplo ex carcere exeuntis Sancti Petri, per quem peccator pręfiguratur.

XI. De cura & lętitia Sanctorum Angelorum, quâ per ſalutem & pœnitentiam noſtram perfunduntur, variæque illius lętitiæ cauſæ adducuntur, & ſpecialiter utilitas, quam inde ob cœleſtis Jeroſolymæ reſtaurationem reportant.

XII. Oratio Angelis nos familiares efficit, quam ipſi nos rectè inſtituere docent, & ſimul cum omnibus alijs operibus bonis, per patrocinium ipſorum, corroborant & Deo præſentant.

XIII. Angelos, licet nobis hîc in terris miniſtrent, per hoc tamen minime impediri oſtenditur, quò minus Deo aſſiſtant & viſione beatifica fruantur; imò inſuper probatur, quòd ipſorum in Deum continuò defixus obtutus, ipſos de noſtra ſalute magis ſollicitos efficiat: tanguntur etiam aliqua bona, quæ nobis communicant; deque exhibenda à nobis ubique Angelis reverentia.

XIV. Angelorum converſatione frui poſſumus, dum ea, quæ ipſis placent, imitamur; qualia ſunt hoſpitalitas, eleëmoſyna, pax, receſſus à mundo, humilitas, labor &c.

XV. Caſtitas & continentia Angelis nos ſimiles facit, eorumque pro hujus virtutis conſervatione, ſępe experimur tutelam; & è contra illius tranſgreſſores ab ijs illata ſępe experiuntur ſupplicia, utpote qui vitium huic virtuti contrarium valde execrantur.

XVI. De gratitudine noſtra Angelis debita, qui ſe liberaliter remuneratos eſſe cenſent, dum legi Dei & conſilijs ipſorum morem gerimus; deque exhibenda illis ubique reverentia, utpote qui nobis ſemper præſentes exiſtunt: ipſorum denique auxilijs coöperandum eſſe docetur; quia noſtra culpa eſt, ſi per illa non proficiamus.

## TRACTATUS VII.
## De Anima ejuſque Salute.

*Continens Diſcurſus XIX.*

Diſc. I. Modica æſtimatio, quâ animam appretiamur, ex modica oritur notitia, quam ex defectu applicationis noſtræ de ipſa habemus, hæc enim è nobis ad quævis alia extenditur, pręterquam ad unicum hoc tanti momenti negotium.

II. Anima creata fuit, non verbo Creatoris, ſicut alia opera, ſed cum ejuſdem conſilio, qui ſpiraculo oris ſui eſſe illi tribuit, eique corpus ad cœlum erectum plaſmavit: Unde anima in ſolo Deo ſatisfactionem & quietem invenit.

III. Varia tanguntur myſteria, ob quæ ſapientia increata animæ adeo nobili corpus conjunxerit, ex tam vili luto plaſmatū.

IV. Examinatur, in quo conſiſtat hoc, quòd anima ad imaginem Dei creata ſit; idque ſimilitudinibus ſtatuæ, picturæ & ſpeculi elucidatur: variæ denique moralitates tanguntur.

V. Pulchritudo animæ & ſimilitudo, quam habet cum Deo, cum hęc in innocentia & virtutibus conſiſtat, per peccatum perdi poteſt & deformari; ſimulque oſtenditur, animam à Deo ſimilem ei creatam fuiſſe, ut tantò impenſius illum amet.

VI. Varij Deum inter & animam conſiderantur paralleli, quoad ſimilitudinem, quam cum Deo in qualitatibus & operibus ſuis habet.

V. Homo, utpote parvus quidam mundus, opus quoddam, in quod abſolvendum SS. Trinitas induſtriam ſuam collocavit: denique anima cœlum & gloria Dei, quia propter ipſam creatum eſt cœlum empyreum, quæ dignitas ad illam tantò majoris æſtimandam nos obligat.

VIII. Anima eſt Paradiſus & locus deliciarum Dei, ejuſque templum, cujus proindè amplitudo, maximè, quam charitate mediante habet, conſideratur.

IX. De exceſſiva animæ pulchritudine, quæ ad ſui ſponſalitium, ipſum Deum rapit: Hęc autem animæ venuſtas à virtutibus & innocentia Chriſtiana dependet.

X. Oſtenditur, quantâ curâ & cuſtodia Deus animam proſequatur, guſtus item ſive gaudium, quo ob ejus ſalutem perfunditur, cujus etiam varia motiva conſiderantur.

XI. Ex pretio, pro animæ redemptione perſoluto, deducitur, quanti Deus, qui perfectam illius notitiam habuit, eam æſtimarit: imo & dæmon magni illam facit; adducuntur item nonnulla motiva, ad illam pro dignitate æſtimandam.

XII. Quidquid Deus pro omnibus animabus fecit, etiam pro una ſola facturus fuiſſet: ubi etiam cura, quam de unaquaque in particulari habet, per parabolas ovis & drachmæ deperditæ, nec non per S. Thomæ Apoſtoli exemplum docetur; nec non quod nullus ſit faſtidiendus labor, licet is etiam pro una tantum anima fuerit impenſus.

XIII. Singuli Redemptori noſtro tantumdem obligantur pro anima propria, quantum obligantur in univerſali omnes; imò plus quam omnes, contra eos, qui propriam ſalutem ſpiritualem & æternam floccifaciunt.

XIV. De gloria & magno lucro eorum, qui animas convertere ſatagunt; quantumque Deus inde gaudeat, utpote qui animarum ſalutem tanto ſemper zelo proſequitur: cauſæ item adducuntur, cur in hoc miniſterio negligentes ſimus.

XV. Anima animæ noſtræ Deus eſt, quæ proinde moritur, dum Deum amittit, id quod per peccatum fit, quod lethiferum vulnus & venenum illius eſt: declaratur etiam, in quo ſanitas animæ conſiſtat, cui perſæpe infirmitates corporales plurimum conferunt; denique modus traditur, quo anima rejuveneſcere poſſit.



XVI. Indecens eſſe oſtenditur, quod corpus animæ præponatur; de vilitate illius in comparatione animæ, quæ ſi propter corpus perdatur, ipſum quoq; cum anima æternaliter punietur.

XVII. De corpore, quod inimicum eſt animæ, ſemper ſoliciti ſumus, ideoq́ue illud adornare, cibare, lavare & quando infirmum eſt, induſtriè curare ſtudemus; anima verò, in comparatione ejus parvi æſtimatur.

XVIII. Anima in bonis hiſce terrenis perditur, dum æterna negliguntur: reprehenditur quoque modica animæ æſtimatio, in comparatione ad alias res temporales.

XIX. Mundus & omnia bona creata in comparatione ad animam, pro qua omnia prodigi debent, nihil valent; quæ proinde ſi perdita fuerit, nullum eſt pretium in creatis, quo illam redimere poſſis; & ideo ſalus illius nequaquam dubio eventui committi debet.

## TRACTATUS VIII.
## De Avaritia, divitijs, felicitate & bonis temporalibus.

*Continens Diſcurſus XXXI.*

Diſc. I. Ex auri natura, quæ nihil eſt præter terram; item ex loco, modo & qualitate perſonarum, quæ illud effodiunt; nec non ex gravitate, alijſque illius qualitatibus, divitiarum cupiditas damnoſa & deteſtabilis eſſe oſtenditur.

II. Avaritia radix eſt omnis mali, omniſque vitij origo, & maximè odiorum & rixarum etiam inter proximè cognatos; eſtq́ue bellorum, ruinarum & cujuſvis alterius exceſſus unica & fundamentalis cauſa.

III. Eamdem materiam & aſſumptum, per varias S. Scripturæ, & SS. Patrum ſententias proſequitur.

IV. Hoc vitium ſpecialem dæmonis laqueum eſſe, eumque in hoc ſpecialiſſimè velut in ſuo centro ſubſiſtere oſtenditur.

V. Divitiæ ſunt pondus, quo animæ in æternæ perditionis barathrum detrahuntur.

VI. Hujus vitæ proſperitates temporales, plerumque ſcopuli ſunt, ad quos allidentes animæ, in profundum uſque Inferni naufragantur: & ſi quæ in hac vita conceduntur delitiæ & gaudia, tormentis compenſantur æternis in vita altera.

VII. Divites communiter proclives ſunt in vitia, & quia terrenorum bonorum abundantia nidus eſt omnis peccati, ideo inter divitias, innocentiam conſervare difficillimum eſt.

VIII. Præſentis vitæ proſperitates à Deo nos ſeducunt; & ideo magna eſt inter illas, virtutem conſervandi difficultas.

IX. Eadem materia per alia argumenta continuatur.

X. Lapſum in peccata, frequentius in felicitatis quàm in adverſitatis ſtatu accidere, & conſequenter inter proſpera difficilius animæ ſalutem procurari oſtenditur.

XI. Divites avari per opum ſuarum ſtercus, Deo abominabiles & hominibus exoſi efficiuntur: bona quoque temporalia per ſtercus, quod Tobiam excęcavit, ſignificari oſtenditur; quia hominem lumine & notitiâ Dei, & cœleſtium bonorum cognitione deſtituunt.

XII. Bona terreſtria à deſiderio & lucro bonorum cœleſtium nos retrahunt: & ideo quanto magis homo ab hujuſmodi bonis nudus & alienus exiſtit, tanto magis cœleſtibus abundat.

XIII Felicitatem corporalem animæ periculoſam eſſe oſtenditur, utpote per quam ſurdi efficimur, ne vocem Dei audire valęamus: & ideo ex eo, quod quis bonis temporalibus abundet, Dei in illum benevolentiam & amorem colligere non poſſumus

XIV. Per avidam divitiarum concupiſcentiam, affectum & poſſeſſionem; fides, cultus & notitia Dei plurimum labefactatur.

XV. Exponuntur myſteria, ob quæ avaritia idololatriæ à Spiritu ſancto ſimilis eſſe dicitur, variæ etiam utriuſque adducuntur analogiæ, variaque hujus ſimilitudinis argumenta.

XVI. Inordinatus erga bona temporalia amor condemnatur, ſicut & eorumdem bonorum duplex abuſus, dum ſcilicet inter egenos ea non diſtribuimus, vel plus æquo æſtimamus, & in ijs confidimus, cum ſint temporalia.

XVII. Solo divitiarum deſiderio & cupiditate, nō vero earum poſſeſſione, vitioſi efficimur; & ideo ab ijs avellendus eſt noſter animus, quod admodum facile nobis erit, ſi vanitatem earum perpendamus.

XVIII. Bonorum temporalium ſufficientia homini benè congruit, ſuperfluitas autem illorum condemnatur, niſi inter egenos ea quæ ſuperfluunt, diſtribuantur; ad hoc divites adeò obligantur, ut in caſu, quo illud facere negligunt, furti efficiantur rei: nec eſt, quod ſibi per hoc facultates ſuas diminuendas eſſe vereantur; ſiquidem, quanto plus bonorum temporalium pauperibus clargiuntur, tanto ſecuriores evadunt, & magis augentur.

XIX. Bona hæc temporalia indifferentia ſunt ad bonum & malum; eorum vero utilitas, quæ inde ad nos redundare poteſt, à bono illorum uſu dependet, & ideo bonis auxilio ſunt ad ſalutem, ſi in bona opera adhibeantur.

XX. Nimius cordis noſtri ad bona temporalia adhæſionis affectus condemnatur: & ideo Abraham, Job & alij Sancti, qui ſine ullo divitiarum amore divites fuêre, conſiderantur: unde bona temporalia ad opera bona, & ad neceſſarium uſum noſtrum applicanda, non verò Deo & ſaluti noſtræ præferenda ſunt.

XXI. Ut erga bona terrena minus afficiamur, conſiderandum nobis eſt, quod in hac vita ſimus viatores, vitaque præſens peregrinationi ſimilis exiſtat: id enim fecerunt, quotquot inter Sanctos divites fuerunt: unde variæ etiam peregrinorum conditiones conſiderantur.

XXII. Ut bona terrena contemnamus, opus eſt, ut cordis noſtri oculum in bona cœleſtia defigamus.

XXIII. Mundus bona tantùm apparentia, non autem vera habet; ſunt enim veluti ſcęnæ quędam & imagines bonorum, & ideò poſſeſſores ſuos non ſatiant, nec ſatisfaciunt ipſis.

XXIV. Bona temporalia quantò magis augentur, tantò ſępè amplius deficiunt & amittuntur; & ideò inſidiæ & pericula varia recenſentur, quibus divites ſubjiciuntur, bonorumq́ue temporalium inſtabilitas, & ab uno poſſeſſore ad alium tranſitus manifeſtatur.

XXV. Multæ divitum avarorum ærumnæ & cruciatus conſiderantur, Deus enim bonorum temporalium roſas variarum ſpinarum aculeis & puncturis commiſcuit, ut illa abhorreamus, noſtræque mentis oculos in bona cœleſtia defigamus.

XXVI. In variis proprietatibus ſpinarum, quibus divitiæ aſſimilantur, varij deſignantur avaritię & bonorum terrenorum effectus.

XXVII. De anxietatibus, curis, laboribus & ærumnis avarorū.

XXVIII. Agitur hîc de avaritiæ inſatiabilitate, & rationes aliquæ adducuntur, ob quas non ſatiatur avarus, neque anima noſtra, in quorumcumque bonorum terrenorum poſſeſſione, quantumvis opulentâ, quieſcit.

XXIX. Quantò quis ditior eſt, tantò eſt pauperior, quia avarus numquam dicit, ſufficit; nec gaudet aut fruitur ſuis divitijs, cum ſit ſervus & mancipium illarum, & ab illis velut dominis ſuis poſſidetur.

XXX. Varij tanguntur effectus avaritiæ, quæ paſſim omnibus, etiam nonnumquam timoratæ conſcientiæ hominibus tenaciter adhæreſcit, nec cum ætate ſenili conſeneſcit, ſed adoleſcit potius; quia adeò difficulter eradicatur, ut ſpeciali ad id Dei auxilio opus ſit.

XXXI. Regis Salomonis variæ conſiderantur delitiæ & voluptates, quibus licet copioſè fruitus fuerit, illas tamen vanitatem vanitatum, & nihilum appellavit; ideòq́ue mundum hunc purum quoddam nihil eſſe probatur.

## TRACTATUS IX.

## De Bacchanalibus, Spectaculis, Comœdijs, Larvis, Comeſſationibus, aliiſq; ſimilibus vanitatibus.

*Continens Diſcurſus XX.*

Diſc.I. Miniſtris Evangelij curandum eſt, ut Bacchanalia tamquam ſeminarium omnis peccati abolere poſſint: oſtenditur etiam, quod Eccleſia tempus illud, quod à Septuageſima ad Quadrageſimam uſque decurrit, pœnitentiæ & planctui deſtinaverit, ac proinde illud in vanis diſſolutionibus tranſigere Chriſtianum hominem minimè deceat.

II. Deteſtabilis eſſe oſtenditur error mundanorum hominum, qui ſe per Bacchanalium diſſolutiones ad Quadrageſimalem obſervantiam diſponere volunt: Multæque conſiderantur inordinationes, quæ exindè ſequuntur.

III. Bacchanales diſſolutiones multas ſecum ſubinferunt tranſgreſſiones; Spectacula etiam & Comœdiæ, præcipuè prophanæ, omnium ſunt malorum incentivum & inſtrumentum, utpote quæ nobis per illas vivaciſſime & tenaciter imprimuntur.

IV. Oſtenditur Comœdias prophanas ſpecialem eſſe obſcœnitatis nidum, omniſque impudicitiæ cauſam & originem.

V. Choreas execrabiles eſſe oſtenditur, utpote quæ honeſtatem offendunt, multorumque malorum cauſa exiſtunt; quas proinde Deus ſummè deteſtatur, prout varia choreizantibus à Deo immiſſa ſupplicia comprobant; Dæmon quoque author illarum eſſe ex nonnullis adductis exemplis declaratur.

VI. Exploduntur larvæ, velut Chriſtianis hominibus indignæ, à Dæmone inventæ, à Deo autem varijs in occaſionibus graviter punitæ.

VII. Dæmon Bacchanaliũ author eſſe probatur, qui per illa animas noſtras in æternam perditionem deturbare nititur.

VIII. Bacchanalia paganorum hominum reliquiæ & inventiones exiſtunt, quibus olim Divinos Baccho cultus exhibebant, ideoque Chriſtianos omnino dedecent.

IX. Pœnæ quas Deus in particulari & in genere Bacchanalibus operam dantibus immiſit, accuratius conſiderantur, contra eorum ſequaces, qui vel ex eo culpabiliores cenſendi ſunt, quod per illa Deo dorſum obvertunt.

X. Gaudia præſentia ficta tantum ſunt & apparentia; Suntq; roſę undequaque multis ſpinis obſeptę, quæ ſubitò efflorelcunt.

XI. Bacchanalia ſtultitiæ nomen merentur, ſiquidem per illa judicium rationis amittitur, maximè dum nos à ſequela Chriſti apoſtatare faciunt.

XII. De inſigni illorum lucro, qui hiſce diebus Chriſti ſe ſequelæ dedicant, cujus ſibi gratiam & gloriam conciliant, ſicut & ij qui ſe familiarem eſſe comprobant illorum amicum.

XIII. Nonnulla illuminatiſſimorum virorum adducuntur exempla, qui zeloſos ſe Bacchanalium vanitatum hoſtes eſſe probarunt, ubi etiam aliqua adducũntur Divinæ complacentiæ ſigna, quæ Deus illis exhibere dignatus eſt, qui hiſce diebus, vanitatibus relictis ipſum ſequuntur.

XIV. Deo acceptum & perfectum eſt ſacrificium, à gaudijs & voluptatibus, quas mundus hiſce diebus larga manu diſpenſat, abſtinere, & Chriſti diſciplinæ ſe ſubmittere.

XV. Deus illis, qui hiſce diebus amore ſui Bacchanalium recreationibus ſe privant, conſolationem & dulcedinem communicat ſpiritualem.

XVI. Etiam virtuoſis & perfectis pericula Bacchanalium fugienda ſunt, neque de proprijs virtutibus nimium eſt præſumendum, alias enim in medijs occaſionibus conſtituti miſerè corruent.

XVII. Per Chriſti patientis & morientis conſiderationem lumen acquiritur ad contemnendas voluptates quæ crucifixionis ejus cauſa fuerunt.

XVIII. Sancta Dei Eccleſia in Evangelio Chriſti nobis Paſſionem ob oculos ponit, ut per illam à præſentibus nos diſſolutionibus coërceat, eoſque qui veri Chriſtiani ſunt, exploret.

XIX. De Eutrapelia, id eſt, honeſta recreatione, quæ ſervatis conditionibus debitis virtuti attribuitur.

XX. Univerſalem Bacchanalium torrentem ſine læſione animæ, aut offenſa Dei ſecurè evaſiſſe, ſingulare Dei donum eſt, pro quo Deo gratias agere debemus, ſicut & pro eo, quod ſufficiens nobis Lumen communicarit, ad cognoſcendum quod gaudia hæc tandem in pulvere & cinere terminentur.

## TRACTATUS X.

## De Beatitudine ſeu Gloria cœleſti.

*Continens Diſcurſus XX.*

Diſc.I Cœleſtis gloria nec verbis exprimi, nec intellectu humano capi poteſt.

II. Cœleſtis Paradiſus pro nobis conditus fuit, utpote ad cœleſtem gloriam poſſidendam creatis, ideoque ad hanc nos Deus ſuper omnia invitat, licet nos illam inerter negligamus.

III. De amplitudine & immenſitate cæli empyrei, in cujus comparatione terra non niſi punctum eſt, hæcque differentia ab illo qui Cœlum aſpicit, facile agnoſcitur.

IV. Ex bonorum terrenorum aſpectu, in cœleſtium notitiam devenitur, unde ſupernæ Jeruſalem pulchritudo, delitiæ, opulentia, elegantia & lux fuſius conſideratur.

V. Beati omnes, utpote coronati Reges, in ſolio Majeſtatis ſedentes, potentes erunt in cœlis.

VI. Tractatur de animarum beatarum & corporum ipſorum pulchritudine, & de dotibus claritatis, impaſſibilitatis, agilitatis, & ſubtilitatis, quibus corpora adornabuntur, reſtaurabunturque omnes illius defectus.

VII. De gaudio & lætitia beatorum, qua ex divinæ faciei aſpectu perfundentur, utpote in qua omnigena pulchritudo videtur; variaque conſiderantur gaudia, quæ ſtabilia, omniſque triſtitiæ expertia exiſtunt.

VIII. Superabundantes gloriæ cœleſtis delitiæ, ex conſolationibus quas Deus ſervis ſuis etiam inter tormenta & dolores communicare ſolet, deduci poſſunt: Quilibet beatus participabit de alterius beati gaudijs, frueturque & unietur Deo omnis gaudij fonti; & ideo hic flendum eſt, ut ibi gaudere poſſimus.

IX. Quod Beatitudo omnia in ſe delitiarum genera includat, ex ſimilitudine Mannæ demonſtratur; & quidem ſi delitiæ cœleſtes cum terrenis conferantur, quantum illæ his ſuperiores ſint, facile videtur.

X. Varij gloriæ accidentalis gradus, variique ex beatitudine procedentes effectus conſiderantur, utpote in qua invenitur, quidquid volumus, aut deſideramus.

XI. De Paradiſi gloria ſub ſumptuoſi cujuſdam convivij metaphora & alluſione diſcurritur.

XII. De unione mutua Beatorum, quam habent in cœlis, deque mutua gaudiorum inter ſe participatione tractatur.

XIII. In cœlo omnes beati unam quaſi habent voluntatem, ex qua in cœleſti Jeruſalem magna inter beatos unio & concordia derivatur, ad quam amor & Charitas aditum præbet.

XIV. Quiſquis in cœlum oculum ſuum dirigit, omnia quibus hic in terris frui poteſt, facile contemnit, quia in cœlis omne bonum reperitur; unde quanti valoris unica tantum cœleſtis torrentis ſtilla ſit, ponderatur.

XV. Beatitudo immunis eſt ab omnibus miſerijs, periculis, pœnis, culpis, alijſque hujus vitæ laboribus; Et ideo beati lætabuntur, quod portum ſecurè tenentes evaſerint Infernum.

XVI. De gaudiorum quibus beati fruentur ſtabilitate, quippe quæ numquam deficient, cum bona hujus vitæ contra continuæ mutationi ſint obnoxia.

XVII. Oculi noſtri in cœlum figendi ſunt, ſi bona terrena contemnere velimus.

XVIII. Conſideratio & ſpes bonorum cœleſtium, vanitatem nobis indicat bonorum terrenorum; Ubi agitur contra eos, qui de præſentibus tantum gaudijs cogitant, de futuris nihil curantes.

XIX. Reprehenditur negligentia illorum, qui pluris terram quam cœlum faciunt, quibus Dæmon & omne malũ communiter pręvalere ſolet.

INDEX TRACTATUUM ET DISCURSUUM.

XX. Verba illa: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, variè exponuntur.

XXI. Quiſquis cœlum aſpicit, jugum legis libenti animo portat; Et ideo Evangelij ſectatores plus patiuntur, quam qui in antiquo Teſtamento vixerunt; cum jam apertus ſit Paradiſus, cujus conſideratione omnia facile ſuſtinentur.

XXII. Mundus favorabilis ab eo facile contemnitur, cujus oculi in cœleſtem gloriam jugiter diriguntur, libenterque quęvis adverſitas ſuſtinetur, dum ſpe æternæ retributionis ſuavis eſſe videtur.

XXIII. Chriſtus quidem regnum cœlorum nobis conſignat, ſed cum eodem onere, quo ille idipſum acquiſivit, id eſt, ſub onere Crucis & Paſſionis, quæ regnum ipſius fuit.

XXIV. Quiſquis ad Paradiſum vult ingredi, prius per flammivomum ærumnarum & tribulationum hujus vitæ enſem tranſire debet.

XXV. Paſſionum & tormentorum libenti animo toleratorum merita viam ad cœlum complanant, & facilem efficiunt.

XXVI. Variæ gloriæ cœleſtis & electorum conſiderantur alluſiones & figuræ, in quibus paſſionum ſuſtinendarum fit mentio; ubi etiam illorum reprehenditur negligentia qui Cœlum deſerunt, ne pati cogantur.

XXVII. Sola divinorum præceptorum obſervantia ad beatitudinem acquirendam ſufficit, eſtque hæc in nova lege facilior, quam in antiqua, eo quod in ſola charitate fundata ſit, quæ ſola in cœlos aditum præbet.

XXVIII. Oſtenditur Salvatorem non voluiſſe obligare omnes, ut per eamdem Paſſionis viam ad cœlum tranſeant, per quam ipſe illud obtinuit, ſed multas aperuiſſe vias faciles, per quas cujuſlibet ſtatus & profeſſionis homines tranſire ad ſalutem æternam poſſunt.

XXIX. Aditus ad cœlum facilis eſt, cum Chriſtus magna cum aviditate illud nobis offerat, dicendo: Regnum Dei intra vos eſt: Quæ verba varijs conſiderationibus illuſtrantur.

XXX. A multis parum admodum pro cœlo penditur, quia Deus illud à nobis pro illo acceptat, quod habemus, etiam ſolam bonam voluntatem, ſi plura dare nequeamus: & ideo velut in vehiculo ad cœlum proficiſcimur.

## TRACTATUS XI.

## De Blaſphemia.

*Continens Diſcurſus XIII.*

Diſc.I. Nonnullæ adducuntur definitiones & diſtinctiones Blaſphemiæ, quæ valde aggravatur per vilitatem blaſphemantis, & Majeſtatem injuria affectam, quæ Deus ipſe eſt, utpote qui directe offenditur à blaſphemante.

II. Blaſphemi linguam ſuam in cœlum ponere, & contra Deum ſe erigere non dubitant: ac proinde ab eo miraculoſe in lingua ſæpe caſtigati ſunt, cujus varia adducuntur exempla.

III. Per varias ſententias & ſanctorum PP. authoritates hujus peccati alijs omnibus deterioris gravitas conſideratur, & nonnulla blaſphemis à Deo immiſſa ſupplicia recenſentur.

IV. Blaſphemia in multis Scripturæ locis præ horrore expreſsè non nominatur, ſed circumſcribitur; Oſtenditur etiam quod animalia bruta plus Deum venerentur, quàm homines, licet Deus horum, in lege Evangelica præcipuè, Pater & Benefactor exiſtat.

V. Deus ſe blaſphemis implacabilem exhibet, nec ullus pro illis mediator aut interceſſor exiſtit, & ideò utplurimum impœnitentes moriuntur, ſuæque reprobationis ſignum in ſeipſis manifeſtum deferunt. Nonnulla etiam adducuntur eorũ exempla, qui pro blaſphemis intercedere, aut ſe interponere nolunt.

VI. Blaſphemia modicæ in Deum fidei indicium exiſtit, utpote quę fidei opponitur; ac proinde Concilia & ſummi Pontifices atroces contra illã ſtatuerunt pœnas, Divinaq; juſtitia per ſupplicia illis miraculosè immiſſa acriter in eos animadvertit.

VII. Blaſphemia idioma eſt Dęmonis & damnatorum: quo eodem idiomate Antichriſtus filius perditionis loquetur, adducuntur etiam nonnulla blaſphemorum exempla; quos Dæmon è medio ſuſtulit.

VIII. Blaſphemare eſt Filium Dei de novo flagellare & crucifigere, eſtque peccatum longè gravius illo, quod Judæi commiſerunt.

IX. Varia conſiderantur in pœnam blaſphemiarum immiſſa ſupplicia, & maximè variæ exercituũ ſtrages; Duodecim quoq; enumerantur maledictiones in hoſce ſacrilegos pronuntiatæ.

X. Blaſphemiæ varias populis ſuperinducunt calamitates publicas, ſuntque multorum infortuniorum cauſa.

XI. Sacra Concilia blaſphemiam funditus eradicare ſatagunt: idemque Patresfamilias, Epiſcopi, & Principes facere debent: Recenſentur item pœnæ contra illos qui blaſphemos accuſare & punire negligunt, nec non & meritum ac lucrum eorum, qui condignè eoſdem caſtigant.

XII. Proprias diſſimulare injurias virtutis opus eſt, eas verò quæ Deo irrogantur diſſimulare, impietas eſt: Et ideo ſi Deo cum ingenti commodo noſtro placere volumus, à blaſphemis alieni eſſe, eoſque corrigere debemus.

XIII. Blaſphemiæ in ipſos blaſphemos communius recidunt; ubi perſtringuntur, qui in adverſis Deo maledicunt, cum econtra benedicere deberent; variaque ſuppliciorum in ſacrilegos iſtos recenſentur exempla.

## TRACTATUS XII.

## De Calumnijs.

*Continens Diſcurſus VII.*

Diſc.I. Calumniæ viros etiam ſapientes & perfectiſſimos perſæpè turbant, & totaliter ſubvertunt.

II. Calumnia cor vulnerat, idque ex factis quibuſdam B. Henrici Suſonis & quibuſdam Scripturæ exemplis probatur. Conſiderantur etiam mala quædam, quæ ab illa derivantur. Denique Diabolus primus illius, author eſſe oſtenditur, utpote cujus nomen idem ſignificat quod calumniator.

III. De virtute, merito & æterna remuneratione eorum, qui calumnias fortiter & patienter ſufferunt.

IV. Juſti ſpecialiter à calumnijs infeſtantur, idque plurium Sanctorũ, imò & ipſiuſmet Chriſti Domini exemplis probatur.

V. Deum calumnias earumque falſitatem detegere probatur, quod etiam multorum Sanctorum, nec non Chriſti Domini exemplis oſtenditur.

VI. Explicantur pœnæ & ſupplicia, quæ Deus calumniatoribus ſæpius intulit.

VII. Adducuntur nonnulli Sancti, qui inter calumnias patientes fuerunt; Alij quoque qui ab ijſdem fuêre liberati. Inter calumnias bona conſcientia magnum præbet ſolatium; Modi quoque explicantur, quibus ingens ex calumnijs comparari poteſt meritum.

## TRACTATUS XIII.

## De Carnis vitio, ſive de luxuria, ſenſualitate, voluptatibus, deque fugiendis hujus vitij occaſionibus.

*Continens Diſcurſus XXXV.*

Diſc.I. Carnis vitium generico nomine malitia vocatur, eo quod origo & cauſa ſit omnium malorum, ſuoſque ſectatores in quemvis enormem exceſſum præcipitet.

II. Conſiderantur alia mala & damna, quæ à carnali concupiſcentia derivantur, peſſimique illius effectus & indicia declarantur.

III. Sub alluſione ignis & proprietatum ipſius varij vitij carnalis recenſentur effectus, quod inſtar flammæ omnes virtutes & bonorum operum merita devorat & conſumit.

IV. Vitium carnis à Deo nos ſeparat, ejuſque notitia & lumine, nec non omni vero ſpiritu & devotione nos privat.

V. De connexione quam carnis vitium cum Idololatria habet, quia potens eſt medium ad procurandam in nobis apoſtaſiam à fide.

VI. Carnis vitium origo & cauſa eſt hæreſum, ſiquidem

carnales homines ab hoc vitio ſeducti in multos labuntur errores.

VII. Carnales homines nidus & centrum ſunt Dęmonis, qui immunditia gaudet, noſque ad ſe præcipue per voluptates carnis attrahere ſtudet.

VIII. Homines carnales inter alios peccatores maxime à Dæmone poſſidentur,& male ab eo tractantur.

IX. Vitium carnis in Scriptura Sacra Inferni nomine appellatur, quia ſectatores ſuos irreparabiliter ad æternam perditionem perducit.

X. Vitium carnis venenum æternæ mortis ſub dulcedine abſcondit voluptatis, quæ omnem nobis ad beatam vitam aditum intercludit.

XI. De ſeveritate divini judicij contra homines carnales, & de ſupplicijs & pœnis, quas à Deo implacabili ipſorum Judice reportabunt.

XII. Hoc carnis vitium cauſa eſt exterminij populorum, & calamitatum publicarum origo, ubi nonnulla adducuntur ſuppliciorum exempla,quæ Deus perſonis particularibus immiſit.

XIII. Sub alluſione contagionis & peſtilentiæ variæ in hujus vitij deteſtationem fiunt conſiderationes.

XIV. Voluptates carnales hominem debilitant, eique vitam abbreviant,ſæpeque cauſant,ut in infirmitates & pericula mortalia incidat.

XV. De injuria graviſſima quæ Deo per fornicationem irrogatur, dum hic laſcivæ alicui fœminæ poſthabetur,cui membra Chriſti,id eſt, corpora noſtra in prædam miſerè cedunt.

XVI. Circa deformitatem & immunditiam carnalis concupiſcentiæ variæ conſiderationes inſtituuntur.

XVII. Carnis vitium excæcat intellectum, nobiſque judicium & diſcurſum eripiendo, beſtijs nos ſimiles efficit.

XVIII. De Concupiſcentia carnali ſub analogia laqueorum & retium diſſeritur, illamque hominem carnalem ſervum & mancipium efficere oſtenditur.

XIX. Vitium carnis intellectum, mentem,& animam noſtram ita abſorbet,ut illam de nulla re alia quam de voluptate & libidine ſua explenda cogitare permittat.

XX. Multæ conſiderantur difficultates, quæ in hominibus carnalibus ad pœnitentiam inducendis occurrunt; unde pœnitentia,quæ in illis ſæpè reperitur,inſtabilis eſt & infirma.

XXI. Incauta cum mulieribus converſatio mortifera eſt, & multorum malorum cauſa, eſtque ſpeciale Dæmonis inſtrumentum; ubi etiam quantum hic ſexus facere,& à nobis obtinere valeat,oſtenditur.

XXII. Quàm illecebroſus & periculoſus hic ſexus ſit oſtenditur,ſiquidem in ipſius conſortio etiam viri conſtantiſſimi periclitantur.

XXIII. Quam periculoſa ſit viri cum muliere frequens converſatio, exemplo Adæ ab Eva ad prævaricationem circa pomum vetitum inducti oſtenditur.

XXIV. Viri etiam ſanctiſſimi in carnis vitium prolapſi ſunt, qui proinde hoc certamen aggredi ſemper timent,& ideo quoad hoc fugiendum eſt omne periculum, cumque omni circumſpectione procedendum.

XXV. Sub metaphora ſpinarum, quibus carnis voluptates à Salvatore aſſimilantur, Roſam delectationis carnalis multis anxietatum,periculorum, aliorumque faſtidiorum ſpinis circumdatam eſſe oſtenditur.

XXVI. Delectationes carnales cum dulcedine ſua conjunctam habent magnam amaritudinem, ſiquidem carnalibus hominibus conciliant remorſum & triſtitiam.

XXVII. Concupiſcentiam carnalem inſatiabilem, brevemque & momentaneam ejus delectationem, ideoque pœnarum æternarum pretio minimè comparari debere oſtenditur.

XXVIII. Ad reſtinguendum luxuriæ ignem ſingulare remedium eſt,ignem cogitare & infernum.

XXIX. Meditatio Sepulchri quod carnem noſtram in putredinem,vermes & cinerem redigit, ad deteſtandam omnem delectationem carnalem,omnipotens eſt remedium.

XXX. Carnalem concupiſcentiam fugere non ſufficit,niſi ſimul etiam fugiantur occaſiones & pericula, quæ illius ſunt incentivum, vel fomentum.

XXXI. Proſequitur author eamdem materiam, probando quod impoſſibile ſit, ut quis ſe in ignem occaſionis ingerat,& incendium non concipiat; variæ etiam adducuntur rationes ob quas fugienda ſunt pericula.

XXXII. In certamine contra vitium carnis fugere debemus, ſi de victoria obtinenda ſecuri eſſe velimus; Referuntur etiam quorumdam cautelæ, qui etiam poſt mortem occaſionibus ſe exponere detrectarunt.

XXXIII. Ad hoc ut quis ſe à vitio carnis prę̨ſervet,neceſſum eſt,ut ad ea loca, in quibus lapſus eſt alias,numquam redeat,eo quod in ijs facilis relapſus.

XXXIV. De circumſpectione, quâ viri etiam illuminatiſſimi uſi ſunt in evitandis periculis & occaſionibus ſenſualitatis,quorum nonnulla adducuntur exempla.

XXXV. Judith prolixè defenditur, oſtendendo quod in heroico illo facinore, quo necem Holoferni intulit, impudicitiæ periculo aut occaſioni ſe minime expoſuerit.

## TRACTATUS XIV.
## De Caſtitate ſeu virginitate,

*Continens Diſcurſus XXXV.*

Diſc.I. VIrginitas deſponſatur Chriſto; ubi quorumdam ſponſorum adducuntur exempla, qui etiam in Conjugio virginitatem conſervarunt; agitur quoque de eximia animæ caſtæ pulchritudine, cui adaugendæ verecundia plurimum coöperatur: hujus verò ſponſalitij ornatum & dotem ipſammet virginitatem eſſe oſtenditur.

II. Acceptiſſimæ agni immaculati ſodales ſunt Virgines, utpote quæ præ cunctis alijs ei placentes, ab ipſo in ſponſas adoptantur,& ſpecialiſſimè diliguntur.

III. Virgines magnam cum Deo ſimilitudinem habent,ſiquidem in hac vita incorruptibilitate gaudent, & quaſi à morte eximuntur; ubi etiam nonnulli virginitati exhibiti honores conſiderantur.

IV. Hæc virtus virginitatis ſuos in cœlo natales habet,ideoque velut divinum quidpiam in ſe continens, tota Natura humana ſuperior exiſtit.

V. Virgines Angelis ſunt ſimiles, qui proinde eaſdem ſuo dignantur amore,obſequio,& conſortio; imò in multis rebus Angelis ſunt ſuperiores.

VI. Virginitas & caſtitas in multis S.Scripturæ locis,nec non à SS.Patribus frequenter Sanctitatis titulo condecorantur, ſiquidem in virtutis & perfectionis operibus ſe aſſiduè exercent.

VII. Hæc virtus pręcunctis alijs Beatitudinis arrham & pignus nobis confert,eſtque via ſecuriſſima, per quam velociter properamus ad cœlum.

VIII. Homines caſti omne bonum poſſident, ſuntque à Deo pariter & hominibus plurimum dilecti, utpote à quo multos favores & dona ſpecialia recipiunt; facile etiam in ſuis orationibus exaudiuntur & proſperantur,magnoque ſunt vigore pręditi,ut inimico infernali fortiter reſiſtere poſſint.

IX. Honeſtas, velut verum Dei templum,corpus purificat & mundat,quod tamen non præſtat,niſi fuerit cum puritate interna intime conjuncta; hanc vero,etiã poſt illatã corpori violentiam,minime perdi multis rationibus & exemplis convincitur.

X. Caſtitas ad ſcientiam & ſapientiam comparandam plurimum confert, quia continentes plus de divino lumine participant,ſuntque ad ſacrarum litterarum intelligentiam, cœleſteſque illuſtrationes & revelationes capiendas magis diſpoſiti.

XI. Excellens virginitatis & caſtitatis pretium conſideratur, utpote pro quarum defenſione multæ animæ fideles opulentiſſima quæque regna contempſerunt, aſperrimaque libenter ſubierunt ſuppliciorum & diræ mortis genera.

XII. Sub Symbolo lilij & floris variæ continentium & virginum exponuntur conditiones & elogia.

XIII. Status virginalis & Cœlibatus longe melior & excellentior eſt ſtatu conjugali, eſtque ad cogitandum de Deo & rebus divinis expeditior & pronior; ad hoc tamen Caſtitas tam carnis quam ſpiritus ſimul conjuncta deſideratur.

XIV. Caſtitas & continentia virtutes ſunt difficiles & arduæ,quia carnis Laſcivia, quæ nobis innata eſt & connaturalis; eſt inimicus quidam, qui nos ſemper & ubique comitatur, quemque nutrire cogimur; eſtque malum quoddam,quod licet magnam nobis pernitiem afferat,à nobis tamen naturaliter diligitur & deſideratur.

XV. Omnes continuum in nobis carnis prælium & luctam experimur,quam tamen omnes diligimus, ſuntque huic certamini omnes ſubjecti, etiam viri perfectiſſimi, magnumque virtutis ſpecimen edit, qui in eodem conſtans eſt & victor evadit.

XVI. Caſtitas eſt ſpecies quædam Martyrij, in quo voluptates quas ſuperamus, Carnificis munus exercent: ubi etiam de hac virtute ſub titulo prælij diſſeritur, in quo caſti præ cęteris ad reſiſtendum majores vires habere noſcuntur.

XVII. Continentia ſpeciale Dei donum eſt; quod proinde non per induſtriam noſtram acquiritur, ſed à Deo liberaliter nobis conceditur:Et ideo propter illud alij eo carentes minimè à nobis ſunt contemnendi.

XVIII. Caſti ſollicitè incumbere debent cuſtodiæ internæ cogitationum, eaſque refręnare: ubi etiam recenſentur mala, quæ ab his derivantur,niſi ſtatim ab initio ſuffocentur.

XIX. De honeſtate ſermonis,quam Sacra Scriptura ijs præcipuè inculcat,qui de rebus turpibus, & de malis à verbis obſcœnis,& diſcurſibus laſcivis provenientibus, nec non de motivis ad illa cavenda conducentibus,coram alijs diſſerere debent.

XX. De periculis oculi vagi & curioſi, qui carnalem in nobis Concupiſcentiam accendit,ubi etiam quanto cum periculo conjunctum ſit,videri à mulieribus,aut illas curioſius intueri.

XXI. Ad caſtitatem conſervandam ſolitudo plurimum conducit, cui vel maxime ſexus fœmineus deditus eſſe debet.

XXII. Ad acquirendam & conſervandam continentiam multum confert maceratio & caſtigatio carnis.

XXIII. Caſtitas inter delitias & voluptates multum periclitatur,per corporis vero auſteritates tutò cuſtoditur.

XXIV. Gula continentiæ naufragium adſciſcit,econtra vero ſobrietas & parſimonia in victu magnũ illi prębet ſubſidiũ.

XXV. Oratio caſtitatem promovet, pro cujus cuſtodia magna opus eſt circumſpectione, maximè in mulieribus, ut ſcilicet modeſtè ſe veſtiant, oblata ſibi munuſcula reſpuant, & ſilentium ſimul cum ſancta quadam ruſticitate aſſiduè obſervent.

XXVI. Ad reprimendas carnis occurrentes tentationes, & continentiam ſartam tectam conſervandam,plurimum confert honeſtæ occupationis aſſiduitas,& ſollicita otij fuga, nec non corporis auſteritates.

XXVII. Virginitas & continentia humilitatem, verecundiam, & ſenſuum cuſtodiam conjunctam habere debet.

XXVIII. Qui caſtitatẽ intactam conſervare deſiderat,contra carnẽ ſuam aſſiduè dimicare debet, nõ reſiſtendo, ſed fugiendo.

XXIX. In ejuſdem argumenti confirmationem plura alia motiva in medium adducuntur.

XXX. Viri etiam ſanctiſſimi & perfectiſſimi caſtitatem ſępè coinquinant, niſi occaſiones pro viribus fugiant: Et ideo fugiendum eſt mulierum etiam ſpiritualiter & devote viventium conſortium,eo quod majus circa illas ſit periculum.

XXXI. Mulier ſcopulus quidam eſt, ad quem allidentes viri etiam ſanctiſſimi facilè corruunt, quod varijs comprobatur exemplis.

XXXII. Idẽ quoque alijs exemplis & rationibus confirmatur.

XXXIII. Conſideratur admirabilis Chriſti circumſpectio & cautela,qua ad noſtram inſtructionem cum mulieribus converſando uſus fuit.

XXXIV. Cum quanto reſpectu virtuoſi & perfecti homines cum iiſdem mulieribus converſati fuerint, variis ex antiquo Teſtamento deductis exemplis demonſtatur.

XXXV. Author idem argumentum varia Sanctorum novi Teſtamenti exempla allegando proſequitur.

## TRACTATUS XV.
## De Confeſſione,Contritione, & Conſcientia.

*Continens Diſcurſus XXVII.*

Diſc.I. DE Confeſſionis ſacramentalis, tamquam ſummi nobis a Chriſto collati beneficij, origine & neceſſitate, in ordine ad ſalutem conſequendam.

II. Variæ conſiderantur pręrogativæ, & facilitas relucentes in Confeſſione ſacramentali; & è converſo difficultates recenſentur,quibus in lege veteri peccatorum Confeſſio & expiatio innodata fuit.

III. Salvator noſter conceſſam ſibi à Patre peccata remittendi poteſtatem hominibus delegavit, ut indulgentiam ediſcerent & clementiam.

IV. Excellentes edocentur conditiones, quibus illud, quod circa delicta noſtra in Confeſſionis tribunali inſtituitur, eminet judicium,præ alio in judicum ſæcularium tribunalibus,circa reos formari ſolito.

V. De animæ pœnitentis venuſtate, quæ per Confeſſionem emundata, decora comparet in conſpectu Dei.

VI. De lętitia,tranquillitate & quiete,quam ſibi bona cujuſque confitentis acquirit conſcientia.

VII. Raritas Confeſſionis peccatum inveterat in anima,quæ proinde debilis poſtea efficitur in virtutum exercitio,minuſque potens ad tentationibus reſiſtendum & vitijs.

VIII. Varia conſiderantur bona, quæ in nos Confeſſionis transfundit frequentia, vi cujus faciliter à peccatorum lepra mundamur, & de peccatorum venia certificamur.

IX. Confeſſio ſpecies eſt ſacrificij, Deum placat, nos à temporalibus quandoque eripit ſupplicijs, novis ditat gratijs,ſecura ad Cœlum ſemita.

X. Confeſſio vires debilitat Dæmoniacas, quales mirè prævalent adverſum nos, ubi à Confeſſionis frequentia recedimus.

XI. Molitur Diabolus,quantum poteſt,ut nos mutos efficiat, & à Confeſſione abſtrahat peccatorum; quem tamen media Confeſſione ſternimus,vitam conſequentes,ex peccato in Confeſſione manifeſtato, quod nobis mortem prius inferebat.

XII. Variæ adducuntur bonæ Confeſſionis circumſtantiæ & conditiones,tam in univerſali, quam in particulari.

XIII. De dolore & compunctione peccatorum,deque motivis ad eam excitandam diſponentibus.

XIV. De bono peccata non reiterandi propoſito confitentibus neceſſario,cujus aliqua,an adſit, ſtatuuntur indicia.

XV. Contra illos qui in Confeſſione ſtatum nituntur occultare conſcientiæ propriæ, & abſcondere vel negare peccata ſua.

XVI. De damno eorum qui peccata ſua accuſaturi, ea potius defendunt,excuſant, & mentiuntur.

XVII. De examinis Conſcientiæ inſtituendi utilitate, convenientia & methodo exacta.

XVIII. Deteſtabiles ſunt quotquot à Confeſſione abhorrent, in eoq; frequenter applicando ſibi remedio vivunt negligenter.

XIX. Quantæ ſit violentiæ verecundia nos à graviorum abſtrahens peccatorum confeſſione, cujus inſuper aliquot conſiderantur diſpendia; docetur tandem erubeſcentiam ejuſmodi eſſe penitus irrationabilem, quandoquidem in ſummum Dei ac noſtri honorem & gloriam cedit confeſſio.

XX. Contra eos, qui impudenter pręvaricantes, peccata verecundantur confiteri, evincitur totum hoc nil niſi illuſionem eſſe Dæmoniacam; adducuntur denique motiva aliquot,propter quæ nequaquam erubeſcendum eſt in præſentia Confeſſarij.

XXI. Exprobrantur illi qui ſine ea, quæ Deo ſumme placita, & pœnitenti maxime utilis, & non minima ſatisfactionis pars eſt,verecundia confitentur. Alia attinguntur motiva ad ſuperandum pudorem,qui nos in peccatorum ſilentium inducit.

XXII. De valore contritionis, mediâ quâ omne aboletur peccatum; ejuſdem ſiſtitur quoque Etymologia & definitio.

XXIII. Dolor ponderatur contritionis, qui ut validus ſit, non

non ex timore ſervili,aut alio quocumque , ſed ex amore Dei procedat,oportet, fundatus in ſpe remiſſionis,& propoſito devitandi peccata & confitendi;ubi etiam tractatur de facilitate & difficultate contritionis.

XXIV. De conſcientia naturaliter nobis impreſſa, cujus notitia nec ipſos quidem latuit gentiles; ea manifeſtos in Adamo, Eva,& Cain edidit effectus ; exaudita bonos parit fructus , aſt neglecta & contempta præſagium eſt peſſimum.

XXV. Etiam inter proſperitates maximas mala cruciat & inevitabiliter remordet conſcientia; culpam prodit,nec deliteſcere ſinit, omni loco & tempore clamitat inceſſanter.

XXVI. De perturbatione,inquietudine,& cruciatu conſcientiæ malæ;eſt judex contra ſe incorruptus,centrum Diaboli,tormentum ipſo inferno atrocius.

XXVII. Eligendus eſt Confeſſarius bonus , compaſſione, prudentia,dexteritate,vitæ integritate, ſcientia, multiſque alijs qualitatibus prædìtus.

TRACTATUS XVI.

## De Conſolationibus ſpiritualibus.

*Continens Diſcurſus XVIII.*

Diſc.I. IN ſervitio & Eccleſia Dei deſudantes ſpiritualibus Deus reſtaurare ſolet conſolationibus.

II. De abundantia & multiplicitate dulcedinum & illecebrarũ ſpiritualium, quibus Deus dilectas ſibi animas demulcet.

III. Deus ſingulariter titulo ſuavis gloriatur, qualem ſe exhibuit in ſuo in terras adventu; item de copioſa animæ ſuavitate,tamquam æternorum gaudiorum præludio ; Item de centuplo ſequacibus Dei in hac vita promiſſo.

IV. Lætitiæ ſpiritualis abundantia limites quandoque exuperans animæ, in ipſum etiam corpus redundat, eique conſolationem & vigorem communicat.

V. Internum eſt animæ gaudium , noſtris ſæpe incognitum oculis; hoc non deteſtabilibus hujus vitæ bonis,ſed divinæ gratiæ,virtuti,bonæque innititur conſcientiæ.

VI. De ſpiritualibus bonæ Conſcientiæ conſolationibus,ſub alluſionibus ſumptuoſi cujuſdam convivij diſſeritur.

VII. De varijs bonæ Conſcientiæ pręconijs & effectibus.

VIII. Bonæ conſcientiæ gaudium eſt utile , continuum, & ſtabile , utpote in Deo & non in tranſitorijs fundatum bonis. Conſcientia bona gaudet propter vivam æternorum gaudiorum ſpem,noſque conſolatur in tribulationibus.

IX. Omnis mundi conſolatio & lętitia eſt ficta,apparens,inſtabilis,mœrore perfuſa & remorſu.

X. Docetur Legem gratiæ longe eſſe amabiliorem & ſuaviorem lege Moſaica; Ubi & variæ exhibentur facilitatis & ſuavitatis jugi Chriſti prærogativæ.

XI. Dei ſervitium & legis ejus,quæ amor eſt , obſervantia, ingentem affert lętitiam , auxilium,& conſolationem,ad portandum jugum Evangelicum.

XII. Invitamur ad ſpiritualium experientiam conſolationum quæ reipſa vitæ divinæ dulcedinem perhibent & ſuavitatem.

XIII. Delitiæ & conſolationes quas Deus ſuis impertit ſequacibus,comparantur ad mundanas, fraude doloque plenas.

XIV. Delitiarum ſpiritualium manna in animas depluit timoratas, innocentes, & perfectas, cujus minime participes efficiuntur perverſi.

XV. Delitiæ mundanæ contrariantur, obſtantque divinis.

XVI. Pœnitentis vitæ rigor & auſteritas ineffabiles cauſat ſpiritus dulcedines , licet diverſum oculus videatur attingere externus.

XVII. Conſolationes ſpirituales , quæ ſe etiam ad peccatorum pœnitentiam, & voluntariam omnium aliarum contradictionum extendunt tolerantiam, Relationem habent ad paſſiones,quas quis ſubit amore Dei,& non ob alios reſpectus.

XVIII. Juxta tribulationum pro Deo toleratarum menſuram, conſolationum ſpiritualium creſcit,imo & ſemper ſuperexcedit abundantia.

TRACTATUS XVII.

## De bonis & malis conſortijs , deque utilitate & damnis eorum reſpectivè.

*Continens Diſcurſus XIV.*

Diſc.I. HOmini à prima origine innatus eſt ſocietatis amor , quæ propter mutuam indigentiam unice inter nos eſt neceſſaria : aſt dum ſimiles nobis amamus,multa cum circumſpectione meliores ſeu bonos oportet ut ſodales eligamus.

II Malæ Societatis efficacia perpenditur, & violentia in ordine ad pervertendum nos.

III. Maxime etiam virtuoſos,magiſque in divino ſervitio ſtabiles converſatio malorum pervertit.

IV. Citra miraculum & abſque ſpeciali Dei aſſiſtentia boni inter perverſos non perſeverant conſtanter , quibuſcum converſari ſoli poterunt ij,qui in virtutibus ſtabiliti ſunt, in majus bonum animarum illarum.

V. Boni cum malis converſando citius pervertuntur, quam convertant:ſiquidem natura noſtra potius in vitia,quam in virtutes propendet.

VI. De varijs malis & damnis, quæ juſtis eveniunt ex ſocietate impiorum.

VII. Proſecutio ejuſdem materiæ; hujuſmodi tamen diſcriminibus ſubjecti non ſunt,qui ex bono motivo aut fine conſortijs ſe malorum immiſcent.

VIII. Societas mala peſti aſſimilatur & veneno.

IX. Vel unicus ſocius malus ſufficit ad corrumpendos multos bonos : qui nos diverſis multoties bonis privat, & ſupplicijs implicat,quibus ipſe obruitur.

X. Malis ſodalibus Diabolus utitur tamquam efficaciſſimis ad nos pervertendos inſtrumentis.

XI. Noſtrorum qualitas morum ex qualitate dignoſcitur ſociorum, quibuſcum converſari gaudemus : unde virtuoſi ſint oportet,qui cum malis converſantur ad meliorandum eos.

XII. Malos utpote animæ pernitioſos,ad Chriſti multorumque ſervorum Dei exemplum,devitare oportet , etiam repugnante ſenſu.

XIII. De bonæ Societatis utilitate, variiſque alijs conſortij malorum nocumentis.

XIV. De bonis quæ mali ex proborum converſatione hauriunt,deque alijs malis quæ juſtis infert Societas perverſa.

TRACTATUS XVIII.

## De Correctione fraterna.

*Continens Diſcurſus XVIII.*

Diſc.I. COrrectio ſub præcepto tàm Divino quàm naturali obligat omnes, maxime Superiores: Eſtque valde conveniens & neceſſaria, ideòque ſumma cum ſolicitudine & prudentia adhibenda.

II. Correctio neglecta fovet omne vitium & malum exemplum: prudenter autem adhibita multum fructum affert : Eſt enim velut ferrum Chirurgicum , quod feriendo medelam adfert: Ubi etiam oſtenditur, quod in culpa aliena participet,qui vitium,dum poteſt,non corrigit & emendat.

III. Conſiderantur ſupplicia & pœnæ,quæ illos manent,qui correctionem adhibere negligunt,maximè Superiores,qui proinde depoſito omni timore & reſpectu humano , nihil curare debent, ſe ob factas curationes,perſecutiones & odia aliorum ſibi conciliare, ſed in hoc ſolùm conniti, ut Deo obedientes,ſalutem animarum procurent.

IV. Perditæ ſalutis homines ſunt,qui correctiones aſpernantur & rident,corrigentem verò calumniantur , & indignè tractant: ubi etiam pœnæ conſiderantur,quas exinde communiter reportant.

V. De differentia, quæ eſt inter juſtos & impios in recipiendis correctionibus , & fructu ex ijs ferendo : ubi & de virtute juſtorum agitur,quâ ex correctione ſe emendare, fructumque referre ſatagunt.

VI. Cavendum eſt correcto , ne ex correctione nimium ſevera turbetur,ſiquidem ad majus ejus bonum ordinatur,ſuamque in charitate radicem habet.



VII. Correctio proximi ex motivo Charitatis procedere debet,ideò enim correctio fraterna nominatur, idque ex quibuſdam Chriſti exemplis evincitur.

VIII. Corrigens propriam ſuam conſiderare debet fragilitatem, & ut delinquentium benevolentiam ſibi conciliare valeat, illorum errores,quantum poteſt excuſet:lacrymas potius,quàm verba corrigendo fundat,ſeque ex Chriſtiana compaſſione,non verò ex paſſione iracundiæ procedere probet.

IX. Correctio cum diſcretione & dexteritate inſtituenda eſt, diſtinguendo inter perſonas corrigendas,confuſionem illarum, quoad fieri poteſt , præcavendo, invehendo ſolùm contra vitium, & ſi quid boni in corrigendo reperiatur,illud prius laudando,quàm adhibeatur correctio.

X. De ſumma cura & diligentia ad correctionem requiſita, utpote quæ ad conſulendum verecundię corrigendi,bonamque illius famam conſervandam, in ſecreto fieri debet.

XI. Is qui incorrigibilis eſt , cujuſque peccatum non ſolùm illi,ſed & reipublicæ eſt pernitioſum, publicè eſt reprehendendus,& apud Superiores accuſandus; ubi etiam oſtenditur,quod Superiores ſubditorum correctioni ſubjiciantur , qui tamen ſumma cũ humilitate & reverentia cum illis procedere debent.

XII. De manſuetudine quacum correctio temperanda eſt; quod ipſiuſmet Dei , & nonnullorum Sanctorum exemplo oſtenditur.

XIII. In correctione affabilitas cum ſeveritate conjungenda eſt, ita ut una ab altera numquam ſeparetur , præſtat tamen ut manſuetudo ſeveritati ſemper prępondereт.

XIV. De lucro ſpirituali, quod per viam correctionis obtinetur, licet nonnumquam infructuoſa ſit:ubi etiam modus pręſcribitur lucrandi eum , quem in communi non in particulari corrigere nitimur.

XV. Ad hoc ut corrector corrigendum non exaſperet,dilligenter obſervanda eſt temporis opportunitas ; acceleranda tamen eſt, ne occaſio prętereat.

XVI. Irreprehenſibilis in ſe eſſe debet, qui in alios corrigendi munus exercet.

XVII. Qui in iiſdem defectibus, qui corrigendi ſunt,hæret, munus alios corrigendi ſibi arrogare non debet.

XVIII. Multi adducuntur caſus , in quibus videtur,quando quis ad faciendam correctionem obligetur vel non obligetur.

TRACTATUS XIX.

## De dæmonio , ejusque malitia, inſidijs, & operationibus.

*Continens Diſcurſus XVIII.*

Diſc.I. DE variorum nominum, quibus inimicus Infernalis appellatur , ſcilicet Draconis, Serpentis, Diaboli, Sathanæ,Dęmonis , Leonis,Scorpionis, & Luciferi Etymologia.

II. De hujus implacabilis inimici adverſus hominem ingenti odio & crudelitate, nec non de malignitate ipſius.

III. Serpens aſtutus per inſidias nos aggreditur , nobiſque paſſim & ubiq; ac in omnibus rebus innumeros tendit laqueos, noſtrum quoque explorat genium ; inclinationes & affectus diſcutit,& ſecundùm hoc nos tentat,& in lapſum propellit.

IV. Dęmon fortis eſt contra nos per arma inordinatorum appetituum noſtrorum, quæ ipſi ſubminiſtramus, quibus ipſe in noſtram utitur pernitiem.

V. Varij conſiderantur laquei, quos Dęmon nobis capiendis tetendit,doli idem & fraudes , quibus nos circumvenit & deludit, atque ad peccatum exſtimulat.

VI. Oſtenditur quod licet Dęmonis tentationes perſępè vicerimus , numquam tamen de perpetua victoria ſecuri eſſe debeamus,quia Dæmon ab inſidiando numquam deſiſtit,tuncque nos vel maximè aggreditur , dum nos omninò ſecuros eſſe conſpicit.

VII. De fraudibus & illuſionibus Dęmonis , quibus malitiam ſuam ſub pallio virtutis & Sanctitatis contegendo,in Angelum ſe Lucis transformat.

VIII. Minimus ad animam noſtram aditus Dęmoni ſufficit, ut deinceps omnem ſuam malitiam in eam infundere poſſit, neque nos impedit , quo minus multa opera bona faciamus, dummodo etiam mali aliquid à nobis committatur.

IX. Serpens infernalis ſpecialiter ad hoc omnem ſuam adhibet induſtriam & conatum, ut viros perfectiſſimos & ſanctiſſimos vincere poſſit.

X. Dæmon tunc nos vel maximè impugnat , quando Deo arctiſſimè adſtringimur , virtutique & ſpiritualibus exercitijs dediti ſumus.

XI. Tunc nos ferociores Dæmonis tentationes invadunt, quando Dæmoni rebelles facti, Dei ſervitio nos mancipamus.

XII. Tota Diaboli potentia in ſolo peccato conſiſtit , ſine quo nihil adverſum nos facere prævalet.

XIII. Diabolum nulla in pernitiem noſtram potentia pręvalere oſtenditur , niſi quantum illi Deus limitatè & in profectum noſtrum indulget.

XIV. Dæmon catenæ innexus eſt, & ideò à nobis minimè eſt timendus,tametſi enim allicere & inſtigare poſſit,cogere tamen non poteſt; nos ſoli ſumus qui in proprium damnum noſtrum, vires ei ſubminiſtramus, ac proinde nos illum culpando excuſare non poſſumus.

XV. Solo diſſenſu Dæmonium vincitur,quia libertati voluntatis noſtræ nullam vim inferre prævalet , quantòque ei reſiſtendo vigoroſiores ſumus, tantò magis vires ejus imminuuntur,noſtræ verò augentur.

XVI. Per primæ Diabolicæ ſuggeſtionis repulſam, per gratiæ aliorumque bonorum interiorum diligentem cuſtodiam, per Divinorum præceptorum illibatam obſervantiam, denique per ardentem Charitatem & Dei amorem Diabolo ſuperiores efficimur.

XVII. Alij Diabolum vincendi modi ſunt; cordis noſtri à terrenis bonis perfecta diviſio : pręmij cęleſtis & æternæ pœnæ ſeria conſideratio, Conſilij boni ſequela, vigilantia, maceratio corporis , compunctio , periculorum fuga , Paſſionis Chriſti meditatio , Sacræ Scripturæ aſſidua Lectio, & malorum quæ ex noſtro in tentationes conſenſu reſultant,prudens advertentia.

XVIII. Contra Dęmonem divinum implorandum eſt auxilium,ſolique Deo fidendum: dum autem vires noſtras adverſus ipſum exerimus , nos in præſentia & conſpectu Dei dimicare conſideremus.

TRACTATUS XX.

## De Domo Dei , Eccleſia, Templo.

*Continens Diſcurſus XIX.*

Diſc.I. BOni Chriſtiani ſignum eſt zelus venerationis locorum ſanctorum, quem etiam Creaturæ irrationales & inſenſibiles , infideles quoque barbari & ſcelerati homines ſępè erga loca ſacra exhibuerunt.

II. Sanctitas Eccleſiæ reverentialem à nobis timorem expoſcit, idque exemplis Jacob,Moyſis & aliorum comprobatur; exterior namque ejus ſanctificatio de interiori Sanctitate animæ noſtræ procuranda nos admonet.

III. De Spirituum Angelicorum in Eccleſijs pręſentia & reverentia , utpote qui ad debitum Deo præſtandum obſequium,& ad benefaciendum nobis, Domui Dei continuò aſſiſtunt.

IV. Deus in Eccleſia,quæ domus orationis eſt, ſupplicationes noſtras facilius quàm in alio loco exaudit; Quodſi verò in illa orantes interdum à Deo non exaudiamur, id fit , vel quia impertinentia petimus, vel quia debitam Eccleſiæ reverentiam non exhibemus.

V. In locis ſacris Deus nobis abundantius benefacit ; ubi etiam multa examinantur beneficia, quibus in Domo Dei cumulamur.

VI. Multa alia bona conſiderantur, quæ in Domo Dei accipimus.

VII. Populum Chriſtianum à Deo unicè dilectum, multiſque ab eodem beneficijs auctum valdè dedecet, quod Deum in ejus domo offendat, ubi vel maximè ab eo honorari debebat.

VIII. Sanctitas locis ſacris debita culpam eadem prophanantis irremiſſibilius aggravat.

IX. Noſtra erga loca ſacra irreverentia, per reverentiam quæ olim Tabernaculo & Templo antiquæ legis deferebatur, & alia ſimilia exempla, condemnatur; ſimulque Domus Dei prophanatores homines perditæ ſalutis, temerarios, beſtijsque irrationalibus ſimiles & atheiſtas eſſe oſtenditur.

X. Sacrorum locorum rerumque ſacrarum prophanatores à Deo pœna puniuntur æterna, ſeque divina miſericordia indignos efficiunt.

XI. Alia in eoſdem prophanatores immiſſa ſupplicia ex varijs Scripturæ Sacræ & hiſtoriarum exemplis adducuntur.

XII. Ex animadverſione qua Chriſtus, cæteroquin adeo mitis, proprijs manibus in Domus Dei prophanatores deſævijt, gravitas peccati irreverentiæ locis ſacris irrogatæ perſpicuè oſtenditur.

XIII. Circa eamdem Hiſtoriam Evangelicam de vendentibus & ementibus è templo ejectis, variæ, eæque omnes valdè conſiderabiles, circumſtantiæ ponderantur.

XIV. Ruinæ univerſales Provinciarum, aliæque calamitates & infortunia publica, pœnæ ſunt quibus irreverentia & ſacrorum locorum contemptus à Deo caſtigatur.

XV. Cauſæ & myſteria explicantur; cur Domus Dei per irreverentiam noſtram prophanata à Chriſto appelletur ſpelunca latronum.

XVI. Perſtringuntur illi præcipuè, qui ad Eccleſias ſe recipiunt, ut cordis ſui carnalia deſideria foveant, quique per incautos obtutus, aliosque actus impuros eaſdem prophanant,

XVII. De inutilibus confabulationibus & nugis, quæ in Domo Dei fiunt, quam deteſtabiles ſint oſtenditur, deque attentione & applicatione animi, nec non reverentia eidē debita.

XVIII. Ex ritibus antiquis quibus Tabernaculum ingreſſuri prius ſe lavare debebant, facile eſt colligere, puritatem & munditiem conſcientiæ, cum quâ ſacra templa ingredi, & in eis converſari debemus.

XIX. Eccleſiarum ornatus Deo quidem debitus & gratus, nobiſque conveniens eſt: conjunctus tamen eſſe debet cum innocentia & probitate ſidelium, qui templa Dei viva exiſtunt.

## TRACTATUS XXI.

### De Detractione, murmuratione & maledictione.

*Continens Diſcurſus XVI.*

Diſc. I. Variæ docentur Detractionis definitiones, frequentia & differentia, per quam diſcrepat à contumelia & ſuſurratione.

II. Multifariæ ad dextrè detrahendum conſiderantur maledicorum inventiones.

III. Detractio etiam timoratis & pijs familiaris, innatum nobis vitium & univerſale, in ipſos etiam deſævit Sanctos.

IV. Detractio lædit conteritque charitatem, quæ culpas operit, non publicat.

V. Detractores oderunt Deum, ipſis pejores crucifixoribus Chriſti, cui pariter odio ſunt, omni exuti vivunt pietate, ipſis etiam abominabiles hominibus.

VI. Multiplex ſimilitudo inter ſerpentes & Detractores.

VII. Maledicis multæ competunt proprietates animalium venenatorum crudelium, deformium, immundorum.

VIII. Multipliciter os Detractoris comparatur ſepulchro.

IX. Crimen detractionis aggravant diverſa mala & damna quæ cauſat.

X. Detractio Diaboli farina eſt, à quo originem trahit: Maledici ſunt intimi ſollicitatores & advocati Dæmonis: appellandi ſunt Diabolici, Sacerdotes & Apoſtoli Dæmonis.

XI. Supplicia Detractorum temporalia & æterna exponuntur.

XII. Detractores furibus pejores ſunt, obligati ad reſtitutionem.

XIII. Detractores nulli adferunt majus damnum, quam ſibimet ipſis.

XIV. Diverſa motiva contra detractionis horrorem.

XV. Qualiter verbis & ſignis externis Detractores arguere oporteat, raraque eis adhibenda ſit fides.

XVI. Novæ adducuntur rationes, cur detractoribus non modo non præbere aures, ſed & contra eos vociferari debeamus, proximique honorem & famam defendere.

F I N I S.

BIBLIO-



# BIBLIOTHECÆ MORALIS PRÆDICABILIS,

## TRACTATUS I.

## DE ABSTINENTIA, JEJUNIO, ET SOBRIETATE.

### DISCURSUS OCTODECIM.

DISCURSUS I. Multæ conſiderantur abſtinentiæ & jejunij conditiones, ad hoc, ut meritum habeant, dicique poſſint virtutes.

II. Appetitum etiam rerum vilium vitioſum eſſe poſſe oſtenditur: Jejunium quod exceſſivo & delicato cibo compenſatur, tamquam adulterinum reprobatur: Econtra ut jejunium Deo gratum ſit, pauperi dandum eſt, quod ex parſimonia abſtinentiæ lucramur, fierique ex libenti animo, non vero ob vanam gloriam ſervari debet.

III. Primum præceptum protoparentibus noſtris in ipſo mundi exordio impoſitum, abſtinentiæ fuit, quam Chriſtus ad exemplum ſequacium ſuorum, in omni rigore adimplevit; in cujus etiam virtute abundantia confertur gratiarum, cum Deo ſummopere grata exiſtat.

IV. Jejunium quidpiam Angelicum & divinum in ſe continet, nosq; Deo ſimiles reddit.

V. Abſtinentia & jejunium media ſunt efficacia ad cœlum nobis aperiendum, noſque in gloriæ poſſeſſionem immittendos.

VI. Sobrietas & temperantia victus ad divinorum myſteriorum, cœleſtiumq; revelationum notitiam nos diſponit, mentem ad Deum elevat, atq; ad acquirendam ſapientiam, beneq; faciendam orationem auxilia præſtat.

VII. Jejunium ad ſanctitatem acquirendam cooperatur, eſtque illius fundamentum, quod Sancti egregie obſervantes plurima patrarunt miracula.

VIII. Per jejnnium eradicantur vitia, eoq; mediante Moyſes Legem Dei recepit, ad cujus etiam obſervantiam efficaciter cooperatur, omnes nobis virtutes inſerendo, aliaq; bona communicando, interque illa pacem præcipue & tranquillitatem publicam.

IX. In virtute jejunij victoria adverſus ſenſualitatem reportatur, ipſeque ſpiritus carni principatur.

X. Concupiſcentiæ carnalis impetus per jejunium reprimitur, neq; à Caſtitate Sobrietas umquam diſſociatur.

XI. Abſtinentiam fortem adverſus Dæmonem armaturam eſſe jejunantis Chriſti exemplo oſtenditur.

XII. Abſtinentia & jejunium ad inimici Infernalis tentationes & inſultus ſuperandos vires & animi vigorem ſubminiſtrat.

XIII. Ninivitarum exemplo jejunium opportunum ad abolendum peccatum, noſque ab eo præſervandos, nec non ad placandum Divinam Juſtitiam, perque gulam & abſtinentiæ transgreſſionem aliunde graviter proritatam, remedium eſſe oſtenditur.

XIV. Per varia Sacræ Scripturæ loca, aliaſque Hiſtorias, per jejunij merita multas fuiſſe gloriosè obtentas victorias, oſtenditur.

XV. Jejunia ſaluti etiam corporali conducunt, faciunt ut homines in optimo virium vigore & ſanitate diuturno tempore vivant.

XVI. Deus jejunium cum innocentia à nobis conjungi, illudque operibus bonis, præcipuè verò eleemoſyna ſanctificari deſiderat.

XVII. Jejunium ad vitia & peccata eradicanda ordinatur, & ideo ſpecialiter placet Deo; neceſſum eſt autem ut non ſolum corpus, ſed & omnes ſenſus ſpiritualiter jejunent.

XVIII. De myſterijs jejunij, Quatuor temporum & Quadrageſimæ, & de finibus in quos hæc jejunia ordinantur, contra illos qui ea facillime tranſgrediuntur, vel ob metum lædendæ ſanitatis, vel ſub alijs prætextibus ab illis ſe eximunt. Recenſentur quoque exempla Sanctorum quorumdam abſtinentiæ jejuniorumq; virtute inſignium.



### DISCURSUS I.

### ARGUMENTUM.

Multæ conſiderantur abſtinentiæ & jejunij conditiones, ad hoc ut merita habeant, virtuteſque dici poſſint.

### THEMA.

*Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet.* 1. Cor. 9. v. 25.

1. S. Paulus Apoſtolus, vitam noſtram curſui vel agoni aſſimilat, quem homo, palmam ſive bravium conſequendi cauſa, aggreditur. Unde Apoſtolus de ſemetipſo dicebat: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi:* Quo eodem in loco pariter à luctatoribus deductam ſimilitudinem adducit; ac proinde S. Dionyſius Areopagita uſum eos, qui ſacro Baptiſmate initiantur, ſacro Chriſmate inungendi, ideo introductum fuiſſe aſſerit, ut exinde diſcant, illis in hac vita luctatorum inſtar dimicandum & certandum eſſe; Inter alias verò cautelas & prudentes circumſpectiones, quibus ejuſmodi luctatores uti ſolent, una eſt abſtinentia; Unde S. Paulus dicit: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet;* unde per hanc luctæ ſimilitudinem S. Apoſtolus nobis indicare vult, quàm homini Chriſtiano neceſſaria ſit abſtinentia, ut in hac militia Chriſtiana vincere poſſit. S. Anſelmus autem hæc verba ita explicat, *ab omnibus ſe abſtinet, id eſt, ab eſcis.* Cornelius à Lapide luctatores à cibis lautioribus, & delicatis abſtinere ſolitos fuiſſe obſervat, imò refectionem illorum adeò ſobriam fuiſſe dicit, ut Ariſtoteles ab eodem Authore citatus abſtinentiam ſecundùm ſenſum verbi Græci interpretetur, *quaſi cibi ſumendi neceſſitatem,* unde ſolum illo ciborum genere utebantur, quo magis vigoroſi redderentur ad pugnam. Sacrorum igitur Doctorum veſtigia & ductum ſectantes, hujuſce virtutis encomia, conditiones & dotes fuſiùs nonnihil in hoc diſcurſu examinemus.

*Abſtinentia neceſſaria omni viatori ut luctatori.* *2. Tim. 4. v. 7.* *Dion. Areop. de Eccl. Hier. c. 7. p. 3.* *1. Cor. 9. v. 25.* *S. Anſelmus.* *Cornel. à Lap.* *Ariſtoteles.*

2. S. Bonaventura in virtutis Abſtinentiæ laudem ita ſcribit: *Sobrietas eſt virtus, qua corporis alimenta cum moderamine admittuntur in cibo & potu.* Obſervandum eſt autem quod S. Thomas circa hanc virtutem nobis inſinuat, dum ait: *Delectationes ciborum natæ ſunt abſtrahere hominem à bono uſu rationis, tum propter earum magnitudinem, tum etiam propter neceſſitatem ciborum, quibus homo indiget ad vitæ conſervationem, quam maximè homo deſiderat,* atque ideò hujus virtutis exercitium nobis eſt neceſſarium ad moderandum in cibis exceſſum, deordinationemq; removendam, quæ in ciborum uſu facillimè accidere ſolet, ac proinde *abſtinentia,* ut Doctor Angelicus ait, *eſt ſpecialis virtus;* ad hoc autem ut abſtinentia hunc virtutis titulum mereatur, certæ quædam, ut ſpiritualis vitæ Magiſtri obſervant, neceſſariæ ſunt conditiones. Et quidem S. Bonaventura multas conſiderat dotes, quæ illam individua ſocietate comitari debent; dicit enim: *Abſtinentia & honeſtas; moderantia & parcitas & ſobrietas, edulij, cohibent nutrimenta; Abſtinentia eſt ſtatutum terminum prandendi non prævenire: Honeſtas eſt nec lautiores cibos quærere, vel in apparatu operam dare: Moderantia eſt nimium ciborum appetitum rationis imperio revocare; parcitas eſt menſuram refectionis non excedere; ſobrietas eſt exceſſum in potu cohibere:* Omnes enim hi

*Abſti. laus.* *S. Bonav. l. 2. de prof. relig. c. 46.* *S. Thom. 2. 2. Q. 146. A. 2.* *S. Bonav. 3. p. Cent. Sect. 42.*



actus

*S. Bon. de prof. Relig. l.2.c.47.*

actus ab abſtinentia imperatur. Idem quoque Seraphicus Doctor alibi de ſobrietate tractans, illam in tribus præcipuè conſiſtere aſſerit: nimirum *in qualitate, in quantitate & modo: In qualitate, ut non delicata & pretioſa, aut ſumptuoſa requirat, ſed ſimplicia, quibus valeat ſuſtentari natura, & gula non irritari, & quæ de facili poſſunt haberi; In quantitate, ut non nimis & ſæpius quàm decet, ſed temperatè, ut ſit refectio corpori, non onus; In modo ut non importune requiratur, nec impetuoſe & indiſciplinate & inordinate ſumatur, ſed modeſte, mature, & religioſe.*

*S. Aug. l. 10. Conf. Cap. 31.*
*Abſti. medicina.*
*D. Chryſoſt. Hom. 3. ad pop.*

3. In hac materia valde conſiderabile eſt ſaluberrimum illud monitum, quod à S. Auguſtino in ſuis Confeſſionibus diſcere poſſumus, ubi ait: *Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Hanc porro ſimilitudinem in D. Chryſoſtomo explicatam invenio; qui de jejunio ita ſcribit: *Quoniam tantum jejunij periculum eſt neſcientibus quomodo jejunare oportet, jejunij leges diſcamus; Medicina eſt jejunium*, Medicina enim licet in ſe utiliſſima ſit, ex ejus tamen; qui illam ſumpturus eſt, imperitia & ignorantia, pernicioſa eſſe poteſt: *Etenim noſſe oportet & tempus, quo ipſam adhibere opus ſit, & ipſius medicamenti quantitatem, & corporis temperiem ſuſcipientis, & regionis naturam, & anni tempus, quorum ſi quodlibet prætermiſſum fuerit, reliquis omnibus, quæ dicta ſunt, nocebit.* Quod ſi autem pro corporis ſalute tanta cum circumſpectione remedium ſumitur, quanto major pro animæ ſalute cautela adhiberi debebit. Omnes igitur hæ circumſtantiæ abſtinentiæ & jejunio adhiberi poſſunt, ad hoc ut ſpirituali animæ ſaluti proficiat. Neceſſarium eſt benè ponderare ſtatum & vocationem perſonarum, item complexionem, ætatem, diſpoſitionem, clima, conſuetudinem & bonum aliorum uſum; quia communis eſt & apud vitæ ſpiritualis experientiores Magiſtros recepta doctrina, quod illi actus nequaquam dicendi ſint virtuoſi, qui proprio ſtatui commenſurati non ſunt, licet in alijs ſummæ perfectionis actus futuri eſſent; unum enim idemque opus factum ab uno cum proportione ad ſuum officium, optimum erit, valdeque meritorium, ab alio tamen exercitum vitium erit, quia ipſius ſtatui eſt improprium. Medicus aliquis homini robuſtæ complexionis multas præſcribet drachmas Rhabarbari, & ſanitatem exinde reſtituet: at vero ſi idem *Recipe* infirmo alicui viribus totaliter exhauſto præſcribat, auferet illi vitam: Eodem modo ſi hominem aliquem mechanicum, qui ob duros opificij ſui labores multa indiget reſtauratione, jejunio duorum vel trium dierum qualibet ſeptimanarum gravare volueris; plurimum ſaluti ejus corporali nocebis, nec deinceps aptus erit, ut ſe ad orationem, ſtudia, aliaq; ad ejus officium ſpectantia, nec non ad ſervitium Dei applicare poſſit; cum tamen ſi eadem abſtinentia religioſo cuidam à ſimilibus laboribus ferianti, & jejunijs aſſueto imponeretur, non ſolùm is nullum in eo ſentiret gravamen, ſed & magnum inde perciperet ſolatium & gaudium.

*Sed poteſt eſſe pernicioſa.*

*S. Thom. ibid. A. 1. 2.*
*Petr. 1. v. 5. & 6.*
*Abſtinendum ne valetudo patiatur.*
*S. Thomas ibid. à in corpore.*
*2. Petri 1. v. 1.*

4. S. Thomas authoritati innixus S. Petri, dicentis: *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam*, nomen hoc abſtinentiæ duobus modis conſiderari poſſe dixit: *Uno modo ſecundùm quod abſolutè ciborum ſubtractionem deſignat, & hoc modo abſtinentia non deſignat neque virtutem, neque actum virtutis, ſed quoddam indifferens: Alio modo poteſt accipi, ſecundùm quod eſt ratione regulata, & tunc ſignificat vel habitum virtutis, vel actum*, & hoc eſt quod S. Petrus dicere voluit, quando ait: *Miniſtrate in ſcientia abſtinentiam, ut ſcilicet homo à cibo abſtineat, prout oportet pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & perſonæ ſuæ, & pro valetudinis ſuæ neceſſitate.*

*S. Greg. L. 20. Mor. cap. 31.*
*Abſti. ordinata eſſe debet.*

5. S. Gregorius dum illa verba Jobi: *verſa eſt in luctum cythara mea*, ſcribit, per inſtrumentum iſtud, corpus noſtrum intelligens, ut nobis per hanc ſimilitudinem, quouſque abſtinentiam exercere debeamus, planius explicet, ita diſcurrit: *Siccatur chorda, ut congruum in cythara cantum reddat, quia & ſancti viri caſtigant corpus ſuum, & ſervituti ſubjiciunt, atque ab infimis ad ſuperiora tendunt.* Quibus verbis Sanctiſſimus Pontifex ad id ſe reflectit, quod in ſimilium inſtrumentorum muſicalium chordis quotidiè fieri videmus, quæ ſi laxæ nimis ſint, ſonum non edunt, ſi nimium intenſæ ſtrident, non ſonant: ac proinde ut ſonum quemdam harmonicum edant, convenienti quadam proportione opus eſt; quæ omnia ſequentibus verbis abſtinentiæ applicat, dicens: *Quia nimirum virtus abſtinentiæ, aut omnino nulla eſt, ſi tantum quiſque corpus non edomat, quantum valet; aut valde inordinata eſt, ſi corpus atterit, plus quam valet.*

*Abſti. diverſa pro diviſis.*

6. Idem quoque S. Eccleſiæ Doctor, aliam quamdam ultimam veritatem inſinuat; nimirum quod hæc abſtinentiæ virtus non ad corpus extenuandum, ſed ad extinguenda per macerationem corporalem vitia ordinetur: *Per abſtinentiam quippe, carnis vitia ſunt extinguenda, non caro*; In cujus probationem Apoſtoli exemplum adducit, dicens: *Intueri inter hæc egregium Prædicatorem libet, quanta arte magiſterij fidelium animas, velut in cythara chordas tenſas, alius amplius tendendo extenuat, atque alias à tenſione ſua relaxando conſervat; Alijs etenim dicit: Non in commeſſationibus & ebrietatibus; Et rurſum ait? Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram: Et tamen Prædicatori Chariſſimo ſcribit: Noli adhuc aquam bibere. ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.*

*Rom. 13. v. 33.*
*Col. 3. v. 5.*
*1. Tim. 5. v. 23.*

*S. Bernard. de modo bene vivendi. c. 24.*
*Abſtin. ad vitia extirpanda.*
*Serm. 66. in Cant.*

7. S. Bernardus in duobus locis hanc eamdem tradit doctrinam, ſcilicet, quod abſtinentia & jejunium primario ad vitia reprimenda ordinentur, ideoque hic finis principaliter intendi debeat ab homine abſtinentiæ dedito: In primo etenim loco dicit: *Hoc debes ſemper obſervare in omni abſtinentia, ut non occidas carnem tuam; ſed vitia.* In alio vero ſermone ex ijs quos ſuper Cantica ſcripſit, ſobrietatem ſuam, quæ certè maxima & incredibilis fuit, hunc ſemper finem ſpectaſſe declarat: *Abſtineo*, inquit, *à carnibus, ne, dum nimis nutriunt, carnem ſimul & carnis nutriant vitia. Panem ipſum cum menſura ſtudebo ſumere, ne onerato ventre, ſtare ad orandum tædeat, & improperet etiam mihi Propheta, quia panem meum comederim cum Saturitate.*

*Præfat. Eccleſ.*

8. Sancta quoque mater Eccleſia in Præfatione Quadrageſimali, primum jejunij fructum extirpationem vitiorum eſſe, clarè ſatis oſtendit; Siquidem primo omnium loco, effectus jejunij recenſendo dicit: *Qui corporali jejunio Vitia comprimit.*

*S. Iſid. Hiſpal. l. 6. Orig. c. 19.*
*Raban. T. 1. de univ. lib. 5. c. 14.*
*Abſtinendum ne vitæ Suſtentatio patiatur.*

9. Iſidorus & Rabanus hujus nominis, *Jejunium* Etymologiam explicantes, unde jejunium nominis ſui originem acceperit, his verbis referunt: *Jejunium*, inquiunt, *eſt parſimoniæ victus, abſtinentiaque ciborum, cui nomen inditum ex quadam parte viſcerum tenui ſemper & vacua, quæ vulgo jejunium vocatur, unde jejunij nomen creditur derivatum, quod ſui inedia viſcera vacua & exinanita exiſtant*: Quibus in verbis benè notanda ſunt ultima illa verba: *Quod ſui inedia viſcera vacua exiſtant*, quia tametſi hæc pars corporis vacua ſit, non tamen totum corpus vacuum remanet, quia aliàs homo deficeret, & ipſa abſtinentia ſubſiſtere non poſſet; Et ideo jejunio ſua eſt moderatio adhibenda: Unde B. Laurentius Juſtinianus ait: *Abſtinentiæ ſic eſt adhibenda temperies, ut corpus nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet.* Et in ejuſdem Libri de ligno vitæ cap. 1. illud per rationem & diſcurſum regulandum eſſe dicit: *Quia ſobrietas eſt virtus, qua nimium ciborum appetitum rationis imperio reſecamus.* D. Chryſoſtomus illud nobis pro hujus virtutis exercitio ſumendum eſſe præſcribit, quod ad ſolam corporis ſuſtentationem ſufficit, & nihil amplius: *Aſſueſaciamus nos*, inquit, *tantum comedere, quantum ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium eſt*; illiuſque rationem mox ſubjungit, quia videlicet, non ſumus à Deo creati, ut comedamus, ſed comedimus ut vivere & reſpirare valeamus: *Non vita*, inquit, *propter alimentum, ſed alimentum propter vitam à principio factum eſt, ad neceſſitatem non ad voluptatem vitæ ſumptus comparatus eſt. Semper igitur præcitata doctrina mente noſtra recolenda eſt: Ne inedia corpus immoderata debilitet.*

*S. Laur. Juſtin. de lig. vit. c. 1. ibid. c. 1.*

*D. Chryſoſt. T. 6. Hom. 4. de jejun. & temper.*

*Diſcreta ſit.*
*S. Bernardin. Sen. in die Cin. ſer. 5. fr. 10.*
*Pſ. 50. v. 19.*

10. S. Bernardinus ad illa Apoſtoli verba, quibus nos corpora noſtra Deo in ſacrificium & hoſtiam viventem offerenda eſſe monet, alludens, ſacrificium illud duplex eſſe poſſe notat, matutinum ſcilicet, & veſpertinum, *veſpertinum quoad corpus, matutinum quoad ſpiritum*; De utroque autem illum Pſalmiſtæ locum explicat: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, id eſt, ſimul cum corpore per jejunium tribulatus; In hoc autem ſacrificio mactamus & affligimus membra noſtra, & divino cultui mancipamus, & quaſi in holocauſtum carnem noſtram offerimus, incendio famis & inediæ*; Obſervat tamen, quod Apoſtolus, poſtquam nobis hoc ſacrificium perſuaſiſſet, protinus ſubdat: *Rationabile ſit obſequium veſtrum*; Unde dicit,

*Rom. 12. v. 1.*



*quod ideo hoc ultimum adjunxit, ne per ſacrificium indiſcreti jejunij corpora deſtruantur, ineptaq; fiant ad ſervitium DEI, & ad ſpiritualia dona.*

*S. Baſil. de vera Virgin.*
*Baſ. contra ſuam indiſcretam.*

11. S. Baſilius, de quo in ejus lectionibus legimus, quod *tantum ſpiritu vivens, præter oſſa & pellem nulla præterea corporis parte conſtare videbatur*, poſtea hanc ſuam abſtinentiam & rigorem indiſcretum ipſemet redarguit, alijſque pro generali quadam regula credendum eſſe dixit, grave peccatum eſſe, ſi quis propter gulæ intemperantiam vitandam in abſtinentiæ rigore excedat. *Ita*; inquit, *per nimiam abſtinentiam corpus atterere, ac per infirmitatem inutile reddere omni profectò ratione caret, neque enim abſtinere à voluptatibus gulæ per ſe expetendum eſt, ſed quia ad virtutis acquiſitionem confert, quod ſi illud, cujus gratia ciborum abſtinentiam eligimus, per immoderatam negligamus inediam, contra atque inſtituimus, agimus, nam fracto contritoque inſtrumento, neque Deo inhærere per orationis & lectionis ſtudium poſſumus, neque ad fratrum beneficentiam, humanitatis officium obire.*

*S. Bruno de orn. Eccl. c. 11.*

12. S. Bruno Carthuſianæ ſolitudinis fundator & princeps, qui tanto Zelo abſtinentiam proſequebatur, ut religioſos ſuos ad perpetuam à carnibus abſtinentiam, ſolemni & perpetuo voto adſtrinxerit, hanc poſt ſe ſententiam ſcriptam reliquit: *Sic comedat Monachus, ut ſemper eſuriat, & ſic bibat Epiſcopus, ut anbiberit, neſciat.*

*Senſim abſtinendum.*
*Lib. 8. Giuſſan. c. 21.*

13. S. Carolus Borromæus delitias virtuoſo homine indignas eſſe cenſebat, ſi quis poſt ſumptum prandium aquam bibat, & licet is, qui ejus extremam, quam in victu ſervabat, auſteritatem legit, ipſum primâ facie indiſcretum contra ſe ipſum fuiſſe credere poſſit, ipſe tamen per adductas rationes oſtendit; quod *rationabile fuerit obſequium ſuum.* Cum enim in ultimis vitæ ſuæ annis, ſolitæ inediæ ſuæ, jejunium quotidianum in pane & aqua adjunxiſſet, exceptis diebus feſtis, ſub præcepto ſervari ſolitis, quibus non quidem carnes, ſed vel ova, vel piſces ſine vino comedebat; In quadrageſima autem à pane abſtinens fabis ſe mollibus, & in ſeptimana ſancta ſolis ſe lupinis, ſemel in die manducando reficeret; Epiſcopi autem Provinciales rigidam hanc ejus abſtinentiam velut indiſcretam & immoderatam redarguerent, ipſe hujus ſuæ tam auſteræ vitæ rationem eis reddens, ab omni ſe indiſcretione liberum eſſe oſtendit. Dicebat enim; quòd ſenſim ac paulatim à jejunijs facilioribus hunc rigorem inchoaſſet, jamque paulatim eo uſque in hac vitæ ratione profeciſſet, ut jejunia quantumvis ardua & difficilia alijs, nihil ipſi deinceps incommodi adferrent.

*S. Hieron. ad Demet. l. 2. Ep. 18.*
*Abſtin. exceſſus vitioſus.*

14. S. Hieronymus ad Demetriadem ita ſcribit: *Neque verò immoderata tibi imperamus jejunia ut enormem ciborum abſtinentiam, quibus ſtatim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam ſanctæ converſationis jacere fundamenta. Philoſophorum quoque ſententia eſt, moderatas eſſe virtutes, excedentes modum atque menſuram inter vitia deputari.* Atque ideo ſi virtutem ſectari volumus, cavendum eſt ab exceſſibus, quod quidem ſi in ulla re alia locum habet, in abſtinentia vel maximè verum eſſe, quotidiana docet experientia, quia inter alias aſtuti ſerpentis technas, hoc quoque ab eo exercetur artificium, ut teneras complexiones deſtruat, & ſanitatem per jejunia & abſtinentias indiſcretas lædat, hominesque ad quævis alia opera bona exercenda inhabiles efficiat. *Nec habet callidus hoſtis*, inquit S. Bernardus, *machinamentum efficacius, ad tollendam de corde dilectionem, quam ſi efficere poſſit, ut in ea incautè & non cum ratione ambuletur.*

*S. Bern. ſer. 19. in Cant.*

*S. Bern. ſer. 49. in Cant.*
*Abſtinendum moderate.*

15. S. Bernardus hanc doctrinam apte confirmat, dum virtuti diſcretionis glorioſum hunc titulum attribuit, ut ab ipſo dicatur *Moderatrix & auriga virtutum*, quæ ferulâ reprehenſionis: & imperij virgâ affectus noſtros nonnumquam nimis effrænes dirigit & moderatur. In vita S. Martini refertur, quod dum Rhedarius quidam, Pariſios verſus, iter agens, ſanctum hunc Epiſcopum: an ibi ante noctem appellere poſſet interrogaſſet, hoc ab eo retulerit reſponſum; Quod ſi feſtinanter nimis properaris, eò hoc veſperi pertingere non poteris, poteris autem ſi lento gradu iter tuum proſequaris; qui ſe ab Epiſcopo derideri putans, furibundus equos virgâ ad curſum dum concitaret, protinus una ex quadrigæ ejus rotis confracta eſt, in cujus reparatione tempus ſibi pro itinere reliquum conſumens, Civitatem Pariſienſem aſſequi illo veſperi non potuit. Idem quoque multis evenit, qui ſubito in una eademque die ad ſanctitatis apicem pertingere volentes, corpus ſuum per abſtinentiam & jejunia nimis rigida & auſtera, ſine ulla adhibita diſcretione domare & deprimere ſatagunt, unde tandem fit, quod tœdio affecti, cœptum perfectionis iter non proſequantur, ſed nimio rigore deterriti, ab eodem deſiſtant, quia *nihil violentum durabile*; vel deſtruant ſanitatem, aut verò nec illud nec aliud bonum facere poſſint; Saluberrimum proinde eſt illud S. Gregorij Magni monitum, dicentis: *Plerumque virtus dum indiſcrete tenetur, amittitur; cumque diſcretè intermittitur, plus tenetur.*

*S. Greg lib. 28. Mor. c. 21.*



## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Appetitum etiam rerum vilium vitioſum eſſe poſſe oſtenditur; Jejunium quod exceſſivo & delicato cibo compeſatur, tamquam adulterinum merito reprobatur: Econtra ut jejunium DEO gratum ſit, pauperi dandum eſt, quod ex abſtinentiæ parſimonia reponimus; Denique ex animo volenti & ultroneo non verò ob vanam gloriam eſt ſervandum.

## THEMA.

*Eſca nos non commendat DEO.* Cor. 8. v. 8.

*S. Bonav. in Apolog. paup. c. 2.*
*Appetitus domandus.*

1. SEraphicus Doctor egregiam nobis & valde utilem circa abſtinentiæ virtutem tradit doctrinam, nimirum quod hujus virtutis meritum non tam in ciborum qualitate, quam in inordinati appetitus & complacentiæ mortificatione fundetur, eamque per illum probat S. Apoſtoli textum. dicens: *Cibus in culpa non eſt, cum dicat Apoſtolus: Eſca nos non commendat DEO, ſumpta* videlicet, ut Gloſſa ait, *vel non ſumpta*: citat quoque S. Auguſtinum, cujus hæc refert ſequentia verba: *Quid locis, & temporibus Perſonis conveniat, diligenter attendendum eſt, ne temerè flagitia reprehendamus; fieri enim poteſt, ut ſine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretioſiſſimo cibo ſapiens utatur, inſipiens autem fœdiſſima gulæ flamma in viliſſimum ardeſcat; & ſanius quiſque maluerit, more Domini piſce veſci, quàm lenticula, more Eſau.* Teſtimonium quoque adducit S. Gregorij, qui multorum reprehendit errorem, qui ſibi multum ſe mereri perſuadent, dum à qualitate ciborum abſtinentes, immoderato appetitui ſuo interea ſatisfaciunt in eo quod eis amplius placet: *Non cibus, ſed appetitus in vitio eſt, unde lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abjectiores non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus*, ut videre eſt in Eſau, qui per immoderatum lenticulæ appetitum primogenituram fratri ſuo divendidit, cum Elias in deſerto carnibus ſe nutriendo ſanus permanſit, & quod maximè æſtimandum eſt, in amicitia & gratia DEI perſeveravit. Idem quoque S. Gregorius conſiderat, quod antiquus ille coluber protoparentes noſtros per pomum tentavit, & ſecundum Adamum non per carnes ſed per panem nudum infeſtavit: *Dic ut lapides iſti panes fiant.*

*S. Aug. l. 3. de doct. Chriſt. c. 12.*

*S. Greg. l. 30. mor. cap. 13.*

*Catechiſ. Novit. Car. 450.*
*Hiſtoria.*

2. In l. 1. c. 16. vitæ S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris legitur, quod lautæ quidem menſæ quotidie pro more ſuo accumbens, parum & frugaliter in ea comederit; acciderit autem, quod Monachus quidam ob abſtinentias & jejunia, quæ rigoroſiſſimè obſervabat, de virtute & perfectione ſua nimium præſumens, dum menſæ Archipræſulis videret lautitias, ſanctum Archiepiſcopum contemnere præſumpſerit, cujus ipſe certior factus, religioſum hunc ad ſe accerſiri fecit, eumque *ad ſe vocatum fraterna & pia qua ſolebat correptione à temerarij judicij morbo tali fere modo liberavit: Frater, ni me mea fallit opinio, fabas tuas majori cum appetitu & voluptate deglutis, quam ego hoc pretioſioris cibi genus.* In cujus confirmationem hanc in B. Laurentio Juſtiniano legimus doctrinam: *Cohibendus eſt nimius cibi appetitus, nam longè melius eſt moderatè carnibus ad tempus veſci, quam ventoſo legumine uſque ad ventris repletionem exſaturari*; prout in præallegato Eſau exemplo patet, qui tamquam guloſus à Scriptura ſacra notatur, non propter carnes, ſed propter aviditatem lentium; ſicut pariter Adam de gulæ arguitur reatu, non propter eſum carnium, ſed ob unicum dumtaxat pomum deguſtatum: *Cum de ligno Adam non de carnibus ſit damnatus, atque Jonathas ex guſtu mellis, non carnium, morti adjudicatus fuerit; econtrario verò Elias innoxie carnem comedit. Abraham Angelos carnibus gratiſſimè pavit, & de ipſis ſua Sacrificia offerri præcepit Deus.*

*B. Laur. Juſtin. de lig. vitæ tract. 11. c. 5.*

*Opuſc. 32. c. 1.* *Abſtinendum quæ magis concupiſcimus.*

3. B. Petrus Damianus ad Hildebrandum Cardinalem, qui ſe à cepis & porris magno cum rigore abſtinere profitebatur, ita ſcribit: *Quia videlicet his acuminibus uberius delectaris; in his itaq; deſpicabilibus rebus, & gravior eſt abſtinentia, & minor eſt gloria; facilius enim carne, quàm ſale quis abſtinet, gravius eſt abjicere fructus arborum, quàm aſperſas patinis fragrantias pigmentorum, quamquam & parentes noſtros de Paradiſo projecerit pomum, non pigmentum, quia non eſt in culpa quod pluris emi, ſed quod poſſit avidius concupiſci: Sed potiorum rerum abſtinentia plauſu favoris attollitur, vilium verò contemptus dignus præconio non videtur.*

*Ciborum varietas culpabilis.* *S. Aug. ſerm. 86. de diverſ.*

4. His quoq; addi poteſt, quod abſtinentiæ meritum notabiliter diminuatur, quando in cibis quadrageſimalibus, & jejunio deſtinatis, lautitiæ & delitiæ quæruntur. Hanc deordinationem S. Auguſtinus tangit ſequentibus verbis: *Sunt quidam obſervatores quadrageſimæ, delitioſi potius, quam religioſi, exquirentes novas ſuavitates magis quàm veteres, in fine in append. concupiſcentias caſtigantes, qui copioſis pretioſiſq; apparatibus fructuum diverſorum quorumlibet obſoniorum varietates, & ſapores ſuperare contendunt*; De quibus S. Hieronymus pariter ad Nepotianum breviter dicit: *Famam abſtinentiæ in delitijs quærimus.*

*S. Hier. Ep. 2. ad Nepotian.*

*S. Aug. ſerm. 65. de temp.* *Pauperibus erogandum.*

5. S. Auguſtinus in alio quodam ſermone perſuadere nititur, ut quod ex parſimonia & frugalitate jejunij lucramur & reponimus, in pauperes diſtribuamus, non vero in delitias expendamus, etiamſi hæ ſtatui noſtro ſint convenientes, præſcriptorumq; ciborum limites non ſupergrediantur: *Ne aliquis ſibi ſumptuoſas cœnas, & exquiſitis ſaporibus epulas ſtudeat præparare, & corpori ſuo magis commutaſſe, quam ſubtraxiſſe ciborum abundantiam videatur, nihil prodeſt tota die longum duxiſſe jejunium, ſi poſteà ciborum ſuavitate vel nimietate anima obruatur.*

*S. Bern. de modo bene vivendi. c. 24.* *Quinam verè jejunent.*

6. S. Bernardus quinam inter multos verè jejunent oſtendere nobis volens, teſtimonium adducit S. Iſidori dicentis: *Tota die epulas in cogitatione ruminat, qui ad explendam gulam veſpere, ſibi delitias parat.* Quot ſunt, qui tametſi toto die abſtinentes remaneant, ſe tamen conſolantur per multorum exquiſitiſſimorum ciborum delicatam præparationem ſub noctem faciendam, qui ut tanto ſapidiores illis ſint, ad eosdem ſe per famem & appetitum, qui optimum ciborum condimentum eſt, diſponunt. De his S. Bonavent. dicit: *Eſt inſuper reprobandum in jejunio, quando jejunans ideo jejunat; ut Deo ſuo, ſcilicet gulæ ſerviat & ventri; quidam enim ſunt, qui ideo jejunant, ut melius comedant; tales nihil aliud faciunt, quam ut ſolemnitatem Dei ſui ſcilicet ventris, præveniant vigilia jejunij deteſtabilis.* S. Iſidorus quoq; hanc deordinationem tangit, dum ait: *Spernitur jejunium, quod in veſperam repletione ciborum reficitur; Spernitur jejunium, quod in veſperam delitijs compenſatur*; adducitq; textum illum Iſaiæ, dicentis: *Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra*, ſeu ut ipſe legit: *Voluptas veſtra, voluptas enim delitiæ intelliguntur: jejunavimus & non aſpexiſti*; Tales quidem de Deo lamentantur, dicentes: *Jejunavimus & non aſpexiſti*, ſed prorsùs ſine cauſa conqueruntur, quia non jejunant eo fine, ob quem Deus jejunium inſtituit, nimirum ut corpus ſuum affligant, quia in adinveniendis cibis delicatis & ad guſtum præparatis adeo ſunt induſtrij, ut de illis dici poſſit: *In die jejunij invenitur voluptas eorum.*

*S. Bonav. in Diæt. ſalutis T. 2. c. 6.* *S. Iſid. l. 2. ſentent. c. 44.* *Iſa. 59. v. 3.*

*S. Hier. ad Euſtoch.*

7. Hanc eamdem guloſitatem S. Hieronymus quoq; ſæpius deteſtatur; Etenim ad Euſtoch. Virginem ſcribens, ita eamdem monet: *Nihil prodeſt biduo triduoq; tranſmiſſo, vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ſi compenſetur ſaturitate jejunium.* Et lib. 2. contra Jovinianum in eumdem his verbis invehitur: *Quale illud jejunium eſt*, inquit, *aut qualis illa refectio, poſt jejunium cum pridianis epulis diſtendimur, & guttur noſtrum meditatorium efficitur latrinarum? dumq; volumus prolixioris inediæ famam quærere, tantum voramus, quantum vix alterius diei nox digerat; itaque non tam jejunium appellandum eſt, quam crapula ac fœtens & moleſta digeſtio.*

*S. Hier. l. 2. con. Jovinianum.* *Non compenſanda repletione abſtin.*

*Jejunium nõ compenſandũ* *S. Greg. Hom. 16. in Evang.* *S. Greg. 3. p. Paſtor. admon. 20.*

8. Enimverò Sancti Patres diverſi lucrum illud, quod per abſtinentiam in ſumptibus noſtris lucramur, in pauperum refectionem adhibendum eſſe ſuadent. S. Gregorius enim dicit: *Illud jejunium Deus approbat, quod ante oculos ejus manus in eleemoſynam levat, quod tibi ſubtrahis, alteri largire.* Idem quoq; alibi ita ſcribit: *Admonendi ſunt abſtinentes, ut noverint, quia tunc placentem Deo abſtinentiam offerunt, cum ea quæ ſibi de alimentis ſubtrahunt, indigentibus largiuntur*, aliàs Deus meritò ijs dicere poteſt, quod olim per os Zachariæ Prophetæ dixerat: *Cum jejunaretis numquid jejunium jejunaſtis mihi? Non enim Deo, ſed ſibi quiſq; jejunat, ſi ea, quæ ventri ad tempus ſubtrahit, non egenis tribuit, ſed ventri poſtmodum offerenda cuſtodit.* Quot ſunt avari qui ideò jejunant, ut ſumptus aliàs in cibos exponendos ſibi reponant? Hi certè non jejunant, ut Deo placeant, ſed ut cupiditatem ſuam foveant, alij vivunt in continua abſtinentia, quia quod manducent, non habent, pauperes enim ſunt, & ſuam miſeriam impatienter tolerant, ſi enim haberent, ad ſatietatem uſque ventris plenis buccis comederent, alij verò, ut mox dicemus, ſobriè vivunt, ut tamquam homines virtuoſi & perfecti, ab omnibus ſuſpiciantur. Omnibus illis qui ob jam dictas cauſas abſtinent, Deus dicere poteſt: *Numquid jejunium jejunaſtis mihi?*

*Zach. 7. v. 5. & 6.*

*S. Auguſt. T. 8. in Pſal. 42.* *Iſa. 58. v. 7.*

9. S. Auguſtinus textum illum Iſaiæ conſiderat: dicentis: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſq; induc in domum tuam*; ac demum ad illa ſic ſcribit: *Noli jejunium putare ſufficere, jejunium te caſtigat, non alterum reficit, quàm multos pauperes ſaginare poteſt intermiſſum hodie prandium noſtrum; ita jejuna, ut alio manducante prandiſſe te gaudeas.* S. Chryſologus quoq; nos monet, ut abſtinentiam noſtram Eleemoſynæ conjungamus: *Accepta*, inquit, *ut ſint iſta jejunia nimirum, miſericordia ſubſequatur, jejunium non germinat, ſi de miſericordia non rigetur, ſiccatur jejunium miſericordiæ ſiccitate.* In alio quoque loco terræ ſimilitudinem adfert, quæ niſi ſeminetur, ſterilis prorsùs & infœcunda evadit: *Eſt ager cultus ſine ſemine, ſine miſeratione jejunium; quod eſt ſine Rege aula regia, hoc eſt, ſine largitate jejunium.*

*Miſericordia ſit Comes.* *D. Chryſol. ſerm. 43.* *D. Chryſol. ſerm. 42.*

*Serenus ſit vultus.* *Matth. 6. v. 17.* *S. Hier. ibid.* *S. Thom. ibid.* *2. Cor. 9. v. 7.* *Pſalm. 103. v. 15.*

10. Præter ſupradictas conditiones inſuper requiritur, ut abſtinentia ab homine libenti animo ſuſcipiatur. Cur putas Chriſtum dixiſſe: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava?* S. Hieronymus Palæſtinis id more poſitum fuiſſe dicit, quòd diebus feſtivis, odoriferis ſe unguentis perlinirent: *Præcepit igitur, ut, quando jejunamus, lætos & feſtivos nos eſſe monſtremus.* S. Thomas ſimiliter ait: *Caput unge, id eſt, hilarem ac feſtivum te exhibe*, prout Apoſtolus monet, dicens: *Non ex triſtitia aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Etenim lætitiæ Symbolum eſt: *Exhilaret faciem ejus in oleo.*

*S. Bern. ſer. 1. de Quadr.* *Onus eſt multis.*

11. Sequitur: *Faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunus.* S. Bernardus ait: *Alius jejunat cum impatientia, & rancore, & huic opus eſt, ut caput ungat, eſt autem caput iſtud mens interior, quæ tunc ungitur in jejunio, cum ſpiritualiter delectatur in eo*; Experientia quotidiana ſatis conſtat, multos eſſe qui jejunant, quia aliter facere non poſſunt, eo quod jejunare cogantur, alij propter imminens aliquod convivium, ut ad tanto liberalius & avidius comedendum ſe diſponant, alij ex motivo obſervantiæ, & diſciplinæ regularis, vel quia illud jejunium ex præcepto Eccleſiæ urget; cæterùm omnibus illis per ejuſmodi jejunium ingens onus incumbere videtur, unde horam valde deſiderant, in qua ab eo exonerare ſe poſſint. De his Rabanus ita ſcribit: *Multi ſunt qui jejunant, ſed idem ipſum jejunium non amant, quaſi onus impoſitum ſit, neceſſitate compulſi portant jejunium, ſed non amant illud, more animalis onus portant, ſed ejuſdem oneris dulcedinem non deguſtant, unde non amant ipſum quod portant.* Unde S. Ambroſius multas adfert variorum proteſtationes & lamenta, qui ſe de hoc jejunio excuſant & dolent: *Quibus cum jejunium indicitur, de intemperie ſe temporis ſemper excuſant, Dicunt enim æſtivis menſibus dies longa eſt, torrentior Sol eſt, ſitim ferre non poſſumus, poculis nos refrigerare debemus: Hyemis verò tempore grave frigus eſt, rigores ſunt peſſimi, angorem tolerare nequimus, eſcis caleſieri nos oportet.* S. Bernardus quoque nonnullorum mentionem facit, qui à jejunio ſe ſubtrahere deſiderarent, ob metum, ne aliquod illis inde damnum corporis obveniat, *trepidantq; timore, ubi non eſt timor*, contra quos ſimilitudinem adfert illorum qui ligaturas ſollicitè quærunt ante vulnera, jamque vulneribus emplaſtra adhiberi procurant, priuſquam reipſa fuerint illata. His omnibus neceſſarium omnino eſt, ut ſaluberrimo S. Zenonis conſilio aures patulas præbeant, dicentis: *Tali ergo affectu ſuſpiciamus jejunij gratiam ſicut Dominus dicit: Non triſtes aut mœſto vultu, tamquam perhorreſcentes neceſſitate dierum, ſed læti hilares, & cum exultatione nos gerere debemus, quæ nobis cauſa victoriæ & ſalutis extitit; læti itaq; & exultantes accedamus ad Medicum noſtrum medicamentum jejunij ſuſcipientes.*

*Raban. T. 6. in Comm. Reg. S. Bened. c. 4. n. 13.* *S. Ambr. ſerm. 39.* *Pſ. 13. v. 5.* *S. Zeno ſer. de jejunio.*

12. Deniq;



*Jactantia cavenda.*

12. Deniq; ad aſſequendum jejunij præclarum meritum, & ad exercendam utiliter abſtinentiæ virtutem, aliud ſupereſt ſaluberrimum conſilium, nimirum ut in illius exercitio omnem laudem & gloriam humanam ſumma cum ſollicitudine caveamus. Unde S. Bernardus ſuper illa Salvatoris noſtri verba: *Unge caput tuum & faciem tuam lava*, ita ſcribit: Hoc eſt: *Sic te irreprehenſibilem foris exhibe, ut divinam tibi conciliare ſtudeas gratiam, & ante oculos humanos non propriam quæras gloriam, ſed auctoris.* Faciei namq; ablutio indicat, è medio omnino nobis tollendam eſſe vanitatem & oſtentationem: *Alius enim jejunat ſtudio vanitatis, & huic dicitur: Faciem tuam lava.* Etenim Phariſæus arroganter de ſe jactabat: *Jejuno bis in Sabbato*, & tamen reprobatus fuit, quia abſtinentiam quam faciebat, deducebat in oſtentationem. Author imperfecti, ſuper illa verba: *Faciem tuam lava*; ita ſcribit: *ſimplex interpretatio hujus loci eſt, tamquam ſi dicat: Sic longè te facere debet ab oſtentatione jejunij tui, ut ſi poteſt fieri (quod non debet) etiam ea facias, quæ ex adverſo, luxuriæ & epulationis videntur eſſe indicia.* S. Joan. Climacus in Scholijs Photij Patriarchæ Conſtantinopolitani n. 20. ita loquitur: *Jejunium eſt remedium, quod pravas animi affectiones repurgat, ſi privatim & ſeorſim exerceatur, ſed in conventibus & publicis celebritatibus venenum eſt*; Cujus mox rationem ſubjungit: Quia medicamentũ nonnunquam in venenum mutatur, id eſt, abſtinentia & jejunium, quod ingentis eſſe debebat cauſa meriti, animam noſtram potius totaliter deſtruit & perdit: *Quod ſæpe illi, qui eo utitur, exitium adfert, aut alijs ſcandalum præbet, aut ipſi nocet, qui ex eo ſe jactat, aut gloriatur & tumet, & ſingularis vult videri, quaſi diviſus ab alijs.*

*S. Ber. ſer. 1. de Quadr.* *Matth. 6. v. 17.* *Luc. 18. v. 12.* *Auth. imperf. Hom. 15.* *S. Joan. Climacus.*

*Bed. Hypocriſis fugienda.*

13. Venerabilis Beda ad hoc propoſitum Arcæ exemplum adfert, quæ tametſi facta fuerat, ut benedictionis eſſet inſtrumentum, & miracula operaretur, multis tamen propter irreverentiam cauſabat mortem, ſtragemq; irreparabilem conciliabat: *Pœnam de pretio ſalutis miſeri mercantur æternam*, Idem quoq; illis dici poteſt, qui ob fines & reſpectus humanos jejunant, corpuſq; ſuum macerant. Unde D. Chryſologus Phariſæo illi improperabat, dicens: *Hypocrita, laboraſti jejunijs, ut labor tibi jejunij non prodeſſet; Hypocrita abſtinentiæ fructus intraſti, continentiæ conſcendiſti undas, enataſti jejunij pelagus & in ipſo portu jejunij naufragaſti, quia non comparaſti lucrum, ſed mercatus es vanitatem, qui de Dei credito humanum negotium perfeciſti, hinc eſt quod Deo redditurus es rationem, qui ab hominibus percepiſti miſeræ fraudis uſuram.* Ne igitur in jejunijs & abſtinentijs noſtris inutiliter evaneſcamus, optimum nobis à S. Gregorio, vitæ ſpiritualis peritiſſimo magiſtro, ſuggeritur remedium, nimirum ut de bonis operibus noſtris, & præcipue de abſtinentia nequaquam præſumamus: *Admonendi ſunt*, inquit, *ut abſtinentiam ſuam & ſemper ſine immutatione cuſtodiant, & numquam hanc apud occultum judicem eximiæ virtutis credant ne ſi fortaſſis cum magni meriti eſſe creditur, in elationem ſublevetur.*

*D. Chryſol. ſerm. 7.*

## DISCURSUS III.

### ARGUMENTUM.

Primum præceptum protoparentibus noſtris in ipſo mundi exordio impoſitum, abſtinentiæ fuit, quam Chriſtus ad exemplum ſequacium ſuorum in omni rigore adimplevit in cujus etiam virtute abundantia confertur gratiarum, utpote quæ Deo ſummoperè grata exiſtit.

### THEMA.

*Præcepit ei dicens: De omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Gen. 2. v. 16. & 17.

*Abſti. primis Parentibus data.* *Pſal. 8. v. 6.*

Regius Propheta David de dignitate agens ad quam homo à Creatore ſuo ſublimatus eſt, dum illum eminentia naturæ Angelicæ paulo minorem condidit: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, dicit ulteriùs ipſius Dominio & poteſtati omnia creata viſibilia ab eodem Creatore fuiſſe ſubjecta; *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; & tamen ut ex Geneſeos c. 2. clarè deducitur, inter alias terreſtris Paradiſi arbores una fuit, cujus fructus Protoparentibus noſtris ſeriâ fuerunt lege prohibiti: *Præcepit ei dicens: De omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem, &c.* Res profectò mira eſt, quod, cum Deus eiſdem primis parentibus omnes viſibiles mundi Creaturas viventes ſubjecerit, hunc tamen fructum ab eorum dominio eſſe voluerit exemptum; quod ſi per hoc eorum experiri voluit obedientiam, & quam ab eo habere fas erat dependentiam, cur non potiùs prohibitionem iſtam, circa materiam quæ majoris ponderis & momenti fuiſſet, ſervari ſtatuit? quamobrem illis vilis alicujus pomi abſtinentiam impoſuit?

*Gen. 2. v. 16. & 17.*



*S. Hieron. l. 2. contra Jovin.* *In paradiſo neceſſaria.*

2. S. Hieronymus prohibitionem hanc in Paradiſo terreſtri, ubi innocentia & juſtitia originalis florebat, ubi primis parentibus cœleſtis Paradiſi theſauri liberali manu communicandi erant, ſtatutam fuiſſe conſiderat, ac proinde dicit: *Paradiſi felicitas abſq; abſtinentia cibi dedicari non potuit*; quaſi diceret, Deus hanc abſtinentiam præcepit, ut per illam ſanctificaret & in gratia conſervaret terreſtrem Paradiſum.

*S. Bonav. in Biblia pauperum c. 87.* *Primum præceptum ut remedium futurum.*

3. S. Bonaventura Deum per hoc, virtutis abſtinentiæ excellentiam indicare voluiſſe dicit dum primo præcepto, quod Deus umquam condidit, Adamo abſtinentiam ſervare mandavit, arboris illius fructus ei prohibendo: *Præcepit Dominus Adæ: Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas; In quo abſtinentia commendatur, dum non omni cibo voluit Deus hominem uti, etiam in Paradiſo.* Ecce quantoperè Deus hanc virtutem æſtimarit, ſiquidem primis Parentibus noſtris in primis ipſorum natalibus hanc virtutem præ cunctis alijs primo loco adimplere & exercere præcepit; Hæc enim prima lex, primumq; præceptum fuit, quod homini de cœlo præſcribere placuit; ac proinde S. Baſilius ait: *Veſtiga jejunij antiquitatem, neque enim recens inventum eſt, ſed pretioſus theſaurus à majoribus repoſitus, tam vetus eſt, ut ſimul cum homine condito cœperit, in paradiſo præſcriptum eſt, Hoc verbum, Non edetis, jejunij & abſtinentiæ lex eſt.* Sciebat enim Creator noſter hominem, aureum illum innocentiæ & Juſtitiæ originalis ſtatum, in quo illum creaverat, illæſum & imperturbatum conſervare non poſſe, ideoq; abſtinentiæ præceppeceptum huic fini aſſequendo medium efficaciſſimum eſſe. Unde Chryſoſtomus ait: *Enimverò cum crapula humano generi innumerorum malorum cauſa eſt & adjutrix, ita etiam jejunium Veneriſq; neglectus omnium nobis bonorum ſemper cauſa fuit, nam Deus cum ab initio hominem condidiſſet, & ſciret quod hoc remedio ad animæ ſalutem multum haberet opus, ſtatim & in principio hoc mandatum protoplaſto dedit, dicens: De omni ligno, quod eſt in Paradiſo comedes, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; dicere hoc comede, hoc ne comedas, jejunij figura erat.*

*S. Baſil Hom. 1. de jejunio.* *D. Chryſoſt. Hom. 1. in Geneſ.*

*Transgreſſio Damnum intulit.* *Nazianz. orat. 42.* *Nicetas ibid.*

4. Porrò hæc abſtinentiæ & jejunij tranſgreſſio Deum noſtrum adeò vehementer offendit, ut ob eamdem innumerabiles ruinas & calamitates irreparabiles univerſo humano generi ſuperinduxerit. Unde Nazianzenus ait: *Jejunamus, quoniam non jejunavimus. Antiquum hoc mandatum erat, nobiſq; contemporaneum, ac diſciplina quadam animæ, ac delitiarum caſtigatio, quod non abs re nobis inditum eſt, ut, quod eo non ſervato perdidimus, ſervato recuperemus.* Et ideo D. Nazianzeni Commentator ait, quod ſi Adam & Eva hanc illis præſcriptam abſtinentiæ legem accuratè obſervaſſent, nullam deinceps habituri fuiſſent jejunandi neceſſitatem: *Quod ſi Eva ab hujus ligni eſu abſtinuiſſet, nequaquam hoc jejunio nunc opus haberemus.*

*Reparatio damni à Chriſto.* *S. Ambr. ſer in Fer. 2. poſt Dom. 2. Quadr.*

5. Secundus Adam non terrenus, ſed cœleſtis, cujus omnis actio, noſtra eſt doctrina & inſtructio, longum quoddam & rigoroſum, in quadraginta nimirum dies & noctes productum aggredi voluit jejunium, in quo nihil ciborum guſtavit, ut damna, quæ nobis irrogata fuerunt, repararet, S. Ambroſius conſiderat, quòd Salvator noſter Eccleſiæ ſuæ jejunium in infirmitatum noſtrarum remedium præſcribere volens, *Ipſe ſibi primum, ut bonus humani generis Medicus, jejunium induxerit; bonus enim Medicus, poculum, quod ægro daturus eſt, prius guſtat, ut peritiam artis ſuæ ante in ſeipſo demonſtret, ut experimentum æger accipiens, ſecurus ſit de poculo, ſecurior de ſalute.*

*S. Ambr. lib. de Elia & jejun. c. 4.* *Abſtin. à Deo, gula à Dæmone.*

6. Idem quoq; ſanctus Eccleſiæ Doctor conſiderat, quod Deus ipſe fuerit is, qui abſtinentiæ & jejunij legem promulgavit, ſicut econtra Dæmon omnes virium ſuarum conatus in hoc impendit, ut jejunium rumperetur, quod omnium primo circa primum Adamum facere tentavit, idq; nequaquam eventu irrito, idemq; poſtea quoad ſecundum Adamum in deſerto facere molitus eſt, ſed nihil obtinuit: *Abſtinentia lex à Domino Deo, prævaricatio legis à Diabolo.* Porrò Salvator noſter, per omnem vitæ ſuæ decurſum, rigoroſam ab-

abſtinentiam obſervavit, non quod eadem pro ſua perſona indigeret, ſed quia peccata omnium noſtrûm ſibi vendicavit, ut expiaret, modum quoq; nobis oſtendere voluit, quo pro illis ſatisfacere poſſemus, & ideò ſibi jejunium adeo rigidum & auſterum indixit: *Hoc agit Salvator, ut iiſdem veſtigijs, quibus admiſſa fuerant delicta, purgentur, hoc eſt, ut quia homo manducando deliquerat, corrigat, abſtinendo*, inquit S. Ambroſius.

*S. Bonav. in Biblia pauperum. cap. 87.*

7. S. Bonaventura ad propoſitum egregiam quamdam habet obſervationem, nimirum quod Redemptor noſter per ſolidum tringinta trium annorum curriculum, nuſquam carnes manducaſſe legatur, niſi quando Agnus ei Paſchalis manducandus erat: *Salvator noſter, cujus actio eſt noſtra inſtructio, numquam carnem legitur comediſſe, niſi de agno Paſchali, & de uno piſce ſibi oblato ad manducandum*, Luc. 24. & Joan. 21. Imò, quod valde advertendum eſt, ipſi poſt reſurrectionem ſuam, quod tempus gaudij ſummæq; lætitiæ erat, quando Apoſtolorum ſuorum commenſalis eſſe voluit, alius cibus præterquam piſcis & favus mellis appoſitus fuiſſe non legitur: Unde in Joanne legimus: *Accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter.* S. Lucas quoque refert, quòd in ipſa die Reſurrectionis ſuæ, cum duobus illis diſcipulis in Emaus abire volentibus, menſæ accumbens, *accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Paulo poſt, ut corporis ſui glorioſi & à mortuis ſuſcitati realitatem & ſubſiſtentiam evidenti quodam ſigno redderet manifeſtam, poſtquam Apoſtolos ſuos interrogaſſet: *Habetis hic aliquid quod manducetur? Obtulerunt ei partem piſcis aſſi & favum mellis.*

*Chriſtus carnes non comedit niſi in Paſchate.*

*Joan. 21. v. 13. Luc. 24. v. 30.*

*Luc. 24. v. 41. 42.*

*Iſraëlitis indultæ carnes, ſed mortui.*

8. Verùm quidem eſt quod populo Judaico in deſerto oberranti carnes indulſerit, quas tanta cum aviditate ab illo poſtulaverant, at verò ingenti illorum damno & malo hoc factum eſt, quia carnes illas morte ſua luere debuerunt: *Populo Judaico*, inquit S. Bonaventura, *tamquam carnali, & de carne curanti, dedit Deus carnes ad veſcendum, licet in malum ipſius*; neq; enim terram promiſſionis, quæ beatitudinis æternæ typus & figura erat, ſunt ingreſſi, ſed in deſerto pereuntes, ſuos in eodem tumulos & ſepulchra acceperunt, unde locum illum appellat ſacer textus *ſepulchra concupiſcentiæ*, utpote in quibus tumulati fuerunt, in gulæ ſuæ juſtum ſupplicium & pœnam.

*S. Bonav. ibid.*

*Num. 11. v. 34.*

*Chriſtus non carnem ſed panem multiplicavit.*

9. Enimverò ut S. Bonaventura ait: *Ad commendandam ſobrietatem, quæ eſt in eſu piſcium, & in abſtinentia à carnibus, multum facit, quod Dominus in Evangelio pluries multiplicavit piſces, non carnes; Panes, & piſces bis multiplicaſſe legitur, numquam carnes.* Non obſtante, quod innumerabilis ille populus ex continuo itinere, quo illum etiam uſq; in deſertum ſecuti fuerant, defatigatus omninò, viribuſq; ſuis exhauſtus eſſet: *Ecce jam triduo ſuſtinent me, & ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via*: Attamen ad illos refocillandos nequaquam illis ſucculentos & nutritios carnium miſſus ſubminiſtravit, ſed panem ſolum & piſces: *Hoc autem ita convenire*, inquit S. Baſilius Magnus, *facto illo Dominus declaravit, cum delaſſatam illam ingentem multitudinem epulo illo excepit, ne deficerent in via; ſicut ſcriptum eſt, etenim cum miraculo vim magnifico excogitando epularum apparatu in ſolitudine ei liceret exaugere, adeò ſimpliciter, adeo frugaliter illos excepit, ut (quod eſt quidem apud Joannem) ad panem, qui etiam ipſe erat hordeaceus, fruſtum tantummodo piſcis adjectum ſit, nam de potione prorsùs nulla mentio, quippe tamquam videlicet aqua ſponte ſua ex humo ſcaturiens omnibus eſſet in promptu.*

*Marci. 8. v. 2. & 3.*

*S. Baſil. in Reg. Fuſ. diſp. 19.*

*Joan. 6. v. 2.*

10. Imò quod majori admiratione dignum eſt, multi ex ijs, qui ipſum ſequebantur, debiles, imò infirmi erant: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur*: Et tamen licet ex eadem eſſent progenie oriundi, ex qua illi prognati fuerant, qui tam inſtanter à Deo carnes in deſerto expetierant, non tamen conſtat, quod ullus ex tota illa ingenti multitudine ad poſcendas ea in occaſione carnes, os ſuum aperire præſumpſerit, idq; haud dubiè ob nullam aliam cauſam, quàm quia illis ſobrietas Salvatoris & Zelus, quô abſtinentiam proſequebatur, manifeſta nimis erat.

*Nullus qui Chriſtum ſequebatur petijt carnes.*

*Marc. 8. v. 8.*

*Abſtinentia Cæleſtia confert dona.*

11. De populo illo à Chriſto in deſerto liberaliſſime cibato dicitur: *Manducaverunt & ſaturati ſunt*: Quia Deus per jejunium & abſtinentiam copioſè nos ſatiat, ſi non quoad corpus, ſaltem quoad animam, per refectionem ſpiritualem; Unde dicitur: *Eſurientes implevit bonis*; Ideò quoq; Eccleſia in Collecta quadam quadrageſimali dicit: *Sanctificato hoc jejunio Deus tuorum corda fidelium miſerator illuſtra, & quibus devotionis præbes affectum, præbe ſupplicantibus pium benignus auditum.* Ingrediamini obſecro Religioſorum rigide viventium clauſtra, in quibus in tantis jejunijs & abſtinentiæ rigoribus vivitur, & invenietis veram ibi regnare pacem & ſacietatem internam, abundantiam ibi communicari donorum, gratiarum virtutumque cœleſtium, ibi florere devotionem & ſpiritum, copiamq; à Deo inibi omnibus abſtinentibus fieri illuſtrationum, viſionum, revelationum, ecſtaſium, & ſi quæ ſunt alia Divinorum favorum genera. Quonam præcipuè tempore Spiritus ſanctus ſuper Eccleſiam in Syon coadunatam à Chriſto poſt ſuam in cœlos aſcenſionem demiſſus fuit? Non alio, quàm eo quo jejuni erant, hoc enim S. Petrus inſinuare voluit, quando Apoſtolos à calumnia ebrietatis, eiſdem impoſita, juſtificavit & defendit dicens: *Non ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia.* Similiter quando idem Spiritus ſanctus, alia quadam vice una cum gratiarum ſuarum theſauris ſuper Paulum & Barnabam deſcenſurus erat, dicit ſacer textus: *Miniſtrantibus autem illis Domino & jejunantibus, dixit Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos, Tunc jejunantes &c.* In eorumdem Actuum Apoſtolicorum capite ſequenti dicitur, quod quando Apoſtoli ſe ad eligendum eos, qui animabus convertendis, gubernandiſq; Eccleſijs operam navaturi erant, volebant diſponere, id fecerint mediante jejunio, quod præmittebant: *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino.* Et hinc credibile eſt in Eccleſiam derivatam eſſe laudabilem illam in quatuor anni temporibus jejunij præmittendi conſuetudinem, priuſquam celebrentur ordinationes presbyterorum, alijq; conferantur Ordines ſacri.

*Luc. 1. v. 3. Collecta Eccleſiæ in F. 2. poſt. Dom. Paſſ.*

*Act. 2. v. 15.*

*Act. 13. v. 2.*

*Act. 14. v. 22.*

*D. Chryſol. ſerm. 41.*

*Jejunium hoſtia omnibus ſacrificijs æquivalens.*

12. Chryſologus jejunio præclarum illud attribuit Epithetum, dicens: *Jejunium eſſe ſanctitatis hoſtiam*: non dicit quod jejunium ſit hoſtia pacifica, nec quod ſit hoſtia *pro peccato*, quia jejunium omnibus oblationibus, ſacrificijs, & holocauſtis æquivalet, Deoque, qui illud à nobis avidè exſpectat, præ cunctis alijs eſt acceptiſſimum. Idem quoq; ſanctus Doctor verba illa Pſalmiſtæ: *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus*, de jejunio interpretatur, ideoq; Davidem in illis verbis abſtinentem ſe declaraſſe notans, ſequentem ſubjungit monitionem: *Animas noſtras jejunijs immolemus, quia nihil eſt quod Deo præſtantius offerre poſſimus, probante Propheta, cum dicit: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum; Offer oblationem jejunij, ut ſit pura hoſtia, ſacrificium ſanctum, vivens victima, quæ & tibi maneat, & data ſit Deo.* Porrò quanti Deus jejunia noſtra faciat, exinde manifeſtum fieri dicit S. Baſilius, quod illa non à volatili calamo, ſed ab angelicorum Spirituum manu in annales æternitatis conſcribi jubeat: *Nonnulli*, inquit, *ex Angelis ordinati ſunt, ut eos per ſingulas Eccleſias, qui inedia corpus ſuum affligunt, deſcribant*: Ac proinde idem Sanctus jure merito nos monet, ne noſmetipſos bono adeò immenſo privari patiamur: *Quapropter da operam*, inquit, *ne propter exiguam eduliorum voluptatem, damnum tam ingens accipias, ut ab Angelo in numero eorum, qui à nimio cibo abſtinent, non referaris.*

*Pſalm. 50. v. 19.*

*D. Chryſol. ſer. 43.*

*S. Baſil. Orat. 5. de jejun.*

*S. Ambr. in Pſalm. 40.*

*Bonorum jactura reparatur à Chriſto per jejunium.*

13. S. Ambroſius ad irreparabilem illam tot gratiarum alludit jacturam, quam genus humanum ſubijt per abſtinentiæ prævaricationem à primis noſtris Parentibus commiſſam, quæ tamen poſtea per jejunium Chriſti reparata fuit, qui illud poſtea pro aliqua ſaltem ſui parte, licet non cum tanto rigore tranſmiſit in univerſam Eccleſiam; Dicit enim: *Sicut per appetentiam interdicti fructus amiſerat gratiam, ita per jejunium reparari ejus virtutem oportuit, ut, qui perierat in Adam, repararetur in Chriſto*; Quamnam putas fuiſſe cauſam, quod increata illa ſapientia, de qua cum omni veritate dici debet: *Omnia in ſapientia feciſti*: arborem illam, cui hanc virtutem affixerat, appellarit arborem ſcientiæ boni & mali? Nimirum nomen iſtud huic arbori indidit, ut intelligeres, quam ingens futurum fuiſſet malum, quod ex hujus virtutis ſecuturum erat tranſgreſſione, & quàm ingens per ejus adimpletionem & obſervantiam in nos derivetur bonum.

*Gen. 2. v. 10.*

*S. Joan. Climacus in ſchala Parad. grad. 4.*

*Elogia jejunij.*

14. Joannes Climacus de jejunio ſcribens, ſequentibus illud nobis commendat epithetis; dum ait: *Jejunium eſt lux animæ, cuſtodia mentis, cœci cordis illuminatio, janua compunctionis, humilis gemitus, lætus contriti cordis luctus, loquacitatis ceſſatio, ſolitudinis quietæ occaſio, obedientiæ cuſtos, ſomni levatio, ſalus corporis, beatæ tranquillitatis*



*quillitatis auctor, peccatorum remiſſio, paradiſi porta, & voluptas.*

*Abſtin. Deo grata.*

15. Et vero Deus varijs in occaſionibus, quantùm ſibi hæc virtus placeat, oſtendit, utpote quam varijs miraculis comprobavit. Nemo eſt qui neſciat, quod juveni cuidam ruſtico, cui Honoratus nomen erat, acciderit, cum enim à tam inſigni Authore, qualis S. Gregorius Magnus eſt, in principio Dialogorum ejus recenſeatur, neminem eſſe puto, qui illud ſæpius non legerit. Hic igitur à primis crepundijs, ſummo affectu abſtinentiæ virtutem diligens, cum Pater ejus parentibus & amicis ſuis lautius ſolito præparaſſet convivium, ita tamen ut præter carnes nihil, quod jejunanti ſervire poſſet, appararetur, ex omnibus ad menſam delatis ferculis nihil deguſtare voluit; Cui proinde pater ejus, illum deridendo dixit: *Numquid in his montibus piſcem allaturi ſumus? illo verò in loco audiri piſces conſueverant, non videri: Sed cum his ſermonibus Honoratus derideretur, repente in convivio aqua defluit ad miniſterium, & cum ſitula lignea, ſicut mos illic erat; mancipium ad fontem perrexit, dumq; hauriret aquam, piſcis ſitulam intravit, reverſumq; mancipium ante ora diſcumbentium piſcem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum poſſet Honorato ſufficere.* In cujus rigidæ abſtinentiæ exercitæ remunerationem dictus juvenis multis à Deo cæleſtibus illuſtrationibus honoratus fuit, atque in perpetuum ejus ſervitium, id eſt, ad Monachiſmum adſcitus, tandem Eundis in ducentorum monachorum Abbatem electus, ſanctè ibidem vixit, & in bona pace quievit.

*S. Gregorius Dialog. l. 1. c. 1.*

*Miraculo comprobatur.*

*Vita S. Corbiniani. Hiſtoria.*

16. In Vita S. Corbiniani, quem S. Gregorius omninò invitum Epiſcopum ordinavit, inter alia legitur, quod dum aliquando in die quadam præcepti jejunij iter agens nec diverſorium nec cibos quadrageſimales inveniret, ſed ſolas carnes, ſanctus vir Dei in propoſito carnes non guſtandi conſtanter nihilominus perſeveravit, inediam potius pati eligens, quam abſtinentiæ vel minimùm lædere virtutem; Et ecce priuſquam hora prandij adeſſet, Aquila quædam ante ipſum volitans, & in mare, cui S. Corbinianus vicinus erat, ſeſe dimittens, piſcem quemdam ex aquis protractum in littus depoſuit, nec ab eo receſſit, donec illum fortuito tranſeunti Epiſcopi famulo conſignaſſet, qui tantus fuit, ut non tantum in ipſius, ſed & totius familiæ ejus refectionem abundè ſuffecerit.

## DISCURSUS IV.

### ARGUMENTUM.

Jejunium aliquid in ſe Angelicum, imo & Divinum continet, noſque Deo ſimiles efficit.

### THEMA.

*Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis.* Jacob. 5. v. 17.

*Jejunium Eliam mutavit.*

1. QUonam obſecro dubio mens S. Jacobi Apoſtoli turbari poterat, ut hæſitaret, circa Eliam, num is homo eſſet paſſibilis, & per omnia ſimilis omnibus nobis? Scimus etenim illum Jezabelis minarum metu perculſum timuiſſe mortem haud ſecus, ac alij homines; nimirum ex quo illum quadraginta diebus prolixum aliquod ſciebat produxiſſe jejunium, magnam inde occaſionem capere poterat ſuſpicandi, an non fortè homine major eſſet. Unde S. Ambroſius eumdem Prophetam in curru igneo ad cœlum tranſlatum eſſe videns, dicit: *Quis humana virtute equos igneos, curruſq; igneos potuiſſet aſcendere, niſi qui naturam humani corporis incorruptibilis jejunij virtute mutaſſet?* Jejunium etenim inter alios, quos operatur effectus, hunc habet, quod homines certo quodam modo Deo ſimiles, omnique humana conditione & naturâ ſuperiores efficiat. Et ideo S. Zeno quoq; de eodem Elia ita ſcribit: *Vide, jejunando Elias quò aſcenderit, vide Eva quò deſcenderit manducando.* Idem Sanctus quoſnam uterque habuerit conſiliarios, quamque diverſum uterq; nactus fuerit exitium, conſiderans, dicit: *Ibi*, id eſt, in Paradiſo terreſtri, Evæ *ad manducandum author & conſiliarius eſt ſerpens, imo Diabolus in ſerpente: Hic ut jejunans aſcendat ad cœlum, author eſt & monitor Deus.* Porro de Moyſe ſacra Scriptura clarum perhibet teſtimonium, quòd ex conſortio arctaque familiaritate, quam Moyſes in monte cum Deo habuit, vultus ejus tantopere illuminatus fuerit, ut ob radiorum, quos inde vibrabat, vehementiam, filij Iſraël in faciem ejus irretortis oculis nequiverint aſpicere, cujus D. Chryſol. rationem reddens, dicit: *Moyſes dierum quadraginta jejunio, ita humano defœcatus eſt & exinanitus à corpore, ut totus divinitatis mutaretur in gloriam, & adhuc noſtri corporis obſcuro toto fulgeret lumine Deitatis*; licet enim quadraginta dierum jejunio ab omni cibo corporali abſtinens planè ſe extenuaret, cibo tamen longè ſolidiori, melioriſq; ſubſtantiæ nutriebatur alimento: *Subſtantiâ Dei diu paſtus, tota mortalis cibi oblitus fuerat adjumenta*; adeò enim ſtrictam cum Deo inierat amicitiam & familiaritatem, ut ipſemet de ſe conteſtetur: *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Euſebius Emiſſenus dicit: *Sed & B. Moyſen per quadragenarium continuatæ abſtinentiæ ſacrificium, cœleſtis colloquij legimus acquiſiſſe commercium; ſic enim habemus: loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum; hoc ideo legimus, ut intelligamus, hominibus purificatione jejunij viciniam Dei, præſentiamq; conferri.* Tertullianus, qui valde eſt in defendendo & commendando jejunio prolixus, adjungit, quod jejunium pari cum ipſamet Divinitate greſſu procedat. Etenim in Veteri Teſtamento hanc Moyſi & Eliæ præ cunctis alijs Sanctis ſæculorum Verbi Incarnationem præcedentium ſpecialiſſimam prærogativam collatam fuiſſe legimus, quod digni effecti fuerint, qui Dei clara viſione honorarentur, non obſtante clara Dei proteſtatione, dicentis: *Non videbit me homo & vivet*; Ecce quouſque excellentiæ & merita jejunantis Moyſis aſcenderint, inquit Tertullianus: *Merito ei in carne ſe Dominus oſtendit collegæ jejuniorum ſuorum*; Et de Elia protinus ſubjungit: *Tanta eſt circumſcripti victus prærogativa, ut Deum præſtet homini contubernalem, parem revera pari.* Etenim in montem Thabor & in transfigurationem ipſiuſmet Filij Dei oculos veſtros ſi defigatis, invenietis utiq; utrumq; Filij Dei contubernalem & parem pari effectum fuiſſe: Et ideo Petrus meritò ab Evangeliſta velut ignorans reprehenſus fuit, *neſciens quid diceret*, utpote qui eos ab invicem ſeparare, & diverſam illis à Chriſto manſionem aſſignare volebat, dicens: *Faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum; at verò neſciebat quid diceret, ſiquidem tanta eſt circumſcripti victus prærogativa, ut Deum præſtet homini contubernalem, parem revera pari*: Redditque idem Tertullianus rationem, dicens: *Si enim Deus æternus non eſurit, ut teſtatur per Iſaiam hoc erit tempus, quo homo Deo adæquatur, cum ſine pabulo vivit.*

*S. Ambr. l. de Elia & jejunio cap. 3.*

*S. Zeno ſer. de Jejun.*

*Moyſen familiarem fecit cum Deo.*

*2. Cor. 3. v. 7.*

*D. Chryſol. ſerm. 166.*

*Exod. 33. v. 11.*

*Euſeb. Emiſſ. hom. 1. de Quadr.*

*Tertull. lib. ad v. Phiſicos c. 6.*

*Exod. 33. v. 20.*

*Luc. 9. v. 33.*

2. S. Apoſtolus ſanctè olim gloriabatur, dicens: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus; An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* At verò unde hanc ſtrictam ejus cum Deo unionem ortam fuiſſe exiſtimas, ob quam Apoſtolus corpus ſuum à DEO animari, & ut ita dicam, identificari cum eo arbitrabatur? Euſebius Emiſſenus ait: *Ut ſpiritualibus reſiſtere poſſit inimicis, continuatis ſtudet corpus vallare jejunijs; ſed & hoc ipſum, ut Chriſtus in eodem loqui poſſet, non aliter quàm jejuniorum ſanctificatione promeruit.*

*Ad Gal. 2. v. 20.*

*2. Cor. 13. v. 2.*

*Jejun. facit hominem divinum.*

*Euſeb. Emiſſ. ibid.*

*Jejunij tempus divinum.*

3. In actis S. Theodori Martyris tempus quadrageſimale, in quo valde prolixum ab univerſa Eccleſia ſervatur jejunium, non ſolùm ſanctum, ſed & divinum appellatur: *Cum veniſſent caſti & divini dies quadrageſimæ*; & certè non ſine juſta cauſa, ſiquidem abſtinentia illa & ſobrietas in qua totum illud producitur jejunium, nos ipſimet Deo quodammodo ſimiles eſſe facit.

*Chryſoſt. T. 6. Hom. 4.*

*Jejun. homines efficiuntur Angeli.*

4. Chryſoſtomus in Homilia quadam, quam inſcribit de jejunio & temperantia, ad illos ſe Monachos reflectens, qui incredibili cum parſimonia & ſobrietate vitam ſuam tranſigebant, de ijſdem dicit: *Ex hominibus Angelos effecit*; Et quidem aptè ſatis jejunantes Angelos effici dicit, quia proprium eſt Angelorum jejunare, & ſine ullo cibo vitam immortalem agere; Unde Raphaël Archangelus Tobiæ dicebat: *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor*; quæ eadem cauſa eſt, cur eorum qui jejunijs vacant, ſervitio & miniſterio ſeſe libenter adaptent, ut proinde S. Ambroſius dicat, *Jejunantibus epula pio Angelorum miniſterio deferebantur: prandebat Daniel inter jejunantes leones; ille prandebat alienum prandium, feræ non tangebant ſuum*; nam ut Daniel ipſemet ait: De cælo deſcendens Angelus avidas Leonum fauces obturaverat: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora Leonum, & non nocuerunt mihi*: Imo poſt longum ab illo abſolutum jejunium, Deus illi de annona miraculoſe proſpexit: *Jejunantibus epula volant*, inquit S. Ambroſius, *jejunantibus manna de cælo deſcendit, epulantibus culpa prævaricationis aſcendit.* Et quidem mirum

*Tob. 12. v. 19.*

*S. Ambr. de Elia & jejun. c. 11.*

*Dan. 6. v. 22.*

*S. Amb. ib.*



non

non eſt, quod Spiritus Angelici jejunantibus tanta cum aviditate & promptitudine deſerviant, quia ut S. Baſilius ait: *Jejunium ſimilitudo eſt hominum cum Angelis*, idem namque eſt utriuſque cibus; Nam Angelicæ naturæ ſuus eſt in Scriptura ſacra cibus deſtinatus, ſed non alius, quam qui à jejunantibus ſumi ſolet, nam ut idem Baſilius ait: *Quod ſi Angelorum quoq; cibus eſt ullus, panis eſt, quemadmodum ait Propheta: Panem Angelorum manducavit homo: Non carnes, non vinum, non denique quæcumque alia quæ ventri ſervientibus ingenti ſtudio apparantur.*

*S. Baſil. Hom. 2. de jejun.* — *Pſalm. 77. v. 25.*

5. S. Bonaventura ad idem propoſitum diverſitatem notat qua S. Elias Propheta ab Angelo & corvo cibatus fuit: *Notabile eſt*, inquit, *quod Eliam paverunt corvi bis in die.* 3. *Reg.* 17. *ſed Angelus Domini oſtendit ei panem & non carnes, & vas aquæ ſemel tantum* 3. *Reg.* 19.

*S. Bonav. in Bibliot. pauperum c. 87. 3. Reg. 17. v. 6. 3. Reg. 19. v. 6.*

6. Veriſimile quidem eſt, quod Angelorum exercitus Chriſto Domino quovis tempore certatim obſequi & deſervire contenderint; Et quidem illud certo conſtat, quod eodem Domino noſtro etiamnum vix nato, *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis*, quæ in corporali & viſibili ſpecie Paſtoribus apparuit, eoſque de Divini illius Infantis natalibus gaudioſa nuntia tulit; Verumtamen deinceps per totum triginta trium annorum decurſum nuſquam conſtat, quod Angeli eidem Redemptori noſtro in corporea & viſibili ſpecie apparuerint, præterquam, tunc, quando ei Calicem Paſſionis in horto Gethſemani præſentarunt, & triennio ante: *Et ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Quidnam in eo exiſtimas latere myſterij? Janſenius ait: *Viſibili humanâque ſpecie* (*id enim vox, acceſſerunt, intelligendum dat*) *ut quem Diabolus eâ ſpecie præſumpſerat tentare, ipſi eadem ſpecie honorem, officiumque ei omni præſtarent*: Ecce tibi ingentem jejunij excellentiam; Ecce inquam quantum illud venerentur & honorent Angeli, qui Chriſto jejunanti, præter ſtylum ipſorum, & morem conſuetum, in viſibili forma honorificentiſſimum & glorioſum detulerunt obſequium & miniſterium.

*Poſt jejuniũ Angeli ſervierunt Chriſto humanâ ſpecie. Luc. 2. v. 13. Luc. 22. v. 43. Matth. 4. v. 11. Janſen. Conc. Evang. c. 15.*

7. Salvator noſter D. Joanni Baptiſtæ Angeli epithetum attribuit, dum ait: *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum.* Et quidem dubium non eſt, quin ſapientia increata Joannem hâc noſtrâ mortali carne indutum fuiſſe optimè noverit, nihilominus Angelum ipſum appellare voluit, quia jamjam de eo dixerat: *Venit Joannes non manducans neque bibens.* Didacus Stella inter alias rationes, cur S. Joannes Angelus appellatus fuerit, hanc quoque adfert in medium: Quia *magis ſpiritum Angelicum habere quam humanum videbatur, quia ut Angelus ſine potione, ſine comeſtione in cæleſti contemplatione dies noctesque conſumebat.* S. Baſilius vitam S. Præcurſoris *continuum quoddam jejunium* appellat. S. Cyrillus quoque Alexandrinus in laudem Jejunij ſcribens, dicit: *Jejunium eſt ſimulachrum Angelicæ vitæ.* S. Ambroſius autem ad eamdem auſteram Baptiſtæ abſtinentiam reflectens ait: *Ideo qui vitæ humanæ poſſibilitatem continentia ſupergreſſus fuerat, non homo, ſed Angelus appellatus eſt*: At vero & hic S. Doctor adhuc parum nimis dixit, ſiquidem Joannes plusquam Angelus æſtimatus fuit, eo ipſo enim, quo Meſſiæ dignitas ipſi non à rudi & indocta plebe, ſed à ſacerdotibus, Doctoribus, Scribis, imò ab univerſo Hebræorum concilio oblata fuerat, implicite illum verum Dei Filium eſſe declarabant, quia in veritate rigor abſtinentiæ & jejunij, tamque conſtans temperantia, teſſera quædam dici poteſt immortalitatis. *Quid eſt enim jejunium*, inquit idem S. Ambroſius, *niſi vitæ imago cæleſtis?*

*Luc. 7. v. 27. & Matth. 11. v. 10. Joannes ob jejunium Angelus. Matth. 11. v. 18. Didacus Stella in c. 7. Luc. 5. Baſilius S. Cyrill. Alex. hom. 1. in feſt. Paſch. S. Ambr. Lib. de Elia & jejun. S. Ambr. ibid.*

8. Huic ſententiæ S. Ambroſij conſonat ſimilis ferè propoſitio S. Auguſtini in ſermone quodam ad Fratres in Eremo, ubi ait: *Jejunium res ſancta, opus cæleſte, janua regni, quod ſi quis juſtè perfecerit, DEI ſocius æſtimabitur.* Fortè etiam idipſum à S. Auguſtino Rabanus Maurus didicit, qui etiam ſimili ferè modo his verbis ſcribit: *Jejunium res eſt ſancta, opus cæleſte, quod qui ſanctè agit, Deo jungitur, alienatur à mundo, ſpiritualis efficitur.* Imo *Deus ipſe miſericors*, ut S. Maximus ait, *jejunus & ſanctus eſt, atque ideo qui vult proximus Deo eſſe, debet imitari hoc eſſe quod Deus.* Ad idem quoque propoſitum S. Cyrillus Alexandrinus illum Apoſtoli textum conſiderat, dicentis: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum.* Ecce tibi characterem, ex quo caro dignoſcitur, & mundus, qui non eſt alius quam crapula & ebrietas, inquit prædictus ſanctus Doctor: Character vero Chriſti ſobrietas eſt & temperantia: *Induimini Jeſum Chriſtum, ſplendidum revera piorum hominum indumentum.*

*S. Auguſt. ſerm. 23. ad fratres. Rabanus E 6. de inſt. Cleric. l. 1. c. 17. S. Maxim. Hom. de Lit. S. Cyrill. Alex. Tr. 8. l. 5. H. 8. de feſt. Paſch. Rom. 13. v. 13. Rom. 13. v. 14.*

9. Conſiderandum quoque eſt, quod aſtutus ille ſerpens (*erat callidior cunctis animantibus terræ*,) nunquam in ſolido illo triginta trium annorum decurſu Divinitatem Filij Dei explorare tentarit, præterquam in deſerto, hancque experientiam mediante abſtinentia inſtituit, dicendo: *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Porro Salvator noſter ante hanc tentationem multa patrarat prodigia & miracula, adeo ſtupenda, ut ex ijs ipſum verum Dei Filium, promiſſumque & diu deſideratum Meſſiam eſſe facile conjicere potuiſſet, unde Nicodemus Princeps Synagogæ ei dixit: *Scimus quia à Deo veniſti, nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*; Imo ut omnia alia à Chriſto in decurſu triginta annorum operata prodigia ſilentio prætereamus, ſciendum eſt, quod ante quadraginta dies hanc Diaboli tentationem præcedentes, cæli ſuper Salvatore noſtro aperti fuerint, ſuperque caput ejus in forma columbæ deſcenderit Spiritus Sanctus, ac tandem ſono ſenſibili vox audita fuerit Patris æterni, dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Præcurſor quoque digito velut Chriſtum Meſſiam eſſe indicaverat, dum ait; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Ex cunctis tamen hiſce Chriſtum Dei verum filium eſſe intelligere non potuit, at verò quando Chriſtum ſine ullo cibo & potu quadraginta diebus & noctibus jejunare vidit, tunc pridem & magno quidem cum fundamento, ipſum verum DEI Filium eſſe ſuſpicari cœpit; Unde & tunc his eum verbis fuit aggreſſus: *Si Filius Dei es*: ubi D. Chryſologus ait: *Audiſtis quid de jejunio ipſe ſentiat & judicet inimicus: Si Filius Dei es; videtis quia jam non hominem ſed Dei Filium credat, quem liberum à Veneris conſpexerat ſervitute.* Et in ſermone præcedente pariformiter in hunc modum ſcribit: *Ubi jejunantem vidit, ſuſpicatur Deum, Dei Filium confitetur; Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant: ſic dicendo Diabolus hominem vult monſtrare non Deum*; Si enim ad famem depellendam lapides convertiſſet in panes, jam omnis in eo evanuiſſet de Divinitate Chriſti concepta ſuſpicio, nec eum jam amplius tamquam Dei Filium ſuſpexiſſet. S. Baſilius quoque poſtquam ſuperhumanam Joannis Baptiſtæ ſanctitatem, ob quam tamquam verus Meſſias ab omnibus ſuſpiciebatur, ſuum à jejunio principium duxiſſe aſſeruiſſet, dicens: *Joannis præterea totum vitæ inſtitutum hinc ſumpſit exordium*, protinus de Chriſto ſubjungit, quod abſtinentia & jejunio mediante, verum ſe Dei filium eſſe comprobarit; *Hæc illa etiam fuit à qua ſeipſum Dominus oſtendere cœpit.* S. Anſelmus pariter ſimilem adducit conſiderationem; De Dæmone etenim dicit: *Viderat ſtellas; Viderat Magos; audierat Joannem clamantem, Hic eſt agnus Dei; audierat Prophetas; Sciebat Chriſtum venturum; Sed cum omnia iſta vidiſſet ſigna, non tamen credidit eſſe Deum*: Quando autem lapides ei obtulit in panem transformandos, volens per panem viſum gulam ipſius incitare, nec tamen id ab eo obtinere potuit, mox ipſum Deì filium eſſe, credere & arbitrari cœpit.

*Gen. 3. v. 1. Diabolus ſuſpicatus Dei filium ob jejunium. Matth. 4. v. 3. Joan. 3. v. 2. Matth. 3. v. 16. Matth. 3. v. 17. Joan. 1. v. 29. D. Cryſol. ſer. 13. Matth. 4. v. 6. D. Chryſol. ſerm. 12. S. Baſil. in Reg. Interr. 16. S. Anſel. in c. 1. Matth.*

10. At vero quoniam ſe Deum eſſe, Diabolo nequaquam perſpicuum eſſe voluit, audite quonam ad id occultandum ſtratagemate uſus fuerit. Sacri Expoſitores cauſam ſtudioſè inquirunt, cur Chriſtus jejunium ſuum præcisè in quadraginta dies & noctes uſque produxerit, nec plures aut pauciores dies jejunare voluerit: Num forte id ideo fecit, ut ſe Moyſi & Eliæ jejunantibus conformaret? Minimè id dicendum videtur? Neque enim decebat ut Dominus ſervis ſuis ſe parem aut æqualem faceret, aut ut Deus ſe hominibus ſimilem, non vero ſuperiorem oſtenderet; quin potius Chryſoſtomus dicit: *Non ultra progreditur, ne ſcilicet res admirandi exceſſus, incredibilem faceret ſuſcepti hominis veritatem*; Et alibi pariter ad idem propoſitum ita ſcribit: *Ne exiſtimetur apparentem adveniſſe, & non aſſumſiſſe carnem*; Etenim verum quidem, quod per hoc adeo rigoroſum jejunium, Deum ſe eſſe oſtendere voluerit, attamen ſimul etiam ſe hominem eſſe probare voluit, ac proinde nequaquam prolixiori tempore jejunare voluit, quam quo olim Moyſes & Elias jejunaverant, ut hac ratione Dæmonem ſuſpenſum teneret, ne certo an Deus vel homo eſſet, ex jejunio ipſius concludere poſſet. Unde Rupertus Abbas ait: *Eſt jejunium divinæ authoritatis res, non quod Deus illud præceperit, aut digitus ejus in tabulis ſcripſerit, ſed quia non ſine virtute Dei mortalis homo quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſemel & iterum jejunare potuit, & jejunando multum Deo appropinquavit, à quo primus homo manducando nimis longe receſſit.* Et ideo S. Cyrillus Alexandrinus nobiliſſimo hoc epitheto jejunium honorare voluit, dum illud appellat *Splendidum immortalitatis viaticum.*

*Chriſtus jejunans ut alij ſuſpenſum reddidit diabolum. D. Chryſoſt. Hom. 13. in Matth. D. Chryſoſt. Hom. 1. in Genes. Rupert. Abbas lib. 6. in Matth. circa princip.*



*S. Cyrill. Alexandr. T. 5. Hom. 22.*

11. Quiſquis ſitim illam, qua Redemptor noſter in Crucis patibulo ſuſpenſus, ſe affligi teſtatus eſt, cum dixit, *Sitio*, ſeria cogitatione perpenderit, in ſummam non rapi admirationem non poteſt, ſiquidem oblato ipſi poſt hanc ſitis ſuæ conteſtationem vino myrrhato, quod alijs reis, ſupplicij tempore pro eorum aliquantula reſtauratione propinari ſolebat, illud guſtare noluit, præterquam quod ex D. Joannis conteſtatione clarè conſtat, quod paulo ante, die quadam, elata voce clamaverit, dicens: *ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Denique poſtquam lanceâ latus ejus apertum fuit, lympida ex ejus latere aqua emanaſſe noſcitur, *Exivit ſanguis & aqua*; Nec umquam in toto vitæ ſuæ decurſu ſe ſitibundum eſſe dixit, quam illo ſolum tempore; ac proinde illa ſitis ejus conteſtatio minimè credenda eſt vacare myſterio. Cajetanus ait: *Sic verum Paſſionis effectum ſe ſentire profeſſus eſt antequam crucifigeretur, cum dediſſent ei vinum, Marci* 15. *v.* 23. *Seu acetum amarum, noluit bibere, in Cruce autem bibit*; nimirum donec *expiraſſet* inimicum infernalem quoad divinam ſuam filiationem ſuſpenſum & dubium relinquere voluit, ac proinde quemadmodum in doloribus acerbiſſimis à reis fieri aſſolet, ſitire, potumque poſcere voluit, ut ſe, præterquam quod Deus eſſet, hominem quoque eſſe probaret.

*Joan. 19. v. 28. Uſque ad vitæ terminum. Joan. 7. v. 37. Joan. 19. v. 34. Cajet. ibid. Marci 15. v. 23.*

12. Tandem ultimo loco conſiderari quoque meretur, quod ex quo homo ſacra communione mediante Chriſto unitur, juxta illud: *In me manet, & ego in illo*, propter quod & S. Cyrillus Hieroſolymitanus ait: *concorporei*, & ut ita dicam, *conſanguinei facti eſtis*; ſancta mater noſtra Eccleſia à Spiritu Sancto gubernata providè inſtituit, ut huic unioni, per quam Chriſti participamus humanitatem pariter & Divinitatem, diſpoſitionis loco jejunium quoddam non ſolum Eccleſiaſticum, ſed & naturale, quod rigoroſiſſimum eſt, præmittamus, utpote quod medium aptiſſimum eſſe cenſet, ad hoc, ut tantum ſacramentum, in quo *divitias Divinitatis ſuæ effundit*, dignè recipere mereamur. Eſtque ideo inter cæteras jejunij excellentias hæc una, & quidem non infima, quod ſcilicet per illud, ad ſtrictam illam cum DEO conjunctionem, qualis per ſacram communionem fieri noſcitur, aditus præbeatur.

*Jejunium naturale ante Euchariſt. S. Cyrill. Hieroſol. Cathec. 4.*

## DISCURSUS V.

### ARGUMENTUM.

Abſtinentia & jejunium media ſunt efficacia ad cælum nobis aperiendum, noſq; in glorię poſſeſſionem immittendos.

### THEMA.

*Paradiſi portas aperuit nobis jejunij tempus.*

*Jejun. portas Cæli aperit.*

1. Sancta mater Eccleſia in Reſponſorio quodam, quod quadrageſimali tempore in prima Dominica legi ſolet, nos per ferventem orationem jejunij exactam obſervantiam implorare docet, idque ex eo præcipuè motivo, quod per illud Cœli portæ nobis aperiantur: *Paradiſi portas aperuit nobis jejunij tempus, ſuſcipiamus illud orantes & deprecantes.* S. Bernardinus in ſermone quodam, in primo die cinerum habito, in ponderandos jejunij fructus prolixè digreditur; Et quidem in fructu duodecimo, cum, de quo nobis hic ſermo eſt, adducit, dicens: *Cantat Eccleſia; Paradiſi portas aperuit nobis jejunij tempus.* Porro Paradiſus terreſtris homini in felici illo innocentiæ ſtatu, depoſiti, ſive cœleſtis pignoris loco conceſſus fuit, ac proinde, uti Diſcurſu tertio oſtendimus, idem locus ſpecialiter per abſtinentiæ virtutem fuit conſecratus.

*S. Bernardin. ſerm. 5. in die Cin. fruct. 12.*

2. S. Auguſtinus quamdam à S. Baſilio traditam in hac materia conſiderationem magnopere æſtimat, adeo ut ſe illam proprijs S. Baſilij, licet ab alijs è Græco in Latinum tranſlatis verbis, transſcribere profiteatur; Dicit enim: *Tamen propter diligentiorem veri fidem, verbis è verbo malui transferre de Græco*; Igitur in ſermone de jejunio S. Baſilius dicit: *Jejunium in Paradiſo lege conſtitutum eſt; primum enim mandatum accepit Adam, è ligno ſciendi bonum & malum non manducabis; non manducabis autem jejunium eſt.*

*S. Auguſt. T. 7. cont. Julian. l. 1. c. 5. Jejun. in Paradiſo mandatum.*

3. Enimverò quamdiu Protoparentes noſtri jejunarunt, firmum in Paradiſo pedem conſervarunt: At verò quamprimùm jejunium ruperunt, impoſitamq; ipſis abſtinentiæ Legem fuere prævaricati, è Paradiſo velut perpetui exules proſcripti fuerunt, unde S. Hieronymus ait: *Beatitudo Paradiſi abſque abſtinentia cibi non potuit dedicari, quando jejunavit, in Paradiſo fuit; Comedit, & ejectus eſt*; Idem quoq; in quodam ſermone dicit S. Auguſtinus.

*Transgreſſio ejecit parentes. S. Hieron. adv. Jov. c. 20. S. Aug. ſerm. 65. de temp.*

4. S. Joannes Damaſcenus proinde Deum in Paradiſo terreſtri quamdam jejunij imaginem & effigiem repoſuiſſe conſiderat, dum ait: *Quin ipſa quoque in Paradiſo vitæ ratio jejunij imaginem gerebat, non hoc tantum nomine, quod homo cum Angelis conſuetudinem vitæ habens, per frugalitatem ad eorum ſimilitudinem accedebat, verùm etiam, quia ea omnia, quæ poſtea humano ingenio ac ſolertia inventa ſunt, nondum ab iis, qui in Paradiſo degebant, excogitata fuerunt*; Idque evidenter probat, quia vinum nondum adinventum fuerat, neque tunc ab ullo ipſorum carnes manducabantur, nec alia epularum aut ciborum genera, quæ poſtea infeliciter gula adinvenit humana; Tandem verò idem Sanctus Doctor concludit: *Quoniam autem minimè jejunavimus, è Paradiſo ejecti ſumus.*

*S. Joan. Damaſc. l. 3. c. 2.*

5. Deus quidem poſtquam animalia quadrupedia, aves item & piſces, cunctaque alia viventia produxerat, protoparentibus noſtris dixit: *Dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*, nondum tamen de eorum carnibus manducandi facultatem ijs dederat; ſiquidem juſtam illis vitæ annonam aſſignans, dixit: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuum ſuper terram*; & hæc unica & præcipua ratio fuit cur fideles in primis naſcentis Eccleſiæ diebus, ſuis in jejunijs à piſcibus quoque abſtinuerint. Et ideo S. Baſilius ait: *Non dixit: Dedi vobis piſces in cibum, dedi vobis pecora, reptilia, quadrupedia, neq; enim in eum uſum hæc creavi, inquit, verùm primaria illa legiſlatio eſum indulſit fructuum*; moxque hanc propoſito noſtro congruentiſſimam rationem ſubjungit: *neq; enim tunc Paradiſi domicilio cenſebantur indigni*; quaſi dicere vellet: Tunc hominibus, ut carnibus ſe nutrire poſſent, indulſit, quando jam ut Paradiſi incolæ eſſent, digni amplius non erant.

*Primi fideles à piſcibus abſtinuerunt. Geneſ. 1. v. 28. Geneſ. 1. v. 29. S. Baſilius tom. 2. in Hexam.*

6. D. Chryſoſtomus optimè notat, quod Deus hominem vix etiamnum creatum, ſine ulla mora aut dilatione abſtinentiæ præcepto obligarit; cum enim illum eo præcipuè fine creaſſet, ut ruinas inſtauraret Angelorum, ideoque illum velut depoſitum quoddam pretioſum in Paradiſo collocaſſet, ut ſuo tempore aliquando cœleſtis Paradiſi poſſeſſor fieri poſſet, ideo ut homo hunc finem tanto poſſet facilius aſſequi, temperantiæ & abſtinentiæ à pomo illo vetito, legibus illum coërcere voluit: *Propterea & Deus hominem à principio faciens, illico delatum eum jejunij manibus commendavit, veluti piæ amabilique matri, & magiſtro optimo committens, nam & de omni ligno, quod eſt in Paradiſo, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; ſpecies jejunij eſt*; ac tandem per quoddam à minori ad majus deductum argumentum concludit, dicens; *Si autem in Paradiſo jejunium neceſſarium fuit, extra Paradiſum multo magis*, ſiquidem *Paradiſi portas aperuit &c.* S. Ambroſius de Adamo ita ſcribit: *Ita gula de Paradiſo regnantem expulit, abſtinentia ad Paradiſum revocavit errantem.*

*D. Chryſoſt. Hom. 53. de Pœnit. Jejunio homo creatus commiſſus fuit. S. Ambroſ. l. de Elia & jejun. c. 4.*

7. Omnes univerſim ſacri Interpretes in hac veritate conteſtanda, quod videlicet jejunium cœli nobis fores aperiat, unanimiter conſpirant. Et quidem in primis Salvatorem noſtrum dixiſſe conſtat, quod Cœlũ ab eo tempore, quô ſanctiſſimus Joan. Baptiſta natus eſt, magnam ſuſtineat violentiam: *A diebus Joannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cur ita? Num forte quia ipſius prodromus, paranymphus, & præcurſor erat? Aut quia pœnitentiam hominibus prædicando efficaciter inculcabat? Vel denique quia Baptiſmum in figura illius, quem Chriſtus inſtituturus erat, conferebat? Audite ſanctum Hieronymum, qui ait: *A diebus Joannis Baptiſtæ jejunatoris, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, quaſi diceret: Illi propriè cœlorum regno vim inferunt, qui proprijs appetitibus ſuis vim inferunt, ſuaque corpora extenuant.

*Jejunantes Cælum rapiunt. Matth. 11. v. 12. S. Hieron. l. 2. contr. Jovin.*

8. Salvator noſter inquit: *Quàm anguſta porta & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam?* Sed quænam cauſa eſt, quòd tam rarus ſit per portam illam ingredientium numerus? Cauſam

*Matth. 7. v. 14. Pro anguſta quadrant. porta.*

ſam hanc Chriſtus apertis verbis declarat, dum ait: *Anguſta porta & arcta via*; Ideo per illam penetrare volentibus opus eſt, ut macilenti ſint & extenuati, adeoque in continua abſtinentia vitam degant. *Quid illud eſt*, verba ſunt Nazianzeni, *quod ob jejunium non ſervatum amiſimus? Paradiſus ad quem nobis per jejunium aditus patebit.*

*Nazianz. Orat. 42.*

5. Sanctus Ephrem de jejunio tractans illud appellat vehiculum quo itur ad Paradiſum: *Jejunium vehiculum eſt ad cælum.* Chryſoſtomus ad præſens propoſitum noſtrum præ cæteris aptiùs nos exhortatur, dum ait: *Acue falcem tuam, quam per crapulam hebetaſti, acue per jejunium, aggredere iter in cœlum ferens, aſperam & anguſtam viam attinge & ambula*; Demum verò modum nobis præſcribit, quo utendo faciliorem per anguſtam hanc portam aditum habere valeamus: *Quomodo autem poterit, inquit, & attingere, & ambulare? caſtigans corpus tuum, ubi enim via anguſta, magnum impedimentum eſt carnis ex crapula obeſitas.* Idem quoque monitum jam dictus D. Chryſoſtomus in alia quadam Homilia repetit, dum de Pœnitentia agens, ita ſcribit: *Cur terreno corpore cœlum aſcendere concupiſti: extenua carnes, ut ad aſcenſum agilis fias; Equus ſi multum comedat, non currit; athleta non quod vult comedit; niſi comediſſet Iſraël, & impinguatus fuiſſet, non recalcitraſſet.* Chriſtus Salvator noſter divitem Epulonem in inferno ſepultum eſſe dicit: *Mortuus eſt & dives, & ſepultus eſt in inferno* idque non ob aliam cauſam, quam quia *epulabatur quotidie ſplendide*: At verò Lazarus mendicus, cui ne quidem de micis à menſa divitis decidentibus, famem ſuam pellere concedebatur, ubinam manſit, aut quo devenit: *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Unde S. Hieronymus ait: *Divitem purpuratum propter epulas narrat eſſe in tartaro, & Lazarũ pauperem ob inediã dicit eſſe in ſinu Abrahæ.*

*S. Ephrem. de jejun. Tom 1.*
*D. Chryſoſt. Hom. 3. ad pop. Antioch.*
*In ſinum portantur Abrahæ.*
*D. Chryſoſt. T. 1. Hom. 77. tr. 1. de Pœnitent.*
*Luc. 16. v. 22. v. 19.*
*Luc. 16. v. 22.*
*S. Hieron. Lib. 2. cont. Jovin.*

10. Ex Evangelio conſtat, qualiter ſancta illa vidua Anna Phanuelis, hanc à Deo gratiam obtinuerit, ut in divinum Verbum incarnatum ſuos defigere oculos potuerit; at verò dicere quis poſſet, quonam præcipuè id merito compararit, ut præ cunctis alijs mulieribus hac prærogativa donaretur? Num fortè favorem iſtum ob continuatam per tot viduitatis annos abſtinentiam conſecuta fuit? aut verò quia tam aſſiduè pro faciendis orationibus ſuis in templo permanſit? Tertullianus meritum hoc rigoroſis hujus viduæ jejunijs attribuit, cum S. Lucas de ea dicat, quod *erat jejunijs ſerviens die ac nocte*; Sed ecce ipſiſſima Tertulliani verba: *Oſtendens*, inquit, *à nullis magis intelligi Chriſtum, quàm à ſemel nuptis, & à ſæpè jejunis.*

*Luc. 2. v. 37.*
*A jejunis videtur Chriſtus.*
*Luc. 2. v. 37.*
*Tertull. adv. Pſychicos c. 8.*
*Gen. 8. v. 6.*

11. Alcuinus circa illa Geneſeos verba: *Cumq; tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noë feneſtram arcæ*, ingenioſam quamdam noſtroq; propoſito ſatis aptam adducit conſiderationem; Poſtquam enim numeri hujus quadragenarij inveſtigaſſet myſterium, tandem Spiritum ſanctum in ſenſu morali ad quadrageſimale jejunium collimaſſe dicit, utpote quod feneſtram, imò ipſam Paradiſi portam nobis patulam eſſe facit: *Poſt quadraginta dies Noë feneſtram aperuit, ſignificans jejunantibus cœlum aperiri*; Eumdem quoque ſenſum habent, quæ D. Chryſologus ſcribit, dum jejunium Paradiſi clavem eſſe aſſerit: *Jejunium nobis aperit cœlum, jejunium nos intromittit ad Deum.*

*Alcuinus in Cap. 8. Geneſ.*
*Jejunantibus cœlum aperitur.*
*D. Chryſol. ſer. 41.*

12. Regius Propheta adeo arcta unione Deo adſtrictus fuiſſe legitur, ut Deus ipſe de eo proteſtetur, dicens: *Inveni hominem ſecundùm cor meum*, ſed quã ratione cum Deo, qui puriſſimus & ſimpliciſſimus eſt Spiritus, adeo pefrectè conjungi potuit, ut de eo dici potuerit illud Apoſtoli: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo?* Nullã profectò aliâ viâ idipſum eſt aſſecutus, quàm eâ, quam ipſe inſinuat, dum ait: *Carò mea immutata eſt propter oleum, genua mea infirmata ſunt à jejunio.* Unde S. Hieronymus ait: *Non habebat delicias corporis, ſed Dei ſpiritus; Et nos ergo quando jejunamus, quando facies noſtræ pallidæ ſunt, quando fœdi videmur, cognoſcamus, noſmetipſos tunc pulchriores apparere Chriſto.*

*Jejun. ſecundum cor Dei*
*1. Reg. 13. v. 14.*
*1. Cor. 6. v. 17.*
*Pſalm. 108. v. 24.*
*S. Hieron. ibid.*

13. Divus quoque Chryſoſtomus quærit, qua ratione nos, qui mortali & gravi hoc corpore accincti ſumus, elevari in Deum valeamus? ac tandem reſpondet: *Avulſus à terra in cœlum aſcendit; Verum quidem eſt, trahit nos corpus, & deorſum ferri cogit, ſed ecce adveniant jejunia, quæ pennas animæ leves reddunt, & levem ſarcinam carnis efficiunt.*

*D. Chryſoſt. T. 3. Hom. in Seraph.*
*Jejunio volare poſſumus in cælum.*

14. D. Chryſoſtomo perfectè conſonat D. Ambroſius, qui in Libro de Elia & jejunio, de virtute abſtinentiæ prolixè diſcurrens dicit: *Magna virtus jejunij, & tam ſpecioſa ejus militia eſt, ut jejunare delectaret & Chriſtum, tam valida, ut ad cœlum homines elevaret.*

*D. Ambr. l. de Elia & jejunio. c. 2.*
*Jejun. homines elevat.*

15. S. Antonius de Padua rationem reddit, cur vigiliæ, quæ ſolemniora feſta præcedunt, ab Eccleſia fuerint introductæ: Dicit enim: *Jejunium Eccleſia ſtatuit, ad ſignandum, quod ad feſtivitates, quæ in ſuperna patria celebrantur, non niſi per abſtinentiam & afflictionem debemus aſcendere.*

*S. Ant. Paduan. ſerm. in Dom. 1. Quadr.*
*Ad ſupernas feſtivitates.*

16. In dubium haudquaquam revocari poteſt, quin Transfiguratio Salvatoris noſtri, quæ in monte Thabor contigit, quædam, licet apparens tantùm, ſcena fuerit gloriæ & beatitudinis cœleſtis Paradiſi; Sed quodnam in eo exiſtimatis latuiſſe myſterium, quod incarnata illa ſapientia inter tot innumeros & illuſtres Veteres Teſtamenti Sanctos, Moyſen tantum & Eliam, velut ejuſdem gloriæ elegerit ſpectatores: Cur non potius Abelum elegit, utpote primum, qui in æternæ ſalutis portum pedem ſuum feliciſſimè intulit? aut cur non Abrahamum, primum omnium credentium parentem? vel denique cur non Jacobum Patriarcham, cui Cœlum exhibitum fuit patulum: cuique nomen Iſraëlis, quod idem eſt, quod *videns Deum*, impoſitum fuit? D. Chryſoſtomus ad hanc Quæſtionem ſequentibus verbis reſpondet: *Moyſes & Elias Veteri in Teſtamento Prophetarum turres, tametſi ex alijs illuſtres, magnique haberentur, ac multa fiducia, tamen ſi quando ad Deum volebant accedere, & colloqui, quantum homini poſſibile erat, ad jejunium confugiebant, & per hujus manus ad Deum ducebantur.* Inter omnes illuſtriores, Deoq; acceptiores Veteris Teſtamenti Sanctos, nullum invenietis, qui in abſtinentiæ & jejunij rigores profundius ſeſe immerſerint, duobus hiſce prænominatis Prophetis, ac proinde ijdem non ſolùm in hac vita digni facti ſunt, qui aliquo Viſionis beatificæ imbuerentur rudimento, verum etiam ut in Transfiguratione gloriæ Salvatoris noſtri fierent collegæ & conſortes, ut per hoc nobis inſinuaretur, quam verum ſit, quòd *Paradiſi portas aperiat nobis jejunij tempus &c.*

*Jejuna ſi cum Deo loqui deſideras.*
*Matth. 17. v. 3.*
*Marci 9. v. 3.*
*Luc. 9. v. 30.*
*D. Chryſoſt. Hom. 53. de Pœnit. aut æternæ transfigurationi adeſſe.*

17. S. Hieronymus quorumdam opinionem fuiſſe refert, Moyſen ob ſtatum Conjugalem, Eliam verò ob virginalem ſtatum electos fuiſſe Transfigurati Salvatoris ſui collegas & conſortes, ipſe tamen protinus ſubjungit: *Dominus non ob differentiam virginitatis & nuptiarum, ut quidam putant, ſed ob jejuniorum conſortia Moyſen & Eliam transfiguratus in monte ſecum oſtendit in gloria.*

*S. Hieron. lib. 2. cont. Jovin.*

18. Moyſes olim à Deo ſuppliciter petijt: *Oſtende mihi faciem tuam.* Quæ ejus petitio audax nimium & juſto præſumptuoſior fuiſſe videtur: Numquid enim illum dixiſſe ſciebat: *Non enim videbit me homo & vivet?* quod ipſum Apoſtolus quoque confirmans, ait: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* S. Ambroſius huic difficultati reſpondens, dicit: *Quamvis illum obtutibus Dei, conditio humana ſubtraheret, jejuniorum tamen gratia proximum illum Divinitatis conſortio faciebat.*

*Jejun. Deum videre poſſunt.*
*Exodi. 33. v. 13.*
*Exodi. 33. v. 20.*
*1. Cor. 13. v. 12.*
*S. Ambr. ſer. in Dom. 1. Quadr.*

19. S. Baſilius quoque de eodem Moyſe ita ſcribit: *Moyſes per longinquam illam in jejunio aſſiduitatem, Legem accepit, & verba illa audivit, tamquam ſi loqueretur amico ſuo*; ac tandem de Elia ſubjungit: *Elias tum demum dignus habitus eſt viſione Dei, cum ipſe quoque ad parem continentiæ magnitudinem perveniſſet.*

*S. Baſil. in Reg. fuſi. diſp. 16.*

20. Huic idem magno Dei Prophetæ Eliæ Angelus quidam panem ſubcinericium, & pauxillum aquæ attuliſſe legitur, quo ſumpto idem ſanctus Carmeli incola in hujus frugaliſſimæ refectionis vigore quadraginta dies continuos ambulans, ad montem uſque Horeb pervenit; Ubi S. Bonaventura ait: *Horeb interpretatur menſa; jejunando enim ad menſam gloriæ pervenimus, de qua Dominus ait: Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi, &c. ſed hæc menſa perdita eſt per gulam in Paradiſo, recuperanda ergo per abſtinentiam.* S. Baſilius quoque Eliam ibidem Deum videre meruiſſe, his verbis conſiderat: *Jejunium Eliam magni illius miraculi ſpectatorem fecit, qui cùm quadraginta dierum jejunio repurgaſſet animam, ita denuo in ſpelunca, quæ eſt in Horeb, meruit videre Dominum quatenus quidem homini videre datum eſt.*

*Jejun. ad Deum pervenitur.*
*3. Reg. 19. v. 6. v. 8.*
*S. Bonav. ſerm. 4. in Dom. 1. Quadr.*
*Luc. 22. v. 29.*
*S. Baſil. Hom. 1. de jejunio.*

21. S. Bernardinus Senenſis loco ſuperius citato in principio diſcurſus hujus ejuſdem Eliæ Prophetæ, in curru igneo in cœlum evecti, adducit exemplum: *Elias*, inquit, *poſt jejunium raptus eſt in cœlum, & merito, quia gula cœlum nobis clauſit, ſed jejunium nobis illud aperuit.* Verùm quærat hoc loco forſitan aliquis, quâ ratione Elias currum hunc igneum & ardentem mortali carne amictus ingredi non timuit? S. Baſilius inde id factum eſſe dicit, quia nimirum oculos ſuos in cœlum firmiter defixos habebat, *cœleſtis itineris deſiderio accenſus*: At verò melius ad hoc reſpondere poſſumus, dicendo, quod unus ignis, is nimirum, quo is in ſpiritu totaliter accenſus & inflammatus erat, alium quaſi totaliter extinxerit, vicerit, illumque eo ſuperiorem effecerit; unde & diſcipulus ejus inſtanter ab eo petijt, dicens: *Obſecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* S. Ambroſius jejunium multis eximijs extollens elogijs ita hac de re ſcribit: *Jejunium refectio animæ, cibus mentis eſt, remedium ſalutis, radix gratiarum; hoc ad Deum gradu citius pervenitur; hoc gradu Elias aſcendit, antequam curru; hanc hæreditatem ſobrietatis & abſtinentiæ ad cœlum abiens diſcipulo reliquit.* Chryſologus quoque ad propoſitum paulo ante dubium, cur ſcilicet Elias currum igneum adeo intrepidus conſcenderit, ita reſpondet: *Jejunium Eliam levavit ad cœlum, & purificato ſic corpori ignei currus addixit obſequium.* Eumdem quoque effectum abſtinentia in tribus illis in fornacem Babylonicam conjectis, in eaque illæſis permanentibus pueris operata fuit, *ut oſtenderet gehenna, quæ exurit reos, innocuis quàm deſerviat*; ille etenim ignis, qui reis ſupplicium exiſtit, obſequium exhibet illis, qui abſtinentes ſunt & innocentes.

*S. Bern. Senenſ. ſerm. 5 in die Cin.*
*Jejunium Eliæ currus igneus.*
*S. Baſilius.*
*4. Reg. 2. v. 9.*
*S. Ambr. lib. de Elia & jejunio. c. 3.*
*D. Chryſol. ſerm. 166.*



22. In novo quoque Teſtamento hujuſce veritatis, quod ſcilicet abſtinentia ad cœlum introducat, teſtimonium in S. Paulo manifeſtum habemus, qui in tertium uſque cœlum raptus fuit, eo quod antea *erat ibi tribus diebus, & non manducavit, neque bibit.* Et ideo S. Cyrillus Alexandrinus jejunium venerabili hoc nomine honorat, dum illud vocat *amabile regni cœleſtis pignus, æternæ vitæ ſolidum & inexpugnabile firmamentum*: S. Bonaventura inter alios bene multos abſtinentiæ fructus, hunc quoque recenſet, quod ſcilicet *Valet ad meritum gloriæ, tam pro ſeipſa, quam pro virtutibus ſibi connexis; quia quo magis hic nobis de voluptate ſubtrahimus, eo magis & hic ſpiritualibus & illic cœleſtibus delicijs abundabimus.*

*Jejun. ad tertium cœlum rapit.*
*2. Cor. 12. v. 4.*
*Act. 9. v. 9.*
*S. Cyrill. Alex. T. 5. Hom. 21.*
*S. Bonav. de pref. Relig. l. 2. c. 47.*

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Sobrietas & temperantia victûs ad divinorum myſteriorum cœleſtiumque revelationum notitiam nos diſponit, mentem ad Deum elevat, atque ad acquirendam ſapientiam, beneque inſtituendam orationem auxilia præſtat.

## THEMA.

*Vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur.* Luc. 1. v. 15.

1. S. Lucas de ſanctiſſimo venturi Meſſiæ præcurſore tractans, eo ipſo quo ipſum vini abſtinentem futurum fuiſſe aſſerit, ſimul etiam donis & gratijs cœleſtibus replendum eſſe dicit: *Vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur*; quia ad illuſtrationes cœleſtes recipiendas, acquirendamque divinam ſapientiam & viſiones, alioſque cœli favores comparandos, ſobrietas & jejunium optima prorſus eſt diſpoſitio. In cujus veritatis probationem S. Ambroſius textum illum ex Iſaiæ cap. 58. adducit, ubi dicitur: *Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ erunt ſicut meridies requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & erit quaſi hortus irriguus*; Ubi S. Ambroſius ait: *Pingueſcit anima tua, virtuteſq; ejus ſpirituali adipe jejunij, & fructus tui multiplicantur ubertate mentis tuæ, ut ſit in te ſobria ebrietas, ſicut illud eſt poculum, de quo Propheta ait: Et poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt.* Sic enim quotidiana nos docet experientia, quod religioſi qui in continua abſtinentia & temperantia vivunt, ſint veluti naturale centrum, in quo nidificat & quieſcit divina ſapientia, dum ipſorum animas ſpiritualibus replet conſolationibus, ipſoſque viſionibus, revelationibus, illuſtrationibuſque cœleſtibus dignos efficit.

*Jejun. optima diſpoſitio ad cœleſtes gratias.*
*Luc. 1. v. 15.*
*S. Ambroſ. l. 3. Epiſt. 25.*
*Iſaiæ 58. v. 10.*
*Pſal. 22. v. 5.*
*Jejun. Diſcipuli Spiritum Sanctum receperunt.*

2. Spiritus ſanctus tunc ſe in die Pentecoſtes Apoſtolorum cordibus infudit, quando in jejunio & abſtinentia ſimul congregati erant, cujus teſtem habemus S. Bernardinum Senenſem, qui ait: *Apoſtoli jejunantes & orantes, in igneis linguis Spiritum ſanctum acceperunt.* S. Leo pariter hac de re ita ſcribit: *Spiritualis continentiæ diſciplina de magiſterio Paracliti primitus fuit concepta, ut ſanctificatæ jejunio mentes, conferendis ſibi chariſmatibus fierent aptiores.* Ratio autem cur hæc virtus ad plenitudinem & abundantiam Spiritus diſponat, eſſe poteſt, quia dum caro affligitur & ſupplantatur, Spiritus magis magiſque invaleſcit. Unde B. Laurentius Juſtinianus de ſobrietate tractans, ait: *Hæc virtus ad jucunditatem præparat ſpiritualem, nam ſi à carne hoc, quod ei libet, abſcindimus, mox in ſpiritu hoc quod delectat, invenimus.*

*S. Bernardin. ſer. 5. in die Cin. Fruct. 5.*
*S. Leo ſer. 1. de jejun. Pent.*
*S. Laur. Juſtin. in lig. vit. c. 3.*

3. In Rabano Mauro quædam legitur propoſitio, quæ ad propoſitum noſtrum mirè conducit; dum enim in Regulam S. Benedicti commentatur, ita ſcribit: *Per jejunium dona, & cœleſtium myſteriorum occulta, & divinorum ſecretorum homini revelantur arcana.* Similiter Hugo abſtinentiam laudans, dicit: *Eſt magni momenti abſtinentia, qua purgantur vitia, impetratur venia, poſſidetur gratia, reparatur innocentia*; ac tandem ad propoſitum noſtrum ſubjungit: *arcan apateſiunt cœleſtia.*

*Rabanus T. 6. in Com. Reg. S. Bened. c. 4. num. 13.*
*Hugo de S. vict. t. 3. ex miſcel. 2. l. 5. tit. 31.*

4. De S. Anna Propheticiſſa, quam S. Lucas, dum quatuor annis octogenaria major eſſet, Chriſtum videre meruiſſe ſcribit, S. Ambroſius ait: *Jejunijs & orationibus in templo die ac nocte ſerviens Chriſtum agnovit, quem Joannes abſtinentiæ magiſter, & quidam novus terrarum Angelus annuntiavit.* Et ideo S. Auguſtinus in ſermone quodam ad fratres in Eremo exclamat, dicens: *O ſacrum jejunium, tu divina myſteria pandis, quæ ſapientiæ & prudentiæ ſunt, agnoſcis.*

*Luc. 2. v. 37.*
*S. Ambr. l. 3. Ep. 25.*
*S. Aug. ſer. 23. ad frat.*
*Divina pandit myſteria.*

5. Magnam quoque conſiderationem verba illa Pſalmi merentur, quibus dicitur; *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, in terra deſerta, & invia, & inaquoſa, ſic in Sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam*; Hæc enim verba Origenes de jejunio exponit, utpote quod ad recipiendas illuſtrationes & revelationes cœleſtes aptiſſimum eſt inſtrumentum: *Si carnis prudentia tabeſcit, & ſi prudentia carnis extabuerit, ſic in Sancto apperabit.* Et ideo in Collecta quadam quadrageſimali hæc verba leguntur: *Præſta, ut quos jejunia votiva caſtigant, ipſa quoque devotio ſancta lætificet, ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cœleſtia capiamus.*

*Pſal. 62. v. 2. & 3.*
*Revelationes Divinas.*
*Orig. Hom. 4. in c. 6. Iſaiæ.*
*Orat. Fer. 5. poſt. Dom. 4. Quadr.*

6. S. Hieronymus magnas illas domus Nabuchodonoſoris perturbationes & timorem conſiderat, poſtquam enim præfatus Rex terrificum illud & prodigioſum paſſus ſomnium fuiſſet, nec ullus Magorum reperiretur, qui portenti illius ſignificationem elucidare poſſet magnâ in illos indignatione concepta, furere cœpit: *Periclitabantur in Babylone Magi, omnis conjector, & hariolus, & aruſpex cæditur: Daniel autem & tres pueri revelationem merentur jejunio.* S. Baſilius ſimilem ponderationem adducens, dicit: *Quid autem Daniel! quomodo res illas admirabiles vidit?* Deque alijs viſionibus & revelationibus huic regio Prophetæ factis tractans: tandem ſubdit: *An non poſt vigeſimum jejunij diem hoc illis accidit:* Et ideo S. Mater Eccleſia in præfatione quadrageſimali hoc, quod eſt *mentem ad cœleſtia elevare* inter alios jejunij fructus & effectus reponendum eſſe agnoſcit, dum ait: *Corporali jejunio mentem elevas &c.*

*S. Hieron. l. 2. cont. Jovin.*
*Daniel ſomnium elucidavit.*
*Dan. 2. v. 1. & 19.*
*S. Baſilius in Reg. interr. 16.*
*Dan. 10. v. 12.*

7. Naves quæ ab omnibus oneribus vacuæ in mari oberrant, undas illius velocius ſulcant, cum econtra navigia gravi mercium pondere onuſta lentius procedant, ipſius maris fundo & ſcopulis viciniores exiſtant: ita quoque mentes & intellectus eorum, qui jejunijs corpora ſua extenuant, Divinæ contemplationis, bonorumque cœleſtium & æternorum notitiæ capaciores eſſe conſpiciuntur: Unde D. Chryſoſtomus ait: *Quemadmodum leviores naves mare velocius tranſeunt, contra multo onere gravata ſubmerguntur, ita jejunium quidem leviorem reddens mentem, efficit, ut facilius hujus vitæ pelagus tranſmittat, & in cœlum, ac ea quæ in cœlis ſunt, reſpiciat. Jejunium leves animæ pennas producit, ut in ſublime feratur, & ſumma contemplari queat.*

*Corpus jejunijs exhauſtum facilis ſubeat mare ſæculi.*
*D. Chryſoſt. Hom. 1. in Geneſ.*

8. Ad hoc ut aves volare poſſint, alas pennis levibus inſtructas habeant, illaſque explicent, neceſſum eſt: Eodem modo ut anima ſe ad bona cœleſtia erigere, eaque quæ æterna ſunt meditatione aſſequi valeat, de abſtinentiæ expeditiſſimis alis & pennis ſibi proſpiciat neceſſum eſt; Eſtque hæc ſimilitudo, quam S. Baſilius his verbis adducit: *Jejunium noſtris precibus alarum vice fit, quo ſurſum ferantur,* adducitque Pauli in tertium cœlum rapti & elevati exemplum: *Paulum tum alia, tum præcipuè jejunium, quod ſuper afflictionibus ſuis glorians recenſet, in tertium cælum ſubvexit,* ibique eum, ipſomet Apoſtolo teſte, intima & abditiſſima

*Jejun. alas facit leves.*
*S. Baſilius. Hom. 1. de laudibus jejun.*

*1. Cor. 12. v. 4.*

ditiſſima divinorum ſecretorum penetralia introduxit; *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

*4. Reg. 6. v. 6.*

*Jeju. anima in ſublime elevatur ut ferrum Eliſei tempore.*

9. In quarto Regum libro mirum quoddam à S. Eliſeo patratum recenſetur prodigium, quia cum ferrum ſecuris è manubrio elapſum intra aquarum vortices profundos perijſſet, iſque cujus ſecuris illa erat, coram Eliſeo malam ſuam ſortem deploraret, vir Dei ferro confeſtim præcepit, ut è profundo aquarum aſcendens, in earum ſe reciperet ſuperficiem, ſeq; viciſſim in manubrij lignum ultro infereret, quæ *omnia* tunc *in figura contingebant*; per hoc namque ut S.

*S. Ephrem n. 1. p.*

S. Ephrem inſinuat, docemur, quod licet corpus mentem noſtram ut plurimum deorſum trahat & deprimat, attamen idem corpus jejunijs extenuatum ſæpe in ſocietate animæ in ſublime elevatur: atque ad cœleſtium contemplationem promovendam diſponitur, adeo ut nonnumquam in conſortio animæ aliquot cubitis à terra cœlum verſus elevatum, & in aëre ſuſpenſum hæreat: *Lignum aridum ex mandato Eliſei ferrum ſecuris de profundo aquæ extraxit, corpus autem Monachi, quod jejunio exaruit, animam de profundo ſurſum attollit.*

*S. Baſil. in c. 1. Iſaiæ. Intellectus roboratur.*

10. Notat S. Baſilius, quod communiter illi, qui acutiori & perſpicaciori ſunt intellectu præditi, abſtinentes pariter eſſe conſpiciantur: *Qui intellectu præditi ſunt incolumi & firmo, plerumque carnem obtinent macilentiorem, minuſque obeſam.* In cujus probationem

*2. Cor. 4. v. 16.*

verba adfert Apoſtoli, dicens: *Hoc eſt quod ait Apoſtolus, quia quanto homo exterior corrumpitur, tanto interior renovatur, ex copioſo & opimiore alimento, fuliginoſæ quædam exhalationes denſæ nubis inſtar egeruntur, quæ intercipiunt illuſtrationem cœleſtis doctrinæ, natam inſeri mentibus noſtris infuſione Spiritus ſancti.*

*S. Thom. 2. 2. Q. 147. A. 1. Mens ad cæleſtia erigitur.*

11. S. Thomas quiadeo in Deum elevatus fuit, prout ſublimiſſima ejus ſcripta & libri teſtantur, alijs abſtinentiæ effectibus hunc quoque annumerat, dicens: *aſſumitur abſtinentia ad hoc, ut mens liberius elevetur ad ſublimia contemplanda*; adducitque illuſtre illud Danielis jejunium, qui poſt trium ſeptimanarum jejunium magnis illis à Deo ei communicatis revelationibus illuſtratus fuit.

*S. Aug. T. 4. in QQ. de utroque teſtam. 120. Corpus repletum monſtrat hominem qualis ſit.*

12. S. Auguſtinus cauſam exponit, cur jejunium contemplationi tantopere conferat: *Cum anima*, inquit, *ab eſu & potu nimio fuerit liberata, tunc ſe meliùs recognoſcit*; pro cujus elucidatione, ſpeculi ſimilitudine utitur: *Sicut enim in ſpeculo ſordido*, ait, *non ſe talem homo aſpicit, qualis eſt, ita & ſi eſca & crapula fuerit gravatus, alterum ſe ſentit, quàm eſt; tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur ſuperbia, accenditur luxuria; quod ſi temperatum fuerit corpus interpoſito jejunio, cognitione ſui recepta anima, intelligit, quâ devotione obſequi debeat redemptori.*

*S. Bonav. de prof. Relig. l. 2. c. 47.*

S. Bonaventura ad hoc explicandum aliam adhibet ſimilitudinem: *Sicut feneſtra*, inquit, *obſtructa limo obtenebratur, ſic intellectus cibo obrutus obſcuratur*: Et ideo bonorum ſpiritualium intelligentia & ſapientia magnum à ſobrietate & temperantia obtinet ſubſidium.

*Sapientia infunditur Jejun.*

*Gen. 2. v. 10.*

13. Sapientiſſimus mundi hujus creator in Paradiſo, abſtinentiæ virtutè homini præcipere volens, inter omnes alios fructus pomum illud elegit, quod ex ea fuit arbore decerptum, quam arborem ſcientiæ boni & mali appellavit; *Omnia in ſapientia fecit.* Etenim hoc eo potiſſimum fine fecit, ut exinde connexionem, quæ abſtinentiam à cibis & divinorum myſteriorum ſcientiam & ſapientiam intercedit, agnoſcere valeamus; utpote quæ intima eſt, cui deſervit illud, quod de tribus Hebræorum in Babylonia degentibus pueris legitur in ſacro textu: *Pueris his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro*, quæ ſcientia utique à Deo illis infuſa fuerat; *Dedit Deus ſcientiam*;

*Dan. 1. v. 17.*

*Hug. Card. ibid.*

Ubi tamen Hugo Cardinalis ait: *Merito abſtinentiæ dedit eis, ut multa ſcirent proprio ingenio*; Nec mirum ſiquidem omnia opipara & delicata regiæ menſæ fercula repudiabant: *Dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum*, & ideo de Daniele Hugo Cardinalis ait, ipſum utpote curiæ regiæ oraculum Regi ſummè fuiſſe charum & acceptum: *Gratus erat ei Daniel pro ſua venuſtate & ſapientia, & pro virtute ejus & abſtinentia.*

*Magi ſapientiſſimi.*

*Annal. Eccleſ. An. 1. num. 20.*

*S. Hieron. l. 2. cont. Jovin.*

14. In Annalibus Eccleſiaſticis legitur, quod Magi, qui inter veteres gentiles ſapientiſſimi alios docebant, adeo fuerint ſemper ſobrij, ut præter farinam & herbas nihil aliud manducaverint; quod idem S. Hieronymus tradit ſequentibus verbis: *Eubulus quoque qui hiſtoriam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Perſas tria genera Magorum extitiſſe, & horum primos, qui ſint doctiſſimi, exceptâ farinâ & olere nihil aliud in cibo ſumere.*

*Elogia. S. Laur. Juſtin. in lig. vitæ c. 5.*

15. B. Laurentius Juſtinianus libro, cui de ligno vitæ titulus eſt; de ſobrietate fusè diſcurrit, & inter alias, quas ei attribuit laudes, una hæc eſt: *Sobrietas eſt recti judicij tenax, memoriæ recordationiſque inſeparabilis vigor, ſapientiæ & ſecretorum cuſtos, lectionum & doctrinæ capax, ſtudiorum ac artium bonarum diſcipula pariter & magiſtra, ingeniorum & capiendarum rerum pediſſequa.* Enimvero ſacrarum literarum ſtudium præ omnibus alijs ingenij & intellectus purgati perſpicacia ſummè opus habet; at verò quanam ratione hanc aſſequi poterimus? Origenes ait: *Quomodo Scripturis operam dabunt? quomodo ſcientiæ & ſapientiæ ſtudebunt? nonne per continentiam ventris & gutturis?* Id quod S. Hieronymus confirmat, dum ait: *Sapientiæ operam dare non poſſumus, ſi menſa abundantiam cogitemus.* B. Laurentius Juſtinianus eumdem abſtinentiæ effectum, quod ſcilicet ad ſapientiam comparandam plurimum abſtinentia conferat, his verbis indicat: Abſtinentia *os regit & temperat, vir etenim ſobrius ſermones ſuos præcogitat & examinat prius in pectore, quàm proferat in ore*; Et ideo qui olim leges promulgarunt, eaſque ſummo cum ſtudio, ſapientia & prudentia examinarunt & ventilarunt, hujus utique virtutis ſtudioſiſſimi fuerunt; ut proinde S. Ephrem dicat: *Jejunium Prophetas ſuſcitat, legiſlatores ſapientiam docet.*

*Origen. in c. 16. Levitici Hom. 10.*

*S. Hieron. ibid.*

*B. Laur. Juſtin. ibid. cap. 3.*

*S. Ephrem de jejun. t. 1.*

*Jeju. & oratio alæ duæ.*

16. Denique abſtinentiam plurimum ad hoc ſubſidij conferre, ut, quod per orationem à Deo petimus, efficaciter conſequamur, multâ probatione haudquaquam indiget, ſiquidem hunc effectum experientia quotidiana ſatis ſuperque demonſtret. S. Lucas dum de ſancta illa vidua, quæ *non diſcedebat de templo*, hiſtoriam adornat, ut clarius indicet, quàm in oratione, quam ſine intermiſſione faciebat, fervens fuerit & aſſidua, præmittit priùs quod fuerit *Jejunijs & obſecrationibus ſerviens die ac nocte*; Et primo quidem ipſam continuò jejunaſſe dicit, poſtea verò ipſam etiam orationibus incubuiſſe memorat. B. Laurentius Juſtinianus in eodem libro de ligno vitæ, victus parſimoniam cum oratione conjungens, ita ſcribit: *Jejunium & abſtinentia ad orationis elevat ſummitatem, nihil enim ſublimius, nihil potentius homine orante; qui autem orat cum jejunio, duplices habet alas, quibus ad acquirenda cæleſtia ſuſtollitur.*

*Luc. 2. v. 37.*

*B. Laur. Juſtin. ibid. c. 5.*

*S. Bernardin. ibid. fructu. 3. Jeju. & oratione.*

17. S. Bernardinus in eodem ſerm. de jejunio in fructu tertio ſimiliter, quantum jejunium contemplationi conducat oſtendit, & quod dicit, per evidentem experientiam commonſtrat: *Ad perſpicuitatem*, inquit, *& puritatem orationis & contemplationis miro modo diſponit; nonne lectio prædicatio, & oratio jejuno ſtomacho melius capiuntur & exercentur?* S. Ephrem abſtinentiam orationis prodromum & ducem appellat: *Orationes in cœlum dirigit*; & hinc eſt quod oratio tam potenti medio adjuta, ad tribunal uſque Altiſſimi adducit id quod prætendit; Unde Clemens Romanus monet: *Igitur & vos quæ à Deo petitis, jejunando petite.* Quidnam de milite aliquo quantumvis generoſo & imperterrito diceres, ſi illum ad prælium ſine armis procedentem conſpicéres? Quam ſimilitudinem Author imperfecti adducit, dum ait: *Sicut nec miles ſine armis eſt aliquid, nec arma ſine milite, ſic nec oratio ſine jejunio.*

*Omnia petenda.*

*S. Ephrem. de jejun. t. 1.*

*Clem. Rom. l. 5. Conſtit. Ap. c. 19.*

*Auht. imperf. hom. 15.*

*His Daniel liberationem populi obtinuit.*

18. Daniel orationibus ſuis, quibus populi ſui è ſervitute liberationem obtinuit, magnas per jejunium vires ſubminiſtravit: Dicit enim: *Poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in jejunijs.* Ubi Vatablus legit: *Ut compararem me ad orationem jejunando.*

*Dan. 9. v. 3.*

*S. Joan. Climacus in ſcala Parad. gradu. 15.*

19. S. Joannes Climacus ſeriò nos monet, ut verba illa Prophetæ regij: *Ego autem dum mihi moleſti eſſent* &c. bene ponderemus, memoriæque noſtræ tenaciſſimè infigamus: *Dum vivis & ſpiras*, inquit, *adhæreat animo tuo vox dicentis: Ego verò dum mihi (Dæmones inquam) moleſti eſſent, induebam me cilicio, & humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in ſinu animæ meæ adhærebat.*

*Pſ. 34. v. 13.*

*S. Bern. ſer. 4. in Quadr. Individui ſocij.*

20. S. Bernardus, cujus vita continuum quoddam jejunium, & quædam numquam intermiſſa meditatio fuit, in ſermone quodam dicit: *Dicam unum adhuc, quod facile capiatis, ſæpius niſi fallor experti; jejunium orationi devotionem & fiduciam donat, & videquemadmodum ſibi invicem jejunium & oratio ſocientur*; & adducens illam Sapientis ſententiam: *Frater qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma*: ulterius procedit, dicendo: *Jejunium gratiam promeretur orandi, oratio virtutem impetrat jejunandi, jejunium orationem roborat, oratio ſanctificat jejunium, & Domino repræſentat.*

*Prov. 18. v. 19.*

21. S. Au-



Dæmones ejiciunt

*Matth. 17. v. 20.*

*S. Auguſt. ſerm. 65. de Temp.*

21. S. Auguſtinus aptiſſimè pro præſenti propoſito noſtro conſiderat, quod Apoſtoli Spiritus malignos in fugam agere non valentes, defectus hujus virtutis cauſam, mox à cœleſti ipſorum magiſtro perceperint: *Interrogantes audiunt à Domino, iſtiuſmodi genus non poſſe ejici niſi orationibus & jejunijs; videte ergo chariſſimi, quanta ſit jejuniorum virtus, ut id facere jejunia valeant, quod Apoſtoli nequiverunt.*

Omnia impetrantur.

*S. Auguſt. T. 4. in Quadr. vet. Teſt. Q. 120.*

22. Idem quoque S. Doctor optimè conſiderat, quod quotieſcumque Prophetæ rem aliquam efficaciter à Deo impetrare nitebantur, ad jejunium recurrerint: *Sic oſtendit ſe homo velle impetrare, quod poſtulat, cum ſe affligit jejunio; unde dictum eſt: Bona eſt oratio cum jejunio; ut accepta ergo poſſit eſſe oratio, conſortium vult ſecum habere jejunij.*

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Jejunium fundamentum eſt ſanctitatis, quod Sancti viri Dei firmiter, religioſeque obſervantes, plurima in ejus virtute patrarunt miracula.

### THEMA.

*Sanctificate jejunium.* Joëlis 2. ℣. 15.

Jejun. radix omnis perfectionis.

1. DEus olim per Joëlis Prophetæ miniſterium, Hebræis inſonante tubâ jejunij præceptum inſinuare volens, per os ejuſdem dixit: *Canite tubâ in Syon, ſanctificate jejunium*; quod verò in hiſce verbis vel maximè mirandum eſt, in hoc præcipuè conſiſtit, cur hoc verbo, *ſanctificate*, uſus fuerit, numquid enim ſufficiebat dicere: *obſervate, celebrate jejunium?* Rupertus Abbas Tuitienſis, ideo dicit Deum voluiſſe, ut Propheta diceret: *ſanctificate jejunium*, ut ſignificaret ſe dicere voluiſſe, *idcirco ut ſancti ſitis, celebrate jejunium*; nam ut S. Joannes Climacus optimè notat, ſobrietas & temperantia in cibo & potu, unica eſt perfectionis Chriſtianæ baſis & fundamentum; unde dicit; *Quicumque ſe ad religioſam vitam conferunt, omnibus rebus nuntium remittent, omnia contemnent, omnia ridebunt, omnia abjicient, ut præclarum fundamentum jaciant.* Et quidem ut quodnam fundamentum illud ſit, quod pro baſi totius ædificij perfectionis jaciendum eſt, diſtinctius inſinuaret, ſubjungit. *Præclarum fundamentum triplici ſtructura columnaque conſtans eſt, innocentia, jejunium, temperantia.* Ubi notandum, quod jejunio inter innocentiam & temperantiam medium locum aſſignet, idque quia utriuſque virtutis fons & radix exiſtit.

*Rup. Abb. in Joël. c. 2. v. 15.*

*Joan. Climac. in ſcala Par. gr.*

*S. Cyrill. Alex. T. 5. Hom. 7.*

*S. Chryſol. ſerm. 31.*

*Trithem. in c. 4. Reg. S. Bened.*

2. S. Cyrillus Alexandrinus inter alios jejunij fructus, hunc quoque adducit, quod ſcilicet *ad ſanctimoniam præmonſtrat iter.* D. Chryſologus pariformiter dicit: *Jejunium eſt ſingulare ſanctitatis aratrum, parat innocentiæ meſſem.* Trithemius Abbas Spanheimenſis in Regulam S. Benedicti ſcribens, jejunijque excellentias exponens dicit: *Jejunium Chriſti arcem ſcimus eſſe, & caſtrum armorum Spiritus ſancti, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum.* Unde S. Baſilius ingenioſè obſervat, quod omnes quotquot in ſanctitate fuerunt inſignes, ſimul etiam tamquam zeloſiſſimi abſtinentiæ obſervatores magna cum ſobrietate vixerint: *Incontinentia fuit propter quam à Dei præceptis homo primum diſceſſit, contra vero ſancti viri omnes, quotquot umquam fuere, continentiæ laude ſunt commendati.*

Jejunet qui vult eſſe Sanctus.

*S. Baſilius in Reg. fuſ. diſp. 16.*

In lege gratiæ plures ſancti ob jejunium frequentius.

3. Dubitari haud quaquam poteſt quin ſanctitas in lege Evangelica longè magis, quam in veteri Teſtamento efflorеſcat, cujus hæc unicâ ratio eſſe videtur, quod in lege Evangelica longè frequentior & uſitatior ſit abſtinentia, jejuniaque apud fideles legis gratiæ in longè majori rigore obſerventur. Unde S. Cyprianus ait: *Utilitas jejuniorum temporibus Chriſtianis clarius patuit, & à multis frequentata in plurimos ſe effudit; quotquot viros virtutum vidimus, ſine jejunio non legimus aſcendiſſe.*

*S. Cyprian. ſerm. de jejun.*

Protoparentes in Cœlum tranſlati fuiſſent ſi abſtinuiſſent.

*Geneſ. 2. v. 16. & 17.*

4. Deus poſtquam hominem in ſtatu innocentiæ juſtitiæ originalis paludamento exornatum (*Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum*) manibus ſuis plaſmaſſet, ſubito pomi certi generis prohibitionem ei inſinuando, præceptum illi intimavit abſtinentiæ: *De omni ligno Paradiſi comedes; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas?* nimirum ut illud adeo ſublime ab eo erectum ædificium, cujus vertex cœlum tangebat empyreum, (quia ſi in illo innocentiæ ſtatu illibatum ſe conſervaſſet, utique à terreſtri in cœleſtem Paradiſum homo immediatè tranſiturus fuiſſet:) in ſua integritate ſtabiliter ſartum tectum eſſe faceret, jejunium illi ſtabilis fundamenti loco præſcribere voluit. S. Bonaventura jejunium honorabili hoc epitheto decorare voluit, dicendo: *Credimus jejunij arctitudinem, velut abſtinentiæ culmen Evangelicæ, perfectioni ſtructuræ non modicum præſtare munimen.*

*S. Bonav. in Apol. paup. c. 3.*

Jejun. remedium vitiorum.

*S. Bern. ſerm. in vig. S. Andreæ.*

5. S. Bernardus in ſermone quodam in vigiliam S. Andreæ, ad ſtolam conſcientiæ noſtræ immaculatam conſervandam, ita nos hortando, alloquitur: *Beati, qui ſtolam ſuam, dico autem gloriam conſcientiæ ſuæ ſoliciti ſunt omni tempore conſervare immaculatam*; ac demum quo id medio aſſequi valeamus, paulò poſt inſinuat, dicens: *Sed quia pauci ſunt, qui ſic omni cuſtodiâ ſervent cor ſuum, pauciores autem (ſi tamen vel pauciores) qui in omni ſanctimonia conſervent illud, neceſſè eſt frequenti abſtinentiâ maculas diluere ſubintrantes.*

Jeju. præſcriptum ante Paſcha ut ſanctitatis fundamentũ.

6. Neſcio an umquam ad antiquum illum, & hactenus à tot ſæculis receptum uſum vos reflexeritis, quo ſancta mater Eccleſia, ut ſuos fideles per communionem annuam cum eo qui Sanctus Sanctorum eſt, efficaciter conjungat, eoſdem per jejunij præceptum impoſitum coërcere ſolet, idque per ſolidos ſeſe immediatè conſequentes quadraginta dies, in quorum fine nos per jejunium iſtud mundatos & ſanctificatos eſſe ſupponens, ad ſolemne illud nos vult accumbere convivium, quod omnibus ratione utentibus ſine ulla diſcretionis differentia præſcribit. Porro in prima die cinerum omnes illis Joëlis Prophetæ verbis exhortatur: *ſanctificate jejunium*; ac demum in prima Dominica Deum collecta ſequenti invocat, dicendo: *Deus qui Eccleſiam tuam annuâ quadrageſimali obſervatione purificas*; Et in alia quadam Collecta dicit: *Da quæſumus omnipotens Deus, ut ſacro nos purificante jejunio, ſynceris mentibus ad ſancta ventura facias pervenire.* Unde patet, quod eccleſia jejunium ſemper tamquam ſanctitatis & purificationis animæ venerata fuerit aptiſſimum inſtrumentum.

*Orat. 1. in Fer. 6. poſt. Dom. 2. Quadr.*

Ut digne paſchale ſacramentum ſumatur 40.ma deſignata.

7. Enimvero Chriſti jejunium immediatè poſt Epiphaniam, ſeu poſt ejus baptiſmum cœptum fuit, tunc enim ſubito ſeſe in deſertum pro hoc quadrageſimali jejunio ordiendo ſubducere cœpit, ac proinde ut nos ejus actionibus perfectè conformaremur, tunc jejunium noſtrum ſuum merito deberet ſumere exordium: quo igitur myſterio Eccleſia illud in moderno tempore uſitatum uſque tempus differri ſtatuit? D. Chryſoſtomus ait: *Propterea majores etiam noſtri jejunij ſtudium extenderunt, ac pœnitentiæ nobis certum tempus aſſignarunt, ut ubi nos expurgaverimus, omneſque ſordes abſterſerimus, ita demum accedamus.* Eamdem quoque obſervationem alibi in ſermone quodam, cujus titulus eſt: *In eos qui Paſcha jejunant: invenio: Dicit enim: Quam igitur ob cauſam jejunamus per hos dies quadraginta? Cum intelligerent Patres, quantum ex temerario acceſſu detrimenti caperetur,* (id eſt, ex indigna ſacræ communionis perceptione) *convenienter quadraginta dies jejunij, precum, auditionis Verbi Dei deſignarunt, ut diligenter expurgati, ita pro captu noſtro cum conſcientia pura accedamus.* Ubi notandum quod Eccleſia neceſſarium eſſe duxerit, ut jejunium orationi & auditioni Verbi Dei præmittatur.

*D. Chryſoſt. T. 3. Hom. in Seraph.*

*Chryſoſt. T. 5. ſer. 52.*

*Matth. 4. v. 1.*

*Luc. 4. v. 14.*

8. In S. Matthæo de Salvatore noſtro dicitur: *Jeſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu*; In S. Luca autem, qui eamdem deſcribit hiſtoriam, dicitur: *Egreſſus Jeſus in virtute ſpiritus*; Circa quæ duo loca obſervandum eſt, quod quando ad jejunandum ingreſſus eſt deſertum, tantum dicatur: *Ductus à ſpiritu*; at verò quando inde exivit, dicitur: *In virtute ſpiritus*: cujus hoc eſt myſterium, quia quando, poſt expletum rigoroſiſſimum quadraginta dierum jejunium, ex deſerto egrediebatur, mox manifeſta & evidentia edidit ſanctitatis ſuæ indicia, prædicationem ſuam laborioſiſſimam ordiendo, fundando ſuper duodecim Apoſtolorum columnas nobilem illam Eccleſiæ fabricam, prodigioſa operando miracula, novamque & Evangelicam gratiæ Legem quaquaverſum promulgando.

Poſt jejuniũ Chriſtus manifeſte operatus miracula.

Jejunium veſtis.

*Pſalm. 68. v. 11.*

*S. Ambr. l. De Elia & jejun. c. 4.*

*Gen. 3. v. 7.*

9. Jejunium ut S. Ambroſius obſervat, à regio Propheta Davide veſtimenti nomine appellatur. *Operui*, inquit, *in jejunio animam meam*; Veſte nimirum quæ tegit & cooperit animam, ad primos etenim parentes noſtros alludere videtur, qui ſubitò ut impoſitum illis abſtinentiæ præceptum fuere tranſgreſſi, ut Moyſes ait: *cognoverunt ſe eſſè nudos*; ſed numquid iaipſum quoque antea ſciebant, mox ut creati fuerunt, & quando illum deliciarum locum nudis omni-

*Manſi Biblioth. Tom. I.*



no

no corporibus obambularunt? *Circumſpice diligenter*, inquit idem Sanctus Doctor, *nudum te aſpicis, quem veſtitum putabas; gula ergo nudos facit, jejunia operiunt etiam exutos; Unde David ait: Operui in jejunio animam meam:* Veſtis igitur primorum parentum noſtrorum, candidaque innocentiæ & juſtitiæ originalis ſtola abſtinentia & jejunium erant.

Jejunio dæmones expelluntur.

10. Verum enimvero ad quem uſque ſanctitatis apicem nos temperantia & ſobrietas evehat, clarius & evidentius ex eo, quod in S. Matthæo ſcriptum reperitur, eluceſcet. Etenim Parentes Dæmoniaci illius Lunatici, qui ſe frequenter in aquam & ignem conjiciebat, miſerum hunc hominem ad Chriſtum adducentes, dixerunt ei: *Obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum*; Benigniſſimus autem Dominus noſter eum apprehenſum ſubitò ſanavit; Unde admirati diſcipuli cœleſtem magiſtrum ſuum interrogarunt, dicentes: *Quare nos non potuimus curare illum?* qui reſpondit eis: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, niſi in oratione & jejunio.* Circa quam hiſtoriam mox quæſtio exurgit, cur incarnata illa ſapientia non potius neceſſarium eſſe dixerit, ut ipſimet obſeſſi, ſi à ſpiritibus illis liberari vellent, jejunijs corpora ſua affligerent, maximè cum, ut ſuo loco videbimus, abſtinentia præpotens quædam ſit adverſus infernales inimicos armatura? Nequaquam, inquit Chriſtus, ita ſe res habet, ſed potius illis, qui poteſtate & authoritate Dæmonibus, aliorum corpora obſidentibus, prævalere contendunt, opus eſt, ut ſe prius per jejunia ſanctificent. S. Ambroſius Chriſtum hoc loquendi modo indicare voluiſſe dicit, quam ſit virtus abſtinentiæ & jejunij ſublimis & eminens, utpotè quæ etiam ad animas & corpora aliorum ab inferni titionibus emundanda copioſe tranſmittitur: *Mira res*, inquit, S. Doctor, *alter jejunat, & alteri prodeſt jejunantis utilitas.*

*Matth. 17. v. 15.* — *ibid. v. 19.* — *ibid. v. 20.* — *S. Ambr. ſerm. in Fer. 5 poſt Dom. 1. Quadr.*

A Jejunio debilitas fortę fundamentum.

11. Quænam obſecro cauſa eſt, quod Sancti, qui adeo in ſe infirmi & debiles ſunt, apud Deum nihilominus adeo ſint potentes & fortes? Si cauſa debiles ſunt, quâ ratione fortes eſſe poſſunt? Nimirum ſimul debiles ſunt & fortes, debiles quidem, quia per abſtinentias & jejunia ſunt extenuati, & tamen fortes & validi propter miracula, quæ patrarunt; Quærit ferè idem prorſus Salvianus his verbis: *Quæris quiſquis ille es, qua ratione infirmi ſunt Sancti Dei? Reſpondeo breviter, quia ideo ſancti viri infirmiores ſe eſſe faciunt, quia ſi fortes fuerint, ſancti eſſe non poſſunt?* quibus verbis debilitatem & infirmitatem ipſorum omnis ſanctitatis baſim & fundamentum eſſe declarat, Econtra verò inquit: *Opinor omnes omnino homines cibis ac poculis fortes eſſe, infirmos autem abſtinentia & aviditate jejunij.*

*Salvian. l. 1. de gubern.*

Jejun. S. Joannes.

12. Quis Joannis Baptiſtæ ſanctitatem umquam adæquavit? de quo Chriſtus ipſe ait: *Inter natos mulierum non ſurrexit major*; Hic autem *Præcurſor*, ut S. Hieronymus ſcribit, *Locuſtis alitur & ſylveſtri melle, non carnibus.* De eodem quoque S. Baſilius dicit: *Joannis Baptiſtæ vita quid aliud erat, quam unicum & perpetuum jejunium? ideo inter natos mulierum non extitit major illo.*

*Matth. 11. v. 11.* — *S. Hieron. lib. 2. cont. Jovin.* — *S. Baſil. Hom. 1. de jejun.*

13. S. Paulus ex perſecutore Eccleſiæ factus fuit Apoſtolus, & quia Ananias ad lupum hunc domi ſuæ recipiendum invitus erat, ipſamet æterna veritas illi de eodem dixit: *Vas electionis eſt mihi iſte*; Imo hoc elogio non contentus Deus, ipſum ad ſe rapuit in Paradiſum, divinaque arcana itidem ei revelavit; Nec mirum quod tot à Deo favoribus cæleſtibus præventus tantamque ſanctitatem aſſecutus fuerit, ſiquidem *erat ibi tribus diebus, & non manducavit neque bibit.* Et ideo S. Baſilius ait: *Paulum præcipuè jejunium quod ſuper afflictionibus ſuis gaudens recenſet, in tertium cælum ſubvexit.*

*Act. 9. 15.* — Paulus in cœlum raptus. — *Act. 9. v. 9.*

Elias cæteris ſanctior jejun.

14. Enimvero ex quo miracula quæ patrantur, utplurimum ſigna ſunt manifeſta ſanctitatis in eo qui illa patravit, per adductas ſanctorum Patrum auctoritates, donum iſtud Sanctis præcipuè ex ſpeciali jejunij merito communicatum fuiſſe oſtendemus. Eccleſiaſticus de Eliæ prodigijs loquens, ita ait: *Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter, ſic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis; & quis poteſt ſimiliter ſic gloriari? Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis;* Imò in univerſo ſacrarum litterarum volumine ad illud uſque tempus nemo uſpiam fuiſſe ſcitur, qui miraculum aliquod patraverit, ſimile illi quod ab Elia patratum eſſe legitur; Unde mater filij reſuſcitati meritò dixit: *Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu.* S. Baſil. autem idipſum jejunijs ipſius attribuit; *Jejunans*, inquit, *viduæ filium ſuum reſtituit, adverſus etiam ipſam mortem robuſtus factus per jejunium:* Et quidem cum mors ob ſolam gulam in hunc mundum ingreſſa fuerit, quid mirum ſi mediante jejunio agatur in fugam? *Vox ab ore jejuno proficiſcens* (inquit idem S. Baſilius) *populo transgreſſori clauſit cælum.*

*Eccleſiaſt. 48. v. 3. & 4* — *3. Reg. 17. v. 22.* — *S. Baſil. Hom. 1. de Jejun.*

Miracula recenſentur ab Elia per jejunium facta.

15. Porro S. Ambroſius in lib. de Elia & jejunio in abſtinentiæ ſive jejunij laudes præ cæteris fuſius excurrere videtur: *Eliæ jejuno ore vox emiſſa cælum clauſit ſacrilego populo Judæorum, dignum etiam ut ad viduam in Sareptam Sidoniæ mitteretur, quæ quoniam devotionem cibo prætulit, meruit, ut ariditatis publicæ ſola non ſentiret ærumnam; Jejunus filium viduæ ab inferis ſuſcitavit; jejunus pluvias ore depoſuit; jejunus ignes de cælo eduxit; jejunus curru raptus eſt ad cælum; quadraginta dierum jejunio divinam acquiſivit præſentiam; tunc denique plus meruit, quando plus jejunavit; jejuno ore ſtatuit fluenta Jordanis, & redundantem fluminis alveum repente ſiccatum pulverulento tranſmigravit veſtigio.*

*S. Ambr. l. de Elia & Jejun. c. 2.*

Item trium puerorum ac Danielis.

16. Tres illi pueri Hebræi in Babylonicæ fornacis flammas fuere conjecti; Daniel pariter non ſemel, ſed ſæpius lacui leonum famelicorum incluſus fuit, & tamen tam hic, quam illi per miraculum manſere illæſi; Qua de re S. Ambroſius in Epiſtola quadam ita ſcribit: *Qui in aula regia paſcebantur jejunio, alebantur tamquam in deſertis cibo aſpero potuque obvio, merito regij ſervuli Regi prævaluerunt, & captivitatem decuſſo jugo contempſerunt, poteſtate ſubegerunt, elementa vicerunt, naturam ignis extinxerunt, hebetarunt flammas, obtuderunt aciem gladij, ſtrinxerunt leonum ora;* Neque idipſum Sanctus hic Archiepiſcopus inadvertenter ſcripſiſſe cenſendus eſt, utpote qui id ipſum in eadem Epiſtola paulo ante repetiverat, dicens: *Daniel & Hebræi pueri panis cibo & aquæ potu ille furorem leonum repreſſit, iſti ardentem ignem innoxio videre tactu circa membra ſua paſci.*

*S. Ambr. l. 3. Ep. 25.*

Jejunus populus mare tranſivit.

17. Idem quoque Sanctus Doctor populum Hebræum jejunum tunc fuiſſe obſervat, quando undis maris rubri in aggeres & munimenta condenſatis, idem ille Hebræorum populus mare rubrum ſiccis pedibus tranſivit: *Patres noſtri cum mare tranſirent pedibus, aquam, non vinum bibebant*; Quod idem in libro de Elia & jejunio iterum repetendo his verbis dicit: *Jejunium maris fluenta ſolidavit.* Hebræi namque eo tempore quo ex Ægypto feſtinanter migrarunt pro coquendis panibus tempus non habebant, ſed ſolam ſecum farinam deportarunt: *Jejunium petram ſolvit in fontes aquarum*; ſitis autem illa qua aridæ eorum fauces tunc cruciabantur, abſtinentiæ & jejunij ſymbolum quoddam fuit; *Virtute jejunij contra ſuam mutata naturam, & fluctus obriguit, & petra inundavit.*

*S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 7.* — De petra aquam eduxit.

18. In hujus utique veritatis fide & agnitione ſolidius ex Hiſtoria quadam omnibus paſſim nota confirmabitur, quam Sacra Scriptura de Propheta illo refert; quem Deus ad Jeroboam reprehendendum miſerat, utpote qui ex humanæ Politicæ motivo, à cultu veri Dei declinans, ne populus ille Jeroſolymam orationis cauſa ad templum difflueret, duos vitulos ex ære fuſos, in Dan & Bethel erexerat; Cumque hunc Dei ſervum extenſa in eum manu, ut captivum faceret, apprehendiſſet, indeque fieret, ut temeraria ejus dextera ſubitò exareſcens obrigeſceret, revocatâ ſententiâ eum rogare coactus fuit, ut Deum pro reſtituendo exareſcenti brachio vigore ſupplex exoraret: *Oravit vir Dei faciem Domini, & reverſa eſt manus Regis ad eum, & facta eſt ſicut prius fuerat:* de quo tamen Propheta verè dici potuit, quod Hebræi increduli Salvatori noſtro in crucis patibulo ſuſpenſo per deriſum dixiſſe leguntur, nimirum: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere*; etenim virtus illa miraculorum in ipſo ſubitò evanuit, utpote qui paulo poſt avidis famelici cujuſdam leonis faucibus ceſſit in prædam, ab eoque devoratus fuiſſe legitur; Sciſne funeſti hujus Prophetæ exitus cauſam? non ob aliud id ei accidit, niſi quia divino præcepto illi impoſitam abſtinentiam & jejunium tranſgredi non dubitavit: *Quia non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reverſus es & comediſti panem, non inferetur cadaver tuum in ſepulchrum Patrum tuorum*; De quo proinde S. Hieronymus ita ſcribit; *Qui jejunus miracula fecerat, pranſus illico ſaturitatis pœnas luit.*

*3. Reg. 13.* — Hiſtoria ſacra de jejunio & ejus tranſgreſſione. — *3. Reg. 13. v. 6.* — *Matth. 27. v. 42.* — *3. Reg. 13. v. 21. & 22.* — *S. Hier. l. 2. cont. Jovin.*

DISCUR-



## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Per jejunium eradicantur vitia, eoque mediante Moyſes legem Dei recepit, ad cujus etiam obſervantiam efficaciter cooperatur, omnes nobis virtutes inſerendo, aliaque bona communicando, interque illa Pacem præcipuè, & tranquillitatem publicam.

### THEMA.

*Corporali jejunio vitia comprimis, virtutem largiris.* S. Bern. infra.

Jejunio extirpantur vitia.

1. Sancta Mater Eccleſia criminum abolitionem, acquiſitionemque Chriſtianarum virtutum jejunij meritis audacter attribuit, ſiquidem in præfatione quadrageſimali inter cætera hæc habet: *Corporali jejunio vitia comprimis, virtutem largiris.* S. Bernardus in quodam ſermonum ſuorum, quos de modo benè vivendi ſcripſit, pro noſtra inſtructione ita loquitur: *Abſtinentia ædificat in anima virtutes, & deſtruit vitia corporis.* Rabanus de vitijs nobis prædominantibus ſpecialius & diſtinctius ſcribens, ait: *Jejunio vires vitiorum, franguntur.* S. Joan. Climac. effectus quos abſtinentia in extirpatione peſtiferi illius lolij operatur, clarius ſpecificat, dum ait: *Jejunio ſuavitas gulæ coërcetur, flamma carnis extinguitur, cogitationes malæ exſcinduntur, inſomnia tolluntur.*

*S. Bern. ſerm. de modo benè vivendi c. 24* — *Raban. T. 6. in Com. in Reg. S. Bened. c. 4. n. 13.* — *S. Ioann. Climac. in ſcala Parad. gr. 14.*

Vetus homo exuendus.

2. Monet S. Apoſtolus Neophytos Coloſſenſes, ut veterem hominem exuentes, novum induant: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum*; hæc autem veteris hominis veſtimenta non ſunt alia, quam vitia & inordinati appetitus à primo homine contracti, ac demum in univerſam transfuſi progeniem humanam; Prius enim dixerat: *Deponite iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro; nolite mentiri invicem*; ac tum ſubjungit: *Expoliantes vos veterem hominem*; at vero difficultas potiſſimum in modo hunc veterem hominem exuendi conſiſtit; pro quo tradendo S. Cyrillus Jeroſolymitanus quamdam ſerpentis ſimilitudinem adducit, qui veteribus ſe exuvijs exonerare volens, duos inter lapides anguſtum tranſitum habentes exerit: *Quilibet ſerpens in anguſtum intrans deponit ſenectutem, & vetuſtatem per extruſionem exuit, corporeque denuo toto renovatur: ſic & tu intra per anguſtam portam, affligens teipſum per jejunium, expelle tuam perditionem, exue veterem hominem cum actibus ſuis, & dic illud quod eſt in Cantico: Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illa?* D. Chryſol. quoque pluribus in locis veritati huic perhibet teſtimonium; Et quidem ſerm. 31. dicit: *Jejunium eſt ſingulare ſanctitatis aratrum, colit corda, eradicat crimina, evellit delicta, vitia ſubtrahit.* Sanctus Ambroſius ſimilitudinem adducit, ab eo, qui ſola ſpe ſubſecuturæ majoris fertilitatis agrum colere pergit, deductam, *ſicut redditum uberiorem capit, qui frequentius vexando exercet campum, ita majorem gratiam percipit; qui exercet corporis ſui campum, ſæpius jejunando.* D. Chryſologus autem ad eamdem agriculturam alludens, alium quemdam obſervat jejunij effectum, dum ait: *Jejunium evellit vitia, eradicat crimina, ad fructus bonos agrum parat mentis & corporis.* In eodem quoque ſermone gulæ vitium Phræneſin quamdam appellat, atque ad curandam febrim hanc, quæ delirium iſtud efficit, diætam neceſſariam eſſe dicit: *ſi ſe homo taliter ſentit eſſe ægrotum, Medico ſe cæleſti tradat, ſecurè ejus monitis acquieſcat, à cibis ſe temperet, ut poſſit febrim ac phræneſin vitare vitiorum.*

*Ad Coloſſ. 3. v. 9.* — *ibid. verſ. 8.* — More ſerpentis. — *S. Cyrill. Jeroſol. Catecheſ. 3.* — *Cant. 5. v. 3.* — *D. Chryſol. ſerm. 31.* — *S. Ambr. in Fer. 3. poſt Dom. 2. Quadr.* — *D. Chryſol. ſerm. 41.*

Jeju. Moyſes totam legem ſervavit.

3. Eſt porrò certum legem à Deo nobis traditam, tam ſcriptam, quam Evangelicam ad hoc præcipuè ordinari, ut extirpentur ab animabus noſtris vitia eorumque loco virtutes Chriſtianæ inſerantur, ac proinde lex velut quidam viæ dux eſt nobis, qui nos dirigit & ducit, ne fallamur, & aberremus à via ſalutis; Sed cur Deus Moyſen præ omnibus alijs ad legem hanc promulgandam adhibuit? D. Chryſologus poſtquam nobis rigoroſiſſima commendaſſet jejunia, quæ ipſe valde prolixa ſubijſſe legitur, tandem concludit: *Meritò hic talis legem ſancire meruit, qui totum quidquid in homine lex urgere poterat, perfecit*, quaſi vellet dicere: Moyſes qui natura ſua, adeò abſtinens & ſobrius fuit, per tam diuturni & rigoroſi obſervantiam jejunij, omnia illa adimplevit, quæcumque univerſa lex quæ ſexcenta tredecim præcepta tam moralia quam judicialia, cæremonialia & legalia in ſe continebat, jubere poterat; *totum quidquid in homine lex urgere poterat, perfecit.*

*D. Chryſol. ſerm. 166.*



Jeju. legis tabulas dedit.

4. Idem Moyſes Propheta tabulas legis, quas prima vice receperat, ad montis radicem contregit & comminuit, cujus rationem D. Chryſoſtomus his verbis aſſignat; *quas cum jejunio tanto accipere potuit, eas abjectas contrivit, abſurdum eſſe cernens ebrium populum leges à Domino conditas accipere.* Probe namque impoſſibile eſſe ſciebat, ſine ſobrietate legem Dei adimplere, quia lex Dei immaculata gulam ſecum compati nequit; *Moyſes enim*, ut S. Antonius de Padua ait: *Poſt jejunium quadraginta dierum, legem Domini immaculatam convertentem & purificantem animam meruit accipere.* Similem fere obſervationem S. Ambroſius adducit, dum ait: *In ſuperioribus montis lex dabatur jejunanti*, & ſtatim ſubinfert cauſam jam adductam, cur illam contriverit & fregerit, *indignum judicans, ut ebrio populo lex daretur, itaque tabulas legis, quas accepit abſtinentia, conteri fecit ebrietas*; Ubi enim viget jejunium, & temperantia in victu, ibi quoque innocentia, divinorumque præceptorum obſervantia intacta perſeverat.

*Exod. 32. v. 19.* — *D. Chryſoſt. Hom. in Geneſ.* — *S. Ant. de Pad. ſerm. in Dom. 3. poſt Epiph.* — *S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 6.* — Gula confregit.

Jeju. novum novas dedit tabulas.

5. Obſervat S. Baſilius, Moyſen, quando eaſdem tabulas ſecunda vice recepturus erat, corpus ſuum iterato maceraſſe novo quodam jejunio pariformiter auſteriſſimo: *Moyſes ſecundas tabulas in quibus leges erant ſcriptæ, accipere cum vellet, ſecundario jejunio corpus maceravit ſuum.*

*S. Baſil. orat. 5. de jejunio.*

Jeju cunctis antefertur virtutibus.

6. Enimverò laudes quibus ſacri Doctores jejunium commendant, nunc pauliſper examinemus. S. Hieronymus qui Joannem Baptiſtam primum Monachorum ſeu potius Anachoretarum fundatorem fuiſſe cenſet, ita de eodem loquitur; *Præcurſor locuſtis alitur, & ſylveſtri melle, non carnibus: moxque ſubjungit; incunabula Monachorum talibus inchoantur alimentis*; quaſi dicere vellet, menſa Monachorum, qui vitæ perfectionem ſtudioſe ſectantur, & in quibus virtutes Chriſtianæ vel maximè florent, talibus ferculis inſtrui ſolet. D. Chryſologus jejunium ſequentibus elogijs commendat: *Eſt quidem jejunium vitiorum mors, vita virtutum; eſt jejunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ; eſt jejunium robur mentis, vigor animorum; eſt jejunium caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, Civitas ſanctitatis; eſt jejunium ſchola meritorum, Eccleſiaſticæ viæ viaticum ſalutare.* In ſermone 33. idem S. Doctor ad luctam illam reſpiciens quam Lucifer cum Redemptore jejunante ſubivit, dicit: *Senſit, ſenſit Diabolus jejunium cunctis virtutibus anteferri: In Epiſtola ad Romanos dicitur: non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & gaudium, & pax in Spiritu Sancto.* Scio equidem hæreticos hoc textu abuti conſueviſſe ad impugnandum jejunijs deditos, ſed ſiniſtre eumdem pervertunt, quia S. Paulus non dicit, quod regnum Dei non conſiſtat in ſobrietate & temperantia, ſed potius quod nihil commune habeat cum crapula & ebrietate; adeoque verbis illis non abſtinentes, ſed guloſos reprehendere intendit. Et ideo Eſtius prædicta verba in jejunij laudem exponit, utpotè quod in ſe omnes prædictas virtutes in ſe complectitur; Et primo quidem *Juſtitiam, quia per hujuſmodi abſtinentiam, Deo pro peccatis in ipſum commiſſis ſatisfacimus, quod eſt opus juſtitiæ, Pacem, quia per eam ſubjugamus carnem Spiritui, quod pertinet ad veram pacem interiorem; Gaudium Spiritus Sancti, quia per abſtinentiam cibi & potus, mens redditur alacrior ad contemplanda divina, quæ contemplatio verum & ſolidum præſtat gaudium.*

*S. Hieron. lib. 2. cont. Iovin.* — Elogia. — *D. Chryſol. ſerm. 8.* — *D. Chryſol. ſerm. 33.* — *Rom 14. v. 17.* — Eſtius ibid.

7. S. Hieronymus verba illa ejuſdem S. Apoſtoli: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo*, exacto examini ſubjiciens, ita ad Celantiam ſcribit: *Vas electionis Paulus dum caſtigat corpus ſuum, & in ſervitutem redigit, ne alijs prædicans, ipſe reprobus inveniatur, non ob ſolam, ut quidam imperiti putant*, inquit S. Hieronymus, *hoc facit caſtitatem*, moxque hujus ſui dicti rationem reddit, propoſito noſtro omnino aptiſſimam; *non enim huic tantummodo, ſed omnibus omninò virtutibus abſtinentia opitulatur.*

*1. Cor. 9. v. 27.* — *S. Hieron. l. 2. c. fin. Epiſt. 20.* — Jeju. omnes virtutes adjuvat.

8. S. Leo hanc ſobrietatis & temperantiæ virtutem aliarum virtutum appellat cibum; at verò dicet aliquis; Ex quo jejunium & abſtinentia in ſubtractione & privatione cibi conſiſtunt, qua ratione cibus appellari poterit? Cibus eſt nutrimentum, non tamen corporis, ſed animæ & ſpiritus; *ſemper virtuti cibus*

*S. Leo ſerm. de jejun. 10. menſis.* — Nutrimentum animæ.

*D. Chryſoſt. Hom. 1. in Gen.*

*jejunium fuit.* D. Chryſoſtomus quoque ait: *Jejunium animæ noſtræ alimentum eſt, & ſicut corporalis iſte cibus impinguat corpus, ita & jejunium animam habiliorem efficit, & valentiorem.*

Jeju. ut medicina.

*S. Cyrill. Alex. t. 5. Hom. 7. de Feſt. Paſch.*

*Idem Cyrill. ibid. Hom. 1.*

*Hom. 20. de Feſt. Paſch.*

9. S. Cyrillus Alexandrinus illos, qui jejuniis vacant, ſub alluſione medicæ cujuſdam, malos corporis humores expurgantis, alloquens, ita eos exhortatur: *Quid jam aliud nobis reliquum eſt agendum, niſi ut ſenſum virilem induti, purgantium medicamentorum loco, puriſſimum jejunium in noſtros animos admittamus; jejunium inquam, ex quo omnes virtutes progignuntur.* Idem quoque S. Doctor in Homil. 1. de iisdem Feſtis Paſchalibus dixerat: *Nonne jejunium è quo nobis omnia virtutum genera procreantur;* Et in alia quadem Homil. quæ eſt vigeſima de Feſtis Paſchalibus, ait: *Ergo velut omnium cultores virtutum, purum verè ac ſanctum alacres amplectamur jejunium, totius alumnum modeſtiæ, ſanctitatis parentem, corpus inedia cum ſubegerimus, morum quoque probitas & modeſtia neceſſario conſequitur.*

Mater virtutum.

*D. Chryſoſt. Hom. 1. in Gen.*

*S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 8.*

10. D. Chryſoſtomus abſtinentiam Magiſtram appellat omnium virtutum; De jejunio etenim loquens, *Matrem*, illam appellat, *omnium bonorum, & pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium magiſtram.* S. Ambroſius ſimiliter abſtinentiæ magiſterium attribuit virtutes pudicitiæ: *Jejunium*, inquit, *continentiæ magiſterium eſt, pudicitiæ diſciplina, humilitas mentis, norma virtutis, purificatio animæ, miſerationis expenſa, lenitatis inſtitutio, Charitatis illecebra, ſenilis gratia, cuſtodia juventutis: Jejunium eſt infirmitatis levamen, alimentum ſalutis, bonum itineris viaticum, bonum totius vitæ jejunium, ſobrietas mentis eſt.*

Stupendi effectus.

*S. Bonav. de prof. relig. l. 1. c. 47.*

11. S. Bonaventura quoque multos ſalutares refert abſtinentiæ effectus; inter alios autem hunc quoque enumerat: quòd ſcilicet ſerviat *Ad multarum virtutum habilitatem; ſobrius enim agilior eſt ad bonum, caſtior eſt, minus habet invidendi materiam, magis cautus in lingua, promptior ad devotionem, & purior in affectu ad ſapientiam acquirendam, ſenſum magis vigilem facit, & ſubtilem, & memoriam hominis tenacem: item ad aliorum ædificationem, quia qui exteriora noſtra ordinata vident, & temperata conjiciunt, quid de interioribus æſtimant quæ non vident;* Multum quoque inquit idem Seraphicus Doctor, ad tollendam ſolicitudinem ſervit, & conceptam de bonis hiſce terrenis anxietatem: *Quia qui modico contentus eſt, modica habet providere.*

Jejunij bona.

*B. Laur. Juſtin. lig. vit. c. 3.*

*B. Laur. ibid. c. 5.*

12. B. Laurentius Juſtinianus multa bona à ſobrietate derivantia recenſet, dicens: *Præparat ad munditiam, cavet Dei offenſam, vigilantiam ſervat, miniſterio Dei idoneum efficit, aufert Diabolo ingreſſum in hominem, concupiſcenti carni contra ſpiritum victualia aufert, hominem cuſtodit, honorabilem reddit.* Idem quoque ſanctiſſimus Patriarcha cap. 5. ejusdem libri alios utiliſſimos ejusdemmet virtutis exponit effectus, *Eſt enim*, inquit, *bonæ famæ ſemper auctrix, in cogitationibus ſalubria atque utilia creans, virtutis ſingulare auxilium, cuncta cum ratione diſponens.* Et in eodem capite paulò poſt proſequitur, dicens: *Hæc virtus in animo ſe poſſidentis concupiſcentias frænat, affectum temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, confuſa ordinat, cogitationes pravas removet, ſanctas ingerit, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, mentem placida tranquillitate componit, atque totam ab omni tempeſtate vitiorum defendit.*

Alij adhuc fructus.

*S. Greg. l. 6. Regiſt. Ep. 29. Pſ. 50. v. 4.*

*S. Baſil. orat. 2. de laud. jejun.*

13. Gregorius Magnus alium quemdam ex cibi temperantia emanantem fructum recenſet, pacem nimirum, dum enim verba illa Pſalmiſtæ: *Laudate eum in tympano & Choro*, exponit, ita ſcribit: *Neceſſè eſt, ut Salvatoris noſtri gloria in nobis juxta vocem Pſalmi reſonet, & in tympano & in Choro laudetur; In tympano enim ſonus ex pelle ſicca eſt, in Choro verò vocum concordia;* quaſi dicere vellet, tunc in vobis concordia, unio, & pax erit, ſi in vobis abſtinentia prædominata fuerit: *Quid igitur per tympanum*, inquit idem S. Doctor. *niſi abſtinentia, quid per Chorum, niſi unanimitas deſignatur? quia ergo per abſtinentiam Dominum laudatis in tympano, peto ut per unanimitatem laudetis in Choro.* Atque hinc eſt, quod S. Baſilius quoque ſummam in Republica aliqua pacem & tranquillitatem vigere notat, quando inibi ſobriè & temperatè ab omnibus vivitur: *Jejunium*, inquit, *totam civitatem ad tranquillitatem componit, conſopit clamores, ſedat lites, convitijs imponit ſilentium;* adducitque petitam à Ludimagiſtro ſimilitudinem, quamprimum enim hic coram ſcholaribus in ſchola compareat, omnis qui antea fuerat ſcholarium ſtrepitus atque tumultus compeſcitur, & in modeſtiam convertitur; *cujus magiſtri interventu puerorum ſtrepitum tam ſubitò compeſcit, quam jejunium obiter exoriens civitatis tumultus coërcet? Quis comeſſator prodijt à jejunio? quis umquam Chorus laſciviens à jejunio conſtitutus eſt? Teneri riſus, cantiones meretriciæ, inſanæ inſultationes ſubitò effugiunt à civitate, & à jejunio tamquam ab auſtero quodam judice in exilium actæ.*

Jejun. ad cœleſtem revocat patrem.

*Luc. 15. v. 12.*

*D. Chryſol. ſerm. 2.*

14. Filius ille prodigus totam paternam domum conturbavit & commovit, quando tanta cum arrogantia Patrem ſuum aggrediens, eidem dixit: *Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit:* at verò reſipiſcens, & ad ſinceram perductus animi pœnitudinem, turbatum cor Patris priſtinæ demum ſerenitati adeò perfectè reſtituit, ut jubilus & exultatio inter vocum & inſtrumentorum muſicorum ſymphoniacas harmonias ubique perſonaret, & impleret omnia. Unde D. Chryſol. ait: *Fames revocat, quem ſaturitas exulem effecerat, fames illi Patrem dedit ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem.*

Quid fames ſit jejunium docet.

*Luc. 16. v. 19.*

15. Quot quotidie in aliqua bene ordinata Republica ex gula & impietate avarorum divitum oriuntur perturbationes & periculoſarum ſeditionum motus, dum ferrea egenis & pauperibus viſcera exhibent? at verò jejunium ſolum efficit, ut digna ac debita erga pauperes moveantur compaſſione. Valde tritum eſt apud omnes proverbium, quo dici ſolet, ſatur famelico lamentanti fidem non adhibet; at vero dum dives jejunando famis incipit experiri inediam, compati diſcit illis, qui ab eo mucidi panis depoſcunt eleëmoſynam. Cur obſecro dives ille epulo Lazaro, erga quem ipſi etiam canes pietatem exhibere non omiſerant, ne vel unicam è menſa ſua delapſam micam pro ejus refocillatione dari volebat? ideò nimirum, ut D. Chryſoſtomus opinatur, quia is per jejunium, famis acerbitatem expertus numquam fuerat, adeo quidnam abſtinentia eſſet, penitus ignorabat; Sacer enim textus non ſolum dicit, quod *epulabatur ſplendidè*, verum etiam addit, *quotidie.*

Alia jeju. Commoda.

*D. Chryſoſt. Hom. 1. in Gen.*

*S. Ephrem. de jejun. t. 1.*

16. D. Chryſoſtomus in Homilia quadam, quæ eſt prima in Geneſim, præter ſupradictos fructus, multa alia jejunij commoda & bona recenſet, Dicit enim: *Jejunium eſt animarum noſtrarum tranquillitas, ſenum decor, adoleſcentum pædagogus, continentium magiſter, quod omnem ætatem & ſexum, quaſi diademate quodam ornat.* S. Ephrem inter alias quas jejunio laudes attribuit, hanc quoque recenſet: *Jejunium bona civitatis lex, forique moderator atque tranquillitas.*

## DISCURSUS IX.
## ARGUMENTUM.

In virtute jejunij victoria adverſus ſenſualitatem reportatur, ipſeque Spiritus carni principatur.

### THEMA.

*Sicut in die honeſtè ambulemus, non in commeſſationibus & ebrietatibus.* Rom. 13. ℣. 13.

Ubi non eſt abſtin. ibi nec caſtitas.

*S. Bruno ad Rom. 13.*

*Ad Epheſ. 5. v. 18.*

1. S. Bruno Carthuſianorum inclytus Patriarcha, qui tanto erga abſtinentiam zelo ſemper affectus fuit, ut Religioſos ſuos, voto carnes non manducandi perpetuo abſtringere non dubitarit, hic inquam præcitatum in themate textum exponendo, S. Paulum nequaquam victum moderatum, & ſobrium, ſed ſuperfluitatem & exceſſum tantum prohibuiſſe obſervat: *Nonne audis, quod & Apoſtolus non neceſſaria, ſed ſuperflua interdicit? Comeſſationes enim, ebrietates, & carnis curam, non in neceſſitatibus, ſed in deſiderijs & voluptatibus ſuperflua ſunt; Ubi abſtinentia non eſt, ibi caſtitas & honeſtas eſſe non poſſunt;* Adducitque Noë Patriarchæ exemplum, qui cum de fructu plantatarum ab ipſo vitium ſuperflue bibiſſet, ab ebrietate abſorptus dormiendo turpem ſuam oſtendit nuditatem: *Ecce*, inquit, *verenda, quæ ſemper operienda ſunt, ebrietate manifeſtantur;* Et ideo Apoſtolus ait: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.*

Jeju. via ad caſtitat.

*S. Ambr. l. de Elia & Jejun. c. 3. S. Joann. Climac. in ſcala Parad. gr. 14.*

*S. Hier. l. 2. cont. Jovin.*

2. S. Ambroſius in lib. de Elia & jejunio, jejunium caſtitatis fulcrum & fundamentum eſſe teſtatur; *Fundamentum eſt caſtitatis.* S. Joannes Climacus oculos ſuos in ſcalam ſuam per quam in cœlum aſcendimus, dirigens, ita ſcribit: *Lata & ſpatioſa via eſt Veneris, quæ ad interitum luxuriæ deducit, & multi ſunt qui intrant per eam; quam anguſta & arcta eſt via abſtinentiæ, quæ ducit ad viam caſtitatis, & pauci ſunt qui intrant per eam.* S. Hieronymus contra Jovinianum



vinianum jejunij hoſtem ſcribens, quinam illi ſint, qui carnes pro vitæ conſervatione neceſſarias eſſe aſſerunt, his verbis oſtendit: *Illi arbitrantur carnes ſanitati congruas, qui volunt abuti libidine, & in cænum demerſi voluptatum, ad coitum ſemper exæſtuant.* Notandum quoque eſt, cum qua phraſi S. Leo de jejunio quadrageſimali, quo ſancta Dei Eccleſia fideles ſuos mundare & ſanctificare contendit, tractans, illud ſpecialiter circumſcribat; Dicit enim: *Magna divinæ inſtitutionis ſalubritate proviſum eſt, ut ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & jejunia caſta decoquerent.*

*S. Leo ſerm. 4. de Quadrag.*

*D. Chryſol. ſerm. 8.*

Jejun. Caſtitatis propugnaculum.

3. D. Chryſologus aliud jejunio nobile epithetum attribuit, dum ait: *Eſt jejunium caſtitatis murus pudicitiæ propugnaculum.* Non eſt quod miles timore concutiatur, quam diu intra muros & mœnia aliaque propugnacula inexplicabilia ab inimicorum telis, & inſultibus defenditur, ſiquidem nihil præter crudelem famis inediam cum ad ſui poteſt deditionem adigere; Etenim inter eos milites, qui pro civitatibus & munimentis materialibus defendendis & conſervandis dimicant, & alios ſpirituales præliatores, qui pro animæ & cordis ſui munditie & puritate conſervanda ſtrenuè decertant, hæc eſt differentia, quod dum illi per famem vincuntur, alij econtra per famis, afflictionem & inediam triumphent, & id quidem tanto glorioſiùs faciunt, quanto majori ſe abſtinentia & fame conficiunt & emacerant, dum modò illa à diſcretionis regula dirigatur & gubernetur; *rationabile ſit obſequium noſtrum.*

*Ad Gal. 5. v. 17.*

*S. Baſil. ora. 2. de jejunio.*

Jejun caro domanda ut ſpiritui ſubjiciatur.

*S. Cypr. ſerm. de jejun. & tentat.*

4. Porrò continuum quoddam, nec umquam intermiſſum in nobis patimur certaminis conflictum: *Caro concupiſcit adverſus Spiritum & Spiritus adverſus carnem;* Unde S. Baſilius ait: *Scis quod caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem?* Ac demum ne Spiritus vincatur, ſed carne ſemper ſuperior remaneat, nec illa umquam prævalere adverſus Spiritum poſſit, ſequens nobis inſinuat potens remedium: *Itaque cum hæc ſibi invicem adverſentur, ſubtrahamus carni voluptatem, augeamus animæ robur, ut per jejunium collectis viribus ad ſuperandas concupiſcentias, coronis abſtinentiæ repoſitis cingamur.* Dum exercitus Turcicus ad civitatem quamdam obſidendam & expugnandam ſe parat, tunc communiter ſi in civitate tali obſidenda, mancipia quædam Turcis alias crepta moram trahant, prima de illis cura habetur, ut compedibus vinciantur & manicis ferreis, ne aliquod inimico urbi imminenti præſtare poſſint ſuppetiarum ſubſidium: Enimvero truculentiſſimus, quem intra corporis noſtri membra fovemus, hoſtis, ſenſualitas & caro noſtra eſt, quam proinde, ne adverſus Spiritum arma capiat, neceſſario caſtigare & macerare per jejunia, perque abſtinentiam cibique frugalitatem extenuare debemus. Nam S. Cyprianus poſtquam de jejunio dixiſſet: *Omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ ſpoliat & exarmat:* protinus ad ſimilitudinem & metaphoram ſupradictam alludens ſubjungit: *Jejunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos diſtringit & ligat.*

*S. Aug. in Pſalm. 130.*

Quanto magis caro jejunio deficit, tanto ſpiritus proficit magis.

*Ad Eph. 5. v. 29.*

*S. Aug. l. 10. Conf. c. 31.*

5. S. Auguſtinus bene obſervat quod quanto magis hæc caro noſtra ſupprimitur & debilior efficitur, tanto Spiritus magis proficiat & invaleſcat: *Cum igitur per jejunium infirmatur caro, tunc potens Spiritus noſter efficitur, qui autem delicatè cibat, & nutrit eam, inveniet eam contumacem & repugnantem nimis rationis jugo, ut quotidie experiuntur, qui cibis potibusque vacant.* Verum quidem eſt, quod hanc carnem & corpus noſtrum nutrire teneamur; *Nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit:* id tamen à nobis intra debitos fieri debet temperantiæ limites. Unde S. Auguſtinus in ſuis Confeſſionibus ait: *Suavis eſt mihi neceſſitas, & adverſus iſtam ſuavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejunijs, ſæpius in ſervitutem redigens corpus meum.* Enimverò inimicus quantumvis potens, & intra fortalitium aliquod, ſive à ſitu, ſive à natura aut ab arte, fortificationibus item & generoſorum militum robore nobiliſſimum communitus ſit, ipſeque imperterrito ſit animo præditus, attamen ſi fames illum infeſtare incipiat, confeſtim capitulare ſeu de deditione ſui facienda paciſci cogitur: Eodem modo quantumvis corpus noſtrum robuſtum ſit, quantumvis cruentam ſpiritui luctam comminetur, attamen ſi debilitetur per abſtinentiam, & per jejunia extenuetur, tandem ſpiritui glorioſam palmam cedere cogitur. Unde S. Bonaventura ait: *Eſt inſuper jejunium valde certum inventum ad expugnandum caſtrum; Sicut enim non eſt adeo forte caſtrum, quod non poſſit expugnari ſi poſſint ei victualia ſubtrahi, ſic non eſt adeo caro rebellis ſpiritui, quin ſubtrahendo cibaria, non valeat à ſpiritu ſubjugari.*

*S. Bonav. in Diæta ſal. tit. 2. c. 6.*

*S. Bern. Sen. t. 5. ſerm. in die Cin. A. 1. fr. 1.*

*1. Cor. 9. v. 17.*

Jejunij elogia.

*S. Aug. ſerm. 25. ad frat.*

*S. Ambr. ſerm. in Fer. 2 poſt Dom. 2. Quadr.*

*S. Aug. ſerm. 65. de temp.*

Ubi ſaturitas ibi laſcivia.

6. S. Bernardinus Senenſis in ſermone, quem habuit die primo Cinerum, multos enumerat jejunij fructus & effectus, & primo quidem loco ſequentem recenſet: *Jejunium* inquit, *partem ſuperiorem regnare facit ſuper inferiorem, & auſteriorem eam ab illecebris carnis reddit;* Juxta illud Apoſtoli primæ ad Cor. 9. dicentis: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; Per caſtigationem*, inquit, *ſe corpus in ſervitutem redigere, & merito, nam cum corpus in creatione factum fuerit animæ ſervus, ex patrata culpa factum eſt animæ Dominus; ſed per pœnitentiam & jejunium in ſervitutem debitam reformatur, ut meritò per abſtinentiam gulæ, anima corpori dominetur; ſicut per inobedientiam caro animæ inobediens facta eſt:* Quibus verbis S. Doctor conſiderationem quamdam tangit, quæ etiam à pluribus alijs tacta fuit, quorum ſingulorum authoritates operæ pretium eſſe duxi tranſcribere. S. Bernard. dicit: *Quamdiu Eva in Paradiſo abſtinuit, virgo permanſit.* S. Auguſtinus ſimiliter de eadem Eva ait: *Eva quamdiu abſtinuit, virgo fuit, & in Paradiſo permanſit, ſed dum jejunium violavit, in miſeriam corruit, libidinis corruptionem perſenſit, de Paradiſo expulſa fuit.* Similem quoque reflectionem habet S. Ambroſius; *Adam*, inquit, *Evam non niſi intemperantia provocante cognovit, quamdiu autem manſit in illis intemerata parcitas, manſit & impolluta virginitas.* S. Auguſtinus ſimiliter in alio quodam ſermone de Adamo dicit: *Adam quamdiu jejunavit, in Paradiſo fuit; ubi vero comedit, ejectus eſt de Paradiſo, & qui in Paradiſo virgo fuerat, ejectus de Paradiſo cognovit uxorem, ſemper enim juncta eſt ſaturitati laſcivia.*

Laſciva ex natura caro jejunio domatur.

*1. Joan. 2. v. 16.*

*2. Cor. 12. v. 7.*

*S. Bern. ibid. fr. 1. Job. 40. v. 16.*

7. Aſtutus ille & tortuoſus ſerpens Diabolus tametſi enim cum ſecundo Adamo certamen inire non dubitarit, dum ille non in loco quodam delitiarum, ſed in horrido quodam deſerto primorum parentum noſtrorum intemperantiam per rigoroſum jejunium reſtaurare diſpoſuit, ad carnis tamen vitium ipſum provocare auſus non fuit; Cur ita? S. Joan. quidem in epiſtola ſua ait: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ;* verumtamen de prima, id eſt de concupiſcentia carnis ipſum aggredi non præſumpſit, tametſi humana & mortali carne fuerit præcinctus, probeque Dæmon ſciret vitium carnis etiam nonnumquam homines adeo fortiter infeſtare, ut Apoſtolus, magnum illud vas electionis, poſtquam in cœlum raptus audivit arcana illa verba loqui, de ſe lamentari non erubeſcat, dicens: *Stimulus carnis colaphizat me.* Scitiſne cauſam, cur Dæmon Chriſtum in deſerto de carnis vitio non tentarit? Reſponderi quidem poſſe ſcio, quod, ut commune habet adagium, fames Lupum ex Sylva pellit, id eſt, licet lupo à natura congenitus ſit amor & inclinatio ad Sylvas, neceſſitas tamen eum inde exire & contra naturæ inclinationem agere compellit: ita quoque licet homo quantumvis ſanctus ex naturæ ſuæ corruptione multum ſit ad laſciviam proclivis, attamen famis neceſſitas eum ab illo vitio immunem eſſe facit: at verò ad præſens propoſitum noſtrum congruentius dicere poſſumus, quod fames & diuturnum illud Chriſti jejunium Lupum hunc infernalem è deſerto profligarit, hic enim quia Chriſtum tanta cum auſteritate jejunare conſpexit, protinus ſuos circa hoc carnis vitium inſultus & impugnationes irritas, inutiles, & ſupervacaneas eſſe intellexit. Unde S. Bernardinus Senenſis ait: *Fames lupum de ſylva pellit, id eſt, Diabolum de mente luxurioſa, juxta illud Job 40. ſub umbra dormit in ſecreto calami in locis humentibus.*

*Jud. 7. v. 12.*

*S. Nilus in Aſcet.*

Jejunium libidinis vitium proſternit.

8. In libro Judicum adverſus populum Iſraëliticum innumerabilis quidam populi orientalis exercitus congregatus fuiſſe legitur: *Madian autem & Amalech*, inquit ſacer textus, *& omnes orientales populi fuſi jacebant in valle, ut locuſtarum multitudo:* quæ verba S. Nilus in ſenſu morali ad propoſitum noſtrum ita exponit: *Madianitæ libidinis Symbolum gerunt, hi ſunt enim, qui ad fornicationem pellexerunt Iſraël.* Adverſus hunc autem adeò potentem & inſolentem hoſtilem exercitum Gedeon à Deo electus fuit, ut eum diſſipando & conterendo, glorioſam de eodem reportaret

portaret victoriam ; at verò quiſnam modus eidem pro ingenti hoc auſu tentando à Deo præſcriptus fuit ? Nimirum è militibus Gedeonis unus fuit, qui hoc ſibi dormienti ſomnium accidiſſe commillitoni ſuo expoſuit : *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis exhordeo volvi, & in caſtra Madian deſcendere, percuſſit illud, atque ſubvertit, & terræ funditus coæquavit ; Reſpondit is cui loquebatur ; Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis.* Circa quæ verba quærendum merito venit, quænam ſit inter gladium ſeu lanceam, qua hoſtes cæduntur & profligantur, & hunc ſub cineribus coctum panem hordeaceum proportio aut ſimilitudo ? & tamen non baliſtæ, non gladij aut enſes, non catapultæ, aut ingentes machinæ bellicæ, ſed panis hic hordeaceus hunc hoſtem proſtravit, & devicit. Scitiſne cauſam ? *Omnia in figura contingebant illis.* Et ideo S. Nilus ait: *Iſraëlitarum panis hordeaceus volvitur, & Madianitarum tabernaculum ſubvertit, frugalis enim victus, & libidinis vitium proſternit, & omnis malitiæ dejicit munitiones.*

*Judic. 7. 13.* — *1. Cor. 10. 11*

Jejun. Judith Holofernem vicit procum.

9. Holofernes expreſſum erat carnalis vitij Symbolum, utpotè, qui, ut omnibus notum eſt, huic vitio adeò turpiter deditus erat, Deus autem ad caput illius detruncandum quamdam rariſſimæ pudicitiæ mulierem, generoſam illam Hebræorum Amazonem Juditham elegit; Quibus vero armis illam accinxiſſe exiſtimas ? Nimirum univerſo populo rigoroſa jejunia indixit, ipſâ interea per abſtinentiam quotidianam aſperrimè ſe emaciante, ſiquidem *jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ.* Rabanus ſuper illa verba ; *Conſtituit quod daretur illi de convivio ſuo ; cui reſpondit Judith, & dixit : Non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui ;* Super illa inquam verba, per adductam S. Ambroſij lib. de viduis, authoritatem inquit, id ipſam dixiſſe, *ut occaſionem pararet victoriæ, abſtinentiæ meritam & pudicitiæ gratiam conſervaret ;* ad hoc igitur ut ſe intactam conſervare, & carnalis viri iſtius caput à cervice præſcindere poſſet, neceſſarium eſſe duxit abſtinentiæ & jejunij continuum uſum, hic enim ut Cyrillus Alexandrinus in laudem abſtinentiæ, inquit, eſt *temperantiæ fons, laſciviæ ac libidinis abolitio.* Unde ſancta hæc mulier Oniam Pontificem qui Bethuliæ regimen adminiſtrabat, ſecurum eſſe juſſit dicens : *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in jejunijs.*

*Judith. 8. v. 6. Rab. ibid. Jud. 12. v. 2.* — *S. Cyrill. Alex. t. 5. Hom. 1. in Feſt. Paſch.*

Nemo caſtus niſi ſobrius.

10. Porrò jejunium individuum continentiæ comitem eſſe adeo verum eſt ac infallibile, ut ex mente S. Hieronymi, nemo ſe caſtum eſſe dicere aut gloriari poſſit, niſi pariter ſobrius exiſtat ; Unde in Epiſtola quadam dicit : *Quid neceſſè eſt nos jactare pudicitiam, quæ ſine comitibus ſuis continentia & parcitate, fidem ſui facere non poteſt ? Apoſtolus macerat carnem ſuam, & animæ ſubjicit imperio, ne quod alijs præcipit, ipſe non ſervet : & adoleſcentula, fervente cibis corpore, de caſtitate ſecura eſt ?* Ideoque ſanctam Paulam laudabat pariter, & admirabatur, quæ melius eſſe arbitrabatur, ſi ſtomachus ob inediam doleret, quam ſi caput gravaretur cogitationibus laſcivis, & obſcœnis imaginationibus, & phantaſmatibus, quæ à ſenſibus impinguatis ad caput conturbandum velut exhalationes quædam & vapores peſtilentiales tranſmittuntur ; Idem quoque Sanctus Doctor de eadem S. Paula refert, illam hanc eamdem erga abſtinentiam, inclinationem & affectum virginibus illis, quæ ab ipſa dependebant, ſolicitè inſeruiſſe ; *Laſcivientem adoleſcentularum carnem crebris & duplicatis frangebat jejunijs, malens eis ſtomachum dolere quam mentem.* B. Laurentius Juſtinianus de ſobrietate tractans, ita ait : *De ſobrietate prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubria conſilia, atque per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, & virtutibus Spiritus innovatur.*

*S. Hieron. Epiſt. 10. ad Furiam.*

Melius quod ſtomachus patiatur quam caput laſcivis phantaſiis gravetur.

*S. Hier. Ep. 27.* — *B. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 3.*

11. Cur obſecro ſacra Scriptura ſuperbum illum Phariſæum jactantem ſe nullius eſſe reum rapinæ aut adulterij, manifeſti non arguebat mendacij, cum veriſimile ſit, illum minimè adeo innocentem fuiſſe, utpotè cui humilitas & timor Dei deerat, qui unicum eſt totius ædificij ſpiritualis fundamentum ; Verumtamen non eſt, quod id quis miretur, ſiquidem Phariſæus ille inſuper de ſe dixit : *Jejuno bis in Sabbatho ;* Licet enim jejunium ipſius omni fuerit merito deſtitutum, attamen ad carnem illius, ne recalcitraret, macerandam ſufficiens omnino erat, Unde S. Ephrem in Catena Græca ait : *Adulterij à ſe crimen removens, jejunium jactavit.*

*Luc. 18. v. 11.* — *S. Ephrem. in Cat. Græca.*

12. Mariti ut conjugum ſuarum conjugalem explorent fidelitatem, ad hoc præcipuè reſpicere ſolent, an ſcilicet parcè & ſobriè vivant ; Nam ut S. Baſilius ait : *Non ſuſpicatur quemquam inſidias ſtruere conjugio maritus, conſpiciens uxori familiare jejunium ; non contabeſcit uxor zelotypia, cernens maritum amplecti jejunium.* Ruth ſpicas poſt meſſem in agro Booz reliquas ſtudioſè colligebat, quod optimus vir Booz videns, eamdem, ut intinctum in acetum panem ſecum & cum meſſoribus manducaret ; invitavit ; quod cum illa ſummi beneficij loco accepiſſet, Booz exinde clarè conjiciens, quod quæ abſtinenter & ſobriè viveret, conſequenter etiam caſtitatem thoralem ſervatura eſſet, eamdem ſibi adaptavit in uxorem, ex cujus progenie ſtirps Davidis, unde Filius Dei naſciturus erat, propagata fuit. Origenes ait : *Eſt certè libertas Chriſtiana per omne tempus jejunandi, non obſervantiæ ſuperſtitione ſed virtute continentiæ, nam quomodo apud eos caſtitas incorrupta ſervatur, niſi arctioribus continentiæ fulta ſubſidijs ?*

*S. Baſil. Hom. 1. de jejun.* — *Ruth 2. v. 14.*

Jeju. caſtitas conjugalis noſcitur.

*Orig. in c. 16. Lev. Hom. 10.*

Exemplum.

13. In ſpeculo exemplorum de juvene quodam valde opulento refertur, quod dum Genuæ nobiliſſimam, venuſtiſſimamque virginem Marinam nomine ſibi deſponſaſſet uxorem, acciderit, poſt aliquot conjugij annos, ut marito longiſſimum iter Alexandriam verſus inſtituendum, ibique negotiorum cauſa aliquouſque demorandum foret, Lectis igitur comitibus, cum jamjam daturus ſe in viam, & mox navim conſcenſurus eſſet, ex imo pectore ductis ſuſpirijs ita conjugem ſolus ſolam alloquitur : Me, ut vides, negotia ad longinquum iter ineundum cogunt ; Te obſecro & obteſtor per eum, qui nos conjunxit, ut me abſente honeſtati tuæ conſulas, vereor enim nimis, ne multi laſcivi lenones pudicitiæ, honeſtati & pulchritudini tuæ ſint inſidiaturi. Cui fœmina ſingultibus & lachrymis ſermonem rumpentibus polliceri cœpit, facturam ſe, quod honeſtas, quod amor & pietas cogeret, potiusque ſe vitam, quam fidem conjugalem in diſcrimen adducturam eſſe. Nec ſanè dixit conſtantius quàm fecit ; Siquidem marito vix domum egreſſo, cum juvenes clari & nobiles ejus pudicitiæ inſidias tenderent, & omnes ad expugnandum machinas adhiberent ; Marina velut altera quædam generoſa Judith, fores & feneſtras domus, multoque magis aures & oculos corporis fortiter occluſit, ſicque ſingulos aut repulit, aut eluſit ; Marina igitur hac ſolicitudine liberata, cum ſe in perpetuum ejuſmodi curis vacuam fore conſideraret, ſecurius deinceps miniſtrare cœpit rem domeſticam, & cum mariti procuratoribus, aut propinquis, aut amicis liberius agere quam ſoleret. A qua licentia ortum eſt ſequens prodendæ fidei & pudoris violandi periculum. Cum enim de ſpecula curioſos deorſum oculos verteret, incurrit forte in os juvenis prætereuntis faciemque ejus tam elegantem, tam modeſtam, & tam flexanimam eſſe vidit, ut ejus amore ac deſiderio ſe ſenſerit eſſe correptam. Cœpit ergo ſagaciter de illo inveſtigare quiſnam eſſet, ubi vero comperit inſignem illum eſſe Juriſconſultum, lente ſecum deliberat, quam rationem hominis conveniendi fruendique inire poſſet : Demum igitur mittit ad juvenem, ut eo die ſub veſperum rediens, non gravaretur illam domi ſuæ inviſere. Hic ſiniſtri nihil ſuſpicatus, ſed perſuadens ſibi, marito abſente litem adverſum ſe ortam eſſe magnam, de qua ſtatim communicare cum illo cupiat, illam in ejus domo convenit ; ubi illa verecundia valere juſſa, frænum laxans cupiditati: Amo, inquit, te nimis impatienter, & te rogo ſupplex auxilium, moritura ſi negaveris. Ad quæ verba *Dragmanus* (hoc enim juvenis illius Juriſconſulti nomen erat) *vir utique pudiciſſimus ingemuit, miſerabile ducens tantum decus tam indebitis amoris procellis agitari ;* Interim oblatam ſibi à muliere in corpus ejus licentiam placere ſibi fingens dixit : peſſime odi fortunam meam, quæ ne nunc quidem non patitur tanta frui felicitate, ac ſtatim mutuis obſequi deſiderijs : Hoc enim ſcire debes, Domina, quod ob meam à certo quodam ab ingenti periculo liberationem, voto quodam in annum ſolidum duratur me obſtrinxerim jejunandi in pane & aqua, cujus temporis ſexaginta ſolùm dies adhuc mihi ſunt reliqui, quibus elapſis oblatæ benevolentiæ effectibus libentiſſimè perfruar. Ingemuit cupida mulier ad tantam moram, dilationiſque impatiens ſponte propria ſe paratam eſſe dixit ad patiendum & dimidiandum cum illo jejunium, maximè cum illum ea ſub conditione votum Deo feciſſe audiret, quod poſſet cum altero partiri, ſi quis cum illo abſtinere vellet, & partem oneris in ſe recipere; Dumq; illa triginta dierum jejunio abſolvendo operam daret, juvenis ille Juriſconſultus

*Spec. Exemp v. Abſtinentia. Exempl. 16.*



conſultus illam ſæpius inviſit, ut illam animaret, poſtquam verò diem fuiſſet decimum quintum aſſecuta, adeo illam languidam ac debilem invenit, ut vix in pedes erecta ſubſiſtere poſſet, adeoque infriguerat, ut vix quavis etiam pellicea veſte impoſita calefieri poſſet ; Tandem vero dum in fine hujus aſſumpti jejunij reſpirandi facultatem vix haberet, juvenis eam interrogavit : *Num inter frigentia membra adhuc ad me fervidum amoris pectus obſervas ?* Ex tunc fortunata hæc Marina evidenter agnoſcere cœpit, quam pulchro Dragmanus ad impurum ejus amorem pellendum artificio uſus fuiſſet, nimirum modicorum jejuniorum rigore, eidemque grates immenſas verbis ſequentibus rependit : *Grates tibi ſapientiſſime virorum mille refundam, nec ſic poſſum tuæ Charitatis inſignijs ſatis eſſe, quibus non ſolum honori, ſed etiam ampliſſimè pudori meo providiſti.*

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

**Concupiſcentiæ carnalis impetus per jejunium reprimitur, neque à caſtitate ſobrietas umquam diſſociatur.**

### THEMA.

*Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in vigilijs, jejunijs, in caſtitate.* 2. Cor. 6. ℣. 5.

Ex jejunio caſtitas.

1. MEmorandum haud immerito, quod dum S. Paulus ad fideles Corinthios ſcribens eoſdem ad opera vero Dei ſervo digna & congrua hortaretur, Chriſtianarum illis proponit exercitium virtutum v. g. patientiam, manſuetudinem, benignitatem, charitatem, in tribulationibus & perſecutionibus tolerantiam & æquanimitatem, vigilias, jejunia ; memorandum inquam quod poſt jejunia immediatè ponat caſtitatem : *In vigilijs, in jejunijs, in caſtitate ;* idque ut arbitratur Doctor Angelicus, ob hanc præcipuè rationem, quia caſtitas ex temperantia ciborum & ſobrietate velut illius effectus derivatur : *Notandum eſt, quod immediatè poſt multos labores, & vigilias, & jejunia, ſubdit de caſtitate, quia qui vult habere virtutem caſtitatis, neceſſè eſt laboribus dari, vigilijs inſiſtere, & macerari jejunijs.*

*S. Tho. ibid.*

Jeju. frænum carnis.

*S. Baſil. in Reg. Inter. 16*

2. S. Baſilius hac de re ſequens nobis tradit documentum : *Fervor ille, qui vigere in juvenibus ſolet, itemque difficilis ille ad coercendum ad libidines impetus, continentia veluti quodam fræno cohibetur.* Quia enim, ut per quotidianam videmus experientiam equus indomitus fræno mediante regitur & gubernatur ; ideò Sanctus hic Doctor jejunium & abſtinentiam frænum appellat, quod effrænem carnem & ſenſualitatem noſtram reprimit & coërcet, utque eam manſuefaciat & cicuret, eidem tamquam equo indomito recalcitranti, avenam ſubtrahit. Unde S. Nilus ait : *Equus bene frænatus corpus inediâ domitum ; ut equus fræno cedit, & equitis paret imperio, ſic quoque corpus fame ſubactum rationis obtemperat voluntati.* S. Auguſtin. de hac eadem materia tractans eamdem adhibet ſimilitudinem dicens ; *Si jumento forte inſideres, ſi equo uetereris, qui te geſtiendo poſſet præcipitare, nonne ut ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem fræno non poſſes ? Caro mea jumentum meum eſt, iter ego in Jeruſalem, plerumque me rapit, & de via conatur excitare, via autem mea Chriſtus eſt, ita exultantem non cohibebo jejunio ? Si quis hoc ſapit, etiam ipſo experimento probat, quam utiliter jejunetur.*

*S. Nilus Orat. 1. adv. vit.* — *S. Aug T. 9. Tr. 10. de utilit. jejun.*

Juventus jeju. coercenda.

3. Florentior hominis ætas vere indomitus quidam & inſolens equus eſt, qui illum in præcipitia deturbat, niſi dometur, quia caro & ſenſualitas noſtra in annis adoleſcentiæ, aliud nihil æque ſollicitè cogitat, aut meditatur, quam ut ſenſualibus & indomitis appetitibus noſtris ſatisfacere poſſit. Et ideo S. Bernardus de juvenibus ſcribens, ita de hac juvenili ætate loquitur : *Quorum tanta animi debet eſſè munditia, ut præ nimia verecundia ne ſermonem quidem audire velint, vel jocum impudicum.* Quonam vero modo hæc puritas conſervanda ſit, his verbis præſcribit : *Et ne incentivis naturalibus ſuperentur, neceſſè eſt, ut laſciviens caro eorum crebris frangatur jejunijs, melius eſt eis ſtomachum dolere quam mentem.*

*S. Bern. l. de ord. vit.*

4. De hac etiam ferocia S. Cyrillus Alexandrinus loquens, unicum illam domandi remedium jejunium eſſe dicit : *Interimit in membris ferocius ſe efferentem carnis legem, ac turbam voluptatum, quæ in nobis pugnant, conſopiens.*

*S. Cyrill. Alex T. 5. H. 7. de feſt. Paſch.*

5. S. Thomas de Aquino, qui non ſolùm ob prodigioſam ſapientiam ſuam, verum etiam ob virginalem puritatem ſuam Doctoris Angelici titulo condecoratur, de abſtinentiæ virtute diſcurrens, inter alios illius effectus hunc quoque recenſet, quod ſcilicet *Propriam carnem Spiritus ſubjicit, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verum lumen accendit.*

*S. Thom. 2. 2. Q. 147. A. 1*

Jeju. inter flammas illæſum reddit.

*S. Baſil. Ho. 1 de jejun.*

6. S. Baſilius qualitates nobis exponit lapidis cujuſdam quem Græci Amianthum appellant, de quo Dioſcorides l. 5. c. 147. ſic ſcribit : *Eſt lapis quidam ejus naturæ, quem hinc Amianton Græci vocant, ut inquinari non poſſit. Hic ab igne non vincitur, ſed impoſitus igni videtur igneſcere, & in prunam verti, rurſus exemptus igni, perinde quaſi fuiſſet aqua candidatus, apparet purior.* Quod totum tribus pueris fornacem Babylonicam ingreſſis applicat, quorum corpora per jejuniorum vim adeo conſolidata fuere, ut non ſolum inter flammas illæſi permanſerint, verum etiam puriores fuerint ab igne egreſſi : *Illud jejunio conſecuta* (de illorum corporibus loquitur) *ut nulla vi poſſent inquinari, ſiquidem in vehementi fornacis flamma quaſi naturâ fuiſſent aurei, ita apparuerant innoxia, ut igne ſuperiores.* Idem quoque Sanctus Doctor incendij illius voracitatem ponderat, dicens : *Hoc tantum incendium pueri cum jejunio ingreſſi conculcarunt, neque enim ignis vel pilos illorum auſus eſt attingere, eo quod à jejunio eſſent aliti.* Ipſi namque ſumme abſtinentes erant, jejunabant, unde neceſſariò conſequebatur, ut puri, caſti eſſent, & continentes. Unde Euſebius Emiſſenus ait : *Quanta caſtis viſceribus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoſcit.* Ignis ſenſualis concupiſcentiæ naturæ noſtræ corruptæ connaturalis eſt atque congenitus, & quidem in his Babylonicis flammis vel maxime conflagrare ſolent juvenes, & pueri, quonam igitur remedio ne comburerentur, uſi fuere ? *Neque enim ignis vel pilos illorum auſus eſt attingere, eo quod à jejunio eſſent aliti.*

*Euſeb. Emiſſ. H. 2. de Epiph.*

7. S. Ambroſius eamdem à S. Baſilio recenſitam hiſtoriam adducit, eamdemque tribus pueris in ignem conjectis pariter adaptat, dicens : *Ubi quia jejuni ingreſſi ſunt diſcuſſò ardore flammarum in medio fornacis, flatum roris refrigerantis ſpiritu hauſere, ita ut eorum nullus capillus capitis exureretur, quia illam quoque jejunia comam paverant.*

*S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 7.*

8. Theophilus Alexandrinus in Epiſtola quadam ; de ijſdem pueris tanta cum aviditate jejunium conſectantibus diſcurrens, ita loquitur : *Habitantes in Babylone corporibus, ſed ſenſu & fide cum Angelis in cæleſti Jeruſalem morantes, ut omnes deinceps ætates docerent, jejuniorum tempore à vino & carnibus abſtinendum ſumere de terra ſemina, & potandam aquam, quibus comitibus utitur pudicitia.*

*Theoph. Alex. Ep. 3. Paſch.*

Luxuria à vino & carne.

9. S. Bernardus de ſemetipſo ita ſcribit : *Abſtineo à vino, quia in vino luxuria eſt, aut ſi infirmus, modico utor, juxta conſilium Pauli abſtineo à carnibus, ne dum nimis nutriant carnem, ſimul & carnis nutriant vitia : panem ipſum cum menſura ſtudeo ſumere, ne onerato ventre ſtare ad orandum tædeat, & ne improperet etiam mihi Propheta : quia panem meum comedebam cum ſaturitate ;* Neque mellifluus hic Doctor, hac recenſita extrema victus frugalitate contentus fuit ; unde dicere pergit : *Sed ne ſimplici quidem aqua ingurgitare me aſſueſcam, ne diſtenſio ſane ventris, uſque ad titillationem pertingat libidinis.*

*S. Bern. ſerm. 66. in Cant.*

10. S. Ambroſius ad virgines ſcribens, caſdem quam utile & efficax ſit jejunium docet, ad refrænandos in adoleſcentioribus vitæ annis concupiſcentiæ motus : *Infrænent*, inquit, *terrenam ætatem jejunia, & parſimonia cibi retinaculis quibuſdam indomitas cohibeant cupiditates.*

*S. Ambr. l. 3. de virg.*

Anna caſta ac decrepita ob jejun.

11. Digna fuit illa ſublimi S. Hieronymi ingenio obſervatio, qua conſiderat, quod incarnata illa ſapientia ſapientiſſime in primo Evangelij ſui ingreſſu diſpoſuerit, ut Spiritus ſanctus mulierem quamdam tot annis in decrepitam uſque ætatem continentem & caſtam pariterque ſanctam ob oculos poneret, eamdemque omnibus longævæ vitæ ſuæ annis jejunijs deditam, & in virtute illorum continentem factam fuiſſe oſtenderet : *In foribus Evangelij Anna filia Phanuelis univira inducitur, ſemperque jejunans, & Dominum virginem longa caſtitas, longaque jejunia ſuſcipere.* Quibus verbis jejunia pariter & caſtitatem inſeparabiliter unit & conjungit.

*S. Hieron. l. 2. cont. Jovin.*

12. S. Iſidorus myſterium tangit, nobiſque aperit, ob quod Salvator noſter in monte Thabor, præcipuè & præcisè in medio Moyſis & Eliæ ab Apoſtolis conſpici voluerit, cum tamen in veteri Teſtamento alij ſervi Dei in ſanctitate æquè celebres non defuerint: *In monte inter utramque perſonam medius Salvator effulſit*; Hi enim duo celeberrimi Prophetæ, præ cunctis aliis à delicijs vitam duxerunt alieniſſimam, adeoque fuerunt abſtinentes, ut jejunijs ſe exercuerint temporis diuturnitate longiſſimis, & rigoroſiſſimis ac proinde inquit idem S. Iſidorus in medio illorum conſpici voluit: *Ut à mundi illecebris aviditatem noſtram, tanquam jejunio temperantiæ refrænemus, quamdiu perfectio Decalogi legis, per quatuor ejuſdem mundi partes, id eſt, toto orbe prædicatur.*

*S. Iſid. in c. 30. Exodi.*

Jejunandum quamdiu vivimus.

*B. Laur Juſt. lig. vit. c. 5.*

13. B. Laurentius Juſtinianus de ſobrietate tractans, illam nobis quamdiu præſens hæc vita noſtra durat, neceſſariam eſſe his verbis oſtendit: *In hac ſobrietatis cruce, per totam iſtam vitam quæ in medijs tentationibus poſita eſt, perpetuo pendere debet Chriſtianus, non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos*; Ubi etiam ad præſens propoſitum verba illa Pſalmiſtæ exponit dicentis: *Configo timore tuo carnes meas*, ubi alij legunt, *Clavis*; Dicit igitur: *carnes ſunt carnales concupiſcentiæ, clavi vero vigor ſobrietatis & abſtinentiæ, his illas timor Dei configit, qui nos illi acceptabilem hoſtiam configit.* Cum igitur nobis, quoad uſque vivimus divinam adimplere legem neceſſum ſit, abſtinentiæ quoque & temperantiæ neceſſitatem nobis continuò impoſitam eſſe credere debemus, utpote qua ſola caro noſtra Spiritui ſubjicitur. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Ea de cauſa à cibis Deus abſtinere jubet, ut videlicet carnis laſciviam refrænantes ad mandatorum Dei perfectam obſervantiam domitam illam reddamus.* Hic inimicus, id eſt, ſenſualitas corporis noſtri, nobis quam maxime obſervandus eſt, quia ſimul nobiſcum naſcitur, cum annis & vita noſtra adoleſcit, nutritur per ſanguinem noſtrum, per ſomnum noſtrum reſtauratur, per arma noſtra robuſtus efficitur, & tamen animæ noſtræ continuo inſidiatur. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum*; quodnam vero nobis Deus remedium providit, ut illum vincamus, rationique & Spiritui continuo ſubjectum contineamus? S. Bernardus ait: *Per jejunium fornicatio ſuperatur, per jejunium luxuria reſtringitur, remotâ ſaturitate non dominatur luxuria.*

*Pſ. 118. v. 120.*

*D. Chryſoſt. T. 6. Homil. 4 de jejun.*

Inimica caro ſuperatur jejunio.

*S. Bern. de mo. ben. viv. c. 24.*

Prodigus redit.

*Luc. 15. v. 17*

14. Filius ille prodigus tota portione ſubſtantiæ ſuæ, quam à Patre ſuo tanta cum importunitate extorſerat, cum meretricibus conſumpta & diſſipata, tandem *in ſe reverſus*, atque ad pœnitentiam permotus, cunctis voluptatibus & diſſolutionibus præteritis, finem impoſuit, tunc nimirum quando rebus omnibus conſumptis famem validam experiri cœpit: *Hic fame pereo, ſurgam & ibo ad Patrem meum; fames revocat, quem ſaturitas exulaverat*, inquit D. Chryſol.

Cuſtodita Sara jejunio.

15. In Geneſi de ſancto Abraham Patriarcha legitur, magnoperè illum timuiſſe, ne forſitan Sara conjux ſua in Ægypto ad inhoneſtos ſollicitaretur concubitus, cum tamen in terra Chanaan conſtitutus hoc timore vel ſuſpicione perculſus numquam fuerit. Quamobrem? Numquid eadem pulchritudine oculos eam aſpicientium in utroque loco ineſcare potuit? aut vero num Palæſtinæ incolæ minus quam Ægyptij ad ſenſuales voluptates inclinabantur: Negari quidem non poteſt, quin *cæteris paribus* in eodem utrobique fuerit periculo, eccur igitur in ſola Ægypto ipſam adeo ſollicite monuit, dicens: *Dic quod ſoror mea ſis?* Reſponderi quidem poſſe, ideo id eum dixiſſe, quia aulam regiam ingreſſurus erat, in qua aulici communiter de eo quod Regi decorum aut expediens ſit, parùm laborant, ſed ad ſe in Regis gratiam inſinuandos, Regis genio & inclinationi ſeſe adaptare ſatagunt. S. Ambroſius de Abrahamo dicit: *Compererat in Ægypto laſciviam eſſè petulantem cupiditatem, voluptatum intemperantiam*: Verumtamen aliam adferre poſſumus propoſito noſtro magis accommodam hujus diverſitatis rationem; Conſtat enim quod Sara una cum Abraham marito in Canaan ſe conferebat, ingens ibi erat annonæ caritas, ac proinde nullam timebat in Sara pudicitiæ perdendæ occaſionem, aut periculum, quia *ſaturitas panis*, fuit unicum in infamibus illis Sodomæ Civitatibus libidinis fomentum; Et S. Ambroſius ait: *Fames amica virginitatis eſt, & inimica laſciviæ, ſaturitas verò caſtitatem prodigit, nutrit illecebras.* Unde Luc. 17. Salvator noſter, homines tempore diluvij imminentis, quando laſcivia ad ſummum uſque malitiæ gradum pertigerat, *Omnis quippè caro corruperat viam ſuam*, homines comeſſationibus & convivijs inſtruendis operam dediſſe dicit: *Sicut erant in diebus Noë ante diluvium, edentes & bibentes, & nuptui tradentes.*

*Geneſ. 12. 13.*

*S. Ambr l. 1. de Abra. c. 2.*

*Ezech. 16. v. 49.*

*S. Ambr. ſer. 37. de Quad.*

*Gen. 6. v. 12.*

*Luc. 17. v. 26*

Ciborum exceſſus concupiſcentias nutrit.

*S. Baſil. in Reg. Inter. 16*

*2. Tim 3. v. 1. 2. & 3.*

16. S. Baſilius aliunde etiam, quantum à nobis intemperantia fugienda ſit, per adductam S. Apoſtoli authoritatem demonſtrat, dicit enim: *Quam vero metuenda intemperantia ſit, etiam Apoſtolus docet, qui inter ea quæ illorum propria ſunt, qui deſciſcunt à Deo, illam enumeret; In noviſſimis enim, inquit, diebus inſtabunt tempora periculoſa; erunt enim homines ſeipſos amantes, & pluribus enumeratis vitiorum generibus, poſtremo adjunxit: incontinentes.* At verò notandum eſt, quod Salvator unde intemperantia iſta præcipue naſcatur aut procedat, oſtendere volens, antequam dicat: *Nuptui tradentes*, prius præmittit hæc verba: *edentes & bibentes*; Exceſſivè namque & ſuperflue edere & bibere, materiam ſubminiſtrat, unde ignis concupiſcentiæ carnalis accendatur & nutriri poſſit. S. Gregorius inquit: *Probatio veræ abſtinentiæ non eſt in attenuatione corporis, ſed in perfectione caſtitatis*; Et ſuper verba illa: *Reliqui vero diſperſi ſunt*, in ſenſu morali ad propoſitum noſtrum ita ſcribit: *Bene alij in fugam verſi perhibentur, quia cum abſtinentes quoſque divina gratia perfectè remunerat, à corporalibus eorum motibus omnium obſcænitatum aculeos tollit.*

*S. Greg. l. 2. in c. 11. lib. 1. Reg.*

17. Sancta mater Eccleſia ante ſacram Communionem laudabilem introduxit jejunandi conſuetudinem, ad hoc, ut qui puriſſimo conjungendi ſumus corpori Chriſti, qui eſt *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*, prius in virtute hujus puriores & mundiores reddamur, hæcque nobis congenita ſenſualitas amplius mortificetur. Unde S. Paſchaſius ait: *Verumtamen quod jejuni communicamus, eſt ſatis providè, ut dum ſobrietas flagrat in corpore, dum omnis fervor carnis quieſcit, & omnis animi ſenſus intelligentia & diſcernendi ratione fortius vigeant.*

*S. Paſch. l. de corp & ſang. Chri. c. 20.*

Omnes Sancti jejunio tales.

18. Quotquot proinde Sancti continentes & immaculatos ſe in hac vita conſervarunt, prius in hac abſtinentiæ virtute aſſidue ſe exercuerunt. Sic enim in Annalibus Ciſtercienſibus, de Guilielmo Claravallenſi legitur: *Hanc continentiæ virtutem non ſine difficultate magna obtinuit, ſed poſt longam inediæ cruciatum, poſt inenarrabiles gemitus, cooperante Dei gratia tandem geminas ventris & gulæ illecebras cum cæteris vitijs à proprijs ſedibus extirbavit.* D. Gregorius Nazianzenus de S. Gorgonia inquit: *Unus illi rubor placebat quem pudor adfert*; Unde autem hic candoris ſui zelus proceſſerit, mox ſubjungit, dum ait: *Unus candor, quem parit abſtinentia*; Ubi Nicetas ait: *Nimirum per ſanguinis defectum conflatus atque conſtitutus.* S. Matthæus zelantiſſimus virtutis virginitatis amator & promotor fuit, ac proinde Iphigeniam Regis filiam ad hanc per votum amplectendam induxit, cujus cauſa ab eodem Rege Martyrium ſuſtinuit, de eodem verò Apoſtolo & Evangeliſta in Annalibus Eccleſiaſticis ex Clemente Alexandrino lib. 2. Pœdagogij cap. 1. dicitur: *Matthæus Apoſtolus ſeminibus, baccis, & oleribus abſque carnibus, veſcebatur.* De S. Jacobo Apoſtolo primo Hieroſolymorum Epiſcopo, qui virgo ſemper permanſit, omnibus conſtat, quod vinum numquam in potu communi biberit, nec carnes aut panem umquam manducaverit.

*Annal. Ciſt. Anno 1144. c. 3. n. 2.*

Nazianz. Orat. 11.

*Annal. Eccl. Ann. 57. n. 192.*

19. S. Cyprianus hos recenſet jejunij effectus: *Jejunijs vitiorum ſemina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, fugitivæ abeunt voluptates, extinguitur ardentis Æthnæ incendium, Jejunium omnem carnis rebellionem edomat*, Quæ omnia S. Bonaventura per ſequentem ignis ſimilitudinem optime declarat: huic enim ſi ligna ſubtrahantur, quæ pabulum unde nutriri poſſit, illi ſubminiſtrant, certiſſimus accedit interitus; ſic quoque concupiſcentiæ ignis qui ſuperfluo cibo & potu nutritur & augetur, intereat neceſſe eſt, ſi jejunium adhibeatur, hoc enim *eſt ſicut parcitas ignis vel lignorum ſub olla.* Adfert quoque idem Seraphicus Doctor aliam de avium agilitate ſimilitudinem: *Sicut agilitas in aviculâ*; Et poſtea ſubdit: *Sicut enim ſubtrahendo ligna, vel ignem ſub olla, ceſſat ejus bullitio, ſic corpori ſubtrahendo cibaria ceſſant tentationes carnis.*

*S. Cypr. Tr. de jejun & tentat. Chri.*

*S. Bonav. in Dieta ſal. tit. 2. c. 6.*

Ciborum ſubtractio tentationes reprimit.

20. Enimverò circa modum & menſuram hujus virtutis ſequens advertendum eſt S. Baſilij Magni monitum; dicit enim: *Continentiam appellamus non ſi quis à cibo penitus abſtineat, quando hoc violata quædam*

*S. Baſil. in Reg. Inter. 16*



*dam vitæ diſſolutio eſt, ſed eam quam tollendæ contumaciæ corporis cauſa, pietatis ergo de induſtria ſequimur, rerum voluptatem titillantium abſtinentiam.*

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Abſtinentiam fortem adverſus Dæmonem armaturam eſſe, jejunantis Chriſti exemplo oſtenditur.

## THEMA.

*Tunc Jeſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo; Et cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſurijt*, Matth. 4. v. 2.

Jejunio munivit ſe Chriſtus.

*Pſal. 103. v. 32.*

1. SPiritus ſanctus, qui S. Matthæi Evangeliſtæ calamum utique direxit, non ſine cauſa & ſingulari myſterio nobis indicare voluit, quod Deus exercituum, de quo Pſalmiſta ait: *Qui reſpicit terram & facit eam tremere*: ſpecialiter eo tempore, quo cum Dæmone ſingulare certamen inire voluit, prius ſe jejunio obarmaverit, quod D. Chryſoſtomus dicit eſſe *hominibus ornamentum, munitionem præſidium.* Poterat enim ſine ullo dubio, non ſolùm cum Lucifero, ſed & cum toto Inferno ſine ejuſcemodi armatura juratum hunc hoſtem aggredi & glorioſè vincere, utpote qui dum *tangit montes, mox fumigabunt*; *ſed plane illo exemplo docuit jejunandum eſſè, quando forte acriori luctamine cum tentatore confligimus*; ut inquit S. Auguſtinus.

*D. Chryſoſt. To 6. Hom. 4. de jejun.*

*S. Aug. ſerm. 86. de div.*

*Matth. 4. v. 3*

Jejunantes aggredi non audet Dæmon.

2. Ex Evangelio clare ſatis conſtat, quod quamdiu Salvator noſter diuturnum illud, nec umquam per quadraginta dies & noctes, per ullius rei comeſtibilis ſumptionem interruptum jejunium continuavit, Lucifer numquam coram eo in publicam arenam deſcendere præſumpſerit, ſed potius, ut credibile eſt, è longinquo conſtitutus, hujus tam rigoroſi jejunij exitum curioſè obſervaverit, & tunc pridem cum convenerit, quando ipſum vel arte vel ſtudio & data opera famere conſpexit: *Poſtea eſurijt*; tunc inquam Lucifer ut ejus jejunium totaliter diſperderet, tentaturus eum ſubito propius ad ejus latera acceſſit: *Poſtea eſurijt*; *Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant.* Unde Chryſologus ait: *Eſurivit Chriſtus, ut tentandi materiam Diabolus inveniret*; Neque enim hoſtis noſter infernalis cum illis qui in abſtinentia vitæ ſuæ dies agunt, certamen inire audet, utpotè à quibus ſe certo ſuperandum eſſe novit; *Quia ad jejunium non audebat accedere; quia ſic jejunantem Deum non hominem ſentiebat.* Conſiderationi huic ſimilis eſt illa Chryſoſtomi dicentis: *Quia enim Diabolum ad certandum voluit accedere, eſuriem ſuam ei fecit manifeſtam*; moxque ut eum famelicum & cibi appetentem eſſe vidit, præmeditati certaminis impetu eum aggreſſus, tres in eum validiſſimos fecit inſultus, licet verbis illis, *vade retro Satana*, turpem paſſus repulſam ſuccubuerit, victus à Chriſto, qui fortiſſima & impenetrabili jejunij lorica etiamnum accinctus erat, de qua D. Chryſologus ait: *Eſt jejunium invictus Chriſtianæ militiæ principatus.*

*D. Chryſol. ſerm. 11.*

*D. Chryſoſt. Hom. 13. in Matth.*

*D. Chryſol. ſerm. 8.*

*Idem Chryſol. ſerm. 103.*

3. Idem D. Chryſologus in alio quodam ſermone ingenioſè conſiderans, quod Dæmon lapides Chriſto exhibens, inſtanter admodum ab eo petierit dicens: *Si filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant, ita ſcribit: Quare non dixit: Si Filius Dei es, dic ut homines, aut Angeli aut aliquid aliud fiant, ſed dic ut lapides iſti panes fiant?* Cum enim Salvator noſter apud S. Lucam ipſemet dicat: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, in ſignum divinæ illius omnipotentiæ oſtenſivum, potius ab eo poſtulare debuiſſet, ut horridi illius deſerti fruteta vel lapides commutarentur in gigantes, vel ut rupes in merum verterentur aurum vel gemmas, deſertum denique in amœniſſimum transformaretur viridarium vel paradiſum; Tandem verò ad propoſitam difficultatem reſpondet dicens: *Signum panis petit, qui ſignum jejunij pertimeſcit; panem malus ingerit conſolator, ut virtutem mutet, ut propoſitum violet jejunantis.* Verum quidem eſt Dæmonem quoad illam veritatem, quod ſcilicet Chriſtus Filius Dei eſſet, per ipſum Chriſti baptiſmum, per evidens nimis Joannis Baptiſtæ teſtimonium, per ſonoram illam æterni Patris cœlitus dilapſam vocem: *Hic eſt filius meus dilectus*, plane potuiſſe convinci, verumtamen his omnibus minime acquievit, donec rigoroſiſſimum ejus videret jejunium, hoc utpote ſuper humanum & divinum ipſum totaliter convicit & proſtravit, nam ut S. Iſidorus ait: *Levia jejunia fortia ſunt tela adverſus tentamenta Dæmoniorum, cito enim per abſtinentiam vincuntur.* Cum igitur omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio, ſapientiſſimus Magiſter & Salvator noſter in toto triginta annorum vitæ ſuæ decurſu numquam aperte cum inimico infernali certamen aliquod inire voluit, niſi poſtquam ſe prius rigido quadraginta dierum & noctium jejunio obarmaſſet, ut per hoc nos doceret ut Tertullianus ait: *adverſus diriora dæmonia jejunijs præliandum eſſè. Quid enim mirum ſi eadem operatione Spiritus iniquus ſuperatur, qua ſanctus inducitur?*

*Luc. 3. v. 8.*

Jejunia etiam levia contra Dæmonem fortia.

*S. Iſid. de ſumm. bon. c. ult.*

Sua tota vita Chriſtus ſe armavit jejunio.

*Tertull. adv. Pſychic. c. 7.*

Jejunium inexpugnabilis armatura militum Chriſti.

4. Advertendum quoque eſt, quod Redemptor noſter ſubitò ut baptizatus fuit, jejunijs quoque corpus ſuum macerare voluerit, quia quamprimum nos per ſacroſanctum baptiſmi lavacrum tamquam futuri milites Chriſti, ſub vexillo crucis ejus conſcribimur, totus mox Infernus in perniciem noſtram pluſquam aliàs umquam relaxatur, unde Sapiens ait: *Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*; Et Concilium Carthaginenſe 4. ob eamdem cauſam decernit: *Baptizandi nomen ſuum dent, & diu ſub abſtinentia vini & carnium baptiſmum percipiant*: optime enim intelligebat, quod per hanc abſtinentiam ſimul forti quadam & inexpugnabili armatura induerentur adverſus Dæmonem pugnaturi, ac proinde S. Athanaſius inquit: *Jejunijs Salvator noſter, in carne hominis quem aſſumpſerat, eruditur, ſuadelas Diaboli tentantis obtundit, quas etſi aliter potuiſſet expellere; docendos tamen populos voluit hac imitatione formare.* S. Hieronymus pariformiter adverſus peſtiferum illum hæreticum ita ſcribit: *Ipſe Dominus baptiſma ſuum quadraginta dierum jejunio dedicavit, & acriora Dæmonia docuit nonniſi oratione & jejunijs poſſè ſuperari.*

*Eccl. 2. v. 1.*

*S. Athan. in exhort. ad Monach.*

*S. Hieron. l. 2. cont. Jovin.*

5. Sancta Mater Eccleſia in initio Quadrageſimæ hanc ad Deum orationem dirigit: *Concede nobis Domine præſidia militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare jejunijs, ut contra ſpirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilijs*, Quibus in verbis jejunium militiæ Chriſtianæ præſidium appellat, quia ſicut præſidia fortalitio alicui impoſita, illud ab inſultibus hoſtilibus cuſtodiunt & defendunt, eodem modo abſtinentia & ſobrietas fidelium animas ab incurſionibus & inſidijs infernalibus communiunt & fortificant.

*Orat. Eccl. in princ. Quadr.*

Præſidium Chriſtianæ militiæ jejun.

6. S. Apoſtolus de ſemetipſo ait: *Sic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Quænam eſt hæc hominis iſtius contemptui ſui ipſius totaliter dediti gloriatio, ut ſe non aërem aut ventum, ſed carnem propriam verberare & ſauciare dicat? S. Anſelmus verba illa hoc modo exponit: *Ego autem non vacuos ictus verborum in adverſarium jacto, ſed ut illum poſſim lædere, caſtigo jejunijs & afflictionibus corpus meum, ut & exemplum abſtinentiæ dem alijs, & ideò non quaſi aërem verberans pugno, quia dum carnem reſtringo, ipſis abſtinentiæ meæ ictibus non aërem, ſed Diabolum verbero, & dum hoc quod intra me eſt, ſubjicio, extra poſitum adverſarium ferio; corpus caſtigare eſt jejunijs illud reprimere.* Quot enim abſtinentiæ & ſobrietatis actus ab Apoſtolo exercebantur, quibus corpus ſuum extenuabat, totidem ictibus mortiferis Spiritus rebelles in aëre poſitos feriebat, quia dimicabat *contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Caſſianus ait: *Pugnat jejunijs, non quaſi aërem verberans, id eſt, in vanum ictus continentiæ porrigens, per quos non aërem vacuum, ſed illos Spiritus, qui in eo verſantur, caſtigatione ſui corporis verberabat*, & ideo merito dicebat: *Non aërem verberans.*

*1. Cor. 9. v. 26. & 27.*

Diabolus verberatur jejunio.

*S. Anſel. ibid.*

*Caſſian. l. 5. c. 18.*

7. D. Petrus Chryſologus Chriſti fideles in primis exordientis Quadrageſimæ diebus exhortabatur his verbis: *At vos, fratres, qui ſequi vultis in hoc Quadrageſimæ jejunio, jejunij Dominici formam, pugnaturos vos, ſicut prædiximus, contra vitiorum turmas, contra acies criminum, contra informes concupiſcentiarum formas, contra Dæmonum totas aëreas, totas diffuſas & innumerabiles legiones, triumphaturos vos ex ipſis, quæ Dominicum jejunium ſubſequuntur, tentationibus approbate.* Rabanus in quadam Homilia inquit: *Jejunia ſunt fortia tela adverſus tentamenta Dæmoniorum, cito enim per abſtinentiam vincuntur*; Sed parum nimis dixit in comparatione illius, quod Euſebius Emiſſenus aſſerit; hic enim ad illa Apoſtoli verba: *Sic pugno, non quaſi aërem, &c.* ſe reflectens jejunia fortificationes,

Jejunia ſunt fortia tela.

*Chryſol ſerm. 13.*

*Rab. T. 5. Homil. de jejun. vig. & orat. Euſeb. Emiſſ. Hom. 1 de mit. Quadr.*

tiones,valla, munitiones eſſe dicit : *Audi quid Apoſtolus cum inviſibiles adverſarios jejuniorum geſtibus ſe elidere ſentiret; ego igitur ſic pugno, inquit, non quaſi aërem verberans, quod cum loquitur, neſcio quas in aëre poteſtates ſe verberare teſtatur* ; & paulo poſt ſubjungit : *Ut ſpiritualibus reſiſtere poſſit inimicis, continuatis ſtudet corpus vallare jejunijs.* Ubi notandum, verbum illud *vallare* valde urgentem in ſe ſignificationem continere, quia idem eſt quod fortificare, munire, inexpugnabile aliquid & inacceſſibile efficere ; Eſt enim uſitatum militibus, quod in locis ubi degunt, aggeres & valla erigant, & circumvallationibus ſe communiant,ut tanto majori cum ſecuritate hoſtilibus ſe viribus opponere, ab iiſque ſe defendere poſſint. Unde aureum eſt illud D. Chryſologi monitum : *Jejunium quod contra vitia prima virtus eſt nobis in arce pectoris collocetur, quia illo in interioribus præſidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt.* S. Ambroſius quoque jejunium caſtra militaria appellat : *Quibuſdam quaſi caſtris jejuniorum devotione nos munire debemus, caſtra enim nobis ſunt noſtra jejunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt ; Caſtra plane ſunt jejunia Chriſtianis, à quibus ſi quis aberraverit, à ſpirituali Pharaone defenditur.*

Aggeres & valla.
*D. Chryſol. ſerm. 7.*
*S. Ambr. in Fer. 5. poſt Dom. 1.* Quadr. Caſtra.

Hiſtoria. *S. Antonin. 2. p. Cron. tr. 13. c. 6. §. 18.*

8. S. Antonius de quodam in aula Dagoberti Regis Franciæ olim commorante nobiliſſimo juvene refert, quod cum diſcipulum ſe ſcholæ Chriſti facere decreviſſet, ut verè talis evadere poſſet, rigidiſſimam ſibi abſtinentiam induxerit, ideo de menſa numquam niſi famelicus ſurgere conſueverit ; quod Dæmon indigniſſime ferens, illum validiſſima quadam gulæ tentatione invaſerit ; Cumque die quadam non quidem ſuperfluè & intemperanter, attamen plus ſolitò comediſſet, Dæmon nocte illi apparens, ventremque ejus tangens dixit illi : Jam bene tecum agitur ; Unde juvenis ille factum a ſe abſtinentiæ propoſitum aliqua ſaltem ex parte ſe tranſgreſſum eſſe, ipſumque inimicum aliquem ad animam ſuam aditum obtinuiſſe intellexit, factumque eſſe circa ipſum quod de traditore Evangeliſta dicit : *Poſt buccellam introivit in eum Satanas.*

*Joan. 13. v. 27.*

Jejuna Judith hoſtem vicit.

9. Holofernes vivum quoddam inimici infernalis, nec non capitalis vitij gulæ Symbolum erat : Exercitus verò Aſſyriorum, inimicorum populi Dei, Dæmones ſeu Spiritus rebelles infernales veluti typus præſignificabat : Judith igitur ad detruncandum ſuperbi hujus inimici caput, fugandumque univerſum ipſius exercitum animo ſe intrepido accingens, hoſtilia caſtra magnanimiter ingreſſa fuit, ſed quibus illam armis communitam fuiſſe exiſtimatis : S. Ambr. ait : *Succincta jejunijs, in caſtris prætendebat alienis.* Et ideo D. Chryſologus unumquemque Chriſtianum monet, ut quotieſcumque exercitum infernalem in animæ ſuæ præjudicium adverſus ſe inſurgere experitur, *ſumat cum Chriſto arma jejunij, criminum propellat impetus, proſternat caſtra vitiorum.*

*S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 9.*
*D. Chryſol. ſerm. 11.*

Chriſtus Diabolum.

10. Salvator noſter, quantum ex Hiſtoria Evangelica colligere poſſumus, nuſquam Dæmonem adeo manifeſtè ſuperavit, niſi poſt expletos quadraginta jejunij rigoroſiſſimi dies, idque ut S. Ambroſ. ait ; *Non quod ante jejunia eum vincere non potuiſſet, ſed ut oſtenderet nobis, tunc nos Diaboli poſſe eſſe victores, cum per quadraginta dies victores jejunando deſideriorum carnalium fuiſſemus.*

*S. Ambr. ſer. 5. D. 1. Quadr.*

Serpens enecatur jejuno ſputo.

11. S. Petrus Damianus proinde ad ſtrenue conſectandum jejunium cohortatur, utpote per quod ſerpenti infernali necem inferre poſſumus,idque per quamdam ſerpentis corporalis proprietatem manifeſtè oſtendit ; hujus enim proprium eſt, quod ſputò ex jejuni hominis ore emanante enecetur. *Arma jejunium, ut dum inediâ corpus atteritur, anima cæleſtis gratiæ pinguedine ſaginetur, & ſerpens ille, qui comedentem hominem cibi telo proſtraverat, jejunanti nunc per ſobrietatis arma ſuccumbat ; ſerpens enim, ſicut perhibent, qui ſcrutandis rerum naturis ſubtiliter inſudarunt, ſi jejuni hominis ſputum guſtat, protinus moritur, dum ergo tanta ſit jejunij virtus in hanc beſtiam, quæ corporaliter repit, quanto vehementior in illum draconem vigere credendum eſt, qui inviſibiliter ſerpit?* Idem quoque S. Anton. de Padua in ſermone quodam dicit : *Saliva*, inquit, *hominis jejuni occidit ſerpentem, magna virtus jejunij, quæ peſtes animæ curat, antiqui hoſtis fraudem exſuperat.* Idem quoque S. Bonaventura tradit ſerm. 6. in die Cinerum.

*S. P. Dam. l. 1. Ep. 11.*
*S. Ant. Pad. ſerm in Dom. 3. Ep.*

Hiſtoria. *Spec. Ex. 12. verb. Abſtinent.*

12. In ſpeculo Exemplorum draconem quemdam fuiſſe refertur, qui homines & jumenta ſibi obvia pariter occidebat & devorabat, nec ulla vi armorum, aut adhibita quacumque hominis arte aut induſtria occidi poterat : Tandem verò ſanctus quidam Epiſcopus afflictio populo dixit : *Virtus draconis non eſt fortior, quàm virtus Dæmonis, ſed virtus Dæmonis expellitur per orationem & jejunium, & ideò affligamus carnem noſtram per jejunium* ; adimpleto autem decem dierum jejunio ſanctus vir Dei adſtantibus dixit : *ut cognoſcatis quanta ſit virtus jejunij, volo ut omnes exſpuatis in pelvim, tunc ipſe accipiens ſputa, fecit circulum circa draconem, qui non valens egredi, ex tunc mortuus eſt ibi ; tunc ille ſanctus incæpit clamare & dicere ; ſicut virtus jejunij corporalis interfecit illum draconem, ſic virtus jejunij ſpiritualis expellit omnem virtutem & tentationem Dæmonis.* S. Bonaventura in ſermone citato ait : ut ſputo ſuo homo terrenum ſerpentem interficit, ſic & merito jejunij ſpiritualem.

Jejunium proſternit diabolum. *S. Ambr. ſ. 5. d. 1. Quad.*

13. S. Ambroſius neminem umquam huic tyranno in prædam ceſſiſſe exiſtimat, qui ſe valida jejunij lorica antea obarmaverat : *Quis umquam Chriſtianorum jejunavit, & captus eſt? quis ſobrius manſit, & victus eſt? temulentum aggreditur Diabolus, luxurioſum oppugnat inimicus ; Ubi autem jejunium viderit, fugit, metuit, pertimeſcit, terretur pallore ejus, debilitatur inediâ, infirmitate proſternitur.* S. Bonaventura tritum illud adducit proverbium, quo dici ſolet : fames lupum è ſylva propellit : *Eſt etiam jejunium valde bonum conſilium ad effugandum lupum ſicut enim vulgò dicitur, fames ejicit lupum de nemore, ſic abſtinentia & jejunium fugant Diabolum ab homine.* S. Gregorius ait : *Abſtinentes quaſi cum ſerpente pugnant, quando gulæ appetitum magna virtute deprimunt, ut veneno luxuriæ non inficiantur.* S. Bernardus jejunium armamentarium contra Dæmones appellat : *Jejunia fortia arma ſunt adverſus tentationes Dæmoniorum.*

*S. Bonav. in diet. ſal. tit. 2. cap. 6.*
*S. Greg. l. 5. in l. 1. Reg. in c. 11.*
*S. Bern. de modo benè vivendi c. 24.*

Job vicit jejunio.

14. De S. Jobo conſtat quod in illum inimici tartarei omnia ſua exploſerint & vibrarint fulmina,Deus etenim ut ſervum ſuum ejuſque experiretur virtutes, omnem in ipſum poteſtatem Satanæ conceſſerat, ut quovis adverſitatum excogitabilium genere ipſum pro viribus exerceret, cum hac tamen reſervatione : *Verumtamen animam illius ſerva* ; Ignem igitur cælitus deſcendere fecit, ut eodem omnia conſumerentur ipſius pecora & armenta ; Chaldæi & Sabæi duce Diabolo omnes ejus ſubſtantias & facultates deprædari nitebantur, domus quoque ejus in terram funditus collapſa omnia chariſſima filiorum filiarumque ſuarum pignora ſub ruinis ſuis ſimul & ſemel ſepelivit ; ſola ipſi inter vivos ſuperſtite manente conjuge ejus, quam Dæmon præſervarat, ut maritum ſuum omni ſtudio & induſtria adhibita ad maledicendum & blaſphemandum Deum tentando induceret ; à capite item ad calces uſque totum corpus ulceribus, ſanie & fœtenti putredine plenis ad ſtuporem uſque replevit, ipſeque nudus, & famelicus in ſterquilinio ſedens, teſta ulcerum ſuorum ſaniem radebat & exprimebat, nihil interea de ſua patientia & longanimitate, perfectaque in Deum reſignatione amittens ; at verò inquies fortaſſe, quonam ſe S. Job armorum genere munierat, ut inimicum & carnificem illum tartareum ſine aliquo ſuccumbendi periculo vincere poſſet? Nullo profectò alio quam abſtinentia, ſuique ipſius in cibo potuque ſumendo mirifica mortificatione,quia cum omnes alij homines communiter menſæ cum gaudio accumbere ſoleant, Job econtra de ſemetipſo dicit : *Antequam comedam ſuſpiro* : verebatur enim ne aliquo cibi guſtu præter aut contra Dei legem afficeretur, ac proinde optimè ait S. Baſilius : *Jejunium armatura eſt ad confligendum cum impijs ſpiritibus.*

*Job. 2. v. 6.*
*Job. 3. v. 24.*
*S. Baſil. hom. 1. de jejun.*

Jejunium operimentū.

15. Verum quidem eſt quod Job ad eam uſque miſeriam redactus fuerit,ut nudus prorſus cunctiſque rebus exutus vivere cogeretur,ac proinde ait : *Nudus egreſſus de ventre matris meæ, & nudus revertar illuc*, nihilominus forti quadam armatura contectus remanſit,ſiquidem impenetrabili quadam lorica fuit accinctus, de qua Pſalmiſta ait : *Operui in jejunio animam meam* ; Nam ut S. Ambroſius ait : *Jejunia operiunt etiam exutos* : Unde David ait : *Operui in jejunio animam meam ; bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur ; ne à tentatore nudetur.*

*Pſ. 68. v. 11.*
*S. Ambr. l. de elem. & jejun.*

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

Abſtinentia & jejunium ad inimici infernalis tentationes & inſultus ſuperandos vires & animi vigorem ſubminiſtrat.

THE-



## THEMA.

*Sobrij eſtote, quia adverſarius veſter Diabolus tamquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* 1. Petri 5. ℣. 8. & 9.

Jejunis nocumentum inferre non poteſt dæmō.

1. EX hoc S. Petri Apoſtoli teſtimonio, de rabie qua Leo infernalis animarum noſtrarum devorandarum avidus agitur, clarè & evidenter ſatis, quantum ex virtute ſobrietatis & abſtinentiæ torqueatur, deduci poſſe videtur. S. Petrus Diabolum famelicum eſſe aſſerit, eo quod nos ſobrij ſimus ; *circuit, quærens quem devoret* ; unde patet Dæmonem ijs qui jejunant,nocumentum ullum adferre non poſſe ; ac proinde idem Apoſtolus providiſſimo conſilio nos monet dicens : *ſobrij eſtote ; cui reſiſtite fortes* ; Nam ut D. Chryſoſtomus ait : *Diabolo nemo magis amicus eſt, quam qui delitijs & ebrietate maculatur, contrariorum eadem diſciplina* ; ac proinde qui abſtinentiæ amicus eſt, ejus Dæmon implacabilis inimicus erit.

*S. Chryſoſt. hom. 58. in Matth.*

*Hug. Card. in 1. Pet. 3.*

2. Hugo Cardinalis Ly, ſobrij, conſiderans, quanam in re hæc virtus conſiſtat, ita declarat : *Eſt autem ſobrietas virtus ſpiritualiter ſumpta, motus gulæ refrænans* : quod ſi autem ſobrietas inordinatos gulæ appetitus refrænat, profectò ex præcitatis S. Petri verbis abſtinentiam & ſobrietatem frænum eſſe, quo Leonis infernalis rabies coercetur, clarè ſatis colligitur, *cui reſiſtite fortes. Neque enim aſſultus Dæmonum*, inquit S. Baſilius, *quidquam audent adverſus jejunantem* ; imo idem S. Doctor ibidem conſtanter nos, dum jejunamus, ab Angelis frequenter defendi aſſerit his verbis : *Ac vitæ noſtræ cuſtodes Angeli diligentius adſunt ijs qui jejunio purgatam habent animam.* Evidenter id expertus eſt Daniel, qui è faucibus Leonis illæſus exivit : *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora Leonum, & non nocuerunt mihi.* Porro Leones teſte S. Petro Apoſtolo Diabolos præfigurant, *tamquam Leo rugiens* ; Hic igitur ſublatis omnino viribus, adverſus Prophetam nec quidquam efficere prævaluerunt, vultiſne hujus debilitatis cauſam percipere? Audite S. Hieronymum qui ait : *Poſt jejunium leonibus in lacu fuit horribilis.*

Jejun. frænum diaboli.
*S. Baſil. orat. 2. de jejun.*
*Dan. 6. 22.*
*S. Hier. lib. 2. con. Jovin.*

Jejunium ſuperat tentamenta omnia.

3. S. Anſelmus ad id ſe reflectens, quod Salvator apud S. Matthæum dicit, nimirum quod Dæmonia non niſi per orationem & jejunium pelli poſſint, ita ſcribit : *Cum docet Apoſtolus, quomodo Dæmon nequiſſimus debeat expelli, omnes ad vitam inſinuat, ut ſcilicet noverimus graviora quæque vel dæmonum vel hominum tentamenta jejunijs & orationibus eſſe ſuperanda.* Et ideo S. Auguſtinus nos monet dicens : *Quando prælium tentationis infertur, jejunandum eſt.*

*S. Anſel. in c. 17. Matt.*
*S. Aug. in app. ſerm. 16. diver.*

Jejunantes Lucifer non vorat.

4 Lucifer cum univerſo Inferno concepta erga nos rabie plenus, numquam nos non extimulat ad conſectandas voluptates & delitias ſenſualitatis, aliaque vitia committenda, nec umquam ab hoc molimine deſiſtit aut quieſcit : *Tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Quodnam igitur nobis ſupereſſe poterit effugium,per quod è famelicis avidiſque faucibus illius ſecurè evadere valeamus? Chryſologus ait : *Audi : Diabolus ſicut leo rugiens ; jejunantibus nobis Diabolus eſurit* ; ſemper itaque eſuriet,quia numquam devorare nos poterit,quamdiu temperantes, ac ſobrij permanſerimus : *ſobrij eſtote ; cui reſiſtite fortes.*

*S. Chryſol. ſerm. 12.*

Porta patet diabolo ubi ebrietas.

5. Scitiſne circa quem Diabolus vel maximè prævaleat, vel laqueos ſuos tendat, aut penes quem liberum minimèque impeditum aditum communiter obtineat? S. Bern. ait : *Maligni Spiritus ibi magis intrant, ubi plus eſcam & potum vident* ; Unde ſicut piſces, aves, & alia animalia eſca communiter capiuntur & cibo ſub reti vel hamo recondito, ita & Dæmones per eſcam gulæ addictos capiunt. Unde B. Laurentius Juſtinianus de ſobrietate tractans ait : *Sobrietas à laqueis tentationum protegit ; nam ſicut piſces capiuntur hamo, & aves comprehenduntur laqueo, ſic illaqueantur non habentes ſobrietatem.* Eamdem quoque ſimilitudinem S. Ambroſius adducit, dum ait : *Per eſcam laqueus non cavetur ; in eſca hamus latet, & cibus inducit in retia, cibo viſco etiam aves illigat.*

*S. Bern. de modo bene viv. c. 24.*
*B. Laur. Juſtin de lig. v. c. 3.*
*S. Ambr. l. de El. & jejun. c. 8.*

6. Numquid aſtutus ille coluber, de quo dicitur : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, primos parentes noſtros gravi illa tentatione adoriri volens, pomum illis vetitum ob oculos poſuit, hacque ratione ſibi victoriam ſperatam comparavit? utique ; Et ideo S. Ambroſius ait : *Merito mulier, ubi culpæ agnovit authorem, interrogata reſpondit : ſerpens decepit me, & manducavi ; ſerpens gulam perſuadet, Dominus jejunare decernit ; Denique ipſe ait : Jejunate & orate, ut non intretis in tentationem.* Unde S. Ephrem inter alia jejunij encomia hoc quoque recenſet : *Jejunium ſtrenuis militibus telum ; jejunium tentationes retundit, ad pietatem inungit.* S. Baſilius quoque inter alia epitheta quibus & ipſe jejunium commendat, aliqua habet ad præſens propoſitum noſtrum aptè ſervientia ; dicit enim : *Jejunium Prophetas generat, potentibus addit robur, jejunium legumlatoribus ſubminiſtrat ſapientiam, bona animæ cuſtodia, corpori tutus convictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium : hoc tentationes depellit, hoc ungit ad pietatem.* Idem quoque alibi dicit, quod ſine abſtinentia & ſobrietate cum Diabolo pugnare, idem ſit, quod ſine enſe aut ſcuto ad bellum procedere : *Minus enim is periculum adit, qui in acie abjecto ſcuto in fugam ſe conjicit, quam ille, qui magnum ſcutum, jejunium ſcilicet, abjicit.*

*Gen. 3. 1.*
*S. Ambr. ibi c. 4.*
*S. Ephr. t. 1. de jejun.*

Sine jejunio non pugnandum cum Dæmone.
*S. Baſil. hom. 1. de jejun.*
*S. Baſil. or. 1. de jejun.*

7. Tertullianus namque ait : *Jejunium ſcutum noſtrum eſt ad retorquenda jacula Diaboli.* Hoc ſcuto mediante Salvator noſter omnes ſibi à Lucifero intentatos inſultus, retundere potuit. Unde Sanct. Bonaventura dicit : *Vicit omnes tentationes Diaboli in deſerto, in monte, in templo, jejunium enim maximè efficax eſt contra tentationes.*

*Tertull. contr. Pſych. c. 6.*
Jejun. Scutum.
*S. Bonav. ſer. 4. in Dom. 1. Quad.*

Jejun. facit hominem agilem.

8. Deus olim S. Prophetam Eliam per Angelum moneri fecit, ut ſibi ab impiæ Jezabelis ira per fugam proſpiceret, utpote quæ vitæ ejus varias inſidias & laqueos tendebat, qui idem Angelus Prophetam hunc pane quodam ſubcineritio & aqua permodica refectum ad iter ſuum ineundum confortatus eſt, quod in virtute illius, intra quadraginta dies, quibus ſine cibo & potu ſemper jejunus permanſit, ad montem uſque Horeb feliciter abſolvit. Circa quam hiſtoriam S. Auguſtinus quærit : *Numquid Dominus qui Cælum & Terram fecerat, cujus omnis eſt creatura, non potuit in eremo per Angelum prandium mittere, ſicut Danieli in lacu leonum per Abacuc miſit? ſed ſciebat Deus Prophetam ſuum tentantem Diabolum aliter ſuperare non poſſe, niſi jejunijs eruditus.* S. Bonaventura ſequentem adducit ſimilitudinem : *ſicut avis macilenta eſt agilis ad fugiendum accipitrem, ad volatum ſublimem, ſic mens hominis jejunantis & abſtinentis eſt habilis ad fugiendum accipitrem, id eſt, hoſtis tentationem, & ad ſublimem volatum contemplationis.*

*3. Reg. 19. v. 5.*
*S. Aug. ſerm. 65. de temp.*
*S. Bon. in diat. ſalut. tit. 2. c. 6.*

9. Hieronymus verba illa Davidis Regis : *Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum*, conſiderans ait : *Tales diligit milites Chriſtus, qui jejunijs vacent, annona noſtra & eſca jejunium eſt. Quare? quia in jejunio victoria eſt, & in victoria triumphus.*

*Pſ. 108. v. 24.*
*S. Hier. ib.*

Victoria Judith à jejun.

10. Unica imbellis mulier integrum diſſipavit hoſtilem exercitum tot hactenus comparatis victoriarum trophæis inclytum, utpote qui multas ſibi paulo ante Provincias & potentia regna Nabuchodonoſoris imperio ſubjugaverat ; Qua de re S. Ambroſius ait : *ſolo titulo ſobrietatis, deſperatum animis virilibus reportavit triumphum.* S. Auguſtinus Juditham panem legalem ſecum deferentem, neque ſe ex lautis menſæ Holofernis ferculorum apparatibus contaminare volentem conſiderans ait : *Sobria jugulat ebrioſum.* De eadem Viragine Juditha apud eumdem S. Doctorem hæc verba leguntur : *Quia ſobrietatem loquamur, temperantia enim quæ virtus eſt fœminarum, inebriatis vino viris, & ſomno ſepultis, abſtulit vidua gladium, bellatoris caput abſtulit, per medias hoſtium manus intemerata proceſſit.* S. Ambroſius eamdem Juditham quotidie, diebus Feſtis exceptis, jejunaſſe conſiderans ait : *His armis munita proceſſit, & omnem Aſſyriorum circumvenit exercitum, ſobrij vigore conſilij abſtulit Holofernis caput, ſervavit pudicitiam, victoriam reportavit. Unius mulieris jejunium, innumeros ſtravit exercitus Aſſyriorum.*

*S. Ambr. ep. 28.*
*S. Aug. ſerm. 66. in append. de diverſ.*
*Ad Virg. lapſam c. 9.*
*S. Ambr. l. de jejun. & Elia c. 7.*

Jejun. excubias agit.

11. Verum enimvero ex quo generoſarum quarumdam mulierum mentionem facere cœpimus, operæ pretium certè erit illum Exodi textum in memoriam revocare, in quo dicitur : *Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* Circa hæc enim verba mirabilis quædam verſionum diſproportio apud Scripturiſtas reperitur, ubi enim nos legimus, *quæ excubabant*, Septuaginta legunt : quæ *jejunabant* ; Hebræus autem textus legit : *quæ militabant.* Quænam autem eſt inter Ly pugnare, ſeu bellare & jejunare proportio? Magna profectò, ſiquidem ut hactenus audiſtis, qui jejunat, fortis & validus eſt ad pugnandum.

*Exod. 38. v. 8.*

Jejun. vigorem addit.

12. *Cui reſiſtite fortes*, inquit Sanctus Petrus. Sed quis virium vigor aut fortitudo in eis eſſe poterit, qui jejunando vires corporales extenuant & frangunt?

Ingens

*S. Hier. in pſ. cit.*

Ingens profectò; aliàs S. Paulus malè dixiſſet: *Cum infirmor tunc potens ſum; quibus verbis non in ſaturitate ſed in infirmitate gloriatur, quando enim infirmor tunc fortior ſum.* Sanctus Ambroſius exemplum adducit Holofernis, qui cum antea invincibilis eſſet, per lauta, quibus aſſuevit, jejunia, iners factus eſt & ignarus: *Exemplum evidens*, inquit, *quod & illum terribilem populi bellatorem virum luxuria emollivit, & hanc fœminam temperantia sibi fortiorem viris effecit.* Samſon ſimiliter quonam tempore fortior & victorioſior extitit? num illo quo ritus Nazaræorum obſervantiſſimus abſtinens & ſobrius fuit? an verò quando inordinatis appetitibus fræna prorſus laxavit? Audite hac de re loquentem S. Baſilium: *Quando inedia corpus macerabat ſuum*, inquit, *millenos ſternebat hoſtes, portas Civitatum effringebat, leones denique ipſi robur manuum ipſius ferre non poterant; at cum ſe ebrietati amorique meretricio dediſſet, robur omne penitus amiſit, oculiſque captus, ludibrio erat pueris.*

*S. Ambr. lib. 3. ep. 25.*

*S. Baſil. or. 5. de jejun.*

*Suet. in vita Vitell.* Hiſtoria.

13. Suetonius in vita Vitellij Imperatoris de eodem refert, quod dum Galbæ ſceptrum Imperij extorquere volens ſeditionem adverſus ipſum machinaretur in populo, horumque motuum Senatus Romanus accepiſſet notitiam, Galba, ut Senatores ſibi fidos conſervaret, hunc in modum ipſos fuerit affatus: *Nonne Vitellius homo guloſus & potator vini eſt? non igitur eſt, cur illius vires timeamus, numquam enim vir intemperans magnum quid aggreſſus eſt.* Verumtamen inter illos quibus contra inimicos confligendum eſt viſibiles, & alios qui militiæ ſpirituali contra Dæmones ſive *contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus* gerendæ operam navant, hæc præcipuè differentia intercedit, quod milites qui enſes & lanceas tractant, ſolido & robuſto alimento indigeant, ijs verò qui cum ſpiritibus tartareis prælia quotidiana gerunt, nihil æque conveniat, quàm quod corpore ſint debiles & viribus languidi.

*Epheſ. 6. 12.*

14. S. Ambroſius in cap. 6. ad Epheſ. ubi vulgata noſtra habet: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli, quoniam eſt nobis colluctatio &c.* ipſe hoc modo legit: *Accipite univerſitatem armorum.* Dum verò hoc Chriſtianæ militiæ armamentarium quale ſit, exponere nititur, illud in ſolo jejunio conſiſtere aſſerens, jam ſtatim inter utramque militiam aſſignatam differentiam adducit, dicens: *Contra terrigenos hoſtes corpus ſagina roboratur, & pocalis mens incitatur, ut repugnandi ſumat audaciam; adverſus autem ſpiritualia nequitiæ, ſpiritualiter repugnandum eſt, & ſobrietatis & abſtinentiæ arma ſumenda ſunt.* Quanto enim corpus magis extenuatur, tantumdem plus impinguatur anima, & quo plus vigor corporalis deficit, tanto vigor ſpiritualis in homine magis augeſcit. Unde Rabanus in Homilia quadam de jejunio ait: *Abſtinentia corpus macerat, ſed cor impingueſcit, carnem debilitat, ſed animam confortat.* Et S. Hieronymus in Commentario ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Genua mea infirmata ſunt à jejunio*, Religioſos, qui in continua abſtinentia & jejunio vitam ſuam degunt, conſolatur his verbis. *Habeto conſolationem, o Monache, jejunando, ſiquidem & Dominus hoc fecit; ego dico, quod quando jejunat Monachus, fortior ſit jejunio, & quando infirmantur genua ejus à jejunio, tunc maxime roboratur.*

*S. Ambr. in c. 6. ad Epheſ.*

Differentia inter militiam corporalem, & ſpiritualem.

*Raban. t. 5. hom. de jejun.*

*Pſ. 108. v. 24*

*S. Hier. in pſ. 108.*

15. David Rex quidem adverſus inimicos ſuos, qui Reipublicæ paci & quieti adverſabantur, invictus ſemper remanſit; Verumtamen adverſus hoſtes inviſibiles animæ ejus inſidiantes, non minus invictus & intrepidus extitit, idque potiſſimum jejunio mediante fuit aſſecutus, unde ait: *Operui in jejunio animam meam*; hæc unica & impenetrabilis lorica ejus fuit; Ex quibus proinde verbis S. Ambroſius hanc conſequentiam deducit: *Ergo qui non jejunat, intectus eſt, & nudus; & patet vulneri.*

David invictus ob jejun.

*Pſ. 68. v. 11.*

*S. Ambr. ep. 7*

16. Idem quoque regius Propheta de ſemetipſo dicit: *ſimilis factus ſum pellicano ſolitudinis*; Circa quæ verba S. Bruno Carthuſianæ ſolitudinis Patriarcha, avem hanc ſolitariam & inter denſa ſylvarum nemora commorari ſolitam eſſe dicit, quæ *tantæ abſtinentiæ eſt, ut ſicut aliæ aves ſaturitate, ita ipſa jejunijs delectatur*; ideòque huic avi S. Paulum primum Eremitam, S. Antonium, S. Hilarionem, S. Benedictum & alios ſimiles fuiſſe dicit: *quorum delitiæ jejunium, quorum vita abſtinentia fuit*; qui omnes adverſus Dæmonis inſultus invicti ſemper fuerunt & inſuperabiles.

Pellicanus jejunijs delectatur.

*S. Bruno de orn. Eccleſ. cap. 11.*

17. S. Ambroſius ad illa Apoſtoli verba: *Cum infirmor, tunc fortior ſum*, ſe reflectens, ſententiæ hujus Apoſtolicæ rationem reddens ait: *Chriſtiana infirmitas fortitudo eſt, ſed quæret aliquis, quemadmodum fortis infirmitas? tunc eſt fortis infirmitas, quando caro tabeſcit jejunijs, anima puritate pingueſcit, quantum enim illi ciborum ſuccus ſubtrahitur, tantum huic juſtitiæ virtus augetur.*

*S. Ambr. in 5 fer. D. 1. Quadr.*

18. S. Bonaventura in opuſculo, cui titulus eſt, Diæta ſalutis, conſiderat, quod Medicus inter primas artis ſuæ curas in id potiſſimum incumbit, ut congruam infirmo victus rationem, & diætam præſcribat: *Sic primum auxilium vexati febribus tentationum, eſt jejunium & abſtinentia.*

*S. Bon. in diæta ſalut. tit. 2 c. 6.*

19. S. Hieronymus quidem, militem qui cum viſibili hoſte ſuo in arenam eſt deſcenſurus, cibo ſubſtantiali & ſolido opus habere fatetur, adducitque Milonis Crotoniatæ exemplum, qui certè ſi inſulſis & inſipidis ſe herbis nutriviſſet, ad illud corporis robur pertingere minimè potuiſſet; Verumtamen ad noſtram conſolationem ſubjungit: *Quid neceſſum eſt viro ſapienti & Philoſopho Chriſti tantam habere fortitudinem, quæ athletis & militibus neceſſaria eſt, quam cum habuerit, ad vitia provocetur?*

*S. Hieron. l. 2. cont. Jovin.*

20. Daniel Propheta non ſemel, ſed ſæpius in lacum leonum incluſus fuit, qui tametſi fame ferme contabuiſſent, ad ipſum tamen accedere, aut vel minimum ipſum lædere non præſumpſerunt; Scitiſne cauſam? inquit S. Baſilius, eamque protinus his verbis ſubjungit: *Daniel cum tres hebdomadas panem non comediſſet, nec aquam bibiſſet, etiam leones ipſos in puteum immiſſus jejunare docuit.* Notandum vero ad quantum corporis robur & fortitudinem jejunio mediante pertigerit: *Quaſi ex lapide aut ære, aut aliqua re ſolidiore conflatus fuiſſet, leones ei dentes infigere non poterant, ita jejunium corpus illius, velut tinctura quadam ferri firmarat, ac leonibus invictum reddiderat.* Idem quoque in alia quadam oratione de jejunio loquens differentiam corporalis & ſpiritualis militiæ paulò antè à nobis adductam conſiderat, ſcilicet quod luctatores viſibiles cibis ſubſtantialibus & ſolidis nutriri indigeant; *Quo validioribus nervis labores valeant capeſſere: Contra vero quibus non eſt colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus mundi dominos tenebrarum harum, hos oportet per ſobrietatem ac jejunium ad certamen exerceri; Etenim quemadmodum oleum oblinit athletam, ita jejunium robur addit ei, qui ad pietatem exercet ſeſe; itaque quantum ſubtraxeris carni, tanto reddes animam habitudine ſpirituali nitidiorem.* Pro cujus meliori intelligentia advertendum eſt, ideo inimicum infernalem adverſum nos communiter prævalere, quia caro noſtra familiariter cum ipſo colludit, & correſpondet, noſque illi validas adverſum nos ipſos vires ſubminiſtramus.

Jejunus Daniel leones docuit jejunare.

*S. Baſil. hom. 1. de jejunio.*

*S. Baſil. orat. 2. de jejun.*

21. Conſtat omnibus, ut puto, quod per Bullam Cœnæ Domini arma & munitiones Turcis, vel alijs manifeſtis Eccleſiæ hoſtibus vendere prohibeamur, ne ipſi proprijs nos armis debellent. Simili quoque modo nobis ſerio prohibetur, ne Dæmoni annonam vel arma ad nos diſperdendos, qualia ſunt, epulæ, convivia, aliæque conſimiles voluptates, ſubminiſtremus; Unde S. Gregorius ait: *Nullus palmam ſpiritualis certaminis apprehendit, qui non in ſemetipſo prius per afflictam carnis concupiſcentiam carnis incentiva devicerit; neque enim ad conflictum ſpiritualis agonis aſſurgitur, ſi non prius intra noſmetipſos hoſtis poſitus, gulæ videlicet appetitus edomatur, quia ſi non ea quæ nobis ſunt viciniora proſternimus, inaniter ad ea quæ longius ſunt impugnanda tranſimus; incaſſum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, ſi intra ipſa urbis mœnia civis inſidians habeatur.*

Ut Turcis arma vendere prohibitum, ita convivia celebrare.

*S. Greg. l. 30. moral. c. 13.*

## DISCURSUS XIII.

### ARGUMENTUM.

Ninivitarum Exemplo jejunium opportunum ad abolendum peccatum, noſque ab eo præſervandos, nec non ad placandam Divinam Juſtitiam, per gulam aliunde graviter proritatam, remedium eſſe oſtenditur.

### THEMA.

*Homines & jumenta & boves, & pecora non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus?* Jonæ 3. ℣. 9.

1. POſtquam Jonas Propheta ex juſſu & ordinatione Dei civitatem Niniven ingreſſus fuiſſet, ut numeroſiſſimi eam incolentis populi ultimum poſt quadraginta dies futurum vaticinaretur exterminium: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*: Sardanapalus, qui ex multorum opinione Rex illius fuiſſe creditur, & hactenus convivijs & comeſſationibus, tripudijs alijſque id generis mundanis gaudijs omninò deditus erat, mox jejunium univerſale ad ipſa uſque bruta animalia ſe extendens adeò ſtrictum & rigoroſum inſtituit, ut nec jumenta, nec pecora, multo minùs homines quidquam ciborum ad refectionem ſui ſumere ſine graviſſimæ pœnæ reatu auderent: *Homines & jumenta* &c. Sciebat enim, quod ut S. Auguſtinus optimè ad propoſitum noſtrum ſcribit: *Quanto plures dies ſunt jejunij, tanto melior eſt cauſa remedij, quanto prolixior abſtinentia curſus, tanto redemptio copioſior ſalutis.* Fuitque feliciſſimus hujus intimati rigoroſiſſimi jejunij eventus; tametſi enim Jonas communem illis ruinam prædixiſſet, attamen hæc jejunij ſumma & incredibilis virtus fuit, ut poſt protractum in quadraginta dies uſque jejunium, Deum mox ſuam retractaſſe ſententiam intellexerint, & quanto in longius tempus jejunia ſua protrahebant, tantò ſibi arctius divinam clementiam conciliarint.

Ninive jejunio ſalvata.

*S. Aug. ſerm. 89. de temp.*

2. Nimirum ad Regis munus propriè ſpectat, ut tamquam Medicus, ſubditis ſuis præſcribere & ordinare poſſit medicinam ſalutis; Unde Princeps ille, cui apud Iſaiam Imperij potentiſſimum ſceptrum offerebatur, vel ex illo ſolum capite illud admittere renuebat, quia Medicus non erat: *Non ſum medicus*: quaſi expreſſius dicere vellet; ad Principem ſpectat, ut ſubditorum curare infirmitates norit, eorumque invigilare ſaluti. Et ideò S. Ephrem hunc Ninivitarum Regem Medici titulo honorat, dum ait: *Cognoſcebat Ninivitarum Rex cauſam prædicatæ iræ ob eorum veniſſe peccata, præſcidit cauſam, & mala depulit, Medicus erat, ſciens morbum civitatis, adhibitoque jejunij pharmaco civitatem curavit.* Peritus namque & expertus Medicus infirmitatis cauſam & originem è medio tollere ſatagit, hæc autem in ſolo gulæ & crapulæ exceſſu conſiſtebat, quam proinde radicitus extirpare conatus fuit. Unde S. Maximus jejunium unicum Ninivitis remedium fuiſſe conſiderans ait: *Illos aliud non habuiſſe refugium, niſi ut abjectis crapuloſis epulis jejunia continuata ſuſciperent, ſcilicet, ut exinde remedium perciperent, unde ijs perditio contingebat.*

Rex ſit medicus.

*Iſa. 3. v. 7.*

*S. Ephr. in Jonam.*

*S. Maxim. hom. in Lucam.*

3. Porro inter alia ſententiæ Divinæ à Jona comminatæ verba, valde conſiderandum venit Ly *Subvertetur*: Non enim illam ob malam aliquam vitiati aëris influentiam vel contagionem, vel per incendium, vel aliud ſimile infortunium devaſtandam & deſolandam eſſe dicit, ſed per phraſin illius verbi *ſubvertetur*, illam ab hoſtili quodam exercitu deſtruendam & exterminandam eſſe comminatur: Jam verò dum fortis quidam inimicus ad Civitatem aliquam obſidendam appropinquare intelligitur, mox congeſta humo aggeres mœnibus adjiciuntur, valla & propugnacula inſtaurantur, fortificantur munitiones & fortalitia, ut omnis invaſori obſtruatur intercipiendæ civitatis via vel aditus; ac proinde S. Cyrillus de Ninivitis ait: *Illi verò jejunium velut inexpugnabile propugnaculum arripientes, divinam declinavere iracundiam, ſeque à malis imminentibus liberaverunt*; Et D. Chryſoſtomus ait: *Ebrietas & crapula urbem ſtantem quati, ad caſumque nutare compulit, jejunium nutantem ipſam caſuramque firmavit.* Fortiſſima quæ urbem Niniven defendebant mœnia per gulam diruta poſtrataque jacebant, at vero jejunium illa denuo erexit & in priſtinam integritatem & fortitudinem redegit, rigidaque illa fortificavit abſtinentia; nam ut S. Ambr. ait: *Murus quidam eſt Chriſtianis jejunium, inexpugnabilis Diabolo, intranſgreſſibilis inimico.*

Non ſubverſa Ninive propter jejunium.

*S. Cyrill. Alex. Hom. 1. de feſt. Paſch.*

*D. Chryſoſt. Hom. 53. de pœnit.*

*S. Ambr. in f. 5. D. Quadr.*

4. Jonas Deum viſis Ninivitarum bonis operibus illius denuo placatum & reconciliatum fuiſſe dicit: *Et vidit Deus opera eorum quia converſi ſunt de via ſua mala.* Enimverò nulli dubium eſſe poteſt, quin Ninivitæ pluribus alijs præter gulam vitijs immerſi fuerint, ad hoc enim credendum hoc unicum dicere ſufficit, quod videlicet Sardanapalus Rex & Paſtor illorum fuerit; *Cum enim paſtor per abrupta graditur*, ut S. Gregorius ait, *conſequens eſt, ut grex in præcipitium feratur*; & tamen inter omnia Ninivitarum bona opera, jejunium ſpecialiſſime in ſacro textu exprimi legimus; Hoc enim unice & ſolitarie ad ſiſtendum Divinæ juſtitiæ fulmina ſufficit; Unde in collecta quadam Quadrageſimali legimus: *Præſta nobis quæſumus Domine; ut ſalutaribus jejunijs eruditi, à noxijs quoque vitijs abſtinentes, propitiationem tuam facilius impetremus.*

*Jon. c. 3. v. 10.*

Jejunium ſolum ſufficit ad Dei flagella ſiſtenda.

*Orat. in fer. 4. D. 3. Quadr.*

5. Non eſt quod iram Dei, vel quemvis alium ſiniſtrum eventum timeat, qui jejunio ſe obarmat: *Civitas Ninive*, inquit S. Hieronymus, *imminentem iram Domini, jejuniorum miſeratione detorſit, quam & Sodoma placaſſet & Gomorrha, ſi voluiſſet agere pœnitentiam & lachrymas pœnitentiæ patrocinante conciliare jejunio.* In lib. Exodi legitur, quod Moyſe Propheta in Monte Synai conſtituto, *cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementer perſtrepebat*, ideoque totus populus, timore percuſſus tremebat, ſiquidem cœlum terræ bellum videbatur indicere: timuit populus; Moyſes autem nec quidquam timuit, ſed per media fulgura penetrare minimè dubitavit; Scitiſne cauſam? inquit S. Ambroſius: Nimirum, *Jejunantem non voces magnæ, non fulgura, & nubes nimboſa, non fumigans Sina perterruit, neque vero introiſſet in nubem, & vocem Dei loquentis de medio ignis ſine periculo ſalutis audiſſet, niſi munitus armis jejunij fuiſſet.*

Jejunus nihil timeat.

*S. Hier. l. 2. con. Jovin. cap. 19. 16.*

*S. Ambr. de Elia & jejun. c. 6.*

6. Veriſſima eſt illa ſapienti à Spiritu ſancto dictata ſententia, qua dicitur: *Miſeros facit populos peccatum*: ſiquidem ſolum peccatum eſt, quod Civitatibus, Regnis, Provincijs, imò & toti mundo flagella & fulmina iræ Dei ſuperinducit; Verumtamen pariter certum eſt, quod jejunium ad peccatorum expiationem optimum remedium extat; ac proinde B. Laurentius Juſtinianus de abſtinentia & jejunio dicit, quod ſit *mors culpæ, excidium delictorum.*

*Prov. 14. v. 4.*

Jejun. optimum remedium contra vitia.

*B. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 2.*

7. Iſraëlitæ peccata ſua, quibus divinam exaſperarant juſtitiam deteſtari volentes, *aquam effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt*; Circa quam Cæremoniam meritò quærendum venit, quænam ſit inter hanc aquæ effuſionem & jejunium proportio? Nimirum per hunc ritum, ni fallor, ſignificare voluerunt, quod ſicut aqua munda maculas ſubmovet corporis, ita Eleëmoſyna animæ inquinamenta expiet. Unde Tertullianus ait: *Deliquerat Iſraël ſed in aquatione apud Maſpha congregatus à Samuele, ita ſtatim delictum jejunium diluit, ut periculum prælij ſimul fugerit.*

*1. Reg. 7. v. 6*

Jejun. ut aqua eluit maculas.

*Tertull. adv. Pſhyc. c. 7.*

8. S. Hieronymus argumento quodam à minori ad majus deducto, circa hanc materiam utitur; dum enim conſiderat, quod Rex Babyloniorum ad Danielem in lacum leonum immittendum coactus, præ triſtitia à cœna abſtinuerit: *Abijt Rex in domum ſuam, & dormivit incœnatus, cibique non ſunt allati coram eo*: ita arguendo ſcribit: *Si Rex neſciens Deum hoc fecit pro altero, quem vult de diſcrimine liberari, quanto magis nos pro peccatis proprijs, inedia & vigilijs debemus Deum ad clementiam flectere?*

*S. Hier. l. 2. cont. Jovin.*

*Dan. 6. v. 18*

9. Hugo a S. Victore hanc inſtitutionis jejuniorum quatuor temporum rationem reddit: *Sciendum*, inquit, *quod per quatuor anni tempora, ſcilicet ver, æſtatem, autumnum, & hyemem in quibus in multis delinquimus omnes, conſtituit primitiva Eccleſia quatuor celebrari jejunia, quibus pro quantitate criminum, alij plus alij minus abſtinentes peccata ſua deflerent.*

*Hug. de S. Vict tit. 3. t. 3 ex miſcell. 2. l. 3. t. 31. c. 1.*

10. S. Baſilius jejunium magnum animæ lucrum conciliare dicit, quemadmodum gula ventri attulit voluptatem, ideoque noſtram conſolationem ſubjungit: *Sis hilari animo, quod tibi à medico datum eſt pharmacum, efficax eſt abolendo peccato.* S. Bernardinus Senenſis in ſermone quodam in die primo cinerum habito inter alios jejunij fructus, hunc quoque recenſet: *Eſt unum de potiſſimis inſtrumentis juſtitiæ pœnitentialis ſeu ſatisfactionis, pro libidine perpetrati peccati; ſubtractionem delectationis juſtiſſime recompenſat; qui illicita perpetrat, debet ſatisfaciendo ab aliquibus licitis abſtinere, ſed jejunium ſatisfacit pro commiſſis & omiſſis.* Pro cujus majori explicatione S. Ambroſius ſequentem valde congruam adducit ſimilitudinem: *Sicut*, inquit, *cum in intimis puerorum viſceribus vermes ex cibi indigeſtione naſcuntur, & extingui non queunt niſi cum amarior potus infunditur; ita profundum animæ virtus ingreſſa jejunij, culpam latentem interficit.* S. Ephrem quoque de Jona & Ninivitarum jejunio ita ſcribit: *Jejunium ipſis peccata condonabat, Jonas ſpem eorum comminationibus præcidebat, quam tamen jejunium augebat, ac vitam promittebat, infantes in matrum conſervati ſunt ulnis, quia jejunare ſunt edocti.*

Jejunij fructus.

*S. Baſil. hom. 1. de jejun.*

*S. Bern. Sen. ſer. 5. in die Cin. fruct. 2.*

*S. Ambr. de Elia & jejun. c. 15.*

*S. Ephrem. in Jonam.*

11. Porro ſupplicium quod S. Elias Propheta de populo idololatra ſumpſit, prima quidem facie nimis fuiſſe rigoroſum videtur; Verumtamen S. Baſilius idem

Jejun. ad expianda peccata aptum.

idem ſupplicium ad utilitatem & commodum illius directum fuiſſe conſiderans, ſiquidem per exteriorem à ſe inflictam corporis famem, eumdem populum à peccatis ſuis expiare contendebat, ut hac ratione conceptæ adverſus eumdem iræ divinæ fulmina ab ultrice Dei manu eriperet:

*S.Baſil. or. 5. de jejun.*

*Cum videret*, inquit, *ingentem injuriam ex ſatietate naſci, invitum ipſis ex fame jejunium adduxit, quo peccatum eorum, quod jam extra fines modeſtiæ proceſſerat, compeſcuit, per jejunium inquam, veluti per cauterij cujuſdam uſtionem, aut ſectionem quamdam, malum ne longius ſerperet effecit.* Quiſnam obſecro filio prodigo peccatis umquam onuſtior fuit, & tamen quia pene præ fame moriebatur, reductus fuit ad peccatorum ſuorum inſignem pœnitudinem. Unde D. Chryſologus ait:

*D.Chryſol. ſerm. 2.*

*Fames revocat, quem ſatiritas exulaverat, & ſi tantum præſtitit vel invita fames, probate quid voluntarium conferre poſſit jejunium. Quid eſt jejunium*, interrogat S. Auguſtinus, *niſi junctorum membrorum debita ſatisfactio?*

*S. Aug. ſerm. 24. ad frat.*

*S. Petr. Dam l. 1. ep. 9.* Hiſtoria.

12. S. Petrus Damianus de B. Arnulpho Metenſium Epiſcopo refert, quod dum Moſellam fluvium aliquando trajiceret, annulum ſuum è digitis ereptum in eumdem conjiceret, dicens: *Cum annulum hunc recepero de ſpumoſis fluctibus erutum, tunc me procul dubio confidam omnibus peccatorum meorum nexibus abſolutum, moxque eremum petijt, abi non parvo tempore ſibi ac mundo mortuus vixit.* Cumque aliquanto poſt tempore ad Epiſcopatum raptus fuiſſet, eamdemque qua antea uti ſolebat, jejunij & abſtinentiæ formam conſtanter continuaret, accidit ut dum piſcis quidam dono ipſi datus coram eo in prandio auferretur, in ejuſdem exenterati viſceribus projectum in Moſellam ab Epiſcopo annulum quoque reperirent, qui proinde ad eumdem Epiſcopum magno cum jubilo allatus fuit, *quem ut aſpexit, illico recognovit, & non tam vibrantis metalli miratus eſt venam, quam quia propitiatione divinâ reatus ſui conſecutus eſt veniam.*

Jejunium præſervativum.

13. Eſt inſuper jejunium efficax quoddam adverſus peccata antidotum & præſervativum. Unde ubi vulgata noſtra in Joëlis Prophetia legit: *Sanctificate jejunium*, Septuaginta legunt, *curationem*, idque ut S. Hieronymus ait:

*S. Hieron. l. 1 cont. Jovin.*

*Ut monſtraretur jejunium ſanctificari præ cæteris operibus, & ſanctificatum jejunium curationi proficere peccatorum.* Ad exactam Medicinæ artem pertinet non ſolùm infirmitatem perfectè curare, verum etiam infirmum præſervare, ne deinceps ejuſdem vel alterius morbi patiatur recidivam, quem effectum inſuper jejunium præſtat. Unde B. Laurentius Juſtinianus ait:

*B. Laur. Juſt. l. de lig. vit. c. 3.*

*Bona eſt ſalutaris ſobrietas & abſtinentia, qua redimuntur æterna ſupplicia, dum remittit peccata; non ſolùm enim eſt abolitio peccatorum, ſed etiam extirpatio vitiorum, nec tantum obtinet veniam, ſed meretur & gratiam; non ſolùm delet peccata quæ commiſimus, ſed & repellit futura quæ committere poteramus.* Eumdem quoque fructum S. Bernardinus his verbis refert:

*S. Bern. ſr. v. 3. ibid.*

*Non ſufficit pro perpetratis criminibus ſatisfacere, niſi etiam ad futura cavenda quis conetur, quod per jejunium fit, cum enim ſit corporis aſſiduam concupiſcentiam debilitans, futuris peccatis obſiſtit.*

Jejunium efficax ad pacem. *S. Baſil. orat. 2. de jejunio.*

14. S. Baſilius propoſitionem quamdam de jejunio adducit, hoc loco valde conſiderabilem; Dicit enim: *Quodſi omnes jejunium ad res gerendas in conſilium adhiberent, nihil obſtaret, quo minus per univerſum terrarum orbem pax eſſet, videlicet nec gentibus inter ſe conſidentibus, nec exercitibus inter ſe impreſſionem facientibus;* Et quidem ſi præteritos rerum eventus circumſpiciamus, propoſitionem hanc minimè à veritate aberrare comperimus. Quando enim mundus iſte infelicibus maledictionum, calamitatum, infirmitatum, odiorum, invidiarum, ſtragum, aliarumque infinitarum ærumnarum ſentibus & vepribus, quæ corruptam naturam noſtram inundarunt, obſeptus, dilaceratus, & ſusque deque everſus fuit? Quis eſt qui quo tempore id factum ſit, ignoret? Tunc nimirum quando protoparentes noſtri impoſitam illis à creati mundi exordio abſtinentiæ legem fuere prævaricati.

Mundus per jejun. fabricatus, à gula deſtruitur. *S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 4.*

15. Obſervat S. Ambroſius, quod mundus iſte in ſocietate jejunij fuerit fabricatus tuncque ſupremus illius architectus ab hujus fabricæ ſuæ fabricatione ceſſarit, quando jejunium violari cœpit: *Primus uſus mundi à jejunio cœpit, quando lux clara reſplenduit; Secundus dies in jejunio, quando cœli factum eſt firmamentum; tertio die pabulum terra germinavit, jejunium tamen cæleſtis diſciplina ſervavit; quarto die luminaria ſunt, Solis & Lunæ, & adhuc jejunium; quinto die produxerunt aquæ reptilia animarum viventium, & volatilia, & adhuc jejunium; benedixit eis, & dixit: Creſcite; & non dixit: Edite & manducate; ſexto die beſtiæ creatæ ſunt, & cum beſtijs orta edendi poteſtas eſt, & uſus eſcarum; ubi cibus cœpit, ibi finis factus eſt mundi; quo indicio declaratum eſt, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos deſijt augeri, nemo delictum ſciebat, nemo pœnam timebat, nemo noverat mortem.* Imò Salvator noſter tunc ſe tamquam viventium & mortuorum Judicè venturum, mundoque finem imponendum eſſe dixit, quando mortales de ſua felicitate maximè ſecuri, omniſque Chriſtianæ modeſtiæ & honeſtatis veluti obliti, gulæ totaliter dediti erunt:

*Luc. 17. v. 26. & 27.*

*Sicut factum eſt in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis, edebant & bibebant:* adeoque mundus qui ſimul cum abſtinentia fabricari cœpit, deſtruetur à gula.

Ratio cur jejun. Deum reddat propitium. *S. Ber. Sen. ſerm. cit. fr. 4. art. 1.*

16. Porrò cur Deus adeò faciliter per jejunium nobis reddatur propitius, hujus S. Bernardin. hanc reddit rationem; Dicit enim: *Ratio, quare jejunio placatur Deus, eſt, quia cum univerſæ viæ Domini ſint miſericordia & veritas, ſi unam ejus fugis manum, alteri te propinquas; ſi miſericordiam fugis, juſtitiæ approximas, & econverſo; igitur cum jejunium ex aſſo ſit iræ Dei, ad mentem propinquat miſericordia ejus.* Unde Ambroſ. ait: *Nullum eſt tam grave delictum, quod abſtinentia non purgetur.*

Jejun. placat Divinam Juſtitiam.

17. Aman ut conceptas adverſus Mardochæum vindictas exereret, univerſum populum Judaicum per illatam omnibus Hebræis necem diſperdere parabat; at vero ut bene S. Ambr. notat, Eſther Regina in haſce conſiliorum ipſius machinationes ſe interpoſuit, de qua ita ſcribit:

*S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 9.*

*Eſther pulchrior facta eſt jejunio, omne genus ſuum, id eſt, populum Judæorum à perſecutionis acerbitate liberavit, quæ triduo jejunavit continuo plus placuit: Aman verò dum ſe regali jactat convivio, inter ipſa vina pœnam ſuæ ebrietatis exolvit. Eſt ergo jejunium reconciliationis ſacrificium.* Eumdem Amani errorem Rupert. Abbas Tuitienſis his verbis detexit:

*Rup. Abb. l. 8 de vict. verb. c. 21.*

*In hoc illuſus eſt, dum ſuſcepta mora tantæ dilationis, interim pendet ſententia mortis, opportunum facit univerſæ genti ſpatium, quod ſufficere poſſit ad legationes mittendas in longinquum, id eſt, in altitudinem cœli, unde auxiliares copiæ debeant conduci, ſcilicet jejunia, lachrymæ & preces, quæ idoneæ legationes erant & ſunt, ad invitandum ſeu invocandum de cœlo auxilium Domini.* Et ideo S. Cyrillus jejunium appellat *ſupernæ conciliatorem atque adminiſtrum benevolentiæ.*

*S. Cyrill. Alex. t. 5. Ho. 20. de feſt. Paſch.*

Quod alia quoque vice patuit, quando adverſus Iſraëlem Divina Juſtitia adeo efferbuerat, ut decretum illi fuerit, eum totaliter internecioni tradere, niſi jejunij virtus & efficacia pro ipſis interveniſſet: *Impetraverunt unius hominis jejunia*, inquit S. Auguſtinus,

*S. Aug. ſerm. 65. de temp.*

*quod totius populi ſaturitas deſperaverat. Advertamus ergo, quanta ſit inter jejunium & ſaturitatem diſtantia, inter ventrem vacuum & pulmonem epulis æſtuantem; Moyſes quia jejunavit, Dominum vidit: populus quia manducavit, & bibit, idola fabricatus eſt.* Simili quoque modo Achabo per expreſſam Dei ſententiam mors, nec non ejus & totius domus ſuæ deſolatio comminata fuerat, ſed quia jejunavit, audire protinus meruit: *Non inducam malum in diebus ejus*; de quo proinde S. Hier. ita ſcribit:

*3. Reg. 21. v. 29. S. Hier. lib. 2. cont. Jovin.*

*Achab Rex impiiſſimus, ut ſententiam Dei ſubterfugeret, & everſio domus ejus differretur in poſteros, jejunio impetravit.*

*Th. Cant. lib. 2. vit. 7. Ludg.* Hiſtoria.

18. Thomas Cantipratenſis in vita S. Ludgardis Beatiſſimam Deiparam huic virgini nocte quadam in vultu pallido apparuiſſe refert, cujus cum prædicta virgo cauſam expoſceret, Deipara hunc vultui ſuo pallorem ideo accidiſſe reſpondit, quod Albigenſes per ſuos errores filium ſuum de novo crucifigerent, proindeque huic Virgini mandavit ut ad placandam conceptam Dei juſtiſſimam iram, per ſeptennium integrum jejunijs continuam operam daret; quod cum illa ſinum dumtaxat manducando panè & cerevifia bibendo compleſſet, Divina denuo juſtitiam perfectè placavit. In oratione quadam quæ primo loco in Miſſa quadam Feriæ Quadrageſimalis legitur, Eccleſia Dei hunc in modum precatur: *Sacræ nobis quæſumus Domine obſervationis jejunia, & piæ converſationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præſtent auxilium.* Imò gentiles ipſimet, licet nullo fuerint Divinæ fidei lumine colluſtrati, jejunio mediante, prout Annales Eccleſiaſtici hac de re teſtimonium perhibent, ita ſibi Deos ſuos reconciliare ſemper ſtuduerunt.

Abſtinere à carnibus Deo gratum.

19. Enimverò Dei adverſus populum ſuum concepta indignatio tunc vel maximè clarè ſatis emicuit, quando tanta cum aviditate & precum importunitate carnes à Deo poſtulando abſtinentiam ruperunt; *Quis*



*dabit nobis carnes*, &c. *Iratuſque Dominus*, &c. ubi Oleaſter ait: *Non putes parum aut nihil prodeſſe propter Deum à carnibus abſtinere; Audis enim hic quam ægrè tulit Deus eos, quos ipſe ad tempus carnibus privaverat, in carne deperiiſſe.*

*Ann. 1592.* Hiſtoria.

20. In Literis annuis Societatis Jeſu refertur, ruſticum quemdam hæreticum in Provincia Auſtriæ Catholico cuidam carnem in die jejunij manducare nolenti inſultaſſe, ipſique ſuperſtitionis eum arguendo carnes ori ejus violenter intruſiſſe, imò & oculis ſuperpoſuiſſe, cumque hic carnes abnuendo conſtans permanſiſſet, tandem ut carnem ingeſtam deglutiret, fauces ei aperuiſſe, qui tamen maxillas conjungere minimè valens, ore ſic violenter aperto permanſit;

*Pſal. 77. v. 30.*

*Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.*

Hiſtoria.

21. In vita S. Caroli Borromæi, quod dum quidam Diœceſis Mediolanenſis incola contra factam ab hoc ſanctiſſimo Cardinali prohibitionem, (licet non contra dudum in dicta Diœceſi introductum abuſum) prima Dominica Quadrageſimæ in Archiepiſcopi prohibentis deſpectum carnes manducare vellet, ad primum quem ori ingeſſerat, bolum, ſtrangulationis ſeu ſuffocationis manifeſtum incurrerit periculum, qui tamen miraculo hoc viſo compunctus deſtitit, rigidamque pœnitentiam egit.

*Bredenb. l. 1. coll. c. 15*

22. Ann. 1576. quidam ex Comitis Ludovici Naſſovij militibus carnes in die jejunij manducantes, eos verò qui legitimè jejunium ſervabant, deridentes omnes in fruſta minutim fuere conciſi, adeo ut nec unus illorum in vita ſuperſtes remanſerit.

*Specul. exemp. 11.* Hiſtoria.

23. In ſpeculo item Exemplorum refertur, quod cum Epiſcopi nonnulli, una cum alijs viris conſpicuis prima die poſt Dominicam Quinquageſimæ Carthuſiam majorem adeuntes, multos in ea Monachos ex defectu eſus carnium ægrâ valetudine utentes deprehendiſſent, multis cum Priore verbis egerint, ut per adductas in medium rationes eſum carnium in talis infirmitatis occurrente caſu & poſſe & debere concedi perſuaderent; Quibuſcum licet Prior multis in contrarium adductis argumentis diu luctatus fuiſſet, tandem quia ipſos ſuo in ſenſu pertinaciter hærere conſpexit, tandem eiſdem *Aſſentit licet invitus importunitate eorum victus; Igitur converſi vadunt Gratianopolim, multas & diverſas pro tantis Dominis & familia adducentes carnes; Mira res? aperiuntur ſarcinæ, inveniuntur illæ carnes in veros & optimos commutatæ piſces, odore, colore, ſapore.*

*Mart. Del. p. 1. q. 3. t. 2.*

24. Martinus Delrius de quibuſdam Lutheranis refert, quod ex Concione in die Veneris ſancto ſimul auſcultata egredientes uni & eidem prandio ſimul accubuerint; cumque ex accumbentibus menſæ, unus pinguem beneque ſaginatum Caponem menſæ inferri cernens, bonum ex illius carne bolum magna cum aviditate ori ingeſſiſſet, mox ille ex ſumpto bolo ſuffocatus interierit, alius verò à Dæmone ſubito correptus & miſerabiliter in conſpectu aliorum occiſus remanſerit.

*Ann. Chr. 1144.* Pulchra Hiſtoria.

25. In Annalibus Ciſtertienſibus Monachus quidâm fuiſſe legitur cui nomen Guilielmus erat, qui per quinquaginta annos ſolidos rigidiſſimam vitam egerat, hocque fine in horridam quamdam ſe receperat ſolitudinis ſpecum, ubi non ſolum à carnibus, ſed etiam à cibis quadrageſimalibus, imò nonnumquam etiam ab aquæ potu libando abſtinuit; Quia verò die quadam Sanctus quidam & ſenio confectus Monachus, ipſum viſitandi cauſa conveniſſet, eidem utpote ex longo itinere valde feſſo & exhauſto carnes ad vires illius reſtaurandas apponi juſſit, qui de carne ſine ipſius in eadem manducanda conſortio guſtare pertinaciter cum renuiſſet, tandem ad veſcendum ea non ſolùm ex motivo charitatis, ſed etiam ex aliquali gulæ pruritu ſe induci permiſit: at vero Seniore hoc Monacho abs ſe recedente, ad abſtinentiæ tot annis uſurpatæ neglectum ſe reflectens, *Cœpit à fundo cordis alta ſuſpiria trahere, & ingemiſcere graviter, quod tanti temporis propoſitum tam frivola occaſione fregiſſet.* Ecce quantum ij, quibus lumen Dei obtigit, lamententur, dum ſe virtutis abſtinentiæ merita perdidiſſe conſpiciunt, probe ſcientes, quam ingens ſibi inde in animo comparetur lucrum. Eodem fere tempore ad feneſtram ſpecus ſeu Cellæ ejuſdem Monachi alius quidam vir venerabilis aſpectu & habitu admirabilis pulſavit, cujus veſtes candidæ & pretioſæ erant, ad eum fere modum, quo Angelus eidem apparere conſueverat, qui ſe peregrinum eſſe, & ipſius viſitandi gratia adveniſſe ſimulans, eique afflictionis & mœſtitiæ qua in animo angebatur, cauſam aperiens, his ferè verbis eum eſt allocutus: *Meritò ingemiſcis ſuper exceſſu tuo, quo nunc diuturnum laudabilis parſimoniæ propoſitum delitioſa charitate rupiſti; non bona eſt charitas, quæ deſtruit charitatem:* Moxque ſequens ei recenſuit Exemplum. Sanctimonialis quædam in Hiſpania, pane ſolum & aqua, nonnumquam etiam herbis, ſed ſemicrudis, nec ſatis decoctis nutriebatur. Die autem quadam, illam ex Dæmonis ſuggeſtione vehemens quoddam manducandæ carnis inceſſit deſiderium, cui cum diu pro viribus reſtitiſſet, tandem violentiæ deſiderij reſiſtere diutius non valens, carnem ſibi præparari juſſit, qua denique in menſam illata, Orationi ſe accinxit, Deum cum lachrymis rogando, ne ipſam inde, ſi id cum animæ ſuæ detrimento factum eſſet, guſtare permitteret, moxque de terra, in qua proſtrata jacuerat, ſurgens, menſæ accubuit, *& data benedictione operculum ſubmovet, quo carnis ferculum velabatur, & ecce pro carnibus quæ appoſitæ fuerant, tres pulli corvorum in diſco vagientes, & ſine plumis apparuerunt; quo viſo ſanctimonialis vehementer expavit, & accita ſorore quæ ei miniſtrabat, rei veritatem inquirit, illa verò ſub atteſtatione tremendi judicij Dei reſpondit, ſe in eodem menſali non implumes aviculas, ſed tria carnis fruſta cocta apparuiſſe.* Porro cella hujus ancillæ Dei ſuper ripam rapidi cujuſdam fluminis ſituata erat, quod ingenti cum ſtrepitu in præceps currebat, in illud itaque flumen corvos illos una cum diſco projici juſſit: *Projecti in amnem nullatenus potuerunt ſegregari ab invicem ſed fluctuante vaſculo ſuper flumine, tandem devoluti ſunt in quemdam ſinum eidem cellulæ proximum, ubi ingentis ſaxi concavitas copioſam aquarum congeriem ſtagnabat; ibi ergo jam per multa temporum curricula aſſidue rotantur, & uſque hodie in teſtimonium hujus miraculi in ipſo vaſculo ſuper aquas fluctuare videntur.* Quo exemplo hic uſque narrato, Monachus ille compunctus remanſit, *& cadens in faciem fuſis lachrymis reatus ſui veniam poſtulabat, acceptaque pœnitentia, non modo abſolutionem peccatorum, verum etiam conſolationem plurimam ab eo ſuſcipere meruit.* Cumque iteratis vicibus cum unde veniſſet, aut quis eſſet, ſciſcitatus fuiſſet, multiſque oblatis promiſſis eum ad ſecum ſemper manendum ſolicite requiſiſſet, illud tamen ab eo obtinere, nec nomen aut qualitates ejus explorare nequaquam potuit, ſed ab eo recedens, numquam deinceps amplius viſus fuit; Unde pro comperto ipſum Angelum fuiſſe habetur, qui ad eum erudiendum in prædicta ſpecie apparuit.

## DISCURSUS XIV.

### ARGUMENTUM.

Per varia S. Scripturæ loca, aliaſque Hiſtorias, per jejunij merita multas fuiſſe glorioſè obtentas victorias oſtenditur.

### THEMA.

*Joſaphat timore perterritus prædicavit jejunium univerſo Juda.* 2. Paral. 20. ℣. 3.

Jejunium Hoſtes fugat.

1. POſtquam Moabitæ, Ammonitæ, & Aſſyrij numeroſum & formidabilem adverſus Joſaphat pugnaturum congregaſſent exercitum, hic timore perterritus & perculſus fuit; ſed quonam ipſum in hac tam periculoſa ſummaque neceſſitate conſilio uſum fuiſſe exiſtimatis? Num forte aggeres congeſſit, aut Civitatis ſuæ propugnacula fortificavit, aut vero æque numeroſum adverſus hoſtes ſuos conſcripſit exercitum, vel denique victus & munitionis bellicæ congregavit annonam? Minime gentium, de his omnibus enim nulla ipſi cogitatio incidit, ſed primæ reſolutionis conſilium in eo ſtetit, quod univerſale quoddam omnibus ſibi ſubditis populis jejunium ſerio indixerit, in cujus virtute glorioſam de hoſte ſuo fugato retulit victoriam & ſpolia opima ab eo accepit.

*S. Max. hom. 4. de Jejun.*

*Jejunemus fratres* inquit S. Maximus, *& hoſtes noſtros in fugam convertamus.*

Jejunium à periculis liberat. *3. Reg. 19. v. 6.*

2. In libris regum ad caput S. Eliæ Prophetæ ſub junipero fame & fatigatione exhauſti procumbentis, ex improviſo panis quidam ſubcineritius repoſitus fuit: *Ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* Tertullianus conſiderans quod corvi eidem S. Prophetæ carnes attulerint quotidie mane & veſperi; Angeli verò illum jam ad iter longinquum & difficile inchoandum accinctum adeò tenui cum parſimonia tractarint, ut pro quadraginta diebus prolixi & faſtidioſi itineris, nil præter modicum & ſub cineribus ruditer & obiter coctum panem, & aquam in valdè exigua menſura appoſitam exhibuerint, dicit:

*Tertull. lib. con. Pſhyc. cap. 9.*

*Cum con-*

*vi illum pane & carne ſaturare conſueſcerent, cur poſtmodum apud Barſabeæ Judæ excitato ei de ſomno, quidam ille Angelus, panem ſolum & aquam obtulit? Defecerunt corvi qui illum liberalius paſcerent? an difficile Angelo fuerat aliquem aliunde de convivio Regis miniſtrum cum inſtructiſſimo ferculo raptum ad Eliam transferre?* Quod ſi corvi, qui natura ſua rapaces eſſe noſcuntur, carnes non ſibi vendicant devorandas, ſed fidos ſe erga Eliam diſpenſatores exhibent, cur Angeli qui menſæ cœleſti delitijs æternalibus refertæ continuo accumbunt, adeò ſunt erga Eliam in ſubminiſtranda illi annona avari? Pro hujus quæſtionis reſolutione obſervanda eſt communis Divinæ providentiæ omnis erroris expertis œconomia. Etenim Elias tali tempore à cœleſti hoc nuntio paſcebatur, quo à truculenta Jezabelis perſecutione infeſtatus, ad fugam ſe accinxerat, eo quod hæc vitæ ipſius continuas per ſe & miniſtros ſuos machinaretur inſidias; quia enim Angelus optimè noverat, quod tempore ærumnoſo imminentium calamitatum, nullum ſit evidentius remedium, quam afflictio corporalis per rigidum jejunium, hoc enim eſt quod nos à periculis liberat, ab ira & furore Dei non ſolùm ſed etiam hominum tuetur & defendit, ideo ipſum in hac gravi anguſtia poſitum tam arcta annona ſuſtentavit: *Conſtitui oportebat exemplum*, inquit Tertullianus, *docens in tempore preſſuræ & perſecutionis Xerophagijs eſſe vivendum.* Quis enim eſt, qui bella quæ Civitatibus, populis, Provincijs & Regnis tot comminantur ſemper conſequentes ærumnas, exterminia & deſolationes, ut plurimum jejunio mediante diſſipari ignoret? unde

S.Hier.l.2. cont. Jovin.

S.Hieronymus de Samuële ita ſcribit: *Congregatum populum Samuël in Maſphat, indicto jejunio roboravit, & fecit hoſtibus fortiorem.* Idem quoque de Amalech ait:

Exod.17. v.11.

*In Exodo adverſus Amalech oratione Moyſi & totius populi uſque ad veſperam jejunio dimicatum eſt:* Moyſes enim illo tempore oratione ſe obarmavit, exercitus autem qui adverſus hoſtem ad mortem uſque acriter pugnaturus erat, ut tanto vigoroſior efficeretur, ſe communivit jejunio.

Jejun. ſtetit Sol.

3. Legatur memorabilis pugna illa, quam invictus ille populi Dei Archiſtrategus adverſus Amorrhæos habuit, quando per inauditum prodigium, præcipitem Solis & Lunæ curſum per ſolius vocis ſuæ imperium immobilem eſſe fecit: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon, ſtetit Sol in medio Cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei, obediente Deo voci hominis;* hacque ratione ſubjugatis & ſupplantatis quinque Regibus, glorioſiſſimum reportavit de inimicis triumphum. De hoc autem glorioſo Iſraëlitarum belli duce Joſue Tertullianus ita ait: *Jeſum Nave debellantem Amorrhæos, prandiſſe illa die exiſtimamus, qua ipſis Elementis ſtationem imperavit?* Et S.Hieronymus dicit: *Jeſus Filius Nave ſtationem imperavit Soli & Lunæ, & mediam plusquam unius diei victoris exercitus protelavit.*

Joſ.10.v.13

Tertull.lib. cit.c.10.

S.Hier.ibid.

Jud.20. v.21.

4. In Judicum libro legimus, quod, cum ex undecim tribubus Iſraëlis congregatus fuiſſet quadringentorum millium virorum bellatorum numeroſiſſimus exercitus, ut contra tribum Benjamin juſtiſſima ex cauſa in capite præcedenti fuſius enarrata, juſtum committerent prælium, exercitus contrarius ex tribu Benjamin collectus, non obſtante quod in primis altero exercitu quoad numerum longe eſſe inferior, quia vix numerum viginti quinque millium bellatorum attingebat, ac deinde nullo niteretur ad ſui defenſionem juſto titulo, nihilominus in primo conflictu cæcidit viginti duo millia aliarum tribuum: *Egreſſique filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filijs Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Qui poſt acceptam exercitus ſui ſtragem, licet devicti fuiſſent, in bellatorum tamen reliquo adhuc numero confiſi, novum aggreſſi ſunt prælium. *Fortitudine & numero confidentes aciem direxerunt*, & tamen iterum ex ijs octodecim virorum millia cæſa occubuerunt in campo. Nec tamen etiam ex hac ſtrage vigor animorum quidquam apud Iſraëlitas remiſit, ſed reſumpto generoſo animo tertia vice ſuum aggreſſi hoſtem ſtragem eidem intulerunt viginti quinque millium virorum, atque inſuper civitatem ſeu Metropolim hoſtium ſui juris eſſe fecerunt; ſed inquies unde ſibi poſt tot de ipſis reportatas victorias, illataſque iis clades aliquam ſibi victoriæ ſpem promittere auſi fuerunt? Non aliunde certè quam ex jejunio quod præceſſerat ſpes iſthæc derivata fuit: Cum enim & prima & ſecunda vice ſeſe victos proſtratosque vidiſſent: *Sedentes flebant coram Domino, jejunaveruntque die illo uſque ad veſperam.*

Jejun. hoſtes vincit.

Judic.20.21

ibid.22.

ibid.26.

Adverſarij jejunis cedunt.

5. Sic quoque ijdem Iſraëlitæ cum Philiſtæis cruentiſſimum prælium inituri, ſuadente Samuele, cujus paulo antè mentionem fecimus, rigidum præmiſerunt jejunium, unde Tertullianus ait: *Iſraël in adaquatione apud Maſphas congregatus à Samuele, ita ſtatim delictum jejunio diluit, ut periculum prælij ſimul fugerit.* Qua occaſione ulterius progrediendo jejunium oſtendit eſſe victoriarum Inſtrumentum: *Cum Samuel offerebat holocauſtum in nullo magis procuratam audivimus Dei clementiam, quam abſtinentia populi, ceciderunt paſtos impaſti, armatos inermes. Hæ erant vires jejunantium Deo, Cælum pro hujuſmodi militat.* S. Leo Magnus ſuper Quadrageſimam duodecim habet ſermones, quorum primū his fere verbis exorditur: *Hebræorum quondam populus, & omnes Iſraëliticæ tribus, cum propter peccatorum ſuorum offenſiones gravi Philiſtinorum dominatione premerentur, ut ſuperare hoſtes ſuos poſſent, ſicut ſacra manifeſtat Hiſtoria, vires animi & corporis indicto ſibi reparavere jejunio:* & paulò poſt ſubjungit: *ut hoſtes ſuos vincerent, gulæ illecebram in ſeipſis ante vicerunt, factumque eſt hoc modo, ut adverſarij eſurientibus cederent, quos ſibi ſaturos ſubjugarant.*

1.Reg.7.v.6

Tertull.ibid. c.7.

S.Leo ſerm.1. de Quadr.

Jejunans Judith Holofernem vicit.

6. Quis adeò in ſacræ Scripturæ lectione eſt imperitus, ut neſciat, qualiter urbs Bethulia poſt ademptam ſibi ab hoſtili exercitu aquam, mortem ſibi à feroci & implacabili hoſte imminentem præ oculis quaſi cernens, Holofernis ſe diſcretioni ſponte committere decreverit? Et quidem tametſi generoſam Juditham Amazonum fortiſſimam glorioſo illi facinori Holofernis caput præſcindendi, totumque illius fugandi memorabilem exercitum, accinxiſſe conſtet; quæri nihilominus poteſt, quibus ſe armis ad facinus illud explendum communierit? Certè nullo alio armaturæ genere ſe & populum ſuum tutata fuit, quam abſtinentia, ſiquidem univerſum populum ad diuturna rigoroſaque jejunia ſubeunda hortata fuit; Et ipſa *jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ;* à cibis quoque in lautiſſimam Holofernis menſam illatis prorſus abſtinuit, ſoliſque cibis quadrageſimalibus, quos ſecum attulerat, victitavit; Et ideo ſobria, ut S.Ambroſius ait, *jugulat ebrioſum.* B. Laurentius Juſtinianus ait: *Judith omne tempus viduitatis ſuæ his ſobrietatis armis, & abſtinentia munita peregit, & omnium Aſſyriorum circumvenit exercitum; ſobrij vigore conſilij abſtulit Holoferni caput, ſervavit pudicitiam, victoriam reportavit.*

Jud.8.v.6.

S.Ambr.

B.Laur. Juſt.de lib. vit.c.2.

Deficiunt vires ubi deficit obſervatio jejunij.

7. Lib.1. Regum cap. 12. legitur, quod Saul contra Philiſtæos pugnaturus, rigoroſum toti exercitui præceperit jejunium, eoque præmiſſo feliciter quidem adverſus hoſtes ſuos pugnaverit: at vero poſtquam Jonathas filius ejus paternæ prohibitionis ignarus, ſceptri ſui vel virgæ apicem in favum mellis intinxiſſet, deque liquoris illius dulcedine guſtaſſet, mox victoriarum hactenus obtentarum curſus ſubſtiterit; Quam Hiſtoriam S. Ambroſius conſiderans ait: *Cum præcepti neſcius, inter medias hoſtium acies victor incedens, favum mellis intincta ſceptri ſummitate guſtaſſet, tanta indignatio repente commota eſt, ut & differretur victoria, & Divinitas læderetur.* Unde S. ille Archiepiſcopus moralem ſequentem deducit conſequentiam: *Unde intelligimus, quod Saül hoſtes non tam virtute militum, quam abſtinentia ſuperabat. Deficit virtus in exercitu, ut deficit in obſervatione jejunium.* Mox vero ut Saül filium ſuum præcepti jejunij transgreſſorem eſſe per ſortem cognovit, ad iram Dei placandam pœna mortis eum punire decrevit: *Videte quanta ſit reſoluti culpa jejunij, quæ non niſi ſanguinis effuſione punitur*, ac tandem S.Ambroſius concludit dicens: *Et ſi ignorans Ionathas indictum à Patre jejunium, quia reſolverit, morti addicitur, qui ſciens indictum à Chriſto reſolvit, quid meretur? Ergo fratres ſtatutum nobis cuſtodiamus omni obſervatione jejunium, ut hoſtes noſtros ſpirituales carnaleſque vincamus.*

S.Ambr.

David libans Domino aquam victor.

8. Regius Propheta David, qui de omnibus inimicis ſuis, quos habuit, glorioſe feliciſſimeque triumphavit, hujus virtutis abſtinentiæ eximius cultor fuit, cum enim die quodam valdè ſitibundus magno ſe appetitu aquas è ciſterna quæ eſt juxta portas Bethlemiticas ſcaturientes concupiſcere apertè declaraſſet, & nonnulli milites ut illam ei pro reſtinguenda ſiti propinare poſſent, magno cum vitæ periculo ei attuliſſent, illas bibere nolens, ſe mortificavit, & *libavit eas Domino.* Circa quod Davidis egregium virtutis hujus exercitium S. Greg. Nazianz. ita ſcribit: *Moveat te Davidis authoritas, qui ut Bethlehemiticæ ciſternæ ipſi copia facta eſt, minimè bibit, verùm aquam tantùm libavit.* De eodem quoque S. Cyrillus Alexandrinus ita

2.Reg.23. v.16.

S.Greg. Naz.or.16.



S Cyrill. Alex.t 15. Hom.18.de feſt.Paſch.

ita ſcribit: *Jejunavit David, ſummaque idcirco laude vel potius admiratione dignus eſt, ea bonitate ſapientiaque præditus, ut cum regij diadematis glorioſum inſigne præ ſe ferret, cum delicijs & copia rerum abundaret, in mœrore tamen & media degebat, ut aliquam ad ſe divinæ benevolentiæ partem traduceret.* Idem vero S. Doctor paulo poſt hanc amoris & benevolentiæ divinæ demonſtrationem in acquiſitis ſibi glorioſis frequentibusque victorijs præcipuè poſitam fuiſſe aſſerit, ſiquidem immediatè ſubjungit: *Debellatis proinde hoſtes, diſcedebat à prælio victor.*

Jejunio Jeroſolyma liberata.

9. In Scriptura quoque ſacra ingentes referuntur anguſtiæ, quibus urbs Jeroſolyma ſub Ezechia Rege involuta erat, ſiquidem Sennacherib eamdem cum exercitu quodam numeroſiſſimo cinxerat, qui utique totam Palæſtinam facili negotio perdere, & in extremam deſolationem redigere potuiſſet, niſi divinum ſe interpoſuiſſet manifeſtum auxilium, quo Deus per Angelum quemdam unica nocte 185. millia bellatorum ſubito ultrici gladio delevit. Qua de re S. Auguſtinus ita ſcribit: *Hieroſolyma à Sennacherib tempore Ezechiæ Regis & Iſaiæ per jejunium liberatur, & centum & octoginta quinque millia cælitus interfecti ſunt, & ne fœterent eorum corpora, incinerati, & in pulverem redacti ſunt.* Qui idem S. Pater eodem in loco Joſue in ejuſdem jejunij virtute memorabilem pariter Sole & Luna immobiliter ſubſiſtentibus reportaſſe victoriam aſſerit: *Numquid & Joſue filius Nave jejunavit, prius quam per diem & curſum ſolis & Lunæ temperavit, & hoſtes ſuperavit?* Tertullianus in ordine ad Ezechiam eamdem obſervationem adducit; *Quid enim aliud*, inquit, *obſidionem ſolvit, & Angeli de cælo in hoſtium vindictam evocavit, quam Ezechiæ Regis humiliatio, utique jejunio preces conſequente?* Jam ex ordinatione impiiſſimi Aman in procinctu erat, ut univerſus Hebræorum populus in ore gladij interficeretur, quando interveniente jejunio, non ſolum ira placata eſt Dei, verum etiam condignum in ipſummet tyrannidis authorem recidit ſupplicium: *Planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, & fletus.* Cum enim iræ Divinæ comminatio eidem populo comminata fuiſſet, indeque proveniens ultimum illius exterminium, prout in Jeremia legimus: *Prædicaverunt jejunium in conſpectu Dei omni populo in Jeruſalem, & univerſæ multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Judæ in Jeruſalem.* Machabæi innumeras in populum Dei calamitates & ruinas inundare conſpicientes, ut Divinam ſibi conciliarent propitiationem & clementiam, *jejunaverunt.*

S.Aug. ſerm. 25.ad fratres.

Tertull. con. Phyſ.c.7.

Eſth.4.v.3.

Jer.36.v.9.

1.Mach.3. v.47.

Hiſtoria.

10. De Innocentio III. legitur, quod S. hic Pontifex contra Saracenos Hiſpaniam miſerè devaſtantes, pro eo tempore quo Chriſtianorum exercitus cum illis conflicturus erat, Dei exercituum clementem aſſiſtentiam implorare volens, inter alias devotiones hanc quoque ſpeciali lege inſtituerit: *Jejunetur ab omnibus, ita ut præter infirmos nemo comedat piſces, aut quodcumque pulmentum, ſed qui poſſunt, pane ſint & aqua contenti, qui verò non poſſunt, bibant vinum benè lymphatum, & modicè ſumptum, & veſcantur herbis & fructibus, aut etiam leguminibus, omneſque aperiant manus & viſcera indigentibus, ut per orationem, Jejunium & Eleëmoſynam, miſericordia Conditoris reddatur populo Chriſtiano placata.*

Abul.q.41. in .Reg.c. 14.v.45.

11. Abulenſis verba illa: *Fecit ſalutem hanc magnam*, ponderans, in ea eſt opinione, quod quando Saül poſt intimatum univerſo populo jejunium, acre illud cum Philiſthæis prælium commiſit, ex inimicis ſexaginta millia virorum ſuper faciem terræ cæſa & trucidata remanſerint.

Martin. C om.l.5. Hiſt.pol.

12. Martinus Cromerus l. 5. Hiſtoriæ Polonicæ refert, quod exercitus Uladiſlai Polonorum Regis inſuperabile Naclovienſe in Pomerania fortalitium obſidens, frequentes de nocte ab armatis militibus inſtar umbræ hinc inde diſcurrentibus inſultus & infeſtationes perpeſſus fuerit, à quibus ſpeciali diſpoſitione divina exagitabantur, eo quod jejunium quadrageſimale pro more antiquiſſimo Eccleſiæ obſervare arroganter detrectarint, ac proinde ſumma cum confuſione & pudore obſidionem illam ſolvere coactus fuerit.

Hiſtoria.

Ann.1124. n.9 Hiſtoria.

13. In Annalibus Eccleſiaſticis legitur, quod Saraceni, poſtquam Balduinum Jeroſolymorum Regem captivum cepiſſent, quadraginta millium fortiſſimorum bellatorum exercitum, ad exterminandos ex univerſa Palæſtina ſubitò conſcripſerint, qui ut adverſus ingentem hanc potentiam ſe defenderent, aliud invenire nequiverunt effugium, quam ut omnibus viventibus inter illos nemine excepto, etiam infantibus & brutis animantibus rigidum præciperent jejunium, unde factum eſt, quod dum Saraceni in die quo illis cum Chriſtianis confligendum erat, hoſce quaquaverſum per circuitum validiſſime cinxiſſent, adeò ut nullus illis ad fugiendum locus vel occaſio reliqua eſſet, Deus immenſam quamdam lucem & ſplendorem cœleſtem ſuper Chriſtianos dimiſerit, quo mediante, omnes hi Chriſtiani nominis hoſtes miraculoſe adeò fuerunt poſt ademptas illis vires enervati, ut nec clypeum, nec haſtam, aut enſem tractare valuerint, ideoque in fugam ſe dederint, in qua omnes turpiter cæſi, nemine ex Chriſtianis deſiderato, facti ſunt pueris & mulieribus in prædam.



## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

### Jejunia ſaluti etiam corporali conducunt, efficiunt enim, ut homines in optimo virium vigore & ſanitate diuturno tempore vivant.

## THEMA.

*Apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.* Danielis 1. ℣. 15.

Jejunium corpus reddit ſanum.

1. NAbuchodonoſor poſt Hieroſolymam expugnatam præter alios Hebræos in Babylonicam captivitatem abductos, etiam nonnullos ex regia ſtirpe Juda progenitos pueros, inter quos Daniel, Ananias, Miſaël & Azarias erant, ſecum abduxerat, ut deinceps in aula ſua regia regio more educarentur: *Conſtituit eis Rex annonam per ſingulos dies, de cibis ſuis & de vino, unde bibebat ipſe.* Hi autem facto inter ſe unanimi pacto in continua abſtinentia & ſobrietate vivere volentes, cibis veſci regiis detrectarunt, ſolis ſe leguminibus nutriri contenti, hujuſque inter ſe pacti propoſiti conſcium quoque eſſe voluerunt miniſtrum, quem Rex eorum directioni & gubernationi præfecerat; qui id ægrè admittens, dicebat: *Timeo Dominum meum Regem, qui conſtituit vobis cibum & potum, qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coævis veſtris, condemnabitis caput meum Regi.* Cui Daniel hoc ſuaſit conſilium, ut ſcilicet hujus rei per decem dies faceret experientiam: Tenta nos obſecro ſervos tuos diebus decem, & dentur nobis Legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum; Suaſit inſuper ut ad invicem conferret vultus ipſorum cum alijs, qui ex cibis regijs lautè ſe patiebantur nutriri; factaque collatione ad invicem, *poſt dies decem apparuerunt vultus illorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.* Verum quidem eſt hunc ſpecialem quemdam fuiſſe divinæ gratiæ effectum, quia tametſi etiam jejunij auſteritas, ad ſalutem corporalem plurimum conferat, naturaliter tamen faciem hominis pallidam efficit, & extenuat corpus. Nihilominus Gloſſa & Dionyſius Carthuſianus, licet primo dicant: *Id gratiæ potius, quam naturæ eſſe adſcribendum*, poſtea tamen ſubungunt: *quamquam ſanitas animæ & corporis ſit ſobrius cibus.*

Dan.1. v.5.

v.10.

v.15.

Gloſ.ord. & Dion. Carth.ibid.

2. S. Ephrem propoſitionem quamdam habet, quæ in horum ſanctorum puerorum favorem plurimum militat: *Jejunantis corpus*, inquit, *venuſtum eſt, & anima pretioſa: jejunium mater ſanitatis, juventutis diſciplina, ornamentum ſenibus.* Hi porro juvenes, ob juveniles annos, appellabantur pueri: Ob prudentiam tamen & ſapientiam, quæ in ipſis ſupra ætatem reſplendebat, ſenes eſſe videbantur, id quod jejunij encomio attribui poteſt, ſiquidem de illo S. Ambroſius ita ſcribit: *Quid pulchrius abſtinentia, quæ facit etiam juventutis annos ſeneſcere, ut fiat morum ſenectus?* Hugo Cardinalis verba aſſumpti thematis liberaliter ſic exponit: *Apparuerunt meliores decore, corpulentiores pinguedine.*

S.Ephr.de jejun.tit.1. Jejun. mater ſanitatis.

Hug.Card. in Dan.

Jejun.confert ſanitatē.

3. Enimverò abſtinentiam & jejunium ſanitati cooperari haud difficulter probari poterit. Sancta mater Eccleſia in collecta quadam, quam fidelibus in Sabbatho poſt cineres prælegi jubet ne propter jejunium nimium terreantur, jejunium ſaluti quoque corporali plurimum conducere aſſerit: *Concede ut hoc ſolemne jejunium, quod animis, corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutum eſt, devoto ſervitio celebremus.* S. Baſilius ad jejunandum nos exhortatur, ſimulque ſecuros nos eſſe jubet, quod notabile ſaluti corporali addat incrementum: *Excipite*, inquit, *malè valentes ſanitatis matrem, qui bona eſtis habitudine, excipite bonæ habitudinis cuſtodem.* S. Bonaventura de virtute abſtinentiæ & parſimoniæ in victu diffusè tractans, inter

S.Baſil.ho. 2.de jejun.

*S. Bon. de profer. rel. l. 2. c. 47.*

inter alias illius utilitates, etiam hanc recenſet: *Item confert ad corporis ſanitatem, quia noxios humores deſiccat, quos crapula & quies ſuperflua generare ſolet.* In Homilia quadam, quæ eſt prima de jejunio, idipſum ſcribit his verbis Sanctus Baſilius: *Jejunium familiarum eſt incrementum, ſanitatis mater.*

*S. Baſil. ho. 1. de jejun.*

Qui laute vivunt diu non vivunt.

*S. Hier. l. 2. cont. Jovin.*

4. S. Hieronymus adverſus Jovinianum quamdam ex Galeno Hippocratis Interprete authoritatem adducit, in qua adverſus luctatores dicitur, quod qui ad ſubminiſtrandas majores corpori vires laute nutriuntur, longò tempore vivere nequeant: *Athletas quorum vita & ars ſagina eſt, certum eſt nec vivere poſſe diu, nec ſanos eſſe, animaſque eorum ita nimio ſanguine & adipibus quaſi luto involutas, nihil tenue, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnibus & luctu, & ventris ingluvie cogitare.*

Propter gulā multi ſunt mortui.

*Eccli. 37. v. 34.*

5. Nimis clara & perſpicua eſt illa Eccleſiaſtici ſententia, cui etiam ipſamet quotidiana experientia evidens & indubitatum perhibet teſtimonium; Dicit enim: *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt adjiciet vitam*; Paucos certe inveniemus, qui per ſobrietatem & jejunium ſibi abbreviaverint vitam; multos autem ante tempus per gulam mortuos eſſe notum eſt omnibus. Unde Seneca ait: *Multos morbos fercula multa ferunt.* Id quod Sanctus Baſilius ſequenti declarat ſimilitudine: *Navim*, inquit, *oneris magnitudine gravatam, exiguus fluctus mergit, quæ modicis ſarcinis temperata eſt, facile ſuffert undarum impetum: eumdem in modum & hominum corpora aſſidua expletione degravata facile à morbis demerguntur.*

*Senec. ad Luc.*

*S. Baſil. or. 1. de jejun.*

Sanitas recipitur.

*S. Hier. ibid.*

6. Sanctus Hieronymus obſervat id quod circa illos, qui aliqua infirmitate aggravantur quotidie exerceri ſolet: *Qui ægrotat*, inquit, *non aliter recipit ſanitatem, niſi tenui cibo & caſtigato victu.* Unde quamdam ſcitu neceſſariam deducit conſequentiam; *Quibus ergo cibis recipitur ſanitas, his & ſervari poteſt.* Sanctus Baſilius corpora per cibos ſubſtantioſos & delicatos ſaginata & incraſſata ad hoc ut ſanitate fruantur, in peſſima diſpoſitione conſtituta eſſe exiſtimat & ut illa frui poſſint, bona illis diæta opus eſſe dicit: *Interroga Medicos & dicent tibi, nihil eſſe periculoſius habitudine corporis extremè bona, eoque qui peritiſſimi ſunt artis per jejunium detrahunt redundantia, ne vis naturæ pondere corpulenta facta ſuccumbat.* S. Hieronymus, quemdam in medium affert Hippocratis aphoriſmum, quo dicitur: Corporibus craſſis opus eſſe ut emacientur, aut verò ſanguinem emittendo diminuantur, ſecus eadem facile in paralyſim vel alios morbos incidere poſſe.

*S. Baſil. ho. 2 de jejun.*

*S. Hier.*

*Ann. Chr. 1161. c. 5. n. 5.*

Hiſtoria.

7. In Annalibus Ciſtercienſium de Epiſcopo quodam legimus, qui cum delicatiſſimè viveret, ſemper tamen infirmus exiſtens, nullum poterat ad ſui curationem invenire remedium; Hic cum aliquando in libro legiſſet abſtinentiam & ſobrietatem optimum eſſe ad corporis & animæ ſalutem remedium, mox mundi hujus delicijs, alijſque hujus vitæ commoditatibus valedicere, Ciſtercienſiumque ordinem ingredi ſtatuit, quem cum aliquamdiu profeſſus fuiſſet; Archiepiſcopus quidam eum inviſens, eumque in hoc ſtatu ſaniſſimum atque ab omni morbo liberum deprehendens, *Miror multum*, inquit, *quomodo delitiæ & medicinæ nocebant, fabæ & olera vos curaverunt; Cibaria abhorrebatis delicata, & nunc comeditis ſicut lupus; tunc ille reſpondit: Domine verum dicis, ſed ego feci ſicut fecit ſerpens, & aquila, & cervus, qui dum gravantur corruptis humoribus, & volunt vetuſtatem deponere, abſtinent, & jejunant, ſicut ego feci, aliter ſi ut illa animalia veneno, ita & ego à vetuſtate peccati fuiſſem conſumptus.*

*Sur. 1. Jan. c 6.*

Exemplum.

8. In vita ſancti Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis legitur, quod cum ſupra omnem modum ſobrietati operam daret non bibendo vinum, oleum ad cibos admittendo, magnaque cum auſteritate corpus ſuum macerando, dicere ſolitus fuerit: *Scimus omnes ex epulis vitam ſolere ſervari, non ſanitatem poſſe conferri, nam ut ſanetur infirmitas, ſi expenda videtur vitæ cupiditas, quare infirmantur etiam illi, qui convivijs lautioribus quotidiè ſaginantur? tolerabat infirmitatem patienter, experiebatur abſtinentiam ſatis humiliter; hoc propoſitum cordis ejus miſerator Deus fulciens, velociter ei corporalem reſtituit ſanitatem.*

Jeju. ſaluti corporali conducunt.

*S. Athan. de virg.*

9. In S. Athanaſio hic Aphoriſmus ſacer ſanitati corporali conſervandæ aut recuperandæ utiliſſimus legitur: *Vide quid faciat jejunium, morbos ſanat, diſtillationes exſiccat, Dæmones fugat, malaſque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus ſalubrius.* S. Bonaventura ſerm. 1. de Sancto Joanne Baptiſta, delitias, easque quæ gulam concernunt, vel maximè antiquorum adducto exemplo deteſtatur: *Miro modo*, inquit, *deteſtabantur antiqui, & puniebant graviſſimè corporis voluptates, cum ſint animæ infectivæ, corporis debilitativæ, vitæ diminutivæ, & mortis accelerativæ.* Sanctus Bernardinus inter multos jejunij fructus, ſeptimo loco integram corporis ſalutem recenſet, juxta illud Eccleſiaſtici: *In multis eſcis erit infirmitas &c.* Citat quoque ex cap. 21. ejuſdem libri ſequentia verba: *Utere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur*, & poſt, *ſanitas eſt animæ & corporis ſobrius potus*; citat quoque authoritatem S. Hieronymi dicentis: *moderata refectio ſanat ægritudinem, procurat ſoſpitatem & hilaritatem &c.* adducit quoque illam Galeni ſententiam: *abſtinentia ſumma eſt medicina*; Item jam allegatum Epiſcopi illius exemplum, qui Monachus factus Ciſtercienſis, legumina manducando curatus fuit.

*S. Ben. ſer. 1. de Joa. Bapt.*

*S. Bern ſer. 5 in die c. in fruct. 7.*

*S. Hieron.*

*Galen.*

Diuturnæ conducunt vitæ.

10. Eximia eſt illa promiſſio, & magnopere etiam ab ijs qui de vita æterna nihil cogitant, & nihil aliud quam ut in hoc mundo longæva ducere vitam poſſint, æſtimanda, nimirum: *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam:* hæc enim ſententia non eſt Hippocratis, vel Galeni, vel Sancti Auguſtini, aut S. Hieronymi, ſed ipſiuſmet Spiritus Sancti, qui veritatis Spiritus dicitur: *Nihil ſic corpori jucundum eſt*, inquit B. Laurentius Juſtinianus, *atque proficuum, ut cibus ſobriè ſumptus, & benè digeſtus, nec ſic ſenſuum acumen operatur, nihilque ſic ægritudinem fugat, ut moderata refectio; ſobrietas nutrimentum præſtat corporis & ſoſpitatem.* D. Chryſoſtomus diu ante B. Laurentium pariformiter ita ſcribit: *Quod ſufficit, eſt alimentum & voluptas, nihil enim adeo efficit voluptatem, nihil adeo acumen ſenſuum, nihil eſt quod morbum æquè propulſet, nam quod ſufficit, eſt & alimentum, & voluptas, & ſanitas, quod verò eſt plus quam par ſit, eſt & damnum, & moleſtia, & morbus.*

*B. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 3.*

*D. Chryſ. h. 29. in c. 12. ad Hebr.*

Exemplum quod jejunia robuſtum efficiant.

*Card. Bell. conc. 1. in D. 1. Quadr.*

11. Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus in ſerm 1. in Dom. primam quadrageſimæ de quodam viro delicatè à juventute enutrito refert, quod inter delitias conſtitutus quaſi ſemper infirmus extiterit, vel minimum aëris nocumentum, ſumme pertimeſcens, *& niſi cibos tenerrimos & optimos habuiſſet, ſe ſtatim moriturum arbitrabatur*; Huic tandem accidit, quod in navigatione in Corſicos ſeu Pyratas incidens, illorumque mancipium factus, remo trahendo admotus fuit, cumque diu noctuque laboraret, nil præter panem bis coctum manducando, & bibendo aquam putreſcentem & olidam, inſuper quotidiè ad livorem & vulnera uſque flagellabatur, adeò ut non una ſed mille mortibus ſubjacere videretur: *Et tamen poſt pauciſſimos menſes ſaniſſimus, pinguiſſimus, & robuſtiſſimus effectus eſt.*

*Spec. ex. 7. v. abſtin.*

Aliud.

12. In ſpeculo exemplorum refertur, quod Eremita quidam juvenis ab Epiſcopo Bellovacenſi interrogatus, quid faciendo, robuſtior & vigoroſior in religione effectus fuerit, quam antea in ſæculo erat, hunc ferè in modum reſponderit. *Quia uniformiter vivo & decentior, de quorum primo habeo ut ſanus ſim, de ſecundo ut pulcher ſim; Perrexit quærere dicens: Quid ergo comediſti hodiè? ſatis inquit: quid heri? ſimiliter ſatis; Non quæro, inquit, de quantitate ſed de qualitate; Quid comediſti heri? quid hodie? heri, inquit, comedi piſa & olera, & hodie olera & piſa; cras autem comedam piſa cum oleribus; poſt, olera cum piſis.*

Propter abſtinentiam multi robuſti Religioſi.

13. Sobrietas & temperantia, quæ ſpecialiter inter Religioſos in perfecta regulari obſervantia & vitæ auſteritate locum & centrum ſuum habere videtur, hæc inquam efficit, ut inter illas complexiones inveniantur robuſtiſſimæ, quibus inter ſæculares vix ſimiles reperiri poterunt, ſiquidem multi Religioſi vitam ſuam ad integrum uſque ſæculum extendunt. Sanctus Paulus primus Eremita cum dimidio pane, & potu frigidæ aquæ in ſpelunca ſua vivendo ad centum tredecim vitæ annos ſaniſſimus pervenit, quorum nonaginta octo in rigidiſſimo illo jejunio tranſegit. Philo Hebræus de Eſſenis qui vitam ab ea quam Sanctus Paulus devixit, parum diſſimilem agebant, ſcribit, quod ut plurimum ad centeſimum uſque vitæ annum pertigerint. S. Hilarion octoginta quinque annos vixit; S. Romualdus centum viginti attigit.

*An. 197. n. 29*

Hiſtoria.

14. In Annalibus Eccleſiaſticis de Antiocho Anachoreta ſcribitur, quod poſtquam annum vitæ centeſimum attigiſſet, faſſus fuerit, ſe per ſexaginta annorum ſpatium nec vinum guſtaſſe nec oleum; ſimiliter ipſo moriente jam triginta anni elapſi fuerant, quibus non pane ſed herbis dumtaxat nutritus fuerat, & aqua, de quo proinde S. Theodorus Epiſcopus teſtimonium perhibet, quod in toto Oriente vix ullus ex Dei ſervis, dignior aut excellentior reperiri potuerit.



Per carnes abbreviata vita.

15. Quot ſæculis genus humanum ſine ulla carnium manducatione vitæ ſuæ vigorem conſervare potuit? Quot vitæ annos primorum temporum abſtinentia homini adjecit, prouti ex cap. 5. Geneſeos colligere licet? Jam à mundi creatione mille ſexcenti quinquaginta ſex anni elapſi fuerant, in quibus de carnibus animalium nullus hominum edebat, hæ enim non niſi poſt diluvium conceſſæ leguntur, & ſimul cum illarum uſu vita humana notabiliter diminuta & abbreviata fuit; cum antea homines ut plurimum ad ſeptingentos imo nonnumquàm ad nongentos uſque vitæ annos pertingere conſueverint. Quis eſt qui mortem à gula primum ſuum eſſe & in hunc mundum aditum primum accepiſſe ignoret? Guloſus pomi vetiti appetitus horrendum & immane hoc monſtrum primitus produxit, de quo nullus etiamnum inter omnes humani generis mortales victoriam reportavit, præterquam Enoch & Elias; hi enim ambo poſt multa annorum millia feliciter vivunt, nec umquam mortis falcem experti fuerunt: nec mirum eſt hoſce mortis falcem hactenus evaſiſſe, & ad hæc uſque tempora immortali vita ſuperſtites eſſe, nam Enoch illis ſæculis vixiſſe noſcitur, quibus carnium uſus interdictus erat: Elias autem in jejuniorum obſervantia rigoroſiſſimus extitit. Unde S. Bernardus de Elia ait: *Quanto fervore amplectendum eſt, quod Elias ille commendat, igneo curru raptus in cælum? Ecce enim quam multa millia à diebus illius generalis conditio mortis invaſit? Elias tamen uſque adhuc conſervante Domino manus ejus evaſit.*

*S. Bern. ſerm. 3. de Quad.*

Iſraëlitæ poſt eſum carniū mortui.

16. Neſcio an hactenus quiſpiam veſtrûm ingentem illam populi Iſraëlitici ex Ægypto egredientis multitudinem ad aliquot hominum milliones aſcendentem conſideraverit; ſiquidem eorum qui ad arma gerenda & tractanda habiles erant, numerus erat ſexcentorum millium, pueris & mulieribus ſub hoc numero minimè comprehenſis, qui tamen omnes inter multa tormenta famis, ſitis, laſſitudinis, aliaſque ærumnas ſani ſemper & robuſti in deſerto manſerunt, ſolius merito ſobrietatis & abſtinentiæ. Unde S. Ambroſius ait: *Cum de petra biberent filij Iſraël, & manna manducarent, gentes validiſſimas ſuperarunt, & nullus erat in eis infirmus.* At verò quando poſtea carnium eos invadens appetitus, illos ad eaſdem carnes à Deo tanta cum importunitate poſtulandas permovit; tunc de illorum cadaveribus viſcera impleta ſunt avium, adeo ut ex tunc loca illa appellata fuerint *Sepulchra concupiſcentiæ*; ſiquidem: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos; Ubi verò carnes deſiderare cœperunt, nequaquam ex tot millibus hominum in terram promiſſionis præter duos pervenire potuerunt, neque ullus eorum in caſtris aliqua invalitudine conflictabatur*, juxta illud Pſalmi: *Non erat in tribubus eorum infirmus: cum verò in mentem illis veniſſet carnium deſiderium, terram, quæ illis promiſſa erat, non conſpexerunt.*

*S. Ambr. l. de El. & jejun. cap. 8.*

*Num. 11. v. 34.*

*Pſal. 77. v. 30.*

*Pſalm. 104. v. 37.*

Jeju. ſanitatē ac vigorem confert.

*B. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 2*

*S. Hier. l. 2. cont. Jovin.*

17. B. Laurentius Juſtinianus in capite quodam ubi de ſobrietate tractat, dicit, quod *Abſtinentia & jejunium ſanitas eſt corporis, valetudo membrorum.* S. Hieronymus Authorem quemdam refert antiquum, his verbis: *Dicæarchus in libris Antiquitatum & deſcriptione Græcorum refert, ſub Saturno, id eſt, in aureo ſæculo, cum omnia humus funderet, nullum comediſſe carnes, ſed univerſos vixiſſe frugibus & pomis, quæ ſponte terra gignebat; Perſarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta, & cardamo, & ſale ac pane cibario eos aſſerens victitare.* Idem quoque ad Marcellam, de Aſella, illam toto anno jejunaſſe ſcribit: *Quod impoſſibile forſan eſt hominibus ad credendum, Deo autem præſtante poſſibile eſt; ita ad quinquagenariam pervenit ætatem, ut non doleret ſtomachum, non viſcerum cruciaretur injuria, ſana corpore, animo ſanior.*

## DISCURSUS XVI.
## ARGUMENTUM.

Deus jejunium cum innocentia à nobis conjungi, illudque operibus bonis, præcipuè vero Eleemoſyna ſanctificari deſiderat.

### THEMA.

*Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra: numquid tale eſt jejunium quod elegi?* Iſa. 58. ℣. 3. & 5.

Jejunandum à vitijs.

1. Hebræorum populus, referente Iſaia, olim contra Deum querulabatur, quod jejunia ipſorum ab eo nihili fierent; *Quare jejunavimus & non aſpexiſti?* Vera autem cauſa cur ipſorum jejunia Deo accepta non eſſent, ex verbis immediatè antecedentibus clare deducitur, ſiquidem Deus Prophetæ præceperat, ut Hebraiſmo iniquitates ejus declarando annuntiaret: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*; & protinus ſubjungit: *Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra.* Quaſi diceret; tametſi corpus veſtrum cibo modico, frugali, & tenui extenuare nitamini, ſimul tamen eodem tempore legem Dei conculcatis, veſtroque modo & genio vivere vultis: *Nonne hoc magis eſt jejunium*, inquit, *quod elegi, diſſolve colligationes impietatis?* Unde S. Hieronymus ad Celantiam ſcribens, ita monet: *Quid prodeſt extenuari corpus abſtinentia, ſi animus intumeſcat ſuperbia? Quid utilitatis habet vinum non bibere, & ira & odio inebriari? Tunc enim præclara eſt abſtinentia corporis, cum animus jejunat à vitijs.* S. Ambroſius qui librum de Elia & jejunio conſcripſit, ita nos hortatur: *Nemo in jejunijs culpam includat, præferat innocentiam, jejunium etenim culpæ imperfectorum eſt.*

*Iſaia 58. 3.*

*Iſa. 58. v. 1.*

*v. 3.*

*v. 6.*

*S. Hieron. ad Cel.*

*S. Ambr. c. 10 ibid.*

Nitor conſcientiæ cum jejunio.

2. Sancta mater Eccleſia in Evangelio quod prima die Quadrageſimæ fidelibus prælegere ſolet, jejunium nobis indicit, at vero obſervanda eſt particularis quædam circumſtantia, cum qua illud nobis Chriſtus præſcribit: *Tu autem*, inquit, *cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Quis autem horum verborum verus eſt ſenſus? Num fortè faciem mundari vult à maculis & ſordibus, quas diebus præcedentibus a larvis contraxit? Et quænam eſt illa capitis unctio, de qua Chriſtus hic loquitur, aut quo fine illa præcipitur, cum ſatis ſit credibile illud ſatis unguentis varijs diebus ſuperioribus fuiſſe delibutum? *Omnia in figura contingebant.* S. Thomas ait: *Unge Caput tuum, id eſt, mentem tuam oleo nitoris conſcientiæ oblinire ſtude*; Vel ut Hugo Cardinalis ait: *Oleo gratiæ*; quod idem lotio quoque faciei ſignificat; Quia ut Author imperfecti ait: *Facies animæ conſcientia intelligitur*; Moxque, quænam ſint ſordes exponit, quas ab hoc vultu abſtergere debemus: *Projice ergo abs te*, inquit, *avaritiæ ſordes, perjurij ſtercora, malitiæque putredinem, & laviſti faciem tuam, id eſt, conſcientiam tuam aqua Prophetica, de qua dicit Iſaias: Lavamini, mundi eſtote, auferte nequitiam ab animabus veſtris.* D. Chryſoſtomus à S. Thoma in Catena citatus, per caput, quod profumandum eſt, Chriſtum interpretatur, per unctionem vero opera pietatis & miſericordiæ: *Caput tuum Chriſtus eſt, ſitientem pota, eſurientem ciba, & ſic oleo miſericordiæ unxiſti caput tuum, id eſt, Chriſtum.*

*Matth. 6. v. 17.*

*1. Cor. 10. 11*

*S. Thom. ibid.*

*Hug. Card. ibid.*

*Iſa. 1. v. 16.*

*Chryſoſt. in cat.*

Jejuniū præcedat confeſſio.

*S. Bonav. ſer. 6. in die vin.*

*Joël. 2. 12.*

3. S. Bonaventura modum quo cum ingenti merito jejunare poſſumus, his verbis exponit: *Qui vult meritoriè jejunare primo confiteatur; parum enim eſt abſtinere à cibis, quando non abſtinetur à vitijs; ut dignè jejunetur, contritio vera, confeſſio, ſatisfactio jejunio aſſocientur*; Ac proinde Deus per Joëlem Prophetam dicit: *Convertimini in jejunio*, ac demum immediatè ſubjungit, *& fletu.* Legatur porro, quidquid ſacra volumina hactenus de hac abſtinentiæ & jejunij virtute ſcripſerunt, & ſemper utrumque horum nihili æſtimari invenietis, niſi fuerint cum bona & recta conſcientia indiſſolubili ſocietate conjuncta. *Impleri debet jejunium*, inquit S. Leo Magnus, *non ciborum tantummodo parcitate, ſed magis privatione vitiorum*; cujus protinus rationem ſubjungit, quia jejunium ad hanc carnem ejuſque ſenſualitatem ſpiritui recalcitrantem mortificandum dirigitur, ut hæc ſubjiciatur, & obediens reddatur ſpiritui, quando autem jejunium hunc effectum non aſſequitur, medium iſtud prorſus inutile cenſetur: *Nam cum ob hoc caſtigatio iſta ſumatur, ut carnalium deſideriorum fomites ſubtrahantur, nullum magis ſectandum eſt continentiæ genus, quam ut ſemper ſimus ab injuſta voluntate ſobrij, & ab inhoneſta actione jejuni.*

*S. Leo ſerm. 6.*

*Joël. 2. v. 15.*

Jeju. ut fiat peccatorum remiſſio.

*Rup. Abb. in Joël. c. 2.*

4. Deus noſter per Joëlem Prophetam nobis præcipit: *Sanctificate jejunium.* Circa quæ verba Rupertus Abbas Tuitienſis differentiam notat, quæ eſt inter prædicare, & ſanctificare jejunium, utrumque enim ſimul junctum præcipitur: *Multo plus eſt*, inquit, *ſanctificare, quam prædicare jejunium, quia videlicet jejunare, vel jejunium prædicare impij quoque poſſunt, qui non remiſſionem peccatorum, ſed tantummodo malorum præſentium jejunando quærunt remedium*; Adducitque impium Regem Achab in exemplum, qui innocentem Naboth occidi juſſerat, ut ipſe in vineæ ipſius poſſeſſionem ſubingredi poſſet; hic enim mox ut Eliæ Prophetæ comminationes quoad ordinatum ipſi a Deo



ſuppli-

ſupplicium audiſſet, ſciſſis veſtimentis ſuis, capiteque cinere conſperſo, ingenti cum auſteritate jejunijs ſe macerare cœpit; ſed quonam id fine fecit? *Numquid ut remiſſionem peccatorum acciperet, & ſalutem æternam obtineret? non utique ſed ne temporali regno vivens careret; ergo jejunavit, ſed non ſanctificavit jejunium.* Similiter Phariſæus bis in qualibet hebdomada jejunabat: *Jejuno bis in Sabbato, ſed poſt jejunium illud deſcendit inanis*, (inquit Chryſoſtomus) *publicanus non jejunavit, & Phariſæum jejunantem præceſſit, non jejunans, ut diſcas quod jejunij utilitas nulla, niſi & reliqua omnia conſequantur.*

*D. Chryſoſt. hom 3. ad popul.*

Non ob vanam gloriam. *S. Bonav. in diæt. ſal. t. 2. c. 6.*

5. S. Bonaventura illorum deteſtatur vanitatem qui cum parſimonia & victus frugalitate quotidie vivunt ob vanam gloriam: *Qui jejunat propter humanam laudem, de hoc quod ſubtrahit uni hoſti, paſcit duplicem hoſtem, quod enim amico adverſario ſcilicet carni ſubtrahitur per jejunium, de hoc paſcit alios duos, ſcilicet Diabolum & mundum.* D. Chryſoſtomus ubi ſupra, priuſquam Phariſæi exemplum adduceret, ait: *Jejunium dico, non hoc vulgare, ſed accuratum jejunium, non tantum ciborum abſtinentiam ſed peccatorum.* Eccleſia quoque in Collecta quadam, ſic Deum orat: *Præſta quæſumus Omnipotens Deus ut qui ſe affligendo carnem, ab alimentis abſtinent; ſectando juſtitiam à culpa jejunent.*

*Chryſoſt. ibid.*

*Orat. 1. in Sabb. D. 3. Quad.*

Converſio Ninive Deũ reddidit placatum. *Jona 3. v. 10*

6. Valde conſiderabilia illa Jonæ Prophetæ verba, poſtquam enim Ninive ad divinam placandam juſtitiam rigoroſiſſimum inſtituit jejunium, ait: *Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus.* Ex his namque verbis argumentum conficitur evidens, unde cognoſcitur, quod non ſuffecerit illorum jejunium, niſi etiam ſimul cum illo actus pœnitentiæ conjunxiſſent, & viam bonam ingreſſi, eradicatis à cordibus eorum vitijs, malos vitæ ſuæ mores emendaſſent: Converſi ſunt de via ſua mala. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Vidit Deus opera eorum; qualia opera? Quod jejunaverunt quod ſaccum induerunt? nihil horum; ſed hæc omnia tacens intulit, quoniam converſus eſt quiſque à vijs ſuis malis. Cernis, quod non jejunium periculo eripuit, ſed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & benevolum reddidit? Hæc dixi, non ut jejunium contemnamus, ſed ut jejunium honoremus; honor enim jejunij non ciborum abſtinentia, ſed peccatorum fuga.*

*Chryſoſt. hom. cit.*

Jejunandum cum impletione præceptorum. *Iſa. 58. v. 4.*

7. Iſaias poſtquam Deum Hebræorum jejunijs minime delectari, aut placari, ſed potius offendi dixiſſet, eo quod præter illud juxta voluntatem & genium ſuum ſine divinæ legis ſuæ directione & obſervantia vivere volebant, protinus ſubjungit: *Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè; nolite jejunare, ſicut ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter.* Quænam vero opera bona jejunio, ad hoc ut Deo acceptum fiat, conjungi debeant, paulò poſt his verbis oſtendit, dum ait: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* S. Maximus verba illa Joëlis: *Sanctificate jejunium*, exactius ponderans, ita ſcribit: *Quid eſt aliud ſanctificare jejunium, niſi jejunij cauſa ſancta velle, juſta facere, iniqua vitare?* Idque in varijs virtutibus Chriſtianis tandem exemplificat. S. Ambroſius verba Thematis ex Iſaia deprompta, ſcilicet: *In die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra*, ita exponit: *Vides quæ ſpecies ſit & forma jejunij? quis mentis habitus? ut orationi vaces, & in lege Dei die ac nocte mediteris.* Deus enim à nobis requirit, ut jejunium cum adimpletione voluntatis ſuæ conjungamus; hæc autem per legis ſuæ obſervantiam adimpletur; ſiquidem *In lege Domini voluntas ejus.*

*S. Maxim. hom. de jej.*

*S. Ambr. l. de El. & jejun. c. 9.*

Oratio cum jeju. cœlum penetrat. *S. Bern. de mod ben. viv. c. 24.*

8. S. Bernardus in capite quodam libri de modo vivendi, qualitatem quamdam nobis indicat, ex qua jejunium noſtrum à Deo æſtimatur, & nobis reputatur ad meritum; dicit enim: *Hoc eſt perfectum jejunium, quando noſter homo exterior jejunat, interior verò orat, oratio per jejunium facilius penetrat cœlum.* Sed mea opinione parum nimis mellifluus Doctor à nobis requirit, quia S. Gregorius jejunium non ſolùm orationibus, ſed omnigenis operibus bonis aſſociandum eſſe cenſet, dum ait: *Hinc Joël ait: Sanctificate jejunium; jejunium quippe ſanctificare, eſt adjunctis alijs bonis dignum Deo abſtinentiam carnis oſtendere.* Idem quoque punctum alibi nobis inculcat, dum in cap. 14. libr. 1. Regum ita ſcribit: *Gula per abſtinentiam frangitur, ſed abſtinentiam ciborum corporalium habere non poteſt, qui mentem ſpiritualibus cibis non replet; potenter enim corpus extenuat, qui amore cœleſtium cor inflammat, quia dum ſpiritualia fortiter diligit, deſideria carnis valenter premit.*

*S. Greg. part. 3. Paſt. ad mon. c. 20.*

*L. 5. in l. 1. Reg. c. 14.*

Spiritus cum carne mundandus. *2. Cor. 7. v. 1. S. Cyrill. Alex. t. 5. h. 2.*

9. S. Cyrillus Alexandrinus de jejunio tractans, textum illum Apoſtoli ad Corinthios citat, quo dicitur: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei;* Et hanc doctrinam ad valorem & utilitatem jejunij unicè neceſſariam eſſe dicit: *Ita namque prorſus purum Domino jejunium celebrabimus:* ſecus verò ex hac purificatione corporali & ſpirituali, nec non ſubjectione tali carnis ad ſpiritum nullum prorſus reportabimus fructum.

Voluntas refrænanda in appetitibus. *S. Greg. Nyſſ. or. 1. de paup. amand.*

10. S. Gregorius Nyſſenus in Homilia quadam, cui titulus eſt: De pauperibus amandis, quo fine à Deo nobis ſint præſcripta jejunia his verbis inſinuat: *Propter munditiam animæ ſunt indicta jejunia;* Et iterum: *Quid confert jejunium corporis, niſi mens munda puraque ſit?* Idque ſequenti illuſtrat ſimilitudine: *Nihil confert currum validum ac ſtrenuis quadrigis inſtructum eſſe, ſi auriga inſaniat,* Cui aliam à fundamentis domus a ſe cujus petitam adjungit ſimilitudinem dicens: *Jejunium virtutis fundamentum eſt; Quemadmodum fundamento domus, licet ingentia ſubjicias, inutilia tamen vanaque ſunt, niſi reliquas item partes peritè ac ſcienter exædificaveris, ſic iſtius abſtinentiæ nullum erit emolumentum, niſi aliæ juſtitiæ partes acceſſerint.* Corpus & ſenſum mortificatum & enervatum tenere quid prodeſt, ſi voluntas ſit contumax & ad effrænes appetitus ſuos proclivis, malarumque inclinationum ſuarum ductum & pondus in omnibus ſequi velit. S. Hieronymus inquit: *Senſus corporum quaſi equi ſunt ſine ratione currentes; quomodo equi abſque rectore præcipites ſunt, ita corpus ſine ratione & imperio animæ.* Neceſſum eſt igitur ut prius voluntatem noſtram refrænemus, domemus & mortificemus in appetitibus ſuis, & poſtea frænum injiciamus equis, qui ſunt ſenſus & corpus noſtrum. Unde Eccleſia in Collecta quadam Quadrageſimali ita Deo ſupplicat: *Da quæſumus Domine noſtris effectum jejunijs ſalutarem, ut caſtigatio carnis aſſumpta, ad noſtrarum vegetationem tranſeat animarum*

*S. Hier. l. 2. cont. Jovin.*

*Orat. 1. Sabb. D. 2. Quad.*

Jejunio juncta ſit miſericordia.

11. Enimverò ſancti Patres & Doctores omnibus operibus bonis, quæ jejunium aſſociare debent, opera miſericordiæ ſpecialiſſimè anteponunt, idque optime cum illo conſilio conſonat, quod Deus apud Iſaiam populo ſuo tradit, dum ait: *Frange eſurienti panem tuum*, &c. *cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, implebit ſplendoribus animam tuam, & erit ſicut hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* D. Chryſologus jejunium laudaturus digniſſima illi attribuit epitheta, ſpecialiter autem dicit: *Jejunium eſt ſanctitatis hoſtia, ſacrificium caſtitatis, ſed ſine miſericordiæ incenſo ad divinum non poteſt conſpectum in odorem ſuavitatis aſcendere;* Ac demum propoſitionem quamdam primo aſpectu difficilem ſubjungit, quæ tamen utpote à calamo non minus erudito quam ſincero derivato in pretio nobis & veneratione merito eſſe debet; dicit enim, quod ſicut anima corpori vitam tribuit, ita quoque miſericordia jejunium vivificet: *Quod anima eſt corpori, hoc miſericordiam conſtat eſſè jejunio.* Neque ſententia iſthæc è calamo ipſius inadvertenter & caſu fortuito effluxit, quia jam in ſermone 8. ſcripſerat ſequentia verba: *Jejunium ſine miſericordia ſimulachrum famis eſt, imago nulla eſt ſanctitatis, ſine pietate jejunium occaſio eſt avaritiæ, non eſt propoſitum parcitas iſta, quantum ſiccatur in corpore, tantum tumeſcit in ſacculo.* Huic doctrinæ D. Chryſologi conſentit, quod nobis in hac materia S. Gregorius his verbis tradit conſilium: *Illud jejunium Deus approbat*, inquit, *quod ad ejus oculos manus Eleëmoſynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur; hoc quod tibi ſubtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.*

*Iſa. 58. v. 10*

*D. Chryſol. ſerm. 41.*

*D. Chryſol. ſerm. 8.*

*S. Greg. hom. 16. in Evang.*

*B. P. Dam. ep. ad Hildeb. ſeu Greg. VII.* Hiſtoria.

12. B. Petrus Damianus de Abbate quodam refert, quod cum ſe à gula eouſque ſuperari permiſiſſet, ut Lampetram quamdam ſibi in prandium præparari juberet, eique reſponſum eſſet, in toto foro non niſi unicam dumtaxat reperiri, eamque infra viginti nummos argenteos comparari non poſſe, eumdem ad emendum prædictum piſcem expediri juſſit, & exquiſitiſſime ad guſtum ſibi percoqui induſtrium præparari: In eodem verò temporis momento, quo hocce ferculum menſæ Abbatiali inferebatur, Abbati huic pariter nuntiatum fuit, ad fores Monaſterij pauperem quemdam aſſiſtere, qui pretioſum hoc ferculum ſibi donari ſumma cum inſtantia expoſceret, quod Abbati



bati præparatum fuerat; *Mox ut erat, integrum piſcem, non hæſitans vir Dei mittit ad pauperem; Illico pauper qui videbatur cum ipſa paropſide plena piſce in ſublime ſe extulit, & librata manu velut Xenium portans, cœlum cunctis videntibus penetravit.*

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

Jejunium ad vitia & peccata eradicanda ordinatur, & ideo ſpecialiter Deo placet: neceſſum eſt autem, ut non ſolùm corpus, ſed & omnes ſenſus ſpiritualiter jejunent.

## THEMA.

*Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes.* Iſa. 58. ℣. 6.

Vitia extirpanda per jejunium.

1. Deus noſter hiſce verbis magni cujuſdam erroris commonere voluit, qui in adimpletione jejuniorum, quæ pro animarum noſtrarum majori lucro, magiſque nobis concilianda divina benevolentia obſervamus, occurrere haud infrequenter ſolet; multi enim abſtinentiam & delectum ciborum ad jejunium ſufficere ſibi perſuadent, intereaque infrænes & inordinatos appetitus refrænare, voluptatibuſque & delitijs proprijs modum ponere negligunt. Dicit igitur Deus noſter, nequaquam ita ſe res habet, ut vobis perſuadetis, Fallimini miſeri & turpiter erratis; ideoque per os Iſaiæ Prophetæ omnibus inclamat: *Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? diſſolve colligationes*, &c. In quibus verbis Hugo Cardinalis tria conſiderat, ſcilicet conſuetudinem peccati, ac denique multitudinem & gravitatem eorumdem: *Poſſunt notari hic tria: Conſuetudo peccati, cum dicit: Colligationes; id eſt, ſimul ligationes per conſuetudinem peccati*, juxta illud Oſeæ 13. [*Colligata eſt iniquitas Ephraim;*] *Item notatur multitudo peccatorum, per hoc quod dicit: faſciculos; Faſciculus fit ex multis; Item magnitudo ipſius peccati, per hoc quod dicit: Deprimentes*, juxta illud Pſal. 37. *Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

*Hug. Card. in Iſa. 58. v. 6.*

*Oſ. 13. v. 12.*

*Pſ. 37. v. 5.*

Abſtinentia vitiorum melior quam ciborum. *S. Bern. ſerm. 24. de mod. ben. viv.* Occidenda vitia nō caro.

2. Hoc igitur divino monito ſuppoſito, neceſſum eſt ut perſpicue indubitatam quamdam intelligamus veritatem, nimirum, quod jejunium ad peccata eradicanda, & abolenda vitia ſpecialiter ordinetur: *Corporali jejunio vitia comprimis:* ac proinde S. Bernardus optime nos monet, dicens: *Ille bene jejunat, qui ab omnibus vitijs declinat, melior eſt abſtinentia vitiorum, quam ciborum.* Quibus verbis mellifluus Doctor nequaquam intendit reprobare jejunium, utpote quod omnium operum ſuorum individuus comes fuit, ſed in quid principaliter jejunando collimare debeamus exponit: *Hoc debet ſervari in omni abſtinentia, ut non occidas carnem tuam, ſed vitia.* S. Ambroſius omnem abſtinentiam & jejunij impletionem inutilem eſſe dicit, niſi per divinorum præceptorum obſervantiam aſſocietur: *Quidquid aliud*, inquit, *præter mandatum Dei feceris, quamvis abſtineas, non jejunas; hoc eſt enim ſalutare jejunium, ut, ſicut abſtinet corpus ab epulis, ita & anima refrænetur à vitijs.* Sobrietas igitur parſimonia & abſtinentia victus, ferrum ſeu enſis eſſe debet, quo omnia vitia reſecentur; *Jejunium ſanctificare*, inquit S. Gregorius, *eſt adjunctis bonis alijs dignam Deo abſtinentiam carnis oſtendere; ceſſet ira, ſopiantur jurgia, incaſſum enim caro atteritur, ſi à pravis ſuis voluptatibus animus non refrænetur.* S. Bernardus in ſermone quodam qui eſt ſecundus in Quadrageſimam, ejuſdem prorſus eſt ſententiæ, qui proinde Monachos ſuos ibidem his verbis alloquitur: *Volo admonitos eſſe fratres meos, obſervandum illud jejunium non ab eſcis tantum, ſed ab omnibus illecebris carnis, & univerſa corporis voluptate, imo vero jejunandum longe amplius à vitijs, quam à cibis.* Eamdem quoque doctrinam tangit B. Laurentius Juſtinianus, qui ſtudium & induſtriam noſtram jejuniorum tempore primo & principaliter adhibendam eſſe dicit, ut cor & animam noſtram à vitijs purgemus, non vero ut maceremus & extenuemus corpus, quia ſobrietas & jejunium ad hunc præcipuè finem ordinentur, ut vitium extinguatur, non corpus: *Sic prorſus neceſſè eſt ut artem ſobrietatis quiſque teneat, quatenus non carnem, ſed vitia occidat, ſæpe enim dum in illa hoſtem inſequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus, & plerumque dum quaſi concivi compatimur, ad prælium hoſtem nutrimus.*

*S. Ambr. t. 5. ſerm in D. 3. Quadr.*

*S. Greg hom. 16. in Evang.*

*S. Bern. ſer. 2. de Quadr.*

*B. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 3*

Jejunij tempore quæ virtutes exercendæ. *D. Chryſoſt. Hom. 8. in Gen.*

3. Porro quænam illæ ſint paſſiones & vitia, quibus eradicandis adhibendum eſt ferrum, & quænam jejunij tempore exercendæ ſint virtutes, D. Chryſoſtomus nobis indicat his verbis: *Jejunantem ante omnia oportet iram refrænare, manſuetudinem & lenitatem addiſcere, habere cor contritum, abſurdas concupiſcentias repellere, ante oculos continuo proponendo oculum æterni judicis, & tribunal illud incorruptum, pecunijs ſuperiorem eſſè, & illis dominari, liberalem eſſe in danda eleëmoſyna, nullum malum adverſus proximum in cor admittere, hoc verum jejunium eſt.* S. Baſilius in Homilia 1. de hac materia, ad textum Iſaiæ cap. 58. in quo Deus Hebræos, quod in jejunijs ſuis lites & diſſenſiones nutriant, alioſque exceſſus committant, reprehendit, ad hunc inquam textum ſe reflectens, ita ſcribit: *Verum jejunium eſt, ab omnibus vitijs eſſè alienum; Solve omne vinculum iniquitatis, condona proximo, ſi quid dolet animo, remitte illi debita; nolite ad contentiones & ad lites jejunare; carnes non edis? ſed comedis fratrem tuum; à vino abſtines? Sed ab injurijs tibi non temperas; expectas veſperas ut cibum capias, ſed diem totum conſumis apud tribunalia.*

*S. Baſil. hom. 1. de jejun.*

*Spec. exempl. diſt. 9. ex. 205.* Hiſtoria.

4. In ſpeculo Exemplorum de Principe quodam veriſimilis admodum refertur hiſtoria, quod ſcilicet à cibis quidem perſæpe abſtinere, & jejunare ſolitus fuerit, aliàs verò in ſubditorum ſuorum divitias ſibi rapiendas valde avidè inhiarit, varijs illos gravando vectigalibus atque gabellis; Hic cum die quadam inter alios ſubditos viduam quamdam omnibus ſuis facultatibus exuiſſet, hæc aſſumptis ſecum duobus parvulis filijs ſuis illum privatim convenit, eique Chriſtiana cum libertate dixit: Tu quidem carnem manducare mortuam ſæpiſſime renuis, vivas tamen devorare carnes numquam intermittis, facultatibus ſuis injuſtè tibi vendicatis pauperculas ſpoliando viduas & pupillos, prout mihi à te præter omne fas & æquitatem contigit, dum mihi id etiam rapere non dubitaſti, quod ad vitæ ſuſtentationem vix ſufficiebat; Ecce tibi hoſce duos filiolos meos adduxi, ut & eos quoque pari feritate vivos devores, hoc enim æquius tolerare potero, quam ſi illos quotidie fame perire videre coacta fuero. Quibus verbis auditis, Princeps intimè compunctus remanſit, ſeque emendavit, & facultates ablatas denuo reſtitui juſſit. Diximus porro in præcedenti diſcurſu quod Deus à nobis abſtinentiam multis bonis operibus, & præcipuè compaſſione erga pauperes, veluti individua comite ſociatam eſſe deſideret, ac proinde quam eſt credibile, divinam juſtitiam vehementiſſime exacerbandam eſſe, quando ſimul cum jejunio ſociantur extorſiones, injuriæ, inſidiæ, & aliorum bonorum rapinæ vel ſaltem cupiditates.

*S. Cyrill. Alex t. 3.* Obſervatio mandatorum cũ jejunio.

5. S. Cyrillus Alexandrinus textum illum Joëlis: *Sanctificate jejunium*, ita explicat, ut ſit ſenſus: *tamquam anathema & ſacrificium verè ſacratiſſimum, & à reprehenſione alienum uſurpate jejunium. Haud enim fas eſt, ciborum abſtinentia, corpuſculum emarcire, & jejunando ea deſignare, quibus ad iracundiam Deus irritetur.* Super eumdem Joëlis textum Nazianzenus ait: *Jejunium ſanctificat & curationem prædicat;* Quod qua ratione adimpleri poſſit, Nicetas Nazianzeni commentator his verbis explicat: *Quod quidem tunc demum exiſtit, cum propriæ voluntates, atque ipſæ animi commotiones, hoc eſt, ira, & libido compeſcantur, cum quibus etiam omnis obtrectatio & mendacium extinguantur, ac præter jejunium curationem*, inquit, *prædicate, hoc eſt divinæ voluntatis obſervationem.*

*Nazianz. Orat. 1.*

Dæmones imitantur qui non à vitijs jejunant. *S. Aug. ſerm. 64. de temp.*

6. S. Auguſtinus quoque interrogat, quid prodeſt ſi corpus jejunijs extenues, & animam interius peccatis adimpleas? *Quid prodeſt vacuare corpus ab eſcis, & animam replere peccatis? quid prodeſt pallidum eſſe jejunijs, ſi odio & invidia liveſcat? quid enim prodeſt vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? quid enim prodeſt abſtinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare?* Quis umquam repertus eſt, qui acerbiùs quam Dæmon ipſe, ejuſque ſubditi jejunet, de quibus ſcriptum eſt: *Famem patientur ut canes?* & tamen Dei inimici exiſtunt. Raban. in Homilia quadam, ſententiam quamdam habet ex S. Iſidor. & alijs deſumptam; dicit enim: *Sed & hoc notandum eſt, quod jejunia ſolummodo cum bonis operibus Deo ſunt acceptabilia, qui autem à cibis abſtinent, & prava agunt, Dæmones imitantur, quibus eſca carnalis non eſt, & nequitia ſpiritualis ſemper ineſt.*

*Pſ. 58. v. 7.*

*Rab. T. 5. Homil de jejun. vig. & orat.*

7. D. Chry-

D. Chryſoſt. hom. 31. in Matth.

7. D. Chryſoſt. Redemptorem noſtrum introducit Phariſæis abſtinentiam & jejunia improperantem, quibus ſe macerabant, cum tamen de anima curanda, & corde à paſſionibus motibuſque inordinatis purificando nihil omnino ſolliciti eſſent: *Quam utilitatem vobis jejunia afferunt, cùm mens veſtra ſceleribus repleta ſit, cùm alios accuſetis, judicetis, non parvas ipſi trabes gerentes in oculis, cum ad aucupandam hominum gloriam omnia faciatis.*

Jejunium utile ſi à vitijs.

8. Eccleſia in hymno Quadrageſimali gratiam à Deo pro fidelibus ſuis expoſcit, qua eo tempore quo jejunant, ſimul etiam à peccatis & Dei offenſis jejuni eſſe poſſint: *Sic corpus extra conteri dona per abſtinentiam, jejunet ut mens ſobria à labe prorſus criminum:* hoc enim ſi fideles obtinuerint, tunc vel maxime eorum jejunia utilia & fructuoſa futura eſſe cenſet; Unde proſequitur ulterius dicens: *Præſta beata Trinitas; ut fructuoſa ſint tuis jejuniorum munera.* S. Auguſtinus etiam dicit quod jejunium Deo gratum & acceptum non in victus parſimonia & frugalitate, ſed in voluntatis temperantia præcipuè conſiſtat: *Jejunium eſt*, inquit, *quod probat Altiſſimus non ſolùm intermiſſà corporis refectio, verùm etiam à malis actibus facta diſceſſio; ſi corpus tuum jejunia longa conſumpſerint, atque illi ſubtraxeris cibum, cum non detrahis vitia, in malis perſeverans, magis horres, quam placeas Deo. Cur corpus fame diſcrucias, cui turpiter peccando blandiris?* Idem quoque alibi huic teſtimonium perhibet veritati, cum jejunium appellat magnam & generalem quamdam à peccatis abſtinentiam: *Jejunium autem magnum & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi, quod eſt perfectum jejunium*, idque per illa verba S. Pauli probat, quibus dicitur: *Ut abnegantes impietatem & ſæculares cupiditates, temperanter, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo.* Quale autem hujus ſecundi jejunij præmium, ex eo oſtendit, quod idem Apoſtolus ſubjungat: *Expectantes beatam ſpem & manifeſtationem gloriæ magni Dei.*

S. Aug. ſerm. 172. de temp.

S. Aug. 17. in Joann.

Tit. 2. v. 13.

Jejuniū corporale inſtitutū propter ſpirituale.
Chryſoſt. 1. 5. ſerm. 34. de reſur.

9. Valde conſiderabilis eſt doctrina illa D. Chryſoſtomi circa hanc materiam, de qua tractat in feſtivitate Reſurrectionis, quando jam Quadrageſima finem ſuum accepit; dicit enim: *Jejunium præterijt corporale, ſed jejunium non præterijt ſpirituale, hoc melius eſt illo, & illud propter hoc eſt inſtitutum.* Proſequitur idem ſanctus Doctor dicendo, quod dari poſſet caſus, in quo etiam præceptum jejunij adimplentes, revera tamen non jejunent; & quia idipſum non nemini ænigma videri poterat, dubium protinus reſolvit dicendo, quod minimè jejunare cenſendus ſit, qui dum jejunat, à peccatis non abſtinet, quia tametſi cibos caveat vetitos, ob id tamen meritum jejunij non obtinet, quia dari poteſt caſus, quod etiam aliquis corporaliter jejunans, verè non jejunet, quod qua ratione fiat, ſequentibus verbis declarat, dicens: *Cum quis alimentis quidem fruitur, peccatum vero non guſtat, hoc melius eſt illo jejunium, neque melius tantum, ſed etiam levius.* Refert etiam ibidem multorum querimonias, qui jejunij obligantis tempore vel complexionis prætendebant debilitatem, vel moleſtiam pruritus, vel ſitis ardorem aut herbarum inſipiditatem: *Multa ejuſmodi*, inquit, *qui tum dicerent, audiebam multos, De hoc jejunio nihil tale dici poteſt; fruere balneis, menſæ particeps eſto, vini utere potu moderato, licet deguſtare carnes, omnibus fruere, tantum abſtine à peccatis. Vides ut omnibus facile ſit hoc jejunium? non corporis imbecillitatem licet obtendere.*

Jejunij finis ſenſuum ſubjugatio.
S. Greg. l. 5. in c. 11. lib. 1. Reg.

10. Finis porrò cur corpus jejunio maceretur, eſt, ut ſenſus facilius, magis, & promptius obedientiam præſtent ſpiritui & rationi. Unde S. Gregorius ait: *Per macerationem corporis, in tantum proficiunt ad culmen perfectionis, ut ab eis, quidquid à carne, quidquid à mente ingeritur, leviter ſuperetur; refecta caro & impinguata; ad lapſum linguæ, oculorum, auditus, olfactus, & tactus facilis eſt.* Quod ſi quis hunc finem quem prætendit, abſque eo quod per hæc media ad illum tranſitum faceret, obtinere poſſet, ſobrietate utique & abſtinentia minime opus haberet; at vero, ut idem ſanctus dicere pergit, hæc regula ſemper deſideratur, quia ſenſuum, qui alias ſine dubio recalcitraturi eſſent, rebellionem ſub fræno coërcet: *Dum per abſtinentiam corpus atterimus, innumeros noſtrorum ſenſuum illicitos motus enervamus, & quos omnino eradicare non poſſumus, quaſi debiles effugamus.*

Senſuum jejunium.
S. Ant. Pad. ſerm. in D. 1. Quadr.

11. S. Antonius de Padua jejunium quoddam nobis indicat ſpirituale cum corporali conjunctum, cujus ut videbimus, alij quoque ſancti patres meminerunt; Dicit igitur hic Sanctus: *Si gula ſola peccavit, ſola quoque ad jejunium ſufficit; Si vero peccaverunt & cætera membra, quare non jejunant? jejunet igitur oculus qui deprædatus eſt animam; jejunent aures, quæ ad ſalutem non pertinent, audire fugiendo; jejunet lingua à detractione & falſitatibus abſtinendo; jejunet manus ab illicitis ſe retrahendo.* Qui diſcurſus totus ex S. Bernardo exceptus eſt, è quo ſequentia addere poſſumus: *Jejunet oculus à curioſis aſpectibus, & omni petulantia, ut bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa.* Eamdem quoque doctrinam tradit D. Chryſoſtomus, dum per omnes corporis ſenſus hunc in modum diſcurrit: *Jejunent manus à rapina & avaritia mundæ; jejunent pedes ad illicita ſpectacula curſum reprimentes; jejunent oculi, diſcentes numquam formoſis obtutibus inſilire; jejunet auris, aurium autem jejunium eſt, detractiones & calumnias non ſuſcipere; jejunet quoque os à verbis turpibus & convitio;* redditque hujus omnium ſenſuum abſtinentiæ & jejunij ſequentem rationem: *Quæ enim utilitas, cum avibus quidem & piſcibus abſtineamus, fratres vero mordeamus & comedamus? detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnes momordit*, juxta illud quod S. Paulus ad Galathas ſcribit: *Si autem vos invicem mordetis, & comeditis videte ne ab invicem conſumamini.* S. Thomas de Villa nova Conc. 1. in Domin. 1. Quadrag. eamdem quoque omnium ſenſuum ſuadet abſtinentiam, dicens: *Sit integrum & perfectum jejunium tuum; quare unus ſolus ſenſus, ſcilicet guſtus jejunabit? jejunent potius omnes ſenſus; peccaverunt omnes, Domino faciant omnes ſatisfactionem. Jejunet intellectus à pravis cogitationibus, voluntas à malis deſiderijs, oculus à viſu curioſo & delectabili, lingua à verbis otioſis & ſcurrilibus, auditus ab auditu detractionum, pedes ab illicitis negotijs, manus à rapinis, & denique tota caro à voluptatibus etiam licitis; hoc eſt perfectum jejunium, & gratum coram Domino, cum omnes ſenſus abſtinent à mundanis, ut vacent in divinis.*

S. Bern. ſer. 3. in c. jejun.

Chryſoſt h. 3. ad Popul.

Detractor carnes proximi mordet.

Gal. 5. v. 15.

S. Thom. de Villan. conc. in d. 1. quadr.

Jejunandum ob æterna.
Rup. Abb. Zach. 7. v. 5.

12. Supereſt nunc ut per expoſitionem Ruperti Abbatis, textum quemdam Zachariæ Prophetæ examinemus, cui à Deo dictum fuit: *Loquere ad omnem populum terræ, & ad Sacerdotes dicens: Cum jejunaretis numquid jejunium jejunaſtis mihi? & cum comediſtis & bibiſtis, numquid non vobis comediſtis & vobiſmetipſis bibiſtis?* Pro cujus loci explicatione Rupertus præfatus textum illum adducit Apoſtoli dicentis: *Et qui manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat;* Circa quem textum idem Doctor ita ait: *Clarè atque ſtudioſè diſcernendum eſt inter eum qui dum manducat, Domino non manducat &c. nimirum qui ob hoc jejunat, vel non manducat, ut per hunc pænitentiæ laborem omnipotenti Deo de peccatis ſuis ſatisfaciat, & vitæ æternæ fructum recipiat, ille jejunium Domino jejunat, ille Domino non manducat: Qui autem idcirco jejunat, vel non manducat ut vel temporalem pænam evadat, ut Achab, vel tranſitoriam laudem recipiat, ſicut quivis hypocrita, ille non Domino, ſed ſibi non manducat.* Idem quoque venerabilis Author alibi in Commentarijs ſuper Matthæum, ad eumdem Apoſtoli textum ponderandum revertens, ita ſcribit: *Quod eſt dicere: Nonne hoc pacto non Dei, ſed veſtram gloriam quæritis, dum pro rebus temporalibus, quia deſunt, ſive affluunt, lugetis & jejunatis & de regno Dei, quod differatur, quod nondum venerit, non curatis?* Quot etenim ſunt, qui pro conſequendis bonis temporalibus jejunant, abſque eo quod de ſalute animæ vel Dei gloria minimum cogitant; hi tales non Deo, ſed ſibi ipſis jejunant.

Rom. 14. v. 6.

lib. 6 in Mat. circ. princ.

## DISCURSUS XVIII.

## ARGUMENTUM.

De myſterijs jejunij Quotuor Temporum, Quadrageſimæ, & de finibus in quos hæc jejunia ordinantur, contra eos, qui illa facillime tranſgrediuntur, vel ob metum lædendæ ſanitatis, vel ſub alijs prætextibus ab illis ſe eximunt: Sanctorum quoque recenſentur exempla, qui abſtinentiæ, jejuniorumque virtute inſignes fuerunt.

### THEMA.

*Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Matth. c. 4. ỷ. 2.

Jejunij antiquitas.

1. CHriſtus Redemptor noſter probè ſciens quod omnis ſua actio noſtra eſſet futura inſtructio, longum rigoroſiſſimumque quadraginta dierum & noctium jejunium ſubire voluit, ut hac ratione abſtinentiam & jejunium quadrageſimale ab Eccleſia ad noſtram utilitatem inſtitutum, exemplo ſuo ſacratiſſimo conſecraret: *Quadrageſimam nobis Dominus*, inquit S. Ambroſius, *ſuo jejunio conſecravit.* Et S. Ignatius Martyr, in epiſtola quadam ad Philippenſes, ait: *Jejunanda eſt à fidelibus quadrageſima, quia imitationem continet converſationis Dominicæ;* ac proinde jejunium hoc non eſt, ut Hæretici calumniantur, quid novum & nuper inventum: *Vetus donum eſt jejunium*, inquit S. Joannes Damaſcenus, *quod non vetuſtatem, quæ ſenium contrahit, ſed ſemper renovatur, ac perpetuo flore vigeſcit; non recentiorum inventum eſt, ſed Patrum theſaurus, quidquid antiquitate præſtat, veneratione dignum eſt, moveat te jejunij canities, humanum genus ætate æquat:* ſpecialiter autem hujuſce veritatis teſtimonium de quadrageſima nobis perhibet D. Chryſologus, qui ſæculo quinto vixit; Dicit enim hic Pater: *Videtis fratres, quia quod quadrageſimam jejunamus, non eſt humana inventio, authoritas eſt divina, nec eſt de terreno uſu, ſed de cæleſtibus eſt ſecretis.*

S. Ambr. ſerm. 34.

S. Ignat. Mart. ad Phil.

S. Jo. Dam. Paral. l. 3. c. 2.

Chryſol. ſer. 2

Myſteria jejunij.
S. Anton. Pad. ſerm. in d. 1. quadr.

2. Quod vero quadragenarij hujus numeri myſteria attinet, hæc a ſacris Doctoribus varia recenſentur: S. Antonius de Padua ait: *Deus præcipit ex omnibus decimas ſolvi, quod etiam ad decimas temporis debet extendi; Habet autem annus trecentos ſexaginta quinque dies, cujus decima pars triginta ſeptem ſuperant tres dies temporum, quæ ſunt in Martio, & ſunt quadraginta, tot igitur dies jejunabiles quadrageſima continet, propter myſterium deſignatum.*

Dies jejunij decimæ ſunt.

3. S. Gregorius Papa in Homilia quadam ſuper Evangelia, diu ante D. Chryſologum ita ſcripſerat: *A præſenti die* (de prima Dominica Quadrageſimæ loquitur, quia ipſius tempore quatuor dies cinerum nondum quadrageſimali jejunio adjuncti erant) *uſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia, ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies 42. fiunt, ex quibus dum ſex dies Dominici abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia quam triginta ſex dies remanent, dum vero per trecentos & ſexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus.*

S. Greg. h. 16 in Evang.

Quatuor tempora cur inſtituta. ibid.

4. Idem quoque ſanctiſſimus Pontifex aliam quamdam pro eodem propoſito morali conſiderationem inſtituit, dicens: *In hoc mortali corpore ex quatuor elementis ſubſiſtimus, & per voluptates ejuſdem corporis, præceptis Dominicis contraimus, præcepta autem Dominica per Decalogum ſunt accepta; quia ergo per carnis deſideria Decalogi mandata contempſimus, dignum eſt, ut eamdem carnem quater decies affligamus.* Similiter præcepta Decalogi quatuor præcipue modis tranſgredimur, ſcilicet *Cogitatione, ore, opere & omiſſione;* juſtum igitur eſt, ut quadruplicatam pro quolibet præcepto pœnitentiam agamus.

Alia ratio.

5. Conſiderari quoque hoc loco poteſt, quod ex quo peccata per totius anni decurſum in fidelibus inundentur, juſtum fuerit ut tempus aliquod determinaretur, in quo ad purificandum Chriſtianorum corda à contractis quolibet anni tempore maculis univerſalis quædam inſtitueretur pœnitentia, quod efficaciter oratio illa probat, quam prima Dominica Quadrageſimæ in Eccleſia legimus; ita enim ibi dicitur: *Deus qui Eccleſiam tuam annua quadrageſimali obſervatione purificas.*

Quatuor temp. ob quem finem inſtituta.

6. Sunt inſuper alia, ab Eccleſia inſtituta Quatuor temporum jejunia, de quibus quidem in primis dici poſſet, illa ob aliquod intereſſe noſtrum inſtituta fuiſſe, id eſt, ob finem & lucrum temporale quod per illa impetrare nitimur, quia per illa videmur divinam implorare velle miſericordiam & Providentiam, ut liberalem nobis concedat meſſem aut vindemiam, vel ut agros & vineas noſtras fœcundet; aut vero propitiam nobis aëris & temporum anni temperiem tribuat. Verumtamen S. Antonius de Padua hæc jejunia ad primitias Deo ab Iſraëlitis debitas relationem dicere cenſet: *Has primitias Eccleſia non ſolum ad fructus, ſed etiam ad tempus voluit ampliare, & ideo ſtatuit quod juxta quatuor tempora anni, videlicet ver, æſtatem, hyemem, & autumnum, quatuor temporibus homines jejunarent, & in qualibet vice tribus diebus, juxta numerum trium menſium, in quolibet præmiſſorum temporum contentorum, & ſic ſunt duodecim jejunia, juxta numerum tot menſium;* Hocque aſſertum ſuum authoritate Innocentij in ſermone, qui incipit: *Tu cum jejunas*, confirmat. Idem vero S. Antonius in hoc quatuor temporum jejunio alium quemdam finem conſiderat ad animarum ſalutem ordinatum. *Advertendum tamen*, inquit, *quod Eccleſia tradidit hæc quatuor jejunia quatuor temporum ad quatuor humores, quibus in quatuor prolabimur vitia, temperandos; Nam in vere dominatur ſanguis, quo homines ad luxuriam ſtimulantur; in æſtate cholera, qua ad iracundiam excitantur; in autumno melancholia, qua ad acediam, ſive mæſtitiam inclinantur; in hyeme phlegma, quo ad pigritiam applicantur; ad horum quatuor humorum effectum comprimendum, ſpirituali medicina voluit in anno Eccleſia hæc quatuor tempora jejunari.*

S. Ant. Paduan. ibid.

Cur Quadrag.
S. Leo ſerm. 4 de quadr.

7. S. Leo Magnus autem, dum cauſas inquirit, ob quas abſtinentia quadrageſimalis inſtituta omnibuſque præcepta fuit, in ſerm. 4. de Quadrag. ita ſcribit: *Magna divinæ inſtitutionis ſalubritate proviſum eſt, ut ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia caſta decoquerent.*

40. Ideo ut perveniatur ad ſalutem.
S. Chryſol. ſerm. 166.

8. D. Chryſologus ad hujus quadragenarij numeri myſteria ſe reflectens, conſiderat quod totidem, id eſt, quadraginta dierum ſpatio aquæ diluvij mundum univerſum à ſuis ſordibus purificaverint: *Cum mundus intra generis humani primordia perdeſlenda nefando vitiorum ſqualore ſordeſceret, & totus criminum fæteret horrore, ac penè ipſo iniquitatis ſuæ fumo fuſcare cæli tantam contenderet claritatem, quadraginta diebus ac noctibus expiaturus terram cæleſtis imber effunditur, ut quia perire ſibi mundus, quod factus fuerat, jam debebat, gauderet tali baptiſmate ſe renatum;* & paulo poſt aptius ad propoſitum noſtrum pergit dicere: *attendite quantus ſit quadragenarius numerus iſte, qui & tunc cælum terris aperuit abluendis, & nunc fonte baptiſmatis orbem totum pandit gentibus innovandis, merito nos quadraginta diebus per jejunium currimus, ut perveniamus ad fontem baptiſmatis ac ſalutis.*

Huic obſervationi parum diſſimilis eſt illa, quam S. Ambroſius ad eaſdem diluvij aquas alludens, his verbis adducit: *Tot diebus aquas abyſſi effuſas eſſe meminiſti, & tot jejunio dierum ſanctificato Prophetâ refuſam cæli ſerenioris eſſe clementiam.*

S. Ambr. l. 4. in c. 4. Luc.

Quadr. celebrat qui à vitijs abſtinet.

9. S. Anſelmus textum illum Apoſtoli ad Titum: *Sobriè & juſte vivamus &c.* exponens, nos omnes totius vitæ noſtræ tempore ad quadrageſimam obſervandam obligatos eſſe, nititur oſtendere, id eſt, quovis tempore nos adſtrictos eſſe ut à peccatis abſtineamus: *Hanc abſtinentiam in tempore præſentis vitæ, velut in Quadrageſima, debemus omnes obſervare, jejunium enim magnum & generale eſt abſtinere ab erroribus & illicitis ſæculi voluptatibus, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie, juſte &c.* tandem vero abſtinentiam hanc quadrageſimalem in peccatorum vitatione conſiſtere finaliter concludit: *In hoc igitur ſæculo quaſi quadrageſimam abſtinentiæ celebramus, cum ab impietate & illicitis voluptatibus abſtinemus & vivimus.*

S. Anſel. in c. 1. ep. ad Tit.

10. S. Auguſtinus de hoc tempore tractans, illud præ quovis alio anni tempore, ad vivendum in divinæ legis obſervantia aptius eſſe contendit, ac proinde Eccleſiam non ſine cauſa hæc verba ſæpius repetere. *Ecce nunc tempus acceptabile;* porro verba ipſiſſima S. Auguſtini hæc ſunt: *In his præcipue diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maxime per abſtinentiam voluptas carnis extinguitur.*

S. Auguſt. ſerm. 64. de temp.

40. Ut vitia curentur.
S. Ambroſ. 1. T. 3. ſerm. 45. in d. 3. quad.

11. S. Ambroſius pariter nos monet, ut à cibis ſimul & à peccatis jejuniorum tempore abſtineamus: Dicit enim: *Hæc voluntas eſt Domini, ut jejunemus à cibis pariter & à peccatis? abſtinentiam indicamus corpori, ut à vitijs magis animam abſtrahere poſſimus, frænum quoddam eſt luxuriantis animæ corpus exhauſtum:* Paulo poſt vero errorem detegit illorum, qui à cibis quidem abſtinent, inordinatis vero appetitibus fræna laxant: *Quiſquis jejunat, & peccat, lucrum eſcarum feciſſe videtur, non ſalutis:* nam ut bene S. Auguſtinus obſervat, multi pagani jejunant quidem, & tamen viam cœli ignorant, multi etiam Judæi, experientia teſte jejunia obſervant, & tamen extra ſalutis viam conſiſtunt, & ideo nihil inde proficiunt; Jejunia enim, ut ſupra diximus, eo fine ſunt inſtituta, ut indomitum corporis noſtri equum edoment, ne in præcipitium nos agat, adeoque animæ noſtræ ſalutem, improborumque morum emendationem pro fine reſpiciunt, quem qui jejunando non aſſequitur, fruſtra jejunijs maceratur. Optime igitur Eccleſia in Collecta Fer. 6. Cinerum in hunc modum Deum precatur; *Inchoata jejunia quæſumus Domine benigno favore proſequere.*

S. Aug. t. 9. tr. 10. de util. jejun.

Or. fer. 6. Cin.

*quere, ut obſervantiam quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam ſynceris exercere valeamus.*

Alia cauſa cur Quadrag. inſtituta. Communio Paſchalis.

12. Sunt & aliæ cauſæ ob quas jejunium, Quadrageſimale inſtitutum fuit: Ex quo enim Eccleſia omnibus fidelibus ut ſemel in anno, hoc eſt in ſolemni celebratione Paſchatis Reſurrectionis ad ſacramentum altaris ſumendum accedant, præcipit, jejunium Quadrageſimale eidem ſacræ Communioni præmitti voluit, ut per illud mundentur & purificentur corda & conſcientiæ eorum, ut tam digno ſacramento ſumendo apti convivæ fiant. Unde S. Leo Magnus inquit: *Quia non deſinit antiquus hoſtis tunc maxime contra Chriſti membra ſævire, quando ab eis ſunt celebranda ſacratiora myſteria, merito doctrina Spiritus ſancti hac eruditione imbuit populum Chriſtianum, ut ad Paſchale feſtum quadraginta dierum continentia ſe præparet.*

*S. Leo ſerm. de quadr.*

Quadrag. cur verno tempore inſtituta.

13. Ingenioſa eſt illa certi cujuſdam Authoris obſervatio, qui in ea perſiſtens opinione, quod mundus verno fuerit tempore conditus, conſiderat, quod eodem tempore, quo Quadrageſima à nobis celebratur, primi Parentes noſtri per vinum gulæ non ſolum ſeipſos magno fecerint pœnæ reatu obnoxios, verùm etiam tranſgreſſioni ipſorum debita ſupplicia ad univerſam transmiſerint humanam poſteritatem. *Patres noſtri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*; ac proinde jure merito convenit, ut eodem quoque tempore pœnas nobis exinde debitas diluamus: Etenim ſi protoparentes noſtri impoſitam illis abſtinentiam & jejunium rite, ut debebant, adimpleviſſent, utique nulla nos jejunij obſervandi obſtrinxiſſet neceſſitas.

*Ezech. 18. v. 12.*

Ut ſit utile jejun. modus præſcribitur. *Chryſoſt. h. 8 in Gen.*

14. D. Chryſoſtomus autem modum nobis præſcribit, quo jejunium hoc nobis utile & fructuoſum facere valeamus: *Omnis*, inquit, *noſtra cura ſit in animarum ſalute, & quomodo poterimus laſcivias carnis refrænare, ut verum probemus jejunium; jejunium autem dico abſtinentiam à vitijs; etiam abſtinentia à cibis propter hoc recepta eſt, ut vigorem carnis refrænet, & equum moderanti facile parere faciat.* Etenim niſi hunc ex jejunio fructum aſſequemur, ad quid nobis utile erit jejunium? *Quid prodeſt abſtinere à cibis*, inquit S. Ambroſius, *& errare peccatis? caſtigare corpus inedia, & mentem exercere nequitia? inutile & inane eſt tale jejunium, quod inedia membra debilitat & animam à perditione non liberat.*

*S. Ambr. ſerm. 41.*

Quadr. Finis multos lætificat ſine peccatorum fine. *Chryſoſt. h. 17. ad pop.*

15. D. Chryſoſtomus proinde non immerito acriter reprehendit nonnullos, qui ſe magnam Quadrageſimæ partem tranſegiſſe, & ſacro Paſchati viciniores factos ſe eſſe lætantur, non conſiderantes interea an finem ob quem illa eſt inſtituta, vere & cum effectu ſperato fuerint aſſecuti: *Multos vidi gaudentes & inter ſe dicentes; vivimus, ſuperavimus, jejunij dimidium profligatum eſt; tales autem hortor, non propterea gaudere, quia profligatum ſit jejunij dimidium, & tunc exultare, hoc enim voluptate dignum, hoc eſt idquod quæritur, & propter quod facta ſunt omnia, ut defectus noſtros corrigamus, nec tales exeamus de jejunio, quales jejunium ingreſſi ſumus: ſed ablati, & omni mala conſuetudine depoſita, ſic ſacram agamus ſolemnitatem.*

Quadrag. Tempus pugnæ.

16. Quænam obſecro cauſa eſt, quod ſpecialiter hoc tempore vehementiores nobis accidant Spiritus infernalis tentationes? Nimirum quia plus induſtriæ hoc tempore adhibemus, ut Deo per puram & immaculatam conſcientiam placere valeamus, atque ideo utiliſſimo hoc abſtinentiæ quadrageſimalis remedio plurimum indigemus; Unde S. Bernardus ait: *Hodie ſacrum Quadrageſimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Chriſtianæ; nemo ergo in umbra jaceat, nemo pugnam detrectet, in aciem eundum eſt.*

*S. Bern. ſer. 1. in c. jejun.*

In Quadrag. plus dæmon tentat. *S. Ambroſ. ſerm. 25. Chryſolog. ſerm. 15.*

17. S. Ambroſius ut Diſcurſu 12. diximus, jejunium caſtra appellat militaria, illiuſque nomenclaturæ hoc aſſignat myſterium: *Stationes vocantur, quod ſtantes & commorantes in eis, inimicos inſidiantes repellamus; caſtra plane ſunt jejunia Chriſtianis. Ecce tempus*, inquit D. Chryſologus, *quo miles procedit ad campum recurrit ad Dei jejunia Chriſtianus*; Neceſſe eſt igitur ut ærugo ab armis deteratur & adoriamur certamen, quia ut etiam S. Leo monet, infernus quadrageſimali tempore, plus quam alijs totius anni diebus in pernitiem noſtram arma ſumit: *Adverſarij acriori inſidiantur aſtutia, ſcientes enim agere nos ſacratiſſimos Quadrageſimæ dies, in quorum obſervantia omnes præteritæ deſidiæ caſtigantur, omnes negligentiæ diluuntur, ad hoc totam vim ſuæ malignitatis intendunt, ut celebraturi ſanctum Paſcha Domini, in aliquo non inveniamur indigni, & unde nobis obtinenda erat propitiatio, inde contrahatur offenſio.*

*S. Leo ſerm. 1 de quadrag.*

Subtrahunt ſe non pauci à jejunio.

18. Reprehenſibilis quoque eſt multorum fidelium tranſgreſſio, qui licet jejunia ſervare poſſint illa tamen vel non adimplent, vel vano timore ſeducti, id ſe minime facere poſſe exiſtimant. Apud Jeremiam legimus, hunc Prophetam die quadam juſſum Dei accepiſſe, quo ut totam Rechabitarum progeniem in conclavia quædam templo contigua congregaret & ad propinandum illis vinum bibendum invitaret, præcipiebatur; Prophetam quoque omnia prout juſſus fuerat, rite adimpleviſſe conſtat ex illis ejus verbis: *Appoſui coram eis ſcyphos plenos vino & calices; & dixi ad eos: Bibite vinum.* Illi autem id facere liberè detrectarunt, dicendo: *Quia Jonadab Pater noſter præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos & filij veſtri uſque in ſempiternum, obedivimus ergo voci Jonadab Patris noſtri.* Enimverò certiſſimum eſt quod præceptum hoc à Jonadab poſteris ſuis impoſitum illos minime ad culpam ſive ad pœnam obligaverit, & tamen illud una cum filijs & uxoribus per trecentorum annorum decurſum exactiſſimè obſervarunt, in ejuſque obſervantia ad decrepitam uſque ætatem ſani & incolumes vixerunt; Quod factum profectò multos condemnat Chriſtianos, qui vano timore faſcinati & perculſi, à jejunio ſe Quadrageſimali per varios quæſitos prætextus ſubtrahere quærunt. Unde S. Petrus Damianus hanc hiſtoriam ponderans ait: *Forſitan inquies, dolet caput, languet ſtomachus? hæc ſunt emplaſtra mollium, ſatis macra hæc cernitur excuſatio, cum ægros aqua frequenter refoveant, & vinum frequenter occidat.* Sed ex quo Jeremias ex juſſu Dei vinum illis obtulit, & ad bibendum invitavit, cur non Prophetæ obtemperaverunt vinum præſentanti? aut vero ex quo ſe contra Dei juſſa contumaces exhibuerunt, cur à Deo non fuere pœnis condignis multati? Sed potius Deum audiverunt dicentem eis: *Pro eo quod obediſtis præcepto Jonadab Patris veſtri, propterea hæc dicit Dominus: Non deficiet vir de ſtirpe Jonadab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Porro S. Petrus Damianus inobedientiam hanc eximia laude dignam, ſummeque virtuoſam fuiſſe aſſerit, dicens: *O felix inobedientia, quæ tanti judicij digna fuit habere præconium, enim vero in his quæ ſecundùm indulgentiam permittuntur, magis placet ſæpe diſcipulus, ſi juſſionem ſimpliciter præterit, quam ſi promptus obedit.*

*Jerem. 35. v. 2. &c.*

*S. Petrus Dam. l. 6. c. 23.*

19. Abulenſis de paganis & gentilibus ita ſcribit: *Apud quoſdam gentiles bene de Deo ſentientes, erat jejunium, ſcilicet illos, qui de Deo credebant, quia eſt, & quia remunerator eſt*; Ut patet in Ninivitarum exemplo. In Hiſtoria progreſſuum fidei in regno Tunchino ſcribitur, Patres Societatis Jeſu nullam in jejunijs Neochriſtianis perſuadendis & imponendis reperiſſe difficultatem, maxime in commendando illis Quadrageſimali jejunio, quia à Prædicantibus ſuis edocti, idolorum ſuorum honorem toto anno jejunabant, à carnibus pariter oviſque & piſcibus totaliter abſtinentes. Quis igitur hæc legens vel audiens Chriſtianorum non obſtupeſcat ignaviam? Ergone poſſibile eſt, quod Dæmones, qui in falſis Deorum ſimulachris ſe adorari faciunt, tot habeant in honorem ſuum ſequaces, licet eorum abſtinentia fame ſempiterna remuneretur: *Famem patientur, ut canes*; Deus autem adeo paucos inveniat fideles, qui temperantiam quadrageſimalem fideliter obſervent, cum tamen illis, quod menſæ æternis delitijs refertæ accubituri ſunt in ſempiternum, ſanctè promittat? Rechabitæ traditioni cuidam antiquæ ab ipſorum majoribus illis traditæ adeo exacte obedierunt, illamque in tanta habuerunt veneratione, ut omnes ſibi ad dies vitæ ſuæ vinum rigidiſſime interdixerint; & nos traditionibus Apoſtolicis, ritibus & præceptis Dei & Eccleſiæ matris noſtræ, jejunium nobis in beneficium animæ noſtræ, ſub æternæ damnationis reatu imponentibus rebelles erimus?

*Abul. t. 3. car. 184. col. 1. l. E.*
Gentiles ſæpe jejunant, quid Chriſtiani?

Ignoranter Jonathas abſtinentiam tranſgreſſus. *S. Ambroſ. ſer. 5. D. 1. quad.*

20. S. Ambroſius ſupplicium mortis quod Saül de filio ſuo Jonatha, eo quod præceptum abſtinentiæ à patre ſuo intimatum populo ignorans unicam tantum mellis guttulam guſtaſſet, ſumere voluit, conſiderans, ait: *Videte quanta ſit reſoluti culpa jejunij, quæ non niſi ſanguinis effuſione punitur; & ſi ignorans Jonathas indictum à Patre jejunium, quia reſolverit, morti addicitur, qui ſciens indictum à Chriſto reſolvit, quod meretur?*

Deus falli non poteſt à doloſis.

21. Nazianzenus Eleuſium Præfectum, magnum cæteroquin amicum ſuum, eo quod ipſum jejunium ab



ab Eccleſia fidelibus imperatum non obſervare intellexiſſet, graviter reprehendit dicens: *Legibus injuriam facis Judex, qui non jejunas, & quomodo leges humanas ſervabis, qui divinas contemnis, & pro nihilo ducis?* Quot ſunt qui à Medicis & Confeſſarijs, per allegatas coram illis excuſationes & prætextus à quadrageſima ſe eximendi licentiam obtinent, quæ tamen utique à Deo numquam approbabitur, aut ſubſcribetur.

*Naz. ep. 1.*

Diſpenſatio multis æternam cauſat mortem.

22. Nemo eſt cui ignotus ſit Cleopatræ dolus, quo victori ſuo per illatam ei mortem illuſit, cui caniſtrum quoddam ficubus plenum & ſub eis anguem venenoſiſſimum reconditum ſubmiſit, qui de ficubus guſtare volens ab angue ſeu aſpide morſum lethalem accepit: quot ſunt qui ſub varijs prætextibus ſe à jejunij obligatione eximi petunt, idque non tam ſuadente neceſſitate, quam ob adverſionem qua jejunium execrantur, & fugiunt, quibus dum diſpenſatio in jejunij lege indulgetur, quaſi dulces ficus accipiunt, *ſed latet anguis*, ille nimirum ipſiſſimus ſerpens qui Evam primam matrem noſtram ad tranſgrediendum abſtinentiæ præceptum induxit, hicque illis mortem æternam conciliat, imo etiam nonnumquam, Deo ita in pœnam gulæ ipſos exſtimulantis juſtè permittente, mortem temporalem: *Mors in olla*; & quidem de morte æterna nimis manifeſtum eſt hanc illos ſibi adſciſcere, qui in deſerto Quadrageſimæ non quadraginta annorum, ſed dierum dumtaxat, jejunij pertæſi & impatientes, carnes Ægypti avide nimis deſiderant, *& ſedere ſuper ollas carnium appetunt.*

*4. Reg. 4. v. 40.*

*Exod. 16. 3.*

Diſpenſatio licentia ad infernum.

23. Narrat author quidam Albertum Magnum cuidam, quo cum in beneficiorum pluralitate admittenda ſine juſta cauſa diſpenſatum fuerat, dixiſſe: *Iviſti prius ad infernum ſine licentia, nunc ibis cum licentia*: quod idem ijs quoque dici poſſe videtur, qui per licentiam, ſine juſta & legitima cauſa obtentam, jejunij legem prævaricantur.

*Tob 6. v. 2. & 3.*
Quadrag. Paveſcentes Raphaëlem accedant.

24. In libro Tobiæ, ſanctum Tobiam juniorem viſo piſce perterritum fuiſſe legimus: *Ecce piſcis immanis ad devorandum eum quem expaveſcens Tobias clamavit: Domine invadit me*: Angelus autem Domini depulſa ab ejus corde omni inani formidine, conſolatus eſt eum, piſcemque hunc occidere, & interiora illius viſcera ad reſtituendum decrepito parenti cœco viſum oculorum adhibere juſſit: Huic Tobiæ hodie multi ſimiles inveniuntur, qui dum ſe prolixo quadrageſimalis jejunij tempore piſcibus continuo nutriendos eſſe conſiderant, expaveſcunt, quibus omnino neceſſum eſt, ut ad Raphaëlem Archangelum, qui Medicina Dei appellatur, confugiant, ſimulque jejunium iſtud, ut jam probavimus, in animæ pariter & corporis remedium inſtitutum eſſe; illiuſque fel, id eſt, jejunandi difficultatem, tametſi guſtui naturæ amara ſit ad acquirendum Dei lumen, & ad Sathanam, qui hactenus in pernitiem noſtram ſolutus fuit, fortiter alligandum efficaciter ſervire conſiderent. *Fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum.*

*Tob. 6. v. 8.*

Quadr. tempore commodiſſimo.

25. Et quidem Medicina iſthæc à cœleſti Medico noſtro priuſquam nobis propinaretur, per rigoroſiſſimam quadraginta dierum & quadraginta noctium eſurialem diætam, abſque ullo cibo & potu, in media quaſi hyeme, id eſt, immediatè poſt Epiphaniam ſuperatam, deguſtata fuit: cum tamen ſancta & diſcretiſſima mater noſtra Eccleſia eamdem nobis medicinam benigniſſimo tempore, id eſt, incunte vere præſcribat, exceptiſque carnibus, ovis & lacticinijs omnes alios cibos, nec non præter unicam completam in die refectionem, etiam collationes veſpertinas, per conſuetudinem paulatim introductas clementer permittat. Unde S. Hieronymus ait: *Nos unam Quadrageſimam ex traditione Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo jejunamus.* Imo Salvator noſter oſtendere nobis diu ante voluit, quod non ſolum ipſe, ſed & alij diu ante ipſum, licet puri homines & mortali hac carne amicti eſſent, jejunium quoddam æquè rigidum ac ſuum fuit, gratia Dei mediante ſufferre potuerint. Unde S. Gregorius ait: *Hinc eſt quod leges, & Prophetiæ & Evangelium jejunia commendant; nam Moyſes ut legem mereretur accipere, quadraginta dierum numero jejunavit; Elias ut Jezabel manus evaderet, quadraginta diebus in unius cibi fortitudine in Oreb Dei montem pervenit; ac Redemptor noſter per quadraginta dies in Eremo jejunans, nullum omninò cibum ſumpſit.* At verò, ut D. Nazianzenus ait: *Ille totos quadraginta dies à cibo abſtinuit, utpote Deus, nos autem ad virium noſtrarum modulum, jejunium attemperavimus.*

*S. Hieron. ad Marcell.*

*S. Gregor. l. 2. in c. 4. Reg.*

*Naz. or. in ſanct. lavac.*



*S. Ambr. l. 4. in c. 4. Luc.*
Præter carnes omnes cibi conceſſi.

26. In hujus quadragenarij numeri honorem, ut S. Ambroſius ait: *Tot annos in eremo conſtituti Patres panem Angelorum conſecuti ſunt, nec antequam myſtici numeri tempus explerent, terram repromiſſionis intrare meruerunt.* Ipſi unico dumtaxat ferculo cibati per quadraginta annos aquam biberunt: nos autem per quadraginta tantum dies privamur carnibus, ovis, & lacticinijs, alijs cibis in plena poteſtate nobis relictis. Idem quoque S. Ambroſius ſerm. 31. in Domin. 1. Quadr. optimè notat, quod tametſi filij Iſraël in deſerto manna refecti fuerint, non tamen ob id per quadraginta illos annos jejunare deſierint: *Ego dico illos non niſi abſtinentiæ tunc vacaſſè, atque ideo cæleſtis alimoniæ gratiam meruiſſè.* D. Chryſologus quoque hunc populi Hebræi victum, qui per quadraginta annos paſtus fuit, hac phraſi circumſcribit: *Panificus in Eremo pavit imber, blando rore eſurientibus cæleſtem præbuit, & evexit annonam, quadraginta diebus (n. 13.) terram promiſſionis exploratio miſſa divinitus circuivit, ut hic ſacratus numerus promiſſas Iſraëliticum populum evocaret ad terras, qui nos quadragenarijs jejuniorum curſibus evocat & perducit ad cœlum.* Huic valdè conformis eſt conſiderabilis illa Alcuini in cap. 8. Geneſeos habita obſervatio dicentis: *Poſt quadraginta dies Noë feneſtram aperuit, ſignificans jejunantibus cœlum aperiri.*

*Chryſol. ſerm. 166.*

*Alcuin. in c. 8 Gen.*

Delicati Obſervatores Quadrag.

27. Enimvero notanda nobis hoc loco eſt inſignis quædam S. Auguſtini doctrina, contra illos, qui in Quadrageſima auſteritatem jejunij per varia ciborum quadrageſimalium condimenta & peregrinos ſapores evadere, ſeu mitigare contendunt: *Sunt quidam*, inquit, *obſervatores Quadrageſimæ delitioſi potius quam Religioſi, exquirentes novas ſuavitates, magis quam veteres concupiſcentias caſtigantes, qui pretioſis, copioſiſque apparatibus fructuum diverſorum quorumlibet varietates & ſapores ſuperare contendunt.*

*S. Auguſt. in app. de div. ſerv.*

Cur Paulus Timotheo vinum permiſerit.

28. Supereſt nunc ut illis qui à jejuniorum obſervantia ſe excuſant, aut ab eadem ſe ſubtrahunt, per nonnullorum ſervorum Dei, qui in jejunando rigidiſſimi fuerunt, exempla manifeſte oſtendamus, jejunia noſtra illis longe moderatiora, adeoque difficilia non eſſe, ſiquidem hi qui in eadem nobiſcum naturæ & carnis fragilitate vixerunt, tanta cum auſteritate in ijs ſeſe exercuerint. Celebris eſt in primis illa S. Bernardi ſuper licentia modicum vinum ob ſtomachi languorem bibendi, Timotheo à S. Paulo conceſſa ponderatio: Dicit enim: *Attendere debent primum quidem Apoſtolum minime ſibi ipſi rem hujuſmodi ſuadere, ſed nec diſcipulum æque expoſcere ſibi; Deinde non Monacho hoc intimari, ſed Epiſcopo, cujus vita teneræ adhuc & naſcenti Eccleſiæ pernéceſſaria eſſet*; Deſcendit demum ad perſonæ illius, cui D. Paulus modicum vini potum ſuadebat, conſiderandam qualitatem & ait: *Timotheus hic erat; Da mihi alterum Timotheum, & ego cibo eum ſi vis etiam auro, & poto balſamo.*

*S. Bernard. ſerm. 30. in cant. v. fin.*

Quorumdã Monachorũ rigida jejunia, librato prandio. *S. P. Dam. opuſc. 15. c. 8.*

29. S. Petrus Damianus nonnullos olim Monachos fuiſſe refert, quoad perfectam jejunij obſervantiam adeo ſollicitos & circumſpectos, ut continuo in cellis ſuis bilances habuerint, ad ponderandam cibi quo alendi erant, quantitatem: *In diebus jejunij, quia unuſquiſque frater lances habet in cella, illis ſemper librat, quod ſibimet cænaturus apponat*; quibus verbis non de collatione ſed de prandio loquitur, id eſt, de unica in die refectione, quandocumque illa ſumatur, ſive in meridie, ſive veſperi.

Exempla.

30. De S. Elphego Cantuarienſi Archiepiſcopo Osbertus in ejus vita admirabilem quamdam refert circumſtantiam, ex qua rigida ejus in cibis parſimonia evidenter colligitur: *Cum pranſurus*, inquit, *ad menſam intraret, tam vacuus ferè à menſa ſurrexit, quam acceſſit; Unde corpus illius tanta extenuatum eſt macie, ut cum manus cum ſacramento tenſas in altum porrigeret, per medias palmarum juncturas claritas aëris perſpici poſſet.* De B. Catharina Adorni Genuenſe ſcribitur, quod viginti tres Adventus, & totidem Quadrageſimas ſine ullo adhibito cibo tranſegerit, hoc ſolum excepto, quod nonnumquam calicem aquæ ſolius, cui modicum aceti & ſalis admixtum erat, epotare conſueverit.

Cum aviditate pane veſci culpabile.

31. In vita magni illius ſervi Dei Joannis Baptiſtæ Vitelli Fulginatis legitur, quod ad eum uſque abſtinentiæ gradum pertigerit, ut anxios in ſe ſcrupulos ſæpe perſenſerit, an ſibi pane ad ſatietatem veſci in prandio liceret, quem tamen ſcrupulum, poſtquam in S. Vincentio Ferrerio in perſonis ſpiritualem vitam ſectantibus, ne quidem pane ſatiari velle ſpecialem quamdam Dæmonis tentationem eſſe legit;

Idem quoque dicere ſolitus erat, hominem etiam hunc tantæ ſobrietatis actum exercendo facile delinquere poſſe, ſi nimirum panem illum nimia cum aviditate ſumpſerit. Unde S.Bernardi conſilium eſt : *Aridum porta corpus tuum propter deſiderium cæleſtis regni , ut impleas quod ſcriptum eſt in Pſalmo : ſitivit anima mea ad Deum, quam multipliciter ei caro mea ; caro enim tunc Deum ſitit, quando per jejunium abſtinet & areſcit.*

*S. Bern. ſerm. de mod. viv. c. 24.*

Ob ſpeciale jejunium S. Franciſcus Stigmatibus inſignitus.

32. S. Franciſcus de Aſſiſio tunc vel maximè à Chriſto ſacris fuit ſtigmatibus inſignitus , quando præter quadrageſimam ab omnibus fidelibus obſervari ſolitam , duas inſuper alias quadrageſimas, unam in Aſſumptæ Beatiſſimæ Virginis , alteram in S. Michaëlis Archangeli honorem jejunando abſolverat. Multos quoque alios ſanctitate & miraculis conſpicuos Dei ſervos in abſtinentia & jejunio rigoroſiſſimos fuiſſe legimus.

Jejunio inſignes.
*S. Naz. or. de paup. amor.*

33. Sic enim S.Petrus Apoſtolorum Princeps , Nazianzeno atteſtante ſolis veſcebatur lupinis. Primi fideles quos S. Marcus in Alexandria Evangelio compararat , pane & aqua , ſale & hyſſopo contenti vivebant , S. Simeon Stylites quadraginta integris diebus columnæ inſiſtens ſine ullo cibo & potu dimorabatur , ut Theodoretus refert , quod idem Simon Salus , S.Macharius , & S.Geraſimus præſtitiſſe leguntur.

*S. Hieron. ep. 15. ad Marcell.*

34. S.Hieronymus in Epiſtola quadam ad S.Marcellam ſcripta de Aſella ita ſcribit : *Jejunium pro ludo habuit, inediam pro refectione, & cum eam non veſcendi deſiderium, ſed humana confectio ad cibum traheret, pane, ſale, & aqua frigida concitabat magis eſuriē, quam reſtinguebat.*

Proverbium abſtinentiſſimi Hoſij.

35. Staniſlaus Reſcius in vita Cardinalis Hoſij cap.19. de hoc venerabili Cardinali ſcribit , quod ex quo jejunia Eccleſiæ ſemper ſolitus fuit obſervare , in decrepita ſenectute ſua Medici difficulter ei perſuadere potuerint , ut in cibis Quadrageſimalibus ſecum diſpenſaret ; Dicere enim ſolitus erat : *Honora patrem tuum , & matrem tuam , ut ſis longævus ſuper terram* ; quibus verbis innuere volebat , quod tam Deus , quem Patris loco, quam Eccleſia, quam velut matrem colebat , per jejunij obſervantiam à nobis honorari deſiderarent.

Exemplum.
*Ann. Chr. 1137. c. 6. n. 2.*

36. In Annalibus Ciſtercienſibus de Roberto Ubitibicenſi Anglicano ſcribitur hiſce verbis : *Multa ejus fuit abſtinentia , ita ut à menſa numquam ſatiatus ſurrexerit , & in quadrageſima pane tantum & aqua uti conſueverit ; accidit quodam Paſchali tempore , ut extincto & proſtrato appetitu , cibis appoſitis veſci non poſſet, cumque frater, qui miniſtrabat ei , diceret : Quare non comedis Pater ? ille reſpondit : ſi haberem panem avenaceum butyro illitum , fortaſſis inde mihi veſci liberet : attulit ergo frater ille panem hujuſmodi , ſed vir Dei animadvertens ſe puſillum concupiſcentiæ indulſiſſe , vehementer expavit , & ſeverus ac rigidus in ſeipſum vindex, guſtare inde noluit , planeque jejunus permanſit ; cibum autem illum juſſit ad Monaſterij fores dari, ubi tunc erat juvenis quidam ſplendida facie , qui eum cum una ſcutella accepit , & mox evanuit ; Loquentibus autem illis de oblata ſcutella , ſubito ea decidit in menſam coram Abbate ; erat enim Angelus Domini , qui Eleëmoſynam viri Dei de cælo miſſus acceperat.*

---

# TRACTATUS II.
# DE ADULATIONE.
## DISCURSUS DUODECIM.

DISCURSUS I. Inimicus infernalis primus adulationis author & inſtrumentum fuit , ideòque vitium hoc diabolicum eſſe oſtenditur.

II. Dæmon per hoc vitium, eos, qui perfectiores & ſanctiores ſunt, quantum poteſt, ſeducere ſatagit.

III. Adulatio oleo, ſimiæ , peſti, echo , umbræ & ſpeculo aſſimilatur ; Unde nonnullæ adulatorum proprietates examinantur.

IV. Adulator per adulationes laudatum in vitijs vovet , ſuiſque culpis magis , magiſque illaqueat.

V. Qui per adulationem efficiunt, ut vitia actus virtuoſi eſſe appareant, alienaſque virtutes contemnunt , ſeverè puniuntur.

VI. Adulationis dulcedo tametſi animam vulneret mortemque eidem inferat , omnibus tamen placet.

VII. Longe melius eſt à detractoribus ea corrigi , reprehendi , injurias pati, maleque tractari , quam ab adulatoribus decipi.

VIII. Adulatio genericè nequitia appellatur , ut tanto magis ejus exprimatur malitia , ſecumque hypocriſim ſubinfert ; Et ideo quantum Chriſto abominabilis ſit , oſtenditur.

IX. Adulatores reipublicæ pernitioſos multarumque ruinarum cauſas & primam idololatriæ originem eſſe demonſtratur.

X. Adulatio proprium lucrum & intereſſe loco objecti habet.

XI. Adulatores magni à Principibus æſtimantur , utpote quorum intellectum excæcant & veritatem abſcondunt , quæ à paucis principibus libenter auſcultantur.

XII. Multa conſiderantur damna , quorum adulatores cauſa exiſtant. Variæ quoque illorum malæ , indignæ & viles qualitates , nec non quæ ijs inferuntur ſevera ſupplicia exponuntur , & conſiderantur aliqua contra hoc vitium remedia.

### DISCURSUS I.
### ARGUMENTUM.

Inimicus infernalis primus adulationis author & inſtrumentum fuit , ideoque vitium hoc diabolicum eſſe oſtenditur.

### THEMA.

*Cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cæli.* Apoc. cap.12. ℣.4.

Adulatio Angelū mutavit in Draconē.

1. ADulatio unum fuit ex primis vitijs, quo non ſolum Angelorum in cœlis candor, ſed & innocentia humana in terris pariter commaculata fuit ; hoc namque vitium pulcherrimum totius empyrei Angelum in horrendum tranſmutavit draconem ; dæmon etenim ſancto Joanni in Apocalypſi ſub horrendi draconis ſpecie exhibitus fuit. Unde ait : *Viſum eſt aliud ſignum in cælo , & ecce draco magnus* ; Enimvero quod magnam mihi admirationem conciliat , eſt , quod draco hic caudâ ſuâ tertiam ſtellarum partem , id eſt, magnam quamdam cœleſtis curiæ turbam in rebellionem poſt ſe traxerit : *Cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cæli* ; Cur obſecro ad malitiæ ſuæ machinationem caudâ veluti inſtrumento , & non potius veneno vel cornibus uſus fuit , cum de eo dicatur, quòd ſit habens capita ſeptem & cornua decem ? pro reſponſione reflectendum eſt ad canes , in quibus cauda particulariter ad modum blandientis & adulantis continuo movetur ; Unde de cane Tobiæ ſcribitur , quod occurrerit *blandimento ſuæ caudæ* ; At verò S.Bernardinus Senenſis aliud quoddam declarat myſterium , cur cauda adulationis ſymbolum exiſtat : *Adulator* , inquit, *dicitur cauda, quia operit turpitudinem culpæ unde* Iſaiæ 9. *docens mendacium ipſe eſt cauda ; Cauda quippe teguntur poſteriora & turpia atque immunda , & hoc eſt proprium officium adulatoris.*

*Tob. 11. v. 9.*
*S. Bern. ſe. t. 3. ſerm. de mul. men. a. 2. c. 3.*
*Iſaiæ 9. v. 15.*

2. In Prophetia Ezechielis ejuſdem Luciferi & ſequacium ipſius apoſtaſia nobis ſub Aſſur nomine hiſce verbis præfiguratur : *Rivos ſuos emiſit ad univerſa ligna regionis , propterea elevata eſt altitudo ejus ſuper omnia ligna* ; Porro Rupertus Abbas Luciferum illas apoſtatarum phalanges ſub rebellionis ſuæ vexillum per adulationem ſibi attraxiſſe exiſtimat , hiſce verbis : *Quia ſapientiam ſuam multam effundendo univerſas Angelorum multitudines circumvenire laboravit , ut apud illos tamquam altiſſimus haberetur & adoraretur ut Deus* ; Cui proinde ſuis quoque adulationibus innumeræ Angelorum turmæ correſponderunt , prout idem Rupertus ſcribit , ejuſdem prænominati Prophetæ verbis utens , nimirum : *Æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis , quæ erant in paradiſo Dei ; Quia cunctos quidem Angelos per ſuam ſapientiam decipere & ad ſuum favorem deducere tentavit , ſed adulati ſunt ei tantummodo Spiritus illi , qui gloriam ſuam quærebant non Dei.* Porro Angelicus Doctor vitij hujus naturam hiſce verbis inſinuat : *Adulatio* , inquit , *eſt peccatum , quo aliqui ſupra debitum virtutis modum alios verbis vel factis delectare quærunt* , id quod Angeli perverſi re ipſa præſtiterunt, quando omnium Angelorum pulcherrimo tanta impudentia adulati

*Ezech. 31. 4.*
Lucifer adulando apoſtatas fecit Angelos.
*Rup. Abb. l. 1. de vic. ver. c. 11.*
*2. 2. q. 115. art. 1.*



lati ſunt, ut naturæ ſuæ ſublimitatem ſibimetipſi , non vero Deo creatori ſuo attribueret, unde in eodem Ezechiele pariter de ipſo ſcribitur : *Draco magne , dicit : ego feci memetipſum.*

*Ezech. 29. v. 3.*

Adulando protoparentes decepti.
*Proc. in c. 3. Gen.*

3. Quinimo neque humanæ naturæ innocentiam, in ſua quoque infantia hoc eodem veneno inficere diſtulit ; etenim verſipellis & aſtutus ille hoſtis, ut Evam alloqueretur , formam ſibi ſerpentis aſſumpſit. Porro cuncta alia animalia , ut Procopius ſcribit , jam pridem creata erant , quorum aliqua ad onera portanda deſtinata fuerant , uti equi & jumenta ; alia ad nutrimentum noſtrum ſerviebant , ut pecorum greges ; alia denique ad recreationem noſtram condita fuerant, prouti eo tempore ſerpentes , tunc enim, ut Moyſes ſcribit , *Serpens erat callidior.* Et ideo præfatus author de Eva ſcribit : *Maximum ſolatium hauriebat ex ſerpente , quia mirabiliter varias res imitari poterat , nec non mirabiliter norat blandiri , & adulari , licet nobis nunc ſit infeſtus :* Etenim hoc eſt aſtuti illius adulatoris artificium , quod ejus , quem decipere molitur , genio ſeſe accommodare , eique ſe dextrè inſinuare norit , ut ejus , quem adulatione ſua circumvenire ſatagit , peccantem humorem per confictas laudes adaugere poſſit ; Et ideò quia protoparentes noſtros ſtatus & conditionis ſuæ ampliandæ & ſublimandæ avidos eſſe cognoſcebat , nequiter ijſdem perſuaſit , dicendo : *Eritis ſicut Dij.* Quibus in verbis illud adeo lubricum, tortuoſum, & in omnem partem flexile animal adulatorem quemdam fraudulentum repræſentabat , in varias ſeſe formas torquentem , volventem & revolventem ; *Eam ob rem,* inquit Procopius, *vel in primis idoneus viſus eſt Diabolo, ut eo ceu inſtrumento & organo abuteretur ad id malum ; quod machinabatur*, adeoque machina unica, qua inimicus infernalis ad ordiendum univerſi generis humani exterminium , uſus eſt , ſola adulatio fuit. *Solent ſemper familiæ deſtrui , & ſubverti ob domeſticorum malitiam.*

*Gen. 3. v. 5.*

Adulatoris linguam & cor poſſidet Dæmon.
*P. Dam. l. 7. ad ſecul. princ.*

4. B. Petrus Damianus optimè notat , Diabolum in lingua adulatrice eſſe haud ſecus , ac avicula quædam, quæ viridantibus arborum ramis inſidens , dulciter canit : *ſæpè malignus Spiritus velut avis in ramo arboris, ſic in lingua ponitur adulantis, & tamquam per organum vaſis, in vas virtus infundit, quod lethaliter in audientis interiora transfundit.* Etenim tametſi veriſſimum ſit, Dæmonem in omnibus animabus illis poſſeſſionem firmam capere , quæ culpâ ſunt mortali coinquinatæ ; Verumtamen in lingua & corde adulatoris , velut in centro ſuo ſingulariſſimè ſibi complacere videtur, ſiquidem ex primis peccatis , quæ tum in cœlo , tum in terra commiſit , unum , idemque prouti probavimus , præcipuum adulatio fuit, eoque mediante impios in peccatis ſuis indies magis magiſque ſtabilit & fovet nam ut in Pſalmo dicitur : *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.*

*Pſal. 10. v. 3.*

Serpens virginalem faciem habuit.
*Berc. diction. in v. Adulatio.*

5. Non defuerunt ſacri expoſitores , qui ſerpentem protoparentes noſtros tentantem , faciem præ ſe muliebrem tuliſſe exiſtimarunt , tametſi in reliquo corpore ſpeciem hodiernam ſemper retinuerit ; Cujus equidem author quidam antiquus hanc reddit rationem dicens : *Habebat faciem virginalem , & caudam cum reliquo corpore ſerpentinam , quia tales in facie & in præſentia videntur virgines , propter mel & blandimentum dulciſſimæ locutionis ; & in cauda, id eſt, in abſentia habent ſerpentinam naturam punctionis , detractionis, & diffamationis.* Porro in ea veritate , qua Dæmon adulationis inſtrumentum eſſe dicitur , magis utique confirmabimur , ſi id , quod ſanctiſſimæ Virgini accidit, conſideraverimus.

Erudit nos B.V.Maria qui adulatoriis delinimur.

6. Enimvero jure meritiſſimo ſacratiſſima Dei Mater inſigni hoc epitheto *Virgo prudentiſſima* ab Eccleſia ſancta decoratur ; ſiquidem in evitanda quavis humanæ adulationis umbra , prudens & cauta fuit ; legimus etenim , quòd quando Archangelus eidem apparuit, *turbata eſt* ; Cur ita ? numquid familiaria & continua Reginæ Angelorum fuerunt Spirituum Angelicorum obſequia ? cur igitur Angelo apparente turbari dicitur ? Pro reſolutione notandum id quod S. Lucas dicit , nimirum ; *Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio* ; Porro S. Gregorius Thaumaturgus Beatiſſimam Virginem Mariam hunc in modum diſcurrentem introducit : *Numquid Ave iſtud doloris mihi cauſa erit , ſicut olim primæ matri Evæ blanda Divinitatis promiſſio ? numquid per ironiam beatificatio & ſalutatio iſta facta eſt ?* Etenim probè ſciebat , quod faver & aſtutus ſerpens ille *Transfigurat ſe in Angelum Lucis* ; Et quia in humilitate ſua velut in centro ſuo fundabatur, verba , illa adulatoriè prolata fuiſſe apprehendebat ; id quod à Cajetano circa hæc verba : *Turbata eſt in ſermone ejus* , acutè notatum fuit ; Etenim Angelus ei dixerat : *Gratia plena , Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus ; Poteſt autem adulatoriè dici benedicta tu inter mulieres , & ſimiliter blandiendo dici : Ave gratioſiſſima* ; ac proinde tamquam Virgo prudentiſſima prius ſalutationem iſtam examinare voluit : *Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio* ; ut per hoc unumquemque, qui laudibus vel adulationibus delinitur , erudiat , ut cautè ſibi proſpiciat , diligenterque examinet , an aliquod laudes illæ (de quibus cordialem intrinſecus habere diſplicentiam debet) in ſe habeant fundamentum. *Conſilium Mariæ fuit,* inquit, Richardus à S. Laurentio , *ut quando laudamur , terreamur magis quam exultemus.* Tunc verò mens ejus pridem ſerenata fuit , quando Angelum audivit dicentem : *Ne timeas , invenisti enim gratiam apud Deum* ; Siquidem ex hiſce verbis ſalutationem iſtam & attributas ſibi laudes ab omni prorſus adulatione procul abeſſe intellexit , quando ſe non apud homines, ſed apud Deum benevolentiam ſibi & gratiam acquiſiviſſe audivit.

*Luc. 1. v. 29.*
*S. Gregor. Thau. hom. in Anno.*
*Cajet. in Luc. ibid.*
*Rich. à S. Laur. l. 2. c. 3.*

Diſtinguenda Diaboli verſutia, & Dilecti vox.
*Cant. 5. v. 3.*

7. Per ſponſam in ſacris Canticis Anima quævis à Deo dilecta , vel etiam Eccleſia Dei intelligitur , quam proinde in Cap. 5. Canticorum hiſce verbis alloquitur : *Vox Dilecti mei pulſantis : Aperi mihi ſoror mea.* Circa quæ tamen verba unicum mihi interrogandum occurrit , nimirum , qua ratione ſponſa hæc tanta cum certitudine & ſecuritate agnoſcere , & diſcernere hanc vocem potuerit , ut eam verè dilecti ſui, non verò alterius cujuſpiam vocem fuiſſe dicere non dubitarit , maximè cum aſtutus ille inimicus noſter, prouti jamjam monuimus perſæpè *Transfiguret ſe in Angelum lucis ?* Gilbertus Abbas dubietatis hujus nodum pulchrè nobis diſſolvit , dum per os animæ hiſce verbis loquitur : *Hæc mihi vox grata eſt , ad alias obſurdeſco voces , ad hanc expergefacta ſum.* Sed cur ita : Num forte ſuavitate vocis Dilecti ſui rapta & illecta fuit ? Nequaquam, ſiquidem *vox iſta ſtrepitum potius quam lenocinium edebat ; Nam non ſolum vox illa dilecti erat , ſed inſuper etiam pulſantis.* Unde præfatus venerabilis Abbas ait : *Magna , fratres, prudentia ſponſæ, & diſcretione Spirituum pollens, quæ ſic diſtinguere novit inter verſutias Dæmonum , & blanditias veras dilecti . Vox* , inquit, *dilecti pulſantis.* Cui expoſitioni conſonat Chryſoſtomus hoc nobis poſt ſe monitum relinquens ; dicit enim : *Blandiri ut noceat , Diaboli eſt : corripere vero ut proſit , Dei ; quis autem alteri blandiri poteſt, & non nocere ?* B.Petrus Damianus hunc Apoſtoli ad Romanos ſcribentis textum : *Non enim ſine cauſa gladium portat* , conſiderans ait : *Fruſtra gladium non portat , ſi Dei miniſter eſt , qui mala facientes , in iram vindicat : Diaboli procul dubio miniſter eſt , qui criminoſos ac reprobos ſuaviter palpat ; Et ſicut Deo præbet obſequium , qui perverſos ulciſcitur , ſic miniſter eſt adverſarij , qui perpetrantibus iniqua blanditur.*

*Gilb. Abb. ſerm. 41. in cant.*
*Chryſoſt. hom. 13. in Matth.*
*B. Petrus Dam. l. 2. ep. 11. Rom. 13. v. 4.*

Conſtantius blandiebatur ut ſeducere poſſet.
*D. Carth. in Apoc. c. 12.*

8. Miniſter utique Diaboli & præcipuum ejus inſtrumentum Antichriſtus erit ; Et quidem Dionyſius Carthuſianus Authorem quemdam citat, qui hunc Antichriſtum , terribile illud monſtrum per infernalis Draconis caudam intelligendum eſſe aſſerit, quia ſicut cauda pars ultima eſt corporis, ita quoque Antichriſtus ultimus perſecutor erit, quem Dæmon adverſus Eccleſiam ſuſcitabat. S. Ambroſius quoque ait : *Per caudam quæ finis eſt corporis, Antichriſtus intelligitur.* Hoc autem ſuppoſito , facile cauſam & myſterium intelligeris, cur S. Hilarius Conſtantium Imperatorem Arrianæ hæreſeos fautorem, Antichriſtum denominaverit, quia nimirum hic Catholicos per viam adulationum & blandimentorum ſeducere & ad partes ſuas attrahere plurimum ſatagebat. Unde zeloſiſſimus ille præfatus Fidei noſtræ defenſor acriter dolens ita lamentabatur , dicens : *Pugnamus contra perſecutorem faventem , contra hoſtem blandientem , contra Antichriſtum , qui non dorſa cædit , ſed ventrem palpat ; non contendit ut vincatur , ſed adulatur, ut dominetur.*

*S. Ambr. in glo. ibid.*
*S. Hil. lib. con. Conſt.*

9. Per mulierem illam , cui Draco inſidiabatur : *Draco ſtetit ante mulierem,* non minus quam per ſponſam, quæ in ſanctis Canticis dicit : *Vox dilecti mei pulſantis* , ſancta Dei Eccleſia intelligitur. At verò notandum eſt , quod quando fideles anguſtijs & adverſitatibus infeſtantur , indicium manifeſtum ſit , infeſtantem illum nequaquam Dæmonem eſſe , ſiquidem proprium illius eſt adulari & blandiri : at verò primogenitus Diaboli , id eſt , Antichriſtus blandimenta pariter & tormenta ad homines pervertendos adhibebit ; Id quod S. Auguſtinus illa Geneſeos verba :

*Apoc. 12. v. 4.*
*Cant. 5. v. 3.*
Antichriſtus blanditiis & tormentis ſeducere conabitur.

S. Aug. t. 3. de bon. ſil. lac. Geneſ. 49. v. 17.

la: *Fit Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita*, exponens, clarè hiſce verbis atteſtatur, dum ait: *Fit Coluber in via, quia in præſentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quaſi parcendo blanditur; Sed in via mordet, quia eos, quibus libertatem tribuit, erroris ſui veneno conſumit; Fit Ceraſtes in ſemita, quia quos fideles reperit, & ſeſe ad cœleſtis præcepti itinera conſtringentes, non ſolum nequitia callidæ perſuaſionis impetit, ſed etiam terrore poteſtatis premit, & in perſecutionis languore, poſt beneficia ſictæ dulcedinis exercet cornua poteſtatis.* Unde patet, quòd primò quidem Eccleſiæ per adulationem & blandimentorum lenocinia aſperum & implacabile bellum movebit; eos verò, quos hac via lucrari neutiquam potuit, tyrannidis ſuæ intentatâ violentiâ horrendum in modum exercebit.

10. Obſervatione digniſſimum eſt epithetum illud, quod S. Matthæus ex peculiari ſancti Spiritus inſtinctu motus, adulationi tunc vel maximè attribuit, quando de Scribis & Phariſæis Salvatorem noſtrum adulatorijs verbis circumvenire volentibus agit; hos enim cum dixiſſe retuliſſet: *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*; mox ſubjungit: *Cognitâ autem Jeſus nequitiâ eorum.*

Matth. 22. v. 16. v. 18.
Adulatio nequitia appellatur.

Circa quæ poſtrema verba advertendum eſt, quod Evangeliſta Adulationem non ſolum generico nomine iniquitatis appellet, quaſi quæ in ſe omne vitium contineat: Verùm etiam ob aliud quoddam innuendum myſterium *Nequitiam* nominet, ad inſinuandum videlicet nobis, quod Adulatio ſingulariter vitium Diabolicum exiſtat; Etenim *Nequitia* Etymologiam ſuam ab hac dictione *Nequam* deducit, quod propriiſſimum eſt Dæmonis Epithetum: Dicitur enim de illo: *Spiritus nequam aſſumit ſeptem Spiritus nequiores ſe*; *Zizania filij ſunt nequam*; *Contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Unde Salvator Judæis improperat dicens: *Vos ex Patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis perficere*;

1. Reg. 16. v. 14. Matth. 12. v. 45. Joan. 8. v. 44.

Quænam autem eſt præcipua hujuſce ſerpentis aſtutia? Audite hac de re S. Gregorium, hiſce verbis loquentem: *Intuetur*, inquit, *inimicus generis humani uniuſcujusque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcit facilius inclinari mentem.*

S. Greg. l. 14. moral. c. 7.
Vitium proponit Dæmon ad quod eſt inclinatio.

Enimvero probiſſimè incarnata ſapientia in ſubſtantia veriſſimum eſſe ſciebat, quod à Scribis & Phariſæis eidem laudis loco attribuebatur, nimirum quod viam Dei ſumma cum ſinceritate doceret: *Viam Dei in Veritate doces*: ex alia verò parte quoque eos revera non, prout loquebantur exterius, interius ſentire cognoſcebat, ſed potius omnino oppoſitum.

Adulatio Phariſæorũ.
Cajet. ibid.

Unde Cajetanus ibidem ait: *Univerſa hæc laus ex adulatoria officina ad provocandum Jeſum, ne timeat præferre Deum Cæſari, procedit.* Perverſi etenim homines illi, Salvatorem noſtrum laudum & gloriæ humanæ, auræque popularis captandæ avidum, exiſtimabant, ideoque eumdem illis blandimentorum lenocinijs aggredi non dubitabant. Unde prudentiſſimè nos Sapiens admonet, dicens: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.*

Prov. 1. v. 10. Hug. Card. ibid.

Cujus rationem ſolidam adfert Hugo Cardinalis, dum ideo nobis cavendum eſſe ait, ne nos ſeduci patiamur, quia adulatores ſunt nutrices Diaboli, lamiæ infernales. Alia quoque vice ijdem Phariſæi quibus, quod filij & progenies Diaboli eſſent, graviter improperarat, coram ipſo comparuere, dicentes: *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Ubi S. Paſchaſius ait: *Adulatoriè magis & fraude, quàm ex fide & religione eum Magiſtrum vocant.*

Matth. 12. v. 38. S. Paſch. l. 6. in Matth. Chryſoſt. hom. 44. in Matth.

Ejuſdem quoque mentis Chryſoſtomus fuit, dicens: *Verba conſidera, quomodo adulatione ſint plena; putarunt aſſentatiunculâ illum allicere, qui modo adulantur, modò conviciantur, modò Dæmoniacum, modo Magiſtrum appellant*: At verò protinus hoc ſibi objectum ab ipſo audiverunt improperium: *Generatio mala & adultera*: quod idem erat ac ſi exprobrando illis, dixiſſet: *Vos ex Patre Diabolo eſtis.* Idipſum Author Imperfecti dicere volebat, verba illa: *Erant Diaboli amatores*, gloſſando; manifeſtè enim ſe Diaboli filios eſſe declarabant, utpote cui mendacium & adulationis vitium proprium eſſe noſcitur: *Non eſt veritas in eo, cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & Pater ejus.*

Auct. Imp. Hom. 30. Jo. 8. v. 44.

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Dæmon per hoc vitium eos, quos perfectiores & ſanctiores eſſe novit, quantum poteſt ſeducere ſatagit.

### THEMA.

*Quid mihi & tibi eſt Jeſu Fili Dei altiſſimi?* Lucæ cap. 8. v. 28.

1. PRopoſitio iſthæc, primâ quidem facie, æmula eſſe videtur Confeſſionis illius à S. Petro factæ, per cujus meritum Eccleſiæ primatum obtinuit, quando proteſtabatur, dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; at vero ſciendum eſt propoſitionem illam à fœtente quadam lingua, & ore infernali, nimirùm à Dæmoniaco illo, qui ſepulchra incolebat, fuiſſe prolatam, de quo dicitur: *Intraverunt Dæmonia multa in eum*:

Matth. 16. v. 16.
Dæmon adulatione etiam ſanctiſſimos aggreditur.

Verum enimvero quid eſt, quod Spiritum hunc infernalem ad confeſſionem hanc edendam impulit? Num forte vel invitus ad annuntiandum mundo Meſſiæ adventum, Divinamque verbi filiationem conteſtandam coactus fuit? Minimè gentium, quin potius audite ſagaciſſimam ſerpentis hujus aſtutiam, à S. Petro Chryſologo nobis detectam, qui ad eumdem ſerpentem converſus hiſce eumdem verbis alloquitur: *Quid eſt Diabole, quod trinâ tentatione provocabas ad lapſum, quem promiſſione regni, ut te adoraret ſubdolus ambiebas, nunc tremens & miſerandus prolaberis & adoras?*

S. Chryſol. ſerm. 17.

Fuit igitur ex mente ſancti hujus Doctoris quædam Religionis fictio, non proteſtatio, nam *ut adulator, non ut devotus & obſequens hic adorat; credit infelix, ut eum, quem tentatione vincere, quem muneribus nequivit inflectere, poſſet adulatione pulſare.* Didacus Stella quoque Dæmonis, ſuam in corpore illo commorationem continuare ambientis, artem & fraudes detegit, dum ait: *Adulatione Dæmonium utitur, ut vel ſic eum ſineret ibi manere*; indeque ſequentem elicit practicam moralitatem: *ſic multi adulantur Prælatis Eccleſiæ, ut ſinant illos in ſuis peccatis & vitijs manere.*

Did. Stell. in Luc. ibid.
Multi adulantur Prælatis ut manere poſſint in vitijs.

Porro tametſi ille mendaciorum pater revera id quod verum erat, diceret, ei tamen quod dixerat, fidem neutiquam adhibebat, ſiquidem eum Dei Filium eſſe nequaquam exiſtimabat, *ſed voluit illi adulari, ut in ſuam gratiam conciliaretur*; Hæc enim una eſt ex potentioribus machinis, quibuſcum fallaciſſimus ille animarum deluſor & ſeductor eos vel maximè, qui perfectiſſimi & ſanctiſſimi ſunt, circumvenire conſuevit. Et ideo tametſi videri non nemini poſſet, quod quando deceptor ille Chriſtum poſt rigoroſum illud quadraginta dierum totidemque noctium jejunium, famelicum eſſe vidit, ſumptis in manus lapidibus, eidem dixit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes ſiant*: potius eidem ſuggerere debuerit, ut lapides in panes commutaret ad hoc ut extremæ fami ſuæ ſubveniret, quod tamen, ut Chryſoſtomus bene notat, neutiquam fecit: *Non dixit quandoquidem eſurias, ſed: ſi Filius Dei es, ſcilicet exiſtimans, poſſe ſe aliquid per laudum blandimenta ſuffurari, idcirco non commemoravit eſuriem, ne hoc ei quaſi exprobrare & objicere videretur*;

Matth. 4. v. 3.
Chryſoſt. hom. 15. in Matth.

Hæc etenim eſt adulatoris callida ſagacitas, ut numquam ejus cui adulari ſtudet, defectus commemoret, ſed potius ut eum ob virtutes, quibus præditum ſe eſſe exiſtimat, in Divorum Apotheoſim canonizando inſerat, ejusque inclinationi & genio ſeſe pro viribus toto ſtudio accommodet.

Aſtutia Dæmonis adulantis.

Et ideo non obſtante, quòd Chriſtum Filium Dei eſſe non crederet, nihilominus quia totum id, quod in laudem ejus minimè reſultabat, ei ſi proponeretur, diſplicentiam parere poſſe ſibi perſuadebat, ideo eidem ſolius filiationis Divinæ mentionem, eaque miracula propoſuit & ſuggeſſit, quæ ad edendam & manifeſtandam Altiſſimi omnipotentiam ſervire poſſe ſciebat: *Doloſâ adulatione palpando*, inquit Chryſoſtomus, *ſolius mentionem fecit dignitatis*; at verò quia dolus iſte eidem pro voto minimè ſucceſſit, *aſſumpſit eum in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei: ſi Filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim: Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te.*

Chryſ. ibid. v. 6.

Ubi obſervanda eſt ſerpentis infernalis mira ſagacitas, neque enim Filium Dei ad tentandum præcipitium exſtimulandum eſſe cenſuit, niſi cum aſſerta ſecuritate, quod per cœleſtis militiæ junctas manus in aëre eſſet miraculosè ſuſpendendus aut deportandus, hoc enim unicè nitebatur efficere, ut hoc modo in conſpectu totius populi, cum ejuſdem admiratione & applauſu in ſublime ſubvectus, vanam aliquam in ſemetipſo conciperet gloriam, atque ab incauta illa Hebræorum multitudine velut homo de cœlo dilapſus, adoraretur, ut verus Deus, hoc enim pacto, populi idololatria, ipſiusque arrogantia pari fuiſſet paſſu progreſſa, ſiquidem eum ſolum hominem, licet magna virtute & pietate præditum eſſe exiſtimabant. At verò, inquies, qua ratione eum temerariam hanc præſumptionem concipere poſſe exiſtimare poterat? S. Cyprianus ait: *Experientiâ didicerat, & in multis probaverat, vitiorum victores ſæpè*

S. Cypr. ſerm. de jejun. & tent.



*nugis laudationum corruptos, & cognatum propinquumque eſſe virtutibus malum per adulationem, nec facile quemquam poſſe evadere, qui libenter aſſentationum canticis porrigat aures.*

2. Tandem igitur tertia cum vice aggreſſus fuit omnia terræ hujus regna eidem offerendo, ſi eum unico dumtaxat adorationis actu venerari vellet, at protinus ab eo fuit hiſce verbis rejectus: *Vade Satana.*

Quos blanditijs non poteſt, injurijs movere cupit Dæmon.
Matth. 4. v. 10. S. Max. ho. 4. de tent.

S. Maximus ſeſe ad finem hujus adeo arrogantis petitionis reflectens, ait: *Juſtiſſimè retrorſum abire præcipitur, qui tentando ad hoc uſque pervenit, ut ſe ab adorando Dei Filio poſceret adorari, æſtimans, quod Chriſtus, qui decipi laudis ſuæ ſubreptione non potuit, indignatione ingeſtæ contumeliæ ſe proderet exploranti; ſed fortiſſimus propugnator qui pro vita ac libertate noſtra adverſus tyrannum ſuum, novum bellum gerebat, nec molli adulatione frangitur, nec duriſſimis injurijs commovetur.* Verum enimvero benè advertendum eſt, quod Sanctus Lucas refert, dicens: *Et conſummatâ omni tentatione, Diabolus receſſit ab illo uſque ad tempus*; nimirum expertum quemdam belli æmulabatur Ducem, qui apparenter quidem inimicum ſe fugere & campo cedere ſimulat, cum tamen id per merum ſtratagema quoddam fiat, dum ad tempus cedens cum majori impetu & viribus, ſive etiam per inſidias hoſtem iteratâ vice aggredi nititur. Unde S. Ambroſius ait: *Poſtea enim non tentaturus, ſed apertè pugnaturus advenit.*

Luc. 4. v. 13.
S. Ambr.

3. At vero, dicet aliquis, quodnam fuit illud ſibi reſervatum tempus, in quo eum ſe totaliter detriumphaturum eſſe ſperabat? Author Hiſtoriæ ſcholaſticæ ait: *Tempore paſſionis rediſt*, quod ipſum quoque in ſancto Athanaſio legimus; quia enim inimici infernales illud Prophetæ oraculum probè noverant, quo prædictum fuerat: *Dominus regnabit à ligno*, ideo quando Crucis lignum Chriſti humeris viderunt eſſe impoſitum, mox ſe tamquam deſperatos & perditos eſſe exiſtimabant: Statim *Crucis ſenſerunt virtutem*, inquit S. Paſchaſius, *& intellexerant vires ſuas jam fractas*;

Tentatus Chriſtus jam crucifixus.
Auct. hiſt. ſchol. in evan. c. 35. S. Ath. or. de paſſio.
S. Paſch. l. 12. in Matth. cap. 27.

Verumtamen ſuas in eum per diſcipulos ſuos exerere vires non omittebant, utpote quibus Chriſtus aperte dixerat: *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere*; per hos igitur ei dici procurarunt: *Si Filius Dei es, deſcende de Cruce.* Sed dices forſitan malè illos ex illa hypotheſi intuliſſe, *Deſcende de Cruce*, quin potius enim ſi Filius Dei erat, opus erat ut pro conſummanda humani generis redemptione patibulum ipſe aſcenderet. Reſpondeo igitur, id quidem verum eſſe, at vero finis Dæmonis erat, ut Chriſtus per blandam hanc Divinæ filiationis commemorationem, aſſertamque liberam & pro arbitrio & beneplacito de Cruce deſcendendi poteſtatem, aliquem inde conciperet vanæ gloriæ ſtimulum. *Exiſtimans poſſe ſe aliquid per laudum blandimenta ſuffurari.*

Matth. 27. v. 40.

4. Inter alias quæ in libro Levitici quoad ſacrificia oblationes recenſentur, factas à Deo prohibitiones, quas à populo ſuo accuratè caveri volebat, hæc quoque una fuit: *Nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini*; Et tamen liquor iſte mellis magnam in ſe continet ſuavitatem, pariterque ſalutiferus erat, ſiquidem ad multa remedia, pro infirmitatibus noſtris curandis excogitata, adhiberi conſuevit. Porro Abulenſis per mel, adulationem in ſenſu morali ſignificari exiſtimat, idque ob rationes quas infra ſuo loco adducturi ſumus: Verumtamen ad præſens propoſitum noſtrum, ideo id in ſenſu literali prohibitum eſſe ſubjungit: *Quia dæmonibus ſacrificia mellis offerebantur*, adeoque quantum adulatio Dæmoni placet, tantumdem Deo ingrata eſt & diſplicet.

Adulatio Deo diſplicet.
Lev. 2. v. 11.
Abul. q. 5. ibid.

5. Imò verò implacabilis hic adverſarius noſter, ſagaxque lenocinator ſeſe etiam viros quoſque ſanctiſſimos adulatoriarum laudum ineſcatione, proſternere & devincere poſſe confidit. Etenim inimicus ille infernalis accepta à Deo licentiâ, ut omnem in Jobum furoris iracundiæque ſuæ potentiam pro viribus, cum hac tamen ſubnexa reſervatione: *Verumtamen animam illius ſerva*, exereret, eumdem mox omnibus gregibus, armentis, ſervis, filijs ac filiabus, univerſaque ipſius ſubſtantiâ exutum ad mendicitatem & inedias redegit, & per cuncta membra crudeliter ſauciatum in ſterquilinio ſpectandum expoſuit.

Job uxore relicta ad blandiendũ.
Job 2. v. 6.

Verumtamen obſervandum, quod cunctis rebus expoliato vivam nihilominus conjugem reliquerit; At vero quidnam ipſum ad id permoviſſe exiſtimatis; Num forte ex aliquo compaſſionis motivo conjugem ei ſuperſtitem reliquit? Inter alias namque rationes, ob quas Divina ſapientia Beatiſſimam Virginem ſancto Joſepho deſponſari voluit, una hæc eſt: *Ut in Ægyptum fugiens, haberet ſolatium*; Num igitur Dæmon ideò Jobo uxorem vivam reliquit, ut eidem, in ſummo miſeriarum culmine conſtitutus ſolamen aliquod adferret? Nequaquam.

S. Hier. l. 1. in c. 1. Matth.

Quin potius S. Gregorium audiatis, hac de re hunc in modum loquentem: *Antiquæ artis inſidias reperit, & quia ſcit, quomodo Adam decipi ſoleat, ad Evam recurrit, quaſi in quadam virtutum arce ſtare invictum vidit; quæritur ergo ab Adverſario in hanc arcem muniſſimam, quibus gradibus aſcendatur, occupavit animum conjugis, ſcalam mariti.* Qualis autem inſultus iſte fuerit, & quomodo ſucceſſerit, ulterius declarare pergit, dicens: *Ut perſuaſionibus molliat, cum cor noſtrum ſua perſuaſione non ſubruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium repit, cum à bonorum cordibus repelli ſe conſpicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amantur, ut dum vis amoris cor perforat, facile perſuaſionis ejus gladius ad intimæ rectitudinis munimen irrumpat.*

S. Greg. l. 3. mor. c. 6.

6. De Saüle ſcribitur: *Exagitabat eum Spiritus nequam* Porro ſuperius à nobis dictum eſt, Chriſtum turpi hoc nequitiæ titulo adulationem notare. Et quidem de Saüle dici poterat: *Ex Diabolo erat, & deſideria Patris ſui perficere volebat*; quod clarius patebit, ſi attentè legatur hiſtoria de bello, quod illi cum Amalech interceſſit, in quo ſe Divinis præceptis immorigerum & rebellem eſſe probavit;

1. Reg. 16. v. 14.
Adulatio nequam ac Diabolicum vitium.

poſtquam enim Sanctus Propheta Samuël à Deo ad ipſum miſſus, ut ei contumaciam ejus in faciem improperaret, ab eo quæſiviſſet, quænam illæ armentorum & gregum voces eſſent, atque balatus, hoc ab ipſo reſponſum retulit: *Pepercit populus melioribus ovibus & armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo.* Quibus verbis omnem in populum culpam conjecit, neque enim Principes videri volunt erraſſe, neque erroris alicujus redargui amant; imò & miniſtri eorum ut illis abblandiendo, ipſorum ſibi benevolentiam concilient, defectus Principum, ſibi haud illibenter vendicant, & imputari patiuntur: Notandum eſt autem blandum illud adulatoriæ linguæ illicium, quod illis verbis, *Domino Deo tuo*, continetur; cum enim Saül aſtuti illius ſerpentis mancipium eſſet, utpote qui ab eo poſſidebatur, aſtutè excogitato illo aſſentatorio titulo, Samuëlem ſuis conciliare partibus ſperabat.

1. Reg. 15. v. 15.

Unde S. Gregorius ait: *Quid eſt quod Deum ſuum ſingulariter aſſerit, niſi quia eum familiarem Dei amicum oſtendit? Domino, inquit, tuo, non meo, quia ego peccator, tu ſingulariter ſanctus es.* Et quidem verè blanda hæc aſſentatiuncula aliquam in corde Prophetæ cæteroquin conſtanti & ſolido rimam ſibi ſive aperturam paravit, cum enim adverſus Saülem Regem comminatoriam ex parte Dei fulminare ſententiam debuiſſet, aſſentiuncula illa os ipſi obturaſſe videbatur, id quod ex ſacri textus verbis perſpicuè ſatis deduci poſſe videtur; Samuël etenim ait: *Sine me & indicabo tibi, quæ locutus ſit Dominus ad me nocte*, quiſnam obſecro impediebat Samuëlem, quo minus debitâ cum libertate loqueretur, ut proinde opus ſit ei dicere *ſine me*? S. Gregorius ait: *Tale eſt autem ac ſi laudatorem ſuum electus præſul honeſtâ gravitate derideat, dicens, Quid me laudas? loqui tibi dura non poſſum, ſine ergo, id eſt, permitte me loqui*: quaſi verò obtruſæ laudes & adulationes eam in ſe contineant violentiam, quâ ſinceram impediant veritatem; demum verò impetratâ à Saüle petitâ loquendi licentiâ, hiſce verbis: *Dixitque ei; loquere*: protinus à promulgando divino & infligendo ſupplicio minimè deſtitit.

S. Greg. l. 6. c. 2. in l. Reg.
Adulatio obſtruit os.
ibid. v. 16.
S. Greg.

Verum enim verò Saül (prout optimè idipſum ad propoſitum noſtrum S. Gregorius ponderavit) minimè ſibi perſuadere poterat, Samuëlem, poſtquam aſſentationibus à ſe delinitus fuiſſet, quidquam contra ſe umquam locuturum fuiſſe, quod ei diſpliceret, ideoque omnimodam ei loquendi facultatem indulſit; *ſine ergo; id eſt, permitte me loqui, & ea quæ ſum locuturus intellige, & quia ut dixi placere ſe laudando adulatores credunt, audire ab eis dura, quos laudant nequaquam putant; quaſi ergo jam læta & proſpera auditurus, ſubjungit Saül: loquere.* Verum dicet aliquis, numquid Saüli manifeſta erat Samuëlis eminens ſanctitas atque ſinceritas, in qua tot retro annis in Dei ſervitio hactenus proceſſerat? numquid enormis erga Deum ingratitudo ejusque contra divina præcepta rebellio propriam illius remordebat conſcientiam? numquid jam ab ipſomet Samuële intellexerat, quòd, quidquid adverſus ipſum fulminaret, idipſum jam ante eidem nocte accedente à

Violentia adulationis.

Deo dictatum fuiſſet? Cui proinde reſpondeo, id totum verum eſſe, verumtamen ex altera quoque parte probè noverat, quanta ſit adulationis violentia, quando hæc Principum & Magnatum, qualis Saül erat, auribus ingeritur; hæc enim tanta eſt, ut de ipſomet quoque Samuële omnino ſibi perſuaſum habuerit, eum hoc vitio ineſcatum & circumventum, Deum potius offenſurum ejusque præceptum transgreſſurum aut neglecturum fuiſſe, quàm ut veritatem coram eo, aperto ore ediceret, eumque debita cum libertate reprehenderet.

S. Ambr. in Pſ. 118. oct. 12. v. 92.

Dæmon apparuit Prophetæ.

7. S. Ambroſius illa Pſalmi verba: *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forte periiſſem in humilitate mea*, exponens ſcribit: quod dum Propheta quidam in imminenti quodam verſaretur vitæ periculo (& quidem nonnulli Prophetam hunc Iſaiam fuiſſe credunt, dum eſſet in carcere) Dæmon eidem apparuerit, dicens: *Dic quia non à Domino locutus es quæ dixiſti, & omnium in te mentes, affectusque mutabo, ut, qui indignantur injuriam, abſolutionem conferant.* Ponderat autem S. Ambroſius Prophetam illum nequaquam ſe à Dæmone ſeduci ſe permiſiſſe, quin potius animo heroico intentatos abſque ulla ſui læſione ſuſtinuiſſe inſultus; Unde ſubjungit: *Sed ille gratius judicavit pro veritate ſupplicium, quàm pro adulatione beneficium, quod utique non feciſſet, niſi meditatione legis fuiſſet exercitatus.* Porro ad quodnam ſanctitatis faſtigium ſanctiſſimus Chriſti præcurſor pertigerit, ex laudum ſuarum Panegyrico, quem ei increata & incarnata ſapientia contexuit, facillimum eſt conjicere. Ubi bene advertendum eſt, Chriſtum ad commendandam S. Joannis Conſtantiam in ſpecie de ipſo dixiſſe: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* Et tamen hac ejus conſtantia & animi in virtutum exercitio firmitate non obſtante, Chriſtum noluiſſe Joannem in aliquod cum adulatione certamen committere, ſiquidem tametſi eximia illa de Joanne pronuntiata encomia ne umbram quidem adulationis præ ſe ferrent, attamen Evangeliſta hoc non obſtante ſapientiſſimi illius Magiſtri, Chriſti nimirum, ſummam in loquendo cautelam notare voluit; ideo enim ſpecialiter exprimit Chriſtum hæc nequaquam protuliſſe encomia, niſi poſtquam Joannis diſcipuli omnes ab eo receſſerant, ideo dicit: *Illis autem abeuntibus, cœpit Jeſus dicere ad turbas de Joanne.* Ubi S. Chryſoſtomus ait: *Propter hoc autem abeuntibus eis, ut non videatur homini adulari*; nimirum indicare nobis voluit quanta ſit adulationis efficacia, talis videlicet, ut tametſi Joannes Baptiſta in materno fuerit utero ſanctificatus, nec non confirmatus in gratia, eodemque tempore arctiſſimis in carcere fuerit catenis conſtrictus, videri tamen voluerit timere, ne, ſi hæ adeò eximiæ à Chriſto prolatæ laudes S. Joanni à ſuis diſcipulis annuntiarentur, vel ipſe per aſtutiſſimi ſerpentis ſuggeſtionem de vana gloria tentari, vel populus ſaltem hunc Chriſti encomiaſticum loquendi modum adulatorium verè eſſe arbitrari potuiſſet. Unde Author imperfecti optimè ait: *Quàm bene recedentibus diſcipulis cœpit laudare Joannem, non ſicut quidam blanditores homines, qui libenter hominem in facie laudant.*

Matth. 11. v. 7.

Chriſtus Joannem laudavit non blandiendo.

Matth. 11. v. 7.

S. Chryſoſt. ibid.

Auth. Imp. hom. 27.

Adulatores periculoſi.

S. Hieron. l. 9. de virgin.

8. Magna profectò opus eſt virtute & Spiritu ad hoc ut quis per aſſentationem non ſeducatur, aut ſibi in hoc loquendi modo perfectiſſimorum quoque auribus adeo grato ſibi minimè complaceat. Unde S. Hieronymus ad Demetriadem ſcribit: *Beata mens eſt, quæ perfectè hoc vitium vincit, & nec adulatur aliquando, nec adulanti credit, quæ nec decipit alterum, nec ipſa decipitur, tantumque hoc malum nec facit aliquando, nec patitur.* Idem ille David, de quo Deus ipſemet, qui *ſcrutatur renes & corda*, dixit: *Inveni hominem ſecundum cor meum*; ille qui tanta cum cura & ſolicitudine hanc à Deo gratiam poſtulaverat, dicens: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, circa quæ verba Doctiſſimus Michaël de Ayguanis, olim nominatus incognitus, ita ſcribit: *Id eſt, adulatio foveat vel nutriat caput meum, id eſt, Diabolum in me, qui eſt caput omnium iniquorum*; Idem inquam ille David hac adulatione ineſcatus & ſeductus eſſe noſcitur; nam dum poſt ſuperatam Abſalonis rebellionem victor reverteretur Hieroſolymam, non obſtante quod Miphiboſeth, ab illatis eidem à Siba falſiſſimis calumniis, purgatus & juſtificatus jam eſſet, latam tamen in eamdem ante juſtificationem ſententiam minimè revocavit, ſed totam Miphiboſeth ſubſtantiam & facultates inter ipſum tamquam Dominum & Sibam ſervum ejus dividi præcepit, quæ manifeſta prorſus injuſtitia erat, cum Siba potius tamquam manifeſtus falſusque impoſtor & calumniator puniendus fuiſſet: propter quod Lyranus Deum permiſiſſe opinatur, ut regnum Iſraëlis Roboami tempore divideretur, magnam illius partem ſervo cuidam nomine Jeroboam conferendo; Unde idemmet Author ait: *Hic autem advertendum, quantum adulatores & detractores ſunt periculoſi principibus.* Porro Siba iſte Davidis Regis gratiam & benevolentiam, per nullum aliud medium, quam per machinatam hanc adulationis viam, Domini ſui depreſſionem obtinuit.

Pſalm. 140. v. 5.

Incogn.

2. Reg. 19. v. 29.

Lyran. ibid.

Adulationis diabolicum vitium facile ſeducit.

9. Sanctus quidem Paulus Apoſtolus utpote ſerpentis infernalis ſagacitatem probè noſcens, magna cum cautela adhibita ſcopulum iſtum declinare & evitare ſtuduit, oculis ſemper ad quaſvis occurentis adulationis occaſiones apertis intentis. Unde cum Philippis in Macedonia poſt Lydiæ, ad veram Chriſti fidem, converſionem, puellæ cujuſdam Energumenæ vocem altiſſimè in hæc verba clamantis audiſſet: *Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis*, dicit ſacer contextus: *dolens Paulus & converſus Spiritui dixit, præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab ea.* Verum quærere hic non immeritò non nemo poſſet, quidnam in eo lateat myſterij, quòd ſanctus Apoſtolus Dæmoni hanc veritatem annuntiare minimè permiſerit, cum tamen eadem in ipſiuſmet inimici ore majorem habeat energiam & efficaciam; *Inimici noſtri ſunt judices?* Huic ego reſpondeo, ideo id Apoſtolum vetuiſſe, quia ipſe utpote valde à Deo illuminatus optimè ſciebat hunc loquendi modum verè Diabolicum eſſe, quo nimirum ei adulari Dæmon nitebatur, ut hac ratione Apoſtolum, ad continuandam in eodem corpore ulteriorem moram, tanto facilius permoveret, ſciebat enim, quod per illam etiam ij, qui admodum virtuoſi ſunt atque perfecti, facile ſeducerentur. Idem quoque alij tartarei Spiritus apud S. Lucam facere nitebantur, qui valde elatâ voce, Chriſto hiſce verbis acclamabant, *quia tu es Filius Dei*; Et tamen Chriſtus *increpans non ſinebat ea loqui.* Circa quæ verba Didacus Stella ait: *Docet ne præbeamus aures adulatoribus, imò arguendi & increpandi ſunt*; Et ideò Deus mel, quod verum eſt hujus vitij Symbolum in ſuis ſacrificijs maximopere abhorrebat, econtra verò in omnibus oblationibus requirebat ſalem, qui maximè corroſivus & mordax eſſe noſcitur; *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies*; Quia ut S. Hieronymus ait: *Apud Deum nihil voluptuoſum, nihil tantum ſuave placet, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis.*

Act. Ap. 16. v. 17. & 18.

Deut. 32. v. 31.

Lev. 2. v. 13.

S. Hieron. ep. 29. ad Euſtoch.

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Adulatio oleo, ſimiæ, peſti, echo, umbræ, & ſpeculo aſſimilatur, unde nonnullæ adducuntur Adulatorum proprietates.

### THEMA.

*Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Pſalm. 140. ℣. 5.

Adulationis oleo noluit impingui David.

1. INter alias gratias, per quas regius Propheta David ad hoc, ut in regia ſua innocentiſſimè viveret, ſe communiri à Deo ſupplex petiit, una fuit, quam ſumma cum ſolicitudine ſibi donari rogavit, nimirum ut procul ſemper ab adulatoribus abeſſe poſſet: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Potius bono acerboque lixivio caput ſuum ablui, id eſt acriter ſe reprehendi & corrigi deſiderabat, quam ut caput ſuum perfunderetur oleo, id eſt, adulationibus deliniretur. Unde S. Auguſtinus ait: *Falſa laus adulatio eſt, falſa laus adulatoris, hoc eſt, oleum peccatoris, propterea & homines qui cum falſa laude aliquem irreſerint, hoc etiam de illo dicunt, unxi illi caput*; Verè etenim proverbium eſt, quod etiam ad hæc uſque tempora invaluit, quo is, qui blanditijs circumvenitur, bona quadam capitis unctione delibutus eſſe dicitur: Dicit igitur David: *Non impinguet caput meum, id eſt*, ut Hugo Cardinalis exponit, *mentem meam, vel Non impinguet* &c. *id eſt, non creſcat de falſa adulatione mens mea.*

S. Auguſt. ibid.

Hug. Cardin. in Pſ. ibid.

2. Plinius hanc inter cæteras refert olei proprietatem: *Oleo quidem non apes tantum, ſed omnia inſecta exanimantur, præcipuè ſi capite uncto in Sole ponuntur.*

Plin. l. 11. v. 19.



Et ideò ſanctus Rex David qui ab ovium cuſtodia, ad regimen populorum, à Virga paſtorali ad ſceptrum regale ſubvectus, & per comparatas ſibi tot victorias & acquiſita regna glorificatus fuerat, à Sole vel maxime in meridie ſplendeſcente ſibi timebat; Et quia curiam regiam verum adulationis centrum eſſe ſciebat, caput ſibi inungi, id eſt, adulationibus ſe circumveniri metuebat, ideòque adeo impenſe protectioni ſe Altiſſimi commendabat; vitiumque iſtud dæmonium meridianum vocitare ſolebat, *ab incurſu & Dæmonio meridiano.* Et in alio Pſalmo hiſce verbis obnixè Deum rogabat: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Præterea eſt & alia olei proprietas, quod nimirum liquor iſte olei, prout per quotidianam experientiam videmus, cunctis alijs liquoribus, ſuperior eſſe & ſupernatare conſpiciatur, per quam olei proprietatem certa quædam eorum, qui adulationis oleo perfunduntur, conditio innuitur, videlicet quod tametſi multis ſint vitijs & ſceleribus obnoxij, ſe tamen quovis alio in virtutibus ſuperiores eſſe cenſeant: ſiquidem *laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ; Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.*

Adulatio Dæmonium, meridianum.

Pſal. 90. v. 6.

Pſ. 10. v. 3.

Prov. 2. v. 14

Adulatio oleo aſſimilatur.

3. Nota procul dubio eſt illa unicuique decem virginum parabola, quarum quinque prudentes fuerunt, & quinque fatuæ, è quibus hæ cum alias ſuas conſodales pro oleo habendo rogaſſent, hoc ab ijſdem reſponſum retulerunt: *Ite potius ad vendentes & emite vobis.* Verum dicet aliquis, quod ſi per oleum eo in loco, vitium iſtud figurabatur, cur tale fatuis virginibus ſuggeſſerunt conſilium? S. Auguſtinus à P. Michaële Ayguano de Bononia Carmelita, alias Authore incognito, citatus, reſpondet: *Non conſilium dediſſe putandæ ſunt, ſed crimen earum ex obliquo commemoraſſe; Vendunt enim oleum peccatores, qui ſive falſa, ſive ignota laudando in errores animas immittunt; Ite ad vendentes & emite, id eſt, videamus numquid vos adjuvabunt, qui vobis laudes conſueverunt dicere, & vos in errorem inducere, ut non coram Deo, ſed ab hominibus gratiam quæreretis.* Quod ſi prudentes quoque virgines ſuum in lampadibus oleum habuiſſe dixeritis, reſpondet S. Auguſtinus, dicens: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, hoc enim eſt oleum ferre ſecum, non à vendentibus emere, hoc eſt, ab adulatoribus.*

Matth. 25. v. 9.

S. Aug. ſerm. de 10. Virg.

S. Auguſt. ep. 12.

Oleum adulatorem exprimit.

4. Eſt quoque & alia hujus liquoris qualitas, quod videlicet juxta naturam earum rerum, quibus affunditur, ſuam quoque naturam immutet; adeo ut frigidus fiat, ſi rebus frigidis commiſceatur, calidus verò, ſi adjungatur calidis; ſuum quoque à floribus ſeu alijs ingredientibus, qui eidem immerguntur, odorem pariter ac ſaporem accipiat, ideòque merito oleum adulatorem exprimit, de quo proinde idem quod in alio quodam ſenſu de ſe aſſerit Apoſtolus, affirmare poſſumus, nimirum dicere poteſt: *Omnibus omnia factus, fleo cum flentibus, gaudeo cum gaudentibus.*

Roman. 12. v. 15.

Prov. 30. v. 28.

Janſen. Adulatorū ſymbolū Simia.

5. Sapiens adulatorem quoque haud immerito ſimiæ aſſimilat, de quo proinde dicit: *Stellio manibus nititur & moratur in ædibus Regis*, quæ verba juxta traductionem Hebraicam de prædicto adulatore Janſenius exponit. Etenim animali huic proprium eſt cuncta ea quæ videt imitari, ad captandam tanto majorem penes eum, cui ſervit, gratiam & benevolentiam, magiſque ei complacendum. Alia porro animalia, eorum, a quibus nutriuntur, utilitati ſubſerviunt; Sic enim canis v. g. latratibus ſuis latrones à Domino ſuo procul abarcet, equus rhedis trahendis aut conficiendis itineribus eidem ſubſervit, ad portandum onera aſini, aves cantus ſui modulis Dominum ſuum recreant; boves aratra trahendo agros ſulcant: ſimia verò cum aliud nihil facere in obſequium Domini ſui ſciat, geſticulationibus ſuis in omnibus, quæ à Domino ſuo ſive bene ſive malè fiunt, eum imitando, eique applaudendo, in ejus ſeſe benevolentiam inſinuare conntitur, & ideo opportunum eſt adulatorum ſymbolum, qui tametſi ab omni virtute omnique merito vacui exiſtant, ut ijs, à quibus unica ipſorum ſalus omniſque ſpes dependet, per omnia placeant, eorumque ſibi beneficentiam concilient, eorum ſe genio in omnibus ſive bonis ſive malis perfectè accommodant. Horum proinde mores B. Petrus Damianus in Epiſtola quadam ad Bonifacium Epiſcopum Albanenſem fusè non minus quam eleganter deſcribit, dicens: *Jam verò quis ambigat, eum, cui datur occaſio favorabilibus Dominum ſuum verbis deliniendi, ut eum blandâ poſſit adulatione mulcere; utque ejus animum capiat, quid ſibi magis placeat, callidus obſervator explorat; oculis gliſcit; pedibus innuit, feſtivitatem ſereni cordis ore prætendit, pendet ad nutum; ire jubetur, evolat; ſtare præcipitur, ſilicem repræſentat; ſi Dominus fervet, ille ſudat; ſi ille æſtuat, hic cauma conqueritur; aut ſi vel leviter frigeat, hic neceſſè eſt tremefactus, viſceribus obtorpeſcit; ſi ille dormire vult, hic accubitat; ſi ſatur eſt, hic ructare compellitur.* Diodorus Siculus ſolemnem Æthiopibus ritum fuiſſe ſcribit, quo Regibus ſuis adeo in omnibus adulari conſueverunt, ut ſi Rex naſceretur monoculus, ipſi quoque ad ejus imitationem monoculos ſe, unum ſibi eruendo oculum, protinus reddiderint; aut vero ſi Rex claudus naſcebatur, & ipſi claudicarint; Imò de alijs quoque aulicis legitur, quod ut perfectâ adulatione ſe Regulis conformarent, ſanguinem ſibi elicere, medicinas alioſque amaros bolos accipere conſueverint, non alio motivo ducti, quàm quia idipſum Dominos ſuos in infirmitate facere conſpiciebant, hac ratione ſuam erga Dominos ſuos compaſſionem affectando, minimè curantes, quod iſta faciendo ſe quoad animam infirmiores declararent, quàm Domini infirmarentur in corpore.

S. P. Dam. l. 2. ep. 3.

Diod. Sic. de fabul ant. l. 4.

Æthiopibus ſimiles ſunt adulatores.

Adulatio peſtis.

6. Imo vero peſſimum hocce vitium in ea infirmitate potiſſimum ſymbolizatur, quæ in numero earum, quibus humanum genus affligitur, infirmitatum horrendiſſima exiſtit, nimirum in graviſſimè ſæviente peſtilentia; hoc enim titulo vitium iſtud à D. Chryſoſtomo deſcribitur, dum ait: *Major ex adulatione peſtis, quam ex vituperatione oriri ſolet, & facilius hanc quàm illam ſuperare poſſumus.* Dionyſius quoque Carthuſianus ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Non impinguet caput meum*, hanc gloſſam adfert: *Non me demulceat, non mihi complaceat, unde ſcriptum eſt: Attende tibi à peſtifero.* Porro contagionis tempore per quotidianam videmus experientiam, quod dum unus amicus benevolentiæ & amicitiæ causâ alterum amplexatur, eodem quoque tempore ſibi mutuo per oris anhelitum & mutuum veſtimentorum contactum, mortem inferat. De hoc autem peſtifero adulationis contagio S. Hieronymus ad Celantiam ſcribit: *Adulatorum quoque aſſentationes, & noxia blandimenta fallaciæ, velut quaſdam peſtes animæ fuge, nihil eſt quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat.*

Chryſ. hom. 88. in Matt.

D. Carth. in Pſ. 140.

Eccl. 11. v. 31.

S. Hieron. l. 2. ep. 18.

Adulatio ſimiæ comparatur.

7. Simia eodem tempore, quo homini per amplexus blanditur, per infixos dentes quoque graviter eumdem ſauciat. Similiter hæc peſtilentiam inter & alios morbos cernitur differentia, quod illa inſenſibiliter ſive per infecti aëris reſpirationem, ſive per contagioſæ rei contactum abſque ullo ſenſibili dolore inficit; aliæ autem infirmitates ut plurimum dolores, ſpaſmos, & deliria ſubinferant; Et ideò adulatio peſtilentiæ haud ineptè comparatur, ſiquidem vitium iſtud ejus qui adulationum lenocinijs circumvenitur, animam cum voluptate, guſtu, & ſingulari complacentia mortaliter ferit & ſauciat. Et ideo Philo Carpathius ad propoſitum noſtrum de doloribus ſponſæ in ſacris Canticis inflictis, & hiſce verbis: *Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem, percuſſerunt me, vulneraverunt me*, inſinuatis tractans, optandum eſſe ſcribit, quod Prædicatores Evangelici animarum converſionem per verba aſpera, non vero per lenocinia verborum procurarent: *Non tot heu miſeri Chriſtiani*, inquit, *quotidie per aſſentationes prædicantium infeliciſſimè pereunt, hinc tanta peccatorum labes, hinc illa corruptela morum, quâ ſingulæ fideles animæ indies magis ac magis turpiter inficiuntur.*

Phil. Carp. in Cant. 5. v. 7.

Ex adulatione plurima mala.

8. Præterea ſicut peſtilentia univerſalem quamdam influentiam ſequitur, & ideo non ſolum perſonis particularibus; verum univerſæ Reipublicæ pernitioſa exiſtit, paſſim ſe per mortalitatem irreparabilem diffundendo ad omnes: Eodem quoque modo quando vitia acriter non reprehenduntur, ſed potius ijſdem per adulationum blandimenta fucus quidam aſpergitur, vicini omnes pravis peccantium moribus inficiuntur, adeo ut in eo caſu dici poſſit: *A planta pedis uſque ad verticē non eſt in eo ſanitas:* Unde idem Philo ulterius proſequitur, dicens: *Teterrima peſtis urbibus aſſentatorum vita, tabificus morbus eorum conſuetudo adoleſcentibus, domibus ruina, monaſterijs everſio, Chriſtianæ Religionis extrema calamitas, omniumque malorum ſeminarium & origo.* Optime igitur Plato, qui Antonomaſtice Divinus appellari meruit, adulationem beſtiam appellat peſtilentialem univerſo generi humano pernitioſiſſimam, eamque tanto magis peſtiferam eſſe dicit, quanto illam velut amicam benevolentius excipimus, cum inimica ſit exitioſiſſima.

Iſai. 1. v. 6.

*Boët. l. 3. de conſ.*

Boëtius quoque utiliſſimè nos monet, dicens: *Nulla peſtis eſt pernitioſior ad nocendum, quam familiaris inimicus.* S. Bernardinus Tom. 3. ſerm. de laudabili veritate Art. 2. cap. 1. Tullij quantumvis Pagani authoritatem citat, dicentis:

*S. Bern.*

*Sic habendum eſt, in amicitia nullam peſtem eſſè majorem, quàm adulationem, blanditiam, & aſſentationem.* Sicut enim peſtilentia in populoſa quadam civitate ad inſtar acutiſſimæ falcis juvenes, ſenes, divites & pauperes, ſanos & infirmos indifferenter & ſine ullo perſonarum diſcrimine tollit è medio, ita pariter in civitatibus late proſerpens adulatio irreparabiles cauſat in animabus ſtrages, quemadmodum in Sichemitis magnam quoque corporum ſtragem edidit, id quod ſequentibus ex verbis, ſi rectè perpendantur clare ſatis innuitur, quibus ſacer textus ait:

*Gen. 34. v. 24.*

*Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus.* Etenim dum Sichemitarum Princeps adoleſcentulus ſuis, quibus erga Dinam Filiam Jacobi exardeſcebat, carnalibus deſiderijs obſequi vellet, hocque ſine ſuggeſtum à fratribus Dinæ conſilium, ut videlicet cuncti Sichemitæ circumciderentur, populo ſuo propoſuiſſet, omnes continuò, ut in genium Domini ſui condeſcenderent, hujus cruentæ circumciſionis dolentiſſimo ſigno, novæ religionis diſtinctivo continuo ſeſe & perlibenter ſubmiſerunt. Ubi meritò inquirendum venit, quâ ratione fieri potuerit, quod nullus ſeſe huic adeo præcipiti reſolutioni, quæ unica & totalis ruinæ & exterminij ipſorum cauſa extitit, oppoſuerit, aut à circumciſione ſubeunda fuerit tergiverſatus, adeo ut ſcriptura dicat, *Aſſenſique ſunt omnes*: cum tamen in eo conſilio de evidenti vitæ periculo ageretur? Enim vero quid ad hanc quæſtionem certus quidam ſacer Interpres reſpondeat, velim audiatis:

*Ferus ibid.*

*In toto populo nemo eſt, qui peccatum laſcivi adoleſcentis arguat, quique quod verum eſt, dicat, ſed omnes connivent, diſſimulant, adulantur.* Quemnam autem inde fructum reportatum fuiſſe exiſtimatis? Et ideo, inquit Scriptura ſacra, *cum ſuis Principibus pereunt.* Optimam profectò ſanctus Propheta David adulatorum notitiam habuit, imò tametſi Rex fuerit magno in illos odio exarſit, ac proinde Pſal. 5. v. 10. hunc in modum eoſdem deſcripſit:

*Pſ. 5. v. 10. 11*

*Quoniam non eſt in ore eorum Veritas, cor eorum vanum eſt*: ibid. 5. v. 11. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant.* Porro quotieſcumque ſepulchrum aliquod aperitur, in illud nemo confeſtim, ut apertum eſt, ingredi præſumit, ſed prius ad aliquod uſque tempus expectatur, donec aer peſtifer & corruptus ab inde exhalatus fuerit; Eadem quoque quoad adulatores cautela adhibenda eſt, nam ut Primaſius ait:

*Primaſ ibid.*
Peſtifer aura de ore adulatoris Curias inficiens.

*Omnis odor mortis procedit de ore eorum, hoc eſt, verba peſtifera & adulatoria, quæ interficiunt audientes, ideo enim ſepulchra clauduntur, ne in vita poſitis exhalatione ſui generent peſtem.* Enimvero morborum contagiones Magnatibus ut plurimum parcere ſolent, quia cum morbus iſte *per contactum* inficiat, facile eſt mundi hujus magnatibus per ſuas induſtrias ab iſtiuſmodi malo ſibi cavere & proſpicere, quod non cum æquali facilitate pauperibus & egenis liçet facere: Peſtis vero adulationis econtra Regum Curijs potius adhæreſcit, quam pauperum tugurijs, primateſque potius, quàm privatos inficit. Unde S. Bernardinus ait:

*S Bern. Sen. ſerm. 16. a. 2. c. 3.*

*Simili labe corrumpuntur multi Principes mundi, ut de genere dominantium reperiantur rari, qui propter inſuetudinem, audire ſuſtineant veritatem.* Berchorius quoque de hoc contagio ita ſcribit:

*Berch. dict. in v. Adulatio.*

*Pulchre loquitur Alanus de complanctu naturæ de adulatoribus: Adulationis peſtilentia percutiantur laterales principum, Palatij canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falſitatis.*

Adulatio Echo.

9. Ab alijs quoque ſanctis Patribus Echo aſſimilari dicuntur, hujus namque proprietates ſunt ridere, flere, ſuſpirare, vociſque ſonum extollere aut demittere, prout ſonus eſt vocis quæ in ſuis concavitatibus reflectitur. Unde in S. Auguſtino legimus:

*S. Aug. in Pſ. 9.*

*Jucundum eſt & volupe, cum clamantibus nobis reſponſant ſylvæ, & acceptas voces numeroſiori repercuſſu reddunt: talis Echo adulator, flet cum flentibus, cum gaudentibus gaudet, & quia vitioſè hæc facit, pravoque animo, cum excandeſcentibus etiam excandeſcit.* Sanctus Hieronymus quoque ad Euſtochium virginem de hac Echo ſcribit, quod eadem verba cum eodem vocis tono reddat:

*S. Hieron. l. 2 ep 3. in ord. 24.*

*Quidquid dixeris laudant, quidquid negaveris negant.*

Adulatio corporis umbra.

10. Denique peſſimi adulatores corporum noſtrorum umbris valde propriè aſſimilantur, quia ſi caput erexeris, umbra pariter ejuſdem corporis erigi videtur: cum ambulante corpore ambulat, cum ſtantibus ipſa quoque ſe firmiter ſiſtit; ac demum ſi brachium extenderis, umbra quoque eumdem protinus æmulabitur actum.

Speculum.

11. Poſtremo iidem in ſpeculis præfigurantur, quæ idipſum quod ijs ſeſe directe objicit perfectè repræſentant, ſive bonum illud ſit ſive malum, ſive ferrum, ſive aurum, ſive flores ſive frondes: Quod idem adulatores quoque præſtant, hi enim tam virtutes quàm vitia laudant & commendant, non quod merito operantis applaudere intendant, ſed ſolum ut placeant, ejuſque cui abblandiuntur, benevolentiam ſibi concilient, ſine ullo reſpectu ad vitium vel damnum quod exinde cauſant.

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Adulator ſuis aſſentationibus circumventum in vitijs fovet, cumdemque culpis ſuis magis magiſque ſemper illaqueat.

### THEMA.

*Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Pſalm. 10. ℣. 3.

Adulator malum dicit bonum.

1. INter alia irreparabilia damna, quæ adulatio ſecum ſubinfert, unum eſt, quod peccatum non ſolum patienter toleret, ſed etiam quod illud commendet, & velut canonizando ad ſydera uſque extollat, adeo ut S. Auguſtinus ſcribat:

*S. Aug. ibid.*

*Delectat ea facere, in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudatur operator.* S. Proſper qui ſententias ſuas veluti gemmas quaſdam inæſtimabiles recollegit in unum, pari modo hac de re ſcribit, dum ait:

*S. Proſper ſent. 137.*

*adulantium linguæ alligant animas in peccatis.* Angelicus Doctor quoque ſcholaſtice de hac materia tractans tandem ita concludit:

*S. Th. 2. 2. q. 115. art. 2.*
*Pſ. 10. v. 3.*

*Adulatio maximè nocet, ſecundùm illud* Pſalmi 10. v. 3. *Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*, ibid. v. 4. *exacerbavit Dominum peccator*: citatque S. Hieronymi teſtimonium, indeque ſequentia verba adducit: *Nihil eſt, quod tam facile corrumpat mentes hominum, quam adulatio.* Demum verò quot modis adulatio mortalis culpæ malitiam attingat, pulchrè declarat, tunc nimirum quando opponitur charitati, id quod multis modis poteſt contingere: *Uno modo ratione ipſius materiæ, cum aliquis laudat alicujus peccatum, hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus juſtitiam homo loquitur; & contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet, unde eſt peccatum mortale, ſecundùm illud Eſaiæ:*

*Iſaia 5. 20.*

*(Væ qui dicitis malum bonum:) alio modo ratione intentionis, puta cum quis alicui adulatur, ad hoc, ut fraudulenter ei noceat vel corporaliter, vel ſpiritualiter; tertio modo per occaſionem, cum laus adulatoris ſit alterì occaſio peccandi etiam præter adulatoris intentionem*; quod intelligendum venit in caſu quo damnum iſtud à nobis prævíſum eſt & volitum.

Adulator peccantes fovet.

2. Datum eſt nobis à Salvatore noſtro in S. Lucæ Evangelio monitum quoddam, cujus verba primâ quidem facie admirationem adferunt, Dicit enim:

*Luc. 6. v. 26.*

*Væ cum benedixerint vobis homines.* Paradoxus profectò loquendi modus; An enim ipſæ quoque ab hominibus nobis impertitæ benedictiones, nocumentum aliquod conciliare poſſunt? Numquid ipſemet Spiritus Sanctus de Moyſe dicit:

*Eccl. 45. v. 1.*

*Dilectus Deo & hominibus?* Numquid deplorabilem miſeriam noſtram eſſe cenſemus, dum omni ex parte imprecationes & maledictiones, quas unus in alterum evomit, licet illæ prolatæ ſint ſine intentione eventus ſecuturi, audire cogimur? Dubium iſtud à Beda nobis reſolvitur hiſce verbis:

*Bed. ibid.*

*Quia ipſa peccati nutrix adulatio ſicut oleum flammis, ſic in culpa ardentibus ſolita eſt miniſtrare fomentum*; Benedictiones autem hominum ut plurimum adulationes ſunt. Falces eodem tempore, quo in vireſcentibus floridiſque pratis herbas amplexantur & ſtringunt, eaſdem pariter ſuccidunt, dejiciunt, & in aridum quoddam fœnum reducunt; ita quoque eodem prorſus tempore, quo adulatio tuis defectibus inordinatiſque appetitibus applaudit, in iiſdem te cum maxima animæ tuæ ruina ſtabilit & corroborat:

*Pſalm. 10. 3.*

*Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*: mox verò ſequitur, quod *exacerbavit Dominum peccator*; quiſquis enim adulationibus circumvenitur, lubenſque illas admittit, impius evadit & iniquus, divinamque adverſum ſe juſtitiam irritat. Incognitus Carmelitanus, dum verba illa Pſalmi exponit:

*Pſ. 140. 5.*

*Corripiet me juſtus & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, malitiæ vitij hujus rationem protinus reddit, dum ait:

*Incogn. in Pſ. 140.*

*Adulatio grave peccatum idcirco dicitur, quia peccata quæ corrigere debet, nutrit & fovet.* Obſervandum quoque eſt, quod is qui alterum corrigit, titulum à Spiritu Sancto ſortitur hominis juſti, virtuoſi, & ſancti: econtra verò adulator ſceleratus audit & iniquus. *Oleum autem peccatoris; Juſtus ſi viderit me peccantem non excuſabit, ſed dolebit, & miſericordiâ motus corripiet me, & increpabit de peccato, conans me ad viam ſalutis ducere: peccator autem, id eſt, adulator non ſic, ſed liniendo caput, ſuis adulationibus blandis, excuſabit me de peccato, & ſic permanere faciet in eo, & augmentare illud.* Etenim culpa in homine à primis ſuis crepundijs verecundiam ſibi ſemper conjunctam habuit, atque ideo protoparentes noſtri ſeſe in latibula ſubducentes, abſconderunt, in ipſoque peccato protinus, velut furtum ſuum in manibus tenentes, deprehenſi erubuerunt; Et tamen adulator eo utitur artificio, ut peccatum ſive vitium eo modo palliare, imò canonizare norit, ut peccator de peccato ſuo non tantum non erubeſcat, verum etiam velut de opere juſto & ſancto glorietur. Unde Chryſoſtomus ait:

*Chryſ. in Pſ 10.*

*Pro ijs, pro quibus ſe abſcondere, pro quibus erubeſcere oportebat, pro ijs in admiratione habetur, pro ijs laudatur*: pauloque poſt oſtendere incipit, quàm difficulter pro cura mali iſtius inveniatur remedium, dicens: *Quomodo autem poterit huic deinceps remedium adhiberi, quando laudatur vitium.* Id quod etiam S. Gregorius conſideravit, dum ait, animam ream in paſſionibus ſuis inordinatis tanto fortius & tenacius adſtringi,

*S. Gregor. l. 4 mor. c. 25.*

*cum multi malè geſta laudibus exaggerant; Unde fit ut inceſſanter creſcat culpa favoribus nutrita, curari vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur.*

Adulatores peccata laudant.

3. Porro non minus ingenioſa quam utilis & neceſſaria eſt ponderatio illa S. Bernardini ſuper illa verba:

*Pſal. 10. 3.*

*laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ.* Advertit enim & quidem peracutè, quòd adulator peccatorem non in peccatis ſuis actualibus, ſed in peccandi deſiderijs laudet. En ipſiſſima S. Bernardini verba:

*S. Bern. t. 3. ſer. de mult. merid. a. 2. c. 2.*

*Advertendum eſt, quod licet majus ſit in opere, quàm in voluntate peccare, tamen majus peccatum eſt, laudare hominem in voluntate peccandi, quàm ipſo facto peccati; Unde aggravando ait: laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: Porro hoc eſt lac, de quo admonens Sapiens* Prov. 1. v. 10.

*Prov. 1. v. 10*

*Si te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis; Et ſubdit Propheta, dicens: Exacerbavit Dominum peccator, ſcilicet propter adulationes audacius peccando.* Quia dum homo qui in conſectationem inordinatorum appetituum ſuorum interius à ſenſualitate movetur, atque ab innato fomite ſtimulatur, incitaturque à Dæmone, inſuper advertit, quod peccatum ipſius non tantum toleretur & excuſetur, verum etiam deprædicetur, magis magiſque peccandi auſus augebitur, ipſaque voluntas magis pervertetur, omniſque evaneſcet conſcientiæ remorſus. Unde S. Chryſoſtomus illa Pſalmiſtæ verba:

*Pſ. 48. v. 13. 14.*
*S. Chryſoſt. ibid.*

*Homo, cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* v. 14. *Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in ore ſuo complacebunt*: exponens, totum illud exinde ſolum oriri exiſtimat, quod adulatoribus præbeantur aures, fideſque adhibeatur, inde enim ſequitur, quòd ex auditis adulationibus ineſcati, tantò magis in beſtialibus appetitibus ſuis confirmentur; ac proinde Propheta dicit: *Hæc via illorum ſcandalum ipſis*, quaſi diceret, ut S. Chryſoſtomus ubi ſupra exponit: *Non parvum obſtaculum hæc via eſt ad operationem virtutis; Et ideo dicit: Hæc via eſt ſcandalum ipſorum, hoc quod dixit, ut graviſſimum & cauſa omnium malorum, qui enim in ijs peccant, atque delinquunt, ſeipſos felices & beatos eſſè dicunt, & admirantur, & his quæ fiunt, delectantur.* Quod ſi enim peccata quæ in nobis prædominantur, noſque per tyrannicam quamdam violentiam, non obſtante malæ conſcientiæ perpetuo remorſu, maximaque, quam ſemper adjuncta habent confuſione & verecundia, neque obſtantibus bonorum reprehenſionibus, ad prævaricandum inducunt, declinari tamen vix, & ne vix quidem poſſunt, quantò magis laxato fræno eadem à nobis committentur, inque animabus noſtris firmas agent radices, quando eadem peccata blandis & adulatorijs aliorum ſuggeſtionibus perſuaſi, virtuoſos laudabileſque actus eſſe exiſtimabimus.

4. Audite obſecro, qua ratione S. Baſilius illum Davidis Verſiculum:

*Pſ. 61. v. 5.*
*S. Baſilius*
Adulatorum circumſcriptio.

*Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant*, interpretetur. Dicit enim, quod Adulatores actiones eaſdem, quas laudant & deprædicant, vitioſas tamen & reprehenſione digniſſimas eſſe agnoſcunt; Erit, qui turpia loquitur & obſcæna, eique arguti & faceti hominis laudes attribuent; Alius ſatyricus homo dicetur eſſe ingenioſus: Erit non nemo ex inconſulta adoleſcentium turba, qui aliud nihil facit, quàm quod mundi torrentem ſequatur, cunctiſque effrænatis appetitibus ſuis habenas laxare minime curet, & hunc nobiliſſimum Equitem, virumque generoſum eſſe deprædicabunt: *Tales quidem ore benedicunt, corde autem maledicunt; in verborum namque benedictione, omnem execrationem vitæ ſuæ inducunt, ac reos æternæ damnationis ob ea, quæ approbant, ſeſe conſtituunt.*

Adulatoris hieroglyphicum.

5. Ægyptij hominem ab adulatoribus circumventum ſequenti hieroglyphico depingere ſolebant. Nam cervum quemdam cytharœdo cuidam actualiter cytharizanti occurrentem adumbrabant; adeo namque avidâ aure cervus muſicam excipit, ut non obſtante timiditate ſua, per cytharæ ſonum veluti incantatus ſubſiſtat, omniſque periculi oblitus, venatoribus facillimè in prædam cedat: Eodem quoque modo dum inimici infernales hominem aliquem inferni retibus involvere aut illaqueare volunt, fictos adulationis modulos adhibent:

*Pſ 10. v. 3.*
*Pſ. 16. v. 11.*

*Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ & iniquus benedicitur; Et projicientes me nunc circumdederunt me.* Ubi Symmachus legit: *Beatificantes me, illico circumdederunt me.* Optime igitur ad propoſitum loquitur Pacianus, dum ait:

*S. Pacian.*

*Facinoris jam monſtrat inopi is, qui nocentibus poſt ſcelera blanditur.*

Adulator piſcatori ſimilis.

6. Piſcator aliquis piſces capere volens, hamo in quo ferrum abſconditum deliteſcat uti ſolet, frequentius tamen utitur reti, utpote quo facilior obtinetur piſcium captura. Hæc autem omnia adulatorem perfecte adumbrant:

*Prov. 29. v. 5.*

*Homo, qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus ejus.* Hugo Cardinalis tam adulantem, quam eum, qui aſſentationes prona aure excipit, rete illud incidiſſe exiſtimat, dum ly *ejus* duplici modo exponit, dicens:

*Hug. Card. ibid.*

*Ejus, id eſt, ipſius adulatoris, qui prius ſibi quàm alteri nocet: vel Ejus, id eſt, ipſius qui adulatori præbet aurem*: illumque Iſaiæ textum ex Cap. 3. adducit, dicentis:

*Iſa. 3. v. 12.*

*Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt*; Ibidemque Sapientem exponit, dicentem: *Peccantem virum iniquum involvet laqueus, id eſt, adulator qui laudat peccatorem in deſiderijs animæ ſuæ.* Denique & ipſe moralis Seneca hoc nobis ſalutare monitum ſcriptum reliquit:

*Sen. ep. 21.*

*Malum hominem blandè loquentem agnoſce tuum laqueum eſſè.*

Adulator delicta laudat ſed non amicus fidelis.

7. Unde advertenda eſt pulchra differentia, quæ amicos inter & adulatores intercedit; Tametſi enim amici quoque in eorum, quos diligunt, ſenſus & affectus ſe transforment, iiſdemque applaudant, tamen eoſdem de commiſſis erroribus atque defectibus amicabiliter monere & corrigere nequaquam deſiſtunt, quod is qui adulatur, minime præſtat. Quæ differentia ſequenti ſimilitudine aptiſſimè illuſtratur. Eſto enim, quod aliquis faciem ſuam & in ſpeculo & in aqua intueri poſſit, cum hoc tamen diſcrimine idipſum fiet, quod aqua quæ naturale quoddam ſpeculum eſt, non ſolùm nobis quales in facie ſimus clarè oſtendat, verum etiam ſi aliquam in vultu vel in manibus maculam habeamus, eamdem eluendi materiam & methodum nobis ſubminiſtrat: non verò ſic vitrum artificiale: Idem quoque de bono fidelique amico dicere poſſumus, neque enim huic ſufficit quod alterius amici beneplacito dumtaxat, quando illud ad licita & honeſta ſe extendit, adhæreſcat: Verum inſuper ſi quid quod illicitum & honeſtati repugnans ſit in eo animadvertat, ut idipſum emendet debita cum charitate & modeſtia hortatur & monet, cum tamen adulator illud laudet, illudque haud ſecus ac ſi actus virtuoſus & honeſtus ſit commendet & deprædicet, licet defectuoſus ſit, & divinæ legis dictamini adverſetur, hacque ratione adulator peccatorem in vitijs ſuis fovet & nutrit. Optimum igitur eſt illud S. Auguſtini conſilium:

*Aug. t. 4. de ſal. do. c. 6.*

*Elige tibi conſiliarios bonos, Deum timentes, & veritatem amantes; ſæpe enim adulatores blanda facie decipiunt animas audientium ſe, & perpetuæ mortis laqueis interimunt.*

Hoc fecerunt Aulici Holofernis.

8. Ejuſdem farinæ illi quoque fuere Holofernis aulici & à ſecretioribus miniſtri, hi enim cum Principi ſuadere merito debuiſſent, ut ab inſidijs, quas JudithAm ipſi machinari per ſuſpicionem faciei conjicere poterant, ſibi cautè proſpiceret, idipſum non ſolum

ſolum facere neglexerunt , verum etiam ut in ejus ſe gratiam tanto magis inſinuarent , ſuaque adulatione ejus genio correſponderent , quem ſciebant carnali voluptati omnino deditum eſſe , Judithæ ſpecioſitatem apud eum exceſſivè exaggerarunt , ut effrænem ejus concupiſcentiam magis magiſque in eo accenderent , imo nullum propriæ reputationis & honoris habuere reſpectum , dum ſeſe in adeo ignominioſum proſtituendi ingeſſerunt officium : *Duxerunt ... illam ad tabernaculum Holofernis* , v. 18. *dixeruntque ad eum ſatellites ejus : Quis contemnat populum Hebræorum , qui tam decoras mulieres habent , ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus* ? Et quidem quos non conatus & induſtrias Vagao adhibuit , ut illam ſeducere poſſet ? *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum , ut honorificetur ante faciem ejus.* Ecce quibus & qualibus coloribus adulator iſte illud tam execrabile carnis peccatum , ad quod perpetrandum ſanctam illam mulierem ſollicitabat, coram illa delinearit;At verò qualenam hi ex adulatione ſua præmium reportarunt ? Nimirum , cum Bethulienſes incolæ præciſum Holofernis caput ex Bethuliæ mœnibus ſuſpendiſſent , omneſque obſeſſi magnanimi & generoſa cum reſolutione fuiſſent egreſſi , prædicti Holoferni familiares & à ſecretioribus inſervientes miniſtri urgentis exercitus ſtrepitum audientes , ipſorumque Principem in actuali venere cum Juditha oblectari credentes , manifeſtè & evidenter magis ſibi cordi eſſe judicarunt , ſi Holofernes in ſua voluptate nec quidquam turbaretur , quàm ſi ſuſque deque everteretur & proſterneretur Aſſyriorum Regis exercitus. Unde ſacer textus ait : *Porro hi , qui in tabernaculo erant, venientes , & ante ingreſſum cubiculi perſtrepentes , excitandi inquietudinem arte moliebantur , ut non ab excitantibus , ſed à ſonantibus evigilaret* : Gratum namque adulationis ſonum illi affatim placere ſciebant , ideòque tametſi in graviſſimo eſſent periculo comprehenſi , ipſius tamen voluptates turbare haud quaquam audebant præſumere ; ſiquidem adulatores nullum aliud ſibi habent propoſitum objectum , quàm ut ijs , quibus adulatione ſua abblandiuntur , per omnia complacere queant , de ſalute ſive privata ſive publica nec quidquam curantes , & ideo nihil eorum,quæ illi cui adulantur diſplicere aut eumdem conturbare poſſint, dicere audent.

*Judith. 10. v. 16. &c.*

Sed aliter ſervi Naaman Syri.

9. Enimvero non omnes conſiliarij ea ſunt virtute & integritate præditi , quâ ſervi Naaman Syri,ſcriptura teſte , pollebant. Cum enim hic Princeps iniquiſſimè ferret , quod Eliſeus eum in propria perſona, ijs obſequij demonſtrationibus non recepiſſet , quas ipſe ſibi exhiberi deſiderabat , eò qua venerat iterum reverti omnino decreverat , longe majoris æſtimans ſi debitæ ſibi reverentiæ & politici alicujus complementi defectum ulciſci , quam ſi à lepra ſua mundari poſſet ; Unde fideles ſapienteſque aulici ejus eum convenerunt , dicentes : *Pater , & ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta , certè facere debueras : quanto magis , quia nunc dixit tibi : Lavare & mundaberis* ? Sanumque hoc miniſtrorum ſuorum conſilium gratanter amplectens , errorem ſuum libenter agnovit , ab eoque reſipiſcens protinus ſanatus fuit.

*4. Reg. 5. v. 13.*

Holofernes conſilium Achior reſpuens, cum adulatoribus perijt.

10. Profectò ſi eo tempore , quo Holofernes ab Achior Ammonitarum Principe , Hebræi populi ſtatum ſciſcitabatur , eidemque prædictum ſtatum omni cum candore & ingenua veritate exponenti , eo quod juxta animi ejus votum non reſpondiſſet , graviter ſuccenſebat , ſi inquam tunc militiæ ſuæ duces & capita , ejuſque conſiliarij eidem adulando non adhæſiſſent , ( prout ex illis verbis : *Et factum eſt, cum ceſſaſſet loqui Achior verba hæc , irati ſunt omnes &c.* ) quin potius idem ut rerum narratarum veritatem ritè examinaret , & ſecundùm rectæ rationis trutinam & bilancem æque , an illud contra Bethulienſes bellum & obſidio proſequenda eſſet, ponderaſſet, utique poſt tot victorias & triumphos , è tot alijs Provincijs & regnis reportatos in tantam numquam incidiſſet ruinam & confuſionem.

*Judith. 5. v. 26.*

Hiſtoria de confictis oraculis.

11. In Annalibus Eccleſiaſticis de Federico II. Romanorum Imperatore legimus , *ipſum corruptum adeo aſſentatorum blanditijs , ut univerſum orbem ſe domiturum , Imperium Romanum priſtinæ reſtituturum amplitudini & dignitati , urbem Pontifice ſubacto everſurum crederet , indicant tum temporis ſparſa plura falſa vaticinia , atque inania oracula à Friderici adulatoribus conficta.*

*Ann. Eccl. t. 13. Rayn. an. 1239. n. 28.*

# DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Qui per adulationem efficiunt , ut vitia actus Virtuoſi eſſe appareant , alienaſque virtutes contemnunt, ſeverè puniuntur.

### THEMA.

*Væ qui dicitis malum bonum , & bonum malum , ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Iſaiæ 5. ℣. 20.

Adulatores vitia deſcribunt virtuoſe.

1. DEus noſter adulatoribus , quibus proprium eſt colorare defectus, efficereque ut defectus & vitia actus virtuoſi eſſe videantur , per os Iſaiæ Prophetæ graviter comminatur , in aſſumpti thematis verbis , maximè ſi ea juxta Aquilæ verſionem legantur , qui prædicta verba ita vertit : *Væ qui dicunt malo , bonus es : & bono,malus es.* S. Maximus , cujus authoritate Cornelius à lapide in Commentario prædicti textus utitur , ait : *Tales ſunt adulatores , qui ſcurram vocant gratioſum , obſcœna loquentem civilem , iracundum ſtrenuum, prodigum liberalem.*

*S. Max. ſer. de mal.*

Adulatio triplex.

2. Ut autem conſtet , quoſnam præcipue prædicta comminatio ſpectet , notanda eſt doctrina quædam , quam S.Bernardinus adducit , qui ex Alexandro de Ales in 2. diſt. 43. diſtinguit , & adulationem præcipuè tribus modis conſiderari poſſe dicit : Nam *Prima eſt, quæ bonum non habitum attribuit : Secunda quæ habitum bonum extollit : Tertia vero quæ malum nutrit.* Prima fit , quando alicui bonum aliquod naturale vel ſpirituale adſcribitur , quod non habet : ſecunda vero quando aliquem præter fas & ſupra debitum extollit & laudat. Iterum ſecundùm eumdem Alexandrum de Ales : *Hæc duo genera adulationum tripliciter variari poſſunt , nam quælibet earum aut ſit intentione , ut alicui proſit , & nulli obſit , & eſt veniale : Si autem intentione nocendi alteri , licet alijs proſit , mortalis eſt culpa : Si autem nec prodeſt , nec nocet, ſed contemptum Dei generat per aſſiduitatem etiam mortale eſt. Tertia adulatio eſt* ( & hic eſt caſus noſter præſens) *quæ malum nutrit , cum ſit , & dicit eſſè bonum , cum malum ſit.* De hiſce adulatoribus idem S.Maximus ulterius proſequitur dicens : *Tales laudatores illis quidem ore bene precantur , ſed corde execrantur* , nec peccant per ignorantiam , ſed per malitiam , *nam hac laude omnem execrationem in illorum vitam inducunt , imo eos æternæ damnationi obnoxios faciunt , ipſa vitia approbantes* ; Ac proinde Propheta Evangelicus verbum Væ non ſine myſterio præmittit , cum tales mendaces & verſipelles adulatores alienæ ſint damnationis inſtrumentum.

*S. Bern. ſen. t. 3. ſer. de trip. mend. art. 2. c. 2.*

Quando grave peccatum.

*Ezech. 13. v. 18.*

Adulatores correptionis loco laudant ſed Væ.

3. Porro in Ezechiele contra eoſdem aliud quoddam *Væ* invenimus ; dicit enim præfatus Propheta : *Væ quæ conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus : & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis.* Verum dicat aliquis , in quonam illa ex ſuppoſitione cervicalium & pulvillorum exurgens malitia conſiſtit ? Pro hujus reſolutione ad ſenſum ſpiritualem recurrere operæ pretium erit ? Sicut enim ſi corpori alicujus , ſuper nudam terram dormientis , molles & delicatas plumas ſubjiceres , eidem quietiorem & ſuaviorem ſomnum conciliares ; eodem modo ſi alicui qui in vitiorum ſuorum lethargo poſitus , ſui ipſius & Dei oblitus vivit , ſuaviter aduleris , per hoc talis non ſolùm non emendabitur , ſed magis magiſque ſibi complacens fortius in ijſdem radicabitur. Unde S. Gregorius ait : *Ad hoc enim pulvillus ponitur , ut mollius quieſcamus : quiſquis ergo male agentibus adulatur , pulvillum ſub capite vel cubito jacentis ponit , ut qui corripi ex culpa debuerat , in ea fultus laudibus molliter quieſcat.* Eamdem quoque interpretationem prædictis verbis Gloſſa adhibet , qua S.Thom. utitur , dum ait : *Pulvillos ſub omni cubito manus, id eſt, ſuavem adulationem.*

*S. Greg. l. 18. mor. c. 3.*

*S. Th. 2. 2. q. 115. a. 1.*

*Prov. 1. v. 10*

Vitijs dant incrementa.

4. Porro culpæ hujus malitia in lacte figuratur in Proverbijs hiſce verbis : *Si te lactaverint peccatores , ne acquieſcas eis.* Et ratio eſſe poteſt , quia ſicut natura matribus de lacte providit , ut infantibus,qui ſolidioris cibi incapaces ſunt , pro nutrimento inſerviat , qui aliàs ob alimenti defectum à vita deficerent : ita quoque vitia & peccata , quæ aliàs per reprehenſionem & improperationem paulatim deficerent , per adulationis applauſum incrementa accipiunt , & creſcunt ; *quia laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.*

*Pſa. 10. v. 3.*

5. Alibi



*Ezech. 13. v. 10.*

*Hug. Card. in Pſal. 9.*

5. Alibi quoque in Ezechiele hæc verba leguntur : *Ipſe ædificabat parietem , illi autem liniebant eum luto abſque paleis* , id eſt , ut Hugo Cardinalis ad propoſitum noſtrum explicat : *Qui ædificant parietem, ponunt lapidem ſuper lapidem , ita peccator peccatum ſuper peccatum* ; quia dum in appetituum noſtrorum executione commendamur, applauſuſque experimur , omnem verecundiæ ruborem prorſus amittimus : *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis; & adulatores liniunt luto, Prov. 2. 14. id eſt, faciunt exterius apparere bonum , ſed hoc ſine paleis, id eſt, ſine aliqua veritate.*

Adulatores ut canes.

6. Canes quoque adulatores repræſentant , quia Dominis ſuis , à quibus alimenta percipiunt cauda ſua abblandiuntur , ſuoque modo quo poſſunt , applaudunt. De hiſce autem in Parabola de divite Epulone legitur , quod mendici Lazari fætentia vulnera lingendo deterſerint : *Sed & canes veniebant , & lingebant ulcera ejus.* Porro S. Gregorius per hæc ulcera animæ noſtræ vulnera intelligit , quæ inordinatarum Paſſionum noſtrarum inordinati effectus exiſtunt : eaque in nobis per adulatores , qui peccata noſtra virtutum nomine & pallio condecorant , ſubpullulare noſcuntur ; *Adulatoribus vulnera noſtra lingere eſt , quod plerumque ſolent , etiam ipſa mala , quæ nos in nobis reprehendimus , improbo favore laudare.* Gloſſa illum Pſalmiſtæ textum : *laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ* , exponens , ad praxes deſcendit , quibus adulatores vitium colorare illudque ut actionem honeſtam deprædicare nituntur : *laudatur vitium , ut qui ſit potens qui ulciſcatur inimicos ; alius verò ut prudens , quoniam omnium bona coëgit , & quando ſeipſum perdiderit , eum dicunt ſe inveniſſe ; hæc deflet Propheta , quod vitium ita involverit , ut ſibi placeat, & blandiatur , & quod eſt gravius , ut minimè erubeſcat , non ſolum ſeipſum laudat propter ea quæ facit , ſed habet etiam alios laudatores.*

*Luc. 16. v. 21.*

*S. Greg. hom. Quadrag. in Evang.*

Quid adulatio ſit deſcribitur.

7. Porro modum , quo adulator vitio virtutis larvam obducit , Berchorius Aurelij Caſſiodori teſtimonio declarat , qui Senator & Secretarius Theodorici Regis , eique deditiſſimus fuit , ideoque tamquam vitæ aulicæ expertiſſimus adulatorum praxes optimè novit,eaſdemque ſequentibus verbis declarat , dicens : *Adulatio blandè omnibus applaudit , omnibus Salve dicit, prodigos vocat liberales, avaros parcos & ſapientes , laſcivos curiales garrulos , obſtinatos conſtantes, pigros maturos & graves : hæc ſagitta leviter volat , & cito infigitur.* Imo ante Caſſiodorum alius quidam qui etiam magna apud Imperatorem gratia pollebat , Moralis nimirum Seneca ejuſdem poſt ſe tenoris Scriptum reliquit , ait enim : *Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt , temeritas ſub titulo fortitudinis latet, modeſtia vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur.*

*Bern. Dict. v. Adulat.*

*Sen. ep. 4.*

Adulatores à virtutibus impediunt.

*Iſaiæ 1. 20.*

8. Advertendum eſt autem , quod Iſaias Propheta non ſolum ijs pœnas comminetur , qui vitium ſub virtutis nomine commendant & canonizant : *Væ, qui dicitis malum, bonum* , verum etiam graves alijs minas intentet , qui ut alijs placeant , alios à multis virtuoſis actibus impediunt , eoſdem ſtatui eorum minime conformes eſſe prætendentes : *& bonum malum , ponentes tenebras lucem.* Quâ quidem occaſione ponderandum nobis venit , quod Centurioni Capharnaitico , cui ſervus ad mortem uſque infirmus erat , accidiſſe Evangelium refert. In relatu namque hujus hiſtoriæ , primâ quidem facie manifeſta quædam ſeſe contradictio prodit ; Siquidem S. Matthæus ſcribit : *Acceſſit ad eum Centurio, rogans eum* : S. Lucas autem qui eidem hiſtoriæ conſcribendæ operam ſuam impendit , ita ſcribit : *Centurio cum audiſſet de Jeſu, miſit ad eum ſeniores Judæorum , rogans eum ut veniret.* Veritas autem una eademque ſemper ſimpliciſſima facie prædita eſt , & ambobus prædictis Evangeliſtis ab eodem Spiritu ſancto , qui *Spiritus veritatis* eſt , dictata. Ac proinde ſciendum nobis eſt , quòd Centurio iſte , utpote vir Imperio & poteſtate pollens , qui multis populum iſtum beneficijs obſtrinxerat , apud omnes etiam primores illos præſertim penes quos regiminis poteſtas ſtabat , in ſumma fuerit veneratione , adeo ut omnes in ejus ſe gratiam inſinuare certatim contenderent , ideoque Chryſoſtomus veriſimile eſſe dicit , quòd Centurio iſte à principio pro poſtulanda ſervi ſui ſanitate ſuos ad Salvatorem milites ablegarit ; poſteà verò ipſemet eadem de cauſa in eamdem ſeſe viam receperit ; at verò ſi forte petas , quamobrem Centurio prius & ante ſervos ablegatos ad Chriſtum Salvatorem noſtrum ſeſe non contulerit ? In promptu cauſa eſt , nimirum quia Principes Synagogæ idipſum ex motivo adulationis ei diſſuaſerant , dicendo , muneri , ſtatui & perſonæ ſuæ omnino indecorum futurum eſſe , ſi itineris illius perſonalis in ſe incommoda ſuſciperet. En igitur tibi hic ob oculos poſitos peſtiferos vitij iſtius effectus , ſcilicet animas à Deo ſubtrahere & ſeducere. *Quare veriſimile mihi videtur, cum voluiſſet ad Jeſum proficiſci centurio , detentum à Judæis fuiſſe , qui aſſentarentur , & dicerent : Nos ibimus & adducemus ipſum : quod ita eſſe perſpicies, ſi plenam aſſentationibus orationem eorum diligentius conſiderabis.* Ecce quonam uſque adulator non progreditur , utpotè qui humilitatem vilitatis titulo deturpat ; ſiquidem credibile eſt , quòd ad hoc ut ei innoteſceret, quanta in veneratione ipſum haberent, blandis ei verbis perſuadere fuerint conati , virum talem , cujuſmodi ipſe erat , minimè decere , ut ſeſe tanta cum animi ſubmiſſione exteriori coram Chriſto humiliaret , qui tunc in modica , imò ferè nulla Principium Synagogæ æſtimatione erat : *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum aut ex Phariſæis ? ſed turba hæc, &c.* Quot eheu ſunt hodiè mundi magnates atque potentes , qui ſe virtuoſis humilitatis , mortificationis , & Chriſtianæ pietatis actibus libenter impenderent , niſi à malevolis ejuſmodi adulatoribus & aſſentatoribus , qui idipſum ſtatui & dignitati ipſorum indecorum futurum eſſe mentiuntur , deterrerentur ? Qui etiam ulterius ejuſcemodi magnatibus inculcare non metuunt , quod ad hoc ut majori in negotiorum tractatione , vigore polleant , ſalutemque publicam majori cum induſtria curare poſſint , à jejunijs prorſus noſcantur exempti : Item quod ſolitudo,atque ab omni mundano gaudio jugis abſtinentia ſolos deceat religioſos, denique quod exemplaritas vitæ , mera ſit hypocritis , *ponentes amarum in dulce , & dulce in amarum,* vel , ut Hugo Cardinalis explicat , *amarum , id eſt , peccatum in dulce , id eſt, opus virtutis* ; Et quidem peſſimorum iſtorum hominum proprietates , non minus accuratè apud alium quemdam Authorem hiſce verbis deſcriptas reperio : *Et ſolet hominum malitia virtutibus veris vicina vitiorum nomina aſſingere , ſicut è contrario fallunt atque laudantur vitia , quæ virtutes imitantur.*

*Matth. 8. v. 5.*

*Luc. 7. v. 3.*

*Chryſoſt. hom. 27. in Matth.*

Adulatores à bono abſtrahunt.

*Jon. 7. v. 48.*

Præcipuè magnates.

*Iſa. 5. v. 20.*

*Hug. Card. ibid.*

*Mariana de reb. Hiſp. l. 25. c. 18.*

Propter adulatores pauci Reges ſancti.

*In Theat. vit. hum. v. adula.*

9. De Carolo VIII. Galliarum Rege referunt hiſtoriæ , ipſum pridiè mortis ſuæ Cameræ ſuæ Præfectum cauſam interrogaſſe , ob quam tàm pauci è Regum numero Sanctorum Catalogo inſcripti reperirentur , qui cum quid reſponderet non haberet , Rex protinus ſubjunxit : *Quia paucos penes ſe habent , qui verum dicant.* Verum enimverò parùm hoc eſſet in comparatione ad alia præjudicia graviſſima , quæ ab adulatoribus in Reges & magnates reſultant ; Adulatores namque non ſolum Regibus nigrum albi loco obtrudunt , id eſt , defectus Regum virtutum larvâ honeſtant, verum inſuper opera Chriſtiana & virtuoſa manifeſtè contemnunt , eo ſolùm quia hæc eos à lata voluptatum & delitiarum mundanarum via ſeducunt & abſtrahunt ; atque ideò S. Ludovico Regi Chriſtianiſſimo Apotheoſeos ſive Canonizationis honor obtigit , qui potiùs ob heroicos humilitatis & Chriſtianæ pietatis actus à ſuis derideri maluit , quam ut pronas in aula ſua adulatoribus aures porrigeret,qui à ſimilibus pijs operibus ipſum revocare ſatagebant.

David non præbuit aures.

10. Davidem Regem ex peculiari devotionis & obſequij Deo præſtandi affectu coram Arca Domini ſaltantem , Regia quædam conjux ejus reprehendit , ipſa verò perpetua quadam ſterilitate punita fuit : Et ideò *væ illi quia dixit bonum malum* ; Imò verò per amaram quamdam Ironiam regium maritum ſuum hiſce verbis deridere non dubitavit : *Quam glorioſus fuit hodiè Rex Iſraël , diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum , & nudatus eſt quaſi ſi nudetur unus de ſcurris.* Quibus tamen Sarcaſmis ipſa nihil prorſus ad intentum ſuum obtinuit. Imò veriſimile eſt quod multi quoque alij eumdem Regem ab illis humilitatis & mortificationis exercitijs abſtrahere conati fuerint , ipſe verò in propoſito ſuo firmus & ſolidus ſubſtitit,ſeque ab ullo hominum ſeduci minimè permiſit , undè ait : *Ludam & vilior fiam plusquam factus ſum ; & ero humilis ; &c.* undè & alia quadam vice dixerat : *Factus ſum ſicut homo non audiens* ; ſcilicet laudes adulatorum, ut S.Bernardinus exponit. Unde Hieronymus ait : *ſi ad patriam tendimus , cantus Syrenarum non audiamus : Syrenæ quidem adulatores ſunt ,de quibus Iſaiæ 13. Syrenes in delubris voluptatis.*

*2. Reg. 6. v. 20.*

*ibid. v. 22.*

*Pſ. 37. v. 15.*

*S. Bern. t. 3. ſ. 3. ar. 1. c. 3.*

*S. Hier.*

*Iſa. 13. v. 22*

*Iſa. 5. v. 20.*

Adulatoris venenum.

11. *Væ qui dicitis malum bonum , & bonum malum.* Profectò dictio illa *Væ* ab ijs , qui vitio huic immerſi ſunt , graviter penſari meretur , ſiquidem per illam æternæ damnationis comminatio intentatur ,

nec

Medicina loco dant.

nec immeritò, quia Reipublicæ & legi Dei pernitioſi exiſtunt. Dicite enim ſodes, numquid ingens aromatarius ille Civitati aut Reip. damnum conciliaret, qui aromatum ſive medicamentorum nomina in vaſis eadem continentibus mutare præſumeret, adeò ut vaſi cuipiam toxicum v.g. continenti, Rhabarbaræ nomen adſcriberet, vel vaſi continenti Colloquintidas, lapidis Bezoar nomen attribueret? Utique; quia ſi quis hiſce vaſorum inſcriptionibus ſecure conſideret, is utique infirmo venenum medicinæ loco propinaret; Idem prorſus malum Reipublicæ adferunt omnes illi, qui *dicunt malum bonum*, ſive qui virtutis laudes & encomia vitio attribuunt.

Adulatio ruina omnium.
*Plut. de diſcr. adul. & amic.*

12. Plutarchus adulationis vitium nihil aliud eſſe aſſerit, quàm viam quamdam quæ ad quamdam populorum ruinam inducit, *ſi nimirum vitijs nomina virtutum apponamus. Verum cùm jam vitia virtutum nominibus laudantur, ut jam pecces non modo dolens, ſed gaudens detrabitur peccatis pudor:* adducitque exterminij Siculorum illius temporis, qui à Dionyſio Tyranno & Phalaride gubernabantur, exemplum, qui tametſi vitioſiſſimi, impij atque crudeles eſſent, ab adulatoribus tamen velut Principes ſummâ integritate conſpicui deprædicabantur; *Eadem* (inquit de eadem adulatione proſequens Plutarchus) *Romanorum mores tam integros ad nihilum redegit, quod Antonij libidinem & delitias humanitatem & hilaritatem vocarent.*

Adulat. Neronem perverterunt.

13. Imperium quoque Romanum ſub Nerone Imperatore primis quinque annis ſummâ quidem cum integritate & benignitate adminiſtratum fuit: at verò poſtquam qui in ejus aula lateri ejus aſſiſtebant aſſentatores, ei hunc qui collato ſibi imperio omni cum licentia & libertate contra leges communes vivendi uti non poſſet, magna Imperij fortuna prorſus indignum eſſe perſuaſerunt, talis confeſtim in prædicto Imperatore viſa eſt vitæ & regiminis mutatio, ut ex Imperatore immanis factus ſit Tyrannus, & ut verbo abſolvam, crudelis Nero. Optimè igitur S. Bernardinus ait: Adulatores præcipitant homines in peccata ſuperbiæ, in peccata luxuriæ, & in peccata avaritiæ; Unde & ipſi cum eis præcipitabuntur. Proinde [*Iſaiæ 9. Erunt, qui beatificant populum iſtum,*] ſcilicet ſceleratum, [*ſeducentes; & qui beatificantur, præcipitati.*] Scilicet in præcipitium infernale.

*S. Bern. Sen. t. 3. ſerm. de multip. mendac. a. 2. c. 2.*
*Iſa. 9. v. 16.*

14. Sanctus Rex David magno ſemper vindictæ furore exarſit non tam adverſus inimicos eum perſequentes, quam contra illos qui velut obſequioſiſſimi ejus amici ei adulabantur; Unde ait: *Præcipita Domine, divide linguas eorum*; Ubi Hugo Cardinalis ait: *Adulatores enim præcipitabuntur*: moxque rationem à Sancto Bernardino traditam adducit, nimirum, *quia præcipitant alios.* Nicolaus Lyranus ex ſtrage illa in lib. 2. Paralipomenon cap. 24. relata, in qua exercitus Syriæ Jeroſolymam ingreſſus, omnes populi illius Principes occidit, adeò ut ſuis quoque manibus in vitam Joas involare non prætermiſerit, ex hac inquam hiſtoria pulchram quamdam moralitatem, propoſito noſtro adaptatam, adducit; Per illum namque exercitum, infernum intelligit, qui adverſum Principes, id eſt, contra hujus mundi magnates arma ſua dirigit, ſuum verò iræ furorem præcipuè contra Joas, id eſt, adverſus adulatores evomit; Dicit ergo: *Per hoc igitur deſignatur, quod Dæmones ſecum trahunt ad Inferni ſupplicia adulatores, & adulationibus eorum acquieſcentes.*

*Pſ. 54. v. 10.*
*Hug. Card. ibid.*
*Lyr. ibid. 2. Paral. 24. v. 23. & 24.*
Adulatores damnantur.

15. In libro Eſther refertur, quod Aman è regio Aſſueri palatio domum reverſus, longum quemdam recenſuerit rerum proſpere ſibi fluentium Catalogum, at verò ſubjunxit; *Et cum hæc omnia habeam nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum ſedentem ante fores regias*; uxor autem & amici ejus, ut cor ejus perturbatum nonnihil ſerenarent, ſubitò & ſine mora ei dixerunt: *Jube parari excelſam trabem, .... & dic manè Regi, ut appendatur ſuper eam Mardochæus.* Porrò Sanctius in ea eſt opinione hoſce conſiliarios hoc ſupplicij genus Amano ideò perſuaſiſſe, quia idipſum ad intentum ſuum, aſſequendum omninò ſecuriſſimum eſſe arbitrabantur, ſic enim intra ſeſe ratiocinabantur; Mardochæus cum Judæus ſit neceſſario è medio tollendus eſt; ad inferendam verò illi necem ignis minimè ad propoſitum erit, quia Abraham Hebræorum Patriarcha inde liber evaſit; Neque in aquis certam ejus necem expectare poſſumus, conſtat enim Hebræorum majores olim per mare rubrum ſalvos egreſſos fuiſſe: Leones quoque de Mardochæo certè dilaniando nos aſſecurare nequeunt, quia Daniel & ipſe Hebræus ab ijsdem ſalvus & incolumis evaſit, à patibulo autem neminem hactenus ſalvâ vitâ depoſitum eſſe novimus. At verò qualemnam adulationem hanc exitum ſortitam fuiſſe exiſtimatis? nimirum ab hoc tam ſublimi patibulo Aman tandem ipſemet in propria Perſona præcipitatus fuit, paresque pœnas alij quoque adulatores præmij loco reportabunt.

*Eſt. 5. v. 10. &c.*
*Ibid. v. 13.*
Præmium Aman adulatores recipiunt.
*Ibid. 14.*

16. Verum enim verò ex quo in mentionem aliquam Daniëlis incidimus, operæ pretium erit, ut aliam de eodem Daniële hiſtoriam, propoſito noſtro haud parum ſubſervientem, attingamus; Conſtat igitur ex Scriptura Sacra, quod, cum Daniël magnæ apud Babyloniorum Regem æſtimationis eſſet, Satrapæ regni illius idipſum ei invidentes, ut mortem illi machinarentur, adulatione uſi fuerint, Regem inſtigantes, ad edictum quoddam promulgandum, quo diſtrictè præciperetur, ut nullus ſub pœna mortis, Deo alicui per triginta dierum ſpatium ſupplicare præſumeret, præterquam ipſi ſoli, ut hac ratione Daniël veluti edicti Regij transgreſſor caſtigaretur; ſciebant etenim illum, hoc edicto non obſtante, Deum ſuum adoraturum eſſe: quid verò accidit? cum Daniël urgente æmulo leonibus objectus, Deo mirabiliter operante, ab eorum dentibus illæſus præſervatus fuiſſet, Rex non obſtante prædicta adulatione, quâ ipſum velut Divinum quoddam numen adorari voluerint, eoſdem in lacum leonum præcipitari fecit, adimpletumque hoc pacto in ijs illud Regij Prophetæ oraculum fuit, quo dicitur: *Lacum aparuerunt & effuderunt & inciderunt in foveam quam fecerunt.*

*Dan. 6. v. 4.*
Cum Satrapis Babyloniæ præcipitantur.
*Pſ. 7. v. 16.*

17. Simile quoque exemplum in Theodorico imperatore Arriano habemus, cum enim hic Dracono cuidam Catholico, quem apud ſe habebat, plurimum afficeretur, accidit ut is in majorem Imperatoris gratiam inſinuare ſe volens, Religionem mutarit à fide Catholico-Romanâ, ad hæreſim Arrianam, cujus hic Princeps fautor magnus erat, tranſitum faciens: Theodoricus autem ob hanc adeò evidentem adulationem, adeò in dictum Draconum ſtomachatus eſt, ut caput ei protinus amputari juſſerit dicendo: *Si Deo fidem non ſervaſti, quomodo homini ſynceram ſervabis conſcientiam?* In annalibus Eccleſiaſticis legimus; quod, dum Joannes Rex Angliæ à Romano Pontifice excommunicatus, eum, qui hanc ei cenſuram intimaverat, crudeliter caſtigaſſet, vir quidam Alexander nomine *improbiſſimus adulator ad Regis aucupandam gratiam*, publicè ærumnas, quibus populus exinde affiiciebatur, eidem non ob interdicti Pontificij pœnam eveniſſe divulgarit, ſed ſupplicium quoddam eſſe, quo Deus in peccata populi animadvertere cæterum nullam eſſe Papæ adverſus regiam Majeſtatem ſimilem excommunicationem fulminandi poteſtatem: at verò idipſum Alexander ille nequaquam impunè tulit, quin potiùs manifeſta in eum vindicta divina animadvertit, ſiquidem idemmet ab innocentio Papa excommunicatus, & à miniſterio ſacerdotali degradatus, in extremam tandem redactus eſt mendicitatem, adeò ut vitæ ſuſtentandæ neceſſarium panem oſtiatim mendicando exquirere debuerit.... *Deus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.*

*Theod. in collat. l. 2.*
Hiſtoria.
*Ann. Eccl. Ray ann. 1110. n. 29.*
*Pſ. 52. v. 6.*

## DISCURSUS VI.
## ARGUMENTUM.
### Adulationis dulcedo tametſi animam ſauciet & occidat, omnibus tamen placet.

### THEMA.
*Circumdederunt me ſicut apes.* Pſalm. 117. ℣. 12.

1. ILle ipſe David, qui in annis ſuis tenerioribus luctatus eſt cum lupis, leones dilaniavit, carneumque illum montem, Goliath inquam, fundâ quâdam proſtravit, ſemperque ex certamine cum diverſis inito palmis & lauris onuſtus victor redijt, hodie apibus dumtaxat cinctus, præ formidine trepidare conſpicitur: *Circumdederunt me ſicut apes.* Quid ita? Num fortè animalculorum iſtorum puncturas timuit, qui in conſpectu gygantum intrepidus ſtetit? Optimè timoris Davidici motivum à Sancto Gregorio hiſce verbis explicatum fuit: *Apes in ore mel habent, & in aculeo caudæ vulnus; & omnes qui lingua blandiuntur, ſed latenter ex malitia feriunt, apes ſunt, quia loquendo dulcedinem mellis*

Noxia Adulatio ferme omnibus placet.
*S. Greg. ho. 9. in Ezech.*



*mellis proponunt, ſed occultè feriendo vulnus inferunt.* Juſtam utique adulatores timendi cauſam habuit, quia adulatio modum quemdam loquendi habet; qui omnibus placet; tametſi animæ audientis illam mortem ut plurimum inſenſibiliter inferat. Unde Seneca ſcribit: *Habent in ſe hoc naturale blanditiæ, ut etiam cum rejiciuntur placeant, ſæpè excluſæ noviſſimæ recipiuntur, hoc enim ipſum imputant quod repelluntur, & ſubigi ne contumeliâ quidem poſſunt.* Etenim tametſi conſpicuum nobis ſit, mendacium eſſe omne quod dicunt, nihilominus tamen placet quod dicitur, nobiſque perſuademus quod talia mereamur; id quod idem Seneca alibi hiſce verbis ratum habet: *Quidquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit, tamquam debitum pendimus, optimos nos eſſe, ſapientiſſimos affirmantibus; aſſentimur, cùm ſciamus illos ſæpe mentiri.* Idem ferè Sanctus Hieronymus de adulationis laudumque fuga tractans dicit hiſce verbis: *Naturali ducimur malo, adulatoribus noſtris libenter favemus; quamquam nos agnoſcamus indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam intrinſecus anima lætatur.* Alibi quoque ſuper epiſtolam ad Galathas ſcribens idem dicit: *Libenter* inquit, *audimus quod delectat, & oſtendit omne quod nolumus, naturali ducimur malo.* Idem quoque ad Celantiam ſcribens nobis vitium iſtud ſuo præſertim tempore vel maximè invaluiſſe inſinuat; tantaſque apud pleroſque egiſſe radices, ut qui adulationi non dabat operam vel æſtimaretur invidus vel ſuperbus: *Iſto maximè tempore*, inquit, *regnat adulatio, quodque eſt graviſſimum, quia humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur, ita fit, ut, qui adulari neſcit, aut invidus aut ſuperbus reputetur.* Sanctus Bernardinus Senenſis adverſus hoc peccatum ejuſdem adducit S. Doctoris authoritatem, dicentis: *De nocumento ejus, nihil eſt, quod tam facilè corrumpat mentes hominum; nihilque tam dulciter animum ferit, ſicut adulatio*; Eſt enim venenum quoddam quod ſe in animam noſtram inſinuat, ut æternam ipſi mortem conciliet; dum autem recipitur quaſi ſuaviſſimum mei quoddam ingreditur.

*Sen. l. de nat. qu. præfat.*
*Sen. ep. 59.*
*S. Hier. t. 9. in reg. monac.*
*S. Hier. ad Celant.*
*S. Bern. t. 3. ſerm. de trip. mend. Art. 2. c. 2.*

2. Mellifluus Eccleſiæ Doctor S. Bernardus illa Pſalmiſtæ verba: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum*; ponderans dicit: *Pulchre non molles ſed molliti dicuntur ſermones, vel ſuaſoris adulatoris, vel ſuaſoris iniqui, quod ſit in eis non tam vera & ſolida, quam ſuperinducta & ſimulata ſuavitas.* S. Bernardinus quamdam ex S. Gregorio ſimilitudinem inducit, qui dum ſpinarum radices molles eſſe conſiderat, licet aliàs pungentes & hiſpidæ exiſtant ita enim ait: *radices ſpinarum molles ſunt, ſed ex ipſa radice proferunt, unde pungunt, & hujuſmodi ſunt omnes adulatores*, citatque teſtem D. Hieronymum; cujus ſunt hæc verba ſequentia: *Ille demum in audientibus aculeum relinquere poteſt, qui non pungit ſed ungit, & de tali adulatore Propheta ait: Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.*

*S. Bern. in ſent. circa fin pſ. 54. v. 22.*
Adulatores melle condiunt.
*S. Bern. 8. t. 1 ſerm. 32. art. 1. c. 3.*

3. Valde conſiderabilis eſt illa de filiæ Jairi Principis reſuſcitatione in Evangelio conſcripta Hiſtoria: *Cum veniſſet Jeſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: recedite.* Quidnam obſecro referebat, quod etiam prodigioſo huic miraculo præſentes quoque intereſſent prædicti tibicines? Numquid & hi ad miraculi iſtius aſpectum fide Divinitatis Salvatoris confirmati fuiſſent? Numquid etiam Lazarum, & viduæ Naimiticæ filium in multorum præſentia reſuſcitaſſe in Evangelio ſcribitur? Doctiſſimus Salmeron hoc loco recurrit ad myſterium, ſiquidem eos qui nobis in peccatis noſtris abblandiuntur per hoſce tibicines ſymbolizatos fuiſſe exiſtimat; *Cum ſuggerunt culpam gravem non eſſe, aut ætati parcendum, vel ex improviſo contigiſſe, aut alios ſimilia agere, aut Dei pietatem ad miſerandum propenſam, aut tempus ſubeſſe pœnitentiæ.* Rabanus autem tibicines illos de adulatoribus clariſſimè his verbis explicat: *Tibicines*, inquit, *ſunt adulatores qui fovent mortuam*; Neque enim adulatio ſolum culpa mediante mortem animæ noſtræ conciliat, verum etiam eamdem ſimul nutrit & fovet; *Et cum ejecta eſſet turba, intravit, & tenuit manum ejus, & ſurrexit*, ut nimirum per hoc, tunc animam noſtram ad divinæ gratiæ vitam reſurrecturam eſſe intelligamus, quando nullos circum ſe cantus & modulos habebit, id eſt, quando aſſentationum blandimentis carebit eorum, qui nos in perverſis moribus noſtris laudant, & applauſibus ſuis malis inclinationibus noſtris adhæreſcunt. Similiter S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus ait: *Tibicines ſunt qui fovent in peccato; Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ.*

Adulatio mors animæ.
*Matth. 9. v. 23. & 24.*
*Salm. t. 6. tr. 16.*
*Raban. ibid. in cant.*
*S. Th. in Mat. pſ 10. v. 3.*

4. Obſervandum verò inſuper eſt eamdem incarnatam ſapientiam propter eamdem adulationis culpam inſuperabilem fere præ ſe tuliſſe in anima quadam mortua reſuſcitanda difficultatem. Cum enim adoleſcentem quemdam in ſuam invitaſſet ſequelam, ille quidem promptum ſeſe ad eamdem obtulit, cum hac tamen reſervatione: *Permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum. Jeſus autem ait illi: ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Mira profectò eſt hæc Salvatoris noſtri reſponſio: Quodnam filium aliquem obſtringere poteſt debitum magis neceſſarium, quam debitum filialis pietatis in patrem; maximè quando de ultimo agebatur obſequio, quale ſepultura Patris erat? Et tamen *Omnia in ſapientia feciſti*, S. Gregorius circa tres mortuos a Chriſto reſuſcitatos, in ſenſu ſpirituali ad propoſitum noſtrum optimè hiſce verbis diſcurrit: *Puellam* inquit, *in domo; juvenem extra portam; in ſepulchro Lazarum reſuſcitavit: adhuc quippe quaſi mortuus jacet in domo, qui latet in peccato; jam quaſi extra portam educitur, cujus iniquitas uſque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur; ſepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam uſu conſuetudinis preſſius gravatur: ſed hos ad vitam miſeratus revocat, quia plerumque divina gratia non ſolum in occultis, ſed etiam in apertis iniquitatibus mortuos & mole pravæ conſuetudinis preſſos reſpectus ſui lumine illuſtrat.* Demum verò cur pater ejus quem in ſequelam ſuam invitaverat ad vitam non redierit, hujus hanc rationem ſubjungit dicens: *Quantum verò mortuum, Redemptor noſter nuntiante diſcipulo agnoſcit, nec tamen ſuſcitat, quia valdè difficile eſt, ut is, quem poſt uſum malæ conſuetudinis etiam ad ultimum adulantium linguæ excipiunt, à mentis ſuæ morte revocetur, de quo & benè dicitur: ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos; Mortui enim mortuos ſepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt.*

Adulatores difficulter curantur.
*Matt. 8. v. 21. & 22.*
*S. Greg. l. 4. moral. c. 25.*
*Matt. 9. v. 25.*
*Luc. 7. v. 12.*
*Joan. 11. v. 43.*
Conſuetudo mala.

5. Advertendum eſt, quod Pſalmiſta Pſal. 9. vel ſecundùm Hebræos 10. poſtquam de pernitioſis adulationis effectibus tractaſſet, dicens: *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ & iniquus benedicitur*, tandem proſequatur dicens: *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ, non quæret.* Sanctus Auguſtinus legit: *Irritavit*; Pſalterium verò Ambroſianum legit: *Exprobravit*, quaſi dicere vellet: Impius qui in ſuis peccatis conſtitutus, adulationibus demulcetur, ad talem tandem pertingit mentis fatuitatem, ut ſe in cujuſvis execrandiſſimi exceſſus abyſſum irreparabiliter præcipitet: *Non eſt Deus in conſpectu ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore auferuntur judicia tua à facie ejus.* Cur autem in hoc adeò profundum barathrum præcipitem ſe agit? quia adulationibus circumvenitur, Laudatur in deſiderijs animæ ſuæ. Unde S. Bruno Carthuſianorum Patriarcha ait: *Ideò ſuperbiet, quia laudabunt eum accompletione deſiderium ejus, ſicut alibi dicitur: Linguæ adulantium alligant animas in peccatis.* Similiter in quo illa tam vehemens Dei exaſperatio, qua peccatorem Deus omittit & diſſimulat quærere; conſiſtat, declarat, dum verba illa: *Exacerbavit Dominum;... ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret*, ita exponit: *Non faciet converti ſecundùm multitudinem iræ ſuæ, id eſt vindictæ ſuæ, quaſi dicat, quia multum iram ſuam promeruit, non quærit eum Deus.* S. Bernardinus Senenſis malignitatem vitij iſtius, tametſi id apparenter dulce ſit & delectabile paucis verbis nobis deſcribit, dicens; *Communiter quippe adulatio habet odium & fraudem, proditionem, & notam mendacij, ſequelam ſervitutis, & exceptationem proximi atque totius honeſtatis exterminium.* Unde S. Auguſtinus quoque vel quiſquis Author exiſtat inter opera ejus recenſitus optimè nos monet dicens: *Adulatores, ut inimicos cave, quorum ſermones ſuper oleum molles, & ipſi ſunt jacula, corrumpunt fictis laudibus leves animas & malè credulis mentibus blandum vulnus infligunt.*

Adulatores vix convertuntur.
*Pſ. 10. v. 3.*
*Ibid. v. 4.*
*Pſ. 10. v. 5. 6.*
*ibid. 4.*
*S. Bern. t. 3. ſerm. de mul. mend. art. 2. c. 2.*
Cavendi adulatores ſunt.
*S. Aug. t. 2. ep. 7. ad Demetr.*

6. Joab Amaſam magna quidem cum benevolentia eſt amplexatus, perque impreſſum ori ejus oſculum eumdem delinivit, at verò eodemmet tempore ferrum in viſcera ejus tranſadigendo, necem ei intulit. Hugo Cardinalis de adulatoribus ita ſcribit: *Faciunt ſicut Joab, qui Amaſam occidit, dum mentum ejus, quaſi oſculaturus eum, teneret. Tenuit manu dextera mentum Amaſæ quaſi oſculans eum*; Imò prius fratris nomine illum ſalutavit, dicens;

Sunt ut Joab.
*Hug. Card. in pſ. 9.*

2.Reg.20. v.9. 10.

dicens : *Salve mi frater : … Porro Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Joab, qui percuſſit eum in latere & effudit inteſtina ejus in terram.* Porro Sanctus Antonius Paduanus hiſtoriam iſtam ad præſens propoſitum noſtrum congruè hiſce verbis adaptat : *Et quia Diabolus per adulationes & detractiones charitatem proximi ſolet interficere, ideò ſequitur : Dixit itaque Joab ad Amaſam, ſalve mi frater, & tenuit manu dextera mentum ejus. Gloſſa ibidem : Mentum tenere manu dextrâ, eſt quaſi ex benignitate blandiri, ſed ſiniſtram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.* Unde Eccleſiaſt. 12. *In labijs ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, ut ſubvertat te in foveam.*

S.Anton. Pad in D.3. Trin.

Eccl. 12. v.15.

Adulatores venefici.

Ola.Magn. l.1. c.1.

7. Olaus Magnus ex Solino & Plinio certum quoddam veneficarum genus in Africa reperiri refert, quæ dum fructus terræ, meſſem, anni fertilitatem, infantium pulchritudinem, greges ovium vel boum, equos item, aut alia ſimilia animalia laudant, per laudum illarum ſuavitatem eisdem mortem immediatè conciliant. Ecce tibi vivam & expreſſiſſimam adulationis figuram. Unde quod Sapiens de laſciva muliere exprimit, præſenti propoſito noſtro mirabiliter congruit ; Dicit enim : *Nitidius oleo guttur ejus : noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps, pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant.*

Prov.5. v.3. &c.

8. Sanctus Gregorius adulatores ſcorpionibus ſimiles eſſe dicit, qui in anteriori corporis parte tibi abblandiri teque ſuaviter complecti velle videntur, cauda verò te lethaliter ſauciant & lædunt : *Scorpio palpando incedit, ſed cauda ferit, nec mordet à facie, ſed à poſterioribus nocet ; Scorpiones ergo ſunt omnes blandi & malitioſi, blandi & innoxij in facie videntur, ſed poſt dorſum portant, unde venenum fundant.*

S.Greg. h.9. in Ezech.

Scorpiones.

Adulat. Syrenæ.

9. Porrò unicuique notum eſt quod de Syrenibus narratur, videlicet quod viatores in mari navigantes lenocinanti cantu ſuo incantent & ſomno profundo ſepeliant ; in iiſdem verò poſtea inhumanam & miſerabilem ſtragem edunt. Sanctus Propheta David dum aliquando graviter lamentaretur, eo quod adulatio in ſuam quoque regiam ſibi aditum feciſſet, ad Deum ſe convertens, ait : *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis.* Pro cujus loci expoſitione Sanctus Ambroſius Aquilæ expoſitionem adducit, dicens : *Pulchrè autem Aquilæ interpretatio quemadmodum intelligere debeamus locum afflictionis, expreſſit dicendo : Quoniam humiliaſti nos in loco Syrenum ; Syrenas quaſdam fuiſſe puellas gentilis narrat Hiſtoria, quæ vocis ſuavitate, canendi illecebris, audiendique ſtudio illectos navigantes ad littus admovere navigia provocabant, eoſque (cum gratiam vocis ſequerentur) ſcopuloſo in loco naufragium facere ſolitos, vetuſtas poſteris tradidit.* Tandem verò demonſtrare pergit per hanc Hiſtoriam, adulantium ingentia damna ritè præmonſtrata fuiſſe ; Multæ namque animæ ad Paradiſi portum proficiſcentes, à laudibus & humana gloria dum vitijs tamquam virtutibus applauditur, incantatæ & seductæ in inferni abyſſo ut plurimum naufragari conſpiciuntur. Earum interpretatio hæc eſt, voluptas vocis eſt quædam adulatio.

Pſ.43.v.20.

S.Ambr.

Adulator Aquila eſt teſtudinem in ſublime portans.

10. De Aquila nonnulli ſcribunt, quod teſtudinem, quæ alias humi ſemper ſerpere ſolet, ſuumque in cœlum volatum proprijs viribus aſſequi numquam poſſet, in ſublime ſecum portet, idque non alio fine, quam ut in lapidem quemdam in quem Aquila collimat, lapſu graviori ruat, hacque ratione teſtudine fractâ & diruptâ, interior animalis illius ſubſtantia eidem volucrum reginæ in cibum & prædam cedat, eumdem quoque finem ſibi propoſitum adulatio habet, nimirum ideò defectibus & vitijs alterius applaudit, ut adulatione in ijs paulatim magis radicatâ ; ſperatam ab eo utilitatem & commodum tandem efficaciter obtinere poſſit ; Ideòque haud ineptè Pardis aſſimilantur, qui cuncta alia animalia innato ſibi odore ad ſe alliciunt, ſeu potius rapiunt, ut eadem poſtea velut futuram eſcam diſcerpere & dilaniare valeant. Similes quoque ſunt Chamæleonti, cui proprium eſt, quod in varios ſeſe colores transformet.

Falci ſimiles.

Berch. ver. adulat.

11. Berchorius eoſdem longè ſignificantius falci ſimiles eſſe docet : *Sicut enim videmus*, inquit, *quod falx amplexando ſcindit & accumulat herbam, pratumque deſpoliat & denudat, ſic verè adulator amplexando, & applaudendo, non quærit niſi lucrari, aggregare, perſonamque cui loquitur, aliquo Encomio ſpoliare.*

12. In Pſalmo etiam 5. multæ videntur peſſimi hujus vitij Qualitates repræſentari ; Ita enim ibi dicitur : *Non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt, ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant.* Et quidem prima facie comparatio hæc qua lingua adulatrix ſepulchro ſimilis eſſe dicitur parum videri poſſet nonnemini idonea, ſiquidem vox adulatrix placet, allicit & invitat, ſepulchrum autem horrorem & pavorem videnti incutit : Adulator verba encomiaſtica & plauſibilia ex ore emittit, ſepulchrum autem fœtorem, ſqualorem ac putredinem ſpirat ; Et tamen ſi ſimilitudo iſta bene conſideretur, magis propria eſſe nequit, id quod evidenter patet ſi oculos veſtros in Epitaphia & ſepulchrales inſcriptiones conjiciatis ; quantas enim in ijs non legitis laudes, quot encomia ſpecioſa, quot titulos illuſtres atque magnificos ; certe ſi Epitaphijs fides adhiberetur, haud difficulter nonnemini defuncti illi divina eſſe numina videri poterunt : at verò ſi monumenta aperueritis, nil præter putreſcentia & fœtida cadavera, cineres & putredines in iiſdem invenietis : Eodem quoque modo quotidiana experientia nos edocet, quod lingua adulatrice multi in operibus ſuis laudentur ac ſi glorioſa omnique admiratione digna eſſent, cum tamen veracius examinata vitioſa eſſe comperiantur & defectuoſa. Hugo Cardinalis aliam ſepulchrum inter & linguam adulatricem analogiam conſiderat, nimirum quod ſepulchris proprium ſit cadavera, quæ in ijs reconduntur, devorare atque conſumere, *ita adulatores blanda adulatione ad ſe trahunt homines, & ſibi aſſimilando devorant, quibus mortuis ipſi ſunt ſepulchra* ; non ſolum quia per adulationes ſuas eos quibus adulantur in eadem vitia incurrere faciunt, verum etiam quia ſicut ſepulchra carnes humanas conſumunt, eadem proportione adulantur opera bona in ijs quos aſſentationibus ſuis infatuant, deſtruunt efficiendo ut in vanam gloriam temerariamque de ſeipſis præſumptionem præcipites corruant. Et quidem totus hic diſcurſus eſt Hugonis, qui inſuper illam ſuperius à nobis inſinuatam adducit S.Gregorij ſententiam, dicentis : *Mortuus mortuum ſepelit, quando peccator peccatorem aggere adulationis premit.* Inſuper ſicut ſepulchra devorant cadavera, & ex illis veluti ſuſtentantur, ita quoque adulatores ex aliorum nutriuntur vitijs & defectibus, juxta illum ſcripturæ textum : *appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas*, id eſt, ut idem Hugo, *incorporent ſibi peccata eorum, quibus adulantur.* Vitia enim quibus in alijs adulando applaudunt, ſibi propria efficiunt, illaque ſtudioſè & ex induſtria imitari ſatagunt, ut tanto magis ſe eorum genio accommodent, magiſque illis placeant. Unde S.Auguſtinus ait : *Poteſt & illud intelligi, quod mendacio & blanda adulatione trahunt in ſe, quos ad peccata illectant, & eos tamquam devorant, cum in ſuam vitam convertunt.*

Pſ.5.v.10.11

Adulat. ſepulchra ſunt.

Hug. Card. in pſ.5.

S.Greg.

Pſ.26.v.2.

S.Aug. in pſ. 5.

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Longè melius eſt à detractoribus corrigi, reprehendi, injurias pati, maleque tractari, quàm ab adulatoribus decipi.

### THEMA.

*Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* Eccleſiaſt.7. ℣.6.

Correctio melior adulatione.

1. ADeò clara & evidens propoſitio eſt, ut nulla prorſus probatione indigeat, quod ſcilicet melior ſit conditio illius, qui ab homine ſapiente & fido reprehenditur & corrigitur, quam ejus qui malorum adulationibus circumvenitur, ſiquidem correctio utplurimùm vitium emendat & aboleri facit, cum tamen adulatio idipſum foveat & adaugeat. Chryſoſtomus ſuper illa verba Pſalm.9. *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ*, poſtquam inde reſultantia damna recenſuiſſet, ita ait : *Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, auferuntur judicia tua à facie ejus* ; Et paulò poſt : *Laudatur in peccatis, benedicitur in maleficijs, hoc eſt primum barathrum, quod ſatis eſt vel ad præcipitandum eum, qui non advertit, & ideo magis ſunt admittendi, qui accuſant & corrigunt, quàm qui laudant, & ad interitum blandiuntur.*

Chryſoſt. in Pſ.9.

Reprehenſio proficua.

2. Præclaro S.Auguſtini ingenio ſpirituque Apoſtolico ejuſdem digniſſimus eſt ſermo ille, quem dictus Doctor Tom.9. ſcribit, ubi hæc ad propoſitum noſtrum verba habet : *Neſcio, quis odit inimicum ſuum & fingit illi amicitiam, videt illum facere aliquid mali, laudat ; vult eum eſſe præcipitem, vult cæcum ire per abrupta cupiditatum ſuarum, unde forte non redeat.* Hæc

S.Aug. t.9. tr.10. in 1. lo. dec.5.



ſunt ab adulatore proficiſcentia præjudicia, jam verò fructus quoque audire placeat, quæ à reprehendente & corripiente nos in nos dimanant : *Alter*, inquit, *videt amicum ſuum tale aliquid facere, revocat, ſi illum non audiat, objurgat, litigat, profert verba caſtigationis : Ecce odium blanditur, charitas litigat : Noli attendere verba blandientis, & quaſi ſævitiam objurgantis, venam inſpice, radicem unde procedat, quære, ille blanditur ut decipiat, iſte litigat ut corrigat.*

A præcipitio ſervat qui corripit.

3. Quod ſi quis in juvenculo & edomito equo totus feſtivus & lætus verſus rupem quamdam, præcipitio proximam, velociſſimè equitans, aliquem calcaribus vel aculeo, aut virga equum ſuum ad velocius currendum urgentem videret, & alium, ut curſum ſuum ſiſtat, pedem equo amputantem conſpiceret, utrum ex duobus majorem amicum ſuum æſtimaturus eſſet ? Porrò adulatio, prouti ex Chryſoſtomo audiviſtis, præcipitio ſimilis eſt, eſt enim *barathrum quoddam ad præcipitandum eum qui non advertit* ; Ac proinde quiſquis in via, quæ ad æternam perditionem tuam te conducit, tibi blanditur, teque collaudat, verus eſt animæ tuæ inimicus, non item alius qui correctionibus & reprehenſionibus ſuis mediantibus à ſimili te præcipitio retrahit.

Pſal.49. 19.

Adulator præcipitat.

4. Idemmet S.Auguſtinus alibi illa verba Pſalmi : *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos*, exponens optimè, veriſſimum eſſe commonſtrat, quod adulator nos in præcipitium graviſſimum proturbet : *Præcipitas*, inquit, *hominem incautè ſua vitia proferentem, & an ſint vitia neſcientem ; tu qui ſcis vitium eſſè, non dicis corruiſſè illum ; ſi illum videres ambulare incautum in tenebris, ubi tu puteum eſſè ſcires, & taceres, qualis eſſes ? Nonne inimicus deputareris animæ ejus ?* Progreditur præfatus Sanctus Doctor ulterius, & oſtendit, quanto pernicioſius præjudicium & damnum nobis ab eo proveniat qui alium in peccato ſuo fovet, quam ab alio qui illum in præcipitium cadere permittit ; dicit enim : *Et tamen in puteum cadens non anima, ſed corpore moreretur, præcipitat ſe in vitia ſua, prædicat apud te mala facta ſua, tu noſti mala eſſè & laudas, & irrides apud te.* Et ideo in Iſaia legimus : *Qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.*

S.Aug.t.8. in Pſ.49.v.19.

Iſa.3.v.12.

5. S.Joan. Chryſoſtomus Eutropij familiariſſimi Imperatoris clientis præcipitium conſiderans, eumdem ab adulatoribus ſeductum & poſtea à ſe ex Apoſtolica quadam libertate reprehenſum graviter ad reſipiſcentiam ordiendam hortatur hiſce verbis : *Nonne dicebam tibi, cum me indeſinenter objurgares vera monentem, quod ego tibi potiùs amicus eſſem, quam adulator ? ego redargutor majorem tui curam gerens, quàm cum tibi omnia obſequerentur ? Nonne & hoc addebam ; fide digniora eſſè vulnera ab amicis, quam ultrò ſe ingerentia vulnera inimicorum ? Si mea vulnera tuliſſes, haudquaquam tibi illorum oſcula exitium attuliſſent ; mea enim vulnera ſanitatem afferunt, illorum oſcula morbum immedicabilem tibi conciliaverunt.*

Chryſoſt.or. ad Eut.

6. In ſacris Canticis Sponſam, quæ animam quamvis electam præfigurat, multis vulneribus ſauciam invenimus : *Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem : percuſſerunt me, & vulneraverunt me.* Porrò Philo Carpathius animam hanc ſponte propria hiſce ſe vulneribus ingeſſiſſe exiſtimat : *Spirituali plaga cupiebat feriri Sponſa ad diſciplinam ſalutarem, non ut animam perderet, ſed ut pro Domino pati doceretur.* Et quidem ad hoc firmius perſuadendum poſtulati à nobis & pro cura corporis noſtri ejuſque incolumitate procuranda ſtipendiati medici exemplum adducit hiſce verbis : *Ut enim ſi quis Medicorum ad nos curandos accederet, diceretque ulcus lethale eſt, viſne aduram, ac ſanem ? reſponderes ; Ure, feri, præcide : ſic verus amator Chriſti, cum peccatis omnino abſtinendum eſſè monetur, quam celerrimè obtemperat, nec ſibi durum eſt aſperius increpari.* Unde Salomon : *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula, inimici ; hæc enim ad perennem ſalutem feriunt, illa vero ad æternum ſupplicium adulantur, hæc feliciſſimè ſanant, illa miſerrimè occidunt.*

Cant.5.v.7.

Phil. Carp.

Increpatio aſpera ſanat.

Prov.27.v.6

Adulatio ſtatim removenda.

7. Regius Propheta David, qui lumine Dei præditus & alias in ſummo dignitatum humanarum culmine collocatus erat, hanc à Deo gratiam poſtulabat, ut adulatores multo amplius quam perſecutores procul ab eo arcerentur. Et quidem quando de illis ſermo erat, hiſce ſe verbis Deo commendabat. *Confundantur & revereantur qui quærunt animam meam : Avertantur retrorſum & erubeſcant, qui volunt mihi mala : Confundantur & revereantur ſimul qui quærunt animam meam :* At verò quando de ijs agit, qui ſuis cum aſſentationibus & blandimentis conabantur allicere, videte obſecro quanta cum ſollicitudine eos procul ab eo repelli rogant : In tribus hiſce Pſalmis 60. 39. & 69. eamdem petitionem identidem replicat, dicens : *Ferant confeſtim confuſionem ſuam qui dicunt mihi : Euge, Euge.* S.Gregorius ait : *Adulantium linguas non eſſè in ſubſequenti tempore differendas annuntiat, qui ait : Statim confundantur erubeſcentes, qui dicunt mihi Euge Euge ; Adulatio enim ſi vel ad tempus patienter ſuſcipitur, augetur : ne creſcere debeat, ſtatim & ſine mora eſt ferienda ; Duo ſunt genera perſecutorum, vituperantium & adulantium, plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris*, inquit S. Auguſtinus, *Certè cum de perſecutione loqueretur, Scriptura dixit : (Tamquam aurum in fornace probavit illos,) de Martyribus interfectis, & ſicut holocauſti hoſtiam accepit, illos audi, quia & lingua adulantium talis eſt.* Proverb. 27. *Probatio argenti & auri ignis, vir autem probatur per os laudantium eum.*

Pſ.69.v.3. & 4.

Pſ.39. v.16.

S.Greg.l.1. hom.11. in Ezech.

Adulator magis nocet quam vituperans.

S.Aug. in Pſ.69.

Sap.3.6.

Prov. 27. v.21.

Correctio ſanat, Adulatio necat.

8. Enimverò perſecutio Martyres efficit, adulatio autem facit Apoſtatas ; ſiquidem ipſius Antichriſti tempore, prouti alibi ſuperius diximus multi per aſſentationes in pernitioſiſſimam erroris viam abducentur. Jamjam adductam à Philone Carpathio audivimus ſimilitudinem ab infirmo quodam deſumptam, qui ad curandam ſibi ab infirmitate convaleſcentiam, pro nihilo ducit ſi vulneribus & inciſionibus ſaucietur, aut palatum oris amaro potu affligatur, hoc enim mavult, quàm ijs quæ genio ſuo favent ineſcari ; Nec mirum quia tametſi ex inciſis venis putridus ab infirmo ſanguis eliciatur, tametſi multis ferri inciſionibus torqueatur, aut candentibus laminis caro ejus aduratur, vel fauces ejus nauſeabundis medicinis amaricentur, vel corpus extenuetur diætis admodum rigoroſis, hæc tamen omnia ipſi nec quidquam nocent, quin potius ſanant : Econtra vero alius, qui noxios illi tametſi ſapidos & palato gratos fructus miniſtrat, aut generoſa illi vina furtivè porrigit, vel in vehementiſſimis febris ſuæ ardoribus aquam congelatam obtrudit ; non ſolùm ſaluti ſuæ neutiquam cooperabitur, verum & ipſam ei mortem quantocius accelerabit : Eadem prorſus differentia intercedit inter eum qui nos de erroribus noſtris charitative corrigit & reprehendit, & alium qui eoſdem defectus noſtros excuſat, & abſcondit, imò eoſdem potius virtutis indolem referre deprædicat : Primus ſalutem animæ noſtræ ſibi curæ eſſe oſtendit ; alter verò, quod iram Dei nobis conciliemus, pro nihilo ducit.

Non reprehendi ſignum Dei iræ.

9. S. Bernardinus Senenſis unum ex funeſtioribus ſignis, è quibus Divinam adverſus impios conceptam iram conjicere poſſumus, hoc eſſe dicit, ſi videlicet Deus permittat, ne ullus nobis præſto ſit, qui nos corrigat & reprehendat, ſed potius qui adulando nobis blanditur : *Magna ira Dei ut deſit correptio, & adſit adulatio.* Philoſophi naturales de urſo referunt, quod quando caput ex ſuperabundanti ſanguine gravatum eſſe deprehendit, protinùs ex quodam naturali inſtinctu alvearia adeat, ad quæ dum proximè de apum melle, cujus avidiſſimus eſt, ſeſe exaturaturus appropinquat, apes exaſperatæ & turmatim egredientes ipſum per totum caput aculeis ſuis pungendo, pluries lædunt, non intelligentes quod puncturæ illæ, & per eaſdem elicitus ſanguis ad exonerandum capitis dolorem plurimum inſerviat. Ac proinde de Julio Cæſare nonnulli dicunt, eum perſæpe peroptaſſe, ut ad inſtar urſi curari poſſet, id eſt, ut per bonorum amicorum correctiones, (tametſi in alio quodam ſenſu eædem diſpliceant) ejus emendari poſſint defectus : *Melius eſt à ſapiente corripi*, &c. S. Auguſtinus quemdam qui ſe ab alio boni illius ſpiritualis percupido reprehendi ægerrimè ferebat, ſpeciali quadam ad eum directa Epiſtola convenit, illumque virtuoſiſſimum in hoc opus præſtitiſſe probavit : *Collatorem*, inquit, *& diſputatorem ; non aſſentatorem & adulatorem ſe eſſè cupiebat, nam hoc eſt oleum peccatoris, quo Propheta non vult impinguari caput, mavult ſeverâ miſericordiâ juſti emendari, quam leni adulationis unctione laudari.*

S.Bern.Sen. t.3. ſerm. de multip. mendac. art.2. c.2.

Eccl.7.6.

S. Aug. t.2. ep.147.

Adulator magis cavendus quam detractor.

10. Prima quidem facie paradoxum videri poſſet, ſi quis magis à nobis detractorem, quàm adulatorem deſiderandum eſſe diceret ; & tamen revera ita eſt. S.Auguſtinus illa verba Pſalmi 39. *Convertantur retrorſum, qui volunt mihi mala*, ponderans, eadem de illis explicat, qui fictè & adulatoriè bona de nobis loquuntur ; *Sunt non boni*, inquit, *qui bona volunt, & ipſi cavendi*, id quod paulò poſt melius declarat, dicens ;

S.Aug. in Pſal.39.

Manſi Biblioth. Tom.I.

E 2

cens : *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur ; Mala tua dicit lauda ;* Denique comparationem detractorem inter & adulatorem

*Pſ. 123. v. 6.*

inſtituit, & dicit : *Utrumque genus hoſtis fuge, utrumque cave : ille ſævit, iſte blanditur, uterque malus, ille iracundus eſt, & iſte in laude ſubdolus ; ille reprehenſor eſt, iſte laudator.*

*Pſalm. 123. 6 Hug. Card. ibid.*

Detractio triplex & adulatio.

11. Hugo Cardinalis ſuper illa verba : *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*, optimè obſervat, detractionem trifariam fieri poſſe : Primò malum aliquod falſum alicui imputando. Secundò malum aliquod verè patratum ampliando & exaggerando. Tertiò actum aliquem laudabilem & bonum extenuando & diminuendo : Iiſdem verò tribus modis, nobis quoque nocere poteſt adulatio: Primò rem aliquam male factam excuſando & extenuando. Secundò eamdem magnificando & extollendo, adeò ut laude digna eſſe videatur. Tertiò ei qui adulatione delinitur, bonum aliquod attribuendo, quod in ipſo neutiquam reperitur. Verumtamen hæc detractionem inter & adulationem intercedit differentia, quod illa cautos & circumſpectos efficiat, ne erremus, ut detractor mendax fuiſſe cognoſcatur: Adulatio vero peccatum magis in nobis fovet, & canonizat illud. Detractores quidem bonæ famæ noſtræ inimici exiſtunt, at verò longè deterius eſt, quod ab adulatoribus in nos damnum reſultat. Unde Seneca ait : *Gratiæ adulantur, qui potentiam extollant, omnes aut ſunt hoſtes, aut eſſe poſſunt.* Is qui facultates, vitam aut honorem & reputationem tuam tibi eripit, bonum quoddam tibi aufert tranſitorium, nam prædicta omnia mera ſunt bona temporalia, at vero adulator bona tibi eripit ſpiritualia & æterna. Et ideò S. Hieronymus, *Pulchrè*, inquit, *adulator apud Philoſophos deſtuitur blandus inimicus.* Quot enim animarum prædam ſerpens ille aſtutus per hanc adulationis viam inferno comparat ? Idipſum Didacus Stella aptiſſima quadam ſimilitudine perfectius enucleat ; Dicit enim : Ruſticus qui in agro ſuo ſtrepitum vocis edit, vel in pomario ſuo lapides in arboris cujuſdam ramos projicit, volucres quidem ſegeti vel fructibus infeſtas fugat, ſed non capit ; aſtutus autem auceps potius dulci ſibilo vel cantu aviculas retibus ſuis illaqueat, ſibiloque ſeducit, ita *Dæmon non tot venatur ex perſecutionibus & capit, quot adulationibus, quæ dulciter auribus noſtris influunt.*

*Senec. l. de vit. beat. c. 2.*

Adulator cœleſtia aufert.

*S. Hier. l. cont. Jovin.*

*Did. Stell. in c. 21. Luc.*

*Jer. 11. v. 16*

Adulatio omnes virtutes deſtruit.

12. In Prophetia Jeremiæ ſacer textus ait : *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ, grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta ejus.* Noſtiſne, undenam hæc tot pulcherrimorum fructuum deſtructio & combuſtio exorta fuerit ? Propheta idipſum perſpicuis verbis edicit, nimirum ab impetuoſi cujuſdam venti turbine, id eſt, ex vehementis cujuſdam vocis ſono *ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis :* At vero quænam fuit vox iſta, unde flamma iſthæc exarſit ? In Parabolis Salomonis legimus, quod *qui benedicit proximo ſuo voce grandi, de nocte conſurgens, maledicenti ſimilis erit.* At vero dicet aliquis, hæc ſibi invicem manifeſtè contradicere videntur; quod ſi enim talis benedicit, quomodo maledicere dicetur ? Tigurina legit : *Laudanti proximum ſuum magna voce.* Septuaginta autem vertunt : *à maledicente nihil differre videtur.* Ecce tibi igitur quod idem ſit dicere, *Ad vocem loquelæ grandis*, quod ad Favonium adulationis ventum, qui omnes bonorum operum fructus deſtruit, perdit, conſumit, & comburit; efficiendo, ut in eo, cui adulatio obtruditur, adulatio vanam gloriam ſuſcitet, quodque idem de ſe plus nimium præſumens in ſuperbiam evaneſcat, virtuteſque eſſe exiſtimet eas res, quæ verè & in ſubſtantia ſæpiſſime enormia vitia exiſtunt. Unde S. Greg. ait: *Vox grandis loquelæ eſt favor adulantis, ad vocem ergo loquelæ grandis exarſit ignis in ea, quia in magnitudine favoris flamma in corde accenditur de amore laudis.* Hoc autem periculum non cauſatur à perſecutoribus, detractoribus, & contumeliantibus, imo hi omnes potius occaſionem ſubminiſtrant exercendi virtutem manſuetudinis, humilitatis, mortificationis, charitatis, ſed damnum iſtud potius ab adulatione ſuique ipſius complacentia originem ſuam deducit. Pergit ulterius S. Gregor. oſtendere quod adulatio operum bonorum merita omninò evacuet ; Unde dicit : *Vel quæ bene geſta, vel quæ ſcienter ſunt dicta depereunt, cum tamen non amore Domini, ſed intentione tranſitoriæ laudis fiunt.*

*Prov. 37. v. 14.*

*S. Greg. h. 31. in Ezech.*

Cum adulat. fac quod Chriſtus fecit.

*Marc. 1. v. 24*

13. Obſervationem quamdam non minus ingenioſam quam moralem me legiſſe recordor ſuper illa ab increata ſapientia ad Dæmoniacum illum prolata verba: *Scio quia ſis Sanctus Dei.* Hæc enim aſtutus ille ſerpens infernalis, prouti ſuperius tetigimus, eo fine protulit, ut Chriſto adularetur, qui proinde eidem protinus & ſine mora reſpondit: *Obmuteſce*, In Græco eſt: *Increpavit illum.* Porrò eumdem modum loquendi & Dæmonem increpandi modum ( prout obſervationis hujus Author optimè conſiderat) Salvator noſter uſurpavit, quando obortam maris tempeſtatem ſedare voluit; *Tunc ſurgens imperavit ventis & mari*; In Græco habetur: *Increpavit :* In S. Marco autem habetur : *Dixit mari : tace & obmuteſce :* Verum inquies fortaſſe, quænam inter linguam quamdam adulatoriam, & tempeſtatem maritimam eſſe poteſt proportio ? Magna profectò ; quia ſicut hæc efficit, ut navis aliqua pretioſiſſimis mercibus & theſauris onerata ab iiſdem ſeſe exonerare cogatur, imo ut ipſamet totaliter in profundum maris ſubmerſa, depereat & naufragetur : ad eumdem quoque modum lingua adulatoria ſufficiens eſt ut animam divitijs cœleſtibus refertam vel totaliter exinaniat, aut vero in æternæ perditionis abyſſo naufragari faciat. Hæc veritas Chryſoſtomum movit, ut Evangelicum hoc nobis conſilium inſinuare valeat ; *Quare ſi adverſari nonnullis decet, adulatores magis quam contumeliantes odiſſe oportet.* Hujuſce rei in Salvatore noſtro, cujus quælibet actio noſtra eſt inſtructio, exemplum pariter & inſtructionem habemus ; Hunc enim maligni Scribæ & Phariſæi multifariam calumniati fuere, ipſumque pro viribus improperijs onerare conati ſunt, dum eum nunc Samaritanum, mox meribibulum & potatorem, denique ſeductorem appellarunt ; imò enormiorem in filium Dei contumeliam atque calumniam evomere aut adinvenire non potuerunt, quàm dum ipſum Dæmoniacum appellarunt : *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia* ; Et tamen nec ad hanc, nec ad aliam quamcumque excogitabilem calumniam aut improperium Chriſtus ad indignationem vel aliqualem iræ motum commoveri potuit, præterquam aperte & in faciem ei adulari præſumpſerint dicendo : *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo* ; Et quidem tametſi totum hoc quod dicebant, veriſſimum fuerit, non tamen apud ipſos, ſive in opinione ipſorum, qui *ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant* ; hæc etenim eſt omnium & ſingulorum aſſentantium conditio, quod interius omninò contrarium ſentiant illius quod in aliquo, quem circumvenire ſuis blanditijs nituntur, exterius commendant & laudant. Unde Beatus Albertus Magnus ait : *Blandiuntur à quatuor ; ab authoritate Magiſterij : à veritate ſermonis : à veritate doctrinæ ; à veritate judicij, ſine perſonarum acceptione.* Et quidem titulus veritatis à Chriſto acceptatus fuerat, qui de ſeipſo dixit : *Ego ſum via, veritas, & vita*, non tamen illum acceptare voluit, quando ipſi fuit adulatoriè & ſola lingua, non verò ex corde attributus ; Similiter in injurijs quidem illatis manſuetus fuit, verumtamen hic continere ſe non potuit, quo minus indignationem ſuam foris proderet, dum ſequentibus verbis illos fuit objurgatus : *Quid me tentatis hypocrytæ ? Non ſecundùm ſermones eorum pacificos blandè reſpondit, ſed ſecundùm conſcientiam eorum crudelem aſpera dixit*, inquit ibidem Venerabilis Beda. Enimverò per hanc ei intentatam adulationem mortem illi machinari contendebant, ipſumque in ſua retia implicare ſatagebant.

*ibid. v. 25.*

*Marc. 4. v. 39.*

Adulatio virtutibus ſpoliat.

*D. Chryſoſt. hom. 88. in Matth. v. fin.*

Inſtructio.

*Luc. 11. 15.*

*Matth. 22. v. 16.*

Adulatores Contrarium ſentiunt.

*Alb. Magn. in Matth. 22.*

*Joan. 14. v. 6*

*Bed. ibid.*

14. Chryſoſtomus optimè ponderat, quod Chriſtus iiſdem Scribis & Phariſæis, in alia quadam occaſione ei dicentibus : *Magiſter volumus à te ſignum videre*, protinus reſponderit : *Generatio mala & adultera*, hancque Salvatoris objurgationem cum alia quadam reprehenſione & iræ motu combinando ſcribit : *Cùm illi aſperè & contumelioſè interrogant, manſuetè ac leniter reſpondet : cum verò aſſentantur non mediocri utitur acrimonia.* Similiter S. Bernardus in illa verba : *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas*, commentans, eadem de damnis ei qui adulationibus circumvenitur illatis exponit, ſimulque in comparationem detractores & adulatores committens dicit : *Peſſima vulpes occultus detractor, ſed non minus nequam adulator blandus.*

*Matth. 12. v. 38. 39. & Chryſoſt. hom. 44. in Matth.*

*Cant. 2. v. 15*

*S. Bern. ſerm. 63. in Cant.*

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Adulatio genericè nequitia appellatur, ut tanto magis ejus exprimatur malitia, utpote quæ hypocriſim ſecum ſubinfert : Et ideo quantum Chriſto abominabilis ſit oſtenditur.

THEMA.



## THEMA.

*Cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait : Quid me tentatis hypocritæ ?* Matth. 22. ℣. 18.

Adulatio nequitia eſt.

1. NOn ſolum averſio quam Salvator noſter ſe erga hoſce adulatores habuiſſe teſtatus eſt, notabilis fuit, verum etiam titulus, quo adulationem inſignivit, dum vitium hoc genericè nequitiam appellavit : *Cognita autem Jeſus nequitia eorum* ; Neque enim in dubium revocari poteſt haſce à perverſis hiſce hominibus Chriſto attributas laudes ex ſolo adulationis motivo proceſſiſſe. *Univerſa hæc laus*, inquit Cajetanus, *ex adulatoria officina ad provocandum Jeſum, ne timeat præferre Deum Cæſari, procedit.* Ehem quid eſt hoc ? Quænam umquam impientior iniquitas inveniri aut excogitari potuit, quam quæ ad talem tamque enormem pertingit temeritatem, qua Dei filium, ut æterni Patris ſui honorem & gloriam mortali cuidam homini poſthabeat ; inſtigare non dubitet: Porro Regius Propheta David pulchre hoc vitium hiſce verbis deſcribit : *Lingua tua concinnabat dolos*, quia adulatorum præcipuè proprium eſt ad ſeducendum & decipiendum homines dolos & technas texere. Venerab. Beda ſuper illo Prov. textu : *Homo qui blandis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus ſuis*, hanc gloſſ. adhibet : *qui fictis ſermonibus proximum laudat, illi quidem parat inſidias :* at vero quod propoſito noſtro quam maxime deſervit, eſt, quod vitium hoc antecedenter titulo malitiæ nominarit : *Os tuum abundavit malitia*, & poſtea ſubjiciat ; *Et lingua tua concinnabat dolos.* Etenim huic vitio dediti proprio adulatoris nomine non appellantur, ſed generico nomine dicuntur peccatores : *Si te lactaverint peccatores*, inquit Sapiens : & ante ipſum eodem prorſus nomine ab ejus Patre Davide Rege nominati fuere : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum :* Unde B. Petr. Damian. hanc deducit conſequentiam : *Quibus nimirum Scripturæ teſtimonijs patenter oſtenditur, quia quiſquis adulatur, generale peccatoris nomen per auxeſin ſpecialiter promeretur ; Et cum Pſalmiſta dicat, quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.*

*Cajet. in Matth.*

*Pſ. 49. v. 19.*

*Prov. v. 5.*

*Bed. in c. 29.*

*Prov. 1. v. 10*

*S. P. Dam. l. 2. Ep. 3.*

*Pſ. 10. v. 3.*

In adulatoribus plurima vitia.

*S. Bern. t. 2. ſer. 16. art. 2. c. 3.*

2. S. Bernardinus, qui zeloſiſſimus vitij hujus reprehenſor & juratus hoſtis extitit, illud multorum aliorum vitiorum turbæ aſſociatum eſſe optimè his verbis notat : *Nec ſolitaria ſerpit adulatio nequam, comites ſecum pleramque habet ambitionem, fraudem, odium, ſimulationem, invidam, proditionem & notam mendacij.* Et quidem tametſi veriſſimum ſit, quod adulatio non præjudicans proximo, venialis tantùm culpa ſit : *Adulari vel delectandi cauſa, vel commodi alicujus conſequendi, veniale eſt.* Experientia tamen conſtat, quod ab ijs ſemper vel ut plurimum laudentur & canonizentur vitia. Unde Tertullianus ait : *Si non de mendacio erubeſcit adulatio, timeat ſaltem de infauſto* ; Semper enim damnum ſecum adfert, & facilis eſt illius ultra terminos debitos gravis exceſſus, adeo etiam ut vel Moralis Seneca quoad ſalutare nobis monitum relinquat, dum ait : *Vitandus eſt adulatorum ſermo, & fortiter rejiciendus :* valde conducentem paulò poſt rationem adducit : quia *numquam ſine noxa rei illud benignè admittitur.*

*S. Thom. 2. 2. q. 115. art. 2.*

*Tertull. Apol. 34.*

*Sen. ep. 123.*

Adulator transformat ſe ut Chamæleon.

3. De Chamæleonte ſcribitur illum in varios ſe colores transformare, dummodo album & rubeum colorem exceperis ; Quod ipſum, ſi verum eſt, vivam nobis ob oculos ſtatuit adulatoris effigiem, quia erga eum quem adulatione ſua demulcere nititur, in omnigenos ſeſe transformat affectus, at vero in ſinceritatis candore, & rubore charitatis ipſum numquam imbutum reperies ; ubi verò hi duo lectiſſimi colores deficiunt, omne malum utique abundat ; Atque ideo Pſalmiſta dicebat : *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam* ; Quibus in verbis regius Propheta Ly *Quaſi* adjicit, quia tametſi quoad exteriorem apparentiam aliquo affectu & benevolentia moveri videantur, in veritate tamen totum hoc mera eſt fictio in propria utilitate & intereſſe fundata ; atque ideo Chriſtus illos jure hypocritas vocat.

*Pſ. 34. v. 14.*

Adulatio peſtis.

*Eccl. 11. v. 35*

4. Superius in Diſcurſu tertio adulatorem peſti ſimilem eſſe diximus, de quo proinde Eccleſiaſticus loquitur, dum ait : *Attende tibi à peſtifero, fabricat enim mala* ; Et merito nam adulatio inſtar peſtilentiæ tanta cum facilitate diffunditur, ſuique contagij virulentia inficit, ut Salomon Rex jure dicat : *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios* ; Ubi Janſenius ait : *Verba mendacij, quæ quidem Principes libenter auſcultant, ſunt adulationes, quibus falſò laudantur quædam in Principibus.*

*Prov. 29. v. 12.*

*Janſen.*



Diabolus.

*S. Bern. t. 3. art. 2. c. 1.*

5. S. Bernardinus Senenſis in ſermone quodam, quem de deſiderabili veritate intitulat, quamdam adfert S. Bernardi authoritatem, in qua adulator & Diabolus pares habentur : dicit enim : *Mirabilis inſania, iraſcimur ſananti, & non iraſcimur vulneranti; ſanans eſt prædicator, ſed vulnerans eſt Diabolus & adulator.*

Adulatores celant vitia.

*Apoc. 12. v. 4 S. Th. ibid.*

6. In illa S. Joannis Apocalyptica viſione, de qua hoc eodem verbo, in primo Diſcurſu egimus, Draco infernalis tertiam ſtellarum partem cauda ſua poſt ſe traxiſſe dicitur. S. Thomas ibidem, vel quiſquis eſt Author, ait : *Cauda deceptio fraudulenta, qua celant vitia & vitiorum incommoda, ſicut cauda celantur turpia.* Adulatorum namque pervulgatum vitium eſt, quod aliorum vitia celent & abſcondant ; cum hoc tamen præjudicio, quod ſicut ignis diu violenter recluſus, vehementiori cum impetu poſtea erumpit, ita quoque vitia quæ excuſantur dum reprehendi debebant, ſic cooperta, laudata, & exaltata, magna cum impunitate creſcunt ; Unde poſtea ſit in ijs quibus adulatio obtruditur, quod dum *detrahitur peccatis pudor, lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Imo etiam illi qui extrinſecus quidem ſe ab attributis ſibi laudibus averſos eſſe, in iiſque ſibi minimè complacere ſimulant, intrinſecus tamen ut plurimùm ſibi in ijs complacent. Unde S. Hieronymus ad Demetriadem ait : *Sæpè adulantium reſiſtimus verbis ad faciem, & in ſecreto mentis favemus.*

*S. Hier. de Virg.*

7. Porrò advertendum eſt, quòd tametſi Salvator noſter omnes habuerit in ſe virtutes in gradu ſupremo & heroico, præ omnibus tamen manſuetudinis majorem rationem habuerit ; ad quam Propheta Evangelicus alludit, dum ait : *Nec audietur vox ejus foris, ... linum fumigans non extinguet.* Hanc diſcipulis ſuis præ cunctis alijs imitandam propoſuit, dicens : *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde* ; Hanc quoque ſemper, & præcipuè in injurijs ſibi illatis exercuit : *Saturabitur opprobrijs :* Et tamen ( quod ſine admiratione videri nequit) in ea occaſione, in qua nullatenus injuriatus ; ſed potius multis dudum encomijs honoratus & commendatus fuit à Scribis & Phariſæis dicentibus : *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei*, &c. tanta cum acerbitate iraſcitur ; Quænam obſecro indignationis hujus cauſa extitit ? Pro reſolutione ſciendum, quod Chriſtus non ſolùm appelletur, ſed verè ſit ipſiſſima veritas : Et ideò dicit : *Ego ſum, veritas*; Et coram Præſide Pilato ait : *Ego ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati :* Adulatio autem veritati *ex diametro* opponitur, & ideò eamdem quovis tempore & loco ſummè deteſtatur. Ipſi quidem ad eum ſe contulerant, ut eum interrogarent, id tamen ex mera fictione animique duplicitate faciebant, qualis in eo candor & integritas eſſet, minimè intelligentes ; *Candor enim eſt lucis æternæ* ; Lux quoque adulari neſcit, unde dicitur : *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Ipſi quidem ſe illum conſulere velle, aut conſilij capiendi illum accedere ſimulabant, ſed finis eorum erat, *ut caperent eum in ſermone.* Dionyſius Carthuſianus dicit : *Caperent, id eſt, reprehenderent :* In Græco verò *caperent* idem ſignificat quod *illaquearent* ; Adulatores namque jucunda, & læta facie blandiuntur, non ad alterius bonum, ſed ob proprium ſuum intereſſe, ab eo cui adulantur, beneficijs affici, in honore haberi, interque ejus amicos ſe numerandos eſſe ſperantes. Et ideo mirum non eſt quod velut iratus & exaſperatus illis reſpondeat, dicens : *Quid me tentatis hypocritæ ?* Porrò tentare propriè ad Dæmonem ſpectat, ideòque adulatores qui alios tentant inſtrumenta ſunt & cooperatores Diaboli, prouti Diſcurſu primo hujus tituli vidimus. Didacus Stella prædicta verba conſiderans ſcribit : *Docet Chriſtus adulatores eſſe fugiendos, tamquam hoſtes animæ truculentiſſimos, eoſque non audiendos, ſed abjiciendos, deteriores cum ſunt, quàm manifeſti perſecutores* ; Imò addi poteſt, ipſos non ſolùm longè magis quàm perſecutores, verum etiam impenſius quàm ipſomet Dæmones vitandos eſſe ; naturali namque quoad hos horrore percellimur, nec quidquam iiſdem confidimus, cum per experientiam & fidem nobis illos animæ noſtræ inimicos eſſe conſtet : at vero ab adulatoribus, dum illis velut intimis amicis noſtris fidem adhibemus, verùm eſſe credentes quod dicunt, decipimur & defraudamur, atque in peccatis & vitijs noſtris fovemur, & ideo in præcipitium æternum ab illis nos proturbatos eſſe comperiemus.

*Iſa. 42. v. 2. & 3.*

*Matth. 11. v. 29.*

*Thren. 3. v. 30.*

*Matth. 22. v. 16.*

*Joan. 14. v. 6*

*Sap. 7. 26. Matth. 5. v. 45.*

*Dion. Car.*

Adulatores laudant ob proprium intereſſe.

Cooperatores Diaboli.

*Did. Stel. in c. 20. Luc.*



8. Bercho-

*Pſalm.106. v. 4.*
*Berch.dict. ver. Adulatio.*

8. Berchorius illum Pſalmi textum: *Erraverunt in ſolitudine, in inaquoſo: viam Civitatis habitaculi non invenerunt*, de adulatoribus explicat, dicens: *Dicitur de iſtis, iſti enim qui ab adulatoribus ducuntur in invio, & non in via, & qui ab ipſis in ſuis erroribus confoventur, iſti pro certo ſunt vel erunt in ſolitudine infernalis condemnationis, nec intrabunt civitatem æternæ conſolationis.* Didacus Stella ſuper illa verba quæ Divinus Magiſter noſter in Cap. 6. S. Lucæ dicit, nimirum: *Væ cum benedixerint vobis homines*, ſcribens dicit: *Verbum illud, væ, comminationem in ſe continere ſempiternæ perditionis.*

*In c.6. Luc.*
Laudati cæcis ſimiles.

Idem vero Author eadem occaſione adducit gravem illam, quàm ſacrilegi Judæi Redemptori noſtro in nocte Paſſionis ejus irrogarunt, contumeliam, quando *velabant faciem Domini, & ſalutantes dicebant: Ave Rabbi: Sic adulatores laudando excæcant; cæcus enim bene audit quod dicitur, ſed non videt, quid mali ei inferatur; ſic ille qui decipitur, adulationem audit, ſed non videt quantum mali illi proveniat.* Bene etiam idem Author obſervat, quod ſapientiſſimus Magiſter noſter dixerit: *Omnes homines, quia malum non eſt à bonis hominibus benedici, at malum eſt benedici à malis, qui non niſi mala laudare conſueſcunt.*

Adulatio hypocriſis.

9. Salvator quoque noſter eos quos Phariſæi ad ipſum miſerant, diſcipulos, Hypocritas appellavit, eſt enim quædam hypocriſeos ſpecies ipſa adulatio; Hypocrita enim exterius ſe auſterum fingit, cum tamen interius contrario modo ſe habeat: adulator quoque eodem modo id quod interius non approbat neque commendat, aſſentatoriæ vocis modulo extrinſecus laudat. Ipſi quidem Chriſtum Magiſtri nomine appellant; *Magiſter ſcimus*, &c. & tamen ex verbis antecedentibus ipſos non alium quàm Phariſæos Magiſtrum ſuum agnoſcere, clare deducitur; Ideo de illis Evangeliſta dicit: *mittunt ei diſcipulos ſuos.* Similiter quando cæcus ille à Chriſto illuminatus eos interrogavit: *Numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?* arroganter reſponderunt: *Tu diſcipulus illius ſis, nos autem Moyſis diſcipuli ſumus.* Dicunt præterea: *Scimus quia verax es*; Ubi Chryſoſtomus ait: *Novimus, dicunt, quia verax es; quomodo igitur dicebatis, ſeductor eſt, & Dæmonium habet, & non eſt à Deo.* Unde patet quod eum interius non crediderint eſſe talem, quem quidem foris prædicabant: *Sed intentio & finis eorum erat, ut laudatus* [ inquit Interlinearis ] *myſterium ſui cordis aperiat, eoſque velit habere diſcipulos.* Hugo Cardinalis ait: *Laudant & blandiuntur, ut tamquam à ſimplici & idiota, extorqueant ab eo ſecretum cordis ſui, putantes quod velit eos habere diſcipulos, ſed fruſtra, quia non quærebat laudes hominum.* Optimè obſervavit S. Hieronymus, quod Chriſtus etſi pauperrimus, nulli tamen adulari voluit, ideò in urbe hoſpitium reperire non potuit, ſed foris illud quærere debuit apud pecudes.

*Joan.9.v.27 & 28.*
*Chryſt.h.71. in Matth.*
*Interl. ibid.*
*Hug. Card. ibid.*
*S. Hieron. in Matth.*
Chriſtus nulli adulari voluit.

Reſponſio, quam S. Petrus Magiſtro ſuo interroganti ſubjunxit, in S. Joanne pulchrè deſcribitur, ait enim: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* Quidnam verò Chriſtus Salvator ei immediatè ſubjunxit? reſpondit eis Jeſus: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus eſt?* Dicere aliquis poſſet, valdè inopportunam videri hanc Petro à Chriſto datam reſponſionem; Undenam enim illam Petrus promeritus fuerat? Numquid verò tempus aliud opportunius exſpectari poterat, in quo ſacrum illud collegium commonefaceret, unum ex ipſis eſſe, qui ad ipſum tradendum inducendus eſſet; cur igitur idipſum modo extra omnem ſibi datam occaſionem coram illis prodit? Notandum eſt igitur, quod tametſi diſcipuli ipſiſſimam veritatem dixerint, nempè quod verba ipſius *verba vitæ æternæ eſſent*, quodque Filius eſſet Dei altiſſimi, attamen quia nos in actionibus ſuis erudire volebat, ideò quando à diſcipulis ſuis laudabatur, id ſibi diſplicere, ſeque à laude ſua alienum eſſe demonſtrare volens, ea verba protulit, quæ eoſdem haud immeritò contriſtari potuiſſent. Unde Chryſoſtomus ait: *Ne quis aſſentationem ſuſpicaretur ita locutus eſt, quaſi dicat, nihil mihi perſuadet, ne malos arguam, nolite putare me laudum veſtrarum gratia adulaturum.*

*Joan.6. v.69.70.*
*Ibid.v.71.*

*S. Epip. de malo lingua.*

10. In S. Epiphanio legimus verba ſequentia: *ſermonibus mendacij aurem nequaquam præbuit, os ſuum aperiens acetum cum felle guſtavit, qui ſceleſti verba auribus excipere recuſavit, os proditori oſculandum exhibuit, & deceptori reſponſum dare noluit: ſic & tuum os maledicis oſculandum præbe, nam ſi tuum illis os præbueris, oſculum illos condemnabit: ſi aures illis accommodaveris, jam te verborum guſtus occidet.*

Salvator adulari noluit.

Imò Salvator adeò ab omni minima adulationis umbra alienus fuit, ut in ipſomet diei Palmarum triumpho, quando tanto cum honore & gloria, cumque tot ſupremæ Reverentiæ demonſtrationibus, vocibusque feſtivis quibus ipſum Filium Dei & Meſſiam eſſe acclamabant, excipiebatur, templum ingreſſus propriâ manu ſua contextis flagellis vendentes pariter & ementes percuſſos foras turpiter ejecerit, cum tamen veriſimile ſit, inter hoſce vendentes vel ementes multos fuiſſe, qui ſuas ipſi & aſino, cui inſidebat, veſtes ſubſtraverant. Imo eodem in loco eos pariter in ſua prædicatione abſque ulla temporis interpoſitione, de vitijs perverſiſque moribus ipſorum acerrimè reprehendit, adeò ut circa veſperam ejuſdem diei in vaſtiſſima illa urbe Hieroſolymitana invenire non potuerint, qui vel unius noctis ipſum dignatus fuiſſet hoſpitio; unde & in Bethaniam aliquot Stadijs ab Hieroſolymis diſtantem, totus famelicus ſeſe recipere coactus fuit; cujus rationem Gloſſa interlinearis hiſce verbis edidit: [ *Et circumſpectis omnibus, cum jam veſpera eſſet hora, exijt in Bethaniam cum duodecim.* ] *Tantæ paupertatis fuit, & ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hoſpitium inveniret.*

*Matth.21. v.8. &c.*
*Marc. 11. v.11.*
*Interl.*

Chriſtus fugit adulatores.

11. Quando turbæ per Chriſtum in deſerto miraculosè cibatæ poſt prodigioſam illam Panis & piſcium multiplicationem, ipſum in Regem ſuum eligere decreverant, confeſtim ipſe ſe in montem fugâ ſubduxit; Et tamen quis eſt, qui de ipſo ſcriptum eſſe neſciat: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus?* Ipſo vix nato tres illi coronati Regum orientalium vertices ab oriente illico receſſerunt, ut debitæ ſervitutis illi præſtarent homagium, interrogantes: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Imò inſuper advertendum eſt, quod uti ex textu S. Marci habetur: *Statim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim.* Cur obſecro ipſe ſuos quaſi violenter ad proficiſcendum urget, ipſe autem ſtudiosè ſeſe abſcondit? Nimirum ſciebat quod illa hominum multitudo ad ſe in Regem eligendum ex ſolo adulationis inſtinctu moveretur. Cæterum in alia quadam conjunctura quinam ſenſus ſui eſſent, ſatis ſuperque manifeſtavit, nimirum quando unitim clamabant: *Non habemus Regem niſi Cæſarem*; ſuam igitur ab hoc vitio animi averſionem demonſtrare nobis voluit, & ab hac ſuos quoque quantocius & ſine mora recedere & elongari voluit. Porrò multitudo illa à Chriſto refecta dum illum ſibi Regem ſtatuere decernebat, nequaquam Chriſti virtutes & merita remunerare intendebat, aliàs jam dudum poſtquam tot perpetraſſet miracula, totque Divinitatis ſuæ ſigna ediderat; eum tamquam verum Deum, & veluti illum in cujus ſermone ſcriptum legitur: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, utique adoraſſent: nunc verò ut ipſos ſuſtentando iiſque benefaciendo uſque & uſque proſequeretur, ipſum velut intereſſati ad Regnum evehere cogitabant. *Jeſus ergo cum cognoviſſet, fugit in montem.*

*Joan. 6. v.15.*
*Pſ.2.v.6.*
*Matt.21.v.2.*
*Marc.6. v.45.*
*Joan.19. v.15.*

## DISCURSUS IX.

### ARGUMENTUM.

Adulatores Reipublicæ pernitioſos, multarumque ruinarum cauſas, & primam idololatriæ originem eſſe demonſtratur.

### THEMA.

*In malitia ſua lætificaverunt Regem, & in mendacijs ſuis Principes, omnes adulterantes quaſi Clybanus.* Oſeæ. c.7. ℣.3. 4.

Adulatio Regnis pernitioſa.

1. MAximoperè Deus de obſtaculo lamentatur, quod ei poſitum fuit, quando ſalutem populi ſui in priſtinum ſtatum reducere decreverat; *Cum ſanare vellem Iſraël*, [ ita per os Oſeæ cap.7. 1. Prophetiæ ipſius loquitur ] *revelata eſt... malitia Samariæ*; Quanam autem in re iniquitas hæc poſita fuerit, paulo poſt declarat, dicens: ibid. v.3. *In malitia ſua lætificaverunt*, &c. Syriaca in numero plurali legit, *Reges in mendacijs*: Gloſſa legit, *adulationibus, vanis laudibus hilares reddiderunt.* Interlinearis legit: *Conſentientes voluntati Jeroboam, idola coluerunt.* Porrò decem illæ tribus populi Dei, à Jeroboam gubernatæ, adeò cœcæ, ſtupidæ & ſacrilegæ non erant, quin facile intelligere potuerint, duos illos vitulos, quos Rex ex humana politica ductus, tamquam veros Deos adorandos propoſuit, verè tales non eſſe? ſed quæres, quomodo ad eorum cultum venerationemque permoveri potuerint? Nimirum Deus Prophetam quemdam miſit, qui prodigioſe effecit, ut altare æneum confringeretur, regium quoque repentè exſiccaretur brachium, quod adverſus

*Ord.*
*Interl. ibid.*
*3. Reg.12. v.28.*



ſus Dei ſervum temerè nimis extenderat, quodque demum priſtino vigori atque integritati idem reſtitueret: at verò caſſo prorſus & irrito effectu hæc omnia facta fuerant, quia aſtutus ille ſerpens per adulationis ſuæ technas contra hæc omnia ſubdolè prævaluit, adeò ut populus Dei in malè cœpta idololatria magis magiſque confirmaretur, quia falſus quidam Propheta, & fortè unus ex illis, qui in aula regia commoraturus erat, miſſum à Deo Prophetam inſecutus eſt, eumque blando ſuo loquendi modo adeò circumvenit, ut ipſum ad divini præcepti, quo nihil in confinibus illis manducare aut bibere juſſus fuerat, prævaricationem induxerit; unde tandem juſto Dei judicio à leone quodam interfectus interijt, hacque morte ſubſecuta ille Pſeudopropheta, Prophetam hunc mortuum nequaquam verum Dei vatem fuiſſe, verbiſque illius conſequenter nullam adhibendam eſſe fidem, facile Jeroboam perſuadere potuit; *Et ſic confirmavit Regem in errore*, inquit Lyranus, *& ſic Principes ejus conſentientes lætificati ſunt.*

*Lyr. ibid.*

Adulatores Reipublicæ nocent.

2. Verum enimverò ut quod ab aſſentationibus naſcitur exitium, tanto evidentius pateat, irreparabilia quæ per adulationem in Rempublicam quamdam redundant damna, profundius nonnihil velim examinemus. Et quidem in primis certum eſt, quod adulatorum culpa Achab occiſus & totus ejus exercitus diſſipatus & profligatus interierit; Etenim Hiſtoriam legitote & invenietis, qualiter Michæas à Rege Iſraël & Juda interrogatus, num fortunato eventu bellum contra Aſſyrios aggreſſurus eſſet, primo quidem reſponderit: *Aſcende & vade proſpere*; quod reſponſum haud immeritò admirandum venit, ſiquidem vaticinium iſtud effectu ſuo prorſus caruit; Et ideò merito inquiritur, an Deus huic Prophetæ Achabum vita ſua in hoc bello exuendum eſſe non revelarit? aut vero an idipſum tunc pridem revelarit, poſtquam vaticinium iſtud pronunciatum fuerat? Minime gentium, quin potius Michæas id primitus ex proprio cerebro, citra ullam Dei revelationem, eo præcipuè fine edixit, ut eum ad verba ſua attentum efficeret; blandiri enim & adulari ei voluit, ut eum præſenti mente, audiret majoremque virtutis, quam ei dicturus erat, impreſſionem in eo cauſaret; idque verum eſſe vel ex eo conſtat, quia ſagacitas Regis ex modo dicendi Prophetæ facilè agnovit, Prophetam, ita prout exterius loquebatur, interius minimè ſentire; neque mirum Michæam ab adulatione ſuum ordiri ſermonem, quippe qui quantùm veritas in aulis præcipuè Principum, exoſa ſit, optimè norat; unde & poſtea ingenuè pronuntiatam veritatem dira à Sedecia ſibi inflicta alapa luere debuit; & relicto quod Deus per Michæam veridicè locutus fuerat cœleſti oraculo, conſilium amplexus eſt adulatorum, quorum quadringenti numero erant, atque Michææ viſione quadam mediante manifeſtati fuerant, per quos ſpiritus ille mendax locutus fuerat, qui dixerat... *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarũ &c.* Ubi obſervandum, ſpiritum illum verè Dæmonem, utpote primum hujus vitij adulationis authorem fuiſſe, prout Abulenſis docet, qui ait: *Ipſe erat Dæmon, cui competit officium decipiendi.* At verò quâ ratione Dæmon ille tot Prophetas ſimul & ſemel ſeducere potuit? Non alio ad hoc obtinendum medio uſus fuit, quàm ſola adulatione; Pro cujus rei evidentiâ notandum, quod ſpiritus ille, ut ſacer textus ait, dixerit: *Prophetarum ejus*, i. e. Regis Achab & aulæ ipſius, non verò Dei; Erant igitur hi Pſeudoprophetæ aulici Regis Achab. Quis autem adeò eſt rerum inexpertus, qui neſciat, quod primum in aulis viventium elementum adulatio exiſtat? ſed dices fortaſſe, numquid hi Prophetæ mendaces adeò ſtupidi fuere, ut prævidere non potuerint, quod Regem ſuum in hac occaſione circumveniendo, maximum cauſaturi eſſent publicæ ſalutis damnum & præjudicium? Præviderunt utique, ſed illud ipſum nihil illos commovit, privatum namque quod abinde ſperabant intereſſe, magis illis cordi erat, quam publica Regni totius ſalus.

*3. Reg. c. ult. v.15.*
Veritas in Aulis exoſa.
*Ibid. v.22.*
*Abul. q 12. ibid.*
Adulatione Prophetæ Regis ſeducti.

Adulatio, ruina exercitus.
*2. Reg.11. v.17.*

3. Joab Generalis Davidicæ militiæ Archiſtrategus Rabba locum Ammonitarum fortiſſimum, ingenti cum exercitu obſidebat, quæ tamen obſidio eidem infeliciter ceſſit, nam *egreſſi viri de civitate bellabant adverſus Joab, & ceciderunt de populo ſervorum David, & mortuus eſt etiam Urias Hethæus.* Nec tamen in ſacro textu invenimus Joabum generoſiſſimum illum Iſraëlitici exercitus Ducem ex hac exercitus ſui perpeſſa ſtrage, vel minimum afflictum fuiſſe, quia univerſum exercitum ſuum minutim conciſum fuiſſe æquius ferre poterat, ex eo quod Uriam quoque unà cum alijs interiiſſe intellexerat; jam enim de amoribus qui Davidem inter & Bethſabeam æſtuabant, ſatis informatus fuerat, & vel ex præcepto ſibi impoſito dignoſcere poterat, in hæc namque verba ad eum ſcriptum fuerat: *Ponite Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, ut percuſſus intereat.* Unde nuntio, qui ſtragis perpeſſæ ſeriem ad Davidem deferre debebat, hanc inter cætera inſtructionem dederat: *ſi videris indignari, dices: Etiam ſervus tuus Urias occubuit.*

*Ibid. v.15.*
*Ibid. v.21.*

Adulatores privatum commodum ſpectant.
*Dan.6.*

4. Illi quoque Satrapæ, qui Danieli machinabantur mortem, ut eamdem illi tanto certius procurarent, adulatione pariter uſi fuere, licet irrito effectu, eo uſq; enim induſtriè ab illis laboratum fuit, ut abs Rege publicum ederetur edictum, quo ſub mortis pœna rigidiſſimè vetabatur, ne quis intra triginta dierum decurſum pro quavis etiam cauſa alteri Deo ſupplicationes proponeret præterquam Regi, id quod aſtutiſſimæ adulationis inventum fuit, ſiquidem Regem ſeu Principem ipſimet Deo æqualem cenſeri volebant: at verò quod ſi intra præfatum tempus aliqua exurrexiſſet caritatis annona, vel lues peſtifera vel alia qualiſcumque urgens neceſſitas aut calamitas publica, pro qua tollenda potentia quævis aut conſilium regium minimè ſuffeciſſet, in quam miſerabilem ſtatum in eo caſu univerſa Reſpublica Regni totius redigenda fuiſſet; Hujus nulla prorſus ab [illegible] ratio habebatur, adulatorum namque proprium [illegible] non ad ſalutem univerſalem, ſed ad finem & intentum privatum dirigere oculos.

Adulator in cloaca ſepultus.
*Th. vit. hum. verb. Adulat.*

5. Theatrum vitæ humanæ Pariſijs accidiſſe refert, quod ſequitur: nimirum regius quidam ibidem fuit conſiliarius ſive aulicus, qui Regem ob ærarij ſui exinanitionem, ſolitò mœſtiorem cernens, ut animum ejus ab hac moleſtia liberaret, & lætitia perfunderet, eidem, ut biennio integro omnes, quæ urbi Pariſienſi inferebantur merces, certæ cuidam gabellæ ſubjiceret, cui conſilio Rex acquieſcens, exhauſtum illicò readimplevit ærarium; prædicto verò biennio elapſo Rex nihilominus ab hujus gabellæ exactione non intermiſit, ſed potius eamdem jam introductam deinceps continuavit; quod adulator prædictus videns, ſeque hujus tanti gravaminis cauſam extitiſſe cogitans, omni quidem cum induſtria ejuſdem gabellæ continuationem Regi diſſuadere conatus eſt, ſed fruſtra; unde in gravem incidit melancholiam cordiſque mœrorem, qui eouſque ipſum redegit, ut de æterna ſua ſalute diffidens deſperaverit, ſuumque cadaver in cloacam illam, in quam omnes civitatis illius ſordes deportari conſueverat, ſepeliri juſſerit: *Ut de ſeipſo pœnas ſumeret conſultæ adulationis, ſimulque moneret alios, ne ad eumdem impingerent lapidem.*

Adulatio exterminium Iſraël.
*Pſ.75. 2.*
*Pſ.147.20.*

6. Quis umquam crediſſet, quod unica cauſa, cur populus Dei electus, qui tot retrò ſæculis unicum fuerat gratiarum favorumque cœleſtium objectum: *Notus in Judæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus; ... Non fecit taliter omni nationi*: cur inquam populus ille in ultimum redactus fuerit exterminium & ruinam, ſola adulatio fuerit? Enimverò poſt tot præſagia prophetica verificata, poſt adimpletas tot figuras, poſt tot oracula manifeſtata tandem promiſſus Meſſias in terris viſus eſt, ſed quid demum? *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Quamobrem verò ita ei refractarij fuerunt? nimirum ut Herodi adularentur: Neque enim Chriſti Nativitas, tametſi illa privatim in ſumma vilitate in præſepio quodam conſummata fuerit, ignota illis eſſe poterat, ſiquidem prodigioſa illa ſtella ſuper ſtabulo in quo Chriſtus natus fuit, manifeſtè apparuit, ad cujus aſpectum tres illi Reges Orientales moti fuerunt, ut cum Hieroſolymis natum Judæorum Regem eſſe acclamarint: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Ibidem quoque congregatum fuit frequentiſſimum illud celeberrimumque conſilium Synedrin, ut ex ſacris literis locũ, ubi Meſſias naſciturus eſſet, eruere valerent, ſed quamobrem illi Judæorum ſapientes, tempus & locum Nativitatis Chriſti perſpicuè ſcientes, ad eumdem locum Religionis causâ non acceſſere? cur eumdem non frequentarunt, ut Salvatorem natum venerarentur & adorarent? Nimirum ne Herodem oſtenderent, coram quo id quod maximi momenti negotium erat nimirum quod parvulus ille natus, verus Altiſſimi Filius eſſet, ſubticuerunt; Et quidem dixerunt: *In Bethlehem Judæ* naſciturus eſt, *ſic enim ſcriptum eſt, &c.* at verò non ſubjunxerunt quod vel maximè debebant, nimirum: *Egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis*, id quod illius adeò barbaræ & inhumanæ tot innocentum puerorum ſtragis unica cauſa fuit; Quod ſi enim illi Tyranno innotuiſſet, quod *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia*; nec non: quod *non eſt ſapientia,*

*Joan.1.v.11.*
*Matth.2.v.2.*
*Matth.2.v.5.*
*Mich.5. v.2.*
*Prov.21. v.30.*

E 4 non

Prov.21. v 30.

*non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*, in tantam utique tamque impiam crudelitatem numquam prorupiſſet; Unde factum eſt, quod Judæorum populus, gratiam & benevolentiam Herodis pluris, quam redemptionem propriam æſtimans, Filium Dei in angulo quodam inter beſtias ſolitarium, omnique reverentiâ & honore deſtitutum, tunc & deinceps dereliquerint, ab Herode quodam faſcinati, cujus proinde ſenſibus & intereſſe tenaciter adhæſerunt, ſicut & Cæſari data opera ſunt adulati, unde & ſuo tempore proteſtati fuerunt, dicendo: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.*

Joa.19.v.15

Pilato quoque in majorem Chriſti ignominiam, & ut ſe in majorem Imperatoris gratiam inſinuarent, Chriſti dimiſſionem diſſuaſerunt dicendo, & quaſi comminando: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.*

Joa.19.v.12

Adulatio Græcorum ruina.

7. Eminentiſſimus quoque Cardinalis Cæſar Baronius optimè quoad Græcos obſervavit, quod unica ipſorum ruina & exterminium ab adulatione, quâ Græci Theodori animum demulcere parabant, derivatum fuerit; Quia enim huic Imperatori ut Habitus ſibi & ornamenta Pontificalia aſſumeret, ſuggeſſerant, Deus juſto ſuo judicio lamentabilem ipſorum lapſum permiſit: *Intelligis quo proceſſerit apud Græcos erga Imperatorem adulatio, ut etiam Pontificalia eidem munia credenda putarint: Ut non mirum ſit, ſi diu ſtare non potuerit apud eos ipſum Imperium, vel Sacerdotium liberum.*

Ann. Eccl. ann.692. n.ult. Bar.

Adulatio Idololatriæ cauſa.

8. Porro inter alia graviſſima damna, quæ humano generi ab hoc vitio illata fuere, longè pernitioſiſſimum eſt Idololatria, quæ ſuam utique ab adulatione deſumpſit originem, prouti tum ex prophanorum ſcriptorum teſtimonijs, tum ex traditionibus antiquis, tum etiam ex ſacrorum Doctorum atteſtatione, & vel maxime ab ipſiusmet Spiritus Sancti veridico calamo poteſt eſſe perſpicuum; Nam Sapientiæ 14. ubi indubitata iſthæc veritas aſſeritur, inter cætera narratur, quod dum illis temporibus filius cujuſdam viri prædivitis & præpotentis moreretur, hic tamen dulci & prædilecto filio orbatus Pater quamdam defuncti filij ſtatuam ab induſtrio quodam ſculptore fieri fecerit, ut hac ratione per hujus effigiei præſentiam, ſuam poſſet aliquatenus mœſtitiam conſolari; Servi autem prædicti divitis, ut Domino ſuo adularentur, eamdem ſtatuam genibus flexis adorabant, imo ut Domini ſui cui famulabantur, ſibi poſſent tanto majorem comparare gratiam, incenſa eidem & ſacrificia offerebant. Qui demum cultus ad ipſos quoque Reges & Principes tranſijt qui ſe à ſervis & ſubditis ſuis adorari gaudebant: *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut Regibus deſervientes homines incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt.*

Sap.14.v.15

Dion: Carth. ibidem.

Dionyſius Carthuſianus ait: *Subditi cupientes Regibus ſuis placere vel adulari, aut propria commoda conſequi, ex idolorum formatione aut cultu Deitatem, ſeu ejus appellationem lapidibus & lignis, id eſt, idolis ligneis aut ſaxeis impoſuerunt.*

9. Notandum verò, quòd non ſolùm adulatio ſervorum, verum etiam artificum conductorum eouſque progreſſa fuerit, ut quo ſe in divitum atque potentum benevolentiam magis inſinuarent, effigies illas ſeu ſtatuas vultibus nobilioribus, elegantioribus magiſque conſpicuis condecorare ſoliti fuerint, adeò ut per hoc inſinuarint ſe defunctos illos quoaduſque vivebant, veluti totidem Semideos veneratos fuiſſe. Unde S. Bonaventura ait: *Ille volens placere illi qui aſſumpſit, elaboravit.*

S. Bon. ibid. Lyran.

Lyranus illa verba ſcripturæ; *provexit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia*, exponens, ait: *Ibi ponitur alia cauſa quæ eſt adulatio artificum, & cupiditas, nam volentes placere Regibus & tyrannis, fecerunt eis imagines pulchriores, quam eſſent eorum perſonæ, & ex tali pulchritudine fuerunt ſimplices magis inducti ad colendum tales imagines.*

Hug. Card. ibid.

Hugo Cardinalis ſimiliter ſcribit: *Artificis eximia diligentia tantæ pulchritudinis faciebat imagines idolorum, quod ſimplices qui prius ignorabant, idolatriam, aliquid numinis credebant ineſſe in eis, & ideò adorabant.*

Probatur.

10. Omnibus noviſſima illa Nabuchodonoſori in ſomno indulta viſio immenſæ illius ſtatuæ, cujus myſterium à Daniële optime declarata & expoſita fuit, dicente, quod variæ ſtatuæ illius partes varias repræſentarint Monarchias, quæ tunc in terris potiſſimum vigebant; De Babyloniorum verò Monarchia dixit: *Tu es ergo caput aureum, tu Rex Regum es*, nec tamen per verba illa adulationis alicujus inſimulari potuit, quia protinus ſubjunxit: *Deus Cœli, Regnum & fortitudinem & Imperium & gloriam dedit tibi.*

Dan.2. v. 38. ibid. v.37.

Obſervandum verò, quod dum poſtea ſtatuam quamdam Imperij & Monarchiæ ſuæ expreſſivam fabricaret, eamdem ex puro auro fecerit, tametſi illa, quam in ſomnis viderat, revera talis non eſſet; De hac enim dicitur: *Hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter & fæmora ex ære, tibiæ autem ferreæ, &c.*

Verſ.32.

Et tamen hoc non obſtante in capite ſequenti legimus, ut ſequitur: *Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex*;

Dan.3.v.1.

Neque eamdem dumtaxat ex puro & mero auro erexit, verum etiam eamdem in publicum expoſuit, ut ab omnibus ſubditis ſuis adoraretur tamquam numen quoddam Divinum: adulatio autem omnis hujus mali cauſa extitit: *Accedentes viri Chaldæi... dixerunt... Regi; Rex in æternum vive, ... omnis homo... proſternat ſe, & adoret ſtatuam auream*; quibus verbis eum veluti immortalem deprædicabant: In æternum vive; Et ideò ſtatua ejus ex creta & terra minimè formata fuit; ac proinde ipſum dignum eſſe inſinuabant, qui ab omnibus populis regnique ſui Principibus & Satrapis veluti Deus adoraretur. S. Bernard. Senecam citat ita ſcribentem: *Cum Magnus Alexander in bello vulneratus eſſet, & tandem repreſſo ſanguine, vulneris dolorem ſentiret, ait; Omnes jurant me eſſe filium Jovis, ſed vulnus hoc me eſſe hominem clamat.*

S. Bern. Sen. t.3. ſerm. de deſid. ver. a.2. c.1.

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

Adulatio proprium lucrum & intereſſe loco objecti habet.

### THEMA.

*Os eorum loquitur ſuperba; mirantes perſonas quæſtus cauſa.* Judæ ℣. 16.

Adulatorum propria utilitas ſtella polaris.

1. S. Judas Apoſtolus in Epiſtola ſua Canonica rigoroſum quoddam indicat examen, & ſeveriſſimum adverſus adulatores inſtituendum judicium, qui divitibus & potentibus ob proprium ſuum intereſſe & commodum adulari & blandiri contendunt. Unde Cajetanus ait: *Adulatores ſignificat per modum admirationis, commendantes perſonas utilitatis cauſâ*, ita enim ſuperius adducti thematis verba: *Os eorum loquitur ſuperba* exponit,

Cajet.

Gloſſa interlinearis legit *ſuperbiam*, quia adulatio eo præcipuè connititur, ut alterius faſtum, quoad poteſt, magnificet & extollat.

Gl. interl.

*Mirantes, id eſt*, inquit Lyranus: *mirabiles dicentes perſonas divitum & potentum, adulando enim divitibus & potentibus, dicebant eos facere mirabilia.*

Lyran.

Oecumenius exiſtimat quod *mirari perſonas*, idem ſit, *quod oſtentari Principibus.*

Oecumen. Hug. Card.

Hugo Cardinalis autem pro Ly *Perſonas*, legit, *perſonas majorum Principum*, quia aſſentatores communiter magnatibus & divitibus adulari ſolent, ut ab eis ea quæ ſperant conſequi, ſuumque intereſſe adaugere valeant. *Quæſtus cauſa blandè loquuntur*, (inquit idem Hugo) *dimittentes quod juſtum eſt, vel diſſimulantes, ut ab eis aliquid accipiant, plus ad pecuniam habentes oculum, quàm ad animam.*

Hugo Card. Notent rectores animarũ. Interlin.

Interlinearis legit: *Honorantes in cauſa dilectionis, ſed quæſtus cauſa.* In hoc igitur diſcurſu fuſius conabor oſtendere, qualiter adulatores in vitæ hujus decurſu nullã ſibi ſtellam polarem aliam, quam ſolam utilitatem propriam propoſitam habeant.

2. Salvator noſter de rigore & auſteritate vitæ, quam Præcurſor ejus in Judeæ Eremis ducebat, incidenter loquens ait: *Quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt.*

Matth. 11. v.8.

Circa quæ verba Lyranus ita ſcribit: *ad hoc enim multis magnatibus adulantur, ut cum ipſis commorantes, delitijs utantur, ſed homines veritatis talia aſpernantur*;

Lyran. in Matth. ibid.

Adulatores in Aulis ſunt ſicut tineæ & mures.

Et ideò Baptiſta deſerta inhabitabat, quia Apoſtolica quadam cum libertate veritatem prædicabat, neque umquam pedem ſuum regiæ Herodis intulit, niſi ut eum propter inceſtum reprehenderet, & erubeſcere faceret, adducitque idem Lyranus factum illud à Valerio Maximo de Diogene hiſce verbis relatum: *Quidam Diogeni olera lavanti dixit, ſi tu Dionyſio adulari velles, iſta non ederes; Cui reſpondit: ſi tu iſta edere velles, Dionyſio adulari nolles.* S. quoque Hieronymus optime conſiderat, ne quidem ullam vel minimam adulationis ſuſpicionem in S. Joannem Baptiſtam cadere potuiſſe, aliàs enim pilis camelorum veſtitus, locuſtiſque nutritus, aut in ferarum latibulis vivus ſepultus minimè fuiſſet: *Prædicatio veritatis tale habet habitaculum, qui autem adulatores ſunt & ſectantur lucra, & quærunt divitias, & delitijs affluunt, & mollibus veſtiuntur, iſti in domibus Regum ſunt.*

S. Hier. in Matth. 11.

S. Thomas quoque *adulatores per homines qui mollibus veſtiuntur ſignificari* declarat, hi enim non in privatis pauperum hominum domibus, ſed in magnificis divitum & potentum palatijs communiter inveniuntur. Conſtantinus Magnus

S. Thom. ibid.



Nicep. l.8. c.5 Hiſt. Eccl.

nus, prout Nicephorus refert, adulatores *tineas & ſorices palatij* appellare ſolebat. Sorices enim ſive mures non niſi in locis ubi aliquid ad rodendum adeſt inveniri ſolent, tineæ quoque non niſi in optimis pannis generari ſolent; ita quoque qui ſeſe aliorum genio & affectui inſinuare, alijſque complacere ſatagunt, id non niſi circa illos faciunt, apud quos intereſſe & commodum ſuũ augere ſe poſſe ſperant. *In malitia ſua*, inquit Oſeas, *lætificaverunt*, ſed quoſnam illos? *Regem*, inquit.

Oſe.7. v.3.

Plut.

Plut. de hoc vitio tractans, ita ſcribit: *Pediculi diſcedunt à morientibus, & corpora relinquunt, ſimul atque ſanguis extinctus fuerit, quo nutriri ſolebant: aſſentatores autem videas nec attingere prorſus res aridas ac frigidas; nobilibus potentibuſque imminent, hiſque aluntur.*

Adulatores ſicut umbra. Did. Stel. in c.20. Lucæ.

3. Similitudo, quam ſuperius umbram inter & adulatores intendere diximus, opportunè à Didaco Stella hiſce verbis adducitur: *ſunt iſti ſimiles umbræ, quæ ſi ſtas, ſtat; ſi ſedes, ſedet; ſi ambulas, ambulat; Denique & omnia quæ agis imitatur: ſic adulatores laudant, quæ laudas, vituperant quæ vituperas, & omnia imitantur ut applaudant & decipiant.* At vero quod ad propoſitum noſtrum quàm maximè facit, eſt, quod umbra quævis in tantum ſubſiſtat, in quantum vel Sol relucet, vel lucernæ lumen reſplendet: ita quoque adulatio tàm diu durat, quamdiu in illis quibus placere ſatagit Sol proſperitatis & felicitatis humanæ reſplendet. Vel etiam dicere poſſumus, quod ſicut umbra tua, dum totaliter à Sole illuminatur, geſtus & actus tuos non amplius repræſentat, ſed totaliter te deſerit, & in tantum te ſequitur, in quantum de radiis ſolaribus minus habet: eodem modo adulatores tamdiu geſtus & actus tuos imitantur, quamdiu obſcuri ſunt, id eſt, quamdiu ſunt egeni & inopes, tunc enim in divitum & Principum gratiam inſinuare ſe ſtudent, ut ab iis augeantur beneficijs & exaltentur, ſuoque intento potiantur: at verò mox ut plenè adepti ſunt id quod prætendebant, primi ſunt qui te ſubſannent, dorſumque ſuum tibi vertant.

Adulatores Heliotropia.

4. Poſſunt quoque adulatores Heliotropio haud incongruè comparari, hoc enim faciem ſuam ad eam ſemper partem vertit, quæ à Sole directè aſpicitur: Nocturno verò tempore nec quidquam movetur, idque eo tantum, quia facies ejus à Sole minime irradiatur: ita quoque adulator donec beneficijs abundè ſatis repletus fuerit, Principes laudat, ijſque applaudit: at verò in adverſitatum tenebris eoſdem deſerit, nec videri ſe aut audiri ſinit, ſed totaliter quieſcit, Unde Poëta ille optimè cecinit dicens:

*Tempore felici multi numerantur amici,*
*Dum fortuna perit nullus amicus erit.*

S. Aug. t.10. hom.1.

Et S. Auguſtinus ait: *Ad hoc maximè adulatorum exarſit negotium, qui penè ſemper ne prohibeantur ab opimis menſis apparatiſque convivijs, blandiendo non tacent falſum.*

Ægyptij adulabantur Joſeph.

5. Valdè conſiderabilis eſt exterior illa mœſtitiæ publicæ demonſtratio, quâ Ægyptij in morte Jacob Patris Joſephi lugebant: *Flevitque eum Ægyptus*, inquit ſacer Textus, *ſeptuaginta diebus.*

Gen.50. v.3.

Atque inſuper ſciendum, quod, dum Joſeph inſtantiam feciſſet, ut de licentia Regis cadaver Patris ſui in terram Chanaan, loci adeo procul diſſitum, ſibi transferre liceret; *Ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti.*

Ibid. v.7.

Et tamen ſatis notum eſt, quanta cum averſione & nauſea Ægyptij Judaiſmum exhorruerint: *Illicitum eſt enim Ægyptijs comedere cum Hebræis, & prophanum putant hujuſcemodi convivium.*

Gen.43. v.32.

Econtra verò quando altera ex parte ipſemet Joſeph, qui jure merito Salvatoris Ægypti glorioſum ſibi titulum comparat, mortuus eſt, quænam illos doloris ſigna edidiſſe exiſtimas? quamnam præ ſe tulerunt triſtitiam? quamnam ei honorem, aut quaſnam exequias appararunt? *Mortuus eſt... Et conditus aromatibus, repoſitus eſt in loculo in Ægypto*; nec quidquam de illo ulterius legitur;

Gen.50. v.25.

Imò de ipſo Moyſes in principio Exodi ſcribit: *Surrexit interea Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph.*

Exod.1. v.8.

Quamdiu vivens dominabatur & Regi charus erat, & pro libitu quemvis locupletare & exaltare poterat, omnes propter intereſſe propriũ ei obſequebantur, ipſius ſe genio attemperabant, magnamque in cordibus ſuis de morte patris eorum conceptam ſimulabant triſtitiam, ac demum ſolemnibus adeò funeralibus eumdem honorabant; at verò poſtquam mortuo Joſepho omnis ipſorum ſpes & prætenſio pariter emortua fuiſſet, ne unicam quidem lachrymulam ab eorumdem oculis manaſſe ſcimus, neque aliquod vel minimum gratitudinis ſignum erga eum ab ipſis exhibitum fuit.

S. Bernard. tametſi aulicam vitam ſemper pro viribus fugerit, attamen adverſus vitia vitæ aulicæ mirabiliter ſcripſit: Inter cætera verò ait: *Potentibus omnes invident, omnes adulantur*;

S. Bern. ſer.4. de Aſce.

Pulchrum quoque fuit illud Soloni à Philoſopho quodam datum monitum, dicente: *Non accedendum ad Reges, aut illis placendũ.* Aptius tamen ad propoſitum Q. Curtius ait: *Adulatio perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius aſſentatio, quam hoſtis evertit.*

Q. Curtius.

Berchorius adulantium qualitates hiſce verbis nobis deſcribit: *Hi in auribus divitum cytharizant, favos mellitæ locutionis eructant, caputque divitum oleo adulationis inungunt*; Sed quonam putas fine idipſum faciunt? *ut munera eliciant & emungant*;

Berch. v. Adul.

illumque idem author Deuteronomij textum adducit, in quo inter alia infortunia populo Dei adverſus Deum rebellanti comminata illud quoque prædicitur: *Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quidpiam quoniam vaſtabitur vermibus*;

Deut.28. v. 39.

Eumdemque textum Principibus applicat, quia tametſi multi ipſorum ampliſſimos reditus habeant, *tamen ex illis nullum fructum percipiunt, quia à vermibus, id eſt, à falſis adulatoribus, qui cum eis regnant, qui in ſuis officijs & hoſpitijs perſeverant, totum diripitur, & vaſtatur, ipſique Domini fiunt pauperes, & ſuis divitijs ampliantur adulatores*:

Reges pauperes, Aulici divites.

citatque Alani authoritatem dicentis: *Quid eſt adulationis unctio niſi donorum emunctio.*

Alan.

Adulatores ad ſcelera alliciunt.

7. Sacer textus refert, quod impio & ſacrilego Achab Rege mortuo, *linxerunt canes ſanguinem ejus*, adeoque ad literam adimpletum eſt quod eidem per Sanctum Carmeli incolam, Eliam Prophetam, vaticinatum fuerat, præterquam quod in eo aliud quoque adhuc lateat myſterium, nam *omnia in figura contingebant*:

3. Reg. 22. v. 38. 1. Cor. 10. 11.

per hoc etenim denotabatur, quod unica idololatriæ & impietatis ejus cauſa ab adulatoribus ſuis proceſſerit, quorũ, ut diximus, quadringentos in aula ſua habebat, qui aptiſſime per canes deſignantur, hi enim caudis ſuis abblandiuntur, & applaudunt, ut bolum aliquem reportare poſſint. Unde Steph. Cantuarienſ. ait: *Iſti ſunt canes aulici qui paſcuntur de peccato mali Prælati*:

Steph. Cant. ibid.

Per ſanguinem vero in ſcriptura ſacra iniquitas ſive peccatum intelligitur: *Libera me de ſanguinibus.... Sanguis ſanguinem tetigit*;

Pſ.50. v.16. Oſe.4. v.2.

Hunc ſanguinem canes lingunt, i.e. adulatores ad ſcelera impios alliciunt, iiſque inſordeſcentes in iiſdem fovent, dum vitia illis velut actus quoſdam virtuoſos iiſdem ob oculos ponunt.

Adulatores blandiuntur quamdiu divitias ſciunt.

8. Berchorius modum quo Elephas capiatur recenſet; dicit enim conſtituendas eſſe juxta locum ubi delitescit, duas puellas ſuaviter cantantes, ſic enim Elephas cantus audiendi avidiſſimus obdormiſcet, cui altum dormienti facili negotio lethifer ictus infligi poteſt, ut moriatur: ſanguine autem illius purpuræ tinguntur: idque prædictus author hujus ſæculi Principibus & Magnatibus perpulchre applicat, dicens: *Conveniunt plures adulatores, qui more puellæ ſe præbent, blandos faciunt dormire id eſt, complacere in peccatis ſuis, & ipſos decipiunt taliter, quod ſanguinem eorum, i.e. temporalem ſubſtantiam ſibi attrahunt, & acquirunt.*

Berch. ibid.

Aquario ſimiles.

9. Idem quoque Scriptor eos Aquario ſimiles eſſe notat, qui ſignum quoddam cœleſte eſt, & ſecundùm Poëtarum fabulas, Deorum pincerna fuiſſe dicitur, imò & *ſuper ipſorum manus aquas fudiſſe, & inde totam gratiam acquiſiviſſe, ita ut ob hoc ab ipſis Dijs in cælum fuerit collocatus*, ut dicit Iſidorus. *Sic verè multi ſunt hodie, qui quia Dijs, i.e. Superioribus & Prælatis ſerviunt, diffundendo aquam in eorum manibus, i.e. dicendo verba mollia & adulatoria, ideo ab ipſis in cælum, id eſt, ſtatum dignitatis & ſuperioritatis promoventur.*

10. S. Paulus Apoſtolus ſuo tempore proteſtabatur, dicens: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*:

Gal.1. v.10.

& ideo ad Theſſalonicenſes ſcribens, ſe nullum umquam verbum, quod vel umbram adulationis præ ſe ferret, protuliſſe dixit: *Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis*: moxque immediatè ſubjungit: *Neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs*:

1. Theſſ. 2. v.4. & 5. Aliter fecit quam adul. Paulus. ibid. v.5.9.

adeoque nec ſe adulationibus demulceri patiebatur, neque aſſentabatur alijs, qui ab omni erat avaritia alienus; quia enim hæc in peſſimũ iſtud vitium ut plurimũ inducit, ideo de ſemetipſo dicebat: Omnia arbitror ut ſtercora. Alibi quoq; nempe in Actibus Apoſtolorum ſimilem quamdam effert proteſtationem dicens: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis*:

Act. Ap.20. v.26. & 27.

Paulò poſt vero Apoſtolicæ ſuæ libertatis, qua vitia ipſorum reprehendere, & veritatem ſine ulla aſſentatione prædicare ſolebat, rationem reddit, dicens: *Argentum & aurum aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis, quoniam* ad

Ibid.33.

*ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Hanc quoque eamdẽ proteſtationem ſanctus Propheta Samuel coram populo Iſraëlitico hiſce verbis edixerat: *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſpiam tulerim, aut aſinum, ... ſi de manu cujuſpiam munus accepi: ... teſtis eſt Dominus, ... teſtis Chriſtus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quidpiam.* Atque per heroicum hunc munerum contemptum ſinceram quamdã in vitiis reprehendendis ſemper conſervavit libertatem, adeo ut ne ipſiſmet quoque Regibus ingenuam veritatem rotundo ore edicere dubitarit, non obſtante quod horum unus per multas adulatorias praxes ipſum in ſuas adſciſcere partes conatus fuerit. *Sine me & indicabo tibi quæ locutus ſit Dominus*, inquiebat Samuël ad Saülem Regem: Sicut enim hic populum publicè ſcandalizaverat, ita quoque adverſus eumdem in conſpectu totius populi decretam in ipſum Divinæ juſtitiæ ſententiam promulgavit. Unde S. Greg. ait: *Poteſt hoc verbo adulatoris intentio derideri, qui dum blandimenta laudis placere credit ijs quos laudat, ſe quaſi teneri ijsdem laudibus arbitratur: ſed electi viri cum laudes ſuas audiunt, inter fomenta laudis à rigore juſtitiæ non molleſcunt.*

*1. Reg. 12. v. 3.*

*1. Reg. 15. v. 16.*

*S. Greg. l. 6. in l. 1. Reg. c. 15.*

Veritas potens.

11. In lib. 3. Eſdræ à quibuſdam Darij Regis aulicis, ſive Ephebis dubium propoſitum fuiſſe legitur, quidnam præ cæteris fortius atque potentius eſſe credatur? Erat qui vino palmam cederet: alius illam mulieri attribuebat: Tertius Regem in fortitudine omnibus prætulit: Tandem ultimus rem acu tetigit, qui gloriam & excellentiam hanc veritati attribuit. Verùm inquies, quiſnam uſpiam reperiri poterit tam generoſo ſpiritu, fortique pectore præditus, qui in Regis cujuſdam gentilis aula virtutis alicujus in aula adeo peregrinæ, & magnatibus univerſis execrandæ vel minimam mentionem facere, eamque omnibus alijs rebus, imo & ipſimet Regi anteponere auſit? Pro cujus dubij reſolutione notandum, quod *tertius, qui dixerat de mulieribus, & de veritate, hic eſt Zorobel*, quod nomen, teſte Authore operis imperfecti, in Latina lingua idem ſonat, quod *fruitio poſtpoſita*, & conſequenter per nomen iſtud inſinuatur, quod, qui terrenorum bonorum fruitionem contemnit, gratiamque & amicitiam magnatum, nec non divitias & mundi dignitates nihili facit, ſed bona dumtaxat alterius vitæ, id eſt cœleſtia expectat; talis ſine metu aut verecundia veritatem imperterrito pectore pronuntiabit, nec umquam adulabitur: imò veritatem ipſomet Principe potiorem æſtimabit, cum tamen adulator, qui ad proprium ſuum intereſſe attendit, nullum alium habeat ſibi propoſitum finem, quàm ut ei, à quo beneficium expectat, placere poſſit.

*Auct. Imp. hom. 1.*

## DISCURSUS XI.

### ARGUMENTUM.

Adulatores à Principibus permagni æſtimantur, utpote quorum intellectum excæcant, & veritatem ab ijs abſcondunt, quippe quæ à paucis Principibus libenter auſcultatur.

### THEMA.

*Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Proverb. 30. v. 28.

Adulatio ſimia Regibus acceptiſſima.

1. REx Salomon, cujus aula præ omnibus alijs mũdi Potentatibus florentiſſima fuit, adeo ut etiam ab ultimis mundi finibus ipſas quoq; in admirationem rapuerit ſapientiſſimas mundi hujus Reginas: hic inqua adulatorem ſimiæ ſimilem eſſe dixit, ita enim juxta Hebraicam traductionem hunc textum Janſen. explicat: Et quidem merito habitationem illius aulas Regias eſſe dixit: *Moratur in ædibus Regis.* Adulator enim Principis, cui ſervit, genium æmulari, in ejusque cuncta deſideria & affectus transformare toto ſtudio nititur. Magnatibus quoque nemo alius placet, quam is qui conſolationem eis & gaudium cauſat: Unde fit, quod numquam aut certè rariſſimè veritas in conſpectu Regum ſeſe ſiſtat, ſiquidem hæc ex ſui Natura nequaquam amabilis exiſtit: *Veritas odium parit*, quia ut S. Hier. ait: *Veritas amara eſt, rugoſæ frontis ac triſtis:* Adulatio vero non item, quin potius faciem præ ſe fert exteriori quidem apparentia hilarem, licet ſemper inſidioſam, *calida, blanda eſt adulatio*, & ideo hanc Magnates ſummo ſemper cum affectu & amore excipiunt.

*S. Hier. l. 1. cont. Pelag. c. 9.*

Adulatores Magnatibus grati.

*S. Bern. t. 3. ſer. 3. a. 1. c. 3*

2. S. Bernardinus Senenſis ad illum ſe Iſaiæ textum cap. 13. reflectit, quo dicitur: *Syrene in delubris voluptatum:* Per has verò Syrenas idem S. Doctor adulatores intelligendos eſſe dicit, qui in aulis Principum ſemper commorantur; *Adulatores ſunt in domibus magnatum.* At vero cur domos Principum templa ſeu delubra appellat? Duas præcipuè ob cauſas; quarum prima eſt, quia adulatores in domibus Principum haud ſecus ac in locis ſacris in magna habentur veneratione, omnimodaque ab omni vitio, delicto, & exceſſu immunitate gaudent. Secundò, quia magnates ſe ab illis non ſolùm honorari & adulari, verùm etiam adorari ſinunt, *qui faciunt ſe ſicut idola adorari?* & Principes, qui ejuſmodi aſſentationibus deliniuntur, plurimum ſuſpiciunt, ſummaque in veneratione adulatores habent, eoſdem veluti cœleſtia oracula æſtimantes; eorum *pendent ab ore.*

Adulatores pſeudoprophetæ.

*3. Reg. 22. v. 22.*

3. Quænam cauſa eſt, quod Scriptura ſacra impios ſacrilegoſque Achabi Regis aulicos Prophetas appellet? *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus?* Etenim certum eſſe conſtat, quod in omnibus illis quadringentis adulatoribus, ne minimum quidem pietatis, vel doni prophetiæ veſtigium vel umbra fuerit, ſed potius ideo illos Prophetarum loco habitos fuiſſe dicit, ut Spiritus ſanctus Scripturæ author verbis eorum tantam adhibitam fuiſſe fidem innueret, ac ſi totidem cœleſtes veritates, aut Prophetica vaticinia fuiſſent; Neque hoc ipſum mirum vobis eſſe videatur, ſiquidẽ vitio huic proprium eſt, intellectum eorum, qui adulationibus demulcentur, adeo excæcare ac tenebris ſuffundere, ut verum à falſo diſcernere haud quaquam poſſint.

*Hug. Card. in Pſalm. 48. v. 13.*

Ad dignitatem evectus judicium perdit.

4. Hugo Card. illa Pſalmi verba: *Homo cum in honore eſſet, non intelligit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, exponens, varijs utitur argumentis ad demonſtrandum, quod, dum homo ad dignitatem aliquam aſcendit, omne ſubitò judicium perdat, adeo ut ad agnoſcendam puram aliquam & ſinceram veritatem, ſive ad dignoſcendum ab inconvenienti conveniens, numquam pertingat; & quidem efficaciſſima inter alias ratio eſt iſta: *Propter aſſiſtentiam adulationum laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ.*

*Pſ. 73. v. 14.*

Adulat. Corvi effodientes animas.

5. Regius Propheta David de ſuperbo Pharaone loquens, ait: *Dediſti eum eſcam populis Æthiopum*, eo quod ipſe una cum toto exercitu ſuo, poſtquam Ægyptiorum cadavera è mari ad littora projecta fuerunt, à Corvis depaſtus fuerit: In ſenſu autem ſpirituali, ipſum adulatoribus ſuis in prædam ceſſiſſe dicere voluit, primum enim quod hi cadaver aliquod involantes faciunt, eſt quod oculos eidem roſtro oris ſui adulando eruant. Unde S. Ant. Magn. in Bibliotheca veterum Patrum relatus ait: *Quemadmodum corvi cadaverum oculos effodiunt, ſic adulatores ſuis laudibus hominum animos corrumpunt.* Quiſnam obſecro Moyſe, utpote qui quadraginta annis in aula regia educatus fuerat, prudentior & ſapientior, majorique experientia & integritate præditus reperiri potuit, de quo dicitur: *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum?* & tamen quia impeditioris & balbutientis linguæ erat, id eſt, linguam ſuam in adulatorios ſermones laxare nolebat; Rex autem apertam veritati aurem præbere detrectabat, aſtuti ſerpentis miniſtros ſapientes & maleficos magno huic Prophetæ præhabuit, qui tandem ad eam uſque malitiam invaluerunt, ut nullum eſſe Deum ſuperbo Regi illi perſuadere non dubitarint, unde dixit: *Neſcio Dominum:* & ad Moyſen converſus ait: *Recede à me & cave, ne ultro videas faciem meam.*

*S. Ant. in Bibl. t. 5. ſer. 52. de adul.*

*Act. Ap. 7. v. 22.*

*Exod. 5. v. 2.*

*Exod. 10. v. 28.*

Adulat. ſunt hirundines.

6. Significantur quoque adulatores per hirundines, hæ enim quamdiu æſtatis grata tempora durant, Solque nobis vicinus adeſt, domos noſtras incolunt, noſque cantus ſui modulis & harmonia recreant: at vero hyeme appropinquante aliud magis temperatum clima inquirunt, noſque deſerunt: Idemque nobiſcum faciunt qui adulantur, hi enim quoaduſque ſub polo noſtro proſperitatis temporalis favonium ſpirantem cernunt, nobis applaudunt, deſerunt vero mox ut fortuna proſpera in adverſam commutata ab ipſis notatur. B. Petr. Dam. qui aulæ quoque praxes edidicit, optime notat, quod bonus ille ſenecio Tobias ex hirundinum ſtercoribus oculis ejus illapſis excæcatus fuerit, illamque hiſtoriam noſtro perpulchre adaptat propoſito, ſupponens, quod hirundines leviter volantes, & ſine multo ſtrepitu cantillantes adulatores figurent, *qui dum blandiloquij ſui ſuavitate demulcent, dum adulationis oleo caput audientis impinguant, interiores oculos ne ſolita luce perfruantur, excæcant: tamquam ſtercus oculis ingerunt, dum lenocinantis eloquij quemlibet blanda verboſitate perungunt.*

*S. P. Dam. l. 21. ep. 21.*

Reges in periculo propter Adulat.

7. Regius Propheta David, non quando pecorum ſuorum ſequebatur gregem, ſed quando in throno conſidebat regio glorioſus, anxius & meticuloſus tremebat,



*Pſal. 11. v. 1.*

*Act. Ap. 13. v. 22.*

*Pſ. 100. v. 2.*

mebat, dicens: *Salvum me fac Domine:* Sed quis eſt, qui Davidem virum ſecundùm cor Dei fuiſſe neſciat? *Inveni ... virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas:* numquid ipſemet de ſe ſanctè gloriabatur, dicens: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ?* Et tamen ſummoperè de ſalute ſua anxius formidabat, dicens: *Salvum me fac Domine.* Scitiſne cauſam? Nimirum Regem ſe eſſe conſiderabat, atque inſuper, neminem eſſe ſciebat Regum, qui non blandis adulationibus infeſtaretur, cuique veritatem liberè edicere quis ſibi audiret præſumere. Unde Nathan Propheta ut veritatem Davidi neceſſario proponendam eidem manifeſtaret, quodam uſus eſt artificio, & ut ipſi ſtatus ſui miſeriam, in qua tanto tempore hæſerat, quando peccatis adulterij & homicidij tanto tempore ſine debita pœnitentia immerſus fuerat, in mentem revocaret, haſque ab eo voces, Peccavi: *Salvum me fac Domine quoniam defecit ſanctus*, eliceret, parabolam illam ingenioſè adinvenit: Neque enim Samuel amplius in vivis erat, qui veritatem ipſis quoque Regibus liberè annuntiabat: *Quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum, vana locuti ſunt unusquiſque ad proximum ſuum; Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt: Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.*

*Pſal. 11. v. 1.*

Ingenioſum philoſophi dictum.

8. Ingenioſum utique fuit illud antiqui cujuſdam Philoſophi aſſertum, dicentis: filios Principum & Potentatum ſæculi hujus nihil æque bene addiſcere quàm equos optimè agitare & dirigere: hancque reddebat dicti ſui rationem, quia Præceptores, quibus pro alijs ſcientijs addiſcendis utuntur, ad hoc, ut ipſorum ſibi affectus concilient, & beneficia conſequantur optata ipſis continuò abblandiuntur, eoſque laudant: ſimiliter alij quibuſcum ſeſe in ludis exercere volunt, ſeſe ab illis ſuperari ultrò & deditâ operâ permittunt, at verò equus, qui inter ſubditum & Principem, inter divitem & pauperem nequaquam novit diſcernere, in terram facile dejicit, qui eum regere beneque equitare non novit.

Principibus deſunt veritatẽ dicentes.

*S. Bern. Sen. t. 2. ſerm. 16. a. 2. c. 3.*

9. Refert S. Bernardinus Senenſis certum quemdam Principem intra multorum virorum illuſtrium coronam conſtitutum, die quadam plurimum jactaſſe felicitatem ſuam temporalem, *divitias, delitias, filios, uxorem, familiam, principatum, pulchritudinem, ſanitatem, nobilitatem, famulos, equos, arma, famam, palatia, atque cuncta ſolatia, & totius ſuæ felicitatis abſque defectu gloriam & magnificentiam ſingularem:* Hæc inquam omnia vir ille pleno ore jactabat & magnifice deprædicabat: cum ecce ſubitò aliunde ipſi lux communicata fuit, qua id quod optimum eſt inter omnia creata ſibi prorſus deeſſe probè cognoſcere poterat, quando enim inter alia interrogans circumſtantes, ait: *Quid eſt quod mihi deficiat inter multos Principes mundi?* eidem ex adverſo quidam Sapiens ait: *Domine nihil tibi deficit, niſi qui tibi denuntiet veritatem.* Et quidem S. Bernardinus dicit virum hunc prudentiſſimum hocce reſponſum à ſapientiſſimo Seneca morali Philoſopho didiciſſe, ab illo inquam Seneca, qui Imperatoris cujuſdam, totius quidem mundi hujus Domini, ſed impiiſſimi, ſacrilegi, & ab adulatoribus utique totaliter corrupti aulicus fuit: Hic enim coram prædicto Imperatore adductus, ut ſententiam ſuam ediceret, an ſcilicet ſibi quidquam eorum quæ in votis habere poterat, deeſſet? Reſpondit, *Vis ſcire quid omnia habentibus deſit? qui dicat veritatem.* Id quod diu ante per aliam occaſionem permotus, hiſce verbis quoque edixerat: *Monſtrabo tibi cujus rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit, ſcilicet illum qui verum dicat & hominem inter mentientes ſtupentem vindicet à conſenſu concentuque falſorum.*

*S. Bern. Sen. l. 6. de benef. c. 30.*

Alios noluit quam ſynceros.

*L. 8 c. 14. S. Carolus.*

10. S. Carolus Borromæus in aula ſua nullos ferebat alios, quàm viros ſumma integritate & recta conſcientia præditos, quos pariter arctiſſime & rigoroſiſſimè obligabat, ut eum quotidie in omnibus occurrentibus cum omni ſinceritate monerent atque corrigerent; Neminem in domo ſua umquam hac adulationis pice inquinatum toleravit; Et quidem ut malum iſtud tanto certius evaderet, ſumma cum ſolicitudine metuebat & cavebat omne deceptionis ab hoc vitio imminentis periculum; ideoque miniſtros ſuos in quavis occaſione omni cum ſinceritate & libertate procedere voluit. Inter alia autem, quæ Author vitæ ejus de ipſo narrat, hoc ad propoſitum noſtrum ſpecialiter, ſervit, quod ſcilicet ſe præſente quemdam miniſtrorum ſuorum acerrimè reprehenderit, eo quod ipſi de certo quodam negotio agenti in hæc verba reſponderit: Illuſtriſſimè Domine, Quid hoc in negotio ſentiam, liberrimè edicam; cui Sanctus Præſul ſumma cum emphaſi & energia reſpondit; Ergone non ſemper liberè loqueris? Abſit, quia ſcire te volo quod numquam in amicorum meorum numero recenſeberis, niſi ſemper liberè locutus fueris; neque aliquem amicum meum eſſe cenſebo, qui mecum ſincere non loquitur, ore videlicet detegendo id quod ſentit in corde. Voluitque in hoc facto perſpicuè oſtendere, qualiter tales veri ſint hypocritæ, reprehenſione & pœna acerbiſſima digniſſimi, utpotè plurimorum graviſſimorum malorum certiſſimæ cauſæ: ex alia vero inſinuare placuit; quam ſit in eo qui legem Chriſtianam profitetur, pretioſa ſinceritas & in loquendo ingenua ſimplicitas, nec non quantum conveniat, ut ij qui pro conſilio aliquo dando requiruntur illud ſincero & ingenuo corde expromant, maximè cum ab ijs conſuluntur, qui ſtatibus aut Eccleſijs gubernandis præſunt. Unde bene huc quadrant ejusdem Senecæ verba ad Principes, & alios omnes qui regimini præſunt, multoſque adulatores potius quam conſiliarios circum ſe habent, directa: *Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſervile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetque ſed adulandi certamen eſt, & unum amicorum omnium officium, una contentio quis blandiſſimè fallat.*

*Sen. ibid.*

11. Pilatus Chriſtum in propria perſona, an revera regnum affectaſſet, interrogare voluit, dicens: *Tu es Rex Judeorum?* Cui proinde ſapientiſſimus Magiſter noſter pro tunc reſpondit: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Ad quod reſponſum Judex admiratus eſt vehementer, præcipuè dum idioma hoc audiret hactenus inauditum, quodque nullum prorſus in Regias habere aditum potuit; Unde totus attonitus interrogavit: *Quid eſt veritas?* Mira profecto eſt iſthæc interrogatio. Numquid ergo judex aliquis ſupremus, in cujus tribunali cauſæ ſemper expediuntur graviſſimæ, quidnam veritas ſit ignorat? Ita profecto; nam veritas ab aulis penitus exulat. Notandum verò eſt, quod *cum hoc dixiſſet, iterum exivit ad Judæos*, idque ſine ulla mora vel temporis interpolatione. Verùm inquirendum hic eſſe cenſeo, cur facta hac interrogatione ſe de hac virtute veritatis non permiſerit per ſubſequens Chriſti reſponſum informari, ſed potius propoſitum ſuum illico mutarit? nimirum quia Principes & Potentes mundi hujus nihili illam æſtimant, neque ipſam vel ab ipſamet Divina ſapientia, quæ dixerat: *Ego ſum veritas*; ſcire, diſcere aut agnoſcere quidquam curant.

*Joan. 18. v. 33.*

*Joan. 18. v. 37.*

Veritas exulat, & nihil æſtimatur.

Tria in Aulis deſunt: Amicus ſincerus, Veritas, Aurora.

12. Vir quidam literarum famâ præcellens, cui familiaris admodum erat ad Philippum II. aditus, eidem Catholico Regi dicere ſolebat, quod non obſtante, quod potentiſſimæ Monarchiæ habenas gubernaret, trium tamen bonorum ſummè deſiderabilium fruitione ſemper careret, quorum primum pretioſiſſimo & inæſtimabili cuidam monili æquiparandum eſt, videlicet bonus & ſincerus amicus; ſiquidem Principes non niſi ab adulatoribus ſtipari & circumdari ſolent. Secundum vero bonum veritas eſt, quæ è penetralibus regijs ſemper procul arcetur, aut verò tametſi aures magnatum nonnumquam percellat, cor tamen eorumdem numquam penetrat. Tertium denique eſt pulcher proſpectus, aurora videlicet, hanc enim Principes raro conſpiciunt, eo quod tardius evigilent, aut à lecto ſe proripiant, De quibus proinde locutus fuiſſe videtur B. Petrus Damianus, dum ait: *O infelix & deceptioni ſemper obnoxium humanæ faſtigium dignitatis.*

*S. P. Dam.*

Mirum eſt ſi quis in Aulis qui veritatem aperte dicat.

13. Notabilis profectò eſt phraſis illa, qua ſacer textus utitur, quando nuntium illud refert, quod Regi Ninive allatum fuit de deſolatione toti Ninivitarum populo per divinam Juſtitiam comminata. Cum autem Rex ille, prout multi non ſine fundamento crediderunt, Sardanapalus fuerit, vir ſcilicet convivijs, choreis, prophanis amoribus, cunctiſque gaudiorum mundanorum generibus deditus, mirum profecto eſt, imò impoſſibile, cuipiam non immeritò videri poſſet, quomodo in regiam illius, qui adulatoribus alijſque aſſentatoribus qui in ſuis ipſum delitijs ſemper fovebant, circumquaque cinctus erat, hoc adeò ingratum ſeu potius funeſtum nuntium aditum habere potuerit? Et quidem incertum eſt, quomodo ad aures regias penetrarit, ac proinde de hac re, veluti de miraculo quodam Scriptura ſacra dicit: *Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Nullus enim eſt in aulis Principum, qui mala & diſplicentia illis nuntia inſinuare, veritatemque illis apertè dicere auſit.

*Jona 3. v. 6.*

14. Quam

Sed nemo inventus in Aula Balthaſar. *Dan.5.3.*

14. Quam impium, audax, & temerarium fuit facinus illud, quo Balthaſar Rex ſacra templi vaſa in convivio, concubinis ſuis præparato, verum Iſraëlitarum Deum irridendo, atq; cum tanto Divini cultus ſui contemptu ſacrilege prophanavit? Ergone in vaſto illo Palatio nullus penitus fuit, qui dictum Regem de pœnis ac ſupplicijs à Deo ſuperioribus annis ejuſmodi ſacrilegis, & ſpeciatim de ijs quibus Deus ob injurias ſibi illatas in Nabuchodonoſor Regem horribiliter animadvertit, commonefaceret? Nemo profectò inter tot regni ſui conſiliarios & ſatrapas ingenti numero congregatos os ſuum hac de re aperire præſumpſit; imo omnes ut ei adularentur, malum ejus exemplum certatim fuere ſecuti, adeò etiam ut ad illum monendum opus fuerit, ut prodigioſa manus illius, quæ ex oppoſito illius in pariete, ex improviſo apparuit, ad ſcribendum applicati digiti loquerentur.

*Matth.2.v.2*

15. Mox uttes illi Magi Orientales Jeroſolymis appellentes, interrogarunt: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Concilium Synedrin congregatum fuit, ut conſultis prophetarum Vaticinijs, ubi Chriſtus naſciturus eſſet, inter ſe collatis conſilijs viderent; tandem unanimiter juxta Micheæ Prophetiam illum *in Bethlehem Judæ* naſciturum eſſe dixerunt; *Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquã minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.* At vero quamobrem Concilium iſtud coram Herode abſcondit & ſubticet quod Michæas Propheta ibidem proſequitur, nimirum: *Et egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis?* Reſpondet optimè S. Chryſoſt. *Nequaquam id quod ſequitur addiderunt, in adulationem profectò Regis, ut ad humanæ gratiæ lucrum veritatis damna proficerent.* Viderene vultis damna, quæ ex eo, quod veritatem, quam ab Herode invita aure audiendam eſſe ſciebant, coram eodem celarint, derivata fuêre, nimirum inde ſubſecuta fuit immanis illa & inhumana innocentum puerorum ſtrages, & multa alia quæ eamdem conſecuta fuerunt. Ac proinde Arcadio imperatori prudenter ſuggeſtum eſt ſalutare illud conſilium, quo nimirum adulatorem procul à ſe urgere monebatur: *Sola quippè hæc nec quidquam vigilantibus ſatellitibus imperium deprædatur, niſi enim penitus arceatur, in ima uſque conclavia ſenſim penetrat, Regum nobiliſſimam partem, animum nimirum adoritur.*

*Matth.2.5.* *Matt.2.v.6.* Celata veritas mala adfert. *S. Chryſ.h.7. in Matth.* *Syneſ.l.de regno.*

Exemplum. *Paul.Or.l.6. c.22.*

16. Cum aliquando Auguſto (ita namque de eo Paulus Oroſius prodigij loco refert) in ejus honorem publicè in theatro acclamatum fuiſſet: *O Dominum æquum & bonum!* ipſe protinus, laudem hanc manu pariter & vultus ſeveritate repreſſit, imo die ſequenti publico edicto ſe Dominum deinceps vocari ſeveriſſimè vetuit; Et quidem quàm prudenter hac in re egerit, exitus probavit, quia anno ſequenti feliciſſime in hunc Salvator noſter naſci dignatus fuit, de quo Angeli cecinêre: *Gloria in altiſſimis Deo*, ut per hoc ſoli Deo gloriam deberi innuerent. Unde Author operis imperfecti ait: *Vir ſapiens quando laudatur in facie, flagellatur in corde.*

*Luc.2.v.14.* *Auct.Imp. hom.27.*

Moyſes ab alia noluit nutriri niſi à propria matre. *Prov.1.v.10*

17. Moyſes utique à Deo nobis velut optimi cujuſdam Principis Idea datus eſſe credendus eſt; Hic enim tametſi in famoſiſſima Pharaonis regia per quadraginta annorum ſpatium enutritus & regie educatus eſſet, ab ipſis tamen crepundijs ſeu primis infantiæ annis omnem quantumvis minimam adulationis umbram nauſeavit ſemper & fugit; cum enim hæc proprie in lacte velut in ſymbolo ſuo exprimatur. *Si te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis*; ideo dum à matre in infantilibus cunis ſuper Nilum fluvium expoſitus, & à Pharaonis filia ſubmerſionis periculo ereptus eſſet, quantumvis famelicus & lactis excipiendi avidus eſſet, à nulla tamen obſtetrice Ægyptia, ſed à ſola matre expreſſum lac voluit bibere: *Filia Pharaonis fecit, ut ait Joſephus, multæ Ægyptiæ ei præbuere ubera, quibus avertebat faciem, nolens de illo lacte ſugere, tamquam quæ eſſent, agnoſceret.*

*Ann. Eccl. t.18. an. 1458. nu.41 Rayn.*

18. De Calixto III. quoque in Annalibus Eccleſiaſticis legitur, quod dicere ſolitus fuerit, *ſe natura liberum eſſe, adulandi ſtudio ſervum non futurum, falſa aſſingentes hominibus ſervire, vera referentes imperare, ac Principes ſuas quidem laudes amare, & falſos laudatores irridere.*

*S.P.Dam. ſerm.14.*

19. S. Petrus Damianus cauſam ſciſcitatur, cur S. Marcus præ cæteris Evangeliſtis lapſus Magiſtri ſui frequentiorem mentionem faciat, eumque adeo parce & raro quidem laudibus afficiat, quin potiùs multa ad gloriam ejus ſpectantia negligat. *Perſcrutantes omnes ferè paginas ſcripturarum invenire vix poſſumus, Spiritum veritatis cautius vel circumſpectius per alium quemlibet, quam per os B. Marci fuiſſe locutum*; Nam ubi S. Joannes ſcribit: *Simon Petrus*; S. Marcus dicit: *Ubi autem quidam de circumſtantibus*; *quatenus ſic veritatis hiſtoriam texeret, ut tamen Magiſtri gloriam ſilentio præteriret, ſicque veridici Scriptoris impleret officium, ut perſonæ cujuslibet ignorando favorem, aſſentatoris non incurreret nævum*; Quaſi dicere vellet, ſi Petrum Magiſtrum nimis vel ſæpius laudaſſet, ipſum quoque Evangelium, certo quodam modo per adulationis umbram reddidiſſet.

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

Multa conſiderantur damna, quorum adulatores cauſa exiſtunt. Variæ quoque illorum malæ, indignæ & viles qualitates, nec non quæ ijs inferuntur ſevera ſupplicia exponuntur, & conſiderantur aliqua contra hoc vitium remedia.

### THEMA.

*Quoniam Deus diſſipavit oſſa eorum qui hominibus placent, confuſi ſunt quoniam Deus ſprevit eos.* Pſalm. 52. ℣. 6.

Adulator Pernitioſus. *S.Aug.t.4.l. c.6.*

1. S. Auguſtinus *lib. de Salutaribus documentis* præcitati thematis textum ex regio vate adverſus adulatores citat, & ſubjungit: *Unuſquiſque ad ædificationem, non ad deſtructionem placeat proximo ſuo.* In verbis autem aſſumpti thematis, pœnæ & ſupplicia nobis indicantur, quibus in aſſentatores animadvertere ſolet divina juſtitia, nec non quam coram Deo pariter & mundo ſibi conciliare ſolent, ignominia & confuſio; *Confuſi ſunt; quoniam Deus ſprevit eos.* S. Bernardinus de pernitioſo iſthoc contagio ſcribens, ait: *Nihil Principi pernitioſius eſſe poteſt, quam domeſticus inimicus, hujuſmodi ſunt adulatores, & veritatis occultatores.* Prædictarum vero pœnarum & confuſionum dicti Paraſiti pluribus ex capitibus digni eſſe noſcuntur.

*S.Bern.t.2. ſerm.16.a.2. c.3.*

Adulatores non loquuntur veritatem.

2. Achior Ammonitarum Princeps diſcurſum ſuum in quo ob ſincerè enunciatam Holoferni veritatem ſuperbi & elati illius Sycophantæ guſtui aut genio minimè placuerat, coram dicto Holoferne vix terminaverat, cum ecce omnes ſervi & aulici, ut ſacer textus ait: graviter adverſus eum fuere ſtomachati: *Cum ceſſaſſet loqui Achior,... irati ſunt omnes, &c.* Et quidem unica indignationis hujus cauſa erat, quia veritatem imperterritus dixerat; adulatores autem, ſermonem veridicum ad Principum aures aliquando pertingere pati nequaquam poſſunt. S. Bernardinus Tullij authoritatem quamdam citat, qui dum de hoc vitio tractat, ita ait: *Hoc vitium hominum levium eſt, loquentium ad voluntatem, & numquam ad veritatem.*

*Judith.5. v.26.* *S.Bern.t.3. ſer.de deſid. ver.a.2.c.1.*

Vitia laudant.

3. Porrò adulationis peſſimum vitium inter alia mala quæ ab eo derivantur, hoc quoque præſtat, quod ſcilicet malas vitioſorum inclinationes, inordinatoſque ipſorum affectus foveat & nutriat; Cujus Didacus Stella ſuper illa verba S. Lucæ: *Væ cum benedexerint vobis homines*, hanc tradit rationem, dicens: *Adulatio nutrit peccatum, quia ſicut oleum miſſum in flammam igni eſt fomentum, ita adulatio culpæ.* Iſai. 3. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Eamdem quoque ponderationem Abulenſis de adulatore tractans hiſce verbis adducit, dicens: *Aliquando vitia detegit & commendat, ut magis eis placeat, quorum laudaverit vitia.*

*Did. Stell. in c.6.Luc.* *Iſa.3.v.12.* *Abul.q.9. in c.18.Lev.*

Ficti amici.

4. Salvator noſter, qui *ſciebat quid eſt in homine*, Phariſæorum diſcipulos ſibi adulantes non ſine cauſa hypocritas appellavit: *Quid me tentatis hypocritæ?* hoc enim probroſo nomine illos notabat, non quod id quod ab eis dictum fuerat, nimirum: *Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, &c. verum non eſſet, ſed quia intrinſecus in corde omninò illius quod dixerant, contrarium verum eſſe ſibi perſuadebant. *Propter adulationis vitium vocantur hypocritæ* (inquit Porrecta) *tamquam exterius laudes prolatæ excederent non quidem dignitatem Chriſti ſecundùm ſe conſideratam, ſed opinionem ipſorum viliſſimam de Chriſto interius habitam.* Unde David Rex lamentabatur dicens: *Filij alieni mentiti ſunt mihi, ... & claudicaverunt.* Adulatores namque videbitis fictos ſemper eſſe homines, qui exterius quidem ſalutis veſtræ ſe cupidiſſimos eſſe demonſtrant, vobiſque aſſentantur, cum tamen revera ad ſolum intereſſe ſuum oculos ſuos directos habeant: *Iſti videntur filij fuiſſe diligentes, qui tamen ſunt alieni à vere amando, mentiti ſunt mihi fallaciter adulando.*

*Matth.22. v.18.* *ibid.16.* *Porr.in 2. 2.q.115.a.2* *Pſ.17.v.46.* *Berch.dict. v.adulat.*

Hiſtoria.

Tiberio Imperatore mane quodam Senatum Romanum ingrediente, ex aſſentatorum ſuorum turba non nemo ex improviſo in pedes ſeſe erigens à Cæſare; ut unicuique mentem ſuam libere omnique poſita formidine aperire liceret, enixè poſtulavit; inſuper promittens, quod ſuam quoque animi ſententiam pari cum libertate eſſet pronuntiaturus. Ad quam fauſtam libertate plenam vocem, tanto tempore ab urbe Romana proſcriptam, omnes gaviſi tantiſper reſpirarunt, ſperantes fore, ut eximium quoddam bonoque publico ſalutare audituri eſſent conſilium; at vero dum loqui cœpiſſet fictus hic adulator, mox Tiberium, cæteroquin impium & iniquum ſalutis publicæ hoſtem, ea ſaltem de cauſa reprehendit, quod ſalutis & ſanitatis ſuæ propriæ oblitus, ſtudioſè nimis Reipublicæ communibus neceſſitatibus proſpiceret, nulli labori parcendo.

Adulatores ſe omnibus accommodant.

5. Credibile eſt utique quod; poſtquam Jeroſolyma de veri Meſſiæ natalibus per Magos orientales facta eſt certior, veritatemque illius Oraculis Propheticis exactiſſimè reſpondere vidit, maximo fuerit gaudiò perfuſa, ſiquidem Herodes Rex alienigena erat, ut Abulenſis ſcribit, & ad majorem Judaicæ plebis gloriam ſpectabat; Regem habere Hebræorum ex ſtirpe prognatum, *potiſſimè quia ipſe erat Rex Meſſias, quem lex & Prophetæ prædixerant venturum ad redimendum Iſraël*; & tamen ſacer textus ait: *Turbatus eſt Herodes, & omnis Jeroſolyma cum illo.* Quamobrem exiſtimas? Reſpondet idemmet Doctor biſariam; primò turbatam fuiſſe majorem Civitatis partem; id eſt, eos, qui à Rege dependentes erant, eo quod alio Rege exurgente ſe in ſpe ſua deluſos videbant: Alia verò reſponſio noſtro magis convenit propoſito; Dicit enim *hoc verum eſſè quantum ad adulatores Regis, nam fingunt ſe gaudere de omnibus, de quibus reges gaudent, & dolere de quibus dolent.* Ejuſdem quoque ſententiæ Hugo Cardinalis fuit, dum ait: *In veritate turbati non ſunt, ſed turbationem ſimulaverunt, ut Herodis haberent favorem*; Adulator enim quoad exteriorem affectum & apparentiam ſe guſtui & genio illius quem aſſentationibus demulcere volunt, accommodant, non vero ſecundùm quod interius ſentit & credit.

*Abul.q.25. in Matth.* *Matth.2.v.3* *Hug.Card.*

Adulatores fictores.

6. Poſtquam magnus ille Babyloniorum Rex ex prodigioſo ſomnio habito turbatus, myſterium & ſignificationem illius ſcire quidem percupiviſſet, nec tamen myſterium iſtud à congregatis eum in finem ſapientibus; Ariolis, & Divinatoribus intelligere potuiſſet; Daniel regium quemdam miniſtrum, cui nomen Arioch erat, convenit, eumque rogavit, ut ſe pro ſomnij illius interpretatione, quam certo daturus eſſet, Regi inſinuaret; *Introduc me in conſpectu Regis, & ſolutionem Regi narrabo.* Notat vero Lyranus, regium hunc miniſtrum, ut Danielis petitioni ſatisfaceret, hiſce verbis Regem fuiſſe allocutum: *Inveni hominem de filijs tranſmigrationis Judæ, qui ſolutionem Regi annuntiet:* Et tamen falſum omnino erat quod eum inveniſſet, ſiquidem Daniel ultro & ſponte propria, non requiſitus ſemetipſum ad ſomnium exponendum obtulerat; At verò quidnam hinc edocemur? Nimirum quod *hic eſt modus illorum, qui aſſiſtunt Regibus, fingere illa ſe feciſſè, quæ ſciant eis placere*, ut in majorem ſe gratiam apud illos inſinuent.

*Dan.2.v.24* *Ibid.v.25.*

Adulatores coqui qui cibos præparant ad guſtum. *Phil. Hebr. l.de temul.*

7. Philo Hebræus ingenio ſuo dignam ponderationem adducit, dicit enim, Potipharem Pharaonis Eunuchum, uno eodemque tempore ejuſdem Regis fuiſſe conſiliarium pariter, & coquorum caput ſive præfectum; At verò quænam eſſe poteſt inter eum qui ſana conſilia ſuggerendo inſervit, & alium qui cibis condiendis & præparandis præficitur, proportio? Utique coquus longe alia tractat inſtrumenta, ab ijs quæ conſiliarius uſurpat; Hic enim hiſtorias, annales, alioſque libros pervolvit: ille verò ollas, cacabos, paropſides carnibus, piſcibus, alijſque cibis præparandis adaptat; Et tamen utriuſque conditionem benè conſideranti facile liquet, magnam conſiliariorum magnatibus inſervientium partem eſſe, quæ ſimul etiam coqui officium exercet, id eſt, adulando; eos, quibus inſerviunt, Principes demulcent; ſicut enim coquus nulli rei tantoperè ſtudet, quam ut cibos ad Domini ſui palatum & guſtum præparet; tametſi id ſæpe marſupij proprij ſumptibus, vel etiam cum ſalutis ſuæ periculo faciat; ita quoque multi conſiliarij adulatores non tam veritatis dicendæ, & ſuadendi aut promovendi boni communis curam habent, quam ut ad captandam majorem apud Principes benevolentiam peccantem Principis humorem æmulentur; ejuſdemque guſtui ſeſe accommodent, cum tamen poſtea ad eoſdem deridendos primi exiſtant.

Adulat. primi qui detrahunt. *3.Reg.22. v.38.* *Steph.Cant.*

8. De Achab ſcribitur; quod poſtquam ex accepto vulnere in bello occubuit, linxerunt canes ſanguinem ejus. Per canes autem ut diſcurſu 1. ſuperius probavimus, Adulatores ſignificantur; Unde Stephanus Cantuarienſis ait: *Ij ſunt canes aulici, qui paſcuntur de peccato mali Prælati; vel linxerunt ſanguinem ejus, detrahentes ei in abſcondito.* Ipſi namque primi ſunt, qui ijs quos paulò ante in faciem laudaverant, peſſimè detrahunt; ac proinde S. Hieronymus optime monet dicens: *Ne credas laudatoribus tuis, imò irriſoribus aurem ne libenter accommodes:* illudque monitum tradit, quando de laude & detractione vitanda tractat. Berchorius quoque authoritatem adducit Alani de complanctu naturæ dicentis: *Quid eſt commendationis alluſio; niſi ſuper totam deluſio? quid laudis arriſio, niſi eorum deriſio.*

*S.Hier. in reg.Mor.c.9.* *Berch.lo. cit.*

Adulatores ad omnia ſcelera proni.

9. Nullus excogitari poteſt adeo execrandus exceſſus, quem adulatores committere non præſumant, utpote qui majoris æſtimant gratiam hominum quibus inſerviunt, quàm ipſiuſmet Dei. Sic enim vix ori Henrici II. Angliæ Regis illa incautè forſitan prolata verba exciderant: *Ob unicum ſacerdotem in regno meo quietus non ſum:* cum ecce ſubito impij atque ſacrilegi ſe prodebant viri, qui ad captandam Regis gratiam, S. Thomæ Cantuarienſi mortem, & quidem mortem adeò impiam inferre non dubitabant. Vix Sara mulierum ſpecioſiſſima Ægyptum ingreſſa fuerat; cum ecce regi miniſtri ſeu Principes ſuos in eam oculos conjecerunt, eamque Regi in concubinam præſentarunt: *Viderunt Ægyptij mulierem, quod eſſet pulchra nimis, Et nunciaverunt Principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum*; Neque hoc ipſis feciſſe ſufficiebat, quin potius infami quodam Regi obſecuti ſunt lenonum officio: *Et ſublata eſt mulier in domum Pharaonis* ibid.15. ... *ut aulicorum Principum ſtudia diſcat, qui tantoperè pulchram laudaverunt Regi; per omnia Regum moribus ſe attemperantes illis, qui in domibus Regum ſunt.*

*Gen.12. v.14.15.* *Lipp. ibid.*

Adulat. multa committunt in propriam necem & præjudicium.

10. Poſtquam alter ille Pharao horribili quodam ſomnio, quod ei de macilentis, pinguibuſque vaccis obtigerat; fuiſſet perterritus; ideòque ſtudioſe ſomnij illius ſibi quæſiviſſet interpretem; accidit quod pincerna illius, ut ſimilem Regi ſuggereret artis interpretandi peritum, ea coram Rege recenſeret, quæ ſibi nec non & piſtrini regij præfecto à Joſepho concaptivo eorum, in ſimilium ſomniorum interpretatione fuerant prædicta: At vero notandum eſt, quod non obſtante quod pincerna ille innocenter carceri mancipatus, ac proinde tamquam innocens ab eodem relaxatus fuiſſet; ipſe tamen, utpote adulator, ſe coram Rege potius culpabilem & reum fateri, quam Principem alicujus injuſtitiæ vel imprudentiæ arguere voluit, ſiquidem, teſte ſacro textu ait: *Confiteor peccatum meum: iratus Rex ſervis ſuis, me & magiſtrum, &c.* Ita enim adulatores facere conſueverunt, quævis enim indigna ſibique præjudicioſa committere non erubeſcunt, cuivis ſeſe vilitati ſubjiciunt, adeò etiam ut proprium quoque honorem & æſtimationem nihili æſtiment. Sic enim ſuperbus ille & nimium elatus Davidis Regis filius Abſalon, Patris ſui mortem patienter expectare non valens, paternum invaſit Dominium, ejuſdemque coronas & diademata ſibi uni rapere deſtinarat, eodemque fine magnas adverſus regium Patrem ſuum ſeditiones machinabatur; Et quidem ut ſuum aſſequeretur intentum, ad adulandi ſtudium ſe recepit, ideoque notate ad quantam ſe aſſentator iſte vilitatem & abjectionem demiſerit; Omnibus ad regiam ante Cameram audientiæ cauſa adventantibus obviam humiliter proceſſit, examinariſque quas habebant, cauſis, jus omne illis inaudita altera parte adjudicavit: *Videntur mihi ſermones tui boni & juſti, ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege. ... Sed & cum accederet ad eum homo, ut ſalutaret illum, extendebat manum ſuam, & apprehendens, oſculabatur eum.* Hæcque regium ſuum ſanguinem nimis dedecentia ſubmiſſionis & benevolentiæ ſigna, non ſolis Regni Magnatibus & nobilioribus Proceribus, verum etiam cuivis ſimpliciſſimo plebejo & ruſtico exhibebat; *Faciebatque hoc omni Iſraël venienti ad judicium.* Optimè horum aſſentatorum qualitates & mores B. Petrus Damianus nobis depingit, dum ait: *Humiliantur ut poſtmodum impune ſuperbiant; ſe pediſſequos exhibent, ut præcedant; laboribus atteruntur, ut gaudeant: affliguntur inopia, ut nuptialis edulij continua poſtmodum epulatione turgeſcant, & velut propoſita*

*Gen.41. v.9.10.* *2.Reg.15. v.3. & 6.* *2.Reg.15.6* *S.Petr.Dam. l.2. ep.3. ad Bon.*

*poſita venalitatis menſa fœnerando ſervitio mercantur imperium.* De Ariſtippo refertur, quod cum cuidam qui ſe à Dionyſio Tyranno cui adblandiebatur, ſputo, ſe defœdari & conſpergi ſinebat, idipſum exprobraſſet, hoc ab eodem tulerit reſponſum; Piſcatores aqua ſe marina conſpergi & madefieri permittunt, ut modicum aliquem piſcem capere poſſint, cur igitur me ſputo Dionyſij non ſinam conſpurcari, ut ingentem quamdam balænam capere valeam?

Hiſtoria.

11. *Diſſipavit Deus oſſa eorum qui hominibus placent.* Divina etenim providentia ita circa adulatores diſponere ſolet, ut in hac pariter & in altera caſtigentur. Porro in ſuperioribus diſcurſibus adulationem generico malitiæ nomine compellari vidimus; Unde S. David adulationis & adulantium implacabilis inimicus, Pſalm. 51. ita de ea loquitur: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua, ſicut novacula acuta feciſti dolum.* Hugo Cardinalis ait: *Aqua tepens præcedit raſuram, id eſt, adulatio; Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, ecce tepefactio? Et ipſi ſunt jacula; Ecce raſura.* Quamvis inter novaculam & adulationem hæc intercedat differentia, quod novacula pilos ſolum ſuperficietenus radat; at verò adulatio vivam ipſam carnem penetrat, ipſique animæ ingens damnum, imò ipſiſſimam mortem conciliat; ac proinde velim audiatis, qualia regius Propheta David pauló poſt ſupra dicta verba adulatori promittat ſupplicia: *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem: Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa; Propterea Deus deſtruet te in finem, evellet te, & emigrabit de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* Juſto namque Dei judicio ſuſque deque domus eorum ſubverti videntur, qui adulationibus ſuis, aliquam Reipublicæ pernitiem intulerunt.

*Pſalm. 52. 6.* Adulatores à Deo puniuntur. *Pſ. 51. v. 3. 4.* *Hug. Card.* Adulatio novacula. *Pſ. 51. 5. 6. 7*

12. Eminentiſſimus Cardinalis Baronius de Achatio, qui Zenoni Imperatori adulari ſolebat, refert, quod quia veritatem illi utplurimum celavit, ideò ambo in grave illud fuerint præcipitium collapſi: *Oblitus Apoſtoli admonentis; argue, obſecra, increpa, turpi adulatione connivit; quid enim corrigeret pravos mores Imperatoris Acacius, qui in graviora delicta, nempe in hæreticorum communionem ipſum veluti vinctum ſecum in impietatis profundum adduxerit?* Idem quoque Imperator litteris ad Felicem Papam ſcriptis, ſe juxta Achatij dictamen in actionibus ſuis ſe regulaſſe, eſt proteſtatus, *ſicque plane accidit*, inquit Baronius, *ut dum cæcus cæco ducatum præſtaret, ut in altiſſimam ambo foveam ceciderint præcipites, cum ruina multorum; unus tantum inventus eſt Pelagius Patritius omni laude digniſſimus, qui Zenonem redargueret, cujus rei cauſa ab eodem Zenone juſſus eſt occidi.*

Hiſtoria. *Ann. Eccl. ann. 485. n. ult.*

13. Æneas Sylvius lib. 3. Commentariorum de actionibus rebuſque geſtis Friderici & Sigiſmundi Imperatorum, de ijſdem ſcribit, quod dum Fridericus die quodam aſſentatorem quemdam ſibi adblandientem audiſſet, enormem eidem impegerit colaphum, dicendo eidem: *Cur me mordes adulator?* Etenim velut canes cauda quidem adblandiuntur, cum tamen dentibus carni profunde infixis gravia & noxia vulnera infligant; ſimile quid etiam de Uladiſlao legitur, nimirum eum adulanti ſibi dixiſſe; *Percutientes me repercutio.*

Hiſtoria alia.

14. De Saüle optimè Lyranus notat, eumdem partim ex Philiſtæorum ſagittis, partim verò per proprium enſem ſuum mortuum fuiſſe. Poſt cujus mortem vir ille, qui ut Davidis Regis aucuparetur gratiam ſe Saüli mortem intuliſſe finxit, regiaque eidē Saülis inſignia attulit, verus adulator fuit, & ideò per ipſum *ſignificantur illi, qui per mendacia quærunt placere potentibus.* Qualenam verò ex adulatione ſua præmium reportavit; nimirum funeſtam illam mortis eidem inferendæ ſententiam. *In hoc David dedit exemplum potentibus*, inquit Lyranus, *hujus mundi, ut non ſint favorabiles aut benefici adulatoribus, ſed magis puniant eos, ut juſtitia ſervetur, & terror alijs incutiatur.*

Adulatoris pœna mors. *1. Reg. 31. v. 3.* *Lyr. ibid.*

15. Quando populus Herodi regio paludamento amicto, atque in throno valde magnifico conſidenti, acclamavit: *Dei voces & non hominis*, inquit S. Lucas, *confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, ... & conſumptus à vermibus, exſpiravit.* Idem ille Herodes adeò injuſtam S. Jacobo Apoſtolo necem intulit, nec tamen in eum Divina juſtitia animadvertit; neque eumdem caſtigavit, quando S. Petrum in carcerem conjecit, eumdemque poſtridie crudeli morte interimere decrevit; & tamen tunc ei per ſupplicium & pœnam adeo ſubitaneam, ſeveram atque prodigioſam, ipſum tamquam ulteriori vita indignum è medio tollit. Qua de re Chryſoſtomus optimè ait: *Ultio invaſit illum, quia accepit vocem, quia dignum ſe putavit adulatione.* Nec eſt quod quis mihi illud Chryſoſtomi opponat: *Si illi clamarunt, quid ad hunc? quia accepit vocem*, id eſt, quia adulationi conſenſit, ideo adeò ſeverè puniri meruit. *Per hunc maximè erudiantur, qui temerè adulantur.*

*Act. Ap. 12. v. 22. 23.* *Chryſoſt. ho. 27. in Act.*

16. Optimum nos S. Bernardus docet remedium, ne contagium hoc adeo pernitioſum noſtris ſinamus mentibus irrepere: *Reſpue*, inquit, *blandimenta, adulationibus claude aures, te interroga de te, quia tu te melius noſti, quàm alius. Attende cor tuum, diſcute intentionem, conſule veritatem, tua tibi conſcientia reſpondeat.* Enim vero certum eſt quod Salvator noſter optimè noverit, id quod de eo dicitur: *Alta à longè cognoſcit*, cur igitur diſcipulos ſuos interrogavit, dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis*, quando idipſum jam antea perfectè ſcivit? Et quidem obſervandum eſt, quod in ultimum uſque locum ſuos interrogare diſtulit, donec diceret: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Nimirum in hoc facto Magnates docere voluit, quod prima illis cura eſſe debeat, ut quam de ipſis ſive de eorum actionibus, moribus, gubernandi ratione opinionem & conceptum populus habeat, quid homines extranei & peregrini de ipſis dicant, hi enim utpote non intereſſati, & conſequenter magis ſynceri veritatem ſimpliciter atque ſyncere enuntiant: ultimo vero loco ij interrogandi ſunt, qui ab ipſis dependent, nec non munera atque beneficia ab illis expectant, ut hac ratione hoſce poſteriores cum prioribus confrontando, uter veritatem dicat aut aduletur, perſpicere, ſuoſque defectus & vitia ritè emendare poſſint.

Remedium. *S. Bern. ep. 1.* *Pſ. 137. v. 6.* *Matth. 16. 13.* *Matth. 16. v. 15.*

# TRACTATUS III.
# DE AMBITIONE,
## DISCURSUS OCTODECIM.

DIſcursus I. Lucifer primus ambitioſus fuit, qui ambitionis venenum in cœleſtem pariter & terreſtrem Paradiſum, imò & in ipſum Collegium Apoſtolicum invexit, ac denique ipſummet Dei Filium per idem vitium infeſtare præſumpſit.

II. Ambitio omnium eſt malorum origo, omnique legi naturali & Divinæ renuntiat, cunctarum quoque diſſenſionum, bellorum, ſtragum, hæreſum, Apoſtaſiarum, imò & idololatriæ cauſa exiſtit.

III. Ambitioſi ſe prius dejiciunt, ut poſtea exaltentur atque ad omne malum proclives exiſtunt; Eſtque aulicorum ad honores aſpirantium propriiſſimum vitium.

IV. Effræne dominandi deſiderium intellectum excæcat, eorumque qui ad honores evehuntur naturam & mores in diverſa commutat.

V. Superbi quia terrena avidè nimis concupiſcunt, à cœleſti gloria excluduntur. Unde dignitatum gradus etiam illis, qui ad eoſdem à Deo ſublimantur, periculoſos eſſe ex varijs cauſis oſtenditur.

VI. Sublimia loca præcipitia vicina comminantur, fortunaque quæ hominem exaltat, eumdem pariter deprimit: Ideòque etiam viri perfectiſſimi magnum ſibi ex honoribus periculum conciliant.

VII. Vitam & gloriam mundanam Magnatum ſæculi hujus brevem eſſe oſtenditur, ipſaque dignitatum terrenarum fugacitas & inſtabilitas penitius conſideratur.

VIII. Principes multis ſunt periculis & anxietatibus obnoxij, ideoque numquam ſunt plenè contenti; imo præ cunctis alijs, gravioribus ſemper ſunt inſidijs expoſiti.



IX. Eadem materia ex alijs argumentis fuſius deducitur.

X. Gravitas ponderis, quod honores, qui honos & onus dicuntur, ſecum adferunt, conſideratur, variæque Prælatorum obligationes ponderantur.

XI. Ornamenta Aaroni quondam præſcripta, præcipuè verò ea quibus Epiſcopi uti ſolent, ritus item & Cæremoniæ ſacræ in ipſorum honorem & Reverentiam inſtitutæ eas ſubindicant virtutes, quibus ipſos præditos eſſe oportet, ipſoſque ad majorem perfectionem obſtringunt.

XII. Honores merita ſemper prærequirunt; Et ideo indigni ad honores evecti, ignominiam ſibi majorem adſciſcunt; Cogitandumque illis eſt, quod reverentia illis exhibita, non tàm illis, quam dignitati, quâ præfulgent attribuenda veniat; Pœnæ quoque quibus Deus in ambitioſos animadvertit, exponuntur.

XIII. Textus ille S. Pauli: Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, examinatur; Variæque allegantur plurium ſacrorum interpretum, textus illius expoſitiones.

XIV. Illi qui dignitates fugiunt & accipere detrectant, illis accipiendis digniores, habilioreſque exiſtunt: Pro quo argumento ſuadendo Chriſti, Moyſis, Joſue, Eldat, & Medat, Saülis & Davidis adferuntur exempla.

XV. Multos Dei ſervos oblatos ſibi honores pro viribus reſpuiſſe per varia Sanctorum N. Teſt. exempla oſtenditur.

XVI. Prælaturæ Eccleſiaſticæ à Chriſto non ad Dominium, ſed ad obſequium ſubditorum ordinatæ ſunt; ideòque Dominia etiam ſæcularia, ob onus & obligationes, quas habent annexas, honoratas quaſdam ſervitutis ſpecies eſſe, fuſius oſtenditur.

XVII. Honores ambientibus, omnia periculorum & moleſtiarum genera occurrunt; Eſtque inſuper vana omnis eorum fiducia, qua viris Principibus innituntur.

XVIII. Ambitionis contagium ad omnes etiam viros perfectiſſimos transfunditur, idque verum eſſe Exemplis nonnullis commonſtratur; indicaturque quæ Prælaturis obligatio & periculum adhæreſcat.

## DISCURSUS I.

## ARGUMENTUM.

Lucifer primus ambitioſus fuit, qui ambitionis venenum in cœleſtem pariter & terreſtrem Paradiſum, imo & in ipſum Collegium Apoſtolicum invexit, ac denique ipſummet Dei Filium per idem vitium infeſtare præſumpſit.

## THEMA.

*In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Iſaiæ cap. 14. ℣. 13.

1. PRimum maximeque peſtiferum venenum quod Draco infernalis in Angelicæ humanæque naturæ pernitiem umquam evomuit, fuit ambitio, ac proinde S. Baſilius meritò de ea ita ſcribit: *Diabolica iſta peſtis eſt libidinis dominandi labes, quæ proinde inſigne eſt primæ illius Diabolicæ pravitatis indicium.* Etenim Lucifer pulcherrimus ille Paradiſi Angelus juxta communiorem ſententiam in cœlo creatus fuit: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei.* Fuitque Anteſignanus ſeu potius locum tenens totius militiæ cœleſtis: *Æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in Paradiſo Dei; Cum me laudarent*, inquit Deus apud Jobum, *ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filij Dei;* Quiſnam igitur vel qualis ille dignitatis gradus fuit, ad quem prædictus Lucifer ſeſe evehere contendit? vel quodnam cœlum illud fuit, in quod conſcendere deſideravit: quando cœlo Empyreo nullum ſuperius eſſe noſcitur; Et tamen dicit: *In cælum conſcendam*, id eſt, ut Hugo Cardinalis explicat, *ad Dei æqualitatem ſuper aſtra cæli, id eſt ſuper Angelos.* Cæterum in quonam hæc Luciferi Arrogantia poſita fuerit, Lyranus nobis hiſce verbis manifeſtum effecit. *Voluit præeſſe alijs Angelis, indebitè ſcilicet, ut ſibi exhiberent honorem ſoli Deo debitum, & nulli ſubeſſe.*

Ambitionis author Lucifer. *S. Baſil. c. 10. in conſt. monaſt.* *Ezech. 31. v. 8.* *Ibid. v. 9.* *Job. 38. v. 7.* *Hug. Card. in Iſa.* *Lyr. ibid.*

2. Jam verò certiſſimum eſt, quod ut S. Baſilius optimè notat, *qui in hujus vitij poteſtate eſt, is eodem planè cum Diabolo malo laborat;* Etenim vitium carnis, gulæ, avaritiæ, iræ, aliaque ſimilia impropriè nimis Dæmonis competunt, cum is purus ſit ſpiritus; peccatum verò elationis & ſuperbiæ propriiſſimè. Et ideo illud S. Hilarij axioma meritò in cunctorum ambitioſorum cordibus imprimendum eſſet, ut ab hac ſe peſte tanto facilius expedire poſſent, nimirum: *Omnis ſæculi honor, Diaboli eſt negotium.*

*S. Baſil. ibid.* Ambitioſus idem quod Dæmon. *S. Hil. c. 3. in Matth.*



3. Porro Lucifer per hanc ſublimius ſeſe evehendi fiduciam, tertiam ſtellarum, id eſt, cœleſtis militiæ partem de cœlo detraxit, ac demum poſtquam veneno ſuo naturam contaminaſſet Angelicam, idem quoque venenum in innocentiam humanam transfundere præſumpſit. Unde author Catenæ ſuper illa Geneſeos verba: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, ita ſcribit: *Calamitatis ergo humanæ originem breviter, clarè, ſimpliciterque deſcribit hic Moyſes.* Enim vero homo qui pro reſtaurandis Angelorum ruinis creatus fuerat, in adeo dignum & præcellentem à Deo ſtatum & conditionem ſublimatus erat, ut Propheta Regius ſumma cum admiratione de ipſo dicat: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum; & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Et quidem ſublimem hanc hominis conditionem tanto clarius intelligere valebimus, ſi attenta mente ſupremam illam imaginis & ſimilitudinis Altiſſimi eidem impreſſam, nec non abſolutum in omnes creaturas Dominium eidem à Deo, *Ut præſit*, conceſſum, conſideraverimus; Hoc enim Dominium immediatè poſt ejus creationem ei indultum fuit hiſce verbis: *Et Dominamini* &c. Ac proinde mirum eſt, quomodo ſerpens iſte ambitionis & ſuperbiæ ſuæ venenum eidem inſtillare potuerit? uſus eſt autem hunc in finem ſequenti ſtratagemate; Etenim Protoparentibus noſtris ad ſumendum de illis obedientiæ Creatori debitæ experimentum, eſus pomi arboris ſcientiæ boni & mali a Creatore vetitus fuerat, quâ prohibitione ſuppoſita, ecce tibi ſerpentinum dolum atque aſtutiam, quâ Lucifer uſus fuit, hiſce etenim verbis illos protinus eſt aggreſſus: *Scit Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* At verò dicet hic aliquis, quomodo Protoparentes noſtri hiſce verbis decipi potuerunt? adeò ne cœci erant, ut Divinitatem & ſapientiam increatam ſibi per unius pomi bolum communicari nequaquam poſſe, nullatenus intelligerent? Numquid mortem in caſu deguſtati pomi illis interminatam probè ſatis intellexerant? Ergone majorem fraudulentæ & callidæ cuidam beſtiæ, quam primæ & increatæ veritati fidem adhibuerunt? Enim verò quod Eva ſe ſeduci permiſerit, id quidem ſexus fragilitati & levitati adſcribi poterat, at vero cur ſe Adam ſerpenti iniqua ſuggerenti non oppoſuit? Cur hanc inobedientiam, ſeu, ut melius dicam, præcipitium iſtud adeo exitioſum conjugi ſuæ non diſſuaſit, maximè cum ingens illa miſeria, in quam una ſecum univerſum genus humanum deturbavit, per totam æternitatem deplorari mereatur. Scio equidem quod Cajetanus legat: *Dedit etiam viro ſuo ſecum, & comedit*, verumtamen cum ipſa tamquam uxor marito ſuo ſubdita fuerit: *Vir caput mulieris; ſub viri poteſtate eris;* hoc ipſum quo minus Evæ non contradixerit, minimè excuſat. Optimè igitur Cajetanus ait: *Primum peccatum Adæ negligentia cobibendi uxorem à comeſtione vetiti fructus.*

Ambitionis venenum in homines transfudit Lucifer. *Lipp. in c. 3. Geneſ. v. 1.* *Pſ. 8. 6. 7.* *Gen. 1. v. 26.* *Gen. 1. v. 28.* *Gen. 3. v. 5.* *Gen. 3. v. 6.* *Cajet. in Gen.*

4. At vero quidquid hac de re ſit, hoc ſaltem certum eſt, quod ambitio, quâ uti eis à ſerpente promiſſum fuerat, Deo ſimilis eſſe concupivit, unica & ſola ſuffecerit, ut ambos ſerpens non tantum in ſuam partem, verum etiam ad omne id, quod ab eo prætendebatur, abſque ullo ulteriori diſcurſu inflecteret & permoveret; Enimverò Moyſes Barcephas Epiſcopus Syrus, prouti in Bibliotheca veterum Patrum legitur, ſequentia poſt ſe ſcripta reliquit: *Exiſtimandum non eſt, cibi illius ſapore illectam Evam violaſſe Imperium Dei, ſed quod ſperaret ſe Deam fore, Divinitatemque affectaret, & ipſam ediſſe & viro porrexiſſe;* Verum inquies fortaſſe. Numquid urbanitatis leges ipſam ad hoc inducere debebant, ut pomum quod ex arbore decerpſerat Adæ conjugi ſuo prius porrigeret? Omnino ita eſt; Verumtamen quamprimum ambitio in homine pedem figere incipit, nulla ſive bonorum morum, ſive pietatis ſive naturæ, ſive amicitiæ lex in eodem quidquam obtinere valet; ipſa namque experientia compertum eſt, quod dum de Dominio, vel dignitate adeunda agitur, filij proprios circumveniant parentes, ipſique fratres mutuis ſeſe necibus conficiant, nec eſt ullus Divinæ vel humanæ legis reſpectus, atque ideò Eva, ut ſe marito ſuo ſuperiorem faceret, in acquirenda Divinitate prima eſſe voluit; quem conatum

Ambitione Eva cecidit. *Moyſ. Barc. t. 1. bibli. vet. p. c. 19. de parad.* Ubi ambitio pietas nulla.



dum

dum irritum eſſe conſpiceret, marito quoque manducandum porrexit. Et ideo idem ſupra memoratus Author ait : *Perculſum etiam ipſum Divinitatis ambitione prævaricatum eſſe.*

Ambitio generalis peſtis.

S.Ambr. l.1. de parad.c.12

5. S.Ambroſius de Paradiſo præclarè ſcribens, ſeſe in præſenti materia copiosè diffundit, ſerpentemque infernalem hunc ferè in modum loquentem introducit : *Multas vias habeo, quibus hominem decipere poſſum* ; Verè enim multos poterat tendere laqueos, quibus ambos Protoparentes noſtros prædam ſibi faceret, maximè quando hi duo in toto genere humano ſolitariè ſubſiſtebant; Verumtamen in hoc tam arduo caſu, à quo tantum momenti dependebat, quique ipſum ob totius humani generis inficiendi conſequentiam fortiter adeò premebat, ictu quodam fortiſſimo & ſecuriſſimo uti voluit, perſuadendo nimirum ipſis inordinatum ſtatus & conditionis ſuæ præter fas & vires adaugendæ deſiderium ; unde ſerpentem ita penes ſe ratiocinatum fuiſſe fas eſt credere : *De limo factus eſt, terra ejus mater eſt*, Atque ideo poſtquam non ſolum Evæ, ſed & Adamo, utpote humanæ progeniei primo ſtipiti, validum illum ictum intuliſſet, pernitioſiſſimum illud ambitionis venenum ab illis in omnes ferè tranſmiſſum & transfuſum fuit, ita ut quaſi omnes homines, ſi non multum, ſaltem parum ambitioſi exiſtant. Unde Chryſoſtomus ait : *Nullum profectò pernitioſius vitium eſt, nulla magis violenta perduratio, & quæ ita fermè in omnibus locis magis obtineat, licet alibi magis, alibi verò minus.* S.Bern. Eugenium Papam ad ſtrenuè & zelosè proſequendum vitij hujus exterminium hiſce verbis exhortatur : *Igneſcat zelus tuus, exurgat authoritas adverſus impudentem hanc & generalem peſtem.*

Chryſ. h.2. in ep.ad Tit.

S.Bern. l.de conſid. 1.

Ambitionem in Apoſtolos invexit Lucifer.

6. Enim verò ſuperbus ille Lucifer, præterquam quod aureum illum innocentiæ & juſtitiæ originalis ſtatum, hac ambitionis labe contaminaſſet, inſuper ſanctiſſimam illam & immaculatam ſecundi Adami *de cœlo cœleſtis* ſcholam eodem quoque vitij veneno coinquinare toto animi conatu ſategit ; Etenim ſciendum eſt, quod in eodemmet temporis momento, quo Chriſtus regni ſui inveſtituram & poſſeſſionem adjudicavit, dicens : *Ego diſpono vobis... regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſraël*; invidus quoque & virulentus Satanas ad diffundendum peſtiferum vitij hujus venenum exurrexiſſe legatur, unde Chriſtus eodem tempore ait : *Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum* ; Etenim tametſi Apoſtoli nullam in corde ſuo ambire poſſent dignitatem ſublimiorem, quam eſſet ea quâ æterni cujuſdam Regni conſtituebantur Reges, & in finali tremendo judicio unâ cum ipſo futuri Judices, ſeu Aſſeſſores, *cum venerit in Majeſtate ſua & S.Angelorum:* attamen Luca Evangeliſta atteſtante, *facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.* Ecce tibi igitur quantopere contagium iſtud S.Apoſtolis, Dæmone cooperante, adhæſerit, utpote quibus nequaquam ſufficiebat, quod tanto tempore Divini illius Magiſtri diſcipuli fuiſſent, qui nullam aliam virtutem tanta cum ſollicitudine & cura ſuis inculcare conabantur, quam virtutem humilitatis, cum tamen ipſi ex donis Divinis receptis inaniter extollerentur, dicentes : *Etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis.* Et quidem ſciendum eſt, quod ſerpens ille malignus per plures annos, quibus S.Apoſtoli ſub diſciplina Chriſti permanſerant, nullum umquam ad eos aditum habere potuerit, at verò quamprimum exitioſum hocce ſuperbiæ & ambitionis toxicum ipſorum animis inſtillare potuit, tunc verè *cribravit eos ſicut triticum.* Porro Salvator noſter nullam Apoſtolis virtutem majori cum efficacia & energia commendaverat, quam mutuam animorum unionem, pacemque ac dilectionem reciprocam : *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem* ; & tamen id minimè ſufficiebat ; quo minus ob unicam primatus prætenſionem rixæ inter illos ſeſe proderent & jurgia. *Facta eſt contentio inter eos.*

Luc.22.v.29 & 30.

Luc.22.v.31

Luc.22.v.24

Luc.10.v.17

Joan. 13. v.35.

Omnes rixæ ab ambit. Salm. t.4. tr.27.

7. Doctiſſimus Salmeron, omnes rixas, inimicitias, contentiones ſuam à ſola ambitione originem ut plurimum ducere conſiderans, ita ſcribit : *Hæ autem omnes contentiones ab illa Dæmonis in cœlo originem habent. In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, adeò ut etiam hæc peſtis in ipſa Apoſtolorum pectora penetraverit.*

Chriſtus lavit pedes diſc. ut amb. venenū ablueret.

8. S.Ambr. præclaram nobis rationem aſſignat, cur ſapientiſſimus Magiſter & Dominus noſter diſcipulorum ſuorum pedes paulo poſt ſuſcitatam inter ipſos eam de primatu contentionem lavare voluerit, ſic enim ſcribit : *Adam ſupplantatus eſt à Diabolo, & venenum ei effuſum eſt ſupra pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium Sanctificationis accedat, quo poſtea te ſupplantare non poſſit : Lavas ergo pedes, ut laves venena ſerpentis* ; quaſi diceret : Ideo auguſtiſſimus ille Rex Gloriæ ſe ad viles piſcatorum pedes humiliavit & dejecit, ut diſcipulos ſuos à mortifero ambitionis veneno abluendo liberaret. Notandum eſt enim, quod ex mente & ſententia hujus Sancti, propriiſſimum hujus ſerpentis venenum, ſit pernitioſiſſimum illud ſuperbiæ toxicum, quod primo quidem in cœleſtem, poſtea verò in terreſtrem Paradiſum, demum verò in ipſummet Collegium Apoſtolicum transfundere non dubitavit, imò omnes ſuas vires & nervos in id adhibuit, ut ipſummet Dei Filium, ſi id poſſibile eſſet, hoc veneno inficeret.

S.Ambr. l.3. de ſacr.c.1.

Gen. 3. v.1.

Ambitione Chriſtus tentatus.

9. Enim verò tametſi à Spiritus Sancti veridico calamo ſcriptum eſſe conſtet, quod *ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, hanc tamen aſtutiæ ſagacitatem in ea qua Chriſtum aggreſſus eſt tentatione minimè oſtendiſſe & probaſſe videtur. Etenim in prima tentatione Chriſtum ad convertendos in panem lapides inſtigaſſe legitur, quam quidem tentationem licet opportuno ſatis tempore orſus fuerit, nimirum cum Chriſtus *jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt:* Attamē poſtquam hac in tentatione adeo turpem fuiſſet repulſam perpeſſus, operæ pretium eſſe videbatur, ut ipſum ad opus quoddam longè facilius inſtigaret, cum tamen è contra ipſum ad opus quoddam omninò difficillimum maximeq; arduum inducere molitus fuerit, nimirum ut ſe de templi pinnaculo, ſuper quo ipſum collocarat, protinus in terram demitteret, futurum eſſe perſuadens, ut ipſum per aëra lapſum Angeli manibus ſuſtinerent, ſenſimque in terram uſque demitterent : ac proinde in ea quoque tentatione ſecundam paſſus eſt repulſam : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tandem tertium aggreſſus eſt in Chriſtum directum inſultum, à quo Chriſtus haud dubie, quantum quidem prima facie videtur, longè minus lædi poſſe videbatur, quam in duabus tentationibus antecedentibus : In hujus namque tentationis inſultu Chriſtum ad idololatrandum ſollicitare conatus fuit, quod Chriſto manifeſto horrori eſſe ſciebat ; qua enim ratione Dæmon perſuadere ſibi poterat, ſe à Chriſto adorandum eſſe, quem ipſe horridum Inferni monſtrum, & juratum humani generis hoſtem eſſe ſciebat : Unde ſic arguere licet : Vel Dæmon Chriſtum verum Dei Filium eſſe credidit, vel ſaltem hominem eminenti quadam perfectione & ſanctitate conſpicuum eſſe perſuaſum ſibi habuit : utrumlibet horum dixeris Dæmon ſibi in nullo horum caſuum perſuadere potuit, fieri umquam poſſe ut Chriſtus ad Dæmonem adorandum genua ſua flexurus, vel obſequioſus pedibus ejus advolvendus eſſet. Adhæc multas Dæmon conjecturas habebat, ex quibus ipſum verū eſſe Dei Filium haud obſcure ei licebat colligere, Cœlos namque ſuper ipſo aperiri viderat: æterni quoque Patris vocem hæc verba intonantem audierat : *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui* ; Spiritus Sanctus inſuper in Columbæ ſpecie viſus, clarum & perſpicuum Divinitatis ejus teſtimonium ediderat : imò ipſemet eum Dei filium eſſe multoties ſuſpicatus fuerat, quando ei dixit : *Si Filius Dei es:* Cur igitur adeo temerariam & arrogantem poſtulationem eidem proponere non erubuit ? Enimverò ſi quis amicorum ſuorum alicui diceret : Velim ut protinus centum mihi ſcuta mutuo dones, ille verò ſe excuſaret dicendo, id ſuas prorſus vires excedere, numquid talem mutuatarium ſtultum & delirum eſſe diceres, ſi is majori denuò cum inſtantia majus quoddam mutuum ab eodem urgeret, dicendo, ex quo centum mihi ſcuta mutuo dare non vales ; auctiorem ſaltem pecuniæ ſummam ſcilicet mille ſcuta mihi mutuo dona. Eodem prorſus modo videtur nobis in præſenti caſu noſtro loquendum eſſe, dicendo Tu ô peſſime Dæmon illum nec ad convertendos in panem lapides ; nec ad ſe è templi pinnaculo deturbandum provocare vel inducere potuiſti, qua igitur ratione ſperare potes conſecuturum te ſuum aſſenſum eſſe, ut te adoret. Verumenimvero tota hæc difficultas facile evaneſcet, ſi attente conſideretur quidnam Dæmon Chriſto in hoc ultimo inſultu muneris loco offerendo promiſerit, hoc enim ſibi ultimo loco velut potentiſſimam ſagittam è pharetra ſua depromendā data opera reſervarat : *Oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum*, id eſt, ut Luc.Burg.ait : *Illud opibus clarum, hoc viribus, aliud frequentia populorum, aliud alio conſpicuum, & glorioſum denique quidquid orbe magnificum habet, magnorum* Regum

Matth.4.v.2.

Ibid. v.7.

Matth.3.v.17.

Luc. Burg. ibid.



*Regum ſtrepitus, opes famulitium, palatia, copias, adorantium turbas, obſequia, pompas, triumphos, legationes, numen omnipotentem.* Unde idem Author exiſtimat, Dæmonem irrito licet conatu ſategiſſe, ut interius in Chriſti affectibus excitaret dominandi libidinem, ſed nulla intus cupiditas animum Jeſu pupugit, qui ſenſum nobiſcum communem habuit, non appetitus incompoſitos. Et quidem hoc telo Chriſtum, tametſi hunc ab omnibus alijs pravis affectibus immunem eſſe crediderit, transfigendum eſſe Dæmon firmiter ſibi licet falſo perſuaſit, nam ſoli Dei Filio hoc reſervabatur præ cæteris privilegium, quod ſcil. ab hac macula illæſus ſemper permaneat. Unde Chryſoſt.ait : *Extremum reſervans quaſi quod omnibus valentius eſſe judicaret.* Et Luc. Burg. ait : *Reipſa expertus erat inimicus nihil eſſe tam impium ac nefarium, quod imperij cauſa homines non auderent.* Advertenda quoque hic eſt alia Chryſoſt.ponderatio dicentis: *Pecunias quidem contemnere volenti ſatis eſt facile, honorem autem deſpicere multi laboris indiget, magnæ ſapientiæ, angelicæ quidem cujuſdam animæ ipſam cœleſtis celſitudinis vertiginem tangentis.*

Chryſ.h.13. in Matth.

Luc.Burg.

Chryſoſt. h. 43. ad pop.

10. Hac eadem occaſione obſervandum eſt, quod in Evang. S.Lucæ legitur, nimirum Diabolum dixiſſe : *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum ; quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa.* Meritò enim hic dubitare quis poterit, qua ratione Lucifer hanc ſibi juriſdictionem præſumpſerit, ut dicere auſus fuerit : *Cui volo do illa* ? Numquid verum eſt quod David ait : *Domini eſt terra & plenitudo ejus : orbis terrarum, & univerſi qui habitant in ea* ? Numquid Apoſtolus ad Romanos verè ſcribit: *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo?* Verumtamen in promptu eſt clara ad hoc perſpicuaque reſponſio ; ſi conſideretur, quod ſola ambitio ſive effrenis ſupereminendi aliiſque dominandi pruritus & appetentia ſuam a Lucifero trahat originem, non verò honorum dignitatumque poſſeſſio, & ideò illa, non vero hæc condemnabilis eſſe noſcitur; Conſtat enim Deum omnino velle ut in terris, pro regimine populorum Principes exiſtant, veluti ejus inter homines locum tenentes, tametſi ſuperbiam, faſtum, ambitionem, & inordinatam honorum ſeu principatuum appetentiam abominetur & exhorreſcat. Unde S.Ambroſ. ait : *A Deo ordinatio poteſtatum, à malo, ambitio poteſtatis : Denique non eſt*, inquit, *poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt, non data ſed ordinata.*

Luc.4.v.6.

Ambitio à Lucifero originem trahit.

Pſ.23.v.1.

Rom.13.v.1

S.Ambr. ad Rom.13.v.1

11. Optime S. Hilarius conſiderat, quod Chriſtus Satanam hiſce à ſe verbis repulerit : *Vade Satana. Nam præbuit hujus reſponſionis effectu magnum nobis Dominus exemplum, ut contempta humanæ poteſtatis gloria, & ſæculi ambitione poſtpoſita, ſolum meminerimus Deum & Dominum adorandum.* S.Bernardus in ſermone quodam de Aſcenſione Domini, ubi de hujus Apoſtatæ Angeli ſuperbia tractat, ſalutare hoc nobis monitum relinquit : *Quam pauci*, inquit, *evadunt, quibus non dominandi libido dominetur ? Quem ſequimini miſeri homines ? an non videtis Satanam tamquam fulgur de cœlo cadentem ? nonne eſt iſte mons in quem aſcendit Angelus, & Diabolus factus eſt ?*

Matth.4.10.

S.Hil. can.3. in Matth.

S.Bern.ſer.4. de aſcenſ.

12. Ingenioſa prorſus eſt illa Hugonis Cardinalis obſervatio, nimirum quod Salvator noſter in die Purificationis Mariæ ab eadem matre ſua delatus ſeu portatus fuerit Hieroſolymam : In fuga ſua, qua Herodianam declinavit ſævitiam, abvectus fuerit in Ægyptum ; ac denique jejunans in deſerto delatus fuerit ſupra templi pinnaculum. Porro per Hieroſolymam vita contemplativa deſignatur, quæ pace fruitur & quiete altiſſima : Ægyptus vero vitam præfigurat activam, quæ diſturbijs & inquietudinibus intimè eſt conjuncta. Joan. 16. *In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem* ; Deſertum denique Religionis figura exiſtit, in qua vita in ſancto ſolitudinis receſſu traducitur, & Dæmon continuis victorijs ſubjugatur ; Mons vero altus, in quem Chriſtus à Dæmone tranſlatus fuit, Superioritates denotat & Prælaturas ; Templi verò pinnaculum ſedem denotat ſeu cathedram Magiſtralem, ex qua per Sacerdotes erudiebat populum. *In his quinque locis* (verba ſunt præcitati Eminentiſſimi Cardinalis) *eſt Jeſus, id eſt, Salus ; Unde in his locis quærendus eſt Jeſus ; ſed unde quis portavit Jeſum, & in Jeruſalem, & in Ægyptum, & in deſertum, & quis in montem & in pinnaculum ?* Porrò Hieroſolymam Chriſtus deportatus eſt per S.Joſephum & Beatiſſimam Virginem : *In deſertum deductus eſt per Spiritum Sanctum, ductus à Spiritu. In Ægyptum & in Jeruſalem ſtella maris, & augmentum Fides & Charitas : Spiritus autem Sanctus duxit eum in deſertum : In montem verò & ſuper pinnaculum duxit eum Diabolus ; Ideo timendum eſt tam Prælatis, quam Magiſtris, ne eos Diabolus in montem Prælationis portaverit, & iſtos in ſedem Magiſtralem* ; Cæſarij etenim Arelatenſis veridica ſententia eſt : *Quiſquis ſuperbus eſt, Dæmone plenus eſt.*

Hug.Card.in c.2. Luc.

Dæmon in montem prelaturæ portat.

Joan.16. v.33.

Superbus Dæmone plenus. Cæſ. Arel. hom.23.

DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Ambitio omnium eſt malorum origo, omnique legi naturali pariter & Divinæ renuntiat. Cunctarum quoque diſſenſionum, bellorum, ſtragum, Hęreſum, Apoſtaſiarum, imò & Idololatriæ cauſa exiſtit.

THEMA.

*Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Eccli.10. ℣.15.

1. QUiſquis originem culpæ tam ejus quæ in cœlo, quam quæ in terra commiſſa fuit, attente conſideraverit, hanc utique ab ambitione & arrogantia derivari deprehendet. Unde S.Ambr. in Epiſtola quadam ad Demetriadem ita ſcribit: *Sive in lapſu Diaboli, ſive in prævaricatione hominis, initium peccati ſuperbia eſt.* Gloſſa quoque quanta ſit vitij iſtius malignitas hiſce verbis declarat, dum ait : *Superbia eſt, ſi creatura velit æquari Creatori, hæc & Diabolo & homini fuit initium perditionis.* Demum verò peſſimam quamdam valdeque execrabilem, adulteramque recenſet generationem ab execrando ſuperbiæ vitio progerminantem, dum ait, *De ſuperbia naſcuntur hæreſes, ſchiſmata, detractiones, invidia, verboſitas, jactantia, contentiones.* S.Gregor. qui ne ad Pontificatum promoveretur, ab hominum ſe oculis in occulta latibula ſe ſubduxit, inquit : *Numerari culpæ nequeunt, quæ habendæ poteſtatis amore perpetrantur :* Moyſes poſtquam in regia Pharaonis ſolidos quadraginta annos demoratus, varia magni ponderis & momenti munia adminiſtraſſet, ſeſe tamquam exiſtimatum filiæ Pharaonis filium, Sceptri regij proximum hæredem eſſe videns, *Negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis.* Notandum verò eſt quanam Phraſi Apoſtolus Regni illius Ægyptiaci imperium circumſcripſerit : *Magis*, inquit, *eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem :* quibus verbis juxta Theophylacti expoſitionem regni illius Dominium, generico nomine peccati exprimit: Per temporariam peccati jucunditatem, regiarum delitiarum communicationem declarat. S.Bern. qui oblatis ſibi Epiſcopatibus nuntium ſæpe remiſit, Hydram hanc multis eſſe capitibus inſtructam, ſequentibus verbis inſinuat: *Ambitio mater hypocriſis, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, vitiorum origo.*

S.Ambr. l. 4. ep.33.

Gl. ord. ibid. in c.10.

Superbiæ proles.

S.Greg.l.24. moral.c.ult.

Ambitio innumerabiles facit culpas.

Hebr.11. v.24.

Theophyl.

Origo omnis mali ambit. S.Bern. ſup. Pſ. qui habit.

2. Porro circa aſſumpti thematis verba dubium quoddam ſubnaſcitur, nimirum qua ratione faſtus & ſuperbia omnis mali principium appellari poſſit, cum ex mente ejuſdem Spiritus S.Pauli Apoſtolico calamo ſcriptum eſſe conſtet : *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Cui dubio S.Greg. aptè reſpondet cum ait : *Cum ſcriptum ſit, Radix omnium malorum eſt cupiditas, cui cupiditas Dominij dominatur, ſubjectus procul dubio malis omnibus demonſtratur.* Eadem quoque difficultas à S.Auguſtin. mota fuit cujus authoritate Gloſſa utitur, dum ſcribit in Eccleſiaſtici textum præcitatum, dicit enim: *Si initium omnis peccati ſuperbia, radix omnium malorum ſuperbia eſt*, quaſi diceret, non igitur initium omnis peccati cupiditas vel avaritia eſt: Eamdem verò difficultatem præcitatus Doctor optime ſolvit, dum ait : *Quid eſt avarum eſſe ? progredi ultra quam ſufficit : Adam per ſuperbiam cecidit, initium omnis peccati ſuperbia, numquid avaritia ? Quid avarius illo, cui Deus ſufficere non potuit ?* Valde conſiderabile eſt, quod Joſephus Hebræus de Archelao Herodis filio refert, nimirum quod cum is de gravibus quibuſdam delictis apud Imperatorem accuſatus eſſet, quorum idem nonnullorum quidem judicio reus, aliorum verò ſententia innocens eſſe judicabatur, verum ex mente eorum qui cauſæ illius examinandæ præfecti Judices erant, vera exiſtimabantur delicta ab illo patrata, etiam illa quæ eidem per calumniam fuerant impoſita : Et quidem ob hunc præcipue reſpectum : *Credibilia videbantur, ſcilicet propter naturam ſui, quod fieri poſſe judicabant à juvene tam accenſo regnandi cupiditate.* Unde Didac.Stella optime hunc in modum ſcribit : *Eſt adeo deteſtabile vitium ambitio, ut ex ejus cupiditate quodvis malum poſſit præſumi : nullum eſt flagitium quod ambitioſus facere non tentet.*

1.Tim.6. v.10.

S.Greg.l.15. mor.c.12.

Gloſſ.in Eccl. c. 10.

S.Aug.loc. cit.

Joſ.Heb.lib. antiq. 17. c.14.

In ambitioſis quodvis malum præſumi poteſt.

Did. Stell. in c.22. Luc.

3. Salvator noſter in ultima Cœna Apoſtolis ſuis ſe ab aliquo de ipſorum numero tradendum eſſe prædixit: *Veruntamen væ homini illi, per quem tradetur: & ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet?* Numquid forte ut hunc explorarent, uter ipſorum magis invidus eſſet, examinarunt? *Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum?* aut verò ad hoc reſpexerunt, quis ſcilicet vindictæ appetentior eſſet? aut quis ad avaritiæ vitium, cenſeretur eſſe pronior? Nequaquam, quin potius traditor ex majori præ alijs ambitione dignoſcendus erat: *Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.* Unde idem jam citatus Stella ait: *Non poterant excogitare nec credere, in eorum gremio eſſe aliquem, qui tam flagitioſum ſcelus aggredi auderet, ſcilicet vendere magiſtrum & tradere, niſi tantum illum, qui major omnibus eſſe vellet, nam caſu quo quis primatum tenere cuperet, ex conſequenti de morte Chriſti agere deberet, ut cæteris præeſſet.* (*Ex vobis unus Diabolus eſt*) inquit de traditore ſuo Salvator noſter. De ambitioſo autem ex mente S. Baſil. ſuperius aſſeruimus, quod *qui in hujus vitij poteſtate eſt, is eodem plane cum Diabolo malo laborat: Qui autem ab eo captivi tenentur, eos invidos, contentioſos, inſimulatores, impudentes, calumniatores, aſſentatores, humiles ubi non convenit, illiberales, glorioſos eſſe conſtat.*

*Luc. 22. v. 22. & 23.*
Judas ex ambit. dignoſci poterat.
*Luc. 22. v. 24*
*Joan. 6. v. 71*
*S. Baſil. c. 10. in conſt. monaſt.*

4. Habent plerumque omnia bella, inimicitiæ, rixæ, diſſenſiones ſuam ab Ambitione derivatam originem: Unde Rupert. Abb. Tuit. illum Baruch Prophetæ textum: *O Iſraël quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus, magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus*, citans, optime notat, quod idem Propheta paulò poſt immediatè ſequentia verba ſubjungat: *Ibi fuerunt Gygantes nominati illi, ſtatura magna, ſcientes bellum.* Unde dicit: *Profectò ſuperbiam illorum nomine Gygantum congrue ſignavit, magnitudinem quoque immanitatem rebellionis eorum, qua contra veritatem rebellaverunt, miro modo tam propriè quam breviter expoſuit dicendo, ſcientes bellum.* De ſuperbis quoque ſpiritibus illis, qui ad Thronum uſque Altiſſimi aſcendere, ipſique Altiſſimo ſimiles fieri velle præſumebant, dicitur: *Factum eſt prælium in cœlo.* Porro ſicut Gygantes ſtatura ſua alijs ſuperiores exiſtunt, ita quoque ambitioſi cunctis alijs ſupereminere volunt: Et ſicut de Gygantibus dicitur quod ſint ſcientes ſeu diligentes bellum, ita quoque contentiones, & rixæ, ſeu bella ſuam habent ab ambitione honorum & præeminentiarum originem.

Bella & rixæ oriuntur ab ambit.
*Bar. 3. v. 24.*
*Rup. Abb. l. 1. de vict. ver. c. 14.*

5. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem:* Porrò fulgura & fulmina, baliſtæ cœlorum dici poſſunt: Et ideo quando Chriſtus dicit: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*, idem eſt, ac ſi diceret: Superbus ille & arrogans de cœlo in terram inſtar alicujus è baliſta ejaculati fulminis præcipitatus fuit, in ſignum quod omnes ſuos conatus in id dumtaxat directurus eſſet, ut mediante ambitione rixas, diſcordias & contentiones jugiter ſeminare poſſet. *Inter ſuperbos* (inquit Sapiens) *ſemper jurgia ſunt.* Did. Stell. illa S. Luc. verba: *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur major*, ponderans, ita ſcribit: *Habes hic, ex quo fonte bella & diſſidia oriuntur, nempe ex ambitione. Hæc fuit cauſa quod Romani totum orbem macularunt ſanguine humano*, Imò quòd valde deplorandum eſt diſcordiæ, rixæ & diſſentiones etiam inter Prælatos Eccleſiaſticos propter præcedentiam quam ambiunt ſæpenumero locum habent. Unde Salmeron ait: *Omnis in Eccleſia Dei tentatio & altercatio de ſedium eſt primatu & eminentia: Videas enim Principes hujus mundi de loco certare inter ſe, & cum Eccleſiaſticis: Videas Eccleſiaſticos de eadem re contendere: Videas etiam interdum ipſos religioſos, qui mundi contemptum profitentur, contentioſè inter ſe de honore loci decertare.*

*Luc. 10. 18.*
Probatur.
*Prov. 11. v. 10.*
*Luc. 22. v. 24*
*Did. Stell. in c. 22.*
*Salm. t. 4. tr. 27.*

6. Origenes cum ſolita ſtyli ſui gravitate optime conſiderat, ad quantam effrenis illa & inordinata Herodis ambitio impietatem in barbara illa & inhumana innocentum ſtrage pervenerit: *Multi*, inquit, *multas iniquitates facere feſtinarunt, iſte autem nequiſſimus Herodes, in peſtifero ambitu cordis ſui omnium facinorum crimina ſupergreſſus eſt.* Effrænis etenim hæc paſſio omnem ſuſque deque invertit naturæ legem, ipſamque in faſcijs ſuis etiamnum involutam extinguit innocentiam: Et tametſi crudelitate ſua innumeros in regno ſuo ſubditos amitteret, hanc tamen irreparabilem jacturam minimè curabat, ſicut nec quod omni exutus humanitate, quamdam tygridis truculentiam & ferocitatem indueret. Pharao quoque ab eodem gloriæ appetitu diu ante agitatus, in ſimilem quemdam prorupit exceſſum, ſiquidem cunctos ex populo Dei genitos infantes in Nili aquis ſubmergi præcepit: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen projicite:* Et quis eſt qui neſciat, quam frequenter crudele illud Ottomannicum Imperium innocentem prorſus ſanguinem effuderit, barbaraſque & inhumanas in proximo ſanguine conjunctis parentibus, fratribus videlicet, filijs, imo & in proprijs ſuis genitoribus ediderit ſtrages, ut ſeſe in Imperio ſive ut melius & verius dicamus in Tyrannide ſua tanto firmius ſolidiuſque ſtabiliret. De impiiſſima illa Athalia ſacer textus ſcribit: *Interfecit omne ſemen regium.* Sed quo putas fine? *Porro Athalia regnavit ſuper terram.* Legatur libri Judicum caput nonum, invenietis enim qualiter Abimelech tametſi Gedeonis filius ſpurius eſſet, ad uſurpandum ſibi Regnum, *Venit in domum Patris ſui, ... & occidit fratres ſuos filios Jerobaal ſeptuaginta viros ſuper lapidem unum.* Denique Jehu tametſi ad caſtigandam impiam Achabi ſtirpem tamquam Divinæ Juſtitiæ Inſtrumentum à Deo ipſomet ad dignitatem regiam evectus eſſet, attamen ut propriæ ambitioni qua cor ejus agitabatur, nec non politicæ rationi ſtatus nonnihil inſerviret, ad ſtabiliendam Imperij ſui pacificam poſſeſſionem, in Samariam hiſce verbis transſcripſit: *Si mei eſtis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum Domini veſtri, & venite ad me hac eadem hora: ... Occiderunt ſeptuaginta viros, & poſuerunt capita eorum in cophinis.*

*Orig. hom. 3. in div.*
Ambitio crudelis.
*Exod. 1. v. 22*
*4. Reg. 11. 1. ibid. v. 3.*
*Jud. 9. v. 5.*
*4. Reg. 10. v. 6. & 7.*

7. Equidem quod effrenis ille Ambitionis appetitus non ſolùm leges naturales, ſed etiam & quidem multo amplius Divinæ legis ordinem probroſe conculcet & pedibus ſubſternat, ipſa nos docet experientia, non ſolum in tertia Angelicarum Hierarchiarum adverſus Creatorem ſuum rebellantium parte, verum etiam in primis parentibus noſtris etiamnum in nobiliſſimo Innocentiæ ſtatu conſtitutis. Sic quoque ingentem reperietis Hæreſiarcharum numerum, qui ea ſolùm de cauſa ab Eccleſia Romana turpiter apoſtatarunt, quia honores illos & dignitates quas arroganter ambiebant, aſſequi non poterant. *Aërius Hæreſiarcha* (ut de eo tradit Epiphanius) *homo procax, eo quod non potuerit creari Epiſcopus, ſed Presbyter ſemel ordinatus, ſemper in ea functione permanſerit, dicere non eſt veritus, nihil prorſus inter Epiſcopum & Presbyterum intereſſe.* Arius, qui Arianæ hæreſeos caput & author extitit, toto animi conatu in Patriarchali S. Petri Alexandrini ſede ſuccedere ſtuduit; ita enim de eo refert Tertullianus contra valentin. c. 4. quod Epiſcopatum ambiens, *quia & ingenio poterat & eloquio, ſed alium ex martyrij prærogativa loci potitum, indignatus de Eccleſiæ authentica Regula abrupit (ut ſolent animi pro prioratu exciti præſumptione ultionis accendi) ad expugnandam converſus veritatem.* De ejuſdem Tertulliani, qui hæc ſcripſit, turpi lapſu ſequentia Baronius aſſerit: *Lapſum ipſius poſt ejus Pontificis mortem contigiſſe oportuit ſub Victore gentili ſuo, nam & ille, cujus & ipſe, Afer erat: indigne fortaſſe tulit, illum ſibi honore prælatum, vel quod ab ipſo non in eo, ut ſibi præſumpſerat, haberetur honore.* Pamelius in ea eſt opinione, Tertullianum ideo ab Eccleſia defeciſſe, quod ab Epiſcopatu Carthaginenſi turpem paſſus fuerit repulſam. De Novatiano hæreſiarcha Annales Eccleſiaſtici pariter atteſtantur: *Ne in Eccleſia inglorius haberetur, qui inter Ethnicos magnam fuerat gloriam conſecutus, Romanus Pontifex voluit eum inter Romanæ Eccleſiæ Presbyteros cooptare, ſed qui ſemel fuerat ambitionis ſtimulis agitatus, eo infelix abductus eſt, ut quod jure non licuiſſet, malis ſibi artibus Pontificiam dignitatem procaciter arrogaret.* Factus eſt igitur Antipapa, varioſque in diverſas partes miſit Legatos, multaſque diverſis Eccleſijs impoſuit communiones falſas fictaſque S. Cornelio Papæ opponens calumnias.

Ambitio Hæreſis Cauſa.
*Ann. 58. n. 4. Baron.*
*An. 145. n. 1.*
*An. 201. n. 9.*
*Ann. 254. n. 77.*

8. Percelebris illa PP. Capuccinorum religio inter alios primos fundatores, qui in ea inſtituenda & promovenda graviter laborarunt, Ludovicum quoque habuit de Foſſambruno, qui munus Commiſſarij Generalis multis annis in ea laudabiliter adminiſtravit, varioſque pro illius reformationis ſtabilimento ſuſtinuit ſqualidos carceres aliaſque ſine numero injurias: at verò cum in quodam Capitulo Generali ſe ſimularet ex deſiderio religioſæ quietis à munere Commiſſarij Generalis totaliter alienum, tametſi id interius minime ſentiret, jamque alius in ejus locum electus fuiſſet, omnem ſubitò verſus ſuperiores ſuos depoſuit obedientiæ reſpectum, & obedire detrectans, in præſentia omnium fratrum publice conſcenſo pulpito, dixit: Ego ſum Ludovicus ille de Foſſambruno, ego Ludovicus Tanaglia, multa hactenus machinatus ſum, pluraque machinari prævaleo, & machinabor deinceps quamplurima, ad quorum famam ſive rumorem pili capitis veſtri erigentur, prout revera poſtea ab ipſo factum eſt, ſiquidem multas tandem excitavit in Religione ſua ſeditiones, à qua tandem turpiter & ignominioſè expulſus fuit.

Hiſtoria de ambitioſo PP. Capuc. Commiſſario ab Ordine pulſo.



9. Numquid itidem totius Regni Anglicani horrenda ab Eccleſia Catholica apoſtaſia, ſuam ab uno ambitioſo viro traxit originem? Thomas Eboracenſis quem Henricus VIII. dilexit plurimum, univerſum Regnum non ſine ingenti Reginæ nauſea & diſplicentia gubernavit, qui tandem dum Reginam ſibi adverſari animadverteret, ideòque regimen ſuum diu continuari non poſſe metueret, hoc fortunæ ſuæ impedimentum è medio tollere decreverat: Ac proinde dum Regem certam quondam nobilem puellam, cui nomen Anna Bolena erat, ardentiſſimo amore deperire adverteret, adeo ut is indubitaret in caſu deficientis Reginæ eam ſibi matrimoniali vinculo copulaturus eſſet, ambitioſus hic Aulæ regiæ miniſter hac ſibi percommoda occaſione utens, tandem Regem convenit, eique dixit; quod jam dudum ſæpius ſibi quoddam ſummi ponderis & momenti negotium propoſuiſſet detegere, nec tamen id facere auſum fuiſſe, eo quod an negotium iſtud Regiæ ejus Majeſtati placiturum eſſet, ignoraret; Cumque Rex ipſum ad negotium illud liberè & ſine formidine detegendum animaret, tandem ſubjunxit; Quotieſcumque Regiæ Majeſtatis Veſtræ præſentem, in quo eſt, ſtatum conſidero, intime eidem compatior, eò quod continuata quadam mortali culpa eamdem illaqueatam eſſe cernam, propter carnis commercium quod cum Catharina Regina utpote quondam fratris ſui Arthuri conjuge eidem intercedit: Neque Regem ob diſpenſationem à Summo Pontifice factam ab eadem culpa immunem cenſeri poſſe, eo quod eam contra jus divinum dare minime potuiſſet, idque ſibi ex Theologorum Scriptis adeo certum videri & evidens, ut ea de re dubitari deinceps neutiquam poſſit: Quamobrem deſideratam ſæpius cum Anna Bolena matrimoniali fœdere ſeſe copulandi occaſionem præſto eſſe cernens, ut effrænibus appetitibus ſuis viam ſterneret, ſine omni impedimento patulam, repudiata Catharina Regina ſua, Annam præfatam in conjugem ſibi adoptavit; unde conſequenter factum eſt, quod à Romani Pontificis obedientia ſe ſubduxerit, ac demum conſecuta eſt exitioſa illa totius Regni Anglicani Apoſtaſia & horrenda defectio: at vero cum veriſſimum ſit quod Pſalmiſta ait; *Comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant*; dum impius vir ille ſeſe per hoc immane facinus iſtud, in eo quod hactenus invita Regina continuaverat Regni Anglicani moderamine ſtabilire niteretur, ne deinceps regiminis illius ſibi metuendus eſſet interitus, protinus ejuſdem Bolenæ adhibita opera ſumma cum ignominia depoſitus, ac tandem velut homo deſperatus mortuus fuit.

Ambitio Apoſtaſiam cauſat.
*Pſ. 10. v. 2.*

10. Populum Dei electum bina vice idololatraſſe, ſuaque coram bove conflatili cum æterna ſui infamia, genua flexiſſe legimus: *Hi ſunt Dij tui*, ſcilicet ſemel in deſerto, & iterum ſub Jeroboam Rege. Verumenimverò valde mirandum venit, qua ratione Summus Sacerdos Aaron in petitionem quamdam adeo impiam atque ſacrilegam, qualis erat illa, qua idola fabricandi licentia poſtulabatur, conſentire potuerit: Et tamen certum eſſe conſtat, quod ne vel unico verbo eorum petitioni contradixerit, quin potius ſine ulla reſiſtentia vel oppoſitione, armillas & inaures ſuo juſſu allatas in ignem conjecit, *& fecit vitulum conflatilem.* Ubi Cajetanus ait: *Ecce quò ducit Principatus ambitio:* Ab illa namque ſuprema dignitate deponi timuit, ideoque ne id fieret, in ipſorum quantumvis impias poſtulationes conſenſit. Jeroboam ex natalibus valde humilibus oriundus erat ſervus nimirum Salomonis, Deus autem ad univerſarum tribuum Iſraëliticarum, ſola tribu Juda excepta, regendum Imperium eum evexit: ſed quam putas eum pro tanto beneficio Divino benefactori ſuo rependiſſe gratitudinem? *Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit: Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem: Ecce Dij tui Iſraël:* Quis verò tandem immanem hanc ingratitudinem conſecutus eſt finis? *Dixit ... in corde ſuo: Nunc revertetur regnum ad domum David, ſi aſcenderit populus iſte, ut faciat ſacrificia in domo Domini in Jeruſalem, & convertetur cor populi hujus ad Dominum ſuum.* Infeliciſſimus ille Jeroboam ob unicam temporalis regni ambitionem, populum illum per tot ſæcula ad idololatrandum induxit, ipſeque in adeo profundum tot iniquitatum collapſus eſt præcipitium, quibus Deus juſta indignatione commotus, ut dignum de illis ſumeret ſupplicium, tot flagella famis, peſtilentiæ, bellorum, ſervitutis, aliarumque ærumnarum ijſdem immiſit.

*Exod. 32. v. 4*
Ambitio Aaronem & Jeroboam Idololatras fecit.
*Cajet. ibid.*
*3. Reg. 12. v. 28.*
*Ibid. v. 26. 27.*

11. Demum verò & ipſamet Filij Dei crucifixio quidam ambitionis Partus fuit, ſiquidem Pilatus, tametſi Chriſtum innocentem declaraſſet: *Nullam invenio in eo cauſam*, attamen quando Judæos audivit clamantes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*, timens Provinciæ illius amittere adminiſtrationem, ſubvertit juſtitiam. Similiter quot quantoſque Hebraiſmus habuit credendæ Divinitatis Chriſti conjecturas? Omnes in conciliabulo illo congregati ultro citroque fatebantur dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Ubi Chryſoſt. ait: *Adhuc hominem appellant, cum tale Divinitatis ejus teſtimonium acceperint.* Quonam vero motivo ad inferendam Chriſto mortem inducti fuere? Motivo timoris quo regnum ſuum amittere metuebant: *Venient Romani, & tollent locum noſtrum, &c.* Salmeron verò dicit: *Duos peſſimos conſiliarios ſecuti ſunt, nimirum & ambitionem, & avaritiam, timebant enim & gloriam & quæſtum omnem ſibi doctrina & ſignis Chriſti peritura, per quos duos conſultores homo in univerſa vitia & crimina præceps prolabitur.*

*Joan. 18. v. 38.*
*Joan. 19. v. 12.*
*Joan. 11. v. 47.*
*Chryſ. h. 63. in Joan.*
*Salm. t. 8. tr. 54.*

## DISCURSUS III.

### ARGUMENTUM.

Ambitioſi ſe prius dejiciunt, ut poſtea exaltentur, atque ad omne malum proclives exiſtunt; Eſtque aulicorum ad honores aſpirantium propriiſſimum vitium.

### THEMA.

*Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei; Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Matth. 4. ℣. 8.

1. SAnctus & Angelicus Doctor Thomas, de Aquino optime ſuperbi illius & elati Spiritus in malo cœpto pertinaciam in aſſumpti thematis verbis conſiderat, ſiquidem in eadem ambitione & arrogantia, in quam à primis ſuæ creationis crepundijs miſere ſe præcipitem egit, etiamnum perſeverare conſpicitur: *Nota quod Diabolus ſemper in eo, quod à principio appetijt, perſeverat, inducit ad idololatriam homines, volens uſurpare ſibi quod Dei eſt:* Notanda tamen eſt ingens inter ſuperbiam Dæmonis, quam in principio creationis edidit, & eam quam nunc exercet differentia, nam quando Angelus in ſtatu gratiæ conditus erat, moderatior in ſua ambitione fuiſſe notatur; ſiquidem tunc ſolummodo aliquam cum Deo æqualitatem prætendebat: *Similis ero Altiſſimo:* At vero nunc poſt tot ſeculorum decurſum, ulterius in ſua ambitione progreditur, quia ab ipſomet Deo adorari deſiderat. Enimvero præcipuum quod ego maxime in præſenti diſcurſu conſidero, hic eſt quod ſcilicet Lucifer qui omnis faſtus & ambitionis author eſt; hoc à ſequacibus ſuis requirat, ut deorſum cadant priuſquam ſurſum exaltentur, id eſt ut prius indigniſſima & abjectiſſima committant, omnibuſque ſeſe vitijs dedant: *Dabo, ſi cadens adoraveris me:* Valde proinde notanda ſunt illa S. Bern. verba, quibus ambitioſorum qualitates mirabiliter deſcribit: *Propter ambitionem*, inquit; *paratos ambitioſos videas univerſa pericula ſubire:* Et quidem malum hoc etiamnum tolerabile eſſet, ſiquidem culpæ ſuæ condignam pœnam eodemmet, quo illam committunt tempore ſuſtinent: At verò audite quæ ſequuntur; *Scandala ſuſcitare, ſuſtinere odia, opprobria diſſimulare, negligere maledicta.* Quot enim ipſi Scandalorum authores exiſtunt? quot exceſſuum rei cenſeri poſſunt?

Ambitioſi ſe dejiciunt ut exaltentur.
*S. Th. in c. 4. Matth.*
*Iſa. 14. v. 14.*
*S. Bern. de conv. ad cler.*

2. *Si cadens adoraveris me.* Enimverò priuſquam immane illud Averni monſtrum ambitioſos in altum evehat, viles eoſdem prius & in terram proſtratos videre deſiderat, nec quidquam adeò vile eſt aut indignum, quod ſuperbus aliquis non committat, ut ad prætenſæ ac deſideratæ dignitatis faſtigium perveniat. Nam ut S. Ambr. ait: *Ut dominetur alijs, prius ſervit, curvatur obſequio ut honore donetur, & dum vult eſſe ſublimior, fit demiſſior.* Etenim filiorum Zebedæi mater proxima Chriſti cognata erat, imò *miniſtrabat ei de facultatibus ſuis*, & tamen quantamcumque cum Chriſto (qui eo tempore omni populo in vilipendio potius quam in veneratione erat) familiaritatem haberet, quodam adorationis actu ſe ſe coram ipſo proſtravit, quando ei dixit: *Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo: ... Adorans & petens:* Scitiſne quamobrem adorarit? inquit Salmeron, nimirum *ingenium ambitionis eſt retrocedere, ut melius in foveam ſaltet*, ut apud eos, à quibus exaltari poſſunt, aliquod

Demittunt ſe ut ſublimentur.
*S. Ambr. l. 4. in Luc.*
*Matth. 20. v. 21.*
*Salm. t. 4. tr. 27.*

aliquod ſibi meritum comparare valeant, obſequioſos ſe illis & humiles exhibent, & ad quodvis etiam viliſſimum ſervitium ſeſe demittunt. Unde S. Cypr. ait: [*S. Cypr.*] *Qui amictu clariori fulgere ſibi videtur in purpura, quibus hoc ſordibus emit, ut fulgeat? quot arrogantium faſtus prius non pertulit?* De Saüle legimus quod poſtquam Divinis præceptis inobediens exiſtens à Samuele acriter reprehenſus fuiſſet, humillimè errorem ſuum coram eo confeſſus fuerit; Sed quonam putatis fine? Ut ab eodem coram omni populo honoraretur: *Peccavi: ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſraël:* [*1. Reg. 15. v. 30.*] Ita ſolent, inquit B. Petr. Damianus, ambitione agitati aulici facere, *Humiliantur, ut poſtea impunè ſuperbiant, pediſſequos ſe exhibent, ut præcedant.* [*B. P. Dam. l. 2. ep. 3.*]

[Aulæ fugiendæ ſunt.] 3. Verum enim verò parum quidem referret, quod ambitioſus in quamvis etiam viliſſimam indignitatem ſe dimittat, niſi etiam in quamvis excogitabilem vitij deformitatem ſeſe præcipitem ageret. Acceleratus cuilibet ad vitium aditus patet, tardus verò ad virtutem. Vix ſanctiſſima Abrahæ conjux, mulier licet conjugata & advena Ægypto pedem intulerat, cùm ecce aulici regij ut ſeſe in Regis gratiam tantò amplius inſinuarent, eamdem utpote pulchram nimis & decoram Regi deputarant concubinam; *Nuntiaverunt... Pharaoni:* [*Gen. 12. v. 15*] at verò Salvatoris noſtri in Galilæa prędicantis fama non niſi poſt longum tempus in Herodis aula percrebuit, adeoque Seneca Tragicus meritò ait: [*Seneca.*] *Non intrat umquàm regium limen fides.* Claudianus quoque in aulicæ vitæ, quæ unicum vitij hujus centrum exiſtit, deteſtationem ita cecinit: *Exeat aula, qui vult eſſè pius.* Quodnam obſecro eſt illius ab Jeremia editi moniti myſterium, dicentis: *Fugite de medio Babylonis, & ſalvet unusquisque animam ſuam?* [*Jer. 51. v. 6.*] cur potius de medio, quam abs Babylonis extremitatibus? Numquid ſufficiebat dicere: *Fugite de Babylone?* Sciendum eſt igitur, receptum olim fuiſſe morem Principum regias in corde ſive meditullio urbium fabricandi, ut tanto magis eſſe poſſent ad populi regimen & neceſſitates providi, & oculatiores; Quando igitur Jeremias dicit: *Fugite de medio Babylonis*, idem eſt, ac ſi diceret, quod ſi ſecuritati ſalutis animæ veſtræ proſpicere volueritis, magnatum vobis neceſſario fugienda ſunt palatia.

[Petrus in Aula negavit Chriſtũ.] 4. Primus ille Chriſti in terra vicarius, qui tantas de Chriſto ad mortem uſque conſectando futuræ fidelitatis & conſtantiæ ſuæ promiſſiones fecerat, pedem ſuum aulæ Caiphæ vix intulerat, quando è veſtigio Chriſtum Magiſtrum & Dominum ſuum eſſe turpiſſimè negavit. Unde Gloſſa optimè dicit: [*Gloſſ. in Luc. 22. 57. Matth. 26. v. 69.*] *Non in monte, non in domo ſua, non in templo Petrus negat, ſed in Prætorio Judæorum, in domo Principis Sacerdotum, ubi non eſt veritas, ubi Chriſtus captus & ligatus eſt.* Hug. Card. ſimiliter ſcribit: [*Hug. Card. ibid.*] *Petrus ſemel intravit curiam, & ibi vigorem animi perdidit, & Chriſtum negavit; quid ſi diu permanſiſſet in curia.* Quinimò addendum eſt inſuper, Petrum aulam ingreſſum fuiſſe Principis Sacerdotum, phrenetica illa ambitionis febri minimè ardentẽ, quin potius cum intentione Chriſtum in ipſam uſque mortem conſectandi & defendendi, & tamen adeò fuiſſe ignominiosè prolapſum; ac proinde cogitate quanto facilius & probroſius lapſuri ſint illi, qui ibidem non alio fine commorantur, quam ut ambitioſarum prætenſionum ſuarum metam tandem aliquando pertingere poſſint. Advertendum quoque eſt Petrum alijs mediantibus in Pontificis domum fuiſſe introductum: [*Joan. 18. v. 16.*] *Petrus autem ſtabat ad oſtium foris; exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit Oſtiariæ, & introduxit Petrum.* [Per favores utriusque ſexus ſæpe dignitates obtinentur, ſed in ruinã.] Quo in facto Petrus illos præfiguraſſe perhibetur, qui ad honores admittuntur, vel Eccleſiaſtica aut temporalia munia conſectantur, per viam ſolius alieni favoris, per viam autem meriti minimè promoventur, hi etenim in millena præcipitia corruunt, eo etiam uſque ut ipſum quoque Chriſtum per quotidiana ſcandala pernegent; Nullibi enim Chriſtus (quod bene advertendum eſt) tot fuit injuriis, colaphis, ſannis, flagellis, ſpinis, alijsq; diverſis improperijs & tormentis affectus, quemadmodum in Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis, qui omnes Magnates & Principes fuere, maledictis aulis. In aulam quoque muliere mediante introductus fuit: *Dixit Oſtiariæ, & introduxit Petrum*, quia nonnumquam etiam per ſimiles mediatrices in dignitatum culmina conſcenditur. Hugo quoque Cardinalis de Petro inſuper notat, quod [*Hug. Card. ibid.*] *etiam non ibi, ſed foris pœnituit, & egreſſus foras flevit amare*; quaſi Evangeliſta dicere vellet, quod quamdiu homo in ambitionis culmine conſiſtit, Pœnitentia ne quidem per umbram aditum habere poſſit.

5. Omnino conſiderabile eſt factum illud, quod capit. 18. lib. Judicum fuſius recenſetur; Etenim Levitæ illi, qui à Micha ſtipendio conductus erat, hæc fuit propoſita quæſtio: [Ambitio ſeducit.] [*Jud. 18. v. 19*] *Quid tibi melius eſt, ut ſis Sacerdos in domo unius viri, an in una tribu?* Qui mox ut facilem ſui promotionem notavit, ſine ullo ad traditionem & infidelitatem, quam commiſſurus erat, ſive ad ingratitudinem, qua gloriam reputationis ſuæ commaculare debebat, ſive denique ad latrocinium aliaque imminentia pericula reſpectu, *acquievit*, ſeque ſeduci permiſit, vel ut Complutenſes legunt: *Collibuit animo Sacerdotis*: nec mirum quot enim ab ambitioſis non committuntur Simoniæ.

[Ambitioſi indefeſſi boves.] 6. Hugo Cardinalis optime notat, quod Salvator noſter quantumvis alias mitis & manſuetus fuerit, attamen in ejiciendis templi prophanatoribus & ſpecialiter quidem in expellendis bobus, qui ibidem ad ſacrificandum vendebantur, [*Ioan. 2. v. 15*] tanto fuerit indignationis motu correptus, ut hoc facinus proprijs manibus ſuis exequi non dubitaverit; *Bos eſt animal ordinatum ad laborem, & ſignificat illos Simoniacos, qui promittunt & exhibent laborioſa ſervitia pro præbendis*: [*Hug. Card. ibid.*] adducitque præfatus Cardinalis illum Proverbiorum textum, quo dicitur: *Ubi non ſunt boves, præſepe vacuum eſt, ubi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bovis.* [*Prov. 14. v. 4.*] Ambitioſi enim velut indefeſſi boves eſſe videntur, quotiescumque tam de temporalium bonorum lucro, quam de bonorum aſſecutione agitur. Unde Chryſoſtomus ait: *Quid enim refert, ſi non das pecuniam, ſed pecuniæ loco adularis, ſubornas, multaque machinaris? pecunia tua ſit tecum in perditionem, quoniam putaſti ambitu humano parari donum Dei*; [*Chryſoſt. ho. 2. ad Tit.*] quibus verbis de munijs ſeu officijs Eccleſiaſticis loqui intendit.

[Aulici flagella Dei, peccatis augent.] 7. Enim verò, *tantum abeſt*, quod magi in aula Pharaonis conſtituti ſerpentes è medio ſuſtulerint, ut etiam potius eoſdem multiplicarint, imo eoſdem in Dracones excreſcere permiſerint; ſimiliter ranarum numerum adauxerunt, aquamque in ſanguinem tranſmutarunt; Quæro proinde cur non potius flagella & infortunia iſthæc Ægyptiorum per incantationes ſuas à regio Pharaonis palatio penitus ſuſtulerunt? Utique id factum eſt ad denotandum, (ſiquidem *omnia in figura contingebant*) quod aulici ambitionis vitio agitati, divinæ juſtitiæ flagella in aulis Principum per vitia & peccata ſua potius adaugeant, quàm quod eadem è medio tollere ſatagant: neque enim ipſi bonum publicum procurare contendunt, neque Principum pijs intentionibus, ſed intereſſe & ambitioni proprie ſatisfacere ſtudent. Scio equidem contra hoc quod modo dixi opponi à vobis poſſe, [*1. Reg. 16. v. 18.*] quod Saüli, dum is à Dæmonio vexaretur, ab aulicis ſuis in moleſtiarum ſuarum, quas à Dæmone perpetiebatur, ſublevamen David propoſitus fuerit; imo ut Hebræi crediderunt, is qui ſalutare hoc remedium Sauli ſuggeſſit fuit Doeg Idumæus, vir præ omnibus alijs dignitatum ſibi acquirendarum ſtudioſiſſimus; Verumtamen idipſum propoſito meo perſuadendo quam maximè ſervit, nam ex quo conſtat quod Doeg prædictus Davidis præfati juratus hoſtis & inimicus fuerit, quomodo is ad hoc cooperari potuit, ut David in dignitatem adeo conſpicuam Saüli proponeretur, in qua ſibi in dies majorem Regis gratiam conciliare poterat? Notandum eſt igitur, quouſque mira Doeg malignitas excreverit; Neque enim Doeg idipſum Saüli ſuadens illam regiæ incolumitatis promovendæ curam habuit, ſed potius per hunc regiæ ſalutis procurandæ zelum Regis ſibi lucrari affectum intendit, eodemque tempore æmuli ſui exitium machinari voluit, ob illius oculos eum quotidie ſtatuendo, qui quod populares in ejus laudem acclamationes audiſſet, aliundeque eum regiæ ſucceſſionis cupidum eſſe noſſet, vehementi erga eumdem odio ardebat, agitabaturque invidia; Unde Davidem proponens mortis eidem inferendæ machinabatur occultas inſidias; præterquam quod futurum eſſe ſciebat, quod Davidem aulicis Saülis miniſtris commiſcendo eumdem malitiæ ſingulorum unicum conſtitueret ſcopum, in quem invidiæ ſuæ venenoſa jacula evibrarent, maxime cum David vir eſſet ſummâ ſinceritate, magnanimitateque præditus, meritisque præ cæteris ſublimis & excelſus; *Dixit hoc ex odio*, inquit Lyranus, [*Lyr. ibid.*] *quia jam David odiebat.*

8. Petrus Bleſenſis in ea eſt opinione, [*Petr. Bleſ. ep. 6.*] quod Etymologia hujus dictionis Curia, derivetur à nomine Cruor, quaſi totum ambitioſorum aulicorum negotium nulli alteri rei intenderet, quam ut unus alterius eruat oculos vel ſanguinem effundat. [Aulici non ſunt unanimes ob amb.] Scholiaſtes Tertulliani à Baeza relatus olim vetuſtiſſimum Eccleſiæ morem fuiſſe ſcribit, dandi in Miſſa pacis oſculum cunctis



cunctis præſentibus, præterquam aulicis, cujus hanc protinus rationem ſubnectit: [*Baez. l. 15. c. 4. §. 6.*] *Circumferatur patena pacis inter fideles, præterquam tamen inter aulicos, quos unanimes eſſè & pacificos non ſinit ambitio.* Et hinc eſt quod S. Bern. ſuperborum implacabilis perſecutor & hoſtis ita ſcribat: [*S. Bern. app. 126.*] *Diſplicuit mortalibus angelica illa partitio, qua gloria Deo; pax hominibus nuntiatur, & quia gloriam uſurpant, turbant pacem.* Innocentius III. eorum qui gloriam ſibi mundanam avidè conquirere ſtudent, hanc inter alias qualitates unam eſſe ſcribit: [*Inn. 3. l. 2. de contemptu mundi c. 36.*] *Non nomine perſonæ ſed nomine fortunæ vult appellari, non ut homo, ſed ut Dominus vult honorari, ſedet ſublimis, incedit excelſus, vult ſibi omnes aſſurgere, ſingulos inclinare.*

[Ratio ſtatus & reputatio prævalet bono communi.] 9. Equidem quod vel maximè deplorandum eſt, quodque nonnumquam totius Reipublicę totalem ruinam & exterminium ſecum adfert, eſt, quod tametſi omnes homines errandi periculo ſubjecti ſint, magnates tamen, ſicut & illi qui adulandi cauſa id illis ſuadent vel conſulunt, errores ſuos ſuſtinere, imò & canonizare volunt, licet id in irreparabile tam publici quam privati boni damnum faciant. Jonas ex ordine & præcepto Dei in Niniven civitatem illam grandem miſſus eſt, ut Dei loco vicinam ei deſolationem intimaret, in hac tamen commiſſione exequenda valde ſe invitum & involuntarium oſtendit, eo quod probè noſſet, quam ſit Divina miſericordia ad condonandum & parcendum prona & facilis, & vere ita accidit; timeret ne poſt factam commiſſam ſibi intimationem mendax in præſagijs ſuis haberetur: [*Jon. 4. v. 1. & 2.*] *Afflictus eſt Jonas afflictione magna, & iratus eſt, ... ſcio enim quia tu es Deus clemens.* Verum dic ſodes ò Jona, utrum ex ambobus magis refert, an innumerabilis cujusdam populi ſalus, & vaſtæ cujusdam Deo reconciliatæ Civitatis pœnitentia, an verò inane quoddam exiſtimationis & reputationis humanæ momentum? vere quidem ita eſſe Propheta agnoſcit, verumtamen tametſi vir ſanctus ſit, hoc tamẽ non obſtante, eumdem per os Theodoreti ita loquentẽ audite: *Vita defungi malo, quàm cum ignominia vivere, vereor autem ne mendax habear.* Nunc igitur ſi placet hunc in modum argumentum quoddam *à minore ad majus* efformare; quod ſi vanus quidam reſpectus humanus quo ne mendax eſſe videretur, cavere voluit in eo qui verus Dei ſervus erat, tantum prævaluit, ut expreſſis Dei mandatis rebellaret, omnimodumque vaſtiſſimæ cujusdam Civitatis, qualis Ninive erat, exterminium pro nihilo duceret, quanto majorem in Principum nullum Dei timorem habentium cordibus tyrannidem exercebit. Politica quædam & vana ſtatus ratio, ut ſe expreſſis Dei legibus & præceptis opponat, quotiescumque aliquod vel minimum intercedit propriæ reputationis & honoris momentum?

[In Aulis non Deus ſed Principes adorantur.] 10. Verum quidem eſt quod dicit Apoſtolus, nimirum *Charitas non cogitat malum*, & tamen nullum ſibi S. Patriarcha Abraham ſcrupulum fecit, dum quęvis mala in aula Abimelech Regis patrari judicavit, qua etiam in re neutiquam fuit deceptus: [*Gen. 20. v. 11*] *Cogitavi mecum dicens, forſitan non eſt timor Dei in loco iſto*, vel ut alij legunt: *Non eſt cultus Dei in loco iſto*, idque non ſine myſterio, ſiquidem in aulis Magnatum non Deus, ſed Principes adorantur S. Bernardus in libris de conſideratione ita ſcribit: [*S. Bern. l. 4. de conſid.*] *Clauſtrum quosdam malos recipit, quos ut plurimum bonos efficit, & Curia bonos facilius recipere; quam facere conſuevit*; Et ideò paulo poſt quoad aulicorum qualitates ita ſubjungit: *Hi ſunt qui ſubeſſè non ſuſtinent, præeſſè non norunt, ſuperioribus infideles, inferioribus importabiles; Hi inverecundi ad petendum, ad negandum frontoſi; Hi importuni ut accipiant, ingrati, ubi acceperint; docuerunt linguam ſuam grandia loqui, cum operentur exigua; largiſſimi promiſſores, & parciſſimi exhibitores; blandiſſimi adulatores, & mordaciſſimi detractores; ſimpliciſſimi diſſimulatores, & maligniſſimi proditores.*

[Decipere commune in Aulis.] 11. Franciſcus Petrarcha Cardinalem in Antecamera ſummi Pontificis conſtitutum, alteri cuidam viro gravi fidem ſuam obſtrinxiſſe refert, quod videlicet pro eodem negotium quoddam, cujus eidem permagni intererat, cum Pontifice tractaturus eſſet, qui proinde ſe ad Pontificem ingreſſum & cum eo de dicto negotio pluribus collocutum fuiſſe finxit, quem proinde alius quidam Cardinalis, cui id falſiſſimum eſſe conſtabat, ſeorſim reprehendit, dicens: Numquid mendacia alteri adeò pernitioſa excogitare erubeſcis, qui è veſtigio replicavit: *Imò vero te pudeat tam ingenio tardo fore, ut curiæ artes addiſcere tanto jam tempore nequeas*, Quisquis igitur oculos & aures in principum aulis apertas habet, veriſſimum eſſe comperiet, quod Abraham dixit: [*Ibid.*] *Non eſt timor Dei in loco iſto*; ſiquidem [Nil niſi ſcelera in Aulis.] præter murmurationem & detractionem, mendacium & fictionem, faſtum, luxum, otium, crapulam, adulationem, invidiam, odium, diſſenſiones, æmulationes, gulam, carnis ſenſualitatem, perſecutiones, aliaque vitia, quæ ex ambitione originem ſuum ducunt, aliud nihil ibi vigere conſpicitur. Unde benè dicitur: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Tandem Innocentius III. aulicum hunc in modum optimè deſcribit: [*Inn. 3. l. cit. c. 27.*] *Supplicat & promittit, offert & tribuit, pro pudor, gratiam quam gratis adipiſci non potuit per fas & nefas nititur adipiſci, nec deſiſtit adhuc ſed inſtat, & invadit violenter honorem, & impudenter arripit dignitatem, amicorum ſuffragio præſidio propinquorum, tantoque dominationis inflammatur ardore, tanta libidine præſidendi, ut nec ſchiſmata abhorreat nec ſcandala formidet.*

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Effrene dominandi deſiderium intellectum excœcat, eorumque qui ad honores evehuntur naturam & mores in diverſa commutat.

### THEMA.

*Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſalm. 48. ℣. 13. & 21.

[Ambitio infatuat.] 1. Regius Propheta David pauculis hiſce verbis duas veritates, & ambas quidem practicas nobis manifeſtavit; quarum una eſt, quod hominis in magnis honoribus conſtituti intellectus & judicium obtenebratum remaneat; altera, quod naturam & priſtinos mores in tranſverſum immutet, ita ut idem, qui antea erat, minimè agnoſci queat. Unde S. Bernardinus verſiculum iſtum præcitati thematis ad propoſitum noſtrum ponderans, ait: [*S. Bern. Sen. ſerm. 50. t. 1. a. 2. c. 3.*] *Ecce infatuatio; Hæc via illorum ſcandalum ipſis, id eſt, talis honorata & infatuata vita eis occaſio eſt ruinæ*; Idem quoque Sanctus valdè ingeniosè obſervat, Salvatorem noſtrum die illo, quo tantis cum obſequijs honoribusque triumphalibus ab incolis Jeroſolymitanis receptus fuit, in ſtolido quodam jumento conſidere, & ſic civitatem ingredi voluiſſe, idque nequaquam ſine myſterio: *Has deſpiciendas magnificentias Dominus demonſtravit, cum ſuper aſinam ſedit, oſtendens, quod mundi magnificentiæ aſinum ſtolidum in divinis efficiunt.* Nos quoque addere poſſumus: *In humanis*: ſiquidem quotidianæ experientiæ magiſterio edocemur, quod ambitio febris quædam ſit, quæ hominem delirare facit. *Febris noſtra*, inquit Ambroſius, *ambitio eſt.* [*S. Ambr. l. 4. in Luc.*]

[Ambitioſus amittit judicium.] 2. Talis fuit illa filiorum Zebedæi ambitio, primas in Chriſti regno ſedes poſtulantium, quibus proinde Dominus noſter aptiſſimè reſpondit: *Neſcitis, quia Homo cum in honore eſſet, non intellexit*; ambitioſus enim dominandi avidus, ſuæque ſublimationis percupidus omnem prorſus rationis diſcurſum & prudentiale judicium amittit, prouti in duobus illis Zebedæi filijs perſpicuè ſatis conſpicitur; quotquot enim hi per os matris ſuæ protulerant verba, totidem ediderunt deliria, imò totidem errores commiſerunt. Hi namque diſcipuli totius ſcholæ Apoſtolicæ diſciplinatiſſimi erant, ejus inquam ſcholæ, in qua Chriſtus quotidianam de Humilitatis virtute lectionem prælegere & inculcare ſolebat: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*; De S. Joanne autem legimus quod fuerit *diſcipulus ille quem diligebat Jeſus*; quod ſignum erat inſignis in ſchola ejus acquiſiti profectus; quâ igitur ratione in hunc potuerunt impingere ſcopulum. Ratio hujus in promptu eſt, quia ambitio illos excœcaverat. Verum inquies, numquid igitur de Deo noſtro ſcriptum eſſe ignorabant: *Ego Deus & non mutor; Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt?* Adhæc conſtabat illis manifeſtè Chriſtum regni ſui primatum Petro de facto contuliſſe, qua igitur ratione hujuſce dignitatis uſurpationẽ prætendere potuerunt? nam fortè Salvatorem noſtrum ob conſanguinitatis, ipſum inter & illos intercedentis reſpectum verba ſua retractaturũ eſſe credunt? Optimè ſanè S. Bernardus prædicta verba: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit*, obſervans dicit: [*S. Bern. ep. 237.*] *Honor abſorbuit intellectum*; mox enim ut quis ſibi ad honores altiores aſcendere, ſeque magnificare ſtatuit, diſcurſum & judicium protinus amittit. Pro cujus veritatis meliori intelligentia ſingula hujus arrogantis & ſuperbæ petitionis à filiorum Zebedæi matre Chriſto propoſitæ verba ſigillatim velim & exactius non-

nonnihil ponderemus. Primo igitur ita incipit: *Dic.* quaſi ignoret, quod ad hoc ut quis ad magnas dignitates promoveri mereatur; multo plus requiratur quam verba effari & dicere; imò verò ut quis ſe honoribus dignum efficiat, laborare, fatigari, ſudare neceſſariò debet, niſi enim hoc ambitioſus fecerit, non dignitatem ſed indignitatem conſequetur maximam; potius igitur ad ſingulos filios ſuos in particulari converſa dicere debebat, *Fac*: poſtquam enim cum meritorum ſuorum augmento dignè operati fuerint, jam audacter coram Magiſtro ipſorum prodire poterit & dicere: *Dic.* Secundum prædictæ petitionis verbum eſt: *ut ſedeant*; Quo verbo novum denuò errorem priori æqualem prodere incepit; Dignitatum namque culmen, ut alibi probabimus, volubile & rotæ ſimillimum eſt, quæ continuo ſurſum deorſumq; gyratur & vertitur, ac proinde impoſſibile eſt, quod quis in dignitatum culmine ſedeat; præterquam quod temeraria atque injuſta ſit prætenſio, ut quis in honoribus officiisque publicis ſedeat aut quieſcat, ſiquidem axioma illud certiſſimum eſt, quo dicitur, *Honos & onus.* Tertium ſæpe dictæ petitionis verbum eſt: *Hi duo.* Ergone mulier hæc aut filij ejus ita ſtolidi erant, ut ambitionem, quæ in eo quod prætendit ſola conſtituta eſſe deſiderat, nullos prorſus corrivales aut competitores admittere ignoret? optimè hac de re Poëta cecinit, dum ait: *Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt, Regnum non capit duos.* Quartum verbum fuit, *Filij mei.* Ergone dignitates per parentelæ aut conſanguinitatis viam deinceps conferendas eſſe mulier hæc exiſtimat? Foret utique hoc ipſum Reipublicæ nimis pernitioſum. Quintò dicit eadem mulier: *Unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram.* Quibus verbis iterum graviſſimè errat. Uter enim ex ambobus per aſſignatam ſibi ſiniſtram ſufficienter ſibi ſatisfactum eſſe exiſtimabit? maxime cum reprobos ad ſiniſtram collocandos eſſe conſtet: aut vero cum ſapiens dicat:
Eccl. 10. v. 2. *Cor ſapientis in dextera, cor ſtulti in ſiniſtra illius.* S. Joannem qui dilectus Chriſti diſcipulus erat, utpote ætate minorem, ad ſiniſtram collocare decreverat? Denique ſexto ait: *In regno tuo*; ubi denuo graviſſimè impegit, ſiquidem Chriſtus apertè proteſtatus fuerit dicens:
Joa. 18. v. 36 *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Ambitio offuſcat intellectum.

3. Verum enim vero quid mirum, quod ambitioſa hæc mulier ab hac phrenetica febri una cum filijs ſuis correpta & ardens delirarit, quando etiam Eva in Paradiſo terreſtri & in ſtatu innocentiæ conſtituta, atque immaculata juſtitiæ originalis chlamyde accincta, una cum Adamo conjuge ſuo, idem hoc lumen & cognitionem intellectualem ab hac paſſione agitata amiſit, ut proinde David de ipſis ad litteram dixerit: *Homo cũ*
Pſal. 48. 13. *in honore eſſet &c.* Verum quidem eſt, quod ſerpens illis perſuadere conatus fuerit, quod ſicut Dei futuri
Gen. 3. 5. eſſent: *Eritis ſicut Dij*, at verò quidnam Dæmon illis hac in parte promittere poterat, quod de facto non haberent? Numquid jam de facto ſe ad ipſiusmet Dei imaginem & ſimilitudinem creatos, & vivam quamdam ſanctiſſimæ Triados effigiem factos fuiſſe ſcie-
Pſ. 81. v. 6. bant? *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi.* Præterea quanam ratione perſuadere ſibi umquam poterant, quod bolus pomi alicujus Divinam illis naturam communicare poterat, quam incommunicabilem eſſe ſciebant? Quomodo comminatæ illis atrociſſimæ mortis pœnæ metum deponere poterant? Ita quidem revera eſt, ſed ambitio intellectum totaliter offuſcat, rationem turbat, nec ulla ratione diſcurrere permittit. Unde Chry-
Chryſoſt. ho. 16. in Gen. ſoſtomus optimè ait? *Calicem exitiali veneno plenum mulieri dedit, quæ lathiferum hoc eſſe videre noluit, poterat enim ſi voluiſſet ab initio hoc ſcire, ſed ut audivit ab illo, quod ideò eſum hunc prohibuiſſet Deus, quia ſciret oculos ipſorum aperiendos, eoſque ſicut Deos fore æqualis Divinitatis, ſpe inflata magna quædam ſecum concipiebat, ut Divinitatem mente ſua imaginata eſt, ad eſum properavit, & nihil aliud conſiderabat.* Moyſes quoque Barcephas Epiſcopus Syrus, in Bibliotheca veterum Patrum c. 19. de Paradiſo de Adamo ſcripſit, quod ab ambitione ſeſe excæcari permiſerit: *Niſi illa affectione perturbatum animum habuiſſet, facile hæc atque hujuſmodi alia oppoſuiſſet uxori argumenta. Cur non ſerpens, qui nobis Divinitatem ex arbore guſtata promiſit, ipſe prior edit, Deuſque evaſit? Jam verò neque te, ut ediſti, Deum factum video, qui poſſum ego ipſe Divinitatem ſperare ſi edam? Et qui valeat arbor, quæ etiam Spiritu caret, Deos efficere qui veſcantur?* Nec tamen, ut idem Author ſubjungit, nullam harum rationum Evæ repoſuit, cujus ratio ab eodem vetuſto Authore adducta, hæc eſt: *nimirum qui etiam ipſe Divinitatis cupidine victus per vecordiam tenebatur.*

Excæcavit Herodem.

4. Herodes tres illos Magos qui Homagium nato recens Meſſiæ facturi, ab Oriente receſſerant, ſuis ipſe oculis viderat, ſuis quoque auribus ſupremi conſilij, Synedrin appellati, declarationem audiverat, qua ut Prophetarum vaticinia & Prophetiæ, aliaque Divina oracula adimplerentur, Meſſiam in Bethlehem naſciturum eſſe teſtati fuerant, prodigioſam quoque ſtellam cœlitus illis Ducis loco ſubmiſſam fuiſſe, intellexerat, nec tamen ſupremi hujus Regis potentiam ſua ſuperiorem futuram eſſe credere poterat, imò verò ambitio quia Regni ſui continuationem promovere ſatagebat, adeo illum excæcavit, ut tandem in inhumanam illam & barbaram ſtragem inſtituendam ſeſe reſolverit, in qua *tot inter funera impunè Chriſtus tollitur.* Unde optimè S. Leo ait: *O cæca ſtultæ æmulationis impietas, quâ perturbandum putas divinum tuo furore conſilium!*
S. Leo ſerm. 1 de epiph.

Ambitioſi obliviſcuntur ſe eſſe homines.

5. Atque hinc eſt quod eodem tempore quo Romæ triumphator inter civium gaudioſa obſequia & applauſus per omnes circumvehebatur Romanæ urbis vicos & plateas, prudentiſſimè ordinatum fuerit, ut juxta currum triumphalem unus eſſet, qui frequenter triumphatoris auribus inclamaret: *Hominem te eſſe memento!* idque non ex alia cauſa, quam quia vulgatiſſimum eſt, quod homo in ſupremo honoris culmine conſtitutus, hominem ſe mortalem eſſe ut plurimum obliviſcatur.

6. Innocentius III. de Philoſopho quodam ſcribit, qui dum ſuperbi cujuſdam Regis faſtum & elationem ſupprimere intenderet, coram dicto Rege in magnifico gloriæ ſuæ throno conſidente, in terram ſe prono corpore proſternens eumdem adoravit, moxque de terrâ ſeſe erigens, in regium uſque thronum proſiluit, ſeque proximè juxta Regem in eodem collocavit; Rex autem qui hæc omnia à Philoſopho ex certo quodam myſterio facta fuiſſe exiſtimavit, actionum iſtarum quas viderat, cauſam curioſè requiſivit, qui protinus ſequens illi reſponſum ſubjecit, tali conſtans dilemmate: Neceſſum eſt omnino ô Rex quod vel Deus ſis vel homo; ſi Deus es, neceſſario mihi adorandus eris; ſi verò homo verus mei ſimilis exiſtas, non eſt quod meæ temeritati, quâ me tibi in eodem throno proximè conjungo, iraſcaris, quia omnes in quantum homines, paris ſumus conditionis; Cui tamen Rex è veſtigio non minus prudenti reſponſo obviavit, dicens: *Imo ſi homo ſum non debuiſti me adorare; ſi Deus ſum, non debuiſti juxta me ſedere.* Unde Pontifex Capitulum iſtud tandem hiſce verbis concludit: *Sapienter iſte reſpondit, ſed ille prudenter eluſit.*
Inn. 3. l. 2. de contem. mund. c. 36.
Prudens factum Philoſophi cujuſdam.

Exaltati conſanguineos ignorant & noſcere nolunt.

7. Experientia inſuper quotidiana in ſuperbis & arrogantibus hominibus teſtatur, quod iidem poſt acceptos honores & dignitates, naturam prorſus mutent & priſtinos mores, adeò etiam ut jam non amplius iidẽ eſſe videantur, qui antea erant, ipſiq; ſe amicos ſuos & notos priſtinos, imò & parentes deinceps minime noſſe ſimulant. Unde idem præcitatus Pontifex in eodem Tractatu de contemptu mundi cujuſdam ad honores & dignitates evecti mores & proprias qualitates ſequentibus verbis vivaciſſimè adumbrat dicens: *Priores dedignatur amicos, notos ignorat heſternos, comites contemnit antiquos, vultum avertit, viſum extollit, cervicem erigit, faſtum oſtendit, grandia loquitur, ſublimia meditatur.* Plinius quoque in Panegyrico Trojani, ſummæ ejuſdem Imperatoris laudi, imò quidam, ut ita dicam miraculo attribuit, quod ſequitur: *Nec quidquam mutavit in te fortunæ amplitudo, niſi ut prodeſſe tantumdem poſſes, ut velles.* Sulpitius Severus quoque inter alia vel maximè admittanda S. Martini elogia hoc quoque enumerat, quod videlicet in ſuo à Religioſo ſtatu ad dignitatem Epiſcopalem facto tranſitu, ſine ulla in ſe exhibita mutatione idem prorſus ſemper perſeveraverit: *Idem enim conſtantiſſimè perſeverabat, qui prius fuerat.* Rupertus Abbas Tuitienſis difficultatem quamdam movet, cur videlicet Deus qui Angelum & hominem in Paradiſo partim cœleſti partim terreſtri creatos, multiſque donorum gratiarumque theſauris locupletatos in adeo ſublimem conditionem evexerat; eoſdem in præclaro illo utriuſque ſtatu, in quo creati fuerant, non conſervarit, ſed miſerè & infeliciter utrumque cadere permiſerit; ac tandem hiſce verbis motæ difficultati reſpondet: *Deſine ſic pulſare altitudinem Majeſtatis creatricis, magiſque pulſa & accuſa levitatem utriuſque creaturæ rationalis, uterque grandia Dei dona in materiam vertit ſuperbiendi.* Obſervandum eſt autem cuinam rei culpam attribuat: *Magna utriuſq; celſitudo, illius in principatu Angelico, iſtius in propagando genere humano; neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit*; Tandem vero concludit, ex utriuſque nobiliſſimæ creaturæ
Inn. l. 2. c. 30
Plinius Panegyr.
Sulp. Sev. in vit. S. Mart.
Honores hominem mutant.
Rup. Abb. l. 2. de vict. verbi. c. 12.



creaturæ exemplo perſpicuè ſatis conſtare, quod nemo alius præter Deum ſuam in principatu, imperio, vel Dominio accepto naturam non mutet. *Principatum omnium nullus humiliter ferre poteſt, niſi Deus increatus.*

Mutatus Saul & David.

8. Ipſiuſmet Spiritus S. teſtimonio neminem in univerſo populo Dei electo fuiſſe conſtat, qui ad moderandum Iſraëlitici regni ſceptrum Saule aptior eſſet vel melior, etenim innocens erat & purus ſicut eſt unius animi infantulus: *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet*, Et alibi dicitur: *Electus & bonus: Et non erat vir de filijs Iſraël melior illo.* Et quantum tamen mutatus eſt abinde? adeò nimirum, ut Tertull. merito exclamet: *Saül bonus præ cæteris livore poſtea evertitur, David vir bonus ſecundùm cor Domini poſtea cædis & ſtupri reus eſt; Salomon omni gratia & ſapientia donatus à Domino ad idololatriam à mulieribus inducitur.* Hoſque infelices lapſus non in ſtatu privato paſſi ſunt, ſed quando Imperij habenas moderari cœperunt; Unde idem ille David qui antea in propriæ vitæ ſuæ defenſionem oram regiæ veſtis Saülis præſcindere exhorruit, poſtea magnopere gaviſus fuit, quando Uriæ homicidium juſſu ſuo audivit eſſe completum, ut Bethſabeæ quam cum tanto populi ſcandalo Uriæ ſuſtulerat, tanto deinceps liberius frui poſſet amplexibus. *Soli Dei Filio*, inquit Tertull. *ſervabatur ſine delicto permanere.* S. Paulinus ad quemdam amicum ſuum poſtea ad ſummos honores evectum hunc in modum ſcribit: *Quis daret mihi ut in conſpectu tuo colloquioq; requieſcere, videns te non te*: neque enim idem ei in indignitate eſſe videbatur, qui antea fuerat.
1. Reg. 13. v. 1.
1. Reg. 9. v. 2
S. Paul. ep. 27 ad App.

9. Et quidem axioma vulgatum, quo dicitur: *Honores mutant mores*, adeò verum eſt, ut S. Paulus ad Epheſios ſcribens, deque Chriſti in cœlos Aſcenſione tractans ſpecialiter nos erudiat, Chriſtum etiamnum dum ad æterni Patris ſui dexteram cum tanta Majeſtate glorioſè conſidet, eumdem prorſus nihilominus ſine ulla ſui mutatione, perſeverare: *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit.* Verum dicat aliquis, quænam eſſe poterat dubitandi ratio, ob quam dubitari poterat, num Chriſtus ad dexteram Patris reſidens idem ſit, qui antea in carne paſſibili vivens erat? Ratio illius hæc eſt, quia nimirum inter nos ita fieri videmus, ut ad honores evecti non jam ſint amplius ijdem qui antea; ſed potius faciem, mores & affectus ſuos prorſus in diverſos à prioribus commutent. De Bucephalo Alexandri ſcribitur, illum ornamentis & phaleris regijs indutum nullum præter Regem inſeſſorem admittere ſolitum fuiſſe, cum tamen hiſce ornamentis exutus, quemlibet dorſo ſuo inſidere permitteret, adeoque ornamenta & phaleræ illæ regiæ ſuperbos elatoſque ei ſpiritus videbantur imprimere: Eodem prorſus modo multos hodie videmus, qui in ſtatu fortunæ privatæ humiles exiſtunt, cunctiſque ſe humiliter ſubmittunt, neminem dedignantur, omnibus ſeſe benignos & affabiles exhibent, mox vero ut ad honores & dignitatum infulas ſublimantur, adeo inflantur & extolluntur, ut jam non ijdem qui antea, ſed prorſus diverſi eſſe videantur; Ejuſmodi eſt ſerpentis natura, qui ad Solis calorem venenum ſuum evomit, veterique pelle depoſita novam prorſus induit.
S. Paul. ad Eph. 4. v. 10.
Ad honores promoti ſunt ſicut Bucephalus.

Diogenicum factum præceptoris.
Berchor. in red. mor. v. Honor.

10. Berchor. de Scholari quodam refert, eum ſolitum fuiſſe dicere omnes Prælatos cœcos ſibi eſſe videri; viderat namque, quod, tametſi Præceptor ſuus ſcientia & vitæ bonitate omnino inſignis & præſtans eſſet, nullus tamen qualitates haſce in ipſo æſtimaret, ac proinde humili in ſtatu jugiter relinqueretur: accidit autem ut idem quoque ſcholaris progreſſu temporis ad Epiſcopatum eveheretur, idemque aliorum quoque præcedentium Epiſcoporum ſectaretur exemplum, nullum Præceptori exhibendo beneficium, neque æſtimando eum quidquam: id quod prudens Præceptor ejus advertens, ſeque ab eo adeo aſpernari videns, in ipſo meridiano Sole accenſas manibus faces portans per Civitatis compita quaquaverſum dum diſcurrit, diſcipulum jam Epiſcopum factum obvium habuit, qui adeo inſolitæ rei cauſam Magiſtrum ſuum interrogans, hoc ab eo reſponſum retulit: *illumino tibi Domine, quia cæcus es ſicut & alij.*
Dignitates obcœcant.

11. Quando quis capitis vertiginem patitur, oculorum pariter lumen tunc amittere conſuevit, jam vero Nazianz. dicit: *Quo magis in altum pedem ponit, eo magis vertigine laborat & æſtuat.* Cardinalis quidam qui vitam ſancti Cœleſtini Papæ, qui Papatui renuntiavit, conſcripſit, ſciens quanta cum difficultate ſanctitas in tam ſublimi culmine conſervari ſoleat, hanc ejus voluntariam Papatus reſignationem hiſce verbis egregiè commendavit: *De alta Petri ſede deſcendens, ut cœleſtem ſedem conſcenderet*: atque ut dictum Pontificem ſumma cum deliberatione in hanc reſolutionem deſcendiſſe commonſtraret, id quod die reſignationem Papatus immediatè conſequente accidit, hiſce verbis recenſet: *Unde ut in executionem hujus facti & ipſius laudem & admirationem nulli dubio mentis judicio fluitarent, miraculum quod prima die poſt ejus renuntiationem Dominus per eum facere dignatus eſt, certum indicium fuit; nam cum poſt ejus Miſſam quidam claudus membris contractis ſeſe ad pedes ejus proſterneret; accepta ab eo benedictione ſanus erectus eſt.* Quam equidem Papatus reſignationem Deus utique miraculo nequaquam approbaturus fuiſſet, niſi eidem grata prorſus & acceptabilis verè fuiſſet. *Erubeſcant itaque, qui huic humilitati ſuperbè detrahentes, temerariè auſi ſunt dicere, hoc non ex virtute, ſed ex vilitate animi proceſſiſſe*; Etenim ſanctus hic Pontifex vel ex eo duntaxat motivo Pontificatum abdicavit, quia ſcilicet optimè cognoſcebat, quam ſit in ſuprema illa dignitate difficile Spiritum illum penes ſe conſervare, quem in ſolitudine ſua ſibi compararat. Et ideo Pius V. pro cujus Canonizatione proceſſus formantur, dicere quoque ſolitus fuit: *Cum eſſem religioſus, ſperabam bene de ſalute animæ meæ: Cardinalis factus, extimui; nunc Pontifex creatus, penè deſpero.*
Naz. or. 34.
Petr. de Aliaco Card. Camer. ſer. 19. Maij.
Sanctitas in ſublimitate vix conſervatur.
Notabile dictum Pij V. Corn. à Lap in c. 11. Num.

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Superbi, quia terrena avide nimis concupiſcunt, à cœleſti gloria excluduntur. Unde dignitatum gradus, etiam illis, qui ad eoſdem à Deo ſublimantur, periculoſos eſſe ex varijs cauſis oſtenditur.

### THEMA.

*Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* Joan. 12. ℣ 43.

1. S. Joannes multos Synagogæ principes interius per Chriſti prædicationem & miracula convictos, in eum credidiſſe refert: *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur.* At verò dicite ô Principes, quidnam magis æſtimari merebatur, an fides, religio, Cœlorum Regnum, an verò vanus timor Phariſæorum? De Apoſtolis verò è contra ſcribitur: *Ibant gaudentes, à conſpectu Concilij quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*: at vero Apoſtolos ita affectos fuiſſe, minimè mirandum venit, quia hi oculos ſuos in gloriam & honores regni cœlorum, non verò in gloriam terrenam intentos habebant: Principes verò Synagogæ non item, de quibus proinde S. Joannes dicit: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm Dei.* Sacer quidam interpres in hæc prædicta verba ita ſcribit: *Aſſerit ergo non bene inter ſe convenire, nec in una ſede morari ambitionem & fidem, ſiquidem fides evacuat hominem, ambitio inflat, fides omnia propter Deum relinquit, ambitio ſibi ſoli bene cupit.*
Joan. 12. v. 42.
Act. Ap. 5. v. 41.
Joan. 12. 43.
Salmer. t. 8. tr. 14.

Diſcipulorũ ambitioſa contentio.

2. Enimvero inordinata hæc ambitionis paſſio adeo ſæva eſt, ut Salvator noſter hunc ambitionis ſcopulum prius à ſuis Apoſtolis neceſſariò ſubmovendum eſſe duxerit, eo quod & hi de primatu inter ſe contenderint, non ſine metu aliquo, ne id in Magiſtri ſui notitiam perveniret. S. Thom. de Villa nova hanc Apoſtolorum interrogationem: *Quis putas major eſt in regno cœlorum*, conſiderans, eamdem originem ſuam ab illo certamine derivare ſcribit, quod in via conſtituti inter ſe mutuo habuerant, de qua S. Lucas hiſce verbis meminit: *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major*: poſtquam Redemptor noſter domum reverſus, quique in ſpiritu cuncta, quæ inter ſe locuti fuerant & fecerant, audierat & viderat, eoſdem, qua de re inter ſe contendiſſent, interrogavit: *Illi autem comprehenſi à Domino in ſermone ambitionis erubeſcentes, primo tacuerunt: deinde reſpondere compulſi mutato eloquio, quaſi de alijs quærunt: Quis putas major eſt in regno cœlorum? quia verò ideo quæſierat ab eis diſceptationem, ut curaret ambitionem, ita quæſtionem ſolvit, ut morbum magis curet advocans parvulum, ſtatuit eum in medio dicens: Niſi efficiamini ut parvulus iſte non intrabitis in regnum cœlorum; ac ſi diceret: diſceptatis inter vos, quis veſtrum major ſit futurus in regno cœlorum? ego dico vobis, ut videatis an illuc ingrediemini, hæc enim diſputatio veſtra longe eſt ab ingreſſu regni cœlorum, quo per humilitatem tenditur.* Qui gloriam mundi hujus quærit & ambit, cœleſti gloria ſe dignum reddere non poteſt; nam porta illius humilis eſt. Et ideo Salvator ait: *Intrate per anguſtam portam*
Matth. 18. 1.
S. Thom. de Vill. nov ſer. de S. Michaele
Luc. 22. v. 24.
Humilitate ad cœlum pervenitur.
Matth. 7. v. 13.

*portam:* Et ideo niſi ſuperbi & elati homines ſe humiliaverint, numquam aliquem in regnum cœlorum aditum habere poterunt.

Humilibus paſtoribus annuntiata Nativitas Salvatoris.

3. Quibusnam obſecro eo tempore, quo Filius Dei è cœlis in hanc terram deſcendit, Paradiſusque à tot ſæculis, imò ab ipſo mundi exordio clauſus, apertus viſus fuit, quibusnam, inquam, tunc Angeli Filij Dei nati gloriam annuntiaverunt? Num forte Synagogæ Principibus? aut Herodi Regi fortaſſis? vel alijs ſæculi potentatibus favor iſte exhibitus fuit? Minimè gentium, ſed pauperibus & abjectis Paſtoribus, neque id mirum cuipiam videri debet; qui mundi hujus Potentates hic deorſum non verò in cœlis gloriam quærunt. Unde S. Cyprian. apte ad propoſitum noſtrum ita ſcribit: *Credit paſtorum cuneus & exultat, parvulus ſe revelat, in hujus doctrinæ initio ſtatim faſtus & ambitio condemnatur;* Cui conſonat S. Ambr. ita ſcribens: *Non mirum ſi Chriſti gratiam ante ſ[...]re meruerit innocentia, quam poteſtas, & prius cognoſcere veritatem ſimplex ruſticatio, quam ſuperba dominatio, quod enim cognoverunt paſtores, Principes cognoſcere nequiverunt.* Is qui tanta cum humilitate, & immenſæ ac infinitæ Majeſtatis ſuæ vilipendio ad prædicandum gloriæ mundanæ contemptum in ſtabulum quoddam deſcenderat, recipi ab illis minimè poterat, inquit S. Bern. qui primarias in Synagogis cathedras ambiebant: *Non conſolantur præſæpe & ſtabulum amantes primas cathedras in Synagogis.* S. Thomas de Villa nova admiratur, ante divinum illum Infantem ad adorandum proſtratos non Synagogæ Principes, nec ſummos Sacerdotes, ſed pauperes & abjectos paſtores per Angelorum exercitus gloriam nati infantis annuntiantes eò evocatos: *O mirandum ſæculis omnibus ſpectaculum, videres Angelorum cuneos ruſticis hominibus & jumentis permixtos ſolo proſtratos reclinatam in præſepio adorare Majeſtatem;* Demum verò id quod vel maximè ad præſens propoſitum noſtrum ſervit, ſubjungit: *Nulla in eis ambitio dignitatis, ubi tanta inſpicitur humiliatio Majeſtatis.*

Luc. 2. v. 9.

S. Cypr. de nat.

S. Ambr ſer. 7. de nat.

S. Bern. ſer. 3. de nat.

Tho. de Villa nova con. 3. de nativ.

Superbus abominabilis Deo.

4. Ad proſternendos & humiliandos ſuperbos valde efficacia ſunt verba iſta, quæ in Evangelio S. Lucæ leguntur, nimirum. *Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum:* quam eamdem ſententiam diu ante à Sapiente pronuntiatam reperio, dicente: *Abominatio Domini eſt omnis arrogans.* Rebelles Angeli turpi hac pice coinquinati, adeo Creatori ſuo abominabiles fuere, ut non ſolùm illis numquam hactenus veniam dederit, ſed nec illorum ſuperbiam & faſtum deinceps umquam condonaturus ſit; *Draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt:* quodnam verò ex hac immoderata ambitione illos reportaſſe putas ſupplicium? *Neque locus inventus eſt eorum amplius in cœlo:* id quod, ni fallor, certiſſimum quoddam fuit prognoſticum, majorem ambitioſorum partem impœnitentem omnino Leoque rebellem morituram eſſe. Unde S. Chryſ. qui in dignitatibus Eccleſiaſticis acceptandis adeo invitus, in exequendis verò iiſdem adeo humilis erat, cum ingenti nos fervore hiſce verbis exhortatur: *Non quaramus honores, imo eos, cum oblati fuerint, repellamus, & abjiciamus à nobis, & hujuſmodi concupiſcentiam extinguere omnibus modis ſtudeamus: iſta nos & ad principes, & ad ſubditos dicimus: Anima omnis quæ honoris tenetur appetitu, & gloriam ab hominibus quærit, non videbit cœlorum regnum: non mea hæc ratio eſt, à me ipſo iſta non loquor, hæc verba Dei Spiritus profert.* Idem quoque in alia quadam Homilia ita proteſtatur: *Mirabile eſt, ſi ſalventur multi Prælatorum.* Hujuſce veritatis Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis pulchrum quoddam allegat teſtimonium, ſiquidem de ſæva quadam Chriſtianorum perſecutione tractans, ita ſcribit: *Omnes certè metu perculſi obſtupuerunt, atque ex illis qui cum dignitate tum divitiarum affluentia præſtare videbantur, qui quidem non pauci erant numero, nonnulli timore perterriti, Dijs illorum ſe ultro offerunt:* Siquidem quando apud tales de deponendis dignitatibus, Dominijs & imperijs, nec-non de obſequijs & gloria mundi hujus deſerenda agitur, ſine ulla difficultate, ne id facere cogantur, gloriæ cœleſti renuntiant: *Dilexerunt gloriam hominum magis, &c.*

Luc. 16. v. 15

Prov. 16. v. 5.

Apoc. 12. v. 8

Ibid 8.

Chryſ. hom. 2 ad Tit.

Hom. 34. ad Hebr.

Pauci Prælatorum ſalvantur.

Joan. 12. 43.

Dan. 3. v. 3.

Procerum exemplum.

5. Quonam myſterio factum fuiſſe putas, quod pro adoranda Nabuchodonoſoris ſtatua aurea primò Principes, Satrapæ, cunctique alij Regni primores advocati fuerint, poſteà verò plebs & populus? cùm tamen quotidiana experientia conſtet, plebem mechanicam præ cæteris maturius ſurgere, citiusque ad Eccleſias, & ſolemnitates convenire ſolitam eſſe, quàm magnates, qui, quod ſerius expergiſcantur, & magno comitatu ſtipari ſoleant: ultimi in iiſdem compareant. Pro reſolutione faciliori, advertendum eſt ſagax valdeque aſtutum regiæ hujus determinationis motivum; Illos namque qui dignitatibus, Dominijs, & Principatibus in Regno ſuo præfulgebant, primos coram ſtatua ſua aurea genua ſua flectere voluit, firmiter ſibi futurum eſſe perſuadens, quod hi, ne dignitates & honores, quibus cæteris præeminebant, amittere cogerentur, in voluntatem regiam ſine ulla eſſent difficultate condeſcenſuri: indeque conſequenter ulterius futurum, ut ipſorum exemplo ſubditi & plebei ad idololatrandum ſe promptiſſimos exhiberent. S. Hilarius valde adverſus Conſtantium Imperatorem Arianum lamentatur, quod is multos Catholicos non per minas & ſuppliciorum violentias, ſed per oblatos honores in ſuos errores inducere conſueverit: *Pugnamus contra perſecutorem faventem, qui non tradit carceri ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſervitutem.* Valde notanda ſunt verba illa quibus Cardinalis ille, qui Cœleſtini Papæ vitam ſcripſit, uſus eſt ad propoſitum de Pontificatus abrenuntiatione: Ait enim: *Depoſitis Pontificalibus inſignijs de alta Petri ſede deſcendens Cœleſtinus, ut cœleſtem ſedem conſcenderet:* quaſi diceret, quisquis avidus eſt & cupidus gloriæ cœleſtis, gloriæ mundi tergum neceſſariò verti debere judicat.

Sequuntur Plebei.

S. Hil. l. con. Conſt.

Gloriam mundanam ſpernat qui vult æternã.

Chryſ. l. 6. de Sacerd.

6. Porro multæ adduci poſſunt rationes, cur humanæ dignitatis & excellentiæ vertex, lubricus communiter & ſcopulis plenus eſſe videatur. Et quidem Chryſ. monet dicens: *Honores eos, quos viri largiuntur, niſi quis magna cum animi conſtantia admiſerit, morbis duobus contrarijs capiunt, quorum alter eſt adulationis ſervitus, alter arrogantiæ amentia.* Generoſum proſperæ fortunæ vinum ad caput aſcendit, humanaque corda illius *Dominamini* cupida adeo fortiter inebriat, ut eadem facili negotio pervertat. Veriſimile quidem eſt Samuelem immaculatum illum Dei Proph. tam filios ſuos perſanctam & perfectam quamdam educationem, ad annos uſque viriles perduxiſſe: Et tamen hoc non obſtante ſacer textus aſſerit: *Et non ambulaverunt filij illius in vijs ejus ſed declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera & perverterunt judicium,* cujus S. Greg. rationem reddit dicens: *Steterunt ſubditi, ſed in culmine prælationis poſiti Prophetæ filij ceciderunt:* Ab hoc autem impio exemplo, tranſit ad dandum omnibus, religioſis verò præcipuè ſalutare monitum, ne ſuperioritates ſibi procurare ſatagant: *Ut ſi nobis ſub cura majorum poſitis indeſinens ſanctæ vitæ ſtudium, aut ſecuritas magnæ converſationis arrideat, præeſſe tamen alijs non habeamus in appetitu deſiderij, ſed in magnitudine timoris.* in annal. Eccleſiaſticis legimus Martinian. quidem à S. Greg. Ravennæ electum fuiſſe Epiſcopum, eumdemque adeo ſanctum & vigilantem Pontificem, eo quod multo tempore in eodem monaſterio cum eo vixerat, eamdemque dignitatem multoties à ſe repudiaſſe viderat, Martinian. hunc tamquam ſalutis animarum procurandæ zeloſiſſimum, ſummis laudum encomijs ipſum extuliſſe novimus; at verò dum Baronius ulteriores Martiniani in Epiſcopatu eventus enumerare pergit, ita ſcribit: *Quem præſenti anno adeo laudavit Gregor. eumdem anno ſequenti menſe Martio reprehendere opus fuit: ita humanæ conditionis inſtabilitas fert, ut mutatione ſtatus mutari interdum homines, atque virtutes in vitia converti facile poſſint.* Imò idem Epiſcopus adeò ſe ab avaritiæ labe coinquinari permiſit, ut S. Gregor. hiſce ad eum verbis ſcribere coactus fuerit: *Te inſtanter admoneo, ut non plus pecuniæ quam animabus ſtudeas.* Hæcque cauſa eſt, cur ſancti Divino lumine præditi & pericula ſub honoribus latentia probè cognoſcentes, hunc dominandi pruritum in quavis oblata occaſione damnare ſoliti fuerint. Unde Chryſ. ait: *Nemo de poteſtate ſibi magnifice placeat, locus enim eſt, & lubricus & præceps, & eos, qui non attendunt, facillimè ſubvertit.*

1. Reg. 8. v. 3

S. Greg. ibid.

Ann. 595. n. 76. Baron.

Mutatione Status, homo mutatur.

S. Greg. l. 5. ep. 28. indic. 14.

Chryſ. in Pſalm. 9.

Prælati ſint circumſpecti.

7. Sæpenumero ad animæ ſecuritatem ejus, qui præeſt, minimè ſufficit quod renitente voluntate ad eam, in qua præſidet, authoritatem promotus fuerit, quodque Deus ei, quod dignitatis acceptionem attinet, voluntatem ſuam manifeſtarit, niſi etiam deinceps in adeo periculoſo culmine conſtitutus, cautus & circumſpectus vitam ſuam inſtituat. Unde optima eſt illa S. Baſil. reflexio, dicentis: *Si qui delatam ſibi gloriam acceperunt, ſic condemnati ſunt* (quomodo Saül à Regno, Judas verò ab Apoſtolatu, & alij multi damnati fuere) *ſine controverſia, qui ultro non delatam ſibi inquirunt, graviſſimo, ſupra quam dici poteſt, judicio plectentur.* Ideo quoque S. Bern. ſui temporis Archiepiſcopum Colonienſ. ſequentibus verbis monendum eſſe dixit: *Si cunctos qui vocantur ad miniſterium, conſtat eligi ad regnum, profectò ſecurus eſt Archiepiſcopus Colonienſis: Quod ſi etiam & Saulem in regno, & Judam in ſacerdotio legitur elegiſſe non alius quam ipſe Deus, timeat neceſſe eſt & Archiepiſc. Colonienſis.* Nicol. Lyran. qui religioſus fuit Franciſcanus illa ex libr. Regum adducta verba gloſſando: *Contentus eſto gloria tua & ſede in domo tua,* refert, quod S. Franciſcus à Papa interrogatus, an fratres ſuos ad Prælaturas promoveri æquo animo ferre poſſet, reſponderit: *Domine, fratres mei ideo vocati ſunt Minores, ut majores fieri non præſumant. Si vultis, quod fructum faciant in Eccleſia Dei, dimittite eos in ſtatu vocationis eorum, & ad Eccleſiaſticas dignitates accedere nullatenus permittatis:* Imò magnam habemus timendi & tremendi cauſam, dum inviti ad Eccleſiaſtica culmina nos à Deo promoveri videmus. S. Bern. ampliſſimos & opulentiſſimos Italiæ Archiepiſcopatus à Summis Pontificibus ſibi oblatos generosè repudiavit, ac proinde ita ſcribit: *Etſi irreprehenſibilis videtur ingreſſus, & intentio caſta, nihilne ultra timendum eſt? timendum quidem & maximè: ſed quamnam putas eſſe hujus reſolutionis ſuæ cauſam? Neque enim quicumque Spiritu cœperunt, ſpiritu conſummantur, ſed carne nonnulli.*

S. Baſil. in reg. brev. inter. 16.

S. Bern. ep. 9.

Lyr. ibid. 4. Reg. 14. v. 10

S. Franciſc. ſuis noluit permittere prælaturas.

S. Bern. in declam.

8. S. Bern. Sen. nonnullos conſiderat ſcopulos in quos nos Dæmon impingere facit, ut ſic eos, qui ad dignitates ſublimantur, in multa ruere vitia faciat, bonosque eorum mores corrumpat: *Mentes enim,* inquit, *quæ non ſunt multis virtutibus habituatæ & roboratæ, citò deficiunt ex multa diſtractione: diſtrahuntur ab adulatoribus qui circumſtant: nemo talium magnatibus aperit veritatem, nemo ſinit eos cernere peccata ſua, ſed in illis laudantur:* Adducitque illum Pſalmi textum: [*Aſcendunt uſque ad cœlos,*] ſcilic. per gloriam & honorem: [*Et deſcendunt uſque ad abyſſos,*] *per multiplicationem gravium peccatorum.* Moxque rationem reddit ex eodem Pſalmiſta hujus tam turpis in peccata præcipitij. [*Anima eorum in malis tabeſcebat,*] *id eſt, in peccatis reſolvebatur.*

S. Bern. Sen. t. 1. ſerm. 50. à 2. c. 3.

Pſ. 106. v. 26

Pſ. 106. v. 26

Dignitates periculoſæ.

9. Daniel Propheta, prouti ipſemet de ſe ſcribit, poſtquam habitum à Rege ſomnium eidem propoſuit, tantam ſui venerationem Regis animo impreſſit, ut hic pedibus illius advolutus, eum tamquam veri Dei ſervum adorare voluerit, dixeritque: *Verè Deus veſter Deus Deorum eſt,* & tamen hoc non obſtante paucis abinde diebus immenſam illam fundi fecit ſtatuam auream, veram ſuiipſius effigiem & figuram, cum expreſſo cunctis populis omnibusque Regnorum ſuorũ Principibus impoſito præcepto, ut dictam ſtatuam, niſi capitalis pœnæ ſe reos eſſe velint, prono corpore & animo adorent. Unde tres Hebræorum pueri, qui id facere detrectabant, ex ejus commiſſione in fornacem ardentem fuere conjecti, Rege in ſupplicij hujus executione dicente: *Quis eſt Deus qui eripiat vos de manu mea?* Circa quam hiſtoriam id mihi præcipuè paradoxum eſſe videtur, qua ſcil. ratione Rex ille tam ſubitò oblivisci potuerit præclaræ illius confeſſionis, qua nullum alium verum Deum eſſe profitebatur, præterquam illum quem adorabat Hebræorum populus, ſiquidem non ſolum dicit: *Quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea,* verum inſuper ſibimetipſi in ſtatua illa cultum latriæ exhiberi procurat? Eamdem quoque difficultatem Gloſſa movet dicens: *Tam citò quem confeſſus fuerat, & Deum Deorum vocaverat, ei detraxit, ipſumque homine imbecilliorem eſſe arbitratus eſt.* S. Hieron. quoque circa eamdem Hiſtoriam ita ſcribit: *Velox oblivio eſt veritatis, ut qui dudum ſervum Dei quaſi Deum adoraverat, nunc ſtatuam ſibi fieri jubeat, & ipſe quaſi Deus in ſtatua adoretur.* Porrò ſubitaneæ hujus mutationis ratio fuit, quia Babyloniorum ſatrapæ Danieli nec non tribus pueris Hebræis, quibus Rex mire addictus erat, fortunam ſuam invidentes horrendum hoc machinati ſunt ſtratagema, ut eoſdem à Regis gratia exturbare, animiſque eorum tanto fortius imprimere poſſent, nullum præter Nabuchodonoſorem Regem, adorandum eſſe verum Deum, unde nihil aliud Regem à lumine quo verum Deum agnoſcebat apoſtatare, ſacrilegaſque illas ei cogitationes, quibus ſe in falſo illo ſimulachro adorari voluit, ſuboriri fecit, quam ſola Satraparum ſuorum malignitas, invidia, odium, & adulatio.

Dan. 2. v. 47.

Dan. 3. v. 15.

Gloſſ. ord.

S. Hier. ibid.

10. In 4. libr. Regum Jehu ad thronum Iſraëliticum aſſumptio & evectio deſcribitur, unicum nimirum ſolius Dexteræ Dei opus: Hunc enim Deus in Regem conſecrari voluit, ut impiam illam Achabi progeniem funditus extirparet, quod pariter exactiſſimè executus fuit. *Studioſè egiſti,* inquit Deus, *quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab.* Quiſnam obſecro verba hæc audiens Regem hunc Deo longe gratiſſimum & acceptiſſimum nec umquam Divinam gratiam amiſſurum eſſe non exiſtimaſſet? & tamen Deus per os Oſeæ Prophetæ proteſtatur dicens: *Adhuc modicum & viſitabo ſanguinem Jezrabel ſuper domum Jehu.* Verùm inquies quænam eſt hæc Juſtitia, dum Jehu ideo caſtigatur, quod domum & progeniem Achabi prorſus peſſumdederit? Numquid hoc opere impoſitum ſibi à Deo præceptum adimpleverat? Rupert. Abbas Tuit. ait: *Quia non veraciter zelo Dei paruit, ſed propriæ cupiditati, ut regnaret ſuper omnia, ſervivit.* Id quod etiamnum hodie à magnatibus fieri ſolet; Principes enim poſtquam à Deo fuere promoti, Divinæ erga illos beneficentiæ obliviſcuntur, & ut ſe in aſſecutis honoribus tanto firmius atque ſolidius ſtabilire poſſint, conſilia ſequuntur ſuorum aſſentatorum, & Statiſtarum, aliudque nihil faciunt, niſi quod Status ratio, & politica humana ſuadent, tametſi in oculis noſtris Deo exhibere videantur ab ipſo deſideratum ſervitium. S. Aug. quoque ad idem propoſitum ita ſcribit: *Quid ei profuit nonnulla obedientia, quam pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit.* Magnates in actionibus ſuis nulla alia lege diriguntur, præterquam quæ proprium intereſſe ſpectat, quæ ad hoc ſolùm dirigitur, ut ſeſe in terreno regno ſtabiliant, cœleſte regnum parum aut nihil curantes. Et tamen veriſſima eſt illa Boëtij ſententia: *Non in hoc terræ puncto, ſed in cœlo propaganda gloria.*

4. Reg. 9. v. 6.

4. Reg. 10. 30

Oſe. 1. v. 4.

Rup. Abb. in Oſe.

In dignitate conſtituti politice agunt.

S. Aug. l. 1. cond. mend. c. 2.

Sed Dei Regnum perdũt.

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

**Sublimia loca præcipitia vicina comminantur, fortunaq; quæ hominem exaltat, eumdem pariter deprimit; Ideoq; etiam viri perfectiſſimi magnum ſibi ex honoribus periculum conciliant.**

### THEMA.

*Dejeciſti eos dum allevarentur.* Pſalm. 72. ℣. 18.

Ambitio præcipitium minatur.

1. PRopoſitionis hujus veritatem, nempe quod eminentia & ſublimia dignitatum culmina ſemper comminentur præcipitia, reipſa expertus eſt in ſemetipſo is qui omnium ambitioſorum primus fuit, Lucifer nimirum, de quo Propheta Evangelicus ita loquitur: *Qui dicebas, ... in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ... aſcendam ſuper altitudinem nubium.* Ecce culmen ad quod conſcendere nimis temerè præſumpſit: vultis autem & præcipitium videre quod ſuperbi hujus Spiritus ſuperbiæ & arrogantiæ correſpondere debebat? audite verba immediatè ſequentia, & obſtupeſcite præfatæ propoſitionis in ipſo completam veritatem: *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum.* Ubi Oleaſter ita ſcribit: *Vide hujus ſuperbi aſcenſum & deſcenſum: quanto enim altius ſe extulit, tanto ad inferiora dejectus eſt: aſcendere voluit ſuper aſtra cœli, & deſcendit ad ima ſepulchri.* Etenim prædicta Evangelici Prophetæ verba Lyranus quoad ſenſum literalem de Balthaſare Babyloniorum Rege interpretatur: quoad ſenſum verò ſpiritualem de pulcherrimo omnium Angelorum Principe exponit, cujus miſerabilis lapſus accidit juxta proportionem ſuæ præſumptionis. Unde Gregor. ait: *Elevatio ipſa ruina eſt, quia dum gloria falſa ſubnixi ſunt, à gloria vera evacuantur.*

Iſa. 14. v. 13. 14.

Oleaſt.

S. Greg. l. 1. regis. ep. 5.

Ambitioſi metuant præcipitium.

2. Porro æternæ veritatis eſt illa à Chriſto ſæpius pronuntiata propoſitio: *Qui ſe exaltat, humiliabitur:* Circa quæ verba advertendum eſt, quòd Salvator non dicat: *Qui exaltatur,* ſed *qui ſe exaltat:* quia hi qui inviti ad ſublimes dignitates promoventur, nec alijs quam meritorum gradibus ad eaſdem conſcendunt, comminato huic lapſui minime ſubjiciuntur, dummodo in ſua virtute perſiſtant, ſeque quoadusque in ſublimi illo ſtatu valde aliàs lubrico conſtituti ſunt, ſeduci nequaquam permittunt; E contra verò qui ſine ullo meriti fundamento ex ſola ambitione in altum ſe evehere ſatagunt, jure merito certiſſimum ſibi metuere poſſunt præcipitium. S. Thomas de Aquino, qui aliquot inſignibus Archiepiſcopatibus nuntium remiſit, *De regimine Principum* tractans, fragilis naturæ noſtræ metallum optimè conſiderat, videlicet quod nulla alia ex re conſtet, præterquam ex pulvere & cinere: Ipſa autem experientia perſpicuè ſatis demonſtrat, cinerem, quanto magis in altum exponitur, tanto eumdem in ventorum ludum & ludibrium amplius converti, & per aëra quaquaverſum diſpergi: quod ſi verò homo tamquam è terra plaſmatus conſideratur, hac quoque ratione eidem in alto collocatum eſſe minimè convenit, quia ſitus eminens ſphæræ terreſtri minimè eſt proportionatus, imò naturali ejus ſitui penitus repugnat;

S. Thom. l. 1. c. 1. de regimin. Princ.

pugnat : *Nihil violentum perpetuum*; atque ideò à ſupremo rerum omnium artifice ſitum inter omnia elementa infimum accepit: *Terræ non congruit eſſè in alto, quæ eſt infima elementorum : cineri etiam expedit, ne in alto ſit, ne diſpergatur à vento.* Demum verò S. Doctor quænam ſit humanarum dignitatum conditio, hiſce verbis declarare pergit : *Quid eſt poteſtas culminis? tempeſtas mentis : ſpecialiter perſtat ibi aquilo, juxta verbum Luciferi : [Dominans ſedebo in lateribus Aquilonis.]* Tandem concludit, timendum & contremiſcendum eſſe omnibus in alto dignitatum culmine poſitis, honoreſque ſummo eſſe ſtudio fugiendos. *Ex his patet*, inquit, *quod poteſtas temporalis non eſt propter ſe appetenda, ſed eſt multum timenda, locus verò humilis eſt eligendus, ſecundùm conſilium Salvatoris*, qui dixit: *[Recumbe in noviſſimo loco,] hic eſt locus congruens homini, qui eſt terra & cinis.*

*Iſa.14.v.13.* — Honores fugiendi. — *Luc.14.v.10*

3. Hugo Cardinalis ingenioſè ſe ad luctatores reflectit, qui eodem tempore quo æmulum colluctatorem in ſublime elevant, nullo alio fine ducuntur, quam ut ipſum tanto vehementius terræ allidant; ac proinde Eminentiſſimus Doctor dicit, idem quoque Prophetam regium de illis qui in altum ſublimantur, dicere voluiſſe, dum ait : *Dejeciſti eos dum allevarentur : ſicut in lucta luctator ſimul elevat ſocium ſuum & dejicit : Dejeciſti eos de prælatione & poteſtate ſua: [Quomodo facti ſunt in deſolationem]?* Inquit idem Pſalmiſta immediate poſt verba præcedentia. Etenim ingens mutationis ſcæna in morte conſpicitur, eo quod unuſquiſque illos deſolatos relinquit; *Facti ſunt in deſolationem in morte, nullus enim tunc eos juvat*, in illo namque momento nihil omninò quævis militum cuſtodiæ, nihil armatorum exercitus, nihil theſauri, nihilque denique turbæ famulorum proſunt : *Etiamſi Rex ſit homo, nihilominus quando mortuus eſt, abominabilis eſt omnibus.* Albert. Magn. Davidem dum ait : Dejeciſti eos dum allevarentur, dicere voluiſſe exiſtimat, quod eodem tempore quo ambitioſi in thronum ſublimantur, vel maximè in proxima præcipitij pericula exponantur; Etenim mors Principibus magis quam cunctis alijs inſidiatur, ipſique plus quam vilis plebecula & privati homines, ſeditionibus, conjurationibus, bellorum inquietudinibus, variiſque violentis mortis generibus ſubjiciuntur; *Etiam dum allevarentur in honoribus, dejeciſti eos eo ipſo : Elevans alliſiſti. Tolluntur in altum*, ut Poëta ille cecinit, *Ut lapſu graviore ruant* : cujus plurima viſa fuere funeſta exempla, ſufficiat ex Hiſtorijs prophanis Exemplum Sejani : ex ſacris verò Hiſtorijs illud quod de Aman refertur : Unde quanto dignitatis culmen eminentius eſt, tanto conſequenter profundior eſt lapſus & præcipitium.

Quo eminentior gradus, lapſus profundior. — *Hug. Card. in Pſ 72.* — *Pſ.72.v.19.* — *Alb. Magn. in Pſ. 72.* — Principes periculoſius vivunt.

4. Sanct. Apoſtolus audacter ſibi promittere non dubitavit, quod nulla umquam re quæ eſt in hoc mundo à Dei flagranti amore arcendus aut ſeparandus ſit, unde ait: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.* S. Bruno per dictionem illam, *altitudo*, humanæ dignitatis faſtigium intelligendum eſſe dicit: *Neque altitudo, id eſt promiſſio honoris : Vel altitudo eſt illa, quando Diabolus purpuratum ſe & diademate nitentem oſtendit.* Porrò circa prædictum Apoſtoli textum duo præcipuè obſervanda veniunt: Primum eſt, quod honores & gloriam humanam ultimo omnium loco recenſuerit, ad eum ferè modum quo Lucifer ultimæ tentationis loco eam præcipuè reſervarit, quam ad ipſius lapſum procurandum vehementiſſimam eſſe cenſuit; ſcilicet ſceptrorum regnorumque terræ hujus Chriſto factam oblationem & promiſſionem : Alterum verò eſt, quod Apoſtolus non ſine myſterio duo illa conjunxerit ſimul, ſcilicet *altitudinem & profundum*, hoc enim ideo vel maximè fecit, ut nobis denotaret, quod ſubliſſimi honores maximam cum horrendis præcipitijs conjunctionem habeant. Unde dicit S. Auguſtin. *Quanto plus honoramur, tanto plus periclitamur, honor periculis ſuſtentatur.*

*Rom.8. v.38 &c.* — *S. Brun. ibid.* — Dignitates cum præcipitijs conjunguntur. — *S. Aug.*

5. Omnibus palàm nota eſt illa à Salvatore noſtro miſerabilis illius hominis allata parabola, qui ab Hieruſalem in Jericho deſcenderat : *Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones.* Porrò non deſunt qui hanc parabolam veram Hiſtoriam eſſe quæ ſuo tempore verè acciderit, exiſtimant. Rupert. verò Abb. Tuit. eamdem de protoparente noſtro hiſce verbis exponit : *Non dixit ſolummodo : Homo quidam incidit in latrones, ſed deſcendebat*, inquit, *ab Jeruſalem in Jericho, & tunc demum incidit in latrones; niſi enim deſcenderet, non incidiſſet, quia videlicet niſi mente ſuperbiret, dati præcepti prævaricationem non incurriſſet, deſcendebat, quia mente tumebat.* Deinde ibidem docet, quomodo ſuperbire idem ſit, quod deſcendere; ait namque: *Tumore aſcendere, veraciter deſcendere eſt : quia videlicet ubi mens elevatur, ipſa elevatione dejicitur* : Unde Pſalmiſta : *Dejeciſti eos, dum allevarentur.*

*Luc. 10.v.30* — *Rup. Abb. l.3. in Gen. c.1.*

6. S. Malachias ſanctiſſimæ vitæ Epiſcopus, atque à veridico S. Bern. calamo egregie concelebratus, ex toto virium ſuarum conatu honores fugit. Unde præfatus mellifluus Doctor ita de eo ſcribit: *Omnem locum ſublimem veluti præcipitium reformidabat.*

*S. Bern. in vita S. Malach.*

7. Quando Eugenius ex Monacho Ciſtertienſi, qualis antea erat, ad Papatum aſſumptus fuit, S. Bernardus eidem cordialiſſime compatiens, ad Curiam Romanam, quæ illum è Monaſterij ſui ſolitudine extraxerat, hiſce verbis transſcripſit : *Parcat vobis Dominus, quid feciſtis? Sepultum hominem revocaſtis ad homines? fugitantem curas & turbas, curis denuò implicuiſtis?* Ut autem eidem Curiæ ſcopulos, inter quos illum collocarat, oſtenderet, conſequenter ait : *Currebat bene, quid vobis viſum eſt, ſepire vias ejus, avertere ſemitas, greſſus involvere? quaſi deſcenderet de Jeruſalem, & non magis aſcenderet de Jericho, ſic incidit in latrones.*

*S. Bern. ep. 238.*

8. S. Bern. Senenſ. thronum Darij Regis regium ſeptem gradibus conſtantem nobis deſcribit : Omnes autem hi gradus ex varijs erant lapidibus pretioſis confecti, præter ultimum. En ipſiſſima ſancti hujus Scriptoris verba : *Rex Darius fecerat ſibi thronum de auro, & per ſeptem gradus aſcendebatur ad eum; primus erat de Amethyſto, ſecundus de Smaragdo, tertius de Topazio, quartus de Granato, quintus de Adamante, ſextus de Auro, ſeptimus de Luto.* Magis autem, dicat fortaſſe aliquis, neceſſarium videbatur, ut gradus ultimus utpote Majeſtati regiæ proximè vicinus, omnium eſſet pulcherrimus & pretioſiſſimus, cur igitur ex luto ſive creta fabricatus fuit? Reſpondeo igitur, id factum eſſe ut per hoc Principibus viris inſinuaretur, quot quanto ſunt potentiores & formidabiliores, tanto quoque majores patiantur inſidias, ipſique morti viciniores exiſtant : Vel etiam dici poteſt, ita factum eſſe ad denotandum, quod eo tempore quo quis ad altiſſimum honoris gradum uſque pervenit, tunc inconſtans fortunæ rota communiter vel maxime mutari & gyrare ſoleat, ita ut qui antea conſiſtebamus in vertice, mox mutato fortunæ ſtatu jaceamus in luto, cunctorumque pedibus conculcemur. *Septimus de luto.*

Potentiores majores inſidias patiuntur. — *S. Bern. Sen. t.3. ſerm.25.* — Mutabilis fortuna.

9. Hujus experientiam nobis increata Altiſſimi ſapientia Nabuchodonoſori Regi ſubminiſtrare voluit, qui quod ex Monarchiæ ſuæ potentia in tantam obturguiſſet animi elationem, ut nullum alium præter ſemetipſum Deum uſpiam reperiri poſſe omnino ſibi perſuaſerit, vindice Deo, ut ſua inter rationis expertes beſtias paſcua quæreret, juſte condemnatus fuit. Huic igitur per modum ſomnij ſtatuam quamdam ob oculos verſari voluit, cujus caput aureum, pectus cum brachijs argenteum, venter & femora ænea, pedes verò ferrei erant : Quæ metallorum diverſitas, prouti ſacri Expoſitores viſionem illam declarant, 4. deſignabat Monarchias præcipuas, totique terræ omnino formidabiles : Et quidem in capite aureo Chaldæorum denotabatur Monarchia, Medorum & Perſarum in argento, in ære Macedonum, Romanorum denique in ferro. Sed cuinam hæc metalla omnia innitebantur? aut quale ſtatua hæc fundamentum aut baſim habebat? Aliud profecto nullum quam lutum : *Ferrum mixtum teſtæ & luto* : ut per hoc innueretur, quod quantumvis Monarchæ cum exercitibus ſuis potentes & formidabiles exiſtant, ſemper tamen luto tamquam baſi & fundamento innituntur : *Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Eo tempore quo Henricus IV. Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, per exercitum quemdam numeroſiſſimum & victorioſum, totum quaſi univerſum ſimul & ſemel abſorbere minabatur, cunctoſque Europæ Principes ſuſpenſos & tremebundos tenebat, unicus dumtaxat ferri ictus ſubito eumdem è medio vivorum ſuſtulit : adeo ut eodem prorſus ictu proſtratæ & dejectæ fuerint omnes quas mente ſua volvebat conſiliorum machinæ. In hac tamen ſtatua pulcherrimum quoddam obſervandum eſt myſterium. Sicut enim Deus in ſtatua illa Monarchiarum repræſentat honores & præcellentias, ita quoque eodem tempore eaſdem proponit, ut præcipitio proximas : *Abſciſſus eſt de monte lapis ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos, tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in favillam*

Declarat ſtatua Nabuchod. — *Dan.2.v.31.* — *Pſ.145.v.4.* — Exemplum.



*æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nulluſque locus inventus eſt eis.* Circa quæ verba Hugo Cardinal. ait : *Statuam percutit in pedibus, quando majores aliquos in ſæculo, qui mundum videntur ſuſtinere & portare, dejicit in paupertatem vel mortem.*

*Hug. Card. ibid.* — NB.

10. Miſerè olim Jobus, qui etiam opulentiſſimus ſuo tempore Princeps multorumque populorum Dominus extitit, lamentatus fuit hiſce verbis : *Redactus ſum in nihilum : abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum: & velut nubes pertranſiit ſalus mea.* Quod lamentum S. Gregorius de ijs exponit, qui quantò amplius exaltantur, tanto depreſſioni viciniores exiſtunt; quia nubes quanto amplius ſupra nos cœlum verſus elevantur, tanto citius à radijs ſolaribus diſſipantur & evaneſcunt : *Nubes quippe in alto eminet, ſed hanc ad curſum flatus impellit : ſic ſunt temporalia iniquorum bona, veluti in alto quidem per honoris celſitudinem degere videntur, ſed ad curſum vitæ quotidiè veluti quibuſdam mortalitatis ſuæ flatibus impelluntur; Salus ergo ut nubes tranſit, quia perverſorum gloria, quæ alta eſt, fixa non eſt.*

*Job.30. 15.* — Exaltati ut nubes diſſipantur. — *S. Greg. l.20. mor. c.20.*

11. Aliam quoque ab hac parum differentem in Propheta regio legimus ſimilitudinem; Hic enim Magnatum potentiam fumo ſimilem eſſe dicit : *Deficientes, quemadmodum fumus deficient*; Fumus etenim quanto altius aſcendit, tanto citius deficit & evaneſcit : ita quoque ſuperbiæ, arrogantiæ & ambitionis fumus, quanto altius ſeſe erigit, tanto quoque facilius interit. Unde S. Gregorius ait : *Fumus quippe aſcendendo deficit, & ſeſe dilatando evaneſcit, ſic videlicet fit cum peccatoris vitam præſens felicitas comitatur, quia oſtenditur ut altus ſit, inde agitur ut non ſit.*

Vel ut fumus. — *Pſ.36. 20.* — *S. Greg. l.1. reg. ep.5.*

12. David qui juventutis ſuæ tempore pecora in paſcua abegerat, virgamque paſtoralem adminiſtrarat, quando ſe in ſublimi Iſraëlis throno poſitum, regiumque ſceptrum manu ſua gubernantem conſpexit, hanc Divinæ Majeſtati ſupplicationem obtulit : *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Etenim quando pedes caput aliquod inflatum & tumidum ſuſtentant, nihil illis æquè eſt facile quàm ut in præcipitium corruant; capita namque debilia, qualia illa quæ nulla alia re quàm vento & fumo turgeſcunt, eſſe ſolent, in locis eminentioribus vertiginem ſemper pati conſpiciuntur. Notandum quoque eſt, quod paulò poſt quam dixiſſet : *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, è veſtigio ſubjungat : *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare* : quia qui ſine meritis ex ſola dominandi libidine ad honores conſcendunt, tyrannos ſe poſtea non Dominos probare ſolent, millenæque ab ejuſmodi indignis & ambitioſis committuntur iniquitates, adeò ut tandem populi quos ſubditos habent, hâc illorum tyrannide & ſcelerata vita exaſperati, eos à dignitatis, quam invaſerunt culmine dejicere & præcipitare haud infrequenter conentur, prouti in quolibet ſæculo ipſa nos ſæpe docuit experientia.

Superbi laborant vertigine. — *Pſ.35.v.12.* — *ibid.13.*

13. Valde etiam notanda eſt alia quædam conſideratio; quam S. Greg. circa illa verba : *dejeciſti eos dum allevarentur*, habet, nam in quadam Epiſtola ſua ita ſcribit : *Preſſus in hoc honore tumultu ſæcularium negotiorum, ex eis me eſſè video, de quibus ſcriptum eſt : Dejeciſti eos dum allevarentur* : quibus verbis S. hic Doctor clarè teſtatur, dignitatis culmen ad conſervandam humilitatem, acquirendaſque virtutes & perfectionem acquirendam ineptiſſimum valdeque periculoſum eſſe; *Neque enim dixit : Dejeciſti eos poſtquam allevati ſunt, ſed dum allevarentur, quia pravi quique dum temporali honore ſuffulti foras videntur ſurgere, intus cadunt.* Periculum iſtud S. hic Pontifex optimè Intellexit, illudque toto animi conatu à ſe avertere ſtuduit, quando ſummo Pontificatui acceptando quoad potuit reluctatus eſt, atque in ementito & ſimulato quodam peregrini habitu in Sylvas ſeſe abdere voluit, licet conatu id prorſus irrito fecerit, ſiquidem Divina Omnipotentia ipſi inſinuare voluit, ſe etiam prodigium hoc facere poſſe, ut ſcilicet, ſervorum ſuorum in humanarum ſeu potius ſuper humanarum dignitatum vertice conſtitutorum non ſolum conſervetur, verum etiam majora quotidiè incrementa acciperet. Advertendum tamen eſt S. Gregorium in ſupremo hoc Dominij culmine poſitum in tantum ſanctum factum fuiſſe, in quantum ſe non Dominum, ſed ſervum, imò ſervorum Dei ſervum eſſe ſemper agnovit, quia primus fuit qui inter Pontifices hunc ſibi titulum vendicavit : *Servus ſervorum Dei.* S. Auguſtinus in loco quodam ita ſcribit : *In quo loco ſciebam, non eſſè Epiſcopum, ne illuc accederem, cavebam, & hoc agebam, quantum poteram, ut in loco humili ſalvarer, ne in alto periclitarer.* Etenim inter dictiones Damnatio & Dominatio parva utique intercedit differentia, quod Petrus Bleſenſis ſequenti ſententia ingenioſè notavit : *Multorum dominatio eſt eorum damnatio, quot enim paupertas ad cælum promovet, tot cum dignitatibus ſuis Infernus abſorbet.*

*Pſ.72. v.18.* — *S. Greg. l.1. reg. ep.5.* — Vix humilitas, ubi dignitas. — S. Greg. Primus titulo utens, Servus ſervor. Dei. — *S. Aug. ſer.1. de com. vita cleric.* — NB. — *Pet. Bleſ.*



14. Chryſol. benè obſervat quod Dæmon Chriſtum in locum quemdam valde eminentem & ſublimem, ſcilicet ſuper pinnaculum tranſtulerit templi, in quo populus à Sacerdotibus erudiebatur, eique dixerit : *Mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te &c. Mitte te deorſum, ſic ſuis ſuadet, ſic elevat, ut de alto facilius præcipitet in ruinam.* Et ideò novum prorſus & inauditum prodigium fuit, quod ſæculum præteritum oculis ſuis videre meruit, ſine ullo exemplo ſæculorum priorum, quod ſc. S. ille Carol. Borrom. ad ſupremum maximorum honorum faſtigium evectus, prouti ipſemet ſæpius ad majorem Dei gloriam faſſus eſt, in perfectione Chriſtiana quotidie magis magiſque profecerit; utendo Dominijs quibus præſidebat, ut indies ſibi magis magiſque vileſceret, theſauros quoque non alium in finem uſurpans quam ut in extrema paupertate viveret, potentiam ſuam ſimiliter non ad aliud adhibens, quam ut alios perſæpe beneficijs prævenire poſſet. Unde percelebre eſt illud in laudem ſanctiſſimi hujus Cardinalis à Panygarola prolatum elogium, nimirum : quod ex toto mundo, qui tot tantiſque eum quotidiè afficiebat favoribus, non plus indies ſibi acceperit, niſi quantum accipere indies canis ſolet à ſuo Domino, hoc eſt aquam, panem, & paleam. Cæterum paucos alios invenietis, qui in magnis honoribus collocati à primæva ſua ſanctitate non degenerarint; Trita enim & receptiſſima eſt illa, quam modo examinavimus propoſitio : *Honores mutant mores.*

*Luc.4.9.10. Chryſol. ſerm.13.* — Promoti ſequantur S. Car. Borr.

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Vita & gloria mundana Magnatum ſæculi hujus brevis eſſe oſtenditur, ipſaque dignitatum terrenarum fugacitas & inſtabilitas penitius conſideratur.

### THEMA.

*Omnis Potentatus brevis vita.* Eccli.10.ỷ.11.

1. Eccleſiaſtico nequaquam ſufficere videtur quod Magnates de cito terminanda ipſorum potentia monuerit dicendo : *Omnis Potentatus vita brevis*; ſiquidem paulò poſt iterum repetit: *Rex hodie eſt, & cras morietur.* Innocentius III. ſummus Pontifex dicit: *Verum eſt illud Poëticum : In ſe magna ruunt, ſummiſque negatum eſt, ſtare diu : tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.* Atque ut intentum ſuum tanto ſolidius probet, illum Davidis textum adducit : *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani; & tranſivi & ecce non erat* : qui eum agnoſceret, *Et quæſivi eum & non eſt inventus locus ejus.* Quanto major eſt umbra, magiſque creſcit, & exaltatur, tanto eſt defectioni vicinior; ad eumdem quoque modum dignitates humanæ quanto proſperius fluunt, tanto ſunt occaſui magis propinquæ.

Magnatum vita brevis. — *Inn.3. l.2. de cont. mundi c.29.* — *Pſ.36.v.35. & 36.*

2. Valde conſiderabilia ſunt illa Oſeæ verba: *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.* Etenim hæc eſt aquarum omnium naturalis conditio, quod, quando obortis tempeſtatibus intumeſcunt, ſeſeque in altum erigunt, in littore quod allidunt ſpumas illas protinus gignant, quæ aquæ ex igne efferveſcentes videntur eſſe bullitus : Porrò intumeſcentes hæ aquæ Dominiorum & Imperiorum ſunt ſymbolum, in quibus ambitioſi totaliter evaneſcunt, hæc autem Dominia inſtabilia ſunt ad eumque modum quò ſpumæ velociter diſparent. Quod & S. Gregorius optimè confirmat, dum ait, per hanc ſimilitudinem nobis inſinuari quod dignitates & honores hanc habeant naturalem proprietatem, quod etiamnum vix emicantes ſubito evaneſcant : *ſic ſpumoſæ aquarum bullæ inchoantibus pluvijs excitatæ ab intimis certatim prodeunt, ſed eò celerius diſruptæ depereunt, quo inflatæ citius extenduntur, cumque excreſcunt, ut appareant, creſcendo peragunt, ne ſubſiſtant.*

*Oſe.10.v.7.* — Magnatum gloria ſpuma. — *S. Greg. l.16. mor. cap.5.*

3. Verumtamen ad fugacitatem gloriæ mundi hujus vivaciter exprimendam umbræ ſimilitudo longè aptior & opportunior eſſe videtur, idemque etiam, ni fallor, verborum Prophetæ regij ſenſus fuit, dicentis : *Homo vanitati ſimilis factus eſt : dies ejus ſicut umbra prætereunt*; tametſi enim ſimilitudo magis propria à velociſſimo Solis curſu peti potuiſſe videri nonnemini poſ-

Mundi gloria umbra. — *Pſ.143.v.4.*



ſit,

fit, hac tamen non ſine myſterio nequaquam uti voluit, quia Sol dum ſuper Hemiſpherio noſtro diſcurrit, luce & benigniſſimis radijs ſuis terræ ſe beneficum exhibet, in rerum ſublunarium influit generationem, maturat fructus, arbores germinare, flores erumpere facit, atque in ſecretiſſimis montium venis, pretioſiſſimi generat metalli mineras, cum tamen umbra nihil ſimile homini præſtet; inſuper etiam umbræ ſimilitudo ideò magis adæquata cenſenda eſt, quia præter eam quam in ſe continet vanitatem, inſtabilitatem quoque ſibi nimis infeliciter adjunctam habet, utpote quæ numquam in eadem figura perſiſtit, ſed tranſcurrit, augetur diminuiturque juxta curſum & gyrum Solis tardiorem velocioremque. Unde S. Bernardus ait: *Declinaverunt ſicut umbra, quia prætererunt ſine fructu, præterit enim figura hujus mundi*, ſive ut eſt in Græco, *Decipit*; quia dignitates tunc vel maximè deficere & evaneſcere videmus, quando eaſdem vel maximè ſtabiles futuras eſſe arbitrabamur. Optimè igitur Theod. Studites ait: *Quid eſt, præterit figura hujus mundi? id eſt, labitur, prætereqυitat, nec vel diurnam ſtabilitatem obtinens; ſed qui heri nitidus, hodie ſqualidus, qui heri in re ſplendida, hodie in miſeria eſt; nunc attollitur ille, nunc alter dignitate ruit, hic è paupere fit dives, alius è divite pauper.*

*S. Bern. ſerm. 20. in cant.*

*S. Theod. Stud. catech. 3.*

**Imperatorũ, Pontificum vita brevis.**

4. Porro ſi in ſolo velimus brevitatis puncto diutius nonnihil ſubſiſtere, qua tot Imperatores in Imperio ſuo gaviſi fuere, eorum dumtaxat exactè conſcriptus legatur Catalogus, & quam ſubitò, quamque violenta morte potior illorum pars interierit, protinus inveniemus. Inter ſummos quoque Pontifices, quam ſunt pauci, qui Pontificatum ſuum etiam uſque ad integrum anni ſpatium producere potuerint? Agapitus I. & Lucius II. undecim dumtaxat ſupervixere menſes: Benedictus II. & Alexander V. menſes tantum decem; Joannes XIV. & Jannes XX. octo ſolum menſes vixerunt; Stephanus VII. ſeptem; Stephanus IV. & Leo VI. ſex; Innocentius V. & Cœleſtinus V. quinque tantum rexerunt menſibus; alij duo Joannes XVI. & XVII. quartum tantummodo menſem attigerunt; Innocentius IX. in duos uſque menſes Pontificale ſolium inſedit; Valentinus hujus nominis unicus, Leo V. Adrianus V. S. Gregorius VIII. unicum dumtaxat menſem numerare poſſunt: at verò longè anguſtioribus limitibus, breviorique periodo vitam ſuam alij clauſere Pontifices, qui ſuum non niſi ad dies aliquot producere potuerunt Eccleſiæ Imperium; Etenim Leo IX. in Pontificatu ſolum ſupervixit viginti ſeptem diebus; Pius IV. diebus viginti ſex, Damaſus II. diebus viginti tribus; Marcellus II. diebus uno ſuprà viginti; Siſinnius hujus nominis unicus diebus viginti; Cœleſtinus IV. diebus ſeptemdecim; Bonifacius VI. diebus quindecim; Urbanus VII. ſeptem diebus; Stephanus II. quatuor dumtaxat dies attigit; adeoque juſtam habuit B. Petrus Damianus exclamandi rationem: *O termini dominandi, qui etiam in extrema miſeriâ videri poſſent anguſti, quidni in ſuprema gloria anguſtiſſimi videantur*; Verum enimverò ſpecialiſſimus hic eſt Divinæ providentiæ modus, ad humanam tanto efficacius ſupprimendam ſuperbiam, *ut humano generi, quàm deſpicienda ſit temporalis gloria, in ipſo gloriæ principatu evidenter oſtendat.*

*S. Pet. Damian. ep. 5. ad pop. Alex.*

*Job. 9. v. 25.*

**Dignitates pomis ſimiles.**

5. Enimverò in lib. Job legimus: *Dies mei velociores fuerunt curſore: fugerunt, ... pertranſierunt quaſi naves poma portantes*; Quiſnam verò adeò eſt inexpertus, qui quàm facile poma marceſcant, non videant, maximè quando ex uno loco ad alium transferuntur navigio. Porro aſtutus ille Averni ſerpens per pomum quoddam protoparentibus noſtris ſuperbiam & ambitionem impreſſit, qua Deo ſimiles fieri avidè cupiebant; pomum verò iſtud Deus eſſe voluit expreſſam dignitatum humanarum labilem fugacitatem & fragilitatem. Etenim in vita S. Caroli Borromæi legitur, quod dum ab eo etiamnum puerulo, puerilis recreationis multa poma in unum collecta in varios ordines diſtribuerentur ab avo, quid rei faceret, interrogatus, reſpondit, mundum in bonum ordinem redigo, regnaque ad invicem concilio: inter eos verò Oratores, qui in ejus laudem panegyricos contexuere, unus eſt, qui in pomis illis potentiæ Principum contemplabatur vanitatem: quia quemadmodum Joſephus de pomis juxta mare mortuum productis ſcribit, eadem deforis quidem pulchrè colorata & ſana videri, ab arbore tamen mox ut decerpuntur in fumum reſolvi: *Carpentium manibus in fumum evaneſcunt & cinerem*; eodem quoque modo ſceptra, dignitates, & Imperia forinſecus quidem ſpectata appetitum proritant, vix tamen per experientiam deguſtata faſtidium, anxietatem animi, & perſæpe ipſam quoque mortem habenti conciliant.

6. Valde conſiderabilis eſt illa loci circumſtantia in quo Apoſtoli in eam inciderunt, quam inter ſe de primatu habuere contentionem: *Facta eſt ... contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major?* S. Marcus dicit: *In via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet.* Circa quę verba S. Hieronymus ita ait: *Rectè in via tractabant de Principatu, ſimilis enim eſt tractatio loco; Principatus enim ſicut ingreditur, ſic deſeritur, & quamdiu tenetur, labitur.* Nullo vel certè exiguo cum fundamento Monarchia, Regna, Principatus & quævis alia ſuprema dominia è cæco vulgo ſtatuum titulo denominantur, ſiquidem certiſſimum ſit, quod nullam prorſus in ſe ſtabilitatem aut firmitudinem contineant, utpote quæ continuo motu ab uno hærede ad alium tranſeunt: Ac proinde optime Seneca ait: *Pompa eſt, oſtenduntur res iſtæ, non poſſidentur, & dum placent, tranſeunt.*

*Luc. 22. v. 24*

*Marc. 9. v. 33.*

*S. Hier. cit. in gloſſ.*

**Nulla ſtabilitas.**

7. Advertatis velim quibuſnam nominibus Deus animalia ſpeciatim nominarit, quando Deus homini univerſale in omnia animalia Dominium contulit: Neque enim illa Deum ſpecialiter leones, elephantes, equos, tygrides nominaſſe reperies, ſed generatim tantum aves & piſces: *Præſit piſcibus maris, volatilibus cæli*; *Ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti* (ita enim in Hymno canit Eccleſia) *partim levas in aëra:* jam verò certum eſt, quod inter cuncta animalia nulla reperiantur adeò in continuo motu conſiſtentia, ſicut aves & piſces, hi enim continuò gyrantur, volvuntur & revolvuntur, utpote qui aquis in continuo ſimiliter motu conſiſtentibus, natales ſuos in acceptis referunt, idque, ut ego quidem exiſtimo, ad denotandum quàm ſit gloria mundana infirmum & inſtabile elementum.

**Dignitates avibus & piſcibus ſimiles.**

*Gen. 1. v. 16.*

**Rotæ.**

8. David Propheta juſto quodam zelo adverſus ſuperbos & arrogantes homines accenſus & armatus, atque ad Deum converſus dixit: *Deus meus pone illos ut rotam.* S. Bernard. autem de rota optimè his verbis ſcribit: *ſicut rota numquam ſtat, ſed perpetua volubilitate circumagitur, ita in hac vitæ rota nulla ſtabilitas aut ſecuritas reperiri poteſt.* Fortunatus quidam ex aulæ Proceribus, ſuoque Principi cumprimis charus à Duce quodam, num in fortuna ſua melius quid deſideraret, interrogatus, unicam dumtaxat rem ſibi deeſſe reſpondit; cumque ulterius ad edicendum quidnam illud eſſet, urgeretur, ſubjunxit, ſe clavum aliquem quo volubilem fortunæ rotam ſiſteret, ne à ſtatu in quo nunc eſt, verti aliqua ratione poſſet, unicè deſiderare: quod quidem reſponſum prudentiſſimum fuiſſe nemo dubitabit: Etenim veriſſima eſt illa S. Ambroſij ſententia: *Bona hujus ſæculi inſtabilia ſunt, & rotarum in more cum ipſo ſæculo volvuntur.* Sapiens Divinam ſapientiam pila in hoc mundo ludere perhibet: *Ludens in orbe terrarum*; luſus autem hic pilæ quem Deus in hoc mundo exercere dicitur, alius, ut ego quidem arbitror, non eſt, quam continua illa ſceptrorum, regnorum, Dominiorumve ab una manu in alteram per gyrum, ad purum Dei beneplacitum ad inſtar pilæ facta tranſmiſſio, mundus enim communiter ad inſtar globi ſeu pilæ in forma ſphærica ab omnibus deſcribitur. Id quod Boëtius Severinus optimè ad propoſitum noſtrum hiſce verbis exponit: *Hunc continuo ludum ludimus, rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus.*

*Pſ. 82. v. 14.*

*S. Bern. ſerm. de fall. præſ. ſæculi.*

**Prudens dictum Aulici felicis.**

*S. Ambr. de Abr.*

*Prov. 8. v. 31*

**Mundus Pila.**

*Boët. Sever. l. 2. de conſ. proſ. 2.*

9. Hanc honorum mundanorum continuam volubilitatem & mutationem Tertullianus unico verbo eoque valde ſignificante & expreſſivo deſcribit, dum illam *verſiformem* appellat. In Iſaia quoque ſcribitur: *Ecce gentes ... quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt.* Sapiens ſimiliter ait: *Tamquam momentum ſtateræ reputatæ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.* Arabicus loco Ly *momentum*, legit, *tamquam depreſſio linguæ bilancis.* At verò ſcire percuperem in quonam illa inter Dominium quod obtinetur in ſubditos, & ſtateram, ſive roris antelucani guttam, conſiſtat proportio; Quidnam enim ſtatera quæ ad emendum & vendendum facta eſt, commune habet cum ſceptris & Dominijs? Pro reſponſione notandum eſt, quod bilances eriguntur & deprimuntur, aſcendunt ſurſum, & deſcendunt deorſum; idem quoque in conſpectu Dei fit quoad honores mundi hujus, quos enim ſuperbi procurant & ambiunt honores nunc aſcendunt, paulò poſt deſcenſuri. *Hunc continuo ludum ludimus, rotam &c.* Is qui vendit, & qui emit, pecuniam ſuam ex ſua in alienam burſam tranſmittit, ita quoque Dominia, territoria & ſtatus per continuam emptionem & venditionem in

*Tertull. l. de Pallio c. 2.*

*Iſa. 40. v. 15.*

*Sap. 11. v. 23*

**Gloria mundi bilanx.**



in diverſorum Dominorum & Principum tranſmittuntur marſupia vel æraria, quorum hi ad culmen principatus exaltantur, alij verò ab eodem culmine miſere decidunt. Similiter illa roris antelucani gutta primo diluculo priuſquã Sol illuceſcat margarita quædam pretioſiſſima eſſe videbitur, at verò mox ut Sol exoriens eamdem radio ſuo lambere incipit, diſparet & evaneſcit: ita quoque Princeps ille quem hodie ſanum, hilarem eſſe, ſuique Dominij ſceptrum magna cum dexteritate & fortitudine moderari conſpicis, mox ad levis cujuſdam venti flatum, ad unicum Solis radiolum, aliquam capitis intemperiem ſentire, & paulatim deterius ſe habere videbis, adeò ut ei ex improviſo gutta quædam aut catharrus ſuffocativus mortem ſubitaneam adferat, totumque ejus ſtatum funditus evertat: *Omnis potentatus vita brevis.* Magnates enim ob delicati ſanguinis debilem complexionem ad malas contrahendum influentias faciliores communiter eſſe ſolent, magiſque diſpoſiti.

**Ros.**

**Magnates cur facilius moriantur.**

10. Verum enimverò quid de honorum inſtabilitate & volubilitate dicemus, in quantum ſe ex parte honorantium tenent? *Honor eſt in honorante*, dicitur in quodam Philoſophiæ moralis ſolemni axiomate. Simon Machabæus ſuper ſepulchro demortui glorioſi Patris ſui naves quaſdam exſculpi fecit, ut hac ratione unuſquiſque naves haſce cum alijs poſſeſſorum honorum inſignibus conjunctas videns, inde honorum mundi hujus inſtabilitatem tanto clarius agnoſceret: naves enim in maximè volubili elemento continuo fluctuant; adeò ut nunc deprimantur uſque in abyſſum, mox verò ad ſtellas uſque evehantur. Legantur magnifici illi applauſus quos in Saülis primi Iſraëlitarum Regis electione univerſus populus Iſraëliticus edidiſſe ſcribitur: *Et clamavit omnis populus, & ait, vivat Rex:* poſtquam verò omnes ipſum adoraſſent. *Dimiſit Samuël omnem populum ſingulos in domum ſuam*; at verò vix pedem ſuum pro adeundis domibus ſuis moverant, cum ecce mox adverſus eum quædam rebellionis ſpecies excitata fuit: *Filij vero Belial dixerunt: Num ſalvare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum.*

*1. Mach. 13. v. 27.*

**Gloria mundi navis.**

*1. Reg. 10. v. 24. & 25.*

*1. Reg. 10. v. 27.*

**Dignitatum Symbola.**

11. Prudentiſſimè certè factum, quod præcelſioribus Principibus ſerenitatis titulus attribuatur; coronæ item in figura Solis, ſceptra verò in florum ſpecie efformentur; Etenim ſicut hi ſubitò languent, clari quoque diei ſerenitas à repentino quodam turbine ex improviſo offuſcatur, ipſe Sol ſub caliginoſis nubibus perſæpe abſconditur, ita quoque per hæc Symbola humanarum dignitatum inſtabilitas haud incongruè deſignatur.

**Comparantur flori.**

*Num. 17. v. 8*

12. Dominus Deus noſter Aaroni ſummum Sacerdotium prænuntiare volens, idipſum floreſcenti quadam virga mediante præſtitit; *Invenit germinaſſè virgam Aaron*; at verò haud infortuna hoc loco moveri poteſt Quæſtio, cur ſcilicet non potius ad hunc effectum oraculo quo in Arca dari ſolebant deſiderata reſponſa uſus fuerit, aut verò revelatione quadam Moyſi ſpecialiter facta? Nimirum Deus qui *omnia in ſapientia fecit*, Aaroni per hoc inſinuatum eſſe voluit, ut ſupremam illam dignitatem haud ſecus labilem atque fugacem eſſe agnoſceret, ac labilis eſt ſpecies ſeu pulchritudo elegantiſſimi floris, qui mane in lucem editur, & veſperi effloreſcit & interit: *Ut ſummam haberet humilitatem, ſciens commiſſum ſibi florem poteſtatis.*

*S. Ambr. ep. ad Curt. Verc.*

**Momento.**

13. Divina quoque diſpoſitione factum eſt, ut quando Lucifer Chriſto omnia totius mundi regna obtulit, & ſpectanda propoſuit, idipſum in unico dumtaxat momento factum fuerit, ita enim expreſſè S. Lucas ſcribit: *Oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Ubi S. Ambroſius ita ait: *Benè in momento temporis ſæcularia & terrena demonſtrantur, non enim tam conſpectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas poteſtatis exprimitur; in momento enim cuncta illa prætereunt, & ſæpe honor ſæculi abijt, antequam venerit.*

*Luc. 4. v. 5.*

*S. Ambr. c. 4. in Luc.*

**Honor quam inſtabilis.**

14. Poſtquam SS. Apoſtoli Paulus & Barnabas Lyſtris magnum illud in ſanatione claudi operati fuiſſent miraculum, homines prodigium hocce oculis ſuis videntes, vocem ſuam omnes certatim levaverunt dicentes: *Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos, & vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium*, imò & ipſi Sacerdotes accurrerunt, adferentes ad ſacrificandum eis ſelectas victimas: Quibus tamen Apoſtoli cultum veri Dei zelantes ſtrenuè ſe oppoſuerunt. Quiſnam autem honoris iſtius adeoque exceſſivæ venerationis fuit exitus? Non jam poſt aliquot menſium vel ſeptimanarum elapſum ſpatium, ſed adhuc eodem prorſus die, idemmet populus, qui ijs veluti Dijs acclamaverat, a Judæis inſtigatus, ſublatis de terra in manus lapidibus S. Paulum veluti malefactorem lapidarunt: *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Judæi, & perſuaſis turbis, lapidanteſque Paulum, traxerunt extra civitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.*

*Act. Ap. 14. v. 10. 11.*

*Act. 14. 18.*

**Expertus eſt Chriſtus.**

15. Salvator noſter in triumphali illo in Jeroſolymam ingreſſu ab omnibus urbis illius civibus, imò & pueris feſtivo cum gaudio veluti verus Meſſias ſolemniſſimè receptus fuit: *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, ... Hoſanna Filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini*; et tamen ad veſperam ejuſdem diei in vaſtiſſima illa Civitate, neminem qui illum hoſpitio excipere vellet, reperire potuit, unde in Bethaniam foras ſecedere coactus fuit; Imò idemmet populus qui illum, verbis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, honoraverat, poſtea exclamavit: *Tolle, tolle, Crucifige*; Qui antea ſe proprijs veſtibus exuerant, ut eaſdem in ejus obſequium in terram proſternerent, ipſum paulò poſt ſuiſmet deſpoliaverunt veſtibus; quique ipſum projectis in terram olivarum ramis, palmaſque triumphales manibus ſuis geſtantes læti exceperant, paulo poſt ingentem ligni truncum eidem in patibulum præpararunt: *O quàm diſſimile eſt, Tolle, tolle, Crucifige, ab illo, Benedictus qui venit in nomine Domini? Quam diſſimile, Rex Iſraël, Et non habemus Regem niſi Cæſarem? Quàm diſſimile rami virentes, & Crux, flores, & ſpinæ? Cui prius ſternebant veſtimenta aliena, ecce ſuis exuitur*, inquit S. Bernardus. S. mater Eccleſia nobis in diei Palmarum eodem mane triumphum & Paſſionem ob oculos ponit: *Quid ſibi vult iſta mirabilis conjunctio?* inquit idem Doctor mellifluus, *ut diſcamus in nulla lætitia hujus ſæculi habere fiduciam, quis ergo ſperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis?* Janſenius, id quod S. Marcus ait nimirum: *Circumſpectis omnibus cum jam veſpera eſſet, hora, exijt inde in Bethaniam*, exponens, Chriſtum conſiderat à matutino tempore uſque ad veſperam famelicum, quando ficui, eo quod nullum in ea fructum reperiſſet, maledixit, idque totum cum ſingulari myſterio factum fuiſſe dicit, *ut irrideret hujus mundi gloriam, oſtenderetque quod ſit inanis & infida, cum tantos applauſus, tantaſque honorificas acclamationes, ac tantum populi ſtudium ſecuta ſit Crux.*

*Matth. 21. v. 9.*

*S. Bern. ſer. 2. in palm.*

*Marc. 11. v. 11.*

*Janſ. ibid.*

**Volubilis gloria ac hominum animus.**

16. Flos Heliotropium vertitur & circumgyratur, ſecundùm quod Sol circumvolvi videtur; ita quoque mutantur & moventur homines, ſecundùm quod Sol illis reſplendet, ſecundùm proprios fines & intereſſe, juxta illa enim ſuas quoque ordinant Paſſiones, affectus & obſequia. In magna illa adverſus Othonem Imperatorem mota rebellione, cum illum victum & mortuum eſſe crederent, contra ipſum quoque populus univerſus in favorem Galbæ acclamabat, mox verò ut Sol vertebatur, id eſt, poſtquam Otho contra Galbam prævaluit, acclamaverunt & ipſi adeoque eadem verba quæ antea in favorem Galbæ dixerant, poſtea in Othonis favorem dicebant. Optimè igitur Boëtius ait: *An tu in hanc vitæ ſcenam nunc primum ſubitus hoſpeſque veniſti? Ullam ne humanis rebus ineſſe conſtantiam reris, cum ipſum ſæpè hominem velox hora diſſolvat.*

*Boët. l. 2. de conſ. Proſ. 3.*

**Hiſtoria.**

17. Cedrenus in compendio Hiſtoriarum narrat, Principem quemdam in Africa diuturno fuiſſe carceri mancipatum, obſervatumque fuiſſe dicit, eum intra ſolidum biennij ſpatium numquam riſiſſe, tametſi aliàs magna fuiſſet gaviſus libertate, multiſque fuiſſet in delitijs, etiam in carcere enutritus; Rex igitur qui ipſum vinctum tenebat in carcere rem hanc vehementer demiratus optimum ſe illi honorarium daturum eſſe promiſit, qui ſe ipſum ridentem vidiſſe veridicè nuntiare poſſet. Miles igitur quidam accuratè Principis hujus geſta conſiderans, tandem eum effuſe ridentem obſervavit, riſuſque hujus nuntium Regi protinus attulit, qui cauſam riſus hujus ſciendi percupidus, Principem illum coram ſe adduci juſſit, qui cauſam hanc dicere rogatus reſpondit, quod ex quo currum quemdam tranſeuntem conſpexiſſet, ad rotarum dicti currus volubilitatem ſtudioſè reflexerit, qua fit ut pars rotæ ſuperior mox ad terram uſque humilietur, econtra veró inferior pars ſurſum aſcendens ſuperioris locum obtineat, hacque loci alteratione in mentem ſibi veniſſe volubilitatem, quâ fortunæ ſuæ rota quoque hactenus circumgyrata fuerit, ex eaque ſatis ſe comperiſſe quod nulla ſive bonæ ſive malæ fortunæ habenda ſit ratio, cum rota ea ſemper volubilitate & inconſtantia circumagatur, ut Principes ſervi, & contra ſervi Principes evadant. Optimum proinde eſt illud moralis Senecæ monitum: *Quanto ſatius docere eos, qui ſua permiſere fortunæ, nihil ſtabile ab illa datum eſſe, ejus omnia fluere aura mobilius.*

*Sen. l. 3. nat. q. in proœm.*

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Principes multis ſunt periculis & anxietatibus obnoxij, ideoque numquam ſunt plenè contenti, imo præ cunctis alijs gravioribus ſemper ſunt inſidijs maximè expoſiti.

### THEMA.

*Dixeruntque omnia ligna ad Rhamnum, veni & impera ſuper nos.* Judicum cap. 9. ℣. 14.

Prælaturæ ſtatus inquietus.

1. MYſtica haud dubiè eſt parabola illa, quæ in Judicum libro fuſius deſcribitur, in ea namque cunctæ arbores inter ſe de Regis electione concertaſſe dicuntur; Et primò quidem oblatum ſibi ſceptrum oliva repudiavit, cujus exemplum imitatæ mox fuere ficus & vitis; atque poſtquam & Rhamnum regiæ dignitatis ultronea oblatione honoraſſent, hoc inde reſponſum retulère: *ſi verè me Regem... conſtituitis, venite & ſub umbra mea requieſcite*: quo facto ambitioſi edocentur, quod in populorum gubernatione, ſceptrorumque adminiſtratione anxietatum, ſolicitudinum, laborum, periculorum, vigiliarum, ſimiliumque ærumnarum ſpinæ & tribuli minimè deſint. S. Auguſtin. in ſede & throno Epiſcopali collocatus ſuos ut ſibi compatiantur potius quam invideant, fideliter admonet dicens: *Sunt qui de nobis ea ſentiunt, quæ ipſi diligunt, & in hujus mundi quaſi proprietatibus, quibus ingemiſcimus, invident nobis, ibi nos felices putant, ubi periclitamur.* Deus Opt. Max. Generalem quemdam populi ſui adeò ſibi dilecti locum tenentem, qui eumdem vice & nomine ſuo gubernaret, creare volens, Moyſen ſibi ſpecialiter elegit; ex quo facto dubium quoddam mihi ſubnaſcitur, nimirum, ex quo ille Dei vices gerens imperij habenas & ſceptra moderaturus, populumque gubernaturus erat, cur non potius illum ex curia Pharaonis regia eligebat, quam è Madianitica ſolitudine, in qua quadraginta annis paſcendis pecoribus operam dederat? Præterea ex quo idemmet Deus poſt Synagogam ſuam intendebat fundare Eccleſiam, cur duodecim elegit viros piſcatores, & non potius literatura, aut nobilitate conſpicuos, vel ad alios Imperio moderando aſſuefactos elegit? maxime cum Apoſtoli qui eligendi erant, futuri eſſent *Eccleſiarum Principes, & ſæcli juſti judices.* Porrò dubium iſtud ab Oleaſtro motum & ſolutum fuit; qui pro hujus dubij reſolutione obſervat, quod inter cunctas profeſſiones nulla ſit, quæ pluribus expoſita ſit incommodis atque periculis, ac paſtoritia ars eſſe noſcitur. *Paſtor enim non dormit, ſed ferè continuè vigilat, vix ſe veſtit, maleque veſcitur.* Piſcatorum quoque conſiderat labores, dicit enim: *Sic & piſcatores nudi in vigilijs, & laboribus ſemper ſunt, ut ergo tam Reges quam Pontifices ſcirent, ſe non ad quietem, non ad divitias, & delitias aſſumptos, ſed ad labores, ſudores, ac vigilias hos inter cæteros deligere curavit.* Innocentius III. *de contemptu mundi* tractans, de inquieto Principum & Prælatorum ſtatu ita ſcribit: *Sed eſto quod ſublimetur in altum, ſtatim curæ ſuccreſcunt, ſolicitudines cumulantur, vigiliæ producuntur, ex quibus natura corrumpitur, Spiritus infirmatur, corrumpitur ſomnus, amittitur appetitus, debilitatur virtus, attenuatur corpus, & ſic in ſeipſo deficiens, non dimidiat dies ſuos, ſed miſerabilem vitam miſerabili fine concludit.*

*Judic. 9. 15.* — *S. Aug. ſerm. 53. de verb. Dom.* — *Ole. in c. 3. Exod.* — *Inn. 3. l. 2. c. 29. NB.*

Moyſes mortem elegit præ gubernio. *Num. 11. v 15.* *Caſſ. l. 6. ep. 12.*

2. Quantum obſecro Moyſes coram Deo lamentatus eſt, quod ſe ad tam ſublimem dignitatem, qualis eſt univerſale totius populi imperium, evectum cerneret? *Obſecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Aurelius Caſſidorus Theodorici Regis Senator & Secretarius fuit, qui proinde ex propria experientia Magnatum ærumnas exactiſſimè enarrare nobis poterit; Hic igitur de ijs ita loquitur: *Interdum aſſidui labores, etiam ipſas ingratas faciunt poteſtates, dum infirmitas humana cito ſuſtinere ſolet faſtidia, & quod prius ambiiſſe creditur, poſtea vitare velle ſentitur.* Porrò Moyſes ducatum populi Dei multoties quidem deprecatus fuerat, eo quod munus iſtud valdè laborioſum, ſuaſque vires nimium excedens apprehenderat: at vero poſtquam muneris illius moleſtias per propriam experientiam deguſtarat, verbis ſupra adductis coram Deo de eo lamentatus mortem ſibi præ munere iſto meliorem eſſe cenſuit: *Obſecro, ut interficias me*: ſiquidem moleſtiæ & anxietates animi, quibus illi qui gubernio admoventur, continuo objecti exiſtunt, per ipſam ſimilium munerum praxim melius deguſtantur.

Prælaturæ ſpinis plenæ.

3. Purpura roſeum præ ſe colorem refert, roſa autem, quæ florum regina eſſe noſcitur, diadema & coronam regiam deſignat, hæc enim inſtar Roſæ pungentibus curarum & multarum moleſtiarum ſpinis inſtar excubitoribus cincta eſt: Unde qui purpuras aut coronas ambit, manus illius prius curarum illius ſpinis transforari neceſſum eſt. Unde Poëta ille Italus optimè ſic canit: *Ah le porpore ancor hanno le ſpine*, id eſt, *Eheu & purpuræ ſpinas ſuas habent.* Oleaſter ad propoſitum noſtrum de Moyſis ſupra adducta lamentatione ita ſcribit: *Solent ambitioſi homines arbitrari ſe Deum habere propitium, cum altiora loca, & ſæculi dignitates & officia conceſſerit, cum potius cum Moyſe ſentiendum eſſet ſecum male actum eſſe, ſi detur præfectura; ſi ſapis, hoc judica.* Quando Deus in Orebica ſolitudine commorantem Moyſen inclamavit, ut ei cogitationes quas de populi ſui ab Ægyptiacæ ſervitutis compedibus nexi liberatione conceperat, manifeſtaret, ipſum Generalem creando, prout diximus, populi ſui Ducem, abſoluta authoritate præditum, ſeſe eidem in ſpineto quodam ſive rubo videndum præbuit: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Porro S. Athan. ideo Deum ſe inter ſpinas videndum præbuiſſe exiſtimat, quia arbuſtum hoc nullam habet ut exinde ſimulachrum fabricetur, aptitudinem ſeu capacitatem, adeoque per hanc apparitionem in rubo Moyſi factam Deum nihil aliud intendiſſe cenſet, quam ut à populo ſuo omnem è medio tollat idololatrandi viam & occaſionem, quia ſi in aliqua ſylvæ illius arbore apparuiſſet, timendum omninò fuiſſet, ne Hebræi ex arboris illius ligno ſtatuam quamdam ad adorandum eam fabricaturi fuiſſent, utpote quod à Divinæ Majeſtatis viſibili præſentia fuiſſet ſanctificatum. Sancta autem mater Eccleſia de rubo iſto ita canit. *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnoſcimus tuam laudabilem virginitatem Dei Genitrix.* Verumenimverò ad propoſitum noſtrum accommodatius dicere poſſumus, quod increata illa ſapientia, de qua ſcribitur: *Omnia in ſapientia feciſti*, dum Moyſen ad ſupremum valdeque ſublime illud promotura erat dignitatis faſtigium, ſeſe eidem in rubo videndam exhibere voluerit, ut ex hac viſione diſcere & agnoſcere poſſet, thronos magnificos, in quibus Magnates reſident, laborum, curarum, anxietatum aliarumque moleſtiarum puncturis pleniſſimè exiſtere. De Adriano IV. legimus ipſum ſolitum fuiſſe dicere, ſedem Pontificiam quaquaverſum ſpinis acutiſſimis plenam cinctamque eſſe, qui uniuſcujuſque Pontificis humeros quantumvis generoſos & fortes rumpere & dilacerare non deſinunt. Platina pariter de alio quodam Adriano Papa hujus nominis VI. refert, huic lapidi ſepulchrali verba ſequentia inſculpi juſſiſſe: *Adrianus VI. hic ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita, quam quod imperavit, duxit.*

*Oleaſt. in c. 11. Num.* — *Exod. 3. v. 2.* — *S. Athan. in var. quæſt. ſcript.* — *Jo. Sareſber l. 8. de nug. curial. c. 23.*

Religioſorum conſolationes Principes nō habent.

4. Prima vice qua Spiritus ſanctus poſt recenſitam in Scriptura ſacra mundi creationem Regni quoque & Regis mentionem fecit, id quod factum eſt Geneſeos cap. 14. eodem tempore *ſimul & ſemel* belli quoque mentionem habuit, quaſi hoc Imperiorum adminiſtrationem, & dignitatis ſublime culmen per neceſſariam conſequentiam conſectaretur: *Factum eſt autem in illo tempore ut Amraphel... & Arioch Rex Ponti... inirent bellum.* Porrò tritum eſt illud S. Bernardi vulgatiſſimum dictum: *Vident Cruces noſtras, ſed non vident unctiones noſtras.* Quibus verbis mellifluus Doctor inſinuare voluit, quod mundanorum oculi in ſervis Dei aliud nihil videant quam ſolitudinum, diſciplinarum, jejuniorum, ſilentij aliarumque ſimilium mortificationum aſperitates exteriores, conſolationes vero ſpirituales, quas Deus iis liberaliter impertitur, interius minimè penetrent: Quod quidem tametſi veriſſimum ſit de ſervis Dei, attamen de Regibus & Principibus dicendum eſt planè contrarium, hi namque à mundo felices, optimè contenti, atque in ſumma proſperitate conſtituti eſſe videntur, quia nil niſi eorum famulitia aulæ ſplendorem, authoritatem, pompam, commoditates, delitias, omniaque alia quæ ſenſualitati noſtræ vel maximè placent, intuentur, at verò mera eſt in illis oculorum faſcinatio & illuſio, ſiquidem quæ illos interius cruciant animi anxietates minimè vident. Unde Aman, qui ſummo apud Regem Aſſuerum ſuper 127. Provincias regnantem, loco erat, cum integrum honorum, theſaurorum, felicitatiſque ſuæ contexeret Catalogum, tandem liberè confeſſus eſt

*Gen. 14. v. 1.*

quod



quod unica tantum ab Hebræo quodam detrectata honoris exhibitio, omnia ejus gaudia adeo vehementer turbaret, ut nullam animus ejus admittere poſſet Pacem aut quietem: *Cum hæc omnia habeam nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum, ſedentem ante fores regias.* Etenim infelix iſthæc eſt omnium potentatum ſæculi hujus conditio, quod cum neminem ſe ſuperiorem tolerare poſſint, ideo pro quovis honoris aut reputationis quam ſibi deberi exiſtimant, momento, interius ab invidia cruciati, bella ſuſcitant, ſubditorumque, ſuorum facultates & vitam ſummo diſcrimini exponunt, nihil attendentes quod campos ſanguine humano perſæpe ſtagnare faciant, dummodo capritio ipſorum proprio inſerviant.

*Eſth. 5. v. 13*

Principes multis turbantur moleſtijs. *Theod. or. 3. in Dan.*

5. Theodoret. ingenioſè prorſus conſiderat, quod quatuor nobis in Scriptura ſacra repreſententur ſtatuæ aureæ, quarum prima fuit vituli aurei quem ingratus ille Dei populus in Oreb adoravit: Secunda fuit Samaritanorum ſtatua aurea ſub Jeroboam erecta: Tertia Babyloniorum pariter aurea: Quarta vero Nabuchodonoſori Regi in ſomno commonſtrata fuit, non quidem totaliter aurea, ſed partim ex auro, partim etiam ex argento, ære, ferro, & creta coagmentata: Verùm dic ſodes quodnam in eo putas latere myſterium quod tres primæ totaliter aureæ fuerint abſque ulla alterius metalli interveniente mixtione: quarta verò ex alijs metallis diverſis auro multum inferioribus mixta, imò & ex terra & luto compoſita fuiſſe dicatur? Nimirum ſtatuæ iſtæ dignitates præfigurabant humanas: Et quidem tres priores ſtatuæ hominum manibus fuere fabricatæ, atque ex puro puto auro fuſæ, quia homines omne id quod in Magnatibus ſplendet, oculoſque intuentium ad ſe rapit, aurum eſſe ſibi imaginantur, cum tamen in oculis & judicio Dei revera ita non ſit: ideo namque in ſtatua illa quam Deus ſuperbiſſimo illi Monarchæ in ſomno videndam præbuit, ſolùm caput aureum erat, deinceps verò ſemper ex ignobiliori & indigniori metallo conflata cernebatur, ſiquidem brachia & pectus argentea, venter æneus, tibiæ ferreæ, pedes verò cretei ſeu lutei erant, ut per hoc innuatur, quod tametſi in Principibus verè ſit aurum, argentum, & æs divitiarum, authoritatis & Dominij, hæc tamen omnia in illis ferro, id eſt, bellorum tumultibus cernantur eſſe conjuncta, imo & luto infirmitatum multarumque aliarum moleſtiarum & inquietudinem, quæ capita coronata divexare & torquere communiter ſolent.

Principes leonibus ſimiles eſſe debent, apertos habendo oculos. *2. Par. 9. v. 18.*

6. Quodnam Regnum uſpiam reperiri poteſt Salominico florentius, utpote cujus tempore argentum apud omnes in tanta copia poſſidebatur, ut pari cum lapidibus in pretio haberetur, gaudebatque unuſquiſque in domo ſua mira quiete & pace, cumque ſumma cum ſapientia Regnum illud adminiſtraretur, ab ultimis mundi finibus ipſas quoque ad ſe Reginas provocabat: Et tamen dum magnificum Regni ſui thronum elaborari faceret, eumdem à duobus leonibus ſuſtentari voluit, idque non ſine myſterio, quia leonibus proprium eſt quod apertis oculis ſomnium capeſſant, ad denotandum, quod Principes quantacumque cum ſubditorum ſuorum pace, tranquillitate, quiete, & ſatisfactione gubernent, oculos tamen ſuos ob id nequaquam claudere, ſed potius ſoliciti & vigilantes experrectaque ſemper mente vivere debeant. Hanc namque ob cauſam ut paulò ante diximus, Salvator noſter Apoſtolos ex piſcatione evocavit, ſicut & Moyſen populi ſui ducem à Paſtorali cura & vigilantia, eò quod duæ hæ profeſſiones ſummam quamdam in ſe curam & ſolicitudinem annexam habeant.

Rectores vigilare debent. *Paul. de Pal. in c. 2. Matt.*

7. Valde huc ſpectat illa à Paulo de Palatio facta ponderatio, quod dum Redemptor noſter à tribus Regibus Orientalibus vix etiamnum adoratus & tributo honoratus fuiſſet, nocte ſequenti quidam Paradiſo miſſus cœli nuntius Joſephum convenerit, eique ut fugeret & Jeſulum recens natum fugiendo ſalvaret præceperit: *Surge & accipe puerum*, &c. *Norint, qui adorantur, ut Reges, non ſe adorari, ut pacem & delitias habeant, ſed ut peregrini ſint, ut numquam quieſcant, ut numquam dent oculis ſuis ſomnum, eo etiam tempore, quo maxime capiendus eſſet.*

Inſidijs ſunt expoſiti.

8. Sunt inſuper Magnates & potentes ſæculi iſtius majoribus præ cunctis alijs expoſiti inſidijs. Cicero 5. Thuſculanarum refert, quod cum Democles unus ex Dionyſij Tyranni ſolemnibus adulatoribus Principum ſtatum admodum felicem & deſiderabilem eſſe crederet, Rex ut hunc ejus errorem corrigeret, iſque graviter ſe deceptum eſſe videret, cum die quadam ad menſam ſuam invitavit, juſſitque enſem nudum ex tenui ſubtiliſſimoque filo pendulum ſuper loco quem is occupaturus erat ſuſpendi, quem cum cœnaculum ingreſſus cum horrore vidiſſet, pœnitere eum cœpit, quod Regi ipſum invitanti tanta cum facilitate acquieviſſet, cumque Regem deprecaretur ut à menſa abeſſe liceret, hoc à Rege reſponſum tulit: Scito hanc eſſe Regibus propriam conditionem, quod etiam in menſa & delitijs poſiti in continua ſint mortis ſibi ijs inferendæ formidine.

Principes proximiores morti. *Matth. 16. v. 16. & 20.*

9. Poſtquam S. Petrus glorioſam illam de Chriſti Divinitate confeſſionem edidiſſet, dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: *Tunc*, ut Evangeliſta ſcribit: *præcepit diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus.* Mira res! videbatur potius Chriſto anxiè curandum fuiſſe, ut ſe verum Dei vivi Filium eſſe toti mundo innoteſceret, ut vel ſic tamquam verus in lege promiſſus Meſſias, qui etiam Regis nomine ſimul condecoratur, agnoſci poſſet; id tamen nequaquam ab eo factum eſt, quin potius hanc notitiam mundo obſcuram eſſe, & ad illud uſque tempus differri voluit, quo nomen Regis ſuper caput ejus tribus diverſis linguarum generibus expreſſum publicè affigeretur in Crucis patibulo; Omnibus namque notum ac perſpicuum eſſe voluit inſignia & titulos regios indiſſolubiliter ſemper cum mortis imminentibus conjunctos reperiri. Eſt hic conceptus Ruperti Abbat. Tuit. qui ait: *Quia futurum erat, ut poſtquam regium hoc nomen de ipſo publicè prædicaretur, nulla mora interficeretur.* Hodie quoque Imperatores & Reges numeroſis ſatellitum armatorum turmis, imo & circumcingentibus cum integris victorioſorum militum exercitibus ſtipari, & veluti in humeris ab iiſdem portari videmus, & tamen inter omnia hæc adverſus mortis periculum Regem circumdantia munimenta, quos per conjurationes, traditiones & ſeditiones violenta morte è vivis ſublatos eſſe audivimus? *An tu vel illos putas eſſe tutos, quos regalis auræ ſplendore fulgentes, armorum circumſtantium tela circumſtant? Major illis quàm cæteris metus eſt, tam ille timere cogitur, quam timetur.*

*Rup. Abb. de vict. ver. l. 12 c. 5.* — *S. Cypr. Epiſt. ad Donat.*

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Eadem materia ex alijs argumentis fuſiùs deducitur.

### THEMA.

*Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Matth. 20. ℣. 22.

Regij throni ſunt animorum patibula. *Matth. 20. v. 21.*

1. CUm Redemptor noſter cum Apoſtolis ſuis de Paſſione & morte ſua jam imminente familiariter diſſereret, ecce protinus duorum illorum ambitioſorum fratrum mater coram Chriſto ſe ſtatuens, arrogantem illam porrexit ſupplicam: *Dic, ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram, in regno tuo.* Ac proinde valde notanda eſt dictio illa *Tunc*, quâ S. Evangeliſta hanc recenſens hiſtoriam utitur, dicens: *Tunc acceſſit*: id eſt, ex illo Salvatoris de amariſſima Paſſione & morte ſua habito diſcurſu occaſionem ſumpſit ſupplicationem hanc Chriſto porrigendi pro filijs promovendis. At vero quamnam patibulum crucis cum throno regio, ſceptra cum clavis, chlamys regia cum lacerata ſordida & obſoleta purpura cora ſpinea cum diademate regio proportionem habet? Enimvero aliud ad huic difficultati reſpondendum, non occurrit, præterquam trita illa S. Bern. Sententia: *O ambitio ambientium Crux!* Etenim incarnata ſapientia ſpecialiter ita diſpoſuiſſe, videtur, ut hæc mulieris & filiorum ambitio, cum Chriſti tormentis concurrerent, ut inde omnibus manifeſtum fieret, quod Regum throni & imperia gravia ſint eos admodum torquentia animorum patibula. Poſtquam Redemptor noſter turbam illam quæ in deſertum uſque ipſum ſecuta fuerat, miraculoſè ſatiaſſet, omnes illum concordibus votis in Regem ſibi eligere decreverant, at ille id futurum videns ab oculis eorum ſe per fugam ſubduxit: In prætorio Pilati autem ad regiam illam dignitatem amittendam nequaquam invitus fuit: Cum enim interrogaretur: *Tu es Rex Judæorum: Ille reſpondens ait illi: Tu dicis.* Porro juxta Oraculum Propheticum, Meſſiam verè ſimul Regem fuiſſe certiſſimum eſt: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon montem ſanctum ejus... Dominus dixit ad me Filius meus es tu... Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ:*

*S. Bern.* — *Joan. 6. v. 15.* Chriſtus in Cruce accepit Regnum. *Marc. 15. v. 2.* *Pſalm. 2. v. 6. &c.*



Reges

*Reges eos in virga ferrea.* Cur igitur triginta trium annorum ſpatio regium hunc titulum acceptare renuit? Cur tunc quando ſpinis coronandus, lacera & obſoleta purpura per ludibrium induendus, manuque ſua arundinem vel clavos ſceptri loco portaturus, demum quando in patibulo Crucis loco regij throni collocandus erat, Regis titulum ſibi vendicat & admittit, antea vero nequaquam? Enimverò eo id fine factum fuiſſe credo, ut Prophetiæ adimplerentur: *Dominus regnavit à ligno: Cujus imperium ſuper humerum ejus:* quamvis etiam ideo id factum fuiſſe dici poſſit, ut mundus adeo ad ambitionem & Dominium proclivis & propenſus inſtrueretur, quod honores & dignitates ut plurimum cum adverſitatibus, & moleſtiarum preſſuris conjunctæ eſſe ſoleant. *Factus eſt Principatus ſuper humerum ejus: Chriſtus principatum ſuper humerum habuit, quando Crucem in montem Calvariæ tulit:* Ecce tibi principatus ſui præclara inſignia Crucem ſive patibulum. Sancta mater Eccleſia in feſtis natalitijs Salvatoris ita canit: *Hodie nobis cælorum Rex de virgine naſci dignatus eſt.* Similiter coram recens nato Jeſulo tres nobis proſtratos commonſtrat jacere Reges, ut eidem velut ſupremo Monarchæ, in cujus latere ſcriptum eſt: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, debitæ ſervitutis præſtent homagium: Veruntamen obſervandum eſt, quod eidem una cum auro Myrrha pariter offeratur, quæ amara eſt quaque mortuorum communiter condiri ſolent cadavera, quaſi illa numquam errans Divina providentia dicere vellet: *Omnis potentatus vita brevis:* nec non Magnatibus quoque calices propinari amariſſimos. Omnibus conſtat purpuram Principum ſpeciale eſſe ornamentum: jam vero ipſa nos docet experientia quod tineæ & blattæ non in veſtimentis lineis vel cilicinis, ſed in pannis pretioſiſſimis & purpuris naſci ſoleant, eaſdemque inceſſanter corrodant, ad inſinuandum nobis, quod eorum qui dominantur alioſque regunt corda & mentes pluſquam omnium aliorum à ſolicitudinibus, anxietatibus & remorſibus corrodantur & diſcrucientur: Hiſce accedit quod nemo ſit qui neſciat quænam vel qualis purpuræ origo exiſtat; Qua de re S.Greg.Nazianz. velim audiatis ita loquentem: *An non eam Tyrijs objicies, à quibus paſtoralis ille canis prodijt, qui exceſo murice, labijſque cruore perfuſis Paſtori florem indicavit, ac per eos vobis Imperatoribus pannum illum improbis luctuoſum ac ſuperbum porrexit.*

*Iſa.9.v.6.*

Honores adverſitatibus conjunctæ.

*Elias Cret.in Nazianz.*

Principum veſtes ſæpe colorantur ſanguine ſubditorum.

2. Etenim Elias præfati Nazianzeni Commentator refert, quod canis Paſtoris cujuſdam, piſcem quemdam qui Purpura appellatur in maris littore fortuito invenerit, à quo poſtquam eum comederat, in labijs ſuis ſanguine dicti piſcis tinctus fuit: Dominus vero canem prædictum graviter vulneratum eſſe arbitratus, ſanguinem exiſtimatum lana adhibita abſtergere voluit, cum vero rei veritatem tandem inveniſſet prædictæ tincturæ virtutem protinus intellexit, eamque alijs divulgavit: *Atque ita factum eſt, ut homines murices ex mari colligentes purpuras efficiant.* In Plinio legimus ſequentia: *Purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus, in medijs habent faucibus:* atque adeo ut hoc pretioſo hujus piſcis ſanguine potiamur, eumdem ex eorumdem piſcium faucibus interveniente ipſorum morte eximere neceſſum eſt, quaſi per hoc nobis denotaretur, quod opulentæ pretioſæque Principum veſtes ſæpenumero ſubditorum ſanguine coloratæ fuerint. Unde idem ſupracitatus Elias dicit: *Ob ſuperbiam veſtram pauperes* (Principes alloquitur) *in luctu ac mærore verſantur, atras veſtes gerentes, atque hic purpuræ flos vobis quidem malis Imperatoribus ſuperbiam, miſeris autem pauperibus luctum conciliare invenitur.* Demum vero ulterius quamnam ipſis color iſte obligationem imponat, hiſce verbis proſequitur: *Purpureus color veros Imperatores admonet, ut promptis animis ſanguinem ſuum fundant pro ſubditorum ſalute.* Enimvero S. Ambr. de hoc eodem purpuræ regio ornamento loquens, ita ſcribit: *Quid purpuram memorem, quæ Regum amictus imbuit?* &c. Oſtenditque ibidem S. Doctor purpuram hanc in Elemento valde inſtabili, ſalſo, amaro, procelloſo, ventorumque inter ſe contrariorum viciſſitudinibus ſubjecto piſcationem capi, & concludit: *Aquarum eſt igitur, quod in Regibus adoratur: aquarum eſt ſpecies illa quæ fulget.* Ac proinde idem Sanctus alibi ita monet: *Vide quo debes transferre veſtigium, ubi putas quod luceat, ibi gurges eſt.* Purpura in Elemento quodam liquidiſſimo, tempeſtatibus ſubjecto à ventis continuò agitato, ut per hoc continuus turbulentiarum, bellorum, ſeditionum, proditionum, conjurationum, rebellionum, & quarumvis aliarum ærumnarum fluxus & refluxus quos Magnates ſæculi hujus perpetiuntur perſpicuè inſinuetur.

*Plin.t.1.l.9. c.36.*

Quid Regum purpura denotet.

*S.Ambr. l.5. Hexam.c.2.*

*Serm 14. in Pſal.118.*

3. *Quot ſervi*, inquit juſtus Lipſius, *tot hoſtes; ſervos eſſe putabas, hoſtes ſunt.* De Theodoſio Imperatore in vitis Patrum narratur, quod animi gratiâ ad Monachum quemdam in vaſta Eremo ſolitariè degentem viſitandum ſecedens, cibum pro corporis ſui refocillatione exquiſierit, qui proinde ſiccum quemdam panem ex ſporta extractum eidem dederit, ſubjungendo, nihil ſibi penitus præter ſalem & aquam ulterius quod erogare poſſit, ſupereſſe: Acceptum verò panem Imperator magna cum aviditate comedit: tandem vero detracta ſibi privati hominis larva quiſnam revera eſſet, manifeſtavit, & dixit: *Beati eſtis vos Monachi, qui ſecuri ac liberi de negotijs ſæculi, tranquilla & quieta fruimini vita.* Ex quo Imperatoris Theodoſij loquendi modo facile conjicere licet, quales ſint interius in animis Principum conſolationes, ſiquidem ipſorum quoque Eremicolarum quieti & tranquillitati ſe invidere oſtendunt, rigidaſque Anachoretarum ſpeluncas, auſteritates, vaſtaſque ſolitudines ſuperbis ſuis palatijs longè anteferre non dubitant.

Exemplum. *In vit. Pat. l.3.n.19.*

4. Eſau primogenituram ſuam una cum dignitate Sacerdotali quæ eidem annexa erat fratri ſuo pro vili quodam lentium edulio vendidit. Unde S. Auguſtinus ait: *Ille ceſſit cibum voluptatis, & ſumpſit honorem dignitatis:* fuitque appellatus Edom: *Appellatus eſt Edom de cibo quodam lenticulæ, rubeo, id eſt, roſeo quodam cibo.* Ecce tibi juſtum honorum & dignitatum pretium, nimirum olus quoddam, illudque ex tali quodam legumine confectum, quod præ cunctis alijs leguminum generibus viliſſimum eſt, valdeque ventoſum & melancholicum, imo ſtomacho moleſtum viſuique oculorum noxium, ad denotandum nobis, eas quas dignitates magis conſpicuæ annexas habere ſolent, inquietudines, faſtidia, perturbationes atque moleſtias.

*Gen. 25. v.34.*

*S. Aug. in Pſal. 138.*

Magnæ dignitates majores habent moleſtias.

5. Neſcio an aliquando obſervaveritis qualenam fuerit, quod Samuel Propheta Sauli ejus ad regnum aſſumptionis die dederit ſignũ: *Invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel:* Nimirum eodemmet tempore, quo ſe ad feſtivas populi acclamationes: *Vivat Rex Saul*, præparaturus erat, eidem ſepulchrum quoddam ob oculos ſtatuit, & quidem ſepulchrum Rachelis, quæ in pulcherrimo ætatis ſuæ flore ex hac vita deceſſit, quaſi eidem in ſummo maximeque plauſibili humanæ gloriæ culmine conſtituto vicinæ mortis vivacem quamdam imprimere voluiſſet memoriam. Inſuper quoque eidem prædixit: *Cum te ſalutaverint, dabunt tibi duos panes & accipies de manu eorum:* Quænam obſecro ſunt hæc regni inchoandi inſignia? Potius ſignum iſtud quamdam indicare videtur pauperi dandam Eleëmoſynam. Audite S. Gregorium hac de re loquentem: *Futurus Rex*, inquit, *ſalutatur, duo ei panes tribuuntur, hunc panem Pſalmiſta clarius, indicat*, dum ait: *Surgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris*, quaſi Davidem (qui Saulis in regno Succeſſor fuit) inſtruere vellet, ne ſe à magnifico Majeſtatis ſuæ throno decipi aut faſcinari permittat, ſiquidem ſæpe neceſſarium futurum ſit, ut de eodem ſurgat ad comedendum panem doloris ſubditorum ſuorum, panem inquam ſubditorũ fletu & lachrymis piſtum & ſubactum, quas fundunt ob nimia ſibi impoſita exactionum & tributorum gravamina, ob malam regni adminiſtrationem, ob tyrannicas miniſtrorum regiorum extorſiones: *Torta panis lachrymarum.*

Sauli ob oculos ponitur ſepulchrum. *1 Reg.10. v.2.*

*S.Greg.ho.4. ibid.*

*Pſal. 126. v.2.*

6. Ubinam margaritæ & uniones piſcando capiuntur, niſi in mari, idque cum tantis anxietatibus & periculis eorum qui illas requirunt? aliæ quoque gemmæ pretioſiores & inæſtimabiles, regiorum diadematum præclara ornamenta, unde eruuntur, præterquam è profundiſſimis terræ viſceribus, & conſequenter cum ſanguinei ſudoris copioſa effuſione, imò ſæpè cum ipſius qui eas eruit vitæ pretio? Quot ad regij diadematis perfectionem abſolvendam præcedunt malleorum ictus, quot labores, quot artificum exquiſitæ induſtriæ? Et quis adeo cæcus eſt qui non videat, per hæc omnia ſignificari rebelliones, moleſtias, anxietates, quibus capita Regum, tametſi hiſce gemmis onuſta refulgeant, continuò tamen mireque divexantur? *Ubi putas quod luceat, ibi gurges eſt.* S.Nilus ait: *Hominibus præeſſe res eſt omnium maximè laborioſa, qui ſuſcipiunt neceſſe eſt, ut ſe tamquam ad laborioſum certamen inſtruant.*

Principes numquam ſine curis.

*S. Nilus in Aſcet.*

7.Myſti-



7. Myſticus omninò eſt quo Superioritates & Prælaturæ aliquam in animas juriſdictionem habentes inſigniuntur titulis: Vulgari namque nomine curæ animarum appellari ſolent, de quibus proinde opportunè S.Bernardus ita loquitur: *Curritur in clero paſſim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Eccleſiaſticas curas, tamquam ſine curis jam quiſque victurus ſit, cum ad curas pervenerit.* In Iſaia quoque Principatum nonnemini oblatum fuiſſe legimus, *Princeps eſto noſter:* ille verò ſponte oblatam dignitatem conſtanter repudians protinus reſpondit: *Non ſum Medicus:* Ubi jure merito quærendum venit, quamnam reſponſio iſthæc cum præfata ſpontanea Principatus oblatione proportionem habeat, cum Principes inter & Medicum nulla videatur eſſe ſimilitudo? Jam modo ſuperioritates curas appellari audiſtis: habent autem ſuas quoque curas medici & Superiores: Etenim Medici infirmorum corporum curam habent: Iis autem qui aliorum regimini intendunt, non tantum corporali, ſed & ſpirituali animarum curæ ſtrenuè invigilandum eſt: Ad illorum namque ſolicitudinem paternalem ſpectat, non ſolùm ut ſubditi in temporalibus optime proviſi ſani & incolumes vivant, verum etiam ut vitam ducant timoratam, boniſque moribus aſſueſcant. Unde S. Nilus illis curandum eſſe ait: *Ut omnium infirmitates magna cum patientia ferant.* Quot amaros exactionum, legum, prohibitionum, bellorum, reprehenſionum, condemnationum, aliarumque diſplicentium rerum calices ſubditis ſuis epotandos perſæpè neceſſario propinare debent, tum ut bona fiat juſtitiæ executio, tum ut reputatio publica ſarta tecta conſervetur.

Hinc titulus: Curæ.

*S.Bern. ep.ad Senon. Archiepiſc.*

*Iſaia 3.v.6.*

*ibid.7.*

Superioribus neceſſaria patientia.

*S.Nil. in aſcet.*

8. S. Gregorius Magnus poſt ſuam ad Pontificatum evectionem graviſſime ſuam religioſæ ſolitudinis jacturam, ſeque invitum ad honores violenter ſublimatum eſſe, hiſce verbis lamentabatur: *Sub colore Epiſcopatus ad ſæculum ſum reductus: Tantis enim terræ curis inſervio, quantas me in vita laica nequaquam deſeruiſſe reminiſcor: alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens aſcendiſſe exterius videor, unde me à conditoris mei facie longe expulſum deploro.* Enimverò ſi vir tantus, quantus Gregorius erat, in ſublimi illa dignitate, in qua ſibi immediatum Dei præceptum exequendum eſſe noverat, & in qua Deum in portando ſibi impoſito onere auxiliatorem præſto adfuturum eſſe certò ſciebat, adeo nihilominus vehementer dolebat, conſiderare obſecro, quanta ſint illorum onera & inquietudinum moleſtiæ, qui à ſemetipſis ſolius ambitionis propriæ impulſu ad ſimiles dignitates promoti fuerunt?

Ambitioſi majores habent moleſtias.

*S.Greg.l.1. regiſ,ep.5.*

9. S. Hieronymus ad cujus pedes purpura Cardinalitia proſtrata communiter depingitur, eò quod à ſupremis honoribus acceptandis alienus admodum eſſet, in fine vitæ S. Pauli à ſe conſcriptæ ita proteſtatur, dicens: *Cui Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli, cum meritis ejus, quam Regum purpuras cum Regnis ſuis.* Ubi aliqui legendum eſſe exiſtimant, non cum *Regnis ſuis*, ſed *cum pœnis ſuis.*

*S.Hier.in vit.S.Paul. 1.Erem.*

10. Inter alios inſultus quibus Redemptori noſtro in amaræ Paſſionis ſuæ nocte moleſti fuerunt, unus fuit, iſque haud quaquam minimus, quod ipſi tamquam Regi ſceptri loco arundinem quamdam ludibrij loco in manus dederint, eademque arundine horridam illam è ſpinis contextam coronam benedicto ejus capiti fortiſſime impreſſerint: *Et cœperunt ſalutare eum: Ave Rex Judæorum: Et percutiebant caput ejus arundine.* B. Laur. Juſtinian. in lib. *de triumphali Chriſti agone*, per arundinem illam Principum ſceptra intelligenda eſſe dicit, quia ſicut arundo in exteriori quidem apparentia aureum præ ſe colorem refert & lucida eſt, interius autem inanis & vacua: ita quoque honores dignitateſque terrenæ prima quidem facie ob authoritatem, pompam, atque divitias quas ſecum adferunt, ſpecioſi & appetibiles eſſe videntur, verumtamen interius in Principum illorum cordibus, gaudia illa & conſolationes, quas nos quidem illis ineſſe ſomniamus, minimè reperiuntur; tametſi enim ſceptra ipſorum aurea ſint, non tamen ſolida, ſed intus inania & vacua exiſtunt. Hac arundine vel ſceptro ficto, Salvatoris capiti ſpinas validiſſimè imprimebant, ad ſignificandum, quod territoriorum ſubditorum regimen & dominium curarum, anxietatum & moleſtiarum ſpinas, quibus tanto magis abundant, quanto majus poſſident Dominium, in verticibus coronatis, quàm maximè multiplicent.

Sceptrum Regum arundini ſimile.

*Marc.15. v.18.19.*

*Laur.Juſt.*

11. Hugo Cardin. ſcribit: *Mundus dicit: Quemcumque oſculatus fuero dignitatum oſculo, ipſe eſt, tenete eum & vos dignitates, & crucifigite.* Quidam Chryſoſt. de curis dignitatis Epiſcopalis, quas licet omnino invitus, ſatis ſuperque expertus fuit, teſtetur, velim auſcultetis: *Difficultates omnes*, inquit, *recenſere velle, quas Epiſcopum tolerare oportet, prorſus nihil aliud fuerit, quam maris altitudinem emetiri:* Demum vero prolixum texit debitorum & obligationum quibus Prælatus innexus eſt, catalogum, eumdemque hiſce verbis proſequitur: *Nam ut etiam ille ab omni perturbatione animi vacet (id quod aſſequi certe nemo poteſt) tamen emendandis corrigendiſque aliorum delictis labores ærumnaſque infinitas ferre neceſſario cogitur.* Superius ex mente S.Ambroſij qui adeo inſignis Eccleſiæ Archiepiſcopus, tantuſque honorum hoſtis & adverſarius fuit, prout in ejus ad illam dignitatem electione perſpicue ſatis videtur, diximus: *Aquarum eſt igitur, quod in Regibus adoratur*, id eſt, Regum purpura ex aquis naſcitur: nunc velim quo titulo Chryſoſtomus dignitates inſigniat, auſcultetis, dicit enim illas eſſe *Laborum pelagum, curarumque abyſſum.*

*Hug.Card. in c.26. Prov.*

Dignitates laborum abyſſus.

*Chryſoſt.l.6. de ſac.*

12. Notate obſecro quonam Lucifer omnia mundi regna Chriſto oſtendens, eumdem deduxerit: *Aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum*; Quodnam aſtuti hujus ſerpentis motivum fuit, ut Chriſtum in locum adeo ſublimem eminentem altumque deduxerit; S.Bonaventura ait: *Quia cum ſit ſuperbus, ſemper alta petit: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: & quia in loco eminenti facile homo ruit.* Theophylactus in ſenſu morali ait: *Quidam putant montem excelſum valde affectionem & ſtudium in poſſidendis divitijs.* Erit fortaſſe ex vobis nonnemo, qui id Dæmonem eo fine feciſſe dicat, ut ex hoc adeo ſublimi & elevato loco omnia regna & Dominia mundi exhibere & commonſtrare poſſet. Salmeron exiſtimat Dæmonem ſibi quamdam aſſumpſiſſe Regis vel Potentis & Magnifici cujuſdam Monarchæ effigiem; Huic tamen ego cum Lyrano oppono quo fine ſervire hæc commonſtratio è loco tam ſublimi facta poterat, quando certum eſt illam imaginariam potius fuiſſe, quam regalem? *Oſtenſio fuit magis ad auditum, quam ad viſum.* In eadem pariter opinione eſt Janſenius, qui ait: *Diabolum interiores Chriſti ſenſus commoviſſe novis apparentium rerum ſpeciebus.* Verum itaque myſterium, cur Dæmon Chriſtum in adeo eminentem locum ſubvexerit, in eo, ni fallor, conſiſtit, ut ſignificet, ideo Dominia, regna, & ſceptra mundi in ſublimiſſimo quodam monte fuiſſe monſtrata, quia in excelſis montibus furioſiſſimus communiter Aquilo regnat, ibi venti validiſſimi continuò homines infeſtant, ibi quoque alpium juga nubibus, nebulis, nivibus & glacie communiter teguntur, præterquam quod *Feriunt altos fulmina montes.* Idem quoque moraliter Magnatibus communiter accidit, ipſi namque unicus ſunt detrahentium, calumniantium & maledicentium populorum ſubditorum ſcopus, cum ſubditi ipſorum Regimini quantum illud juſtum, mite, tranquillum & rectum fuerit, applaudunt & acquieſcunt, pluribus quoque rebellionum, conjurationum, bellorum, aliarumque innumerabilium ærumnarum periculis ſubjecti ſunt, quam omnes alij. Denique in gravi ſunt gratiam & amicitiam Dei amittendi periculo, ſiquidem Lucifer quidem dicit: *Hæc omnia tibi dabo*, cum hac tamen expreſſa conditione, *ſi cadens adoraveris me:* adeoque Dominium & regnum, ac quodvis aliud dignitatum culmen, ex omnibus hiſce capitibus calix quidam amariſſimus dici meretur.

Ex alto homo facile ruit.

*Matth.4.v.8.*

*S.Bonav. in Luc.*

*Theoph. ibid.*

Prælati murmurantium ſcopi.

*Matth.4.v.9*

## DISCURSUS X.

### ARGUMENTUM.

Gravitas oneris quod honores, [qui honos & onus dicuntur] ſecum adferunt, conſideratur, variæque Prælatorum obligationes ponderantur.

### THEMA.

*Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me?* Num. cap.11. v.11.

1. MOyſes utpote exiſtimatus genuinus filiæ Pharaonis filius & hæres regius, quadraginta annis in ejuſdem Pharaonis regia, regni moderatus eſt ſceptra, demum verò in ſylveſtribus Madian ſe abſcondit, ibique totidem annis ovium gregibus paſcendis intentus fuit, donec tandem ab Altiſſimi Majeſtate Divina populo Iſraëlitico veluti quidam Dei locum

Præfectura magnum onus.

cum tenens generalis præfectus fuit, at verò poſtquam honorificentiſſimo hoc munere inſignitus eſſet, audite qualiter ſub hoc onere ingemiſcens lamentatus fuerit: *Cur afflixiſti ſervum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me?*

Num. 11. 11.

Quis obſecro novum hunc in cunctis ſæculis inauditum ſermonem non obſtupeſcat? Variæ quidem quotidie audiuntur humani generis querelæ, dum varij ſe à Deo abjectos exiſtimantes mœſti vivunt ac triſtes, eo quod in ſtatu humili ſemper perſeverent; nemo enim eſt qui in hominum exiſtimatione eſſe & honorari, authoritateque ac Dominio præfulgere non diligat? Et tamen Moyſes à Deo ad honores ſubvectus contrarium ſentit dicens: *Cur afflixiſti &c. quare non invenio gratiam coram te?*

Ibid.

Ambitioſi Gratiâ Dei ſe excidiſſe arbitrantur, quando ad mundi gloriam non ſubvehuntur; Et tamen iis qui verum lumen cœleſtiumque bonorum notitiam habent, veriſſimum eſt quod honores onus ſecum graviſſimum adferant, ſub quo conſequenter miſere ingemiſcunt. Unde optimè S. Bernardus ſcribit:

S. Bern. epiſt. 42.

*Meditantibus honores blandiuntur, ſed onera penſantibus tædio ſunt atque formidini, non autem omnes capiunt hoc verbum; multi enim non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera, gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum.*

Sub hoc onere gemunt multi.

Job 26. v. 5.

2. In lib. Job Gygantes ſub aquis gemere dicuntur: *Gygantes gemunt ſub aquis.* Et quidem quod ad ſenſum attinet literalem revocandum eſt in memoriam quod quando à ſtirpe Gygantea prognati nepotes eo tempore, quo Noë juſſu divino Arcam fabricabat, ſalutaria Noë monita deridentes voluptatibus atque delitijs totaliter dediti erant, rapidis diluvij aquis involuti, ſub diluvij quidem undis, gemitibus licet irritis atque fruſtraneis ingemuerint, & lamentis aquarum ſuperficiem pene totam impleverint; at vero Gloſſa ad præſens propoſitum per Gygantes principes & Magnates aptius, per Aquas verò populum iiſdem ſubjectum intelligit. *Aquæ multæ populi multi.* Gygantes igitur gemunt ſub aquis, id eſt, Principes, Reges, aliiſque Eccleſiaſtici etiam Superiores, qui authoritate & primatu ſuo cunctis alijs longè præeminent, ſub hoc aquarum, id eſt, populorum ſibi commiſſorum onere preſſi gemunt, id eſt, in ſubditorum ſuorum regimine nullam umquam quietem habent, ſed in continuis laboribus poſiti, ingemiſcendo vitam traducunt.

Superior pater mater, doctor &c. eſſe debet.

3. Porro Moyſes ſub hoc ſibi à Divina Majeſtate impoſito onere lamentans, hanc planctus ſui reddidit rationem: *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo?* Univerſam, obſecro, Scripturam ſacram pervolvite, nec tamen umquam Moyſi hoc à Deo impoſitum fuiſſe præceptum reperietis, ut populum hunc ſibi commiſſum inter brachiorum ſuorum amplexus, imò & in ſinu ſuo portaret, quin potius eum juſſu divino Generalem populi ſui ducem factum eſſe, eique eumdem gubernandi authoritatem Dominiumque collatum fuiſſe deprehendetis, cur igitur mandatum ſibi eſſe ait, ut ipſos in ſinu ſuo portaret? Scitisne quidnam ad hoc reſponderi debeat? nimirum idem prorſus eſſe dicere, Moyſen Iſraëlis Dominio & gubernaculo fuiſſe admotum, quam ipſum erga populum hunc patris, matris, & nutricis officium exercere juſſum fuiſſe aſſerere, hoc enim eſt pondus & onus, quod gubernatori plebis alicujus cenſetur impoſitum, ut ſcilicet ſe ſolicitum erga ſibi ſubditos patremfamilias exhibeat, iiſdem in infirmitatibus ſuis ſumma cum amoris & benevolentiæ ſignificatione ſubveniendo, adblandiendo, & compatiendo. Hinc etenim factum eſt quod prudentiſſimus vir ille, apud Iſaiam, ſponte ſibi oblatum à populo regni ſceptrum conſtanter recuſarit dicendo: *Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me Principem populi,*

Iſa. 3. v. 7.

quaſi diceret; Ille qui erga ſibi commiſſos paternæ charitatis viſcera non habet, qui ſubditorum neceſſitatibus ſolicitè proſpicere, infirmitates eorum curare eoſque ubi opus fuerit veſtimentis congruis induere & fovere neſcit; Imperium etiam ſponte oblatum, nequaquam acceptandum eſſe.

Superiores veſtire debent.

Septuaginta loco verborum illorum: *Non ſum medicus*, legunt: *Non ero Princeps*, Pagninus: *Non ero Dominus.* Chaldæus: *Non ſum dignus, ut ſim caput, aut princeps.*

4. Dicite ſodes, ſi noſtis, quemnam populus ille à Chriſto in deſerto miraculosè ſatiatus finem ſibi propoſitum habuit, aut quodnam in Chriſtum meritum agnovit, ut unanimiter inter ſe illum in deſerto Regem proclamare decreverint? Num fortè Evangelij prædicatio per ipſum facta ipſos ad hoc permovit? aut patratio miraculorum quæ oculis ſuis ab eo fieri viderant? an verò eminens quæ in eo relucebat vitæ ſanctitas? Nequaquam; hæc enim omnia diu ante ipſis nota atque perſpecta erant, & tamen modicum illi, ſeu potius nullum ei reſpectum aut honorem deferebant; quin potius tres illas conditiones, quibus vir ille apud Iſaiam ſe carere dicebat, in Chriſto perfectè reperiri per experientiam ocularem didicerant, quia tamquam medicus peritiſſimus curabat infirmos, imò ipſos quoque mortuos ad vitam reſuſcitabat: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur;*

Joan. 6. v. 2.

Nec panis illi deerat, qui quinque hominum millia adeò copiosè ſatiaverat, ut ex quinque panibus plures ex pane reliquo repleti cophini ſupereſſent diſtribuendi; ideoque nec veſtes illi defuturas eſſe ſolidè & cum fundamento ſperare poterant; ſiquidem eadem facilitate qua panes multiplicaverat, idem quoad veſtimenta præſtare potuiſſet: ac proinde ipſum ad acceptandam ab ipſis ſponte oblatam dignitatem regiam ipſum violenter cogendum eſſe exiſtimabant.

Dignitas honos & onus.

5. Samuel, prouti in præcedenti diſcurſu tetigimus, Sauli jamjam eligendo Regi duos illos panes ſibi juxta ſepulchrum Rachelis dandos, ut acceptaret, juſſerat, imo quod magis hoc loco ponderandum venit, eidem hoc præcipuè futuræ illius ad thronum regium ſubvectionis ſignum verè prognoſticum dederat: *Hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in Principem*, prius dixerat: *Invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel in finibus Benjamin in meridie, dicentque tibi, inventæ ſunt Aſinæ:*

1. Reg. 10. v. 1.

Ibid. v. 2.

poſtea verò ſubjunxit, quod juxta quercum Thaborinam tres ipſum ſalutantes offenſurus eſſet, quorum unus tres hædos, alter tres tortas, tertius verò vas vino refertum, velut donum regium ultro citroque præſentaturus eſſet: *Cumque te ſalutaverint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.*

Ibid. v. 4.

Videri non nemini poſſet aptius illius in Regem aſſumendi ſignum futurum fuiſſe, erectos à populo in ejus honorem arcus triumphales, aut feſtivas populi acclamationes, vel publicos viarum apparatus ſive ultroneos ſubditarum civitatum occurſus, vel oblata tributa; quid enim ad regiam dignitatem conferre poterant aſini vel jumenta inventa, aut panis & companatici annona copiosè oblata? Ecce tibi revelatum divinorum juſſuum myſterium; Etenim aſini animalia quædam ſunt non proprie ad equitandum, ſed ad onera portanda deſtinata; ac proinde ſub hoc obſcuro verborum involucro indicabatur ipſi, ut ſe ad grave Regni onus portandum protinus accingeret, ſiquidem regia dignitas verè pariter *honos & onus* eſt. Annona autem præſentata teſtabatur maximam principis alicujus curam in eo præcipuè conſiſtere, ut Regno ſuo de ſufficienti vitæ annona proſpiciat. Abulenſis legit: *Dabunt tibi duos panes, videntes, quod indigebat eis;*

Reges mendici.

quinam enim majori panum neceſſitate premuntur, quam illi quibus cura nutriendi & ſuſtentandi ſibi ſubditos incumbit? Unde opus eſt eis, ut continuo Eleëmoſynam mendicent, id eſt ut à ſubditis ſuis contributiones & vectigalia exigant.

Super. grave onus.

6. Nonnulli optimè obſervarunt, nuſquam de Chriſto Salvatore noſtro legi, quod in toto triginta trium annorum decurſu umquam equo aut jumento aliquo uſus fuerit, tametſi varia alias loca eundo peragrarit: *Pertranſibat benefaciendo:* præterquam in ſolo & unico die triumphi ſui, in quo veluti Rex aſino inſidens honorificentiſſime exceptus fuit. Neque exiſtimandum eſt id Chriſtum forte fortuito feciſſe, ſiquidem ex dedita opera nonnullos è diſcipulis ſuis in proximum caſtellum miſit, qui Aſinam & pullum ligatos ſolverent & adducerent, imò expreſsè adjecit, quod ſi quis eorum conatui reluctaturus & jumentorum adductionem impediturus eſſet, *Dicite, quia Dominus his opus habet;*

Matth. 21. v. 3.

Num forte divinus ille Atlas, qui totum univerſum tribus dumtaxat digitis ſuſtentat, aſino aliquo, ut ei inſideret, opus habebat? quod ſi forte Dominum ac Redemptorem noſtrum defatigatum fuiſſe dixeris: Reſpondeo, id dici non poſſe cum Salvator noſter verè is ſit, de quo Propheta regius loquebatur dicens: *Diligam te Domine fortitudo mea.*

Pſ. 17. v. 1.

Quod ſi replicaveris id omninò pro majori triumphi ſui gloria fieri debuiſſe, rurſus oppono, quod ſi de triumphi gloria adaugenda ſermo ſit, potius Elephas aliquis, vel ſaltem generoſus quidam Equus adhiberi decentius potuiſſet. Reſpondetur igitur, quod quando Salvatori



noſtro decretum erat Regis titulum ſibi acclamatum admittere, non uno ſed duobus jumentis, viciſſim ſeu per vices uti voluerit, aſina nimirum & pullo ejus, animalibus ſcilicet natura ſua gravibus portandis oneribus deſtinatis, ad denotandum gravitatem & difficultatem oneris, quod portare debent, qui alijs præſunt & dominantur.

7. In ejus meliorem evidentiam (ne extra propoſitum gradiamur) in Saulis Regis hiſtoria notandum eſt, quod quando Samuel venturo Sauli extemporaneum præparabat convivium, in quo ipſum in Regem declaraturus erat, modus quidam ſpecialiter obſervatus ſit, quo Samuel in ferculis appoſitis diſtribuendis uti voluit, per hunc namque modum futuro Regi indicatum eſſe voluit, quod Regno ejuſque oneribus portandis humeri ipſius ſubmittendi eſſent: *Dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant invitati;... dixitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi ut reponeres ſeorſum apud te. Levavit autem cocus armum, & poſuit ante Saul;*

1. Reg. 9. v. 22. 23. & 24

Hæc autem carnis portio à Propheta quodam adeo illuminato Sauli nequaquam caſualiter propoſita fuit, quia idem Propheta mox ſubjungit: *Ecce quod remanſit, pone ante te, & comede: quia de induſtria ſervatum eſt tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul, &c.*

Ibid. v. 24.

Nequaquam dubito, quin curioſi ſitis ad intelligendum, quænam ſit inter ſceptrum & armum ſeu humerum bovis proportio; atque ideò pro meliori hujus myſterij intelligentia, quamdam Gregorij Magni ſententiam prius audite: *Tantorum quippe pondera*, inquit, *ſuſtinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur.*

S. Greg. l. 9. mor. c. 10.

Etenim Propheta Samuel, qui judex populi erat, Saulem commonitum eſſe voluit, ut ſe ſuoſque humeros ad dominij ſibi commiſſi onus & pondus fortiter portandum bene præpararet, nam juxta veriſſimam S. Gregorij ſententiam onus ſive pondus hoc non unum dumtaxat eſt & ſimplex, ſed quot ſunt in regno ſubditi, totidem quoque onera portanda eſſe exiſtimandum eſt.

Quot ſubditi tot onera.

E qua ſententia evidenter colligitur, quod qui majori dominio, copioſiorique ſubditorum numero præeſt, is quoque fortiores robuſtioreſque humeros ut habeat, neceſſum ſit. Unde optimè ad propoſitum Author quidam de Saüle tractans ita ſcribit: *Ut cum armus maximè valeat ad onera ferenda, Saül cogitaret, ſe non ad jocum, ad luſum, ad voluptatem, ſed ad maxima onera ferenda atque ſuſtinenda vocari.*

Jo. Jul. l. 1. ant. con. c. 33

8. Ingenioſa prorſus eſt illa moralis Senecæ reflexio, dicentis: *Eſt inter onus & honorem non tam alluſio vocis, quam rei ipſius expreſſa veritas.* Idem quoque S. Iſidorus licet differentibus nonnihil verbis enuntiat, dum ait: *Honor ex onere venit, aut potius ex honore onus.*

Sen. c. 2. de brev. vita

S. Iſid. l. 1. c. 26.

Magiſtratus inſignia in humeris.

Iſa. 9. v. 6.

9. Iſaias quoque de principatu tractans eodem quoque tempore humerorum mentionem facit, dicens: *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus;* quibus verbis num forte Propheta ad inſignia vel habitus, quos Magiſtratus nonnumquam in nonnullis locis ſuper humeris portare conſueverunt, alludere voluiſſe cenſendus erit? Nequaquam, inquit Oleaſter *Solemus enim onera grandiora humeris geſtare, tamquam partibus in homine fortioribus.*

Oleaſt. ibid.

10. In lib. Regum de Salomone Regum ſapientiſſimo ſcribitur, quod mare æneum fabricando, boum humeris illud ipſum impoſuerit: *Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum &c. & ſtabat ſuper duodecim boves:*

Sup. boum humeros habeant.

1. Reg. 3. v. 23. 25.

S. Nilus per boves illos mare æneum ſuſtinentes Prælatos & Superiores Eccleſiaſticos intelligendos eſſe dicit: *Boves ſub pelvi declarant eos, qui ſubeunt onus ejuſmodi, nihil reſpicere, aut averſari debere, ſed & onera & ſordes inferiorum deferre.*

S. Nil. in aſcet.

Neque ſolum is qui gubernat, prout S. Gregorius ait: *Tantorum pondera ſuſtinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur*, verum inſuper (in quo aliud inſupportabile onus ſuperioribus imponitur) omnium ſubditorum ſordes mundare & purificare tenetur, eo quod hæ malo gubernantium exemplo vel imprudenter adminiſtrato regimini imputentur.

NB.

11. Videtur prima facie in Evangelio S. Joannis manifeſta quædam involvi contradictio, nam in principio Capitis quarti Chriſtus plures numero, quam S. Joannes baptizaſſe, dicitur, additur tamen non ipſum ſed diſcipulos ejus baptizaſſe: In capite præcedenti verò dicitur: *Venit Jeſus & diſcipuli in terram Judæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.*

Sup. Commiſſorũ rei.

Joan. 4. v. 1.

Joan. 3. v. 22

Qua igitur ratione duo hi textus, qui ab ejuſdem Evangeliſtæ calamo conſcripti ſunt, conciliari poterunt? Ammonius in Catena Græca citatus ait: *Quidquid ſubditi ſuperioribus approbantibus, ipſiſque cernentibus & non contradicentibus, neque vetantibus agunt, idipſum Superiores facere dicuntur: cum enim primum dixiſſet Jeſum baptizaſſe, hic ait Jeſum minimè baptizaſſe, diſcipulorum opus ipſius adſcribens virtuti, etſi reipſa non baptizarit.*

Corder. in cat.

Quodnam excogitari poteſt onus gravius illo, quod nimirum Prælati omnium tranſgreſſionum à ſubditis commiſſarum rei declarentur, obſtrictique ſint ad reddendam rigidiſſimam de iis rationem?

12. In Ezechiele Deus dicit: *Speculatorem dedi te domui Iſraël.* Si vigil ille, qui ad periculoſæ cujuſdam plateæ cuſtodiam collocatus eſt, dormit, ſuperveniatque inimicus occidens & mactans cum reis inſontes, ejus negligentia totius ruinæ cauſa exiſtit, ejuſque vigilia bona omnes alios ſecure & in utramque aurem dormire facit.

Ezech. 3. v. 17.

13. Hugo Cardinalis verba illa: *Redde rationem villicationis tuæ* ponderans ita ſcribit: *Quælibet à quolibet Prælato triplex quæſtio; Prima erit, amice quomodo huc intraſti? id eſt in Prælationem quis te introduxit? Nummus vel Chriſtus? Ad quid veniſti? ad honores vel onus? Per quam portam intraſti? Charitatis aut Cupiditatis?*

Hug. Card. in c. 16. Luc.

Sup. Magnam reddent rationem.

Poſtea ad ſecundum examen deſcendit, quod circa vitam, quam prælaturæ tempore duxerunt, inſtituetur: *Quomodo vixiſti? ſcilicet ſicut Epiſcopus, vel ſicut Ruſticus? ſicut homo vel ſicut Equus? ſicut Paſtor, vel ſicut pecus?* Tertium examen habebitur circa regimen quod adminiſtrarunt: *Quomodo rexiſti? In quibus paſcuis gregem meum paviſti? quomodo à lupis & latronibus cuſtodiſti? quantas vigilias & labores pro grege meo ſuſtinuiſti?* Numquid igitur jure merito ſtultos & deliros cenſet illos, qui ſuperioritatem ambiunt, per quam tam rigoroſo examini ſubjiciuntur? *Stultus homo plaudit manibus, cum ſpoponderit pro amico ſuo.*

Prov. 17. v. 18.

Quod ſi quis ex eo lætaretur quod varijs perſonis de centenis vel ducentis ſcutorum millibus pendendis fidem ſuam obſtrinxiſſet, numquid is delirare cenſendus eſſet? longe igitur amentiores ſunt, qui ex ſolius ambitionis inſtinctu, ſe ad reddendam Deo pro centenis vel ducentis animarum millibus, quæ ſub Epiſcopatu illo quem ambitione ſectantur, exactiſſimam & rigoroſiſſimam rationem obſtringunt.

Stult. qui affectant Superioritatem.

14. Verum enimverò Prælati, ut optimè S. Bernardinus advertit, minimum de animarum ſalute cogitant, ſed ſola habetur redituum, divitiarum, dignitatis & honoris ratio: *Quem dabis mihi de numero Præpoſitorum, qui non plus invigilet ſubditorum marſupijs evacuandis, quàm vitijs extirpandis?*

De multis reddenda ratio.

S. Bern. ſer. 77. in Can.

Legatur hac de re Propheta Ezechiel, qui poſtquam dixiſſet: *Speculatorem dedi te domui Iſraël*, proſequitur dicens: *Et audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me: ſi dicente me ad impium: morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via ſua impia & vivat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

Ezech. 3. v. 17.

Ibid. & v. 18

Ipſi pervigilant, inquit S. Paulus, *tamquam rationem reddituri pro animabus veſtris.* Circa quæ verba S. Chryſoſtomus ait: *Audiant iÿ, qui regunt, & gerunt magiſtratus, quantum eſt periculum omnium quos regunt, mulierum, virorum, & puerorum reddenda eſt ratio:*

S. Chryſoſt. hom. 27. in Matth.

Paulo poſt cum admiratione, imò cum juſto ambitioſorum terrore exclamat dicens: *Miror an fieri poſſit, ut aliquis ex rectoribus ſalvus fiat;* ac proinde idem S. Doctor de ſua ad Epiſcopatum promotione ita ſe declarat: *Ab eo ipſo die, quo tu mihi Epiſcopatus ſuſpicionem hanc injeciſti, factum eſt identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum diſſolveretur, tam ingens pavor, tam ingens triſtitia meum animum occupavit.*

L. 6. de ſac.

Numquid igitur tibi unicuique Prælato dici poſſe videtur quod lib. 3. Reg. c. 20. legimus nimirum: *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus;*

3. Reg. 20. v. 39.

De qualibet enim anima obſtrictus eſt rigidiſſimum reddere computum: *Judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.*

Sap. 6. v. 6.

Non enim illis ſolum de ſe ipſis reddenda eſt ratio, verum & de omnibus alijs ipſorum curæ commiſſis. *Ubi eſt grex,* (inquit Deus apud Jeremiam) *qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? quid dices cum viſitaverit te?*

Jer. 13. v. 20. 21.

15. In ſuperhumerali Aaronis conſpiciebantur inſculpta omnia filiorum Iſraël nomina, hæcque velut ornamentum quoddam ex ejus humeris ſuſpenſa dependebant, ad denotandum quod à Prælato ſuſtinendum eſt omnium ſubditorum ſuorum ſibi incumbens onus.

Prælato ſubditorum onus imponitur.

Exod. 28. 10

Unde Arnoldus Carnotenſis ita ſcribit: *In ſuperhumerali Pontificis hoc debet intelligi, quomodo in portandis fratrum oneribus officium illud incumbat, ut proprijs humeris ovem perditam ad ovile reportet.*

Arn. Carn. tr. de ult. ver. Dom.

Legatur obſecro caput decimum ſextum libri Numerorum, ibi namque tremendum illud recenſetur ſupplicium,

Num. 16. v. 21.

cium, quo divina juſtitia Chore, Dathan, & Abiron temeritatem caſtigavit, tametſi enim, dum terræ os ſub ipſorum pedibus ad infernum uſque dehiſcuit, ipſique vivi deglutiebantur, multi circumſtantes hoc ſpectaculo perterriti fugerent, ignis tamen de cœlo lapſus ex iis ducentos quinquaginta devoravit, eorum, qui incenſum obtulerant: Deus autem in eodem temporis momento hanc Moyſi commiſſionem impoſuit dicens: *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, ut tollat thuribula, quæ jacent in incendio, & ignem huc illucque diſpergat.* Verum enim verò dicat aliquis, numquid hoc erat eoſdem periculo nimis manifeſto exponere? Ecce tibi expreſſum hic exceſſivum dignitatum onus, nam paulo poſt in eodem capite dicitur: *Egreſſa eſt ira à Domino & plaga deſævit, quod cū feciſſet Aaron ... & ſtans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit.* Ubi Origenes ait: *Intuere eſt ſtantē Pontificē, & objectione quadā ſui, viventes à mortuis dirimentem, & incenſi myſterium erubuiſſe Angelum vaſtatorem.* David quoque Angelum, qui in populum, ſæviturus gladium ſuum ſtrinxerat, videns, pro defendendo grege ſuo caput ſuum evidentiſſimo mortis periculo expoſuit, dixit David ad Dominum: *Cum vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui peccavi, ego inique egi... vertatur, obſecro, manus tua contra me.* S. Gregor. Magnus Romam à peſtilentia flagellatam cernens ſuā pro gregis ſalutem expoſuit. S. Carolus Borromæus contagionis Mediolanenſis tempore, funem collo ſuo inſertum in publica proceſſione portans, ſe in Divinæ juſtitiæ conſpectu reum eſſe proteſtatus eſt, omniaque populi ſui peccata humeris ſuis imponens eidem per ſudorum, lachrymarum & ſanguinis ſui pretium veniam facile impetravit, atque in ejuſdem ſibi commiſſi populi ſubſidium, quidquid in bonis temporalibus habebat, uſque ad proprium lectum liberaliter erogavit, atque per hæc omnia quodnam veri Paſtoris munus ſit, clare edocuit. Quiſquis igitur humeros ad onus iſtud dignè portandum ineptos ſe habere ſentit, is Prælaturas numquam ſibi conciliare contendat. Audite S. Ambroſium hac in re ſaluberrimo nos monito prævenientem & dicentem: *Menſura oneris pro menſura debet eſſe geſtantis, alioquin impoſiti oneris fit ruina, ubi victoris infirmitas eſt.*

Num. 16. v. 37.
Ibid. v. 46. 48.
NB.
Orig. hom. 9. in Num.
Prælati exponant ſe periculo.
2. Reg. 24. v. 17.
S. Ambr. l. de viduis.

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Ornamenta Aaroni quondam præſcripta, præcipue vero ea quibus Epiſcopi uti ſolent; ritus item & Cæremoniæ ſacræ in ipſorum Reverentiam & honorem inſtitutæ eas ſubindicant virtutes, quibus ipſos præditos eſſe oportet, ipſoſque ad majorem perfectionem obſtringunt.

### THEMA.

*Oportet... Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe... ſobrium... ornatum, pudicum, &c.* ad Timoth. 3. ℣. 1.

Prælati ſint virtutibus ornati.
Exod. 26. v. 1.

1. ANgelicus Doctor S. Thomas de Aquino antiquam Tabernaculi fabricam, cum omni magnificentia & opum congeſtarum abundantia à Deo hiſce verbis Moyſi præſcriptam: *Cortinas de byſſo... & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto*, conſiderans, eadem quoque opera & tempora ad conſideranda pretioſiſſima ornamenta divinum cultum concernentia, nec non opulentam templorum ſupellectilem, Prælatorumque Eccleſiaſticorum ſplendorem & dignitatem ponderandam transgreditur, horumque omnium hanc reddit rationem: *Ut homines Deum in reverentia habeant, & inde hominum conſuetudo inolevit, ut Reges & Principes, quos oportet in reverentia à ſubditis haberi, & pretioſioribus veſtibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes habeant.* Jam verò quænam ornamenta S. Paulus in Prælatis Eccleſiaſticis requirat, ex ſequentibus verbis fit manifeſtum: *Oportet enim Epiſcopum &c. ornatum eſſe*; quaſi diceret, quotieſcumque Epiſcopos pretioſis admodum ornamentum indutos, altoque throno inſidentes conſpicitis, ſciendum vobis eſt hæc omnia ad magna myſteria innuenda ordinata eſſe, nimirum ut per hoſce ornatus talibus Prælatis commendet vivaciterque inculcet & imprimat quàm ad perfectionem majorem, virtutumque & ſanctitatis lucrum reddendi habeant obligationem; ac proinde S. Baſilius monet dicens: *Oremus, ut, qui præſunt Eccleſijs, quique duces ſunt populi, non quidem teſtificationem reportent ab extremo cultu, aut ſuperinvecto corpori decoro habitu, ſed ab ipſa veritate.* Porro veſtes ſacræ, throni, mitræ, annuli, pallia, omniaque alia ſimilia ornamenta myſtica ſunt, imò viva vox quædam ſunt, Prælatorum auribus & cordi inſonans, vivaciterque imprimens illis virtutes, quas præfigurant.

S. Th. ibid.
1. Tim. 3. 2.
Tit. 1. v. 7.
S. Baſ. in c. 3. Iſa.

Aaron figura prælatorum.

2. Oculos quæſo noſtros in magnificos illos ornamentorum apparatus dirigamus, quos ipſamet ſapientia divina Aaroni ſummo Pontifici præſcripſit; tales namque erant hi ſequentes, nimirum, veſtis quædam linea, cui ſuperimponebatur veſtis quædam exterior cærulea ſive Hyacinthina, in cujus extremitatibus malogranata quædam ſuſpenſa pendebant per gyrum, campanulis aureis undique per circuitum diſtincta. Hiſce autem veſtibus Ephod ſive Superhumerale ſuperimponebatur ex filis aureis, cocco, Hyacintho, & purpura, nec non & filis lineis contextum, ut ambabus verò Ephod iſtius extremitatibus, duæ gemmæ ſive lapides pretioſi erant maximi valoris & pretij, quibus nomina duodecim tribuum inciſa erant, ſena & ſena ſeorſim: in Rationali vero duodecim varij lapides pretioſi erant, quibus nomina cunctorum filiorum Iſraël continebantur inſculpta. Philo Hebræus in hoc ornatu mundum cum omnibus ſuis partibus præfiguratum eſſe exiſtimat, cujus rationē & myſteria delineat & aſſignat dicens: *In hunc mundum ornatus Pontifex ad ſacra mittitur, ut quoties vota facturus eſt pro populo, totum mundum ſecum introducat ſub figuris quas geſtat.* Ecce tibi pondus, quod ſummus Pontifex toto corpore circumferebat, totum videlicet mundum, ut ſuarum eſſe partium omnes totius mundi populos Divinæ Majeſtati repræſentare, pro univerſalibus neceſſitatibus intercedere, peccatorum à ſingulis commiſſorum expiationem & veniam impetrare meminiſſet. Unde in epiſtola quadam quam S. Hieronymus ad Fabiolam ſcripſit, hæc verba leguntur: *Juſtum ergo erat, ut Pontifex Dei creaturarum omnium typum portans in veſtibus ſuis indicaret, cuncta indigere miſericordia Dei, & cum ſacrificaret ei pro cuncta creatura, & voce & habitu precaretur.*

Phil. de vitâ Moyſis l. 3.
S. Hier. ad Fab.

Aurum amoris Prælatis neceſſarium.

3. In hiſce verò veſtimentis, ut diligenter obſervanti facile patebit, aurum frequenter replicatur, quia omnia ferè ornamenta auro intertexta & locupletata eſſe Deus voluit, quia cum aurum Charitatis & Divini amoris Symbolum exiſtat, omnia Sacerdotis indumenta auro intertexta eſſe voluit, ut indicaret Charitatem & amorem Divinum in Prælatis Eccleſiaſticis ſingulariter ardere & refulgere neceſſum eſſe. Unde ipſemet Salvator priuſquam S. Petro ſuam conſignaret Eccleſiam, eumdem non ſemel tantum, ſed trina vice quoad hanc virtutem examinavit, dicens: *Petre amas me?* ſæpe etiam inter haſce veſtes Sacerdotales byſſus nominatur, cujus uſus etiam ad novæ legis Sacerdotes transmittitur. Byſſus autem illa linum eſt ſubtiliſſimum & ſupra modum candidum; cujus myſterium nobis Berengoſius Abbas optimè declarat, dum ait: *Per byſſum caro virginea ſignificatur*; in miniſtris namque Divino ſuo cultui conſecratis puritas & caſtitas magnoperè exigitur; Coccus idem erat quod pannus purpuræ ſeu potius Cremoſino intinctus, qui color à certa quadam arbore ſuam habebat originem, quæ grana quædam progerminat, à quibus rubicundi quidam vermiculi ſcaturiunt, & in horum vermium contritorum humore rubicundo lana cocci tam antequam neatur, quam poſt tingi ſolebat; Huc textus Iſaiæ alludere videtur, dicentis: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt:* Voluit autem Deus ut coccum bina vice tingeretur: *Coccum bis tinctum*, cujus pulchra ratio à D. Gregorio hiſce verbis adducitur: *In ornamento Pontificis bis tinctum coccum jubet adhiberi, quid namque per coccum niſi charitas deſignatur, quæ ſemper flamma amoris accenditur: ſed coccus bis tingitur, quando non ſolum ex amore Dei; ſed etiam proximi noſtra Charitas inflammatur.*

Joa. 21. v. 17.
Caſtitas.
Ber. Abb. in Bibl vet. p. t. 2. c. 5.
Iſa. 1. v. 18.
S. Greg. l. 2. hom. 16. in Ezech.

Sacerdotibus doctrina neceſſaria.
S. Brun. de conf. ſerm. 8.

4. S. Bruno Carthuſianorum Patriarcha in Rationalis ab ipſamet Sapientia increata Aaroñi præſcripti myſterijs recenſendis latè diffunditur; Dicit enim: *Rationale judicij jubente Domino factum eſt, quo pectus & cor Pontificis ornaretur & muniretur, & quaſi ſigno ſuperpoſito theſaurus interius repoſitus oſtenditur.* Nomen quoque idem S. Patriarcha conſiderat, quo illud non ſolum Rationale, ſed cum addito *Rationale judicij* appellat; *Ipſum nomen ejus magnum aliquid in hoc ornamento ſignificari oſtendit, in eo videlicet, quod non ſolum Rationale, ſed Rationale judicii, vocatur; conſiderare namque debet ille, cujus pectus tali ornamento ornatum*



*eſt, ut judicia quæ inde exeunt, rationabilia fiant, & numquam à ratione juſtitiaque recedant.* Eidem Rationali memorabilia hæc verba inciſa erant: *Doctrina & Veritas*; idque ut S. Hieron. ait: *ut diſcamus Sacerdotem doctum eſſe debere, & præconem Dominicæ Veritatis*; Ideò & Deus apud Malachiam dicit: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Et S. Dionyſius Areopagita ait: *Qui Sacerdotem dicit, auguſtiorem prorſuſque Divinum virum inſinuat, uſque ſanctæ ſcientiæ peritiſſimum.* Hoc autem Rationalis ornamento ſuper ipſius Pontificis pectore requieſcebat, cujus rationem S. Bruno hiſce verbis explicat: *Bene ſuper pectus & cor Pontificis ponitur, ut in illo Divini voluminis Secretario totius veritatis & ſcientiæ plenitudo eſſe intelligatur.* Palmi quoque menſuram, quam Deus illi præſcripſit, hiſce verbis obſervat: *Ad menſuram palmi factum eſt, illius videlicet, de quo ſcriptum eſt: [Quis menſus eſt pugillo aquas & cælos palmo ponderavit?] Cæli ergo & Rationale unius menſuræ ſunt: [Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum,] hanc ſcilicet gloriam, quæ in ratione continetur; ſi quadrangulum rationale non eſſet, libri ſpeciem & formam non haberet, in cujus quatuor angulis quatuor Evangelia poſita ſunt.* Inſuper materiæ, è qua texendum erat, myſteria exponere proſequitur, dum ait: *Vides ibi aurum? ad puritatem & pulchritudinem, ad totius animæ corporiſque decorem & claritatem te invitat; Exemplum tibi dat, quam purus, & ab omni corruptione mundus eſſe debeas: Quatuor colores quos ibi vides, quatuor ſunt virtutes principales.* Etenim colores hi ſequentes erant, nimirum Hyacinthinus id eſt cæruleus, purpura, coccus, & candida byſſus, quibus coloribus prudentia, juſtitia, fortitudo, & temperantia ſignificatur; Hyacinthus enim eo quod colorem cœleſtem referat, ad divinam nos ſapientiam invitat; purpura verò ad juſtitiam, quia virtus iſthæc ſicut & purpura ad Reges propriè pertinet; Coccus colorem rubeum & ſanguineum exhibens ad fortitudinem nos excitat, qua ſe Martyres armarunt, ut vincerent: *Eſt autem coccum bis tinctum, quia duplex eſt Martyrij genus, quoniam non ſolum illi Martyres ſunt, quos Tyranni interficiunt, verum etiam illi, qui carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifixerunt:* Per lini verò candorem temperantia denotatur. Idem quoque S. Patriarcha ulterius exponit, qualiter duodecim lapides pretioſi, quibus rationale exornabatur, quibus duodecim Patriarcharum inciſa nomina erant, Apoſtolos præfigurarint; ſed quo fine id factum fuiſſe exiſtimas? Nimirum *hos videre, hos ſemper in memoria habere, horum fidem & converſationem tenere, quàm utile ſit, quam neceſſarium, quid attinet dicere?* Oleaſter optimè ad hoc reflectit, quod videlicet illa filiorum Iſraël nomina gemmis Pontificis pectus exornantibus inciſa fuerint: Et dicit: *Ad quid filiorum Iſraël nomina in pretioſis lapidibus ſculpta & deportata in humeris Sacerdotis tui? Audiant hoc Pontifices, audiant Sacerdotes, quali animo ferre oves ſuas debeant, & ſuper humeros ſuos infirmas portare: audiant quid Paſtor ille Evangelicus perditæ ex grege fecerit ovi.* Etenim hic Romæ multæ videntur antiquiſſimæ picturæ in quibus Chriſtus Dominus noſter ad inſtar amantiſſimi Paſtoris amiſſam & reinventam oviculam humeris ſuis portantis repræſentatur. Pergit verò idem Oleaſter ulterius, & dicit: *Ubi etiam adverte, non atramento, ſed ſtylo ferreo, nomina filiorum Iſraël ſuper lapides inſcribi, ut noverit divinus Sacerdos, nullam oblivionem debere delere memoriam ovium ſuarum apud Deum, ſed quia forte ad latera nomina eorum habens diſſimularet, voluit ea etiam ſuper pectus habere, ut quocumque ſe verteret, ſemper ea ob oculos haberet.* Enimverò in lectionibus de S. Gregor. legimus ſequentia: *Pauperes & urbanos & externos, quorum numerum deſcriptum habebat, benignè ſuſtentabat.* Sæculo itidem ſuperiori hanc eamdem S. Gregor. charitatem egregiè S. Carol. Borromæus erga commiſſum ſibi gregem egregiè & generosè æmulatus fuit, quia tametſi vaſtiſſimæ cujuſdam Diœceſeos Paſtor eſſet, dicere nihilominus jure merito poterat: *Ego ſum Paſtor bonus: & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ:* Omnes oves ſuas ipſemet perſonaliter viſitabat, tametſi in celſiſſimis eſſent alpibus & rupibus commorantes: Nec ſufficiebat illi, illas ſemel vidiſſe, quin potiùs omnes ſæpius videre, illiſque cuncta neceſſaria providere voluit: quolibet menſe de omnibus in particulari ſibi relationem & informationem dari poſtulabat, quantumvis numerus illarum ad nongenta millia accederet: ſolitus quoque erat dicere, quamlibet animam optimi, maximique Paſtoris regimine & vigilantia dignam eſſe. Idem quoque Oleaſter rationem reddit, cur Deus nomina ſingularum tribuum gemmis inſculpta eſſe voluerit, dicit enim: *In lapidibus autem pretioſis adumbratum cerne, quàm pretioſa eſſe debeant nomina ovium apud Antiſtitem.* Gloſſa autem in hac gemmarum multiplicitate virtutum quibus exornatus & locupletatus eſſe debet Prælatus & Superior Eccleſiaſticus, varietatem adumbratam fuiſſe agnovit: *Hæc poſitio*, inquit, *diverſarum gemmarum in Rationali multiplicem variarum virtutum gratiam oſtendit, quæ concordi ſerie in corde ſacerdotis debet apparere.*

S. Hier. l. 2. in Mal. c. 2. v. 7.
S. D. Areop. l. de cæl. hier.
Iſa. 40. v. 12
Pſ. 18. v. 2.
Neceſſariæ virtutes.
Ol. in c. 29. Exod.
Prælatus ſit Paſtor.
Ibid. in Exod. 28. v. 10.
Joan. 10. v. 14.
Gloſſ. in c. 28 Exod.



Inſpector.

5. Verùm enimverò quod ſi oculos noſtros in ornatus, ritus, & cæremonias, quibus Epiſcopi & alij Prælati Eccleſiæ honorantur & exornantur conjicere velimus, inveniemus utique hos quoque omnes eo præcipuè ordinari, ut in illis agnoſcant quanta cum ſanctitate & exemplaritate reſplendere debeant, & cujus quantique ponderis munia illa & dignitates ſint, ad quæ ſunt promoti: *Epiſcopi nomen plus ſonat oneris quam honoris*, inquit Durandus. In Lingua etenim Grȩca idem ſonat Epiſcopus, quod in ſermone Latino Superintendens. Chryſoſt. de Epiſcopatus Etymologia tractans, dicit: *Epiſcopatus ex eo dicitur, quod omnes inſpiciat, cunctaque ſpeculetur.* Huic conſonat Ambr. ita ſcribens: *Quid aliud interpretatur Epiſcopus, niſi ſuperinſpector.* Alio quoque nomine *Antiſtes* appellatur, cujus rationem Durandus reddit, *Quia ante alios ſtans præeminet populo*, adducitque dictionem quamdam Græcam, qua *Anti*, idem eſt quod *contra*, *quoniam hæreticus contradicit, ut Paſtor lupis.* Et quidem non obſtante quod Salvator noſter Superioribus primo loco exemplo ſuo humilitatem imitandam commendarit, verumtamen in loco alto thronoque eminenti ſedere voluit, non quidem in ſignum primatus & dignitatis, ſed in meliorem vigilantiæ illis adeo neceſſariæ opportunitatem. Idem S. Ambr. ait: *Superinſpector* (de Epiſcopo loquitur) *maximè cum ſolio in Eccleſia editiore reſideat, & ita cunctos reſpiciat, ut & cunctorum oculi in ipſum reſpiciant.* [*Speculatorem dedi te domui Iſraël,*] inquit Deus apud Ezechielem. Excubitori neceſſum eſt, ut in eminentiori quodam loco conſiſtat, ut inimicum è longinquo proſpicere & detegere valeat. Durandus ait: *Ut plebi ſibi commiſſæ non negligenter incumbat, ſed vitam & mores eorum, & cuncta diligenter proſpiciat: Quia ergo Epiſcopus ſpeculator eſt, ideo ex inſtitutione Clementis I. Cathedra ſive locus ejus in Eccleſia altior eſt, ut ſuperintendat, & populum cuſtodiat, omneſque conſpiciat.* S. Aug. quoque hujuſce nominis ſignificatum hiſce verbis declarat: *Speculator, quaſi populorum quibus præpoſitus eſt, obſervator, cuſtos, & præfectus, qui ſpeculetur & proſpiciat populorum & ſubditorum mores & vitam.*

Dur. in ration. div. offic. l. 2. c. 11.
Chryſ. h. 10. in c. 3. ad Tim. 1.
S. Ambr. de dign. ſac. c. 6.
S. Ambr.
Ezech. 3. v. 17.
Dur.
S. Aug. l. 1. de civ. c. 9.

6. Porrò quod pallium attinet, quod magnæ conſiderationis ornamentum quoddam eſt, ſolis Archiepiſcopis conceſſum, ſciendum eſt, quod quotieſcumque illud induitur vel deponitur, oſculo ſemper eidem impreſſo ab Archipræſule honoratur: *Ad notandum ſummum legitimè certandi deſiderium & bravium promerendi*, inquit Durandus, qui poſtquam illud per omnes ſuas circumſtantias delineaſſet, tandem proſequitur dicens: *In lana aſperitas, in candore benignitas deſignatur: nam Eccleſiaſtica diſciplina contra rebelles & obſtinatos ſeveritatem exercet, ſed erga pœnitentes pietatem:* Hæc quoque ratio eſt, cur pallium iſtud non de quacumque lana, ſed de lana agni manſueti contexatur: *Circulus pallij per quem humeri conſtringuntur, eſt timor Domini, per quem opera exercentur, ne vel ad illicita diffluant, vel ad ſuperflua relaxentur, duas verò lineas, quarum una poſt dorſum, & altera progreditur ante pectus, hujus vitæ curas & ſolicitudines ſignificare putamus, quibus & cor & humeri Pontificis ſic ſæpiſſime gravantur & impediuntur, ut à proprio ſtatu eum avertant, & vana quædam & tranſitoria cogitare & portare compellant: Hinc quoniam pallium ante & retro, à dextris & à ſiniſtris, ante pectus, & ſuper humeros frequenter aptatur, ut his poſthabitis in ſeipſum redire intelligatur.* Iſidor. Peluſiota aliud quoddam myſterium laboris, charitatis, & vigilantiæ illius, quam Chriſtus in bono Paſtore deſiderat, expreſſivum adducit: *Illud enim amiculum*, inquit, *ex lana contextum, quod illi geſtant humeris, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat.*

Dur. l. 3. c. 17
Corrector.
Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 136.

7. Quid autem per Paſtorale ſeu pedum, quod Juriſdictionis & authoritatis valde præcellentis inſigne eſt, ſignificari exiſtimatis? *Baculus paſtoralis*, inquit Durandus, *correctionem paſtoralem ſignificat:* ſimul quo-

Dur. l. 3. c. 15.

H

quoque cur in fine acuminatus, in ſummitate retortus & aduncus, in medio verò rectus ſit, pulchre his verbis explicat: *Deſignat enim, quod Pontifex pungere debeat pigros, regere debiles ſui rectitudine, & colligere vagos.* In Pontificali Romano forma verborum ſub qua Epiſcopo in ſui conſecratione baculus Paſtoralis porrigitur, hæc ſequens recenſetur: *Accipe baculum paſtoralis officij, ut ſis in corrigendis vitijs piè ſæviens, judicium ſine ira tenens.*

*In Pont. Rom.*

8. Annulus à S. Aug. miro quodam cum epitheto indicatur dum ab ipſo deplorabilis appellatur, ad ſigillum nimirum vel Bullas quæ eodem ſubſignantur alludens: *Miſerabilia dignitatis inſignia.* In Plutarcho, Seleucum Aſiæ Regem dicere ſolitum fuiſſe, legimus: *Si ſciret vulgus, quam laborioſum ſit legere ac ſcribere ſolum tot Epiſtolas, diadema ne humo quidem tollere dignaretur.* Durandus verò eidem annulo longè differentius attribuit ſignificatum: *Annulus fidei Sacramentum integritatem ſignat, ut videlicet Eccleſiam Dei ſponſam ſibi creditam, ſicut ſe diligat, & ſobriam & caſtam cœleſti ſponſo cuſtodiat.* Porro quo tempore Annulus iſte Epiſcopi digito inſeritur, hæc verba à Conſecratore proferuntur: *Accipe annulum fidei, ſcilicet ſignaculum, quatenus ſponſam Dei, ſanctam videlicet Eccleſiam, intemerata fide ornatus illibatè cuſtodias.*

*S. Aug. l. 3. de civ. c. 19.*
*Dur. l. 3. c. 14*
Sponſus.
In Pont.

9. Quod verò Mitram, quæ ornamentum quoddam eſt valde conſpicuum, attinet, ſequentia à Durando ſcribuntur: *Scientiam utriuſque Teſtamenti deſignat: Per duas fimbrias ſeu ligulas notatur quod paratus eſſe debet, tam in myſtico, quàm in hiſtorico ſacræ Scripturæ intellectu: in quarum ſummitatibus ſunt fimbriæ rubei coloris, denotantes ejus promptitudinem ad fidei & Sacræ Scripturæ defenſionem, etiam uſque ad ſanguinis effuſionem.*

*Dur. l. 3. c. 13*

Quo major ornatus eo major ſolicitudo.

10. Demum verò quod Diademata & Coronas Regias, nec non Regna Pontificia attinet, hæc varijs ſemper gemmis bene onuſta eſſe conſpiciuntur; gemmarum autem illarum varietas multiplicitatem exprimit Provinciarum atque Regnorum Magnatum juriſdictioni ſubjectorum, cum hac tamen bene notanda differentia, quod quanto plura numero Regna aut Provinciæ tali Regi, Principi, aut Archiepiſcopo ſubjiciuntur, in tanto quoque majori numero lapides pretioſi multiplicantur, & conſequenter quanto pluribus coronæ vel mitræ ſunt gemmis & unionibus diſtinctæ & ornatæ, tanto quoque coronæ & mitræ ponderoſiores exiſtunt, caputque illius qui illas portare debet, magis aggravant, quod idem eſt, ac ſi diceretur, quanto pluribus ſubjecti ſunt bellorum & revolutionum periculis, majoribusque agitantur moleſtijs, ſolicitudinibus, & anxietatibus, tanto quoque majorem habent in ſuo regimine regnis & Epiſcopatibus ſuis aſſiſtendi ijſdemque invigilandi rationem. Enimverò quando Epiſcopo conſecrando mitra imponitur, conſecrans dicit: *Imponimus Domine capiti hujus Antiſtitis, & Agoniſtæ tui galeam munitionis & ſalutis, quatenus decorata facie, & armato capite cornibus utriuſque teſtamenti terribilis appareat adverſarijs veritatis.*

Epiſcopalis authoritas in novem præcedit ſacerdot.
*S. Thom. in 4. ſent. diſt. 25.*

11. S. Thomas de Aquino novem enumerat pariterque ponderat ornatus qui non quidem Sacerdotibus, ſed ſolis Epiſcopis proprij exiſtunt: Sunt autem ſequentes, nimirum: *Caligæ, Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dalmatica, Mitra, Chirothecæ, annulus & baculus*: Ratio autem cur hi novem ornatus ſolis Epiſcopis competant, hæc quoad litteralem ſenſum poteſt aſſignari, quia nimirum authoritas Epiſcopalis Sacerdotali in novem præcipuè rebus ſuperior exiſtit *Quia novem ſunt, quæ ſupra ſacerdotem poſſunt, ſcilicet: Clericos ordinare, Virgines benedicere, Baſilicas dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chriſma conficere, veſtes & vaſa conſecrare*: Quantum verò ad ſenſum ſpiritualem, qui in præſenti propoſito à nobis vel maxime attenditur: *Per caligas ſignificatur rectitudo greſſuum*: Epiſcopus enim præ quovis alio ſacerdote, bonum poſt ſe exemplum relinquere atque ad perfectionem contendere ſtrictiſſimè obligatur, ſiquidem de illo, quod perfectionem de facto comparatam poſſideat, ab omnibus præſumitur, atque ideo ipſe cum regio Pſalmiſta dicere debet: *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.* Quando Epiſcopus conſecratur, hæc ei interrogatio expreſsè proponitur: *Vis ſemper in divinis eſſe negotijs mancipatus?* Ipſe autem reſpondet: *Volo.* Iterum nova quæſtio ſubjungitur: *Vis humilitatem & patientiam in te ipſo cuſtodire, & alios ſimiliter docere*: Inter alias quoque orationes, quæ in illa functione recitantur, una hæc eſt: *Oderit ſuperbiam, humilitatem ac veritatem diligat, neque eam umquam deſerat.* Porrò *per Sandalia, quæ pedes tegunt*, inquit S. Thomas, *contemptus terrenorum ſignificatur.* Durandus verò per pedes affectus denotari ſcribit: *Debent habere affectus & deſideria calceata, ne pulvere terrenorum ſeu temporalium maculentur*: Obſervat verò inſuper quod priuſquam Epiſcopus Sandalijs accingitur, prius caligis induatur: *Prius tamen, quàm Sandalia pedibus imponantur, caligis induuntur uſque ad genua protenſis, ibique conſtrictis, quia prædicator pedibus ſuis rectos debet facere greſſus ſuos, & genua debilia roborare.* Præterea ſpeciale miniſterium Epiſcopi in annuntiatione & prædicatione verbi Dei conſiſtit: Et ideo in Conſecratione Epiſcopali liber Evangeliorum capiti illius ſuperimponitur: *Primò ut Dominus firmet Evangelium in corde ejus*, inquit Durandus: *Secundò ut per hoc intelligat, cui labori & honori ſubjiciatur, quia omne quod hic eminet, id eſt, omnis Prælatus, plus mœroribus aſſicitur, quam honoribus gaudet. Tertiò ad notandum quod pondus Evangelicæ prædicationis eum circumquaque ferre pigere non debet. Quartò ad monendum illum, ut magis ſolito jugo ſubjaceat, & obediat Evangelio. Per ſuccinctorium, quo ſtola ligatur cum alba, amor honeſtatis intelligitur*, inquit S. Thomas: Hæc autem continentia Eccleſiaſticis ſpecialiſſimè eſſe debet commendata; in cujus figuram Deus olim in ſupradicto Capite Exodi præcepit: *Facies & fœminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis ſuæ à renibus uſque ad femora, & utentur eis Aaron & filij ejus, quando ingredientur tabernaculum.* Arnoldus Carnotenſis verò hac de re ita ſcribit: *Femoralia docent debere eſſe continentiæ verecundiam, ut ne ſuſpicioni quidem locum relinquant, ſed talis ſe exhibeat converſatio Sacerdotum, quaſi ſine ſexu ſit.* Pergit Doctor Angelicus ulterius dicendo: *Per tunicam perſeverantia, per Dalmaticam largitas in operibus miſericordiæ.* Durandus vero per illam intelligit: *Sanctam Religionem & carnis mortificationem, atque ſublimium rationem. Alba Dalmatica Sanctam & immaculatam ſignificat vitam, rubea martyrium. Per Chirothecas cautela in opere ſignificatur*, inquit S. Thomas. Durandus verò dicit, per illas ſignificari *Exempla Sanctorum, quæ in operibus habenda ſunt, quæ opera ab omni inquinamento mundata ſunt: per ipſas verò Chirothecas albas caſtitas & munditia denotatur, ut manus, id eſt, operationes ſint mundæ, & ab omni ſorde immunes.* Per mitram paſtoralem, & annulum S. Thomas eadem ſupra memorata myſteria declarat.

Spiritualis ſenſus, uſque ad finem diſcurſus.
*Pſal. 16. 5.*
*Dur. l. 2. c. 11*
*Exod. 28. v. 42.*
*Arn. Carn. in 7. ver. in ult.*
*Dur. l. 3. c. 11*
*Dur. c. 12*

12. Præter hactenus adducta Durandus inſuper conſiderat, quod Epiſcopus priuſquam ad altare pro Miſſa celebranda ſe conferat, capitis ſui capillaturam pectine prius diſcriminet, hancque cæremoniam ſequenti moralitate illuſtrat: *Per Capillos*, inquit, *ſuperfluæ cogitationes, & cura terrenæ ſolicitudinis: per caput mens & intentio: congrue igitur pectine capilli complanantur & ordinantur, & evulſi ſeparantur, ad notandum, quod tunc ſpecialiter mores componere, & ſuperfluas cogitationes à ſe repellere debet.* Magna quoque cum ſolemnitate manus Epiſcopi lavantur, cujus myſterium in eo præcipuè conſiſtit, quia *Neceſſè eſt ut munda ſtudeat eſſè manu, qui diluere ſordes curat: corporaliter lavat manus, ut ſpiritualiter mundet actus.* Idem quoque Author in manibus Epiſcopalibus unctionem illis adhibitam conſiderat, *Propter myſterium & officium: manus quidem quæ opera deſignant, unguntur oleo, id eſt, Chriſmate pietatis & miſericordiæ: Primo, ut Epiſcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei, nemini claudantur, omnibus aperiantur*, juxta illud: [ *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* ]

*Dur. l. 4. c. 3*
*Dur. l. 1. c. 8*
*Prov. 31. v. 20.*

13. Specialiter quoque conſiderat, quod Epiſcopus Pontificaliter celebrans, Diaconum, Subdiaconum, multoſque alios ſe circumſtantes miniſtros aſſiſtentes habeat, idque non ſine ſpeciali myſterio, cum Anacletus Papa ita inſtituerit: *Ut ſecum teſtes habeat, Diaconos, qui ovile ejus dicuntur, & Subdiaconos, reliquoſque miniſtros, qui ſacris induti veſtibus, in fronte, id eſt, ante, & à tergo: Et Presbyter à Regione, id eſt, à parte dextera, lævaque contrito & humiliato corde, & humiliato ſpiritu ac prono ſtent vultu, cuſtodientes eum à malevolis hominibus: Et ſecundùm Lucium Papam de Conſecrat. diſt. l. jubemus, eum non deſerant, quia propter malevolos oportet eum habere bonum teſtimonium ab his qui foris ſunt*, quia ſicut à principio in ſententia Apoſtoli diximus: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſè, &c.*

*L. 4. c. 11*

DISCUR-



## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

Honores ſemper merita prævia prærequirunt: Et ideo indigni ad Honores evecti, majorem ſibi potius ignominiam quam laudem adſciſcunt: Cogitandumque illis eſt, quod Reverentia illis exhibita, non tam illis, quàm dignitati, qua præfulgent, attribuenda veniat; Pœnæ quoque quibus Deus in ambitioſos animadvertit exponuntur.

### THEMA.

*Gloriam ſapientes poſſidebunt: ſtultorum exaltatio, ignominia.* Prov. 3. ℣. 35.

Indigni Prælati ignominiam habent.
*S. Baſil. in c. 6. Iſa.*

1. S. Baſilius in illa verba Iſaiæ: *Princeps eſto noſter*, ſcribens, inſigne nobis magnæque conſiderationis documentum poſt ſe reliquit, in quo optimum nos modum docet dignoſcendi, quiſnam ille ſit, qui Principis & Prælati nomen & dignitatem maximè mercatur, dicit enim: *Verus Princeps non per hæc externa inſignia internoſcitur, cujuſmodi ſunt purpura, torques, ſeu amiculum pertenue ac molliculum, & diadema, ſed per id quia in primis virtutem obtinet principe dignam.* Atque ideo ſi honores perſonis deferantur vitioſis, inhabilibus & indignis, honores illi talibus non dignitatem, ſed indignitatem conciliare ſemper videbuntur: *Gloriam ſapientes poſſidebunt*, inquit Sapiens, *ſtultorum exaltatio, ignominia.* Innocentius III. quoque docet, quod in ſuperioribus dignis Superioritati & Primatui conjunctus ſemper ſit egregius in virtutibus & meritis profectus; at verò de ambitioſo ſubjungit: *Non curat prodeſſè, ſed gloriatur præeſſè, præſumit ſe meliorem, quia crevit in ſuperiorem, at bonum facit non gradus, ſed virtus, non dignitas, ſed honeſtas.* Stephanus Cantuarienſ. ſuper illa Eſdræ verba: *Eſdras paravit cor ſuum, ut inveſtigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Iſraël præceptum, & judicium*, ſcribens, tres conſiderat conditiones, ijs qui regimini publico admoventur cumprimis neceſſarias: *Ad illa tria debet Prælatus præparare cor ſuum, id eſt, ad ſcientiam, vitam & doctrinam: ut inveſtigaret, Ecce ſcientia: ut faceret, Ecce vita: ut doceret, Ecce doctrina.* Enimverò quando in eo qui eminenti Eccleſiæ candelabro ſuperimponitur merita quoque virtutes, & idoneitas ſimul concurrunt, dici pro dignitate ſatis non poteſt, qualis inde ejuſmodi ad candelabrum evectis honor & gloria reſultet: è contra verò quando illa deficiunt, tanto major illis qui Candelabro admoti fuerunt, accreſcit ignominia, & dedecoris infamia, quanto ſunt omnium oculis expoſiti, magiſque conſpicui.

*Prov. 3. v. 35*
*Innoc. III. l. 2 de cont. mund. c. 30.*
NB.
*1. Eſdræ 7. 10*
Tria requiruntur in ſuperiore.
*Step. Cant. in 1. Eſdr. 7. 10.*

2. S. Auguſtinus ad doctrinam hanc confirmandam, ad auri probationem ſe reflectit, dicens: [*Probatur In conflatorio argentum, & in fornace aurum*:] *Ignis ille non eſt diverſus*, inquit S. Doctor, *& diverſa agit, paleam in cinerem vertit, auro ſordes tollit*: Ita quoque experientia teſte, una eademque dignitas hominem aliquem magnis virtutibus & meritis præditum quam maximè conſpicuum, omnique exiſtimatione & veneratione dignum efficiet; cum econtra ſi ejuſmodi dignitas in indignum ceciderit, ejus vitium, & ignorantiam omnibus innoteſcere faciet. [*Gloriam Sapientes poſſidebunt, ſtultorum exaltatio ignominia.*] *Cum cœpero docere quod neſcio* (verba ſunt S. Bernardi) *tunc incipiet ſciri quàm nihil ſcio.* Multi in ſtatu privato conſtituti viri magna ſapientia rerumque experientia conſpicui eſſe videntur, qui tamen ſi in ſupremis dignitatibus officiiſque conſiſtentes, omnium eſſent oculis expoſiti, unicus futuri eſſent cenſurarum ac maledicentiarum ab alijs in ipſos evomendarum ſcopus, & tamen inhabiles & inexperti riderentur, eſſentque aliorum commune opprobrium. *In circuitu impij ambulant: ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.* Pagninus ex Hebræo legit: *In circuitu impij ambulant, cum exaltati fuerint vilitas eſt filijs hominum.* Et hoc quidem veriſſimum eſt, quia ſi in adminiſtratione muneris ſui infelicem ſortiantur eventum, omnibus ſunt ludibrio: quia ſi etiam adverſus illos qui integritate, experientia & merito irreprehenſibiles ſunt murmurationes & maledicentiæ ſine fine audiantur, quanto id magis fiet adverſus illos qui manifeſtè noſcuntur eſſe indigni. Aptiſſimam Plutarchus ad præſens propoſitum noſtrum adducit ſimilitudinem: ſicut enim ſi ſtatuam quamdam ruditer elaboratam & defectuoſam ſuper baſim quamdam eminentius collocaverit, efficit, ut ejus in ſublimi poſitæ defectus facilius animadvertantur, quam ſi humi ſemper jacuiſſet, ad eumdem quoque modum multorum defectus non obſervantur aut notantur, quamdiu privatim vivunt: cum tamen mox ut exaltati, omniumque oculis expoſiti fuerint, defectus eorum omnibus manifeſti evadant. S. Bernardus de aliquo qui de eorum numero erat, ita ſcribit: *Eo deformior, quo illuſtrior, numquid poteſt Civitatis ſupra montem poſitæ deſolatio abſcondi, aut latere fumus lucernæ extinctæ ſuper candelabrum?* Lyranus quoque ſuper illa verba Sapientis: *Ignominioſa exaltatio, quia tunc magis apparet turpitudo ſuæ fatuitatis*: Adducit aptiſſimam ſimiarum in altum aſcendentium ſimilitudinem dum ait: *Sicut turpitudo poſteriorum ſimiæ magis apparet, quando aſcendit in altum.* Dionyſius Carthuſianus ſuper eumdem textum ita ſcribit: *Quanto plus promoventur ac ſublimantur, tantò eorum ſtoliditas magis oſtenditur*: Adducitque aptiſſimam quamdam Moralis Senecæ ſententiam dicentis: *Superbi gloria citò ſit ignominia.* Aben Ezra à Cornelio à Lapide citatus, inquit: *Gloriam ſapientes hæreditabunt, ſtulti elevant extolluntque ludibrium.* Indigni ad præcelſos honores ſubvecti, dum ſe à dignitatibus acquiſitis honorari exiſtimant, ridentur, ſeque ipſos tormento afficiunt. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Demerita tua, peſſimaſque qualitates quæ hactenus omnibus ignotæ fuerant: tu cum ſempiterna ignominia tua toti mundo manifeſtas. Valde notanda ſunt illa Aurelij Caſſiodori qui à Regibus tantis in delitijs habebatur, præclara verba: *Faſces accipimus, ut graves eſſe debeamus; Tribunalia conſcendimus, ut morum gradibus evehamur, nil vile, nil cupidum judicas decet.* Pergit poſteà ulterius, & quidem ad propoſitum noſtrum aptiſſimè: *Claras enim ſuas maculas reddunt, ſi illi, ad quos multi reſpiciunt, aliqua reprehenſione ſordeſcunt: alioquin expedit non videri, quàm cunctorum reprehenſione ſignari.* Maculæ in veſte quadam ſordida minimè ſeſe produnt, nec tanti æſtimantur, ſicut in byſſo quadam candida, aut regia quadam purpura; Defectus quoque mechanicorum, agricolarum, aliorumque plebeiorum hominum in nulla habentur conſideratione, ſicut defectus Magnatum & Principum; Eadem prorſus labes aut macula in obſcura non ita perſpicuè diſcernitur, ſicuti in clara luce. Chriſtus diſcipulis ſuis ait: *Vos eſtis lux mundi*, qui proinde ſupra candelabrum Eccleſiæ collocati reſplendere debebant, ad hanc autem lucem quivis nævus quantumvis parvus adductus facile apparet.

*Prov. 27. v. 21.*
*S. Aug. in Pſal. 21.*
In prælatos omnium oculi.
*S. Bern. ep. 87*
*Pſ. 11. v. 9.*
Indigni irridentur.
*S. Bern. l. 2. de conſ. c. 7.*
*Lyr. in c. 3. Prov. v. 35.*
*Dio. Cart. ibid.*
*Pſ. 51. v. 3.*
*Aur. Caſſ. l. 12. ep. 2.*
*Matth. 5. v. 14.*

3. Idolum Bel illos qui licet indigni ad honores tamen evehuntur, ad vivum repræſentat: Hoc namque ſimulachrum ſecundùm exteriorem apparentiam Divinum quoddam videbatur eſſe numen, quia æneum erat, at verò interius creta refertum erat: quod idem in multis Principibus accidit, qui quidem ob culmen honoris quo refulgent, propter potentiam & dominium quod habent, ab omnibus timentur & æſtimantur, cum tamen in privato conceptu noſtro, qui illorum perſpectam habemus ignorantiam, inidoneitatem & vitia quibus commaculati eſſe noſcuntur, illos contemnamus & aſpernemur; noſtraque illis in tantum deferimus obſequia, in quantum ad id præſtandum timore, non verò amore aut æſtimatione inducimur.

Superiores indigni repræſentant Idolum Bel.

4. Salvianus quoque aliam nobis non minus congruam ſimilitudinem ſubminiſtrat, dum ait: *Quid eſt aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? Aut quid eſt dignitas indigno, niſi ornamentum in luto?* Quod ſi fortuito aurifabrum aliquem vel gemmarium quemdam videretis, qui auro non gemmas, ſed lutum inſereret, quidnam obſecro diceretis? Eadem quoque diſproportio cernitur inter dignitates & indignos. Gregor. Nazianz. de quibuſdam ſine ullo merito ad Epiſcopatum evectis Epiſcopis tractans, eoſdem appellat, *Dignitatis ſplendore infelices.* Philo quoque Hebræus conformiter ad mentem ſapientis dicit: *Gloria inſipientis malitiam reddit illuſtriorem.*

*Salv. l. 3. de prov. in princ.*
*Naz. orat. 1.*
*Phil. de Plant. Noë.*

5. Verumenimverò id quod ambitioſo majorem incutere debet terrorem, eſt confuſio æterna, quæ illi merito timenda eſt, quæ ſimul cum ſuperbia conjuncta graditur; quin indigni ad dignitates evecti in majori ſunt propriæ ſalutis periculo, ſeveriuſque à Deo caſtigantur, utpote Reipublicæ magis pernitioſi. Primum peccatum prout omnibus conſtat, Ambitionis fuit à Lucifero alijſque ſpiritibus apoſtatis commiſſum,

Indignis ſup. damnatio certa.

miſſum, qui exinde ſpiritibus Angelicis facti deformes titiones inferni: *Stultorum Exaltatio ignominia.*

*Prov. 3. v. 35*

Fuitque peccatum hoc inſuper prorſus irremiſſibile: Unde Habacuc Propheta in Cantico ſuo ita canit:

*Habac. 3. 14.*

*Maledixiſti ſceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad diſpergendum me.* Ubi Rupertus Abbas Tuitienſis ita ſcribit: *Tunc maledixiſti ſceptris ejus, quando in cælo damnaſti ſuperbiam ejus, volentis tenere ſceptra cæli, divinumque imperium, & ſeipſum facere altiſſimum: Illis autem ſceptris maledixiſti, id eſt, propter illam præſumptionem irrecuperabiliter illum damnaſti.*

Exemplum ſit Chore &c.

6. Quodnam obſecro vel quale fuit ſupplicium illud, quod divina juſtitia de Chore, Dathan, & Abiron ob ſummum Pontificatum tanta cum ambitionis temeritate ab illis quæſitum, ſumpſiſſe ſcribitur:

*Num. 16. v. 31. 32. 33.*

*Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque vivi in Infernum operti humo.* Alij verò ipſorum in crimine complices & aſſeclæ, numero ducenti quinquaginta, qui incenſum obtulerant, ab igne cœlitus delapſo devorati fuerunt:

*Ibid. 35.*

*Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.* Sanctus Propheta olim proteſtabatur, dicens:

*Pſ. 100. v. 7.*

*Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam:* quanto igitur magis ſuperbi & elati à domo Dei, id eſt, cœlo excludendi erunt? Quando Apoſtoli de futuro in Regno cœlorum primatu ſoliciti interrogarunt:

*Matth. 18. 1.*

*Quis, putas, major eſt in regno cælorum?* Chriſtus non ſine myſterio & cauſa ſpeciali, puerum quemdam in medium eorum ſtatuit: *Advocans Jeſus parvulum ſtatuit eum in medium eorum*, & dixit:

*Matth. 18. v. 2. 3. 4.*

*Amen dico vobis: Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum; Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cælorum.*

7. Iſaias Propheta magnam illam viſionem, quam in cœlo conſpexit, referens, dicit:

*Iſa. 6. v. 1. 2.*

*Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, &c. Seraphim ſtabant ſuper illud.* In eodem Propheta legimus etiam Angelorum pulcherrimum eumdem thronum ambiviſſe:

*Iſa. 14. v. 13. 14.*

*Sedebo in monte teſtamenti, ... aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo:* Et tamen Angelus ille inferioris ordinis Hierarchiæ illius erat, ſcilicet de Cherubinorum numero:

*Ezech. 18. v. 14.*

& tamen licet Seraphini in illa Hierarchia ſuperiores exiſtant, & Chorum ſupremum conſtituant, reverenter tamen & in pedes erecti ante thronum illum conſiſtebant. Eadem prorſus inordinatio hodierno tempore paſſim practicatur:

Ambitioſi à Deo puniuntur.

Inferiores namque de ſemetipſis nimium præſumentes, per inordinatæ ambitionis conatus ad honores evehuntur, præferuntur alijs, imò in æquali throno cum Deo ſedere prætendunt; cum tamen virtuoſi amore & charitate accenſi, licet alijs longe ſint quoad merita ſuperiores, humiles & venerabundi, ac reverenter in hoc ſolum gloriantur, quod aliquod poſſint, dignitates pro viribus fugiendo, Deo præſtare obſequium. Unde S. Bernardus de Seraphinis ait:

*S. Bern ſer. 5. de ver. Iſa.*

*Quamvis cæteris præſtent, adſtant nihilominus Domino præſidenti, devotum utique miniſterium, & plenum reverentiæ obſequium exhibentes.* At verò quis tandem futurus eſt ſuperborum & ambitioſorum finis vel exitus?

*Iſa. 14. v. 15.*

*Verum ad infernum detraheris.* Etenim ſuperbus ille Spiritus una cum omnibus ſequacibus ſuis, à ſupremo Paradiſi culmine in profundiſſimum abyſſi barathrum præcipitatus fuit. Abſalon quoque Davidis Patris ſui mortem expectandi impatiens, ut eidem etiamnum viventi in regno ſuccedere poſſet, populum adverſus Davidem excitavit, ut ſceptrum ei extorqueret: Juſtum verò quod ex illa ambitionis impietate retulit ſupplicium, fuerunt tres cordi ipſius infixi lanceæ ictus, quos accepit, dum ex quercu in aëre ſuſpenſus hæreret, adeòque loco diadematis regij quamdam ſortitus eſt è quernis folijs contextam miſerabilem coronam. Similiter Aman Regis adeo potentis ſpeciali quo potiebatur favore & benevolentia minimè contentus, à Mardochæo Divinos honores ſibi offerendos extorquere conatus fuit;

*Ezech. 13. v. 14.*

(*Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem*) dumque eidem Mardochæo domi ſuæ patibulum erigi curaſſet, in quo eumdem ſuſpenderet, ex ſpeciali Dei ſuperbos ſemper deprimentis diſpoſitione, in eodem à ſe erecto patibulo ſuſpenſus fuit.

8. Verum enim verò ad hoc ut ambitioſi à temerarijs prætenſionibus ſuis retrahi & coërceri poſſint, optime & efficaciter ſervit argumentum illud, quo S. Chryſoſtomus ſuo tempore adverſus eoſdem uſus fuit, Sanctus etenim hic Doctor optimè conſiderat, multos non ex alio motivo honores & obſequia ab alijs accipere, quam propter divitias, authoritatem, Dominium, aut eminens dignitatis faſtigium, indeque hunc in modum efficaciter concludit:

Reverentia ſit dignitati non perſonæ indignæ.

Tales ergo honores ſuos divitijs, authoritati, & dignitati, tamquam honorum ſuorum inſtrumentis in acceptis referre debent: non verò illi, qui proprijs virtutibus & mentis ad ſimiles honores fuere promoti. *Nam dic quæſo* (ſunt ipſiſſima Chryſoſtomi verba)

*Chryſ. h. 7. ad Colo.*

*ſi quis tibi diceret, nullo te honore dignum eſſè exiſtimo, ſed propter famulos tuos te honoro, numquid hac ignominia poteſt quid eſſè pejus? Si autem propter ſervos turpe eſt honorari, qui ſunt participes ejuſdem cujus nos ſumus animæ & naturæ, multò magis propter ea quæ ſunt his viliora, domorum inquam parietes, & atria, & vaſa aurea, & veſtes.* Illa namque obſequia & reverentia dignitati exhibentur.

9. Cum olim Minernæ ſtatua in jumento quodam veſte attalica auro argentoque intertexta exornato, honorificentiſſimè accommodata proceſſionaliter ab idololatris quibuſdam paſſim per plateas magna cum ſolemnitate circumferretur, accidit quod dum unuſquiſque in plateis illis quas proceſſio illa obibat, Minervæ ſtatuam ſumma qua poterat reverentia veneraretur, aſinus honorem illum ſibi delatum eſſe exiſtimans, quemlibet caput inclinando reſalutabat; quod alius quidam qui Aſinum ſequebatur videns, eumdem acriter fuſtigatum ſic eſt allocutus: *Non tibi ſed Deæ.*

Notabile factum ad propoſitum.

Idem quoque moneri poſſunt indigni ad dignitates præter omne meritum evecti, honores enim quos recipiunt non ſibi, ſed magiſtratui quem adminiſtrant, aut dignitati qua gaudent, attribuere debent, cujus veritas tunc pridem manifeſtè cernitur, quando honoribus, ut ſæpè talibus accidit, exuuntur, tunc enim patet quam viles & contemptibiles riſuque digni exiſtant.

10. Quando Regum Ambaſciatores ſive Legati Romam in ſolemni pompa equeſtri ingrediuntur, muli circumquaque ſuperbiſſimè adornati, oneraque utrimque tegminibus auro argentoque præfulgidis contecta circumferentes, omnium ad ſe oculos cum ſtupore ſingulorum attrahunt;

Ambitioſi ſimiles ſunt mulis.

at verò poſtquam equeſtris illa pompa finem ſuum accepit, muli prædicti omnibus illis Phaleris pretioſis exuti, ad ſtabula reducuntur, ſolitiſque denuò ſordibus, aliſque oneribus portandis applicantur; idem quoque multis accidere ſolet, qui ſine ullo merito ad honores promoventur, quamdiu enim potentia & favor illius, à quo ad talem dignitatem promoti fuerunt, ſuperſtes manſerit, æſtimantur, honorantur, ſeu ut melius dicam, timentur. at verò mox ut illo mortuo depoſiti fuerint, ad eamdem denuò revertuntur vilitatem & contemptum, in quo antea erant.

11. Non defuit qui tales ſic indignè promotos ambitioſos homines Ezechielis currui ſimiles eſſe pronuntiarit;

Currui Ezechielis. cap. 1.

Hic enim currus quatuor facies referebat, quarum prima erat leonis, quia ſuperbus leonis inſtar ad gradus ſublimes violenter aſcendit; Poſtquam verò in editiori loco conſpicuus ſedet, faciem Aquilæ induit, (hæc enim eſt facies ſecunda) adeo alte evolando, ut jam neminem eorum, quibus alias familiariter uti conſueverat, agnoſcat. Tertia facies hominis erat, quia paulatim poſtquam illo ſibi acquiſito honore exciderit, iterum ſe hominem alijs ſimilem eſſe commonſtrat. Quarta facies bovem referebat; quam etiam ambitioſus ille tandem induit, quia omnibus tandem ſtolidum, & ignorantem ipſum eſſe manifeſtum evadit. Unde majori quam umquam alius ludibrio exponitur. *Stultorum exaltatio, ignominia.*

*Prov. 3. v. 35*

12. In hoc igitur ſpecialis eluxit Joſephi in Ægypto dominantis prudentia, cum enim eo tempore quo univerſam moderabatur Ægyptum, præcipuas regni dignitates fratribus & Parenti ſuo conferre, eo tempore facillimè potuiſſet;

Conſanguinei non promovendi niſi digni.

*Gen. 46. v. 32. &c.*

ſuos tamen nequaquam evehere, vel in aulam regiam aſſerere voluit, ſed ut Paſtores, quales erant, manerent, & pecora paſcere poſſent, in terram Geſſen abire juſſit, cujus tamen contrarium hodie paſſim quovis tempore fieri videmus, nemo enim eſt, qui ſuos & præcipuè proximo ſanguine junctos pro viribus ſublimare, & ad maximos honores evehere non ſtudeat; Et tamen diſcurſus quem ſanctus hic Patriarcha intra ſe faciebat, judicioſiſſimus utique & prudentiſſimus fuit primo namque conſiderabat, quod in aulis Regum & Principum nihil adeò frequenter accidat, quam quod eaſdem incolentes à

timore



timore Dei deficiant, atque in Divinæ legis obſervantia omnino intepeſcant, magna namque virtute in aulis opus eſt, ut quis vitam ſuam in innocentia tranſigat. Aliud quoque punctum inſuper conſiderabat, nimirum, facile quidem ſe efficere poſſe, ut Pater & fratres ejus in Pharaonis aula ad magna munia evecti haberentur in honore paſſim ab omnibus, id tamen minimè duraturum eſſe diutius, quam quoaduſque ipſe in Ægypto nobiliſſimo Vice-Regis munere fungeretur, mox verò ut ipſe diem ſuum obiiſſet, aut alio quovis ex accidente obvio, eosdem omnibus futuros eſſe ludibrio, omniumque in eoſdem provocandam eſſe invidiam & æmulationem, prouti in ipſa rei veritate poſteris ipſorum accidiſſe legitur:

*Exod. 1. v. 8. 9. 10.*

*Surrexit interea Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph; & ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſraël multus, ... venite ſapienter opprimamus eum;* Unde factum eſt, quod mancipiorum more tractarentur, flagellis ipſos cædendo, laboreque conficiendorum laterum ipſos ſupra quam vires ferre poſſent, opprimendo.

Differentia inter dignos & indignos Sup.

13. Differentia quæ inter illos qui per propriam induſtriam ſine ullo merito ſibimetipſis aucupantur honores, alioſque qui per manifeſtam Dei voluntatem & diſpoſitionem ad eoſdem evehuntur, intercedit, in hoc præcipuè conſiſtit, quod idem Deus certo quodam modo obſtrictus ſit, ut his quos ipſe promovit, gratiæ ſuæ auxilijs aſſiſtat eiſque ſufficientiam & aptitudinem ad bene gubernandum requiſitam communicet. Unde eſt, quod dum Moyſes ſe ab impoſito ſibi munere ſubducere conaretur, excuſando ſe per eloquentiæ defectum quo ad perorandam coram Pharaone populi ſui cauſam inidoneus erat, Deus eidem dixerit:

*Exod. 4. v. 11*

*Quis fecit os hominis?* Et ne deinceps ſuam puſillanimitatem, qua Pharaonem audacter aggredi formidabat, poſſet prætendere; Deus ipſum fortiter animavit, dicendo:

*Exod. 7. v. 1.*

*Conſtitui te Deum Pharaonis:* Non verò idem illis contingit, qui per media humana vel humanos favores exaltati fuere; Homines enim, quantumvis illi potentes ſint, & Monarchæ, illis quos promovent, ſcientiam, ingenium, prudentiam, omnemque habilitatem dare non poſſunt, & ideo antiqua vitia, defectus, & ignorantiam ſuam retinent, nec dicere poſſunt cum Apoſtolo:

*2. Cor. 3. v. 6*

*Idoneos nos fecit miniſtros.* Divina illa & increata ſapientia ſanctiſſimum Spiritum ſuum pauperculis & idiotis piſcatoribus infundendo, eoſdem transmutavit in profundiſſimos Theologos & facundiſſimos Oratores, perfecteque eos edocuit, adeo ut ſubtiliſſimos quoſque maximeque ſcientificos hujus terræ Theologos convicerint, & confutarint;

*Pſ. 44. v. 17.*

Et *conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, factique ſunt ex ipſis cœli illi, de quibus Pſalmiſta canit:

*Pſ. 18. v. 1.*

*Cæli enarrant gloriam Dei.*

## DISCURSUS XIII.

### ARGUMENTUM.

Textus ille S. Pauli: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, examinatur; variæque allegantur plurium Sacrorum Interpretum textus illius expoſitiones.

### THEMA.

*Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* 1. ad Timoth. c. 3. ℣. 1.

1. S. Paulus Apoſtolus S. Timotheo Epheſino à ſe electo & conſecrato Epiſcopo ſcribens, primâ quidem facie præcitati thematis verbis dignitatis Epiſcopalis deſiderium, vel ut verius loquar, ambitionem canonizare, & velut ſanctam & irreprehenſibilem deprædicare velle videtur, dum ait:

*1. Timoth. 3. 1*

*Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat?* Numquid igitur hic Apoſtolus idem ille eſt Paulus, qui ad Hebræos, ita ſcribit:

*Hebr. 5. v. 4.*

Ambitioſi ad Epiſcopatum non poſſunt eligi.

*Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron?* Quod ſi enim ita eſt, quod videlicet nemo ſibi honoris officium aliquod vendicare debeat, niſi particulari quodam modo à Deo vocetur, quâ igitur ratione Epiſcopatus, qui ſupremi in Eccleſia Dei honores exiſtunt, ambire & deſiderare licebit? In concilijs inviolabile decretum iſtud recenſitum invenio, quo neminem ambitioſum ad Epiſcopatum eligi poſſe ſtatuitur.

*T. 3. Conc. conc. 8. Can. 5. act. 10*

*Neminem ex ordine Senatorio & Politico, nuper eo dumtaxat fine & animo in Clericum aut Monachum attonſum, ut Epiſcopi aut Patriarchæ dignitatem aſſequatur, honoris gradum oportere conſcendere, etiamſi in utroque gradu Sacerdotij longiori tempore verſatus ſeſe Eccleſiæ*

N. B. Factum Bellarm.

*probaſſèt, neque enim pietatis, ſed ambitionis & honoris cauſa tonſus eſt.* Porrò à viro fide digniſſimo recenſitum audivi, quod S. Cardinalis Bellarminus virum quemdam Religioſum ob ſcientiæ excellentiam & exemplaritatem qua præfulgebat, hactenus quidem Epiſcopatu digniſſimum exiſtimarit, animi tamen ſui ſententiam mox retractarit, ubi ab ejuſdem Religioſi ore ſe Epiſcopatum deſiderare percepit, tunc enim eidem protinus reſpondit; optime pater hactenus quidem hoc munere digniſſimum te eſſe credidi, at verò nunc ex quo te munus Epiſcopale deſiderare audio, te illo jam non amplius dignum aut habilem eſſe exiſtimo. Ac proinde operæ pretium erit, ut quiſnam in hiſce verbis verè Apoſtolicus ſenſus fuerit, per ſacrorum Interpretum placita latius examinemus.

2. S. Auguſtinus in lib. de Civitate Dei ad hunc ſe textum reflectens dicit:

*S. Aug. l. 19. c. 19. de civ. Dei.*

Expoſitio The.

*Exponere voluit* (inquit de S. Paulo) *quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt oneris non honoris*, nimirum Ly *Epiſcopus*, vocabulum Græcum eſſe notavit, *inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur eis, quibus præficitur, ſuperintendit.* Idem quoque Salmeron, ſed paulo fuſius hiſce verbis ſcribit:

*Salm. ibid. 1. Tim. 3.*

*Epiſcopus eſt vox Græca idem ſignificans quod Superintendens, obſervator, explorator, viſitator, curator.* S. Ambroſius quoque Epiſcopum ſuperinſpectorem nominat.

*S. Ambr. c. 6. de digeſt. Sacerd.*

Unde S. Paulus dicere voluiſſe videtur, quod qui Epiſcopatum deſiderat, laborare, vigilare, alienæque ſaluti ſuperintendere ambiat. Unde S. Chryſoſtomus nos ab hujus ſtatus ambitione retrahere volens obligationem quam munus illud ſecum ſubinfert, ut inſpiciamus graviter hiſce verbis monet:

*Chryſ. cit. a. gloſſ. in c. 1. Act. Apoſt.*

*Etenim ſi noviſſès quod Epiſcopus debet omnium onera geſtare, quod alijs jacentibus datur venia, ipſi vero nequaquam, quod alijs peccantibus ſupereſt excuſatio, ipſi verò minimè, haud quaquam feſtinaſſès ad primatum.* Iſidorus Peluſiota in Epiſt. ad Palladium à Salmerone citatus, nos quoque muneris iſtius gravitatem & difficultatem ut ponderemus hiſce verbis hortatur:

*Iſid. Peluſ. cit. à Sal. ad Tim.*

*Ex illo pendent omnium ſubditorum neceſſitates, probationes eorum qui ordinantur, potus ſitientium, cibus eſurientium, vincti, viduæ, injuriam paſſi;* Unde multi expoſitores idem eſſe exiſtimant, *Bonum opus, quod arduum opus.* Magnopere etiam notanda ſunt verba, quæ S. Paulus præfati thematis verbis immediatè præmittit, nimirum *Fidelis ſermo*; Etenim Apoſtolum quoque aliàs ſæpius hac proteſtatione uſum fuiſſe legimus, maximè verò quotieſcumque rem aliquam magni momenti inculcare contendit; Etenim capite ſequenti dicit:

*1. Tim. 4. v. 9. 10.*

*Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, in hoc enim laboramus & maledicimur*; Similiter in epiſtola ſecunda ad eumdem Epiſcopum ait:

*2. Tim. 2. v. 11.*

*Fidelis ſermo: nam ſi commortui ſumus & convivemus, ſi ſuſtinebimus & conregnabimus.* Ad eumdem Epiſcopum cap. 1. Epiſtolæ primæ ita ait:

*1. Tim. 1. v. 15.*

*Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* S. Joannes quoque in Apocalypſi eadem Phraſi uſus eſt, ut id quod dicere volebat, auditorum cordibus tenacius imprimeret:

*Apoc. 21. v. 5*

*Hæc verba fideliſſima ſunt vera.* Etenim ſimiles proteſtationes fieri ſolent, quotieſcumque aliquid quod difficilem apud omnes fidem obtinet, dicere ſatagimus; ac proinde cum Apoſtolus nequaquam ſibi perſuadere potuerit inveniri aliquem poſſe, qui Epiſcopatum ambiat aut prætendat, ideo dicit:

*1. Tim. 3. 1.*

*Fidelis ſermo: ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, ac ſi diceret, talis revera perfectus, immaculatus & ſanctus fieri aut eſſe deſiderat: quia *oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſè &c.* Cajetanus ait:

*Cajet. ibid.*

*Præponit, Fidelis ſermo: ad ſignificandam veritatem dicendorum, ne quis imputaret Paulo, quod nimis exigeret ex proprio capite in Epiſcopis.* Et quidem conſideratione digna eſt hæc expoſitio, videlicet quod S. Paulus ex proprio capite locutus non fuerit, quando tantam in Epiſcopis innocentiam & ſanctitatem qualem deinceps deſcribit, expoſuit, ſed potius, quod omnia illa ex divina inſpiratione & inſtinctu locutus fuerit: *ſignificatur quod eſt ſermo fidelis Domino, quod eſt juxta fidem, quam debet Domino, & non ſecundùm propriam ſententiam.* Demum verò quidnam per hanc dictionem, Epiſcopatus, innuere velit declarat, dum ait: *Si quis Superintendentiam cupit, bonum ſeu præclarum opus deſiderat; Non dicit ſi quis dignitatem, ſi quis gradum, ſi quis proventus, ſi quis honores, ſi quis gloriam, Epiſcopatus, ſed ſi quis ipſum Epiſcopatum, hoc eſt, ipſam Superintendentiam, ipſum ſuperintendere deſiderat, procul dubio deſiderat opus, cum ſuperintendere ſit opus, non qualecumque ſed bonum & præclarum.*



3. Caje-

3. Cajetanus ni fallor, hanc expoſitionem à S. Hieronymo didicit, qui diu ante hanc ponderans propoſitionem contra Jovinianum ita ſcripſit: *Non dicitur bonum gradum deſiderat, ſed bonum opus.* Cui conſonat S. Anſelmus, ita ſcribens: *Opus non dignitatem, labores non delitias, opus per quod in humilitate creſcat, ne intumeſcat faſtigio;* Deinde id quod jam jam diximus declarat, ſcilicet quod *Epiſcopus* idem ſit quod *Superintendens, ut intelligat ſe non eſſè Epiſcopum qui præeſſè dilexerit, non prodeſſè, nec deſiderare Epiſcopatum æſtimandus eſt, qui ſuum deſiderat lucrum vel honorem, non plebis ſalutem; Non enim dicitur: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum gradum deſiderat, ſed bonum opus deſiderat, quod in majori ordine conſtitutus, poſſit, ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum.* Cum hac S. Anſelmi interpretatione, Theodoreti quoque expoſitio concordat dicentis: *Docet non honorem ſed virtutem appetere, non deſiderare dignitatem, ſed dignitatis officium inquirere.* Epiſcopus namque in illo Pontificali munere continuam habet in via perfectionis magnis paſſibus progrediendi occaſionem, per earum virtutum exercitium, quibus ipſi ratione miniſterij ſui ſemper incumbendum eſt. *Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſè, virum ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem, non vinolentum, non percuſſorem; ſed modeſtum non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui benè præpoſitum.* S. Bruno Carthuſianorum Patriarcha, qui Urbano II. gratiſſimus fuit, utpote ejus in Univerſitate Pariſienſi diſcipulus fuerat, à quo etiam ſibi oblatum Rhegienſem in Calabria Epiſcopatum conſtanter recuſavit, hic inquam verba illa *ſi quis Epiſcopatum deſiderat*, ſequenti gloſſa illuſtrat, *id eſt, ſuper ſibi commiſſos intendere cupit* (ſupponendo de tali, quod per ſe in ejuſmodi munus ſe non ingerat, ſed legitime vocatus illud adminiſtret:) hic deſiderat non aurum, non divitias, non jucunditatem ſæculi, ſed *opus*, id eſt, laborem bonum, id eſt, utilem ſibi & his ſupra quos intendit. Demum vero hujus vocis Epiſcopus Etymologiam declarat, dicens: *Epiſcopus Superintendens dicitur: ſcopos enim intentio, epi ſuper interpretatur.*

*S. Hieron. l. 1. cont. Jovin.*
*S. Anſ. ad Tim.*
*Theo. ad Tim.*
*S. Brun. ad Tim.*

4. Angelicus Doctor, qui & ipſe Archiepiſcopatum Neapolitanum generoſe, veluti implacabilis dignitatum inimicus repudiavit, ſuper hoc puncto Scholaſticè diſcurrit, & per diſtinctionem procedendo, tria in hoc munere conſiderat: Primum eſt *Operatio, per quam ſaluti proximorum intendit.* Secundum *Altitudo gradus, quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur.* Matth. 25. *Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Tertium *Honor & reverentia, & ſufficientia bonorum temporalium; appetere ratione reverentiæ & honoris, vel ſufficientiæ bonorum temporalium, non licet, quia eſt ambitio & cupiditas; Item ratione gradus alti, quia eſt præſumptio.* At vero quandonam caſus daretur, in quo Epiſcopatus deſiderium foret licitum? quando nimirum deſiderium nullum alium finem reſpicit quàm purè ſervitium & obſequium Dei, & ſubſidium ſaluti animarum impendendum. Quiſnam autem promittere ſibi poterit, ſe tanto eſſe Spiritu virtuteque præditum, ne ſaltem aliquatenus incidat in deſiderium & complacentiam obſequiorum, honorum, redituum, authoritatis; aliarumque rerum ſimilium quas dignitates Epiſcopales hodierno die infallibiliter ſibi annexas habent? Difficile admodum eſt idipſum reſolvere; ac proinde doctiſſimus Salmeron, qui à ſede Apoſtolica pro Concilio Tridentino adeundo deputatus fuit, vehementer ſe oppoſuit hanc opinionem ſectantibus, quod laude dignus ſit, qui Epiſcopatus ambit, dummodo ex ſolo fine præſtandi ſervitium Deo fiat, & rationem reddit dicens: *Nec verum eſt, quod deſiderare opus bonum ex officio, ut ſignificat vox Epiſcopus, ſit ſemper licitum, quia aliud eſt eſſè deſiderium boni, aliud deſiderium eſſè bonum, nam hoc ſecundum non poteſt non eſſè peccatum, cum bonum quod deſideras non benè deſideres, id eſt neque piè neque prudenter ut v.g. Angelus primus, & primi Parentes bonum aliquod deſiderarunt, expetentes Divinum quid; Dathan & Abyron Sacerdotium expetierunt, & Ozias Rex thurificare voluit, non tamen benè,* adducitque quamdam S. Auguſt. authoritatem, qui lib. 19. de Civit. Dei cap. 19. ita ſcribit: *Locus ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, e ſi ita teneatur & adminiſtretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.*

*S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 1.*
*Matth. 25. v. 21.*
*Sal. ad Tim.*

5. S. Dionyſius Carthuſianus idem hiſce verbis dicit: *Quamvis Apoſtolus dixerit: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; non tamen aſſeruit, quod bene deſideres, id eſt, prudenter ac virtuosè;* Et adfert quamdam hominis ſæcularis ſimilitudinem, qui dum celebrare, & Confeſſiones audire deſiderat, *bonum opus deſiderat, ſed non benè.* Tandem vero Salmeron ita concludit: *Expetere magiſtratum Eccleſiaſticum nequaquam licitum eſt, ſive ob loci altitudinem, quia ſpecies arrogantiæ & præſumptionis eſſè videtur, ſibi tribuere majorem Charitatem & prudentiam ad alios regendos & rectè gubernandos; ſive ob honorem & ſui ipſius reverentiam captandam, quia eſſet ambitio; ſive ob divitias & commoditates, quia hæc eſſet avaritia.* Verum enimvero quia ſibi opponi poſſe prævidebat, quod finis deſiderandi munus Epiſcopale ſolum ob præſtandum aliquod Deo ſervitium Charitatis eſt, & conſequenter licitus, ideo ſubjungit: *Quod ſi quis dicat, Ego ex Charitate appeto Epiſcopatum, rectè quidem dictum, ſed adverte ne fallaris, & in cauſa propria judex eſſè velis; Charitas enim, ut Apoſtolus ait, non eſt ambitioſa, & non amat periculum quo labatur; vidè ergo ne tui ipſius amor Charitatis veſtibus indutus, videatur tibi pura dilectio, ac Divina Charitas.* S. Hieronymus refert de quodam olim electo Epiſcopo, quod priuſquam oblatum ſibi Epiſcopatum acceptaret, quemdam patruum ſuum, qui vitam agebat Ereniticam, acceſſit, ut cum ipſo, an dignitas illa ſibi acceptanda eſſet, conſilij causâ deliberaret. Bonus igitur hic Eremicola nepotem ſuum, quamdam proxime vicinam valde altam & præacutam rupem aſcendere juſſit, qui poſtquam conſcensâ rupe deſcendiſſet, ſenique Eremitæ dixiſſet, ſe in eadem rupe in magno fuiſſe præcipitij horrendi periculo, ſanctus ille Senex ſubjunxit: *Crede mihi in longe majori periculo conſtitutus eris, ubi Epiſcopus factus fueris.* Concilium Tridentinum de hoc munere dicit: *Angelicis humeris formidandum eſſè.* S. Gregorius Papa quoque ut omnibus hanc dignitatem ambientibus eamdem efficaciter diſſuaderet, hac uſus eſt conſideratione: *Nulla ars doceri præſumitur, niſi intenta prius meditatione diſcatur; ab imperitis igitur paſtorale magiſterium ſuſcipitur in magna temeritate, quoniam ars eſt artium regimen animarum.*

*D. Cart. de regim. Præſ. t. 1. art. 4.*
*S. Hier. in Reg. monac. c. 15.*
Hiſtoria in quantis periculis Epiſcopi.
*S. Greg. c. 1. 1. p. paſt.*
Animarum regimen ars artium.

6. In Religionibus ſtrictiorem obſervantiam profitentibus, expreſsè vetatur, ne quis Epiſcopatus procurare aut acceptare poſſit, niſi ad id à Papa expreſsè aſtringatur, quod manifeſtum eſt indicium, quod talium dignitatum poſſeſſio potius hominem impediat in ordine ad perfectionem acquirendam, quia ſtatus ſublimis vinum quoddam eſt valde fumoſum, quod cerebrum invadens rectum communiter perturbat judicium. Unde S. Auguſtinus ait: *Quantò major honor datur, tantò majus periculum comparatur; iſti tales ſunt elati ſuperbi, vanitate pleni, luxurioſi, guloſi, & hominibus magis placentes, quam Deo; hi ſunt ſeipſos amantes; gulæ ſervientes magis, quam ſpiritualibus intendentes, corpus ornantes, & animam fœdantes.* Dignitates comparando majori Spiritui non ſunt auxilio, ſed potius miram quamdam vim habent illum impediendi & retardandi, ſicut quoad majorem Epiſcoporum partem quotidiana ferè docet experientia. Et ideo magna virtute, eminentique perfectione opus eſt illis quibus animæ gubernandæ concreditæ ſunt. Unde S. Bruno ait: *Altius volet, qui ſuper alios eſſè deſiderat.* Dionyſius Carthuſianus ſuper illum Apoſtoli textum: *Bonum opus deſiderat*, hanc gloſſam adhibet, id eſt, *officium ſanctum deſiderat, non enim licere videtur ad Epiſcopatum anhelare, niſi forte ex ſpeciali inſpiratione Spiritus Sancti.* Optimeque notat quod Apoſtolus ut Epiſcopatus prætendentes deterreat, mox ſubjungat: *Oportet ergo &c. Ne autem quiſpiam pronus ſit ad Epiſcopatum deſiderandum, declarat, quid oporteat eſſè Epiſcopum.* Chryſoſtomus quidem deſiderium Epiſcopatus velut inculpatum admittere videtur, dummodo deſiderium iſtud ad ſolum Deo præſtandum ſervitium purè ſit directum, verumtamen, unico verbo, quod protinus ſubjungit, unumquemque quantumcumque is ſanctus ſit, mire deterret; Dicit enim; *Si quis Epiſcopatum deſiderat, non culpo, non improbo; opus quippe regiminis eſt; ſi quis hunc idcirco appetit, non Principatus aut Dominationis faſtu, verum cura regiminis & charitatis affectu, bonum quippe deſiderat opus.* Quodnam autem eſt verbum illud, quod unumquemque meritò ſuſpenſum & formidoloſum tenere & facere debet? Nimirum quando S. Apoſtolus ait: *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſè.* Sed quidnam hiſce verbis nobis intendit innuere? *Hoc unico verbo genus omne virtutis expreſſit;* Indeque hanc deducit ſententiam: *Itaque qui ſibi vel levis culpæ conſcius eſt, malè profectò facit eam rem appetens, qua indignum ſe per opera facit: non enim decet hujuſmodi regere, ſed potius regi, debet vitam habere immaculatam & compoſitam, ut omnes in illum & in ejus vitam, veluti in exemplum aliquod excellens intueantur.* Eamdem quoque obſervationem Theophylactus ſuper Ly *Irreprehenſibilem* facit, *hoc eſt*, inquit, *omni virtute conſpicuum neque ab alijs, neque à ſeipſo reprehendi.* Quis autem uſpiam inveniatur qui hunc de ſe conceptum habeat, quod ſcilicet immaculatus ſit, cunctiſque virtutibus inſtructus? Salmeron ait: *Periculoſum eſt & ſuperbiâ plenum, ſe cæteris æſtimare magis idoneum;* quod vero tamquam licitum concedit, hoc eſt, *licet virtutes, quibus benè præeſſè quis poteſt, appetere & flagitare;* facilius autem quis invenietur, qui illas à Deo petere poſſit, ut habeat; dum verò illas realiter poſſidet, ex humilitatis & modeſtiæ inſtinctu ſe illas verè poſſidere nequaquam ſibi perſuadere debet.

Epiſcopatus vetatur in Reg. Franciſ.
*S. Aug. ſer. 6. ad frat. in er.*
*S. Brun. l. de laud. Eccl. c. 2.*
Aliæ expoſitiones Them.
*Chryſoſt. 10. ad 1. Tim. 2.*



*Theoph. ad Tim.*

7. Sanctus Bruno autem exiſtimat, Apoſtolum hoc loco non de Epiſcopo in ſede Epiſcopali collocato, ſed de Sacerdote loqui velle: *Hic per Epiſcopum ſignificat Sacerdotem, ſuperflue enim Timotheum, qui Epheſiorum Epiſcopus erat, de ordinando Epiſcopo Epheſijs inſtrueret, cum eo ibi epiſcopante, alium ibidèm epiſcopari abſurdum eſſet: nec credendum eſt; nec mirum, ſi per Epiſcopum ſignificat Presbyterum, cum in hac eadem Epiſtola pes Presbyterum ſignificet Epiſcopum.*

*S. Brun. ad Tim.*

8. Magis tamen literalis hujus textus expoſitio illa eſſe videtur, quod cum in eo ſæculo quo S. Paulus ſcripſit, Epiſcopi primi inter fideles erant, qui quærebantur ad Martyrium, in extrema quoque paupertate vivendo vitam ducebant Apoſtolicam, ideò ſacroſancta quædam ambitio erat, qua quis eo tempore deſiderabat promoveri ad Epiſcopatum. Unde Salmeron ait: *Epiſcopatus in primitiva Eccleſia ſine honore, & ſine divitijs erat, nihil aliud erat, quam Crucem optare, & opus Charitatis impendere nunc vero ubi Epiſcopatus cum magno honore & divitijs conjunctus eſt, non niſi periculoſe appetitur.* Idem hoc diu ante S. Anſelmus hiſce verbis monuit: *Notandum, quia quando Apoſtolus hoc dixit plebibus, quicumque præerat, primus ad Martyrij tormenta ducebatur, tunc ergo laudabile fuit Epiſcopatum quærere, quando per hunc quaſi ad Martyrium feſtinaretur.* Eamdem quoque expoſitionem legi apud Dionyſium Carthuſianum, in libro de regimine Præſulum: *Non advertunt* (de ambitioſis loquitur) *quod Apoſtolus dixit hoc, quando Epiſcopi trahebantur primi ad amariſſimas pœnas, & acerbiſſimas mortes Martyrij, ita quod tunc in Epiſcopatu non poterat amari, niſi opus bonum.* Quidam hujus noſtri ſæculi inſignis Orator, dicit, quod quando S. Paulus ſæpedicta thematis verba edixit, omnes Epiſcopatum refugiebant, quia ovium greges tales erant, ut ijs gubernandis vix ulli reperiri poſſent Paſtores, & tales Paſtores erant, ut pro gregibus paſcendis vix paſcua inveniri poſſent, adeoque tempora illa, talia erant, in quibus ſimul ſtare poterant dignitas cum humilitate, & dominandi fortuna cum miſeria ſerviendi, Sacerdotes tunc aurei erant, calices verò lutei vel lignei; mitræ plus ex curis, quam ex gemmis onuſtæ erant. Epiſcoporum chlamydes paupertate potius quàm acupictura perforatæ erant; Erant eo tempore Paſtores ſine baculo vel clava, oves ſine lana, lupi ſine timore, dignitates ſine dignitate, Eccleſię ſine dote, honores infamia pleni, eminentiæ præcipitijs conjunctæ, curæ curarum pleniſſimæ. Denique ejuſcemodi in ſtatu tunc primatus erant, ut majorem quis pareret ambitionis ſuſpicionem dignitates fugiendo, quam illas deſiderando. Hactenus Autor iſte.

Expoſitio magis literal.
*Salm. t. 4. tr. 27.*
*S. Anſelm. ad Tim.*
*Dion. Carth. t. 1. de reg. præſ. a. 40.*
*Theſ. in paneg. S. Juv.*
NB.

9. Quando arca Dei à Philiſthæis capta, domus eorum quibus eamdem ſuſceperant, una cum Dominis ſeverè caſtigabat; Omnes illam intra domus ſuæ penetralia detrectabant recipere, unde dicebant: *Adduxerunt ad nos Arcam Dei Iſraël, ut interficiat nos & populum noſtrum;* at vero quando eadem arca facta eſt peculiare quoddam Divinarum benedictionum Inſtrumentum, prouti in domo Obededom id experti fuerant, unuſquiſque illam ſibi vicinam habere deſiderabat, unde & David tanta cum ſolemnitate in Palatium ſuum transferri curavit: Simile quid etiam de muneribus Epiſcopalibus dicere poſſumus; quando enim dignitas Epiſcopalis inſtar magnetis cujuſdam, perſecutiones, exilia, & horrenda Martyriorum poſt ſe tormenta trahebat, unuſquiſque procul ab ijs ſe ſubducebat; at vero quando Eccleſiæ ſucceſſu temporis in pace floreſcere, multiſque opulentiſſimis reditibus abundare, magnoque in honore & veneratione eſſe cœperunt, unuſquiſque experientia teſte eaſdem ambire non deſinit. Tandem verò non defuerunt alij, qui ultimo loco hunc Apoſtoli textum per jocum hoc modo legunt. *Qui Epiſcopatum deſiderat bonum, opus deſiderat*, legendo loco Ly *opus, opes*, quia Eccleſiæ *ut plurimum* non ſolum ob dignitatum præeminentiam quæruntur & procurantur, verum etiam oculus nonnumquam primo omnium loco ad cenſum & reditus dirigitur.

Modo deſiderantur Epiſc.
*1. Reg. 5. v. 10.*
*2. Reg. 6. v. 11.*

## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

Illi qui dignitates fugiunt & accipere detrectant, illis accipiendis meliores communiter habilioreſque exiſtunt: pro quo Argumento ſuadendo, Chriſti, Moyſis, Joſue, Eldad, Medad, Saulis, & Davidis exempla adferuntur.

### THEMA.

*Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipſe ſolus.* Joan. cap. 6. ℣. 15.

1. IN honoratiſſima hac Salvatoris noſtri fuga, qua ſe à populo eum invitum in Regem proclamare volente clam ſubduxit, omnes nos ſequaces ejus evidenter docuit, quantum nobis curandum ſit, ut in dignitatibus & honoribus pro virili noſtra fugiendis & declinandis ſtabiles & conſtantes ſimus, nam ut S. Gregorius ſcribit: *Quis enim principari hominibus tam ſine culpa potuiſſet, quam is, qui hos nimirum regeret, quos ipſe creaverat.* Quis boni Principis munia magis adæquate adimplere potuiſſet, quam ipſemet Dei Filius, in cujus femore ſcriptum legitur, *Rex Regum & Dominus Dominantium.* De quo Pſalmiſta quoque atteſtatur dicens: *Domini eſt terra & plenitudo ejus, Orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione;* de quo etiam S. Auguſtinus ita ſcribit: *Sic curas unumquemque noſtrum tamquam ſolum cures, & ſic omnes tamquam ſingulos.* Et tamen S. Gregorius ait: *Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non ſolum nos per Paſſionem redimeret, verum etiam per converſationem doceret, exemplum ſe ſequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum ſponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ mortis appetiit, ut membra ejus diſcerent favores mundi fugere.*

Chriſtus docuit fugere dignitates.
*S. Greg. 1. p. Paſt. c. 3.*
*Apoc. 19. v. 16.*
*Pſ. 23. v. 1.*
*S. Aug. l. 3. conf. c. 11.*

2. Cajetanus aptè obſervat, quod Evangeliſta de hac turba non dicat, illam Chriſtum in thronum collocare, idemque ſic magnificè confidenti obedientiam promittere voluiſſe, ſed tantum eos de ipſo in Regem eligendo inter ſe conſultaſſe: *Non dicit quod tunc facturi erant ipſum Regem, ſed quod venturi eſſent ſignificans quod illi diſpoſiti erant, ad tractandum cum alijs, & redituri ad hoc ut facerent eum Regem:* at verò quonam ducebantur motivo ad hoc ut eum Regij ſcepteri adminiſtratione dignum & habilem eſſe exiſtimarent? Num forte ideò quia eum ſæpe miracula patrare viderant? Non certè; quia alias quoque multoties in miraculis faciendis liberalem prorſus & admirabilem ſeſe exhibuerat. Aut forte ideo, quia adeo prodigiosè panes piſceſque multiplicaverat? Neque id dici poteſt, quia aliàs quoque idem prorſus miraculum innumeros homines modiciſſima annona perfectiſſimè ſatiando patrarat, nec tamen ullus de ipſo in Regem ſublimando cogitaverat. Pro reſolutione igitur notanda ſunt verba illa: *Ut raperent eum;* Ex his enim colligitur, quod quia Chriſtum ab omni ſemper pompa & gloria mundana alieniſſimum eſſe conſpexerant, ideo ipſum Imperio digniſſimum, & Sceptro gubernando aptiſſimum maximeque idoneum eſſe judicabant. *In quo monſtratur* (inquit idem Cardinalis) *quod cognoſcebant Jeſum alienum eſſè ab appetitu Regni, utpote quem oportebat rapere;* hi enim vere ſunt illi, quorum in moderandis animabus Imperium feliciſſimo ſemper fine clauditur, qui ab omni faſtu alieni ſunt & quoad poſſunt dominari detrectant. *Bene imperant, qui non libenter imperant*, inquit, Author quidam: *Id quod in multis veteris Teſtamenti ſacris Heroibus adimpletum fuiſſè oſtendemus.*

Quia Chriſtus omnes honores fugit, imperio dignus judicatus.
*Cajet. in Joan.*
NB.

3. Deus olim populum ſuum à ſervitute Pharaonis in virtute omnipotentiæ ſuæ educere, (Act. Apoſt. 13. v. 17.

Idem cum Moyſe factū,

13.v.17. *In brachio excelſo eduxit eos ex ea* ) eosque ad terram promiſſam ſibi comparandam dirigere decreverat, ita tamen ut prius tot annis in deſerto cum potentiſſimis inimicis continuo dimicando laſſarentur, armisque ſuis ſibi ad innumerabilium Provinciarum & Regnorum poſſeſſionem viam complanarent. Circa hanc verò populi Dei adeo prodigioſam liberationem quæro, cur Deus ille, qui *Deus exercituum* nominatur, & de quo Pſ. ait: *Dominus fortis & potens,*
Pſ.23.v.8. *Dominus potens in prælio*, cur inquam is generalem populi ſui ducem Moyſen ſcilicet, è ſylveſtribus Madian, in quibus ſolidis quadraginta annis, non jam Imperij ſceptrum, ſed paſtoralem ſimplicem virgam manibus ſuis ferens ſubſtiterat, eduxit? Numquid non in Ægypto erant, Aaron, Eleazarus, Phines, & tot alij egregij viri, quibus munus illud dignius conferre, ſimulque animi generoſitatem pro tali dignitate cumprimis neceſſariam addere potuiſſet? Omnino ita
Luc.1.v.37. eſt: *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum:* Verumtamen non ſine particulari myſterio inter tot alios ſolùm Moyſen in Ducem populi ſui eligere voluit, eo quod hic ſe ſemper à ſupremis honoribus
Hebr.11. v.24. maximè alienum eſſe comprobarat: *Negaverat ſe eſſè filium filiæ Pharaonis.* Etenim filia Pharaonis, ut Joſeph & Philo Hebræi referunt, poſtquam filium hunc
Joſ. Hebr. l.2. ant. c.11. ex aquis Nili ſuſtuliſſet, eumdem abſcondit, ſeque ex eo gravidam eſſe fingens, facile omnibus parvulum hunc
Phil.l.de vit. Moyſ.1. Moyſen verum ſuum filium eſſe perſuaſit. Moyſes autem qui in aula Regia Ægypti tamquam verus Regiæ ſtirpis hæres futurus ſummo in honore habebatur, mox ut figmentum hoc exiſtimatæ matris ſuæ cognovit, *Negavit ſe eſſè filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo, quàm temporalis peccati habere jucunditatē.* Potius inter ſervos & mancipia numerari, quàm inſtar Regis honorari maluit: Cumque per quadraginta annos negotia ſumma & verè regia pertractaſſet, magnumque ſibi in Ægypto acquiſiviſſet meritum, ſupremorum nihilominus honorum ſummum cognoſcens periculum, expedire magis judicavit ab aula ſe ſubducere, & cum vili & abjecta Hebræorum gente ad faciendos lateres lutum continuo contrectare: *Magis eligens affligi cum populo ſuo!* Quapropter Deus no-
Joan.2.v.25 ſter de quo legimus: *Ipſe enim ſciebat quid eſſèt in homine*, ex hoc actu ipſum quovis alio ſceptro moderando aptiorem digcioremque eſſe exiſtimavit, quia dum ſceptrum in ſua habebat poteſtate repoſitum, illud ipſum ex humilitatis inſtinctu, exemplo prorſus inaudito depoſuit, ſeu potius abjecit: nimirum voluit Deus, ut clarè intelligeremus, illos qui authoritatem fugiunt, vitamque privatam amantes ambitionis inimici exiſtunt, imperio gerendo præ cunctis alijs eſſe digniſſimos. Adhæc quando ſe à Deo ad impoſitam ſibi Ducis generalis populi Dei dignitatem recipiendam adſtrictum eſſe vidit, quis eſt qui neſciat, quantas lamentationes, excuſationes, tergiverſationes & repulſas ediderit? Adeo etiam ut ſacer textus dicat:
Exod.4.14. *Iratus Dominus in Moyſen eſt.* Ubi S. Baſilius ait: *Ex eo ipſo, quod excuſatione, & confeſſione imbecilli-*
S.Baſil.orat. 17. *tatis ſuæ, quaſi cum quadam concione Deo reſiſteret, Deus eum dignum judicavit, qui populo præeſſèt ſuo.* Origenes Moyſen cum Iſaia confert, qui ait: *Ecce*
Orig. hom.6. in Iſa. *ego, mitte:* Econtra verò Moyſes ait: *Provide alium, quem mittas.* Uter igitur horum duorum, Dei gratiam fuit promeritus, ſeque laude digniorem reddidit? De Moyſe præfatus Doctor ait, ſibi probè notum fuiſſe, quod conſtituendus eſſet ſupremus populi Iſraëlitici Dominus: & ideo dixiſſe: *Provide alium:* At verò Iſaias: *Non expectans audire, quid ei juberetur,* dixit: *Ecce ego, mitte me.* Unde concludit Origenes: *Bonum eſt non proſilire ad eas, quæ à Deo ſunt dignitates & principatus, ſed imitari Moyſen & dicere cum eo, Provide alium: neque enim ad principatum* Eccleſiæ *venit, qui ſalvari vult, etſi præeſt.*

4. Notum eſt apud omnes Politicos & Statiſtas, velut Maximam quamdam receptum eſſe, quod in
Submiſſio Moyſen exaltavit. Regno numquam ſocius vel Collega admitti poſſit: Et tamen Moyſes qui mundanam politicam ignorans, Iſraëliticum populum gubernabat, alios in authoritatis & Dominij ſui conſortium à Deo determinari poſtu-
Num.11. v.14. lavit: Unde Divinæ Majeſtati dicebat: *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum:* Quantum verò ſubmiſſus hic & ab omni dignitate alienus Moyſis animus Deo placuerit, ex eo ſatis videtur, quod non ſolùm ei ſupremam in Pharaonem poteſtatem contulerit, verum etiam eidem eamdem ut ita dicam Divi-
Exod.7.1. nam Omnipotentiam ſuam delegarit: *Conſtitui te Deum Pharaonis:* quod S.Ambroſ. humilitati ejus adſcripſit, qua generoſam adeo ſupremæ huic dignitati
S.Ambr.in Pſ.118. oct.8. dederat repulſam: *Fugiendo potentiam potentior factus eſt, factus eſt enim in Deum Regi Pharaoni.*

5. Moyſi in Generali Iſraëlitici populi ducatu Jo-
Item Joſue. ſue ſucceſſit, cujus ex præcepto Dei facta promotio notabilis ab ipſomet Moyſe hunc in modum deſcri-
Abul.q.41. in Num. bitur: *Dixitque Dominus ad eum: Tolle Joſue filium Nun virum, in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum:* Qualis obſecro in magno duce ſpiritus reperiebatur, præterquam inſignis ille ſui ipſius contemptus, & ſumma adverſus honorificentiſſimum hoc munus reluctantia & reniſus? Etenim Abulenſis optime notat verbum illud *Tolle: Tollere ſignificat ductionem quamdam non voluntariam, in quo ſignificatur, quod Joſue non petierit illum principatum, nec appetebat, ſed ſolum ex mandato Dei aſſumpſit illum, & hoc quia vir bonus erat, & hujusmodi viri non ſunt ambitioſi, ſed in humilitatis ſtatu permanere volentes.* Idem quoque author dicit, quod verbum, *Tolle*, alio quodam modo explicari poſſit, ut ſit velut efficax quædam à Moyſe ei propoſita perſuaſio, ad hoc, ut tanto promptiorem Deo obedientiam exhibeat *Dicendum, quod Joſue erat tollendus, id eſt, ducendus perſuaſionibus, quia forte cum Moyſes revelaret ei, quod debebat conſtitui in principem, non conſentiret.* Eodem quoque tempore Deus Moyſi dixit, quod quando ex præcepto Dei hæc inſtituenda erat electio, *Dabis ei*
Oleaſt.in c.27.Num. *partem gloriæ tuæ*, vel ut Oleaſter legit: *De gloria & authoritate tua;* Qui inſuper addit: *Per gloriam aliqui intelligunt inſignia dignitatis: Quidam tamen interpretantur: Dabis ei de dejectione tua, id eſt, humilitate, quæ virtus Moyſen laudabilem & glorioſum valde reddidit: Dignus eſt locus iſte, qui ſumma conſideratione expendatur: Non dicit, Pone de tua dignitate, majeſtate, aut poteſtate ſuper eum, ſed de tua humilitate,* quia ſoli illi ſunt digni imperio, ſoli illi ad regimen proſperum apti ſunt, qui non per ambitionem, ſed inviti per obedientiam à Deo promoventur; Etenim illis exprobrari minime poterit, quod in Oſea ſcriptum
Oſe.8.v.4. S.Greg.ep. paſt.c.1. eſt: *Ipſi regnaverunt, & non ex me.* Ubi S.Gregor. ait: *Ex ſe namque & non ex arbitrio ſummi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, ſed ſua cupiditate accenſi, culmen regiminis rapiunt potius, quàm aſſequuntur.* Atque hinc eſt quod cum Joſue Moyſis ſpiritum hæreditaſſet, id eſt, profundum ſui ipſius contemptum, & quam ab imperio vel regimine habebat animi averſionem & horrorem, totus ei ſubjectus populus modeſtus quoque fuerit, ſummeque contentus, univerſamque adeo vaſtam terram Chanaan ſumma cum proſperitate ſibi ſubjugarit, victorijs ſemper onuſtus atque triumphis. Porrò
Joſ.1.v.5. Deus illi dixerat: *Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecum, non dimittam, nec derelinquam te;* quibus verbis ei inſinuare voluit, quod ſemper & ubique per ſpecialem & continuam aſſiſtentiam à parte regiminis ejus futurus eſſet.

6. In libro Numerorum legimus, quod poſtquam
Eldad quoque & Medad. Moyſes Seniores illos in tabernaculum Dei advocaſſet, ut eosdem eo in loco Spiritus Dei participes efficeret, Eldad & Medad domi ſuæ remanſerint, & ne vel pedem inde extulerint, & tamen licet præcepto Moyſis minimè obediverint, ſeque ut juſſi fuerant ad tabernaculum non receperint, Spiritus ſanctus ſuper ipſos quoque venit, eosdemque eadem donorum affluentia replevit, adeo ut non minus quam cæteri prophetaverint, cum ſtupore & admi-
Num.11. v.26. ratione quorumcumque: *Super quos requievit ſpiritus, & non exierunt ad tabernaculum: cumque prophetarent in caſtris.* Lyranus optimam hujus eventus rationem adfert, cur ſcilicet etiam hi participes facti fuerint Spiritus divini, & doni Prophetiæ, tametſi pedem è domo ſua non extulerint, nec in domum Dei, prout à Deo per Moyſen juſſi fuerant, acceſſerint;
Lyr.ibid. Dicit enim: *Remanſerant non ex contemptu, ſed ex humilitate, reputantes ſe indignos tanta promotione, & ideo receperunt donum Dei.*

7. Non dubito, quin illa à Spiritu ſancto de Saule
Nō ambientes ſed fugientes cum Saule digni ad regimen. facta proteſtatio, qua dicit: *Non erat vir de filijs Iſraël melior illo*, magnam unicuique illam legenti adferat admirationem: Quæro enim ubinam & quomodo vel unica virtus aut alia qualitas bona Saulis in tota ſacra Scriptura deſcripta reperiatur? Nullibi certe. Iterum quid eſt quod de Saule laude dignum dici poſſit, præterquam quòd ſceptrum regale à Samuele ſibi ex parte Dei oblatum invito prorſus & renitenti animo admiſerit, ſeque eodem indignum reputans, abſconderit, ne ad illud promoveretur: Meritò



ritò igitur ſacer textus de illo dicit, quod non erat melior illo, non quidem erat omnibus melior in ordine ad virtutem, ad ſpiritum, vel ad perfectionem, in hac enim multi ſui temporis Prophetæ longè ipſum præcellebant, ſed in ordine ad regimen & gubernationem regni; illi namque reverà ad dignitates ſuſcipiendas & adminiſtrandas aptiſſimi ſunt, maximeque idonei, qui illas non ambiunt, ſed potius fugiunt. S.Hieron. de Epitaphio Nepotiani, ad Heliodorum ita ſcri-
S.Hier. ad Heliod. bit: *Querebatur ſe ferre non poſſè, & juvenilem ætatem incongruam Sacerdotio cauſabatur, ſed quantò magis repugnabat, tanto magis in ſè ſtudia omnium concitabat, & merebatur negando quod eſſè volebat, eoque dignior erat, quo ſe clamabat indignum.*

8. De Davide Rege ſimiliter legimus, quod certo
Cum Davide. quodam modo adverſus Deum lamentatus fuerit, quod eum à gregibus ovium violenter ſublatum, in
2.Reg.7. v.18. Throno Iſraëlis conſidere fecerit; *Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc-uſque?* Ecce qualem habuerit de daro ſibi regio ſceptro conceptum aut æſtimationem, dum illi hunc attribuit titulum: Hucuſque; Et quidem ex verbo, adduxiſti, clarè ſatis patet, illum violenter & invitum ad Regium thronum perductum fuiſſe; quod etiam ex eo pro-
1.Reg.13. v.14. batur quod Samuel Sauli dixit: *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum: & præcepit ei Dominus, ut eſſèt Dux ſuper populum ſuum:* Ubi S.Greg. ait: *Quia electi*
S.Greg.ibid. *viri ad honoris primatum non ex ambitione veniunt, ſed coacti perducuntur, bene dictum eſt: Et præcepit ei, ut eſſèt Dux, quaſi dicat: In honorem prælationis, non per ambitionem ſubijt, ſed coactus aſcendit.* Conſideratione quadam opus habent verba illa: *Quæſivit ſibi Dominus;* Et enim Deus ille qui brachia ſua adeo longa habebat, utique iiſdem quocumque volebat, pertingere poterat, & tamen hunc non niſi induſtria quadam adhibita Regem creare non potuit; & ideo quæſivit: Merito ergo
Pſal.88.v. 20.& 21. dicit: *Exaltavi electum de plebe mea: Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.* Et hinc factum eſt, quod quia David ex parte ſua in ordine ad Regni ſui ſceptrum & Diadema aſſequendum non ſolū nulla ambitione tactus, verum inſuper nec quidquam cooperatus ex parte ſua fuit; ſed ſolum Deo obediendi cauſa ad ſolium adeo excelſum aſcendit, ideo Deus ingentem illam promiſſionem eidem pollicitatus fuit, quam ſacer textus paulò poſt ſubjunxit; nimirum:
Ibid.v.22. *Manus enim mea auxiliabitur ei; & brachium meum confortabit eum:* quaſi Deus dicere vellet: Ut ipſe ſceptrum Iſraëlis grave nimis ſuſtinere, & ingens Regni onus ſupportare poſſit, ego ipſe potenti brachio meo
Cajet.in c. 13.l.1.Reg. eumdem corroborabo. Cajetanus ait: *Ad ſimilitudinem quærentis, inter tot Iſraëlitas, elegit Davidem juxta cor ſuum.* Quaſi diceret: Illi dumtaxat ſunt ſecundum cor
Fugientes ſequuntur honores. Dei, qui honores non quærunt, ſed ab ipſis honoribus quæruntur. Quoties Sauli, à quo injuſtè & tyrannicè ex ſolo invidiæ & malignitatis motivo ad mortem quærebatur, ad propriam defenſionē mortem inferre poterat? Et tamen non obſtante quod, utpote à Samuele ex
1.Reg.16. v.13. ſpeciali Dei præcepto in Regem unctus, ſe Saulis in Regno infallibilem Succeſſorem futurum eſſe ſciret, potius cum magno propriæ vitæ præjudicio humilis
1.Reg.26. v.11. eſſe, & in ſui ipſius contemptu perſeverare voluit, quam per propriæ vitæ defenſionem thronum conſcendere:
S.Ambr. Apol.1. de David.c.6. Unde S.Ambr. ait: *Debitum ſibi imperium diu diſtulit, quod ſciebat ſibi Deo authore deberi, quo ſolo docuit omnes homines, non præripiendum regnum etiamſi debeatur, ſed expectandum, ut ſuo tempore deferatur: Utinam hunc virum imitati eſſent poſteri, non tantas bellorum pertuliſſèmus acerbitates.* Adhæc eſt & aliud quiddam à David patratum egregium facinus, ex quo liquide ſatis nobis innoteſcere poteſt, quam fuerit David à terrenis honoribus alienus, quodque pariter egregium
1.Reg.17. verſ.50. & infallibile eſt boni Prælati futuri veſtigium: Etenim quo tempore David etiam poſt reportatum glorioſum de Gygante triumphum, indeque ſtabilitum Iſraëlis Regnum, ſtabiliterque in Saulis capite diadema firmatum, artem paſtoritiam exercere non ceſſabat, ſæpe à Saule accerſebatur in regiam, & tametſi artificioſo quo Cytharæ ſive Pſalterij fides delicatiſſime agitabat plectrō malignum à Rege Spiritum ſæpe arce-
Ibid.v.15. ret, nihilominùs, quod bene notandum eſt, ſacer textus ait: *Abijt David, & reverſus eſt à Saul, ut paſceret gregem patris ſui.* Etenim hoc propriè eſt illud, quod Paſtori verè bono faciendum incumbit, nimirum ut ambitionem ſibi minimè prædominari permittat, neque aulam Regiam, vel Magnatum domos alio fine frequentet, quam ad pellendum inde Dæmonem, animarum ſalutem inibi promovendam, ad abrogandos in iisdem pernitioſos bono publico abuſus, ad malos reformandos mores, ad advocandum & aſſiſtendum orphanorum cauſis, aut verò ad immunitatem Eccleſiaſticam ſi uſpiam læditur, generosè defendendam: Hiſce verò omnibus expeditis ad paſcendum gregem ſuum ſine mora revertatur. Unde Abu-
Abul.q.13. ibid. lenſis ait: *Quamquam moratus fuiſſet cum Rege familiariter magno tempore, ſemper ſtans in conſpectu ejus, non erubuit poſtea redire ad cuſtodiendos greges, nec hoc refutavit.* Porrò nec Scriptura ipſum ab aula regia dimiſſum fuiſſe dicit, nec à Patre, ut domum paternam repeteret, fuiſſe revocatum: imò veriſimile eſt omnibus propinquis ſuis gratum valde fuiſſe, ſi diutius propter intereſſe ipſorum proprium, ibidem coram Saule perſiſtere potuiſſet; & tamen *Abiit David & reverſus eſt!* Sponte ad vitam privatam reverſus eſt, aulæque regiæ dorſum vertit. Et ideo mirandum nequaquam eſt, quod non ſolùm ab ovium cuſtodia ad regnum exaltatus fuerit, verum etiam quod in ejusdem Regni adminiſtratione felices adeo eventus habuerit, ut ejus regimen jure merito cunctis Regibus & Principibus Ideæ loco commodiſſime ſervire poſſit.

## DISCURSUS XV.

### ARGUMENTUM.

**Multos Dei ſervos oblatos ſibi honores pro viribus reſpuiſſe, per varia Sanctorum novi Teſtamenti Exempla oſtenditur.**

### THEMA.

*Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cant.4.ỳ.8.

1. CErtiſſimum eſt, & negari nequit, quod inter
Sponſa honores reſpuit. alias conditiones, quibus anima quædam electa, Deoque chara inſtructa eſſe debet, hæc una ſit, eaque non minima, quod videlicet vocationi divinæ promptè, expeditè, & ſine ulla dilatione obſequi & reſpondere debeat, & tamen ſponſam erga cœleſtem ſponſum ſuum adeo in hac aſſumpti thematis occaſione tardam & moroſam eſſe cernimus, quia ſponſum ſuum non una tantum, ſed trinis vicibus vocare, & dulce illud invitatorium Veni, ſibi dicere permittit: & tamen extra omnem eſt controverſiam, quod numquam majori erga Deum amoris igne ſuccenſa fuerit, quam tunc, utpote qui paulò ante hoc de illa teſtimonium perhibuit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te;* & poſtea immediatè ſubjungit: *Veni de Libano; &c.* Huic difficultati non incongruè reſponderi poſſe arbitror, ſi dicatur, ſponſam cœleſti ſponſo tunc vel maximè dilectam fuiſſe, Divinumque ejus ſponſum immaculatum in ea candorem, venuſtatemque illius ſuper humanam & divinam vehementiſſimè tunc fuiſſe admiratum; quando illam ad coronam apprehendendam (hic enim finis erat ob quem vocabatur) adeo moroſam, tardam, & faſtidioſam eſſe vidit. Hoc enim modo Gilbert. Abbas
Gilb. Abb. ſerm.28. in Cant. dubium hoc ſolvit, dum ait: *Mora hæc non eſt contumaciæ, ſed cautelæ:* De monte namque Libani conſcendendo agebatur, invitabaturque ad deſerendam vitæ contemplativæ quietem & ſpiritualem ſolitudinem, ad hoc ut regio tempora ejus diademate cingerentur: *Veni coronaberis.* Mirum itaque non eſt, quod adeo ſe invitam exhibuerit, quia pericula & ſeductiones quas dignitatum & dominiorum culmina ſecum communiter adferre ſolent, probè ſatis cognoſcebat. *Forſitan ſponſæ mora feſtinationem noſtram arguit, quia nimis prompti & parum providi, vires noſtras minus penſantes feſtinamus ingredi in labores prælationis, in ſolicitudinum moleſtias, & materiam lapſus, nec expectamus vel ſemel vocari, ultro nobis ipſi honorem ſummus, vocationem vel prævenientes, vel arte provocantes.*

2. Quis magis à Deo dilectus fuit Jacobo Patriar-
Rom.9.v.13. cha: *Jacob dilexi*, ipſum proinde Iſraël, quod idem eſt, ac *videns Deum*, appellavit: ex ejus quoque femore populi ſui à ſe electi progeniem propagari voluit: & tamen in ejus perſona Deus nos ediſcere voluit, quod qui Deo vel maxime grati & accepti ſunt, honoribus acceptandis vel maximè obſtreperos & invitos ſe exhibeant, ideoque eosdem præ cæteris maximè merean-
Gen.27. v.13. tur. Legatur obſecro Gen.27. ibi namq; invenietis, quod quando à matre ſua Rebecca, cœleſti utique inſtinctu
Jacob cū violentia tractus à matre pro benedictione Patris. inſtigata, ad paternam benedictionem præoccupandam ſtimulabatur, valde ſe erga matrem obſtreperum & reluctantem exhibuerit, & quaſi cum aliqua violentia, ſolum ut ei complaceret, ad ejus juſſa adimplenda inductus fuerit: non item Eſau, de quo legimus, quod quando

quando ſe à primo geniture primatu depoſitum vidit, *Cum ejulatu magno flevit, irrugiit clamore magno, & conſternatus, &c.* Ubi S. Ambr. ait: Rebecca non quaſi filium filio, ſed quaſi juſtum præferebat juſto: Mater etenim hæc nos docere voluit, quod Jacob ætate licet minorem Eſau fratri ejus prætulerit, quia Deo Dilectus erat, quodque hi ſoli imperio digni ſint, & exaltari mereantur, qui Deo probantur: inter hos autem illi vel maximè in altum ſubvehi mereantur, qui vel maximè ſe ab honoribus alienos eſſe probant: reprobos verò ſemper ambitioſos, & ad dominia capeſſenda avidos eſſe conſpicimus.

*S. Ambr. l. 2. de Jacob & vita beat.*

3. In partu Thamar duo comparuere gemelli, Zara nimirum & Phares: Ex his Zara manum ſuam foras extra uterum protendit, cui cum partui aſſiſtens obſtetrix filum coccineum alligaſſet, is manum ſuam ſubitò ad materni uteri interiora retraxit: Zares autem ſimili ligaculo nequaquam ſubrubuit: *In ipſa effuſione infantium unus protulit manum, in qua obſtetrix ligavit coccinum*, dicens: *Iſte egredietur prior: illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter*: nimirum electi pro ſolo cœli primatu, non verò pro terrenis honoribus capeſſendis contendunt. Eſau de nulla alia re ſolicitus erat, quam ut ſe & ſemen ſuum ſuper terram firmiter ſtabilire poſſet, atque ideo præcedentiam ambivit, primusq; ex utero materno egredi voluit, Deus autem ait: *Eſau odio habui*: Reprobi quidem manus ſuas extendunt, ſeque juvant quoad poſſunt, ut exaltentur, at verò qui verum lumen & Dei notitiam habent, humanis præcellentijs quoad poſſunt, repugnant. Lipom. ait: *Fruſtra coccinum tenebat ad manum, qui primogenituræ notam prætendebat, ſed non gloriam.* Zara manum ſuam ad purpuram extendit, ſed Phares ad perfectionem & ſanctitatem: ac proinde ad dignitatem quamdam adeo ſublimem exaltatus fuit, qualis fuit, ut cœli terræque Monarcha ex ejus incarnaretur proſapia: *Non qui coccineo filio primogenitus habebatur, ſed qui tardior erat, prior evaſit in genealogia ſanctitatis.* Unde quotiescumque aliquem, qui ad honores acceptandos invitus eſt, cernitis, hunc vobis de eodem conceptum velim formetis, eum talium honorum accipiendorum meritiſſimum eſſe maximeque idoneum. Euſeb. Gallicanus ad S. Maximum converſus ait: *Quid honorem quaſi indignus repellis?* Meriti prærogativa eſt honoris repulſa.

*Reprobi honores ambiunt non electi.*

*Gen. 38. v. 27. 28. 29.*

*Rom. 9. v. 13*

*Lipom.*

*Euſ. Gall. ho. de S. Max. Abb.*

4. Illi viginti quatuor Seniores in Apocalypſi: *Procidebant... ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum.* Vos utique hæc audientes, fortaſſe vobis perſuadebitis, ſeniores hoſce diademata illa de capitibus eorum deponendo, actusque adorationis, obſequij, & humilitatis edendo, ſeque coronis illis regalibus indignos eſſe declarando, minoris per hoc factos eſſe exiſtimationis, atque à ſuis fuiſſe thronis depoſitos: Minimè gentium, quin potius magis fuere in illis ſtabiliti & confirmati, honoresque habiti, miris incrementis adaucti fuerunt, prouti ex Cap. ſequenti clarè deducitur: *Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli... phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Ubi Petr. Damianus ait: *Quia ut puriores Deo valeant orationes in odorem ſuavitatis offerre, à cunctis ſe mundi hujus ſtudent actibus ſegregare*: At verò ad propoſitum noſtrum vel maximè facit, quod poſt omnes hoſce profundæ humilitatis actus, poſt omnes illas proteſtationes, quibus ſe diademata illa minimè mereri conteſtabantur, mox illos dixiſſe audimus: *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram*: Non ſolùm ſe de regno cœlorum ſecuros eſſe perhibuerunt, verum etiam in ſceptrorum terreſtrium adminiſtratione tanto fuerunt firmius ſtabiliti. S. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ ita ſcribit: *Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quaſi umbra ſequitur, & appetitores ſui deſerens, appetit contemptores.*

*Apoc. 4. v. 10*

Submiſſio non obfuit 24. ſenioribus.

*Apoc. 5. 8.*

*S. P. Dam. l. 1. ep. 9.*

*Apoc. 5. v. 10*

*S. Hier. in epit. S. Paulæ.*

5. De ipſomet Dei Filio in Pſalte regio hæc ſcripta legimus: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon: Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis*: Unde colligitur, Dei Filium eo usque præſtolatum fuiſſe, donec ab æterno Patre ſuo ei, ut in thronum ſe collocaret, imponeretur præcipereturque: Id quod perfectè cum eo conſentit, quod Apoſtolus ad condemnandam ambitioſorum ſuperbiam hiſce verbis ſcribit: *Nec quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron: Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* De Moyſe quoque ipſum ob impoſitos ſibi invito honores graviter lamentatum fuiſſe legimus: *Cur afflixiſti ſervum tuum.*

*Pſ. 2 v. 6.*

*Pſ. 109. 1.*

Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut &c.

*Hebr. 5. v. 4. 5.*

*Num. 11. 11.*

6. Ad dignoſcendum eum qui imperiis gerendis habilis ſit & idoneus, Oleaſter hoc infallibile ſignum eſſe ſtatuit: *Quemcumque videris ſub præfectura quaſi ſub onere gemere; crede illum optimè demandatum munus adminiſtrare, quem vero lætum ac gaudentem de hac re conſpexeris, dicito illum utilitatem & vanitatem in dignitate quæſiiſſe.*

*Ole. in c. 11. Num.*

Qui idonei ad imperiũ.

7. S. Leo in ſermone quodam de ſua ad Papatum aſſumptione ita ſcribit: *Domine audivi auditum tuum & timui; conſideravi opera tua & expavi: quid enim tam inſolitum, tam pavendum, quàm labor fragili, ſublimitas humili, dignitas non merenti?*

*S. Leo in ſer. 1. in aſſumpt.*

8. Victorem, quem tertium in Annalibus Eccleſiaſticis Papatum recuſaſſe legimus, non obſtante quod violentia ſæpenumero ei illata fuerit, tandem verò lachrymis ſtagnantibus oculis à Concilio Capuano ad eumdem pro reſtaurandis & antevertendis imminentibus Eccleſiæ periculis, acceptandum coactus fuit.

Reſignans Papatum.

*An. 1685. n. 19.*

9. Quo corde & animi diſpoſitione S. Anſelmus ſedem Epiſcopalem conſcenderit, hiſce verbis de ſemetipſo teſtatur: *Quod ignorare nequiverunt illi, qui eo die vultum meum inſpexerunt, quando me Epiſcopi, Abbates, alijque Primates ad Eccleſiam trahentes, & contradicentes rapuerunt, ita ut dubium videri poſſet, utrum ſanum inſani, an inſanum traherent ſani, niſi quia illi canebant; & ego magis mortuo, quam viventi colore ſimilis, ſtupore & dolore pollebam.*

*S. Anſ. l. 1. ep. 1.*

NB.

10. Audite quid S. Chryſoſt. in hanc rem ad propoſitum ſcribat: Etenim dum hic in ſolitudinem ſe ſubduxiſſet, S. Flavianum jam à Deo ut Joannem Sacerdotio initiaretur, ab Angelo monitum acceſſit: & quia Deus Joannem aliud quoddam vas electionis futurum eſſe prædixerat, in ejusque conſecratione Columbam ſuper caput ejus viſibiliter comparentem demiſerat, accidit ut paulò poſt Sede Patriarchali Conſtãtinopolitana vacante, Arcadius Imperator S. Flavianum rogaret, ut Joan. Chryſoſt. ad eamdem cum poteſtate legitima adminiſtrandam conaretur inducere; Qua in re acceptanda Chryſoſtomus ſumme ſe invitum & alienum oſtendens, tandem ad eamdem ſedem occupandam violenter cogi debuit: Unde & in feſto ipſius in ejus lectionibus legimus: *Arcadij Imperatoris operâ, invitus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præficitur*: Id quod idem ſanctus Doctor S. Baſil. hiſce verbis transſcripſit: *Appetere jam tempus reor, ut quod unum ſupereſt mihi arcanum, id in ſinum tandem tuum effundam, etiamſi multis id fortaſſe tale futurum ſit, ut credi minimè debeat; me verò, quidquid id eſt, ne hac quidem ratione evulgare pudebit.* Tandemque ſanctus veridicis quibusdam proteſtationibus præmiſſis, ipſaque æterna primaque veritate in teſtem eorum quæ dicturus erat, advocata, dicit: *Ab eo ipſo die, quo tu mihi Epiſcopatus ſuſpicionem hanc injeciſti, factum eſt identidem, ut corpus ab anima propemodum diſſolveretur, tam ingens pavor, tam ingens mæſtitia animum meum occupavit.*

*Chryſ. l. 6. de ſac.*

S. Chryſoſt. Coactus ad Dignitates.

11. In vita S. Raymundi de Pegnaforte Ordinis Prædicatorum refertur, quod cum Archiepiſcopus Tarraconenſis, qui tunc Arragoniæ Metropolitanus erat, vacaret, Greg. IX. ejus familiariſſimus eidem præceperit, ut illum inter dies aliquot determinatos acceptaret; ipſe verò cum Papæ ſupplicaſſet, ne eum gravi hoc onere moleſtaret, nec tamen Papa in hanc ejus petitionem condeſcenderet, quin potius violentiam majorem ei intentaret, adeo ex hoc afflictus fuit, ut gravi febre correptus lecto affigeretur, donec tandem Papa erga infirmantem Raymundum compaſſione motus, eum ab hoc ei oblato honore liberum pronuntiaret, ex quo gratiſſimo ad eum transmiſſo nuntio adeo gaviſus fuit, ut præ nimia lætitia immediatè à gravi hac febri liberatus fuerit: ab hoc autem ſupremo honore acceptando ea lege & pacto à Papa liberatus fuit, ut ad eamdem dignitatem alium pariter dignum nominaret. Demum vero Author vitæ hujus velut ingens prodigium notat, quod cum Raymund. præfato ſummo Pontifici longo tempore meritis & virtutibus heroicis plenus, in variorum officiorum gravibus functionibus inſerviſſet, ita tamen caute omnes honores eum jure merito expectantes declinarit, ut in eodem quo Romam ingreſſus fuerat, humili ſtatu, ab eadem quoque alma urbe receſſerit.

S. Raym. honores reſpuit

NB.

12. Verum enim verò, quiſnam adeo eſt in Hiſtorijs Eccleſiaſticis imperitus, ut ignoret, quod de Nilammone Monacho refertur in Annal. Eccleſiaſticis? Etenim ſanctus hic vir ante Civitatem Geras, tuguriolum quoddam inhabitabat, quod adeo firmiter, ne ullus ad eum daretur aditus, occluſerat, ut ipſæ quoque

*An. 403. v. 23.*

Exemplum.

domus



domus fores muro obſtruxerit: Cum verò mortuo loci illis Epiſcopo, populus ſanctum hunc virum in defuncti locum elegiſſet, ipſe verò omnibus modis ſeſe ab eo acceptando excuſaret, in eademque reluctantia firmus perſiſteret, Theophilus Alexandrinus ad eum permovendum cunctam Eloquentiæ vim, quâ mirè præcellebat, adhibuit, tantumque profecit, ut cum ſanctus hic Monachus ſe hoc modo ab authoritate & obedientia, quam tanto Prælato debebat, conſtrictum eſſe cerneret, inſtantiam maximam fecerit, ut ſaltem conſecratio ſua in diem ſequentem usque ſuſpenderetur, ut modico hoc temporis ſpatio Deo ſe pro fœlicibus tanti muneris auſpicijs, tanto ferventius commendare poſſet: Quod ut ei indultum fuit, Sanctus nocte illa tanto cum fervore & deſiderio ab illa dignitate liberari petiit, ut illuceſcente die, cum turgurium dejecto portæ muro apertum fuiſſet, jamque omnes & inter cæteros Theophilus magna cum lætitia ad ejus conſecrationem accurriſſent, ipſe ſubitò exſpirarit.

13. Audite obſecro quidnam pro condemnanda munerum Eccleſiaſticorum ambitione S. Iſidorus & alij Patres decreverint: *Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus Antiſtes ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi.* Et paulò poſt ſubjungit: *Profectò indignus eſt, niſi fuerit ordinatus invitus.*

*Iſid. ep. 125. de Jerace presb. l. 3. C. de Ep. & Cleric.*

14. S. Cypr. Cornelium Papam hoc ſequenti elogio ſpecialiſſime extollit: *Non ut quidam vim fecit, ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, ut Epiſcopatum coactus reciperet.* Hi profectò ad regimen optimi ſunt & aptiſſimi, inquit S. Bernard. *Ac proinde ſicubi talis reperiatur, confeſtim injiciendæ ſunt manus, & totis viribus ſatagendum, ne qua vi, ne qua arte malitiæ fructuoſa promotio valeat impediri.*

*S. Cypr. ep. 52. n. 113. S. Bern. ep. 248.*

15. Ita S. Greg. Magno accidiſſe ſcimus, quem cum in ementito mercatoris habitu Roma elapſus, in vaſtiſſimam ſylvam ſe abſcondiſſet, Deus miraculosè populo ipſum anxiè quærenti, columna quadam ignea, ſuper caput ejus in aëre ſuſpenſa, mediante, manifeſtavit: Unde ipſemet, dum de Saule, ne in Regem eveheretur, in latibula ſe abſcondente tractat, ita ad propoſitum ſcribit: *Electi viri prælationis officium quantum poſſunt, fugiunt: ſed ſi à Domino proviſi ſunt, deliteſcere nequaquam poſſunt.* Idem quoque in libro, qui Paſtorale intitulatur, ad S. Epiſcopum Ravennatem, ita ſcribit: *Paſtoralis curæ meæ pondera fugere deliteſcendo voluiſſe, benigna, frater chariſſime atque humaniſſima intentione reprehendis, quæ ne quibusdam levia eſſe videantur, præſentis libri ſtylo exprimo, de eorum gravedine omne quod penſo, ut & hæc qui vacat, incautè non expetat, & qui incautè expetiit adeptum ſe eſſe pertimeſcat.*

S. Greg. fugit, ſed Dei Providentia manifeſtavit.

*S. Greg.*

*S. Greg. in prol.*

16. Cardinalis de Aliaco qui S. Cœleſtini Papæ vitam deſcripſit, aliquas in eadem vita habet conſiderationes propoſito noſtro valde opportunas: Et quidem in primis de S. Cœliſtini ad Papatum electione hunc in modum loquitur: *Cum de hoc ejus honore totus populus lætus inſpirante Domino proſiliret, humiliter ille recuſare ſatagebat.* Et hujus quidem repulſæ valde ingenioſam rationem protinus ſubjungit: Ut dignus magis fieret, magis enim dignus efficitur, qui quod meretur recuſat: Cui conſonat illa S. Chryſoſt. ſententia: *Si vis eſſe glorioſus, noli gloriam concupiſcere: Si vis eſſe ſublimis, ne te ſublimem facias, & alioquin honores quidem non quærentem omnes honorant, ambientem verò aſpernantur. Nec ſibi ſeſe excuſare ſatis erat* (ita author vitæ S. Cœleſtini recenſendo progreditur) *ſed latenter cum uno ſocio, cui cordis ſui ſecretum prodiderat, fugam capere attentavit.* Mox quoque ut potuit ſummum Pontificatum renuntiavit. Alij, inquit hic Cardinalis, ut Chriſti ſequaces & amici fierent, deſeruerunt naviculas, retia, poſſeſſiones, commerciorum lucra, alij quoque regna dimiſerunt, ut eodem fine potirentur: *Papatum verò quo nihil eſt altius, rem tam exoptatam, tamque mirabilem, ut ab admiratione ac ſtupore dictam ferant, quis ulla ætate, præſertim ex quo in tanto pretio eſſe cœpit, tam mirabili & excelſo animo contempſit, ut Cœleſtinus iſte, priſtinum & nomen & locum, & amicam bonis moribus, egeſtatem appetens, atque dum cœlum proſpicit, terræ immemor?* Nimirum in ea eſt opinione, quod incomparabiliter majorem per hanc Papatus abrenuntiationem, etiam penes mundum ſibi comparaturus eſſet gloriam, quam ſi eumdem per totum annorum ſuorum decurſum feliciter adminiſtraſſet; *O dignam igitur Papatus renuntiationem, quæ quantum ad ſolidam gloriam pertinet, multis papalibus dignitatibus præferenda eſt, multo plus commendationis & gloriæ rejecta, quam accepta dignitas attulit, & ei ipſa abjectio honoris, quàm acceptio honorabilior fuit.*

Sur. 19. Maij.

*Laus S. Cœleſtini Papæ.*

17. Notabilis quoque hiſtoria illa eſt, quam de S. Severo Ravennatum Epiſcopo S. Petrus Damianus refert; nimirum quod dum in electione, in qua novus ad illam dignitatem Epiſcopus ſeligendus erat, multæ intervenirent ambitioſorum pretenſiones factionesque, eodemque tempore Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie deſcendere videretur, illi qui primatum ambiebant Spiritum Sanctum in hac viſibili forma ſuper caput ipſorum requieſcere multis cum gemitibus & ſuſpirijs deſiderarint, dicentes: *O ſi Columba veniat ſuper me! O ſi eligat me*; at verò S. Petrus Damianus divini illius oraculi memor, quo dicitur: *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum?* Hiſtoriam illam ulterius proſequendo, dicit: *Aſpiciebat illa Severum pauperculum poſt caveam latitantem, qui enim ſe hominibus abſcondebat, Divinæ Majeſtatis intuitum declinare non poterat. Quid eſt hoc B. Severe tam pauper? tam dives? tam humilis, tam ſublimis? tam pannoſus, tam glorioſus? apud judicia humana dejectus, ex divina providentia inviſibiliter ſublimatus? Cur te abſcondere niteris, qui ad hoc provectus es, ut ad virtutis exemplum, omnium oculis proponaris?* Tandem igitur columba illa in S. Severi capite requievit. *Sed quid jam fugitivus Dei faceret? quo ſe verteret? quo ſibi latibulum tutius inveniret? A conſpectu omnium fugit, valvas oppoſuit, ad videndum ſibi ſolas poſtium rimulas dereliquit: ſed qui humanos aſpectus avertere potuit, columbini acumen intuitus non evaſit, videt ſe deprehenſum, conqueritur intra ſe nil ſibi profuiſſe confugium. Verumtamen adhuc ſuſpicatur deceptam errare columbam, tertio ad ſe volitantem agitatis manibus repulit, & ſic in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis benedictionem ſuæ conſecrationis accepit.*

S. P. Dam. Hiſtoria de S. Severo.

18. Nazianzenus de S. Baſilio Magno his verbis teſtatur: *In Epiſcoporum Cathedra Dominum laudat Baſilius, non hanc poteſtatem furatus, ſed in ea per vim poſitus, nec honorem perſecutus, ſed ab honore quæſitus.*

*Naz. de laud. Bas.*

19. Legatis velim quanam Sanctus Ambroſius, ut Archiepiſcopatum Mediolanenſem declinare poſſet, uſus fuerit inventione & ſtratagemate. Etenim hic ſibi expedientius eſſe judicavit ad id conari ut penes mundum pro viro haberetur infami, ſanguinario, crudeli, delitijs & voluptatibus ſenſualibus dedito, impudicas in domum ſuam admittendo mulieres, quam ad Archiepiſcopalem præfatam Cathedram conſcendendam adſtringi.

Aliæ SS. hiſtoriæ reſpuentium dignitates.

20. S. Ephrem Syrus ut Infulam Epiſcopalem à capitis ſui vertice propulſaret, fatuum ſe & amentem eſſe ſimulavit.

21. Ammonius vir eminentiſſima ſanctitate conſpicuus, qui una cum Sancto Athanaſio Romam venit, poſt omnem quam potuit reſiſtentiam ne Epiſcopus eligeretur, tandem dexteram ſibimetipſi amputavit auriculam, futurum inde omnino ſperans, ut à facta jam perſonæ ſuæ electione, omnes electores divertere poſſet; at verò Timotheus Patriarcha Alexandrinus ei dixit: *A Judæis lex iſta ſervatur, ego ſi dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, ſed moribus probum, non eum dubitabo Epiſcopum facere.* Tales enim auricularum amputatores muneribus Eccleſiaſticis adminiſtrandis digniſſimi exiſtunt.

22. Audite quid Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, qui optimos Italiæ Epiſcopatus repudiavit, & ne purpuram inducere neceſſum haberet, omnem poſſibilem ſibi diligentiam adhibuit: audite, inquam, quid hic poſt recenſitam Nilammonis Hiſtoriam ſcribat: *Porro non apud Geras tantum, ſed in univerſa Catholica Eccleſia natalis Nilammonis publicis conſignatus monumentis viridi memoria perſeverat; Voluit Dominus hujuſmodi exemplo tum omnibus ſignificare, quam periculoſa eſſet Epiſcopalis præfectura, ut præſtet interdum mori, quàm in maximum diſcrimen adduci.*

23. De Sancto Gregorio Epiſcopo Agrigentino in Sicilia legimus, poſtquam ſe à ſummo Pontifice ſui temporis per inſtinctum quemdam admirabilem in illius Civitatis Epiſcopum electum eſſe intellexiſſet, à Civitate Agrigenti fugiens inter condenſas arbores ſeſe abſcondit, ubi poſtquam eum nonnulli qui ipſum minimè quis eſſet cognoſcebant, inveniſſent, ut eorum quos ſibi inſidiari credebat, manus evaderet, *clamabat, ſe magnis obnoxium & obſtrictum criminibus*; nimirum maluit exiſtimari homo facinoroſus, multorumque gravium delictorum reus, quam ſalutari Epiſcopus.

Sur. 23. Nov.

24. S. Ful-

*Hier. Plato de Stat. relig. l. 1. c. 38.*

24. S.Fulgentius quoque fugitivus hinc inde oberrabat, donec Epiſcopi electionem jam omninò conſummatam eſſe crederet, quia tamen poſtea ad eamdem ſedem Epiſcopalem capeſſendam violenter promotus fuit.

25. Similem quoque fugam S. Antoninus aggreſſus fuit, ne crearetur Archiepiſcopus Florentinus; Et quidem ut ab hac fuga reverteretur dictumque Archiepiſcopatum acceptaret, ſummus Pontifex illius temporis adverſus eumdem excommunicationis ſententiam fulminare debuit; Veruntamen hanc Deus ambobus hiſce Epiſcopis gratiam præſtitit, ut eamdem in hac dignitate conſtituti modeſtiam diſciplinamque monaſticam conſervarint, quam antea in Monaſterijs ſuis obſervare ſoliti erant; Id quod ſpecialiſſima in illis prærogativa fuit, quia *ut plurimum honores mutant mores.*

## DISCURSUS XVI.

### ARGUMENTUM.

Prælaturæ Eccleſiaſticæ à Chriſto non ad Dominium, ſed ad obſequium ſubditorum ordinatæ ſunt; Ideoque Dominia etiam ſæcularia, ob onus & obligationes quas habent annexas, honoratæ cujusdam ſervitutis ſpeciem eſſe fuſius oſtenditur.

### THEMA.

*Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* Matth. cap. 20. ℣. 26.

Prælatura eſt Servitus.

1. EX hoc ab incarnata ſapientia promulgato veridico oraculo, non ſolum humilitas ſuique ipſius contemptus, in ijs qui ad regimen & imperium aſſumuntur, requiſitus clarè deducitur, verum etiam alia quædam veritas evidenter apparet, nimirum quod honores nihil aliud ſint quàm ſervitus quædam licet honorata. Unde Origines in Homilia quadam ſuper Iſaiam de his Chriſti verbis utens dicit: *Qui vocatur ergo ad Epiſcopatum, non ad Principatum vocatur, ſed ad ſervitutem totius Eccleſiæ.*

*Orig. hom. 6. in Iſa.*

Valde conſiderabilis eſt illa quam ſapientiſſimus Magiſter noſter inter dominia temporalia & munera Eccleſiaſtica in medium adducit, differentia: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos*; Ubi S.Hieronymus ait: *Sed tale proponit exemplum, quo doceat eum majorem eſſè, qui minor fuerit, & illum Dominum fieri, qui omnium ſervus ſit.*

*S.Hier. ibid.*

Humilior exaltatur magis.

*Lyran.*

Enimverò quid Dominus hoc loquendi modo, quo in aſſumpti thematis verbis utitur, inſinuare velit, Lyranus ſequentibus verbis declarat, dum ait: *Quia regnum terrenum acquiritur per ambitionem & poteſtatem, ſed in regno meo contrario modo, videlicet propter humilitatem; ac proinde ait: Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, id eſt, ſe exerceat in obſequijs humilitatis.* Didacus Stella illam à S. Luca recenſitam Chriſti propoſitionem: *Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat; Quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat?* ponderans ait: *Ex his verbis Dominus concludere intendit, illum aptiorem ad gradum Pontificalem obtinendum, & in loco Chriſti ſucceſſurum eſſè, qui majora virtutis humilitatis fundamenta jecerit*; Hæc verè cauſa fuit, cur S. Gregorius Magnus hunc ſibi ſemper titulum aſſumpſerit: *Servus Servorum Dei*, id quod ipſum ſucceſſivè omnes in eadem ſancta ſede ſucceſſores fecerunt, & etiamnum faciunt.

*Did. Stell. in c. 22. Luc.*

*1. Cor. 4. v. 1.*

Diu verò ante S.Paulus dixerat: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* S. Petrus qui omnium primus in ſede Pontificia ſedit, ſalutare hoc omnibus Eccleſiæ Paſtoribus & Prælatis monitum reliquit: *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.*

*1. Pet. 5. v. 3.*

*Matth. 20. 25.*

*Luc. Burg. in Matth.*

Lucas Burgenſis ſenſum verborum illorum: *Qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos*, explicans dicit: *De ſuperioritate & primatu ſæculari Salvator noſter loquitur*; Hi enim eo referunt dignitatem ſuam, *ut jubeant & imperent pro libitu ſubditis*; non vero ſic Eccleſiæ ſuperioritates adminiſtrandas eſſe indicat: *Non ita erit inter vos.* Author imperfecti ait: *Nec feſtinet unuſquiſque eorum quomodo alijs major appareat, ſed quomodo omnibus inferior videatur*, adeò ut Albertus Magnus ex modo loquendi notat, *Prælatum non ſupra ſubditos, ſed inter ſubditos eſſe debere.* Unde Cajetanus Chriſtum in verbis illis dicere voluiſſe ſcribit: *Magnitudo mundi eſt ad exercendam poteſtatem, magnitudo veſtra erit ad exercendum miniſterium; Principatus gentium eſt ad dominandum, veſter erit ad ſerviendum.*

*Aut Imp. hom. 25.*

*Alb. Magn in Matth.*

*Cajet. ibid.*

Prælaturæ non ad dominandum, ſed ad regendum.

2. Quando magnus ille exercituum Deus noſter Moyſi Locumtenentiam ſuam cum abſoluto quodam totius populi Dominio delegavit, in verbis ejus quibus uſus eſt obſervanda phraſis, & ſpecialis quidam loquendi modus, quo eumdem circumſcribit: Dicit enim: *Veni & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Iſraël de Ægypto.* Id quod B. Laurentius Juſtinianus in lib. de Regimine Prælatorum optimè advertit, quando ita ſcribit: *Cernisne quod non ad dominandum populo, ſed ad ducatum Regiminis miſſus eſt Moyſes? nec mirum, regere quippe Charitatis eſt opus, dominari vero ſuperbiæ.*

*Exod. 3. v. 10*

*B. Laur. Juſt. c. 2.*

Duobus illis ambitioſis fratribus primas in Chriſti Regno ſedes poſtulantibus, reſponſum fuit: *Sedere ad dexteram meam vel ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis*; Quæ verba difficultatem haud modicam in ſe includere videntur: Numquid enim Apoſtolus de ipſo dixit: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex?* Quod ſi Pontifex fuit, utique ad ipſum vel maximè ſpectabat dignitates & munia honorifica Eccleſiæ diſpenſare, ſicuti Petro & alijs de facto diſpenſavit. Innocentius III. optimè ad id reſpondet: *Dominus dicit: Non eſt meum dare vobis, quaſi diceret: Meum quidem eſt dare, ſed non vobis, id eſt, ambitioſis, quales vos eſtis; licet autem poteſtas à Deo ſit, ſuperbus tamen non regnat ex Deo*, ſecundum illud Propheticum: *Ipſi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi eos.*

*Marc. 10. v. 40.*

*Ad Heb. 9. 11*

*Inn. 3. l. 1. de contemp. mundi c. 35.*

*Rom. 13. v. 1*

*Oſe. 8. v. 4.*

In tomis Conciliorum, titulum quemdam legimus hujus formæ: *Ambitionem & faſtum Clericali officio maximè repugnare*; Paulo autem poſt ſubjungitur: *Ut omnem ambitionem Chriſtus diſcipulorum cordibus eximeret, parvulum in medio eorum ſtatuit, deque primatu certare prohibuit; Qui major, inquit, eſt in vobis, fiat ſicut junior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator, nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Quis verò ignorat Clericum in medio Eccleſiæ eſſè, tamquam eum qui miniſtrat? Quare meminerimus potius officij noſtri, quàm dignitatis; neque enim ad dominationem vocati ſumus, ſed ad opus.* Non immeritò Hieronymus, ut peſtem quamdam fugiendos Clericos ait, *qui à ſpeluncis domorum paternarum abſtracti, & poſt in Eccleſia ſublimati, ac Sacerdotijs ditati, vanæ gloriæ & ſuperbiæ ſtimulis efferuntur.* Optimum igitur eſt illud nobis ab Eccleſiaſtico traditum documentum: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.*

*to. 4. Conc. Prov. Colon. c. 23.*

*Eccli. 3. v. 20*

Humilitas S. Car. Bor.

S.Carolus qui Princeps quidam fuit ab omnibus mundi Potentatibus ſummo in honore & veneratione habitus, imò ab ipſiſmet ſummis Pontificibus ſumma devotione & reverentia partim ob ejus nobilitatem, divitias, & ſanctitatem: partim etiam tamquam Prælatus Eccleſiæ, cujusdam quæ ex præcipuis una erat totius Europæ excipiebatur, hic inquam ſanctiſſimam humilitatem tanto habebat in pretio & æſtimatione, ut paternis ſtemmatibus vocem hanc Humilitas inſereret, hocque Symbolum communiter uſurparet: *Solâ gaudet humilitate Deus*; Neque aliam de ſemetipſo quàm de vulgari aliquo ſive rurali aut ruſticano Sacerdote opinionem aut conceptum habebat, in cunctiſque operibus ſuis ſe humilem & abjectum exhibebat, atque ideò in univerſo Regimine ſuo tam admirabilem feliceмque exitum habuit, ut cunctis Prælatis Eccleſiaſticis velut perfecta quædam ſanctitatis Idæa ad imitandum ſemper fuerit propoſita. Chryſoſtomus huic ſui-ipſius & omnis humanæ gloriæ contemptui, totam Apoſtolorum, qui *Eccleſiarum Principes* appellantur, excellentiam attribuit, dum ait: *Quid igitur, inquies, fuit, quod illos magnos effecit? certè verus ac non ſimulatus gloriæ atque pecuniæ contemptus, nam niſi hoc habuiſſent, etiamſi à morte innumeros homines ſuſcitaſſent, deceptorum nomen non effugiſſent.*

*Chryſ. ho. 43. in Matth.*

3. Porro advertendum eſt, quod quando Chriſtus perſpicuis verbis dixit: *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus*, expreſſam fecerit ſervitutis mentionem. Ubi Lucas Burgenſis ait: *Vobis prorſus addictus, nullatenus liber; plus eſt ſervum eſſè, quàm miniſtrum, nam miniſter liber eſſè poteſt, ſervus autem totus eſt Domini ſui, quidquid habet in bonis ſive naturæ ſive fortunæ, totum addictum eſt ſervituti Domini*; idque totum in iis ſuperioribus ſpecialiter exemplificat, quibus Regimen incumbit animarum: *adeò ſervitio veſtro obnoxium ſe eſſè ſciat, ut quidquid habet bonorum ſive animi, ſive corporis, adeoque & vitam ſuam, ubi fuerit opus, ſeque ipſum totum impendere debeat, tutandæ ſaluti veſtræ.* Porro prius dixerat: *ſit veſter miniſter*, quaſi parum nimis ſe dixiſſe videretur, ſubjunxit: *Erit veſter ſervus.*

*Matth. 20. v. 27.*

*Luc. Burg. ibid.*

Prælatus debet eſſe Servus.



*S.Th. ibid.*

Unde S.Thomas ambitioſos monet, dicens: *Si aliquis deſiderat habere primatum in Eccleſia, ſciat quod illud non eſt habere Dominium ſed ſervitutem*; In cujus confirmationem illam adducit ab Apoſtolo factam declarationem: *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci.* Ac proinde Author operis imperfecti valde impensè miratur, neque cauſam ſe invenire poſſe dicit, cur dignitates tam anxiè, tantaque cum aviditate procurentur: *Primatum Eccleſiaſticum concupiſcere, neque ratio eſt neque cauſa, quia neque juſtum eſt, neque utile: quis enim ſapiens ultro ſe ſubjicere feſtinat ſervituti, labori, dolori, & quod majus eſt, periculo tali, ut det rationem pro omni Eccleſia, apud juſtum judicem, niſi forte qui non credit judicium Dei, nec timet, uti abutens primatu ſuo Eccleſiaſtico ſæculariter, convertat eum in ſæcularem.*

*1. Cor. 9. v. 19.*

*Au. Imp. h. cit.*

Prælatura ſplendida Servitus.

4. Imò de ipſis quoque honoribus ſæcularibus & temporalibus jure merito affirmari poteſt, eoſdem quamdam eſſe honoratæ ſervitutis ſpeciem; Etenim tritum eſt illud Antigoni filium ſuum propter authoritatem Dominiumque ſuum intumeſcentem reprehendentis dictum: *An ignoras ô fili, Regnum noſtrum non eſſè aliud, niſi ſplendidam ſervitutem?* Philo Hebræus dum de Joſepho velut ſervo & mancipio quodam in Ægypto divendito: *Vendiderunt eum triginta argenteis*, tractat, ingenioſam quamdam obſervationem in medium adducit, dicit enim: Numquid Sanctus hic Patriarcha diu ante ſomnia illa paſtor fuerat, quæ Patri ſuo palam recenſuit, nimirum quod Sol, Luna & Stellæ ipſum ſumma cum reverentia adoraſſe viſæ fuerint, pariter illis prædicendo, quod aliquando à matre, Patre, fratribus quoque & univerſo populo ſibi deferendum erat honoris eximij obſequium? Quam verò ſervitus & mancipiorum vincula & compedes proportionem habere poſſunt cum principatus authoritate atque dominio, quod ei per ſomnium iſtud cœlitus prædicebatur? Reſpondet autem Philo, ut ſequitur; *Rectè dicimus vendi hunc hominem, nam qui locum ſuperiorem aſcendit, ſicut vænalitius, ſervus fit ex ingenuo, propter honores quos videtur accipere, addicens ſe innumeris Dominis, quoniam non unius eſt Dominium tractantium Rempublicam, ſed plures, alijs poſt alios ſuccedentibus.*

*Ælian. l. 2. var. hiſt. c. 2.*

*Gen. 37. v. 28.*

*Phil. de Joſeph.*

Unde memorandum eſt, quod dum à Pharaone è Carcere eductus Joſeph à compedibus aſcendit ad thronum, traditumque eſt ei in univerſam Ægyptum abſoluti Dominij ſceptrum, ſimul etiam ab eodem Pharaone Rege catena quædam collo ejus injecta fuerit. Poſtquam enim dixiſſet: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris Imperium cunctus populus obediet: uno tantum Regni ſolio te præcedam*; ut omnem quoque authoritatem poteſtatemque regiam ei delegaret: *Collo torquem auream circumpoſuit.* Verum dicat hic aliquis, quomodo ipſum à ſervitute & mancipiorum conditione exemptum, carceris quoque catenis & compedibus liberaſſe dicitur is, qui mox collo ejuſdem aliam non minus ponderoſam & gravem catenam injecit? Ita profectò res ſe habet, verum per hoc inſinuare nobis voluit, quod licet carceribus exire Joſephum juſſerit, non tamen per hoc illum ab omni ſervitute liberum effecerit, quin potius eamdem novis denuò incrementis adauxerit, dum eidem in throno collocato, Imperij ſceptrum in manus dedit, & ideò catenam collo ejus injecit, verum quidem eſt, quod catena hæc aurea fuerit, quia ſervitus, ſub quâ Reges, Principes, & Magnates ingemiſcunt, honorifica & ſplendida eſt, ut diximus, tametſi Seneca optimè dixerit: *Stulti eſt compedes ſuos quamquam aureos adamare.* Porrò libertas per collum liberum exprimitur; Et hinc eſt quod Deus ſignificare volens populum ſuum ſibi minimè ſubjectum, dixerit de eo: *Duræ cervicis es*; dumque ſe Hieroſolymam in priſtinam libertatem repoſiturum eſſe promittere voluit, eidem dixit: *Solve vincula colli tui ... filia Sion*; adeoque quod Pharao catenam quâ antea Joſephi pedes obſtrinxerat, nunc collo ejuſdem injiciat; id nequaquam eâ mente factum eſt, ut eum liberaret, ſed potius ut eidem tacitus innueret, quod eâ in dignitate, graviori quam antea ſervitutis jugo ſubjectus & preſſus eſſet.

*Gen. 41. v. 40.*

*Iſa. 52. v. 2.*

Prælati onera portant ſubditorum.

5. S.Auguſtinus in perſona ſupremi Paſtoris Petri optimè conſideravit, quod quando ei Eccleſiæ primatus collatus fuit, eodem quoque tempore eidem haud obſcuris fuerit verbis intimatum, eum futurum eſſe Eccleſiæ ſuæ fundamentum: *Petre, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quis eſt qui fundamentum univerſum ædificij molem & pondus ſuſtentare ignoret? *Dignus qui ædificandis in domo Dei populis, lapis eſſèt ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad Regnum.* In Apocalypſi legimus: *Qui vicererit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Notum eſt quod columnæ in fabricis non tantum ornamenti loco ſubſerviant, verum etiam & maximè quidem ſint ejuſdem ſuſtentaculum, ita quoque qui in Eccleſia Dei vincunt, id eſt, adverſus mundum, Dæmonem, & ſemetipſos victoriam obtinent, prouti in multis ſæpè Religioſis contingit, dum poſtea ex ſpeciali Dei vocatione animabus gubernandis præficiuntur, eodem quoque tempore inſigne fiunt domus Dei ornamentum, propter vitæ & converſationis exemplaritatem & virtutem, provenitque ijſdem exinde apud unumquemque honos & veneratio; ſciendum tamen quoque illis eſt, quod à portando ingenti laborum, vigiliarum, variarumque ærumnarum ex animarum curâ communiter provenientium pondere, nequaquam ſe exemptos eſſe cenſère debeant: *Sic & mundi rectores in Eccleſia eminent munere dignitatis, portant officio Charitatis*; ac proinde S.Bernardus graviter Prælatos illos reprehendit, qui pungentium verborum aſperitate magna ſubditis gravamina imponere non dubitant: *Quid jugum veſtrum ſuper eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis.*

*Matth. 16. v. 18.*

*S. Aug. ſerm. 25. de ſanct.*

*Apoc. 3. v. 12*

*S. Bern. ſerm. 25. in Cant.*

Probatur figurative de curru Eliæ.

6. Quando S. Propheta Eliſeus de Elia chariſſimo Magiſtro ſuo loquebatur, qui tamquam ſacri Prophetici gregis caput, omnibus Prophetarum filijs ſumma in veneratione erat, dicere ſolitus fuit: *Pater mi, currus Iſraël, & auriga ejus.* Quibus in verbis illud ſpecialiter notandum venit, quod Elias uno eodemque tempore currus pariter & auriga appelletur; Quis eſt qui neſciat, currum & aurigam duas res eſſe inter ſe diſtinctiſſimas, cur igitur reſpectu unius & ejuſdem hominis eaſdem ſimul unit & conjungit: currus viatorum ſarcinas aliaque viarum impedimenta intra ſe portat, auriga verò currum per loca magis pervia ducit & dirigit; ac proinde imaginari vobis debetis hanc veram quamdam figuram eſſe eorum, qui imperant & gubernant, hi enim tametſi leges ſubditis imponendi, eoſque prout illis placet gubernandi & dirigendi authoritatem habeant, cum hoc tamen ſtat, quod eodem prorſus tempore illis neceſſarium ſit, ut pondus ſubditorum portent, miſerijs & calamitatibus ſubditorum univerſalibus & particularibus compatiendo, alimoniæ ſufficientem illis annonam procurando, urbes & oppida fortificando, eiſdemque de munitionibus & militum ſufficienti numero proſpiciendo, atque quieti & ſaluti publicæ invigilando. Unde Drogo Oſtienſis ait: *Currus Iſraël & auriga ejus, portas & regis, ſuſtinens & gubernans.*

*4. Reg. 2. v. 12.*

*Drog. Oſt. de Sacram. dom. paſſ.*

Bonum communitatis innititur bono regimini Prælatorum.

7. Ex unanimi multorum ſacrorum expoſitorum interpretatione certum eſt, quod columna illa quæ populo Iſraëlitico in deſerto ducis & rectoris loco inſerviebat, cœleſtis quidam nuntius fuerit, ad hunc ſpecialem effectum à Deo cœlitus miſſus: at verò dicite ſodes, quamnam ob cauſam Angelus ille columnæ ſimilitudinem induerit? Nimirum quia ut jam diximus columnam ad ædificij pondus ſuſtentandum deſtinatam eſſe ſcimus, ac proinde Angelus ille inſinuare nobis voluit, quod qui populos regendo illiſque imperando, dux & gubernator eſt aliorum, eodem tempore quo à ſubditis obedientiæ debitum accipit; eoſdem quoque portare & ſuſtentare debeat. Evangelicus quoque Propheta Iſaias ad regimen & authoritatem regiam alludit, quando eamdem ſub nomine lapidis fortis, pretioſi, & in fundamento poſiti deſcribit: *Mittam in fundamentis Syon ... lapidem probatum, angularem, pretioſum*; Ubi Chaldæus ita legit: *Ecce ego conſtituam in Syon Regem fortem, potentem, terribilem*; Et quidem ſi proportionem curioſè ſcire peroptatis, quæ inter Regem aliquem potentem, & fabricæ alicujus lapidem fundamentalem intercedit, in memoriam revocandum eſt, quod paulò ante diximus, nimirum, quod lapis iſte totius fabricæ molem & pondus ſupportet; ita quoque ſanitas, pax quies, divitiæ, & quodvis aliud Reipublicæ bonum, in bono Principum & Prælatorum regimine innititur & fundatur. Primus lapis qui in templorum erectione jacitur ſcalpello expoliri, & cum multis cæremonijs & ſolemnitatibus fundamento injici ſolet: ita quoque Magnates ſæculi hujus qui gubernant per morum & converſationis exemplaritatem reſplendere, multaque prudentia, experientia, charitate, cunctiſque alijs virtutibus egregiè dotari eſſe debent, quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis*; tota utique boni publici moles corruitura eſſet, niſi à bono quodam fulcro & baſi ſuſtentaretur, id eſt, niſi populus optimi cujuſdam Principis regimini ſubditus eſſet.

*Iſa. 28. v. 16*

*Did.Stell.in c. 22. Luc. v. 26.*

8. Didacus Stella id quod Chriſtus in Evangelio S. Lucæ dicit, nimirum : *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor*, examinans ita ſcribit : *Si hæc animo ambitioſi caperent, atque conſiderarent, quod qui magis ad honores & dignitates extolluntur, eo magis ad virtutem ſectandam tenentur ; non eſſet tanta cura & ſolicitudo in illis inveſtigandis.* Doctiſſimus Salmeron curioſè examinat ; an lotio pedum à Chriſto in ultima cœna facta, ſecuta fuerit an verò præceſſerit eam, quam Apoſtoli inter ſe habuerunt de primatu contentionem; Tandem verò quocumque horum modorum lotio hæc facta fuiſſe dicatur, aliquas inde non ſpernendas moralitates deducit : Etenim ſi præceſſit, *optimè humili illo facto ablutionis ; & duobus exemplis quæ modo adducit, contentionem dictam reprimere conatus eſſet ; ſi verò hujuſmodi lotionem ſubſecuta eſſet contentio ( quod magis probamus ) egregiè oſtenditur, quàm ſit mens humana ſtupida, & immemor divinæ doctrinæ ; etiam dum traditur, mirabiliſque fuit contentio, cum Dominus ablutione pedum, & tali cibo æquales omnes feciſſet.*

*Salm. t.9. tr.25.*

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

**Honores ambientibus omnia periculorum & moleſtiarum genera occurrunt ; Eſtque inſuper vana omnis eorum fiducia, quâ viris Principibus innituntur.**

### THEMA.

*Dicunt ei poſſumus.* Matth. cap. 20. ṽ. 22.

Ambitioſi ad omnia animoſi.
*Matt. 20. 22*

1. SAlvator noſter duobus illis ambitioſis fratribus qui primas in Regno ſuo ſedes ab eo popoſcerant, reſpondit : *Poteſtis bibere calicem ; quem ego bibiturus ſum ?* Ipſi verò promptè & ſine ulla hæſitatione reſponderunt. *Poſſumus* ; non expectarunt, donec ab eo intelligerent ſua viſne an amarus calix iſte futurus eſſet; Item an plenus futurus eſſet aqua vel vino, aut verò nectare vel abſynthio ; quia ambitioſus hanc indolem habet, quod ad omnia animoſus evadat. De Agrippina Neronis matre ſcribitur, quod, dum cupida eſſet ſciendi, num filius ejus ad Imperij ſceptrum ſubvehendus eſſet, an verò non, Aſtrologi eidem reſponderint : *Fore ut imperaret, matremque occideret; at illa : Occidat, dum imperet.* S. Thomas de villa nova exiſtimat, quod filij Zebedæi dicendo : *Poſſumus*, dicere voluerint: *Omnes labores, omnes ſudores, tormenta & mortem ſuſtinebimus, dummodo tecum regnemus. Divitias quas cum tanto ſudore acquirunt, & tam dilectas, & ſalutem & vitam, ſi caſus honoris ſe offerat, omnia libenter exponunt.* Paulus de Palatio ſuper verbum *Poſſumus* ; ſcribit : *Verbum eſt humanæ ſuperbiæ.*

*Tacit. l. 14.*
*S. Th. Vill. ſer. de S. Jac.*
*Paul. de Pal. ibid. in Matt.*

Multi laborant ob vanã gloriam.
*Gen. 11. v. 3. 4.*

2. Geneſeos c. 11. multi ſunt qui concordibus votis cretam & lutum aqua ſubigere, lateres facere, eoſque in vicinis fornacibus ardentibus excoquere, murarij officium adimplere, & indefeſsè laborare promittunt, *Dixitque alter ad proximum ſuum : Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento. Et dixerunt : venite, faciamus nobis Civitatem & turrim.* Num fortè ideò laborare & in luti laboribus inſordeſcere voluerunt, ut quamdam ſibi Civitatem ædificarent ad habitandum in ea, aut verò turrim hanc decreverant erigere, ut inſidias inimicorum & hoſtium in ea poſſent eludere ? Nequaquam, quin imò omnis hæc moleſtia, cunctique longi & indefeſſi labores ad gloriam dirigebantur mundanam : *Celebremus nomen noſtrum* ; Hi igitur ſunt, qui primum dederunt Babyloniæ principium.

Differentia inter operarios cœleſtes & mundanos
*3. Reg. 18. v. 25.*
*Step. Cant. ibid.*

3. Legatis obſecro illud à Magno Elia initum conſilium, quo duos boves ſacrificari, eoſque per medium ſecari volebat, ut demum quiſnam verus Deus eſſet, dignoſci poſſet. Steph. Cantuar. hiſtoriam hanc adducit, ut differentiam pulchram aſſignet, quæ inter eos qui pro cœleſti gloria labores ſuſtinent & fatigationes : & alios qui eoſdem pro mundi gloria captanda devorant : *Deus habet ſuam victimam, Diabolus ſuam ; Qui enim macerant ſe & labores ſuſtinent, ut ſuperiores efficiantur in hoc mundo, ſunt bos interfectus à Prophetis Baal, qui ſuperior interpretatur.* Et quidem de falſis illis temporibus dicitur : *Incidebant juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine :* De ambitioſis verò ait S. Bern. *O ambitio ambientium Crux ; qui verò pro Deo ſe mortificant, ſunt bos mactatus ab Elia.* Hi ſupra ſe ignem Spiritus Sancti deſcendere faciunt, efficitque ut quales ipſi ſint, perſpicuè agnoſcere valeant; Experientia enim ipſa teſtatur, quod multi amariſſimos calices ebibant, & tametſi nos illos Chriſti calicem ebibere credamus, vere tamen Dæmonis epotarunt calicem. Tertullianus multorum ambitioſorum labores hunc in modum delineat : *Illos qui ambita obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodi animæ & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumelijs omnibus inniti in cauſa votorum ſuorum, nullis convivijs celebres, nullis commeſſationibus congreges, ſed exules à libertatis & lætitiæ felicitate ;* omnes eorum mortificationes, pœnitentiæ, ſolitudines eo dumtaxat ſpectant, ut talem ſibi apud homines famam nomenque comparent, qui ſuperioritatibus adminiſtrandis digniſſimi exiſtant.

*S. Bern.*
*Tertull. de pœnit. c. 11.*

Superbi omnia poſſunt.
*2. Reg. 4. v. 7. & 8.*

4. Videatur obſecro infelix illa mors, quam peſſimi illi Homicidæ Isboſeth machinati fuere, cui dormiente ancilla oſtiaria caput amputarunt : *Abierunt per viam deſerti tota nocte, & attulerunt caput Isboſeth in Hebron.* Quis hîc non videt manifeſta quibus ſe expoſuerunt vitam amittendi pericula; meritò namque formidare poterant, ne in ipſiuſmet Isboſeth domo ab ejus ſervis trucidarentur; Per vaſtam quoque denſamque ſolitudinem pertranſeuntes à latronibus occidi metuere poterant. Denique ajentes Davidem mortem intuliſſe ijs, qui ſe Saülem occidiſſe fingentes, regia Saülis inſignia ad eumdem detulerant; idem quoque ſupplicium metuere debebant, ſicuti de facto illud fuere experti ; & tamen quia ſe exaltandos & promovendos eſſe ſperabant, ideò nullam habuerunt periculi ullius ſibi imminentis rationem aut reſpectum, quia ſuperbis proprium eſt quævis imminentia pericula contemnere & dicere, *Poſſumus.* Unde Abulenſis ait : *Putabant ſe aliquid magnum afferre, pro quo reciperent larga beneficia à Davide.*

Nec periculum curant.
*Abul. q. 9.*

Indefeſſi operarij multã ut honores acquirant.

5. Author quidam Modernus in lib. quodam à ſe edito, cui titulus eſt : Sapiens ſervire neſcit, ita ſcribit : Quis labores recenſere poterit ſuperbi alicujus, quos adhibere ſuevit, ut incenſa illa aſſequi poſſit, a quibus nil præter ignem mereri, nec quidquam præter fumum experiri poterit ? Medietas ſudoris, quem tales impendunt, ut ab uno Inferno ad alium Infernum traduci poſſint, ſufficeret ; imò ſuperabundè ſufficeret, ut ijdem ad parem, quâ Seraphinus in cœlis gaudet, gloriam pertingere poſſent. Veriſimile eſt, quod quando Mater filiorum Zebedæi Chriſtum non alio fine ſequebatur, quam ut filios ſuos ad ſublimiores in Regno Chriſti ſedes promovere poſſet, & quando filij à principio, dum in Chriſti ſe ſocietatem junxerunt, eumdem quoque finem habebant ſibi propoſitum, Pater eorum quem dereliquerant, extremam paſſus fuerit penuriam & neceſſitatem, imò tota ipſorum domus, magnum inde paſſa fuerit detrimentum ; maximè quando paucu-las familiæ ſuæ facultates Chriſto & diſcipulorum ejus collegio ſuſtentando impendebant; nec tamen primis quas ambiebant temporalibus ſedibus umquam potiti fuerunt ; Et ideò minimè mirandum eſt, ſi idem quoque ambitioſis eveniat, qui tota die nil aliud ex cunctis laboribus & impenſis ſuis, quam honores temporales ſectantur & prætendunt ; illi enim domum ſuam propriam, patriam, amicos, delitias, voluptates, poſſeſſiones ſuas deſerunt, & in Regionibus longinquis & exteris ex Dominis, quales domi propriæ erant, ſervi fiunt & mancipia viliſſima. Unde Maſcardus de ambitioſi alicujus aulici cæcitate optimè ſcribit, dum ait, quod talis reipſa & de facto fidem ſibi facere & promittere audet, quod per ſervitutem tandem aſſecuturus ſit Dominium & Imperium, & ideò pauperem ſe efficit, ut diteſcat, liberaliter donat ut accipiat, ſeſe humiliat & dejicit, ut tandem exaltetur, laboribus ſe conſumit, ut quieſcat, ſpem longinque poſitam, bono præſenti anteponit, prætenſiones actuali fruitioni & poſſeſſioni, promiſſiones ſecuritati, totaque die aliud nihil facit, quàm quod propriam vitam conſumat, credens quod hoc pacto eamdem meliorare poſſit ; hactenus Maſcardus.

NB.

6. S. Bernardus in ſerm. quodam de Aſcenſione Domini ita ſcribit : *Conetur quis aſcendere in montem poteſtatis, quantos putas contradictores habebit, quantos inveniet repulſores, obſtacula quanta, quam difficilem viam ? Quod ſi tandem eum adipiſci contigerit quod optabat ? [ Potentes, ait Scriptura, potenter tormenta patientur. ]* Et tamen ambitioſus omnes facile ſuperat & tranſcendit difficultates : nec animo facile linquitur, ſed ſemper dicit : *Poſſumus* ; & quoſvis amariſſimos licet calices ad fundum uſque exhaurit. Didacus Stella adverſùs iſtos ingenioſum quemdam texit diſcurſum, omnes

*S. Bern. ſer. 4. de aſcenſ.*
*Sap. 6. v. 7.*
Ambitioſus omnia ſuffert.



*Did. Stell. in c. 22. Luc.*
*1. Cor. 13. v. 4.*

omnes illis occurrentes labores, vigilias, curas & anxietates diligenter examinando. Dicit igitur : *Eorum arrogantia atque ambitio comparatur ſimulatæ, fictæ, ac perſonatæ charitati :* Adducto illo Apoſtoli textu, in quo multos deſcribit charitatis effectus, ulterius progreditur dicens: [*Charitas*, inquit Paulus, *patiens eſt*,] *ſic iſti omnia patienter ſuſtinent, dum non poſſunt evadere voti compotes, uſque dum aliquid boni vacet : Charitas benigna eſt ; ſic ambitioſus omnibus placere amicabiliſque reddi ſtudet, omnibus caput aperit : Charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuſtinet ; omnia hæc ambitioſus facit, quia multa ſufferi propter propriam ambitionem, credit omnia, quod poſſit ſcilicet eſſe Archiepiſcopus, Rex, Papa, & quidquid ſibi imaginatur : & omnia ſuſtinet, calorem, frigus, vigilias, adverſam & injuſtam vitam, & injuriam.*

Ambitioſus ſe omnibus accommodat.

7. Ambitioſus ille aulicus apud Senecam, interrogatus aliquando quid faciendo in aula adeo incanuiſſet ? Reſpondit : Id factum eſſe, *Injurias accipiendo & gratias agendo.* Apoſtolus de ſemetipſo ait : *Omnibus omnia factus ſum :* quem inique licet æmulari ambitioſus contendit, hic enim in omnibus quæ facit ; uniuſcujuſque ſe genio accommodare nititur, ut tandem prætenſionum ſuarum metam aſſequatur. Unde Innoc. III. ait : *Ambitioſus humilitatem ſimulat, honeſtatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem oſtendit, ſubſequitur, & obſequitur, cunctos honorat, frequentat curias, viſitat optimates, aſſurgit & amplexatur, applaudit & adulatur.* Quot ſunt qui ſola dignitatum, ad quas aſpirant, acquirendarum ſpe lactati, annos, ſanitatem, denarios & omnia ſine ullo fructu conſumunt ? Unde Salvianus ait : *Ut acquirant quæ non ſunt ſua, prodigant quæ ſunt ſua.* Idemmet Innocent. eodem in loco timidum nobis ambitioſum hoc modo deſcribit : *Ambitioſus ſemper eſt pavidus, ſemper attentus, ne quid dicat, vel faciat, quod in oculis hominum valeat diſplicere :* At verò quando poſtea ſubliniores dignitates eſt aſſecutus, tunc pridem vel maximis eſt periculis expoſitus : *In Palatio* inquit S. Auguſt. *quid non fragile, plenumque periculis ? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum ?*

*Innoc. III. de cont. mundi c. 26.*
*Salv. l. 1. ad Eccl.*
*S. Aug. l. 6. conf. c. 6.*

*Matt. 20. 22.*
*Pſal. 145. v. 2*

8. Merito igitur Chriſtus, qui duos hoſce diſcipulos amabat, ijſdem dixit : *Neſcitis quid petatis* : quia ambitio intellectum excæcans, conveniens ab inconvenienti diſcernere minime permittit : *Nolite confidere in Principibus, in quibus non eſt ſalus.* Probatica illa piſcina aulicam vitam aptiſſimè præfigurabat : Etenim juxta illam è tam ingenti infirmorum numero unus dumtaxat ſanabatur, non obſtante, quod omnes firmiſſimam recuperandæ ſalutis ſpem haberent : ita quoque in aulis dignitate aliqua vacante multi ſunt bene meriti prætenſores, unuſquiſque proinde ſperat, verumtamen in fine unus dumtaxat conſolationem accipit, cæteris omnibus deluſis remanentibus : A Salvatore quoque juxta eamdem piſcinam unus per miraculum priſtina fuit ſanitate donatus, hic autem triginta octo annis languidus in lecto decubuerat : ita quoque tametſi contingat quod aliquis prætenſionum ſuarum portum extraordinario modo aſſequatur, id tamen forte accidet, poſtquam omnes fere ætatis ſuæ annos in laborioſo quodam ſervitio conſumpſerit.

Aulæ figura probatica piſcina.
*Joan. 5. 4.*

Ad decrepitã ætatem ſerviunt ambitioſi: ſed inde quid?
*2. Reg. 19. v. 34. & 35.*
NB.

9. David Berzellai annis decrepitum in regiam ſuam quidem invitavit, ut ibidem ijſdem quibus Rex Iſraël frueretur cupedijs atque delitijs, qui tamen ſeſe excuſavit, dicendo : *Quot ſunt dies annorum vitæ meæ, ut aſcendam cum Rege in Jeruſalem ? Octogenarius ſum hodie, numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave aut amarum, aut delectare poteſt ſervum tuum cibus & potus ?* Quot ſunt obſecro, qui tunc pridem pane abundare incipiunt, quando ad eum maſticandum dentes non habent? vel quod idem eſt dicere, quot ſunt qui ad dignitates tunc primo pertingunt, quando in decrepita ætate conſiſtentes quiete & tranquillitate tàm corporis & animi opus habent ? Atque ideo Chriſtus huic matri petenti : *Dic ut ſedeant hi duo filij mei*, reſpondit : *Neſcitis quid petatis.* Ubi Innocentius III. ait : *Meruerunt audire : Neſcitis quid petatis, non enim honore, ſed onere pervenitur ad regnum.* In dignitate namque conſtituti humeros ſuos oneri regiminis ſubmittere, non vero ſedendo quieſcere debent. S. Bernardus illos qui priuſquam ſe per labores defatigarint, in thronis quietè & ſuaviter ſedere volunt, Lucifero ſimiles eſſe dicit : *Sedebo in monte Teſtamenti*, inquit, ſpiritus ille nequam, non verò item Angeli boni : *Hi enim cadente maligno, Apoſtaſiæ illius non conſenſerant ; nobis relinquentes exemplum, ut quemadmodum illi elegerunt miniſtrare, ſic & nos faciamus, nam illi qui laborem fugiunt & honorem captant, illum ſe noverint imitari, qui ſeſſionem altitudinemque quæſivit ; Et ſi non ſatis terret eos illius culpa, terreat vel vindicta.*

*Matth. 20. 21*
*Innoc. III. de cont. mundi l. 2. c. 15.*
*S. Bern. ſerm. de S. Ben.*



Magnates præ alijs in periculis.
*Aut. Imp. hom. 2.*

10. Quotidiana nos docet experientia, quòd ventorum proceloſorum furia magis ſentiatur in locis eminentibus & elevatioribus, quàm in vallibus aut planitie. Author operis Imperfecti ſuper illa verba : *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt*, ita ſcribit : *Semper grandis poteſtas majori timori ſubjecta eſt, ſicut acumen arborum in excelſo poſitarum, etiamſi lenis aura flaverit, movetur ; ſic ſublimes homines in culmine dignitatum exiſtentes etiam levis nuntij fama conturbat ; Conturbati ſunt Principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor.* S. quoque Hieronymus dicit : *Regum talis conditio, feriuntque ſummos fulmina montes.* Is qui in exercitu cunctis alijs ſupereminet, non ſolum propter authoritatem, verum etiam ob ſtaturam vel armorum ſplendorem & ornatum, inter alios primus erit qui ab hoſte conſpicitur vel vulneratur : eadem quoque Magnatum conditio eſſe noſcitur, qui præ cunctis alijs inſidijs mortiſque periculis ſubjiciuntur. Eodem tempore quo Scriptura Sacra ob oculos nobis ponit Antiochi faſtum & arrogantiam, dicens : *Is qui ſibi videbatur ... fluctibus maris imperare* ; mox illum *ſimul & ſemel* velut cadaver quoddam fœtore & ſcaturienti, ex omni corporis parte vermibus horridum repræſentat.

*S. Hier. ad Helio.*
*2. Mac. 9. v. 8.*

Arca Noë figura potentum.
*Gen. 6. v. 16.*

11. Arca illa à Noë Patriarcha fabricata myſterijs plena fuit, ſiquidem architectus illius Divina extitit ſapientia, fuitque ſecundùm præſcriptas à Deo menſuras regulatiſſimè abſoluta ; Inter cætera verò quæ in eadem arca conſiderari poſſunt, ſciendum eſt, quod cuncta Arcæ illius conclavia ſive manſiones, earumque interſtitia in arcæ vertice in unicum ſe cubitum conterminarint ; tametſi moles arcæ adeò vaſta eſſet, ut centum anni in ea elaboranda conſumpti fuerint ; quæ proinde univerſum aliquod in ſinu ſuo dici poſſet includere. Cur autem Deum arcam iſtam adeò anguſto voluit ſpatio terminare ; *In cubito conſummatis ſummitatem ejus ?* quodnam exiſtimatis hujuſce rei fuiſſe myſterium ? S. Ambroſius in ea eſt opinione, Arcam hanc corpus præfiguraſſe humanum : *Arcam Noë ſi quis velit impenſius conſiderare, inveniet in ejus ædificatione deſcriptam humani corporis figuram.* Indicare nimirum nobis voluit, quod quantumvis homo in hoc mundo potens exiſtat, imò licet auguſtiſſimus quidam Monarcha ſit, tota tamen ipſius Majeſtas cubito dumtaxat unico terminetur, id eſt, in modico ſolum pulvere. *Gloriam meam in pulverem deducam*, dixit olim Rex quidam valde magnificus.

*S. Ambr. de Noë & arca c. 26.*
*Pſ. 7. v. 6.*

*Juſt. l. 18. Hiſt.*
Hiſtoria.

12. Juſtinus Hiſtoricus refert, quod per pronuntiatam ab oraculo ſententiam talem aliquando Regem eligendum eſſe ſtatutum fuerit, qui primus omnium Solem orientem conſpexiſſet, factumque inde eſſe, quod omnes ſuos Orientem verſus oculos deflexerint, unico dumtaxat excepto qui ut altiſſimorum montium cacumina, quæ omnium primo à Sole oriente irradiari ſolent, aſpicere poſſet, occidentem verſus oculos ſuos defixit, atque ideo quia in Solis luce conſpicienda primus fuit, idemmet votis omnium Rex proclamatus fuit : E qua Hiſtoria non ſine rationabili fundamento hæc poteſt deduci optima moralitas, nimirum, eos qui dignitatum non Orientem, id eſt delitias, honores, theſauros, imperia & dominia reſpiciunt, ſed Occidentem, id eſt terminum in quem tandem in fine reſolvendi ſunt conſiderant, humilitatem in ſe conſervare & modeſtiam, ſeque ad illarum legitimam adminiſtrationem meritiſſimos reddere, maximeque idoneos. Unde S. Greg. ait : *Lux miſeris datur, quando qui ſe in hac peregrinatione miſeros agnoſcunt, claritatem tranſitoriæ poteſtatis accipiunt, & tolerare inſuper honoris onera compelluntur.* S. Petr. Damianus ſuperbos ad Magnatum mauſolæa ſpectanda hiſce verbis invitat : *Ubi ſunt modo tot potentes ſæculi, tot invictiſſimi Reges, qui cælo videbantur ſuperextolli, & totam penè mundi latitudinem ſub ſuæ poteſtatis imperio poſſidere ? Nonne ſi ad horum ſepulchra reſpicias, corpus illud, ſub quo mundus tremere cogebatur, vix unius libræ pondus invenitur ?*

*S. Greg. l. 34. mor. c. 2.*
*S. P. Dam. l. 7. ep. 17.*

Spes non ponenda in principibus.

13. Propheta Regius poſtquam nos ne ſpem noſtram in ſæculi hujus potentatibus præſumptuosè nimis fundaremus, monuiſſet dicendo : *Nolite confidere in Principibus* ; ejuſdem ſui moniti rationem protinus ſubjunxit, dicens: *Exibit ſpiritus ejus & revertetur in terram ſuam :* Verum inquies, poſt mortem eorum

quid futurum erit ? Nimirum omnia conſilia & propoſita , quæ huic fuerunt fulcro innixa , exterminabuntur : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* In Deuteronomio legimus : *Ubi ſunt Dij eorum , in quibus habebant fiduciam ?* Quæ verba ambitioſis aulicis applicari poſſe videntur , utpote qui toto vitæ ſuæ tempore Principibus , ut ab eis exaltentur inſervire ſatagunt : *De quorum victimis comedebant adipes , & bibebant vinum libaminum : ſurgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.*

*Pſalm. 145. 4. Deut. 32. v. 37. Ibid. v. 38.*

Sed in Deo in cujus domo manſiones multæ, *Dan. 4. v. 11.*

14. Per immenſam illam Nabuchodonoſori in ſomnio repræſentatam arborem , Monarchia ejuſdem Regis præfigurata fuit, ſimulque ejuſcemodi verba pronuntians vox audita fuit : *Succidite arborem , præcidite ramos , diſpergite fructus , fugiant beſtiæ.* Et quidem quotidiana experientia nos in morte Principum docet , & quaſi digito commonſtrat , qualiter ſpes omnium illorum , qui ſub umbra Principum conquieſcentes vivunt, una cum ipſiſmet morientibus Principibus pariter emoriantur & evaneſcant : *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius, qui fecit cælum & terram.* Hoc fulcrum numquam vacillare, neque nos à fide promiſſionum ſuarum defraudare ullatenus valet : *Cælum & terra tranſibunt : verba autem mea non tranſibunt. Ij qui in ſtadio currunt , omnes quidem currunt , ſed unus accipit bravium :* Dignitas & Prælatura ad quam aſpiratur , unica dumtaxat eſt, multi autem ſunt prætendentes, quia mundus egenus & pauper eſt, non vero Deus , qui vaſtiſſimum Regnum habet, & omnes ad illius inveſtituram & poſſeſſionem admittit, ſine ulla Regni ſui diminutione. Mundus autem omnibus ſimul ſatisfacere nequaquam poteſt. Unde Chryſoſt. ait : *Univerſus mundus accedat , non enim conſumitur gratia, neque deficit virtus , ſed eadem ſemper manet , non enim alterius diteſcimus damno.* Et ideo Petr. Chryſolog. non immerito obſtupeſcit , quod noſtram ambitionem non in Regnum cœlorum , ſed in terram dirigamus : dicit enim : *Quid eſt, quod permanſura non ambiunt, qui ambiunt tranſitura ? Quid eſt , quod caducos honores auro comparant , & nolunt gratis accipere ſempiternos ?* Ob eamdem quoque cauſam S.Gregor. nos ad ſpem noſtram in gloriam ſtabilem & veram reponendam, jure hiſce verbis exſtimulat : *Si culmen veri honoris quæritis, ad cæleſte regnum tendite : Si gloriam dignitatum diligitis , in illa ſuperna Angelorum curia adſcribi feſtinate.*

*Pſ. 145. v. 5. Luc. 21. v. 33. 1. Cor. 9. v. 24. Chryſ. ho. 55. in Joan. S. Chryſoſt. ſerm. 144. S. Greg. h. 7. in Evan.*

## DISCURSUS XVIII.

## ARGUMENTUM.

Ambitionis contagium ad omnes , etiam viros perfectiſſimos transfunditur ; idque verum eſſe exemplis nonnullis commonſtratur : indicaturque quæ Prælaturis obligatio & periculum adhæreſcat.

### THEMA.

*In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum , dicentes : Quis putas major eſt in regno cælorum.* Matth. 18. ℣. 1.

Ambitioſi plurimi etiã pauperes.

1. VAlde conſiderabilia ſunt verba illa , quæ S. Evangeliſta non ſine myſterio magno verbis aſſumpti thematis adjecit, nimirum : *In illa hora*, quaſi diceret indilatè; mox enim ut Apoſtoli omnes, nemine excepto quoad ſuperioritatem , præeminentiam, & primatum inter ſe contenderent, hanc Magiſtro ſuo Quæſtionem propoſuerunt : Porrò hujuſce contentionis occaſio hæc fuit , quia ſcil. Chriſtus paulò ante Petro , tributum pro ſemetipſo & Petri perſona ſolvere præcepit, nulla facta aliorum diſcipulorum mentione: tunc igitur ſubito , ambitionis pruritus illos titillare cœpit , atque ideo Evangeliſta Matthæus immediate ſubjungit : *In illa hora :* Verumtamen ut optime Cajetanus notat, Salvatorem de hac ipſorum notitia certiorem factum fuiſſe, notitiamque habere , haud parum erubeſcebant , ideòque ita univerſaliter & generice tantum hanc ei Quæſtionem propoſuerunt, dicentes : *Quis putas* &c. *Diſcipuli hinc erubeſcentes loqui de primatu inter ſe , inde ſtimulante Paſſione mutant, ſeu honeſtant quæſtionem: & non quærunt, quis eſt maximus inter nos , ſed in regno cælorum ?* Ecce igitur qualiter hic ſuperioritatis , & Prælationis pruritus etiam ſe in viles, pauperes, & idiotas piſcatores transfundat: Neque tamen id cuipiam mirum eſſe videatur : ſiquidem, ut Hildebert. ſcribit : *Superbia natione cæleſtis ſublimes appetit mentes , & velut ad proprios revolans ortus , in gloriam & puritatem irrumpit hominum , quæ à gloria & puritate prorupit Angelorum.*

*Cajet. in Matth. Hildebert. ep. 31.*

2. De inimico noſtro infernali in Geneſi dicitur : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ :* Atque ideo Perſonas in virtutibus & vitæ perfectione habituatas , per carnales tentationes, & ſuggeſtiones ſenſualitatis aggredi non audet , quia è veſtigio ſe ab illis repellendum eſſe cognoſcit : Et idem eſt de odij, avaritiæ, gulæ aliorumque ſimilium vitiorum ſuggeſtionibus : at verò gloriam & honorem ut concupiſcant, eiſdem ſuadere nequidquam dubitat. Unde Chryſoſt. ait : *Pecunias quidem facile quiſque contemnet : Porro honoris eſſe negligentem , maximo labore indiget : Magnæ Philoſophiæ & animæ cujuſdam Angelicæ, & quæ ipſum verticem cardinis cæleſtis attigerit , certum argumentum.* David qui non opera & induſtria ſua , ſed divina voluntate à virga paſtoritia ad regium Iſraëlis ſceptrum aſſumptus fuit , quique in hoc ſublimi honoris culmine , tanta cum modeſtia & humilitate ſe continuit, attamen quam vehementer homini lenocinetur ingens ille dominandi pruritus , probe cognoſcens , in primi Pſalmi ſui exordio beatum prædicavit illum qui ſe ab hoc ambitionis pruritu ſeduci , aut perverti minime permittit : *Beatus vir qui ... in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Porrò S.Hilarius per hanc peſtem, ambitionem intelligit , utpote quæ inſtar peſtis unumquemque indifferenter & magna cum facilitate inficit : *Multos etiam in metu Dei conſtitutos , ſæcularium tamen honorum ambitio corrumpit* ; quibus verbis , ut patet , perſonas quoque timoratas & ſpirituales hoc contagio affici clarè proteſtatur.

*Gen. 3. v. 1.* Ambitio peſtis eſt quæ facile inficit quemvis. *Chryſoſt. h. 2. in ep. ad Tit. Pſ. 1. v. 1. S. Hil. in Pſ. 1.*

3. Etenim ambitio ſuam è cœlo originem habet : *Tu Cherub, ... poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti, Perfectus in vijs tuis :* Superbus vero hic Spiritus , prout in Iſaia legimus, conditione & ſtatu ſuo minime contentus , altius aſcendere , & Creatori ſuo æqualis eſſe præſumpſit : *In cælum conſcendam :* ubi Dionyſ. Carthuſ. ait: *Id eſt, tantæ excellentiæ ſum, ut non ſolùm inferioribus præſidere , ſed in cæleſtibus quoque dominari dignus exiſtam, ſedebo, id eſt , regnabo.* Porro certiſſimum eſt , quod tamquam creatura in conditionem ſeu ſtatum ſubliniorem exaltari nequaquam poterat ; cum enim totius Paradiſi pulcherrimus Angelus creatus fuerit , quò ulterius conſcendere poterat ? *In cælum aſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum ?* Ecce ipſiſſimam ambitioſi hominis naturam, quæ numquam contenta quieſcit ; Quod dicit , *Aſcendam, tumor fuit ambitionis* , inquit Rupertus Abb. Tuit. *ſic ambiebat aſcendere in cælum , ut cæli teneret imperium, ut adoraretur tamquam Deus, & Dominus Angelorum.*

*Ezech. 28. v. 14.* Ambitio Luciferum perdidit. *Iſa. 14. v. 13. Dion. Cart. ibid. Rup. Abb. l. 1. de vict. ver. c. 10.*

4. Neque ambitioſi hujus ſpiritus malitia hic ſubſtitit, ſed venenum iſtud mox quoque in protoparentes , etiamnum in Innocentiæ ſtatu conſtitutos , evomere non dubitavit, dum illis illud, *Eritis ſicut Dij*, inſinuavit, ut hac ratione illos ſuas ad pomum vetitum manus extendere faceret: Neque doloſus iſte conatus omnino ipſi in vanum ceſſit, aut irritus fuit, quia non obſtante , quod abſolutum ſuper omnia animalia dominium & poſſeſſionem haberent , attamen ſe ulterius progreſſuros , ſupremæque Majeſtati pares futuros eſſe ſperarunt : ſed quid mirum ? Si quidem prouti S.Greg. Nyſſ. hiſce verbis notavit : *Ad ſolius hominis fabricationem, creator ille rerum cum quadam conſideratione accedit, nam naturam noſtram condidit, velut inſtrumentum quoddam regno adminiſtrando aptum.*

Primos parentes ſeduxit. *Gen. 3. v. 5. S. Greg. de op. hom. c. 4.*

5. Idem quoque ad Apoſtolicam ſe innocentiam transfudit, effecitque ut præter arrogantem illam Jacobi & Joannis de occupandis primis ſedibus propoſitam petitionem , inter omnes pariter alios Apoſtolos magna pro primatu inter illos habendo contentio fuerit : *Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.* Verùm dicat aliquis : Numquid omnes Apoſtoli, illius Magiſtri diſcipuli erant , qui continuo tanta cum ſolicitudine omnibus ad ſui imitationem humilitatis virtutem inculcabat : *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde ?* Reſpondeo , totum hoc verum eſſe : attamen prout S. Auguſt. ſuper illa verba : *In cathedra Peſtilentiæ* , ſimiliter per eamdem cathedram ambitionem hiſce verbis intelligens : *Cathedra peſtilentiæ rectè ambitio intelligitur , quia non ferè quiſquam eſt, qui careat amore dominandi* ; optimè notavit , Apoſtoli tametſi piſcatores eſſent , tametſi ſcholæ cujuſdam adeo ſanctæ & perfectæ ſcholares eſſent , hanc tamen peſtem nequaquam adeo cavere potuerunt , quin

Apoſtolos obcæcavit. *Luc. 22. v. 24. Matth. 11. v. 29. Pſalm. 1. 1. S. Aug. in Pſ. 1. v. 1.*



quin eadem non quadantenus inficerentur, adeo etiam, ut antequam ſuper illos adveniſſet , eoſque chariſmatibus ſuis repleſſet Spiritus Sanctus , videatur unum ex motivis , cur ſe in Chriſti diſciplinam receperint, fuiſſe majorem in honoribus progreſſum , quod vel inde colligitur , quia duo illi diſcipuli in mœſtitia pleni poſt mortem concedebant , ſe ſpe ſua deluſos eſſe quam maximè dolebant : *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël:* Imò quando illum in procinctu eſſe videbant, ut in cœlum evolaret , quaſi ſpe ſua deluſi & fruſtrati eum interrogarunt : *Quando ... reſtitues regnum Iſraël :* Neque hoc ullatenus mirandum venit , ſiquidem promiſſum Meſſiam temporaliter inter eos gubernaturum eſſe omninò ſibi perſuadebant : Unde doctiſſimus Salmeron ait : *Vide etiam quanta ſit hominis ſuperbia & ambitio, & quò tandem progrediatur, nam piſcatores pauperculi regnum affectabant, aut ſaltem primas ſedes in regno.*

*Luc. 24. v. 21. Act. Ap. 1. v. 6. Salm. t. 4. tr. 27.*

Judæi S. Joannem in ambitionis vitium inducere volebant.

6. Notum eſt omnibus qualiter S. Joanni Baptiſtæ à Scribis , Phariſæis & Sacerdotibus oblata fuerit dignitas Meſſiatus: verumtamen quærendum hic venit, quomodo prædicti Scribæ & Phariſæi, &c. non timuerint , ne forte S. Joannis Baptiſtæ integritas ejuſque in vitijs reprehendendis magna libertas , continua ijs futura eſſet vitæ ipſorum cenſura , & quædam ut ita dicam , ſpina in oculis , utpote qui tantarum ſibi iniquitatum commiſſarum conſcij erant; potius cum mundanis illis licentiosè viventibus dicere debuiſſe videntur : *Circumveniamus ... juſtum quoniam ... contrarius eſt operibus noſtris , & improperat nobis peccata legis.* Verumtamen facilis eſt ad hanc difficultatem reſponſio , ſiquidem Scribæ illi & Phariſæi omnino ſibi perſuaſum habebant, quod per hujuſce adeo ſublimis dignitatis , Meſſiatus nimirum & divinæ filiationis ſpontaneam oblationem, D. Joanni Baptiſtæ os occluſiſſent , ne ipſorum iniquitates ijs exprobraret , ſive quod ejus obvelaſſent oculos, ne eaſdem videre poſſet: vel etiam dici poteſt, quod ſperarint , S. Joannem in ſupremo illo humanæ excellentiæ ſtatu poſitum , inter tot multiplicia totius Judeæ obſequia, de ſolitis ſuis rigoribus & auſteritate tantiſper remiſſurum eſſe.

*Sap. 2. v. 12.*

Dæmon Chriſtum.

7. Verumenimvero quis non admiretur ſeu potius obſtupeſcat, dum audit, quod ſuperbus ille Lucifer, cum ipſomet etiam Dei Filio per cunctorum totius mundi regnorum oblationem luctari , & in ambitionis pruritum inducere præſumpſerit ? S.Hilar. ſcribit : *Igitur adversùs Dominum tota jam ſæculi poteſtate pugnatur , & creatori ſuo poſſeſſio hujus univerſitatis offertur, & tenens ordinem fraudis antiquæ, quem nec cibo pellexerat, nec loco moverat , nunc vel ambitione corrumperet.* Non deerant quidem Dæmoni multa clara & indubitata heroici omnium bonorum terrenorum contemptus à Chriſto exhibita teſtimonia : Verumtamen, ut S. Ambróſ. bene obſervavit: *Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria , nulla avaritia ſubruere , facit ambitio crimino ſos.* Iſid. Peluſ. illa Apoſtoli ad Philippenſ. ſcribentis verba: *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*; ponderando dicit: Quod tametſi multi fuerint fidei noſtræ articuli qui Philippenſibus ad credendum admodum videbantur eſſe difficiles, & fere incredibiles, inter omnes tamen nullum fuiſſe fidei articulum , qui difficiliorem apud illos fidem habebat , magiſque incredibile videbatur, quàm quod Chriſtus verus cœlorum Rex exiſtens , è cœlis tamen in terram deſcenderit, ut hac mortalitate noſtra induere ſe poſſet, neque enim intelligere poterant , quod Chriſtus regnum ſuum in cœlis quaſi deſerens non formidarit , ne cœleſtis regni ſubditi rebelles ipſi facti, ſuum ei ſceptrum è manibus ejus non extorſiſſent : Ecce quomodo Philippenſes ipſum quoque Dei Filium ſuſpectum habebant , quaſi & ipſi aliquis regnandi affectus impreſſus fuiſſet : *Addubitabant, an Dei Filius relictis cæli ſedibus , nec ullam regni atque imperij commutationem veritus ad nos veniens carnem ſuſcepiſſet.*

*S. Hil. cap. 3. in Matth. S. Ambr. l. 4. in Luc. Iſid. Pel. l. 1. ep. 139. Phil. 2. v. 6.*

David Ambitionẽ fugit Dei auxilium implorando.

8. Quod ſi per vetus quoque teſtamentum diſcurrere velimus, hujus quoque peſtilentiæ damna & metus viris ſanctiſſimis accidiſſe comperiemus. Porro David unus erat ex fortiſſimis Athletis, quos Iſraël umquam habuit, ſiquidem dum adhuc adoleſcens eſſet , dilaniavit leones , ſuffocavit urſos, gygantes proſtravit ; Neque Regem potentem valde , ſibique iratum , & quoad per vires potuit armatum, nec non ad inferendam illi necem multas ei inſidias machinantem , quidquam formidavit , quin potius in ſeditionibus popularibus , in Abſalonis rebellione , ſævoque peſtis flagello conſtitutus , fortis, conſtans, & intrepidus perſeveravit: & tamen hanc ambitionis peſtem ſupra modum timuit , eamque vel cogitans toto corpore contremuit: *Ab altitudine* , inquit , *diei timebo.* Quænam obſecro hæc diei altitudo fuit , quæ tantum ei pavorem incuſſit ? Hugo Card. ait : *Id eſt, à fortitudine proſperitatis, & magnitudine*, ideòque ex toto corde Deo ſe recommendans dicebat : *Ego verò in te ſperabo*, quaſi diceret, ut quis ab hoc contagio non inficiatur , ſpecialiſſima & efficaciſſima opus eſt Dei aſſiſtentia.

*Pſ. 55. v. 4. Hug. Card. ibid.*

Timendum in honoribus.

9. Memorandum eſt de S. Patriarcha Jacob , quod poſtquam Joſephum filium ſuum diu tamquam mortuum planxiſſet , poſtea eumdem etiamnum vivere , & in Ægypto extremæ illius , quæ Chanaan graviter affligebat , penuriæ tempore Vice-Regem eſſe intelligens , dum illum inviſere ſtatuiſſet , priuſquam pro hoc itinere aggrediendo pedem moveret , tremere & timere vehementiſſimè cœperit : Unde factum eſt , quod cum Deo ſacrificia ſua offerens , eidem ſe toto corde recommendaret , Deus illi apparens , ſolarique volens eidem dixerit : *Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui, noli timere , deſcende in Ægyptum* ; quibus verbis Deus ſe ad defendendum Jacob brachium ſuum extendiſſe videri voluit : *Ego ſum fortiſſimus.* Verum dic obſecro ô ſancte Patriarcha , quanam in re hic ille timor tuus fundatur ? Quænam te urget neceſſitas , ut ſpecialem tibi Deus promittere debeat , Divinæ omnipotentiæ ſuæ aſſiſtentiam ? Numquid à Rege vocatus in Ægyptum concedis ? Numquid filius tuus Regni illius Salvator eſt & Dominus ? Numquid in regnum quoddam florentiſſimum , in quo filius tuus abſolutè imperat , univerſam familiam tuam tecum conducebas ? Nimirum timor quo ſanctus hic ſeniculus angebatur in eo conſiſtebat : quia Iſraël vocabatur & erat, id eſt, *videns Deum*, illi enim qui verum lumen & notitiam Dei habent , timent in honoribus & toto corpore contremiſcunt , ſciunt enim quam facile peſtilentia iſthæc etiam perfectiſſimos, & honores fugientes inficiat : *Noli timere , deſcende in Ægyptum , quia in gentem magnam faciam te ibi*; Et hæc eadem forte cauſa fuit , cur Jacob ab aula regia receſſerit , & in terram Geſſen ad pecora paſcenda ſe receperit.

*Gen. 46. v. 3. Geneſ. 46. 3.*

Aaron cecidit ab Ambitione ſuperatus.

10. Enimverò quantum hic honoris & ſuperioritatis appetitus in corde humano prævalere poſſit , id certe in nullo totius Veteris Teſtamenti Sancto adeo clare & evidenter demonſtratum fuit , ſicut in Aarone cæteroquin magnæ ſanctitatis viro , & ſummo Sacerdote : Hic enim cum à furente & tumultuante populo hiſce ſacrilegis verbis urgeretur : *Fac nobis Deos qui nos præcedant*; ſine ulla mora, ut filiorum filiarumque ſuarũ inaures aureas ſibi adferrent, ſerio præcepit ; qui cum juſſa ejus promptis animis executi fuiſſent , in ignem cunctas injecit, ſtatuamque quæ vitulum referebat inde confecit ; *Et fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque : Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Scire hoc loco percuperem , cur Aaron hanc adeo ſacrilegam & impertinentem petitionem audiens , iiſdem ingentem ipſorum erga Deum ingratitudinem & impietatem acerbiſſimis verbis non exprobrarit , ſeque ijſdem cum manifeſto etiam vitæ periculo non oppoſuerit ; Imò verò ijſdem non ſolum, quantum ſcire poſſumus , non repugnavit aut contradixit, ſed *acquievit* , verumetiam propria manu ſua idolum hoc fabricavit , & unica idololatriæ totius populi cauſa extitit. Scio equidem nonnullos ad id conari , ut factum hoc Aaronis à ſacrilegio excuſent, dicendo , ipſum inaures haſce ab eorum filijs & filiabus , ſimilium ornamentorum habendorum cupidiſſimis eo vel maximè petiiſſe , quod ſibi perſuaſum habuerit , tale quid ſe ab ijs expoſcere , quod parentes avaritiæ totaliter dediti , filij quoque cupiditate & vanitate erga hæc ornamenta maximè accenſi , minime daturi , quin potius tumultuando & obſtrependo ſummo cum molimine negaturi fuiſſent, adeoque opus iſtud numquam executioni mandandum eſſe ſperabat Verumtamen Cajetanus argutè conſiderat , Aaroni non ſuffeciſſe quod vitulum conflatilem fabricarit , verum inſuper *Ædificavit altare coram eo , & præconis voce clamavit*, dicens : *Cras ſolemnitas Domini eſt : Surgenſque mane, obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas* ; atque ideo dicit idem Cajetanus , *non meretur tanta blaſphemia Aaronis excuſationem.* Imò verò ipſummet vocis Hebrææ ſignificatum inſuper probat , Aaronem huic bovi ſive vitulo cultum attribuiſſe divinum. Quid tibi de hoc tam enormi facto videtur ? Ergone Aaron aliquis à Deo ad ſummum Pontificatum ſigno quodam prorſus miraculoſo electus , Moyſis Prophetæ eximij frater germanus , tot annis in virtutibus

*Ibid. v. 4. Cajet. in Exod.*

tutibus habituatus, ſuperioribus annis Divini honoris promotor zeloſiſſimus in hoc tantæ impietatis barathrum præcipitare ſe potuit? *Primatum volens perdere, ædificat altare coram vitulo, non expectans rogari: Ecce quo ducit principatus ambitio:* Ex hoc ſolùm motivo, quia ſe à ſummo Sacerdotio deponendum eſſe metuebat, in hunc adeo abominabilem ſceleris exceſſum committendum conſenſit: *Ecce quo ducit principatus ambitio.* Cardinalis Baronius ex Dionyſio Alexandrino citato ab Euſebio lib. 6. c. 34. refert, quod in Decij truculentiſſima perſecutione *Omnes certe metu perculſi obſtupuerant, atque ex illis qui cum dignitate, tum divitiarum affluentia præſtare videbantur, qui quidem non pauci erant numero, nonnulli timore perterriti, Dijs illorum colendis ſe ultro offèrunt.*

*Ann. 253. n. 102.*

Ambitio dedecet viros ſanctos. *S. Thom.*

11. S. Thomas bene conſiderat, quod quando Lucifer Salvatorem noſtrum in monte poſitum ad idololatrandum inducere voluit, *ſi cadens adoraveris me*, totius univerſi coronas & ſceptra eidem offèrendo, ſingulari Dei (de quo Scriptura ait: *Omnia in ſapientia feciſti*) providentia omnis erroris experte factum fuerit, quod ſpiritus non iiſdem verbis Chriſtum aggreſſus fuerit, quibus illum in duobus præcedentibus congreſſibus allocutus fuerat, dicendo: *Si Filius Dei es:* idque factum eſſe præcipuè, ut nos doceret, quantùm hic ſuperbiæ & primatus inordinatus appetitus filios Dei, id eſt, viros perfectos & ſanctos dedeceat, quisquis enim veri Dei ſpiritum & agnitionem habet, de ſuperioritatibus quibus refulget, potius contriſtatur & dolet.

*Cant. 1. v. 5.*

12. In ſacris Canticis hæc verba legimus: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me:* Quibus verbis Sancta hæc anima ſe ab ijs qui ei propinquiores chariores que erant, in feroci quodam prælio impugnatam oppreſſamque fuiſſe lamentatur. Verùm qualenam hoc prælium ſeu pugna qualis extitit? Dic ſodes ô anima ſancta: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Per vineam autem Eccleſia, per cuſtodem vero Prelatus eamdem gubernans ſymbolizatur; Ac proinde videri poſſet animam hanc majorem habere lætandi & jucundandi cauſam, eo quod ſe in honorum adeo deſideratorum & diu ſtudioſiſſimè quæſitorum culmine conſtitutam videat: Minime gentium, ita ſe res non habet, quia electi Dei humanarum dignitatum & præcellentiarum pericula optimè cognoſcunt, ac proinde ulterius progreditur, dicendo: *Vineam meam non cuſtodivi.* Honores namque, dignitates, obſequia, & imperia ſeu Dominia hoc ſibi proprium habent, quod hominem in talium ſeductionum occaſiones & conſequentias proturbent, ut eumdem non ſolùm à vigilantia propriæ animæ debita, verum etiam ab animarum ſibi commiſſarum cura mirabiliter diſtorqueant; atque ideo de peracto regimine rigoroſiſſima reddenda eſt ratio; *Vigilant pro animabus veſtris*, inquit Chryſoſtomus, *rationem reddituri, tametſi prius jam à me dictum eſt, tamen ne nunc quidem reticebo, hujus enim commendationis terror animum mihi aſſidue concutit, nam ſi ei qui unum aliquem dumtaxat offènderit, expedit, ut mola aſinaria ſuſpendatur à collo ipſius, & demergatur in profundum maris* (Matth. 18. v. 6.) *Item qui fratrum ſuorum conſcientiam offèndunt* (1. Cor. 8. v. 12.) *ij omnes in ipſum Chriſtum peccant, qui non unum, non duos, non tres tantum, ſed tam multos etiam populos perdiderint, illis quid tandem fiet? quamnam illi pœnam ſunt penſuri?*

Sancti dignitatū pericula noſcunt.

*Chryſ. l. 1. de ſac.*

*Matt. 18. v. 6*

*1. Cor. 8. v. 12.*

13. In Apocalypſi ſequens adverſus Epiſcopum Epheſinum querela adducitur: *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: ... Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos:* Verum dicas hæc omnia nullam in ſe querimoniam, ſed potius laudes, actus virtuoſos, & ſpecialiſſima merita continent, cur igitur lamentatur? *Sed habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti; Memor eſto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Hugo Card. ex hoc nos dubio ſequentibus verbis eruit: *Charitatem dico tuam, id eſt in tuis reliquiſti, quaſi dicat, quia tui ſubditi non ſunt ita ferventes & charitativi ſicut prius fuerant, nec ſine cauſa peccata vel negligentia populi imputantur Prælato; quia eos debet animare, & vivificare in bono.* Non enim ſufficit quod Prælatus Eccleſiaſticus in ſemetipſo ſit immaculatus, charitativus, fervens, orationi deditus, niſi etiam ſubditorum profectui ſpirituali invigilet, animasque curæ ſuæ commiſſas virtuoſas, Deumque timentes efficiat. Ad idem propoſitum ſuadendum S. Gregorius illum Ezechielis textum adducit: *Laqueus ruinæ populi mei Sacerdotes mali: nemo amplius in Eccleſia nocet, quàm qui perverſè agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet:* Eccleſiæ namque non ſolum mali Prælati damnum ingens adſciſcunt, verum etiam boni & ſancti, niſi ad procurandam animabus ſibi commiſſis ſalutem omni ſtudio adlaborent.

*Apoc. 2. v. 1. & 2.*

*Ibid. v. 4. 5.*

*Hug. Card. ibid.*

Prælatus ſubditorum profectui invigilare debet.

*S. Greg. l. 1. paſt. c. 2.*

# TRACTATUS IV.

# DE AMORE DEI

## DISCURSUS OCTODECIM.

DIſcursus I. Cum cor humanum ſine amore ſubſiſtere nequeat, Deus illud ad ſuum amorem invitat: Oſtenditur dignitas objecti amoris Divini quod ſuper omnia creata, cuncta in ſe bona ſuperexceſſive continet: Ac tandem honor conſideratur, qui homini Deum amando accedit.

II. Præceptum charitatis primum & maximum appellatur, quia omnes leges & præcepta ad Charitatem diriguntur. Ipſa quoque charitas tamquam Regina omnibus virtutibus imperat; Aliæ quoque illius aſſignantur rationes.

III. Nullum opus bonum ſine amore Dei quidquam valet, hic autem omnes res, etiam minimas pretioſas efficit, & ſolus cœlo comparando ſufficit, utpote ad quod ſecuram & brevem viam ſternit.

IV. Amor Dei natales ſuos directè Deo, in quo reſidet, attribuit, ipſique nos ſimiles efficit, & unit, ipſumque totaliter noſtrum eſſe facit, ac demum nos cœli poſſeſſores conſtituit.

V. Amor Dei debita peccatorum noſtrorum remittit, ijsque pariter opponitur, autem ad perfectionem acquirendam nos juvat, & cum vitijs pugnat.

VI. Amor vita eſt animæ, quæ valde ingrata eſt, niſi Deum amet, qui tot modis ſalutem ejus curat, ſive eamdem expectando ad pœnitentiam, ſive à peccatis præſervando; Alia quoque conſiderantur hujuſce amoris motiva.

VII. Deus tantopere erga nos beneficus conſideratur, quia quocumque nos vertimus, per communicata nobis beneficia amorem noſtrum erga ſe extimulat, cunctasque creaturas ad nobis ſerviendum ordinaſſe conſtat.

VIII. Alia Deum amandi motiva conſiderantur, ſiquidem ad hoc ut illum amemus, eſſe quoddam adeo nobile & ad ejus ſimilitudinem factum nobis contulit, cunctasque creaturas noſtro ſervitio deputavit.

IX. Variæ inſtituuntur Amoris Dei ponderationes, dum circa illa verba diſcurritur: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

X. Majorem Deus erga nos amorem in redemptione, quam in creatione noſtra oſtendit; ſiquidem ipſemet in propria perſona corpus aſſumendo paſſibile, redimere nos voluit; conſiderantur variæ inventiones, quibus Dei Filius uſus eſt, ut magis pateretur.

XI. Amor Redemptoris erga nos tantus fuit, ut quanto nos illum indignius tractavimus, tanto ille erga nos magis beneficus exſtiterit; idque per varios Paſſionis ejus ſucceſſus & eventus oſtenditur; quæ proinde à nobis omnem amorem noſtrum viciſſim efflagitant.

XII. Beneficia vocationis ad fidem, Juſtificationis, præſervationis à multis peccatis & periculis, conſervationis creaturarum, ad amorem Dei nos obligant, & hoc tributum aliunde multis titulis debitum remuneratur.

XIII. Quia Deus, ut à nobis ametur, cor noſtrum primo loco expoſcit, varij explicantur modi, Deum ex toto corde, anima & mente noſtra amandi.

XIV. Amor, quo erga terrena bona ferimur, condemnatur quando is amori Dei anteponitur; ſimulque amorem Dei & amorem mundi ſe mutuo compati non poſſe oſtenditur,



eo quod inter ſe prorſus ſint contrarij.

XV. Deus totum cor noſtrum habere deſiderat, adeòque diviſionem in amore odit, cum ſit inſtar ſponſi valde zelotypus, in cujus probationem nonnullæ conſiderantur veteris Teſtamenti figuræ.

XVI. Æſtimatio quam Deus de amore noſtro habet, nos ad illum ſine limite amandum obligat, maxime cum totum illius lucrum noſtrum ſit, & per illum omni debito noſtro ſatisfaciamus.

XVII. Præceptorum obſervantia amore, qui omnia quantumvis aſpera facilitat, ſuavis efficitur; Unde nemo excuſari poteſt, quod non amet, cum ſuave ſit amare, & cuivis perſonæ adaptetur.

XVIII. Signa hunc amorem verè indicantia ſunt ſequentia, nimirum quod ſit operativus, quod omni nos exuat affectu terreno, Deum ſuper omnia deſideret & cogitet, legem ejus adimpleat, tribulationes & adverſa patiatur & non ſentiat, denique quod ſine ullo intereſſe aut commodo quæſito amet.

## DISCURSUS I.

### ARGUMENTUM.

Cum cor humanum ſine amore ſubſiſtere nequeat, Deus illud ad ſuum amorem invitat. Oſtenditur dignitas objecti amoris Divini, quod ſuper omnia creata, cuncta in ſe bona ſuperexceſſive continet: Ac tandem honor conſideratur, qui homini Deum amando accedit.

### THEMA.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Luc. 10. ℣. 27.

Cor ſine amore eſſe nō poteſt.

1. DEus noſter, optimè ſciens, quod anima ab ipſo creata ſine amore ſubſiſtere nequeat, jure merito eamdem ad ſe amandum invitat, imo ei præcipit, ut ſe amet: *Diliges Dominum Deum tuum.* Angelicus Doctor de dilectione tractans ex Hugone de S. Victore ita ſcribit: *Vita cordis amor eſt, & ideo impoſſibile eſt, ut ſine amore ſit cor, quod vivere quærit.* Amor per ignem figuratur, & ideo ſicut igni proprium eſt ardere, ita quoque cordi humano proprium eſt amare: *Sicut naturale igni calere eſt, ita naturale eſt cordi amando ardere.* Hunc cordis noſtri amorem Creator illius ſibi conciliare deſiderat, ne cum ingenti damno & præjudicio noſtro à Creaturis uſurpetur; Et ideo adeo blande, ſuaviterque illud invitat & ſollicitat dicens: *Præbe fili mi cor tuum mihi.*

*S. Th. op. 61. de dil. Dei c. 18.*

*Prov. 23. v. 26.*

Charitas virtutibus ornat.

2. Quando fons aquæ vivæ in paludem ſe exonerat ibidem ſtagnaturus, inficit aërem, animalia venenoſa producit, prorſusque corrumpitur: non vero item quando in meatibus ſeu canalibus ſubterraneis conſtrictus, in delitioſum quemdam amœnumque hortum derivatur, ibi namque per varios ſeſe aquæductus in altum erigens, poſtea ad terram fœcundandam deſcendit, illamque herbas, flores, fructus, & quidquid tandem in horti areolis pulchrum & utile eſt; à natura arte cultivata produci poteſt, progerminare facit. Hæc utique, quantum ego exiſtimo, alluſio pariter & exhortatio S. Auguſtini fuit, dicentis: *Aquam amoris tui fluentem in cloacam, converte ad hortum*; Etenim amor noſter dum fertur ad creaturas, veluti in paludibus & luto ſtagnans, generat ſerpentes, bufones, aliaque animalia venenoſa, id eſt, multa vitia & peccata; ac proinde Divini amoris Secretarius optime nos monet: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo, quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*; Non verò idem nobis timendum eſt, quando amorem noſtrum ab omnibus hiſce rebus creatis ſubtrahimus, & Deo unimus, tunc enim verè completur quod Chriſtus Salvator noſter ait: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternū: ſed quia quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; Myſtica hæc aqua terram animæ noſtræ fœcundat floribus & fructibus omnium virtutum, ac proinde ait S. Ambroſius: *Charitas omnium virtutum forma eſt, cum per ipſam omnium virtutum actus in debitum & ultimum finem ordinentur.*

*S. Aug. in Pſ. 31.*

*Epiſt. 1. Joan. 2. v. 15 & 16.*

*Joa. 4. v. 13. 14. 15.*

*S. Ambr. cit. art.*

*S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 8.*

Ignis charitatis in corde ardere debet.

3. In Levitico tremendum quoddam deſcribitur ſupplicium, Aaronis filijs Nadab & Abiu illatum: *Egreſſus ... ignis à Domino devoravit eos, & mortui ſunt.* Sed quam ob culpam pœnam adeò repentinam atque ferocem fuere promeriti? *Arreptis ... thuribulis poſuerunt ignem & incenſum deſuper, offerentes coram Domino.* At verò, inquies, numquid hoc miniſterio ipſorum conforme erat, qui jam ad hunc Deo præſtandum cultum ordinati erant? Reſpondeo, id totum verum eſt, verumtamen vera tranſgreſſio eorum hiſce verbis propriè indicatur: *Offerentes coram Domino ignem alienum*; Etenim juxta legem Domini in thuribulis ſuis ignem qui ſacer dicebatur, quia ab altari holocauſtorum deſumptus, quique olim de cœlo delapſus Domini juſſu nutriebatur, & conſervabatur, imponere debebant, cum tamen ipſi econtra prophanum atrij ignem in thuribulis ſuis uſurparint; at verò ut Apoſtolus ait: *Omnia in figura contingebant illis*; Unde S. Gregorius ordinem olim in veteri lege à Deo præſcriptum conſiderans, nimirum: *Ignis in altari ſemper ardebit*, ita ſcribit: *Altare Dei cor noſtrum eſt, in quo jubetur ignis ſemper ardere, quia neceſſè eſt ex illo Charitatis flammam indeſinenter aſcendere*; at vero hic eſt multarum animarum perverſus ordo, ob quem infernalis gehennæ ignis ſe reos conſtituunt, quod ſcilicet in cordium ſuorum thuribulis amorem prophanum ardere permittant, & ideo graviſſimi à Deo illis infligendi ſupplicij reos eſſe faciunt: *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* Etenim ſicut ignis ſubſiſtere nequit quin ardeat & caleſcat, ita quoque cor noſtrum ſine amore ſtare non poteſt, ideoque nunc ſupereſt videndum, qualiſnam ſit ignis qui in corde flagrat; atque ideo ſummum Dei beneficium eſt quod nos invitet, imò ſeriò nobis mandet, ut illum amore noſtro foveamus: *Diliges Dominum Deum tuum*, quia hoc ſolo amore excepto, quivis alius ipſiuſmet Dei iram ſuper nos provocat.

*Lev. 10. v. 2.*

*Ibid. 1.*

*Ibid. 1.*

*S. Greg. l. 25. c. 7. cit. art. gloſſ. in c. 6. Levit.*

*1. Cor. 16. v. 22.*

Summum Bonum amandum.

4. Sanctus Gregorius Nyſſenus per aptiſſimam quamdam ſimilitudinem naturalem nobis propenſionem indicat, quá ad ſummum bonum anima noſtra inclinatur; dicit enim: *Quemadmodum gravia & rotunda corpora, ſi è cacumine montium lapſa deorſum fuerint, etſi nullus poſtea impellat, ipſa tamen per ſe vehementiori impetu ſemper feruntur; ſic anima, cujus natura ſurſum fertur; ardentior indies ſit, velociusque pertranſit, ad ſublimiora ſemper conſcendens, & per ſeipſam ad naturam boni fertur*; ac proinde cum Deus noſter tunc animæ appetitum, quo ad bonum, unicum nimirum amoris objectum, rapidiſſimè fertur, penitiſſimè cognoſcat, jure merito ſeipſum illi proponit, dicendo: *Diliges Dominum Deum tuum*; quia in ipſo ſolo omnia bona inveniri poſſunt. Quoad hanc materiam Didacus Stella ita meditatur: *Ex omni parte diligendum ſe exhibet Deus, quia bonus; quia delectabilis; quia utilis: Dilige, quia Deus eſt ſummum bonum; conſidera quanta ſit ejus majeſtas, quam admirabilis gloria, quam ſuavis gloria, quæ potentia, quæ ſapientia; dilata locum tentorij tui, expande affectus tuos:* Quod ſi homo aliquis daretur in hoc mundo omnibus eminentiſſimis naturæ & gratiæ donis à Deo dotatus, omnibus fortunæ bonis abunde cumulatus, ornatus omnibus virtutibus, omnibus meritis locupletatus, quique quo plus amaretur, & æſtimaretur, tanto fieret omnibus amabilior, hujus utique pulchritudo, aliaque bona corda & voluntates noſtras ad eum amandum vehementiſſimè raperet: at vero ut S. Auguſtinus ait: *Si multæ & magnæ delectationes ſunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta eſt delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? Amemus unum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit.* S. Franciſco Deum ardentiſſimè amanti, ac proinde Seraphico appellato, valde familiaria fuere verba illa: *Deus meus & omnia*; quænam etenim à quopiam imaginari poterit pulchritudo & venuſtas amabilior illa, *in quam deſiderant Angeli proſpicere*, quæque Paradiſum verè Paradiſum eſſe facit.

*S Greg. Nyſſ. l. de vit. Moſ.*

*Did. Stel. in c. 10. Luc.*

*S. Aug. l. de dil. Deo t. 9. c. 18.*

Deus infinite excedit creata: ergo.

5. Optimè S. Thomas Aquinas conſiderat, quod id, quod inter nos objectum aliquod amabile efficit, ſit Gratioſitas in vultu; oſtenditque inſuper qualiter Deus in hac cuncta alia objecta creata infinities excedens, infinities quoque præ cunctis creatis amari mereatur: *Præponderat Deus, fallax gratia & vana eſt pulchritudo, quam confert ſanitas, complexionis bonitas, & juvenilis ætas; amabilis ille, qui gratioſior in facie, cujus facies plena eſt gratiarum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, cujus pulchritudo non langueſcit, ſed intuentes ſalvos reddit.* Gen. 32. *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Utitur quoque idem Sanctus alio quodam argumento ex S. Anſelmo deſumpto, qui cum oculos ſuos in cuncta conjeciſſet viſibilia bona, quæ oculis tantopere placent, eosque alli-

*S. Th. op. 61. c. 12.*

*Gen. 32. v. 30.*

S.Tho. ibid. c.4.

alliciunt, tandem hanc facit conſequentiam: *Quam delectabile illud bonum, quod continet in ſe jucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis ſumus experti, ſed tantùm differentem, quantùm differt Creator à creatura.*

Solus Deus intimè delectat.

6. Sanctus & Angelicus Doctor aliam inſuper hujus in Deo ſuper omnia creata amando exceſſus rationem adducit, quæ hanc in Dei amore præ amore creaturarum præcellentiam evidenter demonſtrat; In cunctis namque bonis creatis quotidiana docet experientia, quod tantum *Delectant ſuperficialiter, Deus autem intime; ſolus Deus ſubſtantiam animæ ſubſtantialiter penetrat, & ideo medullitus delectat.* Etenim quidnam divitiæ aliud ſunt, quam lutum à Solis radijs in terræ viſceribus induratum,& in pretioſum metallum transmutatum? Honores quoque numquid in honorantium inſtabilitate fundatos eſſe cernitis? Numquid item quoad voluptates ſenſuales id experimur, quod Roſæ ſint ſpinis plurimis cinctæ, quæ ſubito evaneſcunt? Summa igitur Stultitia eſt, ſi quis majus in rebus creatis bonum reperire ſe poſſe exiſtimat, quàm ſit Deus ipſe qui illas creavit. Numquid in Philoſophia axioma hoc certiſſimum eſt: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis?* Unde ſi ſtellæ ſuum à Sole lumen mutuantes adeo ſplendeſcunt, quanto luminoſior Sol erit, qui lumen iſtud iisdem communicat?

Motiva amoris ponit S. Auguſt.
S. Aug. l. 1. de ſp. & ani. c.64.

7. Sanctus Auguſtinus ad præſens propoſitum valde opportunè in hunc modum cum Deo loquitur: *Tu es ſumma eſſentia, ſumma vita, ſumma ſalus, ſumma veritas, ſumma bonitas, ſumma æternitas, ſumma magnitudo, ſumma pulchritudo, ſumma beatitudo, ſumma immortalitas, ſumma unitas, ſummum bonum, in quo omnia bona continentur; Imo quod eſt omne, & unum, & totum, & ſolum bonum.* Aliud quoque adducit priori à nobis jam adducto perſimile argumentum; *Si enim bona eſt vita creata, quàm bona erit vita creatrix? Si ita jucunda eſt ſalus facta, quam jucunda erit ſalus quæ fecit omnem ſalutem? Ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit; deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt; ibi eſt, quidquid amatis, ibi quidquid deſideratis.*

8. Sanctus Thomas inſuper Sanctum Auguſtinum in medium adducit, pondus amoris erga Creaturas, & erga Creatorem optimè hiſce verbis ponderantem:

S. Thom.

*O Domine Deus quid eſt quod amo, cum te amo; non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis iſtis amicum oculis, non dulces melodias, non florum & aromatum ſuaviolentium ſuavitatem, non manna & mella, non hoc amo, cum Deum meum amo;* ponderetis velim, & cum pondere Sanctuarij trutinetis verba illa: *Deum meum amo.*

S.Tho. dic. opuſ. c.2.

9. Sanctus Thomas aliam quamdam inter bona creata, quæ amamus, & Deum adducit diverſitatem: *Alia delectant tranſitoriè & terminabiliter, Deus autem æternaliter;* ſubjungit authoritatem Sancti Auguſtini dicentis: *Miſer eſt animus vinctus amicitiâ rerum inferiorum, & dilaniatur cum eas amittit, te verò nemo amittit, niſi qui dimittit.* Demum verò poſtquam per omnia hujus vitæ bona tantopere nos delectantia diſcurriſſet, hanc ſtatuit concluſionem: *Hac inductione inſtantiam non habente, infertur illud univerſale* Prov. 3. *Omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* Citat quoque Anſelmum dicentem: *Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis? Ama unum bonum, quod eſt omne bonum.*

Prov. 3. v. 15

S. Tho. Vill. ſer. de S. M. Magd.

10. Alius quoque ejuſdem nominis Sanctus Thomas nimirum Archiepiſcopus Villanovanus in ſermone quodam de S. Maria Magdalena, veritatem quamdam adducit Philoſophicam, & Ariſtotele citato hoc format argumentum: *Amor, teſte Philoſopho, eſt naturalis quædam inclinatio in bonum, quanto ergo aliquid melius, tanto amore dignius; primum igitur ac ſummum bonum, in quo omne bonum, quo amore proſequendum erit? Dic mibi obſecro te anima mea, quid tibi poteſt placere, quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te ſapientia ſapientiſſimus eſt; ſi potentia, omnipotens eſt; ſi pulchritudo, candor eſt lucis æternæ; ſi divitiæ, ſi gloria, gloria & divitiæ in domo ejus; ſi delectatio, ſi vita: Delectationes in dextera ejus uſque in finem, & vita in voluntate ejus.* Ponamus caſum quod Deus nos non creaverit, nec redemerit, nec tot millenis modis erga nos beneficus fuerit, quod nobis cœlorum regnum numquam promiſerit, nihilominus omnibus hiſce rationibus motivis abſentibus quodnam reperiri aut imaginari poterit objectum nobilius, aut amore noſtro dignius Deo noſtro? Unde idem Villanovanus ita ait: *Quis amore dignior quàm Deus? quis præſtantior? quis perfectior? quis glorioſior? nihil nobis contulerit Deus, nihil pro nobis paſſus fuerit, nihil nobis promiſerit, certè propter hoc quod ipſe eſt omni amore à nobis amandus eſt, quia ſcilicet ejus excellentia infinitâ, infinito etiam amore digniſſima eſt.* Doctor Angelicus ad illa verba: *Diliges Dominum Deum tuum,* reflectens, ita ſcribit: *Dominus & Deus meus eſt; glorior non immerito liberum me eſſè & nobilem, utpote immediate Imperatori ſummo ſubjectum, cum etiam Angelus non ſit mibi Dominus, ſed conſervus; qui dominaris brutis, mirum non eſſet, ſi Angelorum ſaltem Seraphim dominio ſubdereris, ſolus Deus verè eſt Dominus tuus.*

S. Thom. op. cit. c. 5.

Mirum eſt quod Deus amari à nobis deſideret.
S. Aug. de diſc. Chriſti c.2.

11. S. Auguſtinus meritò obſtupeſcit, dum conſiderat, quod ille infinitæ Majeſtatis, omnipotentiæ & beatitudinis Deus tanti faciat, quod à viliſſimo quodam terræ vermiculo qualis homo eſt, diligatur & ametur: *O pie Domine,* inquit, *quid tibi ego ſum, ut amari jubeas te à me, & minaris mibi ingentes miſerias, iraſceris, ſi non faciam, multa promittis ſi faciam. Et quid amor meus? quid delectaris in me? Quis Rex dicit ſervis: ſimus amici, & dabo tibi unam Provinciam?* Solent inter nos illi qui in ſublimi ſunt dignitate conſtituti dedignari, ſi perſona aliqua vilis ad eorum familiaritatem aſpiret, vel ſi in eorum ſe parentelam jungere conetur; quæ ſimilitudo aliqua ſaltem ex parte altiſſimam illam exprimit dignitatem, ad quam Deus naturam noſtram mediante hoc præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum,* elevavit; Etenim ſi Regina aliqua potentiſſima, viliſſimum quemdam ſtabularium ad nuptias ſuas accedere cupientem non ſolum admitteret, verum etiam invitaret; aut ſi potentiſſimus aliquis Mundi Monarcha uni ex Æthiopia advectæ turpi & Dæmone atriori æthiopiſſæ ſeriò præciperet, ut in ſponſalitium ſecum ineundum conſentiret, numquid utraque hæc dignatio honor quidam eſſet inauditus, nec à quopiam per imaginationem apprehenſus? Quidnam verò homo aliud eſt, reſpectu Dei comparatus, quàm abjectus quidam luti vel limi pugillus, & tamen ei præcipit: *Diliges Dominum Deum tuum.* Quonam vero id fine præcipi exiſtimas? *Sponſabo te mibi; Delitiæ meæ, eſſè cum filijs hominum.* Quis umquam adeò temerarius eſſe potuit, qui ſuum in Deum amorem dirigere præſumpſiſſet; quod erga Deum feratur per reverentiam, timorem, obedientiam, obſequium, id quidem tranſeat; ſed ut in illum ferretur per amorem & familiaritatem, hoc nimius quidam foret temeritatis exceſſus. Quod ſi Deus nobis ſolum permiſiſſet, ut illum nobis amare liceret, id quidem favor & gratia valde exceſſiva reputari mereretur; Nunc verò Deus id non tantum permittere, ſed & præcipere voluit, & quidem ſub graviſſimo indignationis ſuæ, noſtræque æternæ damnationis reatu idipſum præcepit, ſicque omnem timoris aut metus occaſionem à medio ſublatam eſſe voluit. Unde S. Bernardus ait: *Huc nos provocavit anticipantis benignitas illius, qui nos & prior quæſivit & prius dilexit, cujus utraque tam amica comperta ſuavitas, & auſum dedit, & verecundiam depulit, & movit affectum.* Sanctus Thomas de Villa nova quoque obſtupeſcit, quod Deus tanto hominem dignetur honore, ut ſe ab illo amari velit, idque ſub gravi pœna ei facere præcipiat. *Sed nequeo ſatis mirari & intra me ipſum penitus obſtupeſco, Domine mi, quid eſt hoc, quod ſic amari vis à me, ut mibi mortem & æternos cruciatus mineris, ſi non amavero te? tanti facis amorem meum? quis ego ſum, ut ſic æſtimes amari à me?* Sanctus Auguſtinus ſimilem prorſus conſiderationem inſtituit, dicens: *Dic mibi per miſerationes tuas, Domine Deus meus, quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me, & niſi faciam iraſcaris mibi?* Hinc igitur infinita cognoſcitur æſtimatio, quam Deus de nobis habet; id quod continui calcaris & ſtimuli loco ad illum quoque æſtimandum & amandum eſſe meritò deberet. Totum Evangelium, omneſque hactenus datæ leges ad hunc amorem ordinantur. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Porro S. Thomas de Villa nova hæc omnia conſiderans, continere ſe nequit, quin exclamet: *Inter tot & tanta cœleſtium ſpirituum agmina, & tam ſplendidam tamque decoram te diligentium multitudinem, deſpicabilis hujus ac vilis vermiculi tu Domine non ſolum non deſpicis amorem, ſed inſuper velut grande aliquid & pretioſum, cum minis & terroribus reddi tibi eſſlagitas & indicas? multum dignificas me, dum ſic amari vis à me; ſed intelligo Domine, quoniam in amore meo non tuam, ſed meam inquiris utilitatem.*

Oſe. 2. v. 20.
Prov. 8. v. 31.
S. Bern. ſer. 84. in Cant.
S.Tho. Vill. ſerm. cit.
S. Aug. l. 5. conf. c.20.

NE. DISCUR-



## DISCURSUS II.

### ARGUMENTUM.

Præceptum Charitatis primum & maximum appellatur, quia omnes leges & præcepta ad Charitatem diriguntur: Ipſa quoque Charitas tamquam Regina omnibus virtutibus imperat; Aliæ quoque illius nomenclaturæ aſſignantur rationes.

### THEMA.

*Hoc eſt maximum & primum mandatum.* Matthæi 22. ℣. 38.

Charitatis Præceptum maximum.

1. INcreata illa ſapientia, de quâ S. Joannes ſcribit: *Deus charitas eſt,* eo quo inter nos hic in terris incarnata vivebat tempore interrogata: *Quod eſt mandatum magnum in lege?* ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc eſt maximum & primum mandatum.* S. Thomas autem in opuſculo de Dilectione Chriſti & proximi aliquas hujuſce epitethi reddit rationes, dicens: *Magnum, quia mandat hoc lex naturalis, in mentibus omnis creaturæ rationalis, divinitus indelebiliter impreſſa; majus, quia remandat, & repetens iterum remandat lex Moſaica: maximum, quia illud confirmat lex Evangelica, per ipſum Dei Filium tradita.* Richardus quoque de S. Victore ad totum antiquum novumque Teſtamentum ſe reflectens, ambo illa teſtamenta ad hoc dilectionis præceptum ordinata fuiſſe concludit; Unde converſus ad Deum dicit: *Solus eſt amor quem à nobis exigis, aut cum flagellis corripis, vel conſilijs inſtruis, vel mandatis adſtringis, plenitudo enim legis eſt dilectio; Charitas enim legem continet & Prophetas, quia quidquid Divina lege indicitur vel interdicitur, ad ſolum amorem reducitur.*

S. Tho. op. 61 c. 1.
Rich. à S. Vict. de grad. char. p. 1. c. 3.

Cajet. in Matth.
Vere amans omnia præcepta implet.

2. Cajetanus de hoc Charitatis præcepto ita ait: *Magnum eſt quantitate virtutis in genere mandatorum, utpote excedens reliqua, & virtualiter continens reliqua.* Omnia etenim tam veteris quàm novi Teſtamenti hactenus edita præcepta, aliud quàm ſolius amoris Dei objectum non habent. *Solve tributum amoris* inquit idem Richardus, *Et Domino noveris ſatisfactum;* per amorem namque Dei omnes adimplentur leges tàm hactenus emanatæ, quam quæ à principio in finem uſque ſæculorum à Divino legiſlatore emanabunt. Eruditiſſimus Idiota in aureo illo tractatu quem poſt ſe de amore Dei ſcriptum reliquit, ita nos inſtruit: *Quidquid latet, & quidquid patet in Divinis ſermonibus, & in tota ſacra Scriptura, dilectio ipſa comprehendit, quia ſcriptum eſt; plenitudo legis eſt dilectio, nam tota lex, imo tota Scriptura, aut præcipit, aut conſulit ea, quæ faciunt ad tuam, & proximi dilectionem.* Et quidem, ni fallor, à Sancto Auguſtino idipſum didicit, qui ferè iiſdem verbis idipſum poſt ſcriptum reliquit, dum ait: *Si non vacat omnes paginas ſcripturarum evolvere, tene Charitatem; & in ea invenies omnem ſcientiam; quid eſt autem finis præcepti, niſi præcepti adimpletio? quid eſt præcepti adimpletio, niſi legis plenitudo? quod ergo ibi dixit: Plenitudo legis eſt Charitas, hoc etiam hic dixit: finis præcepti eſt Charitas.* Quibus verbis S. Doctor nobis ſuadet, quod ſi ſacram Scripturam nobis legere non vacet, Deum amare ſufficiat; *Si non vacat omnes paginas ſanctas perſcrutari, omnia involucra ſermonum evolvere, omnia ſcripturarum ſecreta penetrare, tene Charitatem, ubi pendent omnia, ita tenebis, quod ibi didiciſti, tenebis etiam quod nondum didiciſti.*

Idiot. c.26.
S. Aug. ſerm. 39. de temp.

Charitas compendium Evangelij.
S.Th. de Vill. nov. conc. de fœdere.

3. Sanctus Thomas de Villa nova hunc amorem totius Evangelij compendium quoddam eſſe ſcribit: *In toto Sacro Evangelio non invenio, quid nobis Chriſtus Dominus noſter amplius commendaverit, quàm Charitatem.* Notat inſuper quod divinus Magiſter noſter Chriſtus, diſcipulis ſuis apertè dixerit, quod Character iis ad hoc imprimendus, ut ab omnibus ejus agnoſcerentur, eſſe ſequaces & diſcipuli, non conſiſtat in operatione miraculorum, neque in dono linguarum, Prophetiæ, ſapientiæ, alijſque ſimilibus, ſed in ſola dilectionis & amoris ſui virtute: *In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eritis, ſi Charitatem habueritis ad invicem; non in miraculis, non in ſcientia Scripturarum, ſed in ſola dilectione, diſcipulus Chriſti, & bonus Chriſtianus agnoſcitur.*

Naz. ep. 20.

4. Nazianzenus virtutis hujuſce valorem pauculis verbis circumſcripſit, dum illam appellavit, *Doctrinæ noſtræ caput.* S. Baſilius pariter omnia præcepta, omneſque leges ab ea derivari, in eaque tamquam in radice radicari obſervat, dum Charitatem *radicem omnium præceptorum* appellat.

S. Baſ. or. 37.

Diſpenſatio nulla in lege Charitatis.
Pſ. 18. v. 7.

5. De hoc quoque amore dici poteſt, quod ſit *Mandatum magnum in lege,* quia omnes indifferenter, ſemper, in omni loco & tempore adſtringit: *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Ab alijs quidem legibus, aliorumque præceptorum adimpletione eximere ſe nonnemo poterit, ab hoc autem præcepto nemo ſe ſubducere valebit. Unde Hugo Cardinalis ait: *Nec eſt qui ſe poſſit excuſare quin eum diligere non poſſit; Latum mandatum tuum nimis,* inquit Pſalmiſta, id eſt, præcepti hujus exercitium & adimpletio facillima exiſtit.

Hug. Card.

613. implet. præcepta.

6. Vocatur etiam *magnum; maximum mandatum;* quia ut S. Leo advertit, *ſexcenta tredecim antiquæ legis præcepta uno charitatis mandato complevit.*

S. Anſelm. in Matth.

7. *Primum & maximum dicitur* (verba ſunt S. Anſelmi) *quia ante omnia debemus illud, quaſi unicum pietatis fundamentum in intimo corde collocare.* Primum quoque præceptum dicitur, quia eſt naturale, fuitque hic amor, prout ſuo loco videbitur, animæ noſtræ in ſua creatione à Deo Creatore impreſſus.

Charitas fundamentum.

8. Verum enimvero notanda ſpecialiter eſt inſignis illa à fundamento deſumpta Charitatis ſimilitudo, ſicut enim dum hoc in fabrica aliqua deficit, tota inde domus in terram corruit, eodem modo dum hic amor in anima aliqua deeſt, omnium quoque virtutũ, bonorumque operum ædificium ſpirituale devaſtatur, id quod Apoſtolus in celeberrimo illo Epiſtolæ, ad Corinthios capite, quod incipit: *Si linguis hominũ loquar & Angelorum &c.* expreſſis verbis declarat.

1. Cor. 13. 1.

S. Tho. op. 61. c. 1.

9. S. Thomas primatum hunc & excellentiam charitatis pluribus modis conſiderat, dum ait: *Primum eſt tripliciter; Primum in intentione jubentis; finis præcepti eſt Charitas, finis non terminans, ſed conſummans, ad quem omne præceptum ordinatur.* Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio; primum in neceſſitate obſervationis; primum in ordine dignitatis; hic enim actus digniſſimus eſt, cujus dignitas cognoſcitur ex tribus; ex potentia à qua egreditur actus; hæc eſt voluntas ſumma & digniſſima potentia animæ; Ex habitu vel dono potentiam informante, & ſuper ſe elevante, hoc eſt charitas, quæ eſt ſummum donum, quod patet, quia ab ipſa ſummus ordo denominatur, ſcilicet Seraphim, id eſt, ardens; Item ex objecto, quia in ſummum bonum dirigitur, ſcilicet Deum.*

S. Bern. ſer. 51. de donis Sp. S. a. 1. c. 1.

10. S. quoque Bernardinus Senenſis primatum hunc ex alijs capitibus provenientem conſiderat, dum ait: *Magna eſt perfectio charitatis; quæ quidem primatum tenet; primo omnium fructuum ſpiritualium, fructus autem Spiritus Charitas;* inter omnes namque Spiritus Sancti fructus à S. Paulo ad Galatas enumeratos, charitas primum locum obtinet. *Secundo omnium virtutum;* idque teſtimonio ejuſdem Pauli 1. Cor. 13. probat, dicentis: *Major autem horum eſt Charitas. Tertio omnium viarum.* 1. Cor. 12. *Adhuc excellentiorem viam vobis commonſtro;* & ſequitur in principio capitis 13. *Si linguis hominum loquar, &c. Quarto omnium mandatorum; Hoc eſt maximum & primum mandatum.*

1. Cor. 13. v. 13.
1. Cor. 12. v. 30.
1. Cor. 13. v. 1.
Matt. 22. 38.

Paul. de Pal. in Matth.

11. Paulus de Palatio aliam quamdam rationem adducit, cur lex charitatis *maximum mandatum* appelletur, dum ait: *Maximum, ſine quo reliqua parva, imò ſine quo, ſecundum Apoſtolum, ipſa maxima nihil ſunt:* idque per longum illum diſcurſum quem S. Paulus cap. 13. primæ Epiſtolæ ad Corinthios latè deducit, probat: *An non & maxima, at ſine maximo mandato, adeo non ſunt illa maxima, ut nihil ſint, contra vero quæ minima ſunt, cum maximo mandato, maxima redduntur; Calix aquæ frigidæ ex dilectione res maxima eſt, ſiquidem ipſum meretur cœlum.* Richard. de S. Victore ad illum Apoſtoli textum reflexionem faciens, ita ſcribit: *Hæc eſt virtus, in qua nec minimum opus reſpuitur, ſine qua nec maximum acceptatur; Non prædicatio, etiamſi fiat lingua Angelorum: non fides, etiamſi montes transferat; non Eleëmoſyna, etiamſi omnes facultates in cibos pauperum diſtribuat: non corporis afflictio, etiamſi tradatur corpus ita ut ardeat;* Adeoque ad hoc, ut omnia opera apud Deum accepta & grata habeantur, neceſſum eſt ut hujus amoris ſignaculo, velut legitimationis charactere, ſint obſignata; cui perfectè conſonat, quod in S. Auguſtino legimus, ſcilicet: *Sola charitas ſufficit, ſi adſit: cætera omnia nihil proſunt, ſi ſola charitas deſit.*

Sine charitate nulla virtus.
Rich. de S. Vict. p. 1. de gra. char. c. 3.
S. Aug. l. 50. hom. 50.

Charitas Regina.

12. Verum enim verò ſi ejuſdem ſancti Apoſtoli verba bene conſiderentur, hic charitatis ſuper omnes leges

leges & virtutes primatus & dignitas ex iiſdem claré deduci poſſe videtur; Siquidem Apoſtolus expreſſè dicit: *Major autem horum eſt charitas.* Ennodius eamdem Reginæ ſeu potius Imperatricis titulo honorat, dum ait: *Imperatoris loco dominatur ſemel penetralibus cordis infixa dilectio.* In ſancto Auguſtino quoque legimus: *De interiori palatio quidquid juſſerit Imperator per totum imperium emanat, movet ille ſolum labia, movetur tota provincia.* Eodem modo de charitate dici poteſt, quod inſtar Reginæ in cordis throno reſidens, omnibus planè virtutibus abſolutè imperat; Eſtque velut primum mobile, quod cunctis alijs actibus virtuoſis, cunctiſque cogitationibus & deſiderijs legem & motum ſuum præſcribit. Hugo quoque de S. Victore dicit: *Merito regina virtutum charitas dici creditur, quia virtus virtutis nomen amittit, quæcumque charitati non famulatur.* Illumque Regij Prophetæ textum adducit: [*Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate:*] *A ſiniſtris Dei ſunt bona temporalia, à dextris æterna: A dextris ergo charitas dicitur ſtare, quia bonis æternis non temporalibus munitur, in ſolis namque illis charitas regnat, quos amor æternorum inflammat.* S. Hieronymus ad Celantiam ita ſcribit: *Grandem vim obtinet vera dilectio, & qui perfectè amatur, totam ſibi amantis vendicat voluntatem:* moxque ad propoſitum noſtrum aptè ſubjungit: *Nihil eſt imperioſius charitate.*

*1.Cor.13. v.13. Ennod.l.2. ep.10. S.Aug.l.50. hom. Hug. de S. Vict.l.2. miſc.t.48. Pſal.44.10. S.Hier. ad Celant.*

13. Sponſa in Canticis animam quamdam Dei amore flagrantem præfigurans, hæc ſibi à cœleſti ſponſo verba dici audivit: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tu*[illegible]*e eo quod intrinſecus latet*; Malum autem puni[illegible]ſive Malum granatum inter omnes alios fructus hoc habet eximium, quod Coronam quamdam in vertice ſuo geſtet, intusque innumerabilē quamdam granorum ſumma inter ſe unione & ordine diſpoſitorum ſimulque mirabiliter rubeſcentium multitudinem claudat: Ecquod igitur pulchrius aut magis proportionatum deſiderare quis poteſt Symbolum Charitatis Reginæ omnium virtutum? Etenim unaquæque ipſi ſubjici debet tamquam Reginæ & Dominæ ſuæ, ſi virtutis participare vult nomen aut meritum, ac proinde S. Apoſtolus non ſine myſterio aut fruſtra dicit: *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, Non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*; Ecce comitatum & famulatus obſequia, quæ omnes virtutes charitati tamquam Reginæ præſtant, quia ſine illa ut Hugo à S. Victore dicit: *Virtus virtutis nomen amittit, quæcumque charitati non famulatur,*

*Cant.4.3. 1.Cor.13.4. Ibid.5. Ibid.7.*

14. S. Thomas per adductam S. Hieronymi authoritatem in Articulo quodam dicit: *Ut breviter omnium virtutum definitionem complectar: Virtus eſt charitas, qua diligitur Deus & proximus:* At Auguſtinus dicit in libro de moribus Eccleſiæ, *quod virtus eſt ordo amoris, & ideo dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes.* Charitatem verò in Articulo ſecundo ſub ſequentibus terminis definit: *Charitas eſt habitus in anima creatus, quo homo inclinatur in actus omnium virtutum propter Deum, ut illas promptè & faciliter operetur.* In Articulo quarto autem S. Ambroſij authoritatem adducit, qua ait: *Charitatem eſſe formam virtutum*; ac proinde hanc ſtatuit concluſionem: *Charitas omnium virtutum forma eſt, cum per ipſam omnium virtutum actus in debitum & ultimum finem ordinentur, dat formam actibus omnium aliarum virtutum*; Adfertque hactenus à nobis ex S. Ambroſio & S. Baſilio adductam ſimilitudinem, hiſce verbis: *Charitas comparatur fundamento & radici, in quantum ex ea ſuſtentantur & nutriuntur omnes aliæ virtutes.* Ad quam comparationem Apoſtolus ad Epheſios ſcribens ait: *In charitate radicati & fundati, Ut poſſitis comprehendere... quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & profundum, Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*

*S.Tho.2.2. q.23.a.4. Charitas forma virtutum. Eph.3.v.17. & 18.*

15. S. Bernardinus alia quædam myſteria conſiderat, ob quæ charitas *Maximum mandatum appellatur: ratione nimirum excellentiæ, quia excellit omnes virtutes propter tria: Primo, quia eſt actus nobiliſſimus: Secundò: quia eſt actus ſufficientiſſimus: Tertio, quia eſt actus ſuaviſſimus. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas,* inquit S. Paulus, *Major autem horum eſt charitas:* Etenim fides Deum reſpicit, ut primam & æternam veritatem, in quam debet credere; ſpes in eumdem tamquam bonum quod ſibi nititur comparare: at verò charitas Deum reſpicit, ut ſe cum eo indiſſolubiliter uniat & adſtringat, in ipſo ſiſtendo: ac proinde charitas fidem & ſpem in hoc excedit, quod una harum virtutum Deum in obſcuro reſpiciat: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate:* altera verò ipſum reſpiciat tamquam bonum arduum, quod conſequi ſperat: Charitas autem actualiter illum amat, illum poſſidet, & fruitur illo: *Deus charitas eſt, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; ac proinde vocari jure merito poteſt *actus nobiliſſimus*, propter objecti tam præcellentis & digni poſſeſſionem; *Sufficientiſſimus*, quia ut infra videbimus, una charitas æquivalet omnibus alijs virtutibus, operibuſque bonis & ſanctis: *Suaviſſimus* denique, quia nihil eſt amore ſuavius. Unde Idiota ait: *Dulciter capis, ſtrenuè ſtringis, ſapienter erudis glorioſè illaqueas, oneras delectabiliter, nihil amore tuo ſuavius, nihil dulcius, nihil jucundius.* Præter haſce tamen idem S. Bernardinus, aliam inſuper rationem adjungit: *Dicitur*, inquit, *maximum ratione indeficientiæ quia deficientibus quaſi cæteris virtutibus, ſola dilectio remanebit in patria, & maximè quoad tria: quoad habitum, quoad actum, & quantum ad modum.* B. Laur. Juſtinianus in libro qui inſcribitur Faſciculus amoris, hanc virtutem ita definit: *Eſt amor virtus quædam reciproca, tenax, & indiſſolubilis animorum colligatio.* Verba quoque ſunt S. Pauli: *Charitas numquam excidit, ſive Prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur:* quod profectò optimè ad intentum dicitur; Etenim aliæ virtutes ſuum in hac vita terminum & finem habent, at verò charitas etiam in alia vita manet, magiſque perficitur. B. Laur. Juſtinian. denique in libro qui Lignum vitæ inſcribitur, ita ſcribit: *Nihil in temporalibus invenitur præter unum, quod vitæ cœleſtis imaginem repræſentet: Sola Dei dilectio eſt, quam non alterat caſualis eventus, quam ſeparatio corporalis non dividit, quam temporalis longitudo non abolet, quæ defectui non ſuccumbit.*

*S.Bern. ſer. 43.a.1.c.1. 1.Cor.13. v.13. 1.Cor.13.12. 1.Joan.4.16. Idiot.c.4. B.Laur.Juſt. c.9. 1.Cor.13.8. B.Laur.Juſt. c.8.*

## DISCURSUS III.

# DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Amor Dei natales ſuos Deo, in quo reſidet, directè attribuit, ipſique nos ſimiles efficit & unit, ipſumque totaliter noſtrum eſſe facit, ac demum nos Cœli poſſeſſores conſtituit.

## THEMA.

*Deus Charitas eſt, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Joan. 4. 16.

Charitas à Deo.

1. IN ea materia in qua de Charitate & amore erga Deum tractatur, exiſtimo, quod inter cunctos Paradiſi incolas competentiorem Joanne Evangeliſta judicem invenire minimè valeamus, utpote qui *Privilegio amoris præcipui cæteris altius à Domino meruit honorari*; neque enim Chriſtus hunc Apoſtolum præ cunctis alijs amavit, verum pariter per dilectionem reciprocam ab ipſo præ omnibus alijs amatus fuit, S. Auguſtinus ſpecialiſſimum hoc divino amori attributum elogium, *Deus Charitas*, ponderans, nil ultrà in ejus laudem dici poſſe exiſtimat; *Neſcio utrum magnificentius nobis Charitas commendari poſſit, quàm ut diceretur, Deus Charitas eſt: Brevis laus, magna laus, brevis in ſermone, magna in intellectu.* S. Bern. de natura & dignitate divini amoris diffusè tractat, primumque illius Tractatus caput ab hiſce verbis orditur: *Ars eſt artium ars amoris, cujus magiſterium ipſa ſibi retinuit natura, & Deus author naturæ:* Verum enim verò quia natalium dignitas ad excellentiam & nobilitatem rei alicujus non parum confert, æquum non eſt, inquit idem S. Doctor, ut hujuſce amoris origo & progenies abſcondita nos lateat: *Non decet latere, quibus ortus ſit natalibus, quâ nobilitatis lineâ inſignis habeatur, vel quo oriundus loco; Primus ejus nativitatis locus Deus eſt, ibi natus, ibi alitus, ibi provectus, ibi civis eſt, non advena ſed indigena*; ideoque Angelicus Doctor docet, quod hunc amorem non natura, ſed gratia parturiat: *Virtus Charitatis cum ſit fundata ſuper communicationem æternæ beatitudinis, non eſt naturalis vel per vires naturales acquiſita, ſed per infuſionem Spiritus Sancti in animam hominis infuſa.* Porro quando S. Joannes ait: *Deus Charitas eſt*, idèm eſt ac ſi diceret, nullam quaſi Deum inter & Charitatem diſtinctionem eſſe, id quod S. Auguſtino occaſionem præbuit hunc in modum exclamandi: *Deus dilectio eſt, quid amplius dici potuit? ſi nihil de laude dilectionis diceretur per omnes iſtas paginas hujus epiſtolæ, ſi nihil omninò per cæteras paginas ſcripturarum, & hoc ſolum unum audiremus de voce Spiritus Dei, quia Deus dilectio eſt, nihil amplius quærere deberemus.*

S. Aug. in ep. 1. Joan. 3.
S. Bern. de nat. & dig. div. am.
c. 2. ibid.
S. Th. 2. 2. q. 24. a. 2.
S. Aug. tr. 7. in Joan.

2. Doctrina eſt veridica S. Thomæ, quod Deus eodem amore infinito & increato, qui eſt Spiritus Sanctus, per quem Pater & Filius ſe mutuo amant, nos quoque diligat, quantumvis viliſſimi ſimus hujus terræ vermiculi: *Pater & Filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto & ſe, & nos*; Et quidem ne harum propoſitionum utpote intellectui humano difficilium, veritatem aliquatenus in dubium revocare poſſemus. S. Bern. in alio quodam tractatu, quem de amore Dei compoſuit, hæc verba præmittit: *Veritas tua vel vita ad quam itur, per quam itur, veram & ſimplicem nobis deſcribit formam divinæ & veræ Philoſophiæ, dicens ad diſcipulos ſuos: ſicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*; quibus verbis clarè nobis inſinuatur, quod eodem met amore, cum quo hic unigenitus qui eſt in ſinu paterno à ſuo dilectus eſt Patre, ſuos quoque diligat diſcipulos pariter & nos. *Oritur amor à gratia Dei Patris* (ſcribit quoque Idiota) *ſicut tu Domine Jeſu Chriſte amantium vita dixiſti: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum, ſcilicet per gratiam ad mei amorem.*

S. Th. p. 1. q. 37. a. 2.
S. Bern. de amor. Dei. c. 9.
Joan. 15. 9.
Idi. c. 2.



3. *Qui manet in Charitate, in Deo manet*, inquit S. Joannes; Porro paulo ante in eodem Capite dixerat: *Charitas ex Deo eſt, & omnis qui diligit, ex Deo natus eſt*; quibus ex verbis clarè deducitur, quod dilectio nos filiationis Divinæ faciat eſſe participes, S. Dionyſius Areopagita qui ſublimiſſimo intellectu abditiſſima cœleſtium Hierarchiarum myſteria penetravit, ita ſcribit: *Amor amantem convertit in amatum, & amans amando quodammodo exit à ſe, ita ut anima amantis magis ſit ubi amat, quam ubi animat*; cujus rationem Albertus Magnus tradit hiſce verbis: *Trahit amor amantem extra ſe, & collocat eum in amato, faciens ei intimè adhærere, plus enim eſt anima ubi amat, quam ubi animat, quia ſic eſt in amato ſecundùm propriam naturam, rationem & voluntatem, ſed in eo quod anima tantum eſt, ſecundùm quod eſt forma, quod etiam brutis convenit.* S. Paulus hac Charitate accenſus ardebat, ac proinde dicebat: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo. Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu*; adeò etenim per amorem cum Chriſto adſtrictus & conjunctus erat, ut ſe ab illo inſeparabilem eſſe exiſtimarit, dicereque non dubitarit: *Vivo ... jam non ego, vivit verò in me Chriſtus; Mihi vivere Chriſtus eſt.* Axioma quoddam eſt S. Auguſtini: *Talis eſt quiſque qualis eſt dilectio ejus. Terram diligis? terra es. Deum diligis? quid dicam? Deus eris.* Et quidem ne fortaſſis quiſpiam hanc quamdam exceſſivam in loquendo exaggerationem fuiſſe arbitraretur, idem S. Doctor protinus ſubjungit: *Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus: [ Ego dixi Dij eſtis; ] Si ergo vultis eſſe Dij, nolite diligere mundum.* Enimverò Deus noſter per amorem, quo erga hominem fertur, factus eſt homo, poteſt igitur & homo per amorem quaſi Deus quidam fieri. Nam ut Paulus de Palatio ait: *Etenim amor convertit in id quod amat; ut igitur ita Deus dilexit hominem, ut efficeretur homo; ita æquum eſt, ſic nos Deum diligere, ut Dij quidam efficiamur*; Ecce quouſque amore mediante pertingere valeamus, nimirum ut Deo ſimiles efficiamur, ejuſque Divina attributa participemus. Per quotidianam experientiam videmus quod homines vilibus oriundi natalibus, idiotæ, pauperes, à mundo contemptui habiti, Deum verè & ardenter amando, adeò arcti Dei amici & familiares efficiantur, ut eiſdem potentiam, ſapientiam ſuam, omniaque alia dona & gratias cæleſtes liberaliſſimè communicet. Unde S. Bonaventura S. Franciſcum Bernardonis filium nobis haud ſecus ac vivam quamdam Chriſti effigiem ob oculos ponit & repræſentat: *Chriſti amor in eamdem imaginem Chriſti transformavit amantem Franciſcum.*

1. Joan. 4. v. 16.
Ibid. 7.
S. Dion. Ar. de cœl. hier. c. 7.
Alb. Magn. l. de adh. Deo. c. 12.
Rom. 8. 38.
Ibid. 39.
Gal. 2. 20.
Phil. 1. 21.
S. Aug. tr. 2. in ep. Joan.
Pſ. 81. v. 6.
Paul. de Pal. in c. 22. Matth.
Charitas Deo ſimiles facit.
S. Bon. c. 13. vita San. Franc.

Diligendus Deus quia tuus.

4. Digna profectò obſervatione eſt illa S. Joannis ſententia, ad finem uſque tota ſimul completa, ſiquidem non ſolum animam virtute Charitatis Deo uniri dicit, verum etiam ipſummet Deum per reciprocam quamdam unionem animæ amanti adſtringi affirmat: *Qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Rupertus Abbas Tuitienſis ad propoſitum noſtrum ita ſcribit: *Ipſe ſpiritus amor eſt, quo ſolo idonea fit creatura rationalis, ut in ea Majeſtas Dei ſedeat, quam ferre non poteſt, quiſquis illam non amat.* Etenim anima noſtra honoris illius capax numquam futura eſſet, ut ſcilicet immenſæ & infinitæ cujuſdam Majeſtatis Dei thronus fieret, ejus inquam *Quam cœli capere non poſſunt*, niſi amor illam ad hoc diſponeret, dignamque efficeret. *Quo ſolo idonea fit* &c. ac proinde Sanctus Bernardinus, quid Charitas ſit, declarans, ait: *Dicitur autem Charitas quaſi chara unitas*, eo quod nos cum Deo uniat & copulet; Alibi quoque de eadem ſcribit: *Amor eſt vis unitiva, quæ unit amantem cum amato. Diliges Dominum Deum tuum*; Ubi bene notandum eſt illud Ly *Tuum*, hoc enim indicat quod Deus amore divino mediante, totus noſter efficiatur; ac proinde Sanctus Thomas à Villanova ait: *Si non diligis quia Deum, neque diligis quia Dominum, ſaltem dilige quia tuum, quis enim propria ſua non diligat? O homo diligis veſtem tuam, diligis domum tuam, diligis arva tua, dilige quoque Deum tuum; Dilige vel quia tuum, nihil enim ita tuum eſt, ſicut Deus tuus, quia tibi magis eſt tuus, quàm tu.* Nimirum Sanctus hic Archipræſul conſiderat, quod nos creaturas vehementer amemus, & Deus noſter qui Creator eſt omnium creaturarum, nonnumquam, ut ita dicam, contentus eſſet, ſi pari ſaltem quo ipſas, proſequeremur & illum. *Cur Deum maximè & ſuper omnia tuum à communi tuorum exceptas dilectione? ſolusne inter tua indignus à te judicatur amore? ut cum omnia tua diligas, ipſum maximè tuum minimè diligas? nunne indignabitur Deus ſuper tam execrando contemptu? pallium tuum diligis, caligas tuas diligis, zonam tuam diligis, & Deum tuum non diligis.* Didacus Stella idem ly, *Tuum*, ponderando, iiſdem motivis alijs licet verbis utitur, dum ait: *Deum dilige quia natus eſt, nam nihil eſt ſic tibi proprium & tuum, ut ipſe Deus, qui potius tibi tuus eſt, quàm tu ipſe tibi.* Adhæc ſi Deum ut Redemptorem noſtrum conſideremus; quam juſtum & æquum eſt, ut totum cor & totus amor noſter in ipſum rapiatur, cum hac ratione factus ſit totus noſter; *Nobis datus, nobis natus; Ecce Rex tuus venit tibi.* Idem Stella ait: *Non poteſt non eſſe tuus, ô homo, ille, qui corpus, animam, vitam, ſanguinem, ſe denique totum tibi dedit; Merito igitur ille Deus tuus dicitur, quandoquidem ſibi nihil retinuit.* Alio quoque motivo utitur, quod ad ſomnolentiam noſtram excitandam efficaciſſimum eſt, dum ait: *Etenim Deus Optimus, Maximus, cum vidiſſet homines tanto amore ſua proſequi, ſe noſtrum facere ſtatuit, ut ſic eum amare quodammodo compelleremur.* Denique quando jamjam morte interveniente à nobis ſe viſibiliter ſeparandum eſſe vidit, *Cum dilexiſſet ſuos, ... in finem dilexit eos*; nam ... inventionem quamdam excogitavit, qua adeò nobis adſtrictus & unitus manere voluit, ac eſt cibus & alimentum hominis quod eidem incorporatur, & idem ferè nobiſcum efficitur, ſiquidem in Euchariſtia ſemetipſum nobis in cibum reliquit, unde Sacramentum iſtud ſortitum eſt nomen Communionis, ab unione quæ per illud inter ipſum & nos efficitur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Rup. Abb. in c. 1. Apoc.
Dom. 5. Ep. 1. 3. c. 5.
S. Thom. Vill. conc. 3. in d. 17. Pent.
Did. Stell. in c. 10. Luc.
Joan. 13. v. 1.
Joan. 6. v. 57.

Cœlum pro amantibus Deum.

5. Eſt & alius & principaliſſimus quidem Charitatis effectus, qui pariter ex hoc textu Sancti Joannis deducitur, nimirum, quod nos Deo in æterna beatitudine uniat & conjungat, ſiquidem Ly, *manet*, ſtabilitatem & permanentiam denotat. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; Sola namque Charitas & nihil aliud Cœlum nobis aperit. Unde Sanctus Auguſtinus ait: *Tota ſalus noſtra in dilectione conſiſtit.* Sanctus Paulus Apoſtolus qui quondam in Cœlum Empyreum raptus, oculatus beatitudinis, & eorum quæ in illa fiunt, teſtis dici meretur, indicare nobis volens quinam illi qui in cœlis ea fruuntur, eſſent, audite quid Corinthijs ſcribat: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, ... quæ præparavit Deus ijs*; Quinam verò ij ſunt quibus Paradiſus eſt præparatus? *Qui diligunt illum*, Sanctus Auguſtinus de diligendo Deo idipſum notans ſcribit: *Ecce per hoc quod dicit Deum præparaſſe bona diligentibus ſe, oſtendit, quia dilectio via eſt, qua ad illa bona pervenitur.* Sanctus Thomas de Villa nova in ſermone quodam de S. Maria Magdalena, dum animam ad Dei amorem invitat, utilitatem quoque quæ inde capitur hiſce verbis exponit: *Grande & ineffabile commodum ex ejus amore proveniet tibi; Regnum cœlorum amanti promittitur; ama & regna; & quid facilius, quàm amare? quid glorioſius quàm regnare?*

S. Aug. l. de dil. Deo. c. 2.
1. Cor. 2. v. 9.
C. 1. ibid.
S. Thom. Vill. de S. Maria Magd.

Charitas via compendioſa.

6. Enimverò quamdiu hic in terra degimus, viatores ſumus, qui ad cœleſtem patriam continuò tendimus; viatori autem nihil æquè conducit, quàm quod ſecuram & compendioſam viam, quæ eò nos perducat, ingrediatur; Idem Paulus utpote *Raptus ad tertium Cœlum*, optimè nobis pro fideliſſimo viæ duce ſervire poterit; Hic igitur poſtquam per modum conſilij ſuaſiſſet: *Æmulamini Chariſmata meliora* protinus ſubjungit: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*, charitatem videlicet, de qua Capite ſequenti immediatè fuſiſſimè tractat. Et S. Auguſtinus de diligendo Deo ait: *Ecce charitas excellentiſſima via eſt, quæ ducit ad cæleſtem patriam, & ſine qua nemo illuc venire poteſt, ſed quis in hac via eſt? quis novit eam? qui diligit Deum & proximum.* Porrò finis & meta, ad quam totus curſus vitæ noſtræ, omneſque noſtræ actiones ordinandæ ſunt eſt æterna beatitudo; Unde Doctor Angelicus ait: Ultimum & principale bonum hominis eſt fruitio Dei, ſecundùm illud Pſalmi;

1. Cor. 12. v. 30.
S. Aug. de dil. Deo. t. 9. c. 1.

*Pſ.72.v.28. S.Thom.2.2. q.23. art.7. Ibid.q.24. art.4.*

Pſalmi : *Mihi adhærere Deo bonum eſt* ; & ad hoc ordinatur homo per Charitatem ; paulo poſt verò de eadem materia Charitatis tractans , notat , quod *Ex hoc dicimur eſſe viatores , quod in Deum tendimus , qui eſt ultimus finis noſtræ beatitudinis ; in hac etiam via tanto magis procedimus , quanto Deo magis propinquamus, cui non appropinquatur paſſibus corporis, ſed affectibus mentis , hanc autem propinquitatem facit charitas , quia per ipſam mens Deo unitur* ; Et mox prædictum Apoſtoli textum adducit ; nimirum : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.*

*S.Th. op.61. c.27. Matt.10.42 Marc 9.40.*

7. Verum enimverò id quod ad Charitatis laudem & gloriam vel maximè conſiderabile eſt , in hoc conſiſtit , quod ſicut idem Sanctus Doctor in Opuſculo 61. cap.27. per citatam quamdam S.Hieronymi authoritatem aſſerit : *Quilibet motus ejus valet regnum cælorum* , idque per quamdam in Evangelio aſſertam promiſſionem optimè probat, nimirum : *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ* &c. adeoque unica dumtaxat beati illius ignis ſcintilla ad Paradiſi poſſeſſionem capiendam ſufficit.

Duplex lucrum charitatis.

*S.Thom.Vill. conc. 3. in d.17. Pent. S.Aug.tr.37.*

8. Alius quidam ejuſdem nominis Sanctus , nimirum Thomas de Villa nova , ad hoc ſe reflectit, quod amando Deum duplicem inde recipiamus utilitatem , ſiquidem in hac vita ingens comparamus lucrum gratiæ, & in altera non minus gloriæ lucrum nobis acquirimus : *Quid amore Dei utilius, quo hic & in futuro feliciter vivit omnis amans*; Utroque enim hoc fine Deus noſter amatur à nobis, teſte S.Auguſtino , qui ait : *Ut quid enim diligit nos Chriſtus , niſi ut regnare poſſimus cum Chriſto ?* Dic ſodes ubinam Charitas in cœlo potiſſimum regnet ? In loco nimirum eminentiſſimo , maximeque ſublimi nimirum inter Seraphinos: *Major autem horum eſt Charitas* ; utpote quæ meliorem & digniorem in Paradiſo locum obtinet. Enimverò Salvator noſter jure merito nos exhortatur , ut de theſauro in cœlis expectando ſoliciti ſimus ; *Theſaurizate vobis theſauros in cælo* ; hoc etenim fiet ſi divino amori totaliter dediti fuerimus, nam ex mente Villanovani Theſaurus indeficiens eſt amor divinus ; *Hic ille Theſaurus in agro abſconditus , quem qui invenit , dedit omnia ſua , & emit agrum illum* ; Et tamen hoc non obſtante per quotidianam experientiam prô dolor, videmus , quod amor cordis humani, non dirigatur in Deum, ſed proſequatur aurum , non obſtante quod illud è profundiſſimis terræ viſceribus, quæ ſua cum Inferno vicina confinia habent, erui videamus, hâcque ratione à cœli viâ turpiter aberramus. O verè ſtolidum cor hominis, audi quid B.Laur. Juſtin. hac de re ſentiat: *Nullæ*, inquit, *majores ſunt divitiæ, quam Deum poſſidere & Charitatem habere*; cui conſonat quod Idiota meditatur dicens : *Amorem animæ theſaurum nullus ſuperat, neſcit enim homo pretium ejus , omne aurum in comparatione ejus arena eſt exigua ; ſine amore dives pauper eſt, & cum illo pauper dives eſt , quia qui Deum tota anima amat , & diligit , jam habet quem amat.* In alio verò ejuſdem Tractatus capite ſcribit : *Non poteſt eſſe pauper , qui Deum habet quem amat , & quomodo poſſet eſſe pauper , qui te, qui es omne bonum , habet in conſcientia? Qui habet aurum in arca dives non eſt , ſed qui te habet in conſcientia dives eſt ; Unde ſcribitur de te : Mecum ſunt divitiæ & gloria , Ut ditem omnes diligentes me, & theſauros eorum repleam.*

*Matth.6. v.20. S.Thom.Vill. conc. de fœdere. B.Laur.Juſt. de lig.vita c.1 Idiot. c.13.*

Deum amans dives.

*Idem C. 20. Prov.8.v.18 & 21.*

# DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Amor Dei debita peccatorum noſtrorum remittit, iiſque pariter opponitur; item ad perfectionem acquirendam nos juvat , & cum vitijs pugnat.

## THEMA.

*Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum.* Lucæ cap.7. ℣.47.

Amor peccatricem Magdalenam in Seraphinum tranſmutavit.

*Luc.8.v.2.*

1. S. Lucas Evangeliſta Mariam Magdalenam in Phariſæi domum primitus ingredientem velut in profundiſſima Inferni abyſſo poſitam deſcribit , dum ait : *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix* ; Imò alibi ab eodem S.Luca velut omnium ſeptem vitiorum capitalium vile mancipium in manu ſpirituum infernalium poſitum hiſce verbis ob oculos ponitur ; *De quâ ſeptem Dæmonia exierant.* Sanctus Bernard. Senenſis ad illa verba Iſaiæ : *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum* , ſeſe reflectens , per hanc Babyloniæ civitatem Mariam Magdalenam intelligit ; *Babylon enim confuſio interpretatur , & ſignat Magdalenam, quæ peccatorum confuſionibus plena erat.* Et tamen licet verè magna peccatrix extiterit , idem Evangeliſta in fine Evangelij eamdem velut ſuper ſublimiſſimos Seraphinorum choros elevatam nobis exhibet; dum ait : *Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multum* ; ac proinde Chryſologus in ejus laudem ita ſcribit: *Conſpicimus non ſolum caruiſſe peccatis , ſed ad totum ſanctitatis verticem perveniſſe*; at verò dicere mihi poſſetis , undenam ingens hæc mutatio proceſſerit, quod anima iſthæc ex abominabili Inferni titione ſubito in pulcherrimum quemdam Paradiſi Seraphinum tranſmutata fuerit ? *Dilexit multum; ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos*, inquit Salvator, in quo ut Seraphicus Doctor ait, *ſignatur fervens dilectio.*

*S.Bern.Sen. ſerm.46.in fer.5. Dom. paſſ. art.1.c.1. Luc 7.47. Chryſ. 94. S.Bonav. in Luc.*

Amoris oleũ peccatorum dimittit debitum.

*4.Reg.4.v.2 Ibid.v.7.*

2. In Regum libris paupercula quædam mulier fuiſſe perhibetur , quæ præterquam quod extremæ mendicitati , eſſet expoſita ; multis quoque debitis erat onuſta ; cumque domi ſuæ nil haberet, unde creditoribus ſatisfacere poſſet , creditores iidem in domum ipſius irruerunt , ut apprehenſos in aliqualem debiti compenſationem filios , ſervos ſuos & mancipia facerent ; Ipſa verò apud S. Eliam Prophetam, ſuum quærens refugium , ab eodem interrogata fuit , quidnam rerum ſuarum domi ſuæ haberet reconditum, reſpondit : *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea , niſi parum olei , quo ungar.* Quo audito Propheta eidem confeſtim , ut vaſa vacua non pauca ſuis à vicinis mutuo acciperet; moxque ingens illud multiplicati olei miraculum patravit , quod non ſolum ſolvendis ſufficiebat debitis , verum inſuper vendendo distractum, eum illi denariorum cenſum ſubminiſtravit , ut ſibi familiæque ſuæ commodiſſimè & largiter ſuſtentandæ abundè ſufficeret : *Vade , vende oleum , & redde creditori tuo , tu autem , & filij tui vivite de reliquo.* Scire hoc loco percuperem , quodnam in eo lateat myſterium, quod huic gravi & immenſo debito per oleum miraculosè ſubminiſtratum ſatisfiat ? Num fortè in Regione nullum præſto erat aurum & argentum ? Numquid ad vocem Prophetæ illius omnes Creaturæ promptè obedire & liberales eſſe debebant ? *Omnia in figura contingebant* ; Etenim quis eſt qui peccata ſub debitorum metaphora communiter denotari neſciat ? *Dimitte nobis debita noſtra.* Incarnata igitur Sapientia de Magdalena loquens duorum debitorum ſimilitudinem adducit in medium ; Per oleum quo hiſce ſatisfit debitis charitas intelligitur , quia ſicut oleum ſupernatat & ſupereminet omnibus alijs liquoribus , ita charitatem novimus ſupereminere omnibus alijs virtutibus : *Major autem horum eſt charitas.* Porro quando infinitum hocce debitum contraximus , in continuo periculo ſumus , ne veluti Diaboli creditoris noſtri mancipia, corpore & animo ad infernum deportemur, *Corpus & animam perdidit in gehennam* ; Ex nobiſmetipſis autem non habemus unde ſatisfacere poſſimus ; *Ego autem mendicus ſum & pauper ; Ex te perditio tua, ... tantummodo in me auxilium tuum* ; Et ideò aliud remedium non ſupereſt, quàm ut ad Deum recurramus , ad hoc , ut ille in cordis noſtri vaſculum pretioſum Divini amoris ſui oleum infundat. S. Auguſtinus quadantenus per hanc hiſtoriam, ad præſentem analogiam in ſermone ſuo alludit , dicens : *Conſiderate fratres , defecit oleum , & debitum crevit , crevit oleum & debitum perijt ; creverat cupiditas & perijt Charitas , redit Charitas & perit iniquitas.* Quantò myſticum hoc charitatis oleum amplius creſcit , tanto magis diminuitur debitum, quo divinæ juſtitiæ obſtricti ſumus ; eodemque tempore quo nos per hoc oleum debita noſtra exſolvimus , Cenſus noſter non deficit , ſed augetur ; & hinc fit , quod quanto plus quis amat , tanto magis debitum deletur, majoriſque crediti vel fidei lucrum acquiritur. Et forte hoc idem Euſebius Emiſſenus hiſce verbis dicere voluit , dum ait : *Hoc bonum dando non conſumitur , ſed dilatatur , & magis , dum transfertur , acquiritur , ac miro modo & tranſmittitur & retinetur ; ſiquidem ſalubri jucundoque commercio & accipientis lucrum , & tradentis augmentum eſt.* Chryſologus dum in propoſito de Magdalena conſiderat , quod Salvator ei expreſsè dixerit , eum qui plus amat , plus de debito ſuo diluere , contractiſque debitis ſatisfacere , ita loquitur : *Cui autem minus dimittitur , minus diligit ; audiſtis quemadmodum cæleſtis creditor totum debitum Charitate compenſat , & ad incrementum totius fœnoris , amoris ſolius exigit , & requirit uſuram.*

*Pſ.39.18. Oſe.13.v.9. S.Aug. ſerm. 106.de temp. Euſ Emiſſ. h.4. in Ep.*

Unicus charitatis actus ſufficit ad delenda omnia peccata.

*Idiot. c.16. Cajet.*

3. Argutè Idiota obſervat quod tametſi Magdalena multa Chriſto præſtiterit obſequia , pedes ejus lachrymis abluendo, capillis tergendo, ablutoſque & deterſos pedes pretioſo unguento ungendo , multoſque virtuoſos & heroicos actus in corde ſuo excitando ; *Tamen iſtis non tribuitur remiſſio , ſed ſoli dilectioni , quia ſine dilectione parum valuiſſent.* Verumtamen præſenti noſtro propoſito magis deſervit , quod Cajetanus notavit, nimirum , quod non dixerit , *Dilexit multoties , ut hinc diſcas , non oportere ad delendum centum peccata , exigi centum actus diligendi , quoniam ſemel diligere multum , delet innumerabilia peccata* ; ſicut enim unicus dumtaxat gratiæ juſtificantis gradus , pro infinita peccatorum ſumma diluenda ſufficit, ad eumdem quoque modum unicus dumtaxat veræ charitatis & divini amoris gradus ad eamdem debiti quantitatem liquidandam ſufficit.

*S.Greg. h.33*

Proſecutio.

4. Sanctus Gregorius culpam ærugini ſimilem eſſe dicit , quæ ferrum rodit & conſumit, ſed ab igne planè tollitur ; *Incendit planè peccati rubiginem* , ita de charitatis flamma loquitur , *quia ardet valdè per amoris ignem , tanto namque amplius peccati rubigo conſumitur , quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.*

*1.Pet.4.v.8.*

5. Sanctus Petrus cui collata fuit peccata remittendi ſumma poteſtas , facillimum hujuſce condonationis modum nos docet , dum ait : *Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis Charitatem continuam habentes : quia Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Charitas peccata operit.

*Luc.15.v.22 S.Chryſ. ſerm.3. Pſ.31.v.1.*

6. Nulli non conſtat , quàm licentioſam & lubricam filius prodigus vitam duxerit , quantumque cupiditati ſuæ ad quemvis vitiorum exceſſum frœna laxarit , mox tamen ut in ſe reverſus, ſuperioris vitæ pœnitentiam habuit , atque ad Patrem reverti, in ejuſque ſe brachia conjicere ſtatuit, pater quoque ei de longinquo obviam proceſſit , ſervoſque inclamans dixit : *Cito proferte ſtolam primam , & induite illum.* Scitiſne cur Pater id fecerit ? inquit Chryſologus : *Delicta non videt vis amoris , & ideò pater peccata filij redemit oſculo , clauſit amplexu* : ipſum ab alijs adeò lacerum ; & deformem videri noluit , quia charitas & amor omnem erroris vitæ prioris memoriam penitus deponit: *Ne nudaret pater filij crimina , pater filium ne fœdaret* : [ *beati* , inquit , *quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata* : ] *cecidit ſuper collum ejus* , ( ſunt verba ejuſdem Chryſologi ) *ut amoris onere onus tolleret peccatorum.*

Charitas criminum mors.

*Idiot.c.6.*

S.Aug. de laude charitatis.

*Idiot. c.5. & 16.*

7. Eſto quod aliquis ad gulam uſque ſit peccatis immerſus, graviſque Dei inimicus exiſtat, attamen ut talis plenam peccatorum ſuorum veniam conſequatur ; unicum amare ſufficit. Unde Idiota ait : *Tua immenſa dilectio uſque ad inimicos ſe extendit , nulli te negas , nullum ſpernis , ſed omnes manu amica vocas & recipis , niſi per peccatum à te invito & nolente contumaciter & inobedienter recedant* ; Ex parte noſtra ſtat omnis defectus, ſi hanc indulgentiam non aſſequamur , ſiquidem in ſententia S.Auguſtini certum eſt, quod *Charitas ſit mors criminum & vita virtutum.* Idem Idiota in cap.5. antecedente hunc nobis effectum indicat, quod ſcilicet *Peſtes mentis ſanat*; & in cap.16. dicit : *Non eſt peccatum quod dilectione tua non remittatur , non macula tam fœda, tenax, ac etiam inveterata, quæ tua dilectione & amore non diſſolvatur.*

Peccatis opponitur charitas.

*B.Laur.Juſt. de lig. v.c.3. S.Aug.tr.5. in c.3. ep.1. Joann. Idiot. c.15. S.Th.op.61. de dil. c.17.*

8. Ex amore Dei , velut ex radice progerminant flores & fructus virtutum , prouti in B. Laurentio Juſtiniano hiſce verbis docetur : *Ut autem multi arboris rami ex una radice prodeunt , ſic multæ virtutes ex una radice charitatis* ; & eodem modo ex defectu hujus omne peccatum & Dei offenſa derivatur , juxta ſententiam Sancti Auguſtini, qui ſuper illa verba : *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* , ita ſcribit : *Intendite ; hoc mandatum Chriſti dilectio vocatur , per hanc dilectionem peccata ſolvuntur ; hæc ſi non teneatur , & grave peccatum eſt , & radix omnium peccatorum.* Ratio eſt quia amor Dei opponitur peccato , teſte Idiotâ , qui dicit : *Dilectio tua omni peccato contrariatur , & omni tentationi reſiſtit* ; Eſtque ratio hæc efficaciſſima & Sancti Thomæ , dicentis : *Quem magis amo , magis revereor , magis offendere vereor* ; Verus etenim amor , voluntati objecti amati ſe conformat , ejuſque guſtui complacere ſtudet , illum reſpicit & honorat, ſemper ne illi quapiam in re fortè diſpliceat, magnoperè timet , multoque magis offenſam ejus exhorreſcit.

Charitatis mirus effectus.

*Rom.8.v.28 Gloſſ.*

9. Verum enimverò ſpecialiſſima quædam charitatis prærogativa hæc eſt , quod *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* , *etiam peccata* , inquit Gloſſa ; Quod ſi lapis aliquis daretur in rerum natura, qui ferrum in aurum puriſſimum tranſmutare poſſet, quam ille eſſet pretioſus maximeque æſtimandus? Porrò Amor Dei ex peccatis, quæ veluti lingua nutriendo Inferni incendio ſerviunt, ſcalas nobis & gradus facere novit , quibus in cœlum expedite aſcendimus. S.Ambroſius ad illa Davidis poſt lapſum ſuum ad veram & ardentem pœnitentiam reducti verba : *Amplius lava me ab iniquitate mea* , ſe reflectens, ait : *Plus acquiſivimus, qui plus peccavimus , quia beatiores facit tua gratia , quàm noſtra innocentia.* Etenim quando animæ pœnitentes offenſas Creatori, Redemptori ; & Benefactori ſuo illatas conſiderant , confunduntur, magiſque in amore incaleſcentes , ferventiſſimæ contritionis & charitatis actus in corde excitant , quibuſcum antecedentes errores denuò inſtaurant ; Unde idemmet Archiepiſcopus ait : *Sancti Domini, qui conſummare pium certamen geſtiunt , & currere curſum ſalutis , ſicubi fortè ut homines corruerint , naturæ magis fragilitate , quàm peccandi libidine , acrius ad currendum reſurgunt , pudoris ſtimulo majora reparantes certamina , ut non ſolum nullum attuliſſe æſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulaſſe.*

*S.Ambr. in Pſ.50.v.4. Apol.1.c.5. de David.*

Perfectos ac ſanctos facit.

*S. Th. op.61. c.17. 2.2.q.184. art.3. S.Bon. ſer.2. de S. M. Magd. Luc.10. v.42.*

10. Præter jam dictam peccatorum remiſſionem amor divinus perfectos nos efficit & Sanctos. Unde S.Thomas poſtquam dixiſſet: *Charitas aufert omne peccatum* , mox ſubjungit, *confert omne meritum.* Quiſnam obſecro Ly illud, *Dilexit multum*, ab illo *qui ſciebat quid eſſet in homine* , prolatum pro dignitate explicare ſufficiet ? S.Thomas aſſerit quod charitas vel amor Dei ſit menſura Chriſtianæ perfectionis : *Perfectio Chriſtianæ vitæ attenditur ſecundùm charitatem* : jam verò Seraphicus Doctor de Maria Magdalena pœnitente dicit : quod *ſupra humanum eloquium dilexit Chriſtum* ; ac proinde ſi ſcire vultis ad quem Sanctitatis gradum uſque ipſa pertigerit ? facili negotio idipſum ab ipſiuſmet primæ , æternæ & incarnatæ veritatis encomio ipſi attributo conjicere licebit , ſiquidem de ipſa dicitur : *Maria optimam partem elegit.* Anima quæ Deum ardenter diligit nequit non eſſe ſancta. S. Ignatius Loyola nomen ſuum ab igne ſortitus fuit; *Ignatius ab igne* , quia totus accenſus fuit divino amore. De ipſo legimus , quod dum aliquando in contemplatione cœleſtis amantis raptus hæreret , ad terram converſus exclamarit : *O quam mihi ſordet tellus dum cælum aſpicio* : nimirum adimplebatur in eo , quod Angelicus Doctor ſcribit : *Anima media inter Deum & creaturas poſita converſione ad Deum illuminatur , melioratur , & perficitur.* Quiſquis majus lumen notitiamque de Deo habet , in eodem amando & ex ejus amore operando magis efferveſcit. *Tanto levius* ( inquit Sanctus Bernardus ) *operatur Charitatis manus , quantò eam adjuvat illuminatus oculus* : quantò major eſt lux & ſplendor Solis , tanto is quoque ardentior efficitur. Porrò Hieroſolyma cœleſtis , non ſolum nobis Cœlum, ſed & animam ſanctam & perfectam repræſentat. Sanctus Joannes autem in manu Angeli cujuſdam arundinem, ſive inſtrumentum quoddam vidit, ad muros ejus dimetiendos aſſumptum : *Qui loquebatur mecum habebat menſuram arundineam auream , ut metiretur civitatem , & portas ejus, & murum, ... & menſus eſt Civitatem de arundine aurea* ; atque ideò ſi menſuram ſanctitatis & perfectionis cujuſque animæ ſcire cupitis , hanc auream charitatis virgam in manus ſumite ; nam ut Sanctus Thomas ait : *Qui plus habebit de charitate , perfectius Deum videbit , & beatior erit* ; qui idem ſimiliter ut jam diximus, ſupra aſſeruit , *Perfectio Chriſtianæ vitæ attenditur ſecundùm Charitatem.* In eodem Apocalypſeos libro, aliam quoque deſcriptam habemus viſionem cujuſdam qui Filio Dei ſimilis , ſtabat in medio ſeptem candelabrorum aureorum , myſtica quadam chlamyde adornatus , ſeptem ſtellas manu ferebat, ac demum quod maximè notandum eſt, zona aurea ad pectus præcinctus cernebatur : *Præcinctum ad mammillas zona aurea.* Idem Doctor Angelicus hujus quoque myſterium explicat , dum ait: *Zona aurea , id eſt , cingulo charitatis* ; Unde per hoc nobis inſinuatur , quod eo ipſo quo cor noſtrum charitate & amore divino flagrat, indicium hoc nobis evidens eſſe debeat, quod ſtellæ in manibus reſplendeant, id eſt , quod opera illius exemplaria , virtuoſa, atque perfecta exiſtant , ſit virtutibus omnigenis doniſque cœleſtibus undique adornatus.

*S.Th.op.61. c.3. S.Bern. c.5. de nat. & dign.am.div. Apoc. 21. v.15. Ibid. 16. S.Thom. p.1. q.12. art.6. Apoc.1.v.13 S.Th. ibid.*

Pulchra S. Auguſt. ſententia.

*S Aug. in 1. Joan.4.tr.7.*

11. Sanctus Auguſtinus propoſitionem quamdam tradit, quæ prima quidem facie Spiritus Chriſtianæque perfectionis legibus parum conformis videri poſſit , Dicit enim: *Dilige & fac quod vis* : videri enim poſſet quod eo ipſo quo naturam hanc noſtram depravatam

& corruptam in plena ſua libertate relinquit faciendi quod vult, laxatoque fræno eamdem currere ſinit, eamdem in manifeſtum præcipitium proturbare velit, ſecundùm illud : *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis* ; & tamen S. Auguſtin. utpote tam eximius & magnus ſpiritualis vitæ Magiſter, erraſſe in ea propoſitione minimè credendus eſt. Notandum igitur, quod priuſquam dicat : *Fac quod vis*, præmittat verbum illud Dilige, quia quiſquis Deum verè diligit, cor faſcia Charitatis, & divinæ legis obſervantia accinctum habet : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum ; Et ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Sanctus Leo Magnus dum cor charitate dilatatum explicat, illud quoque omnibus virtutibus exornatum, thronumque Dei factum eſſe dicit : *Ne in multis laboret ſolitæ diſcretionis inſpectio, ipſam matrem virtutum omnium charitatem in ſecretis ſuæ mentis requirat, & ſi in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intente reperetit, ita ut etiam inimicis ſuis eadem velit tribui, quæ ſibi optat impendi, Deum & rectorem & habitatorem ſui eſſe non dubitet.*

*Pſ. 80. v. 13.* — *Pſ. 118. v. 32 & 34.*

*Qui Deum diligit omnia ſpernit.*

12. Sponſa, quæ animam ſanctam & perfectam præfigurat, dilectum ſuum, amoris, quo erga illum flagrabat, conſcium eſſe volebat, unde dicit : *Idcirco vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo* : at verò quænam ipſa dilectionis ſuæ ſigna edebat, ex quibus quod illum verè diligeret, agnoſci poterat : *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis ; ſurrexi ut aperirem dilecto meo ; ſpoliavi me tunica mea, manus meæ diſtillaverant myrrham, percuſſerunt me, & tulerunt pallium meum ; anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt.* Etenim anima divini amoris incendio accenſa, aures & multo magis cor ſuũ voci dilecti excipiendæ, id eſt, ſanctis ejus inſpirationibus excipiendis ſemper patulum habet, omnium bonorum terrenorum fruitione ſe privat, in auſteritate & mortificationibus gaudet, omnes adverſitates & tribulationes gratanter & patienter amplectitur : atq; in ſanctis cõtemplationibus abſorpta ſemper hęret.

*Rich. de S. Vict. tr. de laud. char. c. 1.*

*Charitatis Omnibus vitijs contraria.*

13. Richard. de S. Victore charitatem myſtico quodam epitheto exornat, dum illam medullam virtutum appellat : *Hæc medulla vitutum vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, exceſſus corrigit, mores componit, valens ad omnia, & omnibus prævalens.* Hanc ipſa ſuper omnes alias virtutes prærogativam & excellentiam obtinet, quod dum aliarum quælibet vitium quoddam ſibi contrarium habet, adverſus quod pugnat, v. g. liberalitas contra avaritiam, manſuetudo adverſus iram, contra impudicitiam continentia ; Charitas econtra adeò ſit animoſa & magnanima, ut ſola adverſus omnia vitia ſeſe armet, & acriter dimicet ; omnes in aciem provocat, adverſus cunctas luctatur, & glorioſam reportat victoriam. Multæ quoque laudes ejus eæque valde eximiæ ex S. Paulo Apoſt. decerptæ ab eodem Richardo hiſce verbis tanguntur : *Sola quæ in adverſis non deficit, quia patiens eſt ; quæ injurias non rependit, quia benigna eſt ; quam felicitas aliena non cruciat, quia non æmulatur ; quam conſcientia mala non pungit, quia non agit perperam ; quæ honore non extollitur, quia non inflatur : quæ præeſſe non nititur, quia non eſt ambitioſa ; quam cupiditas non coarctat, quia non quærit quæ ſua ſunt ; quam injuria non provocat, quia non irritatur ; quàm ſiniſtræ ſuſpiciones non fœdant, quia non cogitat malum, quam aliena mala non lætificant, quia non gaudet ſuper iniquitate ; quam errores non cæcant, quia congaudet veritati ; quam perſecutiones non frangunt, quia omnia ſuffert ; quam perfidia non indurat, quia omnia credit, etſi non omnibus ; quam deſperatio non abſorbet, quia omnia ſperat ; quam intolerantia non dejicit, quia omnia ſuſtinet, id eſt, omnia de Deo promiſſa patienter exſpectat ; quam mortis ſeparatio non interdicit, quia numquã excidit.*

## DISCURSUS VI.

### ARGUMENTUM.

Amor vita eſt animæ, quæ valde ingrata eſt, niſi Deum amet, qui tot modis ſalutem ejus curat, ſive eamdem expectando ad pœnitentiam ; ſive à peccatis præſervando : Alia quoque conſiderantur hujuſce amoris motiva.

### THEMA.

*Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, anathema ſit.* 1. Cor. 16. ℣. 22.

*Charitas animæ eſt vita.*

1. S. Apoſtolus juſtam habet æternam maledictionem ijs imprecandi cauſam, qui Chriſtum non diligunt, quia vita ſpiritualis animæ in Charitate fundatur ; *Nos ſcimus* (inquit S. Joannes Apoſtolus) *quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres ; Qui non diligit manet in morte.* At verò quænam amorem & mortem intereſt correſpondentia ? Nimirum quod ſicut mors tunc ſequitur, quando anima ſeparatur à corpore, ita quoque mors ſpiritualis animæ tunc accidit, quando Deus, qui charitas & amor eſt, à nobis recedit. Unde Sanctus Cyrillus Alexandrinus ait : *Mors propriè eſt, non quæ animam dirimit à corpore, ſed quæ animam à Deo ſeparat, Deus vita eſt, à quo qui diſtinguitur, perit.*

*1. Joan. 3. v. 14.* — *S. Cyr. Alex. or. de exitu.*

*Homo ſe à Deo ſeparat.*

2. Porro homo primus eſt, qui mutuam illam Deum inter & animam intimam conjunctionem diſrumpit & tollit ; homo enim primus eſt, qui à Deo ſe ſeparat, dum ſe per affectum ad Creaturam convertendo, Deum Creatorem ſuum tergotenus aſpicit, cum cæteroquin quod Deum attinet, ipſemet clare proteſtetur dicens ; *Delitiæ meæ, eſſe cum filijs hominum.*

*Prov. 8. v. 31.*

*Pauci Deum amant.*

3. S. Thomas de Villanova non immerito obſtupeſcit, quod adeo pauci inveniantur qui Deum amant ; taleque ſtuporis iſtius adducit argumentum, quo ingratitudini & negligentiæ noſtræ, quam in hoc amore manifeſtè nimis exhibemus, vehementer improperat : *Conſiderate fratres mei*, inquit, *ſi hic Imperator ſui imperij & regni promitteret conſortes habere omnes, qui eum diligerent, quot inveniret in mundo dilectores ? Proh pudor ! ubique quærit Deus tam glorioſus, tam pretioſus, tam immenſus, dilectores ſui ; invitat ad ſe amans quos ipſe condidit, donat plurima, & plura promittit ; & in ipſis operibus ſuis vix invenit dilectorem ſui.*

*S. Thom. Vill. ſerm. de S. M. Magd.*

4. Atque ideo ut ab homine creatura tam ingrata amaretur, non ſufficiebat ut ſemetipſum & Paradiſum quemdam ei in præmium amoris promitteret, verum inſuper opus erat, ut idipſum ſub æternæ damnationis pœna præciperet, & tamen nec vel hoc quoque ſubſiſtit : quia adhuc *vix invenit dilectorem ſui.*

*Homines ſilicibus duriores.*

5. Habent utique Doctores ſacri juſtiſſimum obſtupeſcendi motivum, dum Deum homini amorem ſuum per expreſſum præceptum impoſuiſſe conſiderant, quaſi vero homo aliquis inveniri poſſet adeo inhumanus & barbarus, qui ipſum etiam ſine ullo tali præcepto non amaſſet. Deus quondam Moyſi præcepit : *Tolle virgam & congrega populum, tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas* : Equidem ſilex percuſſus naturaliter potius à ſe ignis ſcintillas & favillas evibrabit, & tamen ex Dei præcepto, repugnante licet natura, limpidas atque criſtallinas ſcaturijt aquas. Unde Oleaſter ad propoſitum noſtrum aptius nihil dicere poterat dum ait : *Omnia etiam inſenſata dant Deo ſuo & Creatori, quidquid ab eis poſtulaverit, etiamſi id ſua natura non habeant, ſolus homo negat Deo ſuo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem & præcordia ſua* : ac tandem merito ferrea nos viſcera habere, & ſilicibus duriores eſſe concludit : *Ferreus, & plus quàm lapideus es, ſi dante petra aquas Deo & populo, tu non des Domino Deo tuo cor tuum.*

*Num. 20. v. 8.* — *Oleaſt. ibid.*

*Hominum ingratitudo.*

6. Quidnam obſecro Deus ingrati hominis, vilis illius vermis, & deformis luti amore opus habet, ut illum tanti æſtimet & faciat ? Num forte ipſi deſunt milliones Seraphinorum amore flagrantiſſimo in cœlis ardentium ? numquid ipſe unico Omnipotentiæ & voluntatis ſuæ actu tot poteſt Seraphinos ardentiſſime amantes creare, quot ſunt minutiſſimæ maris arenæ ? & tamen ad hujus miſeri ; ingrati, & miſerabilis hominis fores, dulciſſimis hiſce verbis continuò pulſat : *Præbe fili mi cor tuum mihi* : Et quo fine putas id facit ? num forte propter Commodum & intereſſe ſuum, quod inde habet ? Minime gentium, ſed potius in beneficium noſtrum, ut nos ſcilicet cœli cohæredes efficiat : *Diligentibus te bona inviſibilia præparaſti* : Numquid igitur ſibi homo non unum ſed mille infernos jure meritiſſimo promeruiſſe videbitur, dum huic ſe amori opponit, illumque tanta cum ingratitudine à ſe repellit ? Quænam obſecro erit Chriſtiano alicui homini confuſio, quod cor habuerit ad divitias, honores, voluptates, cunctaque alia etiam canes & alia viliſſima animalia amanda promptiſſimum & expeditum ; & tamen in illo nullum amori Dei alicujus tam glorioſi & immenſi dare velit hoſpitium vel locum ? Numquid juſtum & æquum eſſet, ut in tantæ ingratitudinis & inhumanitatis condignam pœnam univerſa ſuper ipſum ſimul & ſemel haberentur ſeveriſſima Divinæ juſtitiæ ſupplicia ? *Si quis non amat, &c.*

*Prov. 23. v. 26.*

7. De



*Hiſtoria.*

7. De B. Felice Cappuccino refertur, quod dum panis mendicandi cauſa Romam perambularet, & fœminam quamdam nobiliſſimam catellum ſuum nimijs blanditijs delinientem conſideraſſet, eidem dixerit : Ehem quanto utilius amor ille, quo hanc beſtiolam proſequeris ; tibi remunerandus foret, ſi illo cordis tui affectu Deum diligeres ? Damnati ob nullam aliam cauſam in inextinguibili Inferni igne ardent, niſi quod dum adhuc in hac mortali vita degerent, amore ſuo, cum tanto amoris, Deo tamquam Creatori ſuo, debiti præjudicio, creaturis & alijs hujus vitæ bonis nimium adhæſerint.

*Dei amor ſtabilis.*

8. Enimvero motiva ad Deum amandum nos conſtringentia exactius nonnihil ponderemus. S. Thom. optime conſiderat ; quòd bonus quiſpiam amicum cordialiter admodum diligi ſoleat : *Amari ſolet, & merito amatur, qui fidelis in amicitia comprobatur.* Prov. 20. *Virum fidelem quis inveniet ? Omnis homo mendax* ; Sed amor hominum inſtabilis eſt, quia juxta amici proſperitatem aut adverſitatem mutari ſolet. Prov. 17. *Omni tempore diligit qui amicus eſt ; ... apud Patrem luminum non eſt tranſmutatio, aut viciſſitudinis obumbratio.* Tametſi Lazarus in putridum quoddam cadaver redactus eſſet, *Jam fœtet : Quatriduanus eſt*, nihilominus tamen quia Chriſtus illum amabat : *Lazarus amicus noſter ; ecce quomodo amabat eum* ; ideo eum deplorat, & in vitam denuo reducit. *Si ad talem miſeriam Chriſtus deveniret*, inquit Doctor Angelicus, *quam paucos amicos retineret ?* S. Petrus in Cœna, & quando ejus Vicarius factus fuerat in terra, dum illi claves reſignarentur regni cœlorum, ſimiliter in triumpho Palmarum, in permagno illo turbarum comitatu & univerſali applauſu, ſicut & quando miracula patrabat, ab eo ne latum quidem unguem receſſit, ſed firmiter adhæſit, imò audacter proteſtatus eſt : *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo* : at verò dum vix examen, cui Magiſter ipſius captivus ſubjiciebatur, audiviſſet, nec non inſultus vidiſſet ; quibuſcum ab Anna & Caipha fuit receptus, pluries illum negavit, & *ſequebatur eum à longe* ; Hoc tamen non obſtante Chriſtus, qui illum tenerrimè diligebat, ſui ipſius oblitus, nec quidquam tormenta ſua curans, oculum ſuum à Petro detorquere non poterat : *Reſpexit Petrum.* Omnes quoque Apoſtoli illum deſeruerunt ; *Omnes relicto eo fugerunt* : illos tamen benigniſſimus ipſorum Magiſter numquam deſeruit, quin potius lictoribus expreſſo præcepto, ne illis moleſti eſſent, imperavit : *Sinite hos abire.* S. Auguſtin. de ſemetipſo confeſſus fuit dicens : *In periculis ſæpiſſimè conſtitutum clementer eripuiſti, nec unquam in peccatis meis me dereliquiſti ; oblitum tui de te admonuiſti, averſum à te revocaſti, venientem ad te benignè ſuſcepiſti, pœnitenti indulſiſti, non enim ea ſola quæ commiſi peccata, ſed etiam quæ te protegente non commiſi, à te demiſſa putandum eſt.*

*S. Th. op. 61. c. 14.* — *Prov 20. v. 6* — *Pſ. 115. 11.* — *Prov. 17. v. 17.* — *Jac. 1. v. 17.* — *Joan. 11. v. 39.* — *Matth. 26. v. 35.* — *Luc. 22. v. 54* — *Luc. 22. v. 61* — *Matth. 26. v. 56.* — *Joan. 18. 8.* — *S. Aug. de dil. Deo c. 12.*

*Adverſitates ſigna ſunt Divini amoris.*

9. Adverſitates quoque & ærumnæ, quas nobis nonnumquam immittit (quis hoc crederet ?) ſui quoque erga nos ardentiſſimi amoris meræ ſunt demonſtrationes. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat*, inquit S. Paulus, *flagellat autem omnem filium ; quem recipit.* S. Thomas de Deo noſtro ait : *Præ omnibus eſt utilis, & ideo propter utilitatem præ omnibus etiam amabilis ; amplius autem, quia tua mala tecum ſentiens, ea tibi alleviat in præſenti, dicit enim ipſe : [ Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum ]* Sanctus quoque Tobias ait : *Quoniam tu flagellas & ſalvas.* Ideoque optimè nos S. Aug. monet, ut Deum agere ſinamus, ut vult : *Melius novit ille quid tibi expediat, quàm tu, & ob hoc ſi vis de eo benè ſentire, totum quod ab illo tibi ſit, benè fieri intellige, talis eſt enim amor Dei in nobis nec quidquam omnino humana infirmitas tolerat, quod ipſè quantum in ſua bonitate eſt ; ad bonum noſtrum non diſponat.* Richard. de S. Victore dicit, Deum nobis perſæpe adverſa eo fine immittere, ut amorem noſtrum, quo tanto cum præjudicio noſtro erga creaturas ferimur, ab illis avertendo, ad ipſum recurramus. *Adverſa quomodo amorem doceant, vel exigant, tibi innoteſcere cupis ? Cum plerumque humana ingratitudo ſuperbè ſibi arrogat dona conditoris, vult idem hominis conditor alto ſalubrique conſilio hominem tribulationibus exerceri, ut cum defecerit homo & ſubvenerit Deus ; Deus, ut dignum eſt, ametur ab homine ; hoc enim eſt, quod dicit : Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

*Hebr. 12. 6.* — *S. Th. op. 61. c. 11.* — *Pſ. 90. v. 15.* — *Tob. 13. v. 2.* — *S. Aug. ib. c. 8* — *Rich. de S. Vict. tr. de gr. char. c. 3.*

*Deus miris modis nobis ſuccurrit.*

10. S. Auguſtin. in eodem libro de diligendo Deo, amorem noſtrum erga Deum ex hoc capite ſollicitat, quia nimirum Deus de ſalute & bono noſtro adeo ſollicitus exiſtit : *Sic certè mihi videtur, dum ejus miſerationes circa me attendo, quod, ſi fas eſt dicere, nihil aliud agit Deus, niſi ut meæ ſaluti provideat, & ita totum ad cuſtodiam meam occupatum video, quaſi omnium oblitus ſit, & mihi ſoli vacare velit.* Finis quoque quem habuit, dum veſtiri noſtra carne voluit, ſolus amor fuit, quo erga ſalutem noſtram ferebatur. Unde Idiota ait : *Sicut ad operandam ſalutem in medio terræ, ex nimia dilectione ſemel veniſti in carne viſibili, ita quotidie propter maximam dilectionem quam habes ad animas noſtras, venis inviſibilis ad ſalvandas eas.* Idem quoque cap. 7. ſpecialiſſima & innumera conſiderat bona animæ ab eadem divina charitate exhibita, idque fere verbis ſupra allatis S. Auguſtini ſimillimis : *A multis*, inquit, *periculis me liberaſti, me deviantem reduxiſti, ignarum docuiſti, dum peccarem ad pœnitentiam expectaſti, proſtratum erexiſti, & ad te venientem largiſſimâ pietate tuâ ſuſcepiſti.* Porrò amicos non ſemper pro voto noſtro præſto habemus, ſæpe illos videre non poſſumus, vel non poſſunt ſemper & in omni referre ſubſidium : non vero ſic amantiſſimus Pater noſter, *ſemper præſentem mihi ſe adhibet Deus*, ſunt verba meditantis Auguſtini, *ſemper paratum offert, quocumque me verto, me non deſerit, ubicumque fuero non recedit, quidquid egero pariter aſſiſtit, cunctis actionibus meis perpetuus inſpector* : omnes noſtros numerat greſſus, cogitationes ponderat, cunctas noſtras trutinat operationes, imò & deſideria noſtra in rationes vocat. S. Thomas Deum eamdem habere exiſtimat relationem ad animam, quam anima ad corpus, unde ait : *O anima qualis es ad corpus, talis quodammodo ad te. Deus tuus : miraculum eſt, ſi redeat anima ad corpus, quod ipſa deſeruit, mirabilius quod ad animam, quæ ipſum deſerat, redit Deus : mirabilius quidem, ſi eſſet rarius, ſed nunc propter frequentiam mirabile deſiit eſſe, quæ nimirum frequentia probat, quod paratior eſt Deus uniri animæ, qua penitus non indiget, quam anima corpori, quo multipliciter eget.*

*S. Aug. c. 10. ibid.* — *Idiot. c. 13.* — *idem C. 7.* — *S. Aug. l. cit. c. 10.* — *S. Th. op. 61. c. 20.*

*Dei patientia.*

11. Omnes utique Creaturæ offenſas Creatori ſuo factas ſine ulla dilatione vindicaturæ eſſent, niſi ipſe eas per exceſſivum ſuum amorem fræno cohiberet : *Cui gratias referre debeo*, inquit S. Auguſt. *quod non ſecundùm iniquitates meas retribuiſti mihi, quod me terra non abſorbuit, non me cœlum fulminavit, nec alia pœna vel morte, prout dignus eram, me afflixiſti.* Pergit deinde fuſiùs oſtendere, qualiter per infinitam charitatem ſuam creaturas coërcuerit, ne ſe adverſus ipſam armarent, aut adverſus eum ſe non erigerent ; *Niſi impetum cohiberet ipſè, qui eas condidit.* Idiota pariformiter divinam admiratur patientiam, unicum hujuſce divini amoris fructum : unde ita ſcribit : *Dum peccabam, tu ſilebas, dum non continebam à vitijs & peccatis, tu à verberibus abſtinebas, dum perſeverabam in iniquitatibus multis & varijs, vindictam differebas.* Quod idem, licet cum plurium aliorum punctorum ſuperadjectione S. Auguſtinus diu ante ipſum hiſce verbis ſcripſerat : *Furorem tuum provocavi, iram promerui, peccavi & paſſus es : deliqui, & adhuc ſuſtines : ſi pœniteo, parcis : ſi revertor, me ſuſcipis, revocas errantem, vincis repugnantem ; expectas torpentem ; amplecteris redeuntem : doces ignorantem : mulces mœrentem : à ruina ſuſcitas : poſt lapſum reparas : petenti largiris : quærenti inveniris : pulſanti aperis.*

*S. Aug. c. 12. l. de dil. Deo.* — *Idiot. c. 7.* — *S. Aug. ibid.*

*Deus hominem à malis præſervat, & cuſtodit.*

12. Verumenimverò minus alijs beneficium minime eſt, quod ab ipſo recipimus, dum per illum à futuris aliàs lapſibus miſericorditer præſervamur : Etenim *Amor Dei deſcendit & protegit à malis*, inquit Idiota : qui ſubjungit, quod David in perſona uniuſcujuſque Deum ardenter amantis animæ, Deum hiſce verbis alloquatur : *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum ..., & liberator meus : Deus meus adjutor meus* : Quotieſcumque à pravis ſtimulamur ſuggeſtionibus, aut vehementiſſimis urgemur inimici infernalis tentationibus, atque inſultibus, tunc Deus noſter vel maxime animam amantem defendere ſatagit : *Peccat peccator prava ſuggeſtione & cogitatione, ſed tunc es diligenti te fortitudo, ne cogitatio poſſit introire : quod ſi peccator ultra procedat, ſcilicet ad delectationem, tu es tunc ei firmamentum, ne poſſit delectatio invaleſcere : cum autem peccator ad conſenſum voluntati laxat habenas, tu Domine illi es refugium, ut conſenſui contradicat.* Quod ipſum in progreſſu libri cap. 23. iterum repetit, exemplum adducens pupillæ, quæ tanta cum ſolicitudine à natura defenditur & cuſtoditur : *Sicut homo*, inquit, *pupillam oculi ſui ſedulo cuſtodit, & eam ſummè diligit, ſic tu Domine Jeſu Chriſte amator bone, amicum & dilectum tuum protegis & defendis, & cuſtodis, ne in peccatum labatur* :

*Idiot. c. 19.* — *Pſ. 17. v. 2. 3. 4.*



Scrip-

*Pſ. 96. v. 10.*

*Scriptum eſt enim : [ Qui diligitis Dominum, odite malum : ]* Per conſtantem in pœnitentia perſeverantiam pariter nobis ſuccurrit amor Divinus. Unde S. Joannes ait :

*1. Joan. 4. 16*

*Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; id eſt, efficit, ut gaudia & voluptates, quæ antea amorem noſtrum abſorbebant, nobis amareſcant :

*Idiot. c. 7.*

*Sic Domine me viſitaſti* ( inquit idem Idiota ) *& cor meum durum mutaſti, ut amara nunc ſentiam illa, quæ antea malè dulcia mihi erant, & qui lætabar tunc, cum malo in rebus peſſimis agebam, nunc incipiam tibi recogitare omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

13. Sunt & alij utiliſſimi, valdeque conſiderabiles charitatis effectus, qui à S. Auguſtino in quodam ſermone ſuo hiſce verbis tanguntur :

*S. Aug. ſerm. 39. de temp.*

*In adverſitatibus tolerat, in proſperitatibus temperat, in duris paſſionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutiſſima, in hoſpitalitate latiſſima, inter veros fratres lætiſſima, inter falſos patientiſſima.*

Charitatis ſtimuli.
*S. Bern. a. 3. c. 1.*

14. S. Bernardinus in quodam ſermone, qui intitulatur, *De amore inter Deum & animam*, multa nobis deſcribit motiva, per quæ nos Deus ad ſe amandum efficaciter exſtimulat : *Primus ſtimulus*, inquit, *eſt dilectio Dei, dum anima conſiderat, quis eam amat, quia ſummè bonus : quantum eam amat, quia uſque ad mortem filij ſui : quare eam amat, quia non propter ſe, ſed propter illam. Secundus eſt Paſſio Chriſti : ſtimulat enim ad conſiderandum, quantus eſt qui patitur, quanta, quæ patitur, qua de cauſa. Tertius eſt largitas donorum, dedit enim dona ſpiritualia, corporalia, & temporalia. Quartus eſt inquinatio animarum, conſiderando peccatorum multitudinem, magnitudinem, ingratitudinem, & turpitudinem. Quintus eſt pulchritudo virtutum, conſiderando quantum per eas anima decoratur, nobilitatur, & deiformatur.* Hiſque ſtimulis amoris enumerandis uſque ad duodecimum incluſivè egregiè inſiſtit. S. Thomas quoque in Opuſculo ſæpius à nobis allegato tractatum quemdam facit de decem gradibus amoris ſecundùm Bernardum :

*S. Tho. op. 61.*

*Primus, in quo facit languere utiliter ? Secundus quærere inceſſanter : Tertius operari indeſinenter : Quartus ſuſtinere infatigabiliter : Quintus appetere impatienter : Sextus currere velociter : Septimus audere vehementer : Octavus ſtringere inamiſſibiliter : Nonus ardere ſuaviter : Decimus aſſimilari totaliter.*

15. Olim à viris admodum eruditis coram Alphonſo Arragoniæ Rege controverſia quædam agitata fuit, nimirum an verum ſit, quod amor generet amorem ; & an hoc nullam patiatur exceptionem : Cui difficultati Sapientiſſimus hic Princeps affirmativè reſpondit, dicendo, maximam illam exceptionem quamdam pati in Deo reſpectu hominis, ſiquidem tametſi Deus hominem tenerrime diligat, adeo ut fortius non poſſit ; homo tamen erga Deum ſe ſic ardenter amantem adeo ingratum & frigidum exhibeat. Porrò anima à Deo electa in ſponſa præfiguratur dicente :

*Cant. 1. 12.*

*Dilectus meus mihi & ego illi* : Unde manifeſtum eſt reprobationis indicium, quando hæc amoris correſpondentia & reciprocatio in nobis minimè reperitur.

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Deus tantopere erga nos beneficus conſideratur, quia quocumque nos vertimus, per communicata nobis beneficia amorem noſtrum erga ſeipſum exſtimulat, ſiquidem ipſum cunctas creaturas ad nobis ſerviendum ordinaſſe conſtat.

## THEMA.

*Multi... amici ſunt dona tribuentis.* Prov. 19. ℣. 6.

Hominum ingratitudo erga Deum beneficum.

1. EXperientia conſtat, quod illi vel maximè à nobis amentur, noſtroſque ſibi affectus rapere ſoleant, qui nobis benefaciunt, ſuntque de bonis ſuis erga nos munifici & liberales. Paulo ante idem Sapiens dixerat :

*Prov. 19. q. 4*

*Divitiæ addunt amicos plurimos :* Hocque motivo S. Thomas utitur, ut nobis ardentem erga Deum noſtrum amorem inculcet :

*S. Th. op. 61. c. 11.*

*Præponderat*, inquit, *evidenter Deus, qui tibi communicans & dat ſua, & ſe : de donis datis magna & multa donavit in præterito : donat & donare non ceſſat in præſenti, ſed maxima, & plura donabit in futuro.* Alius quoque ejuſdem nominis ſanctus Thomas eleganter oſtendit, quantum affectum noſtrum ad ſe rapiat is qui nulli alteri rei adeo intenta mente ſtudet, quam ut nobis benefacere poſſit :

*S. Th. Vil. in dom. 17. Pent. conc. 3.*

*Naturaliter omnes ad amandum beneficos inclinamur* ; Videturque hæc veritas, inquit ipſe, non ſolum in hominibus, ſed etiam in animalibus brutis. *Videas ferociſſimum leonem feritate depoſita, caudæ motu, & vultus alacritate nutritori ſuo amiciſſime blandientem, cumque à magnis incommodis & morte liberaſſe : urſus atrociſſima bellua, non ſolum beneficijs manſueſcit, ſed & in ſignum gratitudinis, ut Domino ſuo placeat, ſecum familiariter & ad nutum ejus, meliori modo quam poteſt, & gratulatur, & ludit : juſſus ſaltare, ſaltat : luctatur etiam cum jubetur, nec ullum recuſat opus quod ipſe proficere poſſit, ne vero ſuo & benefactori ſuo ingratus queat haberi ; in quod vitium ſimiliter ne incidant Elephantes, paſcentibus ſe Indis manſuetiſſimè & cordatiſſimè obſequuntur :* Unde ſanctus hic Archipræſul quamdam, ad confundendam humanam adverſus Deum benefactorem noſtrum miram ingratitudinem, deducit valde utilem conſequentiam : *Cum tantum ſit animal*, inquit de Elephante, *tantarumque virium, homunculo debili pro beneficijs, quæ recognoſcit, ſervire non dedignatur ; ſola rationalis creatura, prô pudor, beneficium ignorat, neſcit, gratitudinem.* Did. Stella qui tantum ſe probavit eſſe Divini amoris promotorem & deprædicatorem, prouti ex eo quem compoſuit, Tractatu clare deducitur, iiſdem à Villanova adductis utitur motivis, in exemplum adducendo leonem & urſum, ambo animalia valde obſequioſa illis, à quibus alimenta ſua accipiunt ; ſubditque pariter de alijs animalibus :

*Did. Stell. in c. 10. Luc.*

*Animalia vero domeſtica, ut ſunt canes, equi, quæ ſigna amoris dominis ſuis oſtendunt, quæ quodcumque ſubeunt diſcrimen & periculum ut ipſos tueantur ? Solus ingratus homuncio dominum ſuum neſcit, qui illi benefacit, alit, ſuſtentat :* Unde & illo Iſaiæ textu utitur :

*Iſa. 1. v. 3.*

*[ Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognovit, ] O hominis impudentia ! Si bruta animalia interrogaveris, ipſa te docebunt.*

Aves ſe gratas exhibent.
*S. Max. ho. 2. de non tim. hoſt.*
*Matt. 6. v. 26*

2. S. Maximus oculos ſuos in Volatilia conjicit, quæ cœleſtis ille Pater alit & ſuſtentat, de quo Unigenitus ipſius ait : *Reſpicite volatilia cœli,... Pater veſter cœleſtis paſcit in illa* ; Hæ autem volucres cum aliud medium non habeant, quo ſe gratas exhibeant, ſuique amoris in alium ſigna nulla edere valeant, mane & veſperi mox ut pabulum ſuum congruum acceperunt, cantillare incipiunt, velut certo quodam modo grates Deo perſolvere conantes : *Aves propter viles eſcas gratias agunt, in pretioſiſſimis epulis paſceris, & ingratus es ?* Quot ſunt qui dum laute paſti ſunt, non ſolum in amore Dei magis magiſque non effervеſcunt, quin potius in objectorum carnalium amore magis ardere incipiunt ? Qua de re Deus noſter etiam ad ſtellas uſque lamentatus fuit : ſiquidem ipſos cœlorum orbes ad hanc tam abominabilem ingratitudinem obſtupeſcendam & deteſtandam invitavit :

*Iſa. 1. v. 2.*

*Audite cœli :... filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Demum verò bovis & aſini exemplum ſubdit, qui Dominos ſuos à quibus nutriuntur, impenſe diligunt.

Beneficia Dei nos trahere deberent ad amorem.
*Rich. de S. Vict. de gr. violentæ char.*
*Oſe. 11. v. 4.*

3. Richardus de S. Victore in aureo illo tractatu, quem de gradibus violentæ charitatis compoſuit, late nobis qualia ſint vincula quibus Deus corda noſtra in ejus amorem adſtringere voluit, exponit : *In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis : qui ſunt iſti funiculi niſi munera Dei ? quæ ſunt iſta charitatis vincula, niſi Dei beneficia ? Bona naturæ, gratiæ, gloriæ ; his enim beneficentiæ vinculis obnoxium fecit, & benevolentiæ debitorem conſtituit, naturam condidit, gratiam contulit, gloriam repromiſit : Ecce funiculus triplex, bona conditionis, bona juſtificationis, & præmia glorificationis.* Enimvero beneficia vincula quædam fortiter nos ſtringentia eſſe, diu ante Richardum ſanctus Auguſtinus dixerat, unde ait :

*S. Aug. de dil. Deo c. 2.*

*Ad Dei dilectionem in nobis excipiendam, nutriendam, & augendam, nihil ita valet, ſicut beneficiorum ejus frequens & diligens recordatio.* Idiota quoque in libro, quem de amore Divino compoſuit, eamdem nobis conſiderationem ſcriptam reliquit, ita enim ait :

*Idiot. c. 2.*

*Oritur etiam amor ad te diligendum per beneficia à te multipliciter nobis collata, quia quidquid boni habemus, à te habemus & ultra multa bona te ipſum nobis dediſti, cum de cœlo propter nos deſcendiſti.* Demum c. 18.

*idem c. 18.*

optimè ponderat, qualiter Deus olim populo ſuo ſe beneficum deinceps erga illum futurum eſſe promiſerit, terram fœcundando & fertilem efficiendo, eumque in cunctis bonis temporalibus omni optata proſperitate cumulando, ut hac ratione populus hic totum affectum & amorem ſuum in eo reponeret :

*Tam*



*Tam exuberans eſt amor tuus ; quod diligenti te una cum ſpiritualibus bonis bona etiam temporalia concedis, ſicut dictum eſt à te :*

*Deut. 11. v. 13. 14. & 15.*

*[ Si obedieritis mandatis meis,... ut diligatis Dominum Deum veſtrum, & ſerviatis ei in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra dabit pluviam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fœnumque ex agris.*

Proſecutio.

4. Temerarius ille, qui ut habetur in Evangelio, nuptijs ſine veſte nuptiali accumbere præſumpſerat ex Dei præcepto in ignem ſeu tenebras exteriores juſſus eſt conjici :

*Matth. 22. v. 12. & 13.*

*Quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem ? Mittite eum in tenebras exteriores.* Notandum eſt autem, quod ille ne minimo quidem ſeſe verbo fuerit auſus defendere : *At ille obmutuit.* Cur ita ? Numquid ſe ex improviſo vocatum eſſe, aut verò ſibi ad ſe hoc ornatu induendum tempus debitum defuiſſe reſpondere poterat ? Nequaquam id aſſerere audebat, quia veſtis illa nuptialis unicuique ad illas nuptias ingredienti dabatur ; quia

*Pſal. 18. v. 7*

*Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Porro veſtis illa charitatem ſymbolice ſignificabat ;

*Rom. 5. 5.*
*Idiot. c. 24.*

*Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Unde Idiota ait : *Iſta veſtis ex pretioſis filis, id eſt, ex tuis beneficijs homini collatis eſt contexta, & à te ſubtili magiſterio facta, & decorata.* Quis uſpiam in hac vita inveniri poterit, qui non ſe quaquaverſum innumeris Dei noſtri bonis cinctum & circumdatum eſſe fateri debeat ? Quis igitur retrorſum ire poterit, ut illum non amet ? Richard. de S. Victore ait :

*Rich. de S. Vict. de gr. char. c. 3.*

*Reduc oculos ad hæc inferiora, & vide quæ videntes pierique non vident, & adverte ſi non cuncta quæ vel nobis in proſperis ſerviunt, vel contra nos ſæviunt in adverſis, quædam non ſint charitatis calcaria urgentia quodammodo ad curſum amoris.* Diſcurre per univerſam naturam creatam, & conſidera, omnia in ipſa ad bonum & commodum noſtrum, nec non ad noſtram ſibi conciliandam benevolentiam & affectum ordinata eſſe : *Hoc cœlum & terra, mare, & aëra, hic circuitus temporum redivivus, patribus antiqua innovans, dilapſa reformans, conſumpta reſtaurans, implere, non ceſſat, ut ſic hæc communia continua beneficia reſpuere, nemo eſt, qui poſſit, ita eum qui benefacit, non diligere, nemo eſt qui debeat.*

*S. Bern. de mod. bene viv.*
*Tertull. con. mar. c. 13.*

5. S. Bernardus de modo bene vivendi, nobis Deum offendendi licentiam concedit, cum hac tamen limitatione, ut ſcilicet id ibi dumtaxat fiat, ubi illum præſentem non invenimus : *Ibi pecca, ubi Deus non eſt* ; at verò Tertullianus ait : *Plena & occupata ſunt omnia ſuo auctore.* Idem quoque nos in caſu noſtro aſſerere poſſe videmur : Noli amare Deum, niſi ubi illum erga te beneficum ſentis ; *Sed ſic eſt*, quòd Deus noſter nulli alteri rei adeò intentè incumbit, nil aliud cogitat quam ut modos adinveniat, quibus hoc obtineat, ut tu amoris & benevolentiæ ſuæ fructibus gaudere & frui poſſis : Ergo & tu illi per affectum & gratitudinem tuam correſpondere teneris.

Deus nobis ſemper benefacit ergo amandus.
*Did. Stell in c. 10. Luc.*

Did. Stella ait : *Saltem amorem ejus amplectere eo tempore ſolum quo tibi benefacit, cùm vero beneficia non contulerit, non eum diligas ; parum certe homo ab homine peteret, qui ſolum poſtularet, ut ſi quando beneficia aliqua ipſo actu in eum exerceret, tum temporis diligeret ; cum igitur Deus omni tempore & omni hora beneficijs factis alia majora & ampliora ſemper cumulet, amorem ſemper illi debes.* Et ideò ſanctus Auguſtinus injuriam illam quam anima ingrata Deo facit, dum tot ſe ab eo beneficijs cumulatam cernens eum non amat, graviter exprobrat dicens :

*S. Aug. l. de dil. Deo c. 5.*

*Majorem charitati ejus injuriam facis, ſi dona illius accipis, & tamen viciſſitudinem dilectionis non impendis.*

Confirmatur.

6. Qua autem moneta immenſum illud & infinitum debitum, quo Deus per innumerabilia bona quæ nobis continuò communicat, nobis obſtringit, ſatisfacere ſaltem aliqua ex parte poterimus ? non alia profectò, quam moneta dilectionis & amoris ; hunc enim amorem loco ſufficientis remunerationis habet, imo illum omnibus rebus ſuperiorem æſtimat, quas ei alias offerre poſſumus :

*Cant. 8. v. 7.*

*Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Hunc amorem nos exſolvere debemus pro ſatisfactione non gratuita, ſed debita.

*Did. Stell. ibid.*

*Quis plantavit vineam*, inquit Stella, *& de fructu illius non comedit ? cui fructus niſi ei qui arborem plantavit ? cui obſecro eſt amor debitus, niſi ei qui potentiam dedit amandi ? quis bona ſibi facientem non amat ?* Sanctus autem Auguſtinus, nihil ad propoſitum noſtrum melius dicere poterat, quam dum ait :

*S. Aug. ibid.*

*Aut dona illius, ſi potes reſpue, vel ſi dona illius reſpuere non potes, viciſſitudinem dilectionis repende.* Richardus de S. Victore per omnia hæc bona creata ſe convertens, hominemque omni ex parte tot divinis beneficijs circumdatum videns, dicit, hæc omnia acutiſſima eſſe calcaria quibus ille ad cœleſtem benefactorem ſuum amandum exſtimuletur.

*Rich. de S. Vict. p. 1. de gra. char. c. 3.*

En verba ipſius propria : Denique qua parte ſubrepere poſſit illius oblivio, qui præter illos radios incircumſcripti luminis, præter illos rivos incorruptæ dulcedinis, quibus ineffabiliter in animam influit, in rebus etiam viſibilibus amanti ſe exhibere non ceſſat ? Integer quippe amator Dei quocumque ſe vertit, familiarem habet admonitionem amoris, rebus his pro ſpeculis utitur, & in omni quod cernit, ſui amatoris ſibi reſultat memoria.

Omnia creata in noſtrũ ſervitium.
*S. Aug. de dil. Deo. c. 4.*

7. S. Auguſtinus ad eam nos conſiderationem invitat, qua omnes creaturas ad noſtrum fuiſſe ſervitium ordinatas cognoſcamus : dicit enim : *Quid tibi dedit ô anima mea ſponſus tuus ? Reſpice univerſum mundum iſtum, & conſidera ſi in eo aliquid ſit, quod tibi non ſerviat ; Omnis creatura ad hunc finem, curſum ſuum dirigit, ut obſequijs tuis famuletur, & utilitati deſerviat, tuiſque oblectamentis pariter & neceſſitatibus, ſecundùm affluentiam & deficientiam occurrat.*

Multa ſunt creata ad hominis delectationem.

8. Notanda verò hic ſunt verba illa Auguſtini ſtatim adducta : *Tuis oblectamentis deſerviat.* Neque enim optimo Deo noſtro viſum fuit ſufficere quod pro neceſſaria hominis proviſione tot creaturis eſſe ſuum dederit, ſiquidem ad eum in Dei amorem magis exſtimulandum, multas inſuper ad ſolam ejus delectationem & recreationem creavit. Quo enim alio fine flores cum ſua fragrantia, & colorum ſuorum venuſtate creatos fuiſſe exiſtimas, quam ad noſtras delitias ? Aves ſimiliter quæ cantus ſui nos harmonia delectant multaque alia animalia, quæ ſoli recreationi noſtræ deſerviunt, quid obſecro aliud ſunt, quam tenerrimi affectus illius, quo cum nos hic Creator amat, evidentiſſima indicia ? Id quod Senecæ ſolo licet naturæ lumine illuſtrato occaſionem dedit, ut ſequentia ſcriberet :

*Sen. l. 4. de ben. c. 5.*
*Pſ. 8. v. 8. 9.*

Neque enim neceſſitatibus tantummodo noſtris proviſum eſt, uſque in delitias amamur. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.*

Alimentum, Medicinam, ſublevamen, &c.

9. Quod ſi virtutes examinemus quas herbis ſubminiſtrat, inveniemus, quod eæ quæ nutrimento noſtro non ſerviunt, alimentum ſint eorum animalium, quæ ad uſum vel alimentum noſtrum ſunt deſtinata, vel ſaltem occulta quadam præditæ ſint virtute, licet ea nos lateat. Ex animalibus ſimiliter aliqua creata ſunt, ut nos in portandis oneribus, terraque aranda à laboribus ſublevent, vel ut excrementis ſuis terram impinguent, alia vero ut carnes, lanam, pelles & alia nobis ſubminiſtrent. Terra item cum pluviis indigeat hæ de uno tempore in aliud, mediantibus vaporibus à radiis ſolaribus in ſublime attractis in aëre producuntur ; Vapores autem cum ventis indigeant, ut à terra marique in mediam aëris regionem uſque, ubi generari ſolent, eleventur, ideò hi venti mediantibus terræ exhalationibus producuntur ; Exhalationes autem iſtæ ſponte propria non aſcendunt, niſi attrahantur à Sole, qui demum cœleſti quadam intelligentia vel Angelo opus habet, qui rotam ejus, una cum primo mobili, totque alijs cœleſtibus ſpheris circumagat & gyret. Tandem verò Angelus ordinem ſive imperium ſuum ab illo benigniſſimo Deo accipit, qui hominem tam ardenter tamque tenerè amat.

Ut Deum amemus.

10. Dicite igitur nunc ſodes, quis talem aliquem Regem vel mundi Monarcham non diligat, qui una cum ſubditis ſuis, quovis die, quacumque hora, imo quolibet momento, aliud non curat, nec aliud cogitationibus ſuis verſat, quam ut ei benefaciat, ſuiſque divitijs cumulet. Optimè Tertullianus ait : quod

*Tertull.*

*Homo cura ſit divini ingenij* ; quod verum eſſe Deus ipſe teſtatur dum ait : *Quid ultra potui facere & non feci ?* Ipſe in eo ſemper occupatur, ut lautam & copioſam nobis menſam inſtruat, & tamen vere Deus dicere poteſt :

*Iſa. 1. v. 2.*

*Filios enutrivi,... ipſi autem ſpreverunt me* ; Quonam putas fine Deus abundantem adeo homini proviſionem curavit, quam ut ejus ſibi quotidianum amorem tanto efficacius adſciſceret ?

*Chryſol. ſer. 65.*
Omnia ſunt creata propter nos.

11. Chryſologus ait : *Quidquid cœli micat, radiat, & ſplendet ornatus, quidquid terra fragrat in floribus, ſapit in fructibus, in animantibus gaudet, noſtro amore factum, noſtræ addictum eſt ſervituti* ; Ubi notanda ſunt verba illa : *noſtro amore factum.* S. Auguſtinus quoque poſtquam longum quemdam bonorum

 innu-

innumerabilium, quibus à Deo cumulamur, texuiſſet catalogum, tandem ita concludit: *Qui tantum dare voluit, multum dilexit, tantum ergo diligens, & tam diligendus dono ſuo demonſtratur; & quam ſtultum eſt amorem tam potentis non ultro concupiſcere, quam impium, quam perverſum eſt tam diligentem non amare?* Chryſoſtomus nos ut oculos in cuncta viſibilia bona ſerio dirigamus, hiſce verbis monet: *Omnia quæ videntur cœlum, terram, maria, aërem, quæque in ipſis ſunt omnia animalia, plantas, ſemina, cauſa noſtri effecit.*

*S. Auguſt. Ibid. c. 4.* — *Chryſ. hom. 62. in Matth.*

Deus ſemetipſum tibi dedit.

12. Verum enimvero parum nimis hi omnes ſancti Patres dixerunt; quia bona quoque inviſibilia, ipſumque cœlum Empyreum pro nobis creata & in noſtram habitationem facta fuerunt, quia in terra iſta, velut in exilio vivimus, & tamquam viatores ad illam cœli patriam ambulamus: *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Angeli quoque creati fuere, ut nobis miniſtrarent, noſque cuſtodirent, atque vigilias & excubias pro nobis agerent: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te.* Cœli extenſi fuère, ut benignos ſuper nos fluctus irrorarent; tempus in partium anni ſive ſtationum viciſſitudinem creavit; Stellas in cœli ſtellati ornatum & elegantiam condidit, aër ad noſtram reſpirationem, ignis ad calefactionem corporum noſtrorum, terra ad fructificandum nobis fuere producta. Univerſa bona iſta, in ſubſtantia, inquit Bernardus, pro quonam putas fuere producta? *Cui putas? nulli niſi tibi.* Verumtamen hic noſtri amantiſſimus minime contentus de eo quod ad benefaciendum nobis ſuam ut ita dicam potentiam exhauſerit: *Fecit potentiam in brachio ſuo. Quid ultra potui facere & non feci?* inſuper ſemetipſum nobis dare voluit. *Semetipſum exinanivit*, ut nos locupletaret. S. Auguſtinus dum ita meditaretur: *Ut totus tibi ſervirem, omnia in meum ſervitium tradidiſti*, parum nimis dixit, ſiquidem inſuper ſemetipſum, qui donum quoddam eſt cunctis creaturis longe majus & excellentius, donavit; de quo S. Franciſcus dicere ſolebat: *Deus meus & omnia.*

*Matth. 25. v. 34.* — *Pſ. 90. v. 11.* — *S. Bern. 14. ſup. Pſ. Qui habitat.* — *Luc. 1. v. 51.* — *Phil. 2. v. 7.*

## DISCURSUS VIII.

### ARGUMENTUM.

Alia Deum amandi motiva examinantur, ſiquidem ad hoc ut illum amemus, eſſe quoddam adeo nobile, & ad ejus ſimilitudinem factum nobis contulit, cunctaſque creaturas noſtro ſervitio deputavit.

### THEMA.

*In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te.* Jerem. c. 31. v. 3.

Charitatis motiva.

S. Auguſtinus in libro quem de amore Dei compoſuit, ad hominem amoris igne accendendum remedium valde efficax, primorum natalium noſtrorum conſiderationem eſſe cenſuit. *Ut amor Dei in te amplius excitetur, & creſcat, conſidera diligenter, à quo, quare, vel ad quid creatus ſit homo, quæve Deus propter hominem creavit.*

*S. Aug l. de dil. Deo c. 2.*

Ex nihilo nos Deus creavit.

2. Moyſes infantulus Nili ripæ in carecta ſcirpea innatans, in procinctu erat, ut ſubmergeretur; cum ecce filia Regis illum ex cœleſti utique inſtinctu, non ſolum ab imminenti ſubmerſionis periculo benignè ſubtraxit, verum etiam tamquam filium ſuum in aula Regis educari curavit: Verumtamen ſtatus uniuscujuſque noſtrum longe miſerabilior fuit, priuſquam eſſe noſtrum reciperemus; ſiquidem quid nihilo pejus aut deterius dari aut imaginari poteſt, è quo tamen ſupremi Dei altiſſima Majeſtas, eſſe quoddam adeo nobile, quale hominis eſt, eduxit, de quo Pſalmiſta cum ſtupore ita canit: *Minuiſti eam paulo minus ab Angelis, gloriâ & honore coronaſti eam, Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; adeoque hominem è profundiſſima nihili abyſſo ad ſublimiſſimum Cœli culmen hominem collocavit; *Creaſti nos Domine ad te; Poſſidete paratum vobis regnum; Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; Quod ſi filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*; Et quidem certiſſimum eſt, id Dei nos ardenter amantis effectum fuiſſe, ut proinde homini per os Jeremiæ Prophetæ lamentando dicere jure merito poſſis. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miſerans.* S. Baſilius ait: Non rogatus, non ſupplicatione invitatus, non exiſtenti dedit; cui enim homo ad eſſe hoc adeo nobile recipiendum ſe commendare, aut ſupplicare potuiſſet, qui nullum etiamnum eſſe habebat, imo qui in ultima nihileitatis abyſſo reconditus latebat?

*Exod. 2. v. 5.* — *Pſ. 8. v. 6. 7. 8.* — *Matth. 25. v. 34.* — *Joan. 1. v. 12* — *Rom. 8. v. 17.* — *Jer. 31. v. 3.* — *S. Baſ. or. 11.*

Prior dilexit nos.

3. S. Thomas de Villa nova optime conſiderat, quod ex eo quod Deus nos ab æterno, priuſquam in mundo videremur, amavit, magnum nobis ad ipſum redamandum ſtimulum addat: *Eſt & alia ratio debiti amoris, quia tu etiam diligis me, & prior dilexiſti me; Non quaſi nos dilexerimus ipſum, inquit Apoſtolus, ſed quia ipſe prior dilexit nos; prior dilexiſti me Domine, quia ſine merito vel debito aliquo feciſti me; Quid enim tibi feceram, antequam eſſem ut faceres me? ex tam multis poſſibilibus creaturis, quas creare poteras, placuit tibi ſuſcitare me de nihilo.* Et quidem numquid verum exceſſivæ in nos charitatis ſignum fuit, quod dum nos de nihilo produxit nobis non eſſe aliquid filicis alicujus, vel herbæ, vel tygridis, vel formicæ dederit, ſed potius nos per eſſe quoddam adeo nobile honorarit. S. Gregorius Nyſſenus pulchrè quærit: *Quis me, cum pulvis inanimus eſſem, vitæ pariter & mentis participem fecit? quis hoc lutum ad imaginem figuræ divinæ formavit?* Utique charitas artifex fuit, qui idipſum præſtitit.

*S. Thom. Vill. ſer. de S. M. Magd.* — *S. Gr. Nyſſ. in or. Dom.*

Ad tantam evexit dignitatem.

4. *In Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te*; Ubi bene, & ſingulari cum emphaſi notanda eſt illa verbi, *attraxi*, proprietas; Etenim ſol radijs ſuis viles & abjectos vapores ad ſe de terra attrahit, eoſdémque ad mediam uſque aëris regionem ſubvehit, ubi luminoſæ & reſplendentes nonnumquam formantur impreſſiones, cometæ nimirum, fulgura, & ſtellæ licet erraticæ. *Quid eſt homo, quod memor es ejus?* Homo utique ante ſuam creationem nihil aliud quam quidam luti pugillus fuit, & tamen lutum hoc in ſupremi artificis manu, viliſſimus hic vapor à Sole juſtitiæ irradiatus ad humanæ naturæ ſublimem dignitatem evectus fuit; *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis &c.* Unde S. Auguſtinus ait: *Cogita, quod aliquando non fueris, & ut eſſe inciperes, hoc Dei dono acceperis; donum ergo ejus erat, ut fieres.* Idem quoque immenſum hoc Creationis beneficium in capite, quod undecimum eſt, affectuoſis hiſce verbis diligenter examinat: *Diſcerne me ab illis, qui vel abortivi projecti ſunt ab utero, vel intra materna viſcera ſuffòcati, pœnæ videntur concepti, non vitæ. Accepi ergo ut ſim, accepi ut homo ſim, accepi intellectum, qui interſit inter me & pecus, accepi corporis formam, accepi in corpore diſtinctionem ſenſuum, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, manus ad contrectandum, palatum ad guſtandum, pedes ad ambulandum*; Demum verò ad ea quæ altioris ſunt conditionis in homine, ſeſe reflectit, nimirum ad nobiliſſimas animæ potentias: *Accepi amplius, mentem ſcilicet, quæ poſſit intelligere, quæ poſſit capere veritatem, quæ poſſit indagare, deſiderare Creatorem, laudare & inhærere illi.*

*Jer. 3. v. 3.* — *Pſal. 8. v. 5.* — *Pſal. 8. v. 6.* — *S. Aug. l. de dil. Deo. c. 6. & c. 11.*

Omnia quæcumque habes dedit.

5. B. Ægidius qui ſocius fuit S. Franciſci ut ſæcularem quemdam ad verum Dei amorem accenderet, die quodam in hunc cum ipſo diſcurſum digreſſus fuit; Erat aliquando nonnemo qui nec manus, nec pedes, nec oculos habebat, qui dum ab amico ſuo interrogaretur, an ſi aliquis in mundo inveniri poſſet, qui ei lumen daret ad videndum, ad ambulandum pedes, nec non & manus quas non habebat, ei donaret, eum etiam amaturus, ſeque erga hunc benefactorem gratum exhibiturus eſſet, miſer ille è veſtigio reſpondit, me ei omnibus diebus vitæ in ſervitutem etiam duriſſimam adducerem; Quo reſponſo accepto Ægidius cœptum diſcurſum reſumens, ei dixit; Ecquis autem ille eſt, qui tibi oculos, aures, linguam, manus, pedes, caput largitus eſt? quis nobiliſſimum hoc corporis & animæ compoſitum tibi donavit? Non alius utique quam Deus: *Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmaverunt me totum in circuitu*; ac proinde ſi te in ſervitutem addiceres hominis illius qui tibi ſolum manus, pedes, & oculos dediſſet, qualis igitur, aut quænam eſt tua erga Deum gratitudo & amor, qui tibi ultra hoſce ſenſus omnia alia donavit, imo & animam ipſam, eamque ad imaginem & ſimilitudinem ſuam tribus nobiliſſimis potentijs ſuis inſtructam creavit?

*Job 10. 8.*

Omnes ſubjecit creaturas ut tu diligeres Creatorem.

6. Myſterio plenum eſt verbum illud, quo Pſalmiſta utitur, quando de hominis creatione tractans, ita canit: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; nimirum voluit Deus ut omnes Creaturæ homini ſerviant, ſed quo fine putas? Videlicet ut homo hoc calcari ad amorem & ſervitium Creatoris ſui tanto magis



magis excitetur: Id quod S. Auguſtinus confirmat, dum ait: *Poſitus eſt ergo homo ut ei ſerviretur & ut ipſe ſerviret, ut acciperet utrumque, & reflueret totum ad bonum hominis, & quod accepit obſequium, & quod impendit: ita enim voluit Deus ſibi ab homine ſerviri, ut ea ſervitute non Deus, ſed homo juvaretur, & voluit ut mundus ſerviret homini, ut exinde ſimiliter juvaretur homo.* In qua Auguſtini ſententia notanda præcipuè ſunt ultima verba; Etenim Deus mundum hunc creavit, non ſolum ad hoc ut nobis hominibus ſerviret, verum etiam ut calcar nobis eſſet quo ad ejus excitaremur & accenderemur amorem, dum omnes Creaturas ad commodum & ſervitium noſtrum deputatas eſſe conſpicimus. Idem quoque ſanctus Doctor alibi ita meditatur: *Ad ſenſuum meorum oblectamenta ſingula, ſenſibus ſingulis convenientia creavit Deus, multa pulchrè lucentia, canorè mulcentia, ſuaveolentia, tactu placentia; aliud percipit viſus, aliud auditus, aliud olfactus, aliud guſtus, viſum paſcit pulchritudo colorum, ſuavitas cantilenæ mulcet auditum, fragrantia odoris olfactum, dulcedo ſaporis guſtum.*

*S. Aug. ibid. c. 2.* — *Ibid. cap. 11.*

Omnia conſervat creata.

7. Neque Dei erga nos bonitati & amori ſufficit tales in ſervitium noſtrum deputaſſe creaturas, quæ de momento in momentum interituræ fuiſſent, ſed eaſdem à mille ſexcentis & amplius annis abhinc continuo & inceſſanter in noſtrum ſervitium conſervat; Et fortaſſe hoc ipſum eſt, quod David hiſce verbis dicere voluit: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate: Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes Spiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur*; Neque enim hæc dumtaxat naturæ, fortunæ, & gratiæ bona nobis conſervat, verum etiam in ſuo continuat vigore omnes creaturas, ut nobis inceſſanter deſerviant, à principio namque mundi uſque huc eamdem conſervat lucem, eumdem in Sole curſum, eaſdem in cœlis influentias, eamdem in elementis activitatem, eamdem in ſeminibus virtutem, eamdem fœcunditatem in terra, & ſic de alijs diſcurrere licet.

*Pſ. 103. v. 28*

8. S. Auguſtinus de eodem immenſo beneficio ita ſcribit: *Neque enim ſicut ſtructura ædium, cum fabricaverit quis & abſcedit, atque illo abeunte atque abſcedente, ſtat opus ejus, non ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit.* Etenim illas conſervare, idem eſt, quod eiſdem continuo novum eſſe ſubminiſtrare: quod idem fortaſſe Chriſtus in S. Joanne dicere voluit, dum ait: *Pater meus uſque modò operatur*; Intueamini fontem aliquem aquas ſuas per modum crateris vel calicis, aut ſpeculi cujuſdam evomentem; certiſſimum vero eſt, quod quamprimum perennis ille Aquarum fons deficeret, figura quoque iſta ſubito ceſſatura eſſet; ita quoque omnes creaturæ ab hoc inexhauſto omnis boni fonte productæ, ſubito defecturæ eſſent, ſi Deus iiſdem benigniſſimum influxum ſuum ſubtraheret. *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens.* Et S. Auguſtinus *Quæ ſubminiſtratio*, inquit, *ſi auferatur ſtatim interibunt.*

*S. Aug. l. 4. de gen. ad lit. c. 22.* — *Joa. 5. v. 17.* — *Pſ. 57. v. 8.* — *S. Auguſt. Ench. c. 17.*

Pro tot beneficijs amorem repende.

9. Porrò ex hactenus dictis clarè deducitur, quod Deus non ideo ſolum nobis amandus ſit, quia in noſtrum beneficium & commodum omnibus creaturis eſſe ſuum contulit, verum etiam quia illud de momento in momentum continuo conſervat: at vero in tanti beneficij condignam gratitudinem per aliud nihil Deo æquè ſatisfacere poſſumus, quam per cordiales actus veri amoris. *Multum accepiſti*, inquit S. Auguſtinus, *& nihil à te habuiſti, at pro omnibus his non habes quid retribuas, niſi tantum ut diligas.*

*S. Auguſt. de dil. Deo. c. 6.*

Charitas ſimilitudine ſuadetur.

10. Ad divinum hunc in nobis accendendum ignem, B. Laurentius Juſtinianus aliud quoddam motivum hiſce verbis poſt ſe ſcriptum reliquit, *Deum cogit amare natura, quia creata ab ipſo, quare inexcuſabilis eſt etiam omnis infidelis, ſi non diligit Dominum; ſi naturaliter amat Patrem filius, quantò magis Deum homo vehementius debet diligere?* Quod argumentum ſequenti poſſumus ſimilitudine confirmare; Etenim ſi rudis quidam & impolitus lapis ab omnibus tranſeuntibus conculcatus, à ſculptore quodam celeberrimo è luto ſublevata ab eodem per artis ſuæ magiſterium ſtatua quædam pulcherrima efficeretur, adeo ut publico totius populi cultui expoſita paſſim ab omnibus adoraretur, utique ſi ſaxum iſtud vel modicum haberet rationis veſtigium, artificem iſtum qui illud tam nobili eſſe donaſſet, maximopere diligeret? Jam vero conſtat, quod homo cretæ cujuſdam vilis, & abjectus pugillus erat: *Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me:* nihilominus poſtquam Deus ille, de quo ſcribitur: *Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmaverunt me totum in circuitu*; Lutum hoc in manus ſuas ſumpſit, vivam quamdam ſui ipſius ſimilitudinem & imaginem inde formavit; *Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, ut illud in æternam beatitudinem reponeret; *Creaſti nos Domine ad te*, ut Angelorum veri ſimus conſortes: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Verum enimvero quænam vel qualis eſt noſtra erga ſummum hunc benefactorem noſtrum gratitudo, qua beneficium tam ingens ab eo acceptum agnoſcimus? quid ſi illa ab artifice tam egregiè exculta ſtatua, mox ut jam ab eodem omnibus numeris abſoluta eſt, manum ſuam ad dictum artificem graviter percutiendum erigeret, quid de ea diceres? numquid ipſa in minutiſſimas partes, imo in pulverem redigi mereretur? Et tamen hæc communiter eſſe ſolet hominis erga Deum pro receptis beneficijs grati animi ſignificatio, quod eum graviter offendat, aut contumelia afficiat: *Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, fecit & creavit te.* Etenim oculis noſtris in offenſam ejus abutimur per laſcivos obtutus; *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*; Lingua noſtra ad maledicentias, blaſphemias, & contumelias aliorum laxatur. Unde S. Auguſtinus ſuper illa verba Pſalmi: *Secundum altitudinem cœli à terra*, ita ſcribit: *peccant homines ſub cœlo, faciunt omnia mala ſub cœlo, & tamen proteguntur à cœlo.*

*Laur. Juſt. de lig. vit. c. 7.* — *Job 10. v. 9.* — *Job 10. v. 8.*

Hominum ingratitudo.

*Deut. 32. v. 6* — *Pſal. 13. v. 3.* — *Pſ 102. v. 11* — *S. Aug. ibid.*

Ponderent hi Dei beneficia.

11. Joſeph à Domina ſua tentatus reſpondit: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua &c.* Hoc idem jure merito eſſe deberet cujuſlibet animæ motivum, ad hoc ut in amore Dei ſolida conſiſteret, nec ſe ab illo ad Creaturas deflecteret, nimirum mature ponderanda ab ipſo eſſent immenſa & infinita, quibus illum Deus cumulavit, beneficia, ideoque in reſpectu, divinorumque præceptorum ejus obſervantia firmiter perſiſtendum.

*Gen. 39. v. 9.*

Ament Deū Patrem ac fratrem.

12. S. Thomas porro ulterius ad formationem noſtram hiſce verbis conſiderandam progreditur: *Amo Patrem, à quo ſolummodo habeo materiam corporis, cauſam libidinis, originem reatus: potius amabo Patrem, qui corpus formavit, animam inſpiravit.* Deut. 32. [*Numquid non ipſe eſt Pater tuus qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?*] *Fratres amantur ut proximi, & ſpecialius gemelli diligunt ſe, amas fratrem, qui tecum dividit, dividendo diminuit tibi paternum amorem, hunc fratrem ama potius, per quem erga te crevit, quantum ad affectum, amor paternus, per quem hæres effeceris.* Enimvero ſi attente, quænam præcipua hominis pars ſit, conſideraremus, fateremur utique, quod ex quo hæc nulla eſt alia, quam anima, primo loco nobis Deus tamquam Pater noſter agnoſcendus & amandus ſit, ſiquidem ipſe eſt qui eam creavit, ipſe qui eam infudit, & huic corpori noſtro mirabiliter univit. *Et nunc Domine, Pater noſter es tu, nos vero lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Clarius autem veritatem hanc proteſtata fuit ſancta illa Machabæorum mater, virago utique generoſiſſima, ſiquidem filiorum ſuorum in honore Dei ab infidelibus contumeliati defendendo conſtantiam admirans, hiſce eoſdem verbis alloquitur: *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis; neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis, & vitam & ſingulorum membra non ego ipſa compegi, Sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.*

*S. Thom. op. c. 13.* — *Deut. 32. v. 6.* — *Iſa. 64. v. 8.* — *2. Mach. 7. v. 22.* — *Ibid. 23.*

Deus enim ſpecialiter hominum Pater.

13. S. Thomas ad primum orationis Dominicæ, ſive quotidianæ verbum, ſcilicet: *Pater noſter*, ſeſe reflectens ait: *Dicitur Pater ratione ſpecialis creationis, quia creavit nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quam alijs Creaturis inferioribus non impreſſit.* Unde nullibi ipſum aliarum Creaturarum patrem appellari reperietis, ſed ſolius hominis pater dicitur, idque quia illum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit: *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, unus eſt enim Pater veſter, qui in Cælis eſt.* Quonam vero potiſſimum fine hanc homini imaginem & ſimilitudinem ſuam impreſſit? Audite S. Auguſtinum id clare his verbis edicentem: *Ut factorem ſuum pro imagine cognoſcat, & pro ſimilitudine diligat.*

*S. Tho. op. 7. de or. Dom.* — *Matt. 23. 9.* — *S. Aug. l. de ſpir. & an.*

Quos ad ſuam crea-

14. S. Ambroſius lib. de dignitate conditionis humanæ, hunc Geneſis textum examinans dicit,

vit ſimilitudinem ut diligeretur.

cit, quod ſicut in Deo, licet unius tantum naturæ exiſtat, tres tamen perſonæ inveniuntur, ita anima licet unica dumtaxat ſubſtantia & natura ſit, tres nihilominus includit potentias, id quod nobis licet differentibus verbis in illo homini dato & impoſito amoris præcepto, inſinuatur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, id eſt, ex toto intellectu, ex tota voluntate, & ex tota memoria*: quaſi animæ ad ſimilitudinem ſuam creatæ dicere vellet: ſicut in Deo in una ſimpliciſſima natura, tres perſonæ ſunt eamdem habentes voluntatem & amorem; ita quoque, licet in anima noſtra tres ſint diſtinctæ potentiæ, hæ tamen omnes in unam voluntatem & amorem erga Deum & Creatorem ſuum conſpirare; uniri, & concordare debent. Equidem certum eſt, quod ſimilitudo cauſa exiſtat amoris, ac proinde Deus ad ſimilitudinem ſuam hominem formavit, ut tanto eum vehementius diligeret; & ut neminem ſibi in rebus creatis ſimilem eſſe conſpiciens, totum affectum ſuum ad eum à quo creatus eſt, inclinaret.

*S. Ambr.*

Proſecutio.

15. Deus utique homini per unicum dumtaxat voluntatis ſuæ actum eſſe ſuum dare potuiſſet: *Dixit & facta ſunt; verbo Domini cæli firmati ſunt*, attamen ad corpus humanum formandum Deus manum ſuam in luti maſſam mittere voluit, ſupremumque trium divinarum perſonarum conſiſtorium, ut ita dicam, ſimul congregavit; nobiliſſimamque hanc ſanctiſſimæ Trinitatis imaginem præmiſſo conſilio & deliberatione mutua creare voluit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; Imo ex ſuis, ut ita loquar, præcordijs animam, quam ei inſpiraret, eduxit: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*, idque totum homini præſtitit, ut homo quantopere illum diligat, cognoſcere poſſet, cumque ad ſe reciproce redamandum veluti dato pignore ſubarrharet; *Ut pro ſimilitudine diligat*. Unde S. Bernardus ad hominem ſe convertens, hiſce eum verbis alloquitur: *Ecce in januis eſt, qui fecit cœlum & terram, & Creator tuus eſt, tu creatura; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi.*

*Gen. 1. v. 26.*

*Ibid. 2. 7.*

*S. Bern. ſerm. de quad. debito.*

16. Denique aliud quoddam hujus amoris incentivum eſt, ſcire, & intimè conſiderare, quod quidquid Deus operatus eſt, id totum ad noſtrum commodum ab eo præſtitum fuit, cum ille noſtra opera nec quidquam indigeat; Et hoc eſt quod S. Auguſtinus hiſce verbis meditatur: *Ad quid autem creata rationalis Creatura? ad laudandum Deum, ad ſerviendum ei, ad fruendum eo, in quibus ipſa proficit non Deus (Deus enim perfectus, & ſumma bonitate plenus, nec augeri poteſt, nec minui) cui ſervire regnare eſt*. Quod idem motivum in ſequenti capitulo denuo repetit dum ait: *In hoc proficit ſerviens, non ille cui ſervitur.*

*S. Aug. de dil. Deo, c. 2.*

*Ibid c. 3.*

# DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Variæ inſtituuntur amoris Dei conſiderationes, dum circa illa verba diſcurritur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

## THEMA.

*Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joan. 3. ℣. 16.

Ly, ſic, myſterioſum.

1. INcreata illa Sapientia, cui S. Petrus, dum inter nos in aſſumpta carne viveret, dixit: *Verba vitæ æternæ habes*; hæc inquam exceſſivum illum amorem, quem æternus Pater ipſius nobis exhibuerat, vivacius exprimere nequivit, quam per verba propoſita: *Sic Deus dilexit &c. Stupeſcens tonitrui filius* (admirantis Chryſoſtomi verba ſunt) *conſideransque charitatis Divinæ excellentiam clamabat & dicebat: Sic Deus dilexit mundum; vide quanto miraculo plena ſit hæc dictio, Sic*: Etenim quando Spiritus Sanctus, ſacræ Scripturæ primogenius author, ad myſterium aliquod altum imperceptibile & inexplicabile, pro dignitate exprimendum, nulla prorſus verba invenit, communiter hac dictione, *ſic*, uti conſuevit. Sic enim quando Redemptor noſter in Cruce expirans voce præternaturaliter alta & elata clamavit, clamorem hunc Evangeliſta hac dictione, *ſic*, adhibita expreſſit dicens: *Videns Centurio, quia ſic clamans expiraſſet*. Similiter quando is qui humanæ fragilitatis noſtræ virtus & fortitudo eſt, poſt perditæ oviculæ Samaritanæ errantia veſtigia currendo fatigatus fuit, idipſum S. Joannes hiſce verbis deſcripſit: *Fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem*. Pariter ſanctiſſima Virgo Deipara, quæ *ſedes ſapientiæ* honorifico titulo appellatur, immenſum illum dolorem quo in triduo divini infantis amiſſi in corde ſuo affligebatur, exprimere volens, aliud dicere non potuit, præterquam: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* ac proinde nos quoque ex hac dictione *ſic Deus* &c. deducere poſſumus, amorem illum quo Deus nos dilexit, dum filium ſuum nobis in Incarnatione ejus dedit, inexplicabilem prorſus eſſe. Unde Guerricus Abbas ait: *Quid ſic hominem excitare poteſt ad amorem Dei, quàm præveniens hominem amor Dei, tamquam vehemens ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri*. Myſteria & ſacramenta in verbis aſſumpti thematis latentia ſigillatim & exactius examinemus.

*Chryſoſt. ho. 21. in Gen.*

*Marc. 15. v. 39.*

*Joan. 4. v. 6.*

*Luc. 2. v. 48.*

*Guer. Abb. ſer. 2. de Annunt.*

Mirum eſt quod Deus hominis anhelet amorē.

2. *Deus*. Is qui nos tantoperè diligit Deus eſt; ſummum bonum eſt, bonitas eſt infinita, incomprehenſibilis, omnipotens. *Quem adorant dominationes, tremunt poteſtates*. Enimvero quod homo hominem alium ſibi ſimilem diligat, ad hoc eum inclinat pariter & adjuvat tum naturæ conformitas, tum inclinationis & genij ſymboleitas: at vero quænam inter Deum & viliſſimum quemdam vermem, qualis homo eſt, inveniri proportio poterit? Similiter quod unus alteri quidpiam donet; multis id ex cauſis fieri poſſe ſcimus, inquit Hugo Cardinalis, nimirum vel quia favore & ope illius indiget, vel quia amicitiam ejus deſiderat; vel quia damnum aliquod ab ipſo accipere metuit: at vero Deum nullus horum reſpectuum ad nos amandos movere potuit. Non primus, quia ut David ait: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; quam eamdem veritatem clarius declaravit hiſce verbis Apoſtolus, dum ait: *Nec ... indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia*. Atque ideo tametſi Deus ab æterno mundum creare decreverit, hoc tamen decretum non niſi in tempore executus fuit, ut vel ſic evidenter Deum creaturis minime indigere cognoſceremus, utpote qui etiam ſine illis æquè eſt beatus atque perfectus. Secundum verò motivum, quod ſcilicet Deus amorem & amicitiam hominis deſiderarit, ac proinde ad eamdem nos per inæſtimabile filij ſui donum allicere intenderit, in dubium revocari neutiquam poteſt; hoc enim ipſemet quoque teſtatus eſt Apoſtolus, dum ait: *Propter nimiam charitatem ſuam quâ dilexit nos, Cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, ... & conſedere fecit in cæleſtibus*. Ecce quanta cum veritate amor cæcus eſſe dicatur, quia & S. Auguſtinus dicit: *Amor Majeſtati oculos clauſit*, ſiquidem tantus Deus tanta cum vehementia, ut ita dicam, amicitiam & amorem creaturæ alicujus tam miſerabilis, qualis homo erat, deſiderat, atque anhelat, ac proinde S. Paulus dilectioni divinæ hoc epitherum non ſine cauſa attribuit, vocando eamdem, *Nimiam charitatem*.

*Hug. Card. in Joan. ibid.*

*Pſ. 15. v. 2.*

*Act. Ap. 17. v. 25.*

*Eph. 2. v. 4. 5. 6.*

*S. Auguſt. l. med.*

Proſecutio.

3. At verò ſi tertium motivum conſideremus, multo minus dici poteſt quod Deus metu alicujus damni gravis ſibi ab homine inferendi, ad eum amandum extimuletur, quia ſive homo innocens ſit, ſive reus, per hoc tamen Deo ne vel minimus beatitudinis & felicitatis gradus adimitur vel accreſcit, *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris?* inquit Job, *aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit via tua? ſi peccaveris quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?*

*Job 22. v. 3.*

*Job 35. v. 6.*

Proſecutio.

4. Ad hæc conſiderandum eſt, quod qualitas perſonæ amantis amorem magnopere qualificet; quod ſi enim agricolam aliquem à nobili valde viro amari, plurimum æſtimetur, quanto magis æſtimandum erit, ſi à Principe, à Rege, ab Imperatore, vel à Pontifice ipſomet idem ille ruſticus diligatur? Ex hoc autem capite amor Dei valde eſt admirabilis, ſiquidem ab eo derivatur in cujus fœmore ſcriptum legitur: *Rex Regum & Dominus dominantium*; terminatur autem, ſive pro objecto ſuo quamdam luti portionem, ſeu vas ſtercore & putredine plenum, vel omnium vitiorum ſentinam & cloacam habet, talis enim eſt homo miſerabilis & peccator. Et ideo *Propter nimiam charitatem*; quia cum is qui amat, pater



ter ſit, & fons Divinitatis; à quo generatur filius, cumque ab ambobus procedat Spiritus Sanctus, qui eſt amor, ſit quoad excellentiam, bonitatem, & quamvis aliam perfectionem infinitus, noſque ſecundùm eamdem excellentiam & bonitatem ſuam infinitam diligat, conſequenter facilis eſt conjectura, quam ſit incomprehenſibilis & nimia iſta dilectio.

Deus in nobis nil invenit quam miſerias.

*S. Th. p. 1. q. 37. a. 2.*

*Rup. Abb. l. 1 in cant.*

5. *Dilexit*. Porro prouti ſupra in diſcurſu quarto ex mente S. Thomæ diximus: *Pater & filius dicuntur diligentes Spiritu Sancto & ſe & nos*. Optimè Rupertus Abbas Tuitienſis conſiderat Incarnationem verbi, quæ Spiritu Sancto mediante facta fuit, ingenuum ſyncerumque eſſe hujuſce dilectionis opus. *Anima tua liquefacta eſt* (verba ſunt Ruperti, Mariam alloquentis) *cum Deus Pater cum illo amore ſuo Spiritu Sancto, ſubſtantiam verbi ſui tuæ menti, tuo ventri penitus inſereret*. Hugo quoque Cardinalis per Abrahamum Patrem æternum intelligens, illaque verba: *Tentavit Deus Abraham* gloſſando, exponens, interrogat: *Quid eſt ergo quod tentat Abraham, ſi Abraham Deus Pater eſt?* Et reſpondet: *Deus charitas eſt, & charitas ipſa Deum Patrem non ſolùm tentavit, ſed etiam compulit, ut filium ſuum unigenitum traderet propter nos*. Porro ſolum amoris objectum bonum eſt pulchrum, hoc enim eſt quod nos rapit in objectum amatum; in nobis autem Deus præter miſerias nihil aliud invenire potuit; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*; atque ideo Evangeliſta hoc inſinuare volens, ait: *Dilexit mundum*.

*Gen. 22. v. 1.*

*S. Auguſt. in app. ſer. 27*

Deus nos ingratos diligit.

*Chryſoſt. ho. 26. in Joan.*

6. *Mundum*, id eſt, naturam humanam, ut gloſſa Interlinearis explicat. *Inde acceperunt nomen* (inquit de hominibus S. Auguſtinus) *quod amant; mundus vocantur mali, quia mundum diligunt*. Chryſoſtomus optimè meditatur infinitam differentiam & diſcrepantiam, quæ inter duo hæc verba, *Deus & mundus* intercedit. *Vox ſic dilexit, & illud Deus mundum, immenſam amoris ſignificat vehementiam, magna enim inter hæc differentia eſt, & minimè conferenda. Qui enim immortalis eſt, & nullo ſine comprehenditur, homines ex terra & cinere factos & innumeris peccatis obnoxios, & male de ſe meritos & ingratos dilexit*. Pondera quæſo & quidem in pondere ſanctuarij pondera hanc charitatem cum indignitate noſtra bene collatam: *Nemo umquam pro filio tantam præ ſe tulit charitatem, quantam pro ſervis, & ingratis ſervis Deus.*

*S. Bon. ſer. 1. in fer. 2. Pent.*

Imo reſiſtentes.

*S. Bern. ſer. 20. in cant.*

*Gal. 4. v. 4.*

7. S. Bonaventura ad illa Jeremiæ verba: *In charitate perpetua dilexi te*, reflectens, ait: *Bene dicit: Perpetua; dilexit enim te antequam tu, vel aliquis, vel homo vel Angelus, vel cœlum, vel terra eſſet*; Verumtamen Seraphicus hic Doctor adhuc parum nimis dixit, quia ut S. Bernardus meditatur: *Dilexit etiam reſiſtentes; Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus*. Etenim quando malitia humana ad ſummum uſque flagitiorum culmen pertigerat, tunc amor Dei in ſui ipſius ad noſtram utilitatem facta incarnatione vel maximè eluxit. Unde S. Bernardus per hanc plenitudinem temporis, Dei bonorumque cœleſtium oblivionem intellexit: *Nimirum plenitudo & abundantia temporalium, oblivionem fecerat æternorum*; quia in unico dumtaxat terræ angulo, Judæa nimirum lumen aliquod, imò lumen aliquod veri Dei tenue & obſcurum erat, ſiquidem nec ipſemet Hebraiſmus illum deinceps volebat cognoſcere: *In propria venit & ſui eum non receperunt*; & tamen hoc non obſtante Deus pro humani generis ſalute, quod tunc magis quam alias numquam Creatori ſuo, Inimicum ejus infernalem in quavis mundi parte in Idolis adorando, dorſum obverterat, hanc noſtram humanitatis mortalitatem aſſumere & induere voluit: *Propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt.*

*S. Bern. ſer. 1. de Adv.*

*Joa. 1. v. 11.*

Pro nobis filium dedit.

8. Enimvero quod Rex aliquis pro filio ſuo liberando ſervorum aut mancipiorum ſuorum quoddam Tunetum in barbarorum manus mittat, nihil in ſe continet admirandum: at vero ſi ad ingratum, rebellem, & contumacem quemdam ſervum ſuum redimendum unigenitum filium ſuum obſidis loco mitteret, in hoc utique quemdam hactenus numquam viſum, auditum, aut imaginatione conceptum exhibiturus eſſet amoris ardentiſſimi exceſſum; ac proinde ſancta mater Eccleſia juſtam prorſus per hæc verba S. Ambroſij exclamandi rationem habet: *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio? O inæſtimabilis dilectio charitatis, ut ſervum redimeres, filium tradidiſti.* Quis unquam mancipiorum inter Tunetanos compedes atque catenas, non jam dico petere, ſed ne deſiderare quidem aut imaginari auſus fuiſſet, ut unigenitus Regis ſui de throno regio deſcendens, pro ſua libertate recuperanda in locum ejus duræ ſe ſervituti ſubjiceret? Et tamen potentiſſimum Paradiſi Monarcham infinita ejus charitas ad hunc uſque amoris exceſſum redegit: *Charitas non ſolùm tentavit, ſed etiam compulit Deum Patrem, ut filium ſuum unigenitum traderet*. Cœli terræque Monarcha quemdam amavit terræ pupillum, Dominus ſervum, æternus modicum quemdam ad minimum venti flatum evaneſcentem pulverem; Is qui cœli Empyrei gloria exiſtit, hominem ignominia plenum; innocentia & candor lucis æternæ ſeſe hujuſce fœtidæ cloacæ naturæ humanæ ſtercori non eſt dedignatus adſtringere.

*S. Amb. in præfat. Paſch.*

Proſecutio.

9. Advertendum quoque eſt, quod Chriſtus Nicodemo non dixerit, Patrem ſuum juſtos ſive electos amare, ſed ait: *Dilexit mundum*, [*cum adhuc peccatores eſſemus; ... Chriſtus pro nobis mortuus eſt*;] ac proinde præmittit: *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis*. Quod ſi Angelus ille, qui ex ſpeciali Dei præcepto Abrahamum ab Iſaaco ſacrificando continuit, & deſeruit, in locum ejus oſtendendo inter ſpinas & vepretum hærentem immolandum arietem; ſi inquam ille idem Angelus Abrahæ dum in procinctu eſſet arietis jugulandi, poſtea dixiſſet; Arieti huic parcito, vult enim Deus ex amore ſpeciali quo hunc proſequitur arietem ut in Iſaaci ſanguine manus tuas cruentas, ut hoc modo vivus & ſalvus ſupereſſe poſſit aries; quidnam obſecro reſponſurus fuiſſet? utique ita Deum in tali caſu affaretur: Quiſnam pater cor habeat adeo durum, barbarum, atque ab omni paterna humanitate alienum, qui propter vile quoddam brutumque animal unici & dilecti filij ſui vitam prodigeret; Et tamen hic eſt ille admirandus amoris exceſſus, quo Deus hircum hunc, arietem iſtum, hominem inquam amavit; Quod ſi æternus Pater Filio ſuo, ut Angelos, Archangelos, Dominationes, Principatus, Seraphinos redimeret, præcepiſſet; minus idipſum mirandum fuiſſet, at vero quod Filius ex præcepto paterno opus Redemptionis conſummare debuerit; pro vili luti cujuſdam pugillo, id eſt, pro ingrato & indigniſſimo homine, qui velut hircus quidam eſt, qui aliud non cogitat, quam quod cor ſuum inter haſce creatorum bonorum ſpinas vertat & intricet (*Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudinibus & divitijs, & voluptatibus vitæ, euntes ſuffocantur, & non referunt fructum*) hoc certè eſt omnino paradoxum, & prodigiorum omnium maximum; *O inæſtimabilis dilectio* &c.

*Rom. 5. v. 8. 9.*

*Ibid. v. 8.*

*Luc. 8. v. 14.*

Ut homines redimeret nō Angelos.

10. *Ut filium ſuum unigenitum &c.* Ut nos redimeret, non Angelos; Archangelos, Cherubinos, vel Seraphinos, quorum plures in cœlo Empyreo milliones habebat, ſed unigenitum filium ſuum nobis donavit: *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris; Dilexit, ut filium ſuum unigenitum daret; non ſervum, non Angelum, non Archangelum*. Quodvis donum, quantumvis parvum maximi æſtimandum erat, eo quod à majeſtate quadam infinita homini miſerrimo ex luto plaſmato donaretur, quanto igitur infinitè magis æſtimandum erit, quod filium ſuum ex eadem ſubſtantia ſua genitum nobis donarit; *Æqualem Patri ſecundum Divinitatem*.

*Chryſoſt. ho. 26. in Joan.*

Unicū ſuum dedit filium.

11. Quod ſi Pater æternus multos habuiſſet filios, inter quos ſuum fuiſſet amorem partitus, adhuc valde multum futurum fuiſſet, ſi unum nobis ex illa fuiſſet multitudine impertitus; nunc vero cum non niſi unum habuerit, in quem totum ſuum amorem defixum habet, & tamen eumdem nobis totaliter in noſtrum commodum & utilitatem dono tranſtulerit: *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine*, quis hunc talem ac tantum charitatis exceſſum explicare pro dignitate ſatis poterit.

Sibi coæqualem.

12. Dari quidem caſus poterit, in quo Pater filium habeat degenerem & diſſolum, quem proinde ob perverſam indolem aliaſque peſſimas qualitates animo ſuo averſetur: ac proinde ſi in hoc caſu Pater filium ſuum ſervituti aut vinculis addiceret, ut vile quoddam mancipium è ſervitute eximeret, nihil in eo facto mirum accideret: at vero nihil tale de Filio Dei vel ſuſpicari quis poterat, utpote cui ipſemet æternus Pater ſæpius teſtimonium perhibuit dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*.

*Matt. 3. v. 17*

Æque ſapientem.

13. Inſuper Hugo Cardinalis dicit, ſi Pater aliquis filium haberet ſtolidum & inſenſatum, illo ſe pri-

privando parvam utique pateretur jacturam : *ſed Chriſtus ſapientia & virtus Dei Patris eſt* ; Imo eſt is, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*; ac proinde cum hunc unigenitum , dilectiſſimum, & ſapientiſſimum filium dono nobis dederit, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?*

Hug. Card. in Joan.
Coloſ. 2. v. 3.
Rom. 8. v. 32

Hinc patet Divini amoris exceſſus.

14. Integrum obſecro cunctarum actionum heroicarum , omniumque virtutum quas omnium fidelium Patriarcha Abraham in vita ſua exercuit, texatis catalogum; numquam tamen illum à Deo adeo laudatum fuiſſe invenietis , quam dum ſe ad offerendum filium ſuum unigenitum Iſaac in holocauſtum accinxit , tunc enim & non ante Deus de illo dixit : *Nunc cognovi, quod times Deum* : Eodem modo mentem veſtram in omnia opera quæ Deus umquam in beneficium & utilitatem noſtram fecit, dirigite , nuſquam tamen talem ac tantam ejus in nos charitatem deprehenderis , quantam dum Filium ſuum unigenitum nobis daret ; Etenim ingens hæc mundi machina per unicum dumtaxat verbum eſſe ſui accepit exordium , *Dixit & facta ſunt* ; ſimiliter anima noſtra , tametſi ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creata fuerit , ſuum tamen eſſe per levem quamdam oris aſpirationem nacta fuit : *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, , *& factus eſt homo in animam viventem* : Cœli quoque Empyrei amplitudinem unico dumtaxat voluntatis actu fabricavit : *Verbo Domini cæli firmati ſunt* : at verò quando unigenitum filium ſuum nobis in holocauſti hoſtiam donavit , tunc verè dici potuit : *Nunc cognovimus, quod diligit nos.*

Gen. 22. v. 12.
Gen. 2. v. 7.

Chriſtus homo factus ut amaretur.
S. Tho. op. 61. c. 13.

15. S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus inter alia hujuſce Charitatis incentiva hoc quoque recenſet ; *Amatur Filius ; ergò volens Deus etiam ſic ab homine amari ut proximus , factus eſt filius hominis, quod etiam de ſe ſæpiſſimè repetit, ne tanta conſanguinitatis propinquitas dari oblivioni poſſit ; Sed dicis, Filius quidem eſt hominis , ſed virginis, non tamen meus ; audi, quicumque fecerit voluntatem Patris mei , qui eſt in cælis &c.*

Hug. Card. Ibid.
Mundus numquam meruit filij incarnationem.
Tit. 3. v. 5.

16 *Daret* ; Quod verbum Hugo Cardinalis ita interpretatur : *Daret , non redderet , non venderet, non mutuo concederet , quia nullus meruit , quod Filius Dei incarnaretur.* Non nos illum promeriti ſumus, ſed donum mere gratuitum fuit ; *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos , ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit* : Imo vero tantum abeſt quod adventum & incarnationem filij Dei per ullum opus hactenus à nobis factum , aut deinceps in finem uſque mundi à nobis faciendum promeruerimus, quod etiam nullum opus noſtrum quantumcumque bonum abſque meritis incarnationis Filij Dei aliquem apud Deum valorem ſeu meriti acceptationem habere poſſit : *ſine me nihil poteſtis facere.*

Joan. 15. v. 5
Hug. Card.
Nobis datus eſt ac unitus in finem uſque mundi.

17. Dicit præterea idem Eminentiſſimus Hugo : *Non conceſſit nobis filium ſuum mutuo , ſed omnino dedit* ; Unde Eccleſia in hymno quodam ita canit : *Se naſcens dedit ſocium , conveſcens in edulium , ſe moriens in pretium , ſe regnans dat in præmium* ; Neque donum iſtud ad breve tantum tempus à Deo nobis collatum fuit , quin potius quemdam nobiſcum in finem uſque mundi manendi modum adinvenit. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi* ; *De carne tua naſci voluit* , inquit Chryſologus , *tuis voluit uberibus occupari , jacere in tuo pectore, tuis voluit humeris bajulari , qui ſemper à te amari voluit* : at vero longe ſtrictior eſt unio illa, quam in ſacra Euchariſtia, à ſe inſtituta adinvenit, utpote quæ quædam incarnationis ſuæ extenſio fuit.

Matt. 28. 20
Chryſol. ſer. 62.

S. Auguſt. l. 2. de catech. rudibus.
In Euchariſtiæ ſacramento.

18. S. Auguſtinus ut corda & animas noſtras erga hunc Divinum filium ſub ſpeciebus ſacramentalibus abſconditum tenacius adſtringeret , hunc nobis amoris ſtimulum poſt ſe ſcriptum reliquit : *Ama amorem illum , qui amore tui deſcendit in ſubſtantiam panis , & ibi amorem ſuum amori tuo copulavit , humiliando ſe, ſublimando te , conjungendo lumen ſuæ æternitatis , limo tuæ mortalitatis.* B. Laurentius Juſtinianus in lib. de caſto connubio , de cœleſti inter Deum & animam ſponſalitio tractans ait : *Quid ſe majus dare potuit ? Se fecerat fratrem , & ad humanæ inclinaverat naturæ conſortium ; parum ſe judicavit egiſſe, niſi etiam ſe daret in cibum. O incomprehenſibilis bonitas !* Et Paulo poſt, quonam ad hoc faciendum motivo ductus fuerit, ediſſerit dicens : *Ut per quotidianum experimentum ipſius agnoſcatur dilectio uſque ad mundi terminum, voluit ut hoc perſeveret myſterium.*

B. L. Juſt. l. de caſt. con. c. 24.

Alia ingratis hominibus
Divina data beneficia.

19. *Ut omnis , qui credit in ipſum, non pereat , ſed habeat vitam æternam.* Enimvero ex quo homo tot enormibus peccatis divinam juſtitiam exaſperaverat, futurum potius videbatur quod ſuum in terram hanc miſſurus fuiſſet Filium , ut is condignum de hominis temeritate ſumeret ſupplicium : *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum ut videat , ſi eſt intelligens aut requirens Deum.* Univerſus mundus , ſolâ exceptâ Judæâ , idola hinc inde adorabat , & tamen divinus amor innumeras humani generis offenſas diſſimulans filium ſuum miſit , eumque nobis donavit, non ut hominem puniret , ſed potius ut illum redimeret , atque ex inferni abyſſo , in quam de facto pedem figere cœperat, eriperet : *Ut omnis , qui credit in ipſum non pereat* : At verò dicite ſodes , numquid beneficium iſtud , quod ſcilicet hominem ab æterna morte liberaret , infinitum omnino erat ? Numquid amori Divino hominem ab inferno exemiſſe ſufficiebat ? Minimè gentium , verum inſuper illum in cœlum tranſlatum eſſe volebat, ut ipſum Regni ſui participem & cohæredem ſuum efficeret. *Et habeat vitam æternam.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis ait *In quo notantur duo ad quæ datus eſt , ad libertatem de morte & damnatione , & acquiſitionem ſalutis æternæ* ; Neque enim Filium ſuum nobis ex motivo proprij intereſſe dedit, quia ſcilicet aliquam à nobis exſpectaret recompenſam : imo tametſi noſtram prævideret ſummam ingratitudinem qua per ſpinas , flagella , & clavos totum qui in venis ipſius erat, ſanguinem effuſuri , ipſumque in infami crucis patibulo poſt tot ei illata tormenta & contumelias crucifixuri eramus , hæc tamen omnia nihili fecit , neque ob ea Filium ſuum nobis dare diſtulit.

Pſ. 13. v. 2.
Hug. Card. in Joan.

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

Majorem Deus erga nos amorem in redemptione , quam in creatione noſtra oſtendit ; ſiquidem ipſemet in propria perſona , corpus aſſumendo paſſibile , redimere nos voluit ; Conſiderantur etiam variæ inventiones , quibus Dei Filius uſus eſt , ad hoc ut magis pro nobis pateretur.

### THEMA.

*Deus , qui dives eſt in miſericordia , propter nimiam charitatem ſuam , qua dilexit nos , cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos.* Ad Eph. 2. ℣. 4.

Deo plus debemus pro redemptione quam creatione.
Gen. 2. v. 7.

1. POſtquam Deus Opt. Max. in mundi naſcentis exordio hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam efformaſſet, vitam quoque eidem per aſpirationem ſuam infudit : *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* ; *Et factus eſt homo in animam viventem* ; cum vero per transgreſſionem in peccatum lapſus fuiſſet , illam ſubito perdidit , ſeque mortis temporalis pariter & æternæ reatui ſubjecit , *Per peccatum mors* ; at vero Deus noſter qui amoris & pietatis dives eſt & prodigus , ad eumdem à duplici hac morte reſuſcitandum eidem in crucis patibulo de novo vitam per Spiritum ſuum impertiri voluit , quando *inclinato capite tradidit ſpiritum* ; *Grandi dignatione* , inquit S. Auguſtinus , *primo homini ſpiraculum vitæ deſuper pius formator infudit , ſed multo majori charitate pro eodem homine non jam ſua dedit , ſed ſeipſum impendit ; magnum quidem eſt de Deo , quod eſſe me ſentio opus ejus, ſed multo plus eſt , quod tranſiiſſe ipſum video in pretium meum.* Vere enim longè minor eſt dilectio , quam Deus nobis exhibuit , quando nobis in creatione eſſe quoddam adeo nobile , quale noſtrum eſt , ſubminiſtravit : ea quam deinceps nobis oſtendit , quando ipſummet filium ſuum pro redemptione noſtra nobis donavit ; Imo valde notandum eſt , quod Apoſtolus hanc in Redemptione exhibitam charitatem nimiam intitularit : *Propter nimiam Charitatem ſuam qua dilexit nos &c.* ſimiliter S. Evangeliſta , cujus calamus à Spiritu Sancto , qui totus & merus amor eſt , directus fuit , amaram Domini Paſſionem exceſſus nomine circumſcribere voluit : *Dicebant exceſſum ejus , quem completurus erat in Jeruſalem.* Unde S. Thomas de Villa nova ad Salvatorem converſus ita eum alloquitur : *Sed numquid in hoc ſolum dilexiſti me , quia feciſti me ? imo multo amplius dilexiſti, cum me perditum redemiſti , factus enim ex nihilo ſine merito meo , peccato meo ad nihilum redactus ſum , & ſic eram, ut melius eſſet , ſi natus non fuiſſem*

S. Aug. l. de dil. Dei c. 6.
Eph. 2. v. 4.
Luc. 9. v. 31.
S. Th. de Vill. ferm. de S. M. Magd.



*in combuſtionem & cibum ignis , niſi iterum deformem redintegraſſes me.* Magis utique debitores ſumus pro amore in redimendis , quam in creandis nobis exhibito. *Plus Domine Jeſu* , inquit S. Ambroſius , *injurijs tuis debeo , quod redemptus ſum , quam operibus quod creatus ſum.* Etenim Cœlum & terram ad hominis ſervitium uno verbo creavit : *Dixit & facta ſunt* ; *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Eſſeque noſtrum unico tantum afflatu nobis communicavit : *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* : at vero pro nobis ab infernali tyrannide liberandis , quanto obſecro laboravit ? Didacus Stella in Cap. 10. Lucæ ait : *Creare te nihil illi conſtitit, niſi velle, non minus quam ſua vita & ſanguis fuit redemptio.* Et S. Leo ita ſcribit : *Mirabilior eſt ſecunda hominum generatio , quam prima conditio, quia plus eſt in noviſſimis reparaſſe Deum quod perierat , quam à principio feciſſe quod non erat.* Denique Euſebius Emiſſenus ad hoc probandum tali motivo utitur : *Maximum quidem circa hominem divini amoris inſigne eſt , quod inter ipſa mundi principia imaginem ac ſimilitudinem Dei ſui ſervus accepit , ſed penè amplius eſt , quod nunc perſonam & formam ſervi Deus auctor aſſumpſit.* Multum quidem fuit animam noſtram ſibi ſimilem ſolo Spiritu ſuo creare, at vero incomparabiliter amplius quid eſt ad eamdem revivificandam poſtquam mortua erat agonizare , & in ligno crucis Spiritum & halitum ſuum expirare & emittere ; adducitque illa paulo ante adducta S. Auguſtini Verba : *Magnum quidem mihi eſt de Deo , quod eſſe me ſentio opus ſuum , ſed multo plus eſt , quod tranſiiſſe ipſum video in pretium meum , quandoquidem tam pretioſo munere ipſa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.* Enimvero ſi vim verbi illius *Convivificavit nos*, dignè penſare velimus , prius ponderemus illud , quod ille Divini amoris ſecretarius , *Diſcipulus* , inquam ille, *quem diligebat Jeſus* , ſcripſit , dum Chriſtum Dominum noſtrum velut amantiſſimum quemdam Paſtorem adumbrans dixiſſe refert : *Ego veni ut vitam habeant ; & abundantius habeant.*

S. Amb. l. 2. in Luc.
Pſal. 32. 9.
Pſal. 8. 8.
Did. Stel.
S. Leo ſer. 13. de paſſ.
Euſeb. Emiſſ. h. 6. de Paſc.
Joann. 10. v. 10.

S. Th. 3. p. q. 1 art. 2. in corp.
Filius ipſe à nobis offenſus redimere nos voluit propter amoris exceſſum.

2. Non deerant utique infinitæ ſapientiæ & omnipotentiæ Dei modi diverſi , quibus redemptionem noſtram complere potuiſſet; Unde Doctor Angelicus ait : *Deus per omnipotentem ſuam virtutem poterat multis alijs modis humanam naturam reparare* ; nullo tamen alio redemptionem hanc conſummare voluit, quam quo de facto conſummata fuit; nimirum non per Angelum aut quemvis alium ſanctum, ſed per ſemetipſum in propria perſona: Verum enim vero ex quo in ſupremo illo ſanctiſſimæ Triadis conſiſtorio decretum erat , ut hominis lapſui adferretur remedium per trium perſonarum divinarum alterutram , cur præciſè ſecunda in Trinitate perſona incarnari voluit , & non potius Pater vel Spiritus Sanctus , maxime cum hic totus & merus amor ſit, ipſaque Incarnatio ejus opera completa fuerit ? Hujus utique nullum penitus aliud motivum fuit , quam ut hac via nobis innoteſceret , quod *ubi ſuperabundavit delictum , ſuperabundavit & gratia.* Quam eamdem rationem Richardus à S Victore ingenioſè exaggerat : Obſervat enim quod ſicut Patri potentia, Spiritui Sancto autem Bonitas adſcribitur , ita quoque Filio ſapientia attribuatur ; Homo autem Deum primo peccato offendendo , Divinam ſapientiam omnium primo offendendo , aggreſſus eſt , ſerpentis ſuggeſtioni conſentiendo , dicentis : *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum* ; Quapropter tametſi Filius Dei per peccatum iſtud directè & immediate offenſus fuiſſet , ipſemet tamen Dei Filius errorem hunc ob amoris ſui ingentem exceſſum diluere & pro eo ſatisfacere voluit.

Rom. 5. v. 20
Gen. 3. v. 5.

In perfida Judæa naſci.

3. Et vero ſi locus, in quem ſalutem noſtram operaturus deſcendit , bene conſideretur, majora utique Divinæ charitatis flamma in nobis accipere debet ardoris incrementa ; ſiquidem in Judæam venit cujus terræ populus ſicut præ cunctis alijs mundi gentibus , majoribus ab ipſo cumulatus fuerat beneficijs , ita quoque maxime erga ipſum ingratus & perfidus extitit : *Notus in Judæa Deus , in Iſraël magnum nomen ejus* ; *Non fecit taliter omni nationi* ; & tamen filios *enutrivi & exaltavi* , inquit Deus apud Iſaiam *ipſi autem ſpreverunt me.*

Pſ. 57. v. 2.
Pſ. 147. v. 20
Iſa. 1. v. 2.

Ut citius pro nobis ſanguinem fundere poſſet.

4. S. Irenæus autem aliam tradit rationem cur Deus ſpecialiter in Judæa incarnari voluerit, nimirum , ut tanto velocius ſanguinem ſuum effundere, tenellique corpuſculi ſui venas ex amore erga nos aperire in circumciſione poſſet : *Ideò Chriſtus naſcitur in Judæa , & non in gentibus, quia gentilitas carebat circumciſione, & ideo in Judæa oſtentat gloriam , in primordio nativitatis ſuæ in effuſione ſanguinis* ; Etenim ad eum, quo erga amicum noſtrum ferimur, amorem exprimendum & conteſtandum dicere communiter ſolemus : Pro illo libram ſanguinis mei perlibenter prodigerem : *Ad exaggerandum amorem*, inquit Salmeron , *quem erga aliquem gerimus , conſuevimus dicere ; Darem libram ſanguinis mei pro vita ejus.* Et vero ſimilia quidem verba amici inter ſe oretenus perſæpe miſcere ſolent , nec tamen ideo venarum ſuarum ſanguinem effundunt , prout Filium Dei vix etiamnum natum feciſſe conſtat : *At Chriſtus re ipſa exhibuit , ſubitò ſanguinem fundens pro nobis ſuum* ; Et quidem in illa Circumciſione præter dolorem & effuſum ſanguinem, infamis quoque illius omnibus peccatoribus communis cicatricis ignominiam ſibi aſſumpſit. Optime igitur Didacus Stella meditatur dum ait : *Vide quomodo primo nativitatis ſuæ die lachrymas , & die octavo ſanguinem fudit.* S. Bernardus vero noſtram nobis graviter exprobrat deſidiam , dum tanto amori tam languide & deſidioſe correſpondemus : *Octavam diem à Nativitate ſua vix expectat , ut ſuum tibi ſanguinem impendere incipiat : tu poſt , non dico , octo dies , ſed nec poſt octoginta menſes , imò & octoginta annos ſolam non rependis voluntatem.* Non ſe ob populi illius quem redempturus erat malitiam & ingratitudinem paſſus eſt deterreri , quo minus gyganteis greſſibus à ſummo Cœli vertice in hanc accelerarct lachrymarum vallem , quia amor pedibus illius qui vere amat, alas perniciofiſſimas annectit. Unde Idiota ait : *Licet mundus in maligno poſitus eſſet , & tamen pro nobis in mundum filium tuum miſiſti; imo etiam ex abundantia tui amoris illum in Infernum tranſmiſiſti , ut inde ſuos extraheret , ad hoc miſiſti ut venditus nos redimeret , occiſus vivificaret , injuriam paſſus honoraret, & in filios adoptaret.*

S. Iren. l. 3. c. 7.
Salm. to. 3. tr. 36.
Did. Stel. in Luc.
S. Bern. de poſſ. Dom. c. 8.
Id. c. 8.

Conſideranda Dei bonitas.

5. S. Auguſtinus ut nos hoc amoris igne vehementius inflammaret , dulciter nos invitat , ut in primis mentem noſtram ad hujuſce Redemptoris extollamus ſublimitatem & excellentiam, mox vero oculos noſtros ad noſtram indignitatem & ſummam miſeriam defigamus ; conſiderando quidquid tam in cœlo quam in terra in commodum & beneficium noſtrum umquam præſtitit : *Illic tam ſublimis , hic tam humilis , non tamen hic quam illic minus admirabilis ; illic potenter magna tibi contulit , hic miſericorditer pro te dira ſuſtinuit , ut enim relevaret te illuc unde cecideras , ipſe deſcendere dignatus eſt huc ubi jacebas.* Ipſe quidem ad nos redimendum alijs medijs uti poterat ; in ipſius namque arbitrio poſitum erat, Creatura aliqua ad noſtri redemptionem uti , ſi voluiſſet ; vel etiam infinitum nobis debitum , quo Divinæ ipſius juſtitiæ obſtricti eramus , per infinitam miſericordiam ſuam condonare nobis poterat , id tamen nequaquam facere voluit : *Ego veni*; *Ipſe deſcendere dignatus eſt huc , ubi jacebas.*

S. Auguſt. de dil. Deo c. 6.

4. Reg. 4. v. 29. &c.
Unigenitus ipſe in mundū venit ac ſeptiformem nobis miſit.

6. Eliſeus olim defunctum Sunamitidis filium in vitam reſuſcitaturus , Giezi puerum ſuum miſit; ſed ſperatus ab eo reſuſcitationis eventus , minime ſubſecutus fuit ; Unde ut ipſemet in propria perſona ad reſuſcitandum defuncti parvuli cadaver accederet ; opus omnino fuit : Abiit igitur ſeque ipſum contrahens & ad parvitatem puerilem redigens ſuper cadaver ſe proſtravit , illudque calefecit, dumque aliquoties per cubile ſuum obambulaſſet , defunctum puerum reſuſcitatum ſeptics conſequenter oſcitare fecit. *Omnia in figura contingebant illis* ; atque ideo S. Auguſtinus hiſtoriam iſtam ad præſens propoſitum noſtrum adaptans dicit , quod Deus genus humanum ab æterna morte ſuſcitare volens , primo Moyſen una cum lege ſcripta in hunc mundum miſit , ſed fruſtra; quia *Nihil ad perfectum adduxit lex* ; Et ideo ipſemet in hunc mundum venit ; Et homo factus; Ego veni , venit inquam in propria perſona , ſeque virginis matris ſuæ caſtiſſimo utero incluſit ; ibidemque infinitam immenſitatem ſuam noſtræ modicitati commetiens adaptavit , perque triginta trium annorum decurſum obambulans : *Pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes* , myſticum Eccleſiæ ſuæ corpus paulatim doctrinæ Evangelicæ igne calefecit : *Ignem veni mittere in terram, & quid volo , niſi ut accendatur* ; Dumque ſibi minime ſatisfactum eſſe credebat per hoc , quod damnationis noſtræ chirographum in Cruce deleviſſet , Divinæque juſtitiæ pro ſumma peccatorum noſtrorum infinitate abundanter ſatisfeciſ-

S. Auguſt. ſerm. 106.
Heb. 7. v. 19.
Act. 10. v. 38
Luc. 12. v. 49

ſet,quod item Sacramenta inſtituiſſet ; atque in Cœlum ſanguine ſuo adapertum terram,id eſt,humanam naturam noſtram intuliſſet , cum inquam hæc omnia minime arbitraretur ſufficere ; inſuper ad nos per majorem cœleſtium gratiarum copiam vivificandos , ad nos per theſaurorum ſeptemque donorum ſuorum plenitudinem mittere voluit Spiritum Sanctum.Unde S.Auguſtinus ait : *Quod autem puer oſcitavit ſepties , ſeptiformis gratia Spiritus Sancti oſtenditur, quæ humano generi,ut reſuſcitaretur, tribuitur.*

*S. Auguſt.*

Ut nos vivificaret.
*S.Fulg. ſerm. de trip. nat. Chriſti.*

7. S. Fulgentius Chriſtum , qui vera vita eſt , ideo in hunc mundum ad moriendum deſcendiſſe conſiderat , ut nos vivificaret ; *Magnum myſterium , dilectiſſimi fratres , magnum divinæ dilectionis indicium ; homo Deum contemneus à Deo diſceſſit ; Deus hominem diligens, ad hominem venit ; dilexit impium, ut faceret juſtum,dilexit perverſum, ut faceret rectum ; dilexit mortuum ut faceret vivum.*

Proſecutio.

8. Chryſologus ad illa verba : *Exinanivit ſemetipſum* alludens ait : mundum ſuum pauper ingreditur , quia cœleſtes theſauros ſuos omnes in noſtram redemptionem conſummandam adhibuit ; Et ideo non obſtante quod totius univerſi Dominus eſſet , pauper & nudus in hunc mundum intravit : *Et reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio ; jacet in cunabulis ut homo , vagitu ſuo implorat , inquirit , exigit, quam tibi præſtitit ipſe pietatem ; parens omnium ejus eſt te parente , ſubjectus tibi extitit , cui omnis ſubjacet altitudo* ; Neque hujus alia cauſa eſt, quam ea quam ſupra ex S.Auguſtino tetigimus pauculis hiſce verbis : *Amor majeſtati oculos clauſit.* Pro hoc tam alto myſterio , nimirum ut patiendo & moriendo redemptio noſtra compleretur , ut Villanovanus inquit : *Non Angelum , non Cherubim , non Seraphim , non Thronum aut virtutem aliquam , ſed filium tuum unigenitum in opus meæ redemptionis miſiſti. O admirabilis ardor Charitatis ! O ſtupenda dignatio pietatis,ut ſervum redimeres, Filium tradidiſti ; vide, ſi reſtat aliquid quod huic tam eximiæ pietati addi poſſit ; Filius Dei traditus eſt in mortem, ut vivat ſervus vernaculus, terrigena, de luto formatus.*

*Chryſol. ſerm.69.*

Per hoc humanam exaltavit naturam.
*Hebr.2.v.16*

9. Porro ex quo unigenitus hic Dei Filius in propria perſona in hunc mundum venire decreverat,poterat utique, dummodo voluiſſet , naturam aſſumere Angelicam , utpote metallum longe nobilius , quàm ſit lutum , & tamen *Nuſquam Angelos apprehendit , ſed ſemen Abrahæ* ; Neque ſolum cum homine intimam contrahere cognationem voluit , *ut vitam habeat, ſed ut abundantius habeat ; ut eum Divinitatis ſuæ tribueret eſſe participem* , utque fragilem hanc noſtram naturam ad parem cum Angelis ſublimitatem eveheret , verum ſuper omnes Angelorum ordines ſuperexaltaret. *Et quid amplius dicam ?* ( verba ſunt S. Fulgentij ) *quandoquidem Deus unigenitus humanam naturam tantum dilexit , ut eam non ſolum à poteſtate mali Angeli liberaret , verum etiam in ſeipſo ſuper omnes bonos Angelos in Patris dextera collocaret.*

Paſſibilē aſſumpſit carnem.

10. Verum enimvero hoc ſuppoſito , quod Filius Dei hac noſtra vili & fragili carne ſe veſtire decreverit , in ſua utique poteſtate poſitum erat , corpus aliquod impaſſibile ſibi aſſumere , quia cum anima ipſius , à primo conceptionis ejus inſtanti beatiſſima fuerit , fruendo pariter & videndo divinam eſſentiam , quatuor quoque glorioſorum corporum dotes ei conſequenter omnino debebantur ; Et tamen quando æternus Pater liberam ei optionem dedit , ut vel ad patiendum vel ad fruendum plenitudine gloriæ in terram deſcenderet , ipſe ſponte propria Crucis ſibi elegit patibulum ; *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem , confuſione contempta* ; Unde ex primis miraculis , quæ Chriſtus in carne patravit , unum fuit , quod animæ gloriam & beatitudinem ſuſpenderit , ne ad corpus tranſmitteretur , hacque ratione impaſſibilis fieret , quia pati & dolere volebat ; *ut vitam habeant, & abundantius habeant* ; *voluit per omnia fratribus aſſimilari , ut miſericors fieret* ; utque à primo Conceptionis ſuæ momento amaram paſſionem ſuam inchoare poſſet ; *In laboribus à juventute mea* , vel ut alij legunt , *Agonizans,moriens , moribundus à puero.* Et ideo Innocentius in ſermone quodam de Incarnatione ait : *Primus gradus paſſibilitas , quam aſſumpſit.*

*Hebr.12.v.2*

*Pſ.87.v.16.*

*Inn.3.ſerm. de incarn.*

Ut pati poſſet.

11. Inaudita igitur inventio quædam amoris fuit gloriam animæ impedire , quo minus in corpus redundaret , ut hac ratione plus pati , ſuique amoris magnitudinem conteſtari poſſet ; propoſitio etenim vera & experimentalis eſt : *Pœna interroget , ſi quis veraciter amet* ; *Uno ſiquidem tempore* , inquit B. Laurentius Juſtinianus , *Et Dei fruebatur viſione , & intolerabili ſub paſſione gemebat* ; Quo fine autem ? *Ut tota divinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam.* Etenim anima Redemptoris noſtri à viſione Dei ſe divertere non poterat , ac proinde cum per hoc impediretur , quo minus corporis paſſionibus intendere , eique compati poſſet , corpus utique ſine ullo refrigerio remanebat , ac conſequenter doloribus & tormentis maximis expoſitum erat. Idem quoque Sanctus alibi , ubi de unione vel ſponſalitio animæ cum Deo tractat, ita ſcribit : *Ignitus amor ſemper meditatur nova , & inſueta componit,impatiens namque cum ſit,cogitare non deſinit , quomodo ardentius diligat.*

*B.Laur.Juſt. de triump. Chr.ago.c.9*

*De cœl.conn. c. ult.*

Hiſtoria.
*Val.M. l.5. c. 6.*

12. Valerius Maximus de Codro ultimo Athenarum Rege ſcribit, quod cum Civitas illa potenti admodum arctaque obſidione cincta , ad eas deveniſſet extremitates , ut niſi præmaturum aliquod deforis ferretur ſubſidium , inimicorum ſe poteſtati ultro dedere cogeretur : Codrus ad falſa confugerit Deorum ſuorum ſimulachra, ut ex eorumdem oraculo medium quo Civitas ab inimicorum potentia ſalvari & liberari poſſet , ediſceret ; A quibus hoc retulit reſponſum ; Aliud huic malo tollendo non ſupereſſe remedium,niſi ut Rex ipſemet ſuam pro Athenienſium civium ſalute vitam in prælio cum hoſtibus habito occumbendo ſacrificet. Quo reſponſo accepto , Rex boni communis amore ſtimulatus,ſtatuit ſeſe pro aliorum vita conſervanda manifeſto mortis periculo exponere , atque ut tanto evidentiorem ſibi mortem occurrere faceret , regio veſtitu exuto , depoſitiſque inſignibus regalibus , privati cujuſdam militis veſtem induit , ſeque in denſiſſimam hoſtium turbam enſeſque hoſtiles eo quo potuit maximo conatu ac ſtudio ingeſſit , à quibus tandem multis vulneribus confoſſus occubuit. *Notas facite ... adinventiones ejus* ; Etenim ut hiſtoriam in ſenſu allegorico ad propoſitum noſtrum explicemus , Natura humana , arcta ab inferno , morte , & peccato obſidione cingebatur, nec ſupererat aliud ſperandæ liberationis remedium , quam ut tandem Meſſias diu deſideratus in hanc exterminij terram deſcenderet ; Hic autem ſi in manifeſta Divinitatis ſuæ ſpecie veniſſet , adeoque tamquam Deus ab omnibus agnitus fuiſſet , totum ſtratagema in fumum utique abiiſſet,nam ut Apoſtolus ait : *Si eum cognoviſſent , numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* : ideo prudentiſſimo præmiſſo conſilio operæ pretium judicatum fuit , ut in hac mortali vita , quæ militiæ ſimilis exiſtit : *Militia eſt vita hominis* , in habitu hominis,imo in aſſumpto ſervili habitu compareret: *Habitu inventus ut homo* : tametſi ſe hoc habitu indutum ad inſtar latronis cujuſdam in medio duorum aliorum latronum crucifigendum eſſe clare ſatis prævideret. Verumtamen quia ſibi poſt prægnantiſſimum redemptionis noſtræ negotium , ad Patrem redeundum eſſe optimè noverat. *Opus conſummavi quod dediſti mihi , ut faciam,... Et ego ad te venio* , aptiſſimum quemdam modum , quo nobiſcum hic in terris , in Sacramento videlicet Euchariſtiæ, quod inſtituit , manere poſſet, excogitavit,ut hoc pacto non ſolum nobiſcum remaneret , verum etiam ob amorem noſtrum quotidie in ſacrificio incruento à ſacerdotibus offerri poſſet ; ac proinde S. Bernardinus his verbis optimè meditatur : *Quaſi non ſufficeret amoroſo Jeſu ad inebriati amoris ſui oſtenſionem , quod ſemel Sanguinem ſuum ſacrum pro nobis realiter effuderit in ligno , niſi nobis quotidie effundat ſub ſacramento* ; adeoque modum quemdam invenit , quo ad finem uſque ſæculorum quovis momento mori poſſet : *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi* , quia per univerſum totius Chriſtianiſmi orbem ſacrificia incruenta omnibus horis , cunctiſque fere momentis offeruntur , ſiquidem eo tempore quo nobis nox eſt , alijs dies illuceſcere incipit , Unde & vocatur: *Juge ſacrificium* ; adeoque Redemptor noſter in hoc Sacramento modum quemdam adinvenit, quo per myſticam ſanguinis effuſionem, & figuratam mortem ob amorem noſtrum continuo ſine ulla intermiſſione offerri poſſit.

*1.Par.16. v.8.*

*1.Cor.2.v.8.*

*Phil.2.v.7.*

*Joann.17. v.4. 11.*

*Matth.28. v.20.*

*Dan.8.v.12*

13. Verum enim vero notandum eſt, quod dilectus Chriſti diſcipulus , ut exceſſivum , quo Dominus noſter nos proſequebatur , quique illum ad hanc inſtitutionem faciendam permoverat, amorem nobis manifeſtum redderet,dixerit : *Cum dilexiſſet ſuos, ... in finem*

*Joan.13.v.1*



*nem dilexit eos* : quia ut Apoſtolus notavit : *In qua nocte tradebatur , accepit panem, Et gratias agens &c.* Quibus ex verbis clarè ſatis patet , quod quo tempore homo Chriſto mortem præparabat , eodem ipſe *convivificavit nos.*

*1.Cor.11. v.23.24.*

14. Porro Eliſeus in multis actionibus figura quædam Chriſti fuit , præcipue vero in ea actione enituit,qua è Syria venientes milites ipſum ſecum captivum abducere volentes, miraculosè cœcos effecit, ſecumque in Samariam abductos, loco ſumendæ de illis vindictæ lauto atque opiparo convivio excepit; *Appoſita eſt eis ciborum magna præparatio , & comederunt , & biberunt.* Unde Chryſoſtomus ita ſcribit : *Poſtquam apponi menſas aſpiciunt , & dapibus ſe invitari cognoſcunt, mirantur & ſtupent , ſibi pro morte victum , pro interitu cibum , convivium pro pœna offerri* : Et quidem ſi videre vultis, quam apte figura hæc ſuo figurato reſpondeat , conſiderate , quouſque amantiſſimus Salvator noſter hunc vitæ panem nobis dare diſtulerit ; nimirum ad illud uſque tempus , quo illi mortem inferre machinabamur, eamque pœnoſiſſimam ſummeque ignominioſam. In qua nocte &c.

*4.Reg.6. v.23.*
*Chryſoſt. de Eliſ.& Syr. inſid.*

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Amor Redemptoris erga nos tantus fuit , ut tunc vel maxime erga nos beneficus fuerit, quando nos illum graviſſime offendimus ; idq; per varios Paſſionis ſuæ eventus oſtenditur, quæ proinde beneficia à nobis omnem amorem noſtrum viciſſim efflagitant.

### THEMA.

*Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis , quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ... Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ad Rom. 5. ℣.8. 9.

Chriſti charitas erga inimicos.
*Rom.5.v.6.7*

1. S. Paulus Apoſtolus infinitam Redemptoris noſtri ſeſe pro redimendis impiis inimicis ſuis in mortem ignominioſiſſimam tradentis charitatem jure merito obſtupeſcit : *Ut quid enim Chriſtus* , ut paulo ante dixerat, *pro impijs mortuus eſt ? vix enim pro juſto quis moritur,nam pro bono forſitan quis audeat mori?* Unde propoſitam mox deducit conſequentiam : *Commendat autem charitatem ſuam &c.*

In Ægyptū fugit ut ab innumeris ſanaretur peccatis.

2. Enim vero vix dum natus erat in Ægyptum peregrinari voluit ; Verum quidem eſt quod quoad apparentiam externam ad id fuerit per Herodianam perſecutionem coactus ; verumtamen non deerant plura alia loca in quæ is qui S. Felicem Nolanum ab inſidiatoribus aranearum telis obumbravit ; *qui reſpicit terram & facit eam tremere* , longè ſecurius recipere ſe potuiſſet ; Quid enim Ægyptus illo eodem tempore aliud , quam turpis quidam omnis impietatis nidus erat ? Numquid in eo regno ad eam uſque dementiam homines pervenerant , ut ipſas quoque cœpas & porros velut ſacra quædam numina adorarent ? Unde & Poëta ille jure cecinit : *O ſanctas gentes quibus hæc naſcuntur in hortis Numina.* Numquid Pharao Ægypti Rex manifeſtè ſe Atheiſtam conteſtatus fuerat dicens : *Neſcio Dominum ?* Numquid electum Dei populum tot modis indignis ſumma cum tyrannide exagitarat ? Omnino ita eſt ; Et ideo *Commendat charitatem ſuam Deus* ; In Ægyptum namque deferri voluit , ut primo loco remedium adferret ijs, qui ſe infeſtiſſimos ejus amicos eſſe probaverant. *Quaſi enim medicus deſcendit in Ægyptum* ; inquit Author operis imperfecti , *ut viſitaret eam languentem erroribus ; in prima facie deſcendit in Ægyptum , quaſi Herodem fugiens , revera autem ut Ægyptij erroris Dæmones effugaret ex ea , ſicut teſtatur Iſaias , dicens : Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem , & ingredietur Ægyptum & commovebuntur ſimulachra Ægypti.*

*Pſ.103.32.*

*Exod.5.2.*

*Auth. Imp. h.2.*

*Iſa.19.v.1.*

Charitas Chriſti emblemate deſcribitur.

3. Academicus quidam pro Corpore formandi Emblematis aſſumpſit maſſam quamdam bituminis , cujus hæc eſt naturalis proprietas , quod quanto majori aquarum copia aſpergitur , tanto quoque majorem ignis ardorem & flammam à ſe edat ; Hocque Emblema hac ſubnexa Epigraphe animavit : Imo accendis me magis. Sanctus quoque Auguſtinus eumdem effectum experiri nos dicit in calce : *Jam vero quam mirum eſt , quod cum extinguitur , tunc accenditur* ; Idem ergo prorſus ardentiſſimo divini amoris æſtui accidere videmus : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem , nec flumina obruent illam.*

*S.Aug.l.21. de Civ. Dei c. 4.*

*Cant.8.v.7.*

4. Amara Domini noſtri Paſſio mare quoddam à Spiritu Sancto denominatur : *Magna ... velut mare contritio tua* ; & tamen ipſemet amantiſſimus Redemptor noſter eamdem Calicis nomine expreſſit : *Calicem quem dedit mihi pater , non bibam illum ?* Ubi Theophylactus ait : *Poculum dicit ſuam mortem , oſtendens , quod propter amoris magnitudinem ſic ſuaviter accedat ad mortem , quod mare Paſſionis calix quidam eſſe videatur* ; Id quod S.Baſilius quoque conſiderans , ita ſcribit : *Nomine calicis indicavit mortem , quam pro mundi ſalute ſuſcepit , ſupplicia requiem,& refectionem animæ & corporis, non dolores ducens.*

*Thren.2. v.13.*
Paſſio eidem ſuavis erat calix.
*Joa.18.v.11*
*Theophil.in c.24.Matth.*
*S.Baſil. in Pſalm.115.*

5. Eum qui ſibi calicem bibendum veluti porrexit , qui traditor fuit, amici titulo appellavit: *Amice , ad quid veniſti ?* ab eoque oſculum accipere minime dignatus fuit.

Judam amicū nominat.
*Matth. 26. v.50.*

6. Imo ex mente Origenis à S. Thoma citati inſuper dicendum eſt , Judam primum fuiſſe, ante quem ſe genuflexus proſtravit,ut pedes ejus ablueret & exoſcularetur ; quod etiam ex ipſis Evangeliſtæ verbis colligi poſſe videtur; Dicit enim ſacer textus : *Venit ergo ad Simonem Petrum* , qui Chriſto abluere cum volenti ſeſe fortiter oppoſuit : ac ſi S.Joannes dicere voluiſſet , quod antea nullam in aliis reſiſtentiam aut reluctantiam invenerit ; atque ideo ly,Ergo, indicare videtur , pedum ablutionem dudum ante , priuſquam ad Petrum ordo deveniſſet , fuiſſe inchoatam ; quamvis Origenes hujuſce opinionis ſuæ aliam longe diverſam rationem hiſce verbis adducat : *Sicut Medicus plurimum ægrotorum inireus curæ , ab ijs qui magis indigent , propriam curam incipit : ſic & Chriſtus qui fœdos abluit pedes diſcipulorum , exorditur ab ijs qui magis erant fœdi.*

Cui primitus pedes lavit.
*Orig.cit.à S. Thom.in c.13 Joan.*
*Joan.13.v.6*

7. Sanctus Bernardus verba illa Judæ à Chriſto dicta nimirum : *Quod facis fac citius*, vehementer obſtupeſcens , ait : *O amor interminabilis ! O Charitas inæſtimabilis ! O dilectio inſcrutabilis ! Quod facis fac citius ; illud cupio , illud quæro , ad hoc veni in mundum : vis me tradere Judæis ? volo & ego. Vis tradere ? volo tradi : vis ut crucifigar ? volo crucifigi ; hoc amo , hoc affecto ; quod facis, fac citius.* Et paulo poſt idem ſanctus & mellifluus Doctor ab hoc infinitæ charitatis exceſſu , quaſi in extaſim raptus , ad Redemptorem ſeſe convertit & dicit : *Sed Jeſu vita mea, quantum eos diligebas , pro quibus mori cupiebas,nobis vitam, tibi mortem affectabas.*

*Joa.13.v.27*
*S.Bern.ſerm. 3. in cœna.*
Ob amoris exceſſum cito mori voluit.

8. Porro ijs quibus ad mortis ſupplicium eundum eſt , confortativi potus , vel etiam lauta quandoque convivia præparari ſolent, juxta illud : *Date ſiceram mærentibus , & vinum his qui amaro ſunt animo* : Salvator noſter autem ſapidiſſimum in Cœna bolum Judæ traditori ſuo porrexit : *Cui ego intinctum panem porrexero.*

Judæ corpus ſuum dedit.
*Prov.31.v.6.*
*Joa.13.v.26*

9. Quando horridum illud humanæ impietatis monſtrum , Judas inquam,ad conceptam perfidæ traditionis machinam exequendam,ut ſe lictorum atque carnificum caput & ducem faceret è Cœnaculo egreſſus fuit , benigniſſimus Salvator noſter velut exultabundus ad diſcipulos ſuos dixit : *Nunc clarificatus eſt filius hominis* ; Unde S.Bernardus ait : *Gaudet & tripudiat, exultat & lætatur, & ait : Nunc clarificatus eſt Filius hominis.*

*Joa.13.v.31*
*S.Bern.ſer.4. in cœn.Dom.*

10. Porro de Sapientia increata legimus hæc ab eadem verba prolata fuiſſe : *Delectabar per ſingulos dies,ludens coram eo omni tempore , Ludens in orbe terrarum , & delitiæ meæ , eſſe cum filijs hominum* : Quæ verba certe eidem Sapientiæ inter nos incarnatæ minus apte convenire videntur , ſiquidem hæc prouti ſupra probavimus, à primo conceptionis ſuæ inſtanti, uſque ad momentum illud quo *Emiſit ſpiritum* , aliud non fecit, quam quod cum doloribus ſemper & paſſionibus conflictatus fuerit ; Unde Seraphicus Bonaventura ait : *Volve & revolve vitam boni Jeſu , & non invenies eum niſi in Cruce ; ex quo enim carnem aſſumpſit , ſemper in pœna fuit* : quomodo igitur ſe his in terris ſemper luſiſſe, & delitijs vacaſſe dicere poteſt? S.Antonius de Padua dubium hoc hiſce verbis reſolvit : *Filius ludebat coram Patre , cum à diſcipulo tradebatur , ad columnam ligatus flagellabatur , cum ab Herode illudebatur , cum ſpinis coronabatur , ludebat , cum exiret bajulans ſibi Crucem.* Cui conſonat , quod S.Cyrillus Alexandrinus hiſce verbis ſcribit : *Cruciatus & opprobria ſibi delitias eſſe putabat , ut voluntatem*

Paſſione delectabatur.
*Prov. 8. v.30. 31.*
*S.Bon.ſerm.3 de paſſ.*
*S.Anton. Pad.ſerm.in D.2. Epi.*
*S.Cyr.Alex. l.10.in Joan. c. 21.*

*Patris impleret, & ſalutem hominum operaretur*; Et ideo priuſquam ob amorem noſtrum totum ſanguinem è venis ſuis emanare videret, quam neſcio cordis anguſtiam circa præcordia ſentiebat, unde ait: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur.*

*Luc.12.v.50*

Sanguinem ſudavit.

11. Enim vero priuſquam armati milites & lictores in hortum adveniſſent, ut eum inde vinctum & catenis onuſtum abducerent, ſanguinem copiosè ſudavit: *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Porro in Eccleſiaſtico hæc verba leguntur: *Quaſi Lybanus non inciſus vaporavi*; Pro quorum verborum intelligentia notandum eſt, quod omnium optima & perfectiſſima myrrha ſit illa, quæ ſponte & ſine ulla facta inciſione ab arbore dimanat: Et ideo dicit ſponſa: *Meſſui myrrham meam.* Eodem quoque modo tametſi omnis ſanguis quem Redemptor noſter uſpiam effudit inæſtimabilis fuerit, attamen ille qui non ex violentia flagellorum, ſpinarum, clavorum aliorumque Paſſionis inſtrumentorum, ſed ab amore & charitate ejus velut carnifice ipſius ultro citroque effuſus fuit, qualis ille éxtitit, qui in horto per modum ſudoris ab ejus ſacratiſſimo corpore emanavit, longe amabilior, pretioſior, & inæſtimabilior eſſe videtur. Muſtum quo in vindemia torcularia ultro redundant, priuſquàm botri à torculari exprimantur, vel maxime ferveſcit & ebullit, vaſaque etiam circulis optime vincta rumpit: ita quoque amor ille fecit, qui priuſquam Salvator in crucem conſcenderet in corde ejus exarſit, & ideo ſanguini ejus amabilem quamdam violentiam intulit, foras eum expellendo, priuſquam à carnificibus aut ſatellitibus in corpore vulnus aliquod acciperet: *Torcular calcavi ſolus.* Unde S. Bernardinus ait: *Statim fervidus velut athleta ebulliens amor, & triumphans fortitudine, ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, occurrit impijs. O quali ardore fornax cordis Jeſu accenſa erat, quæ ſic carnem ejus totam in ſudorem reſolvebat.* Adducitque ſanctus hic Pater ollæ cujuſdam bullientis ſimilitudinem, quanto enim major eſt ignis ex quo caleſcit, tanto plus inde ebullit & effunditur liquoris: *Immenſus plane & ferventiſſimus amor in hoc manifeſtatur, ſæpe enim fervens ebullitio emittit ad extra, proinde quantum anima Chriſti charitatis igne in intimis bulliendo ferveret, ſcaturitio hæc ſanguinis clarius manifeſtat.*

*Luc.22.v.44*

*Eccli.24. v.21.*

*Cant.5.v.1.*

*Iſ.63.v.3.*

*S.Bern.Sen. de paſſ.*

Omnes guttas effudit.

12. Poterat quidem per unicam dumtaxat ſanguinis ſui ſtillam, imò per unicam ab oculis manantem lacrymulam pro omnibus infinitis non unius mundi tantum, ſed multorum millium mundorum debitis *ex rigore juſtitiæ* ſatisfacere; at verò amor, quo intus ardebat inſatiabilis erat: *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, propter nimiam dilectionem qua dilexit nos &c.* Sanctus quoque Bonaventura ait: *Dic quaſo mi Domine, dic cum una ſanguinis tui gutta potuiſſet ſufficere ad totius mundi redemptionem, cur tantum ſanguinem de corpore tuo effundi permiſiſti? ſcio Domine, & verè ſcio, quia non propter aliud feciſti, niſi ut oſtenderes, quanto affectu diligeres me.*

*Luc.22.44.*

*S.Bonav.in opuſc.de perf. vita c.6.*

13. Sanctus quidem propheta David de corpore Chriſti prædixit: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*: quod qua ratione in Chriſti corpore verificatum fuerit, vix video, ſiquidem illud flagellis horrendum in modum conſciſſum eſſe conſtat; Et quidem dicere quis merito poſſet, ſi omnino flagellari volebat, numquid triginta vel quadraginta flagellorum ictus ſufficere ipſi poterant, cur igitur ſexies millenos, ſexcentos, ſexaginta ſex ictus ſibi infligi voluit? Ad hoc porro aliud reſponderi nequit, niſi quod Chryſoſtomus reſpondit: *Quod ſufficiebat Redemptioni, non ſatis erat amori.*

*Pſ.90.v.10.* Diriſſime flagellatus fuit.

*Chryſoſt.*

14. Quando Redemptor noſter in ſua in Cœlos Aſcenſione à cœleſtibus Hierarchijs conſpectus fuit, manus habere & pedes adeo atrociter perforatos, hæ omnino attonitæ in hunc modum ipſum interrogarunt: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* quibus ipſe protinus reſpondit: *Torcular calcavi ſolus.* Circa quam reſponſionem hoc mihi dubium occurrit, cur nimirum incarnata illa ſapientia hac torcularis alluſione uſa fuerit? Numquid ſufficiebat dicere, ſe in crucem actum fuiſſe. Pro reſponſione ad propoſitum noſtrum notandum eſt, quod vix comparatione aliqua magis propria uti potuiſſet, quam hac torcularis analogia, ad inſinuandum amorem, quo ad ſanguinem ſuum ad noſtram utilitatem alacriter effundendum extimulatus fuerat; Etenim torcular olivam premendo oleum inde emanare facit, quod lætitiæ ſymbolum eſt, *oleo lætitiæ*; Vinum quoque ex uvarum botris exprimit, de quo pariter Spiritus Sanctus dicit: *Vinum ... lætificat cor hominis*: adeoque torcular lætitiam nobis inſinuat & ſummum gaudium, quo cum Salvator noſter redemptionis noſtræ opus in patibuli ſui graviſſimo torculari operatus fuit; quamvis etiam ſapientiam incarnatam aliam ob cauſam hanc uſam fuiſſe torcularis alluſione dici poſſit; Etenim cum Chriſtus in uvæ botro figuratus fuerit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*; illo nimirum qui in virga ſuſpenſus ex terra promiſſionis allata fuit; ſciendum eſt quod Botrus primo quidem liquorum ſuum ſponte propria emittat; poſtea vero ulterius torcularis arbore premitur, ut totum liquorem ſuum, quem in ſe continet, ad ultimam guttam uſque edat. Qua ſimilitudine hoc præcipue nobis inſinuatur, quod Redemptori noſtro ob vehementiſſimum quo nos proſequitur amorem; in horto Gethſemani ingentem è venis ſuis ſanguinis effuſionem paſſum fuiſſe minimè ſufficiat, ſiquidem ulterius per Crucis ſive patibuli, in quo ſuſpenſus fuit, torcular, omnis ejus ſanguis à carnificibus torcular hoc agitantibus, totaliter adeo expreſſus fuit, ut ne quidem unica in ipſo ſanguinis gutta ſuperſtes remanſerit. Unde Oleaſter ait: *Sed hoc non contentus, voluit conculcari, ut quidquid ſanguinis, quidquid ſucci in corpore ſuo latebat, exiret ad lavacrum noſtrum.*

Totum ſanguinem pro lavacro noſtro dedit.

*Iſa.63.v.2.*

*Ibid.v.3.*

*Pſ.44.v.8.*

*Eccl.40. v.20.*

*Cant.1.v.13*

*Oleaſt.in Iſa.*

15. Verum enim vero dicat fortaſſe aliquis, quamobrem verno tempore, id eſt, in menſe Martio pati voluit? S. Bernardinus Tom. 3. ſerm. 51. ait: *Cum enim in tali tempore ſanguis ebulliat, ut totum verſaret, & effunderet, quia ebulliens de facili emittitur*; imo vero quia etiamnum aliquantulæ ſanguinis ſtillæ poſt mortem circa cor reliquæ remanſerant, ideo latus ſuum poſt mortem lancea ſibi aperiri permiſit, *ut quidquid reſideret*, inquit S.Cyprianus, *in corde ſanguinis remitteret.*

Lancea latus aperiri voluit.

*S.Bern.*

*S.Cypr. de dupl mart.*

16. Equidem tametſi verum ſit & certum, quod ſævum nimis, ſummaque cum impietate conjunctum ſit, ſi quis in cadaver aliquod ferocire velit; unde Eccleſia quoque mucronem, qui Chriſti mortui latus aperuit, mucronem dirum vocitat: *Mucrone diro lanceæ*, cum tamen alia paſſionis inſtrumenta, quæ ad Chriſtum patiendi avidiſſimum in vita per amorem transfigendum concurrerunt, ſuavia denominentur: *Dulce lignum, dulces clavos*: attamen ex hoc tanta cum impietate & barbarie transfixo pectore, cœleſtis Paradiſi theſauri in maximum beneficium noſtrum fuere egreſſi: *Commendat autem charitatem ſuam &c.* Et S. Auguſtinus ſuper illa verba: *Unus militum lancea latus ejus aperuit*, ita ſcribit: *Ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera eſt vita, non intratur.*

Unde 7. manarunt Sacramenta.

*Rom.5.8.*

*S.Aug. ibid.*

17. In Iſaia Propheta Deus ita loquitur: *Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit*; quibus verbis Deus ſe iram multo tempore in corde ſuo continuiſſe inſinuat, nimirum uſque in diem redemptionis ſuæ, quo itidem die genus humanum omnem impietatem ultra omnem modum adverſus ipſum evomuit; ac proinde eo die quo homo contra Deum vel maximè ſævit, Deus homini quam maxime placatur, & beneficum ſe exhibet. Unde Oleaſter: *Quæris cur iram in corde ſuo ſervet? ut in Paſſione, cum cor ejus apertum eſt, omnem quam uſque ad illud tempus conceperat, effunderet*; non in hominem, ſed in aëra. Ira communiter ſic definitur: *Eſt accenſio ſanguinis circa cor*; hæc autem accenſio, ſive ira hæc mediante aqua, quæ ex latere Chriſti per lanceam aperto, emanavit, extincta fuit: *Exivit ſanguis & aqua*; *Cum inimici eſſemus*, inquit Apoſtolus *reconciliati ſumus Deo per mortem filij ejus.*

*Pſ.63.v.4.* Deoque reconciliati ſumus.

*Ole.in Iſa.*

*Jo.19.v.34.*

*Rom.5.v.10*

18. De Ælio Pertinaci refertur, quod cum mortem ſibi à Commodo Imperatore inferendam continuo opperiretur, atque in lecto decumbens Ælium Lætum Generalem Cæſareæ militiæ Ducem una cum multis armatis militibus coram ſe ingredientem conſpexiſſet, mortem ſibi jam imminere arbitratus ad eum dixerit; Probe novi optime Æli, eo te fine hic me convenire, ut ex juſſu & ordine Imperatoris necem mihi inferas, ecce igitur me ad eamdem generoſo animo excipiendam paratum, etenim miror eam tanto tempore fuiſſe dilatam;

Hiſtoria pulchre applicata.





Cui Ælius. Ne timeas, inquit, vir generoſiſſime ſiquidem ego non tantum eo fine ad te venio, ut te de vita tua ſecurum eſſe jubeam, quin potius ut inſuper tibi, quem ſibi Romanorum populus in locum Commodi Imperatoris jam occiſi in Imperatorem ſubſtitui poſcit, Imperij diadema; quod præſens hic eſſe conſpicis, imponam; Pari quoque modo homo mortis æternæ condemnatus erat, juſteque commeruerat, ut Divina Juſtitia adverſus ipſum armata iræ ſuæ fulmina copioſè in eum evibraret, interea verò in Dei graviſſima indignatione conſtitutus, à Cœlo ſemper exulabat; imò poſtquàm Chriſtus de cœlo in terram deſcendiſſet, ibique ut redemptionem noſtram operaretur, triginta trium annorum ſpatio nobiſcum demoratus fuiſſet, ipſum nihilominus plus quam alias umquam irritando, juſta & propter ignominioſam ejus crucifixionem maxime debita ſuper ſe ſupplicia provocavit; & tamen non tantum non punitus, verum etiam infinito quodam redemptionis beneficio affectus fuit. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*; cui conſonat quod S.Joannes alibi ſcribit, nimirum: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum*, non ut per eum judicemur & condemnemur, prouti malitia noſtra commerueramus, verum ut nos ſuos in regno cœlorum cohæredes efficeret.

*Joan.3.v.16*

*1.Joa.4.v.9.*

19. Verum enim vero ne ab Hiſtoria Paſſionis Dominicæ digrediamur, advertendum eſt, quod tametſi Redemptor noſter multa prodigioſa miracula patrando multis ſumma beneficia contulerit, Evangeliſtæ tamen nullius eorum quibus ejuſmodi fuerunt collata beneficia, nomen expreſſerunt, præterquam paucorum valdè; inter cæteros vero Spiritus Sanctus illius quoque nomen expreſſum eſſe voluit, cujus auriculam à S.Petro amputatam, Chriſtus ſanavit: *Erat autem nomen ſervo Malchus*: at vero cur hujus nominis adeo ſpecialem mentionem haberi voluit, numquid alia hoc longe memorabiliora miracula patrata fuerant? quod ſi illud ex eo capite memorabile fuiſſe dicatis, quia in toto Paſſionis ſuæ decurſu nullum aliud præter iſtud miraculum patraſſe legitur; Reſpondeo, per hoc non ſolum dubium ſeu difficultatem iſtam non reſolvi, ſed potius adaugeri, quæri etenim poteſt, cur Chriſtus non patravit aliud miraculum longe prodigioſius quam ſit iſtud, maximè quando paſſionem ſuam aliquo voluit ſignare & honorare prodigio ſive portento; neque enim magna aut adeo mira res eſt præciſam hominis alicujus ſanare auriculam. Cur non potius ſolutis clavis quibus in crucem ſuffixus fuerat, de Cruce deſcendit? aut vero cur ſpinas quibus coronatus fuerat, roſas progerminare non juſſit? Nimirum increata ſapientia nomen illius in Annalibus æternitatis ad perpetuum infiniti illius amoris teſtimonium expreſſum eſſe voluit, quo illis qui infenſiſſimi ipſius ſunt hoſtes, ipſumque enormiſſime offendunt, ſe vel maxime exhibere ſolet beneficium; quia ſatis fundata plurium opinio eſt, hunc Malchum illum ipſum fuiſſe, qui Chriſto in domo Principis ſacerdotum paulo poſt ignominioſum illum colaphum impegit, quique temerario auſu ſuo omnibus alijs, inſultibus deinceps per totam noctem Salvatori noſtro illatis, primus portam aperuit, ſiquidem ut cæteris audacior & inſolentior, & tamquam aliorum ſatellitum lictorum caput & dux manſuetiſſimo Agno, ut ad macellum duceretur, violentas manus intulit. Unde Chryſoſtomus ait: *Servi nomen meminit Evangeliſta, quoniam magna res erat, non tantum quod eum convertit, ſed cum paulo poſt eſſet ab eo alapam accepturus.*

*Joa.18.v.10*

*Chryſ.h.82. in Joann.*

Chriſtum ligavit charitatis vinculum.

20. Ad hæc vincula quibus vinctus & captivus abductus, & ad columnam alligatus fuit, nos utique & corda noſtra ad ejus amorem adſtringere deberent, ſi æqua lance eadem ponderaremus. S. Bernardinus illa conſiderans ita exclamat: *O Rex Regum & Dominus dominantium, quid tibi & vinculis? quare ergo ligaris?* De Rege quodam legitur, quod cum à ſagitta quadam graviſſimè ſauciatus, in magno fuiſſet moriendi periculo conſtitutus, niſi à chirurgis arctiſſimis ligaculis adſtringeretur; generoſum hocce reſponſum ediderit: *Regem vinculis adſtringi minimè decet*; *O Deus Deorum, quantum ergo derogatum fuit libertati & potentiæ tuæ? tot adeò ligaris vinculis, qui ſolus ligandi & ſolvendi poteſtatem habes?* Tandem vero cauſam cur vincula iſthæc admiſerit, ſubjungit, quæ nulla eſt alia quam ardentiſſima ejus charitas: *video* inquit, *& perhorreſco, & admiror, & admirando deficerem; niſi quod liquido cognoſco, te priùs in corde charitatis nexibus fuiſſe conſtrictum, qui ad deteriora vincula ſufferenda te leviter attrahere potuerunt.* Idiota amorem vinculi titulo appellat: *O dilectio, quàm magnum eſt vinculum tuum, quo ligari potuit Deus! O piiſſime Domine Jeſu Chriſte, opifex amoris, hoc vinculum te in Cruce tenuit, quem omnes funes totius mundi nullatenus tenuiſſent.* B. Laurentius Juſtinianus dicit, vincula illa quibus ad columnam alligatus fuerat, alia non fuiſſe, quam arctiſſima vincula ſuæ charitatis; *Charitas ligat Deum & hominem, quia vinculum eſt? O charitas, quam magnum eſt vinculum tuum, quo Deus ligari potuit, nullum vinculum Filium Dei ad columnam tenere potuiſſet; ſi charitatis vinculum defuiſſet.*

*S.Bern.de paſſ.c.4.*

*Idiot. c.14.*

*B.L.Juſt.de lign.vit.c.6.*

21. Poſtquam Crucifixores ejus illum blaſphemando; & varijs tormentis dilacerando fatigati fuiſſent, videri quidem potuiſſet, quod Redemptor noſter Patrem ſuum pro inferendo eiſdem gravi ſupplicio fuiſſet rogaturus; ſed neutiquam ita factum fuit, quinimo prima ſupplicatio quam ſic in Cruce extenſus Patri ſuo præſentavit, fuit illa, qua veniam pro illis ſollicitavit: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Ubi S. Anſelmus hunc in modum Salvatorem noſtrum interrogat: *Qui ſunt hi Domine, quibus ignoſcendum eſt?* Num forte Petro ignoſci cupis, qui te negavit? aut Apoſtolis, qui te deſeruerunt? Minime; his namque jam dudum omnes commiſſos errores condonaverat; ſed illis qui mihi maledicunt, me blaſphemant, qui manus ſuas ſanguine meo cruentarunt; cur autem illos non expreſſe & ſigillatim nominat? S. Anſelmus ait: *Quia ſi nominare deberet, ignoſce illis inimicis meis, crucifixoribus meis dicere deberet; hoc non patitur amor*; at vero, inquies, cur tunc potius, & non antea ad veniam hanc ab æterno Patre ſuo depoſcendam motus fuit? S. Vincentius Ferrerius ait: *Tunc Chriſtus vidit Deum Patrem, paratum ad recipiendam vindictam de crucifixoribus ſuis, ſi filius voluiſſet.*

*Luc.23.v.34*

*S.Anſelm.*

*S.V.Ferr. ſer. 3. in D.I. Paſſ.*

22. Valde conſiderabilis eſt textus ille, quo ſancta mater Eccleſia in Miſſa de Paſſione Domini utitur, nimirum; *lanceis ſuis vulneraverunt me*; cur obſecro in plurali numero dicit: *lanceis*, cum tamen unica dumtaxat lancea fuerit, quæ latus Domini noſtri transadegit? unus militum lancea latus ejus aperuit. Pro reſponſione memorandum, quod ſponſus in ſacris Canticis cor ſuum bina vice vulneratum eſſe dicat: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum*: Quæ verba S. Bernardus de lancea explicat: *Quia zelo amoris tui vulneraſti me, lancea quoque militis vulneratus ſum*; lancea amoris prius Chriſtum viventem vulneravit, eaque eſt quæ necem eidem attulit: *Fortis eſt ut mors dilectio*: alia autem tunc pridem eum transfixit, poſtquam in cruce expiravit: *Cum viderunt eum jam mortuum; mortuum eſt cor Jeſu, quia vulneratum poſſedit vulnus amoris, poſſedit mors amoris Domini cor ſponſi Jeſu, quomodo mors altera introibit.*

*Cant.4.v.9.*

*S.Bern. l.de paſ.c.2.*

*Cant.8.v.6.*

23. Zacharias Redemptorem noſtrum vulneratum, Angeloſque hanc ei interrogationem proponentes introducit: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Ubi notanda eſt illa particula *Quid*, an ergo de vulneribus dubitare poterant quid eſſent, quando non niſi vulnera eſſe ſatis evidenter apparebat, & conſpicuum erat? Imo verò jure merito hac de re dubitare poterant, ſiquidem amor, quo Chriſtus erga nos flagrabat, illa gemmas, monilia, Roſas, Lilia eſſe reputabat. Unde Sponſa ait: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*; ac proinde reſpondit: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me*: ſimiliter quando duo illi in Emmaus peregrinantes diſcipuli, ea Domino, quæ à duobus diebus acciderant, in memoriam revocare volebant, dicentes: *Neſcis ea quæ facta ſunt his diebus de Jeſu &c.* reſpondit *Quæ?* quaſi eorum quæ diriſſima paſſus fuerat, oblitus fuiſſet, quia amori vero nihil eſſe videtur, quidquid ſuffert, imo gaudet & triumphat, ſi quid concedatur patiendum pro eo quem amat.

*Zach.13.6.*

*Cant.5.14.*

*Zach.13.6.*

*Juxta Luc. ult. v.18. & 19.*

24. A S. Ambroſio gratitudinem illam diſcere poſſumus, qua cum infinito huic beneficio grata mente correſpondere debemus; dicit enim: *Nihil eſt, quod digne Deo referre poſſimus, quid enim refe-*

*S.Ambr. l.6. in Luc.*

*remus pro ſuſcepta carnis injuria? quid pro verberibus? quid pro Cruce? væ mihi ſi non dilexero, reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere.*

25. Euſebius Emiſſenus Salvatorem noſtrum in Crucis trunco ſuſpendi, non tam propter redemptionem noſtram voluiſſe exiſtimat, quam ut noſtrum ſibi amorem conciliaret: *In trutina ergo Crucis non*

Euſ. Emiſſ. h. 2. de ſymb.

*aurum vel argentum, non aliquod corpus Angelicum, ſed ſemetipſum paſſus eſt author ſalutis appendi, ut dum curioſa perditione nos redemit, ad charitatem nos ſuam vehementius excitaret.* Sanctus Auguſtinus ad Chriſtum converſus dicere ſolebat: O Domine, qui te pro creationis beneficio non amat, nec ſervit tibi, meretur infernum: at verò qui nec pro redemptionis beneficio te amat, nec tibi ſervitur, meretur ut pro eo novus quidam fabricetur infernus; ac proinde B. Laurentius Juſtinianus ingenuè fatetur dicens: *ſuper omnia reddit te amabilem mihi; o bone*

B. L. Juſt. de lib. vita c. 7.

*Jeſu, calix quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ hoc omnino noſtrum facile ſibi vendicat amorem, hoc eſt, quod noſtram devotionem & blandius allicit, & juſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius.*

26. In annalibus Eccleſiaſticis de certo quodam viro ſcribitur, qui in terram ſanctam profectus, *loca ſingula in quibus pedes Domini ſtetiſſe ſciebat, multa devotione & lachrymis viſitavit, cumque veniſſet ad locum Calvariæ, ubi Redemptorem noſtrum audivit mortis anguſtias & Crucis ſupplicium pertuliſſe, graviſſimis ſuſpirijs ingemiſcens, cum clamore valido & lachrymis dixit: Quid tibi benigniſſime Domine, quid, inquam, tibi Chriſte retribuam pro omnibus, quæ prius amator amabilis mihi mirabiliter tribuiſti? Vidi prius loca, in quibus natus, & inter homines converſatus, Doctrinam Evangelicam prædicaſti, & Deitatis tuæ indicia per miracula demonſtraſti; Hæc quidem ob amorem & reverentiam tui ſyncero corde complexus ſum, hunc verò locum paſſionis & mortis tuæ æquo animo videre non poſſum, ubi clavis crucifigi, terebrari lancea, & animam pro nobis tradere voluiſti: Hæc ut beatus ille peroravit, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis, ſpiritum exhalavit.*

Annal. Ec. Rayn. to. 13. ann. 1216. n. 24.

27. S. Thomas de Villa nova hanc noſtram erga Redemptorem ingratitudinem ſequenti ſimilitudine nobis ob oculos ponit; Erit vobis fortaſſe, inquit, ſervus quidam emptitius, quem tametſi niger quidam Æthiops ſit, valde tamen diligitis ex eo tantum motivo, quod vobis ſe valde diligentem, fidelem, & induſtrium miniſtrum ſemper exhibuerit, nec tamen idem ille ſervus ob veſtri amorem flagellatus, aut colaphizatus fuit, nec ſanguinem ſudavit, nec potum felleum pro vobis bibit, aut in crucem actus fuit. *Heu heu*, inquit S. hic Archipræſul, *dic obſecro, dic O Chriſtiane, qui nomen Chriſti ſolo verbo*

S. Th. Vill. de S. M. Magd.

*profiteris, deſpicis in Chriſto, quod non deſpicis in vernaculo, & in filio æthiopis amas æthiopem, & multum amas & juſtè amas, quin ipſe amat te: & amat te Deus tuus, & amore tuo ardet, & pro tuo amore moritur, & ſolus Deus, & ejus dilectio contemptui habetur, nec dignus redamari putatur.* Idem quoque Sanctus Archipræſul in Concione quadam in Dom. 17. poſt Pentec. nos ipſiſmet ſaxis inſenſibiliores & duriores eſſe exiſtimat, niſi Chriſtum pro redemptionis beneficio impenſe diligamus, dicit enim: *ſi adhuc in*

Idem Conc. 3. in D. 17. Pent.

*amando frigidus inveniris, duriorem te lapidibus eſſe oſtendis, ſiquidem ad tantæ dignationis conſpectum duriſſimi lapides confracti ſunt, & qui ſenſum non habent ſenſum oſtenderunt, ut attendas, quid facere teneantur hominum corda, ſi tantum pondus amoris, neque rupes ipſæ ſuſtinere valuerunt*; ac proinde S. Auguſtinus in libro de diligendo Deo, in quo omnia hujuſce amoris ſcrutatur motiva, jure merito hunc in modum nos admonet: *Opus noſtræ redemptio-*

S. Aug. l. de dil. Deo. c. 16.

*nis totam vitam noſtram, totum laborem noſtrum, totum obſequium noſtrum, amorem denique noſtrum facile ſibi vendicat, totum hoc inquam eſt, quod devotionem noſtram & excitat melius, & quærit ſuavius, & auget amplius.* Didacus Stella Redemptorem noſtrum tot patulis vulneribus ſaucium contemplans, ad illum redamandum hiſce nos verbis invitat. *Tot ſunt*

Did. Stell in c. 10. Luc.

*ora, tot linguæ, quæ in ejus amorem te invitant, quot ſunt vulnera quæ in ſuo corpore pro tuo amore accepit; quilibet ictus eſt lingua quædam, quæ ſemper vociferatur, ut eum diligas.*

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

Beneficia vocationis ad fidem, Juſtificationis, præſervationis à multis peccatis & periculis, conſervationis Creaturarum, ad amorem Dei nos obligant; & hoc tributum aliunde multis titulis debitum à Deo etiam liberaliter compenſatur.

### THEMA.

*Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pſalm. 115. ℣. 12.

1. RIchardus de S. Victore de violentæ charitatis gradibus tractans, divina beneficia, quibus infinita Dei noſtri bonitas nos cumulat, velut totidem vincula & catenas eſſe exiſtimat ad adſtringendum ei corda noſtra deſervientes: *Adjecit Dominus adhuc manu valida multiplicare ſuper nos Charitatis ſuæ vincula, ut nos ſibi arctius adſtringeret, altius irretiret: Contulit nobis bona ſua, pertulit pro nobis mala noſtra, ut ex utroque ſibi obnoxios redderet, & de bonis quæ contulit nobis, & de malis, quæ pro nobis pertulit.* Ac proinde ut nos Deo tanto amplius & arctius adſtrictos eſſe agnoſcamus, præter ea beneficia de quibus hactenus in diſcurſibus præcedentibus actum fuit, alia quædam valde etiam efficacia motiva conſiderabimus.

Rich. de S. Vict. de gr. viol. char.

2. Et quidem primum ex ijs beneficijs eſt, vocatio ad veram & orthodoxam fidem; Etenim ut optimè Sanctus Ambroſius ait: *Nihil naſci profuit, niſi redimi profuiſſet*; Ecquid enim nobis prodeſſet, nos eſſe quoddam adeo nobile accepiſſe, ad cœlum poſſidendum creatos eſſe, imo & redemptos fuiſſe, niſi etiam ſpeciali quadam vocatione aggregati eſſemus in gremium ſanctæ matris Eccleſiæ; nam ut Sanctus Auguſtinus bene notavit, *Multæ generationes pertranſierunt, quæ omnes ſine cognitione Dei, & pretio ſuæ redemptionis in interitum ſempiternum dilapſæ ſunt; omnibus illis Redemptor tuus te prætulit; quare hoc in te factum ſit, nullam præter ſolam Salvatoris charitatem invenire poteris cauſam; numquid tu fortior, ſapientior, nobilior, ditior fuiſti, qui hanc præ omnibus illis ſpecialem gratiam ſortiri meruiſti: Quot fortes, quot ſapientes, quot nobiles, quot divites ibi fuerunt, & tamen univerſi derelicti & abjecti perierunt.*

S. Ambr. in præc. Paſch.

S. Auguſt. loc. cit. c. 7.

3. Ad veritatem hanc profundius intelligendam obſecro vos ut conſiderationem veſtram ad inſtar eruditi cujuſdam Coſmographi in tot regna innumeraſque totius univerſi Provincias ab humano genere inhabitatas extendere non pigeat, ſic enim ex Atheiſtarum, Idololatrarum, Mahumetanorum, Hæreticorum, Hebræorum & Schiſmaticorum incredibili numero facile vobis erit ſervata proportione conjicere, quam pauci ſint veri Romano-Catholicæ fidei ſectatores, ſine qua tamen ſalvari nemo poteſt. Quodnam vobis apud Deum meritum patrocinari potuit, quod inter tot animarum ab initio mundi uſque in hanc horam creatarum milliones vos illo dignatus fuerit privilegio, ut ijs vos ſæculis in hunc mundum naſci faceret, quæ Filij Dei in hunc mundum adventum ſequuntur, eoque tempore quo antiquæ ignorantiæ & cæcitatis tenebræ per veram claramque Evangelij lucem illuſtratæ cernuntur; Item quod ita de vobis diſpoſuerit ut in hoc jam actualiter currenti ſæculo, nati inter Catholicos, atque eoſdem inter educati fueritis, cum tamen alibi tot, imo innumeri denſiſſimis Paganiſmi, Alcorani, Calviniſmi & Lutheraniſmi tenebris immerſi vixerint? Quod ſi forte ſub Principe natus, futurus forſitan fuiſſes deterior Dæmone incarnato: vel ſi Turcicis fuiſſes oriundus parentibus, præter congenitam barbariem implacabilis forſitan futurus fuiſſes Eccleſiæ Dei inimicus; *Non fecit taliter omni nationi*; Etenim in quot Provincijs & regnis, ab eo tempore quo hæreſis in ijſdem pedem figere cæpit, fides vera proceſſu temporis totaliter elanguit & interiit, cum tamen tu econtra per Dei ſolius gratiam & paternam diſpoſitionem in tali loco degas, in quo ad te in Religione Orthodoxa quam profiteris, magis magiſque ſtabiliendum, & ad te quotidie ſi modo velis, in Chriſtiana perfectione promovendum, omnia, quæ deſiderare poſſes, auxilia & ſubſidia minime deſint; Beneficium iſtud haud dubie non aliunde tibi pro-

Pſ. 147. v. 20.

venit,



venit, niſi à vehementia amoris Paſtoris cœleſtis, qui te veluti gregis ſui oviculam in veram & rectam ad ovile ſuum ſemitam deducere voluit: *In loco paſcuæ ibi me collocavit: ſuper aquam refectionis educavit me, animam meam convertit*; *Vocavit vocatione ſua ſancta*, inquit Paulus, *non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu.* Et ideo meritis noſtris ad ſingulariſſimum hocce privilegium aſſequendum minimè cooperati fuimus, ſed ex ſolo nobis Dei amore & gratia provenit; *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.*

Pſ. 22. v. 2.

2. Tim. 1. 9.

Joan. 6. 44.

4. Verum enim vero; quia *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*, multique receptam in ſacroſancto baptiſmatis lavacro candidam veſtem peccatis ſuis turpiter commaculant; ex alia verò parte *Nil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*, non minus beneficium & manifeſtum Dei nos impenſe amantis ſignum eſt ipſa Juſtificatio; Quoties enim anima aliqua Deo dicere jure merito deberet: *Vivificaſti me, & de abyſſis terræ iterum eduxiſti me, Multiplicaſti magnificentiam tuam*; Et uti S. Paulus Apoſtolus ait: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*; Eodem prorſus tempore quo degener & rebellis filius adverſus Patrem inſurgit & conjurat, ut quantum eſt ex parte ſua, vitam ei eripiat; ipſe velut amantiſſimus Pater ſumma cum ſolicitudine cordiſque anxietate exclamat: *Servate mihi puerum Abſalom.* Porro homo in peccato conſtitutus Dæmonis factus eſt ſervus & mancipium, ad pœnas æternales per totam æternitatem condemnatus, & ſuper inextinguibilem abyſſi perditionis fornacem ex pilo capitis veluti ſuſpenſus hæret, quia executio debitæ illi condemnationis à ſola vita, quæ cuidam filo, id eſt, reſpirationi innititur, dependet. Et tamen non obſtante quod Deus ſit ille qui multas à nobis offenſas & injurias accepit, ipſe nihilominus is eſt, qui ne tenuiſſimi illius fili ſtamen rumpatur, ſeſe interponit, ipſe ſemper ad oſtium cordis noſtri patienter ſtat & pulſat, ut aditum ad cor noſtrum habere poſſit, ad inimicum inde expellendum, illudque in Paradiſi poſſeſſionem denuo immittendum. Etenim certum eſt quod à lapſu noſtro non valeamus reſurgere, niſi Deus nobis porrexerit manum: *Perditio tua Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Et tamen licet offenſus ſit graviter & enormiter, ſuam tamen nobis, non ſolum ad ſublevandum nos, porrigit manum, verum etiam cœleſtes nobis inſpirationes immittit, totque alijs modis nos, ut ad eum denuo revertamur, benignè invitat, *Ego ſto ad oſtium & pulſo*; Gloſſa interlinearis addit: *Cor ſcilicet peccatoris, quod peccato clauſit hoſtis, ad hoc pulſat Deus ſanctis inſpirationibus ſuis*; Omni tempore & quovis in loco mortis, judicij, Inferni, ſeveritatis Divinæ juſtitiæ, brevitatis vitæ hujus, cœleſtium bonorum, denique æternitatis, pietatis miſericordiæ & amoris ſui memoriam vividam ei ob oculos ponit, quibus cum eamdem ad pœnitentiam benignè expectat & invitat: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba ſua*; Dum per vicos & plateas urbis ambulamus ſæpè nobis juvenem aliquem diſſolutum ex improviſo ab alijs occiſum videndum objicit; dum in Eccleſiam ingredimur, fortuito nos in cadaver quoddam viri divitis, potentis, juvenis, in delitijs enutriti, robuſta complexione alias præditi incidere facit; tranſeuntibus domum in qua aliquando voluptati operam dederunt, in memoriam reducit, quam ſit momentaneum quod delectat, æternum verò quod cruciat, & qualiter elangueſcente roſa, viva tamen ſemper perſeveret remorſus Conſcientiæ punctura; Et ſic de alijs quoque ejuſdem generis diſcurrere licet. Nonnumquam etiam occurrentia horrenda pericula imminentia, unde ob mortis, infamiæ, jacturæ facultatum, aliorumque infortuniorum timorem, homo obrigeſcere, pilique capitis ſe erigere poſſent, nihil aliud ſunt, quam particulares amantis nos Dei inventiones, quibus utitur ad procurandam reſipiſcentiam noſtram, ſalutemque alias magnopere periclitantem, omni meliori modo aſſecurandam; Unde David dicebat: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*; Quot ſunt noſtrûm, qui verè dicere poſſunt: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in Inferno anima mea?* Optime S. Bernardus hac de re ita ſcribit: *Ego peccabam, inquit, & tu diſſimulabas; non continebam à ſceleribus, & tu à verberibus abſtinebas; prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Domine pietatem tuam; ſed quid prodeſſet expectatio, niſi ſequeretur pœnitudo?* Verum enimvero prout optimè idem ſanctus & mellifluus Doctor advertit, nequaquam nobis hac charitate & patientia abutendum eſt, alias enim nobis bonitas Dei amantis, prout paulo poſt ſubjungit, *Cumulus eſſet damnationis.* Quot & quantæ à nobis Deo reddendæ ſunt gratiæ, quod capiti noſtro ſuam ſuperpoſuerit manum, quod nos in pedibus erectos & à lapſu immunes conſervarit, ne in præcipitia, qualia nobis omni ex parte patula occurrunt, corruamus? *Tenuiſti manum dexteram meam,... & cum gloria ſuſcepiſti me; Liberator meus de inimicis meis iracundis.*

Pſ. 70. v. 20. & 21.

Rom. 5. 20.

2. Reg. 18. 5.

Oſe. 13. v. 9.

Apoc. 3. 20.

Gloſ. interl.

Prov. 1. 20. 21.

Pſ. 22. v. 4.

Pſ. 93. v. 17.

S. Bern. ſer. 2 de ſept. miſ.

Pſ. 72. 24.

Pſ. 17. 48.

5. S. Antonio quondam, ut in ejus vita ſcribitur aër laqueis plenus oſtenſus fuit, quos inimici noſtri quaquaverſim extenderant, utpote qui in noſtram pernitiem indefeſsè vigilant, nec umquam dormiunt, qui proinde vocantur *ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*; & quis alius inde nos ſalvat & eripit, niſi amantiſſimus Salvator noſter, qui in ſalutem noſtram continuo invigilat. Unde ſanctus Auguſtinus Soliloquiorum cap. 18. ita ait: *Præcidens ante me laqueos peccatorum, tollens occaſiones & cauſas, quia niſi tu hoc mihi feciſſes, omnia peccata mundi feciſſem.* Et alibi idem ſanctus Doctor pariter ita ſcribit: *Adulter non fuiſti in vita tua præterita plena ignorantijs hoc tibi dicit Deus tuus: regebam te mihi, ſervabam te mihi, ut adulterium non committeres; ſuaſor defuit? & ut hæc deeſſent, ego feci; locus & tempus defuit? & ut hæc deeſſent ego feci; Affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non conſentires, ego te tenui*; Imo & ipſe Seneca ſolo licet naturali lumine præditus ait: *Retinuiſſe ne in ſcelus rueres, inter maxima beneficia recenſendum eſt.*

S. Auguſt. l. 50. hom. 23

Sen. de ben. l. 3. c. 8.

6. Idem quoque S. Auguſtinus in Confeſſionibus ſuis, alium quemdam amantis Dei conatum nobis manifeſtat, quem dum mundi torrentem etiamnum ſequebatur, in ſemetipſo ſæpius expertus fuit: *Tu ſemper aderas*, inquit, *miſericorditer ſæviens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem ſine offenſione jucundari*; Idemque Deus, ni fallor, dicere voluit, quando per Oſeam ita ait: *Sepiam viam tuam ſpinis & ſepiam eam maceriâ, & ſemitas ſuas non inveniet.* Quot ſunt qui utique in hoc vel illo præcipitij genere collum ſibi ſæpius rumperent, ſi ad deſideratas voluptates pertingere potuiſſent? at verò Deus ijs viam maturè obſtruit, ne progredi ullatenus queant; Unde Propheta paulo ante de viro quodam diſſoluto dixerat: *Vadam poſt amatores meos*; Et poſtea ſubinfert Deum, dicentem: *ſepiam vias tuas ſpinis, &c.*

S. Auguſt. l. 2. conf. c. 2.

Oſe. 2. v. 6.

7. Seneca ultimum tangit beneficentiæ benefactoris alicujus gradum; nimirum quod *etiamſi judicet ingratos futuros, beneficia tamen tribuat.* Enimverò Deus coram ſe ab æterno manifeſtè poſita habet cuncta ſcelera noſtra, ac proinde ingratitudinem noſtram futuram perſpicuè novit: ſcit quod majori ſimus amore proſecuturi Canem aliquem vel Equum, quam ipſum; quod adverſus ipſum evomituri ſimus maledictiones; quod beneficentiam ſuam qua nos ab hoc vel illo præcipitio liberavit, à talis vindictæ executione impedivit; quod voluptatis carnalis occaſionem diu quæſitam è medio totaliter ſuſtulit, per blaſphemias horrendas in ipſum temere effutiendas recompenſaturi ſimus; hæc inquam omnia manifeſte novit, & tamen propter hoc nobis benefacere non deſinit, quia verus amor ille eſt, quo eum, qui nos odit, impenſe diligimus. Quoties obſecro peccator, ex eo quod tot modis divinam offenderit juſtitiam, cauſam dedit, ut Deus eum in manus Dæmonis traderet, & tamen non obſtante, quod vel maximè adverſus Deum contumax & rebellis exiſtat, Deus ad ipſius emendationem & reſipiſcentiam in eum animadvertere differt. Unde S. Auguſtinus ait: *Quoties ego peccavi & ille ſtabat paratus, ut me raperet ſed tu Domine prohibebas, & ego miſer eram cæcus, & non cognoſcebam, donec illuminaſti me.* Et paulo poſt ſubjungit: *Sciebas tu, quia ſi tunc mors me occupaſſet, infernus animam meam ſuſcepiſſet, & perpetuo damnatus fuiſſem; ſed tua miſericordia prævenit me, eripiens de morte corporis, & de morte animæ; ego te offendebam & tu me defendebas; ego te non timebam, & tu me cuſtodiebas.*

Sen. de ben. l. 1. c. 10.

S. Aug. Sol. c. 18.

8. S. Bernardus de Deo liberaliſſimo & amantiſſimo benefactore noſtro dicit: *Quanta largitas eſt*

S. Bern. in Pſ. qui habitat. ſer. 14.



*ad*

*ad ſuſtentationem ? quanta ad eruditionem ?* Quod quidem corporis ſuſtentationem attinet, quis non admiretur continuum illud beneficium, quo cuncta hæc creata ſuſtentationi noſtræ inſervientia in ſuo ſemper vigore conſervat : Oſe. 11. v. 3. *Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & neſcierunt quod curarem eos.* Pauci admodum ſunt qui ad indefeſſam cœleſtis illius & numquam errantis Providentiæ continuationem ſeſe reflectunt, qua naturam ſuſtinere & conſervare ſemper ſatagit : Multis matribus ſe filios in lucem edidiſſe ſufficit, atque ideo pro eorumdem educatione alias iiſdem nutrices quærunt; non eſt autem hic Dei noſtri genius, qui poſt datum nobis eſſe noſtrum, illud quoque ſuſtentare nititur, *quaſi nutritius* : vere enim veluti nutrix quædam nos nutrit, veſtit, ſuſtinet, cuſtodit, & per ſomnum nos reſtaurat, eumdemque effectum operatur in nobis, quem radix arbori præſtat, vigorem nimirum in trunco, ramis, folijs & fructibus conſervando. S. Bern. lo. cit. Unde S. Bernardus ait : *Qui dedit ut eſſes, qui ante non fueras, adjecit etiam unde ſubſiſteres, qui jam eras, nec minus liberaliter hoc, quam illud mirabiliter eſt operatus.* Richardus de S. Victore exiſtimat, quod dum oculus humanus, iſque animæ potius, quam corporis, res haſce viſibiles attente circumſpicit, omittere nequeat, quin ſanctum quoddam verſus Creatorem ſuum incendium in corde ſuo concipiat : Rich. de S. Vict. p. 1. tr. de gr. char. c. 3. *In eo quod cernit, Dei amatoris ſibi reſultat memoria; aſpicit cuncta quæ condidit Deus, & quo condidit fine, & in his non tam admirabilis, quam amabilis eſſe videtur;* Neque enim ſolum *vidit cuncta quæ fecerat*, verum etiam *erant valde bona*. Conſervat inſuper bonum eſſe ipſorum, adeo ut Sol poſt ſexies millenos & amplius annos, ne vel minimum lucis ſuæ gradum amiſerit, neque quotidie circumgyrantes orbes cœleſtes vel quidquam defatigati aut detriti fuerint, terra quoque poſt impoſitum ei ſemel præceptum : *Germinet terra herbam virentem* : eamdem fœcunditatem, qua ab initio mundi pollebat, in hanc uſque horam perenniter conſervarit. Et ſic de alijs diſcurrendo.

9. *Quanta largitas eſt ad eruditionem ?* quod eſt alterum S. Bernardi motivum. Etenim quis umquam crediturus eſſet, quod theſaurorum ſapientiæ & ſcientiæ Dei clavis, amor potius ſit, quam ſtudium ? Eruditiſſimus Idiota, qui ex profundiſſima humilitate hoc ſibi nomen adoptans, ardentiſſimus fuit Dei amator, prouti ex libro, quem de Amore Divino compoſuit, abunde videre licet, hic inquam Deum hiſce verbis alloquitur : Id. c. 18. *Infundis ſapientiam tuam diligenti Deum, ſicut ſcriptum eſt; unus eſt altiſſimus, & ſapientiam ſuam præbet diligentibus ſe.* Videantur ſuper hoc puncto quartus, quintus, ſextus, & ſeptimus diſcurſus Dominicæ ſanctiſſimæ Trinitatis in Tomo 2. Promptuarij ſacri ubi idipſum fuſius probatur.

10. Porro modum quo tanto amori grata mente correſpondere debemus, S. Thomas nos edocet ex quadam S. Bernardi adducta authoritate, dum ita ſcribit : S. Tho. op. 61. c. 24. *Diſce Chriſtiane à Chriſto quomodo diligas Chriſtum; diſce amare dulciter, prudenter & fortiter; Dulciter, ne illectus; Prudenter, ne deceptus; Fortiter, ne oppreſſus ab amore Chriſti avertaris.* Sanctus Thomas nos monere volens, ut pro Dei amore nobis exhibito, maximo nos debito obſtrictos eſſe agnoſcamus, hac utitur ſimilitudine, dum ait : S. Thom. Vill. conc. de S. M. Magd. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus edere, & qui plantavit arborem aut vineam, jure fructu ejus potitur. Fecit te Deus capacem ſui intellectu & voluntate, ut intelligendo amares, & amando fruereris; juſte igitur fructum tui intellectus & voluntatis ſibi debitum à te exigit, qui talem ac tantam tibi dedit facultatem, & tales plantavit in te potentias, per quas poſſes & ipſum capere, & captum diligere; Illi ergo debes amoris tributum, qui tibi contulit amandi facultatem.* S. Bonaventura in ſtimulo Divini amoris ita ſcribit : S. Bon. in Stim. *Nonne debeo totum, & plusquam totum illi, à quo habeo totum quod ſum, & quod poſſideo.* At verò advertendum eſt, quòd David eodem tempore, quo dixit : Pſ. 115. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*, mox ſubjungat : Ibid. 13. *Calicem ſalutaris accipiam;* Deliberat igitur primo quidem, quâ ratione ſe pro receptis beneficijs gratum exhibere poſſit, & mox ſe nova alia beneficia recepturum eſſe ſubdit, dicens : *Calicem ſalutaris accipiam;* Ubi Chryſoſtomus ait : Chryſ. ho. 8. ad Coloſſ. *Exigit à nobis Deus gratitudinem, non quod noſtra celebratione opus habeat, ſed quod, quid eſt lucri, iterum ad nos redeat.* Idem quoque nos de amore dicere poſſumus; Deus enim hunc ab homine exigit, non quod illo opus habeat, cum ab ardentiſſimis in Empyreo Seraphinis diligatur, ſed ut lucrum totum ſit noſtrum, quod amando comparatur.

11. Didacus Stella nobilem quamdam conſiderationem in medium adducit, conſiderat enim quod amor nobis ſuperabundanter à Deo recompenſetur aut remuneretur, cum tamen nulla ſui retributione indigeat : Dicit igitur : *Nulla ratio eſt, ut amor mercede & retributione ſit dignus.* D. Stell. in c. 10. Luc. Verum eſt quod operarius qui mane ſummo diluculo ſurgit, & ad veſperam uſque laborat, ſuum mereatur ſtipendium; at verò *Qui amat, quid eſt quod præmium accipiat ? Eſtne aliquid jucundius, dulcius, aut ſuavius, quam ſemper diligere ? amor certe ſui ipſius eſt merces, nobis verò ratione amoris & dilectionis gloriam retribuere, nihil aliud eſt, quam mercedem mercedi addere, & præmium præmio & beneficium beneficio.* Pro cujus meliori intelligentia evidentiſſimam quamdam adducit ſimilitudinem alicujus ſitibundi hominis, qui ardentiſſimam patitur ſitim, miraque cum aviditate aquam bibendam tradi ſibi poſtulat; quod ſi enim tali homini non ſolum petita ſubminiſtraretur aqua, verum etiam eidem pro aqua poſtulata & exhibita pecunia daretur, ad hoc ut eamdem biberet, numquid largitas & munificentia iſta inaudita res eſſet ? Unde mox ita exclamat : *O divina charitas quibus te laudibus commendabo ? nam cum anima hæc noſtra (qua nihil à Deo accepimus pretioſius) ſine amore non poſſit vere, nec ſtabilis permanere, præcipit, ut amemus, & pro amoris mercede gloriam retribuit.*

## DISCURSUS XIII.

### ARGUMENTUM.

Quia Deus, ut à nobis ametur, cor noſtrum primo loco expoſcit, varij explicantur modi, Deum ex toto corde, animo, & mente amandi.

### THEMA.

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Luc. 10. ℣. 27.

1. DOctor Angelicus cauſam nobis declarat, cur Deus noſter dilectionis ſuæ præceptum nobis imponens, ad præcepti illius impletionem, cor à nobis exigat : *Ex corde tuo.* Dicit igitur : *Homo eſt ſubſtantia compoſita eſſentialiter ex duobus; Corpore, inter cujus membra cor principale eſt; & Spiritu;* S. Th. op. 61. de dil. c. 18. *tota ſubſtantia hominis quodammodo obligatur, cum præcipitur; Diliges Dominum, &c.* Matth. 22. 3. Etenim quando aliquis tenerè & viſceroſiſſimo ex corde alium diligit, de eo dicere ſolemus, quod ex corde amat. Sanctus Petrus Damianus ait : *Hic diligitur Deus ex toto corde, cum in corde hominis affectus & dulcedo inhabitet, ſolumque cor hominis amoris dulcedinem perſeveranti ſtabilitate cuſtodiat; Unde & vulgaris uſus obtinuit, ut cum aliquem ab aliquo vehementer amari conſpicimus, dicamus, ex corde diligit eum.* S. P. Dam. ſerm. 27. S. Gregorius Nyſſenus in ſacra Cantica ſcribens, hanc ad propoſitum noſtrum reflexionem facit : *Cor dicunt eſſe quemdam fontem nobis innati caloris, à quo per arterias in univerſum corpus calor diſtribuitur;* S. Greg. Nyſſ. ho. 3. in cant. redditque rationem cur Deus noſter dilectione mediante primo loco in corde recipi ſe præcipiat & deſideret : *In corde ergo anima ſuſcipit Chriſtum, ut omnia ſigillatim vitæ ſtudia tamquam alicujus corporis membra ferveant ſpiritu, qui ex corde permeat, nullo membro corporis refrigerante dilectionem in Deo.* Idem verò ſupra memoratus Angelicus Doctor in Cap. ſequentia ſcribit : *Natura humani cordis cognata eſt actioni dilectionis; eſt enim cor in complexione calidum & ſiccum, hæc eſt ignea natura, ſicut naturale* S. Tho. ibid. c. 19. *igni calere eſt, ideo naturale eſt cordi amando ardere;* adducitque ſequentem Hugonis à S. Victore authoritatem, ita ſcribentis : *Vita cordis amor eſt, & ideo impoſſibile eſt, ut ſine amore ſit cor, quod vivere quærit;* Pſalm. 38. [*Concaluit cor meum intra me;*] *calidum conſequitur leve, & ſurſum mobile; ſed heu* [*filij hominum, uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem ?*] Pſ. 38. v. 4. Pſ. 4. v. 3. graves, quia frigidi. Proſequitur deinde cauſas ſtructuræ & architecturæ cordis humani, & primo quidem



dem loco cordis ſubſtantiam ex materia ſolida conſtare conſiderat, hujusque myſticam quamdam & ſpiritualem reddit rationem dicens : *Eſt cor in ſubſtantia ſolidum, ne facile à voluptate diſſolvatur; eſt inferius acutum, ſuperius latum; inferius acutum, ut ad temporalia, & hæc inferiora modice attingat; ſuperius latum, ut ad cœleſtia dilatet affectum. Item eſt interius concavum, in ſignum, quod per creaturas ſufficienter impleri non valet;* citatque ſequens S. Bernardi teſtimonium, dicentis : *Capacem quippe Dei rationalem animam, quidquid Deo minus eſt, non implebit.* Ariſtotelis quoque adducit authoritatem, ita de corde ſcribentis : *Eſt primum organum ſentiendi; Et ideo*, inquit S. Thomas, *congrue primi mandati actio ab ipſo & per ipſum debet ſenſibilis fieri.*

2. Sponſus cœleſtis animæ amanti præcipit, Cant. 8. 6. dicens : *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Etenim quando in litera aliqua ſigillum aut figura Principis alicujus conſpicitur, magnus illi honor & reſpectus ab omnibus illam videntibus defertur, nec quiſquam eſt, qui illam contemnere aut aperire audet; atqui Deus noſter, utpote valde zelotypus & amoris animæ noſtræ cupidiſſimus illius Sponſus, per hanc ſimilitudinem eamdem monere voluit, futurum eſſe, ut ſi ipſum, velut ſigillum quoddam cordi ſuo imprimeret, nullus alius affectus, vel amor ad illam aliquem ſit aditum obtenturus; ex quo enim creatorem illud occupaſſe conſpiciunt, nulli eo ſubingredi licebit creaturæ. Unde S. Amb. med. c. 33. S. Ambroſius ita meditatur : *Dulciſſime & amantiſſime Jeſu, infunde obſecro multitudinem charitatis tuæ pectori meo, ut te ſolum in corde habeam, ſcribe digito tuo in pectore meo, dulcem tui memoriam, nullâ unquam oblivione delendam.*

3. Idiota præceptum iſtud, quo Deo totum cor noſtrum dare jubemur, nequaquam irrationabile aut injuſtum eſſe dicit, ejusdemque dicti ſui hanc reddit rationem dicens : Id. c. 10. *Urget ratio & juſtitia naturalis, totum me per amorem tradam tibi; à quo me totum habeo; & ſi totum me debeo tibi, quia me feciſti; ad magis amandum ſum tibi obligatus, quia me refeciſti, nec tam facile me refeciſti, quam feciſti; nam ſemel dicendo, me feciſti, ſed reficiendo & dixiſti multa, & geſſiſti mira, & pertuliſti dura, nec tantum dura, ſed & indigna; in primo opere me mihi, in ſecundo verò teipſum mihi dediſti, & tunc te mihi dando me mihi reddidiſti.*

4. Verum enimvero prima facie hujus Divini præcepti adimpletio, humanæ fragilitati & debilitati videri merito poteſt admodum difficilis, ſiquidem Chriſto non ſufficiebat dicere : Luc. 10, 27. *Diliges ex toto corde tuo*, ſed protinus ſubjunxit, *ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua;* atque ideo S. Auguſtinus in libro de diligendo Deo, ſæpius à nobis citato, Ibid. cap. 2. cap. 2. qua ratione præceptum iſtud à nobis adimpleri poſſit, hiſce verbis pulcherrime explicat : *Ex toto corde, id eſt, ex toto intellectu; Ex tota anima, id eſt, ex tota voluntate tua; Ex tota mente, id eſt, ex omni memoria, ut omnes cogitationes tuas, omnemque vitam tuam, & omnem intellectum tuum in illum conferves.* Idiota pariformiter verba hæc, licet pauculis quibusdam additis exponit; dum ad cœleſtem amatorem converſus ita ait : Id. cap. 14. *Amor, benigniſſime Domine, ex mente procedens, eſt triplex funiculus, qui difficile rumpitur; quia te diligere debemus ex toto corde, id eſt, intellectu, ſine errore; ex tota anima, id eſt, voluntate, ſine contradictione; & tota mente & virtute, id eſt, memoria ſine oblivione;* Et quidem juſtum omnino eſt, ut cum Deus tres illas nobis nobiliſſimas potentias donaverit, omnes quoque intentæ ſint ad illum amandum, qui liberaliſſimum donum iſtud in nos tranſtulit.

5. Verumtamen ne homo fortaſſis ab hujus præcepti obſervantia deterreatur, operæ pretium erit ut prævio magis claſſicorum Interpretum ducatu & magiſterio, videamus qua ratione ipſa intelligenda ſint & practicanda, maximè, *cum per charitatem*, ut S. Th. 2. 2. q. 44. a. 1. S. Thomas inquit, *dirigatur homo in ultimum finem, ac ad ea diſponatur, quibus ipſum aſſequitur.* Veriſſimum igitur in primis eſt, quod quando amor præfervidus eſt, tunc totum cor objecto amato donetur; Id. c. 1. Unde Idiota ait : *Amor cæteros affectus in ſe ducit & captivat.* S. Bern. ſerm. 20. in Cant. S. Bernardus ait : *Deum toto corde diligimus, ſi, quod blanditur de ſenſibus, ob amorem Chriſti, rejiciamus*, quod idem eſt ac ſi diceret, quod quanto magis in nobis deficit amor proprius, tanto magis augendus ſit amor Divinus, quantoque amplius voluntati & ſenſualitati noſtræ reluctamur & reſiſtimus, tanto quoque vehementior in nobis futurus ardor amoris cœleſtis.

6. S. Thomas hujus præcepti mentionem faciens, ſubjungit : *Ad quod pertinet, ut omnia referantur ad Deum;* S. Tho. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. ſicut enim omnes lineæ ad centrum tendunt & in eo terminantur, ita quoque cuncta noſtra deſideria, affectus, & operationes ad Deum dirigi debent, tamquam ad ultimum finem; quod ubi perfecte adimpleverimus, convincemur utique quod illum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus noſtris diligamus.

7. S. Ambroſius ſuper illa verba : *Tuus ſum ego, ſalvum me fac, quoniam juſtificationes tuas exquiſivi*, ita ait : S. Ambr. in Pſ. 118. ſer. 12. *Tuus ſum ego, facilis vox, & communis videtur, ſed paucorum eſt; Satis enim rarus, qui poſſit dicere Deo, Tuus ſum ego; Ille enim dicit, qui adhæret Deo totis ſenſibus, qui aliud cogitare non novit, ille hac voce utitur, qui poteſt dicere Domino : Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis.* Quisquis cuncta opera ſua ad Deum ordinat, nec quidquam deſiderat aut procurat, niſi hoc dumtaxat expreſſo fine, ut Deo placeat, & ob ejus ſolius amorem, de hoc vere dici poteſt, quod Deum ex toto ſpiritu ſuo diligat; Unde ſanctus Doctor mox ſubjungit : *Numquid hac voce utitur avidus pecuniæ, honoris, poteſtatis ? qua ratione dixit : Tuus ſum, addidit, juſtificationes tuas exquiſivi; hoc eſt, nihil aliorum quæſivi, ſed id ſolum, quod tuum eſt, deſideravi.*

8. At vero dicat fortaſſe nonnemo, qua ratione quis totum affectum, totum cor & applicationem noſtram Deo quis dare poterit, quando ob naturam noſtram corruptam, quamdiu carne hac mortali & fragili amicti ſumus, nobis quoque neceſſum eſt, ut ad bona temporalia, divitias, ſanitatem, filios, amicos &c, mentem noſtram intentam & applicatam habeamus &c. Porro ſuperius quidem illa Canticorum verba : *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*, Cant. 8. v. 6. nonnihil expoſuimus; Eſt tamen è ſacris Interpretibus nonnemo, qui per aliam quamdam à priori valde differentem expoſitionem, dubium iſtud pulchrè exponit. Etenim Author ille ſpecialiter ſuper verba illa : *ſuper cor*, ſeſe reflectit, quaſi dicere vellet ſponſus, Amor Dei præcedere, ſeu ſuperior eſſe debet cunctis alijs affectibus terrenis; Neque enim Deus nobis creaturas amare vetat, ſed hoc tantum nobis prohibet, ne amor ille major aut ſuperior ſit amore primo loco creatori noſtro debito. Unde Balduinus apud Titelmannum ait : *Pone me ſuper cor tuum,* Bald. ap. Tit. in c. 8. Cant. *ſuper omne quod cogitas, quod amas, quod tibi cordi eſt, ut omne quod charum eſt, poſtponas, ut me ſuperponas, ut me ſemper plus diligas, non ſolum quam quod extra te eſt, ſed plus quàm quidquid intra te eſt;* Non ita protoparens noſter fecit, de quo S. Thomas ſcribit, quod is Evæ benevolentiam amori Dei præpoſuerit; ac proinde ſanctus ille Doctor nos monet : *Deum diliges, ut pro nullius amicitia generali vel* S. Tho. op. 61. c. 24. *ſpeciali acquirenda ipſum offendas, non ſic fortiter dilexit Adam, qui offendit Deum propter Evam;* citatque S. Auguſtinum idem hiſce verbis ſcribentem : *Amicabili quadam benevolentia ita fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus.*

9. Author Operis imperfecti expoſitionem quamdam adfert à priori parum differentem dum ait : *Diligere Deum ex toto corde, eſt, ut cor tuum non ſit incli-* Auth. Imp. hom. 42. *natum ad alicujus rei dilectionem magis quàm Dei;* qua authoritate Idiota quoque uſus eſt, dum in Tractatu de Amore Divino cap. 12. eamdem interpretationem his ferè verbis habet : *Diligere ex toto corde, eſt, ut* Id. c. 12. *ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur, quam ad te; nec delectetur in ulla re magis, quam in te, minus enim te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te.*

10. Omni advertentia digna eſt illa conſideratio, quam S. Bernardinus Senenſis circa Etymologiam verbi illius *Diligere* inſtituit : Dicit enim : *Diligere eſt quaſi de omnibus eligere*, adducensque Caſſiodorum, ſubjungit : S. Bern. Sen. t. 1. ſer. 62. a. 3. *Ille ergo Deum diligit, qui ſemper eum omnibus anteponit.*

11. Sanctus Thomas alibi, id eſt, extra ſæpe citatum opuſculum diffuſe de charitate Dei tractans, nobis declarat, quonam in caſu dignoſcere poſſimus quod perfecte diligamus Deum : *Ex parte diligentis tunc eſt charitas perfecta, quando diligit tantum,* S. Tho. 2. 2. q. 24. a. 8. *quantum poteſt, quod quidem contingit tripliciter; Uno modo ſic, quod totum cor hominis actualiter ſemper feratur in Deum, & hæc eſt perfectio charitatis patriæ,*

*patriæ, quæ non eſt poſſibilis in hac vita, in qua impoſſibile eſt per humanæ vitæ infirmitatem, ſemper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione ad ipſum; alio modo, ut homo ſtudium ſuum deputet ad vacandum Deo & rebus Divinis, prætermiſſis alijs, niſi quantum neceſſitas vitæ præſentis requirit, & iſta eſt perfectio charitatis quæ eſt poſſibilis, in via, non tamen eſt communis omnibus habentibus charitatem.* Tertius verò modus, quem aſſignat, cuilibet ſtatui, ſexui, ætati, conditioni, & perſonarum profeſſioni adaptari poteſt, eſtque facilis, atque ab unoquoque practicabilis: *Tertio modo ita quod habitualiter aliquis totum cor ſuum ponat in Deo, ita ſcilicet quod nihil cogitet vel velit, quod divinæ dilectioni ſit contrarium, & hæc perfectio eſt communis omnibus charitatem habentibus.*

12. Idiota verba illa adducit, quæ in varijs Scripturæ locis leguntur: [*Id. c. 21.*] *Audi Iſraël, quid nunc requirit Dominus & petit à te, ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs ejus, & diligas eum, & ſervias ei in toto corde tuo, cuſtodiaſque mandata.* Ubi nota quod timorem Dei primo loco recenſeat, quia amor huic baſi præcipuè innititur: *In timore tui originem habet dilectio; quia ſcriptum eſt: Timor Domini initium dilectionis; Ut ambules in vijs ejus, id eſt, in bonis operibus; ex his enim vegetior redditur dilectio, ſicut ignis lignorum appoſitione.*

13. S. Thomas præter ſupradictos explicandi modos, alium quemdam adducit, qui ad hujus præcepti adimpletionem omnium facillimus eſt; Dicit enim: [*S. Tho. 2. 2. q. 44. a. 5.*] *Deum toto corde amamus, ſi nihil contra Dei præcepta diligamus.* In S. Joanne Apoſtolo Deus noſter, quem merum ignem eſſe conſtat; idem quoque ſignum amoris in Deum ſtatuit, dum ait: [*Jo. 13. v. 15.*] *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Similiter B. Laurentius Juſtinianus [*B. L. Juſt. in faſc. am. c. 13*] ad propoſitum noſtrum aptius loqui non poterat, quam dum in faſciculo divini amoris, dicit, quod trutina & ſtatera, quâ noſter erga Deum amor ponderatur, ſit mandatorum ſuorum adimpletio: *Æquiſſima amoris ſtatera præceptorum impletio eſt.* S. Joannes in prima Epiſtola ſua ait: [*1. Joa. 5. v. 3*] *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus*, quanto enim diligentiores & exactiores in Divinæ legis ſuæ completione fuerimus, tanto magis ipſum ex toto corde noſtro amare convincemur. [*Jo. 14. v. 21.*] *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.*

14. Albertus Magnus in quodam ſermone ſuper Evangelium currens pro Dominica 17. poſt Pentecoſten, optimè nos docet quomodo Deum amare debeamus. Dicit enim: [*Alb. Magn. ſerm. 72.*] *Ex toto corde eſt diligendus, id eſt, ex omni motu & ſenſu noſtro, ſcilicet ex omnibus verbis & operibus noſtris, ex omni viſu, auditu, guſtu, odoratu & tactu:* at vero qua ratione ſenſus noſtros applicare debeamus, ad eliciendum per illos actus charitatis & amoris erga Deum talem, qui *ſcrutatur renes & corda*, [*Id. c. 21.*] id ipſum paulo poſt pulchre declarat, dum ait: *Ut videlicet verba linguæ noſtræ, & opera manuum noſtrarum, & omnes ſenſus noſtros exteriores ad dilectionem Domini convertamus.* S. Auguſtinus ait: [*S. Aug. in Man. c. 20.*] *Anima quæ Deum amat, nihil aliud poteſt cogitare, nihil aliud velle, nihil aliud loqui, niſi ſolum Deum.*

15. Cajetanus verba illa: [*Cajet. in Luc. 22.*] *Diliges in tota anima tua*, explicat de vita noſtra ſenſitiva, *hoc eſt de vita animali*, modumque nobis tradit, quo etiam hanc ad dilectionem Dei ordinare poſſimus: *Diligere autem in anima, hoc eſt, in animali vita, eſt opera omnia ad animalem vitam ſpectantia dilectioni Dei ſubjicere, ad dilectionem Dei ordinare, in omnibus hujuſmodi operibus, dilectioni Dei obſequi.* Bloſius de B. Gertrude refert, [*Bloſ. c. 9. inſt. ſpi.*] eidem à cœleſti ſponſo ſuo mandatum fuiſſe, ut omnia verba, greſſus, omnes quos ore deglutiebat bolos, omnia quæ edebat ex corde ſuſpiria, eidem offerret; quæ eadem etiam ipſiuſmet Pauli doctrina fuit, dicentis: [*1. Cor. 10. v. 31.*] *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, etenim quidquid valoris aut ponderis operibus noſtris cæteroquin indifferentibus communicatur, ab unico Dei amore derivare noſcitur.

16. S. Auguſtinus nos quoque finaliter optimè monet, ut ex ipſis quoque bonis, quibus ad creaturas amandum excitamur, motivum quoque concipiamus ferventius amandi ipſum Creatorem: [*S. Aug. l. 4. conf. c. 11.*] *Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his, quæ illi placent, tu illi diſpliceas.*

## DISCURSUS XIV.
## ARGUMENTUM.

Amor quo erga terrena bona ferimur, condemnatur, quando is amori Dei anteponitur; ſimulque amorem Dei & amorem mundi ſe mutuo compati non poſſe oſtenditur eo quod inter ſe prorſus ſint contrarij.

## THEMA.

*Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; ſi quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* 1. Joan. 2. ℣. 15.

1. S. Auguſtinus hoc S. Joannis, Divino amore præ cunctis alijs ferventiſſimè ardentis, monitum ponderans, cavendum eſſe dicit: [*S. Aug. t. 9.*] *Ne quis dicat in corde ſuo; Falſum eſt hoc, quaſi dicat*, Nemo ſe doctrinæ dilecti hujus diſcipuli opponat, nam *Deus dicit, per Apoſtolum Spiritus Sanctus locutus eſt*, id eſt: Deus eſt qui in verbis illis loquitur, Spiritus Sanctus per os & calamum Joannis nos erudit, ac proinde S. Doctor concludit: *Nihil verius.* At vero dices fortaſſe, quonam modo Apoſtolus à nobis averſionem à mundo exigit, cum tamen mundus à Deo creatus fuerit? [*Joa. 1. v. 10.*] *Mundus per ipſum factus eſt*, inquit in Evangelij ſui exordio idem Apoſtolus S. Paulus quoque ad Timotheum ait: [*1. Tim. 4. v. 4*] *Omnis Creatura Dei bona eſt*; Et ad Romanos ſcribit, quod bona hæc terrena nobis velut ſcala quædam ad inviſibilia agnoſcenda & amore proſequenda deſerviant: [*Rom. 1. v. 20*] *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Præterea in principio Geneſeos legimus; [*Gen. 1. 31.*] *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* De eodem Deo in Sapientia ſcribitur: [*Sap. 11. v. 25.*] *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Hugo Cardinalis ſuper aſſumpti Thematis ex Epiſtola S. Joannis decerpta verba ſcribens, dubium hoc quoque movet, & ſolvit, dum in primis ait: *Quid eſt hoc? nonne mundus poteſt diligi?* adducitque pro reſponſione diſtinctionem quamdam bene advertendam: [*Hug. Card. in 1. Joan. 2.*] *Diligere, inquit, eſt ex diverſis eligere; Unde ibi prohibetur amor rerum creatarum ſuper Deum, & non ſub Deo.* S. Auguſtinus S. Joannem dicere velle exiſtimat, quod illi qui per affectum ſuum in bonis terrenis ſe immerguntur, [*S. Aug. ibid.*] *Inebriantur & pereunt, & obliviſcuntur Creatorem ſuum, dum non temperanter, ſed cupide utuntur creatis, Creator contemnitur:* Adducitque idem S. Doctor rationem quamdam, quæ eſt efficaciſſima, dum ait: *Quando dicitur, nolite iſta diligere, hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? non hoc dicitur, ſed ſit modus propter Creatorem, ut non vos illigent iſta dilectione, ne ad fruendum hoc ametis quod ad utendum habere debetis;* Deus noſter bona iſta creavit, nobiſque communicavit, ut ad ipſum tamquam Benefactorem noſtrum ardentius amandum efficax quidam ſtimulus exiſtant; Unde & Poëta quidam ita cecinit: *Che ſon eſcala al fattor, chi ben li ſtima*, id eſt, bona hæc bene conſiderans, illa quamdam ad factorem illarum aſſequendum ſcalam eſſe deprehendet. Qui iter quoddam prolixius faciens, varias regiones perambulat, cor ejus ad occurrentes ſibi voluptates atque delitias adhæreſcere non debet, ſed obiter tantum, & tranſeunter illis perfrui. Unde S. Leo ait: [*S. Leo ſer. 5. de jejun. 7. menſis.*] *Æternis bonis inſeparabiliter inhærendum, temporalibus vero tranſeunter utendum eſt, & peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de proſperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum ſit itineris, non illecebræ manſionis.*

2. Columbæ proprium eſt, quod mox ut bibit, caput ſuum cœlum verſus erigat: Per aquas ſcaturientes bona hæc tranſitoria denotantur, ideoque dum anima quædam Deum ardenter amans rebus hiſce creatis utitur affectum & amorem ſuum, velut columba oculos ſuos, ad Creatorem ſuum erigere debet: [*Cant. 6. v. 8.*] *Una eſt columba mea*; Et hoc forte eſt, quod Richardus à S. Victore dicere voluit, dum ita ſcribit: [*Rich. de S. V. p. 1. de gr. ch. c. 3.*] *Caſtus profecto columbinuſque oculus amor eſt, qui in rebus humano uſui conceſſis nulla libidine figitur, ſed in tranſitorijs contemplatur æternum.*

3. *Ordinavit in me charitatem* [*Cant. 2. v. 4.*] inquit anima illa ſponſum ſuum ardenter amans; Ubi notandum eſt verbum *Ordinavit*; Etenim Deus nobis non ſolum amorem erga proximos non vetat, ſed & præcipit eumdem,



eumdem, & maximè erga parentes qui nos genuerunt; Mandat igitur virtutem & dilectionem amicitiæ, ſed eo modo quo S. Auguſtinus in ſermone quodam, cujus titulus eſt; De amore Dei & amore ſæculi, diſtinguit; Gloſſando enim verba illa: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus*; [*Matth. 10. v. 37.*] ita ait: *Amorem parentum, uxoris, filiorum non abſtulit, ſed ordinavit; Non dixit: Qui amat, ſed qui amat ſuper me; Hoc eſt quod Eccleſia loquitur in Canticis Canticorum: Ordinavit in me charitatem;* [*S. Aug. ſer. no. n. 40.*] *Ama patrem, ſed noli ſupra Dominum: ama genitorem, ſed noli ſupra Creatorem.*

4. Sanctus verò Cyprianus dicit, quod cum mundus irreconſiliabilis ſit Chriſtiani hominis inimicus, nulla adinvenire ratio poſſit; ob quam mundus ab homine diligatur: [*S. Cypr. de mort.*] *Porro cum mundus oderit Chriſtianum, quid amas eum, qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum, qui te & redemit, & diligit?* adducitque textum quemdam S. Joannis dicens: S. Joannes in Epiſtola ſua clamat, & loquitur: [*1. Joan. 2. v. 15.*] *Nolite diligere mundum*; Imo vero ſi veritatem hanc manibus quaſi palpare velimus, audiamus, quidnam idem Joannes ejuſdem Epiſtolæ cap. 5. dicat: [*Ib. c. 5. v. 19.*] *Mundus*, ait, *totus in maligno poſitus eſt.* Sunt nonnulli, qui dictionem illam *Maligno*, ingenioſè interpretantur, ut ſit idem, quod *in malo igne*; nam prouti loco citato à principio dicere pergit: [*1. Joan. c. 2. v. 16.*] *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Audite obſecro, qualem Iſaias Abbas elogiorum mundi hujus contexat Catalogum, ac tum demum per rectam conſequentiam judicate, an ab homine Chriſtiano, id eſt, ab eo, qui profitetur Evangelium, diligi mereatur, an vero non: *Mundus* [*Iſa. Abb. or. 21. tit. 1 in Bibl. Patrū.*] inquit, *eſt animi ad peccata diſtractio; Mundus eſt, cum ea quæ naturæ contraria ſunt, ſequimur; mundus eſt, cum carnis voluptates implemus; mundus eſt, cum arbitramur diu nos in hoc ſæculo permanſuros; mundus eſt, cum majorem corporis quam animæ curam gerimus; mundus eſt, cum ijs quæ caduca ſunt, gloriamur; Non ex me ipſo iſta confingo; ſed Apoſtolus ita loquitur: Nolite diligere mundum.*

5. Porro S. Joannes optimam rationem reddit, cur amore noſtro mundo minime adhæreſcere debeamus, quia nimirum cum Dei amore hic eſt incompatibilis: *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo:* [*Hug. Car. ib.*] Ubi Hugo Cardinalis ait: *Quia ſimul ex equo non poteſt diligi Deus & mundus* S. Bernardus pariter ſcribit: [*S. Bern. ſer. 9 in cœna Dom.*] *ſibi adverſantur ad invicem amor mundi & amor Dei; ſi amor mundi in te habitat, non eſt, quo intret in te amor Dei.* Gloſſa dicit rationem eſſe, quia cor noſtrum incapax eſt duorum affectuum adeo inter ſeſe diſcordium; [*Gl. ibid. in 1. Joan. 2.*] *Unum cor duos ſibi adverſarios amores non capit. Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate*, [*2. Cor. 6. v. 14. 15.*] interrogat Apoſtolus? *aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial.*

6. S. Bernardus indiſſolubile quoddam ad id probandum adducit argumentum; Conſiderat enim in primis, quod cœleſtis Magiſter Chriſtus diſcipulis ſuis dixerit: [*Joa. 16. v. 7.*] *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*; Etenim illa nimis ſenſualis adhæſio, qua ſacratiſſimæ ejus humanitati addicti erant, impedimento illis erat, quo minus reciperent Spiritum Sanctum; Unde melliſtuus Doctor hanc deducit conſequentiam: [*S. Bern. ſer. 3. inf. oct. Aſc.*] *Si enim adhuc Apoſtoli carni Dominicæ inhærentes, quæ ſola ſancta, quia ſancta ſanctorum erat, Spiritu ſancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ ſordidiſſima eſt, & diverſarum ſpurcitiarum phantaſijs repleta, adſtrictus & conglutinatus, illum meraciſſimum ſpiritum te putas poſſe ſuſcipere, niſi carneis iſtis conſolationibus funditus renuntiare tentaveris?*

7. Valde conſiderabile eſt illud à S. Jacobo illis attributum epithetum, qui tametſi ſe fideles, id eſt, Chriſti ſequaces eſſe profiteantur, mundum tamen ſectari eique adhæreſcere non dubitant: [*Jac. 4. v. 4.*] *Adulteri*, inquit, *neſcitis, quia amicitia hujus mundi inimicitia eſt Dei? quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* Neque hic etiamnum ſiſtit, ſed huic alluſioni inſiſtens pergit ulterius dicere: [*Ibid. v. 5.*] *An putatis, quia inaniter Scriptura dicit: Ad invidiam concupiſcit, ſpiritus qui habitat in vobis.* Porro Deus noſter, prouti jam probavimus, eo præcipuè fine animam noſtram ad imaginem ſuam creavit, ut illum amet, huncque deſideratum amorem magno zelo expectans ferre nequaquam poteſt, ut affectum ſuum reponat in creaturas: Etenim is qui ait: [*Exod. 20. v. 5*] *Ego ſum Dominus Deus tuus ... zelotes*, animam ſub ſponſæ titulo honorat: [*Oſe. 2. v. 20.*] *ſponſabo te mihi.* Per os Iſaiæ Prophetæ nobis quoque inſinuat, anguſtum eſſe lectum ſeu thalamum, in quo cum anima dulciter quieſcit, ac proinde eumdem alterius incapacem eſſe: [*Iſ. 28. v. 20.*] *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non poteſt.* Porro quid per hunc lectum anguſtum intelligatur, Dionyſius Carthuſianus optimè declarat, dum ait: [*D. Carth. in 1. Joan. 2.*] *Hoc ſtratum eſt fundus cordis humani, in quo pariter quieſcere nequeunt amor mundi, & amor Dei, carnalis affectio, & ſpiritualis dilectio, ſed alter alterum pellit;* ac proinde cum cor noſtrum adeo ſit modicum & anguſtum, & conſequenter ad hoc ut Deo noſtro adeo nos ferventer & tenerè amanti, tantoque benefactori noſtro digne reſpondere poſſit, ignem & amorem ſufficientem nequaquam exhibere non poſſimus, minimè profecto convenit, ut modicum hunc amorem Dæmonio, mundo, ſenſui, ac inimicis noſtris pariter communicemus.

8. Lyranus ſuper illa Salvatoris noſtri verba: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet*, ita ſcribit: [*Lyran. in Matt. 6. v. 24.*] *Cor hominum non poteſt ſimul capere Deum & Diabolum, ſed ſuſcepto Diabolo per peccatum, exit Deus; ſuſcepto Deo per charitatem, exit Diabolus.*

9. Magnam obſervationem merentur illa ſacrorum Canticorum verba: [*Cant. 3. v. 1.*] *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea*; Ex ijs namque clarè conſpicitur, quod non ſolùm per Iſaiam dicatur: [*Iſ. 28. v. 20.*] *Coanguſtatum eſt ſtratum*, Verùm etiam hoc idem animæ ſtratum, lectulus, ſeu parvulus & modiciſſimus lectus nominetur, & tamen in eodem recumbere debet ille, cui etiam anguſtæ nimis ſunt ipſæmet immenſæ ſphæræ cœlorum: *Quem cœli capere non poſſunt*, quomodo igitur mundus & mundana in eo locum habebunt? Unde optimè Gillibertus Abbas ait: [*Gil. Abb. ſer. 2. in Cant.*] *Bonum eſt non dilatare, ſed magis contrahere ſtratum cogitationis, & cordis lectulum; Ideo ſponſa jure ſibi applaudit de lectulo; Coanguſtatum eſt* inquit Iſaias 28. *ſtratum, ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non poteſt; utrumque, id eſt, verum & adulterum; breve enim & anguſtum eſt cor hominis ad concipiendas Dei verbi delicias, etiam cum in illas totum extenditur, quomodo non multò brevius, ſi fuerit ad alia protenſum.*

10. Mirabilis profectò diſcurſus ille eſt, quem S. Auguſtinus eidem ſponſalitij metaphoræ inſiſtens inſtituit, ad probandum, quod amor noſter, niſi totaliter in Deum, vel ad creaturas ſolum ob amorem Dei dirigatur, prorſus adulterinus exiſtat; Dicit enim: [*S. Auguſt. in 1. Joan. 2.*] *Non te prohibet Deus amare iſta, ſed non diligere ad beatitudinem, ſed ad hoc probare & laudare, ut ames Creatorem*; Pro cujus meliori elucidatione aptiſſimam adducit ſimilitudinem, dicendo: Quid ſi ſponſus aliquis ſponſæ ſuæ dono pulchrum valdeque pretioſum donaſſet annulum: hæc autem majori affectu annulum proſequeretur, majoriſque illum æſtimaret, quam ſponſum, numquid vobis ſponſa talis, inquit ſanctus Doctor, merito adulterini eſſet amoris arguenda, quo in ſuum fertur maritum, tametſi etiam ab eo profectum donum amet? utique; Etenim tametſi verum ſit, quod oblatum ſibi à ſponſo ſuo donum diligat, attamen ſi ipſa adeo ſtulto affectu in annulum propenderet, ut neque dicere vel ſaltem cogitare erubeſceret, nolo ſponſi mei vultum videre, ſed ſufficit mihi annulus iſte, numquid hoc ipſum nimia quædam fatuitas & dementia foret? *Quis non adulterinum animum convinceret? amas aurum pro viro? amas annulum pro ſponſo? ſi hoc eſt in te, ut ames annulum pro ſponſo tuo, & nolis videre ſponſum tuum; ad hoc tibi arrham dedit, non ut te oppignoraret, ſed averteret, ad hoc utique arrham dat ſponſus, ut in arrha ſua ipſe ametur.* Demum vero ſimilitudinem iſtam caſui noſtro adaptat; Etenim Deus mundum iſtum una cum tot utilibus delectabilibuſque bonis creavit, non ut in iſtis ſiſtamus, noſtroque amore illis adhæreamus, ſed ut ipſum tanto ardentius diligamus: *Ergo dedit tibi Deus omnia iſta? ama illum qui fecit iſta, plus eſt quod tibi vult dare, id eſt, ſeipſum qui iſta fecit: ſi autem amaveris hæc, quamvis illa Deus fecerit, & neglexeris Creatorem & amaveris mundum, nonne tuus amor adulterinus deputabitur?* Idiota ad Deum ſeſe vertens ita loquitur; Quiſquis ideo te amat, quia ſibi à te in hiſce terrenis bonis multa fuere præſtita beneficia, magnam tibi profectò facit injuriam;

[*Idiot. c. 29.*] juriam: *Non eſt amor inordinatus, ſed tibi contumelioſus; quia qui te amat propter temporalia, plus amat temporalia quam te; Unde cum tali amore præponatur creatura tibi Creatori, non eſt hoc ſine contumelia & offenſa tui.*

11. Idem quoque S. Auguſtinus rationem reddit, cur is qui mundum diligit, Dei amorem amittat, [*S. Aug. ibid.*] dum ait: *Vis habere dilectionem Patris, ut ſis cohæres filij? noli diligere mundum, exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei:* at verò dices fortaſſe, numquid ſaltem modicus amor aliquis ad res mundi hujus inclinans in corde iſtò remanere poſſet? Cui reſpondeo nequaquam id fieri poſſe, eo quod inter ſe incompatibiles exiſtant. S. Leo ait: [*S. Leo ſer. cit.*] *Duo omnes ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diverſæ qualitatibus, ſicut dividuntur auctoribus; rationalis enim animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi.* Cajetanus illa Salvatoris verba: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, gloſsâ ſuâ illuſtrans, dicti illius Dominici hanc reddit rationem: [*Cajet. in Matth. 6. v. 24.*] *Quia diverſa jubentibus ſi ſponte ſervit, unum diliget, alterum vero odio habebit, amor enim unius contrarij, odium eſt alterius.* Contrarios autem hoſce effectus, quos duo hi amores, Dei videlicet & mundi, pariunt, optimè nobis ſequentibus verbis declarat ſanctus & mellifluus Abbas Bernardus, dum ait: [*S. Bern. ſerm. 9. in cœna.*] *Unus dejicit, alius extollit; unus ſuum poſſeſſorem dejicit in infernum, alius ſublevat & tranſmittit in cœlum.*

12. In pluribus Scripturæ locis *Væ* ſempiternum comminatum eſt illis, qui ſimul & ſemel Dei pariter & mundi partem ſuſtinere ſatagunt. In Eccleſiaſtico ſpecialiter in duobus locis dicitur; [*Eccli. 2. v. 14 & c. 3. v. 28*] *Væ... terram ingredienti duabus vijs*; & in capite ſequenti: *Cor ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus*, Quia nec Dei, nec mundi gratiam acquiret; cujus rationem ſacri Expoſitores eſſe dicunt, quia uterque totum cor totumque amorem noſtrum ſibi vendicat; Et quidem tametſi mundus ſenſus, & Dæmon nonnumquam exterius ſimulent, ac ſi contenti eſſent ſi & Deo aliqua ſaltem cordis portio remaneret, hoc tamen impoſſibile eſt, quia ut Doctor Angelicus per adductam Hugonis à S. Victore authoritatem dicit: [*S. Tho. op. 61. cap. 3.*] *Cor hominis, quod prius amori Divino fixum ſtabileque perſtitit, & unum amando, unum permanſit: poſtquam per deſideria terrena diffluere cœpit, quaſi in tot diviſum eſt, quot ea ſunt, quæ concupiſcit*; Unde in corde noſtro Deo ſitus & locus nimis anguſtus efficitur.

13. Alij vero Interpretes prædicta Eccleſiaſtici verba, nimirum: *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus*, ita exponunt, ut idem ſit dicere, *non habebit ſucceſſus, quod non habebit requiem*, eò quòd cor à variorum inordinatorum appetituum tyrannide infeſtetur.

14. Paulus de Palatio ſubſequentia verba ſcilicet: [*Paulus de Pal. in Eccli. c. 3. v. 28.*] *Et pravus corde in illis ſcandalizabitur*, ponderans, ita ſcribit: *id eſt, ingrediens viam ſimul bonitatis & malitiæ, ſcandalizatur & offenditur ex utraque, nam gaudens de bono, torquetur ex malo, contra gaudentem in malo, bonum contriſtat*: neque ulla ratione fieri poteſt, quin interius malæ conſcientiæ ſentiatur remorſus atque Syndereſis.

15. Magnam utique, conſiderationem merentur illa apud Sophoniam Prophetam à divina juſtitia comminata ſupplicia: [*Soph. 1. v. 4. & 5.*] *Diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum ſacerdotibus, Et eos qui adorant ſuper tecta militiam Cœli, & adorant & jurant in Domino, & jurant in Melchom.* Ecce tibi res adeo diſparatas & deformes, quales Idola ſunt, ſimul cum Deo vivo & vero conjunctas: *Jurant in Domino & jurant in Melchom*; hiſce Deus extremam perditionem comminatur & exterminium, quia hi ſunt qui figura ſunt eorum, inquit S. Hieronymus, quæ Deo ſimul & mundo adhærere volunt: [*S. Hier. in Sop.*] *Hi ſunt, quæ ſæculo pariter & Domino ſe putant poſſe ſervire.*

16. Mundus & Deus legibus gubernant totaliter contrarijs: [*Gl. Int. in Matth. 6. v. 24. Gl. ord.*] *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*; Interlinearis addit: *Duobus Dominis inter ſe diſſidentibus.* Gloſſa ordinaria ait: *Cum regnum Dei & Diaboli diſſideant inter ſe, in utroque nemo poteſt ſimul militare; Unde qui baptizantur, Diabolo abrenuntiant, & ejus operibus.* Idque evidentius unicuique apparebit, ſi per præcepta Dei ex una parte, & per maximas ſeu potius hæreſes & errores quos mundus profitetur diſcurrat; Deus præcipit: [*Matth. 5. v. 44.*] *Ego autem dico vobis; Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos:* Mundus è contra ſuis ſuadet, imo violenter ab ijſdem expoſcit, ut verbo pugnum; pugno autem pugionem vel gladium reponant, & niſi faciant, velut timidos, abjectos, & puſillanimes illos aſpernatur. Mundus ſolum æſtimat, honorat, & applaudit divitibus & potentibus: ſchola autem Chriſti pauperes, humiles, & eos qui ſeipſos contemnunt honorat. Dionyſius Carthuſianus dum [*D. Carth. in 1. Joan. 2.*] hunc S. Joannis textum exponit, illud quoque Davidis effatum adducit: [*Pſ. 52. v. 6.*] *Deus diſſipavit oſſa eorum qui hominibus placent, ... quoniam Deus ſprevit eos* Paulus quoque ait: [*Gal. 1. v. 10.*] *[ Si hominibus placerem Chriſti ſervus non eſſem; ] unuſquiſque enim ei, quem amat, cupit placere.*

## DISCURSUS XV.

### ARGUMENTUM.

Deus totum cor noſtrum habere deſiderat, adeoque diviſionem in amore odit, cum inſtar ſponſi valde ſit zelotypus, in cujus probationem nonnullæ conſiderantur veteris Teſtamenti figuræ.

### THEMA.

*Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Oſeæ 10. ℣. 2.

1. SUpremus ille divinuſque artifex qui formavit hominem, ſeque corde illius adeo cupidum ſemper eſſe oſtendit dicens: [*Prov. 23. v. 26.*] *Præbe Fili mi, cor tuum mihi*, hic inquam cor homini tali cum ſymmetria indidit, ut partiri ſeu dividi nullo modo poſſit, ac proinde juſtam habuit Oſeas cauſam dicendi: *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* S. Thomas ad præceptum dilectionis ab incarnata ſapientia homini impoſitum, nimirum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, ſe reflectens, ait: *Ex toto corde, non dimidio; Diviſio cordis cauſat mortem.* [*S. Tho. op. 61. c. 19.*] S. Baſilius Hom. 12. in Pſalm. 44. ita ſcribit: *Hoc quod ex toto dicit, diviſionem in alia nullam admittit, qui amicus eſt Dei perfectus, ei totam animam tribuit.* Deus noſter totum amorem & totum cor noſtrum deſiderat, & nihil aliud: [*Gil. Abb. ſer. 19. in Cant.*] *ſolus ſufficit animus*, inquit Gillibertus Abbas, *ſi tamen totus impenditur, ſatis eſt; ſed ſi de te, nihil tibi relinquatur.* Davidem ſcimus præ cunctis alijs cor Dei ſibi conciliaſſe, quia & ipſe Deo totum cor ſuum tradiderat; [*Act. Ap. 13. v. 22.*] *Inveni David, ... virum ſecundum cor meum*, inquit Deus ad ipſum, *qui faciet omnes voluntates meas.* Sed unde Davidem totius cordis ſui donum Deo dediſſe colligitur? [*Pſ. 9. v. 2. Theod.*] *Confitebor*, inquit, *tibi Domine in toto corde meo*; Ubi Theodoretus ait: *Proprium eſt perfectorum hominum totum cor Deo dedicare, & omnem mentem ipſi conſecrare.*

2. Illa in ſacris Canticis ardentiſſimè amans anima, ſatis apertè nobis innuit, quod poſtquam Dilectum ſuum feliciſſimè invenit, eum non dimiſerit, donec ipſum in cubile ſuum introduxiſſet: [*Cant. 3. v. 4.*] *Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ*; Porro idem Gillibertus cauſam inquirit, cur cœleſtis hæc ſponſa ſponſum ſuum, donec in cubiculum ſuum introduxiſſet, diligere ex toto corde minimè potuerit? Et reſpondet; [*Gilb. Abb. ſer. 1. in Cant.*] *Novit illa dilectum ſuum non poſſe foris ſecure poſſideri, nec integrè quidem; & quam durum eſt amanti animum dimidiare cum Chriſto & mundo? quam durum eſt in dilectionis jura peregrinas admittere curas?*

3. Quodnam obſecro in eo latet myſterium, quòd Salvator noſter innocentiſſimam quidem carnem ſuam ſibi dilacerari & vulnerari permiſerit, [*Joan. 19. v. 24.*] nec tamen tunicam ſeu veſtem inconſutilem dividi pati voluerit? Num forte ideo id factum eſt, quia tunica hæc opus manuum ſanctiſſimæ matris ſuæ fuit? ſed & corpus Chriſti è virgineo matris ſuæ ſanguine conditum fuit; aut vero factum eſt ideo, quia veſtis illa unitatem Eccleſiæ ſuæ præfigurabat, prouti in apparitione S. Petro Alexandrino facta oſtendit? *Omnia in figura contingebant.* Omnia hæc bene quidem dicuntur & aptiſſimè, verumtamen Idiota per veſtem hanc charitatem, ſeu amorem divinum intelligit, qui diviſionem minimè admittit: [*Idiota c. 24.*] *Deſignatur per tuam tunicam inconſutilem, quæ nec ſciſſa fuit, nec diviſa, quia amor neque dividi debet, neque ſcindi, & qui eum dividunt, vel ſcindunt, pejores videntur, quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam dividere noluerunt.*

4. Obſervandum eſt, quod poſtquam Deus in



in Deuteronomio populo falſitatem & infirmitatem Deorum, quos gentiles adorabant, clare demonſtraſſet, mox de ſemetipſo ſubjunxerit: [*Deut. 32. v. 39.*] *Videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.* Scitiſne vero quidnam Deus per hunc loquendi modum intenderit? Pro hujus meliori notitia ſciendum eſt, Idololatras plures ſemper Deos veneratos fuiſſe; ſiquidem peculiari cultu Cererem proſequebantur, ut de panis annona ſecuros ſe facerent; Bacchum quoque ut vitibus fœcunditatem conciliarent; Mercurium, ut quæ ab ijſdem agitabantur negotia, proſperè fluerent, & ſic deinceps de cæteris Numinibus prophanis diſcurrere licet; Non vero ſic venerari ſe Deus noſter permittit, qui proinde dicere non dubitat: *videte, quod ego ſim ſolus*, quaſi diceret; Totus cultus & amor Veſter mihi debetur, quia quidquid in vobis bonum eſt aut pulchrum, à me ſolo procedit, & in vos derivatur; Unde & Samuël eidem populo dixit: [*1. Reg. 7. v. 3.*] *Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri*; nec tamen hoc ipſum ei ſufficiebat, Unde protinus ſubjunxit: [*Ibidem.*] *Præparate corda veſtra Domino, & ſervite ei ſoli.*

5. Ad idem propoſitum optime ſervit curioſum illud S. Auguſtini quæſitum; Cur videlicet Chriſtus Dominus & Redemptor noſter ſuum quoque & ipſe apud Romanos inter alios ipſorum Deos locum non habeat, nec adoretur ab ipſis; cum tamen omnia aliarum nationum numina ſpeciali ab ipſis cultu glorificarentur, tametſi patrata ab eodem miracula & prodigia minimè adæquarent: [*S. Aug. l. de conſ. eva. c. 17*] *Præſertim cum eorum ſententia ſit, omnes Deos colendos eſſe ſapienti; cur ergo à numero cæterorum iſte rejectus eſt? Si plurimum valet, cur ab eis ſolus non colitur?* cumque varijs in medium adductis rationibus quæſtionem hanc accuratè ventilaſſet, tandem reſpondet: *Nihil ergo reſtat, ut dicant, cur hujus Dei ſacra ſuſcipere noluerint, niſi quia ſolum ſe coli voluerit*; ſequentemque adducit Socratis ſententiam, dicentis: *Unumquemque Deum ſic coli oportere, quomodo ſe ipſe colendum eſſe præceperit.*

6. S. Athanaſius quoque apte ad intentum interrogat, cur Pater æternus redemptionem noſtram à Filio conſummari voluerit, non verò ad hunc finem Angeli cujuſpiam opera uti voluerit? Reſpondetque id factum eſſe, ne ulla nobis daretur occaſio amorem Deo debitum transferendi in Creaturam; quia ſi ab Angelo fuiſſemus redempti, motivum utique efficaciſſimum habituri fuiſſemus amoris noſtri partem eidem quoque impendendi: [*S. Ath. ſer. 3. in Arian.*] *Conveniebat Redemptionem fieri per eum, qui naturæ Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnoſceremus.* Cui conſonat illa S. Anſelmi meditatio dicentis: *Qui creavit te, ipſe redemit te, ne amorem tuum divideres, partim Creatori, partim tribuens Redemptori.* Atque ideo Idiota cor & affectum ſuum in Deum Creatorem & Redemptorem ſuum convertens, ita eum alloquitur. [*Idiot. c. 12.*] *Totum exigis, qui totum hominem feciſti; Diligi debes Domine ex toto corde, ratione & creationis & recreationis; quia enim hominem feciſti, debet ſeipſum amori tuo, & quia eum redemiſti, debet ſe amori tuo, & tanto magis debet ſe amori tuo, quàm ſibi ipſi.* Studioſè igitur & ex induſtria Deus totum tibi dedit, quidquid in bonis ſive naturæ, ſive fortunæ, ſive gratiæ poſſides, ut omnibus potentijs tuis & toto ſpiritu tuo eum diligas, ad eum fere modum, quo Princeps hoſpitium aliquod ingreſſus cuncta illius conclavia ſoli ſibi vendicat, ita quoque Deus animam quam ingreditur, ſolus occupare nititur. Unde S. Bernardus ait: [*S. Bern. ſerm. 83. in Cant.*] *Divinus amor ubi venerit, cæteros in ſe omnes traducit; & captivat affectus.*

7. Porro in veteri Teſtamento multas in varijs ritibus & præceptis legalibus hujuſce veritatis invenimus figuras. In Levitico enim, ubi avium ſeu volucrum ſacrificium deſcribitur, in ſpecie de columba, quæ animæ Deo dilectæ peculiare ſymbolum eſt, dicit: [*Lev. 1. v. 17.*] *Non ſecabit, neque ferro dividet eam*; Etenim aliorum animalium carnes ſacrificandæ dividi ſolebant, non item volatilium & in ſpecie quo ad columbam idipſum fieri vetabatur: *Nam qui volant*, inquit Theodoretus, [*Theod. q. 1. in Levit. cap. 2. v. 10.*] *Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum, collocantes illum tum in terrenis, tum in cæleſtibus, ſed totum ſurſum ferant*; Hæcque cauſa fuit, [*Cant. 2. 10.*] cur Divinus ille amator dilectam ſponſam ſuam ſponſæ titulo honorarit: *Columba mea, formoſa mea*; nam [*Rich. de S. Vict. l. 4. de contem.*] ut Richardus de S. Victore ait: *Columba conſortem amat, ſocium non admittit.*



8. Abraham in Geneſi à Deo certa quædam animalia illi ſacrificandi præceptum accepiſſe legitur: [*Gen. 15. v. 9. & 10.*] *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam; Qui tollens univerſa hæc diviſit ea per medium, ... aves autem non diviſit*; Scirene hujuſce rei differentiam deſideratis? Hæc ipſa quondam à Theodoreto adducta fuit, dum ita ſcribit: *Quemadmodum Patriarcha volatilia non diviſit, ita nec legislator ea jubet dividi.*

9. Quonam motivo Deum inductum fuiſſe exiſtimatis, quod Caini ſacrificium ſeu oblationem minime gratam habuerit? Audite S. Bernardum idipſum hiſce verbis exponentem: [*S. Bern. ſerm. 24. in Cant.*] *Sic nempe habes, ſi rectè offers, & rectè non dividis, peccaſti*; adducenſque reprobi iſtius fratricidæ exemplum, dicit: *Quid miraris, ò Cain, ſi tua non reſpicit munera, qui te deſpicit? nec hoc mirum, ſi non reſpicit ad te, quia diviſus es in te; ſi manum devotioni, quid animum das livori?*

10. In eodem quoque Levitici libro alius quidam ritus deſcribitur: *Tollet ſacerdos*, inquit ſacer Textus, [*Lev. 6. v. 15.*] *pugillum ſimilæ, quæ conſperſa eſt oleo, & totum thus, quod ſuper ſimilam poſitum eſt, adolebitque illud in altari.* Nimirum ſufficiebat Deo quod ex flore farinæ & oleo partem dumtaxat acciperet; at vero incenſum totum & totaliter in honorem ſuum adoleri & conſumi volebat ad inſinuandum nobis, quod minime nobis prohibeatur quod de bonorum noſtrorum temporalium parte in noſtram utilitatem & ad beneplacitum noſtrorum diſponamus; at vero incenſum quod per ignem adoletur, id eſt, noſter erga Divinam Majeſtatem amor coram eo ardere debet. Cornelius à Lapide per incenſum opera ſancta Divino amore accenſa intelligit: [*Corn. à Lap. in c. 2. Lev.*] *Opera ſancta fervore charitatis quaſi liquefacta & fumigantia, quæ in igne ejuſdem dilectionis adolentur Deo*, citatque Plinij authoritatem lib. 12. cap. 14. dicentis, quod incenſum in Arabia felici in ardentiſſimis æſtatis caloribus producatur.

11. Verum quodnam in eo inſuper latere myſterium exiſtimatis, quod Deus noſter olim Hebræis legem hiſce verbis præſcripſerit: [*Levit. 3. v. 16. 17.*] *Omnis adeps Domino erit jure perpetuo in generationibus; Numquid* idem ipſe Deus per Pſalmiſtam ait: [*Pſal. 49. 13.*] *Manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Gloſſa interlinearis ait: [*Gl. interl.*] *Ut omne deſiderium offeratur Domino, non partim mundo*: at vero Radulphus à Gloſſa ordinaria citatus, clarius reſpondet dicens: [*Rad.*] *Adeps affectus noſter eſt*; Unde anima noſtra utiliſſime diceret: [*Pſ. 62. v. 6.*] *[ Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. ] Firmamentum ſalutis*, inquit S. Auguſtinus, [*S. Aug. t. 9. in 1. Jo. 2. v. 15.*] *eſt habere radicem charitatis.* Gloſſa ſuper illa verba: [*Gl. in 1. Joan. 2.*] *Nolite diligere mundum* ita ait: *ſicut dilectio Dei fons eſt omnium virtutum, ita dilectio mundi omnium vitiorum.*

12. Verum enimvero ut diſcurſus noſter ad ritus & figuras legis ſcriptæ, unde tantiſper digreſſus eſt, denuo revertatur, huc quoque reſpiciunt aliæ prohibitiones, quibus vetabatur, ne veſtes pariter ex lana & lino texerentur, ne eadem terra diverſi generis ſemine imbueretur, ne uno eodemque tempore in bove pariter araretur & aſino; Etenim [*1. Cor. 9. v. 9.*] *Numquid de bobus cura eſt Deo?* inquit Paulus; hæc igitur omnia ideo præcepta fuere, ut per hoc doceremur, quod cor noſtrum duobus differentibus atque inter ſe diverſis contrarijs affectibus minimè diſtrahi debeat: [*S. Bern. ſer. 3. inf. oct. Aſcenſ.*] *Neque enim*, ut S. Bernardus ait, *ſpiritus & caro, tepiditas & ignis in uno domicilio commorantur.*

13. At vero figura hujuſce veritatis maxime expreſſiva, niſi fallar, fuit illa coram Salomone à duabus matribus habita contentio & controverſia: Porro Hiſtoria notiſſima eſt, quodnam ſcilicet fuerit ſapientiſſimi illius judicis, in hac perplexitate dirimenda judicium; nimirum ut quænam ex ambabus mulieribus germana mater eſſet, clarius eluceſceret, præcepit: [*3. Reg. 3. v. 24.*] *Afferte mihi gladium*; Eoque allato, infantem per medium ſecari & unam illius partem uni, aliam vero alteri dari juſſit: [*Ibid. v. 25.*] *Dividite infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri*; Quâ ſententia, quænam infantis vera & indubitata genitrix eſſet, detexit: *Commota ſunt quippe viſcera ejus ſuper filio ſuo*, unde & dixit: [*Ibid. v. 26.*] *Obſecro Domine, date illi infantem vivum*, non vero eadem fuit fictæ & perſonatæ matris opinio, utpote quæ ait: [*Ibid.*] *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur.* Paulus de Palatio ait: [*Ibid.*] [*Paul. de Pal. in c. 3. Eccl.*] *Bona mater integrum non diviſum vult filium, licet quæ ſe matrem fingebat, dividi filium optaret, ita Deus integrum cor non diviſum vult*: ita quoque tunc quænam anima à Deo



electa

electa & prædilecta ſit, agnoſcetur, ſi Diabolo conſulenti ut cor inter Deum & ipſum per affectum dividatur, *Nec mihi, nec Deo, ſed dividatur*, ipſa non conſentiendo ſolida in ſe & conſtans perſeveraverit, nec cor per amorem in diverſa diſperſum dividi permiſerit. Hac hiſtoria Didacus Stella verba illa: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, exponens utitur, dum ait: *Non vult Deus cor diviſum, ſed integrum. Salomon veluti prudentiſſimus, infantem integrum & intactum matri tradidit, & noluit ut divideretur. Mundus inquit, dividatur, Deus verò contrarium.* Enimvero ſi certum & indubitatum aliquod ſignum noſſe deſideremus è quo an noſter erga Deum amor filialis ſit, agnoſcere poſſimus, examinandum nobis cor noſtrum erit, videndumque an ſit diviſum, ſive an aliquam illius partem creaturis ceſſerimus; quia ſi ſimul cum Deo voluptates, honores, aut divitias dilexerimus, manifeſtum id nobis indicium erit, quod Deus à nobis eo modo quo amari cupit, minime diligatur. Unde S. Auguſt. ait. *Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei; vas es, ſed adhuc plenus es, funde quod habes, ut accipias quod non habes.* Chryſoſtomus vero propinquius ad propoſitum noſtrum accedit, dicens: *Homo ſi Deum amat, mundum non amat, ſi autem mundum amaverit, jam Deum ex toto corde non amat.* Porro Diabolus facit, quantum ſcit & valet, ut vel tenuem aliquem in cor noſtrum aditum habere poſſit; optimè namque novit, quod nullus ſit homo, quantumvis impius, qui ad ſalutem æternam non aſpiret, ſcitque inſuper difficillimum ſibi eſſe, ut nos ab hoc deſiderio avertat; Quid igitur facit? Modicum aliquem in animam noſtram habere aditum ſtudet, & hoc ei ſufficit, ac proinde clamat Apoſtolus: *Nolite locum dare Diabolo.*

*Luc. 10,27.* — *Did. Stell. in c. 10. Lucæ.* — *S. Aug. t. 9. in 1. Joan. 2.* — *Chryſoſt. h. 47. in Matt.* — *Eph. 4. v. 27.*

14. In Evangelio de juvene illo legimus ſequentia verba: *Adoleſcens quidam ſequebatur eum amictus Syndone ſuper nudo, & tenuerunt eum:* Ecce tibi quam parum abfuerit, ut captivus abduceretur, Etenim nudus quidem erat, ſed non totaliter; qua igitur ratione lictorum manus evaſit? *At ille rejectâ Syndone nudus profugit ab eis.* Ubi S. Hieronymus ait: *Syndone opertus adoleſcens vinctum Dominum ſequebatur, incurriſſet laqueos, niſi expeditus & nudus perſequentium impetum declinaſſet.*

*Marc. 14. v. 51.* — *Ibid. v. 52.* — *S. Hier. ad Fab.*

15. Ananias & Sapphira facultates ſuas ad Apoſtolorum pedes deportarant quidem, ſed non totaliter omnes, ſed modicam ſibi illarum partem reſervarant, unde & morte puniti fuere. *Diviſum fuit cor eorum, propterea interierunt. Quare hoc fratres?* interrogat S. Auguſtinus, *Quia in Eccleſia Catholica carnales dividuntur, ſpirituales omnino non dividuntur. Quare carnales & diviſi contra ſe poſiti ſunt? quia omnes luxurioſi & amatores mundi, contra ſe invicem diviſiones & ſcandala habere non deſinunt; iſti ergo dividuntur, quia ſibi invicem dividuntur, aves autem, id eſt, ſpirituales non dividuntur; quare ſpirituales non dividuntur, quia eſt illis cor unum & anima una in Deum.* Audite ſanctum & regium Prophetam Davidem, qualinam fuerit corde munitus, utpote Divino cordi totaliter conformatus: *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Quibus verbis Lorinus hanc adhibet expoſitionem: *Tecum non volui in terra aliquid aliud, & te, id eſt te & alia ſimul, ſed te ſolum*, ac proinde progreditur dicendo: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

*S. Aug. 54. de temp.* — *Pſ. 72. v. 25.* — *Lorin.*

16. S. Petrus utique magno Dei amore exarſit, nam interrogatus: *Simon Joannis Diligis me?* E veſtigio reſpondit: *Tu ſcis, quia amo te*; Hujus autem ardentiſſimi amoris luculentum indicium edidit, ſiquidem ſuo & omnium diſcipulorum nomine proteſtatus dixit: *Ecce nos reliquimus omnia.* Notate verbum *Omnia*; Ipſe autem Deus pacis, dicebat Apoſtolus Paulus, *ſanctificet vos per omnia, ut integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela ... ſervetur*; At vero quænam ſunt illa quæ Petrus reliquit? num forte ad ſuum erga Chriſtum teſtificandum amorem ſceptra dereliquit? Minime, ſed potius lacerum rete quoddam & carioſam quamdam deſeruit naviculam; at vero, ut Origenes ait, *Magis confidebat de affectu ſuo, quam de quantitate rerum relictarum*; ſciebat enim, quod Deus ille, qui *ſcrutatur renes & corda*, oculum ſuum ad affectum, ad amorem, & ad cor noſtrum directum habeat, non verò ad res illas exteriores, ſciebat utique Deum optime perſpectum habere, quod modicum donum quod Deo offerebat ex toto cordis amore ei donaret, hocque omnibus mundi hujus regnis præponderabat.

*Joa. 21. v. 15* — *Matth. 19. v. 27.* — *1. Theſſ. 5. v. 23.* — *Orig. hom. 9. in Matth.*

17. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum*; Verbis hiſce cœleſtis amator ſuos erga ardentiſſimè amantem animam exprimit amoris reciproci affectus. S. Gregorius textum hunc aptiſſima quadam ſimilitudine explicat; ſicut enim qui ſagittam ſuam in meditullium ſcopi evibrare nititur, ad hoc ut non erret, ſed ſagittæ jactum tanto de metæ aſſecutione ſecuriorem efficiat, unum oculorum ſuorum occludere ſolet, ita quoque ſponſa unum oculorum ſuorum ſponſo ſuo clauſum exhibet, clauſum inquam ad cunctas haſce res terrenas, ut alterum affectus ſui oculum tanto vehementius in Creatorem ſuum defigat: *Qui ad ſolam Dei naturam viſus acumen dirigit, is in cæteris omnibus cæcus eſt, ad quæ multorum oculi reſpiciunt.*

*Cant. 4. v. 9.* — *S. Greg. Nyſſ. or. 8. in cant.*

18. Quis umquam hominum viſus eſt, qui uno oculo attentè cœlum, altero vero terram attentè aſpicere potuerit? Et tamen majus utique prodigium futurum eſſet, ſi anima quædam quæ omnes ſuos affectus in bona haberet cœleſtia defixos; *Noſtra converſatio in cælis eſt*, eodem quoque tempore iiſdem affectibus bonis hiſce terrenis affixa maneret; hoc enim uſquequaque impoſſibile eſt: *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus*, inquit Apoſtolus ille, qui poſtquam oculorum ſuorum aciem in vaſta Cœli Empyrei regna defixiſſet, de ſemetipſo ait: *Omnia ... arbitror ut ſtercora.* Et S. Auguſtinus ait: *Nec ijdem oculi terram ſimul aſpicere, cælumque poſſunt*; impoſſibile quoque eſt quod quis cor ſuum in Deum pariter & mundum defixum habeat, hæc enim diviſio fieri nequaquam poteſt. S. Gregorius Moralis de corde humano dicit: *Quanto acriori cura inardeſcit ad infima, tantò damnabili frigeſcit à ſummis; utraque enim ſimul & æqualiter amari non poſſunt.*

*Philip. 3. v. 20.* — *2. Tim. 2. v. 4.* — *Phil. 3. v. 8.* — *S. Auguſt. l. de abuſ.* — *S. Greg. l. 18. mor. c. 8.*

19. Porro nequaquam mirum eſt, quod cor noſtrum ad bona hæc terrena adeo proclive eſſe experiamur, teſte Tertulliano qui ait: *Quid mirum ſi homo & in ergaſtulum terræ laborandæ relegatus, ipſo opere prono & devexo ad terram uſurpatum ex illo ſpiritum mundi, univerſo generi ſuo tradit.* Quanam ratione, dic ſodes, luminare minus cæteroquin luminoſiſſimum ecclipſari exiſtimas? Nimirum inter luminoſum Solis corpus & Lunam terræ globus à diametro interponitur, hicque ſua groſſitie, denſitate & mole mediante impedit, quo minus Luna luminare minus ſolares in ſe radios recipere poſſit, ac proinde fuſca & pallida Luna relinquitur: eodem modo anima ſpiritualem ecclipſim patitur, quando inter Juſtitiæ Solem, qui illam alias amoris ſui radijs illuminat, terra, id eſt, immoderatus erga bona terrena affectus interjicitur. Unde Euſebius Emiſſenus dicit; *Quamdiu in nobis carnalium rerum vixerit appetitus, ſpiritualium à nobis ſenſuum elongabit affectus.*

*Tertull. l. 2. in Marc.*

20. S. Philippi Nerij (qui Philippi Apoſtoli Chriſto dicentis: *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, verus imitator fuit) familiare dictum eſſe ſolebat, quod quantum amoris pondus eſt, quo in creaturas ferimur, tantumdem amoris Creatori adimamus. Porro anima Deo dilecta in palma præfiguratur: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*, cujus hæc adduci poteſt ratio, quia arbor hæc terram verſus truncum ſubtilem habet, at vero quanto cœlum verſus amplius extenditur, tanto magis in amplitudinem proficere cernitur, cujus contrarium in alijs arboribus fieri videmus: Unde S. Gregorius ait: *Ita hujus ſæculi dilectores in terrenis fortes ſunt, in cæleſtibus debiles*, non verò idem juſtis contingit, de quibus Pſalmiſta quoque ſcribit: *Juſtus ut palma florebit*; Unde idem Gregorius de illis ait: *At juſtorum vita per palmam ſignificata, qui nequaquam in terrenis ſtudijs ſunt fortes, ſed longe magis ſtudioſos ſe exhibent Deo, quam ſæculo.*

*Joan. 14. v. 8.* — *Cant. 7. v. 7.* — *S. Greg. l. 19. mort. c. 25.* — *Pſ. 91. v. 13.*

## DISCURSUS XVI.

## ARGUMENTUM.

Æſtimatio quam Deus de amore noſtro habet, nos ad illum ſine limite amandum obligat, maxime cum totum amoris lucrum noſtrum ſit, & per illum omni debito noſtro ſatisfaciamus.

### THEMA.

*Diliges Dominum Deum.* Luc. 10. ℣. 27.

1. S. Thomas de Villa nova eximium illum & ſpecialiſſimum conſiderat honorem, quem Creatura



tura vilis, & indignus ille terræ vermiculus ex eo accipit, quod Deus infinitæ majeſtatis eamdem ad ſe amandum invitare dignatus fuerit: *Multum dignificas me, dum ſic amari vis à me.* Quod ſi ſummus Pontifex Prælatum aliquem ad ſuam invitaret amicitiam & familiaritatem, quantum is ſe honoratum eſſe cenſeret, maximè ſi Pontifex inſuper in affectus, quo ipſum proſecuturus eſſet, remunerationem, eidem ſublimiſſimas promitteret dignitates? At verò longè major honor eſt, quem homo à Deo illo recipit: *Quem adorant Dominationes*, in cujus quoque fœmore ſcriptum legitur: *Rex Regum & Dominus Dominantium*; dum enim hic nos ad ſe amandum extimulat, gratiæ & gloriæ ſuæ nos intendit facere participes; Neque ex eo quod hunc ſui amorem nobis per formale præceptum imponit, amoris illius æſtimatio vel pretium vel minimum diminuitur; ſicut enim ſi Pontifex viro alicui digno Archiepiſcopatum non ſolum ultro offerret; verum etiam, quia vir ille oblatam ſibi dignitatem recuſare niteretur, eamdem ut acceptaret in virtute ſanctæ obedientiæ eidem præciperet, dignitas prædicta nullum utique per hoc ſuæ æſtimationis & excellentiæ pateretur præjudicium, quin potius novum ei per hoc accreſceret pretij & æſtimabilitatis incrementum, ſicut & recuſare illam conanti; per hoc etenim præceptum Pontifex ſe meritum illius permagni æſtimare, ideoque firmam ſe illum exaltandi & honorandi voluntatem habere oſtenderet: Eodem quoque modo per hoc quod Deus homini ut ipſum amaret præceptivè impoſuerit, eumdemque ad amorem hunc per æternæ beatitudinis remunerationem, pœnamque infernalem amorem hunc negligenti ſtatutam, obligarit, manifeſtè indicat, quod hunc hominis erga ſe conceptum amorem permagni æſtimet, cumque ipſum præcepto ad amandum extimulet, obligatus quoque ſit, ut omnia illi ad hujus præcepti adimpletionem neceſſaria auxilia ſubminiſtret.

*S. Thom. Vill. ſerm. de S. M. Magd.*

2. Samſon cæco Dalilæ amore captus erat, & non obſtante quod mulier hæc alienigena eſſet, ipſeque ab amicis ſuis monita ſalutaria accepiſſet de imminenti ſibi periculo ne per illam in manus Philiſthæorum inimicorum ſuorum traderetur, ipſe nihilominus per affectus, quo illam deperibat, vehementiam ſeductus, ſuis id ei diſſuadere molientibus expreſſe dixit: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Pari quoque modo tametſi Deus noſter nihil in humana natura invenire potuerit, quod eum ad ipſam amandam incitare aut permovere potuiſſet, ipſe tamen omnia bona ſua eidem liberaliſſime communicavit, ut proinde Chryſologus jure merito de ipſo dixerit: *Venit Chriſtus noſtras accipere infirmitates, & ſuas nobis conferre virtutes, humana quærere, præſtare divina*; Habebat quidem Deus noſter optime ſibi perſpectas iniquiſſimæ hujus Dalilæ proditiones & technas, quibus illi injurias, contumelias, verbera, ſupplicia, omneſque alias atrociſſimas pœnas machinabatur, quas pro noſtra redemptione toleraturus erat; noſtram quoque probè noverat ingratitudinem, quam pro immenſis infinitiſque beneficijs ſuis ei repenſuri eramus, & tamen per ardentiſſimam charitatem ſuam exſtimulatus, à pientiſſimo illo quo nos proſequebatur affectu nequaquam averti potuit, imo ad hoc ut proximus noſter cognatus efficeretur, *Exultavit ut gygas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio ejus*; *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti virginis uterum*; imo adeo cæco amore hominem dilexit, ut pro illius redemptione ſemetipſum nudum in Crucis infami trunco ſuſpendendum tradere non dubitaret; idque non alio fine quam ut ab homine viciſſim ardentiſſimo amore redamaretur. Porro S. Thomas à Villa nova quærit, quodnam Deo motivum fuerit, ut amorem noſtrum ſibi à nobis depoſceret, & dicit; num forte id ipſum ob aliquam, quæ inde ſibi enaſci poterat, utilitatem fecit? Nequaquam; *ſed intelligendo Domine* (ſunt verba S. Archipræſulis) *quoniam in amore meo non tuam, ſed meam inquiris utilitatem; propter me igitur amari vis à me, & quia diligis me, ideo diligi vis à me, videt enim, quoniam in amore tuo vita mea tota conſiſtit, & propter hoc vis amari à me, ut vitam ego habeam amando te.*

*Judic. 14. v. 3* — *Chryſol. ſerm. 50.* — *Pſ. 18. v. 6.* — *S. Thom. Vill. ibid.*

3. Valde conſiderabilia ſunt illa S. Joannis verba, quibus mentionem facit ſocietatis cujuſdam, quam Deus nobiſcum iniit, quæ ſocietas contractus quidam eſſe ſolet, qui hoc fine ſit inter multos, ut lucrum ex illatis in ſocietatem natum ex æquo inter ſe dividant: *Ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto.* Ad quem conceptum alludere videtur antitheſis illa, qua utitur ſancta Dei Eccleſia, dum ait: *O admirabile commercium, Creator generis humani animatum corpus ſumens, de virgine naſci dignatus eſt, & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem.* In hoc tamen ſocietatis contractu, quem Deus nobiſcum iniit, valde notabilem quamdam invenio differentiam, quia cum per contractum ſocietatis lucrum inter contrahentes intereſſatos dividi ſoleat, contrarium hic fieri videmus, quia Pater æternus, & unigenitus filius ejus lucrum ex hoc contractu reſultans totum noſtrum eſſe voluerunt. Unde Doctor Angelicus ait: *Quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem.* Porro verbum Patris huic ſocietatis contractui Divinitatem intulit, homo mortalitatem, ex quibus duabus naturis in verbo hypoſtaticè unitis ingens quoddam conflatum eſt peculium, nimirum Deus ſimul & homo, per hoc autem capitale in banco vel argentaria Crucis magna quædam inſtituta eſt negotiatio, ſiquidem dum verbum incarnatum paſſionis ſuæ amariſſimum mare ſive pelagus pernavigavit: *Magna eſt velut mare contritio tua*; *Veni in altitudinem maris*, inde ſibi quoddam infinitorum meritorum lucrum comparavit, quia unica dumtaxat ſanguinis ſui ſtillula millenis mundis redimendis ſufficiebat; at vero Divinus amor ei neutiquam permiſit, ut lucrum hoc inter utroſque ſocietatis conſortes divideretur, ſed potius totum hocce lucrum in noſtrum commodum & beneficium cedere voluit.

*1. Joa. 1. v. 2* — *S. Th. op. 57.* — *Thr. 2. v. 13.* — *Pſ. 68. v. 3.*

4. Porro indubitata eſt hæc propoſitio; quod videlicet homo ſine amore ſubſiſtere nequeat. Unde S. Gregorius ait: *Eſſe ſine dilectione anima numquam poteſt, nam aut infimis delectatur aut ſummis*; id quod pariter in S. Leone legimus, dicente: *Rationalis anima ſine dilectione eſſe non poteſt*; atque ideo ſingulariſſimum Deus noſter nobis contulit beneficium, dum nobis, ut ipſum diligamus, ſerio præcipit, ſiquidem dum quodvis aliud objectum extra ipſum amamus, illud non ſolum non lucramur, ſed potius amittimus: *Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Omnis alius affectus, quo extra Deum ferimur, à Deo & ejus amore nos ſeducit; Et ideo Lyranus ſuper prædicta verba ſcribens ait: *Nam amor delectabilium hujus mundi, retrahit ab amore Divino.*

*S. Greg. l. 18. mor. c. 8.* — *S. Leo.* — *1. Joan. 2. v. 15.* — *Lyr. in 1. Joan. 2.*

5. Amor inæſtimabilis quædam gemma eſt, qua gratiam Dei & gloriam comparamus, imo qua ipſummet Deum lucrari poſſumus; neque gemmam hanc ulli alteri vendere poſſumus, qui majoris ipſam appretietur aut æſtimet, quam Deo, qui illam impenſiſſimè deſiderat, eamdemque à nobis ſumma cum anxietate expoſcit; Eccleſiaſticus dicit: *ſapientia abſconſa & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque.* Ergone theſaurum adeo inæſtimabilem, qualis amor noſter eſt, adeo inutiliter in Creaturis diſſipari permittemus? Numquid eximius honor, & lucrum exceſſivum à nobis cenſendum eſt, quod Deus hunc amorem noſtrum ſibi adſciſcere deſideret, eumque tam immenſo præmio remunerare velit? optimè S. Thomas de Villa nova ait: *Ideo tam diſtrictè requiris amoris tributum, ut novum ſuperaddas gloriæ beneficium.* Vultiſne ſcire quantum ſit pretium quo Deus eumdem æſtimat? Didacus Stella argutè conſiderat, quod Deo minimè ſuffecerit dicere: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ideoque ſubjunxerit: *Et ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis; & ex omni mente tua.* Sed numquid ſufficere poterat ſi Deus hominem hoc dilectionis præcepto primis verbis obſtrinxiſſet, dicendo: *Diliges ex toto corde?* ut quid igitur adjunxit: *Ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua?* Reſpondet præfatus Didacus: *voluit Dominus ita ſollicitum & diligentem ſe oſtendere in amoris noſtri petitione, ut cum eum ſic amoris noſtri cupidum contemplamur, facili conjectura ex duobus unum colligeremus, vel quod ita nos diligeret & amaret, ut mutuo amore nos ipſum proſequeremur: vel quod amor ita eſſet pretioſus, & æſtimatione dignus, ut neque granum illius vellet amitti.*

*Eccli. 20. 32.* — *S. Thom. Vill. ibid.* — *Luca 10. 9.* — *D. Stell. in Luc. c. 10.*

6. Idiota eadem verba conſiderans, aliam quamdam eorumdem expoſitionem adducit, dum ait, quod debeamus *Diligere Deum ex tota mente perſeverantes*; neque enim amor noſter ſimilis eſſe debet igniculo alicui ex tramine accenſo ſuſcitato, qui ſubito extinguitur, ſed perſeverans eſſe debet, continuus, nec umquam intermiſſus: *Ut omnes ſenſus hominis, ſcilicet*

*Idiot. c. 14.*

*ſcilicet voluntas, intellectus, memoria, & omnes eorum operationes illis vacent; Quod ſi in aliorum dilectione occupentur, jam ex tota mente, qui ſic occupatur, te non diligit; Scriptum eſt enim:* [ *Omni tempore diligit, qui amicus eſt.* ] S. Joannes, qui dilectus Chriſti diſcipulus fuit, non fecit, ſicuti alios Apoſtolos feciſſe legimus, qui *omnes relicto eo fugerunt*, ipſe etenim ad uſque Calvariæ montem ipſum intrepide & conſtanter eſt inſecutus, nec umquam ſe ab eo divelli paſſus eſt; Alij quidem Apoſtoli ei in manducatione Cœnæ agni adſtiterunt, non verò ipſi in aceti & fellis potatione adeſſe voluerunt.

*Prov. 17. 17.* — *Matth. 26. v. 56.*

7. Qualiter in amore perſeverantes conſtantesque eſſe debeamus, ab ipſomet Deo, qui totus & merus amor eſt, velim diſcamus, de quo S. Auguſtinus hunc in modum meditatur: *Nulla dilectio major, nullus amor ſyncerior, nulla charitas ſanctior, nullus affectus ardentior, mortuus eſt pro me innocens, nihil quod amaret in me inveniens; quid ergo Domine dilexiſti in me, & tantum dilexiſti, ut morereris pro me?* Hic amor & infinita Redemptoris noſtri charitas nos prorſus obligat, ut eminentiſſimo quodam amoris gradu eidem correſpondeamus.

*S. Aug. l. de dil. Deo c. 6.*

8. Habent hoc omnes aliæ virtutes ſibi commune, quod videlicet in medio conſiſtant, quia omnis exceſſus eſt vitioſus: *In medio conſiſtit virtus*; at verò charitas nequaquam hanc cum alijs communem proprietatem habet. Unde S. Leo ait: *In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia.* Quod ſi in noſtra eſſet poteſtate poſitum, ut tantumdem Deum amaremus, quantum ipſe amat nos, jam adhuc amori ſuo æquas referre vices minimè valeremus, quia eo ipſo quo nos amaremus amore infinito eum qui infinito amore dignus eſt, profecto aliud nihil præſtaremus, quam id quod ex obligatione debebamus, & conſequenter amor noſter juſte & bene collocatus eſſet: at verò quod ſuprema illa Majeſtas nos viles & indignos terræ vermes amore quodam adeo exceſſivo diligat, hoc utique nos, niſi lapidei videri velimus, fortiter obſtringit, ut ei cum affectu quodam ardentiſſimo, qualis humanitus dari poſſet, correſpondeamus. Unde S. Bernardus ait: *In Chriſti dilectione modus amoris nullus eſſe debet, ſine modo te dilexit, ſine modo diligere debes.*

*S. Leo ſerm. 5 de jejun. 7. menſ.* — *S. Bern. de dil. Deo.*

9. Aliæ virtutes ſuis limitibus certis & limitatis conſtringuntur, unde Liberalitas ſi hoſce limites excedat, in vitium degenerat prodigalitatis; Fortitudo quoque moderata eſſe debet, quia in exceſſu poſita potius temeritas erit; Auſteritas exceſſiva definit in indiſcretionem; Charitas ſola eſt, quæ limitem nullum habet: *In Chriſti dilectione modus amoris nullus eſſe debet. Introduxit me Rex in cellam vinariam,* inquit ferventer amans illa in Canticis anima, *ordinavit in me charitatem.* Quænam obſecro vel qualis eſt illa Cella vinaria, in quam ſe ſponſa introductam eſſe dicit? utique nulla alia, quam ea quæ illo muſto plena erat, quo in ſacra Pentecoſtes die inebriati fuere Sancti Apoſtoli: *Muſto madere deputant, quos Spiritus repleverat*: at verò qua ratione dicere poterat: *Ordinavit in me charitatem*, ſiquidem vinum in nimia quantitate potatum, hominem potius rationis impotem efficit? Imo verò hoc ipſum propriè eſt illud quod ſponſa dicere voluit, nimirum quod ordo charitatis, ſive amor erga Deum bene ordinatus animam extra ſuos ſenſus poſitam eſſe faciat, ſive quod amor quidam exceſſivus eſſe debeat; tunc etenim bene ordinata eſt charitas, quando anima aliqua una cum S. Paulo dicere poteſt: *ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit.* Hebræus loco illorum verborum: *Ordinavit in me charitatem*; Legit; *Vexillum ejus ſuper me charitas.* Etenim quando Rex aliquis Civitatem aut fortalitium aliquod in ſuam poteſtatem redegit, ſubito in illius vallis ſeu turribus vexillum, Regijs inſignibus ſuis condecoratum, erigere conſuevit, ad denotandum, quòd locus iſte ſuo ſit Dominio ſubjectus, eumque velut Dominum revereri, aut agnoſcere debeat. S. Petrus Damianus ſpiritualis ebrietatis amoris Divini effectus hiſce verbis conſiderat: *Numquid non quædam divina ebrietas eſt, præſentia & præ oculis poſita cuncta deſpicere, atque ad ea, quæ non videntur, toto mentis deſiderio medullitus anhelare? mollia quoque & jucunda contemnere, dura verò & aſpera pro divino libenter amore perferre?*

*Cant. 2. 4.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *2. Cor. 12. 3.* — *S. P. Dam. ſerm. de Spir. Sanct.*

10. Didacus Stella ingenioſe dicit, Deum noſtrum, cujus nos ex infinitis capitibus debitores ſumus, quamdam nobis voluiſſe monetam conſignare, per quam contractis erga ipſum debitis nos expedire facili negotio poſſemus, quia eo nobis fine amorem infudit, ne ſit otioſus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis;* Etenim amando dumtaxat ſatisfit amori: *Cum Deus nimia charitate & dilectione nos amaret, ideo voluit, ut æquali amore debitam rependeremus, amor enim æquali amore ſolvitur, adeo eſt amor nobilis, tantæ virtutis & efficaciæ, ut ipſe ſolus Deum vincat.* Enimverò quod ſi locupletiſſimum amoris illius quo Deus nos proſequitur, capitale adaugere velimus, nullum aliud nobis medium id aſſequendi ſuppetit, quam ut ipſum pro viribus noſtris redamemus; & quidem quo hic erga Deum noſtrum conceptus amor ardentior fuerit, tanto ejus amore & dilectione digniores capacioresve efficiemur; unde Moralis ille Philoſophus Seneca dicit: *Si vis amari, ama.* Porro differentia, quæ divinum humanumque amorem intercedit, optimè à S. Thoma à Villa nova, in ſermone quem de S. Joanne Apoſtolo ſcripſit, hiſce verbis notatur: *Hoc namque inter amorem Dei & noſtrum diſtare ſolet, quod nos bonitatem in alijs diligimus, ſed eam illis diligendo minimè præſtamus; Deus autem, quos diligit, diligendo optimos facit.* Neque enim Deum diligendo, affectum noſtrum objecto cuidam adeo nobili & digno, quale Deus eſt, ſolum applicamus, immenſiſque, quibus eidem obſtringimur, beneficijs ſatisfacimus, verum inſuper eodem tempore immenſa gratiæ & gloriæ bona nobis comparamus; Unde ſi amoris hujus valorem attente ponderemus, eumdem nobis utiliſſimum maximeque proficuum eſſe videbimus.

*Rom. 5. 5.* — *D. Stell. ibid.* — *Sen. ep. 9.* — *S. Th. Vill. ſer. de S. Joan.*

11. Doctiſſimus Salmeron proinde optime conſiderat noſtrum erga Deum amorem nihil in ſe eximium habere, quod admirationem aliquam mereatur, è contra vero amorem quo Deus nos proſequitur ſummè obſtupeſcendum eſſe: *Quid enim mirum, ſi creatura ratione prædita infinitum illud bonum, & pulchritudinem tam amabilem, & tam nos amantem diligat, præſertim cum tantum emolumenti & fructus, ab ea dilectione ſibi comparet? At vero illud admiratione dignum, quod Deus optimus maximus homines, hoc eſt, vermes humiles, repentes, & putidos, & nihil ſibi boni conferentes diligere non dedignetur.* Porro S. Thomas de Villa nova, id quod in anima quadam Deo prædilecta amor Divinus operatur, per ſimilitudinem quamdam ad vivum exprimit, dum ait; Quotidiana nobis experientia demonſtrat, quid & quantum ille præſtare valeat, quantaque apud omnes in veneratione & reverentia habeatur, qui Regi vel alteri cuipiam terræ Monarchæ in delitijs eſſe noſcitur; Jam vero, *Quod in curia facit amor Regis, hoc in orbe facit amor Dei.* Servi etenim Dei per amoris viam Dei gratiam ſibi mire conciliant, ſiquidem ſanctitas per amorem naſcitur, adaugetur, & conſervatur; Et ideo Sancti poſſunt facere quidquid volunt tam in cœlo, quam in terra: *Dilecto omnia patent, omnia obediunt; ſic in regno Dei ſi quis gratus, ſi quis amicus eſt Dei, omnis illi obtemperat creatura, & in cælo & in terra.* Deus juſtitiæ ſuæ vindicativæ mucronem in rebellem populum ſuum ſtringere volens Moyſi, dixit: *Dimitte me.* Circa quæ verba Richardus de S. Victore ita ſcribit: *Audis dimitte, & Deum teneri non dubites, nec aliunde, quam amoris fortitudine, ſola quæ Deum tenere poſſit, vis amoris eſt.* Is qui à magno & potenti aliquo Principe impenſe amatur, quas vult ab eo gratias obtinet; Et ideo Idiota ait: *Amor poſtulata à te promptè & facile obtinet, quia illum, qui te veraciter diligit, libenter exaudis, & poſtulata ei concedis, quia ſcriptum eſt: Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.*

*Salm. t. 11. tr. 31.* — *S. Thom. Vill. ibid.* — *Ex. 32. v. 10.* — *Rich. de S. Vict. tr. de gr. ch. c. 1.* — *Pſal. 114. 1.*

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

Præceptorum obſervantia amore, qui omnia quantumvis aſpera facilitat, ſuavis efficitur; Unde nemo excuſare ſe poteſt, quod non amet, cum ſuave ſit amare, & cuivis perſonæ adaptetur.

### THEMA.

*Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt, neque procul poſitum.* Deuteron. Cap. 30. ℣. 11.

1. OMnia tam antiquo, quam novo Teſtamento à Divino legiſlatore promulgata præcepta



& leges, unicum dumtaxat ſibi propoſitum objectum habent, Dei nimirum dilectionem & amorem; Unde Apoſtolus ait: *Plenitudo legis eſt dilectio*; Hoc autem dilectionis præceptum omnia alia nobis facillima reddit, adeò ut viribus noſtris ſuperiora nequaquam exiſtant: *Non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum ut poſſis dicere, quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus! neque trans mare poſitum, ut cauſeris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre! Sed juxta te eſt in corde tuo.* Et hoc quidem Salvator noſter forſitan inſinuare voluit, dum ait: *Regnum Dei intra vos eſt*, id eſt, ut S. Thomas de Villa nova ait: *Non à te maria intranda, non terræ luſtrandæ, non orbis terrarum circumeundus tibi eſt, intra in corde tuo, in viſceribus tuis invenies.* Porro tametſi verum quidem ſit, quod hic amor ſuos in cœlo natales habeat, imo quod ab ipſo Patris & filij ſinu, utpote Spiritus Sanctus ipſemet, procedat; non tamen ideo neceſſarium eſt, quod ut hoc amore exardeſcas, eumque participes, ſurſum aſcendas, ſiquidem *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum, qui datus eſt nobis*; Etenim divinus hic ignis in corda noſtra deſcendit, nec ulli hominum denegatur, *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Unde Richardus de S. Victore, de gradibus charitatis ſcribens, ait: *Offertur omni, aufertur nulli ut nullus niſi ſuo vitio illa careat.*

*Rom. 13. v. 10.* — *Luca 17. 21.* — *S. Thom. Vill. ſerm. de S. M. Magd.* — *Rom. 5. v. 5.* — *Pſ. 18. v. 7.* — *Rich. à S. Vict. par. 1.*

2. Porro ſi præceptorum, quæ nobis obſervanda incumbunt, ſubſtantiam conſideremus, illa nequaquam gravia eſſe deprehendemus, ſed potius ſummè facilia. Unde S. Joannes expreſsè dicit: *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt.* Qua eadem de re S. Thomas de Villa nova hunc in modum diſcurrit: *Audite fratres chariſſimi; Attendite, & videte, qualia præcepta nobis injungit Deus noſter, non aſpera & difficilia, non gravia & impoſſibilia, non lacerare carnes verberibus, non pedibus nudis ſuper ferreos tribulos ambulare, ſed quid? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Profecto ſi Deus nobis præcepiſſet, quod ad hoc, ut ei grati eſſemus atque accepti, filios noſtros ſacrificaremus, id utique valde conveniens fuiſſet, ſiquidem & cæci gentiles, ut falſis Dijs ſuis placerent, idipſum fecerunt: *Immolaverunt Dæmonijs & non Deo, Dijs quos ignorabant.* Quod ſi nobis mandaſſet, ut ad Regnum cœlorum comparandum, nos in ſpeluncis terræ ſepultos individuos faceremus ſcorpionum & ferarum ſocios, venas ferro aperiremus, aut fornaces ingrederemur ardentes, nihil horum nimium fuiſſet in ordine ad aſſequendum æternæ beatitudinis Regnum; hæc tamen nobis præcipere noluit, *ſed quid? Diliges*, rem nobis præcipit facillimam, qualis eſt, ut ipſum amemus.

*1. Joa. 5. v. 3* — *S. Th. Vill. ſer. D. 17. Pent.* — *Matth. 22. 37.* — *Deut. 32. v. 17.*

3. *Tollite jugum meum ſuper vos*, inquit Salvator noſter, ad divinorum præceptorum ejus obſervantiam alludens: ſed quis eſt, qui jugum grave & ponderoſum eſſe neſciat? Ita eſt; verumtamen hoc de jugo Dei dici minime poteſt, ſiquidem veritas ipſa, quæ mentiri neſcit, expreſſe dicit: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Propheta Evangelicus de hoc jugo in nova gratiæ lege nobis Chriſtianis imponendo loquens dicit: *Computreſcet jugum à facie olei.* Enimvero in oleo quod ſemper cunctis liquoribus ſuperius eſt, charitas figuratur: *Major autem horum eſt charitas:* ac proinde Deus per hunc Prophetam Iſaiam dicere nobis voluit, jugum hoc amore mediante tolerabile nobis atque amabile futurum eſſe. Unde S. Gregorius Nyſſenus ait: *Mandatorum obſervationem jugum appellat, jubenti pareamus, efficiamur jumentum Chriſti, induentes vincula charitatis, tale jugum ne detrectemus, ſuave eſt, leve eſt, ſubeuntis cervicem non atterit, ſed demulcet.*

*Matth. 11. v. 29.* — *Ibid. v. 30.* — *Iſ. 10. v. 27.* — *1. Cor. 13. v. 13.* — *Nyſſ. or. 2. de paup. amandis.*

4. Memorandum hoc loco eſt, quod quando S. Lucas S. Joannem Baptiſtam nobis velut legis Evangelicæ præcurſorem ob oculos ponit, dicens: *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem*: eumdem inter alia bona nuntia quæ mundo attulit, hæc quoque ſequentia dixiſſe referat: *Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas, & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Porro via hæc plana lex eſt, quam Deus nobis Chriſtianis impoſuit, quæ in comparatione ad Moſaicam legem, via quædam eſt Lilijs & Roſis undique ſtrata & referta; De Moſaica S. Petrus ait: *Jugum ... quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus.* At vero, ut Euthymius ait: *Obliquitas & aſperitas veteris legis in rectitudinem & perfectionem Evangelij convertetur.* Idem quoque Tertullianus ſcripſerat: *Chriſtus colles æquabit vallibus, & obliqua diriget in rectitudines, quia omnes legis difficultates in Evangelij facilitates convertet.* Porro viæ hujus rectitudo, ſi eidem Euthymio ſidem adhibere volumus, charitas eſt, Dicit enim? *Evangelij autem rectitudo eſt charitas*: at vero tametſi etiam verum non eſſet, quod S. Joannes dicit: *Mandata ejus gravia non ſunt*; attamen quis eſt qui neſciat, quod amor omne ponderis onus quantumvis immenſum ſit, facile atque ſuave eſſe efficiat? *Omnia gravia & difficilia*, inquit Idiota, *verus amor facit facilia, & quaſi nulla.* Vultiſne ſcire quam ſit hæc via mandatorum Dei plana & facilis? *Ambulabam in latitudine* ajebat regius Propheta David, quia mandata tua exquiſivi; at vero undenam hujus viæ Regiæ latitudo derivabatur? *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*; Hæc autem latitudo cordis verus eſt charitatis effectus. S. Auguſtinus ſuper illa verba Pſalmiſtæ: *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*, ita ſcribit: *Certe anguſta eſt via, laboranti anguſta eſt, amanti lata eſt. Arcta via quæ ducit ad vitam*, inquit Salvator noſter, *& pauci ſunt, qui inveniunt eam*; Scitiſne quamobrem id fiat? quia pauci ſunt, qui amorem & affectum ſuum Deo conſecrant, quin potius creaturis eumdem impendunt.

*Luc. 3. v. 2.* — *Ibid. v. 5. 6.* — *Act. 15. v. 10* — *Eut. in Luc.* — *Tert. 5. cont. Marc.* — *Joan. 5. 3.* — *Idiot. c. 13.* — *Pſ. 118. v. 45* — *Ibid. v. 32.* — *Pſ. 30. v. 9.* — *S. Aug. ibid.* — *Matt. 7. v. 14*

5. Valde conſiderabilia ſunt illa incarnatæ ſapientiæ verba, à dilecto ejus diſcipulo relata: *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*; Cur obſecro Divina ſua præcepta ſub numero ſingulari complectitur, non vero ſub plurali exprimit, cum tamen revera plura ſint quam unum? non enim dixit: *ſermones meos.* Nequaquam id vobis mirum videatur, quia tametſi antiquæ legis præcepta in univerſum ſexcenta tredecim fuerint, attamen David, qui vir ſecundùm cor Dei fuit, dicebat: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt*; quibus verbis omnia legis præcepta unum dumtaxat eſſe inſinuat. Similiter ſancta illa anima: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*; Tametſi totus ille mandatorum Dei cumulus ingens & prægrandis, atque ex myrrha, quæ amariſſima eſt, compoſitus eſſet; ſponſa tamen illum ſinui ſuo adſtringebat, interque ubera ſua magna cum ſuavitate reconditum tenebat, ſcitiſne cauſam? S. Petrus Damianus ait: *Propterea non faſcem ſed faſciculum dicit dilectum, quod leve pro amore ipſius ducat, quidquid laboris immineat & doloris.* Idem quoque de Davide dicere poſſumus, quod videlicet propter exceſſivum, quo Deum proſequebatur, amorem, tot ei præceptorum obſervantia & perfecta adimpletio, unicum tantum ei viſum fuerit præceptum, *Onus Chriſti leve eſt*, ait S. Bernardus, *leve tamen amanti.*

*Joa. 14. v. 23* — *Pſ. 118. v. 97.* — *Cant. 1. v. 12.* — *S. P. Dam. ſerm. 43. in Cant.*

6. S. Auguſtinus ſæpius citata illa S. Joannis verba: *mandata ejus gravia non ſunt*, declarans, aliam quamdam rationem aſſignat, cur jugum hoc facili negotio ſuſtineatur; *Quomodo eſt grave*, inquit, *cum ſit dilectionis mandatum.* Idiota in Capite primo libri quem de amore Dei compoſuit, ita ſcribit: *Inclinat amor amantem, neque in hoc laborat, amor difficultatem non novit.* Amor laſcivus, quantumvis duram ei qui illum ſectatur, legem præſcribat, hæc tamen ei ſemper ſuavis eſſe videtur, quanto igitur majorem vim in pectore Chriſtiano obtinebit amor divinus? Chryſologus ait: *Fortem faciat vis amoris, quia nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortes amorem prævalent ſuperare perfectum?*

*1. Joan. 5. 3.* — *S. Aug. l. de nat. & grat.* — *Idiot. c. 1.* — *Chryſol.*

7. S. Auguſtinus veritatem hanc per pulchram quamdam à venatore deductam ſimilitudinem deducit: hic enim magnam in corporis ſui laboribus, ſudoribus & defatigationibus recreationem poſitam habet, tum ob ſpem, quâ prædæ inhiat, tum ob nimium, quo in venationem fertur, affectum: *Nullo modo ſunt oneroſi labores amantium, ſed & ipſi delectant, ſicut aucupantium, venantium, piſcantium*; Unde hanc deducit conſequentiam: *Intereſt ergo quid ametur, nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur.* Tandem vero magnam, quam Deo turpiter irrogamus, nobis in faciem exprobrat, injuriam, dum ob venationis affectum nullum ſentimus laborem, & tamen tantum nobis in ſolo Dei ſervitio, laborem imaginamur, quod utique manifeſtum nimis eſt indicicium, quod minimè ipſum vere diligamus. *Vide quam pudendum ſit, ſi delectat labor, ut fera capiatur, & non delectet, ut Deus acquiratur.*

*S. Aug. l. de bono vid. c. 22.*

8. Sacrum Concilium Tridentinum Epiſcopatum ingens quoddam onus eſſe dicit: *Angelicis humeris formidandum*;

*midandum*; Unde conſequenter clarè deducitur, quam ſit inſupportabile pondus, quod Chriſti in terris Vicario imponitur, utpote cui uni ſuper omnes particularium Eccleſiarum Paſtores invigilare incumbit; ac proinde hæc unica & ſola cauſa fuit, cur ſapientiſſimus Magiſter noſter Chriſtus, priuſquam S. Petro onus iſtud imponeret, eum de charitate primo examinaverit, dicens: *Simon Joannis amas me?* Ubi S. Auguſtinus ait; *Interrogatur amor, & imperatur labor, quia ubi eſt amor, non eſt labor,* Alibi quoque idem Sanctus Doctor ita ſcribit: *Non recuſetur labor, ſi adeſt amor, noſtis quoniam qui amat, non laborat, omnis enim labor non amantibus gravis eſt.*

*Joa.21.v.17. S.Aug tr.48. in Joan.*

9. Didacus Stella cauſam inquirit, cur Deus tam ſolicite nobis, ut illum amemus, præceperit? *Arctaturne aliqua neceſſitate amoris noſtri?* nequaquam; mox vero id in noſtrum commodum factum eſſe concludit hiſce verbis: *Ut vitam tranquillam & quietam agamus, & mundum hunc lachrymarum & miſeriæ pelagus profundum, alacrius & ſuavius navigemus?* Dicitque ulterius, id factum eſſe, ut omnia nobis adverſantia, quantumvis illa difficilia ſint, tanto facilius toleremus; *Quodcumque enim fueris aggreſſus*; inquit, *quantumvis minimum, ſi ſine amore ſit, grave faſtidium & tædium generat: Si vero aliqua amoris ſcintilla ad id fueris inflammatus, etiamſi difficillimum, & aſperum & laborioſum ſit, dulciter, & ſuaviter operaberis.*

*Did. Stell in c.10. Luc.*

10. Optima eſt igitur illa S. Hieronymi reflectio, argute notantis, quod nos in vita ſpirituali, ad eam promovendam oneribus difficillimis humeros noſtros ſupponamus, in multiſque valde laborando nos defatigemus, minime advertentes, quod intentum noſtrum ſolo amore mediante longe facilius & brevius aſſequi valeamus: *Cum omnia quæ difficiliora ſunt faciamus, vel modica ex parte, hoc ſaltem non facimus, quod & factu facilius eſt, & abſque quo caſſa ſunt univerſa quæ facimus: jejunij corpus ſentit injuriam; vigiliæ carnem macerant; eleëmoſynæ labore quæruntur; ſanguis in martyrio, quamvis ardeat fides, tandem ſine dolore & timore non funditur; hæc omnia ſunt qui faciant, ſola charitas ſine labore eſt, & quia ſola cor mundum efficit, à Diabolo expugnatur in nobis, ne Deum puræ mente videamus.*

*S. Hier. ad Gal. 5.*

11. Quibuſnam Deum noſtrum Cœlum Empyræum præparaſſe arbitraris? utique amantibus Deum: *Quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum*; Juſtam igitur S. Bernardus de amore divino ſcribens, nos admonendi cauſam habuit, dum ait: *Is per ſe ſufficit, is per ſe placet & propter ſe; ipſe meritum, ipſe præmium ſibi eſt amor.* Profecto ſi Deus ad obtinendam ſalutem æternam aliud à nobis præmium popoſciſſet, non potuiſſent ſalvari omnes; jam verò cor noſtrum à nobis poſtulat dicens: *Prabe fili mi cor tuum mihi;* Communius & facilius ab hominibus quicumque illi demum ſint, donum exquirere non poterat; quodlibet enim aliud datum, defectum aliquem pati poteſt, quin vel non erit commune omnibus, aut facile non erit; Si enim eleëmoſyna fuerit, pauper illam dare non poterit; Vel ſi abſtinentia & jejunium fuerit, illius laborioſus agricola capax non erit; aut ſi fuerit oratio, huic ſe applicare non poterit infirmus; vel ſi maceratio carnis, hæc cuivis complexioni accommoda non erit; at verò quis ſe cor ad amandum Deum non habere dicere poterit? Unde S. Auguſtinus ſermone 69. de tempore ait: *Poteſt mihi aliquis dicere non poſſum jejunare, numquam poteſt dicere, non poſſum amare*; Et ideo noviſſimi judicij die Judex ille ſupremus nullum umquam adverſus reprobos proceſſum inſtituet, ijs exprobrando, quod ſuper prunis ardentibus aſſati non fuerint, aut vivos ſe in deſerti ſpeluncis non ſepeliverint, aut quia mundum prædicationibus ſuis non converterint, bene tamen illos redarguet, quod eum in perſona pauperum non dilexerint, circa charitatis opera examen ab ipſo inſtituetur, non verò circa alios heroicos actus virtutum. Unde Janſenius ait: *Dilectionis enumerat opera, quæ omnibus competere poſſunt, de quibus nemo ſe facile excuſare poteſt.*

*1.Cor.2. v.9. S.Bern. ſerm. 85. in Cant. Prov. 23. v.26. S.Auguſt. Matth. 25. v.35. Janſ.c.127. Concord.*

12. Omnes aliæ virtutes, inquit Chryſoſtomus aliquam ſecum difficultatem implicitam habent, prouti unicuique per ſingulas diſcurrere volenti facile liquebit, non verò ſic amor & charitas: *Charitas cum lucro voluptatem ingentem habet, laborem nullum, cum cæteræ virtutes conjunctas moleſtias habeant.* Idiota quoque hac de re ita ſcribit: *Amor facilis res eſt, omnibus ſe exhibet, nulli ſe negat, capit eum juvenis & ſenex vir & mulier, ſanus & infirmus, ſummus & infimus, liber & ſervus, ſæcularis & Religioſus, debilis & fortis, nec eſt qui ſe valeat excuſare:* Et hoc quidem in capite primo ſcribit; in ſecundo autem capite, in progreſſu convincere nos volens, quod nullam ab hoc nos præcepto ſubtrahendi cauſam excuſantem habeamus, pergit dicere: *Nullus habet, nec habere poteſt cauſam, aut excuſationem aliquam te non diligendi*; ab omni alio virtutis actu per prætextum aliquem nos excuſare poſſumus, præterquam quod objectum quoddam adeo nobile & dignum, quale Deus eſt, amare non valeamus; *Quare benigniſſime Jeſu dilector amoris, ſcio quod tam facile eſt te diligere, quod ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur; caput non dolet, venter non læditur, lingua non vexatur, crumena non evacuatur; quia dilectio proprie conſiſtit in anima, & inde ſequitur; quod qui amat, non laborat.* Nullus homo, quantumvis ille pauper, quantumvis infirmus ſit, ſe amare non poſſe, dicere valet; Fama, facultates, vita homini auferri poſſunt, numquam verò niſi volenti amor & charitas eripietur, Deus quidem in hominibus multiplicem in naturæ & fortunæ bonis inæqualitatem conſtituit, at verò in bonis gratiæ omnes, dummodo velimus, æquales eſſe poſſumus; unaquæque etenim anima poteſt, dummodo velit, cum divinæ manus adjutorio pari cum Seraphinis ardore Deum amare, poteſtque unuſquiſque hunc amorem in pari gradu participare quo alius quantumvis dives, nobilis, Princeps, doctus.

*Chryſ. h.23. in 1. ad Cor. Idiot. c.1. Ibidem. c.2.*

13. S. Thomas à Villa nova optime conſiderat facilitatis præcellentiam, qua hiſce temporibus noſtris gaudemus ad lucrandum & comparandum nobis cœleſtem Paradiſum: *Non exigitur hodie à te*, inquit, *O Chriſtiane, mors, non ſanguis, non ſupplicia, & regna; quid facilius quam amare? O quam conſtrata eſt via, & quam plana, ut diligendo pervenias, quò pervenit Laurentius patiendo.* S. Laurentius ſuper prunis aſſatus lucratus eſt cœlum; & nos ad eamdem in cœlis manſionem pertingere poſſumus, per viam facillimam, meriſque Roſis & Lilijs ſtratam; *Nihil in amore aſperum*, inquit idemmet alibi; *nihil durum*, *nihil laborioſum.* Idiota ad Deum converſus affectum ſuum hiſce verbis exprimit, dicens: *ſi tuam infinitam dilectionem conſiderarem; non oporteret me transfretare maria, penetrare nubes, montes tranſire, quia non grandis mihi reſtat via ad te amandum; ſolum enim opus eſt, ut curram ad me ipſum, ſcilicet ad compunctionem & confeſſionem, ut ſic exeam de ſterquilinio miſerrimæ conſcientiæ, ut illuc intrare valeam per gratiam & amorem.* Et verè ita eſt, quod ſi enim peccatis tuis factus fueris Dei inimicus, ut in ejus denuo gratiam & amicitiam redire, ejuſque amorem lucrari poſſis, ecce tibi facillimum remedium, de quo Chryſologus de peccatrice loquens ita ſcribit: *Abſolvi vis? ama; charitas operiet multitudinem peccatorum; inter omnia Dei præcepta amor obtinet principatum; Ama ergo ô homo Deum, & ama totus, ut poſſis omnia ſine labore vincere peccata.* Quænam eſt apud S. Thomam definitio charitatis? *Charitas eſt quædam ſingularis amicitia hominis ad Deum*; Hæc autem cum Deo familiaritas facillimè conciliari poteſt, quia à voluntate noſtra dependet.

*S.Thom. Vill. ſerm. 1. Quinq. Ser. de S. M. Magd. c.2. Chryſol. ſerm. 94. S.Thom. 2.2. q.23. art.1.*

14. Aulici nonnulli, prouti in Confeſſionibus S. Auguſtini legimus, ad mundi contemptum in ſe excitandum ita inter ſe loquebantur: quot & quænam moleſtiæ ſubeundæ ſunt, ut quis in Imperatoris amicitiam & benevolentiam pervenire poſſit: imo dicebant, poſito etiam quod quis ad illud felicitatis culmen tandem pertingat: *Per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? At verò*, ſubjungebat inter eoſdem alius, *Amicus Dei ſi voluero eſſe, nunc fio.* Quænam obſecro illa futura eſſet hominis felicitas, in cujus arbitrio & libera poteſtate conſiſteret Monarchæ alicujus potentiſſimi concilianda gratia & intima amicitia, ſeu potius Monarchiæ ejus inſeparabilis ſocietas; & tamen longe excellentius quid eſt, quod aliquis Amicus Dei conſtituatur, & quidem id, ſi voluero, nunc fio. Ad hoc enim ſufficit ſi interius ſynceri erga Deum amoris actus elicias. Sanctus Thomas poſtquam tributum illud quod Deus noſter à nobis exigit, leve eſſe hiſce verbis dixiſſet, *Advertite & conſiderate, quam leve tributum Dominus à nobis exigat, pro tantis beneficijs nihil aliud exigit, niſi amorem*; mox niſi tributum illud prompte ſolvamus, noſtram nobis ingratitudinem ſeveriſſimè exprobrat, & juſta Dei comminatur ſupplicia dicens: *O quam meritò, quam juſtè damnabitur, qui malait ardere quàm amare. O peccator, talis tibi viſus eſt Deus, tam oneroſus amor Dei tui, ut malis ſempiternis incendijs deputari, quàm amare?*

*S.Aug. l.8. conf. c.8. S.Thom. conc. de fœd.*

DIS-



## DISCURSUS XVIII.

## ARGUMENTUM.

Signa hunc amorem verè indicantia ſunt ſequentia: nimirum; quod ſit operativus, quod omni nos exuat affectu terreno, Deum per omnia deſideret & cogitet, legem ejus adimpleat, tribulationes & adverſa patiatur, & non ſentiat; Denique quod ſine ullo intereſſe aut commodo quæſito amet.

## THEMA.

*Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* 1. Joan. 3. ℣. 18.

1. Amorem quo Deum proſequimur, in dubium merito revocare poſſemus, an verus ſit atque ſincerus, cum ſit actus quidam mere internus, qui ſub oculorum aciem minimè cadit; niſi S. Joannes opera noſtra exteriora infallibilia interioris amoris ſigna eſſe diceret; vulgatum eſt illud ſancti cujusdam Patris dictum: *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis*; atque ideo ſupereſt, ut pro hujuſce tractatus complemento nonnulla ſpecialiora charitatis indicia examinemus; Et quidem ut illa ſuperius ex S. Paulo adducta, omnibuſque nota indicia pertranſeamus nimirum quod *charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate; congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*; Præter illa alia quædam examinemus, ut zizania à frumento, ſeu quod idem eſt, filios Dei à filijs Diaboli exactè diſcernere valeamus.

*1.Cor.13.4.5.6.7.*

2. Et quidem in primis Sanctus Auguſtinus ait: *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios Diaboli; Signent ſe omnes ſigno Crucis; reſpondeant Amen; cantent omnes Alleluja; baptizentur omnes; intrent Eccleſias; aureos faciant parietes Eccleſiarum, non diſcernuntur filij Dei à filijs Diaboli, niſi charitate; Magnum indicium, magna diſcretio; quidquid vis, habe, hoc ſolum non habeas, nihil tibi prodeſt; alia ſi non habeas, hoc habe; & impleſti legem.* Tractatu ſeptimo ſuper Joannem dicit: *Omnes qui non diligunt Deum, alieni ſunt, Antichriſti ſunt*; Pergit ulterius idem ſanctus Doctor, & dicit, mali quoque fidelium nomine appellari, ſancto baptiſmatis lavacro regenerari, Spiritum Prophetiæ habere, corpore & ſanguine Salvatoris noſtri cibari poſſunt. *Habere autem charitatem & malus eſſe non poteſt.* Sed penitius charitatis ſigna examinemus. Sanctus Bernardus ſcribit: *Tunc verè Deum diligis, ſi pro amore illius bona quæ potes operaris.* Porro amor in igne præfiguratur, quia hic in continuo motu exiſtit, eſtque elementum maximè activum: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur!* Ita quoque ait Sanctus Gregorius: *Numquam eſt amor Dei otioſus, operatur enim magna, ſi eſt, ſi verò operari renuit, amor non eſt.*

*S.Aug. tr.5. in ep. Joan. 1. cap.3. tr.7. in Joan. S.Bern. ſerm. 51. ad ſerm. de modo bene viv. Luc. 12.49. S.Greg. h.30 in Evang.*

3. Obſervandum eſt, ſponſo minimè ſuffeciſſe, quod ſponſæ quæ animam à Deo electam ſignificat, præcepiſſet, ut ipſum ſigilli inſtar cordi ſuo imprimeret, quin etiam brachia ejuſdem imprimi voluerit: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, & ſignaculum ſuper brachium tuum*, ut per hoc nobis inſinuaret, *ut non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere.* Medicus infirmi vigorem exploraturus pulſum cumprimis tangit, qui ſi debilis eſt, vitam periclitari ſignificat; ſimili modo Idiota ait: *Amor vita eſt animæ, & qui non amat, mortuus eſt*; ſi autem an vita hæc in debito vigore conſtituta ſit, an verò langueſcat experiri volumus, opera examinemus; *Nam probatio dilectionis exhibitio eſt operis; Amor ſemper aliquid operatur*, inquit idem Idiota, *ſemper creſcit & augetur.* Quamprimum Solis vel ignis calor in corpore humano intenſius ſentitur, veſtes continuo abjiciuntur, & lectiſternia poſthabentur.

*Cant. 8. 6. Idiota c.1. Idiota c.1.*

4. Sanctus Thomas de Aquino pulchram quamdam S. Auguſtini adducens authoritatem ita ſcribit: *Fortitudo eſt amor facile tolerans omnia, propter id quod amatur, qui omnia dixit, nihil excepit, diligas fortiter, ut pro ipſo ſuſtineas inopiam rerum, ſi oportuerit.* Cant. 8 *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ, … quaſi nihil deſpiciet eam.* Illum quoque S. Matthæi textum adducit, in quo de negotiatore illo Evangelico dicitur, quod ad comparandam pretioſam illam margaritam, omnia ſua prodegerit, quæcumque poſſidebat; gemma autem iſthæc nihil æquè perfectè & adæquate ſignificat, quam charitatem. Davidem inter & Jonatham arctiſſima quædam familiaritas interceſſiſſe legitur, *diligebat eum quaſi animam ſuam*; Undenam verò ardens hic amor, vel maximè colligi potuit? *Nam exſpoliavit ſe Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David & reliqua veſtimenta ſua.* Idem quoque à multis quotidie fieri videmus, qui extimulante eos interius amoris ardore, omnibus ſeſe divitijs boniſque terrenis exuunt, ſeque ab omni re mundana nudatos ſacco & cilicio induunt, alienæque ſe obedientiæ ultro citroque ſubmittunt. Et ideo Didacus Stella firmum abſentis amoris Divini indicium in eo ſtatuit; quod quis ex temporalium bonorum jactura multum contriſtetur, hoc enim, qui verè Deum amat, minimè facere ſolet. *Cum pallium amittis, pœnitet; quia tuum erat: triſtaris, ſi rem vel domum perdis; Deum offendis, & velut ſi nihil egeris; per illud tranſis.* Idem quoque S. Thomas per adductam quamdam S. Gregorij propoſitionem nos docet, dicentis, quod quantum homo bonis hiſce terrenis adhæreſcit, tantumdem ab amore Dei receſſiſſe cenſeri debeat: *Tantò quiſque à ſuperno amore disjungitur, quanto inferius delectatur*: adducitque S. Auguſtinum dicentem: *Cætera creatura viloſcat, ut creator in corde dulceſcat.*

*S.Tho. op.61. cap.24. Cant. 8. 7. 1.Reg.18.3. Did. Stell. in c.10. Luc. S.Tho. op. cit. c.26.*

5. Hinc verò ad aliud quoddam tranſire licebit Divini amoris argumentum; Nimirum infallibile ſignum animæ Deum amantis eſt, ſi anima aliud præter Deum non cogitet, aut verò ſi aliud quoque deſideret, id tamen alio modo non faciat, niſi in ordine ad ipſum Deum. *Tunc demum perfecta erit charitas*, inquit S. Bernardus, *cum ſic amor Chriſti totum abſorbuerit affectum hominis, ut negligens & immemor ſui non niſi Chriſtum Jeſum, & ea quæ ſunt Jeſu Chriſti, ſentiat.* Doctor Seraphicus in ſerm. de S. Maria Magdalena (quæ unicuique animæ Deum verè & ſyncere amanti, velut norma & regula ſervire poteſt) idem quoque ſignum adducit, dum ait: *Vis ſcire, ſi Deum perfectè diligas, vel aliud plus Deo amas? attende ſi de Deo plus, quàm de alijs rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas; Ubi enim theſaurus tuus, ibi cor tuum eſt, ſi plus cogitas de mundo, plus de lucro, plus de amico vel ſocio quam de Chriſto, non vertas in dubium, ſed tibi certiſſimum ſit argumentum, quod ames iſta, plus quàm Chriſtum*; Etenim fidelis & ſinceri amoris in Deum genuinus effectus eſt, quod quis ſuper affectum ad bona delectabilia & tranſitoria minimè ſeduci permittat, ſed ab eo maximè ſe alienum eſſe opere ipſo oſtendat. Richardus de S. Victore de amore Divino ſcribens idem quoque dicit, dum ait: *Amor Dei in adverſis fortis, ſed fortior eſt in proſperis ſolus enim Chriſti amor eſt, qui ridentis & irridentis fortunæ purè blanditias ſpernit, & conſpuit, ſapore dulciori delectatus.*

*S. Bern. de intern. domo c.17. S.Bon. ſer.2. de S. M. Magd. Rich. à S. Vict. de gr. ch. c.1.*

6. *Hæc eſt charitas*, inquit S. Joannes, *ut ambulemus ſecundùm mandata ejus.* Etenim nequaquam dubitandum eſt, quin anima illa vera charitate ardeat, quæ in divinorum præceptorum adimpletione exactam ſe exhibet. In cujus argumenti majorem evidentiam S. Auguſtinus illud nobis in memoriam revocat, quod Salvator diſcipulis ſuis dixit, nimirum; *ſicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos; manete in dilectione mea; ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* S. Bernardus amorem hiſce verbis definit: *Nihil aliud eſt amor, quam vehemens & bene ordinata voluntas*; quando enim homo voluntatem ſuam Dei voluntati conformat, ſignum evidens eſt, quod Deum diligat, hæc autem Dei voluntas in adimpletione legis ipſius perfectè adimpletur, quia, *In lege Domini voluntas ejus.* S. Thomas quoque in quonam charitas fundetur perſpicuè nos hiſce verbis edocet: *Conſiſtit in hoc quod Deus diligatur ſuper omnia, & quod homo totaliter illi ſe ſubjiciat, omnia ſua referendo in ipſum; eſt ergo de ratione charitatis, ut ſic diligat Deum, quod in omnibus velit ſe ei ſubjicere, & præceptorum ejus regulam in omnibus ſequi, quidquid enim contrariatur præceptis ejus, manifeſtè contrariatur charitati.* Idem quoque Angelicus Doctor, de decem gradibus amoris divini, ſecundùm Bernardum, ſcribens, illa Pſalmi verba: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*, ponderans ait: *Si vult nimis qui timet, quantum volet in mandatis qui amat?*

*2. Joan. v.6. S.Aug. de dil. Deo. c.9. S.Bern. de am. Dei. c.7. Pſ.1. v.2. S.Tho. 2.2. q.24. a.12. S.Th. op.61.*



7. Richar-

7. Richardus de S. Victore de gradibus charitatis ſcribens, alium quemdam Divini amoris effectum nobis inſinuat, dum ait :

*Rich. à S. Vict.*

*Fortis ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, quia pati cogit omnia, ſed volentes libenteſque.* Celebre eſt illud Origenis de S. Maria Magdalena corpus Chriſti rapere ſatagente elogium :

*Or. ho. 10. in diverſ.*

*Si tu ſuſtuliſti eum*, inquit præfata ardentiſſimè amans peccatrix, *dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam*,

*Joan. 20. 15.*

Quærit igitur præfatus Origenes ; quid ſi corpus dilecti tui in atrium Pontificis, in quo Petrus timore conſternatus Magiſtrum ſuum negavit, depoſitum eſſet, tunc illud ingredi velles ? aut verò ſi ab armata militum cuſtodia ſervaretur, tunc per medios illorum enſes & lanceas penetrare auderes ?

*1. Joan. 4. 18.*

*O ineffabilis hujus mulieris amor, nullum locum excipit, nullum anteponit* ; quia qui verè amat, neutiquam timet, nam *Perfecta charitas foras mittit timorem*, aliud, quam pro objecto amato pati & affligi, non deſiderat.

*Rayn. t. 13. ann. 1251. n. 51.*

In Annalibus Eccleſiaſticis de Ludovico Rege Franciæ legimus, quod cum ipſe à Mahometanis captus attineretur, & Regina mater ac fratres ejus, ingentem pro illius lytro & redemptione pecuniarum vim per navigium transmiſiſſet, navis illa una cum omnibus qui eadem vehebantur per validam tempeſtatem conquaſſata ſubmerſa fuerit ; Rex autem Ludovicus triſti hoc nuntio audito imperterritus, liberè reſponderit : *Nec hæc, nec alia qualibet adverſitas à charitate Chriſti me poterit ſeparare.* B. Laurentius Juſtinianus de veri amoris ſignis tractans ſcribit :

*B. Laur. Juſt. de lig. vitæ c. 11.*

*De ſignis quibus cognoſcitur utrum homo Deum diligat, hæc accipe ; cum aliquis cogitat de Deo libenter, cum de eo libenter loquitur, cum quis de Deo libenter audit, cum quis libenter pro Deo dat, cum quis pro Deo libenter patitur :* Et quidem ultimum hoc manifeſtiſſimum eſt Divini amoris indicium. Quisquis Sanctorum vitas ſtudioſè legit, facile agnoſcet, quam fuerint in patiendo & excogitandis varijs patiendi inventionibus induſtrij. *Qui Deum diligit*, inquit S. Baſilius,

*S. Baſ. t. 2. l. de ve. vit.*

*non ſolum pecunias & honores, ut amato obtemperet, negligit, ſed vilipendit cibum, ſomnum, ſæculi pompam, & propriam vitam, ut Deo, quem ſummè diligit, fruatur, Divino inſtigante amore rotas carnificum, verbera, ignes, carceres, & beſtias non expaveſcit, vult ſtultus ab omnibus videri.* Apoſtolus quoque omnes excogitabiles mundi in ſe ærumnas provocare non dubitat, dum ait :

*Rom. 8. 35.*

*Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti ? tribulatio ? an anguſtia ? an fames ? an nuditas, an periculum ? an perſecutio ? an gladius ?* Quem textum Richardus de S. Victore de gradibus charitatis notans, dicit :

*Rich. à S. Vict.*

*Paulus periculis plurimis enumeratis, è quibus inclytè triumphaverat, triumphi cauſam adjungit dicens ; Et in his omnibus ſuperamus propter illum qui dilexit nos.*

8. Jacob paternæ domus quieti, delicijs, & commoditatibus aſſueverat : Econtra verò Eſau ex continuis laboribus, itineribus, & defatigationibus in manibus pedibusque durum ſibi callum contraxerat, utpotè qui venationi apprimè deditus erat, pellemque duram & hiſpidam habebat ; & tamen Jacob primo die, quo in Meſopotamiam peregrinaturus, domo

*Gen. 28. 11.*

paternâ egreſſus fuit, ut ſacer textus ait, ſuper nudæ terræ pavimento, nullo alio cervicali, quam ſaxo duriſſimo uſus, obdormivit, nec tamen ex duro hoc lecto quidquam doluit ; ſcitiſne tolerantiæ hujus cauſam ? nimirum iter illud ad ſe cum Rachele deſponſandum aggreſſus fuerat. *Omnia in figura contingebant.* Sanctus Gregorius ſuper illa libri Regum verba :

*1. Reg. 2. 37.*

*Neque revelatus ei fuerat ſermo Domini*, factum iſtud Jacob Patriarchæ adducit, aptiſſimeque ad præſens propoſitum noſtrum ait :

*S. Greg. in 1. Reg. c. 3. l. 2. v. 7.*

*Via namque, quâ ad conjugem pergitur, intentio devotæ obedientiæ eſt, qua fæcunditas internæ charitatis conſequi deſideratur* ; O quantum pro comparando hoc ſponſalitio laboravit, ſudavit !

*Gen. 29. 20.*

*Servivit ergo Jacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine* ; ſiquidem ipſemet de ſe fatetur :

*Gen. 31. 40.*

*Die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis* ; Etenim ut Chryſologus ait :

*Chryſol. ſer. 40.*

*Amor impenetrabilis eſt lorica, reſpuit jacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem ridet, ſi amor eſt, vincit omnia.*

9. In quarto Regum libro legitur, quod dum Eliſeus cum nonnullis diſcipulorum ſuorum pranderet, is miniſtro ſuo ollam ſolito capaciorem Igni admovere juſſerit ; accidit autem, quod dum ex agro collectas herbas aliquas eidem ollæ immitterent, eaſdemque pro pulmento faciendo in bullientibus aquis excoquerent, inter alias per errorem herbas aliquas admodum amaras, quas Colloquintidas vocant, cæteris melioribus oleribus admiſcuerint, mox verò ut ex deguſtatis herbis commiſſum à ſe errorem adverterunt, in hæc verba lamentanter eruperunt :

*4. Reg. 40. v. 40. & 41.*

*Mors in olla.* Eliſeus autem per admixtam herbis illis farinam modicam, eaſdem protinus indulcoravit, valdeque ſapidas, guſtuique gratas & acceptas effecit. Hic vobis cogitandum eſt, quod eumdem effectum, quem flos ille farinæ amaris inſipidisque herbis injectus operatus fuit, amor quoque divinus pariter in auſteritatibus vitæ & mortificationibus operetur, quæ ex puro Dei amore à nobis ſuſtinentur. Similiter aquæ

*Exod. 15. 23.*

Mara adeo ſalſæ erant, ut filij Iſraël eaſdem bibere ad reſtinguendam ſitim nequaquam poſſent : Deus autem Moyſi lignum quoddam oſtendit, quod in aquas prædictas conjectum, eaſdem protinus dulces, ſuaves & ſapidas reddidit. Eumdem quoque effectum Eliſeus alia quadam vice in aquis Hierichuntinis amariſſimis produxit, quando eaſdem per immiſſum in illas ſal protinus optimo ſapore imbuit.

*4. Reg. 2. 21.*

Vos quoque ſatagite, ut corda veſtra amore Dei inardeſcant, & ſtatim invenietis, quod omnia illa quæ aliàs vobis intolerabilia ſenſuique prorſus contraria erant, mox facilia, ſuavia & grata eſſe videbuntur, idque ſolius illius objecti virtute & efficacia, quod ſyncere à vobis diligitur ; Nam ut S. Bernardus ait :

*S. Bern. ſer. 85. in Cant.*

*Ubi amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor.*

10. Philo optimè conſiderat, quod Iſaac ligna

*Philo l. de Abr.*

quibus ignis ille extruendus erat, quo carnes ejus Deo in holocauſtum offerendæ, & incinerandæ fuerant, proprijs humeris ſuis in montem uſque ad locum offerendi ſacrificij deportarit, & tamen licet facile, quid de ſe futurum eſſet, conjicere potuerit, montem illum gyganteis paſſibus conſcenderit, nec ullum fuerit ex deportata lignorum ſtrue onus expertus : *Ligna ferenda dedit filio* ( ita de Abraha ſcribit : ) *æquum cenſens, ut ipſa victima deportaret res, quas poſtulabat ſacrificium, leviſſimam ſarcinam.* Onus hoc lignorum in ſemetipſo grave prorſus erat, maxime quando illud ab aſcendente montem portandum erat ; at verò, ut Bernardus ait :

*S. Bern. ſer. 43. in Cant. Cant. 1. 12.*

*Neque enim levis paſſionum auſteritas, & mortis amaritudo, ... ſed tamen levis amanti, & ideo non ait tantum ; Faſciculus myrrhæ dilectus, ſed addidit, mihi, quæ diligo, faſciculus eſt.*

11. Sponſa in Canticis, tametſi à cuſtodibus Civitatis peſſime habita, multisque fuiſſet verberibus alijsque injurijs affecta :

*Cant. 3. 3. Cant. 5. 7.*

*Invenerunt me vigiles qui cuſtodiunt civitatem, Percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi :* & tamen filiabus Jeruſalem, quas fortuito obvias habuit, dixit :

*Cant. 5. 8.*

*Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.* Ubi notandum quod nullam prorſus verberum, vulnerum, aliarumque receptarum injuriarum mentionem fecerit ; quia ſincere & ardenter amans pro delicijs & voluptatibus habet omne illud, quod pro objecto amato ſuſtinet & patitur. Unde S. Gregorius ait :

*S. Greg. l. 5. c. 1. in 1. Reg. 12.*

*Quid grave non leviter tolerat qui amat ; quidquid enim diligitur, cum magna devotione portatur.* Eſt quædam magna Dei ancilla valde ab eodem illuminata, quæ dicere ſolebat, quod poſtquam à cœleſti ſagittario vulnerata fuit, deinceps quid pati ſit prorſus ignoraverit, quia

*Cant. 8. v. 6. & 7.*

*Fortis eſt ut mors dilectio, .. ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam ... pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.*

12. Zacharias Propheta Redemptorem noſtrum manibus pedibusque perforatum nobis ob oculos ſtatuens dicit, cum interrogatum fuiſſe ab Angelis :

*Zach. 13. 6.*

*Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum ?* Sed quoddam vel quale illos reſponſum tuliſſe exiſtimatis ? Num forte Hebræos qui ipſum Cruci clavis affixerant, vulnerum iſtorum authores eſſe pronuntiavit ? Minimè gentium, quin potius haud ſecus ac ſi vulnera iſta roſei flores, & glorioſa amoris trophæa eſſent, dixit :

*Ibidem.*

*His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me* ; quaſi diceret, ſunt blanditiarum illecebræ, imo amabiles amplexus ſunt, quibus ab ijs arctè adſtrictus ſum his qui diligebant me.

13. Quando duo illi in Emaus abeuntes diſcipuli Chriſto in habitu & ſpecie peregrini iis occurrenti, licet ignoto, ſupplicia illa recenſebant, quæ ipſe triduo ante in amariſſima ſua Paſſione perpeſſus fuerat, is eis reſpondit :

*Luc. 24. 19.*

*Quæ ?* quaſi diceret, leviſſima ſunt iſta. In quo ſenſu Chryſoſtomus quoque verba illa exponit, quæ Chriſtus protulit, quando ſe in laborioſiſſima illa nocte ad proceloſum Paſſionum ſuarum pelagus ingrediendum accinxit, nimirum :

*Joan. 17. 5.*

*Et nunc clarifica me tu Pater* ; in quibus crucis patibulum ſub gloriæ



gloriæ titulo exprimit, cujus Chryſoſtomus in perſona Chriſti hanc reddit rationem : *Pro dilectis iſta patior.*

14. Poſtquam verò hæc divini amoris flamma tot aliorum ſervorum ſuorum corda accendere cœpit, vix ullum deinceps ſæculum abiit, in quo non plures admirati ſimus Martyres, qui in immaniſſimorum tormentorum perpeſſorum carnificina ſe gaudioſos & exultabundos non exhibuerint. Sic enim de S. Protomartyre in Eccleſia canimus : *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Similiter dilectus ille Chriſti diſcipulus in illum ferventis & bullientis olei lebetem, haud ſecus ac in delitioſum quoddam balneum gaudens & præ lætitia geſtiens ingreſſus eſt. Unde Tertullianus de eo ita ſcribit :

*Tertull. l. præſ. c. 26.*

*Flamma pectus ejus comburens, ignis actionem, qui in lebetem agebat, ſuſpendit, ibique duos ignes inter ſe prælio dimicantes, tandem ignis amoris ſuperior evaſit victoriam reportans.* Sanctus Ignatius Martyr, qui nomen ſuum ſortitus eſt ab igne, ex quo cor ejus ex ardentiſſimæ charitatis flamma mirabiliter flagrabat, dicere non dubitavit : *Utinam fruar beſtijs quæ mihi ſunt præparatæ, quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum.* S. Laurentius tyranno, omnibus ſe illum ſuppliciorum inſtrumentis, ipſi ob oculos poſitis cruciaturum eſſe comminanti, reſpondit : *Infelix, has epulas ego ſemper optavi.* Unde B. Laurentius Juſtinianus in faſciculo amoris ita ſcribit :

*B. Lau. Juſt. in faſc. am. c. 6.*

*Ardenter Chriſtum diligenti nihil difficile videtur, ignem, ferrum, vincula, carceres, perſecutiones, flagella adverſaque omnia Chriſti amor tolerare facit.*

15. Eſt & aliud amoris perfecti evidens ſignum, nimirum dum quis Deum ſine ullo intereſſe, aut ſpe remunerationis diligit, ſolum ideo quia ex ſemetipſo amari meretur. S. Ivonem Sancti Ludovici Regis religioſiſſimum Ambaſciatorem ſive Legatum, matrona quædam acceſſiſſe ſcribitur, quæ una manu magnum vas aqua plenum, altera verò ignem in teſta portabat ; quæ à S. Ivone quid factura eſſet, interrogata, reſpondit ; Per aquam, ignem infernalem extinguere molior ; per ignem verò, Cœlum empyreum ſuccendere & incinerare intendo, adeo ut ne vel minimum remaneat utriusque veſtigium ; hacque ratione efficiam, ut deinceps nec ſpes cœleſtis gloriæ, nec timor Inferni, ſed ſolus & purus amor Dei ad ei inferviendum extimulet. Optimè in hanc rem D. Chryſoſtomus hiſce verbis ſcribit :

*Chryſ. hom. in Pſalm. 7.*

*Amator enim vel millies pro amica moreretur, quamvis poſt mortem nihil ab ea expectaret, ita & nos oportet, non propter regnum nec propter aliud, ſed propter ipſum Deum omnia pati.*

16. Verum enimverò præ cunctis alijs manifeſtiſſimum amoris Dei indicium eſt amor proximi. S. Ambroſius ad hujuſce virtutis charitatis Etymologiam nominis ſeſe reflectens, illam derivari exiſtimat à dictione

*S. Ambr. præcat. 2. ad miſſ.*

*Charius, quia illa charius inveniri nil poteſt* ; verumtamen B. Laurentius Juſtinianus dicit :

*B. Laurent. Juſtin. de ligno vitæ cap. 13.*

*Dicitur charitas, quaſi chara unitas.* Porro de hac unione & dilectione erga proximum, prolixius ſequenti Tractatu diſcurremus.

# TRACTATUS V.

# DE CHARITATE IN PROXIMUM, CONCORDIA ET PACE.

## DISCURSUS DECEM.

DISCURSUS I. Omnia præcepta ad proximi dilectionem tendere, perque illius adimpletionem hominem cujuslibet alterius legis obſervantiam & meritum adipiſci oſtenditur.

II Non datur amor Dei ſine amore proximi, hic enim evidens ſignum eſt quod Deus ametur, utpote qui in proximo tamquam viva Dei imagine & effigie relucet.

III. Amor quo Deus nos diligit, & cura quam habet ut nos eum diligamus, varia nobis motiva modoſque inſinuant, quibus proximos noſtros diligere debemus.

IV. Charitas erga proximos nos veros fideles & in virtute ſolidatos eſſe oſtendit ; hujuſce autem dilectionis defectus & diſſenſiones convincunt nos Dæmonis eſſe ſequaces.

V. Ex varietate operationum in membris corporis noſtri, varij deducuntur modi charitatem & dilectionem erga proximos exercendi.

VI. Ex cœlo Empyreo, viſione pacis, ex diſpoſitione Elementorum, Item ex unici dumtaxat viri formatione, atque ex illius coſta, fabricata unica ſolum muliere, nec non ex unica tantum à diluvio præſervata familia Noetica, ſolicitudo Dei qua unionem inter nos procurare voluit, conſideratur.

VII. Per quorumdam Veteris Teſtamenti rituum & ſcripturarum ponderationem conſideratur, quantum Deus mutuam inter nos concordiam amaverit, oderitque diſſenſiones.

VIII. Eadem Dei ſolicitudo, quâ concordiam & unionem inter proximos procuravit, ex multis Chriſti in Novo Teſtamento operibus deducitur.

IX. Variæ conſiderationes circa præceptum, quo proximos noſtros ſicut nos ipſos amare tenemur, adducuntur.

X. Quanta cum facilitate, delectabilitate & lucro, debito fraternæ dilectionis ſatisfacere poſſimus ; item defectum hujus dilectionis, reprobationis eſſe indicium, oſtenditur ; Varia quoque ejusdem præcepti tranſgreſſoribus irrogata ſupplicia conſiderantur.

## DISCURSUS I.

## ARGUMENTUM.

Per varias hujus Apoſtolici textus expoſitiones, & alia ſimilia, omnia præcepta ad proximi dilectionem tendere, noſque per adimpletam proximi dilectionem meritum & obſervantiam cujuſlibet alterius legis adipiſci poſſe oſtenditur.

## THEMA.

*Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit.* Ad Rom. 13. ℣. 8.

1. S. Hieronymus de S. Joanne Apoſtolo refert, quod cum in ultimâ ſua decrepita ætate, à diſcipulis ſuis, cœleſtis & ſuperhumanæ doctrinæ ejus audiendæ cupidis per manus duceretur ad Eccleſiam, identidem hanc repetiverit ſententiam : *Filioli diligite alterutrum* ; imò addit, *quod nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas*, & tamen Apoſtolus

*S. Hier. l. 3. c. 6. ad Gal.*

hic ille erat, de quo canit ſancta mater Eccleſia : *Fluenta Evangelij de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit :* Et iterum : *Beatus Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia.* Et S. Bonaventura addit, ipſum hoc fine ſuper omnes alios Apoſtolos privilegiatum fuiſſe, ut ſolus ſuper incarnatæ ſapientiæ pectore requieſceret, nimirum,

*S. Bon. in Joan.*

*Ad aliorum omnium illuminationem* ; Quomodo igitur ad erudiendum ſuos, & Eccleſiam, tunc etiamnum naſcentem erudiendam, (*Totas Aſiæ fundavit, rexitque Eccleſias*) aliud præter iſtud documentum tradere omiſit ? *Fratres & diſcipuli qui aderant, tædio affecti quod eadem ſemper audirent, dixerunt : Magiſter, quare hoc ſemper loqueris ?* S. Hieronymus qui documentum iſtud in pondere ſanctuarij adæquatè ponderare novit, ita ſcribit :

*S. Hier.*

*Reſpondit dignam Joanne ſententiam, quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.* Hugo Cardinalis ſuper illa Epiſtolæ primæ ejusdem Apoſtoli verba : Et

*1. Joan. 1. 5. Hug. Card.*

*Et hæc eſt annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis*, ita ſcribit: *Emphaticè loquitur, id eſt, res digna annuntiatione, quaſi dicat, dignum eſt hoc, ut ſemper debeat eſſe in annuntiatione, quam audiſtis ab initio prædicationis vel converſationis noſtræ; Et quid? ut diligatis alterutrum.* S. Paulus Apoſtolus, qui in cœlo Empyreo edoctus fuit, & *audivit arcana verba*. Magnus inquam ille gentium Doctor, ad Romanos liberrimè & imperterritè ſcribit, quod nullo prorſus debito ulli ſive in cœlo, ſive in terra, ſive Deo, ſive hominibus obſtringantur, quam ſolo debito dilectionis reciprocæ, quia hoc debito, ſemel perfectè expedito omnis lex perfectè adimpleta & obſervata eſſe cenſetur: *Nemini quidquam debeatis &c.* Unde Toletus ait: *Charitas eſt brevis ſumma, & mandatorum Dei epilogus.* Idem quoque Apoſtolus eorum, quæ aſſeruit, optimam reddit rationem, nam ad magis præcipua Decalogi præcepta ſeſe reflectendo dicit: *Nam non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur; Diliges proximum tuum.* Porro idem citatus Toletus verbi hujus, *Inſtauratur*, ſenſum nobis declarat dicens: *Inſtaurari non aliud ſignificat, quam ſummatim comprehendi.* S. Auguſtinus legit: *Recapituletur.* S. Ambroſius verò vertit: *Conſummatur.* Tertullianus dicit: *Merito totam Creatoris diſciplinam principali præcepto ejus concluſit; Diliges proximum tuum ſicut te.*

*S. Aug. ep. 29. S. Ambr. ibid. Tertull. l. 5. conc. Marc. c. 15.*

2. Nec eſt, quod quiſquam ſibi perſuadeat, propoſitionem iſtam è calamo S. Pauli inconſiderate effluxiſſe, ſiquidem idem Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas ſcripta cap. 5. manifeſtè dicit: *Omnis lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; Ubi S. Anſelmus ita ſcribit: *In proximi dilectione poteſtis omnia legis præcepta, quæ ad bonos mores pertinent, implere; merito enim qui proximum diligit ut ſe, legem dicitur implere, quia quidquid non vult ſibi ab alio fieri, quantum poteſt, ipſe facit alijs; ſic enim, quidquid lex prohibet, vitatur, & quidquid ipſa moraliter jubet, impletur.*

*Gal. 5. 14. S. Anſel. ibid.*

*S. Thom. ad Gal.*

3. S. Thomas Doctor Angelicus pro hujus ejuſdem textus declaratione, diſtinctione quadam utitur, & dicit: vel præcepta illa ſunt moralia, vel judicialia, vel cæremonialia; Moralia in Decalogo ſeriatim recenſentur, quorum tria prima ad cultum Dei ejuſque amorem ſpectant, alia verò ſeptem ad amorem proximi pertinent; Judicialia verò vel in eum finem tendunt, ut ſi quis rem alterius ſuſtulerit, eamdem in quadruplum reſtituat: vel certè alia ſimilia præſcribunt, quæ ad proximorum dilectionem & reconciliationem ſpectant; Cæremonialia denique ad ſacrificia & ritus ſacros pertinent, quæ certa quædam ſunt ad Deũ amandum & honorandum incentiva; Unde tandem concludit, *Patet quod omnia in uno præcepto charitatis implētur.*

*Tol. ad Rom.*

4. Cardinalis Toletus ulterius progrediens conſiderat, quod univerſæ leges quæ hactenus à bene ordinatis Reſpublicis emanarunt, ad hunc quoque amorem reciprocum tendant, omnes enim ſicut lineæ ad ſuum centrum, ita ad hoc dilectionis præceptum reducuntur: *Revera enim omnis lex etiam civilis comprehenditur, quæ maximè in Juſtitia cum proximo ſervanda conſiſtit.* Et verò per hanc occaſionem Principibus inſinuat, quanto ipſis pro quiete & pace publica conſervanda auxilio ſit Lex Evangelica, utpote quæ in ſubſtantia ſua profeſſoribus ſuis aliud nihil æquè inculcat, firmiterque perſuadet, quam reciprocam charitatem & dilectionem. *Cum Principatus verſentur in conſervanda juſtitia & pace inter homines, malum omne, prohibendo, quo ſe mutuo afficere ſolent; Evangelium perfectionem maximam adfert Principibus, quia præcipit & inducit charitatem proximorum mutuam, quæ plenitudo eſt omnium legum.*

5. Enimverò bene advertenda eſt ratio quam S. Paulus adducit, qui immediate poſtquam dixiſſet; *Si quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur; Diliges proximum tuum ſicut teipſum; Dilectio proximi malum non operatur*: illam ſtatim tanti ponderis & momenti deducit manifeſtam conſequentiam: *Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* Etenim dicite, ſodes, in quonam univerſa divinæ legis obſervantia præcipue fundatur; utique in duobus hiſce punctis veluti duobus polis circumvolvitur, & gyratur: *Declina à malo, & fac bonum.* Quiſquis proximum diligit, *declinat à malo*, quia uti audiviſtis, *Dilectio proximi malum non operatur*; *facit* quoque *bonum*, quia omnibus actibus virtuoſis & meritorijs ſupereminet: *Major autem horum eſt charitas*; Et quidem eum qui proximum diligit, nulli malo culpæ ſubjacere poſſe, adeo verum eſt, & certum; ut S. Ambroſius ſuper illa verba S. Pauli: *Qui diligit proximum, legem implevit*, ita ſcribat: *Etſi ſint alia mandata quæ nunc tacuit, tamen pro omnibus mandatis dilectio ſatisfacit, nam ſi ſe humanum genus ab initio dilexiſſet, iniquitas in terris non eſſet.*

*Pſal. 36. 27.*

*S. Ambr. ad Rom.*

6. S. Job maxima cura angebatur, ut familiæ ſuæ innocentiam ſartam tectam conſervaret: *Cum in orbem tranſiſſent dies convivij, mittebat ad eos, Job, & ſanctificabat illos,... dicebatque: ne forte peccaverint filij mei*; Verum dicat aliquis qua ratione S. Job de puritate conſcientiæ ipſorum bene ſperare poterat, quando illi continuo epulabantur & in convivijs erant? potius quoad apparentiam externam mala quævis ſuſpicari de illis potuiſſet, ſiquidem conviviorum hilaria utplurimum ſolent, ad malum eſſe valde proclivia; & tamen ſi Chryſoſtomo credimus, inimicus infernalis, qui unionem & dilectionem fraternam & reciproca ferre nequit, eiſdem convivantibus iratus, muros domus ſubverſos, ſuper illos corruere fecit: *Obſervavit tali eos tempore necare, (quo nullatenus peccaverunt) quo cum omnes læti ſimul erant, cum ad pacem conjungebantur.* Inſtituantur licet convivia, ſint homines jucundi, hilares, & faceta converſatione, cunctiſque alijs recreationibus animum ſerenent, dummodo convivia illa & recreationes dilectione conditæ, & per charitatis legem bene regulatæ ſint, nulla in ijs offenſa Dei ſubeſſe poterit; *Quia qui diligit proximum, legem implevit; Et dilectio proximi malum non operatur.*

*Job. 1. v. 5.*

*Chryſoſt. ho. N. de Job.*

*Legum prævaricator, qui proximum non diligit. S. Aug. t. 4. l. in expoſ. ad Gal.*

7. S. Auguſtinus illa Pauli verba conſiderans: *Qui diligit proximum, legem implevit*, eademque cum alijs conferens, quæ idem Apoſtolus ſcripſit ad Galatas, nimirum: *Omnis lex*, &c. ſequens movet dubium, dicens: *Cum in duobus præceptis Dilectionis Dei & proximi perfecta ſit charitas, cur Apoſtolus & in hac & in illa Epiſtola ſolam proximi dilectionem commemorat, niſi quia in dilectione Dei poſſunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum iniqua cum hominibus agunt.* Ergo is qui non diligit proximum, omnium legum prævaricator eſſe convincitur, & hoc idem evidens quoque argumentum eſt, quod neque diligat Deum.

*Charitas præceptorum eſt compendiũ. D. Carth. ad Rom.*

8. Dionyſius Carthuſianus aliam illius rationem reddit, nimirum quia amor proximi breve quoddam eſt omnium præceptorum compendium. *Conſummatio perfecta, impletio, ac finalis perfectio legis antiquæ & novæ eſt dilectio: omnia præcepta diſponunt & referunt ad plenam obſervationem præcepti charitatis*, adducitque celebrem illam ejuſdem Pauli ad Timotheum propoſitionem, nimirum: *Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Etenim Deus tam in antiquo quam in novo Teſtamento pro divinorum præceptorum ſuorum ſcopo dilectionem habuit; Et tametſi verum ſit, quod dilectio hæc bifariam dividatur, & primo quidem loco in amorem Dei, & ſecundo loco in dilectionem proximi, *In his duobus mandatis univerſa lex pendet*, nihilominus tamen Angelicus Doctor reſpondet: *Illa dilectio proximi ad charitatem pertinet, & legem implet, quâ proximus diligitur propter Deum, & ita in dilectione proximi includitur dilectio Dei, ſicut cauſa in effectu.*

*1. Tim. 1. v. 5.*

*Matth. 22. v. 40. S. Thom. ad Rom.*

9. Richardus de S. Victore illum S. Pauli ad Timotheum textum gloſſans, dicit: *Porro ſecundùm Apoſtolum conſcientiam bonam habet ad omnes, qui proximi bonum æquè ac proprium diligat; fides non ficta eſt, quæ per dilectionem operatur.* Dic obſecro ſub quonam ſigno Chriſtus Patris ſapientia nobis præceptum dilectionis Dei inſinuat? nimirum: *Si diligitis me; mandata mea ſervate*; In qua propoſitione per *ly mandata* non intelligit tria prima ſpectantia ad Deum ipſum, illorum enim adimpletionem ſupponit, dum ait: *Si diligitis me.* Ergo per illa alia ſeptem intelligit concernentia proximum; & hoc verum eſſe patet ex eo, quod præcepta ſpectantia ad ipſum Deum, condiſtinxit ab hoc amore reciproco proximorum, dum ait: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.*

*Rich. à S. Vict. p. 1. c. 4. de gr. charit.*

*Joan. 14. 15.*

*Joa. 15. v. 12.*

*Qui charitatis præceptũ implet, omnia implet. Joan. 15. v. 9. Joa. 15. v. 10.*

10. Advertendum eſt autem, quod Chriſtus Dominus noſter in S. Joanne diſcipulos ſuos, & una cum ipſis omnes fideles exhortando, dixerit: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea*, poſtea vero immediatè modum docet, quo in hoc amore perſiſtere debeamus, dum ait: *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione*, quæ omnia hucuſque ſatis bene intelliguntur, nec ullam ſecum adferunt difficultatem. Demum vero declarare incipit circa quæ præcepta ſua verſentur, & dicit: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*; Circa quæ verba aliqua oritur difficultas, quæro enim quænam cauſa ſit, quòd cum aliàs in plurali dixerit *Præcepta mea*; nunc illa omnia ad unicum tantum præceptum conſtringat illudque per antonomaſiam præceptum ſuum appellet? Salmeron dicit: *Quod ſupra in plurali dixerat præcepta, nunc præceptum in ſingulari declarat, quia charitas unum præceptum eſt, & multa, unum in radice, multum in opere*: S. Thomas ad eamdem difficultatem reſpondendo, expoſitionem adducit S. Gregorij dicentis: *Dicendum, quod charitas eſt radix & finis omnium virtutum; radix quidem quia ex charitate confirmata in corde hominis; movetur homo ad implenda omnia præcepta, quæ quaſi ad hoc ordinantur, ut homo benefaciat proximo; finis eſt, quia omnia præcepta ad ipſam ordinantur, & in ſola charitate ſolidantur*: Albertus Magnus aſſignat magnam quamdam quæ inter hoc & alia præcepta verſatur differentiam, dicens: *Diſcretum eſt ab alijs in tribus, ſcilicet, quia unit omnia ut radix; quia implet alia; ut forma, & motor; & quia perficit alia ut finis.* Etenim charitas finis eſt & ſcopus omnium aliorum, quæ hactenus ſive ſub lege naturæ, ſive ſub lege ſcripta, ſive lege Evangelica umquam emanarunt, moralium quoque, civilium & politicorum, omnia enim ad unionem & concordiam inter nos mutuam tendunt, omnia enim pro objecto & fine charitatem habent; Denique adimpletio horum omnium in virtute hujus procedit, nec poteſt opus illum, quantumvis in ſe virtuoſum ſit, aliquem apud Deum valorem & acceptationem habere, niſi informatum fuerit hac virtute charitatis. Cajetanus dicit: *Quamvis pluraliter dixerit præcepta mea, omnia tamen ſumendo ad unum reduxit, dicens: Hoc eſt præceptum meum, quoniam in hoc uno impleto omnia implentur, & ſine hoc ſervatio cæterorum nihil prodeſt.*



*Salm. 9. tr. 58.*

*S. Tho. in Jo.*

*Alb. Magn. in Joan.*

*Cajetan. in Joan.*

*Proſecutio.*

11. Neſcio utrum aliquando obſervaveritis, quod in proceſſu qui in finali judicio compilabitur & inſtituetur nulla fiat mentio converſionis tot animarum, quas tot ſervi ejus ad fidem, vel à perverſa vita ad verã reſipiſcentiam perduxerunt; neque auſteritatis ab Eremitis perpeſſæ, nec victoriarum quas de carnis voluptatibus glorioſè obtinuere virgines, vel ſuppliciorum quæ perpeſſi ſunt fortiſſimi Martyres, ſed ſolum mentio fiat operum charitatis directorum ad teſtificandam noſtram erga proximos dilectionem, ſcitiſne cauſam, cur id futurum ſit? nimirum ideo fiet, ne ullus ſe excuſare poſſit, prætendendo legum & præceptorum ad ſalutem aſſecurandam præſcriptorum multiplicitatem, quæ vix adimpleri poſſit; Nihil hæc excuſatio proficiet: non enim multa tibi obſervanda ſunt, ſed unum, quod ſi perfectè adimpleveris, omnia impleſti, & ſalvaberis; Et ideo *Filioli diligite alterutrum, ſi hoc fiat, ſufficit.* Nec eſt quod opponas, quod in hac dilectione proximi, amor quoque erga Deum non exerceatur; Deus enim utique dicit, ſe in quolibet proximorum, quem diligis, ſimul reperiri: *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, inquit Deus noſter, at vero ut hanc viam tibi faciliorem & leviorem efficiat, omnia præcepta ad unicum tantum reſtrinxit: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.* Unde S. Bernardus ſuper illa verba: *Quis aſcendet in montem Domini &c.* jure merito in hæc verba prorumpit: *quæris legem? quæris mandatum? Hoc eſt*, inquit, [*mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos,*] Et Apoſtolus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

*Matth. 25. v. 40. Matth. 19. v. 17.*

*S. Bern. in Pſal. 23. v. 3. Joa. 13. v. 34. Gal. 6. v. 2.*

*Proſecutio.*

12. Philoſophicum axioma eſt: *Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & æquè bene.* Cum igitur per unius dumtaxat præcepti adimpletionem, omnia alia pariter adimpleatis, indeque meritum obſervantiæ cunctorum aliorum vobis acquiratis, cur non adhibetis omne ſtudium, ut in hac ſola dilectione vos perficiatis, abſque eo quod in reliquis adimplendis fatigemini? Hoc fuit ſalutare Chryſoſtomi conſilium dicentis: *Dilige ergo fratrem; Si enim ex dilectione ipſius tanta lucraris, ut totam legem impleas, debes eam dilectionem, ut qui tali beneficio ab eo affectus es.* Et quidem adeo verum eſt, quod dilectio proximi ad cujusvis alterius præcepti impletionem ſufficiat, ut ipſemet Chriſtus, poſtquam amorem erga Deum primum & maximum mandatum eſſe dixiſſet, protinus & immediatè ſubjunxerit: *Secundum ſimile eſt huic; Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, quaſi dicere voluiſſet, ambo hæc præcepta adeo inter ſe ſunt uniformia, ut nulla ſit unius ab altero diſtinctio.

*Chryſoſt. ho. 23. ad Rom.*

*Matth. 22. v. 39.*

*Qui proximum diligit, Deũ diligit. Apoc. 2. v. 4.*

13. In Apocalypſi cap. 2. legimus qualiter Timotheus Epiſcopus Epheſinus à Deo hiſce verbis fuerit reprehenſus; *Habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Cornelius à Lapide in ea eſt opinione Epiſcopum hunc, in infidelium ad fidem Evangelij converſione tantiſper ſicut & in ferenda proximis ope refriguiſſe, poſtquam ad ætatem adultiorem deveniſſet, at vero id quod vel maximè propoſito noſtro ſervit, eſt ſequens illi data admonitio: *Prima opera fac, ſin autem, venio tibi; & movebo candelabrum tuum*; Verum dices fortaſſe, qua ratione appellat dilectionis & charitatis in proximos exercitium hoc titulo Prima opera; Scriptura enim dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. hoc eſt primum mandatum: ſecundum autem ſimile eſt illi: Diliges proximum*; potius ergo actus amoris Dei prima opera vocari merentur: nihilominus etiam amor erga proximum idem nomen ſortitur, quia veriſſimum eſt, utriuſque dilectionis unum idemque eſſe præceptum. *Qui diligit proximum, legem implevit*; Idiota in aureo ſuo libro de amore Dei, nos de hac veritate certiores facit, idque verbis valde affectuoſis, ab ipſo ad Divinum amatorẽ directis: *Quid eſt quod ſcribitur: Qui proximum diligit, legem implet, niſi quod, qui diligit proximum, diligit & te Deum, quia eadem eſt virtus & dilectio, qua quis utrumque diligit, ut idem eſt radius quo quis Solem & terram intuetur.*

*Marc. 12. v. 30. 31.*

*Rom. 13. 8.*

*Idiota c. 26.*

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Non datur amor Dei ſine amore proximi, hic enim evidens ſignum eſt, quod Deus ametur, utpote qui in proximo tamquam in viva Dei imagine & effigie relucet.

### THEMA.

*Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum:* 1. Joan. 4. ℣. 21.

*Nec proximus ſine Deo, nec Deus ſine proximo diligitur.*

1. HEbræorum legiſlator Moyſes de Sinai monte deſcendens; duas in manu ſua tabulas ferebat, quarum uni tria præcepta cultum Dei ſpectantia inciſa erant, in altera vero cernebantur præcepta ſeptem proximi dilectionem concernentia; at vero dum populo vicinior factus illius audiret è Cymbalis, Cytharis, canticis, tripudijs, & convivantium clamoribus, qui ibi in contumeliam & ignominiam Dei Iſraël, vitulo aureo applaudebant, excitatum ingentem ſtrepitum: *Projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Et tamen certiſſimum eſt, tabulas illas lapideas longe majoris fuiſſe valoris & pretij, quam omnes lapides & gemmæ prætioſiſſimæ, quæ umquam ex Erithræo mari fuêre extractæ, maxime cum ab illis digitis, qui totum hoc univerſum ſuſtentant, & de quibus canit S. Mater Eccleſia: *Dextræ Dei tu digitus*, ſanctificatæ fuerint; cur igitur Moyſes illas haud ſecus ac ſi prophanæ fuiſſent rumpere & frangere præſumpſit? Fuit utique ardentis in Moyſe zeli, & ex adeo turpiter proculcato Dei honore conceptæ juſtæ indignationis effectus: at verò ſi Moyſes id faciens hoc motivo ductus fuit, cur primam dumtaxat tabulam Dei nimirum dilectionem præcipientem non rupit, illæſa interim manente tabula ſecunda, in qua ſolum inciſa erant præcepta concernentia proximum? Nimirum utramque confringendo tabulam docere nos voluit, quod qui Dei amorem amittit, & contumelioſè abjicit, per neceſſariam quoque conſequentiam; præcepti dilectionis erga proximum prævaricator exiſtat, ſicut è contra qui proximum non diligit, Deum quoque non amare convincitur. Et ideo Haymo Halberſtadienſis verba illa Apoſtoli: *Qui diligit proximum, legem implevit, exponens, ad propoſitum dicit; quia in dilectione proximi conſiſtit & dilectio Dei: neque enim proximus ſine Deo, nec Deus ſine proximo diligi poteſt.*

*Exod. 32. v. 19.*

*Haym. ad Rom. 13.*

*Idem ſpecie eſt actus quo Deus diligitur & quo proximus. S. Tho. 2. 2. q. 20. a. 2.*

2. Doctor Angelicus de hac materia ſcholaſticè tractans, hanc ſtatuit Concluſionem, quod videlicet actus quibus & Deum & proximum diligimus, ejuſdem prorſus ſunt ſpeciei: *Cum Charitatis objectum Deus ſit, ea non ſolum ſe extendit ad Deum, ſed etiam ad dilectionem proximi, omnes actus ejuſdem ſpeciei ad eumdem habitum pertinent, & actus quo diligimus Deum, & quo diligimus proximum, in Deo ſunt ejuſdem ſpeciei*; Ex quibus præmiſſis tandem deducit, quod in tantum ametur proximus, in quantũ intẽtionẽ & affectus cordis

dis in Deum defixos habemus ; *Ratio diligendi proximum Deus eſt , manifeſtum eſt autem , quod idem ſpecie actus eſt, quo diligitur Deus , & quo diligitur proximus*; Quod optimè conſonat cum eo quod idem ſanctus Doctor ſuper Epiſtolam ad Galatas, hunc textum exponens ita ſcribit : *Omnis lex in uno ſermone impletur ; Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

S.Thom. ad Gal. c. 5.

3. Verum inquies, quomodo id cum eo concordat, quod Salvator noſter dixerat, nimirum : *In his duobus mandatis univerſa lex pendet* , primum & principalem locum amori Dei attribuens : *Non ergo in uno præcepto tantum impletur ?* *Reſpondeo*, inquit S.Thomas : *In dilectione Dei includitur dilectio proximi* , adducitque in hujus dicti confirmationem, authoritatem illam S. Joannis , dicentis : *Hoc mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum , & econverſo proximum diligimus propter Deum ; impletur ergo tota lex in uno præcepto charitatis.* Simili quoque modo Hugo Cardinalis ſcribit , dum ait : *Dilectio Dei in dilectione proximi continetur ; quia non diligimus proximum, niſi propter Deum* ; Quod etiam confirmat per illam S.Gregorij Magni ſententiam dicentis : *Amor Dei generat dilectionem proximi, & in dilectione proximi amor Dei calefacit.*

Matth. 22. v. 40.
In dilectione Dei includitur dilectio proximi.
1. Joan. 4. 21
Hug. Card. in c. 5. ad Gal.

4. Dionyſius Carth. objecta amoris erga Deum , & amoris erga proximum diſtincta eſſe concedit, verumtamen non niſi materialiter , quia unum illorum reſpicit Deum, & alterum hominem, atque hoc ſenſu duo præcepta eſſe dicit : at vero in ſubſtantia objectum formale utriuſque hujus amoris unicum tantum eſt , nimirum Deus , quia proximus amatur tamquam effigies & imago Dei, & propter Dei præceptum; vel , ut proximum diligendo, Deo id præcipienti complaceat : *Licet duo ſint charitatis præcepta propter materialem diſtinctionem objecti, una tamen eſt charitas, qua Deus proximusque diligitur.*

Formale objectum dilectionis Deus eſt.
Dion. Carth. ibid.

5. Filius Dei Eccleſiæ ſuæ in Collegio Apoſtolico ſpecialiſſimè repræſentatæ Spiritum Sanctum bina vice communicaſſe legitur ; Primo quidem poſt ſuam reſurrectionem , quando *Inſufflavit & dixit eis ; Accipite Spiritum Sanctum.* Secundo idipſum in die Pentecoſtes præſtitit , quando *Factus eſt repente de cœlo ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis.* Hujuſce autem bina vice factæ communicationis myſterium à S.Greg. optime exponitur, dum ait : *Duo ſunt præcepta charitatis, Dilectio Dei & proximi ; In terra datur Spiritus , ut diligatur proximus, è cœlo datur Spiritus, ut diligatur Deus.* Porro cauſa cur Spiritum Sanctum non ſolùm bis Eccleſiæ dederit, ſed etiam id prima vice fecerit, dum adhuc in terra conſtitutus eſſet , ſecundo vero eumdem miſerit poſt ſuam in cœlos aſcenſionem , hoc eſt, ut nimirum per hoc inſinuaret , duo eſſe Dilectionis Dei & proximi præcepta ; advertendum tamen eſt , quod ad utrumque præceptum adimplendum unus idemque Spiritus datus fuerit, quia uterque amor ab eadem radice procedit & derivatur.

Duplex dilectionis præceptum ab uno provenit ſpiritu.
Joa. 20. v. 22
Act. 2. 2.
S. Greg. h. 26 in Evang.

6. Porro ingenioſa eſt ſimilitudo illa, qua ad eamdem veritatem explicandam utitur S.Bernardus ; Dicit enim , ſicut avis duabus alis in cœlum contendit , adeo ut una illarum ſine alterius ſocietate minimè ſufficiat, ſed ut ſuum in cœlos volatum expediat, neceſſum eſt ut utraque explicetur, ita quoque ei qui in Cœlum vult evolare Empyreum, non ſufficit quod diligat Deũ excludendo proximum, nec quod amet proximum excludendo Deum : *Nullus cum una ala poterit volare in cœlum , quare ? quia nec ſola dilectio Dei ſine dilectione proximi, nec ſola dilectio proximi ſine dilectione Dei valet ad æternam beatitudinem.*

Cœlum qui volunt Deũ & proximũ ament.
S. Bern. ſerm. 13. de modo ben. viv.

7. Et quidem in hujuſce veritatis confirmationem omnes ſpiritualis vitæ magiſtri unanimiter conſentiunt; Et quidem B.Laurentius Juſtinianus ait : *Qui amare proximum negligit , profecto diligere Deum neſcit* ; Et paulo poſt ſubjungit , amorem erga Deum tanto magis in ſui ardore adaugeri , quanto fuerit charitas erga proximum ardentior : *Tunc ad ſummam perfectionem charitas mirabiliter ſurgit , cum ad ima proximorum ſe mirabiliter attrahit.* S. Fulgentius quoque in quadam Epiſtola ſua nos monet: *Tunc rectè Deus proximusque diligitur , ſi in Deo & in proximo ipſa charitas diligatur ; ita fit, ut in Deo ipſum Deum, & in proximo Deum ſine dubio diligamus.* Pergit poſtea rationem exponendo, cur Chriſtus Magiſter noſter , poſtquam divinæ nobis dilectionis præceptum inſinuaſſet , aliud inſuper dilectionis proximi præceptum immediatè ſubjunxerit : *Nec enim fruſtra*, inquit, *poſt dilectionem Dei , non alia niſi proximi ſola nobis eſt mandata dilectio, ſcilicet , ut agnoſcamus illam creaturam , nos debere diligere , ubi charitatem ipſam poſſimus invenire ; omne namque animal irrationale , ſicut non habet rationem , ita non habet charitatem.*

B. L. Juſt. de lig. vit. c. 14.
S Fulg. in ep 5. ad Eug

8. Cajetanus argutè obſervat , quod juvenis ille Phariſæorum diſcipulus ad propoſitam ſibi de duobus maximis præceptis quæſtionem reſpondens , hoc ab incarnata Sapientia retulerit monitum ; *Rectè reſpondiſti, hoc fac, & vives.* Videri autem nonnemini poſſet, Chriſtum potius dicere debuiſſe : *Hæc fac*, id eſt , duo iſta præcepta , de quibus reſpondiſti , aſſiduè obſerva , ſiquidem juvenis ille duorum præceptorum fecerat mentionem , non vero unius tantum , & tamen Chriſtus non ſine myſterio in numero ſingulari dicit *Hoc*, ut intelligeremus , quod præceptum amoris Dei & amoris proximi, in ſubſtantia , unicum tantummodo ſunt præceptum : *Non dixit Dominus Hæc, ſed Hoc fac, quoniam unum ſine altero fieri nequit.*

Præceptum Dilectionis Dei & proximi unicũ eſt.
Cajet. in Luc. c. 10. v. 28.

9. S. Auguſtinus circa hoc punctum mirabiliter hunc in modum diſcurrit : *Diligere proximum, id eſt, omnem hominem tamquam ſeipſum, quis poteſt, niſi Deum diligat , cujus præcepto & dono dilectionem proximi poſſit implere ? Cum ergo utrumque præceptum ita ſe habeat , ut neutrum ſine altero poſſit tenere , etiam unum horum commemorare plerumque ſufficit , cum agitur de operibus juſtitiæ , ſed opportunius illud amoris proximi de quo quiſque facilius convincitur. Unde & Joannes dicit : Qui enim non diligit fratrem ſuum , quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere.*

S. Aug. l. 4. in ep. ad Gal.
1. Joan. 4. 20

10. In memoriam vobis Cherubinos illos revocate, qui ad utrumque propitiatorij latus conſtituti, expanſis alis ſuis, & converſis ad ſe invicem vultibus , ſeſe mutuo aſpiciebant : *Duos Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi ; Cherub unus ſit in latere uno , & alter in altero , utrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatorium* ; Advertendum enim eſt, quod uno eodemque tempore ſeſe invicem viciſſim reſpexerint , concuſſiſque alis reciproci in ſe amoris ignem accenderint , ita tamen, quod oculos habere debuerint in propitiatorium directos , ad denotandum, quod mediante igne amoris Divini alius quoque in nobis fraternæ dilectionis ignis accendatur. Unde Abbas Cellenſis ait : *Non vertunt vultus in propitiatorium , qui ſeſe mutuo non reſpiciunt ; quia qui proximum, quem videt, non diligit , Deum , quem non videt, quomodo poteſt diligere ? In mutuo reſpectu fraterna dilectio , inverſo vultu in propitiatorium , humilis reverentia ad Creatorem noſtrum intelligitur.* Aliam ejuſdem rei rationem B. Laurentius Juſtinianus adfert , nimirum connexionem neceſſariam , quam dilectio proximi habet cum dilectione Dei. *Notandum autem eſt* , inquit , *quod nequaquam proximum rectè poteſt diligere, qui prius Deum veraciter non diligit; in amore enim Dei firmata eſſe debet dilectio proximi , nec hominem rectè diligere novit , quiſquis eum rectè non diligit , qui hominem fecit.*

Mediante Dei dilectione accenditur amor proximorum.
Exod 25. v. 18. & 19.
Abb. Cell. l. 2. de taber.
B L. Juſt. Lo. cit. c. 17.

11. S.Auguſt. in libro ſæpius à nobis allegato De diligendo Deo cap. 1. extra controverſiam eſſe aſſerit, quod *Dilectio Dei ſine dilectione proximi haberi non poteſt*, adducitque prædictam S. Joannis authoritatem , dicentis : *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt &c.* Porro Apoſtolus nos ad Deum amandum exhortatus fuerat, dicens : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos ; ſi quis dixerit , quoniam diligo Deum , & fratrem ſuum oderit , mendax eſt, qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere ?*

S. Auguſt. l. de dil. Deo c. 1.
1 Joan. 4 20
Dilectio Dei haberi non poteſt ſine dilectione proximi.
1. Joan. 4. 19. 20.

12. S. Anſelmus conſiderans quod S.Paulus de integerrima præceptorum obſervantia tractans , ſolum proximi amorem expreſſe nominarit , dicendo : *Qui diligit proximum , legem implevit* , abſque eo quod ullam amoris Dei mentionem faceret, ita ſcribit : *Sed cur Apoſtolus ſolam proximi dilectionem commemorare maluit , qua legem dixit impleri, niſi quia in dilectione Dei poſſunt homines mentiri, quia rariores tentationes eam probant , in dilectione autem proximi ; facilius convincuntur eam non habere , dum ſcilicet inique omnibus vel aliquibus agunt.*

Rom. 13. 8.
S. Anſelm. ad Rom. c. 13.

13. B. Laur. Juſt. in faſciculo amoris dicit , quod juxta menſuram charitatis qua proximum diligimus , amoris quo Deum proſequimur intenſio, agnoſcatur : *Stateram quamdam ſpiritualem Divini amoris , proximi voluit eſſe dilectionem.* Scripturam ſacram quaquaverſum obſecro pervolvatis , ſic enim utique invenietis, quod Deus majorem curam habeat, ut proximos noſtros diligamus, quam ut amemus Deum ipsũ ; non quod & ipſe cor noſtrum poſſidere non deſideret, ſed

Ex dilectione proximi menſuratur Charitas.
B. L. Juſt. in faſc. am. c. 1.



ſed quod ex proximorum dilectione , ea qua ipſum amamus menſurari & agnoſci ſoleat.

14. Chryſoſtomus optime verba illa conſiderat : *Secundum ſimile eſt huic* , eademque per ſimilitudinem quamdam declarat , dicens : *Quemadmodum & nos ſi quempiam dilexerimus , dicere ſolemus ; ſi hunc diligis, meipſum diligis , ita & Chriſtus hoc ipſum declarans , dicit : ſecundum ſimile eſt huic.*

Chryſoſt. hom. 23 , ad 1. Rom.

15. S. Auguſt. circa noſtrum erga Deum amorem tale Argumentum facit; *Modo cum fide vides, tunc cum ſpecie videbis , ſi amamus cum non videmus , quomodo amplectemur, cum viderimus ?* Medium quoque nos docet , quo utendum nobis eſt , ut in cœlo Empyreo inter Seraphinos Seraphico quoque amore ardeamus ; Dicit enim : *Sed ubi nos exercere debemus ?* & reſpondet idem S. Auguſtinus : *In amore fraterno. Potes mihi dicere , Non vidi Deum, numquid potes mihi dicere non vidi hominem ? Dilige fratrem , Si enim fratrem , quem vides, dilexeris, ſimul videbis & Deum, quia vides ipſam charitatem, & intus inhabitat Deus.* Alibi quoque idem ſanctus Doctor ſimilitudinem quamdam adducit , ut mendacium illorum convincat , qui ſe Dei amatores eſſe profitentur , cum tamen eodem prorſus tempore fratres ſuos contemnant, & injurias afficiant : *Ipſe dedit nobis præceptum, ut diligamus invicem ; quomodo diligis eum cujus contemnis præceptum ? quis eſt qui dicat, diligo Imperatorem, ſed odi leges ejus ? Lex Imperatoris quæ eſt ? mandatum novum do vobis , ut diligatis invicem.* Ex qua ſimilitudine aliud quoque motivum deducere poſſumus ; Quis enim credat, quod aliquis Regem ſuum veneretur & amet, qui effigiem, ſtatuam & imaginem ejus injurijs & convitijs afficit. Hoc argumento Hugo Cardinalis utitur , dum ſuper illa verba : *Qui non diligit fratrem ſuum quem videt , quomodo &c.* ita ſcribit : *frater enim ſuus imago Dei eſt; Si ergo non diligis imaginem Dei, nec eum, cujus eſt imago, diligis ; Ergo mendax es, ſi te Deum diligere dicis, & fratrem odis; [Qui non diligit fratrem quem videt, ] non diligit imaginem Dei, & qui non diligit imaginem Dei, Deum non cognoſcit, & qui Deum non cognoſcit, ipſum non diligit.* Indubitata propoſitio eſt, quod *Deum nemo vidit unquam*, & ideo nos eum in proximo, velut in ejus effigie & imagine ſpeculari & contemplari voluit, diſpoſuitque ut in probationem & conteſtationem amoris noſtri erga ipſum , fratrem qui ob oculos noſtros verſatur, diligamus.

Deus in proximo tamquã in imagine relucet.
Joan. 15. 12.
Aug. tr. 9. in Joan. c. 3.
Ibid. c. 1.
Hug. Card. in c. 4. v. 1.
1. Joan. 4. v. 20.
Joan. 1. 18.

16. S. Joannes poſtquam dixiſſet : *Nos debemus alterutrum diligere*, mox ſubjungit : *Deum nemo vidit umquam ; ſi diligamus invicem , Deus in nobis manet , & charitas ejus in nobis perfecta eſt.* Ubi Hugo Cardinalis ait : *Ratio propter quam debemus diligere invicem , eſt, quia per charitatem oculis ſpiritualibus Deum videmus , qui non videtur corporalibus.* His quoque addi poteſt , Deum nobis in proximo agnoſcendum eſſe , eo quod hic ad imaginem & ſimilitudinem Creatoris ſui creatus fuerit. Sicut enim licet ligno pro ignis alimento utaris, lapidem quoque in domus tuæ fundamenta conjicias , attamen poſtquam per adhibitam artificis induſtriam ex utroque facta eſt imago & effigies crucifixi Salvatoris, è veſtigio illud adoras, ita quoque licet homo è luto formatus , defectibus multis obnoxius tibique ingratus exiſtat , à te tamen impenſe diligendus eſt, vel quia Deus idipſum præcepit, vel quia Deo charus eſt & acceptus, ideòque ab eodem ad æternam gloriam deſtinatus , vel quia in ſe defert imaginem communis creatoris. Unde S. Ambr. ait : *Nos unum eſſe præcepit , & ſuæ naturæ unitatiſque ſimilitudinem in nos gratiæ adoptione transfudit , dicens : Pater ſicut ego & tu unum ſumus, ita & iſti in nobis unum ſint.*

1. Joa. 4. v. 11
Ibid. v. 12.
Hug. Card. ibid.
Pulchra ratio, cur proximus diligendus.
S. Ambr. l. de parad. c. 5.

17. Experientia quotidiana in curia Romana vel maxime demonſtrat , quod is qui magna à Principe beneficia quotidie accipit , in ſignum æſtimationis veræque gratitudinis erga illum , ejuſdem Principis effigiem in nobilioribus conclavibus publice expoſitam habeat, aulicos quoque ejuſdem honoret, illum veneratione & obedientia debita proſequitur, imo genium & nutus ejus obſervet; Eodem quoque modo manifeſtum in nobis indicium erit, quanti Deum noſtrum æſtimemus & diligamus, ſi ex ipſius amore permagni æſtimemus & honoremus proximum qui velut imago & ſimilitudo ejus eſt, ſique hoc præceptum, quod ipſe proprium ſuum præceptum appellat : *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, inviolabiliter obſervemus.

Amor proximi indicium Divini amoris.
Matth. 22. v. 39.

18. Enimvero proximum noſtrum veram Dei imaginem & ſimilitudinem præ ſe ferre , adeo verum eſt, ut Chriſtus de hac erga ipſum dilectione tractans , ut quam ipſius refert ſimilitudinem manifeſtius indicaret, de ſecundo hoc præcepto dixerit : *Secundum ſimile eſt huic.* Imo S. Thomas hujus ſimilitudinis certa quædam veſtigia ſequentibus verbis exprimit, dum ait : *Idem eſt actus in ſpecie, qui utrobique recipitur, ſcilicet dilectio ; idem numero habitus charitatis , à quo uterque actus elicitur, & unus idemque finis, ſcilicet Deus , in quem uterque dirigitur* , quia propter Deum & Deus & proximus diligitur. Sunt quoque præcepta iſthæc ſimilia in obligatione, & paria in authoritate, quia ambo à Deo, non vero ab hominibus emanarunt. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui &c.* Ambo abſoluta ſunt , non vero conditionalia, eodem modo nobis, quo amare Deum præcipimur , & ſub eadem pœna & ejuſdem præmij promiſſione Dilectio quoque proximi nobis imponitur : utrumque eſt præceptum ad differentiam conſiliorum ; *Utrumque præceptum Divinum ad differentiam humanorum ; utrumque morale ad differentiam ceremonialium ; utrumque naturale ad differentiam poſitivorum ; utrumque abſolutum ad differentiam conditionalium ; utrumque affirmativum ad differentiam negativorum ; Utrumque generale ad differentiam ſpecialium ; utrumque lucidum ad differentiam obſcurorum , utrumque perpetuum ad differentiam temporalium.*

Amor proximi & Dei paria ſunt præcepta.
S. Th. op. 61. de dil. c. 2.
1. Joan. 4. v. 21.

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Amor quo Deus nos diligit, & cura quam habet ut nos eum diligamus, varia nobis motiva, modosque inſinuant, quibus proximos noſtros diligere debeamus.

## THEMA.

*Chariſſimi , ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* 1. Joan. 4. ℣. 11.

1. SApientia incarnata Nicodemo infinitum amorem, quem Pater æternus generi humano oſtendit, dum in illius redemptionem filium ſuum unigenitum dedit , exprimere volens, tametſi verbum Patris eſſet, hunc tamen amorem alio modo declarare neſcivit, quam per ly ſic. *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium ſuum unigenitum daret.* Ubi Chryſoſt. ait : *Vide , quanto miraculo plena ſit hæc dictio , Sic* ; Similiter S. Joannes Divini amoris Secretarius , ut nos per amorem quo Deus noſter nos dilexit , ad reciprocam dilectionem induceret , eadem dictione uſus eſt, dicendo : *Sic Deus dilexit nos.* Beatiſſima Virgo quoque quæ *ſedes ſapientiæ* ab Eccleſia appellatur , ut exceſſivum dolorem , quo in triduana divini filij ſui amiſſione in animo ſuo cruciata & afflicta fuit , exprimeret, aliud verbum invenire non potuit , quam dicendo : *Fili, quid feciſti nobis ſic ?*

Joa. 3. v. 16.
S. Chryſoſt. h. 22. in Gen.
Luc. 2. v. 48.

2. Chriſtus Dominus noſter hoc fraterni amoris præceptum , ſpecialiter ſuum præceptum appellavit , dicens : *Hoc eſt præceptum meum , ut diligatis invicem.* Haud dubie etiam tria priora primæ tabulæ præcepta ſua præcepta erant , imo magis propriè ſua præcepta dici debebant, utpote ad Religionem & divinum ejus cultum ſpectantia ; Similiter præcepta moralia, judicialia , & ceremonialia antiquæ legis præcepta, quorum ſexcenta tredecim erant , ſua præcepta dici debebant , eo quod conſilio & authoritate ipſius promulgata fuerant , cur igitur hoc ſolum dilectionis præceptum , ſpecialiter tamquam præceptum ſuum canonizare voluit ? Pro hujuſce quæſtionis reſolutione ſequens ſimilitudo optimè nobis deſerviet; Etenim Pater aliquis qui multos filios habet , tametſi omnes illo affectu verè paterno diligat , ſæpe tamen contingit, quod unum præ cæteris ob raras illius qualitates & virtutes ſpecialius diligat ; qui caſus *in terminis* propriè in Jacob Patriarcha eluceſcit , qui Joſeph filium ſuum ſuper omnes alios tenerrimè dilexit : *Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios , eo quod in ſenectute genuiſſet eum.* Ita quoque dicere poſſumus, quod licet Deus noſter homini multa præcepta impoſuerit, in iiſque omnibus paternam ſuam erga nos curam liquide ſatis demonſtrarit , attamen pronti in ſermone quem in ultima cœna habuit, perſpicue videre licet, inſinuare nobis voluit , quod hoc de dilectione proximi datum præceptum anxiè magis & impenſius nobis inculcatum eſſe voluerit , ideoque ex induſtria illud nobis in ultimo vitæ ſuæ tempore tanta cum efficacia nobis expreſſit, ut tanto tenacius nobis illud impreſſum relinqueret.

Dilectio à Chriſto magis inculcata.
Joa. 15. v. 12.
Gen. 37. v. 3.

3. Idem Dominus paulo ante in eodem ſermone dixerat : *Mandatum novum do vobis , ut diligatis invicem ,*

Joa. 13. v. 34.

*cem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Circa quæ verba Origenes quærit, qua ratione Dominus noſter præceptum iſtud novum appellare potuerit, cum utpote ipſimet naturæ hominis impreſſum adeo fuerit antiquum, imo cum idem Divinus Magiſter dixerit: *Hoc eſt maximum & primum mandatum; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. ſecundum ſimile eſt huic; Diliges proximum tuum; Et ideo,* inquit Origenes, *quomodo mandatum hoc novum dici potuit; Cum utique ſciret olim datum eſſe mandatum in lege?* Mox vero reſpondet, dicens: *Sed quoniam charitas numquam cadit, nec mandatum charitatis aliquando veteraſcit; hoc autem quod numquam veteraſcit, ſemper novum eſſe prænuntiat, ſemper enim conſervantes & cuſtodientes in ſe charitatis mandatum novos reddit in ſpiritu.* Quamvis etiam novum eſſe ex aliquo quodam motivo explicari poſſit, quod in Alberto Magno legimus, unde nobilitas clare deducitur amoris illius, quo nos Deus noſter jugiter amavit: *Cum novum ſit,* inquit, *quod ſuo principio, à quo trahit eſſe, eſt propinquius, nihil eſt quod nos noſtro principio propinquos facit, ſicut dilectio; quæ nos præ omnibus Deo conjunxit.* Id quod in Seraphinis præcipue exemplificat, quibus amor ſpecialiſſimè attribuitur, & ideo throno Dei viciniores exiſtunt; imo charitas & amor non ſolùm nos liberum ad Deum habere aditum facit, verum etiam nos quaſi unum prorſus & idem cum Deo efficit. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Dilectionis præceptum ſemper eſt novum.
*Matth. 22. v. 37. 38. 39.*
*Orig. h. 9. in Num.*
*Alb. Magn. in Joan. 13.*
*1. Joa. 4. 16.*

Deus amari non vult niſi cū proximo.

4. Enimvero modos quos Deus in nobis amandis obſervavit, exactius nonnihil examinemus, ſic enim inveniemus, qualiter Deus longe majori cum ſolicitudine mutuam inter nos dilectionem curarit, quam noſtram erga Deum dilectionem; Et quidem in primis Didacus Stella optime conſiderat Deum duo hæc præcepta adeo inter ſe conjunxiſſe, & univiſſe, ut à ſe mutuo inſeparabilia eſſe voluerit: Dicit enim præfatus Scriptor: *In hoc certè clarius videre poteris, quanti Deus facit amorem proximi, ut nequaquam velit amari, niſi ſimul cum proximo.* Similiter quando mandatum de Dilectione Dei primum & maximum appellavit, mox immediatè amorem proximi, amori ſui parem faciens, ſubjecit: *Secundum ſimile eſt huic.*

*Did. Stell. in c. 10. Luc.*
*Matth. 22. v. 39.*

Plura poſuit præcepta de dilectione proximi.

5. Præterea infinitam æſtimationem, quam Deus noſter de hoc ſecundo præcepto habuit; vel ex eo licet arguere, quod quando decem præcepta digito ſuo exarata in duas tabulas diviſit, in prima in qua ea recenſentur quæ ad ipſius honorem & cultum ſpectant, tria tantum deſcripſit: at vero *In mandatis ſecundæ tabulæ,* inquit prædictus Stella, *quæ ad dilectionem proximi pertinebant, largius eſt locutus, mandata enim primæ tabulæ, cujus principium eſt amor Dei, tria ſunt, & non plura: mandata verò ſecundæ tabulæ, cujus principium eſt amor proximi, ſunt ſeptem; hæc vero ſeptem eo rigore nobis tradidit, ut eorum unum tantum ſit affirmativum, reliqua vero negativa,* idque eo dumtaxat fine ut immenſam nobis, quam ipſe quoad reciprocam hanc dilectionem noſtram habet æſtimationem tanto fortius imprimat.

Amor proximi Deo gratus.

6. In libro Eccleſiaſtici in principio capitis vigeſimi quinti, Deus manifeſte ſeſe aperit, dicendo quænam illa ſint, in quibus vel maximam habuerit complacentiam, ſive in quidnam genius ipſius vel maxime inclinaret, & dicit: *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus.* Vatablus legit: *Tria me exhilarant, & coram Deo ſimul & hominibus condecorant;* Quænam autem illa ſint quæ Divinæ Majeſtati præ cunctis alijs tantopere placent, increata Sapientia ulterius exponit, dicens: *Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes;* hæc autem tria, prouti perſpicuum eſt ad dilectionem fraternam reducuntur. Notandum verò eſt, quod præcipua prærogativa, quæ tribus hiſce in prædictis verbis attribuitur, in eo conſiſtat, quod *probata ſunt coram Deo & hominibus,* quia nihil gratius aut acceptius eſſe poteſt tam Deo, quam hominibus, quam mutua inter nos unio, pax, & fraterna dilectio, adeo ut eadem illa Sapientia æterna, quæ Spiritum Sanctum ad tot Sacræ Scripturæ volumina dictanda permovit, omnia ſacra dogmata, Prophetias, oracula, leges, & quidquid in univerſo volumine ſacro continetur ad hanc charitatem ordinari voluerit: *Omnia ergo, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc eſt enim lex & Prophetæ.*

*Eccli. 25. v. 1*
*Idem v. 2.*
*Matth. 7. v. 12.*

Dei amor proximi amori conjunctus.

7. Didacus Stella immenſum illum honorem conſiderans, quo Deus amorem noſtrum dignatus eſt privilegiare, dicit: *Nimis videtur Deus proximi dilectionem commendare, ſiquidem ſuo ipſius amori proximi amorem conjunxit; Dei amor proximi amori eſt conjunctus & copulatus, ut eodem amore Deum & proximum proſequaris.*

*Did. Stell. in c. 10. Luc.*

8. Quando cœleſtis Paſtor noſter Chriſtus nos velut dilectum gregem ſuum Petro paſcendum conſignavit, eumdem prius de charitate & amore erga ſe examinavit dicens: *Simon Joannis amas me?* Et tamen videri haud immerito poſſet potius à Petro quærendum fuiſſe an gregem ſuum quem paſcere debebat, diligeret, ideòque dicere debuiſſe: *Diligis agnos, oves?* verumtamen optimè dixit, quia eodem amore quo ſe vult diligi, vult etiam proximum amari. Unde Idiota ad Deum converſus ait: *Duo ſunt præcepta à te nobis data, dilectio Dei & proximi; & licet duo ſint præcepta, tamen unus eſt amor, quia alius amor non eſt, quo quis diligit proximum & quo diligit te, alioqui non eſſet propter te, nec poteſt te quiſquam diligere, qui in proximi dilectione noſcitur aberrare.* Anſelmus pariter ita ſcribit: *Nec proximum verè ſine Deo, nec Deum vere ſine proximo poſſumus diligere.*

*Joa. 21. v. 17.*
*Idiot. c. 29.*
*S. Anſelm. ad Rom. 13.*

Deum diligit qui proximū diligit.

9. Enimvero dubium quoddam hic ſubnaſcitur, quonam modo videlicet Deus nos amare potuerit, vermes adeo viles adeoque Majeſtati & Divinitati ſuæ diſſimiles, *ſicut exaltantur cæli à terra,* cum tamen trita omnibuſque vulgata regula ſit, quod *ſimilitudo eſt cauſa amoris.* Reſponſio vero in promptu eſt, & facilis, quia *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; Item verbum caro factum eſt; Ecce Deus quaſi unus ex nobis factus eſt;* At verò inſtare quis poterit ex quo homo, ut S. Auguſtinus ait ad ſimilitudinem Dei creatus fuit, *ut factorem ſuum pro ſimilitudine diligat;* ſimulque nobis conſtet, quod Deus à nobis totum affectum noſtrum ſibi expoſcat, abſque eo quod ille in alias ſimul creaturas diſpergatur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis & ex omni mente tua;* quia igitur ratione amoris noſtri partem proximo impertiri poterimus, cum ille totum ſibi vendicet? Et ideo advertendum eſt, quod ſimul & indiviſim connectat: *Et proximum tuum;* id quod per ſequentem ſimilitudinem declarare haud difficile erit; Si enim alicui millium ſcutorum debitor eſſes, is autem illa Petro ſolvere juberet, utique poſtquam ſummam prædictam Petro expediviſſes, Creditor tuus utique ſibi ſatisfactum plene eſſe negare non poſſet; tametſi nummos ipſe debitor alteri ſolviſſes, quia juſſu & ordinatione creditoris tui id feciſſes; idem ergo in præſenti noſtro caſu pariter militat; Nos etenim Deo magno amoris debito obſtringimur, adeo ut ipſum ex toto corde noſtro diligere teneamur, idem vero Deus hoc amoris debitum nos proximo noſtro, quem tenerrime diligit, adeo ut ſemetipſum in pretium, litrum, & redemptionem illius tradiderit, impendi & expediri jubet, dum ergo proximum diligis, nihil Deo de debito ipſius amore diminuis, aut ſubtrahis, quia amore illius, & juſſu ejus proximum diligis.

*S. Aug. l. de Sp. & an.*
*Luc. 10. v. 27.*

10. S. Thomas de Aquino apte ad propoſitum noſtrum in hunc modum diſcurrit: *Cum omnis amicitia fundetur ſuper aliquam communicationem (ſimilitudo enim eſt cauſa amoris) illa eſt recta amicitia quæ eſt propter ſimilitudinem ſeu communicationem in bono; Chriſtus autem in tantum dilexit nos, in quantum ſimiles ſumus ei per gratiam adoptionis, diligendo ſecundum hanc ſimilitudinem, ut ad Deum traheret.* Jer. 31. [*In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans;*] *ſic ergo & nos in amato non tantum quod beneficij eſt ſeu delectationis, ſed quod Dei eſt, debemus diligere;* Diligendus à nobis eſt proximus ad eum modum, & ad eumdem finem, ob quem nos amavit Deus: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem,* hoc autem ei non ſufficit, ſed inſuper adjungit: *Sicut dilexi vos.*

*S. Th. in Joa. 13. v. 34.*

Eo modo diligendus proximus quo non Deus dilexit.

*Jer. 31. v. 3.*
*Joa. 15. v. 12.*

Et debito cum fine.

11. S. Auguſt. vero optime notat amorem noſtrum erga proximum minime affectum eſſe debere ea qualitate, qua imbutus eſt amor, quo amamus amicos, parentes filios, uxorem; & multo minus ea qualitate cum qua ſimul etiam amamus adulteros, ſed ordinandum eſſe ad finem ad quem illum Deus ordinavit, nimirum ad ſalutem æternam: *Ipſa eſt dilectio, inquit, ab omni mundana dilectione diſcreta, quam diſtinguendo addidit Dominus, ſicut dilexi vos; quid enim niſi Deum dilexit in nobis, non quod habeamus, ſed ut haberemus?* adducitque medici alicujus exemplum, qui infirmum diligere dicitur, quia ei deſiderat & procurat ſalutem, non vero morbum diligit, ſed potius illum extinguere ſatagit: *Sic ergo & nos invicem diligamus, ut quantum poſſumus invicem ad habendum Deum cura dilectionis attrahamus.*

*S. Auguſt. tr. 65. in Joan.*

12. S. Th.



12. S. Thom. inſuper notat, quod amor Dei quo nos diligit, nullo ducatur lucri vel commodi ſui motivo: *Ipſe incepit, nec expectavit quod nos inciperemus amare,* 1. Joa. 4. 10. [*Non quaſi nos dilexerimus Deū, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos;*] *ſic & nos debemus prius diligere proximos, nec expectare præveniri ſeu beneficiari.* B. Laurentius Juſtinianus in memoriam revocans verba illa: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos,* continere ſe nequit, quin exclamet: *O nimiam Dei clementiam! O ineffabilem Dei benignitatem! præmium nobis pollicetur, ſi nos mutuo diligamus, & ea nobis præſtemus invicem, quibus nos invicem indigemus, & nos ſuperbo & ingrato animo ei renitimur, cujus imperium beneficium eſt.* Quid Deus amore noſtro indiguit, qui in cœlis milliones habet Seraphinorum ardentiſſima illum charitate diligentium? Quid Deum unio inter nos & dilectio reciproca juvat? *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Omnem amorem noſtrum mutuum ad noſtrum commodum & utilitatem ordinavit, quia hic mundus velut altera quædam Babylon futurus eſſet, ſi nulla in eo miſericordia vigeret. Rich. de S. Victore ait: *Eſt charitas vinculum perfectionis, quo membra fidelium arctiſſimo complexu ſibi invicem hærent, & ſuo capiti per omnes juncturas connectuntur in unum corpus in mutuo principio bonorum omnium, ut fidenter quilibet poſſit dicere; Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* S. Hieronymus in Epiſtola quadam ad Lætantiam ita ſcribit: *Quid umquam tam ſuperbum, quid vero tam ingratum videri poteſt, quam adverſus ejus vivere voluntatem, à quo ipſum vivere acceperis? quam illius præcepta deſpicere, qui ideo aliquid imperat, ut cauſas habeat remunerandi? neque enim obſequij noſtri Deus indiget, ſed nos illius indigemus imperio; mandata ejus deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & favum, quoniam in illis retributio multa;* idem quoque dilectioni proximorum adaptare poſſumus; Etenim Deus nobis illam ad noſtram utilitatem, non vero ad neceſſitatem ſuam commendavit, & ſerio præcepit, quid enim Deo luteus homo noſter utilis eſſe poterit? Illam nobis præcipiens, quietem, pacem, & tranquillitatem noſtram pro objecto habuit, nobiſque facilem monetam ſubminiſtrare voluit, quia ſalutem æternam lucrari & negotiari poſſemus. Hugo Cardinalis ſuper verba S. Joannis ab initio propoſita ita ſcribit: *Ratio, quare debemus invicem diligere, quia ſi Deus nos dilexit, qui nec nobis nec noſtris indigebat, multo fortius ergo nos debemus nos invicem diligere, qui nobis invicem indigemus.*

*S. Th. in Joa. 13. v. 34.*

Nec ob lucrū temporale ſed æternum.

*Pſ. 113. 16.*
*Rich. à S. Vict. p. 1. c. 4. de gr. char.*
*Pſ. 118. 63.*
*S. Hier. l. 2. ep. 20.*
*Pſal. 18. 11.*
*Hug. Card. in S. Joan.*

Offendentibus benefacere debemus

13. S. Apoſtolus ſcribit: *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Enimvero tametſi Pater æternus ob culpas & offenſas noſtras valde nobis iratus eſſet, nihilominus filium ſuum nobis dedit, qui ad infame crucis patibulum uſque tot à nobis injurijs affectus, nos tamen amare nobiſque benefacere non prætermiſit; quanto magis igitur nos, ut eum imitemur, & præcepto nobis expreſſe impoſito perfecte obediamus, proximis noſtris bene velle & benefacere debebimus, tametſi etiam graviſſime nos offenderint? Idiota de amore Divino cap. 1. hanc maximam ſtatuit: *Amor inimicum neſcit.*

*Idiot. c. 1.*

14. S. Auguſtinus lib. de diligendo Deo, egregie, quinam proximi noſtri ſint, explicat, dum ait: *ſed qui ſunt proximi quos debemus ſic diligere? certe omnes homines, Chriſtiani, Judæi, pagani, amici, & inimici.* His conſonat quæ Angelicus Doctor his verbis tradit: *Sicut omnis homo ſine exceptione jubetur diligere, ita & omnis diligatur domeſticus, extraneus, amicus, & inimicus.* S. Gregorius apte tres illos, Jobi amicos in Scriptura appellari conſiderat, tametſi eidem adeo contrarij fuerint; Unde ait: *Nec mirum quod qui adverſantium formam exprimunt, nominentur amici, cum ipſi quoque traditori dicatur: Amice ad quid veniſti?* Verum quidem eſt proximum nonnumquam affectu noſtro indigniſſimum eſſe, eo quod ſit vitioſus, & ingratus, verumtamen S. Leo optime nos monet, dum ait: *Pulchrum valde & Divinæ benevolentiæ comparandum ſui quemquam in altero meminiſſe, & amare propriam etiam in hoſce naturam.* Amandus nobis eſt ratione humanitatis, non vero à Deo nobis prohibetur, quo minus vitium in illo oderimus. S. Thomas ex citata à ſe S. Auguſtini authoritate ita ait: *Sic diligendi ſunt homines, ut eorum non diligantur errores,* adducitque S. Gregorium ita ſcribentem: *Et diligamus in proximis quod ſunt, & odio habeamus quod in itinere Dei nobis obſiſtunt.* Regius Pſalmiſta, qui vir ſecundùm cor Dei erat Pſ. 138. ita loquitur: [*Nonne qui oderunt te Domine oderam?*] *Cum in eodem ſubjecto ſit natura & culpa,* inquit S. Thomas, *opus Dei & opus hominis, cavendum eſt diſcrete, ne propter malum, bonum odias, vel propter bonum ſubſtantiæ malum diligas, ſed diſcrete ſingula ſingulis reddas, amorem naturæ & odium culpæ.* Certum quidem eſt, quod nos totum amorem noſtrum Deo debeamus, verumtamen ipſe Deus nobis hujus amoris participium proximo noſtro impendere juſſit, illudque debitum vult eidem ad bonum Dei computum ut expediamus; ſi creditor tuus tibi centum ſcuta ei debenti præciperet, ut eadem alteri penderes, qui inimicus tuus eſſet, dum hæc illi ſolvis, nihil de tuo illi tribuis, & ideo nullam quo minus id facias, tergiverſandi rationem habes: eodem quoque modo, tametſi inimicus ob injurias tibi illatas minime mereatur, ut à te ametur; attamen ex quo illum amore Dei diligis, ne id invito animo facias, non enim illi quidquam impendis, niſi amorem quem Deo debes: libenter igitur hanc debiti partem ſalvo aliorum computu exequaris, interea tamen debito tuo quadantenus ſatisfacies, gratiamque lucraberis Dei & proximi eumdem ex inimico amicum tuum faciendo, eo quod te bonum pro malo reddere videat.

*S. Aug. c. 1.*

Omnes homines ſunt noſtri proximi.

*S. Th. op. 61. c. 2.*
*Job 2. v. 11.*
*S. Greg l. 3. mor. c. 14.*
*S. Leo. ſer. 10. in quad.*
*S. Thom. c. 5. ibid. c. 5.*
*S. Greg.*
*Pſalm. 138. v. 21.*

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Charitas erga proximos nos veros fideles & in virtute ſolidatos eſſe oſtendit; hujuſce autem dilectionis defectus & diſſenſiones convincunt nos Dæmonis eſſe ſequaces.

## THEMA.

*In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13. 35.

Charitas eſt ſanctitatis indicium.

1. CHriſtus Salvator noſter in celeberrimo ſermone illo quem in ultima cœna, quando à diſcipulis quoad præſentiam corporalem ſeparandus erat, ad eoſdem habuit, certiores illos facere voluit de ſigno ex quo agnoſcendi eſſent tamquam veri diſciplinæ & doctrinæ ſuæ profeſſores & ſectatores, dum ait: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis.* Sed ex quo ſigno id dignoſcendum erat? num forte ex dono Prophetiæ? ex omnium idiomatum ſeu linguarum peritia? ex ſcientia & ſapientia infuſa, in qua emicuerunt? in collata ipſis ſuper Dæmones poteſtate? ex idolorum demolitione? ex variorum populorum converſione? ex arcanorum myſteriorumque divinorum revelatione? ex paupertate Apoſtolica? ex libenter & patienter tolerata crudeliſſimorum ſuppliciorum carnificina? ex patratis portentis, cæcis illuminatis, ex auditu ſurdis, loquela mutis, vitaque defunctis reſtituta? Minime gentium; quia miracula ſupernaturalia patrare non eſt indubitatum ſolidæ ſtabiliſque ſanctitatis ſignum aut argumentum; quia probabilis valdeque fundata eſt variorum Doctorum opinio, quod etiam Judas traditor vera patrarit miracula; imo multis eorum, quos mundus ſanctos eſſe arbitratur, Dominus dicet: [*Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.*] *In quo igitur?* [*In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.*] Unde Chryſ. ait: *Omiſſis miraculis dilectionis eos ſigno notat, quando hæc maximè ſanctorum hominum eſt indicium.*

*Luc. 13. v. 27.*
*Joa. 13. v. 35.*
*Chryſoſt. h. 31. in Joan.*

Propter dilectionem diſcipulorum Evangelium fructificavit.

2. In eodem porro ſermone legimus fuſam à Redemptore noſtro ad æternum Patrem ſuum orationem, qua petebat, ut poſtquam mortuus, & à morte ad vitam denuo reſuſcitatus eſſet, à mundo agnoſceretur is eſſe, qui revera erat; & quia fides hæc Apoſtolorum prædicatione mediante ſuum erat habitura principium, ideo eos ſumma cum ſolicitudine æterno Patri ſuo commendat, dicens: *Sanctifica eos; . . . ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum;* Demum verò & hanc orationem ad eumdem Patrem ſuum fundere non omittit, dicens: *Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quia tu me miſiſti; Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus, Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti;* ex quo toto diſcurſu cura & ſolicitudo qua Chriſtus unionem & dilectionem Apoſtolorum reciprocam anxie procurare ſatagebat, evidenter colligitur, ut hac ratione fides & Evangelium fructificare in populis poſſet, ipſeque tamquam verus Dei Filius

*Joa. 17. v. 17. & 18.*
*Ibid. 21.*
*Ibid. 22.*
*Ibid. 23.*

lius & mundi Salvator crederetur & glorificaretur, *ut credant, quia tu me miſiſti.* *Joan. 18. 8.*

Evangelijs fides adhibita.

3. Moyſi olim à Deo præceptum fuerat, ut ad populum Hebræorum à tyrannide & ſervitute Pharaonis liberandum, ſternendamque ad terram Promiſſionis poſſidendam, planam viam in Ægyptum ſeſe reciperet, cui præcepto ſeipſe oppoſuit dicens: *Non credent mihi*; (*Exod. 4. v. 1. 2.*) Unde Deus ei dixit: *Quid eſt quod tenes in manu tua?* Moyſes vero ſe virgam tenere reſpondit, cui Dominus protinus ait: *Projice in terram*, (*Ibid. v. 3.*) & confeſtim virga hæc in colubrum transformata fuit; qui manu Moyſis apprehenſus, in priſtinam denuo virgæ ſimilitudinem rediit, quacum deinceps multa portenta ſtupenda patravit: Pari quoque ratione quem modum Salvatorem noſtrum ſervaſſe exiſtimatis ad hoc ut mundo ſe verum in lege promiſſum Meſſiam eſſe, atque ad genus humanum à Pharaonis infernalis tyrannide & ſervitute liberandum aperiendamque ad veram promiſſionis terram viam, veniſſe innoteſceret, mundusque Apoſtolis novam Evangelicam legem annuntiantibus fidem adhiberet? Nimirum hac fraternæ dilectionis virga eoſdem armavit: *Omiſſis miraculis, dilectionis eos ſigno notat.* Davidem idipſum diu ante perſpicuè prædicentem velim auſcultetis: (*Pſ. 109. v. 2.*) *Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Syon*; Quid autem inde conſecutum fuit? nimirum *Dominare in medio inimicorum tuorum*; (*Ibid.*) quia mox ut Spiritus Sanctus, qui charitas & amor eſt in Apoſtolorum corda deſcenderat, ipſi confeſtim omnes Dei inimicos, qui antea idololatræ erant, debellatos ad veram fidem compararunt & converterunt. *Venite*, inquit alibi idem Pſalmiſta, *& videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella usque ad finem terræ, arcum conteret & confringet arma, & ſcuta comburet igni.* (*Pſ. 45. v. 9.*)

4. D. Chryſoſt. ſuper illa ejuſdem Pſalmiſtæ verba: *Aſcendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ*, (*Chryſoſt. in Pſ. 46. v. 6.*) ſcribens, ad præſens propoſitum noſtrum confirmandum aptius nihil dicere poterat, exiſtimat enim Davidem triumphos & ſanctæ fidei noſtræ victorias ab Apoſtolis virtute prædicationis ejuſdemque per unionem & dilectionem ipſorum mutuam corroboratæ reportatas in ſpiritu Prophetico prædicere voluiſſe. Ea verba Chryſoſtomi: *Cur non dixit in tuba, ſed in voce tubæ?* reſpondet: *ſignificans eorum concordiam & animi conſenſionem, fidei namque extenſio atque victoria plus debetur diſcipulorum conſenſioni, quam concioni.*

Hypocritæ ſimulare poſſunt omnes virtutes, ſed non charitatem.

5. Spiritus Sanctus bina vice in forma viſibili de cœlo deſcendit; & prima quidem vice uſus eſt elemento ignis; de quo Eccleſ. canit; *Ignis charitas*, quia ignis eſt ſymbolum amoris: altera autem vice in ſimilitudine columbæ apparuit: *In columbæ ſpecie Spiritus Sanctus viſus eſt.* Porro myſterium iſtud Author Imperfecti (*Auth. Imp. h. 4.*) hiſce verbis nobis declarat: *Ideo Spiritus Sanctus ſpeciem columbæ ſuſcepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix eſt charitatis.* Qui idem Author demum docet, hypocritas omnes quidem virtutes, quibus veri ſervi Dei præditi eſſe conſpiciuntur, ſimulare valeant, ſed non charitatem aut proximorum dilectionem: *Habet enim Diabolus & manſuetos & humiles, habet caſtos, & Eleëmoſynarios & jejunos*; Item, inquit idem Author, per experientiam videtur, quod quidquid boni fit à bonis, aſtutiſſimus inferni coluber per ſuos imitari contendat, ut bonos ſeducat: *Ut inter bonum verum & ſimulatum falſum confuſio fiat, ut ſimplices homines boni veri, & boni ſimulati intelligere differentiam cautè non poſſint.* Tandem ad propoſitum noſtrum concludit: *Solam autem charitatem Spiritus Sancti, non poteſt immundus ſpiritus imitari.*

Ubi dilectio ibi Spiritus Sanctus.

6. S. Auguſt. notat quod in primitiva Eccleſia Spiritus Sanctus frequenter ſuper fideles in viſibili ſpecie de cœlo deſcendere ſolitus fuerit, prouti in pluribus Actuum Apoſtolicorum locis perſpicuè legitur idque tunc multis ex cauſis valde expediens erat tum ad confirmandos in nova fide populos, qui è paganiſmi tenebris recens ad veræ fidei lumen egreſſi fuerant, tum ad communicandum donum variarum linguarum Evangelij prædicatoribus, qui ab uno mundi polo ad alium in diverſis linguis Chriſtum annuntiaturi erant: tum denique ad infundendum ijſdem varia dona Prophetiæ, diſcretionis ſpirituum, ſcientiæ & ſapientiæ cœleſtis miraculorum & aliarum gratiarum gratis datarum ſimilium, ad hoc ut tamquam homines humana fragilitate longe ſuperiores agnoſcerentur; at vero inquit idem Auguſtinus, num forte hodie quando Spiritus Sanctus in forma viſibili deinceps non deſcendit, nullum ſignum præſto erit, unde veri ſcholæ Chriſti diſcipuli ab alijs dignoſci poſſint? (*S. Aug. tr. 61. in 1. Joan. 3.*) *Unde cognoſcit quiſque accepiſſè ſe Spiritum Sanctum? Interroget cor ſuum; ſi diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo*; & paulo poſt iterum ait: *Interroga cor tuum, ſi ibi eſt dilectio fratris, ſecurus eſto, non poteſt eſſè dilectio ſine Spiritu Dei, quia Paulus clamat: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.*

7. Chryſoſtomus argute turbationem Apoſtolorum conſiderat, qua perculſi fuerant, mox ut à Divino Magiſtro ſuo audierunt: *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum*, (*Matth. 19. v. 24.*) tunc enim afflicti & attoniti inter ſe dixerunt: *Quis ergo poterit ſalvus eſſè*: Dicit enim præfatum os aureum; Quid neceſſum erat eos exinde turbari, qui omnia quæcumque in terris poſſederant, promptis animis deſeruere? *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; (*Ibid. v. 25.*) potius hanc animi anxietatem divitibus relinquere debebant. *Cujus rei gratia diſcipuli, qui inopes erant, turbabantur?* (*Ibid. v. 27.*) Mox vero ad propoſitum noſtrum aptiſſimè reſpondet: *Quia propter perditionem aliorum dolebant, quorum omnium charitate jam afficiebantur, & quaſi magiſtrorum ac Patrum viſcera ſuſceperant.* (*Chryſ.*)

Apoſtoli ex charitate dolens animarum perditionem.

8. Didacus Stella ſuper aſſumpti thematis verba: *In hoc cognoſcent &c.* ita diſcurrit: *Non inquit, ſi miracula feceritis, ſi Spiritum habueritis Prophetiæ, ſed ſi invicem dilexeritis, amor enim rubrica eſt, qua cognoſcuntur oves Chriſti, & à grege Dæmonis diſtinguuntur.* (*Did. Stell. in c. 10. Luc.*) De Chriſto enim dicitur: *Ipſe eſt pax noſtra*; (*Eph. 2. v. 14.*) *In pace factus eſt locus ejus*; *Deus charitas eſt*; & ideo ad dignoſcendum ubinam Deus ſit, facile habemus indicium, ſed neque difficile ſignum eſt, ad dignoſcendum, ubinam inimicus infernalis in hominibus nidum ſuum habeat, quia hic omni vi & conatu charitati, dilectioni, & proximorum concordiæ reſiſtit. Undenam enim dignoſci poterat, inimicum in hoc vel illo agro fuiſſe, ut aliam infelicem ſementem frumento ſuperſeminaret? Nimirum ad zizania attendebant, mox enim ut illa conſpiciebant, hanc inde deducebant infallibilem conſequentiam: *Inimicus homo hoc fecit*: (*Matt. 13. 28.*) quia ubicumque rixas, diſſenſiones, diſcordias eſſe auditis, de illo loco certo affirmare poteritis, ſuam quoque in eodem ſtationem habere Dæmonem. Unde Chryſologus ait: *Quia Diabolus hæreſes inter fideles, inter ſanctos peccatum, inter pacificos lites, inter ſimplices dolos, inter innocentes nequitiam gratis ſerere conſuevit.* (*Chryſol. ſerm. 96.*) Expreſſius autem veritatem iſtam Salvator noſter in S. Luca expreſſit, dum ait: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.* (*Luc. 11. v. 23.*) Ubi Albertus Magnus ait: *Chriſti eſt colligere, Dæmonis autem diſpergere; diſpergit, qui diviſionis eſt Pater & origo.* (*Alb. M. ibid.*)

Indicium ubi Deus ſit, & ubi Dæmon.

9. S. Job ſumma cura in paterno corde ſuo angebatur, (*Job. 1. v. 1.*) ut reciproca inter filios & filias ſuas, cunctosque alios numeroſæ familiæ ſuæ domeſticos nutriretur dilectio, hoc enim fine frequentia inter eoſdem celebrata convivia permittebat, & diſſimulabat. Unde Chryſoſtomus ait: *Pro his quæ vel verbo ipſis alterutro, vel contentione contigiſſent, continuo veſci ad invicem faciebat, exiſtimans quoniam etſi quidquam livoris viciſſim contraxiſſent, menſa paniſque appoſitio eos conciliaret unanimes.* (*Chryſ. h. 1. de Job.*) Hanc autem reconciliationem atque concordiam Dæmon tolerare nequaquam poterat, atque ideo tamquam vere irritatus ſub domus cæmento eos ſæpelire vel maximè contendit, quando in hac dilectione ferventiores erant. *Filijs tuis & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos.* (*Job. 1. v. 18. & 19.*) Porro familiæ iſtius unionem atque concordiam Origenes hiſce verbis ponderat: *Septem filij Job, & tres filiæ, tamquam una anima indiviſi convixerunt in unanimitate*, (*Orig. l. 1. in Job.*) ac proinde ait Chryſoſtomus inimicus infernalis, ad effundendum adverſus illos furorem & indignationem ſuam illud præcipue tempus captavit, quo vel maximè in hoc amoris & dilectionis centro ad invicem conjuncti erant. *Cum omnes ſimul erant, cum ad pacem conjungebantur.*

Dæmon concordiam tolerare non poteſt.

10. In Apocalypſi viſio quædam deſcribitur propoſito noſtro plurimum deſerviens, *Et exivit*, inquit, S. Joannes, *alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, ut ſumeret pacem de terra, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.* (*Apoc. 6. v. 4.*) Quiſnam ille qui huic equo inſidens, mundo pacem eripuit, & loco ejus ſtrages varias in eo ſeminavit, alius eſſe poteſt, quam is, de quo ſcriptum eſt: *Ille homicida erat ab initio?* (*Joan. 8. v. 44.*) Audite Haymonem Halberſtadienſem

Dæmon pacem tollit.



dienſem Epiſcopum: *Permiſſu Dei*, inquit, *datur Diabolo poteſtas tollendi pacem de terra, id eſt, de terrenis hominibus*: (*Haym. ibid.*) at vero non eſt opus ad aſſumptum noſtrum probandum, ut à ſacris interpretibus authoritatem emendicemus, quando ipſemet Spiritus veritatis per os S. Joannis conteſtatur dicens: *In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij Diaboli; Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo: & qui non diligit fratrem ſuum*, (*1. Joa. 3. v. 4.*) Per neceſſariam namque conſequentiam infertur, quod qui ſecundùm non exequitur, primi quoque reus exiſtat.

Obligamur diligere proximum.

11. Quænam obſecro eſt vulgata Juſtitiæ definitio? Hæc nimirum, *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi*; Maximum vero debitum, quo obſtringimur, eſt debitum dilectionis proximorum; imo nec mundo, nec Deo, nec hominibus alia obligatione tenemur, quam hac ſolius dilectionis. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit*; (*Rom. 13. v. 8.*) à contrario vero ſenſu argumentum procedit in caſu contrario. *Omnis qui diligit fratrem ſuum, eſt ex Deo.*

Diſcipuli Chriſti ex charitate agnoſcuntur.

12. Apoſtolus, qui tanto Dei amore accenſus erat, ut diceret: *Charitas Chriſti urget nos; quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*, (*2. Cor. 5. 14.*) hic inquam optime conſiderat rubricam ſive colorem gentilium, unde diſcipuli Chriſti agnoſcuntur, eſſe charitatem: *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, ... ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos; ſuper omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis, & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore.* (*Col. 3. v. 12. 13. 14.*) Ubi notandum, quod hiſce verbis aperte innuatur vocationem fidelium in lege Evangelica conſiſtere in profeſſione non ſolius fidei, ſed etiam & maximè quidem charitatis, unionis, concordiæ & pacis mutuæ S. Ignatius amore erga proximos adeo exarſit, ut de eo in lectionibus ejuſdem legantur ſequentia verba: (*In Lect. 5. Ign. Loyol.*) *Auditus eſt aliquando dicere, ſi optio daretur, malle ſe beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inſervire, & proximorum ſaluti, quam certum ejuſdem gloriæ ſtatim mori.* Hic idem Sanctus Religionem celeberrimam inſtituit, eique nomen ſocietatis indidit, ad inſinuandam filijs fraternam hanc dilectionem, neque ſine myſterio eoſdem ſanctiſſimo Jeſu nomine in ordinis; quem profitentur, titulo conſignavit, ſed potius ad denotandum, quod veri ſint ejus diſcipuli, quia *In hoc cognoſcuntur diſcipuli ejus, ſi dilectionem habent ad invicem.* In Conſtitutionibus ſuis hæc verba legimus: *Finis hujus ſocietatis eſt, non ſolùm ſaluti & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, ſed cum eadem impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere.*

Dæmon in charitate viventes ſufferre non poteſt.

13. Sciendum quoque eſt, quod à primis diebus quibus hic legis Evangelicæ ignis in populis & gentibus dilatatus fuit (*ignem veni mittere in terram; ignea lex*) primi fideles ſe mutuo fratres appellarint, quod nomen in præſens uſque tempus in Religioſis remanſit. Unde in Baronio legimus, (*An. 43. n. 14.*) *Sic & fraternitas ipſe Chriſtianorum cœtus dictus reperitur.* Tertullianus quoque ſcribit: *At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt ſanctitatis?* (*Tertull. in Apoc. c. 39.*) Porro Dæmon hanc dilectionem, quæ proprius eſt Chriſtiani character ſufferre neutiquam poteſt, ac proinde pro viribus eamdem impugnat. Unde Hugo de S. Victore ſcribit: *Parum timet Diabolus jejunantes, vigilantes, continentes, quoniam de illis multos obruit in laqueum ruinæ, ſed concordes, & unanimiter habitantes in domo Domini, dolorem, timorem, livorem ingerunt Diabolo, quos concordes invenit, præcipuè cognoſcit, quia in manu Dei ſunt, & non tangit illos tormentum mortis; In hoc, inquit, cognoſcent homines, quod eſtis mei diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem; charitatem inter homines expaveſcit Diabolus, quam in cœlis tenere noluit cum Deo & Angelis.* (*Hug. à S. Vict. ex miſcel. 2. l. 1. t. 46.*)

Nomẽ fratris non meretur qui proximũ non amat.

14. Hi qui cum proximis concordes non ſunt non merentur nomen fratrum, nec ab Eccleſia pro fidelibus recipiuntur, aut agnoſcuntur. Unde in ſacris Canticis verba illa dolore plena leguntur: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me.* (*Cant. 1. v. 5.*) Circa quæ merito quæri poteſt, cur ſponſa illos fratres ſuos non appellet, cur ab illa per circumſcriptionem appellantur *Filij matris meæ.* Pro reſponſione notandum, quod in eadem periodo rixarum mentio fiat: *Pugnaverunt*; Qui ergo amorem fraternum non habent, nec curant non merentur, ut à ſponſa, id eſt, ab Eccleſia agnoſcantur pro



fratribus, id eſt, pro fidelibus, & ſequacibus ſuis. Chryſoſt. Joabi factum, quod commiſit quando Amaſam traditoriè occidens dixit: *Salve mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amaſæ quaſi oſculans eum*, (*2. Reg. 20. v. 9.*) hoc inquam mente recolens S. Doctor ait: *Fratrem te vocat, & quaſi hoſtem te occidit.* (*S. Chryſoſt. de fid. & leg. nat.*)

Charitas ſignum certum ſalutis.

15. In libro Joſuæ cap. 2. refertur, quod quando ab Hebræorum populo duo illi exploratores (*duos viros exploratores*,) (*Joſ. 2. v. 1.*) inquit ſacer textus, duos inquam & non plures, ad explorandam urbem Hierichuntinam emiſſi fuerunt, hi in Domo Raab meretricis ſumma fuerint cum benignitate recepti, & ab eadem pro viribus à periculo mortis, quod ijs, ſi detecti fuiſſent, imminebat, dextrè fuerint defenſi. Quodnam obſecro in eo latet myſterium, quod Deus noſter, de quo ſcribitur: *Omnia in ſapientia feciſti*, in hac potius domo, quam in alio hoſpitio excipi voluerit? Myſterium hoc Interlinearis pulchre exponit, dum ait: *Domum mulieris meretricis, Eccleſiæ, ſcil. de Gentibus congregatæ, quæ ante in deſiderijs carnis fornicabatur cum idolis.* (*Interl.*) Quod verò propoſito noſtro vel maximè deſeruit, hoc eſt, quod videlicet ſignum unde dignoſcebatur, quod omnes qui in excidio civitatis illius in domo illa degebant, illæſi atque ab omni cæde immunes manſuri eſſent, funiculus quidam rubeus ſive coccineus erat: *Si... ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaveris eum in feneſtra*; (*Joſue 2. 18.*) ſcio equidem quod communiter funiculus iſte coccineus ſanguinem ſignificet Redemptoris in paſſione effuſi; verumtamen etiam me non latet, quod Albertus Magnus verba illa exponens: *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis*, &c. hunc in modum ſcribat: (*Alb. Magn. in Joan. 13.*) *Omnes Chriſti diſcipuli hoc ſignaculo cognoſcuntur; Et in hoc ſignatum eſt Joſuæ 2. Ubi dicitur, quod ſignavit Raab domum & familiam ſuam omnibus Dei inimicis, ut cognoſceretur per vittam coccineam, per feneſtram domus ſuæ pendentem; Vitta enim eſt charitas, quæ ligat, coccinea autem eſt per ruborem charitatis; De certitudine autem eſt, quod ſola charitas eſt ſignum certum ſalutis.* Apoſtoli autem præfigurati fuerunt in exploratoribus, inquit Rabanus; *Exploratores Apoſtoli*; (*Rab. in Joſ. c. 10.*) at vero ſcitiſne cauſam, cur duo tantum & non plures fuerint emiſſi? Idem Rabanus hanc pandit, dum ait: *Duo viri exploratores in duobus præceptis charitatis ambulantes.* Unde Albertus Magnus ubi ſupra concludit: *Tantus quilibet in diſcipulatu Chriſti eſt, quanta eſt charitas ſua.*

16. De Trajano Imperatore legitur, (*Hiſtoria.*) quod cum Plinio Siciliæ prætori, mandatum tranſmiſiſſet, de cunctis Chriſtianis ſine ulla cunctatione vario mortis genere necandis, is ei datis ad eumdem Imperatorem literis reſcripſerit, videri ſibi omnino Chriſtianos omnes veri Dei eſſe ſectatores, utpote qui legem obſervarent amore & charitate pleniſſimam, ac proinde deprecatus fuerit Cæſarem, ut is mandatorum ſuorum executionem tantiſper differret, ſeu potius totaliter aboleret, eo quod gens illa, quam internecioni tradi vellet, inter alias ſanctiſſimas leges, ſequentes conſtanter quoque ſervaret, ſcilicet, furandas non eſſe res alienas, nulli inferendam eſſe injuriam; Neminem odio proſequendum eſſe, omnibusque indifferenter benefaciendum, mutuamque fovendam eſſe inter omnes dilectionem & charitatem.

17. De S. Pachomio quoque legitur, quod cum vigeſimum ætatis annum idololatra ageret, atque in exercitu Conſtantij militando annonæ pateretur extremam inopiam, circumvicini populi, qui Chriſtiani erant, idipſum intelligentes, ideoque Chriſtiana compaſſione commoti, de ſufficienti victus annona eidem & commilitonibus illius abunde proſpexerint, idque tanta cum humanitate & benevolentia, ut Pachomius ſummam in admirationem raptus, percupidus factus fuerit ut ſciret, quinam eſſent & quam legem profiterentur; intelligens autem qualis ipſorum lex eſſet, ſcilicet lex amoris & dilectionis, quodque fidei profeſſione Chriſtiani eſſent, è veſtigio militare cingulum depoſuit, & ſuſcepto ſacroſancto baptiſmatis lavacro, adeo admirandos in ſanctitate progreſſus fecit, prout cuique notum eſt, nimirum ex charitate & compaſſione, qua ipſos quoque proſequebantur Chriſtiani inimicos, Religionem illam veram & veri Dei fidem eſſe arguebat.

## DISCURSUS V.

### ARGUMENTUM.

Ex varietate operationum in membris corporis noſtri, varij deducuntur modi charitatem & dilectionem erga proximos exercendi.

N 3 THE-

## THEMA.

*Intellige, quæ ſunt proximi tui, ex te ipſo.* Eccleſiaſt. 31. ℣. 17.

1. Eccleſiaſticus ſanctè nos docet, ut qualis proximus noſter eſt, cognoſcamus ex noſtri ipſius conſideratione; Ad hoc namque ſufficit, ſi oculum ad corporis noſtri operationes, nec non ad ſymmetriam & compoſitionem ipſius dirigamus.

Unitas neceſſaria ad impetrandam Dei gratiam.

2. Et quidem in primis certum eſt, quod ad hoc ut anima corpus informet, eidemque vitam & eſſe ſubminiſtret, omnino requiratur, ut omnes partes illius & membra unita conſiſtant: Eodem prorſus modo ſi volumus quod divina gratia & amor Dei, nec non Spiritus Sanctus nos vivificet, neceſſum eſt, ut uniti ad invicem & concordes ſimus. Unde S. Vincentius Ferrerius, dum Spiritum Sanctum eo præciſe tempore ſuper Apoſtolos veniſſe conſiderat, quo *Erant omnes pariter in eodem loco*, dicit: *Quia ſicut Spiritus humanus ad hoc ut vitam det corpori, requirit conjunctionem membrorum, quia ſi membra ſunt diviſa, ſcilicet caput ſeorſum, & manus & pedes, & ſic de alijs, Spiritus recedit, nec remanet cum aliquo membro diviſo, ita etiam eſt de Spiritu Sancto.* Unde legimus in Pſalmo 132. *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum: Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum.*

S. Vin. Ferr. ſerm. de Pent.

Pſ. 132. v. 1. Ibid. v. 3.

Separatio timenda.

3. Experientia quoque demonſtrat, quam exceſſivo dolore ſubjiciatur homo, dum ei aliqua corporis ejus pars præſcinditur? Unde B. Laurentius Juſtinianus ait: *Videmus unum membrum timere ab alio ſeparari, ſic nihil debet tam formidare Chriſtianus, quam ſeparari à Chriſti corpore;* Quippe veræ dilectionis fraternæ indicium eſt, ſi proximum noſtrum à nobis ſeparatum videntes non modice inde fuerimus contriſtati; *quoniam ſumus invicem membra.*

B. L. Juſt. de lig. vit. c. 17.

Eph. 4. v. 25.

Charitatem rumpit intereſſe propriū.

4. Anima quoque eſt, quæ corpori calorem, motum, vitam, omneſque alias vitales operationes impertitur, ad hoc autem ab ipſa totum corpus ſimul unitum requiritur. S. Lucas in Actibus Apoſtolicis refert, qualiter Spiritus Sanctus ſuper omnes primos fideles viſibiliter deſcenderit: *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto;* hæc autem excellens gratia tum illis præcipuè contigit, quando omnes adeo inter ſe concordes erant, ut tota illa fidelium multitudo, non niſi ab uno tantum corde, & ab unica anima vivificari videretur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una; nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia;* quia propter ſolum intereſſe & proprietatem charitas ut plurimum rumpitur.

Act. Ap. 2. v. 4.

Act. 4. v. 32.

5. S. Auguſtinus verba illa: *Nos ſcimus quia tranſivimus de morte ad vitam*, exponens ita ait: *Unde ſcimus quia diligimus fratres? Nemo interroget hominem, redeat unuſquiſque ad cor ſuum, ſi ibi invenerit charitatem fraternam, ſecurus ſit, quia tranſijt à morte ad vitam.* Etenim anima animæ noſtræ amor eſt, & dilectio fraterna, hæc enim eſt quæ vitam nobis confert ſpiritualem & æternam; è contra vero, *Qui non diligit, manet in morte.*

S. Aug. tr. 1. in c. 3. Joa. 1.

Charitas anima eſt vitam dans.

1. Joan. 3. 14.

6. Apoſtolus quoque ad Epheſios cap. 4. ita ait: *Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in charitate.* Quænam vero eſt anima quæ membra hæc, haſque virtutes vivificat, unitaſque atque concordes conſervat? *Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis;* Unde & alibi charitatem vinculum appellat; *Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Hanc autem unionem poſtea ulterius proſequitur dicens: *Unum corpus, & unus ſpiritus ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ; Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Eph. 4. v. 1. & 2.

Uniens.

Epheſ. 4. 3.

Col. 3. v. 14.

Ad Epheſ. 4. v. 4. 5. & 6.

Filij ſumus omnes ejuſdem patris, ergo diligendi.

7. Ad hunc autem amorem æternum conſervandum unicum eſt remedium, nimirum ut ſciamus, nos omnes natura pares, ejuſdemque Patris filios eſſe. Enimvero ob nimiam quæ ab Adam ad nos uſque intercedit, diſtantiam facile nos ejuſdem patris poſteros eſſe negare poſſemus, ſed abſit, inquit Malachias: *Numquid non Pater unus omnium noſtrum? numquid non Deus unus creavit nos? quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum?* Quod ſi unus idemque pater omnium noſtrum corpora genuiſſet, omnes utique fratres eſſemus, jam vero dicite ſodes, numquid hominem anima potius quam corpus conſtituit? Hoc eſt in præfatis verbis Prophetæ argumentum, dum ait: *Numquid non Deus unus creavit nos?* Deus etenim eſt, qui omnibus nobis pariter animam infudit, ut nos invicem tamquam fratres agnoſcamus & amemus. *Quare ergo deſpicit &c.*

Malach. 2. 10.

8. S. Apoſtolus ad Theſſalonicenſes ita ſcribit: *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujuſque veſtrum in invicem.* Ubi Chryſoſtomus ait: *Vide charitatem, non hunc quidem diligebant, illum vero minimè ſed erat æqualis, hoc enim innuit dicendo uniuſcujuſque veſtrum invicem, velati unius corporis.* Porro Philoſophus de anima aſſerit, quod ſit *tota in toto, & tota in qualibet parte*, non enim minus eſt in pede quam in capite, tametſi ille terram calcet, hoc vero erigatur in cœlum, ita quoque proximus quantumvis is vilis & abjectus ſit, minime eſt contemnendus. Unde S. Aſterius pulcherrimum poſt ſe monitum nobis his verbis ſcriptum reliquit: *Illos vocamus fratres*, inquit, *qui eodem editi ſemine, eodem utero geniti; qui vero eumdem habemus Creatorem, & eamdem matrem terram è qua conditi ſumus, & eamdem animæ dignitatem, unum pietatis & vitæ vinculum, & eamdem futuræ vitæ ſpem, quomodo invicem non magis diligimus, quam fratres & ſorores? videns hominem, teipſum in eo vides.*

2. Th. 1. v. 3.

Nullus contemnendus.

S. Chryſoſt. h. 2. ibid.

S. Aſter.

9. In ſacris Canticis hæc verba leguntur: *Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli;* Quibus verbis Spiritus Sanctus, de duobus populis, gentili ſcilicet & Hebræo loquitur, quos Eccleſiæ filios futuros eſſe prædicit, quæ duo habitura ſit ubera, ad miniſtrandum illis lac doctrinæ & ſapientiæ cœleſtis. Præcipue vero ad propoſitum noſtrum notanda eſt dictio illa, *Gemelli*; Gillibertus ait: *Duo filij Eccleſiæ alter de circumciſione; & alter ex gentibus, & quare duo? Vis noſſe quare gemelli? quia in fide non eſt diſtinctio Judæi & Græci; vacant ibi privilegia meritorum, & generatio nullos diſtinguit, quæ cunctos æqualiter abſolvit.* Eccleſia ad hæc doctrinæ Evangelicæ, Sacramentorum, cunctarumque aliarum gratiarum cœleſtium ubera pariter admittit nobiles & plebejos, divites & pauperes, idiotas, ignorantes & doctos, ſubditos & principes; *Ideo dicuntur gemelli, quia fides gradibus nullos ſeparat, quos æquè regenerat.*

Cant. 4. v. 5.

Eccleſia omnes admittit.

Gill. ſer. 26. in Cant.

10. S. Paulus ad Romanos ſcribit: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Attentè obſecro legatur cap. 12. Epiſtolæ primæ ad Corinthios, ubi Apoſtolus per ſimilitudinem corporis humani, in quo magna eſt varietas membrorum, quæ varia exhibent miniſteria actioneſque valde inter ſe differentes; hæc autem varietatem indicant ſtatuum, variaſque hominum vocationes in uno myſtico Eccleſiæ corpore unitas & conjunctas. Didacus Stella ad duos hoſce Apoſtoli textus ſeſe reflectens ait: *Nonne inſanum eſſet, ſi oculi pedes contemnerent, quia non vident, manus vero pedes increparent, quia non ambulant.*

Rom. 12. v. 4. & 5.

Neminem contemnit.

Did. Stella.

*11. Apoſtolus varia dona à Deo ſervis ſuis collata enumerat, dicens: *Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo &c. hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult; ſicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tantum corpus ſunt, ita & Chriſtus; etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes in uno ſpiritu cooptati ſumus, nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa. Si dixerit pes, quoniam non ſum manus, non ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore?* Id verò, quod nos potiſſimum hiſce in verbis ad profectum noſtrum conſiderare poſſumus, eſt, quod ſicut caput pars hominis nobilior, ventrem, tametſi is ſe longe ignobilior exiſtat, æſtimare & amare non omittit, quia ad individui conſervationem membrum eſt maximè neceſſarium; ita Princeps quoque ſubditum ſuum contemnere non debet vel deſpicere, quia hic ſimul cum Principe unum idemque Reipublicæ corpus conſtituit; Et quemadmodum S. Paulus dicit: *Non poteſt oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij, ſed multo magis quæ videntur membra corporis inferiora eſſe, ... his honorem abundantiorem circumdamus.* Agricolæ qui terram colunt, nobiſque panem, vinum & cunctos alios fructus quibus ſuſtentamur, miniſtrant, partes ſunt Reipublicæ ignobiliores, nec tamen ideo minus à nobis diligendi ſunt, eo quod nobis ad commodum

1. Cor. 12. v. 8. 12. 13. 14. 15.

Ignobiles æque diligendi ac alij.

Ibid. v. 21. 22. 23.



modum noſtrum utiliores, magiſque neceſſarij exiſtunt; *Portant pondus diei & æſtus.*

Matt. 20. 12.

Proximis bona communicare debemus.

12. Omnia membra in corpore humano ſibi mutuo bona & officia ſua communicant; Stomachus enim cibum concoquit & digerit non ſolum ſibi, ſed toti corpori; Oculus ſimiliter non tam pro ſui delectatione quaquaverſum reſpicit, quam ad commune totius corporis beneficium, dum pedibus lucernæ & ducis loco inſervit, ne aliquod incurrant lapſus aut ceſpitationis periculum, capiti ne ad poſtem vel murum impingat, manibus quoque ut operari congrue valeant, & ſic per alias corporis partes diſcurrere licet: eodem prorſus modo charitas poſtulat, ut proximis bona noſtra tam ſpiritualia quam corporalia communicemus; in bene namque ordinata Republica unus ſemper alterius ope & auxilio indiget. Principi neceſſum eſt habere ſubditos, hi vero opus habent aliquo qui illos regat & protegat. Miles neceſſarius eſt ad Reipublicæ defenſionem, Agricola ad terræ culturam, ſacerdos ad animæ ſalutem, & ut pro ſæcularibus Deum roget, ſæculares quoque neceſſarij ſunt, ut Eleëmoſynas pauperibus ſubminiſtrent, pauperes denique ut cœlum nobis aperiant.

13. *Si quid patitur unum membrum*, ait Paulus in eadem Epiſtola, *compatiuntur omnia membra.* Ubi Chryſoſtomus ita ſcribit: *Calcaneo ſæpe infixa ſpina totum corpus ſentit, & ſolicitum eſt, & deorſum flectitur, manus attrahunt, incurvatur caput, vident oculi cum magna ſolicitudine; pro invicem ſolicita ſunt membra;* Dum una pars corporis infirmatur, omnes aliæ concurrunt ad cooperandum pro ſanitate illius recuperanda, omnes illi compatiuntur; pedes qui ambulationi aſſueti ſunt, quieſcunt; Stomachus ſtrictam obſervat diætam, fauces bolos deglutiunt amaros, valdeque mortificantur &c. Et ideo quando Salvator noſter Lazari mortem adeo amarè deflebat: *Infremuit ſpiritu & turbavit ſeipſum;* omnes circumſtantes hanc ex ejus compaſſione inferebant conſequentiam, in qua minimè decipiebantur, dicentes: *Ecce quomodo amabat eum.* Compaſſio enim & opportunum proximis noſtris infirmis allatum ſubſidium, veriſſimum eſt charitatis ſignaculum.

1. Cor. 12. v. 26.

Chryſoſt. ho. 31. ibid.

Compati.

Jo. 11. v. 33.

Ibid. v. 36.

Nullum deſpicere.

14. B. Laurentius Juſtinianus ait: *ſicut membra infirmiora abundantius honorantur; ſic & nos non debemus deſpicere eos, qui infirmi videntur. Inſtruimur quoque in hoc, quod ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſive ſi glorietur unum membrum, congaudent cætera; ſic fideles debent gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Nequaquam in membris noſtris illa cernitur monſtroſitas, ut videlicet capite dolente ſtomachus diætam à Medico præſcriptam ſervare recuſet, dicatque: Quid mihi cum capite intereſt, ſit caput pro ſeipſo ſolicitum, nolo enim ejus cauſa pati inediam; Et tamen hæc deordinatio in multis fidelibus quotidie videtur, & practicatur, verumtamen in illis dumtaxat, in quibus exhauſta eſt vera erga proximos charitas atque dilectio, hi enim ſunt qui aliqua pro proximorum ſalute ſubire incommoda aut diſpendia recuſant, ut ſalutem ſive corporalem ſive ſpiritualem eorum procurent. Id quod Chryſoſt. eiſdem graviter in faciem exprobrat, dum ait: *Cum videris aliquem egentem curatione vel corporis vel animi, ne dicito apud teipſum quare ille & ille eum non curaverunt, ſed à morte libera: ſi inveneris aurum jacens, non dicis apud teipſum, quare ille & ille non ſuſtulerunt, ſed feſtinas ante alios rapere; itidem & de fratribus collapſis cogita, putaque theſaurum inveniſſe.*

B. Lau. Juſt. de lig. vit. c. 17.

Chryſoſt. or. 5. adv. Judæos.

His ſubvenire.

Non invidere.

15. B. Laurentius Juſtinianus aptè ad propoſitum noſtrum his verbis ſcribit: *Docemur proximum ſicut nos ipſos diligere, exemplo amoris membrorum corporis humani; Primo in hoc quod unum membrum non invidet alij membro, licet non habeat idem officium, non omnia namque eumdem actum habent membra, nec tamen ſibi invicem invident; ſic nec debet aliquis invidere proximo ſuo, habenti gratiam, quam ipſe non habet.* Pes numquam lamentatur quod non ſit pars æque principalis, ac eſt cor, vel cerebrum; neque hæ partes ex eo quod nobiliores in corpore, & primaria illius membra exiſtant, ignobiliora aſpernantur; Digitus brachio non invidet, nec capillus fronti: *Si totum corpus oculus, ubi auditus? ſi totum auditus, ubi odoratus? nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit, quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?* Voluit Deus unum naſci Principem alterum vero ſubditum eſſe voluit, nec tamen propterea hic Principi ſuam dignitatem invidere, nec Princeps ſubditi & vaſalli ſui infimam conditionem deſpicere debet: *Quoniam ſumus invicem membra.* Pes non lamentatur de eo quod ſemper lutum & ſordes terere debeat, caput vero pileo caſtorino contegatur aut quod oculus à minimo etiam pulveris atomo curioſiſſime cuſtodiatur ipſe totus terræ luto & ſpurcitiebus alijs inſordeſcere ſemper debeat; ita quoque agricola aut ruſticus dolere non debet de eo quod alius in dominij excellentia & poteſtate conſtitutus ſibi & alijs imperio ſupereminеat, quia *Poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit.*

B. Lau. Juſt. ibid.

Epheſ. 4. 25.

1. Cor. 12. 18.

Bona communicare.

16. B. Laur. Juſtin. eamdem membrorum alluſionem proſequens, aliam quamdam conſiderationem his verbis adducit: *In hoc etiam docemur, quod unum membrum non ſibi appropriat aliquod officium, ſed omnibus illud communicat gratis: ſic & nos; nam multi unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra.* Eamdem quoque obſervationem habet S. Thomas de Villa nova, dum ait: *Membra ad invicem ſerviunt, nam oculus non videt pro ſe ſolo, ſed pro toto corpore; auris non ſibi ſoli audit, nec pes ſibi ſoli ambulat, ſed toti corpori*, eodem modo ut debito reciprocæ dilectionis, quo obſtringimur, perfectè ſatisfaciamus bona noſtra tam ſpiritualia quam temporalia in beneficium commune totius communitatis in qua vivimus, communicare debemus; Ad quod efficacius perſuadendum, idem B. Laurentius per eamdem corporis ſimilitudinem aliud quoddam motivum his verbis adducit; *Eodem modo provocamur, cum videmus quod cibum quem os recipit, alijs membris communicat, ita & fideles facere debent.*

B. Lau. Juſt. ibid.

S. Tho. vill. conc. de fœd.

B. Lau. Juſt. ibid.

17. *Non ſit ſchiſma in corpore;* Etenim naturæ dictamini adverſatur, quod una pars corporis alteram offendat; quin potius *idipſum pro invicem ſolicita ſint membra;* idque ad ſummam confuſionem noſtram dum inter nos continuæ verſantur rixæ & diſſenſiones, & *Frater cum fratre judicio contendit*, ſiquidem hæc eſt conditio membrorum unius corporis, quod quando una pars corporis offenderetur ab alia, nequaquam de parte offendente vindictam ſumat, id quod B. Laurentius Juſtinianus optimè hiſce verbis notat: *Similiter cum unum membrum ab alio læditur non ſe vindicat, ſic debet eſſe inter fideles, nulli malum pro malo reddentes*, Sic enim Apoſtolus nos monet. Et iterum *charitate fraternitatis invicem diligentes*, & paulo poſt: *Benedicite perſequentibus vos, ... & nolite maledicere.*

1. Cor. 12. v. 25.

Nullam vindictam ſumere.

1. Cor. 6. v. 6.

B. Lau. Juſt. ibid.

Rom. 12. v. 10. & 14.

Pro ſalute proximi periculis nos exponere.

18 Alio quoque modo docemur (eſt hæc alia quædam ejuſdem B. Laurentij conſideratio) *Quia ſicut unum membrum læſioni ſe exponit pro alio, ſic & nos agere debemus, imitantes Dominum Jeſum Chriſtum, qui paſſioni ſe expoſuit, ictum quem genus humanum meruerat, ſuper ſe excipiens.* In caſu quo ictus gladij capiti intentatur, brachium ictum ſubito avertit, tametſi etiam ſe lædendum, imo nonnumquam amputandum eſſe timeri poſſit, eo quod partem nobiliorem magiſque principalem ſalvare intendat; hæc eſt vera dilectio, quando nos ipſos pro alterius ſalute tuenda periculis etiam mortalibus ultro citroque exponimus. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

B Lau. Juſt. ibid.

Joan. 15. 13.

19. Idem ſæpe citatus Juſtin. ait: *Datur inſuper exemplum iſtud, quia unum membrum reputat ſibi fieri, quod ſit alteri, ſive bonum, ſive malum; ſic nos quod alijs irrogatur, nobis fieri exiſtimare debemus, unde ipſe Dominus Jeſus, Eccleſiæ caput dicit; Quod uni ex ... meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.*

Matt. 25. 40.

Charitatis motivum.

20. Dicere inſuper poſſumus, quod ſicut totum corpus, & omnia membra illius uno eodemque cibo ſuſtentantur, ita quoque Deus omnibus tam Principibus quam ſubditis de eodem pane, ijsdem fructibus & annona reliqua eadem æqualiter proſpexit, maximè ſi de alimentis ſpiritualibus verbi Dei, ſacramentorum, aliorumque ſimilium ſermo nobis ſit. Hoc forte Apoſtolus dicere voluit, dum ait: *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus;* Efficacem hanc fraternæ charitatis rationem S. Thomas de Villa nova nobis aſſignavit, dum ait: *Quia unum panem comedimus, ad unum ſacramentum altaris accedimus, ideo enim hoc ſacramentum convivium dicitur, quia ſacramentum eſt unitatis & pacis in concordiam edentium inſtitutum. Omnes qui credebant, erant pariter* (ita de primis fidelibus in Actis Apoſtolorum legitur) *& habebant omnia communia; Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Et ideo ut inquit S. Lucas: *Erant perſeverantes ... in communicatione fractionis panis;* Unde & menſa panis Euchariſtici communio vulgari nomine appellatur, quia ſimul in amore & charitate unit & commiſcet. Unde

1. Cor. 10. v. 17.

S. Tho. Vill. con. de fœd.

Act. 2. v. 46.

Act. 4. v. 32.

Ibid. 2. v. 42.

*S. Cypr. ſer. de cœna Dom.*

S. Cyprianus ait: *Quibus unus eſt panis, unum eſt corpus, & omnium unum cor & anima una.*

## DISCURSUS VI.
## ARGUMENTUM.

Ex Cœlo Empyreo, viſione Pacis; ex diſpoſitione Elementorum; Item ex unius dumtaxat viri formatione, atque ex illius coſta fabricata unica ſolum muliere, nec non ex unica tantum à diluvio præſervata familia Noetica, ſolicitudo Dei, qua unionem inter nos procurare voluit, conſideratur.

### THEMA.

*Ego mater pulchræ dilectionis.* Eccleſ. 24. ℣. 24.

Deus in omnibus creaturis unionem conciliavit.

1. SApientia increata quæ in ædificio univerſi in cunctis operibus ſuis mirabiliter eluxit, mater appellatur à ſacro textu pulchræ dilectionis: *Ego mater pulchræ dilectionis*; quia qui ad fabricam mundi hujus vaſtiſſimam, & longe magis ad microcoſmum ſeu parvum mundum, id eſt, hominem attente reflectit, cognoſcet utique, quod in nullam rem omne ſtudium ſuum magis intendit, quàm in conciliandam in omnibus creaturis unionem atque concordiam.

*Gen. 1. 1.* In cœlo Empyreo.

2. *In principio creavit Deus cœlum.* Primum opus, quod è ſupremi illius artificis manibus egreſſum eſt, cœlum Empyreum fuit, habitatio utique homini velut Paradiſus quidam deliciarum, deſtinata, ſiquidem Deus ante creatum Empyreum ab æterno beatus fuit; Unde electis in Judicio finali dicetur: *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* (*Matth. 25. v. 34.*) Advertendum eſt autem propter quæ merita aut bona opera electi hoc paratum illis cœlum Empyreum ſint poſſeſſuri; nimirum quia ſe dum in hac mortali carne vixerunt in charitate & proximorum dilectione, ſive in miſericordiæ operibus ſtrenue exercuerunt, ſiquidem immediate Judex ſupremus ſubjunget dicens: *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare; ſitivi* &c. (*Ibid. v. 35.*) Et ideo Euthymius verba illa Salvatoris: *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eritis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*, conſiderans ſubjungit: *Hujus autem optima pars eſt pauperum amor, & erga proximum miſericordia, & compaſſio, juxta Gregorium Theologum.* (*Euth. ibid.*)

Pax & concordia.

3. Cœlum iſtud, quod inter omnes totius mundi fabricas quas Divinus Architectus umquam delineavit, pulcherrimum eſt (*ſapientia ædificavit ſibi domum*) (*Prov. 9. v. 1.*) Hoc inquam idem ille architectus nomine Hieroſolymæ cœleſtis appellari voluit: *Urbs beata Jeruſalem, dicta pacis viſio*; ſub quonam id myſterio factum eſſe exiſtimas? S. Thomas de Villa nova ait; *O pax, ô unitas admirabilis illius ſanctiſſimæ civitatis! O prodigium! O miraculum grande, ut in tanta multitudine, & tam varia differentium perſonarum, Angelorum & hominum, nullæ ſit omnino diſcrepantia voluntatum, neque tantillum unus diſcordet ab altero, ſed quod unus vult, velint omnes.* (*S. Tho. Vill. conſ. de fœd.*) Porro pacem iſtam Lucifer Angelorum pulcherrimus turbare tentavit, *Factum eſt prælium magnum in cœlo*, at vero confeſtim. *Projectus eſt draco ille*, qui (*Apoc. 12. v. 7. 9.*) gloriæ & ſublimitati Altiſſimi invidens, eidem par & ſimilis eſſe voluit: *Similis ero Altiſſimo*, (*Iſaia 14. 14.*) non intelligens qualis & quanta beatæ illius civitatis charitas & amor eſſet, de qua B. Laur. Juſtin. ita ſcribit: *Tanta vis in illa cœleſti pace illos ſatiat, ut quod in ſe quiſque non accipit, hoc ſe accepiſſe in altero exultet.* (*B. Lau. Juſt. de lig. vitæ c. 7.*) Et quis eſt qui neſciat Naturam eo fine creatam eſſe, ut ſuis nobis obſequijs benefaceret, adeoque ſupremos illos Spiritus ad cuſtodiam & ſervitium noſtrum creatos eſſe? nec tamen quidquam contradicere: Unde idem Juſtinianus ait: *Solicitudo quoque Angelicæ cuſtodiæ nos provocat ad amandum proximum: non eſt ab homine deſpiciendus homo, qui adeo Angelis charus eſt.* (*Id. cap. 15.*)

Proſecutio.

4. Chriſtus Salvator noſter apud S. Lucam, dum de æterna remuneratione illis, qui fideles ſe erga Deum ſervos eſſe probarunt, exhibenda ageret, hæc in verba prorupit: *Beatus ille ſervus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem; vere dico vobis, quoniam ſuper omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum*; (*Luc. 12. v. 43*) Verum dicat fortaſſe aliquis, quid igitur alijs dandum ſupererit, quando omnia quæ Deus poſſidet, uni attribuuntur? Numquid diſſenſionem aliquam cauſabit, quod immenſi illius Regni poſſeſſio & inveſtitura uni ſoli attribuatur? Nequaquam: Hæc enim inter mundi bona & bona cœli intercedit differentia, quod illa pluribus in poſſeſſionem data diminuantur, hæc vero tanto magis creſcunt, & augentur, quanto major eſt poſſeſſorum numerus Adhæc ut Euſebius Gallicanus inquit: *Tanta ibi concordia erit, ut unusquisque quaſi major veneretur ab omnibus, & quaſi minor veneretur omnes.* (*Euſ. Gall. ho. 2. in nat. conf.*)

Cur Deus ſecundæ diei non benedixerit.

5. Verum enimvero ſi à ſupremo illo Cœli Empyrei palatio deorſum in terram deſcendamus, inveniemus in libro Geneſeos, quod Deus in mundi hujus creatione ſecundæ diei minime benedixerit, quod merito in admirationem unumquemque rapit, ſiquidem in iſto (*Gen. 1. v. 8.*) temporis ſpatio firmamentum factum fuiſſe conſtat; quidnam autem Dei benedictionem magis merebatur, quam opus illud adeo inſigne, de quo in Cantico trium puerorum dicitur: *Benedictus es Domine in firmamento cœli?* (*Dan. 3. v. 56*) Verumtamen S. Hieronymus aptam propoſito noſtro hujus rationem reddit, dum conſiderat, quod eodem tempore, quo Deus firmamentum extendit, de diviſione pariter egerit: *Dividat aquas ab aquis*: (*S. Hier. in c. 1. Aggai.*) inſuper etiam quia dies ille ſecundus erat, ideo primus fuit qui ab unitate receſſit: *Quia non poterat ſecundus dies, qui numerum facit, qui ab unione dividit, Dei ſententiâ comprobari.*

Homo creatus ut cum proximo concordet.

6. Præterea ſi in Elementorum productione originem & compoſitionem illorum attente conſideraveritis, omnia illa inter ſe contraria eſſe invenietis; Terra enim opponitur aquæ, aqua igni; ignis aëri, & tamen Creator omnia illa in tali ordine collocavit, ut in beneficium totius univerſi ſtabilem inter ſe pacem ſervent & concordiam, mundumque non ſolum non turbent, ſed etiam firmiter ſtabiliant; Diſpoſuit enim ut quodlibet elementum qualitate aliqua præditum eſſet, quæ elemento vicino conformis eſſet; ſic enim terram, quæ aquæ vicina exiſtit, ſiccam voluit eſſe & frigidam; Aquam frigidam & humidam, aërem humidum & calidum, ignem deniq; ſiccum & calidum; Eſt quoque inſuper advertendum, quod ad majorem univerſi concordiam ejusque conſervationem, ſingulorum elementorum adeo inter ſe contemperavit qualitates, ut illud quod in agendo valde eſt potens, in reſiſtendo admodum debile eſſe voluerit; & è contra hoc quod ad faciendam reſiſtentiam forte eſt, debile eſſe voluerit in operando; id quod in igne manifeſtè videtur, qui cum in comburendo adeo ſit activus & efficax, in reſiſtendo tamen aquæ illam abſorbenti tantam vim neutiquam habet, idq; Deus per ſuam infallibilem providentiam ſapienter ita ordinavit, quia ſi ignis in operando & reſiſtendo æque potens eſſet, jam dudũ mundus ab eo incineratus fuiſſet: ex altera vero parte terra vix ullam ad operandũ vim habet, ſed magnam ad reſiſtendum, ſiquidem & ignis, & aqua, & aër ad eam in ſubſtantia mutandam, ſicut mutatur aër in ignem & ignis in aërem, haud quaquam ſufficiunt. Ad hæc quis non videt, qualiter hæc elementa non obſtante hac contrarietate, pro mixtorum compoſitione inter ſe concorditer ad invicem uniantur & conveniant, ſiquidem opera illorum quidquid in natura bonum & pulchrum eſt, producitur. Enimvero ſi interroges, cur Deus non eo modo Elementa creaverit, ut ſemper inter ſe concordia, & bene unita conſiſterent; tunc enim tot tempeſtates, terræ motus, & alia ſimilia funeſta infortunia nequaquam acciderent. Reſpondetur Deum nequaquam motivum dare voluiſſe hominibus, ut aliquam elementis Divinitatem ineſſe crederent; ideoque diſpoſuiſſe, ut ſemper inter ſe in continua pugna & prælio mutuo conſiſterent, neque alia ratione inter ſe unita eſſent quam pro univerſali beneficio mundi; Unde Chryſoſt. ait: *Elementa ſibi invicem ſunt infeſta, ut omnes ſciamus, quod quæ bello impetunt & impetuntur, Dij eſſe non poſſint.* (*Chryſoſt.*) Ac proinde quænam eſt iſta hominis erubeſcenda confuſio, quod ſciens creaturas inſenſatas ex propria natura ad invicem diſcordes, & contrarijs inter ſe qualitatibus imbutas nihilominus pro pace & conſervatione univerſi inter ſe uniri & concordari, ipſe tamen ſolus cum proximo diſcordet, & contra finem ob quem creatus fuit, contentioſus exiſtat?

7. Moyſes in Geneſi, hoc eſt, in hiſtoria Creationis mundi refert Creatorem de rebus à ſe creatis dixiſſe: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valde bona*; (*Gen. 1. v. 31.*) cum tamen paulo ante in aliarum ſubſtantiarum productione dixiſſet: *Vidit Deus quod eſſet bonum*; (*Gen. 1. v. 10. &c.*) cur obſecro in approbatione cunctarum creaturarum ſimul ſumptarum dixit: *Et erant valde bona.* S. Hieron. apte ad hoc reſpondet: *Omne ſecundum Philoſophos tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis, propterea in exordio mundi vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* (*S. Hier. in reg. Monac. Ad Paul. & Euſtach.*)

Homo ad quietẽ æternam creatus.

8. Idem ſacer Chroniſta de eadem mundi creatione tractans, de Creatore noſtro dicit, quod *Requievit die ſeptimo.* (*Gen. 2. v. 2.*) Ubi quærendum merito venit, cur in aliorum ſex dierum præcedentium decurſu numquam quieviſſe legatur, in quibus nimirum jam eſſe ſuum Cœlo Empyreo, firmamento, ſtellis, Soli, arboribus, animalibus terreſtribus, aquaticis & volatilibus, totq; multiplicibus alijs creaturis impertitus fuerat? Neque enim ulla ratione credendum eſt, Deum ex præcedentium creaturarum productione fatigatum quieviſſe, quia ſolo *Verbo Domini cœli firmati ſunt*. Myſterium igitur in eo conſiſtit, quia jam alteri cuidam mundo licet minori, qualis homo eſt, qui Microcoſmus dicitur quem ad quietem creaverat, eſſe ſuum donaverat, atque ideo ſe una cum homine quietem ſuam inveniſſe demonſtrare voluit; Unde S. Anſelm. ait: *Cur enim diceret poſt illam diem in qua homo creatus eſt, ſequenti die requievit, niſi per hoc vellet innuere, quoniam illum, poſt cujus creationem quievit, ad quietem fecit?* (*S. Anſelm. in c. 4. Rom.*) Et ideo ſancta mater Eccleſia homini ex hac vita, quæ continuum & laborioſiſſimum bellum quoddam eſt, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, (*Job 7. v. 1.*) exeunti pacem & quietem annuntiat, dicens: *Requiem æternam &c.*

Inermis creatus ut charitatem foveat.

9. Advertendum præterea eſt quod natura alijs animalibus de armis quibus defenſive & offenſive uti poſſent, proſpexerit; alteri etenim cornua dedit, ut Tauro, alijs ungues, ut Leonibus; alijs feroces dentes, ut Apro; alijs venenum concreavit, prouti ſerpentibus, & tamẽ tametſi omnibus hiſce armis tum ad ſe defendendum, tum ad offendendum alia proviſa ſint, inter ſe mutuo tamẽ intra eamdem ſpeciem ſummã pacem conſervant; & ſolus homo natus inermis, ad quietem creatus, atque ad pacis viſionem tamquam finem ſuum ultimum deſtinatus, rixas ſuſcitat atque diſcordias, nec aliud meditatur, quam ut diſtricto gladio charitatem rumpat atq; concordiam, quam communis rerum omnium Creator generi humano potius quam alijs creaturis molitus fuit tot modis & argumentis inſerere.

Ab uno ſumus patre geniti ut mutuus ſit amor.

10. Naturam Angelorum in tres Hierarchias, easque in novem choros diviſas diſtinctam, Deus totam quoad omnia individua naturæ illius ſimul creavit, tametſi hæc numerum quaſi infinitum conſtituant, ſiquidem Angeli infimi chori in pari cum omnibus animabus hactenus creatis, & deinceps in finem uſque ſæculorũ creandis numero creati fuiſſe probabiliter exiſtimantur, quia ſinguli horum Angelorum cuilibet animæ humanæ in cuſtodes aſſignantur; cur igitur idem ille Creator Deus, de quo aliud dici nequit, quam quod *Omnia in ſapientia feciſti*, cur inquam etiam omnes homines non ſimul ut *Angelos*, ſed ex ijs unum tantum Adamum ſcilicet, creare voluit? cum tamẽ non minor ſit neceſſitas populoſæ multitudinis in humana progenie, quam in natura Angelica, cum de homine Pſalmiſta dicat: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris*, (*Pſ. 8. v. 8. 9.*) Et quidem dum hæc animalia crearet, non unum ſolum, ſed multa intra unam ſpeciem creavit, ſic enim multis leonibus, multis aquilis, multis balænis ſimul eſſe ſuum dedit, arbores quoque plures intra eamdem ſpeciem progerminare voluit, at vero dum ad hominem creandum devenit, de uno ſolo dicit: *Faciamus hominem*; (*Gen. 1. 26.*) quænam fuit hæc humanæ ſpeciei per tot ſæcula continuata ſolitudo, priusquam humanam generationem ſuper terram propagaret? Præterea cur unicam dumtaxat mulierem primitus produxit, cum tamen ſi plures produxiſſet, easque primo homini ſociaſſet, ab eoque fœcundaſſet, humanum genus citius ſuper terram creſcere, multiplicari, & propagari potuiſſet. Imo S. Petrus Damianus in Capite cujus hic eſt titulus: *Cur Deus in principio unum ſolummodo creaverit hominem*, (*S. P. Dam. op. 8. de paren. gr. c. 3.*) ulterius inquirit, cur Deus unicam dumtaxat mulierem formando, eamdẽ inſuper ex latere & coſta viri formavit, ac ſi inopiam pateretur materiæ, è qua illa creanda erat: *Ex quo nimirum tamquam deeſſet materia figulo, muliebrem quoque ſexum voluit propagare*, cur illam non ex creta vel luto, unde Adamum plaſmaverat, ſed ex coſta formavit? Videor mihi Deum audire hunc in modum reſpondentem; Parum refert quod terra priusquam popularetur & incoleretur ab hominibus, ſolitudinis & deſerti inſtar deſolata permanſerit, hoc enim quod mihi vel maxime curæ fuit, in eo præcipuè conſiſtit, ut humanæ propagini amorem & dilectionem fraternam infererem, omnesque homines inter ſe pacificè & tranquillè vitam agerent, idque tunc vel maxime me aſſecuturum eſſe judicavi, ſi efficerem ut omnes ab uno patre, eademque matre deſcendentes ſeſe mutuo eorumdem parentum filios, & conſequenter fratres eſſe agnoſcerent: *Ut charitatem hominibus commendaret*, inquit citatus Petrus Damianus, *& in fraterni amoris eos unitate connecteret, quatenus propriæ origini congruentes, nequaquam diverſi reſilirent mente, qui unum probarentur ex corpore.* (*S. P. Dam.*)

Proſecutio.

11. S. Auguſt. lib. 12. De Civitate Dei ſimiliter rationem reddit, cur Deus innumeras Angelicæ naturæ ſpecies produxerit, maxime in ſententia Doctoris Angelici qui omnes Spirit. Angelicos ſpecie inter ſe diſcrepare docet, animalia quoque in copioſo numero, ſpecierumque varietate crearit, cum tamen ex hominibus unicum crearit hominem; *Unum*, inquit, *ac ſingulum creavit, non utique ſolum ſine humana ſocietate deſerendũ, ſed ut eo modo vehementius ei commendaretur ipſius ſocietatis unitas, vinculumque concordiæ, ſi non tantum inter ſe naturæ ſimilitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur, quando nec ipſam quidem fœminam copulandam viro, ſicut ipſum creare illi placuit, ſed ex ipſo, ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum.* (*S. Aug. c. 12.*) Alibi quoque, ubi de bono conjugali idem ſanctus Doctor tractat, quaſi eodem ſtylo ita ſcribit: *Ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in ſua ſocietate non ſola ſimilitudine generis, ſed etiam cognationis vinculo tenerentur.* (*S. Aug. de bono conj. c. 1.*) Si enim homines, ſicut Angeli, omnes ſimul & ſemel creati fuiſſent, vel unus independenter ab alio, dilectio, quam generatio & cognatio ejusdem ſanguinis inſinuare ſolet, ipſis adeo firmiter minime impreſſa fuiſſet, nunc autem homo alium hominem generando, eidem amorem pariter infundit per viam ſimilitudinis & propagationis naturalis. Similiter Theodoretus ait: *Voluit Deus ex uno viro & ex una muliere ſubſiſtere univerſalitatem hominum, ut in concordiam convenirent, tamquam ex una radice florentes.* (*Theod. q. 4. in Gen.*) B. Laurentius Juſtinianus quoque hanc eamdem rationem notavit, dum ait: *Propterea Deus voluit unicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, ut tamquam fratres ſe amarent, non ſic legitur factum eſſe in Angelis, vel in brutis.* (*B. Lau. Juſt. c. 15. de lig. vit.*)

Paucas animas Deus in arca ſervavit ob unitatem.

12. Hujuſce unionis & concordiæ, quam Deus generi humano imprimere voluit, non minus argumentum eſt, quod in diluvio diſpoſuit; Divina namque juſtitia ſceleribus noſtris exaſperata, totum mundum aquis ſubmergere decrevit, attamen quia veriſſimum ſemper eſt illud: *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*, aliquam ſaltem propaginis noſtræ ſcintillam in vita reſervare voluit, ut eamdem poſt conſummatum hocce ſupplicium de novo ſuper terram propagaret; ac proinde Noë ad hunc effectum arcam fabricare præcepit, ut in ea omnium includerentur animalium ſpecies, & cum ijs pauculi dumtaxat homines: *Cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt.* (*1. Pet. 3. v. 20.*) Et unde homines illos vel ex qua parte mundi ſelectos fuiſſe exiſtimatis? num forte homines in arca ſalvatos, ex quatuor mundi partibus Aſia nimirum, Africa, Europa & America collectos fuiſſe creditis? Minime gentium, ſed ex unica dumtaxat familia, Noëtica videlicet, illos Deus præſervari præcepit; Cur ita? Dicetis fortaſſe illam utpote nullius ſibi culpæ conſciam hoc favore à Deo fuiſſe privilegiatam, quia in omnibus alijs *Omnis caro corruperat viam ſuam*; (*Geneſ. 6. 12.*) hoc tamen nequaquam poteſt ſubſiſtere, quia etiam in domo Noë, unus reprobus erat, isque à Deo & patre ſuo maledictus, Cham videlicet; Verum igitur Divini hujus propoſiti & favoris myſterium melius nobis à docto quodam Expoſitore antiquo hiſce verbis declaratur: *Deus noluit plures in arca ſervari propter majorem nexum unitatis generationis ſequentium.* (*S. Tho. ibid.*) Sicut enim in exordio mundi, in hujus naturæ noſtræ creatione, Deus unico tantum viro, & unicæ mulieri primum eſſe dare voluit, ut omnes illorum poſteri veluti ab uno eodemque ſtipite nati, ſeſe mutuo tamquam fratres diligerent: ita quoque nunc naturam humanam ab hiſce generationis noſtræ ſcintillis de novo per totum univerſum dilatare volens, patrem & matrem, filios & fratres ſibi reſervare voluit, ut deinceps omnes eorum poſteri ſeſe per dilectionem fraternam concorditer amarent. Unde Chryſologus ait: *Una in arca claudit totius ſæculi partum, ut ſocietatis amor timorem ſervitutis auferret, & conſervaretur amore communi, quod fuerat labore communi ſervatum.* (*Chryſol. ſer. 147.*)

## DISCURSUS VII.
## ARGUMENTUM.

Per quorumdam veteris Teſtamenti rituum, & ſcripturarum ponderationem conſideratur, quantum Deus mutuam inter nos concordiam amaverit, oderitque diſſenſiones.

THEMA

## THEMA.

*Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* 2. Cor. 13. ℣. 11.

Deus pacis.
*S. Tho. in 1. Cor. 13.*
*1. Cor. 14. v. 33.*

1. DOctor Angelicus Apoſtolum in hiſce aſſumpti thematis verbis ad uſum Gentilium alludere voluiſſe exiſtimat, qui Deos ſuos à donis, quæ ab iiſdem recipiebant, denominare conſueverant, ita ut à pace, qua ſe nomine illo mediante frui & gaudere credebant, illud ipſum Deum pacis communi nomine & titulo appellabant: *Ex dono pacis denominabant Deum pacis, ex dono ſalutis, Deum ſalutis; Huic vocabulo alludens Paulus dicit: [Deus pacis,] non quod Pax ſit unus Deus, ſicut illi dicebant, ſed ideo Chriſtus dicitur Deus pacis, quia eſt dator pacis & amator.*

Hanc ſemper amavit, & perturbatores puñivit.

2. Enimvero ſi per Teſtamentum vetus nonnihil diſcurrere placuerit, utique quantopere Deus pacem adamaverit, quantaque cura & ſolicitudine eamdem procurare ſtuduerit, facile invenietis. Et primo quidem conſtat, qualiter adverſus humanum genus peccatis illius ita poſcentibus ira excandeſcens, juſtitiæ ſuæ vindicativæ enſem in univerſali diluvij ſubmerſione ſtrinxerit; & tametſi innumerabiles animæ intra profundas illas aquarum voragines deſperatæ perirent, Spiritus Sanctus tamen alios ex illis ad noſtram notitiam pervenire noluit, quam ſolorum gigantum damnationem, qui ab aquis diluvij ad interminabiles pertranſierunt planctus & gemitus inferni: *Ubi eſt fletus & ſtridor dentium; [Gigantes gemunt ſub aquis.]*

*Job 26. v. 5.*

Equidem ſcimus quidem cauſam, quæ divinam iram, ad immittendum illis hoc tremendum ſupplicium, vel maximè irritavit, fuiſſe, quia *Omnis caro corruperat viam ſuam*; ſed numquid hoc ſolum reprobationis illorum motivum Deo fuit? Nequaquam. Quid igitur inſuper illum ad hoc proritavit? Audite Baruch Prophetam id clare ſatis enuntiantem: *Ibi fuerunt gigantes nominati illi,...* inquit, *ſtatura magna ſcientes bellum, non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ invenerunt, propterea perierunt*; quaſi diceret, ideo Cœlum eos odit, & primo in aquis, poſtea vero in igne infernali ſubmerſit, quia bellum non vero pacis diſciplinam ſciebant; Unde optime nos S. Ambroſius monet dicens: *Meritò non elegit, quia prælium, non pacem ſciebant; & ideo tu pacem diſce, ut eligaris ab eo.* Verum quidem eſt quod non ſolum ſeditioſi & pacis turbatores, verum etiam adulteri, fornicarij, imo & ebrij, ſuperbi, invidi, rapaces, & tot alij vitioſi prævaricatores ab illo rapaciſſimo diluvij torrente ad præcipitium Infernale tranſlati fuerint, verumtamen ſolum eorum mentionem Deus fieri voluit, qui pacem turbant, ut quantum hi ſibi exoſi, & quantopere ſupplicio digni ſint, per hoc nobis innueret.

*Gen. 6. v. 12.*
*Baruch. 3. v. 26. 27.*
*S. Ambr. l. de Cain & Abel c. 5.*

Mirum quod homines odium & rancorem non deponant.

3. Adhæc quia diluvij mentionem facere cœpimus, prætereunda nobis minimè eſt illa S. Auguſtini opinio, exiſtimantis, quod toto illo tam longe ſpatio quo homines & animalia in arca demorata fuerunt, nullus ibi ſanguis effuſus, nec carnes manducatæ fuerint, adeoque neceſſum eſt aſſerere feras inibi contentas, Leones videlicet, Lupos, Tygrides, Elephantes, paleam & fœnum non vero carnes aut ſanguinem voraſſe. Præterea qua ratione poſſibile eſt, quod hæc tam ferocia animalia, alia manſuetiora agnos videlicet, & alias minores volucres non devoraverint, ſed potius altiſſimam inter ſe pacem conſervarint? Chryſoſtomus id factum eſſe dicit: *Ut ſervaretur amore communi, quod fuerat communi labore ſervatum*; nimirum ferocitatem ſuam naturalem depoſuerunt, ut omnium viventium, quæ inibi velut quoddam totius naturæ ſeminarium recludebantur unionem atque concordiam conſervarent; Ex quibus omnibus ita arguere licet; Quod ſi Urſi, Leones, & Tigrides pro conſervanda pace quam Deus in arca ſervatam volebat, omni depoſita congenita ferocitate adeo cicurati ſunt, & ſanguinis carniumque loco fœnum & paleas, pabulum alias ipſis amarum & faſtidioſum comederunt; cur igitur homo à Deo creatus ad quietem, atque ad cœleſtis Jeroſolymæ viſionis pacis fruitionem ab eodem deſtinatus, cur inquam hic omnem rancorem & odium deponere, & pro obſervanda amoris & charitatis lege, quam Deus tanta cum ſolicitudine nobis impoſuit, bolos quantumvis amaros devorare non poterit?

*Chryſoſt.*

*Matth. 18. v. 20.*
Proximi propter Deũ diligendi.

4. Salvator noſter quondam dixit: *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, utpote qui titulo pacis inſignitur: *Ipſe eſt pax noſtra; Deus pacis & dilectionis.* Advertendum eſt autem unionem & congregationem iſtam in ejus nomine inſtituendam eſſe; *Congregati in nomine meo*; Intelligere namque nos voluit, quod tametſi multi ſæpe ſeſe mutuo diligant, hæc tamen dilectio non ſemper oculum ſuum ad divinum ejus præceptum, ſed perſæpe ad commodum & intereſſe proprium, vel ad humanæ benevolentiæ motivum, vel ad cognati ſanguinis propinquitatem, imo ſæpe etiam ad motivum ſenſuale directum habet; nequaquam vero ita fieri debet, dicit Dominus, ſed potius, *ubi ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Verum enimvero dices fortaſſe, ex quonam ſigno amorem hunc noſtrum à divino igne ſuccenſum eſſe colligere quis poterit? nimirum ſi pro amore Dei bolos quantumvis amaros deglutiamus, ſi proximum propter Deum ſolummodo diligamus, licet erga nos alioquin ingratum, licet indignum, licet vilem, licet inimicum noſtrum, denique licet contra noſtrum genium & naturalem inclinationem noſtram. Optime D. Chryſoſtomus hac de re diſcurrit, dum ait: *Nam alius amat quia redamatur, alius quia honore afficitur, alius quia utilitati ſibi eſſe aut fore hominem putat: Chriſti vero cauſa difficillime quemquam invenies, qui amicum ut oportet, diligat, omnes ferè ſæcularium vinculorum nexu inter ſe vinciuntur.*

*Chryſoſt. ho. 61 in Matth.*

*Gen. 8. v. 2.*
Pacis ſymbola.

5. Quando altiſſimæ diluvij aquæ deficere cœperunt: *Prohibitæ ſunt pluviæ de cœlo*, Noë columbam deforis extra arcam emiſit; Circa quod factum duo mihi quærenda occurrunt; Primo cur Noë, qui tot alias volucres intra arcam recluſas habebat, poſt emiſſum corvum, hac columba tantopere à corvi deformitate & rapacitate aliena uti voluerit? ſecundo cur columba iſthæc inter tot arborum genera ſolius olivæ ramuſculum in ore ſuo deportarit? *Portans ramum olivæ virentibus folijs in ore ſuo.* S. Bruno in hac vaſta arcæ mole omnes totius mundi nationes & populos virtualiter recluſos fuiſſe dicit, quia ab octo illis hominibus tota humana progenies ſuper terram propagari debebat; Columbam autem dicit figuraſſe Spiritum Sanctum, qui hoc ſuæ olivæ ramo quem ore deferebat, quaſi tacitus omnes totius univerſi Provincias & regna monere voluiſſe videbatur, ut pacem & concordiam inter ſe mutuam omni ſtudio conſervarent, *quibus tunc in illa columba Spiritus Sanctus quodammodo loquebatur, & dicere videbatur, pacem habete, pacem tenete, pacem diligite, ſine qua nemo Deum videbit, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum; pauci quidem eſtis, ſed res parvæ concordiâ creſcunt, magnæ vero diſcordiâ dilabuntur.* Oliva ſymbolum eſt pacis, & ideo hanc Deus tantopere amavit, ut inter omnes alias arbores ſolam olivam in ſuo virore & vigore conſervarit; Corvus quidem ante columbam ex arca dimiſſus fuerat, & tamen hic ramum hunc minime ſecum attulit, quia avis hæc rapax & ſanguinolenta eſt, & cadaveribus paſcitur, & ideo homines ſignificat contentioſos & diſcordes, cum è contra columba avis pacifica & manſueta ſit, quæ proinde amorem & dilectionem fraternam mutuam repræſentat; & hæc quidem olivam non intra pedum ungues, ſed in ore ſuo attuliſſe dicitur: *In ore ſuo virentibus folijs*; idque non ſine peculiari myſterio factum eſt, quia ut S. Ambroſius notat: *In ore non fruſtra ramus videtur eſſe delatus, eo quod juſtus in ſermone ſuo habeat charitatem, maxime cum pacifica loquitur.* Quod ſi enim pacis amicum ab homine contentioſo dignoſcere cupitis, advertere debetis, quonam modo quis loquatur de proximo ſuo; ſi enim in reſpondendo aſper, amarus, pungitivus, & elatus fuerit, non columba, ſed corvus erit. Oliva quoque in ore deferenda eſt, quia tunc nos proximos noſtros diligere probavimus, ſi illos pro majori ipſorum utilitate verbis charitativis, benignis & manſuetis correxerimus, ſi conſilia ipſis ſalutaria ſuggeſſerimus, ſi eos in afflictionibus conſolari fuerimus, & ubi opus fuerit, ea quæ ad ſalutem neceſſario ſcire debent, edocuerimus, beneque ſemper & honorifice fuerimus locuti; deniq; ſi illis non ſolum lingua & verbo, ſed etiam opere ipſo benefecerimus.

*Gen. 8. v. 11.*
*S. Bru. de orn. Eccl. 7.*
*S. Ambr. de arca c. 19.*

6. In Deuteronomio dicitur: *Dominus de Sinai venit, &... in dextera ejus ignea lex*; & tamen S. Joannes in Apocalypſi ſe in ore Dei gladium quemdam vidiſſe igneum dicit: *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat*, cum tamen gladius manu, non vero lingua vibrari ſoleant; Enimvero in ore gladius fertur, quia lex per linguam promulgatur & docetur, & ideo docere nos voluit Spiritus Sanctus, quod lex illa amoris, *Plenitudo legis eſt dilectio* non ſolum in manibus portanda, id eſt, operibus exercenda & adimplenda ſit, ſed etiam in ore & lingua: *Filioli mei non diligamus verbo neque lingua*, inquit S. Joannes, *ſed opere & veritate.*

*Deut. 33. v. 2.*
*Apoc. 1. v. 16.*
Charitas exerceri debet opere ore & lingua.
*1. Joan. 3. v. 18.*

7. Verba



Fideles pacem diligant.
*Lucæ 1. 32.*

7. Verba quæ Archangelus Gabriel ad Beatiſſimam Virginem in Annuntiatione dixit, nimirum: *Regnabit in domo Jacob*, myſterijs plena ſunt; Etenim Archangelus Hebræorum Synagogam, cui Eccleſia ſucceſſit, Domum Jacob appellavit; ſed cur non potius domus Abrahæ qui primus omnium credentium Pater fuit? cur non domus Iſaac? aut cur domus David appellata non fuit? Cum enim Eccleſia ad omnes terræ populos uſque dilatanda fuerit, decens eſſe videbatur, ut potius domus Abrahæ appellaretur, utpote cui dictum fuit: *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ*; & tamen non ſine ratione domus Jacob dicta fuit, non vero Abrahæ, quia ab hoc multi deſcenderunt populi, qui multis inter ſe cruentis prælijs dimicarunt, nec umquam pacem veram inter ſe habuerunt? Neq; in domo Iſaac illum regnaturum eſſe dixit, quia in ejus domo Eſau præſcitus cum Jacob luctatus fuiſſe noſcitur; E contra vero tametſi Jacob duodecim filios habuerit, hi tamen inter ſe populum quemdam inſtituerunt adeo inter ſe unitum & concordem, ut tametſi is poſtea ſub Roboam in duos fuerit Reges diviſus, quorum unus in Samaria, alter vero in Jeruſalem regnavit; attamen is qui à Rege Jeruſalem diviſus eſt, progreſſu temporis à Deo derelictus in plures idololatriæ errores prolapſus fuit, ſtetitque domus Jacob in Jeruſalem inconcuſſa, & indiviſa ſemper permanſit. Regnavit igitur Chriſtus in Jeruſalem, quæ pacis viſio dicitur: Unde dicitur: *Factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Syon.* Porro in Syon à Salomone templum, quod Eccleſiæ figura extitit, ædificatum fuit. In cujus typo advertendum eſt, quod Deus ad illius fabricam erigendam Regem illum voluerit adhiberi, qui Salomonis, id eſt, Pacifici nomen ſortiebatur; Præterea, quod in machina quadam adeo vaſta valde ſtupendum fuit, Spiritus Sanctus ſignanter notavit, quod [*malleus & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo, cum ædificaretur:*] *hæc autem omnia in figura contingebant*; ſiquidem per hoc edocemur, quod fideles, qui ſunt lapides vivi, è quibus Jeroſolyma cœleſtis, id eſt, Eccleſia ædificatur; *quæ conſtruitur vivis ex lapidibus*, numquam ferrum ſeu enſes & gladios tractare debeant, ſed potius ſatagere ut charitatem, pacem, & unionem mutuam fideliter diligant.

*Gen. 12. v. 3.*
*Pſal. 75. v. 3.*
*3. Reg. 6. v. 7*

8. Synagogam Deus ſuper duos fratres Moyſen & Aaron veluti lapides angulares & fundamentales erexit, ſicut etiam Eccleſia à Chriſto ſuper duos fratres Simonem & Andream, quos à principio veluti duos primos lapides elegit, fabricata fuit: *Ambulans Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus,... & ait illis: Venite poſt me*; Ubi Author imperfecti ita ſcribit: *Super fraternitatem charitatis Eccleſiæ rectè poſuit fundamenta, ut ex radicibus charitatis exuberans quaſi humor aſcendat in ramos.*

*Matth. 4. v. 18. & 19.*
Auth. imp.

Reconciliatio neceſſaria.
*Matth. 5. v. 23.*

9. Chriſtus quoque nos monet quid faciendum ſit priuſquam ad ſacrificia offerenda nos accingamus: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te,... vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuum.* Ubi ſe continere Chryſoſt. non poteſt, quin exclamet: *O admirabilem benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei, honorem ſuum deſpicit,... dum in proximo charitatem requirit*; Deus etenim actus Religionis, Divini cultus & honoris ſui nihil æſtimat, ſi fiant cum præjudicio charitatis, dilectionis & concordiæ, quam à nobis vel maximè exigit. Unde dicitur: *Diligere proximum tamquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificijs.*

*Chryſoſt. ho. 16. in Matth.*

Nullum opus Deo gratum niſi fiat ex charitate.
*Lev. 2. v. 13.*

10. Sciendum eſt præterea quod cuncta Deus ſacrificia olim ſale conſpergi præceperit: *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies*; idque mandavit non pro meliori carnium illarum ſapore & condimento (*Numquid manducabo carnes taurorum*) ſed propter myſterium, ad denotandum videlicet, quod nullum opus noſtrum illi acceptum ſit, niſi illud à corde & voluntate, dilectione & amore erga Deum & proximum accenſa proceſſerit; Sal etenim ex duobus elementis inter ſe contrarijs aqua nimirum & igne, in noſtrum tamen commodum & obſequium ſimul unitis & concordibus componitur. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.*

*Marc. 9. v. 49.*

Abhorret Deus pacis turbatores.

11. Deus in veteri lege populo ſuo præcipiens, ut in memoriam magni illius beneficij, quo Deus illum à crudeli Pharaonis tyrannide exemptum libertati reſtituit, omnia ſua primogenita tam de hominibus, quam de animalibus offerrent, hanc ſubnexuit exceptionem: *Primogenitum aſini mutabis ove.* Fieri nequit, quin ſumme admiremini, quod animal iſtud cæteroquin patiens, prompteque onera noſtra portans, quo etiam ipſe Dei Filius ad equitandum uti voluit, cum tamen illum alia jumenta aut equos aſcendiſſe nullibi legatur, præterquam quod in ſua nativitate idẽ Dei Filius ab hoc animali potius quam ab alio foveri & calefieri voluerit, quod inquam animal iſtud adeo expreſſis verbis ab immolatione excluſerit. Scio equidem quod aliqui ideo id factum eſſe dixerint, quia aſinus animas illas præfigurat, quæ ad ambulandum in via Dei timore potius quam amore moventur quia aſinus non progreditur niſi fuſtibus & virga adactus. Alij vero tritum illud Proverbium; *Greſſus celerior aſini parum durat*, conſiderantes exiſtimarunt per aſinum illos præfigurari qui Dei ſervitium magno quidem cum fervore incipiunt, in eodem tamen poſtea minime perſeverant; Ego vero, niſi fallor, veriorem illius cauſam hanc eſſe exiſtimo, quia pellis jumenti hujus tympanis, belli nimirum & militiæ inſtrumentis inſervit; Et ideo per hunc ritum Spiritus Sanctus indicare voluit, quod Deus illos, qui vel in figura, & umbra quantumvis remota paci ſe opponunt, maxime exhorreſcat: *Diſſipa gentes, quæ bella volunt*; Imo inſuper notandum eſt, quod Deus hanc aſini oblationem non cum tauro feroce, ſed cum miti, manſueta, & humili ovicula permutandam eſſe juſſerit: *Mutabis ove.*

*Exod. 13. v. 13.*
*Pſ. 67. v. 31.*

Concordia vincit.

12. Apoſtoli eo præcipuè fine per mundum à Chriſto diſperſi fuere, ut mundum expugnarent, & vincerent; ſed quodnam auribus illorum ad eos ad hoc prælium animandos, tympanum adhibuit? *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem; ſicut dilexi vos.* Audite Hugonem Cardinalem hac de re ita ſcribentem: *Dominus mittens Apoſtolos in exercitu contra Diabolum, in quo neceſſaria eſt concordia; ne unus prodat alium, & ut concorditer & unanimiter aggrediantur pugnam, tradidit eis præceptum dilectionis; quæ eſt mater concordiæ, & per conſequens victoriæ, quia omnis pugna unanimiter aggreſſa victoriam parit.* Voluit ut inter hoſce lupos ſicut oves irruerent: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Unde idem Hugo ſubjungit: *Ideo Eccleſia dicitur terribilis, ut caſtrorum acies ordinata.*

*Joa. 15. 12.*
*Hug. Card. in Joan. 1. v. 5. 12.*
*Matth. 10. v. 16.*

Cur in ſacrificijs Deus repudiarit piſces.

13. Verum enimvero ut ad ritus antiquos denuo revertamur; quænam cauſa eſt, quod piſces olim à ſacrificijs repudiati fuerint? cum tamen tam piſces quam aves ex eodem aquarum elemento fuerint creati; Unde Eccleſia in Hymno canit: *Ex aquis ortum genus partim remittis gurgiti, partim levas in aëra.* Nonnulli ſacri Expoſitores literalem hujus rationem reddunt, quia ſacrificia in eo principaliter conſiſtebant, quod morte victima trucidaretur, hujus autem piſces incapaces erant, quia piſces vix ex aquis extrahuntur, cum ſubito moriuntur; Ex qua ratione pulchra quædam deduci poteſt doctrina moralis, ſcilicet quod Deus nolit victimas & oblationes animarum jam agonizantium, eorum videlicet qui in ultimo vitæ ſuæ termino ad pœnitentiam ſe recipiunt. Pro præſenti quoque propoſito de quo tractamus, dici poteſt, quod piſces certas quaſdam præfigurent naturas aſperas, non ſociabiles, imo diſcordes cum proximis ſuis; ſiquidem experientia teſte, etiam Leones & Tygrides in ætate tenera domeſticantur & cicurantur, piſcis autem numquam, imo hunc inter ſe inſtinctum habent, quod unus alteri ſocio cibum ex ore rapiat, & ad eam uſque ferocitatem perveniunt, ut unus alterum devoret; quid mirum igitur ſi Deus ille ipſos ab oblationibus ſacrificiorum repudiet, qui hoc præcipue titulo magnopere gloriatur; *Deus pacis & dilectionis.*

Malogranatum cur portare debuerit ſacerdos.
*Exod. 39. v. 22.*

14. Enimvero ex quo de ſacrificijs egimus, opportune quoque mihi incidit, quod de ſummo ſacerdote legitur; Hic enim in Sancta Sanctorum ingreſſurus, ut pro officij ſui obligatione miniſtraret, ex Dei expreſſo præcepto malogranata aliqua in extremitate veſtium ſuarum portare debebat, ſiquidem per hæc malogranata varij ſignificabantur populi inter ſe quidem quoad linguas, leges, mores & ritus diſuniti & diſtincti, uniti tamen in eadem fide & charitate erga Deum & proximos; hoc enim pomum vera quædam eſt figura charitatis, ſiquidem in illo innumera rubeſcentia grana in varios ordines diſtincta, ſub eodem tamen cortice collecta & in vertice illius coronam conſpicimus, hancque habet proprietatem quod ad ardentiores Solis calores viſcera ſua totaliter pandat & explicet, unde perſpicuum eſt hujuſce virtutis ſymbolum, quæ Regina eſt omnium aliarum: *Major autem horum*

rum

*rum eſt charitas*; *Sic innumeros Eccleſiæ populos*, inquit S.Gregorius, *Unitas fidei contegit, quos intus diverſitas meritorum tenet.*

S.Greg. 2. p. paſt. c. 4.

Symbolum Crucis.

Cant. 8. v. 5.

15. In ſacris Canticis Sponſum ſponſæ ſuæ dixiſſe legimus: *Sub arbore malo ſuſcitavi te*, quibus iiſdem verbis alloqui potuiſſet ſponſam ſuam ſanctam Eccleſiam ſanguine ſuo in ligno Crucis effuſo vivificatam; *Nam*, ut Expoſitor quidam Chriſti nomine Eccleſiam alloquitur: *Mortua eras in peccatis, vel innatis, vel additis, vivificavi te ſub ligno Crucis; de corpore meo pendente in ligno ſanguis redemptionis quinque rivis ſtillavit ſuper te, & ita ſub arbore illa ſuſcitavi te. Quid eſt ſub arbore illa? id eſt ſuſpicientem in arborem illam, ſuſpicientem æneum ſerpentem, id eſt, credentem in Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Verum dicet aliquis, quomodo Crucis patibulum arboris malogranati nomine appellari potuit, cum illud juxta graviſſimorum authorum opinionem ex alijs lignis fabricatum fuerit? Exiſtimo hoc titulo Crucem magno cum myſterio honoratam eſſe, denotando ingentem amorem & dilectionem, cum qua Chriſtus in ea paſſus fuit, cujus hæc arbor, ut diximus ſymbolum exiſtit, ut tanto vehementius hunc nobis amorem imprimeret. *Propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos; & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cujus gratia eſtis ſalvati) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus*, inquit S. Paulus.

Guiliel. ibid. à Cor. à Lap. cit.

Eph. 2. v. 4. 5. 6.

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Eadem Dei ſolicitudo qua concordiam & unionem inter proximos procuravit, ex multis Chriſti in novo Teſtamento operibus deducitur.

## THEMA.

*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Joan. 14. ℣. 27.

Chriſti legatum Amor.

Joan. 13. v. 3

Joan. 13. v. 1

1. S. Joannes non ſine myſterio priusquam Chriſti teſtamentum referret, magna illa valdeque Emphatica verba primò præmittit: *Sciens Jeſus, quia omnia dedit ei Pater in manus*; imo prius quoque nos inſtruit, quod amor ejus erga nos ad ultimum uſque gradum tunc pertigerit. *In finem dilexit eos*; ſed quodnam fuit opulentiſſimum illud & pretioſiſſimum legatum, quod in virtute ſummæ omnipotentiæ & dilectionis ſuæ nobis contulit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Circa quæ verba Oleaſter ait: *Cum quod relinqueret eis melius non haberet, reliquit mutuam dilectionem.* Porro quantopere hoc inæſtimabilis valoris legatum à nobis æſtimari debeat Chryſologus more ſuo optime his verbis exponit: *Pax fratrum, voluntas Dei, jucunditas Chriſti, perfectio eſt ſanctitatis, juſtitiæ regula, magiſtra Doctrinæ, morum cuſtodia, atque in rebus omnibus laudabilis diſciplina.*

Oleaſt. in c. 27. Gen.

Chriſtus, pax.

Eph. 2. v. 14.

2. Cor. 5. v. 18. & 19.

2. Et quidem ut hujus legati nobis facti, ſcilicet pacis & concordiæ excellentia nec non quantum Chriſtus Salvator noſter eamdem deſiderarit & amarit plenius innoteſcat: *ipſe eſt pax noſtra*, inquit S.Paulus, *qui fecit utraque unum*, & hoc quidem ad Epheſios ſcribit; ad Corinthios vero ſic loquitur: *Omnia ex Deo qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum & dedit nobis miniſterium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.*

Concipi voluit propter unitatem.

Jerem 31. v. 22.

3. Quod ut evidentius nobis fiat, circa varios vitæ ejus periodos nonnihil diſcurramus. De Salvatore noſtro Jeremias dicit, *Fœmina circumdabit virum*, quia etiam in utero matris conſtitutus eumdem habuit uſum rationis, eamdemque ſapientiam, quam nunc habet dum ſedet ad dexteram Patris, & ideo locum & modum Incarnationis & nativitatis ſuæ ipſe prout voluit, elegit, quod nulli aliorum Infantium obtigit; atque ideo in Nazareth civitate quantumvis modica concipi voluit; *Et benè in Civitate, quia civitas dicitur à civium unitate.* Unde Hugo Cardinalis ait: *Rectè ergo in Civitate voluit concipi Dominus, quia omnes homines ad unitatem Eccleſiæ reducere veniebat.*

Hug. Card. in Luc. 1. n. 26.

Naſci in pace.

4. Multa jam ſæcula elapſa fuerant, à quibus mundus armis bellorumque turbinibus & tumultibus implicitus fuerat, ipſe univerſalem toti terrarum orbi pacem adferre voluit; Unde de ipſius ſacroſanctis natalibus in Martyrologio Romano legimus, quod natus fuerit *Toto orbe in pace compoſito.*

Ejusq; Nomē & opus, Pax.

Iſa. 9. v. 6.

5. Propheta Evangelicus multis ſæculis antea prædixerat: *Parvulus natus eſt nobis... & vocabitur nomen ejus Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* Alibi quoque idem Propheta ita vaticinatur: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* In alio item loco principalem quemdam Divinitatis ſuæ effectum denotare volens, Deum ita loquentem introducit: *Ego Dominus & non eſt alter, formans lucem & faciens pacem*, Denique in ultimo Prophetiæ ſuæ capite, felicitatem qua Eccleſia Chriſti tempore gaviſura erat, exprimere ſatagens, ita ex ore Dei loquitur: *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis.*

Iſa. 32. v. 18

Iſa. 45. v. 6. & 7.

Iſa. 66. v. 12.

Chriſto nato pax proclamata.

6. Chriſto vix in hanc terram nato aperiebantur cœli, qui nectare & Ambroſia Paradiſi terram hanc irrorabant: *Hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cœli, eo quod hodie nobis de cœlo pax vera deſcendit.* Angelorum quoque exercitus per aëra reſonantes dulciter & certatim canebant: *Et in terra pax hominibus*; In prima Antiphona vigiliæ Nativitatis Eccleſia pariter ita canit: *Rex pacificus magnificatus eſt, cujus vultum deſiderat univerſa terra.* Et S. Bernardus ait: *Filius à Patre proceſſit, & venit in mundum, ut qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipſe pax noſtra in utero matris*,

S. Bern. ſerm. de S. Ben.

Gloſſa.

7. Gloſſa conſiderat quod tempore altiſſimæ pacis univerſalis naſci voluerit, ad inſinuandum nobis, quod in nulla alia re magis ſibi complaceat, quam in concordia & animorum unione: *Pacatiſſimo tempore voluit Chriſtus naſci, quia Pacem magnopere quæſivit, & amavit.*

Luc. 12. v. 49.

8. Chriſtus ipſe dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Quiſnam eſt hic ignis alius, quam charitatis & dilectionis? *Ignea lex; plenitudo legis eſt dilectio*; Totum enim Evangelium ad nihil aliud ordinatur, quam ad impletionem & inculcationem hujus præcepti; Unde Apoſtolus illud appellat Evangelium pacis. *Et calceati pedes in præparationem Evangelij pacis.* Apoſtolis explicare volens, qualis ſit lex Evangelica & gratiæ novi teſtamenti eiſdem dixit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem*; *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*; Id quod alia quoque vice iterum replicavit. Unde Salmeron ait: *Repetit præceptum prius datum*, Joan. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ut rem tam neceſſariam magis eorum mentibus imprimeret, quemadmodum clavus ut tenacius parieti inhæreat, non uno tantum ictu, ſed tertio, aut quarto, pluribuſve defigitur.* Sanctus vero Auguſtinus illud repetitum eſſe dicit, ut ſemel mandatum magis commendaret: *Mandati repetitio commendatio eſt; Dictum eſt meum, ne contemnendum putemus; Ubi charitas eſt, quid eſt quod poſſit deeſſe? ubi autem non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe?*

Eph. 6. v. 15.

Joa. 13. v. 34

Joa. 15. v. 12

Salm. t. 9. tr. 58.

Ubi charitas nihil deeſt.

S. Aug. tr. 83. in Joan.

Dilectionis Mandatum novum ob tres rationes.

S. Tho. ibid. in Joan.

Col. 3. v. 9.

9. Angelicus Doctor tres adducit rationes, ob quas præceptum iſtud mandatum novum glorioſo titulo appellat, tametſi etiam dudum antea in veteri teſtamento ſtatutum fuerit. *Primo propter effectum innovationis quem efficit*; Ad Coloſſenſis 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novū*; *Hæc novitas eſt per charitatem, ad quam exhortatur Chriſtus. Secundo novum propter cauſam, quæ hoc efficit, quia eſt à novo ſpiritu; Eſt enim duplex ſpiritus, vetus, & novus; Vetus ſpiritus ſervitutis; novus ſpiritus amoris, ille generat ſervos, hic filios adoptionis* Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis &c. hic ſpiritus inflammat ad charitatem, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Tertio per effectum quem conſtituit ſcilicet novum teſtamentum, nam brevis differentia veteris & novi teſtamenti eſt timor & amor.* Hugo Cardinalis quoque rationem aſſignat, cur idem præceptum epitheto novum mandatum inſignitum fuerit: *Novum*, inquit, *quia innovat; Item quia ſemper innovari debet, & ſemper eſſe in initio; facit hominem novum, & expellit vetuſtatem.* Similiter præceptum ſuum appellat, quia ut bene Albertus Magnus ex adducta quadam S. Auguſtini authoritate advertit: *Forma præceptorum eſt Charitas, quia omnia informantur præcepta ad virtutem merendi; forma hæc movet ad opera præceptorum, & urget ad omnia implenda* 2. Cor. 5. *Charitas Chriſti urget nos.*

Rom. 8. v. 15.

Hug. Card.

Alb. Magn. in c. 15. Joan.

2. Cor. 5. v. 14.

Unitatis amator Judex eſſe noluit.

10. Enimvero quantum Redemptor omnem litis & diſcordiæ umbram exhorreſcat, ex facto quodam à S. Luca relato facile poteſt deduci; cum enim aliquando rogaretur ab aliquo, ut ad dividendam cum fratre ejus hæreditatem paternam, ſuam quoque operam interponeret, veluti indignabundus protinus reſpondit: *Quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?* At vero dicet aliquis ex quo judex vivorum pariter & mortuorum conſtitutus erat,

Luc. 12. v. 14.

utique



utique hanc ſuam judicis poteſtatem & authoritatem in re tam levis momenti interponere potuiſſet. S. Chryſologus Chriſti reſponſionem hiſce verbis defendit: *Præceps cupiditas & incauta eum fieri voluit diviſionis authorem, qui ad reſtituendam venerat humani generis unitatem.* Porrò quotidiana id experientia demonſtrat, quod videlicet proprium intereſſe, & frigidum illud *Meum & Tuum*, petra ſit perſæpe ſcandali omniumque litium & controverſiarum mater, ac proinde ſapientiſſimus Magiſter noſter optime diſpoſuit, ut diſcipuli ſui, qui ex charactere dilectionis, unionis, & concordiæ mutuæ agnoſci debebant, omnino pauperes eſſent: *Ecce nos reliquimus omnia*, id quod poſtea in Eccleſia ad Religioſos magis reformatè viventes, utpote ad Evangelium prædicandum deſtinatos, tranſmiſſum fuit. S.Thomas ex adducta quadam S.Gregorij authoritate ita ait: *Prædicatores ſancti, ut poſſint proximos perfectè diligere, ſtuduerunt in hoc ſæculo nihil amare, nihil, vel affectu poſſidere: Dum rem diligimus temporalem, veram amittimus charitatem, dum pro terrena re pax à corde cum proximo ſcinditur, apparet quod plus res, quàm proximus amatur.*

Chryſolog. ſerm. 16.

Litium Mater Meum & Tuum.

Matth. 19. 27.

S. Th. op. 61. c. 5.

Quare Sacramentum Altaris prius inſtitutum quam Pœnitentiæ.

11. Verumtamen ſicut lumen, quando in proximo eſt, ut extinguatur, majori finaliter luce coruſcat, ita quoque in ultimis vitæ Chriſti periodis, major quoque ſolicitior & ferventior cura ad dilectionem hanc reciprocam nobis inculcandam & inſinuandam notatur. Etenim haud immerito quærere quis poteſt quare Chriſtus prius Sacramentum altaris, & poſtea poſt reſurrectionem pridem Pœnitentiæ Sacramentum inſtituere voluerit, maxime cum ut S.Apoſtolus ſuadet his verbis: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, Confeſſio communionem præcedere debeat. S.Thomas quidem difficultatem hanc tangit & determinat; at vero allata ab eo reſponſio ad propoſitum noſtrum non adeo deſervit, ſicut facit ratio quam adfert S.Paſchaſius, qui ad hoc præcipuè ſe reflectit, quod hoc ſacramentum appelletur communio, eo quod cunctos in corpore myſtico fideles ſimul uniat; Prætendit igitur Redemptor noſter per Euchariſtiæ inſtitutionem nos omnes in vinculo charitatis ad invicem unitos & ligatos æterno Patri ſuo in altari Crucis offerre, ut tanto efficacius nobis imploraret veniam; *Quatenus per hos antequam ſe daret in pretium, nos in illo, & ille in nobis unum eſſemus corpus.*

1. Cor. 11. v. 28.

S. Th p. 3. q. 65. a. 6. ad 4.

S. Paſch. l. 12. in Matt. c. 26

S. Auguſt. ſer. 83. de div.

tr. 26. in Joa.

Joa. 6. v. 53.

12. S. Auguſtinus materiam conſiderat, quam pro hoc ſacramento conficiendo ſeligere voluit, id eſt panem qui è pluribus granis in unam farinam redactis ſimul pinſitur, & arctè unitur: *Commendat nobis in iſto pane unitatem amare.* Judæi quando Chriſtum Dominum antecedenter ad hujus Sacramenti inſtitutionem de eodem ſacramento audiere diſcurrentem, inter ſe mutuo cœperunt contendere: *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandam?* Ubi ſanctus Doctor præfatus ait: *Litigabant, quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec ſumere volebant, nam qui manducant talem panem non litigant ad invicem; Quia unus panis unum corpus multi ſumus, & per hunc facit unius moris habitare in domo.* Unde obſervandum eſt, Chriſtum Dominum immediatè poſt ſacramenti hujus inſtitutionem, & non ante, legatam hoc, de quo in principio hujus diſcurſus tractavimus, conſignaſſe: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quia tunc nos ad pacem hanc practicandam optime diſpoſitos eſſe cognovit, idque in virtute mitis & manſuetiſſimi illius agnelli, de quo in ſacrificio quotidie dicimus: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.*

Euchariſtiam Sumentes fiunt Pacifici.

Joan. 14. 27.

Plurima fecit Chriſtus ut proximus amaretur.

13. Homines ex uno eodemque regno oriundi plus ſe invicem diligunt, quam aliorum Dominiorum incolas, magiſque inter ſe uniti & concordes vivunt, propter eorumdem morum, legum & idiomatis uniformitatem; ac proinde ut pacificè inter nos deinceps viveremus, nos omnes per ſanguinem ſuum redemit, fecitque unius ejuſdemque regni poſſeſſores: *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum*; imo vero quia longe impenſius ſeſe unius ejuſdemque civitatis incolæ & cives diligere ſolent, quam qui vaſti alicujus regni ſunt conſortes, ideo inſuper nos cives ſanctorum declaravit: Apoſtolo teſte, qui ait: *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum domeſtici Dei*: at vero quia amor longe intenſior conciliatur inter eos qui ad unam eamdemque familiam pertinent, ideo nos quoque in familiam ſuam cooptatos familiares ſuos fecit & domeſticos. Item quia etiam nonnumquam in una eademque domo inter Dominum & ſervos rixæ & diſcordiæ ſuboriri ſolent, ideo nos declarare voluit fratres ſuos & filios teſte Apoſtolo qui ad Rom. 8. v. 29. ait: *Omnes vos fratres eſtis, & ipſe eſt primogenitus in multis fratribus.* Denique quia etiam fratres aliquando inter ſe invicem litibus & odijs dividi ſolent, ut videre eſt in Cain & Abel, nec non inter Jacob & Eſau, ideo nos tandem veluti unius ejuſdemque corporis membra unire voluit; At vero *ut non ſit ſchiſma in corpore illo*, cujus ipſe ſe caput eſſe declaravit, hos velut membra illius uno eodemque ſpiritu vivificare, uno eodemque cibo alere, ac denique per unum eumdemque calicem potare voluit, ut hac ratione nemo umquam inveniri poſſet, qui ab hoc corpore ſe diſgregaret, vel illud per diſcordias dividere poſſet, ſiquidem. *Sed idipſum pro invicem ſolicita ſint membra.*

Apoc. cap. 5. v. 9. & 10.

Eph. 2. v. 19.

Ad Rom. 8. 29.

1. Cor. 12. v. 25.

Ibidem.

14. Quodſi vero ad ejus Reſurrectionem reſpicere velimus, inveniemus primam Chriſti reſuſcitati cogitationem ad annuntiandam ſuis pacem fuiſſe directam. In libro Judicum de Gedeone ſcribitur, quod cum propter bella, quibus filij Iſraël à Madianitis opprimebantur, totus pavidus ac gemebundus in area conſiſtens frumenta purgaret, cœleſtis ei nuntius apparens dixerit: *Dominus tecum virorum fortiſſime*; Cumque Gedeon Angelum Domini videns, vehementer coram eo propter populum Iſraëliticum à Deo totaliter derelictum lamentaretur, mox Angelus ut mœſtum ipſius animum nonnihil erigeret, Gedeoni dixit, ſe à Deo ad defenſionem populi illius eſſe electum; Qui ut de hac electione & promiſſa adverſus Madianitas victoria ſecurus eſſet, ſignum totius hujus ſecuturi eventus infallibile à Deo popoſcit, prouti idipſum in ſacro textu fuſius refertur. Porro Sanctus Iſidorus ſcribit: *Geſtabat Gedeon figuram Chriſti*; ac proindè virga Crucem denotabat, petra Chriſtum, ignis charitatem & amorem ejus, hædus peccata, timor quo Gedeonis animus ob Madianitarum oppreſſionem perculſus erat, formidinem ſignificat hominum impiorum propter divinæ juſtitiæ ſupplicia, quæ ſibi inferenda eſſe metuunt. Protinus vero ut petra per virgam percuſſa fuit, ignis proſiliens victimam à Gedeone oblatam conſumpſit, pacem ſibi è veſtigio annuntiari audivit: *Pax tecum non morieris*; Unde magnanimus hic athleta altare intitulatum Domini pax mox erexit; vocavitque illud *Domini pax uſque in præſentem diem.* Quæ omnia figura fuerunt illorum quæ in Redemptoris noſtri perſona deinceps eventura erant; Mox enim ut myſtica hæc petra à virga Crucis percuſſa fuit, indeque expreſſus fuit ardentiſſimus amoris ſui ignis: *Propter nimiam charitatem &c.* optatiſſimam adverſus Madianitas Infernales victoriam reportavit, obtentaque cunctorum peccatorum remiſſione & venia, pacem nobis conciliatam promulgavit.

Gedeon figura Chriſti.

Judic. 6. v. 12.

S. Iſid. c. 3. in l. Jud.

Jud. 6. 23.

Ibid. 24.

Epheſ. 2. 4.

15. *Stetit Jeſus in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis: Pax vobis.* In quibus verbis ſingulariter ly, *in medio*, ponderandum nobis venit, ex illis namque Didacus Stella egregiam ſuoque ingenio dignam educit moralitatem. Poſtquam enim per S.Apoſtoli authoritatem Chriſtum mediatorem noſtrum eſſe demonſtravit, pergit ulterius dicens: *Quocirca debes animadvertere, quod ſi proximo injuriam intuleris, aut manu eum percutis, Chriſtus in medio tui & illius eſt, & prius eum percutis, quam proximum, & prius maxillam Chriſti ictus ferit, quam maxillam proximi, ideoque nemo proximum offendit & lædit, quin prius Chriſtum offendat.* Paulo poſt vero idem Author efficax quoddam ſubjungit motivum, per quod inducamur ut vindicativos in nobis Spiritus reprimamus, Chriſtumque defenſorem noſtrum eſſe ſinamus: *Iram comprime*, inquit, *nec proximum offendas, quandoquidem Deum prius offendis: ſi vero tu injuria fueris affectus, tace, Deus enim, qui prius injuriam accepit, ipſe vindicabit, cum dicat: Mihi vindicta; ego retribuam.*

Joan. 20. v. 26.

Prius offenditur Chriſtus quam proximus.

Did. Stella in c. 5. Luc.

Rom. 12. 19.

Abraham primus credentium pater ob pacē.

16. Reliquum nunc eſt, ut aliam quamdam conſiderationem circa ſtabilitam ſuper Petrum Chriſti Eccleſiam inſtituamus; Verumtamen prius ſcire percuperem, cur Deus inter omnes alios viventes Abrahamum appellare voluerit primum Patrem credentium? Sed reſponſio facilis eſt; Legite enim Geneſeos cap. 13. & quantum concordiam dilexerit ex evidenti nimis teſtimonio depræhendetis: ſiquidem *Facta eſt rixa inter paſtores gregum Abraham & Loth*; cum ecce Abram ab omni intereſſe, ſeu propriæ utilitatis ſtudio alienus ait: *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos; Si tu*

Gen. 13. v. 7.

Ibid. v. 8.

*dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. Electionem offert*, inquit Ambroſius, *ut juſtus diſſenſionem amputet.*

S. Ambr. l. de Abr.

q. d. Abraham ætate & meritis Loth major erat, & ideo ad ipſum potius, quam ad Loth, Regionem ſibi meliorem eligere ſpectabat, & tamen, quia juſtus erat, huic prærogativæ libenter ceſſit, quia ut Oleaſter inquit: *Non poſſunt juſti lites & contentiones ferre; Malunt de ſua ſubſtantia perdere, quam contentionibus miſceri*, & quia hæc unionis & concordiæ cum fratre continuandæ induſtria & ſtudium Deo mire placuit, ideo eum ad Septentrionem, Orientem, & Occidentem oculos attollere juſſit, & ait illi: *Omnem terram quam conſpicis, tibi dabo & ſemini tuo uſque in ſempiternum*; Regio autem illa, terra Paleſtinæ fuit, in qua demum ſynagogam plantavit. Et ideo Dionyſius Carthuſianus quoque ait: *Meruit conſolationem divinam, quia contentiones erant à domo ſublatæ.*

Oleaſt. ibid.

Dio. Card. ibid.

Moyſes pacificus Dux populi factus.

17. Enimvero eadem occaſione interrogandum mihi occurrit, cur Deus Synagogam & totum populum ſuum, Moyſi potius, quam alijs, & maxime quam Aaroni, qui eloquens & ætate major erat, inniti voluerit? Philo id ideo factum fuiſſe exiſtimat, quia cum Moyſes per quadraginta annos munus paſtoris ovium exercuiſſet, ipſum populi gubernationi habiliorem magiſque idoneum eſſe cenſuit; ſiquidem hominum rectoribus eadem opus eſt charitate & amore, quem erga gregem ſuum habere paſtores conſueverunt: Oleaſter vero ideo id Deum feciſſe putat, quia Moyſes ſe pacis & concordiæ zelatorem eſſe tunc maxime probaverat, quando Ægyptium illum cum Hebræo pacificare & in concordiam redigere pro viribus ſatagebat: *Quia cognoverat Dominus Moyſen zelum habere ad commune bonum, & ad pacificandum inter fratres, ideo eum præfecit.*

Phil. l. 1. de vita Moyſis.

Oleaſt.

18. Similiter numquid in Collegio Apoſtolico alij præter Petrum Apoſtoli erant primatu Eccleſiæ longe digniſſimi? S. Andreas Petri frater natu major erat, nec non primus ad Apoſtolatum vocatus fuerat; S. Joannes quoque dilectiſſimus Chriſti diſcipulus imo virginitate, ſapientia, & ſcientia mirabili præ cæteris refulgebat; & tamen Petrus cunctis Apoſtolis prælatus fuit, eo quod ut ait Chryſoſtomus: *Majorem omnibus Apoſtolis in Dominum habere charitatem oſtendit*; Et alibi idem S. Doctor replicat: *Propter magnitudinem dilectionis, præfectura ovium Petro fuit commiſſa, & cæteris Apoſtolis fuit prælatus.* Hancque charitatem toti mundo manifeſtam eſſe voluit, quando illum non ſemel ſed ſæpius de amore ſui interrogavit: *Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te paſce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me? & dixit ei: Tu omnia noſti; tu ſcis quia amo te.* Porro ab hoc adeo ardenti erga Chriſtum amore, charitas & dilectio erga proximos neceſſario derivabatur, quia ut ſuperius vidimus, juxta proportionem amoris erga Deum, creſcit & augetur Dilectio erga proximos; Et hanc Salvator noſter ſuper omnes alias virtutes requirit & æſtimat in illis præcipue, quibus animas gubernare incumbit; Equidem S. Petrum quoad dilectionem erga proximos minimè examinavit, quia ut B. Dorotheus ait: *Quo magis à Dei dilectione recedimus, eo magis à proximi amore diſtamus; quantum vero Dei charitati adhæremus, tantum & proximi, quantumque proximo, tantum & Deo conjungimur.*

Petrus charitate fervidus Eccleſiæ Primas.

Chryſ. h. 87. in Joan.

Chryſoſt. l. 2. de ſacerd.

Joa. 21. v. 15. 16. & 17.

B. Doroth. t. 3 bibli. doct. 6.

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Variæ conſiderationes circa præceptum quo proximos noſtros, ſicut nos ipſos amare tenemur, adducuntur.

## THEMA.

*Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Matth. 22. ỿ. 40.

Dilige proximum ſimiliter ſicut te.

1. Difficulter præceptum iſtud impleri poſſe videri nonnemini poſſet ſecundum primam faciem de eo judicanti, niſi Angelicus Doctor qua ratione præceptum iſtud intelligendum ſit, declarando, illud ipſum facile eſſe oſtendiſſet; Dicit igitur Sanctus hic Doctor: *Sicut te ipſum, non eſt referendum ad æqualitatem dilectionis, ut ſcilicet aliquis teneatur diligere proximum æqualiter ſibi, hoc enim eſſet contra ordinem charitatis, quo quilibet plus tenetur ſuam quam aliorum ſalutem curare.* In cujus probationem locum illum ex ſacris Canticis adducit, ubi dicitur: *Ordinavit in me charitatem; Eſt igitur referendum ad ſimilitudinem dilectionis, ut ſcilicet ſimiliter diligamus proximos, ſicut nos ipſos.*

S. Thom. ad Rom. 13.

2. B. Laurentius Juſtinianus per hanc occaſionem, aliquorum detegit deordinationem, qui cum ad invigilandum propriæ ſaluti minimè ſufficiant, ex motivo tamen charitatis curam animarum aliorum in ſe ſuſcipere minime dubitabant: *Solerter & hoc quoque in hac Dominica præceptione conſiderandum eſt, quod non dixit: Diliges proximum tuum pluſquam teipſum, ſed ſicut teipſum, videtur pluſquam ſeipſum velle diligere, qui curationi propriæ non ſufficiens, curam aliorum cupit aſſumere.*

Animarum curas relinquat, qui inſufficiens curationi propriæ.

B. L. Juſt. l. de lign. vit. c. 17.

3. S. Thomas tres modos diſtinguit, quibus nos proximos noſtros diligere poſſumus ſicut nos ipſos. *Primo quantum ad finem dilectionis, ut nos & proximum diligamus propter Deum*; Primarius enim finis propter quem proximum amare debemus eſt acquiſitio æternæ ſalutis, & hanc eamdem conſiderationem etiam B. Laurentius Juſtinianus adducit, nam verba aſſumpti thematis, ſcilicet: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum,* conſiderans dicit: *id fieri poſſè Primo, ut illum diligas ad gratiam & gloriam in futuro, vel in quem teipſum diligis, id eſt, in Deum illum diligas, quiſquis enim diligit proximum, hoc cum illo debet agere, ut etiam toto corde, & tota anima diligat Deum*; quotquot enim animæ hoc ſancto amore ardent, idipſum demonſtrant per zelum quem habent de ſalute ſpirituali aliorum. Chryſoſtomus verba illa Moyſis: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti*, demiratus ait: *Revera inſania magnus amor; Quid dicis? Cælum contemnis? utique inquit; Diligo ſiquidem illos, licet injuſtè egerint; Expungi petis? & quid patior? amor enim eſt.* Similiter de magno illo ſervo Dei Joanne Baptiſta de Fulginio in vita ipſius legitur, quod ſolitus fuerit dicere; ſi de numero electorum eſſem, potius eligerem unum gradum mihi diminui de gloria Paradiſi, quam contriſtare proximum meum: longe autem ardentius hæc dilectionis flamma flagrabat in S. Catharina Senenſi, quæ expreſſe deſiderabat anima ſua obturare os Inferni, ad hoc ut pluribus alijs animabus nullus deinceps ad eumdem aditus pateret. Et S. Chryſoſtomus de charitate S. Pauli erga proximos hunc in modum ſcribit: *Paulum ob charitatem in proximos miramur magis, quam ob mortuos ſuſcitatos, leproſos mundatos; obſtupeſcenda enim vox ejus eſt, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non uror?* at vero quis non multo amplius admiretur id, quod ad Romanos his verbis ſcribit: *optabam enim ego ipſe anathema eſſè pro Chriſto pro fratribus meis?* Siquidem verbis illis magna quędam inordinatio ineſſe videtur, dum ſcilicet ijſdem ſe plus aliorum ſalutem quam propriam amare declarat: at vero verba illa ex extaſi derivantur amoris, quam nos minime intelligimus, cæterum optime ipſe intelligebat, quod animam ſuam de gloria cœleſti adipiſcenda tanto magis aſſecuraret, quanto ſe alienæ ſalutis magis cupidum demonſtrabat, ſiquidem Deus ſe ab homine in amore ſuperari minime patitur. Omnes quoque alij ſacri Interpretes in hoc eodem concordant, quod ſcilicet primo loco ordinandus ſit affectus noſter erga proximos illis deſiderando gratiam & gloriam. Unde Idiota ad Deum converſus ait: *Amor proximi ordinatus eſt, ſi ametur proximus propter te, & quia æquè ad te ordinate amandum creatus eſt; ſi autem parentes & propinqui, plus quam tu amentur, non eſt talis amor ordinatus, neque ſic amans eſt te dignus.* S. Joannes Damaſcenus notat maximam, quæ dari poteſt, hujuſce dilectionis puritatem, in eo conſiſtere, quod primo loco ad beneficium ſpirituale dirigatur. Hancque divinæ bonitatis dicit eſſe æmulam: *Hæc felix divinæ bonitatis imitatio eſt, dum quis alijs non minus, quam ſibi gratiam expoſcit, & tunc conſummatæ charitatis terminus ac beatitudo attingitur, dum in proximis animæ ſuæ benefacit.* S. Auguſtinus autem in libro quem compoſuit *de diligendo Deo* capite 1. interrogat: *Quomodo diligendus eſt Deus, & quomodo proximus?* & reſpondet: *Deum debemus diligere plus quam nos, ſed proximum ſicut nos. Deum diligimus plus quam nos, ſi ejus præcepta voluntati noſtræ in omnibus præponamus, proximum autem non jubemur diligere quantum nos, ſed ſicut nos.* Quonam vero modo idipſum exequi poſſimus, declarat, dum ait, *id eſt, velle & optare omne bonum, quod debemus optare & velle nobis, & maximè æternam beatitudinem, & ad illam obtinendam ei & in corporalibus bonis, & in ſpiritualibus ſuccurrere, prout ratio exigit, & facultas permittit; Unde Dominus in Evangelio*

S. Thom. qualiter proximus diligendus modus primus.

c. 17. ibid.

Chryſoſt. h. 7. ad Eph. l. 4. c. 6.

Exempla SS.

Chryſ. h. 32. in 1. ad Cor.

Rom. 9. v. 3.

Idiot. c. 29.

S. Joa. Dam. ſerm. de Def.

S. Aug. l. de dil. Deo c. 1.





*ait: Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Quodſi animæ noſtræ ſalutem non amaremus, manifeſtum id indicium foret quod non amemus noſmetipſos, & multo minus proximos; Eſtque hoc argumentum, quo B. Laurentius Juſtinianus utitur, dum ait: *Illud etiam ſciendum eſt, quod qui ſe non novit diligere, utique nec proximum; valdeque timendum eſt, ne ſeipſum decipiat, ſicut & ſe. Si te interrogem,* ait, *utrum diligas te? reſpondes, quod diligis, quis enim ſe odit? Audi Pſalmiſtam: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam; quomodo volebas tibi committi proximum, ut diligeres eum tamquam te, o homo, qui perdis te?* Idem Sanctus alibi conſiderat, quod nemo ſemetipſum amare dici poſſit, dum animam ſuam ipſemet odit: *Nequaquam ſe diligere cenſendus eſt, ſi nequiter vivit, ſi vitia ſectatur, ſi concupiſcentijs carnis habenas laxat, ſi in temporalium proſperitatibus ſpem figit ſuam; tanto magis ſe odit, quanto magis delinquit*; hi certe habiles non ſunt ad amandum proximos ſicut ſe ipſos, quia ſi perdunt animam ſuam propriam, quo modo proximorum diligere poſſunt animas, eiſque gratiam illam & amicitiam Dei deſiderare & procurare, quam in ſeipſis negligunt & contemnunt.

B. L. Juſt. ibid.

Qui ſe non, diligit nec proximum diligit.

De diſcip. & perf. monaſt. convers. c. 22.

4. Secundus modus amandi proximum ſicut nos ipſos, quem S. Thomas nos docet, ſe tenet quoad modum dilectionis: ut ſcilicet ſicut aliquis ſeipſum diligit, quaſi ſibi volens bonum, ita aliquis proximum diligat, quaſi ei bona volens; qui autem diligit proximum ad hoc ſolum, ut ejus utilitate & delectatione potiatur, non vult bonum proximo, ſed ex proximo vult ſibi bonum, quo quidem modo homo amare dicitur res irrationales, puta vinum vel aquam, ut eis utatur. Quando enim noſmetipſos amamus, bonum quod nobis deſideramus, eſt propter noſtram utilitatem & profectum, ita quoque ſi cum eadem proportione proximum noſtrum amare velimus, bonum quoque illi deſiderare & procurare debemus, idque in beneficium ipſorum, non vero noſtrum. Cajetanus in textum Epiſtolæ ad Romanos Cap. 13. v. 9. ſcribens, qui prorſus coincidit cum illo quem à principio diſcurſus thematis loco propoſuimus, nimirum: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ita ſcribit: *Senſus eſt hujus præcepti ad litteram, ut diligas proximum tuum, & diligas eo modo quo diligis teipſum, hoc eſt amore amicitiæ, quod eſt velle illi bonum honeſtum, utile, bonum utile, bonumque delectabile propter illum, non propter te, ſicut vis tibi bona hæc propter teipſum*; adeò ut tunc præceptum hoc nos adimplere convincamur, quando tantam habuerimus complacentiam de divitijs, honoribus, ſanitate, vel ut melius dicam de virtutibus, perfectione & ſanctitate proximorum noſtrorum ac ſi illa bona noſtra eſſent. Unde Nazianzenus Orat. 16. ait: *Nec magis gaudendum nobis eſt, quod commoda valetudine utimur, quam lugendum, quod fratres miſera & afflicta.* S. Bernardinus Senenſis in quodam ſermone, cui titulus eſt: *De Juſtitia Chriſtiana*, ad demonſtrandum quod fratres noſtros ſicut nos minime amemus, dum noſtram in illis utilitatem amamus, hoc argumentum adducit: *Si diligit homines, quia utiles & delectabiles ſibi ſunt, manifeſte apparet, quod eos non diligit vero amore ſicut ſeipſum, ſed ſicut equum, & panem & vinum, & aſinum, & cætera conſimilia*; Et ideo idem Sanctus hanc nobis deordinationem graviter exprobrat, quod videlicet hominem non plus diligamus, quam beſtiam aliquam, vel aliam creaturam inſenſatam, dum ait: *Ah quæ ratio dictat, quod homo proximus ad ſimilitudinem Dei formatus, non præponatur in dilectione bovi & ovi, aut rei cuilibet temporali?* Citatque idem Sanctus Canonem quemdam multa conſideratione digniſſimum; Nam de Pœnit. diſt. 2. c. 1. *Validos* §. *proximos, ſcriptum eſt; Proximos autem tunc diligimus ſicut nos, ſi non propter aliquas utilitates noſtras, non propter ſperanda beneficia vel accepta, non propter conſanguinitates vel affinitates, ſed propter hoc tantum quod ſunt noſtræ naturæ participes diligamus.*

Secundus modus.

Cajet. ad Rom. 13. v. 9.

Naz.

S. Bern. Sen. t. 3. ſerm. 2. art. 1. c. 3.

5. Tertius denique modus diligendi proximum ſicut nos ipſos à S. Thoma traditus eſt; *Quantum ad effectum dilectionis, ut ſcilicet aliquis neceſſitati proximi ſubveniat, ſicut ſibi, & quod nihil illicitum propter amorem proximi committat, ſicut nec propter ſuum amorem.* S. Jacobus Apoſtolus nos in hujus præcepti obſervatione mendacij redarguit & convincit, dum ad ſubveniendum proximorum neceſſitatibus viſcera, ſeu potius manus noſtras non aperimus & extendimus, dum ait: *ſi frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis; Ite in pace calefacimini, & ſaturamini; non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* Ideo Salvator noſter juveni interroganti quidnam ſibi pro ſecuritate alterius vitæ adipiſcendæ procuranda facto opus eſſet reſpondit. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, dumque ille ſubjungeret: *Quæ? Jeſus dicit: Non homicidium facies, non adulterabis &c. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Cui idem ille juvenis temeraria nimis libertate reſpondit: *Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deeſt? ait illi Jeſus: ſi vis perfectus eſſè vade vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* S. Baſilius juvenem illum de expreſſo mendacio convincit, illiuſque rationem manifeſtiſſimam reddit, dum ait: *Si enim fraternitatis charitatem, & tantum præceptum cuſtodiſti, ut ea proximo tuo, quæ tibi ipſi reddideris, unde quæſo hæc divitiarum copia? Cura namque egenorum pecuniæ conſumptiva eſt, dum & modicum quiſque pro ſua neceſſitate capit, & reliqua in omnes alios dividuntur*; & verè ſanctus hic Doctor ulcus ejus tetigit, nam vix dum ſibi dici audivit: *Vende quæ habes, & da pauperibus:* juvenis ille nimia triſtitia & melancholia oppreſſus ab illo receſſit: *Cum audiſſet adoleſcens verbum, abijt triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones.* Dicendo igitur ſe proximum ſemper ſicut ſeipſum dilexiſſe, ſibi ipſi evidenter contradicebat, quando illum in egeſtate ſua ſublevare renuebat, pluriſque facultates ſuas, quam neceſſariam illius ſuſtentationem æſtimabat.

Tertius modus.

Jac. 2. v. 15. & 16.



Matth. 19. v. 17. & 18.

v. 21.

S. Baſil. h. 7. con. av.

6. Alia quædam proximum ſicut nos ipſos amandi regula à Chriſto nobis in S. Matthæo tradita fuit, hæc nimirum: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Quod idem nos Spiritus ſanctus diu ante in libro Tobiæ docuerat, dum eo dictante ibidem ita ſcribitur: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* In S. Gregorio ſimiliter legimus hæc verba: *Sciendum eſt quod dilectio proximi in duobus præceptis ſubdividitur, cum quidam ſapiens dicat: Omne quod tibi odiſti fieri, vide ne ipſe alteri facias.* Hic quoque modus à B. Laurentio Juſtiniano tangitur, dum ait: *Alio modo intelligitur ut hoc facias, quod tibi vis fieri, quod autem tibi non vis fieri, ei non facias.* S. Paulus ait: *Omnis lex in uno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut teipſum:* Ubi Hugo Cardinalis ait: *Omnis lex, id eſt, omnia præcepta, qui enim diligeret proximum ſuum ſicut ſeipſum, numquam mœcharetur in uxore ejus, numquam occideret eum, & ſic de ſingulis alijs præceptis, ſicut teipſum diliges, id eſt, ad id ad quod teipſum*, citatque textum Levitici 19. *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum, ut nihil ei facere velis, quod non tibi.*

Chriſti regula præceptum.

Matth. 7. v. 12.

Tob. 4. v. 16.

S. Greg. h. 38 in Evang.

B. L. Juſt. de li. vi. c. 17.

Gal. 5. v. 14.

Hug. Card. ibid.

7. Enimvero nos ipſos una cum omnibus defectibus noſtris amare conſuevimus, quia tametſi iracundi, ignorantes, deformes, pauperes & infirmi ſimus, propter hoc tamen proprium erga nos ipſos amorem non amittimus: eodem quoque modo juſtum eſt, ut proximos noſtros cum omnibus defectibus eorum diligamus, ſolam in illis naturæ ſimilitudinem & relationem, nec non divini præcepti reverentiam & obſervantiam conſiderantes. Porro S. Auguſtinus nos quiſnam proximus noſter ſit, quem amare debemus hiſce verbis inſtruit: *Proximus non ſanguinis propinquitate, ſed rationis ſocietate penſandus eſt, in qua ſocij ſunt omnes homines.* Etenim gratum tibi utique eſſet ſi Eleëmoſyna indigens, eamdem à proximo tuo acciperes, ſi infirmus curareris, ſi defectuoſus experireris in proximo compaſſionem, ſi denique ignorans erudireris. Idiota præceptum hoc: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ita exponit: *Ut ſcilicet caveat inferre proximo quæ ſibi inferri nollet, & impendat ei beneficia, quæ ſibi vellet impendi.* Poterat equidem Salvator noſter ſi voluiſſet, unico dumtaxat verbo, vel unico ſolum voluntatis actu leproſum mundare, & tamen inſuper ipſius lepram tetigit & contrectavit; Ubi Didacus Stella ait: *Tetigit, ut doceret nullum proximum tædio aut faſtidio nobis eſſè debere, quam gravibus infirmitatibus & peccatis ſit coinquinatus, ſed benignè proximum eſſè tractandum.* Idem quoque pius Author argute conſiderat, quod Salvator noſter parabolam illam Lucæ cap. 10. relatam, non in Judæo, ſed in Samaritano quodam exemplificet, idque ab eo factum eſſe dicit; *Data opera, ut oſtenderet quod Samaritanus, qui gentilis erat, & quicumque alius quamvis infidelis eſſet, erat proximus, atque ideo diligendus.* Similiter per infelicem illum ab Hieruſalem in Jericho deſcendentem hominem, unumquemque cujuſvis demum ſtatus, conditionis & profeſſionis proximum

Amandus proximus etiam defectuoſus.

S. Aug. ep. 52.

Idiot. c. 29.

Did. Stell. in c. 5. Luc.

In c. 10. Luc.

mum nobis ob oculos ſtatuere voluit. Per illum enim intelligitur. *Qui pauper eſt, humilis, abjectus, infirmus, triſtis, aut humano auxilio deſtitutus, & ut uno verbo concludam, omnis ille qui indiget alterius ope. Attende igitur tu, qui dives es, pauperem proximum tuum eſſe, ſi ſapiens & ingenio præditus ignorantem ſocium habere; ſi corporis valetudinem & ſalutem habes; memineris infirmum proximum tuum eſſe, & à Chriſto tibi eſſe commendatum.*

*S. Auguſt. tr.* 87.
*tr.* 65. *in Joa.*
Indiviſibilis amor Dei & proximi.

8. S. Auguſtinus alium quemdam proximos ſicut nos ipſos amandi modum tangit, dum ait: *Diligit unuſquiſque proximum ſuum tamquam ſeipſum, ſi diligit Deum, nam ſi non diligit Deum, non diligit ſeipſum.* Alibi quoque idem ſanctus Doctor valde idipſum convincentem rationem adducit, dum ait: *Qui diligit Deum non eum contemnere poteſt præcipientem ut diligat proximum, & qui ſanctè ac ſpiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit niſi Deum? Ipſa eſt dilectio ab omni mundana dilectione diſcreta, quam diſtinguendo addidit Dominus: Sicut dilexi vos; quid enim niſi Deum dilexit in nobis, non quod habeamus, ſed ut haberemus.* Et quidem reciproca hæc dilectio cum amore Dei adeo conjuncta eſt, ut nemo ſecundæ tabulæ præcepta tranſgrediens dicere auſit, ſe ſolum hominem offendere: *Nemo dicat, in hominem pecco quando non diligo fratrem meum; intendite, & facile eſt peccatum in hominem, in Deum ſolum non peccem; quomodo non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas?* Quiſquis enim offendit charitatem, Deum immediate offendit, ſiquidem Deus charitas eſt. S. Thomas in Epiſt. ad Romanos ita ſcribit: *Dilexionem proximo debemus propter Deum, cui ſufficienter recompenſare non poſſumus; Dicitur enim* 1. Joan. 4. [ *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* ] *Cauſa dilectionis ſemper manet, quæ eſt ſimilitudo naturæ & gratiæ.* Eccleſiaſt. 13. [ *Omne animal diligit ſimile ſibi ſic & omnis homo proximum ſibi;* ] *Charitas in diligendo non deficit, ſed proficit.*

*tr.* 7. *in c.* 3. 1. *Joan.*
*S. Thom. ad Rom.* 13.
1. *Joan.* 4. *v.* 21.
*Eccleſ.* 13. *v.* 19.

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

Quanta cum facilitate, delectatione & lucro fraternæ dilectionis debito ſatisfacere poſſimus. Item defectum hujus dilectionis reprobationis eſſe indicium oſtenditur; Varia quoque ejuſdem præcepti tranſgreſſoribus irrogata ſupplicia conſiderantur.

### THEMA.

*Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet; qui odit, in tenebris eſt.* 1. Joan. 2. ỿ. 10.

Odientes damnantur.

1. DUm S. Joannes Apoſtolus nos monet, ut qui proximum ſuum diligit, ingrediatur ad lucem, in tenebris vero conſiſtat is qui odio illum proſequitur, verba illius hunc ferè ſenſum habent, quod ſcilicet proximorum dilectio luce divinæ gratiæ hominem adimpleat; qui vero eamdem negligit in æternæ perditionis barathrum ſit præcipitandus. Hugo Cardinalis ait: *In lumine permanet, quia* Rom. 13. *qui diligit proximum, legem implevit:* Videamus igitur nunc quænam ſint prærogativæ & utilitates; quas illi ſibi acquirunt, qui in hujus præcepti obſervantia continua ſe exercent, & econtra quænam illos irreparabilia damna maneant, qui illius temerarij tranſgreſſores exiſtunt; Et ſic Deo adjuvante materiæ præſenti finem imponemus. In eadem Epiſtola S. Joannes cap. 3. dicit: *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres;* econtra pœnam comminatur æternam illis, qui ab hoc ſe amore vacuos & exhauſtos eſſe operibus comprobant: *Qui non diligit, manet in morte.*

*Hug. Card. ibid. Rom.* 13. *v.* 8.
1. *Joan.* 3. *v.* 14.
*Ibid.*

Compendiũ legis amor.

2. Indubitatum & à Spiritu Sancto Paulo Apoſtolo dictatum axioma eſt, quod Deus Creator, Redemptor, & Glorificator noſter, quantum eſt ex parte ſua, omnes nos ſalvos fieri velit, *voluntate antecedenti, non conſequenti,* prout ſcholæ loquuntur: *Hoc unum bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri;* Quia vero nos finem hunc aſſequi voluit, de medijs quoque ad hoc proportionatis, iiſque levibus, & unicuique homini, cujuſcumque demum ſtatus, conditionis, & profeſſionis ſit, longe facillimis nobis proſpexit, quæ ſunt præceptorum ſuorum perfecta adimpletio: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata,* hæc autem quantumvis illa multa ſint in unico tantum præcepto, velut in brevi compendio comprætiendere voluit, videlicet in præcepto dilectionis proximi: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Salmeron notat Chriſtum dixiſſe: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, cum ex præceptorum obſervatione dixiſſet, poſſe nos cognoſcere, quod manemus in Chriſti dilectione, ne putaremus multa eſſe præcepta numero, aut factu impoſſibilia, aut ſaltem difficilia, aut præmio vana, nullave, propterea rectè dixit: Hoc eſt præceptum meum, quaſi diceret, ſi vos invicem amaveritis, obtinebitis, ut & ego cum Patre vos amem.* Amplius quid B. Laurentius Juſtinianus dicit, dum advertit hoc dilectionis fraternæ præceptum nobis non ſolum datum eſſe pro acquirendo regno cœlorum, verum etiam ad perfectionem & ſanctitatem comparandam, præterquam quod adeo ſit facile, ut unicuique adaptetur, & accommodetur: *Magna virtus proficiendi in Deum eſt hæc charitas mutua, quæ data eſt divitibus pro gloria, pauperibus pro cenſu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, infirmis pro medicina, pro vita mortuis.* Et cap. 15. ejuſdem libri facilitatem qua virtutem hanc exercere poſſumus, optimè conſiderat, dum ait: *Ab omnibus poteſt impleri, à paupere, à divite, ab infirmo & à ſano; Non eſt neceſſe boves aut oves emere, aut ultra mare navigare, ut hoc impleatur præceptum;* Et loco teſtimonij illum Deuteronomij textum adducit, in quo Deus noſter ad nos ita loquitur: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum . . . ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Ut nos qui viatores ſumus ad cœleſtem patriam noſtram tendentes per viæ difficultatem nos minimè excuſare valeamus, quo minus dictam patriam aſſequamur, eamdem nobis viam complanavit, & remotis omnibus offendiculis facilem & perviam reddidit: *Tale eſt bonum pacis,* inquit B. Laurentius, *quod ex fraterna oritur charitate, ut in rebus creatis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, & nihil utilius poſſideri. Ecce quam bonum & quam jucundum,* inquit Pſalmiſta, *habitare fratres in unum; Quoniam illuc mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum.* Porro in alijs operibus Chriſtianarum virtutum naturalis aliqua cernitur repugnantia, quia ad illas practicandas opus eſt, vel ut propriam abnegemus voluntatem, vel corpus noſtrum maceremus & mortificemus, cum danda eſt eleëmoſyna, aliquam in nobis experimur reſiſtentiam, quia argento & auro cum difficultate nos privamus; ſi inſtituendæ ſint ſanctæ peregrinationes, homo ſe fatigationibus, multiſque laboribus diſpendio item atque periculis ſubjicit: Dum orationi dat operam capitis mox ſentit dolores, & ſic de cunctis alijs operibus virtuoſis diſcurrere licet: at vero quis labor, aut quæ moleſtia ad hoc nobis ſubeunda venit, ut charitatem, unionem & concordiam cum proximis conſervemus. Optime Chryſoſtomus hac de re ita ſcribit: *Multæ res ſunt pulchræ & honeſtæ quæ carent delectatione, quemadmodum aliæ ſunt jucundæ, ſed deeſt eis honeſtum: non facile autem contingit, ut utraque conveniant, ſed in hoc utraque concurrant, & voluptas & honeſtas maxima.*

*I. Tim.* 2. *v.* 3 & 4.
Amantes glorificantur.
*Matth.* 19. *v.* 17.
*Salm. t.* 9. *tr.* 58.
*B. L. Juſt. lo. cit.*
Præceptum amoris facile.
*Deut.* 30. *v.* 11. 12.
*Idem v.* 14.
*B. L. Juſt. ibid. c.* 15.
*Pſ.* 132. *v.* 1. & 3.
Difficultas nulla ſicut in alijs.
*Chryſoſt. h.* 2. *de Job.*

Nullus labor.

3. Audiamus quid S. Thomas de Villa nova pacem, unionem, & concordiam commendans in hujus confirmationem prædicarit: *Bonum,* inquit, *& jucundum eſt ſola charitas, hoc privilegium ſoli charitati reſervatum eſt, ut cum ſit non ſolum bonum, ſed maximum omnium bonorum, ſit quoque jucundiſſimum, omnis quippe alia virtus pœnam habet annexam. Noſtra humilitas, patientia, abſtinentia, caſtitas, paupertas, fortitudo laborem habent; neque enim ſine labore homo ſubmittitur, patitur injurias, abſtinet à cibis & voluptatibus carnis, caret bonis temporalibus, in amore autem quænam difficultas, quis labor eſt amare?*

*S. Th. de Vill. conc. de fæd.*

Amare jucundum.

4. Conſiderat idem hic ſanctus Archipræſul ſanctum Paulum ad mutuum nos amorem provocare ſatagentem, in varijs Epiſtolarum ſuarum locis in præcedentibus diſcurſibus, ſigillatim à nobis examinatis, tria potiſſimum nobis præſcribere motiva, eaque omnia facillima; nimirum: *Quia ſumus unius corporis membra; quia unius Patris filij; quia ad unam menſam ſedemus, & eamdem panem manducamus.* Denique poſtquam in eadem Concione ad auditores ſuos ad unionem & dilectionem mutuam animandos, multas examinaſſet rationes, tandem concludit: *Si hæc omnia non te movent, moveat te ſaltem ipſa, quam diximus, jucunditas charitatis, quis enim non vult jucunde vivere, & cum lætitia vitam agere? hoc ſine fraternitate*



*habere non poteris, quid namque jucundius quàm concordia? quid moleſtius quàm diſcordia?*

Utile.

5. Aliud quoddam non minus efficax motivum eſſe poteſt, ſi conſideremus, quod uno eodemque tempore, quo maximo fraternæ charitatis debito ſatisfacimus, non ſolum nihil lucri noſtri deperdimus, verum etiam illud ipſum mire adaugemus. Unde Chryſoſtomus ait: *Hoc in primis habet charitas, quod cum utilitate ſit facillima, atque jucundiſſima.* Porro debitum quo Deo arctiſſime per hoc præceptum obſtringimur: *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* S. Paulus ad ſolam proximorum dilectionẽ refert, adeo ut amato proximo omne nunc debitum quo Deo & hominibus obſtringimur perfecte liquidemus & expediamus: *Nemini,* inquit Apoſtolus, *quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit.*

*hom. cit.*
*Luca* 10. 27.
*Rom.* 13. *v.* 8.

6. Charitatis debitum ejus naturæ eſt, ut eo etiam ſatisfacto ſemper tamen debitores pariter & creditores maneamus; ſiquidem ſemper hoc debitum manet, licet ingenti cum uſura & magno cum lucro ſolutum fuerit. *Cum redditur, non amittitur,* inquit S. Auguſtinus, *ſed potius reddendo multiplicatur;* Id quod S. Anſelmus expreſſius hiſce verbis declarat: *Cætera cum reddita fuerint, non debentur, dilectio autem tanto magis debetur, quanto amplius impenditur; ipſa eſt quæ ſemper redditur, & ſemper debetur, nec cum redditur amittitur, ſed potius reddendo multiplicatur, quoniam habendo redditur, non carendo;* Ita vero ſe res non habet, quando à nobis alteri creditori denarius vel pecunia exolvitur, quia quod ſalvo, in crumena deficit, & in crumena creditoris cui pecuniam exolvimus, eadem accreſcit: *Charitas vero non ſolùm apud eum creſcit, qui hanc ab eo, quem diligit, exigit, etiamſi non recipit, ſed etiam ille à quo eam recipit, tunc incipit habere cum reddit, & ideo cætera ſic ſolvite, ut non debeatis, charitatem vero ita ſolvite, ut ſemper habeatis & debeatis.*

*S. Auguſt. ad Cæl. S. Anſ. ad Rom.* 13.

7. Salmeron ly invicem obſervans dicit: *Ita invicem diligatis, ut charitas redeat ad eum à quo exivit, qui enim ab alio charitatem erga ſe exigit, vel accipit, etiam ipſe prout poteſt, debet charitatem præſtare.* Hugo Cardinalis gloſſam quamdam citat; quæ dicit: *Sola charitas eſt, quæ etiam reddita ſemper detinet debitorem.* Adducitque S. Auguſtinum qui libro 1. de doctrina Chriſtiana proprietatem declarat quarumdam rerum, quæ participando, ſeque communicando non perduntur: *Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nec dum habetur, quomodo danda vel habenda eſt; talis autem res eſt charitas, doctrina & ſcientia;* adducitque illud à Chriſto in deſerto patratum multiplicationis panis & piſcium miraculum, in quo collectæ fuerunt ſemel ſeptem, & iterum duodecim ſportæ reliquijs refertæ: *ſeptem erant panes, antequam inciperent dari eſurientibus, quod ubi fieri cœpit, duodecim cophinos & ſportas ſatiatis hominum tot millibus impleverunt; eadem ratione Charitas ſtatim, ut reddi incipit, incipit & augeri, cum redditur ab homine; & tanto major acquiritur, quanto pluribus redditur:* Ex omnibus igitur hiſce capitibus inexcuſabilis eſt, qui pacem cum proximo non conſervat, illumque non diligit: pœna autem ijs qui ſe adeo ſuavi & facili præcepto non accommodant, erit pœna æterna: *Qui non diligit, manet in morte; qui ... odit in tenebris eſt.*

*Salm. ibid.*
*Hug. Card. in Rom.* 13.
Charitas & ſcientia non perduntur participando.
1. *Joan.* 3. 14
1. *Joan.* 2. 11

Reprobationis cauſa defectus amoris.
Hiſtoria ſacra.

8. Omnibus nota atque perſpicua eſt parabola illa, qua Salvator noſter ut ſolicitudinem, qua hunc amorem fraternum proſequitur, manifeſtaret, uſus fuit, quæque Matth. cap. 18. ad longum recenſetur, nimirum debitoris illius, qui decem millia talentorum debens ad tenebras infernales condemnatus fuit, tametſi is paulo ante immenſi illius debiti condonationem gratuitam recepiſſet: *Miſertus Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Ratio autem, cur Rex ille adeo ſe adverſus debitorem hunc poſt debiti gratuitam relaxationem exaſperatum exhibuerit, ſola hæc fuit, quod ſe deinceps erga ſocium debitorem ſuum adeo barbarum & inhumanum probaſſet: *Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus;* propter contractum penes ſe debitum, juſſit *Venumdari & uxorem ejus & filios, &c.* non vero ſe erga illum iratum oſtendit, nec eum convitiatus eſt, at vero quando proximum ſuum adeo dure & inhumaniter tractavit; mox ei idipſum graviter exprobravit, dicendo *Serve nequam.* Id quod Chryſoſtomus optime ponderans, ait: *Quandoquidem decem millia talenta debebantur, non convitiatus debitori, ſed miſertus fuit; quando vero adverſus conſocium crudelitatem exercuit, tunc ſervum, atque ſervum nequam appellavit;* Magis ſe rigoroſum atque ſeverum exhibuit in caſtigandis injurijs proximo illatis, quam in illis puniendis quæ ſibi immediate illatæ fuerant.

*Matth.* 18. *v.* 27.
*Idem v.* 33.
*Idem v.* 25.
*hom.* 62. *in Matth.*

Aliæ hiſtoriæ ſacræ.

9. Sic quoque Pharaonem & Ægyptios ob tyrannidem in populum ſuum electum exercitam palpabilibus tenebris per integrum triduum caſtigavit: tenebras autem illas, quæ in die crucifixionis ſuæ in aëre obortæ fuerunt, per tres tantum duravere horas.

10. Adam quoque per ſcientiam, Divinitatem Deo auferre ſibique uſurpare præſumpſit: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum;* & tamen ad hoc facinus puniendum, ſoli terræ maledixit, quam ipſe pedibus calcabat; *Maledicta terra in opere tuo:* at verò Cainum fratri ſuo germano vitam crudeliter eripientem, directe in ejus perſona maledixit, ipſum à cœlo reprobando: *Maledictus eris ſuper terram &c.*

*Gen.* 3. *v.* 5.
*Gen.* 3. *v.* 17.
*Gen.* 4. *v.* 11.

11. Inſuper etiam advertendum eſt, quod ſapientiſſimus Magiſter noſter in fine parabolæ illius Evangelicæ dixerit: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris;* at vero numquid idem Dominus noſter nos orationem Dominicam ita ordiri docuerat: *Pater noſter qui es in cælis?* cur igitur nos nunc ab hac participatione excludit, dicendo: *Pater meus, non vero Pater veſter?* Theophylactus reſpondet: *Indigni ſunt tales qui Deum habeant patrem.*

*Matth.* 18. 35
Qui non amant indigni ſunt quod Deũ habeant patrem.
*Theoph. ibid.*

Confirmatur.

12. Sanctus Lucas nobis pulchram illam filij prodigi parabolam, ſeu potius hiſtoriam deſcripſit, præcipuè vero querelas quas alter filius ſenior, & annis, non vero ratione & judicio maturior, apud Patrem depoſuerat, dicens: *Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dediſti mihi hædum ut cum amicis meis epularer, ſed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Invidus hic filius, prout ſatis apparet, non minus mendax, quam malignus erat, ſiquidem jam illi Pater ejus portionem ſuam aſſignaverat: *Diviſit illis ſubſtantiam,* quæ utique longe pluris æſtimanda fuit, quam hædus aliquis; Præterea Pater illi dixerat: *Omnia mea tua ſunt,* at verò, ut bene Chryſologus notat: *Fratri invidus animus, gratus eſſe non poteſt Patri, & paternæ largitatis memor non eſt, qui eſt fraternæ immemor charitatis;* is qui charitate & amore erga fratrem ſuum deſtitutus eſt, non eſt dignus ut ſit filius Patris illius, quem invocamus in cœlis.

*Luc.* 15. *v.* 29
*Ibid. v.* 30.
*Luca* 15. 12.
*Ibid. v.* 31.
*Chryſol. ſer.* 4.

13. S. Auguſtinus ſuper verba thematis ab initio aſſumpti, ſcribens, interrogat: *Unde non erimus in tenebris? Si amemus fratres: Unde probatur? quia amamus fraternitatem, quia non ſcindimus unitatem, quia tenemus charitatem.* Ubi enim diſcordia eſt, ibi eſt confuſio; imo qui diſcordiæ naturam bene conſiderat, jure dicere poteſt, illam à Babylone originem ſuam ducere, ſicuti pax à Jeroſolyma derivari cenſetur, *Dicta pacis viſio.*

*S. Aug. tr.* 2. *in* 1. *Joa.* 2.
Pacis & odij origo Jeruſalem & Babylon.

14. Etenim Deus noſter in ipſo mundi exordio unicam dumtaxat linguam ſeu idioma hominibus indidit: *Erat autem terra labij unius;* Ubi Oleaſter ita ſcribit: *Quantum hoc attinet ad concordiam orbis, teſtatur diſcordia inter eos, qui ſunt diverſarum linguarum;* Hæc diſcordia, ſive hæc linguarum contrarietas in Babel, ſive in Babylonia ortum ſuum habuit: quando enim in turri illa Babylonica in cœlos uſque erigenda inter ſe concordes erant Deus omnes diſperſit, & diſgregavit, varia illis idiomata ſubito imprimendo, unde deinceps ſuper terram diſperſi continuas foverunt diſſenſiones & diſcordias.

*Gen.* 11. *v.* 1.

15. S. Baſilius dicit: *Sicut qui charitatem habet, Deum in ſe habet; ita qui odium & iram habet, Dæmonem in ſe continet;* Non enim ſolum odium, verum etiam reciprocæ dilectionis defectus in anima latens mortem illi æternam conciliat: *Qui non diligit, manet in morte.*

*S. Baſ. hom. de ira.*
1. *Joa.* 3. 14.

16. Davide Pſalterium ſuum tangente, ſpiritus malignus nullam adverſus Saülem vim obtinebat, cujus Incognitus Carmelitanus hanc adfert rationem; quia *Spiritus maligni melodiam cantus, maximè ſpirituales odiunt, propter concordiam vocum.*

*Mich. de Bon. in Pſ.* 18.

17. Tertullianus Martyres mediante impenetrabili hac unionis & concordiæ lorica adverſus Infernum

*Tertull. l. ad Mar. c.* 1.

num fortes imo inſuperabiles fuiſſe notat : *Inveniat vos unitos & concordia armatos , quia pax veſtra bellum illi eſt.* Similiter S. Gregorius ſcribit : *Electorum multitudinem eo magis maligni ſpiritus pertimeſcant , quo eos per charitatis concordiam munitos contra & conglobatos aſpiciunt.*

S. Greg. h. 8. in Ezech.

18. David in duellum adverſus Goliath qui inimicum infernalem præfigurat proceſſurus, quinque quidem lapides peræ ſuæ paſtorali impoſuerat, at vero ut Hugo de S. Victore bene notat ; *Quinque lapides accepit, unum miſit, quia unitas vincit.*

Hug. à S. Vict.

19. In Oſea hæc verba leguntur : *Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus Inferne , conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis , quia ipſe inter fratres dividet.* Ubi S. Hieronymus ait : *Eſt ſenſus : non valeo conſolari, quidquid mente concepero , dolorem non poteſt mitigare , cernentis chariſſima inter ſe nomina morte ſe jungi ; ipſe inquit infernus inter fratres dividet ; quidquid igitur ſeparat fratres, Infernus eſt appellandus.*

Oſe. 13. v. 14
S. Hier. ibid.

20. Notandum bene eſt , quod dum S. Paulus hujuſce carnis noſtræ , quæ ad æternam perditionem nos protrahit , fructus recenſet , tametſi inter illos multa quoque vitia enumeret , major tamen illorum pars ſunt rixæ , lites , diſcordiæ, inimicitiæ, & quævis alia quæ dilectionis fraternæ præcepto opponuntur : *Manifeſta ſunt autem opera carnis , quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus , veneficia, inimicitiæ, contentiones* , poſtea vero ad propoſitum noſtrum pergit dicendo, *æmulationes, iræ, rixæ , diſſenſiones, ſectæ, Invidiæ, homicidia, . . . qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur ; fructus autem Spiritus eſt : charitas, pax, gaudium benignitas &c.*

Gal. 5. v. 19. & 20.
Ibid. v. 21.

21. De Joſepho qui Dei honorem , fratrumque ſuorum ſalutem magno cum zelo proſecutus fuit , ſacer textus ait : *Accuſavitque fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo.* Porro inter ſacros Expoſitores non ſatis convenit, in quonam hæc accuſatio præcipue ſteterit ? Aliqui enim per crimen peſſimum, crimen nefandum ; alij beſtialitatem , alij prolatam adverſus proprium ſuum genitorem detractionem intelligunt ; Pererius vero per crimen illud peſſimum , ſæpius inter ipſos obortas rixas & diſſenſiones intelligit ; Cui conſonat Gloſſa Interlinearis dicens , *quod eſt fraternum odium.* Hebræus loco illius *Crimine peſſimo*, ita legit : *Et retulit Patri rixam eorum peſſimam.* Unde ſubjungit Pererius, idipſum bene conſonare cum illo , quod ſacer Chroniſta ſupra retulerat , ſcilicet Filios Liæ contempſiſſe illos, qui ex ancilla nati fuerant, unde diſcordiæ & diſſenſiones inter ipſos procedebant : *Iſtud in translatione noſtra vocatur crimen peſſimum, quia ſicut fraterna charitas quid optimum dicitur , ita èçontrario odium fraternum crimen peſſimum nominatur.*

Odiũ fraternum peſſimũ Crimen.
Gen. 37. v. 2.
Perer. ibid.
Gloſſ.

# TRACTATUS VI.

# DE ANGELIS.

## DISCURSUS SEXDECIM.

DIſcursus I. De numero , diſtinctione, & varijs officijs Angelorum , qui per continuum cœlorum motum , & cauſatas inde in rebus omnibus creatis influentias mundum gubernant, & dirigunt.

II. Angelis aſſignata eſt tutela regnorum ; Et ideo ſæpe ſynagogæ, & quovis tempore Eccleſiæ fuere defenſores prouti ex multis exemplis deducitur, multaque à nobis removent ſupplicia.

III. Angelos invitos eſſe ad inferendum nobis ſupplicia & pœnas, valde autem ad nobis benefaciendum, Deumque nobis reddendum propitium proclives eſſe oſtenditur.

IV. De Angelorum in exequendis juſſis Dei ad noſtram utilitatem cedentibus velocitate & promptitudine; Ubi etiam illos nobis poſt Chriſti incarnationem & noſtram redemptionem, majorem exhibuiſſe amorem, oſtenditur.

V. Dignitas Angelorum oſtenditur , nec non quod hac non obſtante in varijs miniſterijs nobis ſervire non fuerint dedignati, varias in noſtrum obſequium ſpecies ſibi aſſumendo.

VI. Angeli nos adjuvant , ut in proſperitate innocenter vivamus, noſque à multis periculis ſpiritualibus & corporalibus eripiunt.

VII Super illa verba Pſalmi 90. Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis , in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, variæ conſiderationes inſtituuntur.

VIII. De defenſione & prælijs ſanctorum Angelorum adverſus inimici infernalis tentationes , inſultus, atque inſidias in beneficium noſtrum.

IX. Angelorum in fine vitæ noſtræ adverſus Dæmonem auxilia ipſorumque pro noſtra ſalute interceſſiones conſiderantur, adverſus illos autem , qui nullum ex ipſorum cuſtodia retulerunt profectum , in extremo die Judicij teſtes erunt.

X. Angelos, tametſi noſtram reprobationem prævideant, numquam tamen nos totaliter deſerere probatur, ſimulque agitur de auxilijs quæ nobis ſubminiſtrant, ut à peccati ſtatu egrediamur, exemplo è carcere exeuntis S. Petri , per quem peccator præfiguratur.

XI. De cura & lætitia ſanctorum Angelorum qua per ſalutem & pœnitentiam noſtram perfunduntur , variæque illius lætitiæ cauſæ adducuntur , & ſpecialiter utilitas quam inde propter cæleſtis Jeroſolymæ reſtaurationem reportant.

XII. Oratio Angelis nos familiares efficit, quam ipſi nos recte inſtituere docent , & ſimul cum omnibus alijs operibus bonis per patrocinium & interceſſionem ipſorum corroborant, & Deo præſentant.

XIII. Angelos , tametſi hic in terris nobis miniſtrent, per hoc tamen minime impediri oſtenditur , quo minus Deo aſſiſtant, & viſione beatifica fruantur, imo inſuper probatur, quod ipſorum in Deum continuo defixus , obtutus ipſos de noſtra ſalute magis ſolicitos efficiat, tanguntur etiam aliqua bona, quæ nobis communicant , Deque exhibenda à nobis Angelis in quovis loca reverentia.

XIV. Angelorum converſatione frui poſſumus, dum ea quæ ipſis placent, imitamur, qualia ſunt : hoſpitalitas, Eleëmoſyna, Pax, Receſſus à mundo, Humilitas, labor, amor proximorum, oratio, corporis maceratio, ſalus procurata animarum, profectus ſpiritualis , prompta Deo exhibita obedientia; Paſſio, & exhibita in conſpectu Divino reverentia.

XV. Caſtitas & continentia Angelis nos ſimiles efficit, eorumque pro hujus virtutis conſervatione ſæpè experimur tutelam & econtra illius tranſgreſſores ab illis illata ſæpe experiuntur ſupplicia , utpote qui vitium huic virtuti contrarium valde execrantur.

XVI. De gratitudine noſtra Angelis debita, qui ſe liberaliter remuneratos eſſe cenſent, dum legi Dei, & conſilijs ipſorum morem gerimus, Deque exhibenda illis ubique reverentia, utpote , qui nobis ſemper præſentes aſſiſtunt : Ipſorum denique auxilijs cooperandum eſſe docetur , quia noſtra culpa eſt, ſi per illa non proficiamus.

### DISCURSUS I.

### ARGUMENTUM.

De numero, diſtinctione & varijs officijs Angelorum , qui per continuum cœlorum motum , & cauſatas in rebus omnibus creatis influentias , mundum hunc gubernant & dirigunt.

### THEMA.

*Millia millium miniſtrabant ei , & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Dan. 7. ℣. 10.

1. DAniel Propheta viſionem quamdam habuit , quam ipſemet Cap. 7. Prophetiæ ſuæ deſcribit in qua innumerabilem quemdam vidit Angelorum Thronum Dei circumaſtantium numerum, qui omnes ad Divinæ Majeſtatis nutus exequendos erant promptiſſimi ; Cum qua viſione mire conſentit viſio illa , quam Sanctus Joannes in Apocalypſi ſe pariter habuiſſe ſcribit ; Vidit enim quod *Erat numerus eorum millia millium.* Porro Sanctus Gregorius Magnus rationem reddit , cur Spiritus Sanctus illos cœleſtis curiæ exercitus in numero quodam definito deſcribat, cum tamen ille nobis pro infinito habeatur : *Supernorum civium numerus infinitus eſt , & definitus exprimitur , ut qui Deo numerabilis eſt , iſte eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur.* Sanctus Bernardinus per adductam Dionyſij Areopagitæ authoritatem ( an vere , an vero per exaggerationem loquatur non ſatis liquet ) dicit : *Angeli in Paradiſo exiſtentes ſunt plures, quam ſint ſtellæ, quam ſint arenæ maris & terræ, quam ſint folia & herbæ, & quam ſint omnia quæcumque creata.*

Angelorum multitudo innumerabilis.
Apoc. 5. v. 11.
S. Greg. l. 17. mor. c. 12.



S. Bern. t. 4. ſerm. 49.

2. Sanctus Bonaventura in ſermone quodam de Angelis , illorum nobis diſtinctionem explicat , dum ait : *Diſtincti ſunt in triplici Hierarchia, ſcilicet ſuprema, media , & infima.* Suprema eſt Altiſſimi Majeſtati aſſiſtentium : Media autem eſt Angelorum contrarijs ſeſe poteſtatibus opponentium ; Infima denique eſt humanis neceſſitatibus miniſtrantium : adeò ut ex novem Angelorum choris major pars noſtris ſit obſequijs deſtinata.

Triplex deſtinatio.
S. Bon. ſerm. de ang. unit.

3. Eamdem diſtinctionem Sanctus Gregorius tradit , dum infimam Hierarchiam collocat Angelos , Archangelos & virtutes : In ſecunda ponit poteſtates, Principatus , & Dominationes. In ſuprema denique Thronos, Cherubinos, & Seraphinos.

S. Greg. hom. 34. in Ezech.

4. Apoſtolus omnes non ſolum ad obſequium & miniſterium Dei , verum etiam ad ſervitium & miniſterium noſtrum deſtinatos eſſe exiſtimat, dum ait : *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus , in miniſterium miſſi propter eos , qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Etenim Angeli ſecundæ Hierarchiæ , ut Sanctus Bonaventura ait : *Deputati ſunt in regimen Reipublicæ , quaſi divini exercitus bellatores* ; oſtenditque illos in cœleſtibus illis exercitibus fuiſſe figuratos , qui ſeſe in defenſionem Jacobi Patriarchæ prodiderunt , quos ille videns ſubito exclamavit : *Caſtra Dei ſunt hæc , quia ad modum caſtrorum nos muniunt , qui ſumus faciles ad ſeducendum , fragiles ad reſiſtendum , debiles ad operandum , & ideo occurrunt nobis tamquam potentiſſimi adjutores ut eorum auxilio muniti diſcamus hoſtium potentias non timere.* Quod vero Dominationes ſpectat , illorum officium eſſe ſcribit , quod alijs præcipiant & imperent , noſque in pugna ſpirituali inſtruant , dirigant & doceant ; adducitque Sancti Gregorij authoritatem , dicentis quod ſint velut exercitus Angelici Capitanei & Duces , quorum experientia & prudentia in omnibus prælium hoc ſpirituale attinentibus gubernamur. *Rectè ſpiritualis certaminis poſſumus eſſe victores , quando tam excellentiſſimorum ſpirituum tutela muniti ſumus , quod tunc contingit , cum regnum animæ ſecundùm impetum rationis dirigimus , & carnis voluptatibus reluctamur.* Præterea idem Seraphicus Doctor , tres hoſce choros , Dominationes videlicet , virtutes & poteſtates , in noſtram defenſionem & adjutorium ordinatos eſſe probat ; *Quia Diabolus in nobis poſt caſum rationem ſeducit per aſtutias , virtutes opprimit per violentias , & voluntatem allicit per blanditias , quod ne nobis contingat , tribus ordinibus venit poſt nos.* Tandem deſcendit ad infimam Hierarchiam ; Et quidem de Principatibus dicit , illos ordinatos eſſe ad regimen & directionem Principum, ſiquidem permagni ad Reipublicæ directionem intereſt , ut hi rectè & ordinatè ducantur & dirigantur, quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis* ; Archángeli vero ordinati ſunt ad regimen populorum , ſive *ad regimen gentium , prout inſtruant in moribus & ſapientia ; Iſtorum officium eſt purgare , illuminare & perficere , & ſublimia ſecreta hominibus revelare , nec non & Dæmones à nobis refrenando fugare* ; adducitque Raphaëlis Archangeli exemplum , qui in Ægypti ſuperioris deſerto dæmonem ligavit. Denique de Angelis qui in ultimo choro conſiſtunt , illos ad noſtram cuſtodiam in particulari ordinatos eſſe ſcribit : *Ordinantur ad regimen hominum , ut eos cuſtodiant in ſemitis innocentiæ , & hi ſunt Angeli ad uniuſcujuſque hominis cuſtodiam deputati ; horum proprium eſt , quos cuſtodiunt , ad Dei reverentiam excitare , ſemper peccantibus pænitentiam perſuadere & malos à maleficijs revocare.* Sanctus Cyprianus ſupremos illos Spiritus appellat *ſalutis noſtræ miniſtrales.* Tertullianus ait : *Nos officia divina Angelos credimus.* Petrus Damianus de eiſdem ſcribens ſignificantius illos vocat *Cælorum officinas.* Nec deſunt , qui in omnibus novem Choris ſubſidia & auxilia particularia notant , quæ nobis ab unoquoque illorum in magnam utilitatem noſtram ſubminiſtrantur ; Angelorum enim officium eſt , ut nos cuſtodiant ; Archangelorum , ut in divina lege myſterijſque cœleſtibus nos erudiant ; Principatuum, ut vitam noſtram gubernent , & rectè ordinent ; Poteſtatum , ut rebellium ſpirituum inſultus à nobis propellant ; Virtutum , ut ad virtuosè operandum nos extimulent ; Dominationum , ut ad inordinatas paſſiones noſtras ſuperandas vires ſufficientes nobis ſubminiſtrent ; Thronorum ut nos in bono cæpto ſtabiliant , nobiſque in eo perſeverantiam ad finem uſque concedant ; Cherubinorum , ut mentem & intellectum in divina ſapientia illuminent ; Seraphinorum ut corda noſtra Divino amore accendant, adeo ut merito non ſolum de duabus , ſed de omnibus tribus Hierarchijs & novem Choris dicere liceat , quod verè ſint *ſalutis noſtræ miniſtrales.*

Angelorum miniſteria.
Hebr. 1. v. 14
Gen. 32. v. 2.
S. Bon. ibid.
S. Cypr. in prol. de card. Chr. op. Tert. l. de am. c. 37
P. Dam. ſer. 40.

5. Nullum quidem dubium eſſe poteſt , quin omnia naturæ & gratiæ bona ab inexhauſta illa divinæ bonitatis ſcaturigine in nos dimanent, juxta illud : *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt , deſcendens à Patre luminum :* Verumtamen cum manus nobis tam longæ datæ non ſint , ut ad vivum illum & originarium cœleſtis illius & infallibilis providentiæ fontem pertingere valeamus , de aquæductibus & carnalibus nobis paterne proſpexit, per quos cœleſtium gratiarum aquæ ad nos uſque derivari poſſint ; Et hi ſunt Angeli.

Angeli Canales Divinarum gratiarum.
Jac. 1. v. 17.

6. B. Laurentius Juſtinianus poſtquam novem illos Angelorum Choros ſigillatim enumeraſſet , varia quoque diſtinguit eorumdem officia , quæ ſupremæ Divinitati jugiter exhibent ; *In primis Deus amat ut Charitas ; In ſecundis noſcit , ut veritas ; In tertijs ſedet, ut æquitas ; In Dominationibus dominatur ut Majeſtas ; In ſequentibus regit ut Princeps ; In poteſtatibus tuetur ut ſalus ; In virtutibus operatur ut virtus ; In Archangelis revelat , ut lux ; Et in Angelis mittit, ut ſpirans.*

Erga Deum officia Angelis.
B. Lau. Juſt. ſerm. de S. Mich.

7. Verumtamen ſi allegatum Paulo ante Apoſtoli textum bene ponderemus , nimirum : *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus &c.* Inveniemus utique Deum Angelos non tam pro obſequio ſuo, quam ad ſervitium & miniſterium noſtrum creaſſe. Unde eſt, quod ſimul cum mundo creati fuerint , adeoque quando Deo complacuit eſſe ſuum humanæ naturæ impertiri in cujus beneficium & utilitatem vaſtam adeo creaturam multitudinem produxit , tunc ut B. Laurentius Juſtinianus ait : *Miniſtrantium ordinibus injunctam eſt particulare hoc regimen univerſum , ad quod perficiendum nec tabeſcunt tædio , nec labore ſuccumbunt , neque ſeducuntur errore.*

Univerſi regimen ipſis injunctum.
Hebr. 1. v. 14
B. Laur. Juſt. lo. cit.

8. S. Job de ira Dei , cui nemo valet reſiſtere , tractans , inter cætera hæc verba habet : *Sub quo curvantur , qui portant orbem.* Porro Rupertus Abbas Tuitienſis per hanc humerorum incurvationem , reverentem & venerabundam erga excelſam illam Divini Numinis Majeſtatem ſubjectionem intelligit : *Fortitudini ejus trementes inclinantur.* Sed quinam illi ſunt, qui mundum portant & ſuſtentant ? Audite hac de re eumdem authorem ita loquentem : *Angelici ſpiritus, qui cum omnes adminiſtratorij ſpiritus ſint , bene portare orbem dicuntur.*

Orbem portant.
Job 9. v. 13.
Rup. Abb. ibid.

9. Idem Job in alio quodam loco Angelos Reges & conſules terræ nominat : *Requieſcerem cum Regibus & conſulibus terræ* ; Quæ verba Sanctus Gregorius de Spiritibus Angelicis exponit , & dicit quod Deus ad rerum creatarum gubernationem & diſpoſitionem varios miniſtros & inſtrumenta adhibeat : *Ad diſtinguendum pulchræ univerſitatis ordinem , alia alijs diſpenſantibus regit , non immerito Reges Angelorum ſpiritus accipimus , qui quo Auctori omnium familiarius ſerviunt, eo ſubjecta potius regunt ; bene etiam conſules vocantur, quia ſpirituali Reipublicæ conſulunt , dum nos ſibi ad regnum ſocios jungunt.* Revera enim qui miniſteria quibus ſe Angeli ad univerſalem vaſtæ hujus univerſi machinæ utilitatem continuo impendunt , bene conſiderat , illos vere Reges & conſules terræ eſſe cognoſcet , utpote qui ad univerſale Reipublicæ regimen ſtrenuè collaborant. Reflectite enim ad Cœlorum ſtructuram , & videte quam ſint Cœli inter ſe diſparati , ſiquidem unum ab occidente vertitur ad orientem, aliud vero ab oriente volvitur in occidentem , unum in motu ſuo lentum eſt & tardum, aliud velox, & tamen dum à ſupernis illis intelligentijs regulantur, ſimul inter ſe uniuntur & concordant, ut benignos terræ influxus communicent. Unde ſpiritus ſanctus iiſdem harmoniam & concentum quemdam attribuit, quia ſicut in harmonia vel concentu differentes conſonantiæ ſimul uniuntur & concordantur , ut concentus quidam perfectus efficiatur , ita quoque Angeli licet in cœleſtium ſphærarum motu gyros faciant differentes & contrarios, eoſdem tamen ad perfectam tandem harmoniam perducunt : *Quis enarrabit rationem cælorum, & concentum cæli quis dormire faciet.*

Reges ſunt.
Job 3. v. 13. 14.
S. Greg. l. 4. mor. c. 27.
Concordes in noſtrum bonum.
Job 38. v. 37.

Creaturis præſunt.

10. Porro hanc utilitatem, quam ab Angelis per regularem & concordem cœlorum motum recipimus, Sanctus Juſtinus Martyr quoque hiſce verbis ſubindicat, dum ait: *Omnes quidem Angeli, & qui præſunt, & qui parent, functionem explent, cœlis, & ijs, quæ ad homines pertinent.* Ab hoc tam bene regulato motu omnium rerum creatarum, quibus viventes perfruuntur, generatio & productio conſequenter procedit. *Hujuſmodi beneficia*, inquit Sanctus Thomas, *proveniunt ex miniſterio Angelorum moventium corpora cœleſtia*, cujus rationem alibi reddens ita ſcribit: *Omnis motus naturalis inferiorum corporum cauſatur à motu ſuperiorum*, atque ideo omnes effectus quos natura in rebus hiſce ſublunaribus exprimit cœleſtium intelligentiarum directioni merito attribuendi veniunt. Unde idem Angelicus Doctor 1. part. Quæſt. 14. Artic. 5. ad 4. quærens an omnes animalium terreſtrium, aquaticorum, & volatilium, herbarum, arborum, mineralium, aliorumque ſimilium effectuum productiones, intelligentijs attribui debeant, tandem ad id aſſertive reſpondet, adducitque Sanctum Auguſtinum teſtem qui in libro 83. Quæſtionum aſſerit: quodque *Unaquæque res viſibilis in hoc mundo habet Angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam*; & forte idipſum Sanctus Bernardinus ex eodem fundamento quoque aſſeruit, licet is nonnihil univerſalius, aſſertionem videlicet ſuam ad animalia quævis minutiſſima extendendo, loquatur & Damaſceni authoritatem alleget, ſic enim ſcribit: *Non ſolum hominibus dantur Angeli ad cuſtodiam, ſed Damaſcenus in ſua prima parte cap. 10. dicit, quod muſcæ, & pulices, & formicæ, & omnes creaturæ habent unum Angelum ſecundum ſpecies ſuas.* Citat quoque authoritatem Origenis, Auguſtini, Sancti Thomæ, & Sancti Joannis Damaſceni, qui unamquamque ſpeciem pomorum, fructuum, arborum, & herbarum proprium ſuum Angelum habere dicunt. *Quia omnia per ipſum facta ſunt, nec mireris de his quæ tibi dico, quia tu vides in una curia Domini temporalis, quod quælibet res habet unum cuſtodem.* Cuncti venti, pluviæ & rores, tempeſtates, & omnes alij effectus tam favorabiles quam ſiniſtri cauſantur ab Angelis velut à cauſis ſecundis: *Similiter ventos, pluvias, grandines, fulgura, tonitrua, tempeſtates, auras, juſſu Dei per illos regi*; adeoque idem Sanctus conſequenter dicit, quod quidquid in hiſce inferioribus accidit, id diu ante in cœleſti illa curia decretum exiſtat: *Nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de interiori, inviſibili, & intelligibili aula ſummi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur.* Præfecti autem qui cœleſtis Regis commiſſiones & ordines executioni mandant, ſunt ſpiritus Angelici, inquit S. Gregorius Magnus: *Quæ inviſibili ſerviunt, eſſe inviſibilia non dubitentur; hæc autem quæ eſſe credimus, niſi ſanctos Angelos?*

*S. Juſt. M. in reſp. ad q. 30.* — *S. Tho. p. 1. q. 51. Opuſc. 10. a. 9.* — *S. Bern. to. 4. ſerm. 49.* — c. 6. de cognit. veræ vitæ. — *S. Greg. l. 4. dia. c. 5.*

Flagella avertunt.

11. Quot ipſi à nobis flagella avertunt, quæ alias irreparabiles mundo ruinas allatura eſſent? Sanctus Joannes in Apocalypſi ait: *Vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.* Quot tempeſtates, naufragia, peſtilentiæ, aliaque centena infortunia mundum affligerent, niſi Angeli ſua interpoſitione eadem impedirent?

*Apoc. 7. v. 1.*

Agricolæ ſunt inviſibiles.

12. Origenes ad utilitatem quam terra in arboribus, in cultura, & in cunctis alijs partibus ſuis per Angelorum directionem & aſſiſtentiam accipit alludens, nomen illis inviſibilium agricolarum attribuit. Ita enim ſcribit: *Fatemur non abſque præſidio inviſibilium (ut ita loquar) agricolarum, ac diſpenſatorum aliorum non ſolum terræ fruges præberi nobis, verum etiam aquarum fluenta omnium, ipſis curantibus terras, aquas, aërem proferre in mitioris vitæ uſum alimenta, fontes ſcatere, undæ undis ultro naſcentibus, & aëre culta rigari tempeſtivis imbribus.*

*Orig. Con. Cel. lib. 7.*

Multa præſtant bona.

13. Scriptura quoque ſacra in Raphaele Archangelo nobis claré oſtendit quod cœleſtes hi ephœbi bonorum quoque temporalium & corporalium ſint inſtrumenta, id quod in particulari in Tobia juniore videre licet; immenſa etenim beneficia quæ hic adoleſcens ab hoc Archangelo receperat, ipſemet paucis quidem, ſed valde emphaticis verbis enucleat, dum ait: *Me duxit & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, uxorem ipſe me habere fecit, & Dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipſum à devoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eam repleti ſumus.*

*Tob. 12. v. 3.*

14. Quando in piſcina illa probatica, cui innumerabilis adjacebat infirmorum incurabilium multitudo, eorumdem aliquis priſtinam recuperabat ſalutem, id non niſi Angeli cujuſdam interventu fiebat: *Angelus Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate.*

Medici noſtri. — *Joan. 5. v. 4.*

15. Similiter quando tempore Sancti Gregorij Magni urbs Romana ſæviſſima flagellabatur peſtilentia adeo ut præ cadaverum multitudine, urbs illa vaſtiſſima viſa fuerit ingens quoddam eſſe mortuorum cæmeterium, placatâ demum Divinâ juſtitia Angelus quidam ſupra molem Adriani viſibiliter ſeſe conſpiciendum præbuit, qui ſtrictum hactenus cruentumque gladium in vaginam recondebat in ſignum quod mortalis illa, quæ hactenus ſævierat, influentia jam penitus ceſſaret; Unde moles prædicta deinceps Caſtrum S. Angeli denominata fuit.

Hiſtoria. — Temporalia procurant.

16. Porro quia crediti illius, quod Tobias apud Gabelum exigendum habebat, mentionem fecimus, extra propoſiti mei orbitam me progreſſurum eſſe nequaquam exiſtimo, ſi hiſtoriam illam reflectione quadam illuſtravero. Notat igitur ſacer textus quod *Flevit Gabelus, benedixitque Deum & dixit: Benedicat te Deus Iſraël, & oſculati ſunt ſe invicem.* Etenim experientia quotidiana docet, quod quando debitores à creditoribus ad ſolutionem debiti ſolicitantur, creditores ſuos communiter torvo & amaro vultu excipiant, eoſque convitiari & contumelijs afficere ſoleant, invitique admodum debitum ſolvant, cujus apud Matthæum liquidum proſtat exemplum in ijs, qui à vinitoribus ſeu agricolis cenſum annuum exacturi egreſſi fuerant, ſiquidem ab iiſdem vinitoribus peſſime tum verbis tum plagis & vulneribus excepti fuere; & tamen Gabelus creditori ſuó benedixit, tantaque cum hilaritate & promptitudine crediti ſui debitam ſatisfactionem præſtitit. Ecce tibi in hoc facto claré ob oculos poſitam utilitatem quoque temporalem, quæ à ſanctorum Angelorum aſſiſtentia copioſe in nos redundat, id quod à Dionyſio Carthuſiano optime notatum fuit, dum ait: *Quid mirum ſi tam devote locutus eſt, cum quo Angelus ſanctus fuit & ambulavit tam diu non ſine inſtructione ſalubri.*

*Tob. 9. v. 8. & 9.* — *Matth. 21. v. 38.* — *Dion. Carth. ibid.*

17. Abraham Patriarcha populi Dei progeniem & propagationem à Deo quondam ſibi prædictam ſtabilire & exequi volens, eodemque fine fidelem ſervum ſuum mittens, ut mulierem quamdam virtutibus & qualitatibus tanto filio dignis conſpicuam eidem conduceret, dixit illi: *Ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde uxorem filio meo:* Nec mirum, quia matrimonia, aliaque fortunæ, proſperitatis, & cujuſlibet alterius boni temporalis magis ardua negotia, valde ab Angelorum aſſiſtentia bonaque directione dependent.

Negotia Angelis commendanda. — *Gen. 24. v. 7.*

18. Saræ fructum illum benedictionis, Iſaacum nimirum, tantopere ab illa deſideratum tres Angeli annuntiarunt. Similiter Joannis Baptiſtæ Nativitatem S. Gabriel Archangelus Zachariæ Patri ſuo prædixit. Et ſic de alijs felicitatibus temporalibus diſcurrere licet, utpote quæ beatis illis ſpiritibus tantopere de omni bono ſolicitis & cupidis mediantibus facillime à nobis obtineatur.

Bona nuntiant.

## DISCURSUS II.

### ARGUMENTUM.

Angelis aſſignata eſt tutela Regnorum; Et ideo ſæpe ſynagogæ, & quovis tempore Eccleſiæ fuere defenſores, prouti ex multis Exemplis deducitur, multaque à nobis removent ſupplicia.

### THEMA.

*Et ecce; Michaël, unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum.* Dan. 10. ℣. 13.

Succurrunt.

1. S. Gabriel Archangelus ut electum Dei populum è duræ ſervitutis Babylonicæ compedibus eximeret; orationum ſuarum virtute illum obumbrans ac protegens, magnam in conſecutione hujus finis reſiſtentiam invenit, cui proinde unus ex primis cœleſtis militiæ Principibus in ſubſidium venit; *Et ecce Michaël, &c.* Unde clare deducitur quam



ſint beati illi ſpiritus ad nobis in eventibus publicis maximeque arduis ſuccurrendum ſoliciti atque zeloſi.

Regnorum tutores.

2. *Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus* inquit Archangelus. Porro Princeps ille, Angelus tutelaris & Protector Perſiæ erat, quia ut graviſſimi teſtantur authores, Divina providentia pro uniuſcujuſque Provinciæ defenſione Angelum quemdam Præſidem deſignavit: Ita enim nonnulli Expoſitores ſacrum illum Deuteron. textum explicant, quo dicitur: *Conſtituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Iſraël*; Ubi Septuaginta vertunt: *Juxta numerum Angelorum Dei.* Molina hanc ſuſtinet opinionem, quod cum Angeli infimi chori hominibus in particulari, aſſignati fuerint cuſtodes, alij in Provinciarum & regnorum à Deo deputati, ſint Principatus.

*Deut. 32. v. 8* — *Lud. Mol. 1. p. q. 113.*

Probatur.

3. Enimvero S. Gabriel totus in eo erat, ut populum Iſraëliticum à Babylonis captivitate liberare poſſet, cui tamen Præſes regni illius potentiſſimè ſe opponebat; eo quod hic futurum ſperabat ut Perſæ idololatriæ dediti ex mora & convictu populi à Deo electi, qui lumine & agnitione veri Dei illuſtratus erat, in fide ſincera tandem proficeret, eaque imbueretur; Unde ſanctum illud inter utrumque Angelum prælium exurgebat, eouſque protractum & continuatum, donec S. Michaël ad divinum hac in re beneplacitum utrique contendenti Angelo notificandum expediretur, cui tandem ambo reverenter mox acquieverunt; Et ideo S. Gabriel ait: *Ego remanſi ibi juxta Regem Perſarum*, idque cum maximo ſibi commendati populi fructu; ſiquidem ut Rupertus Abbas Tuitienſis notat: *Quid commodi Gabrielis remanſio juxta Regem Perſarum attulerit, patet ex ſacra Hiſtoria, quæ docet Cyrum inſtinctu Dei captivitatem Judæorum ſolviſſe, & qualiter multis annis poſt Aſſuerus retentus fuerit à Deo, ne peſſimum Amani conſilium perficeret.*

*Dan. 10. v. 13.* — *Rup. Abb.*

Mala avertunt.

4. Balaam quoque per varia dona & Principis authoritatem, ad hoc ut populus Iſraëliticus diſperſus interiret, ad maledicendum Hebræorum populo ſolicitatus, non obſtante quod Deus id ei per ſpecialem revelationem prohibuiſſet; nam ut ſacer textus ait: *Dixitque Deus ad Balaam, noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus eſt*, ad perverſum tamen hoc attentatum exequendum itineri ſe accinxit; Aſina autem ejus recalcitrans loco ſe movere noluit, quin potius ut eum per portentum valde prodigioſum ab hac maledictione pronuncianda deterreret, voce humana articulata locuta fuit. Quamobrem verò id contigiſſe exiſtimatis? nimirum quia *ſtetit Angelus Domini in via contra Balaam...; cernens aſina Angelum ſtantem in via evaginato gladio avertit ſe de itinere*; Ecce quouſque ſpirituum Angelicorum pro ſalute publica, & univerſali commiſſi ſibi in populi bono promovendo zelus & ſolicitudo ſe extendat, nimirum ut ab ipſis quoque jumentis & Aſinis ſe videri, eoſque vocem humanam articulatam edere faciat, adeoque Angelus & jumentum operas ſuas conjunxerunt ad invicem, ut impium hunc virum à propoſito deterrerent: *Stetit Angelus in anguſtijs duarum maceriarum,... quem videns aſina junxit ſe parieti, & attrivit ſedentis pedem.* Legatur tota hæc hiſtoria attente, ſic enim utique invenietis, qualiter Angelus Balaam comminatus fuerit quod maledictiones quas Balaam populo imprecari volebat, econtra in ipſum reciderent; Unde ait: *Ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria.* At vero dices fortaſſe qua ratione Angelus ſe læſum eſſe exiſtimare poterat, qui impaſſibilis & inalterabilis erat? cur dixit *mihi contraria*, cum maledictio hæc non Angelo, ſed ſoli populo intentanda erat? Reſpondeo igitur, verum quidem eſt Balaam ſoli voluiſſe maledicere Hebræorum populo, ſed ſibi à Divina providentia ſpecialiter commendato. Unde Abulenſis Quæſt. 10. ait: *Mihi contraria, id eſt, populo meo; ſive ad malum populi mei.* Et ideo Iſaias quoque dum populi illius ruinam & deſolationem prædicit, protinus ſubjungit: *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt*, non quod Angeli capaces ſint mœſtitiæ, ſed ad exprimendum quod Angeli utique ærumnas populi illius deploraturi eſſent ſanguineis lachrymis ſi illarum capaces eſſent.

*Num. 22. v. 12.* — *Ibid. v. 22. 23.* — *Ibid. 24. & 25.* — *Ibid. 32.* — *Abulenſis.* — *Iſa. 33. v. 7.*

5. In Annalibus Eccleſiaſticis legitur: Quod cum quidam, cui nomen Gaina erat, urbem Conſtantinopolitanam armorum ſuorum vi & potentia urbem in exterminium animo ſtatuiſſet edicere, accidit, ut quidam immenſæ magnitudinis Cometes, qui ad terram uſque pertingeret, conſpiceretur, ipſe inſidias ſuas palam futuras eſſe metuens, milites ſuos palatium, immiſſis ignibus, aggredi infeſtare juſſit, qui prope palatium venientes ingentem quemdam armatorum militum exceſſivæ magnitudinis, & groſſitiei admirabilis numerum conſpexere, ex quo viſu, metu & terrore conſternati, retrogreſſi ſunt unde venerant: tyrannus autem alios denuo milites ad idem palatium emittens eoſdemque non minus quam primos ab eodem ſpectaculo perculſos eſſe cernens: tandem ipſemet in propria perſona ad idem ſe palatium recepit, eamdemque armatam multitudinem oculis proprijs cernens, eoſdem deforis ad palatij cuſtodiam miſſos milites eſſe credidit, adeoque tandem à perverſo ſuo attentato deſtitit, qui tamen poſtea milites illos Angelos civitatis illius tutelares eſſe certo agnovit, utpote qui clientibus ſuis ab omni ærumna & gravi tribulatione eripiendis ſolicite & gnaviter invigilant.

*Bar. an. 400. n. 44.* — Hiſtoria.

Cur tres Reges ab Angelo in patriam fuerint reducti.

6. Chryſoſtomus optime conſiderat, quod tres Reges qui ſtella duce in Bethlehem pervenerant, poſtea in reditu ſuo in regionem ſuam, deducti ab Angelo fuerint; *Denique quos vocaverat & ad præſæpe ſtella præcunte duxerat, eis jam non per ſtellam, ſed per Angelos loquitur*, cujus quidem rationem aliquam in ſequenti Homilia aſſignat, quæ tamen propoſito noſtro minimè deſervit; nimirum: *Poſtquam puerum adoraverant, non jam ſtella, ſed Angelus ſuſcipit, quia ſcilicet adorando facti ſunt ſacerdotes*, verumtamen ad præſens intentum noſtrum melius dicemus, ut reor, quod Reges illi Bethlehem verſus iter agentes nulla ſibi obvia habuerint pericula: plurima autem habituri erant redeuntes, propter iram excandeſcentem & inſidias Herodis ab eis deluſi & decepti; Adhæc ex quo hi tres Reges nomine omnium Regum & Principum qui in terris ſunt homagium dixerant ei, in cujus manu ſunt omnium corda monarcharum, & in cujus fœmore ſcriptum cernitur: *Rex Regum & Dominus Dominantium*, juſtum omnino erat, ut cœleſtes Ephebi atque Miniſtri eos aſſociarent, atque defenderent, cum ad ipſorum officium ſpectet tutela & defenſio regnorum, nec non & regnantium in illis & gubernatorum.

*Chryſ. ho. 6. in Matth.* — *Hom. 7. in Matth.*

Omnia mala ex receſſu Ang.

7. Quis eſt qui neſciat quanta populus Hebræorum à Deo beneficia acceperit, idque donec velut vinitores filio Domini ſui necem intulerint? Parabola ſatis nota eſt; *Auferam ſepem ejus & erit in direptionem*, comminatur per Iſaiam Deus. S. Thomas ait: *Cuſtodia Angelorum, dicuntur ſepes.* S. Paſchaſius ait: *Angelos illis præfuiſſe ad cuſtodiam, nemo eſt qui dubitet.* Refert Joſephus Hebræus, quod cum in procinctu eſſet, ut Hieroſolyma deſtrueretur reſonantes per aëra voces auditæ fuerint: *Tranſeamus ex his ſedibus.* Pſalmiſta quoque ſub vineæ metaphora ſynagogam indicavit: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes & plantaſti eam.* Quidquid autem vineæ huic tum in Ægypto, tum in deſerto, tum in Palæſtina beneficiorum & favorum à Deo collatum fuit, id totum illis in ſepis hujus virtute accidit, quia demum ſublata data eſt in prædam inimicis ſuis & in direptionem.

*Iſa. 5. v. 5.* — *S. Tho. ibid.* — *Paſch. l. 9. in Matth.* — *Pſal. 79. v. 9.*

Angelus Iſaac liberat.

8. Juxta infallibile cœli oraculum ita ſtatutum erat, ut populi illius à Deo electi progenies in Iſaac propagaretur; & tamen hic ſuper ſtrue quadam lignorum ligatus, ejuſque gulæ ſeu faucibus gladius admotus eſſe cernitur, quo caput ei detruncandum & buſtum ipſius in holocauſtum offerendum erat, quo non obſtante ab eodem diu deinceps ſuperſtite populus ille electus mire propagatus fuit. Quiſnam vero Iſaacum à morte liberavit alius quam Angelus, qui velociter de cœlo dilapſus, Abrahæ ad feriendum extenſum brachium continuit & coërcuit? atque haud ſecus ac ſi tempus ſacrificij illius offerendi nondum appropinquaſſet, antequam Abrahæ propius adeſſet de cœlo clamavit: *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham,... ne extendas &c.* Ubi Baſilius Seleucus ait: *Ruentem ad jugulum feriendum, dexteram deſuper tenet ingeminat vocem, ut manum comprimat.*

*Gen. 22. v. 11.* — *Baſi. Sel. or. 7.*

Michaëli Eccleſia Commiſſa.

9. Simili modo poſtquam in ſynagogæ locum ſucceſſit ſancta mater Eccleſia, nemo eſt qui ignoret, hujus non minus quam illius tutelam S. Michaëli Angelicæ militiæ ſupremo Principi commiſſam fuiſſe. In Actibus Apoſtolicis refertur qualiter S. Petrus juſſu

juſſu Herodis, Fidem & religionem Chriſtianam, per ſupremi Paſtoris gregis Chriſti mortem ſubvertere volentis, incarceratus fuerit. Quam Hiſtoriam S. Lucas hiſce verbis recenſet: *Cum autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens*; Circa quæ verba quærendum merito venit, qua ratione Petrus, utpote cui alterius diei diluculo caput amputandum erat, pridiana illa nocte ſomnum capere potuerit? Forſitan cum S. Hilario de veris Dei ſervis dicetis: *Numquam dulcius requieſcunt, quam cum laboribus fatigantur*; At vero numquid tamquam tunc naſcentis Eccleſiæ caput (*percutiam paſtorem & diſpergentur oves*) Saltem pro liberatione ſua, pro qua *Oratio fiebat ab Eccleſia ad Deum*, ſolicitus eſſe debuiſſet? numquid fidei tunc etiamnum in primis ſuis principijs hærentis ſtabilimento, evaſio & liberatio ipſius multum omnino conferre poterat? Reſpondeo igitur, hæc omnia veriſſima eſſe, verumtamen Petrus nec quidquam anxiebatur aut turbabatur de morte, vita, carcere, vel de ſua ab eodem liberatione; quia aſſiſtentia & defenſio qua S. Michaël Chriſti tuebatur Eccleſiam probè nimis ipſi nota erat: *Et ecce Angelus Domini aſtitit,.... percuſſoque latere Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter &c.* Et quidem in hac Angelica aſſiſtentia atque ſubſidio Eccleſia omnem ſuam fiduciam collocatam habet, quæ proinde gratitudinis ergo bis in anno de S. Michaële celebrat officium Divinum, ſcilicet in Apparitione illius, & ejuſdem Dedicatione, ac demum cunctos Angelos ſimul una feſtivitate veneratur & colit.

*Act. 12. v. 6.* — *Marc. 14. v. 27.* — *Act. 12. v. 5.* — *Ibid. v. 7.*

Quare Petrus ab Angelo liberatus.

10. S. Chryſoſtomus circa hanc liberationis Petri è Carcere Hiſtoriam opportunè quærit, cur infallibilis illa Dei providentia non diſpoſuerit, ut Petrus ſemetipſum à catenis, quibus arctiſſimè vinctus erat, expediret & exolveret? *Solve jubente Deo, terrarum Petre Catenas.* Numquid per ſolam corporis ſui umbram innumeras infirmitates curavit? vel numquid quod majus miraculum erat, mortuos ad vitam denuo revocavit? Reſpondet os aureum, Deum hoc honore Sanctum Petrum exornare voluiſſe, ut ab uno è cœleſtium Ephæborum numero liberaretur: *In hac re Petrum honorat, illum per Angelum eripiens*: at vero propoſito noſtro convenientius dicere poſſumus, Deum per hoc nobis ſubindicare voluiſſe curam & ſolicitudinem, quam habet ſummorum Pontificum Naviculæ temoni præſidentium, ut ab innumeris illos periculis eripiat.

*S. Chryſoſt. ho. 6. in Act.*

11. *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem; Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.* Sanctus Auguſtinus per ly *Dominus* myſticæ Jeroſolymæ, quæ eſt Eccleſia, tutelarem Angelum intelligit: *Ambiunt Eccleſiam Angeli, & quaſi murum faciunt.* Et Dydimus ait: *Scito arma Dei eſſe Angelicam poteſtatem.*

*Pſ. 124. v. 1. & 2.* — *S. Aug. ibid.* — *Dyd. ad c. 34 Job.*

Hiſtoriæ quinque.

12. Dum olim Catholica religio ob Maxentij tyrannidem plurimum vacillaret, Deus naviculam ſuam per Conſtantini Magni converſionem à tot tempeſtatibus ereptam in portum ſecuritatis reducere volens, quibuſnam obſecro uſus eſt medijs? Cardinalis Baronius de hoc Imperatore glorioſiſſimo refert eum ad ordiendum adverſus validiſſimum inimici exercitum prælium magnopere fuiſſe animatum, eo quod armatos in ſui defenſionem in aëre conſpexiſſet exercitus, ſi quidem Angeli in ejus favorem glorioſum Crucis vexillum explicaverant. *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi.*

*Bar. 312. n. 12.*

13. Idem quoque Cardinalis de Theodoſio Imperatore refert, quod is Perſarum Regem formidabilem quemdam exercitum congregaſſe præſentiens, fiducia ſua in Deum totaliter collocata, ſuum tametſi modicum & rarum militem adverſus hoſtem urſerit; Cumque in urbe Conſtantinopolitana ob ancipitem prælij futurum eventum ingens omnes timor inceſſiſſet, nonnullis in Bithynia Chriſti fidelibus multi apparuerunt Angeli, eiſdem præcipientes, ut ad populum Conſtantinopolitanum conſolandum abirent, eumdemque de reportanda per Theodoſium victoria, ſecuros certioreſque redderent, eo quod multi Angelorum à Deo expediti eſſent, ut in hoc prælio miniſtri & Duces eſſent; Unde cæſa fuerunt ex inimicis fidei noſtræ centum millia, quorum major pars in Euphrate ſubmerſa fuit.

*Ann. 420.*

14. Arabes Cordubam de facto inhabitantes adverſus Catholicos Hiſpanos centum quinquaginta millia peditum, & quinquaginta millia equitum conſcripſerant; Dum vero Raimirus Rex de cœlo ſibi mitti poſtularet ſubſidium, ſubito ante Catholicorum militum exercitum cœleſtes comparuere ſpiritus militari habitu induti, quorum præſidio & ducatu Raimirus cæcidit 80. millia, reliquis totaliter profligatis & diſſipatis.

*Bar. An. 938 n. 1.*

15. In Annalibus Ciſtertienſibus aliud quoddam in ſubſidium Chriſtianorum à Saracenis ad extrema uſque redactorum patratum legimus miraculum, nam: *Cum in alia inevitabilia Chriſtianorum exercitus incidiſſet diſcrimina, ut errarent omnes in invio & non in via, & anguſtijs locorum intercludendi atque ab ingruentibus hoſtibus omnes cædendi eſſent, prævio ignoto duce, nempe cœleſti nuntio eodemque ſignifero per altas vias eſt ſecure deductus Jeroſolymam uſque.*

*Ann. Ciſt. an. 1144. c. 4. n. 3.*

16. Memorabilis quoque illa victoria fuit, quam B. Joannes Capiſtranus ante Belgradum, à Turcis obſidione cinctum, ſub Pontificatu Calixti III. reportavit; in quo prælio Mahometus Chriſtiani ſanguinis avidiſſimus, qui in propria perſona eidem prælio præſens aderat una cum ducentis millibus pugnatorum vulneratus fuit, & occubuit. Et quidem de B. Joanne præfato Annales memorati dicunt: *Cum duobus Fratribus ipſe ſolus cum per parvam tranſiret naviculam, viſum eſt Turcis innumeram armatorum multitudinem contra eos tranſiſſe, cum in rei veritate eſſent ſolum tres perſonæ*; & ideo rabidi canes illi in ſeſe mutuo ſævierunt, & ad numerum 24. millium interierunt.

*An. Eccleſ. Rayn. an. 1456. n. 31.* — *n. 34. ibid.*

Angeli mediatores ſunt.

17. Quot obſecro flagella nunc Eccleſiam Dei in pœnam & ſupplicium peccantium malorum Chriſtianorum affligerent, niſi cœleſtes illi mediatores ſeſe illis in favorem noſtrum non oppoſuiſſent? *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi*; quod præceptum ipſimet Moyſi à Deo quondam datum fuit: *Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero; utrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo, verſis vultibus in propitiatorium.* Ecce igitur quam verum ſit quod Deus noſter ſceleribus noſtris iratus, & ad caſtigandos furoris ſui fulmina in nos vibrans proteſtatur (ſiquidem *Omnia in figura contingebant*) nimirum quod ſpiritus illi ſuperni tutelæ ſuæ alas ſuper propitiatorium in beneficium & ſalutem noſtram expandentes, ipſum nobis reddant propitium. Nam ut Oleaſter ait: *Sunt Cherubini, ut ex Scripturis conſtat, animalia velociſſima, curſum ad omnem plagam paratum habentia, ſuper quibus Dominus ſedere dicitur, ut adumbret nobis, quam velox nobis in adjutorium veniat.* At vero hoc totum etiam ad literam intelligendo, dicere poſſumus, quod non ſine myſterio illos utrumque latus propitiatorij tegere voluerit, nimirum ad innuendum nobis, quam ſit velox & promptus, ut per cœleſtium illorum nuntiorum operam, nobis ſe propitium exhibeat. *Equitavit* (ait puer Domini) *ſuper Cherubim, & volavit, volavit ſuper pennas ventorum. Sed ad quid Domine tam præceps volas? eruet*, inquit, *me de manu forti ab odio habentibus me, quoniam fuerunt robuſtiores me.*

*Exod. 25. v. 18.* — *Ibid v. 19.* — *Ibid. 20.*

Deus velox in adjutorium.

*Oleaſt. ibid.*

Per Angelos.

Angeli à morte liberant.

18. In Baronio legimus, quod dum in quodam terræ motu, qui quadraginta dies duravit, Mediolanenſes qui Reipublicæ gubernationi præerant in loco quodam cui excelſa quædam turris proximè vicina erat, congregati eſſent, omnium auribus vox quædam inſonuerit, quæ omnes ſigillatim ex proprio nomine inclamans hortabatur, ut protinus ab illo loco diſcederent; Dum vero hi voci huic morem gerere tardarent vir quidam in medio illorum è veſtigio apparuit, qui indefeſſis precibus illos ad recedendum coëgit, & ſubito turris illa collapſa omnes alios ſub ruinis oppreſſit & ſepelivit.

*Bar. an. 1117 n. 11.*

Hiſtoria ſacra.

19. Mirabilis pariter fuit illa Lothi totiusque familiæ ipſius ab univerſali Sodomæ incendio ab iiſdem ſpiritibus Angelicis facta liberatio: *Cum eſſet mane cogebant eum Angeli dicentes: Surge tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere civitatis, Diſſimulante illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, & duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi, & eduxerunt eum, & poſuerunt extra civitatem.* Quot inſuper pericula, quot flagella, tum particularia, tum univerſalia, tutela ipſorum mediante evadimus, quorum hactenus nullam notitiam habemus.

DISCUR-



## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Angelos ad inferendum nobis ſupplicia & pœnas invitos: ad benefaciendum vero nobis, Deumque nobis reddendum propitium valde proclives eſſe oſtenditur.

### THEMA.

*Mittam præcurſorem tui Angelum, non enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne forte diſperdam te.* Exod. 33. ℣. 2.

Coacti Angeli ſupplicia inferunt.

1. Deus olim populo ſuo ad terram promiſſionis iter inſtituenti Angelum ducem præbuit, expreſſe eidem conteſtans ſe illi aſſiſtere nolle, ne forte in grave totius populi malum divinæ juſtitiæ ſuæ enſem ſtringere, in illumque animadvertere cogeretur. Porro bene conſideranti facile patebit, quod Angeli, ſi quando velut inſtrumenta ad ſupplicia inferenda deſtinantur, tametſi obedire cogantur, ad illas tamen pœnas inferendas operam ſuam valde inviti collocent.

Probatur.

2. Deus olim, prouti in Ezechielis Prophetia videre licet, Angelo cuidam manus ſuas carbonibus ardentibus adimplere, caſque ſuper civitatem Jeruſalem, ad eam igne conflagrandam diſpergere præcepit: *Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper civitatem*: Quo præcepto accepto Angelus quidem diſceſſit, at vero ubi ad rotas, ſub quibus prunas accipere juſſus fuerat, pervenit, greſſus ſuos, ut Ezechiel ait: ſtetit: *Ingreſſus ille ſtetit juxta rotam.* Sed cur Angelus ille ſubſiſtit? Numquid Pſalmiſta de iiſdem ſpiritibus ait: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem?* cur cœleſtis hic Cherubinus in impoſiti ſibi præcepti divini executione moras trahit? *Stetit*, inquit S. Hieron. *tantum juxta rotam ob triſtitiam puniendæ Jeruſalem*; Stetit, inquam, & in executione præcepti moroſum ſe exhibuit, quoniam ſupplicij, non vero beneficij Jeroſolymis inferendi inſtrumentum eſſe debebat; Quoad uſque enim poſſunt, miniſtri divini furoris eſſe ſubterfugiunt.

*Ezech. 10. v. 2.* — *Ibid. v. 6.* — *Pſ. 103. v. 4.* — *S. Hieron. in Ezech.*

Ang. benefaciendo gaudent caſtigando dolent.

3. Enimvero ne ab eodem Propheta diſcedamus, advertendum eſt, quod in primo hujus Prophetæ capite gloria Dei nobis à quatuor Cherubinis reverenter portata repræſentetur: poſtea vero in Cap. 9. dicit: *Et gloria Domini Iſraël aſſumpta eſt de Cherubim.* Quonam ſpectat hæc differentia? Cur Ezechiel in cap. 1. Deum vidit in medio Cherubinorum, in capite autem nono Deum ſine Cherubinorum ſocietate invenimus? Theodoretus illius differentiæ myſterium optimè nobis declarat, obſervat enim, quod ideo in Capite nono nulla fiat ſpirituum Angelicorum mentio, quia Deus ibidem actualiter puniens atque caſtigans repræſentatur, at vero in Capite primo in actu conſolantis populum nobis objicitur, atque hic Angeli cum gaudio aſſiſtunt, dum nos ſolatio, gaudio & beneficijs affectos, non vero punitos & caſtigatos eſſe vident.

*Ezech. 9. v. 1*

Monent amicos ad conſolandum.

4. De Jobo magno illo patientiæ ſpeculo in ſterquilinio ſedente in libro ejuſdem hæc verba leguntur: *Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo, ... condixerant enim ut pariter venientes viſitarent eum & conſolarentur.* Circa quæ verba Origenes exiſtimat, Angelos prædictis tribus viris miſerabilem Jobi ſtatum manifeſtaſſe, ad hoc ut eum conſolandi cauſa ocius convenirent: *Sancti Angeli ſive in ſomnis, ſive in vigilijs admonuerunt eos, ut celeriter venirent, & illum juſtum amicum conſolarentur.*

*Job 2. v. 11.* — *Orig. ibid.*

Gaudent in conſolatione hominum.

5. In vaſto totius Sacræ Scripturæ volumine tunc omnium primo de Angelorum è cœlo empyreo deſcenſu fit mentio, quando eos ad conſolandam afflictam Agar deſcendiſſe memorat, ante hanc vero occaſionem nuſquam illos deſcendiſſe comperitur; Cur ita? Cur ſe non potius in alio quodam magis inſigni & memorabiliori facinore conſpiciendos præbuerunt? nimirum ut ex hoc intelligeremus, quod maximam ſuam gloriam in eo repoſitam habeant, quod nos mœſtos & deſolatos conſolatione aliqua erigere & demulcere poſſint.

*Gen. 21. v. 17.*

6. Geneſeos cap. 18. tres Angelos ab Abraham ſub tabernaculo ejus hoſpitio acceptos, lautiſſimeque tractatos eſſe legimus, prædictaque eidem Patriarchæ Iſaaci futura Nativitate, Sodomam verſus, infamem illam civitatem ſeſe contulerunt, ut eam terribili quodam ignis diluvio caſtigarent; cujus etiam inferendi ſupplicij ſanctum Patriarcham fecerunt certiorem; Sed quonam fine ei divina illa decreta revelarunt, eumque conſcium effecerunt eorum, quæ in cœli penetrabilibus à Deo determinata fuerant, cœleſtium arcanorum? certe nullo id alio fine factum fuit, quam ut illum ad Deum pro infami populo illo rogandum inducerent, prouti reipſa efficaciter præſtitit.

*Gen. 18. v. 3. &c.*

Ad preces hortantur.

7. Dicit autem ſacer textus in eodem loco inſuper, quod Angelis Sodomam verſus abeuntibus *Abraham ſimul gradiebatur, deducens eos.* Sed quonam fine Abraham ſe illis aſſociat? Num forte Angeli ſocietatem ejus exquiſierunt, eo quod viam Pentapolim verſus ignorarent? quod certe credibile non eſt, quia ſicut viam quæ ducit in Mambre invenerunt, ita quoque hanc invenire poterant. Facilis eſt ad hanc difficultatem reſponſio, ſi conſideretur quod Angeli ad domum ſervorum Dei perlibenter & cum gaudio adeant, ut virtutibus & ſanctitate illorum perfrui poſſint: ècontra vero viam, quæ ducit ad domos perverſorum hominum, ſe minimè invenire poſſe ſimulant, præcipue quando ad illam flagellandam præcepto Dei urgentur.

Apud devotos libenter hoſpitantur.

*Gen. 18. v. 16.*

8. Adhæc ſciendum eſt id, quod in principio ſequentis Capituli legimus, nimirum: *Veneruntque duo Angeli Sodomam veſpere.* Etenim hi cœleſtes nuntij à divina juſtitia ad caſtigandam urbem illam infamem expediti quidem fuerunt, nec tamen recta aut breviori via Sodomam contenderunt, ſed per ambages & diverticula viam prolongarunt, ſeque viæ ignaros eſſe ſimularunt, ac proinde ad Abrahæ domum prius divertentes maximo quo potuerunt ipſum affecerunt beneficio, & quia ipſum ſalutis proximorum procurandæ & conſervandæ, præcipue vero illius, quæ populum illum, cui Loth frater ejus cohabitabat, reſpiciebat, ſciebant eſſe percupidum, decreta Dei, quæ ipſis exequenda commiſſa fuerant; ei revelarunt, ut hac ratione eum ad compaſſionem & ad ſupplicium deprecandum permovere poſſent; Unde Cajetanus ait: *Ut Abrahæ daretur occaſio deprecandi.* Primo igitur Angeli Divinæ juſtitiæ executores ſervos Dei quos illi noverunt maximè eſſe acceptos, qualis Abraham erat, ad deprecandum pro nobis extimulant; dum vero hanc juſti deprecationem irritam quoque eſſe advertunt, Angeli executionem quoad uſque poſſunt ſuſpendunt, differunt, & procraſtinant prouti hic factum eſt, quando in ſerum uſque veſperum in Sodoma appellere tardarunt.

Ad deprecandum extimulant, procraſtinantes ſupplicia.

*Gen. 19. v. 1.*

*Cajet.*

Caſtigant Coacti.

9. Et notandum eſt, quod ex tribus Angelis ad Sodomæ devaſtationem miſſis, duo dumtaxat ibi viſi ſint appellere; ac proinde æſtimandum eſt, unum illorum cœlum denuo repetijſſe, utpote qui vindicem Divinæ juſtitiæ gladium non audebat vibrare *veſpere*, ſub crepuſculum veſpertinum appulerunt, cum tamen dies eo tempore quo Sodomam venerunt, longiores fuerint, utpote æſtivi, prouti colligi poteſt ex verbis illis: *In ipſo fervore diei*, ac proinde paulo poſt meridiem à domo Abrahæ receſſerint, utique longe citius quam circa veſperam Sodomæ adeſſe poterant; imo propter velocitatem & agilitatem ſuam Angeli alati communiter depinguntur, quia in unico dumtaxat momento de cœlo deſcendentes, ubicumque volunt ſubito adſunt, Et ideo omnes ſacri Expoſitores unanimiter in hiſce Angelis repugnantiam ſpecialiter notant, ob quam Sodomam inviti caſtigatum ibant, ac proinde ſuum in Sodoma adventum tamdiu diſtulerunt, ut Abrahamo tempus ſufficiens indulgerent, quo ſuas pro perverſis & ſceleratis Sodomitis ad Deum preces effundere, illique ad pœnitentiam condignam perduci poſſent. Unde Abulenſis ait: *Totum diem expectaverunt, utrum Deus parceret civitatibus propter Abraham.* Lyran. pariter ſcribit: *Tantum tardaverunt, ut viderent, ſi Dominus parceret terræ propter Abraham.* Rupertus Abbas Tuitienſis aliam rationem adducit dicens: *Veſpere venerunt; ipſum tempus vel hora viſitationis triſtiſſimæ peccatorum cauſæ congruit*, etenim peccata punienda erant, quæ in Scriptura vocantur *Opera tenebrarum.*

Miniſtri vindictæ eſſe erubeſcunt.

*Abul. in Gen. ib. Lyr. Rup. Ab. l. 6. in Gen. c. 6.* — *Gen. 19. v. 1.*

10. Melius vero noſtroque propoſito congruentius dicere poterimus, ideo Angelos adeo ſero ſub crepuſculum veſpertinum adventaſſe, quia Angeli certo quodam modo erubeſcebant & confundebantur ex eo quod viderentur miniſtri eſſe furoris & juſtitiæ irati Dei, ac proinde data opera veſperam expectarunt, ut ſe ſub tenebris veſpertinis commodè abſcondere poſſent.

11. Unde

*Probatur.*

11. Unde & Angelus ille, qui ut populum ejus & Civitatem ſanctam ab exercitu Sennacherib, ultimum ei exterminium comminantis, liberaret, à Deo miſſus fuerat, pariter de nocte ſub mœnibus Civitatis appulit, ubi ſub nocturnis tenebris enſem ſuum vindicem ſtringens, ſtragem centum octoginta millium virorum armatorum inſtituit, quaſi erubeſceret ſe hanc ſtragem facientem ab hominibus videri, cum tamen eos qui manifeſte Deo rebellant, Religionisque orthodoxæ & Divini cultus jurati hoſtes erant, juſſu Dei puniret: *Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum, centum octoginta quinque millia.*

*4. Reg. 19. v. 35.*

*Angeli quantæ ſunt virtutis.*

12. Ecquis autem non admiretur, audiens, quod Deus ad exercitum quemdam innumerabilem, adeoque formidabilem diſperdendum, imo & cædendum, unicum dumtaxat Angelum adhibeat? Nec tamen id cuipiam mirum videri debet, ſiquidem S. Thomas de Villa nova de ſphæra activitatis & poteſtate ſpirituum illorum tractans, hunc in modum ſcribit: *Quantæ virtutis & poteſtatis fuit, omnes Ægyptiorum primogenitos una nocte occidere? maris fluctus ſiccare? currus & exercitum Pharaonis ſubmergere? tot gentes & tam robuſtas ſubvertere, & populum Iſraël in terram eorum introducere, quæ tamen omnia unus Angelus, cui populus à Deo commiſſus eſt, qui eumdem in deſerto in columna præcedebat, operatus eſt.* Demum vero activitatem illorum in regulari cœlorum motu à tot ſæculis hactenus continuato demonſtrare hunc in modum proſequitur: *Non valde mirabimur hæc, ſi orbes illos cœleſtes tam vaſtos & amplos, ſingulos à ſingulis ſpiritibus tanta velocitate & uniformitate, tot ſæculis, ſine ullo velocitatis aut tarditatis augmento vel decremento moveri conſideraverimus. Ad vocem Archangeli totus ſuſcitabitur mundus, totum terrarum orbem à ſummo uſque deorſum à convexo cœli, uſque ad infimum abyſſi penetrabit illa vox.*

*S. Th. de Vill. con. 1. de S. Mich.*

*Ad ſupplicia inferenda ſe ſubducunt ad beneficia omnes accurrunt.*

13. Verum enimvero id quod ego, utpote propoſito noſtro quam maxime ſerviens, obſervo, hoc eſt, quod Angeli à Deo ad divina decreta de caſtigandis hominibus exequenda miſſi, ut plurimum ſoli veniant, non vero id facere ſolent, quando mittuntur, ut hominibus benefaciant; Etenim quando Rex Syriæ contra Samariam pugnaturus integrum exercitum ſuum ad Eliſeum capiendum miſerat, ſubito mons vicinus innumeris cœleſtis militiæ cohortibus adimplevit: *Ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſei.* Similiter quando Jacob, adverſus inſultus & validos impetus Eſau fratris ejus, defenſuri miſſi fuerant, in ingenti numero quoque advolarunt, adeo ut de illis in ſacro textu dicatur: *Caſtra Dei ſunt hæc.* Pariformiter ad Lazari pauperis animam in ſinum Abrahæ deportandam plurimi Angeli certatim pro hoc ei obſequio præſtando accelerarunt: [ *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* ] *non quidem quod indigeret*, inquit Albertus Magnus, *qui proprijs ſubvehebatur meritis, ſed Angeli congratulationem in comitatu oſtendebant, exemplum quod ſimpliciter & recte conſilijs eorum & cuſtodijs operans vivus dediſſet.* Chryſoſtomus autem ad intentum noſtrum longe melius loquitur, dum ait: *Non ſuffecerat ad portandum pauperem unus Angelus, ſed propterea plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant, gaudet unusquisque Angelus tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægravantur, ut ducant homines ad regna cælorum.* Etenim quando de nobis defendendis, conſolandis, aut beneficio aliquo afficiendis agitur, quilibet ipſorum ad id munus ſeſe ultro offert, omnesque in id faciendum conſpirant & accurrunt, ſeque jucundos, hilares, atque feſtivos exhibent. *Gaudium eſt coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*; at vero quando nos ut ſignaturæ ſupremæ juſtitiæ miniſtri punire debent unusquisque ſe ſubducit, cunctique munus illud non niſi triſtes & mœſti adoriuntur.

*4. Reg. 6. v. 17.*
*Gen. 32. v. 2.*
*Luc. 16. v. 22.*
*Alb. Mag. ib.*
*Chryſoſt. in cat. cit.*
*Luc. 15. v. 7.*

*Lugentes nos deſerunt ad interitum.*

14. In Jeremia verba ſequentia leguntur: *Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Syon; tetendit funiculum ſuum, & non avertit manum ſuam à perditione, luxitque antemurale & murus pariter diſſipatus eſt.* q. d. Deus manum ſuam, ad caſtigandam Jeroſolymam, ad flagellum extendere parabat, hoc autem minime facere poterat niſi prius mœnia Civitatis, & quibus illa muniebantur fortalitia diſſiparet, atque deſtrueret. Quid autem per hunc murum & antemurale, ſive mœnia & fortalitia intelligebatur? Tutela nimirum & defenſio Angelorum, de quibus ait textus luxit, ſiquidem in Iſaia legimus: *Angeli pacis amare flebunt*; Angelis autem à defenſione & cuſtodia Civitatum & populorum ſubmotis mirum non eſt, ſi hi protinus incidant in manus inimicorum; Ut igitur Jeruſalem diſſipetur murus & antemurale prius deſtruitur, id eſt, Angeli, qui ſunt hominum & civitatum antemurale fortiſſimum, à talium locorum vel hominum tutela & cuſtodia ceſſare jubentur, quod ſine ingenti Angelorum luctu non fit; Et ideo Angeli pacis amarè flebant. Unde S. Paſchaſius ait: *Luxit antemurale & murus pariter diſſipatus eſt, luxiſſè autem antemurale tropice dicitur, eo quod videntes ſe recedentibus angelis, quorum ſervabantur auxilio, interituros, Angelos lugentes fecerint.*

*Thren. 2. v. 8.*
*Iſa. 33. v. 7.*
*S. Paſch. l. 2. in lament. Jerem.*

*Gratiam impetrant quam diu adſunt.*

15. In Pſalmo 70. legimus: *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat; Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice.* Enimvero quod ſi Deum à nobis recedere nolimus, rogemus eum, ne è nobis auferat tutelam & aſſiſtentiam Angelorum; hi enim quamdiu nobis aſſiſtunt, Dei nobis impetrant gratias, iramque ejus placant, hacque ratione efficiunt, ut in ejus denuo gratiam & amicitiam redeamus.

*Pſ. 70. v. 10. 11. & 12.*

*Defendunt in judicio.*

16. Ex parabola illa de nuptiali convivio conſtat, eum, qui ſine veſte nuptiali ad locum convivij ingredi præſumpſit, ad ignem fuiſſe condemnatum, & tamen ne verbum quidem ab eo proferri potuiſſe in ſui defenſionem. *At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Econtra vero in Zacharia Propheta ſequens legitur viſio: *Et oſtendit mihi Dominus Jeſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram Angelo Domini, & Satan ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei, ... & Jeſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli, qui reſpondit & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe, dicens: auferte veſtimenta ſordida ab eo; Et dixit ad eum: Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs. Et dixit: Ponite Cydarim mundam ſuper caput ejus, ... & induerunt eum veſtibus, & Angelus Domini ſtabat.* Circa quam utriuſque Evangelici ſcilicet & Prophetici textus quoad ſordidis veſtibus indutos viros diverſitatem & differentiam & diverſum eventum quem habuerunt apud eum, qui non eſt acceptor perſonarum, merito quæritur cur primus ob carentiam veſtis nuptialis per ſententiam irrevocabilem & inappellabilem condemnatus fuerit pœnæ æternæ; alter vero tanta cum charitate & benevolentia, ſublatis ab eo laceris veſtimentis, nobiliſſimo fuerit veſtitu indutus? Quam difficultatem Theophylactus ſolvere videtur dum ait: *Angelus populi tutor, alijs aſtantibus Angelis præcepit, ut illis veſtibus eum exuerent.* Porro Rex ille Filium Dei nobis præfigurat, qui in caſu quo anima in puncto ſive articulo mortis inventa fuerit pretioſa charitatis veſte denudata, eidem in particulari judicio, quod circa quamlibet animam inſtituetur, implacabilis Judex futurus erit: In viſione autem Zachariæ benignitas nobis indicatur Angelorum, qui Satana nos in judicio accuſante peccata noſtra cooperire & tegere ſatagunt: *& Satan ſtabat à dextris ejus* &c. nos excuſant, defendunt, nuditatemque noſtram virtutum habitibus contegunt, & bona opera noſtra Deo Judici repræſentant, ac demum furorem Dei quoad poſſunt placare ſtudent: *Et Angelus Domini ſtabat; Et conteſtabatur Angelus Domini Jeſum.* Gloſſa ſuper verba Sancti Stephani apud S. Lucam dicentis: *Video Jeſum ſtantem*; ita ait: *Per ſtantem habitus auxiliantis & pro ſervis pugnantis oſtenditur.*

*Matth. 22. v. 12. & 13.*
*Zach. 3. v. 1. &c.*
*Theoph. ibid.*
*Zach. 3. 1.*
*Ibid. v. 5. 6.*
*Act. 7. v. 55.*
*Gloſſ.*

*Illorum defenſio neceſſaria.*

17. Enimvero an aliquis Angelorum illi convivio, in quo alter non habens veſtem nuptialem, condemnatus eſt, interfuerit, minime conſtat; at verò in hac viſione Zachariæ Sacerdotem magnum quaquaverſum Angelis circumdatum, eorumdemque precibus Deum permotum inimicum infernalem repuliſſe claris verbis deſcribitur: *Et dixit Dominus ad Satan; Increpet Dominus in te Satan & increpet Dominus in te, qui elegit Jeruſalem, numquid non iſte fortis eſt erutus de igne?* Væ proinde nobis niſi cœleſtes illos ſpiritus defenſores noſtros habuerimus. Audite enim B. Laurentium Juſtinianum hac de re ita loquentem: *Quis, niſi angelico fultus eſſet auxilio, tam immaniſſimorum hoſtium valeret ſuperare rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudesque detegere?* S. Thomas de Villa nova ſolicitudinem & zelum Angelorum quo pro nobis mediatores exiſtunt, per ſequentem ſimilitudinem demonſtrat: *Sicut vir zelat uxorem, ita Angelus animam cui datus eſt in cuſtodiam, ne videlicet cum peſſimo dæmone committat adulterium. Diſcurrit medius inter Deum & animam, vota offerens, referens dona*, ut inquit Bernardinus, *illam ad amorem excitat, illum ab offenſa placat.*

*Zach. 3. 2.*
*Laur. Juſt. l. 2. de ſpir. am. 1. ep.*
*S. Th. Vill. loc. cit. conc. 2.*



## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

De Angelorum in exequendis juſſis Dei ad noſtram utilitatem cedentibus velocitate & promptitudine; Ubi etiam illos nobis poſt Chriſti Incarnationem & noſtram redemptionem majorem exhibuiſſe amorem oſtenditur.

### THEMA.

*Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* Pſalm. 103. ℣. 4.

*Veloces ut venti.*

1. PRopheta Regius ſignificantiori verbo beatorum illorum ſpirituum velocitatem & agilitatem exprimere non poterat, quam dum illos ſpiritui ſeu concitato aëri & vento ſimiles eſſe dixit. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, concitatus namque & agitatus aër ab uno loco ad alterum celerrime tranſmittitur.

*Ideo pinguntur alati.*

2. Chryſoſtomus myſterium indagat, ob quod uſus antiquus obtinuerit, quod Angeli alati depingi ſoleant, idque factum eſſe dicit, ad illorum nobis inſinuandam dignitatem & eminentiam: *Angelorum pennæ naturæ eminentiam referunt; nihil pennæ ſignificant aliud, quam vires ſublimes, atque excelſas naturas.* Quis autem eſt, qui per alas velocitatem quoque denotari ignoret? Chaldæus ad propoſitum noſtrum ita legit. *Qui facis Angelos tuos veloces ſicut ventos.* Viſio quoque Iſaiæ clare nobis oſtendit, quanto cum fundamento alati & pennis inſtructi à nobis repræſententur: *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri*; Ubi Gloſſa ordinaria ait: *Alas dicuntur habere Angeli, quia in ſuperioribus commorantur, vel propter velocem in omnibus diſcurſum ſicut & venti alati dicuntur.* Inter omnes ſanctos qui majus aliquod in ordine ad beatos hoſce ſpiritus habuere lumen, S. Dionyſium Areopagitam palmam cæteris præripere aſſerere poſſumus, utpote qui tam ſublimiter de cœleſti Hierarchia ſcripſit; In ipſo autem hæc verba leguntur: *Pennatos ſanctorum ſpirituum pedes Theologia figuravit, quippe alis ſignatur celeritas.* Lyranus in agiles & veloces Seraphinorum apud Iſaiam alas intellectum ſuum defigens, ita ſcribit: *Ad deſignandum, quod Angeli ſemper ſunt parati ad divina aſcendere, & ad inferiora deſcendere, ſecundùm Domini voluntatem, ideo volatus in medio loco diſponitur, quaſi ad utrumque paratus.*

*Chryſoſt. h. 3. de incomp. Dei nat.*
*Iſa. 6. v. 2.*
*Gloſſ. ibid.*
*S. D. Areop. c. 15.*
*Lyr. in Iſa.*

*Probatur.*

3. Legatur caput nonum Danielis, ibi namque recenſetur quod dum S. Daniel Propheta Deum pro populo ſuo Iſraëlitico è ſervitute liberando ferventer rogaret, Deus è cœlo Gabriëlem Archangelum ſubmiſerit, qui Danielem certiorem faceret, quod ſupplicatio ejus favorabile ſortita eſſet reſcriptum; Obſervate autem quanta fuerit cœleſtis hujus nuntij velocitas: *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, cito volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini, & docuit me*; Non ſufficit Prophetæ dicere Angelum illum volaſſe, ſed inſuper ly, cito, adjungit.

*Dan. 9. v. 21. & 22.*

*Dei juſſa abſque mora exequuntur.*

4. Superius viſionem Iſaiæ oſtenſam indicavimus, quæ ex pluribus capitibus myſterijs redundat; in ea autem inter cætera Seraphinos aliquos circa Altiſſimi thronum circumſtetiſſe aſſeritur; *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Porro ſcire hoc loco percuperem, qua ratione poſſibile fuerit, quod hi Seraphini firmi ſteterint, & tamen volarint: *Seraphim ſtabant ſuper illud*, & tamen protinus de ijſdem dicitur: *Volabant.* Utique ad hoc aliud reſponderi nequit, quam quod ſpirituum illorum in juſſis Dei exequendis adeo ſit prompta veloxque celeritas, ut tametſi de Empyreo in terram deſcendant, id tamen tanta cum celeritate faciant, ut ne unico quidem greſſu à magnifico illo Divino throno ſecedere videantur, ſiquidem inter receptum à Deo mandatum, ejuſque executionem nullum tempus inter medium interjicitur, prouti ex illis verbis clare deducitur: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.* Nobis quidem hic ordo ſervatur, quod videlicet prius ad excipiendas nobis imponendas commiſſiones aures porrigamus, poſtea vero ad eaſdem exequendas manus admovere ſolemus; non vero ſic Angelici ſpiritus faciunt, ſiquidem Scripturæ Sacræ textus clare indicat, quod hi voluntatem & beneplacitum Dei circa intereſſe ac miniſteria noſtra adimpleant, priuſquam à ſupremo Dei conſiſtorio juſſa illis fuerint intimata, ac proinde Pſalmiſta prius de illis dicit: *Facientes verbum illius*, & poſtea ſubdit: *ad audiendam vocem ſermonum ejus*; circa quæ verba Agelius ita ſcribit: *Vix cum audierunt vocem Divini præcepti ſtatim faciunt verbum ejus, ut quamvis divini verbi præceptum antecedat, tamen tanta illorum in exequendo velocitas, & intentio eſt, ut neſcias penè quid prius ſit, voxne ſermonum Dei, an illorum in exequendo celeritas.*

*Iſa. 6. v. 1.*
*Ibid. v. 2.*
*Pſ. 102. v. 20.*
*Agell. ibid.*

*Deo obedientiſſimi.*

5. Sanctus Thomas de Villa nova horum ſpirituum promptiſſimam obedientiam ſequentibus verbis conſiderat: *Ad extollendam eorum obedientiam & ſubjectionem, qua Deo præſidenti in omnibus, & per omnia ſine ulla contradictione obediunt, apud Zachariam in ſimilitudinem grandis exercitus equorum alborum & variorum uno ſolo ſeſſore viſi ſunt, ſunt etenim & potentiſſimi, & obedientiſſimi, juxta illud: Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.*

*S. Th. Vill. l. cit. conc. 1.*
*Pſalm. 102. v. 20.*

*Oculis comparantur.*

6. Et hæc forte cauſa eſt cur Angeli denotentur in oculis, qui in operationibus ſuis velociſſimi exiſtunt. *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt.* Per hoſce etenim oculos Angeli intelliguntur, prouti ex illo textu Apocalypſeos deduci poteſt, in quo legimus: ... *Oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram.* Quod cum ejuſdem Zachariæ verbis in Capite ſequenti concordat, ubi dicitur. *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* Porro oculi vident & provident, ſuntque veloces & expediti: ita quoque Angeli vident, omnibuſque ſumma cum velocitate proſpiciunt.

*Zach. 3. v. 9.*
*Apoc. 5. v. 6.*
*Zach. 4. v. 10.*

*Luci.*

7. In Geneſi mentio quidem fit omnium Creaturarum tam viſibilium quam inviſibilium, qualis erat Cœlum Empyreum, & tamen Moyſes Naturæ Angelicæ nullam aliam mentionem facit, niſi tantum ſub nomine lucis, ut exiſtimat S. Auguſtinus: *Fiat Lux*; Ubi novum ſe pro præſenti propoſito noſtro myſterium prodit; Cur enim Angeli lucis nomine exprimuntur? quia nimirum experientia teſte hæc in unico momento, mox ut oritur, cunctis tenebris diffugatis aërem totum illuminat & calefacit, cunctosque effectus ſuos ſumma cum celeritate operatur, ac proinde ſimilitudo iſthæc ſpiritibus hiſce beatis aptiſſimè congruit.

*S. Aug.*

*Igni.*

8. Advertendum eſt item, quod Regius Propheta David, poſtquam Angelis venti Epithetum attribuiſſet: dicendo: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, ignis quoque nomine eoſdem inſigniat: *Et miniſtros tuos ignem urentem*; teſte namque experientia, nullum eſt elementum activius & velocius iſto, maxime quando à ventis agitatur. Theodoretus ait: *Eoſdem & ſpiritus & ignem appellavit, efficaciam & velocitatem utroque declarans.*

*Ibid. Pſ. 103. v. 4.*
*Theod.*

*Præcincti ad ſuccurrendũ.*

9. Myſtica eſt illa à Sancto Joanne in Apocalypſi cap. 1. habita & deſcripta viſio, qua Angelum quemdam Dei Filio ſimilem in medio ſeptem candelabrorum aureorum, conſtitutum & ad pectus zona aurea præcinctum vidit: *Præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.* Quænam eſt expreſſi hujus Cinguli cauſa? Nimirum hi quibus procul eundum eſt, ut in via perambulanda expeditiores exiſtant, vel ne ob veſtium longitudinem ceſpitent & cadant, præcingi ſolent. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Andreas Epiſcopus Cæſarienſis ſuper hunc textum: *Præcinctum ad mamillas zona aurea*, ita ſcribit: *Ut intelligatur obedientes in cunctis miniſterijs, ita expeditos eſſe, ut impediri nullatenus queant.* Cingulum autem hoc aureum eſt, & ſuper corde pendet, ad ſignificandum amorem & affectum infinitum quo nos diligunt, noſtrumque bonum & commodum ſolicitè procurant.

*Apoc. 1. v. 13.*
*Lucæ 12. 35.*
*And. Cæſ. ibid.*

*Corpora aſſumunt ut futurã monſtrent ſocietatem.*

10. Non habent quidem Angeli corpus quo graventur, quia puri ſunt ſpiritus: *Qui facis Angelos tuos Spiritus*, verumtamen illos nonnumquam corpus ſenſibile aſſumere, tum ex Sacræ Scripturæ teſtimonijs, tum viſionibus, apparitionibus aliiſque probatis Hiſtorijs ſatis conſtat. Equidem uti S. Thomas

*Pſ. 103. v. 4.*

S.Th.1.p.q. 51.art.2.

mas ait : *Non indigent corpore aſſumpto propter ſeipſos, ſed propter nos , ut familiariter cum hominibus converſando demonſtrent intelligibilem ſocietatem , quam homines expectant habendam cum eis in futura vita.*

Tantus amor ut cœlum relinquant.

11. Doctor Seraphicus inclinationem naturalem conſiderat , quam unuſquiſque habet demorandi in patria ſua , in qua ſuos eſt ſortitus natales , & ubi facultatum ſuarum ſubſtantiam poſſidet, indeque Angelorum erga bonum noſtrum procurandum & promovendum amorem deducit , dum ait : *Vide ergo quanta ſit Angelorum charitas, qui in Cœlo empyreo creati, tamquam in loco ſibi convenienti & apto divinæ contemplationi, pro divina obedientia & charitate ad proximum , habitant nobiſcum in terra, in loco obſcuriſſimo , ſi cœlo empyreo comparetur , licet divina contemplatione non careant, quia Deum ubique contemplantur.*

S.Bon.ſer.1. de An.

2.Cor.5.v. 14.& cap. 11.v.29.

12. Apoſtolus quondam dicebat : *Charitas Chriſti urget nos , Quis infirmatur, & ego non infirmor ?* Angeli quoque ab ardentiſſima , quâ erga nos flagrant, charitate exſtimulati, nobis inſervire noſque aſſociari , & tamquam fideles & obſequio ſi miniſtri in hac miſeriarum valle minimè dedignantur. Unde S.Thomas de Villa nova ait : *Propter nos inſerviunt nobis , miſerantur enim ſortem noſtram, videntes periculum noſtrum , & laborem vitæ noſtræ , quia conſpiciunt nos in magno diſcrimine poſitos , in medio ſcilicet inter gloriam & gehennam, quibus aut perpetuo regnandum eſt , aut ardendum, & tanto diſcrimine obnoxios , omni ſolicitudine curant in bonam partem deflectere.*

S.Th. Vill.l. cit. conc.2.

Homines in medio cœlũ inter & infernum.

Omnia docent bona.

13. B.Laurentius Juſtinianus varios enumerat effectus amoroſæ ſolicitudinis , quam nobis demonſtrant, dum varia nobis , eaque omnia maximi ponderis bona inſinuant. *Semper* , inquit , *ſuadent bona , ad orandum provocant , excitant ad compunctionem & fletum , Dei ſcientiam ingerunt , timorem filialem docent , pacificant mentem, cogitationes ordinant, ſpei infundunt dulcedinem, occulta pandunt, cuſtodiunt unitatem, legis inſtruunt ſervare mandata, obtemperare Deo, ſubeſſe majoribus , pacem diligere, humilitatem ſectari , & cuncta odiſſe , quæ norunt repugnare virtuti.*

B.L.Juſt.de vit.ſolit.c.16

Benefaciunt omnibus.

14. Verum enimvero ſi quis cupidus eſt intelligendi quanta ſit Angelici amoris & charitatis in conſolandis beneficiiſque afficiendis illibata puritas , is ad Hiſtoriam Agar in ſuperioribus diſcurſibus inſinuatam animum ſuum impenſius nonnihil intendat , & præcipue videat , qualiter ſe erga illam habuerint , eo tempore , quando à Sara Domina ſua è domo Abrahæ pulſa , velut peregrina, afflicta, famelica, & deſolata , una cum prædilecto viſcerum ſuorum fœtu Iſmaële, eoque agonizante , ſolitudinem pervagari & oberrare coacta fuit. Equidem paulo ſupra obſervavimus , Scripturam Sacram numquam de Angelorum in terram deſcenſu meminiſſe , præterquam in Hiſtoria Agar , quando nimirum ad afflictam hanc mulierem pauliſper erigendam & conſolandam advolarunt ; Adhæc quis ita hebes erit animo , qui in hujus afflictæ mulieris Angelica conſolatione beatiſſimorum amabiliſſimorumque illorum ſpirituum ſummam benignitatem & compaſſionem notare non poſſit ? Quod ſi propter Abrahamum Patriarcham primumque viventium Patrem , ſupremæ Majeſtatis Dei familiarem & prædilectum amicum conſolandum deſcendiſſent , nihil eſſet quod admirationem mereretur ; at vero quod è cœlo in vaſtam quamdam ſolitudinem deſcendant , propter mulierculam quamdam vilem , ſive propter ancillam quamdam malè contentam , fugitivam , & à Domina ſua ſancta, qualis Sara erat, ex zelo virtutis è domo ejectam & expulſam , hoc non ſolum admiratione ſed & ſtupore exceſſivo dignum eſt , valde namque mirum eſt quod Angeli unicuique hominum ſine ulla acceptione perſonarum etiam ingratis , benefacere non dedignentur , imo ad id faciendum percupidè accelerent , eo tantum fine , ut ſi quando à Deo aberrent , beneficijs illos ineſcando ad erroris ſui agnitionem,vitæque emendationem veramque reſipiſcentiam reducant.

Gen.21.v.17

Lamenta noſtra ſuaviora quam muſica.

15. De Philoſopho quodam legimus , quod cum cuidam matri , cujus filius frequenter probat aures ſuas à continuo filij ejus ploratu & inconditis lamentis penitus obſurduiſſe dixiſſet, ipſa eidem Philoſopho reſponderit , ejulatus hoſce maternis auribus ſuis velut ſuaviſſimam quamdam melodiam dulciter illabi , minimeque ingratam eſſe : Porro Agar filiolum ſuum in vaſtam quamdam ſolitudinem deportarat, eumque in loco ſatis à ſe diſſito, ne filij ſui continuos planctus & fletus audire cogeretur , collocaverat : *Abjecit puerum ſubter unam arborum , quæ ibi erant , & abijt , ſeditque è regione procul , quantum poteſt arcus jacere* ; Et tamen licet Agar , quæ mater erat, filium ſuum deſerat, non tamen illum eumdem deſerunt Angeli : *Vocavit ... Angelus Dei Agar de cœlo, dicens : Quid agis Agar ? noli timere , exaudivit enim Dominus vocem pueri , de loco in quo eſt* ; Cum enim proprium ſit horum ſpirituum munus , orationes noſtras coram tribunali Altiſſimi præſentare , ideoque ad fletum & ejulatum pueri hujus favorabile à Deo attulerunt reſcriptum ; Sed quæri hoc loco poteſt , quænam harmonia , aut quis concentus Angelis ſuavior & gratior exiſtat , cœlorumne concentus ? *Concentum cœli dormire quis faciet*,an vero planctus , fletus , & lamenta hominum mortalium ? utique gratiora Angelis ſunt tormenta, quam Harmonia quævis muſica ; per lamenta etenim noſtra à nobis in hanc lachrymarum vallem attracti deſcenderunt ut nos ſolentur, lachrymaſque ab oculis noſtris abſtergant.

Gen.21. v.15.16.

Idem v.17.

Angeli cum Chriſto deſcenderunt de cœlo.

16. Verum enimvero ſciendum hoc loco eſt , Angelorum erga nos amorem & animi propenſionem, poſt communis Creatoris & Salvatoris Dei in hunc mundum ſive in carnem adventu, magnopere adauctam excreviſſe. *Amen Amen dico vobis*, inquit Chriſtus, *videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes , & deſcendentes ſuper filium hominis.* Origenes Angelos ad Creatoris ſui imitationem certatim & indilatè pariter deſcendiſſe ait : *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis* , Unde tanto Angeli ad nos deſcendendi deſiderio tenebantur, ut ſuperna illa Jeruſalem quaſi ab Angelis evacuata fuiſſe videretur. *Quando viderunt Principem militiæ cœleſtis in terreſtribus locis commorari , tunc per apertam viam ingreſſi ſunt ſequentes Dominum ſuum , & parentes voluntati* ( mox eoſdem ſpiritus inter ſe diſcurrentes, ſeque ad deſcendendum in terram animantes idem Origenes introducit ) *Dicunt inter ſe , ſi ille deſcendit , & deſcendit in corpus , ſi mortali indutus eſt carne , & ſuſtinuit Crucem , & pro hominibus mortuus eſt , quid nos quieſcimus ? quid parcimus nobis ? Eia omnes deſcendamus de cœlo , ideo & multitudo militiæ cœleſtis erat laudantium & benedicentium Deum , quando natus eſt Chriſtus.*

Joa.1.v.51.

Luc.2.v.13.

Or.h.1. in Ezech.

Propter tria nos amant.

17. S. Auguſtinus in libro de diligendo Deo , de amore Divino tractans, ad miniſterium Angelicum, ad noſtrum commodum procurandum à Deo deputatum , conſiderandum deſcendit , variaque adducit motiva, quibus beati illi ſpiritus ad miniſtrandum nobis exſtimulantur : *De excelſo Cœlorum habitaculo , ad conſolandos , viſitandos , & adjuvandos nos , attrahit ſupereminens charitas Angelos , propter Deum , propter nos , & propter ſeipſos : Propter Deum utique , cujus tanta erga nos pietatis viſcera ipſi quoque , ut dignum eſt , imitantur : propter nos,in quibus nimirum propriam ſimilitudinem admirantur : propter ſeipſos , quorum ordines inſtaurandos ex nobis toto deſiderio præſtolantur.* Pariter in hunc ſenſum Sanctus Bernardus ſcribit : *Ipſi amant nos , quia nos Chriſtus amavit* , juxta illud Proverbium , *Qui amat me, & canem meum diligit : Nos ô beati Angeli Catelli ſumus Domini illius, quem tanto effectu diligitis : Catelli cupientes ſaturari de micis , quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum, qui eſtis vos.*

S.Aug.t.9. de dil.Deo c.3.

S.Ber.ſer.1. de S.Mich.

18. Revocandum eſt hoc loco in memoriam , quod quando Chriſtus ſanctificavit Aquas Jordanis , quæ undas repræſentabant baptiſmales , quibus in progreſſu ſæculorum innumerabiles animæ ad ſalutem æternam regenerandæ erant , non ſolum unicum Cœlum , ſed Cœli omnes , omneſque ſphæræ cœleſtes apertæ fuerint : *Aperti ſunt ei cœli.* Ubi Origenes ita ſcribit : *Non ſufficit unum cœlum aperiri , aperiuntur plurimi , ut deſcendant non ab uno , ſed ab omnibus cœlis Angeli ad eos , qui ſalvandi ſunt.* Quæ eadem veritas ex textu quodam Sancti Petri clarius apparebit : Dicit igitur Sanctus Petrus : *Vobis autem miniſtrabant ea , quæ nunc nuntiata ſunt vobis per eos , qui Evangelizaverunt vobis , Spiritu Sancto miſſo de cœlo , in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Ubi Beda dicit: *Conſtat profecto,quia tanta ejus,qui paſſus eſt pro nobis hominis Jeſu Chriſti poſterior gloria ſucceſſit, ut etiam Angelicæ in cœlo virtutes , cum ſint æterna felicitate perfectæ,non ſolum immortalem Deitatis magnificentiam,ſed & aſſumptæ ejus Humanitatis claritatẽ ſemper aſpicere gaudeant.* At vero quę eſt cauſa quod Angeli tanta cum aviditate oculos ſuos in Salvatoris Humanitatem defixos habeant,ut proinde Sanctus Petrus dicat : *In*

Matth.3. v.16.

Origen.

1.Pet.1.v.12

Bed.

Humanitatẽ aſpicere gaudent.



*In quem deſiderant Angeli proſpicere ?* Num igitur antequam verbum Patris incarnaretur perfecte beati non erant ? Ad propoſitum noſtrum dici poteſt , quod id amore noſtri faciant , quia dum Creatorem ſuum mortalitate noſtra indutum aſpiciunt, videntque quod ille *Habitu inventus ſit ut homo*,noſterque inſuper ſervus effectus ſit, *Formam ſervi accipiens*, hoc amoris Chriſti Exemplo , ipſi quoque erga nos majori charitate accenduntur , maxime dum vident , quod animarum beatarum numerum adaugendo , ſuas ruinas quoque reſtaurent majorque ipſis beatitudo & gloria accreſcat.

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Dignitas Angelorum oſtenditur , ſimulque probatur quod hac non obſtante, in varijs miniſterijs nobis ſervire non fuerint dedignati, varias in noſtrum obſequium ſpecies ſibi aſſumendo.

### THEMA.

*Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos , qui hæreditatem capient ſalutis ?* Ad Hebr.1. ✝.14.

Quanta Angelorum dignitas.

1. CErtum eſt utique , Naturam Angelicam adeo dignam & nobilem , atque ad Cœlum empyreum, quod altiſſimi Dei vera eſt regia , incolendum creatam , ſimul cum mundi creatione eſſe ſuum accepiſſe ; cauſa autem,cur ſacer Chroniſta in cunctis ad mundi creationem ſpectantibus recenſendis adeo accuratus & attentus, Angelorum nullam fecerit expreſſam mentionem , ſicuti de cunctis alijs creaturis fecerat , nam uſque ad c.16. Geneſeos Spiritus Angelici ne quidem verbulo aliquo nominantur , cum tamen eouſque elapſi fuerint anni pluſquam mille nongenti , non adeo eſt omnibus perſpicua ; ſcio equidem nonnullos dicere id factum eſſe ideo , quia Moyſes hanc mundi Geneſin præcipue pro populo Hebræorum deſcripſerit , qui utpote in Ægypto inter denſas illas ignorantiæ tenebras educatus,minime ad hoc diſpoſitus erat , ut craſſi & obtuſi intellectus ſui oculos, in ſpirituum illorum inviſibilium naturam & eſſentiam defigere poſſet. Lyranus autem ſcribit : *Si feciſſet mentionem de creaturis ſpiritualibus & inviſibilibus , coluiſſet eos populus , tamquam Deos.* Sanctus Athanaſius , vel quiſquis eſt libri illius author , in eadem eſt opinione dum ait : *Ejus rei gratia abſcondit in Geneſi hanc rationem de Angelis , ne & eos Deos faceret , qui vitulum & alia quædam Deificaverant.* Etenim natura Angelica adeo ſublimis eſt & pulchra, omniumque donorum , gratiarum , aliorumque theſaurorum cœleſtium abundantiſſime dives exiſtit, ut & Sanctus Joannes , qui Aquilinos , quibus præditus erat , oculos conſtantibus irretortiſque pupillis in Solem illum , qui tribus radijs in una luce coruſcat , defixos habebat , ſeſe aliqua ex parte ex elegantia & dignitate Angelica hebetari & perſtringi ſenſerit , adeo ut illam quoque adorationis cultu venerari tentaverit ; Cujus rationem optimam Sanctus Thomas à Villa nova hiſce verbis adducit : *Illum adoraſſet , Deum ſuſpicatus, quia nihil in orbe illa pulchritudine , quam videbat , majus aut ſpecioſius reperiri poſſe putabat.* Sanctus Auguſtinus immenſam cœleſtium horum epheborum gloriam à ſe pro dignitate adhibita licet admirabili , qua pollebat , eloquentia & doctrinæ ſublimitate explicari minimè poſſe exiſtimat , Dicit enim : *In ſupernis ſpiritibus non tantum admirabilis dignitas eſt , & dignatio amabilis invenitur , ſed tanta gloria eſt , quod lingua vel cor humanum nullatenus dicere valet , vel cogitare.* Unde varijs illos honorificis titulis & encomijs condecorat , ut vel ex illis in dignitatis & eminentiæ ipſorum aliqualem notitiam deveniri poſſit ; Dicit enim : *Domeſtici Dei ſunt , cœli cives , Principes Paradiſi , ſcientiæ magiſtri , Doctores ſapientiæ.*

Lyr. in 1. Gen.

S.Ath.q.4. ad Anti.

S.Th.lo.cit.

S.Aug.ſer.46 ad frat.

Dignantur eſſe noſtri ſervi.

2. Et tamen licet Angeli ſummi Paradiſi Magnates ſint , noſtri tamen Pædagogi , imo ſervi & miniſtri eſſe minimè dedignantur. Scribit Sanctus Auguſtinus , quod poſtquam Deus Sanctum Paulum Apoſtolum in reconditiſſima Divinorum ſecretorum penetralia dignatus eſt admittere, eique gratiam illam indulſit , ut ( licet tantum *per modum tranſeuntis* ) Beatitudinem & gloriam cœleſtem facialiter intueri poſſet , jamque eodem tempore Angelicam magnificentiam conſpiciendo admiraretur : *Tunc*, ait : *Tunc dixit , & exclamavit , quod omnes erant adminiſtratorij ſpiritus, miſſi in miniſterium noſtrum.*

3. *Gloria in altiſſimis* , inquit Vulgata ; Syriaca autem legit : *In excelſis. Gloria in altiſſimis* , id eſt , ab altiſſimis , id eſt , inquit Hugo Cardinalis, *ab Angelis* ; adeoque Angeli altiſſimi appellantur , & tamen, quod ſummè mirandum eſt, adeo ſeſe humiliant & demittunt in beneficium noſtrum , ut nobis miniſtrare & famulari minime dedignentur. Unde trita quidem , ſed numquam ſatis pro dignitate ruminata ſunt illa Sancti Bernardini verba dicentis : *Angelis ſuis Deus mandavit de te. Mira dignatio , & vere magna dilectio charitatis ; Quis enim ? quibus ? de quo ? quid mandavit. Quis enim mandavit ? cujus ſunt Angeli ? cujus mandatis obtemperant ? cujus obediunt voluntati ? Summa ergo Majeſtas mandavit Angelis illis utique ſublimibus, tam beatis, tam proxime ſibi cohærentibus , tam familiariter adhærentibus & vere domeſticis Dei.*

Luc.2.v.14.

Hug. Card. ibid.

S.Bern.c.12 ſuper Pſ. qui. habit.

Cœleſtis Rex hoc libenter videt.

4. Nullus quantumvis potens Rex inveniri poterit, qui licet innumeros in curia ſua aulicos & miniſtros habeat , pati velit, ut ſervi ſui , imo mancipia ſua alijs ſervitutem quamdam exhibeant, vel quod aliorum ſervi & mancipia fiant , & tamen Deus ille in cujus fœmore ſcriptum legitur : *Rex regum & Dominus Dominantium* : nobiliſſimis Angelis aulicis non ſolum non prohibet aut interdicit , ſed potius imperat & anxie præcipit ijſdem , ut nobis qui ſervi & mancipia ejus ſumus ; *Ego ſervus tuus , & filius ancillæ tuæ* , famulentur & ſerviant.

Apoc.19. v.16.

Pſ.115.v.16

Quare fratres vocentur.

5. Albertus Magnus notat , quod Angeli ante Chriſti adventum in carnem adorari ſe ab hominibus permiſerint , prouti ex cap.18. Geneſeos & ex Cap.6. Joſue clare deducitur , poſtquam vero natura humana verbo Divino hypoſtaticè unita fuit , ſe deinceps ſimilis cultus obſequio honorari nequaquam paſſi fuerint. Unde in Apocalypſeos Cap. ultimo Angelus ille S. Joanni , qui eum adorare volebat , expreſſe id prohibuit , dicens : *Vide ne feceris , conſervus enim tuus ſum & fratrum tuorum Prophetarum.* Idem quoque Albertus rationem reddit , cur fratres noſtri appellentur , dum ait : *Fratres per creationem , quia ab eodem Patre creati ; fratres per gratiam , non per naturam ; Item fratres , quia vocati ad eamdem hæreditatem.* Richardus de Sancto Victore dicit , Angelum adorationis cultum à Sancto Joanne noluiſſe recipere , quia Filius Dei incarnatus jam erat : *Ab homine adorari recuſavit , ex quo humanitatis noſtræ naturam ſupra ſe in Redemptore mundi glorificatam vidit.* Præter hanc vero aliam hujus rationem reddere poſſumus, illam nimirum , quam à principio hujus diſcurſus tetigimus , quia ſcilicet à Deo non ſolùm ad noſtram cuſtodiam , verum etiam ad ſervitium noſtrum fuêre deputati , ipſique impoſitum hoc illis ſervorum officium nobis libentiſſime atque promptiſſimè impendunt : *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus &c.*

Alb.M.in c. 1. Matth.

Apoc. ult. v.9.

l.7.p.2. in Ap.c.18.

Propter nos creati ſunt.

6. Cur Deus naturam Angelicam non creavit,priuſquam vaſtam hanc totius univerſi molem creando erigeret ? Id namque decuiſſe videtur , cum natura Angelica nullam cum humana natura connexionem habeat , cum certum ſit quod una independenter ab altera ſubſiſtere poterat ; Theodoretus ad hoc reſpondet dum ait : *Quo miniſterio fungebantur Angeli , qui creationem præcedebant ? cum nullus eſſet qui indigeret , adjuvaretur eorum opera , ſiquidem in miniſterium hominum omnia ſubeſſe dicuntur.* Dicendum igitur , quod Deus Angelos in noſtrum obſequium noſtrumque ſervitium præcipuè crearit ; Unde Pſalmiſta ait : *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te* , pro ſe namque illorum opera aut obſequio minimè indiget. Unde Sanctus Remigius ait : *Mandavit de te , ut tibi ſubminiſtrarent obſequium ſervitutis ; In manibus portabunt , id eſt , exhibitionem ſervitutis tibi impendent.* Et quidem ſi forte Divinæ Majeſtati in re quapiam miniſtrent , aut obſequium aliquod præſtent , id totum , ut Chryſoſtomus ait , in noſtrum commodum & obſequium faciunt ; *Hoc eſt munus Angelorum* , ait os aureum , *miniſtrare Deo ad noſtram ſalutem ; quamobrem hoc eſt Angeli opus , omnia facere : ad fratrum ſalutem , imo vero eſt opus ipſius Chriſti , nam ipſe quidem dat ſalutem ut Dominus, ipſi vero tamquam ſervi.* Sanctus Bernardinus eamdem veritatem hiſce verbis confirmat , *Miſſi in miniſterium propter nos , plane miniſtri noſtri , non Domini noſtri, & in hoc unigeniti formam imitantur , qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.*

Theodor.q.30. in Gen.

Pſ.90.v.11.

S.Rem.ibid.

S.Chryſoſt. h.3.ad Hebr.

S Ber.ſer.1. in Pſ 90.

Servitia didicerunt à Chriſto.

7. Ad inferiores ad aliquid movendum efficax valde eſt majorum exemplum. Sic enim ſi magnus Princeps aliquis, cum omnibus aulicis plateam aliquam pertranſiens, ibique miſerabilem quemdam hominem in terra languentem inveniens, eique compatiens ex equo deſcendat, & porrecta illi manu ſua, eumdem ſublevet, ſuiſque humeris impoſitum, ut ſanitati ſuæ priſtinæ reſtituatur, in Regium palatium ſuum deferat, videbitis, quod omnes illius ſervi exemplo Domini permoti, ſimiliter protinus deſcendant, ſeque eidem miniſterio quantumvis abjecto, quantocius certatim impendant, nimis enim elati & ſuperbi eſſent, ſi ſecus facerent. Lapſus eſt homo, & de throno Majeſtatis ſuæ Filius Dei ad illum ſublevandum deſcendit: *Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremant Poteſtates, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis.* Quid igitur mirum, ſi & Spiritus Angelici de cœlo deſcendentes noſtris quoque infirmitatibus compatiantur, & promptiſſime inſerviant? quid mirum, ſi nobis aſſiſtant? Servis humilioribus proprium eſt, in quovis miniſterio quaquaverſum per domum miniſtrare; Et ideo Chryſoſtomus optimè notat Angelos quoque eodem modo circa nos eſſe ſolicitos: *Propter nos laborant, circa nos curſitant, & ut dixerit quiſpiam, nobis ſerviunt, hoc eſt eorum miniſterium, propter nos in omnes partes mitti.* Et ideo quia Angelorum pulcherrimus Lucifer homini nequaquam ſervire, ſed ſedere voluit; *Sedebo,... Similis ero Altiſſimo*, ideo cum omnibus ſuis aſſeclis in abyſſum præcipitatus fuit; Unde Sanctus Bernardus ait: *Tu ſedere tentaſti, O impie, propterea tui moti ſunt pedes, & effuſi ſunt greſſus tui.* Et in ſermone quodam de S. Benedicto hæc ei verba graviter in faciem exprobrat dicens: *O impudens, O impudens, quid laboraſti ut jam ſedeas; Omnes adminiſtratorij ſunt ſpiritus, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis, & tu ſedebis?*

*Chr. h. cit.* — *Iſaia 14. v. 13. 14.* — *S. Bern. ſer. 3. de ver. Iſa.* — *Ser. 3. de S. Ben.*

Non dedignantur nos.

8. Enimvero quidquid nos per tot ſudores & labores in hac vita in via virtutis & progreſſus ſpiritualis operamur, id totum eo ſolum ſpectat, ut æternam beatitudinem aſſequamur; Jam vero de Angelis certum eſt, quod *ſemper vident faciem Patris qui in cælis eſt*, & tamen indefeſſi ſunt operarij, dum qualibet in re vigilant ut nobis miniſtrent, ſuaſque ut ita dicam manus ubique & in omnibus rebus in ſervitium noſtrum indefeſſe applicent, abſque eo quod ullam de nobis ipſis curam habeamus. Ac proinde *Benedicantur cæleſtes ſpiritus* (verba ſunt Damaſceni) *Qui tametſi eximia naturæ dignitate & perfectione longe nobis ſupereminеant, non tamen aſpernantur noſtri curam & cuſtodiam, ſed mira humilitate nobis condeſcendentes omnem exhibent ſolicitudinem, ut tandem cohæredes & conſortes ipſorum efficiamur in cælis.*

*Matth. 18. v. 10.* — *S. Jo. Dam. l. 2. fidei ort. c. 3.*

Aſſidue inſerviunt.

9. Quidnam obſecro diceres, ſi Angelos nobis tali cum reverentia & reſpectu inſervientes videres, quo ſervi humillimi nobis inſervire ſolent, imo vero cum eadem reverentia & reſpectu quo altiſſimo Deo inſerviunt? Ecce tibi in libro Tobiæ Raphaëlem Archangelum, qua in ſpecie ſe Tobiæ juniori conſpiciendum præbuerit, dum ſe eidem veluti veterinum ſeu veredarium quemdam in viæ comitem obtulit: *Invenit juvenem ſplendidum, ſtantem præcinctum & quaſi operatum ad ambulandum*; ad eumdem fere modum Iſaias Seraphinos ante adorandum & tremendum Dei thronum aſſiſtentes deſcribit, dum ait: *Seraphim ſtabant; Unus ex ſeptem qui aſtamus*, inquit idem Raphaël. In hoc Archangelo, ſeu potius in ea, quam Tobiæ præſtitit, ſervitute, clarè videmus, quam verum ſit, quod de Angelis ſcribit B. Laurentius Juſtinianus: *Aſſidua vigilantia comitantur nos in periculis, in laboribus, in infirmitatibus, in negotijs, in itineribus, ſemper exhortantes ad bonum, deteſtantes malum, protegentesque à malo, ſi tamen intenta cordis aure eorum ſacra monita audire velimus.*

*Tob. 5. v. 5.* — *Iſa. 6. v. 2.* — *Tobiæ 12. 15.* — *B. L. Juſt. de obed. c. 7.*

Exhibent ſe Juſtitiæ miniſtros.

10. Imo vero parum dixi, dum ſanctos Angelos eouſque nobis condeſcendere aſſerui, ut veterinos ſeu veredarios ſe nobis exhibent, ſiquidem etiam eouſque nos dignati fuere, ut publicos ſe nobis juſtitiæ punitivæ miniſtros exhiberent, prouti videre eſt in ſupplicio quod circa Ægyptios in favorem & beneficium populi Iſraëlitici fuere executi, ſiquidem omnium illorum flagellorum quantumvis vilium, qualia fuerunt, muſcarum, ranarum, locuſtarum immiſſiones non dedignati fuere eſſe inſtrumenta, ſicut & omne primogenitum jumentorum occiderunt.

*Exod. 11. v. 5*

Deſpiciunt neminem.

11. Obſervandus ſingulariter eſt modus quo incarnata ſapientia utitur, dum de cuſtodia & miniſterio Angelico loquitur: *Videte*, inquit, *ne contemnatis unum ex his puſillis; Dico enim vobis quia Angeli eorum in cælis, ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt*; Cur obſecro de Angelis tutelaribus parvulorum qui tum propter ætatem, tum propter ſimplicitatem nihili æſtimantur, loquitur, & non potius de Angelo cuſtode Abrahæ, Davidis, Joannis Baptiſtæ, S. Petri, vel aliorum ſanctitate & doctrina inſignium mentionem facit? Chryſoſtomus duplicem hujus adfert rationem; Primo enim ita Chriſtum loqui dicit propter innocentiam puerilem, quam ſummè diligit; Secundo quia parvuli ob teneram ipſorum ætatem parvi ſiunt; Horum igitur exemplum Chriſtus allegare voluit, ut per hoc innueret, quod Angeli nullum habeant reſpectum ad merita & dignitates illorum, quorum ſervitijs & obſequijs ſunt deputati, ſed potius ſimilitudinem & imaginem Dei in nobis reſpiciunt, & qui majori premuntur neceſſitate, minoremque habent rerum agendarum experientiam, ſecuriores ſunt de tutela, defenſione, obſequijs & indeſinenti aſſiſtentia Angelorum.

*Matth. 18. v. 10.* — *Chryſoſt. in cat.*

Beneficium hoc excedit laudes.

12. Sanctus Auguſtinus beneficium iſtud cuſtodiæ Angelorum, unà cum tot alijs, quibus nos Deus ſibi devinxit, optime hiſce verbis ponderat: *Beneficia tua magna ſunt hæc, quibus nos honorificaſti dans nobis Angelos tuos ſpiritus in miniſterium noſtrum; dederas enim quidquid cæli ambitu continetur, & quaſi parva reputas hæc quæ ſub cælo ſunt, niſi adderes etiam ea quæ ſunt ſuper cælos*; Et quidem quod hujus infiniti beneficij honorem attinet, cenſet Sanctus Auguſtinus nos nec cor, nec linguam, nec mentem habere quibus pro eodem condignas Deo laudes & gratias agere valeamus: Unde ait: *Laudent te Domine de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & ipſi ſancti tui benedicant tibi.*

*S. Auguſt. ſolil. c. 27.*

Ubique cuſtodiunt.

13. Servi aſſiduo ad Domini ſui ſervitium invigilare ſolent, & ſive Dominus vigilet, ſive dormiat, ſive ambulet, aut ad menſam ſedeat ad excipienda Domini ſui imperia promptiſſimi exiſtunt; Et ideo B. Laurentius de Angelis quoque ita ſcribit: *Ubique tamquam fidi comites nos tuentur, dormientes, ſtantes & ambulantes, quieſcentes, operantes.*

*B. L. Juſt. de caſto connub. c. 8.*

Dum naſcimur accipimus Tutelarem.

14. S. Thomas dubium proponit, An ſcilicet hi beati ſpiritus à primo nativitatis noſtræ inſtanti ad noſtrum ſervitium ſint deputati. Citatque Origenem, qui aliquos in ea opinione eſſe refert, quod Angeli nobis à tempore collati baptiſmi aſſignati fuerint; Alios autem exiſtimare deputatos nobis eſſe à die nativitatis; Eſtque hæc opinio à S. Hieronymo approbata; *Et rationabiliter*, inquit Doctor Angelicus, *Beneficia enim quæ dantur homini divinitus, ex eo quod eſt Chriſtianus, incipiunt à tempore Baptiſmi, ſicut perceptio Euchariſtiæ, & alia hujuſmodi, at ea quæ providentur homini à Deo in quantum habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur, ex quo naſcendo talem naturam accipit, & tale beneficium eſt cuſtodia Angelorum.* Ulterius idem ſanctus Doctor ait, quod quoadusque homo eſt in utero materno, pars eſt matris, ſicut fructus pars eſt arboris, ac proinde ſpectet ad Angelum tutelarem illius cuſtodire etiam fructum ventris ſui, donec ab ea ſeparetur.

*S. Th. p. 1. q. 113. art. 5.*

Varias aſſumunt ſpecies.

15. Demum vero in hoc miniſtro Angelico aliud quiddam valde conſiderare poſſumus, nimirum quod ſicut Apoſtolus ait: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*, ita quoque ut in commodum & utilitatem noſtram perfecte nobis ſerviant, ſeque quoad poſſibile eſt nobis adaptent, varias ſibi formas & ſpecies aſſumant, prouti ex varijs Sacræ Scripturæ teſtimonijs facile poteſt oſtendi. Porro Theodoretus notat, quod tametſi Angeli puri ſint ſpiritus, omnique corporea mole careant, ad noſtrum tamen ſervitium perfecte exequendum ea ſe ſpecie veſtiunt, quæ neceſſitatibus noſtris aptior eſſe noſcitur: *Cæleſtes ſpiritus omnis formæ expertes à Deo formantur, ut uſus hominum poſtulat*; Etenim permagni in miniſtro & ſervo aliquo æſtimatur, ſi is ſe omnibus adaptare, & ad meliora ſervitia Domino ſuo præſtanda in varias ſe ſpecies transformare noverit.

*1. Cor. 9. v. 22.* — *Theod. in c. 8. Zach.*

Loca ſcripturæ probant.

16. Sanctus Ambroſius egregiè conſiderat Angelos non ſolum ad hoc ſe adaptaſſe, ut aurigas ſe facerent, verum etiam ex ſemetipſis currum quemdam conſtruxiſſe, quo Elias portaretur in cœlum: *Curru igneo, id eſt, Angelorum ſubvectione, qui ſunt ſpiritus & flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, ad cælum aſſumptus eſt*, Mendico Lazaro ſervierunt tamquam portitores in Abrahæ ſinum ipſum deferentes; Abacuc capillaturam appræhendentes per aëra detulerunt ex Judæa in Babyloniam. Eliſeo in defenſionem in forma exercituum armatorum apparuerunt; Tobiæ in forma viatoris ſe ſtiterunt, tamquam iter aggreſſuro; Joſue in ſpecie fortis bellatoris, utpote cum hoſtibus præliaturo; Jacobo velut luctatorem Angelus ſe exhibuit; Magis viſus eſt in ſpecie ſtellæ, eo quod Aſtrologia delectarentur; Populo Iſraël viſus eſt Angelus per diem in columna nubis, ut eum à Solis ardore defenderet, per noctem vero in columna ignis, ut lumen illi in tenebris ambulanti ſubminiſtraret; Denique Pſalmiſta dicit: *In manibus portabunt te*, non quod manus aut alia membra corporalia vere habeant, ſed manus, pedes, oculos, aures, omneſque alios ſenſus humanos in commodum noſtrum apparenter tantum aſſumunt, quia ut Philo de illis ſcribit, ſunt *Tamquam magni Regis aures & oculi audientes videnteſque omnia*; Imo Hilarius exiſtimat Davidem ideo diu ante verba illa quæ ad Deum dicebat, ſcilicet: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*, de Angelis intellexiſſe; Dicit enim ſanctus hic Doctor: *aures meminimus eſſe ſpirituales virtutes quibus Angelorum eſt nomen*; Et paulo poſt ſubjungit: *Et ſi forte hos eſſe oculos, vel voces, vel manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus, habemus non improbabilem intelligentiæ authoritatem, maximè cum ita ſcriptum ſit, ſunt enim efficientes ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.*

*S. Amb. tr. in ſymb. Ap. circ. fin.* — *Pſ. 90. v. 12.* — *Phil. l. de ſom.* — *Pſ. 129. v. 2.* — *S. Hilar.*



*Sap. 16. v. 20*

Conformant ſe omnibus.

17. *Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum*, Manna non ſolum ideo panis Angelorum vocatur, quia ipſi illud miniſtrabant: Verum etiam, ut ego exiſtimo, ideo, quia ſicut Mannæ proprium erat quod cuilibet ſe palato, guſtui, ſapori, complexioni, quæcumque illa tandem erat, accommodabat, *ad quod quiſque volebat, convertebatur*, ita quoque hanc in ſe charitatem habent, quod conformes uniuſcujuſque neceſſitati ſpecies formaſque aſſumant.

*Sap. 16. v. 21*

Eliæ Angeli miniſtrarunt.

18. Proviſio illa annonæ quotidianæ, quam Elias per longum tempus miraculoſe accepit, miniſterio utique Angelico, ſi Abulenſi credimus, allata fuit; Etenim citatus hic author exiſtimat, Angelos carnes illas & panes è promptuario vel menſa Achabi inviſibiliter ſuſtuliſſe, & in ſpecie corvorum aſſumpta ad Eliam attuliſſe, *qui portabant ipſos cibos in figura corvorum*; Ecce tibi quouſque ſe Angelorum charitas extendat, eo nimirum, ut neque corvi ſpeciem aſſumere dedignentur; ſi columbæ ſpeciem aſſumpſiſſent, id non adeo mirum eſſet; ſicut quod Corvum induerint; hanc autem annonæ neceſſariam proviſionem auferebant, abſque eo quod vel ullus præſentium miniſtrorum Regis idipſum adverteret: Vel etiam dici poteſt quod bis in die ex ipſamet Regis menſa cibos illos ſuſtulerint, eoſque in tali loco collocarint, ubi corvi illos accipere & ad Prophetam adferre poterant.

*3. Reg. 17. v. 6.*

Beneficia narrantur.

19. Certum eſt, quod Angeli prout Raphaël Archangelus expreſsè conteſtatus fuit, non manducent, & tamen eos in domo Abrahæ, nec non & in Lothi ædibus menſæ aſſediſſe, & inſtar aliorum ſpecietenus manducaſſe invenimus, idque ob nullum alium finem, quam ut nobis motivum hoſpitalitatis exercendæ exhiberent. Merito igitur S. Thomas de Villa nova illos nobis in varijs formis, & habitu perſæpe mutato hiſce verbis deſcribit: *Exhibent enim ſe nobis patronos, magiſtros, pædagogos, paranymphos, bajulos, amicos, duces, & ſodales, & omni nos officio quo poſſunt, juvant, lætis applaudant, pſallentibus concinunt, pænitentibus aſſiſtunt, ſolantur mæſtos, relevant afflictos, ſublevant lapſos, reficiunt famelicos, erigunt puſillanimes, roborant præliantes, coronant vincentes.*

*Gen. 19. v. 12* — *S. Th. Vill. lo. cit. conc. 3.*

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

Angeli nos adjuvant, ut in proſperitate innocenter vivamus, noſque à multis periculis ſpiritualibus & corporalibus eripiunt.

### THEMA.

*Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo; Quoniam Angelis ſuis Deus mandavit de te.* Pſalm. 90. ℣. 10.

Viatori datur cuſtos.

1. Doctor Angelicus vitam humanam ſcyllam inter & Charybdin poſitam eſſe hiſce verbis aſſerit: *Homo in ſtatu vitæ iſtius conſtitutus, eſt quaſi in quadam via qua debet tendere ad patriam, in qua quidem via multa pericula homini imminent, tum ab interiori, tum ab exteriori, ſecundum illud Pſal. 141. [In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi;] Et ideo ſicut hominibus per viam non tuto ambulantibus, dantur cuſtodes, ita & cuilibet homini, quamdiu viator eſt, cuſtos Angelus deputatur.*



*S. Th. p. 1. q. 113. a. 4.* — *Pſ. 141. v. 4.*

Angeli oſtendunt fallaciã mundi.

2. Fabula potius, quam hiſtoria eſt, quæ de Syrenibus refertur, quod ſcilicet ſuavibus blandiſque cantibus ſuis, prætemavigantes ad auſcultandum alliciant, ac tandem obdormiſcentes inhumaniter dilanient: Verumtamen infallibilis veritas eſt quod in tranquillo mari vitæ alicujus felicis & proſperæ, innumeræ animæ mortem ſibi æternam conciliarent, niſi Angeli ijſdem oculos aperirent intellectus, ad cognoſcendam bonorum temporalium nos vehementer allicientium fraudem & fallaciam. Unde Sanctus Bernardinus Senenſis ait: *Mundo & Diabolo operante in animam ingrediuntur omnia peccata gaudij humani, & vanæ lætitiæ, ſcilicet commeſſationes, ebrietates, luxuriæ, fornicationes, adulteria, ſtupra, ſacrilegia, inceſtus, prohibiti ludi, choreæ &c. hæc omnia Angelus refrænat, illuminat mentem, ut cognoſcant quod gaudia mundi decipiunt, faſtidiunt, & deficiunt.* Porro per experientiam quotidianam videmus quod facilius homo in ſtatu proſperitatis labatur, quam inter adverſa; *Cadent à latere tuo mille*, id eſt, à ſiniſtra adverſitatum mille cadent; non vero idem à dextera proſperitatis ſperare licet, imo *Decem millia à dextris tuis*, quia magnæ maris tranquillitates tempeſtates proxime vicinas comminantur, magnæque naves magis in dulcibus fluminum aquis, quam in ſalſis maris undis periclitantur; Verum quidem eſt, quod multi quoque inveniantur, qui in felici & fortunato hoc ſtatu minime labuntur, ſed vitam rectam & timoratam agant, at vero quænam hujus ſit ratio, ab eodem Sancto Bernardino velim audiatis: *Sunt multi qui proſperantur & abundant in mundo, & tamen propter proſperitatem nequaquam à Deo recedunt, ſed rebus terrenis ad ejus gloriam Angelico miniſterio auxiliante moderatè utuntur.*

*S. B. Sen. t. 2. ſer. 8. a. 2. c. 1.* — In proſperis facilior caſus. — *Pſ. 90. v. 7.* — *Ibidem.* — *Idem art. 3. c. 1.*

*S. Auguſt.*

Adam in paradiſo victus Job in ſterquilinio victor.

3. Notat Sanctus Auguſtinus quod Job ab inimico infernali horrendum in modum laceſſitus & tribulatus, ab eodem tamen ſe vinci minimè paſſus fuerit, quin potius in cunctis Dæmonis inſultibus palmam glorioſè reportarit: non ſic protoparens noſter, hic enim tametſi impenetrabili innocentiæ & juſtitiæ originalis lorica munitus eſſet, aſtuto tamen ſerpenti in prædam turpiſſimè ceſſit. Vultiſne autem ſcire quænam inter utrumque fuerit differentia? Job vicit & triumphavit, quia ex ſterquilinio pugnavit; Adam vero turpiter devictus fuit, utpote inter Paradiſi delicias commoratus: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis.*

*Gen. 2. v. 8.*

4. Ob hanc cauſam, uti exiſtimo, poſtea Cherubinus quidam pro cuſtodia Paradiſi deſtinatus fuit, ut per hoc nobis innueretur (quia *Omnia in figura contingebant*) quod Angelorum ſubſidio conſilio, & opera, etiam inter medias hujus vitæ delicias, voluptates & gaudia, ſcopulos quos aſtutus hoſtis ſub hiſce abſconditos habet, facile declinare & evadere valeamus.

Victoria Job Angelis adſcribenda.

5. Totus quaſi infernus adverſus Jobum armatus dimicavit, qui etiam ut ipſum proſterneret cunctos ſuos conatus poſſibiles adhibuit; at vero quanam ſpe Satanas motus fuit, ut victoriam, quæ tamen caſſa & irrita fuit, ſibi certo conſequendam eſſe polliceretur? *Nonne tu vallaſti eum*, inquit ad Deum Dæmon *ac domum ejus, univerſamque ſubſtantiam per circuitum? operibus manuum ejus benedixiſti, & poſſeſſio ejus crevit in terra?* Facile ipſum caſurum eſſe ſperavit, eo quod pedes ejus quotidie ad tot alliderentur divitiarum, Dominiorum, aliarumque temporalium proſperitatum offendicula; Quia vero ictum hunc irritum & caſſum eſſe vidit (ſiquidem Job in omni ſobrietate & temperantia proſperitatis tempore vivebat, divitias in ſanctitatis ſuæ adhibens incrementa, ideo ſerpens aſtutus & callidus aliam viam tentavit; nimirum extremæ paupertatis, in quam ipſum redegit, dum cuncta quæ poſſidebat, eumdem ſpoliavit; Verum, & in hoc ſtatu eadem imperterriti viri virtus coruſcavit, dum is in hæc verba fortitudinis, fiduciæ & generoſitatis plena prorupit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Quod ſi quis forte à me petat, qua ratione magnanimus

*Job. 1. v. 10.* — *Job. 1. v. 21.*

nimus vir ille tam in adverſa, quam proſpera fortuna ſolidus & immobilis perſeverare potuerit; Huic ego reſpondeo, id ſola Angelorum opera ipſi aſſiſtente ab eo præſtitum fuiſſe, prouti Spiritus Sanctus Job cap. 2. expreſſe declaravit, nam quando ſpiritus illi nequam & rebelles conjurati ſimulque uniti, & de modo perditionis ejus inter ſe conſultarent, prius Angeli boni & ſancti, ut ſe illis eorumque conatibus perverſiſque conſilijs opponerent ad invicem ſe congregarunt;

*Job 2. v. 1.*

*Factū eſt autem cum quadam die veniſſent filij Dei & ſtarent coram Domino, veniſſet quoque Satan inter eos*; Neque anima quæcumque in qualicumque etiam fuerit periculo conſtituta ullam habet timendi cauſam, quamdiu beatos illos Paranymphos in ſuam habuerit cuſtodiam. *Non accedet ad te malum.*

*Pſal. 90. v. 10*

Lothi innocentia à cuſtodia Ang.

*Gen. 13. v. 10*

6. Loth quidem à Pentapolis amœnitate ſe ſeduci permiſit, *Elevatis itaque Loth oculis vidit omnem circa Regionem Jordanis, ... ſicut Paradiſus Domini*, Sed qua via ſe non ſolum inter delicias, verum etiam in medio populi carnalibus voluptatibus tantopere immerſi poſitum illæſum & incontaminatum conſervare potuit? Nimirum Angelos quos domus ſuæ hoſpitio exceperat, familiares & domeſticos habebat:

*Pſal. 90. v. 10 & 11.*

*Non accedet ad te malum, quoniam Angelis ſuis mandavit de te &c.* Nam ut Sanctus Bernardinus ait:

*S. Bern. t. 2. ſer. 8. a. 2. c. 1*

*Angelus clamat in anima mundi contemptum, luxuriæ, ſuperbiæ, avaritiæ deſpectum, & omnium concupiſcentiarum odium*, de quo Angelo Apocal. 14. dicitur;

*Apoc. 14. v. 8*

*Et alius Angelus ſecutus eſt dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ portavit omnes gentes.*

Cuſtodia neceſſaria.

7. Docet nos Angelicus Præceptor, quod libero noſtro arbitrio mediante malum aliqua ſaltem ex parte evitare quidem poſſimus, *ſed non ſufficienter*, redditque rationem cur non ſufficienter eidem obſiſtere valeamus:

*S. Th. p. 1. q. 113. art. 1.*

*Quia infirmatur circa affectum boni propter multiplices animæ paſſiones*, citatque textum illum Sapientiæ cap. 9. dicentis:

*Sap. 9. v. 14.*

*Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* Et ideo neceſſaria fuit homini Angeli cuſtodia.

Mala removent.

*Bernard. t. 3. ſer. 2. fer. 2. poſt Pent. c. 2.*

8. Sanctus Bernardinus quoque alios effectus tradit, quos ad omne ſpirituale malum à nobis avertendum Sancti Angeli in nobis operantur; nimirum. *Illuminat ad ſpiritualium intuitionem ex quibus intuitus excitatur ad cogitationes bonas; Secundo arcendo contrarias poteſtates, ne illuminationem impediant.* Concedit quidem quod Angeli menti noſtræ cogitationes & deſideria bona immediate non imprimant, aſſerit tamen, quod ad illa cooperentur: *Non faciunt cogitationes bonas in intellectu, ſed impedimenta removent ut cogitationes bonæ fiant in intellectu ab ipſo Deo*; Id quod ſequenti ſimilitudine illuſtrat, ſicut enim is qui in domo ſua feneſtram aperit, per quam lumen penetrare poſſit, lumen ei dare dicitur, licet hoc non ab illo, ſed à Sole communicetur, ita quoque Angelum bona deſideria & affectus animæ communicare dicit, quia removet illius obſtacula & impedimenta, quibus remotis anima ad divinas illuſtrationes recipiendas magis diſponitur: *Quadruplicem defectum removent, qui ſunt pronitas ad malum, difficultas ad bonum, longinquitas à Domino, tepiditas in animo.*

Semper cuſtodiunt.

9. Væ igitur nobis, niſi de tali nobis viæ duce Deus proſpexiſſet, quia in via hujus vitæ, in qua ad tot ſcopulos & offendicula offendere poſſumus, frequenter graviter ceſpitaremus. *Angelis ſuis Deus mandavit de te*, inquit Sanctus Bernardus,

*S. Ber. ſer. 11. in Pſ. 90.*

*ut cuſtodiant te in omnibus deſiderijs tuis, alioquin facile eſt tibi incurrere vias mortis.* Idem quoque S. Doctor in ſermone ſequenti ad pericula in quibus poſiti ſumus, alludens, paucis quidem verbis, ijs tamen myſterijs gravidis ita loquitur!

*ſerm. 12. ibid.*

*O triticum inter zizania! O granum inter paleas! O Lilium inter ſpinas!* Porro Angelicum hoc præſidium non eſt tranſitorium, aut pro unica tantum vice, aut pluribus nobis communicatum, ſed continuum & perſeveras uſque in finem:

*Pſ 90. v. 11.*

*Angelis ſuis mandavi de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*; cum enim nos quamdiu viatores ſumus, in continuis periculis vivimus, Deus quoque noſter nos ab Angelis defendi & protegi voluit. Unde ubi vulgata noſtra in Geneſi legit:

*Gen. 48. v. 16*

*Angelus qui eruit me de cunctis malis*, In Hebræo in tempore præſenti legitur: *Eruens me de omni malo*, idque ut per hoc continua ipſorum & imprætermiſſa præſentia & aſſiſtentia denoteṫur.

Vigiles vocantur.

10. Et hæc forte cauſa eſt, cur Sancti Angeli in ſacris Canticis vigiles appellentur: *Invenerunt me vigiles qui cuſtodiunt civitatem*; Ubi Richardus de S. Victore ait:

*Cant. 3. v. 3. Rich. p. 2. in Cant. c. 4.*

*Angeli videlicet ſancti, rectè vigiles dicuntur, quia vigilant, & ſoliciti ſunt circa electos, ut defendantur à tentatione, ut proficiant in bono, & ut ſalventur.* Et quidem ſi vigiles nocturni in civitate aliqua cui variæ intentari communiter ſolent inſidiæ, aſſiduo non vigilarent, apparenteſque inimici inſidias non detegerent, utique civitas illa hoſtibus infallibiliter in prædam cederet.

Flagellis ſtimulant ad Dei amorē.

*Cant. 5. v. 7.*

11. Advertendum eſt autem, quod ſponſa, per quam anima à Deo electa denotatur, lamentetur dicens: *Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum*; Quod ſi enim ſponſa ſymbolum eſt animæ à Deo ſingulariter dilectæ, qua ratione tot ei ærumnæ accidunt? Ubi eſt cuſtodia Angelica quæ ipſam defendit? imo potius ipſimet Angeli eſſe videntur illi qui adeo indignis modis eam tractant. Reſpondeo igitur; Modus quidem ille tractandi, quo ſponſa excepta fuit oculis noſtris diſplicere videtur, non tamen diſplicens aut adverſus eſſe videtur in conſpectu Dei, imo nec in oculis ipſarummet animarum, quæ adeo indigne tractantur. Siquidem quo magis anima aliqua à Deo diligitur, nec non quo ardentius Deum diligit, tanto magis pro ipſo pati deſiderat: *Pœna interroget, ſi quis veraciter amet*; ideòque bonis terrenis ſpoliari tormenta aut injurias pro dilecto pati, vitam denique ipſam aut ſanguinem pro Chriſto fundere, optimæ ſunt deliciæ, quæ ardenter Deum amans anima poſſet optare.

Exemplum.

12. S. Franciſca Romana quæ in forma ſibi viſibili aſſiſtentem quemdam Archangelum ſemper habebat, ab eodem die quodam inſignem quamdam alapam, ſed ad ejus emendationem vultui ipſius impactam accepit, eo quod præter ſolitum, tempus in vanis complementis ſeu Cæremoniis inaniter terebat. Sanctus Ambroſius dicit:

*S. Amb. l. 3. de virg.*

*Qui ſic Chriſtum requirit, ad Angelum pervenit; Sed ſi bonis ad Angelos meritis pervenitur, cur qui pervenerit, vulneratur? Eſt vulnus boni amoris, ſunt vulnera charitatis, ideòque dixit, vulnerata charitate ego ſum.* Angeli quoque adverſitates, tribulationes, mortificationes, auſteritates, omniaque alia mala, quæ ſenſualitas fugere ſolet, in bona eaque ſpiritualia & immarceſſibilia convertunt. Unde Sanctus Auguſtinus de illis ſcribit:

*S. Aug. ſerm. 46. ad fr.*

*Iſti ſunt per quos ſuſtentamur, per quos in mari & in terra juvamur, per quos mente & corpore illuminamur, per quos in tribulationibus & anguſtijs conſolamur, per quos ab infirmitatibus frequenter liberamur.* Legatur caput 5. Tobiæ, ibi namque inveniemus qualia fuerint lamenta & inconſolabiles fletus matris Tobiæ junioris, quando is ad exigendum debitum à Patre ſuo in Rages dimittebatur:

Beneficia Ang.

*Tob. 5. v. 23. 24. 25.*

Audito nomine Angeli mater conſolata.

*Cœpit mater ejus flere & dicere: Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & tranſmiſiſti à nobis; ſufficiebat nobis paupertas noſtra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium noſtrum*, quam tamen ſanctus & prudens Senecio protinus conſolatus eſt, oſtendendo filio ſuo nihil adverſi aut ſiniſtri timendum eſſe:

*Ibid. v. 26.*

*Noli flere, ſalvus perveniet filius noſter, & ſalvus revertur ad nos, & oculi tui videbunt illum.* Quanam experientia ſenex ille idipſum didicerat? quanam in re indubitata hæc certitudo fundabatur, qua nihil illi ſiniſtrum eventurum eſſe affirmabat, nimirum ſuper firma, quam habebat fiducia, qua certo Angelum in ejus ſocietate illi adfuturum eſſe credebat; ideo namque mox ſubjunxit:

*Ibid. v. 27.*

*Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene diſponat omnia quæ circa eum geruntur*; Unde mater ſubito & indilate lachrymas ab oculis deterſit:

*Ibid. v. 28.*

*Ad hanc vocem ceſſavit mater ejus flere, & tacuit.*

*Pſ. 118. v. 176.*

13. David in Pſalmo ait: *Erravi ſicut ovis quæ perijt*; Eodem quoque modo anima futura eſſet ſicut ovis errabunda in ore lupi conſtituta, niſi Deus illi de Angelo Cuſtode & defenſore proſpexiſſet; nam ut Sanctus Baſilius ait:

Sunt Paſtores

*lib. 3. cont. Ennod. cir. princ.*

*Singulis fidelium adeſt Angelus, ut Pædagogus quidam & paſtor ad vitam dirigendam.* B. Laurentius Juſtinianus varia bona obſervat, quæ illis conferre ſolent, quos cuſtodiunt; Dicit enim:

*B. L. Juſt. ſer. de Euch.*

*Hinc eſt quod eos in hujus peregrinationis naufragio ne periclitentur, protegunt, præbent conſilia ſalubria, deprecantium orationes perferunt, coram Deo offerunt vota, ſupplicationes impetrant, reportant gratiam, torporem excitant, de ignotis erudiunt, inſtruunt ad certamen, ſpirituales arcent nequitias atque indeficientem imbecillitati humanæ cuſtodiam exhibent.* Quoties



Quoties accidit, quod dum nos viam aliquam ingredi volumus, interius inſtinctum quemdam de eadem mutanda in nobis ſentiamus, ac tandem manibus palpemus, quod infallibiliter hoc vel illud corporis vel animæ periculum incurſuri fuiſſemus, ſi aliam viam continuaſſemus?

*Pſal. 33. v. 7.*

*Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum*; Ubi per ly *pauper*, non ſolum is intelligitur, qui in bonis fortunæ egenus eſt, verum etiam qui egeſtatem patitur auxilij ſpiritualis talis enim ab omnibus anguſtijs tandem eripietur, & quare?

*Ibid. v. 8.*

*Imminet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Boni adverſarij.

*Matth. 5. v. 25.*

*S. Bonav.*

14. Chriſtus apud Sanctum Matthæum ait: *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adverſarius judici & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris.* Ubi Sanctus Bonaventura ait: *Felix talis adverſarius qui in malis adverſatur.* Hujuſmodi adverſarius Angelus noſter eſt, qui nonnumquam vias quas ingreſſuri eſſemus, impedimentis adimplet, noſtraque conſilia aliò divertit, impeditque ne appetitus noſtros inordinatos ſequi poſſimus. Quod ſi igitur huic adverſario noſtro non conſentiamus, ſed potius adverſus illum inſurgentes, ei nos opponamus, in judicio, quod de anima noſtra inſtituendum eſt, primus aderit, ut nos accuſet, noſque condemnet. Niſi vinea aliqua, vel ager, vel fructum ferax hortus bene cultus, ſepe firma & ſolida cinctus eſſet, quot ille damnis ſæpe eſſet afficiendus? illius namque arbores, flores, fructus, meſſis &c. Latronum, ferarum, aliorumque prædonum rapacitati paterent.

*Matth. 21. v. 33.*

*Sepem circumdedit ei.* Porro per ſepis ſymbolum cuſtodia Angelica exprimitur. Unde Sanctus Paſchaſius ait:

*S. Paſch. l. 10. in Matth.*

*Sepe circumdedit vineam, id eſt, Angelorum cuſtodia.* Et B. Laurentius Juſtinianus inquit:

*B. L. Juſt. de ſpir. an. res l. 2.*

*Cuſtodia ſua vias noſtras ſepiunt, ne in lapidem offenſionis, & petram ſcandali ſpiritualem animæ impingamus pedem.*

Invocandi ſunt.

15. Sanctus Antonius aërem laqueis undique plenum eſſe conſpexit; Et bene, quia *Tentatio eſt vita hominis ſuper terram*; Et ideo væ nobis, niſi ab hiſce cuſtodibus cincti defenderemur. Unde Sanctus Bernardus ſalutare hoc nobis ſuggerit conſilium.

*S. Bern. ſerm. 12. in Pſ. 90.*

*Quoties ergo graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca cuſtodem tuum, doctorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus.* Nihil nobis proinde timendum eſt, dum illi ad defendendum nos ſoliciti accurrunt; Nam ut Richardus de S. Victore ait:

*p. 2. in Cant. cap. 4.*

*Quis æſtimet quanta charitate & cura circa commiſſos ſibi invigilent? quomodo torpentes excitent, & ſolicitos atque ferventes amplius accendant.*

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Super illa verba Pſalmi 90. Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis; In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum variæ conſiderationes inſtituuntur.

### THEMA.

*Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Pſalm. 90. ℣. 11.

Manuductores ſunt.

*1. Cor. 13. v. 11.*

1. S. Paulus Apoſtolus ſemetipſum in hac via præſentis vitæ ad Patriam viatorem eſſe cenſet, ſed parvulum: *Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus.* Alias quoque eiſdem Corinthijs velut parvulis ſe veluti nutricem exhibuit, dum in eadem Epiſtola ad illos ita ſcribit:

*1. Cor. 3. v. 1 & 2.*

*Tamquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Imo vero omnes quamdiu in hac mortali vita degimus, parvuli ſumus; Quis autem eſt, qui neſciat, quod in hac tenera & quaſi puerili ætate conſtituti non ſolum ducibus & manuductoribus opus habeamus, verum etiam indigeamus præceptoribus & Magiſtris:

*Pſ. 36. v. 23. & 24.*

*Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet; cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Hæ autem Dei manus Angeli ſunt ad noſtram cuſtodiam deputati, qui nobis dati ſunt veluti manuductores & magiſtri. Porro Abulenſis de hac cuſtodia tractans, hanc Angelorum quoad nos tutelam, in eo fundari dicit:

*Abul. in c. 18. Matth. q. 56.*

Pædagogi.

*quia quamdiu homines vivunt, ſunt in ſtatu imperfectionis, quem ſtatum Apoſtolus comparat pueritiæ*, citatque citatum Epiſtolæ ad Corinthios textum, *Sed pueris; his autem quamdiu manent in pueritia aſſignantur Pædagogi*; Cui conſonat quod S. Baſilius ſcribit, nimirum:

*S. Baſ. de ſpir. S. c. 13.*

*Angelos hominibus datos ſeu pædagogos quoſdam, ac morum gubernatores.*

Duces.

2. Jacob Patriarchæ Deus olim cœlum apertum oſtendit, & ſcalam quamdam, cujus una extremitas terram, altera vero cœlum contingebat; neque hoc tantum, verum inſuper Angelos per eam aſcendentes & deſcendentes ei oſtendit; Quæro autem Numquid ut Jacob ad gloriam aſcenderet, ſcala ſufficiebat, abſque eo quod Angelos per eam aſcendentes & deſcendentes conſpiceret? Nequaquam, neque enim nos ad Beatitudinem vocatos eſſe, & Cœlum apertum videre ſufficit, niſi etiam, quoad uſque viatores ſumus cœleſtium ſpirituum directionem præſto habeamus, ſintque ipſi duces noſtri, qui ſurſum nobis eundi viam oſtendant. Unde Chryſoſtomus ait:

*Chryſ. ſer. de nat.*

*Aſpice mirandum proceſſum, Angelos ad nos deduxit prius; ac deinde deduxit hominem ad ſuperna.* Cardinalis Bellarminus verba illa:

*Pſal. 90. v. 11*

*Card. Bell. in Pſ. 90. v. 11.*

*Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te &c.* gloſſa ſua illuſtrans ait: *Eorum cuſtodia tutiſſima eſt, quoniam potentiſſimi, ſapientiſſimi, & optimi ſunt*; Ex quo admonemur quanti faciat Deus genus humanum, cui tam magnos Principes attribuit quaſi pædagogos.

Pediſſequi.

3. *Ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Enimvero quænam juxta ſacrorum Expoſitorum mentem, viæ & ſemitæ hæ ſint exactius nonnihil examinemus. Mox citatus Bellarminus ait: *Quia multæ ſunt viæ hominis, & in omnibus auxilio Angeli cuſtodis eget, quoniam labi poſſumus in omni lege, in omni operatione, in omni ætate, & ſtatu vitæ noſtræ.* Sanctus Bernardus de cœleſti hoc viæ duce ad noſtram cuſtodiam deputato ita ſcribit:

*S. Bern. ſer. 31. in Cant.*

*Ipſe eſt, qui in omni loco ſedulus quidem pediſſequus animæ non ceſſat ſolicitare eam.* Ubi notanda eſt dictio illa, *pediſſequus*, hæc enim talis ſervitij eſt expreſſiva, quod à viliſſimis ſervis, qui pedites nobiſcum ambulant, recipimus:

*Ibid. cap. 5.*

*Fidelis Paranymphus*, inquit paulo poſt: *qui mutui amoris conſcius, ſed non invidus, non ſuam quærit, ſed Domini gratiam, diſcurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, & referens dona.* In quibus verbis ad propoſitum noſtrum notandum eſt ly, *diſcurrit*, B. Laurentius de diſciplina & perfectione monaſticæ converſationis; Angelos in beneficium noſtrum in continuo motu conſtitutos eſſe conſiderat: Unde fidelibus qui ipſorum tutelæ participes exiſtunt, ita ſcribit: *Si orant, eorum preces offerunt Deo, nec vacui revertuntur ad nos; ſi pugnant, æque ipſi cum eis pugnant; ſi quieſcunt, ipſi excubias agunt, ne quid mali ab adverſarijs patiantur; ſi ignorant, docent eos: ſi cadunt, erigunt; ſi puſillanimes efficiuntur, ſanctis exhortationibus roborant, & accendunt; & qua parte humana curvatur iniquitas, ea parte ſe opponunt caſuris.*

Comites.

*S. Bon. ſer. 4. de Ang.*

4. Doctor Seraphicus verba illa: *In omnibus vijs tuis* exponens, quænam ſint viæ noſtræ, in alio quodam ſenſu exponit: Dicit enim: *Quæ enim ſunt viæ meæ, niſi in peccato culpæ originalis concipi in doloribus naſci, in gemitibus converſari, & neceſſariò mori.* In omnibus autem hiſce vijs ab Angelorum tutela & protectione aſſociamur, qui de ſalute noſtra adeo ſunt ſoliciti, ut ne à via recta deviare valeamus, omnes greſſus noſtros accurate conſiderent.

Beneficia enumerantur.

*S. Aug. 46. ad fr.*

5. Sanctus Auguſtinus hæc Angelis epitheta & encomia attribuit, nimirum quod ſint Illuminatores animarum, cuſtodes earum, corporum zelatores, & defenſores bonorum; Et paulo poſt varia, quæ nobis conferunt bona enumerans, pergit dicendo: „Dignitates noſtras tam ſpirituales, quam temporales omni diligentia cuſtodientes: ipſi ſunt contra fomitem imperantes: ipſi ſunt pro nobis contra Dæmonem victoriam, obtinentes: Ipſi ſunt per quos, ad fletum contritionis, pœnitentiæ & orationis inducimur: ipſi ſunt per quos noſtra facta vel cogitata, ad cœlum hilariter portantur.

Effectus.

*Abul. ib. 63.*

6. Abulenſis quoque ad varios hujus patrocinij & miniſterij Angelici effectus ſeſe reflectit, dum ait: „Primus effectus eſt, ad bonum inducere: ſecundus, retrahere à malis; tertius tollere impedimenta profectus ſpiritualis: quartus liberare ab exterioribus, periculis, nam quiſcumque poteſt incidere in mille, pericula, niſi liberetur.„

Indefeſſi miniſtri.

*Serm. de S. Mich.*

7. B. Laurentius Juſtinianus multiplicitatem beneficiorum quæ ab Angelis nobis communicantur conſiderans, eoſdem indefeſſos & indefatigabiles appellat, dum ait: „Nos inſtruunt in dubijs, ſuſtentant in ad-

adverſis, in proſperis humiliant,orationes perferunt, ,, reportant gratiam cumulant merita, & erga nos in-,, fatigabiliter miniſteria ſua exercent.

Ad labores invitant.
D. Cart. in Pſal. 90.

8. Dionyſius Carthuſianus verba illa: *In omnibus vijs* ita explicat, id eſt, *in operibus noſtris, in bonis enim actibus nos cuſtodiunt, ne ceſſemus à bono, ſed ſemper perſeveremus in finem.* Sanctus Bonaventura ut probet nos ab Angelis extimulari ad virtuosè operandum, viſionem adducit Sancti Antonij Magni, qui dum aliquando per diem otioſus exiſteret, unum ex cœleſtibus hiſce ſpiritibus coram ſe conſtitutum vidit, qui palmarum folia è terra levans vas aliquod in ejus præſentia texere cœpit, eoque abſoluto, per aliquod temporis ſpatium in genua provolutus orationem inſtituit, ac demum ad laborem redijt, quod cum iteratus vicibus ab eo factum fuiſſet, ſancto Abbati dixit: *Sic fac & ſalvaberis. In malis quoque actibus nos cuſtodiunt,* inquit idem Carthuſianus, *ne ſtatim à Dæmone rapiamur, & ne in vitijs perſiſtamus.*

Pſal. 90. 12.
Illorum erga nos Cura.
Alb. M. in Pſ 90.

9. *In manibus portabunt te.* At vero, inquies, ex quo Angeli puri ſunt & incorporei ſpiritus ſunt, qua ratione manibus præditi eſſe dicuntur? Albertus Magnus reſpondet: *Non quia Angelus habeat manus, hoc dicitur, ſed ejus virtus & potentia manus appellatur:* Agellius vero, Pſalmiſtam hoc loquendi modo ſummam Dei curam exprimere voluiſſe dicit, qua nos ab Angelis protegi atque defendi deſiderat: *Maximam Angelorum curam his verbis indicavit, non enim, in humeris portabunt, dixit, quaſi rem quæ oneri tantummodo eſſet; & quaſi non aſpiceret, ſed in manibus, in quibus quod geritur, non niſi cum honore portatur;* Sic enim dum, quantum aliquis ab alio æſtimatur, exprimere volumus, dicere ſolemus, *in vola manus eum portat;* dum enim res aliqua in manu portatur, *in eo quod portatur, geſtantis oculi defixi ſunt.* In lingua Hebraica idipſum vivacius exprimitur; ſiquidem Hebraicus textus ita legit: *In palmis portabunt te, tamquam rem pretioſam, & à qua cuſtodienda oculos numquam avertant.* Richardus Pampolitanus ait: *In manibus portabunt te, id eſt, ſemper inſtigabunt ad contemptum terrenorum, & ad amorem cæleſtium.* Incognitus ita explicat: *In manibus, id eſt, auxilijs ſuis tollent eum, ut pertranſeat offendicula:* Adducitque locum quemdam Sancti Bernardi, qui idipſum ſimilitudinibus aliquibus apte explicat: Quam facile tranſit foveam, qui portatur manibus? quam mundè lutum tranſit, qui manibus,, ſuſtinetur, quam facile natat aquam, cujus alter ſuſti-,, net mentum Hugo Cardinalis de hiſce manibus in,, alio quodam ſenſu ſcribit, dum ait: Sed quid ſunt,, manus in Angelo? opera officij; id quod colligit ex,, Ezechielis cap. 10. ubi dicitur: Extendit Cherub ma-,, num ſuam de medio Cherubim. Bernardus ſic dicit: ,, Manus duæ ſunt demonſtrationes, ſcilicet tribulatio-,, nis brevitas, & retributionis æternitas. Cardinalis Bel-,, larminus ait. Manus Angelorum ſunt intellectus &,, voluntas, ſive ſapientia & potentia, nam intelligendo,, & volendo omnia faciunt. S. Bruno dicit: Manus,, pro auxilio ponitur, eo quod manuum ſublevatione,, labentibus auxiliamur: Porro quamdiu viatores ſu-,, mus, frequenter in præſentis vitæ via ceſpitamus &,, impingimus, atque ideo ſublevantis nos adjutorio,, indigemus. Dionyſius ly portabunt ita gloſſat, id eſt, ,, dirigent, gradiuntur nobiſcum, portantes nos ſecum, ,, cooperando nobis in omni opere bono. Doctor,, Seraphicus dicit, quod ad hoc ut ad cœleſtem patriam,, perveniamus, plura nobis neceſſaria ſint, quæ An-,, gelis mediantibus conſequimur: In via ſunt nobis,, quatuor neceſſaria, ſi volumus pervenire ad patriam; ,, Nam primo indigemus gratia illuſtrante, propter,, potentiam cognitivam; ſecundo gratia inflammante, propter potentiam affectivam: Tertio fortitudi-,, ne roborante propter potentiam operativam. Quar-,, to victoria conſummante, ut perveniamus ad patriā; ,, Videte ergo beneficia Angelorum, Nam primo ab,, eis inſtruimur in accipienda ſcientia; ſecundo eorum,, precibus adjuvamur, in impetranda gratia; Tertio,, per eos roboramur in facienda juſtitia; Quarto per,, eos defendimur in accipienda victoria.,,

Agell. ibid.
Rich. Pam. ibid.
Incognitus.
Hug. Card.
Card. Bell.
S. Bruno.
D. Carth.
S. Bon. ſer. 1. de Ang.

Pſal. 90. 12.
Cuſtodiunt à peccatis.

10. *Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quibus in verbis obſervandum Davidem Angelorum miniſterium non ſolum ideo promittere ne in præcipitia corruamus, per quæ graviores exceſſus communiter deſignantur, verum etiam ne ad parvum aliquem offendamus lapillum, id eſt, ne quantum fert humana fragilitas, in imperfectiones etiam ſeu peccata leviora incidamus. S. Thomas ita exponit: *Eſt ergo,* inquit, *ſic exponendum, ait enim: Scriptura de quolibet bono homine, quia Angelis ſuis, id eſt, adminiſtratorijs ſpiritibus, præcepit de ipſo, quod in manibus ſuis, id eſt, in auxilijs ſuis tollent eum, & cuſtodiente te ne offendas pedem, id eſt, affectum mentis ad lapidem, id eſt, ad veterem legem ſcriptam in lapideis tabulis; vel per lapidem poteſt intelligi omnis peccati occaſio & ruina.*

In cat.

Tutores ſunt.

11. Porro ijs, qui adhuc in juvenili ſunt ætate conſtituti, Duces & Magiſtri aſſignantur, ut eoſdem à prava ſocietate & ab omnibus peccandi periculis & occaſionibus cuſtodiant; Angeli, ſi S. Baſilio credimus, eum ſortiti ſunt titulum, ut tutores noſtri nominentur: *Angelis tamquam providis tutoribus humani generis curam demandavit Deus ad cuſtodiam & ſalutem hominum.* Iidem, ut à principio hujus Diſcurſus diximus pædagogi noſtri appellantur. B. Laur. Juſt. ad ſolicitudinem qua Angeli ſalutem noſtram cuſtodiunt, hiſce ſe verbis reflectit. *Aſcendunt, & deſcendunt, hortantur & docent, erigunt & protegunt, præcedunt & cuſtodiunt, revelant & admonent nos charitate fervida, æmulatione ſancta, intentione pia, exercitatione indefeſſa, dilectione jucunda, atque communicatione ſincera.*

S. Baſil. l. 3. com. Eunod.
Pædagogi.
de vit. ſolit. cap. 16.

Mali occaſionem removent.
Act. 12. v. 8.

12. Quando Petrus ab Angelo è carcere Herodiano liberatus fuit, præcepit ei Angelus: *Calcea te caligas tuas;* at vero dicet aliquis, ad hoc ut Petrus è carcere expeditius egrederetur, quid opus erat, ut calceando ſe tempus inutiliter perderet? Nimirum ille magni conſilij Angelus, in hoc præcepto, quod Petro, peccatoris ſtatum ſignificanti, dedit, denotare voluit, quod ad ipſos ſpecialiſſime ſpectet, omnes à nobis occaſiones, & priſtinorum peccatorum vel minima offendicula removere; Nolebat enim ut Petrus aliquam haberet in carcerem redeundi occaſionem, quia peccatori ad illa loca nequaquam eſt redeundum, ubi veram filiorum Dei libertatem amiſit.

Infortunia mittunt ut anima ſalvetur.
Juda. 9.

13. S. Judas Apoſtolus Sanctum Michaëlem Archangelum introducit Satanæ molimini fortiter ſe opponentem; Satan namque corpus Moyſi mortuum manifeſtare voluit, ut cultus ei exhiberetur divinus: at vero Archangelus populi illius à Deo ſibi commiſſi ſalutem ardenter zelans, offendiculum iſtud è medio tollere & ſublatum eſſe voluit; Eſtque hic communior horum verborum ſenſus: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore.* Quoties in ipſa facti contingentia videmus & experimur quod Angeli nobis in hac via vel illa, quia noxia nobis eſt, offendicula ponant, ne in ea progredi valeamus, imo etiam nonnumquam cum ingenti corporis, honoris, vel fortunæ damno cadere nos faciant, licet tandem animam, cujus illos major ſolicitudo tenet, in ſtatum ſecurum reponant? *Perverſa eſt via tua,* dicebat Angelus ille ad Balaam, qui ut populo malediceret in procinctu erat, *Mihique contraria.*

Num. 22. v. 32.
Ibid.
Explicatur in Pſ. 90.

14. Cardin. Bellarm. aliam quamdam expoſitionem adducit, dum ait: *Lapides in via ſunt omnia impedimenta, quæ occurrunt in hac vita, ſive temporalia, ſive ſpiritualia, ſcandala, tentationes, perſecutiones; pedes quibus ad lapidem offendere ſolemus, ſunt affectus humani.* Demum verò quando ad lapides hoſce offendamus, & quale auxilium illud ſit, quod ab Angelis, ne ad lapidem offendentes nos lædamus, recipimus, pluribus declarat dicens: *Tunc offendimus pedem ad lapidem, cum oblata occaſione temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali evadendi, labimur in peccatum, unde bonum æternum amittimus, & ſempiternum ſupplicium incurrimus, ſed qui habitant in adjutorio Altiſſimi, ab Angelo Cuſtode ita juvantur, ut vel occaſio illa tollatur, id eſt, lapis ille de via removeatur, vel animus ita illuſtretur ad vera bona & vera mala internoſcenda, ut pede, id eſt, affectu elevato à terra, occaſio temporalis boni, quod ſine peccato acquiri non poteſt, facile contemnatur, & malum temporale quod ſine peccato vitari non poteſt, patientiſſime toleretur.*

Per lapidem intelligitur culpa.
Alb. Magn.
1. Cor. 13. v. 12.

15. Albertus Magnus per hunc lapidem culpam intelligit, quia ſicut projectus in viam lapis nos cadere facit, ſi illum non videamus, prout in tenebris quam maximè fieri ſolet; ita quoque in caligine præſentis vitæ, ubi *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate,* culpa nos in æternæ perditionis barathrum facit corruere; ac proinde Angeli tunc in id præcipue connituntur, ut vel cor noſtrum ad Dei offenſam minimè propendeat, vel ſaltem in illam nullum præſtet conſenſum: *Ne offendas ad lapidem, ne inclines ad culpam; Eſt notandum hic, quod Angeli adjuvant, & cuſtodiunt nos, & exiſtentes in peccatis, & exiſtentes in gratia, & operibus bonis. In peccatis cuſtodiunt Primo Dæmones arcendo,* prouti videre eſt Tobiæ 10. in Raphaële Archangelo, qui Dæmonem ligavit. *Secundo hoſtes viſibiles*



*biles coercendo,* ſic enim Geneſ. 32. legimus, integros Angelorum exercitus bono ordine in auxilium comparuiſſe Jacobi, adverſus furorem Eſau fratris ejus. *Tertio dormientes in peccatis excitando. Quartò admonendo ut reſipiſcant à peccatis. Quintò tentationem mitigando. Sextò ſi læſi fuerimus curam adhibendo.*

D. Carth.
Chriſtus
1. Cor. 10. v. 4.

16. Dionyſius Carthuſianus per hunc lapidem Chriſtum Salvatorem noſtrum intelligit, quo S. Paulus apertè dicit: *Petra autem erat Chriſtus,* ne offendas ad lapidem, id eſt, ne Chriſtum qui eſt lapis angularis, peccando offendas.

Obſtinatio.
Richard. Pamp.

17. Richardus Pampolitanus in lapide qui durus eſt, obſtinationem conſiderat & duritiam peccatoris, ac proinde quod nos obſtinati in culpa non perſeveremus, ſed potius emendemur, & per veram pœnitentiam reſipiſcamus, id totum cuſtodiæ, zelo, & ſolicitudini cuſtodientium nos Angelorum attribuit: *Ne offendas ad lapidem pedem tuum, id eſt, ne peccatis induratus obſtinationum affectus incurras.*

Dæmon.
S. Bern. ſerm. 13. in Pſ. 90.
Ser. 12. ibid.

18. Sanctus Bernardus per hunc lapidem inimicum infernalem intelligendum eſſe exiſtimat: *Quis lapis? qui in lapidibus olim conſueverat adorari, qui lapides obtulit Domino dicens: Dic ut lapides iſti panes fiant; porro pes tuus affectio tua, pes animæ quam in manibus Angeli portant, ne offendat ad lapidem pedem ſuum.* Et in ſermone præcedente, ſuper illa verba: *In manibus portabunt te,* ita ſcribit: *Parum tibi videtur quod non ſit lapis offenſionis in via? conſidera quæ ſequuntur: ſuper aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, quam neceſſarius pædagogus, imo etiam bajulus, præſertim parvulo inter hæc gradienti, In manibus portabunt te;* non te patientur tentari ſupra quam ſuſtinere potes, ſed in manibus tollent, ut pertranſeas offendiculum, quam facile tranſis, qui illis portatur manibus?

## DISCURSUS VIII.

### ARGUMENTUM.

De defenſione & prælijs ſanctorum Angelorum adverſus inimici Infernalis tentationes, inſultus atque inſidias.

### THEMA.

*Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Pſal. 90. ℣. 13.

Cuſtodes neceſſarij.
S. Hilar. in Pſal. 126.

1. S. Hilarius dicit hominis debilitatem viribus & potentiæ infernali numquam potuiſſe reſiſtere, niſi de Angelorum præſidio Deus nobis providiſſet: *Neque enim infirmitas noſtra niſi datis ad cuſtodiam Angelis tot tantiſque ſpiritualium cæleſtium nequitijs obſiſteret, opus ad id fuit naturæ potioris auxilio.*

Diaboli inſidiæ.
Incogn. in Pſal. 90.

2. Porro incognitus Carmelitanus ſuper aſſumpti thematis verba ſcribens, per aſpidem & baſiliſcum contrariarum poteſtatum inſultus intelligit. *Sunt nequitiæ ſpirituales, quæ ex diverſis officijs, vel potius maleficijs diverſa vocabula ſortiuntur, alius aſpis, alius baſiliſcus, alius leo, alius draco, quod ſcilicet variè noceant, alius morſu, alius viſu, alius rugitu vel ictu, alius flatu.* Per aſpidem autem obſtinatum intelligit, quia aſpidis proprietas eſt, quod dum incantatur, unā auriculam cauda ſua obturet, aliam verò terræ firmiter affigat; *Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium; cauda hæc finis eſt vitæ, quem conſiderare recuſat,* inquit de obſtinato, & in malis peccatorum habitibus indurato; *Terra alteram claudit aurem, terrenis intentus.* Per Baſiliſcum invidiam intelligendam eſſe dicit; per draconem vero iracundiam; per leonem carnalem concupiſcentiam. Dæmon quidem ab exordio mundi ſerpentis ſpeciem induit, at vero quia diverſæ ſunt ſpecies ſerpentum, ideo inquit Bellarminus ad exprimendos varios Dęmonis effectus, aſpidem, baſiliſcum, & draconem illum variatis nominibus appellavit. *Quoniam cum aſtutia, quæ omnibus ſerpentibus communis eſt, habet aſpis conjunctam obſtinationem, baſiliſcus crudelitatem, & Draco potentiam,* leonis quoque nomine ipſum appellat, ob ejus ferocitatem, de quo S. Thomas de Villa nova ita ſcribit: *Peſſimi Dæmones noſtram cupiunt perditionem, uſque adeo ut videre ſanguinem humanum effuſum in bellis, eorum luxuria ſit, & non niſi humano ſanguine invocati à magis, reſpondeant ad quæſita, tanta eſt eis humani ſanguinis ſitis; Angeli autem econverſo has truculentas beſtias à nobis abigunt, atque pro nobis decertant adverſus eos, ac veluti parvulos ſua protectione tuentur.*

C. Bellarm.
S. Th. de Vill. ſer. 2.

Hominū arma Angeli.

3. Neſcio an aliquando ad illam quam Deus circa animalia principaliora habet providentiam reflexeritis; Etenim ad eorumdem defenſionem Deus aliqua ungulis armavit, alia unguibus, ſpinis pungentibus alia, alia cornibus, veneno denique alia, at vero hominem qui truculentos & irreconciliabiles inimicos continuo lateribus ſuis habet admotos, quibus armis donavit? *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te;* ac proinde ei hoc præſidio circumvallato promittit: *ſuper aſpidem &c.* Certum enim eſt, quod lethifero huic veneno ſuum quoque providerit antidotum. *Plenus eſt mundus ſanctarum virtutum* (verba ſunt Ambroſij) *quia plenus eſt nequitiarum, plenus eſt orbis terrarum remedijs, quia plenus eſt laqueis.*

Pſal. 90. 11.
S. Ambr. in Pſ. 118. oct. 1.

Hominibus duo Angeli.
S. Ath. de div. 99. q. 3.
Gen. 3. v. 1.

4. S. Athanaſius docet unumquemque hominem Angelum habere malum pariter & bonum. *Duo ſunt genij ſingulorum hominum unus æquitatis alter iniquitatis,* hic nequaquam dormit, ſed omni aſtutia & poſſibili conatu animam noſtram perdere ſatagit. *Serpens erat callidior,* Valla, munitioneſque ſuas ad partem hominis debiliorem, minorique præſidio obarmatam collocat & plantat, atque ideo væ nobis, niſi Angeli in defenſionem noſtram ſolicitè invigilarent.

Veneni antidotum Angeli.
S. Bern. Sen. t. 2 ſer. 8. a. 2. cap. 2.

5. S. Bernardinus bene exponit, quænam ſint illa zizania, quæ inimicus homo in agro animæ noſtræ ſeminavit; Dicit enim: *Diabolo inſtigante in animam ingrediuntur iræ, rixæ, homicidia, odia, contumeliæ, blaſphemiæ, detractiones, murmurationes, contentiones, maledictiones, invidentiæ fraternæ,* quodnam vero antidotum Deus contra hæc omnia homini providit? *Hæc reprimit Angelus.* Unde B. Laurentius Juſtinianus de hac infallibili providentia ita ſcribit: *Angelorum impenduntur miniſteria, ut Satanæ ſeducti aſtutia, ſive carnis illecti blanditijs aberrent, & à veritatis ſemita greſſus reflectent mentis.*

B. L. Juſt. ſer. de Euch.

Dæmones fugant.

6. Angeli ab Iſaia *Angeli pacis* cognominantur, & merito, quia ſupernæ Hieroſolymæ, quæ viſio pacis appellatur cives & domeſtici exiſtunt, & tamen Spiritus ſanctus non ſolùm in veteri, ſed etiam in novo teſtamento eos ad inſtar armatarum cohortium & exercituum bellatorum ut plurimum deſcribit: *Quid videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum?* Ubi Alcuinus ait: *Angelicos ſpiritus recte militiam dicimus, quia decertare eos contra aereas poteſtates non ignoramus. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea.* Quæ verba Sanctus Hieronymus de exercitibus Angelicis exponit, qui in defenſionem noſtram deſcendunt, idque per illum Habacuc textum probat: *Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſalvatio;* quia ſicut currus Pharaonis, qui populum Dei in via ad terram promiſſionis impediebant, ſubverſi fuerunt; ita quoque Angeli inimicos infernales, qui ſe nobis ad veram promiſſionis terram, id eſt, cœlum contendentibus opponunt, diſperdunt & diſſipant.

Cant. 7. v. 1.
Alc. l. de div. offic.
Cant. 1. v. 8.
S. Hier. in c. 66. Iſai.
Hab. 3. v. 8.

Pro nobis militant.
Luc. 2. v. 13.

7. Salvatore noſtro in terris vix etiamnum nato, ut S. Lucas ſcribit: *Subito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis.* Cur obſecro hæc Angelorum turbæ velut armati quidam militares exercitus ſeſe eo tempore exhibent, quo totus mundus in altiſſima & univerſali pace poſitus erat: *Toto orbe terrarum compoſito,* & in quo toti humano generi pacem annuntiare debebant, *Et in terra pax hominibus?* Syriacus textus legit: *Repente apparuerunt cum Angelo multi exercitus cæleſtes.* Caſſianus ait: *Idcirco militia cæleſtis dicitur, quia infatigabiliter pro hominibus terrenis militant, ut poſſint eſſe cæleſtes, ſimulque concives.* Beda quoque dicit, quod ſicut ad fidelem belli ducem pertinet, civitates forti militum munire præſidio, ut reſiſtere inimico & in pace ſe conſervare poſſint: *Ita Deus, quoniam immundi ſpiritus ad pacis everſionem ubique verſantur, ad tutelam noſtram conſtituit exercitus Angelorum quorum præſentia Dæmonum confringatur audacia.*

Caſſ. l. 1. c. 8.
Beda. ibid.

Dæmonem ligant.
Ap. 20. v. 1. 2.
Ibid. v. 3.

8. Nota eſt omnibus illa à S. Joanne in novo Teſtamento habita viſio, quam hiſce verbis refert: *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, Et miſit eum in abyſſum, & clauſit.* Niſi triceps ille Cerberus à ſanctis Angelis ligatus eſſet, quod animæ deinceps ab eo devoratæ fuiſſent? Hiſtoriam Tobiæ legendo invenietis, quod Sara filia Raguelis non unum tantum, ſed ſeptem coram ſe maritos in ipſa nuptiarum nocte à Dæmone quodam cui nomen Aſmodeus erat, ſtrangulari viderit, mox vero ut Sanctus Raphael Archangelus in domo ejus comparuit, omnis ab ea malignitas infernalis abſceſſit, Dæmoniſque vires elanguerunt; Idem ille Angelus Tobiæ juniori myſticum illud inteſtinorum

Tob.6.v.8.

rum monſtri illius marini antidotum ſuggeſſit,dicens: *Cordis ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum, ſive à viro, ſive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos*; Quod cum à Tobia juniore executioni mandatum fuiſſet: *Tunc Raphaël Angelus appræhendit Dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Piſcis ille, qui Tobiam devorare minabatur, ni fallor, Leviathan præfigurabat, cui tamen per Angeli auxilium & aſſiſtentiam mors infertur, id eſt, vires ejus enervantur & annihilantur,ipſeque cum omnibus ſectatoribus ſuis in abyſſum ignemque infernalem relegatur.

Tob.8. v.3.

Tentationes permittunt in bonum noſtrum.

9. Porro ex eo quod circa Balaam factum fuiſſe legitur, poteſtatem quam Angeli beati in Dæmones obtinent, facile arguere poſſumus; Etenim Angelus falſo huic Prophetæ permiſit,ut ſe in viam ad populum Iſraël adeundum reciperet, cui juxta petitionem factam,maledicturus erat, verumtamen cum certis limitibus, & non quantum facere volebat: Dicit enim ſacer textus: *Ait Angelus, vade cum iſtis, & cave ne aliud, quam præcepero tibi loquaris*; ad eum quoque modum de Angelis ſanctis dicere poſſumus, quod permittant quidem nonnumquam, vel diſſimulent, quod ſpiritus maligni nos tentent,& nobiſcum confligant & pugnent, verumtamen contra nos illos prævalere non permittit, ſed facit tandem ut ex illo Dæmonum conflictu lucrum noſtrum majus majorque profectus ſpiritualis exurgat, quia *Non permittunt nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciunt cum tentatione proventum.*

Num.22. v.35.

Juxta 1.Cor. c.10. v.13

Refugiũ noſtrum Ang. Cant.2.v.13 Ibid.v.14.

10. Sponſa in ſacris Canticis ad cavernas invitatur: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ,& in caverna maceriæ.* At vero numquid ipſa erat,quæ dixerat ſponſo: *Oſtende mihi faciem tuam?* cur igitur nunc ab ea poſtulat,ut in cavernæ latibulo ſeſe abſcondat? Caſſiodorus ait: *In caverna maceriæ moratur,qui præſidio Angelorum utique circumdatur, & à tentationibus Diaboli cuſtoditur.* Columbarum proprietas eſt,quod ut accipitris aliarumque rapacium volucrum ungues & roſtra evadat,in foraminibus ſe murorum abſcondat. B.Petrus Damianus lib.7.Epiſt.19. ad illud Iſaiæ 5. *Maceria circumdedit*, alludens, dicit: *Quid ergo per maceriam lapidum, niſi præſidium & excubias intelligimus Angelorum? quibus videlicet anima in certamine poſita dum vallatur atque circumdatur, & à tentationibus Diaboli cuſtoditur.*

Caſſ.ibid.

Propugnatores. Cant.1.v.5. Orig.ho.2. in Cant.expoſ.2

11. In eiſdem Canticis ſponſam hiſce verbis lamentantem audimus: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*; quamvis ex mente Origenis non ſit lamentatio, ita enim ipſe legit: *Pugnaverunt in me; referamus hæc*, inquit,*ad unamquamque animam, quæ converſa ad Deum patitur pugnas Dæmonum revocare eam nitentium ad priores vitæ illecebras, ſed ne hoc fiat proſpexit divina providentia, ut parvulis quibuſque qui dimicare non poſſunt, daret Angelos, pædagogos, propugnatores,de quibus dicitur: Angeli matris meæ pugnaverunt in me.*

Hiſtoria ſacra. 1.

12. Adverſus Jobum totus infernus conjuraſſe videbatur,qui eumdem ex duplici vallo ex omni virium ſuarum conatu fortiſſime impugnabat, nimirum ex vallo adverſitatis, & ex vallo proſperitatis, & tamen ipſe imperterritus eodem vultu tam bonam quam malam fortunam excipiebat: Dicit autem ſacer textus: *Factum eſt autem, cum quadam die veniſſent filij Dei & ſtarent coram Domino.* Porro hoſce filios Dei Angelos fuiſſe certum eſt, non enim ſolum aderat Angelus ille, qui velut Princeps & Provinciarum ei ſubditarum deputatus erat, ſed etiam particularis ipſius cuſtos Angelus, qui in ſocietate ſua multos alios angelos ſecum conduxerat, ut Satanæ machinis & aſtutijs opponerent, idque non ſine ingenti Jobi emolumento,hi enim à Divina ſignatura gratiæ illud adeo ipſi favorabile reſcriptum pro eo obtinuerunt: *Verumtamen animam illius ſerva.*

Job 2. v.1.

Ibid.v.6.

2.

13. Eliſeus valido ſe Aſſyriorum exercitu in interitum ſuum miſſo circumdatum eſſe videns, nec quidquam inde turbatus fuit, prouti alias pavido & puſillanimi ſervo ejus accidebat, cujus rationem Sanctus Ambroſius reddit, dum verba illa Pſalmiſtæ: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, gloſſa ſua exponens, ita dicit: *Eliſeo aſſiſtebant Angeli, quos videbat, & ideo agmina hoſtium non timebat, ſed timebat puer ejus, qui Angelos non videbat; aperuit oculos ejus ad vocem Prophetæ gratia Dei,vidit Angelorum exercitus, & credidit eſſe præſentes, quos antea, quia non videbat, putabat abſentes; & tu lege Prophetam,ut videas,lege ut aperiat oculos tuos,nec te hoſtilis legio perterreat,qui munitus es ſpiritualibus turmis.*

Pſ.118. v.1. S.Ambr.in Pſ.118. oct.1. Juxta 4.Reg. 6. v.17.

Pſal.33.v.8.

14. Promiſſio eſt æternæ veritatis, qua dicitur: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Ubi notandum eſt ly illud: *In circuitu.* Porro Sanctus Baſilius prædicta verba exponens, optime oſtendit, qualiter à beatiſſimis illis ſpiritibus, ad noſtram defenſionem ex omni parte cingamur, Dicit enim: *Univerſo exercitui & caſtris numeroſæ hominum multitudinis unus aſſimilatur Angelus: propter Angeli virtutem velut circumvallat te undique ſecuritate, quæ eſt per illum, hoc namque in circuitu ſignificat, ſicut enim muri civitatis circumducti omni ex parte abarcent, propulſantque hoſtiles inſultus, ſic & Angelus te præmunit à fronte, & à tergo cuſtodit, nihil utrimque incuſtoditum relinquit*; ideo Pſalmiſta dicit. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Et ratio eſt,quia *Angelis ſuis Deus mandavit de te,ut cuſtodiant te*; Enimvero Angeli non ſolum circumquaque nos vigilanter & indefeſſè, ſed etiam continuò circumdant, quia ſi nos vel unico dumtaxat momento temporis deſererent, inimicus utique adverſum nos prævaleret; *Qui juxta me erant de longè ſteterunt*, & protinus addit: *Et vim faciebant, qui quærebant animam meam*; Ubi Sanctus Ambroſius ait: *Quia Angelis protectionis excubias relaxantibus inſidiantur inimici, quærentes in anima ejus invenire quod noceat.*

Semper cuſtodiunt.

S.Baſil.

Pſal.90.v.7.

Pſ.37. v.12. & 13.

S.Ambr.

15. De impijs dicitur: *In circuitu impij ambulant*, id quod Sanctus Ambroſius conſiderans ait: *Melius eſt viam rectam tenere,in qua facinoroſi ambulare non poſſunt; cito cadunt qui non in directione ambulant.* Hæc in circuitu facta ambulatio, ad Dæmonem propriè pertinet de quo dicitur: *Circuit quærens, quem devoret: circuivi terram*; Vide ergo quouſque efficax & benigna Angelorum noſtrorum aſſiſtentia ſeſe extendat,neque enim hanc quoque viam ingredi dedignantur, eo tamen ſolum fine ut Dæmonum inſultibus & conatibus ſe opponere poſſint. Unde Sanctus Ambroſius ait: *Propter hos igitur, qui in circuitu ambulare conſueverunt, Angelum Dominus oppoſuit, qui à tergo inſidiantes repellat inimicos.*

Pſ.11. v.9. S.Ambr. in Pſal.43.

Etiam in via impietatis. 1.Pet.5.v 8. Job 1.v.7.

S.Ambr.

16. Neſcio an aliquando cogitationibus veſtris ad hoc reflexeritis, quod videlicet ex vita Redemptoris noſtri non conſtet, nec uſpiam legatur quod intra triginta annos vitæ ſuæ, communis humani generis juratus hoſtis eum tentatione aut certamine aliquo aggredi nequaquam auſus fuerit; Cur obſecro Dæmon hoc cum Salvatore noſtro tandem ſub quadraginta dierum & noctium jejunio initum prælium tanto tempore diſtulit? Dici quidem poſſet, rabiem ejus tunc vel maximè adverſus Chriſtum fuiſſe exaſperatam, quando ſuper eum cœlos apertos vidit, ipſumque juxta Jordanem Filium Dei voce cœlitus delapſa proclamari audivit; ſiquidem Eſca ejus electa; *Et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Verumtamen ſi quis vitam Chriſti bene conſideret, videbit utique in tot annis alias non defuiſſe ad hanc contra Chriſtum obtinendam victoriam anhelandi occaſiones: at vero credibile eſt, quod Chriſtum Angelicis cohortibus ſemper cinctum videns, illum aggredi formidaverit; at vero quia credibile eſt, quod tunc quando in deſertum jejunaturus ingreſſus fuit, ut aliquam Diabolo contra ipſum pugnandi occaſionem præberet. Angelos procul à ſe dimiſerit, prouti ex verbis Evangeliſtæ quibus hanc Chriſti pugnam concludit, facilè deducitur: *Et ecce Angeli acceſſerunt,& miniſtrabant ei.* Ubi Author operis imperfecti ait: *Non dixit: Et deſcendentes Angeli Dei miniſtrabant ei, ut oſtendat, quia ſemper ad miniſterium ejus Angeli erant, ſed tunc præcipiente Domino receſſerunt ab eo, ut locus Diabolo daretur adverſus Chriſtum, ne forte Angelos videns circa eum,non appropinquaret.* Sic inviſibiliter fit omni homini Chriſtiano, duo enim ſunt Angeli permanentes cum hominibus, ſcilicet bonus & malus, quamdiu circa nos eſt Angelus bonus, numquam nos in tentationem poteſt impellere Angelus malus.

Quamdiu adſunt,homines tentari non poſſunt.

Job 40.v.18

Matt.4.v.11

Auth.Imp. ho.6.

15. Divinum illum Atlantem, qui tribus digitis mundum ſuſtentat, in horto Gethſemani in terra proſtratum jacere conſpicimus: *Procidit in faciem ſuam*; illum inquam, qui Paradiſum lætificat, mœſtum videmus: *Triſtis eſt anima mea*; provenitque hæc mœſtitia ex ea ſolum cauſa, quia nimirum pro dilecto grege ſuo valde timebat; Dixerat enim. *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum*; Cæterum vero ad mortem ingenti cum deſiderio properabat,unde dicebat traditori: *Quod facis fac citius.* Porro Salvator noſter Apoſtolos vigilare juſſerat: *Vigilate*

Ubi Cuſtodes nil timendum. Matth. 26. v.38. & 39.

Luc.22.v.31

Joa.13.v.27



Matth. 26. v.41. Marc. 14. v.41.

*& orate, ut non intretis in tentationem*, & tamen paulo poſt, prout in S. Marco legitur, dormientes ipſos inveniens, dixit illis: *Dormite jam & requieſcite*; Ubi quærendum meritò venit, cur prima & ſecunda vice præceperit; ut vigilarent,tertia autem vice ipſos ſine turbatione dormire permiſerit? Reſponſio in promptu eſt, & colligitur ex Luc. *Apparuit illi Angelus de cælo*; ex quo enim Angelus curam eorum in ſe ſuſceperat,non erat cur timerent; Unde Sanctus Hilarius ait: *Poſt multam Domini precem Angelum adſtitiſſè confortantem eum, quo aſſiſtente orare prolixius cœperit; miſſo enim ad tuitionem Apoſtolorum Angelo,& per eum confortato Domino, ne pro his triſtis eſſet, jam ſine triſtitiæ metu exiſtens ait: Dormite jam & requieſcite.* S.Bruno illa ab initio propoſita verba, nimirum: *ſuper aſpidem* &c. ita exponit,id eſt, *calcabis & ſuperabis Diabolum,qui latenter mordet ſuggeſtionibus*; Idem argutè obſervat,quod Pſalmiſta paulo poſt dicat: *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum*; eademque verba gloſſando, ita ſcribit: *Dico quod Dominus mandavit Angelis, dicens ipſis Angelis. Diligenter eum cuſtodite, quoniam in me ſperavit, id eſt, omnem ſpem ſuæ ſalvationis in me poſuit, ideoque liberabo eum ab omni inſtantia inimicorum & interiorum & exteriorum ne ipſi prævaleant.* Sanctus Ambroſius diu ante in eumdem modum ſcripſit: *Angelus in circuitu eſt hominis; qui prætendit, ne quis noceat ei.*

Luc. 22. v. 43.

S Hil. l.10. de Trin.

S. Brun. in Pſ.90. 13.

Ibid. v. 14.

S.Ambr. in Pſ. 38.

Hiſtoria. t.1.p.2. an. 1552.n.71.

17. In Chronicis Patrum Capucinorum factum quoddam valde mirabile recenſetur. Etenim F. Matthæus de Baſcio unus ex primis fundatoribus illius Religionis ſanctitate, miraculis, & prædicatione quovis in loco famoſiſſimus venetijs in domo cujuſdam Advocati à quo ad prandium vocatus fuerat, Dæmonem ſub ſpecie ſimiæ, dicto advocato gratiſſimæ, in domo ejus latentem detexit, qui in domo illa eo fine morabatur, ut in caſu quo prędictus Dominus certam quamdam devotionem, qua ſe, priuſquam veſperi lecto ſe committeret, Beatiſſimæ virgini commendare ſolebat, aliquando intermiſſurus eſſet, eum ſtrangularet, ejuſque animam ad Infernum deduceret; Cumque infernali huic & perſonatæ ſimiæ præcepiſſet, ut in ſignum quod vere à domo dicta recedat, murum domus ab una parte ad aliam perforaret, idipſum ſubito fecit, & per dictum à ſe factum foramen continuo exivit, aperto poſt ſe foramine relicto, Advocatus autem licet ex viſo ingenti hoc à ſervo Dei patrato prodigio, & Dæmonis manifeſtatione ad vitam ſe meliorem recepiſſet, attamen quamdiu foramen illud apertum erat, Dæmonem fortaſſe per idem foramen in domum ſuam reverſurum eſſe timuit; Unde illud obturare multoties quidem tentavit, numquam tamen illud quacumque etiam per artifices adhibita diligentia claudere & obſtruere potuit, donec tandem ſanctus ille Dei ſervus eidem Advocato perſuaſiſſet, ut ſuper lapide illo, quocum foramen illud occludere ſtatuiſſet, Angelum quemdam exſculpi faceret, aſſecurando illum, Dæmones conſpectum Angeli illius ſculpti ad vere & realiter à domo illa recedendum cogendos fore; obedivit conſilio huic Advocatus, & pro voto res illa, ut vir Dei futurum prædixerat, ſucceſſit; Unde ab illo tempore & deinceps pons domui huic vicinus, ab hujus Angeli ſculptura, quæ etiamnum videtur,uſque in præſentem diem pons Angeli appellatur.

## DISCURSUS IX.

### ARGUMENTUM.

Angelorum in fine vitæ noſtræ adverſus Dæmonem auxilia, ipſorumque pro noſtra ſalute interceſſiones conſiderantur; adverſus illos autem, qui nullum ex ipſorum cuſtodia retulerunt profectum, in extremo die Judicij teſtes erunt.

### THEMA.

*Occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus, offèrentes eam in conſpectu Altiſſimi.*

In hora mortis Angeli invocandi.

1. Sancta mater Eccleſia à Spiritu Sancto directa & gubernata Religioſiſſime inſtituit,ut aſſumpti thematis verba in Commendatione animæ recitentur, ut exinde intelligamus, quantam ſpiritus beati ſalutis noſtræ in illo tam arduo agoniæ & finis ultimi momento partem habeant. Sanctus Bonaventura ad inſinuandum nobis quanti referat in noviſſimo vitæ ſine tutela Angelica, nonnullas adducit ſimilitudines. Quid enim, inquit, alicui prodeſſet, quod ad Romanæ urbis portas uſque perveniſſet, & poſtea ulterius non ingrederetur? Quid refert quod aliquis tota die ſcutum adverſus inimicos portaſſet ambabuſque manibus adverſus inimicum decertaſſet, ſi poſtea inimico ſuperato, abjecto clypeo in fugam ſe reciperet? Et poſtea ad propoſitum noſtrum ſubjungit: *Non ergo valet ſcientia, non prodeſt gratia, non adjuvant opera bona, ſi non in ſine Victoria, quæ eſt omnium malorum finitiva, & omnium collectiva bonorum, ſola enim perſeverantia coronatur.* Demum vero Seraphicus Doctor diſcurſum ſuum ad Angelos convertit, utpote à quibus expectanda eſt corona & dicit: *Si igitur tantum bonum eſt victoria, quantam illis debemus reverentiam, qui noſtram pugnam faciant, nec juvare nos ceſſant, niſi victoria prius obtineatur?* Porro inter omnes Angelos S. Michaelem tamquam cœleſtis militiæ primarium ducem hiſce verbis invocare ſolemus: *Sancte Michaël Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.* Ex monito quod in Apocalypſi nobis proponitur,conſtat nobis, Infernum circa ultimam vitæ noſtræ horam potius, quam in reliquo totius vitæ tempore potiſſimum laxatum eſſe, tunc enim *Deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet*,ac proinde cum illius horæ prælium adeo formidabile exiſtat, juſtum eſt, nos ſolicitos eſſe, ut tunc quoque nobis Angelorum aliquis nobis præſto ſit, qui generoſè nos defendat.

S.Bon.ſer.1. de Ang.

S.Michaël.

Apoc. 12. v.12.

Tunc pugnandum eſt.

2. Hora morti noſtræ proxima *Agonia ab Agone* denominari ſolet, eo quod certamen tunc à nobis ineundum, unum ſit ex truculentioribus prælijs, quæ homo fragilis & debilis adoriri umquam poteſt, ſiquidem tunc illi pugnandum cum validiſſimis ſpiritibus infernalibus, qui tunc vel maxime in perniciem noſtram laxati crudeliſſime ſæviunt; Et ideo niſi in ultimo illo mortis articulo, quem etiam viri ſanctiſſimi maxime timuerunt, ſanctos Angelos nobis auxiliantes noſque defendentes habuerimus, *Quis poſſet ſalvus fieri.*

Affectus S. Franciſci erga S.Mich.

3. Sanctus Bonaventura optimam rationem adducit, cur Sanctus Franciſcus tanta fuerit erga S. Michaëlem devotione, affectus, ut in ipſius honorem abſtinentia quadam adeo diuturna ſe emaciare ſolitus fuerit, quam Religioſam abſtinentiam tandem etiam per legem omnibus ſuis poſteris ſerio injunxit. Dicit enim S. hic Doctor: *B. Michaëli Archangelo, eo quod animarum repræſentandarum haberet officium, ſpeciali erat amore devotior, propter fervidum quem habebat zelum ad ſalutem omnium ſalvandorum.* Idem quoque S. Bonaventura in ſermone jam allegato de Angelis in genere ita ſcribit: *Ipſi ſunt propugnatores noſtri, qui pro nobis adhuc viventibus bellant qui in morte nos juvant, qui nos poſt mortem aſſociant, qui nos domino repræſentant, & noſtros defectus coram eo ſuis orationibus velant.*

In vit. S. Franciſci.

ſerm. cit.

Ang. de ſalute ſoliciti in hora mortis.

4. Experientia quotidiana nos docet, quod dum morti appropinquamus, amici ut plurimum à nobis recedant, etenim filij nihil niſi hæreditatem cogitant; uxor de dote ſua aſſecuranda laborat, parentes de temporalium bonorum diſpoſitione nos urgere tunc ſolent, Medici totam curam ſuam in corporis ſalute procuranda collocatam habent; at vero quis eſt qui de animæ ſalute, de Sacramentis conferendis, de ſuggerendis ſalutaribus monitis & cogitationibus bonis inſpirandis ſolicitus exiſtat? Is eſt ſolus Angelus, hic enim ſeſe in defenſionem adverſus Dæmonem armat; is facit ut infirmus ad Confeſſionem anhelet; is Parochos, vel alios Religioſos ad eum viſitandum acriter movet, is denique ipſemet de procurandis ad æternam ſalutem remedijs ſolicite cogitat.

Hiſtoria. Annal.Ciſt. ann. 1136. art.5. c.79.

5. In Annalibus Ciſtertienſibus legitur, quod dum ejuſdem ordinis ſacerdos quidam Novitiatus ſui tempore, quod ingenti cum fervore tranſegerat, jam jam moriturus eſſet, hæc duobus ejuſdem Monaſterij & ordinis fuerit viſio exhibita: Cohortes namque Angelicas è cœlo deſcendentes Eccleſiam ingredi,ibidemque ab illis officium defunctorum celebrari & viderunt & audierunt: *Animam ſolemni officio Deo commendabant, & divinæ præconia laudis uſque ad cælum ſonoris vocibus extollebant*; Inſuper iidem Monachi ſignum ad conventum pro aſſiſtentia moribundi congregandum, dari ſolitum ſonari audierunt; Unde clare liquet,quam ſint Angeli in illo articulo pro nobis ſoliciti, ut nos in illo momento orationibus & interceſſionibus ſuis adjuvent, multoſque alios fideles ad idem faciendum permoveant.

6. In

*l.1.6.7.n.9.2.*

6. In vita S. Philippi Nerij, cujus magnus ille Dei ſervus P. Camillus de Lellis filius ſpiritualis, nec non Religionis Clericorum infirmis miniſtrantium primus fundator extitit, legimus, quod die quadam ut nonnullos dictorum Patrum in hoc ſancto charitatis exercitio perſeverare faceret, iiſdem dixerit ſe Angelos vidiſſe qui duobus illius Inſtituti Patribus morientium animam commendantibus, verba ſuggerebant, quibus infirmos alloquerentur.

Cœlum procurant. *Gen.32.v.24. Ibid.v.26. Ibid.v.30.*

7. Sacer Chroniſta in Geneſi Jacob cum Angelo quodam luctantem introducit; *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque mane*, quem tandem S. Patriarcha devicit, benedictionemque ab ipſo loco præmij retulit: *Non dimittam te niſi benedixeris mihi*, fuit quoque nomen Jacob in Iſraël commutatum, quod idem ſignificat, quod videns Deum: *Vidi Deum facie ad faciem & ſalva facta eſt anima mea.* Ecce tibi fructum aſſiſtentiæ & prælij, quod Angelus in Agone noſtro pro nobis inſtituit, nimirum æternam ſalutem.

Danieli ſuccurrunt. *Dan.6.v.22. Dan.14.v.33.& 35.*

8. Certum eſt Danielem inter Icones conſtitutum animam quamdam præfigurare, in articulo mortis à ſpiritibus infernalibus circumquaque cinctam, & cum eis agonizantem, hunc namque ſenſum verba illa indicant, quibus Eccleſia in offertorio miſſæ pro defunctis utitur: *Libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum*: at vero cujus auxilio hoc futurum ſperatur? *Sed ſignifer Sanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus.* Quis eſt qui Danielem ipſum hunc ſenſum confirmare neſciat? dum ait: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora Leonum & non nocuerunt mihi.* Similiter quando alia quoque vice in eumdem locum ut à feris illis jam in ſextum uſque diem fameſcentibus dilaniaretur, conjectus fuit, quis tunc illi ſuccurrit, præterquam Angelus? *Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes, in Babylonem Danieli qui eſt in lacu leonum: & apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſupra locum, in impetu ſpiritus ſui.*

Iſmaëli. *Gen.21.v.16. Ibidem v.17.*

9. In Geneſi Iſmaelem in ſolitudine illa præ ardenti ſiti & fame quaſi jam moriturum fuiſſe legimus, unde Agar mater ejus, eum agonizantem aſpicere præ nimia cordis triſtitia minime audebat, ſed dicebat: *Non videbo morientem puerum*: ſubito autem Angelus quidam ei auxiliaturus accurrit: *Vocavitque Angelus Dei Agar de cælo*, ſimulque ad matrem conſolandam, vivificandumque filium toto conatu ſe applicuit. Advertendum eſt autem Angelum non tam propter matrem, ſed ut Angelus ipſemet poſtea aperte declaravit, propter filium moribundum in ſolitudinem illam ſe receperit: ut exinde intelligamus, quanta cum ſolicitudine & zelo ad morientes confortandos advolare ſoleant.

Salvatori. *Luc.22.v.43. Luc.12.v.50. S.Greg. Luc.22.v.53.*

10. S. Lucas quoque Angelum Redemptori noſtro in ejus agonia in horto Gethſemani apparuiſſe deſcribit: *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum, & factus in Agonia prolixius orabat.* Verum enimvero quanam conſolatione is indigebat, de quo frequenter in officio Divino canimus: *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra?* Porro in lingua Hebræa non legitur *confortans*, ſed *confirmans eum*; Sed quid opus erat Redemptorem noſtrum ad cœptum certamen proſequendum animare, cum ille de ſe dixerit: *Baptiſmo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* Ad hoc aliud reſponderi nequit, niſi quod Sanctus Gregorius ait: *Noſtræ mortis in ſe certamen expreſſit, dum interno Judici propinquamus.* Ideo ipſemet paulo ante dixerat: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*: Sciebat enim Infernum in illo mortis articulo non ſolum contra ſe, verum etiam adverſus omnes fideles inſurrecturum & laxandum eſſe, ac proinde nobis indicare voluit, curandum nobis eſſe, ut ad ipſius imitationem Angelos nobis aſſiſtentes habeamus, qui nos conſolentur & confortent, & in cunctis bonis ſanctiſque cogitationibus nos ſtabiliant. Unde Sanctus Auguſtinus ait: Iſti ſunt per quos & à quibus in ex-„ tremis in fide ſolidamur, à maligno ſpiritu defen-„ ſamur, & obtenta victoria ad Paradiſum vel Purga-„ torium per eoſdem deportamur.

Morientibus neceſſarij. *S.Aug.ſer.46 ad fr.*

Ad hos fugiendum in die Judicij. *Luc.23.v.29 & 30. Apoc.6.v.15. Ibid.16. Ibid.17. Pſ.138.v.7. 8.9.& 10. 2.Cor.5.v. 10. S.Tho. in Apoc. Pſ.120.v.1.*

11. Salvator noſter Lucæ cap. 23. de tremendo noviſſimi judicij die loquens ait: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt, tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos.* In Apocalypſi pariter legitur: *Reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium, Et dicunt montibus, & petris: cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?* Circa cujus utriuſque loci verba quæro quodnam fuerit hominum iſtorum ab ira Dei ſeſe abſcondere volentium intentum, quandoquidem ignorare non poterant, quod Pſalmiſta Divinum flagellum in illa die inevitabile eſſe conſtanter aſſerat: *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in Infernum ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me.* Præterea licet in profundiſſimis ſpeluncis & cavernis corpora quidem abſcondere poſſent, animas tamen, quæ puri ſpiritus ſunt ab oculis Judicis Dei, ab imminenti ſupplicio, ab examine & diſtricto illius judicio occultare minime poterunt, Deus namque omnia ſcit, omnia videt, omnia aſſequitur & penetrat: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Quomodo igitur hi ſe evaſuros eſſe ſperare poſſunt? Num forte confuſio & terror intellectum & rationem illorum offuſcavit? Nequaquam; Imo omnes mortales in tremendo illo die maxime induſtrij, ſoliciti, & cauti erunt in cœleſtibus auxilijs implorandis & ſpecialiter in petendo Angelorum tutelarium patrocinio; ac proinde Doctor Angelicus ait: *Abſcondent ſe in ſpeluncis, & petris montium, id eſt, confugient ad defenſionem Angelorum, qui montes ſunt per gloriæ ſublimitatem. Levavi oculos meos in montes*, dicebat David, *unde veniet auxilium mihi; Montibus*, inquit S. Thomas, *id eſt, Angelis per gloriam excelſis, & petris ſcilicet eiſdem in Deo jam prorſus ſolidis: cadite ſuper nos, affectionem, id eſt, animum compatientem nobis miſericorditer inflectite.*

Morientibus multi ſuccurrunt. *Matt.26.v.51. Ibid.v.53. S.Ambr.in c.2.Luc.*

12. Quando Sanctus Petrus Chriſtum à lictoribus & ſatellitibus tam atrociter invadi & appræhendi vidit: *Exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum Principis ſacerdotum, amputavit auriculam ejus*; propter quod à Redemptore reprehenſus fuit, dicente: Non defuturas ſibi cœleſtis militiæ legiones, à quibus ab imminenti morte defendi poſſet: *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Ubi notandum, Redemptorem noſtrum hiſce verbis certiores nos facere voluiſſe, quod Angeli de moribundis valde ſoliciti exiſtant, atque ad eos in extrema mortis hora defendendos in ingenti numero deſcendant, imo adinſtar virorum bellatorum in legiones ſeſe circa moribundum diſtribuant, eo quod ſibi cum poteſtatibus infernalibus dimicandum eſſe ſciant. Unde Sanctus Ambroſius ait: *Contra malignos ſpiritus ad tutelam noſtram Angelorum ordinat exercitus.*

Pœnitentiæ ſpatium impetrant. *Lu.13.v.7. Ib.v.8. Ibid.v.9. Salmeron.*

13. Imo ſuam quoque operam apud Divinam juſtitiam interponunt, ad hoc ut flagella ejus aliquouſque ſuſpendere, nobiſque pœnitentiæ ſpatium impetrare poſſint. Porro hanc nobis veritatem, ni fallor, Salvator ipſemet nobis in Parabola iſta inſinuavit, quam S. Lucas deſcribit, de quodam qui arborem Ficus in vinea ſua plantaverat, cumque fructum in arbore quæreret, eamque ſterilem eſſe deprehenderet, cuſtodi vineæ, ut illam amputaret, & radicitus ejiceret, præcepit: *Dixit autem ad cultorem vineæ; Ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio, ſuccide ergo illam ut quid etiam terram occupat*; Tunc cuſtos è veſtigio ſeſe apud Dominum vineæ interpoſuit, dicens: *Domine dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora. Et ſiquidem fecerit fructum, ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Circa quæ verba Salmeron Tomo 7. Tract. 21. ait: *Angelus cuſtos, cui cultura cujuſque hominis à Deo credita eſt; diſce Angelos*, qui pro nobis orant, magno honore proſequendos.

Rebelles accuſant. *Orig.ho.20. in Num. Iſa.5.v.4. Matth.25.v.31. Sap.5.v.21. Chryſ.h.8.in Matth.*

14. Ex hac autem propoſita parabola utiliſſimum quoddam documentum morale elicere poſſumus, nimirum quod in caſu quo ex cuſtodia Angelorum, eorumque ſalutaribus conſilijs & præſtitis ſubſidijs nec quidquam proficimus, ſed in eadem animæ ſterilitate pertinaciter permanemus, tunc Angeli juxta tribunal judicis primi ſint, qui nos accuſant, peſſimaque contra nos teſtimonia allegant. Origenes ait: *Veniente Angeli ad judicium nobiſcum, & ſtabunt pro nobis ante Præſulem Juſtitiæ, ne forte aliquid etiam ex ipſis cauſæ fuit, quod nos deliquimus, ne forte minus erga nos operis & laboris expenderit, quo nos à peccatorum labe revocarint.* Hæc autem Origenis propoſitio difficulter ſuſtineri poteſt, ac proinde eam, prouti infra dicemus, acriter impugnat Abulenſis, quia quilibet Angelus, animæ exactiſſimam quam ei præſtitit cuſtodiam audacter exprobrare poterit, ac dicere: *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci ei?* Sanctus Matthæus ait: *Cum autem venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo.* Quonam fine Judex mundum caſtigaturus & devaſtaturus tanto famulitio opus habebit, ut ſuos ſecum in tanto numero Angelos quoque deducat; quod Angelorum integri exercitus in die illa, quando ad genus humanum ſalvandum, pacemque annuntiandam ad nos venit, de cœlo deſcenderint, id quidem tranſeat: at vero dum venit mundum diſperditurus, quid opus habet tot Angelorum aſſiſtentia? Num forte aderunt, ut malis ſe opponant? Nequaquam quia in die illa. *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos*; Num forte cum Majeſtate in Judicium deſcendere volens, conveniens eſſe duxit, ut totius cœleſtis curiæ circum ſe obſequia præſto habeat? Minime. Audite Chryſoſtomum: "Omnes enim Angeli erunt cum ipſo, „ teſtantes quot, quantaque miniſteria ſua cum à Do-„ mino mitterentur; ad ſalutem hominũ peracta ſunt, „ & ita horroris undique dies ille plenus futurus eſt."

Væ qui monita contemnunt. *S.P.Dam.l.6.ep.32. S.Anſel.in c.25.Matth. Abul. in c.18 Matth.q.68. B.L.Juſt.ſer. de S.Mich. Orig.h.20. in Num.*

15. B. Petrus Damianus dicit malæ vitæ noſtræ fœtorem tantum futurum eſſe, ut puriſſimis illis ſpiritibus, tantam poſſit conciliare nauſeam, ut jam non defenſores noſtri apud Deum futuri ſint, ſed potius hoſtes noſtri & adverſarij; idque argumento quodam valde convincente hiſce verbis probat: "Si „ vita noſtra tam prava videtur, & ſqualida, ut etiam „ carne veſtitis hominibus fœteat, qualis putas eſt An-„ gelis, qui jugiter ſemper eminent in ſpiritualis mun-„ ditiæ culmine? Unde & illud formidoloſe pen-„ ſandum eſt, ne illos, qui ad cuſtodiam noſtram depu-„ tati ſunt, Angelos vitæ noſtræ fœtor offendat, ut po-„ tius apud Deum conqueri, quam ſua eos debeant at-„ teſtatione tueri." Sanctus Anſelmus quaſi ipſiſſimam Chryſoſtomi rationem tradit, cur Angeli collaterales futuri ſint ſupremi Judicis. "Et omnes Angeli ejus „ cum eo, quia Angeli ſunt teſtes humanorum actuum „ ſub quorum cuſtodia bene vel male egerunt." Abulenſis dubium quoddam movet, an ſcilicet Angeli capaces ſint triſtitiæ, & de perditione noſtra poſſint dolere? Et reſpondet negative: "Ubi non eſt ſenſus, „ inquit, non eſt dolor, neque triſtitia, Angeli autem „ ſunt incorporei, ideo triſtitiam habere non poſſunt." Præter hanc, aliam quoque rationem adducit, nimirum, ſummam quam cum divina voluntate habent conformitatem. "Nihil in mundo fit, niſi per divi-„ nam juſtitiam factum aut permiſſum, ideo ſimplici-„ ter loquendo nihil fit in mundo contra voluntatem „ Angelorum & beatorum, & ita nihil habent, de quo „ doleant:" In eadem quoque quæſtione ad propoſitionem, quam paulo ante ex Origene allegavimus, qua dicit Angelos quoque in judicio comparituros, ut examinentur, num forte in cuſtodia & tutela noſtra ipſi defecerint, Abulenſis negative reſpondet & dicit: "Trahuntur in judicium pro peccatis hominum, non „ tamquam rei, ſed tamquam teſtes contra homines, an „ ignavia illorum acciderint peccata, vel ex qua cauſa." Verum quidem eſt quod ſi doloris capaces eſſent, majorem utique pœnam habituri non eſſent quam dum operam ſuam in cuſtodiam & tutelam animæ ipſorum collocatam vident inutiliter eſſe deperditam. Ac proinde B. Laurentius Juſtinianus nos monet, dicens: "Obſervemus illos quando ſuum erga nos exhibent „ miniſterium, quatenus operum eorum non ſimus ig-„ nari & ingrati, gaudeant & ipſi minime erga nos in „ vacuum laboraſſe, ſeu cucurriſſe." Origenes quoque de illis qui conſilia & ſalutaria Angelorum monita contumaciter contempſerint, duplici illos ſupplicio ſubjiciendos eſſe dicit. "Duplicabitur pœna pro contemp-„ tu monitoris, & pro facinore."

## DISCURSUS X.

### ARGUMENTUM.

Angelos, tametſi noſtram reprobationem prævideant, numquam tamen nos totaliter deſerere probatur; ſimulque agitur de auxilijs, quæ nobis ſubminiſtrant, ut à peccati ſtatu egrediamur, exemplo è carcere exeuntis Sancti Petri, per quem peccator præfiguratur.





### THEMA.

*Ecce, ego mittam Angelum, qui præcedat te, & cuſtodiat te in via, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris.* Exod. cap. 23. n. 20. & 21.

Nec reprobos deſerunt. *h.cit.ſerm.2. S.Bon.ſerm. un. de Ang. Abul.in c.18. Matth.q.66.*

1. S. Thomas de Villa nova valde miratur ingentem illam ſpirituum beatorum curam & ſolicitudinem, quacum nobis inſerviunt, Animaſque à Divina providentia illis commiſſas cuſtodiunt, tametſi etiam per manifeſtas conjecturas, illas ex ipſorum cuſtodia nihil utilitatis reportaturas eſſe, prævideant. *Non tamen propter hoc deſiſtunt ab earum cuſtodia, ſed eas protegunt & inſtruunt, quantum divino nutu eis permittitur, ſcientes quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios non ſolum Abrahæ, ſed Dei*; Per quæ verba confirmatur id quod in fine Diſcurſus præcedentis aſſeruimus, nimirum quod ob animarum perditionem ab illarum cuſtodia minime retardentur. *Neque tamen poſtmodum de illorum perditione triſtantur, aut operam ſuam perditam exiſtimant, quoniam voluntati divinæ per omnia conformes ſunt, & ſufficit injunctum officium ad Dei nutum fideliter peregiſſe.* Ex quibus præmiſſis facile arguere licet, quanta cum conſolatione & diligentia Angeli illas curaturi ſint animas, quarum prævident æternam ſalutem: *Quo igitur zelo putandum eſt zelare veros Dei cultores, ſi filijs gehennæ qui ſolummodo in combuſtionem & cibum ignis reſervantur, taliter patrocinari non dedignantur.* S. Bonaventura quoque hanc Angelorum quoad malos & reprobos præſtitam tutelam valde his verbis admiratur: *Quod magis mirabile eſt, etiam obſtinatis & perfidis effectum ſuæ cuſtodiæ non ſubtrahunt.* Abulenſis ſimiliter hanc Concluſionem, nimirum quod Angeli indifferenter tam malos quam bonos cuſtodiant, hiſce verbis confirmat: *Omnes homines cuſtodiunt diligenter ſive bonos ſive malos*; idque ne ullus ſe coram Divino tribunali excuſare poſſit dicendo, ſe ex negligentia Angeli ſui in perditionem abiiſſe: *Cuſtodiunt diligenter ſive bonos, ſive malos, numquam agunt negligenter circa noſtram cuſtodiam.* Idem quoque famoſus Doctor motivum nobis indicat, quod Angelos ad id faciendum extimulat, dum ait: *Ex charitate agunt, omnes nos indifferenter diligunt, tamquam proximos, quia proximi eorum ſumus, quamdiu vivimus.*

Diligendi ſunt ut proximi. *S.Aug.t.3.l. de doct.th. c.30.*

2. Scio equidem olim dubium fuiſſe ab ipſo quoque S. Auguſtino motum, an ſcilicet Angeli quoque dicendi ſint proximi noſtri; Et quidem præcitatus hic S. Doctor poſtquam adducto Samaritani exemplo, omnem illum proximum noſtrum dicendum eſſe demonſtraſſet, qui vel opera noſtra indiget, vel à quo nos beneficia recipimus, tandem pergit dicere: *Jam vero, ſi vel cui præbendum eſt, vel à quo nobis præbendum eſt officium miſericordiæ, rectè proximus dicitur, manifeſtum eſt, hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum, etiam ſanctos Angelos contineri, à quo nobis tanta miſericordiæ officia impenduntur.*

*Jer.51.v.9. Orig.2.in Jer.* Adhortatio.

3. Verum enimvero ne à verbis aſſumpti thematis noſtri longius abeamus, verbis Exodi in themate adductis, textus quidam Jeremiæ ſatis affatim notus & memorabilis opponi poteſt, in quo dicitur: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam*; Cui proinde textui Origenes innixus, Angelos, peccatores enormes deſerere, exiſtimavit, ac proinde hiſce verbis unumquemque noſtrum ſerio monuit. *Cave homo ne quando relinquat te Medicus, ſive Angelus Dei; manifeſtum quia abſceſſio eorum condemnatio tua ſit, ut irremediabilis, nolentiſque curari; cum autem te deſeruerint, quid tibi aliud eventurum eſt, niſi quod ſolet his accidere, qui à Medicis deſperantur, utentes voluntate morbi ſui, ut ad pejora demergantur.*

*Ab.loc.cit. q.67. Iſaiæ 5.v.5.* Nõ deſerunt hominem.

4. Circa hanc ab Origene motam difficultatem Abulenſis diffusè diſcurrit, eamque explanat; & quidem præter citatum Jeremiæ textum ab Origene adductum, alium quoque adfert ex Iſaiæ Cap. 5. deſumptum, in quo dicitur: *Auferam ſepem ejus & erit in direptionem*; cui inſuper hanc adnectit rationem, quia *Medicus ſapiens deſerit infirmum deſperatum*; Tandem vero omnibus ab adverſa opinione adductis authoritatibus reſpondet; Et primo quidem eorum opinionem proponit, qui nos numquam ab Angelis deſeri aut derelinqui aſſeruerunt: *Quia Angeli boni proniores ſunt ad adjuvandum, quam Dæmones ad infeſtandum & tamen Dæmones numquam ab infeſtatione hominis ceſſant uſque ad mortem; Ergo neque Angeli cuſtodes ceſſant aliquando in cuſtodia*

*ſtodia hominum* ; Et quidem hanc quoque opinionem Angelicus Doctor ſuſtinuit, eamdem allegans aſſerti ſui rationem.

Niſi quoad auxilia.

5. Demum idem Abulenſis modum declarat, quo Angelus animam : deſerere dici poſſit, nimirum in quantum ei aliquem cuſtodiæ ſuæ effectum, quem alias eidem miniſtrare ſolet, ſubtrahit, per quem alias ab hac vel illa tribulatione evadere potuiſſet ; Vel etiam ideo illam deſerere dicitur, quia progreſſus ſpiritualis obſtacula, aliaque ad lapſum irritantia offendicula è medio non aufert : *Et quia nemo umquam fuit, quem Deus ſecundùm aliam providentiam ſuam non permittat incidere in aliquos defectus pœnæ vel culpæ, nemo eſt de cuſtoditis, quem interdum Angeli non deſerant* ; quomodo autem derelictio iſta intelligenda ſit, immediate poſt exponit, dum ait id fieri : *Non impendendo aliquod auxilium, quod impendere poterant.* Similem quoque explicationem Sanctus Thomas tradit dum ait : *Namquam totaliter dimittit, ſed ad aliquid, prout ſcilicet non impedit, quin ſubdatur alicui tribulationi ; vel etiam quin cadat in peccatum, ſecundùm ordinem divinorum judiciorum.*

S. Th. 1. p. q. 113. art. 2.

Quæ abſolute non eſt derelicto.

6. Pergit Abulenſis ulterius oſtendendo, quod hic deſerendi modus, non poſſit nec debeat abſolutè dici derelictio, dum ait : *Tamen adhuc pro illo tempore, quo Angeli dicuntur tales deſerere, non penitus eos deſerunt, quin aliquem effectum cuſtodiæ exhibeant circa nos, nam licet à peccato non liberent, liberant à periculis exterioribus ; Dæmon namque ita invidet homini, & odit ipſum, quod ſi ad punctum inveniret penitus deſertum Angelico præſidio, occideret eum.*

Semper enim cuſtodiunt.

7. Porrò eo ipſo quo anima extra gratiam & amicitiam Dei conſtituta eſt, jam de facto *ſecundùm præſentem juſtitiam* condemnata eſt ad ignem infernalem, factaque eſt Dæmonis ſubdita atque mancipium ; Verumtamen Angelus ſuo ſe ſubſidio inter hominem & Dæmonem interponit, ne ita ſubito ejus poteſtati totaliter relinquatur tradita ; Et ideo anima in peccato mortali conſtituta, ad eum modum ſe habet, quo is qui ex ſubtiliſſimo filo ſuper ardentiſſima quadam fornace ſuſpenſus hæret, quia æternæ condemnationis (cujus ipſa reatu conſtringitur) executio à tenuiſſimo vitæ noſtræ filo dependet, & continuationi anhelitus noſtri innititur ; Angelus autem ad filum hoc confortandum ſeſe interjicit, ne adeo facile rumpi poſſit, ut interea verè reſipiſcere, divinamque pietatem invocare & implorare valeamus. *Namquam ergo Angeli*, inquit Abulenſis, *deſerant hominem cuſtoditum quantumcumque malus ſit, & in quantacumque mala cum cadere permittat, quia in multa plura incurreret, niſi Angelus cuſtodiret eum.*

Cuncta fugiunt, ſoli Angeli non.

8. Quis noſtrum eſt, qui ad beneficium quoddam adeo immenſum ab Angelis nobis præſtitum ſerio reflectat, Deoque & Angelis ob id debitas laudes & gratias referat. Et tamen Angeli licet iniquitatum noſtrarum turpitudine tantopere moleſtentur, tametſi nos Dei illius, cui ipſi amore quodam perfectiſſimo conjuncti ſunt, hoſtes & inimicos eſſe ſciant, nobis tamen non ſolùm aſſiſtentiam, ſed & miniſterium & ſervitutem ſuam exhibere non deſinunt. Cuncta bona temporalia à nobis aliquando fugiunt ; Sanitas nos perſæpe etiam in flore ætatis, conſtitutos deſerit, ſicut & amici, dum adverſitatibus ſuccumbimus, juxta illud Poëtæ : *Tempore felici multi numerantur amici, Dum fortuna perit, nullus amicus erit* ; Cognati nos ne quidem vel ſemel aſpicerent, niſi intereſſe ipſorum ad hoc illos permoveret : Divitiæ in articulo mortis nos deſtituunt, aut parum vel nihil juvant ; honores & Dominia reſolvuntur in fumum, vita quoque ſemper magis magiſque declinando tandem interit. Denique Deus ipſe, dum illum mortaliter offendimus, Divina ſua gratia & gloria nos privat & ſpoliat, Angelus autem numquam à nobis ſe totaliter diſgregat : *Non dimittet, cum peccaveris.*

Exod. 23. v. 21.

9. Gerſon quidem Angelos ob culpam noſtram à nobis procul diſcedere credidit, dum ait : *Fit aliquando cuſtos Angelus longe à cuſtodito, non per ignorantiam, non per negligentiam ſuam, ſed propter malitiam noſtram cui dedignatur aſtare* : Verumtamen Sanctus Petrus Damianus, de intolerabili ſcelerum noſtrorum fœtore ſcribens, de Angelo ita ait : *Hunc Angelus fœtorem & inhoneſtam purulentiæ nauſeam invitus ſatis & graviter tolerat, etſi cæleſtis Imperij lege conſtrictus, obedientiam non omittat, in Angelorum quippe conſpectum nil ſordidum, nil fætet obſcœnum, niſi vitium & peccatum.*

Gerſ. t. 3. tr. 8 ſup. Magnif.

Opinio. S. P. Dam. l. 1. ep. 17.

Peccatorum fœtor.

Pſ. 37. v. 12. & 13.

Averſantes culpam per auxilia ſunt præſentes.

10. *Et qui juxta me erant* (inquit David, poſtquam jam in adulterij & homicidij barathrum collapſus fuiſſet) *de longe ſteterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.* S. Baſilius verba illa ponderans per amicos illos Angelos Dei intelligit, prius enim David de illis dixerat : *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt.* Sunt igitur Angeli uno eodemque tempore vicini nobis, & procul à nobis poſiti ; cum enim ſummo horrore averſentur culpam, pari quoque cum horrore impios execrantur : Sunt tamen eodem tempore nobis vicini per auxilia & patrocinia ſua, ut ab inſidijs & furore inimici infernalis non tueantur & protegant, nobiſque ad erigendum nos à peccato, aſſiſtentiæ ſuæ manum ſubminiſtrent: "Iſti Angeli ſunt boni & miniſtri Dei, & ab hominum ſalute gaudium capere aſſueti, ſiquidem ob peccatorum pœnitentiam in cœlo gaudium exoritur ; Et hi igitur omnes Davidis amici, juxta peccati ipſius tempus receſſerunt adverſantes, non tamen ipſum penitus relinquebant," id quod verum eſſe conteſtati ſunt tum quia ipſum induxerunt ad pœnitentiam, tum quia per aliquod temporis ſpatium ultricem Dei juſtitiam ſuſpenderunt, & Nathan permoverunt, ut illam excogitaret & componeret parabolam, per quam tandem ad veram reſipiſcentiam permotus fuit. Imo idem quotidie, tametſi nos minime advertamus, in ſeductis & perverſis animabus noſtris operantur.

S. Baſ. h. 10. Pſ. 37. v. 12.

Flagella impediunt.

11. Scitis utique qualiter Deus noſter adverſus populum ſuum ira percitus, eo quod coram vitulo aureo genua ſua flexiſſent, cum eumdem caſtigare vellet, dixerit : *Jam nunc depone ornatum tuum, ut ſciam quid faciam tibi.* Porro Cajetanus per hunc ornatum arma intelligit ; Anſelmus Laudenſis autem per ornatum illum Angelorum cuſtodiam intelligendam eſſe dicit, quam illi in columna nubis & ignis, ducis loco aſſignaverat : *Manifeſtam Dei præſentiam, quæ illi populo per Angelum apparebat, ornatum ejus intelligit, ut ſuam, inquit, quid faciam tibi, id eſt, ſcire faciam te quantum mihi perpetraveris, quo Angelica viſitatione privaris* ; quaſi nobis inſinuare vellet ſe certo modo impediri, quo minus manum ſuam flagello admoveat, ob Angelorum pro nobis interventum.

Exod. 33. v. 5.

Cajet. Anſ. Laud.

Peccantibus compatiuntur.

12. Enimvero Abulenſis rationem exponit ob quā Angeli moventur, ut nonnumquam multis nos auxilijs efficacibus privent, aliquando vero eadem nobis ſubminiſtrent ; Dicit enim : *Dicendum quod eſt cauſa, quia ſic à Deo recipiunt fieri debere, nam cuſtodia Angelica eſt executio divinæ providentiæ ; neceſſe eſt ergo, quod quidquid Angeli cuſtodes circa cuſtoditos exercuerint, proviſum ſit à Deo : Et ita oportet, quod quando Deus committit alicui Angelo cuſtodiam alicujus hominis, revelet ei omnia in quibus auxilietur cuſtodito, & in quibus eum deſereret, & quando hæc erunt : vel quod per ſingulos dies adveniente opportunitate Deus revelet Angelo cuſtodi, quid facturus ſit circa cuſtoditum ſuum :* "Et ita Angelus exequitur omnia, quæ Deus de homine providerit, & in nullo errabit" B. Petrus Damianus in beatis hiſce ſpiritibus ſimilem fere charitatem & compaſſionem notat, qualem Medici habere ſolent erga infirmos morbi neceſſitate majori aggravatos: *Quotidie* inquit, *illos ad noſtri cuſtodiam deputatos multipliciter offendimus, & offenſam negligentia cumulamus, ipſi autem licet à nobis frequenter injurias patiantur, ſuſtinent tamen & compatiuntur peccantibus, nec minor illorum circa nos cuſtodia, imo major ſolicitudo, cum boni cuſtodis ſit infirmis magis quam ſanis operam exhibere.*

Abul. ibid.

B. P. Dam. ſerm. 48. de exc. crucis.

Act. 12. v. 4.

Peccator in vinculis.

13. In S. Petro, in Herodiano carcere, mortis condemnato, cateniſque ac compedibus arctiſſime conſtricto, anima peccatoris culpæ fortiter illaqueata præfiguratur. Unde Hugo Cardinalis ait : *Miſit in carcerem, Carcer peccatum vel mala conſcientia*, clarum enim eſt axioma illud ſapientiale, quo dicitur : *Funibus peccatorum ſuorum* unuſquiſque *conſtringitur*. De duabus illis catenis quibus Petrus vinctus erat, ita ſcribit Innocentius III. *Libertas peccandi & voluptas peccati duæ catenæ ſunt.* Hugo Cardinalis dicit, quod *duæ illæ catenæ* ſint *commiſſio & omiſſio.* Sanctus Vincentius Ferrerius autem ſcribit. *Catenis duabus ; Prima eſt conſuetudo, ſecunda mala ſocietas ; O quod ſunt vincti iſtis duabus Catenis.* Excubitores ante portam Petrum cuſtodientes, ut idem Hugo ait, præfigurant Dæmones : *Cuſtodes Dæmones oſtium carceris cuſtodientes, id eſt, conſcientiæ, ne quis confiteatur, & ſic ſalvatur* ; Ecquis autem erga Petrum in tam deplorando

Hug. Card. ibid.

Prov. 5. v. 22.

Innoc. ſer. de Sancto Petro ad vincula.

Hug. Card. ibid.

S. Vincent. Ferr. ſerm. de S. Petr. ad vincula.

& indeclinabili ſtatu conſtitutum, veram peccatoris habituati figuram, compaſſione motus eſt, ut eum inde liberaret ? *Et ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri excitavit eum dicens : ſurge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Porro per verbum *Aſtitit*, aſſiſtentiam Angeli qua peccatori ſuccurrit, intelligere poſſumus : *Quia non dimittit eum cum peccaverit ; lumen refulſit in habitaculo* ; Ubi S. Vincentius Ferrerius ait : *Angelus primo illuminavit carcerem, peccator enim non cognoſcit pericula, nec peccata in quibus ſtat, & quæ amiſit* ; ac proinde David hanc illuminationis gratiam à Domino poſtulabat dicens : *Illumina oculos meos, . . . ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.*

Actor. 12. v. 7.

Liberatur ab Ang.

Pſ. 12. v. 4. & 5.

Bona inſpirant.

14. O quot conatus & quantam induſtriam Angelus adhibet ad hoc, ut animæ peccatorum tenebris involutæ deplorandi ſtatus ſui, boni item quod per peccata amiſit, & mali infiniti in quod ſe præcipitavit notitiam & agnitionem inſinuet. In libro Judicum Cap. 2. Concionem illam legimus, quam Angelus coram rebelli Dei populo ediſſeruit : *Aſcenditque Angelus Domini &c.* in qua, puncta quædam adeo efficacia, tantique ponderis motiva eidem populo propoſuit, ut quotquot aderant in fletum quemdam adeo amarum prorupeerint, ut deinceps locus ille *locus flentium* appellatus fuerit. Etenim Angelus animæ repræſentat deformitatem culpæ, & offenſæ qua Deum illum, qui Creator, Redemptor, benefactor & glorificator ejus eſt, offendit, gravitatem, pericula imminentia, mortis horrorem, rigorem judicij, pœnas infernales, ſuppliciorumque æternorum & irreparabilium propinquitatem &c. Et hac via eum ad reſipiſcentiam & compunctionem inducit.

Jud. 2. v. 1.

Percutiunt per contritionem.

15. Percuſſio lateris Petri ab Angelo facta, ab Hugone Cardinali de peccatore exponitur, qui *Excitatur percuſſus per contritionem* ; Et S. Bonaventura ait : *Angelus adſtat, & latus percutit peccatoris, excitando ad gemitum contritionis ; Et dicit : Surge velociter, per peccati derelictionem, & tunc cadunt catenæ de manibus per abſolutionem, & bonæ operationis reſtitutionem.*

Hug. Card. S. Bon.

16. S. Joanni in Apocalypſi oſtenſi fuere ſeptem Angeli, ſicut lampades ante thronum altiſſimi ardentes : *Septem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt Septem Spiritus Dei.* Sed dices fortaſſe, quænam inter Angelos & luminoſas ardenteſque lampades poteſt eſſe proportio ? Magna utique ex mente Doctoris Seraphici, quia *Illuminationes ad nos deferunt & ſecundùm diverſos gradus vitam humanam ordinant & diſponunt*, & ignorantiæ peccatorumque tenebras ab impijs fugant, eiſdemque Dei agnitionem & affectuoſam notitiam infundunt, intellectum illorum illuſtrant & voluntatem accendunt, hácque ratione ad veram pœnitentiam illos reducunt.

Apoc. 4. v. 5.

S. Bon. de Eccl. Hier. p. 3. c. 3.

17. *Surge velociter* ait Angelus ad Petrum. Ubi S. Vincentius ait : *Petrus erexit ſe* ; Ecce propoſitum non redeundi ad peccatum. Præcepit quoque Angelus Petro : *Præcingere & calcea te caligas tuas*, id quod nobis figura fuit : ut Innocentius III. ait, quod *Non ſufficit nobis malum dimittere, niſi bonum etiam faciamus. Circumda tibi veſtimentum tuum*, quibus verbis Angelus juxta Hugonis Cardinalis expoſitionem, ad rectam & virtuoſam converſationem alludebat : *Veſtimentum, honeſta converſatio. Et ſequere me* ſubdit Angelus, inſtruere nos volens, quod conſilia & dictamina ejus nobis inſpirata exequi debemus: *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat te in via, & introducat ad locum quem præparavi, obſerva eum & audi vocem ejus.*

S. V. Ferr. ſerm. cit.

Act. 12. v. 8.

Inn. 3. lo. cit.

Ang. inſpirationibus obſequendum.

Hug. Card.

Peccandi occaſiones adimunt.

18. Obſervanda quoque hoc loco eſt induſtria quædam, quam Angelus ad Petrum liberandum adhibuit, Neque ei ſufficiebat quod eum è compedibus & catenis exolviſſet, aperuiſſet carcerem, & excubitores profundo ſomno obrutos inſenſibiles feciſſet, quia *Tranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream quæ ducit ad Civitatem, quæ ultro aperta eſt eis, & exeuntes proceſſerunt vicum unum.* Ubi Innocentius III. ita ſcribit : *Faciebat illum tranſire primam & ſecundam cuſtodiam, hoc eſt, præterire voluntatem peccati & libertatem peccandi, quibus peccator in prava conſuetudine cuſtoditur.* Enimvero Angelus quantum poteſt, ad hoc connititur, ut peccatori adimat omnes peccandi occaſiones, ne in carcerem, eorumque qui illum cuſtodiunt poteſtatem iterum redeat, ut peccator deinceps ad habita ab Angelo ſuo auxilia, & ſuperata ijs mediantibus pericula ſeſe reflectens ; Angelo ſuo pro cunctis hiſce beneficijs gratus exiſtat, dicatque: *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum & eripuit me de manu Herodis.*

Actor. 12. v. 10.

Inn. 3. ibid.

Actor. 12. v. 11.





## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

De gaudio & lætitia Sanctorum Angelorum, quia per ſalutem & pœnitentiam noſtram perfunduntur, variæque illius lætitiæ cauſæ adducuntur, & ſpecialiter utilitas, quam inde propter cœleſtis Hieroſolymæ reſtaurationem reportant.

### THEMA.

*Gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente.* Luc. c. 15. ℣. 10.

Salus per Mariam nobis data Ang. lætificat.

1. **R**Egius Propheta cum die quadam in ſpiritu abſorptus Meſſiam incarnandum è ſua proſapia carnem aſſumpturum eſſe prævideret, dixit: *Tu es ipſe Rex meus & Deus meus, qui mandas ſalutes Jacob.* Similiter Angelus dum virgini myſterium Incarnationis in ea conſummandum annuntiaret, dixit illi: *Regnabit in domo Jacob in æternum.* Quidnam obſecro Propheta dicere voluit, quando ait Deum mandare ſalutes Jacob ? S. Ambroſius dubium iſtud reſolvit, dum ait : *Salus in miniſterijs Angelorum, qui ad ſalutem hominum deputantur.* beati namque ſpiritus illi adeo ſunt de noſtra ſalute ſoliciti & providi, ut David eiſdem ex peculiari Spiritus Sancti inſtinctu nomen impoſuerit ſalutis, *Salutes Jacob.* Hæc Angelorum de noſtra ſalute ſolicitudo in ſcala illa quam Deus Jacobum Patriarcham videre fecit, expreſſa videtur, ſiquidem per ſcalam illam Angeli certatim aſcendebant & deſcendebant & in continuo motu erant, tamquam ſtrenue, zeloſèque commodo noſtro invigilantes, ut de terra in cœlos nos deducerent. Richardus à S. Laurentio dicit : *Maria eſt ſcala Jacob, de qua legitur Gen. 28.* ratio autem cur in hac ſcala aſcendentes deſcendenteſque conſpiciantur Angeli, eſt jubilus & gaudium, quo de noſtra ſalute, quæ in Maria conſummata fuit, perfunduntur.

Pſ. 43. v. 5.

Luc. 1. v. 32.

S. Ambr. ibid.

Salutis noſtræ avidi Angeli.

Rich. à S. Laur. de laud. virg. l. 10.

2. *Miſſus eſt Angelus Gabriel* &c. Porro Deus conſenſum virginis ad concipiendum verbum directè & immediate, neque per inſtinctum interiorem, neque per ſignum aliquod exterius petere voluit ; ſed ex propoſito & de induſtria ad hunc conſenſum requirendum Angeli cujuſdam opera uti voluit, utpote cui notum erat, quam illi eſſent ſalutis noſtræ perficiendæ avidi. Imo dum Maria hunc conſenſum tantiſper ſuſpenderet, dicendo : *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco* ; *Turbata eſt in ſermone ejus* ; *& Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, quantam beatus ille Paranymphus adhibuit eloquentiam, ad extorquendum à virgine illud ſibi gratiſſimum *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

Luc. 1. v. 26.

Ibid. v. 34.

Ibid. v. 29.

Ibid. v. 38.

Cur Angelos ad Mariam miſſus.

3. Angelum bonum ad hoc cum virgine ſanctiſſima inſtituendum colloquium adhibere voluit, quia ex quo Angelus rebellis homini machinatus fuerat ruinam, juſtum erat ut per boni Angeli operam adhibitam damnum illud denuo reſarciretur ; Unde Chryſologus ait : "Agit cū Maria Angelus de ſalute, quia cū Eva Angelus egerat de ruina, Doctiſſimus Salmeron aliam hujus adfert rationem, dum ait : Ut ipſi etiam conſortes atque participes fierent hujus noſtræ exultationis. Qui idē conceptus diu ante Albertum Magnum authorem habuit, dicentem : Puto Deum noſtræ ſaluti interpoſuiſſe Angelum nuntium, quod videlicet tanto gaudio Angelica natura quoad miniſterium non privaretur. "

Chryſolog. ſerm. 42.

Salm. t. 3. tr. 4.

Alb. Magn. in c. 2. Luc.

4. Cajetanus reflectionem quamdam ſuper ly "Ingreſſus Angelus inſtituit, illud namque corporalem motum ſignificat, innuitque quod gradiens ad virginis aulam introivit : Angelus enim Gabriel utpote ſolemniſſimam quamdam legationem peracturus noluit eo modo coram virgine apparere, prouti alias ſolitus fuerat, id eſt, ſolus, ſed Comitatus, ut inquit Lucas Burgenſis, ut credibile eſt, pluribus alijs " inferioribus Angelis.

Cajet. in Luc.

Gabriel cum comitibus venit.

Luc. Burg. in Luc.

Cur Chriſtus ab Ang. confortatus.

5. Enimvero quando de humana redemptione complenda agebatur Deique Filius naturæ noſtræ debilitatem in ſemetipſo exprimere volens, *cœpit pavere, & tædere*; & mœſtus eſſe, Angelus Domini ſine ulla dilatione ad eum animandum & confortandum apparuit : *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum*, alij legunt : *Glorificans eum*, credibile enim eſt, quod ad hoc ut eum ad cœptum opus complendum & perficiendum animaret, illam ei ob oculos repræſentarit gloriam, quæ in terram cœlumque ex ejus Paſſione redun-

Marc. 14. v. 33.

Luc. 22. v. 43.

*Alb. Magn.*

redundatura erat. Monet tamen Albertus Magnus id intelligendum eſſe, „Non quod confortatione indiguerit, quia fortior forti tunc ſupervenit & fortem alligavit, & vaſa ejus diripuit, ſed quia Angelus adminiſtrationis ſuæ oſtendit obſequium."

Reſurrectionis nuntius Ang. *Matth. 28. v. 2.* *Ibid. v. 5. & 6.*

6. Vix Chriſtus à mortuis reſurrexerat, cum ecce Angelus, qui antea monumentum aperuerat, feliciſſimi & fortunatiſſimi nuntij hujus Heroldus & præco fieri voluit: *Et ecce terræ motus factus eſt magnus; Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum*; ac tandem devotis illis Mariis dixit: *Nolite timere vos, ſurrexit ſicut dixit.*

Chriſto aſcendenti Angeli præſentes læti. *Act. 1. v. 10. & 11.*

7. In ſua in cœlũ aſcenſione, *Quando non unus homo, ſed totus in omnium Redemptore mundus intrabat*, Angeli pariter feſtivi & gaudio magno pleni comparuerunt in monte oliveti: *Ecce duo viri aſtiterant juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: ... Hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*, adeoque in omnibus myſterijs, in quibus noſtra ſalus promovebatur Angeli ſemper conſpecti & viſi fuerunt feſtivi & lætitia pleni.

Gaudentes de hominum ſalute. *Apoc. 7. v. 11. & 12.*

8. S. Joannes in Apocalypſi innumeros circa thronum Dei adſtantes Angelos vidit: *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, ... dicentes: Amen. Benedictio & claritas, & ſapientia & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.* Enimvero ſcire hoc loco percuperem; quonam hæ laudes, hæ gratiarum actiones, hæcque adeo feſtiva gaudia tenderint? Richardus de S. Victore ait: *Angelos inducit de ſalvatione hominum gaudentes; ſtabant quia ad obediendum parati; In circuitu throni, undique exequentes miniſterium præcepti.* Angelicus Doctor ait: *Hic oſtenditur Angelorum ad homines benevolentia, in congaudendo eorum ſpiritualibus bonis, quos habituri ſunt conſortes.*

*Rich. à S. Vict. p. 2. l. 2. in Apoc. c. 9.* *S. Th. ibid.*

*Apoc. 5. v. 11* Pro hominũ redemptione agunt gratias. *Ibid. v. 12.*

9. In eodem libro S. Joannes aliam nobis viſionem refert priori valde ſimilem: *Et vidi*, inquit, *& audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, ... & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & Divinitatem, & ſapientiam & fortitudinem, & honorem & gloriam, & benedictionem*; Dando Agno occiſo, id eſt, Redemptori noſtro laudes, benedictiones, & gratiarum actiones ſatiari non poterant; Sed quodnam obſecro intereſſe Angeli in occiſione Agni habere poterant, maxime cum verum ſit quod *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed Semen Abrahæ apprehendit?* Cur igitur adeo feſtivi & gaudioſi Sancto Joanni exhibiti fuerunt, ſeque Chriſto tam gratos exhibuerunt pro redemptione non ipſorum, ſed noſtra; *Dicentium voce magna*, cur non potius voce ſuavi & ſonora? Richardus de Sancto Victore ait: *vox Angelorum laudantium magna eſſe dicitur, ut exultatio & congratulatio eorum de ſalvatione generis humani, & laus ab eis impenſa Salvatori magna deſignetur.*

*Hebr. 2. v. 16.* *Rich. à S. Vict. ibid.*

*Luc. 16. v. 22* In ſignum lætitiæ ab Angelis portatur Lazarus.

10. In S. Luca mors pauperis Lazari deſcribitur, qui ab Angelis in Abrahæ ſinum deportatus fuit: *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Porro ſi Corpus hujus mendici conſideremus, hoc jejunijs extenuatum leviſſimi ponderis erat; ſi animam attendamus, hæc purus erat ſpiritus, cur igitur ad eum deferendum tot Angeli ſimul conveniunt, quando illorum unicus tantum ad immenſam univerſi molem ſuſtinendam ſufficit, ſicut ad primum mobile circulariter volvendum ſufficit unus? Chryſoſtomus ait: *Non ſuffecerat ad portandum pauperem unus Angelus, ſed propterea plures veniunt, ut Chorum lætitiæ faciant.*

*Chr. h. 5. in Luc. de divite.*

Læti accurrunt ad cœlum perducentes. *Luc. 16. v. 21*

11. Servi Epulonis exemplo Domini ſui, erga pauperculum hunc crudeles erant canes ejus ſaturabantur ulceribus: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus*; Obeſus quoque crapulo etiam cadentes è lautiſſima menſa ſua micas ei dari negabat, & tamen quando pauperculus hic ab omnibus deſeritur; ecce Angeli de cœlo omnes feſtivi accurrunt & advolant, ut ipſum in ipſos nectaris & ambroſiæ torrentes, quibus civitas Dei redundat, reverenter deportent. *Gaudet unuſquiſque*, inquit Chryſoſtomus, *tantum onus tangere, libenter talibus prægravantur, ut perducant homines ad regna cælorum.*

*Chryſoſt.*

Pœnitentia noſtra exultatio Ang. *S. Bern ſer. 2. de Virg.*

12. Quæ ſequuntur verba ſunt Sancti Bernardi, mire exprimentia jubilum illud, quo Angelos perfundimus, cum ab illis vere de peccatis noſtris pœnitere conſpicimur; *Exultare*, inquit mellifluus Doctor, *Angelos facimus, quando converſi ſumus ad pænitentiam.* Chryſoſtomus quoque verba illa quæ ut Sanctus Lucas Actuum Apoſtolicorum c. 16. refert, cuſtos carceris dixit, nimirum: *Domine quid me oportet facere ut ſalvus fiam?* conſiderans ait: *Quid hac voce jucundius? Ipſa facit ſaltare Angelos, ut hanc audiret vocem ſervus quoque factus eſt Dei unigenitus; hanc Petro dicebant vocem, qui crediderant ab initio, quid faciemus, ut ſalvi ſimus?* Enimvero myſterio non carent verba illa: *Facit ſaltare Angelos*, exceſſiva etenim lætitia vivacioribus verbis exprimi nequit.

*Act. 16. v. 30* *Chryſ. h. 8. ad Eph.*

Probatur. *Luc. 15. v. 10*

13. Conſiderandum hic quoque venit, quod Salvator noſter priuſquam dixiſſet: *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pænitentiam agente*, duabus uſus fuerit parabolis; quarum prima eſt de Paſtore qui cum è centum ovibus quas habebat unam amiſiſſet, eam ſtudioſe quæſitam ac tandem inventam humeris ſuis impoſuit, cunctoſque vicinos ad ſecum gaudendum accerſivit: *Veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis; congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat*; At vero ut ſimul innueret per ovem hanc inventam animam præſigurari ad pœnitentiam perductam, deque ejus converſione Angelos impenſe gaudere, ſtatim ſubjunxit: *Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pænitentiam agente.* Ubi Beda ait: *Convocat amicos & vicinos, ſcilicet Angelorum choros, qui amici ejus ſunt, quia voluntatem ejus continuo in ſua ſtabilitate cuſtodiunt; Vicini quoque ejus ſunt, quia claritate viſionis illius ſua aſſiduitate perfruuntur.* Melius autem ad propoſitum noſtrum Haymo Halberſtadienſis ita ſcribit: *Amicos & vicinos dicit Angelos; amicos tamquam ea diligentes quæ ille diligit*; Cum enim idem ſint cum Deo, probeque ſciant, quantopere Deus de ſalute noſtra gaudeat, ipſi quoque tamquam perfectè cum ipſo uniti, de eodem gaudio participant; Hic eſt ſenſus in quo Salmeron parabolam iſtam exponit dum ait: *Agnoſcunt Dominum ſuum de reparatione hominis maxime gaudere; lucrantur etiam in Dei laudibus in æternum decantandis ſocios & conſervos.*

*Ibid. v. 6.* *Ibid. v. 7.* *Bed. in Luc.* *Hay. ibid.* *Salm. t. 7. tr. 25. n. 14.*

*Pſ 137. v. 1.* *S Hier.* Pænitentes merentur pſallere cum Ang.

14. S. Hieronymus reflectens ad illa verba Pſalmi: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audiſti verba oris mei; In conſpectu Angelorum pſallam tibi &c.* ac proinde ſanctus hic Doctor in hæc verba ita ſcribit: „Si quis pro omnibus peccatis ſuis confitetur, iſte in toto corde confitetur Domino; In conſpectu Angelorum pſallam tibi; Vide provectionem pœnitentis, quia poſt Confeſſionem & pœnitentiam cum Angelis meretur pſallere."

Ratio lætitiæ. *S. Bon. in Luc.*

15. S. Bonaventura ſupra prædictum S. Lucæ textum, multa enumerat motiva, ob quæ ad concipiendum de Pœnitentia & converſione noſtra gaudium extimulantur; Dicit enim; *Gaudent Angeli de Pænitentia hominis peccatoris, quia deſtruitur culpa, reſtituitur juſtitia, confutatur Dæmonum ſuperbia, efficax efficitur Angelorum cuſtodia, ſeparatur Eccleſia, placatur ira divina & reſtauratur Jeruſalem ſuperna.*

*Iſa. 33. v. 7.* Viſio S. Pauli ſimplicis. *Spec. exemp. 7.*

16. Iſaias Propheta dicit: *Angeli pacis amarè flebunt*, quia ſi ulla ratione doloris capaces eſſent, utique ob miſerabilem peccati ſtatum, in quem commendatas illis animas redactas eſſe vident plurimum contriſtandi forent. De S. Paulo Simplice S. Antonij diſcipulo ſequens narratur viſio; Hic enim die quadam multos ſerenam præ ſe ferentes faciem, atque ab Angelo eorum cuſtode aſſociatos jucundos & hilares Eccleſiam ingredi vidit: inter alios vero unum poſtea nigrum, à Dæmonibus capiſtro per nares alligatum, ejus vero Angelum è longinquo mœſtiſſima facie ſubſequentem conſpexit: Ex qua viſione Sanctus Paulus plurimum contriſtatus fuit, licet eum Deus poſtea ſubito per immiſſam ei conſolationem denuo erexerit, ſiquidem eumdem dum ab Eccleſia regrederetur omnino ex atro & deformi in candidum valdeque ſpecioſum mutatum, ejuſque Angelum ante eum maxima cum hilaritate procedentem Dæmonem vero procul ab eo poſitum & afflictum conſpexit: Cumque ſanctus Eremita viſionis hujus ſignificatum ſummo cum deſiderio ſcire cuperet, Divina ex revelatione accepit, illum ideo nigra fuiſſe facie antea viſum, quia fornicationis peccato multo tempore immerſus fuerat: verba autem ſequentia Iſaiæ audiendo, nimirum: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perversè diſcite benefacere; ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur:* perfectè compunctum fuiſſe, ſeriamque egiſſe pœnitentiam. Aliud quoddam conceptæ Angelorum ex noſtra converſione lætitiæ argumen-

*Iſa. 1. v. 16. 17. & 18.*

tum



*Salm. loc. cit.*

tum ſive motivum tangitur à Salmerone hiſce verbis: *Cognoſcunt peccatores ad Chriſtum converſos victoriam obtinere ſuper principes tenebrarum, qui hoſtes ſunt Angelorum.* Præterea idem Author ſubjungit: *Miniſterij ſui fructum conſequuntur, cum peccatores ad Chriſtum redeunt.*

Quare Ang. de converſione lætantur. *S. Th. Vill. loc. cit. cont. 2.*

17. Dici quoque poteſt cauſam jubili Angelorum quo de noſtra converſione exultant, eſſe, quia Angelorum plurimum intereſt quod nos reſipiſcentes ad Deum toto corde convertamur. Unde S. Thomas de Villa nova ait: *Hoc cuſtodiæ munus propter ſeipſos exequuntur; nempe quia ſciunt civitatis ſuæ ruinas non aliter, quam per homines reparandas; lapides ergo vivos, ut boni artifices, ad ſtructuram ſuæ civitatis expoliunt.* Hoc ipſum quoque Sanctus Ambroſius forte dicere voluit, quando ita ſcribit: *Angeli ſuper uno peccatore pænitentiam agente lætantur, quia lucrum ſuum putant hominis redemptionem.* Petrus Bleſenſis diſcurrens de motivis, ob quæ Angeli ad nos defendendos nobiſque miniſtrandum tanta ſolicitudine & zelo perurgentur hæc tria tangit: *Propter nos, quia naturam noſtram, in animabus noſtris quæ ſunt rationales ſpiritus recognoſcunt, noſque ſibi conjunctos conformitate naturæ & quadam cognatione intelligunt, quia ſunt participes & capaces beatitudinis: propter Deum, cujus viſcera vident effuſa circa nos, diligunt nos*; ac tandem ultimo loco utilitatem quæ ex noſtra cuſtodia in ipſos redundat, adducit, dum ait: *Propter ſe, quia de nobis tamquam de lapidibus rationabilibus & vivis, reſtaurandum eſt ſuæ civitatis excidium, atque cæleſtium ruina murorum. Diligunt concives ſuos*, inquit etiam S. Auguſtinus, *per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras inſtaurari expectant, ideoque magna cura & vigilanti ſtudio adſunt nobis; omnibus horis & locis ſuccurrentes, & providentes neceſſitatibus noſtris, & ſoliciti diſcurrentes inter nos & te Domine.* Idem quoque motivum S. Bernardus in ſermone quodam de S. Michaele tetigit, dum diſcurſum ſuum ad ipſos dirigens, ſe minimè credere dicit, illos proprias libenter videre ruinas, ideoque ſpe firmâ ſe vivere ait, ipſos in ijs reſtaurandis omne ſtudium ſuum poſituros eſſe, cum vero idipſum nonniſi per ſalvationem noſtram adimplere poſſint, conſequens eſſe, ut in hanc ſalutem noſtram procurandam omnem ferventiſſimum zelum & ſolicitudinem ſuam adhibeant: *cujus inſtaurationem ſi deſideratis (ut dignum eſt) frequenter quæſo apud thronum gloriæ verbũ precis, iteratè dicentes: Benigne fac Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædificentur muri Jeruſalem. Si diligitis decorem domus Dei, (imo quia verè diligitis) experiantur zelum veſtrum vivi & rationales lapides, qui ſoli in inſtaurationem ejus vobis poſſunt coædificari.*

*S. Ambr. in Pſ. 108. oct. l. 4.* *P. Bleſ. ſer. 47* *S. Aug. ſolil. c. 27.* *S. Ber. ſer. 1. de S. Mich.*

*Abul. in c. 18. Matth. q. 55.* *Matth. 18. v. 10.* Ang. vocantur noſtri qui concives erimus. *S. Aug. l. 22. de civ. Dei c. 29.*

18. Abulenſis cauſam exponit cur Sapientia incarnata beatos illos Spiritus, Angelos noſtros appellarit: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei.* Potius enim dicere debuiſſe videtur *Angeli mei*, ſiquidem familiariſſimi ejus aulici, & cives ſunt patriæ cœleſtis. *Angeli eorum vocantur, id eſt, concives eorum, quia concives ſunt, & futuri ſunt in vita æterna concives hominum beatorum*; adducitque S. Auguſtini authoritatem, qui idem dubium hiſce verbis declarat: *Noſtri Angeli dicti ſunt, quia eruti de poteſtate tenebrarum, & accepto ſpiritus pignore tranſlati ad regnum Chriſti ad eos Angelos jam cæpimus pertinere, cum quibus nobis erit ſancta & dulciſſima Dei civitas ipſa communis. Sic ſunt ergo Angeli noſtri, qui ſunt Angeli Dei, quemadmodum Chriſtus Dei Chriſtus eſt noſter; Dei ſunt, quia Deum non dereliquerunt, noſtri ſunt, quia ſuos cives nos habere cæperunt.*

Electio relinquitur.

19. Noſtrum igitur hunc eſt, ut conſideremus & quidem ſerio, & ex propoſito, quid nobis expedientius exiſtat, an quod tamquam rudes & inutiles lapides in profundum inferni quod vaſtæ hujus mundanæ molis centrum eſt, abjiciamur, an vero quod inter elegantes & tunſionibus preſſuriſque expolitos lapides collocati ornamentum efficiamur Hieroſolymæ cœleſtis, *Quæ conſtruitur in cælis, vivis ex lapidibus*; Utrum ex duobus lætificare & exhilarare volumus? an Dæmones ob noſtram perditionem an vero Angelos ob ſalutem noſtram æternam? Sanctus Ambroſius ſuper illa verba: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat*, de cœleſtium ſpirituum Choris dicit: *hominum redemptione lætantur, quamquam hoc quoque proficiat ad incentiva probitatis ſi unuſquiſque converſionem ſuam gratam fore credat cætibus Angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offenſam*; quam adeo nobis proficuam exhortationem hiſce tandem verbis concludit: *Et tu igitur eſto Angelis lætitiæ.* Sanctus Bernardus quoque eadem nobis admovere calcaria ſtudet, hiſce nos verbis ad pœnitentiam & recidivæ cautelam ſerio exhortando: *Proficiamus & feſtinemus complere de nobis eorum lætitiam; Væ tibi quicumque es, qui deſideras redire ad lutum, reverti ad vomitum, putaſne placatos habebis in judicio, quos tanto & tam ſperato privare vis gaudio?* Hoc etenim maximum eſt eorum gaudium, hoc eſt intenſiſſimum ipſorum quod habent deſiderium & ſtudium, quod ruinas ipſorum reſtaurari conſpiciant. *Nonne de vermiculis iſtis, & de pulvere iſto reſtaurandi ſunt muri cæleſtis Jeruſalem?*

*Luc. 15. v. 6.* *S. Ambr. l. 7. in Luc.* *S. Ber. ſer. 2. de Virg.*

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

Oratio Angelis nos familiares efficit, quam ipſi nos rectè inſtituere docent, & ſimul cum omnibus alijs operibus bonis per patrocinium & interceſſionem ipſorum corroborant, & Deo præſentant.

### THEMA.

*Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum; ego obtuli orationem tuam Domino.* Tobiæ 12. ℣. 12.

Ang. opera noſtra bona Deo offerunt

1. VAlde conſiderabile eſt beneficium iſtud quod à cœleſtibus illis ſpiritibus recipimus, dum ipſi non ſolum orationes noſtras, ſed & omnia alia bona opera noſtra coram tribunali altiſſimi Dei repræſentant, prouti ex præcitatis Raphaëlis Archangeli verbis ad Tobiam ſeniorem dictis clare deducitur. Dubium quidem nullum eſt, quin hæc omnia Deo, qui in Pſalmiſta ait: *Scrutatur corda & renes*, omnino manifeſta ſint; ſiquidem *Excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit*; Verumtamen illa ſibi per ſupernorum ſpirituum manus vult præſentari, eo quod illos in eo miniſterio, ad quod illos deſtinavit occupatos eſſe libentiſſime videat, gaudeatque illos ſalutis noſtræ adeo cupidos eſſe, adeoque in magnificandis dignificandiſque operibus noſtris eorum conſilio, auxilio, atque ducatu à nobis factis zeloſos atque ardentes.

*Pſ. 7. v. 10.* *Pſ. 137. v. 6.*

*Philip. 4. v. 6.* Pro nobis intercedunt. *S. Th. ibid.*

2. S. Apoſtolus ab Philippenſes ait: *Petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Magnus ille Gentium Doctor qui in Academia cœli Empyrei edoctus & eruditus fuerat, optime utique ſciebat, omnia Deo manifeſta eſſe atque perſpicua, ac proinde ex mente Angeli Doctoris hoc ſolum dicere voluit: *Innoteſcant ijs qui ſunt apud Deum, id eſt; Angelis per quorum miniſterium deferuntur Deo, non quaſi ignoranti, ſed quia intercedunt pro nobis*; Sanctus Hilarius ex Tobiæ Hiſtoria deduci poſſe dicit, quod Angeli coram throno Dei aſſiſtant, noſtraſque orationes offerant; *Orationes deprecantium ad Deum deferentes*; redditque rationem cur Spiritus Sanctus nos hac de re certiores fieri voluerit, dum ait: *Hoc ideo commemoratum eſt, ut ſi forte hos eſſe oculos vel aures, vel manus, vel pedes Dei intelligere voluerimus, habeamus non improbabilis intelligentiæ authoritatem, maxime cum ſcriptum ſit; ſunt enim ſervientes ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditabunt ſalutem*; Demum vero ad propoſitum noſtrum ſubjungit: *Deo nihil ex his, quæ agimus, ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogandum & promerendum ſpiritualis interceſſionis miniſterio indigente.* Sanctus Anſelmus quoque aliud hujus Angelicæ oblationis myſterium indicat, dum ait: *Annuntiant Deo Angeli opera noſtra cuncta, nec non & orationes, non ut ipſe diſcat, quæ neſciebat, nihil enim eſt quod ignoret, ſed quia neceſſe habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales cauſas ad æternam veritatem referre, ſive petendo quid erga ſe, vel erga nos fiat, ſive conſulendo quid faciat, qui pius mentis affectus eſt, ut ipſa conſtruatur, non ut Deus inſtruatur.* Quæ ipſiſſima verba etiam in S. Auguſtino Tom. 2. in Epiſt. ad Honoratum cap. 19. ad unguem deſcripta leguntur.

*S. Hilar. in Pſ. 130.* *S. Anſ. in c. 16. Luc.*

*S. Bon. in ſolil. anim. & corp. c. 1.* Oratio Angelos lætificat & te illis jungit. *Chryſ. or. 2. de precat.*

3. S. Bonaventura in quodam Soliloquio ſuo, quo inter animam & corpus inſtituit, hiſce verbis exclamat: *O anima ſi videre poſſes, quanto gaudio Angeli aſſiſtunt orantibus, interſunt meditantibus.* Ratio autem hujus gaudij eſt, quia nulla in re illos certius imitari poſſumus, quam in hac mentis & cordis noſtri elevatione ad Deum, cui ipſi inſeparabiliter uniuntur. Chryſoſtomus ad id probandum ingenioſam quamdam conſiderationem hiſce verbis inſtituit: *Cætera* illo-

*illorum omnia, & noſtra, at natura, victus, ſapientia, & quidquid dixerit quiſpiam, longo intervallo inter ſe diſtant, precationis autem officium commune eſt hominibus cum Angelis; hæc te Angelis jungit, hæc brevi ſane illorum Reipublicæ, illorum vitæ, vivendique rationi, dignitati, nobilitati, ſapientiæ, intelligentiæ adjungetur, qui omnem ſibi vitam in precibus ponendam putabit.*

Ang. nos orare docent.

4. Hoc quoque ab illis commodum reportamus, quod tametſi in ſancto hoc orationis exercitio ignorantes ſimus, nobis tamen continuo aſſiſtens Angelus, nos doceat, inſtruat, adjuvet in illo; Id quod Apoſtolus forſitan dicere voluit, dum ait: *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis;* Id quod Chryſoſtomus confirmat dum ait: *Cum Deo revera precationis tempore colloquimur, qua cum Angelis quoque conjungimur, Angelorum eſt enim precatio, quæ vel eorum ſuperat dignitatem ſiquidem cum Deo loqui præſtantius quiddam eſt, id tamen ipſi nos docent.* In Annalibus Eccleſiaſticis de Cæleſtino ſcribitur: *Erat puer ſimpliciſſimus, & jam primum brevi in tempore, Pſalterium didicerat legere; Angelos de cælo lapſos, velut pædagogos ſuos eum inſtruendo vidit in ſomnis ſibi aſſiſtere.*

Rom. 8. v. 26. — Chryſoſt. lo. cit. orat. 1. — Ann. Eccl. Rayn. ann. 1294. n. 8.

Orationes Deo offerunt.

5. Neque ſolum in oratione facienda nos inſtruunt & erudiunt, verum etiam eaſdem apud Deum efficaciter adjuvant, & corroborant. Sanctus Joannes in Apocalypſi ſe Angelum quemdam vidiſſe ſcribit; qui coram Altari aſtans, thuribulum in manu ſua aureum habebat, eique incenſa multa fuiſſe dicit, quæ ſervorum Dei orationes erant: *Et data ſunt ei incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.* Porro aromata & incenſa fragrantiam ſuam tunc foras emittunt, quando prunis ardentibus ſuperimpoſita cremantur; ita quoque Angeli tantam orationibus noſtris virtutem tribuunt; quantam ignis aromatibus communicat, ut odoriferam fragrantiam edant; Unde S. Thomas Aquinas dicit: *Eorum meritis & precibus orationes noſtræ ſortiantur effectum.*

Apoc. 8. v. 3. — Ut effectum ſortiantur ſatagunt. — S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 1.

6. *Vox dilecti mei*, inquit ſponſa, *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Porro anima iſthæc in tantum ſe divinam vocem audiiſſe gloriatur: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, in quantum illa per Angelorum Choros tranſierat, id eſt, in quantum Angeli gemitus & ſuſpiria noſtra Deo præſentare ſatagunt.

Cant. 2. v. 8. — Pſ. 84. v. 9.

7. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum; Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.* Hæ Dei aures, ut paulo ante ex ſententia S. Hilarij diximus, Angeli ſunt. Similiter ſponſa in alia quadam occaſione cœleſti ſponſo ſuo dixit: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*, quaſi dicere vellet, Angelicis interceſſionibus mediantibus, ſe divinæ vocis ejus harmonia delinitam eſſe. Chananæa non obſtante quod in ejus ſe favorem totum Collegium Apoſtolicum apud Chriſtum interponeret, ſæpius tamen à benigniſſimo Salvatore noſtro repulſam paſſa fuit; *& Accedentes diſcipuli ejus, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos*; tandem vero exaudiri meruit, adeoque benevole, ut incarnata ſapientia inſuper in ejus laudem exclamarit dicens: *O mulier magna eſt fides tua; fiat tibi ſicut vis.* Scitiſne vero quando vel maxime tam favorabile ſupplicationis ſuæ reſcriptum obtinuerit; nimirum quando per Sanctorum Angelorum interceſſionem adjuta fuit, quod illi accidit, dum eos hiſce verbis imploravit: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Sanctus Bernardus ſerm. 1. de S. Michaële Archangelo ita ſcribit: *Nos vero Sancti Angeli catelli ſumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, catelli inquam cupientes ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum noſtrorum, qui eſtis vos.* Quod ſi quis forte mihi opponat, quod tametſi orantes Angelorum quoque auxilium imploremus, ſæpe tamen ſubito non exaudiamur. Reſpondet pro me ad hanc objectionem Rupertus Abbas Tuitienſis dicendo, quod rebelles Angeli ſæpenumero ſe contra nos coram ſupremo Tribunali opponant, & quoad per vires poſſunt cum Angelis noſtris luctantur, ne orationes tam ſubito exaudiantur: *Scire debemus Angelos malos venire, & contradicere illis, atque reſiſtere, quod videlicet exaudiri non debeamus, eo quod neque fide plena oremus, neque propoſitas nobis exauditionis conditiones obſervemus*, conditiones autem illas ob quarum defectum orationes noſtræ exaudiri non merentur, in Iſaia deſcriptas eſſe, dicit hiſce verbis: *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes;... Frange eſurienti panem tuum,... cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris; Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum.* Et ideo dicit Rupertus: *Cum igitur invocamus Dominum, & non exaudit, cum clamamus, & non dicit, Ecce adſum, ſcire debemus Sanctis Angelis invocationes atque clamores noſtros Deo offerentibus reſiſtere, & contradicere malos habentes in manibus accuſationem & jacula quæ ſunt peccata noſtra.*

Pſ. 129. v. 2. — Pſ. 5. v. 2. — Pſ. 30. v. 3. — Exaudimur per Angelorum interceſſiones. — Cant. 2. v. 14. — Matth. 15. v. 23. — Matth. 15. v. 23. — Ibid. v. 27. — S. Bern. — Rup. Abb. l. 9. de Vict. v. c. 8. — Iſaiæ 58. v. 6. — Ibid. 7. — Ibid. 9.

Sacrificium Deo offerimus per manus Angel. noſtræ enim indignæ.

8. Enimvero certum eſt quod inter cæteras orationes & functiones, quas Eccleſia Dei pro nobis offert, præcellentior ſit illa quam in ſacrificio Miſſæ pro nobis offert. Eſt autem advertendum, quod in Canone miſſæ inter alia, hæc verba ab Eccleſia recitentur: „ſupplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc „perferri in ſublime altare tuum in conſpectu Divinæ „majeſtatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris partici- „patione ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem „ſumpſerimus omni benedictione cœleſti & gratia „repleamur. Innocentius III. ait: Porro ſicut B. Au- „guſtinus determinat, non dicitur Angelus orationes „noſtras offerre Deo, quaſi tunc primo Deus noverit, „quid velimus, quia Deus omnia novit, antequam „fiant, ſed quia neceſſe habet rationalis creatura tem- „porales cauſas ad æternitatem referre, hinc eviden- „ter apparet, quod Angeli ſemper in ſacrificio præ- „ſentes aſſiſtunt. Experientia ſæpe verum eſſe com- „perimus, quod tametſi cibus aliquis quoad ſubſtantiam & guſtum bonus ſit, nauſeam tamen adferat ex eo ſolum, quia in ſordida paropſide apponitur, eodem modo ſacerdos Divinæ Majeſtati offerens dicere velle videtur, tametſi cor meum & manus meæ puræ & dignæ non ſint, ut per illas tibi hæc hoſtia offeratur, ideo ſaltem per manus Sanctorum Angelorum tuorum oblatam acceptare digneris: Jube hæc perferri „per manus ſancti Angeli tui.„

Inn. 3. l. 5. miſt. miſſ. c. 6.

9. Sanctus Gregorius ita ſcribit: *Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa æmulationis hora ad ſacerdotis vocem cælos aperiri, & in illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum Choros adeſſe? Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi.* Sanctus Ambroſius propoſitionis hujus rationem his verbis reddit: *Non dubites aſſiſtere Angelos quando Chriſtus immolatur; apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi, quia divinæ inſigne miſericordiæ deferebat, Dominus enim à dextris eſt mihi ne commovear.* Pro nobis interveniunt ad implorandam nobis divinam miſericordiam, prouti ex alio Zachariæ loco colligitur, qui ut Chryſoſtomus obſervat, ita ſcribit: *Et reſpondit Angelus qui loquitur in me, & dixit ad Dominum, hæc autem Angeli fuit deprecatio: Domine exercituum uſquequo non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda quas deſpexiſti? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt; Quid igitur? repudiavitne Deus orationem legati Angelici? minime id quidem; quid igitur reſponſi dedit? Reſpondit Dominus ad Angelum loquentem in me verba bona & conſolatoria; Obſecremus ergo & nos Dominum Angelorum, & ablegabit unum ex Angelis, qui totam phalangem hoſtium diſſipabit?* S. Bernardus hiſtoriam illam in memoriam nobis revocans in qua tot legiones Angelorum in Eliſei defenſionem miſſæ, perhibentur dicit: *O ſi quis haberet oculos apertos, quos orando Propheta puero revelavit, videret proculdubio, quemadmodum prævenerant principes conjuncti pſallentibus in medio juvencularum tympaniſtriarum; videret inquam quo tripudio, quave cura interſunt Angeli cantantibus, adſunt orantibus, interſunt meditantibus.*

S. Greg. l. 4. dial. c. 58. — Sacrificantibus adſunt. Ang. — Luc. 1. v. 11. — S. Ambr. in cat. — Dei miſericordiam implorant. — Chryſoſt. t. 6. ſerm. de uno legisl. — S. Bern. ep. 58.

Exempla.

10. Adeo ſunt in offerendis bonis operibus noſtris punctuales & exacti ut in vitis Patrum legamus quod dum quidam ex ſanctis illis ſenioribus Eremitis ob laſſitudinem membrorum, & annorum maturitatem impeditior eſſet, quam ut aquam è loco procul diſſito adferret, eamdem ut in loco viciniori hauriret, abierit: aſpiciens autem retro, quemdam ſe ſequentem viderit, paſſus ſive greſſus pedum ſuorum numerantem; Quem cum interrogaſſet: *Quis es tu?* reſpondit ei: *Angelus Dei ſum, numerare veſtigia tua, & dare tibi mercedem.* S. Ephrem ſcribit Angelos omnes pertranſire Eccleſias, ad conſignanda in tabulis jejunantium hominum nomina, & ideo monet: *Caveamus igitur male agere cum jejunamus, ſiquidem Angeli ſunt qui per ſingulas Eccleſias deſcribunt jejunantium nomina.* Omnes Eleëmoſynas, orationes, aliaque opera bona quæ Cornelius centurio faciebat, Angeli annotantes coram Divino tribunali obtulerunt, quibus & ſibi & univerſæ gentilitati viam aperire meruit ad ſanctum Baptiſmatis lavacrum; Angelus quoque ei apparuit, feliciſſimum hoc ei nuntium deferens: *Corneli exaudita eſt oratio tua & Eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei.* De S. Bernardo legitur, quod dum Monachi longo temporis ſpatio in choro perſeverantes pſallerent, Angelos iiſdem viderit ſolicite aſſiſtentes. *Vidit ſingulos Angelos juxta Monachos ſtantes, & quod quiſque eorum pſallebat ſedulis more Notariorum tam diligenter excipientes, ut nec minimam ſyllabam, quamquam negligenter prolatam, omitterent.* Verumtamen diverſis illas characteribus annotabant; quorumdam enim pſallentium verba characteribus inſcribebant aureis, quorumdam argenteis, quædam atramento alia figurabant aqua, aliorum denique verba penitus non annotabant. *Qui auro, ferventiſſimum ſtudium in Dei ſervitio, & abſolutam cordis intentionem in his quæ pſallebant, ſignificabant; qui argento, minorem fervorem puram tamen pſallentium devotionem declarabant; qui atramento, continuam quorumdam bonæ voluntatis uſum in pſalmodia, licet non cum multa devotione notabant, ſed qui aqua ſcribebant, exprimebant, eos qui ſomnolentia ſeu pigritia preſſi, vel vanis cogitationibus abſtracti, videntur aliquid ſignare, ſed cor eorum abſtractum, prorſus non concordat voci.*

Vit. Pa. l. 7. c. 4. — S. Ephr. de jejun.



Act. 10. v. 31. — Spec. exem. 11.

Noſtra opera offerunt Deo.

11. Idem S. Bernardus, cui hæc facta fuerat viſio, in ſermone ſupra allegato obſervationem quamdam habet pro noſtra inſtructione notatu digniſſimam, nimirum quod Angeli Deo opera bona offerant quidem, ſed noſtra non ſua, ſiquidem ipſi extra ſtatum ſunt poſiti merendi: *Miniſtrant Angeli, ſed de alieno offerentes Deo bona opera non ſua, ſed noſtra.* Obſervanſque idipſum, quod paulo ante tetigimus ait: *Aſcendit fumus aromatum de manu Angeli, ſolicite præmiſit, data ſunt ei incenſa multa, noſtras enim ſudores, non ſuas lachrymas offerunt Deo.* Unde non ſufficit quod nos per auxilium & patrocinium ipſorum commendemur, niſi nos quoque manum operi una cum illis admoveamus, virtutumque operibus ipſorum cuſtodiæ cooperemur.

S. Bern. l. cit. ſerm. 1. — Apoc. 8. v. 4.

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

Angelos tametſi hic in terris nobis miniſtrent, per hoc tamen minime impediri oſtenditur, quo minus Deo aſſiſtant, & viſione beatifica fruantur; imo inſuper probatur, quod ipſorum in Deum continuo defixus obtutus, ipſos de noſtra ſalute magis ſolicitos efficiat; tanguntur etiam aliqua bona, quæ nobis communicant; Deque exhibenda à nobis, Angelis in quovis loco reverentia.

### THEMA.

*Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis; Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt.* Matth. 18. ꝟ. 10.

1. Petr. 1. v. 12.

Angeli numquam ſunt privati viſione beatifica.

1. IDem ille Deus, de quo ſcribitur: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, docere nos volens, qua in æſtimatione proximos noſtros, quantumvis viles & abjectos, habere debeamus, nobis innuit quod Angeli cuſtodes eorum, oculos ſuos in Divinum vultum inſeparabiliter defixos ſemper habeant: *Dico enim vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt.* At vero dicet aliquis, quod ſi Angeli homini hic in terris conſtituto miniſtrant & ſerviunt, ſive id faciant in excubijs & cuſtodia, quam pro homine habent, ſive in Regnorum Provinciarumque ſuperintendentia, ſive denique in ampliſſimarum cœleſtium ſphærarum circumvolutione quomodo ſimul in cœlis eſſe, divinaque ibidem & beatifica viſione frui poſſunt? Abulenſis hanc difficultatem reſolvit dicens: *Angeli quando apud nos manent, licet non ſint in cælo Empyreo, nihil de felicitatis actu perdunt.* Quam veritatem ſacri Interpretes unanimiter docent. Et quidem S. Gregorius rationem quamdam adfert, quæ eamdem manifeſte convincit; Siquidem quod ſi ipſi lucis fontem amitterent, nos utique ad eumdem deducere minimè poſſent; cauſa enim cur ad noſtram cuſtodiam deputati fuerint, eſt ut nobis duces & præceptores ſint ad æternam beatitudinem: *Neque enim ſic à divina viſione foras exeunt, ut internæ contemplationis gaudijs priventur, quia ſi conditoris aſpectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere, neque ignorantibus vera nuntiare poſſent, fontemque lucis quem egredientes ipſi perderent, cæcis nullatenus propinarent.*

Ab. in c. 18. Matt. q. 68. — S. Greg. l. 2. mor. c. 3.

Ang. à viſione divinæ eſſentiæ divelli non poſſunt.

2. Quocumque volant, etiamſi in Infernum, uſque deſcendant, Paradiſum ſecum neceſſario circumferunt, quia à viſione & fruitione divinæ eſſentiæ divelli nequaquam poſſunt. Unde S. Petrus Damianus ait: *Cum mittuntur non fraudantur gloria viſionis, quia ubique occurrit Divinitatis eſſentia.* David de univerſa hominum progenie dicit: *Omnis homo mendax*; De Angelis vero idipſum aſſerere blaſphemia foret; Et tamen in libro Tobiæ legitur, quod Raphael Archangelus interrogatus: *Unde te habemus bone juvenis?* reſponderit: *Ex filijs Iſraël*, & alibi: *Ego enim ſum Raphael Angelus &c.* Unde ſicut dici nequit ipſum primâ vice fuiſſe mentitum, ita neque ſecunda vice mendacij argui poterit, ſiquidem *Iſraël* idem eſt, quod *videns Deum.* Ubi expoſitor quidam ait: *Erat ex numero Angelorum qui ſemper vident Deum facie ad faciem.* B. Laurentius Juſtinianus de hiſce ſpiritibus beatis quantumvis hic in terris in noſtra cuſtodia occupatis dicit: *Vident ita faciem Patris, ut ab hominis minimè retardentur obſequio, atque ſic in eodem miniſterio occupantur, quatenus à divinis nequaquam removeri valeant amplexibus.*

S. Petr. Dam. — Rom. 3. v. 4. — Tob. 5. v. 6. & 7. — Tob. 12. v. 15. — Strab. ibid. — B. Lau. Juſt. l. 2. de ſpir. am. res.

Confirmatur.

3. Idem Archangelus Raphael interrogatus: *Noſti viam, quæ ducit in regionem Medorum?* reſpondit. *Novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi*; ſed numquid hic Angelus idem ille eſt, qui dixit: quod ſit *unus ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum?* qua ratione Angeli coram throno Dei aſſiſtere & ſimul mundum peragrare poſſunt? Reſpondet S. Gregorius, *Et mittuntur & aſſiſtunt*, quia tametſi in miniſterio noſtro occupati ſint, *ſemper vident faciem Patris.* S. Athanaſius ait: *Mittuntur & aſſiſtunt, quia etſi circumſcriptus ſit Angelicus ſpiritus, ſummus tamen ſpiritus, qui Deus eſt, circumſcriptus non eſt; Angeli itaque & miſſi ante ipſum ſunt, quia quolibet miſſi veniant, intra ipſum currunt*; Abulenſis adducto Bedæ teſtimonio idem ſcribit: *Angeli quocumque mittantur, intra Deum currunt, id eſt, ſemper eum vident, ac ſi corporaliter intra eum eſſent.*

Tob. 5. v. 7. & 8. — S. Greg. l. 1. mor. c. 2. — S. Atha. in c. 1. ad Hebr. — Abul. q. 69.

Aug. quoad effectum cuſtodiæ ſemper præſentes.

4. Advertendum eſt igitur quod tametſi Angeli in cœlis coram Dei altiſſimi majeſtate aſſiſtant, attamen quod ad cuſtodiam noſtram hic in terris, ne vel minimum punctum negligant. Docet idipſum Angelicus Doctor, dum ait: *Angelus etſi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quoad effectum cuſtodiæ, quia etiam cum eſt in cælo, cognoſcit quid circa hominem agatur, nec indiget mora temporis quoad motum localem, ſed ſtatim poteſt adeſſe.* Rationem vero hujus velocitatis Abulenſis his verbis tradit: *Cum non ſit corpus, neque corpori alligatus, non movetur per continuum, ideo neque per tempus, ſed ſubito fit tranſitus ejus de cælo in terram.*

S. Th. p. 1. q. 113. ar. 6. — Abul. q. 67. in c. 18. Matth.

Sine difficultate cuſtodiunt.

5. S. Auguſtinus conſiderat, quod Angeli volatu ſuo minimè fatigentur, ac proinde ſine ulla ſui laſſitudine nobis auxilientur, nobiſque in omni tempore & loco diligenter inſerviant. *Sancti Angeli ad quorum ſocietatem hac peregrinatione laborioſiſſima ſuſpiramus, ſicut habent permanendi æternitatem, ita habent cognoſcendi facilitatem, & requieſcendi felicitatem, ſine difficultate quippe nos adjuvant, quoniam ſpiritualibus motibus puris & liberis non laborant.*

S. Aug. l. 11. de civ. Dei c. 31.

In divino ſpeculo neceſſitates vident.

6. Magna quoque noſtra utilitas eſt, quod Angelus coram Divino tribunali perpetuo aſſiſtat; quia tanto vicinius atque propinquius intenſiſſimo illo divinæ eſſentiæ ſpeculo neceſſitates noſtras conſpicit, & pariter proſpicit iiſdem. Unde B. Laurent. Juſtin. ita ſcribit: *Hos ſpiritus pro ſingulari benevolentia charitatis ad humanam deputavit cuſtodiam, ipſis inſpirat cuncta quæ ad hominum ſalutem neceſſaria ſunt: in ſpeculo ſapientiæ contemplantes diſcunt, qualiter ſuum debeant perficere miniſterium.* Enimvero quærere quis poſſet, inquit Abulenſis, qua ratione Angelus in cœlo Empyreo conſtitutus, diſcernere & providere poſſit neceſſitati auxilij ſui, qua talis anima urgetur conſtituta in terris? ac proinde reſpondet: Etſi dum Angelus, „eſt in cœlo, accidit circa hominem aliquid, in quo ſit, „ei neceſſaria cuſtodia Angelica, poteſt Angelus ſubi- „to ſibi adeſſe, & aderit, quia ipſe ſcit per divinam re- „velationem ſemper quid agitur circa ſuum clientu- „lum, & quid agi oporteat ex parte Angeli, & tunc, „ſubito de cœlis aderit in quocumque loco ubi fuerit, „

B. L. Juſt. De caſt. con. c. 16.

cuſtoditus,& ita ille nullam detrimentum incurrit ex abſentia Angeli.

Cant.7.v.1. Caſtrorum inſtar.

7. *Quid videbis in Sulamite , niſi choros caſtrorum ?* ait in ſacris Canticis de ſponſa ſponſus cœleſtis. Porro per hanc Sulamitem intelligenda eſt Eccleſia , per choros autem, ordines Angelorum , qui inſtar armati cujuſdam exercitus nobis ob oculos proponuntur , quia contra infernales inimicos noſtros præliantur & pugnant : vel etiam dici poteſt quod Chori appellentur , quia puriſſimi illi Spiritus in procinctu ſunt , ut Deum laudent. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus*

Pſal. 102. v.20.

Optime vero Theodoretus ad propoſitum noſtrum notat , quod ſpiritus ſanctus non ſine cauſa prius dicat *Choros* , & poſtea *caſtrorum* , ad denotandum nobis, quod oculos ſuos prius in Deum videndum & laudandum defigant , poſtquam verò ab illius , qui *charitas eſt*,quique erga nos tam beneficus & in diſpenſandis divinis gratijs ſuis liberalis exiſtit , ardentiſſimo amore & charitate accenſi fuerint , tunc præ nimio fervore in noſtrum quoque miniſterium & auxilium toto ſe conatu impendunt.

Matth.18. v.10. Defendunt nos.

8. *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis* , quare ? *quia Angeli eorum... ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt* , S. Gregorius illud ly *Quia* argutè ponderat,illud enim hunc ſenſum reddit: Ideo Angeli tam exquiſitam hominum curam habent, quia totaliter in Deum defixi hærent : *Quia ſi conditoris aſpectum exeuntes amitterent &c.* Et ideo B.Laurentius Juſtinianus ait : *felicitate fruuntur beata,& in charitate conſtituti perfecta , nil prætermittunt , quod ſaluti hominum ſciunt eſſe proficuum.* Probè norunt, quòd *militia , ſive tentatio eſt vita hominis ſuper terram* , ac proinde Chori cœleſtes in hujus mundi arenam deſcendunt , ut pro defenſione noſtra prælientur , ſatis intelligentes , quod ſine interventu operæ ipſorum gloriæ coronam recipere vel ipſorum in cœlo cohæredes eſſe nequeamus. Seraphicus Doctor ſcribit : quod *ſicut anima eſt corporis vita , ſic animæ vita eſt gratia & ideo gratia non habita , anima dicitur mortua* , hanc autem gratiam Angelis mediantibus accipimus : *Anima ſine dono gratiæ , eſt ſicut nox Sole carens : Angelorum interceſſionibus gratiam impetramus.*

S.Greg.l.2. mor.c.3. B.Lau. Juſt. l.2. de ſpir. am.res. Job 7.v.1.

S.Bon.ſer.1. de ang. Gratiam impetrant.

De noſtra ſalute ſoliciti. Dan.7.v.10

9. Nulla in eo eſt contradictio , ut jam abundè probavimus , quod Angeli uno eodemque tempore Dei throno aſſiſtant : *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei* , ſimulque hic nobis in terrenis deſerviant. Raphaël Archangelus in longo iſto itinere perpetuus Tobiæ comes fuit Archangelus Gabriel Synagogæ , ſub Babylonica ſervitute ingemiſcenti , auxilio & tutela adſtitit . Seraphini juxta Dei thronum aſtabant , ſimulque ad Iſaiæ labia mundanda in terram evolabant : Non implicat, quod in Antecamera Cœli Empyrei aulici Ephœbi ſint , noſtrique ſimul hic in terris in hac lachrymarum valle vigilantiſſimi excubitores : *Angelis ſuis Deus mandavit de te , ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Dum nobis inſerviunt , obſequium ſe Deo præſtare arbitrantur : *Miniſtri ejus qui facitis voluntatem ejus.* *Seraphim ſtabant* , & tamen *volabant* , adeoque firmi pariter & in motu conſtituti repræſentabantur. Ubi Sanctus Ambroſius ait : *Si ſtabant , quomodo volabant ? & ſi volabant , quomodo ſtabant ? Uno eodemque tempore quo oculos ſuos* in Deum , defigebant , verſum nos quoque alas explicabant , quia dum amore inardeſcunt *Nihil prætermittunt , quod ſaluti hominum ſciunt eſſè proficuum* ; inquit B. Laurentius , *in Charitate conſtituti perfecta.* Sanctus Auguſtinus quoque huic amori , quo divina eſſentia fruentes accenduntur , ſummam curam & ſolicitudinem , qua in noſtram utilitatem extimulantur , unicè attribuit. Unde ait : *Grandis eſt eis cura de nobis , magnus eſt affectus dilectionis erga nos , & hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis charitatis, qua dilexiſti nos,diligunt enim, quos tu diligis.*

Iſaia 6. v.8.

Pſ.102.v.21

S.Ambr. l.3. de Spiritu S. c.25.

S August. ſolil. c.27.

Cœleſti dulcedine recreant. B Lau. Juſt. l.de obed.c.7.

10. Ab hac numquam intermiſſa viſione ( nam ut B. Laurentius Juſtinianus ait : *Sic exeunt qui miniſtrant,ut nequaquam vel ad momentum Dei careant beata viſione* ) fit conſequenter , quod ab illa lautiſſima deliciarum æternalium menſa , ad nos decidere ſinant aliquam torrentis illius , quo civitas Dei redundat , ſtillam. Martyres in acerbiſſimorum tormentorum carnificina conſtituti gaudebant & tripudiabant. Sanctus Laurentius Tyranno in faciem hæc verba exprobravit · *Diſce miſer quod carbones tui mihi refrigerium præſtant ; nec enim* , ut Sanctus Auguſtinus ait , *poteſt in viſceribus ignium tormenta ſentire , qui ſenſibus Paradiſi refrigeria poſſidebat* , imò qui Ambroſiam & nectar cœlorum ab Angelis recipiebat. *Miſit Dominus Angelum ſuum , & liberavit me de medio ignis , & non ſum æſtuatus.* Unde Sanctus Romanus Martyr qui unus erat ex militibus Tyranni,ejus Martyrio aſſiſtentibus,exclamavit : *Video ante te juvenem pulcherrimum, feſtina me baptizare.* S. Agatha perſecutori ſuo dixit : *Si ignem mihi adhibeas,rorem mihi ſalvificum de cælo miniſtrabunt Angeli.*

Confortant.

11. Angeli ſunt qui in ariditatibus & deſolationibus ſpiritus , quæ interdum nos torquent, & in Divini ſervitij ſemita nos refrigeſcere faciunt , nos excitant , animant , conſolantur & confortant , prouti expertus eſt Magnus ille Propheta Elias , cui Angelus panem deferens apparuit , dicens : *Surge, comede , grandis enim tibi reſtat via : Qui cum ſurrexiſſet , comedit & bibit , & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb* ; Ubi cœleſtes meruit habere viſiones & revelationes, atque in Deum obiter & per modum tranſeuntis clarè viſum ſuos defigere mentis oculos.

3.Reg.19. v. 7.

Gaudijs replent.

12. Porro beatorum horum Paranymphorum proprietas eſt omnem à cordibus noſtris propulſare timorem,eademque lætitia & jubilo adimplere. Unde poſt Nativitatem Salvatoris noſtri nobis apparentes, plauſus nobis & gaudia annuntiarunt ; *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Et ideo Sanctus Thomas Aquinas ait : *Non ſolum ſedat terrorem, ſed etiam alacritatem fundit.*

Luc.2.v.10. S.Th.in cat.

Inſtruunt.

13. Hiſce item puriſſimis ſpiritibus mediantibus apparitiones,viſiones , & illuſtrationes cœleſtes , myſteria & arcana cœleſtia , divinorum denique penetralium ſcientia & ſapientia certo nobis infunditur. Unde Archangelus Danieli dixit : *Veni autem , ut docerem te.* Sanctus Bonaventura ad hoc magis elucidandum , illum Capitis 10. Apocalypſeos textum adducit ; *Accipe librum de manu Angeli* ; Et dicit : *Quid hoc eſt, niſi per eum inſtrui & doceri ? Si omnes homines , ut Philoſophus ait , ſcire deſiderant , nec ſcire poſſumus, niſi doceamur , quantum illos amare debemus , à quibus continuè non in vanis , ſed ſalutiferis edocemur? quis adeo malus eſſet , qui ſi cæcus eſſet , illum non amaret , qui ſibi lumen redderet ?* Angelicus Doctor ſuper illa verba ; *Quis revolvet nobis lapidem ?* Scribens, citat Sanctum Remigium dicentem : *Significat autem revolutio lapidis reſerationem ſacrorum , quæ littera legis tegebantur , lex namque in lapide ſcripta fuit , & ideo per lapidem ſignatur.*

Dan.10. v. 14.

S.Bon.ſer.1. de ang.

Marc.16. v. 3. S.Remigius.

Prohibentia removent. Ibid.v.4. Ibid.v.5.

14. Devotæ illæ mulieres , immenſum ſepulchro ſuper impoſitum ſaxum videntes perterrefactæ dixerunt : *Quis revolvet nobis lapidem ? Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem , erat quippe magnus valde ; Et introeuntes in monumentum , viderunt juvenem ſedentem à dextris,coopertum ſtola candida.* Etenim Angelorum beatorum proprium eſt , omnes , quæ in intricata præſentis vitæ via occurrunt , difficultates complanare , & tandem in Patria cum ipſis regnare valeamus.

Quanta ergo reverentia bis debetur. Matth. 18. v.10.

15. Pro documento morali autem advertendum eſt , quod ſicut Salvator noſter in novo Teſtamento ait : *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis , ... quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Ita quoque in antiquo teſtamento moneamur , ne cœleſtes hoſce nuntios ullatenus aſpernemur : *Ecce ego mittam Angelum meum , qui præcedat te & cuſtodiat in via , & introducat in locum quem paravi , obſerva eum , & audi vocem ejus , nec contemnendum putes.* Nec fruſtranea eſt hæc utriuſque teſtamenti fidelis monitio ; Quia ſi Rex aliquis vel magnus alius mundi hujus Monarcha in perſonato ſervi habitu nobis ſe in via comitem jungeret , nobiſque ſerviret , quis ejus reſpectus futurus eſſet ? vel quam ei reverentiam & gratitudinem exhibituri eſſemus ? aut quænam conſilijs, nedum nutibus ejus obedientia à nobis ſperari poſſet ? utique nulla , vel admodum exigua. Jam vero ex fide certum eſt nobis , quod Angeli , qui veri ſunt Reges cœleſtis Paradiſi ? *Feciſti nos Deo noſtro regnum,... & regnabimus* , nos cuſtodiant , nobis tamquam ſervi miniſtrent , noſque inſtruant , ſed in habitu non ſolùm perſonato , ſed nec umquam à nobis viſo , abſit tamen ut propterea illos deſpiciamus , aut ſervitia & obſequia nobis ab eiſdem exhibita contemnamus. *Ex diſpenſatione divina* , inquit Sanctus Bonaventura , *ſunt nobis præſentes , & ideo eſt miniſterium ipſorum continuum.* Optimè regius Propheta David novit , quam illis reverentiam

Exod.23. v.21.

Ap.5.v.10.

S.Bon.ſer.2. de ang.



tiam deberet , ideo ut ſe ad debitam illis exhibendam reverentiam excitaret , hiſce ſemetipſum verbis monuit : *In conſpectu Angelorum pſallam tibi* , circa quæ verba reflectens ſe S. Hilarius ita ſcribit : *Scit ſe ſub ſpecula Angelorum vitam omnem , moreſque agere,& ubique hæc divinorum myſteriorum auxilia fidelibus cunctis aſſiſtere.* S.Bernardus ejusdem Pſalmiſtæ verba ; *Ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*,gloſſando dicit: *Quantam debet tibi hoc verbum inferre reverentiam , afferre devotionem , conferre fiduciam ; reverentiam pro præſentia ; devotionem pro benevolentia,fiduciam pro cuſtodia ? Caute ambula,ut videlicet cui adſunt Angeli in omnibus vijs tuis, in quovis diverſorio,in quovis angulo,Angelo tuo reverentiam habe : tu ne audeas illo præſente,quod vidente me non auderes, an præſentem eſſe dubitas quem non vides ?* Nos enim non ſolum Angelos adeo de nobis benemeritos benefactores noſtros offendimus , ſed etiam ipſammet divinam & ſupremam Altiſſimi majeſtatem quæ in vultu & facie ipſorum immediate reſplendet , ſiquidem *Angeli ſemper vident faciem Patris mei , qui in cælis eſt*,offendimus. Quod , abſit ut faciamus : neque enim Angeli alio ex motivo nobis ſunt venerandi quam quia imaginem Dei ſibi inſertam imo ipſummet in ſe Deum circumferunt : *Vident faciem &c.*

Pſ.137. v.1. S.Hilar.in Pſal.137.

Pſ.90. v.11.

S.Bern. ſer. 12.in Pſ.98.

## DISCURSUS XIV.
## ARGUMENTUM.

Angelorum converſatione frui poſſumus, dum ea quæ ipſis placent , imitamur, qualia ſunt Hoſpitalitas, Eleemoſyna , Pax , Receſſus à mundo, Humilitas , labor , Amor proximorum, oratio, corporis maceratio, ſalus procurata animarum , profectus ſpiritualis prompta Deo exhibita obedientia, paſſio, & exhibita in conſpectu Divino reverentia.

### THEMA.

*Noſtra converſatio in cælis eſt.* Ad Phil. 3. ℣. 20.

Cum Angelis converſari poſſumus ſi Angelice vixerimus. S.Ambr. ſerm.87.

1. S. Ambroſius verba illa aſſumpti thematis conſiderans , quibus tametſi hic in terris degeret , ſuam tamen converſationem ſe cum Cœli civibus habere aſſerit : *Noſtra converſatio in cælis eſt* , hanc inde conſequentiam deducit;“Ergo & cœleſtium converſatio poteſt eſſe nobiſcum.„ Cum Angelis igitur hic in terra degentes converſationem ſanctam inire poſſumus; ſed qua ratione id obtinebimus?“Hoc eſt, inquit , ut qui vita vivimus Angelorum , rectè conſortium mereamur , Et ideo S. Bernardus bene nos monet dum ait : Si tam neceſſariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ , cavenda nobis eſt eorum offenſa ; paulo poſt modum quoque nobis tradit, quo nos hac familiaritate & converſatione dignos efficere valeamus, nimirum ; In his maxime exercere nos debemus,in quibus eos novimus oblectari.

S.Ber.ſer.1. de S.Mich.

Virtutes illorum imitari debemus quos novimus amicos Ang. fuiſſe. S. Aug.ſer. 46. ad fr.

2. Verumenimvero dicet fortaſſe nonnemo , qua ratione ſcire poterimus , quænam ſint illæ virtutes in quibus ſe Angeli delectabiliter exercere ſolent , ad hoc ut eos in iiſdem imitemur ? S. Auguſtinus apte ad id nobis reſpondet dum ait : “Perlegamus Scripturas & inveniemus Angelorum amicos,quibus inventis , petamus quid fecerunt,quomodo Angelis placuerunt,in quibus eos ſecuri imitati ſunt.”

Hi fuerunt Abraham Loth.

Gen.18.v.2.

3. Et quidem in primis Abrahamum interrogemus, quo modo illos in tabernaculum ſuum pertraxerit ; interrogemus quoque Loth nepotem ejus, quid faciendo meruerit , ut ipſorum opera è Sodomæ incendio liber evaderet ; Tobiam itidem ſpeculemur , cujus filium Archangelus in prolixo illo difficillimoque itinere,duxit atque reduxit , & in cunctis periculis illæſum cuſtodivit ; Similiter tres illos pueros conſideremus, qui Angelo mediante in ardentiſſima illa fornace à flammis fuere tutati atque defenſi , Denique Petrum interrogemus per Angelum è ſqualido carcere , illiuſque compedibus & vinculis feliciter liberatum.

Abraham te docebit hoſpitalitatem.

4. Etenim ut ab Abraha Patriarcha incipiamus ab hujus liberali hoſpitio diſcimus,quantum Angeli hoſpitalitatem,& miſericordiæ opera ad ſublevamen proximorum exhibita diligant , ſiquidem à tribus illis Angelis viſitari meruit , quando hoſpitalitatis in eoſdem habitu & ſpecie virili apparentes exercendæ vel maxime cupidus erat · “Sedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo fervore diei apparuerunt ei , quos cum vidiſſet , cucurrit in occurſum eorum.”In vita S.Gregorij legitur , quod dum quotidie duodecim pauperibus prandium apparare ſolitus eſſet,die quadam in horum numero Angelum ſub habitu pauperis præſentem habuerit , qui ſancta quadam cum importunitate Eleemoſynam ab ipſo repetitis vicibus poſtulaverat , & receperat , qui tandem ſeſe quiſnam eſſet ei manifeſtans, eidem dixit : “Scito uſque adeo placere Deo hanc benignam voluntatem tuam erga pauperes, ut ejus intuitu elegerit te in Paſtorem univerſalem totius Eccleſiæ : & ecce me,qui miſſus ſum, ut animam tuam uſque ad ultimum vitæ halitum cuſtodiam , polliceatque , omnia te à Deo per me obtenturum eſſe, quæ animo tuo placuerint.” Similiter in lectionibus, S. Philippi Nerij hæc verba leguntur : “Egenos & pauperes omni charitatis officio proſequebatur dignus qui & Angelo in ſpecie pauperis Eleemoſynam erogaret , & dum egentibus panem noctu deferret, in foveam lapſus , inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur.” Similium exemplorum maxime apparitionum in quibus Angeli ſub ſpecie pauperis Eleemoſynam poſtulantis hominibus apparuerunt , paſſim plenæ & refertæ ſunt ſacræ hiſtoriæ ; ex quibus quantum Angelis pietas & libertas in pauperes placeat,clare deducitur.

S. Greg. Exempla.

Concordiam amant. Ang.

5. Porro S. Bernardus ſerm. 1. de S.Michaele multas enumerat virtutes in quibus beatis illis ſpiritibus ſimiles efficimur , inter quas tamen concordiæ mutuæque animorum unioni facile primatum attribuit : Dicit enim : *Sobrietas , caſtitas , paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus , & orationes cum lachrymis & cordis intentione , attamen ſuper hac omnia unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis.* S. Ephrem Syrus ad mutuam inter Angelorum choros concordiam & unionem ſeſe reflectit,quæ tanto mirabilior eſt,quanto major eſt inter unum & alium Angelum differentia nam ex mente Doctoris Angelici omnes Angeli , qui in numero quaſi infinito conſiſtunt , ſpecie inter invicem differunt. *Propterea principatus ac poteſtates* (verba ſunt S. Ephrem Syri ) *conſtituit Deus ; nam ſi in cælis , ubi omnes incorrupti & immortales , cum miniſtratorij ſint ſpiritus , noluit Deus unicum cunctorum eſſè ordinem ,ſed ut cernitis in ijs quoque poteſtates conſtituit & Dominationes , nemoque præſcriptum ſibi ordinem excedit , cum omnia debito ibi modo & ordine conſtituta ſint , cur nos injuſtis invicem contentionibus exercemur ? Angeli & Archangeli imperata ſibi non transgrediuntur , ac nos invicem collidimur , unuſque adverſus alterum conſurgimus , ac alius alium præcedere ſtudet , alioſque vili pendimus & deprimimus , quaſi aliquid amplius efficere valeamus.* S. Bernardus quoque ibidem ubi ſupra oculum ſuum in cœleſtis Hieroſolymæ unionem & concordiam defigit noſque ut ad imitationem ſpirituum Angelicorum concordiam ſectemur,hortatur & invitat his verbis : *Quomodo Civitatis illius participatio eſt in idipſum , ſic & nos idipſum ſentiamus , idipſum dicamus omnes , & non ſint in nobis ſchiſmata,nihil vero æquè offendit , & ad indignationem provocat eos , quomodo diſſenſiones.*

S.Bern. lo. cit.

S.Eph. tr. adv. vitioſè viv.

S.Bern. lo. cit.

Solitudinem.

6. Illos quoque *Novimus oblectari* in converſationum mundanarum fuga , nec non continuo à mundi vanitate receſſu & ſolitudine Joan. 1. Salvator noſter ait : *Videbitis... Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis :* & tametſi rationabiliter credibile ſit , id inviſibiliter fieri ſemper & continuo,attamen ubinam Angeli in forma viſibili Salvatori noſtro adſtitiſſe & miniſtraſſe leguntur ? tunc nimirum quando exiit in deſertum, quando in vaſtæ denſæque illius ſylvæ ſolitudinem ſeſe recepit , non vero in medio templi uſpiam juxta ipſum viſi fuiſſe reperiuntur ; Tunc enim quando in deſertum abiit , de ipſo dicitur : *Et Angeli miniſtrabant illi.* Unde S. Bernardus ſalutaris conſilij & moniti loco hanc conſequentiam deducit : *Et tu ergo ſi vis habere miniſterium Angelorum , fuge conſolationes ſæculi , renuat conſolari anima tua in alijs , ſi vis in Dei memoria delectari.* Et quidem quiſquis Sanctorum vitas attentè legit , hujuſce veritatis experientiam apertè videbit,ſiquidem illuſtrationes cœleſtes, Angelorumque apparitiones illis præcipuè evenerunt , qui ab hujus mundi ſtrepitu alieni , ſanctæque ſolitudini maximè fuere dediti , id quod S. Thomas de Villa nova ſapienter hiſce verbis innuit : *Si qui in hac peregrinatione de Angelis aliquid attingunt,hi ſunt,qui puritatis & innocentiæ candore illis aſſimilati,orationi & contemplationi vacantes , à mundi ſtrepitu & tumultu ſequeſtrati in abſcondito vultus à conturbatione hominum abſconſi , illorum aliquale commercium & colloquium meruerunt.*

Joa.1.v.51.

Fugam ſæcularium conſolationum.

Marc.1.v.13 S.Bern.ſer.4. in Pſal.90.

S.Th.de Vill. conc. de S. Mich.

7. Poſt

Fugam item concupiſcentiarum carnalium &c.

7. Poſtquam Propheta Elias, Prophetis Baal univerſis necem intuliſſet, Jezabel ab Achab Rege hac de cæde certior facta parem quoque necem Eliæ, amputato eidem capite, ſe illaturam eſſe juramento ſe adſtrinxit, quapropter magnus ille Carmeli vates metu humano perculſus, *Surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas, ... & perrexit in deſertum viam unius diei;... Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi : ſurge & comede*; poſtquam autem feſſas corporis & languentis animi vires nonnihil cibo hoc Angelico refeciſſet, ad ſomnum capiendum denuo ſe comparavit : *Reverſuſque eſt Angelus Domini ſecundo & tetigit eum, dixitque illi : ſurge comede, grandis enim tibi reſtat via.* Ubi ad præſens propoſitum apte quærendum venit, cur Angelus Eliam, qui jam à perſecutione Jezabelis ſecurus erat, & periculum evaſerat, ulterius extimulavit, ut in idem deſertum per continuum quadraginta dierum & noctium laborioſum iter ulterius penetraret? Lyranus dicit : *Per hoc quod Elias fugit à facie Jezabel, ſignificatur, quod bonus diſcipulus debet fugere concupiſcentiam carnis, quæ ſignificatur per Jezabel, & perrexit in deſertum, per quod ſignificatur religionis ingreſſus, vel auſteritas victus, ſed quia poſt ingreſſum religionis vel inchoationem vitæ auſterioris, aliqui tepeſcunt, ideo ſubditur; Et obdormivit in umbra Juniperi, tepor enim aliquando nominatur in ſcriptura ſopor; Et ecce Angelus; nam Angelus cuſtos Domini eum excitat.* S. Ambroſius mentionem de eo faciens quod Eliſeo contigit, quando in ejus defenſionem armatæ Angelorum legiones eidem apparuerunt, ita ſcribit : *Magna res, ſed in viro ſancto mirandum non eſt, quid enim mirum, ſi auxilia meretur è cælo, cujus animus in cælo ſemper eſt.*

3. Reg. 19. v. 3. &c. Ibid. v. 5. Ibid. v. 7. Lyran. ibid. S. Ambr. ſer. 87.

Humilitatem.

8. Item *Novimus oblectari* Angelos humilitate; Neque enim ſapientia incarnata ſine cauſa, dum de Angelorum cuſtodia qua nos tuentur, diſſerit, puſillorum mentionem facit, dicens : *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis*; quia Angeli tanta cum induſtria vili alicui mancipio, inſerviunt, quanta nobili, tam ſunt pro paupere mendico, ſicut pro ditiſſimo Cræſo ſoliciti. Primum nuntium nati in terris Salvatoris noſtri attulerunt Angeli infimæ & abjectæ genti paſtorum & ruricolarum, iiſque pro ſigno unde natum Salvatorem dignoſcere poſſent, viles pannos, quibus involutus jacebat, indicarunt : *Invenietis infantem pannis involutum & poſitum in præſepio.* Ubi ſanctus Bernardus ait : *Quid eſt quod ſola ab Angelis commendari videtur humilitas, nec tamen ſola à Paſtoribus invenitur? Forte ſpecialius commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per ſuperbiam ipſa in humilitate ſtetiſſet.* S. Michael qui ſupremus eſt cœleſtis militiæ princeps, templum quoddam in Monte Gargano in ſanctorum Angelorum honorem dedicari & conſecrari voluit : Qua autem ratione id factum ſit, velim audite : *In Monte Gargano Venerabilis memoria B. Michaelis Archangeli, ubi ipſius nomini conſecrata habetur Eccleſia, vili facta ſchemate, ſed cæleſti prædita virtute.* Chryſoſtomus tabernaculum in quod S. Abraham Patriarcha tres Angelos hoſpitio ſuſcepit, hiſce verbis conſiderat : *Non auro tectum linivit, ſed apud quercum illam tabernaculum figens, foliorum umbra contentus erat, & tam ſplendidum ipſi erat diverſorium, ut nec Angelus apud ipſum manere puderet; non enim quærebant domus ſplendorem, ſed animæ puritatem*; Sciebat etenim quantum Angelis modeſtia & humilitas placeret, quam inſuper deinceps à Creatore ſuo in ejus in terram deſcenſu didicerunt; Jacob Angelos vidit in ſcala illa aſcendentes & deſcendentes; Et vere ita eſt, nam miſerijs, humilitati, & vilitati noſtræ Angeli compatiendo condeſcendunt. Sanctus Bernardus verba illa Pſalmi *Mandavit de te*, conſiderans ait : *Tu qui es? Domine quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum? quaſi vero non ſit homo putredo, & filius hominis vermis.* Sanctus Gregorius quoque ipſos ad miniſteria infima deſcendentes conſiderat : dum ait : *Compaſſione charitatis noſtris infirmitatibos condeſcendunt*, Cajetanus de hac ſcala ita ſcribit : *Ut intelligamus quod ipſe eſt qui mittit Angelos, ad quem redeant Angeli qui curam habent infirmorum.* Sanctus Bernardus illos Pædagogos appellat; *Ne quid in cæleſtibus vacet ab opere ſolicitudinis noſtræ, beatos illos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium, cuſtodiæ noſtræ deputas, noſtros fieri jubes pædagogos.*

Matth. 18. v. 10. Luc. 2. v. 12. S. Bern. ſer. 4. de nat. S. Bern. ſer. in Pſal. 90. S. Greg. l. 5. mor. c. 22. Cajetan. S. Bern. ſer. 12. lo. cit.

Laborem.

9. Præterea *Novimus oblectari* Angelos labore, quia in continuo motu verſantur. Unde Sanctus Bernardus ait : *Agnoſcant homines, quia qui in labore hominum non ſunt, viſitari ab Angelis non merentur, agnoſcant, quam placeat ſupernis civibus labor.* Quæ verba mellifluus Doctor ſcripſit, dum illos Paſtoribus, Agricolis, & laboratoribus, non vero iis qui Hieroſolymis otio & delicijs vacabant, apparuiſſe conſideravit; Idem quoque ſanctus Doctor Angelos in ſcala Jacob in continuo motu verſari conſpiciens ait : *Vidit Angelos aſcendentes & deſcendentes, nullum quieſcentem.* Eamdem quoque doctrinam tradit Doctor Seraphicus, cujus hæc ſunt verba : *Simus obedientes, in divinis operibus laborantes, ſi Angelos volumus habere aſſiſtentes, nam non laborantibus, non obedientibus, ſed voluptatibus & delicijs vacantibus reſiſtunt Angeli.*

S. Bern. ſer. 3. donat. Serm. 6. in Cant. S. Bon. ſer. 4. de ang.

Charitatem.

10. Adhæc Angelos Novimus oblectari in amore proximorumque dilectione. B. Laurentius Juſtin. ait : ſolicitudo quoque Angelicæ cuſtodiæ, nos provocat ad amandum proximum; De ipſa Dominus dicit: „Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis; Dico, „autem vobis, quia Angeli eorum ſemper vident fa-„ciem Patris mei qui in cœlis eſt." Omnes indifferenter tamquam proximos ſuos cuſtodiunt, omnibuſque inſerviunt. Unde Hugo Cardinalis ad hunc Chriſti loquendi modum ſeſe reflectens, per adductam Chryſoſtomi authoritatē hiſce nos verbis alloquitur: "Ne „dicas ille faber eſt, ille ſutor, ille inſipiens agricola, „Deus ab Angelis, quibus commiſſi ſunt viles, venera-„biles facit;" Deus quoad omnes paritatem & æqualitatem eſſe voluit, ut ab iiſdem ſpiritibus beatis eadem cum ſolicitudine ſerviretur pauperibus, ſicut divitibus, ſubditis ſicut principibus, malis ſicuti bonis.

B. L. Juſt. de lign. vit. Hug. Card. in c. 18. Matth.

Orationem cum lachrymis.

11. Eoſdem quoque Novimus oblectari in oratione, prouti ſuperius Diſcurſu duodecimo fuſius probavimus : & patet in Angelis per ſcalam Jacob de terra in cœlos uſque contendentem aſcendentibus & deſcendentibus. Unde Chryſoſtomus ait : Scalam vidit Ja-„cob uſque ad cœlum pervenientem, & Angelos „aſcendentes, referentes à nobis orationes, à Domino, „vero gratias deducentes:" Albertus Magnus Jacobum Patriarcham adverſus Angelum prævalentem conſiderans ait : *Qualiter invaluit, ſubdit, lachrymis enim, ut dicit Hieronymus, pupugit, devotione orationis vinxit, & ſic lachrymis & oratione, quaſi duobus brachijs, Angelum ſtrinxit.*

Chryſ. ho. 22. ad pop. Alb. Magn.

Corporis caſtigationem.

12. *Novimus oblectari* corporum noſtrorum maceratione, prouti ex eo quod Daniel de ſemetipſo refert, clarè colligitur : Huic enim Archangelus Gabriel apparens, dixit ei : *Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, & ego propter ſermones tuos.* id eſt, propter macerationem tuam, dicit enim. *Lugebam trium hebdomadarum diebus, Panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.*

Dan. 10. v. 12. Daniel. 10. v. 2. & 3.

Animarum zelum.

13. *Novimus oblectari* in animarum ſalute : *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* Animarum etenim ſibi commiſſarum ſaluti, omni cum ſtudio & induſtria invigilant; ac proinde ſalubriter nos monet Sanctus Bernardus : *Nemo dicat, numquid cuſtos ſum fratris mei? ferveat in nobis zelus iſte.* Pſalmiſta dicit : *Afferte Domino, filij Dei, afferte Domino filios Arietum.* Non ſufficit zelum habere propriæ ſalutis, inſuper enim nobis non minus curanda eſt proximorum ſalus, ſi Angelis nos gratos efficere, eorumque ſtudioſi imitatores eſſe velimus. *Hujus altitudinem nominis, Angeli videlicet,* inquit Sanctus Gregorius : *Etiam vos ſi vultis poteſtis mereri, unuſquiſque in quantum ſufficit, in quantum gratiam ſupernæ inſpirationis accepit, ſi à pravitate proximum revocat, ſi exhortari ad bene operandum curat, ſi æternum regnum vel ſupplicium erranti denuntiat, profecto Angelus extitit.*

Hebr. 1. v. 14. S. Bern. ſer. de S. Joa. Bapt. Pſal. 28. v. 1. Angeli terreſtres eſſe poſſunt. S. Greg. ho. 6. in Evang.

Spiritualem profectum Ang. amant.

14. *Novimus oblectari* ſemper majori noſtro in via ſpirituali *profectu*; ac proinde Angeli in ſcala Jacob in viſione exhibita, numquam captabant, quietem, ſed ſemper in continuo motu erant; *Quatenus palam daretur intelligi*, inquit Sanctus Bernardus, *inter profectum & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ nihil medium inveniri, ſed quomodo ipſum corpus noſtrum continuè aut creſcere conſtat, aut decreſcere, ſic neceſſe ſit ſpiritum aut deficere aut proficere.* B. Laurentius Juſtinianus ad continuum hunc, nec umquam intermiſſum in vita ſpirituali progreſſum, ad imitationem Angelorum, hiſce nos verbis invitat : *Numquam laſſantur ab opere ſalutis noſtræ; & à profectuum noſtrorum ſtudio numquam deficiunt, potiſſime ſi proſpexerint*

S. Bern. ep. 254. L. de obed. c. 7.



*ſpexerint nos Deum diligere, devotioni inſiſtere, ſectari virtutes, ſpiritualiter converſari, mundum ſpernere, æquanimiter adverſa tolerare, terrena calcare & deſiderare cæleſtia.* In ſacris Canticis legimus : *Vinea mea coram me eſt, mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus ejus.* Septuaginta in Biblijs Sixtinis legunt : *Mille Salomoni & ducenti &c.* Obſervandum eſt autem, quod in eorumdem Canticorum Cap. 3. dicatur : *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt*, Ubi quærendum, quænam ſit hæc utriuſque loci differentia; Ibi enim mille ducenti, hic vero ſexaginta exprimuntur? Reſpondet Sanctus Ambroſius : *Crevit numerus, ubi crevit & fructus, quia quo ſanctior quiſpiam, eo munitior*; quanto enim amplius homo creſcit in virtutibus & meritis, quanto ſanctitas ejus magis adaugetur, tanto majori cum contentione Angeli nobis obſequia ſua præſtant, & familiarius nobiſcum converſantur.

Cant. 8. v. 12. Cant. 3. v. 7. S. Ambr. l. 1. de virg.

Mandatorum obſervantiā.

15. *Novimus oblectari* promptâ quâdam & exactâ obedientiâ in divinorum præceptorum executione; Siquidem Angeli quemlibet Dei nutum obſervant, atque in ejus voluntate adimplenda velociſſimi exiſtunt. *Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus*, prouti in Diſcurſu 4. affatim probatum fuit. Vix S. Joſeph præceptum Angeli, quo in Ægyptum ſe recipere jubebatur, audierat, cum ecce, ut ſacer textus inquit : *Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini.* Ubi gloſſa ait : *Non tantum quod præcepit Angelus, fecit, ſed etiam ſicut præcepit*, & ideo mirum non eſt, quod Magni conſilij Angeli Pater putativus factus fuerit, qui in adimplendis Divinis præceptis adeo ſolicitus extitit.

Pſ. 102. v. 21. Matth. 1. v. 24. Gloſſ. ibid.

Paſſionis Chriſti mediationem.

16. *Novimus oblectari* Redemptoris noſtri Paſſione, ſiquidem Angelus fuit, qui ei in horto amarum mortis ipſius Calicem præſentavit, ipſumque qui antea pavidus erat, *Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte* ad calicem illum ad fundum uſque epotandum animavit : Quis alius Sancto Franciſco Redemptoris noſtri vulnera & ſtigmata impreſſit, præterquam Seraphinus; Non ſine peculiari myſterio Eccleſia nobis Crucem cum omnibus alijs Redemptionis inſtrumentis per Angelum præſentari facit.

Matth. 26. v. 39.

Deo exhibitam reverentiam.

17. *Novimus oblectari* devotione & exhibita ſupremæ Numinis Majeſtati reverentia; Ideo enim Spiritus Angelici ab Eccleſia tremere coram Deo dicuntur : *Adorant Dominationes, tremunt poteſtates*; Et quidem quanto Angeli inter ſe Deo viciniores ſunt, tanto etiam reverentiores & obſequioſiores exiſtunt; ac proinde de Angelis qui in infimo Choro ſunt, dicitur, *Laudant Angeli*; de Dominationibus vero minus à Deo diſtantibus dicitur, quod *adorant*, Denique de poteſtatibus quæ præ illis ſunt Deo propinquiores, dicitur, quod *tremunt*. Sanctus Petrus Damianus Archiepiſcopo cuidam perſuadere volens, ne ſederet, illum Danielis textum adducit : *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*; *Ecce*, inquit, *Angeli ſumma cum reverentia coram Deo erecti aſſiſtunt : Cui ergo virtutes Angelicæ trementes aſſiſtunt, terreni & corruptibiles homines adſtare deſpiciunt?* Similiter Sanctus Vincentius Ferrerius de ſanctiſſimo Altaris ſacramento ita ſcribit : *Angeli qui aſſiſtunt huic ſacramento indigne recipientem interficerent, niſi divina miſericordia prohiberentur.*

Dan. 7. v. 10. S. P. Dam. S. Vinc. Fer. ſer. 1. de cor. Chriſti.

## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Caſtitas & continentia Angelis nos ſimiles efficit, eorumque pro hujus virtutis conſervatione ſæpe experimur tutelam, & econtra illius transgreſſores ab illis illata ſæpe experiuntur ſupplicia, utpote qui vitium huic virtuti contrarium valde execrantur.

### THEMA.

*Cecidi ut adorarem ante pedes Angeli; Et dixit mihi : Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum.* Apoc. 22. ℣. 8. & 9.

Virginitas Joannem fecit Angelum.

1. S. Joannes Apoſtolus dum adhuc mortali hac carne indutus hic nobiſcum moraretur in terris prouti ipſemet in Apocalypſi recenſet, die quadam ad pedes cujuſdam Angeli provolutus adorare eumdem vellet, illum ſibi dicentem audivit; *Vide ne feceris*, & ſubito rationem addidit, *Conſervus tuus ſum*, quaſi diceret, paris ambo conditionis ſumus; at vero quis eſt qui, quanta naturam Angelicam inter & humanam differentia intercedat, ignoret? Quid enim viatorem inter & comprehenſorem, inter corpus è luto plaſmatum & puriſſimum quemdam ſpiritum commune eſſe poterit? Cui dubio B. Petrus Damianus reſpondet : *Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem, angelicæ munditiæ eſt contubernalis & cognata virginitas*; Porro Apoſtolus ille in hac virginitatis virtute adeo ſolidè fundatus erat, ut Guerricus Abbas, qui Chriſtum introducit Matrem ſuam interrogantem an poſt ejus ex hac vita diſceſſum Gabrielem Archangelum ſibi vellet ſubſtitui, eamdem Chriſto in hæc verba reſpondentem quoque ſubintroducat : *Non opus eſt, ſufficit mihi meus novus in carne Angelus : Diſcipulus ille quem diligebat Jeſus.*

Ser. 1. de S. Joan. Guer. Abb. ſer. 2. de aſſ. M. V.

Continentes terreſtres ſunt Angeli.

2. Ex quo Deus noſter ſupremus eſt Cœli terræque Monarcha juſtum quoque valdeque conveniens erat, ut non ſolum in Paradiſo cœleſti, ſed & hic in terris ſuos haberet familiariſſimos aulicos & Ephæbos, & ut uno verbo dicam terreſtres Angelos; ac proinde Sanctus Hieronymus ad Euſtochium virginem ita ſcribit : *Novam ſibi familiam inſtituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cælis, haberet Angelos & in terris*, hujuſmodi autem terreſtres Angeli ſunt virgines. Unde S. Ambroſius de origine & proſapia virginitatis ita ſcribit : *In cælo patria eſt virginitatis, hic advena, ibi incola.*

S. Hier. S. Ambr. l. 5. de virg.

Cōfirmatur.

3. Salvator noſter de ijs, qui hujus virtutis zeloſi ſunt amatores loquens, in Evangelio S. Matthæi ita ait: *Neq; nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo*; Quibus in verbis ſpecialiter notandum eſt, quod nō loquatur in tempore futuro, dicendo *Erunt*, ſed dicit in tempore præſenti *ſunt*, (ex mente authoris) quod cum illo textu S. Lucæ conſonat, in quo pariter ita dicitur : *Æquales Angelis ſunt, & filij Dei ſunt cum ſint filij reſurrectionis* : appellat autem virgines *filios reſurrectionis*, quia poſt illam conſortes & contubernales erimus Angelorum, hac igitur prærogativa ij qui hic in terris & immaculati in carne vivunt pariter gaudebunt. Unde S. Cyprianus diſcurſum ſuum ad virgines dirigens, dicit iiſdem : *Quod futuri ſumus, jam vos eſſe cæpiſtis, vos reſurrectionis gloriam in iſto ſæculo jam tenetis, per ſæculum ſine ſæculi contagione tranſitis, cum caſtæ perſeveratis & virgines, Angelis Dei eſtis æquales.*

Matth. 22. v. 30. Nota. Luc. 20. v. 36. S. Cypr. tr. de hab. virt. cir. fin.

Ang. puritatem imitamur contemnendo carnem.

4. Gregorius Nazianzenus, quem tam zeloſum continentiæ amatorem fuiſſe novimus, modum nobis inſinuat, quo Angelicam imitari puritatem valeamus, in pari cum ipſis conditione converſando; *Cum Angelis, etiam in carne verſantes, eam videlicet contemnendo.* Simili modo Auguſtinus methodum nobis præſcribit, ſecundùm quam ſpiritibus beatis nos in hac vita ſimiles facere poſſumus, dum ait : *Per bonæ voluntatis ſimilitudinem qua cum illis ſumus, & cum illis vivimus, & cum illis Deum, quem colunt, colimus : in quantum autem diſſimilitudine voluntatis, & fragilitate infirmitatis miſeri ſumus, in tantum ab eis longe ſumus vitæ merito, non corporis loco, non enim quia in terra conditione carnis habitamus, ſed ipſi per immunditiam cordis terrena ſapimus, non eis jungimur, cum vero ſatagimus, ut quales ipſi ſunt, ſimus, fide interim in illis propinquamus.* Etenim ſi nos à voluptatibus carnalibus ſeduci patiamur, non ſolum ipſorum imitatores atque conſortes minime ſumus, verum inſuper fornicationis ſpiritui nos ultra ſubjicimus; Veriſſimum namque quod aperte docet Chryſoſtomus, nimirum : *Qui ſe voluptatibus mancipat, is revera Dæmonibus familiariter utitur, eorum inſaniam æmulatur, at contra is qui temperantiam & juſtitiam colit, Angelis familiaris efficitur, & ad eorum amplitudinem contendit.* Sanctus Baſilius ut nobis, quantopere Angeli impuritatis vitium horreant, manifeſtius explicet, aptam quamdam ſimilitudinem adducit; poſtquam enim illum Pſalmiſtæ textum : *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*, ſequenti gloſſa illuſtraſſet : *Caſtrametabitur ergo, ſive immittet ſe medium Angelus Domini in circuitu timentium eum; omni namque in Chriſtum credenti Angelus aſſiſtit, niſi illum à nobis per improbas actiones profligaverimus*; tandem quomodo impuriſſimos hoſce ſpiritus ſpecialiſſime in fugam agere valeamus permali ſeu gravis odoris apes effugantis congruam ſimilitudinem his verbis explicat : *Velut enim fumus apes fugat, & fædus odor columbas expellit; ſic Angelum vitæ noſtræ cuſtodem abigit graveolens peccatum*; hoc autem *graveolens* peccatum ſenſualitatem ſeu carnis vitium eſſe nulli

Naz. Apol. or. 1. S. Aug. l. 8. de Civ. Dei c. 25. Laſcivus dæmonibus familiaris. Chry. or. 2. de prec. S. Baſ. in Pſ. 33. v. 8. Angelis graveolens.

*S. Ant. p. 4. ſum. Theol. tit. 14. c. 6. §. 1.*

nulli poteſt eſſe dubium. Unde in S. Antonio legimus, quod cum die quadam Angelus quidam cum Eremita aliquo pariter iter agerent, hic fœtidum quoddam cadaver tranſiens nares obturando ſe graveolentiam illam tolerare non poſſe oſtenderit: dum vero ulterius progrediendo formoſum quemdam ſuaviſſimisque odoribus fragrantem juvenem obvium haberent, Angelus quoque nares ſuas obturando averſionem oſtenderit, qua ſuaveolentiam juvenis illius, velut peſſimum fœtorem execrabatur, quod factum ſanctus ille Eremita demiratus, rationem nauſeæ illius ab Angelo comiter propoſuit, cui Angelus reſpondit: *Ille juvenis laſcivus plus fœtet in infinitum coram Deo & Angelis, quam quodcumque cadaver coram hominibus.*

Ang. Cuſtod. defendunt. *Pſ. 33. v. 8.*

5. Verumenimvero ex quo tutelæ qua Angeli nos tuentur atque defendunt, mentionem fecimus: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium &c.* exactius nonnihil tutela iſthæc in ordine ad protegendam hanc puritatis & continentiæ virtutem examinanda erit. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Per hoc tam forte & copioſum armamentarium ex mente Gregorij Nyſſeni patrocinium intelligitur Angelorum: *Puto autem eam turrim Clypeorum multitudine ſignificare Angelicam cuſtodiam, qua circumſepti ſumus.* Ubi notandum eſt ly *Circumſepti*, quaquaverſum enim circa nos munimenta, valla, & fortalitia in noſtri defenſionem erigunt.

*Cant. 4. v. 4.*

*S. Greg. Nyſſ. h. 7. in Cant.*

Probatio Scripturiſtica. *Judith. 10. v. 3.*

6. Legatur libri Judith cap. 10. ibi namque invenietis, quantum ſe generoſa hæc mulier adornaverit, ut in oculis Holofernis complaceret: *Lavit corpus ſuum, & unxit ſe myrto optimo, & diſcriminavit crinem capitis ſui &c.* Advertendum vero eſt, ornamentum iſtud quo ſe compſerat ad nihil aliud fuiſſe ordinatum, quam ad detruncandum caput, ſive vitium honeſtati & caſtitati contrarium, cujus laſcivus tyrannus verus typus erat; Qua autem ratione à Tyranni libidine intacta evaſit? "Immittet Angelus Domini in circuitu Angelicam cuſtodiam qua circumſepti ſumus" prouti ipſamet, dum præciſum ſuperbi hujus Tyranni caput populo exhibuit, proteſtata fuiſſe noſcitur hiſce verbis: *Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari*; hoc eſt quod verbo illo: In circuitu &c. inſinuatur.

*Jud. 13. v. 20*

Hiſtoria.

7. Poſtquam S. Agnes ad proſtibulum condemnata & introducta fuit, mox ut pedem eo intulit, Angelus quoque in ejus tutelam ſubito comparuit; Unde in prima officij ejus Antiphona ita canimus: "Ingreſſa Agnes turpitudinis locum, Angelum præparatum invenit, qui impudico juveni illi, qui eam violare conatus fuerat, necem ſubitaneam intulit." De S. Cecilia pariter conſtat, quod Valerio ſponſo ſuo, qui inſtar leonis cujuſdam ad virginitatis ejus prædam anhelabat, dixerit: "Ego in Angeli tutela ſum, qui virginitatem meam cuſtodit, quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur."

Caſtos inſtar fortalitij vallant. *Cant. 7. v. 20*

8. *Venter tuus* (verba ſunt è ſacris Canticis deprompta) *ſicut acervus tritici vallatus lilijs*; Porro ly vallatus fortificationem ſive munimentum aliquod exprimit; ac proinde per hunc ſponſæ ventrem Eccleſia denotatur; per lilia autem præſignantur Angeli, atque ideo verbis illis præcitatis ſponſus dicere voluiſſe videtur, quod Angeli inſtar circumvallationis aut fortalitij alicujus fideles animasque puras defendant. S. Ambroſius ſuper illa verba Salvatoris apud S. Lucam: *Conſiderate lilia*, ita ſcribit: Angeli vere iſtius mundi flores ſunt, bonum odorem ſanctificationis ſpirant, quorum præſidio fulti poſſumus dicere: *Chriſti bonus odor ſumus*; at vero dicet fortaſſe aliquis, quamobrem Angeli iſti in noſtram defenſionem ordinati, potius ſub ſpecie liliorum quam roſarum, vel violarum, aut Narciſſorum vel aliorum florum ſimilium præſigurantur? Nimirum id fit, quia Lilium ſymbolum eſt virginitatis, Angeli autem ſpecialiter ſibi complacent & gaudent, dum pro Caſtitatis conſervatione nos defendere & protegere poſſunt.

*Luc. 12. v. 27*

*S. Ambr. ibid. 2. Cor. 2. v. 15.*

*An. Ciſt. An. 1147. c. 16. n. 7.* Viſio.

9. In Annalibus Ciſtertienſibus refertur, quòd Monacho cuidam Monaſterij Igniacenſis hæc viſio obtigerit: *Aſpiciebat in viſu noctis, & ecce Angeli de cælo advenientes, de multis lilijs, quæ in cæmiterio ipſius Monaſterij apparebant, quatuor præciderunt, & ſecum ad ſydera detulerunt, quod cum ille videret, dixit ad eos; Quare obſecro ſucciditis lilia noſtra? Qui reſponderunt: Deſine mirari, quia noſtra ſunt lilia; mox in eodem Cænobio quatuor defuncti ſunt fratres boni & religioſi, de quibus certum eſt, quod per lilia de cæmeterio præciſa fuerint deſignati.* Unde deducitur quod non ſolùm Angeli lilia eſſe dicantur, verum etiam illi qui vitam ducentes Angelicam inter Angelos computantur, utpote qui illis ſimiles ſunt, valdeque conformes.

Laſcivia per Babylonicas flammas figuratur.

10. Verum enimvero, ut diſcurſus noſter denuo redeat ad id, quod de Angelis tamquam acerrimis virginitatis & caſtitatis cultoribus dicebamus, opportune hoc loco mihi tres illi pueri incidunt inter flammas Babylonicas conſtituti, quæ ardores ſenſuales ſeu carnales qui laſciviam, ſeu carnalem concupiſcentiam in nobis accendunt præfigurant, de quibus ſcriptura ita loquitur: *Angelus Domini deſcendit cum Azaria & ſocijs ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, neque quidquam moleſtiæ intulit.* Porro de Æthna monte referunt, quod intus igne & ſulphure prægnans cœlum verſus flammarum turbines continuo evomat, & tamen circa latera quaquaverſum nives & glaciem intactam & illæſam conſervet. Unde Poëta ille cecinit: *Scit nivibus ſervare fidem*; quod idem prodigium in multis fidelibus etiamnum hodie cernitur, in quibus licet fornax hæc Babylonica, id eſt, fomes, ſeu innata carnalis concupiſcentia continuo flagret, nives tamen puritatis, & non tantum caſtitatis, ſed etiam candoris virginalis illæſas & intactas conſervent. Unde Euſebius Emiſſenus ait: *Extra fornacem ſapiens ignis iraſcitur, & intus in fornace famulatur, idque efficientibus Angelis: Excuſſit &c. quanta caſtis viſceribus (trium puerorum nimirum) reverentia debeatur arbiter ignis agnoſcit, & ingeſta ſibi pabula circumfuſus allambit.*

Continentia per Æthnam.

*Euſ. Emiſſ. ho. de Epi. 3.*

Angeli efficiunt ut concupiſcentia dometur. *Gen. 32. v. 25.*

11. Angelus ille qui tota nocte cum Jacob luctatus fuit, ut Moyſes refert, *Tetigit nervum fœmoris ejus & ſtatim emarcuit.* Quodnam hac in re latet myſterium, niſi quod per hoc denotetur, quod in hoc certamine & lucta quam continuo ſpiritum inter & carnem agitari in nobis experimur, Angeli id in nobis efficiant, ut fomes concupiſcentiæ ſenſualis in nobis mitigetur & compeſcatur?

Tutelam expertus eſt Loth.

12. Enimvero ex quo ignis mentionem fecimus, id quoque quod circa Loth accidit, nequaquam prætereundum eſſe videtur, qui à carnalis concupiſcentiæ igne tot annis quibus in Sodoma commoratus fuit intactus & illæſus permanſit, idque non aliunde, quam quia Angelis familiaris & devotus fuit, prout ex hoſpitio quod in ejus domo ſibi delegerunt facile deducitur. Verumtamen notandum eſt periculum in quo tunc præcipue fuit, quando peſſimi Sodomitæ ad inferendam ſpecioſiſſimis Angelis, quos juvenes humana carne veſtitos eſſe credebant, violentiam, domum ejus, perfractis foribus, violenter ingredi volebant; De Loth quidem minime legitur illum aliquo fuiſſe timore aut metu perculſum, & tamen ſacer textus dicit: *Jamque prope erat, ut effringerent fores*; ac proinde merito hic quærendum venit qua ratione Loth ſe adverſus illos tutatus ſit, aut quomodo ſe contra illatam domui ſuæ violentiam defenderit? *Et ecce*, inquit ſcriptura, *miſerunt manum viri*; Nullam Loth timendi cauſam habebat, in cujus domo Angeli præſentes aderant: Unde Interlinearis Gloſſa ait: *Quia cum caſtitas pene uſque ad lapſum impetitur, ſæpe bonorum adjutorio interius conſcientia clauſa inviolata ſervatur*, id quod ſpecialius propter Angelorum defenſionem accidere conſuevit.

*Gen. 19. v. 9.*

*Ibid. v. 10.*

Laſcivi experiuntur ſupplicia.

13. Imo etiamnum parum nimis dixi, ſiquidem Angeli nonnumquam injurias Deo adverſus continentiæ virtutem illatas atrociſſime vindicant, ipſi namque miſſi fuere, ut ſuper infames illas Civitates ignis diluvium horrendum depluerent. In Speculo Exemplorum legitur quod in Diœceſi Trajectenſi modeſtus & honeſtus quidam juvenis ſtudijs operam dabat, qui in aliorum condiſcipulorum ſuorum ſocietatem incidens, in mulieris cujuſdam inhoneſtæ domum introductus fuit, in qua parum aberat quin graviter peccaret; Cum vero domum reverſus, periculum in quo fuerat mente ſerio revolveret, juvenis quidam raræ pulchritudinis ſeſe coram eo ſtitit, eique colaphum tanto cum impetu impegit, ut in terram mox conciderit; ſimulque dixit: Diſcas malas deinceps fugere ſocietates, hocque dicto & facto confeſtim diſparuit; Erectus autem juvenis, juvenem hunc Angelum ſuum cuſtodem fuiſſe clarè cognovit, utpote qui per impactum ſibi colaphum ſalutiferum

*Spec. exem. d. 10. exem. 20.*



rum menti ejus monitum ſerio deinceps ſervandum ſuggeſſerit.

Scriptura probat.

14. Advertendum quoque eſt, quòd quando laſcivi ſenes illi caſtiſſimam Suſannam, eo quod effræni concupiſcentiæ ipſorum adhærere nolebat, peſſima calumnia inuſſerant, Propheta rei falſitate comperta eis comminatus non fuerit, quod in prædicti criminis juſtam vindictam terra ſub eorum pedibus dehiſceret, neque quod fulmine è cœlis dilapſo feriendi eſſent, ſed tantum dixerit: *Manet Angelus Domini gladium habens, ut ſecet te medium, & interficiat vos:* Sciebat quippe Angelos in puniendis hujuſce virtutis caſtitatis adeo illis connaturalis & acceptæ tranſgreſſoribus valde zeloſos eſſe.

*Dan. 13. v. 59.*

Hiſtoria. *Baron. ann. 674.*

15. In Annalibus Eccleſiaſticis de quodam Hiſpaniarum Rege, cui nomen Vamba erat, refertur, quod cum exercitum ſuum adverſum fidei rebelles ducturus eſſet, primo & ante omnia ſolicitus fuerit, ut milites ſuos armis ſpiritualibus timoris Dei virtutumque Chriſtianarum communiret; at vero cum deinceps multos ſub ſignis ſuis merentes adulterij crimen commiſiſſe intellexiſſet, juſtam de illis capturus vindictam partes eorum ſecretiores amputari juſſerit, dicens: *Fruſtra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum*; at vero tot militum paſſus fuerat jacturam, quoſnam poſtea habuiſſe putatis quos adverſus exercitum inimicum in ſui regni defenſionem opponeret? *Viſus eſt Angelorum excubijs protectus noſter exercitus, & ipſos Angelos ſuper caſtra coruſca volitatione protectionis ſuæ ſigna protendere.*

Quare Angeli pingantur juvenes.

16. Curioſum hoc loco dubium moveri non immerito poteſt, cur Angeli, qui abhinc ſexies millenis, nongentis, & amplius annis creati fuere, juvenes nihilominus ſemper pingantur, & vere tales in omnibus illorum viſionibus, quæ frequenter accidunt, hominibus appareant? Sic enim in libro Tobiæ de Raphaële Archangelo dicitur: *Invenit juvenem ſplendidum*; Item in Evangelio S. Marci dicitur: *Viderunt juvenem ſedentem, ... coopertum ſtolâ candidâ.* Dici quidem poſſet, quod juvenes ut plurimum appellentur in ſcriptura eo quod nos adjuvant, nam *Juvenes à juvando dicti*; Vel etiam quod inſtar juvenum in laboribus vigoroſi ſint & indefeſſi, atque in cunctis operibus ſuis valde ſoliciti; Vel etiam quia juvenilis ætas, ob ſimplicitatem ſuam pura magis & immaculata eſſe ſoleat; at vero myſticam hujus appellationis rationem hanc eſſe exiſtimo, ut nimirum nobis (ſtylus enim illorum vulgaris eſt, quod ſe noſtro habitu & livrea veſtiant) ſeſe in hac maxime lubrica ætate, in qua ſanguis vel maxime intra nos fervet & bullit, accommodent, ſimulque nos doceant, quàm ſit neceſſum ad bene & innocenter ambulandum, bonam in hac ætate adoriri viam, quia *Adoleſcens juxta viam ſuam etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Sanctus Ambroſius ad hujuſce ætatis pericula ſeſe reflectens dicit: *Adoleſcentia ſola eſt invalida viribus, infirma conſilijs, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa delicijs.* Chryſoſtomus ætatem iſtam appellat equum ſeu pullum effrænem & indomitum; *Equum indomitum.* Et ideo ubi vulgata noſtra legit: *Panem Angelorum manducavit homo*, aliæ verſiones habent: *Panem juvenum* quaſi Angeli ad juvenilis fomitis mitigationem eo nos extimulent ut frequenter Pane nos Euchariſtico nutriamus, de quo ſcribitur, quod ſit: *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.*

*Tob. 5. v. 5.*

*Marc. 16. v. 5.*

*Prov. 22. v. 6.*

*S. Ambr. de int. Job c. 7.*

*Chryſoſt. h. 4. Epiſt. 1. ad Tim.*

*Pſ. 77. v. 25.*

*Zach. 9. v. 17.*

Ut caſtitas ſervetur occaſiones periculoſas fuge.

17. Geneſeos cap. 15. ſaluberrimum nobis pro hujus virtutis conſervatione conſilium ſuggeritur; Poſtquam enim Agar in vaſta illa ſolitudine deſolata conſiſtens ab Angelo in illa ſua gravi afflictione conſolatione aliqua recreata fuiſſet, ipſa quidem eumdem vidit, ſed non niſi tergum ſeu dorſum ejus intueri licuit; Unde ſacer chroniſtæ calamus hæc eam dixiſſe ſcribit: *Vidi poſteriora videntis me*; Ecce tibi hic peregregium tuendæ caſtitatis exemplum; Non obſtante enim, quòd Angelus eſſet, ipſiusque Dei juſſu ad loquendum cum hac muliere de cœlo deſcendiſſet, attamen eam alloquens, dorſum ei obvertit, neque eam in vultu intuitus fuit, utique ad erudiendum nos, quod tametſi etiam vitâ & moribus Angelis ſimiles eſſemus, in occaſionibus tamen nulli nos periculo exponere debeamus ſed magna cum cautela nobis ambulandum ſit. Unde Beda ait: *Inverſis vultibus loquitur de Agar, ut diſcamus, quàm grande malum ſit occaſio.*

*Gen. 16. v. 13*

*Beda.*

18. In libro Judicum ſignum illud exprimitur, quod Gedeon ad aſſecurandum ſe tum de victoria adverſus Madianitas obtinenda, tum de electione perſonæ ſuæ ad populi ejus ordiendam liberationem, à Deo popoſcit. *Ingreſſus eſt itaque Gedeon*, inquit Scriptura, *& coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes, carnesque ponens in caniſtro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu & obtulit ei*; Id verò, quod vel maximè propoſito noſtro deſervit, eſt quod ſequitur: *Cui dixit Angelus Domini: tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & jus deſuper funde; cumque feciſſet ita, extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes.* Carnes iſtæ tales erant, quæ Deo in ſacrificium offerebantur, imo carnes mortuæ & coctæ erant, & tamen Angelus ſola virgæ illius extremitate, & non aliter tangit. Unde Sanctus Bonaventura ait: *Ut Angelus, ſic vir juſtus nihil habet in ſe carnalis delectationis admixtum*; Angeli igitur qui ſunt puriſſimi ſpiritus carnes etiam ſi ſolum ſint animalium, etiam ſi mortuæ ſint, imo in ſacrificium Deo oblatæ fuerint, ne quidem per umbram tangere volunt; Ut nos ipſorum exemplo diſcamus, quanta cum cautela & circumſpectione in hac materia procedendum nobis ſit.



Angelos ſequere & carnem non tange. *Judic. 6. v. 19.*

*Ibid. v. 20.*

*Ibid. v. 21.*

*S. Bon. de cœl. Hier. p. 1. c. 10.*

## DISCURSUS XVI.

## ARGUMENTUM.

De gratitudine noſtra Angelis debita, qui ſe liberaliter remuneratos eſſe cenſent, dum legi Dei & conſilijs ipſorum morem gerimus; Deque exhibenda illis ubique reverentia, utpote qui nobis ſemper præſentes aſſiſtunt; Ipſorum denique auxilijs cooperandum eſſe docetur, quia noſtra culpa eſt, ſi per illa non perficiamur.

### THEMA.

*Ecce ego mitto Angelum meum, qui cuſtodiat te, obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes.* Exod. 23. ℣. 11.

Angeli multa præſtant beneficia.

1. S. Joannes Damaſcenus per ſimilitudinem quamdam nos inſtruere contendit, ut æſtimare poſſimus, quantum ſit beneficium & dignitas, quam à cuſtodia & miniſterio Angelico recipimus, quantamque cœleſtibus illis ſpiritibus gratitudinem exhibere obſtricti ſimus; *Certe*, inquit, *ſi regia ſtirpe exortus quiſpiam, aut gravi cæteros authoritate antecellens inopi viro & infimæ ſortis obſequium ſedulus impenderet, ille mirifice commendaretur ob ſingularem charitatis effectum & benevolentiam, quod non habita ſuæ humilitatis & eminentiæ ratione, dignatione mira ſe inclinaret ad hominem, obſcuro natum loco, tenuiſque fortunæ tantopere curandum.* Experientia quotidiana videmus quod erga illos qui longo nobis tempore cum amore & fidelitate debita inſervierunt, tametſi infimorum ſint natalium, & non tam ex amore noſtri quam ob lucrum & intereſſe ſuum ſervierint, liberales in ijs remunerandis, & grati eſſe, ijſdem varijs benevolentiæ ſignificationibus reſpondere ſoleamus; cum igitur per totum vitæ noſtræ decurſum tot beneficijs ex Angelorum cuſtodia & miniſterio provenientibus affecti ſimus, quænam eſt gratitudo quam illis reciprocè demonſtramus?

*L. 2. ort. fidei c. 3.*

Quibus grati eſſe debemus.

2. Quodnam obſecro in eo myſterium latet, quod Spiritus Sanctus in Annalibus æternitatis ad perpetuam rei memoriam conſcriptum eſſe voluerit, quod una cum Tobia juniore Archangeli Raphaëlis fortunata ſocietate ſtipato, canis quoque ejus in idem iter adhibitus fuerit: *Profectus eſt autem Tobias & canis ſecutus eſt eum*; Certiſſimum eſt, nullum in Sacra Scriptura verbum otioſum reperiri, ſed in ea *tot eſſè Sacramenta, quot apices*; ac proinde advertendum eſt quod Tobias in illo itinere ab Angelo innumera recepturus erat bona, ut igitur ſe pro illis ad totius humanæ poſteritatis bonum exemplum & inſtructionem gratum exhiberet, diſponente infallibili Dei providentia factum eſt, ut & animal iſtud veræ gratitudinis ſymbolum per totum iter penes ſe haberet; Id quod Sanctus Ambroſius hiſce verbis confirmat. *Canis viator & comes Angeli eſt, quem Raphaël non otioſè ſibi & Tobiæ filio adjungendum putavit, mutæ ſpecie beſtiæ ſanctus Raphaël, Tobiæ juvenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum, quis enim non erubeſcat, gratiam bene de ſe merentibus non referre, cum*

*Tob. 6. v. 1.*

Canis ſymbolum gratitudinis.



videat

*videat etiam beſtias refugere crimen ingrati?* Ab hac igitur ſanctus ille juvenis ad gratitudinem Angelo benefactori ſuo maxime exhibendam magis magiſque extimulatus fuit; Unde cuncta ab Angelo recepta beneficia ſigillatim Patri ſuo recenſendo dixit: *Quam*
Tob.12.v.2. *mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs ejus.*

3. Quod ſi aliquis nobis per quinquaginta vel ſexaginta annos ſerviviſſet in mari, inter ſyrtes & ſcopulos, inter procellas, & tempeſtates inter naufragia & alia ſimilia ſerviviſſet ab innumeris maritimis monſtris, pyratis, Turcis illæſos nos conſervando & incolumes, & præterquam nos qualibet hora per tot annos eripuiſſet à morte, inſuper theſauros,
Tob.12.v.2. ſceptra & regna lucrari feciſſet, *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs iſtis?*
Quantum ſit noſtrum debitum ob beneficia Ang. Talia autem ſunt bona infinita, quæ nobis in hujus vitæ proceloſo mari præſtantur ab hiſce cœleſtibus nuntijs *Hoc mare magnum* &c. qui nos poſt laborioſam hanc navigationem æternaliter cum Deo regnaturos ad beata Paradiſi littora feliciter perducunt; Quod ſi autem hanc nobis aſſiſtentiam & ſervitutem gratuito & ſine ullo ipſorum intereſſe aut lucro præſtitiſſent, quanto amplius hæc noſtra erga ipſos obligatio adaugeretur? talis autem eſt cuſtodia & miniſterium Angelicum, quod nequaquam ad aliquod à nobis tamquam ſervis ſuis ſtipendium recipiendum ordinatur, ſed potius huc ſpectant tantum, ut nobis benefaciant, noſque omnibus naturæ, fortunæ & gratiæ bonis locupletent; ſunt enim ipſi in eo ſtatu, in quo noſtro ſtipendio nequaquam in-
Gen.48.v.16 digent; *Bonorum noſtrorum non egent. Angelus qui eruit me de cunctis malis*, inquit Sanctus Patriarcha Jacob quando ſe in ultima & decrepita ætate ipſorum ope tot infortunatos ipſi occurrentes eventus feliciter evaſiſſe deprehendit. Quod ſi vero homo aliquis reperiretur adeo ingratus, qui beneficia à benefactore ſuo recepta nequaquam agnoſceret, imo cogitationibus ſuis ad illa ſeſe numquam reflecteret, quam atrocibus pœnis talis mulctari mereretur? Et tamen quot reperiuntur animæ fideles, quæ in totius vitæ ſuæ decurſu Angelorum cuſtodum ne vel ſemel quidem recordantur, multo minus aliquod illis gratitudinis donativum exhibent.

Pro mercede laudes Dei petunt. 4. Quando uterque Tobias pater nimirum & filius unanimiter hanc Raphaëli Archangelo retributionem obtulerunt: *Rogare cœperunt, ut dignaretur*
Tob.12.v.5. *dimidiam partem omnium quæ attulerant, acceptam habere.*, quidnam ipſum reſpondiſſe, aut quam ab illis mercedem aut remunerationem poſtulaſſe exiſtimatis? Hoc ſolum ab illis petijt: *Benedicite*
Ibid. v.6. *Deum cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, qui fecit vobiſcum miſericordiam ſuam:* Nimirum pro exhibitis beneficijs & ſervitijs præſtitis Angeli nihil aliud à nobis gratitudinis & recognitionis loco depoſcunt, quam ut Deo laudes, gratias, & benedictiones mille titulis aliunde debitas referamus, in ejuſque ſancto timore perpetuo vivamus.

5. *Obſerva eum*, inquit Deus, alludendo ad ob-
Bonorum Angelorum inſpirationes audiri debent & ſequi. ſervantiam & reverentiam eiſdem à nobis jure merito exhibendam; ac demum ſubjungit: *Audi vocem ejus*, id eſt, reſponde & correſponde inſpirationibus & invitationibus, quas cordi tuo continuo ſuggerunt; cui accedit, quod vox ipſorum vox Dei ſit; Unde Deus in antiquo Teſtamento Prophetis & ſervis ſuis mediantibus Angelis ſemper loquebatur. In Evangelio S. Joannis legitur quod Magdalenæ prope ſepulchrum aſſiſtenti ab Angelis dictum fuerit: *Mu-*
Joa.20.v.13 *lier quid ploras*, quæ eadem verba eidem Magdalenæ à Redemptore noſtro poſt Reſurrectionem ſuam dicta fuiſſe leguntur, cujus myſterium Sanctus Ambroſius nobis hiſce verbis revelavit. *Dicant ei Angeli;*
S. Ambr. l.3. de virg. *Mulier quid ploras? quem quæris? Hoc Angeli dicunt, & poſtea Dominus eiſdem verbis repetivit, ut ſuavis, quia Angelorum verba mandata ſunt Domini.* Omnia cœleſtium horum nuntiorum verba ad noſtram diriguntur ſalutem; Unde Loth dixerunt: *Salva animam tuam*, hoc eſt uſitatiſſimum & perfre-
Gen.19.v.17 quens ipſorum idioma, quo unumquemque hominem alloquuntur: *Salva animam tuam, Nonne omnes*
Hebr.1.v.14. *ſunt adminiſtratorij ſpiritus*, inquit Apoſtolus, *in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis.* Sanctus Auguſtinus ſuper Pſalmum 102. ſcribens, ut nos ad ſalutem æternam conſequendam animaret, omnemque à nobis diffidentiam, qua de auxilijs ad illius conſecutionem neceſſarijs deſperaremus, abigeret, ad nos converſus, ita loquitur?
*Non te ſanabit, aut ſalvabit, qui fecit Angelos?* quaſi S. Aug. in Pſ.102.
dicere vellet: Ex quo Deus Angelos creavit, eoſque ut ſaluti noſtræ invigilarent, deputavit, qua ratione tibi in mentem obvenire poteſt ut dubites an ſalvare nos velit? Solummodo in hoc tota ſumma rerum conſiſtit, ut vocem & conſilia ipſorum auſcultemus; *Audi vocem ejus.* In libris Regum legitur Jonatham Saülem patrem ſuum commonuiſſe, ne adverſus Davidem adeo ferocire pergeret, eo quod nullius apud ipſum criminis reus eſſet: *Ne pecces rex in* 1. Reg.19. v.4.
*ſervum tuum David, quia non peccavit tibi.* In quem locum Lyranus ita ſcribit: *Per hoc ſignificatur, quod inſtinctus divini retrahentes peccatores à malo, non deſi-* Lyran. in moral.
*ciunt eis, quamdiu ſunt in vita præſenti.* Numquam Angeli calcaria lateribus noſtris adhibere deſinunt, ut nos ad bonum excitent, nec frænum adhibere negligunt, ut à præcipitijs nos revocent; In hoc ſolum totum conſiſtit ſalutis noſtræ diſpendium, quod nos vocem eorum minimè auſcultemus. Porro Saül, licet reprobus eſſet, ad vocem tamen Jonathæ conceptam erga Davidem ferociam pro tunc remiſit, & tamen nos non obſtantibus Angelorum conſilijs & vocibus, à præcipitijs nos non ſubducimus. Bene igitur B. Laurentius Juſtinianus unumquemque noſtrum his verbis
monet: *Noli ô homo tale conditoris tui negligere munus,* B.L.Juſt.l. de vita ſolit. c.16.
*noli cuſtodis tui Angeli benevolentiam ſpernere, ſuffragium abjicere, & ignorare conſilium. Sta ſuper cuſtodiam tuam, & dum oras, legis, ſedes, ambulas, loqueris, vel aliud agis, attende diligenter quæcumque verſantur in te: tibi aſſiſtunt Angeli à dextris boni, à ſiniſtris mali, eorum ſinguli ut te rapiant ad ſe, illiſque conſentias:* Utrius vero vocem & conſilia audiemus? utique vocem Angeli boni: *Audi vocem ejus, obſerva eum.*

6. S. Bernardus hoc nos monito communit: "Si „ S.Bern.ſer.1. de S.Mich.
tam neceſſariam habemus familiaritatem dignatio- „
nis Angelicæ, cavendæ nobis eorum offenſæ." Culpæ Angelos tenemur diligere.
utique rei ſumus, dum proximos noſtros offendimus: quanto magis ſi offendamus Angelos, qui præter ſummam ſuam dignitatem à nobis in verorum proximorum noſtrorum numero ſunt computandi: Ita tenet Doctor Angelicus, cum Sancto Auguſtino lib.
1. de doctrina Chriſtiana: Ubi ait. "In præcepto quo „ S.Th. opuſc. 10. art.10.
debemus diligere proximum & ſancti Angeli conti- „
nentur, à quibus tanta nobis officia impenduntur mi- „
ſericordiæ." Gerſon rationem reddit cur tantum eis reſpectum deferre debeamus, ſaltem eo quem homini deferimus, non minorem. "Nobis præcipitur ho- „ Gerſ.t.2. de præc.dec.c.5.
nor & reverentia bono Angelo cuſtodi noſtro, ut ni- „
hil turpe vidente & præſente eo faciamus, quod „ Venerati.
præſentibus hominibus agere recuſaremus." Angeli autem ubique nobis præſentes aſſiſtunt, nec uſpiam nos ab ijs abſcondere vel ſubducere umquam poſſumus. Qua de re Sanctus Auguſtinus in ſermone quodam de ſpiritibus Angelicis ita ſcribit: *Nam Angelus* S. Aug. ſer. 68. ad fras. Ratio.
*bonus hortatur nos conſilio boni, quia cum aliquid boni agimus, ipſum à dextris nobis eſſe credamus, cùm verò malum aliquid cogitamus, aut facimus, ſive parvum, ſive magnum, hoc nulli dubium, quin malum Angelum hortatorem habeamus, qui ſuper hoc nos gaudens irridet:* Ad hoc verò, ut quando vel Angelus bonus, vel malus Angelus prævaleat diſcernere valeamus, hoc nobis ſignum eſſe debere ait: *Cum verba otioſa dicimus, aut quid mali facimus, Diabolicum conſilium eſt, cum autem ingemiſcimus, aut pro peccatis noſtris ſuſpiramus, aut opera virtutum facimus, tunc Angelum Dei ſanctum adminiſtratorem, & conſiliatorem habemus.* Oleaſter de ſcala Jacob, quam Angeli continuo conſcendebant, ſcribens quoad mirabilem illam Divina circa nos infallibilis providentiæ divinæ ſolicitudinem, tale nobis monitum tradit: *Vigilat ſuper* Ole. in Gen. 28. v.12.
*nos indefeſſus ille divinæ providentiæ oculus, mittens & remittens adminiſtratorios illos ſpiritus, qui nos cuſtodiant in omnibus vijs noſtris, & cavendum eſt nobis à malis factis aut verbis, cum ſciamus Deum ad nos inceſſanter Angelos deſtinare, qui omnia noſtra bona & mala ibidem renuntient, & conſidera quanta aviditate noſtras res audiat, qui ad oſtium accedit ad nuntios ſuſcipiendos:* Bene namque advertendum eſt, quod ſacer textus dicat: *Dominum innixum ſcalæ.*

7. In Speculo exemplorum refertur, unum è ſe- Spec. ex. 2.
nioribus Eremitis die quadam vidiſſe, quod dum Coëremitæ ſui ſpirituales inter ſe conferentias ſive colloquia miſcerent, Angeli valde læta & hilari facie iiſdem adſtiterint, quaſi ſignificare volentes magnam ſe ex devotis colloquijs voluptatem percipere: econtra vero dum de alijs rebus vanis & inutilibus confabularentur,



ſeſe iidem cœleſtes ſpiritus velut indignabundi ſubduxerint, eorumque in locum animalia quædam ſucceſſerint immunda, luto turpiter defœdata, quæ in medio Monachorum ſeſe circumvolutabant, voluptatem nimirum indicantia, quam Dæmones ex vanis & inutilibus Diſcurſibus hauriunt.

Honorandi ſunt Angeli. 8. Enimverò una ex potentioribus rationibus, quibus ad honorandos Angelos permoveri debemus, eſt illa quam Deus in eodem Exodi loco nobis ſub-
Exod. 23. v.21. indicat, dum ait: *Nec contemnendum putes, quia eſt nomen meum in illo.* S. Auguſtinus monet dicens: *Mag-*
S. Auguſt. ſerm.113. *na eſt cautela peccati, Dei ſemper præſentiam timere; qui erubeſcit in conſpectu hominis peccare, quanto magis dignum eſt, ut erubeſcat in conſpectu Dei iniquitatem agere, qui non ſolùm opera, ſed & corda conſiderat?* Verumenimvero ut nobis eamdem cautelam & reverentiam ſpiritibus illis ſupernis deferendam eſſe indicaret, quos ad noſtram cuſtodiam ordinavit, ideo addit: *Eſt nomen meum in illo*, indicare volens, ſemetipſum in illis præſentem adeſſe; & revera ita ſe res habet, ſiquidem viſione fruentes beatifica ſemper ſunt animis ſuis in Divinam faciem defixi. In vitis Patrum legitur, quod dum ſanctus quidam Abbas interrogaretur de honore & reverentia quam Angelo ſuo cuſtodi deferebat, reſponderit, quod Angelos veneraretur memor verborum illorum:
In vit. Patrum l.7. c.44. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear; timeo ergo eum, ut cuſtodientem vias meas, & quotidie aſcendentem ad Deum, & inſinuantem ei actus meos & verba.* Quod ſi nos ſciremus quemdam Regis intimum amicum, & familiarem nobis adeſſe, qui cuncta verba, greſſus & actus noſtros conſideraret, ut quidquid agimus Domino ſuo referre poſſet, quam futuri eſſemus in verbis circumſpecti, quantum ſtuderemus ad ejus nobis benevolentiam conciliandam, omne illi ex parte noſtra exhibendo obſequium & reverentiam? Tobias Junior Angelum Raphaëlem magna reverentia ſemper proſequebatur, tametſi ſimul cum ipſo in peregrini ſeu viatoris habitu iter ageret, id namque ex verbis
Tob.6.v.3. illis. *Domine invadit me*, clare deducitur: Et quidem Domini titulum ei attribuit, dum eum ignoraret, quis eſſet, at vero poſtquam ſeſe illi & Parentibus
Tob.12.16. ejus, quis eſſet, manifeſtavit, ipſe & Pater ejus *Trementes ceciderunt ſuper terram in faciem ſuam*; Enimvero ſi Angelus nobis viſibiliter appareret, quantum ei delaturi eſſemus honorem? Jam vero fides noſtra nos docet, ipſos nobis ſemper præſentes eſſe propter cuſtodiam quam nobis exhibent, ac proinde non minus eos revereri debemus quam ſi viſibiliter nobiſcum conſortium haberent.

Cooperari debemus. 9. Equidem poſt expoſita plurima, quæ in nos per Angelorum cuſtodiam redundant, beneficia, una adhuc ſupereſt conſideratio, videlicet ex parte quoque noſtra neceſſarium eſſe, ut auxilijs & beneficijs ipſorum nos quoque cooperemur. In libro Joſuæ mirabile legitur à Joſue militari aſtutia excogitatum ſtratagema ad Civitatem Hai intercipiendam, ſubdendamque ſuo imperio, Dicit enim ſacer textus:
Joſ.8.v.15. *Joſue vero & omnis Iſraël ceſſerunt loco, ſimulantes metum & fugientes*, pars namque exercitus Joſue manifeſte aggreſſi ſunt Civitatem, qui poſtea ſe metu præſidij quod urbem tuebatur perculſos eſſe ſimulantes, in ſimulatam quoque fugam ſe receperunt, quos dum Cives Hai perſequerentur ducti potius aviditate prædæ, quam deſiderio cum hoſte confligendi ſubitò reliqua pars exercitus Joſue quæ in latibulis hæſerat, in publicum progreſſa, & nemine impediente Hai civitatem ingrediens flamma eamdem ſuccendit & devaſtavit. Origenes in hac Hiſto- Orig. h.8. in Joſue.
ria ad prælia ſpiritualia alludit, quibus nobis adverſus inordinatas paſſiones, & contra Dæmonem continuo concertandum eſt; Et quidem hi qui in fugam ſe receperunt, illos præfigurabant, qui propriæ debilitatis conſcij, pericula, occaſioneſque peccandi declinant; dum vero idipſum faciunt, pars altera exercitus, id eſt, Angeli pro nobis pugnant, noſque glorioſam de inimicis noſtris victoriam reportare faciunt: Ac proinde neceſſum, ut ſi ipſorum ſuppetias & auxilia promereri volumus, de noſtris viribus nequaquam præſumamus.

10. Idem Author verba illa Moyſis Exodi 14. v.14. Orig. h.6. in Jud.
*Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, conſiderans, quærit, quænam ſit ratio quod cum populus Exod. 14.
Iſraël in procinctu conſtitutus ut egrederetur ex Ægyp- v.14.
to, ob inimicum Pharaonis exercitum illos per- Et una cum
ſequentem, mariſque rubri profundas voragines ob iſtis pugnare.
oculos poſitas pavidus hæreret, Deus Angelo mediante pro illis pugnare voluerit: Superato vero iſthoc periculo, voluerit, ut in deſerto & terra promiſſionis conſtituti viribus & induſtria ſua propria cum inimicis ſuis dimicarent? ut patet Exodi 17. ubi ſacer tex-
tus ait: *Dixitque Moyſes ad Joſue: Elige viros, & egreſ-* Exod. 17. v.9.
*ſus pugna contra Amalec.* Nimirum docere nos voluit. inquit Origenes, quod tametſi Deus nos per Angelos ſuos adjuvare paratus ſit: Vult tamen etiam, ut quando poſſumus, operæ ipſorum cooperantes, noſmetipſos adjuvemus. *Initijs noſtris à principibus Angelis adjuvamur: Cæterum proceſſu temporis, oportet nos exire armatos ad prælium*; Ac proinde opus eſt ut ſciamus ut in noſtra ad eorum auxilia, inſpirationes & conſilia cooperatione, pari qua ipſi ſolicitudine illis correſpondea-
mus, quia ſpiritus ſunt admodum veloces; *Qui facis* Pſ.103.v.4.
*Angelos tuos ſpiritus*, ideoque Loth dixiſſe leguntur: Gen.19.22.
*Feſtina & ſalvare.* S. Petro quoque Angelus dixit, *Sur-* Act.12.v.7.
*ge velociter.* Et in Zacharia. *Curre, loquere*; Ideo etiam Zach.2.v.4.
alis inſtructi depinguntur, ad inſinuandam nobis ſolicitudinis neceſſitatem in uſurpandis eorum auxilijs. Quod ſi demum poſt tot nobis ſubminiſtrata auxilia non proficiamus, culpa noſtra eſt, non vero ipſorum ne-
gligentia, quia ut Abulenſis ſcribit: *Angelis ſuadentibus* Abul. in c.18. Matth.q.56.
*bonum quantum poſſunt, homo repugnat ſuaſionibus eorum propter libertatem, & ita peccat, & perit*; Et hinc ortum
ducit derelictio, de qua in Jeremia dicitur: *Curavimus* Jerem.51.9.
*Babylonem & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Pro cujus faciliori intelligentia ſimilitudinem quamdam adducit, deſumptam à Medico, qui deſperata reconvaleſ-
centia infirmum deſerit: *Vide homo, ne quando Angelis* Orig. h.3. in Jerem.
*præcipiat Deus, ut ad languorem animæ tuæ mendicaminum emplaſtra conficiant, ſi quo modo poſſis ab ægrotatione ſanari, & reſpondeant Angeli: Curavimus Babylonem iſtam, oſtendentes à paſſionibus confuſam animam tuam, & non eſt ſanata: non ſcientiam artis ſuæ, neque Reſinæ vim criminantur, ſed te, qui præceptis eorum obſequi noluiſti.* Concludit tandem quod eorum à nobis abſceſſio nos à Deo in æternum divellat, idque ſola culpa noſtra: *Manifeſtum quia abſceſſio eorum condemnatio tua ſit, ut irremediabilis nolentiſque curari.*

---

# TRACTATUS VII.

# DE ANIMA EIVSQVE SALUTE.

## DISCURSUS XIX.

DISCURSUS I. Modica æſtimatio, quâ animam appretiamur, ex modica notitia oritur, quam ex defectu applicationis noſtræ de ipſa habemus, hæc enim à nobis ad quævis alia extenditur, præterquam ad unicum hoc tanti momenti negotium.

II. Anima creata fuit non verbo Creatoris, uti alia opera, ſed cum ejuſdem conſilio, quia ſpiraculo oris ſui eſſe illi tribuit, eique corpus ad cœlum erectum plaſmavit; Unde anima in ſolo Deo ſatisfactionem & quietem ſuam invenit.

III. Varia tanguntur myſteria, ob quæ ſapientia increata animæ adeo nobili corpus conjunxerit, ex tam vili luto plaſmatum.

IV. Examinatur in quonam conſiſtat hoc, quod anima ad imaginem Dei creata ſit, idque ſimilitudinibus ſtatuæ, picturæ, & ſpeculi cujuſdam dilucidatur; Variæ quoque moralitates tanguntur.

V. Pulchritudo animæ, & ſimilitudo quam habet cum Deo, cum hæc in innocentia & virtutibus conſiſtat, per pecca-

peccatum perdi & deformari poteſt: Simulque oſtenditur animam à Deo ſimilem ipſi creatam fuiſſe, ut tanto impenſius illum amet.

VI. Varij inter Deum & animam conſiderantur paralleli, quoad ſimilitudinem, quam cum Deo in qualitatibus & operationibus ſuis habet.

VII. Homo, utpote parvus quidam mundus, opus quoddam in quod abſolvendum ſanctiſſima Trinitas induſtriam ſuam collocavit: Denominatur anima cœlum & gloria Dei, quia propter ipſam creatum eſt cœlum Empyreum: quæ dignitas ad illam tanto majoris æſtimandam nos obligat.

VIII. Anima eſt Paradiſus & locus deliciarum Dei ejuſque templum, cujus proinde amplitudo, maximè, quam charitate mediante habet, conſideratur.

IX De exceſſiva animæ pulchritudine, quæ ad ſui ſponſalitium, Deum ipſummet rapit: hæc autem animæ venuſtas à virtutibus & innocentia Chriſtiana dependet.

X. Oſtenditur quanta cura & cuſtodia Deus animam proſequatur, guſtus item ſive gaudium, quo ob ejus ſalutem perfunditur, cujus etiam varia motiva conſiderantur.

XI. Ex pretio, pro animæ redemptione perſoluto, deducitur, quanti Deus, qui illius perfectam notitiam habuit, æſtimaverit: imo & Diabolus magni illam facit, adducuntur item nonnulla motiva ad illam pro dignitate æſtimandam.

XII Quidquid Chriſtus pro omnibus animabus fecit, etiam pro una ſola facturus fuiſſet: Ubi etiam cura, quam de unaquaque in particulari habet, per parabolas ovis & drachmæ deperditæ, nec non per S. Thomæ Apoſtoli exemplum declaratur: nec non quod nullus faſtidiendus ſit labor, tametſi is etiam pro unica dumtaxat anima impenſus fuerit.

XIII. Singuli Redemptori noſtro tantumdem obligantur pro anima propria, quantum obligantur in univerſali omnes imo plus quam omnes, contra illos qui propriam ſalutem ſpiritualem & æternam flocci faciunt.

XIV. De gloria & magno lucro eorum, qui animas convertere ſatagunt: quantumque Deus inde gaudeat, utpote qui animarum ſalutem tanto ſemper ſtudio & fervore proſequitur: Cauſæ item declarantur cur in hoc miniſterio negligentes ſimus.

XV. Anima animæ noſtræ Deus eſt, quæ proinde moritur, dum Deum amittit, id quod per peccatum contingit, quod lethiferum vulnus & venenum illius eſt: Declaratur etiam in quo ſanitas animæ conſiſtat, cui perſæpe infirmitates corporales plurimum conferunt: Denique modus traditur, quo anima rejuveneſcere poſſit.

XVI. Indecens eſſe oſtenditur, quod corpus animæ anteponatur: De vilitate illius in comparatione animæ, quæ ſi propter corpus perdatur, ipſum quoque una cum anima æternaliter punietur.

XVII. De corpore, quod inimicum eſt animæ, ſemper ſoliciti ſumus, ideoque illud adornare, lavare, cibare, & quando infirmum eſt, induſtriè curare ſtudemus, anima vero in comparatione illius parvi æſtimatur.

XVIII. Anima in bonis hiſce terrenis perditur, dum æterna negliguntur, Reprehenditur quoque modica animæ æſtimatio in comparatione ad alias res temporales.

XIX. Mundus & omnia alia bona creata in comparatione ad animam, pro qua omnia prodigi debent, nihil valent, quæ proinde ſi perdita fuerit, nullum eſt pretium in creatis, quo illam redimere poſſis: Et ideo ſalus illius dubio eventui committi nullatenus debet.

## DISCURSUS I.

## ARGUMENTUM.

Modica æſtimatio qua animam appretiamur, ex modica notitia oritur, quam ex defectu applicationis noſtræ de illa habemus; Hæc enim à nobis ad quævis alia extenditur præterquam ad unicum hoc tanti momenti negotium.

### THEMA.

*Venite, audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Pſal. 65. ℣. 16.

*Pſ. 118. v. 109.* — Animarum Theſaurus conſiderari debet.

1. VIr ille qui ſecundùm cor Dei erat, ille ipſe eſt qui ait: *Anima mea in manibus meis ſemper*; Animam coram ſe poſitam eſſe & in manibus a ſe portari dicebat (ad eum modum quo rem aliquam pretioſam nobiſque unice charam in manibus portare ſolemus) ſeu quod idē eſt, ſeriam valde circa animam propriam reflexionem habebat, atque ideo Deo tantopere gratus acceptusque erat, ut de eo diceret: *Inveni virum ſecundùm cor meum*; Idem quoque univerſo generi humano ſumma qua poterat cum eloquentia inculcare nitebatur, ut tantum theſaurum, qualis eſt anima toto animi conatu conſideraret, eique cuſtodiendæ incumberet, ideoque omnes ad ſe auſcultandum convocabat dicens: *Venite, & narrabo, omnes qui timetis Deum quanta fecit animæ meæ*; Ubi Albertus Magnus ait: *Narrabo quanta fecit animæ meæ ut ſciatis quid faciat veſtræ, niſi per vos ſteterit.*

*Pſ. 65. v. 16.* — *Alb. Magn. in Pſ. ibi.* — Ne perdatur. — *Cant. 1. 7.*

2. Terribilis eſt illa à ſponſo ſponſæ ſuæ in ſacris Canticis intentata comminatio: *Si ignoras te*, inquit, *O pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos*, … quaſi dicere vellet, anima quæ ſui pretium, valorem, nobilitatem & dignitatem non agnoſcit, eo tandem prolabitur, ut ſenſualitati & brutalibus appetitibus ſuis in prædam cedat; Et certe unica hæc cauſa eſt, cur tot innumerabiles animæ perdantur; Unde S. Leo merito exclamat dicens: *Expergiſcere ô homo, & dignitatem tuæ cognoſce naturæ.*

*S. Leo ſer. 7. de nat.* — Sicut Adam & Eva amiſerunt.

3. Porro cauſa cur Protoparentes adeo velociter ex dignitate adeo ſublimi, qualis ſtatus innocentiæ & juſtitiæ originalis erat, prolapſi fuerint hæc unica fuit, quia videlicet inæſtimabilem illum animæ ſuæ theſaurum, non agnoverint, nec pro dignitate ſua & merito æſtimarint, ſiquidem illa ad imaginem & ſimilitudinem Dei creata fuerat, ut proinde illis dici potuerit; *Eſtis ſicut Dij*; Unde David poſtquam dixiſſet: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit*, mox præcipitium, in quod turpiter corruit, ſubjungit, dicens: *Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

*Pſ. 48. 13.* — *Ibidem.* — *Orig. h. 2. in Cat.* — Cognoſcere debemus imaginem Dei in nobis.

4. Origenes illud Chilonis, unius ex ſeptem Sapientibus Græciæ dictum *Scito teipſum* adducens, præcitatum è ſacris Canticis textum, *ſi ignoras te, &c.* hoc modo exponit: *Niſi cognoveris temetipſam, & agnoveris pulchritudinis tuæ cauſas inde deſcendere, quod ad imaginem Dei facta es; quod niſi feceris, jubeo te exire, & in ultimis gregum veſtigijs collocari, & hædos paſcere, illos ſcilicet, qui præ pravitate à ſiniſtris ſtatuti ſunt.*

*Luc. 15. v. 8.* — Per perditam drachmam ſignificatur. — *Hug. Card.* — *Gl. Interl.* — *Bed. ibid. in Luc.*

5. Salvator noſter modum nos docere volens, quo animam noſtram hiſce bonis caducis & terrenis immerſam reinvenire valeamus, parabolam illam de drachma illa ſive gemma perdita adducit. Circa quam Hugo Cardinalis ita ſcribit: *Per drachmam ſignificatur quælibet anima Dei imagine inſignita*; Et Interlinearis ait: *Drachma eſt nummus certæ quantitatis habens imaginem Regis*, talis autem nummus eſt anima noſtra, quæ Dei in ſe imaginem expreſſam refert. Beda modum exponit, quo hæc moneta perditur, dicens: *Mulier drachmam perdidit, quando homo qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à ſimilitudine ſui conditoris receſſit*; frequenter enim gemmam hanc inter emolumentorum temporalium, vel carnalium voluptatum ſordes & immundities perdimus; quiſnam vero modus ad eam reinveniendam præcipue eſt obſervandus? *Accendit lucernam*; Scripturas & ſacros Doctores pervolvendo: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; quia qui natalium animæ nobilitatem, & quantam Deus noſter illius habet æſtimationem, pulchritudinem item & finem ob quem à Deo creata eſt, intelligere cupit, neceſſum illi eſt, ut hoc divini verbi lucerna adhibita ſacra volumina pervolvat.

*Pſ. 118. v. 105.* — *S. Bern. Sen. t. 3. d. dign. ani.* — Conſiderationes novē.

6. Conſidera *anima mea Primo*, inquit S. Bernardinus Senenſis, *in quanta altitudine es creata. Secundò, quam magnum theſaurum es æſtimata. Tertio cum quanta diligentia es cuſtodita. Quarto cum quanto dolore es deperdita. Quinto cum quanto dolore es quæſita. Sexto cum quanto ſtupore es conſiderata. Septimo cum quanto pretio es redempta. Octavo cum quanto gaudio es reinventa. Nono cum quanto præmio eris beata.* Quantum anima aliqua ex horum omnium motivorum conſideratione haurire lumen poteſt, ad ſemetipſam cognoſcendum & æſtimandum ne ex hoc tantæ dignitatis culmine decidere aliquando poſſit? at vero ſumma noſtra infelicitas eſt, quod animam noſtram huic corporis luto conjunctam in medijs horum inferiorum bonorum ſordibus, nimis faciliter perdamus. Unde S. Bernardus ait: *Affectionibus obligata & illita terrenis, ſuam ipſius faciem conſiderare non poteſt; Infixa eſt in limo profundi, & ſeipſam non videt, ſed putat formam ſuam eſſe luteam illam quam portat imaginem.*

*Serm. 51. in parv.* — Cur homo corpore erecto ſit creatus.

7. Verum quidem eſt, quod animato, vivo, ac mobili hoc luto veſtiti ſimus; Deus tamen illud vivificavit, & ex ſingulari quadam induſtria cœlum verſus erexit, ut non ſicut alia animantia terram ſemper vultu prono



aſpiceret, idque non alio fine quam ut anima nobiliſſimam ſuam quam è cœlo habēt originem tanto facilius agnoſcere, ſuoſque cordis affectus & deſideria, cœlum verſus erigere poſſet: Unde idem S. Bernardus ait: *Corporis ſtaturam dedit Deus homini rectam forſitan ut iſta corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti, hominem interiorem, illum qui ad imaginem Dei factus eſt, ſpiritualis ſuæ ſervandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi; quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perverſa res eſt & fœda, luteum vas quod eſt corpus, de terra oculos habere ſurſum, cœlos ſuſpicere, ſpiritualem vero & cœleſtem creaturam ſuos oculos, id eſt, internos affectus trahere in terram deorſum.*

*Serm. 24. in Cant.* — *Jer. 12. v. 11.* — Animæ detrimentum nil curant homines. — *Ibidem.*

8. Jeremias Propheta terræ deſolationem deplorans dicit: *Deſolatione deſolata eſt omnis terra*, quibus verbis utique non de externa hac mundi mole, ſed de tot innumerabilium animarum lamentatur exterminio; id enim ſequentia ejus verba manifeſte declarant, Dicit enim: *Quia nullus eſt, qui recogitet corde*, quaſi diceret: Vix inter homines unus aut alter eſt qui animæ ſalutem & immortalitatem ſeriò & ſolicite recogitet; Unde & Chryſoſtomus dicit: *Homines animæ perditionem non plangunt, nec cogitant: Innumerabiles dies homines lugent pro famulis mortuis, pro detrimento pecuniæ; animam autem quotidie perdentes, de ea ne cogitamus quidem.*

*Chryſ. h. 8. in ep. 1. ad Cor.* — Dæmon animas deprædatur. — *1. Mach. 1. v. 23.* — *1. Cor. 3. 17.* — *Hug. Card. ibid.*

9. Qualemnam primam prædam fuiſſe exiſtimas quam ſacrilegus Antiochus è ſancto templo Hieroſolymitano impiè ſuſtulit? … *Et accepit Altare aureum, & candelabrum luminis*; Idem quoque in nobis ſive in myſtico animæ noſtræ templo operatur Antiochus infernalis. *Templū Dei … quod eſtis vos.* Unde Hugo Cardinalis ait: *Accepit altare aureum, fervorem ſpiritus, unde aſcendit fumus aromatum orationis & virtutum, Deinde candelabrum luminis, id eſt, gratiam contemplationis*; aſtutus namque & ex meris dolis fabricatus adverſarius noſter impedit omnibus modis, ne nos oratione mediante ad animam noſtram æſtimandam & conſervandam applicemus, efficitque ut quævis potius alia terrena ſolicitè conſectemur.

Animæ dignitas.

10. Sancta & Seraphica Carmeli reſtauratrix Tereſia, quæ maxima & peritiſſima fuit vitæ ſpiritualis magiſtra ſequentia meditationis utiliſſima puncta ſuis ſpecialiſſime commendavit, & ut continuo in eorum mentibus verſarentur præcepit, nimirum *unicam eſſe animam, unicam eſſe vitam, unicam eſſe gloriam.* Cauſam autem cur pauci hoc monitum ſequantur, tantumque animæ theſaurum tam flocci faciant. S. Thomas hanc unicam eſſe dicit, quia ſcilicet pretium ejus & excellentiam non agnoſcunt: *O anima*, inquit, *ſi videres teipſam! O ſi agnoſceres tuam excellentiam & pulchritudinem, non ita te dejiceres ad amorem vilium terrenorum: quam pudendum eſt generoſam creaturam luto voluptatum fœdari, & ſponſam cœleſtis Regis viliſſimo æthiopi copulari?*

*S. Th. Vill. in d. 19. Pent.* — *Luc. 15. v. 16.* — Prodigum reduxit conſideratio nobilis ſui ortus.

11. Filius prodigus qui ad eam redactus fuerat egeſtatem, ut lacer, nudus, & famelicus in villa quadam immunda paſcere animalia urgeretur: *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat*: idem poſtea in domo Patris ſui pretioſis veſtibus indutus ſingulari cum lætitia Patris ſui, inter Symphonias circumſonantes, omniumque domeſticorum, ſolo invido fratre ejus excepto, plauſus & feſtiva gaudia lauto cuidam epulo aſſidere conſpicitur. Undenam putas mira hæc circa eum conditionis mutatio ortum ſuum habuit? *In ſe reverſus, dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei &c.* nimirum natalium ſuorum nobilitatem ex una parte, ex alia vero miniſterij illius, cui ſe neceſſitate cogente addixerat, vilitatem generi & origini ſuæ indecoram probe conſiderans, generoſam hanc apud ſe fecit reſolutionem dicens: *Surgam & ibo ad Patrem meum.* Textus Arabicus pro eo quod vulgata legit: *In ſe reverſus*, ita vertit: *Cogitabat autem in ſemetipſo*: id eſt, ut S. Auguſtinus ait: *Ab eis quæ forinſecus illiciunt, & ſeducunt in conſcientiæ ſuæ interiora intentionem reduxit*: certum namque eſt quod quanto quis circa nobilitatem & excellentiam animæ ſuæ majus lumen clarioremque notitiam ſibi acquiſierit, tanto magis ſe à natalibus ſuis degeneraſſe erubeſceret, tantoque puriorem magiſque immaculatam animam ſuam deinceps conſervabit.

*Ibid. v. 17.* — *Ibid. v. 18.* — *S. Aug. l. 3. q. Evang.* — *S. Bern. Sen. t. 1. ſerm. 51. art. 2.*

12. Unde S. Bernardinus Senenſis citat S. Bernardum ſerm. 49. in Cantica dicentem: *Quo anima melius cognoſcit ſuam originem, eo amplius erubeſcet vitam habere degenerem.* Et ideo ſi anima aliqua ſerio intendat Deo facto ipſo oſtendere, quod ei non ſit, nec eſſe velit ingrata, nec à fine propter quem creata fuit degenerare, ſed Chriſtianis ſe adornare virtutibus ſtatuerit, prius ſe ad nobilitatem & dignitatem ſuam reflectat: Unde S. Ambroſius in libello quem de dignitate conditionis humanæ conſcripſit, ita ſcribit: *Quiſque diligentium attendat primæ conditionis ſuæ excellentiam, & venerandam in ſeipſo ſanctæ Trinitatis imaginem agnoſcat, honoremque ſimilitudinis divinæ, ad quam creatus eſt, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat*: at vero ut hæc omnia conſequi valeat, curet ut prius præmittat quod ſequitur: *Diligentius attendat primæ conditionis ſuæ excellentiam.*

Anima erubeſcet à natalibus ſuis degeneraſſe ſi Originem cognoverit. — *S. Amb. c. 3. l. de dign. cond. hu.*

13. Valde conſiderabilia ſunt illa Pſalmiſtæ verba, dicentis: *Et Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus: verumtamen vane conturbatur omnis homo.* Cardinalis Bellarminus hæc verba hunc ſenſum habere dicit: quod ſicut aranea ſe continuo laborando defatigat, & eviſcerat, ut ad habendam muſcarum prædam telam quamdam ſive rete ſubtenue contexat eodemque tempore totaliter extenuatur & tabeſcit. Ita quoque animæ fideles temporalibus bonis per affectum immerſæ in ſpiritu & notitia Dei penitus exareſcunt: *Sic animæ hominum carnalium, juſto Dei judicio perpetuo laborando in rebus temporalibus acquirendis, & in eo labore conſumunt ingenium & mentem, & inde anima exſiccatur omni humore gratiæ, ut ne cogitent quidem de ſalute ſua, neque ullo deſiderio tangantur veræ felicitatis*: ac proinde regius Propheta David, qui ut in principio diſcurſus hujus diximus, toto animi conatu ſaluti animæ ſuæ vacabat, ſciens quam hic defectus communis ſit omnibus hominibus, quamdiu inter hæc terrena bona vivunt, plaſmati ex hoc luto quod animæ tantopere adverſatur ſiquidem *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, omnibus ſuadet ut negotijs ſæcularibus nonnihil temporis ſuffurentur, quo huic animæ negotio curando toto pectore applicare ſe poſſint: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.* Nihil enim per hoc nobis deperibit, ſi ex tot horis diurnis, breve aliquod temporis ſpatium nobis ſelegerimus, quo de animæ noſtræ ſalute ſolicitè cogitemus, cum cæteroquin negotijs terrenis quotidie tot horas impendamus.

*Pſ. 38. v. 12.* — Animæ temporalibus immerſæ exſiccantur Dei gratiâ. — *Card. Bell. ibid.* — *Sap. 9. v. 15.* — *Pſ. 45. v. 11.*

14. Verum enimvero ex quo araneæ mentionem facere cœpimus, extra orbitam me abiturum eſſe nequaquam exiſtimo, ſi diverſitatem nonnihil expoſuero, quæ inter laborem araneæ & laborem bombycis intercedit; Etenim aranea ſe ad ſubtiliſſima quædam fila texenda eviſcerat, ſed non alio id fine facit, quam ut in reti illo ex hiſce filis laborioſè fabricato muſcas capiat; at vero quid tandem ei accidit? Poſtquam miſerum hoc inſectum telam ſuam multis laboribus contexuit, ſervus familias ſcopam adducit, qua hanc tot laboribus fabricatam telam totaliter abolendo deſtruit & diſperdit, imo & ejuſdem telæ artificem omni conatu perſequitur, ut mortem inferat: non vero idem Bombyci contingit, quin potius unuſquiſque vermiculum hunc quærit, illumque delicate fovet & nutrit, quia fila ſerica contexit, ex quibus pretioſiſſimi deinceps panni ſeu veſtes ſericæ conficiuntur: & ideo cum aranea muſcas tantum capiat, bombyx econtra Principes & Reges poſt ſe captivos ducit, ſiquidem hi ambo labores ejus ambiunt quibus non regia ſolum conclavia, ſed & ſacra altaria, adornant, & ideo bombycini partus ob eorum pretium & æſtimationem ab uno mundi polo ad alterum deferuntur. Hi autem figura ſunt earum animarum, quæ bonis cœleſtibus adipiſcendis vacant, quæque ex induſtria ad Creatoris ſui ſervitium ſe applicant, & continuo pro ſalute æterna conſequenda laborant & fructificant: *Theſaurizant theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt*: Hæ profecto animæ à gratijs divinis, cœleſtiumque conſolationum dulciſſimo manna exinanitæ non ſunt, ſed potius ijſdem refertiſſimæ; Unde David ait: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.*

Animæ cœleſtibus vacantes Comparantur bombycibus. — *Matth. 6. v. 19.* — *Pſ. 30. v. 20.*

15. Optimè igitur nos S. Auguſtinus docet, quod videlicet bona animæ cum toto cordis affectu & amore proſequi, bona vero caduca non amare, ſed ea tantum ad neceſſarium uſum noſtrum adhibere debeamus, quantum noſtra poſtulaverit neceſſitas, Illa namque Pſalmi verba: *Sperate in Domino, multi dicunt, quis oſtendit nobis bona*, ita exponit: *Ea tantum diligenda ſunt bona, quæ ad interiorem hominem pertinent, cæteris autem ad neceſſitatem tantum utendum, non ad gaudium perfruendum.*

Ea diligi debent bona quæ ad animam pertinent. — *Pſalm. 4. 6.* — *S. Auguſt. in Pſ. 4.*

Achitophel typus illorũ qui animæ curam non habent.

16. Vultiſne videre, quam verum ſit illud, quod Cardinalis Bellarminus de anima bonis hiſce terrenis immerſa docet, nimirum quod exſiccatur omni humore gratiæ? quot ſunt homines quibus non eſt major cura de anima, quam ſi nullam prorſus umquam accepiſſent aut haberent? Achitophel Conſiliarius erat ſtatutus, ab Abſalone magno in pretio & æſtimatione habitus, & tamen videns quod in occaſione qua dictus Princeps Patri ſuo rebellis adverſus eumdem ſe erigebat, poſthabito conſilio ſuo propoſitum à Chiuſi conſilium prævaleret, audite quanto fuerit mærore oppreſſus, quamque peregrinam meditari cœperit reſolutionem: *Porro Achitophel videns, quod non fuiſſet factum conſilium ſuum ſtravit aſinum ſuum, ſurrexitque & abijt in domum ſuam, & in civitatem ſuam: & diſpoſita domo ſua ſuſpendio interijt;* *Excogitato conſilio*, inquit Scriptura, id eſt, maturâ adhibitâ deliberatione, proprijs ſeſe manibus ſuſpendere ſtatuit, ideòque teſtamento condito, creditoribus ſuis quoad debita plene ſatisfieri, juſtamque ſervis ſuis exolvi mercedem ordinavit, adeoque de omnibus præterquam de anima ſua ſolicitus fuit; in calore & vehementia deſperationis ſuæ, quoad omnia circumſpectus & providus fuit, ſola excepta ipſius anima, quam totaliter neglexit; ſcitiſne cauſam cur id fecerit? nimirum tot infinitorum infelicium hominum ſymbolum & typus fuit, qui animam ſuam, veluti rem contemptibilem & nihili faciendam, veluti ad uncinum ſuſpendunt, nihil de ea curantes aut cogitantes.

2. Reg. 17. v. 23.
3. Reg. 12. 28

17. Quando Abimelech ſub turri illa conſtitutus caput ſibi ex dejecto manu mulieris cujuſdam molæ fragmine collidi ſenſit: *Et Ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus*, quid illum in hoc funeſto eventu feciſſe exiſtimatis, num forte ad Deum protinus confugit? aut numquid de peccatis ſuis pœnituit, ut corporis ſalute deſperata ſaluti animæ ſuæ ad minus conſuleret? Minime gentium, quin potius cum jam animam exhalaturus eſſet honori & exiſtimationi ſuæ conſulere voluit, potius quam animæ: *Qui vocavit cito armigerum ſuum & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur, quod à fœmina interfectus ſim:* Ecce quaſnam in præſentaneo mortis articulo in capite ſuo voluerit cogitationes, eaſdem nimirum, quas habuit dum viveret; Qui enim dum ſani & incolumes vivebant de anima penitus nihil cogitant de eadem in morte multo minus ſoliciti eſſe ſolent, quia nihili eam faciunt, haud ſecus ac ſi vel animam nullam haberent, aut vero anima ſimul cum corpore interiret.

Judic. 9. v. 53.
Qui in vita animæ curã non habet, minorẽ habebit in morte.
Ibid. v. 54.

18. In principio hujus diſcurſus de Davide diximus illum ſanctè gloriari ſolitum fuiſſe dicendo: *Anima mea in manibus meis ſemper?* Non ſe illam ob oculos, ſed in manibus poſitam habuiſſe dicit, id eſt, ſe de anima ejuſque ſalute æterna curanda ſolicitum fuiſſe per opera ſua probabat, ideoque tanto divinæ legis obſervandæ zelo vivebat, ac proinde immediatè ſubjunxit: *Et legem tuam non ſum oblitus; Poſuerunt*, quidem *peccatores laqueum mihi*, & tamen inter omnes quos ad lapſum & præcipitium mihi tetenderunt laqueos, ſecurus evaſi: *Et de mandatis tuis non erravi;* Cura enim quam homo habet de anima & ſalute ejus æterna, hunc poſt ſe effectum relinquit, quòd homo ſine labe peccati purus & immaculatus ſemper permaneat; *Perambulabam in innocentia, cordis mei in medio domus meæ.*

Pſalm. 118. v. 109.
Mandata Dei cuſtodit qui animæ curam habet.
Ibid. & v. 110.
Ibid. v. 110.
Pſ. 100. v. 2.

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Anima creata fuit non verbo Creatoris, uti alia creationis opera, ſed interveniente ejus conſilio, quia ſpiraculo oris ſui eſſe illi tribuit, eique corpus ad cœlum erectum plaſmavit; Unde anima in ſolo Deo ſatisfactionem & quietem ſuam invenit.

### THEMA.

*Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Geneſ. 2. ℣. 7.

Animarum dignitas ex modo creationis monſtratur.

1. QUod ſi in perſpicuam Divinitatis animæ notitiam devenire deſideremus; ad eam habendam majus nobis lumen conciliare non poſſumus quam ex conſideratione primæ ipſius Originis. S. Ambroſius in libello, *qui de dignitate conditionis humanæ* inſcribitur, hac de re ita ſcribit: *Tanta dignitas humanæ conditionis eſſe cognoſcitur, at non ſolo jubentis ſermone, ſicut & alia ſex dierum opera, ſed conſilio ſanctæ Trinitatis, & opere majeſtatis Divinæ creatus ſit homo, ut ex primo conditionis honore intelligeret, quantum deberet ſuo conditori, at tanto ardentius amaret conditorem, quanto mirabilius ſe ab eo eſſe conditum intelligeret.* Supremus quippe artifex ille in productione quarumlibet aliarum creaturarum unico verbo, *Fiat*, opus ſuum abſolvit: *Fiat lux, & facta eſt lux; Fiat firmamentum; Germinet terra herbam virentem; Fiant luminaria; Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile*, adeo ut piſces, aves, animantia terreſtria, & quidquid vaſta hæc mundi machina in ſe complectitur, unico verbo, *Fiat*, eſſe ſuum acceperit: at vero quando ad animæ humanæ creationem deventum eſt; Phraſis loquendi omnino mutatur. Unde Rupertus Abbas Tuitienſis, ita de Deo noſtro loquitur: *Mutavit vocem ſuam; Quippe qui hactenus de ſingulis dixit: Fiat, & factum eſt; producat terra, producant aquæ, & factum eſt; Magnum plane conſilium in illo ſapientiæ conſilio, in illo talium perſonarum Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non tam ſenatu, quam colloquio venerando;* Quippe increata illa ſapientia, ſive verbum, de quo ſcribitur: *Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, ſupremum illud divinum convocavit conſiſtorium, ut de opere quodam tanti momenti quale creatio eſt animæ ad invicem conſultaretur, id inquam fecit ſapientia illa, quæ de ſemetipſa ait. *Ego ſapientia habito in conſilio & eruditis interſum cogitationibus.* S. Gregorius Nyſſenus diverſitatem quam Deus in creatione animæ, & aliarum creaturarum obſervavit, paucis hiſce verbis expreſſit: *Diſce*, inquit, *pretium ac dignitatem tuam, non projecit mandato & juſſu procreationem, ſed conſilium ac deliberatio fuit in Deo; ſapiens conſulit, artifex meditatur.* D. Chryſoſtomus quoque dignitatem animæ ex ſtylo quo divinus artifex in illius productione uſus fuit, deducit, dicens: *Quiſnam ille qui formandus ad quem faciendum opifici tanto conſilio & circumſpectione opus? ne mireris; homo enim inter viſibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita ſunt hæc omnia, cælum, terra, mare, Sol, Luna, ſtellæ.* Idem quoque inſuper, quinam conſiliarij illi fuerint, interrogat, quos ad animam producendam conſultando adhibuit? *Quis alius; quam ille magni conſilij Angelus ille admirabilis conſiliarius, princeps pacis, pater futuri ſæculi, unigenitus Dei Filius, Patri æqualis ſecundùm ſubſtantiam, per quem omnia producta ſunt?* Huic dicit: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

S. Ambr. de dign. cond. hum.
Gen. 1. v. 3. 6
Ibid. v. 11
Ibid. v. 14. & 20.
Rup. Abb. l. 2. in Gen.
Joa. 1. v. 3.
Prov. 8. v. 12.
S. Gregor. Nyſſ. or. ſup. faci. hom. &c.
Chryſ. h. 8. in Gen.
Gen. 1. v. 26.

Moyſis ſententia myſterioſa de creatione hominis.

2. Verum enimvero modus quem ſupremus artifex animæ noſtræ tam nobile eſſe dando tenuit, nonnullam in ſe continet difficultatem; Etenim conformiter ad declarationem ab æterna veritate factam, certum eſt, quod Deus purus ſit Spiritus, non vero corpus: *Spiritus eſt Deus*; necdum enim Dei Filius naturam hanc noſtram aſſumpſerat, & tamen ſacer Chroniſta expreſſe ſcribit: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Enimvero qui corpus non habet non reſpirat, non inſufflat, quomodo igitur Deus inſufflaſſe aut inſpiraſſe dici poteſt? utique modus hic loquendi metaphoricus fuit, quo Moyſes ad varia nobis inſinuanda myſteria fuit uſus.

Joa. 4. v. 24.
Gen. 2. v. 7.

3. E quibus Theodoretus unum adducit, dum ait: Moyſen nobis hoc loquendi modo inſinuare voluiſſe, Divinæ omnipotentiæ æque eſſe facile animam noſtram creare quam nobis pronum eſt reſpirare. Quod ſi urgeas, cur igitur Divina Sapientia ad illam creandam Divinarum perſonarum conſiſtorium congregarit? reſpondet, id factum fuiſſe ad honorandam natalium animæ nobilitatem, ſive ad adeo digni operis majorem honorificentiam.

Theod. l. 4. in Gen. q 4. v. 6
Declaratur.
1.

4. Aliud myſterium cur animam noſtram inſpirando crearit, eſt, ut nobis inſignem quamdam qua anima præ cunctis alijs creaturis præfulget, inſinuaret, nimirum quod *non educatur è potentia materiæ*, ſed à Deo immediatè ex nihilo creata, corpori infundatur. Unde Abulenſis ait: *Notatur quod anima homini eſt alijs formis perfectior, quia non eſt inducta in potentiam materiæ; fuit creata à Deo, & infuſa corpori, quod notat ſpiratio à Deo facta.*

2.
Abul. ibid.

5. Aliud quoque myſterium à Pererio tangitur, nimirum ut per hunc admirabilem productionis ſuæ modum dignitas animæ nobis inſinuaretur; hic enim æmulatur modum, ut ita dicam quo ipſamet Divina Sapientia procedit, quæ de ſemetipſa dicit: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*, ſiquidem etiam anima noſtra de eadem prærogativa gloriari poſſe videtur; ſicut enim

3.
Eccl. 24. v. 5.



halitus ſeu reſpiratio homini vitam tribuit, ita quoque Deus eſt qui animæ vitam donat, & per quem ipſa ſubſiſtit.

Anima eſt à Deo tamquã res facta ab eo.

6. Nec tamen inde arguere licet, quod anima in ſe ſubſtantiam divinam complectatur, tametſi non ſolum Philoſophis, ſed etiam Theologis quibuſdam ſufficiens dubitandi motivum ſubminiſtraverit hac de re dubitandi, quia ut Angelicus Doctor ait in hac fundantur ratione: *Illud quod aliquid inſpirat, videtur quod de ſe aliquid emittat; igitur cum Deus animam inſpiraverat, videtur, quod de ſua ſubſtantia emiſerit;* revera tamen non eſt ita, nam ut S. Auguſtinus aſſerit: *Recta fides habet, animam ſic eſſe à Deo, tamquam rem quam fecerit, non tamquam de natura cujus eſt ipſe.*

S. Th. in c. 2. Gen.
S. Aug. de Gen. ad lit. 7.

7. Verum tamen eſt, quod præ cunctis à Deo creatis rebus, anima noſtra Deo vicinior & propinquior exiſtat, atque propter & per ipſum vivat: Unde Abulenſis ait: *Deum dicimus illabi animæ intra terminos eſſentiæ ejus, quia eam conſervat, dans ei eſſe.* Quoad propinquitatem & vicinitatem animæ ad Deum S. Auguſtinus vel quiſquis eſt author libri de ſpiritu & vita, ita ſcribit: *Anima rationalis inter eas res, quæ ſunt à Deo conditæ, ſuperat omnia, & ideo Deo proxima eſt.* S. Bernardinus Senenſis ex adducto S. Auguſtini teſtimonio, de anima aſſerit, quod nihil ſupra ſe habeat præter ſolum creatorem, cæterum vero omnes alias ſuperet creaturas: *Nihil potentius aut ſublimius mente rationali, quidquid ſuper eam eſt, Creator eſt:* In hoc tamen nimis adhuc parum dicit, ſiquidem ut Hugo de S. Victore de ea ſcribit: *In ea Creator eſt, ſub ipſa eſt mundus, propter ipſam factus, ſupra ipſam Deus, à quo, & ad quem, & propter quem ipſa facta eſt.*

Abul. in c. 7. Exod.
S. Aug. de Sp. & an. c. 32.
Propter animam mundus.
S. Bern. Sen. t. 1. ſer. 51. a. 2.
Hug. à S. Vi. erud. th. ex miſc. 11. l. 1. tit. 37.

Cur Deus animam crearit ſpiraculo oris.
Oleaſt. in 2. Gen.

7. Oleaſter ad hanc inſufflationem ſeſe reflectens dicit: *Adverte qualiter Dominus Deus tuus ex intimo ſuo flatu vitam tibi communicavit; potuit enim dicere: fiat homo in animam viventem, ſed hoc non contentus, quaſi ex ſuis præcordijs vitam eduxit: vitalis Dei flatus particeps es intra præcordia tua.* Nihil homo gratius aut pretioſius habet reſpiratione & halitu, per hunc namque ſe in vita conſervat; Non ſine myſterio igitur ſupremus rerum omnium conditor Deus animam nobis per inſpirationem communicare voluit, ſed ut nobis oſtenderet, quod nos quodammodo vitæ ſuæ, quæ immortalis eſt & æterna participes efficiat; talis etenim vere eſt anima humana ad aliarum animarum creatarum differentiam. Optimè igitur Oleaſter ſubinfert: *Quod ſi Dei vita vivis, quid tibi cum brutis eſt, ut belluinam ducere vitam velis?* Tertullianus animam *Divini flatus vaginam* appellat; *Afflatus ſui vaginam.*

Oleaſt. ibid.
Tertull. l. de reſur. carn. c. 9.

Deo nil propinquius quã anima.

8. Advertendum hic eſt, quod quando Salvator noſter in die reſurrectionis Apoſtolos Spiritus ſui voluit facere participes, illum ipſis eodem modo communicarit, quem in animabus creandis tenuit: *Inſufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum;* Et quidem tametſi hæreticum ſit dicere, quod anima noſtra ſit de ſubſtantia divina, S. Auguſtinus tamen aſſerit quod, *Quemadmodum fatendum eſt, animam humanam non eſſe quod Deus eſt, ita præſumendum, nihil inter ea omnia quæ creavit, Deo eſſe propinquius.*

Jo. 20. v. 22.
S. Auguſt. de quant. ani.

Quam per ſe ipſum inſpirat cetera per cauſas ſecundas producens.
Salm. t. 3. tr. 2.

9. Doctiſſimus Salmeron ut nobis animam noſtram, neſcio quid divini in ſe continere, perſuaderet, hunc in modum diſcurrit: Tametſi Deus totius mundi Deus ſit, ſpecialiori tamen modo animæ humanæ Deus appellatur; plantis etenim & animabus, non niſi mediantibus cauſis ſecundis proſpicit, nimirum per Solem, ſtellas, & elementa; *Hominis animam per ſe immediate producit, inſpirando in faciem &c. animam rationalem; neque Angeli, neque univerſa creatura illam producere poteſt.* Quid hoc ipſum aliud nobis ſignificat, quam quod ipſemet Deus illius Creator aut genitor eſſe velit, dando ipſi, ut ita dicam vitam vitæ ſuæ & halitus ſui divini *Quemadmodum ergo hominis animam nullo medio producit, ita ipſe per ſe immediate illam gubernat.*

Cur per afflatum creata.
Per. ibid.
Plato in cratylo.
Pſ. 103. v. 29

10. Naſcitur vero hoc loco dubium, cur anima quæ immortalis & ad æternitatem creata eſt, vitam ſuam per afflatum ſeu aſpirationem quamdam acceperit? *Spiraculum vitæ; quia tantiſper vivit homo, dum ſpirat*, inquit ſacer quidam Interpres, qui teſtimonium adducit Platonis, dicentis: *Cum anima in corpore eſt, cauſa ipſi eſt, ut vivat, reſpirandi vim ei præbens; ſimul autem ut reſpiratio deſinit, corpus interit; Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur:* Credibile eſt, quod cum Deus animam creando eamdem ad vitam non temporalem, ſed æternam ordinaverit, præſentem hanc vitam reſpirationi aut afflatui cuidam inniti voluerit, ut per continuam mortis memoriam oculum noſtrum tanto firmius in vitam beatam defixum haberemus. *Anima mea in manibus meis ſemper:* Chaldæus legit: *Anima mea periclitatur*, ac ſi in ſuperficie manus meæ eſſet, ac proinde hac conſideratione mediante factus eſt divinæ legis exactus & punctualiſſimus obſervator: *Et legem tuam non ſum oblitus.*

Pſ. 118. v. 109.

Domicilio lutoſo immiſſa.

11. Verum dicet fortaſſe aliquis, cum Deus animam noſtram ex præcordijs ſuis, ut ita dicam, eduxerit, cur manus ſuas ad fabricandam animæ noſtræ, quoaduſque in hoc terræ exilio relegata verſatur, habitationem, luto immittere voluit? Numquid dicere poterat, ut tot alias nobiliſſimas creaturas quales Sol, Luna, & Cœli erant, creando fecit: Fiat corpus? *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Unde Job quoque dicebat: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu.* S. Ambroſius reſpondet dicens: *Beſtias non fecerunt manus tuæ Domine, ſed dixiſti: Et produxit terra quadrupedia, & reptilia, me autem feciſti, me tuis manibus figuraſti.*

Gen. 2. v. 7.
Job 10. v. 8.
S. Ambr. ſer. 10. in Pſ. 118

Interveniente conſilio formatus homo.
Tert. lo. cit. c. 6.

12. Myſterium in ſe continet verbum illud *Formavit*; hoc namque opus quoddam exprimit, non caſualiter & fortuitò, ſed magna cum diligentia & induſtria factum, ac proinde Tertullianus ad hujus opificij hominis admirationem invitat dicens: *Recogita illic totum Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, & affectione, quæ lineamenta ductabat.* Quis umquam Monarcham aliquem ſubdito ſuo proprijs manibus domum fabricaſſe audivit. In Hiſtorijs Eccleſiaſticis velut heroicum pietatis Conſtantini Magni opus narratur, quod ipſe imperialibus inſignijs à ſe depoſitis duodecim cophinos terra onuſtos in honorem duodecim Apoſtolorum regijs humeris extulerit, quando Eccleſiæ, quam ipſe in honorem S. Petri erigi fecit, fundamenta foſſa & eruta fuerunt; quanto igitur amplius æſtimandum erit, quod ipſamet altiſſimi & omnipotentis Dei majeſtas manus ſuas luto immiſerit, ut animæ à ſe creatæ domum, id eſt, corpus noſtrum plaſmaret? S. Gregorius Nyſſenus ſuper illa vera: *Faciamus hominem*, ita ſcribit: *Hinc incipies teipſum cognoſcere, nondum in ulla molitione hæc vox ſcripta eſt; Facta fuit lux, ſed ſimplici Dei mandato dicentis Fiat lux; cælum, ſed ſine conſultatione; Stellæ ſed nulla præceſſit deliberatio; Dei jubentis verbo facta ſunt omnia; hic nondum eſt homo, & de homine habetur conſilium;* Nec ſolum tres divinæ perſonæ circa animæ imagine & ſimilitudine ipſius imagine inſigniendæ creationem conſultarunt; verum etiam ipſiſſimas manus ſuas ad fabricandam ei domum applicuerunt: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Clemens Alexandrinus ait: *Jure homo eſt Deo charus, quoniam ejus figmentum eſt; & alia quidem ſolo juſſu fecit, hominem autem per ſe manu fabricatus eſt, & quid ei proprium inſpiravit.*

S. Greg. Nyſſ. lo. cit.
Gen. 2. v. 7.
Cl. Al. l. 1. Pæd. c. 3.

Erecto corpore ad calcandum terrena &c.

13. Inſuper præter honorem qui in animam ex eo redundat, quod Deus corpus in quo ipſa degit, fabricaverit, multo quoque amplius obſervandum eſt aliud quoddam myſterium, ſcilicet conſtitutio, figura, ſeu ſitus hominis: *Solummodò hoc inveni quòd fecerit Deus*, inquit Eccleſiaſtes, *hominem rectum.* Rupertus Abbas Tuitienſis ait: *Forma corporis in hoc ſolo animante ſurſum caput attollit, cælum intuetur, terramque calcans pedibus recto pectore incedit:* redditque mox rationem, cur Divinus ille artifex corpus humanum, utpote animæ manſionem Cœlum verſus erigere voluerit: *Sydera vel cæleſtia regna ſuperne poſitis meditari commonetur oculis.*

Eccle. 7. v. 30.
Rup. cit. in cat. in c. 2. Gen.

Solus Deus anima ſatiat.

14. Reliqua adhuc eſt alia quædam ponderatio, quod ex quo Deus animam noſtram per ſeipſum immediate & directè creaverit, hinc fiat, quod in nulla re deſiderium ejus compleatur aut ſatietur præterquam in ſolo Deo. Unde S. Gregorius ait: *Ad illum quippe ſuſpenſa eſt, à quo formata, & quia ad Deum ſolum appetendum facta eſt, omne autem quod infra appetit, minus eſt, jure ei non ſufficit, quod Deus non eſt.* Ad hujus veritatis probationem Salmeron hoc modo diſcurrit: Appetitus rationalis ſive voluntas quæ ad ſublima & ardua contendit, nullam in rebus terrenis quietem aut gaudium invenire poteſt, tametſi illas omnes reipſa poſſideret, & ratio eſt: *Nam omnia, quæ infra Deum ſunt, pauca & vilia ſunt, nec tantum ſtomachum, qualem habet humanus animus, implere valent.* Præterea dicit, hæc materia-

S. Greg. 1. 26. mor. c. 28.
Salm. t. 5. tr. 22.



lia

lia in ſeipſis ad cor humanum aditum habere non poſſunt, ſed ſola ipſorum ſpecies & ſimilitudo; ſicut igitur ſpeciebus panis & vini non paſcimur, ſed vero & reali pane & vino effective: ita quoque horum terrenorum ſpecies non ſatiant; adque hinc eſt quod Salomon quia cunctas delicias & gaudia imaginabilia probaverat, dixerit tandem de illis omnibus: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; & diu ante ipſum Pater ejus David in hæc verba prorupit: *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*; Unde Salmeron hanc deducit Concluſionem: *ubi vides, impoſſibile eſſè, ſine Deo animum hominis impleri; aut pacem invenire*, citatque Sanctum Auguſtinum, cujus hoc eſt celeberrimum pronuntiatum: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec revertatur ad te.* Beatus Laurentius Juſtinianus quoque ait: *Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, capacem enim Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit.*

*Eccleſ. 1. 2. Pſ. 72. v. 25. Ibid. v. 26. S. Aug. l. 1. conf. c. 1. B. L. Juſt. de lig. vitæ c. 5.*

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Varia tanguntur myſteria, ob quæ ſapientia increata animæ adeo nobili corpus conjunxerit, ex tam vili luto plaſmatum.

### THEMA.

*Formavit Dominus Deus hominem de Limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Gen. 2. ℣. 7.

1. S. Gregorius Nazianzenus ſublimi ingenio ſuo vinculum iſtud & unionem quæ eſt inter animam Dei imaginem & ſimilitudinem, & inter corpus, quod nihil eſt aliud quam putredo & ſaccus vermium ſatis intelligere aut penetrare nequivit; unde ait: *Haud equidem ſcio, quo pacto ſimul & imago Dei ſim, & cum cœno voluter.*

*S. Gr. Naz. 1. or. 16.*

2. S. Hilarius ad illam regij Prophetæ Lamentationem ſe reflectens, in qua dicitur: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea*; dicit Davidem hiſce verbis de hoc exilio, imo de pœnoſo hoc corporis carcere fuiſſe lamentatum: *In hoc obſcuro & tenebroſo corporum habitaculo, inviſibilis illa animarum noſtrarum conſirmatio continetur, habetque hunc contagioſi incolatus ſui carcerem, cæleſtis naturæ captiva generoſitas.*

*Pſ. 119. v. 5.* Lamentatur David de carcere corporis. *S. Hilar. ibid.*

3. De anima in Pſalmis dicitur, quod ſit *Paulo minus ab Angelis*, nobiliſſima autem hæc Angelorum natura à ſupremo rerum omnium factore non ſicut noſtra corpore veſtita fuit; Cur autem id factum fuiſſe putas? quonam ſpectat illa circa hominum & Angelorum creationem ſervata diverſitas? Movet dubium iſtud Hug. Victorinus, dum ait. *Quæritur, cur ita factum ſit, cum majoris dignitatis eſſet anima, ſi in ſua puritate permanſiſſet?* Cumque de anima in ſua creatione corpori infuſa dici poſſit, ipſam donec à corporis vinculo ſolvatur, in eodem velut in anguſto & obſcuro quodam carcere incluſam eſſe, ut proinde præter ſanctum Davidem Apoſtolus quoque ſuſpirarit *Deſiderium habens diſſolvi*, haud ſecus, quam ſi anima ipſius inter catenas & compedes membrorum & ſenſuum corporeorum vincta fuiſſet.

*Pſal. 8. v. 6.* Quæſtio cur homines corpore ſint veſtiti non autem Angeli. *Hug. Vict. in ſum. ſent. tr. 2. c. 1.* *Phil. 1. v. 23.*

4. Ad hoc vero dubium Elias Cretenſis Nazianzeni Commentator hiſce verbis reſpondet: *Hæc una cauſa eſt*, inquit, *cur anima cum corpore copulata ſit nempe ut per colluctationem adverſus ipſum & mundum, & afflictionem, quam hinc perpetitur, non tantum ut donum, ſed etiam ut ærumnarum & afflictionum quas in hac vita pertulit, præmium futurorum bonorum jucunditatem habeat.* Magnam igitur Anima per hanc cum corpore conjunctionem, habet prærogativam præ tota natura Angelica, ſiquidem hæc pro illo ſolum *inſtanti*, quod Scholæ *Angelum* appellant, mereri potuit; anima vero meritis ſe divitem facere poteſt, quamdiu corpori unita fuerit, ſuiſque meritis omnes Spirituum beatorum, etiam Seraphinorum in immenſum poteſt tranſcendere. Huic accedit, quod ut S. Paulus ait: *Non coronatur, niſi legitime certaverit*, ad hanc vero luctam ſubeundam Anima corpore opus habebat, quia *Caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem*; ac proinde plurimum animæ corporis beneficio lucrantur, dum mediante Corpore tot gratijs cœleſtibus locupletantur.

*Elias Cret. or. 1.* Reſolvitur, quod mediante corpore tranſcendere poſſint Seraphim. *2. Tim. 2. v. 5. Gal. 5. v. 17.*

5. In Prælio Gedeonis adverſus Madianitas, tunc quæ ſecum abſcondita habebant lumina emicare cæperunt, quando vaſa fictilia in quibus recluſa tenebantur, fuere confracta, ita quoque (quia *omnia in figura contingebant*) Lumen gloriæ in fidelium animabus tanto amplius reſplendebit, quanto ipſorum corpora, quæ verè Vaſa ſunt fictilia & fragilia crudelius fuerint afflicta & lacerata.

Corpore cõfracto lumen ſplendebit abſconditũ. *Judic. 7. v. 20.*

6. S. Bonaventura inter alias rationes ob quas animam cum corpore unitam eſſe dicit, etiam in medium adfert ſequentem: *ut anima ſerviendo Deo in corpore habeat majus meritum, quia ubi major pugna ibi major victoria, & per conſequens major corona, difficultas enim Corporis multum valet ad efficaciam merendi; ſicut corpus vivum valet ad fructum pœnitentiæ, ſic poſt mortem reſuſcitatum valebit ad conſecutionem ſtolæ duplicatæ.* Neque enim ſola anima, ſed etiam corpus coronabitur gloria, utpote quod una cum anima meriti fuit inſtrumentum, dum ſecundùm dictam animæ & rectæ rationis ei ſubjectum fuit, ſeque affligi permiſit: atque hic ſtimulus ille erat, quem Chryſoſtomus ab anima corpori ſuggeri & monitionis loco proponi volebat, ut tanto libentius pateretur pro animæ ſalute mortificari; Dicit enim: *Nequaquam nos umbra hæc fugitiva ſeducat, largiſſimam profecto mercedem pro contempta temporali voluptate capiemus; atque ipſe ad tuam animam loquere: Triſtaris quod te corporis voluptate defraudes ſed lætare potius, quia tibi cælorum regna providebo.*

Anima majorem habebit coronam propter corpus. *tr. 7. l. 2. de oper. cond. c. 60.* *Chryſ. ho. 16. in Matth.*

7. Hujuſce unionis animæ cum corpore aliud quoddam ab eodem Seraphico Doctore tangitur myſterium; nimirum id factum eſſe dicit: *ut per conjunctionem tam diſparium naturarum, erigeretur mens ad ſperandam illam unionem, quæ erit inter animam & ſpiritum increatum*; Atque hinc eſt, quod ſervi Dei majori Divino Lumine illuſtrati, qui veram habent hujus diſparitatis notitiam, vitam ſemper in patientia poſſideant, mortem vero continuo habeant in deſiderio: quia ſcilicet ferre non poſſunt animam adeo nobilem, atque hoc fine, ut in cœlo cum Creatore ſuo uniatur, creatam, tot annis in hoc obſcuro & ſqualido corporis, quod putredo & eſca vermium eſt, carcere alligatam ſubſiſtere. Ideo Pſalmiſta vitæ hujus impatiens exclamat: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus?* B. Laurentius Juſtinianus aliam hujus unionis animæ cum corpore aſſignat rationem: *Rationalem Spiritum*, inquit, *fragili atque paſſibili copulavit naturæ, ut qui luteo amictus erat indumento, atque in hoc exilio cum cæteris poſitus animalibus æquanimior eſſet, ac humiliter præſtolaretur tempus, quod de hac traheretur peregrinatione.*

Unio corporis cum anima facit ſpem unionis cum Deo. *S. Bon. ibid.* *Pſalm. 41. v. 3. & 4.* *B. L. Juſt. de diſc. monaſt. conv. c. 4.*

8. Ingenioſum Profecto fuit illud Chryſoſtomi quæſitum, cur ſcilicet increata & divina illa Sapientia, quæ tanto cum artificio corpus hoc noſtrum fabricavit, illud ipſum poſt animæ ab illo receſſum, in pulverem reſolvi voluerit & cinerem? Reſponderque ſanctus Doctor, quod niſi Deus idipſum ordinaſſet, *Magis ab omnibus corpora diligerentur, & carnales magis rudioresque multi hominum efficerentur.* Sic enim non obſtante quod corpus hoc brevi in cineres reſolvendum eſſe, nihilque aliud, quam ſaccum & eſcã vermium eſſe ſciamus, illud nihilominus tantopere diligimus, eique tantis cum lenocinijs adblandimur, quanto majoris illud à nobis æſtimandum fuiſſet, ſi incorruptibile eſſet. Præterea dicit idem S. Doctor *Quanta ſit virtus animi non facile cognoſceretur, nec quantum ipſi corpori affert, cum ei conjuncta ſit; pauciſſimi animæ curam haberent, cum plures nihil de immortalitate animæ audire paterentur.* Voluit itaque Deus, ut homo ſciret, quid corpus ex ſe ſit, ut animæ theſaurum tanto majoris æſtimaremus, à qua corpus vitam, motum, clamorem, omneſque alias operationes noſcitur recipere. *Ea ergo de cauſa confeſtim tabeſcant, ut tu pulchritudinem animi nudam perſpicere queas, nam ſi talem formam & talem vitam anima corpori præbet, qua ipſa in ſè pulchritudine ac vita vivit?*

Corpus corruptibile nobis datum ne diligeretur. *Chryſ. ho. 35. in Matth.*

10. Non deerat utique Creatori melius metallum, è quo corpus iſtud formare poſſet, cur igitur, inquies, luto ad illud plaſmandum uti voluit? *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Cajetanus ex Hebræo legit: *Formavit hominem pulverem de terra.* Chryſoſtomus: *Formavit hominem pulverem de terra*; Non ſimpliciter *terram* dixit, ſed *pulverem*. Hugo de S. Victore ait: *Formavit corpus ejus de limo, qui eſt terra tenax, ut per hoc hominem ad mortalitatem*

Anima corpori unita fragili. *Gen. 2. v. 7. Cajet. in Gen. Chryſ. in Gen. Hug. à S. Vict. in eat.*



*talitatem factam mori poſſe innuat.* Quid autem facilius diſperdi & diſſipari poteſt, quàm pulvis? *Tamquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ*; Unicus tantum oris flatus ſeu halitus, unica ſpiratio, imo aër modicus qui attrahitur ad pulverem diſſipandum ſufficit, nec aliud inſuper requiritur. Ecce tibi igitur nunc unionis hujus myſterium; quia enim vita noſtra, quamdiu ſumus in hoc corpore in ſolo quodam ſtatu ſeu halitu conſiſtit, corpus vero nihil aliud eſt, quam pulvis & cinis, Deus noſter qui eſt ipſiſſima illa increata ſapientia, de qua ſcribitur: *Omnia in ſapientia feciſti*, ad inſinuandam nobis hujus noſtræ mortalitatis fragilitatem & caducitatem, cui nihilominus tot machinæ cogitationum noſtrarum velut fundamento ſuperſtruuntur, & ut hominem, qui excellentiam animæ ſuæ æſtimare nititur, modum doceat, qui in hac æſtimatione eſt obſervandus, vult ut homo oculum ſuum ad hujus corporis, quod animæ habitatio eſt & domicilium, dirigat fragilitatem, conſidereque illud nihil eſſe aliud, quam pulvis & cinis, qui ad quemvis minimum ventum diſpergitur & diſſipatur. Ad quod clarius explicandum Seneca aptiſſimam hanc adducit ſimilitudinem; Dicit enim: *Ut qui in alieno habitant, multis agantur incommodis, ſemper de aliqua domicilij parte querantur, ita animus nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de ſtomacho, nunc aliud de alio queritur, ſignificans ſe eſſè non in ſuo domicilio, ſed unde brevi ſit emigrandum.*

*Pſal. 1. v. 4.* Ut fragilitatem conſideret.

11. Hoc quoque corpus quod adeo facile quovis momento corrumpitur, & in cinerem redigitur, animam expergefactam & vigilem eſſe facit; præterquam quod tot infirmitatum, tribulationum, ærumnarumque acerbiſſimarum puncturis quas patitur, animæ oculos aperiat ut ſe in ſemetipſa impaſſibilem & immortalem eſſe agnoſcere poſſit, corpuſque nequaquam domicilium ſeu habitaculum eſſe illi proportionatum, ſed potius miſerrimum quemdam eſſe exilij, captivitatis & ſqualidi carceris locum.

Ut animam faciat vigilem.

12. Corpus nos ad animæ ſalutem adipiſcendam egregie adjuvat, dummodo in lutum è quo plaſmatum fuit, & in fragilitatem ipſius oculos noſtros convertamus: *Propterea nobis è terra corpus dedit Deus, ut ipſum etiam ad cælum educamus, non ut per id etiam animam in terram detraheremus*; inquit Chryſoſtomus; hunc autem finem aſſequemur, ſi animæ noſtræ oculum, intellectum videlicet, in hoc lutum, & in pulverem iſtum in quem convertendum erit, dirigamus. Communis rerum omnium creator Deus alijs animalibus animam dedit ſenſitivam & vegetativam, quia vivunt, moventur, & operantur, quos quidem eoſdem effectus in nobis quoque experimur; at vero finis, quem in corporibus noſtris vivificandis habuit, longe diverſus eſt ab eo quem animalium vitæ præfixit; Finis enim quem Deus producendo & vaſificando corpora noſtra habuit, fuit, ut anima hac unione mediante Creatorem ſuum amando, corpuſque ſuum ſpiritui perfectè ſubjiciendo, in hujus præſentis vitæ decurſu vitam ſibi compararet æternam.

Ut vitam lucretur æternam. *Chryſ. t. 6. a. de anima.*

13. Quæri hoc loco poſſet, cur ſupremus ille rerum omnium architectus, qui dixit: *Meçum ſunt divitiæ & gloria*; eo ipſo quo animæ adeo nobile eſſe communicavit, corporis adeo vilem materiam eſſe voluerit; cur loco luti, argentum, aurum, & gemmas ad corpus illud fabricandum non adhibuit? Omnes quidem ſacri Expoſitores in eo ſunt concordes, quod materia è qua corpus humanum productum eſt, vile fuerit; Etenim S. Thomas ait: *Formatus eſt homo de limo terræ, quæ eſt vilis terra*; Abulenſis ait: *Limus terræ eſt madefacta & contemperata aqua*; In Hebræo dicitur: *De pulvere terræ*; Idipſum quoque ex verbis ſequentibus clarum eſt & evidens: *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Hug. Card. ait: *De limo terræ, id eſt, de terra limoſa, argilloſa, quantum ad corpus; Et hoc dicit Moyſes, ut ſemper recolat homo vilitatem ſuam.* Chryſoſtomus legit: *Formavit Deus hominem pulverem de terra*: Non ſimpliciter *terram dicit, ſed pulverem, quaſi ſi quis dicat, tenuiſſimum & viliſſimum, quod eſt in terra.* Ac proinde his ſuppoſitis, quæritur, cur ſapientiſſimus hic artifex non elegerit metallum aliquod nobilius & pretioſius, ſed potius pro corpore humano fabricando materiam elegerit viliſſimam & infimam? Pro reſponſione notandum, quod ex quo providus hic Pater naturam Angelicam ob dona ſua naturalia ex motivo vanæ gloriæ in ſuperbiam elatam fuiſſe vidit, ideo ne natura humana ejus imitatione & exemplo in idem barathrum corrueret, quod ei tanto erat pronius, ſiquidem eam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam crearat, ei de aliquo æquilibrio proſpicere voluit, ideoque nobilitati animæ vilitatem corporis adjunxit. Unde Nazianzenus dicit: *Hæc noſtra temperatio eſt, ut cum imaginis dignitas nobis animos extulerit, pulvis eoſdem deprimat, contrahatque.* Idem quoque Laurentius Juſtinianus his verbis tradit: *Ut ex qualitate exterioris hominis diſcat, non elatè præferre ſe, ſed ex continuis punctionibus, quas indeſinenter propter infirmitates & neceſſitates & ſimilitudinem carnis patitur, ſpiritus materiam ſumat ſe in humilitate cuſtodiendi.*

Ne ſuperbiret ut apoſtatæ Angeli. *Prov. 8. v. 18.* *S. Th. Gen. 2. Abul. ibid.* *Gen. 3. v. 19. Hug. Card.* *Chryſoſt.* *Naz. or. 16.* *B. L. Juſt. c. 4 de diſcip. mon. converſ.*

14. Obſervandum eſt, quod Moyſes in Capite præcedenti dixerit; *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinè noſtram, & præſit piſcibus maris, volatilibus cæli, & beſtijs, univerſæque terræ*; neque ſacer Chroniſta ſe hoc dixiſſe contentus, paulo poſt in eodem Capite ſubjungit: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ... maſculum, Et fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini*, adeoque homo velut omnium creaturarum Dominus in ampliſſimum hoc totius univerſi palatium ejus cauſa fabricatum introductus fuit: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves &c.* at vero quamobrem Spiritus Sanctus, adhibito Moyſis calamo in Capite ſequenti ſubjunxit: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ?* Cur immediate hominem vitam & animam per afflatum quemdam ſeu inſpirationem accepiſſe, indicare voluit? & quis eſt illius in ejus plaſmationem adhibiti luti ſeu limi terræ finis? Audite ad id reſpondentem D. Chryſoſtomum: *Propterea Deus, cui tanta ſalutis noſtræ cura, ad noſtri eruditionem Prophetæ linguam ſic direxit; quippe cum ſuperius dixerat divina Scriptura: Et fecit Deus hominem, ſecundùm imaginem Dei fecit eum, & dedit ei omnium viſibilium poteſtatem, ut ne ignorando quomodo conſtitutus ſit, magnus ſibi videatur, & præſcriptos ſibi limites tranſeat, propterea repetendo docet formationis ejus originem.* Id quod & S. Thomas hiſce verbis expreſſit, dum ait: *Formatus eſt homo de limo terræ, quæ eſt vilis terra, aquæ admixta, ut homini generoſo, qui de levi ex conſideratione ſuæ dignitatis effertur, occaſio humiliationis daretur.*

*Gen. 1. v. 26.* Ut occaſionem haberet humiliationis. *Ibid. 27. Ibid. 28.* *Pſal. 8. v. 8.* *Gen. 2. v. 7.* *Chryſ. in eat.* *Tho. in c. 2. Gen.*

15. Chriſtus apud S. Lucam dicit: *Regnum Dei intra vos eſt*; Hoc autem regnum animam eſſe dicere poſſumus, quæ æternæ capax eſt gloriæ & beatitudinis. Quam eamdem animam theſaurum appellare poſſumus, eo quod quoddam ſit Dei peculium, de quo theſauro Salvator noſter non ſine myſterio ait: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro*; Cur obſecro theſaurum in agro ſive in terra corporis noſtri abſcondere voluit? *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*; hujus rei finis utique nullus eſt alius, quam ne ob hunc Theſaurum in ſuperbiam efferamur, ideo enim hunc theſaurum nobis ignotum eſſe voluit, ne evaneſcamus, ac proinde illum in hoc agro occultavit. Unde Oleaſter ſuper Verba Thematis in principio hujus Diſcurſus poſita ait: *Fecit te è pulvere terræ, ſuique imaginem dedit, ut ſi quando Dei imago te inaniter extolleret, pulvis ſupprimeret; ſi autem tenuis pulvis dejiceret, dejectum nobilis Dei imago ſublevaret.* Optimè ad propoſitum noſtrum Commentator Nazianzeni loquitur, dum de homine ita ſcribit: *Idem & caro eſt, & Spiritus; Spiritus quidem anima eſt propter gratiam, ut immortalis ſit, tantique beneficij authorem laudet, Caro autem propter ſuperbiam, ut per corpus patiatur, ac patiendo ſubmoneatur quòd terra eſt, atque ita ſi quandò propter mentem efferatur, propter terram dejiciatur.*

*Luc. 17. v. 21.* Et ſe non inaniter extolleret. *Matth. 13. v. 44.* *2. Cor. 4. v. 7.* *Oleaſt. in c. 2. Gen.* *Eli. Cret. Or. 42. Naz.*

16. D. Chryſoſtomus nos monet, ut oculos noſtros ad hujus corporis artificem dirigamus, qui alius non fuit, quam ipſiſſima omnipotentia & ſapientia divina, quodque corpus illud ex luto formatum non ſine myſterio in animæ domicilium & habitationem fuerit: *Magnum tibi & admirabile videtur, quod dictum eſt; verum ſi cogites quis opifex, miraberis & adorabis potentiam conditoris.* Verum inquies fortaſſis ex luto & terra aqua ſubacta lateres confici ſolent, valde autem ab his, differt quæ ex eodem luto fit architectura corporis humani. Reſpondetur enim totam hanc admirabilem architecturam virtute animæ abſolvi, hæc enim ex luto ſubito corpus humanum cum omnibus ſuis potentijs & facultatibus organizat, parvum quemdam exinde fabricat mundum, eſt namque inſtrumentum quo res fiunt adeo admirandæ, ut illas terra pariter & cœlum obſtupeſcat. Voluit igitur Deus, ut in hoc luto non ſolùm virtus animæ, ſed & ſua mirabiliter

Ut miraretur potentiam opificis. *Chryſ. in c. 2. Gen.*

rabiliter eluceſceret ; Et hoc forte eſt quod S. Apoſtolus dicere voluit, quando ait : *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.* Tertullianus ait : *Nam ſi gloria Dei eſt in fictilibus vaſis tantum theſauri habere, ergo & gloria Creatoris eſt, cujus vaſa eminentiam virtutis ejus ſapiunt, & virtus ipſa, quia propterea in vaſa fictilia commiſſa ſunt, ut eminentia ejus probaretur.*

2. Cor. 4. c. 7.
Tert. l. 5. ad ver. Marc. c. 11.

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Examinatur in quonam conſiſtat hoc, quod anima ad imaginem Dei creata ſit, idque ſimilitudinibus ſtatuæ, picturæ, ſpeculi dilucidatur, variæ quoque moralitates tanguntur.

### THEMA.

*Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum.* Gen. 1. ℣. 27.

Homo imago Dei quoad imaginem nõ naturam.
In ſum. ſent. tr. 3. c. 2.

1. HUgo de S. Victore obſervat, quod ſacer hiſtoricus, cujus calamus à Spiritu ſancto directus fuit, animam non directè & immediatè imaginem Dei appellavit ; ſed tantum dixerit : *Creavit ad imaginem ſuam, quia non eſt ei uſquequoque ſimilis : Filius autem imago eſt Patris, & non ad imaginem ; quia quidquid habet Pater, totum habet Filius per naturam : Homo vero eſt ita imago Dei, quoad imaginem ; quia non per naturam, ſed participatione vel imitatione, habet ea quæ Deitatis ſunt* ; Hinc eamdem diſtinctionem in B. Laurentio Juſtiniano invenies, cujus hæc ſunt verba : *Eſſe imaginem indicat parilitatem eamdem, eamdemque ſubſtantiam expreſſam & propriam, ut non poſſit ſeparari, neque perſona una eſſe valeat,* ſine *alia, aut altera cognoſci abſque altera* ; Idem quoque unigenitus Patris inſinuare voluit, quando dixit : *Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis :* Ad imaginem vero eſt conditum, qualemcumque indicat exemplaritatem, prorſus ab eſſentia imaginis alienam, quamvis ſimilem.

B. L. Juſt. c. 15. de perf. gr.
Jo. 14. v. 7.

Hominis ſublimitas.

2. Verumtamen certum quoque eſt, quod tametſi anima noſtra producta ſit non velut imago ipſa prototypa, ſed ad imaginem Dei, per hoc tamẽ in dignitate quadã adeo ſublimi ſit collocata, quã nulla in creatis major dari aut dici poſſit. Unde S. Bonaventura ad animam ſuam converſus hiſce eam verbis alloquitur : *Recognoſce ô anima mea, quam mira & inæſtimabilis dignitas eſt, eſſe non ſolum veſtigium creatoris (quod eſt commune omnibus creaturis) ſed etiam eſſe imaginem.* S. Ambroſius in hac imagine totam animæ eſſentiam conſtituit, dum ait : *Anima noſtra ad imaginem Dei eſt, in hac totus es homo, quia ſine hac nihil es.* S. Gregorius Nyſſenus de humani corporis fabrica diffuſe tractans, in hac ratione imaginis ſupremi illius artificis bonitatem vel maximè eluceſcere dicit, quòd per hanc velut per breve compendium tot innumeris hominem bonis locupletet : *Quæ cum multa ſint numero,* inquit, *ut recenſeri ſingula commemorando difficulter poſſint, idcirco breviter univerſa his verbis comprehenduntur, quibus homo ad imaginem Dei factus eſſe dicitur valent enim illa tantumdem, ac ſi diceretur, naturam humanam à Deo in omnium bonorum ſocietatem vocatam eſſe ; nam ſi Dei natura perfecta quædam copia eſt bonorum omnium, homo autem eſt ejus imago, haud dubie ſimulachrum hoc. Dei princeps exemplum ita referet, ut & ipſum bonis omnibus abundet.*

S. Bon. t. 7. ſolil. c. 1.
S. Ambr. l. 6. exa. c. 7.
S. Greg. Nyſſ. de opific. ho. c. 16.

Anima monetæ comparatur.
Exod. 19. v. 5.

3. Valde propria ſimilitudo eſt, qua anima monetæ comparatur : *Eritis mihi in peculium,* in hanc namque imago Principis imprimitur, & ex eodem fit theſaurus, & ideo ut præcedenti Diſcurſu diximus, anima illi propriè aſſimilatur.

De eo quod eſt ad imag. & ſim.

4. Idem Nyſſenus in eodem loco ubi de imagine & ſimilitudine animæ cum Deo agit, circa hoc in quo hæc imago conſiſtat, variorum refert opiniones : *Quidam,* inquit, *facultatem imperandi, & principatum hominis, illud ad imaginem & ſimilitudinem ſpectare dixerant.* Ita D. Chryſoſtomus Hom. 8. in Geneſim : *Alij vero eam conditionem animæ, ut ſit ſpiritualis & inviſibilis ; alij quod incorruptibilis, & à peccato immunis eſſet, cum editus fuit in lucem* Adam ; *alij prophetiam illud eſſe dixerunt de Baptiſmo.* Communior vero & inter ſacros Interpretes ſententia eſt, quod hæc imago in eo conſiſtat, quod anima ſit intellectualis, & tribus potentijs adornata. S. Bernardinus Senenſis ait : *Quælibet anima ad imaginem Dei formata, tres potentias habet, videlicet intellectum, memoriam & voluntatem, quæ ſunt facta ad imaginem Trinitatis ; Primo quidem intellectus, & hic creatus eſt ad imaginem Filij ; ſecundo memoria, & hæc creata eſt ad imaginem Patris ; Tertio voluntas, & hæc creata eſt ad imaginem Spiritus ſancti.* In quam opinionem omnes fere ſpectabiliores magisque claſſici authores conſentiunt. Hic enim S. Auguſtinus poſtquam interrogaſſet : *ubi factus eſt homo ad imaginem Dei ?* Reſpondet protinus : *in intellectu, in mente, in interiori homine.* Hanc quoque ejuſdem ſancti Doctoris ſententiam alibi invenio, nimirum dum contra hæreticos Manichæos pugnat, qui hominem ad imaginem Dei factum eſſe negabant, eo quod Deus corporis expers exiſtat : *Attendunt,* inquit, *figuram corporis noſtri, & infeliciter quærunt, utrum habeat Deus nares & dentes, &c. in Deo autem talia ridiculum eſt, imo & impium credere, & ideo negant hominem eſſe factum ad imaginem & ſimilitudinem Dei,* ac proinde ſanctus hic Doctor hanc ſtatuit concluſionem : *Homo ad imaginem Dei factus eſſe dicitur ; ſecundum interiorem hominem, ubi eſt ratio & intellectus.* Thomas de villa nova ait : *Imago conſiſtit in potentijs, ſimilitudo in bonis, primum eſt debita proportio potentiarum ; ſecundum ornatus gratiarum & virtutum.* S. Bernardinus per adductas Alexandri de Ales & Lyrani ſcribit ; *Imago Dei in anima conſiſtit in naturalibus proprietatibus, & potentijs ejus ; ſimilitudo vero in gratuitis, hoc eſt in virtutibus, divina charitate & divina dilectione.* Commentator Nazianzeni animam in Scriptura ſacra varijs fuiſſe nominibus appellatam obſervat ; Dicitur enim *ſpiraculum vitæ : Inſufflavit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, animâ factus eſt homo in animam viventem,* item *Imago Dei vocatur, juxta illud : Ad imaginem Dei fecit illum ; porro illud, ad imaginem, intelligendi vim arbitrijque libertatem oſtendit.* S. Joannes Damaſcenus quoque ait : *Animam rationalem & intellectivam propria inſufflatione illi elargiens, quod ſane divinam imaginem dicimus, nam id, ad imaginem, intellectuale oſtendit, & liberæ voluntatis, arbitrijque poteſtatem.* Similiter Hugo de S. Victore hominem ratione animæ ad imaginem Dei creatum eſſe definit : *Sicut enim imago Dei cernitur in ſpeculo, ita anima in ſui ratione Deum cognoſcere poteſt* adducitque textum illum Pſalmiſtæ dicentis. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine ; ut enim in facie cognoſcitur homo, ita in ipſa ratione tamquam in ſua imagine cognoſcitur Deus ; homo itaque imago Dei eſt per rationem.*

S. Chryſoſt.
Dei imago in homine conſiſtit quod ſit intellectualis.
S. Bern. t. 1. ſer. 62. a. 1.
S. Aug. tr. 8. in c. 4. ep. 1. Joa. L. 1. de Gen. con. Manich.
Secundum animam homo Dei imago.
S. Th. de Vill. D. 19. Pent.
S. Bern. t. 2. ſer. 3. n. 2. c. 1.
El. Cret. tr. 42. Nazian.
S. Jo. Dam. l. 2. fid. orth. c. 12.
Hug. Vict. in ſum. ſent. tr. 3. c. 2.

Deus nos pinxit ad imaginem ſuam.

4. S. Ambroſius de creatione noſtra diffuſe tractans, ad explicandam præſentem materiam picturæ cujusdam metaphoram adhibet, dicens : *Pictus es ô homo, & pictus à Domino Deo tuo, & bonum habes artificem atque pictorem.* Hic autem pictor alius non eſt, quam ſententia increata, quæ eſt bina *imago Patris : ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.* S. Bernard. peritiam atque præſtantiam pictoris hujus hiſce verbis exprimit : *in quo conſiſtit omne ſcire, omne velle, & omne poſſe.* Solent quidem permagni æſtimari picturæ factæ à Titiano Raphaele, Michaele Angelo, Guidone, Cortona, & alijs ; at vero horum picturæ nequaquam comparabiles ſunt cum illa imagine quam divina ſapientia per totius æternitatis decurſum depinxit, quam Pſalmiſta contemplans in admirationem raptus exclamavit dicens : *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me :* Et quidem tametſi hæc pictura ſub hujuſce corporis noſtri velo contecta lateat, ob hoc tamen nequaquam minoris æſtimari debet ; ſi enim Cæſar Auguſtus, qui totius univerſi Monarcha erat, ſimul congregatos habuiſſet omnes celeberrimos illius ſæculi pictores, & ſingulos ſingulas juſſiſſet depingere figuras, easque abſolutas velo quodam contectas Gazæ intuliſſet cæſareæ, quemnam de illis velo obductis velo formaſſes conceptum ? Certiſſimum eſt quod velum illud quo ſingulæ tegebantur nihil omninò præſtantiæ illarum detraxiſſet : Jam vero indubitata fidei veritas, eſt, quod tres illæ ſupremi conſiſtorij cœleſtis perſonæ Divinæ, matura cum deliberatione, cumque omni infinitæ artis induſtria ad hanc animæ noſtram imaginem, veluti vivam Divinæ venuſtatis effigiem & ſimilitudinem depingendam accinxerint, ut cœli Empyrei prædivitem Gazam præexcellenter adornaret ; quod autem eamdem imaginem hujus noſtri corporis velo contexerint, hoc nequaquam præjudicare poteſt nec debet elegantiæ & pulchritudini, aut pretio & æſtimationi illius.

S. Ambr. 6. Exa. c. 8.
Sap. 7. v. 26.
S. Bern. t. 4. ſer. 40. p. 5.
Pſ. 138. v. 6.

Deus nobis ſuam imaginem impreſſit ut deveniremus in notitiam creatoris.

5. Reges & Magnates poſtquam ſublime aliquod valdeque magnificum erexerunt palatium, vel civitatem aliquam è fundamentis erexerunt aut notabiliter reſtaurarunt ; aliquam ſibi in loco conſpicuo erigere ſolent ſtatuam effigiem ipſorum & ſimilitudinem ad vivum repræſentantem, ut poſteritati in futuris ſæculis, quinam fabricæ illius author & fundator ſit, manifeſtum fiat : Eodem quoque modo Deus poſtquam vaſtam hanc mundi machinam creavit, ut deinceps quis author illius fuiſſet clare ab omnibus agnoſci poſſet, ſtatuam aliquam, imaginem & ſimilitudinem ſuam exacte referentem, fabricare & erigere voluiſſe videtur, dum hominem condidit ; qui veluti parvus quidam mundus erat, ut ex hujus tam nobilis creaturæ aſpectu, deveniretur in notitiam Creatoris : Unde Venerabilis Beda ſuper illa verba : *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine* ; ita exponit : *id eſt, luminoſus vultus tuus impreſſus eſt noſtræ animæ ; ut ſic dictum ad ſimilitudinem, quaſi vultus Dei ita expreſſè ſit in anima noſtra ſicut in aliqua ſtatua expreſſa eſt alicujus vultus imago, juxta quod dictum eſt : Formavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſui.*



Pſal. 4. v. 7.
Beda in Pſ. 4.

Deturpatam Deus non agnoſcit.

6. Et ideo ſicut Principes, teſte in varijs occaſionibus ipſamet experientia, ſe directè contumelia affectos eſſe cenſent, tametſi ſola ipſorum ſimulachra vel imagines ignominiam paſſæ fuerint ; unde qui illis contumeliam aliquam inferunt ſevere ſemper puniuntur : quanta igitur eſt noſtra temeritas, qui vivam Dei effigiem & ſimilitudinem in nobis portantes, eamdem tamen ignominia afficere aut contaminare tam parvi æſtimamus ? Euſebius Emiſſenus ait : *Nobilem vult eſſe vitam tuam, qui tibi commiſit imaginem ſuam.* S. Ambroſius quoque monet nos dicens : *Grave eſt, ut dicat de te Deus, non agnoſco colores meos, non agnoſco imaginem meam, non agnoſco vultum meum quem ipſe formavi.* Quonam verò modo hujuſce imaginis colores conſervari poſſint, idem ſanctus Doctor his verbis declarat : *Cum dicit Deus, Ecce ego Jeruſalem pinxi muros tuos ; illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendoremque pietatis, illa anima bene picta eſt, in qua elucet divinæ operationis effigies.*

Euſ. Emiſſ. h. 1. de ſymb.
S. Ambr. ibid. l. 8. c. 7.
Sed virtutibus renitentem.

Terreſtris deponenda imago.
Pſ. 72. v. 20.

7. Terribilis eſt illis Davidis comminatio dicentis : *Domine, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Non eſt quod is ſe in civitatem Dei aditum habiturum eſſe ſperet, qui hanc imaginem & effigiem deformaverit & defraudaverit : *Pictura pretioſa eſt,* inquit idem S. Ambroſ. *Adam ante peccatum, ſed ubi lapſus eſt, depoſuit imaginem cæleſtis, ſumpſit terreſtris effigiem, ſed fugiamus hanc imaginem quæ intrare civitatem Dei non poteſt.* Per peccatum enim ſimilis factus eſt jumentis : *Cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus.*

Purificare poſſumus pœnitentia.
Chryſ. A. 21. ad pop.
Pſ. 10. v. 6.

8. Verum enimvero hanc nobis benigniſſimus Deus prærogativam contulit, ut D. Chryſoſtomus bene ponderat, quod ſordes & maculas ab hac imagine contractas purificare, eamque ſuæ venuſtati & pulchritudini denuo reſtituere poſſimus, ut ab artifice ſuo iterum agnoſcatur : *Peccata delet lavacrum, tu conſuetudinem corrige, ne jam inductis coloribus, & illuſtrata imagine regia, amplius deleas, & vulnera & cicatrices inferas à Deo tibi dato decori.* Pſal. 10. V. 6. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

Coloribus virtutum ornare.

9. Obſervat Sanctus Doctor quod pictoribus in prima picturæ alicujus delineatione priusquam picturam quam effingere intendunt ad ſuam uſque perfectionem perduxerint, licitum ſit telam varijs lineis diverſisque coloribus imbuere, easdemque deductas lineas pro ſuo libitu delere, coloresque cum coloribus alterare, mutare, donec tandem figura pingenda ad ſuam uſque perfectionem fuerit abſoluta : *poſtquam verò jam colorem ultimum induxerint, non amplius libertatem habent rurſus delendi & depingendi, quoniam imaginis pulchritudini nocerent, & ſine culpa id fieri non poſſet : hoc tu quoque fac, puta animam eſſe tibi imaginem, quouſque igitur ſuperveniat vera Spiritus tinctura, male inſitas tibi conſuetudines dele ſive jurare, ſibi mentiri, ſive contumelias inferre, ſive turpia loqui.* Scirene vultis, quales in hanc imaginem depingendam deducendi ſint colores ? Audite S. Ephrem egregiè id docentem : *Imaginem ejus,* inquit, *in corde tuo ſemper habeto : imaginem non colorum varietate, in ligno, aliave materia, verum illam quæ per bona opera, ut jejunia, vigilias, honeſtas actiones, continentiam & orationes, mirabili quodam modo pure, jugiterque in anima exprimunt. Colores illius imaginis cæleſtis, recte facta ſunt & cognitiones mundæ, & terrenarum rerum nuditas, cum lenitate, & vita ſancta omni tempore.*

S. Ephr. l. de virg.

Huic noli illudere.

10. Chryſoſtomus conſiderat, quod tametſi marmor, vel metallum ſtatuæ Regis vel principis alicujus, (& idem de tela picta dicere poſſumus) cum perſona Principis vel Regis, cujus figuram referunt, nihil commune habeat ; nihilominus debitus illi deferatur reſpectus, eo quod effigiem referat, ejusque perſonam repræſentet : *Neque enim æs ſtatuæ ejusdem eſt cum Rege ſubſtantiæ, ſed tamen hanc auſi ludere pœnas dederunt ; ſive & in hominibus ; etſi non ejusdem cum Deo ſubſtantiæ ſint homines, ſicut neque revera ſunt, verumtamen imago illius vocati ſunt.*

Chryſ. ho. 3. ad pop.

Quam Angel. non dedignantur.

11. Ad hoc ut Angeli boni animæ humanæ ſervire non dedignentur, Deus creator omnium ei imaginem & effigiem ſuam imprimere voluit, quod idem quoque fecit, ne Angeli mali eidem nocere, vel illi prævalere auſint, ſiquidem ab illis idem animæ debetur reſpectus, qui illi, cujus in ſe refert imaginem : *Noli me tangere, quia Cæſaris ſum.* Plutarchus de Demetrio refert, quod is Rhodum obſidens, eamdem igne conflagrare & penitus deſtruere omiſerit, tametſi id promerita fuiſſet, idque ob hoc ſolum, quia in mœnibus admirabili artificio certi cujusdam Philoſophi, Prothogenis videlicet imago depicta erat ; Idem quoque Plinius his verbis ſcribit : *Rhodum non incendit Rex Demetrius, expugnator cognominatus, ne tabulam Prothogenis cremaret à parte ea muri locatam,* qualis igitur nobis erit confuſio, ſi cum hoc gentili & crudeli milite comparemur ; hic enim ob Philoſophi cujusdam effigiem muris Rhodenſibus impreſſam, eidem civitati, ne illam perderet, pepercit, cum tamen nos myſticam animæ noſtræ Jeroſolymam, de qua ſcribitur, *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei,* tam frequenter, tantaque cum facilitate & temeritate ad flammas condemnemus infernales, non obſtante quod eidem impreſſa ſit imago non hominis alicujus, ſed ipſiuſmet Dei qui illam fundavit : *Ipſe fundavit eam Altiſſimus.*

Plutarch.
Sed hoc à multis flammis traditur.
Plin. l. 7. c. 38.
Pſ. 86. v. 5.

Quam Chriſtus ſanguine emundavit.

12. S. Ambroſius conſiderat, quod Deus noſter hanc imaginem infernalis inimici opera turpiter deformatam eſſe conſpiciens, ut eamdem primævæ pulchritudini ſuæ reſtitueret, eamdem proprio ſuo ſanguine abluere & emundare non dubitarit. *Pro imagine,* inquit ſanctus ille Doctor, *quam in primo condiderat homine, quam viderat Diaboli arte fucatam, venit in ſimilitudinem carnis peccati, ut hominem per paſſionem ad priſtinam revocaret imaginem.*

S. Ambr. Symb. Ap.

13. S. Leo in anima noſtra ad imaginem Dei creata ſpeculum quoddam ſe videre agnoſcit : *Si creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet auctoris, & hanc eſſe naturalem ſui generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat* ; at vero dum anima culpæ alicujus nævo commaculatur : Deus ille, de quo ſcribitur, quod ſit *Candor lucis æternæ,* in eam conſpicere nequit : unde merito tali animæ improperat dicens : *Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis : arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.*

S. Leo ſer. 1. de jejun. 10. Menſis.
Et maculatam aſpicere nequit.
Sap. 7. v. 26.
Pſ. 49. v. 21.

Sed à concupiſcentijs mundatam.

14. Ad hoc ut ſpeculum imaginem ejus qui in eo ſe comtemplatur, exprimat, neceſſum eſt, ut terſum ſit, & mundum ; Quonam vero modo animæ purificandæ ſint, ad hoc ut Creator in ijs ſeſe aſpicere poſſit, S. Athanaſius his verbis declarat : *Id fiet : ſi immortalem animam habentes ſordes concupiſcentiæ, quas induerunt, abjiciant, & eo uſque ſe elevent, donec omne quod alienum animæ inhæſerit, exuant, eamque ita (ut nata eſt) præſtent, ut in ea Patris verbum, rationem (ad cujus ſimilitudinem ab initio conditi ſunt) ſpeculari poſſint &c.* Idem ulterius progreditur, dicens : *Cum omnem affuſam peccatis maculam exterſerit, & nihil niſi exemplar, quod ad imaginem Dei conditum eſt, purum ſervaverit, merito jam tum in eo, utpote in ſplendorem redacto, quaſi in ſpeculo contemplatur imaginem Dei.* S. Ambroſius ſimiliter docet, qua ratione anima noſtra imagine Dei frui poſſit : *In imagine Dei ambulamus, quando cogitationes bonæ, quæ nobis à Deo inſitæ ſunt, in nobis permanent, & ad opera nos bona perducunt, imago namque Dei excludit à corde noſtro cuncta flagitia, quæ Diabolus nititur in corde noſtro ſeminare, atque depingere.* Ac proinde fructuoſum nobis exercitium futurum erit, ſi anima Deum rogaverit, ne umquam ab ipſa recedat, quia ſicut repræſentatio ſimilitudinis, quam ſpeculum operatur, ab actuali præſentia objecti, quod ei objicitur, reſultat, eodem modo totum eſſe, & multo magis bonum eſſe animæ, à continua nec umquam intermiſſa Creatoris & Dei ſui aſſiſtentia dependet, & hoc forte eſt, quod David in ſuppli-

S. Athan. or. cont. gent.
S. Ambr. loc. cit.
Deus rogandus ne à nobis recedat.

ſupplicatione illa, quam Deo porrigebat, dicere voluit, dum ait: *Ne avertas faciem tuam à me ... adjutor meus eſto, ne derelinquas me*; Cui ſupplicationi Deus gratioſè annuit, dum ait: *Firmabo ſuper te oculos meos*: at vero poſtquam idẽ David ſpeculum animæ ſuæ per adulterium & homicidium propria culpa commaculavit, tunc agnovit, in ea non Dei, ſed Dæmonis imaginem effiguratam eſſe: *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Reſpice in me, & miſerere mei.*

Pſal. 26. v. 9. Pſal. 31. v. 8. Pſal. 29. v. 8. Pſ. 24. v. 16.

Taurus infernalis ſe vindicare cupit in nobis.

15. Tauro proprium eſt, quod quando ex recepto vulnere ſaucius, eum, qui ipſum vulneravit invenire non poteſt, ut ſe de vulnere accepto vindicare poſſit, figuram ſeu ſtatuam illius in Theatro repertam aggrediatur, eamque cum ingenti rabie cornibus, dentibus, & pedibus impetat atque convellat; idem quoque inimicus infernalis facere videtur, quia enim Deum, qui ipſum in abyſſum præcipitem egit, per vindictam lædere non poteſt; Omnem vindictam adverſus hominem toto conatu exerere tentat, utpote in quo imaginem & effigiem Dei invenit, atque ideo in hoc mundi theatro eidem per ſuggeſtiones & inſultus ſuos omne malum inferre ſatagit, quaſi in hoc omnibus viribus connitens, ut imaginem & ſimilitudinem, quam Deus illi impreſſit, deſtruere & totaliter abolere poſſit: ſcit enim, quod illa imagine ſublata; *Comparatur jumentis inſipientibus. Imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* In horto Gethſemani, de Chriſto legitur, quod *procidit in faciem ſuam*, videbatur enim ac ſi æternus Pater ipſum minimè agnoſceret, non obſtante quod veriſſima ipſius imago eſſet, eo quod omnia noſtra peccata in ſe aſſumpſerat: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*; Et ideo S. Hieronymus de peccatore ita ſcribit: *Qua confidentia erigis ad cælum vultus, quos conditor non agnoſcit?*

Pſ. 48. v. 13. Pſ. 72. v. 20. 1. Petr. 2. 24. S. Hier. ad Furiam.

## DISCURSUS V.
## ARGUMENTUM.

Pulchritudo animæ, & ſimilitudo quam habet cum Deo, cum hæc in innocentia & virtutibus conſiſtat, per peccatum perdi & deformari poteſt; Simulque oſtenditur, animam ideo à Deo ſimilem ſibi creatam eſſe, ut tanto impenſius illum deinceps amet.

### THEMA.

*Creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum.* Gen. 5. ℣. 1.

Anima Deo ſimilis major eſt omnibus creaturis.

1. INter omnes creaturas quæ umquam ab omnipotentis Dei manu emanarunt, nulla eſt quæ majori gaudet prærogativa, quam anima humana, quia tametſi cæteræ creaturæ annexum habeant aliquod ſaltem creatoris veſtigium, qui illas formavit, ſola tamen anima ei ſimilis exiſtit, unde S. Bernardinus Senenſis ait: *Tanto major eſt omnibus creaturis, quanto ipſa magis conformis & ſimilis Deo.* Propheta quidem regius plane attonitus interrogat: *Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi?* at vero S. Auguſtinus reſpondet, Divino huic architecto nequaquam difficile eſſe, opus aliquod ſibi ſimile effingere: *Quid tu difficile putas Deo fuiſſè, ut aliquid ſibi ſimile faceret, cum hoc in tanta varietate imaginum etiam videas nobis eſſè conceſſum?*

S. Bern. to. 4. ſer. 40. p. 1. Pſ. 88. v. 9. S. Aug. c. 1. l. de an. quant. c. 2.

2. Rupertus Abbas Tuitienſis inter nomen Imaginis & ſimilitudinis aliquam obſervat differentiam: *Imago & ſimilitudo hoc diffèrunt, quod imago unius imago eſt, ſimilitudo autem numquam minus, quam duorum ſimilitudo eſt.* Idem quoque alibi idipſum confirmat, diſtinguendo imaginem & ſimilitudinem quoad effectus alios: *Ad imaginem Dei*, inquit, *homo factus eſt in eo quod rationalis eſt: ad ſimilitudinem vero in eo quod divinæ bonitatis imitator conditus eſt, imago namque Dei, vel figura ſubſtantiæ ejus, ſicut Apoſtolus ait, Filius eſt, bonitas autem vel charitas Dei & imaginis ejus, Spiritus Sanctus eſt, & idcirco non eſt dictum: Faciamus hominem ad ſimilitudinem & imaginem meam*, ſed *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, quia ſimilitudo non unius tantum, ſed duarum perſonarum ſcilicet Patris & Filij eſt, imago autem non duarum, ſed unius ſcilicet Patris eſt.*

Rup. Ab. l. 2. in Gen. c. 2. Differentia inter imaginem & ſimilitudinem. L. 7. de div. offic. c. 4.

Similitudo per culpam amittitur.

3. Idem quoque illud ſcitu neceſſarium punctum tangit, nimirũ quod tametſi ratio imaginis ab homine perdi nequeat, quia propriè in rationali conſiſtit, poſſit tamen ab eo amitti ratio ſimilitudinis, quæ in gratia, in imitatione & participatione divinæ bonitatis, quam per culpam abjicimus, conſiſtit: *Potuit autem creatura rationalis amittere id quod ad ſimilitudinem Dei facta eſt, non potuit vero eo carere, quod ad imaginem Dei condita eſt: Quare? Quia videlicet divinæ bonitatis imitatio, per quam Dei ſimilitudo retinetur, creaturæ quoque voluntatem exigit: rationalitas autem, quæ impreſſione imaginis Dei humanæ animæ inſculpta eſt, à ſola Creatoris arte proceſſit.*

Quo homo devotior Deo eſt eo ſimilior.

4. S. Ambroſius quoque de animæ dignitate tractans, rationemque reddens, cur Deus animam ad ſimilitudinem ſuam crearit, dicit, quod ſicut Creator qui ei ad ſimilitudinem ſuam eſſe communicavit, amor eſt, bonitas eſt, juſtus, patiens, mitis, purus, miſericors eſt, omneſque in ſe alias virtutes includit: *Ita homo creatus eſt, ut charitatem haberet ut bonus eſſet, & juſtus, ut patiens atque mitis, mundus, & miſericors foret, quas virtutes quanto plus quiſque in ſeipſo habet, tanto propius eſt Deo, & majorem ſui conditoris gerit ſimilitudinem:* In quo explicandi modo omnes alij ſacri Expoſitores conſentiunt.

S. Ambr. l. de dig. con. hum. c. 3.

Cõfirmatur.

5. S. Bernardinus de Senis, in quodam ſuo ſermone de dignitate animæ, declarare volens, in quonam ſimilitudo, quam homo cum Deo habet, conſiſtat, dicit: *Similitudo Dei tunc in anima eſſe dicitur, cum habet virtutes Charitate formatas.* Venerab. Beda exponens verba illa Pſalmi: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, eamdem jam dictam diſtinctionem inter imaginem & ſimilitudinem adducit, dum ait: *Imago Dei in anima noſtra eſt ratio & intellectus: ſimilitudo vero ejus eſt pietas, juſtitia, humilitas, & cæteræ virtutes, quas ut boni eſſèmus, ſicut ipſè, naturaliter animæ noſtræ inſeruit.*

S. Bern. Sen. t. 1. ſer. 51. a. 1. c. 3. Bed. in Pſ. 1.

Similitudo Dei per bona opera efformatur in nobis.

6. Porro advertendum eſt, quod Moyſes poſtquam recenſuiſſet, qualiter tres Divinæ perſonæ dixerint: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, paulo poſt de eodem homine repetat: *Creavit Deus hominem, ad imaginem Dei creavit illum*: ubi Rupertus argute quærit, Cur Moyſes ſecunda vice nullam fecerit mentionem ſimilitudinis? *Numquid caſu, vel oblivione tam magna parte conditionem hominis in ſuo ſermone diminuit, quam in Dei dictione tam nobiliter utraque parte extulit? Non utique ſed ſcienter quid Deus intendiſſèt in verbis ejus expreſſit, & quod accepiſſèt in ſuo ſermone prudenter obſervavit, cum enim diceret Deus: Faciamus hominem, ipſe utique illum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam facere intenderat, cum autem hoc ipſe ſcriberet, homo per peccatum Dei ſimilitudinem amiſerat.* Imago Dei deſinere nequit neque amittitur, quia in ipſo eſſe intellectuali conſiſtit, at vero ſimilitudinem Dei in nobis per bonorum noſtrorum operum penicillum efformamus, *Ad imaginem, ut ſit rationalis*, inquit idem Rupertus, *ad ſimilitudinem, ut ſit rectus, ſectando juſtitiam Dei; Deus fecit hominem rectum, ſed ſeductus perdidit honorem ſimilitudinis Dei.*

Rup. l. 2. in Gen. c. 6. Ibid. c. 3.

Cõfirmatur.

7. S. Auguſtinus in libro, qui intitulatur, *de ſpiritu & anima*, de hac ſimilitudine tractans, ita ſcribit: *Appareat ſimilitudo Dei in moribus pro natura, in operibus pro juſtitia, in virtutibus pro gratia.* S. Joan. Chryſoſtomus ejuſdem eſt ſententiæ, poſtquam enim dixiſſet, quod imago relationem ad principatum & dominium homini ſuper omnia animalia collatum, dicat, mox etiam de ſimilitudine ſubjungit: *Similitudinem, ut pro viribus humanis ſimiles fiamus Deo, manſuetudine & lenitate & virtutibus Deo ſimiles efficiamur quod &* Chriſtus *dicit: ſimiles eſtote Patri veſtro, qui in cælis eſt.* S. Bernardus in quadam ad animam directa exhortatione, ſatis clare indicat, quod & ipſe hanc ſimilitudinem in innocentia & bonis moribus poſitam eſſe agnoſcat: *Venerandum*, inquit, *ſanctæ Trinitatis imaginem* in teipſa *agnoſce, honoremque ſimilitudinis divinæ (ad quam creata es)* habere *ſtude nobilitate morum, exercitio virtutum.* S. Auguſtinus quoque in ſermone quodam ita ſcribit: *Quiſquis vult eſſè ſimilis Deo, non recedat ab eo, ei cohærendo, ut cuſtodiat ſimilitudinem ad quam factus eſt.*

S. Aug. l. de Spir. & an. c. 39. Chryſ. ho. 9. in Gen. S. Bern. c. 48. de int. dom. S. Aug ſer. 34 de ver. Dom.

Perditur per peccatum.

8. Ex quonam vero capite hæc ſimilitudo à nobis amittatur, facile eſt intelligere: *Homo cum in honore eſſèt non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Per peccatum igitur divina amittitur ſimilitudo: In Lamentationibus Jeremias ait: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte*: paulo poſt vero de eiſdem dicitur: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti*; Hanc eamdem metamorphoſim S. Bonaventura quoque his verbis ſubindicat: *Erat templum Dei, ſponſa Chriſti, ſacrarium ſpiritus ſancti, quæ eſt iſta ſubita converſio & repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio Sathanæ? de ſponſa Chriſti ſcortum execrabile Diaboli*; Undenam obſecro hæc procedit tam deplorabilis & damnoſa mutatio? Hugo Cardinalis ſuper illa verba: *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum*, dicit: *Homo factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ad imaginem in naturalibus, ad ſimilitudinem in gratuitis, ſpecioſa igitur eſt anima, in qua facies Dei depingitur, & illuminatur.* Sed quænam eſt cauſa, quod hic ſplendor amittatur, fiatque anima inſtar carbonis? *Cui Diabolus invidens, accedit ad eum cum ſuo carbone, id eſt, cum deformi peccato, & ipſam denigrat, & ejus pulchritudinem tollit*, Richardus de S. Victore ait: *Creavit Dominus Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; Ecce qualis factus es à Deo, attende & illud quale factus ſit à ſemetipſo*; Citànſque locum illum Pſalmi: *Homo cum in honore eſſèt, non intellexit*, &c. dicit: *Ecce qualem ſe fecit: Ecce vade, quo cecidit, de ſimilitudine Dei, in ſimilitudinem jumenti. O cum quanta confuſione ad Deum redibit, qui ſimilitudini Dei ſimilitudinem jumenti ſuperinduxit.*

Pſ. 48. v. 13. Thr. 4. v. 7. S. Bon. t. 7. ſolil. c. 1.



Pſalm. 118. v. 135. Hug. c. 1. in Pſ. 118. Rich. Vict. tr. de mod. pl. circ. finem. Pſ. 48. v. 13.

Animæ pulchritudo.

9. Adeo exceſſiva eſt, ob divinæ ſimilitudinis rationem, animæ pulchritudo, ut inimicus infernalis eadem allectus, illam omni conatu poſſidere ſatagat. Unde Origenes ait: *Vide cujus decoris, cujus pulchritudinis eſt anima, quæ imaginem habet & ſimilitudinem Dei; hanc pulchritudinem contrariæ poteſtates cum aſpiciunt, id eſt, Diabolus, & Angeli ejus concupiſcunt ſpeciem ipſius, qui quia non poſſunt ſponſi ejus fieri, meretricari cupiunt cum ea*, ſit enim ſimilitudo quam anima cum Deo habet, hæc ſola eſt, quæ tantam ei pulchritudinem conciliat, eaque in divina electione conſiſtit. Unde S. Bernardinus de ipſa dicit; *Si charitate anima privatur, deformis eſt, Charitas eſt animæ pulchritudo, ſicut ignis pulchritudo carbonis, qui cum eſt ignitus, ſplendidus eſt & pulcherrimus ignique ſimillimus*; Dæmon autem Divinum hunc ignem in nobis extinguere ejuſque loco ſuum in nobis ignem accendere ſatagit.

Orig. h. 13. in Levit. S. Bern. t. 2. ſerm. 3. art. 2 c. 1.

10. D. Chryſoſt. optimè nobis, in quonam pulchritudo & deformitas animæ conſiſtat, his verbis exponit: *Nihil turpius aut deformius anima vitijs obnoxia, Unde animæ pulchritudinem providere convenit, & dicere: Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem; ut & ſponſus interiorem tuam ſpeciem conſpicatus dicat: Tota pulchra es & macula non eſt in te.* Innocent. III. ſuper illa verba Pſalmi: *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ*, de hac animæ deformitate ita ſcribit: *Heu ſi quis videret animam peccatricem, quam ſit fæda, quam fætida & putrida, profecto leproſior eſt carne leproſa.* Enimvero ſi anima aliqua diſcernere cupiat, an conformetur Creatori ſuo, ejuſque in ſe ſimilitudinem referat, propriæ conſcientiæ ſpeculum inſpiciat, ſi enim pura & immaculata fuerit, non eſt quod dubitet quin ei ſimilis exiſtat, poteritque, ſi velit, amiſſam hanc ſimilitudinem denuo recuperare. Nam ut S. Bernardus, *de interiore domo*, docet: *Sicut mulier quæ viro ſuo, ſive amico placere deſiderat, in contuitu ſpeculi imaginem oppoſitam reddentis, decorem & pulchritudinem faciei imponit, ſic anima in quibus ab imagine veritatis diſcedit, vel in quibus veſtigia cicatricis imaginis recipiat, in conſcientia relegit & intelligit.*

Chryſoſt. h. 77. Conſcientiæ, ſpeculũ animæ monſtrat qualis ſit. Pſ. 37. v. 6. Innoc. III. in Pſ. 3. pœn. S. Bern. c. 23. de int. domo.

Virtutes animæ ſunt pulchritudo.

11. Chryſoſtomus in conſideranda & examinanda hac animæ & corporis pulchritudine latè diffunditur, dicit enim: *Duæ ſunt eſſèntiæ, eſt pulchritudo corporis, & pulchritudo animæ*; Pergit deinde horum membrorum noſtrorum deſcribere proportionem & ſymmetriam, dicitque nos hanc accipere à natura, eamdemque etiam adhibita arte difficulter meliorare poſſe: *Quæ igitur pulchra eſt, pulchra eſt ſemper, etiamſi ſtudium non accommodet conciliandæ ſibi pulchritudini, quæ autem deformis, nullo ſe ſtudio poteſt reddere formoſam, at ne formoſa deformem*; Cujus hanc dicit eſſe rationem, quia *Naturæ ſunt hæc*; Demum vero ad ponderandam animæ pulchritudinem deſcendit, quam quidem videre non poſſumus, quia eſt inviſibilis, in quo tamen conſiſtat, ſcire omnino poſſumus: *Quæ igitur eſt animæ pulchritudo? Eadem hæc eſt, quæ animam Creatori ſuo ſimilem efficit, nimirum Chriſtianæ virtutes: Temperantia, æqualis morum moderatio, miſericordia in indigos, charitas, mutuus amor fratrum, erga filios pietas, morigera & obſequens erga Deum obedientia, legis plena obſervatio, juſtitia, animæ contritio; hæ ſunt animæ pulchritudines, atqui non ſunt hæc naturæ, ſed propenſioris ſtudij, ac liberæ voluntatis.* Hæc pulchritudo, hæc noſtra cum illo, de quo ſcriptum eſt: *Specioſus forma præ filijs hominum*; ſimilitudo, in manu noſtra eſt: *Quam penes ſe non ſunt hæc animæ ornamenta, poteſt is ſuo jure ſibi ſumere.*

Chryſoſt. in Pſ. 44. Pſ. 44. v. 3.



Animæ Venuſtas non apparet.

12. Hæc immaculatæ animæ venuſtas, & ſimilitudo cum Deo corporalibus oculis minimè apparet, quia *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*; Hyberno etenim tempore arbores aridæ eſſe videntur & omnino exuccidæ, ſuiſque frondibus, floribus & fructibus omnino ſpoliatæ, vere autem appropinquante revireſcunt, & in gemmas erumpunt, denique in æſtate & autumno fructificant; *Filioli*, inquit S. Joannes Apoſtolus: *Nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus*; Et ad Coloſſenſes: *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo, Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Denique ad Corinth. idem Paulus ita ſcribit: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.*

1. Cor. 13. v. 12. 1. Joan. 3. 2. Coloſſ. 3. v. 3. Ibid. v. 4. 2. Cor. 3. v. 18.

Similitudo Dei cur animæ impreſſa.

13. Porro finis, ob quem Deus hanc animæ noſtræ ſimilitudinem impreſſit, à ſacris Interpretibus multifariam exponitur. S. Auguſt. dicit: *Factum eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ut factorem ſuum pro imagine cognoſcat, & pro ſimilitudine diligat.* S. Ambr. pariter objectum hujus ſimilitudinis in eo conſiſtere dicit, ut videl. anima in tanta ſe dignitate poſitam eſſe conſpiciens, ad Creatorem ſuum tanto ardentius amandum extimuletur: *Ut tanto ardentius amaret conditorem, quanto mirabilius ſe ab eo conditam intelligeret.* Sic ſæpe videmus fieri, quod tela aliqua deformis & groſſa, ſi ſibimetipſi relinqueretur, ad nihil aliud valitura eſſet, quam ut vilis quidam ſaccus inde conficeretur; At vero poſtquam peritiſſimi alicujus pictoris induſtria Salvatoris noſtri effigiem in eamdem vivis coloribus expreſſis populorum adorationi exponitur, atque ob artis magiſterium inæſtimabilis valoris pretio æſtimatur, quæ proinde ſi diſcurſu ac rationis uſu prædita eſſet, quantum putas ſe erga pictorem illũ, à quo illi eſſe tam nobile communicatum fuit, gratam exhibitura, quantumque illum amatura eſſet? S. Bonaventura S. Anſelmum citat, qui in Proſologio c. 1. ad Deum Creatorem ſuum converſus ita ſcribit: *Me creaſti ad tuam imaginem, ut tui memor ſim, te cogitem, te diligam*; Similitudo enim cauſa amoris exiſtit, & animæ quæcumque tanto amplius Deo ſimilis eſſe convincetur, quanto ardentius illum dilexerit, impoſſibile etenim eſt, quin Deum participans illum pariter non diligat, quia *Deus charitas eſt. Ex imagine Dei*, inquit de Anima S. Auguſtinus, *habet rationem, & ex ſimilitudine charitatem.* S. Bernardus idem quod S. Ambroſius, ad animam ſe convertens ait; *Conſilio ſanctæ Trinitatis ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit te Creator tuus, quod nulli alteri ex creaturis donavit, ut tanto eum ardentius diligeres, quanto mirabilius ab eo te conditam intelligeres.* Cui addi poſſet, ut nullum aliud inter omnia creata objectum ſibi ſimile inveniens, tanto vehementius illum amares, inque tuum Creatorem affectu intimo rapereris, ſiquidem *ſimilitudo eſt cauſa amoris.*

S. Aug. l. de ſp. & ann. c. 39. S. Amb. l. de an. dign. c. 8. S. Bon. 7. ſol. c. 7. S. Aug. ibid. S. Bern. c. 49. de int. dom.

## DISCURSUS VI.
## ARGUMENTUM.

Varij inter Deum & animam conſiderantur paralleli, quoad ſimilitudinem, quam cum Deo in qualitatibus & operationibus ſuis habet.

### THEMA.

*Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. ℣. 26.

1. S. Ambroſius de animæ dignitate tractans, effigiem quamdam ſanctiſſimæ Triadi ſimillimam in eadem obſervat: *Quamdam ſanctæ Trinitatis habet imaginem; Primo in eo, quia ſicut Deus eſt, vivit, & ſapit, ita anima ſecundùm modum ſuum eſt, vivit, & ſapit*; mox vero ſubjungit: *Eſt quoque & alia Trinitas in ea, quæ ad imaginem ſui conditoris perfectæ quidem & ſummæ Trinitatis, quæ ex Patre, & Filio & Spiritu ſancto condita eſt*; Ac proinde examinandæ nobis hoc loco ſunt proportiones & ſimilitudines, quæ inter tres haſce perſonas divinas & animam, nec non inter attributa divina reperiuntur; Qua in re ubique ſacrorum Doctorum fideliter ſectabimur Ducatum & Magiſterium.

S. Ambr. c. 2. Anima effigiem habet SS. Trinitatis.

2. S. Gregor. Nyſſenus dicit: *Si philoſophari de eo quod eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei volueris, ita*

S. Greg. Nyſſ. de eo, quod

*ſit ad im. & ſim. t. 1.*

*Myſterium SS. Trin. ex Anima cognoſcitur.*

*ita philoſophare non ex rebus exterioribus, ſed ex ijs quæ intra te ſunt, Deum abditum tibi cognitum redde; ex ea quæ in teipſo eſt, Trinitate, Trinitatem agnoſce ex rebus in te exiſtentibus*; Pergit idem ſanctus Doctor, & dicit, quod maximum & clariſſimum quod de ſacroſancta Triade habere poſſumus teſtimonium ſit animæ humanæ conſideratio: *Hoc quippe quovis alio ex lege aut Scriptura petito firmius eſt ac fide dignius teſtimonium, etenim hanc unam ob cauſam tale animal condidit Deus, quandoquidem id mundo prædicandum erat myſterium Trinitatis adeo prædicatu difficile*; Etenim divina Sapientia, incomprehenſibile & ineffabile Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium mundo manifeſtare volens, ut tanto facilior ſibi adhiberetur fides, animam noſtram creare decrevit, ut eſſet velut quædam hujus Sacroſanctæ Triados effigies & ſpeculum, ut cum oculos ad animæ conditionem converteris, non jam amplius in myſterio Trinitatis ambigas, diſputeſque, neque dicas amplius, & curioſè perſcruteris in hæc verba: *Si Trinitas eſt Deus, quomodo eſt unitas? Si vero unus eſt, ut dicitur, quomodo eſt Trinitas.*

*S. Bern. c. 47. loc. cit.*

*Unus Deus in tribus perſonis.*

*Anima una in tribus potentijs.*

3. Porro proportio iſthæc majori cum claritate nobis exprimi non poterat, quam illam S. Bernardus de interiori domo his verbis expreſſit: *Sicut Deus eſt Pater, Deus eſt Filius, Deus eſt Spiritus ſanctus, non tamen tres Dij, ſed unus eſt Deus, & tres perſonæ, ita anima eſt intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ ſed una anima & tres vires*, At verò paulò ante dixerat; *Sicut ex Patre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria.* Eumdem Diſcurſum legimus in S. Ambroſio *Libello de dignitatis humanæ conditione*, cap. 2.

*Deus & anima incomprehenſibiles.*

*S. Greg. Nyſſ. ibid.*

4. S. Gregor. Nyſſenus in eodem prædicto Tractatu inter Deum & animam alium quemdam Parallelum obſervat, nimirum quod tam anima quam Deus incomprehenſibiles exiſtant: *Nomine carens*, inquit, *& ignota ſpiritualis & immortalis animæ tuæ ſubſtantia ad imaginem & ſimilitudinem typicam nomine carentis & incogniti atque immortalis Dei eſt condita, nam neque Dei, neque animæ rationalis ſubſtantiam ullus hominum qui à ſeculo fuerunt, unquam novit.* Ex hac tamen incomprehenſibilitate Nyſſenus aliam quamdam analogiam & ſimilitudinem inter animam & Deum deducit, dicens: *Quod percipi cognoſcique non poteſt: nullius alterius rei eſt argumentum, quam illam verè ac propriè incomprehenſibilis Dei eſſe imaginem.*

*Joan. 4. 24.*

*S. Aug. de ſp. & ani. cit. à S. Bern. ſerm. 51. a. 1. c. 3.*

*S. Bern. t. 4. ſerm. 40. p. 1.*

*Serm. 81. in Cant.*

*Diverſæ analogiæ Deum inter & animam uſque ad finem Diſcurſus.*

5. S. Auguſtinus, à S. Bernardino in ſermone, qui de dignitate animæ intitulatur, citatus dicit: *Sicut Deus Spiritus eſt*, Joan. 4. *Deus Spiritus eſt, ſic & anima ſpiritus dictus eſt. Deus eſt immortalis*; inquit S. Bernardinus, *anima eſt immortalis, & ſi juſta eſt, cum Deo victura in ſæcula ſæculorum. Sicut Deus*, inquit idem Sanctus, *eſt interminabilis & infinibilis, ita anima licet habeat principium, numquam habebit finem. Creata eſt*, inquit S. Bernardus, *vita à vita, ſimplex à ſimplici, immortalis ab immortali … accepit, etſi non eſſe, poſſe tamen eſſe beata, ſummo proinde gradui quantum licet appropians.* Sicut Deus in ſua ſimpliciſſima eſſentia eſt amor, juſtitia, pietas, puritas, gratia, & omnia ipſius divina attributa ſunt unum & idem cum ejus eſſentia; ita pariter quando anima in ſtatu innocentiæ & juſtitiæ originalis fuit creata, dotata fuit pariter omnibus hiſce virtutibus, theſauriſque donorum & gratiæ, quæ ab inexhauſto illo Divinitatis ærario ſcaturiunt, abunde locupletata, tametſi illum à ſe culpa propria abjecerit.

*S. Aug. de ſp. & ani. c. 18.*

6. S. Auguſtinus conſiderat, quod *Sicut Deus ubique eſt totus in toto mundo, & in omni creatura ſua: Sic anima ubique tota in toto corpore ſuo, tamquam in quodam mundo ſuo*; Sicut enim Deus in omni loco præſens exiſtit, eodem modo de anima ratiocinari poſſumus, ac proinde S. Ambroſius de illa ita ſcribit:

*S. Amb. l. 6. exa. c. 8.*

*Diffuſis cogitationibus atque conſilijs huc atque illuc vagatur, quæ conſiderando ſpectat omnia.* Dum in Italia commorantes, inquit idem ſanctus Doctor, de Orientalibus & Occidentalibus cogitamus, noſque illis qui Perſiam inhabitant adeſſe putamus, eodem mox momento oculum cogitationis noſtræ in Africam dirigere poſſumus; *Sequimur proficiſcentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur abſentibus, alloquimur ſeparatos, defunctos quoque ad colloquium ſuſcitamus, eoſque ut viventes complectimur.* Anima noſtra alis imaginationis, cogitationum, diſcurſuum & deſideriorum ſuorum in unico momento ab uno polo volat ad alterum; jam eſt in cœlo, mox in abyſſo, amplectitur & pervagatur totum univerſum, & abſque eo quod ullum locum tangat, in millenis præſens eſſe reperitur locis diverſis. Unde S. Auguſtinus id conſiderans ait: *Spectat omnia, videt abſentia uno momento, ſenſus ſuos per totius orbis fines & mundi ſecreta circumfert, deſcendit ad inferna, aſcendit inde, verſatur in cœlo, adhæret Chriſto, conjungitur Deo.*

*S. Aug. loc. cit. c. 2.*

*S. Greg. Nyſſ. ibid.*

7. Idem Nyſſenus circa locum in quo Deus moratur ingenioſam habet conſiderationem: *Neque enim locum novimus, in quo habitat Deus, ſed omnino eſſe eum tantum credimus; neque adeo locum animæ in quo habitat in corpore ſcimus, ſed hoc tantum novimus, eam in toto corpore eſſe & operari. Dominus in cœlo ſedes ejus*, inquit David, non quidem quaſi non ſit in omni loco, ſed in cœlo eſſe dicitur, quia ibi velut in throno Majeſtatis reſidet Angelorum & Sanctorum agminibus quaquaverſum circumdatus: ita quoque anima tametſi in omnibus corporis noſtri membris præſens adſit, ſuam tamen ſedem in cerebro & corde ſpecialiſſime habere dicitur. Unde S. Auguſtin. ait: *Intenſius tamen in corde & in cerebro, quemadmodum Deus præcipue dicitur eſſe in cœlo.* Et S. Ambroſius ita hac de re ſcribit: *Sicut Deus unus ſemper ubique totus eſt omnia vivificans, movens, & gubernans, ſicut Apoſtolus confirmat, quod in eo vivimus, movemur, & ſumus, ſic anima in ſuo corpore ubique tota viget vivificans illud, movens, & gubernans, nec enim in majoribus corporis ſui membris major, & in minoribus minor, ſed in minimis tota, & in maximis tota.* Idem quoque S. Bernardus his verbis ſcribit: *Sicut Deus ubique eſt totus omnia vivificans, omnia movens & gubernans, ita tu in corpore tuo ubique tota es illud vivificans, movens, & gubernans.*

*Pſ. 10. v. 5.*

*S. Aug. c. 18. ibid.*

*S. Ambr. l. de cond. dign. hum. c. 2.*

*S. Bern. c. 47. de int. domo.*

8. S. Bernardinus aliam quamdam ponderationem adducit, ſcilicet quod ſicut Deus noſter unicus & ſolus in ſæculo & mundi gubernio eſſe dicitur, ita quoque anima in corporis ſui regimine hanc eamdem participet prærogativam: *Sicut Deus*, inquit, *eſt unus in toto ſæculo.* Deuteron. 6. *Dominus Deus tuus unus eſt, ſic & anima in toto ſuo corpore, una eſt.*

*S. Bern. ſerm. 51. de dig. hum.*

9. Idem S. Pater S. Auguſtinum citat, qui in libro de ſpiritu & anima obſervat, quod cum anima non niſi unica ſit in uno corpore, magna tamen in ipſa videatur multiplicitas & varietas effectuum: *Sicut Deus ſimpliciſſimus eſt in ſua natura, ſic & anima etiam ſimplex eſt, anima in eſſentia eſt ſimplex, in officijs multiplex.* Deus noſter licet ſit una ſimpliciſſima ſubſtantia & eſſentia, omnium tamen naturæ effectuum principalis eſt cauſa; Et hinc ſit quod à Deo varij & contrarij deriventur effectus; Ipſe enim eſt qui igni calorem confert, nivibus gelu, lucem Soli, floribus fragrantiam, ſaporem fructibus, terræ rorem, & ſic de alijs diſcurrendo: Eodem quoque modo anima ad eamdem proportionem, tametſi ſit unica ſpiritualis ſubſtantia, unicum tamen eſt omnium, licet diverſorum vitæ effectuum principium, ſiquidem unica & ſola exiſtens, per oculos videt, audit per aures, olfacit per nares, lingua guſtat, in ſtomacho digerit, dividit per venas ſanguinem, innumera efformat & depingit in imaginatione phantaſmata, infinitarum quaſi rerum recordatur, diſcurrit, amat, odit, vult, intelligit. *Unde ſicut Deus cauſa eſt in mundo*, inquit S. Bernardinus, *incrementi in plantis, herbis floribus, fructibus*, &c. *ſic anima cauſa eſt in corpore augmenti cujuslibet membri.*

*S. Bern. ibid.*

*Pſ. 134. 6. 7.*

10. Pſalmiſta de Deo noſtro dicit: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo, & in terra, & in omnibus abyſſis, educens nubes ab extremo terræ, fulgura, in pluviam fecit, qui producit ventos de theſauris ſuis.* Sic quoque anima liberi arbitrij ſui dominio à Deo adornata operatur quidquid ei libet, nunc ridet, mox plorat, nunc iraſcitur, mox ſe benignam exhibet & voluntatis ſuæ Dominam. *Una in eſſentia*, inquit S. Bernardinus, *trina in potentijs nobiliſſimis libero arbitrio prædita, & dominio in res omnes corporeas*: Mox ut pedibus imperat ut ſiſtant & firmentur, promptam in illis invenit obedientiam, ſi linguæ præcipiat, ut non loquatur, hæc protinus tacet, ſi oculos vult non videre, hi ſuam mox coërcent & refrænant curioſitatem: *Deus ab initio conſtruit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* Unde S. Thomas de Villanov. ait: *Grandis humanæ naturæ dignitas, altiſſimaque prærogativa eſt, ut ad Dei imitationem ipſa quoque quodammodo ſui juris ſit, & ſuo arbitrio derelicta.*

*S. Bern. art. 2. c. 1.*

*Eccl. 15. 14.*

*S. Thom. Vill. ſerm. in Adv.*

11. Deus



11. Deus noſter eſt incorruptibilis, inalterabilis, inviſibilis, incorporeus, indiviſibilis, immortalis; anima pariter nulli ſubjecta eſt corruptioni, non illam humorum malignitas alterat, aëris peſtilentia non inficit, non illam cogit violentia motus, non afficit illam intemperies elementorum, indiviſibilis eſt, immortalis, æterna, inviſibilis eſt oculis noſtris, tametſi videri poſſit ab oculis Creatoris: *Immortalis eſt anima*, inquit S. Auguſtinus, *ne à Creatoris ſui ſimilitudine diſcrepare videatur; non enim poterat eſſe imago & ſimilitudo Dei, ſi mortis termino clauderetur*; Multas alias conditiones & qualitates Deo proprias idem ſanctus Doctor cap. 24. obſervat, quæ animæ humanæ adaptari poſſunt: *Carens pondere, figura & colore non eſt credenda pars, ſed creatura Dei*; Quaſi dicere vellet tot ipſam & Deum inter cernuntur analogiæ, & paralleli, ut videri poſſit eſſe ejuſdem cum Deo ſubſtantiæ: *Nullum habet colorem*, nullo *loco continetur, nullis membris circumſcribitur, nullo ſpatio* finitur, *ſed ita eſt cogitanda & intelligenda, ſicut ſapientia & juſtitia & cæteræ virtutes ab omnipotenti creatæ.*

*S. Aug. de ſp. & anim. c. 18.*

*c. 24. ibid.*

12. S. Bernardus in Tractatu de interiori domo, ad præſens propoſitum noſtrum mirabiliter diſcurrit, ait enim: *Sicut Creator tuus, qui te ad imaginem ſuam creavit, eſt Charitas, bonus & juſtus, ſuavis & mitis, patiens & miſericors, ita tu creata es ut Charitatem haberes, ut eſſes munda & ſancta, pulchra & decora, mitis & humilis, quas virtutes quanto plus in te habebis, tantò propinquior Deo eris, & majorem tui conditoris geres ſimilitudinem.* Quod ſi autem nos Deo aliqua in parte non aſſimilari contingit, id ex defectu noſtro accidit, ac proinde inquit S. Bernardinus. *Capax ſcientiæ, virtutis, gratiæ, gloriæ, viſionis Dei, & fruitionis ejuſdem.*

*S. Bern. c. 48.*

*S. Bern. Sen. ibid.*

13. Idem quoque Sanctus multos alios, eoſque valde conſiderabiles Deum inter & animam parallelos recenſet, ſuntque hi ſequentes: *Sicut Deus ſtans in toto mundo omnia vario modo ornat, ita anima ſtans in corpore variat diverſimode membra, danda unicuique varias & mirabiles operationes, nam oculo dat viſum; naribus odoratum, auribus auditum, pedibus greſſum*: Et quidem tametſi unus idemq; rerum omnium creator exiſtat; attamen uni creaturarum dat eſſe nobilius, alteri vilius, dat enim eſſe aquilæ, & dat eſſe muſcæ, formicæ, Elephanti ſoli, cicadæ & luſciniæ.

14. Præterea dicit S. Bernardinus: *Sicut Deus in mundo aliquam partem nobilius, quàm alteram ornat, ſicut patet in Sole, Luna, & Stellis, auro & lapidibus pretioſis, ſic anima in corpore unum membrum nobilius quam alterum decorat*; Quænam enim eſt calcaneum inter & caput proportio, non obſtante quod ambæ hæ partes ab una eademque anima informentur & vivificentur?

15. Pergit S. Bernardinus ulterius & dicit: *Sicut Deus non continetur ab univerſo, ſed continet illud, ſic ſecundùm Damaſcenum* lib. 1. cap. 18. *anima non continetur à corpore, ſed continet illud, ſicut Deus implet totum mundum, ſic & anima totum corpus humanum. Plena & occupata ſunt omnia ſuo auctore*, inquit Tertullianus, ita quoque in toto Microcoſmo, id eſt, parvo mundo corporis humani nullum eſt invenire punctum, quod non vivificetur ab anima.

*Tertull. l. 1. marc. c. 13.*

16. *Sicut Deus regit & gubernat orbem*, inquit S. Bernardinus, *ſic anima vegetat, conſervat, vivificat, regit, & gubernat corpus. Sicut Deus ſtabilis manens dat cuncta moveri, ita anima in corpore quieſcendo facit humores diſcurrere per corpus, & membra movet, diverſimode, ſecundùm corporis diſpoſitionem, & prout placet ipſi animæ.*

*S. Bern. ibid.*

17. Eſt & alia quædam Deum inter & animam analogia, nimirum quod ſicut Deus non dormit: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, ita quoque inquit idem Sanctus idem experimur in anima: *Sicut Deus*, inquit, *non dormit: Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël; Sic anima in corpore numquam dormit, licet dormiat corpus.* Alias quoque ſimilitudines idem ſanctus adducit, nimirum quod *ſicut Deus habet vivere & intelligere ſine mundo, ſic & anima habet vivere & intelligere ſine ſuo corpore.* Sic innocentis Abel anima tot retro ſæculis à corpore ſuo ſeparata amat, intelligit & vivit vita immortali & æterna in cœlis.

*Cant. 5. v. 2.*

*Pſ. 120. v. 4.*

18. Sicut Deus in mundo omnia videt & non videtur, ſic anima videt, & non videtur. *Sicut Deus non inficitur ſordibus orbis, quamvis totum impleat orbem; Velut Sol qui non inficitur luto, ſic animus non inficitur corporea ſorde, quantumcumque ſordeſcat caro*, inquit idem S. Bernardinus.

19. Qui idem ſanctus alium quemdam parallelum conſiderat, qui corporum noſtrorum reſpicit reſurrectionem, quæ animæ virtute futura erit: *Sicut Deus unitam ſibi humanam naturam, primo habuit paſſibilem, & poſtea glorioſam, ſic anima primo juncta eſt carni paſſibili, demum glorificanda in cœlo.*

# DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Homo, utpote parvus quidam mundus, opus quoddam eſt, in quod abſolvendum ſanctiſſima Trinitas operam ſuam contulit, denominatur anima, cœlum & gloria Dei, quia propter ipſam creatum eſt cœlum Empyreum, quæ dignitas ad illá tanto majoris æſtimandam nos obligat.

## THEMA.

*Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marc. 16. ℣. 15.

*Homo cum omni creatura quid commune habet.*

IDem Deus qui tamquam Creator mundum produxerat, eumdem quoque ſcire volens, quod illum tamquam Redemptor ab ejus ſervitute, qua Diabolo obſtringebatur, relevaverat, poſt ſuam Reſurrectionem Collegio Apoſtolico præcepit, Evangelium omni creaturæ ab eodem annunciaretur. S. Gregorius autem quærit, an increatæ & incarnatæ ſapientiæ intentio fuerit, ut Evangelium Creaturis quoque inſenſatis & irrationalibus annunciaretur, ſiquidem dixerat: *Prædicate omni creaturæ.* Reſpondetque negative, quia *Omnis creaturæ nomine ſignatur homo, omnis enim creaturæ aliquid habet homo: habet namque eſſe cum lapidibus, vegetari cum plantis, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid, omnis creatura eſt homo.*

*S. Greg. hom. 29. in Evang.*

*Homo parvus eſt mundus manifeſtans Dei attributa.*

2. Enimvero tametſi ſanctos Eccleſiæ Doctores, eorumque ſententias & dicta, ut par eſt, debite reverear, neſcio tamen an non nimis audax ſit modus ille loquendi D. Greg. Nyſſeni, qui de imagine & ſimilitudine hominis, cum ſuo Creatore tractans, dicit, quod Deus poſtquam corpus humanum plaſmaſſet, eique animam infudiſſet, ſe in hoc corpore tamquam in mundo quodam manifeſtarit: *Ex his intelligimus*, inquit, *quo tandem pacto ſe Deus in corpore tamquam in mundo quodam manifeſtum reddiderit, atque prodiderit*, quaſi diceret, videtur quod Deus per hujus parvi mundi, id eſt, hominis architecturam, animæque, quæ tot in ſe ſtupenda prodigia complectitur, productionem, ſe tamquam totius univerſi creatorem & artificem ſupremum conſpiciendum cognoſcendumque præbuerit; Quidnam eſt quod Pſalmiſta dicere voluit, dum ait: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me:* Nimirum inſinuat, quod ut quis in notitiam & ſcientiam omnipotentiæ, ſapientiæ, bonitatis, æternitatis, immenſitatis, & omnium aliorum attributorum divinorum deveniat, oculum mentis in animam & corpus humanum defugere ſufficiat. Admiranda ſunt illa S. Auguſt. verba. *Anima*, inquit, *humana omnium creaturarum naturam participat, omne ſpirituale ſuum eſt, quia cœlum habet ad manendum, Angelos ad congaudendum, gloriam ad habendum, & Trinitatem ad fruendum*; De alijs vero creaturis quin homine inferiores, illique ſubjectæ ſint, dubitari nequit: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris*, &c.

*S. Greg. Nyſſ. de eo, quod ad im. & ſimil.*

*Pſ. 138. v. 6.*

*S. Aug. ſerm. 48. ad fr.*

*Homo compendiũ univerſi.*

3. Porrò quod Deus hanc animam & corpus humanum plaſmarit ut ſit breve quoddam totius univerſi compendium, Lactant. Firmianus his verbis, clarè nimis edixit: *Deus ficto corpore inſpiravit ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui, qui eſt fons perennis, ut ipſius mundi ſimilitudinem gereret; Conſtat enim ex anima & corpore, id eſt, quaſi è cœlo & terra, quandoquidem anima qua vivimus, ut è cœlo oritur à Deo, corpus autem è terra formatum eſt.* S. Auguſtin. pariformiter ait: *Anima ad ſimilitudinem totius ſapientiæ facta, omnium rerum in ſe gerit ſimilitudinem*, unde & à Philoſopho definita eſt: *Omnium rerum ſimilitudo.*

*Firm. l. 2. div. inſtit. c. 13.*

*S. Aug. de ſp. & anim. c. 5.*

*Analogiæ inter hominem & creaturas.*

4. In explicandis proportionibus & parallelis, qui inter animam & corpus noſtrum, & alias creaturas tam viſibiles, quàm inviſibiles intercedunt, præ cæteris amplius & fuſius ſe extendit S. Gregorius Magnus, dum ait: *Similis eſt terræ per ſenſum, aquæ per imaginationem,*

*S. Greg. Mag. c. 6. ibid.*

*nationem, aëri per rationem, firmamento per intellectum cælorum cælo per intelligentiam; Similis eſt lapidibus per eſſentiam, arboribus per vitam, animalibus per ſenſum, hominibus per rationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam.*

Homo parvus mundus in Magno. *Nazianz. or. 52.*

5. Nazianzenus quoque paucis, valde tamen ſenſatis verbis hominem parvum quemdam mundum eſſe mirabiliter expreſſit, dum hominem eſſe dicit, *velut quemdam alterum mundum in parvo magnum.*

*S. Joa. Dam. l. 2. ſid. ort. c. 2.* Rex.

6. S. Joannes Damaſcenus ad compoſitum noſtrum, quod ex corpore & anima, ex bonis naturæ & gratiæ, ex eſſe ſpirituali & corporali conſtat, ſe reflectens, hominem Eſſe dicit: *Veluti quemdam ſecundùm mundum, eorum quæ in terra ſunt Regem terrenum ſimul & cæleſtem, temporalem & immortalem, viſibilem & intelligibilem, medium magnitudine & humilitate.*

Creaturarum compendiū. *S. Greg. Nyſſ.*

7. S. Gregorius Nyſſenus in lib. de hominis opificio, alios quoque in homine obſervaſſe refert, quod in admirabili illa hominis fabrica breve quoddam omnium rerum creatarum compendium reluceat: *Ajebant*, inquit, *hominem parvum quemdam mundum eſſè, qui ex elementis iiſdem, quibus rerum univerſitas, compoſitus eſſèt.* Addit tamen ſanctus hic Doctor, non eſſe hanc magnam hominis laudem, ſiquidem ex eodem quatuor Elementorum compoſito mures quoque & alia illis inferiora & viliora animalia formata eſſe noſcantur: *Quid ergo eſt amplum in eo, ſi maximè hominem exiſtimemus expreſſàm mundi & imaginem & ſimilitudinem eſſè? Cùm futurum ſit, ut pariter cælum hoc volubile, terra mutationibus obnoxia cuncta denique his comprehenſa, cum eo ipſo quod ambit, univerſa intereant.*

Imago Dei.

8. Ac proinde idem ſanctus Pater quærit, in quonam præcipue hominis prærogativa conſiſtat? Et reſpondet: *Eam ſcilicet eſſè, quæ non in ſimilitudine mundi hujus creati conſiſtit, ſed quod tradit hominem ad imaginem naturæ Creatoris eſſè factum*, quaſi diceret; Homo non ſolum eſt omnium rerum creatarum compendium, & parvus quidam mundus, verum inſuper imago & vera quædam effigies eſt ejus, qui mundo totum ſuum eſſe contulit.

In corde hominis omnia. *S. Machar.*

9. S. Macharius Homil. 48. valde aptam quamdam adducit ſimilitudinem, per quam oſtendit, quanta ſit animæ amplitudo, tametſi ipſa imaginationi noſtræ anguſta eſſe videatur, parumque capax, ut omnium rerum creatarum ſimilitudo & effigies exiſtat. *Sicut*, inquit, *pupilla oculi, cum ſit exigua, tamen eſt vas ingens, quoniam intuetur una Cælum, Aſtra, Solem, Lunam, Urbes, & alias Creaturas, & eodem modo quo conſpiciuntur in illa parva pupilla oculis ſimul, & eodem modo efformantur & effinguntur, hoc modo ſe mens habet in corde; ipſum cor eſt vas quoddam exiguum, ibi tamen Deus, ibi Angeli, ibi vita & regnum, ibi tamen Apoſtoli, & cæleſtes orbes, ibi theſauri, gratiæ, ibi ſunt omnia.*

Perfectio Creatarum rerum animæ tribuitur.

10. Verum quidem eſt, quod Deus primum & præcipuum eſſe univerſo contulerit, attamen, ut D. Chryſoſtomus bene obſervat, omnium harum rerum creatarum perfectio & complementum animæ attribuendum venit, quia niſi ingenium humanum ſua induſtria & arte ad univerſale mundi beneficium cooperatum fuiſſet, quot bonis hic mundus deſtitutus foret? *Per eam civitates condidit, & mare ſecuit, & terram coluit, & artes invenit innumerabiles, & ferociores belluas ſuperavit, & quod eſt omnium maximum & primum, Deum, qui fecit ipſum, cognoſcit.*

*Chryſoſt. in Pſ. 48.*

Propter hominem omnia.

11. Imo ſicut Deus hominem omnium rerum creatarum brevem quamdam epitomen eſſe voluit, ejuſque gratia totum hunc mundum creavit, ita quoque verum eſt, quod ſoli ipſi inter omnes alias creaturas viſibiles lumen ſuique Creatoris notitiam indidit, eumque cæleſtium bonorum participem effecit. *Solus ex iis quæ videntur, Deum orat, revelationes accepit, cognovit multa arcana, & ineffàbilia didicit, quæ ſunt in cælis; propter ipſum terra, propter ipſum cælum, propter ipſum Sol, Luna, Sydera, propter ipſum Lunæ curſus, temporumque mutationes & viciſſitudines: propter ipſum fructus, & arbores, & tot genera animantium, propter ipſum miſſi ſunt Angeli; propter ipſum unigenitus Dei Filius homo factus eſt & crucifixus: propter ipſum Lex, propter ipſum Paradiſus:* unde evidenter concludit, quod ſicut homo parvus quidam eſt mundus, ita quoque mundus viſibilis & inviſibilis, natura & gratia, & quidquid eſt in cœlo & in terra, ad animam hominis ordinatur.

12. S. Bernardinus animæ Trinitatis titulum attribuit, cujus hæc ſunt verba: *Beata illa & ſempiterna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, creavit quamdam Trinitatem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, animam videlicet rationalem.*

*S. Bern. ſer. 1. in parvis.* Animæ excellentia quod ſit Trinitas creata.

13. S. Auguſtinus, neſcio quid divini in anima noſtra obſervat; eo quod ad Creatoris ſui imaginem fuerit creata: *Quid in homine divinum eſt, niſi quod imagine S. Trinitatis ipſè homo decoratus eſt? Faciamus, inquit Sancta Trinitas, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

*S. Aug. ſerm. 48. ad fr.* Dei imagō.

Cui SS. Trinitas beneficia contulit. *Rup. Abb. l. 2. in Gen. c. 1.*

14. Amplius quid Rupertus Abbas dicit; ex cujus diſcurſu colligi videtur, ipſum dicere velle tres Divinas perſonas ſuam inter ſe operam partitas eſſe; ut naturam humanam exaltarent, eique benefacerent: *Humana ſcilicet creatura illud potiſſimum opus eſt, quod eadem Beata Trinitas, magna ſibi dignatione diviſit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus ſanctus igniret.* De hiſce à tribus illis divinis perſonis animæ noſtræ communicatis excellentijs S. Petrus Chryſologus diu ante Rupertum hiſce verbis ſcripſit: *Deus Pater homines dignatur hæredes, Deus Filius non dedignatur ſervulos cohæredes, Deus Spiritus Sanctus carnem conſortem Divinitatis effècit*, quia verbum opera Spiritus Sancti incarnatum, noſtraque mortalitate indutum fuit. S. Bernardus nullam aliam Creaturam anima propinquius ad Deum accedere obſervat, dum ait: *Nullus Deo vicinior gradus inter omnes, quæ ſub Sole habitant creaturas, quam anima humana.*

*S. Chryſoſt. ſerm. 71.*

*S. Bern. ſerm. de ver. Pſ. audiam quid loquatur.*

Eſt quoddam cœlum.

15. Maxima igitur quæ animæ attribui poteſt gloria, eſt, quod ſit veluti cœlum quoddam; ſub hoc namque titulo eam S. Bernardus deſcripſit; Etenim negari nequit, inquit mellifluus Doctor, quod anima ſuam à Paradiſo originem & propaginem trahat, huc aſpirat, ibique deſideriorum ſuorum centrum repoſitum habet: *Eſt ergo cælum ſancta aliqua anima, habens Solem intellectum, Lunam fidem, aſtra virtutes; vel certe Sol juſtitiæ zelus, aut fervens Charitas, & Luna continentia.* Unde idem ſuaviſſimus Doctor exiſtimat, quod quando Deus Iſaiæ 66. dicit: *Cælum mihi ſedes eſt*, non tam de illo quod ſupra nos circumrotatur, aut de cœlo Empyreo, quam de anima loqui intendat, de qua Sapientiæ c. 7. teſtatur: *Anima juſti ſedes eſt ſapientiæ; Qui ex doctrina ſapit Salvatoris Spiritum eſſè Deum, atque in Spiritu adorandum etiam ſedem ei non ambigit aſſignare ſpiritualem.*

*ſerm. 27. in Cant.*

*Iſa. 66. v. 1.*

Divinæ gloriæ organū.

16. Neque mirum eſt quod anima cœlum appelletur, ſiquidem illi nomen gloriæ, quæ quid longe excellentius eſt, appropriatur. S. Baſilius non corpus, ſed animam, quæ quamdiu in hac præſenti vita degit, corpori incluſa eſt, appellat, *Divinæ gloriæ pulcherrimum Organum.* Agellius verba illa Pſalmiſtæ. *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & cythara, ut cantet tibi gloria mea & non compungar*, exponens dicit: *Gloria cantet, id eſt, anima; quæ gloria eſt hominis, utpote quæ divina ſit, & excellentiſſimæ naturæ.* Pergit ulterius, & dicit; *Hoc autem maxime infigendum eſt animis à divina Scriptura & Spiritu ſancto, animam humanam vocari gloriam, qua una re homo cæteris omnibus rebus corporeis excellit, quamque gloriam illibatam ſervare, maximo ſtudio quiſque debet, ne turpitudine aliqua vitiorum inquinetur.*

*S. Baſil. h. 11. in exam. Pſ. 56. v. 9. Pſ. 29. v. 13. Agell. ibid.*

Parvus mundus. *S. Greg. 42. Eli. Cret.*

17. S. Gregor. Nazianzenus hominem non ſolum quemdam eſſè dicit mundi hujus viſibilis, ſed etiam intellectualis epilogum; Dicit enim. *ſic igitur Dei Filius hominem fabricatus, quaſi alium quemdam mundum, ab eo qui aſpectu ſentitur, ipſum in eo collocat, magnum nimirum in parvo.*

18. Idem de Democrito refert, eum ſolitum fuiſſe hominem parvum quemdam mundum appellare, in mundo magno, id eſt in univerſo poſitum; ipſe autem de illo ſubjungit: *Magnus mundus homo dicendus eſt, utpote qui ea omnia habet, quæ ſenſibilis mundus, ac propterea intellectualem & rationalem creaturam.*

*S. Bern. t. 1. ſer. 51 art. 2.* Omnes excedit Creaturas.

19. S. Bernardinus Senenſis animam ſuper omnes alias Creaturas ſtatuit, dum ait: *Tanta eſt dignitas animæ, ut excedat omnes corporales creaturas, etiam ſimul ſumptas*, ubi nihilominus notandum, quod de creaturis viſibilibus & corporalibus, non de Angelicis loquatur, quibus non dico inferiores, ſed quaſi pares ſumus: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*; imo dicere auſum, illis quoque hominem longe præcellere: *Nuſquam enim Angelos apprehendit ſed ſemen Abrahæ apprehendit*; præterquam quod ex varijs hoc eodem tomo adductis teſtimonijs clarum ſit, ipſos ad miniſterium noſtrum, & ſpecialiter ad animæ humanæ

*Pſ. 8. v. 6. 7.*

*Hebr. 2. v. 16*



*Hebr. 1. v. 14*

humanæ cuſtodiam deſtinatos eſſe: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?*

Omnibus nobilius.

20. S. Bernardinus eodem loco ex omnibus hiſce bonis creatis ſcalam quamdam erigit, indeque ad cœlum uſque Empyreum aſcendens, dicit: *Tamquam nobilius corpus & conveniens tanto Regi, ac filio, ac ſponſæ ejus ad hunc locum, ut gloria frueretur æterna Deus animam noſtram formavit, per hoc aperte demonſtrans, quod omnibus ſe inferioribus nobilior eſſèt.*

Dei Paradiſus eſt hominis anima.

21. Tritum in Philoſophia axioma eſt: *Propter quod unumquodque tale & illud magis*: ſi enim ſcintillæ præ luce ſcintillant, quanto luminoſior Sol futurus erit, à quo ſtellæ lucem ſuam participant. Quod ſi igitur Deus cœlum Empyreum, & Paradiſum, qui gloriæ centrum eſt, propter animam creavit, ſicut Deus ipſe electis ſuis, qui dexteræ ipſius aſſiſtent, teſtificatur, dum ait: *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, quanto æquius eſt, ut hæc gloria, hicque Paradiſus in ipſàmet anima reſplendeat, dummodo tamen immaculata & pura extiterit? *Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt; Emiſſiones tuæ Paradiſus*; imò ipſemet Deus, *in quem deſiderant Angeli proſpicere*, ſe in anima humana Paradiſum ſuum habere declarat: *Deliciæ meæ eſſè cum filijs hominum.*

*Matth. 25. v. 34.* *Luc. 17. v. 21* *Cant. 4. v. 13* *1. Petr. 1. v. 12.* *Prov. 8. v. 31.*

Anima Dei gloria. *S. Amb. l. 6. Exod. c. 8.*

22. S. Ambroſ. ad animam ſe convertens adæquatum illi dignitatis ſuæ conceptum inſinuare & imprimere ſatagit dicens: *Cognoſce te decora anima, quia imago Dei es, cognoſce te ô homo; quia gloria es Dei, audi quomodo gloria; Propheta dicit: Mirabilis facta eſt cognitio tua ex me; hoc eſt, in meo opere mirabilis facta eſt majeſtas tua, in conſilio hominis tua ſapientia prædicatur.* Inſuper tamen etiam dici poteſt, animam gloriam eſſe Dei, quia gloria, Paradiſus, ſive cœlum empyreum, primo omnium loco pro nobis fabricatum fuit; notandum enim quod quando ait: *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, nullam prorſus Angelorum mentionem fecerit, ſed ſolam allocutus fuerit naturam humanam.

*Matth. 25. v. 34.*

Ejus ſublimitas. *S. Bern. ibid.*

23. S. Bernardinus ſtringens aliquod in hac materia argumentum facere volens, authoritatem citat S. Auguſtini dicentis: *Nihil potentius aut ſublimius mente rationali, quidquid ſuper eam eſt, creator eſt*; indeque hanc deducit conſequentiam: *Per hoc manifeſte declarans, quod ſi quaſi infiniti Empyrei cæli, & illius nobilitate crearentur à Deo, adhuc animalis excelſior, ac nobilior remaneret.*

Nobilitas.

24. Anima etenim adeo nobilis eſt & digna, ut ipſe quoque Paradiſus incomparabilibus excellentijs ejus capiendis locus futurus eſſet inadæquatus, niſi ſe in ipſiuſmet Dei ſinum, velut ut centrum ſuum ibidem immergeret, nam ut S. Bernardinus ait: *Res quippe niſi in loco ſuo proprio conſervari non poteſt, ſicut aquæ in fonte, & in vite vinum; ſed locus animæ eſt ipſe Deus, juxta illud Auguſtini; Non inveni locum animæ meæ, niſi te Deus.*

*S. Ber. t. 3. ſer. de ver. art. 3. c. 2.*

Cœlo capacia. *S. Thom Vill. conc. in ded. eccl.*

25. S. Thomas de Villa nova adducta illa proteſtatione quam Salomon, poſtquam templum illud, quod cœlum terramque in ſtuporem rapuit, ad Dei honorem erexerat, ſequentibus verbis fecit, nimirum: *Si cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi:* ſubjungit: *at anima ſancta dignior, illuſtrior, capacior eſt cælo, neque eam replere ſufficit totus mundus, ad imaginem Dei facta eſt, & ideo, in illa Dominus requieſcit, ſic quædam anima ſancta ait: Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

Dignitas hæc magni æſtimanda.

26. Nobis tamen neceſſariò ſciendum eſt, quod ſuprema illa dignitas ad quam anima evecta eſt, timorem ac tremorem nobis merito incutere debeat, cum receptiſſimum veriſſimumque ſit illud S. Gregorij Magni monitum, dicentis: *Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum*; Et D. Chryſoſtomus ad præſens propoſitum aptius dicat: *Ipſa excellentia dignitatis majoris tibi fiet cauſa ſupplicij.* Eccleſiaſticus ſapiens utiliſſimum nobis tradit documentum, quo quanti anima, utpote theſaurus maximus, æſtimanda ſit egregiè inſtruimur? Dicit enim: *Fili ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum.* Hæc ſola & non alia virtuoſa quædam, Deoque accepta ſuperbia eſt, ſi quis nimirum hanc adeo ſublimem dignitatem, qualis eſt ſimilem Deo, illiuſque imaginem eſſe pro meritis æſtimare ſciat, ſeque ad viles creaturas abjicere caveat; unde in Græco legimus: *Da illi honorem ſecundùm dignitatem ſuam.*

*Chryſ. h. 28. in Matth.*

*Eccl. 10. v. 31.*

*Ibid.*

Modus conſervandi.

27. Dionyſius pulchrum quemdem modum nos docet, quo animam noſtram in ſua dignitate decenter conſervare debeamus: *ac eam*, inquit, *ſenſualitati & corpori impetrare, ne merearis audire: Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Salvator noſter quoque dixit: *ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum?* Theſaurum porro iſtum in vaſe quodam fictili circumferimus: *Habemus Theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*, nec eſt alius quam animæ noſtræ inæſtimabilis gemma, quam dignè æſtimare, & in debito ſuo pretio habere ſatagamus, ſed quonam id modo à nobis faciendum erit? *Ibi & cor noſtrum ſit*; ſemper enim & ubique corde, mente, cogitationibus & amore noſtro in ſeriam dignitatis animæ noſtræ conſiderationem intenti eſſe debemus, ſiquidem *Quid prodeſt homino ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*: Præ hujus theſauri condigna æſtimatione & conſervatione quivis alius theſaurus vilis videri debet & abjectus.



*Pſ. 48. v. 21.* *Matth. 6. v. 21.* *2. Cor. 4. v. 7.* *Matth. 16. v. 26.*

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Anima eſt Paradiſus, & locus deliciarum Dei; ejusque templum; cujus proinde amplitudo, maxime quam Charitate mediante habet, hic conſideratur.

### THEMA.

*Deliciæ meæ, eſſe cum filijs hominum.* Prov. 8. ℣. 31.

Divini amoris magnitudo.

1. S. Bernardinus intellectum ſuum in miram illam æſtimationem & amorem quo Deus animam noſtram proſequitur, defigens, capere ſe non poſſe fatetur, quænam in nobis ſit vis illa Divini amoris & appretiationis attractiva. En illius conſideratione digniſſima verba: *Quæ enim conventio tantæ majeſtati, & tantæ paupertati; ut more & amore ſponſorum, veluti ex æquo ſeſe complecti referantur ſublimitas illa, & illa humilitas?* ubi obſervanda ſunt verba illa, *veluti ex æquo*, ſiquidem ut idem ſanctus Pater ſubjungit: *Fatemur ſimilitudinem, æqualitatem renuimus*; In dubium revocari nequit, quia Deus magnopere erga animam noſtram propendeat; illamque permagni æſtimet, imo ſuam in illa delectationem poſitam habeat, hoc enim adeo verum eſt, ut ipſemet hanc unicas ſuas delicias eſſe proteſtetur dicens: *Deliciæ meæ eſſè cum filijs hominum*; nihilominus res mira eſſe videtur, quod cum Deus in Cœli Empyrei vaſto & elegantiſſimo palatio infinitam habeat Principatuum, Dominationum, Thronorum, Cherubinorum & Seraphinorum, aliorumque nobiliſſimorum Spirituum multitudinem, in quibus majora quam in homine gaudia habere poteſt, ſuas tamen in viliſſimo hominis luto delicias quærat & inveniat; *Eſſè nimirum*, inquit Hugo Cardinalis, *cum filijs hominum per naturæ humanæ participium; De quibus delicijs homini communicatis miratur* Job c. 7. dicens: *Quid eſt homo, quia magnificas eum?*

*S. Bern. ſerm. 81. in Cant.*

*Prov. 8. v. 31.*

*Hugo Card. in Prov. c. 7. v. 17.* *Job 7. v. 17.*

Eligendo naturam humanam ferinā.

2. Porro Deus humanam non vero Angelicam naturam elegit; quia animam noſtram, quam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creaverat, aſſumere voluit, quia in illa omne ſuum gaudium & delicias repoſitas habuit, totoque corde ei addictus fuit, de quo S. Job non immerito cum ſtupore interrogat attonitus: *Quid apponis erga eum cor tuum?* Verumtamen id nequaquam mirum videri debet; *Quia potius ſunt ejus deliciæ eſſè cum filijs hominum*; inquit Hugo Cardinalis, *quam cum Angelis, quia de his quæ aucupio vel venatione capiuntur, fiunt deliciæ ciborum, non de domeſticis:* Qua aptiſſima ſimilitudine idem purpuratus Doctor declarat; Deum venatione perditarum animarum noſtrarum, utpote quæ ſapidiſſimus ejus cibus ſunt, quam maximè delectari: *Et ipſe quidem venatione prædicationis & aucupio Crucis capit homines.*

*Ibidem.*

Quæ ſola ſuavis Deo. *Salaz. in Proverb.*

3. Enimvero in hunc Proverbiorum locum opportunè hic nobis ſervit illa à quodam Interprete facta obſervatio, quod ſcil. Iſaias Propheta poſtquam futuram verbi incarnationem indicaſſet, qua mediante Deus cum hominibus familiariter converſaturus erat, indilatè ſubjunxerit mentionem ſuavitatis & dulcedinis earum conſolationum, quas in nobis erat habiturus: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuël*, quod idem eſt, quod *Nobiscum Deus*; at verò ad hanc inter nos motam & mutuam converſationem, ineffabile Dei conſequitur gaudium, prouti ex verbis ſequentibus clarè deducitur: *Butyrum & mel comedet*, quod idem eſt ac ſi diceret: *Deliciæ meæ eſſè cum filijs hominum, quaſi dicat, inter homines*

*Iſa. 7. v. 14.*

*mines converſari , dirigere , atque ipſos lucrari , mellis ac butyri loco ponet , quibus nihil eſt in delicijs ſuavius.*

Anima Dei eſt Paradiſus.

4. Quando Deus animam noſtram poſt divini in illam halitus ſui ſpiraculum ad tam nobile eſſe provexit, eamque corpori ab illo pariter cum tantæ artis magiſterio fabricato infudit, pro deliciarum loco paradiſum ei terreſtrem aſſignavit : *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio , in quo poſuit hominem quem formaverat :* at vero quiſnam locus deliciarum Deo noſtro futurus erat ? Num forte Cœlum Empyreum ? Id dici non poteſt, quia illud pro anima humana intra illud recipienda fabricatum fuerat : *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi:* Ergone igitur Deus deliciarum loco in quo jucundari poſſit , deſtituendus eſt ? Ecce tibi ſelectiſſimum, quem Deus ſibi reſervavit Paradiſum : *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Paradiſus Dei anima erat quam in pretioſiſſimo innocentiæ ſtatu , originalis juſtitiæ præclara chlamyde amictam creaverat.

Gen. 2. v. 8.
Matth. 25. v. 34.
Matth. 25. v. 34.

Quam ſibi reſervavit Deus.

5. Omnes in vaſtiſſima hac totius univerſi mole , à ſapientiſſimo artifice Deo conditæ creaturæ, ampliſſimæ videl. cœlorum ſphæræ , ſtellæ, Sol , Elementa ; plantæ, animalia, &c. ad corporis humani creata fuere obſequium, at vero ſolam hominis animam ſibimetipſi in viridarium hortumque ſeu Paradiſum deliciarum reſervavit : unde S. Auguſtinus de humana mente inquit : *Mens ejus Paradiſus eſt : in qua quaſi in Paradiſo voluptatis delectatur* ; Quod ipſum S. Petrus Damian. confirmat, dicens : *Spiritualis eſt Paradiſus mens ſancta, mens munda, atque ad ſui conditoris imaginem ſignanter expreſſa, jure dicitur Paradiſus , quæ & cœleſtium Chariſmatum eſt fluentis irrigua , & tamquam fertilium arborum, vel herbarum, ſic virentibus ſanctarum virtutum, vernat germinibus adornata.* Hortulanus hujus Paradiſi eſt idem ipſe qui ejus delicijs jugiter perfruitur , quique ipſum continuo perficit & excolit , qui proinde de ſeipſo dicit : *Pater meus agricola eſt* ; De Fonte illo, qui in quatuor dividebatur præcipuos fluvios paradiſum ubertim irrigantes , idem S. Cardinalis dicit : *Fons ille ratio mentis eſt, ex qua velut originali fonte, quatuor virtutes, juſtitia ſcilicet, fortitudo, prudentia , temperantia, quaſi totidem ſalutiferi gurgites profluunt, qui terram noſtri cordis fertilem reddunt.*

S. Aug. de ſp. & an. c. 37.
S. P. Dam. l. 2. ep. 5.
Joan. 15. 1.

Ac ſelecto ligno crucis recuperavit.
Gen. 3. v. 2.
Hug. Vic. l. 8. in Eccl.

6. Reflectione dignus eſt ille loquendi modus , quo Spiritus S. in Geneſi utitur , nam poſtquam per Adæ prævaricationem, Deus è Paradiſo, id eſt, ab anima pulſus fuerat, dicit ſacer textus : *Deambulabat ad auram poſt meridiem* ; Quibus in verbis Hugo de S. Victore differentiam quamdam notat inter verbum *ambulare & deambulare.* Ambulare enim eſt in directum procedere, deambulare vero, inquit ille , eſt ambulando retrorſum reverti ; Dicitur igitur Deus prope Paradiſum unde ejectus erat deambulare, quaſi in Paradiſum ſuum deliciaſque ſuas cogitans reverti , id eſt , Adamum ad pœnitentiam reducere meditans ; *Modo vadens, modo rediens , & magno quodam incendio æſtuans quaſi nolens ſedem ſuam deſerere;* nimirum errabundam animam venatum ibat, illamque ſibi in prædam capere ſatagebat ; *aucupio Crucis cepit homines* ; Ex illa namque hora qua Adam peccavit , in Paradiſo circumſpiciendo ſtudioſè ſeligere cœpit ligni truncum , in quo pro anima peccatrice confingendus eſſet ; unde ſancta Eccleſia canit : *De Parentis protoplaſti fraude factor condolens , quando pomi noxialis morſu in mortem corruit , ipſe lignum tunc notavit ; damna ligni ut ſolveret.*

S. Bon. t. 7. Sol. c. 1.
Quietẽ prius non habens.

7. S. Bonaventura in ſuis Soliloquijs animam noſtram centrum quieſcentis Dei appellat : *O quam beata anima, apud quam Deus ſibi requiem invenit, quæ dicere poteſt : Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo , negare ſiquidem ei cœli requiem non poterit , qui ſibi in hac vita requiem præparavit.* Optime ſe S. Ambroſius reflectit quod Deus poſt aliarum viſibilium rerum creationem nequaquam quieviſſe dicatur , non ſolum poſt hominem creatum quieſcere cœperit : *Requievit poſteaquam hominem ad imaginem ſuam fecit* ; *In quo requieſcat , audi dicentem : ſuper quem requieſcam , niſi ſuper humilem , & quietum , & trementem verba mea.* Idem quoque S. Damianus aſſerit , dum circa illa verba : *Benedixit Deus diei ſeptimo* ( in quo nimirum requievit ) *& ſanctificavit illum* , ita ait : *Quid eſt Deo Sabbathum ſanctificare , niſi templum ſibimet in ſancti atque perfecti mente conſtruere ? ſicut & Apoſtolus : Templum Dei, ait, quod eſtis vos, & Spiritus Sancti habitantis in vobis.*

Gen. 2. 2.
S. Amb. l. 6. exa. c. 8.
Ibid. v. 3.
B. P. Dam. ibi.

Anima Dei eſt templum.

8. Abhinc autem ad aliud quoddam nobiliſſimum animæ noſtræ elogium tranſeamus , nimirum quod non tam à ſacris Interpretibus, quam ab ipſamet æterna veritate, id eſt, à Spiritu ſancto *templum Dei* appelletur. Qua de re S. Auguſtin. poſtquam dixiſſet : *Nobilis creatura eſt anima , civitas namque Dei eſt , de qua tam glorioſa dicta ſunt : Hæc civitas Jeruſalem merito appellanda eſt , quia ad fruendum viſione illius creata eſt* ; paulo poſt ſubjunxit : *Eſtque templum Spiritus S. per ſanctificationem.* Hanc quoque animæ dignitatem , nimirum quod templum Dei ſit, S. Thomas de Villa nova Concione in Dedicatione Eccleſiæ his verbis inſinuat : *Sanctæ animæ*, inquit, *veriſſima & ſacratiſſima Dei templa ſunt ; unde Apoſtolus : An neſcitis , quia templum Dei eſtis , & Spiritus Sanctus habitat in vobis ? quod ſi non creditis, credite illi, qui dixit , ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus , & manſionem apud eum faciemus.* Hanc quoque veritatem non in uno, ſed pluribus locis apud Apoſtolum videre licet : *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti , qui in vobis eſt ? glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Alibi pariter ait : *vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis , & inambulabo inter eos.* Pſalmiſta quoque ait : *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus.*

S. Aug. de ſp. & ann. c. 37.
S. Th. Conc. de dedic. eccl.
1. Cor. 6. v. 19. & 20.
2. Cor. 6. v. 16.
Pſ. 10. v. 5.

Analogiæ.
Hug. Card. ibid.

9. Et quidem varias Hugo Cardinalis inter templum Dei, & animam humanam proportiones his verbis adducit , dum ait : *Dicitur anima templum Dei multis rationibus ; In templo Deus adoratur , ſimiliter in anima fideli ; in templo offeruntur ſacrificia ; ſimiliter in anima fideli : ſacrificium Deo Spiritus contribulatus ; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies ; In templo ſunt Cruces intus & extra , ita in anima debent eſſe cruces per memoriam Paſſionis, & exterius per imitationem ; in templo reponuntur reliquiæ Sanctorum , ſic anima fidelis debet ſemper recolere exempla Sanctorum ; In templo eſt à qua benedicta , quæ fugat Dæmones , ita in templo ſpirituali noſtro debet eſſe aqua lachrymarum , qua fugatur Diabolus.*

Levit. 6. 12.
S. Bern. t. 1. ſerm. ann. 2. c. 2.

10. Ad hæc dici poteſt quod in Eccleſijs erigantur altaria , per quæ animæ noſtræ ſignificantur. Unde S. Bernard. text. illum Levitici : *Ignis in altari meo ſemper ardebit* , conſiderans, dicit : *Altare utique mens humana eſt , quaſi alta res ; alta res eſt anima noſtra , quæ ad Dei imaginem & ſimilitudinem eſt formata , ut in Deum aſcendat* ; In hoc altari ignis Dei , id eſt, amor erga Deum ſemper ardere debet, utpote qui erga illam adeo ſe ſemper exhibet beneficum & liberalem.

Lev. 26. v. 11 & 12.
Tabernaculum.
S. Thom. Vill. L. cit.

11. In eodem quoque Levitico Deus dicit ; *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, . . . ambulabo inter vos* ; Quæ quidem verba, tametſi quoad litteram de Tabernaculo Dei , quod Moyſi à Deo in deſerto præſcriptum fuit , quando una cum populo per illud gradiebatur , quoad ſpiritualem tamen ſenſum etiam de anima interpretari poſſunt , quam Deus in tabernaculum ſuum elegit. Unde etiam Villanovanus ait : *Grandis animæ capacitas , in qua non ſolum inhabitandi , ſed inambulandi locus eſt , quid namque ſunt animæ juſti potentiæ, niſi ampliſſima Dei inambulatoria? Quotieſcumque ergo bonorum deſideriorum & affectionum motus , contritionis ſtimulos , devotionis ardores in teipſo perſenſeris , greſſus Dei & veſtigia Spiritus S. in templo ſuo deambulandis agnoſce.* Verbum autem *ambulare* animi quamdam dilatationem & recreationem exprimit , quia eſt quædam ambulatio animi recreandi cauſa inſtituta ; unde cum Deus dicit : *Ambulabo inter vos* , plane inſinuat animam noſtram eſſe locum quemdam creationis ſuæ, quam in anima , invenit potius, quam in alijs creaturis : *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.*

Prov. 8. v. 31.

Anima major eſt cœlo.

12. Conſiderari quoque hoc loco poteſt , increatam illam ſapientiam quæ totius hujus univerſi ſapientiſſimus eſt architectus , unicuique creaturæ in certo pondere & menſura ſuum determinaſſe locum & ſitum intra quem ſe continere debet , Terram enim voluit eſſe amplæ hujus mundi molis centrum Solem in Sphærarum cœleſtium medio collocavit , aſtra autem cœli firmamento inſervit , aquam terræ ſuperinfudit, ſuper hanc aërem, & ſuper aëra ignis elementum repoſuit , piſcibus lacus inhabitationem aſſignavit, mundavit flumina, maria dilatavit, & ſic de cunctis alijs rebus creatis diſcurrere licet , animæ vero noſtræ nec locum nec ſitum limitavit , quia hanc in tabernaculum ſuum elegit , cui proinde dicere poſſumus : *Quem cœli capere non poſſunt , tuo gremio contuliſti* ; In locum vero deliciarum ipſiuſmet animæ Cœlum Empyreum fabricavit , illudque adeo vaſtum & amplum ut S. Bernardinus dicere auſit , quod ſi Deus tot mundos crearet ; quot ſunt arenæ grana in littore maris,



ris, hi tamen ejus immenſitatem nequaquam adæquaturi eſſent. Unde idem S. Pater dicit ; *Quis poterit comprehendere, quæ ſit animæ magnitudo, ſecundùm enim magnitudinem contenti magnitudo vaſis poteſt comprehendi , in immenſum major eſt anima , quam ipſum cœlum* , citatque illam Salomonis proteſtationem dicentis : *Cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt , & tamen anima tantæ magnitudinis eſt, ut quem millia cœlorum capere non poſſent , anima ipſa comprehendat* ; Eſtque hæc animæ immenſitas tanto admirabilior , quanto verius eſt id quod S. Thomas de villa nova de ipſa dicit : *In hoc vero Dei incolatu* , inquit , *potiſſimum illud miraculum non reticebo , quod cum anima noſtra infimum ſit omnium ſpirituum, & Deus omnium ſit altiſſimus & ſupremus : nullius alterius Spiritus capax eſt , niſi ſolius Dei, ſolus Deus inhabitator eſt mentium , ſolius Dei templum anima eſt, non Angeli, non Archangeli , non alterius, cujusvis Spiritus.*

S. Bern. Loc. cit.
S. Th. de Vill. Loc. cit.

Animæ vaſtitas.
S. Bern. ſer. 27. in cant.
S. Hier. in Pſal. 133.

13. Notandum eſt autem , quod Deus noſter , qui de ſeipſo dicit : *Cœlum & terram ego impleo*, non dicat *ambulabo* , ſed *deambulabo* ut per hoc ingentem, quam Deus in anima invenit, amplitudinem declaret. Merito igitur S. Bernard. dicit : *O quam longe ſuſpicio illos certe beatos, de quibus dicitur : Et habitabo in eis, & deambulabo in illis.* S. Hieronym. quoque ait : *Vide anima ſancta, quam grandis ſis ; fieri poteſt ut aliquis anguſta inhabitet , quare additur inhabitabo & deambulabo in eis, ubique deambulat, ubique lata domus eſt.*

Charitate dilatatus.
S. Bern. ſer. 27. in Cant.
Joan. 14. v. 23.
Rup. in loc. l. 11.
S. Ambr. ſer. 70. in Pſ. 118

24. Sciendum porro eſt hanc animæ aulam ampliari ad ſolam proportionem amoris : unde idem S. Bernard. ait ; *Quantitas cujuſcumque animæ æſtimatur ex menſura charitatis quam habet , ut quæ multum habet charitatis , magna ſit , quæ parum , parva.* Rupertus Abbas Tuitienſis verba illa : *Ad eum veniemus , & manſionem apud eum faciemus* , ponderans dicit : *Ecce evangelica voce Dominus demonſtrat , cur Pſalmiſta dixerit : Omnis conſummationis vidi finem , latum mandatum tuum nimis ; quid enim latius hoc mandato dilectionis , quo ſic mens humana dilatatur , ut intra ſubſtantiæ ſuæ palatium majeſtatem capere , poſſit Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Unde & S. Ambroſ. ad idem conformiter propoſitum , inquit : *Alij querantur de ſui ruris anguſtijs, in te Deo eſt ampla poſſeſſio , in quo ſe deambulare dicit , hoc eſt , laxa ſpatia habitationis invenire , qui terram includit manu , cui mundus anguſtus eſt , tu ei ampla es domus. O inæſtimabilis dignatio pietatis !* Et ideo S. Thomas de Villa nova exclamat dicens : *Cum ſint tibi in cœlo tam ſplendida, tam ampla , tam decora palatia , tam illuſtria , & tam inſignia cœleſtium poteſtatum , & beatorum ſpirituum templa magnifica , in quibus inhabitas , non dedignaris Domine paupercula , & abjecta animarum noſtrarum tuguria intrare , & inhabitare in nobis ; Cum tibi à tot millibus poteſtatum & principatibus ſerviatur , & ſedeas ſuper Cherubim , noſtra tamen domicilia non modo non ſpernis ; ſed in eis gloriaris ; ut dicas : Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.*

S. Th. de Vill. Loc. cit.
Inæſtimabilis Dei dignatio.

Reliquiæ SS. honorantur quia fuere Dei templũ vivum.

15. Idem quoque S. Archipræſul aliam quamdam ingenioſam adducit conſiderationem , per quam facile in notitiam pervenire poſſumus ſupremæ illius dignitatis , ad quam anima per hoc pervenit , quod ſit veluti quoddam Dei vivi templum; Etenim de ſanctorum reliquijs, quæ tot operantur miracula, quæque in tanta habentur veneratione , ut inæſtimabilibus theſauris pares habeantur, ita ſcribit : *unde illis oſſibus quæſo tanta virtus , niſi quia templum Dei aliquando fuerunt, & Spiritus S. habitavit in eis ? Si ſic Domine honorantur oſſa marcentia , eo quod fuerint, & futura ſint domicilium ſanctarum animarum , qualis erit honor & decor animarum propter inhabitantem Deum.*

Grandis honor ſed grandis quoque habendus timor.
S. Aug. de Sp. & an. c. 2
S. Th. de Vill. ibid.

16. Nequaquam tamen nobis ob hanc mirificam animæ noſtræ dignitatem nimium præſumendum, quin potius ſciendum , quod ut S. Auguſtinus ait : *Domus ſummi Patrisfamilias eſt anima per unitatem morum.* Imo magis nos terrere debet, quod S. Thomas his verbis dicit : *Grandis honor, ſed grandis timor , ex hoc penſandum nobis eſt , tum quanto timore & ſolicitudine cavere debet anima juſti , ne forte in ea aliquid turpe aut indecens inveniatur , quod oculos tantæ majeſtatis offendat* ; citatque illum Apoſtoli, in quo rigidiſſimum nobis intentatur ſupplicium , ſi myſticum hoc templum prophanare præſumpſerimus : Apoſtolus enim poſtquam nos *templum Dei*, eſſe dixiſſet, ſubjungit ulterius : *ſi quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Quo enim ſupplicio dignum æſtimares , qui in ipſius Eccleſiæ ſinum equos & jumenta collocaret, velut in ſtabulum, aut falſa in eadem Numinum erigeret ſimulachra, vel demoliretur altaria Cruceſque confringeret & ſacrilege tractaret , vel in ea proſtibulum quoddam erigeret : *Quid minus facis tu ô peccator, qui ſacrum cordis & corporis tui templum vitijs imples, & immunditijs polluis , & ſacrum Dei habitaculum Dæmoniorum ſpurciſſimorum ſtabulum facis, & expulſo ſpiritu Dei, turpiſſima carnalium cogitationum in eo ſimulachra, idolaque depingis.*

1. Cor. 3. v. 17.

op. cit.
Animarum Diſtinctio.

17. S. Petrus Damianus in Epiſtola ſuperius citata inter animam innocentem & impiam hanc tradit diſtinctionem : *In reproba cujuslibet anima fit confuſio tartari, & in ſancta , munda , atque perfecta ſpecies Paradiſi , mens enim otioſa, cupida , curis tantummodo ſæcularibus dedita libidinis igne ſuccenſa , nonne tibi videtur infernus , in quo videlicet & Diabolus habitat, & concupiſcentiarum ignes æſtuare non ceſſant ?* S. Agatha ad S. Luciam virginem dixit : *Jucundum Deo habitaculum præparaſti* ; ſed ubinam putas ? *In tua virginitate* ; Ille etenim Deus qui eſt *Candor lucis æternæ & ſpeculum ſine macula*, animæ puritatem atque munditiam mirificè diligit.

Sap. 7. v. 26.

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

De exceſſiva animæ pulchritudine, quæ ad ſui ſponſalitium Deum ipſummet rapuit ; Hæc autem animæ venuſtas à virtutibus & innocentia Chriſtiana dependet.

### THEMA.

*Concupiſcet decorem tuum , quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus* , Pſal. 44. ℣. 12.

Anima pura cœleſtem rapit ſponſam.
ho. t. 3. in Ezech.

1. ORigenes animam noſtram ſuperhumana & divina pulchritudine , qua Deus ad ejus ſponſalitium concupiſcendum raptus fuerit , dotatam eſſe probaturus , adducta in themate Pſalmiſtæ verba adducit : ac demum dicit ; *Niſi eſſet aliquis decor in anima, Propheta utique de ipſa non dixiſſet : Et concupiſcet Rex decorem tuum, id eſt, ſponſus : Quis ita habet pulchram animam , quis tantum poſſidet decorem , quis ita eſt extraneus ab omni fœditate , ut poſſit ei dici : Concupivit Rex decorem tuum ?* Hæc autem venuſtas & pulchritudo non in corpore ſed in anima conſiſtit , ſed in tali anima quæ pura , immaculata , munda exiſtit , hæc enim ſola eſt quæ ſponſum cœleſtem in ſui amorem rapit.

S. Th. de Vill. ſer. de S. Mich.

2. Enimvero animæ qualitates S. Thom. de Villa nova hiſce nobis coloribus adumbrat dicens : *Eſt anima rationalis natura quædam ſpiritualis , incorporea , incorruptibilis, immortalis, intellectualis, libera, capax Dei, habens voluntatem & intellectum ſicut Angelus.*

Animæ dotes.
S. Ber. ſer. in D. 5. Eph. c. 2.

3. S. Bernardin. illum quatuor præclaris dotibus adornatam nobis ob oculos ponit : *Quadruplex* , inquit, *virtus eſt in anima , ſenſus , imaginatio, ratio, & intelligentia :* Demum vero quænam ſit ſenſus diſpoſitio atque capacitas , pupillæ adducto exemplo demonſtrat, dum ait : *oculus enim quaſi in puncto pupillæ, totum apprehenderet mundum ſi non haberet obſtaculum :* De imaginatione quoque dicit : *Imaginatio vero multos tales poteſt apprehendere mundos ; Ratio vero ſe extendit ultra ſenſum & imaginationem , abſtrahit vero univerſale , quod eſt ſemper & ubique in particulari , quod eſt hic vel nunc ; ſi ergo ſenſus & ratio tantæ ſunt capacitatis , quid eſt de intelligentia , quæ nata eſt apprehendere ſummum bonum.* Tandem idem S. Pater ut oſtendat quanti à nobis ſit æſtimanda anima noſtra , ita concludit : *Ergo parvum non eſt, quod intra nos eſt , ſed incomprehenſibile & infinitum.*

Ejus pulchritudo inviſibilis.
Lact. l. 7. c. 5.

4. Et ideo Lactant. Firmianus animam noſtram glorioſo hoc epitheto *Inenarrabile opus* , compellat ; Equidem quæ & quanta ſit animæ alicujus pulchritudo ſcire non poſſumus , quia non eſt oculis corporeis viſibilis, neque cadit ſub ſenſus ; Hoc tamen ſcire ſufficit, quod vere talis ſit , cujus amore captus eſt ille , qui ipſum condecorat & amabilem efficit Paradiſum : *In quem deſiderant Angeli proſpicere ; Speciosus forma præ filijs hominum : Concupiſcet Rex decorem tuum* , *utique ſecundum animam* , cujus hanc id convincentem adducit rationem : *Nihil ex vultus bonitate boni, ac emolumenti nihil , ex animæ autem pulchritudine tantum licet bonum lucrari, quantum poſſidet , qui Deum habet amatorem.*

1. Petr. 1. 12.
Pſ. 44. v. 3.
Ibid. v. 12.

Vilis tamen ancilla.

5. Quod ſi Rex aliquis ſe ad vilis cujusdam ſervæ ſuæ nuptias ſeduci permitteret , neceſſum utique eſſet dicere talem ancillam exceſſiva quadam & rara corporis

poris venuſtate prædìtam eſſe : Cur obſecro Deus cum animæ noſtræ quæ comparatione ſui vilis quædam ſerva eſt,cum ſit vilis quædam creatura,ſponſalitium contraxit ? *Sponſabo te mihi. Et concupiſcet Rex decorem tuum*, quod pariter S. Bernard.his verbis quærit, dum ait : *Unde tibi ô humana anima,unde tibi hoc,unde tibi tam inæſtimabilis gloria , ut ejus ſponſa merearis eſſe , in quem deſiderant Angeli proſpicere ? Unde tibi hoc,ut ipſe ſponſus tuus,cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cujus nutum univerſa mutantur.*

*Oſe.2.v.19.*
*S.Ber.ſer.2. in D. 1. Epiph.*

Formoſitas animarum S. Catharinæ monſtrata.
*Cant.4. v.7.*
*Cant.2. v. 10.*

6. In dubium utique revocari nequit ; quin unica hujus in animam noſtram divinæ propenſionis cauſa ſit, ſumma animæ noſtræ elegantia ſpeciei atque venuſtas: *Concupiſcet Rex decorem tuum; Tota pulchra es amica mea : formoſa mea.* Cœleſtis animæ noſtræ amator Chriſtus S. Catharinæ de Senis dilectiſſime Sponſæ ſuæ die quadam animæ in gratia Dei exiſtentis formoſitatem oſtendit , unde cum ſancta hæc Virgo obſtupefacta hæreret atque attonita ; Chriſtus ei reſpondit : Vide igitur quam præclare impenſum fuerit,quidquid pro animabus hoc modo venuſtandis perpeſſus fui. Quibus verbis huic S. Virgini perpetua quædam conſuetudo & uſus fuit,oſculandi terram illam,quibus eorum impreſſa erant veſtigia qui prædicationibus ſuis , alijſque bonis operibus ſuis animarum converſioni inſudabant.

Chriſtus ut animas mundaret deformis factus.
*Eph.5. v.25. 26. 27.*

7. S. Paulus Epheſijs efficaciter perſuadere volens, ut conjugali uxores ſuas amore proſequerentur , hoc inter cætera motivum adduxit : *Viri diligite uxores veſtras , ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro ea , ut illam ſanctificaret , mundans lavacro aquæ in verbo vitæ , ut exhiberet ipſi ſibi glorioſam Eccleſiam , non habentem maculam aut rugam , aut aliquid hujuſmodi , ſed ut ſit ſancta & immaculata* ; Apoſtolus autem per hanc Eccleſiam,de qua loquitur,non exteriores Baſilicæ muros, ſed animas fideles intelligit : *Templum Dei quod eſtis vos* ; Ut igitur hanc Eccleſiam , id eſt, fidelem animam pulchram , puram & immaculatam,denique ſponſam ſuam efficeret,pretioſum pro ea ſanguinem ſuum effundere voluit : Ipſaque Paradiſi eximia venuſtas & pulchritudo ſe deformari paſſus eſt : *Non eſt ſpecies ei,... neque decor & nos putavimus eum quaſi leproſum* , ut animam noſtram venuſtaret,factus eſt , exanguis,& pallidus : *Ut exhiberet glorioſam Eccleſiam.*

*Iſa.53.v.2.4*

Animæ Pulchritudo.
*S.Bern. ſer. 51. de an. dign. a.1.c.3*

8. Audite quæſo , quid de animæ ſpecioſitate S. Bernardin. in hæc fere verba ſcribit : *Si formarentur tot Empyrei cœli , quot ſunt aquarum guttæ , quot ſunt grana arenæ maris , omnis pulchritudo eorum ſimul ſumpta non poſſet æquari pulchritudini unius animæ :* Et quidem tametſi verba hæc hyperbolice & per exaggerationem ab hoc S. Prædicatore dicta fuiſſe videri poſſint , ipſe tamen protinus ejus quod dixit rationem his verbis ſubnectit : *Illi infiniti cœli tantæ pulchritudinis non poſſent intelligere Deum , nec diligere , nec poſſidere , quemadmodum rationalis anima* , hinc 1. Cor.2. Apoſt. ait : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit : nec in cor hominis aſcendit , quæ præparavit Deus ijs , qui diligunt illum.* Idem quoque S. Pater prolixo diſcurſu , qua pulchritudine anima illa quam Deus in ſponſam elegit, dotata ſit demonſtrat ; Quod ſi enim muliere aliqua eſſet ſpecioſiſſima omnium quæ fuerunt,ſunt aut futuræ erunt, imo tanta corporis forma & ſpecie prædita , ut ne quidem ipſemet omnipotens & divinus artifex ſpecioſiorem efformare poſſet : vel ſi alicui pictori tale ſuggerat ingenium , quo magiſterio & peritia artis ſuæ effigiem aliquam efformet prototypo ſuo quoad fieri poteſt vivaciſſime & propriiſſime ſimilem : nihilominus ſubjungit idem ſanctus : *Pictor atque Creator animæ ipſa ſapientia eſt, cujus ſapientiæ non eſt numerus , Deus ſcientiarum Dominus eſt, ad creandum hominem infinita potentia uſus eſt , voluit eadem infinita potentia & ſapientia ſua formare animam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam : Menſura pulchritudinem Dei , ad cujus imaginem facta eſt : Menſura & potentiam qua potuit , ſapientiam qua novit , & voluntatem qua voluit ſic eam creare , & intelliges pulchritudinem ejus.*

*1.Cor.2. v.9*

Dignius nil quam ſponſam eſſe Dei.
*C.Bellar. de æt.fel.l.5.c.6*

9. Quid igitur mirandum eſt hanc adeo exceſſivam pulchritudinem & decorem animæ , ipſum quoque rapuiſſe ejus Creatorem , ut ſe illi per arctum ſponſalitij vinculum copularet ? *Tota pulchra es ſponſabo te mihi.* Cardinalis Bellarmin. ſingulariſſimam hanc hujus adeo digni ſponſalitij prærogativam his verbis ponderat : *Si quis capere aut digne cogitare poſſit , fortaſſe nihil magis honorificum , nihil utilius , nihil dulcius , neque in hoc ſæculo , neque in futuro reperiri poſſet : Magna eſt gloria , utilitas , ſuavitas , ſervire Regi Regum , major inter amicos & domeſticos ejus connumerari , maxima Filium Dei & Chriſti fratrem nominari , ſed ſponſam dici poſſe , conſortem throni ; conſortem thalami :* Hoc utique , inquit præfatus Doctiſſimus Cardinalis , omnem humanum & angelicum intellectum excedit : Quia ; *qui adhæret Deo , unus ſpiritus eſt cum eo.*

Qualis ſit animæ unio.
*S.Ambr.l.2. c.1.in Luc.*
*Matth. 12. v.50.*
*Chryſ h.44. in Matth.*

10. Vultiſne explicatius nonnihil intelligere quisnam aut qualis ſit hujus unionis animæ cum Deo conceptus ? S. Ambroſius ait : *Concipit,& generat Dei verbum : Quicumque fecerit voluntatem Patris mei , qui in cœlis eſt , ipſe meus frater , & ſoror , & mater eſt :* Circa quæ verba D. Chryſoſt. exclamat : *O mirabilem honorem ; ô virtutis incredibiles vires ; quæ ducitis bene viventes homines ? Multo propinquiores Deo ſunt , qui voluntatem ejus faciunt , quam qui ſumma carnis neceſſitate conjunguntur.* B. Petrus Damianus de hoc ſponſalitio ita ſcribit , *Anima noſtra ſuperni Regis eſt ſponſa , cui accepto pignori ſancti ſpiritus ſignaculo fidei eſt dotata.* S. Bonaventura conditiones nobis exponit, quæ inter ſponſos requiruntur : *In ſponſo* , inquit , *eligendo quatuor ſunt , Genus , Virtus, Sapientia, Pulchritudo , quæ omnia ſummè in Filio Dei reperiuntur , & ideo oportet quod ſponſa ejus præparet ſe & nobilitet. In ſponſa eligenda ſimiliter quatuor conſiderantur , Genus, Pulchritudo , divitiæ , mores.*

*S.P.Dam. ſer.74.*
*S.Bonav. in c.3.Joan.*
Conditiones quatuor.

Anima originem habet è cœlo.

11. Et quidem ſi de Genealogia animæ ſeu ejus progenie ſermo ſit , hujus è cœlo ducit originem : Quis enim eſt qui per Jeroſolymam in ſenſu ſpirituali animam intelligi neſciat:Hanc autem S.Joannes velut ſponſam quamdam prædivitem & ornatam de cœlo deſcendere vidit ; Ita enim ait : & ego Joannes vidi ſanctam civitatem , *Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo à Deo,paratus ſicut ſponſam ornatam viro ſuo :* Apoſtolus autem proſapiam animæ noſtræ diſtinctius hiſce verbis deſcribit : *Genus ergo cum ſimus Dei,non debemus æſtimare, &c.* Ubi S. Gregorius ait : *Genus videlicet Dei dicimur , per acceptam imaginem ad ſimilitudinem illius* ; Et ideo S. Leo ad agnoſcendam & æſtimandam nobilitatem noſtram , ne à primo ſtipite noſtro degeneremus,his verbis invitat : *Agnoſce , ô Chriſtiane, dignitatem tuam , & divinæ conſors factus naturæ , noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire , memento cujus capitis & cujus corporis ſis membrum.*

*Apoc.21.v.2*
*Act.17.v. 29.*
*S.Greg.l.10. mor.c.16.*
*S.Leo ſer.1. de nat.*

12. Porro de animæ pulchritudine nec quidquam dubitare licet, utpote quam jam abunde ſatis expoſuimus.

Homini omnia ſubjecta.

13. Tertia in ſponſalitijs requiſita , & à S. Bonaventura annotata conditio in divinis conſiſtit : In ſponſalitijs enim dos communiter quæri ſolet opulenta : Idem vero Seraphicus Doctor alio in loco per adductam Hugonis de Victore in lib. *de arrha animæ* authoritatem ita ſcribit : *O anima mea , quid dedit tibi ſponſus tuus ? Reſpice mundum iſtum , omnis natura ad hunc finem curſum ſuum dirigit , ut tuis utilitatibus deſerviat , tuiſque oblectamentis.* Sponſus ſponſæ dotem contulit,dum ei quidquid in cœlo vel in terra bonum & pulchrum eſt aſſignavit : *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus ; Minuiſti eum paulo minus ab Angelis , gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Quinam autem opulentior theſaurus,aut quæ pinguior, amplior,aut liberalior dos ei obtingere potuit , quam pretium quo illam cœleſtis ejus ſponſus æſtimat , & exceſſive amor quo illam proſequitur ?

*Hebr.2.v.8.7.*

14. Unde S. Bernardus idipſum conſiderans attonitus exclamat : *Quid eſt homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum ? Quid ? Sine dubio vanitati ſimilis factus eſt homo ad nihilum redactus eſt homo* ; Mox tamen idem mellifluus Doctor jam dicta corrigit , dicens ; *Quomodo tamen penitus nihil eſt , quem magnificat Deus ?* Verum quidem eſt ſponſam illam antea ſervam & vile mancipium fuiſſe, poſt contractum vero cum Rege ſponſalitium facta eſt conjux, Regina, vel Imperatrix alteri regio conjugi ſuo coæqualis : ita quoque de anima Deo deſponſata dicere poſſumus : *Quomodo nihil , erga quem appoſitum eſt cor divinum ? Scio , ſcio , ubi eſt theſaurus tuus , ibi eſt & cor tuum , quomodo ergo nihil ſumus , ſi theſaurus tuus ſumus ?*

*S.Bern.ſer.5. in ded.Eccl.*
Theſaurus Dei Anima hominis.

Formoſam faciunt virtutes.
*Ric à S.Vict. p.1.l.6.de Trin.c.11.*

15. Quarta quæ in ſponſa quadam requiritur conditio , ſunt *mores.* S. Richardus de S. Victore egregriè exponit , qualiter animam aliquam pulchram vel deformem eſſe à ſola noſtra pendeat voluntate : *Anima tua aut formoſa eſt , aut deformis , ex voluntate tua ;*



*Formoſam facit voluntas bona ; deformis fit ex voluntate mala , formoſam eam facit ſua benignitas , deformem tua malignitas.* S. Ambroſius quoque quanam in re hæc animæ pulchritudo conſiſtat,inſinuat,ſcilicet non in genis bene coloratis , aut oculorum venuſtate, &c. *Sed Pulchritudo animæ eſt ſincera virtus , & decor verior cognitio ſupernorum , ut videat illud bonum ex quo pendent omnia.*

*S.Ambr. de Iſa.& av. c.8.*

Quas ſponſus præbet.
*Jac.1.v.17.*
*S.Th. de Vill. 19.poſt Pent.*

16. Suam anima pulchritudinem non à ſemetipſa habet , ſed illam à cœleſti ſponſo ſuo participat , quia *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt , deſcendens à Patre luminum.* Unde Villanova ſua verba illa. *Decorem tuum* , ita gloſſat, id eſt, *qui in te eſt,non qui à te eſt, non enim concupiſcit decorem, niſi quem ipſe præſtat.*

Anima ſpecioſa redditur dimiſſis peccatis.
*S.Greg. de ſcop. chr.*

17. S. Gregor. Nyſſenus facile nos modum docet; quo anima ſuam nanciſci pulchritudinem valeat ; Primo enim dicit : *Neceſſe eſt ut anima quæ ſponſa Chriſti fieri deſiderat , pulchritudini Chriſti quoad ejus fieri poterit , ſimilis fiat.* Sed quonam putas modo idipſum conſequi poterit ? *Oportet ut anima quæ adhærere cogitat Chriſto omne peccatum à ſe expellat :* Ideo quando cœleſtis amator inaſſequibilem ſponſæ ſuæ pulchritudinem laudat dicens : *Tota pulchra es amica mea* , protinus ſubjungit : *& macula non eſt in te , immaculata mea.* D. Chryſoſtomus poſtquam de animæ ſpecioſitate fuſius tractaſſet , tandem hanc ſubnectit interrogationem : *Accepiſti quid ſit pulchritudo ? Pendet pulchritudo animæ ab obedientia erga Deum , anima enim quantumlibet deformis ſiquidem obtemperaverit Deo,deponit peccatum & ſpecioſa redditur.* Idque Sauli exemplo probat , qui factus eſt Paulus, & vas electionis,quando ait : *Domine,quid me vis facere ? Audi filia, & inclina aurem tuam* , & poſtea ſubdit : *Et concupiſcet Rex decorem tuum ; Cujuſmodi decorem concupiſcet? Nempe animæ ?*

*Cant.4.v.7.*
*Cant.5. v.2.*
*Chr.ho. in Pſal.44.*

Adhortatur.
*S.Baſil.or. 22. de an.*

18. Jure igitur merito ſanctus Baſilius nos adhortatur,ut animam noſtram mundemus & purificemus, ut fiat quaſi lympidum quoddam terſumque ſpeculum , in quo Divinus amator eam & ſe contemplari poſſit : *Da operam ut omnes ſordes ex malitia acquiſitæ precatione ſedulo eluantur , neque enim fieri poteſt, ut ſpeculum , quod ſordibus inquinatum eſt , germanas imaginum repræſentationes ac ſimulachra recipiat , reddatve , ſic nec animus rerum humanarum curis diſtractus , & ijs perturbationibus quæ ex corporis ſtudio proficiſcuntur obcæcatus ; Spiritus ſancti illuminationem ſuſcipere valebit.*

Humilis ſit homo & ſpecioſus ſatis.

19. Alij alium hanc animæ pulchritudinem acquirendi & conſervandi modum meditantur , conſiderant enim quod Deus noſter ſapientiſſime corpus hoc noſtrum ex luto confinxerit , in illudque incluſerit animam hominis adeo ſpecioſam , oculo non ſolùm corporali , ſed & ſpirituali , quod pulchritudinem ejus attinet,inviſibilem ut humilis perſeverans ſpeciem & pulchritudinem ſuam non amitteret.Unde Richard. de S. Victore ait : *Maximus eſt animæ decor , ſi poſt omnium virtutum perfectionem , humilitatem poſſideat & cum magni ſit meriti magnam ſe eſſe neſciat.* Magnum ſe neſciebat B. Job, qui dicebat : *Etiam ſi ſimplex fuero , hoc ipſum ignorabit anima mea.*

*P.V.in Cant. c.3.*
*Job cap.9. v.21.*

Ornamentũ animæ Dona Spiritus S.

20. Temerarius ille qui in magnificas illas à Rege regijs ſumptibus præparatas nuptiales epulas ſine veſte nuptiali ſe ingeſſerat , acriter valde reprehenſus & in ignem conjectus fuit : Utique majori cum ſeveritate animadverſurus Rex ille fuiſſet in filij ſui ſponſam, ſi illa in iiſdem epulis minus decenter ornata comparuiſſet. At vero dices fortaſſe, qualia debent eſſe hæc animæ ornamenta ? Origenes ſuper illa verba:*Sacerdotes tui induantur juſtitiam* , ita ſcribit : *Sunt ergo omnia iſta veſtimenta juſtitiæ ; Et iterum Paulus : Induite vos viſcera miſericordiæ;Sunt ergo & indumenta miſericordiæ: Sed & alia nihilominus Apoſtolus indumenta nobiliora deſignat , cum dicit : Induite vos Dominum Jeſum Chriſtum,& carnis curam ne feceritis.* S.Thom.de Villanova ſuper illa verba Canticorum ad ſponſam à divino ejus amatore dicta , videlicet : *Quam pulchri ſunt greſſus tui filia Principis* , ſcilicet, *in calceamentis* , myſterium pulchrorum greſſuum & pedum ſponſæ his verbis declarat : *Pedes, animæ potentiæ, greſſus actus earum , quibus Deo appropinquamus : affectus deſideria : Calceamenta dona Spiritus ſancti , quæ ſingulas potentias ornant , ſapientia intellectum , pietas voluntatem , fortitudo iraſcibilem,&c. Pulchri ſunt greſſus animæ,id eſt, actus cogitationes,affectus , ſed propter calceos gratiarum , non de ſe.*

*Matth.22.v. 13.*
*Orig.ho.9. in Ex.*
*Pſ.131. v.9.*
*S.Th. de Vill. in D. Pent.*

Gratia.

S. Ephrem quoque omnia hæc ornamenta , omnem animæ pulchritudinem à gratia derivari,his verbis conſiderat : *Anima noſtra ſponſa facta eſt immortalis ſponſi , nuptiæ divina Sacramenta ſunt per quæ ſancta anima jungitur ſponſo , dum digna mentis devotione ſumuntur.* Anima mediante gratia unionem contrahit cum Deo, quæ eidem Sacramentis mediantibus confertur : Quanto igitur frequentius, majorique cum diſpoſitione & puritate ad illa acceſſerimus,tanto quoque majorem oculiſque ſponſi acceptabiliorem venuſtatem & pulchritudinem nobis conciliabimus : Siquidem *Deus charitas eſt,& qui manet in charitate,in Deo manet,& Deus in eo.* Hæc in ſponſa fidelitatem thoralem obſervant,quia æterna eſſe nequeunt. Unde Rupertus Abbas Tuitienſis monet dicens : *Quæcumque anima libera vel Chriſti uxor, legitima,vero amore Chriſtum diligens , adulterium non recipit , inceſtum non admittit.* Pergit dein ulterius explicare in quonam talis Chriſti ſponſa ab adultera differat : *Quæ autem ancilla eſt* , inquit , *non habens Spiritum Domini , in quo eſt libertas, cito adulterio ſuccumbit.*

*S.Ephr. ſer. de jud. & reſur.*
Charitas.

Deum filialiter amantes veræ Dei ſponſæ.
*L.6.in Cant.*

22. Spiritus ſanctus de concubinis Salomonis,ejuſdemque Reginis tractans,ita ſcribit: *Sexaginta ſunt Reginæ , & octoginta concubinæ :* quem textum Rupertus Abbas nobis exponens inquit : *Reginæ dicuntur illæ animæ,quæ perfectæ charitatis ſunt;* in quo vero hæc charitas & amor perfectus conſiſtat,ita declarat : *In eo videlicet,quod eumdem Dilectum ſuum ſequentes, nihil terrenum , ſed ipſum ſolum quærunt , neque propter metum gehennæ, ſed propter amorem vitæ æternæ peccatum fugiunt, virtutemque amando iniquitatem oderunt* , Concubinas vero illas eſſe dicit ; quæ ei ex ſervili tantum amore ſubjiciuntur, non vero ex puro amore : *Concubinæ vero ſunt illæ,quæ ſub timore ſerviunt.*

Quam perniurioſus Dei receſſus ab anima.

23. Reſtat in hac materia alia quædam materia moralis ; pro cujus expoſitione ſequens haud inepta ſubſervire poterit ſimilitudo: Videbitis aliquando nobiliſſimam palatij alicujus faciem & introitum mirabili architectura ex marmore,pretioſis ſtatuis, ſculpturis , alijſque ornamentis mire adornatam & elaboratam , tandem vero dum ex curioſitate plura ejuſmodi artis magiſterio abſoluta opera videndi ad interiora palatij penetralia ingredimini , conclavia fœno offenditis referta,ambulacra paſſim aranearum telis obſepta, hortos ex urticis & vepribus ſylveſcentes , fontes deſtructos,meram denique cunctis in locis deſolationem conſpicitis, dumque ingemiſcentes cauſam tantæ deſolationis inquiritis,hæc ſola adducitur,quia Princeps vel Dominus Palatij illius incola illud pro tempore deſeruit, ſuoque in diſceſſu tapetes omnes , omnem pretioſam ſupellectilem , univerſas quibus conclavia illuſtrabantur picturas,cunctaque ornamenta ſecum ſuſtulit,& ideo dum nulla jam palatij interioris cura habetur , omnia in eo deſolata apparent & horreſcunt ingredientibus. Eodem prorſus modo de anima quadam ratiocinari licet,hæc enim dum imagini & ſimilitudini Creatoris ſui correſpondebat , omnibus erat donis , gratijs , virtutibuſque Chriſtiano homine dignis decenter adornata , adeo ut ipſum quoque ſpecioſitate ſua in admirationem raperet Paradiſum : At vero dum ſponſus & incola animæ Deus eamdem ob propriam animæ culpam deſeruit , ſibi deinceps minimè ſimilis eſſe videtur : *Quomodo... mutatus eſt color optimus ?* Jam enim vitijs repleta , paſſionumque & affectuum inordinatorum tyrannidi ſubjecta eſſe conſpicitur , & cum antea Deus de illa dixerit : *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum* , jam in ea præter effrænium appetituum ſentes, lolia, urticas, & ſtirpes , nihil quod oculis Dei placeat in ea conſpicitur , intellectus factus eſt cœcus, voluntas deſes & iners , memoria ingrata , iraſcibilis vindicativa : *Orientur in domibus ejus articæ & ſpinæ,... & erit cubile draconum , & paſcua ſtruthionum.* Unde S. Thomas de Villanova ait : *Sterilis & arida hiſpidoque deſerto ſimilis eſt omnis anima, quam tuus Domine non roborat Spiritus, Nullus virtutum germinat affectus, nullos bonorum operum producit fructus.*

*Thren.4.v.1.*
*Prov.8.v.31*
*Iſa.34.v.13.*
*Conc.2. in die Pent.*

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

Oſtenditur quanta cura & cuſtodia Deus animam proſequatur , guſtus item ſive gaudium , quo ob ejus ſalutem perfunditur , cujus etiam varia motiva conſiderantur.

### THEMA.

*Quid eſt , quod debui ultra facere vineæ meæ , & non feci ei ?* Iſaiæ 5. v.4.

Dei cura quoad homi-

1. Deus animam noſtram ſæpius ſub metaphora vineæ deſcribere ſolet,prouti ſufficienter ex parabola

nis animam.

*Matth.* 11. *v.* 33.
*S. Ant. de Pad. ſer. in ſer.* 6. *D.* 2. *q.*

bola illa colligitur quam ipſemet ore ſuo Hebraiſmo propoſuit, quam S. Matthæus cap. xi. his verbis recenſet: *Homo quidam plantavit vineam, &c.* circa quæ verba S. Anton. de Padua dicit: *Vinea iſta eſt homo vel anima.* In illa autem proteſtatione quam per os Iſaiæ Prophetæ in verbis aſſumpti thematis protulit, expreſſe declarat, quod in hujus vineæ, ſive ſalutis animæ cultura, præter ea quæ fecit, plura aut majora facere non potuerit. Ac proinde ingenioſus ille vetuſtusque Scriptor Tertullianus animam noſtram varijs iiſque glorioſiſſimis encomijs deprædicat dicens:

*Tertull. l. de reſurr. car. c.* 9.

*Abſit ut manuum ſuarum operam, ingenij ſui curam, afflatus ſui vaginam, molitionis ſuæ reginam, liberalitatis ſuæ hæredem, religionis ſuæ ſacerdotem, teſtimonij ſui militem, Chriſti ſui ſororem in æternum deſtituat meritum.* In quibus verbis præ cæteris ſignificantiora ſunt illa, quibus animam noſtram appellat. *Ingenij ſui curam,* quibus propriiſſimum exprimit animæ noſtræ epithetum, quis enim non videt, quantam Deus pro hujus tanti theſauri cuſtodia & conſervatione ingenij ſui curam & ſolicitudinem adhibeat?

Bonorum jacturam Deus permittit ut animam ſalvet.
*Pſ.* 72. *v.* 12.

2. Sapiens dicit: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt;* Deus igitur in vola manus ſuæ animam noſtram velut gemmam pretioſiſſimam portat: Enimvero bona temporalia ſæpenumero impiorum hominum manibus conſignata eſſe videmus: *Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias;* quod tamen circa animas nequaquam permittit, utpote quas immediatè ſub paterna ſua cuſtodia & cura vult eſſe conſtitutas; Unde S. Bernardinus ait:

*S. Bern. t.* 3. *ſer. de dig. an. ar.* 1. *c.* 3.

*In præſenti vita ſæpe temporalia malorum cuſtodiæ permittit, animas vero propriæ ſuæ cuſtodiæ derelinquit;* Equidem Deus nonnumquam permittit; ut juſti omnimodam faciant bonorum terrenorum jacturam; verumtamen eo id fine ſemper facit, ut per hanc jacturam animas illorum lucretur & ſalvet: Pro cujus meliori intelligentia idem ſanctus Pater congruam adducit ſimilitudinem; ſicut enim qui in mari navigat opulentum ſecum habens theſaurum, licet illum ſoliciſſimè cuſtodiat, attamen navi inter maris procellas periclitante, eumdem ipſemet manibus ſuis in mare conjicit, ut vitam ſalvare poſſit: Ita quoque Deus operatur nobiſcum, quando enim propter immiſſam nobis paupertatem, gravem & lethalem morbum, aut aliud nobis illatum grave infortunium nos vel maximè deſeruiſſe & à nobis receſſiſſe videtur, tunc vel maximè ad animarum noſtrarum ſalutem procurandam apertos habet oculos.

Exemplum in Jobo.
*Job* 2. *v.* 6.

3. Cujus in S. Jobo manifeſtum habemus exemplum, quando enim Deus illum poteſtati Sathanæ quoad corpus tradidit, & ab eodem facultatibus, filijs, ſanitate corporis, cunctiſque alijs bonis exutus fuit: eam habuit animæ rationem ut eam totaliter à Dæmonis poteſtate exemptam eſſe voluerit: *Verumtamen animam illius ſerva;* Nota ergo cum quanta diligentia tu ò anima, es cuſtodita; Utpote pro cujus ſalute Angelos indefeſſos continuos & perpetuos cuſtodes eſſe voluit: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te.*

Quanti Deus æſtimarit animas.
*Chryſ. ho.* 90. *in Matth.*
*Joan.* 3. *v.* 16

4. Chryſoſt. hanc quam Deus pro anima gerit ſolicitudinem ſequentibus paucis quidem ſed gravibus verbis exponit dicens: *Tanto ſtudio, tantaque cura Deus dignam eſſe animam oſtendit, ut neque Filio ſuo pepercerit; Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Neſcio num vos aliquando ad id reflexeritis, quod Redemptor noſter ait, dum ſemetipſum grano frumenti comparavit dicens:

*Joan.* 12. *v.* 24. *v.* 25.
*Zach.* 9. *v.* 17
*Matth.* 13. *v.* 30.
*Pſ.* 84. *v.* 13.

*Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet:* Hoc enim granum ipſummet Dei Filium ſignificat, qui *frumentum electorum* dicitur: Hoc granum frumenti ab æterno in ſinu paterno, ſeu potius in cœlorum granario (*triticum autem congregate in horreum meum*) reconditum fuit, donec veniret hora qua ad electorum utilitatem in terram deſcendens in terra virginali (*Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*) ſeminatum ſeu plantatum fuit: Id vero quod vel maximè admirandum venit, ſunt verba illa: *Ipſum ſolum manet:* quaſi diceret: Quamdiu granum iſtud de cœlo non deſcendit, ſe ſolum in cœlo Empyreo degere arbitrabatur: Sed quomodo ſolum in cœlo manet: *Ipſum ſolum manet.* Numquid tribus in novem Choros diſtinctis Hierarchijs quaquaverſum cinctum erat? Numquid cum ipſo milliones millionum innumerabilium Principatuum Dominationum, Seraphinorum, Cherubinorum, omniumque aliorum infinitorum ſpirituum Angelicorum cum ipſo in cœlis regnabant? Pro hujus myſterij intelligentia in memoriam revocanda eſt parabola illa; quam Salvatori ipſemet de Paſtore proponit, qui nonaginta novem oves in deſerto reliquit, & veſtigia inſecutus eſt ovis errabundæ, quæ hominem peccatorem ſignificabat: Scitiſne cauſam, ob quam id fecerit? Nimirum quia hominem in comparatione naturæ Angelicæ longe pluris æſtimat, imo tanti illum facit, ut animam humanam inter delitias ſuas recenſeat: *Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum:* Innumerabiles Thronos, Principatus, & Dominationes Cherubinorum & Seraphinorum exercitus in perpetuæ eruditionis barathrum præcipitari permiſit, nec quidquam ſe pro eorum redemptione movit, non vero eodem modo animam *ingenij ſui curam* perire permiſit, quin potius dum etiamnum vix adhuc perdita eſſet, quod in manducatione pomi vetiti contigit: In eodem fere momento *Ambulabat ad auram poſt meridiem;* Quonam putas fine id fecit? Superius in alio quodam Diſcurſu idipſum feciſſe diximus; quia *Ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret:* Unde pluris æſtimare videtur unicam ſolam animam, in eaque ſibi complacere magis, quam in omnibus Angelis ſimul & collectivè ſumptis, ſiquidem ſine animabus redemptis Paradiſum triumphantem ingredi noluit.

*Iſa.* 52. *v.* 5.
Errantem ovem pluris quam Angelos.
*Hug. Cardin. Ibid.*

5. In Iſaia Deus dicit: *Et numquid mihi eſt hic, dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratis?* quibus verbis tanto ſe amore & ſolicitudine animam proſequi indicat, ut ſibi videatur ſe in Paradiſo quietum & contentum eſſe non poſſe, niſi pro ejus ſalute deſcenderet: Quo ſenſu hanc Dei querelam Hugo Card. his verbis declarat, ut ſenſus ſit: *Ex quo genus humanum exulat in mundo & premitur à Diabolo, quid mihi eſt hic, id eſt, in cœlo? Quaſi dicat: Non reputo me habere aliquid in cœlo, habendo Angelicos ſpiritus, qui ſunt quaſi nonaginta novem oves in deſerto, niſi habeam ovem errabundam exilio.*

*Eccl.* 18. *v.* 1.
*Pſ.* 32. *v.* 9.
Quam 33. quæſivit annis.

6. Eccleſiaſticus dicit: *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul; dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt:* Non ſic fecit quando ipſi de anima ejuſque ſalute negotium erat, pro illa namque è faucibus infernalibus eximenda, triginta trium annorum ſpatio laboravit & ſudavit: *Propter homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.*

Sine quiete.
*Pſ.* 131. *v.* 8.

7. Regius Propheta David incarnationem Filij Dei in ſpiritu Prophetico olim his verbis ſolicitabat, dicens: *Surge Domine in requiem tuam;* ſciebat enim illum optata quiete numquam frui, donec animam hominis è ſtatu perditionis eripuiſſet. Unde quando traditor cœnaculum egrediebatur, ut ſanguinem Salvatoris, qui pro ejus redemptione effundendus erat, Judæorum Principibus divenderet, ad Apoſtolos ſuos ſe convertens totus lætus dixit: *Nunc clarificatus eſt Filius hominis.* Joan. 4. Salvator noſter omnino laſſus, ſudoribuſque madibus ſupra puteum Jacob ſedit; totaliter ſitibundus, non tamen aquarum, ſed perditæ illius animæ Samaritanæ: *Sedebat ſic ſupra fontem,* qua phraſi loquendi ipſum nequaquam totaliter contentum fuiſſe indicat. Unde S. Auguſtinus ait: *Sedebat ſupra puteum, non quieſcebat, quoniam in Samaritanis non poterat requieſcere.*

*Joan.* 13. *v.* 31.
*Joan.* 4. *v.* 6.
*S. Aug. ſer.* 91. *de temp.*

*Pſ.* 93. *v.* 22.
Mirabili quodam modo.

8. Apud Pſalmiſtam ſequentia verba leguntur: *Et factus eſt mihi … Deus meus in adjutorium ſpei meæ?* Quæ valde miranda ſunt, quomodo enim David in hæc verba prorumpere potuit, cum Deum nequaquam factum eſſe ſciverit? In Symbolo canitur: *Genitum non factum,* licet ipſe factor & conditor ſit totius univerſi: *Omnia per ipſum facta ſunt:* Notandum eſt igitur quod licet Deum factum eſſe Catholica veritas abhorreſcat, Deus tamen ex amore animæ modum adinvenire ſcivit, quo homo fieri poſſet: *Ecce Adam, quaſi unus ex nobis factus eſt; In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

*Joan.* 1. *v.* 3.
*Gen.* 3. *v.* 22.
*Phil.* 2. *v.* 7.

Magno cum labore N. B.
*S. Bern. ſer.* 51. *t.* 1. *a.* 2. *c.* 2.

9. De cura & labore, quo Deus animam hominis quæſivit, S. Bernardin. in hæc verba ſcribit: *O quanto labore & quam ferventi amore quæſivit animam amoroſus Jeſus; virginis uterum vix egreſſus eſt, & dilectam animam more infantium vocat A, A, A, id eſt, anima mea, anima, anima te quæro.*

Unam tanti æſtimans quam plures.
*Matth.* 22. *v.* 13.
*Ibid. v.* 14.

10. S. Matthæus parabolam illam refert de Rege qui præparavit nuptias filio, ad quas inter multos qui ad eaſdem convenerant, præſumptuoſus ille, qui ſine veſte nuptiali nuptiale triclinium ingredi præſumpſerat, ad ignem condemnatus fuit: *Mittite eum in tenebras exteriores;* Quo facto ſapientiſſimus Magiſter noſter parabolam illam his verbis concludit: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Circa quæ verba merito



rito inquirendum venit, quomodo intelligenda, cum enim unus tantum convivarum condemnatus fuerit, cæteris omnibus menſæ imperturbato animo accumbentibus, contrarium potius dicendum fuiſſe videtur, ſcilicet *Multi electi, non vero pauci electi;* ſiquidem ex multis unus tantum periit? Ad quam difficultatem: alia nequit dari reſponſio quam quod Deus unius dumtaxat animæ ſalutem tanto in pretio & æſtimatione habeat, ut dum illam perdit, innumeras ſe perdidiſſe arbitretur. Unde S. Auguſtinus ait: *Certe unus erat ille, qui non habebat veſtem nuptialem, quare dicit: Multi ſunt vocati, pauci vero electi? quia in unius perditione ſic afficitur, quaſi multos perderet.*

*S. Aug. ſer. de nupt.*

Chriſti ſolicitudo in animabus quærendis.
*Joan.* 4. *v.* 7. *to.* 6. *de Samar.*

11. D. Chryſoſt. ſummam illam conſiderat ſolicitudinem quam adhibuit, ut mulierem Samaritanam fornicariam, vilem, inopem, & penes honeſtum mundum penitus infamem ad veritatis induceret cognitionem longo enim temporis ſpatio ei locutus. Divinæ facundiæ ſuæ retia ei expandit, ut ſibi ad prædam cederet: *Quod ſoli Paulo fecit, qui ad tertium cœlum aſcendit, qui raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba; qui terrarum orbem ſagena cepit, hoc multo ante Samaritanæ fecit; Paulo ſe revelavit de cœlo dicens: Ego ſum Jeſus: Samaritanæ: Ego ſum qui loquor tecum.*

Harum perditionem deflet.
*S. Bern. t.* 3. *ſer. de dig. an. a.* 2. *c.* 1.

12. Quod ſi nonnullas in Scriptura S. recenſitas rerum geſtarum hiſtorias examinemus, videbimus utique Deum non minus de animarum jactura dolere & triſtari, quam de ipſarum lucro & ſalute gaudet. S. Bernardin. hac de re ita ſcribit: *Vir ſapiens non ingemiſcit propter parvæ rei amiſſionem, magna profecto res eſt, propter quam Dei ſapientia plorat, ſed quia Deus plorare non poteſt, aſſumpſit humanam naturam ut plorare poſſit; ſemper dum in mortali corpore fuit, doluit ſuper culpis animæ noſtræ, & pro ejus curatione ſuſpiravit ad Patrem.* Similiter dum ex eminenti quodam loco Joroſolymam in die Palmarum proſpexit, amariſſimè flevit: *videns civitatem, flevit ſuper illam,* idque non tam ob deſolationem & exterminium murorum, ſive mænium, ſiquidem integros mundos unico tantum verbulo in unico momento creare prævaluit, ſed potius. *Hæc civitas animam myſticè præfigurat, & de illa Propheta inquit: Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei, videns igitur hanc civitatem obſtinatam in ſceleribus, & ſurdam, ex compaſſione flevit, multi & magni theſauri in mari, & alibi amiſſi ſunt, milleque civitates combuſtæ ſunt, atque deſtructæ, & tamen non legimus pro eis Chriſtum fleviſſe, ſed pro anima tantum.*

*Luc.* 19. *v.* 41

Chriſti jubilus anima inventa.
*Luc.* 13. *v.* 4. *&c.*
*S. Bern. ep.* 54.

13. Econtra vero quando ipſi negotium eſt de animæ ſecuritate procuranda, quædam hoc fine obtento non inſtituuntur feſtiva gaudia quis cor ejus non pervadit jubilus? Legatur quam de ove ac drachma perdita ac demum reinventa Chriſtus ipſe propoſuit, parabola, & facile quanti Chriſtus animam hominis faciat intelligetur. S. Bernardus ait: *Magna res eſt anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt.* Nulla excogitari poteſt interioris Lætitiæ, quantumvis exceſſivæ exterior ſignificatio, quæ tanto theſauro invento comparata non ſit inferior. Baſilius Seleucus dicit: *ſubjiciens humeros proprio labore oviculam curat laborantem, & gaudet ipſa fatigatione, imponit in humeros ſuos gaudens.* Nec dicit: *Congratulamini ovi, ſed mihi, quia ſcilicet ejus gaudium eſt vita noſtra, & cum nos ad cœlum reducimur, ſolemnitatem lætitiæ ejus implemus.* S. Thomas Aquinas Doct. Angelicus obſervat quod Paſtor ille omnes cœleſtes exercitus, ad tripudiandum invitat; Dicit enim: *Omnes Angelos convocat ad congratulandum, non homini ſed ſibi, quaſi homo Dei Deus eſſet, & tota laus divina in ipſius inventione dependeret, & quaſi ſine ipſo beatus eſſe non poſſet,* S. Bernard. quoque amoroſam æterni hujus Paſtoris ſolicitudinem hiſce verbis admiratur: *Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis ſic quæſiti, in qua ſi gloriari voluerit, non erit inſipiens, non quod aliquid eſſe videatur tamquam à ſeipſo, ſed quod tanti eum fecerit ipſe, qui fecit.* Circa illa verba: *Imponit in humeros ſuos* Gloſſa dicit: *Humeri Chriſti crucis brachia ſunt.* Cajetan. inquit: *Impoſitio ovis in humeros, eſt redemptio humani generis proprio corpore.*

*Baſil. or.* 26.
*Op.* 58. *c.* 7.
Angelos convocat ad jubilum.
*S. Bern. ſer.* 1. *de adv.*
*Gl. in Luc. Cajet.*

Cruci affixus eſt Chriſtus ut animæ eſſent confixæ.
*S. Bern. de an. dign. a.* 3. *c.* 1.

14. Notat S. Bernardin. Salvatorem noſtrum non ſine myſterio duris clavis in Crucis patibulum configi voluiſſe: *Configitur,* inquit *duris clavis, ut inſeparabiles humeri ejus ſint ab inventa ove,* ſive ut quantum eſt ex parte ſua ab hac anima, cujus tam anxiè curavit ſalutem, divelli numquam poſſet; & ideo hiſce quoque temporibus noſtris multæ paſſim conſpiciuntur figuræ antiquæ, in quibus Redemptor noſter velut Paſtor inventam ovem errantem ſuis in humeris bajulare cernitur. Imo eo ipſo quo Chriſtus, qui hujus Parabolæ author exiſtit, ſe ex hac anima per amaram paſſionem ſuam ejus amore toleratam reinventa tantam dicit concepiſſe lætitiam, ſimul etiam inſinuare videtur, in tota illa atrociſſimorum tormentorum ſuorum carnificina, tanto ſe erga animam ejuſque ſalutem amore ac deſiderio flagraſſe, ut omnes cruciatus & dolores quos ſuſtinuit, meræ ſibi viſæ fuerint conſolationes & gaudia. *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me: Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem.*

*Zach.* 13. *v.* 6

Eidem omnis dolor jucundus.
*Heb.* 12. *v.* 2.
*Hug. Card. in c.* 2. *ad Phil.*

15. Quamnam exiſtimatis cauſam fuiſſe, quod Chriſtus in Cruce brachijs apertis & extenſis mori voluerit? Nimirum inquit Hugo Cardinalis *volebat animas & corpora ſalvandorum in amplexibus ſuis præſentare Deo,* In dubium namque revocari nequit, quin Chriſtus animam hominis ardentiſſimè dilexerit, qui illam tam caro pretio redemit, & de ejus redemptione licet per atrociſſimos dolores abſoluta tam ingenti gaudio gaviſus fuit; Et ideo verè dicit: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Et S. Bernard. ait: *Ipſe, ipſe colligit vos, qui diligit tamquam viſcera ſua, tamquam fructum pretioſiſſimum Crucis ſuæ.*

*S. Bern. ep.* 109.

Semetipſum in cibum dedit.
*S. Bern. t.* 1. *ſer.* 51. *a.* 2. *c.* 3.

14. S. Bernardus aliud quoddam urgentiſſimum punctum tangit, ex quo quantum animam hominis diligat & æſtimet, evidentiſſime colligitur, nimirum quia ſemetipſum ipſi in cibum præparavit, priuſquam illam in Crucis patibulo redimere inciperet: ſed, inquit, *ubi quæſo invenit illam? audi quæſo ubi quæſivit illam; magnæ Charitatis dedit edulium, dum tibi ſemetipſum dedit in cibum, magnæ benignitatis oſtendit ſignum, dum totus pro tua Charitate eviſceratus fecit ſermonem ultimum.*

Hominum ſalus gratiſſimus eidem cibus.
*Joan.* 4. *v.* 32

17. Quando Apoſtoli Chriſto Redemptori noſtro Samaritanæ convertendæ operam danti attulerunt prandium, Chriſtus ipſis reſpondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis,* quibus verbis alludere volebat ad gaudium, quo ex animæ illius lucro afficiebatur, hoc enim lucrum ei erat velut ſapidiſſimus quidam & ſubſtantioſus cibus, hoc gratiſſimum ei erat nutrimentum; *Hominem ſalutem* (inquit proinde Chryſoſtomus) *hic cibum vocavit, oſtendens quantum deſiderium habet noſtræ ſalutis, ſicut enim nobis concupiſcibile eſt comedere; ita et nos ſalvare.*

*Chryſ. ho.* 13. *in Joan.*

Quam amet animas ex inſtitutione Euchariſtiæ penſandum.

19. Verum enimvero quid uſpiam excogitari amplius poterit, unde quanti Deus animam noſtram faciat evidenter colligi poſſit quam quod modum adinvenerit, quo per ſacratiſſimum corpus ſuum nobiſcum hic in terris manere poſſit, ut animæ noſtræ uniatur & inviſceretur, eamque ad immortalem & beatam vitam enutriat? *Mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Et S. Cyprianus inquit? *Sicut panis communis quem quotidie edimus, vita eſt corporis, ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ.* Quamvis inſuper præter hunc & alius quidam cibus ſit; præcedenti haud diſſimilis, ad eamdem animæ vitam pariter ordinatus, nimirum verbum Dei ſcriptum aut prædicatum, quia *Non in ſolo pane vivit homo ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Unde S. Thomas Aquinas ait: *ſicut anima vita eſt corporis, ſed non vivificat ſine cibo corporali, ita Deus vita eſt animæ, ſed non vivificat illam ſine cibo ſpirituali, id eſt, ſine verbo Dei.*

*S. Cyp. ſer. de Cana.*
*Matth.* 4. *v.* 4.
*S. Tho. op.* 58. *c.* 6.

Cura Dei erga animas.
*Salm. t.* 3. *tr.* 2.

19. Tandem Salmeron in Deo ſpecialiſſimam quamdam curam conſiderat, qua Deus animæ noſtræ rationem directè & immediatè quoad ipſam habet: ſiquidem Deus ipſe immediate per ſemetipſum, non vero per Angelos animam creavit: *Inſpiravit,* inquit, *in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem, animam rationalem, neque Angeli, neque univerſa Creatura producere poteſt, quemadmodum ergo hominis animam nullo medio producit, ita ipſe per ſe immediatè gubernat; infundit namque illi gratiam, remittit peccata, juſtificat, denique ſolus per ſe ad finem gloriæ evehit;* Idem quoque Doctiſſ. Author verba illa Jobi adducit, qui ad eamdem Dei erga animam paternam curam & providentiam ſe reflectens dicit: *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti, pelle & carnibus veſtiſti me, vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum; quod autem Deus ita per ſe curaret hominem, nullo fortiori argumento potuit nobis perſuaderi, quam carnem aſſumendo, ut ita peculiarem noſtrum proviſorem, gubernatorem & regem oſtenderet.* Jam enim de facto Deum vaſtam hanc mundi machinam, tot creaturis ornatam & inſtructam propter animam hominis

nis fabricatam fuiſſe abunde ſatis probatum eſt, ſicut propter hominem eſſe ſuum accepit: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; Gratia item & gloria, nec non omnia tam fortunæ, quam naturæ & gratiæ bona propter ſolum hominem ſubſiſtunt: *Gloria & honore coronaſti eum, Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*, adeoque creatio, incarnatio, redemptio per Filium Dei facta ſublime item Eccleſiæ ædificium, ſacrificia denique & ſacramenta, & quidquid demum Deus hactenus operatus fuit, aut deinceps ad finem uſque ſæculorum eſt operaturus totum hoc ad ſalvandam hominis animam ordinetur, utpote quæ pariter ad majorem Dei gloriam cooperatur. Unde S. Irenæus merito dicit: *Gloria hominis Deus, operationis vero Dei, & omnis ſapientiæ & virtutis receptaculum homo*; ad hoc autem ut ſe Creator & Salvator animæ communicaret, plus facere non potuit eo quod S. Thomas in Hymno quodam dicit: *Se naſcens dedit ſocium, conveſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium.*

*Pſal. 8. v. 8.* — *Ibid. v. 6. 7.* — *S. Iren. l. 3. con. hær. c. 22*

## DISCURSUS XI.
## ARGUMENTUM.

Ex pretio, pro animæ redemptione perſoluto, quanti Deus, qui perfectam illius notitiam habuit, æſtimaverit, clare deducitur; imo & Diabolus magni illam facit: adducuntur item nonnulla motiva ad hoc, ut illam pro dignitate æſtimemus,

### THEMA.

*Empti eſtis pretio magno.* 1. Cor. 6. ℣. 20.

Ex pretio redemptionis animæ æſtimanda.

1. MErito S. Apoſtolus nobis pretium magnum ob oculos ponit, quo ſumus redempti, *pretio magno*, ſiquidem cum non ſolum una pretioſiſſimi ſanguinis ſtilla, vel unica lachryma, aut unicum ſuſpirium, ſed etiam unicus interior voluntatis actus ad redemptionem noſtram ſufficere potuiſſet, ipſe tamen voluit, ut eſſet *copioſa apud eum redemptio*, idque nullo alio fine, quam ut infinitæ æſtimationis per hoc veniremus notitiam, qua animam noſtram tanto pretio dignam eſſe æſtimavit. Unde Euſebius Emiſſenus ait: *Quam pretioſus ſis, ſi factorem forte non credis, interroga Redemptorem*; Et S. Bernardinus ait: *Nota cum quanto pretio es redempta, quia cum ſanguine & vita Chriſti ad denotandum pretioſitatem animæ; quia unus paſſus pedis, & unicus ictus oculi Chriſti erat ſufficiens pro redemptione decem millium mundorum*; & ſubdit idem ſanctus Prædicator, hoc fuiſſe unicum S. Apoſtoli motivum, cur dixerit: *Empti eſtis pretio magno.*

*Pſ. 129. v. 7.* — *Euſeb. Em. h. 2. de ſymb.* — *S. Bern. t. 4. ſer. 90. p. 1.* — *1. Cor. 6. v. 20.*

2. De Redemptore noſtro dicitur: *In quo ſunt omnes theſauri*, & tamen *Exinanivit ſemetipſum*; Dum rem quampiam emere volumus, ex pretio quod pro eadem ſolvimus, illius rei valorem & pretium facile agnoſcere poſſumus; unde ſi Rex Palatium aliquod comparaturus pro quo emendo centum auri milliones abunde ſufficerent, ipſe nihilominus pro eo omnes theſauros impenderet, omniaque regna ſua obæraret, de eo utique dicere poſſemus, quod Palatium iſtud infinito pretio dignum eſſe exiſtimaret; Cum igitur Deus noſter pro animæ redemptione non mundum, non Cœlum Empyreum, non univerſam Angelorum naturam & multitudinem, non denique unam tantum pretioſiſſimi ſanguinis ſtillam, quæ univerſæ terræ, Cœlo & Angelis ſimul & collective ſumptis large ponderabat, erogarit, facile tibi eſt hinc judicare quanti hanc animam fecerit & æſtimarit.

*Col. 2. v. 3.* — *Phil. 2. v. 7.* — Quantum Chriſtus pro ea erogarit.

3. Jure igitur Euſebius Emiſſenus ait: *In trutina ergo Crucis non aurum vel argentum, non aliquid angelicum, ſed ſemetipſum paſſus eſt author ſalutis appendi.* Quo etenim putas fine, ipſemet ex venarum ſuarum ærario & inæſtimabili aurifodina, ſanguinis ſui prodigere voluit theſauros? Nimirum *ut homini qui à ſtatu degeneraverat, naturæ ſuæ dignitatem vel ipſa oſtenderet pretij magnitudo.* Eodem quoque modo D. Chryſoſtomus hac de re his verbis ſcripſerat: *Vis ſcire quantum ſit pretium animarum noſtrarum? redempturus eam unigenitus non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, ſed ſuum pretioſum ſanguinem, quocirca dicebat Paulus: Empti eſtis pretio magno.*

*Euſeb. Em. ibid.* — Non aurum dedit ſed ſe & ſanguinē. — *Chryſ. ho. in Pſal 48.* — *1. Cor. 6. 20.*

4. S. Bernardus illa verba ponderat Salvatoris dicentis: *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*; Is enim qui hæc verba protulit, optimè ſciebat quonam ſibi pretio mundus, & quo anima conſtitiſſet; ſiquidem ad condendum mundum unicum dumtaxat verbum adhibuit; *Ipſe dixit, & facta ſunt*; at vero pro anima triginta trium annorum vitæ pœnoſiſſimæ Iliadem impendit: *Nec totus mundus ſufficeret*, inquit mellifluus Doctor; *Magna res anima, quæ Chriſti ſanguine redempta eſt, gravis animæ caſus qui non niſi Chriſti cruce potuit reparari.*

*Mat. 16. v. 26* — Pro qua 33. annis paſſus. — *Pſ. 148. v. 5.* — *S. Ber. ep. 54.*

5. S. Bernardinus ad lachrymas quas Redemptor animæ cauſa effudit, ſe reflectens dicit; *Deus vidit deſtrui multa Regna, & numquam flevit, ſed pro anima flevit, licet de ſua natura non ſit paſſibilis.* Similiter quando in Bethaniam venit Lazarum mortuum reſuſcitaturus ad ejus monumentum amare fleviſſe legitur cum tamen ut eum mortuum eſſe cognovit, aperte dixerit: *Lazarus mortuus eſt & gaudeo*: Cur igitur tantam prope Lazari ſepulchri exhibuit triſtitiam? *Infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, Et lachrymatus eſt Jeſus*; Aliud equidem ad hoc reſponderi nequit, præterquam *ecce quomodo amabat eum*; anima namque ab illo jam putreſcente corpore ſeparata, anima in peccato mortali conſtituta deſignatur; de quo dici poteſt: *Jam fætet, quatriduanus eſt.* Eraſmus Socratis adfert authoritatem dicentis: *Hominem ipſum animum eſſè dicebat, corpus autem nihil aliud, quam animi organum, vel domicilium, aut verius dicam ſepulchrum.* S. Bernard. ſuper illa verba: *flevit ſuper illam*, ad noſtrum propoſitum de anima dicit: *Non ſolum flevit, ſed etiam occidi ſe permiſit, ut pretioſi ſanguinis ſui pretio eam redimeret.* Enimvero ad habendam perfectam de animæ præſtantia notitiam operæ pretium eſſet adæquatum facere poſſe de infinito ſanguinis Chriſti valore conceptum, qui utique tamquam infiniti pretij exiſtens, à nullo creato intellectu formari poteſt, & tamen ut animam hominis non jam redimeret, ſed tantum exornaret totum ſanguinem ſuum effudit, etenim ut illam redimeret, unica non ſolum ſanguinis ſed & lachrymæ ſtilla ſufficere abunde potuit, Et tamen Dei Filius in hac animæ noſtræ æſtimatione nequaquam credendus eſt fuiſſe deceptus.

Flevit & occiſus fuit. — *S. Bern. ibid.* — *Joa. 11. v. 14. 15.* — *Joa. 11. v. 33. 35.* — *ibid. v. 36.* — *Ibid. v. 39.* — *Eraſm. in dec. demor.* — *Luc. 19. v. 41*

6. Salvator noſter apud Matth. dicit: *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, Inventa autem una pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Per hanc porrò gemmam anima intelligitur, pro qua Deus non ſolum omnia ſua, ſed etiā ſemetipſum impendit, ut illam acquirere poſſet. Sed videor mihi non neminem audire qui negotiatorem hunc magnæ imprudentiæ arguere non dubitet; ſed quiſquis ille eſt, ſacros audiat velim Doctores; hi enim perſpicue ejus hac in parte comprobabunt experientiam & notitiam infallibilem, adeo ut in hujus gemmæ comparatione falli minime potuerit, dum ut S. Ambroſius ait: *Idoneus ſui operis æſtimator magno pretio res redemit*; quis enim competentior in æſtimando animæ valore ac præſtantia judex adhiberi poſſet, quam ſit is qui eidem animæ eſſe ſuum dedit: *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine; Ipſe fecit nos & non ipſi nos.* Advertendum eſt autem, quod S. Ambroſ. in præcitatis verbis non dicat, Chriſtum ideo animam noſtram tanti æſtimaſſe, qui ſcilicet ab effectu & amore ſeductus aut excæcatus id fecerit, ſed quia anima revera tanto pretio digna erat, unde Chriſtus in hoc actu ab Ambroſio *Idoneus æſtimator* appellatur.

*Matt. 13. v. 45. 46.* — Animæ æſtimator Deus. — *S. Ambr. l. 7. in c. 12. Luc.*

7. Etenim anima noſtra haud ſecus ac Sapientia Divina dicere cum veritate potuit: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*; neque enim ipſa ſolius omnipotentiæ, ſed inſuper Divinæ ſapientiæ opus fuit, unde S. Auguſtinus indiſſolubile quoddam format argumentum: *Inſignis eſt arrha ejus, nobile donum, quia magnum non decuit ut parva daret, nec pro parvo ſapiens magna dediſſet.* Quiſnam enim adeo futurus eſſet ſtolidus & inſipiens, qui non jam pro pretioſo quodam adamante, ſed pro ſimplici quodam vitro integrum auri millionem expenderet? econtra vero ſi quis pro integro quodam regno comparando magnum quemdam erogaret theſaurum, is utique non ſtolidæ prodigalitatis arguendus, ſed velut idoneus æſtimator in pretij illius exolutione laudandus eſſet; ſic quoque Deus inæſtimabilem ſanguinem ſuum in pretium animæ noſtræ tanta cum libertate, ſeu potius prodigalitate numquam effuſurus fuiſſet, verum proinde eſt, quod S. Auguſtinus his verbis dicit. *Magnum eſt quod tibi dedit, ſed majus quod in te diligit.*

*Eccli. 24. v. 5.* — *S. Aug. l. de dil. Deo. t. 9. c. 4.* — Qui laudandus in exolutione pretij.

8. Notanda verò ſunt in præcitata S. Auguſtini authoritate, verba illa: *nec pro parvo ſapiens magna dediſſet*, exinde namque colligitur, quod hæc pro anima

*S. Aug. in Pſal. 102.*





noſtra facta pretij exolutio non fuerit caſualiter ſed ſumma cum ſapientia & præmeditatione facta; ſicut enim Chriſtus adeo eſt liberalis, ut pro animæ redemptione nequaquam daturus fuiſſet modicum, ita quoque adeò eſt ſapiens & prudens, ut pro re parva magna daturus non fuiſſet. Imo prouti in ſequenti diſcurſu videbimus Chriſtus pro una anima ſola ſe æquali cum affectu in Crucis patibulum agi paſſus fuiſſet, quam pro omnibus animabus ſimul & collective ſumptis, adeoque anima nequaquam parvi æſtimanda venit, ſiquidem Chriſtus negotiator ſapientiſſimus pro illa ſibi comparanda *dedit omnia quæ habuit.*

Ut negotiator Sapientiſſimus.

9. S. Auguſtinus in alio quodam loco dicit: *Nemo fallit redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premij egit hic commercium, jam pretium ſolvit, ſanguinem fudit, ſanguinem inquam fudit unicus Filius Dei pro nobis*; Moxque ad animam ſe convertens, eamdem ut propriam ſuam dignitatem pro meritis æſtimet, illiuſque pretium & valorem agnoſcat his verbis exſtimulat: *O anima erige te, tanti vales.* S. Bernard. ſimilem fere habet conſiderationem; Dicit enim: *Magno pretio æſtimata es ô anima, pro qua requirenda è ſummo Cœlorum Dei Filius deſcendit in uterum virginis; Quis ſapiens pro requirendo obulo, itinere centum dierum voluntarie laboraret? Ergo magna quidem res eſt anima mea, pro qua requirenda Deus in mundum deſcendere dignatus eſt.*

*S. Auguſt.* Hinc animæ tuæ valorem æſtima. — *S. Bern. ſerm. 51. t. 1. art. 2. c. 1.*

10. Idem quoque S. Doctor alibi aliam quamdam adfert conſiderationem, nimirum animam non ſine cauſa tanti valoris, & pretij eſſe inſinuat, licet idipſum nos non intelligamus: *Non cuſtoditur magna diligentia à Sapientibus res quæ vilis eſt, ſed pretioſa, in hoc profecto patet, quam pretioſa ſit anima juſtorum, quando ſolus Dominus illius vult eſſè cuſtos.* Pſal. 96. *Cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum.* Magnitudo pretij illius, quod pro anima noſtra perſolutum fuit, æſtimanda eſt ex ſanguine quem Redemptor noſter ab inſtanti primo incarnationis ſuæ, quam Chryſologus *Negotium omnium ſæculorum* appellat, effudiſſe noſcitur; nec non ex omni eo quod à primo ſuæ in utero virginali conſummatæ Conceptionis inſtanti laboris, moleſtiæ ac pœnalitatis & ærumnarum ſuſtinuit; *In laboribus à juventute mea*, ubi alij legunt, *agonizans, moriens, moribundus à puero.*

Cujus cuſtos ſolus Deus. — *t. 3. de dig. an. a. 1. c. 3.* — *Pſ. 96. v. 10.* — *Pſ. 87. v. 16.*

11. Et quidem tametſi per totius ſanctiſſimæ vitæ ſuæ decurſum tanta tamque indigna pro animæ redemptione paſſus fuerit, tanto tamen in pretio animam noſtram habuit, ut ſe nihil quaſi in obſequium animæ feciſſe exiſtimet. Unde Richard. de S. Victore ait: *Id tantum de eorum redemptione exultat, ut non reputet magnum id, quod pro eis pertulit*; Et ideo diſcipulis in Emaus abeuntibus, ipſumque in via, an ea quæ Jeſus Nazaren. his diebus Jeroſolymis paſſus fuerat, ignoraret, interrogantibus, velut omnium perpeſſorum cruciatuum & tormentorum oblitus, admirabundus reſpondit: *Quæ?* & tamen vulnera ipſi ante biduum in Cruce inflicta etiamnum recentia omnino erant.

Et Jeſus cruciatuum oblitus quaſi magni nil paſſus. — *Rich. Vict. in c. 9. Cant.* — *Luc. 24. 19.*

12. Pro anima noſtra redimenda Filius Dei ſemetipſum in mortem tradere voluit; unde in S. Auguſtino ſequentia verba leguntur: *voluit ad ſe trahere per ſimilitudinem, quos ad ſe trahebat per dilectionem tranſiſſè ipſum video in pretium meum, tam copioſo munere redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur*; Ac proinde S. Petrus pretium redemptionis noſtræ nobis indicare volens, ita ſcribit: *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, . . . Sed pretioſo ſanguine agni immaculati Chriſti*; in hoc ſanguine uniuſcujuſque hominis anima abluta fuit, quod ſeria mente nobis meditandum eſt atque inſuper veluti æternæ veritatis propoſitionem credere debemus, quod cujuſlibet hominis anima tanti valeat, quanti vita noſtri Redemptoris; Unde D. Chryſoſtom. ait: *unius animæ ſalus, tanti eſt, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur.* S. Bernard. quoque cap. 3. Meditationum ſuarum animam noſtram his verbis alloquitur: *Agnoſce ô homo, quam nobilis eſt anima tua, & quam gravia fuerint ejus vulnera, pro quibus neceſſium fuit Chriſtum Dominum vulnerari.*

Quod ſerio meditandū. — *S. Aug. t. 9. l. de dil. Deo c. 6.* — *1. Pet. 1. v. 18. & 19.* — *Chryſ. in gl. in c. 1. Act.* — *S. Bern.*

13. Imo ut exceſſivam æſtimationem, quam Deus de theſauro animæ noſtræ habuit, aliquatenus capere valeamus, bene ponderanda ſunt illa Evangelici Prophetæ Iſaiæ verba, dicentis: *Tradidit in mortem animam ſuam & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit*, ubi Pagnin. legit: *Effudit in morte animam ſuam*, ubi ſpecialiter advertenda eſt emphaſis, quam verbum illud *Effundere* in ſe continet, illud enim proprie effundi dicitur, cujus tanta non habetur ratio aut æſtimatio: *Effuderunt ſanguinem eorum . . . in circuitu Jeruſalem, & non erat qui ſepeliret*; *Effuſus eſt ſicut aqua*; In Paradiſo cœleſti non eſt theſaurus pretioſior, quam verbi & animæ illius, quæ mox ut creata fuit, ſimul etiam verbo incarnato hypoſtaticè unita fuit; & tamen hanc animam nihili æſtimavit, dum illam tanta cum promptitudine & hilaritate pro ſalute noſtra prodegit, ſuamque animam Redemptor noſter vilifecit ut noſtram ſe maximi facere indicaret. Unde Oleaſter ait: *Nonne dicebam tibi, Deum ſuo more nimium in operibus ſalutis? Nonne videtur vitam prodigere? quæ enim effunduntur, non reputantur, videtur ipſe vitam ſuam pretioſiſſimam non reputaſſè, poſtquam eam tradidit pro ijs, qui morte digni erant.*

Chriſtus vitam non repu aſſe videtur. — *Iſa. 53. v. 12.* — *Gen. 49. v. 4.* — *Pſ 78. v. 3.* — *Ole. in Iſa.*

14. Advertendum tamen eſt, quod cum Chriſtus, ubi de redemptione animæ noſtræ agitur, animam ſuā nihil æſtimaſſe dicitur, intelligendum per hoc non ſit, quod animam ſuam nullo prorſus in pretio habuerit, id enim ſi verum eſſet, animam ſuam tanto cum affectu æterno Patri ſuo non commendaſſet dicens: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, quin potius ex hoc colligendum eſt, ut S. Bernardin. optime conſiderat, quod pro anima noſtra moriens pari animam noſtram, quo ſuam in pretio habuerit: *Clamans voce magna dixit: In manus tuas commendo Spiritum meum, in quo inventam ovem & animas omnium electorum commendavit, & reddidit Deo Patri; In anima enim Chriſti unita per omnia Divinitati, certa notitia erant omnes animæ ſuo pretioſo ſanguine redimendæ; quas ut animam ſuam ad æternam gloriam diligebat; has ſiquidem Patri ſuo animam ſuam commendans, in ipſa omnes alias commendavit, atque omnes ſalvandas animas, velut unam animam ſuam fecit, facit enim ardentiſſima Charitas, quod eſt alterius, eſſè ſuum, proinde ſupereminens Charitas omnem ſalvandam animam ſuam fecit*; Demum vero idem S. Pater ad animam uniuſcujuſque noſtrum ſe convertens, eamdem enixè precatur, ut ſemetipſam permagni æſtimet, nequaquam vero contemnat, quando is qui eam creavit & redemit tanto eam in pretio habuit: *O anima pretioſo ſanguine & morte Chriſti redempta, conſidera quanti pretij te æſtimavit ſumma ſapientia Dei, ad hoc ut tu non deſpicias temetipſam.*

Animā ſuam cum omnibus animabus patri cōmendavit. — *Luc. 23. 46.* — *S. Bern. t. 3. 4. 3. cap. 1.* — Hinc animā tuam non deſpice.

15. Adhæc ſi ulterius diſcere cupitis, quo in pretio animam habere debeatis; ipſimet *inimici noſtri ſunto judices*: Tametſi enim Diabolus animam noſtram omni ſtudio & conatu deprædari laboret, ipſemet tamen, licet invitus quo in pretio hunc theſaurum habeat, ſi non verbis, opere ſaltem ipſo fatetur, & declarat. Etenim Salvatori noſtro [ quem Filium Dei eſſe clare non cognoſcebat, alias enim cum ipſo in tentationis arenam non deſcendiſſet ] omnia regna mundi liberaliter obtulit? *Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, Et dixit; Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Itane? Ergo Dæmon pro unica dumtaxat anima laqueis ſuis irretienda, integrum quemdā mundum ſponte offert? Imo vero. *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ*; Et S. Bernardus ait: *Totus quidem iſte mundus ad unius animæ pretium æſtimari non poteſt; non enim pro toto mundo Deus animam ſuam dare voluit, quam pro anima humana dedit*; ſublimius igitur eſt animæ pretium, quæ non niſi ſanguine Chriſti redimi potuit. Enimvero valde mirandum eſt hoc Luciferi, qui *ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, circa animæ noſtræ æſtimationem oſtenſum judicium, dum pro unica dumtaxat anima ſibi acquirenda univerſum voluit cedere mundum; ſi enim totum mundum pro unica tantum anima dabat, quid illi pro alijs animabus ineſcandis & decipiendis reliquum eſſe poterat? Vere ita eſt; Et tamen hinc tibi colligere licet, quanti Dæmon unicam tantum animam æſtimet; ſiquidem ſe omnibus illis, quæ ſe in ſuam poſſe redigere poteſtatem credit, privare nihil curat, dummodo unicam tantum animam ſecure poſſidere poſſit.

Animarum theſaurum nocuit dæmon. — *Matth. 4. 8.* — *Ibid. v. 9.* — *Eccl. 26. v. 20.* — *S. Bern. med. c. 3.* — *Gen. 3. v. 1.*

16. Et tamen prout omnibus conſtat, à Salvatore noſtro repulſam paſſus eſt his verbis: *vade Satana*, atque ideo quanti Chriſtus animam vel unicam æſtimet ex alio quoque capite, præter illa quæ ſuperius adduximus, colligere licet, quia Chriſtus qui etiam pro oblatis ſibi omnibus mundi Regnis coram Diabolo ſe proſternere noluit, ut unius Judæ, cujus perditio in propinquo aderat, & in cujus pectore Dæmon reſidebat (*ex vobis unus Diabolus eſt*) animam lucrari poſſet, coram illo ſe flexis genibus proſternere, ejuſque ſordidos pedes lavare & oſculari dedignatus

*Matth. 4. 10.* — Ut animam Judæ lucrari poſſet Chriſtus lavit pedes. — *Joan. 6. 17.*

non fuit,ut per hoſce tam humilis obſequij actus animi ejus duritiem emollire & vincere poſſet.

*Job 2. v. 4.*
Pro anima ſoluta omnia poſthabenda.
*Salv. l. ad Eccl.*

17. Salvianus illa inimici Infernalis ad Jobum enunciata verba : *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua* , egregie ponderat, ſiquidem illis verbis Dæmon, licet juratus ejuſdem animæ inimicus exiſtat , clare tamen homini pro animæ ſuæ ſalute cuncta poſthabenda eſſe inſinuat , unde idem ſanctiſſ. Epiſcopus ad noſtram eruditionem ita ſcribit : *Dilectiſſimam eſſè animam ſuam homini etiam Diabolus non negavit : & qui avertere omnimodo conatur cunctos à profectu animarum ſuarum , idem tamen chariſſimas eſſè debere cunctis ſuas animas confitetur* ; Demum vero ad eorum qui animæ ſuæ ſalutem curare negligunt grave improperium ita exclamat : *Quis furor eſt viles à vobis animas veſtras haberi , quas illas etiam charas vobis debere eſſè dicit , qui viles facere conatur ?* Ac tandem diſcurſum hunc verbis quibuſdam concludit,quæ ſummam cuilibet fideli in negotio tanti ponderis & momenti, ut ſimile ſive in hac , ſive in altera vita habere vix poſſimus, negligenti parere poſſunt confuſionem ; Dicit enim : *Ac proinde quicumque animas ſuas negligunt, etiam infra judicium Diaboli ſe amant.*

Stultus qui hanc non curat.
*Gen. 14. 21.*
*S. Ber. t. 3. ſer. de an. dig. art. 1. c. 2. t. 4. ſer. 40. p. 1.*

18. S.Bernardinus ad illa ſe verba reflectit,quæ Abraham quondam Regi illi dixiſſe fertur : *Da mihi animas &c.* Dicit enim : *Tantæ quoque æſtimationis eſt anima apud Diabolum, ut myſticè , cum vellet diviſionem de regno inter ſe & Deum, popoſcit à Domino,dicens :* Gen. 14. *Da mihi animas,cætera tolle tibi ; ſed inſenſatus & ſtultus homo nihil vilius habet quam animam ſuam.*

19. Idem quoque S. Pater alia quadam valde efficaci ratione idem intentum convincit ; dum ait : *Quod ſi quis quamdam pretioſiſſimi ſanguinis Chriſti guttam penes ſe haberet , quanta illam reverentia & cura cuſtoditurus eſſet ? Sed quantum debes habere charam unam animam, pro qua totus ſanguis Chriſti eſt ſparſus ?* Similem fere conceptum S.Bernardus his verbis adducens ait :

*S. Bern. ſer. 3. de adv.*

*Si ſtillantem de Cruce Domini ſanguinem collegiſſèm, eſſètque repoſitus penes me in vaſe vitreo , quod portare ſæpius oporteret , quid animi habiturus eſſèm in diſcrimine tanto ? At certe pretioſiſſimum animarum theſaurum ſervandum accepi , pro quo Chriſtus mercator non inſipiens : id eſt , ipſa ſapientia Patris totum ſuum ſanguinem fudit. Quid ergo infelix , quo me vertam , ſi quod ſibi Chriſtus proprio ſanguine pretioſius judicavit , contigerit negligentius cuſtodire ?* Utique non ſolùm irreparabile ſuper nos redundabit æternæ damnationis damnum , verum tamquam conculcati ſanguinis agni immaculati rei ſeveriſſime puniemur. Optime igitur Euſebius Emiſſenus nos monet dicens : *Cuſtodiamus ergo ſolicitè quod tanti cruoris commercio Chriſtus redemit ; Reus itaque erit non parvi pretij , ſed ſanguinis Chriſti, qui violat & commaculat animam Chriſti ſanguine & Paſſione mundatam.*

## DISCURSUS XII.

### ARGUMENTUM.

Quidquid Chriſtus pro omnibus animabus fecit, etiam pro una ſola facturus fuiſſet : Ubi etiam cura, quam de unaquaque in particulari habet per parabolas ovis & drachmæ deperditæ,nec non per S.Thomæ Apoſtoli exemplum declaratur : ſimulque oſtenditur nullum faſtidiendum eſſe laborem , tametſi is etiam pro unica tantum anima impenſus fuerit.

### THEMA.

*In fide vivo Filij Dei, qui dilexit me , & tradidit ſemetipſum pro me.* Ad Gal. 2. ℣. 20.

1. D. Chryſoſtomus peregrinum hunc Apoſtoli loquendi modum quo totum Redemptionis noſtræ pretium in totius humani generis beneficium collocatum ſibi ſoli attribuit , examinans dicit: *Quid facis ô Paule , dum communia propria tibi vendicas , quæque pro toto terrarum orbe facta ſunt , tibi facis peculiaria ? Non enim dixiſti : Qui dilexit nos, ſed qui dilexit me* ; Cum tamen Redemptor noſter Nicodemo expreſſè dixerit : *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium ſuum unigenitum daret , ut omnis qui credit in eum , non pereat. Tu ipſe* (inquit idem D.Chryſoſt. ad Paul.) *ad Romanos ſcribens dixiſti: Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ.* Quod ſi Chriſtus pro ſolo Paulo mortuus fuiſſet , qua ratione mundi Redemptor appellari poſſet ? Num forte ejus peccata adeo fuere enormia, ut infinitum ſanguinis illius pretium,cujus una ſtilla non pro uno tantum mundo ſed infinitis mundis redimendis ſufficientiſſima erat , plane abſorberent? Si pro uno ſolo peccatore redimendo, totus Redemptoris ſanguis neceſſarius fuiſſet, quomodo tot aliæ animarum myriades redimi potuiſſent cum Pater æternus non habeat niſi unicum Filium? Quod ſi verum eſt quod agnus ille pro ſolo fuerit Apoſtolo immolatus,quonam igitur obligationis titulo ego conſtringar? inquit præcitatus Chryſoſtomus. Nequaquam igitur id veritati conſentaneum eſt , quod ſolam Pauli animam dilexerit & redemerit , quin potius , *Copioſa apud eum redemptio* ; *Proprio filio ſuo non pepercit , ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*

*Joan. 3. v. 16*
*Chryſoſt. Rom. 8. v. 32*
*Pſ. 129. v. 7.*
*Rom 8. 32.*

*Chryſoſt.*
Chriſto tanta cura unius animæ quanta omnium.

2. Huic difficultati D. Chryſoſtom. duobus modis reſpondet. Primo enim dicit,quod immenſa illa beneficia , quæ à Chriſto acceperat, & particularis illa ſolicitudo, quam erga animæ ipſius ſalutem procurandam exhibuerat , quando actuali Eccleſiam Dei perſecutione atrociter infeſtabat , S.Paulum divini amoris igne efferveſcentem in hoſce teneritudinis & grati animi affectus & verba prorumpere fecerint , dum enim ſe præ cæteris Divinæ gratiæ reluctantem atque rebellem divina illa pietate indigniſſimum agnoſcebat, videbatur ei , quod totus Chriſti amor,omniſque ejus miſericordia & providentia ſoli ipſius animæ ſalvandæ incumberet , haud ſecus ac ſi præter ipſum neminẽ alium curaret : Et hunc ſtylum loquendi etiam à multis alijs Sanctis uſurpatum fuiſſe inquit idem Chryſoſtom. *Non raro Deum communem ſibi proprium faciunt hoc modo loquentes : Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.* Secunda Chryſoſtomi reſponſio in eo conſiſtit,quod Redemptori noſtro tanta ſit æſtimatio & cura unius animæ quanta omnium in univerſum , ſiquidem Deus tam pro una ſolum anima incarnandus & paſſurus fuiſſet , quam pro omnibus. *Unde par eſſè declarat , ut quiſque noſtrûm non minus agat gratias Deo , quam ſi ob ipſum ſolum adveniſſèt ; neque enim recuſaturus fuiſſèt , vel ob unam tantam exhibere diſpenſationem, adeo ſingulum quemque hominem pari charitatis modo diligit,quo diligit orbem univerſum.*

*S. Bern. ſerm. 41. in Cant.*

2. Præter hanc D.Chryſoſtomi authoritatem, adeſt quoque inſigne D.Bernardi teſtimonium,qui in ſermone quodam ſuper Cantica , circa illa verba : *Tradidit ſemetipſum pro me* , eamdem ſubinfert Concluſionem dicens : *Quin eadem charitate , qua pro omnibus , mortuus eſt pro ſingulis :* Unde Salvator noſter animæ pretium quod pro ejus redemptione exolverat indicare volens,non in plurali , ſed in ſingulari numero dixit : *Propter te ſuſtinui opprobrium , operuit confuſio faciem meam* ; & quidem ne id caſualiter aut fortuito dixiſſe videretur , eamdem proteſtationem paulò poſt confirmat dicens : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me* ; Non dixit *vobis*,qui tametſi totius humani generis peccata in cruce portaverit,pondus tamen iſtud haud aliter conſiderandum eſt , quam ſi illud pro ſolis peccatis meis ſuſtinuiſſet : *Neque enim recuſaturus eſſèt vel ob unam* , &c. S. Auguſtinus qui rem hanc optimè intelligebat , ita de ea meditabatur : *Ego ſum tui cauſa doloris, ego tuæ culpa occiſionis , ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ paſſionis livor, tui cruciatus labor.*

*Pſ. 68. v. 8.*
*Ibid. v. 10.*
*S. Aug. c. 7. medit.*

Unam tanti æſtimat quanti omnes.
*S. Ambr. in c. 9. ad Hebr.*

3. Et quidem pro hac ſententia , quod ſcilicet unicam dumtaxat animam pari in pretio habeat, quo omnes ſimul, non deſunt ſatis authenticæ probationes: Etenim in S.Ambroſio ſequentia verba legimus : *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhauriendα peccata , quare multorum , & non omnium ? Quia non omnes credunt ; pro omnibus quidem mortuus eſt, hoc eſt, quantum in ipſo eſt , ejus momenti eſt unius , cujus momenti eſt omnium perditio.* Porro in nuptijs illis , quas Rex Evangelicus filio ſuo præparaverat, S.Patres verbi incarnationem figuratam fuiſſe docent. Et quidem S.Anſelmus ait : *Uterus Virginis hujus ſponſi thalamus fuit nuptiarum* ; Et Theophyl. inquit : *Facit nuptias Filio ſuo, copulans eum omni formoſæ animæ.* In illis autem nuptijs è tanto convivantium numero unus dumtaxat ad ignem condemnatus fuit : *Congregaverunt enim omnes quos invenerunt malos & bonos , & impletæ ſunt nuptiæ*, & tamen eamdem parabolam Chriſtus his verbis concludit: *Multi ſunt vocati,pauci verò electi :* Ex quo vero unus tantum ex illis periit , prouti Diſcurſu præcedenti dictum fuit, cur Salvator noſter tandem in fine dicit: *Pauci ſunt electi*,cum omnes alij nuptiali veſte induti , hoc uno tantum excepto nuptiali hoc convivio ad finem uſque perfruiti fuerint ? Certe ad hanc difficul-

*Matth. 22. 2.*
*S. Anſel. ibid.*
*Theoph.*
*Ibid. v. 10.*
*Matth. 22. v. 16.*



tatem aliud nihil reſponderi poteſt, quam quod S.Ambroſius ait : *Ejus momenti eſt unius, cujus momenti eſt omnium perditio.*

Dei cura circa animã.
*L. ſol. c. 14.*

5. Conſiderate obſecro paternam illam Dei noſtri providentiam & curam , quam habet cujuslibet animæ in particulari. Nota paſſim ſunt omnibus affectuoſa illa S.Auguſtini verba dicentis : *Cum cunctis præſideas, cunctorum curam gerens , ſic greſſus meos ſemitasque conſideras , & ſuper cuſtodiam meam vigilas , veluti ſi totius creaturæ tuæ cœli & terræ oblitus ſis ; tantum me ſolum conſideras , ut nihil ſit tibi curæ de alijs.* Neque hanc proteſtationem in ſolis facit Soliloquijs ſuis , verum etiam alibi in libro de diligendo Deo, ubi Deum ita ſe erga ipſum habere dicit,ac ſi nihil aliud quod faceret aut curaret haberet , quam ut animæ ſuæ attenderet, quaſi nec in hac,nec in alia vita alias animas curandas haberet : *Sic certè mihi videtur , dum ejus miſerationes circa me attendo , quod , ſi fas eſt dicere , nihil aliud agit Deus , niſi ut meæ ſaluti provideat , & ita totum ad meam cuſtodiam occupatum video quaſi omnium oblitus ſit, & mihi ſoli vacare velit.*

*L. de dil. Deo c. 10.*

*Cant. 2. 16.*

6. In ſacris Canticis illa erga ſponſum ſuum amore flagrans anima hunc in modum ſponſum ſuum affectuoſiſſimè alloquitur : *Dilectus meus mihi , & ego illi* , quaſi dicere vellet ; Totus ejus amor & dilectio in me ſolam dirigitur , egoque illi pariter correſpondens in ipſo ſolum totum cor meum defixum habeo ; *Dilexit me* , non loquitur in communi, ſed in ſingulari. Pagninus legit : *Dilectus meus eſt meus , & ego ſum illius.*

*Luc. 15. v. 4.*
Videtur in duobus parabolis ovis & drachmæ.

7. Hæc porro veritas in duabus parabolis ovis & drachmæ perditæ ſpecialiſſimè exprimitur : *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves & ſi perdiderit unam ex illis , nonne dimittit nonaginta novem in deſerto , & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam.* Enimvero certum eſt, prouti ex textu S.Marci,qui eamdem parabolam recenſet , colligitur, parabolam hanc data opera à Chriſto eo fine excogitatam fuiſſe,ut Chriſtum ſi tanti unius ſolius animæ quam omnium aliarum ſimul collectarum ſalutem æſtimare : *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, . . . ut pereat unus de puſillis iſtis.* Quærit hoc loco Chryſologus cur increata illa Sapientia,dum parabolam iſtam componeret, unicam dumtaxat illius gregis oviculam deperditam fuiſſe , ipſumque hujus ſolius inveniendæ cauſa tot ſe ſudoribus illam ſtudioſe inquirendo confeciſſe dixerit: *Quare non quinquaginta, quare non ducentas, ſed centum ; quare non quatuor, quare non quinque ſed unam , ut oſtenderet non ex damno fuiſſè dolorem, ſed ex numero potius, namque amiſſio unius totum diſſipaverat centenarium numerum , & totum de dextra redegerat ad ſiniſtram, ut diſpendio unius & ſiniſtra clauderet omnes , & dextera nihil haberet :* Imo in comparatione illius unicæ , ſe cæteras omnes nonaginta novem æſtimare oſtendebat. *Unam ſequitur, unam quærit , ut inveniret in una omnes, redintegraret omnes in una.* Unica dumtaxat anima amiſſa laborat , ſudat , currit , ſeque anxium eſſe oſtendit haud ſecus, quam ſi omnes perdidiſſet.

*Matth. 18. v. 14.*
*Chryſoſt. ſer. 108.*

*Tertull. de pœnit. c. 8.*

8. Tertullianus de pœnitentia tractans , ſequentia poſt ſe verba ſcripta reliquit : *Errat una Paſtoris ovicula , ſed grex unâ charior non eſt ; una illa requiritur , præ omnibus deſideratur ; grex illâ unâ charior non erat.*

*Luc. 19. 41.*
Unam æquè plangit ac omnes.
*Hebr. 5. v. 7.*

9. In Evangelio Lucæ Chriſtum ſuper civitatem Jeroſolymam dum ejus ſicut & totius Hebraiſmi prævidetur excidium, amare fleviſſe legimus : *Videns Civitatem flevit ſuper illam.* In Cruce pariter una cum ſanguine lachrymas copioſè effudit , Apoſtolo id atteſtante dum ait ; *Qui in diebus carnis ſuæ,preces, ſupplicationesque ad eum , qui poſſit illum ſalvum facere à morte , cum clamore valido & lachrymis offerens.* Flevit denique Lazarum mortuum. Porro quod innumerabilium animarum populi cujuſdam ante tantopere dilecti damnationem amarè defleat , mirum non eſt , ſicut neque mirandum eſt quod deploret ingratitudinem tot animarum quas redemptione ſua abuſuras , ejuſque pretioſiſſimum ſanguinem pedibus ſuis probroſe conculcaturas eſſe prævidebat : at vero quid opus erat propter unius hominis mortem tantopere contriſtari ? Imo in hac occaſione mortui Lazari planctus & fletus ejus incomparabiliter vehementior & amarior erat ; Unde Scriptura Sacra fletum iſtum longe ſignificantioribus verbis expreſſit , dum inquit : *Infremuit ſpiritu ; turbavit ſemetipſum , lachrymatus eſt Jeſus* ; Rurſum *fremens in ſemetipſo* ; adeo ut Judæi, quorum corda ſilice duriora erant , hunc Chriſti planctum videntes dixerint : *Ecce quomodo amabat eum.* In dubium revocari nequit, fœtidum hoc Lazari cadaver animæ peccatricis expreſſum fuiſſe ſymbolum & figuram, ac proinde Chriſtus per amaras haſce lachrymas indicare voluit,quod ſicut pro una anima ſola non minor effundenda erat ſanguinis quantitas quam pro omnibus animabus ſimul & collective ſumptis , ita quoque in triſtitia & planctu eamdem pro una quam pro multis demonſtrationem edere voluit,utpote quam pro unica dumtaxat anima æque bene impenſam eſſe cenſuit , quam ſi pro omnibus ſimul impenderetur. Juxta eamdem proportionem Chriſtus de unius dumtaxat animæ ſalute tantumdem gaviſus eſt, ac ſi innumeræ ſalvarentur. Unde D. Chryſoſt. parabolam amiſſæ oviculæ exponens ait : *Nonaginta novem relictis ovibus ad errantem abijt, nec potuit illarum multarum ſalus perditionem unius ſubducere , Lucas majorem factam eſſe lætitiam in uno peccatore pœnitentiam agente aſſerit , quam in nonaginta novem juſtis ; ita & quin propter errantem , univerſum dereliquit gregem , quia magis in hac inventa lætatus eſt, magnum ſtudium , multamque curam ejus ſe habere oſtendit.*

*Joa. 11. 33.*
*Chryſ. h. 60. in Matth.*

*Salm. t. 11. tr. 27.*
*Chryſol. ſerm. 169.*

10. Enimvero Parabola de drachma reinventa, ut clare ex Evangelio videtur,ad eumdem prorſus finem dirigitur. Unde Doctiſſ. Salmeron ait : *Quærebat unam drachmam perditam ; volens indicare , quæ pro omnibus fecit , pro ſingulo quoque , pro eximia ſua atque incomprehenſibili charitate facere.* Chryſologus pariter inquit : *Non ſolùm drachmam perditam deflebat unam, ſed ipſas novem drachmas ſibi reſiduas non videbat.*

Iterum pateretur.
*Joa. 10. v. 11.*

11. Notandum quoque quod S. mater Eccleſia poſt Reſurrectionem Domini illud jubeat legi Evangelium , in quo dicitur : *Ego ſum Paſtor bonus , Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis* ; Et quidem bonus hic Paſtor vitam ſuam non ſolum pro omnibus poſuit: Verum etiam pro unaquaque ovicula in particulari : Cum enim aliquando unica tantum ovicula ab Apoſtolici Collegij grege per infidelitatem abiiſſet,& paſſim oberrans circumvagaretur,quid non adhibuit induſtriæ ut illam denuo ad ovile ſuum incolumem reduceret ; ex induſtria plagas & cicatrices in corpore ſuo etiam glorioſo impreſſas reliquit , licet hæ alias glorificato corpori valde impropriæ eſſent , minimeque convenirent,voluitque ut ovicula hæc errabunda illas videret , tangeret , & obducta vulnera denuo aperiret. Unde Chryſologus ait : *Thomas Apoſtolus ut Chriſtum Deum crederet , immiſit manus , injecit digitos , patefecit vulnera , & ut Chriſtum crederet , iterum pati compulit Chriſtum* ; At vero inquies , ex quo Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam impaſſibilis erat , quomodo illum ad denuo patiendum adſtringere potuit ? Nimirum per hoc factum docere nos voluit , quod ſi neceſſum eſſet , pro ſalute noſtra Crucis patibulum in monte Calvariæ denique lubens libensque conſcendere paratus eſſet.

*Chr. ſer. 35.*

De Cruce hoc loquitur.
*Bloſ in mon. ſpi.*

12. Atque ideo quid pro hoc tempore unicuique Chriſtiano faciendum ſit , S.Gertrudis Virgo à cœleſti ſponſo ſuo cœlitus edocta fuit , nimirum ut quotieſcumque Chriſti Crucifixi intuetur imaginem illam unumquemque hominem his verbis alloqui credat. *En vides quomodo pro te ſum vulneratus in cruce ? Si ſaluti tuæ expediret, vellem pro te ſolo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto mundo.*

Cur Chriſtus vulnera retinuit.

13. Porro certum eſt , quod mox ut anima glorioſa quatuor gloriæ dotes in corpus transfundit,omnem pariter corporis illius defectum totaliter aboleat : *Abſterget Deus omnem lachrymam ob oculis Sanctorum* , atque ideo id quoque de quovis alio accidente dicere poſſumus , quod corpori luminoſo & totaliter ſplendido aliquam natum eſt adducere deformitatem,quomodo igitur Salvator noſter , infinita illa æterni Patris ſapientia bene ſe facturam eſſe credere potuit , ſi manuum & pedum horrenda vulnera , laterisque immanem aperturam in corpore ſuo glorioſo retineret ? Ex nullo alio motivo procul dubio id fecit , quam quia S.Thomam ſine horum vulnerum aſpectu & contrectatione reſurrectionem ſuam minime crediturum eſſe prævidebat : Et ideo D.Chryſoſtomus ait : *Conſidera Dominatoris clementiam , qualiter & pro una anima oſtendit ſeipſum vulnera habentem , & accedit ut ſalvet unum.* Unde S. Auguſtinus Chriſtum his fere verbis S.Thomam allocutum fuiſſe meditatur : *Digitos tuos mitte per latus meum, & noli eſſè incredulus , occiſus ſum propter te, per locum, quem vis tangere , ſanguinem fudi , ut redimerem te.*

*Chryſ. h 86. in loc. cit. in cat.*
*S. Aug. ſerm. 33. de ver. Dom.*

*Retinuit propter unũ.*

14. Cardinalis Toletus ingenioſa quadam utitur ponderatione, quæ intentum noſtrum efficaciter convincit, nimirum quod ſapientiſſimus Magiſter ſpeciali S.Thomam apparitione dignatus ſit, eique majorem quam omnibus alijs affectum & ſolicitudinem exhibuerit, ut nos evidenter verum eſſe doceret, quod unam ſolam animam non minoris faciat, quam omnes ſimul: *Propter unam & hoc incredulum & pertinacem iterum dignatus eſt apparere, eademque imò majora ſua reſurrectionis argumenta facere.*

*Tolet. ibid.*

*S.Thom.Vill. ſerm in oct. Paſch. Joan.18.v.9*

Paſtoris diligentia in reducenda ove.

15. S.Thomas de Villanova quoque ſummam conſiderat hujus Paſtoris diligentiam, quam in reducenda ad ovile ſuum ove hac errabunda adhibuit: *Ut hanc curet*, inquit, *Dominus apparuit, pius Paſtor ovem ſuam perire non patitur, ſicut ad Patrem dixerat: Quos dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam*; Pergit idem S. Archi-Præſul ulterius oſtendere, quanti animarum ſit æſtimanda ſalus, licet exinde unius dumtaxat ſequeretur animæ lucrum: *Diſcant*, inquit, *Prælati, quam commiſſis ovibus ſolicitudinem exhibeant, ſi pro una ſola Dominus apparuit, omnis ſolicitudo, omnis labor unius animæ negotio minor eſt.* Quod idem documentum diu ante à Theophylacto, ad idem propoſitum de S.Thoma traditum fuit: *Vide autem quomodo propter unum hominem Thomam non dedignatus eſt ita conſcendere Dominus, & latus oſtendere, ut ſalvet animam unam, ita & nos neque minimum contemnere debemus.*

*Theoph.ibid. Joa.20.v.26*

Una ovis æque quæri debet.

16. Hujuſce veritatis Chriſtus Redemptor noſter pulchrum nobis circa Samaritanam exemplum reliquit, quando illi ſitibundum ſe eſſe manifeſtavit, non quidem illius aquæ quæ ex puteo Jacob hauriebatur, ſiquidem paulò poſt ait: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat*, ſed ſalutis animæ illius; Unde S.Ambroſius ait: *Sitivit non potum hominum, ſed ſalutem*; Et clarius Albertus Magnus inquit: *Plus ſitivit ſalutem fœminæ quam potum aquæ.* Cardinalis Toletus conſiderat quanta cum humiliatione Redemptor noſter mulierem rogarit: *Vox eſt deprecantis, & qui imperare potuit Angelis, vilem adulteram & infidelem mulierem rogat, adeo enim hominum diligit ſalutem ut quod noſtra ſummoperè intereſt, quodque omnibus modis jubere poteſt, etiam precibus flagitet.* Similem quoque ponderationem S. Bonavent. habet; Dicit enim: *Benignitas admiranda, ſtudioſitas ſedula ad docendam unam mulierem, perita artificioſitas in attrahendo, nunc revelando occulta, nunc promittendo deſiderata.* Hic utique Domino noſtro nequaquam curæ erat, ut ingentem quamdam inſtrueret multitudinem, ſed unicam tantum mulierem, eamque à natalibus vilem, in fortunæ bonis tenuem; infamem, fornicariam: Et quodnam arbitraris Salvatorem in hoc fidelibus ſuis relinquere voluiſſe documentum? inquit Seraphicus Bonaventura: *Non ſolùm multis prædicando, ſed uni aliquando.*

*Joan.7.v.37*

*S. Ambr. ſerm.36.*

*Alb.Magn.in Joan.*

*Tolet. ibid.*

*S.Bonav. in Joann.*

*L.2. c.2.*

Exemplum in S.Carolo.

17. In vita S.Caroli Borromæi legitur, quod poſtquam in vaſtæ illius Diœceſis Mediolanenſis Archi-Epiſcopum electus fuit, firmiter apud ſe numquam à ſua reſidentia ſe procul abire aut manere decreverit, ſolitus dicere paratum ſe eſſe Cardinalitiam deſerere dignitatem, ſi hæc illi in accumulando animarum ſibi commiſſarum fructu impedimento foret, quarum unam pluris æſtimabat, quam omnes totius mundi dignitates. Legatur in ejus vita caput illud in quo de ejus zelo ſalutis animarum tractatur; Refert enim vitæ ejus Hiſtoriographus, hanc illi maximam valde fuiſſe ſolemnem, qua dicere ſolebat, unicam dumtaxat animam continuam Paſtoris cujuſdam curam dignè mereri; Unde cuidam Cardinali Epiſcopo quem, ne à ſua Diœceſi procul diſcederet, ſerio adhortatus fuerat, ſe excuſanti dicendo Diœceſin ſuam non admodum populoſam eſſe quoad animas, eamque proinde facili negotio per alium ſubſtitutum adminiſtrari & gubernari poſſe S.Carolus ſumma cum ſolicitudine reſpondit, tametſi Diœceſis veſtra multa animarum millia non contineat, attamen vel una tantum anima cujuſvis magni Paſtoris præſentia digniſſima exiſtit.

*L. 3. v.13.*

*Apoc.2. v.1. & 8.*

Animam unam liberare meritorum.

18. Epiſcopi in Apocalypſi Angeli appellantur: *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe. Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe*, &c. quis autem eſt qui Deum uni dumtaxat animæ Angelum particularem in ſui cuſtodiam deputaſſe neſciat: *Angelis ſuis Deus mandavit de te*, multo igitur magis Paſtoris alicujus vigilantia & aſſiſtentia digna erit S. Carolus in Concione quadam, quam in Synodo undecima ad clerum habuit, hiſce eumdem verbis allocutus fuit: *O ſi videremus, quid ſit è faucibus inferni animam unam liberare, non dubito profecto, quin hodie plurimi ad nos accederent, qui ſe oblates fieri poſtularent; & non modo montes tranſirent, ſed etiam apertiſſimis & maximis quibuſcumque vitæ periculis ſeſe exponerent, ubi ſpes aliqua eſſet, vel unius etiam animæ recuperandæ.*

*Act. Ecc. Med.p.1. com.11.in Syn. 11. ad cler.*

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

Singuli noſtrum Redemptori noſtro tantumdem obligantur pro anima propria, quantum univerſim, obligantur omnes: Imo plus quam omnes contra illos qui propriam ſalutem ſpiritualem & æternam negligunt, & flocci pendunt.

## THEMA.

*Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.* Eccl. 29. ℣.18.

Chriſto obligati ſumus.

1. IN præſentis thematis verbis Sapiens, ni fallor; nos monere videtur, ut redemptionis noſtræ pretium ſerio ponderemus, ſiquidem Chriſtus animam & vitam ſuam nobis redimendis impendit. Notandum vero eſt, quod Eccleſiaſticus non dicat quod animam ſuam pro omnibus in communi ſed pro te in particulari dederit: *Dedit pro te animam ſuam.* Redemptor enim noſter Divinæ juſtitiæ ſe pro unoquoque noſtrum fidejuſſorem conſtituit, eaque ratione ſanguinis ſui pretium pro nobis exolvit, ut nos ei in ſolidum obligatos cenſere debeamus tam ſinguli in particulari & in individuo; quam univerſim omnes.

*Jer.6.v.8.*

2. Apud Jeremiam Deus ita loquitur; *Erudire Jeruſalem ne forte recedat anima mea à te*; Quibus verbis Deus ſe populo ſuo ſub animę cujuſdam ſimilitudine ob oculos ſtatuit: Quis autem eſt qui neſciat hanc inter cæteras ineſſe animæ proprietatem, quod tota ſit in toto corpore, & tota in qualibet corporis ſui parte: *Tota in toto, & tota in qualibet parte*: Idem quoque fuit Divinæ Redemptionis fructus, hic enim æqualis eſt in omnibus animabus redemptis, & in qualibet anima redempta in particulari; *Adeoque tota eſt in qualibet parte.*

*S.Ambr. l.1. de Sp. S.c.4.*

Quia paſſus pro ſingulis ac pro omnibus.

3. S.Ambroſ. de Deo ita ſcribit: *Complens virtute omnia ſimplex. Unicuique ſubſtantiæ præſens, dividens de ſuo ſingulis, & utique totus.* Quibus in verbis efficax quoddam punctum continetur; Quia ſi Filius pro mille mundis redimendis pretium ſeu lytrum redemptionis exolviſſet, nihil utique amplius ſoluturus fuiſſet quam quod pro una ſola redimenda fuiſſet exoluturus, nec quidquam minus daturus fuiſſet pro una anima, quam quod pro omnibus ſimul & collective ſumptis exolvit: atque ideo magnus à nobis error committeretur, ſi à nobis ingens hic theſaurus per ſingulos & pro ſingulis diviſus imminui crederetur: Unde omnes & ſinguli huic noſtro fidejuſſori in ſolidum obligamur, haud ſecus ac ſi ſingulos ſeorſim redemiſſet. Et ideo Euſebius Emiſſenus ait: *Chriſtus ſicut pro cunctis paſſus eſt, ſic pro ſingulis, ſicut ei totum debent univerſi, ſic totum ſinguli, ſed quodammodo plus ſinguli quam univerſi, quia quantum acciperent ſinguli, tantum univerſi.*

*Euſ Emiſſ. ſerm. in exho.ad Pleb.*

Quilibet ſibi adſcribat quod pro omnibus paſſus eſt Chriſtus.

4. Habet porro hæc opinio in vera & probatiſſima Theologia ſolidum ſuum fundamentum, ſiquidem Doct. Angelicus eam expreſſe tenet, dum de immenſo humanæ redemptionis beneficio tractat. Ita enim ſcribit: *Totum quod omnibus eſt impenſum, unuſquiſque debet ſibi adſcribere.* Nec obſtat ſi dicas, inquit idem S.Doctor, quod omnes alij homines ex hoc pretio participaverint, quia unuſquiſque noſtrum in particulari hoc pretium adeo perfectè & complete recepit ac ſi illud nulli alteri impenſum & applicatum fuiſſet. *Quid enim intereſt ſi & alijs præſtitit, cum quæ tibi ſunt præſtita, ita integra ſunt & ita perfecta, quaſi nullis alijs ex his aliquid fuerit præſtitum?* Quam eamdem Doctrinam pariter D. Chryſoſtom. tradit lib.2. *de Compunctione cordis.*

*P.3.q.1.a.4. ad 3.*

Similitudo.

5. Sol ita unumquemque viventium in particulari illuminat, ſicut omnes, & omnes ſicut ſingulos: & ſi unus tantum homo in mundo eſſet, illum ex eo quia ſolus eſſet non plus aut minus eſſet illuminaturus: Eodem quoque modo erga ſingulas animas eodem prorſus fertur amore, quo fertur erga omnes, & tantum pro una ſola paſſurus fuiſſet, quantum paſſus eſt pro omnibus ſimul: Et ideo valde conſiderabilia ſunt illa S. Dionyſij Areopagitæ verba, quibus ex ore & perſona Chriſti ita loquitur: *Paratus ſum pro uno peccatore iterum crucifigi.*

*Epiſt. 6.*

6. In



*Matth.21.5.*

6. In Prophetia Zachariæ ponderanda ſunt verba illa quibus Filij Dei ad montem Calvariæ acceſſum prædicit, videlicet: *Ecce Rex tuus venit tibi*; Neque enim, ô anima mea, ſolum dicit, quod ipſe ſit Rex & Deus tuus. Sed inſuper addit, quod *venit tibi*: Pro te enim ſola montem Calvariæ aſcendit, teque ſolum ita clementer & efficaciter reſpicit, ac ſi oculum ſuum ad nullam aliam animam directum haberet.

Anima una tantum obligata Chriſto quantum omnes.

*Opuſc. 63. c. 2.*

7. Sanctiſſimum Sacramentum altaris humanæ redemptionis & mortis Chriſti memoriale quoddam eſt & brevis Epilogus, prout nemini non conſtat; ſed quonam modo illud pro omnibus animabus cibandis inſtituit? Audite S.Thomam id Angelico calamo ſuo explicantem: *Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti tantum ille*; Et eodem prorſus modo pro ſanguine, paſſione & meritis Redemptoris tantum una ſolum anima ſe obſtrictam cenſere debet, quantum multæ animarum myriades obligantur; *Quantum iſtæ, tantum illa*, tantum enim pretium pro hac exſolutum fuit, quantum pro omnibus: *Si totum omnibus quod totum ſingulis*, verba ſunt ejuſdem Thomæ Aquinatis in hymno quodam quem pariter cum officio Divino Feſti corporis Chriſti conſcripſit: At vero in opuſculo in quo de beatitudine tractat, ita ſcribit: *Propter ſe ſolam quælibet anima reputat illa omnia eſſe facta.*

*Luc.4.v.40.*

Ac ſi ſola recepiſſet beneficium.

8. S.Lucas cap.15. Evangelij ſui nonnulla recenſet miracula: quæ Salvator noſter unicuique languido manus ſuas imponendo patravit: *At ille ſingulis manus imponens, curabat eos*; Circa quæ verba Quæſtio exoritur, cur ſcilicet Chriſtus hoc modo infirmos curandi uſus fuerit? Ratio autem difficultatem hanc movendi eſt, quia tot alijs non ſolùm ſanitatem, ſed & vitam ſolo verbo reſtituit: Leproſum enim ſolo verbo, *volo*, mundavit: Cœcum per unicum verbum *Reſpice* illuminavit; Filium viduæ à mortuis ſuſcitavit ſolum dicendo: *Adoleſcens tibi dico: Surge.* Cardinalis Toletus ad præſens intentum optimè ita loquitur: *Significabat unumquemque beneficio accepto ita deobligatum manere, ac gratum ſe debere benefactori præſtare, ac ſi ſolus ipſe beneficium recepiſſet; Vitium enim hominum eſt frequens minus ſe obligatos agnoſcere beneficijs, quæ alijs etiam conferunt, quaſi major liberalitas conferentis minus obliget recipientes, cum potius id eos debeat efficere magis gratos.*

*Marc.1.v.4.*

*Luca 18.42.*

*Luca 7.14.*

*Tolet. ibid.*

Tantum enim accepit quantum univerſi.

*Salv.l.1.ad Eccl.*

9. Enimvero ponderanda nobis hic eſt doctrina quædam Salviani Epiſcopi Maſſilienſis, quæ doctrinæ Euſebij Emiſſeni jam allegatæ maxime eſt conformis; Dicit enim: *Chriſtus ſicut pro omnibus paſſus eſt, ſic pro ſingulis, & totum ſe dedit univerſis, & ſingulis totum; Ac per hoc, quidquid Paſſione ſua Salvator præſtitit, ſicut totum ei debent univerſi, ſic totum ſinguli.* Pergit deinde, & merito, cauſam explicare, cur pro beneficio Redemptionis major incumbat obligatio unicuique in particulari, quam omnibus ſimul: *Propter hoc plus ſinguli quam univerſi debent, quod tantum acceperint ſinguli, quantum univerſi: Ubi enim hoc unus accepit; quod univerſi, & ſi par eſt menſura, major eſt invidia, quo fit ut licet ipſum accipiat, plus debere videatur, quia magis ſit unus obnoxius, qui videatur omnibus comparatus.*

Pro te paſſus.

10. Experientia conſtat nonnullas inveniri imagines in tali ſitu & poſitura depictas, ut oculos ſuos in te ſolum directos habere videantur, abſque eo quod alios reſpiciant, non obſtante quod eodem tempore in plures alios oculos ſuos defixos teneant: Eodem modo Redemptor noſter in Cruce ſuſpenſus velut viva æterni Patris ſui imago, Divinæ pietatis ſuæ oculo unumquemque noſtrum in particulari reſpicit, haud ſecus ac ſi copioſiſſimus Paſſionis ſuæ fructus ad alios minimè extenderetur, unde laudabiliſſimus uſus obtinuit, quod imagini *Ecce Homo* verba illa ſubſcribi ſoleant: *Vide, quæ pro te patior.*

Unicuique beneficus.

11. Verum quidem eſt, quod ejus redemptio ad totum ſe genus humanum dilatet: Attamen inſuper quoque verum eſt, quod eodem oculo quo omnes reſpicit, & reſpicitur ab omnibus, eodem quoque unicuique animæ in particulari beneficus exiſtat: *De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes qui habitant terram: Qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.*

*Pſ 32. v.14.*

*Ibid. v.15.*

*S. Bern. ſer. 69.in Cant.*

12. S.Bernardinus ait: *Hoc habet in natura ſimpliciſſima ſponſi Divinitas, quaſi unam reſpicere multos, & quaſi multos unum. Sic ſanè uni intentus: ut non detentus, ſic pluribus ut non diſtentus.* Idem quoque mellifluus Doctor in eodem ſermone ad prædictam imaginem alludere velle videtur: Dicit enim; *Unum dicam, mirum, ſed verum, animam Deum videntem, haud ſecus videre, ac ſi ſola videatur à Deo, ea ergo fiducia dicit illum intendere ſibi, ſeque illi, nihil præter ſe & ipſum videns.*

Ingratitudo hominis erga Chriſtum.

13. Cæſarius Arelatenſis ad illa verba Pſalmi 21. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam*, ſe reflectens quærit: *Quare unicam dixit? quia tanquam unica magni admodum pretij diligenda eſt*: nihilominus experientia quotidiana prô dolor demonſtrat, non ſolùm quam flocci faciamus, verum etiam quam parum nos applicemus ad immenſum quoddam & infinitum beneficium nobis impenſum conſiderandum, quale eſt quod unigenitus æterni Patris filius redemptionis opus pro anima mea ſola eâ ratione conſummarit, ac ſi ipſa in mundo ſola ſalvanda fuiſſet.

*Pſ.21.v.21. Cæſ. A.h.1. t.2. bibl.*

Qui propter te de cœlo deſcendit.

14. Quod ſi civitas iſta, quam inhabitas à valido quodam exercitu quaquaverſum obſeſſa ad extremum redacta eſſet, adeo ut jactura illius ſecundùm vires humanas eſſet irreparabilis, Deus autem è cœlo copioſas demitteret Angelorum Phalanges, quæ pro tui ſolius defenſione adverſus hoſtes dimicando pugnarent, ſimulque per Angelum quemdam notum tibi faceret, hoc ſe tibi ſubmiſiſſe auxilium, ut periculum iſtud indeclinabile evadere poſſes, jamque reipſa obſidione ſoluta hoſtem non ſolum totaliter diſſipaſſet, verum inſuper te in totius univerſi Monarcham ſublimaſſet, haud dubie favorem hunc inauditum & minime imaginabilem tibi ſingulariter præſtitum permagni æſtimares. Myſtica animæ tuæ Hieroſolyma in poteſtatem inimici peccati obſidionem redacta, erat, cum ecce Deus pro illius Liberatione, non jam Angelos miſit [ Licet per illos pacem intimari fecerit; *Et in terra pax* ] ſed ipſemet in propria perſona de cœlo in hanc miſeriarum vallem deſcendit. *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, &c.* Tibi verò ſpeciatim quo fine id fecerit, his verbis inſinuat dicens: *Propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam.*

*Pſ.68. v.8.*

*Ibid.*

Ut medius.

15. Sancta mater Eccleſia in oratione Nativitatis Domini, jugi illius, ſub quo humana ingemiſcit mortalitas mentionem facit his verbis: *Quæſumus omnipotens Deus, ut nos unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenet.* S. Bernardus Filium Dei de cœlo miſſum eſſe dicit, *ut plagis & vulneribus meis, inæſtimabile ſanguinis ſui balſamum præpararet*, ubi notandum, quod Doctor mellifluus non dicat, *vulneribus mundi*, ſed *vulneribus meis: Mittitur Filius Dei altiſſimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioſi ſanguinis illius balſamo medeatur.*

*S.Bern.ſer.3. de nat.*

Huic quid reſpondebimus brutam pluris æſtimantes quã animam.

*Ora. 22. de ani.*

16. S.Baſilius in oratione quadam, cui de anima titulus præfigitur, noſtram in ordine ad ſalutem procurandam ſupinam negligentiam nobis ad confuſionem noſtram per ſequentem ſimilitudinem ob oculos ponere nititur: *Nemo filium ſuum in foveam cadentem, negligit, aut eum qui jam cecidit in lapſu relinquit, impius enim & ab omni humanitate abhorrens merito haberetur; at quanto periculoſius eſt animam, quæ in profundo peccatorum eſt, immerſam permittere, ut fundum æterni exitij petat.* Salvator noſter Phariſæos ex eo quod hydropicum in die Sabbati priſtinæ reſtituiſſet ſanitati, ſcandalizatos fuiſſe cernens, dixit ad eos: *Cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum in die Sabbati? Et non poterant ad hæc reſpondere illi.* Nos quoque quid reſpondere debeamus, ignorabimus utique, quando nobis turpi cum confuſione noſtra improperabitur, quod majorem habuerimus curam jumenti alicujus in terram prolapſi, ut illud erigamus, quam ut animam propriam è profundo inferni barathro eripiamus. Poteſt quoque per hoc jumentum homo in peccatum lapſus intelligi. Pſalm. 68. v.16. per puteum vero ſtatus peccati; *Neque urgeat ſuper me puteus os ſuum; Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus*; talis homo pro bruto quodam animali ſolicitior erit quam pro anima; *continuo extrahet illum*, pro jumento enim ſalvando nulla admittitur dilatio, at vero donec ex abyſſo infernali eruatur anima, dies, ſeptimanæ, menſes & anni integri elabi ſinuntur. Unde S.Bernardinus ait: *Cadit in foveam aſinus, nec tantum Dominus ejus, ſed etiam circumſtantes ſubito ſubveniunt ei, ruit anima hominis in peccatorum profundum, nec ipſe, nec alij de illa curant.*

*Luca 14. 5. Ibid. 6.*

*Pſ.68.v.16. Pſ.48. 13.*

*S.Bern.t.3. ſerm.de an. dig.a.1.c.2.*

17. S.Ambroſius illos qui propriam ſalutem negligunt argumento quodam practico erubeſcere cogit. *Si au-*

*S. Ambr. de El. & jej.*

Heu proni ſumus ad animam perdendam.

*ſi aurum tibi offeratur*, inquit, *non mihi dicis cras veniam, ſed jam exigis, nemo differt, nemo ſe excuſat: redemptio animæ offertur, & nemo feſtinat.* O quam ſumus ad perdendam animam ſoliciti, imo præcipites? utinam pari cum celeritate ejus ſecuritati & ſaluti conſuleremus, qua ad eam perdendam uti ſolemus; laſciva illa Herodis filia dicebat Patri ſuo: *volo, ut protinus des mihi in diſco caput Joannis*, diſſoluti quoque juvenes illi apud Sapientem dixerunt: *utamur creatura tamquam in juventute celeriter.* Contrarium potius nobis faciendum eſſet, inquit Nazianzenus, nam tardi & pigri eſſe deberemus, cum de anima perdenda agitur: *Ad ſcelus quidem, ad fraudem tardus eris, celer autem ad ſalutem, turpia enim in viro ſunt promptitudo ad vitium, & procraſtinatio ad ſalutem.*

*Mar. 6. v. 25*

*Sap. 2. v. 6.*

*Naz. or. 8. in bapt.*

Mercenarij terreſtres.

18. Job in duobus locis Prophetiæ ſuæ hominem viatorem mercenario comparat, qui pro ſtipendio vel mercede diurna laborat: *Militia, inquit, eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarij dies ejus, Recede paululum ab eo ut quieſcat, donec optata veniat ſicut mercenarij dies ejus.* Quodnam obſecro eſt hujuſce nominis myſterium? Forſitan dicetis, viatorem hominem ideo hoc nomine appellari, quia in fine laboris mercenarius mercedem diurnam recipere ſolet, quæ æternæ beatitudinis verum eſt ſymbolum: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es & bene tibi erit; Cum ſero autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios & redde illis mercedem.* S. Thomas autem viatorem qui pro regno cœlorum & gloria acquirenda laborat, ex alio quodam capite per os increatæ Sapientiæ mercenarij aut laboratoris nomine appellari, quia *ſicut mercenarius totum diem circa Domini opus impendit, unam autem horam circa ſuum cibum, ſic & nos omne tempus vitæ noſtræ debemus impendere circa gloriam Dei, modicam autem partem circa uſus noſtros terrenos.*

*Job. 7. v. 1.*
*Job. 14. v. 6.*
*Pſ. 127. v. 2.*
*Matth. 20. v. 8.*
*S. Thom. in Cant.*

Anima immortalis flocci penditur.

19. Et quidem ut hoc manifeſtius appareat, diligens vitæ noſtræ quam hic in terra ducimus inſtituamus examen, & videbimus quod ex 24. horis diei magnam illarum partem in ſomno & plumis inſumamus, aliam non minorem partem ſtudijs, negotijs & jocis impendamus, quid igitur pro animæ ſalute, pro æternitate beata acquirenda, pro alterius vitæ negotiatione tractanda reliquum temporis erit? hacque ratione multæ ſeptimanæ, menſes, anni, tota denique vita & ſæcula ſine fructu ullo tranſiguntur, cum tamen S. Ambroſius dicat: *In anima totus es homo, quia ſine hac nihil es, ſed es terra; In anima*, inquit, *totus es homo*, quia ſanitas, nobilitates, dignitates, theſauri, familia, copioſa liberorum propago, amici, Principatus, Regna, & quidquid homo in hoc mundo boni aut pulchri in ſe continet, vana ſunt omnia & deficiunt: anima vero immortalis eſt & æterna, eſtque arduiſſimum quod quoad nos in hac tractare poſſumus negotium, & tamen homo de illa nihil cogitat camque flocci facit.

*S. Ambr. in c. 1. Gen.*

20. Salvator noſter de cura, quam circa animas noſtras habet, loquens, inter alia dicit: *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, ... Multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Enimvero quis umquam in dubium revocare poterit nos meliores eſſe paſſeribus; Et tamen veriſſimum eſt, multos hodie reperiri Chriſtianos, qui vehementius aviculam quamdam, quam Deum Creatorem & Redemptorem ſuum diligunt, pluriſque luſciniam quamdam, aut aliud quodvis animal, quam propriam ſuam æſtiment animam. Unde S. Auguſtinus dolenter ad ſtellas uſque exclamabat dicens: *Vide quam pudendum ſit, ſi delectet labor ut fera capiatur & non delectet ut Deus acquiratur.* Author imperfecti inquit: *Si in paſſeribus nihil ſine ratione agitur, quorum duorum pretium unius eſt aſſis quanto magis in vobis ſine me nihil agitur, quorum pretium eſt Sanguis meus*; utinam hæc ultima verba cordibus noſtris firmiter imprimeremus, ex ijſque quanti Deus animam noſtram faciat intelligeremus, ut vel ſic eadem nobis pro dignitate ſua in debito pretio eſſet. S. Bernardinus quamdam S. Bonaventuræ authoritatem adducens ita ſcribit: *Væ mihi ſi talentum mihi traditum negligenter tractavero, pretioſo ſanguine agni incontaminati magis appretiatum.* Quod ſi vel unicam tantum ſtillam de ſanguine Redemptoris vaſi alicui haberes incluſam, quanta eamdem cum reverentia cuſtodires, inquit idem Sanctus: *quanto magis diligenter tractare debeo & ſervare animam Chriſti ſanguine magis appretiatam, quam dedit pro ejus redemptione.*

*Matth. 10. v. 30. 31.*

Tanto pretio redempta.

*S. Auguſt.*
*Auth. Imp. h. 25.*
*S. Bern. ibid. art. 1. c. 2.*

## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

De gloria & magno lucro eorum, qui animas convertere ſatagunt; quantumque Deus inde gaudeat, utpote qui animarum ſalutem tanto ſemper ſtudio & fervore proſequitur: cauſæ item declarantur, cur in hoc miniſterio negligentes ſimus.

### THEMA.

*Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Jerem. 15. ℣. 19.

S. Gregorius Magnus verba illa Jobi: *Omne pretioſum vidit oculus ejus*, gloſſa ſua illuſtrans, eadem de anima hominis exponit, quæ revera ditiſſimus & pretioſiſſimus quidam theſaurus eſt, quo opulentiorem ampliſſima illa Paradiſi æraria non continent; neque hic theſaurus ideo minori æſtimandus eſt, quod is in noſtræ mortalitatis agro abſconditus delitescat, ut Apoſtolus ait: *Habemus theſaurum ... in vaſis fictilibus*, quia theſauri præſtantia non ex vaſe æſtimanda venit, ſed à ſemetipſo metienda eſt; Et ideo præfatus Doctor circa illa Jobi verba præcipue circa Ly *pretioſum* ita ſcribit: *Cum humanam animam de ſe abjectam ſapientia gratiæ ſuæ illuſtratione reſpexit, de qua videlicet anima per Prophetam dicitur: ſi ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Imo vero ſi ad id nos reflectamus, quod ipſemet Deus Prædicatoribus Evangelicis ſparſo verbi ſemine animarum lucro inſudantibus dicit, nimirum: *Qui vos audit, me audit*, omnino videtur Jeremiam nequaquam dicere debuiſſe: *Quaſi os meum eris*, ſed potius ly *quaſi* omiſſo, id abſolute de illis pronuntiandum fuiſſe, nam ut S. Dionyſius Areopagita notanter ait: *Omnium divinarum diviniſſima extat perfectio, Dei cooperatores eſſe in ſalute animarum ad ſuum creatorem.*

*Job 28. v. 10*

Animarum converſio magni æſtimatur.

*2. Cor. 4. 7.*
*L. 18. mor. c. 23.*
*Luc. 10. v. 16*
*Dion. Areop. de cœl. hier.*

2. Ac proinde Redemptor noſter creantium animarum converſionem tanti facit, ut huic operi ſummam ſuam attribuat gloriam: *Dabo in Sion ſalutem & in Iſraël gloriam meam*; inquit olim per os Prophetæ Evangelici; Hæc autem ſalus & pariter gloria ejus in nulla re alia conſiſtit, nam in venia & remiſſione peccatorum, per quam juſtificantur & ſanctificantur animæ, cujus poteſtas Hieroſolymis in cænaculo Syonitico Apoſtolis per Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutionem conceſſa fuit his verbis; *Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

*Iſa. 46. v. 13.*
*Joan. 20. v. 22. 23.*

3. Et quidem gloriæ nomine animarum juſtificationem deſignari clare deduci poteſt ex illis Apoſtoli verbis: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.* Idem quoque Apoſtolus alibi Deum multos pietatis & miſericordiæ theſauros poſſidere dicit: *Deus qui dives eſt in miſericordia*; Et iterum *An divitias bonitatis ejus ... contemnis?* Hæ autem divitiæ prorſus inutiles eſſent, niſi animas haberet, in quas illas erogare, hacque ratione excellentiam & gloriam ſuam manifeſtare poſſet.

*Rom. 3. v. 23.*
*Eph. 2. v. 4.*
*Rom. 2. v. 4.*

Deus indiget peccatoribus ut gratiam largiatur.

4. Quando Redemptor noſter ante ſolemnem illum Palmarum triumphum Apoſtolos pro adducendis duobus illis jumentis quibus inequitaturus erat dimiſit, ijſdem pariter præcepit, ut ſi jumentorum Dominos ad jumenta illa eis conſignanda invitos aut reluctantes conſpicerent ijſdem dicerent: *Dicite, quia Dominus his opus habet.* Quæ verba utique ſine admiratione legi non poſſunt; Numquid enim David dicit: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges?* Numquid Deus ſuam in Cherubinis repoſitam ſedem habet: *Qui ſedes ſuper Cherubim?* qua igitur ratione hoc loco dicere potuit ſe ſtolidis hiſce viliſſimiſque animalibus opus habere? Eamdem quoque difficultatem Paulus de Palatio his verbis movet: *Num ille qui ſedet ſuper Cherubim eget aſello? an non currus Dei decem millibus multiplex?* qui tamen ad hanc difficultatem protinus reſpondet: *Jumenta hæc animarum peccatis onuſtarum verum eſſe ſymbolum*; Et ideo tametſi Deus adeo ſit dives & potens, ut nullius rei indigeat, opus tamen habet animabus peccatorum, ut in illis Divinæ pietatis & miſericordiæ ſuæ theſauros eluceſcere faciat, gratiarum ſuarum illis communicando immenſas divitias: *Hic opus habet* ad gloriæ ſuæ oſtentationem. Unde Hugo Cardinalis ſuper illa verba? *Dives in miſericordia*,

*Matth. 21. v. 3.*
*Pſ. 15. v. 2.*
*Pſ. 79. v. 2.*
*Paul. de Pal. ibid.*



*Hug. Card. in c. 2. Eph.*

*miſericordia*, ita ſcribit: *ſicut dicitur iſte homo habet magnum theſaurum & ideo indiget paupere, cui illum diſpenſet; ita & miſericordia Dei eſt quaſi infinitus theſaurus*; ſeu ut Matth. 21. dicitur: *Dicite quia Dominus his opus habet, per aſinam enim & pullum peccatores ſignificantur, quibus videtur dominus indigere ad hoc, quod expendat theſaurum miſericordiæ ſuæ ſicut dicitur de aliquo, qui habet magnum theſaurum & filium prodigum, iſte indigebat tali filio, alias numquam expenderetur theſaurus ejus.* S. Thomas autem verba hæc in alium ſenſum exponit, dum ait: *Dico quod non indiget niſi ad noſtram neceſſitatem & ſuam gloriam*; Cui conſonat expoſitio Alberti magni dicentis: *Magis indiget ad myſterium, quam ad vehiculum, ſemper enim Dominus deſiderat ſalutem animarum.* Quanta igitur eſt hominis illius gloria, qui inſtrumentum eſt & cooperator ad gloriam Dei magnificandam, dum ad ſalutem cooperatur animarum in qua Dei gloria præcipue conſiſtit.

*S. Tho. in Matth.*
*Alb. Mag. in Luc.*

Magna eſt gloria animam convertere.

5. Et ideo ſi pari qua Deus in patrandis miraculis, mortuis quoque ad vitam reſuſcitandis, omnipotentia præditus eſſes, quanam in re illam glorioſius collocatam eſſe cenſeres, an in patrandis ejuſcemodi miraculis, an vero in cooperando in ſubſidium & ſalutem animarum? Audite quid Richardus à S. Victore hac de re ſentiat: *Ignoro*, inquit, *an poſſit hac gratia interim majorem aliquam Deus homini conferre, quam ut ejus miniſterio perverſi homines in melius mutentur ut de filijs Diaboli filij Dei efficiantur. An forte cuiquam magis videbitur eſſe mortuos ſuſcitare?* Hujus autem veritatis, quod ſcilicet major virtus & gloria in Deum redundet ex animarum converſione, quam ex reſuſcitatis mortuis valde convincentem adducit rationem S. Auguſtinus, dum ait: *Majus opus eſt ex impio juſtum facere, quam creare cælum & terram.* Cui fundamento innixus Doctor Angelicus quoque dicit: *Juſtificatio impij eſt maximum opus Dei.* Quod ſi opponas, inquit Sanctus Doctor, quod animæ alicujus juſtificatio bonum quoddam ſit particulare, econtra vero univerſale bonum ſit mundum creare, Reſpondeo, inquit, *Bonum gratiæ unius hominis majus eſt, quam bonum naturæ totius univerſi.* Unde ſequitur quod majus habiturus ſit meritum qui animam quamdam ad ſtatum ſalutis perduxit, quam ſi univerſum mundum fabricaſſet.

*Rich. V. l. 1. de prep. in Cant. c. 44.*
*S. Aug. tr. 32. in Joan.*
*S. Tho. p. 2. q. 113. a. 9.*

Pretioſior eſt anima mundo.

6. Etenim quidquid Deus in hoc univerſo creavit, totum propter hominem condidit: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* adeoque quidquid pulchri aut boni Deus in creaturis hiſce viſibilibus produxit, in hominis beneficium cedit; at vero quodnam eſt illud quod Deus ſibi & gloriæ ſuæ reſervavit? Audite id explicantem B. Petrum Damianum, dum ait: *Quidquid in hoc mundo laboratur in uſus proficit hominis, ſolus autem animarum fructus uſibus deſervit auctoris.* S. Gregorius prædicta Jeremiæ verba: *ſi ſeparaveris pretioſum à vili* explicans, & per ly *pretioſum*, animam, per ly *vile* autem quævis creata intelligens dicit: *vilis quippe Deo eſt mundus præſens, pretioſa vero eſt ei anima humana, qui ergo pretioſum à vili ſeparat, quaſi os Domini vocatur, quia per eum Deus verba ſua exerit, qui ab amore præſentis ſeculi, loquendo quæ poteſt, humanam animam avellit.* Omnia quidem quæ Deo offerimus munera, Deo placent, nihil autem in pari habet pretio, quo hoc quod eſt animas in ſtatum ſalutis reducere, & merito, quia pro his vitæ & ſanguinis ſui inæſtimabile pretium impendere non dubitavit: *Empti eſtis pretio magno.* Unde S. Joannes Climacus ait: *Nullum Deo munus à nobis gratius offerri poteſt, atque cum animas illi ad pœnitentiam deductas conſecramus.*

*P. Dam. l. 6. ep. 33.*
*S. Greg. Loc. cit.*
*S. Jo. Clim. ep. ad Paſt. cir. fin.*

7. Verum quidem eſt quod ſacrificia ſolidiſſima ſint noſtri erga Deum obſequij & Religionis argumenta, verumtamen ut S. Gregorius conformiter ad traditam ex S. Joanne Climaco ſententiam dicit: *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.* Referunt Annales Eccleſiaſtici, quod S. Hilarius Pontifex quibuſdam Epiſcopis qui pro dilatandis Diœceſium ſuarum confinibus, magnificandiſque fimbrijs ſuis admodum ſoliciti erant ſanctiſſimè ac prudentiſſime reſponderit, quod lucra quæ ſupremus Paſtor ab illorum ſolicitudine unicè requirit ſolum illud eſſet, quod in animabus ad Deum adducendis, conſiſtit: *expectatio fructus noſtri miniſterij non in latitudine regionum, ſed in acquiſitione ponitur animarum.* Sic quoque dum S. Vincentio Ferrerio una cum purpura Cardinalitia Archiepiſcopatus Valentinus à ſummo Pontifice oblatus fuiſſet, is utrumque renuens reſpondit, majorem ſe honorem æſtimare ſi animà aliquam ad peccata deſerenda excitare poſſet, quam ſit is qui ex omnibus, quæ à mundo præſentari poſſent dignitatibus ei obvenire poſſet.

*S. Greg. lib. 12 in Ezech.*

Zelus aliquorum in animabus lucrandis.

*Bar. an. 495. num. 28.*

8. S. Carolus id, quod S. Gregorius in principio libri ſui Paſtoralis ſcribit, videlicet: *Difficilior ars nulla utique eſt, regimine animarum*, probe intelligens, data opera Oblatorum ſuorum Congregationem inſtituit, ut in eadem ſumma cum induſtria erudirentur, qui in miniſterio animarum adeo arduo, difficili, & præclaro cooperaturi erant; Et quidem vires extimularet ad apprehendendum, quanta res ſit ſalus animarum, iiſdem tamquam Paſtori zeloſiſſimus his verbis ſcripſit: *Diligenter perpendant, dum nobiſcum in terris commoratus eſt* [de Redemptore loquitur] *quanto deſiderio ſalutis noſtræ accenſus fuerit, quantaque perpeſſus ſit; cogitent hominum animas ipſo auguſtiſſimo Chriſti ſanguine redemptas & ablutas fuiſſe; Hæc ſi cogitent oblati, jure ac merito ſperare debes, talibus cogitationibus, quaſi quibuſdam facibus animum illorum ita accenſum iri, ut nullus vel maximus labor eſſe poſſit, quem illi ſubire recuſent, ac pretioſiſſimi Chriſti ſanguinis fructus in ipſis alijſque ipſorum negligentia aut culpa depereat.*

*S. Greg. c. 1. Act. Ec. Med. ep. 5. c. 2. car. 837.*

Animarum regimen difficile.

Cur Petrus Sathanas appellatus fuerit.

9. Conſiderandum proinde eſt quanto zelo idem Deus, qui animas noſtras creavit & redemit, eaſdem quoque atque earum ſalutem proſecutus fuerit; Enimvero in Evangelio S. Matthæi legimus, quod poſtquam Chriſtus S. Petrum ob inſignem illius de ſua Divinitate factam Confeſſionem præmiaturus ad ſummum totius Eccleſiæ Pontificatum ſublimaſſet, conſignando in illius manus claves Regni cœlorum, paulo poſt eumdem Sathanæ turpiſſimo nomine appellavit: *Vade poſt me Satana; ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea quæ Dei ſunt*; at vero dicet hic forſitan aliquis, quomodo Redemptor noſter id de S. Petro aſſerere poterat, qui paulo ante ex æterni Patris revelatione dixerat: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi?* vultiſne hujuſce reprehenſionis & indignationis Chriſti cauſam? ea nimirum hæc eſt, S. Petrus Chriſtum à Redemptione & Paſſione & conſequenter à ſalute hominum procuranda impedire & divertere conatus fuerat, ac proinde ex humanæ affectionis teneritudine dixerat: *Abſit à te Domine, &c. Et aſſumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc; qui converſus dixit Petro: Vade poſt me Satana.* Ubi notandum quod Petrus ab incarnata illa Sapientia Satanas, Judas vero amicus appellatus fuerit: *Amice ad quid veniſti*; non obſtante quod hic illum in manus lictorum & carnificum tradere moliebatur; idque non ob aliam cauſam, quam quia hic licet modo quodam impio ad redemptionem adeo dilectarum ſibi animarum cooperabatur, cum econtra Petrus Sathanas appellatus fuerit, eo quod ſe earumdem animarum ſaluti fortiter opponebat, quod proprium eſt inimici generi humani munus & officium.

*Matth. 16. v. 23.*
*Matth. 26. v. 50.*

10. Ex quadam S. Ambroſij authoritate clarè deducitur animas Chriſto adeo charas fuiſſe, ut illas cibi & nutrimenti loco habuerit; Quærit enim, qua ratione fieri potuerit, quod Chriſtus in quadraginta dierum noctiumque ſpatio nulla fuerit fame vexatus, Et reſpondet: *Eſuriit plane*, moxque quanam in re hæc fames conſtiterit, ſequentibus verbis declarat: *Eſuriit non cibum hominum, ſed ſalutem, nec eſcarum ſæcularium epulas concupivit, ſed animarum deſideravit ſanctitatem, cibus enim Chriſti eſt redemptio populorum*; at vero ſi hanc paſſus eſt animarum famem, cur igitur tot diebus & noctibus in vaſta illa ſolitudine demorabatur? Reſpondeo: In ſolitudine ſe diſpoſuit ut confeſtim poſtquam à ſolitudine egreſſus fuiſſet, prædicationis ſuæ retia ad comparanda animarum lucra extendere & animas venari poſſet; Unde Evangeliſta dicit: *Exinde cœpit Jeſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum:* Et quidem ut hanc animarum piſcationem ad finem uſque ſæculorum continuare poſſet, ideo tunc Apoſtolos ſibi delegit, & in ipſorum perſona omnes viros Apoſtolicos, qui in earumdem animarum converſione indefeſſe laboraturi eſſent.

*S. Ambr. 5. ſer. 40. in fer. 3. Do. 2. quad.*

Utilitas magna ex animarum converſione.

11. Enimvero ſi perſpicuè intelligere volumus utilitatem quæ ex hac cooperatione adeoque digno miniſterio in nos redundat, audite S. Jacobum Apoſtolum ita ſcribentem: *Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, Scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem*

*Jac. 5. v. 20. 21.*

*nem peccatorum.* Num vero vobis parum eſſe videtur animam aliquam è tempeſtatibus infernalibus ereptam, de ſua felicitate ſecuram reddere, atque ad cœleſtis Paradiſi littora ſalvam perducere? S. Carolus loco ſuperius allato ita ad oblatos ulterius ſcribit: *ſic enim divino Spiritu afflati, ſanctoque ſalutis animarum deſiderio accendi ſolent; illuc enim ſpectat animo aſſiduc cogitare, quam nobiles ſint animæ & pretioſæ in conſpectu Domini, quanta ſit earum dignitas, quas proprio ſanguine redimere Filius Dei non recuſavit, quamque præcellens opus ſit, in eo ſalutari officio Dei cooperatores eſſe, quo nihil certe in terris majus aut nobilius, illuſtriusque excogitari poteſt.* Sciendum vero eſt, quod in Græco, loco ejus quod in vulgata legitur: *Salvabit animam ejus*, dicitur: *animam ſuam ſalvabit à morte, & operiet multitudinem peccatorum*; cujus ratio eſſe poteſt, quia Redemptor noſter ad gratias ſuas majori cum abundantia & ſtabilitate conferendas movetur, ut hac ratione noſtram cooperationem remuneret qua in ejus ſocietate aliorum cooperamur ſaluti, ac proinde Apoſtolus ad Timotheum ſcribit: *Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis, hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audierunt.*

*Act. Eccl. Med.*

*1. Tim. 4. v. 16.*

Chriſtus exaltatus ob animarum converſionẽ. *Joan. 10. v. 17.* *Ibid. v. 14.*

12. Ideo etiam Redemptor noſter, qui æterni Patris unigenitus erat, nobis proteſtatur, quod ejus ſibi captivarit & conciliarit benevolentiam, quia animam ſuam pro anima noſtra poſuerat: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*; quibus verbis ſe animam ſuam non pro alia re dediſſe declarat, quam pro anima; Et ideo ſe Paſtori cuidam comparat: *Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*; ubi notanda eſt dictio illa: *Propterea*, quaſi dicere vellet, quod ob hujus erga animas noſtras exhibitæ Charitatis merita, à Patre ſuo dilectus, ac conſequenter ab eodem ad ejus dexteram exaltatus fuerit.

*Chr. ho. 4. in Gen.*

13. D. Chryſoſtomus dicit: *Nam & hoc noſtræ ſalutis argumentum erit & occaſio, ſi non ſolum pro nobis ipſis ſoliciti, ſed & proximo utiles fuerimus, ipſum ad vitam veritatis manuducentis, & ut ſciat quantum boni ſit cum ſalute noſtra & alios lucrari, audi Prophetam ex perſona Dei dicentem: Qui educit pretioſum à vili, quaſi os meum erit; ipſe cum Deus ſit, propter nihil aliud noſtram induit carnem, & propter humani generis ſalutem factus eſt homo.* Omnia alia lucra quæ in quinquaginta vel centum annorum decurſu nobis comparare poſſumus ob varia occurrentia accidentia à nobis deficere poſſunt, iſtud vero nequaquam, quia animæ ſunt immortales, & quæ antea perditæ erant, illas poſtquam ſalvantur, velut theſaurum quemdam in cœlo repoſitas habemus, ubi nec latronibus, nec erugini, nec tineis ſubjiciuntur. Unde S. Joannes Climacus ait: *Non eſt tanti totus mundus: quantum pretium unius animæ, ille tranſit, hæc immortalis eſt, & æterna.*

Pretium animarũ mundi theſauros excedit.

*S. Jo. Cli. ib.*

Cur non æſtimetur.

14. Quænam igitur cauſa eſt, quod his omnibus non obſtantibus, nihilominus animarum lucro tam parum invigilemus? Cauſam hanc S. Carolus in Concione quadam in Synodo undecima habita indicat, cujus hæc proinde ſunt verba: *Sed ſcitis quidnam ſit quod nos in munere noſtro tepidos facit? nihil aliud profecto, niſi quod non conſideramus, quidnam ſint animæ, quid Infernus, quid Paradiſus, Quid ergo mirum ſi ſancti viri Charitate repleti tam erant animarum acquirendarum zelantes.* Pergit ſanctitate & purpura præclarus Doctor ulterius zelum ponderando S. Gregorij pro eo tempore quo Monachus erat, quando ex Angliæ Regno oriundos videns, ad Regni illius converſionem ordiendam commotus fuit, tametſi per populi Romani violentiam Papæ illatam poſitum fuerit ſancto ejus molimini ingens obſtaculum; ex eo præcipue ad hunc conatum permotus, qui nimirum pulcherrimos illos juvenes idololatriæ vitio deditos eſſe ſignificatum fuit: *Tunc Gregorius graviter ingemiſcens; Heu pro dolor*, inquit, *quam ſplendidas facies Princeps tenebrarum nunc poſſidet.*

*Act. Eccl. Med. p. 7. conc. in ſyn. ad cler. 11. car. 1183.*

S. Gregorij zelus.

15. De Sancta Catharina Senenſi, cui à Deo in ſpeciali viſione animæ pulchritudo exhibita fuit, pariter refertur, *quod tanto ardore earum ſitiebat ſalutem, ut inſtar Apoſtoli Pauli anathema pro fratribus ſuis fieri optaret, ſic enim quidam eam in ecſtaſi poſitam orantem audiverant: Mi Domine, quonam modo ferre potero, ut qui ad imaginem tuam formati ſunt, in æternum pereant? an non in majorem gloriæ tuæ cumulum cederet, ut ſalva Charitate ego ſola perirem, corporiſque mei objectu aditum ad inferos obſtruerem, omniaque gehennæ tormenta perferrem, quam ut tot animarum millia à beatitudinis tuæ conſortio excluderentur.*

S. Catharinæ Sen.

15. In Lectionibus S. Ignatij Loyolæ fundatoris ſocietatis Jeſu legitur, quod *Indefeſſus lucrandis Deo animis inſtabat, auditus aliquando dicere, ſi optio daretur, malle ſe beatitudinis incertæ vivere; & interim Deo inſervire, & proximorum ſaluti, quam certum ejuſdem gloriæ ſtatim mori.*

Ignatij.

17. Conſiderandum quoque hoc loco eſt, omnes animas paris apud Deum eſſe conditionis, tanti namque valet anima pauperrimi ruſtici quanti anima Regis vel Principis, ac proinde eadem prorſus cum ſolicitudine conſectandum eſt lucrum & ſalus uniuſcujuſque animæ indifferenter; imo exemplo Chriſti plus laborandum eſt pro animabus illorum, qui in mundi oculis viles eſſe videntur, quam pro animabus magnatum; Magdalena quæ matrona nobiliſſima erat pluriumque caſtellorum & territoriorum Domina illum præſtolata fuit accumbentem convivio at vero Samaritanam mulierem vilem & abjectam ipſe anhelans, ſudore madidus, & itineris labore fatigatus in meridie famelicus & ſitibundus ipſemet quæſivit & invenit ſedens ad puteum, latronem quoque Paradiſo comparavit, dum ſanguine toto corpore madens ſuſpenſus hæſit in cruce; nos vero major inſtigat ſolicitudo ad lucrandum magnatum quam pauperum animas. S. Paulus in carcere tantum laboravit ſcribendo pro vili ſervo, qualis Oneſimus erat, quam pro quovis alio quantum illuſtri & eximio viro; & merito, quia ut idem Apoſtolus ad Romanos ſcribit: *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum.*

Animæ paris ſunt conditionis coram Deo.

Plus tamen laborandum plebeis.

*Rom. 2. v. 11*

## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Anima animæ noſtræ Deus eſt, quæ proinde moritur, dum Deum amittit, id quod per peccatum contingit, utpote quod lethiferum illius vulnus & venenum eſt; declaratur etiam in quo Sanitas animæ conſiſtat, cui perſæpe infirmitates corporales plurimum conferunt; Denique modus traditur quo anima rejuveneſcere poſſit.

## THEMA.

*Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.* Eccleſiaſt. 21. ℣. 3.

1. Eccleſiaſticus dum nos ſaluberrime monet ut à peccatis haud ſecus ac à venenoſiſſimi ſerpentis aſpectu fugiamus: *Quaſi à facie colubri fuge peccata*, protinus ſubjungit: *Dentes leonis dentes ejus interficientes animas hominum*; Unde perſpicue deducitur, quod licet animæ immortales ſint, & ad vitam æternam creatæ, morti tamen ſubjectæ ſint; *Interficientes animas hominum.* & tamen Richardus à S. Victore de eadem anima dicit, quod *Vita quædam ſit & perpetua, quæ nullis pœnis, nullis umquam tormentis extingui poteſt, quod non ſolum poſſit ipſa in perpetuum vivere, ſed corpus etiam ad vitam & ſenſum animare, quod nullo ſuſtentamento egeat, quod ſine ſubſidio ſempiternè ſubſiſtat*: Ac proinde ſciendum eſt, quod quando de vita & morte animæ fit mentio, ea ſolum in ſenſu ſpirituali ſermo ſit. Quænam enim eſt anima animæ? Undenam illa vivificatur? S. Auguſtinus in quonam vita corporis, & in quo vita animæ conſiſtat his verbis declarat: *Vita corporis*, inquit, *anima eſt, vita animæ Deus eſt, ſicut adeſt vita corpori, id eſt, anima, ne moriatur corpus, ſic debet adeſſe vita animæ, hoc eſt, Deus, ne moriatur anima.* Hoc eſt quod Apoſtolus inſinuare voluit, quando à Deo illuminatus, diviniſque gratijs plenus dicebat: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus, Mihi vivere Chriſtus eſt.*

Vita animæ Deus.

*Rich. Vict. p. 1. l. 3. de cont. c. 20.*

*S. Aug. t. 10. ſer. 13. de mart.*

*Galat. 2. v. 20.*

*Phil. 1. v. 21.*

2. Experientia quotidiana commonſtrat, quod vita in corpore humano tunc deficiat, quando ab illo anima ejus ſeparatur: Eodem modo anima deſinit vivere vita ſpirituali & æterna, quando Deus ab illa recedit: *Ecce qui elongat ſe à te, peribunt; Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Eoſdem quippe effectus abſceſſus Dei ſpiritualiter in anima operatur, quos in corpore operatur corporaliter receſſus animæ ab ipſo corpore humano; Unde Chryſologus ait: *Quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ Chriſtus; Sine anima corpus non vivit, non vivit anima ſine Chriſto*, Recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermes, & fit in ſepulchro corporis vivo, funus animæ jam ſepultæ, quamprimum Deus ab anima migravit, vitia, appetitus & paſſionis inordinatæ ferocire incipiunt: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quis vivificare potuiſſet Adami animam, quando hæc ob ejus tranſgreſſionem derelicta fuit? Nemo utique, ſed manſit inſtar jumenti cujuſdam mortui.

Anima moritur Deo recedente.

*Pſ. 72. v. 27.*

*Ibid. v. 28.*

*Chryſol. ſer. 19.*



*Pſ. 48. v. 13.*

3. Quæſtio eſt inter ſacros Expoſitores, qua ratione verificetur illa Adæ à Deo facta comminatio: *Morte morieris*; ſiquidem Adam poſt ſuam tranſgreſſionem primam tot annis, imo & ſæculis vixit priuſquam moreretur? Cui dubio Venerab. Beda reſpondet dicens: *Die qua peccavit Adam, anima mortuus eſt, ſicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beatè vivat, vivit ex Deo.* Unde S. Auguſtinus ad Deum dicere ſolebat: *Domine Deus vita animæ meæ*; Et S. Iſidorus pariter dicit: *Vita corporis anima, vita animæ Deus eſt, & ſicut corpus mortuum eſt ſine anima, ita anima mortua eſt ſine Deo.*

Sic poſt peccatum Adam mortuus. *Gen. 2. v. 17.*

*Bed. t. 8. q. ſu. Gen.*

*S. Aug. ſol. c. 13.*

*S. Iſid. l. 1. ſent. c. 12.*

4. Magna profecto cuivis Chriſtiano eſt conſolatio, quod certo ſciat, animam noſtram, dummodo velimus, ſemper vivere poſſe, quia Deus qui illam vivificat, non poteſt deficere; neque ipſe à nobis recedit, niſi nos primo ab ipſo recedamus; Quam Concluſionem Concilium Tridentinum his verbis ſtabilivit: *Numquam Deus deſerit hominem, niſi prius ab homine deſeratur*; Deus nos minimè deſerit niſi nos illum per peccatum à nobis pellamus. Et ideò S. Auguſtin. ait: *Nihil ei nocere poteſt, niſi à Deo recedat, recedit quando peccat.*

Deus non recedit niſi expulſus.

*Conc. Trid. Seſ. 6. 11.*

*S. Auguſt. l. de ſp. & an. c. 39.*

5. De ſancto quodam Eremita legitur, quod interrogatus cur ſemper læta facie incideret? Reſponderit: *Chriſtum tollere à me nemo poteſt*; Non tamen ita ſe res habet quoad vitam corporalem, hæc etenim minime in noſtra ſtat poteſtate, quia per qualemcumque adhibitam humanam induſtriam, impedire nequaquam poſſimus ne anima noſtra à corpore recedat.

Corporis mors inevitabilis.

6. B. Laurentius Juſtinianus in libro quodam qui de ſpirituali animæ interitu intitulatur, ſpiritualem hanc animæ noſtræ mortem conſiderans, ita ſcribit: *Vivit, quamdiu contra vitia & peccata luctatur, atque per dilectionis affectum inhæret Deo, qui vera eſt vita, moritur autem quoties ſe ab eodem avertendo, per conſenſum voluntatis prævia delectatione delinquit.*

Sed animam peccata necant.

*B. L. Juſt. l. de ſp. an. interitu.*

7. Graviter proinde nobis ſacri Doctores exprobrant, quod hanc animæ noſtræ vitam, quæ Deus eſt, tam parvi faciamus, econtra vero tanto in pretio vitam corporis habeamus, cum tamen hæc non tam in anima, ſed in unione ejuſdem cum corpore potiſſimum conſiſtat: Et quidem in primis S. Auguſtinus dicit, ſeu potius ad cœlum uſque exclamat dicens: *An vero non in te ſunt viſcera Chriſtianæ miſerationis, ut plangas corpus à quo receſſit anima, & non plangas animam à qua receſſit Deus?* Sanct. Bonaventura autem longe efficacioribus verbis hanc noſtram negligentiam deplorat, qui animæ noſtræ adeo temere mortem conciliamus, Deum qui vita eſt animæ noſtræ minimè curantes: *Perdit homo bovem & ſolicitè eum quærit; Perdit equum, & non quieſcit: Perdit ovem, & poſt eam vadit: Sed perdit homo peccando Chriſtum, & quieſcit, comedit, bibit & non quærit.* Quod ſi in noſtra poſitum eſſet poteſtate, animam, poſtquam è corpore migravit, & corpus in cinerem redigitur, denuo revocare, illamque ad revificandum corpus, eidem denuo reunire, quam non adhiberemus induſtriam & operam, ut denuo ad vitam rediremus: Deus autem qui animæ vita & anima eſt, per peccatum ab anima recedit, eumque per pœnitentiam, peccatum ſyncere deteſtando, recuperare, noſtræque animæ arctiſſimo vinculo reuniendo ad vitam priſtinam gratiæ reſurgere poſſumus, & tamen idipſum facere turpiter negligimus, imo de hac ſpirituali morte plurimum ſæpe gaudemus; *Lætantur cum male fecerint.*

Cujus mors magis plangenda.

*Ser. 13. de ſanc.*

*S. Bon. ſer. 2. de S. M. Mag.*

Amiſſio Dei parvi penditur.

*Prov. 2. v. 14*

8. In quonam porro hæc ſtrages & vera mors animæ conſiſtat Venerabilis Beda ſequentibus nos verbis egregie docet; Dicit enim: *Vera interfectio animæ eſt oblviſci Dei ſui.* Dum enim homo Dei obliviſcitur, conſequens eſt, ut anima ipſius ad mortem uſque infirmetur morboſque animæ lethiferos adſciſcat, id eſt, ut idem Venerab. Doctor alibi aſſerit, gravia peccata & ſcelera contrahat: *Languor animæ (id eſt, peccatorum infirmitas) pernitioſus eſt: quia Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*: Atque ideo S. Auguſtinus opportunè ad præſens propoſitum dicit: *Sicut anima vita ſua facit carnem vivere, ſic caro per corruptelam materiæ ſuæ, animam, ſi cupiditatibus illicitis illigaverit, occidit; anima nihil de morte habere poteſt, niſi per vitia ei propinatum fuerit.*

Dei oblivio animam interficit.

*Bed. in Pſ. 48 v. 1. in Collect.*

*S. Aug. loc. cit. c. 18.*

9. Infirmitates corporis, quæ mortem inducunt, ab humorum intemperie oriuntur: animæ vero infirmitates ab appetitibus & paſſionibus inordinatis, & inde exurgentibus vitijs derivantur, & hæc ſunt, quæ mortem ei accelerant. Unde ſanctus Ambroſius ait: *Cum ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corporis, tunc ira & indignatione exæſtuat, tunc mæſtitia afficitur, tunc ſupinatur per arrogantiam; tunc dolore affligitur*; Hæ ſunt ægritudines animæ graves, quibus plerumque ad mortem cogitur. Idem quoque ſanctus Doctor in ejuſdem doctrinæ ſuæ confirmationem dicit: *Maculata anima à libidine carnis fit caro, caro hoc habet in natura, ut intereat; anima ergo cum ſe jungit deſiderio ejus, infirmans ſpiritualem ſuum vigorem, ſimul interitum patitur.* Eamdem quoque veritatem in Oratione quadam D. Gregor. Nazianzeni Commentator ejuſdem his verbis expreſſit: *In anima morbus eſt actus peccati, languor autem, rationis ad actualis peccati aſſenſum relaxatio*; Ac proinde ſi animam vivam retinere & conſervare cupimus, ne Deus ſe ab illa ſeparet, curare debemus.

Animæ infirmitas à paſſionibus.

*S. Ambr. t. 2. in c. 2. Iſa.*

*in c. 5. in 1. Cor.*

*Nicetas or. 38. Naz.*

10. S. Thomas de Villanova differentiam quæ inter Angelum & Deum in ordine ad unionem cum anima his verbis deſcribit: *Angelus quantumvis adſit animæ, unibilis non eſt; quod ergo anima præſtat corpori, hoc & multo perfectius Deus præſtat animæ, nam anima animæ quodammodo dici poteſt.*

Deus animæ unitur.

*S. Th. de Vill. ſer. in ded. Eccl.*

11. Venenum prouti per experientiam videmus, mortem corpori conciliat, quodnam vero eſt venenum iſtud, quod animam occidit? Audite S. Ambroſium dicentem: *Deponamus venenum peſſimum, hoc eſt, iracundiam, odium, invidiam, falſitatem, iniquitatem, avaritiam, cupiditatem, ſuperbiam, ſacrilegium, furtum, luxuriam, falſum teſtimonium, diſcordiam, perjurium; hæc ſunt animarum venena.* Quantum obſecro unuſquiſque noſtrum vulnera abhorret, quæ corpori noſtro infliguntur; Ergone vulnera quæ animæ illata, illam ſauciant & dilacerant, ſentiemus & minus deteſtabimur, aut cavebimus, cum tamen longe ſint irremediabiliora, mortemque adferant non corporalem, ſed ſpiritualem & æternam?

Animarum venenum peccata ſunt.

*In ſer. 2. D. 1. quad.*

12. S. Ambroſius ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*, ita ait: *animæ vulnera graviora quam carnis ſunt.* Hanc obſecro veritatem, quæ magni ponderis eſt, penitius perſcrutemur. Vulnera lethifera quibus corpus ſauciatur, nullam ipſi vitam aliam adimunt, quam illam quæ quinquaginta, aut ad ſummum centum annorum curriculo abſolvitur, eamque valde miſerabilem, ſiquidem corpus in continua miſeriarum & lachrimarum valle perpetuo reſpirat: Aut vulnera quæ animæ peccato mediante infliguntur, vitam illi adimunt beatam, eamque ſempiternam, & ideo graviora ſunt; *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Hæc vulnera præterquam quod corpus gravi reatu afficiant inſuper animam in inferno mortis æternæ reatu condemnant.

*In Pſ. 37. v. 3.*

Vulnera infligunt æterna.

*Matth. 10. v. 28.*

13. Verum enimvero ſi in quo ſanitas animæ conſiſtat, penitius intelligere cupimus, ea quæ ſacri Doctores hac de re ſcripſerunt, profundius nonnihil examinemus. S. Bonaventura dicit: *Sanitas animæ conſiſtit in recta & circumſpecta actione in cautæ locutionis obſervatione, in rectitudine voluntatis, in ordinatione affectionis, & utilitate cogitationis.* Salus corporalis in humorum conſiſtit bono temperamento, ita ut unus non prævaleat aut prædominetur alteri: Eodem modo ſalus ſpiritualis in recta appetituum & affectuum temperie conſiſtit, quia ſi hi inordinati & minus bene regulati fuerint, & rectæ rationi, Deo, ſanctæque ejus legi non ſubjiciantur; mox inde talis neceſſario intemperies exoritur, quæ mortem ſpiritualem infallibiliter inducit. Et ideo S. Ambroſius inquit: *Hæc eſt animæ ſanitas, hæc ſalubritas mentis, ut affluentia ceſſet erroris, ſiſtatur culpa ne ſerpat, ceſſante incentivo culpæ, ſalus tuta eſt, atque inoffenſus vigor animæ ſe refundit.*

Hinc animarũ languor.

*S. Bon. de prof. reli. lib. 2. c. 8.*

*S. Ambr. l. de Noë & arc. c. 17.*

14. Regius Propheta David in maximis anguſtijs conſtitutus magno premebatur timore ne ſalus animæ ſuæ periclitaretur: *Vim faciebant qui quærebant animam meam*, Etenim hoſtes ipſius eum vulne-

Præſervativũ eſt mandatorũ cuſtodia. *Pſ. 37. 13.*

vulneribus lethiferis ſauciare, atque in Dei offenſam committendam inducere ſatagebant: *Vanitates & dolos tota die meditabantur*: Sanctus Propheta autem magno ſalutis ſuæ conſervandæ zelo accenſus, ut illam ſartam, tectam, illæſamque conſervaret, quid tandem facere decreverit, audite: *Anima mea*, inquit, *in manibus meis ſemper*, quaſi diceret: Numquam illam ab oculis meis removebo, ſed illius, utpote rei pretioſiſſimæ, quæ ſemper in manibus portari, & ob oculos haberi ſolet, ſingularem curam habebo; *Et legem tuam non ſum oblitus; Poſuerunt peccatores laqueum mihi*, nec tamen laqueis ſuis illum irretire potuerunt: ſi quæras cauſam, illam protinus ſubjungit, dum ait: *de mandatis tuis non erravi*.

*Ibidem.* *Pſal.* 118. *v.* 109. *Pſalm.* 118. *v.* 109. 110. *Ibid. v.* 110.

15. Ariſtoteles Propoſitionem quamdam ſtatuit, quæ utique longe majoris æſtimanda foret, ſi is veræ fidei fuiſſet lumine perfuſus; Dicit enim, *Ex ſanitate in anima, fit ſanitas in corpore*. Sed inquies fortaſſe quomodo ſalus animæ in corpus redundare potuit; Vultis ſcire qua ratione id fiat? Anima quæ Deum poſſidet, & in ejus gratia & amicitia vivit, appetitus ſuos rectæ rationi ſubjicit, unde ſequitur quod nec corpus inordinate ſe habeat, ſed in perpetua ſobrietate & continentia vivit, domando paſſiones inordinatas, ideoque in optima ſanitate & longo tempore vitam agit, prouti in multis Sanctis per experientiam compertum habemus, qui ad decrepitam uſque ſenectam incolumes vixerunt, quia peccata & diſſolutiones infirmitatum corporalium cauſæ ſunt, & Origenes: *Stimulus mortis peccatum eſt: ne impie agas multumque moriaris in tempore non tuo.*

*Ariſt. l.* 7. *met.* Animam & corpus ſanum conſervat. *Origenes.*

16. Porro in quonam animæ immortalitas conſiſtat, Commentator Nazianzeni his verbis optime declarat: *Si animæ mors*, inquit, *ſeparatio à Deo eſt, ſequitur profecto, ut animæ immortalitas ſit Deo per fidem & mandatorum obſervationem conjunctum eſſè.* Et quidem optimum quemdam hanc animæ immortalitatem agnoſcendi & æſtimandi modum à gentili quodam Scriptore ediſcere poſſumus; Macrobius enim hac de re ita ſcribit: *Animæ, dum corpore utitur, hæc eſt perfecta ſapientia, ut unde orta ſit, de quo fonte venerit, recognoſcat*; Videamus igitur quinam & quales ſint animæ noſtræ natales, & quænam ac quanta ſit ipſam inter & corpus diſtantia, ſic enim fiet, ut agnita animæ dignitate, corpus, quod ingentia animæ damna conciliat, parum admodum æſtimaturi ſimus, quia *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.*

*Nic. Or.* 24. *in Naz.* Corpus nihil æſtimari debet. *Macr. l.* 1. *ſup. ſumno Scip. c.* 9. *Sap.* 9. *v.* 15.

17. Summa igitur eſt Dei noſtri providentia, quod pro conſervanda animæ ſanitate, corpus hoc noſtrum infirmitatibus nonnumquam affligatur & extenuetur. Unde ſuper illa verba: *Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego ſanabo*, S. Bernardus inquit: *Percuſſit carnem ut anima ſanaretur*. S. Hieronymus refert quod Joannes Ægyptius Abbas à Monacho quodam rogatus, ut ſua interceſſione ſibi obtineret, ut à quadam qua diu exhauſtus fuerat, infirmitate liberaretur, eidem reſponderit: *Rem tibi neceſſariam cupis abjicere; Ut enim corpora nitro, vel alijs hujuſmodi linteamentis abluuntur à ſordibus, ita animæ languoribus, alijsque hujuſmodi caſtigationibus purificantur.* Habemus pro hujus veritatis corroboratione claram quamdam in Eccleſiaſtico ſententiam, qui ait: *Infirmitas gravis ſobriam facit animam.* S. Bernardus qui vitam duxit immaculatam, & ſemper quaſi infirmus vixit, ita hac de re ſcribit: *In ſalutem flagellat infirmitate corporis, ne peccent, ut eis utilius ſit frangi ad ſalutem languoribus, quam remanere incolumes ad damnationem.*

Hoc infirmitatibus affligitur, ut anima ſervetur. *Deut.* 32. 39. *S. Bern. ep.* 13 *S. Hier. in vit. Pat.* *Eccli.* 31. *v.* 2 *S. Bern. c.* 46. *de int. dom.*

18. Enimvero hi qui animæ ſuæ ſalutem parvi faciunt, & nihili æſtimant, ij ſunt præcipue, qui in corpus ſuum oculos ſuos & curam mentis defixam habent, animamque ſuam ſimul cum corpore defituram aut morituram eſſe exiſtimant; Unde inter alias in vitis Patrum recenſitas ſententias hæc valde eſt conſiderabilis, qua dicitur: *Illi animam ſuam in vanum accipiunt, qui exiſtimant eam diſſolvi una cum hac caruncula, qui virtutes ſpirituales negligunt*: Ac proinde utiliſſimum eſt illud D. Chryſoſtomi documentum, quo nos ut feriæ conſiderationis oculum in alterius vitæ bona dirigamus, his verbis monet: *Nihil ita animam recreare, & præſtantiorem reddere ſolet, ſicut bona de futuris concepta ſpes*; Quamvis etiam animam noſtram pulchram & mundam reddant nonnulli alij actus virtutum, de quibus Hugo de S. Victore ita ſcribit: *Contritio cordis, confeſſio oris, afflictio carnis hi ſunt tres fontes, quibus lavatur anima, contritio per anxietatem, confeſſio per humilitatem, afflictio per aſperitatem.*

Anima æternum victura tribus lavari debet fontibus. *L.* 8. *c.* 6. *Chr. h. de an. c.* 6. *Hug. Vict. erud. theo. ex miſc. coll.* 11. *l.* 2. *c.* 36.

19. Occaſione eorum, quæ diximus, Quæſtio hoc loco exurgit, an videlicet caſus aliquis dari poſſit, in quo anima inveteraſcere incipiat, & ſimiliter an inveterata denuo rejuveneſcere valeat? Rationem dubitandi ſubminiſtrant verba illa Pſalmiſtæ: *Renovabitur ut aquilæ juventus tua*: Sicut & textus ille Apoſtoli: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, Et induite novum hominem.* Reſpondetur igitur in ſenſu ſpirituali affirmative; Et quidem Origenes modum nobis inſinuat, quo anima rejuveneſcere denuo queat; Dicit enim: *Cum ſuſceperit veterem hominem cum actibus ſuis ſenectute ejus priſtinum perdit decorem; Venit Jeſus ut transferat nos à veteri homine, ruga quippe ſenectutis indicium eſt, ut ait Apoſtolus, ut exhibeat ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam: Verum ut ſit ſancta & immaculata; Licet igitur à ſenectute & ruga ad juventutem tranſcendere, & hoc eſt in hac parte mirabile, quod corpus ab adoleſcentia pergit ad ſenium, anima vero ſi venerit ad perfectum, à ſenecta in adoleſcentiam tranſmittitur.* Unde ad probandum notari debet, quod Apoſtolus in eodem loco ſubjungat: *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate*; Juxta igitur proportionem ſanctitatis & ſpiritus qui in anima aliqua creſcet, rejuveneſcentiæ quoque menſura erit D. Chryſoſtomus ad hoc propoſitum nobilem quamdam habet conſiderationem, dum enim corpus & animam ad invicem comparat, ita ait: *In corpore licet omne ſtudium quis adhibeat, licet illud minimè vexet, licet domi contineat, licet laboribus illud & continuis operibus non affligat, tamen ex lege naturæ ſic quoque plane ſenectus illud invalidet: in anima vero non ita fit, ſed ſi illam minime vexes, neque ſæcularibus eam laboribus curiſque mundanis excrucies, juventutem ſuam perpetuo retinet, illæſam conſervat.*

Rebus cœleſtibus juveneſcit. *Pſ.* 102. *v.* 5. *Eph.* 4. *v.* 23. & 24. *Or. ho.* 13. *in Ezech.* *Epheſ.* 4. 24. *Chryſ. l.* 5. *in inſc. altar. ſer.* 48.

## DISCURSUS XVI.

## ARGUMENTUM.

Indecens eſſe oſtenditur, quod corpus animæ anteponatur; De vilitate illius in comparatione animæ, quæ ſi propter corpus perdatur, ipſum quoque una cum anima æternaliter punietur.

## THEMA.

*Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Sap. 9. ℣. 15.

1. S. Auguſtinus in lib. de ſpiritu & anima, ex definitione animæ convenientiſſimam illam deordinationem, quam quotidie in magna hominum parte experimur, in quibus ſcil. corpus animæ prædominatur, manifeſtè declarat, *Anima* enim ab ipſo definitur, quod ſit *ſubſtantia quædam incorporea, rationis particeps, regendo corpori accommodata*: Quod ſi enim animæ competit regimen & dominium in corpus, quod ſi illa à ſupremo artifice velut regina quædam creata eſt, quod ſi illi datum eſt ſceptrum imperij ſuper corpus, cum Dominio abſoluto & deſpotico in illud veluti mancipium quoddam, quænam igitur eſt illa indecentia, quod anima perturbato Dei ordine corpori ſubjiciatur; & tamen certiſſima experientia quotidie comprobatur, quod *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Magnam hanc utilitatem & indignitatem S. Bernardus deteſtatur dicens: *Dominum ancillari: & ancillam dominari, magna abuſio eſt*; Inaudita namque monſtroſitas futura eſſet, ſi potens aliqua Regina alicui mancipio & vili ſervo famulari & obſequi conſpiceretur; Quod quidem adeo eſt evidens ut vel gentilis Seneca ſolo naturali lumine præditus dicere ſolitus fuerit: *Major ſum & ad majora natus, quam ut ſim mancipium corporis mei.* Et Eraſmus Socratem dixiſſe refert: *Hominem ipſum animam eſſè, corpus nihil aliud quam animæ organum vel domicilium, aut verius dicam, ſepulchrum aut carcerem*; Magna utique inordinatio eſſet ſi carcer, vincula & compedes Judici leges præſcribendi jus ſibi vendicarent. In eadem quoque Epiſtola idem Seneca dicit: *Corpus non aliter aſpicio, quam ut vinculum aliquod libertati meæ circumdatum.*

Anima Regina eſt corporis. *S. Auguſt.* *S. Bern. c.* 3. *med.* *Senec. ep.* 55. *Eraſm. in declam. de mor.* *Senec. ibid.*

2. Ac proinde juſtum hoc, quod anima à corpore ſuſtinet, gravamen, irrationabilemque tyrannidem ſacri Interpretes varijs nobis propoſitis ſimilitudinibus demonſtrant.

Corpus tamen pluris æſtimatur.



monſtrant. De magno illo Cardinali Reginaldo Polo, qui verus Angliæ Polus arcticus, & Fidei Catholicæ in eo Regno columna & fulcrum fuit, legitur, eum corpus ſuum tam flocci feciſſe, ut ſolitus fuerit dicere, eum qui ſibi vitam hanc erepturus eſſet mortalem, nihil eſſe facturum amplius, quam quod illi nocte cubitum eunti ſervus facere velit, dum eum veſtibus ſuis exuit; Quo Cardinalis dicto, ut veriſſimo ſuppoſito, quæro te, quiſquis es, quidnam majoris facias, veſtemne an corpus quod tali veſte contegitur? Utique niſi delirus ſis, reſpondebis ſtolidum eſſe eum qui pluris veſtem æſtimet, quam corpus: numquid vere ita eſt? Et tamen hæc eſt innumerabilium hominum ingens ſtultitia, quod tametſi alias in cæteris ſenſati ſint & ſapientes, corpus tamen, quod nihil eſt aliud quam ſimplex quædam animæ veſtis, majori in pretio habeant, quam animam. S. Ambroſius quoque verba illa: *Hominem mollibus veſtitum indumentis*, ponderans, de his veſtibus dicit: *Humana corpora quibus anima noſtra veſtitur*: Et alibi quaſi idem dicit, dum ait: *Anima corpore velut calceamento utitur*: Quid de illo diceres, qui pluris calceum æſtimaret, quam propriam vitam? Utique ſtultum illum reputares: & tamen minor hæc ſtultitia foret, quam ſit illius, qui corporis majorem quam animæ rationem habet, quia ille pro uno calceo nonniſi quinquaginta, vel ad ſummum centum annorum vitam amittit: hic vero pro mortali & fœtido corpore jacturam facit immortalis & pretioſiſſimæ animæ, imo vero talis Deum ipſum, æternam beatitudinem, & interminatam quamdam gloriæ æternitatem amittit.

*S. Ambr. l.* 5. *in Luc.* 7. *de Juſt. vir. c.* 14. Miſeria deploranda.

2. S. Bernard. inter alias deplorandas miſerias, quas circa hanc noſtram mortalitatem deflere ſolebat, vel maximè ſupinam illam negligentiam deplorat, qua animam potius quam fœtidum & fragile corpus hoc noſtrum negligimus, minuſque cuſtodimus; Dicit enim: *Miſer homo, ut miſerum paſcas corpus, & veſtias, & carnis voluptatibus, quæ poſt paucos dies à vermibus devorabitur, ſatisfacias, ſolicitus laboras, diſcurris, vigilas, & ſomnum non capis ocula, ut repleas ventrem, & pro anima tua, quæ Deo præſentanda eſt in cœlis, cur non ſolicitus fatigaris?*

Ac negligentia noſtra. *S. Bern. ſer. de miſ. hum.*

4. Quod ſi ſubditum aliquem videres adeo temerarium & arrogantem, ut Reginam Principem & Dominam ſuam è regio ſuo throno exturbare non vereretur, numquid illum ob hoc læſæ Majeſt. crimen non una, ſed mille atrociſſimis mortibus dignum, ſeveriſſime caſtigandum eſſe judicares? D. Chryſoſtomus ait: *Cum tantæ ſit excellentiæ anima, haud ſcio quomodo noſtrum ſubverterimus ordinem, & usque adeo inoleverit malitia, quæ in tantum cogit carnis concupiſcentijs obſèqui, ut deturbetur à throno ſuo Regina, cujus erat præſidere, ordinare, & imperare.*

Temeritas. *Chryſ. in cat. cit. in c.* 2. *Gen.*

5. S. Baſilius ſimilitudinem quamdam inducit, qui artem aliquam contemnens, artis tamen illius inſtrumenta ſupra omnem modum æſtimaret. *Qui id unicè ſtudent, ut corpus quam optime ſeſe habeat, animam autem, quæ corpus velut inſtrumento quodam utitur, quaſi rem nullius pretij negligunt, ac pro nihilo ducunt, hi mihi ne quidquam ab ijs differre videntur, qui inſtrumentorum exactam curam gerunt, at ipſam artem, quæ ijs utitur, flocci pendunt.*

Contemptus. *S. Baſil. or.* 22. *de an.*

6. S. Bernardinus Senenſis ſimilitudinem adfert ejus, qui rhedæ alicujus equos pluvijs alijsque aëris injurijs relinquens expoſitos, ipſam Rhedam vel currum, ſub tecto cuſtodiendam introducit: *Fatuus eſſèt, qui optimum equum extra ad pluviam poneret, & quadrigam optime in ſtabulo cuſtodiret; ſic quippe fatuus eſt, qui diligenter cuſtodit corpus, & de anima ſua nihil curat.*

Fatuitas. *S. Bern. t.* 3. *ſer. de dign. an. a.* 1. *c.* 3.

7. Bernardus corporis cum anima comparati conſiderat vilitatem, ut tanto magis confundat eos, qui tam pretioſæ animæ ſaccum vermium præferre & anteponere non verentur: *O anima Dei imagine inſignita, decorata ſimilitudine, deſponſata fide, dotata ſpiritu, redempta ſanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis; hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?*

Inſipientia. *Ibid. in med.*

8. Corpus hoc noſtrum in ſubſtantia nihil eſt aliud, quam quoddam immunditiæ & putredinis receptaculum, ſaccus ſtercorum, vas iræ, fomes concupiſcentiæ ſentina vitiorum, mortis mancipium, ſpirans cadaver, & maſſa vermium, & ideo idem S. Bernardus ait: *Nihil aliud eſt homo, quam ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, cibus vermium, poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror*; & tamen ſtercus iſtud, hi vermes animæ præferuntur, quæ perpetua quædam vita eſt, ad imaginem & ſimilitudinem Creatoris ſui creata capax beatitudinis, inæſtimabili unigeniti Filij Dei ſanguine redempta, ac denique Altiſſimi Dei ſponſa; Et ideo idem Bernardus merito exclamat dicens: *Unde enim hæc tanta puſillanimitas, & abjectio tam miſerabilis, ut egregia creatura capax æternæ beatitudinis & gloriæ magni Dei utpote cujus ſit inſpiratione condita, ſimilitudine inſignita cruore redempta, fide dotata, ſpiritu adoptata, miſera non erubeſcat ſub putredine hac corporeorum ſenſuum gerere ſervitutem?*

Corporis noſtri deſcriptio. *Ibidem.* *S. Bern. c.* 13. *de conver. ad cler.*

9. Quidnam de eo dicturus eſſes qui omne ſtudium, magnorumque ſumptuum impendium in habitatione ſua ſuperbis tapetum pretioſorum periſtromatibus exornanda, marmoribus elegantiſſimis incruſtanda, auro argentoque illuſtranda, ſtatuis picturiſque artificioſiſſimis decoranda impenderet, ſeque ipſum poſtea in ſterquilinio omnibus aëris temporiſque injurijs nudum, veluti futurum ferarum prædam exponeret. Talis eſt illorum ſtultitia qui toto vitæ ſuæ decurſu pro corpore, quod pro breviſſimo tempore animæ eſt domicilium & habitaculum, laborant, veſtibus pretioſis illud adornando, cibis exquiſitis paſcendo, atque ut ejus appetitibus plene ſatisfaciat, eidem de omnis generis delicijs, voluptatibus, divitijs, honoribus, & alijs centenis ejuſcemodi commoditatibus proſpiciunt, animam interea adeo turpiter deſpicientes & poſthabentes, ac ſimul cum corpore moritura & interitura eſſet. D. Chryſoſtomus de modica quadam corporis parte ita loquitur: *Papillam oculorum tuorum, ne minimo lædatur pulvere, diligenter cuſtodis, animam autem tuam tanta malorum congerie preſſam negligis.*

Stultitia eorum qui animam negligunt. *Chryſ. ho.* 45. *in Matth.*

10. Thomas Cantipratenſis in Speculo Exemplorum horrendum quoddam facinus refert, è quo evidenter cognoſcere licet, quonam in pretio corpus in comparatione animæ habendum ſit. Refert igitur hic author de impio quodam homine, quod dum in publica quadam taberna in quorumdam epulonum contubernio conſtitutus quoſdam audiſſet de rebus alterius vitæ miſceri ſermones, is effuſe illos deridens dixerit, animas corporibus mortuis etiamnum ſuperſtites immortaliter vivere merum eſſe ſacrificulorum & Monachorum ſomnium atque commentum, quod cum à combibonibus cum applauſu exceptum fuiſſet, acciderit quod eorum ſocietati vir quidam ſe jungeret proceræ ſtaturæ, complexioniſque ut videbatur, fortis & robuſtæ, qui & ipſe potum ſibi dari poſtulabat; cumque qua de re inter ſe colloquerentur ſciſcitatus fuiſſet, impius ille temere, de animabus poſt mortem etiamnum vitam agentibus ſermonem eſſe reſponderit, ſubjunxeritque: ſi quis animam meam à me ſibi comparare vellet, illam utique bono facilique ei pretio divenderem, comparatumque inde lucrum potando conſumerem: quam pollicitationem procerum hocce monſtrum grato animo accipiens, ſe ejus animam ſibi pro pacto æque pretio comparandam paratum eſſe dixit, pactoque inter utrumque pretio & prompta pecunia exſoluto, non prius à potando ceſſatum eſt, donec receptum pro anima pretium in multam uſque noctem crapulando abliguritum fuiſſet; tum vero perſonatus ille gigas combibonibus tempus jam adeſſe dixit, quo domum quiſque ſuam ut repeteret, nox ipſa ſerotina ſuaderet, rogavit tamen ut priusquam ſibi mutuo valedicerent, cauſam quamdam, in qua ipſos conſtitueret Judices & arbitros æquitate ſervata dirimerent: quam proinde in hunc fere modum iiſdem enarravit: Eſt qui equum aliquem funi ſeu capiſtro alligatum juſto perſoluto pretio pacto ſibi comparavit, dum vero Equus extradendus, numquid juſtitia poſtulat, ut & funis ſive capiſtrum, quocum alligatus fuerat pariter extradatur? Omnes, idipſum æquiſſime à venditore fieri debere, incunctanter reſponderunt; Inter hos vero temerarius ille ſacrilegus myſterium propoſitæ quæſtionis advertens impalleſcere, fugataque crapula toto corpore contremiſcere cœpit, qui proinde ab hoc perſonato gigante, qui verus Dæmon erat, in aëra ſublevatus & in æternam damnationem abductus, nuſquam amplius comparuit. *Inimici noſtri ſunt Judices.* Ecce qualiter ipſemet Dæmon, qui nobis corpus animæ in ſummum ejus præjudicium præhabendum eſſe ſuadet, eamdem permagni faciat, eam enim animæ præcellentiam eſſe cenſet, quæ equi ſi cum fune ſeu capiſtro comparetur: Quam igitur delirat ille, qui tantopere ſibi in fune ſeu capiſtro, cui animal alligatum fuit, complacet ut ne illud amittat, equum negligat & fame extingui patiatur?

*Cantip. l.* 2. *apoc. c.* 56. *p.* 2. Hiſtoria horrenda.

Etenim

Etenim Dæmon licet Pater ſit mendacij; hanc tamen valde evidentem veritatem nobis expreſſit, quod ſcilicet corpus illius reprobi funis, anima vero illius equus eſſe cenſeatur; Et vere improbi illius anima equus dici

*Pſ.48.v.13.*

merebatur, quia *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*; Ac proinde memorabilis eſt illa S. Ambroſij ſententia, dum ait: *Si plus de carne, quam de anima cogitemus, timeo ne nos Dominus Jeſus per Prophetam arguat dicens: Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis, &c.*

11. Et quidem ſi diſtantiam quæ animam & corpus intercedit, magis perſpicuè cognoſcere velimus, neceſſum eſt ut illud pro eo tempore contemplemur, quando anima ab eodem morte interveniente receſſit, tunc enim corpus nihil eſt aliud, quam ſaccus vermium, cineris, oſſium & ſentina putredinis; Unde evidenter concluditur, quod totum hominis eſſe in anima

*Chryſ. h.22. in Gen.*

conſiſtat. Et ideo S. Chryſoſtomus ait: *ſi vis videre diverſitatem, vide quia nullius momenti eſt corpus, ſi anima à Corpore diſceſſerit*; ac proinde idem ſanctus Eccleſiæ Doctor utiliſſimum illud tradit documentum: *Quare non ſicut viſibilis corporis gerimus curam, ita & animæ, quæ incorporea & inviſibilis? præſertim cum cura ejus levis ſit & facilis, & nihil inſumatur, neque laboretur?* Quot labores, diſpendia ſumptuum, curas pro conſervanda corporis ſalute in ejuſdem commoditates & delicias acquirendas adhibemus, cum tamen pro anima & corde ſanctificando, ſolus erga Creatorem & Redemptorem noſtrum amor & dilectio ſufficiat: *Ama & fac quod vis.*

Anima cum corpore aut ſalvabitur aut damnabitur.

12. Verum enimvero id quod à nobis vel maximè conſiderandum venit, eſt ingens illud & irreparabile damnum, quod in ipſum quoque corpus redundat, dum illud animæ in omnibus perfecte non ſubjicitur, eo ipſo enim quo corpus animam aggravat, & deorſum ad terrena pertrahit, ambo in centrum uſque terræ præ-

*Matt.10.28.*

cipitantur, quia infallibilis eſt veritas, quod talis *corpus & animam perdit in gehennam*, una enim harum partium ſine altera Cœlum ſuo tempore non penetrabit. D. Chryſoſtomus ſummam illam curam & ſolicitudinem quam in corpus noſtrum bene & molliter tractandum & demulcendum adhibemus, dum interea corpus animam aggravans & deorſum trahens, efficit ut ambo miſero lapſu in centrum uſque terræ miſerabiliter corruant, hanc inquam ſtoliditatem his verbis amare deplorat: *Corpus arte & diligentia ſingulari*

*t.6.ho.de ani.*

*curant, animam vero negligunt, & ſqualentem & ſordentem, & innumerabilibus vexatam malis; & quod gravius eſt, quod poſt multos labores & ſudores, nec mortale hoc corpus morte ſuperius efficiunt, ſed & immortalem illam cum mortali hoc æternis ſubjiciunt pœnis.* Idem quoque ſanctus Doctor alibi hanc eamdem conſiderationem nobis inculcat, quæ vel maximè nobis avertenda eſt, quia ſi corpus in hac vita gaudere & deliciari velit, in maximum id tam ſui quam animæ præjudicium faciet, quia ſi hæc ad Infernum condemnetur, illud quoque ſuo tempore in eumdem deturbabitur, ut individuam inter ſe per omnem æternitatem ſocie-

*de recup. lapſi.*

tatem habeant: *ſi animam*, inquit, *negligamus, nec corpus ſalvare poterimus, non enim anima pro corpore, ſed corpus pro anima factum eſt, qui ergo quod primum eſt negligit & quod inferius eſt extollit, utrumque corrumpit, qui vero ordinem ſervat, & quod primum eſt, colit, etiamſi negligat quod ſecundum eſt, per primi ſalutem ſalvabitur & ſecundum.*

Parabola quod corpus animam præcipitat in gehennam.

13. Authore quodam de duobus fratribus legiſſe me memini, quorum unus ſapiens, alter vero delirus erat, quod dum ſimul in eodem itinere conſtituti ad bivium quoddam perveniſſent, interque ſe de via eligenda deliberarent, ſtultus viam elegerit amœniorem & delicioſiorem: ſapienti vero magis via aſpera placuit & difficilis; Cumque diu inter ſe concertaſſent, tandem ſapiens, ne fratrem ſuum delirum contriſtaret, ejus voluntati & optioni ceſſit, ſeque ab illo vinci permiſit: Demum vero aliquouſque progreſſi in latrones inciderunt, à quibus apprehenſi in tetrum carcerem fuerunt abducti, tandem vero cum ad ejus, qui caput & præfectus latronum erat, tribunal educerentur, ſapiens totam culpam in delirum, hic vero in ſapientem conjecit, utpote qui ſanæ rationis judicio præditus à ſtulto ſe vinci & ſuperari permiſit, Judex vero utrumque culpæ reum eſſe pronuntiavit, ſtultum quidem quod ſe ab eo, qui ſe ſapientior erat, gubernari non permiſerit, ſapientem vero quod ſano judicio pollens ab eo quem ſtultum eſſe noverat, permiſerit ſeduci. Enimvero tametſi nobis neceſſum non ſit, ut D. Chryſoſtomus ait, *De mendacio adſtruere veritatem*, attamen ex hac fabula utiliſſimam quamdam elicere poſſumus moralitatem; Corpus enim & anima ſunt veluti duo fratres germani, licet inter ſe conditione valde inæquales, ſiquidem anima ſapiens eſt; *Spiritus eſt qui vivificat*: Caro vero econtra fatua eſt & ſtolida, *caro non

*Joan.6.64.*

prodeſt quidquam*; anima ratione prædita eſt & intellectu, ideoque per ſanæ rationis diſcurſum ſibi poteſt conſulere: corpus vero inſtar ſtolidi jumenti, inſipiens eſt; Et ideo anima à via ardua & difficili minime terretur, quia hæc eſt quæ ad Cœlum perducit, *arcta via quæ ducit ad vitam* & ideo tempe-

*Matt.7.v.14*

rantiam, mortificationem, pœnitentiam, ſuique ipſius abnegationem, bonorumque terrenorum contemptum eligit & diligit, *Spiritus quidem promptus eſt*: corpus vero aſperioris vitæ arduitatem exhorreſcit: *Caro autem infirma*, & ideo jejuniorum, macerationis carnis, vigiliæ, cuſtodiæ ſenſuum deterrita difficultate, viam eligit delicioſam, amat voluptates, divitias, honores, cunctaſque alias vitæ præſentis commoditates; Dumque inter ſe diu conſertando

*Matth.26. v.41. Ibid.*

conflictantur, quia *caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus adverſus carnem*, tandem anima ſe ſuis continuis perſuaſionibus nihil proficere videns, à Corporis importunitate ſuperata, carnem ſuo modo vivere ſinit, illique compatiens fræna laxat; unde fit quod dum ſimul gradiuntur in latrones & viæ prædones, id eſt, appetitus inordinatos pariter incidant, qui illos vinculis irretitos in captivitatem abducunt: *Funibus peccatorum ſuorum* unuſquiſque *conſtringitur*; ac tandem dum coram ſupremo judice comparent, ut ſuam quæque pars ſententiam accipiat, ambo ad Infernum condemnantur; anima quidem quia ſe ſuppreſſo rationis lumine à ſenſualitate vinci permiſit: corpus vero, quod animam aggravarit, ſuiſque affectibus inordinatis ſuppreſſerit, & ideo *corpus & anima perduntur in gehennam.*

*Gal.5.v.17.*

*Prov.5.v.22*

14. Porro quod corpus animam in ruinam & perditionem præcipitet, ipſemet Plinius, quantumvis gentilis & paganus, clarè agnovit, dum ait: *Peſſimum corporis vas inſtat ut creditor, & ſæpius de die appellat. Hujus gratia præcipue avaritia expetitur, huic luxuria conditur, huic navigatur ad Phaſim, huic profundi vada exquiruntur, & nemo utilitatem ejus æſtimat conſummationis fœditatem.* Offenſæ etenim quas anima adverſus Creatorem & Redemptorem ſuum committit, ſuam à ſenſualitate Corporis originem trahunt, & ſolum ut corpori complaceat, illi indulget; *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.*

*Plin. l.26. cap.8.*

*Sap.9.v.15.*

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

De corpore, quod inimicum eſt animæ, ſemper ſoliciti ſumus, ideoque illud adornare, lavare, cibare, & quando infirmum eſt, induſtriè curare ſtudemus; animam vero in comparatione illius parvi æſtimamus.

### THEMA.

*Nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me.* Act. 20. ℣. 24.

Qui vitam corporalem non æſtimat animam æſtimat.

1. HÆc ſancti Apoſtoli proteſtatio, non neminem, qui quanto zelo ipſe animarum ſalutem proſecutus fuerit, optime novit, merito in haud parvam admirationem rapere poſſet, ſiquidem dicit, quod *non faciat animam ſuam pretioſiorem* quàm ſeipſum: Ergone animam quæ tam opulentus & inæſtimabilis eſt theſaurus, de quo dicitur: *Habemus theſaurum

*2.Cor.4.v.7*

iſtum in vaſis fictilibus*, non majoris facit, quam corpus quod fictile quoddam vas eſt. *Nec facio animam meam, &c.* Et vero dubium hoc reſolvi nequit, niſi per motum quoddam aliud dubium, illiuſque reſolutionem. Etenim Deus noſter, qui pro ſalute animæ noſtræ fecit quod potuit, ut in ordine ad vitam beatam ejus ſecuritati conſulere poſſemus, nos nihilominus monet dicens: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Ergone animam noſtram ex Salvatoris noſtri conſilio, quamdiu in hac vita degimus, odiſſe debemus? Pro reſolutione igitur utriuſque dubij ſciendum nobis eſt, quod in varijs Scripturæ locis, nomine animæ vita hæc præſens & temporalis intelligatur; ac proinde Apoſtolus in præaſſumpti thematis verbis dicens:

*Joan.12. v.25.*

*Non*



*Non facio animam meam pretioſiorem quam me*, dicere vult: Non facio ſalutem corporalem pluris, quam animam meam, unde Interlinearis ita hæc verba explicat: *Vitam quæ inſpiratur ab anima temporaliter, quam pro nihilo ducit*, qui *æternæ vitæ gaudia expectat*; Eadem gloſſa verba illa: *Quam me* de anima expli-

*Gloſſ. inter.*

cat, dum ait: *Quam me, id eſt, meam animam.* Idem

*Joa.12.v.25*

quoque Chriſtus dicere voluit, dum ait: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam.* Horum enim verborum ſenſus eſt: Qui nullam habet hujus vitæ corporalis rationem, is certe ſe propter vitam beatam & ſempiternam animam plurimum æſtimare clare oſtendit. Unde S. Auguſtinus ait: *Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.*

*S. Aug in cat. D. Th.*

Pluris corpus æſtimatur quam anima.

2. De hac igitur deordinatione agendum nobis hic eſt, quæ in potiori Chriſtianorum parte nimium prævalet, qui pluris corpus quam animam faciunt. Qui certe abuſus adeo eſt abominabilis, & indignus, totique humano generi pernicioſus, ut D. Chryſoſtomus vocem ſibi exoptaret ſimilem illi, qua inſonaturus eſt toti mundo Angelus ille in noviſſimi judicij die, ut deteſtabilem hanc abominationem omnibus retro ſæculis exprobrare poſſit. Dicit ergo hic S.

*Chryſoſt.t.6. hom.de ani.*

Doctor: *Magnopere deplorans confuſam hominum animis dementiam, denſamque ipſis incumbentem caliginem, invenire vellem ſpeculam aliquam excelſam, quæ omnia mihi genera hominum cernenda ſubjiceret; vellem autem & vocem adipiſci, quæ per omnes terminos reſonaret & omnibus qui in terra ſunt, ſufficeret; ſtareque & vociferari, ac Davidica illa voce exclamare: Filij hominum uſquequo gravi corde? quomodo enim non abſurdum eſt in corpore, ſi id qualiſcumque etiam morbus invaſerit, & medicos vocare, & pecunias expendere, & tolerantiam oſtendere, nec prius deſiſtere omnia facere quouſque id, quod nos infeſtat, amoverimus, cum vero anima in ſingulos dies ſtimulatur, præcipitatur, atque omnino ſeipſam perdit, ne brevem quidem habere ſermonem.*

Corpus beneficio animæ ſubſiſtit.

3. Ut igitur hanc debiti ordinis inverſionem caveamus, opus eſt, ut idem Sanctus Doctor in alia quadam Homilia ſua ſuper Matthæum notat, ut ex propoſito conſideremus, quod totum eſſe hominis in anima conſiſtat, corpuſque ſolius ſubſiſtat animæ beneficio;

*hom.25. in Matth.*

*Subſtantia enim hominis non eſt corpus, ſed anima, hanc enim ſolam Deus ad imaginem ſuam fecit, & hanc diligit, propter hanc fecit & mundum, propter hanc & ipſe Filius Dei venit in mundum.* Quænam igitur eſt ratio, quod tanti corpus, anima vero tam parvi pendatur?

Chriſtus prius animã ſanat quam corpus.

4. Devotæ illæ turbæ Redemptori noſtro languidum quemdam & in lecto immobiliter jacentem obtulerunt Paralyticum; ut eum paterna compaſſione motus ſanitati priſtinæ reſtitueret; Cui benigniſſimus

*Matth.9.v.2*

Dominus protinus dixit: *Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Verum dicet hic aliquis, quidnam remiſſioni peccatorum cum paralyſi intereſt? Hic corporis non vero animæ ſanitatem poſtulat, Dominus autem ſolum animæ, quam remiſſio peccatorum ſpectat, non vero corporis mentionem facit. Nimirum

*Matth.9. v.12.*

cœleſtis his Protomedicus, [ qui de ipſo dixit: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus* ] id utique probe ſciebat, quia tamen omnis illius actio, noſtra debebat eſſe inſtructio, ideo hiſce verbis inſinuare nobis voluit, primariam & maximam curam noſtram ad id contendere debere, ut prius animæ procuremus ſalutem, utpote cujus integritas etiam in corporis ſanitatem redundat. Unde doctiſſimus Salmeron ideo id Chriſtum feciſſe dicit: *ut doceat quanto

*Salm. t.6. tr.14.*

plus referat curare animam quam corpus, & quam pejus ſit peccatum omni infirmitate, vel etiam ut nobis indicet, quod tamquam peritus medicus prius mali radicem quam malum ipſum è medio tollere voluerit.* Unde ſancta mater Eccleſia in oratione ſecreta Feriæ quartæ poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ ita Deũ orat: *ſupplices te rogamus omnipotens Deus, ut his ſacrificijs peccata noſtra mundentur, quia tunc nobis tribuis & mentis & corporis ſanitatem.* Et S. Hie-

*S.Hier. in Matth.ibid.*

ron. expreſſius ait: *Datur nobis intelligentia propter peccata pleraſque evenire corporum debilitates, & idcirco dimittantur prius peccata, ut cauſis debilitatis ablatis ſanitas reſtituatur*; Et ita revera hic accidit, quia protinus ut dixit Dominus: *Remittuntur tibi peccata tua, ſurrexit.* At vero quodnam putas in eo latet myſterium quod paralyticus hic ſibi à Chriſto remiſſionem & indulgentiam plenariam peccatorum ſuorum concedi & impertiri audiens, quam ſuper quemvis theſaurum, & pluris quam ſanitatem corporalem, imo plus quam omnia hujus terræ regna & monarchias æſtimare debebat, attamen pro hac gratia ne vel minimo verbo ſeſe exhibuerit gratum? unica hujus cauſa eſt quam S. Petrus Chryſologus in hunc locum

*S.P.Chryſol. ſerm.50.*

aſſignat dicens: *Audit veniam & tacet paralyticus, nec ullam reſpondet gratiam; quia plus corporis quam animæ tendebat ad curam.*

Pauci curant animæ ſanitatem.

5. In Actibus Apoſtolorum, ingens populi multitudo ad Petrum adeo prodigioſa miracula operantem, ut vel ſola corporis ſui umbra ad ea edenda ſuffecerit, confluxiſſe, eumque conſtanter inſecuta

*Act.5.v.14. & 15.*

fuiſſe ſcribitur: Quiſnam obſecro hujus in tanto numero concurrentis populi finis erat? Num forte ut ejus audirent prædicationem? aut ut veluti clavium poteſtatem ubique circumferens cœlum illis reſeraret? vel ut peccatorum ab eo remiſſionem obtinerent, ſiquidem omnis pleniſſime abſolvendi poteſtas in eo perſpicue relucebat? Nequaquam. Cur ergo? Cauſam textus ſacer ſubindicat; Poſtquam enim dixiſſet: *Mul-

*Luc.6.v.17.*

titudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis* confeſtim quo fine convenerit, exponit dicens: *ut . . . ſanarentur à languoribus ſuis*; *Et omnis turba quærebat eum tangere? quamobrem? quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes.* Quis in tanta hominum multitudine pro animæ ſuæ ſalute ad Chriſtum confugit? unica dumtaxat Maria Magdalena, unicus in monte Calvario cum Chriſto in Crucem actus latro, & alij perpauci.

*Ibid. v.18. Ibid. v.19.*

Animæ potior cura habenda.

6. Hugo Cardinalis ingenioſè obſervat, quod Spiritus Sanctus Filios Iſraël qui in Ægypto variè multiplicati fuerunt, non homines ſed animas appellet: *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de fœmore Jacob &c.* Circa quæ verba idem Eminen-

*Exod.1.v.5.*

tiſſimus Hugo ita ſcribit: *Dominus homines animas vocat potius, quam corpora, per hoc inſinuans curam animarum potius quam corporum eſſè gerendam; unde Dominus primo venit propter animas; ſecundo propter corpora reformanda venturus.*

*Hug. Card. in ex.1.*

7. Regum Sapientiſſimus Salomon Chriſti venturi veriſſimus typus: *Ecce plus quam Salomon hic*, prius templum futuram Dei domum erexit, in illudque ſumptus incomparabiliter liberaliores majuſque temporis ſpatium impendit, quam in regium ſuum Palatium quod poſtea pro perſonæ ſuæ regiæ incolatu fabricavit, quod haud dubie eo fine ab ipſo factum eſt [ ſiquidem *Omnia in figura contingebant eis* ] ut per hoc nobis tacitus inſinuaret, primam curam noſtram habendam eſſe de anima, quæ verum Dei templum eſt: *Templum Dei quod eſtis vos*, ſecundo vero loco corpus curandum eſſe, quod licet pro brevi tempore, domicilium & habitaculum eſt animæ noſtræ. Etenim eos qui contrarium faciunt D. Chryſoſtomus ſequentibus verbis reprehendit, dicens: *Corpus curabis ut animam perdas? quam præclara eſt nundinatio tua? Corporis conditorem exercebas Deum*; ac demum illam adducit S. Apoſtoli Pauli proteſtationem: *Certus ſum quia neque mors, neque vita &c.* dicitque: *Illum non Angeli, non virtutes, non inſtantia, non futura, non alia Creatura à Charitate Chriſti ſeparat, & te cura corporis ad defectionem impellit.*

*3.Reg.6.7. Matth. 12. v.42.*

Et prima.

*Chryſoſt.t.1. h.36. adv. Juda.*

*Rom.8.v.38.*

Sed luteum prævalet corpus.

8. B. Laurentius Juſtinianus quoque in libello quem de morte ſpirituali animæ compoſuit, illos qui Corpus animæ præhabent, erubeſcere facit, dum ſequentibus verbis illis eorum facinus graphicè improperat: *Cum juxta humanæ uſum prudentiæ deteſtabile plurimum ſit, neglectis margaritis & gemmis, lapidum, qui ſternuntur in via, curam gerere, longe reprehenſibilius eſſè arbitror, contempta vita animæ, in ſola corporis incolumitate laborare.*

*B. L. Juſt. proœ. in libel. de Spir. an. inter.*

Quod noſtræ repugnat menti ac mortẽ animæ infert.

9. Quiſnam obſecro vitæ ſuæ adeo prodigus inveniri poterit qui juratum hoſtem & traditorem ſuum, à quo ſibi ſimul cum vita facultates omnes & boni nominis ſui exiſtimationem eripiendam eſſe novit, blande excipiat, & in delicijs & voluptatibus enutrire non vereatur? Maximus inimicus quem in hac vita ſuſtinere cogimur eſt mortale hoc corpus noſtrum, utpote quod æternam animæ mortem conciliat, de quo proinde S. Ambroſius unumquemque his verbis admonet: *Non credamus nos huic corpori non miſceamus cum eo animam noſtram, cum amico, inquit, miſce animam tuam non cum inimico, inimicum tibi eſt corpus tuum quod repugnat menti tuæ.* Vultiſne videre quanta ſit hujuſce traditoris ingratitudo? Audite eam paucis quidem, ſed nervoſis verbis explicantem S. Ambroſium, dum ait: *Anima vitam corpori tradit, caro autem mortem animæ transfundit.*

*S.Ambr. l.de bon.mort.c.7.*

Hoſtis hic taliter amatus.

10. Huic à S. Ambroſio tradito monito valde conforme eſt, quod Doctor Seraphicus eadem de re ſcribens

S Bon. t. 7. ſolil. c. 1.

bens aſſerit, Dicit enim: *Habes ô anima mea inimicum domeſticum, hoſtem amicum, adverſarium propinquum; qui tibi malum pro bono reddidit, & ſub ſpecie amicitiæ crudelior exiſtens infinitis bonis te privavit. Hic hoſtis eſt caro infelix, multum tibi dilecta, hanc cum paviſti inimicum peſſimum contra te erexiſti.*

Ornatur.

11. Quam nobis eſſe debeat, quando de animæ damno agitur, à corporis noſtri inordinato affectu alienus animus, S. Ambroſius nobis efficaciter inculcare ſatagit; Et quidem circa illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, de hoc ſupremo artifice qui animam hoc modo creavit, loquens tale conficit argumentum: *Quis hoc dicit? Nonne Deus qui te fecit? Quid eſt Deus? caro an Spiritus? non caro utique ſed Spiritus*; Cum igitur homo ad imaginem Dei conditus ſit propter animam, non vero ratione corporis, utrum inter duo hæc apud nos præcellere & in majori æſtimatione haberi debet, Corpuſne? an vero anima? Non dubito quin niſi ſtolidus cenſeri velis, pro anima ſis pronuntiaturus præcellentiæ ſententiam, atque ideo D. Chryſoſtomus contrarium ſtulte facientes hoc argumento exagitat: *An non abſurdum tantam habere curam rerum corporalium, ut appetente feſto multis ante diebus veſtem è ſcrinijs depromptam diligenter appares, emis calceamenta, menſa largior ſplendidiorque paretur, denique variam undique rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipſum ornes, nitidumque reddas, animæ vero neglectæ ſordentis, fame contabeſcentis nullum habere reſpectum; cum ſola maneat impura, ac corpus nitidum?*

Gen. 1. v. 26.

S. Amb. t. 1. l. 6. exam. c. 7

Chryſ. h. 31. de b. Philog.

Alitur.

12. Præterea in delicatos exquiſitoſque, quos unuſquiſque quotidie juxta ſtatum & conditionem ſuam corpori ſuo nutriendo præparare ſolet cibos, mentis noſtræ oculos dirigamus: econtra vero conſideremus, quodnam quotidie præparetur & provideatur animæ alimentum. Hugo Cardinalis ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Qui non accepit in vano animam ſuam*; ita ſcribit: *Corpus nemo accipit in vanum, ſed bene curat illud, animam vero relinquit incultam, aridam, jejunam; & miſeram. O rem mirandam!* (exclamat proinde non immerito D. Chryſoſtomus) *quomodo omnes præſentibus rebus inhiant, & futurarum intelligentiam numquam accipiunt, ſed ad corporeas quidem voluptates jugiter feruntur, animas vero fame contabeſcere ſinunt.* Quemnam verò animæ cibum eſſe exiſtimas? loquatur hac de re S. Bernardinus: *Gratia Dei*, inquit, *eſt animæ cibus, quæ quanto amplius creſcit, tanto majus deſiderium inardeſcit*; Similiter animæ cibus eſt ſanctiſſimum Altaris Sacramentum, nec non verbum Dei devote lectum, aut attenta aure auſcultatum: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Quam negligenter autem hæc alimenta ad ſubminiſtrandum aliquem animæ vigorem procurentur; de hoc S. Ambroſium audiamus ita loquentem: *In homine interiori facti ſumus ad imaginem Dei, in carne autem de limo terræ formati ſumus, & videte fratres, ſi juſtum eſt, ut caro de terra facta interdum bis in die capiat cibum, & anima noſtra imago Dei vix vel poſt plures dies accipiat Dei verbum, cum tamen expediat nobis, ut amplius Dei imaginem quam noſtram carnem honorare debeamus, qui enim de ſola carne cogitant; beſtijs & pecoribus ſimiles ſunt, & qui ita agunt, jam in ſe Dei imaginem contriverunt.* S. Baſilius quoque hanc animæ cibandæ curam inſtantiſſime urget, ſuadetque ut quotieſcumque corpus paſcimus, de anima quoque refocillanda ſerio cogitemus. *Quandocumque*, inquit, *corpus eſurit, & nutrimentum appetit, cogita & animam tuam ſuo tunc cibo neceſſario refocillari velle, & quemadmodum corpus, niſi pane ſuſtentetur, vivere nequit, ſic & anima niſi ſpiritualis ſapientiæ alimento reficiatur, mortua eſt.*

Pſ. 23. v. 4. Hug. Card. ib.

Chryſ. h. de cant. t. 9.

Animæ cibus gratia & Euchar.

S. Bern. t. 3. D. 5. Epi. ſerm. 5. art. 2.

S. Amb. t. 5. ſerm. 25. in die cin.

S. Baſil. de compunct. ani.

Anima ornari debet.

13. Quod ſi de veſtimentis corporis loqui velimus, quis eſt qui clare non videat, quanto major cura adhibeatur in hoc adornando, quam in expolienda & venuſtanda anima noſtra? S. Bernardus inquit: *Cur carnem tuam pretioſis rebus adornas & impinguas, quam poſt paucos dies Vermes devoraturi ſunt in ſepulchro; animam vero tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo & Angelis ejus præſentanda eſt in cælis, quare carnem tuam non vilipendis & ei animam tuam præponis?*

S. Bern. c. 3. de dign. an. in med.

14. Notandum hoc loco eſt, quod poſtquam nos Apoſtolus, quænam elegans animæ veſtis ſit, docuiſſet, dicendo: *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum*, protinus ſubjungat: *Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs.*

Rom 13. v. 14.

Hiſtoria.

15. In vitis Patrum de ſancto quodam Eremita ſcribitur, quod cum Cellam ſuam egreſſus forte fortuito mulierem quamdam elegantiſſime exornatam habuiſſet obviam, intra ſemetipſum ſuſpirans propriam tacitus reprehenderit animam, dolendo quod illam non ijs adornaſſet virtutibus Chriſtianis, ut Deo magis placere poſſet, ſicut hæc mulier corpus ſuum ſumma cum aſſiduitate compoſuerat, cultiſſimoque mundo muliebri condecorarat, ut placeret hominibus, ſeu potius incautas animas ſeduceret.

Anima mundari debet. Phil. Heb.

16. Philo Hebræus aliam quamdam conſiderationem in hac materia adducit; Dicit enim: *Corpora quidem abluuntur lavacris & pacificationibus; affectiones verò animæ, quibus vita ſordidatur, nec volunt, nec curant eluere, & ut candidati templa ſubeant, dant operam diligenter, emaculatis amiciri veſtibus, mentem verò maculoſam in ipſa ſacraria penitiſſima inferre non verentur.*

Similitudo.

17. Porro irreparabilia quæ nobis ipſis conciliamus damna, dum corpori tanta cum ſolicitudine, cum notabili animæ præjudicio proſpicimus ſequenti haud inepta ſimilitudine ſufficienter exprimi poſſe videntur; ſi enim quiſpiam ex febri maligna ad mortem uſque languidus, ingentis ſumptus pacto ſtipendio Chirurgos, Medicos, & Pharmacopolas ſibi conduceret, medicinasque ſibi pretij inæſtimabilis non alio fine ſibi præparari juberet, quam ut latens intra venas venenum nutrire, malignisque humoribus à quibus lethifera illa febris vel maxime accenditur, vigorem, majoreſque impetus adſciſcere poſſit, numquid illum fatuum eſſe diceret & plane delirum, utpote qui toto animi conatu ad mortem ſuſpirat & anhelat? Eadem verò prorſus eſt malorum Chriſtianorum phræneſis, qui nulli rei adeo ſtudioſè incumbunt, quam ut corpus ſuum deliciarum blandimentis delinire, ſuæque ſenſualitatis ſatisfaciendo & inordinatos appetitus exatiando, peccantes humores fovere & adaugere poſſint, ſiquidem *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, adeoque corpus animam ad infernum protrahit & ad mortem æternam.

Sap. 9. v. 15.

Joa. 12. 25. Corpus curare ſtudemus & non animam.

18. Chriſtus Salvator noſter inquit: *Qui amat animam ſuam, perdet eam*; Quibus in verbis hoc vel maxime mirandum eſt, cur ſcilicet Chriſtus corpus animæ nomine appellare voluerit, ac proinde hujus nomenclaturæ cauſa merito inveſtiganda venit; Cauſa autem illa præcipuè eſſe poterit, quam venerab. Beda his verbis tangit: *Anima cum carnalia bona adhuc appetit, caro nominatur*; Hoc autem ſuppoſito nova quæſtio exurgit, quidnam Salvator per hoc Conſilium Evangelicum dicere voluerit? ſed audite S. Bernardum optime ad hoc propoſitum his verbis loquentem: *Probabis Chriſti diſcipulum, eam perdendo ſalubriter, & quidem prudentius eam perdis ut cuſtodias, quam cuſtodias ut perdas, nam qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam; Quid hic vos dicitis obſervatores ciborum, morum neglectores? audi quid de ipſa Medici noſtri ſentiant; ſapientia, inquiunt, carnis, mors eſt; Item Sapientia carnis, inimica eſt Deo*; utinam pari cura, qua corpus tractamus etiam animæ noſtræ proſpiceremus! Quanta providentia ſeu ut magis propriè loquar, prævidentia circa corporis curam adhibetur? Infirmitates præveniuntur, dum eas contrahendi omnis occaſio præſcinditur; Corpus enim verno tempore ritè purgando, quæ homini accidere poſſent infirmitates per debitam prævidentiam proſpiciuntur: at vero ut S. Gregorius Nyſſenus optime ait: *Abſurdum eſt, cum illi, qui corporis valetudinis rationem habent, ſeipſos expurgant ante caniculæ exortum, ne quod humidum in illis eſt, vehementi ipſius ardore corrumpatur, & morbos pariat; eos qui animæ curam gerunt incertum mortis diem antevertere, & ardorem excruciantis illius ignis, qui in æternum comburit.*

Bed. ad Theſ. 6.

S. Bern. ſer. 30. in Cant.

Nyſſen. in eos qui acerbè jud. c. fin.

Animæ cura negligitur.

19. Quanta cum celeritate properare jubentur Medici, quando aliquod timetur imminentis morbi principium? quot medicinæ, quantumvis amaræ, ultro citroque degluttiuntur? quot difficiles dietæ medicæ obſervantur, tantum ut per ſuſpicionem apprehenſo morbo omnis amputetur via vel occaſio? Inciſiones, membrorum amputationes, cucurbitæ ignitæ, cunctaque alia tormenta libenter ſuſtinemus, eo tantum fine ut corporis valetudo ſarta tecta reſtituatur; cum tamen ut S. Auguſtinus ait: *Non ſunt medicamenta iſta, ſed tormenta*: at vero cum anima infirmatur, cum occaſione culpæ commiſſæ lethiferam ſibi adſcivit infirmitatem, ejus remedium & medicina, Confeſſio nimirum Sacramentalis, ſeu Sacra-

S. Aug. l. 22. de civ. Dei c. 20.



Sacramentum Pœnitentiæ, auſteritates corporales, jejunia, orationes, & quævis alia ad reſtituendam ſanitatem oportuna remedia in ſeptimanas, menſes, imo & annos ſæpiſſime ſuſpenduntur & tardantur, unde D. Chryſoſtomus ait: *Quam defenſionem habebimus? aut quam veniam? cum corporis ægrotantis, ubi & argentum expendendum eſt, & Medici accerſendi, & dolor magnus perferendus, tantam habeamus curam, animam vero negligamus.* Conſidera diſpendia, quæ pro corporis ſalute recuperanda libenter ſubimus, cum tamen ex altera parte tanta in ſananda anima facilitas adſit: *Præſertim* [inquit proinde idem D. Chryſoſtomus] *neque argentum expenſuri, neque negotium alijs exhibituri, neque dolores ſubituri, ſed abſque his omnibus electione & voluntate ſola omnino corrigere nos ipſi valentes? & exactè ſcientes, quid niſi id fecerimus extremum luituri ſumus ſupplicium.*

Chryſ. t. 6. h. de ann.

20. Denique quid infirmus aliquis pro corporis ſalute recuperanda ſuſtineat S. Thomas de Villa nova his verbis egregiè deſcribit: *O ſi ſanandis animæ paſſionibus eam adhiberemus curam, quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus; quid non ſuſtinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda ſalute? Atroces uſtiones, horribiles inciſiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles reputat, dummodo concupitam recuperet ſanitatem, ſed ſi animæ languor curandus eſt: quidquid injungitur duriſſimum eſt: modico vino abſtinere non ſuſtinet lubricus; exiguo lucro privari non ſuſtinet avarus, ſed modicum humiliari non tolerat ambitioſus, flocci-penditur animæ perpetua vita, & mortalis corporis amittenda ſalus ſupra modum diligitur.*

S. Thom. Vill. fer. 6. D. 4. Quad.

## DISCURSUS XVIII.

### ARGUMENTUM.

Anima in bonis hiſce terrenis perditur, dum æterna negliguntur; Reprehenditur quoque modica animæ æſtimatio in comparatione ad alias res temporales.

### THEMA.

*Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cujus erunt?* Luc. 12. ℣. 20.

Terrenis immerſa anima perditur.

1. Salvator noſter in hac de divite ſapientiſſimè concinnata parabola clare nobis demonſtrat, damnationem miſeræ hujus animæ ſolum ab affectu nimio, quo bonis hiſce terrenis immerſus erat, ſuam traxiſſe originem, ſiquidem dives ille poſt illatam horreo ſuo diverſi generis ſegetum copioſiſſimam meſſem hiſce verbis animam ſuam alloquebatur: *Dicam animæ meæ: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare: Dixit autem illi Deus; ſtulte &c.* Ubi clare videtur quod dives ille mox ut ſe bonis hiſce temporalibus per nimiam animæ ſuæ adhæſionem & applicationem immerſit, mox decretoriam damnationis ſuæ audierit ſententiam, ut exinde perſpicuè intelligeremus, quod unicus ſcopulus, qui in vaſto hujus vitæ mari multas, imo innumerabiles animas naufragari facit, ſit nimia bonorum temporalium æſtimatio, nimiusque affectus, quo erga illa magis quam erga animæ ſalutem ferimur.

Luca 12. 19.

Exanime corpus ſe erigere non poteſt.

2. Anima corpus hoc noſtrum ita informat & organizat, ut facie præſertim & oculis cœlum verſus ſurſum erectum ſit, quod in alijs animantibus brutis minime conſpicitur: idem vero corpus, mox ut anima ab eodem ſeparatur, in terram corruit, & ſuper illius faciem extenditur, nec ſurſum ſe valet erigere. Scirenè cupitis quodnam in eo lateat myſterium? inquit Dionyſius Carthuſianus: *Staturæ eſt erectæ ad innuendum quod anima ejus creata eſt ad contemplandum & diligendum cæleſtia & divina.* Porro poſt creationem ſuam homo mox jumentis ſimilis effectus eſt; *Cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis*; quænam autem abominandæ hujus metamorphoſeos cauſa fuit? nimirum oculos ſuos à cœlo avertens in pomum conjecit, ſibique è manu ſua amplum illud cœlorum regnum elabi permiſit, pluris tranſitoriam pomi dulcedinem quam Deum fecit; & ideo mirum non eſt quod nimiam hanc animæ ad terrena adhæſionem in univerſam à ſe deſcendentem progeniem transfuderit: Unde David lamentabatur dicens: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Conglutinatus eſt in terra venter noſter*; Et ideo homo bonis hiſce temporalibus tenaciter adeo adhæreſcens dicere poteſt: *Miſer factus ſum & curvatus*, ad terrena nimirum, ut ibidem Hugo Cardinalis ait; tametſi enim terræ corpore tenus affixi non ſunt, affiguntur tamen & tenaciſſime quidem affectu animi & amore.

D. Carth. in c. 2. Gen.

Pſ. 48. v. 13.

Pſ. 16. v. 11. Pſ. 43. v. 25.

Pſ. 37. v. 7. Hug. Card.



3. Dives ille animam & ventrem ſuum unam eamdemque rem eſſe credebat, atque ideo ac ſi nulla animam inter & corpus diſtinctio eſſet, dicere audebat: *anima mea comede, bibe, & epulare.* Ubi S. Baſilius ait: *O verba ſtultiſſima, nam ſi porcinam habuiſſet animam, quid aliud ipſi enunciare potuiſſet? Tam improvidus eſt circa bona animæ, ut eſcas corporeas animæ adſcribat.* Nimirum miſer ille veritatem illam non intelligebat, quæ tametſi ſenſualitati corporis ardua eſſe videatur & difficilis, rationi tamen & diſcurſui valde eſt conſentanea & conformis & ab eodem Sancto his verbis exprimitur: *Animæ theſaurus corporis egeſtas eſt, eo enim diteſcente illam ſumma penuria laborare oportet*; Jure merito idipſum S. Baſilius dicebat, utpote qui in ſemetipſo illud expertus fuerat, de quo proinde in ſuis lectionibus legimus, quod *tantum ſpiritu vivens, præter oſſa & pellem, nulla præterea corporis parte conſtare videretur*: Et hinc eſt quod animam ſuam immaculatam ſemper conſervaverit, ſanctamque effecerit.

Luca 12. 19. S. Baſil. h. 6. de divit.

Or. 22. de an.

4. Anima in pluribus Sacræ Scripturæ locis ſpiritus appellatur: *Exibit ſpiritus ejus & revertetur in terram ſuam*; *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, Atque ideo notandum quod quando Chriſtus octo beatitudines recenſens, primam illarum pauperibus attribuit, non ſine cauſa adjunxerit: *Spiritu*, *Beati pauperes ſpiritu*, ſed per ejuſcemodi pauperes, illos intellexit, qui ſecundùm animam ab omnibus hiſce caducis & terrenis bonis alieni exiſtunt; Unde S. Bern. ait: *Pauperes ſpiritu, id eſt, ſpirituali voluntate, ſpirituali intentione, deſiderio ſpirituali.*

Pſ. 145. v. 4. Matth. 26. v. 41.

Spiritu pauperes qui terrena deſpiciunt.

Matth. 5. 3. S. Bern. ſerm. in feſt. om. Sanct.

5. S. Auguſtinus ad hoc ſe reflectit quod pauper & mendicus Lazarus paupertatis ſuæ præmio fruiturus ab Angelis in Abrahæ ſinum delatus fuerit, cum tamen nemo ſit qui Abrahamum opulentiſſimum fuiſſe neſciat: *Lazarus pauper fuit, ſed is in cujus ſinum levatus eſt, dives fuit, contigit mori inopem illum, & auferri ab Angelis; quo? in ſinum Abrahæ*: mox vero ſubjungit: *Abraham licet opulentiſſimus fuerit, dives tamen pauper fuit*, quaſi dicere vellet: Magnus hic patriarcha dives ſimul & pauper fuit, idque ut in illo diſceremus, quod paupertas non in defectu divitiarum conſiſtat, ſed in illarum contemptu, quodque illas poſſidens animo ſuo illis minime adhæreat: Unde tandem hanc doctrina & ſanctitate ſua dignam ſtatuit ſententiam: *Non enim arca ſine nummis, ſed animus pauperem reddit.* Et ideo quod ſanctus Hieronymus de anima carnis affectibus immerſa dicit, nos quoque de eadem anima bonis terræ hujus nimis tenaciter adhæreſcente aſſerere poſſumus; Prædictus enim ſanctus Doctor differentiam quæ eſt inter hæc nomina, *Anima*, & *Spiritus*, examinans, ſequenti illam ſimilitudine declarat, dicens: *Sit, caro terra, anima aurum, ſpiritus ignis vocetur: quamdiu aurum fuerit in terra, perdit vocabulum ſuum, & à terra, cui commixtum eſt, appellatur; cum vero ſeparatum ab humo, auri & nomen & ſpeciem acceperit, aurum quidem dicitur, ſed necdum probatum: Si autem per ignem excoctum fuerit, & purgatum, tunc auri ſplendorem, & ornatus ſui accipit dignitatem*, quæ omnia demum animæ noſtræ applicat mira prorſus cum proportione; Dicit enim: *Ita & anima inter humum & ignem, hoc eſt, inter carnem ſpiritumque ſubſiſtens, quando ſe tradiderit carni, caro dicitur, quando ſpiritui, ſpiritus appellatur*: Et quidem idipſum de terrenis affectibus dicere poſſumus: Sicut enim aurum quamdiu terræ commixtum eſt, auri nomen non habet, ita quoque anima, quamdiu bonis temporalibus & terrenis immerſa conſpicitur, ſpiritus nomen minime meretur; Et ideo quando anima ſpiritus potius quam caro dici mereatur S. Ambroſius his nobis verbis declarat: *Ut poſſit quis dicere*, inquit, *anima mea in manibus meis ſemper erit, non in carne ſit, ſed in ſpiritu: ſed quando hoc fiet? Erit, ſi ſe terrenis non immiſceat.*

S. Auguſt. ſerm. 120.

Luc. 16. 22.

S. Hier. t. 9. in c. 5. ad Gal.

S. Ambr. t. 2. in c. 52. Iſa.

Terrenũ corpus terrenos affectus animæ communicat.

6. Verum enimvero nequaquam mirandum eſt, quod anima quamdiu corpori huic agglutinata eſt, bonis hiſce terrenis adhæreſcat, ſiquidem Tertullianus hominem ſignificanter hoc nomine appellat: *Limus titulo hominis inciſus*; Pro cujus nominis meliori intelligentia in memoriam revocandum eſt, ex quanam præcipue materia fabricatum in principio mundi fuerit corpus humanum; *Formavit igitur Dominus Deus hominem*, inquit ſacer textus, *de limo terræ*, non dicit *de terra*, ſed de *limo* ſeu luto, quod

Tertull. de reſ. car. c. 16.

Gen. 2. v. 7.

quod communiter valde tenaciter ei, cui conjungitur adhæreſcit; quid igitur mirum ſi anima corpori unita nonnihil de terra participet? Verum dicet fortaſſe aliquis numquid homo mixtum quoddam eſt ex quatuor elementis compoſitum? Cur igitur Moyſes ſolum de terra formatum eſſe aſſerit? Dionyſius

D. Carth. ibid.

Carthuſianus ait: *Non quod corpus illud non fuerit ex quatuor elementis compoſitum, ſed ideo limum terræ expreſſit, quoniam terra ſecundùm quantitatem abundat in corpore*, ac proinde veriſſimum ſemper eſt,

Sap. 9. v. 15.

quod Sapiens ait: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*: Corpus enim quod propter terram adeo in homine prædominantem, ponderoſum adeo eſt & grave, ſuos quoque affectus terrenos etiam animæ quadantenus communicat, à quibus illa deprimitur. Unde Cajetanus ait: *Gravitas corporis humani teſtatur illud eſſe terreſtre.*

Cajet. ibid.

Anima terrenis immerſa nõ repræſentat imaginem Dei.

Luc. 15. v. 8.

Hug. Card. ibid.

7. Mulier illa Evangelica, quæ drachmam ſuam perdiderat, ubinam quæſo illam amiſit, niſi inter terræ immunditics & ſordes? At vero *Per drachmam*, ut Hugo Cardinalis ait, *Significatur qualibet anima imagine Dei inſignita*; Sicut enim drachma aut quævis alia moneta impreſſam ſibi Principis, à quo cudi jubetur, defert imaginem, ita anima Creatoris ſui imagine inſignita creata fuit: *Peccator autem*, ut Salmeron ad præſens propoſitum aptiſſime ait: *recedens à gratia, in quo imago Dei pulvere terrenorum operitur, luto carnis inquinatur.* Dic ſodes, quomodo ſpeculum ſordibus turpiter coinquinatum, ejus qui in illud conſpicit, imaginem referre aut reflectere poterit? Multo minus anima noſtra per affectum & amorem ſuum bonis terrenis immerſa Dei Creatoris ſui imaginem repræſentare valeat. *Drachma perijt*, inquit ſanctus Hieronymus, *ſed in ſtercore invenitur*; *Ecce ubi anima noſtra à nobis amittatur*; Et ideo S. Bernardinus ut ab uniuſcujuſque hominis anima intelligi poſſit, exclamat dicens: *Erubeſce volutari in cœno, quæ de cœlo es.*

Salm. t. 7. tr. 26.

S. Hier.

S. Bern. ſerm. 24. in Cant.

8. Clemens Alexandrinus lib. 4. ſtromatum ait: *Hoc eſt invenire animam, noſſe ſeipſum.* Refert Berchorius, quod Alexandro Magno præſentata gemma quædam fuerit ea virtute & naturali proprietate prædita, ut in bilancem ſeu libram poſita, cujuſvis alterius rei ponderi, etiam immenſo, imo vaſtiſſimo cuidam monti præponderaret, ita tamen, ut dum eidem gemmæ vel modicum quid pulveris inſpergebatur, ſubito hanc ſuam miram virtutem amiſerit; quod ſi vere ita eſt, aptior hac gemma animæ noſtræ figura inveniri minimè poterit; Hæc enim à Deo cum tali virtute & valore creata fuit, ut univerſus mundus ei comparatus eidem præponderare non poſſit, prouti in ſequenti Diſcurſu prolixius videbimus, imo ut in Diſcurſu II. diximus, ſui pondere & æſtimatione omnia creata in immenſum excedit, quia Deus ipſe *dedit omnia quæ habuit, & emit eam*; imo ſemetipſum quantus eſt, eidem comparandæ ſuperimpendit: Verumtamen ſi vel minimo pulveris atomo, id eſt, affectu quodam terreno contaminetur, hic ipſam omne pretium amittere facit. Et ideo Eccleſiaſticus ait: *Omnis autem ponderatio, non eſt digna continentis animæ*, In qua ſententia notanda eſt dictio illa, *continentis*, per hanc enim Sapiens vult ſignificare, tunc animam hoc in ſe pondus & pretium habere, quando pura, munda & immaculata eſt, & ideo paulò ante dixerat: *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata*, tunc enim vere pondus ſanctuarij; id eſt, æſtimationem & valorem quaſi infinitum in ſe continet, quando pura eſt & immaculata.

Berch. in dict. v. an.

Anima terrenis inquinata pretiũ amittis.

Eccli. 26. v. 20.

Eccli. 26. 19.

Cœlum eſt patria noſtra.

S. Iſid. l. 1. de ſumm. bono.

9. S. Iſidorus hominis ad quævis alia ſe applicantis, & tantum theſaurum, qualis anima eſt, negligentis dementiam obſtupeſcens, dicit: *O Homo quid miraris ſyderum altitudines, & profunditatem maris? Animi tui abyſſum intra & mirare, ſi potes.* Nos quidem in cœlum oculos noſtros defigimus, ut curſum obſervemus ſtellarum & planetarum, non vero ut conſideremus, quod cœlum patria noſtra ſit, quodque non cœleſtes tantum ſphæræ, ſed & Empyreum creatum ſit in habitaculum, imo & in Paradiſum deliciarum animæ noſtræ; *Non in hoc terræ puncto*, inquit Boëtius, ſed *in cœlo propaganda gloria.* S. Ignatius Illuſtriſſimæ ſocietatis Jeſu ſanctiſſimus Patriarcha, dum in devota & attenta contemplatione cœlum ex una, terram vero ex altera parte conſideraret, dicebat: *O quam mihi ſordet terra, dum cœlum aſpicio.* S. Bernardinus delectationem quam anima ex his bonis terrenis concipit, negligendo interca bona illa ob quorum fruitionem creata fuit, conſiderans, exclamat: *O dementia admiratione cœleſtium & terreſtrium digna, quærere ſtabulum & dimittere cœlum.*

S. Bern. t. 1. ſerm 51. a. 2.

10. D. Chryſoſtomus Philoſophum quemdam fuiſſe refert, qui in domum quamdam viri præpotentis auro ubique fulgentem, marmoribus elegantiſſime incruſtatam, columnis pretioſiſſimis ſuffultam, quaquaverſum peripetaſmatibus tapetibuſque phrygio opere artificioſiſſime elaboratis veſtitam ingreſſus, videnſque pavimentum inſuper ſtragulis magno pretio æſtimatis, ubique contectum, in faciem expuit Domini domus, cumque de hac inurbanitate ab eodem graviter reprehenderetur, confeſtim ſe excuſavit dicendo, *ideo ſe faciem illius hac contumelia affeciſſe, quod nuſquam alibi in domo id facere liceret*, nuſquam enim in hac ubique tam eleganter exornata domo locum invenire potuit viliorem, quam vultum Domini illam incolentis; Ex qua hiſtoria ſanctus Doctor egregiam elicit moralitatem ad condemnandum illos, qui nulli alteri rei tantam adhibent operam & ſtudium quam ut bona ſibi terrena acquirant ad delicioſe tractandum corpus, dum interea pretioſiſſimam illis à Deo inditam animam marcidam & emaciatam prorſus negligunt; *Vide*, inquit, *quam ſit ridiculus, qui exteriora nimis ſolicite exornet, & apud omnes qui mentis compotes ſunt; eſt contemptibilis; & merito ſane; nam cum parietes quidem & ſolum, aliaque omnia accurate exornes, animam vero velut pannis obſitam, ſqualentem, jejunantem; plenam vulneribus, ab innumerabilibus canibus laceratam negligas, quodnam ſupplicium non ſuſtinebis.*

Chryſoſt t. 6. hom. de ana. Hiſtoria.

Animæ ornatus negligitur.

11. Sanctus Baſilius ſuper illa verba Pſalmi: *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem*, ſcribens, conſiderationem quamdam adducit, à præcedenti parum differentem; Dicit enim: *Quid quæſo tantopere adornas; foveſque quod paulò poſt eſt interiturum? Quid teipſum ſaginas & carnibus gravas, an ignoras, quanto pinguius tibi corpus, tanto graviorem animæ tuæ carcerem conſtituis?* Quod ſi Regem aliquem inter aulæa regia, & in penetralibus reconditioribus equos, aliaque jumenta aſſervantem, ſibi vero ſtabulum pro ſua manſione eligentem videres, quid diceres; & tamen eadem ſtultitia quotidie à tot committitur Chriſtianis, qui corpori & ſenſibus ſuis exterioribus divitias, delicias, honores, voluptates, omniaque alia hujus vitæ bona accumulant, cum tamen ob hoc *Comparati ſimus jumentis inſipientibus*, animam vero intra ſtabulum ſqualentem negligunt, ſiquidem hæc in hoc corporis ergaſtulo putredine & immunditijs pleno abſque ulla bonorum auxiliorumque ſpiritualium & æternorum proviſione habitare cogitur; Quod enim illi commoditates & ſolatia præparentur temporalia, ut potior pars hominum indefeſſo ſtudio fecit, hoc nihil eſt aliud quam animam in ſtabulo inter immunditias, & fœtida ſtercora poſitam negligere, ſiquidem de his omnibus Apoſtolus optime dicit: *Omnia . . . arbitror ut ſtercora*, & ideo dum hoc facimus animam adeo nobilem velut brutum & irrationale quoddam animal tractamus, nam ut S. Hieronymus de homine optime dicit: *Abſque notitia Creatoris ſui homo pecus eſt*, quod aptè verbis illis conſonat: *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus*; anima enim dum bonorum ſpiritualium & æternorum conſiderationem ſeponit, in brutum mox pecus turpiter degenerare incipit.

Pſ. 29. v. 10.

Inter immunda relinquitur.

S. Baſil. in Pſ. 29.

Phil. 3. v. 8.

S. Hier. ad Heliod.

Pſ. 48. v. 13.

12. S. Bernardinus in bonis terrenis acquirendis & conſervandis tot circumſpectos, tot Argos inveniri conſiderans, qui in illis meliori quo poſſunt modo proficere ſatagunt, cum tamen in rebus ad animam ſpectantibus totidem talpæ ſint, ita de illis ſcribit: *Omnia quæ corporalia ſunt, ſive temporalia, ſi quærit homo, ſemper bona eſſe capit, bona illa poſtulat; ſive panem, ſive vinum; ſive indumentum; ſive aſinum, ſive equum, vel bovem, vel domum; nec tamen curat, ſi anima mala eſt*, apteque illa S. Auguſtini verba adducit, dicentis: *Rogo te, præpone animam tuam caligæ tuæ*; Et quidem ex quo hic domus mentio ſit, haud incpte hic mihi incidunt verba D. Chryſoſtomi de eodem propoſito ita ſcribentis: *An non abſurdum eſt, nos domum veterem ruinam medıantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accerſentes, denique nihil non facientes: domum autem Dei [nam Dei domus debet eſſe anima] ne vulgari quidem dignari cura.* Idem quoque ſanctus Doctor curam & ſolicitudinem conſiderat, quam mercatores ad augenda mercimonia ſua adhibere ſolent, noſque impensè exhortatur,

In rebus corporis Argi in bonis animæ talpæ ſumus.

S. Bern. t. 3. ſerm. de dig. an. c. 2. art 4.

Chryſ. t. 2. h. 3. de An.

ut



ut cum non minori ſtudio animas proximorum noſtrorum lucrifacere ſatagamus: *Quare obſecro*, inquit, *ſummo mane cum à domo exieritis, hanc unicam intentionem habeatis, & hoc ante omnia ſtudium, ut è periculis aliquem liberare poſſitis*, ubi de animæ, non vero corporis periculis loquitur, prouti ex verbis ejus ſequentibus clare deducitur: *Multo magis à periculo animæ, quod tentatione Diabolica hominibus inferri ſolet; Si enim mercator ut rem familiarem amplificet, terroris plena maria navigat: ſi opifices, ut rebus ſuis quidquam adjiciant, duros tolerant labores, & nos pariter ſaluti noſtræ ſalutem proximorum adjiciamus:* Quibus verbis ſanctus hic Doctor ſaluberrimum nobis tradit documentum, ut ſi in lucris adaugendis ſoliciti eſſe velimus, curam hanc in cumulandis animabus adhibeamus. At vero ſi animam noſtram nullo in pretio habemus, multo minus de proximorum animabus ſalvandis ſoliciti erimus.

Ibid.

Anima parvi æſtimatur.

13. S. Bernardinus ait: *Tam vilem æſtimat cupidus animam ſuam, quod quandoque pro uno denario dabit eam, imo quod nequius eſt ſæpius pro minus denario, vel pro nihilo; inter vendentes & ementes mendacia pernitioſa quandoque concurrunt, nulla venditione vel emptione completa*; Hujuſque tam parvæ æſtimationis, quam de anima habemus, aliam quamdam rationem hoc argumento adducit: *Terguntur caligæ & ſotulares cum inquinati ſunt, & anima multis ſceleribus inquinata ſordeſcit. Si videt armiger equum vulneratum ad mortem, etiamſi ſuus non ſit, dolens atque compatiens, ait: O magnum peccatum, nec tamen dolet, ſi multis peccatis mortalibus anima ſua, vel proximi vulnerata ſit.*

Matth. 15. v. 27.

Vilior apud quoſdam quã catellus.

13. Felices utique eſſemus, ſi eadem nobis eſſet de anima, quæ de vili aliquo catello æſtimatio, jam enim æterna ſalus noſtra in ſecuro poſita eſſet; *Catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum*, anima autem noſtra ſæpe contenta eſſet, ſi gaudere poſſet micis; quæ cadunt de menſa ſervi & mancipij ſui, id eſt, corporis; Poſtquam enim hoc omnia ſua accepit ſolatia, recreationes, quietem, ſtudium, refectiones in menſa, animæ noſtræ abunde ſufficeret, ſi vel modicum tempus adhiberemus in curam & refocillationem illius, tametſi etiam ex viginti quatuor horis, non niſi unica quotidie in illius applicaretur obſequium; Poſtquam corpus delicatis cibis paſtum eſt ſufficeret animæ, ſi de lautæ menſæ illius reliquijs, deque divitijs quæ ipſi ad delicias ſuas ſuperfluunt, etiam nonnihil inter pauperes diſtribueretur, ſufficeret inquam animæ, ſi aliqua illorum particula Deo aut egenis communicaretur; *Quod ſupereſt date eleëmoſynam*, atque vero neque hanc erga animam noſtram pietatem habemus, id quod in divite illo Epulone adimpletum eſſe clare videtur, de quo S. Auguſtinus in propoſito de ſtilla aquæ, quam is à Lazaro popoſcit ſcribens, dicit: *Qua fronte quæris guttam, qui noluiſti porrigere micam? juſte nunc exigeres, ſi dediſſes.*

Luc. 11. 41.

S. Aug. ſerm. 227. de temp.

14. Pſalmiſta regius poſtquam à Deo petiiſſet: *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Protinus reſpondet: *Innocens manibus & mundo corde*; At vero quiſnam eſt hanc innocentiam manuum, cum puritate cordis conjugendi aptior modus? *Qui non accepit in vano animam ſuam*; Verum in quonam conſiſtit hoc quod eſt non accepiſſe in vanum animam ſuam? Albertus Magnus dicit: *Vanum eſt culpa, imo nihil vanius, in vano animam accipit, qui ipſam ad mala perpetranda convertit.* Præterea juxta expoſitionem S. Hieronymi ab eodem relatam. *In vanum animam accipit, qui anima non utitur ad id, ad quod ipſam accepit*; Citat quoque authoritatem S. Bernardi in lib. de diligendo Deo ita ſcribentis: *In vanum accipis rationalem, dum inſtar pecoris ſenſum ſequeris, ratione otioſa.* Dion. Carthuſ. idipſum alio quodam in ſenſu exponit, dum ait: *Qui non neglexit implere id, propter quod anima ſua creata eſt, corporique infuſa.* Hug. Cardin. Pſalmiſtam ibi agere dicit contra otioſos & negligentes, ad Rom. 8. *Vanitati ſubjecta Creatura.* Richardus Pampolitan. ait: *In vanum accipit qui eam hujus vitæ illecebris ſubdit.* S. Bruno Carthuſianorum Patriarcha dicere voluiſſe inquit: *Si anima ejus aliquid vanitatis ex fragilitate carnis, vel per ſuggeſtionem impulſa cogitavit, in hoc non fuit ei acceptabilis, ut conſentiret, ſed omnino illud reſpuit.* At vero S. Auguſtinus ad propoſitum noſtrum præ cunctis alijs aptius reſpondet dicens: *Qui non in rebus non permanentibus deputavit animam ſuam ſed eam immortalem ſentiens, æternitatem ſtabilem atque immutabilem deſideravit.* Verumtamen ad concludendum Diſcurſum hunc conformiter ad id à quo illum incepimus, Albert. Magnus ait: *Animam in vanum acceperit*, qui dicebat Luc. 16. *Anima mea habes multa bona poſita in annos*, In vanum enim animam ſuam habet, qui eamdem una cum omnibus affectibus ſuis vanitatibus, id eſt, felicitati temporali immergit, de qua Monarcharum feliciſſimus conſitetur dicens: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

Pſ. 23. v. 3.

Ibid. v. 4.

Ibid v. 4.

Alb. M. ibid.

Hieron.

S. Bern.

D. Carth.

Hug. Card. Rom. 8. 20.

S. Brun.

S. Aug.



## DISCURSUS XIX.

## ARGUMENTUM.

Mundus & omnia alia bona creata, in comparatione ad animam pro qua omnia prodigi debent nihil valent; quæ proinde ſi perdita fuerit, nullum eſt pretium in creatis, quo illam redimere poſſis; Et ideo ſalus illius dubio eventui committi nullatenus debet.

### THEMA.

*Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua.* Matth. 16. ℣. 26.

1. IDem ille Deus, qui mundum univerſum tribus digitis ſuſtinet: *Appendit tribus digitis molem terræ*, eumque ſuper nihilum velut baſim collocavit: *Appendit terram ſuper nihilum*, ſicuti pariter totum univerſum ex nihilo produxit, idem inquam & nemo alius valoris & æſtimationis quâ anima reliqua rationalis & Chriſtiana præ toto univerſo pendenda venit, adæquatus Judex eſſe poterit, qui proinde tamquam animæ noſtræ amator zelotypus clare proteſtatur dicens: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum*, &c. Audiamus hac de re B. Laurentium Juſtinianum ita loquentem: *Si pro una tantum anima totum quod eſt in mundo appendas, aurum, argentum, & cætera metalla, ſardium, topazium, carbunculum, margaritas omnes, prædia, palatia, ſuppellectilem, ipſum mundum, nihil in ejus comparatione dediſti.* Sed qua ratione idipſum nobis credibile fieri poterit, cum quotidiana nobis experientia demonſtret, quod unuſquiſque noſtrum theſauros, gemmas, & monilia, & quidquid pulchri aut boni univerſus mundus habet, longe pluris faciat, quam animam ſuam? Reſpondet B. Laurentius Juſtinianus: *Si id ex te nequis addiſcere, diſce ab eo qui creavit cœlum, terram, maria, & cuncta quæ in eis ſunt, qui noſcit ſingula quanti ſint, quoniam ſingulis impertitus eſt quidquid habent decoris, quidquid virtutis, quidquid æſtimationis & pretij, iſte docebit quanti ſit anima hominis, illam ipſe magni pendit, qui opus ſuum agnoſcit: pro eruditione ejus univerſi fecit hanc machinam, ipſiuſque eam ſubjecit imperio, non ut inhæreat illi, fruitionemque captaret ex illa, ſed eruditus per illam, aſcenderet ad notitiam ejus qui fecit omnia.* Ponatis ex una bilancis parte univerſum mundum, cum omnibus ſuis theſauris, delicijs, voluptatibus, honoribus, imo cum omnibus quæ habet aut habuit & ad finem uſque ſæculorum habiturus eſt aut habere poteſt bonis deſiderabilibus, ex altera vero bilancis parte unam duntaxat animam collocate, & ponderate hæc omnia ad invicem, ſed cum pondere ſanctuarij, & unicam illam animam omnibus alijs ex adverſo poſitis longe præponderare invenietis; Unde merito S. Mennas Ægyptius martyr ille glorioſiſſimus dicebat: *Neque enim poteſt totus mundus æqua lance expenſus uni comparari animæ*; Cujus S. Bernardus efficacem reddit rationem, dum ait: *Totus iſte mundus ad unius animæ pretium æſtimari non poteſt: non enim pro toto mundo Deus animam ſuam dare voluit, quam pro anima humana dedit; Sublimius ergo eſt animæ pretium, quæ non niſi ſanguine Chriſti redimi potuit, quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam?* Parum nimis etiamnum diximus, ſiquidem anima plus valet, quam cœlum empyreum, quam Paradiſus, utpote qui propter animam creatus fuit; *Propter quod unumquodque tale, illud magis*, ut habet commune illud Philoſophorum axioma; & ideo ſicut quia corpus eſſe & vitam ſuam ab anima recipit, ideo animam longe excellentiorem vitam eſſe & habere optime ſequitur: ita quoque quia cœlum empyreum creatum eſt propter animam ut ſcilicet ſit illius poſt hanc vitam domicilium & palatium, utique ipſa majoris pretii & æſtimationis erit quam quod ipſius

Anima omnibus terrenis præponderat.

Iſa. 40. v. 12.

Job 26. 7.

B. L. Juſt. in fe. S. Thom.

S. Bern. c. 3. in medit.

Anima nobilior quam cœlum.



gratia

Matt.25.34.

gratia creatum eſt domicilium : *Poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Unde S.Bernardinus beati illius regni pulchritudinem, immenſitatem, divitiasque admirans, ſubjungit : *Si eſt tanta cœli Empyrei magnitudo, virtus, & pulchritudo, quantum in his excedet anima, pro qua factum eſt habitaculum illud ?*

S Bern. t.1. ſer.51. a.2.

Ut anima ſalvetur relinquenda ſunt omnia.

2. Atque ideo ut animæ ſecuræ cuſtodiæ conſulamus, in diſcrimine, ſi neceſſum fuerit, relinquendus eſt totus mundus, omniaque deſerenda ſunt, ut animam noſtram ſalvemus. Rex ille Sodomorum, verus ille Dæmonis typus, omnia quidem quæ optare potuit, libens ceſſit, cum hac tamen conditione : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Similiter Dæmon ut in Diſcurſu undecimo ſuperius vidimus, ut ſolam Chriſti animam lucraretur, omnia illi obtulit quæcumque in vaſta hac mundi machina continentur, ipſe enim quantum animæ pretium cuncta alia pretio æſtimabilia ſuperexcellat, probiſſime novit : Ac proinde generoſus quoque nobis induendus eſt animus, dicendumque nobis eſt, dum anima periclitatur : *Da mihi animam, cætera tolle tibi.* S. Paſchaſius verba illa : *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua*, bene ponderans, aptius ad propoſitum noſtrū loqui non poterat, quam dum ait : *aut nulla eſt alia commutatio, aut ea eſt vera & ſola, ut omnia lucra mundi pereant, ſolaque ſalvetur anima.*

Gen. 14. v.21. — Ibid. — Matt.16.26. — S.Paſch.

3. Hugo Cardinalis verba illa Regij Pſalmiſtæ : *Cuſtodi me ut pupillam oculi*, ponderans, hanc inde ad noſtram eruditionem elicit moralitatem : *Cuſtodi me ut pupillam oculi, pro qua tuenda ponitur manus, & quidquid poteſt homo, ne lædatur oculus, & eſt ſenſus Cuſtodi me ſic, ut potius manus, & corpus, & omnia, quæ habeo, ponam, quam lædar in anima.*

Pſ.16.v.8. Hug.Card. ibid.

4. D. Chryſoſtomus obſervat, quod idem Pſalmiſta memoriale, quod in eumdem finem, ut ſcilicet divino auxilio mediante animæ theſaurus cuſtodiatur, Divinæ clementiæ porrexit, ex tribus præcipue vocabulis concinnaverit : [ *O Domine libera animam meam ; Eripe animam meam ; O Domine ſalva animam meam.* ] *Vidiſti ſapientem animam, quomodo relictis omnibus quæ ad hanc vitam pertinent, unum tantum petit, ut anima maneat illæſa, & nihil patiatur eorum quæ animam lædant.* Idem quoque S. Doctor in memoriam nobis revocat Evangelicum illud Apoſtolis, & in ipſis pariter omnibus nobis traditum conſilium, ſcilicet : *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, horum enim hæc eſt congenita proprietas, quod pro capite ſalvando totum corpus periculo exponant ; *Quemadmodum enim ille reliquum corpus projicit, ut caput conſervet : ita oportet te quoque alia omnia dare pro ſalute animæ.*

Pſ.114.v.4. ibid.6 v.6. Chryſoſt. — Matth.10. v.16.

Exempla plurima.

5. Porro pro hoc ingenti animæ theſauro ſecure & extra omne periculum conſervando multi potentiſſimi Reges ſceptra ſua deſeruerunt, & vaſtiſſima reliquerunt regna, regiaque paludamenta in cilicia, magnificaſque regias cum Eremis commutarunt ; Pro hujus animæ ſalute tot Eremitæ ſexaginta, imo centum annis aliquando, vitam duxerunt in aſpera pœnitentia rigidiſſimam & auſteriſſimam ; pro hac tot innumeri Martyres in horrificis crudeliſſimorum tormentorum carnificinis ſuum effuderunt ſanguinem, & quis eſt qui non videat quotidie multos, qui pro hac anima in optimo ætatis flore, & fortunæ culmine conſtituti, mundum pedibus ſuis ſubſternunt, ſacco cilicino ſe veſtiunt, relictoque ſæculo vivos intra religioſæ vitæ clauſtra ſe ſepeliunt, ut ſoli Deo vivere poſſint ? Hæc Chriſti verba : *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua ?* Cuidam juveni ex nobiliſſima ſtirpe progenito, ſublimique prædito ingenio, dum in univerſitate Pariſienſi ſtudijs operam dabat ab ore S. Ignatij Loyolæ ſæpius replicata eum in ipſius mente produxere effectum, ut ſubito ſe Deo totaliter conſecrare ſalutique animæ ſuæ & proximorum ſuorum unice vacare decreverit, quod certe tali cum fervore præſtitit, ut non ſolùm quod ſe ad eminentem evectus ſit ſanctitatem, verum etiam novum quemdam mundum Evangelio & fidei Chriſtianæ compararit, fuitque is vir ille vere Apoſtolicus S.Franciſcus Xaverius Indiarum inclytus Apoſtolus.

Matt.16.26

In cœlo theſaurizandū. L.3.c.14.

6. In vita S. Franciſcæ Romanæ legitur, quod in ecſtaſi ſeu viſione quadam hanc ad ſe cœlitus dilapſam audierit vocem : *Deus eſt animarum theſaurus, Dei autem theſaurus animæ ſunt* ; Valde igitur rationabile fuit illud Chriſti Redemptoris noſtri conſilium : *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur : Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo.* Ubi S.Paſchaſius ait ; *Cœlum hoc loco pro æternitate ponitur, terra pro tranſitorijs.* Vult igitur Chriſtus per hoc conſilium nobis ſuadere, ut pro anima theſauros nobis accumulemus in cœlo, ita tamen ut bona & theſauros terræ hujus penitus aſpernemur. S. Cyrillus Alexandrinus ait : *Quæ major elegantiorque merces inveniri poſſet, quam animam ſuam quiſque ſalvam facere ? Sed quod res excellentiſſima ſit, omnibuſque rebus anteponenda, ipſe Salvator aſſirmat : Quid enim*, inquit, *proderit homini, ſi totum mundum lucratus fuerit, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua ?*

Matt.6.v.19 — ibid.20. — S.Paſch. ibid. — S.Cyr.Alex. l.11. in Gen. c.fin.

Animam cuſtodit qui odit voluptates.

7. Quis adeo reperietur ſtolidus, ut pro ſimplici vitro pretioſum poneret adamantem, aut pro maſſa quadam plumbi ingentem auri quantitatem, & tamen hæc eſt multorum Chriſtianorum ingens mentis væſania, ut mundum, & temporalia hujus vitæ bona inæſtimabili animæ theſauro præferant. Enimvero quiſquis Evangelium S. Joannis legit, prima quidem facie, vel impreſſoris vel Scriptoris incuria velut errorem quemdam in illud irrepſiſſe exiſtimare poſſet, quod in ejuſdem cap. 12. verſ. 25. legitur, nimirum : *Qui amat animam ſuam, perdet eam & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam* ; Quo enim modo animam odio proſequi poterimus, pro cujus ſalute ipſemet Deus, eamdem morte ſua redempturus, in hanc terram deſcendit ? B. Laur. Juſtinian. ait : *Qui male amat, perdit, & qui bene odit, cuſtodit, nam qui bene odit hic cuſtodit, & qui male amat, hic odit* ; Non ſimpliciter dicitur : *Qui odit animam ſuam cuſtodit eam*, ſed cum adjuncto : *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, id eſt, voluptatibus & concupiſcentijs & illecebris hujus mundi, ut eas habeat odioſas, crucifigendo carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs, hic profecto in vitam æternam cuſtodit eam.*

Joan.12. v.25. — B.L.Juſt.ſer. 2.in feſt. S. Laurent.

Qui carnalibus non acquieſcit deſiderijs.

8. Nota eſt quæ inter ſacros Doctores de Salomonis Regis æterna ſalute verſatur controverſia ; Numeretis velim, ſi poteſtis, delicias, voluptates, honores, obſequia, theſauros, & omnia gaudia, quæ dictus Rex in vita ſua quotidie habuit, & innumera fuiſſe invenietis ; Unde ipſemet fatetur dicens : *Omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis.* Sed ſi folium verteritis, ſcriptum invenietis : *Quid nobis profuit ſuperbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? Tranſierunt omnia illa tamquam umbra ; Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum*, &c. *animæ verò*, &c. Porro S. Gregorius circa præallegata S. Joannis verba aliam quamdam expoſitionem à jam ſtatim adducta B. Laurentij expoſitione parum diverſam his vebis adducit : *Tunc bene animam noſtram odimus, cum ejus carnalibus deſiderijs non acquieſcimus, cum appetitum frangimus, cum ejus voluptatibus reluctamur.*

Eccl.2.v.10. — Sap.5.v.8. Ibid.v.9. — Matth.16. v.26. — S.Greg.h.37. in Evang.

Matt.16.26

Unicam habemus animam perditam recuperare non valentes.

9. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua ?* Quando res aliqua inæſtimabilis valoris amittitur, vix umquam ad aliam ſimilem recuperandam capaces ſumus, maxime ſi res illa deperdita, Phænici ſimilis exiſtat, quam Philoſophi naturales in toto mundo unicam eſſe aſſerunt ; & ideo ſi animæ jacturam patiamur, per adhibitos omnes cœli terræque theſauros aliam ſimilem recuperare numquam poſſumus, adeoque jactura hæc nullum tamquam in rebus creatis invenire poteſt remedium, quia *in inferno nulla eſt redemptio.* Anima noſtra Phænix quædam eſt, atque ideo Regius Propheta illam *unicam* appellavit : *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.* Ubi Salmeron ait : *Quam vocaverat animam ſuam, vocat unicam ſuam, hoc eſt, propriam, charam, & pretioſam animam.* Hugo Cardinalis dicit : *Unicam meam, animam meam ; Unica autem vocatur*, quia *ſola eſt.* Unde S. Thereſia illud meditationis punctum ſuis anxiè inculcare ſolebat : *Memento unicam eſſe animam.*

Pſ.21.v.20. — Salm.t.10. tr. 8. — Hug. Card.

Proſecutio.

10. Pro quibuſlibet alijs rebus deperditis in ærarijs vel theſauris principum, facile inveniri aliquid poterit, ſive illud argentum ſit, ſive aurum, ſive gemmæ, aut aliæ res pretioſæ, quibus recuperari poſſint ; Et quidem tametſi nonnumquam recuperatio talis difficilis ſit & ardua, non tamen eſt impoſſibilis ; at vero animæ non eſt eadem ratio. Unde Hugo Cardinalis ſuper illa verba : *Non dabit... Deo pretium redemptionis animæ ſuæ*, ita ſcribit : *Id eſt, oblationem, pro qua poſſit redimi, quia anima eſt inæſtimabilis pretij, quanti enim pretij eſt anima, cujus redemptio eſt ipſe Dei Filius ?* Utique ſi pretioſiſſimum Redemptoris ſanguinem pedibus ſacrilegè conculcares, ſi redemptionis tuæ pretium contemptibiliter abjiceres, nulla utique ſive in cœlo ſive in terra ſatisfactio

Pſ.48.v.8.9. Hug.Card.



tisfactio alia reliqua eſſet, qua noxam illam ſalvare poſſes.

11. D. Chryſoſtomus diverſitatem, quæ inter qualvis alias res temporales & animam intercedit, his verbis conſiderat : *Pecuniam ſi perdideris*, inquit, *dare poteris pecuniam, & ſi domum, ſi mancipia, ſi quidvis aliud eorum, quæ poſſides : Animam vero ſi perdas, aliam reddere animam non poteris, ſed licet vel univerſum mundum habeas, etiam Rex ſis orbis terrarum, licet univerſa quæ ſunt in orbe terrarum, una cum ipſo orbe terrarum dependas, non poteris emere unam animam.*

Chryſ.t.6. ho.de an.

12. Porro hoc animæ pondus, inæſtimabilemque valorem B. Laur. Juſtinianus paucis quidem ſed emphaticis verbis hunc in modum trutinat : *Nihil rationabili anima pretioſius*, inquit, *nihilque poſſidendum eſt charius, quæ Dei eſt ornata imagine, Chriſti redempta ſanguine, atque ſanctorum Angelorum felicitate ditanda : hanc quiſque ſemel amiſerit, ulterius recuperare non valet, etiam ex ipſa omnium Sanctorum interceſſione.*

B.L.Juſt. l.3.de ſp. an. reſ.1

13. S. Ephrem eamdem, quam ex D. Chryſoſtomo paulò ante attulimus, conſiderationem inculcat, oſtendendo, quomodo in cunctis alijs rebus deperditis aliquis eas recuperandi, vel in æquivalens commutandi modus ſuperſit : at vero *quam dabit homo commutationem pro anima ſua ?* En ipſiſſima hujus S. Patris verba : *Non eſt nobis*, inquit, *certamen de pecunijs, quarum jacturam licet quis fecerit, alias pro illis rurſus comparare ſibi poterit : de anima nobis periculum, quam ſi perdiderimus, non amplius recuperare poterimus*, juxta quod ſcriptum eſt : *Quid prodeſt homini, ſi mundum, &c.*

Matt.16. 26 — S.Eph. in Prol.l. de virt. — Matt.16. 26

Unicam Deus dedit animam.

14. D. Chryſoſtom. quoque ad hoc inter alia ſe ingenioſe reflectit, quod nimirum natura unicuique homini duas manus, duos pedes, duos oculos elargita fuerit, ut uno horum membrorum deficiente, aliud munus ipſius ſuppleat ; at vero quoad animam non eſt eadem ratio : *Si in corpore*, inquit, *quamvis infinitis coronis redimitus ſis, corpus interim habeas natura morbidum & inſanabile, etiamſi regnum totum impenderis, ut etiam innumerabilia corpora, & urbes, & pecunias adjicias, non poteris corpus corrigere, quanto id magis in anima ? Omnia duplicia dedit Deus naturæ noſtræ, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, ut ſi alterum horum læſum ſit, per alterum indigentiam relevemus. Animam vero unam nobis dedit, hanc ſi perdiderimus, quonam pacto vivemus ?*

oo. cit.

Amiſſa recuperari non poteſt.

15. De ſuperatis à Rege Iſraëlis militibus Benadab legimus, quod ne obtenta contra illos victoria in totalem ipſis recederet regni Syriæ ruinam, ad Regis Iſraël victoris confugere decreverint clementiam, illudque conſilium optimo illis eventu ceſſerit, adeo ut ſpe ſua minime fuerint deluſi : *Egrediamur ad Regem Iſrael, forſitan ſalvabit animas noſtras :* Hoc autem argumentum adverſus traditam doctrinam illam proficit, quia hi Syriæ milites de corporali ſolum ſalute procuranda inter ſe conſiliabantur ; ubi autem de ſpirituali animæ ſalute agitur, fruſtraneum eſt quod illa ſemel in morte amiſſa in aliquo eventu fortuito recuperari denuo poſſit. *Forſitan ſalvabit animas noſtras ?*

3.Reg.20. v.31.

Pœnitentia non procraſtinanda.

16. Audite quæſo quid D. Chryſoſtomus illis, qui exemplo nonnullorum, qui in fine vitæ ſuæ pœnitentiam agentes, æternam ſunt aſſecuti ſalutem, permoti, pœnitentiam ad ultimos uſque vitæ ſuæ annos differre ſtatuunt, reſpondeat : *Sed multis*, inquit, *dedit Deus privilegium, ut in ultima ſenectute confiterentur, quid igitur ? numquid & tibi dabit ? fortaſſe dicit, inquis : Cur dicis fortaſſè ? Contingit aliquando ? Cogita quod de anima deliberas. Quid ſi ſpe & fiducia tua fruſtraveris ? Quam tunc dabit homo commutationem pro anima ſua ?* Huic ſemel amiſſæ, nullum : eſt pro recuperatione ſperandum remedium, quamdiu vivimus, quamdiu vita hæc noſtra mortalis continuat, tempus quidem pœnitendi habemus, at vero eo terminato, ſuum quoque ſpes noſtra terminum accepit. Unde Theophylactus ſuper illa verba : *Quam dabit homo commutationem, &c.* ita ſcribit : *In futuro ſæculo non poterit quis dare commutationem pro anima ſua, hic quidem poteſt dare, lachrymas, eleëmoſynas & jejunare, illic autem non.*

Chryſoſt. ho.22. in fin. in 2. Cor. — Matt.16. 26 — Theoph. in c.16. Matth.

17. Tandem cum B. Laurentio Juſtiniano concludamus, qui ex iiſdem paulo ante allatis rationibus animam noſtram ſuper omnia totius mundi bona æſtimandam eſſe his verbis oſtendit : *Naturalis ingenij hoc cenſura exigit, ut tanto unaquæque res pluris æſtimetur, ac diligentius cuſtodiatur, quanto magis eſt proficua, illiuſque amiſſio majorem poſſidenti jacturam facit* ; Denique poſtquam damnum in alijs rebus perpeſſum remediabile etiamnum eſſe oſtendiſſet, de anima ſubjungit : *At anima ſi ſemel amittatur, & adverſum ſe ſententiam damnationis excipiat, ulterius recuperari non valet, nec prece, nec pretio, neque alicujus ſuffragio, etiamſi omnis electorum pro eo interpellaret ſocietas.*

B.L.Juſt. de ſp. an. inter.

# TRACTATUS VIII.

# DE AVARITIA, DIVITIIS,

## Felicitate & bonis temporalibus.

## DISCURSUS XXXI.

DISCURSUS I. Ex auri natura, quæ nil eſt præter terram ; Item ex loco, modo, & qualitate perſonarum quæ illud effodiunt ; nec non gravitate alijſque illius qualitatibus, divitiarum cupiditas damnoſa & deteſtabilis eſſe oſtenditur.

II. Avaritia radix eſt omnis mali, omniſque vitij origo, & maxime odiorum & rixarum etiam inter proximè cognatos, eſtque bellorum, ruinarum publicarum, & cujusvis alterius exceſſus unica & fundamentalis cauſa.

III. Eamdem materiam & aſſumptum per varia ſacræ Scripturæ loca, & Sanctorum Patrum ſententias proſequitur.

IV. Hoc vitium ſpecialem Dæmonis laqueum eſſe, eumque in hoc ſpecialiſſime velut in ſuo centro ſubſiſtere oſtenditur.

V. Divitiæ pondus ſunt, quo animæ in æternæ perditionis barathrum detrahuntur.

VI. Hujus vitæ proſperitates temporales, ut plurimum ſcopuli ſunt ad quos allidentes animæ in profundum uſque inferni naufragantur ; Et ſi quæ in hac vita conceduntur deliciæ & gaudia tormentis compenſantur æternis in vita altera.

VII. Divites communiter proclives ſunt ad vitia ; & quia terrenorum bonorum abundantia nidus eſt omnis peccati, ideo inter divitias innocentiam conſervare eſt difficillimum.

VIII. Præſentis vitæ proſperitates à Deo nos divertunt & ſeducunt, & ideo magna eſt inter illas, virtutem & perfectionem conſervandi difficultas.

IX. Eadem materia per alia argumenta continuatur.

X. Lapſum in peccata frequentius in felicitatis quam in adverſitatis ſtatu accidere & conſequenter inter proſpera animæ ſalutem difficilius procurari oſtenditur.

XI. Divites avari per divitiarum ſuarum ſtercus Deo abominabiles & hominibus exoſi efficiuntur ; Bona quoque temporalia per ſtercus quod Tobiam excœcavit ſignificari oſtenditur, quia hominem lumine & notitia Dei cœleſtium bonorum cognitione deſtituunt.

XII. Bona terrena à deſiderio & lucro bonorum cœleſtium nos retrahunt ; Et ideo quanto magis homo ab ejuſmodi bonis nudus & alienus exiſtit, tanto magis in bonis cœleſtibus abundat.

XIII. Felicitatem temporalem animæ periculoſam eſſe oſtenditur, utpote per quam ſurdi efficimur, ne vocem Dei audire valeamus ! Et ideo ex eo quod quis in bonis temporalibus abundet, Dei in illum amorem & benevolentiam colligere non poſſumus.

XIV. Per avidam divitiarum concupiſcentiam affectum, & poſſeſſionem, fides, cultus & notitia Dei plurimum periclitatur.

XV. Exponuntur myſteria ob quæ avaritia idololatriæ à Spiritu ſancto ſimilis eſſe dicitur, variæ etiam utriuſque adducuntur analogiæ, variaque hujus ſimilitudinis argumenta.

XVI. Inordinatus erga bona temporalia affectus condemnatur, ſicut & eorumdem bonorum duplex abuſus, dum ſcilicet ex jure inter egenos non diſtribuimus vel, plus æquo æſtimamus & in ijs confidimus, cum ſint temporalia.

XVII. Solo divitiarum deſiderio à cupiditate, non vero earum poſſeſſione culpabiles & vitioſi efficimur; Et ideo ab ijs avellendus eſt noſter animus, quod admodum facile nobis erit, ſi vanitatem & exiguam illarum ſubſtantiam conſideremus.

XVIII. Bonorum temporalium ſufficientia homini bene congruit, ſuperfluitas autem illorum condemnatur, niſi inter egenos ea quæ ſuperfluunt, diſtribuantur, ad hoc divites adeo obligantur, ut in caſu quo id facere negligunt, furti efficiantur rei; Nec eſt quod ſibi per hoc facultates ſuas diminuendas eſſe vereantur, ſiquidem quanto plus de bonis temporalibus pauperibus elargiuntur, tanto ſecuriores evadunt, & magis augentur.

XIX. Bona hæc temporalia indifferentia ſunt ad bonum vel malum, eorum vero utilitas quæ exinde in nos redundare poteſt, à bono illorum uſu dependet, & ideo bonis auxilio ſunt ad ſalutem, ſi in bona opera adhibeantur.

XX. Nimius cordis noſtri erga bona temporalia adhæſionis affectus condemnatur; Et ideo Abraham, Job & alij Sancti, qui ſine ullo divitiarum amore divites fuerunt, conſiderantur; Et ideo bona temporalia ad bona opera, & ad neceſſarium uſum noſtrum applicanda, non vero Deo & ſaluti noſtræ præferenda ſunt.

XXI. Ut erga bona terrena minus afficiamur, conſiderandum nobis eſt, quod in hac vita ſimus viatores, vitaque præſens peregrinationi ſimilis exiſtat, id enim fecerunt quotquot inter ſanctos divites fuerunt; unde variæ etiam peregrinorum conditiones conſiderantur.

XXII. Ut bona terrena contemnamus, opus eſt, ut cordis oculum in bona cœleſtia defigamus.

XXIII. Mundus bona tantum apparentia non autem vera habet. Sunt enim veluti ſcænæ quædam & imagines bonorum, & ideo poſſeſſores ſuos non ſatiant, nec ſatisfaciunt ipſis.

XXIV. Bona temporalia quanto magis augentur, tanto ſæpe amplius deficiunt & amittuntur. Et ideo inſidiæ & pericula varia recenſentur, quibus divites ſubjiciuntur, bonorum temporalium inſtabilitas & ab uno poſſeſſore ad alium tranſitus manifeſtatur.

XXV. Multæ divitum avarorum ærumnæ & cruciatus conſiderantur; Deus enim bonorum temporalium roſas variarum ſpinarum aculeis & puncturis commiſcuit, ut illa abhorreamus, noſtræque mentis oculos in bona cœleſtia defigamus.

XXVI. In varijs proprietatibus ſpinarum quibus divitiæ aſſimilantur, varij deſignantur avaritiæ & bonorum terrenorum effectus.

XXVII. De anxietatibus, inquietudinibus, curis, laboribus & cruciatibus Divitum avarorum

XXVIII. Agitur hic de avaritiæ inſatiabilitate, & rationes nonnullæ adducuntur, ob quas non ſatiatur avarus, nec anima noſtra in quorumque bonorum terrenorum poſſeſſione quantumvis opulenta quieſcit.

XXIX. Quanto quis ditior eſt, tanto eſt pauperior quia avarus numquam dicit, ſufficit, nec gaudet aut fruitur ſuis divitijs, cum ſit ſervus & mancipium illarum, & ab illis velut Dominis ſuis poſſideatur.

XXX. Varij tanguntur effectus avaritiæ, quæ paſſim omnibus, etiam nonnumquam timoratæ conſcientiæ hominibus tenaciter adhæreſcit nec cum ætate ſenili conſeneſcit, ſed adoleſcit potius, quia adeo difficulter eradicatur, ut ſpeciali ad id Dei auxilio opus ſit.

XXXI. Regis Salomonis variæ conſiderantur deliciæ & voluptates, quibus licet copioſe fruitus fuerit, illas tamen vanitatem vanitatum, & nihilum appellavit; Indeque mundum hunc purum quoddam nihil eſſe probatur.

## DISCURSUS I.

## ARGUMENTUM.

Ex auri natura, quæ nil eſt præter terram; Item ex loco, modo, & qualitate perſonarum quæ illud effodiunt; nec non ex gravitate alijsque illius qualitatibus divitiarum cupiditas damnoſa & deteſtabilis eſſe oſtenditur.

### THEMA.

*Væ ei, qui multiplicat non ſua? Uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum.* Habac. 2. ℣. 6.

Divitiæ luto comparantur.

1. DIvitias, quæ tanta cum violentia & tyrannide cordibus humanis prædominantur, Spiritus ſanctus per os Habacuc Prophetæ loquens, *denſum latum* appellare non dubitat: Ubi Interlinearis ait: *Divitiæ luto comparantur*; Cujus vilis nomenclaturæ rationem Albertus Magnus aſſignat valde accommodatam, quia inquit: *Lutum ex terra grave eſt ex humore immundum eſt & polluens, ex denſitate tenax & detinens:* Eaſdemque qualitates, cupiditati & poſſeſſioni auri pulcherrime adaptans dicit: *& ita divitiæ gravant, & polluunt, & detinent hominem, ne ad Deum veniat.* D. Chryſologus de Levi, ſive Matthæo Publicano, qui ſedens ad telonium ad Apoſtolatum vocatus fuit, loquens, de hoc divitiarum pondere & gravitate ita ſcribit: *Sedebat utique qui ſtare non poterat, pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſa totus conſcientia fraudis incurvus*; Adhæc aurum natura ſua grave & ponderoſum eſſe dicit: *Aurum natura grave, gravius fit avaritia nimis, hinc eſt, quod plus habentem deprimit, quam ferentem, & vehementius aggravat corda, quam corpora.* Secundo ut Albertus Magnus ait; *divitiæ polluunt:* Ac proinde Eccleſiaſticus miraculi ſeu prodigij loco habendum eſſe dicit eum, qui cum ingentes divitias poſſideat; animam tamen immaculatam omniſque labis expertem conſervat; quem proinde beatum ſimpliciter appellat, ſi tamen talis quiſpiam inveniri queat: *Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperavit in pecunia & theſauris: Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua.* Idem quoque Eccleſiaſticus alibi dicit: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea:* Cui textui S. Bernardinus talem adhibet gloſſam, id eſt, *Qui ſubſtantiam temporalem inordinate dilexerit, coinquinabitur ab ea*; In cujus probationem idem Sanctus ad id ſe reflectit, quod in metallis quotidie experimur, *Ad quod oſtendendam*, inquit, *mira ſapientia Dei in pretioſis metallis apertius demonſtravit, quando ſtatuit, quod argentum, cæteraque metalla ſe contingentes etiam corporaliter inquinarent*, propterea Ezechiel ait cap. 7. *Aurum eorum in ſterquilinium erit.* Neque profecto cuipiam mirum videri debet, quod Habacuc aurum lutum appellet, quando S. Apoſtolus omnia illa, quæ mundus vel maximi æſtimat, qualia ſunt aurum, argentum, gemmæ pretioſæ & ſimilia ſtercoris loco tantum habet: *Omnia arbitror ut ſtercora.* Et ideo S. Bonaventura jure merito humanam deteſtatur cœcitatem, qua intellectus hominis adeo obſcuratur & hebetatur, ut aurum tanti æſtimet, tamque ardenter concupiſcat, cum tamen metallum iſtud in ſubſtantia & realitate ſua aliud nihil ſit, quam terra; Et ideo idem Seraphicus Doctor, ſuper illo Sapientiæ textu: *Venit in me Spiritus ſapientiæ. Et præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius*; Super illo inquam textu locum quemdam adducit S. Bernardi, cujus hæc ab ipſo citantur verba: *Quid eſt aurum niſi terra rubra? exigua, id eſt, parvi ponderis: & tamquam lutum: Luto comparatur argentum, quia inquinat manus & animum.* Denique tertia divitiarum conditio eſt, quod ſua viſcoſitate quaſi *Detinent hominem ne ad Deum veniat.* Etenim quando volucrum alæ viſco delibutæ ſunt, ſeſe cœlum verſus explicare aut vibrare non poſſunt; imo volucris à terra ſe vix poteſt erigere aut elevare; idem quoque animæ accidit, quæ ſi viſco affectus nimij bonis hiſce terrenis affixa fuerit, cœleſtia penitus non quærit. Unde S. Auguſtinus ait: *Amor rerum terrenarum viſcus eſt pennarum ſpiritualium.*

Gloſſ. Interl.
Alb. Magn. in Habacuc.
Chryſol. ſer. 29.
Eccl. 31. v. 8.
Ibid. 9.
Eccl. 13. v. 1.
S. Bern. ſer. 50. a. 2. c. 1.
Ezech. 7. v. 19.
Philip. 3. v. 8.
Sap. 7. v. 7. 8.
Ibid. 9.
S. Bon. in c. 7. Sap.
S. Aug. ſer. 33 de v. Dom.

Aurum in tantum allicit ut avari deſiderent in aurum converti omnia.

2. Dionyſius Carthuſianus auro proprium eſſe dicit, quod eum, qui illud inſpicit, in corde lætificet; Et ideo hanc dicit eſſe cauſam cur aurum tantopere homines alliciat; iiſdemque placeat: *Cum aurum ex ſua natura habeat vim quamdam lætificandi intuentem, ipſa delectatio, quam aliqui habent intuendo, aut cogitando ſuos aureos nummos, conſervat eos in avaritia*; Siquidem ut quotidiana teſtatur experientia, plurimi ſunt huic auri cupiditati adeo immerſi, ut ſi fieri poſſet, omnia in aurum mutari deſiderarent. Contra quos S. Baſilius calamum ſuum acuit, eoſque phreneticis ſimiles eſſe dicit: *Quemadmodum per*

D Carth. t. 2 op. min. a. 8. ep. con. av.



*per inſaniam mente moti, res non ut ſunt, ſed pro morbi ſui ratione quævis imaginantur: Sic anima tua ab avaritia poſſeſſa, cuncta aurum, cuncta argentum reſpicit: libentius vides aurum, quam Solem: quæcumque vides in aurum verti cupis, dasque operam, quoad poſſis & liceat: quid enim rerum non moliris movesque unius auri gratia? Frumentum tibi in aurum vertitur, vinum in aurum concreſcit, lanæ ipſæ tranſeunt in aurum, omnis mercatura, ſtudium omne tuum ac ſolertia, conciliat tibi ſuggeritque aurum.*

S. Baſil. h. 6. in diteſc.

Operariorum labor in aurifodinis pro exiguo auri luto.

Verum enimvero, quam veraciter Habacuc de auri cupido, ſeu ut melius dicam, de hoc luto ait: *Aggravat contra ſe denſum lutum?* Quot labores, ſudores, curæ, angores, & pericula aurum effodientibus ſunt ſubeundi? Porro de terra è qua metallum iſtud eruitur, Plinius ita ſcribit: *Prope inexpugnabilis, cuneis eam ferreis aggrediuntur, & iiſdem malleis, nihil eo durius putant, niſi quod inter omnia auri fames duriſſima eſt.* Dum huic metallo effodiendo operarij in Aurifodinis dant operam ſæpe in ſilices incidunt, adeo duros & impenetrabiles, ut ad illas comminuendas, aut findendas aceto illis opus ſit pariter & igne: *Hos igne aceto rumpunt.* Tempus quoque quod laborando inſumunt, donec ad auri venas pertingant, in longum excreſcit, & ſupra omnem modum laborioſum evadit: *Cuniculis per magna ſpatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina, eadem menſura vigiliarum eſt, multiſque menſibus non cernitur dies. Arrugias id genus vocant, ſiduntque rimæ ſubito, & opprimunt operarios, ut jam minus temerarium videatur, è profundo maris petere margaritas, tanto nocentiores fecimus terras*, & tamen poſt omnes hoſce labores, ſudores, anxietates & pericula mortis, quæ in hoc labore ſubeunda ſunt, in manibus noſtris præter terram & lutum finaliter non reperimus; Et ideo bene dicitur: *Aggravat contra ſe denſum lutum*; id eſt, ut Dionyſius Carthuſianus ait: *Terrenas divitias? nam aurum & argentum, quid niſi terra alba & rubra? Et ſicut magna eſt vilitas luti, ſic temporales divitiæ à ſpiritualibus viris vilipenduntur.*

Plin. nat. hiſt. l. 33. c. 4.
Habac. 2. 6.
D. Carth. in Hab.

Avaritiæ effectus.

4. Attrahunt porro ſimiles avari, & auri inſatiabiles homines ſibi ſimul cum auro, non venas è quibus effoditur, ſed ipſam voraginem inferni, id eſt omne malum ſibi conciliant. Unde D. Chryſologus de illo avaritiæ monſtro ita ſcribit: *Crudelitatis Dominus, ſævus hoſtis eſt, amando lædit, nudat vitando, ipſum etiam captivat aſpectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, ſuadet fraudes, imperat latrocinia; & quid plura? Hoc eſt, quod Apoſtolus dixit: Radix omnium malorum eſt cupiditas.*

Chryſol. ſer. cit.
1. Tim. 6. 10.

Unde aurum inde omne vitium.

5. Conſideratione digniſſimum eſt, quod is, qui opulentiſſimus multarumque Provinciarum Dominus fuit, Job nimirum, Spiritus ſancti inſtinctu de auro ſcripſit, dicens: *Ab aquilone aurum venit.* Cur enim aurum potius à regionibus Aquilonaribus, quam ab alijs mundi partibus provenire dicit, cum certum eſſe conſtet aurum ex alijs quoque terræ partibus in magna copia ad nos adduci? Myſterium hujus dicti ex illis Jeremiæ Prophetæ verbis deſumi poſſe exiſtimo, quibus dicit: *Ab Aquilone pandetur malum:* Unde enim aurum venit, unde pariter omne vitium derivari neceſſum eſt, nam ut S. Gregorius optime dicit: *Ubi aurum placet, ibi & vitium.* Dic ſodes, ubinam is qui omnis mali, omniſque vitij author & inventor extitit, ſedem ſuam primitus collocavit? Num ad Orientem? Vel ad meridiem aut Occidentem? Minimè; quin potius ipſemet dicit: *Sedebo... in lateribus Aquilonis:* Et ideo tametſi omnia vitia laquei ſint Dæmonis, quibus homines involvit, Apoſtolus tamen, ut ſuo loco videbimus, ſolam avaritiam ſpecialiter Dæmonis laqueum ſolemni nomine appellat.

Job 37. v. 22
Jer. 1. v. 14.
S. Greg. l. 7. reg. ep. 116.
Iſa. 14. v. 13

Auri gravitas cor hominis ad infernum deprimit.

6. Notandum quoque quod aurum non ſine ſpeciali myſterio è profundiſſimis terræ viſceribus, haud procul ab inferno diſtantibus erui ſoleat; Hoc enim myſterium vel ipſe Plinius licet gentilis fuerit, optime agnovit, dum ait: *Manus trahuntur ad homines, ut vitium importent*; Et longe ſignificantius myſterium illud D. Chryſologus exponit, dum ait: *Naſcitur in terra profunda, ſectatur ipſa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis diſcurrit anfractibus, & dum ſuam ſemper repit ad naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit:* Et ideo Salvianus argentum & aurum *divitias infernales* appellat: *Condientes profundis ſpecubus internas opes, ſimul pecuniam ſuam ac ſpem infodientes, juxta dictum illud Salvatoris: Ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum eſt.* Quaſi dicere vellet, quemadmodum theſaurus in abditiſſimis terræ ſpecubus & cavernis reconditum latet: ita pariter ad eadem loca affectum & cor hominis demergit: *Cæleſtes animos ad inferna deponit.* De auro idem memoratus Plinius dicit: *Quod effoſſum eſt, tunditur, lavatur, uritur:* Ignis enim eſt qui aurum purificat & liquefacit, priuſquam ærarium tuum locupletare & augere poſſit: Ignis autem iſte præludium nobis exhibet, & occaſionem præbet alterius ignis recogitandi, illius nimirum qui in inferno inextinguibiliter ardet & animas urit, ſiquidem *cæleſtes animos ad inferna deponit.* Idem quoque Plinius in Proœmio libri 33. mortalium deteſtatur aviditatem, qui divitias adeo ſtudioſe ſectantur, ut ipſas quoque juxta ipſa inferni oſtia quærere & inveſtigare non dubitent: *In viſcera terræ, & in ſedes manium opes quærimus, illæ nos ad inferos agunt*; Quidnam à philoſopho quodam Chriſtiano pientius dici poſſet? Idem denuo in cap. 4. in hujus vitij deteſtationem repetit dicens: *Eo tendit avaritiæ ardor, ut nihil immotum maneat, dum aurum innoteſcat, altiſſimos montes excavat, reverſat, inferos pulſat, imo & premit.* De eodem metallo ſanctus Auguſtinus dicit: *Aurum, cujus inquiſitio damnatos habet.*

Plin. ibid.
Chryſol. ibid.
Salv. l. 1. ad Eccl.
Plin. ibid.
L. 33. Proœm.
C. 4. ibid.
S. Aug ſer. 10. in app. de diverſ.

Avarorum figura.

7. In finibus Ægypti qui Æthiopiam & Arabiam reſpiciunt, Regibus in more poſitum eſt, quod ad fodiendum in aurifodinis illos tantum deſtinare ſoleant, qui vel in bello velut mancipia capti, vel qui læſæ majeſtatis rei vel denique qui ob delicta capitalia mortis condemnati ſunt, qui proinde in manibus pedibuſque ferro onuſti diu noctuque in dictis aurifodinis ſine ulla ipſis indulta requie, aut evadendi ſpe laborare coguntur. Ecquid tibi de hoc infamium foſſorum genere videtur? Numquid verum illos dices eſſe ſymbolum & figuram eorum qui ad infernum ubi *nulla eſt redemptio*, condemnati ſunt? Hi namque etiam in vinculis & compedibus igneis ſemper conſtricti degunt, abſque eo quod vel umquam etiam ad minimum inſtans reſpirandi eis locus detur; tales quoque aurifodinæ operarij avaros præſignant, ut illos bene conſideranti facile patebit. Unde S. Auguſt. de auro ſcribit: *Aurum quod ærumna perquirit, quod avaritia cupit, quod ſolicitudo cuſtodit; aurum materia laborum pericoloſa poſſidentium, aurum enervatio virtutum, aurum malus Dominus, proditor, ſervus.*

In Theat. vi. hum. v. aurum.
Loc. cit.

Avari famem ac Caritatem deſiderant. Exemplum a

8. Non ſolum Plinio referente, verum etiam, quotidianâ experientia teſte, certum eſt, quod agri illi vel campi, in quibus aurum per venas diſpergitur, ſemper ſteriles ſint & infœcundi, & ad fructificandum minimè idonei: *Montes Hiſpaniæ aridi, ſterileſque, & in quibus nihil aliud gignatur; huic bono coguntur fertiles eſſe.* Quod cum revera ita ſe habeat quis eſt qui non videat hanc individuam avari alicujus proprietatem eſſe quod ſemper famem & annonæ caritatem deſideret ſaltem ad minus, ſi eam cauſare non poſſit? D. Chryſoſtomus factum aliquod, quod ſuo tempore revera accidit, refert, videlicet quod tempore cujuſdam univerſalis ſiccitatis & ſolaris ardoris, cœlum adeo, ut ita dicam æneum factum fuerit, ut omnibus paſſim brevi ſecuturam ſignificaret mortem, quæ cauſa fuit, quod omnes ad placandam concitam in illos Divinam Juſtitiam ad orationis ſuffragia confugere cœperint: *Cujus benignitate præter omnem ſpem multa & immenſa pluvia ſupernè decidit: Omnibus igitur celebritatem, & feſtum diem agentibus (quippe qui ab ipſis portis mortis reverterentur) dives quidam triſtis dejecto animo, mœrore tantum non mortuus obambulabat; cumque multi cum mœroris cauſam rogarent, ne continere quidem mens potuit, ſed cum tyrannide acerbi illius morbi pungeretur, cauſam in medium protulit: Decies enim mille*, inquit, *frumenti menſuris deinceps quid faciam, non habeo.* Sanctus autem hic Doctor continere ſe nō valens, impium hunc & inhumanum virum, qui omni cum ſtudio & induſtria divitias ſuas potius, quam ſalutem publicam promovere & adaugere ſatagebat, utpote qui ne occaſio adaugendi ærarij ſui elaberetur, famis illius anguſtiam continuari deſiderabat, hunc inquam efficaci quadam invectiva his fere verbis aggredi cœpit: *Quid ais? doles, quod non omnes perierint, ut tu aurum accumules?* Non audiſti quid dicat Salomon Proverb. 11. *Qui ad pretium augendum ſervat frumentum, vulgo eſt execrabilis, ſed obambulas communis bonorum totius orbis inimicus, & liberalitatis Domini hoſtis & Mammonæ amicus atque adeo ſervus?* Pergit ulterius idem ſanctus Doctor dicere, impij illius hominis linguam, quæ talem communi bono noxiam protulerat blaſphemiam

Plin. l. 33. c. 4.
Chryſ. t. 6. h. 15. de avar.
Juxta Prov. 11. v. 26.

phemiam dignam fuiſſe, quæ eidem ad fauces uſque præſcinderetur, multoque convenientius fuiſſe, ut cor illud ſuffocatum extingueretur, quo eamdem prius conceperat: *Quid enim poteſt eſſe divite illo miſerius, propterea dolente, & indignante, & periſſe ſe putante, quod infinita poſſideat, & quotidie optante famem, ut aurum ipſi augeatur?*

*Maſc. diſc. 5. Cebet.*

9. Verumtamen ad propoſitum noſtrum opportunius hoc loco mihi incidit Hiſtoria, ſeu ingenioſa fabula quædam, quam me legiſſe memini apud Maſcardum diſcurſu quinto de menſa Cebetis, quam ipſe revera accidiſſe arbitratur; Dum enim probandum ſibi aſſumpſit, quod homo etiam in medio puri auri poſitus fame emori poſſit, præter id quod Poëtæ de Mida fabulari ſolent, ſequentem inſuper Hiſtoriam ſeu fabulam adducit, quam ipſiuſmet verbis recenſendam eſſe duxi: Tempore Xerxis Regis vir quidam fuit Pytha nomine, qui uxorem habebat ſapientiſſimam, atque ad omnem benevolentiam & humanitatem optimè efformatam; Hic fortuito in locum quemdam incidens, ubi puriſſimi optimique auri venam prædivitem latere certis ex veſtigijs deprehendebat, omnes conatus ſuos, cunctorumque ſubditorum ſuorum vires, induſtriam & labores tanta cum vehementia in aurum illud ex imis terræ viſceribus eruendum applicuit, ut poſthabitis cunctis ruris domuumque ſuarum negotijs huic uni labori intenti eſſe cogerentur; unde factum eſt quod omnia non ſolum tribunalia quieſcerent, verum etiam agri ſylveſcentes nil niſi lappas, ſentes, & tribulos germinarent, horti quoque & oliveta in mera degenerarent deſerta, vites denique nil niſi otioſos & infœcundos germinarent pampinos, adeoque ubique intra breve tempus tanta unicuique domi invaluit egeſtas, ut mulieres regionis illius lachrymabundæ ad palatium Pythæ turmatim accurrentes à prudente ipſius conjuge opportunum plangentes popoſcerint ſubſidium, id quod ab eadem protinus promiſſum fuit. Accidit autem ut Pythas certa quadam ex neceſſitate aut voto extimulatus peregrinationi cuidam ad remotum locum inſtituendæ ſe accinxerit; quo è domo ſua abſente, uxor ejus quidquid ferculorum ad lautum aliquod inſtituendum convivium deſiderari poterat, ex mero puroque auro per artifices adhibitos ea qua fieri potuit cum induſtria & ingenio fabricari fecit. Quibus omnibus rite perfectis, Pythas domû reverſus, Cœnam ſibi apponi poſtulavit; Quapropter ſagaciſſima conjux ejus, ingentem ferculorum apparatum ex auro vivaciſſime expreſſum menſæ inferri juſſit; quem quidem avarus Princeps primitus ſumma cum voluptate, & complacentia luſtrando probavit, mox tamen famis vehementia extimulatus, veros non fictos, nutritivos non vero aureos ſibi cœnaturo cibos popoſcit; unde ſagaciſſima mulier optimam ejus nimium auri inveſtigandi ſtudium & avaritiam reprehendendi occaſionem nacta, his eum verbis aggreſſa fuit: An non vides optimè marite, quantam hactenus per exceſſivum illud probroſumque auri accumulandi ſtudium; tibi, ſubditisque tuis acccerſiveris egeſtatem & univerſalem miſeriam: Ex quo ſubditis tuis à ſummo diluculo in ſeram uſque noctem in plures jam annos auro egerendo à te plus nimium adſtrictis, aratri ſtiva quieſcit, terra paſſim tui ſolius culpa in eam uſque ſterilitatem redacta fuit, ut præ nimia ſui infœcunditate vix pecoribus paſcendis & nutriendis germen illius ſufficiat: Hacque efficaci, licet brevi invectiva effecit, ut univerſali regionum illarum fami ſolerter pariter & ſuaviter fuerit proviſum; ſiquidem maritus ejus ſtultitiam qua hactenus auri cupiditate poſſeſſus laboraverat, agnoſcens, reſipuit, moreſque priſtinos emendando, bono communi conſulere & proſpicere ſtuduit. Merito igitur Ariſtoteles 3. lib. Politicorum cap. 6. admirabile illud paradoxum pronuntiavit, quod ſcilicet divitiæ in civitatibus annonæ parere ſoleant caritatem; quod jam adductum exemplum evidenter ſatis probavit. Hæc omnia ex magno illo oratore dicta ſunto.

Avari periculis ſubjecti.

10. Et quidem ſi revera ita eſt, quod ſcilicet aurum in Schytia a feris rapacibus, Gryphonibus nimirum & Leonibus eruatur, ab iiſdemque feris defendatur & cuſtodiatur, quis eſt qui non cognoſcat, quanta homini in auro acquirendo, in poſſidendo, ac demum in cuſtodiendo pericula occurrant? Merito igitur Habacuc inquit: *Aggravat contra ſe denſum lutum.* Quot enim homines ſe mortalibus periculis, imo ipſiſmet mortibus exponunt, ut pecuniam ſibi coacervare poſſint? Conceptus quidem poëticus eſt quo aurum ideo impallere dicitur, quia ab omnibus illi inſidiæ ſtruuntur, indubitata tamen veritas eſt, quod à S. Auguſtino nobis

*Habac. 2. v. 6*
*The. vi. ho. ibi.*

*S. Aug. ſer. 10. lo. cit.*

inſinuatur, dum ait: *Aurum nemo tutum habet, niſi qui ſemper abſcondit, in perniciem Domini fulget, per tenebras quæritur, per tenebras cuſtoditur.* Similem fere conſiderationem S. Baſilius adducit, cum ait: *Gravis profecto inſania; primum in metallis aurum latitans omni diligentia in lucem proferre, ac ex humo recludere; deinde ſemel effoſſum rurſus in terra occultare.* Quid per hoc nobis aliud ſignificatur, quam timor quo merito percellimur ob inſidias & pericula quibus ob ardentem hominum erga aurum amorem continuò ſubjicimur. S. Auguſtinus ait: *Aurum amanti ſe nihil de ſua poſſeſſione permittit, refundens ei reatum ſuum, cui uſum ſuum negat, gravis acquiſitio, ærumnoſa poſſeſſio,* ſicut enim avarus aurum tantis cum laboribus ex aurifodinarum antris velut carceribus eximit, ita quoque idem aurum ex antri ſeu venæ ſuæ tenebris jam erutum, avarum in ſervitutem ſuam redigit, ſuumque mancipium eſſe facit. Idem quoque Sanctus Pater rationem aſſignat, quamobrem illa falli neſcia cœli providentia ab hominum oculis aurum tanta cum induſtria occultarit; Dicit enim: *Quod ita eſt in abſcondito, ut illud videatur providens hominibus natura damnaſſe, nec expoſuiſſe, in lucem rem ſuccenſuram oculos cupidorum, atque ut adjuvaretur paupertas difficultate parandarum divitiarum cum labore fecit quæri, quod noluerat inveniri.*

*S. Baſil. ho. 7. in div. av.*

*S. Aug. ſer. 10. in div. av.*

Hinc divitias divites occludunt.

11. Ejuſdem quoque providentiæ evidens argumentum eſt, quod aurum non ſolum ex natura ſua in profundiſſimis & fere inacceſſibilibus terræ cavernis recluſum lateat, & quaſi incarceratum: Verum etiam in abditiſſimis ſcrinijs ſub centenis & millenis clavibus reconditum hæreat, ne lutum iſtud inſatiabilibus hominum cordibus majori cum violentia prædominari poſſit. S. Zeno proinde in ſermone quodam de inſatiabilitate avaritiæ tractans ita ſcribit: *Aurum, argentumque, quod magno opere eruitur è terræ viſceribus, iterum cælari mandatum, res eſt, quam habere falſum eſt gaudium, certiſſimum periculum publicare.*

*S. Zen. ſer. de avar. inſat.*

Mos quorumdam gentilium ex auro compedes conficientium.

12. Vetuſtiſſimus autem Tertullianus, ut nobis, qui aurum tanti facimus, quantæ ſit vilitatis & abjectionis oſtendat, idem aurum à nonnullis populis barbaris in malefactorum & criminoſorum hominum catenas & vincula fabricanda adhiberi, his verbis dicit: *Apud barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & divitijs malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores, aliquando revera inventum eſt quomodo & aurum non ametur.* Idem quoque alibi in eodem Scriptore legimus, ubi dicit: *Aurum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula ſervire referunt gentilium literæ.*

*Tertull. l. de hab. mul. c. 7.*

Confirmatur.

13. Herodotus quoque ſuo id teſtimonio confirmat; ſiquidem de Æthiopibus ſcribit, quod quia magna inter ipſos auri abundantia reperitur, catenas quibus malefactores extremo ſupplicio mox afficiendi innectuntur, ex auro conficere ſoleant; Imo quiſquis hiſtorias diligenter pervolvit, inveniet utique in nonnullis regionibus, ubi magna eſt aurifodinarum frequentia, ferrifodinæ autem vix vel raro inveniuntur, ideoque magna eſt ferri penuria, ferrum auro longe pretioſius æſtimetur. Unde S. Bernardus merito ait: *Filij Adam, genus avarum & ambitioſum, audite; Quid vobis cum terrenis divitijs, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt? Aurum & argentum nonne terra eſt rubra & alba, quam ſolus hominum error facit, aut magis reputat pretioſam?* Cui ſimile eſt quod D. Chryſoſtomus his verbis dicit: *Nec luto melius aurum eſſe cogitemus, materiæ namque pretium non ex natura eſt, ſed ex opinione noſtra; ſi quis enim diligenter inquireret, multo magis auro ferrum neceſſarium, quid dico auri & ferri comparationem? Hi enim vulgares lapides magis neceſſarij ſunt, quàm pretioſi, nam ex his nihil utile fieri poteſt, ex illis vero mihi demonſtra, quæ de margaritis utilitas iſtis, quin imò quod non inde fiat damnum? etenim ut tu feras unionem unum innumeri pauperes fame premuntur.*

*Herod. l. 3.*

*S. Bern. ſer. 4. de Adv.*

Pulchra S. Bern. Sententia.

*Chryſ. h. 21. ad pop.*

Pœnæ quibus avari in hac & altera vita ſubjiciuntur.

14. Verum quidem eſt, quod ut Tertullianus obſervat, aurum reſplendens mortalium oculos hebeſcere faciat, dum ad opulentos valde pretioſoſque adhibetur ornatus; verumtamen ſi ejus videre vis vilitatem, neceſſum eſt, ut ad ejus te natales, unde originem ſuam ſumit, reflectas: *Aurum & Argentum principes materiæ cultus ſingularis, adſint neceſſe eſt, unde ſunt, terra enim plange glorioſior quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata, nomen terræ in igne reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de ſupplicijs in delicias, de ignominijs in honores metalli refuga mutatur.* Scholiaſtes hujus vetuſti

*Tert. lo cit. n. 38. c. 5.*



vetuſti Scriptoris, ſuper illa verba: *feralibus officinis metallorum operibus addicebantur damnati*, S. Cyprianum citat, eorum, qui in hiſce aurifodinis quotidie laborant, ærumnas hiſce verbis deplorantem: *Non fovetur in metallis lecto & culcitris corpus, humi jacent feſſa laboribus viſcera, ſqualent ſine balneis membra, ſitu & ſorde deformia, panis illic exiguus, veſtis algentibus deeſt, ſemitonſi capitis capillus horreſcit.* Idem quoque Scholiaſtes ſuper illa Tertulliani verba: *pœnali opere*, inquit: *horribiles carceris, atque funeſtas pœnalis loci tenebras dixit*; Hæ autem ærumnæ quibuſcum aurum è terræ viſceribus effodiunt, pœnas indicant, quibus avari & auri cupidi in hac præſenti & futura vita ſubjiciuntur; ac proinde optimè D. Chryſologus nos monet: *Mitte & præmitte theſaurum tuum in cælum, ne cæleſtem animam demergas in terram*; cujus rationem aſſignat dicens: quia *Aurum de profundo terræ, anima ab excelſis cæli*; Aurum ex loco qui Inferno proximus & vicinus eſt, eruitur, quam igitur unionem aut quod vinculum inire poterit cum anima noſtra, quæ ſuos è Cœlo natales habet, & Cœlo poſſidendo creata fuit? *Magnum chaos firmatum eſt inter aurum & hominem.*

*S. Cypr. l. 3. ep. 77.*

*Chryſol. ſer. 2*

Theſaurus in cœlum præmittendus.

Apoſtrophe ad avaros.

15. S. Baſilius avaro homini medicinam exhibere parans, poſtquam multa ab hoc vitio derivantia mala æqua lance ponderaſſet, tandem ad avarum converſus, his eum verbis alloquitur: *Quibus verbis te curabo? quomodo loquar? Regnum Dei non curas, Gehennam non times, quam animæ tuæ medicinam idoneam inveniemus? diſputamus cum corde lapideo ô infelix homo; pecuniæ naturam aliquantulum inſpice; quid attonitus aurum miraris? Lapis eſt aurum, lapis argentum*; tandem poſt enumeratas varias gemmas lapideſque pretioſos, concludit: *Quia vero hæc omnia aurum ſcilicet, argentum, gemmas & in tenebris abſcondis*, ſignum profecto evidens, quod illa omnia lucem minime mereantur, maximè, *quia ſunt opera tenebrarum.*

*ho. 7. in div. ava.*

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Avaritia radix eſt omnis mali, omniſque vitij origo, & maximè odiorum & rixarum etiam inter proximè cognatos, eſtque bellorum, ruinarum publicarum, & cujuſvis alterius exceſſus unica & fundamentalis cauſa.

### THEMA.

*Radix omnium malorum eſt cupiditas.* 1. Timoth. 6. ℣. 10.

Quomodo avaritia omnium malorum ſit radix.

*S. Th. 1. v. 2. q. 84. a. 1.*

1. Doctor Angelicus, quo ſenſu temporalium bonorum cupiditas omnium malorum radix ſit, his verbis declarat: *Ad ſimilitudinem radicis arboris, quæ ex terra trahit alimentum, ſic enim ex amore rerum temporalium omne peccatum procedit*; Hunc tamen explicandi modum non ex propria ſententia, ſed tamquam doctrinam aliorum refert, ſiquidem ipſemet Doctor Angelicus in ea eſt opinione, quod avaritia radix dicatur omnium peccatorum ad eum modum quem ſervari videmus in radice aliqua arboris, quæ omnibus ramis ſuis alimentum & vigorem ſuum provide ſubminiſtrat: *videmus enim, quod per divitias homo acquirit facilitatem, perpetrandi quodcumque peccatum, & adhibendi deſiderium cujuſcumque peccati, eo quod ad habenda quæcumque temporalia bona poteſt homo per pecuniam juvari*; juxta illud Eccl. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.*

*Eccl. 10. v. 19*

2. S. Ambroſius hæc verba exponens ita ſcribit: *Ideo radix omnium malorum eſt, quia ut deſideria ſua expleat (quod impoſſibile eſt) & maleficia & homicidia, & obſcœnitatem, & quidquid ſceleris eſt, perpetrat.*

*S. Ambr. ad Tim.*

Avaritiæ omnia vitia inſerta.

3. S. Bonaventura avarum per arboris truncum intelligendum eſſe dicit, quia ſicut hortulanus qui inter alias arbores truncum aliquem habet vividum, eidem quodlibet genus fructuum aut arborum ſibi magis acceptum pro libitu ſuo poteſt inſerere: *ſic Diabolus quando poteſt in corde hominis inſerere avaritiam vel cupiditatem, omnia vitia inſerit, quia jam habet omnium malorum radicem & principium*; Et ideo quotieſcumque animam aliquam immoderatæ huic divitiarum cupiditati immerſam eſſe videmus, de ea ſecure dicere poſſumus, quod ad quævis zizaniorum ſemina recipienda capax ſit & proximè diſpoſita. Audite quonam titulo Caſſiodorus avaritiam indigitet: *Reginam illam*, inquit, *procacium vitiorum avaritiam fuge, cui cuncta crimina deteſtabili devotione famulantur.* Sicut enim materia prima ad quamvis formam recipiendam diſpoſita eſt, ita quoque cor hominis avari aditum præbet, & diſpoſitum eſt ad omne ſcelerum genus.

*S. Bon. t. 6. in diet. ſal. c. 6.*

*Caſſiod. 12. var. 2.*

4. Theodoretus ſuper eadem. S. Pauli verba: *Radix omnium malorum eſt cupiditas*, ita ſcribit: *Cædes enim & præſtigiæ, furta & rapinæ, fraudes & mendacia, jurisjurandi violatio, & alia genera iniquitatis ex hac radice pullulant*; Quod ſi enim Spiritus Sanctus de impijs illis hominibus, qui in condignum ſcelerum ſuorum ſupplicium diluvij aquis fuere ſubmerſi, dixit: ... *Quod cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore*, ex eo dumtaxat quia luxuriæ, & ſpurcitiebus carnalibus ad ſummum dediti erant; *Omnis caro corruperat viam ſuam*, quanto magis id de iis qui avaritiæ & pecuniæ adaugendæ ſtudent, dicere licebit? cum Salvianus divitias *materiam omnium voluptatum* appellare non dubitet. S. Gregorius quoque ab hac avaritiæ radice omnia venenoſa & peſtifera germina pullulare libenter agnoſcit, dum ait; *De avaritia proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, & contra miſericordiam obdurationes cordis oriuntur.* Præ cæteris autem in quantam vitiorum farraginem ſe avaritia largiſſime extendat, ingenioſius his verbis S. Valerianus inſinuat, dicens: *Nihil eſt malorum quod non cupiditas, aut non concipiat, aut parturiat, aut paſcat, aut nutriat.*

*Theod. ad Tim.*

Avaritiæ germina.

*Gen. 6. v. 5.*

*Salv. l. 4. ad Eccl.*

*S. Greg. l. 21. mor. c. 17.*

*S. Val. ho. 20. de avar.*

Similitudo.

5. S. Aſterius obſervat id, quod in aurifodinis foſſores auri quotidie experiuntur, ſcilicet quod aurum inſtar arboris cujuſdam radices ſuas longe lateque in varias extendat ſubterraneas propagines: *ſicut enim ij*, inquit, *qui aurum in ſinu viſceribuſque terræ ſcrutantur, auream glebam circa principem & proprium generationis locum cumulatim repoſitam inveniri narrant, & aliquas inde velut venas in longum hinc inde produci, ſic arborum à ſtipite late ſeſe explicant, ac diffundunt radices, ad eumdem modum imagine non minus impropria auri & avaritiæ multa video germina, multoſque ſurculos una eademque ſtirpe avaritiæ conjunctos.* Vultiſne videre, quam late ſe hæ radices, earumque propagines extendant, ſeque dilatent? Audite S. Auguſtinum, qui dicit: *An ignoras quod radix omnium malorum avaritia eſt, & ſervitus idololatriæ, mater uſuræ, genitrix Simoniæ, fomes culpæ, æternæ pœnæ via, nutrix gehennæ?*

*S. Aſter. ho. de avar.*

*S. Aug. ſer. 48. ad fra.*

Anatomia cordis avari.

6. S. Bernardinus cor hominis avari ingreditur, ejuſque appetitus, inordinataſque paſſiones diligenter ſcrutatur, dum ita ſcribit: *In corde avari ſtudioſæ cogitationes paratæ ad decipiendum, circumveniendum, fallendum; fabricantur cavillationes, injuſtitiæ, calliditates, duplicitates, proditiones, multiplicat mendacia, perjuria, frangit promiſſa &c.*

*S. Bern. t. 2. ſer. 45. ar. 1. c. 3.*

Avar. odiorum ac rixarum origo.

7. Verum ut in examinandis peſſimis hujuſce radicis germinibus ordinatè procedamus, æquum non eſt, ut quidnam hac de re S. Valerianus ſentiat, prætereatur, qui ita ſcribit: *Ex hoc fonte*, ſcilicet avaritia, *videmus pullulare odiorum cauſas, hinc evenire criminum pugnas, hinc fraternas acies inſtrui, hinc amicitiarum fœdera diſſipari.* Odia enim inteſtina cor hominis continuo rodentia, ab intereſſe & lucro communiter procedunt; unde digniſſima eſt illa S. Auguſtini ſententia: *Venenum Charitatis eſt cupiditas, perfectio nulla cupiditas.* Rixæ enim, diſſenſiones & lites per divitias & frigida illa verba Meum & Tuum primum ut plurimum aditum inveniunt. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Cujus ergo mali illæ cauſæ non ſunt* (de divitijs loquitur) *Nonne harum gratia concupiſcimus? nonne rapimus? nonne inimicitias ſubimus? nonne conſerimus rixas? nonne contentiones perpetuas teximus? Nonne illæ ad mortuos uſque impias extendere manus? Tolle peccuniarum ſtudium, & omnia mala ſublata ſunt.*

*S. Val. ibid.*

*S. Auguſt.*

*Chryſ. ho. 17. in 1. ad Ti.*

Abraham fertiliores regiones libentius amiſit quam fratris amorem.

8. Paſtores Abrahæ & Loth inter ſe rixati fuere, totius autem contentionis unica cauſa fuit utriuſque partis prætenſum intereſſe & commodum, quælibet enim pars greges ſuos ad pinguiora paſcua agere ſatagebat: *Erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter*; Unde S. Patriarcha, ut omnem odij & diſcordiæ amputaret radicem, hanc Loth cognato ſuo optionem dedit: *Ecce univerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo, ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Verum inquies numquid Abraham juſte Loth regiones fertiliores & amœniores ſibi vendicaturum eſſe timere poterat? omnino ita eſt, revera enim talem ſibi locum elegit, qui

*Gen. 13. v. 6.*

*Gen.17.v.1.* *Oleaſt.ibid.* *S.Val. ho.cit.*

qui terreſtri cuidam Paradiſo comportari poterat; ſed Abraham id minimè curabat, ipſe enim utpote qui perfectionis viam in omnibus ſectabatur, *ambula coram me & eſto perfectus* pluris unicum Charitatis fraternæ gradum, quam omnia mundi regna omneſque theſauros & delicias faciebat: Non *enim poſſunt juſti*, inquit Oleaſter, *lites & contentiones ferre, & malunt de ſua ſubſtantia perdere, quam contentionibus miſceri: ſenis debuerat eſſe electio, ſed ne iterum ſuper hac re contenderent, optionem illi dedit, & ceſſit juniori ſenex*, S. Valerianus ait: *armatur vicinitas frequenter ad litem, unde eſt, niſi quia hic forte terminos tranſcendere, & ceſpitem juris alieni cogitat occupare.* Hinc vero conſequenter ſubſequitur, quod ſæpenumero ſanguis fundatur pro ſecundo ſanguine conſervando & manutenendo, id eſt, pro conſervandis facultatibus & bonis, quæ ſecundus ſanguis nominari ſolent. Unde idem S. Valerian. proſequitur, dicens; *armantur ſervi, incitantur propinqui, animatur vino furor conductus, & effuſus ſanguis fit pretium poſſeſſionis; aperitur poſtmodum legibus forum, & dum ultionis locus quæritur, congeminatur homicidium.*

Avar. odij fraterni ac homicidiorũ cauſa.

Animorum unio ex divitiarum contemptu. *Act.4.v.32.* *Act.5.v.12.* *Chryſ.t.5. ſer.21.*

9. Dic quæſo undenam primorum fidelium naſcentis Eccleſiæ illa derivata eſt ſanctitas, & individua animorum unio, de qua S.Lucas teſtimonium perhibet, dicens: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una; Et erant unanimiter omnes?* Non eſt dubium, quin à contemptu derivata fuerit divitiarum, ſiquidem fidei fervore ſuccenſi patrimonia ſua ad pedes attulerunt Apoſtolorum. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Quamprimum Apoſtoli verbum pietatis ſeminare cæperunt, annumerata ſunt eis ſtatim tria millia, eratque ipſorum omnium cor & anima una; Et quis tantæ concordiæ auctor? quod illud Charitatis vinculum? opum contemptus, nullus enim ipſorum dicebat ſuum aliquid eſſe ex his, quæ poſſidebant, ſed erant ipſis omnia communia; omnia enim bona ſtatim proveniunt, ubi malorum radix, avaritiam dico, ſublata fuerit; jam frivola illa verba: Meum & Tuum, quæ tot bella mundo invexerunt, ex ſancta illa Eccleſia erant exterminata, inhabitabaturque non aliter terra, quam ab Angelis cælum.*

Avar. fera peſſima feros facit fratrum animos naturam mutans. *S.Aſter.hom. cit.* *Chryſol.ſer. 29.* *Gen.37. v. 20.* *Ibid. v.32.*

10. S. Valerianus loco ſtatim citato ait: *Fraternas acies inſtruit*, quia turpiſſimum & abominandum illud cupiditatis monſtrum, legem naturæ impudenter rumpit, atque in ſanguine proprio cruentatur. S. Aſterius in Homil. de avaritia inquit: *Hinc video filium capiti genitoris imminentem, & abſque ulla vel venerandæ canitiei, vel authoritatis patriæ reverentia longiorem ſenis vitam indignantem*; Et quidem ſi de odio fraterno loqui velimus in Joſepho à fratribus ſuis divendito, evidens habemus exemplum. Unde D. Chryſologus inhumanitatem & barbariem auri his verbis deplorat: *Aurum Patriarcharum ſtirpem, progeniem ſanctam, tantam germanitatis ſingularem coronam adeo corrapit, & adeo totius reddidit pietatis extorrem, ut Joſeph Ægyptijs, fratrem barbaris, innocentem noxijs, ingenuitatem traderet ſervituti.* Ecce tibi quouſque execrabilis & inſatiabilis auri ſitis pertingat, inquit idem ſanctus Pater, nimirum ut etiam germanos fratres in truculentas & indomitas feras convertere poſſit, ut proinde [illegible]re merito fratres Joſeph Patri ſuo dicere potuerint: [*Fera peſſima devoravit eum:*] *Sic ſiccavit mentes, ſic corda depreſſit, ſic quod in eis fuerat humani ſenſus ferinam in rabiem commutavit; fera peſſima comedit eum.* At vero notandum eſt quod prius dixerint *vide, utrum tunica filij tui ſit, an non*, odium namque illorum in illam uſque rabiem exarſerat, ut illi tamquam fratri prorſus renuntiarint, nec illum proprio ſuo nomine compellare, aut tamquam ſanguine junctum agnoſcere dignati fuerint: *vide utrum tunica filij tui ſit; Hæc porro fera peſſima, inſatiabilis auri fames fuit, quæ illos in tantam tranſtulit humanitatem*, inquit D. Chryſologus, *ut non offenſam Dei, non ſancti Patris dolorem, non proprij ſanguinis ſenſum meminiſſe permiſerit.* Tandem vero per ſententiam quamdam concludit, per quam avaritiæ naturam præclare indicat, quæ in eo præcipue conſiſtit, quod in homine omnes naturæ leges abroget & ſupprimat: *Intuere quid auro gravius, quod cum mores hominum perdit, perdit & naturam.*

Avaritiæ violentiam vide in corde fratris & filij. *Luc.15.v.32* *Chryſ ſer.4.* *S.Aſter. ho. de avar.*

11. Filius prodigus à patre quidem ſuo ingenti cum jubilo ſuſceptus fuit, qui lautum mox ei inſtruxit convivium, frater tamen ejus de paterna hac ei exhibita benevolentia contriſtari cœpit, cum tamen econtra maximam haberet de reditu fratris lætandi rationem maximè quia, ut communis utriuſque genitor dicebat: *Mortuus erat, & revixit*; Ecce tibi vitij hujus ſummam in pectore hominis cupidi & avari etiam fraternæ violentiam, quia ut idem D. Chryſologus ait: *Credidit damnum, qui rediiſſe conſpicit cohæredem.* Imo quiſquis hiſtorias pervolverit, filios quoque hæreditatem paternam expectandi impatientes, in proprios armari parentes ſæpe reperiet. Unde S. Aſterius ait: *Tui iſti ſcelerata avaritia fluctus, tuo impulſu & incentivo filius Parenti inimicitias denunciat.*

Avaritia cauſa omnium malorum. *Chryſol. ſer. 126.*

12. Præterea Valerianus ubi ſupra ait: *Amicitiarum fœdera diſſipat*; neque enim ſolum privatas, ſed etiam publicas inter Principes ictas confœderationes rumpit, quia lucrum & commodum cauſa eſt bellorum, ruinarumque quæ inter populos, Provincia & regna ſuſcitantur. D. Chryſologus ait: *Quiſquis eſt ab hujus Mammonæ captivitate liber, & pecunia jam crudeli pondere non gravatur, conſiſtat in ſpecula cæleſti, & inde deſpectet Mammonam mundo, & mundanis tyrannico furore dominantem; Imperat gentibus, jubet regnis, bella mandat, comparat bellatores, ſanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, orbes deſtruit, ſubdit populos, arces urget, vexat cives, foro præſidet, jus delet, fas nefaſque confundit, ad mortes uſque tentando fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, honeſtatem diſſipat, ſolvit affectus, innocentiam tollit, pietatem ſepelit, neceſſitudinem ſcindit, amicitiam ſubruit*, ac proinde numquid immane hoc avaritiæ monſtrum jure merito appellari poterit ſtipes & radix univerſalis omnium malorum? *Radix omnium malorum eſt cupiditas.*

Avari ſe plurimis exponunt periculis. *Rup. Ab. l.2. in Exod.c.33.* *S. Zen. ſer. de avar.*

13. Pharao poſtquam populum Hebræum in bene ordinatos exercitus diſtributum, ex Ægypto egreſſum numquam in priſtinæ ſervitutis vincula & compedes redire velle, ſeque ab ijs hoc modo deluſum eſſe intellexit, ſubito numeroſiſſimum ex ſubditis ſuis congregavit exercitum, qui etiam omnes ſine ulla difficultate prompte ac ſolicite ipſius caſtra fuere ſecuti, tametſi ijs uxores, Filij, & ſolum patrium cum omnibus quas in illo habebant vitæ commoditatibus, deferendæ eſſent, optimeque ſcirent varium eſſe belli eventum. Sciti ſne cauſam cur tam promptè vitam propriam contemnendo, hæc Pharaonis caſtra fuerint ſecuti? Rupertus Abbas Tuitienſis ait; *Tanto ad proſequendum promptiorem Pharao habuit exercitum, quanto inſanius accepiſſent, auro vel argento ſuo ſe eſſe ſpoliatos ab eis, quos dudum libertate ſpoliaverant.* Populus enim Hebræus pretioſiorem Ægyptiorum ſuppellectilem ſub ſpecie mutui ab iis directam in ſuis habebat manibus: atque inſuper iidem Ægyptij ſe utilibus Hebræorum miniſteriis & obſequijs, quæ in operibus luti & lateris illis præſtabant, privatos eſſe cernebant, ac proinde armis ſuccincti, quibuſvis ſe prompte & libenter expoſuere periculis, nihil enim adeo eſt periculis involutum quod avarus ex motivo lucri quærendi, aut damni recuperandi non libenter aggrediatur, ac proinde Virgilius inquit: *Auri ſacra fames quid non mortalia pectora cogis?* Ob eamdem cauſam quoque avaritia à S. Zenone *ſalutis ſuæ alienæque contemptrix* appellatur, quod nomen in facilitate, qua ſe homines ad prælia adeunda ſine ulla difficultate reſolvunt, veriſſimum eſſe conſpicitur; *Inde eſt*, inquit idem S. Pater, *quod univerſæ nationes mutuis per momenta vulneribus concuſſæ gemant urbes, maria plus prædonibus ſæva ſunt, quam natura.*

Omnia mala ſublata erunt avaritiâ ſublata. *Chryſ.ho.17. in 1. ad Ti.*

14. D. Chryſoſtomus poſtquam eam fami divitiarum crudelitatem ineſſe oſtendiſſet, ut non proprij quidem ſanguinis conſortibus parcere norit, mox ſubdit, quod omni auro & lucro ab hoc mundo ſublato, omnia pariter bella protinus ceſſabunt; *Nonne inter parentes & fratres ſævierunt? Nonne jura naturæ ac præcepta Dei & omnia prorſus violarunt? Tolle pecuniarum ſtudium, & omnia mala ſublata ſunt; Conquievit bellum; ceſſavit pugna, inimicitiæ in gratiam redeunt, ſedatæ ſunt hæreſes & contentiones omnes.*

Dæmonis ſagena argentum & aurum. *Habac.1.v. 14.* *Ibid.v.17.* *Rupert.Abb. l.2.in Habac.t.2.* *S.Val.ho.20. de av.*

15. Deus per os Habacuc Prophetæ univerſum genus humanum ſub ſpecie magnæ cujuſdam multitudinis piſcium in mari hujus mundi natantium introducit, dicens: *Et facies homines quaſi piſces maris*; In mari autem quod piſcibus ſcatet, numquam deſunt piſcatores, qui piſcibus illis per injecta retia & hamos inſidias parent; Et ideo in hoc mari unicus piſcator eſt ille totius humani generis capitalis inimicus Diabolus: *Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non parcet.* Sed quænam eſt hæc eſca qua infernalis piſcator ad capiendas & piſcandas animas potiſſimum utitur? Rupertus Abbas ſuper illa verba Habacuc; *Expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non ceſſat*, ita inquit: *Hæc ſagena eſt aurum & argentum*; Et revera ita eſt, quod ſi enim rixarum, inimicitiarum, duellorum, ſtragum, præliorum, omnium humani ſanguinis effuſionum cauſam & primam originem diligenter examinaveritis, unicam avaritiam illorum omnium inſtrumentum eſſe & fuiſſe deprehendetis. Unde S. Valerianus ait: *Unde eſt, quod videmus inter ſe frequentes armatas ſtare legiones? quid autem aliud eſt, niſi quod aut ille aliena occupare quærit, aut ille occupata cuſtodit?*



Avaritiæ enarrantur mala. *Sixt.III. l.de div.*

16. Verum enimvero Sixtus Papa III. vel quiſquis author eſt libri illius, in quo ſub ejus nomine de divitijs diffuſe tractatur longum quemdam malorum culpæ & pœnæ ex vitiata humanæ cupiditatis radice provenientium texit Catalogum dicens: *Quis ſapiens dubitet cupiditatem fontem eſſe omnium malorum, radicem ſcelerum, culparum fomitem, propter quam nec terra, nec maria, nec ullus omnino locus aut ſecure inhabitatur, aut ſine pavore tranſitur? Hujus concupiſcentiæ cauſa, prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis & urbibus fures; propter hanc circumventiones, rapinæ, mendacia, perjuria, falſa teſtimonia, fraudes, impietates, hujus cauſa innocentium ſanguine quotidie terra polluitur, ſpoliatur pauper, miſer opprimitur, nec viduis, aut orphanis parcitur; propter hanc omnibus pene momentis lex divina contemnitur; Hujus cauſa nonnumquam expugnatur pudor, caſtitas vincitur; & per illicitas voluptates impudens libido vagatur; Per hanc ſæpe parricidia partim votis, partim operibus perpetrantur.*

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Ejuſdem materiæ aſſumptum per varia S. Scripturæ loca, & Sanctorum Patrum ſententias proſequitur.

### THEMA.

*Avaro nihil eſt ſceleſtius.* Eccli.10. ℣. 9.

Avaritiæ filiæ omnia ſcelera. *S.Bon.t.7. l.3.c.19.* *Job 21. v.7.* *S.Ambr.l.2. de int. Job. c.5.*

1. ECcleſiaſticus poſtquam multa vitioſorum hominum genera diligenter conſideraſſet, tandem neminem ex omnibus impijs avaro homine nequiorem eſſe dicit. S. Bonaventura de corruptela peccati ſcribens, & hunc aſſumpti thematis textum adducens, mox ſubjungit: *Quia fere omnia ſcelera per avaritiam perpetrantur*; ac demum ex hac peſſima noverca progenitas recenſet filias, à S.Gregorio lib.31. Moral. cap.17. pariter indicatas: *Prima eſt*, inquit, *obduratio cordis, quæ fit omittendo Eleëmoſynam; Iſtam filiam vocat Iſidorus Inhumanitatem. Secunda eſt violentia, quæ fit nocendo alicui palam per facta mala, quam vocat Iſidorus rapacitatem. Tertia eſt inquietudo, hæc eſt, appetitus lucri. Quarta eſt perjurium, quod ſæpe incipit in emptione & venditione. Quinta eſt fallacia, quæ fit per verba decipientis in occulto. Sexta eſt fraus. Septima proditio.* Et ideo S.Job divites appellat impios: *Quare ergo impij vivunt, ſublevati ſunt, confortatique divitijs?* Ambroſius autem divites impios fieri minime mirandum eſſe dicit, quia promptam habent cupiditatibus & inordinatis deſiderijs ſuis ſatisfaciendi commoditatem: *Magna*, inquit, *illecebra delinquendi, eſt rerum affluentia ſecundarum, ſupinat, extollit, oblivionem authoris infundit.*

*Iſa.2.v.47.* Ubi avaritia ibi univerſa ſcelera. *Ibid.v.8.* *Oleaſt.ibid.*

2. S. Iſaias Propheta poſtquam dixiſſet: *Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorum ejus, Et repleta eſt terra ejus equis, & innumerabiles quadrigæ ejus*; quaſi diceret eo ipſo quo terra auro & argento abundare cœpit, ſimul etiam repleta eſt equis, curribus, & armis, quia ut in præcedenti diſcurſu diximus, ex avaritia & lucri ſtudio, bella, & contentiones derivantur; verumtamen conſiderabilius eſt, quod ſequitur, nimirum: *repleta eſt terra ejus idolis, opus manuum ſuarum adoraverunt.* Sed inquies, undenam illa idolorum multitudo proceſſit? num forte ex argento & auro falſa ſimulachra, Deitateſque prophanæ fabricatæ fuerunt? Oleaſter per hæc idola vitia & ſcelera enormia valde intelligit: *Solent vitia & peccata in urbes & loca ſimul cum mercibus vehi: quare videmus urbes, in quibus ſunt maxima negotia, totius orbis vitijs abundare.*

*Clem. Alex. l.3. pæd.c.2.* Similitudo. *S.Paul.ep.2.*

3. Clemens Alexandrinus ingenioſam quamdam adducit ſimilitudinem, dum divites Ægyptiorum templis ſimiles eſſe dicit, quia ſicut hæc templa magnifica & ſumptuoſa erant, multiſque columnis per nobiliſſimam architecturam in varia loca intus & foris diſtributis ſuſtentabantur; exterius quoque varijs ſtatuis alijſque pretioſis ornamentis eleganter exornata erant, cum tamen intrinſecus ſerpentes, Crocodili, feles, aliaque animalia immunda & abominabilia adorarentur: ad eumdem quoque modum divites videmus copioſi famulitij obſequijs ſtipatos; honoratos & magnopere æſtimatos ab omnibus; abundantes in delicijs, in dominiorum poſſeſſione ſublimes, cum tamen in cordium ſuorum penetralibus, vitijs, affectibus & appetitibus inordinatis totaliter cernantur referti, adeo ut nullum ſit adeo abominabile idolum; quod in cordibus illorum ſuum non inveniat receptaculum. Unde S. Paulinus de avaritia tractans dicit: *Quæ una omnibus armata criminibus, vel ſi ſola nos capiat, & zabulo ad malitiam, & homini ad mortem ſufficit*; quibus in verbis præcipue huc facit propoſitio illa; *Omnibus armata criminibus.* Similiter in S. Eucherio admirabilem invenio conſiderationem ad præſens propoſitum, ut ſcilicet oſtendatur; quod cum facultatum augmento; incrementum ſemper fiat culpæ & vitiorum, mire deſervientem; Dicit enim: *Adeo quædam ſocietas pene etiam nominis duabus his rebus, vitijs & divitijs.* Et ideo Rupert. Abbas in Eccl. lib.3. dicit: *Plenus divitijs, plenus vitijs.*

Avaritia auriga equi & rotæ. *Pſ.19.v.8.* *S. Bon. in Pſ.19.v.8.*

4. S. Bonaventura nobis hoc vitium velut in triumpho currui triumphali à quatuor rotis agitato impoſitum ob oculos ſtatuit; Dum enim verba illa: *Hi in curribus, & hi in equis*, exponit, ita ſcribit: *Avaritia in curru vehitur, cujus ſunt quatuor rotæ; ſcilicet inhumanitas, puſillanimitas, contemptus Dei, oblivio mortis*; mox quoque, quinam ſint equi, hunc currum poſt ſe trahentes, his verbis indicat: *Duo ſunt equi, ſcilicet tenacitas & rapacitas; auriga eſt amor habendi*; quod enim diu ante Doctorem Seraphicum, Doctor quoque melliſluus S. Bernardus ſcripſit in ſerm.39. in Cantica.

Abundantia ſcelerum cauſa. *Gen.13.v.13.* *Ezech.16. v.49.*

5. Enimvero duarum illarum infamium civitatum Sodomæ & Gomorrhæ ſcelera ad illum uſque exceſſum pertigiſſe in Scriptura legimus, ut divina juſtitia eaſdem non jam aqueo; ſed igneo quodam diluvio caſtigandas eſſe cenſuerit, ut hac ratione etiam in hac præſenti vita intolerabilia Inferni incendia prægustarent; Et quidem quod ad ſupremum & execrandiſſimum iniquitatis apicem pertigerint, claris verbis aſſerit Spiritus Sanctus, dum ait: *Homines autem Sodomitæ peſſimi erant*; Quanam vero in re ſcelus hoc adeo abominandum poſitum fuerit Chaldæus Interpres his verbis expreſſius indicat: *Erant*, inquit, *iniqui cum ſuo Mammona, & peſſimi in corporibus ſuis coram Domino nimis.* Porro Loth hanc regionẽ præ cunctis alijs eligens, hoc ſolum motivo ductus fuit, quia ſcilicet inſtar Paradiſi cujuſdam fertilis & amœna erat; In Ezechiele quoque hanc eamdem prævaricationis ſuæ cauſam legimus: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia.*

Avaritia ad ſummũ malitiæ gradum trahit. *Luc.17. v. 26. & 27.* *Ibid.v.28.*

6. In die quoque univerſalis judicij vindicativæ juſtitiæ Dei fulmina tunc præcipue in homines evibrabuntur, quando humana malitia ad ſummum uſque gradum pertigerit quando autem hoc futurum ſit, & in quibus ſumma hæc malitia præcipue conſiſtat, hujus nobis incarnata Sapientia manifeſtum indicium inſinuat, dum ait: *ſicut factum eſt diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant, & bibebant &c. & venit diluvium & perdidit omnes*: mox quoque de alio ignis diluvio ſuper Sodomam immiſſo dicit: *Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant &c.* ubi pro indicio ſecuturi ſupplicij negotiationem ſpecificat in qua præcipuum avaritiæ exercitium conſiſtit.

*S.Aug.ſerm. 35.de ver. Dom.* *Pſ.143. v.12.*

7. Eſt quoque ingenioſa illa S. Auguſtini ponderatio qui dicit bona hæc temporalia, quibus avaritia inhiat, *divitias vocat mundus*, ſed turpiter in eo decipitur, nam aurum id eſt, cum ad aliorum valorem & pretium æſtimandum nequaquam judex competens exiſtat, multo minus aptus eſt aut idoneus ad nomen proprium iiſdem bonis imponendum, multo id accuratius facere Salvator noſter potuit, qui illas divitias iniquitatis appellat: *Mammona iniquitatis*; Idem quoque Sanctus Doctor ad intentum ſuum probandum, verba illa Pſalmi 143. adducit, in quo Pſalmiſta longum quemdam proſperitatum mundanarum texens catalogum, de divitibus ita loquitur, *Quorum filij ſicut novellæ plantationes in juventute ſua; Filiæ eorum compoſitæ circumornatæ ut ſimilitudo templi;*

*Ibid. v.13. Ibid. v.14. Ibid. v.15.*

*pli ; Promptuaria eorum plena , eructantia ex hoc in illud ; Oves eorum fœtoſæ abundantes in egreſſibus ſuis , Boves eorum craſſæ ; Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum ; Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt;* at vero advertendum eſt, ut inquit S. Auguſtinus , quod prius David hanc à Deo petierit gratiam , ut illorum divitum , utpote filiorum adulterinorum & ſpuriorum evadere manus poſſet : *Erue me de manu filiorum alienorum , quorum os locutum eſt vanitatem , & dextera eorum dextera iniquitatis.* (*Ibid. v.11.*) *Vide*, inquit, *qualem felicitatem deſcripſit ; ſed audi quid ſit, quod propoſuit ; filios iniquitatis ; Dextera eorum dextera iniquitatis.*

Divitiæ iniquitate pariuntur.

8. Michæas Propheta juſtitiam Dei erga avaros exhibitam ſequentibus verbis lamentabiliter exponit, dicens : *Adhuc ignis in domo impij theſauri iniquitatis , & menſura minor iræ plena : Numquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſacculi pondera doloſa ? In quibus divites ejus repleti ſunt iniquitate ; & habitantes in ea loquebantur mendacium , & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.* (*Mich. 6. v. 10. Ibid. v. 11. Ibid. v. 12.*) Ecce qualiter avari negotiatores quaquaverſum cincti & ſtipati ſint fraudibus mendacijs , & omni iniquitate. S. Joannes Damaſcenus proinde ait : *Quis mendacij pater eſt ? quis perjurij procurator ? nonne opes ? nonne earum ſtudium ?* (*S. Joan. Da. l. 2. c. 17.*) S. Hieronymus quoque ſuper præcitatum Micheæ textum ita ſcribit : *Numquid ignis & domus iniqui theſaurizant theſauros iniquos , & cum injuria iniquitates ? ſi juſtificabitur in ſtatera iniquus, & in ſaccello pondera fraudulenta ? de quibus divitias impietatis ſuæ repleverunt : vultis audire per ſingula quibus malis urbs veſtra plena ſit ? Diſcite ; menſura major Dei iram provocans, ſtatera fraudulenta , & diverſa pondera, & in alio pondere vendentes, & in alio ementes mercimonia & ſiquidem pauperes hoc facerent , poterat inopia ſcelus neceſſitate defendere ; nunc vero divites ejus non tam divitijs , quam iniquitate pleni ſunt, quia omnes divitiæ dum alios ſpoliant , iniquitate pariuntur , congregationem divitiarum ſequitur mendacium & manus aſſueta theſauros condere , fraudulentam linguam poſſidet.* (*S. Hier. in Mich.*)

Avari impij deceptores.

9. Zacharias Propheta ſe in viſione quadam amphoram & in medio illius mulierem quamdam ſedentem ſe vidiſſe refert, ſimulque vocem quamdam Angeli percepiſſe dicentem ſibi : *Hæc eſt impietas* , (*Zachar. 5. 8.*) Dicitque ulterius quod Angelus projecit eam in medio amphoræ , & miſit maſſam plumbeam in os ejus ; Demum vero Zacharias levatis in altum oculis vidit, *& ecce duæ mulieres egredientes , & Spiritus in alis earum ; & habebant alas quaſi alas milvi , & levaverunt amphoram inter terram & cælum* ; (*Zach. 5. v. 9.*) Tunc Propheta dixit ad Angelum : *Quo iſtæ deferunt amphoram ? Et dixit ad me : ut ædificetur ei domus in terra, Sennaar , & ſtabiliatur , & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.* (*Ibid. v. 10. Ibid. v. 11.*) S. Bruno Carthuſianæ ſolicitudinis Patriarcha in ſermone de contemptu divitiarum , hujuſce viſionis myſterium declarat dicens : *Quid per amphoram niſi avaritia ſignificatur ? hic oculus eorum; quorum eorum ? eorum videlicet qui eam diligunt in univerſa terra , omnes enim ad eam ſpectant , omnes ad eam tendunt , quoniam ſicut ſcriptum eſt : Pecuniæ obediunt omnia ; in hac autem ſedet impietas , quoniam divites & avari , quia miſericordiam & pietatem non habent non ſolum impij , verum etiam impietas recte vocantur.* (*S. Brun.*) Paulo poſt idem quoque Sanctus quidnam illæ duæ mulieres , quæ amphoram iſtam in altum extulerunt , ſignificent, declarat, dicens : quod per illas ſignificentur *ſolicitudo & deceptio , ſemper enim avari ſoliciti ſunt in acquirendo , & deceptores aliena rapiendo , unde & alas milvi habere hæ mulieres dicuntur, quoniam milvus inter cæteras aves rapaciſſimus eſt ; ferunt autem hæ mulieres, id eſt deceptio , & prava ſolicitudo amphoram in terram Sennaar, ſive Babylonis, quia his duobus vitijs divites & avari in perditionem rapiuntur.* Ecce ubinam cupiditas auri & argenti regnet , ſuumque centrum habeat; nimirum in terra Sennaar , id eſt , in Babylonia, quia omnes iniquitates & ſcelera ab hoc vitio ſpecialiſſimè derivantur.

Divites iniqui.

10. S. Petrus Damianus peſſimos avaritiæ effectus conſiderans , illa quoque verba ab initio hujus diſcurſus thematis loco aſſumpta : *Avaro nihil eſt ſceleſtius*, (*Eccli. 10. v. 9.*) in medium adducit , dicitque : *Nihil eſt iniquius quam amare pecuniam ; dura certe & nimis formidoloſa ſententia , ſi enim nihil eſt avaro ſceleſtius , nihil iniquius , non ergo melior parricidis , non præfertur inceſtuoſis , æquatur hæreticis , aſſimilatur idololatris.* (*S. P. Dam. l. 2. ep. 2.*) Audiatis velim quid Euſebius inter opera S. Hieronymi relatus , de ejuſdem D. Hieronymi morte ad Damaſum Papam ſcribat : *Nonne* , inquit, *unico credimus damnari homines peccato mortali ? ſed ſi hoc iniquies , ita eſt , quomodo unus ſalvabitur è centum millibus ? ſed quid dives aliud eſt , quam quoddam peccatorum omnium vas putridum ?* (*c. 9. int. ep. S. Hieron.*) Idem quoque S. Hieronymus nullum divitem ab hoc probroſo ſcelesti & impij hominis titulo eximit : *Vera eſt* , inquit , *& Philoſophi quædam ſententia : Omnis dives aut iniquus , aut iniqui hæres.* (*S. Hier. in Pſ. 83.*) In Regula Monachorum quoque, cum de paupertate loquitur, repetit idipſum , dicens : *vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſſima: quod dives aut iniquus, aut iniqui hæres.*

11. Tametſi David in illis Pſalmi 61. verbis : *Divitiæ ſi affluant , nolite cor apponere* , (*Pſ. 61. v. 11.* Avarorum vitia.) nimium dumtaxat ad bona terrena affectum & animi adhæſionem condemnare videatur , advertendum tamen eſt, quod immediate ante jam dixerat : *Verumtamen vani filij hominum , mendaces filij hominum in ſtateris , ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum ; nolite ſperare in iniquitate , & rapinas nolite concupiſcere* ; Et ideo S. Hilarius hunc locum exponens , de divitijs dicit , quod ſint *per naturam ſui ad omnem iniquitatum neceſſitatem captioſæ*; (*S. Hil. ibid.*) Unde D. Chryſoſtomus avarorum tranſgreſſionem enumerans ita ſcribit : *Qui pecuniæ amore rapiuntur invidi quoque nequam , multum jurantes , perjuri, temerarij, audaces, maledici , fures , inverecundi , impudentes , ingrati ; mala denique omnia ſint neceſſe eſt.* (*Chryſoſt. l. 3. adv. vitu. vit. mon.*)

12. Naaman Regis Syriæ magnus & fiducialiſſimus amicus , ideoque potens , dives erat , atque ab omnibus honorabatur , verumtamen leproſus erat : (Divites ſunt luxurioſi.) *Naaman . . . erat vir magnus apud Dominum ſuum , & honoratus, . . . erat vir fortis, & dives, ſed leproſus.* (*4. Reg. 5. v. 1.*) Quis autem eſt qui lepram peccati ſymbolum eſſe neſciat ? *Quia ubi* [ inquit S. Anton. Pad. ] *divitiarum & deliciarum affluentia , ibi luxuriæ lepra.* (*S. Ant. Pad. ind. 2. Ad.*) Unde Iſaiæ c. 2. cum præmiſiſſet : *Repleta eſt terra argento & auro , & non eſt finis theſaurorum ejus , ſtatim addidit : Et repleta eſt terra ejus equis, id eſt , luxurioſis.* (*Iſa. 2. v. 7. Ibid. v. 8.*)

13. S. Aſterius mare pyratis undique obſeptum & terram à latronibus & homicidis ubique infeſtatam conſiderans , unicam hujus gravis mali cauſam in ſolam refundit avaritiam : (Homicidæ &c.) De hac enim loquens, ita ait : *Tu comples terram latronibus & homicidijs mare pyratis, urbes tumultibus , forum ac tribunalia falſis teſtibus , ſycophantis, proditoribus , advocatis ac judicibus eo propendentibus; quo tu pertraxeris.* (*S. Aſter. h. de avar.*)

14. Rupertus Abbas Tuitienſis , ad illa verba Job cap. 12. *Lampas contempta apud cogitationes divitum* , (Prædones. *Job 12. v. 5.*) alludens : de divitibus ſub nomine pyratarum ita ſcribit : *Abundant tabernacula prædonum , & audacter provocant Deum , cum ipſe dederit omnia in manus eorum.* (*Rup. Abb. l. 1. de Spi. S. c. 11.*) Et iterum vocat illos idem Ven. Abbas : *Prædones Dei, prædones proximi ſui.* Quod *prædones Dei fuerint, teſtatur ipſe Deus, dum in Oſee de Synagoga illorum querelam depromens, dicit: Et hæc neſcivit, quia ego dedi ei frumentum meum ... in tempore ſuo ;... & liberabo lanam meam & linum meum : quod proximorum quoque prædones fuerint teſtatur in Iſaia , dicens : vos depaſti eſtis vineam meam, & rapina pauperis in domo divitis.* (*Oſea 2. v. 8. Ibid. v. 9. Iſaia 3. v. 14.*) Aurum in virorum etiam fidelium & ſincerorum pectoribus tantam vim & violentiam exercet , ut ea quoque facili negotio expugnet, ſibique ſubjuget. Unde S. Zeno dicit : *Nihil eſt tam ſanctum quod non violari , nihil tam munitum quod non expugnari pecunia poſſit.* (*S. Zen. ſerm. de avar.*) Cujus exemplum S. Valerianus in fide conjugali his verbis adducit , *Frequenter conjugalis pudor pecuniæ taxatione vileſcit ; & diu incontaminatæ virginitatis laude fulgens , ſub parvo auri pondere proſtituta fidem integritatis amiſit.* (*S. Val. h. 20. de av.*)

15. S. Patriarcha in benedictionibus ſuis quas filijs ſuis in vicina ſibi morte impertiebatur, Joſepho portionem illam dedit de qua in fine capitis 48. Geneſeos legimus : (Pecuniæ vis & robur.) *Do tibi partem unam* , inquiebat , *extra fratres tuos , quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo* , (*Gen. 48. v. 22.*) id eſt , inquit S. Hieronymus *Sichimam , quam emi in fortitudine mea* , id eſt , pecunia ; (*S. Hier. in gloſſ.*) ſed quamobrem pecuniæ titulum roboris & fortitudinis attribuit ? Nimirum quia aurum & argentum armatis æquivalet exercitibus & validiſſimis arcubus , ſagittis , baliſtis , univerſiſque innumerabilium & formidabilium leonum armis & robori comparandum venit , quia pecunia fortiſſimas & inexpugnabiles civitates expugnat , deque fideliſſimorum generoſorumq; virorum cordibus mirabili cum facultate triumphat, Unde S. Valerianus ait : *Hic proditionis arguitur , ille delator alieni criminis accuſatur , quis dubitet, quod Secretum pectoris oblatæ pecuniæ pondus irruperit ? nihil clauſum conſtat, quod auro argentoque non pateat, nihil occultū quod non pecunia indagante ſit cognitum.* (*S. Val. ibid.*)

Divitiæ iniquitatis centrum.

16. Poteſt & alia ratio adduci , cur divitiæ nidus & centrum ſint omnium ſcelerum , quia qui aurum argentumque accumulant , non ob alium finem id ut plurimum faciunt , quam ut tanto facilius ſecundum deſideria cordis vivere, voluptatibus & delicijs operam dare, laute in convivijs & crapulis ſe ingurgitare , alijs per imperia ſupereminere aut vindictas facere poſſint. Unde S. Hieronymus ait : *Vides homines maria tranſire, ante potentum excubare fores , pati omnia quæ ſeniorum conditio vix patitur, ut divitias congregent , & poſt quam fuerint conſecuti , tradere ſe luxuriæ & voluptatibus, & omni iniquitati.* (*S. Hier. in Pſ. 83.*)

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Hoc vitium ſpecialem Dæmonis laqueum eſſe, eumque in hoc ſpecialiſſime velut in ſuo centro ſubſiſtere, oſtenditur.

### THEMA.

*Qui volunt divites fieri , incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli.* 1. ad Tim. 6. ℣. 9.

*Eccli. 9. v. 20.*

Avaritia eſt Dæmonis laqueus.

1. TAmetſi quidem certum ſit id quod Eccleſiaſticus ait : *In medio laqueorum ingredieris* , ut proinde S. Antonius Magnus , ut in ejus vita legitur, totum aërem laqueis plenum eſſe conſpexerit, laqueis inquam , quos nobis continuo nectit & inſtruit inimicus infernalis , qui in Scriptura *ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus* (*Eph. 6. v. 12.*) appellantur ; Verumtamen Apoſtolus divitiarum cupiditatem ſpecialiter Dæmonis laqueum eſſe Timotheo diſcipulo ſuo declarat , dicens : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli.* Quis noſtrum argentum & aurum, temporaleſque proſperitates , quas tantopere abſentes concupiſcimus & in quibus habitis tantopere nobis complacemus , laqueos eſſe crederet ? Quis non videt , quod omnes & ſinguli ſe hujus laquei nexibus magis magiſque irretire deſiderent, omnique ſtudio ſatagant ? *Ergone* , inquit Hugo de S. Victore , *laqueus Diaboli ſunt divitiæ hujus mundi ? Heu me quam pauci ſunt, qui volunt ab iſto laqueo liberari ? quam multi ſunt, qui dolent , quod tam parum ſunt irretiti ?* (*Hug. Vict. miſc. 11. l. 2. §. 56.*) Super eodem quoque Apoſtoli textu Hugo Cardinalis ſcribens, admiratur idipſum , dum ait : *Quam paucos invenimus qui ab hoc laqueo liberari exultant, quam multos, qui dolent, quod parum ſibi videntur irretiti ; & quantum ipſi poſſunt ſe involvere & intricare laborant ?* (*Hug. Card. ad 1. Tim. 6.*)

2. S. Anſelmus autem myſterium nobis declarat, ob quod divitiæ laquei Dæmonis fuerint appellatæ : *Incidunt in laqueum Diaboli* , id eſt , in hoc , *ut conſentiant ſuggeſtioni Diaboli , amando divitias , quarum amorem ille ſuggerit , & illaqueantur ab eo per conſenſum iniquæ perſuaſionis , & per actionem pravitatis.* (*S. Anſ. ibid.* Dæmonis cibus terreni homines.) Ad hoc propoſitum memorandum eſt , quod ut omnibus ex primis Geneſeos capitibus conſtat , ſerpens protoparentum noſtrorum prævaricationem , tamquam illorum illuſor & circumventor ad terram comedendam , indeque ſe nutriendum condemnatus fuerit : *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* (*Gen. 3. v. 15.*) At vero dicet aliquis qua ratione Dæmon , qui Spiritus omniſque carnis expers erat , manducare terram poterat ? Nimirum *Omnia in figura contingebant* ; Deus enim illis verbis indicare voluit , omnes illos in Diaboli cibum & pabulum redigendos eſſe, quotquot per nimium ſuum ad bona terrena affectum ijſdem bonis nimium immergendi eſſent , hoſque ei adeo futuros eſſe gratos & acceptos , ac homini famelico cibus opipare conditus & præparatus eſſe ſolet. Unde S. Antonius de Padua ait : *De terra avaritiæ dicit Dominus ſerpenti , terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ , quia avari cibus ſunt Diaboli.* (*S. Ant. Pad. ſerm in D. 3. Paſch.*) Idem quoque S. Auguſtinus his verbis ait : *Terram comedes , id eſt, peccatores, quorum corda terrena cupiditate deceperis ; vel clarius : cibus tuus erunt peccatores terreni , quorum corda cupiditate plena ſunt , quique oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Rupertus Abbas Tuitienſis ſimiliter ſcribit : *Terram comedes & non cælum , id eſt , non quorum converſatio in cælis eſt , ſed qui terrena ſapiunt , illi cibus tuus erunt.* (*Rup. Abb. l. 3. in Gen. c. 18.*)

3. Quod ſi igitur ij , qui avari & bonorum temporalium cupidi ſunt , in cibum & annonam infernalis ſerpentis jam ab ipſo mundi exordio ſunt deſtinati , utique per conſequentiam magis neceſſariam inde colligere licebit avaritiam laqueum ipſius eſſe. Enimvero Ordinis Minorum S. Franciſci Annales , & S. Bonaventura in vita S. Patriarchæ ſui factum aliquod referunt , (*Annal. Wad. ann. 1221. n. 15. S. Bon. vi. S. Franc. c. 7. n. 5.* Hiſtoria.) unde clare deducitur , humani generis inimicum animarum prædæ operam dantem hunc laqueum ſpecialiſſime tendere, eumque ut tanto aptior ſit ad capiendam deſideratam prædam , ſub colore & ſpecie ſeu larva Charitatis & compaſſionis contegere. Dum enim S. Franciſcus una cum ſodali ſuo è Civitate Barienſi in Apulia diſceſſiſſet , ingens quoddam in via publica repererunt bene fartum marſupium , quod cum auro argentoque refertum à ſocio ejus crederetur , is ſancto Patriarchæ magnam fecit inſtantiam , licentiamque ſibi ab eo dari popoſcit, illud aperiendi , & quid intus lateret ſtudioſius examinandi. Sanctus autem vir Dei, utpote à Deo in hoc caſu ſpecialiter illuminatus, fraudulenti ſerpentis artificium & dolum ſubitò detexit ; cui tamen bonus ille Frater , genuinam in loculis pecuniam aſſervari arbitratus, minimè acquievit, dolendumque eſſe dixit, quod pauperes neglecta illa pecunia defraudarentur , quæ alias in magnum illorum ſubſidium erogari potuiſſet. Tunc ſanctus ille Patriarcha , una cum ſocio ut turbatum ſodalis ſui animum nonnihil componeret, Dæmoniſque fraudem perſpicue magis eidem detegeret , retrogreſſi ſunt ad locum , in quo loculos jacere viderant , factaque ab utroque oratione ſanctus vir Dei ſocio ſuo ut marſupium aperiat & perveſtiget, imperare cæpit : *Oratione præmiſſa , jubet ſocio illam levare : tremefactus frater obſtupuit , diabolicum jam præſentiens monſtrum , propter obedientiæ tamen mandatum , dubietatem abigens cordis , manum extendit ad burſam , & ecce ſerpens non modicus de burſa exſiliens , ſimulque cum ipſa ſubitò evaneſcens , diabolicam deceptionem fratri monſtravit.* Tunc S. Franciſcus hanc ſane perſonæ ſuæ dignam protulit ſententiam : *Pecunia ſervis Dei, ô frater, nihil aliud eſt, quam Diabolus, & coluber venenoſus.*

Exemplum.

4. Idem quoque S. Antonio Magno accidiſſe legitur , dum enim is perfectionis viam ingreſſus, tamquam deſtinatus à Deo Eremitarum Anachoretarumque Patriarcha in vaſtam ſolitudinem iter ageret, Dæmon ut à via cœpta eum diverteret , atque à ſanctis propoſitis revocaret , quid fecit ? vas ingens argenteum in mediam viam abjecit ut Antonius illac tranſiturus vas illud intuens ineſcaretur , & velut alter Atalanta incœpto curſu ſiſteret. Antonius autem ad dictum locum veniens viſo dicto vaſe argenteo corporis quidem greſſibus ſubſtitit nonnihil , nequaquam vero animus ejus moram admiſit per adhæſionem affectus , quia argentum intuens protinus artificium agnovit tortuoſi ſerpentis illudque declinavit , ſiquidem argentum iſtud torvo vultu reſpiciens , Dæmoni dixit: Diſpareat una tecum argentum iſtud tortuoſe coluber; ad quæ verba fumi inſtar evaneſcens diſparuit, Sanctus autem vir Dei iter ſuum tamquam victor glorioſe proſecutus fuit.

In anima avari quieſcit Dæmon.

5. Salvator noſter apud S. Lucam de divite quodam refert , quod quia meſſe quadam copioſiſſima gravifus fuerat, adeo ut granarium ejus ingentem frugum ſuarum abundantiam capere nequaquam poſſet, granarium priſtinum demoliri , aliudque amplius & ſpatioſius è fundamentis erigere decreverit : *Cogitabat intra ſe dicens : Quid faciam , quia non habeo quò congregem fructus meos ? Et dixit : Hoc faciam : Deſtruam horrea mea , & majora faciam.* (*Luc. 12. v. 17. Ibid. v. 18.*) Ubi D. Chryſologus ait : *Interrogantis vox eſt ; & quem putas interrogabat iſte ? erat in illo alter.* (*Chryſ. ſerm. 104.*) Sed qua ratione id fieri poterat , ut in eo non ſolus ipſe , ſed & cum eo alter adeſſet ? Num forte unum idemque corpus illius à duabus animabus informatur ? Nequaquam, bene tamen in ejus anima Dæmon infernalis quieſcere & commorari poterat, qui in ipſo loquebatur : *Ad ejus penetralia jam Diabolus poſſeſſor inſederat , & qui intraverat in cor Judæ , mentis ejus tenebat arcanum.* Sed undenam ſanctus hic Doctor hoc colligere poterat ? nimirum ex reſolutione quam fecit, *Deſtruam horrea mea, hinc evidenter apparuit, qui latebat, quia à deſtructione incipit ſemper inimicus.*

Probatur in Juda.

6. Verumenimvero ex quo Judæ proditoris mentionem facere cœpimus , quodnam deſiderari poterat evidentius argumentum , ad colligendum quod Dæmon laqueos ſuos tendat ſuamque ſedem in avaris habeat , quam ſit id quod in Juda factum eſſe conſpicimus ? *Cum Diabolus jam miſiſſet in cor , ut traderet eum Judas.* (*Joa. 13. v. 2.*) Diabolus enim in corde Judæ jam poſſeſſionem cœperat , idque ſola mediante avaritia, in qua

qua adeo erat tenaciter & profundè immerſus, ut Chriſtus eum Dæmonem appellare non dubitaret, quia hoc vitio mediante, quaſi, ut ita dicam, in Diabolum transformatus erat; dum enim Apoſtolis ait: *ex vobis unus Diabolus eſt*, de Juda locutus fuit. Et ideo S. Cyrillus Alexandrinus ſuper illa verba: *Et poſt buccellam introivit in eum Satanas*, ita ſcribit: *In uno fixus hærebat, illud ſolummodo volvebat, quomodo pecuniolam ſibi pararet; non ergo ut conſiliatorem, ſed ut cogitationum ſuarum Dominum in corde Diabolum retinet.*

*Joa. 6. v. 71. Joa. 13. v. 27. S. Cyr. Alex. l. 9. in Joan. c. 16.*

Confirmatur.

7. Quodnam in eo myſterium latere exiſtimatis quod Judas de venia conſequenda deſperans, ideoque manus ſibi violentas inferre volens, ſe non ex rupe quadam præcipitem egerit, vel ferro ſibi in viſcera impacto vitam ademerit, aut alio violentæ mortis genere uſus fuerit, ſed *laqueo ſe ſuſpendit*? Drogo Hoſtienſis ait: *Jam diu à Chriſto receſſerat, & avaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat, ſed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit, exterioris pœnæ qualitas ſupplicij modum aperuit, quia per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Suſpenſus crepuit medius, plenus erat venter, & ruptus eſt uter, crepuit medius, ubi ſedes erat Sathanæ: diffuſa ſunt omnia viſcera ejus, pecuniæ viſcera ſunt avari, illa diffunduntur, ea perduntur.*

*Matt. 27. v. 5. Drog. Oſti. de ſac. D. paſſ.*

8. D. Chryſoſtomus Hom. 16. in 1. ad Cor. propoſitionem quamdam habet, cujus veritatem quotidie experimur. Dicit enim: *An non exiſtimatis cum avaris Diabolum ſimul accumbere?* Fieri etenim videmus & ſæpiſſime factum eſſe legimus, quod quando theſauri eruuntur, rebelles illi Spiritus ſe ſuper illa auri congerie poteſtatem & dominium habere haud obſcure oſtendere ſoleant, ſiquidem ex omni virium conatu, theſauros illos eruere molientibus ſeſe opponunt, excitando tempeſtates, ingentemque tonitruum, fulminum & turbinum excitando ſtrepitum, ad denotandam, quam ſuper divitias tanta cum aviditate conquiſitas obtinent, tyrannidem. In vita S. Eduardi Angliæ Regis legimus, quod cum ejus ſubditi propter bella, quæ Rex pater ejus contra Dacos geſſerat, magnopere ab eodem patre ſuo gravati eſſent exactionibus, earumque executiones miniſtri Eduardi Regis etiamnum proſequerentur; accidit quod dum pecunia illa ad certum quemdam ad hoc deputatum locum recondita eſſet, ſanctus hic Rex ſuper eadem Dæmonem incubantem viderit, magnaque cum hilaritate ludos & jocos agitantem conſpexerit qui proinde illas deinceps à ſubditis exigi ſerio prohibuit: *Nihil ſic Diabolo*, inquit idem D. Chryſoſtomus, *hominem ſubjici facit, ut inhiandi opibus atque habendi amore ſuperari.*

*Chryſ. h. 16. n. 1. ad Cor.*

Hiſtoria.

*Chryſ. h. 13. in Matth.*

Avari pluris aurum quam Deum æſtimant.

9. Enimvero ne Judam præmaturè nimis dimiſiſſe videamur, unicum adhuc circa ipſum ſupereſt conſiderandum, videlicet, quod is Dæmoni adeo firmiter adſtrictus fuerit, ut quaſi una & eadem res cum Dæmone fuiſſe videatur; unde Chriſtus, qui *ſciebat quid eſſet in homine*, ipſum Diabolum expreſſe nominavit: *unus ex vobis Diabolus eſt*. D. Chryſoſtomus aliunde quam tenaciter Judas avaritiæ illaqueatus fuerit, conſiderat; nimirum quia tametſi incarnata illa Sapientia omnia poſſibilia ad ipſum ab hoc laqueo expediendum & lucrandum media attentarit, omnis tamen ejus conatus caſſus prorſus & irritus fuit; Ejus namque traditionem anticipatè prævidit, imo hanc illi præſenti in faciem quaſi prædixit, Diabolum ipſum appellando, minatus eſt ei, perhumaniter & amice eum excepit, pedes ipſius non minus quam aliorum lavit, lotoſque exoſculatus eſt & deterſit, ſacratiſſimi corporis ſui cibo illum proprijs manibus nutrivit, in cœna panem ei condimento ſapidiſſimo intinctum porrexit; in actuali ſui traditione dulciſſimum ei oſculum dedit, amici nomine eum compellavit, intrinſecus in conſcientia ejus erroris ſui remorſum quemdam valde vehementem ei impreſſit, ut diceret: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*; & tamen propter avaritiam, cui velut laqueo irretitus erat, nihil prorſus hæc omnia ei profuerunt; Unde Sanctus præfatus Doctor occaſionem ſumpſit ſalubriter nos monendi, ut hoc quaſi indiſſolubile vinculum pro viribus ſemper caveamus: *Quotidie ille cum eo erat, qui non habebat, ubi caput reclinaret, & quotidie verbis & operibus inſtituebatur, ut non argentum non aurum, non duas tunicas habere vellet, & tamen reprimere ſe non potuit, quomodo igitur tu ſperas abſque magna cura & diligenti ſtudio contagionem hujus morbi effugere?* Avarus enim pluris facit aurum, quam Deum, plus Dæmonem cum intereſſe ſuo, quam animam ejusque ſalutem æternam æſtimat.

*hom. 81. in Matth.*

10. S. Lucas in Actibus Apoſtolorum refert, quod dum S. Paulus Philippis in Macedonia moraretur, ipſi ad orationem faciendam concedenti, mulier quædam Dæmoniaca occurrerit, quæ quæſtum magnum dominis ſuis divinando præſtabat. Cumque Paulus Dæmoni imperaret, ut è corpore illo recederet; ſpiritus ille quidem prompte obediens egreſſus eſt, & filiam illam liberam reliquit: At vero parentes & Dominos ejus, à quibus miſera hæc puella dependebat, quid feciſſe exiſtimatis? Num forte immenſas S. Paulo egerint gratias, ſummumque hoc beneficium cum affectu debito agnoſcentes Deo decantarunt laudes? Nequaquam; Imo vero hi Paulum & Syllam ſodalem ipſius apprehenſos obtulerunt Magiſtratibus, ipſoſque tamquam ſeditioſos, publicæ quietis perturbatores, legibusque Romanis contrarios accuſarunt, quas accuſationes ut populus intellexit, ad eam devenit animi acerbitatem, ut Magiſtratus ad tumultum illum ſedandum Paulum & Syllam flagellari juſſerit, id quod ſumma cum crudelitate factum fuit, præterquam quod inſuper in interiorem carcerem miſſi, pedesque eorum intra compedes ligneos adſtricti fuerint. Verum dicet fortaſſe aliquis, numquid ſanctus Paulus hujus puellæ parentes & dominos eo ipſo quo à domo eorum, imo & à ſervis & domeſticis ſuis Dæmonem pepulerat, magno ſibi gratitudinis vinculo obſtrinxerat? Cur igitur illum & ſocium ejus tam contumelioſè tractarunt? Verum quidem hoc eſt, idipſum tamen ab illis nequaquam agnoſci potuit, quin potius magno ſe damno affectos eſſe, reputabant, quia Dæmon quo puella iſta agitabatur, toti domui gratus & acceptus erat, eo quod magni illis lucri cauſa eſſet, atque ideo Apoſtolum inter carceris vincula & compedes tam dire tractabant, utpote qui ab hoc illos laqueo exemerat, quo libenter irretiti erant: *Quæſtum magnum præſtabat Dominis ſuis divinando; videntes autem Domini ejus, quia exivit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum & Syllam produxerunt in forum*; Amatur itaque Diabolus & blande tractatur, ne occaſio lucri depereat, tametſi etiam totus cum eo infernus domum ingrederetur, econtra vero Apoſtoli perſecutionibus infeſtantur, imo & Chriſtus ipſe ad mortem traditur, quia per illos lucra tolluntur.

Proſecutio.

*Act. 16. v. 16. Ibid. v. 19.*

11. Similem fere Hiſtoriam S. Marcus refert, qua nõ minus diſerte Dæmonem ſuum in avaris centrum repoſitum habere convincitur: Dum enim Salvator noſter navim, qua vectus fuerat, exſcendens regionem ingreſſus eſſet Geraſenorum, occurrit ei Dæmoniacus quidam (ubi notandum quod Dæmon ſpecialem in avaris poſſeſſionem habeat, quia in loco erat, in quo vitium iſtud magnopere dominabatur) qui in ſepulchris continuis demorabatur, adeoque ferociebat, ut nulla poſſet adeo valida catena conſtringi, quam non velut tenue quoddam filum in plures partes confringeret, Chriſtumque è longinquo videns tamquam verum Dei Filium profitebatur & adorabat, Chriſto autẽ Spiritum malignum protinus à corpore hominis exire jubente, is quidem ſubito parere coactus fuit, cives autem & incolæ regionis illius: *deprecabantur eum multum, ne ſe expelleret extra regionem.* Sed dicite ſodes, quamobrem, hi Geraſeni id tanta cum ſolicitudine & precum inſtantia à Domino poſtulabant? Vultiſne illius ut cauſam vobis exponam? cauſa unica eaque veriſſima hæc erat, quia Dæmon in illis utpote avaritiæ totaliter deditis, tamquam in naturali ſuo centro habitabat, imo non unus dumtaxat, ſed una cum ipſo integra malignorum ſpirituum legio miſerum hoc corpus poſſidebat: *Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.* Quia vero in loco illo ingens immundorum animalium grex paſcebatur, ideo priuſquam è corpore illo excederet, facultatem ſibi à Chriſto porcos hoſce ingrediendi indulgeri poſtulabant, *Et conceſſit eis ſtatim Jeſus*; qui confeſtim animalium iſtorum corpora ingreſſi eadem in mare præcipiti curſu abegerunt, ubi ſubmerſa fuerunt porcorum inibi paſcentium circiter duo millia: quod cum in Civitate illa innotuiſſet, egreſſi ſunt, ut de eventu certiores redderentur, & Dæmoniacum jam Chriſti virtute à ſpiritibus qui illum obſederant, liberum videntes, Dominum quidem debito cultu venerati ſunt, ſimul tamẽ, ejus à finibus ipſorum excederet, enixè rogarunt: *Et rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus eorum:* At vero numquid hæc eorum poſtulatio vobis ſtultitia plena & ab inſania mente procedere videtur? Si enim ipſius admirantur miracula, ſi vere agnoverunt quod fluctus & procellas maris ſedaret, quod in infernum abſolutum habebat Dominium, quod ubique locorum ab infinita cingebatur multitudine, quod evidentia Divinitatis ſuæ ſigna edebat, cur rogabant eum ut ab illis recederet, potius univerſa civitas illum junctis ad invicem virique & precibus rogare debebant, dicendo: *Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice* quia ut Pſ. 72. v. 27. dicitur: *Ecce qui elongant ſe à te, peribunt.* Reſponſio autem ad hanc difficultatem in promptu eſt: quia enim ſe illo præſente porcos amiſiſſe & inſuper Dæmonem tot illis lucra conciliantem, ab eis abactum eſſe conſpiciebant, potius ipſius præſentia quam lucro & intereſſe ſuo carere maluerunt, & ideo ſub hac precum forma tacitus dicere voluerunt, recedat à nobis Dei Filius, & maneat Dæmon, ut hac ratione lucra noſtra nobis illeſa remaneant. Nam ut Euthym ait: *Id rogarunt ex timore, ne alios etiam Dæmones ab hominibus ejectos in ipſorum immitteret gregem.*

Avari lucra plus curant quam Deũ.

*Marc. 5. v. 10. Ibid. v. 9. Ibid. v. 13. Ibid. v. 17.*

*Pſ. 70. v. 12. Pſ. 72. v. 27.*

*Euthym.*



12. Jam triginta & amplius anni elapſi fuerant, quibus Dæmon cum Salvatore noſtro tentando congredi minime auſus fuerat, donec tandem illum in deſerto poſitum aggredi præſumpſit; at vero quibuſnam illum jaculis impetiiſſe exiſtimatis? Validiſſimis utique: Et primo quidem dixit: *Dic, ut lapides iſti panes fiant.* Secundum vero ictum intulit, dum ait: *Mitte te deorſum:* At vero validiſſimum quod in pharetra ſua habebat jaculum in ultimum uſque locum reſervavit, quorum adverſus ipſum prævalere poſſe omnino credidit: Et quodnam illud fuit? Nimirum avaritiæ telum, dum omnia totius mundi regna & bona terrena ipſi obtulit dicens: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Hugo Cardinalis ſuper illud verbum S. Pauli, *incidunt*, dicit: *id eſt, intus cadunt per conſenſum, in tentationem, id eſt in id de quo Diabolus tentat per divitias*; Juxta illud quod Dæmon ad Chriſtum ait: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens in terram adoraveris me. Inter munera iſta, quæ fortunæ putatis, inſidiæ ſunt, laqueus ſunt, cum retinent & inficiunt.* Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

Avaritia potens Dæmonis telum.

*Matt. 4. v. 3. Ibid. v. 6. Matth. 4. 9. Hug. Card. in 1. Tim. Sap. 14. 11.*

13. S. Thomas divitias eſſe dicit non habentibus in tentationem, habentibus autem in laqueum, quia non libenter reddunt eas quas auferunt: Quam eamdem rationem Cajetanus quoque adducit dum ait: *Illaqueantur laqueo pene inſolubili, eo quod obnoxia reſtitutioni tales numquam reſtituunt, ſunt enim velut illaqueati affectu rerum*; En quidem poſtquam corda & animæ avarorum hiſce laqueis irretitæ ſunt, ab eo qui eas illaqueavit, deinceps inſeparabiles eſſe videntur, id eſt, à Dæmone: *Qui congregat theſauros lingua mendacij vanus, & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis.*

*S. Thom. ibid.*

Avari illaqueati.

*Cajet. Prov. 21. v. 6.*

14. Porro qua ratione divitiæ laquei ſint Diabolici Hugo Cardinalis ſequentibus verbis declarat: *Sunt laquei male acquirendo per fœnus & rapinam, furtum, fraudem: ſervando ſunt laqueus immiſericordiæ & impietatis, timoris mundani, ſuperbiæ, & perverſæ confidentiæ; in admittendo ſunt laqueus deſperationis, invidiæ: iræ, odij.*

*Hug. Card. ibid.*

15. De certo quodam avaro referunt hiſtoriæ, quod cum inſignem quemdam auri cumulum in rupis cujuſdam loco recondito & ſecreto repoſuiſſet, acciderit quod vir quidam pauper ob ſummam quam patiebatur egeſtatem deſperabundus, & laqueum quo ſibi vitam abrumperet manu ſua ferens, in hunc eumdem locum inciderit, cumque ex certis ſignis theſaurum ibi latere deprehendiſſet, & cœpiſſet fodere, incidit feliciter in reconditum aurei depoſiti theſaurum, quem protinus ex eodem loco ſuſtulit, & in locum theſauri laqueum quem ſecum attulerat, eodem in loco recondidit. Poſt dies autem aliquot dives ille avarus cum ad repetendum depoſitum acceſſiſſet, illudque ſublatum vidiſſet, obſtupuit primum ac quaſi toto corpore obriguit, demum vero in tantam mentis væſaniam incidit, ut præ deſperatione inventum in loco depoſiti laqueum collo injecerit, ſeque ibidem ſuſpendio ſuffocarit. Quid vobis de tragico hoc caſu videtur? Numquid vere in eo verificatum fuiſſe videmus, quod ſcilicet *in amittendo ſint laqueus deſperationis.*

Hiſtoria tragica.

16. Hugo Cardinalis in cap. 5. Ezechielis dicit quod per capillos quæ pars quædam ſunt corporis noſtri ſuperflua bona temporalia & divitiæ ſignificentur; Dicit tamen notandam eſſe magnam inter Capillos M. Magdalenæ & Abſalonis differentiam, quia tametſi illa capillos ſuos valde prophanaverit, tot animas in laſcivos ejus amores illaqueando, eoſdem tamen etiam tanta cum pietate & devotione in obſequium Redemptoris adhibere noverat, ut & ipſe ejus caperetur amoribus, & cordis ejus præda fieret: De Abſalone autem vere dici poteſt, illum quot ex ejus vertice capilli prominebant, totidem etiam in capite ſuo geſtaſſe laqueos, ex quibus in arbore quercu infami modo ſuſpenſus remanſit. Noſtiſne aliquam hujus differentiæ aſſignare cauſam? Non eſt alia quam hæc; Quia Capilli Abſalonis laquei erant Dæmonis, quia hactenus ſpecialia avaritiæ fomenta præbuerant; *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*; Etenim non obſtante quod tanti Regis filius eſſet, nihilominus capillos ſuos vel comam capitis ſui detonſam vendebat & in ea negotiabatur: *Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico.* Quid magis admirandum audiri poteſt, &c.

*In c. 5. Ezech*

Laquei Dæmonis avaritia.

*Sap. 11. 17. 2. Reg. 14. 26.*

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Divitiæ pondus in ſe habent, quo animæ in æternæ perditionis barathrum deturbantur.

### THEMA.

*Qui volunt divites fieri, incidunt in . . . deſideria . . . nociva, qua mergunt homines in interitum & perditionem.* 1. Tim. 6. ℣. 9.

1. VIta humana in Scriptura ſacra mari aſſimilatur: *Hoc mare magnum & ſpatioſum*, &c. tempeſtates autem & procellæ quæ animæ comminantur naufragium, vitia ſunt & appetitus inordinati, qui in nobis prædominantur; at vero quænam præcipue eſt illa procellarum hians vorago, quæ quaſi inevitabiliter ad profundum nos trahit, & periculoſiſſime naufragari facit? Intemperantia & bonorum temporalium appetitus inordinatus: *Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in iteritum & perditionem.*

Avaritia mergit in interitum.

2. Ingenioſa eſt illa D. Ambroſij ex antiquis Poëtarum fabulis obſervatio, nimirum, quod Dites ſimul Dea fuerit divitiarum & dominium pariter obtinuerit in infernum; perque hanc fabulam irrefragabilem quamdam nobis dicit inſinuari veritatem, nimirum quod divitiarum ſubditi, damnati pariter eo ipſo ſint & reprobati: Ipſum nomen conſidera: *Ditem dicunt gentiles inferorum Præſulem, arbitrum mortis, Ditem appellans & divitem, quod niſi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui ſedes inferi ſint.*

Divites reprobi.

*S. Amb. l. de Nab. c. 6.*

3. D. Auguſtini ſententia eſt, quam ego, niſi hujus Doctoris cujus tanta eſt penes Eccleſiam authoritas genuina & indubitata doctrina eſſet, hoc loco inſerere non auderem: *Tollite*, inquit, *divitias, & infernus non erit.* Sed numquid quodvis peccatum mortale cauſa eſt quod deturbemur in infernum? Et numquid peccatorum capitalium ſeptem ſunt? Ergo non ſola avaritia infernum cauſabit, ſed etiam ſuperbia, ira, invidia, &c. qua igitur ratione ſanctus hic Doctor aſſerere audet, quod ignis infernalis ex ſolo divitiarum fomento & pabulo nutriatur & ardeat, adeo ut divitijs ſublatis infernus futurus non ſit? Verumtamen, ſi cuncta vitia accurate examinaveritis, illa ut plurimum ex divitiarum cupiditate & avaritia fomentum & originem ſuam habere deprehendetis: *Radix omnium malorum eſt cupiditas*; Sicut enim ſublata & radicitus evulſa arboris alicujus radice, omnes quoque ejus frondes, flores, & fructus deficiunt: Eodem quoque modo ſublato affectu inordinato ad bona temporalia, animas quoque puras & immaculatas remanere deprehendetis.

Sententia gravis S. Aug.

*S. Aug. ſerm. 31. ad fra.*

*1. Tim. 6. v. 10.*

4. Verumenimvero ut Diſcurſus noſter denuo ad verba S. Pauli Apoſtoli redeat, quæri hoc loco circa illa verba poteſt, cur ſanctus Paulus de divitijs tractans potius & præciſe hac metaphora ſubmerſionis & naufragij uti voluerit, dicendo: *Mergunt homines in interitum.* Pro cujus reſolutione advertendum eſt, quod quando in tempeſtatibus maritimis periculum eſt ſubmerſionis aut naufragij, nautæ ſe invicem alligare ſolent rei alicui quam in navi habent, maxime autem alicui tabulæ vel trabi, aut aſſeri ligneo, ſperantes quod dum huic arctè alligati in ſuperficie natant, tandem aliquando ſalvi ad littus maris ſint perventuri: Quod ſi vero aliquis ferro, vel maſſæ aureæ, vel argenteæ firmiter ſe aſtringeret, quæ natura ſua fundum petere, nequaquam vero in aquarum ſuperficie natare ſolent, is utique omni foret ſpe periculum evadendi fruſtratus, ſiquidem una cum illis in fundum uſque demergendus foret; Ad eumdem quo-

Omnia vitia feneſcunt in homine ſola avaritia juveneſcit.

quoque modum hæc eſt ingens avari præ cæteris peccatoribus infelicitas, quod ſcilicet ambitioſi adhæreſcant honoribus, dignitatibus; luxurioſi affixi ſint voluptatibus carnis, delicijs; Guloſi crapulæ; Iracundi vindictis; Cumque hi affectus quantumvis immoderati ſint, tandem nihilominus ſive per ſeniles ætatis annos, ſive per illarum continuum uſum, ſive per infirmitates, aut aliud quodvis ſimile accidens moderantur, vel certe totaliter deficiunt, cujus contrarium fit in peccato avaritiæ, utpote quæ non ſolum per annos quantumvis decrepitæ ætatis, verum etiam per divitiarum incrementum magis ſemper magisque adaugetur, ac proinde etiam vicinæ mortis tempore avarum non deſerit, ſed æquè firmiter ei adhæreſcit. Unde Hugo Cardinalis ait: *Signanter dicit: Mergunt, quia divites ad modum naufragantium, quod tenent, vix dimittunt.* Et ideo ſanctus Bernardinus Senenſis de avaro quodam refert, quod cum morti vicinus eſſet, ſuas ſibi adferri juſſerit pecunias, eaſque cum ſuſpirijs & planctu hunc in modum fuerit allocutus: *O Denarij mei! O theſauri mei! En morior, juvate me quæſo, juvate me; relinquamne vos dilecti denarij mei? Tangebat eos, palpabat, deoſculabatur eos, amplexabatur eos: Lamentabatur, denarij mei, heu denarij mei:* Poterat hac affectus tenaci adhæreſcentia alia dari major? & tamen tempeſtas mortis eum conquaſſabat: Et quis tandem finis ejus fuit? *Demum accepto argenteo vaſe, in illud quaſi rabidis morſibus ſtringens, cum Diabolo expiravit:* Ac proinde de avaris vere dici poteſt: *Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.*

*Hug. Card. in c. 16. Luc.* — Hiſtoria. — *S. Bern. ſerm. 14. art. 4.* — *Exod. 15. v. 10.*

Adhortatio.

5. Sapienter itaque D. Chryſologus avarum quemdam monet ut affectum & cor ſuum non in aurum, ſed in Deum collocet, eumque his verbis exhortatur: *Mitte & præmitte theſaurum tuum in cœlo, ne cœleſtem animam demergat in terram:* Id quod vel Philoſophus ille gentilis intelligebat, qui in naufragij periculo conſtitutus, divitias ſuas in mare projiciens dixit: *Mergo vos ne mergar:* Et quidem ſi verum eſt, ut eſt veriſſimum, quod ſanctus Auguſtinus ait: *Amor meus, pondus meum, eo feror, quocumque feror*; quis non videt, quod amor & præcipuè ille quo avarus in facultates ſuas fertur, in pondere gravior futurus ſit cunctis alijs affectibus vitioſis, qui tandem ad infernale barathrum eumdem ſecum protrahet, ſiquidem amor ipſius tali objecto adhæreſcit, quod quavis alia materia eſt ponderoſius, auro videlicet, de quo D. Chryſologus ait: *Aurum natura ſua grave, gravius fit avaritia nimis.*

*Chryſ. ſer. 22* — *Serm. 29.*

Avari ſubmerguntur quaſi plumbum.

6. Obſervaſtiſne aliquando myſterium, cur Deus aquas maris rubri ad inſtar marginum cryſtallinorum in altum evexerit, ut populus Iſraël inter utrimque erectos aquarum margines per fundum ejus ſiccis poſſet pedibus pertranſire? Numquid longe celebrius miraculum futurum fuiſſet, ſi liquidum illud elementum in ſuperficie ſolidaſſet, ut tutum ſuper illius vorticibus gradienti populo iter præberet, quemadmodum poſt tot ſæcula ſancto Petro, ſancto Franciſco de Paula alijſque pluribus ſanctis accidiſſe novimus? Cui dubio reſpondetur, obſervando ſimul quod Iſraëlitæ priuſquam ab Ægypto diſcederent, *petierunt ab Ægyptis vaſa argentea & aurea:* Ac proinde aquæ illæ eos tam immenſo auri & argenti pondere, quo merguntur homines, onuſtos ſuſtinere non poterant; Et porro S. Petrum tanta cum facilitate in ſuperficie aquarum ambulaſſe nil mirum eſt, ſiquidem ipſe prius omnium Coapoſtolorum ſuorum nomine proteſtatus fuerat dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; ideoque cum ab omni ſe divitiarum pondere exoneraſſet, periculum ſubmerſionis metuere non poterat. Coincidit hæc reſponſio cum eo quod S. Petrus Damianus ait: *Cur filij Iſraël in profundo maris, Petrus vero ſupra mare graditur? Quia Petrus reliquit omnia; illi auri & argenti pondere preſſi ab aquis ſuſtineri non poterant.* Porro Ægyptij prout in Diſcurſibus præcedentibus conſideravimus tanta cum ſolicitudine & aviditate aurum & argentum ſuum ab Iſraëlitis ablatum recuperandi, ſecuti ſunt Pharaonem, ac proinde hoc pondere aggravati *ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis.*

*Juxta Exod. 3. v. 22.* — *Matth. 19. v. 27.* — *S. P. Dam. ſer. de S. Petro.*

Similitudo.

7. Avis quæ cœlum verſus evolare contendit, id profecto facere omnino nequit, ſi pedibus illius pondus aliquod grave adhæreſcat, imo ne quidem à terra elevare ſe poterit; Eodem modo, inquit D. Chryſoſtomus: *Aurum nihil eſt aliud, quam terra rubra, proinde anima quæ ſe auro argentoque congregando & congerendo, devovit, ab ijſdem ponderibus fuit depreſſa, ad inferiorem locum in æternum crucianda devolvitur.*

*Chryſoſt. l. 2. de ver. Iſa.*

Cain reprobatus qui ultimum terrenis inhiabat.

8. Neſcio an umquam ad hanc quæſtionem animum veſtrum intenderitis, quiſnam videlicet ex tota humani generis maſſa, quæ ad innumeros uſque milliorum milliones hominum pertinget, primus reprobus fuerit, qui præcipitatus eſt ad infernum? Utique non perjurus aliquis, non adulter, non idololatra, non denique ſuperbus, ſed avarus aliquis, qui *ſtatuerat oculos ſuos declinare in terram.* Cain etenim primus reprobus fuit, & pariter primus fuit qui ædificavit civitatem, ut tanto ſe firmius in terra ſtabiliret, de cœlo nihil aut parum ſolicitus. Unde ſanctus Gregorius ait: *Ipſe qui primus in terra fundamentum poſuit, à ſoliditate cœleſtis patriæ alienus fuit*; Ambo quidem fratres Cain & Abel Deo ſacrificia obtulerunt, cum hoc tamen eventus inde ſecuti diſcrimine, quod *reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain vero & ad munera illius non reſpexit.* Scitiſne diſcriminis hujus cauſam? Nonnulli ideo Deum ad Cain non reſpexiſſe ajunt, quia nimirum is diu nimis ſacrificium iſtud negligenter diſtulerat, unde Scriptura ait: *Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain.* Sanctus Ambroſius autem pulchre advertit Abelum de grege ſuo ſacrificaſſe, Cainum vero non item, ſed tantum de fructibus terræ obtuliſſe ſacrificium; Animalia autem quæ reſpirant, tantum terreni non habent, quantum fructus terreſtres, unde & ſacer textus ait: *Erat Cain agricola*, id eſt, ut Gloſſa Interlinearis exponit, *terrenis incumbens*: neque enim ipſe in aliud æque intentus erat, quam ut ſe in bonis hiſce terrenis æternaret, & locupletem efficeret, ideoque oblatio ejus repudiata fuit. Unde ſanctus Judas Apoſtolus ait: *Væ illis qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt:* Quibus verbis perſpicue hoc cupiditatis & avaritiæ vitium redarguit. Imo Cain terrenis rebus adeo addictus, ut cum ei Deus diceret, *Vagus & profugus eris ſuper terram*, ipſe mox reſponderit: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ & à facie tua abſcondar*, quaſi dicere vellet, ex quo deinceps in terra quietus & contentus futurus non ſum, ſimul etiam ex nunc cœlo & cœleſtibus bonis renuntio, *ecce abſcondar à facie tua*, Fecit proinde quod puer aliquis male contentus facere ſolet, cui ſi pomum auferatur ne damnum inferat, panem quoque protinus à ſe abjicere ſolet, qui ipſi in vitæ nutrimentum datus fuerat; ita enim & hic reprobus fecit, quaſi dicere voluiſſet, ſiquidem tu me pacifica terræ poſſeſſione deſtituis, ego pariter Paradiſo renuntio; neque enim miſer hic homo agnoſcere poterat, quod hoc, quod eſt miſerabilem illum in terra afficere: *Vagus & profugus eris ſuper terram*, ſingulare quoddam eſſet opus divinæ providentiæ & pietatis, eo ſolum reſpiciens, ut is ſe emendaret, & ad pœnitentiam reſipiſceret.

*Juxta Pſ. 16. v. 11.* — *S. Greg. l. 1. mor. cap. 3.* — *Gen. 4. v. 4. Ibid. v. 5.* — *S. Ambr. l. de Cain & Abel. c. 10.* — *Gl. int. in Gen.* — *Jud. 11.* — *Gen. 4. v. 12. Ibid. v. 14.*

Damnationis cauſa divitiæ.

9. Certum eſt quod ly, *Væ*, in Sacra Scriptura æternæ ſit damnationis comminatio; Hac autem dictione Spiritus Sanctus de divitibus loquens frequentiſſimè utitur. Sic in Amos dicitur: *Væ qui opulenti eſtis*; Et in Habacuc: *Væ ei qui multiplicat non ſua: Uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum?* Denique apud S. Lucam Chriſtus Redemptor noſter ipſe dicit: *Væ vobis divitibus, væ vobis qui ſaturati eſtis.* Apud Michæam quoque Spiritus Sanctus dicit, quod ubi ſunt theſauri, ibi quoque ignis ardeat, iſque haud dubie non alius, quam infernalis: *Adhuc ignis in domo impij, theſauri iniquitatis, . . . In quibus divites ejus repleti ſunt iniquitate.* Superius quoque in Diſcurſu primo diximus, venas in quibus aurum & argentum latet pretioſiſſimum inferno valde eſſe conterminas, ut proinde foſſores auri vel argentifodinas ingredientes vivi in abyſſum uſque terræ deſcendere videantur; Et ideo D. Chryſologus de verbis Redemptoris, quibus S. Matthæum in ſui ſequelam invitabat, nimirum *ſequere me*, ſcribens unumquemque avarum in perſona Salvatoris ita monet: *Me ſequere de ſupernis ad ſuperna tendentem, & non aurum de inferis ad inferna mergentem.* Diximus pariter, quod ij præcipue ad aurifodinas pro auro effodiendo deſtinari ſoleant, qui mortis rei ad furcam ſunt condemnati, ad denotandum, quod metallum iſtud potiſſimum ſit damnationis, ejuſque æternæ inſtrumentum.

*Amos 6. 1.* — *Hab. 2. v. 6.* — *Luc. 6. v. 24. 25.* — *Mich. 6. v. 10 Ibid. v. 12.* — *Matth. 9. v. 9.* — *Chryſol. ſer. 29.*

*Serm. 17.* — Divitiæ decipiunt.

10. D. Petrus Chryſologus in hujus metalli damnis explicandis ſingulariſſimus eſt; Et quidem in alio quodam ſermone ingenioſe non minus, quam ad præſens propoſitum aptè & utiliter conſiderans quod Dæmon facta Chriſto omnium regnorum mundi hujus pollicitatione: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*, turpem & conſtantem ab eodem Redemptore noſtro

*Matth. 4. v. 9*



noſtro paſſus repulſam, paulò poſt in Dæmoniaco illo, qui in ſepulchris morabatur, eidem occurrere non erubuerit: Unde Sanctus hic Doctor interrogat dicens: *Quid eſt tibi Diabole, quod trina tentatione provocabas ad lapſum quem promiſſione regni, ut te adoraret, ſubdolus ambiebas, nunc tremens & miſerandus prolaberis & adoras? Ecce qui honores omnes regni promittebat, & gloriæ, habitare fœtidis corruptione cadaverum reperitur in tumulis? Sic, ſic iſte decipit cum promittit, ut ad inferna ſecum protrahat, cum de ſupernis ſe conſolantes fallax promiſſio illudit.* Quodnam vero in eo putatis latere myſterium, quod in ſepulchris Dæmon domicilium ſuum fixerit, & non potius in Alpium cacuminibus, vel denſis ſylvis, aut alijs locis ſimilibus horridioribus magiſque aſperis. Spiritus ſanctus in Sanct. Job ait: *Quaſi effodientes theſaurum Gaudentque vehementer cum invenerint ſepulchrum*; Ubi S. Gregorius ait: *Antiqui ſuos mortuos cum divitijs obruebant, inde qui theſaurum quærit, gaudet, cum ſepulchrum invenerit*; Quid igitur mirum, quod Dæmon in ſepulchris ubi aurum eſt, & ubi mors ſimul triumphat, domicilium ſuum fixerit?

*Job 3. v. 21. Ibid. v. 22.* — *S. G. l. 5. mor. c. 5.*

Divitiarum fructus mors. — *Marc. 5. v. 5.*

11. In S. Marco de Dæmoniaco illo legimus: *Semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat*; Dæmones enim theſaurorum cuſtodiæ aſſiſtunt, eo quod ad animarum damnationem illis abuti ſoleat. S. Petrus quoque Simoni Mago dixit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Similiter quidnam de triginta denarijs argenteis actum fuit, pro quibus pretioſiſſimus Chriſti ſanguis & vita vendita fuit? Adhibiti ſunt in emptionem ſepulturæ cujuſdam, ſive in agrum comparandum, qui ſepulturæ peregrinorum deſerviebat, ut per hoc indicaretur nobis, fructum avaritiæ mortem eſſe. Unde S. Valerianus ait: *Ecce quid fructus habet cupiditas, pecunia damnationis ad comparationem ſepulturæ repoſita, hoc eſt funeribus deputata: intelligite, in quo ſtatu ſit culpa cupiditatis, cum in damnationem venerit pretium redemptionis.*

*Act. 8. v. 20.* — *S. Val. ho. 20. de avar.*

Avari in inferno ſepulti dicuntur.

12. Chriſtus Redemptor noſter alias quidem barathri perditionis ſub titulo ſeu nomine gehennæ mentionem fecerat, quæ vallis quædam erat horrida, in qua ad idoli Moloch honorem ignis perpetim ardebat, cui illi qui idolo huic devoti erant, eidem filios ſuos ſacrificabant, eodem in igne illos vivos comburendo: Verumtamen ſub hoc titulo pœnarum infernalium atrocitatem minimè ſufficienter ſatis expreſſerat, ac proinde alia quadam vice dum ad populum verbum faceret, clariorem, magiſque diſtinctam pœnarum infernalium notitiam nobis dare volens, eamdem damnatorum abyſſum proprio ſuo nomine infernum appellavit, ſed qua occaſione id factum fuiſſe exiſtimatis? Num forte occaſione alicujus blaſphemias evomentis? Vel ut nobis ſupplicium ob oculos poneret alicujus detractoris, vel parricidæ, vel ſacrilegi cujuſdam? Nequaquam, ſed occaſione tali qua de divite quodam avaro loquebatur, quem corpore pariter & anima tenus dicebat ſepultum fuiſſe in inferno: *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno:* quia ut ſuperius diximus, tametſi omnes quoque alij peccatores igne illo crucientur, avarus tamen in eodem ſepultus eſſe dicitur, non tam ideo quod avaritia huic barathro aſſimiletur, quam quia cum omnes alij peccatores aliquod à peccatis ſuis reſipiſcendi remedium habeant, avarus tamen à cupiditate ſua etiam in ſenectute, imo & in morte ſua difficillime divellitur.

*Luc. 16. v. 22*

13. Sanctus Gregorius illum Jeremiæ textum: *Ollam ſuccenſam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis:* Nobis in memoriam revocans, ita ſcribit: *Olla ſuccenſa eſt cor humanum ſæcularium curarum ardoribus, deſideriorumque anxietatibus fervens, quæ à facie Aquilonis ſuccenditur, id eſt, Diaboli ſuggeſtionibus inflammatur: ipſe enim vocari nomine Aquilonis ſolet, qui dixit: Sedebo in lateribus Aquilonis.* Verumtamen per ollam hanc accenſam, ignem quoque infernalem intelligere poſſumus, qui partes Aquilonares reſpicere dicitur, quia ſupplicium quoddam eſt, ijs qui auri argentivè cupidi ſunt, ſpecialiſſime deſtinatum & præparatum, ſiquidem teſte Jobo: *Ab Aquilone aurum venit.*

*Jer. 1. v. 13. S. Gr. l. 18. mor. c. 12.* — Ignis inferni ſpecialiter pro avaris. — *Job 37. v. 22*

Avari ſimiles inſatiabili inferno.

14. Sanctus Auguſtinus avarum barathro perditionis ſimilem eſſe dicit, dum ait: *Avarus vir inferno eſt ſimilis; Infernus enim quantoſcumque devoraverit, numquam dicit, ſatis eſt: ſic et ſi omnes theſauri confluxerint in avarum, numquam ſatiabitur.*

*S. Aug. t. 4. l. de ſal. doc. c. 30.*

15. Divus Chryſoſtomus rationem aſſignat; cur de ſalute animæ alicujus avari nulla ſpes concipi poſſit; Dicit enim: *Cum alijs dare juſſi aliena rapiamus, quænam quæſo nobis ſalutis ſpes eſt? ſi quod non alueris eſurientem punieris, quam veniam mereberis ſi veſtitum etiam exuiſti.*

Avaris nulla ſpes. — *Chryſ. t. 6. h. 13. de avar.*

16. Virginibus fatuis ante faciem clauſum eſt cœli oſtium, dictumque eſt illis: *Neſcio vos*, unde inquit idem D. Chryſoſtomus, *Hic quippe eſt amor ille teterrimus, qui lampades ſtultarum Virginum extinxit.* Enimvero peſſimum hac in re eſt, quod venenum illud quod æternam animæ mortem conciliat, etiam cum ſingulari guſtu & voluptate potetur: *Venenum quis ſumere non poteſt*, inquit ſanctus Auguſtinus, *niſi fuerit alicui dulcedini copulatum: ſed commixtum dulcedini faciliter ſumitur: Sic enim qui recipit, moritur, ſic qui divitias amat, dulcedinem videtur guſtare.* At vero, inquit alibi idem S. Doctor, *quæ eſt iſta rogo animarum inſania, acquirere aurum, & perdere cœlum?* At verò præ cæteris Sanctus Valerianus efficacius tot hominum avarorum deteſtatur ſtultitiam, qui ſe locupletando tot labores ſubeunt, ut eant in Infernum, ſuiſque hæredibus divitias, omniſque generis commoditates vitæ hujus congregent: *Derelinquitur*, inquit, *ampliata poſſeſſio, & quamvis ſit in alterius poteſtatem transfuſa, teſtimonium tamen tui ſceleris ſervatura; apud alium facultatum tuarum pompa reſedit, & tecum pœna migravit; ſtultitiæ genus eſt, alijs feciſſe lucrum & ſibi paraſſe ſupplicium.*

*Matth. 25. v. 12.* — *Chryſ. ho. 9. in Matth.* — *S. Aug. ſer. 31. ad frat.* — *Ser. 25. de ver. Dom.* — *S. Val. ho. cit.*

## DISCURSUS VI.

### ARGUMENTUM.

Hujus vitæ proſperitates ut plurimum ſcopuli ſunt, ad quos allidentes animæ in profundum uſque Inferni naufragantur, Et ſi quæ in hac vita conceduntur deliciæ & gaudia, tormentis compenſantur æternis in vita altera.

### THEMA.

*Recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Luc. c. 16. ℣. 25.

1. IN hac divitis Epulonis parabola, prouti S. Ambroſius, S. Bonaventura & alij Patres exiſtimant, Salvator noſter, qui eam ore ſuo propoſuit, nobis inſinuatum eſſe voluit, quod proſperitas bonorum fortunæ, quâ homo aliquis in præſenti vita gaudet, ſcopulus ei ſit, ad quem anima ejus alliſa in profundum uſque Inferni infeliciſſimè naufragatur; Atque ideò Salvator noſter: Abrahamum primum omnium credentium Patrem, ita hunc divitem Epulonem alloquentem introducit, *Recordare quia recepiſti bona in vita tua*, deſine lamentari quod in alia vita crucieris.

2. Sanctus Bernardus medium ſe inter divitem in pœnis hærentem & Abrahamum conſtituens, interrogat: *Hæccine cruciatuum cauſa tota, quod in hoc ſæculo bona recepit? Ita planè: neque enim ad hoc nos de Paradiſo voluptatis animadverſio divina ejeciſſe videtur, ut ſibi hic Paradiſum adinventio humana pararet.* Quæ verba certè, ſi attentius conſiderentur, terrore pleniſſima ſunt: *Hæccine cruciatuum cauſa tota*, Et tamen veriſſima ſunt, & ratio eſt, quia bona fortuna eſt veluti vinum quoddam forte & generoſum, cujus fumi caput ſtatim petunt, judicium & rationem pervertunt, atque à vera & recta timoris & legis Dei via aberrare faciunt; Unde idem mellifluus Bernardus alibi inquit: *O ſæculum nequam, quod ſolos tuos ſic ſoles beare amicos, Dei facias inimicos.*

*S. Bern. in decl. ecce nos rel. om.* — *Epiſt. 107.*

3. Urias Bethſabeæ conjux & maritus tamquam gregarius quidam miles præter lanceam & enſem privatum & proprium, nihil gubernandum habebat; & tamen idem a Davide Rege in curia ejus regia ſumma cum honorificentia exceptus fuit; *Secutuſque eſt eum cibus regius*; cui proinde hos favores & munera regia quilibet commilitonum facile invidere potuiſſet: Verumtamen omnia hæc regij favoris & benevolentiæ argumenta, vicinæ mortis ejus indicia erant; ſiquidem David omnes hos ei exhibens honores, honori & vitæ ejus ſtruebat inſidias: Eodem prorſus modo cum multis proſperrimè degentibus, mundus procedit, dum in hac vita illos exaltat, locupletat, omnibuſque deſiderabilibus gaudijs & cupedijs adauget.

*2. Reg. 11. v. 8.*

4. S. Bernardinus ſimilitudinem quamdam à fulgure petitam adducit, quod quidem ad primum ſui ortum coruſcat & ſplendet, paulo poſt tamen tumultuoſum

*S. Bern. in f. 5. Do. 2. Quad. a. 5. c. 3.*

tuoſum & formidabile tonitru producit: *ſicut fulgur tonitrua portat, ita proſperitas ſupplicia ſempiterna prænuntiat.*

5. Animæ prædeſtinatæ Chriſti, non verò mundi cibo nutriuntur; Ecquis autem eſt hic Chriſti cibus?
Joan.4.v.34 *Meus cibus eſt*, inquit Salvator, *ut faciam voluntatem ejus qui miſit me*, id eſt, ut patiar, ærumnas, miſerias &
Pſ.39.v.8.9 anguſtias plurimas ſuſtineam. *In capite libri ſcriptum eſt de me, Ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, &c.* Porrò eſca mundi, ſimilis eſt illis, quæ piſcibus, ut capiantur, in aquas projici ſolent; Eadem quoque ſimilitudine Sanctus Auguſtinus utitur, ad demonſtrandum quod hujus ſæculi proſperitates non invidiam mereantur, ſed ingentem compaſſionem: *Noli*
S.Aug.ho.50 *gaudere*, inquit, *ad piſcem, qui adhuc in eſca ſua exultat, nondum retraxit hamum piſcator.* Videmus quotidie quod dum à piſcatore vermiculus aut alius gratus cibus in aquas cum hamo projicitur, omnes certatim accurrant, illum alijs præripiant, illique qui eum una cum hamo deglutivit, alij quaſi invideant, ſed immeritò, cum potius eidem compati ſuo modo deberent, quia *nondum retraxit hamum piſcator*, quem ubi retraxerit, cibus ille cauſabit, ut paulo poſt ex ſuo, cui innatabat, elemento extrahatur agonizans, moxque torrendus vel aſſandus ſuperimponatur carbonibus: Idem quoque multis accidit, qui in hac præſenti vita pinguibus hæreditatis opulentæ, vel inſignis fortunæ, vel dignitatum, Dominiorum, deliciarum, voluptatum, aliarumque proſperitatum temporalium bolis, juxta cordis ſui votum impinguantur, ſed caveant ſibi tales; *Nondum retraxit hamum piſcator*; Ipſi hamum quem unâ cum cibo deglutierant intra fauces ſuas habent, nec tamen id advertunt, id quod præcipuum & manifeſtum eſt æternæ reprobationis ſuæ indicium:
Luce 16.25. *recordare quia recepiſti bona in vita tua*, ſed quænam hinc naſcitur conſequentia? *hæc cruciatuum cauſa tota*; Etenim in hac vita gaudere, ad ignem infernalem hominem condemnat: *ſicut piſces capiuntur hamo*,
Eccl.9.v.12. inquit Sapiens, *& ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſupervenerit* interitus; aves enim lætæ prorſus hinc inde circumvolant, dum eſca ſub laqueo vel reti recondita ſeſe nutriunt: piſces pariter feſtivi in aquis circumnatant, ſeque hamum una cum injecta aquis eſca deglutiiſſe ignorant, & tanto facilius ambo morti in prædam cedunt: Idem quoque multis in hac vita accidit, qui in hac vita feliciſſimè vivunt, quando enim ſe ſibi in hoc mundo verum quemdam ſtabiliviſſe Paradiſum credunt, quando in proſperrimo humanæ felicitatis ſtatu degunt, rota fortunæ protinus everſa circumvolvitur, Sol ad Occaſum vergit, ipſique ad Infernum ex improviſo aguntur præcipites.

6. Judas cupidiſſimus, & totus quantus avaritiæ immerſus erat, & ne ex defectu pecuniæ occaſionem haberet prævaricandi incarnata ſapientia ipſum ærarium Apoſtolicum ſine ulla rationum reddendarum obligatione in ſuo arbitrio habere voluit, imò & in
Matth.26. cœna ſapidiſſimos illi bolos deguſtandos porrexit:
v.23. *Qui intingit mecum manum in paropſide; Cui ego intin-*
Joa.13.v.26 *ctum panem porrexero, &c.* Sed quis tandem vitæ ejus
act.1.v.18. finis fuit? *Suſpenſus crepuit medius.*

7. Plutarchus in vita Cleomenis, apud Reges Ægyptios in more poſitum fuiſſe ſcribit, quod quotieſcumque alicui miſſum aliquem ſeu ferculum regium mittebant, is talis infra biduum infallibiliter in patibulo ſuſpendendus fuerit; Et quidem hæc conſuetudo lautum reis ad mortem condemnatis vel condemnandis inſtaurandi convivium, noſtris quoque temporibus etiamnum uſitata eſt, & fortè ſuam ex ſequenti Sapien-
Prov.31.v.6 tis conſilio trahit originem: Dicit enim: *Date, ſiceram mærentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo.*

8. Opportunè hic in memoriam ab unoquoque revocari poterit, ſublimis ille ſtatus Aman ab Aſſuero Rege magnoperè dilecti; Huic enim Regni Satrapæ & Principes omnes obſequebantur & aſſurgebant ubique; inexhauſtos ſibi congregaverat theſauros, numeroſa gaudebat ſobole, futura dignitatum divitiarumque ſuarum hærede omnibuſque quæ ad felicitatem temporalem optari poterant, ubique affluebat;
Eſth.5.v.12. *Regina quoque Eſther* (ita ſe pro omnium honorum affluentiumque proſperitatum complemento jactabat)
Ibidem. *nullam alium vocavit ad convivium cum Rege, præter me, apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum*; at verò quod obſtupeſcendum, in hoc convivio, ut omnibus conſtat invenit laqueum, quo paulo poſt in eodem patibulo, quod Mardochæo erexerat, ſtrangulandus erat.

9. Iſraëlitarum populus quondam carnes à Deo popoſcit, ut ſaturari poſſet, ſed carnes non ovillas aut bubulas, ſiquidem ingentes ovium greges, boumque armenta plurima ex Ægypto ſecum eduxerat; Unde qui de tribu Juda & Gad oriundi erant, facultatem ſibi concedi petebant cis Jordanem in terris, Jazer & Galaad manendi eo quod terræ iſtæ paſcuorum fertiliſſimæ erant, ut greges & armenta ſua nutrire & paſcere poſſent, adeoque non carnes bubulas aut ovillas, quibus abundabant, & quas faſtidire cœperant, ſed carnes delicatiores diverſarum volucrum ſibi miniſtrari petebant, has enim præ nimia laſſitudine ſibi per propriam induſtriam minimè aucupari poterant; tandem verò intentum ſuum aſſequentes, in tanta copia & multitudine, tantaque cum facilitate obtinuerunt coturnices, ut aër præ nimia coturnicum copia & multitudine offuſcari videretur, eaſdemque pro libitu ſuo ſive magnas, ſive parvas manibus ſuis prenſare poſſent: *Aſcendens coturnix cooperuit ca-* Exod.16.v.
*ſtra, Ex omni parte caſtrorum per circuitum volabant-* 13.
*que in aëre duobus cubitis altitudine ſuper terram, Sur-* Num.11.v.
*gens ergo populus toto die illo & nocte ac die altero con-* 31.
*gregavit coturnicum, qui parum decem coros, & ſiccave-* Ibid.32.
*runt eas per gyrum caſtrorum.* Sed quid tandem accidit?
*Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuſ-* Ibid.33.
*cemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in popu-*
*lum, percuſſit eum plaga magna nimis, Vocatuſque eſt* Ibid.34.
*ille locus, ſepulchra concupiſcentiæ, ibi enim ſepelierunt populum, qui deſideraverat.* Hujus quoque hiſtoriæ Pſalmiſta meminit, facta tamen prius multorum beneficiorum eidem populo collatorum, mentione: *Et*
*mandavit nubibus deſuper, & januas cæli aperuit, Et* Pſ.77.v.23.
*pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli de-* Ibid.24.
*dit eis; Panem Angelorum manducavit homo, cibaria* Ibid.25.
*miſit eis in abundantia*; Quid igitur inſuper deſiderare poterant? Carnes deſiderabant, eaſque non vulgares,
ſed lautiſſimas, delicatiſſimas: *Tranſtulit* igitur Ibid.26.
*Auſtrum de cælo & induxit in virtute ſua Africum, Et* Ibid.27.
*pluit ſuper eos, ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam* Ibid.28.
*maris volatilia pennata; & ceciderunt in medio caſtro-* Ibid.29.
*rum eorum circa tabernacula eorum, & manducaverunt,* Ibid.30.
*& ſaturati ſunt nimis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.* At verò perfectum hoc deſideriorum ipſorum complementum, mox ſubſecuturi ſupplicij ipſorum præludium quoddam fuit; Unde ſequitur: *Adhuc eſcæ eo-* Ibid.30.
*rum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos,* Ibid.31.
*& occidit pingues eorum & electos Iſrael impedivit*, id eſt, preces & orationes electorum in Iſrael ſubmovit, ne ſe pro impetranda ipſis venia apud Deum interponerent, hacque ratione Deus illos majori cum rigore & ſeveritate caſtigare poſſet.

10. Apud Ezechielem Deus ſe vindicativæ juſtitiæ ſuæ enſem contra eos qui à Divina ejus gratiâ receſſuri ſunt, evaginaturum eſſe his verbis comminatur:
*Sed & ſi converſus juſtus à juſtitia ſua fuerit, & fece-* Ezech.3.v.
*rit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipſe morie-* 20.
*tur.* Circa quæ verba quærendum venit, qualenam ſit illud ſupplicij genus, aut verò quodnam ſit illud offendiculum vel lapis offenſionis, quem ſe in via conjecturum eſſe dicit, ut corruat, & moriatur? Vatablus & Rabbi David legunt: *Proſperari eum faciam in divitijs, ac in omnibus vijs ſuis in hoc ſæculo*; Unde patet quod hoc, quod eſt in præſenti vita in cunctis actionibus & conſilijs ſuis proſperum & fœlicem eſſe, ſcopulus quidam ſit, ad quam allidens vitæ humanæ navicula in profundum uſque Inferni naufragatur.
Unde Salvianus ait: *Ampla & locuples facultas perdi-* Salv.l.2.ad
*tionem inferre dicitur; refugienda eſt itaque ampla poſ-* Eccl.
*ſeſſio, ne ſequatur profunda perditio.*

11. Loth in diviſione illa, quam cum Abraha cog- Gen.13.v.10
nato ſuo pactus eſt, regiones ſibi Pentapolitanas elegit, eo quod inſtar delicioſiſſimi cujuſdam Paradiſi fertiles erant; Deus autem ſuper territorij illius Civitates ignem de cœlo depluit, qui certè quoddam erat Ignis infernalis illis itidem ſuperventuri præludium; Et quidem ad hoc ut juſtus Loth igneam hanc pluviam ſalvus & incolumis evaderet, opus fuit, ut Angelus quidam de cœlo ad eum mitteretur, nec tamen adhuc libenter inde receſſit, ſed ut ſacer tex-
tus ait: *Cogebant eum Angeli,... ne & tu pariter pereas* Gen.19.v.
*in ſcelere Civitatis; Diſſimulante illo apprehenderunt* 15.
*manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus,* Ibid.16.
*eo quod parceret Dominus illi, Eduxerunt eum, & po-* Ibid.17.
*ſuerunt extra Civitatem ibique locuti ſunt ad eum dicentes: Salva animam tuam.* Ecce tibi qualiter ad hoc ut etiam viri perfecti & ſancti à locis deliciarum exeant, deſerantque Paradiſos terreſtres quos poſſident miracu-



lis opus ſit, ſitque neceſſum ut Angeli cælitus miſſi magnam illis inferant violentiam, ut ſupplicia à Deo immittenda evadant, ſimulque cum alijs ſcelerum reis inter cæleſtis ignis flammas non pereant. Rupertus Abbas Tuitienſis de Loth ita ſcribit: *Quam-*
Rup.Ab.ibid. *vis comparatione Sodomorum juſtus eſſet, adhuc tamen*
cit. in cat. *de perfecta juſtitia minus habens, amænitate Sodomorum tenebatur, & irriguis Paradiſiacis arvis, & idcirco quaſi non ſatis intelligeret, quod dicebatur, cum percelleretur nuntio inſtantis periculi, dormitantes oculos, & amore divitiarum preſſos, avertebat à lumine præſenti.* O quàm innumeri ſunt hodie huic Loth ſimiles, qui ignem infernalem nequaquam evadunt, eo quod in hac vita gaudere & delicijs frui nimium deſiderent, parum de vita futura ſoliciti.

12. Porro quam ſit lata via, quæ ad infernum nos conducit, Sanctus Bernardus his verbis optimè conſi-
S.Bern.ſer. derat: *Spatioſa*, inquit, *eſt via quæ ducit ad perditionem,*
50.a.2.c.2. *per hanc enim abundantiam deliciarum in bonis deficiunt, & in malis proficiunt multi; defectum bonorum ipſa rerum natura oſtendit, nam ad maturitatem non venit nimia fœcunditas fructuum, & pomorum ſegetem etiam nimia pinguedo deſtruit.*

13. Hi qui navigationis maritimæ artem callent, dicere ſolent, quod in dulcibus lacuum & fluminum aquis longè perículoſior ſit navigatio, quàm in undis ſalſis & amaris, quia hæ navigiorum pondera ſolidius ſuſtinent, ventiſque & obortis procellis validius reſiſtunt: Eodem quoque modo dicere poſſumus, quod qui in mari præſentis vitæ inter adverſa, luctantur, vitijs & tentationibus infernalibus magis reſiſtant, atque ad æternæ beatitudinis litora facilius ſecuriuſque appellant; Unde Salvator noſter ait:
Matth.5. *Beati qui perſecutionem patiuntur; Beati qui lugent,*
v.10. *Beati pauperes*; At verò de animabus, quæ in pro-
Ibid.v.5. ſperitatum terrenarum dulcibus aquis navigant,
Ibid.v.3. non eſt eadem ratio; Et ideò de illis Salvator noſter
Luc.6.v.26. ait: *Væ cum benedixerint vobis homines*: numquam verò nec uſquam legimus: *Beati divites*, nam ut
S.Bern.c.45. Sanctus Bernardus ait: *Difficile eſt, imò impoſſibi-*
de int. dom. *le, ut præſentibus quis fruatur bonis & futuris, ut hic mentem & illic ventrem impleat, ut de delicijs tranſeat ad delicias, & in cælo & in terra glorioſus appareat.*

14. Dives ille Epulo in aquis dulcibus navigabat, nam ex luxibus quibus indulgebat, in exceſſivarum divitiarum ejus notitiam facile devenire licet:
Luce 16.19. *Induebatur purpurâ & byſſò, & epulabatur quotidiè ſplendidè:* mendicus verò Lazarus inter ſalſas & amaras mendicitatis & ulcerum ſuorum undas fluctua-
Ibid. v.20. bat, *ulceribus plenus*; & ne quidem de micis quæ canibus copioſiſſimè dabantur, famem ſuam mitigare poterat; uter verò ex his duobus ad por-
Ibid. v.22. tum pervenit veræ beatitudinis? *Factum eſt ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Ecce tibi qualem vitæ hujus proſperitas terminum aſſequi ſoleat.

15. Nautæ maritimi unanimiter aſſerunt maris ſummam tranquillitatem imminentis tempeſtatis infallibile eſſe indicium. De Sancto Ambroſio legitur, quod cum Mediolano huc Romam proficiſcens ad domum quamdam hoſpitij cauſa acceſſerit, in qua Paterfamilias ſe neſcire jactabat, quidnam tribulatio aut adverſitas eſſet, quod Sanctus Præſul audiens ad comites itineris ſui converſus dixit: *Propere hinc diſcedamus, ne Divina vindicta nos hic obruat, Deus enim non moratur in hiſce ædibus*; Cumque Epiſcopus vix pedem ſuum inde extuliſſet, Domus tota mox corruit, omneſque domus incolas ſub ejus ruinis miſerè ſepelivit.

16. Qualia exiſtimatis ligna illa futura eſſe, quæ in igne infernali perpetuo ardebunt? Quod ſi Sancto Joanni Apoſtolo fidem adhibere volumus, ea non ſunt alia, quàm vitæ hujus præſentis deliciæ & gaudia; Dum enim de Babylonica illa meretrice tractat, quæ in poculo ſeu calice aureo voluptatum, theſaurorum, aliorumque hujus vitæ bonorum dul-
Apoc.18.v.6 cedinem libandam porrigebat, ita ait: *In poculo*
& 7. *quo miſcuit, miſcete illi duplum, Quantum glorificavit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Et quidem ſi intelligere cupiatis, quam ſit verum quod magis timenda ſit maris vitæ hujus tranquillitas & proſperitas, quàm impetuoſa tempeſtas, audite hâc de re loquentem Sanctum Auguſtinum:
S.Aug.epiſt. *Mundus iſte periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus,*
144. *& magis cavendus, cum ſe illicit diligi, quàm cum admonet, cogitque contemni.* Job de viro qui placido & tranquillo hujus vitæ mari fruebatur, agens, ita
ſcribit: *Quare ergò impij vivunt; ſublevati ſunt, con-* Job 21. v.7.
*fortatique divitijs? Semen eorum permanet coram eis,* Ibid.8.
*propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum,*
*Domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga* Ibid.9.
*Dei ſuper illos; Bos eorum concepit, & non aborti-* Ibid.10.
*vit; vacca peperit, & non eſt privata fœtu ſuo, Egre-* Ibid.11.
*diuntur quaſi greges parvuli eorum, & infantes eorum* Ibid.12.
*exultant luſibus, Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum Organi.* Quis verò tandem om-
nium harum proſperitatum finis fuit: *Ducunt in bo-* Ibid.v.13.
*nis dies ſuos, & in puncto ad Infernum deſcendunt.* Verum quidem eſt, quod ut ſuo loco probabimus, bona quoque temporalia auxilio & ſubſidio eſſe poſſint ad acquirendam æternam ſalutem, cum in hunc præcipuè finem à Deo nobis concedantur, ut ei illis mediantibus ſtudioſè deſerviant; verumtamen terribilis valde eſt illa Sancti Gregorij ſententia, qua animos noſtros ſuſpenſos & incertos tenet, an data nobis ſint ad ſalutem an verò ad æternam damnationem.
*Admonendi ſunt igitur, qui in hoc mundo proſperan-* S.Greg.3.p.
*tur, ut ſolerter conſiderent, quia præſentis vitæ proſpe-* paſt.c.27.
*ritas aliquando idcirco datur, ut ad meliorem vitam provocet, aliquando verò ut in inferno plenius damnet.*

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Divites communiter proclives ſunt ad vitia; & quia terrenorum bonorum abundantia, nidus eſt omnis peccati, ideò inter divicias innocentiam conſervare difficillimum eſt.

## THEMA.

*Fili, ne in multis ſint actus tui: & ſi dives fueris, non eris immunis à delicto.* Eccleſ.11.℣.10.

1. Eccleſiaſticus propoſitionem hanc, quod ſcilicet divitiæ innocentiam non compatiantur, dudum ante à Sapiente didicerat, ſiquidem is in Pa-
rabolis ſuis dixerat: *Qui autem feſtinat ditari, non* Prov.28.
*erit innocens.* Interpres Græcus hunc Eccleſiaſtici v.20.
textum legens, non dicit: *Si dives fueris, ſed ſi multiplicaveris.* Unde Sanctus Gregorius nos monet,
dicens: *Profectò qui augere opes ambit, vitare peccatum* S.Greg. l.cit.
*negligit, & more avium captus, cum eſcam terrenarum* admon. 21.
*rerum avidè conſpicit, quo ſtranguletur, peccati laqueum non agnoſcit.*

2. Sanctus ac regius Propheta David de hominibus, omnigena vitiorum pice infectis loquens ait: *Ideo* Pſ.72.v.6.
*tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate*
*ſua; Cogitaverunt, & locuti ſunt nequitiam, iniqui-* Ibid.v.8.
*tatem in excelſo locuti ſunt; Poſuerunt in Cælum os* Ibid.v.9.
*ſuum.* At verò undenam hæc impietas, atque ad omnia iniquitatis genera dilatata & extenſa malitia
derivatur? *Prodit quaſi ex adipe*, id eſt, ut Hugo Car- Pſ.72.v.7.
dinalis ait: *ex abundantia iniquitas eorum*, qui etiam Hug. Card.
ex hac radice multa peſſima pullulare germina probat, ſimulque eadem enumerat, *qualia ſunt primo*
*ſuperbia* Proverb. 8. *opes ſuperbæ. Secundo Oblivio* Prov.8.v.18
*Dei juxta illud* Oſeæ 13. *adimpleti ſunt & ſaturati ſunt,* Oſeæ 13.v.6.
*& levaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Tertiò Con-*
*temptus Dei.* Job 15. *Contra omnipotentem robora-* Job 15. v.
*tus eſt, ... Et pingui cervice armatus eſt. Quartò In-* 25.26.
*gratitudo.* Iſaiæ 45. *Accinxi te & non cognoviſti me.* Iſa.45. v.5.
*Quintò Transgreſſio præceptorum Dei, juxta illud* Jerem.5. *Incraſſati & impinguati ſunt & præterierunt* Jerem.5. v.
*ſermones meos peſſimè. Sextò luxuria, juxta illud* Je- 28.
rem. 5. *Saturavi eos & mœchati ſunt. Septimò Pe-* Jer.5.v.7.
*tulantia, id eſt, in veſtitu & exteriori perſonæ apparatu inordinata pompa.* Deuteron. 32. *Incraſſatus eſt* Deut. 32.
*dilectus & recalcitravit. Octavò Jurgia & rixæ, prout* v.15.
*patet* Gen. 13. *ex controverſia quam inter ſe paſtores* Juxta Gen.
*Loth & Abrahæ habebant pro gregibus. Nonò Oppeſſio* 13.v.7.
*pauperum.* Eccleſiaſtici 13. *Venatio Leonis, Onager in* Eccleſ.13.
*eremo, ſic & paſcua divitum ſunt pauperes.* v.23.

3. Author Imperfecti promiſſionem illam, quâ Dæmon Salvatori noſtro, in caſu quo eum adoraret,
omnia regna mundi his verbis pollicitus fuit: *Hæc om-* Matth.4.
*nia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*, conſiderans v.9.
ait: *Dare non poterat omnia, niſi ab omnibus tolleret* Auth. Imp.
*omnia.* Hæc enim fere ut plurimum in eorum, qui ibid.
divitias ambiunt, animo evenire ſolet inordinatio, quod cum illas conſequi nequeant, niſi vel ſpolient alios, vel lites injuſtas contra alios moveant, vel per illicitos contractus uſurarios alios circumveniant,

veniant, vel per furta & extorſiones aliena rapiant, vel poſſeſſiones ſuas in exteros fines dilatent (quia mundus unus idemque ſemper manet,) millenas in proximos machinentur injurias.

4. Samſon poſtquam Problematis à ſe propoſiti reſolutio per uxorem ſuam, cui illam indicarat, nimis præmaturè in vulgus publicata fuiſſet, in viam ſe recipiens triginta viros internecione delevit: *Irruit in eum Spiritus Domini, deſcenditque Aſcalonem, & percuſſit ibi triginta viros, quorum ablatas veſtes dedit ijs, qui problema ſolverant.* Sed cur Samſon hoſce problematis expoſitores præmiare volens, illos hiſce à triginta viris occiſis ſublatis veſtibus donavit? num fortè Samſonis fortuna adeò tenuis erat, ut illos ſine hac edita ſtrage, & ſine horum virorum ſpolijs veſtire aut alio præmio honorare non potuerit? *Omnia in figura contingebant.* Per hoc enim factum nobis demonſtratur, quod mundus adeò ſit inops & egenus, ut neminem veſtire aut locupletare poſſit, niſi alium rebus ſuis exuat, adeoque ſi hic poſſeſſionem quamdam ſibi acquirit, alter eamdem perdat, neceſſum eſt; ſi ille ad hanc vel illam pertigerit hæreditatem, id certe non niſi per alterius mortem fieri potuit; ac proinde quot pupilli, quot viduæ, quot pauperes modicis ſuis fortunæ bonis violenter exuuntur, ut avarus locupletari valeat? Sanctus Aſterius multa hujus vitij mala recenſens dicit: *Avaritia mater inæqualitatis, immiſericors, inhumana, crudelis; per hanc vita mortalium diſpar & diſcors; alij ſatietate nauſeant & opes ſupereffluentes, velut cibum nimium evomunt; alij fame & penuria preſſi in extremo penè diſcrimine verſantur; hi ſub tectis recumbunt auro diſtinctis, & variegatis, domosque incolunt parvarum inſtar urbium, illi ne duo quidem tigna quibus tegantur, habent*, pauloque poſt ad alia ejusdem vitij mali ponderanda deſcendit, & ait: *Ab hâc eſt, quod alius contra decorem penè nudus, alius præter innumeras ad uſum corporis veſtes, parietes ipſos purpura velat, pauper ne in lignea quidem menſa confringere panem poteſt, cum mollis ille & delicatus fulgore latiſſimæ ex argento menſæ, quam opere ductili fieri curavit, mentem & oculos paſcat.* At vero inæqualitas iſta, illa quæ in bonorum temporalium diſtributione committitur injuſtitia, aliqua ſaltem ex parte tolerabilis foret, niſi hæ ſic diſtributæ divitiæ, cupiditas & ſuperfluitas illa contra ipſam Dei legem armarentur.

Judic. 14. v. 19.

S. Aſt. ho. de avar.

4. Sanctus Bonaventura ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam*, dicit: *Avaritia eſt odienda, cavenda, projicienda, odienda quia impedit vitam naturæ, cavenda, quia impedit vitam gratiæ, projicienda, quia impedit vitam gloriæ.* Dives avarus animam ſuam velut ad uncum quemdam ſuſpenſam habet, adeò exigui eam æſtimat, quia anima ejus nihil eſt aliud quàm pecunia, *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, animam ſuam à ventre diverſam eſſe non credit, quia de vita futura nil cogitat, animæque immortalitatem pro fabula habet, unde dives ille Evangelicus animæ ſuæ dicebat: *requieſce, comede, bibe, epulare.* Cui ſanctus Baſilius dicit: *Itane pecuinus es tu, ita bonorum animæ ignarus, ut eam aptes carnalibus epulis*; Atque hinc conſequenter fit, quod dum in hac ignorantiæ obſcuritate procedit in actionibus ſuis, in quodvis profundiſſimum ſcelerum & vitiorum barathrum præcipitem ſe agat. Unde Sanctus Auguſtinus ad avarum quemdam ſe convertens, his eum verbis alloquitur: *Lucra tua cogitas, damna tua non cogitas? de arca gaudes, de corde non plangis? Abundat neſcio quid in arca tua, ſed vide quid imminutum ſit in corde tuo. Scrinia quidem auro adimplentur, at verò conſcientia eo ipſo ab omni Dei timore evacuatur & exinanitur.*

S. Bonav. in Pſ. 118. v. 36

Matth. 6. 21.

Luc. 12. v. 19

S. Baſil. ho. 6. de div.

S. Aug. enar. in Pſ. 123.

5. D. Chryſoſtomus avari hominis cor examinans, ne vel umbram aut veſtigium pietatis & timoris Dei in eo ſe invenire dicit: utpote qui de futura vita tam parum curat, ac ſi nulla nobis poſt hanc vitam ſperare liceret: *Neque regni amor eſt illic neque gehennæ metus, non pudor hominum, non miſericordia, non condolentia, ſed impudentia & violentia, & futurorum omnium contemptus, & fabula ipſis verba Dei videntur eſſe.* Idem quoque Sanctus Doctor in Homilia quadam, cujus titulus eſt: Quod nemo læditur niſi à ſeipſo, avarum, quemdam quo ſine divitias ſibi accumulare deſideret, interrogat; num fortè ob delectationem, quam ex convivijs, & quotidiana ciborum lautitia percipis? aut verò ut prompta aliorum obſequia habeas, qui niſi dives eſſes, tibi inſervire non dignarentur? aut verò ut de ijs qui te contemnunt, vel contumelijs afficiunt, vindictam capere poſſis, quod ſine pecunia difficulter fieri poteſt? vel ut omnes metu & reverentia perſonæ tuæ percellantur? *Neque enim alias cauſas afferre poteris, quam voluptatem, adulationem, terrorem, & ultionem, nam neque ſapientiorem, neque temperantiorem, neque mitiorem, neque prudentiorem omninò divitiæ efficere ſolent; non benignum, non humanum, non iræ potentem, non ventri imperantem, non voluptatibus ſuperiorem, non moderationem docent, non humilitatem, non aliquam aliam virtutis partem in animam inducunt & inferunt.* Eſtque hæc ratio ſanè efficax & evidens argumentum, quod divitiæ ſint incentivum quoddam ad vitium, quia non ſolum virtutem nobis non inſinuant, verum inſuper eam, quæ homini ante divitias inerat, penitus ejiciunt: *Non modo*, inquit idem Sanctus Doctor, *non norunt plantare, aut ſerere quidquam bonorum, ſed etiam ſi recondita inveniant, vaſtant, impediunt, & ut emarceſcant, efficiunt; quædam enim evellunt, ijsque contraria inducunt, luxum immoderatum, confidentiam importunam, iram injuſtam, arrogantiam, ſuperbiam, amentiam.*

Chryſ. t. 6. ho. 15. de av.

6. Dionyſius Carthuſianus per adductam Sancti Joannis Climaci authoritatem paucis quidem ſed valdè ſenſatis verbis, quantus divinæ legis transgreſſor ſit homo avarus, inſinuat, dicens: *Vir ille profundi ſenſus Joannes Climacus dicit: avarus eſt voluntatis prævaricator, & ſubſannator Evangelij Domini noſtri Jeſu Chriſti*: redditque rationem, cur avarus ſpecialiſſimè præ cunctis alijs ſceleribus peccatoribus, quorum in alijs peccatorum ſpeciebus valdè multi ſunt, Evangelium Chriſti deridere & exſibilare dicatur: *quoniam Chriſtus in toto Evangelio verbis & exemplis docuit terrenorum contemptum.*

D. Carth. t. 2. oper. min. art. 6.

7. Sanctus Thomas de Villa nova firmiter proinde ſibi perſuaſum habuit, quod ſi aliquid in hoc mundo daretur tanta proſperitatis abundantia affluens, ut eidem juxta animi ſententiam & votum cuncta feliciſſimè evenirent, futurum ſit omninò, ut talis paulatim vel in brutum vel in Dæmonem degeneraturus eſſet incarnatum; Ecce quàm lubricum Sanctus hic Archipræſul cenſuerit eſſe hunc proſperitatis & felicitatis humanæ ſtatum. Audite ipſiſſima Sancti hujus viri verba formalia: *Da mihi hominem rectum & bonum, cui omnia ſuccedant ad votum, breviſſimo tempore fiet quaſi brutum, vel quaſi Dæmon*; adducitque Salomonem virum à Deo ſapientia ſupernaturali tam excellenter dotatum in veritatis præfatæ evidens exemplum: *Hic tantus vir*, inquit, *ſuccedentibus proſperis, ex nimio luxu & abundantia temporalium, ſuper omnes homines factus eſt carnalis.*

S. Th. de Vill. conc. de S. Quiri.

8. David Rex in Pſalmo 16. inquit: *adipem ſuum concluſerunt*; & paulò poſt de eisdem dicit: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*; inveniuntur enim multi homines adeo incraſſati ut voces & inſpirationes divinas ad corda ſua tranſire nequaquam permittant: *Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum.* Unde etiam ſanctus Bernardinus Senenſis de ejuſcemodi avaris qui ad gulam uſque divitijs ſuis immerſi ſunt, dicit: *Contemptores ſunt omnium inſpirationum, omnium correctionum, & omnium prædicationum ac ſermonum Dei inſenſibiles ac deſpectores facti omnium donorum ejus*, unde Deus Jer. c. 22. de tali avaro dicit: *Locutus ſum ad te in abundantia tua; & dixiſti: Non audiam.*

Pſ. 16. v. 10. Ibid. 11.

Deut. 32. v. 15.

S. Bern. ſer. 50. a. 2. c. 2.

Jerem. 22. v. 21.

9. Enimvero ſi verum eſt, uti eſt veriſſimum, quod in noviſſimi judicij die rigoroſiſſima reddenda ſit de omnibus peccatis ratio, etiam uſque ad minimum aliquod verbum otioſum, valde præſumendum eſt verum eſſe, quod ait Sanctus Ambroſius, videlicet quod qui radicem omnium vitiorum, hoc eſt, cupiditatem ab anima ſua reſecaverit, nullo tunc percellendus ſit juſtitiæ Divinæ timore; *Quàm beatus, qui radicem vitiorum reſecare poterit avaritiam, is profecto ſtateram hanc non formidabit*; Et hæc unica cauſa eſt, ob quam experientia teſte religioſi qui paupertatis votum exactè obſervarunt, & alij qui in hac præſenti vita in ſumma egeſtate vixerunt, læti moriantur, non vero item divites, & omnibus rebus proſperis affluentes, de his enim S. Ephrem ait: *Quanto eſt major divitiarum copia, tanto amplius metum mortis auget*: Et in Eccleſiaſtico cap. 41. verſ. 1. dicitur: *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis*; quia quanto alicui copioſiores ſunt divitiæ, tanto regulariter plura magisque enormia committuntur peccata. Unde quia Phariſæi in tantæ malitiæ barathrum ſe præcipitari per-

S. Ambr. l. 3. epiſt. 19.

S. Ephr. t. de record. mort.

Eccl. 41. v. 1.



miſerunt, ideo non ſolùm ſuos veræ luci clauſerunt oculos: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*, verum etiam crudeliſſimam vero Meſſiæ ſuo necem inferre non dubitarunt, & tamen ut ſacri Interpretes optimè probant & oſtendunt, ſe ipſum agnoviſſe diſſimulare non potuerunt, cujus ratio à ſancto Baſilio ſuper hæc verba: *Hic eſt hæres, occidamus illum*, ſcribente, hiſce verbis tangitur: *Dominus noſter ac Salvator à corde Phariſæorum volebat pecuniarum amorem excludere, ſed quia illi erant cupidiſſimi, ſalutaria ejus monita deridebant.*

Joan. 3. v. 19

Luc. 20. v. 14

S. Baſil. in adm. ad Fili. Spir.

10. Chriſtus Redemptor noſter ipſemet ſe tamquam medicum ad mortales infirmitates noſtras curandas veniſſe dicit: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus*: Unde celebris eſt illa ſancti Auguſtini ſententia: *Magnus de cælo venit Medicus, quia magnus in terris jacebat ægrotus*: Specialius tamen Chriſtus ſe ad curandam Hebraiſmi ſalutem de cœlis deſcendiſſe declarat, dum ait: *Non ſum miſſus, niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël*: Jam vero Sixtus III. vel quisquis eſt libri illius Author dicit: *Omnium rerum providus Deus, in Scripturis ferè omnibus, divitiarum cupiditatem vituperat, atque condemnat, quam dum humani erroris cauſam, nimirum fons ſcientiæ patefecit, quaſi bonus Medicus, qui artis ſuæ peritia cauſas valetudinis aut pepones, aut ficus, aut mala, aut quæcumque pomorum genera noverit, hæc coram ægro quanta poteſt animoſitate vituperat, & ad ejus nititur adducere vituperando faſtidium, ſciens illum ſanari poſſe, ſi in primis occaſiones infirmitatis abjecerit: ita animarum noſtrarum Medicus peritiſſimus, divitiarum concupiſcentiam quam occaſionem peccatorum noverat, ubique condemnat*; At vero quid accidit? Infirmi phrenetici adverſus Medicum, qui ſalutem illis conferre intendebat, inſanientes furore, mortem illius machinati ſunt, & non ſolùm pro inſtrumento crucifixionis Chriſti avaritia Judæ uſi ſunt, utpote qui illum pro triginta denarijs illis in manus dedit, ſed etiam odio, quo Salvatorem avaritiam illorum reprehendentem proſequebantur, commoti ſunt ad mortem illi inferendam; Unde in Conciliabulo illo dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Et venient Romani, & tollent noſtram locum & gentem*, quia ut Sanctus Auguſtinus circa hæc verba ait: *Temporalia perdere timuerant.* Rupertus Abbas Tuitienſis in Amos hac de re ita ſcribit: *Avaritia in capite omnium, cujus videlicet avaritiæ crudeliſſimæ fructus fuit, avaris & impijs ſcelus iſtud, quod taliter Dominum ſuper altare Crucis ſtare fecerunt; nam cum quotidie diſputaret contra avaritiam illorum, illud maximè concitaverat eos, quod diutius non ferent pertinaciam avaritiæ propter quam domum Patris, domum orationis, ſpeluncam fecerunt latronum, menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas vertit.*

Matth. 9. v. 12.

Matth. 15. v. 24.

Sixt. 3. l. de div.

Joa. 11. v. 47

Ibid. v. 48.

Rup. Abb. l. 4. in Amos c. 9.

11. Valde conſiderabilia ſunt verba illa Habacuc contra avaros: *Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ, ut ſit in excelſo nidus ejus*; Quiſnam enim eſt hic loquendi modus, quo *avaritiam malam* appellat: ex quo enim avaritia unum eſt ex capitalibus vitijs, opus certe non erat, ut eam inſuper *malam* appellaret: Scio quidem quod Philoſophus quidam moralis dixerit: *Unius temporis avaritia honeſta eſt*, hic autem Propheta de cupiditate auri & argenti, non vero de temporis accurata ratione loquitur; dicit enim: *Væ qui congregat.* Unde Rupertus Abbas ait: *Quis unquam audivit in ſcripturis avaritiam bonam, ut ex illius oppoſito hic oportuerit dari differentiam hujuſcemodi, dicendo avaritiam malam?* Pergit idem Venerabil. Abbas ulterius exponere, qualiter illa Judaiſmi avaritia mala, imo peſſima fuerit; Dicit enim: *Qualis ergo avaritia fuit, vel eſt Judæi, ut recte dicatur mala, & adjectio non ſit ſuperflua? nimirum talis, ut totus orbis audivit, quia domum Dei, quæ domus erat, vel eſſe debebat domus orationis, fecit ſpeluncam latronum; & ipſum præterea qui diſputabat contra avaritiam illorum, eumdem interfecit domus Dominum.*

Habac. 2. v. 9.

Rup. Ab. l. 2. in Habac.

12. Verum enimvero quia de hac ſacerdotum Hebræorum domum Dei propter lucrum & intereſſe ſuum in ſpeluncam latronum convertentium avaritia mentionem facere cœpimus, vos pariter ad id ponderandum invito, quod in Matthæo circa ſupplicium de ſacri illius loci prophanatoribus ſumptum legimus, nam poſtquam Salvator noſter ementes & vendentes è templo ejecit, & menſas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit, ſtatim ad eum adducti ſunt cœci, claudi, & alij plures infirmi, ut miraculosè ab eo more ſolito curarentur ab infirmitatibus ſuis: Circa quod Rup. Abbas quærit cur poſt hanc ejectionem vendentium & ementium, non verò ante illam, adducti ſunt ad eum curandi infirmi? Et protinus reſpondet dicens: *Tunc demum acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo, & curavit eos, non prius curavit, quam illos latrocitantes de ſpelunca ejecerit, quia videlicet non vitia curari, nec virtutes poſſunt illuſtrari, niſi prius Mammon de cordibus ſacerdotum, aut ipſi ſacerdotes cum illo Deo ſuo, de templo Dei fuerint ejecti.* Sciendum eſt enim, quod acquiſita bona temporalia, ſive illa poſſeſſiones ſint, vel domus, vel cenſus, vel alia ſimilia, *tranſeunt*, ut legiſtæ ajunt, ad hæredem vel *acquirentem, cum onere ſuo*, Divitiæ autem infallibiliter hoc onus ſecum adferunt; quod animam vel conſcientiam turpiter commaculent & defœdent: Quod ſi mihi non creditis, ſaltem S. Hilar. audite dicentem: *Periculoſa cura eſt velle diteſcere, & grave onus innocentia ſubit incrementis opum occupata, rem enim ſæculi famulatus Dei non ſine ſæculi iſtius vitijs aſſequetur.*

Matth. 21. v. 12.

Rup. Abb.

S. Hil. can. 10. in Matt.

## DISCURSUS VIII.

### ARGUMENTUM.

Præſentis vitæ proſperitates à Deo nos divertunt & ſeducunt; & ideo magna eſt inter illas virtutem & perfectionem conſervandi difficultas.

### THEMA.

*Incraſſati ſunt, & impinguati, & prætererunt ſermones meos peſſimè.* Jerem. c. 5. ℣. 28.

1. INter alias à Jeremia Propheta recenſitas Dei querelas, una fuit, quod populus Judaicus ex dono Dei proſperrimè vivens, monita & verba Dei peſſimè deriſerit, & contempſerit: *Prætererunt ſermones meos peſſimè.* Et verò quisquis humanæ felicitatis ſtatum diligenter examinaverit, utique illum ad peccandum & præcepta Evangelica transgrediendum valde lubricum & facilem eſſe comperiet.

2. Propheta regius, qui unicuique Chriſtiano in ſchola Dei magiſtri loco ſervire poteſt, quique vir ſecundùm cor Dei fuit, ſe inter medias adverſitates converſum eſſe fatetur: *Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina*: Econtra vero in favorabili & propitio humanæ felicitatis ſtatu adeo perverſus factus eſt, ut quem antea conſcientia remordebat, quod ei, cui ad vitæ ſuæ defenſionem caput jure præſcindere poterat, vel ſolam regiæ chlamydis fimbriam præſcidiſſet, is poſtea ad tantam lubricitatē pervenerit, ut innocentis & bene meriti militis cujusdam homicidium vel necem injuſtè ei à ſe illatam, jocum vel ludum quemdam eſſe putaverit, ut tanto liberius conjuge ejus in adulterio abuti & frui poſſet. Unde Sanctus Auguſtinus ait: *In alienam fœminam irruit, temporalium rerum proſperitatibus abreptus.*

Pſ. 31. v. 4.

S. Aug. l. 3. de doc. Chr. c. 21.

3. Serpens infernalis ad inſtar Prothei cujusdam (quem Poëtæ in varias ſeſe figuras ſeu ſpecies transformare potuiſſe fingunt) in varias quoque formas ſe transfigurare ſtudet: *Transfigurat ſe.* Deus apud Jeremiam dicit: *Quia inventi ſunt in populo meo impij inſidiantes, quaſi aucupes*, id eſt, Dæmones, quod vel maximè David in ſemetipſo expertus fuit, circa quem Dæmones aucupis ſpeciem & officium aſſumpſerunt; unde ipſe Dæmonibus ait: *Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem ſicut paſſer*; Peritus vero auceps ſclopetum ſuum in aviculam non ſolvit, quamdiu illa per terram ſaltitat, quia in terra ita facile in eam collimare non poteſt, ideoque expectat, donec, ſe à terra in ramum quemdam arboris ſuſtulerit, & tunc ſclopetum in eam explodit. Nullibi invenietis quod communis humani generis hoſtis Davidem aggredi præſumpſerit, quamdiu in privatæ fortunæ ſtatu ſubſtitit: ſive quando velut paſtorculus gregis ſui curam habuit, ſive quando Saül eumdem continuis perſecutionibus hinc inde agitavit, neque quamdiu in aperto campo inter arma cum hoſte conſeruit, ſed eo uſque expectavit, donec in pacifica regnorum ſuorum poſſeſſione conſiſteret; *Eo tempore quo ſolent Reges ad bella procedere, remanſit in Jeruſalem; otioſus*, inquit Lyranus, Quando populorum ſibi ſubjectorum dominio ſine ulla lite, controverſia, aut bello gaudebat, atque in pacifico throno ſuo ſedens omnibus ipſum ſpectantibus, vel nominari audientibus timorem tremoremque incutiebat; tunc & non ante accidit, quod *vidit mulierem*, eveneruntque ei omnia illa infauſta, quæ deinceps ſecuta fuerunt. In domo Iſai

Jer. 5. v. 26.

Pſal. 10. 2.

2. Reg. 11. v. 1.

Lyranus.

patris

patris ſui degens adeo modeſtus ſemper fuit, ut neque ſe proprio nomine compellari ſuſtinet, ſed dixit: [*Pſal.21.v.7.*] *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*; & ad Saülem dicebat: [*1.Reg.24. v.15.*] *canem mortuum perſequeris*: At vero mox ut ad regni imperium ſublimatus fuit, ad oſtentationem potentiæ, divina prohibitione nec quidquam obſtante, univerſum populum ſuum numerare præſumpſit; hacque ratione Dei adverſus ſe iram, & peſtilentiæ flagellum concitavit. *Plerumque etiam juſtos*, inquit Sanctus Gregorius, [*S.Greg.3. p.paſt.adm. 27.*] *dum temporalis potentia ſuſtollit, velut in laqueum culpa comprehendit, David Deo amabilis rectior fuit in ſervitio, quam cum pervenit ad regnum.*

4. De Saule ex teſtimonio Spiritus Sancti Scriptura ſacra dicit: [*1.Reg 9.v.2.*] *Saul electus & bonus, & non erat vir de filijs Iſraël melior illo*: Adeoque humilis fuit, ut quando ſe thronum regium conſcenſurum eſſe ex ſolo rumore percepit, dixerit: [*Ibid.v.21.*] *Numquid non filius Jemini ego ſum, de minima tribu Iſraël, & cognatio mea noviſſima inter omnes familias de tribu Benjamin?* Imò ad regium thronum quæſitus, ſeſe abſcondit, ne inveniri poſſet: [*1.Reg. 10. v.21.*] *Quæſierunt eum, & non eſt inventus*, adeoque opus fuit, ut Deus illum per miraculum manifeſtaret, atque ad conſcendendum ſolium regium, violenter adſtringeretur; *Conſuluerant Dominum, utrumnam venturus eſſet illuc, reſponditque Dominus; Ecce abſconditus eſt domi; cucurrerunt, & tulerunt eum inde*: At vero quam fuit exitus illius, ab ejus ad regnum ingreſſu valde diverſus? Siquidem ut ſe in imperio & dominio populorum confirmaret & ſtabiliret, quas non injuſtitias, impietates, tyrannides, ſacrilegia per humanam politicam, & Rationem ſtatus commiſit?

5. Philippus Abbas ad locum ubi Saul cecidit mortuus, ſe ingenioſe reflectit; locus autem Mons Gelboe fuit, qui illorum ruinam repræſentat, qui in ſublime dignitatum aſcendentes non ſolum non acquirunt ſpiritum, verum etiam illum quem de facto habent, amittunt, quia quanto illos inimicus infernalis altius ſublimatos eſſe conſpicit, tanto ſagacius, ut illis nocere poſſit, contendit: [*Phil.Ab. l.de dig.cler.c.18*] Etenim *Gelboe idem eſt quod mons lubricus, quia videlicet in ſublimi faſtigio dignitatis non figit greſſus ſtabiles, niſi maturæ gravitatis ſanctitas.* Idem quoque Abbas Spiritum Sanctum mox ſubjunxiſſe obſervat, quod in hoc monte generoſiſſimi quique & fortiſſimi ex Iſraël occubuerint: *Ubi ceciderunt fortes Iſraël, quia plerumque qui in plano & humili videbatur ſecurius ſtare, & ſtabiliter ambulare, cum ad arduum & lubricum venerit, adverſario fortius impugnanti non reſiſtit, nec perſiſtit in ea, qua cœperat ſanctitate.*

6. Etenim quia montis mentionem facere cœpimus, ſciendum nobis eſt, quod Sanctus Thomas Aquinas in libro de Eruditione Principis optimam aſſignet rationem, quare humanæ dignitatis culmen adeo lubricum ſit & periculoſum; conſiderat enim quod homo aliud nihil ſit, quam pulvis & cinis, ac proinde cum loca alta ventis expoſita ſint, mirum profectò non eſt, quod homo de diſſipatione & diſperſione ſui periclitetur, quid enim facilius eſt, quam quod pulvis in alto poſitus evaneſcat & à vento elationis diſſipetur? [*S.Thom. de erud. Prin. c.8.*] *Quid eſt poteſtas culminis; tempeſtas mentis; ſpecialiter perflat ibi Aquilo, juxta verbum Luciferi: Dominans ſedebo in lateribus Aquilonis*; ac proinde clarum eſt, inquit idem Sanctus & Angelicus Doctor, qui primas ſummaſque etiam Prælaturas & dignitates ſemper à ſe repulit, dignitates humanas non ambiendas, ſed timendas & formidandas potius eſſe: quia juxta Chriſti conſilium humiles eſſe debemus: *Recumbe in noviſſimo loco; hic eſt locus congruens homini, qui eſt terra & cinis: terræ enim non congruit eſſe in alto, quæ eſt infima elementorum: cineri enim congruit, ne in alto ſit, ne diſpergatur à vento.*

7. In vita S. Vincentij Ferrerij legitur, quod tametſi Pontifex illum rogaverit? ut Archiepiſcopatum Valentinum, & Purpuram Cardinalitiam acceptaret, utrumque tamen repudiando dixerit: Majoris facio quod adjuvare poſſim animam aliquam ut egrediatur è ſtatu peccati, quam ſi omnes mihi dignitates conferantur humanæ. At nequis eſt qui non videat ſanctum hunc prædicatorem longe facilius intentum ſuum aſſequi potuiſſe ſi fuiſſet in dignitate eminenti poſitus, ſiquidem ratione authoritatis, quam præ ſe tuliſſet, majorem conciliaſſet prædicationi verbi Dei fidem & reſpectum, illamque magis effeciſſet æſtimabilem: Sic enim S. Carolus tametſi balbus fuerit, quia tamen Archiepiſcopus & cardinalis erat, magnæque exemplaritatis, verbo & ſpiritu ſuo majorem fecit in animabus ad Deum convertendis fructum, quam ſi ſacerdos fuiſſet privatus, verum quidem eſt, quod ingens quoddam hujus ſæculi prodigium, & divinæ Omnipotentiæ miraculum fuerit, prout ipſemet ait, quod in culmine humanæ felicitatis poſitus ſpiritum non ſolum non diminuerit, verum etiam adauxerit; Unde ſolitus erat dicere, ſpecialem ſibi hac in re à Deo præſtitam fuiſſe gratiam, quod tanto ardentius ſemper ad perfectionis ſtudium ipſum impulerit, quanto majores ipſi honores, obſequia, divitiæ, aliaque proſperitatis genera conferebantur: Quam proinde ſpecialiſſimam ejus prærogativam ſancta Dei Eccleſia in Bulla quoque Canonizationis ejus notavit hiſce verbis: *Crucifixus mundo maximè blandienti.* Cæterum vero difficillimum eſt, ut proſperitatibus quis in hoc mundo affluat, & ſimul innocenter vivat, & hoc intendebat inſinuare S. Vincentius, tametſi enim & faciliorem & copioſiorem animarum meſſem coacervare potuiſſet in ſtatu ſublimi, quam in ſtatu mediocri & privato poſitus, attamen ſimul etiam agnoſcebat ſtatus talis lubricitatem, & quam facile quis etiam perfectiſſimus in tali conditione poſitus à ſanctitate & virtute deficere poſſit.

8. De Leone legitur, quod neminem timeat: *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum*: [*Prov.30. v.30.*] & tamen ſi fides ſancto Antonio adhibenda ſit, ad rotarum ſtrepitum ſubito expaveſcit. Hic enim ſanctus Eremicola circa illa verba: *Juſtus quaſi leo conſidens abſque terrore erit*: [*Proverb.28. v.1.*] dicit: *Timet ſtrepitum rotarum*: Rotæ enim quæ ſuſque deque vertuntur, [*S.Ant.P.4. tit.14.c.4. §.3.*] ſiquidem pars quæ nunc cœlum verſus reſpicit, mox terram tangit, eaque quæ nunc terram tangit, cœlum verſus protinus erigitur, volubiles hujus mundi dignitates & proſperitates temporales ſignificant: *Significant dignitates, honores, & proſperitatem temporalem, quæ appellantur bona fortunæ, quæ ſunt in magna mutatione: electi igitur, etſi leones fortitudine, timent tamen poni, vel ſe reponere in dignitatibus.*

9. Quærit ſanctus Bonaventura uter ſtatus ab homine magis deſiderari debeat, an ſtatus adverſitatis, an vero proſperitatis, reſponſurusque quoad proſperitatem diſtinguit; Si enim ſermo ſit de hominibus timoratis & virtuoſis, *Non eſt eis utilis*, ſtatus proſperior, [*S.Bon.in Eccl cap.8.*] *aut qui non proficiunt, aut quia tepeſcunt, aut quia animi eorum decidunt.*

10. Sanctus Gregorius qui in ſæculo exiſtens in dignitate poſitus & ditiſſimus erat, tandem omnibus facultatibus ſuis in Eleëmoſynam pauperum erogatis in clauſtrum ſe ſubduxit, omniaque dignitatum etiam Eccleſiaſticarum culmina adeo abhorruit, ut in abditas ſylvarum ſpecus & antra ſe receperit, ut ab omnium oculis abſconditus ad Pontificatum rapi non poſſet; Factus autem Pontifex, licet invitus, ut ſe in priſtina ſanctitatis eminentia etiam in Pontificatu conſervaret, *Servum ſervorum Dei* ſeſe appellavit. [*S.Gregor. proœm.in 4. pen.*] Idem quoque in Proœmio in quartum Pſalmum Pœnitentialem ita ſcribit: *Admonemur in hoc Pſalmo proſpera metuere, & contra omnem ſæculi felicitatem acrius vigilare. Quid ſanctior Davide? Qui cum Saulis perſecutionibus urgeretur, non ſolum perſequentem occidere non voluit, ſed ipſi perſecutori, cum ipſum occidere poſſet, pepercit, verum ubi devictis hoſtibus, preſſuris caruit, homicidium adulterio incaute ſecurus adjecit.*

11. In S. Matthæo de divite quodam & in bonis fortunæ copioſiſſimo juvene legimus, quod prima quidem facie adoleſcens bonus & virtuoſus, divinæque legis obſervantiſſimus fuerit: Et quidem quod dives fuerit ex illis verbis clare deducitur: [*Matth.19. v.22.*] *Erat habens multas poſſeſſiones*; quod vero timoratus & conſcientioſus fuerit, ex proprij oris ejus teſtimonio conſtat, quia cum à Salvatore petiiſſet, [*Ibid.16.*] *Quid boni faciam ut habeam vitam æternam*, eique reſponſum fuiſſet: [*Ibid.17.*] *Serva mandata* ipſe confeſtim ſubjecit: [*Ibid.20.*] *Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea*; Verumtamen contra id quod homo virtuoſus fuerit, eſt quod opponam, quia cum ulterius interrogaret: [*Ibid.20.*] *Quid adhuc mihi deeſt?* & Chriſtus ſubjungeret: [*Ibid.21.*] *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus & habebis Theſaurum in cælo, & veni, ſequere me*; dicit ſacer textus: [*Ibid.22.*] *Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis.* S. Baſilius contra hunc adoleſcentem ſolide fundatum format proceſſum, ipſumque his verbis aggreditur: [*S.Baſil.ho.7. in div.avar.*] *Si teneris adhuc in annis [ut aſſirmas] fraternitatis charitatem, ac tantum præceptum cuſtodiſti, ut ea proximo, quæ tibi ipſi reddideris, unde quæſo hæc divitiarum copia? cura namque egenorum, pecuniæ conſumptiva eſt, amans proximum ſicut*



*ſicut ſeipſum, nihil plus illo poſſidebit; at tu poſſeſſiones multas habere appares: Undenam hæ? niſi quod propria commoda multorum commodis habes omnino potiora? Quo enim plus opibus creſcis, eo magis à charitate deficis, nam diu iſtam pecuniam alijs communicare cogitaſſes, ſi proximos æquè ac teipſum amaſſes.* Pergit idem ſanctus Doctor ulterius evidenter oſtendere, quod in corde hujus juvenis exigua erga pauperes charitas & compaſſio fuerit, ſiquidem poſtquam à Salvatore conſilium divitias ſuas in pauperes diſtribuendi ſibi ſuggeri audiſſet, [*Matth. 19. v.22.*] *abijt triſtis*, & dolens eo quod plus haſce ſuas divitias, quam ſubſidium in proximi neceſſitates conferendum diligeret; id quod S. Anſelmus pariter in eodem juvene redarguit dicens: [*S. Anſelm. in Matth.*] *Non eſt credendum bonam conſcientiam eum habuiſſe, ſed mentitum, quando ſe dilectionem proximi confeſſus eſt habuiſſe, non enim verè diligebat proximum, qui doluit de hoc quod ſua dare proximis præcipiebatur.* Quando ex una parte poſitum videbat ſalutare illud Chriſti conſilium: [*Ibid.21.*] *Si vis perfectus eſſe*, &c. ex altera vero parte ſuas conſiderabat poſſeſſiones & facultates, fortiſſime ſe hiſce aſtringens illud totaliter deſeruit, exiſtimando verum eſſe, ſicut eſt veriſſimum; quod nimirum parum ſe invicem compatiatur proſperitas ſive divitiæ, & virtus ſeu perfectio Chriſtiana.

12. Sanctus Job de uno illorum divitum, quibus omnia ex animi ſententia ubique fluunt, ita ſcribit: [*Job 15.v.26. Ibid. v.27.*] *Cucurrit adverſus eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt, Operuit faciem ejus craſſitudo & de lateribus ejus arvina dependet.* Ubi S.Gregorius ait: [*S.Greg.l.12. mor.c.22.*] *Cervix eſt opulenta ſuperbia, affluentibus videlicet rebus temporalibus, tumens contra præcepta; pingui cervice ſe contra Deum erigit, qui temporalem abundantiam in ſuperbiam aſſumit.* Paulò poſt vero nobis bonorum temporalium deſcribit qualitates, & effectus quos divitiæ in poſſeſſoribus ſuis operantur; *Habent enim hoc*, inquit, *potentes proprium ut fallacibus divitijs occupati, veras Dei opes negligant, & quanto minus quod verum eſt inquirunt, tanto amplius falſis divitijs extollantur; cura enim multiplex terrenarum rerum, quem occupat, excæcat.*

13. [*2.Paral.26. v.4. &c.*] Ozias Rex in principio regni ſui, magnam optimi futuri regiminis, ſummæque exemplaritatis ſecuturæ ſpem & fiduciam omnibus ingeſſerat: at vero mox ut generoſum potensque imperij deliciarum, terrenarumque proſperitatum vinum deguſtavit & bibit, pariter delirare mox cœpit: [*Ibid. v.16.*] *Cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum*: Ubi D. Chryſoſtomus obſervat, quod Spiritus Sanctus non ſolum ipſum in ſuperbiam elatum fuiſſe dicat, verum inſuper rationem cur id fecerit, aſſignet: [*Chryſoſt.h.3. de Ozia.*] *Cum potens eſſet*, inquit, *elevatum eſt cor ejus: non ferebat principatus magnitudinem, ſed quemadmodum ex edacitate naſcitur ignea inflatio, gignitur febris, deinde ex febri plerumque mors, itidem & hic ex rerum abundantia, nata eſt ſuperbia.*

14. [*Naz.or.14.*] Nazianzenus majori cum facilitate adverſitatum tempeſtates ſine naufragio ſuſtineri poſſe putat, quam tranquillitatem proſperitatum, eo quod in hac evidentius & certius incurratur naufragandi periculum: *Profectò facilius eſſe videtur adverſam fortunam ferre, quam ſecundam conſervare.* Et ideo ſicut olim illi qui in Germania Rheni litora incolebant, genuinos filios ſuos in eodem flumine experiri & probare ſolebant: ad eam fere modum quo per lapidem Lydium exploratur ingenuitas auri, nam ſubito ut filij eorum nati erant, eoſdem collotenus in aquas prædictas immergebant, & qui gelido frigori aquæ illius ſalva vita ſuſtinendo pares erant, mox exinde fortis & robuſtæ complexionis argumenta, & futura in bellis & prælijs gerendis generoſæ fortitudinis præludia ominabantur: Eodem quoque modo ad probandam animæ alicujus virtutem & Spiritum certius experimentum adhibere non poſſumus, quam ſi immergatur in aquas non Rheni, ſed Pattoli, qui in lecto ex aureis arenis compoſito manare dicitur, id eſt, inter medias delicias honores, aliaſque proſperitates humanas vivere ſinatur, ſi enim Spiritum ſuum etiam in medio illarum conſervat, dicite, id ſignum eſſe ſolidiſſimæ in ipſa latentis virtutis, valdeque ſtabilis Sanctitatis; nam ut S. Auguſt. ait: [*S.Aug.ſer.13 de ver.Dom.*] *Magnæ virtutis eſt cum felicitate luctari, magnæ felicitatis à felicitate non vinci.*

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Difficillimum & periculoſum eſt in ſtatu proſperitatis, innocenter vivere velle.

### THEMA.

*Divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria, Ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis eſt Dominus.* Prov.30. ℣.9.

1. Salomon poſtquam poſt mortem Davidis Patris ſui ad Regnum Iſraël aſſumptus fuit, Deus illum nocte quadam viſione & apparitione quadam divina dignatus eſt: [*3.Reg.3.v.5.*] *Apparuit Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula quod vis, ut dem tibi*, cumque Salomon à Deo ſapientiam ad populum ſuum rectè ſanctèque gubernandum petiiſſet, dixit illi Deus: [*Ibid. v.12.*] *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit, Sed & hæc quæ non poſtulaſti, dedi tibi,* [*Ibid.v.13.*] *Divitias ſcilicet & gloriam: ut nemo fuerit ſimilis tui in Regibus, cunctis retro diebus*, quod & vere ac realiter præſtitit, nam ubi in cap.10. ejuſdem libri legimus: [*3.Reg.10. v.27.*] *Fecit ut tanta eſſet abundantia auri in Jeruſalem, quanta & lapidum.* Sciendum eſt autem, quod non obſtante quod Salomon theſauros & divitias minime deſideraverit, ſed ſatisfactum ſibi fore dixerit, ſi quod ad nudam corporis ſuſtentationem requiritur, Deus illi largiretur, prouti ex ipſiuſmet Dei teſtimonio, & propria Salomonis proteſtatione clare ſatis conſtat; Similiter non obſtante quod tanta ſapientia infuſa & ſuperhumana à Deo exornatus fuerit, ſibi tamen in humanæ felicitatis culmine poſitus temperare non potuerit, quin potius turpiter adeo ceciderit, & naufragatus fuerit, ut S.Gregorius id conſiderans, exclamare coactus fuerit dixeritque: [*S.Greg.3.p. cur.paſt. adm.27.*] *Quis ergo opes, quis poteſtatem, quis gloriam quærat innoxie, ſi hæc illi extiterunt noxiæ, qui hæc habuit non quæſita?*

2. In Eſdra longus quidam immenſorum beneficiorum, quæ Deus populo ſuo ab Abraha incipiendo exhibuit, texitur Catalogus: Dicit enim ſacer textus: [*2.Eſd.9. v.25.*] *Poſſèderunt domos plenas cunctis bonis, ... vineas, & oliveta & ligna pomifera multa, & comederunt, & ſaturati ſunt, & impinguati ſunt, & abundaverunt delicijs in bonitate tua magna*: At vero obſervetis velim, quiſnam fuerit infelix ille & pernitioſus ſcopulus, ad quem hæc tranquilla navigatio impegit: [*Ibid.26.*] *Provocaverunt autem te*, ſubdit idem ſacer textus, *ad iracundiam, & receſſerunt à te, & projecerunt legem tuam poſt terga ſua*; Unde clare videtur, quod hæc duo infallibili quaſi nexu ſe mutuo conſequantur, bona temporalia, vel abundantia divitiarum, & divinæ legis tranſgreſſio.

3. In cujus probationem, congruentiſſimam in Iſaia Propheta invenio hiſtoriam. Rabſaces urbem ſanctam gravi & arcta obſidione cinxerat, & quia duos à ſe inſultus ſine ullo ſubſecuto fructu factos eſſe conſpexit, ad illos ſibi realiter & effective ſubjiciendos, hoc ſtratagema minime irrito aut caſſo effectu adinvenit; Propius ad Civitatis mœnia accedens ab obſeſſis ad alloquium admitti petijt, iiſque dixit: [*Iſa.36.v.16.*] *Comedite unuſquiſque vineam ſuam, & unuſquiſque ficum ſuam, ... Donec veniam & tollam vos ad terram, quæ eſt ut terra veſtra, terram frumenti & vini, terram panum & vinearum*; [*Ibid. v.17.*] At vero quænam erat ſtulta hæc Rabſacis præſumptio, ut ſe validam hanc optimeque munitam urbem vanis hiſce promiſſionibus ſubjicere poſſe, ſtulte ſibi auderet promittere? Numquid civibus obſeſſis pro vita, pro honore, pro Religione, pro Dei à ſe adeo ſacrilegis blaſphemijs contumeliati honore defendendo ad ultimam uſque ſanguinis guttam pugnare decretum eſſe ſciebat? Hæc omnia nihil illum morabantur, utpote cui optime perſpectum eſſet, quam violentiam in cordibus humanis, quantumvis conſtantibus, virtuteque munitis exerere conſueverit, humanæ proſperitatis oblatio & promiſſio, nam ut S.Cyrill. Alexandrin. ait: [*S.Cyr. Alex. in dial. de ador. ad pall.*] *Illi quibus voluptas perſuaſa eſt, proclives ad quodvis abſonum flagitium prolabuntur.*

4. Quam putatis ob cauſam Deus populo ſuo intra tot annorum ſæcula quibus in Ægypto demorabatur legis tabulas non conſignavit? Aut cur ſaltem illas non diſtulit dare, donec idem populus in terram veniſſet promiſſionis, eo præcipuè tempore, quo Salomon ædificato templo Domini ſumma pace gaudebat? Vel denique cur illas in deſerto, inter Sinai montis vepreta & dumeta dare voluit? Philo

Hebræus locum iſtum ad promulgationem, multoque magis ad obſervantiam legis aptiſſimum fuiſſe dicit, ſiquidem locus ille à delicijs, voluptatibus, gaudijs alijsque perverſæ vitæ lenocinijs longiſſimè aberat; *Exod. 16. v. 3.* econtra verò in Ægypto *ſedebant ſuper ollas carnium:* terra Chanaan autem fluebat lacte & melle, & in ea unuſquiſque voluptuoſa ſua gaudebat quiete; Atque hinc facile nobis eſt conjicere, cur Moyſes de monte deſcendens legisque tabulas in manibus ſuis deferens *Exod. 32. v. 19.* *projecerit de manu tabulas*; audiebat cantuum ſymphonias, clangores tubarum, ludentium & choreas agentium ſtrepitus & clamores, impoſſibileque eſſe intelligebat, ut lex Dei in medio voluptatis & gaudij mundani obſervaretur.

5. Hugo Cardinalis illa verba: *Erat quidam Regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum*, conſiderans, perque filij illius corporalem infirmitatem, ſpiritualem animæ morbum intelligens ita ſcribit: *Hug. Card. in c. 4. Joa. 46.* *Notandum eſt, ubi infirmatur, in Capharnaum, quod interpretatur: villa conſolationis, vel pinguedinis; Et in hoc notatur cauſa morbi, id eſt, peccati, abundantia ſcilicet temporalis.*

6. Conſideraſtiſne aliquando petitionem quam Eliſeus ab Elia jamjam in cœlum rapiendo propoſuit dicens: *4. Reg. 2. v. 9.* *Obſecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus*; Hæc etenim poſtulatio prima facie audax nimis & præſumptuoſa fuiſſe videtur, quia *non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum*; & tamen ut bene Sanctus Auguſtinus probat, hæc petitio Eliſæi nequaquam reprehenſibilis fuit; Ex quo enim Elias multis à Jezabele, Achabo, falſisque Prophetis Baaliticis perſecutionibus fuit infeſtatus, & procul ab omni humano conſortio remotus, vaſtas horridasque longo tempore incoluit ſolitudines, virtutes in ſuo vigore conſervare, ſuumque quotidie Spiritum novis incrementis adaugere, ei nequaquam difficile fuit aut arduum: at verò Eliſæus qui apud Magnates in reſpectu & veneratione magna eſſe, & in Regum aulis frequenter converſari debebat, Spiritum ſibi duplicem meritò popoſcit. Unde Sanctus Auguſtinus ait: *S. Aug. l. 2. de mir. ſac. ſerm. c. 26.* *Eliſeus cum magno honore & ſæculi dignitate virtutum & Prophetiæ donum habuit, quod Elias profugus & perſecutus, in montibus & ſpeluncis degens, & ejectus ab hominibus retinebat.*

7. Porrò Sancti qui Dei lumine illuſtrati fuere, honores, Imperia, theſauros, cunctasque alias felicitates temporales pro viribus ſemper declinarunt, aut ſi illas acceptarunt, id ſoli Dei Imperio obedire volentes fecerunt quidem, in illis tamen numquam ſine timore & tremore fuerunt conſtituti. Unde Sanctus Gregorius ad ſpontaneum Sancti Pauli in mortem ſuam conſenſum, quem hiſce verbis expreſſit: *S. Greg. l. 35. mor. c. 13.* *Ego non ſolùm alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum pro nomine Jeſu*; ſeſe reflectens: ex alia verò quantum Moyſes populi Regimen à Deo ſibi impoſitum acceptare renuerit, conſiderans, ait: *Præeunte utrorumque Ducum infractâ virtute inſtituimur, ut ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, proſperis hujus ſæculi ex ſola juſſione, adverſis autem etiam ex devotione militemus.*

8. Sanctus Bernardus ad Eugenium ſcribens, qui ex clauſtro Clarævallenſi ad vaticani ſublimem verticem transferat, ideòque merito, ne in illa præcelſâ dignitate poſitus, aliquam ſui Spiritus pateretur jacturam, ita eum monet: *S. Ber. l. 2. de conſ. c. 12.* *Blandientibus ſecundis rebus Salomon ex toto deſipuit; facilius invenies qui ſapientiam retinuerunt contraria ſibi fortuna, quam qui proſperâ non perdiderunt*; Demum ad eumdem Pontificem ſe convertens, his ſemetipſum verbis ut alloquatur, rogat: *Abjectus eram in domo Dei mei; quale eſt hoc, de paupere & abjecto levari ſuper gentes & regna? quis ego, aut quæ domus Patris mei, ut ſedeam excelſis ſublimior? Sanè qui dixit mihi, Aſcende ſuperius, amicum fore fidit*; quaſi dicere vellet; utplurimum ita fieri ſolet, ut dum quis in ſublime evectus, & ea bona temporalia, quæ ambiebat, vel etiam quæ non ambiebat eſt aſſecutus, Deo mox tergum vertere incipiat: *Deut. 32. v. 15.* *Incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum Factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Nimirum alludit mellifluus Doctor ad illa ſubmiſſionis pleniſſima verba, quæ Saul dixit, *1. Reg. 9. v. 21.* dum ei ipſius ad regnum nuntiabatur exaltatio: at verò quàm turpiter idem jam in ſupremo dignitatum vertice conſti- *1. Reg. 15. v. 3.* tutus, Deo ſuo rebellavit & ſuperbivit? Etenim Deus ipſi in eo quod adverſus Amalec gerebat, cruento prælio expreſſe præceperat, ut totum illum populum ſine ullo cujuſcumque reſpectu internecione non ſolùm totaliter deleret, verum inſuper caveret, ne quidquam ex ejuſdem ſpolijs ſibi vindicatum reſervaret; & tamen prædivitem ex eodem prælio prædam fecit, ipſumque Regem, juſſu Dei occidendum, vita donavit, *quia cupiditate ductus*, inquit Lyranus, *ſperabat ſe habere de Rege magnam redemptionem, vel per eum occulti theſauri revelationem.*

9. Sanctus Bernardus eum, qui in culmine proſperitatum poſitus, innocentiam ſuam & temperantiam ſartam tectam conſervat, Martyrij meritum habere, imò aliquid martyrio pœnoſius & difficilius præſtare dicit: *Nam quod martyrium gravius eſt, quam inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas oſtendit malignus, quas deſiderat noſter appetitus.* *S. Bern. ſerm. in Feſt. S. Hom.*

10. Paterfamilias ille ex Evangelio notiſſimus varios in vineam ſuam conduxit operarios, quorum alios mane ſummo diluculo aſſumpſit, qui toto die ſtrenuè laborarunt, alios verò horâ tertiâ, ſextâ, & nonâ, ultimos denique adveſperaſcente die in vineam ſuam tranſmiſit, è quibus omnibus ij qui manè conducti fuerant, graviter conquerebantur, quod eadem illis, & ne hilo quidem major daretur pro labore impigro retributio, quam illis qui breviſſimo tantum tempore laboraverant: *Murmurabant adverſus Patremfamilias, Dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus?* *Matth. 20. v. 11. & 12.* Author Imperfecti per primos operarios illos Sanctos intelligendos eſſe dicit, qui vixerunt in lege naturæ & *Auth. Imp. h. 34.* ſcripta: per ultimos autem eos, qui ſub lege vixerunt Evangelica: at verò, ſi ita eſt, quâ ratione Abraham aliquis v. g. vel Iſaac, vel Jacob, vel David, vel ſimiles alij ſumma ſemper in bonis fortunæ proſperitate affluentes, in honore, & exiſtimatione magna habiti, in delicijs & vitæ commoditatibus enutriti, conqueri potuerunt, ſiquidem de Sanctis legis gratiæ plane conſtat, quod *lapidati ſunt, ſecti ſunt, ... in occiſione gladij mortui ſunt?* *Hebr. 11. v. 37.* imò de omnibus univerſim Sanctis canit ſancta Dei Eccleſia: *Omnes Sancti quanta paſſi ſunt tormenta?* hi potius majori cum jure dicere poſſunt: *portavimus pondus diei & æſtus*; *Matth. 20. v. 12.* Verumtamen Chryſoſtomus, vel quiſquis eſt author operis illius, Nequaquam inquit, ita eſt; quia Sancti veteris Teſtamenti, magnum habuerunt fundamentum conquerendi & dicendi: *portavimus pondus diei & æſtus*, quia ſine magno labore fieri nequit, ut quis in culmine felicitatis terrenæ continenter vivat, & ab honoribus, theſauris, & voluptatibus alienus mente permaneat: *Quod martyrium gravius eſt, quam &c. Tunc mundus in juventute conſtitutus omnibus bonis proſperabatur, qui ergo tunc fuerunt homines, cum majori difficultate & labore juſtitiam ſervaverunt, quia ipſa felicitas mundanarum rerum, ſatis impedimento eſt animæ ad juſtitiam faciendam.*

11. Deus olim Ezechieli Prophetæ dixit: *Ut adamantem & ut ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* *Ezech. 3. v. 9.* Ubi magna obſervanda eſt, quæ adamantem & ſilicem intercedit diſtantia; Etenim adamas gemma quædam eſt magni valoris & pretij, auro inſertus defertur in digitis, & regio diademati innectitur: econtra verò ſilex vijs pavimentandis deſervit, & pedibus calcatur; Quis igitur eſt iſte hoc in loco loquendi modus, quo Deus ſe Ezechieli & adamantis & ſilicis qualitates indidiſſe aſſerit? Nimirum dicere hac phraſi loquendi voluit, ſe daturum eidem Prophetæ virtutem quâ ſolidè & in ſtatu honorifico dignitatum, per adamantem ſignificato, & in ſtatu adverſitatum & tribulationum ſignificato per ſilicem, in virtutibus ſubſiſtere poſſit, quia non minori nobis opus eſt ſpiritu, nec minori indigemus auxilio, ne recedamus à perfectione vitæ in ſtatu proſperitatis, quàm erumnarum. Nam ut olim Galba ad Piſonem dixit: *Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant, quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur*, Utrum ad infernalibus inſultibus reſiſtendum melius ſecuriusque diceres eſſe munitum, Adamumne an verò Jobum; utique ſine ulla controverſia primum Parentem noſtrum ad hunc finem ſecurius armatum fuiſſe affirmabis, utpote qui impenetrabili innocentiæ & juſtitiæ originalis lorica indutus fuiſſe noſcitur: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*, *Pſ. 8. v. 6.* Deus enim in ejus animam omnes gratiarum, virtutum, & donorum, totius denique Paradiſi theſauros largâ manu effuderat; & tamen turpiter proſtratus & devictus fuit, cum tamen Job non obſtante quod univerſus in ejus perniciem diutiſſimè conjurans Infernus, omnes ad eum dejiciendum conatus adhibuerit, ipſe tamen generosè ſe illi



illi opponens, eumdem glorioſè ſuperavit; Quænam obſecro eſt hujuſce differentiæ cauſa? Audite Sanctum Auguſtinum, qui ait: *S. Aug. in Pſ. 47.* *Vicit homo in ſtercore, victus eſt in Paradiſo.* Job omni ſubſtantiâ & facultatibus ſuis exutus erat, ſubditorum ſuorum riſus, fabula, & ludibrium factus fuerat, & ulcerum corporis ſui ſanie toto corpore ſqualens & computreſcens in ſterquilinio ſedebat deſolatus, & tamen in prælio adverſus Luciferum ſe velut alterum quemdam Herculem eſſe probavit: at verò Protoparens noſter in amœnitate Paradiſi terreſtris, una cum conjuge ſua, in dominio ſuper cuncta viventia poſitus, omnibus delicijs affluens, eidem ſolidè reſiſtere nequivit, quia ut Sanctus Eucherius ait: *S. Euch. de vit. ſol.* *Quantò amœnior ille jucunditatis locus, tantò huic in lapſum promior fuit.* Unde Rupertus Abbas Adamum in Paradiſo terreſtri velut univerſalem cunctorum viventium Dominum conſiderans, alia verò ex parte in Luciferum in Paradiſo cœleſti conditum oculos dirigens, exclamans dicit: *Rup. Abb. l. 2. de vict. ver. c. 12.* *Magna utriuſque celſitudo, illius in Principatu Angelico, iſtius in propagando genere humano.* Quis autem utriuſque in tam ſublimibus celſisque honoribus poſiti, finis tandem fuit? *Neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit.*

12. Verum enimverò ex quo Sancti Jobi mentionem facere cœpimus, opportunè nobis ille cœlitum ſenatorius congreſſus ſeu Parlamentum in cœlis celebratum occurrit, cui omnes cœleſtis curiæ Principes aſſiſtebant, quos inter tenebrarum quoque Princeps ſe inſinuans admiſſus fuit: *Job 1. v. 6.* *Cum veniſſent filij Dei, ut aſſiſterent coram Domino, adfuit inter eos Satan etiam.* Deus igitur ad hunc humani generis fiſcalem & cenſorem ſe convertens dixit ei: *Ibid. v. 8.* *Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus ac timens Deum, & recedens à malo?* at verò quantò major Dei in magnificandis Jobi virtutibus voluptas erat, tantò maligni illius ſpiritus rabies major erat; quia verò nihil Dei de Jobo pronuntiato elogio opponere poterat, ſubjunxit: *Nonne tu vallaſti eum ac domum ejus, univerſamque ſubſtantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixiſti, poſſeſſio ejus crevit in terra?* Sed quidnam Dæmon hoc loquendi modo intendebat dicere? Interpres quidam modernus, eum inſinuare voluiſſe dicit, ſe nondum de ejus futura prævaricatione ſpem omnem depoſuiſſe, quoad uſque etiamnum divitiarum copia abundaret: *Pined. ibid.* *Quaſi contendat fieri non poſſe, ut tanta Sanctitas, quanta de Job prædicatur, cum tanta divitiarum copia benè conſentiat:* Quia verò paulatim illum tamquam virum optimè fundatum & radicatum in ſanctitate fortunæ bonis ad gratiæ divitias adaugendas uti experiebatur, illum omnibus facultatibus ſubſtantiæ ſuæ ſpoliare, & per viam tribulationis tentare conſtituit.

13. Sanctus Petrus Damianus converſionem Sancti Matthæi conſiderans, *S. P. Dam. ſerm. 51.* eumque eo præcipuè tempore à Chriſto ad Apoſtolatum & ſui ſequelam invitatum eſſe intuens, quando mundus eum maximis proſequebatur favoribus, ſive quando Chriſtus eum vidit *ſedentem in telonio*, id eſt, ut Gloſſa Interlinearis ait: *Gloſſ. Int.* *Lucris pertinaciter inhiantem*, vocationem dicti Apoſtoli ſeu ejus converſionem quoddam divinæ ſapientiæ & omnipotentiæ prodigium fuiſſe dicit: *Quis de ſcelerum ſuorum, quantumlibet immanium, deformitate diffidat, cum audit Matthæum venalis lucri quæſtibus inhiantem, non modo repente vocatum, ſed ad obtinenda duo præcipua miniſteria curiæ cæleſtis adſcitum?* Quibus in verbis advertendum eſt, quod ſanctus hic Cardinalis non ſolùm hanc vocationem tamquam prodigioſam admiretur, verum etiam quod conſideret Chriſtum, ut eum ad ſuam ſequelam efficaciter pertraheret, lucrum ei multò majus quàm cui de facto operam dabat, propoſuiſſe, ſcilicet quod vocaretur *ad præcipua duo miniſteria curiæ cæleſtis*, quia ad hoc ut quis divitias, lucra, & mundum lenocinantem deſerat, intereſſe aliquod ſeu lucrum majus proponatur neceſſum eſt. Imo ipſemet Sanctus Matthæus in Codice Evangelij ſui longum quemdam miraculorum & prodigiorum à Chri- *Matt. 9. v. 9.* ſto patratorum catalogum contexens, ea inter ſuam quoque converſionem & totalem divitiarum theſaurorumque ſuorum contemptum recenſere non dubitavit; Unde Gloſſa ait: *Gloſſ.* *Matthæus vocationem ſuam refert inter miracula; Erat enim Publicanus*, inquit de ipſo Beatus Laurentius Juſtinianus, *B. L. Juſtin. de S. Matth.* *& turpis lucri publicè negotijs intentus, alienus à fide, & à ſacrorum ſegregatus conſortio, temporalia quærens, parvipendensque cæleſtia*; utplurimum enim ea ſe mutuo conſequuntur, ut qui erga terram amore propendet, de cœlo parum cogitet vel curet.

14. Poſtquam Abraham, ut in libro Geneſeos legitur, per adhibitum exiguum ſervorum ſuorum numerum glorioſam contra quatuor Reges reportaſſet victoriam, Loth cognatum ſuum è manibus eripuiſſet inimicorum ejus, Rex Melchiſedech ei occurrens, myſtica eum panis & vini oblatione honoraſſet, jamque ſine hoſte campum obtinuiſſet, mox nocte ſequenti hanc habuit viſionem: *His itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus ſum & merces tua magna nimis.* *Gen. 15. v. 1.* Ubi meritò quærendum venit, ad quid opus fuerit, ut Abraham à Deo animaretur? quid enim mali timebat? enimverò ſi hanc viſionem ante commiſſum cum hoſtibus ſuis prælium habuit, jam ipſum aliqua ad deponendum metum exhortatione opus habuiſſe, fatendum utique eſſet; Sacer autem textus ait: *His tranſactis*, id eſt, inimicis glorioſè triumphatis. Cajetanus reſpondet, Abrahamum juſtam habuiſſe metuendi cauſam, quia per commiſſum illud prælium multos exaſperaverat Reges, qui ſuas adverſus ipſum vires & potentiam exerere & conjungere poterant. *Quia contra Reges Aſſyrios inſurrexerat, qui erant potentes:* *Cajet.* at verò Lyranus ad propoſitum noſtrum melius reſpondet dicens: *Metuit ne in hoc accepiſſet totam mercedem juſtitiæ à Domino*; Deus enim ei dixerat: *Ego merces tua magna nimis*, & ideò merito timebat, ne victoriæ ab inimicis reportatæ, honores item, & alij propitij eventus, à Deo ei pro mercede reputarentur; ac proinde tremebat, ſciebat enim non ſolùm quàm exigua ſibi ſervi Dei, vel anima aliqua timorata in culmine temporalis proſperitatis conſtituta merita comparare, ſed quàm egregia ſibi hactenus comparata amittere poſſit; optimè intelligebat difficultatem, quam is qui in proſperitatibus abundat, in ſe experitur ad conſervandam vitæ ſuæ innocentiam & perfectionem: ob eamdem quoque cauſam Deus, qui Abrahamum in cunctis actionibus proſperari & felicem fieri deſiderabat in hoc mundo, Divinam ei promiſit aſſiſtentiam ſuam dicens: *Noli timere: Ego protector tuus ſum.* *Gen. 15. v. 1.*

15. Sancta Dei Eccleſia inter eximia Sancti Caſimiri Regis Poloniæ elogia, illud vel maximè admiratur, quod videlicet inter regales delicias Chriſtianam conſervarit innocentiam, ideoque in Oratione feſti ejus dicit: *Deus qui inter regales delicias intactum à mundi illecebris ſpiritum Sancti Caſimiri conſervaſti:* quibus verbis hanc inter tantas delicias innocentiam ſpeciali divinæ omnipotentiæ auxilio attribuit.

## DISCURSUS X.

### ARGUMENTUM.

Lapſum in peccata frequentius in fœlicitatis, quam in adverſitatis ſtatu accidere, & conſequenter inter proſpera, animæ ſalutem difficilius procurari oſtenditur.

### THEMA.

*Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Pſalm. 90. ℣. 7.

1. Propheta regius qui in domo Iſai Patris ſui pauperculus ovium Paſtor exiſtens, privatum & laborioſum ſtatum deguſtarat, ac demum in Throno Iſraëlitico conditionem regiam & felicitatem humanam expertus fuerat, is inquam à ſiniſtris mille, à dextris verò decem millia corruere dicit; ubi Sanctus Bonaventura ait: *S. Bon. in diæt. ſal. t. 10. c. 5.* *Plures vincuntur in proſperitate deliciarum, quam in adverſitate tentationum juxta quod dicitur in Pſalmo: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis latus ſiniſtrum ſignificat tentationes Diaboli, dexterum delicias mundi; pauciores ſunt qui cadunt in adverſitate tentationum, & plures qui labuntur in temporalibus abundantijs.*

2. Fabulantur Poëtæ gentiles in averni introitu arborem quamdam auream plantatam conſpici, ad quam fabulam Abſalon Abbas alludere voluit, dum ait: *Abſal. Abb. ſerm. 4. de adv. Dom.* *Quid aliud quæſo per ramum illum aureum, quàm mundi hujus decor & gloria ſignificatur? quæ arbor & in introitu ideò eſſe dicitur, quia per amorem hujus mundi ejus amatores ad Infernum tranſmittuntur.*

3. Maſcardus ſuper menſa Cebetis, in diſcurſu quodam aliam quamdam adducit inventionem poëticam, noſtro propoſito mirabiliter deſervientem. Refert enim quod Timon homo quondam dives, ſed per continuum virtutis liberalitatis exercitium in ſummam paupertatem dejectus, ad agriculturam deinceps exercendam coactus fuerit, at vero quot è fronte ejus ſtillæ decidebant ſudoris, totidem lamenta & ſuſpiria in cœlum emittebat; Tandem vero Jupiter compaſſione erga ipſum commotus, Plutoni (qui præterquam quod Deus ſit divitiarum, etiam juxta eoſdem gentiles Poëtas aut fabulatores Inferni quoque dominium habere dicitur) præcepit, ut ſumpto ſecum ſufficienti theſauro in terram deſcenderet, & Timonem locupletem & copioſè divitem efficeret; Cui præcepto Pluto poſt varias reluctantias tandem obedierit, Mercurio ſibi in comitem adſcito, itineri ſe quidem accinxit, ſed tardo adeò & lento greſſu, ut tarditatem ejus admirans Mercurius, de ejus cauſa eum ſciſcitatus fuerit; cui Pluto reſpondit; quotieſcumque à Jove ad virum aliquem probum & virtuoſum locupletandum deſtinor, continuò nervos mihi contractos, & ex callo pedes dolentes experior: econtra verò dum à me locupletandus jubetur vir aliquis ſceleratus, cum ipſis ventorum turbinibus de velocitate contendere & certare ſoleo. Ex qua fabula clarè ſatis deducitur, quàm verum ſit, quod Pſalmiſta ait: *Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias.* *Pſ.72.v.12.*

4. Plutarchus de Sylla, qui Dictatoris munere functus fuit, ei à quodam æmulo ſuo, quod vir ſceleratus eſſet, in faciem exprobratum fuiſſe, refert, nec aliam hujus convitij allatam fuiſſe cauſam, quàm quod dives eſſet, abſque eo quod ullas à Patre ſuo facultates hæreditaſſet; Et quidem juxta præfatam Pſalmiſtæ ſententiam, ad hoc ei convitium inurendum verè ſuffeciſſet dicere, quod dives eſſet, bonorumque fortunæ copia abundaret, licet etiam juſto eas divitias titulo acquiſiviſſet; Id quod Sanctus Hieronymus his verbis confirmat, dicens: *Si quis exiſtimat poſſè ſe verſari in divitijs, & divitiarum vitijs non teneri, ſeipſum decipit.* *S.Hier. l.2. adv. Jovin.* Quis enim promittere ſibi poteſt, quod picem contrectans ab eadem minimè ſit inquinandus.

5. Salvator noſter in Teſtamento in lecto Crucis à ſe condito animam & ſpiritum ſuum æterno Patri ſuo, Eccleſiam Petro, Matrem ſuam Joanni, Joannem Matri, Nicodemo Corpus ſuum, denique burſam ſeu ærarium in quo Eleëmoſynæ & pecuniæ recondebantur, quibuſcum Collegium Apoſtolicum ſuſtentandum erat, in manus Judæ traditoris, viri ſcelerati & reprobi commendavit, adeò divitias viles & indignas eſſe cenſuit, ut illis ex probis neminem onerandum eſſe judicaret: Idemque utplurimum etiamnum fieri videmus, quod ſcilicet bonis temporalibus præſciti potius quàm electi abundarent.

6. *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis;* *Pſ.90.v.7.* At verò notandum eſt, quod priuſquam regius Propheta diceret: *Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias,* *Pſ.72.v.12.* prius dixerit: *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo?* *Ibid, v.11.* quaſi diceret? Quænam eſt hæc injuſtitia, quod mali potius, quàm viri honeſti & virtuoſi, mundi hujus bonis gaudeant? Num illud ita fieri Deus novit? & ſi ſcit, cur illud permittit? Sanctus Ambroſius ait: *Putant enim non eſſè in Deo ſcientiam, quia peccatores abundant proſperitatibus ſæcularibus, ſed patientia Dei non præjudicat veritati, & præſentia ejus & providentia hoc ipſo amplius probatur, quod in peccato poſitus, ſucceſſu affluit ſæcularium proſperitatum.* *S.Amb.l.3. de Interp. Job c.6.*

7. Quonam obſecro titulo Sapientia incarnata Dæmonem apud Sanctum Joannem appellat? Principem mundi eum vocat: *Nunc Princeps hujus mundi;* *Joa.12.v.31* Et Apoſtolus Dæmones appellat: *Mundi rectores;* *Eph.6.v.12.* at verò numquid veritas eſt fidei quod *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum* &c. *Pſ.23.v.1.* qua igitur ratione Dæmon mundi hujus princeps vocari poterit? Et tamen ſcimus, quod Dæmon omnia mundi regna Chriſto exhibens, eidem dixerit: *Hæc omnia tibi dabo; Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt; & cui volo, do illa.* *Matt.4 v.9. Luc.4. v.6.* Maldonatus poteſtatem & dominium, quod Dæmon in mundum hunc obtinet, in ordine ad vitia ſe extendere exiſtimat, quæ in majori hominum parte ut plurimum regnant, qui proinde propter reatum culpæ, quo ſunt obnoxij, ve- *Mald.in c.4. Matth.*

lut ſervi ejus & mancipia ei ſubjiciuntur. Sanctus Auguſtinus dicit: *Rebus iſtis terrenis merito ſuæ perverſitatis eſt præpoſitus.* *S.Aug. l 2. de ſer.Dom. c.14.* Sanctus Cyprianus multis rationibus Dæmonem hujus mundi principem non eſſe probat, quia illum intelligentiæ Cœleſtes gubernant, Angeli enim ad hunc effectum à Deo ſunt deputati: *Nec cœli, nec terræ tu conditor, nec Solem moves, nec curſum das, nec per te movetur firmamentum.* *S.Cypr.ſer. de jej. & tent.* In quonam igitur hic ejus principatus præcipuè conſiſtit? Nimirum in mundi hujus ſcabie, ſanie, & ſordibus, id eſt in voluptatibus, delicijs, divitijs, & proſperitatibus, quorum Dæmon juſto Dei judicio, & per altiſſimam ejuſdem Dei providentiam ut plurimum diſtributor eſt ordinatus, per hæc enim innumeros ſub ſuum vexillum milites conſcribit, efficiendo ut Chriſto, cujus Evangelium ad excitandum homines, ad amandum cœleſtia, aliud præter odium terræ & mundi hujus, omniumque bonorum ſuorum abominationem non prædicat, rebelles & obſtrepentes fiant. Unde Sanctus Cyprianus ait: *Hujus inferioris mundi tua eſt ſcabies, languentis ſunt ulcera, ſi quid vitij eſt, ſi quid corruptelæ, tu diſtemperas fæces, tu verſas fætores;* quaſi dicere vellet, tu in diſtribuenda ſequacibus tuis bona temporalia, felicitateſque terrenas te ingeris, ut illos cadere facias, de quibus bonis Apoſtolus ait: *Omnia arbitror ut ſtercora.* *Phil.3.v.8.*

8. Virtutes porrò Chriſtianæ tunc in homine ſolidè fundatæ eſſe cenſentur, quando bonis hiſce tranſitorijs minimè innituntur; quia in proſperitatis culmine vel maximè periclitantur & naufragantur; Nam ut Sanctus Bernardus ait: *Quidni periclitetur caſtitas in delicijs, humilitas in divitijs, pietas in negotijs? Fugite de medio Babylonis, fugite, & ſalvate animas veſtras.* *S.Bern.ſerm. 30. de con. ad cler.* In clauſtris autem benè ordinatis, ubi Religioſi in ſobrietate vivunt, rudibus & vilibus induti veſtimentis, vigilijſque orationibus & propriæ carnis mortificationibus ſunt applicati, ubi quoque vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ rigidè & exactè obſervantur, & veræ radicantur virtutes, hic inquam infernales inſultus, majori qua fieri poteſt, cum animi conſtantia generosè eluduntur & ſuperantur. Unde Salvator noſter Dæmonem ſecum in trigeſimo ætatis anno in certamen deſcendere velle ſciens, pro inſtructione & eruditione noſtra loci in quo certandum erat, & armorum ſibi commodum præſidium deligere voluit, ideoque in deſertum, locum videlicet à delicijs procul remotum ſe ſubducens, abſtinentia ſe & jejunio armavit. Unde Sanctus Ambroſius ait: *Diabolus in deſerto tentationis ſolida arma non invenit, deeſt illi de Paradiſo amœnitas arborum, deeſt illi conſiliatrix Eva, deeſt illi pomorum ſpecioſa deceptio.* *S.Ambr. ſerm.35.* Porrò Dæmon tribus præcipuè vicibus cum Chriſto congreſſus fuit, atrocibuſque ipſum inſultibus impedivit; Ultimus autem & validiſſimus impetus, honorum, divitiarum, theſaurorum aliarumque felicitatum temporalium oblatio fuit, quia ut ait D.Chryſoſtomus, *quaſi omnibus vitijs fortiorem pecuniarum cupiditatem locavit.* *Chryſ.h.13. in Matth.*

9. Sanctus Bernardus ſimiliter majorem illorum numerum eſſe exiſtimat, qui per viam proſperitatis, quam qui per adverſitatem in perditionis barathrum incidunt: *Licet*, inquit, *multos frangat adverſitas, tamen multo plures extollit proſperitas;* *S.Bern.ſer.3. in D. Pal.* In tribulationibus etenim Deo nos commendamus, atque in divino ſervitio magis ſemper efferveſcimus: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine,* *Pſ.82.v.17.* in proſperitatibus verò non item. Pincerna Pharaonis in carcere unà cum Joſeph conſtitutus magna eidem obtulit, & multa promiſit, ſed parum vel nihil præſtitit, ſed quænam hujuſce mutationis cauſa fuit? *Et tamen*, inquit Sacer textus, *ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui.* *Gen. 40. v.23.*

10. Idem quoque Sanctus verba Pſalmi in principio diſcurſus thematis loco propoſita, ſcilicet: *Cadent à latere*, &c. exponens, Davidem per illa dicere voluiſſe inquit: *quod multò plures proſperitatis fallaciæ, quàm adverſitatis flagella dejiciant;* *S.Bern. de obit. Malach.* Similiter dum illa verba: *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium,* *Pſ.65.v.12.* exactius ponderat, potius ut inter mundi hujus tempeſtates, quàm in tranquillitate & ſerenitate ejuſdem navigemus, his verbis nos monet: *Nemo noſtrûm Chariſſimi plana mollioris vitæ ſuperficie delectatus, iter illud marinum ſibi commodius arbitretur, magnos hic campus ſcopulos, habet, inviſibiles quidem, ſed eo ipſò periculoſiores.* Seneca quoque ſolo naturæ lumine illuſtratus, inter

cætera



cætera dicit: *Quaſi iſta inter ſe contraria ſint, bona fortunæ & mens bona, ita melius in malis ſapimus, ſecunda rectum auferunt,* *Sen.ep.94.*

11. In civitatibus illis præ ſceleris enormitate infamibus, ſi ſolùm Loth exceperis, quemnam alium timore Dei imbutum reperire poteris? Deus quoque Abrahæ ſe placandum fore declaravit, ſi in toto illo numeroſò populo, decem viri juſti & verè virtuoſi deprehenderentur, & tamen patria illa vaſta quædam regio fuit, quinque in ſinu ſuo continens populi frequentiâ & numeroſitate præclaras civitates. *Gen.18.v.32* Ecce tibi evidens argumentum, unde colligere poſſis, quod ubi proſper & propitius ſpirat ventus, vix umquam ab homine agnoſcatur aut quæratur Deus, *Gen.13.v.10* quin potius ſancta ejus lex ut plurimum præſumptuosè conculcetur, ut hic videre licet, ubi tota regio ſpeciem præ ſe ferebat cujuſdam Paradiſi terreſtris. Unde Oleaſter ait: *Docet locus iſte, quo terra fuerit uberior, eò & frequentius ibi homines deteriores eſſè, fallique eos, qui quod pulchrius & amœnius eſt, eligunt, & ut plurimum ubi terra delitioſior eſt, cultores vitioſi ſunt.* *Oleaſt.* Euſebius Emiſſenus quoque quemdam qui proſperiori in hoc mundo fortunâ utentes plurimum ſuſpiciebat, his verbis alloquitur: *An tu hunc potentem & felicem vocas, qui in ſuam mortem fortis eſt? Cui proventuum fallax umbra præſentium, æternorum congregat cauſas malorum.* *Euſ.Emiſſ. in epip.* Epictetus Philoſophus moralis quidem, ſed gentilis non ſe ideò dolere ait, quod Jupiter in bonorum fortunæ diſtributione minimè erga eum liberalis extitiſſet & propitius: *Copioſum*, inquit, *& opulentum me eſſè noluit, quia non vult voluptatibus deditum vivere, ſed nec Herculi filio ſuo magnas dedit opes.* *Epictet.ap. A.l.3.c.26.* Quando Apoſtolus nos ad currendum in ſtadio exhortatur, ſimul quoque nos ut ab omni nos gravanti pondere exoneremus invitat, *deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum,* *Heb.12.v.1.* ſimul cum pondere peccatum conjungit, & protinus ſubdit: *curramus ad propoſitum nobis certamen.* *Ibid.* Quodnam verò eſt pondus illud, à quo animam exonerare ab Apoſtolo jubemur? Theophylactus ait: *Terreſtrium negotiorum ſarcinam; & curas illi admixtas; nihil enim aliud ſunt, quam vana ſarcina.* *Theoph.*

12. Chriſtus nobis in Sancto Petro, cui claves regni cœlorum conſignarat, oſtendere voluit, quomodo hoc pondus à nobis deponere debeamus: Hic enim dixit: *Ecce nos reliquimus omnia,* *Matth. 19. v.27.* ac proinde ad Chriſtum Paradiſi portam liberè & ſecurè ſuper aquis ambulabat: Sanctus Auguſt. verba illa Sancti Matthæi: *Videns ventum validum timuit,* *Matth. 14. v.30.* conſiderans ait: *Mare hoc magnum ſæculum, ventus validus, & magna tempeſtas ſua cuique cupiditas;* *S.Aug.t.9. de cantico novo c.2.* Jam vero, ſi ita eſt quod tempeſtates animam mergentes noſtri ſunt appetitus, & cupiditates noſtræ, quis eſt qui non videt & fateri cogatur, quod felicitates temporales, & bonorum fortunæ anxia cupiditas pluſquam quævis alia tempeſtatum procella navim animæ noſtræ in profundum abripiat, ſiquidem *radix omnium malorum eſt cupiditas.* *1.Tim. 6. v.10.* Idem quoque Sanctus optimum nos modum docet, quo hoc naufragium declinare & evadere poſſimus: *Clamet*, inquit, *in te Petrus, id eſt, imitemur Petrum, qui dixit:* [*Ecce nos reliquimus omnia:* *Matth. 19. v.27.* *Argentum & aurum non eſt mihi*] *Act.3.v.6.* *Vide Paulum hoc navigium non ſolum demonſtrantem, ſed etiam aſcendentem, & quamplurimos invitantem, quando dicebat: Habentes victum & tegumentum his contenti ſimus.*

13. Magno Moyſes Dei Propheta tenebatur terram Chanaan ingrediendi deſiderio, terram inquam, ad quam tantis cum ſudoribus & defatigationibus, per tot annorum curricula, per vaſtam illam ſolitudinem populum Dei circumduxerat, & tamen licet tantus tamque gratus Dei amicus eſſet, ut cum Deo facie ad faciem loqueretur, ſicut amicus loqui ſolet cum amico, *Exod.33. v.11.* poſtquam id magna cum inſtantia à Deo petiiſſet, favorabile ab eodem referre reſponſum non potuit, & quia eamdem petitionem ingenti cum anxietate iteratò repetierat, tandem ſibi repulſam his verbis dari audivit: *Nequaquam ultra loquaris hac de re ad me.* *Deut.3.v.26* Quidnam hic cauſæ latet, inquit Petrus Cellenſis, quod Deus ſervo ſuo adeo fideli & bene de ſe merito, gratiam adeo juſtam, æquam ac rationabilem tam conſtanter denegarit? *Haccine, inquit, eſt illa prædicabilis, & prædicata ubique gentium amicitia ad amicum tuum Moyſen? Taliterne finiantur promiſſiones tuæ? Itane remunerantur, qui in caſtris tuis uſque ad mortem militant?* *P.Cell. l. de Pan. c.11.* Et tamen induci non potuit, ut hanc re-



pulſam à nequiori in Moyſen affectu derivari crederet, cui licet per modum tranſeuntis, ipſam quoque divinam faciem ſuam revelarat. Tandem vero idem venerabilis Author dicit, ideo Deum noluiſſe, ut Moyſes terram ingrederetur promiſſionis, ut tanto eum ſecuriorem redderet de introitu in terram viventium. Sed quid audio? inquies, Ergone habere aditum in Palæſtinam, vel terram illam poſſidere, quæ lacte ſcaturiebat & melle, cœlum ingredi volenti erat obſtaculo? Imò vero inquit Petrus Cellenſis: *Omnipotens & miſericors Deus idcirco terram morientium negat, quia ad cœlum Moyſi animam ſublevat:* nam quia veriſſimum ſemper eſt axioma illud Apoſtolicum: *Omnia in figura contingebant*, fertiliſſima illa terra, quam ingreſſuri erant ad ſceptra & lauros tractandos, ſtatum ſymbolizabat dignitatum ſeu felicitatis terrenæ, & ideo Deus qui dilectorum ſervorum ſuorum curam ſemper habet, hanc potiſſimum in eo probavit, quod eoſdem ne quidem in aliquod felicitatis terrenæ veſtigium vel umbram collocare voluerit.

14. Idem quoque Moyſes dignitatem regiam & quæ illam ſequi ſolent proſperitates tantopere abhorruit, ut potius cum vili Hebræorum plebecula ſervitutis compedibus & manicis vinctus lutum ad lateres faciendos tractare elegerit, quam ut tempora ſua regio Pharaonis diademate cingi & redimiri permitteret. Cur ita? Ne videlicet à cœleſti gloria decideret, oculum namque ſuum in Paradiſum defixum ſemper tenebat: *Negavit ſe eſſè filium filiæ Pharaonis, Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem;* *Hebr. 11. v.24. 25.* Probè namque ſciebat, quam verum ſit, quod bona hæc præſentia iter ad veram promiſſionis terram, id eſt, æternam beatitudinem plurimum retardent.

15. Quando Pharaone cum univerſo exercitu ſuo in mari rubro ſubmerſo, electus Dei populus per fundum ejuſdem maris pedibus ſiccis pertranſibat, quaſi cum violentia quadam ad litora pertrahi videbatur, adeo in proſequendo Palæſtinam verſus itinere ſuo lentus & tardus erat, adeo ut ſacer textus dicat: *Tulit autem Moyſes Iſraël de mari rubro;* *Exod. 15. v.22.* Ubi Lyranus ait: *Tulit, quia cum quadam violentia & importunitate fecit eos inde recedere.* *Lyran.* Sed undenam hæc procedebat violentia? Ex quo adeo prodigioſum conſpexerant miraculum, potius in conſectando Angelo, qui illos in columna nubis vel ignis inſtar viæ ducis præcedebat, tanto velociores eſſe debebant, non vero tardo adeo & lento greſſu progredi. Oleaſter tarditatis hujuſce cauſam, cupiditatem ipſorum fuiſſe declarat: *Erant enim cupidi & nimis intenti ad ſpolia Ægyptiorum ſubmerſorum colligenda.* *Oleaſt.* Eheu quot hodie ſunt, quibus ſpolia hujus præſentis vitæ (quæ quidam belli campus eſt: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*) ſuum ad cœleſtem gloriam directum curſum ſiſtunt? Quot inveniuntur quibus longe acceptius eſt per breve temporis ſpatium felicitate frui terrena, quam æterna in ſempiternum?

16. Quando increata illa ſapientia Abrahamum in primum credentium elegerat patrem, quodnam primum fuiſſe præceptum exiſtimatis, quo illum obſtrinxerat? *Egredere*, inquit, *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* *Gen.12.v.1.* Hæc autem terra Chanaan verum quoddam beatitudinis ſymbolum erat; Cur autem Deus Abrahamum à commoditatibus & divitijs domus ſuæ avellere voluerit, priuſquam illum ad terram viventium prædeſtinaret, hujus nobis myſterium D. Chryſoſtomus his verbis egregie declarat, dicens: *Ut ſciant omnes, quicumque voluerint eſſè filij Abrahæ, & terram hanc vivam promiſſionis accipere, de qua ſcriptum eſt: Credo videre bona Domini in terra viventium; quoniam bona ſua debent contemnere, ſicut Abraham terram ſuam contempſit.* *Chryſoſt.h.1. in Matth.*

17. S.Nilus optime conſiderat, quod quando navigantes à tempeſtatum procellis agitati & conquaſſati, ſe in ſubmerſionis periculo conſtitutos eſſe conſpiciunt, ſarcinas ſuas è navi confeſtim ejiciant, ut vitæ ſecuritati tanto magis conſulere poſſint, *S.Nilus in Aſcet.* ideoque jure merito obſtupeſcit, quod Chriſtiani in mari hujus mundi in continuo ſalutis animæ ſuæ periculo navigantes, pondera, quibus anima aggravatur, non ſolùm non exonerent, & abs ſe abjiciant, verum inſuper pondera ponderibus adjiciendo periculum



ſuum

ſuum quotidie majus efficiant & augeſcant, id eſt quod ad bona terrena acquirenda ſemper aſpirent : *Cur*, inquit, *idem non poteſt Dei timor, quod poteſt timor maris ? illi caducæ vitæ cupiditate, aliarum rerum jacturam levem putant, nos qui ad vitam æternam aſpiramus, propter illam nihil, quamvis abjectum contemnimus, ſed malumus ſimul cum onere perire, quam illo projecto ſalvari.*

18. S. Hieronymi ingenio digna eſt illa ponderatio, in qua Eliam Prophetam & Carmeli Patriarcham jam in cœlos in curru igneo aſcendentem, pallium ſibi excidere paſſum fuiſſe obſervat, idque non ſine peculiari noſtra inſtructione & documento : S. Hier. in ep. 21. ad Juli. *Elias ad cœlorum regna feſtinans, non poteſt ire cum pallio, ſed mundo immundo veſtimenta dimittit.* Affectus amoris noſtri pondus quoddam eſt, qui ſi feratur in Deum, ad ipſum nos, velut ad centrum noſtrum trahit : Si verò ad terram & bona ejus feratur, nos pariter ad terræ centrum, id eſt infernalem abyſſum protrahit.

19. S. Franciſcus de Sales in aureo illo de amore Sales. p. 1. l. 2. c. 9. am. div. Dei libro, Ariſtotelem de certo quodam avium genere, quæ Apodes communi nomine appellantur, ſcribere dicit, quod tibias habeant valde breves, pedesque ab omni virtute aut fortitudine enervatos, ideoque illis haud ſecus ac ſi non haberent, utantur; Unde ſi aliquando in terram ſemel ſe dimittant, ſe denuo ad volandum erigere & expedire nequaquam poſſunt, & ideo vel aucupibus in prædam cedunt, aut crocitando moriuntur, niſi forte propitius aliquis ventus ſpirare incipiens, eas ad volandum in aera promoveat : *Animæ noſtræ*, inquit Sanctus hic Præſul Gebennenſis, *quæ ad gloriam adipiſcendam creatæ ſunt, ſi corde & affectibus ſuis bonis hiſce terrenis adhæreſcant, de futura vita amplius non cogitant, ſed terrenis hiſce proſperitatibus, totaliter ſeſe dedunt : Conglutinatus eſt in terra venter noſter :* Pſ. 43. v. 25. poteſt tamen valido quodam vento, id eſt, vehementi aliquo Spiritus Sancti impulſu eaſdem aſpirare, ut hac ratione anima ab hiſce bonis terrenis expedire ſe valeat, & tunc (licet hoc Deus raro facere ſoleat) eamdem divitias vitæ commoditates, delicias, voluptates, Patriam, parentes, amicos, &c. protinus deſerere, ſacrisque ſe clauſtris mancipare conſpicietis, at verò pauci ſunt tales in ſæcularium hominum comparatione. Optime igitur Sanctus Hieronymus ad Exuperantium ita ſcribit : *Projice ſarcinam ſæculi, & ne quæras divitias,* S. Hier. l. 1. ep. 2. *quæ camelorum pravitatibus comparantur, nudus & levis in cœlum evola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera.*

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Divites avari per divitiarum ſuarum ſtercus Deo abominabiles, & hominibus exoſi efficiuntur; Bona quoque temporalia per ſtercus, quod Tobiam excæcavit, ſignificari oſtenditur, quia hominem lumine & notitia Dei, & cœleſtium bonorum cognitione deſtituunt.

### THEMA.

*Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit.* Ezechiel. 7. verſ. 19.

1. EX hujus aſſumpti thematis verbis clarè ſatis liquet, qua in æſtimatione aurum & argentum apud Deum ſint, utpote quod cæcos mundanos idololatras efficit : *Argentum eorum foras projicietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit.* Ex quo textu B. Petrus Damianus conſequenter deducit, quam abominabilis effrænis divitiarum cupiditas apud Deum exiſtat : *Nulla ſane putredo vulneris,* B. P. Dam. l. 2. ep. 2. inquit, *in Dei naribus intolerabilius fœtet, quam ſtercus avaritiæ, & cupidus quiſque dum ſordentis pecuniæ quæſtus accumulat, vertens exedram in latrinam, quaſi molem ſtercoris coacervat.* Ad quod probandum præcitatum Ezechielis textum loco thematis aſſumptum adducit in medium, utpote ex quo putcolentia & fœtor hujus vitij in conſpectu Dei, ſatis convincitur.

2. Duæ illæ germanæ ſorores Martha & Magdalena omnibus modis impedire conabantur, ne Chriſtus ad fratris mortui ſepulchrum propius accederet, ne fœtidum cadaveris illius odorem perciperet : *Jam fœtet quatriduanus eſt enim.* Joan. 11. 39. Avarus ex æquo abominabilis eſt tam apud Deum, quam apud homines, ſicut vas ſtercore plenum, vel putcolens ſterquilinium quod aërem inficit contagione. De hoc vitio S. Baſilius ita ſcribit : S. Baſil. h. 7. in div. av. *Eſt animarum laqueus, mortis hamus, peccati eſca, belli materia; propter opes propinqui, cognati naturam negant, fratres inter ſe digladiantur, loca deſerta graſſatoribus, mare pyratis, civitates calumniatoribus replentur, quis mendacij pater eſt ? quis falſæ accuſationis miniſter ? quis perjurij genitor ? nonne divitiæ, ac circa divitias ſtudium ?*

3. Verum enimvero ſi tot abominationum graveolentia vos adhuc non offendit, audite ſaltem quid S. Bernardinus de uſura primogenita hujus vitij filia dicat, hoc enim ſi aperta aure auſcultaveritis, fœtorem ejus ad ipſum uſque cœlum ſe extendere dicetis; Hic enim vitium hoc toti ſanctiſſimæ Trinitati opponi affirmat, illudque ſequentibus rationibus probat. Opponitur enim *Primo poteſtati Patris, quia vendit tempus,* S. Bern. t. 2. ſerm. 4. art. 3. *quod ſolius eſt Dei, & gratis ad vitam hominis eſt conceſſum,* juxta illud : [ Act. 1. v. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate,*] Unde hoc *à minori ad majus* efformat argumentum : *ſi igitur non eſt noſtrum noſſe tempora, multo minus eſt noſtrum illud vendere. Secundo adverſatur veritati Filij, quia facit mendacem Chriſtum;* hic enim apud S. Joannem ait : *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet :* Joa. 12. 24. & 25. & S. Paulus 1. Cor. 15. ait : [ 1. Cor. 15. 36 *Inſipiens, tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur,* ] *ſed uſura multiplicat granum & denarium abſque eorum morte. Tertiò adverſatur bonitati Spiritus Sancti, qui quidem omnia gratis donat;* Unde Matth. 5. Dei Filius de illo dicit : [ Matt. 5. 45. *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos :* ] *ſed uſura gratias vendit, nam mutuare ex ſua ſpecie eſt opus gratiæ, quod uſura venale facit;* contra quos Luc. 6. Dominus ait : [ Luc. 6. v. 34. *Si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis ?* ] *quaſi dicat : Nulla.*

4. Avaritia præ quovis alio peccato, Filium Dei ſuſpendit in patibulo : Iſa. 53. v. 8. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Omnia quidem peccata in eum, ejuſque mortem armata conjurarunt, verumtamen Dux generalis ſacrilegi hujus exercitus, ſine dubio cupiditas argenti & auri fuit, quæ etiam poſt mortem in ipſo ſepulchro ei infeſta fuit, quia milites pecunia corrupti & ſubornati, diſcipulos, ipſis noctu dormientibus, Redemptoris corpus ſuſtuliſſe teſtati fuere. Et quidem præter traditionem Judæ, Chriſtum pro triginta denarijs vendentis, ſciendum eſt prius id, quod Sanctus indicat Auguſt. dicens : S. Aug. t. 4. l. de ſal. docum. c. 30. *Dominus noſter & Salvator voluit de cordibus Phariſæorum pecuniarum amorem excludere, ſed quia erant cupidiſſimi, ſalutaria Domini verba deridebant.* Deinde quænam poſtea mortis eidem in trigeſimo tertio ætatis anno illatæ occaſio fuit ? hæc nimirum, quia poſt Palmarum abſolutum triumphum templum ingreſſus, ſuique æterni Patris honorem & gloriam zelatus, menſas nummulariorum & negotiantium evertit : ex hoc enim facto animi eorum adeo fuere exaſperati, ut in eadem quoque ſeptimana ſine dilatione vociferati fuerint dicentes : *Tolle, tolle, crucifige eum.* Joan. 19. 15. Vitium iſtud ſine ullo reſpectu humanam pariter & divinam frangit & violat legem, ipſique Deo necem infert; Unde S. Leo Papa inquit : S. Leo ſer. 9. de paſſ. *Non eſt in illo corde juſtitiæ veſtigium, in quo ſibi avaritia fecit habitaculum.* Quid mirum igitur ſi ita fœteat, quod Deus per os Ezechielis graveolenti ſterquilinio ſimile eſſe dicit.

5. S. Bonaventura de avaro dicit : S. Bon. t. 6. in diæt. ſal. c. 6. *Avaritia facit hominem abominabilem;* Unde dicitur in Oſea : Oſee 9. 10. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.* Porrò divitiæ, prouti in Diſcurſu primo vidimus, *lutum* quoddam ſunt; Et in Habacuc c. 2. verſ. 6. appellantur *lutum*; Unde & ſanctus Paulus ait : Phil. 3. v. 8. *Omnia . . . arbitror ut ſtercora;* Et Ezechiel ex ſpeciali juſſu Dei teſtatur dicens : Ezech. 7. 19. *Aurum eorum in ſterquilinio erit.* In Annalibus Minorum legitur, Ann. 1211. n. 1. quod poſtquam S. Franciſcus ſuis ſæpius inculcaſſet, ut pecunias omni ſtudio caventes, ne quidem tangere præſumerent, ſed pari quo lutum pretio æſtimarent, acciderit, quod frater aliquis in Eccleſia ad pedes cujuſdam Crucifixi quaſdam à devotis aliquibus projectas pecunias forte fortuito inveniens, eaſdem apprehenderit, & in ſpecialem quemdam in Eccleſia ad hoc præparatum locum repoſuerit, ne forte furto ſubreptæ deperirent; qui cum apud ſanctum Patriarcham hac de re accuſatus, ſuum ſponte confeſſus fuiſſet errorem, is hoc ei præceptum impoſuit, ut





ſcilicet pecuniam quam manu ſua attingere præſumpſerat, ori impoſitam foras extra Conventum in aliorum fratrum præſentia in ſtercora Aſini projiceret; inſinuare illis per hoc intendens, quo in pretio & æſtimatione pecuniæ apud illos eſſe deberent. Numquid igitur avari merito omnibus abominabiles cenſeri debent, de quibus Seraphicus Franciſcus ita ſtatuit, & de Oſeæ 9. v. 10 quibus ſacer textus ait : *Facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt ?* Quis hominem ſtercoribus fœdiſſimè conſperſum non abominaretur & fugeret ? Subjungit S. Bonaventura : *Non enim mirum eſt, ſi Deus abominatur avarum, cum ipſe tantum Deum contemnat, quia plus diligit nummum quam Deum, cujus ſignum, quia pro obolo non veretur mentiri, nec vult dare pauperi pro amore Dei.*

Habac. 2. v. 6 6. Habacuc de auro dicit : *Aggravat contra ſe denſum lutum*, ſed parum nimis dicit, quia potius dicere debebat : Congregat contra ſe capitales & in pernitiem ejus conjurantes amicos, prout optime ſanctus Petrus Damianus in Epiſtola quadam notat dicens : S. P. Dam. l. 2. epiſt. 2. *Terribiliter intonans Jacobus comminatur Apoſtolus : Agite nunc divites, plorate ululantes in miſerijs quæ advenient vobis :* Jac. 5. v. 1. quibus præmiſſis & cauſam ſubjungit : Ibid. v. 2. *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, Aurum & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit; . . .* Ibid. v. 3. *Theſaurizaſtis vobis iram in novisſimis diebus.* Quæ S. Petri Damiani comminatio optimè conſonat cum illo, quod etiam S. Hieronymus in idem propoſitum ſcribit : S. Hier. in reg. monac. *Conſcientia peccatorum ſuorum ſuper mortem, ſuper judicium formidabant, quaſi latrones de carcere, de æternis ſupplicijs ſuſpirabunt.*

7. Quod ſi examinare inſuper velimus, quam ſit avarus hominibus abominabilis, audiamus quid hac de re ſanctus Aſterius ſcribit : S. Aſter. l. de avar. *Avarus*, inquit, *propinquis eſt odioſus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis & vix affabilis, vicinis moleſtus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atque ſordidus educator, ſui ipſius malignus curator, noctu, interdiu ſolicitus & cogitabundus.* Didacus Stella ſimiliter avarum omnibus exoſum eſſe probat, utpote qui omnibus eſt contrarius : Did. Stell. in c. 16. Luc. *Avarus*, inquit, *viſceribus charitatis caret, patrem neſcit, fratres ignorat, & propinquos velut extraneos abjicit, unde nemini utilis eſt :* Adhæc ſubjungit, quod licet alij peccatores ſibi ipſis plurimum præjudicent, nulli tamen aliorum injuriam faciant, aut inutiles exiſtant, idque ex varijs oſtendit exemplis : *Superbus & arrogans*, inquit, *ampliſſimas ædificat ædes, & ita ædificatores famulosque alat, neceſſe eſt : Helluo piſtoribus, venatoribus, cauponibus edacitate ſua prodeſt, & ſic alijs emolumento ſunt alij peccatores, quod in divitibus avaris multo aliter ſe habet, nam præter hoc quod nemini ex uſu ſunt, Reipublicæ ſumme nocere ſolent, frumentum reliquaque neceſſaria aſſervantes, & in tempora cariora reponentes, pauperes affligentes, omnesque ſummis incommodis afficientes.*

8. Sanctus Valerianus avaros quoque ex alio motivo exoſos eſſe dicit : S. Val. ho. 20. de avar. *Vellet unicus eſſe ſi poſſet, modo de Patris morte cogitat, modo de fratris vita ſuſpirat.* Innocentius Papa III. libr. 2. de contemptu mundi, varios quoque modos adducit, quibus cupidus vir & avarus reus & deteſtabilis eſſe oſtenditur; dicit enim : Inn. 3. l. 2. de cont. mu. c. 11 *Nec patientibus compatitur, nec miſerijs ſubvenit, vel miſeretur, ſed offendit Deum, ſeipſum, proximum; nam Deo retinet debita, proximo denegat neceſſaria, ſibi ſubtrahit opportuna, Deo ingratus, proximo impius, ſibi crudelis.* Videbitis nonnumquam homines, qui tametſi ab uno Polo ad alterum ſuarum dilataverint poſſeſſionum fines, pro uno tamen terræ palmo moleſtantes vicinos, injuſtas moventes lites, rixas & inimicitias ſuſcitantes, Tribunalia ſusque deque importunitate ſua vertentes, denique, ut per fas & nefas aſſequantur intentiones, fortiter ſe armantes, & omnia devaſtantes. Unde Arnobius ait : Arnob. l. 2. con. gent. *Quamvis Provincias totas rus faciant unum, pro arbore una, pro ſulco, forum litibus terunt, cum amicis, cum fratribus inexpiabiles ſuſcipiunt ſimultates.* Denique Chryſoſtomus aliam obſervat rationem, ob quam avaritia omnibus eſt exoſa, quia videlicet omnes alios odit & perſequitur : Chryſoſt. ho. 31. in Matth. *Omnes homines tam pauperes, quam divites odio proſequitur; pauperes, ne quid ab eo petant, divites quia quæ illorum ſunt, non poſſident.*

9. Aliud quoque maximi momenti damnum in hoc temporalium bonorum ſtercore adducere poſſumus, de quibus Apoſtolus ſublimi intellectu ſuo Phil. 3. v. 8. teſtimonium perhibet, dicens : *Omnia arbitror ut ſtercora;* nimirum quod hominem tantoperè excæcat, ut per illud omnem cœli lucem qua illuminabatur ſæpius, omne judicium, diſcurſum & rectam rationem amittere videatur. Unde fit, quod avari ſuos in cœlum oculos numquam erigant : Pſ. 16. v. 11. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, terram ſemper ſpectant, inclinato ſemper capite incidunt, omnemque affectum & conſilia ſua inſtar brutorum terrenis hiſce immerſa ſemper habent. Dum Sanctus Tobias Senior die quodam ex diurno labore defatigatus in ſtrato ſuo quietem captaret, quædam ſuper capite ejus circumvolitantes hirundines oculos ejus ſuis adeo offenderunt excrementis, ut illum totaliter cæcum effecerint : Tob. 2. v. 10. 11. *Contigit ut . . . ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretque cæcus :* Ubi Sanctus Bonaventura ait : S. Bonav. ſer. 4. in D. 3. Epip. *Tobias dormiens excæcatur per calida ſtercora hirundinum, per quæ fervens cupiditas temporalium ſignificatur : Omnia arbitror ut ſtercora;* At verò idem Seraphicus Doctor cum ſuſpirijs & gemitibus illam deplorat cæcitatem, quæ data opera & voluntarie hodie à tot hominibus avaris ipſiſmet conciliatur, nec non complacentiam quam in hoc eodem tam pernitioſe excæcante ſtercore habent, quæ tanta eſt, ut ſtercori huic ipſum quoque Chriſtum poſtponere non metuant : *Sed heu, hodie plus diligitur iſtud ſtercus, quam Chriſtus.* B. Humbertus pariformiter ad hoc factum alludens, ad propoſitum noſtrum ita ſcribit : B. Humb. par. 1. l. 1. *Tobias excæcatus eſt calidis ſtercoribus hirundinum, ſic ardens amor ad temporalia, quæ Apoſtolus arbitratus eſt ut ſtercora, oculos cordis excæcat;* citatque authoritatem S. Auguſtini in ſuis Confeſſionibus dicentis : *Spargis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates;* Item miraculum illud in medium adfert, quod à Salvatore noſtro fuit in cœco à nativitate patratum, ſuper cujus oculos Chriſtus lutum impoſuit : [ Joan. 9. v. 15. *Lutum mihi poſuit ſuper oculos,* ] *inſinuans cauſam cæcitatis ſpiritualis eſſe lutum divitiarum;* Unde habetur de avaro Habacuc. 2. Habacuc. 2. 6. *Uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum ?* B. Petrus Damianus in quadam Epiſtola de hoc vitio tractans, de hac cæcitate quoque his verbis loquitur : B. P. Dam. l. 1. epiſt. 15. *Mentes infelicium cæcat, quæ ſcilicet & fidem tollit, & omnium virtutum in eorum cordibus lumen extinguit.* S. Ambroſius de S. Alexio ſcribens, qui in ſummo deliciarum & commoditatum domus ſuæ culmine conſtitutus, relictis facultatibus & divitijs paternis in extrema demum egeſtate & mendicitate vixit, ita loquitur : S. Ambr. in feſt. S. Alex. *Cæca eſt avaritia, ſed diverſis fraudum oculata ingenijs, non videt quæ Divinitatis ſunt, ſed cogitat quæ cupiditatis ſunt.* Sanctus Cyprianus quoque eumdem cæcitatis defectum avaro attribuit, dum enim orationem quam Salvator noſter ad æternum Patrem ſuum nos quotidie effundere docuit, & præcipuè illam inter alias petitionem : *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo,* conſiderat, illius pariter moniti Apoſtolici meminit, quo dicitur : 1. Tim. 6. v. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli,* ac demum ait : S. Cypr. de or. Dom. *Docet non tantum contemnendas, ſed & periculoſas eſſe divitias, illic eſſe radicem malorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium.*

10. Regius Propheta David Pſalm. 39. ita de ſe conqueritur : Pſ. 39. v. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem;* quia verò ingens iniquitatum illarum numerus erat; unde dicit : Ibid. *Circumdederunt me mala, & quorum non eſt numerus,* inter alias iniquitates quibus anima ejus obnoxia erat, avaritiæ quoque immerſam fuiſſe, neceſſum eſt credere, quia *radix omnium malorum eſt cupiditas :* 1. Tim. 6. 10. at verò quænam inter has iniquitates & cæcitatem intercedit proportio ? Ut proinde dicat : Pſal. 39. 13. *Non potui ut viderem.* Reſponſio petenda videtur ex verbis ſequentibus, quibus idem Pſalmiſta ait : Ibidem. *Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me;* Et bene in primis ait : *Multiplicatæ*, quia juxta Eccleſiaſticum : Eccl. 10. v. 9. *Avaro nihil eſt ſceleſtius.* Deinde notandum, quod ut experientia conſtat, quanto capilli capitis amplius creſcunt, tanto magis lumen offuſcant oculorum, niſi præſcindantur, aut ab oculis retorqueantur, ita quoque quanto bona temporalia in capillis denotata amplius creſcunt, tanto magis Dei & bonorum æternorum lumen & notitia diminuitur.

11. Deus quondam Ezechieli Prophetæ ad ſe die Ezech. 5. v. 1. quodam accerſito præcepit, ut accepta novacula capillos capitis ſui ſibi abraderet, eosque adhibita juſti ponderis trutina libratos in tres partes æquales

divideret, & primam quidem harum partium in medio Civitatis igne ſuccenſam combureret: Secundam verò portionem in minutiſſimas partes diſcinderet: Tertiam denique in ventos diſpergeret. Quo quidem divino præcepto Prophetæ impoſito, quoad ſenſum literalem ſtrages populo immittenda, & quas in ea paſſurus erat, miſeriæ ſignificabantur: quia aliqui eorum in igne perituri erant: alij in minutiſſimas particulas comminuendi: alij denique velut mancipia in captivitatem abducendi erant. In ſenſu autem ſpirituali per capillos bona ſignificantur temporalia, quia ſicuti corpori & vitæ corporali ſuperflui ſunt, non vero eſſentiales, cum ſint quædam capitis excrementa, ita quoque bona terrena neceſſaria cum vita ſpirituali Chriſtiani hominis & cum anima connectionem non habent: myſterium vero ob quod hi capilli in tres partes dividendi erant, ab Hugone Cardinalis his verbis tangitur: *Divitiarum prima pars in ignem, ſecunda in ventum, tertia in gladium traditur, quia divites hujus mundi ſuas divitias expendunt, alij in igne libidinis, alij in vento ſuperbiæ, alij in lites & bella.*

*Hug. Card. in Ezech.*

11. Quod ſi certò ſcire vultis an intellectus à cupiditate excæcatus remaneat, audiatis Sanctum Ambroſium ita loquentem: *Avaritia plerumque ſenſus hebetat humanos, & pervertit opiniones, ut quæſtum pietatem putent.* Unde & Dionyſius Carthuſianus donum ſapientiæ ab auri ſplendore hebetari dicit: *Inter ſeptem dona Spiritus Sancti, primum & digniſſimum conſiſtit donum ſapientiæ, per quam homo contemplatur Deum, & ſpiritualia & æterna cum guſtu ſpirituali & ſuavitate interna: huic dono contrariatur ſpecialiter avaritia, quia per eam homo præponit iſta vilia & terrena Deo altiſſimo, ac rebus ſpiritualibus & divinis.* Quod ſi aliquis vitrum aliquod vulgare & fragile vero & genuino adamanti præferret, iſtum utique cæcum, aut ſano deſtitutum eſſe judicio diceres; Et tamen hæc eſt multorum ſtultitia & cæcitas, quod bona temporalia & caduca bonis cœleſtibus & ſempiternis anteponant.

*S. Ambr. l. 5. epiſt. 19.*
*D. Carth. t. 2. oper. min. art. 9.*

13. S. Joannes Damaſcenus adducta S. Baſilij authoritate avarorum veſaniam illorum errori ſimilem eſſe dicit, cui dum morbus malignitatem peſtilentialiſſimam attigit, ſanitatem adhuc ſe aſſecuturos eſſe ſperant: *Cum quis opes iniquis artibus collegit, atque hinc ſibi robur & potentiam conciliari cenſet, ſimilis eſt ægroto in morbi abundantia ſanitatem eſſe ſtatuenti.*

*S. Joa. Dam. l. 3. pa. c. 54.*

14. Drogo Hoſtienſis Judæ cæcitatem nobis ob oculos ponit, qui prius denarijs ex traditione acquiſitis de ſecuritate proſpicere voluit; *Retulit triginta argenteos*, nihil de eo curans, ut animam propriam in ſecurum poſſet ſtatum redigere, ſiquidem abiens laqueo ſe ſuſpendit: *Ecce infelix qualiter excæcatus eſt, maluit ſeipſum perdere, quam denarios perire, denarios templo, ſeipſum laqueo adduxit.* Id quod diu ante Judam Architophel quoque feciſſe legitur: *Abiit in domum ſuam & in civitatem ſuam, & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interiit.* De omnibus ad domum ſuam ſpectantibus ſolicite cogitavit, ſola anima excepta, utpote quam ad uncinum ſuſpendiſſe, imo laqueo Dæmonis inſeruiſſe videbatur. S. Bonaventura poſtquam de divitibus avaris dixiſſet, quod ſint *Pleni in arca, vacui in conſcientia*, mox ſubjungit: *quærunt aurum, & acquirunt infernum.* Quænam excogitari poteſt cæcitas hac deteſtabilior? Tandem verò ſubjungit: *Nam luna quando verſus terram dicitur eſſe plena, tunc verſus cœlum eſt vacua; & quando verſus terram dicitur eſſe vacua, vel nulla, tunc verſus cœlum dicitur eſſe tota plena; ſic vir ſanctus dum nihil habet in mundo, eſt dives in cœlo.*

*Matth. 27. v. 3.*
*Drog. Hoſt. de ſacr. Dom. paſſ.*
*2. Reg. 17. v. 23.*
*S. Bon. ſer. 5. de uno mart.*

## DISCURSUS XII.
## ARGUMENTUM.

Bona terrena à deſiderio & lucro bonorum cœleſtium nos retrahunt; Et ideo quanto magis homo ab ejuſmodi bonis nudus & alienus exiſtit, tanto magis in bonis cœleſtibus abundat.

### THEMA.

*Deſecitque manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ.* Joſue 5. ℣. 12.

1. MAnna, utpote cœlitus Iſraëlitis miſſa annona, bona ſignificabat cœleſtia & æterna, ècontra verò fructus terræ labore & induſtria humana excultæ, ſymbolum erant bonorum, divitiarumque temporalium; Et quia veriſſimum ſemper eſt axioma illud Apoſtoli: *Omnia in figura contingebant illis*, increata Dei ſapientia ita diſpoſuit, ut manna confeſtim in populo ſuo deficeret, quamprimum ſibi de terreſtribus victualibus proſpicere incipiebat, ut per hoc nobis inſinuaret, quod quantò vehementior eſt ad bona caduca & terrena animi affectus & amor, tantò majus quoque impedimentum & obſtaculum nos habituri ſimus ad conſiderandum cum fructu vel comparandum bona cœleſtia: *Defecitque manna poſtquam comederunt de frugibus terræ.*

2. In libri numerorum cap. 32. legitur, quod cum Filij Ruben & Gad cum reliquis tribubus in itinere ad terram promiſſionis poſſidendam conſtituti, fertilitatem terræ Jazaer & Galaad & copioſa ibidem paſcua vidiſſent, à Moyſe ibi remanendi & ab alijs tribubus ſe ſequeſtrandi petierint facultatem: *Precamur, ſi invenimus gratiam coram te*, dicebant ad Möyſen; *ut des nobis famulis tuis eam in poſſeſſionem, nec facias nos tranſire Jordanem.* Quæ reſolutio haud parum miranda videtur. Numquid enim adeò fuere abjectis animis, ut ad capienda & contrectanda ſceptra & lauros in Palæſtinam concedere minimè curarint? in terram inquam talem lacte & melle manantem, Sanctis ipſorum Patriarchis à Deo promiſſam, totque ſeculis ab ipſis deſideratam? *Regio uberrima eſt ad paſtum animalium, & nos ſervi tui habemus jumenta plurima*: Ecce tibi veram & genuinam cauſam, ob quam multi veram promiſſionis terram, id eſt, cœlum floccifaciant, quia nimirum toto ſuo affectu terræ & terrenis adhæreſcunt. Unde Sanctus Gregorius ait: *Qui jumenta plurima poſſident, tranſire Jordanem fugiunt, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cœleſtis patriæ non requirunt.*

Avari Cœlū non requirunt.
*Num. 32. v. 5.*
*Ibid.*
*S. Greg. l. 27. mor. c. 7.*

3. *Creaſti nos Domine ad te*, inquit Deo Sanctus Auguſtinus; Et D. Chryſoſtomus ait: *Scripturarum lectio cœlorum eſt reſeratio*; Enimvero ſi finem ob quem ſumus conditi, aſſequi velimus, Scripturam Sacram aſſiduè legamus, ut ea quæ in ea docentur ſcire valeamus, ipſa enim clavis eſt Paradiſi, ac proinde cum quidquid in ea continetur, dictatura ſit Spiritus Sancti, ipſeque conſequenter calamum quo Pentateuchum ſcripſit, quoad ſingulos in eo contentos apices efformandos direxerit, & inſtruxerit; prima obſecro hujus Sacroſancti voluminis verba nonnihil penſiculatius conſiderate, dicit enim: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, circa quæ verba magnum illud Pici Mirandulani ingenium, dicit, obſervetis velim quod quando rerum omnium providus Creator Deus in illa totius univerſi creatione omnibus viventibus proprium & proportionatum aſſignavit locum, avibus nimirum aëra, piſcibus maria & alia aquarum fluenta, terram quadrupedibus, ſoli homini in toto hoc univerſo nullum aſſignaverit proprium locum, idque non alio fine, quàm ut exinde intelligeremus, quod nos Cœlo poſſidendo creati ſimus, & tametſi etiam terræ nobis incolatum aſſignaverit, in illa tamen nos exilium pati, non verò patriam habere voluerit; atque ideò ulterius notandum, quod prius cœlum empyreum creaverit, utpote quod noſtrum perpetuum & proprium, imò patrium domicilium eſſe debebat, unde in noviſſimo judicij die electis ſuis dicet: *Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Tametſi enim Architecti ante omnia, ædificij illius quod erigere moliuntur, fundamenta jacere ſoleant, non tamen hanc fabricandi rationem ſapientia increata in mundi conditione obſervare voluit, hæc enim, de quâ in veritate dici poteſt, quod *omnia in menſura, numero & pondere diſpoſuit*, primum ædificavit ſibi domum, quia juxta noſtrum intelligendi modum, prius ſtellatum Cœli Empyrei verticem, futurum ſuum & beatorum peculiare domicilium ædificare, & poſtea vaſtæ mundialis machinæ fundamentum, id eſt, terram jacere voluit: *In principio creavit Deus cœlum*, & poſtea ſecundo loco *terram*, ut intelligeremus, quod primò & ante omnia oculos mentis noſtræ, totumque amoris affectum cœlum verſus, & ad bona ejus æterna, pro quibus poſſidendis creati ſumus, dirigere debeamus; Et quidem ne à lenocinatrice, apparente, & vana bonorum terrenorum facie ſeduceremur, diſpoſuit, ut idem Sacri Chroniſtæ calamus, immediatè, & ſine ulla temporis interpoſitione ſubjungeret:

Ad hoc tamen creati.
*Chryſ. ho. 3. in ver. Iſa.*
*Gen. 1. v. 1.*
*Pic. Mir. t. 1. in op. ſex. dierum.*
*Matth. 25. v. 34.*
*Sap. 11. v. 21.*



jungeret: *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.*

*Gen. 1. v. 2.*

4. Porrò ſuppoſito, quod terra totius ſit univerſi fundamentum, obſervandum eſt primò, quod ſicut quotidiè videmus, in fundamentis ea quæ ſunt viliſſima reponi ſolent, cæmentum calcis, lapides rudes, abjecti & impoliti, & hi quidem ibi ſine ullo ordine in tenebris condenſati velut abſconditi latent; Obſervandum ſecundò quod in medium & velut umbilicum terræ Infernum, locum damnatorum, collocaverit, ut omnes cogitationum & conſiliorum noſtrorum lineas ab hoc ſubtraheremus & arceremus; Tertiò terram anguſtam eſſe voluit in comparatione ad Cœlum Empyreum, quod adeò eſt amplum, & in tam vaſta amplitudine extenſum, ut innumeras in eo defixas ſtellas continere valeat, quarum unaquæque etiam eæ quæ minimæ ſunt, vaſta terræ mole ſunt incomparabiliter majores, imò aliquæ illarum terræ molem centies & ſexageſies magnitudine ſuâ ſuperant.

Fatui terram diligunt.

5. Et ideò nequaquam hyperbolicâ quadam exaggeratione dictum eſſe cenſendum eſt id, quod Sanctus Antonius Magnus Monachis ſuis dicere ſolebat: *Nemo cum deſpexerit mundum, reliquiſſe ſe arbitretur ingentia, quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum, brevis ac parva eſt.* Meritò proindè miratur Beatus Humbertus homines adeò ſtolidos & fatuos eſſe, quod cœlo poſthabito, terram diligant, quia naturæ ordinem hic pervertit, qui terram ſuper omnia diligit, quam inter elementa Creator rerum infimam ordinavit.

*B. Humb. par. p. l. 1.*

Pauperes cœlum obtinent.

6. Præterea quinam vel quales ſunt illi cardines de quibus Deus huic mundo proſpexit? quænam ſunt baſes aut fulcra ejus, quibus innititur ne ſubvertatur? Num fortè, ut vos exiſtimatis, hi ſunt ij qui in hoc mundo divites ſunt, potentes, Reges & Monarchæ, qui mundum hunc gubernant? Minimè gentium, imò verò omninò oppoſitum verum eſt; nam ubi vulgata noſtra legit: *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*, alia quædam verſio legit: *Afflicti terræ*; Et ideò Rupertus Abbas Tuitienſis ait: *Super pauperes Deus orbem poſuit; cui conſonans Evangelij veritas, pauperes Spiritu in fundamento beatitudinis collocat, dum octo beatitudines connumeratura, ſic incipit: Beati pauperes Spiritu*; Superbi, elati, divites, avari, conquaſſant mundum, totque multiplicatis gravaminibus, rapinis, gabellis, extorſionibus, bellorum injurijs, totque alijs oppreſſionibus tyrannidem in mundo exercent: pauperes verò ſoli ſunt illi, qui mundum in ſua integritate ſuſtinent, de quibus proinde Apoſtolus ait: *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*; quia revera pauperes cœli terræque poſſeſſionem & dominium obtinent.

*1. Reg. 2. v. 8*
*Rup. Abb. c. 5. in l. 1. Reg.*
*2. Cor. 6. v. 10.*

7. Didacus Stella ut oſtendat, quod cœlo acquirendo paupertas potius & efficacius quàm divitiæ deſerviant, Regis cujuſdam ſimilitudinem adducit, qui domum ſeu Palatium habens, auro, argento, gemmiſque refertiſſimum, aperienti illud totum in eo repoſitum theſaurum promitteret, eoque ſine duas porrigeret claves, unam auream, alteram verò ferream, è quibus hæc ſola non verò illa eam aperiret, utram ex duabus hiſce clavibus electurus eſſet? Utique niſi inſaniret, ferream relicta aurea arriperet: *Aurea pretioſior, ſed ad reſerandum inutilior, ferrea quamvis vilior tamen præſtantior, quia cum ea aperitur theſaurus*; tandem verò ad beatitudinem & Cœli Empyrei gloriam præfatam applicat ſimilitudinem dicens: *Domus plena theſauris eſt beatitudo; clavis aurea divitiæ ſunt, ferrea, paupertas; utramque porrigit Deus, utram eliges; nonne potius ferream, qua aperitur cœlum.*

*D. Stel. in c. 6. Luc.*
Proſecutio.

Terrenis bonis exuti, divites ſunt cœleſtibus.

8. Nota eſt omnibus generoſa illa Alexandri Magni reſolutio, quâ, ut Quintus Curtius de eo ſcribit, alium ſibi mundum, id eſt, Indias acquirere volens, pretioſiſſima quæque tum ſua, tum militum ſuorum, ſimul in unum congeſta, igne ſubjecto ſuccendit & incineravit, *ut ita milites ſui paupertate præſenti coacti, virili animo Indiam expugnarent.* Neſcio proinde an ſponſa dolens conqueratur, an verò glorietur gaudens, quando in Sacris Canticis ait: *Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum?* Etenim hæc ſponſa animam quamdam repræſentat, infirmitatibus, tribulationibus, milleniſque hujus præſentis vitæ anguſtijs oppreſſam, quæ tamen omnia verè ſunt clavis ferrea, quæ Paradiſi æraria aperiebat, nam ut Sanctus Ambroſius præclarè dicit: *Benè tollitur ei pallium, quæ ad Chriſtum propinquat*; quantò enim quis eſt in fortunæ bonis tenuior, tantò conſequenter eſt in theſauris gratiæ copioſior, & hi veræ ſunt divitiæ, quarum avarè & inſatiabiliter cupidæ eſſe debent fideles animæ.

*Cant. 5. v. 7.*
*S. Ambr. l. 5. de virg.*

9. Sanctus Auguſtinus de ijs qui in hac vita omnibus fuerunt terrenis bonis exuti, tractans dicit: *Amiſerunt omnia, numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis bona? Hæ ſunt opes Chriſtianorum, quibus opulentus dicebat Apoſtolus: Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia; nihil enim &c.*

*S. Aug. l. 1. de civ Dei c. 10.*
*1. Tim. 6. v. 6*

10. Sanctus Petrus à paupere quodam ad dandam ei Eleëmoſynam rogatus, eidem reſpondit dicens: *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do; In nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula*, quod donum utique longè amplius & magnificentius fuit, quàm aurum. Unde Sanctus Cyprianus ait: *Petrus quidem aurum ſibi eſſe & argentum negat, ſed eſſe ſe dicit Chriſti gratia divitem, eſſe fide ejus & virtute locupletem, quibus multa magnalia cum miraculo faceret, quibus ad gratiam gloriæ bonis ſpiritualibus abundaret. Has opes, has divitias poſſidere non poteſt, qui ſe divitem ſæculo mavult eſſe quam Chriſto.*

*Act. 3. v. 6.*
*S. Cypr. de diſc. & hab. virg.*

Pauperes ſunt ſanctiores.

11. Ingenioſa eſt ratio illa, quam Author quidam modernus aſſignat, cur Sancti legis Evangelicæ majori ſint perfectione conſpicui, quàm qui in lege ſcripta, vel in antiquo vixerunt Teſtamento; Hi enim ut Abraham, Iſaac, Jacob, David, & plures alij in bonis fortunæ abundabant, cum tamen celebriores ſervi Dei ſanctæ legis Evangelicæ, ut plurimum pauperum vitam duxerint, & ideò his perfectio facilior erat quàm illis; *Curramus* inquit Apoſtolus ad ſui ſimiles Evangelicæ legis Sanctos, ad propoſitum nobis certamen, qui divites, & divitiarum ſuarum pondere prægravati erant, tanta cum agilitate, quâ illi qui ab omni erant pondere immunes, currere non poterant. Unde Deus Abrahæ dixit: *Ambula coram me, & eſto perfectus.* De Davide & Salomone eamdem prorſus phraſin legimus: *Si ambulaveris in vijs meis*, inquit Deus ad Salomonem, *Sicut ambulavit Pater tuus*: at verò quando Filius Dei *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, in tugurium quoddam ruſticanum ſuper fœnum recumbens, ad prædicandum, adeundum ſui imitatione & exemplo, perfectum bonorum temporalium contemptum, ex tunc multi magnis illum fuerunt paſſibus inſecuti; unde dicebat Apoſtolus: *Curſum conſummavi; Omnes quidem currunt, ſic currite ut comprehendatis*: nequaquam verò greſſu lento & tardo gradiebantur.

*Heb. 12. v. 1.*
*Gen. 17. v. 1.*
*3. Reg. 3. v. 14*
*Ibid.*
*Pſ. 18. v. 6.*
*2. Tim. 4. v. 7.*
*1. Cor. 9. v. 24.*

Mundi contemptus.

12. Verum objicere quis hactenus dictis poterit, quod Sanctus Bernardus nos quidem ad mundum fugiendum exhortetur, ita tamen ut ſarcinæ nobiſcum in fuga portandæ non obliviſcamur. *Prudens ergò negotiator, qui videt in divitijs laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit ſarcinam ſuam, mundi contemptum, & fugit.* Ideoque reſpondeo verum quidem eſſe Sanctum Bernardum ſarcinæ ſecum aſportandæ mentionem facere, at verò quidnam putas ſarcina iſta, de quâ Sanctus Bernardus loquitur, in ſe complectebatur? *Mundi contemptum*; hic autem ad hoc genus currendi agiliores nos & velociores efficit.

*S. Bern. ſer. 4. de quinq. negot.*

Qui terrenis renuntiat cœleſtia accipit.

13. Jacob Patriarcha nudus & tremens è domo ſuâ paternâ in Meſopotamiam receſſit, quia Eſau fratris ſui perſecutionem & odium metuebat; Quâ occaſione factum eſt, ut dum ſuper nuda terra dormiturus decumberet, eximiam illam valdeque ſingularem à Deo acceperit viſionem, ſuperioribus retrò ſæculis numquam auditam, aut viſam, Cœlum etenim vidit apertum, & exinde in terram uſque ſe extendentem ſcalam, deſcendenteſque per eam & aſcendentes Angelos conſpexit. Verum quærere hic non nemo poſſet, cur Deus hunc Patriarcham tunc præcipuè, non verò antea ſimili fuerit dignatus favore? Reſponderi poteſt ideò id factum eſſe, quia Sanctus Patriarcha antea ſe per majoratus, dignitates, & primogenituras in terra ſtabilire contendebat, continuò in paternæ domus vivebat commoditatibus & delicijs, atque in Rebeccæ matris ſuæ ſinu dulciter requieſcebat: tunc autem aliud nihil quàm ſolùm panem, & corporis tegumentum deſiderabat; *Vovit votum* Domino

dicens;

Gen.28.v.20. *dicens : Si fuerit Deus mecum;... & dederit mihi panem ad veſcendum , & veſtimentum , ad induendum ,* Ibid.v.21. *Erit mihi Dominus in Deum* ; Similis quoque à bonis temporalibus poſſidendis aliena mens Sancto Paulo erat , qui proindè omnes hortabatur dicens : 1.Tim.6.v.8 *Habentes alimenta,& quibus tegamur, his contenti ſimus* ; Tunc igitur Sanctus Patriarcha cœlum patulum vidit, Gen.28.13. ſibique dicentem vocem percepit : *Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tui , & Deus Iſaac ; terram* Ibid.v.14. *in quâ dormis , tibi dabo , & ſemini tuo , Eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ,...benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.* Nimirum tunc Cœli benedictiones recipere meruit , quandò terræ hujus bonis renuntiavit.

14. Sanctus Auguſtinus in capit. 15. Geneſeos ſcribens , ſequens movet dubium , cur videlicet Deus non æquè arboribus & plantis benedixerit , ac alijs Creaturis ; Et reſpondet , ideò id Deum S.Aug.in c.15. Gen. non feciſſe , quia arbores *per fimbrias & radices in lateribus terræ inhærent.* Cum igitur homines arboribus ſint ſimiles , unde & Philoſophus hominem *arborem inverſam* appellabat ; & Pſalmiſta de eodem Pſal.1.v.3. dicit : quod ſit *lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum* ; hinc eſt quod Deus arboribus non benedicendo inſinuare nobis voluerit , ſe benedictiones ſuas cœleſtes nequaquam communicare illis , qui affectibus & cogitationibus ſuis in bonis terrenis immerſi hærent.

Terreni cœleſtibus deſtituuntur.

15. Verum enimverò ut ad Jacobum Patriarcham denuò revertamur , Sanctus Paulus Apoſtolus illum à Deo prædeſtinatum , Eſau verò præſcitum fuiſſe Rom.9.v.13 dicit : *Jacob dilexi , Eſau autem odio habui* ; nec mirum , quia quando Eſau ſuam eſt impertitus benedictionem , quam ex manibus ejus cum violentia quaſi & expoſtulatione à Deo extorſit , primo loco Gen.27.v.39. & 40. dixit:*In pinguedine terræ ... Erit benedictio tua*;ad denotandum , quod quis bonis terrenis perfruitur , utplurimum cœleſtibus bonis deſtituatur : econtra Jacob fratrem Eſau benedicens Deus , primo loco dixit: *De rore cœli &c.* Quia ut Sanctus Gregorius Magnus S.Gregor. ait : *Quantum cor hominum terrena deſideria dilatant , tantum ſinus cordis ad ſuſceptionem Spiritus Sancti anguſtatur ; intentioni animæ ſi exterior evagatio clauditur , interior ſeceſſus aperitur , quia eo in altum creſcere arbor cogitur , quæ in ramos diſtendi prohibetur* ; quantò amplius ſe anima aliqua à bonorum temporalium curis & inquietudinibus ſe ſubducit , tantò copioſius ſe Spiritus Dei intra eamdem inſinuat ; Et ideò in clauſtris & Religionibus benè ordinatis,ubi in ſolitudine & omnimoda à mundo ſequeſtratione vivitur , Divina gratia ampliorem quàm alibi locum habet,ibidemque dona cœleſtia , raptus,extaſes, viſiones & revelationes , & ſimilia dona Dei copioſius communicantur.

16. Sanctus Victorinus conſiderans , quod Sanctus Joannes in Pathmos Inſula ab omni humano conſortio ſequeſtratus, Apocalypſin conſcripſerit , dicit : *Qui* S.Vict.in c.1. Apoc. *internam quietem diligunt, ipſi de inviſibilibus bonis mira cognoſcunt,& quanto ſe à temporalibus amplius elongant, tanto magis æternis appropinquant* ; Unde Sanctus Philippus Nerius ſæpius dicere ſolebat , quod quantò plus de amore Creaturis attribuitur , tantò amplius de eodem amore Deo adimatur.

Creaturas fuge ſi vis Creatorem.

17. In Eſdra legitur , quod Cyrus Iſraelitas è Babylonica ſervitute dimittere volens , juſſerit inſuper ut quibus in Babylone ſtabiliter remanendi animus eſſet, ijs qui diceſſum meditabantur in pecunia & alijs re- 1.Eſdr.1.v.4. bus neceſſarijs ſubſidia præberent : *Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant , adjuvent eum viri de loco ſuo argento & auro &c.* Verum hic exurgit quæſtio quomodo poſſibile fuerit , quod aliqui ex populo fuerint , qui ut Jeroſolymam dilectam & ſanctam patriam ſuam repetere poſſent , Babyloniam non libenter dimiſerint , ut è ſervitutis compedibus erepti & liberati , in priſtinam denuò reſtituerentur libertatem, vel qui non libenter falſis fictiſque numinibus eorumque ſimulachris relictis , veri Dei cultui Lyr.ibid. ſe addixerint ? Lyranus ait : *Illi profectò hoc fecerunt , qui amore bonorum ibi acquiſitorum tenebantur.* Porrò Creaturæ eo fine nobis meritò ſervire deberent, ut veluti ſcala quædam eſſent , per quas ad Creatorem ipſarum poſſemus aſcendere , vel ut ſtimulum nobis adderent , ad inquirenda bona cœleſtia : *Invi-* Rom.1.v.20. *ſibilia ipſius à creatura mundi , per ea quæ facta ſunt , intellecta conſpiciuntur : ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas* : At verò quot ſunt homines,qui oculos ſuos in cœlos numquam elevantes , in creaturis velut in ultimo fine ſubſiſtunt , & bona æterna præ hiſce caducis & tranſitorijs nihili faciunt ? optimè certè erit nobis , ſi S. Auguſtini ſuper illa verba S. Joannis : Joa.2.v.15. *Omne quod eſt in mundo &c.* conſcriptum monitum S.Aug.ibid. ſecuti fuerimus ; dicit enim : *Fuge creaturas , ſi vis habere Creatorem , omnis creatura viliſcat , ut creator in corde dulceſcat.*

18. Nota eſt omnibus viſio illa Sancti Joannis ; Apoc.12.v.1. in quâ magnam illam mulierem amictam Sole , ſtellis coronatam , lunamque pedibus ſuis prementem conſpexit. Et quidem indubitatum eſt , planetam illum lunarem verum quoddam viſibilis mundi hujus fuiſſe ſymbolum , utpote qui adinſtar lunæ in continua quadam volubilitate conſiſtit. Ac proinde ex hac Apoſtoli viſione docemur, tunc præcipuè animam ſpem quamdam concipere poſſe ſe in cœlis coronandam , illiuſque tabernaculi participem futuram eſſe, Pſ.18.v.6. de quo dicitur : *In ſole poſuit tabernaculum ſuum* , ſi mundum pedibus noſtris ſubſtraverimus , à nobis velut vilem & abjectum conculcandum , nam ut Sanctus Eucherius ait : *Vera beatitudo eſt ſæculi beatitu-* S.Euch.ad Val. *dinem ſpernere , neglectiſque terrenis in divina flagrare.* Quamdiu Iſraëlitæ ventrem farina Ægyptiaca repletum habebant , manna deguſtare non poterant , & multo minus , quando comederunt de frugibus terræ ; Gloria enim cœleſtis lauto ſimilis eſt convivio , cui ſi quis aliunde jam ſatiatus accumbat , de cibis illius parum aut nihil deguſtare poterit ; Quam ſimilitudinem Didacus Stella his verbis deducit : *Non aliter quam ſi* D.Stel.in c.14.Luc. *quis ad magnum & lautum convivium invitatus moræ impatiens vilibus dapibus ſe adeo in principio ingurgitaret , ut poſtea omni edendi appetitu amiſſo, reliqua comedere non poſſet , jam enim inediæ ſatisfecerat antequam lautioribus cibis fruitus erat. Hoc contingit quamplurimis, qui naturale deſiderium divinorum bonorum quod Deus hominibus,quaſi quamdam cœli famem dedit , rebus terrenis tradunt , & ita inebriatati bonis temporalibus, vivunt,ut æterna cœlorum bona non deſiderent , dicantque* Num.21.v.5. *anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo* , quia carnium Ægyptiarum cupidi ſunt & ſaturi.

Mundus conculcandus.

## DISCURSUS XIII.

### ARGUMENTUM.

Felicitatem temporalem animæ periculoſam eſſe oſtenditur , utpote per quam ſurdi efficimur , ne vocem Dei audire valeamus ; Et ideò ex eo quod quis bonis temporalibus abundet , Dei in illum amorem & benevolentiam colligi neutiquam poſſe.

### THEMA.

*Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit , incraſſatus , impinguatus, dilatatus , dereliquit Deum Factorem ſuum.* Deuter.32.v.15.

1. MOyſes Propheta in Deuteronomio cum ſtupore, ne dicam,an cum furore,ingratitudinem populi Dei , qui tot ab eodem Deo beneficijs cœlitus datis bonorumque terrenorum abundantia ſuperabundanter locupletatus fuerat , reprehendit dicens *Conſtituit eum ſuper excelſam terram , ut comederet fructus agrorum , ut ſuggeret mel de petra , oleumque de ſaxo duriſſimo ; butyrum de armento , & lac de ovibus , cum adipe agnorum ; & arietum filiorum Baſan , & hircos cum medulla tritici , & ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum* ; At verò quiſnam tandem hujus fertilitatis , omniumque bonorum licet fragilium & caducorum abundantiæ finis ultimatus extitit , *Incraſſatus eſt dilectus &* Deut.32.v.15.16. *recalcitravit,... dereliquit Deum; ... in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.*

2. Porrò eadem eſſet Deo de nobis conquerendi neceſſitas ; ſi enim totam hominum circumſpicimus univerſitatem , multos videbimus homines peſſimos & tamen adeò fortunatos , ut omnia illis pro voto & animi ſententia feliciſſimè ſuccedant ; Pſ.10.v.3. *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ , & iniquus benedicitur* ; at vero quonam hæc cum vita impia ſumma conjuncta felicitas ſpectat ? Numquid bonum ſignum eſſe cenſebis , ſi equo indomito fræna laxentur , ut pro ſuo poſſit libitu diſcurrere & vagari ? prout ijs fiebat , de quibus Deus ipſe dicit : Pſ.80.v.13. *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum , ibunt in adinventionibus ſuis* ; utique ſi ſane judicare velis, id idem eſſe dices , ac ſi equus effrænis in prærupta ſe præcipitia deturbare , aut homo divinam juſtitiam aſperrimè irritare & exaſperare permitteretur ; Unde Pſalmiſta

Impij feliciores devotis.



Pſalmiſta poſtquam dixiſſet ; Pſal.10.3. *Laudatur... in deſiderijs animæ ſuæ* ; immediatè ſubjungit : Ibid.4. *Exacerbavit Dominum.* At verò Deus hoc modo ab ejuſmodi exacerbatus, quonam in illos ſupplicio animadvertet ? Ibid. *Secundum multitudinem iræ ſuæ non quæret* , quaſi diceret,alia illos pœna non mulctabit , quam permittendo illis deſideria cordis eorum adimplere , & proſperrimè illis omnia in hac vita evenire : unde proſequitur Pſal.10.v.5. dicendo : *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore* ; S.Aug.in Pſal.80. Ubi Sanctus Auguſtinus ait : *Multum iraſcitur , dum non requirit , dum quaſi obliviſcitur & non attendit* , cujus ratio eſt , quia tandem aliquandò terribilis illa & decretoria audietur ſententia dicentis Judicis : Apoc.18.v.7 *Quantum glorificavit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

3. Æneas Sylvius refert , quod cum in Auſtria Princeps quidam poſt nonaginta tres vitæ ſuæ annos, quibus nil aliud meditatus fuerat , quàm ut tempus ſuum edendo , bibendo, ludendo , venationibus, haſtiludijs , & Theatrorum comedijs alijſque recreationibus operam dando conſumeret , qui proinde quid paupertas , infirmitas , tribulatio , aut infelicitas eſſet; prorſus ignorabat , eo quod vento ſemper propitio vitæ ſuæ cymba vectus fuerat ; cum inquam poſt tot annos vitæ ſuæ mortuus eſſet , ejuſque mors Federico Imperatori nuntiaretur , is Chriſtianiſſimè reſponderit , ex illius Principis morte argumentum quoddam infallibile deſumi poſſe, unde animæ æternitas & immortalitas efficaciter probari poſſit , quia dicebat ; ſi verum eſt , quod Deus præſentem hunc mundum gubernet, prout veriſſimum unanimiter Philoſophi pariter & Theologi fatentur , & meritò , per neceſſariam inde deducitur conſequentiam , poſt hanc vitam loca aliqua ſupereſſe , in quæ animæ à Deo remittantur , ut benè ab illis in hac vita acta vel geſta remunerentur, vel quæ mala egerunt , condignis ſupplicijs caſtigentur ; *Nam hic nec bonis ſua præmia , neque malis ſua ſupplicia reddi videmus.*

Hiſtoria immortalitatem animarum probans.

Matt.19.27. 4. Sanctus Bernardus ſuper illa verba : *Ecce nos reliquimus omnia*, ſcribens,graviterque illos,qui proſperè in hoc mundo degentibus invident , reprehendens S.Bern.in decl. Ecce nos reliq. dicit : *An tu fortè quos in mundo florere conſpicis,ab auctore mundi diligi putas ? Audi quid ſuper hæc ſcriptura loquatur : Omnis qui voluerit amicus eſſe hujus mundi , inimicus Dei conſtituitur.*

Felices periculis expoſiti.

5. In hac alma urbe Romana frequens experientia , quæ in magnorum Principum aulis videtur , liquidè teſtatur,quod dum quis ad dignitatem aliquam valdè ſublimem evehitur , is parentes , amicos & præcipuè nationales ſeu patriotas advocare ſoleat , ut & illi aliqua ſaltem ex parte fortunæ ſuæ participes evadant ; Verum mos ille à Dei curia valdè alienus eſt ; Verum quidem , quod Joſeph Ægypti totius Vice-Rex factus patrem ſuum unà cum omnibus fratribus & ipſorum familijs ad ſe accerſiverit , hi tamen ad eum acceſſerunt , non ambitione ducti, ut ad ſublimiores poſſent promoveri dignitates , ſed fames eos ad illum inquirendum & ſalutandum coëgit , idque vel ex eo verum eſſe clare videre poſſumus , quod neminem ex omnibus his proximo ſibi ſanguine conjunctis , ſecum in aula manere juſ- Gen.46.v.31. ſerit : *At ille locutus eſt ad fratres ſuos , & ad omnem domum Patris ſui : aſcendam & nuntiabo Pharaoni, dicamque ei : Fratres mei , & domus Patris mei , qui* Ibid.32. *erant in terra Chanaan , venerunt ad me , Et ſunt viri Paſtores ovium , curamque habent alendorum gregum* ; Imò illos ad ſe vocatos inſtruxit , ut de conditione & habilitate ſua à Rege interrogati , ſe Paſtores eſſe Ibid.33. reſponderent ; *Cumque vocaverit vos , & dixerit :* Ibid.34. *Quod eſt opus veſtrûm ; Reſpondebitis : viri paſtores ſumus ſervi tui ; . . . hæc autem dicetis , ut habitare poſſitis in terra Geſſen.* Hic tamen difficultas oboritur , cur ſcilicet Joſeph in tam ſublimi dignitate conſtitutus , adeò ſe profundè demittere & humiliare voluerit , ut univerſæ curiæ , ſe paſtoris ovium filium eſſe notum & manifeſtum fieri voluerit ? Numquid in tam amplo & potenti regno aliæ honoratiores conditiones & officia ſupererant , ut eos qui totius illius tam inclyti & numeroſiſſimi populi Dei Patriarchæ futuri erant , ad illa promovenda , eoſdem honorum ſuorum participes efficeret ? maximè quandò totius Ægypti abſolutum Imperium ob- Gen.41.v.44 tinebat ; Pharao enim illi dixerat : *Abſque tuo Imperio non movebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Sed reſpondeo , hæc quidem omnia vera eſſe , poterat enim fratres ſuos varijs modis exaltare , locupletes facere & honorare , verumtamen id præcipuè Joſepho curæ fuit , ut virtutem & timorem Dei exactam Divini cultus obſervantiam in illis conſervaret ; ſciebat enim per experientiam edoctus,quanta in felicitatis temporalis culmine poſitis occurrere ſolerent pericula, ne in ijs verificetur illud : *Incraſſatus &c.*

6. Refert Valerius Maximus , Cretenſibus olim in more fuiſſe poſitum , ut ei , quem fatali proſequebantur odio , omnia fauſta & ad votum cordis ſui evenientia , ſucceſſuſque felices apprecarentur. *Modeſto voti genere efficaciſſimum ultionis eventum reperè-* Val. Max. l.7.c.2. *runt , inutiliter enim aliquid concupiſcere , & in eo perſeveranter morari,exitio vicina dulcedo eſt* ; Ita quoque S. Paulus de ſupplicio à Deo Idololatris illato ſcribens ait : *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis* Rom.1.v.24. *eorum.* Quem textum Agellius , cum illis Pſalmiſtæ verbis : *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum &c.* Pſ.80.v.13. combinans,ita ſcribit : Agell.ibid. *Suis deſiderijs traditi ſunt , ſed malo ſuo, ſibi, ſuæque voluntati permiſſi , ac peſſima libertate donati , ſuis deſiderijs novo ſervitutis genere ſunt mancipati,& eatenus deſideriorum ſuorum longe miſeriori ſervitute devincti.*

7. Saule Rege in venerabilem illum Prophetarum cuneum fortuitò incidente , *Factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini , & ambulabat ingrediens & prophetabat* ; 1.Reg.19.v.23. At verò ut quo merito id ei acciderit , melius intelligatur , advertenda eſt quædam intercurrens valdè conſiderabilis circumſtantia ; dicit enim Sacer textus : *Expoliavit etiam ipſe ſe veſti-* Ibid.v.24. *mentis ſuis , & prophetavit cum cæteris coram Samuele , & cecidit nudus tota die illa & nocte ; unde exivit Proverbium : Num & Saul inter Prophetas ? Omnia* autem hæc *in figura contingebant* ; Per hoc namque docemur , quod Spiritus Domini ſuper illos qui in ſublimi honorum , Dominiorum , aliarumque proſperitatum temporalium gradu collocantur, tunc pridem pedem figere & requieſcere incipiat , quando ſe ſi non in effectu , ſaltem in affectu totaliter exuant à nimia ad temporalia cordis adhæſione & ſtudio : *Expoliavit etiam ipſe &c.* mox enim ut ſe denuò regijs veſtibus induit , Spiritus Propheticus ab eo receſſit & diſparuit ; at verò quantò illi ſatius fuiſſet , ſi nudus ſemper prophetaſſet , quàm quod regnarit deinceps veſtitus ? *Quid prodeſt homini , ſi* Matt.16.26. *mundum univerſum lucretur,animæ verò ſuæ detrimentum patiatur ?*

Spiritus Domini ſuper humiles.

8. Hugo Cardinalis pulchram quamdam adducit , in Geneſin ſcribens , conſiderationem , Geneſeos enim capit. 26. Palæſtini Iſaaco puteos à ſervis patris ſui Abrahæ effoſſos & excavatos invidentes , eoſdem omnes terra impleviſſe dicuntur. Enimvero ut præfatus Cardinalis ait : Per hoſce puteos ſacræ Religiones , ſive religioſi ordines intelliguntur , ſiquidem ex illis aquæ ſalutares exhauriuntur ſapientiæ cœleſtis : Per ſervos autem Abrahæ , qui dictos puteos effoderant , earumdem Religionum denotantur primi Fundatores & Patriarchæ : ſed qua ratione hi ſpirituales & myſtici Religionum putei terra adimpleti eſſe dicuntur ? Nimirum tunc terra opplentur , quando in ijs accumulantur divitiæ , quæ ſpiritum & vigorem illis adimunt : *Puteus eſt religio,* Gen.26.v.15. Hug. Card. Ibid. *quam foderant ſervi Abraham , id eſt , ſervi Chriſti, qui omnes divitias à religione penitus abjecerant , ſed hunc implent allophyli , id eſt , Dæmones humo , id eſt, divitijs temporalibus.* Unde ſanctus Hieronymus ait : S.Hieron. *Religio peperit divitias , quæ ſimul exortæ velut ſpinæ ſuffocaverunt illam.*

Divitiæ Religioſis nocivæ.

9. De Cyro refertur quod dum bellicoſas quaſdam ſibi ſubjectas haberet gentes , à quarum ſeditione ſibi haud parum metuebat , neſciretque qua ratione illarum compeſcere inſolentiam , illaſque domare poſſet , ſeque extra omnem rebellionis metum conſtitueret , hoc tandem fuerit conſilio uſus , nimirum iiſdem gentibus ad omnem vitæ libertatem , commoditatem , delicias , voluptatem oſtium pandebat , & unumquemque pro ſuo genio libere vivere ſinebat , qua ratione ſubito factum eſt , ut ex leonibus imperterritis in formidoloſos evaſerint cuniculos , ad eum fere modum , quo deliciæ Capuanæ Hannibalis invictum & formidabilem exercitum prorſus effœminarunt. Eadem ſtratagematis aſtutia inimicus infernalis communiter utitur , dum ſervis Dei ad lapſum offendicula parat , non per peccata gravia ; ſcit enim , quod illi ab ejuſmodi peccatis primitus committendis abhorreſcant, ſed exhibendo illis divitias,in talem illos collocando ſtatum, in quo commode, licentioſe,& voluptuoſe inter honores aliaſque proſperitates feliciſſime

Hiſtoria.

me vivant, efficiendo ut à ſolita ſolitudine, auſteritate & ſenſuum cuſtodia paulatim remittant; & ſic ſenſim & pedetentim deficiente in illis ſpiritu, viribus ad inſultus illius retundendos neceſſarijs proſtratis, eoſdem in evidentibus occaſionibus expoſitos infeliciter vincit & triumphat.

In delicijs tentatio vehementior.

2.Par.9.v.16.

10. De Rege Salomone ex lib. 2. Paralipomenon conſtat, quod ducentas haſtas aureas & trecenta ſcuta juſſu ſuo fabrefacta, in armamentarium quoddam in delitioſo quodam & amœniſſimo viridario ſituatum recondi fecerit: *Poſuitque ea rex in armamentario, quod erat conſitum nemore.* At vero quodnam eſt nemus vel viridarium inter & armamentarium proportio? An non nemora & viridaria delitiarum loca ſunt? cum tamen in armamentarijs bellica ſolum inſtrumenta aſſerventur. Et tamen id Salomonem imprudenter ſeu caſualiter feciſſe præſumi nequaquam poteſt, utpote qui tanta ſapientia conſpicuus erat; Potius igitur hæc *omnia in figura contingebant*, ut intelligeremus quod in locis delitiarum, ubi voluptatibus & recreationibus operam dando, carnis ſenſualitati deſervimus, potius quam in alijs quibuscumque locis, armis indigeamus, ut inimici infernalis inſultus à nobis repellere & diſſipare valeamus, utpote qui in locis deliciarum, & inter medias voluptates vehementiſſimi eſſe ſolent; Unde ubi noſtra Vulgata legit: *Plantaverat Dominus Deus Paradiſum voluptatis*, Septuaginta legunt: *Paradiſum in Edem.* Anaſtaſius Sinaita autem *Edem* idem eſſe dicit, quod *inflammatio carbonum*; ut concupiſcentiam inter gaudia & felicitates temporales ardentiorem, ferventioremque eſſe intelligamus.

Gen.2.v.8.

Deus potius amittitur quam divitiæ.

11. Neſcio an aliquando obſervaveritis quod Deus populum poſt ejus à ſervitute Babylonica liberationem, non tot bonis locupletaverit, quot ei contulerat ante illam; templum enim, quod Salomon ante illam ſervitutem erexerat, intra ſeptennium totaliter conſummaverat, locupletius utique & magnificentius fuit ſecundo, cum tamen hoc ſub Zorobabele vix intra quadraginta ſex annos conſummari & perfici potuerit: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc.* Quænam vero eſt ratio, quod primi templi fabrica in ſeptem annorum ſpatio ad exitum perducta fuerit; ad ſecundi vero templi conſummationem longe plures anni fuerint adhibiti, non utique ideo quod hoc ſecundum majus fuerit primo, ſed quia poſt ſuum è præfata Babylonica ſervitute reditum, poſt exhauſtas & conſumptas Ægypti divitias pauperes & inopes fuerunt: cum è contra in ſæculo Salomonis, argentum in eadem cum ſaxis abundantia eſſet. D. Chryſoſtomus hunc populum poſt ſuum in Judæam ſive Palæſtinam reditum, ſenſim & paulatim in bonis temporalibus à Deo auctum fuiſſe dicit: *Non ſimul & acervatim dedit eis Deus bona omnia, ſed ſenſim & paulatim, ne præ celeri liberatione à malis ad improbitatem priſtinam recurrerent.* Notandum vero quod ubi eorumdem Judæorum poſteri progreſſu temporis magnis fuere divitijs locupletati, præ timore ne illas denuò perderent, Chriſto, tametſi tantopere deſideratus eorum Meſſias eſſet, mortem turpiſſimam inferre non dubitarint. *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent locum noſtrum*; Ubi ſanctus Auguſtinus ait: *Temporalia perdere maluerant*: Ubi enim vel Deum vel divitias conſervandi optionem habebant, potius illum, quam haſce amittendum eſſe cenſuerunt.

3.Reg.6.v.38.
Joan.2.v.20
Chryſ. in Pſal.26.
Joan.11.v.48.
S. Auguſt.

12. Chriſtus, ut SS. Evangeliſtæ Matthæus, Lucas, & Marcus referunt, Apoſtolis ſuis, ut pulverem à pedibus ſuis excuterent ſerio præceperat: at vero quonam hac in re tam exigui momenti Apoſtolis à ſapientia incarnata præſcripta cautela ſpectabat? Quod Chriſti intererat, ſive Apoſtolorum pedes pulverulenti eſſent ſive non? *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Multo minor Chriſto cura de calceis eſſe debebat, an hi pulvere conſperſi eſſent, vel non: verumtamen Chriſtus hac in re non tam pulverem attendebat, quam quod in illis latet myſterijs: *Omnia in figura contingebant*; *Excutiant pulverem pedum ſuorum*, inquit Sanctus Hieronymus, *quo ſcilicet nihil munerum terrenorum & ab eis apud ſe manere patiantur.* Ubi notandum, quod Chriſtus dicat, *pedum*, quia de ambobus Apoſtolorum pedibus loquitur, quia dum illos ſibi perfectè uniri deſiderabat, totaliter illos à terrenis rebus alienos & abſtractos eſſe volebat.

Matth. 10. v.14.
Marc.6. v.11.
Luc.9.v.5.
Terrena deſerant qui Deum volunt.
1.Cor.9.v.9
S Hier. in c.25. Ezech.

Pecunias calcant.

13. Ingenioſa eſt illa Contemplativi cujusdam obſervatio, quod ſcilicet homini à Deo collatum fuerit omnium rerum creatarum perfectum Dominium, non quidem ut iis per amorem & affectum ſuum adhæreſceret, ſed ut ad ſuam tantum neceſſitatem earum tantum frueretur uſura; Unde David quidem dicit: *Omnia ſubjeciſti*, ſed protinus addit: *ſub pedibus ejus*: Non enim hæc terrena capiti imponenda ſunt, id eſt, non ſunt præter modum æſtimanda; & ideo Filius Dei qui ad reformandos humanæ malitiæ abuſus in hanc terram venerat, cum univerſale omnium creatorum bonorum dominium ſuis haberet in manibus: *Sciens Jeſus, quia omnia dedit ei Pater in manus, Cœpit lavare pedes diſcipulorum*; iisdemmet manibus in quibus omnia hæc terrena bona repoſita erant, Apoſtolorum ſuorum pedes lavit, ut hac ratione manus ſuas, & quæ in eis erant bona viſibilia pedibus eorum ſubmittendo, iis inſinuaret, locum & centrum terrenorum ſub eorum pedibus eſſe debere; quod primitivæ Eccleſiæ fideles ab Apoſtolis edocti optime intellexerunt, qui bona ſua vendentes, exinde conquiſitum pretium ad pedes eorumdem Apoſtolorum ultro detulerunt; Unde idem S. Doctor ulterius ita ſcribit: *Quando Domini noſtri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes poſſeſſiones ſuas, & pretia earum ad Apoſtolorum deferebant pedes, ut oſtenderent pecunias eſſe calcandas.*

Pſal.8.v.8.
Joan.13.v.3.& 5.
S.Hier. l.2. epiſt. 18. ad Demetr.
Juxta Actor. 4. v.34.

Temporalia data ad æterna acquirenda.

14. Tertullianus quoque de temporis ſui fidelibus ſcribit, illos adeo à bonis temporalibus alienos fuiſſe, ut terram iſtam unico tantum pede tangere viderentur: *Terram ſuſpenſo pede tenemus*: quia Deo adeo erant firmiter adſtricti, ut potius omnes ſuas divitias, imo & vitam ipſam, quam fidem perdere mallent. S. Bonaventura ad villicum illum, qui tamquam diſſipator ad reddendam villicationis ſuæ rationem à Deo poſtulatus fuerat, reſpiciens, illaque præcipuè verba: *Quaſi diſſipaſſet bona ipſius*, conſiderans, ait: *Bona temporalia ſunt, ut per hæc acquirantur bona æterna, cum ergo hæc temporalia ſic habentur, quod propter illa æterna perduntur, tunc abſque dubio diſſipantur.*

Tertull. in Apol.
Luc.16.v.1.
S.Bonav. in c.16. Luc.

Felicitas ſurdam facit animam.

15. Eſt & alius quidam magnæ conſiderationis, valdeque nobis præjudicioſus, qui à felicitate temporali derivatur, effectus, nimirum quod animam ad Dei voces & inſpirationes ſurdam efficiat. Unde ſanctus Antonius de Padua ait: *Surdus dicitur, quaſi ſordidus, habet enim ſordes in auribus, quibus oppilantur viæ auditus; ſurdi ſunt avari & uſurarij, quorum aures ſunt obturatæ ſordibus pecuniæ*, juxta illud Pſalmiſtæ: *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas*; Circa quæ verba idem Sanctus obſervat, quod ſicut aſpidi proprium eſt ne vocem incantatoris audiat, unam auriculam terræ firmiter affigat, alteram vero cauda ſua obturet: *Ita infelix avarus tanto dono naturæ & gratiæ ſe privat, qui ne verbum vitæ rapidæ rapiat, vel ſonum prædicantis hauriat, aures cordis obturat ſcilicet terra, id eſt, amore pecuniæ jam acquiſitæ, & cauda, id eſt, turpi ambitione rei acquirendæ.*

S.Ant. de Pad. ſer. in d. 2. Adv.
Pſ.57.v.5.

Avari legum transgreſſores.

16. Deus quodam tempore Joſuæ adeo perfecte obedivit voci hominis, ut per prodigioſum quoddam portentum præcipitem Solis curſum ſubſiſtere fecerit, cum enim Joſuæ dixiſſet: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon*, mox ſacer textus ſubjungit: *Steteruntque Sol & Luna, . . . obediente Domino voci hominis.* Idem quoque Joſue in urbis Hierichuntinæ excidio cunctis militibus, ne quidquam de civium & urbes illius ſpolijs ſibi uſurpare præſumerent, præcepit, cui tamen eadem cum promptitudine à ſuis obtemperatum non fuit, cum ſatis conſtet in quale periculum avarus Nachan cunctum illum populum conjecerit: Unde S. Ambroſius merito exclamat, dicens: *Joſue qui potuit Solem ſiſtere ne procederet, avaritiam hominum non potuit ſiſtere ne ſerperet: ad vocem ejus Sol ſtetit, avaritia non ſtetit; Sol obedit voci hominis, jubente Deo, avaritia Dei juſſione ex contemptu ejuſdem non obtemperat.*

Joſ.10.v.12
Ibid. v.13. 14.
S. Ambr. l.2. offic. c.26.

Proſecutio.

17. Legatur Prophetæ Balaam hiſtoria, in qua refertur, quod hic Propheta ad maledicendum populo Dei à Balac pretio inductus, ut ab ea temeritate deſiſteret, neceſſum fuerit, ut Angelus ad illum cœlitus miſſus coram eo ad viam qua venturus erat, obſtruendam compareret; imò ut Aſina quædam in humanas articulatas voces prorumpens, eum reprehenderet, & tamen auri cupiditas tanta in eo fuit, ut hæc quoque omnia nihil in ipſo profecerint, ut proinde Philo Hebræus merito dicat: *Avaritia legum contemptrix eſt, tam ſcilicet humanæ, quam divinæ, ut nihil omnino vereatur* propter

Num.22.v.5.
Phil. de vit. cont.



*propter Deum*, Sanctus Auguſtinus autem ſpecialius de hoc Balaam loquens dicit: *Hoc ipſo confundens illam dementiam, quod prohibitionem Domini per Angelum factam tranſgredi Aſina non auderet, quam ille cupiditate tranſgredi conaretur.*

S.Aug.q.48.

Divites vitioſi.

18. Denique populus Dei electus, qui antea coinquinatis in luto manibus, lateres Pharaonis imperio efformabat, ruptis compedibus, confractiſque diræ ſervitutis Ægyptiacæ catenis in terram promiſſionis ad moderandum regia ſceptra concedebat, & ſpecialiſſima quadam in columna per diem nubea, per noctem verò ignea, gaudens providentia, annona quadam quotidie è cœlo ipſi ſubminiſtrata nutriebatur, nihilominus ut conſtanter progrederetur, nec denuo cœpas & allia quibus in Ægypto comedendis aſſueverat, repeteret, acutiſſimis calcaribus opus habebat, prouti ex capite primo libri Deuteronomij clarè ſatis colligitur, ibi namque ſacer Chroniſta, ut eos ad iter proſequendum incitaret, terram promiſſionis ex altera ripa Jordanis ſituatam ejusque præſtantiam illis deſcribere volens, inter alia non ſine emphaſi dicit: *Ubi auri eſt plurimum*; quia enim populus ille avaritiæ plus nimium deditus erat, Spiritui Sancto opportunum viſum eſt dicere, quod poſt arduum illud difficillimumque per quadraginta annos continuatum iter, tandem ingreſſuri eſſent terram in qua auri famem continuam abunde exatiare poſſent, eo quod terra illa talis ſit, *ubi auri eſt plurimum*, ut hoc audientes auri deſiderio moti non reverterentur in Ægyptum, ſed conſtanti greſſu iter ſuum proſequerentur; ſed progrediamur ulterius, videamusque quid tandem poſtquam ingentibus fuerunt theſauris locupletati, circa illos contigerit; dicit igitur ſacer textus; *Incraſſatus ..., impinguatus, &c. dereliquit Deum, &c.* Neque enim aliquem virtutibus bene munitum eſſe, & in ijs proficere velle, homini diviti ſufficit, quin potius experientia quotidiana teſtatur, quod quando divitiarum cupiditas cor hominis invaſit, mox divino ſpiritu in eo penitus extincto, omni virtuti obſtruatur aditus, vitiaque illud turmatim ingredi & poſſidere incipiant. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Tam atrox eſt pecuniarum cupiditas, ut licet alioquin virtutis ſimus alumni, nihil tamen, divitiarum appetitione impediti, proficere poſſimus, quare non injuria Paulus eam omnium malorum radicem appellavit.*

Deut.1.v.1.
Deut.32.v.15.
Chryſ.h.64. in Matth.

## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

Per avidam divitiarum concupiſcentiam, affectum & poſſeſſionem, fides, cultus, & notitia Dei plurimum periclitatur.

### THEMA.

*Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.* 1. ad Tim.6. ℣.10.

Cupiditas apoſtatas facit.

1. HIc Apoſtoli textus Gloſſa prorſus non indiget, ſiquidem apertis verbis cupiditatem multis animabus ſcopulum quemdam adeo periculoſum eſſe aſſerit, ut ad illum allidentes in fide patiantur irreparabile naufragium: *Quam quidam appetentes erraverunt à fide.* Sanctus Ambroſius in ſermone quodam de S. Alexio, hoc S. Pauli teſtimonium adducens, dicit: *Vides ergo quia qui pecuniam appetit, fidem perdit, qui aurum redigit, gratiam prodigit, avaritia enim cæcitas eſt, & errorem religionis inducit.* S. Auguſtinus pluribus in locis eamdem de avaris querimoniam habet, innumerabilium etenim animarum deplorat miſeriam, qui aurum pluris, quam fidem faciunt; imò auri cupiditatem, & fidei ſynceritatem, adeo parum ſe comparari poſſe exiſtimat, ut dicere non vereatur: *Qui aurum non habet fidem habet.* Et revera ita eſſe experientia comprobat, videmus enim quod Religioſi, qui paupertatis voto conſtricti ab hac auri cupiditate liberi ſunt & immunes, fidei & fidelitatis erga Deum zeloſiſſimi ſunt promotores & propagatores. Alibi quoque idem ſanctus Doctor avarum quemdam temporalium bonorum ſtudioſum conquiſitorem his verbis alloquitur: *Ut lucrum faceres, Deum offendiſti, ut augeres pecuniam, fides diminuta eſt, & aurum creſcit: quid perdidiſti? & quid acquiſiſti? quod acquiſiſti, aurum vocatur, quod perdidiſti, fides vocatur; compara fidem auro.*

S.Ambr. ſer. de S. Alex.
S.Aug. ſerm. 10. in app. de div.
S.Aug. enar. in Pſ.123.

2. Lyranus ſuper illa verba Deuteronomij, quæ thematis loco in diſcurſu antecedenti poſita fuere, ſcribens, authoritatem Authoris cujuſdam ſcitu valde neceſſariam refert, hiſce verbis: *Refert Magiſter Henricus de Gandavo in ſuo Quodlibeto, quando Conſtantinus dedit Eccleſiæ bona temporalia, vox fertur audita fuiſſe: Hodie cecidit venenum in Eccleſia Dei*, id tamen accidiſſe refert, *propter malorum abuſum.* Quis autem eſt, qui Conſtantinum Magnum fidem & Religionem Chriſtianam de interitu periclitantem reſtituiſſe & ſtabiliviſſe neſciat, & tamen ex altera parte, quando illam bonis temporalibus adauxit, valdeque locupletem fecit, eidem præjudicium quoddam intuliſſe dici poteſt, non quidem ex intentione & culpa ipſius, ſed eorum culpa, qui divitijs illis in pravos fines abutebantur.

Lyr. ibid.

3. Unde S. Leo Magnus Papa in ſermone quodam probare nititur, quod tyrannorum perſecutiones Religionem Chriſtianorum adauxerint potius quam diminuerint; cui conſonat celebre illud S. Bernardi teſtimonium, in perſona Eccleſiæ ita loquentis: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima, amara prius in nece martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum*; Hæc etenim perſecutio ſæva eſt, non propter ferrum vulneribus illam cruentans, ſed propter argentum & aurum vitijs & peccatis illam defœdans; quia enim inimicus infernalis ab aliquot abhinc ſæculis ſanguinem Chriſtianum effundere non potuit, aliud belli genus excogitavit, ſecundùm ſpeciem quidem exteriorem ſuavius, utpote quo illam per fœlicitatem & proſperitatem temporalem infeſtat, revera tamen & in ſubſtantia longe pernitioſius; Unde idem S. Leo Papa dicit: *Interdictam dolet ſanguinis Chriſtiani effuſionem, & quorum obtinere non poteſt mortem impetit mores*; Demum verò quali armorum genere in hoc bello utatur, ſequentibus verbis exemplificat: *Terrores proſcriptionum, in avaritiæ mutat incentivum*; cum enim antea Chriſtianos per tyrannos velut miniſtros ſuos lapidaret, fideliumque ſubſtantiam & facultates illis eriperet, nunc illos in bonis fortunæ abundare facit, eosque in negotiationibus, curis, & affectibus terrenis immerſos tenet; *& quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit.* Unde Author operis imperfecti Eccleſiam in lucta cum tyrannis ſtabilem & fortem, in proſperitate vero vacillantem admirans ait: *Virtus fidei in periculis ſecura eſt, & in ſecuritate periclitatur.*

S.Leo ſerm. 1. de nat. Ap. Pet. & Paul.
S.Bern. ſerm. 33. in Cant.
Divitiæ Religiones fœdant.
S. Leo ſerm. 6. de Epi.
Auth. Imp. h. 26. in Matt.

4. Annales Eccleſiaſtici, cum de Eccleſia Alexandrina ſub Decio Imperatore tractant, referunt quod in principio perſecutionis hujus Tyranni, multi divites Chriſtiani, ne facultates ſuas amitterent, Chriſtum publice abnegarint, è contra vero in primitiva Eccleſia immenſus floruerit martyrum numerus, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum certatim prodigebant, eo quod omnes ſuas divitias ad pedes abjeciſſent Apoſtolorum, ſeque cunctis hiſce bonis terrenis exuiſſent. Recordamini utique quod quando Nabuchodonoſor Rex in proſperitate ſua in ſuperbiam elatus ſe in ſtatua illa aurea à ſe erecta adorari voluit, ſub rigoroſiſſima pœna omnibus & ſingulis ut ſua coram ſtatua illa genua flecterent, præcipiens, inſuper omnes Satrapas, Principes & Magnates primos in hac adoratione eſſe juſſerit, cum tamen ex praxi quotidiana conſtet, Principes & Magnates tardiſſime tam mane, quam per diem ad Eccleſias & ſolemnitates egredi ſolere, econtra vero privatos ad ſimilia Deo præſtanda obſequia, utplurimum citiſſimè properare: quænam igitur fuit Nabuchodonoſoris Magnatibus id præcipientis intentio? Myſterium, inquit ſanctus Hieronymus in eo conſiſtit, nimirum communem & plebeiam populi multitudinem, potentum Principum & Magnatum exemplo ad idololatrandum inducere voluit; ſiquidem certus eſſe poterat, eos qui in populo ſublimibus dignitatibus præeminerent, ad committendam ſine ulla renitentia idololatriam futuros eſſe promptiſſimos, ne imperia, & quos ſibi collatos adminiſtrabant magiſtratus & theſauros amittere & cedere cogerentur, quia *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Unde S. Hieronymus ait: *Principes congregantur ad adorandum, ut Principes ſeducantur & gentes, qui enim divites ſunt, & potentes, dum timent carere divitijs, facilius ſupplantantur.*

Bar. an. 253.
Citius abnegatur Chriſtus quam opes.
Dan.3.v.1.
S. Hier.

5. Circa eamdem Nabuchodonoſoris ſtatuam Hugo Cardinalis ingenioſam adducit obſervationem, nimirum quod dum hanc ſtatuam ab omnibus adorari voluit, magnam in illius effictionem auri quantitatem prodegerit; ut inde ſtatua quædam grandis emergeret; ſed cur illum tam immenſam & ex puro ſelectoque auro conflatam ſtatuam fabricare

Hug. Card. in c.3. Dan.
Opes apoſtatas faciunt.

fabricare juſſiſſe exiſtimatis ? Numquid ſtatua aliqua mediocris ſtaturæ ſufficere poterat ? Cur igitur in immenſum hunc Coloſſum fundendum tantam in pretioſo hoc metallo impendendo prodigalitatem exercere ſtatuit ? *Juſſit fieri ſtatuam auream*, inquit præfatus Cardinalis, *& infiniti ponderis, ut adoraretur facilius*; ſciebat enim quod populus hominem viventem in hac ſtatua adoraturus, religionem veram & cultum Dei ſui viventis & veri abnegare & ejurare debebat, atque ideò ut eum ad hoc ſcelus committendum, & ad hanc imaginem ſuam adorandam tantò facilius & efficacius permoveret, operæ pretium eſſe duxit, ſi hanc auri maſſam in immenſam uſque ſtaturam adaugeret, ſciebat enim quantam ingens hujus pretioſi metalli quantitas ad avaros à fide orthodoxa ſeducendos, pectoribus illorum vim allatura eſſet; *Quam quidem appetentes erraverunt à fide.* Beatus Petrus Damianus proindè hoſce avaros gravi quadam invectiva aggrediens, jam adducto utitur Sancti Pauli teſtimonio, ac tandem Judæ, Balaam Prophetæ & Giezi adducens exempla, ita ait :

S. Petrus Dam. l. 2. ep. 2.

*Duo Simoniacæ hæreſeos reperiuntur auctores, unus in veteri Teſtamento, alter in novo; Giezi donum Spiritus Sancti vendidit, Simon Magus comparare tentavit.*

Hiſtoria.

6. Conſtantinus Imperator Arrianus, ut Catholicos orthodoxos ad fidem Arrianam compararet, nequaquam tormentorum carnificinâ utendum eſſe cenſuit, ſed potius illos honorum, deliciarum, divitiarum, & poſſeſſionum terrenarum blandimentis ineſcatos circumvenire & ſeducere molitus eſt. Unde Sanctus Hilarius ſuo tempore de pravo hujus Imperatoris conſilio graviter lamentans, dixit :

S. Hil. l. con. Conſt.

*Pugnamus contra perſecutorem faventem, contra hoſtem blandientem; non latera vexat, ſed cor occupat, non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit.* Eamdem quoque miſeriam ſanctus Nazianzenus inconſolabiliter deplorat; Quamdiu, inquit, hic ſanctus Doctor, in ſtatu quodam moderato degimus, Chriſtianè & in timore Dei vivimus, mox vero ut ſublimes adepti ſumus honores, recalcitramus :

Naz. or. in Julia.

*Poſtquam incraſſati ſumus, recalcitravimus, & poſtquam dilatati ſumus, in arctum reducti ſumus, quamque in perſecutionibus gloriam, patientiamque collegeramus, eam in ſecundis rebus delevimus.*

Auro probatur cor.

7. Quiſnam obſecro modus eſt, quo Deus cor noſtrum, an Deo fidele ſit, communiter examinat ? Quidnam quoad hoc quotidie experimur ? Certe non alio modò, quam quo aurum probari ſolet, Deus utitur. Hoc autem, ut Hugo Cardinalis præclare advertit, tribus præcipue modis probari ſolet, ſcilicet per adhibitum ignem, per lapidem Lydium, & per lutum. Sic quoque Deus virtutem animæ fidelis Deum veraciter amantis primo probat per applicatum ignem adverſitatis :

Eccl. 27. v. 6.

*Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.* Secundo cor hominis fidelis probat per lapidem Lydium dum homini honores, applauſus, imperia & dominia, aliaſque felicitates temporales copioſiſſimè attribuit. Unde Sapiens ait :

Prov. 27. v. 21.

*Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis.* Et idem Sapiens cap. 17. dicit :

Prov. 17. v. 3

*Sicut igne probatur argentum & aurum in camino; ita corda probat Dominus*; De hac auri probatione, de lapide Lydio, quo illam exequitur, id eſt, de gloria & applauſibus humanis Hugo Cardinalis fuſe tractans, inter cætera dicit :

Hug. Card. ibid.

*Probatio iſta fortior eſt, quam præcedens, multi enim ignem tribulationis æquanimiter ſuſtinent, qui laudes & vituperia pati neſciunt, ſine elatione vel odio.* Tandem ad bona temporalia deſcendit, quæ in ſubſtantia nihil ſunt aliud, quam vile lutum, prouti ex ſententia Habacuc Prophetæ in diſcurſu primo fuſius oſtendimus; Ubi ſi cor hominis non putreſcit, id eſt, in hoc luto, ſicut nec bonum aurum in luto putreſcit, ſic probatus eſt homo &c. ſi autem putreſcit, aurum reprobatum eſt. Porro fideles, inquit idem Hugo, primis ſæculis in igne, id eſt, in ſævis Martyriorum generibus probati fuerunt; poſtea vero perſecutionibus ceſſantibus, multi Confeſſores, licet ſublimibus præfulſerint honoribus, humiles tamen ſuam in auſteritate, & Pœnitentiæ rigoribus vitam traduxerunt : tempore vero noſtro, in quod fæces ſæculi devenerunt, probatur Eccleſiæ aurum in luto divitiarum.

Proſperitatis effectus mali.

8. S. Thomas de Villa nova de ſuis temporibus graviter conqueritur, quibus homines certatim & turmatim felicitatem mundanam omni cum ſtudio & conatu conſectari videntur :

S. Th. Vill. in conc. funeb.

*Quanta mala fecit proſperitas & abundantia ? Proſperitas facit hominem oblivisci Dei ſui, facit eum ſuperbum, facit eum leviſſimum & mundanum, proſperitas facit vitioſum & inertem, contemptorem proximorum, proſperitas replet hominem vitijs & peccatis uſque ad ſummum*; in hac ne umbra quidem aut veſtigium aliquod fidei aut Characteris Chriſtiani agnoſcitur. S. Ambroſius ſuper illa verba Pſalmi :

S. Ambr. in Pſ. 38. v. 6.

*Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens, & quamquam in imagine ambulat homo, tamen vane conturbatur, theſaurizat & ignorat cui congregabit*, demum ſubjungit : *Beatus homo qui ad ſimilitudinem Dei per fidem ambulas, beatus qui in te fidem habes, beatus ſi avaritiam non haberes.*

Hiſtoria ſacra.

9. In Geneſi admirabilem quamdam, noſtroque propoſito aptè congruentem legimus Hiſtoriam. Etenim adoleſcens ille Sichimitarum Princeps ardenti Dinæ amore captus, poſtquam eam defloraſſet nuptias illius vehementer ambiens rigoroſum quoddam mutandæ religionis, & acerbiſſimi doloris, cultro circumciſionis inferendi pactum à Dinæ fratribus illi propoſitum, libenter eſt amplexatus; quod tamen in ipſo uſque adeo mirandum non fuit, utpote qui ut ſacer textus cauſam hujus acceptatæ duræ conditionis reddens ait :

Gen. 34. v. 19.

*Amabat enim puellam valde* : At vero quod populus ei ſubjectus, quem ad eamdem novam Religionem amplectendam inducere ſatagebat, non ſolum adverſus eum rebellando non inſurrexerit, verum inſuper adeò præcipitanter ad deſerendam religionem ſuam, novumque ritum amplectendum, imò ad pœnoſum circumciſionis vulnus patienter ſuſtinendum, & pericula, quæ poſtea ob id incurrerunt, ſubeunda perſuaſus & inductus fuerit, quænam hujus reſolutionis cauſa aſſignari poterit ? Utique enim ad hoc faciendum non voluptas carnalis permovit, ſiquidem hâc ſolus ipſorum Princeps fruebatur, ipſi autem illius minimè participes fuerunt, ſed aliud ad illos ad id inducendos efficaciſſimum medium, avaritia videlicet adhibita fuit, utpote quam non minorem, quam concupiſcentia carnalis, in corda hominum tyrannidem & violentiam exercere probè noverat : *Negotientur in terra, & exerceant eam*, inquit de filijs & familia Jacob Patriarchæ, *ſubſtantia eorum & pecora, & cuncta quæ poſſident, noſtra erunt; unum eſt, quo differtur tantum bonum, ſi circumcidamus maſculos noſtros*, quod idem erat, quod revera religionem in alium prorſus ritum commutare: at vero ut Oleaſter ait, omninò contrarium, ab eo quod ſperaverant, illis accidit;

Oleaſt. ibid.

nam *ſæpe accidit, ut ſuis bonis privetur, qui aliena requirit.*

Avarus Deū non curat.

10. Obſervandum quoque hoc loco, quòd poſtquam Apoſtolus dixiſſet : *quàm quidam appetentes erraverint à fide*, pergit ulterius & dicit : *Tu autem ô homo Dei hæc fuge, non quod alij homines non ſint Dei creaturæ, ſed qui veteres creationis characteres ſervarunt, verè homines Dei vocantur*, quaſi dicere vellet, ad characterem hominis fidelis ſpectat, ut hoc avaritiæ vitium pro viribus fugiat, cum enim homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus ſit, eo id fine factum fuiſſe credere debet, ut Creatorem, non verò creaturam amaret & agnoſceret,

S. Aug. l. de ſpi. in an.

*Ut factorem ſuum*, inquit Sanctus Auguſtinus, *pro imagine cognoſcat, & pro ſimilitudine diligat*; avarus autem, & quævis anima auro & argento affectibus ſuis immerſa hâc agnitione ſe privat, dum nil minus quam Deum quærit vel curat.

Proſecutio.

11. Oleaſter de Pharaone tractans, qui proteſtatus eſt dicendo : *Neſcio Dominum*, ſimulque Salomonis adducens exemplum, qui divitias ſibi à Deo dari renuebat,

Prov. 30. v. 9

*ne fortè ſatiatus illiciar..., & dicam, quis eſt Dominus ?* ita ſcribit :

Oleaſt. in c. 5. Exod.

*Raro qui potentes ſunt, Deum cognoſcunt, ſed quare hoc ? Cum enim hominum conditio ſit Deum & hominem cognoſcere propter indigentiam, & utilitatem, qui raro indigent, Deum non cognoſcunt, neque precantur. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur; Ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſuâ, prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum, & dixerunt : Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo.*

Pſal. 72. v. 11.

Vultiſne videre, quonam uſque ſuperbia ipſorum pertingat ? Audite Hildebertum dicentem :

Hild. ep. 31.

*Quod homo adulante fortunâ demulcetur, & quod hominem penè diffitens æqualem ſe Superis & metitur, & mentitur.*

12. Divus Chryſologus proinde Judaici populi cœcitatem, quâ oculos, imò & cor ſuum adeò ab auro hebetari & offuſcari permittit, ut illud pro Deo ſuo adorare non vereatur, his verbis execratur, dum ait :

Chryſ. ſer. 29

*Aurum Judaicum populum ſic ſuo captivavit affectu, vicit illecebris, ſpecie perdere cæpit, ut hoc eſſe Deum crederent & Deum verum, Deum tot beneficijs cognitum denegarent.*

13. Notat S. Auguſtin. quod tametſi avarus in Sacroſancto lavacro baptiſmatis ablutus fuerit, nequaquam tamen ſibi, ſe templum Dei factum eſſe, perſuadere debeat :

S. Aug. t. 7. l. 4. con. Donat. c. 4.

*Neque avarus*, inquit, *intus baptizatus ſit templum Dei, ſi ab avaritia non receſſerit, qui enim ſunt templum Dei, poſſident utique regnum Dei*; Hoc autem in avaro non adimpletur, inquit Sanctus Auguſtinus, juxta Sancti Apoſtoli Pauli atteſtationem dicentis :

1. Cor. 6. 10. S. Aug.

*Neque avari,... neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*; & alibi hoc vitium eodem quo Idololatriam, loco habet & paris malitiæ cum illa reputat, citatque Sanctum Cyprianum libro 4. Epiſt. 2. qui ad Antonianum ſcribens, hunc Apoſtoli ſenſum in hoc ſenſu exponit, dum ait : *Ut eorum peccato, qui tempore perſecutionis, per libellos ſe thurificaturos profeſſi erant, avaros comparare non dubitaret.*

Avaritia peccatum graviſſimum.

14. Extra omnem quidem eſt controverſiam, quod Deus noſter in divino ſuo cultu ornatum & ſplendorem requirat congruentem, prouti ex fabrica tabernaculi, arcæ, veſtium Sacerdotalium, imò & ipſiuſmet templi perſpicuè ſatis colligitur : Verumtamen ex dubio quodam, quod venerabundus Rupertus Abbas Tuitienſis movet, inſuper etiam deducitur, quod ante omnia alia, pietatem, Religionem & fidem requirat, imò argentum & aurum nec quidquam æſtimet, ſi illa ab hac fuerint virtute ſejuncta & ſequeſtrata. Quærit enim præfatus Abbas, cur Deus qui tres pueros è fornace Babylonica illæſos liberavit, templum pariter non conſervaverit, ne igne conflagraret :

Rup. Abb. l. 6. de vic. ver. t. 25.

*Non poterat Deus templum ſuum illæſum cuſtodire, qui tres pueros cuſtodivit ? planè poterat; ſed erudiendus erat mundus, ut ſciret, quod Deus excelſus, non pulchris lapidibus, aureiſque parietibus templi manufacti delectatur, ſed fide, charitate, & mundis cordibus*; Imò aliud valde conſiderabile motivum paulo poſt ſubjungit dicens : *Ne exiſtimarent homines cupidi, de Deo malè ſentientes, quod eſſet eorum ſimilis, & de religione juſtitia nihil curantes, putarent ſe ſatis honorare Deum muneribus aureis, ſuamque cupiditatem corroborarent quaſi exemplo Dei.* Hanc etenim cupiditatem Deus adeò exoſam habet, ut nullum opus, quantumvis in ſeipſo ſit virtuoſum & honeſtum ipſi placeat, aut remuneret, quando in anima illud operantis hanc maculam obſervat. Unde Beatus Petrus Damianus ait : *Sit ergò quilibet caſtus, ſit ſobrius, ſit indigentibus alendis intentus, hoſpitalitati deditus, jejunet, vigilet, ſi tamen avarus eſt totum perdit, ita ut inter omnium criminum reos, nequiorem ſe invenire non poſſit*; Nam ut Sanctus Bernardus in ea eſt opinione, quod nullum ſit peccatum, quod magis & deterius animam coinquinet, illamque Deo abominabiliorem reddat, ac id avaritiæ peccatum præſtat : ſuper omne peccatum avaritia inquinat animam; Unde & idolorum ſervitus dicitur.

## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Exponuntur myſteria, ob quæ avaritia idololatriæ à Spiritu Sancto ſimilis eſſe dicitur; variæ etiam utriuſque adducuntur analogiæ, variaque hujus ſimilitudinis argumenta.

### THEMA.

*Avarus, quod eſt idolorum ſervitus.* Epheſ. 5. ℣. 5.

Avari idololatræ.

1. Spiritus Sanctus pluribus in locis bonorum temporalium cupiditatem execrando idololatriæ nomine indigitat; ſiquidem per Sanctum Paulum ad Epheſios ita ſcribit;

Eph. 5. v. 5.

*Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus*; Et ad Coloſſenſes pariter per eumdem Apoſtolum ita loquitur :

Coloſ. 3. v. 5. Ibid. v. 6.

*Avaritiam quæ eſt ſimulachrorum ſervitus, Propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis.* In Iſaia legimus :

Iſa. 2. v. 7. Ibid. v. 8. S. Th. ibid.

*Repleta eſt terra argento & auro; & non eſt finis theſaurorum ejus*; & protinus ſubjungitur : *Et repleta eſt terra ejus idolis*; Ubi Sanctus Thomas ait: *Hic arguit in eis idololatriæ cultum*; ubicumque enim theſauri & immenſæ divitiæ reperiuntur, ibi quoque ut plurimum talium divitiarum poſſeſſores dorſum Deo vertere comperientur.

Dæmon in auro & argento odoratur.

2. Sanctus Bernardinus Redemptorem noſtrum per ſapientiam & omnipotentiam ſuam mortalitatem hanc noſtram eo præcipuè fine aſſumpſiſſe conſiderat, ut ex univerſo mundo Idololatriam profligaret :

S. Bern. t. 2. ſerm. 4. art. 2. c. 2.

*Sed avaritia impia inter Chriſtianos Idololatriam innovavit & multiplicavit.* Olim Dæmon ſe in lignis, ſaxis, & alijs ſimilibus materijs, ex quibus Idola fabricata erant, adorari curabat; modo autem inquit præfatus Sanctus *in argento & auro ſe adorari fecit*; in cujus myſterium Oſeæ cap. 10. dicitur :

Oſea 10. 1.

*Secundùm multitudinem fructus ſui Iſraël*, id eſt, Chriſtiana gens *multiplicavit ſibi altaria, ſcilicet ad uſuram parata.* Citatque Sanctum Hieronymum in Epiſtola ad Ruſticum ita ſcribentem : *Æſtimato malo pondere peccatorum levius videtur alicui peccare avarus, quàm idololatra; ſed non mediocriter errat, non enim gravius peccat, qui duo grana thuris projicit ſuper altare Mercurij, quàm qui pecuniam avarè, cupidè, & inutiliter ſervat, & congregat. Ridiculum videtur quod aliquis judicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre, & ille non judicetur idololatra, qui totum ſervitium vitæ ſuæ offert creaturæ.*

3. Ad hoc propoſitum aptiſſimè ſervit ingenioſa quædam Sancti Auguſtini ſententia libro 7. de Civitate Dei capit. 12. cujus titulus eſt:

S. Aug. l. 7. de civ. Dei c. 12.

*Quod Jupiter etiam pecunia nuncupetur*; Hoc enim loco ita ait : *Pecunia vocatur, quòd ejus ſint omnia; O magnam rationem divini nominis. Hoc avaritiæ nomen Jovi impoſuit, ut quiſquis amat pecuniam, non quemlibet Deum, ſed ipſum Regem omnium ſibi amare videatur.*

Idololatria mater opes.

In Oſea illam Ephraim blaſphemiam legimus, per quam Deo à quo infinitis fuerat beneficijs præventus, dorſum vertere non erubeſcebat :

Oſ. 12. v. 8.

*Et dixit Ephraim; Verumtamen dives effectus ſum, inveni idolum mihi* : Ecce tibi quàm verum ſit, quod divitiæ in multis avaris genitrix dici poſſint idololatriæ.

4. Tertullianus per rationem quamdam evidentem cultum & adorationem, quam aurum ſibi uſurpat, declarare nititur : Etenim ipſamet ſapientia incarnata Chriſtus in ratione cultus divitias ſecum comparativè opponit, non quod cultus ille divitijs jure conveniat, ſed quod is illis mortalium abuſu deferatur :

Tertull. l. 4. con. Marc.

*Dominatorem totius ſæculi, & injuſtitiæ cultorem nummum ſcimus omnes; duos enim Dominos Chriſtus nominavit, Creatorem & Mammonam.* Nam in Matthæo Chriſtus dicit :

Matt. 6. 24.

*Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, quorum unum Mammonam eſſe dicit. In Sancto Luca Divitiæ *Mammona iniquitatis* appellantur,

Luc. 16. v. 9. Cajet. ibid.

nam ut Cajetanus ibidem ait : *Mammona idem ſignificat, quod divitiæ.* Dionyſius Carthuſianus ait :

D. Cart. ibid.

*Mammona eſt nomen Diaboli, de divitijs malè acquirendis, ſeu expendendis, aut avarè conſervandis tentantis.* Sanctus Hieronymus in Iſaiam ait :

S. Hier. in Iſa. 2.

*Inter Idola, quæ ſunt opera manuum hominum, avaritia condemnatur.*

5. Inter alia præcepta, quæ Deus populo ſuo dedit, unum eſt iſtud :

Lev. 26. v. 1.

*Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.*

Aurum ſeducit.

Heſychius per hunc inſignem lapidem intelligit *Cumulum auri aut argenti, aut pretioſorum lapidum, in quibus ſeducuntur avari, ſicut gentiles in Idolis.*

6. Verum enimverò dicet fortaſſe aliquis, quænam inter Idololatriam & Avaritiam uſpiam inveniri poterit proportio, ut hæc illius nomine vocari poſſit ? Audite quas multi Sacri Doctores adferunt inter hæc duo vitia analogias & parallelos. Divus Chryſoſtomus verba illa Apoſtoli *avarus, quod eſt idolorum ſervitus*, ponderans,

Epheſ. 5. v. 5.

Apoſtolum hic non per exaggerationem & hyperbolen locutum fuiſſe dicit, ſiquidem *deficit à Deo avarus, quemadmodum ſimulachrorum cultor*, id quod per illud Chriſti effatum confirmat, dicentis :

Chryſ. h. 18. ad Eph.

Matth. 6. 24.

*Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ*, ex quo ſequitur, quod *qui Mammonæ ſerviunt, ſeipſos extra ſervitutem Dei ejecerunt.*

7. Sapiens in Parabolis ſuis ait :

Prov. 21. v. 1.

*Cor Regis in manu Domini quocumque voluerit, inclinabit illud* :

Proſecutio.

Aurum verò ſapientiam & omnipotentiam Divinam hac in re æmulatur, quia Eccleſiaſtico teſte :

Eccl. 8. v. 3.

*Multos perdidit aurum & argentum, & uſque ad cor Regum extendit, & convertit*; Unde ingenioſus quidam Scriptor modernus de auro dicit : *Aurum eſt Monarcha in Imperijs, Imperator in campis, arbiter in litigijs, cotes ferri, flammarum fomes, ſcopulus fidelitatis, affectuum tyrannus; Magnes curarum; fortiſſimarum expugnator urbium, debellator regnorum, mundi triumphator; Aurum eſt, quod innocentiſſimas corrumpit animas, acutiſſimas excæcat oculorum pupillas, juſtiſſimas manus catenis conſtringit, generoſiſſima ſibi corda ſubjugat,* imò ipſimet quoque ſynceriſſimæ ſanctitati bella crudelia

movet,& vos etiamnum admiramini,quod aurum tantoperè æſtimetur, imò adoretur à cœcis mortalibus? Guerricus Abbas, cujus ſermones operibus Sancti Bernardi inſerti leguntur, ita ſcribit: *Ecce avaritiam idololatriæ comparat, & merito, quia ſicut uni Deo idololatria nititur auferre gloriam, ne ſolus habeat nomen Deitatis, ita avarus in Dei res ſe extendit, ut ſolus uſurpet, quæ Deus Omnipotens in uſum plurimorum fecit: utraque Deo inimica, quia negat Deo quæ ſunt ejus.* Sanctus Bernardinus idipſum de uſurarijs examplificando dicit: *Uſurarij tribuunt ipſi Creaturæ, quod ſolum competit ipſi Creatori, ſicut uſu Idololatriæ ſubdunt ſe Idolo, ita avari ſubdunt ſe nummo.*

*Guer. Abb. in die purif.*

*S.Bern. t.2. ſer.43. a.2. c.3.*

Similitudo inter idololatriam & avaritiam.

*S.Ambr. ad Eph.*

8. Sanctus Ambroſius verba Sancti Apoſtoli in themate hujus diſcurſus propoſita ponderans, rationem aſſignat ſimilitudinis illius, quæ idololatriam inter & avaritiam conſpicitur: *Idololatria Dei honorificentiam uſurpat & vindicat creaturæ cum in nomine Divinitatis, quod ſoli Conditori competit, participem illi aſſerit ejus facturam; avaritia autem idcircò huic exæquata eſt, quia ſimiliter ea quæ Dei ſunt, ſibi uſurpat, & recondit avarus.* Pergit paulò poſt de effræni bonorum temporalium cupiditate ulterius dicere: *Multos lædit, Creatori ſimiliter inimica; vult enim Deus, ac jubet de ijs, quæ creavit, ſubveniri pauperibus; avaritia contra dicit: Vide an ſine Diabolo poſſit eſſe.* Gentilium Idola tantam præ ſe ferebant cupiditatem,ut ſibi omnia quæ dari ſibi poterant, & non dabantur inſatiabiliter concupiſcerent; Et quidem in ſpecie Idolum Bel quanta quotidiè abſumebat & diſſipabat? tales ſunt avari, qui alijs eripere nituntur omnia, quæ poſſunt.

Proſecutio.

*S.Ambr. t.3. in c.3. ad Col.*

9. Sanctus Ambroſius in capit. 3. ad Coloſſenſes iterato dicit: *Sicut Idololatria uni Deo auferre nititur gloriam, ne quod ejus peculiare eſt, ſolus habeat, nomen Divinitatis ſibi ſoli condignum, ita & avaritia in Dei ſe res extendit, ut ſi fieri poteſt, unus & ſolus creaturam ejus ibi uſurpet, quam Deus communem omnibus fecit; Unde dicit Deus per Prophetam: Meum eſt aurum, meum eſt argentum.* Ad Deum nos confugimus, quia ipſe in omnibus providet nobis, cunctamque in eo ſpem ſituatam habemus; avarus autem ſuis tantummodo confidit in divitijs: *Ecce homo, qui non poſuit Deum Adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum.* Unde & Sanctus Hilarius inquit: *Jam verò quàm infelix fiducia eſt rei inanis; Deum contemnere habendo aurum, quaſi aurum non ex Dei ſit creaturis.* Is qui luce frui deſiderat, utique non ad ſtellam aliquam, ſed ad Solem ſe recipit,utpote à quo tamquam à fonte ſtellæ lucem ſuam accipiunt; Hæc autem eſt avarorum deordinatio, quod in creaturis ſpem ſuam repoſitam habeant, earumque ſubſidio ſolùm innitantur, à creatore ſe avertendo. Deus nobis, ut totum amorem noſtrum in ipſum transferamus præcepit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.* Cupidus autem & avarus totum cor ſuum in auro poſitum habet, Deumque illi, & illud Deo æquale eſſe cenſet, imò plus illud quàm Deum æſtimat & diligit: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum;* Nam ut D.Nazianzenus ait: *Sicut Ethnicus conſertis manibus ſimulachrum complectitur, ita & avarus aurum januis & repagulis committit, atque illud quaſi ſacrum quoddam donarium attrectare minime audet.*

*Pſ.51. v.9.*

*S.Hil. ibid.*

*Matth.22. v.37.*

*Matt.6.21.*

*Naz. or.40.*

10. Imò Divus Chryſoſtomus avarum idololatra pejorem dicere non dubitat: *Nam Idolorum cultores Creaturas Dei adorant,* inquit, *& venerati ſunt, & coluerunt creaturam plus quàm Creatorem: Tu verò tuam ipſius creaturam adoras, avaritiam enim Deus non creavit, ſed inſatiabilis illa immodeſtia tua eam adinvenit.* Et ideò ſicut Tertullianus Idololatriam *Principale crimen generis humani* appellat, ita quoque Spiritus Sanctus de avaro ait: *Avaro nihil eſt ſceleſtius.* Enimverò ad hoc noſtrum intentum probandum facta quædam ſcripturalia accuratius penſitemus.

*Chryſ. h.18. ad Eph.*

Avarus idololatra pejor.

*Tertull. de idol. c. 1.*

*Eccl. 10. v. 9.*

11. D.Chryſologus de Idololatria Iſraëlis erga vitulum ſcribens, myſtica hæc verba habet: *Aurum Judaicum populum ſic ſuo captivavit affectu, ut eſſe Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficijs cognitum denegarent.* Quibus in verbis valdè notandum eſt illud Ly, *cognitum;* Hic namque populus non ſine cauſa *Iſraëlis* nomine inſignitus erat, quod idem ſignificat, quod *videns Deum*, præ cunctis namque alijs univerſæ terræ populis, veri Dei notitiam habebat, & tamen vitulum iſtum veluti verum Deum adoravit; *Quomodo Dei qui ſiunt?* Enimverò ſacrilegum hujus vituli cultum minutim & particulatim, id eſt, ſecundùm omnes ſuas circumſtantias exactius nonnihil conſideremus. Tumultuoſa igitur populi hujus multitudo Aaronem convenit, eique in modo imperativo dixit: *Fac nobis Deos;* Sed quonam ſummus hic Sacerdos, ut petitioni eorum ſatisfaceret, conſilio uſus fuit? *Quibus ego dixi: Quis veſtrûm habet aurum?* At verò ex quo populus ille Divina numina & non fictam, ſed veram quamdam Deitatem ſibi ob oculos poni poſtulabat, qua ratione aurum ad hunc effectum illis præſtandum ſervire poterat? Nimirum probè verum eſſe ſciebat, quod poſtea Pſalmiſta ait: *Simulachra gentium argentum & aurum.* Sanctus Ambroſius autem dicit: *Quo indicio claruit* (quando nimirum pro Idolo fundendo aurum & argentum ab ijs poſtulavit) *auri cupiditatem materiam eſſe perfidiæ, & avaritiæ ſtudio ſacrilegia ſolere generari.* At verò dicet nonnemo, Aaronem inopportunè videri aurum hoc & argentum ab illis poſtulaſſe, utpote quod vix aut non niſi ſumma cum difficultate populus ille extraditurus erat; Quis enim eſt qui populum hunc avaritiæ ſupra modum deditum fuiſſe neſciat? Verumtamen licet Aaron ab ipſis ornamenta quæ tum ipſi tum uxores & liberi eorum in manibus,brachijs, & auribus ſuis pretioſiſſima deferre ſolebant, poſtulaſſet, ipſi tamen *Tulerunt & dederunt mihi*, inquit Aaron, Mira profectò res, ut Deus illos ab infamis & acerbæ ſervitutis Ægyptiacæ vinculis, compedibus & catenis, quibus conſtricti erant, eriperet, neceſſum ei fuit, ut illos opulentiſſima Ægypti ſupellectile adaugeret & oneraret, licet ad terræ promiſſionis Imperia & ſceptra abituri eſſent; Achan ſimiliter adeò divitiarum auri & argenti cupidus erat, ut licet ei expreſſa Dei de non uſurpandis ſpolijs Hierichuntinis prohibitio perſpicua eſſet, ſciret etiam quod ſpolia hæc ſibi vendicando, glorioſis obtinendis victorijs impedimentum ſibi, totique exercitui ingens vituperium & confuſionem ſuperinducturus eſſet, ſuam tamen in Hiericho effrænam cupiditatem coërcere aut temperare minimè potuit,quodnam igitur huic populo motivum eſſe potuit, ut tam pretioſis aureis argenteiſque monilibus & ornamentis ſe tanta cum facilitate exuerit, eaque Aaroni libentiſſimè conſignarit? vultiſne ſcire quidnam illos ad hoc permoverit? nimirum ornamenta hæc ſe non perdituros, ſed potius melius cuſtodituros & honoraturos eſſe cenſuerunt, quando illa ad conflandum Idolum extradebant, ſiquidem ſe aurum & argentum in conficto illo numine, quod ſomniabant, deinceps adoraturos eſſe ſciebant,ideoque ſe auro & argento ſuo optimè conſuluiſſe arbitrabantur.

*Chryſ. ſer.29*

Iſraëlitæ credebant aurũ eſſe Deum.

*Exod.32.23.*

*Ibid. v.24.*

*Pſ.134.v.15*

*S.Ambr. Apol.David. c. 4.*

*Exod. 32. v.24.*

12. At verò novum hic mihi circa verba illa ſubnaſcitur dubium: *Et projeci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus.* Scire enim percuperem, cur ex hoc tam pretioſo metallo in igne liquefacto potius vitulus ille, & non potius alia quædam alterius animalis figura egreſſa fuerit? *Egreſſuſque eſt hic vitulus;* In primis exinde liquet, quod non obſtante quod ex auro illo bovem quemdam conflatum fuiſſe viderent,ipſi tamen eidem velut increatæ Deitati cultum debitum exhibituri, ſua coram illo genua devotiſſimè flexerint: S.Macharius ſenior autem in Homilia quadam notat, quod *Quodammodo imitatus eſt ignis eorum inclinationem.*

*Ibid. v.24.*

*S. Mach. Sen. h. 11.*

13. At vero ex quo unicum tantum Idolum, nimirum unicus vitulus exinde conflatus fuerat, cur Aaron illis in numero plurali dixit: *Hi ſunt Dij tui?* quia unuſquisque in vitulo illo ſuum in particulari Idolum,Numen & Deitatem propriam, aurum videlicet quod unuſquiſque contribuerat, adorabat: *Simulachra gentium argentum & aurum.*

*Exod.32.v.4*

*Pſ.134.v.15*

14. Adhæc quâ ratione de vitulo illo tunc affirmare poterant, ſe per illum ab Ægyptia ſervitute fuiſſe liberatos? Utique ſi hiſtoriam exitus illorum de Ægypto accuratius examinemus, illos verum dixiſſe fatendum erit: niſi enim Deus illos auro & argento Hebræorum ante exitum ditaſſet, utique ex regno illo pedem ſuum numquam extuliſſent; Imò forſitan aurum quod pro Idolo conflando contribuerant, illud ipſum fuit, quod illos ad regnum illud deſerendum induxerat.

15. Aliud quoque dubium hoc loco occurrit, nimirum quâ ratione poſſibile fuerit, quod Hebræi, de quibus dicitur: *Notus in Judæa Deus*, adeò inſenſati eſſe potuerint, ut vitulo aliquam ineſſe crederent Deitatem? Rupertus Abbas Tuitienſis reſpondet: *Aureus erat ille vitulus, & inde facile perſuaderi poterat populo quod eſſet Deus: quare? nimirum quia mentes eorum obtinuerat avaritiæ ſpiritus, & idcirco apud cogitationes eorum non parva res erat aurum, multoque plus placebat aſpectibus eorum, ergò Deus illorum erat aurum, Deus illorum erat Mammon.*

*Pſ.75.v.2.*

*Rup. Abb. l. 4. in Amo. c.9.*



16. Verumtamen majorem utique admirationem vobis conciliabit, ſi conſideraveritis qualiter Pluto, qui à Gentilibus colebatur velut divitiarum Deus,apud nos verò Lucifer appellatur, non ſolùm nos per divitias in Idololatriæ ſacrilegia inducere, verum etiam ipſummet Dei Filium omnium totius mundi regnorum oblatione ei facta in idem ſcelus præcipitem agere poſſe exiſtimarit; ideò enim dixit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.*

*Matth.4.9.*

17. In Plutarcho pulchram quamdam & huic propoſito opportunè inſervientem eruditionem legimus, Dicit enim: *Aurum, in certa templa qui penetrant, relinquunt foris?* quonam verò myſterio id ab ipſis fieri ſolebat? Ideò nimirùm,quia cum veriſſimum ſit, quod *avaritia ſit ſimulachrorum ſervitus*, ſi aurum in talia templa ſubintuliſſent quaſi aliam quamdam Deitatem, ab eo numine, quod inibi colebatur,diſtinctam in illa introducendo, unum Idolum cum altero pro ſui cultus proſecutione in certamen & conflictum Juriſdictionis provocaſſent, quod ne facerent, templa ingredientes aurum foris relinquebant.

Hiſtoria.

*Plutar. in præc.Polit.*

18. Iſaias, qui ob perſpicua eventuum novæ legis ab eo conſcripta vaticinia, paſſim Propheta Evangelicus dicitur, in capitulo 2. Prophetiæ ſuæ, hæc de Chriſto Domino futura prædixit: *Elevabitur Dominus ſolus in die illa, Et Idola penitus conterentur.* Et tamen ſi totum Jeſu Chriſti Evangelium à principio ad finem uſque evolvamus, nuſquam Chriſtum Scribas, Phariſæos, Sacerdotes, vel populum de Idololatria redarguiſſe inveniemus; conſtat quidem quod illos de quibuſcumque alijs vitijs reprehenderit, de infidelitate verò non item; quomodo igitur propheticum hoc oraculum adimplebitur? quænam ſunt Idola quæ in terram corruerunt? aut verò ſi corruerunt, ubi & quando id factum fuit? vultis ſcire ubi & quando id acciderit? Tunc nimirum, quando manu ſua flagello armata collybiſticas nummulariorum ſeu prophanatorum templi menſas ſubvertit: *Menſas nummulariorum ... evertit*, ſiquidem avaritia,ut diximus, *ſimulachrorum eſt ſervitus.* Unde S. Zeno ait: *Aurum argentumque Chriſtiane (ſi vera dicenda ſunt) execraris in ſimulachris ſolis,* quaſi dicere vellet, Ergo & execranda ſunt in ſemetipſis, cum ſint quaſi alia falſa & conficta numina Deitatis. Notandum verò quod Chriſtus priuſquam templum ingrederetur, inde prius omnes ementes & vendentes arrepto flagello pepulerit, ad denotandum, quod Arca & Dagon, Deus & aurum ſimul conſiſtere non poſſint. Unde S.Ambroſius ait: *Chriſtus de templo ejiciebat nummularios quia ipſe volebat intrare.*

*Iſa.2.17.18*

Aurum eſt Idolum.

*Matth. 21. v.12.*

*Colloſſ.3.5.*

*S.Zen. ſer. de avar. inſat.*

*S.Amb.l. de Cai.& Ab. c.4.*

19. Imò avaritia tantam adverſus Deum verum temeritatem exercere non erubuit, ut ipſum pro triginta argenteorum pretio vendendo, omninò ſupplantarit? Quonam verò ex motivo traditor id facere præſumpſit? Nimirum Judas Magdalenam pretioſum illud unguentum ſuper caput Salvatoris liberaliter effundere videns, illudque à ſe venditum non eſſe, & venditi unguenti pretio gaviſum non fuiſſe dolens,ait: *ut quid perditio hæc, Potuit ... venumdari &c.* Ubi Sanctus Hieronymus ait: *Infelix Judas, damnum quod ex effuſione unguenti ſe feciſſe credebat, vult magiſtri pretio compenſare.* Ecce quouſque avaritia ſe extendat, nimirum ut ipſummet Deum ſuæ tyrannidi ſervire faciat, dum triginta argenteos pluris quàm ipſum Deum, *in quo ſunt omnes theſauri* in corde ſuo æſtimat.

Pluris æſtimatur aurum quam Deus.

*Matth.26. v.8. & 9.*

*S.Hier.ibid.*

20. Verum ex quo Judas pecuniæ adeò fuit avidus, Sacerdotes autem libenter pro Chriſto habendo quantumvis ingens pretium ſoluturos, imò totam templi ſupellectilem & univerſum ærarium ſuum in hunc finem erogaturos fuiſſe ſciebat, cur tam exiguam ab ipſis pecuniæ ſummam popoſcit & acceptavit? Sanctus Hieronymus dicit: *Nec certam tamen poſtulat ſummam, ut ſaltem lucroſa videretur proditio, ſed quaſi vile tradens mancipium, in poteſtate ementium poſuit, quantum vellent dare;* Ecce tibi hic optimè deſcriptam avari hominis conditionem, utpote qui Deum tam nihili facit & contemnit, ut pari in pretio Deum & aurum habeat, imò in majori, quia ne auri acquirendi occaſionem negligat, Deum pro viliſſimo pretio vendere non dubitat.

Proſecutio.

21. Judas quando reatus ſui agnoſcens enormitatem dixit: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*, dignum Deo conceptum de ipſo minime habuit, ſiquidem de ejus miſericordia deſperavit: at verò quo in pretio argentum ex Chriſti venditione acquiſitum habuerit, vel exinde patuit; quia *retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & ſenioribus;* Ubi Drogo Hoſtienſis ait: *Vide quàm magni ponderabat eos, non projecit eos in ſterquilinio; ſed in templo; nimirum talibus ſemper Dijs templum ſuum devoverat, avaritia enim ſimulachrorum ſervitus eſt.* Unde de avaris meritò Divus Chryſologus lamentatur his verbis: *Attende quàm ſit pernities iſta fugienda, quæ cum mores hominum, honeſtatem, vitamque perdiderit, ipſum quoque Deum voluit homini & contendit auferre, hoc eſt, quod Judam fecit eſſe proditorem, ut hominem cogeret eum negare.*

*Matt.27.4.*

*Matth.27.3.*

*Drog.Hoſt.de ſacr. dom. paſſ.*

*Chryſoſt.29.*



22. D.Chryſoſtomus ſuper illa verba: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, ita ſcribit: *Hoc loco & animo prorſus toto perhorreſcamus, & corpore, intelligentes iſtud, quod Chriſtum dixiſſe memoravimus, ex adverſo ſcilicet Deum, aurumque conſiſtere & componi; ſi igitur iſtud ſono quoque ſermonis horribile eſt, quantò eſt horribilius cum ipſis operibus tyrannis auri Dei timori præfertur?* Sanctus Zeno in quodam diſcurſu, cui Titulus eſt: *De avaritiæ deteſtabili vitio*, adverſus divites avaros ad ſtellas uſque exclamat quibus poſtquam multas ob oculos propoſuiſſet ærumnas, quibus propter accumulatas ſubjiciuntur divitias, tandem illos de nulla alia re adeo ſolicitos eſſe ſubjungit, quàm ut indignum huic Idololatriæ cultum exhibeant: *Solùm colitur de quo dictum eſt: Idola gentium argentum & aurum, pro quo quis aut jugulatur, aut jugulat.* Sanctus Bernardus hanc quoque Idololatriam in perſonis Deo conſecratis reperiri deplorat,dicens: *Væ, væ, in domo Dei horrendum videmus, quidni? Idololatras miniſtrantes, mentior, ſi non Idolorum ſervitus avaritia, quod enim quiſque præ cæteris colit, id ſibi Deum conſtituiſſe probatur.*

*Matth.6.24.*

*Chryſ.h.22. in Matth.*

Avari Idololatræ.

*S.Zeno de av. deteſt. vitio.*

*S.Bern. in decl.ecce nos reliq.*

23. Hugo de Sancto Victore myſterium inquirit, ob quod ipſamet incarnata ſapientia in propria perſona,non ſemel, ſed bis tanto cum impetu & vehementia vendentes pariter & ementes è templo profligarit, & reſpondet: *Ne miniſtri altaris attendentes lucra,eorum peterentur exemplo, quia Eccleſiaſticos hac peſte facilius infici poſſe ſciebat.*

Eccleſiaſtici facilè avaritiâ inficiuntur.

*Hug. Vict. Miſcel. l.1. tit.65.*

24. Angelicus Doctor verba illa Geneſeos: *Videntes Filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi in uxores &c.* conſiderans, ſimulque natos inde fuiſſe gigantes Deo bellum moventes perpendens, eadem verba in ſenſu morali exponit, & dicit, quod ex quo tempore filij Dei, id eſt, Clerici viderunt filias hominum, id eſt cenſus & reditus opulentos, Dominiaque temporalia, quæ Abbatijs & Epiſcopatibus annexa ſunt, illos ſibi deſponſare omni ſtudio quæſierunt; facta autem hac deſponſatione,id eſt, poſtquam facti ſunt Abbates & Epiſcopi,nati ex illis ſunt gigantes, id eſt, gigantea ex illis nata eſt ſuperbia, quâ illis titulis non contenti, Marchionum & Principum ſibi titulos acquiſierunt,quibuſcum cum ipſo Deo concertare non verentur: *In magnis & mirabilibus ſuper ſe ambulantes, qui potius videntur Marchiones & Reges, quàm Abbates & Epiſcopi, & ideò non mirum, ſi per hos erigatur imago beſtiæ, & ſtatua Babylonis.*

*Gen.6.v.2.*

*S.Th. ibid.*

## DISCURSUS XVI.

### ARGUMENTUM.

Inordinatus erga bona temporalia affectus condemnatur, ſicut & eorumdem bonorum duplex abuſus, dum ſcilicet ea inter egenos non diſtribuimus,vel plus æquo æſtimamus, & in ijs velut non perituris confidimus, cum ſint temporalia & caduca.

### THEMA.

*Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Pſal.61.℣.11.

1. PRopheta regius,qui poſt lapſum immaculatam vitam duxit, licet ex theſauris, quos pro ædificando templo congregaverat, ſimul eſſet opulentiſſimus & potentiſſimus, hanc nobis ſententiam poſt ſe ſcriptam reliquit, ut oſtenderet; quod ij quibus Deus in hac vita magnam in bonis fortunæ abundantiam donavit, divites ſimul Deo accepti eſſe poſſint, cum hac tamen conditione: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere;* Ubi Laurentius Juſtinianus ait: *Non dixit: Nolite habere, ſed nolite cor apponere; non damnat divitias, unde cœlum homo meretur, ſed ut cor non apponatur.* Unde Sanctus Thomas Aquinas avaritiam hiſce terminis deſinivit: *Avaritia quaſi æris aviditas, deſinitur*

Inordinatus divitiarum affectus condemnatur.

*B.L.Juſt.de lig.vit. c.4.*

*S.Th.2. 2. q.118.art.1.*

*definitur eſſe immoderatus amor habendi* : non enim divitiarum poſſeſſio condemnatur, ſed immoderatus in earum acquiſitione & conſervatione affectus & cupiditas. *Nolite cor apponere*; Circa quæ verba Dionyſius Carthuſianus ait : *Id eſt, voluntatem veſtram nolite inordinatè affigere, nolite inordinatè amare, retinere, augere, nolite in eis ſuperfluè occupari, videlicet ut cum labore acquirantur, cum timore poſſideantur, cum dolore perdantur, non ergò culpantur divitiæ, ſed inordinatus affectus.*

*In Pſ. 61. 11 D. Cart. ibid.*

Proſecutio.

2. S. Bernardus optimè conſiderat, quod Salvator noſter divitias appellarit Mammonam iniquitatis, dicens : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; hancque hujus epitheti rationem aſſignat : *Dicuntur iniquæ, non propter ſe, ſed propter iniquitatis affectum, qui evenit ex illis, ſicut arbor illa, quæ appellata eſt ſcientiæ boni & mali; non quod ullam haberet ſcientiam, ſed quod tangentes eam contra præceptum, boni pariter & mali contingeret eſſe ſcientes.* S. Auguſtinus quoque cauſam malitiæ reſpectu divitiarum ſoli voluntati inordinatæ circa divitias, non verò poſſeſſioni illarum attribuit; dum enim verba illa S. Pauli, *Qui volunt divites fieri &c.* conſiderat, ita ſcribit : *Aliud eſt eſſe divitem, aliud velle divitem fieri; video facultates, non interrogo voluptates; hic cupiditas accuſatur, non aurum, non argentum, non divitiæ, ſed cupiditas; nam qui volunt divites fieri, vel qui non curant, vel non ardent cupiditatibus, non avaritiæ facibus accenduntur, ſed divites ſunt; audiant Apoſtolum : Præcipe divitibus hujus mundi; præcipe; Quid? præcipe ante omnia, non ſuperbè ſapere.*

*Luc. 16. v. 9. S. Bern. ſer. de vill. iniq.*

*1. Tim. 6. 9. S. Aug. ſer. de ver. Dom. c. 9.*

3. Sanctus Bernardinus divitem quemdam toto corde divitijs immerſum conſiderat, & contra illum hunc Pſalmi verſum adducens : *Ecce homo qui non poſuit Deum Adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum*, ita inquit : *Dicent juſti, Ecce, demonſtrativè ad confuſionis exaggerationem; Homo, ab humo, quia ex cupidine quâ terrena dilexit, totus terrenus effectus eſt; qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſperando in eo, qui verè, ſicut ait Pſalmus, protector eſt omnium ſperantium in ſe, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum.*

*Pſ. 51. v. 9.*

*S. Bern. t. 2. ſer. 43. a. 1. c. 2.*

*Pſ. 17. v. 31.*

Dives ſemper aurum conſiderat.

4. Enimvero cor eſt in nobis velut primum mobile omnium cogitationum, affectuum, & operationum noſtrarum, ac proinde Deus animam noſtram ſibi ſoli intentam, non vero ad alia diſſipatam eſſe deſiderans, ſolum ab eo cor expoſcit : *Præbe Fili mi, cor tuum mihi.* Avarus autem cor ſuum in facultatibus ſuis poſitum habere dicitur, nihil enim cogitat, nulli rei ſtudet, pro nulla re alia operatur, præterquam propter ipſas. Unde S. Ambroſius diſcurſum ſuum ad hominem avarum dirigens, ita eum alloquitur : *Aurum quæris, aurum deſideras, aurum recondis, omnia aurum vides; aurum tibi vigilanti cogitatio eſt, & ſomnia dormienti; gratias aurum intueris, quam Solem; ipſa ejus oratio & ſupplicatio ad Dominum aurum quærit, & vellet, atque optaret, ut omnia ei in aurum converterentur.*

*Prov. 23. v. 26.*

*S. Ambr. ſer. in Dom. 8. Pent.*

Corda auro affixa.

5. Poſſumus quoque nos ad avaritiæ materiam ſive objectum reflectere, quod tametſi pretioſum quoddam metallum ſit, ſuos tamen è luto natales habet, quod homini illud tangenti vel tranſeunti magna cum facilitate adhæreſcit. Unde S. Bonaventura ait : *Limoſa & glutinoſa eſt ſubſtantia hujus mundi, & cor humanum facile opibus frequenter adhæret.* Et ideo idem Seraphicus Doctor de his quorum corda facultatibus ſuis affixa hærent, illa Pſalmi verba interpretatur; [*Quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter*], *unde hæc plus mundi concupiſcentia, quam ſubſtantia nocet.* S. Thomas de Aquino de malignitate quæ divitiarum poſſeſſionem vitioſam reddit tractans, ita diſcurrit : *Alio modo poteſt importare immoderantiam* (de avaritia loquitur) *circa interiores affectiones quas quis ad divitias habet, puta quod immoderate aliquis divitias amet, aut deſideret, aut delectetur in eis, & ſic avaritia eſt peccatum hominis in ſeipſum, quia deordinatur ejus affectus; eſt peccatum in Deum, in quantum homo propter bonum temporale contemnit æternum.* In tantum enim homo in accumulandis præter fas & nefas divitijs, & ad immergendum amorem & cor ſuum in hæc bona temporalia anxius eſſe ſolet, in quantum de providentia & liberalitate divina diffidit; atque ideo David, poſtquam dixiſſet : *Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere*, proſequitur dicens : *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera ſua*; Circa quæ verba Hugo Cardinalis Davidem Regem hiſce verbis alloquitur : *Quare ita hortaris, ne divitias diligamus? Quia ſcilicet Deus juſtus eſt & miſericors, & ita bonis bona, & malis mala reddet*; Illa quoque verba : *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi, &c.* declarans dicit : *Id eſt immutabiliter locutus eſt Deus per Prophetas, per Filium, per Apoſtolos, & in locutione illa duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt ad puniendum, & miſericordia ad remunerandum unicuique ſecundùm opera ſua.* Quod ſi vero contingeret, quod bonis in hac vita de bonis temporalibus nihil omnino, vel parum admodum concederet, nequaquam illis ob hoc conquerendum eſſet, quia Deus tam bonos quàm malos bonis ejuſmodi temporalibus abundare concedit, unde colligitur, quod bona fortunæ in ſeipſis vera bona non ſint. Unde B. Humbertus ait : *Signum modicæ bonitatis eorum eſt, quod Deus dat ea & amicis ſuis & inimicis, communia enim ſunt & bonis & malis, & plus habent inde mali quam boni.* Sunt quoque utilia quidem hominibus, non propter ſe, ſed propter bonum eorum uſum, quia ſcilicet homo affectu & corde ab illis alienus eſt : malum vero quod in multis animabus cauſant, in eo conſiſtit, quod corda eorum qui illa poſſident, in illis totaliter immergant, adeo ut verè dici poſſit : *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum* : ad eum modum, quo in vita S. Antonij de Padua refertur, quod dum aliquando in divitis cujusdam & avari hominis exequijs concionaretur, de eodem avaro dixerit; Quemadmodum Chriſtus ait, Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum, ita quoque in hoc præſenti divite adimpletum fuit, ſiquidem quoadusque vixit, cor ſuum in theſauro ſuo poſitum habebat, ibique illud quoque moriens reliquit, cujus ſi veritatem experiri vult, ad ſcrinium, in quo divitias ſuas reconditas habebat, accedite, ibi namque cor ejus adhuc palpitans inter pecunias ejus reconditum reperietis : abierunt igitur & miſeri illius avari cor in medio theſauri repererunt.

*S. Bon. in c. 18. Luc.*

*Pſ. 43. v. 25.*

*S. Tho. 2. 2. q. 118. a. 1.*

*Pſ. 61. v. 11.*

*Ibid. 12. 13.*

*Hug. Card. in Pſal. 61.*

*Pſ. 61. v. 12.*

*B. Humb. c. 4.*

*Matt. 6. 21.*

Avari non cogitant niſi divitias.

6. Lucas Burgenſis ſuper illum S. Matthæi textum : *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum*, ita ſcribit : *Cor pro affectibus cordis & animi ponitur, nam cor noſtrum eſſe alicubi nihil aliud eſt, quam curam omnem noſtram, cogitationem, gaudium, fiduciam, ſpem, metum, amorem, totum videlicet animum circa aliquid verſari* : Id quod in avaris quotidie fieri videtur, qui nihil aliud curant, aut cogitant, quam qua ratione divitias ſuas accumulare & cuſtodire valeant.

*Matth. 6. v. 21. Luc. Burg.*

7. De Tobia Seniore ſacer textus ait : *Contigit autem ut quadam die fatigatus à ſepultura veniens in domum ſuam, jactaſſet ſe juxta parietem, & obdormiſſet, Et ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretque cæcus.* Superius in Diſcurſu undecimo, per ſtercus iſtud bona temporalia intelligenda eſſe probavimus, utpote de quibus Apoſtolus ait : *Omnia arbitror ut ſtercora*, hæcque divites ut plurimum Dei, bonorumque cœleſtium notitia penitus deſtituunt : Quod vero in præfatis Scripturæ verbis vel maximè propoſito noſtro congruit, eſt quædam S. Antonij Paduani obſervatio, ſcilicet quod ſacer textus quamdam hujus hirundinei ſtercoris circumſtantiam exprimens dicat : *Calida ſtercora* : indeque hanc deducit moralitatem : *Niſi ſint calida, non excæcant, quia niſi cum ardore diligantur, non offendunt.*

*Tob. 2. v. 10. Ibid. v. 11.*

Divitiæ quando nocivæ.

*Philip. 3. v. 8.*

*S. Ant. Pad. ſer. in fer. 4. D. 4. quad.*

8. In carcere Pharaonis Regis Ægypti duo ex regiis ſervis ejus detinebantur captivi, pincerna videlicet regius, & magiſter piſtorum, qui ambo Dominum ſuum graviter offenderant, ambo in ſomnis viſionem habuerant, ſed valde inter ſe differentem, quas Joſephus utrique declarans, primo regiæ gratiæ redintegrationem, alteri vero pœnam capitalem prædixit : cujus porro præſagij multæ quidem adduci poſſent rationes, verumtamen ea quæ ad præſens noſtrum propoſitum pro ſenſu morali aptiſſime quadrat, hæc eſt, quia ſcilicet Pincerna tali fungebatur munere, in cujus executione manus ſuas coinquinare neceſſum non erat, ſiquidem acceptum cyathum diſco imponebat, vinumque ei infuſum Regi bibendum propinabat, quæ omnia ſine ulla manuum ſuarum coinquinatione facillime facere poterat; Magiſter vero piſtorum non item, hic enim maſſam continuò tractabat, quæ ubi manibus ejus adhæreſcebat, eaſdem farina conſperſas & non aliter à maſſæ glutine depurare poterat : *Omnia in figura contingebant*; Etenim Hiſtoria hæc monet illos, qui mundas manus non habent, qui terrenis rebus immerſi vivunt, iiſdemque accumulandis continuo ſtudent, monet inquam illos, ut ſibi ab ira Dei & à condemnatione æterna diligenter caveant, eo quod manus ſuas ſemper immundas habeant; placent enim illis res alienæ moxque viſas concupiſcunt, rapinas, & extorſiones continuo committunt, ſuntque bona temporalia veluti maſſa quædam, quæ faciliter æque ac tenaciter ea tractantibus adhæreſcit. Unde Albertus Magnus ſuper illa verba Pſalmi in verbis Thematis propoſita; *Nolite cor apponere*, hanc gloſſam adjicit : *quaſi dicat, habere non damno, ſed affectum ponere in illis reprobo, hoc enim eſt quod divites reprobos efficit.*

*Gen. 40. v. 3.*

Nimius affectus damnoſus.



*Pſ. 61. v. 11. Alb. Mag. in Pſalm. 61.*

Divites bona ſua diſpenſent pauperibus.

9. Michael de Ayguanis Bononienſis Carmelitanus, vulgo Author incognitus appellatus, aliam quamdam hiſce verbis adhibet expoſitionem, dum ait : *Non damnat divitias, unde mereamur cœlum, ſed cor appoſitum, quod ſcilicet non expendit, ſed recondit* : Cui conſentit quod B. Laur. Juſtinianus ſuper eadem Pſalmi verba dicit : *Cor non apponatur illas recondendo & non erogando.* Pro cujus expoſitionis intelligentia evidentiori, neceſſum eſt, ut ad indubitatum quoddam recurramus principium, quod ab ipſamet Divina providentia obſervatum fuit; Etenim Deus in mundi hujus creatione, bona hæc viſibilia ita creavit, ut omnibus in univerſum ſine ulla differentia diſcretionis communia eſſent, idque de jure gentium, habuitque hæc regula in ſolo ſtatu innocentiæ locum : Poſtea vero voluntate humana introductum eſt Jus gentium, quo eadem bona inter homines fuere diviſa, fuitque hæc diviſio à cunctis gentibus acceptata, & ab ipſomet Deo ratihabita & approbata : hæc autem diviſio utique injuſta, legibusque naturali, divinæ, humanæ & politicæ contraria foret, ſi per hanc diviſionem aliquo ſaltem modo humano generi fuiſſet præjudicatum, ſicut futurum eſſet ſi poſt hanc diviſionem & propter illam contingeret, ut *unus eſuriret, & alter ebrius eſſet* : ac proinde omnia bona & facultates divitum penſione quadam gravata fuerunt, hac nimirum, ut de eo quod ſtatui & neceſſitatibus illorum ſuperfluum eſt, pauperes participent, quod adeo verum eſt, ut Prædicator quidam Apoſtolicus dicere non dubitarit, quod tametſi bona divitum ſuperflua quoad proprietatem & adminiſtrationem de jure gentium ad proprios illorum poſſeſſores ſpectent, attamen quoad uſum eadem bona de jure naturali verè ſint pauperum, & ad quemcumque per diviſionem ulteriorem tranſeant, cum illo ſemper vinculo & penſione Eleemoſynæ ſemper tranſeant. Unde S. Baſilius ait : *Si fateris temporalia bona tibi divinitus proveniſſe, an injuſtus eſt Deus, inæqualiter nobis res diſtribuens? Cur tu abundas, ille vero mendicat? Niſi ut tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris, ille vero patientiæ bravijs decoretur?*

*Mich. Bon. in Pſ. 61. B. Lau. Juſt. de lig. vit. c. 4*

*S. Baſ. ſer. 2. in div. ava.*

Proſecutio.

10. Theodoretus aptius ad intentum noſtrum loqui non poterat quam dum illum Apoſtoli textum : *Qui volunt divites fieri, incidunt, &c.* conſiderans dicit : *Non dixit ſimpliciter qui ſunt divites, ſed qui volunt divites fieri; ſi quis enim acceptas à majoribus divitias ex lege divina diſpenſet, liber eſt ab accuſatione.* Fatetur quidem Dionyſius Carthuſ. difficulter fieri poſſe ut quis ſe per bonorum terrenorum affluentiam & abundantiam decipi aut ſeduci non permittat, propter quod Salvator ait : *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt*; Nihilominus textum illum Jobi adducit dicentis : *Deus potentes non abjicit, cum & ipſe ſit potens*; atque exinde eodem modo arguit pro divitibus, dicens : *Sic divites non repellit, cum ipſe ſit dives, niſi divitiarum abuſi fuerint copia.* Cardinalis Bellarminus idipſum per aptiſſimam quamdam ſimilitudinem exponit dicens : *Oportet cum affluunt divitiæ corde immoto & ſtabilito apud Deum diſponere fluxum earum, ut utiliter fluant : quomodo prudens agricola diſponit fluxum aquarum ad irrigandum hortum, ad molam vertendam & alia ejus generis opera, ſed non labitur ipſe cum aquis labentibus.*

*1. Tim. 6. v. 9 Theod. in 1. Tim. 6.*

*Luca 18. 24.*

*Job. 36. v. 5. D. Carth. in Pſalm. 61.*

*Bellarm. in Pſalm. 61.*

Divitiæ non magni æſtimentur.

11. Agellius ſæpè citatis verbis Pſalmi, aliam attribuit expoſitionem : Notat enim quod in Hebræo idem ſit dicere : *Divitiæ ſi affluant, &c.* ac ſi diceretur : *Opes cujuſcumque diligentia & labore acquiſitæ, ſi hæc multiplicentur & abundent, nolite magni æſtimare, & illis nimium fidere, nam cor apponere alicui rei, eſt illam rem magnam putare.* Quot novimus viros excellentes, qui in culmine divitiarum & temporalium bonorum quæ poſſidebant, conſtituti, ſanctiſſime vixerunt : Sed illa majori in pretio, quam revera merebantur nequaquam habebant, nec aliter illa quam in pondere ſanctuarij librabant, quia bonis cœleſtibus ea minimè poſtponebant.

*Agell. in Pſalm. 61.*

12. S. Bruno Carthuſiæ fundator S. Paulum dixiſſe obſervat : *Qui volunt divites fieri : Ecce, qui volunt fieri, dixit : non qui ſunt, cupiditatem damnabilem oſtendit, non divitias : poſſunt divites eſſe & boni, ſed illi de quibus dicitur : Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Quam eſt à prima ſui fundatione opulentis cenſibus & reditibus cumulata D. Brunonis Carthuſia, nec tamen ob illam divitiarum affluentiam Carthuſianorum diminuta eſt vitæ perfectio & ſanctitas, quia divitias alio fine non æſtimant, niſi propter bonum illarum uſum & applicationem, dum illas vel diſtribuunt in pauperes, vel in augendum & condecorandum Dei cultum liberaliter impendunt.

*S. Brun. h. de imi. Cor. in Eap.*

Ad Dei honorem expendantur.

13. D. Chryſoſtomus obſervat, quod ſacra Scriptura quidem longum & ampliſſimum uberrimarum S. Jobi divitiarum & facultatum catalogum texat, & tamen idem, qui Catalogum illum recenſuit, Spiritus Sanctus videlicet ipſemet, ſcribit : *Tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani* : Quo igitur fine Scriptura ſacra tanto cum apparatu hujus viri recenſet, & deprædicat divitias, ſi tam parvi apud Deum fiant? Reſpondet idem D. Chryſoſtomus : *Non Job divitias admiratus, ſed tibi auditori relinquens in objectum ſubſtantiæ multitudinem, quo ſi eumdem videris poſthac univerſis nudatum bonis, minimeque ingemiſcentem, mireris quantis privatus bonis donatorem non contempſerit, neque conditorem maledictis inceſſerit : Hæc itaque ſcripta ſunt, non quo divitias in admiratione habeas, ſed quo juſti conſtantiam patientiamque laudes, atque præ oculis Dei timorem ſemper habeas.*

Deperditas ne fleas divitias.

*Chryſ. t. 6. ſer. 2. de Job.*

*Sap. 11. v. 23*

14. Idem patientiæ ſpeculum intemeratum dixiſſe legitur : *Si putavi aurum robur meum.* Septuaginta & alij apud Pinedam legunt : *Si poſui aurum in conjugium meum*, quod cum textu illo Davidico optime concordat, quo in Pſalmo viri divitijs plus æquo dediti *viri divitiarum* appellantur, ubi Hugo Cardinalis ait : *Viri divitiarum dicuntur, quia ita divitijs adhærent, ſicut uxori, quaſi celebratum ſit matrimonium inter eos & divitias.*

*Job 31. v. 24*

*Pſal. 75. v. 6.*

*Hugo Card.*

Spoliatum Job ſequeris.

15. Idem quoque patientiſſimus Propheta in eodem loco dicit : *Si lætatus ſum ſuper multis divitijs meis, & quia plurima reperit manus mea.* S. Gregor. inquit, quod unum ex argumentis ex quibus quantum animus ipſius ab omnibus hiſce terrenis bonis alienus & liber fuerit, colligi poteſt, fuerit hoc, quod ſcilicet omnibus hiſce bonis privatus & ſpoliatus, & totaliter nudus in ſterquilinio poſitus, ne vel minimum ediderit ullius querimoniæ veſtigium : *Numquam ſine dolore amittitur, niſi quod ſine amore poſſidetur.* Job utique jacturam majorem pati non poterat, quam dum facultates omnes, Dominium, liberos imo & ſalutem corporalem amittebat, *& nihilominus ſuo jam pene funeri ſuperſtes, hilariter cantat : [Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum] : Subſtantiam ſuam mente reliquerat, quam ſine delectatione poſſidebat.*

*Job. 31. v. 25*

*S. Greg. l. 16 mor. c. 3.*

*Job. 1. v. 21.*

16. Titelmannus horum verborum : *Nolite cor apponere, &c.* ſenſum declarans, opinionem quamdam refert, qua dicitur, quod divitijs affluentibus cor apponere, ſit idem quod in ſtatu proſpero legem Dei prævaricari, propriæque præjudicare ſaluti, aliquid eorum, quæ ad illam conſequendam conducunt, omittendo : *Cor apponit*, inquit, *ſi aliquid agat eorum, quæ ſaluti officiunt, ſive eorum, quæ ſalutaria ſunt, aliqua omittat.* Remigius Altiſiodorenſis, Ly, *affluant*, obſervans, hoc avaris præſcribit monitum : *Quod enim affluit, poteſt & effluere, non in eis ſperetis, non ibi figatis cor, ne ſimul effluatis; Quod enim affluit, poteſt & effluere.* Ante ipſum vero diu ſanctus Auguſtinus in eumdem fere ſenſum ſcripſerat : *Noli ibi te figere, non vides, quia ſi ibi cor poſueris & tu flues.*

*Pſal. 61. v. 11.*

*Titelm. in Pſal. 61.*

*Rem. Altiſ. in Pſalm.*

*S. Aug. in Pſal. 61.*

17. Regius Propheta alio in loco dicit : *In flumine pertranſibunt pede*; At vero dicet forſitan aliquis, quis umquam caſus dari poterit, in quo homo aliquis unico tantum pede fluvium aliquem tranſilire, aut tranſvadere poſſit? Hugo Cardinalis dicit : *Pede*, inquit, *in ſingulari, quia unum tantum pedem debemus mergere in aquis hujus fluminis, ut ſumamus de rebus tranſitorijs tantum ad neceſſitatem, non ad voluptatem*; Aſſignatque idem purpuratus Doctor differentiam quæ eſt inter mundanos, qui toto corde & affectu ſuo bonis hiſce terrenis immerſi ſunt, & juſtos, qui in tantum illis utuntur, in quantum congruentia ſtatus & neceſſitatis ipſorum exigit : *Hoc autem flumen pertranſeunt mali duobus pedibus, quia accipiunt bona tranſitoria & ad neceſſitatem, & ad voluptatem.*

*Pſ. 65. v. 6.*

Ad neceſſitatem utamur tranſitorijs.

*Hug. Card.*

18. Deus Gedeoni inſignem illam adverſus Madianitas Victoriam impertiri volens, hoc ei ſignum dedit, è quo quoſnam in ſuum exercitum ſeligere poſſet

Ut inter electos ſimus.

poſſet proficuos milites, quorum opera in illo erat certamine adhibenda, perſpicue dignoſceret: *Qui lingua lambuerint aquas ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erant:* Hi autem qui commode bibebant, genuaque ſua cum qua poterant commoditate flectebant, ut ſe ſuper aquas extendere, easque tanto copioſius bibere poſſent, repudiati fuere, electi verò ſunt & probati qui obiter ad inſtar canum undas lambebant. *Omnia in figura contingebant.* Lyranus enim in moralitate in hanc hiſtoriam ita ſcribit: *Per illos qui biberunt aquas flexo poplite, ſignificantur illi, qui ad hauriendum hujus mundi bona ſunt nimis effuſi, & illi non ſunt apti ad ſequendum Chriſtum: Per illos autem, qui biberunt manu aquam ad os projiciente, ſignificantur illi, qui de bonis hujus mundi accipiunt, quantum ſufficit ad neceſſitatem.* Hi enim ſunt milites ad militiam Chriſtianam aptiſſimi, & adverſus inimicum infernalem inſeparabiles; & ab illis ſolis corona cœleſtis gloriæ acquiritur.

*Judic. 7. v. 5.* — *Lyran. ibid.*

## DISCURSUS XVII.
### ARGUMENTUM.

Solo divitiarum deſiderio & cupiditate, non vero earum poſſeſſione culpabiles & vitioſi efficimur; Et ideo ab ijs avellendus eſt noſter animus, quod admodum nobis facile erit, ſi vanitatem & exiguam illarum ſubſtantiam conſideremus.

### THEMA.

*Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem.* 1. ad Tim. 6. ℣. 9.

Cupiditas culpabilis.

1. IDemmet Apoſtolus qui eos qui divitijs acquirendis inſudant, in Dæmonis laqueos irretiendos eſſe dicit, in progreſſu ejusdem Capituli, eos à ſalute æterna minimè alienos aut extorres eſſe ſimul declarat; ſiquidem his verbis Timotheum ſuum alloquitur: *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum) Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Neque aſſumpti thematis verba, ab alijs ſecundo loco adductis inter ſe diſcrepant, quia conſiderandum in utroque textu quomodo loquatur Apoſtolus, dum ait: *Qui volunt divites fieri.* Sixtus III. Papa, vel quisquis eſt author libri de divitijs hunc textum citans dicit: *In quibus voluntatem, ni fallor, divitiarum avaritiam nominavit, quæ voluntas tam apud illos, qui nondum divites ſunt, & fieri optant, quam apud eos, qui jam ſunt, & in eisdem perſeverare cupiunt, eſſe credenda eſt:* Ex quo loquendi modo clare deducitur, quod non ſolùm inordinata divitiarum poſſeſſio condemnetur, verum etiam ſola illarum cupiditas & aviditas, quam etiam in homine paupere & egeno inveniri poſſe nihil vetat. Unde ſanctus Nilus de hoc vitio tractans ait: *Avarus ille habendus eſt, non qui omnino pecunias habet, ſed qui eas amat, atque adipiſci cupit.* Sanctus Bernardus ſuper illa verba S. Petri: *Ecce nos reliquimus omnia,* diffuſe ſcribens, Ly, *omnia*, notat & ſubjungit: *Omnia ſane dixerim, non tantum poſſeſſiones, ſed & cupiditates, & eas maximè,* moxque aſſerti hujus rationem reddit dicens: *Plus enim concupiſcentia mundi, quam ſubſtantia nocet, & hæc fugiendarum cauſa divitiarum præcipua eſt, quod aut vix, aut numquam, ſine amore valeant poſſideri; Limoſa ſiquidem & glutinoſa nimis non modo exterior, verum etiam interior ſubſtantia noſtra videtur, & facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret.*

*1. Tim. 6. v. 17.* — *Ibid. v. 18.* — *Ibid. v. 19.* — *Sixt. 3 Pap. l. de div.* — *S. Nil. de oct. vit. cog.* — *Matth 19. v. 27.* — *S Bern. in decl. cit.*

Cum opibus creſcit cupiditas.

2. S. Bonaventura ejusdem S. Bernardi authoritatem quamdam Serm. de Converſ. ad Clericos cap. 12. adducit, ubi mellifluus Doctor de bonis hiſce terrenis tractans, ita ſcribit: *Sive amentur, ſive non amentur, non multum expediunt, quia quadam ſui dulcedine cor poſſidentis cito ſubvertunt.* Habet quoque venenum iſtud hanc proprietatem, quod in ſuis poſſeſſoribus ut plurimum febrim quamdam accendat inextinguibilem, quia quanto plus divitiæ creſcunt, tanto minus quietis & ſatisfactionis in avaris ſecum adferunt, adeo ut S. Auguſtinus hac de re ita ſcribat: *Iſtas terrenas injuſtum eſt putare divitias, quæ non auferunt egeſtatem, tanto enim magis quisque ardebit egeſtate avaritiæ, quanto magis eas diligens majores habuerit.* Eſt enim ut ſuo loco videbimus, ſitis quædam illi, qua hydropici vexari ſolent, perſimilis, quia ſemper cum bonorum temporalium incremento magis ſemper augetur & creſcit. Omnes ſacri Doctores in eo unanimiter conveniunt, quod non divitiarum abundantia, ſed effrænis earum concupiſcentia in æternam nos condemnationem reos agat. *Non cenſus, ſed effectus,* inquit S. Ambroſius, *in crimine eſt, non eos qui habent divitias, ſed eos qui uti his neſciunt, ſententiæ cæleſtis authoritate condemnat.* S. Auguſtinus quoque lib. 1. de Civitate Dei, illum ad Timotheum textum: *Qui volunt divites fieri, &c.* explicans dicit: *Profecto in divitijs cupiditatem reprehendit, non facultatem.*

*S. Bon. t. 6. l. 3 phar. c. 18* — *S. Aug. ſer. 72 in app. de div.* — *S. Ambr. l. 5. in Luc. c. 6.* — *1. Tim. 6. 9.* — *S. Aug l de civ. Dei. c. 10 l. 1.*

3. B. Petrus Damianus ſuper verba quædam Eccleſiaſtici cap. 10. quibus dicitur: *Avaro nihil eſt ſceleſtius*, conſiderationem inſtituit, dicit enim: Verum quidem eſt, quod ex quo Sapiens divitum malitiam adeo fortiter exaggerabat, deſperari potuiſſet ipſorum ſalus, maxime cum nullum eſſet vitium avaritia ſceleſtius; nihilominus Damianus ſubjungit: *Ne quis in hoc verbo, quod eſt avarus, dubietatis ſcrupulus poſſet emergere, vigilanter addidit: Nihil iniquius, quam amare pecuniam*; igitur avarum eſſe nihil eſt aliud, quam amare pecuniam; ſubjungit autem Eccleſiaſticus: *Hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua.* Tunc enim divitiæ ab homine ſancto & virtuoſo innocenter habentur, quando ſine affectu & amore inordinato ab eo poſſidentur. Nam ut S. Auguſtinus ait: *Pecunia à malis male habetur, & à bonis tanto melius habetur, quanto minus amatur.* Quis eſt qui Davidis innocentiam ignoret? *Perambulabam*, inquit, *in innocentia cordis mei in medio domus meæ*, & tamen eum pariter opulentiſſimum fuiſſe vel ex eo conſtat immenſo auri & argenti cumulo, quem pro adorienda templi fabrica ſimul congregârat, & tamen audite quam fuerit ab ijs quoad affectum alienus, ſiquidem omnibus conſulebat: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere; Ego autem pauper ſum.* Objiciet forte aliquis illum ejus textum: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitijs.* Ergo aliquam habuit in divitijs delectationem, & conſequenter affectum. Sed ad hunc locum S. Hilarius ex verbis Apoſtoli in 1. Cor. cap. 1. *In omnibus divites facti eſtis, in omni verbo, & in omni ſcientia, &c.* reſpondet dicens: *In his ergo dives eſt, & in his delectatur Propheta; cæterum non eſt æſtimandus ſæcularium opum comparatione delectatus eſſe, qui niſi cum contemptu atque inopia ſæculi dives in Domino eſſe non potuit.* Vel etiam ad eumdem locum dici poteſt, Davidem dicere voluiſſe ſe parem in divinorum præceptorum obſervantia delectationem & voluptatem habuiſſe, qualem avari experiri ſolent, dum divitias ſuas de novo acquirunt, aut jam acquiſitas ſecurè poſſident.

*Eccl. 10. v. 9.* — *S. P. Dam. l. 2. ep 2.* — Pecuniæ amor culpabilis. — *Ibid. v. 10.* — *S. Aug. ep. 54 ad Dioſc.* — *Pſ. 100. v. 2.* — *Pſ. 61. v. 11.* — *Pſ. 118. v. 14* — *1. Cor. 1. v. 5* — *S. Hilar.*

4. Optimè ad præſens propoſitum noſtrum, quod ſcilicet bona hujus vitæ in ſeipſis mala non ſint, niſi ſolum ob noſtram malitiam & illarum abuſum, deſervit obſervatio quædam S. Bonaventuræ, qui idipſum ex Geneſi probat, citatque S. Greg. lib. 10. moral. c. 17. dicentem: *Non eſt cenſus in crimine, ſed affectus, cuncta enim quæ Deus condidit, bona ſunt*; citat quoque authoritatem S. Auguſtini Epiſt. 70. ita nos monentis: *Utaris hoc mundo tamquam non utens, ut ex bonis ejus bona facias, & non malus fias; ne putentur mala, dantur & bonis, ne putentur magna vel ſumma bona, dantur & malis.* Immoderatus ad hæc bona affectus & animi adhæſio, à voluntate, corde & malitia noſtra derivatur, non vero ex culpa ipſorum. Deus olim dum ſe totum univerſum diluvio ſubmergere & perdere velle comminaretur, rationem protinus ſubjecit, dicens, *cum vidiſſet terram eſſe corruptam.* Sed dicet aliquis, quod ſi ſupplicium iſtud in pœnam culpæ irrogabatur à Deo, terra utique per illud caſtigari non debuit, cum illa omnis culpæ committendæ incapax exiſtat; D. Chryſoſtomus igitur hanc motam difficultatem reſolvit dicens: *Non de terra ſenſibili loquitur, ſed inhabitatores terram vocat.* Sed cur illis terræ nomen attribuit? *Eo quod terrenis cogitationibus abſumantur*; Sunt multi homines, qui omnem ſpem & fiduciam ſuam in hujus mundi bonis habent repoſitam, abſque eo quod umquam ſuos in cœlum oculos levent; De quibus David conqueritur dicens: *Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua*; Circa quæ verba S. Auguſtinus ait: *Non dixit ſcriptura: Ecce homo qui fuit dives, ſed ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum,*

Spes nimia in divitiarum multitudine culpabilis. — *S. Bonav. ib.* — *S. Greg. lib. 10 moral. c. 17.* — *S. Aug. ep. 70* — *Gen. 6. v. 12* — *Chryſ. h. 23. in Gen.* — *Pſ. 51. v. 9.* — *S. Auguſt.*



*ſuum, ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum; non quia habuit divitias, ſed quia in ipſis ſperavit, ideo damnatur, ideo punitur.*

5. Legatis velim illam Divitis Evangelici hiſtoriam, qui poſt tam abundantem meſſem horreo ſuo illatam, ad ſemetipſum dicebat: *Anima mea habes multa bona, poſita in annos plurimos*; Quibus in verbis advertendum bene, quod dives non dicat: *Caro mea, ſed Anima mea*, quia erga facultates & poſſeſſiones ſuas adeo ardenti ferebatur affectu, ut illas certo quodam modo in corde & anima ſua circumferre videretur; *Anima magis eſt ubi amat quam ubi animat*: Et quidem ſi hujus divitis meſſis non erat in ejus anima, ubinam igitur locorum erat? Neque enim ſegetes in agro reliquerat, ibi enim à temporum injurijs, & furtis latronum periclitari poterant. Neque illas in granarium importarat, ſiquidem ut ea illuc inferre poſſet, dixit: *Deſtruam horrea mea*; Non enim tantæ abundantiæ capiendæ ſufficiebat; Non illas in depoſito apud alios habebat, quia nulli eas tuto confidere aut concredere poterat; Igitur illa in mente, in imaginatione, & in corde habebat: *Anima mea habes multa bona*: Et hoc eſt quod hodie dum multis hominibus accidit, qui ſemper circa bona ſua in imaginatione ſua occupati Chymæras in ſpatio imaginario efformant talium conceptuum, quorum nulla umquam videbitur executio: At vero viderene deſideratis quam tenaciter dives ille divitijs ſuis adhæſerit? Id perſpicue ex illis verbis colligitur: *Animam tuam repetent à te*, quaſi ad animam illius, bonorum terrenorum fiſco adeo oblinitam ex ejus corpore abſtrahendam, & ſeparandam unus Dæmon minimè ſuffecerit, ſed ingens Dæmonum numerus neceſſarius fuerit.

*Luc. 12. v. 19* — *Luc. 12. 18.* — *Ibid. v. 19.* — *Ibid. v. 20.*

Hominum cupiditas.

6. S. Auguſtinus cum aliquo qui in fortunæ bonis minimè abundat, aut copioſus eſt, eadem tamen valde ardenter deſiderat, ſermonem inſtituit, eidemque præcipitij ſui periculum, id eſt, aviditatem & cupiditatem ejus immoderatam manifeſtè oſtendit, & ob oculos ponit: *Modo*, inquit, *reſpondeat mihi ille pannoſus; videamus, ſi non vult dives fieri; videamus, interrogemus eum, ſi non vult dives fieri, reſpondeat, non mentiatur. Audio linguam: ſed interrogo conſcientiam: Dicat, ſi non vult dives fieri: ſi autem vult, jam incidit in tentationem & deſideria multa & ſtulta, & noxia; non enim opes dico, ſed deſideria: Unde? quia vult dives fieri: quid inde? deſideria multa, ſtulta & noxia quæ mergunt homines in interitum,* &c. *Vide ubi ſis: quid mihi oſtentas nullas facultates, cum ego convincam tantas cupiditates?* Major pars hominum qui bonorum terrenorum affectum ſibi prædominari permittunt, ejus eſt genij & indolis, ut ſemper in continuo ſint metu, ne terra ipſis deſit, quam pedibus terant aut calcent, & ideo illam & illa tanta cum anxietate & ſolicitudine omnique cum ſtudio ſectantur & quærunt.

*S. Aug. t. 10. ſer. 110.*

Dei mira providentia.

7. Supremus rerum omnium Artifex in principio mundi tot egregijs donis & muneribus primum hominem adauxerat; in primis enim illum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam formaverat; inveſtituram Dominij in omnes creaturas ei contulerat: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*: Cœlum quoque Empyreum ei in domicilium fabricaverat, cur igitur non inſuper ei de fructu arboris ſcientiæ boni & mali manducandi facultatem adjecit? cur is qui ſe erga eum tam liberalem in omnibus exhibuerat, manum ejus quoad unicum dumtaxat pomum guſtandum reſtrinxit? imò cur ei fructum arboris tam rigoroſe, & ſub pœna mortis reatum contrahendi prohibuit? Nimirum ad majus primi hominis bonum hoc fecit, ne ſcilicet corde & affectu ſuo in hæc terrena bona plus æquo & immoderatè nimis immergeretur: *Nolebat ſiquidem Deus*, inquit Nemeſius, *ante conſummationem ſuam homo naturam ſuam dignoſceret, quo minus plurimarum ſe rerum indigentem cognoſcens, corporis neceſſaria procuraret, animæ providentiam relinquens, hac de cauſa vetuit, ne de cogitationis fructu perciperet.*

*Pſ. 8. v. 8.* — *S. Nem. de nat. c. 1.*

Job 10. v. 8. Præcipue in formando hominis corde. — *Prov. 23. v. 26.*

8. Deus corpus hoc noſtrum proprijs ſuis manibus plaſmare voluit: *Omnia in Sapientia feciſti; Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu*; at vero obſervaſtiſne aliquando modum, quo idem Deus cor noſtrum, quod unicum amoris & affectus ſui objectum eſſe volebat, *Præbe fili mi cor tuum mihi*, efformarit? nimirum illud in medio corporis tamquam omnium ſenſuum & operationum noſtrarum primum mobile repoſuit, eo quoque modo illud formavit, ut ex ea parte qua terram & hæc terrena bona reſpicit, illud ſtrictum, acuminatum, clauſum & anguſtum eſſe voluerit, ex ea vero parte qua cœlum ſuſpicit apertum eſſet & largum, ut ex hoc unusquisque homo intelligeret, quod ad conſequenda bona cœleſtia, tantumdem affectum, cogitationes, curas, & animi contentionem ditare & ampliare poſſit, quantum ſe quoad bona terrena, coërcere, moderari, & conſtringere tenetur, ne modum excedat.

Et ſtatura recta.

9. Lactantius Firmianus quoque conſiderat, quod Deus homini licet de terra gravi & ponderoſa corpus ejus plaſmatum ſit, ſtaturam dederit rectam, & cœlum verſus ſe extendentem: *Ut oculi ejus ad cœlum directi, facies ad Deum ſpectans, vultus cum ſuo parente communis ſit; ut videatur hominem Deus quaſi porrecta manu allevatum, ex humo ad contemplationem ſui excitaviſſe.* Non enim propter terram, ſed propter cœlum acquirendum & poſſidendum creati ſumus; ac proinde omnis anima à ſemita recta deviat, *incidit in tentationem & in laqueum Diaboli, quæ vult dives fieri.*

*Lact. Firmi. l. 7. c. 5.* — *Juxta 1. Tim. 6. v. 9.*

Bona terrena quid ſint?

10. Seneca ſcribit, quod natura, (cujus creator, & Pater ille fuit, de quo dicitur: *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt*) omni ſtudio & induſtria illa è medio tollere, vel ſaltem abſcondere & occultare coram oculis noſtris voluerit, quæ nobis ſtimuli & tentationes eſſe poterant ad auri & argenti, ac quarumlibet rerum pretioſarum & æſtimabilium deſiderium & cupiditatem: *Nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros & liberos genuit, nihil quod avaritiam noſtram irritaret, poſuit in aperto, pedibus aurum & argentum ſubjecit calcandum & premendum, quidquid eſt propter quod calcamur & premimur.* Ne auri nos ſplendor irritaret, illud in venis mineralibus & obſcuriſſimis terræ cavernis ad ipſum uſque Infernum proxime accedentibus abſcondit; gemmas pretioſiſſimas in profundo maris, vel in alijs præruptis & inacceſſis locis repoſuit; *Nihil quod avaritiam noſtram irritaret, poſuit in aperto.* Pannos ſericos viliſſimorum vermium partus eſſe voluit; pannos elegantiores & pretioſiores ex ovium lana confici, Zibetta & odoratos muſcos animalium ut eſſent excrementa ordinavit. Unde etiam Chryſoſtomus ait: *Candore lucentis margaritæ attraheris? cogita maris eſſe aquam; & in ejus finibus antea jacuiſſe dejectam; rapit animam auri fulgor & nitor argenti? cogita & terram & cinerem, & fuiſſe prius, & modo eſſe. Placet pretioſa & ſerica veſtis? ac vermium ille contextus eſt, opinio eſt, & humana præſumptio, nihil habet in ſe naturalis pulchritudinis.*

*Seneca.* — *Chryſ. h. 17. in 1. ad Tim.*

Nihil æſtimanda.

11. Maſcardus celebris noſtri temporis Orator, de divitijs tractans varia adducit ad illas contemnendas efficaciter urgentia motiva. Et quidem inter alia Ariſtotelem allegat qui in libro 4. Ethicæ ad populum, quamdam inter divitias, virtutes, honores, & voluptates comparationem inſtituit, ac tandem divitias velut indignas in ultimum locum ablegat; Et quidem ratio quam adducit, efficaciter idipſum convincit, quia tam virtutes quam honores & voluptates propter ſeipſas deſiderantur, & voluntatem & appetitum noſtrum aliquo modo ſatiare illique ſatisfacere poſſunt: at vero divitiæ nihil aliud boni in ſe habent, quam ſolum illarum uſum. Monetæ à vulgi opinione adeo dependent, ut abſque eo quod metallum è quo cuſa vel minimum vitietur, vel perficiatur, ex ſolo Principis nutu & arbitrio plus minusve valere incipiant; ac proinde olim ex pecorum fiebant corio, poſtea ex ære, demum ex argento cuſæ fuere. Et quando Lycurgus juſtitiam ab Spartarum Republica exulantem & fugitivam revocare voluit, prius, ut Plutarchus refert, monetas aureas & argenteas interdici, & ab ejusdem Reipublicæ finibus proſcribi voluit. Hactenus præfatus author: atque inde colligitur, quod apud ipſos quoque gentiles, qui animæ in altera vita & in cœleſtium bonorum poſſeſſione immortalitatem minime credebant, hæc bona quæ à nobis tanti fiunt, parum aut nihil æſtimata fuerint.

*Aug. Maſc. Celeb. p. 2. diſc. 5.*

Divites de ſalute dubij.

12. Horrenda prorſus & terrifica ſunt verba illa Apoſtoli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli.* Ex his namque verbis, quilibet in proſperitate optima conſtitutus & radicatus, juſtam capere poteſt de æterna ſua felicitate & ſalute dubitandi occaſionem; Nam ut Sanctus Gregorius optimè advertit: *Sæpe Omnipotens Deus cum avaræ menti vehementer iraſcitur, prius ei permittit, ad votum cuncta ſuppetere, & poſtea ultionem ſubtrahit, ut pro eis debeat ſupplicia æterna tolerare*; Unde

*S. Greg. l. 16. mor. c. 12.*

de & ſubditur: *Et cum habuerit quæ concupierat, poſſidere non poterit.*

Niſi debite utantur opibus.

13. Verum quidem eſt quod multos ex Patriarchis veteris Teſtamenti inveniamus ditiſſimos, & in cunctis bonis temporalibus ſupra modum proſpere agentes; De Abraha etenim primo omnium credentium Patre legimus: *Erat Abraham dives valde in poſſeſſione auri & argenti.* Sed audite Beatum Laurentium Juſtinianum ab omni eum divitias communiter conſequenti vitio, purgantem, & defendentem: *Cum locuples eſſet,* inquit, *nequaquam inordinate divitias dilexit; unumquemque Deus non ſecundùm affluentiam rerum, ſed ſecundùm inordinatum affectum judicavit; nec diviti obſunt opes, ſi bene utatur, nec pauperem egeſtas commendabilem facit; ſi inter ſordes & inopiam ambire non deſierit. Habeat homo multas facultates, ſi in eis non extollitur, pauper eſt; non habeat aliquid, ſed cupiat & inflectur, inter divites & reprobos judicabitur; quia dites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, & in pecunijs.*

Gen. 13. v. 2.

B. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 4.

14. Sanctus Bonaventura proinde illam primæ & æternæ veritatis propoſitionem Chriſti dicentis: *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt,* ponderans dicit: *Qui pecunias habent, id eſt, cum amore poſſident, & in eis confidunt; juxta illud* Marc. cap. 10. *Quam difficile eſt, confidentes in pecunijs, in regnum Dei introire.* Et Sanctus Bernardinus de divite, illum nequaquam divitem cenſendum eſſe dicit, qui paupertatem in corde ſuo diligit: *Dives,* inquit, *ſi paupertatem diligit, non eſt dives ſæculi, habet enim talis contemptus etiam in præſenti, quamdam dulcedinem ſuam, quam Dominus* Matth. 5. *regnum cælorum vocat, id eſt, participationem cæleſtis regni; ideo dicitur: Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum;* Verumtamen idem Sanctus, paucos ejus virtutis & indolis in hac vita reperiri, eſſeque velut *lilium inter ſpinas,* concludendo aſſerit.

Luc. 18. v. 24

S. Bonav. ibi.

Marc. 10. v. 24.

S. Bern. ſer. 62. a. 1. c. 1.

Matth. 5. v. 3

## DISCURSUS XVIII.
## ARGUMENTUM.

Bonorum temporalium ſufficientia optimè homini congruit, ſuperfluitas autem illorum condemnatur, niſi inter egenos, ea quæ ſuperfluunt, diſtribuantur; ad quod faciendum divites adeo obligantur, ut in caſu quo id facere negligunt, furti efficiantur rei; Nec eſt, quod ſibi per hoc facultates ſuas diminuendas eſſe vereantur, quia quanto plus de bonis temporalibus pauperibus elargimur, tanto facultates noſtræ ſecuriores fiunt, & magis adaugentur.

### THEMA.

*Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere.* 1. Tim. cap. 6. ℣. 17.

Divitiarum radix ſuperbia.

1. INter alia documenta quæ Sanctus Paulus dilectiſſimo diſcipulo ſuo Timotheo tradidit, unum fuit, quo divites monere jubebatur, ne evaneſcerent; Quod Apoſtolicum conſilium Divus Chryſoſtomus ponderans quærit: *Quare non dixit: Divitibus præſentis ſæculi, præcipe non diteſcere, præcipe depauperari, præcipe quæ habent exhaurire, ſed dixit: Præcipe non ſublime ſapere? Novit quod divitiarum radix & materia eſt ſuperbia, & ſi quis modice vivere ſcierit, non multam earum curam aget;* at vero præter hanc idem Sanctus aliam quamdam ſcitu neceſſariam rationem his verbis adducit: *Novit non prohibitas eſſe divitias, ſi quis in neceſſitate ipſis uſus fuerit:* adducitque ad id clarius explicandum vini exemplum. Neque enim res mala eſt vinum, bene tamen uſus illius immoderatus, qui ebrietatis cauſa exiſtit; *Ita non mala res divitiæ, ſed mala avaritia, mala cupiditas.* Exceſſus & ſuperfluitas vitioſa eſt, & hæc eſt quæ damnatur.

Chryſ. ho. 2. ad pop. Antioch.

Superfluitas damnoſa.

2. Sapiens ei, qui in hac vita affluentiam habet proſperitatis, cuique omnia ad votum animi fluunt, hoc præſcribit ſalutare monitum: *Mel inveniſti? comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus evomas illud;* quibus verbis docemur, ut divitijs alijsque bonis temporalibus in tantum utamur, quantum ſtatus noſtri conditio & convenientia illas requirit, ſatietatem vero & ſuperfluitatem ſemper, utpote valde nobis damnoſam caveamus.

Prov. 25. v. 16.

Neceſſaria à Deo petenda.

3. Sapientia incarnata in Oratione Dominica quam nos orare docuit, varias nobis præſcribit petitiones æterno Patri ſuo proponendas, in ea autem petitione in qua bona temporalia poſtulare docemur, mirum eſt valdeque obſervandum, quanta cum parſimonia & frugalitate illam à nobis fieri velit; nihil enim aliud ex cunctis rebus temporalibus nobis petendum præſcribit, quam *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quis id non miretur? Ex quo enim Deus totum univerſum noſtri gratia formavit: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus,* cur nunc nobis præcipit ut ſolum mucidum panis fruſtulum à Patre illo poſtulemus, quem in Cœlis Omnipotentem, & in bonorum ſuorum effuſione liberaliſſimum donatorem invocamus? S. Thomas ait: *Docet nos petere panem tantum, id eſt, neceſſaria ad præſentem vitam;* Et ideo per hanc petitionem cupiditatem noſtram refrænare, omnemque in accumulandis bonis temporalibus immoderatam ſolicitudinem & anxietatem à nobis amotam eſſe voluit. Addit vero inſuper, *quotidianum & hodie,* ne ſoliciti ſimus de craſtino. S. Auguſtinus dicit: *Nomine panis ſufficientiam vitæ petimus.*

Luc. 11. v. 3.

Pſal. 8. v. 8.

S. Tho. ibid.

S. Aug. epiſt. 121. ad Prob. c. 12.

Reprobi abundant divitiis.

4. Deus Pater noſter eſt, nos autem filij ejus, ac proinde confidenter dicimus ei: *Pater noſter qui es in cælis;* ac proinde tamquam providus Pater bona nobis temporalia parce admodum & frugaliter impertitur, idque in merum beneficium noſtrum. Sicut enim Pater una cum multis alijs, quos inter genuinus quoque filius eſt, lauto cuidam convivio aſſidens, ſi quid abſonum aut indecens in alijs videat, idipſum facile diſſimulat, oculos tamen ſuos à filio ibidem præſente numquam deflectit, eo quod ſanitatis ipſius ſit cupidiſſimus, ita quoque bona temporalia quæ electis nonnumquam tamquam chariſſimis filijs parciſſime impertitur, reprobis in magna abundantia in hac vita indulget. Sic Regiones Turcarum copioſiores & fertiliores ſunt, quam plurimæ Chriſtianorum; & infideles in hac vita ſæpe feliciores ſunt quam Chriſtiani, cujus ratio eſt, quia nos ad cœleſtem hæreditatem aſpiramus, ideoque dicimus, *Pater noſter qui es in cælis; ut ſciamus,* inquit Author Imperfecti, *nos Patrem habere cæleſtem, & erubeſcamus nos terrenis rebus ſubſternere.*

Auth. Imp. ibid.

Differentia inter divites.

5. Ad hoc ut inter divites illos præciſe diſcernere & agnoſcere valeamus, contra quos tum Sacrum Chriſti Evangelium, tum omnes aliæ leges naturales, divinæ & humanæ vociferantur & clamant; Sciendum eſt ex eo quod Sixtus Papa III. ſcribit, tales divites eſſe eos, qui ſuperfluas & ſuperabundanter copioſas divitias poſſidentes, illas omnes ſibi ſolis reſervant, nihilque exinde pauperibus tribuunt; at vero *qui ſuperfluum nihil habuerit, nec dives eſſe jam poterit, quia dives ex ſuperflua poſſidendi nimietate cenſetur.* Hæc autem nimietas numquam ſuperflua eſſe cenſetur, quando id quod ſuperabundat pauperem cibat; ac proinde neceſſum eſt hoc loco doctrinam illam denuo repetere ſuperius in Diſc. 16. à nobis traditam, operæ enim pretium eſſe exiſtimo, ſi doctrina illa invincibili quadam authoritate conſolidetur, ut divites eamdem auſcultantes, arcte obligatos ſe eſſe ſciant, ad expendendum in proximos egenos, quod ſibi ſuperfluum eſſe cernunt: *Quod ſi mihi replicaveris,* inquit Sanctus Baſilius, *te nemini irrogare injuriam, ſi facultates & divitias, quæ tuæ ſunt, retineas, atque conſerves; Protinus reſpondeo? Quæ illa dic mihi tua? Unde accepta hæc ad traducendam præſentem hanc vitam invexiſti?* adducitque ad id magis dilucidandum ſequentem ſimilitudinem. Quod ſi quis ad theatrum, quod commune eſt omnibus, ingreſſus, poſt occupatum à ſe commodum locum omnes alios, qui poſt ipſum ſupervenirent arcere vellet, ſtultus utique cenſeretur ab omnibus, *ſuo ipſius uſui adjudicans, quod ad omnium communem uſum proponitur; tales autem divites exiſtunt: communia namque priores cum obtinuerint, propria faciunt occupando* Dionyſius Carthuſianus de avaritia tractans, authoritatem citat S. Thomæ dicens: S. Thomas de Aquino ait: *Quamvis bona temporalia ſint poſſidentis quantum ad proprietatem, tamen quantum ad uſum debent eſſe illorum, & illis communicanda ſunt, qui indigent his, quæ poſſidenti ſuperfluunt, & quidquid poſſeſſori ſupereſt, conſiderans condecentia & gravamine ſui ſtatus, debet ad uſus pios convertere.*

Sixt. 3. de div.

S. Baſil. ho. 6. in dites.

D. Cart. t. 2. op. min. ep. con. ar. a. 4.

Divites pauperibus ſuccurrant.

6. S. Baſilius avarum iterum interrogat: Unde hæc terrena bona in tanta abundantia accepiſti? Quod ſi dixeris: A Fortuna, impius profecto cenſeri mereris, utpote qui principalem donatorem, tuum non agnoſcis aut te erga illum nec quidquam gratum exhibes: *Quod ſi ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quamobrem hæc ſortitus es? Non enim injuſtus eſt Deus, qui ea quæ ſunt ad victum inæqualiter nobis diviſerit;* Et ideo pro concluſione dicit, *Deus qui juſtus eſt, ita diſpoſuit, ut divites pauperibus divitias ſuas in eorum neceſſitatibus diſtribuant.*

S. Baſil. ibid.



De ſuperfluis.

7. Quales autem illæ divitiæ ſint, quæ divites inter pauperes diſtribuere tenentur, Sixtus Papa III. his verbis declarat: *Divitias, non aurum, non argentum, ſed ſupervacuam non neceſſariæ poſſeſſionis affluentiam dico, quæ utrum ex Deo ſit, quem fontem æquitatis atque juſtitiæ credi neceſſe eſt, tuo judicio derelinquo; Conſtat enim Deum prædicta creaſſe pro omnibus, non tamen ut unius infinita poſſidendi affluentia locuples fieret, alius nimia conſtrictaretur inopia, ſed ut omnes æquali lance & pari jure poſſiderent, quod æquitatis author indulſerat.*

Sixt. 3. ibid

Proſecutio.

8. Doctor Angelicus de avaritiæ vitio tractans, bonorum terrenorum exceſſum in primo illius vitij capite reponit, dicens: *Avaritia poteſt importare intemperantiam circa res exteriores, immediate quantum ad acceptionem & conſervationem ipſarum, ut ſcilicet homo plus debito eas acquirat, vel conſervet, & ſecundùm hoc eſt directe peccatum in proximum;* redditque hujus doctrinæ rationem valde convincentem: *Quia,* inquit, *in exterioribus divitijs non poteſt unus homo ſuperabundare, niſi alteri deficiat, quia bona temporalia non poſſunt ſimul poſſideri à multis.* Deus divites in bonis ſuperabundare fecit, ut ex eo quod illis ſuperabundanter reliquum eſt, aliorum neceſſitates ſuppleant. Unde Sanctus Apoſtolus ait: *In præſenti tempore veſtra abundantia eorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas ſicut ſcriptum eſt: Qui multum non abundavit, & qui modicum non minoravit.*

S. Tho. 1. 2. q. 118. a. 1.

2. Cor. 8. v. 14.

Ibid. 15.

Divites condemnantur quia pauperes negligunt.

9. Quod dives aliquis delicate ſe nutriat, vitæque ſuæ commoditatibus accurate proſpiciat, ad culpam ei mortalem non imputatur; at vero, ut Sanctus Baſilius his formalibus verbis ait: *Quid miſer judici reſpondebis? parietes veſtis, hominem non veſtis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aſpernaris?* Epulo ille Evangelicus non ideo condemnatus fuit, quod laute comederit, ſed quod Lazarum fame mori permiſerit, menſæ ſuæ reliquias ei denegando; non quod purpura & byſſo indutus fuerit, ſed quod nudum, pauperculumque Lazarum præ frigore toto corpore tremulum veſtire neglexerit.

S. Baſil. h. 7. in div. av.

10. Lucas Burgenſis ſuper illa verba: *Homo quidam erat dives,* dicit quidem de eodem divite: *Dives de ſuo* (quod habet Auguſtinus ſerm. 19. de verbis Apoſtoli capite 3.) *non enim accuſatur rapinæ, furti, aut alterius injuſtitiæ.* Verumtamen ut Sanctus Hieronymus à Sancto Bonaventura in hunc locum ſcribente citatus ait: *Aliena rapere convincitur, qui ultra neceſſitatem temporalia habere comprobatur.* Imo quid ad hoc reſponderi poterit, quod Sanctus Ambroſius contra avaros in medium adducit? *parietes veſtitis auro, homines denudatis; clamat homo nudus, & tu ſolicitus es, quibus marmoribus pavimenta veſtias; pecuniam pauper quærit & non habet, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit.*

Luc. 16. v. 19

Luc. Burg.

S. Hieron.

S. Ambr. l. de Nabot. c. 13.

Divitum calva excuſatio.

11. Sunt nonnulli divites, qui ſe excuſant dicentes, quod incumbens illis onus ſuperfluitatem bonorum ſuorum inter egenos & pauperes diſpenſandi ſatis agnoſcant, huicque obligationi ſatisfacere decreverint, ubi mortis horam præ foribus eſſe cognoverint; quos Sanctus Baſilius, qui toto ſe pectore illis opponit, graviſſime reprehendit ſequentibus verbis, *Heu miſer, tu benignus & liberalis hominibus eris, cum amplius inter homines non ages? cum te cadaver aſpiciam, tunc fratris amantem appellabo? Dic cujus mercedem temporis potiſſimum expoſces? vitæne an mortis? nam ſi tempore quod ad promerendū datur, in voluptatibus ac delicijs abſumpto, pauperes nequaquam reſpexiſti, mortuus cujuſnam actionis aut operis mercedem petiturus es? oſtende opera, & tunc primum mercedem repete, nullus enim poſt mercatum ſolutum negotiatur, nec poſt vitam pietatis laudem præmiumve capiet.*

S. Baſil. h. 7. in div. av.

12. Hæc vita data eſt nobis ut in ea negotiando aliam quæ immortalis & æterna eſt, lucremur; Et ideò illa erroris neſcia Cœli providentia, ſapientiſſime diſpoſuit, ut divites beatam vitam illam bono divitiarum uſu ſibi acquirant. Unde Divus Chryſoſtomus communem rerum omnium Creatorem multas creaturas æqualiter creaſſe conſiderans, ut pari omnino ratione & indifferenter omnibus deſervirent, quales ſunt aër, aqua, ignis, Sol &c. conſequenter dicit: *Ut igitur ſecure vivamus, communes factæ ſunt nobis vitæ cauſæ; Rurſus ut habeamus coronarum & laudum occaſionem, non communes factæ ſunt pecuniæ, ut avaritiam exoſi & juſtitiam ſectantes, noſtra indigentibus erogantes, aliquod peccatorum remedium per hanc viam capiamus.*

Chryſ. ho. 2. ad pop. Ant.

Ad luxuriam utuntur opibus.

13. Diviti Evangelico non fuit mors ideo intimata, quia ingentem valdeque copioſam horreo ſuo meſſem intulit, quia ad hanc ei pariendam meſſem, non ſolum ejus aſſidua induſtria & indefeſſus labor, verum etiam Divina providentia & liberalitas concurrit, Apoſtolo teſte, qui dicit: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus;* cur igitur illa tam repentina æternæ damnationis ſententia ei intimata fuit? *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* Pro reſponſione obſervandum eſt hoc, quod dixit: *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos;* Sed quo fine illa repoſita erant? num forte ut neceſſitatibus ſubveniret egenorum? Nequaquam, ſed potius ad epulandum & crapulandum: *Comede, bibe, epulare;* meſſem iſtam in granarijs ſuis volebat recondere, non vero quod ſibi ſuperfluum erat in pauperes decreverat erogare. In lingua Syriaca *epulare,* idem ſignificat, quod *oblectare:* At vero Beda ait: *Non in eo reprehenditur, quod terram coluerit, natoſve ex ea fructus collegerit in horrea, ſed quod fructus, quos uberiores ſolito terra protulit, non pauperibus erogare, ſed luxuriæ impendere ſtuduerit.*

1. Cor. 3. v. 7.

Luc. 12. v. 20

Ibid. v. 19.

Ibid.

Beda. ibid.

Cur Deus divitias det.

14. Salvianus inæqualitatem conſiderat, quæ inter homines videtur, non obſtante quod omnes ex eadem corrupta Adami maſſa proceſſerint; ac proinde quærit, quale ſit illud divitum privilegium, quod illi præ cæteris hominibus tot fuerint bonis temporalibus cumulati? Ac tandem reſpondet: *Ad hoc Deus facit homines locupletes, ut bona operatione ſint divites, ut commutent ſcilicet divitias quas acceperunt, in bonis operibus, collocantes Dei opes, quas habent in hoc ſeculo temporarias bene utendo facientes ſempiternas, ac ſic agnoſcentes munera Dei, duplici bono gaudeant, cum qui ſunt divites in hoc ſæculo eſſe quoque divites mereantur in cælo.*

Salv. l. 1. ad Eccl. Cath.

Cupiditas vermem conſcientiæ generat.

15. Nemo eſt qui ignoret, quid populo Dei in deſerto acciderit, quando manna in deſerto ſuperflue nimis, & in majori quam Deus ordinaverat menſura, imo ſupra id quod ad ejus ſuſtentationem neceſſarium erat, colligebat; nimirum id quod ſuperfluum erat confeſtim vermes ſcaturiens, computreſcebat; Quam Hiſtoriam Sanctus Petrus Damianus ad noſtrum propoſitū aptiſſime adducens ſic loquitur: *Sic nimirum quiſquis ardore cupiditatis incenſus, ut tamquam corpori ſuo alimenta provideat, terrenam ſibi ſubſtantiam theſaurizat, huic ille vermis ebullit, qui conſcientiam fodiat, & arcana pectoris rodat; enimvero ij ſolicitudinum vermes, quos avaritia generat, illos denuo vermes parat, de quibus ſcriptum eſt: [Et ignis eorum non extinguetur, vermis eorum non morietur] ut ignis ignem cupiditatis accendat, & vermis ex verme procedat.* Sanctus Auguſtinus ſimiliter ad eamdem Hiſtoriam ſcripturalem alludens, ubi de hoc vitio tractat, pariter oſtendit, quod ex ipſo ſcaturiant vermes, qui cauſant terribiles conſcientiæ remorſus & corroſiones: *Et tu ergo,* inquit, *ſi propter præſentem vitam tantummodo theſaurizas, & propter amorem ſæculi, continuo vermes ebulliunt.*

S. P. Dam. ſerm. de S. Elev.

Iſa. 66. v. 24

S. Aug. t. 10. ſer. 91. de temp.

Rari qui legem Dei auro præferunt.

16. Opponetis forſitan contra jam traditam doctrinam, Davidis Regis exemplum, qui ingentem & immenſum auri & argenti cumulum congregaſſe legitur, adeo ut talenta auri aſcenderint ad mille ſexcentos, & tres milliones, argenti vero talenta attigerint ad plus quam ad ducentos octo milliones; ac proinde reſpondeo verum quidem eſſe, ſiquidem Scriptura Sacra idipſum manifeſte teſtatur. Verumtamen advertendum quod David vir ille erat, qui de ſeipſo ſancte gloriabatur dicens: *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti;* circa quæ verba Sanctus Ambroſius pro inſtructione avarorum dicit: *Non quicumque hoc dicit, imo rarus hoc dicit, id eſt, qui legem Dei auro & argento præfert.* Legem Dei, quæ in charitate fundata conſiſtit, cordi ſuo longe firmius & profundius infixerat, quam argentum & aurum; Unde ſatis clare colligitur, quod alienis neceſſitatibus ſubſidia ferre numquam intermiſerit. Adhæc, ingens ille auri & argenti congregatus cumulus, non erat partus cupiditatis, ſed religionis, pietatis & devotionis erga Deum effectus, ſiquidem univerſum illud aurum & argentum fabricæ templi deſtinatum erat.

Pſ. 118. v. 72

S. Ambr. oct. 8. ibid.

Divitū obligatio ſubveniendi pauperibus.

17. Verum enimvero ut divites, quibus præter bona, quæ ſtatui ipſorum conveniunt, plura alia ſuperfluunt, ſcire poſſint quam ſtricte & ſcrupuloſe Sancti Patres de obligatione exinde pauperum neceſſitatibus ſubveniendi loquantur, auſcultent in primis Sanctum Thomam, ex quo Dionyſius Carthuſianus ſequentia verba adfert: *Avaritia contrariatur juſtitiæ, ſecundùm quod avaritia importat immoderatam acceptionem & reſervationem divitiarum,* quas

D. Carth. t. 2. op. int. a. 5.

*quas homo ultra debitum adipiſcitur, aut conſervat, ſicque avaritia ex ſua natura eſt peccatum mortale, quia ſic ſpectat ad eam res aliorum retinere aut ſumere*; moxque, cur retinere facultates ſibi ſuperfluas & proximi exinde interitum cauſare, furti ſpecies ſit, rationem aſſignat dicens: *eo quod exteriora quantum ad uſum communia ſunt.* Citatque authoritatem SS. Baſilij & Ambroſij unanimi ore & calamo dicentium: *Non minoris eſt criminis habenti, quod ſuum eſt, tollere, quam cum poſſis & habeas indigentibus denegare, ideo ſcias te tantorum bona invadere, quantis potes, nec vis præſtare.* S. Bernardus de bonis Eccleſiaſticis in eiſdem fere terminis clare loquitur, dicens: *Sane patrimonia pauperum, facultates Eccleſiarum, & ſacrilega eis crudelitate ſubripitur, quidquid ſibi miniſtri, & diſpenſatores, non utique Domini, vel poſſeſſores, ultra victum accipiunt & veſtitum.* Alibi quoque idipſum confirmat, poſtquam enim pompam & luxum Cleri deteſtatus fuiſſet, proſequitur dicens: *Denique quidquid præter neceſſarium victum & ſimplicem veſtitum, de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Sanctus Bernardinus de ſæcularibus, qui quod à charitate vacui & inanes ſint, in damnationis periculo conſtituti ſunt, tractans dicit: *Ab hoc dilectionis gradu cum periculo damnationis æternæ deficiunt, qui de temporalibus bonis quæ habent, & in quibus abundant, populi neceſſitatibus nolunt & negligunt ſubvenire*; citatque Sanctum Ambroſium, avarum quemdam hominem his verbis alloquentem: *Eſurientium panis eſt, quem tu detines; nudorum indumentum eſt, quod tu recludis; miſerorum redemptio, quam in terram fodis; tantorum igitur te ſcias invadere bona, quantis poſſis præſtare quod velis, id eſt, velle præſtare teneris. Hoc ponderent, qui tot & tam pretioſis veſtibus, jocalibus, & ſuppellectilibus fulciuntur.*

*S. Bern. in decl. ecce nos, &c.* — *Epiſt. 2.* — *S. Bern. ſer. 7. a. 3. c. 1.*

Diſtribuendo lucrantur.

18. Verum enimvero quia forte nonnulli ſunt, qui ab hac obligatione adimplenda ideo ſe ſubducunt, quia nimirum ſe id quod proximis egenis diſpenſant, ſeſe perdere arbitrantur, ideo tales Sanctum Baſilium auſcultent dicentem: *Mirum fortaſſe incredibile, quod tibi ſum dicturus, videbitur tamen omni re certius.* Quid igitur Sanctus hic Doctor intendit dicere, quod difficillimum eſſe dicit ad credendum? qualenam illud paradoxum erit? *Diſtributæ opes, ut ipſe teſtatur Dominus, firmiores permanere, amatæ vero ac cupidius cuſtoditæ, auferri ſolent; ſi aſſervabis, non habebis ſi diſpergas, invenies.* Idem quoque Sanctus Pater alibi, id eſt, in oratione quadam cui Titulus, *de divitijs & paupertate*, idem prorſus aptiſſima quadam ſimilitudine declarat dicens: *Quemadmodum putei illi qui identidem exhauriuntur, longe elegantiores cæteris eſſe ſolent: ſic etiam divitiæ illæ quæ quieſcunt, & reponuntur, nullius uſui exiſtunt; at quæ moventur, & hinc inde tranſeunt, ſummam utilitatem fructumque afferunt.* Audiamus denique pro concluſione, quiſnam ex mente D. Chryſoſtomi dives appellari vere mereatur: *Dives eſt, non qui multa poſſidet, ſed qui multa largitur.*

*S. Baſil. h. 7. in div. avar.* — *Or. 14.* — *Chryſ h. 2. ad pop. An.*

## DISCURSUS XIX.

### ARGUMENTUM.

Bona hæc temporalia indifferentia ſunt ad bonum vel malum, eorum vero utilitas, quæ exinde in nos redundare poteſt, à bono illorum uſu dependet, & ideo bonis auxilio ſunt ad ſalutem, ſi in bona opera adhibeantur.

### THEMA.

*Subſtantia divitis, urbs fortitudinis ejus.* Proverb. 10. ℣. 15.

Divitiarum bonus uſus de ſalute ſecuros reddit.

1. IDemmet veridicus ſapientiæ & veritatis æternæ calamus, qui in tot ſacri voluminis locis divitias deteſtatur & contemnit, in aſſumpti thematis noſtri verbis, eaſdem Civitatem fortem & munitam appellat; Septuaginta enim legunt: *Civitas munita*: nimirum per hoc nobis inſinuare intendit, quod bonus illorum uſus fidelisque adminiſtratio, nos à communis inimici inſultibus tueatur & defendat, æternamque ſalutem noſtram ſecuriorem reddat.

Adjuvant virtutes.

2. Verum quidem eſt quod Clemens Alexandrinus divitias fortalitium ſive arcem vitiorum appellet; ſed videndum eſt qua id occaſione faciat; Prius ergo dicit: *Divitiæ quæ recte non adminiſtrantur, ſunt arx vitij & ſceleris contrariorum eſt eadem diſciplina*; & ideo qui illas recte adminiſtraverit, utique cum ingenti bono & utilitate ſua arcem eriget virtutis & perfectionis. S. Ambroſius teſtatur, quod Evangelium *non in divitijs crimen, ſed in male utentibus ponit*; Dum enim eos qui in bonis temporalibus abundant, alloquitur, ita inquit: *Diſcant divites non in facultatibus crimen hærere, ſed in ijs qui eis uti neſciunt, nam divitiæ ut impedimenta ſunt improbis, ita bonis ſunt adjumenta virtutis.*

*Clem. Al. Pædag.* — *S. Ambr. l. 8. in c. 19. Luc.*

Auxilium præſtant ad beatitudinē.

3. Quando populus Iſraëliticus in procinctu erat aggrediendi itineris in terram promiſſionis, Deus, priusquam duræ illius ſervitutis vincula & compedes ſolveret, Ægyptios ab illis omni opulentiori & pretioſiori ſupellectile ſpoliari, eademque ſpolia in itinere ineundo ab illis circumportari juſſit; Ex quo facto pulchra exurget conſideratio, maximè ſi hoc combinetur cum alio quod contigit, quando idem populus terram promiſſionis jamjam ingredi parabat; tunc enim Moyſes illis in illa terra aurum multum nimis reperiri inſinuavit: *Hæc ſunt verba* (ita ſacer Chroniſta in principio Deuteronomij loquitur) *quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael: Trans Jordanem in ſolitudine campeſtri inter Pharan & Thophel, & Laban, & Haſeroth, ubi auri eſt plurimum*; Hac enim combinatione facta, quæro, cur Deus tam in egreſſu ex Ægypto, quam in ingreſſu in terram promiſſionis, in hoc populo divitijs alijs, plus nimium, per hujus pretioſiſſimi metalli ipſis propoſitam eſcam, cupiditatis ſitim magis magisque accendere decreverit. In egreſſu enim ab Ægypto jubet Deus. *Poſtulabit mulier à vicina ſua... Vaſa argentea & aurea &c.* In inſtanti vero ingreſſu in terram promiſſam dicit de illa: *Ubi auri eſt plurimum. Omnia in figura contingebant*, Deus enim per hoc nobis oſtendere voluit, quod bona hujus mundi, quæ à nobis per magni æſtimantur ad acquirendam terram viventium, id eſt, cœleſtem beatitudinem, non impedimentum aliquod ſed potius auxilium præſtent, dummodo virtuoſe & ſecundùm dictamen divinæ legis applicentur.

*Exod. 3. v. 21.* — *Deut. 1. v. 1.* — *Exod. 3. v. 22.*

Divitiæ malæ ob malum poſſidentis.

3. D. Chryſoſtomus eadem utitur diſtinctione quam D. Ambroſius ſtatim adduxit: Etenim verum quidem eſſe concedit, quod à divitiarum cupiditate omne malum derivetur, advertit tamen, quod *id non tam faciant pecuniæ, ſed mala voluntas ipſis uti neſcientium; fas eſt enim pecunijs ſicut oportet uti, & licet per ipſas regnum cœleſte poſſidere.* Demum vero rationem cur pecuniæ hominibus non ſubſidium adferant, ſed potius offendiculum præbeant, ad quod allidentes in Inferni corruant præcipitium, his verbis aſſignat: *At nunc quæ in uſum pauperum, in noſtrorum remedia peccatorum, ad promerendam gratiam Dei collatæ ſunt nobis, illis nos contra inopum miſeriam, imo contra noſtras animas, in offenſionem divinæ utimur majeſtatis.* Quæ eadem veritas etiam à S. Auguſtino emphaticis hiſce verbis exprimitur: *Non aurum malum eſt, quod Deus condidit, ſed malus eſt homo avarus, relinquens creatorem converſus ad creaturam.*

*Chryſ. h. 17. in 1. ad Tim.* — *S. Aug. in Pſalm. 136.*

Vel quia per fraudes acquiſitæ.

4. Ex quo omnis Chriſti actio noſtra eſt doctrina & inſtructio, advertendum eſt, quod Chriſtus vix etiamnum natus, prodigioſa quadam ſtella mediante tres Reges ab Oriente evocarit, ut ingentes ei theſauros tributi loco offerrent: *Apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, &c.* Veriſimile autem non eſt, quod ſi incarnata hæc ſapientia aurum ſaluti noſtræ pernitioſum eſſe cenſuiſſet, hoc ſibi tributum obſequij & debitæ recognitionis loco præſentari ſibi minime paſſus fuiſſet; Verumtamen bene notandum eſt, tres hos Reges non aurum ſolum ſed incenſum pariter & myrrham ei obtuliſſe. Item aurum ab illis oblatum, aurum fuiſſe probatiſſimum, puriſſimum, ſelectiſſimum, quod in ignem conjectum & probatum, nullius alterius metalli commixtionem ſecum admittit, ad denotandum, quod ad hoc ut aurum & divitiæ noſtræ in noſtram nobis utilitatem cedant, nullamque nobis pernitiem aut damnum concilient, neceſſum ſit, ut à nobis acquiſitum ſit, non per fraudes, extorſiones, furta, rapinas, uſuras, vel alios ſimiles iniquos acquirendi modos. Quod vero Reges illi auro myrrham, quæ ob ſui amaritudinem tribulationes & paupertatem ſignificat, conjunxerint, indicant, quod ad hoc ut aurum nobis ad ſalutem noſtram proficiat, in ſublevandas proximorum noſtrorum anguſtias & miſerias impendi debeat. Denique quia per incenſum pietas & religio communiter ſignificatur, tunc aurum noſtrum thuri ſive incenſo aſſociatur, quando aurum noſtrum ad divini cultus augmentum & ornamentum adhibetur. Unde S. Cyprianus divitem quemdam hiſce verbis alloquitur: *Locupletem te dicis & divitem, & utendum putas ijs, quæ poſſidere te Deus voluit; utere, ſed ad res ſalutares: utere, ſed ad bonas artes: utere, ſed ad illa quæ Deus præcepit, quæ Dominus oſtendit.*

*Matth. 2. v. 11.* — *S. Cypr. de diſc. & hab. virg.*



Divitiæ impendantur in Dei laudem.

5. Tres illi Reges Orientis theſauros ſuos non obſeratos & clauſos habebant, ſicut avari, ſed deferebant apertos: *Apertis theſauris ſuis obtulerunt*: aurum namque ſuum in extremam hujus ſtabuli Bethlehemitici paupertatem ſublevandam impendebant, & erogabant; quo facto omnibus divitibus ſalutare poſt ſe reliquerunt documentum, ut ſcilicet divitias ſuas in pauperum ſubſidium, & in Dei, à quo illas acceperunt, honorem conferant, atque ſervitium.

*Matth. 2. v. 11.*

Divitiarum abuſus culpabilis.

6. Obſervandum quoque ſanctos hoſce Reges in tugurio Bethlehemitico manibus auro plenis, genibusque coram Filio Dei flexis eumdem ſumma cum reverentia adoraſſe; *Procidentes adoraverunt eum*: econtra vero Jeroſolymis Herodem Regem eidem divino Infanti machinatum fuiſſe mortem: Unde obſecro hæc oritur Herodem inter & tres Reges Orientales inclinationis erga divinum hunc puſionem propenſionis ingens diverſitas? Nimirum quia Magi aurum quod in manibus ferebant, ante nati Salvatoris projecerunt pedes, Herodes vero quia aurum & theſauros, nec non Regni ſui ſceptrum & diadema amittere metuebat, ideo terrenis hiſce bonis plus nimium adhæreſcens pluris terram, quam cœlum in corde ſuo æſtimavit: qui defectus utique non ex auro, ſed ex ejus inſatiabili avaritia procedebat. Unde S. Chryſoſtomus ait: *Illi, ſcilicet Herodi, aſſimilantur, qui Filium Dei conculcant, habentes in ſemetipſis Mammonam*: qui enim velut idololatræ aurum adorant, hi Deum ſuum pedibus ſuis ſubſtratum, ignominioſe conculcant. Huc quoque mire ſervit illa S. Bonaventuræ præclara ſententia: *Creatura non ob aliud pernitioſa eſt amatori, niſi quia præponitur creatori*: Ex ſeipſa autem bona eſt. Supremus ille & Divinus rerum omnium artifex auri & argenti pretioſiſſima metalla ad ſolum produxit Reipublicæ beneficium, ut nimirum exinde cuſis & conflatis pecunijs ad ſuas quiſque uteretur neceſſitates, victus nimirum, & veſtitus, & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles. Unde qui granis caret, pro illis comparandis dare poteſt argentum, & qui monetam non habet ad comparandam veſtem, frumentum vendit ad congregandam pecuniam, qua ſibi comparare poſſit veſtem vel aliud quid ſimile æque ſibi neceſſarium: at vero homo avarus & à cupiditate ſua ſuperatus, ad aviditatis ſuæ fomentum, ad effrænes appetitus ſuos per pompas, luxus, malas ſocietates, ludos, crapulas, ebrietates, variosque luxuriæ exceſſus turpiter ſatiandos abutitur: cujus abuſus culpa nequaquam in aurum, ſed in malitiam & temeritatem refundenda eſt. Unde S. Bonaventura ait: *Si quæratur, utrum divitiæ ſint utiles, dico, quod bene utenti utiles ſunt; ſed reſervanti ſunt inutiles: male utenti damnoſæ: divitiæ congregatæ in malum Domini ſui.*

*S. Chryſoſt. in cat. Græc. ad c. 2. Luc.* — *S. Bon. ſer. 2. in d. 3. Pent.* — *S. Bon. in c. 5. Eccl.*

Divitiæ nec bonæ nec malæ.

7. Advertendum proinde eſt quod divitiæ indifferentes ſint, nec ullam poſſeſſoribus ſuis imprimant virtutem, perfectionem, aut ſpiritum, quemadmodum bona ſpiritualia & dona cœleſtia faciunt; atque ideo in tantum nobis proficuæ exiſtunt, in quantum per directionem & rectitudinem voluntatis noſtræ illa ad opera virtuoſa & pia ordinamus. Unde Sanctus Auguſtinus ait: *Bonæ ſunt divitiæ, bonum eſt aurum, bonum eſt argentum, bonæ familiæ poſſeſſiones, omnia iſta bona ſunt, ſed unde facias bene, non quæ te faciant bonum.* Aurum enim, argentum & omnia alia terrena bona indifferentia ſunt, & ſecundùm quod illis bene vel male utimur utilia vel pernitioſa fiunt. Arca Dei quot non in Philiſthæis, Bethſamitis, & in perſona Ozæ ſtrages cauſavit? Et tamen eadem arca domum Obededom infinitis quaſi benedictionibus cumulavit, adeo ut David exinde motus eamdem ex domo Obededom in ſuum fecerit tranſportari palatium. Culpa ſtragis quam Philiſthæi & alij perpeſſi fuere, non Arcæ tribuenda eſt, ſed illorum potius incredulitati, irreverentiæ & demeritis adſcribenda venit. Quot Reges, Imperatores, Pontifices ſancti fuere inter immenſas quas poſſederunt divitias. Igitur non divitiæ in ſeipſis tamquam vitioſæ accuſandæ ſunt, ſed potius culpandi illi qui eis abutuntur. Ex eodem prorſus flore Apis mel ſugit, aranea autem venenum colligit. Unde Emblemati cuidam hæc Epigraphe ſubnexa fuit: *Hinc mel, hinc venenum.* Et Sanctus Auguſtinus ait: *Vis videre quam juſti judicis res eſt aurum, argentum. Avarus inde miſericors adjuvatur, aurum, & argentum, & omnis terrena poſſeſſio, exercitatio humanitatis eſt, & ſupplicium cupiditatis.* Quando enim dantur avaro cuipiam, illi fiunt laqueus Dæmonis, ejuſque cupiditatem foventes in Infernum demergunt: Econtra vero ſi vir aliquis timoratus & compaſſionis viſceribus præditus poſſeſſor illarum fiat, is ijs ad cœli viam ſibi ſternendam & præparandam utiliſſime utitur. Unde D. Chryſologus optime ait: *Eſt commutatio ſane una, ſi homo prudens illud ante mittat ad cœlum, quam mittatur ab illo ut ſtultus in tartarum.*

*S. Aug. ſerm. 71. in app. de div.* — *S. Aug. h. 15. de div.* — *Chryſol. ſerm. 29.*

Ab uſu illarũ ſalus aut perditio.

8. Idem Sanctus Auguſtinus ibidem cauſam inquirit, cur Dei providentia omnis erroris neſcia, bona hæc temporalia, non ſolum bonis, ſed etiam malis in abundantia concedere ſoleat? Et reſpondet: *Si ſolis malis in poteſtate daretur aurum & argentum; recte putaretur malum: ſi ſolis bonis, recte putaretur magnum aliquod bonum; Rurſus ſi ſolis malis deeſſet; videretur ſumma beatitudo paupertas: nunc ſi ſcire vis aurum bene haberi poſſe, habent & boni: Si ſcire vis non eos per aurum bonos eſſe, habent & mali*; Ut igitur divitiæ nobis adjumento ſint ad ſalutem à bono illarum uſu, non vero ab eorum id pendet poſſeſſione.

*S. Aug. ibid.*

Confirmatur.

9. Seneca ſolo naturæ lumine inſtructus ad hanc veritatem agnoſcendam pertingere potuit, quod ſcilicet divitiæ ex ſe ipſis nequaquam hoc habeant, quod homini ad ſalutem utiles ſint, ſed potius ex poſſeſſoris bonitate id ſolum proveniat, cujus hanc aſſignat evidentem rationem: *Aut*, inquit, *iſta bona non ſunt, quæ vocantur, aut homo felicior Deo eſt, quoniam quidem quæ parata nobis ſunt, non habet in uſu Deus, nec enim libido ad illum, aut opes: Ergo (quod incredibile eſt) bona Deo deſunt, aut hoc ipſum argumentum eſt, bona non eſſe, quæ Deo deſunt.* S. Ambroſius quoque idem ſe intellexiſſe demonſtrat, ſcilicet quod bona hæc terrena vere bona non ſint; Fundaturque in illis divitis avari verbis: *Anima* mea *habes multa bona*, circa quæ verba S. Doctor ait: *Neſcit avarus bona niſi ea quæ quæſtuoſa ſunt nominare*; Hæc tamen terrena etiam aliquo modo bona vocari poſſe, idem Sanctus concedit, dum ibidem ait: *Sed acquieſco ei ut bona dicantur, quæ ſunt pecuniaria*; Sed protinus ſubdit: *Cur ergo de bonis facitis mala, cum de malis bona facere debeatis? Scriptum eſt enim: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; Ei ergo, qui eis uti ſcit, multa bona ſunt: ei qui illis uti neſcit recte, mala; Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.*

*Sen. ep. 75.* — *Luc. 12. v. 19.* — *S. Ambr. l. de Naboth, c. 2.* — *Luc. 16. v. 19.* — *Pſ. 111. v. 9.*

10. In hujus porro veritatis probationem magnum illud patientiæ, & inter divitias ſanctitatis ſpeculum Jobum inquam nonnihil contemplemur, qui in proſperrimo mundanæ felicitatis ſtatu poſitus, totius contra ſe Inferni commovit invidiam, hic enim ſuſtinere diutius non valens, quod hic inter tantas proſperitates conſtitutus tanta nihilominus perfectione & ſanctitate reſplenderet, damnumque quod ex hujus ſanctiſſimi viri exemplo in eum redundabat, dum alij quoque divites ad ejus imitationem innocentiam inter divitias conſervare ſatagebant, probe cognoſcens, omnibus eum ſubſtantijs & facultatibus exuere & ſpoliare ſtuduit; & quo putas fine id facere moliebatur? *Tentat eum pecunijs nudare*, inquit Chryſoſtomus, *quo claris eumdem facinoribus nudet.* Unde ijs divitibus, qui Jobi, Abrahæ, aliorumque qui ſimul cum divitijs, quibus copioſe abundabant, eminentem quoque vitæ perfectionem ſibi compararunt, exemplo innixi, divitias ſuas accumulare & adaugere non deſinunt, his verbis reſpondet: *Dicam ego ad te: Fias juxta Job dives, atque ego tibi majores divitias exoptabo: Fias juxta Abraham, atque omnis terra divitias tibi exoptabit.* Idem quoque Chryſoſtomus conſiderans, qualiter aſtutus ille ſerpens infernalis, Jobum innocentia & ſanctitate privare volens, illum omnibus terrenis bonis ſpoliatum, & nudum in ſterquilinium collocarit, dicit: Ecce tibi quam ſit verum quod anima aliqua copioſiſſimis theſauris affluens, ipſiuſmet inimici infernalis teſtimonio & experientia, ſanctiſſima evadere poſſit: *Etenim Diabolus quandoquidē eum diteſcentem eiſdem temporalibus divitijs vidit, atque ex eiſdem æternas ſibi theſaurizare divitias, putavit quod quemadmodum eo diteſcente diteſcebat juſtitia, ſic ad paupertatem redacto, eadem quoque virtus paupercula appareret.*

*Chryſ. ſer. 2. de Job.*

Divitię bonæ quibus non ſunt cauſa peccati.

11. Idem D. Chryſoſtomus alibi hæc terrena æqua lance & cum pondere ſanctuarij trutinans, inter illa diſtinguit dicens, aliqua illorum mala eſſe, alia bona, alia vero indifferentia: *Porro divitiæ ac paupertas, per ſe neque hoc ſunt, neque illud, ſed pro ratione propoſiti ac voluntatis eorum, qui utuntur illis, aut hoc aut illud fiunt*; Quod ſi enim illis in compaſſionis exercitium uſus fuerit, virtutis & meriti occaſio erunt: ſi vero ijs utatur ad augendam cupiditatem ac ſuperbiam ſuam inevitabile illi conciliabunt damnum: *Verumtamen*

*Chryſ. t. 7. ſerm. 57.*

*non ſunt in cauſa divitiæ, ſed is qui ad injuriam divitijs eſt uſus; Bonæ ſunt divitiæ, ſed non ſimpliciter, verum illi, cui peccatum non eſt.*

M. 2. ad pop. Antioch.

12. Idem quoque Sanctus Doctor cum divite ſermonem inſtituens, divina eum diſpoſitione divitijs affluere dicit: *Divitem te facit Deus, quid teipſum pauperem facis? Divitem te fecit Deus ut egenis auxilieris, ut peccata tua ſolvas per liberalitatem alijs exhibitam:* Deus nos locupletes efficit, ut ſaluti noſtræ promovendæ ſubſidia præſtet, non vero ut nos exinde de illa adipiſcenda periclitari faciat, noſtra malitia eſt, ſi ijs abutamur.

Noſtra malitia pernitioſas facit.

D. Carth. t. 2. op. min. art. 2.

13. Dionyſius Carthuſianus nos ex corpore & anima compoſitos eſſe, ac proinde duplicis generis bona nobis neceſſaria eſſe conſiderat, terrena videlicet & cœleſtia, terrena ſunt victus, veſtitus, habitatio, pecunia, vel aliud æquivalens: Cœleſtia vero bona quibus indigemus, ſunt Divina gratia, virtutes Chriſtianæ, & dona Spiritus Sancti: *Sicut anima hominis eſt incomparabiliter nobilior corpore ejus, ſic ſpiritualia bona ſunt ineffabiliter digniora corporalibus bonis; nec corporalia bona ſunt appetenda aut retinenda, niſi in quantum deſerviunt homini ad virtuoſe vivendum, atque ad proficiendum & perſeverandum in Dei amore, in gratia, ac donis Spiritus Sancti, & ad pertingendum ad cœleſtia bona:* Quanam vero in re deordinatio noſtra & vitium conſiſtat protinus declarat, dum ait: *Si temporalia plus appetantur, aut copioſius reſerventur, hoc eſt avaritia, quod eſt ſuperfluus amor pecuniæ, & immoderatus appetitus rerum temporalium.* Quod ſi pecuniæ & monetæ in ſeipſis bonis moribus præjudicium aliquod vel damnum crearent, utique Principes & Reſpublicæ, quibus boni communis cuſtodia incumbit illas non cuderent, ſed potius à commercio humano totaliter profligarent, noſtra dumtaxat eſt malitia, quæ illas propter extorſiones, uſuras, & furta, &c. pernitioſas facit. Cæteroquin ut S. Baſilius ſcribit: *Ad ſubſidium vitæ, non ad malorum incitamentum pecunia data eſt.* Similiter S. Bruno Carthuſianorum Patriarcha verba illa S. Pauli 1. ad Timoth. 6. *Divitibus hujus ſeculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo,* ponderans, dicit: *Divites ſint in operibus bonis, facile tribuant, ecce iſti ſunt boni divites; qui non ſuperbe ſapiunt, neque ſperant in incerto divitiarum, id eſt, fiduciam ſuam non ponunt in divitijs, quæ ſunt in incerto, quæ hodie habentur, & cras facile dimitti poſſunt.*

S. Baſil. h. 7. de div. av.
1. Tim. 6. 17.
S. Brun. h. de imit. Chriſ. in paup.

Joan. 10. 9.
Matth. 19. v. 24.
Divites ſalvari poſſunt.

14. Verba illa Chriſti, qui oſtium eſt Paradiſi: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur,* dicentis: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum,* prima quidem facie horriſona & tremenda eſſe videntur; Verumtamen judicium veſtrum eo uſque ſuſpendatis velim, donec propoſitionis hujus intelligatis ſenſum. Et quidem Sanctus Anſelmus Hieroſolymis portam quamdam fuiſſe notat, quæ *foramen acus* paſſim nominari ſolebat, quam Camelus pertranſire non poterat, niſi depoſito, quo gravabatur onere, genua flecteret; ac proinde dicti hujus ſenſum & myſterium declarans dicit: *Per quam ſignificatur divites non poſſe intrare viam arctam, quæ ducit ad vitam, niſi divitijs, ſaltem non amando depoſitis;* Hoc autem pondus nihil aliud quam affectus ad divitias nimis immoderatus: *Amor meus pondus meum.* Notandum vero quod Chriſtus paulo poſt apud homines difficillimum eſſe dicat, ut divites ſalventur: *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt,* quaſi diceret: per humanam induſtriam, & ſine gratia & auxilio divino, hoc eſt difficile, facile autem per auxilium Dei, ſive animæ alicui ardenti Charitate.

S. Anſelm.

Matt. 19. 26

Si pauperibus ſuccurrant.

15. Porro in lingua Græca Cameſus idem eſt, quod Canapus, qui difficulter per foramen acus ingreditur, verumtamen non eſt prorſus impoſſibile, ut per illud ingrediatur; Sed quo modo id fiet? Si nimirum is partiatur, & in ſubtiliſſima fila dividatur. Idem quoque de divitibus dicere poſſumus, ſcilicet quod ſi divitias ſuas dividant & diſpertiantur inter pauperes, ſecurum ſibi ſternant ad Paradiſum ingreſſum.

16. Sanctus Antonius de Padua conceptum quemdam utilem pariter & ingenioſum adducit, cujus etiam S. Bonaventura meminit Tom. 6. in Diæta ſalutis, & poſt ipſum Sanctus Bernardinus ſerm. 50. A. 2. cap. 1. *Lutum in domo congregatum,* inquit S. Antonius, *fætorem exhalat, diſperſum terram fæcundat: Sic divitiæ cum congregantur, & maxime de non ſuo, ſed de alieno, peccati & mortis fætorem generant, ſi vero pauperibus diſpergantur, & proprijs Dominis reſtituantur, terram mentis fæcundant & fructificare faciunt.* Sanctus Bernardinus ſterquilinij exemplum adducit, illumque Ezechielis textum: *Aurum eorum in ſterquilinium erit,* ponderans dicit: *Sterquilinium quidem diſperſum utile eſt, agros enim uberes reddit: Congregatum vero non tantum eſt inutile, magis autem inquinat, & fætet: ſic divitiæ diſperſæ fructiferum reddunt agrum humani cordis, congregatæ vero amatorem ſuum inquinant.*

S. Ant. Pad. ſer. 2. in Pent.

Ezech. 7. v. 9
S. Bern.

## DISCURSUS XX.

### ARGUMENTUM.

Nimius cordis noſtri erga bona temporalia adhæſionis affectus condemnatur. Et ideo Abraham, Job, & alij Sancti, qui ſine ullo divitiarum amore divites fuerunt, conſiderantur. Et ideo bona temporalia ad bona opera, & ad neceſſarium uſum noſtrum applicanda, non vero Deo & ſaluti noſtræ præferenda ſunt.

### THEMA.

*Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia.* Eccleſ. c. 13. ℣. 30.

1. MAgnam divitibus conſolationem adferunt verba illa quæ Spiritus Sanctus Eccleſiaſtico ad calamum dictavit: *Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia:* quod non ſolum de illis qui facultates proprias juſte & licite poſſident intelligitur, verum etiam de omnibus alijs, qui cum timoratam habeant conſcientiam illis licite fruuntur, recteque & conformiter divinæ legi adminiſtrant, iiſdemque per cupiditatem minime adhæreſcunt.

Eccli. 13. 30.

2. Sapiens ad bona temporalia utique alludit, quando de melle dicit: *Mel inveniſti, comede quantum ſufficit tibi, ne forte ſatiatus, evomas illud.* Sanctus Auguſtinus modum inſinuat, quo anima aliqua in hoc tranquillo melleoque mari navigans naufragium evadere poſſit: *Supervolemus,* inquit, *terrenis opibus noſtris, in mellis copia non fruſtra pennas non habet apicula, necat it enim hærentem.* Nimia enim erga bona temporalia adhæſio & amor damnum animæ infert, eamque impedit, quo minus ſuum ad Deum volatum expedire poſſit. Unde Sanctus Marcus Eremita cum advocato quodam circa terrenorum bonorum materiam diſputans, ita eum alloquitur: *Dico tibi, aurum & poſſeſſiones non nocere, ſed inhærentem affectus abuſum eorum.*

Prov. 25. v. 16.
S. Auguſt. ep. 112.
Divitiæ non nocent ſed nimius affectus.
S. Marc. Erem. lib. de pœnit.

3. Apoſtolus ad Timotheum de avaris qui amore facultatibus ſuis adhæreſcunt, ſcribens, dicit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem;* Ubi per illa verba: *Volunt divites fieri,* nimiam avarorum adhæſionem & cupiditatem erga divitias condemnare nititur, & quidem tanto tenacius tales divitijs adhærent, quanto illis magis proprium eſt, ijs corde, amore, & affectu arctius alligatos eſſe: *Laqueus in auro,* inquit Sanctus Ambroſius, *viſcus in argento, nexus in prædio, clavus eſt in amore. Dum aurum petimus, ſtrangulamur, dum argentum quærimus, in viſco ejus hæremus, dum prædium invadimus, alligamur;* Virtus autem & meritum noſtrum in eo conſiſtit, ſi videlicet omnibus hiſce terrenis bonis ſuperiores ſimus.

1. Tim. 6. 9.
Cupiditas culpabilis.
S. Ambr. l. de bon. mor. c. 5.

4. Deus quondam Moyſi præcepit, ut in extremitate veſtis ſummi Sacerdotis poma aliqua granata ſuſpenderentur: *Deorſum vero ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica facies.* Vultiſne ſcire quodnam malogranatorum iſtorum fuerit myſterium? & cur ad pedes tunicæ illius ſuſpenſæ fuerint? Obſervandum eſt igitur, quod malogranata ad inſtar globi mundialis rotunda ſint, coronamque in vertice deferant, in viſceribus autem innumera grana, in certas claſſes & ordines diſtributa habent; Ac proinde mundum hunc præfigurant, qui varijs eſt refertus Provincijs, regnis, & populis; Sacerdotes igitur, qui fidelium debent eſſe ſpeculum, & norma vivendi, hæc malogranata verſus pedes geſtare debent, *deorſum ad pedes,* ut per hoc ijs inſinuetur, quo in pretio & æſtimatione bona hæc temporalia, & felicitatem humanam habere debeant. Unde S. Bernardus ait: *Quid ſuavius homini, quam mundum habere ſub pedibus, nihil in eo videre, quod appetat.*

Exod. 28. v. 33.
Sacerdotes divitias deſpiciant.
S. Bern.

5. Notum eſt omnibus ſomnium illud quod Joſeph Patriarcha magiſtro piſtorum Pharaonis explicavit: *Vidi ſomnium quod tria caniſtra farinæ haberem*

Gen. 40. 16.





Gen. 40. v. 16.
Qui plus terrena amat quam Deum reprobus judicandus.

*ſuper caput meum:* Advertendum eſt autem, quod hæc caniſtra farinæ, & farinæ quidem Ægyptiacæ, non erant in manibus, ſed ſuper caput, id eſt, bona hæc terrena ſuper quævis alia etiam cœleſtia æſtimabantur. Quotieſcumque igitur aliquem farinam Ægypti ſuper caput portantem, id eſt, bona mundi hujus plus æquo æſtimantem videtis, nullo vobis dono Prophetiæ aut Interprete, ad ſomnium iſtud exponendum opus erit, ſed libere dicetis, talem tandem aliquando æternæ damnationis futurum eſſe reum; *Hæc eſt interpretatio ſomnij: tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum, & ſuſpendet te in cruce.*

Exod. 40. v. 18.

6. Theophylactus rationem aſſignans, cur Publicanus ille ſuos ad cœlum oculos elevare non præſumpſerit: *Nec audebat oculos ad cælum levare,* inquit, *indignos viſionis ſupernæ eos* (*videlicet oculos*) *qui maluerant bona terrena ſpectare & quærere.* Ac proinde quiſquis animo ſuo ab hiſce terrenis alienus eſt, æternorum bonorum ſecum pignus portat. Unde S. Fulgentius, ad quemdam qui relicto mundo, Deo ſe conſecraverat ſcribens ait: *Multum gaudeo quod jam ſæcularis dilectionis nexibus non teneris, & contemnendo calcas, à quo cum eum diligeres, calcabaris.* S. Baſilius ab Eubulo magiſtro ſuo interrogatus: *Quis eſt mundus?* Reſpondit: *Qui eſt ſupra mundum.* Quanam aucupes aſtutia & induſtria uti conſueviſſe exiſtimas, ut volucres, quæ libertate maxima gaudent, & ut plurimum cœlum verſus ſubvecti vivunt, capere poſſint? Nimirum laqueos tendunt, in eiſque eſcam qua illas maxime delectari norunt, immittere ſolent, ut per hanc illa ad laqueum ſponte ingrediendum alliciantur: *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

Theoph. in Cat. Luc. 18. v. 13
S. Fulg. ep. 6. c. 2. ad Eug.
S. Baſil.
Sap. 14. v. 11

7. Aviculæ quæ reti illaqueatæ, aut viſco innexæ captæ ſunt, continuo quidem expanſis alis volare nituntur, ſed quo major eſt earum ad volandum conatus, tanto alas ſuas copioſiori viſco imbuunt, & tenacius retinentur & à volatu plus impediuntur: idem quoque multis accidit animabus, quæ bonis hiſce terrenis debita quidem cum temperantia & ſobrietate frui & gaudere volentes, attamen poſtquam illorum dulcedinem deguſtarunt, tanto deinceps cum affectu illis ſeſe immergunt, ut ab illis ſe expedire aut illa affectu ſuo deſerere numquam poſſint, *incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli & deſideria multa & inutilia, quæ mergunt homines in interitum.* Ac proinde S. Gregorius dicit: *Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, ſed non præſumo: ſi ergo cuncta mundi relinquere non poteſtis, ſic tenete quæ hujus mundi ſunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo, ut terrena res poſſideatur, non poſſideat: ſit ergo res temporalis in uſu, æterna in deſiderio, ſit res temporalis in itinere, deſideretur æterna in perventione.*

Multi terrenis capiuntur.
1. Tim. 6. 9.

Solus Deus reſpiciendus.

8. Scalam Jacob nonnulli bona hæc terrena præfiguraſſe dicunt; in varijs autem gradibus quos in ſe continebat, varij ſtatus præfigurantur. Aliqui enim, ut ipſa conſtat experientia, bona corporis amant, alij animæ bona ſectantur: Inter hos nonnulli delectantur ſcientijs, alij artibus ſe mechanicis applicant, alij vitæ ſe contemplativæ dedunt, alij activæ alij regimini applicantur publico, alij privatam vitam agunt. In omnibus autem hiſce ſtatibus bona temporalia locum habent, facultates nimirum, ſanitas corporis, honores, amicitia, patria, imo & regnum cœlorum, & æterna animarum ſalus, ſed ubinam Deo locum ſuum aſſignabimus? Obſervandum igitur, Deum ſcalæ hujus ſupremo vertici innixum fuiſſe, ut hinc intelligamus cuncta alia ſub pedibus habenda eſſe, quemadmodum omnes hi gradus ſub pedibus conſiſtunt, at vero Deus, cœlum, ſalus animæ æterna in vertice ſcalæ reſpicienda ſunt, quia in omni ſtatu, quantumvis is proſper ſit, oculus hominis defigendus eſt in divinam legem, in Dei honorem, & in animæ æternam ſalutem: neque enim nobis prohibitum eſt, ut fortunæ bona diligamus & conſectemur, patriam ſcilicet, & amicos, nec ut affectu aliquo proſequamur, vel curemus poſſeſſiones noſtras, palatia noſtra, vel noſtram ſanitatem; hoc enim ſi facere prohiberemur, neceſſario vel vineæ noſtræ ſylveſcerent, vel domus noſtræ ruinoſæ corruerent, vel horti negligerentur, vel cenſus interirent; ſed quod nobis prohibetur, hoc ſolum eſt, ne ſcilicet Deum in fundo ſcalæ collocemus, id eſt, ne ipſum hiſce terrenis bonis velut viliorem & indigniorem poſtponamus; ac proinde David optime dicebat: *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Pſ. 72. v. 25. & 26.

9. Rupertus Abbas Tuitienſis ſuper illa verba Jobi: *Si putavi aurum robur meum,* &c. ita ſcribit: *Spem & dilectionem ſuam in ſolius conditoris gratia figens.* Pergit idem Venerabilis Abbas oſtendere, quod in hoc veri ſervi Dei ab alijs proprie dignoſcantur, ſi nimirum in culmine divitiarum conſtituti, ab ijs tamen nimium affectum retrahentes alieni vivant: *Sancti viri in hujus peregrinationis ærumna, omnem præſentis vitæ copiam deputant, quam & pro amore cæleſtis patrimonij, aut largiendo diſpergunt, aut deſpiciendo deſerunt.*

Job 31. 24.
Rup. Abb.

10. D. Chryſologus in nonnullos Veteris Teſtamenti inclytos Sanctos, ſupra modum quidem quoad bona temporalia divites non minus tamen theſaurorum cœleſtium poſſeſſione opulentos oculum dirigens ait: *Abraham dives, dives Job, David dives, & quid Abraham beatius? quid fortius Job? quid David ſanctius?* Imo Abraham in tali conceptu Sanctitatis paſſim apud omnes fuiſſe dicit, ut depoſitum Paradiſi, ubi animæ poſt redemptionem ſuam præſtolabantur gloriam & beatitudinem, ſuum ab ipſo nomen ſortitum fuerit, & ſinus Abrahæ fuerit vulgari nomine appellatum; De Job vero ſcribit: *Job in ipſis divitiarum machinis, Diabolum & ipſe vicit, & nobis vincendi eum reliquit exemplum; Abraham ſic poſſedit divitias, ut eas ſæpe & oblatas contemneret, & calcaret indultas, & ſic diligeret poſſidere divitias, non à divitijs poſſideri, habere eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium: Erat autem dives valde in poſſeſſione auri & argenti,* aſſerit de ipſo Sacra Scriptura. Verumtamen *non ſibi,* inquit idem Chryſologus, *ſed pauperibus dives fuit, & opes non habere, ſed erogare geſtivit, magis in ſinum pauperis, quam in horreis ſuas ſtuduit recondere facultates.* Innocentius III. quoque ad hoſce tres, ſcilicet ad Abrahamum, Jobum, & Davidem ſe reflectit dum ait: *Et tamen de Abraham dicit Scriptura: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam; Et de Job: Non erat ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo; De David: Inveni hominem ſecundum cor meum.* Simul etiam modum declarat, quo tanta ſanctitas cum tantis divitijs compatibilis eſſe potuerit: *Fuerunt,* inquit, *quaſi nihil habentes & omnia poſſidentes,* juxta illud Prophetæ: [ *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere;* ] *Nos autem ſumus omnia poſſidentes, & quaſi nihil habentes;* Citatque illum Pſalmiſtæ textum: [ *Divites eguerunt & eſurierunt,* ] *facilius invenies, qui diligit divitias & non habeat, quam qui habeat, & non diligat, quia difficile eſt eſſe in igne & non ardere, difficilius eſt poſſidere divitias, & non diligere:* adducitque illam Jeremiæ querimoniam: *A minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent.* D. Chryſoſtomus ſpecialiter circa Abraham, illum ſubſtantiæ ſuæ non tam adaugendæ, quam communicandæ & diſtribuendæ avidiſſimum fuiſſe notat, dum ait: *Egrediens contemplabatur, num alicubi hoſpes, num alicubi pauper; ut paupertatem reſarciret; ut peregrinum exciperet; non auro tectum linivit, ſed apud quercum illam, tabernaculum figens, foliorum umbra contentus erat; & tam ſplendidum ipſi erat diverſorium, ut nec Angelos apud ipſum manere puderet.* Sanctus quoque Gregorius nobis demonſtrare nititur, qualiter dictus Patriarcha immenſas divitias ſuas, in maximum converterit ſanctitatis & perfectionis ſuæ profectum; ait enim: *Dives Abraham fuerat, qui tamen auctori ſuo colloquens,* dicit: *Loquar ad Deum meum, cum ſim pulvis & cinis:* Ex quibus verbis ſanctus hic Doctor, hujuſmodi deſumit heroici omnium ſubſtantiarum ejus, deſpectus & contemptus argumentum: *Quid iſte divitias ſuas æſtimare noverat, qui ſemetipſum pulverem cineremque penſabat: aut quando hunc res poſſeſſæ extollerent, qui de ſe quoque earum videlicet poſſeſſore tam abjecta ſentiret?*

Divitum ſpecula.
Chryſol. ſerm. 28.
Gen. 13. v. 2.
Chryſol. ſerm. 121.
Inn. III. l. 2. de cont. mund. c. 15.
Pſ. 61. v. 11.
Pſ. 33. v. 11.
Jerem. 6. 13.
Chryſ. h. 2. ad pop. Antioch. N. V.
Gen. 18. v. 27.

11. Conſiderari quoque hoc loco meretur regnum cœlorum civitati cuidam aſſimilatum fuiſſe, quæ non niſi per extremam illatam vim & violentiam rapitur & invaditur: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Et quidem Divus Chryſoſtomus hanc violentam rapinam conſiderans, nos quoque ad eamdem toto corde & affectu conſectandam his verbis extimulat: *Rapiamus regnum cælorum, quæ rapina non crimini, ſed laudi datur; crimen eſt, ſi non rapimus, non enim alterius damno diteſcimus, admiramur ergo.* Modum quoque hanc prædam rapiendi nos

Matth. 11. v. 12.
Pro mundanis cœlum accipe.
Chryſ. ho. 53. in Joann.

S. Gregor.

docet, eſtque idem ipſe, quem Sancti in hac vita bonis fortunæ à Deo accumulati tenaciſſimè ſervarunt: *Noli aurum rapere, ſed divitias quarum comparatione aurum lutum eſſe apparet; Dic quæſo, auro tibi aut plumbo propoſito, utrum potius raperes? nonne aurum? & quomodo poteſt quis rapere,* inquit? *diſperge quæ habes in manibus, quouſque enim præſentia ſervas, illa rapere non poteris. Propone tibi hominem plenis argento manibus, quoad id tenuerit, numquid aurum rapere poterit, niſi id prius projiciat & expeditus fiat?* At verò ut Sanctus Gregorius ait: *Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, ſed non præſumo.* Quia verò quiſquis in hoc ſæculo vivit, bonis hujus terræ pro ratione ſtatus ſui indiget, quónam hac in re conſilio nobis utendum erit? *Sic tenete quæ hujus mundi ſunt, ut per ea non teneamini in mundo.*

Terrena nauſeare incipiunt qui cœleſtia guſtant.
Exod. 4. v. 2.
Ibid. v. 3.

12. Moyſes quondam ſignum aliquod ſibi dari popoſcit, quo mediante ſe divina electione in caput populi conſtitutum eſſe evidenter oſtendere poſſet; Cui Deus reſpondit: *Quid eſt quod tenes in manu tua?* Cui Moyſes inquit: *Virga*, ô Domine, erat enim baculus paſtoralis cui inniti ſolebat; Hanc autem Deus illum in terram projicere protinus juſſit: *Projice in terram... & verſa eſt in colubram, ita ut fugeret Moyſes*; Præcepit igitur ut ſerpentem illum per extremitatem apprehenderet, & ſubitò iterum ad figuram priſtinam virgæ reverſus eſt. Quodnam verò eſt documentum, quod ex hoc facto diſcere poſſumus? Si fortè divitem aliquem interrogaveris: *Quid eſt quod tenes in manu tua?* Reſpondebit utique, Palatia, poſſeſſiones, diverſorum Dominorum ſtatus, quibus velut domus & nobilitatis ſuæ fulcris & columnis innititur, ſeque in ſtatu ſuo conſervare poſſe confidit: Quod ſi verò Deus ad cor ejus loquens internas illi ſuggerat & immittat inſpirationes, ut his omnibus ſe exuat & ſpoliet (prout tot quotidiè faciunt, qui Religiones in ſumma paupertate viventes amplexantur) *projice in terram*; invenies profectò, quòd ſi divinum hoc conſilium & inſpirationem executus fuerit, deinceps per lumen & notitiam bonorum cœleſtium, quâ illuſtrabitur, nauſeare deinceps bona terrena incipiet, quæ antea tantoperè amaverat; *ita ut fugeret Moyſes*, & divitias illas quas antea tanti fecerat venenoſiſſimos ſerpentes eſſe fatebitur: at verò quia non omnes Monaſterium ingredi, aut ſolitudines incolere poſſunt; ſed in Ægyptum deſcendere & in ſeculo vitam traducere talibus neceſſum eſt, ac proinde pro convenienti ſtatus ſui ſuſtentatione bonis temporalibus indigent, optimum nos Deus modum docet, quo in tali caſu uti debeamus; *apprehende caudam ejus*: ſic enim divitiæ illæ ſuſtentantis nos baculi loco inſervient, ſi videlicet illas per extremitates ſuas apprehendamus, id eſt, ſi illis ad neceſſitatem, non verò ad ſuperfluitatem utamur; ſi illas animo ab illis prorſus ſoluto & alieno poſſideamus, velut ſtatus noſtri extremè neceſſaria ſubſidia, non verò vel ut cupiditatis & appetituum noſtrorum fomenta. Baculus nobis pro debilitatis noſtræ ſuſtentaculo ſubſervit, noſque in pedibus ſuſtinet ne labamur: Divitiæ quoque quamdiu directioni legis Divinæ ſubordinantur, & juxta illam adminiſtrantur, in pedibus nos ſuſtinent, ne corruamus, non verò quando nobis occaſio ſunt offendiculi & lapſus, tunc enim quando nos illis toto corde & affectu innitimur, nos cadere faciunt, de quibus Pſalmiſta ait: *Humiliata eſt in pulvere anima noſtra, Conglutinatus eſt in terra venter noſter.* Unde Sanctus Hieronymus: *Sic vivamus tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes; victus & veſtitus divitiæ Chriſtianorum ſunt.*

Pſ. 43. v. 25.
S. Hier. l. 2. ep. 2. in fin.

Pſ. 94. v. 34.
Mundus inſtar arundinis.
Pſ. 46. v. 8.
Sap. 3. v. 7.

13. Regius Propheta ait: *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos, quia in manu ejus ſunt omnes fines terræ.* Sed quinam ſunt hi fines terræ, qui in manu Dei eſſe dicuntur, cum de Deo dicatur potius: *Quoniam Rex omnis terræ Deus?* Sanctus Bruno per fines terræ illos intelligit, qui in terra vivunt quidem, ſed animo ab omnibus terræ bonis prorſus alieno: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt.* Sed cur fines terræ appellantur? quia *in ſe finiunt terrenitatem.* De iiſdem in libro Sapientiæ dicitur: *Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*; Mundus etenim arundineto aſſimilatur, quia exterius pulchram præ ſe ferens apparentiam reſplendet, ſicut arundo, cum tamen intus ad inſtar ejuſdem arundinis vacua exiſtat; bona quoque terrena nos delectando ad ſe alliciunt, ſed extrinſecus tantum, cum alias revera nos non exatient, nec quietem & ſatisfactionem animi conferant.

Obiter terrenis uti debemus.
Num. 20. v. 17.

14. Notanda eſt autem dictio illa *diſcurrent*. Pro cujus intelligentia optimè ſervit, quod Sacer Chroniſta in libro Numerorum refert, poſtquam enim miraculum aquæ ex petra virga Moyſes percuſſa elicitæ recenſuiſſet, pergit referre modum, quo Regem Edom, ut exercitui ſuo per territorium Regni ſui nudum indulgeret tranſitum, rogarat: *Obſecramus ut nobis tranſire liceat per terram tuam, non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, ſed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinantes.* Quod opus erat, ut cum Rege cum conditionibus adeò arctis & ſtrictis de tranſitu concedendo paciſceretur, inſuper ſpecialibus addendo, *tantum velociter tranſeamus?* neque enim conſtat quod umquam cum alijs de ſimilibus pactis tanto cum rigore & arctitudine tranſegerit. Lyranus ait, *Rex Edom, Rex terrenus*, & ideò *omnia in figura contingebant*; Etenim anima quæ ad terram promiſſionis, id eſt ad cœleſtem gloriam adeundam ſe accinxit, obiter tantum & tranſeunter hac terra & bonis ejus, quantum ſcilicet neceſſitas & convenientia ſtatus requirit, uti, eademque tranſcurrere debet: *Tantum velociter tranſeamus*; hoc enim eſt quod Sancta Mater Eccleſia in Collecta Dominicæ Tertiæ poſt Pentecoſten fideles ſuos in hoc ſæculo petere docet, dum ita orat: *Protector omnium in te ſperantium Deus, ſine quo nihil ſanctum, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.*

Lyr. ibid.

Eccl. 9. v. 7.
Terrenis uti debemus prout neceſſe.
S. Hier. ep. 8. ad Dem.

15. Eccleſiaſticus monet dicens: *Comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.* Quæ verba Olympiodorus, quantum ad ſenſum literalem exponens dicit: *In lætitia & corde bono, uti quis dicitur bonis ſibi à Deo conceſſis, cum modeſtè utitur, & ad Naturæ neceſſitates.* Sanctus Hieronymus quoque ad Demetriadem ita ſcribit: *Veſtri generis eſt habere & calcare divitias.* Imò Sanctus hic Doctor ab omnibus quæ mundus permagni æſtimare ſolet, animo ſuo adeò alienus fuit, ut in fine vitæ Sancti Pauli Eremitæ, quam ipſe conſcripſit, proteſtari non dubitet, dicens: *Si Dominus optionem daret, multo magis eligerem tunicam Pauli, cum meritis ejus, quam Regum purpuras cum Regnis ſuis.*

Sur. 23. Oct.
Hiſtoria.

16. Laurentius Surius in vita Sancti Severini Archiepiſcopi Colonienſis rem miram refert, videlicet Illuſtriſſimum quemdam virum prima die nuptiarum ſuarum ab Angelo, ut ſe ſequeretur, invitatum, acceptata invitatione, ſponſaque ſua pariter & divitijs omnibus quas poſſidebat relictis, Angelum præeuntem in vaſtam uſque ſolitudinem ſubſecutum, poſtquam verò in eadem in jejunio, mortificatione, & alijs rigidis pœnitentiæ operibus auſteriſſimam duxiſſet vitam, vehemens eumdem inceſſiſſe deſiderium ſciendi, cuinam in terris viventi Sancto in præmio futurus eſſet coæqualis & ſimilis; cumque ei ab Angelo dictum fuiſſet eum Archiepiſcopo Colonienſi futurum eſſe in præmio parem, ad eum videndum ſe contuliſſe, ac tandem ipſum in Eccleſia habitu Pontificali ſplendidiſſimo indutum, ingentique ſub Miſſæ ſacrificio Cleri Principum ac nobilium corona ſtipatum deprehendiſſe, eumque cum Miſſa terminata unà cum Principibus cæteriſque aulæ Proceribus ſuum vidiſſet petere Palatium, inſecutus fuiſſe, tandemque cum eum lauto cuidam convivio accumbentem conſpiceret præ ſumma admiratione attonitum in eas incidiſſe cogitationes, ut ſibi facile pœnitentiam, qua hactenus inceſſanter ſe confecerat, Deo minimè acceptam fuiſſe perſuaderet, utpote cui non majus à Deo deſtinatum eſſet prẹmium, quam quod ſimile eſſet præmio illius Epiſcopi, qui in ſumma Eccleſiæ dignitate poſitus vitam ſuam in continuis ageret delicijs: mox verò eumdem ab Angelo cœlitus miſſo fuiſſe monitum, majori illum affectu adhærere urceolo, quem à cingulo ſuo pendulum ferebat, quam Sanctus Severinus cunctis afficeretur honoribus, delicijs, & quos poſſidebat palatij ſui theſauros; cui ſimilis eſt Hiſtoria, quæ in vita Sancti Gregorij Magni refertur. Denique quàm ingens fuit paupertas, in qua Sanctus Carolus in tanto divitiarum ſuarum theſauro, nec non in ſupremis Eccleſiæ dignitatibus poſitus continuo ſeſe exercuit? tanta nimirum, ut Bulla Canonizationis ejus eum appellarit. *Hominem mundo maximè blandienti crucifixum, terrena calcantem*; qui proinde cum Sancto Chryſoſtomo jure merito dicere potuit: *Quidquid delectabile mundus habet, ego rideo, divitias non curo, paupertatem non horreo.* Videatur in Promptuario Sacro Diſcurſus ſeptimus de Sancto Carolo.

S. Chryſoſt. h. de exp.

DISCUR-



## DISCURSUS XXI.

## ARGUMENTUM.

Ut erga bona terrena minus afficiamur, conſiderandum nobis eſt, quòd in hac vita ſimus viatores, vitaque præſens peregrinationi ſimilis exiſtat; id enim fecerunt, quotquot inter Sanctos divites fuerunt; Unde variæ etiam peregrinorum conditiones conſiderantur.

### THEMA.

*Chariſſimi, obſecro vos tamquam advenas & peregrinos; abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant adverſus animam:* 1. Petri 2. ℣. 11.

Marc. 19. v. 27.
Totus diſc. circa peregrinationem ad patriam cœleſtem.
1. Petri 2. v. 11.

1. S. Petrus qui omnium aliorum Apoſtolorum nomine Salvatori dixerat: *Ecce nos reliquimus omnia*, fidelibus in principio naſcentis Eccleſiæ, inſignem quamdam traditurus doctrinam, obſervavit illos, ut ſe advenas & peregrinos in hoc mundo eſſe arbitrarentur: *Chariſſimi obſecro vos tamquam advenas & peregrinos abſtinere &c.* Ubi gloſſa ait: *Eo minus animum terrenis rebus ſuperponite, quo vos patriam in cœlis habere meminiſtis.* Enimverò ſi cor & animum noſtrum ab his terrenis bonis, quæ violentum adeò ſuper nos dominium exercent, avellere & abalienare volumus; neceſſum eſt, ut nos in hoc mundo verè advenas & peregrinos eſſe agnoſcamus.

Hebr. 11. v. 13.

2. Sanctus Paulus in Epiſtola ad Hebræos de Sanctis veteris Teſtamenti Patriarchis tractans, dicit: *Confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram:* Porrò in diſcurſu præcedenti Abrahamum, Jobum & alios Sanctos pariter & divites fuiſſe pluribus oſtendimus. Quod ſi verò fundamentalem rationem ſcire cupitis, quâ ratione hi viri ſanctitatem & innocentiam in eo divitiarum ſtatu difficillimam conſervarint, animoque adeò à divitijs alieno & ſoluto vixerint, ecce vobis unicam eamque certiſſimam & indubitatam, quia videlicet ſe in hac vita peregrinos & advenas eſſe cenſuerunt, ac proinde ſubjungit ibidem Sanctus Paulus, *ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Quæ verba à Divo Chryſoſtomo hoc modo referuntur: *Hoc Paulus, cum admiraretur, dicebat, quare non erubeſcit Deus vocari Deus ipſorum? non erubeſcit,* inquit, *Dominus, à ſervis appellationem ſumere.* Siquidem Deus communi nomine appellabatur *Deus Abrahami, Deus Iſaac, Deus Jacob, quare non erubeſcit? dic rationem, nimirum ut nos eum imitemur, quia hoſpites,* inquit, *erant & advenæ:* Verum enimverò, inquit idem Sanctus Doctor, ob hanc rationem videbatur potius Deum erubeſcere & dedignari debuiſſe, ut peregrinorum & viatorum nomine ſe pateretur appellari, cum hi ut plurimum in mundi oculis, viles & abjecti homines eſſe cenſeantur; ſed reſpondet, Sanctos præfatos non fuiſſe peregrinos tales, quales illi communiter ſunt, qui ex uno loco incertis domicilijs peregrinantur, ſuaſque patrias ſedes, in regiones transferunt alienas: *Illi non ita erant hoſpites; ſed quod orbem univerſum deſpicerent, & parvi facientes terram, ad cœleſtem illam patriam reſpiciebant:*

Ibid. 16.
Chyſ. h. 6. de An.

Sap. 11. v. 21
Gen. 12. v. 1.
Hebr. 11. v. 9
Act. 7. v. 5.
Hebr. 11. 10.

3. Univerſam Abrahæ vitam diligenter circumſpicite & conſiderate; qui ab increata illa ſapientia, de qua in veritate dicitur: *Omnia in menſura, & numero, & pondere feciſti*; ex toto humano genere electus eſt, ut eſſet primus omnium credentium Pater, pariterque ſpeculum, Idæa, & norma omnium electorum Dei. Primum enim Præceptum à Deo illi impoſitum, fuit, ut patriam ſuam deſerens in regiones peregrinaretur, & abiret alienas: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi.* Præterea in toto vitæ ſuæ decurſu in tabernaculis demoratus fuit, quæ ab uno loco ad alium transferuntur, ſuntque propria viatorum domicilia. Unde Apoſtolus ait: *Fide demoratus eſt in terra repromiſſionis, tamquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Jacob coheredibus repromiſſionis ejuſdem, expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus.* Sanctus Stephanus in celebri illo ſermone, quem ad Synagogam habuit, ait: *Non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis*; cujus rationem ex Apoſtolo retulimus: *Expectabat enim &c.* Verum quidem eſt, quod in ſolemnem gratiarum actionem varia divino cultui altaria erexerit: at verò ne ſaxum quidem aut lignum movit pro fabricandis muris, in propriam habitationem. Unde Author Cat. ait: *Non ædificavit civitatem, nihil hic ſtabile quærit in terra, nihil hic poſſidet, utique peregrinus, ſed futura inquirit.* Ipſi quidem & toti ſuæ numeroſiſſimæ progeniei Paleſtina promiſſa fuit; at vero notandum, quod poſtquam eadem ab Ægyptiæ ſervitutis vinculis erepta fuit, quadraginta continuis annis per deſertum peregrinando ſub tabernaculis commorata fuerit, priuſquam ad Palæſtinam poſſidendam pertingeret, non obſtante quod longè breviori tempore eo pervenire potuiſſet; ut quid igitur tam diuturna peregrinatione opus fuit: *Omnia in figura contingebant illis.* Illa namque promiſſionis terra, cœleſtem præfigurabat gloriam, & ideo per hanc figuram unicuique animæ ad illam aſpiranti inſinuatur, quod ſi ad illam poſſidendam admitti deſideret, prius in hac vita tamquam verus viator & peregrinus vivere debeat: Unde Sanctus Bernardus religioſos ſuos exhortando dicebat: *Obſecro in peregrinatione hujus ſæculi, in militia hac ſuper terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, ſed tabernacula ad deſerendum, utpote cito inde evocandi, & migraturi in patriam & civitatem noſtram:* Etenim quando hæc terra Abrahæ à Deo promiſſa fuit, dictum eſt, non ſolum ipſum, ſed cum eo univerſam ſtirpem ejus velut peregrinos in ea perpetim victuros eſſe: *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua.* Et ideo quando Deus illum ab Abraha deſcendentem populum, præ cunctis totius univerſi nationibus ad veram ſui notitiam habendam elegit: *Notus in Judæa Deus:* ipſumque Abrahamum velut ſtipitem & caput illius deſtinavit; ipſum pariter cum tota ſua progenie velut in terra non ſua peregrinari voluit: *peregrinum futurum ſit ſemen tuum*; ideòque ipſum per multa ſæcula in regione quacumque ſtabiliri, & domos ab illis erigi noluit. Cur ita? Nimirum populus ille, & populus *Iſraël* appellabatur; quod idem eſt, quod *videns Deum*, & ideo illum non velut in patria domos fabricare; ſed velut peregrinum tabernacula viatorum incolere voluit, ut per hoc inſinuaret, illos de viſione Dei & cœleſti beatitudine ſecuros eſſe, qui ſe peregrinos eſſe reputant, & tamquam tales in hoc mundo vivunt; Unde Sanctus Leo Papa ait: *Surſum vocatos animos terrena deſideria non deprimant, ad cœleſtia prælectos peritura non occupent.*

Lipp. Gen. 12.
Bern. ad fr. de mont. Dei.
Gen. 15. v. 13.
S. Leo.

Gen. 32. v. 28.

4. Quod ut manifeſtum fiat, dic ſodes, quandonam Jacob Patriarcha nomen Iſraëlis in omnes poſtea Hebræos Iſraëlitas appellatos, derivatum impoſitum fuit? num fortè eo tempore, quo in paterna domo commodè & quiete ac ſtabiliter vixit? aut quando in domo Laban ſoceri ſui, Liæ & Racheli nodo maritali adſtrictus laborum & ſudorum ſuorum fructu fuit potitus? Nequaquam; quin potius ſi caput 32. Geneſeos legeritis, invenietis, tunc eum nobili hoc nomine decoratum fuiſſe, quando velut peregrinus actuali itineri accinctus erat, ut hinc intelligeremus, illos tantum ſe comprehenſores, & cœleſtis patriæ cives & poſſeſſores futuros eſſe ſperare poſſe, qui ſe in hac terra peregrinos eſſe agnoſcentes; velut perpetui viatores in eadem vivunt.

Luc. 24. v. 18
Hay. ibid.
Hug. Card. in c. 15. Gen.

5. Quamnam Salvator noſter à mortuis reſurgens & gloria præcinctus veſtis formam, veluti immortalitatis ſuæ Symbolum & indicem ſibi aſſumſit? Nemo eſt qui neſciat, illum confeſtim in peregrini habitu diſcipulis apparuiſſe: *Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem?* Quodnam in eo myſterium latere exiſtimatis, quod glorioſo in corpore reſurgens hoc potius quam alio habitu indutus comparere voluerit? Haymo Halberſtadienſis ait: *In peregrini ſpecie apparuit, ut nos qui membra ejus ſumus, in hac vita peregrinos & advenas nos eſſe ſentiamus.* Aptius vero ad intentum noſtrum Hugo Cardinalis ita ſcribit: *Poſt reſurrectionem peregrinis apparuit, & in forma peregrini; quaſi dicat: Solis peregrinis apparebo in gloria.* Non ſufficiebat ei quod habitum peregrini aſſumpſiſſet, verum etiam in hoc habitu illis præcipuè apparere voluit, qui peregrinabantur, & in actuali itinere poſiti erant; ut inſinuaret, quod ab illis potius quàm ab alijs in cœleſti patria revelata facie videndus ſit, qui in hac vita viatores ſeſe eſſe agnoſcentes, peregrini more vitam duxerint: *Solis peregrinis apparebo in gloria.*

S. Max. h. de Jud. tradit.
Matt. 27. v. 4.

6. Optimè idipſum conſideratio quædam Sancti Maximi confirmat, qui optimè ponderat, in quem præcipue finem pretium ſanguinis Redemptoris; id eſt, triginta argentei, quos Judas proditor Sacerdotibus retulit, dicens: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum; &c.* adhibiti fuerint. Etenim Pontifices & Sacerdotes coacto conſilio, ex illis argenteis agrum quemdam emendum eſſe ſtatuerunt, pro ſepeliendis in eo peregrinis;

Hoc autem falſum eſt, quia in Dominica Septuageſimæ, in qua mundani Bacchanalibus celebrandis ſe accingere ſolent, ſancta mater Eccleſia longe contrarium nos docet, dum ita canit: *Circumdederunt me gemitus mortis*, &c. Unde Venerab. Ivo Carnotenſis in ſermone de ſeptuageſima ita ſcribit: *Sub typo univerſi temporis, commendati ſunt nobis ſpecialiter hi ſeptuaginta dies, quibus recitatione lectionum & Canticorum, caſum humani generis recolimus, ut mortalitatis noſtræ dolores attendentes, quotidie doleamus; Unde in introitu hodiernæ Miſſæ ſancta Eccleſia per lapſum primi parentis mortem ſibi illatam eſſe deplorat.* Sancta Dei Eccleſia, uti omnes qui *de divinis officijs* tractant, optime obſervant, in officio divino, & in Miſſa, talibus utitur Pſalmis, Canticis, Antiphonis, & Reſponſorijs, quibus mœſtitia & pœnitentia à nobis obeunda inculcatur; atq; ideo etiam ſpecialiter feſtivum illud Alleluja deponere ſolet: *Triſtitiæ tempus exigit* (ſunt verba Ruperti Abbat. Tuitienſis) *ut Alleluja, quod lætantium carmen eſt, intermitteretur.*

*Ivo Carn. Epiſc. ſerm. in ſeptuag.*

*Rup. Abb. de Div. off. l. 4. c. 6.*

*Acta Eccleſ. Mediol. pag. 1016.*

Septenarius numerus myſticus nobis lamentabilem vitæ curſum repræſentans.

4. Sanctus Carolus Borromæus, prouti infra in progreſſu hujus diſcurſus dicemus, circa hujus temporis ſeptuageſimæ myſteria explicanda late diffunditur, ſpecialiter vero ita ad propoſitum noſtrum ſcribit; Sancta mater Eccleſia nobis infra annum diverſis temporibus, per varia inſtituta rituum genera & officia divina, ob oculos ponit ordinem & progreſſum, quem Deus, ut humanum genus ſalvaret, atque ad finem ad quem creatus eſt, cœlum nimirum, perduceret, obſervare voluit; Et quidem ut fideles ſui in terram Adventus & Paſſionis & mortis ſuæ cauſam penitius intelligant. Septuageſimæ Dominicam celebrandam inſtituit, in qua miſerabilem, qui in terreſtri Paradiſo accidit, Protoparentum noſtrorum lapſum, indeque conſequentes omnes alias calamitates & miſerias, quas ipſi unà cum tota humana progenie contraxerunt, nobis ſolicite repræſentat; Hoc enim fine in lectionibus Matutini Geneſeos recitatur exordium, pientiſſimaque hæc mater toto quo poteſt conatu nos ad deplorandas à nobis per peccatum contractas miſerias inducere ſatagit; ideo enim hanc Dominicam numero & nomine ſeptuageſimæ indigitat, non ſolùm quia calamitates, ad quas natura noſtra condemnata fuit, per ſeptuaginta annos, quibus populus Dei in miſerabili illa ſervitute Babylonica crudeliter detentus fuit præfiguratæ fuerunt, verumetiam quia numerus ſeptenarius in Sacra Scriptura ærumnoſum hujus vitæ curſum nobis repræſentat, cui demum perfectæ redemptionis Status, in ſtatu univerſalis reſurrectionis, in octonario numero ſymbolice ſignificatæ feliciter ſuccedit. Totus hic diſcurſus à præfato ſanctiſſimo Cardinali exponitur, atque in claſſicorum Scriptorum opinione fundatur.

*Rup. Abb. ibid. c. 1.*

5. Etenim Rup. Abbas aſſerit: *Per hos dies ſignificari captivitatem noſtram qua peregrinamur à Domino in hoc ſæculo;* Hæc autem captivitas & ſervitus in captivitate Babylonica, qua populus Iſraël oppreſſus fuit, olim fuit præſigurata; Unde Durand. in Rationali divinorum officiorum inquit: *Repræſentat ſeptuaginta annos Babylonicæ ſervitutis.* Quod idem Venerab. Abb. Rup. c. 3. lib. 4. *De divinis officijs* diu ante in hæc verba ſcripſerat: *Significatum eſt illa ſeptuagenaria captivitate populi Dei, qua realiter ſedit, & flevit ſuper flumina Babylonis.* Et ideo ſancta Eccleſia hoc tempore lapſum primorum Parentum, jacturamque veræ libertatis filiorum Dei, qui per peccatum Dæmoni ſubjecti, ſibique non à terreſtri, ſed cœleſti Paradiſo exilium duriſſimum adſciverunt, ob oculos nobis ponit, ut amaris eamdem lachrymis deploremus: *Septem Dominicas continuè ſequentes* (inquit præfatus Rup. Abbas) *magnis ac myſticis officijs inſignes, ſeptuageſimam nominamus, quarum in prima clamat homo à Paradiſi felicitate, & à Creatoris ſui facie projectus: Circumdederunt me gemitus mortis.* Ex illis vero quæ idem Venerab. Doctor in c. 6. ejuſdem libri ſcribit, quam illa, cui homines hiſce diebus vacare ſolent, profana diſſolutio & vanitas, huic eidem tempori ineptè & impropriè conveniat, clare liquet, ſiquidem tempus horum dierum, pluſquam aliud quodcumque totius anni ab Eccleſia planctui, fletui, & pœnitentiæ eſt deſtinatum; Unde vitæ gaudijs per primos parentes perditis, Eccleſia lamentatur dicens: *Circumdederunt me gemitus mortis.* Ivo Epiſc. Carnotenſ. nos quoque circa hoſce Septuageſimæ dies ita monet: *Scientes dilectiſſimi, quia quamdiu ſumus in mundo, peregrinamur à Domino, quotidianis lachrymis oportet nos hujus exilij mala deflere, & ad æternam patriam toto deſiderio anhelare;* Sanctus autem & zeloſus hic Paſtor nos ad plangendum hiſce diebus, non vero ad ridendum invitat: *His diebus ſpecialius & propenſius, gemitibus & fletibus operam demus, ut ad patriam noſtram, à qua mortifera delectatione corruimus, per amaritudinem cordis & lamenta redeamus.*

*Durand. in rat. divin. offic. l. 6. c. 24. n. 2.*

*Rup. Abb. l. 4. c. 3.*

Hoc tempus deſtinatum fletui.

*Rup. Abb. ibid. c. 2.*

*Rup. Abb. ibid. c. 6.*

*Ivo Carn. ibid.*

Invitamur ad planctum nō ad riſum.

6. Amalarius Fortunatus Epiſc. Trevirenſis, de hujus Dominicæ ritibus tractans ita ſcribit: *Ideo author officij noſtri ſeptuageſimam poſuit in noſtris officijs, ut illo in tempore à delicijs hujus mundi abſtinendo oſtenderemus in noſtra converſatione, qualiter per tempus ſæculi vivere debeant ſubjecti, qui poſt Baptiſmum peccatis ſe alienant à cœleſti Hieruſalem.* Durandus ſimiliter ita ſcribit: *Per hoc tempus* (Septuageſimæ videlicet) *ſignificatur deviatio, exilium, ac tribulatio totius generis humani, ab Adam uſque ad finem mundi, quod quidem exilium ſub revolutione ſeptem dierum peragitur, & ſub ſeptem annorum millibus includitur.* Idem quoque ſupradicta Introitus Miſſæ verba: *Circumdederunt me gemitus mortis*, &c. conſiderans ait: *Ubi confitetur Eccleſia ſe eſſe in pœna, & laboribus inflictis propter peccatum.* Ex quibus omnibus hactenus dictis, & alijs infra dicendis clarum eſt, fideles ab Eccleſia ad plangendum, non vero ad ridendum, ad pœnitentiam, non vero ad ludos, recreationes, larvas & comeſſationes invitiari, prout mundani & voluptuoſi homines ſtulte ſibi perſuadere nituntur. Atque ideo, *Amareſcat nobis*, inquit Ivo, *quidquid dulce eſt in rebus ſæculi.*

*Amalar. Fort. c. 1. de ſeptuag.*

*Durand. ibid.*

*Dur. ibid. c. 25. n. 4.*

*Ivo Carn. ibid.*

7. *Tantum abeſt* ab eo, quod tempus iſtud offenſis Dei multiplicandis, frænoque ſenſibus ad omnem libertatem relaxando ſit deſtinatum, ut potius, quemadmodum Durand. ex Evangelio notat, in quo vineæ parabola proponitur, cultura illius animæ Chriſtianæ inſinuetur, ut omnia ex ea vitiorum lolia & ſtipites evellantur & extirpentur: *In vinea animæ ſuæ laboret, abſcindendo vitia & peccata.* In Epiſtola pariter hujus Dominicæ ad curſum, non profanum & ſæcularem, ſed ſpiritualem incitamur: *Poſtea in ſtudio vitæ præſentis currat per pœnitentiæ opera, deinde viriliter in agone pugnet contra omnia Diaboli tentamenta;* Ac proinde cum Bacchanalia Dæmonis ſint ſpeciale latibulum, prouti inferius ſuo loco probabimus, potius hoc tempore, nos toto ſtudio & viribus noſtris ab ejus inſignijs ſubducere, non vero illi militare ejuſque infelicia ſtipendia mereri debemus; *Pugnet contra omnia Diaboli tentamenta, non ſuccumbat:* Hunc autem finem facilius conſequemur, ſi Matri noſtræ ad pœnitentiam nos invitanti aures faciles & morigeras præbeamus. *Verum quia non libenter*, inquit Dur. *homo ſuſcipit onus pœnitentiæ, niſi videat præmium, ideo oſtendit præmium*, idque ex Epiſtola præſentis Dominicæ oſtendit, in quo S. Paulus coronæ & pallij mentionem adducit: *Eſt bravium præmium currentium, per quod ſignificatur beatitudo æterna, quod oſtenditur, ut libentius agant homines pœnitentiam, & ut magis fleant peccata ſua*, unde Pſalmiſta ait: *Super flumina Babylonis illis ſedimus & flevimus.*

*Durand. ibid. n. 5.*

Eccleſia pœnitentibus oſtendit præmia.

*Pſ. 136. v. 1.*

8. Verum enimvero diſcurſum S. Caroli denuo reaſſumamus, qui ita ſcribit: Hoc eſt præcipuum inſtitutæ ſeptuageſimæ myſterium, ut Chriſtiani per lachrymas compunctionis, & vivos pœnitentiæ effectus, ad peccata expianda inducantur, ut hac ratione ſeſe fructuum Redemptionis Chriſti participes efficiant. Unde liquet, quantum populum Chriſtianum, & fidelem dedeceat, quod ſe his potius diebus quam alias umquam gaudijs, recreationibus, profanitatibus, larvis, & Bacchanalibus diſſolutionibus toto conatu impendant. Hoc tempore, quod Quadrageſimam immediatè antecedit, olim Eccleſia magis quam umquam alias per annum fidelibus Deo reconciliandis operam impendere ſolebat. Unde expreſſum erat præceptum, ut ſeptimana illa, maxime quæ Quadrageſimam immediatè antecedebat, omnes Sacerdotes quibus animarum cura demandata erat, populum ſibi commiſſum congregarent, & reconciliatis Eccleſiaſtica authoritate diſcordibus, auditiſque eorum confeſſionibus, ſalutarem unicuique injungerent pœnitentiam, adeoque tota illius intentio ad hoc unice dirigebatur, ut omnes ad inchoandam cum fructu Quadrageſimalis jejunij obſervantiam optime præparati ac diſpoſiti eſſent: Hi vero qui propter peccata publica graviori indigebant pœnitentia, in principio Quadrageſimæ veſtiti ſacco, nudis pedibus, & demiſſis in terram oculis, publice in Eccleſia, in conſpectu totius cleri coram Epiſcopo comparebant, qui culpis ipſorum rite examinatis, poſt multas orationes & lachrymas, conſperſis cinere eorum capitibus, eiſque cilicio indutis cum gemitibus & ſuſpirijs denuntiabat, quod ſicut Adam olim ex Paradiſo fuit ejectus, ita quoque ab Eccleſia ad perfectam uſque expiationem & reſipiſcentiam proſcriberentur; quibus dictis ſubitò Epiſcopi juſſu foras ire jubebantur, totoque Quadrageſimæ tempore in illo pœnitentiæ ſtatu uſque ad diem Jovis ſanctum perſeverabant, tunc enim rite expiati relaxabantur: Unde totius Eccleſiæ cunctorumque Chriſtianorum occupationes & exercitia longe diſtabant ab illis, quibus hodie major pars hominum operam ſuam navant; tunc nulli alteri exercitio, quam pœnitentiæ faciendæ dediti erant, nec quidquam adeo ſtudioſè curabant, quam ut Deo ſe perfecte reconciliare poſſent: hiſce vero temporibus inimicus infernalis adeo prævaluit, ut diebus hiſce currentibus magis, quam quovis alio anni tempore, per tot chorearum & comœdiarum laſcivarum, comeſſationum, crapularum, ſpectaculorum, larvarum aliarumque licentioſarum diſſolutionum exceſſus, tantamque peccatorum multiplicitatem & enormitatem divinam exacerbare juſtitiam non verecundentur.

*Acta Eccleſ. Mediol. p. 7. pag. 1016.*

Septimana ante quadrag. ab antiquis qualiter celebrata.

Modò ſit totum contrarium.



9. Unde de hoc miſerabili, omnique compaſſione digniſſimo tempore vere dici poteſt, quod ad aliud licet propoſitum Demetriano olim ſcripſit S. Cyprianus, nimirum: *Conſenſère jura peccatis, & cæpit licitum eſſè, quod publicum eſt:* Licet quoque verum ſit haſce diſſolutiones, larvas, aliaſque ſimiles vanitates licitas quidem eſſe declaratas, ſed à Principibus dumtaxat ſæcularibus, non vero ab Eccleſia, quæ potius eaſdem deplorat mundus, ipſaque ſæculi corruptio Bacchanalia recreationem quamdam & honeſtam animi exporrectionem vocat, cum tamen citra omne dubium, quoddam ſit omnigenæ iniquitatis ſeminarium; idque verum eſſe, ex illis populo Mediolanenſi à S. Carolo porrecti memorialis ſequentibus verbis clare conjicere licet: Vide nunc ô Mediolanum turpiſſima adulteriorum, fornicationum, ſtuprorum, homicidiorum, latrociniorum, minarum, diſſolutionum domos paſſim implentium, imò infinitorum aliorum malorum ſemina, hæc enim omnia hoc tempore veluti ſemina effunduntur. Vide exinde natum peſſimum matrimoniorum principium, ab illius Sacramenti & myſteriorum ejus ſanctitate adeo alienum: at vero id quod Sanctiſſimus hic Cardinalis præ cunctis alijs efficaciſſime inculcat, eſt hujus ſanctiſſimi temporis ad illarum ineptiarum exercitium, nimia incongruentia, quod ſcilicet hoc tempus diſſolutionibus Bacchanalibus impendatur, quod à ritibus ſacris & Sacroſanctis myſterijs Eccleſiaſticis devotioni, pœnitentiæ, & mortificationibus ſpecialiſſime eſt conſecratum. Hoc temporis ſpatium, inquit S. Carolus, quod poſt Epiphaniam immediate ſequitur, tempus eſt ſpecialis devotionis, tum ob recentem ſanctiſſimorum Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti myſteriorum memoriam, tum ob eximia beneficia, favoreſque cœleſtes, quos ex iiſdem univerſus mundus recepit, tum denique quia hoc ſacroſancto tempore, ſacro-ſanctum illud quadraginta dierum jejunium, à Salvatore noſtro in deſerto, ſubito poſt receptum in die Epiphaniæ à Joanne baptiſmum, inſtitutum fuit, poſt quod, ut noſtis, tempus ſeptuageſimale continuo ſequitur, tempus inquam myſticum, tempus ex doctrina Spiritus Sancti principio pœnitentiæ conſecratum, tempus denique in quo vel maxime mente recolere debemus, quam fuerit nobis adventus Filij Dei in carnem neceſſarius, ut à miſerabili illo ſtatu, in quem per peccatum prolapſi fueramus, repararemur. Unde ſancta Eccleſia Dei ab hoc tempore veſtibus ſacris utitur lugubrem colorem præ ſe ferentibus, cantica gaudiorum ex parte remittit, intonat Antiphonas mœſtitiæ, taleſque introducit cæremonias & ritus, qui ob oculos nobis ponunt miſerum exilium noſtrum, in quo hoc in mundo viventes verſamur perpetuam pœnitentiam, quam in hac vita agere debemus, lachrymas, jejunia, corporiſque caſtigationes, in quibus miſerabili hac vita durante exerceri & occupari debemus, ut ſalute, libertate, reparatione, alijſque gratijs quæ Filius Dei ſecum ex ſinu Patris attulit gaudere & frui valeamus. Eccleſia mater noſtra hoc tempore per ritus adeo Religioſos & pios, voces edit, quæ miſeriam & exilium noſtrum clare nobis repræſentant, ut ad illud cogitandum, ſæpeque Religioſe, & cum fructu animarum noſtrarum meditandum excitemur.

Bacchanalia dicuntur licita ſed non ab Eccleſia.

*S. Cypr. Demetr.*

*Acta Eccl. Mediol. pag. 1151.*

Bacchanaliorū effectus.

Poſt Epiphaniam deberet eſſe ſpecialis devotio.

Eccleſia lugubri colore utitur.

*Pſalm. 136.*
tandum excitemur. *Super flumina Babylonis illis ſedi-*
v. 1. *mus & flevimus, cum recordaremur Syon; In ſalicibus in*
v. 2. *medio ejus ſuſpendimus organa noſtra; Quia illic interro-*
v. 3. *gaverunt nos qui captivos duxerunt nos, Hymnum canta-*
v. 4. *te nobis de Canticis Syon. Quomodo cantabimus canticum*
v. 5. *Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Jeruſalem,*
v. 6. *oblivioni detur dextera mea; Adhæreat lingua mea faucibus meis ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ.* Pergit eodem in loco S. Carolus ponderare ulterius, quanta cum temeritate Chriſtiani eo tempore voluptatibus, crapulis, & diſſolutionibus Bacchanalibus omnem prorſus libertatem indulgeant, quo Eccleſia eoſdem afflictioni & pœnitentiæ deditos videre deſiderat. Hiſce temporibus, inquit Sanctus hic Archipræſul, homines plus quam alias umquam evaneſcunt, ſtulteſcunt, bibuntque ſicut aquam iniquitatem; Hiſce diebus in quævis ſcelera prorumpunt, omnibuſque peccatis fræna laxantes, licitum eſſe cenſent, quidquid etiam repugnante Dei lege libet. O rem ſanguineis lachrymis digniſſimam! O miſeriam nimis luctuoſam! Chriſtiani eo ſe tempore crapula ingurgitant, quo Chriſtus jejunat; tunc recreationibus, jocis, choreis, &c. indulgent, quando Chriſtus pro nobis adverſus Sathanam dimicavit; tunc peccatricem carnem ſuam delicate & voluptuoſe nutriunt, cum Chriſtus ſanctiſſimam carnem ſuam in deſerto afflixit: tunc Dæmoni omnes ſenſuum portas liberè aperiunt, quando ipſe univerſam militiam ſuam adverſus Regnum Chriſti obarmat, imò adverſus ipſummet Chriſtum, licet nullam in eo partem obtineat, extremas vires ſuas adhibet. Chriſtiani eo tempore ſine menſura rident, quo Sancta Mater Eccleſia amare plorat: tunc Chriſtiani in convivijs, epulis, & immoderatis menſarum apparatibus excedunt, quando nobis Sancta Mater Eccleſia lamentabilem Protoparentum noſtrorum noſtramque communem ob oculos ponit ruinam & calamitatem, quam unicum dumtaxat pomum contra expreſſum à Deo primis Parentibus noſtris impoſitum interdictum, guſtando nobis conciliavimus; quæ res profecto unumquemque noſtrum (dummodo vel modicum quid pietatis Chriſtianæ in nobis eſſet) in intimo cordis commovere deberet; Videte mundum univerſum ludis, jocis, ſpectaculis, diſſolutiſque Bacchanalibus totaliter eo tempore deditum, quo voces Dei & Eccleſiæ ipſum ad planctum, lachrymas, luctum, ſaccum denique cilicinium & cineres invitant. Hoc eſt, de quo Deus per os Iſaiæ lamentatur, dum ait: *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calvitiem & ad cingulum ſacci, Et ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum;* quaſi ſe mutuo deteſtabilibus hiſce verbis adhortarentur homines: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.*

Sed quanta temeritas Chriſtianorum.

*Iſa. 22. v. 12.*

*Ibid. v. 13.*

*Ibidem.*

10. Etenim ſciendum eſt, quod tempus illud, quod ab Epiphania ad Quadrageſimam uſque decurrit, illud ipſum eſt, quo Chriſtus Magiſter noſter quadraginta diebus, totidemque noctibus in deſerto, ſine ullo cibo deguſtato jejunavit, & in cujus rigoroſiſſimæ abſtinentiæ ultima periodo cum Lucifero prælium inijt, ſiquidem ſubitò ut à Joanne Baptiſta in deſerto baptizatus fuit, *ductus eſt in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à Diabolo;* Et quidem tametſi juſtum omninò & convenientiſſimum eſſet, ut fideles quoque hoc eodem tempore ad Chriſti imitationem jejunium ſuum quadrageſimale celebrarent, attamen Eccleſia pientiſſima Mater noſtra, humanæ compatiens fragilitati, abſtinentiam hanc ulterius in tempus uſque vernum diſtulit & prolongavit, ut hac ratione corpora noſtra minus paterentur ab inedia. Ergone proinde conveniens erit, inquit Sanctus Carolus in ſua adverſus Bacchanaliſtas invectiva, ut fideles Chriſti ſequaces, & talis fidei profeſſores, quâ longè diverſa nobis dogmata traduntur, hoc tempore magis quàm quovis alio crapulæ, comeſſationibus, gaudijs & ſtultitijs Bacchanalibus totaliter dediti exiſtant? Idem quoque Sanctiſſimus Archiepiſcopus & Cardinalis in Concilio Provinciali tertio conſiderans, quod licet præſens hoc tempus, tempus ſit propitiationis Divinæ procurandæ, illud tamen per tot abuſus & intolerabiles exceſſus prophanetur, ita loquitur: *Nimis compertum eſt depravatis his temporibus & moribus, ad choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia, numquam ferè conveniri ſine multis, & ijs quidem graviſſimis Dei offenſionibus, idque cum ob turpes cogitationes, obſcœnè dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernitioſas ad omnia opera carnis illecebras illis perpetuò conjunctas, tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima, inde conſequentia quam ſæpiſſimè;* Pergit ulterius Sanctus Præſul deteſtari quod omnes hi exceſſus in Chriſtianiſſimo eo potiſſimum tempore regnent & triumphent, quod ad Divinam juſtitiam placandam, non verò irritandam ſpecialiter inſtitutum fuit. *His tot offen-*

Accepto baptiſmate Chriſtus jejunavit.

*Matth. 4. v. 1.*

Vernū tempus nobis conceditur.

Invectiva.

*Act. Eccleſ. Mediol. p. 86.*

S. Greg. Mag. — Fran. Vall. Philoſ. ſac. cap. 42. — Plin. l. 7. c. 32. — Chryſ. h. 66. in Joan.

*tris ſui, & ſuſtinuit quaſi dimidiam fere horam, & cœpit albugo ex oculis ejus, quaſi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, ſtatimque viſum recepit.* Dicere quidem poſſemus, per hoc inſinuari nobis quod pro ſalute animæ reſtituenda valde ſit proficuum fel infirmitatum corporalium adverſitatum & tribulationum, juxta tritam illam S. Gregorij Magni ſententiam; *Mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Sed dicite obſecro, qualiſnam piſcis ille fuerit, qui cœco huic tam ſubito viſum reſtituit? Franciſcus Valleſius hujus ſpeciei piſcem Callionymum appellari aſſerit; qui à Galeno lib. 10. de ſimplic. Medic. Facult. cap. 10. Lucem oculis reſtituendi virtutem habere dicitur; Plinius illum in Græco *Uranoſcopum* vocari dicit, quod idem eſt, quod *ſpectator cœli*; quod quidem præſenti propoſito noſtro confirmando optime ſervit: Quod ſi enim oculi alicujus hoc ſtercore coinquinati, viſus lumen amiſerit, id eſt, ſi cor ſuum bonis hiſce terrenis nimium immerſerit, nihil eſt certius, quam quod ſi talis ſerio & ſtudioſè bona cœleſtia & æterna contemplatus fuerit, infallibiliter denuo ſit reilluminandus. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Dulcis præſens vita, & multis plena voluptatibus, non tamen omnibus, ſed iis, qui illi aſſixi ſunt; ſi quis in cœlum ſuſpexerit, & quæ ibi præclara ſunt, contemplatus fuerit, ſtatim hanc contemnet.*

Similitudo. Naz. ro. quæ dic. præc. ad virg. — B. Laur. Juſt. in faſc. div. am. c. 11.

6. Nazianzenus ad idem propoſitum magis dilucidandum, ingenioſam quamdam adducit ſimilitudinem: Hujus namque mundi bona Soli, Lunæ, Stellis, & alijs planetis à piſcibus inter medias maris undas conſpectis aptiſſimè comparat: hæc namque ſidera à piſcibus ipſis aquis ineſſe exiſtimantur, cum tamen non niſi ſpecies quædam illius intentionalis ſit. Unde vero hæc piſcium deceptio provenit? Inde nimirum, quia piſces ab hoc elemento egredi & Solem ac Lunam & cæteros planetas in ſemetipſis prouti revera ſunt, videre non poſſunt: Eodem prorſus modo unica cauſa cur homines hæc bona terrena tanti faciant, hæc eſt, quia affectibus & omnibus ſenſibus ſuis tranſparentibus bonorum tranſitoriorum aquis immerſi vivunt, mentemque ſuam ad contemplanda æterna, quorum hic in terris vix umbra apparet, elevare non poſſunt. Unde B. Laur. Juſtinianus ait: *Illos igitur ſolos qui ignorant Deum & futura non prævident, decipit mundus, aureo enim eos inebrians calice, varijs donis, pollicitationibusque deludens ad ſempiternum trahit exitium.*

Vilis eſt mundus. — Joan. 10. v. 9. — Joan. 14. v. 2. — Baruch. 3. v. 24. — Iſid. Peluſ. l. 1. epiſt. 65. — Sen l. 3. nat. qu.

7. Sine magna admiratione audiri nequit titulus ille, quem is qui Cœli oſtium ſemetipſum appellat dicens: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabitur*, gloriæ cœleſti attribuit: dum illum *manſionem* vocat: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; de quo beato regno ſimiliter in Baruch dicitur: *O Iſraël, quam magna eſt Domus domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus immenſus eſt, & non habet finem.* Cur enim tanto tamque ineffabili bono tam humile epithetum attribuitur? Iſidorus Peluſiota dicit: *Illis enim vere manſio eſt, nam præſens tentorium vile eſt, quod ſimul atque compactum & fixum eſt omne, eodem temporis puncto ſolvitur:* quod verum eſſe facile patebit, ſi bona hæc terrena, cum cœleſtium bonorum ſtabilitate & perpetuitate conferantur; Et tamen ut Seneca Philoſophus verbis valde emphaticis dicit: *Magna iſta, quia parvi ſumus, vix credimus, multis rebus non ex natura ſua, ſed ex humilitate noſtra magnitudo eſt.* Etenim is qui nullas umquam alias domos præter ruſtica tuguria vidit, ejuſmodi caſulas mediocres domos eſſe facile exiſtimabit, & ideo quia regia & Imperialia Palatia numquam conſpexit, tugurium aliquod, ſive hoſpitium privatum magni facit; Sic quoque qui mentem ſuam ad cœli beatorum immenſitatem & amplitudinem numquam elevat, terræ magnitudinem & excellentiam magno in pretio habet: Moyſes econtra regium Pharaonis palatium contempſit: Sed quando id fecit? *Grandis factus*, id eſt, poſtquam in annis, & multo magis in ſpiritu & perfectione vitæ multum excrevit, ſeu quando oculos mentis ad contemplandam cœleſtis Paradiſi altitudinem levavit: *Aſpiciebat enim in remunerationem.*

Hebr. 11. 26. — 1. Cor. 14. v. 20. — Chryſ. h. 36. ibid. — Apparens.

8. Apoſtolus proinde optime monet: *Fratres nolite pueri effici ſenſibus:* ubi D. Chryſoſtomus ait: *Parvi enim pueri parva quidem hianti ore ſtupent & mirantur, rerum autem valde magnarum non mirantur admiratione*; Et ratio eſt, quia nondum habent judicium & experientiam ad hoc requiſitam. Apoſtolus igitur monitos nos eſſe cupit, ne pueros imitemur, qui ambabus manibus pedibuſque per terram reptantes, cœli notitiam nondum habent: ac proinde idem D. Chryſoſtomus artificium inimici detegens, ſequentibus nos verbis reprehendit: *Ad præſentia inhiamus, nec Diaboli æſtum intelligimus; qui per parva magnis nos privat, qui largitur lutum ut aurum rapiat, atque adeo ut cælum eripiat, qui umbram oblectat, ut à veritate deturbet, qui in ſomnijs illudit (hoc enim ſunt mundi divitiæ) ut cum dies illuxerit, omnium pauperrimos oſtendat.* Ut igitur terrenorum bonorum vanam apparentiam, vanitatem & fallaciam cognoſcamus; eademque deinceps aſpernemur, ecce tibi quod Apoſtolus præſcribit, efficax remedium: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna ſunt.*

ho. 14. ad Rom. — 2. Cor. 4. v. 18.

Eccl. 2. v. 14. — Contemptibilis. — Col. 3. v. 2. — S. Baſil. h. 10. in exam. — S. Bern. t. 2. ſer. 45. a. 1. c. 2. — B. Laur. Juſt. de caſt. conn. c. 1. — Sen. epiſt. 21. ad Lucill. — Ad Hell. vicum c. 9.

9. Conſideraſtine, aliquando illam Eccleſiaſtici ſententiam: *Sapientis oculi in capite ejus, ſtultus in tenebris ambulat?* Quis umquam hominem vidit, qui in alia corporis parte, quam in capite oculos habeat? Utique ſi quis talis à te conſpiceretur, illum monſtrum eſſe diceres; Cur igitur Eccleſiaſticus hanc inter hominem ſapientem & ſtultum aſſignat differentiam, ſiquidem tam unus quam alter oculos in capite habet? Reſponderi ad hoc poteſt, quod ſolum illi oculos in capite habeant, qui illis ad cœlum, bonaque alterius vitæ contemplanda utuntur; *quæ ſurſum ſunt ſapiunt, non quæ ſuper terram:* Econtra vero illi oculos habent in pedibus, qui alia quam bona terrena non conſiderant, nec alijs ſtudent. Unde S. Baſilius ait: *Cujuſnam oculi ſunt in capite? Hi in capite illos habent, qui ea contemplantur quæ in ſublimi ſunt, at qui non ad bona quæ in ſublimi ſunt, ſed ad ea quæ in terra reſpectat, is utique defigit, detrahitque oculos in terram.* S. Bernardinus hunc textum in favorem noſtrum hoc modo exponit dicens: *In capite, id eſt, ſunt elevati atque locati in capite ſuo Chriſto, non in tranſitorijs bonis, ſtultus, ſcilicet uſurarius in tenebris ambulat, currit ad interitum ſempiternum.* Ut igitur illi qui bonis hiſce terrenis immerſi ſunt, ad bona cœleſtia conſideranda animentur, B. Laurentius Juſtinianus hoc illis ſaluberrimum monitum tradit dicens: *Validiſſimum igitur contra præſentis vitæ illecebras medicamentum eſt, futuræ vitæ habere notitiam, abſque æternæ vitæ guſtu & ſcientia, iſtius non habemus contemptum.* Seneca ad Lucillum ita ſcribit: *Melius probas honeſta quam ſequeris, vides ubi ſit poſita felicitas, ſed ad illam pervenire non audes.* Philoſophorum quidem gentilium moralium aliqui Beatitudinem in una, alij in alia ſtatuebant: At vero Seneca propius & perfectius ſcopum attigit, ſiquidem dixit: *Quid ſit autem quod te impediat, quia parum ipſe deſpicis, dicam, magna hæc eſſe exiſtimas, quæ relicturus es, & cum propoſuiſti tibi illam felicitatem ad quam tranſiturus es, retinet te hujus à qua receſſurus es fulgor, tamquam in ſordida & obſcura caſurum: erras mi Lucille, ex hac vita ad illam aſcenditur:* Quaſi dicere vellet, ſcala per quam ad vitam ſempiternam & beatam aſcendimus, eſt hujus vitæ præſentis generoſus contemptus, utpote quam homo potius ſomniat, quam quod illa revera fruatur & gaudeat. Idem quoque Seneca alibi mirabiliter ad propoſitum noſtrum ita loquitur: *Anguſtus animus eſt, quem terrena delectant.* Deus nos ut cœlo non terra potiamur, creavit, nimis anguſti cordis eſt, qui terrenis hiſce bonis ſe immergit, & occupat.

Eccli. 16. v. 23. — Cor anguſtum reddens.

10. Eccleſiaſticus ait: *Qui minoratur corde, cogitat ſtulta*, ſeu ut in Græco eſt, *inania.* Quæ verba Gloſſa, Lyranus, Carthuſianus & Janſenius de ſtudio & adhæſione ad bona temporalia explicant. Et quidem Janſenius rationem aſſignat, cur bona iſta corde noſtro inferiora exiſtant; Non enim dicit Sapiens, *Cui exiguum eſt cor, ſed cui minoratur cor.* Creator enim cor nobis indidit immenſum & capax gloriæ ejus, nos autem per affectum ad hæc bona terrena quæ in comparatione bonorum cœleſtium nihil ſunt, illud anguſtiamus.

Pſ. 55. v. 4.

11. David qui urſos manu ſua diſcerpſerat, dilaniarat leones, qui cum Gigantibus in certamen deſcendere, eoſque in terramglorioſe dejicere non dubitarat, nihilominus formidine plenus erat: ſed à quo trepidabat? Nimirum à culmine felicitatis & proſperitatis humanæ, ſiquidem à cuſtodia ovium ad regimen tranſierat populorum; *Ab altitudine diei timebo.* Timebat Solem quando in meridie ſplendidiſſimus & luminoſiſſimus erat, & tamen in ſuprema dignitate regia ſobriè & temperanter vivere didicerat, ideoque ipſomet Deo teſte in virum qui ſecundùm cor Dei erat, evaſit, bona terrena in pondere ſanctuarij æqua lance trutinare, eaque non plus æquo æſtimare noverat;



Pſ. 55. v. 4.

verat; ſed quo magiſterio uſus hanc ſibi diſciplinam comparavit? nullo alio, quam quia oculis ſuis in cœlum defixus erat, omnemque ſpem & fiduciam ſuam in Deo collocaverat. Et ideo poſtquam dixiſſet: *Ab altitudine diei timebo*, mox immediatè ſubjunxit: *Ego vero in te ſperabo.*

Cōtemplans. S. Lucia Virg. — Cœlum tormenta ridet. — 2. Cor. 4. v. 17. — S. Greg. l. 10. mor. c. 12.

12. De S. Lucia Virgine & martyre hæc verba pronutiata leguntur: *Tanto pondere fixit eam Spiritus ſanctus, ut virgo Chriſti immobilis permaneret*; in qua antiphona ſecundùm ſenſum literalem miraculum illud exprimitur, quod accidit, quando ex juſſu tyranni eam ad proſtibulum ducere volentes, eam à loco in quo ſtabat, quacumque etiam adhibita machina, aut alia excogitabili violentia dimovere non potuerunt. Dici tamen etiam poteſt quod pariter conſtans & immobilis fuerit, quoad parentum perſuaſiones, tyranni intentatas minas, mundi lenocinantis blanditias, & atrocitatem tormentorum: at vero undenam hæc tam animi quam corporis immobilitas atque conſtantia oriebatur? Vultiſne ſcire quodnam fuerit pondus illud, quod illam in centro ſuo, quod Deus erat, adeo immobiliter fixit & firmavit? *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; quando enim oculos & cor noſtrum in Paradiſum defigitur, quando ſtabilem beatitudinis æternitatem contemplamur, nullum qualecumque tormentum pertimeſcitur, nec bona terrena amplius ſapiunt aut appetuntur. Unde S. Greg ait: *Si ſemel quiſque ad æterna ſe erigat, atque in his quæ incommutabiliter permanent oculum cordis figat, prope nihil eſſe conſpicit, quidquid ad finem currit.*

Ibi enim vera gaudia. — Matth. 13. v. 30. — S. Aug. ſup. Pſal. 137.

13. In magna illa caritatis annona, quæ univerſam pene terram affligebat eo tempore, quo Joſeph Ægypti Salvator audire meruit, magna erat in Ægypto ex præfati Joſeph ſpeciali providentia & directione frugum quarumlibet abundantia; unde Ægyptij ut alias nationes ad ſe pro frumentis comparandis evocarent, paleas è quibus frumentum excuſſum fuerat, in Nilum conjecerunt, ut ex illis deorſum per varias regiones decurrentibus annonæ in Ægypto reſervatæ omnibus inſinuaretur notitia: *Omnia in figura contingebant.* Etenim Salvator totius mundi per tranſitorias hujus præſentis vitæ aquas, paleas decurrere facit, id eſt, multa nobis bona apparentia, honores, videlicet, divitias, delicias & voluptates ob oculos objicit, ut ex illarum palearum vi attractiva & apparentia permoti, apprehendere & conjicere valeamus, quod in cœli granario frumentum electorum copioſiſſimè abundet, de quo dicitur: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Ibi enim ſunt theſauri, gaudia, & gloriæ ſtabiles ac veræ. Et ideo ſanctus Auguſtinus nos monet dicens: *Ama alteram vitam, & videbis, quod iſta vita tribulatio eſt, quacumque proſperitate fulgeat, quibuſcumque delicijs ſuperabundet & aſſluat.*

## DISCURSUS XXIII.

## ARGUMENTUM.

Mundus bona tantùm apparentia, non autem vera habet: ſunt enim veluti ſcænæ quædam & imagines bonorum, & ideo poſſeſſores ſuos non ſatiant, nec ſatisfaciunt ipſis.

### THEMA.

*Præterit enim figura hujus mundi.* 1. Corinth. 7. ℣. 31.

Fallacia mundi deſcribitur. — Theoph. ibid. — Tertul. de cor. mil. c. 31. — Salm. t. 8. tr. 33.

1. DOctori Gentium utpotè in cœlorum Academia edocto & promoto non deerant utique multa alia epitheta, quibus mundi exprimeret vanitatem, & tamen hoc, quod in verbis thematis aſſumpti inſinuatur, uti voluit, utpote ad eam exprimendam convenientiſſimo, ut conſiderat Theophylactus dicens: *Figuram appellavit, commoneſaciens omnes hujus mundi res oculos tantum attingere, oculorum pabulum eſſe, ac ſuperficiem quamdam fluxam.* Statua vel pictura Herculem quemdam, vel Elephantem ſecundùm exteriorem membrorum ſymmetriam & proportionem ad vivum quidem exprimet, vigorem tamen interiorem, oſſium compaginem, vitam, virtutem ſive Elephantis ſive Herculis, ſive alterius prophani numinis quod cæca gentilitas adorabat, exprimere nequit, unde ſimiles ſtatuæ vel picturæ deluſiones ſunt oculorum arte efformatæ. Quod idem de hujus vitæ bonis dicere licet, quia ut Tertullianus ait: *Omnia imaginaria in ſæculo, nihil veri*; Gaudia mundanorum, quibus nos illos lætificari credimus, tantum ſunt apparentia: Divitiæ & honores quos nos ſuos beatificare poſſeſſores putamus, revera tales non ſunt; Et ideo doctiſſimus Salmeron multa mundo epithera attribuit, quæ valde ſignificantia ſunt & myſterijs referta: *Quid*, inquit, *eſt aliud mundus, quam perſonata quædam pulchritudo, fictus, blandiens & ſardonius riſus, oſculum Judæ, dulce venenum, fallax ſpes, verus dolor, ſcylla & charybdis, mors ſuavis, manifeſtum naufragium, aridum deſertum, inextricabilis labyrinthus, confuſa quædam Babylonia, tenebroſa Ægyptus, immane barathrum, vallis lachrymarum, interior gehenna?*

Proſecutio. — Pſ. 118. 85.

2. Sanctus Propheta David licet juratus fuerit hoſtis omnium illorum, quæ vanitatem aliquam ſeu diſſolutionem ſecum inferebant, attamen ex quibuſdam illius verbis deduci poſſe videtur, quod fabulis & comœdijs patulas ſemper aures & oculos præbuerit. *Narraverunt mihi*, inquit, *iniqui fabulationes*; Quod ſi Pſalterium antiquum, item ſanctum Auguſtinum & ſanctum Proſperum conſulamus, ab illis loco dictionis *fabulationes*, *delectationes*, legi comperiemus; at quænam *fabulationes* inter & *delectationes* eſſe poteſt proportio? Magna profecto, ſiquidem, gaudia, voluptates & deliciæ hujus vitæ ſcænæ quædam ſunt, quia apparentes, non autem veræ & realiter ſubſiſtentes eſſe deprehenduntur. Verum quidem eſt, quod *non omnes capiunt verbum iſtud*, ac proinde lumine & notitia quadam ſuperiori nobis opus eſt, ut id ipſum diſcernere valeamus, ac proinde David ait: *Narraverunt mihi*, mihi inquam qui ad cognoſcendam horum bonorum fallaciam oculos apertos habebam.

Luc. 8. v. 15. — Tertull. de ſpect. c. 28. — Pſal. 38. v. 7. — Jan. ibid.

3. Tertullianus de ſpectaculis antiquis diſcurrens, quæ ad aliud nihil ordinata erant quam ad paſcendam ſpectantium curioſitatem, animam Chriſtianam his verbis alloquitur: *Delicatus es ô Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis, imo nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem.* Incarnata ſapientia proinde divitias, & voluptates non roſas, ſed ſpinas appellavit, tametſi nos illas roſarum loco habeamus; Ideo etiam Pſalmiſta de homine dicit: *Verumtamen in imagine pertranſit homo*, Circa quæ verba Interpres quidam optime ad propoſitum noſtrum ait: *In imagine pertranſit, id eſt, curſum ſuæ vitæ peragit, nihil percipiens à ſæculo, niſi bonorum imaginem non veritatem.*

Sap. 3. v. 7. — 1. Tim. 6. v. 8. — S. Greg. l. 33. mor. c. 3.

4. In ſuperioribus diſcurſibus tetigimus verba illa Sapientis, qui ait: *Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Sed quodnam eſt arundinetum iſtud, in quo juſti diſcurrere dicuntur? Nullum profecto aliud, quam vita præſens, in qua illuminatiores ſervi Dei cum perfecta animi à bonis terrenis alienatione vivunt, & veluti in curſu quodam ſeu perpetua peregrinatione vitam ſuam agunt, hoc ſolum de hoc mundo ſibi vendicantes, quod ad ipſorum neceſſitatem ſuffici, non vero ad ſuperfluitatem: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Quodnam vero in eo latet myſterium, quod Sapiens mundum hunc arundineto ſimilem eſſe dicat? Sanctus Gregorius ait: *Arundinetum vitam ſæcularium appellat, qui more arundinum per temporalem gloriam foris quaſi ad alta proficiunt, ſed intus à ſoliditate veritatis inaneſcunt.* Arundines ſecundum exteriorem quidem apparentiam ſplendent, & oculis placent: in ſubſtantia tamen vacuæ ſunt & inanes, & parum nobis utilitatis adferunt: talia ſunt mundi hujus bona, exterius quidem adblandiuntur, ſed deludunt poſſeſſores ſuos, eoſque decipiunt.

Proſecutio. — Sen. ep. 115. — Lib. de rem. fort.

5. Seneca rerum illarum quæ oculos & cor noſtrum vel maxime, alliciunt & ad ſe trahunt, falſitatem his verbis inſinuat: *Miramur parietes tenui marmore inductos, cum ſciamus quale ſit abſconditum, & cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? Scimus enim ſub illo auro fæda ligna latitare.* Videbitis in ſcæna non neminem regia Chalmyde ſuperbe indutum, qui ſceptrum manu ſua ſuſtinens, ſubditis illum venerantibus, eique obſequioſiſſime famulantibus magna cum authoritate & majeſtate imperat; cum tamen hæc omnia mera ſit fictio, quia revera talis pro ratione fortunæ miſer quidam & pauper eſt homo; vos forſitan illum theſauros poſſidere, ſuaque æraria pecunijs referta habere divitem & potentem eſſe exiſtimabitis, cum tamen debitum illius credita longiſſime ſuperet, aut vero divitijs abundat, illorum ſit mancipium non vero Dominus, ſerviatque potius illis, quam fruatur; De quo proinde Seneca ait: *Magnam pecuniam habet: hominem iſtum judicas? arca eſt: Quis ærario, quis plenis loculis invidet? & iſte quem Dominum pecuniæ*

*ni æſtimas, pecuniæ loculus eſt: multum habet: utrum avarus, aut prodigus eſt? Si avarus, non habet: ſi prodigus, non habebit: iſte quem beatum credis, ſæpe dolet, ſæpe ſuſpirat; multi illum comitantur: mel muſcæ ſequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ, prædam ſequitur iſta turba, non hominem.*

Eſth. 15. v. 4. & 6.
6. De Eſther Regina legitur, quod *circumdata eſt gloria ſua*, duabusque matronis innixa coram Rege comparuit, *Et ſuper unam quidem innitebatur quaſi præ delicijs, & nimia teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens, altera autem famularum ſequebatur Dominam defluentia in humum indumenta ſuſtentans*: Quisquis hanc Reginam modo jam recenſito procedentem vidiſſet, illam utique intrinſecus optime credidiſſet contentam, rebusque ſecundis & ad animi votum fluentibus perfruendo felicem, & tamen Spiritus Sanctus, qui *ſcrutatur renes & corda*, immediate ſubjungit: *Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis, triſtem celabat animum, & nimio timore contractum*: Tantum igitur abeſt quod in illa dignitatis Majeſtate poſita hæc Regina animo fuerit quieto & tranquillo, ut etiam cor ejus gelidi cujusdam timoris glacie obſeptum & cinctum fuerit: Bene igitur S. Cypr. ait: *Suſpirat ille in convivio, bibat licet in gemma, & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto ſinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit mulier ſpecioſa, ſibi eſſe ſupplicia auro ſe ligatam teneri.* Qui idem S. Pater quoad illum, qui in hac vita ſenſibus & appetitibus ſuis quævis indulgens, tenebit eum in mundi oculis contentus & quietus apparet, ex illis Jobi verbis: *Terrebit eũ tribulatio & anguſtia vallabit eum, ſicut Regẽ qui præparatur ad prælium*; ſequentem huic propoſito aptiſſimam adducit ſimilitudinem: Quisquis enim, inquit, in Regem aliquem, potiſſimum poſt ſe ducentem exercitum, oculos ſuos conjicit, is certe Majeſtatem majorem videre aut imaginari ſibi vix poteſt, ſiquidem illum triginta, aut quadraginta, vel ſexaginta millibus militum, imo & innumeris belli Ducibus, Regnique ſui Principibus quaquaverſum cinctum & circumdatum conſpicit, quorum ſinguli nutibus illius promptiſſimè obediunt, manifeſtoque ſe mortis periculo pro illo exponere geſtiunt, in illius quoque obſequium tot vident parata armorum aliorumque commeatuum genera, tot equitum phalanges, tot munitionum & fortalitiorum machinas in ejus defenſionem & præſidium promptas & expeditas; & tamen Job de illo dicit: *Terrebit eum tribulatio & anguſtia vallabit eum*, *Varius enim eſt eventus belli*, quia unicus dumtaxat proditor ad integrum quantumvis invincibilẽ exercitum diſſipandum & profligandum ſufficit, imò unicus mendaciter divulgatus rumor, vel vanus aliquis perdendæ ſalutis publicæ, vel reputationis aut regni amittendi incuſſus timor omnia ſusque deque evertit. Dicit igitur Job, ſimiles ſunt anguſtiæ, quæ hominem in hac vita proſperum & felicem circumdant; *Dulcebo illius vermes*, inquit idem Sanctus Job alibi; in ſuis namque gaudijs interius remorſum ſentiunt & Synderesim conſcientiæ, pericula item æternæ damnationis quibus exponuntur in mentem occurrunt nec non invidia, qua ſe ob ſuam felicitatem ab alijs infeſtari conſpiciunt, & præter hæc omnia Divus Chryſoſtomus de divite quodam ait: *Quoniam in majori ſtudio plura habendi vivit, in odium omnium incurrit, & in publicis cœtibus inimicus incedit, ita tamen ut vultu ei homines aſſentiantur, animo eum oderint.*

Apoc. 2. v. 23. Eſth. ibid. v. 8. — S. Cypr. ep. 2. — Job 15. v. 24. — Ibid. & 2. Reg. 11. 25. — Job 24. v. 20. — Chryſ. h. 1. in Pſalm. 48.

Hiſtoria mundi fallaciam detegens.
7. Plutarchus de Hannibale refert, quod cum is devicto & deprædato Antiocho, cum in Cretam cum prædivite præda navigare decreviſſet, ſciretque quantitatem deprædati theſauri jam inter Cretenſes divulgatam eſſe, ut ad ſalvandam ſibi prædam Cretenſium declinaret ſuſpiciones, ſibique ſtructas inſidias, multa vaſa plumbo deaurato referta in Dianæ templum repoſuerit, & ut ſe per loci Sacri immunitatem, theſauri ſui ſecuritati ſe magis conſulere velle efficacius fingeret, ad fores templi cuſtodes milites collocaverit, cum tamen revera ipſe ingentes quasdam ſtatuas æneas fabricari aut fundi feciſſet, in earumque vacuitatem, omnem deprædatam à ſe depoſuiſſet pecuniam; unde relictis ante fores templi cuſtodibus, ipſe ſe expanſis velis alto mari committens ſtatuas pariter & in eis deliteſcentes pecuniam ſalvas abduxit. Hæc eſt mundi quoque & ſequacium illius aſtutia, quod ſcilicet dona quidem liberaliter diſtribuant, ſed plumbea deaurata, multa quoque alijs promittant, multarumque divitiarum ab ijs accipiendarum ſpem faciant, in ſubſtantia autem parum aut nihil præſtent; Unde natum eſt tritum illud ſed verum proverbium, vaſa ſeu ſcatulæ depictæ.

Mundus decipit.
8. In ſolemni equeſtri ingreſſu, quem Legati Cæſarei aut Regij hic Romæ facere ſolent, plurimi communiter præmittuntur equi generoſiſſimi Phaleris undique pretioſiſſimis exornati, qui ſarcinas quasdam pretioſiſſimis ſtragulis contectas ex utroque latere deferunt, ſed armaria quæ ſarcinæ ſpeciem exhibent ex vili & carioſo ligno fabricata & prorſus vacua ſunt, niſi fortè ad firmandum ad latera equiſarcinarum pondus, gravibus & ponderoſis ſint referta lapidibus: quot ſunt qui in opinione mundi fortunati & felices reputantur, qui tamen inter omnia palatij obſequia, in penetralibus ſuis ſub negotiorum publicorum, audientiarum, & controverſiarum dirimendarum onere, populorum cenſuræ miſere ſubjecti, aut certè ob cenſuum ſuorum modicitatem ad munia ſua debito cum decore & gloria ſuſtinenda inhabiles, ingemiſcunt, & profunda ſuſpiria ducunt? *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Unde Chryſoſtomus ait: *Quoniam multæ ſunt rerum facies, multæ imagines falſæ, quæ decipiunt incautos.*

Eccl. 1. v. 2. Chryſ. ho. ad Eut.

Proſecutio. Ezech 7. v. 20.
9. Deus apud Ezechielem mundanorum ſuperbiam deteſtans inter cætera ait: *Ornamentum monilium ſuorum in ſuperbiam poſuerunt, & imagines abominationum ſuarum*, quaſi diceret: Divitias quas eis ad uſum & proviſionem neceſſitatis ſuæ elargitus ſum, ad idola fabricanda adhibuerunt, & ſubſtantiæ temporales, quæ eos vel maximè ad gratitudinem debitam provocare debebant, ab illis verſæ ſunt in inſtrumentum offenſæ; Ubi noſtra vulgata legit: *Ornamentum monilium*, Septuaginta legunt. *Electa mundi*; Id verò quod in hoc textu propoſito noſtro vel maxime deſervit, ſunt illa verba: *Imagines abominationum ſuarum & ſimulachrorum &c.* vel ut alij legunt: *Imaginationes.* Statuam illam quæ Nabuchodonoſori in ſomnio repræſentata fuit, inſignioresque & formidabiliores mundi Monarchias præfigurabat, Daniel ex inſpiratione Divina hoc modo eſt interpretatus: *Et ecce quaſi ſtatua una grandis*; cujus interpretationis ratio eſt, quia bona hujus mundi, quæ nos in tanto pretio habemus, ac ſi vaſta Regna & formidabiles Monarchiæ eſſent, non ſolùm veluti ſomnia ſunt, ſed bona inſuper ſunt tantum apparentia, nihil autem veritatis in ſe habentia, quæ nos decipiunt: Nobis quidem Reges & Principes magnam in ſuis Imperijs & Dominijs Majeſtatem præ ſe ferre videntur, cum tamen veriſſimum ſit, quod Rex Antigonus filio ſuo dixit: *An neſcis regnum noſtrum ſplendidam eſſe ſervitutem?*

Dan. 2. v. 31.

2. Cor. 6. v. 10. S. Tho. ibid.
10. Angelicus Doctor illum Apoſtoli textum: *Quaſi triſtes ſemper autem gaudentes*, Angelica Gloſſa ſua exponens dicit: *Nota circa præmiſſa, quod Apoſtolus utitur in præmiſſis miro modo loquendi, nam ipſe quaſi ſemper ponit unum contra unum, & temporale contra ſpirituale ſed tamen in temporalibus ſemper addit quamdam conditionem puta, ut, quaſi, ſicut, tamquam, ſed in oppoſito ſpirituali nihil addit, cujus rationem hanc protinus ſubjungit, quia temporalia ſive ſint mala, ſive bona, ſive transmutabilia & apparentia, habent tamen ſimilitudinem vel boni, vel mali; Et ideò dicit: ut ſeductores, & quaſi ignoti, quia non erant in Dei veritate ſic, ſed in opinione hominum & ſi erant tranſitoria, erant bona aut mala; bona autem ſpiritualia exiſtentia ſunt & vera, & ideo non addit eis conditionem aliquam.*

Adhortatio.
11. Utiliſſimum proinde eſt illud à S. Anſelmo nobis relictum monitum, quo hortatur nos ne arridenti nos mundo fidamus, eo quod riſus illius fallax & apparens tantum ſit: *ſi mundus, vel aliquid eorum quæ mundi ridet tibi, noli arridere illi: certè frater non ridet tibi, ut in fine riſus tu rideas, ſed ſimulat riſum, ut te irrideat.* Optimum quoque nobis præſcribit præſervativum ſeu antidotum, ut mortiferum ſub mellis ſuavitate abſconditum venenum evadere valeamus: *Eſto dilectiſſime ſemper cautus, ut anticipes eum, & retorqueas fraudem ejus in eum, & cum ille tibi fallaciter ridet, tu veraciter deride eum.*

Mundi vanitas.
12. Eſt quidam Interpres modernus, qui loco ejus quod in vulgata legitur: *Figura hujus mundi*, legit *Habitus hujus mundi*, In comœdia enim vel ſcæna dignoſci non poteſt quis Rex vel Princeps ſit, niſi ex habitu, & hic non defertur diutius, niſi quoadusque durat comœdia, qua finita ad figuram & ſimilitudinem quisque priſtinam denuò revertitur. Sanctus Gregorius Nyſſenus argumentis valdè ſolidis totum hunc mundum in opinionibus poſitum eſſe oſtendit: Dicit enim: *Omnia quibus in hac vita mortalium curæ deſtipantur, inanis quædam opinio, ſunt nihilque ſubſiſtens,*

S. Gr. Nyſſ. tr. 1. in Pſ. 107.

opinio



*opinio eſt honor, dignitas, generis claritudo, ſuperbia, elatio, divitiæ, & his ſimilia* Moralis Seneca ad detegendam rerum mundanarum vanitatem, ſimilitudinem quamdam à priori parum differentem adducit, dum enim ſe ad illorum reflectit perſonas, qui paulò ante in Comœdijs Regis vel Imperatoris perſonam repræſentarant, ſimulque illos qui actualiter non ſcænice ſed verè regnant, conſiderat, dicit: *Nemo ex his, quos purpuratos vides, felix eſt, non magis quam illi quibus Sceptrum aut Chlamidem in ſcæna fabulæ aſſignant.* Et revera tametſi bona hujus mundi primo quidem aſpectu admirationem & affectum noſtrum ad ſe rapiant, quisquis tamen illa ex induſtria & data opera conſiderat, inveniet utique quod magnam quidem præ ſe ferant apparentiam, ſed exiguam ſubſtantiam in ſe habeant.

Sen. ep. 80.

Job 20. v. 8. S. Ambr. l. de Ioc. c. 6.
13. Sanctus Propheta de gloria mundana loquens dicit: *Velut ſomnium avolans non invenietur*, ac proinde Sanctus Ambroſius dicit: *Omnis potentia ſæculi ſomnium, non veritas eſt, per ſomnium videt ſibi reddi Principatum ſuum*; idque ſcribit agens de ſigno, ex quo Joſeph prognoſticare novit reſtituendum Archipincernæ priſtinum dignitatis locum, tandem verò idem Sanctus concludit, dicens: *Ita ſunt hujuſmodi homines, qui in hoc ſæculo delectantur ſecundis rebus.*

Quidquid in mundo eſt ſomnium eſt.
14. Porrò in Sacris literis duo inveniuntur ſomnia, præ cunctis alijs celeberrima, ſiquidem ſpeciali Dei providentiâ duobus potentiſſimis terræ Monarchis, Pharaoni ſcilicet, & Nabuchodonoſori immiſſa fuerunt; at verò ſpecialiter notandum eſt, quod Nabuchodonoſor poſt abſolutum ſomnium, illius adeò oblitus fuerit, ut illud Danieli recenſere, aut ſibi in memoriam revocare minimè potuerit: Econtra verò Pharao Rex Ægypti, perfectiſſimam etiam jam expergefactus habiti ſomnij habuit memoriam, adeo ut illud diſtinctè & ſecundùm omnes illius circumſtantias recenſere potuerit; Nec dubito, quin ſingularis vos teneat cupiditas ſciendi, quænam ſit in utroque ſomnio mirabilis illa diverſitatis ratio, quam proinde breviter & aptiſſimè ad præſens propoſitum noſtrum exponam. Pharaoni ſomnium ſuum à Dei providentia immiſſum fuit ad hoc ut ſaluti publicæ regni ſui proſpiceret, quod aliàs in illa univerſali terræ ſterilitate fame perire debuiſſet: at verò Nabuchodonoſor ſtatuam illam ſomniavit, quæ Regna terræ ejusque præcipuas Monarchias præfigurabat: hæc autem debiliſſimo fundamento, luto videlicet innitebatur, ut Sceptrorum & Monarchiarum denotaret vanitatem, ac proinde Deus ſpecialiter voluit, ut ſtatua hæc velut ſomnium quoddam ſtatim ab ipſius memoria evaneſceret: ſomnium quoque hoc regna mundi quaſi ſtatuam aliquam repræſentabat, ad denotandum quam verum ſit, quod *præterit figura hujus mundi.*

Fallacia.
15. Laurentius Surius Carthuſianus Colonienſis in vita Sancti Sebaſtiani Martyris refert, quod inter alia motiva, quibus glorioſus hic Martyr Sanctos Marcum & Marcellianum in fidei certamine vacillantes hortabatur ad conſtantiam, eos quoque ſequentibus verbis affatus fuerit: *Hæc præſens vita fugaciſſima eſt, & uſque adeò infida, ut nec ſui amatoribus fidem ſervare potuerit umquam; ab ipſa enim mundi origine in ſe fidentes fefellit, omnes ſui cupidos deluſit, cunctos de ſe præſumentes irriſit, & ita nullum omnino certum reddit, ut omnibus probetur fuiſſe mentita*; Hugo Cardinalis proſperitatem mundanam oſculo Judæ comparavit, dicens: *O quam fraudulentum oſculum, quo traditur Jeſus, tale eſt oſculum mundi, illum enim ſolùm prodit, quem oſculatur.* Advertamus proinde ad proverbium iſtud quod auribus noſtris ſæpè inſonuit, quo dicitur: *Non omne quod ſplendet, aurum eſt.* Unde Sanctus Auguſtinus monet dicens: *Vincula hujus mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam, certum dolorem incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miſeriæ, ſpem beatitudinis inanem*; Et ideò Joab mundi hujus typus fuit, qui Amaſam obvium habens, mox amicabiliter amplexatum oſculatus eſt & ſalutavit, ſed non alio fine, quàm ut necem illi inferet.

Sur. in vit. 1. Sebaſt. — Hug. Card. in in c. 23. Luc. — S. Aug. ep. 39 ad Tep.

Alb. Mag. ſer. de S. Nicol.
16. Albertus Magnus miſerabilem Siſaræ, cui lacte ad ſatietatem repleto & dormienti, caput clavo transfixum fuit, eadem referens, ita ſcribit: *Siſara interpretatur equi viſio, & ſignificat tales qui non prævident mortem ſuam, ſed vivunt, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: Hos Jael qui interpretatur Aſcendens vitæ, pallio falſæ ſpei operit, & dat eis bibere lac mundanæ voluptatis, & ſic ipſos dormientes clavo perpetuæ mortis perforat & occidit.*

## DISCURSUS XXIV.

## ARGUMENTUM.

Bona temporalia, quantò magis augentur, tantò ſæpè amplius deficiunt & amittuntur; Et ideò inſidiæ, & pericula varia recenſentur, quibus divites ſubjiciuntur; bonorumque temporalium inſtabilitas & ab uno ad alium poſſeſſorem tranſitus manifeſtatur.

### THEMA.

*Subſtantiæ injuſtorum, ſicut fluvius ſiccabuntur.* Eccli. 40. v. 13.

Injuſtæ divitiæ diſſipantur. Inn. 3. l. 2. de cont. mund. c. 13.
1. INnocentius Papa III. in libris de contemptu mundi, hunc citatum Eccleſiaſtici textum adducit, ut bonorum & divitiarum hujus vitæ denotet fugacitatem, miramque earum diſperſionem: *Sicut fluvius ſiccabuntur*, inquit, *quia qui malè congregat, citò diſpergit; juſtum judicium, ut quæ de malo proveniunt, ad malum perveniant, ne accedat ad bonum, quod non procedit ex bono.* Rapidus fluvius non ſolùm aquas ſecum rapit, ſed & omnia alia quæ undis ejus imponuntur ſecum ad mare præcipitanter trajicit: Eodem modo divitiæ injuſtè acquiſitæ ad perditionem currunt, & diſſipantur; quemadmodum evidenter colligitur ex parabola quam Chriſtus de divite illo adducit, qui copioſam horreis ſuis meſſem intulerat: Ex quo facto pariter conſpicitur indubitata veritas axiomatis illius, quod Propheta regius de divite avaro loquens expreſſit, dicens: *Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea*; quia & diviti illi dictum fuit: *Quæ paraſti, cujus erunt?* Verum quidem eſt, quod multi per Teſtamentum hæredes inſtituant, vel etiam filij eorum aut propinquiores cognati ab inteſtato ſuccedant; attamen hoc non obſtante verè affirmari poteſt, quod vel ſic etiam ignorent, cujus futuræ ſint ab illis congregatæ facultates, quia experientia in multis apertè demonſtrat, quod non ſolum in ipſorum vita, verum etiam poſt mortem illorum multi inſurgant creditores & prætendentes, qui illis aut hæredibus lites movent, contractus manifeſtant illicitos, fraudes commiſſas detegunt, emptiones aut venditiones invalidas in medium proferunt, adeò ut divitiæ illorum inter notarios, criminaliſtas, fiſcos, procuratores & advocatos diſtrahantur & diſpergantur, & conſequenter de ipſis verificetur, quod *relinquant alienis divitias ſuas*; aut verò ſi nonnumquam facultates eorum ſine litibus permaneant, & ad filios aut aliòs ab inteſtato ſuccedentes hæredes devolvantur, hi tales nihilominus eaſdem haud alio modo tractent, ac ſi non hæredes ſed merè extranei eſſent, diſſipando illas contra vel præter genitorum ſuorum voluntates, eosque ſine ulla gratitudine & pietate tractando haud ſecus ac extraneos.

Pſ. 38. v. 7. Luc. 12. v. 20. — Pſ. 48. v. 11.

Prov. 11. v. 24.
2. Sapiens dicit: *Alij dividunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* At vero dicet aliquis ſi talium divitiæ perinjuſtè partæ accumulantur quotidiè & augentur, quomodo tales in egeſtate permanere dici poſſunt? Sanctus Thomas verba illa in hunc ſenſum exponit: *Alij, ſcilicet Reges, dividunt propria, benefaciendo ſubjectis, & ditiores fiunt: Alij, ſcilicet Tyranni rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Juſto Dei contingit judicio, ut qui divitias injuſtè congregat, inutiliter eas diſpergat, aut etiam juſtè auferantur ab eis.*

S. Th. op. 29. de reg. princ.

3. Obſervandum quoque eſt in parabola de hoc eodem divite, cujus jamjam facta eſt mentio, quod Deus communiter permittat, ut divitiæ ab avaro cum pauperum præjudicio ſtudioſè accumulatæ diſperdantur & totaliter deficiant; *Deſtruam horrea mea*, dicebat dives ille, cujus propoſiti ratio erat, quia meſſem illam ſub clavibus ſolicite cuſtodire, nec ullam inde proximis egenis partem cedere intendebat; In hoc igitur caſu Deus ſpecialiter ita omnia diſponit, ut talia in bonis ejus accidant infortunia, quibus inſatiabilis avaritia illorum manifeſtè puniatur. Unde Sanctus Ambroſius ait: *Deſtruet horrea, qui neſcit ſua frumenta dividere, ſed claudere.* In Aggæo olim prædictum fuit: *Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Quam eamdem comminationem in Jobo quoque conſcriptam reperimus: *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus*; Ubi hoc nomen devoratoris valdè eſt expreſſivum exceſſivæ avaritiæ & cupiditatis, & ideo avidos divitiarum denotat, quæ juſto Dei judicio diſperguntur & diſſipantur.

Luc. 12. v. 18. — S. Ambr. de Nab. c. 7. — Agg. 1. v. 6. — Job 20. v. 15.

tur.

tur. Unde Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis, de damnis, quæ in avaros redundant, ſcribens ait: *Feraliſſimum morbi genus divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui.* *Quot ſunt*, inquit Didacus Stella, *qui divitijs mortem expectant & ardenter deſiderant, ut ex divitijs ejus participare poſſint, quod & ipſimet filij moroſæ mortis parentum ſuorum frequenter faciunt. Cum ex divitis morte*, inquit idem Stella, *plurimis emolumentum & lucrum proveniat, à plurimis deſideratur & exoptatur.*

*Sal. l. 1. ad Eccl.*

*Did. Stell. in c. 6. Luc.*

Quantum opes creſcunt tantum anni vitæ abbreviantur.

4. Multi ſunt, qui ſibi futurum eſſe perſuadent, ut ſimul cum facultatibus ſibi per fas & nefas acquiſitis vitam quoque ſibi comparaturi ſint longævam & proſperam, non intelligentes quod communiter accidere ſoleat omnino contrarium, ſiquidem quantum eædem facultates creſcunt, tantò anni eorum plus diminuuntur & abbreviantur *Anima* mea *habes multa bona, poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, & epulare; Stulte hâc nocte animam tuam repetunt à te*; Divites enim plures quam omnes alij patiuntur inſidias à latronibus, domeſticis, Aſſaſſinis; majoribus ſubjecti ſunt animi perturbationibus propter continuas lites, perſecutiones, invidias, & alias contradictiones, cum omnes *per fas & nefas* de ſuis facultatibus participare deſiderent: *Comede, bibe, & epulare*; Quod ſi ad inſtar divitis illius de facultatibus ſuis genialiter vivendo gaudere velint, divitiæ illorum multas eis cauſabunt inordinationes in convivijs ſuperfluis, in crapulis, & ebrietatibus, vel in alijs carnalis vitæ explendis deſiderijs. Sæpe etiam accidit ut avarus tyrannus fiat ſui ipſius, dum nimirum à propria avaritia & cupiditate vinctus & incatenatus ſemetipſum rebus ad ſui ſuſtentationẽ neceſſarijs ultro citroque privat. Unde Divus Chryſoſtomus ait: *Quid avaro ærumnoſius fuerit? quando is præterquam quod animam ſuam perdit, etiam corpus innumerabilibus curis extenuat, etiam alimento & voluptate, & honore & gloria; propter quam multi in primis peccant homines, ſeſe defraudant.* Id quod cum illa Innocentij III. atteſtatione concordat, quam ille pariter de avaro perhibet his verbis: *Gulam evacuat, ut arcam impleat, corpus extenuat, ut lucrum extendat*; & immediatè poſt locum illum Eccleſiaſtici à principio hujus diſcurſus Thematis loco aſſumptum adducit: *Porrò ſubſtantiæ injuſtorum, ſicut fluvius ſiccabuntur.*

*Luc. 12. v. 19*

*Ibid. v. 20.*

*Chryſ. t. 6. h. 15. de avar.*

*Inn. 3. ibid. c. 13.*

*Eccli. 40. v. 13.*

Hiſtoria tragica.

5. Sanctus Bernardinus de avaro quodam refert, quod cum ſua armaria auro per uſuram adimplere, ac tum ab omni deinceps uſura deſiſtere decreviſſet magna cum parſimonia in hunc finem vivere cœperit, continuoque ſe pro pecunijs accumulandis, ſudore fatigarit: at verò cum ea vix ad medietatem repleſſet, Dæmon metuens, ne poſt repleta armaria ab ipſo deficeret, & meliorem vitam agere inciperet: Taliter guttur conſtrinxit, quod quidquam non poterat deglutire; Denique allatis varijs cibis; cœpit æger clamare dicens: Crucior, crucior, & morior fame, ſed quia à Diabolo ſtrangulor manducare non poſſum, quo dicto cum Diabolo Spiritum exhalavit, ut verificetur, quod dicitur Eccleſ. 5. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.*

*Eccle. 5. v. 9.*

Divitiarum fugacitas.

6. *Sicut fluvius*; Aptiſſima eſt hæc comparatio, ſi divitiarum omniumque aliorum terrenorum bonorum conſideretur inſtabilitas & fugacitas. Unde Chryſoſtomus ait: Fluvialium undarum naturam divitiæ imitantur, quæ ſimul & videntur & labuntur, uno eodemq; puncto temporis & tenentur & effluunt. Indubita profecto veritas eſt, quâ dicitur: *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat.* Poſſeſſiones namque, Dominia, territoria, palatia, agri, vineæ ſemper immobiliter exiſtunt & permanent, numquam enim agri & aliæ poſſeſſiones deficiunt, ſed poſſeſſores & Domini illarum eheu quoties mutantur? Sanctus Ambroſius ait: Quid proſunt innumeræ poſſeſſiones, publicæ ſunt, non tuæ; Hodie tu tenes, cras alius; cum tu exieris, alius intrabit; vix moviſti pedem; alius greſſus ſuos intulit. Divus Chryſoſtomus pariformiter ait: Sunt planè fugitivę divitię, hodierna die tranſeuntes ad hunc, cras ad illum; neque fugitivæ ſunt tantum, ſed alios reddunt etiam fugitivos; dum efficiunt, ut ij quibus cuſtodiendæ commiſſæ ſunt ſæpè fugam arripiant.

*Chryſ h. 1. in Pſalm. 48.*

*Eccle. 1. v. 4.*

*S. Ambr. in Pſalm. 1.*

*Chryſ. in Pſ. 48. ſer. 2.*

Flori comparantur.

*Plin. l. 21. c. 1.*

7. Plinius obſervat quod natura flores illos, qui vel maximè oculos alliciunt & rapiunt, quàm citiſſimè langueſcere & deficere faciat: *Ut in rerum natura, quæ ſpectatiſſimè florent, celerrimè marceſcunt, veluti roſæ, lilia, violæ, cum alia durent, ita in hominum vita quæ florentiſſima ſunt, citò vertuntur in diverſum.* Vix Sol in meridie felicitatis humanæ ſplendoris ſui cœpit diffundere radios, quin ſubitò ad inſtabilitatis & mutationum occaſum deflectat. S. Anſelmus ſuper illa verba S. Pauli: *Præterit enim figura hujus mundi*, valde efficaci ratione nobis perſuadere nititur, ne mundo ejusque tam fugacibus & fallacibus bonis adhæreſcamus, *ac ſi aperte diceret: Nolite conſtanter mundum diligere, quando & ipſe non poteſt, quem diligitis, ſtare incaſſum eos quaſi manentes fingitur, dum fugit ipſe quem amatis.* Divus Chryſoſtomus de divitijs ita ſcribit: *Fugitivo quovis infideliores ab uno ad alium tranſeunt, numquam apud eumdem ſubſiſtunt, & infinita mala poſſidentibus adferunt.*

*1. Cor. 7. v. 31*

*S. Anſel. ibid.*

*Chryſ. h. 18. in Gen.*

8. Regius Propheta David ait: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus.* Valde conſiderabilis eſt locus ille in quo miſerabiles illi & in ſervitute plurimum anguſtiati homines ſedebant: *Super flumina Babylonis*; Etenim per Babyloniam mundus intelligitur, per flumina autem quæ continuò defluunt bonorum mundanorum velocitas & volubilitas; Et ideo mirum non eſt, quod hi qui fluminis iſtius ripis aſſident, id eſt, qui bonis hiſce temporalibus immerſi ſunt, plangant & fleant, quia præter ærumnas, quas divitiæ ſecum adferunt, ut Diſcurſu ſequenti videbimus, ipſimet quoque inconſolabiliter deplorari merentur. Sanctus Hilarius ad eadem ſe flumina reflectens, bonorum temporalium in ipſis conſiderat fugacitatem, dicens: *Flent omnes qui ſe captos in Babylone ſentiunt, & ſedent ſuper flumina, omnia enim ſæculi currunt, labuntur, & tranſeunt.*

*Pſ. 136. v. 1.*

Divites deplorandi.

*S. Hilar. ibid.*

Cuncta tranſeunt.

9. Quando Pharao ſomnium illud habuit, in quo ipſi juxta Joſephi interpretationem, abundantia pariter & penuria prædicabatur, quæ Ægypto ſuperventuræ erant, dicit de eo ſacer textus: *Putabat ſe ſtare ſuper fluvium, de quo aſcendebant ſeptem boves, &c.* Ubi Origenes ait: *Qui fluxis rebus, inſtabilibusque fretus erat, putabat ſe ſtare ſuper flumine, ex quo ea quæ putabantur felicia, aſcendebant, quemadmodum & boves ejus craſſæ ſunt, verum penitus hæ à deterioribus devorantur*; Vult nimirũ Deus, ut intelligamus, quod in Ægypto, id eſt in mundo, omnia quæ tanti æſtimamus bona, ſint tranſitoria, ad inſtar aquarum fluminis alicujus, quæ vix dum apparent, ſimul etiam diſparent & tranſeunt.

*Gen. 41. v. 2.*

*Orig. in cant. 27a.*

Cuncta ſunt ut ſomnia.

10. Daniel qui ſomnium Nabuchodonoſoris interpretatus fuit, quod ad hoc præcipuè ordinabatur, ut Monarchiæ ipſius repræſentaret inſtabilitatem, utpote quæ debilibus adeo innitebatur fundamentis, dicit: *In anno ſecundo Regni Nabuchodonoſor vidit Nabuchodonoſor ſomnium &c.* Porrò Joſeph Hebræus, Pererius, & alij notant, Nabuchodonoſorem ante ſomnium illud habitum jam regnaſſe annis viginti quinque, cur igitur Spiritus Sanctus dicit: *In anno ſecundo?* Ad denotandum videlicet, quod dominium illius, quantumvis potentiſſimum breve admodum, & inſtar ſomnij cujuſdam fuerit: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præterijt.*

*Dan. 2. v. 1.*

*Pſ. 89. v. 4.*

*Ibidem.*

11. In Oſea ſcribitur. *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ*; Circa quæ verba ſcire percuperem, quænam ſit hæc ſpumæ ſuper aquam natantis ſimilitudo? Sciendum eſt igitur, quod aquæ quanto amplius intumeſcunt, & à lecto ſuo eriguntur (quod communiter per imbres & impetuoſas pluvias ſolet contingere) tanto copioſiores in iis generantur ſpumæ albæ & bulloſæ, quæ faſtum dignitatum & proſperitatis humanæ ſymbolizant, ſicut enim hæ bullæ & ſpumæ vix dum apparent, diſparent etiam, eodem modo felicitas hujus vitæ vix apparere aut conſpicua fieri videtur, cum ecce ſubito etiam evaneſcit & deficit: *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatũ ſicut Cedros Libani; tranſivi, & ecce nõ erat; quæſivi eam & non eſt inventus locus ejus.* Unde Sanctus Gregorius ait: *Sic ſpumoſæ aquarum bullæ, inchoantibus pluvijs excitatæ, ab intimis certatim prodeunt, ſed eo celerius diſruptæ diſpereunt, quo inflatæ citius extenduntur, cumque excreſcunt, ut appareant, creſcendo peragunt, ne ſubſiſtant.* Quot in Samaria Reges creati fuere, qui ſubitò, ſaltem decem illorum, unus poſt alterum ſubito è vivis exceſſerunt?

*Oſe. 10. v. 7.*

Ut ſpumæ.

*Pſ. 36. v. 35.*

*S. Greg. l. 16. cap. 5.*

Umbra.

12. David Rex, qui tot victorias & triumphos glorioſè reportavit, quique tot Provincias & Regna ſibi ſubjecit, de annis tamen ſuis, quibus regnavit, loquens ait: *Dies mei ſicut umbra declinaverunt.* Sed cur non potius Solis ſimilitudine uſus fuit, qui adeò in curſu ſuo rapidus & velox eſt, ut in unica tantum hora aliquot milliarium milliones conficiat? Ratio eſſe poteſt prima, quia Sol beneficiorum ſuorum quæ cunctis confert rebus ſublunaribus aliquod poſt ſe veſtigium relinquit, quia per calorem & benignos influxus ſuos multos terræ inſerit ſalutiferos partus; herbarum, florum, fructuum, mineralium &c. præterquam quod clarum ſit axioma illud Philoſophicum: *Sol & homo generant*

*Pſ. 101. v. 12*



*generant hominem*: Umbra autem nulli benefacit; Secundò quia in umbra præter vanitatem, continua quædam reperitur mutatio & volubilitas; quacum Solis velocitatem longè tranſcurrit. Unde Sanctus Bernardus ait: *Declinaverant ſicut umbra, quia præterierunt ſine fructu, præterit enim figura hujus mundi*; ſeu ut eſt in Græco: *Decipit*; dum enim nos mundum cum omni felicitate ſuâ ſtabilem futurum eſſe credimus, miſere decipimur, quia cuncta continuò tranſeunt. Theodorus Studita ait: *Quid eſt: Præterit figura hujus mundi? id eſt, labitur, præterequitat, nec vel diurnam ſtabilitatem obtinens, ſed qui heri nitidus, hodie ſqualidus, qui heri in re ſplendida hodie in miſeria eſt; nunc extollitur ille, nunc alter dignitate ruit; hic è paupere fit dives, alius è divite pauper, milleque mutationibus & vicibus ærumnoſa noſtra vita ſubjecta eſt, nihil poſſidens conſtans.* Seneca qui Imperatoribus in hac Romana curia intimus, & volubilitatis fortunæ oculatus teſtis fuit, diu ante ſcripſit dicens: *Quia fragilis & caduca felicitas eſt, & omnis fortunæ blandientis ſpecioſitas, cum periculo vitæ ſine cauſa ſæpe fluit, & ſine ratione deſtituit*; non enim mundus hominem ſolum deſerit, dignitates & proſperitates transferendo ad alios, verum etiam ſine cauſa nos in miſerijs conſtitutos deſtituit, *ſine cauſa fluit, ſine ratione deſtituit.*

*Bern. ſer. 20. in Cant.*

*Theod. ſtud. cath. 3.*

*Sen. l. 2. sent. 1.*

Rota.

13. In curru Ezechielis, in quo proſperitas præfigurabatur humana, *erat rota in medio rotæ, & ſpiritus vitæ erat in rotis.* Sanctus Bernardus in ſermone quem de fallacia præſentis ſæculi intitulat, ita hac de rota ſcribit: *Sicut rota numquam ſtat, ſed perpetua volubilitate circumagitur, ita in hac vitæ rota nulla ſtabilitas aut ſecuritas reperiri poteſt.* Unde aulicus quidam Principi ſuo unicè charus, ab eodem num contentus viveret, nihilque deſideraret, interrogatus; Reſpondit contentus quidem vivo, ſed tamen unicum eſt, cujus defectum graviter fero; Princeps cupidus ſciendi quid hoc eſſet, quod adeò deſiderabat, de eo illum ſciſcitatus fuit, cui aulicus reſpondit: Clavum quemdam quæro & habere concupiſco, Princeps myſterium reſponſi hujus non intelligens miratus eſt; Cui aulicus clariori reſponſo ſatisfacere volens dixit: Clavum quemdam deſidero, ut fortunæ rotam ejuſque volubilitatem ſiſtere poſſem, ne ſuſque deque deinceps verteretur. Optimè igitur Sanctus Ambroſius nos monet dicens: *Bona hujus mundi inſtabilia ſunt, & rotarum more cum ipſo ſæculo volvuntur.*

*S. Bern. de fal. præſ. ſæc.*

*S. Ambr. l. de Ab.*

Hiſtoria ſacra Vanitatẽ explicans.

*2. Reg. 18. v. 9.*

14. Nullam tam apud ſacros quam prophanos Hiſtoriographos invenio Hiſtoriam, quæ malitiam, inſtabilitatem, & infelicem exitum mundi vivacius exprimere aut repræſentare poſſit, quam illa, quæ de Abſalone in ſacris litteris recenſetur; Comæ namque ejus aureæ, quæ cariſſimo pretio vendebantur, divitias præſignificabant; Venuſtas autem & ſpecioſitas vultus ejus, voluptates & delectationes carnales quibuſcum tot animæ miſerè irretiuntur; ejus contra Patrem rebellio inordinatam præfigurabat ambitionem: Ammonis occiſio, vindictas & odia innuebant: Ficti amplexus aliaque benevolentiæ ſigna, quibuſcum ſubditis omnibus occurrebat, deceptiones, adulationes & ſtratagemata fraudulentorum: at vero quis tandem infelicis hominis iſtius exitus fuit: *Accidit autem, ut occurreret Abſalom ſervis David, ſedens mulo, cum ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſivit.* Qua de re Drogo Hoſtienſis ſequentem elicit doctrinam, ſcilicet *Pendet Abſalon per comam capitis ſui, & mulus, cui inſidebat, tranſijt, quia mundus tranſit & concupiſcentia ejus.* Et S. Auguſtinus inquit: *Lætitia ſæculi vanitas eſt, cum magna expectatione ſperatur, ut veniat, & non poteſt teneri cum venerit: iſte dies qui lætus, cras utique non erit, tranſeunt omnia, evolant omnia, & ſicut fumus evaneſcunt.*

*2. Reg. 18. v. 9.*

*Drog. Hoſt. de ſacr. Dom.*

*S. Aug. t. 2. in Joann.*

## DISCURSUS XXV.
## ARGUMENTUM.

Multæ divitum avarorum ærumnæ & cruciatus conſiderantur: Deus enim bonorum temporalium Roſas, variarum ſpinarũ aculeis & puncturis immiſcuit, ut illa abhorreamus, noſtræque mentis oculos in bona cœleſtia defigamus.

### THEMA.

*Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Gen. 3. ℣. 18.



Divitiæ ſpinoſæ à mundo dantur mutuo.

1. AD probandum quod bona temporalia ſint veluti ſpinæ ac tribuli, nullum efformari poteſt argumentum fortius & efficacius, quam illud quod ex ipſiuſmet Altiſſimi ore audivimus, nimirum quod terra (cujus partus & fructus ſunt bona temporalia) ad ſpinas & tribulos germinandos à Deo condemnata fuerit. Porro ad cognoſcendum quod divitiæ veri ſint terræ partus, & à terra proveniant: S. Bernardin. certum quoddam indicium adducit; Et quidem ſuppoſita veritate textus illius apud Jobum cap. 27. in quo dicitur: *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet, aperiet oculos ſuos & nihil inveniet:* Sequentem idem Sanctus adducit ſimilitudinem; Si enim videas canem aliquem duos homines inſequentem, & agnoſcere velis uter ex illis canis illius Dominus ſit, id melius experiri non poteris quam dum duo illi homines ab invicem ſeparantur: *Sic divitiæ temporales, non apparent cujus ſint, hominis, an mundi, ſed cum mundus ab homine ſeparatur, tunc manifeſte apparet, quod proditor mundus illas non dedit, ſed mutuavit*; Cum igitur divitiæ & felicitates temporales partus ſint mundi, aliud quam ſpinæ & tribuli eſſe non poſſunt, ſiquidem ipſa præter ſpinas & tribulos aliud ex ſe non producit: *Maledicta terra in opere tuo, ... Spinas & tribulos germinabit tibi, &c.* Ipſemet quoque Salvator noſter in Parabola de ſemine voluptates & divitias hujus mundi ſpinas appellat: *Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & divitijs & voluptatibus vitæ, euntes ſuffocantur.* Unde tametſi tanta affluatis felicitatis humanæ abundantia, quantam habere poteſtis & deſideratis, tandem nihilominus ipſam nihil aliud quam ſpinas & tribulos eſſe invenietis, quia ut B. Laurentius Juſtinianus ait: *Temporalium amor brevis, amarus, & pernitioſus eſt.*

*Job 27. v. 19*

*S. Bern. ſer. 30. a. 1. c. 1.*

*Gen. 3. v. 17.*

*Ibid. v. 18.*

*Luc. 8. v. 14.*

*B. Laur. Juſt. de cont. c. 2.*

Felicitas fel habet.

2. Apud probatum quemdam & fide dignum authorem, citatum invenio Senecam Philoſophum tamquam ſequentis ingenioſæ obſervationis primum inventorem; Hic enim moralis Philoſophus ſuper hac dictione *felicitas* ita diſcurrit: *Docet breve eſſe & vanum hoc, quod apud homines felicitas dicitur, unam illius ſyllabam facillime accedere.* Hæc autem ſyllaba quæ huic dictioni felicitas accedit, prima eſt, id eſt, fel, adeoque hæc dictio fel, quæ rem aliquam amariſſimam ſignificat, velut ſyllaba quædam ad hoc nomen *Felicitas* componendum accedit; Quod autem Ly *Fel* in principio hujus nominis *Felicitas* ponatur, profecto indicat nobis, quod nulla ſit in hoc mundo felicitas, quæ *fel* ſibi conjunctum non habeat. Unde ſanctus Auguſtinus omnes in univerſum homines ad ſe audiendum advocat, eoſque invitat, ut ſynceram illius quod experti fuere & quotidie experiuntur, veritatem edicant: *Dicant omnes*, inquit, *loquantur cuncti; Surgat venerabilis Pater Adam cum omnibus ſuis filijs, & uno ore loquantur*; Ubi notandum, quod non unum vel duos, vel centum, ſed totam ab Adam prognatam progeniem advocet, cunctoſque adjuret ut veritatem ſyncere pronuntient: *Dicant utrum in hac vita gaudium habuerint ſine dolore, pacem ſine diſcordia, quietem ſine metu, ſanitatem ſine infirmitate, lumen ſine tenebris, panem ſine dolore, riſum ſine fletu.* Nulla uſpiam invenietur ſuave fragrans roſa, quæ ſuis non ſit ſpinis circumdata. *O munde immunde*, exclamat idem ſanctus Doctor, *in te habitare & non dolere, impoſſibile eſt; in te ſperare & non timere, vanum eſt, in te tua amare & non periclitari paradoxum eſt.*

*Senec.*

*S. Aug. ſer. 31. de fra.*

Proſecutio.

3. De Jacob Patriarcha, qui adeo à Deo illuminatus fuit, ut ob luminis communicati abundantiam hoc nomen *Iſraël*, quod idem eſt, quod *videns Deum*, à Deo illi impoſitum fuerit; De hoc inquam in Geneſi legimus, quod filijs ſuis, quos in Ægyptum amandabat, parum mellis ſecum in Ægyptum deferre ſuaſerit: *Sumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinæ, & mellis, &c.* Poſſibilene igitur eſt, quod in regno tam fertili & copioſo quod mundum præfigurabat, mellis ſuavitas defuerit? *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Per hoc enim denotabatur, quod ſub terrenorum & mundanorum bonorum roſis, meræ lateant puncturæ ſpinarum, nec ulla ſubſit vera lætitia; Nam ut ſanctus Auguſtinus optimè dicit: *Quocumque cor ſe converterit in terrenis rebus, amaritudinem invenit: unde dulceſcat non habet, niſi levet ſe ad Deum.* Enimvero certum eſt quod poſt peccatum Adæ maledictio Dei in univerſam ſe extenderit Adæ progeniem: *Maledicta terra in opere tuo*, idque non ſolum verum eſt quoad hanc terram, quam pedibus calcamus, ſed etiam quoad terram corporis noſtri; Cum

*Gen. 43. v. 11.*

*1. Cor. 10. v. 11.*

*S. Aug. in Pſ. 85.*

*Gen. 3. v. 17.*



igitur

igitur maledictio hæc ſit communis omnibus, quomodo fallere poterit in multis, qui in hac vita copioſe abundant benedictionibus & proſperrime vivunt? Non eſt verum quod præter & contra experientiam aſſerunt, prouti ex Sancto Auguſtini allato teſtimonio audiſtis; Nullus eſt in toto mundo, quantumvis proſpere agat, qui ex omni parte contentus ſit; Nullibi reperietur roſa ſine ſua ſpina? *Nihil ex omni parte beatum.* Conjiciamus oculos cordis in puncturas, quas, quia interius in proſpere viventium divitum cordibus tantum ſentiuntur, oculis corporis conſpicere non poſſumus. De his Dionyſius Carthuſianus ita ſcribit: *Chriſtus divitias vocat ſpinas, quoniam varias curas amaras, timores & ſuſpiciones, inquietudines & occupationes, animam inſtar ſpinarum penetrantes producunt in homine divite & avaro.* Ipſemet quoque Seneca ex ſolo naturali non vero fidei lumine eruditus, de ijſdem ita ſcribit: *Omnia iſta bona, quæ nos ſpecioſa, ſed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obſtupeſcit cum labore poſſidentur, cum invidia conſpiciuntur, eoſque ipſos quos exornant & premunt, plus minantur, quam proſunt, lubrica & incerta ſunt, numquam bene tenentur;* Numquid hæc omnia vobis ſpinæ, imo & clavi eſſe videntur? Pergit idem Philoſophus oſtendere, quod ſcopuli quidam ſint, qui naufragari nos faciunt: *Pendemus & fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus.* Limpidas quidem & cryſtallinas tranquilli & quieti maris aquas conſpicimus at vero illarum amaritudinem & ſalſedinem minime guſtamus; Scopulos, ſyrtes & Aquilones, qui illas infeſtant, non videmus.

*D. Cart. t. 2. op. min. art. 7*

*Senec. in conſ. ad Polyb.*

Magnates inquieti.

*S. Ambr. l. 6. Exa. c. 8.*

4. S. Ambroſius de Magnatibus in hac vita proſperrime viventibus loquens dicit: *Illud miraris, quod abundant auro, argento, pecunia? quantis abundant vides, quantis egeant non vides: ſed eburneis lectis accumbere pretioſum putas, & non conſideras pretioſiorem eſſe terram, quæ pauperi thoros graminum ſternit, in quibus dulcis requies, ſuavior eſt ſomnus, quem ille aurea compoſitus ſponda tota pervigil nocte quærit, nec capit.*

*Oſe. 10. v. 8. S. Ant. Pad. ſerm. in Do. ſex.*

5. S. Antonius de Padua de Parabola ſeminis tractans, in qua de hiſce ſpinis ſit mentio, illum Oſeæ textum adducit: *Lappa & tribulus aſcendet ſuper aras eorum;* Eumque ſic exponit: *Lappa eſt herba quæ adhæret veſtimento: tribulus dicitur à tribulo tribulas, eo quod tribulat dum pungit: Lappa ergo & tribulus ſunt divitiæ hominis, ipſum tribulantes, hæc creſcit ſuper aras eorum, id eſt, corda avarorum.*

*S. Aug. t. 9. tr. 10. in 1. Joan. c. 5.*

6. S. Auguſtinus tyrannidem cupiditatis qua divitum corda continuo pungit & lacerat, conſiderans dicit: *O homo qui laboras amando avaritiam, cum labore amatur, quod amas, ſine labore amatur Deus: Avaritia juſſura eſt labores, pericula, trituras, tribulationes & obtemperaturus es: quo fine? ut habeas unde impleas arcam, perdas ſecuritatem: impleſti domum, timentur latrones; acquiſiſti aurum, perdidiſti ſomnum.* Tametſi mihi aliquem oſtenderis qui Crœſo ſit ditior, felicior Auguſto, nihilominus videbis, quod innumeræ anxietates & ſolicitudines, veluti totidem voraces vultures cor & mentem ejus continuo dilacerent: Hoc eſt quod ait Chryſoſtomus ita ſcribens: *Dolens non terram pro ariſtis, & fontes pro fluentis, & montes pro lapidibus aurum producere: aliorum ſeſe ſucceſſibus crucians, & in communibus bonis animam contrahens, omnem occaſionem averſans: unde argumentum ſumere non licet, omnia perferens, unde vel duos obulos corradere liceat, omnes peroſus pauperes juxta ac divites.*

*Chryſ. t. 6. h. 15. de avar.*

*Prov. 1. v. 13. Ibid. v. 18.*

*S. Hier. ibid.*

7. Sapiens divitum aviditatem repreſentat, dum in perſona eorum ita loquitur: *Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpolijs;* Et paulò poſt de ijſdem dicit: *Contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas, ſic ſemitæ omnis avari;* Ubi S. Hieronymus ait: *Semitas avari dicit ſubtiles ejus cogitationes, quibus ſedulo inquirit, qualiter pecunias augeat, taleſque ſemitæ rapiunt ad interitum animas poſſidentium, id eſt, eorum, qui poſſeſſionibus pecuniarum ultra rationem incumbunt.* D. Chryſoſtomus de his inquit: *Stratis mollibus jacentes multoties totam noctem ducunt inſomnem: Divitibus in jucunditate & multæ ægritudines irruunt.* S. Baſil. ſe hiſce miſeris, tametſi in mari ex butyro & lacte manante natarent viſceroſiſſime compati dicit: *Quid faciam?* inquit. *Quis non miſereatur ſic miſere curis obſeſſi? ipſa fertilitate miſer erat, miſerabilis præſentibus & paratis bonis, miſerabilior ob ea, quæ adhuc expectabat, non enim proventus annui fruitionem ei terra ferebat, ſed fletus & ſuſpiria.*

*Chryſ. h. 2. ad pop. Antioch.*

*S. Baſil. h. 6. in diteſc.*

Divitiarum impotentia ac fallacia.

8. Quando avarus in tempore diuturnæ ſiccitatis cœlum æneum factum eſſe, & terræ agros ubique aperto ore hiare conſpicit, adeo ut ne vel unica pluviæ guttula de cælo decidat, quantum inde non affligitur, maxime dum videt quod adhibitis etiam cunctis theſauris ſuis efficere nequeat, ut vel unica cœleſtis roris ſtillula in terram deſcendat? Unde ſanctus Baſilius ait: *Fac cum tuis opibus omnibus, ut excites nubeculam, ut modicus imber è cælo deſcendat, ut terra fructus coacta reddat.* S. Bernardin. divitiarum naturam conſiderans illas undequaque ſpinis circumdatas eſſe fatetur: *Conſidera naturam divitiarum & in eis reperies laborem timorem & dolorem: laborem in acquirendo, timorem in poſſidendo, & dolorem in relinquendo.* D. Chryſoſt. proinde divitias ſervum appellat traditorem, ſanguinis & mortis Domini ſui ſitibundum & cupidum; *Non errabit*, inquit, *qui divitias ingratum ſervum dixerit, ſanguinis devoratorem & parricidam, quippe quæ Domino pro gratia cædem referant.* Idem quoque Sanctus alibi dicit: *Nihil divitijs fallacius: hodie tecum & cras contra te, invidorum oculos armant, undique hoſtes ſunt contubernales, inimici domeſtici, & vos poſſidentes teſtes, qui omni modo ipſas infoditis, & abſconditis.* Optarent divites longo ſe tempore vivere poſſe, non tam ut divitijs fruantur, quam ut eas ſibi accumulent, & tamen inquit S. Baſilius: *Quis pulchritudini, formæque fingendæ ſtudens, unam vitæ diem ſibi prorogare poterit? Aut cui mors ob divitias parcit? à quo morbus ob pecuniam abſtinet?* Valde propria eſt ſimilitudo illa viperarum quam D. Chryſoſtomus adducit, ſicut enim viperæ à proprijs partibus dum in lucem prodeunt; in ſuis viſceribus lacerantur, ita quoque cogitationes, conſilia, curæ, ſtudium & induſtria avarorum animum illorum ærumnis pœnoſiſſimis dilaniant: Tales certe iſti fœtus pecuniarum ſunt, ut magis miſerorum animas corrodant, quam illæ feræ alvos parentum ſoleant lacerare.

*S. Baſil. h. 8. in div. avar.*

*S. Bern. t. 1. ſer. 50. art. 1. c. 1.*

*Chryſ. h. in Pſ. 49.*

*h. 2. ad pop. Antioch.*

*S. Baſil. h. 7. in div. avar.*

*Chryſ. h. 57. in Matth.*

Deus ſepit viam ſpinis.

9. Verum quæret hic aliquis, quam ob cauſam Divina & erroris omnis neſcia cœli providentia ita diſpoſuerit, ut inter horum temporalium bonorum roſas tot quoque ſpinæ ſemper permixtæ reperiantur? Cauſam illius S. Bernardinus his verbis optime exponit: Admiranda, inquit, Sapientia Salvatoris, qui videns quod cupidinis via duceret ad hoſpitium infernale, ſi eam dimitteret planam, pulchram, & gratam, fecit ſicut agricola prudens, qui viam per quam neminem vult tranſire, foſſatis præcidit, ac palis in terra confixis, applicatis pungentibus ſpinis illam obſtruit atque munit: Sic nempe ſapientia Dei in itinere divitiarum poſuit anguſtias multas in eas acquirendo, ſolicitudines & timores in eas conſervando, & dolores plurimos in eas amittendo, ut ſic ſaltem impedirentur homines per talem viam turmatim currere ad infernum. Unde Deus apud Oſeam diviti cuidam avaro dicit: *Propter hoc & ego ſepiam viam tuam ſpinis.*

*S. Bern. Sen. t. 2. ſer. 45. a. 2. c. 1.*

*Oſe. 2. v. 6.*

*S. Greg. l. 23. mor. c. 16.*

Ut citius pergamus ad patriam.

10. S. Gregorius ad eamdem cauſam explicandam aliam quamdam, non tamen multum abſimilem ſimilitudinem adducit: Quod ſi enim via per quam ambulamus delicioſa & jucunda prorſus eſſet, inquit ſanctus Pontifex, in itinere magis tardaremus: Viatorem greſſus tardat pulchritudo itineris, dum delectat: electis ergo ſuis ad ſe pergentibus, Dominus hujus mundi iter aſperum facit, ne dum quiſque vitæ præſentis requie, quaſi amœnitate viæ paſcitur, magis ad eum diu pergere, quam citius pervenire delectet, ne dum oblectatur in via, obliviſcatur quod deſiderabit in patria:

Hominum inſania.

11. Similem fere conſiderationem adducit D. Chryſoſtomus, dum ad noſtram ſe deordinationem & cœcitatem reflectit, qua venenum magis quam antidotum amamus, terramque cælo præferimus: *Adeo cæco noſtri amore furimus, ut pro ſanitate pharmacum, pro termino viam, pro conditore res conditas amemus.* Ut igitur hanc deordinationem & abuſum iſtum adeo nobis præjudicantem impediret, ecce tibi remedium: *Hinc Deus pene cogitur calices ingerere amariores, ne abſynthium pro nectare bibamus & ne cælo præferamus terram.* Denique Sanctus Auguſtinus fortiter ſtringens more ſuo adducit argumentum, Dicit enim: O infelicitas generis humani, amarus eſt mundus, & diligitur, putas, ſi dulcis eſſet, qualiter, amaretur: turbatur mundus, & amatur mundus, quid ſi tranquillus eſſet? formoſo quomodo hæreres, qui ſic amplecteris fædum? flores ejus quomodo colligeres, qui à ſpinis non revocas manus.

*Chryſ. h. 6. ad pop. Ant.*

*S. Aug ſer. 3. de temp.*

Deus adverſa permittit ut &c.

12. Notum eſt omnibus Hebræum populum olim unicum quaſi Dei ſcopum fuiſſe, in quem continuis ſuis



ſuis favoribus collimabat: Siquidem illum illius terræ, quæ ut verum cœleſtis gloriæ & beatitudinis ſymbolum lacte & melle manabat, hæredem & poſſeſſorem inſtituerat; & tamen voluit ut tot annis, imo tot ſæculis, veluti vile Ægypti mancipium tyrannidem experiretur Pharaonis in operibus luti, & lateris: *Omnia in figura contingebant*, Deus etenim per infinitam ſapientiam ſuam nos in Ægypto mundi hujus tot ærumnarum puncturas ſuſtinere voluit, ut hac ratione nos ad defigendum in veram promiſſionis terram, Paradiſum videlicet, oculos noſtros tanto fortius perurgeret; *Sic enim & Judæis Deus fecit*, inquit Chryſoſt. *volens enim & illos in reditus cupiditatem inducere* (in Palæſtinam videlicet repetendam) *& ut Ægyptum odiſſent: perſuadere permiſit eos lateritio opere & luto laborare, ut laborum & ærumæ illius magnitudine cruciati ad Deum reverſionis cauſa clamarent;* Sanctus Doctor autem validum exinde deducit argumentum, & dicit; Si illi qui de Ægypto egreſſi ſunt, non obſtante quod tantam ibi fuiſſent tyrannidem perpeſſi, nihilominus ſæpius in procinctu fuerunt, dum eſſent in deſerto, repetendi Ægyptum, quanto vehementius idipſum deſideraturi fuiſſent, ſi ibidem urbane & civiliter tractati & habiti fuiſſent? *Meminerunt & priſtinæ ſervitutis, & ad gravem tyrannidem redire feſtinabant: Ne igitur & nos terræ affixi & præſentibus, ignorantes torpeamus, & futurorum obliviſcamur, vitam nobis fecit Deus laborioſam.* Unde Richardus à S. Victore ad populum illum alludens apte ſatis ad propoſitum noſtrum ait: *Sic Iſraëlitæ coguntur ab Ægyptijs Ægyptum egredi, quia teſte B. Gregorio, dum mundus tot calamitatibus animum pulſat, nihil aliud, niſi ut non diligatur, clamat.*

*Chryſ. h. 6. tit.*

*Rich. Vict. p. 1. de grad. char. c. 3.*

Similitudo.

*Hug. Card. in Pſ. 59.*

13. Hugo Cardinalis idem per nutricis cujuſdam ſimilitudinem elucidare contendit, quæ ut infantem facile ablactet, mammillas amaritudine aſpergere ſolet ac demum dicit: *Sic Deus nos repellit ab uberibus mundi per appoſitionem amaritudinis, mundus enim iſte, dum tot adverſitatibus ingeminat, quid aliud, quam ne diligatur, clamat?*

*S. Aug. ſerm. 29. de ver. Dom.*

*34. ex 40. nov.*

*Epiſt. 45.*

*1. Joa. 2. v. 18*
*1. Cor. 7. v. 31*

14. S. Auguſtinus denique Apoſtolico ſpiritu mundum aggrediens, his eum verbis acerrime reprehendit: *Quid obſtrepis munde immunde? quid obſtrepis? quid avertere conaris? tenere vis periens, quid faceres, ſi maneres? quem non deciperes dulcis, ſi amarus alimenta mentiris?* Idem quoque alibi dicit: *Abundant mala in mundo, ut non ametur mundus;* Ubi aliud quoque ſubdit efficax argumentum: *Magni*, inquit, *viri, fideles ſancti fuerunt, qui contempſerunt mundum ſpecioſum, nos non poſſumus contemnere nec fædum?* Idem quoque ſanctus Doctor in Epiſtola quadam motivum quoddam ad mundum nihili faciendum his verbis ſuggerit: *Quantum illi laudandi*, inquit, *atque prædicandi, qui dignati non ſunt, etiam cum mundo florente florere, tantum increpandi & accuſandi ſunt, quos perire cum pereunte delectat.* Numquid is rigidum mereretur ſupplicium, qui poſtquam pulcherrimæ cujuſdam puellæ in flore ætatis conſtitutæ conſervarat honeſtatem, & ad magnum uſque meritum provexerat, demum cum vetula quadam decrepita turpiter peccaret? Mundus jam decrepitam agit ætatem. *Noviſſima hora eſt; Præterit figura hujus mundi*, & tamen ita ſtulti ſumus, quod labenti inhæreamus.

## DISCURSUS XXVI.

### ARGUMENTUM.

In varijs proprietatibus ſpinarum, quibus divitiæ aſſimilantur varij deſignantur avaritiæ, & bonorum terrenorum effectus.

### THEMA.

*Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus & divitijs & voluptatibus vitæ, euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum.* Luc. 8. ℣. 14.

S. Greg.

Divitiæ ſpinis aſſimilantur.

1. S. Gregorius in Homilia hujus Evangelij dicit: *Quid mihi umquam crederet, ſi ſpinas divitias interpretari voluiſſem, maximè cum illæ pugnant, iſtæ delectent, & tamen ſpinæ ſunt, quæ cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & cum uſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant;* Et quidem hæc ſpinarum cum divitijs comparatio non à D. Chryſoſtomo aliquo, vel Hieronymo vel Auguſtino, ſed ab ipſamet ſapientia increata Chriſto Magiſtro noſtro in medium adducitur: ideoque neceſſum eſt, ut quæ in illa latent myſteria penitius proſequamur.



*Chryſ. h. 23. in Joann.*

*S. Bonav. in Luc.*

*S. Baſ. in div. avar. h. 7.*

2. D. Chryſoſtomus inter alios parallelos qui divitias inter & ſpinas inveniuntur hunc adducit: *Quemadmodum illæ cum tanguntur lacerant, ita harum cupiditas*, cupiditas enim, & quæ illam comitatur, anxietas eſt, quæ cor transfigit, & continuo infeſtat & perturbat mentem: *Habentem affligunt, ſecundùm illud: peccatori autem dedit afflictionem, & curam ſuperfluam, ut addat & congreget; ſaturitas divitis non ſinit eum dormire, unde quaſi ſuper ſpinas jacet.* S. Baſilius cruciatus & puncturas divitum internas his verbis nobis vivaciter repræſentat: *Non tantum*, inquit, *eos ob jam parta non exhilarat, verum ob ea quæ deeſſe videntur cupiditati, potius angit, ex quo anima curis continuo premitur, dum alios ſuperare contendunt; Oportebat illos gaudere & gratos eſſe, quod tam multis ſunt opulentiores, illi vero mœrent ac lugent, quod ab uno & altero opulentioribus vincuntur.* Quotidie ab extraneorum, & domeſticorum, imo & propriorum filiorum torquentur ſuſpicionibus indeque obortis anxietatibus, ſiquidem hi omnes de avari facultatibus aliquod habere participium anhelant & concupiſcunt; Avarus cum divitiæ ejus mare pererrant, veretur naufragia, pyratas timet, vel improviſas quibus innectantur arenas, aut ſcopulos ad quos allidere poſſunt, vel tempeſtatum quibus jactentur procellas: cum vero in terra vehuntur militum timet incurſiones, grandines, inundationes, latrones, pluviarum imbres, ferarum inſultus, vel denique improviſa incendiorum aut terræ motuum infortunia. Sanctus Baſilius ait: *Quot ſunt periculis obnoxiæ fruges, antequam domum comportentur: nam & grando ſæpe eliſit atque comminuit, & æſtus ingens è medijs eripuit manibus:* Quod ſi divitias domi ſuæ cuſtoditas tenet in arca, mox ſuſpectam habebit ſervorum, aut furum, vel etiam propriorum filiorum aut filiarum perfidiam & infidelitatem: Si divitiæ ejus in mercimonijs aut negotiationibus hæreant, continuis ſubjacent fraudibus, dolis, uſuris, contractibus illicitis, litibus, & foriceſſionibus: Nullum habet gaudium de ijs quæ poſſidet, quia ijs non fruitur; ex ijs vero quæ non habet dolorem ſentit, quia ardenter & anxie ad eas anhelat & ſuſpirat. Sanctus Ambroſius de divite illo Evangelico dicit: *Quis talem non miſeratur? anguſtatur abundantia, conſtringitur & coanguſtatur ex opulentia, ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit graviores.* Salmeron quoque de hiſce ſpinis ita ſcribit: *Spina crucians, cogitatio eſt comparandi divitias, labor in illis augendis & cumulandis, timor in illis amittendis, dolor in eis expendendis.* Tametſi Aman omnia ad votum fluentia habebat, quæcumque in hoc mundo deſiderare poterat, contentus tamen non erat, eo quod ſola à Mardochæo ei denegabatur capitis apertio, vel genuum curvatio: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto;* Dives etenim avarus talis eſt indolis & naturæ, ut tametſi inexhauſtos nonnumquam poſſideat theſauros, acerbe tamen crucietur ex eo quod rem aliquam quantumvis minimam, in quam ejus propendet cupiditas, obtinere nequeat. Quidnam Achabo deerat, qui ſumma in regno ſuo pace gaudebat, imperiique ſceptrum proſperrime moderans, æraria ſua auro referta habebat, & tamen quia vineam Naboth habere non poterat: *Et Projiciens ſe in lectulum ſuum, avertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem;* Ecce tibi, qualiter hic famelicus ex oppreſſione cordis, quia Naboth opprimere nequibat, dira fame cruciatus moritur; Ubi S. Ambroſius ait: *Non manducavit panem ſuum, quoniam quærebat alienum, etenim divites magis alienum panem, quam ſuum manducant, qui raptu vivunt.* Hi qui in deſerto de providentia divina diffidentes, contra expreſſum Dei præceptum manna conſervabant, vermes protinus, non manna inveniebant: *Egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies: Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis uſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit;* Ubi Interlinearis ait: *Malum avaritiæ notatur:* Sed quænam hoc vitium conſequitur pœna aut caſtigatio? *Cui qui ſtudet*, inquit de eodem avaritiæ vitio, *vermibus conſumendus traditur.* Quot avari aſperos ſuſtinent conſcientiæ remorſus? quot cordis palpitationes, ſuſpiciones, timores, ſolicitudines, & anxietates illos diſcrutiant? De quibus D. Chryſoſtomus ita ſcribit: *Si intueri volueris animam hominis aurum amantis, invenies eam, ut veſtimentum à decem millibus vermium corroſam, ita eam perforatam undique à ſolicitudinibus.* S. Ephrem de illis qui mortem meditantes, bona hujus vitæ deſpiciunt, tractans, hac phraſi utitur: *Neque audebit theſaurizare inutilia, & congregare manibus infructuoſa, aut potius ſupplicia contra ſeipſum.* Sanctus

*S. Baſ. h. 6. in diteſc.*

*S. Ambr. ſerm. 81.*

*Salm. t. 7. tr. 4.*

*Eſth. 5. v. 13.*

*3. Reg. 21. v. 4.*

*S. Ambr. l. de Naboth. c. 4.*

*Exod. 16. 4.*
*Exod. 16. v. 20.*

*Interl.*

*Chryſ. h. 47. in Matth.*

*S. Eph. t. 1. de rec. mort.*

Auguſtinus quoque de eadem cupiditate in iiſdem terminis ſcribit, quod bona cœleſtia non curans aut quærens creaturarum ſe prædam efficiat, dorſum obvertendo Creatori: *Omnis terrena poſſeſſio ſupplicium eſt cupiditatis, ut in ipſis bonis crucietur animus, cui vileſcit, qui tanta largitur.*

S. Aug. ſerm. 15. de div.

D. Chryſoſtomus pariter de ijs qui divitijs accumulandis dant operam, ita ſcribit: *Circumdederunt ſeipſos doloribus multis: vides quid ſignificare voluerit? Spinarum*, inquit, *in morem, quacumque ex parte tanguntur, cruentant manum, & vulnera infligunt, quibus enim curis anguntur avari, quibus doloribus cruciantur, quis explicare queat?*

Chryſ. h. 17. in 1. ad Tim.

S. Gregorius ſupra illum Jobi textum: *Æſtuabit, & omnis dolor irruet in eum*, multas divitum in congregandis & cuſtodiendis facultatibus ærumnas conſiderat, dicens: *Prius dolorem habuit in ipſa ſuæ concupiſcentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret, at poſtquam acquiſitis rebus pervenit ad deſiderium, alius hunc dolor fatigat, ut cum ſolicito timore cuſtodiat, quod cum gravi labore meminit acquiſitum: hinc inde inſidiatores metuit, atque ſe hoc perpeti quod ipſe fecit alijs, pertimeſcit: formidat potentiorem alterum, ne hunc ſuſtineat violentum, pauperem vero cum conſpicit ſuſpicatur furem.*

Job 20. v. 22

S. Greg. ibid.

Proſecutio.

3. Sub ſpinis, ut per experientiam manifeſte videmus, venenoſa ſe animalia recipiunt. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Ut inter ſpinas feræ, viperæ, ſcorpij deliteſcunt, ita in fraudibus divitiarum.*

Chryſ. h. 23. in Joann.

Idipſum quoque Didacus Stella circa parabolam ſeminis ſcribens ait: *Sicut ſpineta ſuapte natura latibulum omnium reptilium, venenatorumque omnium animalium confugium ſunt, ita divitiæ vitiorum ſunt receptaculum & ſedes.*

Did. Stell. in Luc.

B. Laurentius Juſtinianus Chriſtum Redemptorem noſtrum ſpinis coronatum conſiderans, ipſum hoc tormentum pro delictis divitum ſuſtinuiſſe dicit: *A divitibus diademate ſpineo coronatur, ſunt enim divitiæ ſpinæ acutiſſimæ, quæ rationale caput hominis pungunt, & perforant, indeque ſanguinem ebullire faciunt copioſè*;

B. Laur. Juſt. de trium. Chr. ag. c. 14.

Idem quoque ſpiritum ſanctum peccatis in Scriptura ſanguinis nomen attribuere obſervat; juxta illud: *Libera me de ſanguinibus Deus*; ubi ait: *In ſanguine peccatum exprimitur.* Sanctus Antonius de Padua illum Iſaiæ cap. 33. textum: *Spinæ congregatæ comburentur igne*; adducens, dicit. *Spina pungit, & pungendo ſanguinem elicit.*

Iſa. 33. v. 12.
S. Ant. Pad. ſer. in ſexa.

Et vere ita eſt; quot enim divites peccata committunt? quantum ſanguinem ſpinæ iſtæ ex humanis cordibus extrahunt? *Radix omnium malorum eſt cupiditas.*

1. Tim. 6. v. 10.

Seneca argutè obſervat, quod ex iiſdem terræ viſceribus, è quibus aurum eruitur, ferrum pariter excavetur: *Video ferrum ex iiſdem viſceribus eſſe prolatum, quibus aurum & argentum, ne aut inſtrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut pretium*; quot ſtragum cauſa eſt aurum?

Sen. l. 7. de ben. c. 10.

S. Ambroſius obſervans quod animæ aſcendenti in Deum, hæc proponatur quæſtio: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto?* Rationem pariter aſſignat, cur mundo hoc attribuatur epithetum; Dicit enim: *Deſertus hic terræ locus & incultus videtur, ſentibus & ſpinis noſtrorum obſitus delictorum.*

Cant. 8. v. 5.
S. Ambr. l. de Iſa.

Proſecutio.

4. Spinæ illorum tantum manus pungunt & feriunt, qui illas fortiter ſtringunt & premunt, manum vero apertam minime cruentant: Ubi noſtra Vulgata legit: *Quot autem in ſpinas cecidit*, &c. Theophylactus ita legit: *Et qui in ſpinas ſemen exceperat, hic eſt, qui verbum audit, & cura ſæculi hujus & deceptio divitiarum ſuffocat verbum*; Non dixit: *Divitiæ, ſed deceptio divitiarum, divitiæ enim quando diſperduntur, non ſuffocant, ſed creſcere faciunt verbum*;

Luca 6. v. 15
Theoph. in c. 13. Matth.

Quod ſi nonnumquam ſpinæ cum ſtringuntur interiora carnis penetrant, foras extrahantur neceſſum eſt, ſecus enim intolerabiles provocant dolores: ita quoque ſi forte anima ſe ab avaritia transfigi permiſerit, niſi æternis velit ſubjacere tormentis, neceſſum eſt ut ſpinam ſibi extrahat & abjiciat, divitiaſque male partas in miſericordiæ opera diſpergat. Didacus Stella ait: *Sicut qui ſpinas laxa tenet manu, non pungitur aculeis, ſin vero manum contrahat, quo magis contrahit, eo magis ſauciatur; Sic divitiæ ſi manibus extenſis, id eſt, liberalibus geras, noxiæ non ſunt, at vero ſi arctius & avidius utaris & comprimas, mirum eſt, quam non modo animam, ſed etiam corpus enervent.*

Did. Stell. in c. 8. Luc.

Mulier illa fortis in Proverbiorum libro, dives erat & pariter ſancta, de illa enim dicitur, quod fuerit *Mulier timens Dominum*; Et iterum. *Multæ filiæ congregaverunt divitias*: at verò quo modo adeo opulentam ſibi congregavit ſubſtantiam? *Vidit quia bona eſt negotiatio ejus*: at vero numquid negotiatio iſthæc eam avaritia & lucris, ſicut alios divites aggravat? Videtur enim quod negotiatio mentem hominis à Deo alienet, unde ubi Vulgata noſtra Davidem dixiſſe refert: *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*, alia quædam littera legit: *Quoniam non cognovi negotiationem.*

Prov. 31. v. 30.
Ibid. v. 29.
Pſ. 70. v. 15. & 16.

Pro hujus porro dubij reſolutione, advertendum eſt manum hujus mulieris à ſpinis minime fuiſſe transfixam aut perforatam quia illas aperta, non vero clauſa manu gerebat & tractabat; vultis videre quam patula manus ejus fuerit? *Manum ſuam aperuit inopi & palmas ſuas extendit ad pauperem.*

Prov. 31. v. 20.

Proſecutio. Did. Stell.

5. Didacus Stella aliam quamdam conſiderat ſpinarum proprietatem: *Quemadmodum difficilis & periculoſus eſt ad ſpinas acceſſus, ita cum divite.* Qui enim ſe in dumetum vel ſpinetum aliquod immittit, veſtes lacerat, manus pungit, & totum corpus male cruentat: Sic quoque (pergit idem Stella ulterius dicere) non eſt bonum ad divites avaros propius accedere, vel cum eis negotiationes exercere: *Hinc ſunt illæ quotidie miſerorum lacbrymæ, quibus ſe paſſim à potentioribus ſpoliatos teſtantur, alius agrum, alius pecus, alius domum ſibi ablatam deplorat; nec eſt in terris judex, qui opem ferat, aut conſolator, qui dolorem levet.* Sicut enim inter omnia arbuſta nullum eſt quod majori cum damno contractatur, quam ſpinetum: ita quoque inter omnes vitioſos nullus eſt Reipublicæ pernitioſior, aut quocum difficilior & periculoſior fit tractandi & negotiandi modus, quam cum divite avaro, utpote qui communiter ſuperbi, elati, contentioſi, fraudulenti, ſubdoli, & crudeles exiſtunt: *Et exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.*

Pſ. 117. v. 12

Luca 6. v. 15
Proſecutio.
S. Bonav. in Luc.

6. S. Bonaventura ſuper illa verba S. Lucæ *Quod autem in ſpinas*, ita ſcribit: *Merito divitiæ comparantur ſpinis, tum quia fructum non afferunt, tum quia fructum impediunt*, Spinæ inter alias arbores exiſtunt: ita divitiæ avari ſunt infructuoſæ, & ad nihil aliud, quam ad cupiditatem ejus nutriendam deſerviunt; frumentum, vinum, & oleum ejus recluſum eſt, nec alio fine ijs utitur, quam ad augendam famem publicam & univerſalem annonæ caritatem; Cui conſonat id quod ait Chryſoſtomus: *Chriſtus*, inquit, *divitiarum fraudes ſpinas appellat, & meritò; nam quemadmodum ſpinæ ſteriles ſunt, ita & divitiæ*; Aurum & argentum non referunt fructum, ut agri, vineæ, greges faciunt, ſed ad alia multiplicanda avari hominis induſtria requiritur.

Chryſ. h. 23. in Joa.

Divitiæ ſpiritus utiles eſſe poſſunt.

7. Nec tamen prudentis agricolæ induſtria ſpinas omnino inutiles & infructuoſas eſſe ſinit, dum ex illis terram è qua progerminarunt, ſterileſcere videntes, eaſdem eradicant, eaſque ad eoſdem agros à ferarum & latronum incurſionibus cuſtodiendos in ſepes, quibus agri cingantur, fabricandos adhibent: ita quoque tametſi anima aliqua, quæ ſpiritus culturæ totaliter eſt dedita, divitiarum & bonorum temporalium ſpinas domi ſuæ nonnumquam progerminare conſpiciat, ob hoc tamen, ager cordis ſui non totaliter inferendis fructibus ſterileſcit, quin potius illis ad majorem ſpiritus cuſtodiam utitur, dum per illas in Eleëmoſynas & miſericordiæ opera erogatas ſaluti ſuæ promovendæ cooperatur, non verò in deſideriorum & carnalium appetituum ſuorum ſatisfactionem iiſdem abutitur. Salutiferam porrò hanc induſtriam Sanctus Ambroſius expreſſè indicat, dum ait: *Potes parva pro magnis, caduca pro æternis theſauros pecuniæ pro theſauris gratiæ vendere, iſti corrumpuntur, illi permanent.*

S. Ambr. l. de Nab. c. 14.

Sed difficile eradicantur.

8. Spinæ difficillimè eradicantur aut evelluntur radicitus de terra, eo quod præ cæteris arbuſtis profundiores tenacioreſque radices in terra agant: ita quoque auri & argenti cupiditatem è cordibus humanis eradicare, difficillimum eſt & arduum. Similiter ſpinæ exuruntur, ita quoque ut inordinatus ille cupiditatis affectus è medio cordis evellatur, conſideratione ſeria opus eſt ignis infernalis, vel aliorum damnorum & periculorum rememoratione, quibus divitiæ paſſim videntur ſubjectæ. Sanctus Zeno de avaro inquit: *Iraſcitur Deo, ſi non fiat publicis luctibus dives; benè, benè, cum quis quærit aurum, invenit gladium, inter hæc homo non conſiderat conditionem fragilitatis humanæ, nemo hoſtem, nemo fiſcum, nemo latronem, nemo domeſticum, qui cognitione ſecreti eſt omnium pejor, nemo imminentis Dei judicij flammas, per quas omnes nudi tranſituri ſumus.*

S. Zeno ſerm. de av. det. vitio.

Theophylactus in Parabolam de ſemine ſcribens ait: *Sicut ſpina acuta in corpus penetrat, & vix eradicatur ſic & divitiæ invaleſcentes in animam ingrediuntur, & vix eradicantur*, unicus haſce extirpandi radices, ſeu delicias reprimendi modus eſt ignem conſiderare Inferni, ſeriaque mente, revolvere illud Apocalypticum: *Quantum glorificavit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

Th. in c. 13. Matth.
Apoc. 18. v. 7





Et magno cum labore acquiruntur.

9. Divitias quoque ſpinas appellare poſſumus ob magnos labores & ſolicitudines quibus acquiruntur; ob pericula quibuscum cuſtodiuntur, & ob alias millenas ærumnas, quæ illas communiter conſequuntur; Nam ut ſanctus Bernardinus ait: *nuditatem dejectionem, famem pro acquirendis divitijs tolerant.*

S. Bern. t. 2. ſer. 4. a. 2. c. 1

Ob ſolius lucri cupiditatem veredarius per tot pericula diſcurrit diu noctuque vitamque ſuam latronibus exponit; alij ad ipſos uſque inferni limites in aurifodinas ſe demittunt, alij ab uno polo ad alterum trajicientes inter monſtra marina horridaſque aquarum procellas vitam agunt: ac proinde Sanctus Bernardus in ſermone, qui de quinque negotiationibus inſcribitur dicit: *Vide quantum laborem pro perituris divitijs aſſumpſiſti, tranſis maria, & alium tibi orbem aperis, navigando ſecundùm Sapientem, tribus digitis diſtans, à morte, patriam fugis, relinquis parentes, divelleris ab uxore, filios neſcis, & omnium neceſſitudinum oblitus, quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas*; Demum cum Davide exclamat: *Filij hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quæ eſt iſta dementia filij Adam, circuire maria, perambulare terras, rapi extra mundum, in laboribus plurimis, in vigilijs multis in jejunijs crebris, in mortibus frequenter?* Tandem verbis hiſce emphaticis concludit: *Ecce quales divitiæ!*

S. Bern ſerm. de 5. negot.
Pſalm. 43.

S. Bonaventura ait: *Oportet odire cupiditatem divitiarum, quæ pungunt ad modum ſpinarum*; De divite dicitur: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.*

S. Bon. in c. 18. Luc.
Job 15. v. 21

## DISCURSUS XXVII.

## ARGUMENTUM.

De anxietatibus, inquietudinibus, curis, laboribus & cruciatibus divitum avarorum.

### THEMA.

*Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit.* Eccleſiaſtici 2. ℣. 23.

Totus diſcurſus de curis tractat.

1. PRæcipuum quod Salvator noſter in univerſo Sacroſancto Evangelio ſuo intendit, eſt ut ab omnium fidelium cordibus vitia ſtirpitus eradicaret, ac proinde ut anxietates & anguſtias quas dives avarus continuo patitur, clariſſimè ob oculos nobis poneret, parabolam quamdam, ſeu ut alij volunt Hiſtoriam nobis recenſuit eorum, quæ certo cuidam homini acciderunt, qui copioſam horreis ſuis intulerat meſſem *hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit*; Et quidem ut pungentes indicaret ſpinas, quibus continuò transfiguntur avari, Salvator noſter ipſum cogitabundum hæſitaſſe quid faceret: *Et Cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam?* quaſi diceret ſomnus fugiebat ab oculis ejus adeoque continuas inter vigilias caſtella in aëre, ut dici ſolet, fabricabat, ut ſic verificaretur de eo quod vir quidam ditiſſimus ſimul & ſapientiſſimus, Salomon nimirum ait: *Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat: ſaturitas autem divitis non ſinit eum dormire*; Ubi Sanctus Bonaventura ait: *Quia qui multas habet divitias, multas habet curas quæ auferunt ſomnum.*

Luc. 12. v. 16
Ibid. v. 17.
Eccl. 5. v. 11.
S. Bon. ibid.

2. Iſidorus Peluſiota illos qui divitias ſemper accumulare ſatagunt vocat homines ad metalla damnatos; cujus nomenclaturæ hæc poteſt aſſignari ratio, dicendo, quod ſicut illi qui auro & argento eruendo tot inter pericula laborant & ſudant illo minimè frui aut gaudere ſolent, ſed omnis laboris eorum fructus Principi cedit, ita quoque ipſamet experientia teſte, qui plurimas congregant divitias raro illis fruantur: *Theſaurizat, & ignorat, cui congregabit ea*; Unde & miſero huic homini gravis illa intentata fuit comminatio: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem paraſti cujus erunt?* Imò verò inquit dictus Peluſiota: avaris *gravior pœna infertur, quam ſit illa quam hi luunt, qui ad metalla, quæ atrociſſima pœna eſt, damnati ſunt; nam illis confecto opere, ſomno & quiete frui licet, ijs autem, ea ſomni quoque portum velut aggeſta terra obruens noctu quoque ſæva illa & inhumana edicta proponit.*

Iſid. Pel. l. 11. ep. 233.
Pſ. 38. v. 7.
Luc. 12. v. 20

3. Seneca à Sancto Bonaventura Tom. 6. lib. 6. Pharetræ cap. 18. citatus, de proſpera & lenocinante fortuna ſcribens dicit: *Res eſt inquieta felicitas.* Sanctus Bernardus pariter in eodem loco allegatus inquit: *Fallax felicitas eſt, major infelicitas.* Et Sanctus Paulus de ijs qui ad divitias accumulandas aſpirant, dicit: quod *incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli & deſideria multa & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.*

Sen ep. 36.
S. Bern. ſerm. 4. in adv.
1. Tim. 6. v. 9. & 10.



Sanctus Bernardus ſimiliter divitiarum theſauros tribulationes & anguſtias à poſſeſſoribus ſuis non tam tollere, quam illas eiſdem adſciſcere dicit: *Hinc divitiarum amor inſatiabilis longe amplius deſiderio torquet animam, quam refrigeret uſu ſuo, utpote quarum acquiſitio quidem laboris, poſſeſſio verò timoris, amiſſio plena doloris invenitur.*

S. Bern. c. 12. de conv. ad cler.

Sanctus Ambroſius pretioſiſſimum auri metallum æruginem appellat, cum tamen nec aurum, nec argentum æruginem contrahat; hac autem loquendi ratione, ni fallor, inſinuare vult, quod ſicut ærugo ferrum arrodit, ita avaritia cor avari exedat & diſcruciet: *ærugo mentis*, inquit, *eſt rei cupiditas familiaris.*

S. Ambr. in Luc.
In 1. Tim. 6.

Idem quoque Sanctus Doctor ſuper præallegata Sancti Pauli ad Timotheum verba, de proſperitate & divitijs terrenis dicit: *Nec ad præſens ſecura, quia ſemper cupida & in futuro damnata.*

4. Ingenioſa eſt illa Beati Humberti obſervatio, qui optimè Ephraim & Manaſſen fratres fuiſſe notans, ex horum nominum Ethymologia, hanc ad propoſitum noſtrum deducit moralitatem: *Ephraim & Manaſſè fratres fuerunt; Ephraim fructificans interpretatur, Manaſſè oblivio, quia proficientes in temporalibus Deum ſolent oblivіſci.* Et quidem hæc ſpina quædam eſt, quæ præ quavis alia divitem efficaciſſimè pungere & transfigere deberet, quod ſcilicet divitiæ efficiant, quod homo Deo, cui in acceptis referre debet, quidquid habet, dorſum vertat.

B. Humb. 1. p. l. 1. c. 5.

5. S. Bonaventura expreſſè ita ſcribit: *Avaritia facit hominem tempeſtuoſum, numquam enim cupidus, vel avarus poteſt habere, nec in conſcientia, nec in propria domo pacem*; Unde Proverb. 15. dicitur: *Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam.*

S. Bon. t. 6. in diet. Sal. c. 62.
Proverb. 15. v. 27.

Audiamus quid Divus Chryſoſtomus de ſuperbo quodam & elato divite ſcribit: Cogita quomodo par eſt divitis mentem vexari, cum gloriam ſe ſupergredientem appetat, cum à ſervis contemnatur, cum à minoribus ludibrio habeatur, cùm innumeros patiatur opulentiam ſuam accuſantes pariter & calumniantes. Pergit deinde oſtendere inſidias, quæ avaris ſtruuntur, nec non perſecutiones & malevolentias, quas ſæpè incurrunt; *Neque explicare facile eſt*, inquit, *inimicitias, offenſiones, accuſationes, jacturas, invidentium inſidias, qui poſtquam ipſius divitias ad ſe transferre non potuerint, detrahunt undique, laniant, & innumeras ei tempeſtates concitant.*

Chryſ. h. 63. ad Ant.

6. Seneca ſimilitudinem adducit ab avibus & piſcibus deſumptam, qui ab eſcæ illecebra decepti, in prædam cedunt inſidiatoris; Ad omne fortuitum bonum ſuſpicioſi pavidique ſubſiſtite, & fera & piſcis ſpe aliqua oblectante decipitur; munera iſta fortunæ putatis? inſidiæ ſunt; dum enim à piſce eſca deglutitur, hamus in viſcera trajicitur, & ferrum ſentitur. Unde Sanctus Gregorius ait: Sæpe proponuntur animo cum culpa honores, divitiæ, ſalus & vita temporalis, quæ mens infirma, dum quaſi eſcam videt, & decipulam non videt, pro eſca quam videns appetit, in culpa conſtringitur, quæ non videtur.

Sen. ep. 8.
S. Greg. l. 14. mor. c. 7.

Similiter Sanctus Cyprianus nos quoque ne apparentibus hujus mundi bonis nimium fidamus, hortatur dicens: *Arridet, ut ſæviat; blanditur, ut fallat; illicit, ut occidat; extollit, ut deprimat fœnore quodam nocendi; quam fuerat amplior ſumma dignitatis & honorum, tam major exigitur uſura pœnarum.* Verum enimverò ex quo de divitibus nobis ſpecialiter ſermo eſt, quid de ijs Sacri Doctores ſcripſerint, audiamus.

S. Cyp. ep. ad Donat.

7. Sanctus Zeno in avaritiæ vitium graviter invehens, malitioſam & perverſam ejus naturam ita deſcribit: *Inquieta ſemper exæſtuat, ſævit, pugnat, rapit; congregat, ſervat, ſui tenax, appetens alieni, non ſuo, non alieno, non ipſo orbe contento: totum poſſidet & de inopia quæritur ſemper: quantum fuerit auctior, fit tantò miſerior.*

S. Zeno ſer. de av.

8. Divus Chryſoſtomus divitem aptiſſimâ ſimilitudine Civitati comparat in medio agri ſituatæ, denudatæ mœnibus & propugnaculis, hoſtilium exercituum, ferarum, latronum incurſionibus & inſidijs ſine ullo ſui præſidio expoſitæ: Dives quidem nihil aliud mihi eſſe videtur, quam Civitas abſque muris in agro ſita, & undique inſidiantibus expoſita: Quænam verò illa ſint pericula, quibus dives continuò ſubjicitur. Sanctus Cyprianus ad eumdem ſcribens his verbis deſcribit: Quibus argenti & auri maximum pondus, hos etiam inter divitias ſuas, trepidos cogitationis internæ ſolicitudo diſcrutiat, ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet, ne inimica cujuſque locupletioris invidia ca-

Chryſ. h. 13. in Act. Ap.
S. Cypr. ep. 2. ad Donat.

lumnioſis litibus inquietet, non cibus ſecurè ſomnusvè contingit, ſuſpirat ille in convivio, licet bibat in gemma, & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto ſinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia auro ſe illigatum teneri, poſſideri magis quàm poſſidere divitias atque opes. Sanctus Valerianus Homil. 20. de avaris inquit: Vacillat prædium in colliſione cauſarum, & quod acquiſivit avaritia parentum, perdit cupiditas filiorum.

*S. Valer.*

*S. Baſil. h. 21. in aliq. ſcrip. loc.*

9. Sanctus Baſilius dicit de avaro: Non ob ea quæ poſſidet lætatur, ſed ob ea, quibus caret, angitur, neque ijs quæ congregavit fruitur, ſed cupiditate plura conſequendi ſe magis excruciat: Sed dato caſu, quod avarus quantas ſibi exoptare poterat facultates & divitias tandem actualiter aſſequatur, non tamen per hoc ſe ab ærumnis & ſiniſtris eventibus liberum & expeditum reddidit, ſed hi illum inſeparabiliter conſequuntur: Vigiliæ & curæ hinc oriuntur, *inquit*, quanto enim divitiæ magis augeſcunt, tanto plus adferunt curarum. Judex expetitur, & avarus cogitat, ne in jus trahatur, ne Orphanus ſuas lachrymas in foro palam faciat: nocte conſultat, quomodo manè acerbos advocatos quoſdam ſibi præparet; quomodo perſuaſa teſtimonia conducat, quomodo & potentiam prævalendo, & in judicio mentiendo pauperē deſtitutum opprimat, & utroſque expugnet, & judicem decipiens, & pupillum circumveniens. Canis latrat, avarus putat furem eſſe; mus forte perſtrepit & avari cor ſalit, quemlibet vel puerum ſuſpectum habens; filios jam grandes ut inſidiatores aſpicit. Quidquid illi divitiarum acceſſerit, contentus tamen avarus numquam erit, tàm de bono dolens, quàm de malo. Sanctus Ambroſius ait: *Elementa concutit, mare ſulcat, terram effodit, cœlum votis fatigat, nec ſereno grata, nec nubilo, condemnat proventus annos, fœtusque terrarum arguit.* Eamdem conſiderationem Sanctus Aſterius in Homilia quadam de Avaritia his verbis exprimit: *Si minutula pluvia terram aſpergit, ſublachrimari incipit: Si magna aquæ vis & ſiccitati tollendæ par ingruit, extremus eum luctus occupat.*

*S. Amb. l. de Cain & Ab. c. 5.*

*S. Aſter. h. de avar.*

*S. Bern. t. 4. ſerm. 26. p. 5.*

Hiſtoria.

10. Sanctus Bernardinus de avaro quodam Civitatis Ariminenſis incola refert, quod ex ingenti tritici coacervata quantitate in magna annonæ caritate necquidquam in uſus publicos diſtrahere aut vendere volens caritatem præſentem vehementer adauxerit, adeò ut unicus tritici modius 40. ſolidis venderetur; Et licet tunc etiam pro ſimili pretio tritici ab eo poſtularetur annona ſe tamen triticum venale habere pertinaciter negarit, quippe qui illud eouſque conſervare decreverat, donec pretium ad 50. ſolidos aſcenderet, ideòque ne quis eum ad venditionem ſolicitaret relicta civitate ad villam quamdam ſe receperat, ne domi reperiri poſſet, interea tamen quotidiè ab ijs qui Arimino venientes illac tranſibant, currens frumenti pretium ſolicitè exquirebat, *& audiens quod dietim eſſet carius, fingebat compati pauperibus ore, ſed corde gaudebat.* Accidit autem, inquit idem Sanctus Pater, quod duo mercatores, qui ingentem in Apulia frumenti proviſionem ſibi compararant, magnam quamdam navim frumento plenam ad ſublevamen populi Ariminenſis in dictæ Civitatis portum advexerint, & quemlibet frumenti modium pro tribus ſolidis cum dimidio paſſim omnibus venum expoſuerint; quod cum in tota illa Civitate & in cunctis locis finitimis innotuiſſet, accurrerunt omnes, domibusque ſuis de ſufficienti mox annona proſpexerunt, feſtivique & Gloriam in excelſis Deo decantantes, domum rediere. Cumque avarus ille aſinos frumentis onuſtos plurimos villam ſuam videret tranſeuntes, reique totius eventum ex variorum relationibus intellexiſſet, *ſtupefactus voce magna exclamavit: Væ mihi, tres ſolidos cum dimidio! Heu mihi ſum deſertus, & ſe ſtringens equitando vadit, dicendo per viam: Heu mihi, Tres ſolidos cum dimidio*; cumque ab obvijs ſalutaretur amicis & notis, hoc ſolum reſpondebat: *Tres ſolidos cum dimidio!* nec quidquam aliud occurrebat dicendum, præterquam *Tres ſolidos cum dimidio*, Hiſce verbis ſalutabat uxorem, filios, ſervos; Qui eum ab hoc propoſito divertere cupientes, aliud nihil ab eo extorquere potuerunt, quam verba illa *Tres ſolidos cum dimidio*; Tandem ſano corde lecto ſe commiſit; uxor morbum ſuſpicata, Medicum accerſivit, qui nullum aliud verbum ab eo obtinere potuit, præterquam quod identidem ingeminabat: *Tres ſolidos cum dimidio ſic dicendo præ dolore crepavit, & Diabolus ejus animam aſportavit*, inquit præfatus Sanctus Pater.

11. Sanctus Valerius in Homilia quadam quæ eſt Vigeſima in ordine de avaritia, inquit: *Enumerari non poteſt quantis modis cupiditas ſæviat; ecce ubi Teſtamentum profertur, ſtatim de falſitate cogitatur; quæritur quis mutum audierit loquentem, quis mortuum hæredes noverit ordinantem, nec difficile eſt, quod pejus eſt, cuiquam invenire perſonas, aut ſcelere conjunctas, aut pretio comparatas; imitatur hic infelix ſubſcriptionem manus alienæ, ita ſcriptura quam teſtator non inſtituit, cupiditas calamo repente componit.*

*S. Val. h. 20. de av.*

12. Sanctus Bernardinus mundi detegit & arguit errorem, qui avaro perſuadet, quod poſtquam ſufficientes ſibi pecunias & divitias acquiſierit, demum vitam acturus ſit quietam & tranquillam, nihilque amplius ſit deſideraturus: *Et nihilominus ſemper cruciat in labore & ærumna, in vigilijs plurimis, in jejunijs multis, in frigore & nuditate, in mortibus frequenter, illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia, quotidiana ſolicitudo poſſeſſionum, anxietas laborum & cum his omnibus inſatiabilis terrenorum*; adducitque illum Eccleſiaſticis textum thematis loco ab initio diſcurſus præſentis propoſitum: *Cuncti dies* ejus doloribus &c.

*S. Bern. t. 1. ſer. 58. art. 1. c. 1.*

13. Sanctus Antonius de Padua vitij hujus effectus in tinea adumbrat, eo quod avaritia cor cupidorum & avarorum corrodendo conſumat: *Ut tinea vermis veſtimentum, ita avaritia* inquit, *mentem corrodit unde tinea dicta eſt, eo quod teneat, & eouſque inſideat, quouſque corrodat, ſic avaritia mentem avari corrodit, ut plena multiplicet, ſed ſecundùm multiplicationem ſuam plus eſuriat.*

*S. Ant. Pad. ſerm. in D. 6. poſt Paſch.*

14. Sanctus Auguſtinus inquit, avarum numquam eſſe contentum, quantumvis etiam favorabilis ei ventus arrideat: *O avaritia abyſſus inſatiabilis, quæ numquam dicis ſufficit; ſemper fameſcis, ſemper doles, ſemper triſtaris in cunctis; nam ſi Sol quotidiè oritur, dolendo dicis; ſiccitas eſt: ſi pluvia deſcendit, omnia periclitari aſſeris: ſi temperiem adeſſe proſpicis, Solem vel pluviam adeſſe deſiderabis; O peſtilentia interminabilis! O famelica rabies!* Dionyſius Carthuſianus quamdam ex Sancto Bernardo adducit propoſitionem, quæ ab avaris quotidiè practicatur: *Qui amat pecuniam non ſatiatur; qui diligit aurum non quietatur.* Sanctus Bernardinus dicit, quod ſicut aranea rete ſuum magnis & indefeſſis laboribus contexit, nec tamen conſiderat, quod hoc faciendo ſe ipſam eviſceret, laborat multum non obſtante quod labor ejus ſubito & ex improviſo ſit diſſipandus: Sic conſideret homo quot labores & ærumnas tulerit in divitijs congregandis, & ſæpius perituræ ſunt, vel pereunt ſtatim, in delicijs proſequendis, & citò faſtidiunt; in magnificentijs aſſequendis, & citò derelinquunt.

*S. Aug. t. 10. ſer. 48. ad fr.*

*D. Cart. c. 2. op. min. art. 7.*

*S. Bern. t. 3. ſer. in D. 16. Pent. a. 1. c. 2.*

15. Sanctus Ambroſius ad alias ſe ærumnas reflectit, quæ divitias accumulantes communiter conſequi & comitari ſolent; *Nonne vanum eſt* inquit, *ut mercator noctibus ac diebus conficiat iter, quo aggerere poſſit theſauri acervos, merces congregat, conturbetur ad pretium fortè minoris ſi vendat, quàm emerit, aucupetur locorum pretia, & ſubito aut latrones in ſe invidia famoſæ negotiationis excitet, aut non expectatis ſerenioribus flatibus, dum lucrum quærit, naufragium impatiens moræ incidat.* Pergit ulterius avari exponere perturbationem, ob incertum quem facultates ejus habituræ ſunt eventum, ob defectum hæredum, quos futuros eſſe metuit diſſipatores: *An non conturbatur etiam ille vanè, qui ſummo labore coacervat, quod neſciat, cui hæredi relinquat? Sæpè quod avarus ſumma congeſſit ſolicitudine, præcipiti effuſione dilapidat hæres luxurioſus, & diu quæſita turpis helluo, præſentium cæcus, futuri improvidus, quadam abſorbet voragine.*

*S. Ambr. l. 1. de off. c. 49.*

16. Sanctus Bonaventura textum illum Apocal. 3. *Qui dicis quia dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*, conſiderans quinque ex illis divitis avari hominis miſerias deducit: *Nota*, inquit, *hic quinque infortunia avari, eſt enim miſer, quia divitias cum labore acquirit; pauper quia cum dolore perdit; Cæcus, quia nihil aliud reſpicit; & nudus, quia nihil aliud bonum facit.*

*Ap. 3. v. 17. S. Bon. in diet. ſal. c. 6.*

## DISCURSUS XXVIII.

### ARGUMENTUM.

Agitur hic de avaritiæ inſatiabilitate, & rationes nonnullæ adducuntur, ob quas non ſatiatur avarus, nec anima noſtra in quorumcumque bonorum poſſeſſione, quantumvis opulenta quieſcit.

THE-



### THEMA.

*Avarus non implebitur pecunia, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Eccl. c. 5. ℣. 9.

*Avarus non ſatiatur divitijs.*

*3. Reg. 10. v. 27.*

*Ar. l. 4. Ethic. c. 3.*

*Naz. or. 10.*

1. REgum potentiſſimus Salomon ſuo nos exemplo docuit, quod avarus divitijs ſuis quantumvis exceſſivis ſatiari numquam poſſit; nam lib. 3. Reg. cap. 10. de ipſo legitur: *Fecitque ut tanta eſſet abundantia argenti in Jeruſalem, quanta & lapidum*, & tamen de avaris ſui temporis ſcribere non dubitat: *Avarus non implebitur pecunia*; Ideoque Ariſtoteles vitium iſtud *Morbum inſanabilem* appellat. Nazianzenus quoque naturam hujus cupiditatis eſſe dicit, *ut neſciat finem, & cancellos appetendi plura.* Iſaias de divitiarum incredibili abundantia loquens dicit: *Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorum ejus; non quod theſauri finem non habeant*, inquit Sanctus Hieronymus, *Sed quod poſſidentium animus non impleatur.* Primo avaro, qui etiam reproborum primus fuit, nihil omnino deerat eorum quæ deſiderabat, ſiquidem totius univerſi Dominus erat, cum Abel frater ejus nihil terrena curans cor & animam cœleſtibus bonis immerſiſſet: & tamen S. Zeno dicit: *Miratur orbis vacuus ſe duobus anguſtum*; Imò dicere poterat: Miratur ſe uni etiam homini anguſtum, quia ut jam dictum, Abel terram & terrena nihil faciebat, & tamen univerſa terræ moles ad implendam inſatiabilem Caini cupiditatem minimè ſufficiebat. Unde Divus Chryſologus ait: *Fecit invidia, ut mundi tota machina duobus eſſet anguſta fratribus ſolitudo.*

*Iſa. 2. v. 7.*

*S. Hier. ibid.*

*S. Zen. ſer. de pati.*

*Chryſ. ſer. 4.*

2. Sapiens in Proverbijs ad noſtram doctrinam ita ſcribit: *Infernus & perditio numquam implentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles*; quæ verba de bonorum temporalium aviditate intelliguntur, quæ vocatur concupiſcentia oculorum. Unde Sanctus Auguſtinus ait: *Avarus Inferno eſt ſimilis: Infernus enim quantoſcumque devoraverit numquam dicit ſatis eſt, ſic et ſi omnes theſauri confluxerint in avarum, numquam ſatiabitur.* Enimverò quia Inferni hic ſit mentio opportunè quoque avaritiam igni comparare poſſumus, hæc enim eſt hujus elementi proprietas, quod ſcilicet ſemper magis magiſque creſcat, ſi alia & alia in eum conjiciantur ligna. Beatus Petrus Damianus ait: *Sic ignem ligna non ſatiant, ſic æſtum avaritiæ pecunia cumulata non ſedat, ſed ſicut flamma fomentis extollitur, ita nihilominus avaritia, dum lucra cumulantur, augetur*; imò non ſolùm facultatibus creſcentibus, cupiditas pariter creſcit & augetur, juxta illud Eccl. 14. *Inſatiabilis oculus cupidi*; Verum etiam cunctis facultatibus ſublatis aut pereuntibus, avarus ad novos ſibi cenſus per fas & nefas acquirendos vehementius excitatur; Eamdem quoque ignis ſimilitudinem Sanctus Gregorius adfert: *Venter iniqui*, inquit, *avaritia eſt*, juxta illud Jobi: *Nec eſt ſatiatus venter ejus, & cum habuerit, quæ concupierat, poſſidere non poterit*: Cur autem venter iniqui ab eo avaritia vocetur, hujus ille hanc rationem protinus ſubjungit: *quia in ipſa colligitur, quidquid perverſo deſiderio glutitur, liquet verè quia avaritia deſideratis rebus non extinguitur, ſed augetur, nam more ignis, cum ligna quæ conſumat acceperit, accreſcit.* Innocentius III. ſimiliter avaritiam ignem vocat: *O ignis inextinguibilis*, inquit, *O cupiditas inſatiabilis! quis umquam cupidus primo fuit voto contentus? Cum adipiſcitur quod optaverat, deſiderat ampliora, ſemper in habendis, & numquam in habitis finem conſtituit.*

*Prov. 27. v. 20.*

*S. Aug. l. de ſal. doc. c. 30.*

*Beat. Pet. Dam. l. 2. epiſt. 2.*

*Eccli. 14. v. 9.*

*S. Greg. l. 16. mor. c. 12.*

*Job 20. v. 10*

*Inn. 3. l. 3. de cont. mund. c. 6.*

3. Dionyſius Carthuſianus vitium hoc rabida ferarum fame inſatiabilius & deterius eſſe dicit, cujus mox rationem manifeſtam ſubjungit: *Quæ eſt iſta aviditas avaritiæ, cum & beſtiæ habeant modum*: Beſtiæ enim ſatiatæ, aliam prædam non quærunt, ſed tunc tantum ad illam anhelant, quando famis eos urget neceſſitas: *tunc rapiunt, quando indigent & fameſcunt, & parcunt prædæ dum ſenſerint ſatietatem: avaritia verò quantò plura acquirit, tantò plura deſiderat.*

*D. Carth. t. 2. op. min. a. 6. epiſt. 2. con. avar.*

4. Sanctus Baſilius quoque ardentiſſimam divitiarum ſitim nulli rei aptius aſſimilari poſſe dicit, quàm Igni: *Avaritiæ malum ſtare nequit aut quieſcere, ſed ignis naturæ ſimile: ignis enim poſtquam incendium attigit, omnem properat abſumere materiam, nec prius deſiſtere poterit, quam materia defecerit, avarus autem quid retinere poterit? igne vehementior eſt, omnia continuando finibus ſuis occupat, ea quæ ſunt vicini ſibi aufert.*

*S. Baſil. h. 21 in al. ſcript. loca.*

5. Non minus apta eſt ad explicandam avari inſatiabilitatem ea quæ à mari deſumi poteſt ſimilitudo: ſiquidem Mare adeò eſt aquarum recipiendarum avidum, ut licet omnia ſe illi inſinuantia flumina devoret, numquam tamen ſatietur. Mirabilis eſt illa ab Iſaia expreſſa proſopopeia quâ mare negotiantes ſydonios redarguiſſet dicitur: *Erubeſce Sydon ait enim mare*: quænam eſt pelagi ſive Oceani vox, famoſum illud ſydoniorum Emporium reprehendens? Sanctus Ambroſius ait: *Fatigati elementi vox iſta eſt, dicentis: Erubeſce Sydon: hoc eſt meos fluctus negotiator arguis, cum ſis ipſe fluctibus inquietior: erubeſce, verecundiores venti ſunt, quàm veſtræ cupiditates, illi habent otia ſua, numquam veſtra quærendi ſtudia feriantur.* Quo alio fine Deus aquas maris congregavit, niſi ad incolatum & nutrimentum piſcium? inquit idem Ambroſius: *Piſcibus dedit, non hominibus perambulare ſemitas maris: ad eſcam tibi mare datum eſt, non ad periculum.* Deus piſces in ſalſo illo elemento natitare, ibidemque eos multiplicari & creſcere fecit, ut de victus nobis provideret annona, non verò mare creavit, ad tuæ inſatiabilis cupiditatis fomentum; Unde Sanctus ille Doctor meritò exclamans concludit: *O inexplebilis avaritia.*

*Iſa. 23. v. 4.*

*S. Amb. de Elia. c. 19.*

6. Verum enimverò quantam divitiarum appetitus in hominibus vim habeat, S. Valerianus obſervat, dum innumeros homines ſeſe manifeſto mortis periculo in mari exponere oſtendit, ubi vita vix digiti ſpatio diſtat à morte, quæ eſt *ultimum terribilium: Requiramus*, inquit, *cujus ſit vitium, quod tenui tabulato hominis vita committitur, & dubijs caſibus Pelagi incerta tentantur, numquam ſe nauta navigio crediſſet, niſi navigandò deſiderium negociandi cupiditas incitaſſet.* Auſcultemus obſecro quibus epitheris S. Zeno vitium iſtud proſcindat: *Eſt libido profunda*, inquit, *cupiditas cæca, tempeſtas inſana, rapacitas ſine fine, ſolicitudo ſine requie, ad ſua numquam perveniens vota, quæ ſatiari non novit.*

*S. Val. h. 20. de avar.*

*S. Zen. ſer. de av. mal.*

7. Hydropicus continua ardenti, & inextinguibili ſiti vexatur; & tametſi ſitim conſueverimus bibendo extinguere & compeſcere, hydropiſis tamen naturalis conditio ea eſt, quod poſt ſumptum potum ſitim vehementius adaugeat; poſſetiſne aptiorem ad avaritiæ inſatiabilitatem exprimendam optare comparationem? S. Anton. de Padua ait: *Hydropicus, qui eſt avarus, dicitur eo, quòd ſit avidus auri, & numquàm opibus expleatur; ſicut corpus aura, ſic avarus auro impletur; eſt enim abyſſus carens fundo ſufficientiæ.* Quantò plus corpus aliquod humanum aura ſive aëre fruitur, tantò amplius eumdē deſiderat; talis quoq; eſt avari conditio, qui quantò plus poſſidet, tanto amplius deſiderat: *Hydropicus quo amplius biberit, amplius ſitit; & omnis avarus ſitim multiplicat, qua cum ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat.* S. Auguſt. quoque de hac inſatiabilitate in quodam ſermone ita ſcribit: *O rabies omni fine carens! numquid terra ſuis limitibus terminatur, aqua ſuis finibus limitatur, aër ſuo fine concluditur, cœlum ſuis terminis arctatur, ſola avaritia terminum neſcit? O avare, ſi terra tibi cuncta dat, mare quæris; ſed ſi terra & mare, aërem petis: ſi terram, mare, & aërem poſſederis, adhuc cœlum ambis, & ipſum penetrare affectas: & ſi cœlum penetraveris, adhuc non quieſceres, donec te Deo adæquaveris, vel fueris ſuperiore Altiſſimo.*

*S. Ant. de Pad. ſer. in D. 17. Pent.*

*S. Aug. t. 10. ſer. 48. ad fr.*

8. Ælianus de varia hiſtoria narrat, quod cum Darius lecto Epitaphio ſepulchri Semiramidis, quod tale erat: *Si quis Rex pecunia indiget, hoc monumentum diruat*, ſepulchrum illud effodi jubendo, ad ipſa uſque cadaveris oſſa perveniſſet, loco ſperatæ pecuniæ, laminam quamdam hiſce verbis inſcriptam invenerit: *Niſi eſſes inſatiabilis, numquam ſepulchra mortuorum attigiſſes.* Magnatum cupiditas hodie eouſque aſcendit, quod omnia ſubditorum bona ſibi adſciſcant, nullique rei adeo gnaviter ſtudeant, quam ut ſubditos ſuos omnigenis omni ex parte intolerabilibus gabellis & oneribus aggravent; Unde ingenioſa eſt illa Oleaſtri circa edictum à Joſepho Ægypti Vice-Rege editum, ſcilicet: *Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis*, ſcripta obſervatio, dicentis: *O infelicia tempora noſtra, quibus & omnia Domini ſibi volunt, & agricolæ quidquid poſſunt Domino ſuffurantur*; Ut proinde & ipſe gentilis Poeta Virgilius lamentando exclamet: *Auri ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis?* S. Zeno in eodem loco de avaritia ita ſcribit: *Fidem frangit, charitatem negligit, juſtitiam negat, jura divina contemnit, orbem totum, ſi poſſit, ut rapiat*, Did. Stella fabulam Midæ refert, quem Poetæ finxerunt ex nimia auri cupiditate Dijs ſupplicaſſe, ut hæc ei indulgeretur gratia, ut quidquid tangeret in pretioſum illud metallum converteretur, *atque illi ejus voluntati fecere ita ſatis, ut cibus quem ſumere volebat, in aurum ſtatim converteretur, ita nimia fame tortus ſtatim perijt.*

*Ælian.*

*Gen. 47. v. 24.*

*Oleaſt. ibid.*

*S. Zen. ibid.*

*Did. Stell. in c. 20. Luc.*

9. Moyſes cum vidiſſet Judæos avaros in vitulo illo erecto aurum, quod ad illud conflandum contribuerant, adorantes illud in minutiſſimum pulverem

*Exod. 32. v. 20.*



redactum,

redactum, eis ad bibendum propinavit; Ubi S. Bruno ait: *Biberunt aurum Judæi, quia cupidi ſunt & avari*; [S. Brun. apud Godef.] Idemmet Judæi, ne Chriſtus eorum deinceps reprehenderet avaritiam, eumdem crucifigi fecerunt; & unus ex ipſis eumdem Chriſtum pro triginta argenteis vendidit, quibus proinde jure dici poterat, quod in Pſalmo legimus, nimirum: *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum*; [Pſ. 16. v. 14.] Deus etenim pretioſas auri venas ſub terræ profundiſſimis viſceribus abſconditas eſſe voluit; & nos ipſi, prout in quotidiana videmus experientia, pecunias noſtras ut plurimum in locis ſecretiſſimis abſconditas ſervamus, ac proinde non immerito Ly *De abſconditis* de auro & argento interpretari poſſumus: Imò quouſque hæc hominum cupiditas & auri amor pertingat, vel ex eo arguere poſſumus, quod in Joſepho Hebræo Hiſtorico legitur, nam cum Hebræi per diuturnam Hieroſolymæ obſidionem fame extimulati, inimicorum ſe manibus & voluntati cedere cogerentur, aurum ſuum deglutierunt, ut illud inutili corporis pondere depoſito, abs ſe hoſtes projicerent, at vero cum nonnulli Arabiæ & Soriæ milites, nec non aliqui de exercitu Romanorum conſilium hoc Judæorum explorando penetraſſent, nocte quadam bis millium Judæorum viſcera exenterarunt & perquiſierunt, ut devoratum ab illis aurum invenire poſſent, fuitque hac ratione adimpletum & verificatum illud à Jobo conſcriptum divinum Oraculum: *Divitias, quas devoravit, evomet.* [Job 20. v. 15]

10. Primum homicidium, ſeu potius fratricidium cupiditatis & avaritiæ partus fuit, cum enim Cain ſufferre non poſſet quod bona temporalia benigniori à Deo oculo reſpicerentur ad facinus iſtud perpetrandum excitatus fuit. Inter Abraham & Loth, qui tum quoad ſanguinem, tum quoad virtutem & ſanctitatem proximè cognati erant facili negotio diſcordiæ ſubnaſci potuiſſent, idque propter greges eorum. Inter uxorem & maritum, inter Samſonem inquam & Dalilam inhumana illa contingit traditio, per quam Dalila Samſonem in manus inimicorum ejus proditoriè conſignavit. Denique hoc unicum dixiſſe ſufficiat, quod cum Chriſtus Redemptor noſter, qui *ſpirituum ponderator eſt*, [Proverb. 16. v. 2.] Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine, utrumque immane facinus tam Judæ quam Pilati, id eſt, tam condemnationem Chriſti ad mortem Crucis, à Pilato ex motivo pure politico (*ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*) [Joa. 19. v. 12] factam, & proditionem Judæ ex ſola avaritia machinatam æqua lance ponderaſſet, tandem pro avaritia pronuntiavit, dicendo: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* [Ibid. v. 11.]

11. Enimvero ſi veram cauſam ſcire deſideratis, cur homo avarus numquam ſatietur lucris, aut partis divitijs acquieſcat? Audite S. Bernardinum ipſiſſimam hujus rationem adducentem in medium dum ait: *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit, Ratio hæc eſt, quia potus pecuniæ non ibi eſt, nec ibi ponitur, ubi eſt ſitis avari.* [S. Bern. t. 2. ſer. 45. a. 1. cap. 1.] Sicut enim vinum in vaſe ſuo comprehenſum, quantumvis excellens & generoſum ſit, ſitim tamen Domini ſui nequaquam extinguit, quamdiu in vaſe remanet, niſi bibatur: *Sic pecunia in arca ſitim mentis ſedare non poteſt*: ſitis auri in corde, in mente, ſive in anima reſidet, mens autem ſive anima purus eſt Spiritus & ſubſtantia intellectualis, eſtque propter ſolum Deum creata, qui proinde ſolus quoque illam ſatiare & adimplere poteſt: *Deus meus & omnia*, hæc autem bona temporalia nullam cum ipſa, quæ ſpiritus eſt, proportionem habent. Et ideo S. Bernardus ſuper illa S. Petri verba: *Ecce nos reliquimus omnia* [Matth. 19. v. 27.] ſcribens inquit: *Anima rationalis cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt.* [S Bern. in decl. Ecce nos reliq.] Quod ſi quis diceret mihi, armaria mea ſcientia replere propoſui, intellectum meum duplonibus adimplere ſtatui, te utique in gravi errore conſtitutum eſſe reſponderem, quia ſcientiæ pro ſede ſua intellectum habent, ſicut armaria locus ſunt & cuſtodia duplonum & aliarum pecuniarum. Et ideo *Avarus non implebitur pecunia*: [Eccle. 5. v. 9.] Ubi Hugo Cardinalis ait: *Et quid mirum? Quia ipſa arca repletur, ergo anima eadem pecunia repleri non poteſt, impoſſibile enim eſt eodem tempore duo diverſa loca ſimul & ſemel repleri.* [Hug. Card. ibid.] Anima noſtra vaſtiſſima eſt, terra aut minimum quoddam punctum eſt, ac proinde tametſi quis totum mundum poſſideret, ob id tamen minime contentus erit. Unde ſanctus Auguſtinus avarum hiſce verbis affatur: *Avare, an parum tibi eſt, ſi te impleat ipſe Deus? Deus ſi ad te veniat ſine auro, ſine argento, non vis illum, quid ergo tibi ſufficiet ex omnibus, quæ fecit Deus, cui non ſufficit ipſe Deus?* [S. Aug. con. 3. in Pſ. 30.] Idem in Soliloquijs ſuis de anima dicit: *Facta eſt capax majeſtatis tuæ, ut à te ſolo, & à nullo alio poſſit impleri.* [c. 30. ſol.] Innocentius III. avarum interrogat, an ſcire & noſſe cauſam velit, quare numquam ſatietur per quamvis quantumcumque magnam pecuniarum congeſtam quantitatem, quam poſſidet: *Vis*, inquit, *ô cupide ſcire quare ſemper es vacuus, cur numquam impleris? Adverte non eſt plena menſura tua, quæ quantumcumque contineat, adhuc capax eſt amplioris, ſed humanus animus capax eſt Dei, quoniam qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum Deo, quantumlibet ergo contineat numquam eſt plenus, niſi Deum habeat, cujus ſemper eſt capax: ſi vis ergo ô cupide ſatiari, deſinas eſſe cupidus.* [Inn. 3. l. 2. de cont. mun. cap. 7.]

12. Una ex rationibus ob quam nullus in divitiarum poſſeſſione eſt contentus, nec quietem invenit, imo ex earumdem cupiditate plurimum cruciatur, eſt, quia cum creatus ſit ut Deo fruatur, ipſe Deum creaturis poſtponit, ponendo in auro & argento omnem ſuum affectum & amorem, ac proinde S. Auguſtinus merito dicit: *Cum malis hominibus Deus iſta concedit, oſtendit in eis, quomodo & in ipſis bonis quæ Deus largitur, cruciatur animus, cui viluit, qui tanta largitur.* [S. Aug. ſer. 19 de div.] Valde ad propoſitum noſtrum conſiderabilia ſunt verba illa S. Pauli ad Galatas ſcribentis: *Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs qui natura non ſunt Dij ſerviebatis, nunc autem cum cognoveritis Deum imo cogniti ſitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* [Gal. 4. v. 8. & 9.] Poſtquam enim quis Creatorem & bona cœleſtia agnoverit, ac demum ſe de novo ad creaturas converterit, ſubito differentiam inter utrumque agnoſcens videbit, quam hæc illum ſatiare nequeant, & quam hæc creata egena exiſtant, atque ideo verba illa: *Cum cognoveritis Deum*, contra opponit verbis illis: *ad infirma & egena elementa* S. Ignatius poſtquam cœlum in profunda contemplatione reſpexiſſet, dicebat: *O quam mihi ſordet tellus, dum cœlum aſpicio.* Ubi vulgata noſtra legit: *infirma & egena.* Tertullianus vertit, *mendica*; [Tert. l. 5. con. Marcion.] Hæc igitur eſt cauſa cur mundus capacitatem & appetitum animæ noſtræ, utpote quæ ad Deum & cœleſtia ac ſempiterna bona poſſidenda creata eſt, ſatiare & implere non poſſit, quia ut in ſpeciali quodam diſcurſu probabimus, totus mundus quantus eſt, nihilum quoddam eſt, id vero quod nihil eſt, nequit eſſe proportionatus cibus animæ creatæ ad poſſidendum Deum, *in quo ſunt omnes theſauri*; [Coloſſ. 2. 3.] *Deus meus & omnia.*

## DISCURSUS XXIX.

### ARGUMENTUM.

Quanto quis ditior eſt, tanto eſt pauperior, quia avarus numquam dicit, ſufficit; nec gaudet aut fruitur ſuis divitijs, cum ſit ſervus & mancipium illarum, & ab illis velut Dominis ſuis poſſideatur,

### THEMA.

*Eſt quaſi pauper, cum in multis divitijs ſit.* Prov. 13. ℣. 7.

1. Sententia hæc Sapientis primo quidem aſpectu paradoxa eſſe videtur, ſiquidem vix caſus dari poteſt, ut quis ingentes poſſideat divitias, & ſimul eodem tempore pauper exiſtat, & tamen propoſitio eſt æternæ veritatis & dictata à Spiritu ſancto: [Avari paupe-res.] *Eſt quaſi pauper cum in multis divitijs ſit.* Etenim tritum eſt axioma: *Semper avarus eget*; & avaris ſæpè improperatur, quod inter omnes divitias ſuas ne quidem calicem aquæ frigidæ bibere auſint; Et quidem quodnam in eo putatis latere myſterium, quod dives Epulo ab incarnata Sapientia in Evangelio nobis proponatur velut inter cæteras inferni quas patitur pœnas, tanta tamque ardenti ſiti cruciatus, ut pro illius mitigatione vel unicam aquæ guttulam popoſcerit? Utique id factum eſt ad inſinuandum nobis quam verum ſit, quod ſemper *per hæc quis peccat, per hæc & torqueatur*; Avari enim non ſolum crudeles ſunt in eo quod ex ſua ſubſtantia ne minimum quidem ſubſidium pauperibus præbeant, verum etiam erga ſeipſos à propria cupiditate adeo coarctantur, ut in ſumma divitiarum abundantia ne quidem unicum aquæ calicem ſibi ipſis indulgeant. Unde D. Auguſtinus divitem avarum his verbis affatur: *Et habes & concupiſcis; & plenus es & ſitis; morbus eſt, non opulentia.* [S. Aug. ſer. 5. de ver. Dom.]

2. Ad quod probandum opportune ſervit celebris ille D. Chryſoſtomi locus, qui poſtquam conſideraſſet quod juvenis ille, qui Chriſti Scholæ ſe adjungere cupiebat, audito Salvatoris de vendendis poſſeſſionibus ſuis ſuggeſto conſilio, *abijt triſtis*, demum ſubjungit dicens: *Numquam magna voce prædicare ceſſabo, acceſſione pecuniarum cupiditatem habendi magis atque magis adeo inflammari, ut rerum copia creſcente, paupertas quoque augeatur, nam qui majori deſiderio ardent, egere ſe magis ſentiunt.* [Chryſ. h. 64. in Matth.]

3. Dives ille, qui copioſiſſimam horreis ſuis meſſem intulerat, ſe locum aut ſitum, in quem reliquos meſſis ſuæ manipulos reconderet, non habere lamentabatur dicens: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* [Luc. 12. v. 17] Sed qua ratione fieri poterat, quod dives ille majorem domum vel palatiorum, aut granariorum amplitudinem non haberet, aut ſi hæc illi deerant numquid ſaltem aliorum domos ſibi elocandas conducere poterat? D. Chryſologus ait: *Audiſtis quomodo non habet dives? ecce clamat, non habeo. Verum eſt, quia non habet ſemper, qui quærit ſemper.* [Chryſol. ſer. 104.] Verè enim dives avarus pauper eſt, plura enim ſunt quæ ipſi deſunt, quam ſint illa quæ poſſidet, quia cupiditas ejus ad omnes aliorum ſe facultates extendit. Unde ſanctus Ambroſius ait: *Pauperiorem ſe judicat omnes abundans, quia ſibi deeſſè arbitratur, quidquid ab alijs poſſidetur toto mundo eget, cujus non capit mundus cupiditates.* [S. Ambr. l. de Nab. c. 12.] D. Chryſoſtomus poſtquam mala avaritiæ & infelicitatem avari pluribus exaggeraſſet, ſubjungit: *Quid mira percurro? Si regnum orbis invaſerit, cæteris omnibus miſerior tamen eſt, atque pauperior; terrarum peſtis, urbium pernities, ſingulorum calamitas non enim quæ cæterorum ſunt, quaſi ſua tutatur, ſed veluti unus ex multis omnia rapit, pauciora putans cæteris omnibus ſe habere.* [Chr. h. 81. in Matth.] Quod ſi etiam copioſiori gaviſus fuiſſet meſſe quam tempore Joſeph in primis ſeptem annis Ægyptus habuit, attamen non ſatiaretur, quia ut S. Zeno ait, *Parum putat omne quod naſcitur, cujus abundantiæ deeſſè putat*; [S. Zeno ſer. de dupl. tent. ſpe.] Cui ſimile eſt quod S. Job in ſimili propoſito ait: *Cum ſatiatus fuerit, arctabitur.* [Job 20. v. 22] S. Greg. ad divitem illum ſe reflectens, qui, ut paulò ante diximus, copioſam horreis ſuis meſſem intulerat, & tamen inquieto animo erat, exclamat dicens: *O anguſtia ex ſatietate nata, de ubertate agri anguſtatur animus avari.* [S. Greg. l. 16. mor. c. 12.]

4. S. Aſterius quoque obſervat, quod divitibus inter facultates ſuas ſolicitudines quoque & anguſtiæ creſcere ſoleant ejuſcemodi quales ut plurimum pauperes premere videmus: *Cum omnibus abundet*, inquit, *tamquam omnium egenus ingemiſcit, præſentibus non fruitur, quæ abſunt anxiè quæritat, proprijs non utitur, & ad aliena oculos adjicit*; [S. Aſt. ho. de avar.] Et ideo S. Auguſtinus tunc hominem divitem eſſe probat, quando in cupiditatem ſuam perfectum dominium obtineat, contentus eſt eo quod de facto poſſidet; tunc enim quando nullam in eum avaritia tyrannidem exercet, nihil omnino ſibi deeſſe verè, & liberè dicere poterit; Porro diſcurſus ſancti Doctoris hic eſt: *Quis dicitur dives in hac terra? Quando laudatur dives, quid dicitur? Multum dives eſt, nihil illi deeſt; Laus certo laudantis illa eſt, nam iſta non eſt, cum dicitur: Nihil illi deeſt: attende ſi nihil deeſt: ſi nihil cupit, nihil illi deeſt; ſi autem adhuc cupit majora, quam quæ habet, ad hoc acceſſerunt divitiæ, ut egeſtas creſceret.* [S. Aug. in Pſ. 122. c. fin.] Neque ſolum hic ſanctus Doctor in citatum Pſalmum ſcribens, ſed & alibi eamdem opinionem confirmat, ſiquidem in ſermone 15. de diverſis, in diſcurſibus præcedentibus ſæpius allegato, ita ſcribit: *Tanto quiſque magis ardebit egeſtate, quantò magis eas diligens majores habuerit: quomodo ergo ſunt divitiæ, quibus creſcentibus creſcit inopia, quæ amatoribus ſuis, quanto fuerint ampliores, non afferunt ſatietatem, ſed inflammant cupiditatem.* [Ser. 15. de div.]

5. D. Chryſoſtomus idem ſcitu valde neceſſarium punctum conſiderans primo quidem avarorum deplorat miſerias dicens: "Quid avaro fuerit „ærumnoſius? quod & vitam ſuam omni morte ærumnoſiorem faciunt cura & anxietate animi, & perpetua „vigilia ipſam depaſcente, & paulatim abſumente; „ [Chr. t. 6. t. 15 de avar.] Poſtea verò ad propoſitum noſtrum ſubjungit: In lucrando etiamſi omnia omnium acquirant, nullam ſentiunt voluptatem, eo quod plura appetant. Idem quoque D. Chryſoſtomus alibi regulam quamdam nobis tradit ad diſcernendum divitias quæ nos contentos & quietos efficiunt, à fallacibus, quæ nos inquietant & minimè ſatiant aut contentos reddunt, ſiquidem ſuper illum Pſalmiſtæ textum: "Noli timere „cum dives factus fuerit homo: non enim divitiis „abundare, ſed nolle opibus florere eæ demum divitiæ „ſunt. Num illud quod vobis eſt dictum intellexiſtis? „Qui vult dives eſſe poſſeſſionibus eget & pecunijs, „qui autem locuples eſſe non cupit, ſemper eſt in abundantia. „ [Chryſ. ho. in Pſal. 48.] S. Ambroſius pariter ad rapacitatem & inſatiabilitatem avaritiæ ſe reflectens dicit: *Sed quid arbitraris quod dum vivis, abundas omnibus? O dives, neſcis quam pauper ſis, tanto plus habueris, tanto plus requiris, & quamquam acquiſieris, tamen ibi adhuc indiges: inflammatur lucro avaritia, non reſtringuitur:* [S. Ambr. l. 1. de Nab. c. 2.] Idemque declarat pariter & probat Achabi Regis exemplo, qui tametſi Rex eſſet & in ſupremo theſaurorum & felicitatis humanæ culmine conſiſteret, attamen infelicem ſe eſſe reputabat, quia vineam Naboth habere non poterat, de quo ita ſcribit, Nihil pauper de poſſeſſionibus divitis concupivit, Rex ſibi egere viſus eſt, quia vineam habebat pauper vicinus: Quis igitur tibi pauper videtur? Qui contentus eſt ſuo, an qui concupiſcit alienum? Cenſus abundans nequit avari pectus explere.

6. Severinus Boetius de conſolatione Philoſophiæ ad intentum noſtrum hunc in modum egregiè diſcurrit: *Quid autem tanto fortunæ ſtrepitu deſideratis? fugare credo indigentiam copia quæritis atqui hoc vobis in contrarium cedit*; [Boet. Sev. l. 3. proſ. 5. conſol.] Idque evidenter probat, quia homo dives pro convenienti ſtatus ſui decoro conſervando multos debet impendere ſumptus: *Verum illud eſt*, inquit, *permultis indigere eos qui permulta poſſident.* Aulus Gell. lib. 8. idem veriſſimum eſſe & ipſe concludit, dum ait: *Magnam indigentiam naſci non ex inopia magna, ſed ex magna copia, multa enim deſiderari ad multa, quæ habeas tuenda*; [Aul. Gell. l. 8.] Omnes etenim ſervi & miniſtri divitis, & quotquot ab eo dependent, ad nihil aliud quam ad proprium intereſſe intenti ſunt, ſeque ex Dominorum ſuorum divitijs locupletare ſatagunt, eſtque veriſſimum, quod Sapiens quidam ait: *Quod ſervi, tot hoſtes.* Idipſum quoque B. Humbertus poſt ſe ſcriptum reliquit; Dicit enim: *Divitiæ fallunt, quia promittunt copiam, & faciunt vel augent indigentiam; habent enim defectus ſuos divitiæ, ſicut amator earum, quos defectus ſecum adferunt, cum ad aliquem veniant*; [B. Humb. p. 5. l. 1. c. 2.] Citatque illa Senecæ verba ex ejus Epiſtola 120. *Pluribus indigent, qui plura poſſident; Avarus non implebitur pecunia, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis; non ſunt ſimul fames divitiarum & ſatietas*; [Sen. ep. 120.] Nam ut S. Bernardus ait: *Non plus ſatiatur cor hominis auro, quam corpus aura.* [S. Bern.]

7. Porro Divitem avarum facultatum ſuarum ſervum & mancipium eſſe, ac proinde ipſum ijs non frui, præterquam quod quotidiana doceamur experientia, Sancti quoque Patres concorditer docent; [Avari facultatum mancipia.] Et quidem Innocentius III. Tantali fabulam memorans dicit: *Tantalus ſitit in undis, & avarus eget in opibus cui tantum eſt, quod habet quantum eſt quod non habet, quia numquam utitur acquiſitis, ſed ſemper inhiat acquirendis*: [Inn. 3. l. 2. de cont. mon. c. 11.] Unde Sapiens ait: *Eſt quaſi dives cum nihil habeat, & eſt quaſi pauper cum in multis divitijs ſit.* [Prov. 13. v. 7.] Idem Pontifex eodem in libro cap. 8. quod intitulatur de falſo nomine divitiarum, inquit: *Oppoſita ſunt, eſſè divitem & egenum, at opes mundi non auferunt, ſed aſſervant egeſtatem; magis enim, Sufficit modicum pauperi, quam plurimum diviti.*

8. Servus Domino ſuo qui præterquam poſſeſſionum ditiſſimus ſit, æraria ſua inſuper auro referta habet, fideliter inſervit, at vero quia ſervus & mancipium eſt divitis illius Domini, non eſt vel unius ſolidi bonorum illius Dominus, imo vix nudo pane famem ſuã pellere poteſt, præterquam quod ſtramine vel tabula lignea loco plumei lecti utatur. Quot ſunt avari qui in bonorũ temporalium abundantia pertinaciter abſtinendo diram patiuntur famem, eo quod illaqueati & vinculis quaſi irretiti ſint ab avaritia, quæ illos devorat & totaliter cõſumit? S. Anton. de Padua, qui avaros ſemper vehementer exhorruit, de eis dicit: *Avarus eſt pauper, qui non pecuniæ, ſed ipſi pecunia imperat; non poſſeſſor eſt, ſed poſſeſſus.* [S. Ant. de Pad. ſer. in D. 2. Trin.] Seneca moralis conſiderans, quod piſces & feræ decipiantur ab eſca, ijs in hamo aut reti appoſita; ad illos ſe convertit, qui à bonis temporalibus ſeſe patiuntur ſeduci; quos proinde ita alloquitur. *Munera iſta fortunæ putatis? Inſidiæ ſunt; quiſquis noſtrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum poteſt iſta viſcata beneficia devitet, in quibus in hoc quoque miſerrimi fallimur, quod habere nos putamus & habemur.* [Sen. epiſt. 8.]

9. Quando viri alicujus divitis facultates deſcribere volumus, dicere ſolemus multas habet vir ille facultates, cenſus & reditus habet copioſos; At vero ſi vir ille dives pariter avarus exiſtit, potius de illo in veritate dici poteſt, quod poſſeſſiones poſſideant ipſum, quodque ipſe teneatur adſtrictus & retineatur à cenſibus & reditibus ſuis. D. Chryſoſtomus inter divitem & avarum diſtinguit, *Aliud*, inquit, *avarus, & aliud dives; avarus non eſt dives, avarus multis indiget, avarus cuſtos eſt non Dominus pecuniarum, ſervus non poſſeſſor.* [D. Chryſ. h. 2. ad pop.] Conſonatque hoc D. Chryſoſtomi

ſtomi dictum, cum ſequenti propoſitione S. Auguſtini dicentis: *Illius eſt aurum & argentum, qui novit uti auro & argento*; Idque dicit, quia ſciendum eſt id quod monet D. Chryſoſtomus in quodam ſermone de hac materia, ubi de poſſeſſionibus tractans dicit: *Propterea poſſeſſiones dicuntur, ut nos illas poſſideamus, non illæ nos.*

[*S. Aug. ſer. 15 de div. Chr. t. 5. ſer. 18.*]

10. Et quidem ut hanc veritatem intimius penetremus, hujus vitij naturam ſeu potius malignitatem ob oculos ponamus neceſſum eſt. Dionyſius Carthuſianus fuſe de eo tractans, teſtimonium adducit D. Chryſoſtomi dicentis: *Qui ſervit pecuniæ præſentibus ligatur compedibus & futuris, hujus enim inordinati appetitus adeo fit morigerus ſervus & promptum mancipium, ut in omnibus & per omnia tyrannidi ejus exacte obediat.* S. Ambroſius in lib. de Naboth cap. 14. cui titulus eſt: Quomodo divites cuſtodes ſint & ſervi divitiarum, capitulum præfatum hiſce verbis exorditur; *Cuſtos es tuarum non Dominus facultatum, qui aurum terræ infodis, miniſter utique ejus, non arbiter, ſed ubi theſaurus tuus ibi & cor tuum, ergo in auro cor tuum infodiſti terræ.*

[*D. Carth. t. 2. ope. min. ep. con. av. art. 6*] [*S. Ambr. l. de Naboth. c. 14.*]

11. Salomon deplorabilem quamdam avari hominis miſeriam his verbis manifeſtat: *Vir cui dedit Deus divitias, & ſubſtantiam & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat, nec tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo*; & protinus ſequentibus immediate verbis, rationem reddit, cur ijs non fruatur; *Sed homo extraneus vorabit illud.* Hi enim qui avaro tamquam hæredes ſuccedunt, facultatibus illius genialiter perfruuntur, quia juſto Dei judicio in illorum ſupplicium & pœnam; *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Cupiditatem enim ſibi tyrannice dominari permittunt, à qua ab omni facultatum, quas accumularunt fruitione rigida prohibitione arceatur, huicque pro libitu ſuo illis imperanti magis & exactius obediunt, quam ipſimet Deo; Ego quidem idipſum adeo liberè & conſtanter aſſerere non auderem niſi S. Auguſtinus idipſum ante me claris & perſpicuis verbis aureo calamo ſuo expreſſiſſet; hic enim labores quos avarus propter divitias accumulandas & cuſtodiendas ſuſtinet, cum laboribus quos ſervitium Dei ab unoquoque noſtrum exigit, conferens ita ſcribit: *Quid vis ab avaritia poſſidere? Dura jubet, levia jubeo; Onus ejus grave, ſarcina mea levis eſt; jugum ejus aſperum eſt, jugum meum leve eſt; Noli velle ab avaritia, ut mare tranſeas, & obtemperas; jubet ut te ventis procelliſque committas, jubeo ego ut ante oſtium tuum, ex eo quod habes, des pauperi; piger es ad faciendum ante te opus bonum, & ſtrenuus es ad tranſeundum mare; quia avaritia imperat, ſervis, quia Deus jubet, odiſti.* Idem quoque ſanctus Doctor in alium quemdam Pſalmum ſcribens, id quod paulo ſuperius tetigimus, & ipſe his verbis poſt ſe ſcriptum reliquit: *Ille habet aurum* inquit, *qui novit uti auro, qui autem auro uti non novit, habetur, non habet, poſſidetur, non poſſidet; Eſtote Domini auri & non ſervi, quia & aurum Deus fecit, & te ſuper aurum ipſe fecit.*

[*Eccl. 6. v. 2.*] [*Ibidem.*] [*Pſ. 80. v. 13.*] [*S. Aug. in Pſal. 128.*] [*In enar. in Pſal. 133.*]

12. Dubium hoc loco non inopportunum moveri poteſt, an major ſit cura & ſolicitudo, qua avarus autem in ærarij ſui carcerem conjicit, & ſub multis clavibus recludit & cuſtodit. Ut illud ſibi velut mancipium pro libitu ſervire faciat; an vero vehementior ſit violentia & tyrannis, quam idem aurum in cor hominis avari exercet, illum ſibi velut vile mancipium & ſervum ad nutum ſibi ſubjiciendo. D. Chryſoſtomus de eo qui aurum ſub multis ſeris & vectibus recluſum tenet, ita ſcribit: Præter hæc vincula, cuſtodem quoque carceris aſperum habet, & improbum amorem pecuniæ, quia non patitur eum carcerem iſtum tranſgredi, ſed innumerabiles ipſe ſibi fabricat pedicas, & cuſtodias, & oſtia vectes, & cum in interiorem cuſtodiam illum conjecerit, perſuadet, ut delectetur etiam hiſce vinculis.

[Quæſtio.] [*Chryſ. t. 5. or. de avar.*]

13. Sæpius illum Habacuc textum ſuperius ponderavimus, in quo de avaro dicitur: *Uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum*, vel ut Septuaginta legunt: *Aggravat torquem ſuam graviter.* Verè avarus adſtrictus, vinctus, & ligatus eſt catenis, ſed aureis, ſed argenteis nec tamen propter hoc ejusdem auri vinctum mancipium eſſe deſinit. Sanctus Bernardinus textum illum Eccleſiaſtæ: *Nec tribuit Deus poteſtatem ei ut comedat ex eo*, in noſtrum favorem exponit, dum addit, Scilicet Domina avaritia prohibente ſed homo extraneus vorabit; Quia proximi conſanguinei, familiares, & domeſtici, veluti extranei ad mortem ejus anhelant, ut ejus facultatibus gaudere valeant; De quibus proinde idem Sanctus exponit textum illum S. Matthæi: *Et inimici hominis domeſtici ejus*; vere, inquit, inimici illius ſunt, cum ſæpe contingat, quod filij, & cæteri conſanguinei, ne uſurarius reſtituat aliena, malitia, aut violentia impediunt confici teſtamenta, & cautiones debitas fieri. Paulo poſt multos hujuſce tyrannidis avaritiæ enumerat effectus: "Præcipiente avaritia, „*inquit de avaro*, abſtinet à delicatis cibis, à veſte pre„tioſa, à quiete, ſomno: ea imperante patrat crudelita„tes, injuſtitias, exponit ſe laboribus ærumnis, itineribus, „ſæpe periculis fluminum, periculis latronum, periculis „ex genere, periculis ex gẽtibus, periculis in civitate, pe„riculis in ſolitudine, periculis in mari periculis guerra„rum, in fame & ſiti, in jejunijs multis, in frigore & nu„ditate, in calore & æſtu in morte frequenter; & quod „mirabilius eſt, cogit, per obedientiam eum nummus „dare animam ſuam inmanibus Dæmonum."

[*Hab. 2. v. 6.*] [Avari vincti.] [*S. Bern. t. 2. ſerm. 45. a. 1. cap. 2.*] [*Matth. 10. v. 36.*] [*Ibid. c. 3.*]

## DISCURSUS XXX.

## ARGUMENTUM.

Varij tanguntur effectus avaritiæ, quæ paſſim omnibus etiam nonnumquam timoratæ conſcientiæ hominibus tenaciter adhæreſcit, nec cum ætate ſenili conſeneſcit, ſed adoleſcit potius, quia adeo difficulter eradicatur, ut ſpeciali ad id Dei auxilio opus ſit.

## THEMA.

*Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones* Matth. 19. ℣. 22.

1. EX hac hiſtoria, non vero parabola, Chriſtus Magiſter noſter inſinuare nobis voluit, tenacem illum affectum & adhæreſcentiam ad bona temporalia univerſaliter in hanc corruptam Adamicæ progeniei maſſam impreſſam eſſe, licet in alio plus, in alio minus; Etenim adoleſcens hic Evangelicus licet in divinorum præceptorum obſervantia exactus exiſtens ad perfectionis ſtatum ardenter aſpiraret dicens: *Quid adhuc mihi deeſt?* Attamen quando Chriſtum ſibi dicentem audivit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, abijt triſtis*; Vel ut Origenes dicit: *Cœpit autem dives ſcalpere caput ſuum, & non placuit ei*; Unde incarnata Sapientia & Redemptor noſter commodam cœpit occaſionem, ut ad Petrum ſe vertens, diceret ei: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Evangeliſta autem hanc adoleſcentis renitentiam ex eo proceſſiſſe dicit: *Erat enim habens multas poſſeſſiones*; Circa quæ verba idem Origenes ait: *Cum difficultate divellimur à bonis terrenarum divitiarum, magis enim volumus adipiſci etiam ea, quæ male deſideramus, quam liberari à deſiderijs malis.*

[Habendi cupiditas innata homini.] [*Matth. 19. v. 20.*] [*Ibid. v. 21.*] [*Orig. tr. 8. in Matth.*] [*Ibid. v. 24.*] [*Ibid. v. 22.*]

2. S. Bonaventura ſuper illa verba ſcribens: *Nec omnino poterat ſurſum reſpicere* [ ubi ſermo eſt de muliere illa, *quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo* ] per hanc infirmitatem vitium avaritiæ interpretatur: Hæc enim *incurvat cor ad temporalia; Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram: & durat per totum tempus vitæ*: Citatque locum quemdam Sancti Hieronymi, qui etiam à S. Bernardino adfertur, dicentis: *Cum alia vitia conſeneſcant, ſola avaritia juveneſcit: ideo quanto homo in avaritia ſenior fit, tanto difficilius ab ea diſſolvit ſe.* Citat quoque textum illum Job cap. 18. in quo Baldach de avaro loquens dicit: *Immiſit enim in rete pedes ſuos, & in maculis ejus ambulat, tenebitur planta illius laqueo*; Circa quæ verba Seraphicus Doctor dicit: *Per plantam extremitas vitæ avari intelligitur, quanto enim cupidus fini vitæ ſuæ propinquior fit, tanto majori cupidine inardeſcit.*

[*S. Bon. in c. 13. Luc. v. 11*] [Avaritia juveneſcit ſemper.] [*S. Hier.*] [*S. Bern. t. 2. ſer. 45. a. 3. cap. 3.*] [*Job 18. v. 8. & 9.*]

3. In vita inſignis illius ſervi Dei Camilli de Lellis, Fundatoris Religionis miniſtrantium infirmis, refertur, nonnullos ex dictæ Religionis Patribus Genuæ Senem quemdam avarum moribundum conveniſſe, ut eum ad felicem mortem diſponerent, qui ſaccum pecunijs plenum in lecto juxta latus ſuum, burſam vero pariter refertam ex brachio ſuſpenſam gerens, à Religioſis præfatis monitus, ut immoderatum erga divitias ſuas affectum exueret, utpote qui ſecus faciendo damnandus eſſet; qui pertinaciter eis reſpondit: *Non poſſum verè, non poſſum id facere*, nec ad me ad hoc inducendum ullum eſt remedium, & his dictis expiravit; nimirum, *Qui ſic vivit, ſic moritur*, ut ad aliud propoſitum, inquit ſanctus Ambroſius.

[*L. 3. cap. 9.*] [Hiſtoria tragica.]

4. Dives ille qui adeo in Lazarum crudelis extitit, in inferno ab Abraha petebat: *Mitte Lazarum, ut intingat*



*gat extremum digiti in aquam ut refrigeret linguam meam*; inſuper inſtanter ab eo petebat, ut Lazarus in domum fratrum ſuorum mitteretur ut ſalutaribus eos monitis imbueret; hancque petitionem ſecunda vice replicavit; At vero ut Cajetanus ibidem notat dicens: *Non proveniant iſtæ preces ex bono affectu ad ſalutem fratrum, quoniam damnati habent voluntatem firmatam ad malum, ſed proveniunt ex affectu ſuperbiæ*; Malæ namque inclinationes quas homo habuit in vita ut plurimum etiam poſt mortem vivæ remanent in animabus damnatis.

[*Luc. 16. v. 24*] [*Cajet. ibid.*]

5. Populus Dei electus qui ex Ægypto per deſertum peregrinabatur ad terram promiſſionis, populi Chriſti fidelis typus erat, qui per hujus præſentis vitæ deſertum proficiſcitur in terram viventium. Obſervetis autem quam fuerit populus ille in hoc itinere avaritiæ tenaciſſime addictus; Ut enim ſileam quod ad hoc ut populus ille ad ſervitutem Ægyptiam deferendam induceretur, Deus illos opulentiſſima totius Regni ſupellectile aurea & argentea onerare debuerit; quis eſt qui neſciat quoties ſumma cum importunitate carnes ſibi miniſtrari poſtulaverit cum tamen ex cap. 10. Exodi verſ. 26. certo conſtet, quod greges & armenta ſua ſecum conduxerint: *Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis, ungula*; imo Exodi 12. verſ. 32. Pharao ipſis expreſſam greges ſuos conducendi licentiam conceſſiſſe dicitur: *Oves veſtras & armenta aſſumite*; Et Moyſes expreſſe ſcribit: *Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis oves & armenta*; Nec eſt quod omnia hæc animalia in via mortua fuiſſe quis dicat, quia quando Iſraëlitæ jam terræ promiſſionis viciniores fieri cœperunt tribus Gad & Ruben inſtanter penes Moyſen & Primores populi ſolicitarunt, ut illis cis Jordanem manſiones ſuas perpetuas liceret erigere, eo quod regio illa Jordanis optimis & uberrimis abundaret paſcuis, quibus ob pecorum multitudinem quam ſecum conduxerant, multum indigebant; *habebant pecora multa.* Quæ cum ita ſe habeant, cur igitur carnes tanta cum inſtantia ſolicitabant, quarum tantam penes ſe habebant proviſionem? Reſponderi quidem poſſet populum præfatum carnes non vulgares, bovinas & ovinas ſed delicatas volatilium ſcilicet, coturnicum & ſimiles poſtulaſſe; at verò ipſa veritas eſt, quod quia populus ille avarus erat valdeque cupidus, hinc quia Deus curam illis quotidie de victus annona providendi in ſe aſſumpſerat, ut proprijs, quæ ſecum habebant pecoribus parcerent & viva retinere poſſent, manna quotidianum faſtidientes coturnices ſibi dari rogabant. Unde Lyranus ait: *Propter ſuam avaritiam parcebant ſuis animalibus.*

[Iſraelitarum avaritia.] [*Exod. 10. v. 26.*] [*Exod. 12. v. 32. v. 38.*] [*Num. 32. v. 1*] [*Lyr. n. 11.*]

6. De duobus eximijs Dei ſervis Abraha & Loth legitur in Sacro textu, quod *non eos poterat capere terra, ut habitarent ſimul*, quod Sanctus Ambroſius conſiderans ait: *Non capiebat terra, quia divites erant; ſæculare vitium, ut divites terra non capiat, nihil enim ſatis eſt divitum cupiditati, quantò ditior quis fuerit, tantò avidior ad poſſidendum.* Sed utinam tranſitoriarum divitiarum loco veras ſectarentur. Sanctus Apoſtolus ſciens quod cor humanum adeò gloriæ cupidum eſſet, ut ſine halitu & ſpe gloriæ vix reſpirare poſſet, homines ad veram gloriam conſectandam hortabatur dicens: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, ita quoque S. Gregorius quoad divitias dicit: *Si divites eſſe vultis, veras divitias amate.* Sic quoque Salvator noſter ut avaros inſigne & incomparabile lucrum ſibi comparandi artem edoceret, iiſdem dixit: *Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt*; Ubi Sanctus Petrus Chryſologus ait: *Ecce docet avaritiam, qui cœperat ſuadere contemptum; & qui theſaurizantes corporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem, jubet ſacculos ſine fine perquiri*; quia enim cupiditatem homini quaſi inviſceratam eſſe videbat, eamdem ad lucrum quoddam majus, excellentius & ſtabilius excitare voluit; Unde per hanc occaſionem Sanctus Doctor exclamat dicens: *Chriſte quo te pertrahit amor tuorum, ut avarum lucrifacias, facis eum quod deſiderat, non quod oportet audire; ſacculos imperas, æternos theſauros, qui non deficiant, vis parari, ut avarus dum conſueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur; cura non amittitur, ſed mutatur; Domine tu vidiſti, quia in theſauris tota fides, tota ſpes in ſacculis ſit avari, & ideò imputribiles in cælo ſacculos vis parari, ut qui te non ſequitur ad cælum, ſequatur ſaltem ſacculos ſuos.*

[*Gen. 13. v. 6.*] [*S. Ambr. l. 1. de Abrah.*] [*1. Cor. 1. 31.*] [*S. Greg.*] [*Luc. 12. v. 33*] [*Chryſol. ſer. 25.*]

7. Valdè conſiderabilia ſunt illa Sancti Zenonis verba, quibus hanc peſtem adeò per totum mundum invaluiſſe aſſerit, ut deinceps jam vitium eſſe non exiſtimetur: *Inextinguibili, peſtis incendio totus mundus exarſit, avaritia, ut putatur, crimen eſſe deſiit.* Sanctus Ambroſius pariter illam contagium vocat, quia paſſim per omnes hominum ſtatus & conditiones ſerpendo procedit; Nam factum illud Abrahæ, quando is oblata ſibi his verbis à Rege Sodomorum ſpolia, *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, accipere renuens reſpondit: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum Poſſeſſorem Cæli & terræ, quod à filo ſubtegminis, uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt*; Conſiderans idem Sanctus Ambroſius ait: *quaſi contagium declinat intemperantiæ.* Non ſic avidus & cupidus Saul fecit, qui Deum & Regnum ſuum pauculis & vilibus Amalecitarum ſcrutis poſtpoſuit. Unde Hildebertus ait: *Animi libertatem plures inter tormenta ſervarunt, inter opes autem pauci; miſerabilius cupiditas de Saule ipſa, quam Saul de Amalech triumphavit. Creaturæ Dei*, inquit Sapiens, *in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*; Hic autem viſcus adeò abſconditur, ut anima periculum in quo verſatur, minimè animadvertat; quia tantum abeſt ut bona hæc temporalia fugiat, ut etiam illa ſub prætextu boni ſectetur, dum ſibi perſuadet, quod alios per divitias ſuas beatificare, vel aliorum inopiam & paupertatem ſublevare vel decorem Divini cultus adaugere aliquando poterit, in quo tamen valdè fallitur, ſiquidem econtra incentivum illi fiunt ad vitium, à quo dum ſe eximere nititur, affectus vehemens quod divitias proſequitur, adeò illos fortiter impedit, ut illud exequi minimè poſſit, quin potius ad illas magis magiſque accumulandas perurgetur, cupiditateque illas habendi creſcente Dei prorſus obliviſcitur; Unde David meritò dicebat: *Filij hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Per hoc namque amoris pondus, quo in facultates ſuas inclinat & propendet, anima impeditur, quo minus ad Deum ſe elevare poſſit. Tangit quoque eamdem hanc deordinationem Sanctus Ambroſius dum ait: *Avaritia pervertit opiniones, ut quæſtum pietatem putent.*

[*S. Zen. ſer. 1. de avar.*] [*Gen. 14. 21.*] [*S. Ambr. l. 2. de Abrah. cap. 8.*] [*Hild. t. 3. Bibl. ep. 47.*] [*Pſal. 4. v. 3.*] [*S. Amb. ep. 19. l. 3.*]

8. Salvatore noſtro Samaritanam peccatricem ad ſalutis ſtatum convertere ſatagente, illa cum eo converſari renuit, utpote cui ex Religionis præſcripto cum ipſa colloqui eſſet vetitum; Dicebat enim: *Quomodo tu, Judæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Mox verò ut Chriſtus aquam ſuam ei potandam obtulit, omni ſcrupulo ſepoſito dixit: *Domine da mihi hanc aquam*; Quod utique ex ſolius intereſſe motivo dixit, adeoque *Quæſtum pietatem putavit.* Apoſtoli quoque Samariæ Civitatem ingreſſi erant, & tametſi populus ille ex quarto legis ſuæ precepto cũ Hebræis controverſari aut commercia habere ſibi vetitum eſſe ſciret; hoc tamen non obſtante, quidquid illis ad cibum procurandum neceſſarium erat, ſibi ſine ulla populi illius Samaritani contradictione aut reſiſtentia protinus compararunt; Dicet hic fortaſſe aliquis, ad minus ſummam futuram fuiſſe impietatem, ſi ea quæ ad ſuſtentationem neceſſaria erant, etiam pro oblata pecunia propria ab ijs Apoſtolis denegata fuiſſet; at verò ego per ſtatim adducta S. Ambroſij verba reſpondeo: *Avaritia pervertit opiniones*; Ubicumque enim in commercium aliquod aliqua intereſſe ſpecies ingreditur, avaritia ſubitò pietatis quodam prætextu palliare ſe novit. Mox ut Samaritana ſe pretioſam hanc aquam habere poſſe intellexit, quam Salvator ei offerebat, honorifico eum titulo honoravit, dicens: *Domine da mihi hanc aquam*; Ubi Sanctus Thomas ait, *Statim cum audit eum ſibi fore utilem, & aquam hanc dare poſſe, Dominum vocat*; quem titulum Salvatori minimè attribuerat, ſed contumeliosè eum alloquebatur dicens: *Tu Judæus cum ſis, bibere à me poſcis, &c.*

[*Joan. 4. v. 9.*] [*Joan. 4. v. 15.*] [*S. Ambr.*] [*Joa. 4. v. 15.*] [*S. Thom. ibid.*] [*Joan. 4. v. 9.*]

9. Paucos admodum invenies, qui ſibi hunc appetitum prædominari non ſinant. Unde Innocentius III. ait: *Facilius invenies, qui diligit divitias & non habet, quam qui habeat, & non diligat, quia difficile eſt eſſe in igne, & non ardere; difficilius eſt poſſidere divitias & non diligere*, nam ut Jeremias ait: *A minori uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent, à Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Alia vitia augeſcente ætate deficiunt, at verò hoc vitium paria accipit cum ætate incrementa; Unde Sanctus Auguſtinus ait: *Omnia in homine ſeneſcunt vitia, ſola avaritia juveneſcit.* Et Sanctus Aſterius inquit: *Interrogabo cujuſmodi fera ſit avaritia, quæ ægrè quos ſemel prehenderit, elabi ſinat, ut vegeta ſemper ac valida numquam debilitetur, ac deficiat, ſed cum ijs quos ſibi ſubjecerit, conſeneſcat & perennet.* Dionyſius Carthuſianus vitium iſtud in primis

[*Inn. 3. de cont. mund. c. 15. l. 2.*] [*Jer. 6. v. 13.*] [*S. Aug. t. 10. ſer. 48. ad fr.*] [*S. Aſter. ho. de avar.*]

ſuis

ſuis principijs facilius ſuperare poſſe concedit quidem, progreſſu verò temporis minimè id fieri poſſe dicit, cujus hanc aſſignat rationem, Quia *Avaritia non eſt hominibus ita connaturalis, ſicut gula & appetitus venereorum, ideò à principio facilius poteſt vitari, quàm vitia illa, ſed poſtquam avaritia intromiſſa eſt, & mentem ſemel poſſedit, difficile eſt eam ſuperare & extirpare.*

D.Cart. t.2. op.men. epiſt. de avar. a.9.

Idem extaticus Doctor in principio illius Epiſtolæ mulierem quamdam in matura jam ætate conſtitutam exhortans, ſibi neceſſum non eſſe dicit, ut illam ludos, choreas, comœdias, aliaſque vanitates ſimiles declinare moneat, ſicut nec ut ab impudicitiæ vitio ſibi caveat, utpote quam in annis periculoſæ juventutis ab omnibus hiſce diſſolutionibus & vitæ lenocinijs ſe ſubduxiſſe probe noverit, bene tamen ſibi opus eſſe aſſerit, ut ipſam in ætate ſenili in divitiarum abundantia conſtitutam ab omni avaritiæ materia proſequenda dehortetur; Unde dicit: *Cumque ſenes ſoleant naturaliter eſſe avari, aliqua nunc ſpecialiter contra avaritiam ſcribam.*

10. Adeò difficulter radix iſta ſtirpitus evellitur, ut Sanctus Ambroſius in ſermone quodam de Sancto Alexio, cum de Anania & Sapphirâ repentinâ morte percuſſis tractat, dicere non dubitet: *In Anania Petrus avaritiam ſi potuiſſet corrigere, non puniſſet*; Et tamen hic Petrus ille erat, qui ſola Apoſtolici oris ſui apertione ſemel tria, & paulò poſt quinque obſtinatiſſimorum Hebræorum millia ad fidem Chriſti convertat, qui ſola corporis ſui umbra innumeros infirmos ſanaverat, qui Cœli & Inferni vectes in ſuarum clavium arbitrio repoſitas habebat, nec tamen vitium iſtud in Anania emendare ſe poſſe, ſibi arrogare, audebat.

S.Ambr. ſer. de S.Alex.

11. Poſtquam juvenis ille dives & opulentus à Chriſto triſtis & mœſtus receſſerat: *Abijt triſtis*; Dominus noſter ad Apoſtolos ſe convertens, ait: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum cœlorum*, & immediatè ſubjunxit dicens: *Facilius eſt camelum, &c.* Ubi Origenes ait: *Oſtendit quoniam ex ſeipſo impoſſibile eſt, camelum per foramen acus tranſire, poſſibile autem quantum ad Deum; ſic & divitem quantum ad ipſum pertinet, impoſſibile eſt intrare in Regnum cœlorum, poſſibile autem quantum ad Deum*; Petrus autem tunc protinus ad Jeſum acceſſit, eique omnium Coapoſtolorum nomine dixit: *Ecce nos reliquimus omnia.* Didacus Stella caſum quidem dari poſſe concedit, in quo quis in divitiarum culmine poſitus, earumdem laqueos evadere poſſit, *Veruntamen*, inquit, *hoc rarò continget; quare quemadmodum avidus tutius eſt ad eſcam non accedere, ita hominibus divitiarum non attingere blandimenta*; Demum verò ſuum ad Apoſtolos diſcurſum dirigens, illos ſpecialiſſimo Dei auxilio, à divitijs illæſos manſiſſe dicit: *Ita & tu tantum opus, divitias nempè contemnere ſolus facere non poteris, niſi à Deo adjuveris; Ideò non eſt in Pſalmo: Ego me erui à laqueo venantium; & laqueus contritus eſt, cum quo adjutorio? Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*; Ac proinde humanæ felicitatis ſtatus omnibus meritò Sanctis maximoperè eſt formidandus.

Matth. 19. v.22. Ibid. v.23. Ibid. v.24. Orig. tr.8. in Matth. Ibid. v.27. Did. Stell. in c.18. Luc.

12. Ezechias Rex, ut Iſidorus Peluſiota optimè notat, ut poſt inſignem illam à ſe de inimicis reportatam victoriam, intra modeſtiæ limites ſe contineret, ſpeciali Dei providentia & diſpoſitione gravi quadam ægritudine correptus fuit, à qua cum à Deo liberari poſtulaſſet, gratiam hanc protinus obtinuit, & quidem in hujus alternativæ evidens ſignum hæc illi à Deo optio data fuit; *Vis ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?* Sapiens his Rex autem, qui quam præjudicialis Sol in meridiè ſummoque lucis ſuæ apice eſſe ſoleat, probè noverat, utpote qui ſupremæ felicitatis & proſperitatis Symbolum exiſtit, reſpondit: *Revertatur retrorſum decem gradibus.*

Iſid. Pel. l.3. epiſt. 283. 4.Reg.20. v.9. Ibid. v.10.

13. Pſalmiſta regius inquit: *Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua*; at verò quidnam potiſſimum cuſtodiri aut protegi ejus patrocinio petebat? *Super dexteram tuam*; Cur autem Divinam aſſiſtentiam ſpecialius ſuper dexteram impertiri rogabat? Seu ut Sanctus Auguſtinus ait: *Quid enim dexteram noſtram cuſtodit Deus, & ſiniſtram noſtram non cuſtodit?* Reſpondit idem Sanctus Doctor: *Siniſtra noſtra dicitur, quidquid temporaliter habemus: Dextera noſtra dicitur, quidquid nobis æternum & incommutabile Deus pollicetur.* Et quidem reſponſio iſthæc nequaquam contemnenda ſit, attamen quia per ſiniſtram ſæpè adverſitates nobis immiſſæ, per dexteram verò hujus vitæ felicitates & proſperitates ſignificantur, juxta illud: *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis*, ideò Pſalmiſta in hac petitione dicere voluiſſe videtur, quod minor ſit illorum numerus, qui in ſtatu tribulationis quam qui in culmine proſperitatis conſtituti damnantur, & ideò à latere ſcilicet ſiniſtro tribulationis mille cadere dicuntur, cum econtra verò à dextris decem millia miſerè corruant; ac proindè meritò dicere poſſumus, quod quando anima aliqua inter ingentes divitias immaculatè vivere conſpicitur, id ſolius Altiſſimi potenti brachio attribuendum ſit: *Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.* Unde Sanctus Carolus Borromæus continuas Deo gratias referre ſolebat, perpetuum, quod Deus in illo operabatur, miraculum probè agnoſcens, dum illum in ſummo felicitatis & proſperitatis humanæ culmine, in Divino ejus ſervitio quotidiè magis magiſque illum proficere & progredi faciebat; Verè enim hoc in prædicto Sancto Archipræſule inſigne miraculum fuit, cum cæteroquin honores & bona temporalia tyrannicam adverſum nos exerceant violentiam ad incantandum & fallendum corda noſtra.

Pſ.120. v.5. S. Auguſt. Pſ. 90. v.7. Pſ.110. v.5.

14. Quærunt nonnulli Expoſitores cur ſicut Chriſtus Samaritanam ad ſtatum ſalutis revocaturus, longo ſatis tempore juxta puteum demoratus fuit non etiam in domum Levi pariter ingreſſus fuerit, ut eumdem ad uſurarum quæſtum deſerendum inducere & permovere poſſet? ſiquidem Evangeliſta ipſum obiter à Chriſto vocatum fuiſſe dicit: *Cum tranſiret*, dixit ille, *ſequere me.* Divus Chryſologus ait: *Cum pertranſiret Jeſus; non dixit: Cum ſtaret ibi, tranſivit & pertranſivit inde Jeſus, ne Matthæus remaneret ibi, tranſivit inde Jeſus, ne Matthæus ibi taliter permaneret.* Difficulter admodum Publicano ut aurum deſereret, perſuadere potuiſſet, ſi præſente pecunia, cui adeò corde affixus erat, prædicationem ſuam inſtituiſſet; ac proinde prius illum à menſa Collybiſtica ſeu nummularia ſubduxit, dicens: *Veni, ſequere me.*

Joan. 4. v.4. Matth. 9. v.9. Chryſolog. ſer. 28.

15. Abulenſis dubium quoddam movet, cur ſcilicet Petrus, Andreas, Jacobus, Joannes & Matthæus ſpecialius in Scriptura ad Apoſtolatum invitati fuiſſe referantur, quàm reliqui Apoſtoli? Et reſpondet: *Quia in iſtorum quinque vocatione fuit aliquid ſpeciale & ad miraculum pertinens.* Primi quatuor retia, naves, & piſcationem reliquerunt: Matthæus verò quod notabilius quid fuit, ipſas quoque promptas & paratas pecunias deſeruit, *quia cum ſederet in ardoribus avaritiæ, lucra terrena, captans in telonio, Chriſto vocante omnia deſeruit, quæ habebat, & quæ habere poterat, & quod majus eſt, quæ habere cupiebat*; ac proinde Spiritus Sanctus vocationem iſtam, tamquam rem ſtupendam & miraculoſam, præ cæterorum Apoſtolorum vocationibus æternitatis annalibus ſpecialiſſimè inſertam eſſe voluit.

Abul. q.37. in cap.9. Matth.

16. Origenes de moneta illa à Sancto Petro jubente Domino in ore piſcis inventa, indeque erepta, tractans dicit: *Convenienter uti poteris hoc textu adverſus avaros, qui nullam habent in ore ſuo loquelam, niſi pecuniæ; cum autem videris hujuſmodi hominem ab aliquo Petro correptum, qui abſtulit de ore ejus, non ſolum verbum pecuniæ, ſed etiam de toto affectu concupiſcentiam pecuniæ, dices ejuſmodi hominem in mari fuiſſe, & in falſis rebus hujus vitæ & in fluctibus ſolicitudinum avaritiæ, & habuiſſe in ore ſuo ſtaterem, quamdiu infidelis extitit & avarus*; Notandum tamen eſt, quod ut hic avarus in hoc piſce monetam in ore ſuo bajulante figuratus reſipiſcens curaretur, præceptum & Imperium Dei, ejuſque vicarij interveniens opera omninò fuerit neceſſaria.

Orig. t.4. cap. 17. in Matth.

## DISCURSUS XXXI.

## ARGUMENTUM.

Regis Salomonis variæ conſiderantur deliciæ & voluptates, quibus licet copioſè fruitus fuerit, illas tamen vanitatem vanitatum & nihilum appellavit; Indeque mundum hunc purum quoddam nihil eſſe probatur.

### THEMA.

*Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.* Eccleſ. 2. ℣. 11.

1. REgum ſapientiſſimus Salomon cum Regio ſuo Throno in pulpitum ſeu magiſtralem cathedram mutato ex Imperatore prædicator factus, de mundanis delicijs, gaudijs & proſperitatibus verba



facturus eſſet, poſt adhibitum omnem ſapientiæ & facundiæ ſuæ conatum, aliud, quod de illis omnibus diceret: *Vanitas vanitatum*; In principio namque libri Eccleſiaſtis ita loquitur: *Vanitas vanitatum* dixit Eccleſiaſtes, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*; In capite autem ſecundo, poſtquam omnium gaudiorum, deliciarum & proſperitatum, quibus perfruitus fuerat, longum quemdam contexuiſſet catalogum, tandem ita concludit: *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil &c.*

Eccle. 1. v.2. Ibid. 2. v.11.

2. Et quidem quod valdè mirandum eſt, in capite præcedenti dixerat: *Ego Eccleſiaſtes fui Rex Iſraël in Jeruſalem*; Mirandum inquam, hoc eſt, cum dictio illa, *Fui*, præteriti temporis verbum ſit, quod Salomoni nequaquam convenire videtur; conſtat enim ipſum eo quo hoc ſcripſit tempore, Sceptrum Regni Iſraëlitici, non ſolum etiamnum in manibus ejus perſeveraſſe, verum etiam ipſum illud ad finem uſque vitæ ſuæ abſque ulla interruptione fuiſſe continuatum. Scio quidem non deeſſe aliquos, qui Salomonem in ultimis vitæ ſuæ annis abdicato Regni ſui Diademate & Sceptro, ab Imperio ſeſe ſubduxiſſe, vitamque inſtituiſſe privatam atque ab omnibus Regni moleſtis curis liberam & vacuam; Quæ tamen opinio nequaquam in veritate ſubſiſtit; ac proinde Hugo à Sancto Victore à Pineda citatus, verba illa hoc modo exponit, ut ſit ſenſus: *Fui, jam non ſum; & ſi ſum, id ipſum jam nihil eſſe cognoſco, quod ſum*; Quod cum ita ſe habeat, quid igitur mirum, ſi quidquid in hoc mundo boni aut pulchri expertus eſt, & deguſtavit, merum nihil eſſe apertè proteſtetur? *Verè fidè dignus*, inquit Divus Chryſoſtomus, *hic eſt deliciarum accuſator.* Enimverò ſi verba illa à paupere quodam homine & mendico prolata fuiſſent, qui quid divitiæ ſint, aut quas ſecum vitæ commoditates ſubinferant, ignoraret forſitan contra hoc Eccleſiaſtæ pronuntiatum aliqua in medium adduci poſſet, ob experientiæ defectum, exceptio; Jam verò is, cujus hæc eſt aſſertio, immenſi cujuſdam theſauri poſſeſſorem fuiſſe conſtat.

Eccleſ. 1. v.12. Hug. Vict. cit. à Pined. ibid. Chryſ h.51. in S. Euſtac.

3. Sanctus Gregorius Nyſſenus ſimiliter optimè obſervat, quod ſi Apoſtoli hanc nobis annuntiaſſent veritatem, tantam utique fidem eis habituri minimè fuiſſemus, ſiquidem Sanctus Petrus in perſona omnium dixit: *Ecce nos reliquimus omnia:* at verò Salomon adeò pretioſam & pariter copioſam habuit in domo ſua Regia ſupellectilem, ut Scriptura dicat, omnia quoque vaſa convivij Regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus ex auro puriſſimo; Eodem quoque tempore, quo Salomon Regni ſui Sceptrum moderabatur, argentum Jeroſolymis non majori quàm ſaxa & lapides in pretio erat: *Fecitque*, inquit Scriptura ſacra, *ut tanta eſſet abundantia in Jeruſalem argenti, quanta & lapidum*; Adhæc in tredecim annorum decurſu, tria ædificavit ſumptuoſiſſima Palatia; Et quidem ex his illud, quod à monte Libano, in quo ſituatum fuit, nomen habet, incredibili fuit faſtu & pretio inſtructum, nam ut nonnulli Interpretes, in ſuis in Scripturam editis Commentarijs aſſerunt, Salomon in ſolas Palatij illius columnas nonaginta ſex milliones adhibuiſſe fertur, ut proinde Eccleſiaſticus de illo dicat: *Collegiſti, quaſi aurichalcum aurum.* Præterea, quot, quales, & quanti ejus theſauri fuerint, ex templo quod Jeroſolymis erexit, vaſtiſſima inquam, pretioſiſſima, & prodigioſa illa mole, cui ſimiliter Mundus vix umquam vidit perſpicuè colligitur, ſiquidem præparationes præambulæ & materialia à Patre ejus coacervata, ad 2400. milliones argenti & auri aſcendebant.

Nyſſen. 2.Paral. 9. v.20. 3.Reg. 10. v.27. Eccli. 47. v.20.

4. Præterea ſi ſæpedicta propoſitio ab homine quodam idiota & ignorante pronuntiata fuiſſet, tamquam ſuſpectam repudiare forſitan quis illam poſſet: jam verò proteſtationem hanc à tali quodam viro factam eſſe conſtat, cui Deus tantam tamque ſublimem ſapientiam infuderat: *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.*

3.Reg. 3. 12.

5. Quod ſi Sanctus aliquis Paulus primus Eremita, qui integro ſæculo velut horridi deſerti incola inter ſtirpes, & vaſtæ ſolitudinis arbuſta & dumeta rigidiſſimè vixit, vel alius quiſcumque Sanctus à mundana vivendi conſuetudine alieniſſimus, proteſtatus nobis fuiſſet dicens: *Vidi in omnibus vanitatem &c.* tantam utique fidem obtinere minimè potuiſſet, quantam Salomoni inter regales delicias nato & ſemper educato; Etenim hic de ſeipſo in primis dicit: *Plantavi vineas, feci hortos, & pomaria*; plantavit inquam non jam hortos, ſed omnis generis voluptatis Paradiſos, in quibus omnia arborum, herbarum, florum, & fructuum genera, quæ in quovis mundi climate reperiebantur, tranſlata conſpiciebantur, quia *diſputavit ſuper lignis, à cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſòpum quæ egreditur de pariete*; Et ideo Hebræus textus loco illarum dictionum *hortos & pomaria*, legit *Paradiſos.* Adhæc omnia in dictis hortis nutrivit avium, piſcium, & quadrupedum genera ad hominis recreationem deſervientia. Quod ſi menſam ejus conſiderare velimus, conſtat ex Scriptura Sacra, quod *Cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boves pingues, & viginti boves paſcuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum atque bubalorum & avium altilium.* Præter harum autem cantus avium auribus ejus exquiſitiſſimæ & ſuaviſſimæ inſonabant, quæ uſpiam in terra audiri poterant muſicalium inſtrumentorum harmoniæ, & periti vocum humanarum moduli: *Feci mihi cantores & cantatrices*, ubi Pagninus legit: *Diverſa inſtrumenta muſica*; Imò Joſeph Hebræus Organis & Inſtrumentis muſicis trecenta electri millia annumerat. Quod veſtimentorum ejus luxum & pompam attinet, ſufficere nobis poterit illud veri Salomonis Chriſti infallibile teſtimonium, qui venuſtatem, elegantiam & miram odoris fragrantiam qua lilia adornare placuit deſcribere volens ait: *Nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur, ſicut unum ex iſtis.* Quod ſi famam ejus conſideremus, qua toti mundo celeberrimus extitit, de hac Spiritus Sanctus teſtatur dicens: *Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ, divitijs & ſapientia, & univerſa terra deſiderabat vultum Salomonis*; ac proinde Sabæorum potentiſſimam Reginam, cum innumerabili comitatu, & ingenti pompa ac faſtu ab ultimis mundi finibus ad ſe evocavit, ut prodigioſam ejus ſapientiam auſcultare poſſet: *Et ingreſſa Jeruſalem multo cũ comitatu, & divitijs, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab univerſis Regibus terræ, qui audiebant ſapientiam ejus.* Si ſermo nobis ſit de mira aulæ ipſius ſumptuoſitate, ſacri Interpretes circa illa verba: *Poſſèdi ſervos & ancillas multamque familiam*, hanc ad 48. millenos & ſexcentos aulicos aſcendiſſe dicunt, equi autem quos in ſtabulis ſuis quotidiè nutriebant numerũ quadraginta millium adæquabant: *Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium.*

Eccle. 2. v.4. Eccle. 2. v.5. Cornel. à Lap. 3.Reg. 4. 33. 3.Reg. 4. v. 22. & 23. Eccle. 2. v.11. Luc. 12. v.27. 3.Reg. 10. v.23. 3.Reg. 10. 2. 3.Reg. 4. 34. Eccle. 2. v.7. 3. Reg. 4. 26.

6. Præterea verba illa: *Vidi in omnibus ... nihil*, nequaquam ab eo dicta fuerunt, qui voluptates & delicias carnis per experientiam numquam deguſtarat, ſed potius ab eo qui ſeptingentas Reginas raræ pulchritudinis & trecentas concubinas lectiſſimas ad arbitrium habebat promptiſſimas; Imò parum nimis eſt, quod in libris Paralipomenon de illo legitur: *Divitias autem & ſubſtantiam & gloriam tibi dabo, ita ut nullus in Regibus nec ante te, nec poſt te fuerit ſimilis tui*, ſiquidem qui æqua trutina verba illa ponderavit: *Et omnia quæ deſideraverunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur*, concludit utique, quod nullum gaudiorum aut felicitatis genus ſuper terram fingi aut excogitari poſſit, quo ipſe perfruitus non fuerit, adeò ut ſi aliqua hic in terris dari poſſet vera beatitudo, ad illam ipſe pertigerit; ſiquidem gloriam cœleſtem Sanctus Bernardinus ita definit: *Beatitudo eſt, ubi nihil ſit quod nolis, & ubi totum ſit quod velis.* Hic igitur per experientiam, imò & per dictamen Spiritus Sancti, qui Spiritus eſt veritatis, verè competens & idoneus Judex & teſtis concluſionem hanc miram & magnam pronuntiavit & ſtabilivit: *Vidi in omnibus vanitatem & nihil.*

Eccle. 2. v.11. 2.Paral. 1. v.12. Eccle. 2. v.10. S.Bern. de trip. bon. gn. Eccle. 2. v.11.

7. Verumenimverò non ſolus Salomon veritati huic teſtimonium perhibuit, ſiquidem & Jeremias Prophetiæ ſuæ capite 4. poſtquam totam terram per gyrum attente inſpexiſſet & conſideraſſet, abſorptus in ſpiritus nihil ſe in ea pulchri aut boni conſpexiſſe aſſerit: *Aſpexi terram & ecce vacua erat & nihil*; Ubi Hugo Cardinalis ait: *Terram, id eſt, temporalia, quæ revera vacua ſunt & nihil*, idque ex verbis quibuſdam quæ in principio libri Geneſeos dicuntur probat; Circa quæ obſervandum, quod Sacer Chroniſta, cui calamus à Divina ſapientia dirigebatur, in Sacroſancti illius voluminis principio, poſtquam mundi creationem recenſuiſſet, & poſt Cœli à ſe factam deſcriptionem, terram quoque verbis ſuis nobis delineare vellet, hiſce eam terminis deſcribit: *Terra autem erat inanis & vacua*; Ubi aquila legit: *Terra erat vanitas & nihil*; Theodotion vero: *Terra erat inane & nihilum.* Obſecro vos ut ſeriæ contemplationis veſtræ oculos in omnia ſæcula à principio uſque ad finem mundi defiga-

Jer. 4. v.23. Hug. Card. ibid. Gen. 1. v.2.

deſigatis, totque Regna & Monarchias, tot univerſi generis humani theſauros, delicias, voluptates & gaudia penitius conſideretis, ſic enim audacter & liberè concludere poteritis, & dicere: *Vanitas vanitatum; ... Vidi in omnibus vanitatem... & nihil*, quia terra hæc ſuis civibuſne dicam an exulibus, alium fructum dare nequit, quia[*terra erat inanis & vacua*,]*inane & nihilum*.

*Eccl.* 1. 2. & 2. 11.
*Gen.* 1. *v.* 2.

8. Creator noſter vaſtam hanc mundi machinam fabricaturus eamdem ex nihilo produxit; Unde Sanctus Joannes perſpicuis verbis dicit: *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*; ſive uti Syriaca, textus Arabicus & Græcus, Chryſoſtomus item, Theophylactus, Nonnus, Euthymius & Leontius, ut Cornelius à Lapide notat, legunt: *Sine ipſo nihil factum eſt, quod factum eſt*, ac proinde cum mundus univerſam ſuſtentationem ſuam ex nihilo habeat, quid mirum ſi omnia ejus bona nihil eſſe dicantur: *Vidi in omnibus vanitatem & nihil*.

*Joan.* 1. *v.* 3.

9. Quibus obſecro baſibus, ſeu quibus fundamentis Deus noſter terram hanc inniti voluit: Audite Jobum dicentem: *Et appendit terram ſuper nihilum*. Sapiens in libro Sapientiæ, ingentem hanc mundi machinam ſequentibus indigitat epithetis: *Quoniam tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.* Verum ex quo in Epiſtola S. Joannis celebrem illam mundi diviſionem habemus: *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, quidquid enim eſt in hoc mundo, vel ad voluptates, vel ad divitias, vel ad honores adæquatè reducitur, ideò ut nihilum hoc in omnibus hujus mundi bonis, ab ignorantia & cœcitate humana tantoperè deſideratis, tantò evidentius agnoſcere valeamus, & videre quanta cum veritate homines dicere poſſint: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus*, omnia præfata bona per ordinem conſideremus.

*Job* 26. *v.* 7.
*Sap.* 11. *v.* 23
1. *Joan.* 2. *v.* 16.
*Luc.* 5. *v.* 5.

10. Et quidem ſi voluptates carnales reſpiciamus, quàm ſubitò & velociter hæ evaneſcunt? Tertullianus ait: *Delicatus es Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis*; imò ſemetipſum, eò quod voluptatem in hoc mundo dari dixerit, protinus corrigit dicens: *Imò nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem.* Moralis Seneca ad voluptatum ſe fugacitatem reflectens, illas prius evanuiſſe quam adeptas fuiſſe dicit: *Citò nos omnis voluptas relinquit, quæ fugit & tranſit; & pene antequam veniat, aufertur*; Qua de re Divus Chryſoſtomus multò melius ita ſcribit: *Deliciarum voluptates nondum rectè advenerunt, & dicto citius avolarunt.* In ſpecie verò Tertullianus voluptates carnales libidinum vaporata momenta appellat, dum enim de quibuſdam ſcribit, qui pro voluptatibus carnalibus cœlum amittere non dubitant, dicit illos *poſt libidinum vaporata momenta cælum ſuſpiraſſe*; Neque voluptates carnis ſolum ſunt momentaneæ verum inſuper ijs deguſtatis nihil præter memoriam & conſcientiæ remorſum gravius cruciantem reliquum manet; Roſa à mane ad veſperam uſque totaliter effloreſcit, & licet tunc pulchritudo & fragrantia ejus paulatim evaneſcat, pungentes tamen & acutiſſimæ ſpinæ ejus ſemper manent.

*Tertull. de ſpect. c.* 28.
*Senec. ad Polyp.*
*Chryſ. h.* 1. *in gen.*
*Tertull. de hab. mul.*

11. *Concupiſcentia oculorum* divitias ſignificat, quæ quam ſint vanæ ex illis Pſalmi verba deduci poteſt, quibus dicitur: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Ubi notandum, quod Pſalmiſta non dicat: *Divites*, ſed *viri divitiarum*, quaſi dicere vellet, de illis loquor, qui multarum divitiarum Domini ſunt & Patroni, qui ingentes ſibi coacervarunt theſauros, in ijſque ſpem & fiduciam ſuam firmiter collocatam habent, & tamen poſtea manus ſuas inani aëre plenas, & cæteroquin vacuas eſſe deprehendunt: *Nihil invenerunt in manibus ſuis.* Quia ut Hugo Cardinalis ait: *Hi cum poſt mortem evigilant nihil inveniunt in manibus ſuis, unde quod prius habuerunt, percipient ſomnium fuiſſe, non veras divitias.* Enimverò hæc veritas paſſim à paucis creditur & recipitur, quia illius veritatem nonniſi poſt mortem evidenter experimur; Verumtamen quot ſunt qui etiamnum in hac vita ſuperſtites illis exuuntur, vel ſaltem illas ad deſideriorum ſuorum conſecutionem minime proficuas eſſe agnoſcere incipiunt? *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet, aperiet oculos, & nihil inveniet.* Sapiens omnes mundi theſauros in bilancem quaſi poſitos in pondere ſanctuarij trutinavit, ac demum cathegoricè dixit: *Divitias nihil eſſe duxi.* Legite primum de Avaritia diſcurſum, & invenietis, qualis ſit auri natura; Etenim tametſi nonnulli opinentur, illud valorem intrinſecum eximium habere, ideòque permagni æſtimandum eſſe, hoc tamen nihil eſt, & modicam ſeu potius nullam in ſe habet veritaris ſubſiſtentiam.

*Pſ.* 75. *v.* 6.
*Hug. Card. ibid.*
*Job* 27. *v.* 19
*Sap.* 7. *v.* 8.

12. *Et ſuperbia vitæ.* Similiter honores & dignitates, Sceptra & Monarchiarum imperia nihil ſunt: *Sed confidunt in nihilo*, inquit Iſaias, *& loquuntur vanitates, conceperunt laborem &c. telas araneæ texuerunt.* Aranea non dormit, nec manducat, ſed tota die & nocte ad rete ſuum conficiendum ſeſe eviſcerat, & quonam fine id illam facere putas? Non alio fine, quam ut muſcam aliquam capiat: Eadem quoque eſt multorum vanitas, qui toto vitæ ſuæ decurſu deſudant & laborant, ut ad hanc vel illam dignitatem pertingere poſſint; annos, ſubſtantiam & facultates, totum denique ingenium ſuum conſumunt & adhibent, ac tandem dignitatem quamdam ſibi acquirunt, quæ nihil aliud eſt, quam fumus quidam modicum parens: *Deficientes quemadmodum fumus deficient*, & tunc quidem in maximo ſunt periculo conſtituti. Unde Hugo Cardinalis ait: *Congrua eſt ſimilitudo, fumus enim quanto magis aſcendit, tanto magis evaneſcit, ſic & ipſi quanto altius extolluntur in ſæculo, tanto profundius merguntur.*

*Iſa.* 59. 4. 5.
*Pſ.* 36. *v.* 20.
*Hug. Card.*

13. Quonam putas nomine Deus noſter Provincias & nationes quas mundus tanti æſtimat, per os Iſaiæ appellat? *Ecce*, inquit, *gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt, ecce Inſulæ quaſi pulvis exiguus; Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Obſequia & tributa ſubditorum, exercituum, munitionum, & fortalitiorum urbes cingentium fortitudo & robur, omniſque Magnatum & Principum gloria & felicitas in fidelitate fundatur ſubditorum, hæç autem ſuã in affectu & amore erga ipſum, qui valde volubilis & mutabilis eſt, radicem habet, & ideo ex una hora in aliam tot audiuntur integrorum regnorum rebelliones. Lamentabantur proinde aliqui ex his Monarchis apud Sapientem dicentes: *Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia?* Hugo autem Cardinalis ex ipſorum ore & perſona reſpondet: *Nihil niſi pœnam & laborem in acquirendo, timorem in poſſidendo, dolorem in deſerendo.* Et quidem idem Sapiens vanitatem ipſorum per quinque potiſſimum ſimilitudines declarat; Quarum prima eſt umbræ quæ tranſit & non durat, ſed in continua declinatione & augmento conſiſtit. Secunda eſt Curſoris, qui numquam firmatur. Tertia eſt navis, aquas velociſſimo curſu, nullo ſui poſt ſe relicto veſtigio decurrentis. Quinta denique eſt ſagittæ pernicitiſſimè in aëra vibratæ.

*Iſa.* 40 *v.* 15. & 17.
*Sap.* 5. *v.* 8.
*Hug. Card.*

14. Rex Aſſuerus centum viginti ſeptem Provincijs ab India videlicet uſque in Æthiopiam imperabat, habebatque conjunctiſſimum ſecum aulæ ſuæ Primatem, nomine Aman, qui tametſi ad ſummum uſque humanæ proſperitatis apicem pertigiſſet, quia tamen à Judæo quodam, ut caput ſuum coram eo aperiret, obtinere non potuit, adeo ob id afflictus fuit, ut poſt recenſitum theſaurorum, dignitatum, deliciarum, & dominiorum ſuorum catalogum, tandem in hæc verba concluſerit: *Et cum hæc omnia habeam nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum ſedentem ante fores regias.* Ecce igitur quam verum ſit omnia hujus mundi bona purum quoddam nihilum eſſe, adeo nimirum, ut etiam qui in hoc mundo ſublimes valde ſunt idipſum fateri cogantur, dum vel unica ob reverentiam facta capitis apertio ijs abnuitur. Hugo Cardinalis verba illa Geneſeos: *Terra autem erat inanis & vacua*, ponderans, de bonis temporalibus dicit: *Quia ſatiare non poſſunt, ideo inania & nihil.* Juſtus Lipſius illa ſibi etiam viventi familiaria verba ſepulchro ſuo inſculpi juſſit, videlicet: *Vis altiore voce me tecum loqui? Humana cuncta, fumus, umbra, vanitas, & ſcenæ imago; Et, verbo ut abſolvam, nihil.*

*Eſth.* 5. *v.* 13.
*Gen.* 1. *v.* 2.
*Hug. Card. in c.* 1. *Jer.*

TRAC-



# TRACTATUS IX.

# DE BACCHANALIBUS, SPECTACULIS,

## Comœdijs, alijſque ſimilibus diſſolutionibus.

## DISCURSUS VIGINTI.

DIſcursus I. Miniſtris Evangelij curandum eſt, ut Bacchanalia, tamquam ſeminarium omnis peccati abolere poſſint, Oſtenditur etiam, quod Eccleſia tempus illud quod à Septuageſima ad Quadrageſimam uſque decurrit, planctui & pœnitentiæ deſtinaverit, ac proinde illud in vanis diſſolutionibus tranſigere Chriſtianum hominem minime deceat.

II. Deteſtabilis eſſe oſtenditur error mundanorum hominum, qui ſe per Bacchanalium diſſolutiones ad Quadrageſimalem obſervantiam diſponere volunt; Multæque conſiderantur inordinationes, quæ exinde ſequuntur.

III Bacchanales diſſolutiones multas ſecum ſubinferunt tranſgreſſiones; Spectacula etiam & Comœdiæ, præcipue prophanæ, incentivum & inſtrumentum ſunt omnium malorum, utpote quæ nobis per illas vivaciſſime & tenaciter imprimuntur.

IV. Oſtenditur Comœdias prophanas ſpecialem eſſe obſcœnitatis nidum omniſque impudicitiæ cauſam & originem.

V. Choreas execrabiles eſſe oſtenditur, utpote quæ honeſtatem offendunt, multorumque malorum cauſa exiſtunt; quas proinde Deus ſumme deteſtatur, prout varia à Deo illis immiſſa ſupplicia comprobant; Dæmon quoque author illarum eſſe declaratur, ex nonnullis in hunc finem adductis exemplis.

VI. Exploduntur larvæ, velut Chriſtianis hominibus indignæ, à Dæmone inventæ, à Deo autem varijs in occaſionibus graviter punitæ.

VII. Dæmon Bacchanalium author eſſe probatur, qui per illa animas noſtras in æternam perditionem deturbare nititur.

VIII. Bacchanalia reliquiæ & inventiones ſunt hominum Paganorum, quibus olim Bacchio divinos cultus exhibebant, ideòque Chriſtianos omnino dedecent.

IX. Pœnæ quas Deus in particulari & in univerſali gaudijs Bacchanalium operam dantibus immiſit, accuratius conſiderantur, contra eorumdem ſequaces, qui ex eo culpabiliores exiſtunt, quòd per illa Deo dorſum vertant.

X. Gaudia præſentia ficta tantum ſunt & apparentia, ſuntque roſæ undequaque multis ſpinis obſeptæ, quæ ſubitò efflorescunt.

XI. Bacchanalia ſtultitiæ nomen merentur, ſiquidem per illa judicium rationis amittitur, maxime dum nos à ſequela Chriſti apoſtatare faciunt.

XII. De inſigni illorum lucro, qui hiſce diebus ſe dedicant ſequelæ Chriſti, cujus ſibi gratiam & gloriam conciliant, quique ſe illorum familiarem amicum eſſe comprobat.

XIII. Nonnulla illuminatiſſimorum virorum adducuntur exempla, qui zeloſos ſe Bacchanalium vanitatum hoſtes eſſe probarunt; Ubi etiam aliqua adducuntur Divinæ complacentiæ ſigna, quæ Deus illis exhibere dignatus eſt, qui hiſce diebus vanitatibus relictis ipſum ſequuntur.

XIV. Deo acceptum & perfectum ſacrificium eſt, à gaudijs & voluptatibus, quas mundus hiſce diebus larga manu diſpenſat, ſe abſtinere, & Chriſti diſciplinæ ſeſe ſubmittere.

XV. Deus illis, qui hiſce diebus amore ſui Bacchanalium recreationibus ſe privant, conſolationem & dulcedinem communicat ſpiritualem.

XVI. Etiam virtuoſis & perfectis pericula Bacchanalium fugienda ſunt, neque de proprijs viribus nimium eſt præſumendum, aliàs enim in medijs occaſionibus conſtituti, miſere corruent.

XVII. Per Chriſti patientis & morientis conſiderationem lumen acquiritur, ad contemnendas voluptates, quæ crucifixionis ejus cauſa fuerunt.

XVIII. Sancta Dei Eccleſia in Evangelio, Chriſti nobis Paſſionem ob oculos ponit, ut per illam à præſentibus nos diſſolutionibus coërceat, eoſque, qui veri Chriſtiani ſunt, exploret.

XIX. De Eutrapelia, id eſt, honeſta recreatione, quæ ſervatis debitis conditionibus virtuti attribuitur.

XX. Univerſalem Bacchanalium torrentem ſine læſione aut offenſione ſecurè evaſiſſe, ſingulare Dei donum eſt, pro quo Deo gratias agere debemus, ſicut & pro eo, quod ſufficiens nobis lumen communicarit, ad cognoſcendum, quod gaudia hæc tandem in pulvere & cinere terminentur.



### DISCURSUS I.

### ARGUMENTUM.

Miniſtris Evangelij curandum eſt, ut Bacchanalia tamquam ſeminarium omnis peccati abolere poſſint; Oſtenditur etiam quod Eccleſia tempus illud quod à Septuageſima ad Quadrageſimam uſque decurrit, planctui & pœnitentiæ deſtinaverit, ac proinde illud in vanis diſſolutionibus tranſigere Chriſtianum hominem dedeceat.

### THEMA.

*Circumdederunt me dolores mortis, dolores inferni circumdederunt me.* Pſalm. 17. ℣. 5. & 6.

1. TAmetſi ingens illa S. Caroli paſtoralis, ſanctæque Eccleſiæ Dei adeo utilis ſolicitudo in id præcipuè collimarit, ut à jam ſylveſcente Archidiœceſeos ſuæ vinea multos abuſus, variaque ſcandala extirpare poſſet, præcipue tamen in habitis à ſe Concilijs miniſtros Evangelicos vigiles eſſe voluit, ut ſumma cum ſolicitudine Bacchanalium diſſolutiones ab eadem diœceſi ſua profligarent; Unde in Capite quodam, cujus titulus eſt: *Officium Concionatoris in perpetuo reprehendendis tollendiſque pravis conſuetudinibus, unde peccandi ſeminaria extant*; Ad Bacchanalium laſcivias alludens, hiſce terminis eoſdem adhortatur: *Publicorum peccatorum illecebras, quas homines depravatæ conſuetudinis errore decepti pro nihilo putant, concionator perpetuo reprehendet, atque in ſummum odium adducere contendet, oſtendetque quam graviter Deum offendant, quam multa mala atque adeo publicæ etiam calamitates, infinitaque detrimenta inde exiſtant*; Et quidem ne de quibus abuſibus & ſcandalis loqui intendat, ambigere poſſimus, ſubjungit: *Spectacula, ludos, ludicraſque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæ Chriſtianæ adverſantur, perpetuo deteſtabitur, execrabitur.*

Bacchanalia dehortentur Prædicatores.
*Acta Eccleſ. Mediol. p.* 4. *pag.* 485.

2. Poſtquam Prophetæ Evangelico labia ejus à Seraphino quodam purificata fuiſſent, ſibi mox dici audivit: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* At vero quam putas ob cauſam Deus vocem ejus veluti ſonoram tubam inſonare volebat? Nimirum ut elata hac voce populi illius vitia, & ſcelera eradicare contenderet: *Annuntia populo meo ſcelera eorum & domui Jacob peccata eorum*; Quis autem eſt, qui diſſolutiones, ſcelera, omneſque humanæ malitiæ exceſſus, occaſione laſcivorum Bacchanaliorum paſſim ubique invaleſcere & inundare non agnoſcat? S. Bernardin. de Senis Severum illud Bacchanaliorum flagellum, dicit, quod hiſce diebus *Mundo & Diabolo operante, in animam ingrediuntur omnia peccata gaudij humani, & vanæ lætitiæ, ſcil. comeſſationes, ebrietates, luxuriæ, fornicationes, adulteria, prohibiti luſus, choreæ*, &c. Cum igitur verbum Dei ad vitia, abuſus, ſcandala, cunctoſque alios exceſſus extirpandos à Deo ſit ordinatum, quis eſt qui non videat, quanto magis neceſſaria ſit opera noſtra ad eliminandam & extirpandam Bacchanaliorum profanitatem atque licentiam, utpote quæ omnis peccati, omniſque abominationis unicum eſt ſeminarium.

*Iſa.* 58. *v.* 1.
Non ceſſent clamare, contra ſeminaria omnis mali.
*S. Bern. T.* 2. *ſerm.* 8. *Art.* 2. *c.* 1.

3. Inter cæteros, qui in hunc mundum irrepſerunt, errores, unus hic eſt, quod quia paulò poſt in decurſu Quadrageſimæ, jejunijs, mortificationi, pœnitentiæ & ſolitudini nobis vacandum eſt, ideo hoc tempus Quadrageſimale jejunium immediate præcedens, recreationibus, ludis, ſpectaculis, choreis, comeſſationibus, alijſque ſimilibus diſſolutionibus & vanitatibus jure merito tranſigendum eſſe cenſeatur.

Septuageſima.
Tempus eſt mœſtitię quo caſus humani generis recolendus.



Hoc

Hoc autem falſum eſt, quia in Dominica Septuageſimæ, in qua mundani Bacchanalibus celebrandis ſe accingere ſolent, ſancta mater Eccleſia longe contrarium nos docet , dum ita canit : *Circumdederunt me gemitus mortis* , &c. Unde Venerab. Ivo Carnotenſis in ſermone de ſeptuageſima ita ſcribit : *Sub typo univerſi temporis, commendati ſunt nobis ſpecialiter hi ſeptuaginta dies, quibus recitatione lectionum & Canticorum , caſum humani generis recolimus , ut mortalitatis noſtræ dolores attendentes, quotidie doleamus; Unde in introitu hodiernæ Miſſæ ſancta Eccleſia per lapſum primi parentis mortem ſibi illatam eſſe deplorat.* Sancta Dei Eccleſia, uti omnes qui *de divinis officijs* tractant, optime obſervant, in officio divino, & in Miſſa, talibus utitur Pſalmis, Canticis, Antiphonis, & Reſponſorijs , quibus mœſtitia & pœnitentia à nobis obeunda inculcatur; atq; ideo etiam ſpecialiter feſtivum illud Alleluja deponere ſolet : *Triſtitiæ tempus exigit* (ſunt verba Ruperti Abbat. Tuitienſis) *ut Alleluja, quod lætantium carmen eſt, intermitteretur.*

*Ivo Carn. Epiſc. ſerm. in ſeptuag.*

*Rup. Abb. de Div. off. l. 4. c. 6.*

*Acta Eccleſ. Mediol. pag. 1016.*

Septenarius numerus myſticus nobis lamentabilem vitæ curſum repræſentans.

4. Sanctus Carolus Borromæus , prouti infra in progreſſu hujus diſcurſus dicemus , circa hujus temporis ſeptuageſimæ myſteria explicanda late diffunditur , ſpecialiter vero ita ad propoſitum noſtrum ſcribit ; Sancta mater Eccleſia nobis infra annum diverſis temporibus, per varia inſtituta rituum genera & officia divina , ob oculos ponit ordinem & progreſſum , quem Deus, ut humanum genus ſalvaret , atque ad finem ad quem creatus eſt , cœlum nimirum, perduceret, obſervare voluit ; Et quidem ut fideles ſui in terram Adventus & Paſſionis & mortis ſuæ cauſam penitius intelligant. Septuageſimæ Dominicam celebrandam inſtituit, in qua miſerabilem, qui in terreſtri Paradiſo accidit, Protoparentum noſtrorum lapſum , indeque conſequentes omnes alias calamitates & miſerias , quas ipſi unà cum tota humana progenie contraxerunt, nobis ſolicite repræſentat ; Hoc enim fine in lectionibus Matutini Geneſeos recitatur exordium, pientiſſimaque hæc mater toto quo poteſt conatu nos ad deplorandas à nobis per peccatum contractas miſerias inducere ſatagit ; ideo enim hanc Dominicam numero & nomine ſeptuageſimæ indigitat , non ſolùm quia calamitates , ad quas natura noſtra condemnata fuit , per ſeptuaginta annos, quibus populus Dei in miſerabili illa ſervitute Babylonica crudeliter detentus fuit præfiguratæ fuerunt , verumetiam quia numerus ſeptenarius in Sacra Scriptura ærumnoſum hujus vitæ curſum nobis repræſentat , cui demum perfectæ redemptionis Status, in ſtatu univerſalis reſurrectionis , in octonario numero ſymbolice ſignificatæ feliciter ſuccedit. Totus hic diſcurſus à præfato ſanctiſſimo Cardinali exponitur , atque in claſſicorum Scriptorum opinione fundatur.

*Rup. Abb. ibid. c. 1.*

5. Etenim Rup. Abbas aſſerit: *Per hos dies ſignificari captivitatem noſtram qua peregrinamur à Domino in hoc ſæculo;* Hæc autem captivitas & ſervitus in captivitate Babylonica , qua populus Iſraël oppreſſus fuit , olim fuit præſigurata; Unde Durand. in Rationali divinorum officiorum inquit: *Repræſentat ſeptuaginta annos Babylonicæ ſervitutis.* Quod idem Venerab. Abb. Rup. c. 3. lib. 4. *De divinis officijs* diu ante in hæc verba ſcripſerat : *Significatum eſt illa ſeptuagenaria captivitate populi Dei, qua realiter ſedit, & flevit ſuper flumina Babylonis.* Et ideo ſancta Eccleſia hoc tempore lapſum primorum Parentum , jacturamque veræ libertatis filiorum Dei, qui per peccatum Dæmoni ſubjecti, ſibique non à terreſtri, ſed cœleſti Paradiſo exilium duriſſimum adſciverunt, ob oculos nobis ponit, ut amaris eamdem lachrymis deploremus : *Septem Dominicas continuè ſequentes* ( inquit præfatus Rup. Abbas ) *magnis ac myſticis officijs inſignes , ſeptuageſimam nominamus, quarum in prima clamat homo à Paradiſi felicitate, & à Creatoris ſui facie projectus: Circumdederunt me gemitus mortis.* Ex illis vero quæ idem Venerab. Doctor in c. 6. ejuſdem libri ſcribit , quam illa, cui homines hiſce diebus vacare ſolent, profana diſſolutio & vanitas, huic eidem tempori ineptè & impropriè conveniat , clare liquet, ſiquidem tempus horum dierum, pluſquam aliud quodcumque totius anni ab Eccleſia planctui, fletui, & pœnitentiæ eſt deſtinatum; Unde vitæ gaudijs per primos parentes perditis, Eccleſia lamentatur dicens : *Circumdederunt me gemitus mortis.* Ivo Epiſc. Carnotenſ. nos quoque circa hoſce Septuageſimæ dies ita monet: *Scientes dilectiſſimi , quia quamdiu ſumus in mundo , peregrinamur à Domino , quotidianis lachrymis oportet nos hujus exilij mala deflere , & ad æternam patriam toto deſiderio anhelare* ; Sanctus autem & zeloſus hic Paſtor nos ad plangendum hiſce diebus , non vero ad ridendum invitat : *His diebus ſpecialius & propenſius, gemitibus & fletibus operam demus , ut ad patriam noſtram, à qua mortifera delectatione corruimus , per amaritudinem cordis & lamenta redeamus.*

*Durand. in rat. divin. offic. l. 6. c. 24. n. 2.*

*Rup. Abb. l. 4. c. 3.*

Hoc tempus deſtinatum fletui.

*Rup. Abb. ibid. c. 2.*

*Rup. Abb. ibid. c. 6.*

*Ivo Carn. ibid.*

Invitamur ad planctum nō ad riſum.

6. Amalarius Fortunatus Epiſc. Trevirenſis, de hujus Dominicæ ritibus tractans ita ſcribit : *Ideo author officij noſtri ſeptuageſimam poſuit in noſtris officijs, ut illo in tempore à delicijs hujus mundi abſtinendo oſtenderemus in noſtra converſatione , qualiter per tempus ſæculi vivere debeant ſubjecti , qui poſt Baptiſmum peccatis ſe alienant à cœleſti Hieruſalem.* Durandus ſimiliter ita ſcribit: *Per hoc tempus* ( Septuageſimæ videlicet) *ſignificatur deviatio , exilium , ac tribulatio totius generis humani, ab Adam uſque ad finem mundi, quod quidem exilium ſub revolutione ſeptem dierum peragitur, & ſub ſeptem annorum millibus includitur.* Idem quoque ſupradicta Introitus Miſſæ verba: *Circumdederunt me gemitus mortis*, &c. conſiderans ait : *Ubi confitetur Eccleſia ſe eſſe in pœna, & laboribus inflictis propter peccatum.* Ex quibus omnibus hactenus dictis , & alijs infra dicendis clarum eſt, fideles ab Eccleſia ad plangendum, non vero ad ridendum, ad pœnitentiam, non vero ad ludos, recreationes , larvas & comeſſationes invitiari , prout mundani & voluptuoſi homines ſtulte ſibi perſuadere nituntur. Atque ideo, *Amareſcat nobis*, inquit Ivo, *quidquid dulce eſt in rebus ſæculi.*

*Amalar. Fort. c. 1. de ſeptuag.*

*Durand. ibid.*

*Dur. ibid. c. 25. n. 4.*

*Ivo Carn. ibid.*

7. *Tantum abeſt* ab eo , quod tempus iſtud offenſis Dei multiplicandis , frænoque ſenſibus ad omnem libertatem relaxando ſit deſtinatum, ut potius, quemadmodum Durand. ex Evangelio notat, in quo vineæ parabola proponitur, cultura illius animæ Chriſtianæ inſinuetur, ut omnia ex ea vitiorum lolia & ſtipites evellantur & extirpentur: *In vinea animæ ſuæ laboret, abſcindendo vitia & peccata.* In Epiſtola pariter hujus Dominicæ ad curſum, non profanum & ſæcularem , ſed ſpiritualem incitamur : *Poſtea in ſtudio vitæ præſentis currat per pœnitentiæ opera, deinde viriliter in agone pugnet contra omnia Diaboli tentamenta* ; Ac proinde cum Bacchanalia Dæmonis ſint ſpeciale latibulum, prouti inferius ſuo loco probabimus , potius hoc tempore, nos toto ſtudio & viribus noſtris ab ejus inſignijs ſubducere , non vero illi militare ejuſque infelicia ſtipendia mereri debemus ; *Pugnet contra omnia Diaboli tentamenta, non ſuccumbat :* Hunc autem finem facilius conſequemur, ſi Matri noſtræ ad pœnitentiam nos invitanti aures faciles & morigeras præbeamus. *Verum quia non libenter*, inquit Dur. *homo ſuſcipit onus pœnitentiæ, niſi videat præmium, ideo oſtendit præmium*, idque ex Epiſtola præſentis Dominicæ oſtendit, in quo S. Paulus coronæ & pallij mentionem adducit : *Eſt bravium præmium currentium, per quod ſignificatur beatitudo æterna , quod oſtenditur, ut libentius agant homines pœnitentiam , & ut magis fleant peccata ſua*, unde Pſalmiſta ait : *Super flumina Babylonis illis ſedimus & flevimus.*

*Durand. ibid. n. 5.*

Eccleſia pœnitentibus oſtendit præmia.

*Pſ. 136. v. 1.*

8. Verum enimvero diſcurſum S. Caroli denuo reaſſumamus, qui ita ſcribit : Hoc eſt præcipuum inſtitutæ ſeptuageſimæ myſterium , ut Chriſtiani per lachrymas compunctionis , & vivos pœnitentiæ effectus , ad peccata expianda inducantur, ut hac ratione ſeſe fructuum Redemptionis Chriſti participes efficiant. Unde liquet , quantum populum Chriſtianum , & fidelem dedeceat , quod ſe his potius diebus quam alias umquam gaudijs , recreationibus , profanitatibus , larvis , & Bacchanalibus diſſolutionibus toto conatu impendant. Hoc tempore , quod Quadrageſimam immediatè antecedit , olim Eccleſia magis quam umquam alias per annum fidelibus Deo reconciliandis operam impendere ſolebat. Unde expreſſum erat præceptum , ut ſeptimana illa, maxime quæ Quadrageſimam immediatè antecedebat , omnes Sacerdotes quibus animarum cura demandata erat , populum ſibi commiſſum congregarent , & reconciliatis Eccleſiaſtica authoritate diſcordibus , auditiſque eorum confeſſionibus , ſalutarem unicuique injungerent pœnitentiam, adeoque tota illius intentio ad hoc unice dirigebatur , ut omnes ad inchoandam cum fructu Quadrageſimalis jejunij obſervantiam optime præparati ac diſpoſiti eſſent : Hi vero qui propter peccata publica graviori indigebant pœnitentia, in principio Quadrageſimæ veſtiti ſacco , nudis pedibus , & demiſſis in terram oculis , publice in Eccleſia, in conſpectu totius cleri coram Epiſcopo comparebant , qui culpis ipſorum rite examinatis , poſt multas orationes & lachrymas , conſperſis cinere eorum capitibus , eiſque cilicio indutis cum gemitibus & ſuſpirijs denuntiabat, quod ſicut Adam olim ex Paradiſo fuit ejectus, ita quoque ab Eccleſia ad perfectam uſque expiationem

*Acta Eccleſ. Mediol. p. 7. pag. 1016.*

Septimana ante quadrag. ab antiquis qualiter celebrata.





& reſipiſcentiam proſcriberentur ; quibus dictis ſubitò Epiſcopi juſſu foras ire jubebantur , totoque Quadrageſimæ tempore in illo pœnitentiæ ſtatu uſque ad diem Jovis ſanctum perſeverabant, tunc enim rite expiati relaxabantur : Unde totius Eccleſiæ cunctorumque Chriſtianorum occupationes & exercitia longe diſtabant ab illis , quibus hodie major pars hominum operam ſuam navant; tunc nulli alteri exercitio, quam pœnitentiæ faciendæ dediti erant, nec quidquam adeo ſtudioſe curabant , quam ut Deo ſe perfecte reconciliare poſſent : hiſce vero temporibus inimicus infernalis adeo prævaluit ; ut diebus hiſce currentibus magis, quam quovis alio anni tempore ; per tot chorearum & comœdiarum laſcivarum , comeſſationum , crapularum, ſpectaculorum , larvarum aliarumque licentioſarum diſſolutionum exceſſus , tantamque peccatorum multiplicitatem & enormitatem divinam exacerbare juſtitiam non verecundentur.

Modò fit totum contrarium.

Bacchanalia dicuntur licita ſed non ab Eccleſia.

*S. Cypr. Demetr.*

9. Unde de hoc miſerabili , omnique compaſſione digniſſimo tempore vere dici poteſt , quod ad aliud licet propoſitum Demetriano olim ſcripſit S. Cyprianus, nimirum : *Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe, quod publicum eſt :* Licet quoque verum ſit haſce diſſolutiones, larvas , aliaſque ſimiles vanitates licitas quidem eſſe declaratas, ſed à Principibus dumtaxat ſæcularibus, non vero ab Eccleſia , quæ potius eaſdem deplorat mundus , ipſaque ſæculi corruptio Bacchanalia recreationem quamdam & honeſtam animi exporrectionem vocat, cum tamen citra omne dubium, quoddam ſit omnigenæ iniquitatis ſeminarium ; idque verum eſſe, ex illis populo Mediolanenſi à S. Carolo porrecti memorialis ſequentibus verbis clare conjicere licet : Vide nunc ô Mediolanum turpiſſima adulteriorum, fornicationum, ſtuprorum , homicidiorum, latrociniorum, minarum, diſſolutionum domos paſſim implentium, imò infinitorum aliorum malorum ſemina , hæc enim omnia hoc tempore veluti ſemina effunduntur. Vide exinde natum peſſimum matrimoniorum principium, ab illius Sacramenti & myſteriorum ejus ſanctitate adeo alienum : at vero id quod Sanctiſſimus hic Cardinalis præ cunctis alijs efficaciſſime inculcat , eſt hujus ſanctiſſimi temporis ad illarum ineptiarum exercitium , nimia incongruentia, quod ſcilicet hoc tempus diſſolutionibus Bacchanalibus impendatur , quod à ritibus ſacris & Sacroſanctis myſterijs Eccleſiaſticis devotioni, pœnitentiæ, & mortificationibus ſpecialiſſime eſt conſecratum. Hoc temporis ſpatium, inquit S. Carolus , quod poſt Epiphaniam immediate ſequitur, tempus eſt ſpecialis devotionis, tum ob recentem ſanctiſſimorum Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti myſteriorum memoriam , tum ob eximia beneficia , favoreſque cœleſtes, quos ex iiſdem univerſus mundus recepit, tum denique quia hoc ſacroſancto tempore , ſacro-ſanctum illud quadraginta dierum jejunium , à Salvatore noſtro in deſerto, ſubito poſt receptum in die Epiphaniæ à Joanne baptiſmum , inſtitutum fuit, poſt quod, ut noſtis , tempus ſeptuageſimale continuo ſequitur , tempus inquam myſticum, tempus ex doctrina Spiritus Sancti principio pœnitentiæ conſecratum , tempus denique in quo vel maxime mente recolere debemus , quam fuerit nobis adventus Filij Dei in carnem neceſſarius , ut à miſerabili illo ſtatu , in quem per peccatum prolapſi fueramus, repararemur. Unde ſancta Eccleſia Dei ab hoc tempore veſtibus ſacris utitur lugubrem colorem præ ſe ferentibus , cantica gaudiorum ex parte remittit , intonat Antiphonas mœſtitiæ , taleſque introducit cæremonias & ritus , qui ob oculos nobis ponunt miſerum exilium noſtrum , in quo hoc in mundo viventes verſamur perpetuam pœnitentiam, quam in hac vita agere debemus, lachrymas , jejunia , corporiſque caſtigationes , in quibus miſerabili hac vita durante exerceri & occupari debemus , ut ſalute , libertate, reparatione , alijſque gratijs quæ Filius Dei ſecum ex ſinu Patris attulit gaudere & frui valeamus. Eccleſia mater noſtra hoc tempore per ritus adeo Religioſos & pios , voces edit , quæ miſeriam & exilium noſtrum clare nobis repræſentant , ut ad illud cogitandum, ſæpeque Religioſe, & cum fructu animarum noſtrarum meditandum excitemur.

*Acta Eccl. Mediol. pag. 1151.*

Bacchanaliorū effectus.

Poſt Epiphaniam deberet eſſe ſpecialis devotio.

Eccleſia lugubri colore utitur.

*Pſalm. 136.* *Super flumina Babylonis illis ſedi-*
*v. 1.* *mus & flevimus, cum recordaremur Syon ; In ſalicibus in*
*v. 2.* *medio ejus ſuſpendimus organa noſtra ; Quia illic interro-*
*v. 3.* *gaverunt nos qui captivos duxerunt nos , Hymnum canta-*
*v. 4.* *te nobis de Canticis Syon. Quomodo cantabimus canticum*
*v. 5.* *Domini in terra aliena ? Si oblitus fuero tui Jeruſalem ,*
*v. 6.* *oblivioni detur dextera mea ; Adhæreat lingua mea faucibus meis ſi non meminero tui , ſi non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ.*

Pergit eodem in loco S. Carolus ponderare ulterius , quanta cum temeritate Chriſtiani eo tempore voluptatibus , crapulis, & diſſolutionibus Bacchanalibus omnem prorſus libertatem indulgeant , quo Eccleſia eoſdem afflictioni & pœnitentiæ deditos videre deſiderat. Hiſce temporibus, inquit Sanctus hic Archipræſul , homines plus quam alias umquam evaneſcunt , ſtulteſcunt , bibuntque ſicut aquam iniquitatem ; Hiſce diebus in quævis ſcelera prorumpunt , omnibuſque peccatis fræna laxantes , licitum eſſe cenſent , quidquid etiam repugnante Dei lege libet. O rem ſanguineis lachrymis digniſſimam ! O miſeriam nimis luctuoſam ! Chriſtiani eo ſe tempore crapula ingurgitant , quo Chriſtus jejunat ; tunc recreationibus , jocis ; choreis ; &c. indulgent , quando Chriſtus pro nobis adverſus Sathanam dimicavit ; tunc peccatricem carnem ſuam delicate & voluptuoſe nutriunt , cum Chriſtus ſanctiſſimam carnem ſuam in deſerto afflixit : tunc Dæmoni omnes ſenſuum portas liberè aperiunt, quando ipſe univerſam militiam ſuam adverſus Regnum Chriſti obarmat , imò adverſus ipſummet Chriſtum, licet nullam in eo partem obtineat , extremas vires ſuas adhibet. Chriſtiani eo tempore ſine menſura rident, quo Sancta Mater Eccleſia amare plorat : tunc Chriſtiani in convivijs , epulis, & immoderatis menſarum apparatibus excedunt, quando nobis Sancta Mater Eccleſia lamentabilem Protoparentum noſtrorum noſtramque communem ob oculos ponit ruinam & calamitatem , quam unicum dumtaxat pomum contra expreſſum à Deo primis Parentibus noſtris impoſitum interdictum, guſtando nobis conciliavimus; quæ res profecto unumquemque noſtrum ( dummodo vel modicum quid pietatis Chriſtianæ in nobis eſſet) in intimo cordis commovere deberet ; Videte mundum univerſum ludis ; jocis , ſpectaculis , diſſolutiſque Bacchanalibus totaliter eo tempore deditum , quo voces Dei & Eccleſiæ ipſum ad planctum , lachrymas , luctum , ſaccum denique cilicinium & cineres invitant. Hoc eſt, de quo Deus per os Iſaiæ lamentatur , dum ait : *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum , ad calvitiem & ad cingulum ſacci, Et ecce gaudium & lætitia , occidere vitulos ; jugulare arietes , comedere carnes , & bibere vinum ;* quaſi ſe mutuo deteſtabilibus hiſce verbis adhortarentur homines : *Comedamus & bibamus , cras enim moriemur.*

Sed quanta temeritas Chriſtianorum.

*Iſa. 22. v. 12.*

*Ibid. v. 13.*

*Ibidem.*

10. Etenim ſciendum eſt , quod tempus illud , quod ab Epiphania ad Quadrageſimam uſque decurrit , illud ipſum eſt , quo Chriſtus Magiſter noſter quadraginta diebus , totidemque noctibus in deſerto , ſine ullo cibo deguſtato jejunavit , & in cujus rigoroſiſſimæ abſtinentiæ ultima periodo cum Lucifero prælium inijt , ſiquidem ſubitò ut à Joanne Baptiſta in deſerto baptizatus fuit , *ductus eſt in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à Diabolo* ; Et quidem tametſi juſtum omninò & convenientiſſimum eſſet , ut fideles quoque hoc eodem tempore ad Chriſti imitationem jejunium ſuum quadrageſimale celebrarent , attamen Eccleſia pientiſſima Mater noſtra , humanæ compatiens fragilitati , abſtinentiam hanc ulterius in tempus uſque vernum diſtulit & prolongavit , ut hac ratione corpora noſtra minus paterentur ab inedia. Ergone proinde conveniens erit , inquit Sanctus Carolus in ſua adverſus Bacchanaliſtas invectiva , ut fideles Chriſti ſequaces , & talis fidei profeſſores , quâ longè diverſa nobis dogmata traduntur , hoc tempore magis quàm quovis alio crapulæ , comeſſationibus , gaudijs & ſtultitijs Bacchanalibus totaliter dediti exiſtant ? Idem quoque Sanctiſſimus Archiepiſcopus & Cardinalis in Concilio Provinciali tertio conſiderans , quod licet præſens hoc tempus , tempus ſit propitiationis Divinæ procurandæ , illud tamen per tot abuſus & intolerabiles exceſſus prophanetur , ita loquitur : *Nimis compertum eſt depravatis his temporibus & moribus, ad choreas , tripudia , ſaltationes , & id genus alia, numquam ferè conveniri ſine multis, & ijs quidem graviſſimis Dei offenſionibus , idque cum ob turpes cogitationes , obſcœnè dicta , inhoneſtas actiones , morum corruptelas , & pernitioſas ad omnia opera carnis illecebras illis perpetuò conjunctas , tum propter cædes, rixas, diſſidia , ſtupra , adulteria, aliaque mala plurima, inde conſequentia quam ſæpiſſimè* ; Pergit ulterius Sanctus Præſul deteſtari quod omnes hi exceſſus in Chriſtianiſſimo eo potiſſimum tempore regnent & triumphent , quod ad Divinam juſtitiam placandam, non verò irritandam ſpecialiter inſtitutum fuit . *His tot*

Accepto baptiſmate Chriſtus jejunavit.

*Matth. 4. v. 1.*

Vernū tempus nobis conceditur.

Invectiva.

*Act. Eccleſ. Mediol. p. 86.*

*offenſionibus & peccatorum ſeminarijs locum dari ijs præſertim diebus, qui dies propitiationis ſunt.*

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Deteſtabilis eſſe oſtenditur error mundanorũ hominum, qui ſe per Bacchanalium diſſolutiones ad Quadrageſimalem obſervantiam diſponere volunt: Multæque conſiderantur inordinationes, quæ exindè ſequuntur.

### THEMA.

*Tempus flendi, & tempus ridendi, templus plangendi & tempus ſaltandi.* Eccleſiaſtis 3. ℣. 4.

Prius plangendum poſtea ridendũ.

1. ECcleſiaſtes, qui ſe quondam omnes delicias & voluptates imaginabiles expertum fuiſſe profitetur, tandem reſipiſcens, & meliori menti reſtitutus, juſtum eſſe agnoſcit, ut primus omnium locus mœſtitiæ & planctui detur, ac tum demum riſui & tripudio ſuus quoque locus indulgeatur, ac proinde prius aſſignat tempus planctui dicens: *Tempus flendi & tempus ridendi, tempus plangendi & tempus ſaltandi*, quia veriſſimum ſemper eſt & fuit veridicum illud Pſalmiſtæ axioma, quo dicitur: *Qui ſeminant in lacbrymis in exultatione metent*; ac proinde Sanctus Hieronymus ſaluberrimè nos monet dicens: *Nunc flendi tempus eſt, in futuro ridendi; Beati enim flentes, quoniam ipſi ridebunt; plangendum eſt in præſenti, ut poſtea ſaltare valeamus illa ſaltatione, quâ ſaltavit David ante arcam.* Diabolus igitur & in magnam Chriſtianiſmi pernitiem in hominum pectoribus firmiter radicatus error eſt, quo ſibi conveniens eſſe perſuadent, imò licitum, hoc tempore gaudere, tripudiare, crapulari, ridere, eo quod paulo poſt in Quadrageſima facturi ſimus conſuetam in Eccleſia pœnitentiam.

Eccle. 3. v. 4. — Pſ. 125. v. 5. — S. Hier. ibid.

2. Rupertus Abbas Tuitienſis verba illa Chriſti apud Joannem: *Tempus meum nondum advenit*, Gloſſa ſua illuſtrans, ad prædictam quoque Eccleſiaſtis propoſitionem *Tempus flendi* &c. gloſſandam deſcendit dicens: *Audiant hoc ſtulti, qui concionantem in plateis ſapientiam deſpiciunt, & qui nec aures, nec oculos ſuos habent in capite ſuo, ſed in finibus terræ, non diſcernunt tempora hæc, quod non dixit: Tempus ridendi & tempus flendi, ſed primum tempus flendi, deinde tempus ridendi; prius tempus plangendi, & poſtea tempus ſaltandi*; Etenim ſi oculos & aures noſtras in plateas, vicos, fora, theatra extendamus, in veritate dicere poterimus: [*Stultorum infinitus eſt numerus*] audiant hæc ſtulti. *Hæc, inquit, tempora quia non diſcernunt, intempeſtivos præripiunt riſus, & immaturis tripudiant atque laſciviunt ſaltationibus*; ac tandem notabilibus hiſce verbis diſcurſum ſuum concludit dicens: *Neceſſe eſt de riſu ad fletum, de ſaltatione tranſire ad planctum*, id quod in hiſce Bacchanalibus *ad litteram* adimpletur, quia ex quo hominibus vanam hanc lætitiam præmittere, placet, ſequitur quod poſtea neceſſario illam terminaturi ſint in planctu, quia commiſſa in Bacchanalibus peccata illos neceſſariò plangere facient: *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo; Et in fletu & planctu ſcindite corda veſtra.*

Joann. 7 v. 6 — Rup. Abb. l. 6. in Joann. — Eccle. 1. 15. — Joël 2. v. 17. — Ibid. v. 13.

Finis propter quem Bacchanalia introducta.

3. Enimverò ſi finem ob quem Bacchanalia per ſcandaloſiſſimum abuſum introducta fuere, indagare velimus, hunc non alium fuiſſe comperiemus, quàm ut homines ſeſe fortificent, ut pœnitentiæ quadrageſimalis rigoribus tantò validius reſiſtere poſſint; at verò Sanctus Chryſoſtomus poſtquam idem ferè licet ad aliud propoſitum ſibi quærenti, Bacchanaliſtarum nomine reſpondiſſet, dum ait: *Si interrogaverò, quam ob cauſam hodie ad balneum curris? Reſpondes, ut mundo corpore jejunium ſuſcipiam: & ſi rurſus quæſiero, quare te inebrias? iterum reſpondes, quoniam jejunium ingreſſurus ſum*; His præmiſſis id reſpondentes ratione quadam efficaciſſima ſtultitiæ convincit & redarguit dicens: *Quomodo verò non abſurdum eſt, puro quidem corpore, impuro autem ac temulento animo pulcherrimum & honeſtiſſimum jejunium ſuſcipere?* Ita quoque in præſenti caſu noſtro ingens eſt ſtultitia Chriſtianorum, qui impuro & à crapula aggravato corpore, menteque ex laſcivijs, choreis, ſpectaculis, alijsque millenis diſſolutionibus evanidæ pœnitentiæ & Sanctitati Quadrageſimali occurrere geſtiunt.

D. Chryſoſt. T. 6. h. 4. de jejun. & temper.

Chriſtiani jure deridentur.

4. Turcæ, Pagani, Hebræi, & Hæretici nos Catholicos jure merito derident, capere non valentes, quâ fronte nobis licitum & conveniens eſſe perſuadeamus, quod prius hoc tempore in tot ſcelerum & vitiorum luto & cœno, non ex alio motivo circumvolutemur, quàm quia intra paucos dies in limpidis pœnitentiæ aquis mundandi ſumus, quaſi Bacchanalibus nullum fuiſſemus daturi locum, ſi nulla nobis celebranda inſtaret Quadrageſima; Quidnam obſecro de ſapienti quodam viro diceres, qui ſe lavare & mundare volens, prius manus & faciem ac totum corpus atramento totaliter defœdaret, utique illum rationis & judicij deliquium pati aſſereres; Et revera ita eſt; & ideò ut in ſpeciali quodam diſcurſu probabimus, Bacchanalia nos recto rationis uſu deſtituunt, adeoque hoc tempore verè *ſtultorum infinitus eſt numerus.*

Eccl. 1. v. 15.

Quid ſtupidius quam lautitijs viam ſternere ad jejunium.

5. Verum enimverò operæ pretium futurum eſſe judico, ſi de diabolica hac adinventione, quâ aſtutiſſimus ſerpens infernalis Chriſtianis neceſſum eſſe perſuadere ſatagit, ut per gaudia & diſſolutiones Bacchanales ad pœnitentiam & quadrageſimale jejunium tranſeamus, prolixior quidam à nobis diſcurſus inſtituatur. Enimverò nulla umquam experientia viſum eſt, quod natura ad formam aliquam introducendam contrarias adhibere ſoleat diſpoſitiones. Verum quidem eſt quod Sanctus Elias Propheta ſuper ligna illa, quæ igne cœlitus à Deo demiſſo una cum hoſtia conflagrari poſtulabat, aquam ubertim effuderit, quæ igni è diametro adverſatur, hoc tamen ſingulariter petiit ad oſtendendam admirabilem & ſupernaturalem veri Dei Omnipotentiam; ac proinde idem quoque in rebus moralibus aſſerere poſſumus; Quis enim credat quod hoc tempore quod ad cineres uſque decurrit, in omni lautitia crapulando viam ſibi ſternere poſſit ad abſtinentiam, & jejunium? vel omnibus Dei offenſis frœna laxando, eaſdem tantò ſecurius refrænare poſſit hac Quadrageſima? aut verò oculos comœdijs profanis paſcendo aureſque omnigenis ſcurrilitatibus & obſcœnitatibus patulas exhibendo ad verbum Dei auſcultandum ſe diſponere poſſit? Quod ſi Medici infirmo alicui ad corpus illius à malis humoribus expurgandum, medicinam ordinare volentes, eidem ut per varias inordinationes malum corporis & infirmitatem magis magiſque adaugeret, præſcriberent, utique *Recipe* iſtud ſtultum, non verò medicum eſſe diceretis; Quod ſi igitur Medici omnem adhibent diligentiam, ut infirmum per bonam diætam & alia præſervativa medicinarum genera preparent, ut tandem ultimum pharmacum infirmo optatam conferant valetudinem, quâ ratione ſanitati animæ conducere exiſtimabitis, ut quæ à malis vitiorum ſuorum humoribus in toto anni decurſu contractis abſtinentia quadrageſimali, veluti medicina quadam ſpirituali purgari debet (*Eccleſiam tuam annua quadrageſimali obſervatione purificas*) ad eamdem efficaciter ſumendam per omnigenas vitæ deordinationes eaſque vitioſiores quam ut illas ſalubriter experiri poſſit humana fragilitas, præparetur & diſponatur? Eamdem quoque rationem Divus Chryſoſtomus Homil. 1. in Geneſim adducit, dum ait: *Nam ſi Medici pharmaca dare volentes, ut putridum & corruptum humorem abigant, à corporali hoc cibo abſtinere præcipiunt, ita ut pharmaci efficaciæ deſit obſtaculum, & operari, ſuamque vim illud poſſit oſtendere, multo magis nobis ſpirituale hoc remedium, hoc eſt, utilitatem, quæ ex jejunio eſt, ſuſcepturis, tenuitate victus noſtram mentem expurgare, & leviorem reddere convenit.* Subdit idem Sanctus Doctor verum quidem eſſe quod hæc ejus propoſitio non ſine gravi admiratione excipietur, quia revera etiam hi qui timoratæ ſunt conſcientiæ, nullum ſibi hoc tempore ſcrupulum ex eo faciunt, quod ſe hiſce diebus lautioribus, & diuturnioribus prandijs reſtaurent: *Scio equidem*, inquit, *quod multis ea, quæ hodiè à nobis dicuntur; mira videntur, ſed obſecro ne conſuetudini temerè ſerviamus, ſed ratione res noſtras inſtituamus.*

3. Reg. 18. — D. Chryſoſt. Hom. 1. de Gen.

6. Audiamus quid de his qui per gulam & voracitatem viam ſibi ad jejunium ſternere volunt, Sanctus Baſilius ſcribat: *Non te*, inquit, *ad jejunij myſterium introducat ebrietas, non eſt per temulentiam aditus ad jejunium, nec ad ſobrietatem per laſciviam; athleta ante certamen exercetur, jejunator ad jejunium temperantia præparatur.*

S. Baſ. hom. 1. de jejun.

Amens miles qui inimico arma præbet.

7. Quod ſi miles aliquis craſtina die cum valido quodam & exercitato inimico ſuo in duello conflictaturus, hodie eidem arma in manus conſignaret, quibuſcum adverſus ipſum validè decertare poſſet, quid idipſum videns de eo diceres? Omnibus nobis evidenter ſatis & clarè conſtat corpus noſtrum intra paucos dies jejunio eſſe macerandum, ut tantò magis efficiatur ſpiritui ſubjectum, cur igitur tanta cum induſtria efficere ſatagimus, ut ſpiritui caro prævaleat; Dictio illa



illa *Carnevale*, quæ Italice idem quod *Bacchanalia* ſignificat, ſecundum ſuam ethymologiam, idem ſignificare videtur, quod caro prævalet; quod mirum non eſt, quia nos inimico noſtro arma ſubminiſtramus, adeòque directè operamur contra conſilium Apoſtoli dicentis: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus, ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*; Porrò convivia, ebrietates, voluptates, & aliæ Bacchanalium diſſolutiones arma ſunt, quibuſcum caro & corpus noſtrum adverſus ſpiritum dimicabit. Quâ ratione Ægyptia farina, quæ Conſcientiæ noſtræ ſtomachum aggravat, repleti, Angelorum panem deguſtare poterimus? obſcœnitatis, comœdiæ laſcivæ, verba impudica & inhoneſta, utique Evangelij prædicationem nauſeare facient, eſt enim axioma Philoſophicum quod *intus exiſtens probibet extraneam*; Quia igitur Dæmon voluptuariorum mentem, intellectum, & cor per voluptates & cogitationes carnales penitus occupavit, difficulter utique oratio, ſolitudo, & pœnitentia aditum ad illud habere poterunt. *Cur prius recipis temulentiam*, inquit Sanctus Baſilius, *ac Domini ingreſſum præcludis? Cur permittis, ut hoſtis munimenta tua prius occupet? ebrietas non recipit Dominum, ebrietas Spiritum Sanctum propellit.* Idemque Sanctus Pater alibi ſequentem adhibet ſimilitudinem: *Hem quid facis ô Homo? nemo qui uxorem caſtam in matrimonium ducturus eſt, pellices ac meretrices præaſſumit, ſecumque habitare facit, nam mulier honeſta ferre non poterit, ut ſcorta una ſecum habitent. Noli igitur & tu, cum inedia corpus tuum macerare vis, ebrietatem prius introducere, ebrietatem inquam, quæ nihil aliud eſt, quam publicum ſcortum, quàm bacchans & furens mulier, ad omne genus turpitudinis prompta ac parata.* A quâ ſimilitudine parum differt illa quam Divus Chryſoſtomus adhibet in eadem Homilia prima ſuper Geneſim, dum ait: *Quemadmodum caſtam quamdam & ingenuam ſponſam ducturi, thalamis utique tapetibus ornatis, domoque tota purgata, & ingreſſu omnibus inhoneſtis ancillis interdicto in cubiculum illam introducunt, pari modo vellem etiam vos purificata veſtra mente, valeque delicijs & voracitati dicto, matrem omnium bonorum, & pudicitiæ aliarumque virtutum omnium magiſtram, jejunium inquam, explicitis veſtræ mentis ſinibus ſuſcipere, ut & vos majori fruamini voluptate, & illud congruam vobis ſuam medicinam conferat.*

Rom. 6. v. 12. — Bacchanalia arma ſunt. — S. Baſil. ibid. Hom. 1. — Ebrietas Spir. S. propellit. — S. Baſil. orat. 5. de jejun. — D. Chryſ. Hom. 1. in Gen.

Accommoda quæſtio.

8. Poſſumus quoque hoc loco aliud quoddam inconveniens detegere quod vel ipſa quotidiana experientia nobis redditur manifeſtum? Quemadmodum igitur Sanctus Bernardinus ait: *Quomodo potes eſurire Chriſtum plenis ſiliquis porcorum?* ita quoque mihi ei qui hiſce diebus in vanas diſſolutiones effrænis ſe diffundit dicere licebit, quâ ratione Quadrageſimam obſervare poteris, qui ad gulam uſque turpitudinibus & diſſolutionibus Bacchanalibus es imbutus, atque ab illis inordinatæ vitæ exceſſibus adeò debilitatus, ut omnem ad illam benè adimplendam neceſſarium animi corporiſque vigorem amiſeris?

S. Bern. Ep. 2 ad Fulc.

Fraus inimici infernalis.

9. Fraudulentus ille coluber optimè novit, quod plerique fideles bonam & firmam habeant, quadrageſimalem abſtinentiam in debito rigore obſervandi, intentionem, ideòque illos ab hiſce propoſitis non quidem detorquet directè, utpote qui ſe, tamquam apertum ſalutis noſtræ jejunium, in eo caſu rejiciendum à nobis eſſe, probè novit; Quid igitur facit? Illo temporis ſpatio, quod Quadrageſimam immediatè præcedit fideles tot voluptatibus & delectationibus ſenſualibus immergit & defatigat, ipſorumque ſtomachum tanta farinæ Ægyptiæ abundantia implet & onerat, ut ab omni devotione totalem nauſeam concipiant; efficitque, ut dum ſe per præcedentes crapulas, aliorumque vitiorum exceſſus, quoad ſanitatem debiles eſſe advertunt, in diſpenſationem à jejunio & abſtinentia non ſolum conſentiant, verum etiam carnes manducandi licentiam ſibi ſtudioſè procurent, vel etiam ad immoderatam crapulam aſſuefacti, adeò ſobrietatem faſtidiant, ut vel rigorem jejunij perſæpè tranſgrediantur, aut verò pondus iſtud non ſine gravi dolore, impatientia aut violentia ſuſtineant. Adhæc in illis ut plurimum verificatur, quod Sanctus Hieronymus ad Lætam his verbis ſcribit: *Sæcularis homo in Quadrageſima ventris ingluviem decoquit, & in cochlearum morem ſucco victitans ſuo, futuris dapibus ac ſaginæ aquaticulum paratur.*

S. Hier. ad Lætam.

10. Apoſtolus quidem dicit: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, & Pſalmiſta ait: *Voluntariè ſacrificabo tibi*: at verò jejunia, orationes, prædicationum auſcultationes, omniaque alia pœnitentiæ exercitia, ab ijs qui Bacchanalibus hiſce immerſi fuerunt, adimplebuntur quidem quoad exteriora, ne pœnas & cenſuras tranſgreſſoribus comminatas incurrant, cæterum corda eorum per amorem & affectum voluptatibus & delectationibus præcedentibus totaliter etiamnum adhæreſcunt.

2. Cor. 9. v. 7 — Pſ. 53. v. 8. — Ficta ſunt quæ à Bacchanaliſtis fiunt in Quadrageſima.

11. Sapientia incarnata voluptates in Evangelio Sexageſimæ ſpinis ſimiles eſſe dicit: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt & à ſolicitudinibus, & divitijs, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur & non referunt fructum*; Videri haud immeritò nonnemini poſſet voluptates aptiori ſimilitudine æquiparari potuiſſe roſis; Voluptuoſi namque apud Sapientem dicunt: *Coronemus nos roſis antequam marceſcant*: nec tamen ulla ratione in dubium revocari poteſt, quin comparatio omni ex parte aptiſſima ſit, optimeque proportionata, utpote quæ ab ipſomet verbo æterno, & increata Patris ſapientia in medium adducta fuit; Habent autem ſpinæ hanc ſibi congenitam proprietatem, quod omnem meliorem terræ illius, è qua naſcuntur, ſubſtantiam abſorbeant, in maximam boni ſeminis juxta illas germinantis pernitiem: Eodem prorſus modo ſpinæ deliciarum & voluptatum Bacchanalium, quæ hoc tempore magis, quàm per totius anni decurſum invaleſcunt, ab animabus fidelium omnem ſpiritum devotionis ac timoris Dei adeò radicitus exugunt, ut major pars illorum hiſce diebus à via recta mandatorum Dei turpiſſimè aberret.

Luc. 8. v. 14. — Sap. 2. v. 8. — Bacchanalia ſpinæ quæ omnem pietatem exugunt.

Bacchanal. ineptum reddunt ad Quadrageſim.

12. Fraudulentus quippe ſerpens ſtygius ut homines ſeducendi ſecurus, talem intra ſe diſcurſum efformat: Curandum mihi erit, ut ſuum Chriſto debitum primum locum præripiam; ac proinde Chriſtianos prius multis diebus, in vanis diſſolutionibus, & Bacchanalium lenocinijs occupatos tenebo, multis illos gulæ Comœdiarum, ſpectaculorum, ludorum, larvarum, voluptatumque carnalium vinculis involvam, dabo illis ut in omnibus juxta vota ſua omnem ſatisfactionem habeant, etenim omnia hæc in magnum mihi lucrum cedent, jam enim malum à fidelibus patratum erit, & tametſi facturi deinceps ſint pœnitentiam, attamen ad ponendum quoque illi obſtaculum, nec tempus mihi, nec occaſio umquam deerit, nam ut quotidiana docet experientia, potior pars illorum qui hiſce diebus genialiter vivunt, ad Quadrageſimalem obſervantiam inhabiles ſe & impotentes efficiunt.

Venenum hoc omnibus ſapit.

13. Et quidem quod peſſimum eſt, abuſus iſte adeò ſibi ſtabilem pedem figit, ut ubique terrarum ſerpendo his diebus invaleſcat; & tametſi venenum quoddam ſit, tale tamen venenum eſt, quod omnibus ſummè placet, & à quo pauci admodum abhorrent. Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Civitate Dei cap. 3. cujus titulus eſt: Intelligant Romani, eos qui ludis obſcœnis coli & honorari geſtiebant, indignos fuiſſe, qui veluti Dij quidam adorarentur, ita ſcribit: *Cum artem ludicram, ſcœnamque totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed etiam tribu moveri notatione cenſoria voluerunt*: at verò ſi comœdos illos infames, boniſque moribus pernitioſos eſſe agnoſcebant, cur illos nihilominus per tempus aliquod admiſerunt, & cum voluptate Comœdias illorum ſpectarunt. Ecce tibi quanto cum damno comœdiæ, ſcœnæ, ſpectacula homines attrahant; quantaque cum aviditate illa ſpectaturi concurrant; licet enim damnum illorum evidenter agnoſcatur, non tamen propterea fugiuntur. Alibi quoque idem Sanctus Doctor de ludis Circenſibus ita ſcribit: *Deprecanda eſt miſericordia Dei, ut donet intellectum ad iſta damnanda, & affectum ad fugienda, & miſericordiam ad ignoſcenda.* Porrò Eccleſia Feſta Bacchanalia ſummè abominatur, ideoque illis ſe per leges ea interdicentes, perque alia contraria pietatis exercitia ab illis vanitatibus homines divertentia pro viribus opponit, atque ideò fideles ſuos hiſce diebus ferventius, quàm alias umquam per totum annum, ad opera bona exercenda exhortatur, eſtque erga illos in diſpenſandis Indulgentiarum ſuarum theſauris ſolito liberalior, ſolemnes his diebus inſtituendo orationes, licet alia ex parte vanitates illas mundanis permittendo conniveat; Unde illis qui per hanc Eccleſiæ permiſſionem ſe diſſolutiones Bacchanales exercentes tuentur & defendunt, idem reſpondere poſſumus, quod Sanctus Auguſtinus contra Fauſtum his verbis ſcribit: *Aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus, aliud quod præcipere jubemur, aliud quod compellimur emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.*

S. Aug. l. 2. de Civ. Dei cap. 15. — S. Auguſt. in Pſal. 50. — Niſi ſoli Eccleſia. — S. Aug. con. Fauſtum l. 2. c. 21.

14. Deus in Deuteronomio dicit: *Et Gladius meus devorabit carnes*, quæ verba mirum in ſe loquendi modum continent; Quiſnam enim eſt gladius iſte, quem carnes

Deut. 32. v. 42. — Verbum Dei.

Gladius devorans Bacchan.

carnes devoraturum eſſe dicit ? Si dixiſſet ; Ignis illas conſumet , vel feræ illas dilaniabunt & devorabunt , facile verborum illorum ſenſus intelligeretur ; at verò gladius quâ ratione carnes devorare aut abſorbere poterit ? carnes dividere & ſecare gladio competit , non verò devorare illas. Notandum eſt igitur,quod per gladium hoc loco verbum Dei, & ſalutaris illius prædicatio intelligatur : *Et gladium ſpiritus* inquit Apoſtolus , *quod eſt verbum Dei* ; hoc enim Inſtrumentum quoddam eſt ad Bacchanalia devoranda potentiſſimum & efficaciſſimum : *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Unde Sanctus Auguſtinus ait : *Non enim aliter debellaret Dominus orbem terrarum , niſi in carnem veniret gladius veritatis.*

*Eph.6.v.17. Heb.4.v.12.*

*S.Aug.in Pſal. 52.*

Et ideò Sanctus Carolus Borromæus ad eradicandos in Diœceſi ſua Bacchanalium,Chorearum,omniumque aliarum profanitatum abominandos abuſus , nullis alijs uſus eſt armis,quam hoc Divini verbi gladio voce & ſcripto in ejuſmodi ſtultos graſſatores exerto & vibrato.

*L.7.cap.7. vita S.Caroli Giuſſani.*

Imò dum ex miniſtris ejus nonnemo Sancto Cardinali,priusquam in hiſce ſeptimanis Quadrageſimam immediatè præcedentibus multas devotiones ad Bacchanalia eliminanda præconceptas introduceret, exiguum ad eaſdem populi concurſum ſecuturum plebemque à ſolitis ſuis recreationibus & jocis per dictas devotiones minimè divertendam eſſe diceret , Sanctus Archipræſul id minimè verum eſſe vivacibus in medium adductis rationibus oſtendit , ideoque ſibi decretum eſſe inquit , quod ſicut Dæmon adeo eſt ſolicitus ut homines ad mala facienda invitet,ita ipſe memor eſſe velit obligationis,quæ ipſum velut bonum Paſtorem urgeret,ut concreditum ſibi gregem ab ejuſmodi noxijs diſſolutionibus impediret & pro viribus arceret,carnaliumque oblectamentorum loco exercitia & ſolatia gregi ſuo ſpiritualia præpararet.

Obligatio Paſtorum diebus Bacchi.

Inſuper adjecit , quod Exempla bonorum magnam in ſe efficaciam habeant , ut eos qui totaliter depravati non ſunt, ad ea imitanda invitent , ac proinde eo ipſo quo exercitia ſpiritualia hiſce diebus tractabuntur à bonis , hoc ſaltem obtenturus ſit, ut non omninò mali ad eadem ſectanda facile ſe induci permittant. Præterea inquit, Verbum Dei fœcundum ſemper fuit & fructuoſum, ac proinde nequaquam convenit,ut hiſce diebus,quibus Mundus pravis ſuis exemplis prædicando homines ad mala ſectanda hortatur & invitat, ego à prædicando Dei verbo deſiſtam. Tandem ait: Eo tempore,quo multæ animæ ad interitum properare , Divinæque iracundiæ flagella à populo provocari conſpiciuntur,bonus & ſolicitus Epiſcopus ad placandum Deum, eumque ad compaſſionem erga peccatores permovendum , ad orationem & pœnitentiam,unà cum bonis confugere arctè obligatur.

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Bacchanales diſſolutiones multas ſecum transgreſſiones ſubinferunt : Spectacula etiam & Comœdiæ , præcipuè profanæ , incentivum , & inſtrumentum ſunt omnium malorum , utpote quæ nobis per illas vivaciſſimè & tenaciter imprimuntur.

### THEMA.

*Omnes qui ad ſpectaculum proceſſerant , trucidavit.* 2.Machab.5.℣.26.

Bacchanalia Animæ perniricioſa.

*2.Macch.5. v.26.*

*Lyran.ibid.*

1. IMpius ille & ſacrilegus Apollonius Hieroſolymam ab Antiocho miſſus,cruentam & crudelem in illis qui ad ſpectaculum confluxerant, ſtragem inſtituit : *Omnes qui ad ſpectaculum &c.* Ubi Lyranus inquit : *Ex hoc videtur quod armationem illam ſimularet fieri ad aliquem ludum exercendum, ut haſtiludium & hujuſmodi , ad quod videndum convenerunt plurimi.* Nos verò à litera ad ſpiritum tranſeuntes liberè affirmare poſſumus, quod ſpectacula, Comœdiæ , ſimileſque aliæ recreationes , quæ à nobis honeſta oblectamenta , & conſequenter licita eſſe exiſtimantur , animarum ſaluti utplurimum valdè pernitioſa exiſtant, æternamque nobis mortem frequenter concilient ; Unde D.Chryſologus ait : *Erras ô homo , non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina, ſatis ſe decipit,qui ſic ſentit.*

*D.Chryſ ſer. 155.*

Gaſpar Manzi in materijs præcipuè legalibus ſæculi noſtri valde celebris ſcriptor , utpote qui varijs copioſiſque voluminibus Bibliothecas plurimum adauxit , in Centuria Deciſionum Palatinarum ita ſcribit : *Si quæratur an Bacchanalia & larvati diſcurſus tolerari debeant,ubique locorum reſpondi, quod non,atque ita reſpondebo , quamdiu vixero ; Ratio mea fundamentalis eſt,quia omne illud è Republica Chriſtiana tollendum eſt,quod in ſe peccaminoſum eſt, vel occaſionem peccandi , vel ſcandalum præbet , & quod contra legem Divinam & humanam,contra honeſtatem & bonos mores tendit.* Quod verò diſſolutiones Bacchanales multas Dei offenſas , multaque ſcandala annexa habeant à ſufficienti partium enumeratione,probari facilè poteſt.

*Gaſp.Man.in Centur. Deciſ. Pal. Q. 30.n.21.22.*

2. Enimvero Agag Amalecitarum Regem,juratum populi Dei inimicum , contra quem Divinæ juſtitiæ gladius Samuele Propheta mediante vindictam ſuam exeruit , propriiſſimam Bacchanalium figuram extitiſſe,aſſerere poſſumus ; De hoc autem Sacra Scriptura dicit : *Et oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus* , nimirum verus Bacchi typus , à quo Bacchanalia nomen ſuum habent , *Et in fruſta concidit eum Samuel coram Domino.*

Agag Bacchi typus.

*1.Reg.15. v.32.*

Quodnam verò in eo latet myſterium , quod non ſolum ei necem intuliſſet , Verum etiam corpus ejus in minutas partes conſcidiſſe Propheta Dei dicatur ? Nimirum *Omnia in figura contingebant illis* ; per hoc etenim infinita & inperſcrutabilis Dei ſapientia inſinuare voluit, Bacchanalia à Prophetis ſuis , id eſt ; Miniſtris Evangelicis Divini verbi gladio in minutas comminuenda eſſe partes , id eſt , ab eis irreparabilia damna , vanitatem item & deceptionem , fictionem & abominationem Bacchanalium,quæ cupiditatem & curioſitatem humanã adeò vehementer ad ſe rapiunt, auditoribus ſingulatim & per partium ſingularem diſcuſſionem enucleandam eſſe , id quod S. Gregorius in moralibus ſuis forſitan dicere voluit, dum ait : *Sic nimirum Agag pinguiſſimus occidetur, ſi in fruſta dividatur, quia ſenſum carnis cum immundis motibus tum in corpore , tum in anima,tunc potenter extinguimus , ſi ad ejus ſingulas inſidias ſingulari intentione vigilemus.* In hoc tamen præſenti diſcurſu de Comœdijs,ſcœnis,theatris,atque ſpectaculis tantum modo tractabimus.

*S.Greg.l.6. in 1.Reg.1. v.15.*

3. Enimverò Comœdiæ ſi ſecundum exteriora ſpectentur , bonis moribus nequaquam præjudicare videntur , & tamen illis , prouti authoritate tam profanorum , quàm Sacrorum Scriptorum probabimus, pernitioſiſſima exiſtunt.

Comediæ pernitioſæ.

Et quidem Ariſtoteles Philoſophorum omnium facile Princeps ijs qui regimini & ſaluti Reipublicæ præſunt,hoc ſalutare monitum Preſcribit : *Juniores Comœdiarum ſpectatores non ſinat eſſe legislator.* S. Auguſt. de Romanis antiquis idololatris tractans ita ſcribit : *Dij propter ſedandam corporum peſtilentiam ludos ſibi ſcenicos exhiberi jubeant: Pontifex autem veſter,propter cavendam animorum peſtilentiam ipſam ſcenam conſtrui prohibebat :* ſubditque idem S. Doctor , quod tametſi Romani ad ſedandam corporum peſtem ludos ſcenicos permiſerint , per illos tamen peſtilentiam nequaquam ſuppreſſerint , quin potius aſtuti ſerpentis illos ad hanc permiſſionem concitantis intentum fuit,eiſdem aliam quamdam lethaliſſimam animarum pariter & corporum peſtilentiam , morum ſcilicet ingenuorum corruptelam,omniſque vitij contagium irremediabile conciliare. *Neque enim & illa corporum peſtilentia ideo conquievit, quia populo bellicoſo,& ſolis antea ludis Circenſibus aſſueto , ludorum ſcenicorum delicata ſubintravit inſania , ſed aſtutia ſpirituum nefandorum prævidens jam peſtilentiam ſine debito ceſſaturam, aliam longe graviorem , quæ plurimum gaudet , ex hac occaſione non corporibus , ſed moribus curavit immittere, quæ animos miſerorum tantis obcæcavit tenebris , tanta deformitate fœdavit , ut etiam modo ( quod incredibile forſitan erit , ſi à noſtris poſteris audietur ) Romana urbe vaſtata , quos peſtilentia iſta poſſedit , atque inde fugientes Carthaginem pervenire potuerunt , in theatris quotidie certatim pro hiſtrionibus inſanirent.*

*Ariſt.l.7. Polit.in fin. S.Aug.l.1. de Civit.c.31.*

Audite quonam Epitheto Divus Chryſoſtomus ſpectacula indigitet , dum illa pernitioſam Civitatum peſtem his verbis appellat : *Civitatum peſtes , malorum omnium fontes , peſtilentiæ cathedram* ; Quem eumdem titulum Clemens Alexandr. in ſuo Pædagogo multis ante ipſum annis theatro attribuit,dum illa *cathedram peſtilentiæ* vocitat : *Nec ad ſpectacula quidem nos pædagogus deducet ; nec inconcinne ſtadia & theatra peſtilentiæ cathedram quis vocaverit.*

*S. Clem. Alexandr. l.3.pæd.c.11.*

Tertullianus author antiquiſſimus , qui in deteſtationem hujus materiæ integrum quemdam librum compoſuit , iis qui ex Decalogo ſcutum ſibi , unde ſpectacula ab omni reprehenſione tuerentur,formabant ; dicendo , nullum eſſe in toto Decalogo præceptum , quo theatris aſſiſtere vetaremur , ſicut prohibemur per illa : *Non occides, non furaberis* , Non eſt interdictum , dicebant : *Non ibis in circum,non in theatrum* , his inquam dictus Tertullianus reſpondet dicens : *Sed inveniemus ad hanc*

*Tertull. de ſpect. c.3.*



*Tertull.ibid. cap.27.*

*quoque ſpeciem pertinere illam vocem David : Felix vir qui non abijt in conſilio impiorum , & in via peccatorum non ſtetit , & in cathedra peſtium non ſedit ; nam etſi juſtum illum videtur prædicaſſe , quod in concilio & in ſeſſu Judæorum,de necando Domino conſultantium non communicavit , late tamen ſemper Scriptura divina dividitur , ubicumque ſecundùm præſentis rei ſenſum etiam diſciplina munitur ; ut hic quoque non ſit aliena vox à ſpectaculorum indictione.* Idem quoque Author,quam ſint ſpectacula bonis moribus perniciofa , & contagij inſtar deteſtabilia & conſequenter fugienda , in progreſſu ejuſdem libri c. 27. his verbis exponit : *Non ergo fugies ſedilia hoſtium Chriſti,illam cathedram peſtilentiarum, ipſumque aërem qui deſuper incubat, ſceleſtis vocibus conſtupratum ?* Petrarcha quoque de Theatris tractans , quam ſint theatra bonis moribus infeſta , & inſtar contagij fugienda ſequentibus verbis indicat : *Duo*, inquit, *loca bonis ſemper adverſa moribus fuiſſè notiſſimum eſt,quo quiſquis malus ierit , redibit peſſimus ; nam bonis iter illud ignotum eſt,qui ſi caſu aliquo ignari adeant , contagione non carebunt.*

*Petrarcha Dial.30.*

Quod ſi igitur hæc peſtis etiam illis , qui præter intentionem ſuam ad illa accedunt , tenaciter adhæreſcit , prout Alipio contigiſſe novimus , quanto pernitioſior illis erit , qui illis *data opera* aſſiſtunt ? S.Cyprianus ſimiliter morum bonorum peſtem appellat illam quæ in theatris contrahitur : *Adhuc deinde morum quanta labes,quæ probrorum fomenta,quæ alimenta vitiorum , hiſtrionicis geſtibus inquinari ?*

*S.Cypr. epiſt. 2.ad Donat.*

Idem in Libro quodam in quo ex profeſſo de ſpectaculis tractat,damna quæ Eccleſiæ conciliarunt,notabilibus hiſce & compaſſionem magnam indicantibus lamentis deplorat, dum ait : *Eouſque enervatus eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor , & ita omni languore vitiorum præcipitatur in pejus,ut jam non vitijs excuſatio, ſed authoritas detur*,idque in hujus Tractatus ſeu Libri præfatione ſcribit.

*S.Cypr.de ſpect.*

4. Sciendum quoque eſt Eccleſiam illis ſæculis theatrorum frequentationem tanto cum rigore condemnaſſe,ut hi qui ſub vexillum Chriſti adſcribi , & ſacroſanctum fidei Catholicæ lavacrum ſuſcipere geſtiebant, in multis particularibus Eccleſijs,per inviolabilem promiſſionem his ſe ſpectaculis in perpetuum abrenuntiaturos eſſe proteſtari debuerint,prouti plura claſſicorum authorum loca atteſtantur , ampliſſimamque fidem faciunt Annales Eccleſiaſtici.

Catholicis prohibita erant.

Moralis ille Philoſophus Seneca , qui qualiter omnia urbis Romanæ ſcelera , ex unica theatrorum radice derivata fuerint, per experientiam ſui temporis novit , hanc habet propoſitionem : *Nihil eſt tam damnoſum moribus , quam in aliquo ſpectaculo deſidere*, cujus hanc rationem aſſignat : *tunc enim per voluptatem facilius vitia ſubrepunt* : At verò parum nimis dixit , ſi hæc ejus propoſitio cum illa comparetur , quam nobis in alio loco ad idem propoſitum ſcriptum reliquit : Dicit enim ibi : *Cum videris circum , in quo maximam ſui partem populus oſtendit, hoc ſcito , illic tantumdem eſſe vitiorum quantum hominem* (quid ultra dicere potuiſſet ? ) *facilius vitia ſubrepunt.*

*Ann.201. n.36. Baro. Sen.ep.7.*

Ab his omne malum.

Tertullianus Deum rogans , ut complacentiam & oblectationem theatrorum à fidelibus ſuis ſubmoveat, hiſce verbis utitur : *Avertat Deus à ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem.*

*Tertull. l.de ſpect. c.25.*

5. In ſcenis adulteria, vindictas, fraudes aliaque ſimilia vitia fingere aut repræſentare adeo damnoſum non eſſet , niſi is qui eas auſcultat, eodem tempore illa interius per delectationem imbiberet, & diſceret , eademque memoriæ noſtræ tenacius impreſſa remanerent. Unde Lactant. Firmianus ait : *In ſcenis neſcio an ſit corruptela vitioſior , nam ſcenicæ fabulæ de ſtupris Virginum loquuntur , aut amoribus meretricum , & quo magis ſunt eloquentes, quia flagitia illa finxerunt , eo magis ſententiarum elegantiam ſuadent,& facilius inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi & ornati.*

Vitia imprimunt.

*Lactant. Firm l.6. cap.20.*

6. Joannes Baptiſta Manzini,noſtri temporis Academicus inſignis in Epiſtola ad Lectorem quam vitæ S. Euſtachij præfixit , ſe à ſcelerato quodam homine , qui ſe in materia laſcivos amores ſpectante Ariſtotelica ſubtilitate præditum eſſe jactabat , audiſſe refert quod cum honeſtæ cujuſdam puellæ amore teneretur eoque ſe per apertas ſolicitationes frui poſſe deſperaret, eamdem dolo & aſtu circumvenire decreviſſet,ideoque oculis ejus librũ quemdam de ſenſuali amore tractantem per tertiam manum ſubjeciſſet , idque eventu minimè caſſo & irrito,ſiquidem per varia in libro illo recenſita amoris exempla, ſenſualis amor adeo vehementer ejus ſe cordi inſinuaverat, ut ad illorum ſe exempla componens,ab honeſtiſſimo pudicitiæ ſtatu , quem hactenus illibatum conſervarat,ſe protinus perverti & ſeduci permiſerit; Quod ſi tantum malum obſcœni alicujus libri lectura cauſare prævalet,cogitetis velim quanto vivaciorem & potentiorem imaginativæ & menti ejus impreſſionem cauſatura fuiſſet , rei alicujus illicitæ ſcena & realis repræſentatio ? Audiamus S. Baſilium hac de re loquentem : *Si igitur*,inquit, *fortuiti congreſſus,ijs qui mulieres aliud agentes intuentur, tantum afferunt periculi,quantum faceſſère putas congreſſiones illas,quæ ex induſtria ſuſcipiuntur ? Nam intueri eas mulieres,quæ formam ſuam adulterant,quo adoleſcentes ad libidinem provocent, quæque adeo dulces , & ſuaves cantilenas edunt , ut poſſint etiam ſolo auditu omne æſtrum voluptatis in animos libidinoſorum figere,atque imprimere. Quid igitur dicent, aut quam excuſationem adferent illi , qui ex ejuſcemodi ſpectaculis ingentem cumulum vitiorum congeſſerunt ? Licet enim & ſermone & oculis & auditu adulteri, licet etiam vitia corde concipere.*

Nocet lectio laſcivorum, magis tamen ſcenæ.

*S.Baſil. orat. 8.de temp.& contin.*

7. D.Chryſoſtomus ijs qui ideo ſibi Theatris aſſiſtere licitum eſſe perſuadent , quia in ſcœna mera tantum figmenta & repræſentationes comicas exhiberi conſtat; ſequentibus verbis reſpondet : *Neque vero iſtud mihi opponas , quod jam quidquid ibi fit , ſimulatio & fictum argumentum ſit, non etiam veritas rerum,etenim ſimulatio iſta plurimos adulteros ferit , & multas domos ſubvertit , proptereaque maximè gemo , quod tam grande malum hoc, malum eſſè non creditur, ſed quod eſt multo deterrimum, & favor,& clamor,& plauſus adhibetur & riſus.*

Objectio ſolvitur.

*D.Chryſ. hom.6.in Matth.*

8. Tritum prorſus , nec tamen umquam ſatis ponderatum eſt illud ſancti Hieronymi exemplum , qui licet decrepitus , & à cilicijs , flagellis & jejunijs extenuatus , Scorpionum & ferarum in deſertis latitantium ſocius eſſet , attamen ut ipſemet ad Euſtochium Virginem ſcribit , inſultus evadere non potuit Spiritus fornicationis , qui choreas & tripudia , quæ Romæ in ſua juventute incaute olim viderat , in phantaſmatibus ejus vivaciſſime repræſentabat. Unde Petrarcha ait : *Multum mali auribus invehitur , ſed multo magis oculis , illis quaſi feneſtris bipatentibus in animam mors irrumpit , nil potentius in memoriam deſcendit , quam quod viſum ſubit , facile audita prætervolant , conſpectarum imagines rerum hærent etiam invitis , nec ſe tamen niſi volentibus ingerunt perrarò & perocyus obituræ.*

Exemplum.

*Petrarch.l.de rem.utriusq. fort. c.30.*

9. S.Cyprianus ad Donatum de impreſſionibus quas actiones in ſcenis comicis repræſentari menti ſpectantium pertinaciſſime inſigunt loquens dicit : *Numquam ævi ſenio delicta moriuntur , numquam temporibus crimen obruitur , exemplo fiunt , quæ eſſè jam facinora deſtiterunt.* Peſſimum vero eſt , quod venenum quod mortem animæ conciliat cum riſu & aviditate paſſim excipiatur. Unde S. Valerianus merito inquit : *Nemo inſidioſis cantibus credat , nec ad illa libidinoſæ vocis incitamenta reſpiciat , quæ cum oblectant , ſæviunt , cum blandiuntur occidunt.* Lethifera vulnera infligunt quibus animam crudeliter cruentant & malorum omnium maximum eſt , quod tametſi æternam damnationem inferant, illa tamen nequaquam ſentiant , quia placent ; & hoc eſt quod D. Chryſoſtomus amare deplorat ; dum theatrum appellat : *Omnem impudicitiæ Orcheſtram , Babylonicam fornacem , omnino enim velut in fornacem quamdam compellens Diabolus urbem ſic ab imo ſuccendit , non jam malleolos ſubmittens , veluti barbarus ille tunc temporis neque naphtam , neque ſtupam , neque picem , ſed his multo pejora ; fornicarios viſus, turpia verba,delibuta membra,atque omnis plenos malitiæ cantus.*

Delicta fiunt exempla.

*S.Cypr. ep.2.*

*S.Valer.Carmel.epiſt.2.*

*D.Chryſ. T.1.de Pœnit. hom.3.*

Pergit paulò poſt maximum conſiderare damnum quod ſpectacula & comœdias profanas conſequitur ; *Hæc* , inquit , *illa pejor , quandoquidem ignis deterior , non qui corporis naturam , ſed qui bonam animi depopulatur habitudinem ; & quod nocentius eſt , neque ipſi qui comburuntur , idipſum ſentiunt , ſi enim ſentirent , non tam effuſum illum in his riſum emitterent.* De omnibus voluptatibus , ſpecialiter verò de ijs , quæ tanta cum licentia in Bacchanalibus regnant,affirmari poteſt quod Sanctus Cyprianus ad Donatum de oblectationibus ſcribens ait : *Arridet ut ſæviat , blanditur ut fallat , illicit ut occidat* ; Dum enim licentia ſeu potius diſſimulatio publica cernitur , qua tantus hominum torrens ſine ullo fræno præcipitanter & certatim ad choreas , comœdias , curſus , & ſpectacula confluunt , unusquisque malum ſociorum exemplum ſectari licitum putat,exiſtimaturque recreatio id quod revera eſt diſſolutio , hacque ratione cum oblectatione omnia vitia imbibuntur,& præcipue impudicitiæ,prouti ſequenti diſcurſu fuſius exponemus.

*S.Cypr. ad Donat.ep.2.*

DISCUR-

# DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Oſtenditur Comœdias prophanas ſpecialem eſſe obſcœnitatis nidum, omnisque impudicitiæ cauſam & originem.

## THEMA.

*Impleta eſt civitas confuſione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum.* Act. 19. ℣. 20.

Comœdiæ ſeminarium ſcelerum. *Act. Apoſt. c. 19. v. 20.*

1. FAcile eſt cauſam intelligere ob quam tota civitas confuſione repletur, & in Babyloniam quamdam tranſmutatur, ſiquidem ſacer textus protinus ſubjungit: *Impetum fecerunt uno animo in theatrum*; Spectacula enim ſcenæ, & theatra omnium vitiorum omniumque ſcelerum unicum ſunt ſeminarium, ſpecialiter vero omnis impudicitiæ nidus exiſtunt. Porro ſciendum eſt, quod Dæmon fidelium animas ſpecialiter ſibi per impudicitiæ vitium vendicet, & in turpem ſervitutem redigat, nam ut S. Auguſt. ait: *Ubi immunditia eſt corporis, ibi habitatio Diabolici ſpiritus, qui maxime gaudet in inquinatione carnis noſtræ.* S. Ambroſius qui virginitatem illibatam conſervando, fornicationem ſemper velut peſtem pernitioſiſſimam fugit, ſuper illa Apoſtoli verba: *Fugite fornicationem*; ita ſcribit: *rectè fugiendam monet fornicationem, per quam filij Dei, filij fiunt Diaboli.*

*S. Aug. ſer. 249. de temp.*

*S. Ambr. ibid.*

Inventum Diaboli. *1. Petr. 5. 8.*

2. Certum eſt enim, quod Dæmon in ruinam & præcipitium animarum Chriſtianarum vehementer anhelans (*circuit quærens quem devoret*) Bacchanalia, quibus titulum hunc attribuit, quo Italice Carnevale vocantur, ſtudio & data opera inſtituit, ut caro in nobis prævaleat ſpiritui, ut tanto ſibi copioſiorem animarum prædam acquirere poſſit; ad hoc autem, ut nos impudicitiæ viſco tanto tenacius innectat inter alia inſtrumenta eo deſervientia, theatrum & ſpectacula, efficaciſſimum eſſe cenſuit; Et ideo D. Chryſoſtomus in Homilia quadam ad populum refert qualiter antiquitus illi, qui ſuſcepto regenerationis lavacro ad fidem initiabantur, ſpectaculis ſpeciatim abrenuntiare ſolebant, utpote quæ verus & ſuavis ſunt Dæmonum nidus; Dicebant enim inter alia: *Abrenuntio tibi Sathana & pompæ tuæ*, quam propoſitionem paulò poſt clariorem efficit, dum quænam hæc Sathanæ pompa ſit, his verbis declarat: *Pompa Sathanica ſunt theatra.* S. Cypr. ad idem alludens dicit, neminem Dæmoni perfecte renuntiare, quamdiu ſpectaculorum amicus extiterit: *Impudenter*, inquit, *in Eccleſia Dæmonia exorcizat, quorum voluptates in ſpectaculis laudat, & cum ſemel illi renuntiant, reciſa ſit res omnis in baptiſmate, dum poſt Chriſtum ad Diaboli ſpectaculum vadit, Chriſto tamquam Diabolo renuntiat.* Satis etiam manifeſte idipſum idem ſanctus Martyr indicat, dum de ſpectaculis, theatris, ſcenis, & comœdijs tractans inquit: *Sciat hæc omnia inventa Dæmoniorum eſſe.*

*D. Chryſ. hom. 21. ad pop. Ant.*

*S. Cypr. de ſpect.*

*Baron. An. 201. n. 31.*

3. Eminentiſſimus Cardinalis Baronius Chriſtianos olim à Gentilibus calumniatos fuiſſe refert, quod velut otioſi, Gens Reipublicæ inutilis eſſent; quos tamen Tertullianus confutavit, dum illos militare, laborare, mercimonijs intendere, & cum alijs in rebus licitis & honeſtis, non vero ad vana & vitioſa, qualia ſpectacula ſunt, convenire oſtendit. Etenim tranſgreſſionem antiquæ illius obſervantiæ Chriſtianæ qua ab ejuſcemodi vanitatibus abſtinere ſolebant, ſummopere ſemper diſplicuiſſe certiſſimum eſt (hujus enim decretorum ſynodalium teſtimonia, & habiti à ſanctis Patribus ſermones ampliſſimam fidem faciunt) hoc enim Deus per immiſſa varijs temporibus ſupplicia ſufficienter oſtendit. Sic enim mulier quædam ad ſpectacula videnda accedens, inde à Diabolo obſeſſa domum redijt, qui in exorciſmo reprehenſus, quod mulierem illam fidelem & Chriſto militantem invadere & ingredi præſumpſiſſet, ſe excuſavit dicendo: *Conſtanter & juſtiſſime feci, in meo eam inveni*, hæc omnia refert ſupracitatus vetuſtiſſimus Scriptor Tertull.

Hiſtoria.

*Tertull. c. 26. de ſpect.*

4. Referamus quid hac de re ſenſerint celebriores Doctores, & illuminatiſſimi præteritorum temporum ſancti Patres. Sanctus Cyrillus Alexandrinus ait: *Qui in ſcenis verſantur, & quibus inſatiabilis eſt amor carnis, & quibus impurus idololatriæ error gratus, execrandam vitam ducunt, ac turpiſſimis maculis inquinatam.* Clemens Alexandrinus in ſuo Pædagogo peſſima hæc theatris aſſiſtentia hominum Collegia confuſione, & conſequenter omnibus malis pleniſſima eſſe norat, dum inquit: *Magna confuſione & iniquitate hi cœtus pleni ſunt; occaſio conventus cauſa eſt turpitudinis, cum viri & fœminæ mixtim conveniant, alter ad alterius ſpectaculum, dum laſciviunt oculi, caleſcunt appetitiones.*

*S. Cyrill. Alex. t. 1. l. 14. de adorat.*

Patrum & Dd. ſententia.

*Clem. Alexandr. l. 3. pædag. c. 11.*

5. Quemnam obſecro Deum tutelarem, quem Gentiles veluti theatris præſidentem venerabantur, fuiſſe exiſtimatis? Num forte is Jupiter aut Juno, an vero Mercurius, aut Saturnus fuit? Audite Salvianum id paucis verbis, ſed clare & perſpicue dicentem: *Colitur*, inquit, *Venus in theatris.* Varro ſolito ingenij ſui acumine ſcenæ etymologiam his verbis explicat; *Obſcænum à ſcena*, quaſi diceret obſcænitas nomen ſuum à ſcena mutavit. Tertullianus in ſpecie de ſpectaculis & theatro tractans, hunc ſcenæ titulum attribuit: *Theatrum proprie Veneris ſacrarium eſt.*

*Salv. l. 6. de provid.*

*Tertull. de ſpect. c. 10.*

6. In ſacriſtijs omnia illa quæ ad Eccleſiæ cultum pertinere dignoſcuntur præparari & aſſervari ſolent, ſpecialiter vero Sacerdotes ad Dei honorem ſacrificia oblaturi, & miniſtraturi ſacramenta, ibidem veſtibus ſacris induuntur. Audite autem quonam epitheto S. Auguſtinus ſcenas & ſpectacula indigitet, dum illa Dæmonum ſacramenta appellare non dubitat: *Jam*, inquit, *quam late pateat curioſitas ipſa in ſpectaculis, in theatris, in ſacramentis Diaboli.* Eodem prorſus tempore Baccho & Veneri ſacrificia offeruntur, & victimæ unanimiter ſacrificantur, ſiquidem individui ſodales exiſtunt: *Duo iſta Dæmonia*, inquit Tertullianus, *conjurata & conſpirata inter ſe ſunt ebrietatis & libidinis; Theatrum Veneris Liberi quoque domus eſt.*

*S. Aug. T. 9. in 1. Joan. 2.*

*Tertull. de ſpect. c. 10.*

7. Propriiſſimum quoque & præ alijs propoſito noſtro convenientiſſimum epithetum eſt illud, quod ab eodem authore theatro ingenioſiſſime imponitur, dum illud *Privatum conſiſtorium impudicitiæ* appellat. Porro Summus Pontifex & Cardinales in Conſiſtorio ſecreto, maxime ardua tractant Eccleſiæ negotia & conſilia, ibi namque Epiſcopi pro Eccleſiarum regimine proponuntur & eliguntur, ſtatuunturque reſolutiones & decreta, bonum Sedis Apoſtolicæ regimen concernentia: Econtra vero in Conſiſtorio Dæmonis, in comœdijs, ſcenis, theatris & ſpectaculis per ſpecies & perſonas laſcivas, impudicos geſtus, repræſentationes obſcænas, vehementes ſuggeſtiones, ſtupra tantum, adulteria, & quævis aliæ enormiſſimæ ſenſualitates ſeminantur. Unde D. Chryſoſt. ait: *Quod enim lucrum theatra iniquitatis aſcendere, ad communem luxuriæ ſcholam introire, ad publicum incontinentiæ gymnaſium, ſuper cathedram ſedere peſtilentiæ.* S. Baſilius pariter ſcribit: *Communem & publicam diſcendæ omnis incontinentiæ officinam ijs qui eo provolant confeſſuri.* Caſſiodorus theatrum ſignificanti quodam titulo appellatne dicam, an vituperat, dum eam ſub hoc epitheto deſcribit, & nominat *Evacuatorem honeſtatis.* Sanctus Cyprianus impudicitias quæ ibi repræſentantur, conſiderans dicit: *Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum ſuum, non magis regno, quam vitijs principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris avibus proſilire*; Quamnam vero inde deducit conſequentiam? Nimirum propoſito noſtro aptiſſimam; Dicit enim: *Quære jam nunc, an poſſit eſſe, qui ſpectat integer, vel pudicus.* Salvianus oculum non corporis, ſed mentis in geſtus & actus obſcænos in theatris triumphantis dirigens eamdem habet conſiderationem; Dicit enim: *Quis integro verecundiæ ſtatu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obſcænitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates? Qui forte ad ſpectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur.* Nec eſt quod quis dicat, amores & adulteria ibi repræſentata, apparentia tantum eſſe, non vera, ſiquidem quantumvis apparentia & ficta tantum ſint, ideo tamen mentibus & cordibus noſtris vulnera & noxias impreſſiones inferre non deſinunt. Unde Commentator Tertulliani in Apologia cap. 38. ait: *Minutius per Cæcilium in Octavio minus vel exponit adulteria, vel monſtrat, nunc enervis hiſtrio amorem, dum fingit, infligit.* Adhæc notandum eſt utiliſſimum quoddam D. Chryſoſtomi in hac materia monitum; Tametſi enim, inquit Sanctus hic Doctor, ſcena illa ſubito evaneſcat, & comœdia tandem finem ſuum dimiſſis ſpectatoribus accipiat, nihilominus inquit Sanctus: *Deſcendiſti à theatro? Quæ ſpectaſti, ad memoriam recurrant*; Imo quamdiu vivimus, impura illa phantaſmata nobis impreſſa perſeverant, nobiſque continuum bellum & luctam inferunt, Dæmon enim illa continuo in memoriam & imaginationem revocat, ut amplius noceat. *Concurritur*, inquit S. Cyprianus de ſpectaculis & theatris loquens, *ad illud pudoris publici lupanarium, ad obſcænitatis magiſterium.*

*Tertull. ibid. c. 17.*

*D. Chryſ. T. 1. H. 56. de Pœnit. 8.*

*S. Baſil. ho. 4. in Hexa.*

*Caſſiod. l. 3. Epiſt. 50.*

*S. Cypr. Ep. 2. ad Donat.*

*Salvian. l. 6. de Provid.*

Multi revertuntur impuri.

*Tertull. in Apol. c. 38.*

*Minut. Felix in octav.*

*D. Chryſ. hom. 3. de Pœnit.*

*S. Cypr. de ſpect.*



Clemens Alexandrinus quoque calamum ſuum ad invectivas adverſus haſce diſſolutiones faciendas ſtringit, dum ita ſcribit: *Prohibeantur ſpectacula, quæ nequitia verbiſque obſcænis & vanis, temere profuſis plena ſunt; quod enim turpe factum non oſtenditur in theatris? Quod autem verbum impudens non proferunt, qui riſum movent ſcurræ & hiſtriones? Qui autem ex vitio quod in ſe eſt, delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt.*

*S. Clem. Alexandr. l. 6. pæd. c. 11*

Pudicitia periclitatur.

8. Enimvero pudicitiam & honeſtatem in theatris communiter periclitari adeo verum eſt, ut leges civiles, ubi de repudianda à marito conjuge ſua tractant, definierint: ut *Nullo modo uxorem expellat, niſi adulteram*, ſed qua ratione illam revera talem eſſe probabitur? Audite: *Vel theatralibus ſpectaculis, ſe prohibente, gaudentem*, quaſi dicerent, mulier quæ ſpectaculis intereſſe gaudet & non obſtante mariti prohibitione illa frequentare deſiderat, claram atque perſpicuam marito ſuſpicionem ingerit, qua illam infidelitatis conjugalis redarguere poſſit. S. Cyprianus ad Donatum ita ſcribit: *In theatro conſpicis, quod tibi & dolori ſit & pudori. Delectat in mimis turpitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit, audire. Adulterium diſcitur cum videtur, & lenocinante ad vitia publica fortaſſè ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica.* Imo non oculi tantum, ſed & aures ſpecies & imagines obſcænas menti ingerunt: *Tam quæ videntur, quam quæ audiuntur* (verba ſunt D. Chryſoſtom.) *magis accendunt, & fornax concupiſcentiarum magis inflammatur.* Lactantius Firmianus ſpectacula, theatra & ſcenas comicas vocabulo quodam circumſcribit, quod earumdem incantationem mirabiliter exprimit. *Maxima*, inquit, *ſunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos animos potentiſſime valent.* Arnobius eiſdem titulum quemdam parum à priori differentem imponit, dum illas vocat: *Lenocinia voluptatum.* Chryſoſtomus hiſce eaſdem epithetis honorat, ſeu potius infamat, vocat enim illas *peſſimum locum, plurimorum morborum plenum*; Ibi enim omnia vitia addiſcuntur; Et tametſi ibi quoque boni quidpiam addiſci poſſit, nihilominus quia natura noſtra depravata malo facilius adhæreſcit, facilius hoc addiſcitur, & illud negligitur; Præterquam quod, ut Sanctus Iſidorus Peluſiota bene notat, Comici bonos docere mores numquam intendunt, *non ut multi meliores reddantur, ſed ut multi in ſcelus labantur.* S. Cyprianus qualitates & conditiones illorum hoc modo deſcribit: *Evirantur mares, honor omnis, & vigor ſexus enervati corporis decore mollitur, pluſque illi placet, quiſquis virum in fœminam magis fregerit, & laudem conſequitur ex crimine, & peritior, quo turpior judicatur.* D. Chryſoſtomus coram populo Antiocheno prædicans, multa è ſpectaculis derivantia mala eidem repræſentabat, quæ tamen omnia fere ad honeſtatem & pudicitiam contaminandam ſpectare ſeu tendere videntur: *In theatra aſcendere, & equorum certamina ſpectare, & aleas tractare, non videtur multis peccatum eſſe manifeſtum, ſed infinita vitæ mala ſolet inferre, etenim in theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit, & Circenſium ſpectatio, pugnas, convitia, vulnera, juges inimicitias adduxit, & circa aleas, ſtudium, blaſphemias, jacturas, iras, convitia.* Cui conſonat quoque illud quod D. Baſilius his verbis ſcribit: *Quid dicunt, aut quid cauſantur ex his ſpectaculis ubi tot mala congregantur? Nonne ob voluptatem ſe ac ad excitandam concupiſcentiam ſpectare?* Idem quoque ſanctus Doctor conſiderat, quam in profanis hiſce locis laſcivi & obſcœni aſpectus, ſive obtutus locum habeant; Dicit enim: *Si quæ forſan* (de mulieribus loquitur) *peccatum corpore vitavere, animo tandem admiſere, quæ quidem & viris mihi ſimul dicta monitaque ſint. Vidit ille male, viſa eſt illa male? Qui mulierem ad concupiſcendum viderit, jam mœchatus eſt in corde ſuo. Si fortuiti occurſus ijs, qui obiter mulierculam inſpexerunt, tantum pariunt periculi, quanto majus fuerit cum de induſtria congrediuntur, cum dedita opera mulieres in ebrietate & convivio, omni laſcivo geſtu, ſaltatione, cantu impudico ad libidinem effrænes juvenes invitantes ſpectantur.*

*Ibid. l. 8. c. de repud.*

*S. Cypr. Ep. 2. ad Donat.*

*D. Chryſoſt. hom. 54. in Gen.*

*Lactant. Fir. l. 6. divin. Inſtit. c. 20.*

*Arnob. l. 4. adv. Gent.*

*D. Chryſoſt. T. 1. ho. 56. de Pœnit. 8.*

*Iſid. Peluſ. l. 3. Ep. 336.*

*S. Cypr. ep. 2.*

*D. Chryſ. hom. 15. ad pop. Ant.*

*S. Baſi. Hom. de ebriet. & lux.*

N. B.

9. D. Chryſoſtomus quantum pro commiſſi ſibi gregis ſpirituali ſalute peſſima hæc zizania eradicare ferviret, probe cognoſcens, hanc licentiam pluribus in locis deteſtatur, & acriter reprehendit, varia ponderando irreparabilia mala, quæ exinde nata ſunt derivari: *Illinc*, inquit, *nobis pernitioſa invehuntur exempla, illinc irreligioſæ voces, illinc manuum ineptæ geſticulationes ac mores incompoſiti, nulla res enim æque eloquia Dei adducit in contemptum, atque ſpectaculorum quæ illic proponuntur, admiratio.* Petrarcha de prima theatrorum & ſpectaculorum tractans origine, illa ad virginem circumveniendam & deflorandam inventa eſſe clarè demonſtrat: *Primus Regum veſtrorum Romulus* (de Romanis loquitur) *qui in his rigidam territamque illam Sabinarum pudicitiam circumvenit, etſi utcumque matrimonij honor texit injuriam, at quam multis hoc poſtmodum, non ad conjugium, ſed ad ſtuprum vagamque licentiam fuit via? Ad ſummam enim hoc teneas velim, pudicitiam ſpectaculi ſæpe ſtratam, ſemper impulſam vidimus.* Idem quoque Scriptor paulò poſt monet, ne nos ſeduci ſinamus ſub colorato prætextu, quod eventus qui comice repræſentantur ficti ſint & nonnumquam bona in ſe documenta contineant: *Non egetis*, inquit, *præceptoribus, nimis dociles malorum eſtis, plura per vos domi diſcitis, quam neceſſè eſt*; Præterquam, inquit idem, quod etiam ſine ejuſmodi incentivis valde ad vitium natura noſtra proclives ſimus: *Mens hominis in vitium prona, non urgenda utique, ſed frenanda, ſi ſibi linquitur, ægrè ſtabit, ſi impellitur, præceps ruet.* Eſto etiam quod repræſentationes illæ comicæ honeſtæ, ſacræ, & morales exiſtant, attamen ſi mulieres ad eaſdem adhibeantur, numquam ſuo carent periculo. Unde S. Iſidor. ait: *Spectacula, ut opinor, generaliter nominantur voluptates, quæ non per ſemetipſa inquinant, ſed per ea, quæ illic geruntur dicta ſpectacula, eo quod hominibus publica ibi præbeatur inſpectio.*

*D. Chryſ. hom. 1. de verb. Iſai.*

Spectacula inventa ut Virgines deflorentur. *Petrarch. Dial. 30.*

*S. Iſid. l. 18. Orig. c. 16.*

10. Verum quidem eſt, quod ut Lactantius Firmianus bene obſervat, Philoſophi morales ſcenas comicas minimè deteſtati fuerint. Dicit enim: *Philoſophi cum diſerte ad contemptum terreſtrium nos exhortati ſint, & ad cœli ſpectaculum excitaverant, tamen ſpectacula hæc publica non contemnunt, itaque his & delectantur, & libenter interſunt*, attamen non fuit illa communis omnium Philoſophorum, res ut merentur bene ſecundum mores æſtimantium opinio, quia ut præcedenti diſcurſu diximus, maximè illas Seneca eſt execratus; Etenim eſt hic aſtutiſſimi ſerpentis manifeſtus dolus, quod hiſce diſſolutionibus fidem & authoritatem quamdam interventi virorum cæteroquin ſapientum & prudentum, & ex communi hominum conceptu timoratorum addere ſoleat, faciatque ut repræſentationes iſtæ comicæ illam honeſtatem paſſim ſibi acquirant, ut nullus, qui illis contradicat, in apertum ſe prodere auſit: at vero viſcum & latens venenum communiter abſcondit, tum in ijs qui illas recitant & repræſentant, tum in virorum & mulierum promiſcuo concurſu, tum denique in impuris aſpectibus, cunctiſque alijs intercurrentibus vanitatibus & gaudijs, quæ hoc diſſolutionis tempus ſecum adferre conſuevit.

*Lactant. Firm. l. 6. Divin. inſtit. cap. 20.*

11. De hiſce antiquis theatris inquit Tertullianus: *Nam ſæpe cenſores naſcentia cum maximè theatra deſtruebant moribus conſulentes quorum ſcilicet periculum ingens de laſcivia providebant.* Idemque vetuſtus Scriptor de Pompejo Magno refert: *Itaque Pompejus magnus ſolo theatro ſuo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ cenſoriam animadverſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum ſed Veneris templum nuncupavit, cui ſubjecimus*, inquit, *gradus ſpectaculorum.* Tandem idem citatus Tertullianus notabilibus hiſce verbis concludit dicens: *Ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexuit, & diſciplinam ſuperſtitione deluſit; ſed Veneri & Libero convenit.* Sanctus Auguſtinus theatra abominans, ita de illis ſcribit: *Caveas turpitudinum, ut publicas flagitiorum profeſſiones.* S. Cyprianus pariter de ſpectaculis tractans, fideles ſui temporis hiſce verbis exhortatur: *Fugienda ſunt iſta Chriſtianis fidelibus, tam vana, tam pernitioſa, tam ſacrilega ſpectacula, & oculi noſtri ſunt & aures cuſtodiendæ*, illiuſque dicti brevem hanc ſubnectit rationem: *Cito in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere.* S. Hilarius ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Averte oculos meos ne videant vanitatem*, inquit, *quærendum eſt, quos oculos, & à quâ vanitate oret averti; Orat autem & animi & corporis oculos, eos ſcilicet, qui in theatralibus ludis captivi incubant.* D. Chryſoſtomus damnum quod ab illis contrahitur, irreparabile eſſe exiſtimat, illoſque qui ſe fructum inde reportare poſſe exiſtimant, his verbis confutat: *Ut abſurdam invenias tuorum ſpectaculorum, quibus ſuſpenſus inhias, excuſationem, dicis te utilitatem capere ex his, ex quibus jacturam pateris irreparabilem.* Tertullianus oculos obſcœnos, qui in theatris maximè locum habeat, his verbis mirificè deſcribit: *Inter ſe de commercio ſcintillas libidinum conflabellant. Nemo in ſpectaculo ineundo prius cogitat, niſi videri & videre.* Quod ſi mihi dixeris, inquit

*Tertull. l. de ſpect. c. 8.*

Dehortationes SS. Patrum.

*S. Aug. l. de conſ. Evang. c. 33.*

*S. Cypr. de ſpect.*

*S. Hilar. Enar. in Pſal. 118.*

*D. Chryſ. T. 3. h. 1. de verb. Iſai.*

*Tertull. ibid. cap. 25.*

*Tertull. ibid. c. 20.* *Sineſius adv. Andronit.* *Tertull. ibid. cap. 15.* *Sen. ep. 7.* *Capitol. in Marc. Ant.*

inquit idem Tertullianus : *Sol, imo etiam ipſe Deus de cælo ſpectat, nec contaminatur; ſane Sol & in cloacam radios ſuos defert, nec inquinatur*; Ego, inquit, argumentum iſtud nihil valere reſpondeo, illudque ex Sineſio probo, quid dicit : *Solaris radius quamvis cænum contingat, purus, nec inquinatus manet, ego ſi idem fecero, fontibus ac mari opus habebo*; ac proinde quantumcumque homo Sanctus ſit, ſi ſe in theatrorum medio poſuerit, utique conſcientiæ ſuæ mundandæ neceſſitatem habebit. Neque Tertullianus inter ſpectacula honeſta vel profana diſtinguit, ſed indiſtinctè de illis dicit : *Omne ſpectaculum ſine concuſſione ſpiritus non eſt, ubi enim voluptas, ibi & ſtudium, per quod voluptas ſapit.* Moralis Seneca adeò ſolidè in virtute fundatus, de ſemetipſo tamen fatebatur dicens : *Quid me exiſtimas dicere? avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior? imò verò crudelior, quàm inter homines fui.* De Fauſtina Imperatrice narratur : *Cum gladiatores tranſire videret, unius ex his amore ſuccenſa eſt.*

# DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Choreas execrabiles eſſe oſtenditur, utpote quæ honeſtatem offendunt, multorumque malorum cauſa exiſtunt; quas proinde Deus ſumme deteſtatur, prout varia à Deo illis immiſſa ſupplicia comprobant; Dæmon quoque author illarum eſſe ex nonnullis in hunc finem adductis exemplis declaratur.

## THEMA.

*Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque diſcumbentibus, Rex ait puellæ : Pete à me quod vis & dabo tibi & juravit illi.* Marci 6. ℣. 22. & 23.

Saltus abſtulit Joanni caput.

1. IN toto ſacræ Scripturæ volumine vix reperiri poſſe exiſtimo argumentum efficacius, ad demonſtrandum damna irreparabilia, quæ Choreæ & tripudia ſecum ſubinferunt, quàm ſit illud, quod in propoſiti thematis verbis adducitur. Etenim Herodiades multo tempore varijsque artibus Herodem inceſtuoſis amoribus implicitum ſibi arctius adſtringere conata fuit, at verò votis ſuis ſe minimè potiri poſſe agnovit, niſi prius obturaſſet os præcurſoris Baptiſtæ? Vidit enim quod Rex reprehenſionibus ejus patulas nimiſque faciles exhiberet aures, utpote qui eum timebat, multiſque ejus admonitionibus obtemperabat : *Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Ubi obſervandum Evangeliſtam primò dixiſſe : *Herodias autem inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat, Herodes enim metuebat Joannem, . . . & cuſtodiebat eum*, ne inſidiæ, quas laſciva adultera vitæ ejus continuò ſtruebat, ad eum uſque penetrare poſſent; Omnes igitur aditus ad eum ſibi præcluſos eſſe cernens, ut inceſtuoſum cognatum ad inferendam ei necem inclinare poſſet, cum hactenus ei exhibitas voluptates variaque amoris filtra, quibus eum ineſcare ſategerat, ad intentum ſuum aſſequendum inefficacia & fruſtranea fuiſſe comperiſſet, quænam tandem ultima & potentiſſima machina illa fuit, quâ ipſum in ſuum propoſitum violenter pertrahere prævaluit? Certè nulla alia id obtinere potuit, præterquam filiæ ſuæ artificioſi & ad numeros formati ſaltus & tripudia : *Cum intraſſet filia, &c.* Ubi Sanctus Ambroſius optimè ponderat : *Plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quàm ſacrilegi furoris amentiam.* Andreas verò Cretenſis in hac eadem occaſione exclamat dicens : *O amentiam! ſaltatio adoleſcentulæ Regis cepit prudentiam, fracti manuum motus, & pedum celeritas, & membrorum tractus primum & validum Regis ſenſum enervarunt.* Omnia etenim bona Regis propoſita ſubitò evanuerunt, ubi ſaltationis voluptas & lenocinium acceſſit, tripudia enim *validum Regis animum enervarunt*; hi enim meretricij ſaltus, cum in tale præcipitium deturbarunt, quod profundius fuit, quàm umquam excogitare potuiſſet qualiſcumque crudelis, dirus, & inhumanus tyrannus, ſiquidem ſaltibus hiſce circumventus, viro ſanctiſſimo & innocentiſſimo, cui ſimilem terra non tulit, neque vidit, caput amputari, & diſco impoſitum menſæ inferri juſſit: [*Præcepit afferri caput ejus in diſco*;] *Quod omnes barbari horrere conſueverunt*, inquit Sanctus Ambroſius, *inter epulas atque convivia conſummandæ crudelitatis profertur edictum.*

*Marc. 6. v. 20* *Marc. 6. v. 19* *Ibid. v. 20.* *Ibid. v. 22.* *S. Ambr. l. de virg.* *Andr. Cret. apud Sur. in decollat. S. Joan.* *Ibid. v. 27.* *S. Ambr. l. 3. de virg.*

Prohibitæ Choreæ.

2. Et ideò Sanctus Carolus Borromæus peſſimum hoc ſemen in tota ſua Diœceſi ſumma cum ſolicitudine extirpare ſtuduit, ut patet in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis, ubi etiam de diligentia in hanc rem à Prædicatore adhibenda tractans, inter alia dicit : *In eo argumento nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur, choreas, ſaltationes, è quibus mortiferæ cupiditates excitantur.*

*Act. Eccl. Mediol. part. 4. pag. 425.*

*S. Baſil.* Sunt ut peſtis.

3. Sanctus Baſilius in Homilia quadam, cujus titulus eſt : *In ebrietatem & luxum, quibus die Paſchæ populum affectum vidit* peſſimæ hujus peſtis incitamenta his verbis deſcribit : *Fæminæ laſcivæ Dei timoris oblitæ, ignis æterni minas nihili pendentes, abjecto ſervitutis Chriſti jugo, capita honeſtis cooperta velaminibus impudicè retegentes, Deum & ejus Angelos deſpicientes, ad marium aſpectus impudentes; diffuſæ comas tunicarum luxum oſtentantes, pedibus geſtientes, ac oculo petulco, riſu laſcivo; ad ſaltationem inſanientes, juventutis intemperantiam in ſe provocantes.* Nec ſine myſterio diſſolutionem hanc tripudiorum & ſaltuum peſtem appellavi, ſiquidem idem Sanctus Pater ulterius proſequitur, dum ita ſcribit : *Aërem meretricijs artibus terram verò pedibus laſcivè ſaltando contaminavere, inſtar theatri cujusdam adoleſcentum catervas ſibi circumſiſtentes.*

*S. Baſilius.*

Cauſa multorum malorum.

4. Ipſa porrò quotidiana experientia ſatis ſuperque verum eſſe teſtatur; quod ſaltus & tripudia ex ſemetipſis inſipidæ ſint diſſolutiones, ſiquidem ex concitato pedum motu & agitatione ſecum laſſitudinem magnam ſubinferunt, nec ullam ſenſibus delectationem conciliant, ut aliæ recreationes facere ſolent ac proinde nihil ſint aliud, quàm meræ Dæmonis adinventiones, ut ſint impudicitiæ incentiva, eo quod in illis viri & mulieres ſimul choreas agere ſoleant. Unde Sanctus Ambroſius ait : *Ibi intuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, ubi comes delitiarum eſt extrema ſaltatio; Nemo, ut dixit quidam ſæcularium Doctor, ſaltat ſobrius, niſi qui inſanit, quod ſi juxta ſapientiam ſæcularem, ſaltationis author eſt aut temulentia, aut dementia, quid Divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, cum Joannes prænuntius Chriſti ſaltatricis optione jugulatus, exemplo ſit plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quàm ſacrilegi furoris amentiam?* Demum verò idem Sanctus Archiepiſcopus ad patres & matres diſcurſum ſuum convertit, illoſque hortatur, ut filios & filias ſuas ſaltationes & tripudia pro virium poſſibilitate fugere doceant : *Videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis; ſaltet, ſed adulteræ filia, quæ verò pudica eſt, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem.*

*S. Ambr. ibid.*

*Petrarcha de remed. utriuſque fort. l. 1. Dial. 24.* Pudicitia periclitatur.

5. Petrarcha de hac materia tractans, *Choream* dicit *Veneris eſſe præludium, libidinum ſtimulum, laxamentum licentiæ, ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces.* Idem quoque egregius Scriptor aliam quamdam adducit obſervationem, nimirum quod ſaltationes utplurimum nocturno tempore, quod impudicitiæ amicum eſt, & plurimum favet, inſtitui ſoleant : *Quibus additur etiam Nox, hoſtis pudicitiæ, & amica ſcelerum; Si libidinem quis tollat, nulla cauſa eſt, cur relinquatur Chorea.* Sanctus Ambroſius idipſum per adductas rationes probat : *An quidquam eſt*, inquit, *tam pronum ad libidinem, quàm inconditis motibus, ea quæ vel natura abſcondit, vel diſciplina velavit, membrorum operta nudare, ludere oculis, rotare cervicem, comam ſpargere? meritò inde in injuriam Divinitatis proceditur, quid enim ibi verecundiæ eſſe poteſt, ubi ſaltatur, crepatur, concrepatur.*

*S. Ambr. ibid.*

*Petrarch. ibid.* Choreæ prodromi obſcœnorum.

6. Aliam quoque idem Petrarcha conſiderationem in medium adducit, dum ait : *Non tam ubi delectatio præſens eſt, quàm ſperatæ delectationis auſpicium;* Choreæ enim utplurimum obſcœnorum amorum prodromi exiſtunt; Moxque idem Author objectioni cuidam reſpondet, quia dicere quis poſſet, non omnes Choreas damnandas eſſe, cum ſæpe viri ſoli inter ſe, aut mulieres ſolæ ſine virorum conſortio Choreas inſtituant, ac proinde ſine ſcandalo fiant; Ad hanc inquam objectionem reſpondet : *Illa delectatio quam ſimpliciter & velut innocuè Chorearum appellatione profitemini, & ludi tegmine crimen obnubitis, etſi enim ſolos inter viros, ſeu ſolas inter fœminas hæc nonnumquam fiant, illic tamen ſeparatim exercentur, quidve congreſſi iterum acturi ſint ſimul, diſcunt, ceu diſcipuli, qui Magiſtro abſente, quid eo reverſo loqui debeant, meditantur, Tolle radicitus hanc ſpem ingenioſam atque improbam, tolle libidinem, ſuſtuleris & choream.* Quiſnam obſecro ita ſtultus erit, qui corpus cum labore & moleſtia agitando fatigari velit, niſi aliquam oblectationis aut voluptatis futuræ ſpem habeat? *Crede mihi, cum Davide Rege, nemo ante Dominum ſaltabit, ne quem fortè*



*ſua uxor irrideat, cum tamen nullus irrideatur ante Dominum ſaltans.* Conſidera, inquit ulterius, hujus carnalis concupiſcentiæ, licet occultæ, apertas & manifeſtas conjecturas : *Corpus animum tegit, at detegit manuum jactatio, pes mobilis, oculus vagus ac petulans, tale aliquid arguunt in animo eſſe, qui non cernitur.* S. Baſilius quoque miſeram, quam in tripudijs patimur, honeſtatis & pudicitiæ jacturam deplorat : *Quas ego fleam*, inquit, *puellaſne conjugij expertes, an viris conjunctas? Hæ quidem amiſſa virginitate reverſæ ſunt, illæ verò pudicitiam viris minimè ſervaverunt.*

*S. Baſ. hom. de ebriet. & lux.*

Impij eas frequentant. *Pſ. 96. v. 3. Pſ. 11. v. 9.*

7. Porrò de ſpiritu fornicationis idem aſſerere poſſumus, quod Pſalmiſta ſcribit : *Et Inflammabit in circuitu inimicos ejus*, quæ verba Sanctus Auguſtinus de tripudijs exponit, ſicut & alia verba : *In circuitu impij ambulant*, quia ſaltando in gyrum proceditur; Dæmon igitur Chorearum author, accendit & inflammat inimicos ſuos, id eſt, animas fideles igne impuri amoris. Verum enimverò notanda ſunt verba illa : *In circuitu impij ambulant*, quia hi qui Choreas & tripudia frequentant ut plurimum impij ſunt, voluptatibus deditì, atque à Dei timore prorſus alieni, de quibus Sanctus Carolus ſcriptum reliquit : Proſcribantur à fidelibus deteſtabilia & pernitioſa tripudia, caſtitati Chriſtianorum morum adeò adverſantia, quæ radices ſunt & cauſæ rixarum, quæſtionum, odiorum, injuriarum, inſolentiarum, vulnerum, mortium, & laſciviæ ſeminaria. Quid plura? à tripudijs & choreis perpetuæ corporum famæ, facultatum, & ut uno verbo dicam, totius Chriſtianæ diſciplinæ procedunt ruinæ; Et quidem quod Sanctus Archipræſul hic dicit probatione non eget, cum idipſum re ipſa quotidiè experiamur: at verò quantum ſaltus hi Deo diſpliceant, hujus nobis evidens argumentum ſubminiſtrant ſupplicia, quæ Divina juſtitia varijs temporibus in ejuſmodi tranſgreſſores immiſit.

*Act. Eccl. Mediol. pag 1152.* Origo ſcelerum.

*Th. Cantip. l. 2. Apum p. 13. c. 49.* Supplicia chorizantibus immiſſa.

8. Thomas Cantipratenſis de juvencula quadam villæ cujuſdam in Brabantia incola ejuſmodi laſcivis ſaltibus plurimum dedita, eam in ſaltus & tripudia ſubitò mortuam corruiſſe refert, dumque à Sacerdote illi exequiæ fierent, nigerrimus in Eccleſia taurus apparuit, qui ad feretrum propinquius accedens, cadaver in terram deturbavit, & cornibus pedibuſque, omnibus qui aderant, fruſtra contranitentibus, diſcerpſit, adeò ut Sacerdos in fugam ſe recipere coactus fuerit, qui ſequenti die in Eccleſiam reverſus varias infelicis cadaveris illius partes per templum diſperſas invenit. Similiter de alia quadam Diœceſis Cameracenſis puella ſcribitur, quod cum multos tripudijs ſuis ad libidinis æſtum excitaſſet, dum die quadam actualiter ſaltitaret, ab impetuoſo quodam vento per aërem rapta, variiſque tormentis à Dæmonibus flagellata & percuſſa, tandem in conſpectu totius populi deorſum lapſa, omnes corporis ſui partes convulſas & miſerè dilaniatas ſpectandas exhibuit. Sanctus Antoninus quoque refert quod Henrico Imperatore Romani Imperij habenas gubernante, in villa quadam Saxoniæ, in Diœceſi Magdeburgenſi, in Eccleſia quadam Sancto Magno Martyri dedicata, acciderit, quod dum Sacerdos in vigilia Natalis Domini Miſſæ ſacrificio celebrando inſiſteret, octodecim inſolentes juvenes cum quindecim mulieribus in Eccleſiæ Cæmeterio ſaltando & tripudiando inconditis cantibus & clamoribus ſuis Sacerdotem in ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio celebrando adeò impediverint, ut is illis, ut ab ejuſmodi ſcandaloſis petulantijs & diſſolutionibus deſiſterent, indeque actutum recederent, jubere coactus fuerit, cum verò Sacerdotis præceptum protervè contemnentes, nequitias ſuas continuarent, *ille amaricatus imprecando dixit : Placeat Deo, & Sancto Magno, ut ita cantantes permaneatis uſque ad annum; Et ita factum eſt, ut toto illo anno ſine intermiſſione aliqua chorizando cantarent; mirabile dictu, toto illo tempore nec pluvia, nec ros ſuper illos cecidit, ſed nec laſſitudo, nec fames illos affecit, nec veſtimenta, nec calceamenta illorum toto illo tempore attrita ſunt; Anno autem revoluto Heribertus Archiepiſcopus, in cujus Diœceſi hoc mirabile contigit, ad locum veniens, à nodo, quo Sacerdos illos ligaverat, abſolvit, atque ante Altare dictæ Eccleſiæ illos reconciliavit;* Ex his autem mulieribus tres ſubitò mortuæ conciderunt, alij per tres dies & noctes dormierunt, alij ſubitò defecerunt, alij denique in perpetuo tremore ad finem vitæ uſque permanſerunt.

1. *Syl. Hiſt. l. 7. Exem. 8.* 2. 3. *S. Antonin. var. Hiſt. tit. 16. c. 4.*

4. *Syl. Hiſt. l. 7. Exemp. 4.*

9. Aliud ſimile ſupplicium, quod in oppido quodam Flandriæ contigit in Sylva Hiſtoriali refertur; cum enim in Feſto Dedicationis Eccleſiæ multi ad ſaltandum conveniſſent, quidam in fiſtula dulce canens ad ſaltus invitabat omnes, adveſperaſcente autem die, cum ad ſaltus continuandos proclives eſſent, tibicen multos alios ad ſecum pariter tripudiandum, cantuſque obſcœnos invitavit; Moxque Cœlum horrendis tempeſtatibus armatum tibicinem fulmine percuſſit, ejuſque brachium quo tibiam ori admovebat, penitus à corpore avulſit, duoque magni canes brachium illud è ſpectantium oculis ſurripuerunt, cumque reliquum cadaveris in domum ejus intuliſſent, ut ſequenti die illud ſepulturæ mandarent, Parochus hanc Parentibus illius in loco Sacro indulgere conſtanter renuit, cum illata illi Divinæ juſtitiæ vindicta nimis evidens eſſet; Parentes verò cum poſt inſtantiſſimas preces, & importunas ſolicitationes Sacerdotem à propoſito ſuo dimoviſſent, dum corpus illius in Cæmeterium ad præparatum ſepulturæ locum deportare vellent, illud nuſquam reperire potuerunt. In eadem Hiſtoria aliud quoddam factum huic parum diſſimile recenſetur, quod in Diœceſi Colonienſi contigit; Cum enim aliqui præſtantiſſimum lautèque paratum inſtruxiſſent epulum in præmium & mercedem illius, qui ſaltando artem & induſtriam ſuam magis probaſſet, Sacerdos Curatus ſe illis opponens, à ſaltationibus illos deſiſtere juſſit, Divinum illis nec diu ſuſpendendum comminando Divinæ juſtitiæ ſupplicium; cum verò illi ſalutaribus Sacerdotis ſui juſſis & monitis nec quidquam obtemperarent, accidit illis quod Sacerdos comminatus fuerat : nam Cœlum tonitruis, grandinibus & fulminum ſagittis onuſtum & armatum in illos detonans, tecta dejecit, omneſque ſegetes diſperdidit, ita tamen ut ex hac grandinis ſtrage illi ſolum damna ſentirent, qui ſaltaverant, nec non qui ſaltantibus aſſiſtentes ijſdem applauſerant.

5. *Ibid. Exemp. 5.*

Ubi ſaltus ibi Diabolus.

10. Porrò Dæmonem Chorearum authorem eſſe in hujus Diſcurſus progreſſu ſæpius diximus, idque multis rationibus oſtendere haud erit difficile. D. Chryſoſt. de filia Herodiadis tractans inquit : *Diaboli uſa patrocinio petitionem peregit, ille etenim effecit, ut ipſa ſaltans placeret, ille mentem Herodis eripuit; ubi enim ſaltus laſcivus, ibi Diabolus certè adeſt, non enim ad tripudia pedes nobis præbuit Deus, ſed ut modeſtè incedamus; his tripudijs Diabolus ſaltat, his à Dæmonum miniſtris homines decipiuntur.* Alius quidam præſtantis ingenij author, de Choreis ita ſcribit: *Quid eſt Chorea? eſt circulus, cujus centrum eſt Diabolus, & circumferentia omnes Angeli ejus.* Theophylactus de filia Herodiadis ſaltante loquens dicit : *Convivium celebratur, ſaltat per puellam Diabolus.*

*D. Chryſoſt. Hom. 49. in Matth.* Definitio. *Matth. Cling. in loc. Theol. c. de Chor.* *Marc. 6. Theophyl.*

*Meſtreth. ſer. de Decollat. S. Joan. Bapt.* Hiſtoria quod ſaltantes Chriſtum crucifigant.

11. Author quidam antiquus de adoleſcente quodam refert, quod cum à primis annis à genitoribus Dei ſervitio per votum dedicatus eſſet, eidem dum orationi inſiſteret, pium quoddam deſiderium in mentem venerit, ſciendi nimirum, quidnam illud eſſet quod hominem ad illud peccatum patrandum allicere poſſet, quo Dei Majeſtas vel maximè per injuriam conculcaretur, viditque in eadem oratione, quam coram Crucifixo lachrymans fundebat, comparentem in medio conclavis juvenem, coramque eo greſſibus ad numeros artificiosè compoſitis cum alijs ſaltantem; In primo autem gyro dum ante Crucem tranſirent, quilibet illorum qui tripudij conſortes erant, ictum quemdam validum clavis crucifixi impegit; ad ſecundum verò Choreæ gyrum faciendum revertentes, coronam ſpineam è capite Chriſti raptatam pedibus conculcabant; In tertio verò ejuſdem tripudij gyro Chriſtum lachrymantem deridebant; In quarto expuebant in ejus faciem; In quinto latus ejus perforabant; In ſexto denique eum blaſphemabant; tunc juvenis ille qui Chorizantium caput erat, ad juvenem illum propius accedens, viſionem hanc ei manifeſtius declaraturus dixit : *Ego qui ſum princeps Inferni, & chorizationis procurator, ex præcepto veni huc cum miniſtris meis, ut tibi exponam quod rogaſti; prima extenſio brachiorum fit in vituperium extenſionis brachiorum Chriſti; ſecundò per ſertum conculcatio coronæ Capitis Chriſti; tertiò per cantum vituperatio planctus Chriſti; quartò ſaltus fit in deriſionem; quintò per ornamentum conſpuitur Chriſtus; Sextò per lætitiam cordis, aperitur latus Chriſti. Vide miſer ſaltator, & ignobilis ſaltatrix, quod pejores eſtis Judæis, qui Chriſtum crucifixerunt, & deriſerunt in terris tranſeuntem, vos autem in dextera Patris in Cælo regnantem.*

Abſtinentes à ludis Dæmonem vincunt.

12. Efficax quoque hujus rei argumentum ſubminiſtrat, quod in Tobia legimus, ibi namque clarè videmus, quâ ratione Dæmon omnem ſuum vigorem perdat in illis, qui à ſaltibus & ludis alieni exiſtunt; ſicut è contra mancipia ſua facit illos, qui ijſdem ſunt dediti-

dediti. Sara filia Raguëlis quæ Tobiæ junioris conſors fuit, quot ſponſos à Diabolo ſuffocatos coram oculis ſuis conſpexit? & tamen hic numquam Tobiæ juniori inſultare præſumpſit, quia is coram Deo proteſtatus dixit: *Mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia, numquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his qui in levitate ambulant.*

*Tob. 3. v. 16. & 17.*

De ſaltantibus & tripudiantibus S. Baſilius Magnus ita ſcribit: *Viri ac fœminæ communes conſtituentes Choros, maloque Dæmoni miſeras tradentes animas, ſi ſe invicem libidinum telis confodiunt, atque lacerant*, quid mirum?

*S. Baſ. hom. 14. de ebr. & lux.*

Regius Pſalmiſta inquit: *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum*; Ubi ſciendum, quod ut in libro Eſdræ ſcribitur, quod populus Dei è ſervitute Babylonica Jeroſolymam revertens, ut laſſitudinem & itineris diuturni labores nonnihil ſublevaret, puellas quaſdam in medium prodire juſſerit, quæ cantionibus ſuavibus & fortè etiam ſaltibus, ſine ulla tamen obſcœnitate & vanitate factis recrearent conſortes, & ad itineris reliquum conſtanter perficiendum incitarent; at verò ſpecialiter in his notandum eſt, quod hoc faciendo Jeroſolymam contendebant; Jubilus earum in eo præcipue conſiſtebat, quod Jeroſolymam petentes Babyloniæ terga verterent; at hodiè cantus, choreæ, tripudia & gaudia populi Chriſtiani, cum ſumma confuſione & ignominia noſtra in eo conſiſtunt, quod Jeroſolymæ dorſum obvertentes, præcipiti curſu in Babyloniam contendant, infernalem inimicum in hiſce tripudijs ducem habentes & choreæ magiſtrum.

*Pſ. 67. v. 26.*

*1. Eſdr. 2. 65.*

*Thom. Cantip. l. 2. Apum. p. 2.* Hiſtoria.

13. Thom. Cantipratenſis refert, quod nobilis quidam in Brabantia miles ſervum quemdam habuerit, ad domus ſuæ cuſtodiam deputatum, qui ut erat Choreis apprimè deditus, quotieſcumque poterat adoleſcentes & puellas pro tripudijs inſtituendis congregabat; contigit autem quod Dominus ejus, dum ſervus tibicinem ageret, cæterique ſaltitarent, Dæmonem quemdam obſervarit, qui totus alacer & lætus unà cum alijs Choreas circum ſervum ſuum agebat; Cumq; ſervus à Domino de hac viſione commonefactus, per emendationem pravæ hujus ad tripudia inclinationis reſipiſcere nollet, die quadam funeſta morte ſubitò extinctus fuit.

*Hiſt. vitel. lib. 2. c. 9.*

14. In vita magni illius ſervi Dei Joan. Baptiſtæ Vitelli de Fulginio, qui hiſce noſtris diebus cum magna ſanctitatis fama & opinione mortuus fuit, cujuſque in hiſce noſtris Bacchanalibus conſcriptis Diſcurſibus frequentem mentionem faciemus, ſcribitur, quod dum Civitas Fulginienſis pro Bacchanalibus ſolemniter celebrandis magnos ſumptuoſoſque apparatus faceret, ipſe ad illa impedienda ferventem inſtituerit orationem, ad quam unà cum ipſo faciendam aliam quamdam animam valdè ſanctam invitaverat, quæ dum oraret, in ſpiritu elevata vidit in principio Choreæ per aulam ſaltantia ſeptem Dæmoniorum capita, quæ tam viris, quàm mulieribus dictis tripudijs operam dantibus, omnigenas ſuggerebant malas cogitationes, quæ illos vel maximè à Deo elongare, & vitijs tenacius irretire poterant; Hi quoque Dæmones in medio ipſorum ſpiritus rixarum & homicidiorum immiſerant: at verò quia inter hæc omnia tantò ferventius orationi inſiſtebat, vidit quod in eodem momento quo choreæ inchoabantur, Angelus quidam de Cœlo deſcenderet, qui ſtricto gladio, quem in manibus gerebat, Dæmones in fugam agebat, ſimulque tibicinum inſtrumenta minutim confringebat; Unde corruente theatro omnia in confuſionem converſa fuerunt; Ex quo facto Dæmonem chorearum & tripudiorum originem authorem, & promotorem eſſe, clarè ſatis colligitur.

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

Exploduntur larvæ, velut Chriſtianis hominibus indignæ, à Dæmone inventæ, à Deo autem varijs in occaſionibus graviter punitæ.

### THEMA.

*Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis.* Pſalm. 81. ℣. 2.

Larvæ Dei imaginem mutant.

1. SAnctus Rex & Propheta David hunc Chriſtianorum abuſum facies ſuas applicatis larvis transmutantium in ſpiritu prophetico prævidiſſe videtur, dum illos in verbis aſſumpti thematis reprehendit dicens: *Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Et quidem tametſi larvæ, primâ quidem facie peccati mortalis argui non poſſe, non nemini videri poſſit, experientia tamen quotidiana larvas ut plurimum cum diſſolutione, & verborum obſcœniſſimorum præſumpta licentia cum ſcurrilitate item & petulantia, cum motibus denique & geſtibus impudicis, alijſque profanitatibus ſcandaloſis, boniſque moribus admodum pernitioſis conjunctas eſſe demonſtrat & ideò Pſalmiſta illas jure meritò *facies peccatoris* appellat, quia larvæ ut plurimum facies peccatorum hominum diſſolutorum, vitioſorum, ridiculorum, imò Dæmonem quoque facies ſæpiſſime referunt; ac proinde licet hoc Bacchanaliorum tempore innumeræ videantur hominum ſtultitiæ quibus, uti probabimus, ſe judicium & diſcurſum rationis amiſiſſe demonſtrant; inter omnes tamen præcipua hæc eſt, quod imaginem & ſimilitudinẽ Dei in ſpeciem beſtiæ, ſeu, quod deterius eſt, in Dæmonis figuram commutare non erubeſcant.

*Pſ. 81. v. 2.*

Fœminæ quæſitis coloribus facies pingunt.

2. S. Ambroſius pigmenta & fucos quibus fragilis fœmineus ſexus vultum ſuum, judicio quidem ipſarum in melius & in gratiorem ſpeciem transformare ſatagunt, ſupra modum deteſtatur, quid igitur de illorum dicturus eſſet ſtultitia, qui facies ſuas quoad poſſunt, deformare & deturpare nituntur? *Hinc illa naſcuntur incentiva vitiorum, ut quæſitis coloribus ora depingant, quanta hæc amentia effigiem mutare naturæ?*

*S. Ambr. l. 1. de Virg.*

3. Natura quidem homini ruborem & erubeſcentiam, velut quoddam peccati frænum ingeneravit, hic autem ſub larvis deperditur; Unde nunc vel maximè adimpletur, quod Sapiens lachrymabundus deplorat, dicens: *qui relinquunt iter rectum &c. qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.*

*Prov. 2. v. 13. & 14.*

Chriſtiani imitantur Gentiles.

4. Chryſologus ad aliud quoddam propoſitum, ſcribit, quod nos quoq; impræſentiarum dicere poſſumus, nimirum quod in Bacchanalibus imitemur adinventiones gentilium: *Factis ſemper eſt æqualis aſſenſus, Apoſtolo probante, cum dicit non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus; & ſi tanta eſt de aſſenſione damnatio, quis ſatis lugeat eos, qui ſimulachra faciunt ſemetipſos? Nonne iſti amiſerunt imaginem Dei, ſimilitudinem perdiderunt Chriſti?* Perſpicuè Sanctus hic Doctor Chriſtianos quod imagini Chriſti renuntiarint, convincit, ex eo quod in gentilium ſimilitudines transfigurentur & transformentur: *Imaginem Dei portare noluit, qui idoli voluerit portare perſonam, qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto.*

*D. Chryſol. ſerm. 155.*

5. Sanctus Ephrem Syrus in capite, cui titulus eſt: *Ludicris rebus abſtinendum eſſè Chriſtianis*, ad inſtructionem & confuſionem noſtram dicit: *Ad imaginem Dei formati ſumus, non dedecoremus imaginem ipſius Dei, ſed tamquam milites Chriſti illum ſequamur, illi ſerviamus.* Ecquodnam verò ſignum illud eſt, unde ſervi alicujus Domini, vel milites Ducis alicujus diſcerni aut dignoſci ab alijs poſſunt? numquid id ex Livrea quâ veſtiti ſunt, manifeſtè colligitur? Hiſce autem diebus in magnam infelicitatem noſtram inſignia Dæmonis & Chriſti eriguntur, qui ambo ſuos habent ſectatores & miniſtros, at verò ex quonam præcipuè ſigno illi qui ſub Sathanæ vexillo militant dignoſci ab alijs poterunt? *Ex viſu*, nimirum *verbo & opere agnoſcuntur*, quia mutant faciem ſuam, veſtitum mentiuntur inſolitum, lingua loquuntur à quovis Chriſtiano homine aliena, imò tales ab alijs æſtimari erubeſcunt, quia tanto unuſquiſque apud ſodalem & contubernalem ſuum majoris æſtimatur, quantò magis hiſce diebus ſtulteſcere, omnique licentiæ & petulantiæ fræna laxare novit.

*S. Ephrem. T. 1. de ludicris reb.*

Signum ſervorum Dei & Diaboli.

6. Tertullianus inquit: *Jam verò ipſum opus perſonarum quæro an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, quantò magis imaginis ſuæ? non amat falſum amator veritatis, adulterium eſt apud illum omne quod fingitur.* Quid igitur de illis dicemus qui ſe differentes & contrarios eſſe fingunt & oſtendunt ab illis, qui erant quando à Deo creati fuerunt, dum idipſum in contumeliam & offenſam ipſiuſmet Dei fingere non verentur? In dubium utique revocari nequit, quia ſe per larvas aliaque Bacchanalium inſignia Dæmonis ſe eſſe conteſtentur ſequaces, utpote qui, ut ſuo loco dicemus in Chriſti contumeliam, Bacchanalium eſt inventor & promotor.

*Tertull. de ſpect. c. 23.*

7. Deus in Deuteronomio expreſſè populo ſuo præcepit: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea*; Et licet in hac nova lege gratiæ exactior eſſe debeat Divinorum præceptorum obſervantia, juxta illud: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum*, attamen experientia teſte, in omnibus plateis, vijs, foris, vicis & angulis civitatis tranſgreſſio iſta ſe conſpicuam reddit, quæ indiſſolubili nexu iram & indignationem altiſſimi Dei adjunctam habet, *abominabilis eſt enim*, inquit Sanctus ille Legiſlator, *apud Deum,*

*Deut. 22. 5.*

Præceptum Dei.

*Matt. 5. v. 20*



*Deum, qui facit hæc.* Enimverò quod ſi veſtis genij & inclinationis, ſive bonæ, ſive malæ manifeſtum eſt indicium, quis dubitat, quin dum ſe quis veluti beſtiam, mulierem, Faunum, Dæmonem, veſtit, vel in quamcumque aliam extravagantem formam commutat, quin non inæqualis ab his fieri poſſit conceptus, quo ipſi earum quas repræſentare intendunt, qualitates & naturas participare credantur; *Uſquequo judicatis iniquitatem & facies peccatorum ſumitis?*

*Pſ. 81. v. 2.*

Hiſtoria.

8. De Totila Rege legitur, quod ad habendam aliquam ſanctitatis S. Benedicti experientiam, armigerum ſuum ad eum regijs paludamentis indutum, qui ſe Regem fingeret, miſerit: at verò S. Patriarcha ſtratagema ſubitò advertens, eidem dixerit: *Depone fili, quod geris, nam tuum non eſt:* Eodem quoque modo mihi larvato homini dicere liceat: Inventio iſthæc tua non eſt, ſed Dæmonis; Ecce igitur quemnam te larvando imiteris, & cui placeas aut conſolationem adferas. Audite quidnam Tertullianus de colorum quibus facies fucatur, pigmentis dicat, idem namque mutatis mutandis ad propoſitum noſtrum aſſerere poſſumus: *Quod naſcitur opus Dei eſt, ergo quod fingitur Diaboli negotium eſt*; & paulò poſt iterum ait: *Quantum autem à noſtris diſciplinis & profeſſionibus aliena ſunt, quàm indigna nomine Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur.*

*S. Greg. in Dialogis.*

*Tertull. de cultu fœm. c. 5.*

*Act. Eccleſ. Mediol. par. 7. c. 7. Mem. pag. 1152.* Larvæ damnantur.

9. Sanctus Carolus in memoriali quod ad populum ſuum Mediolanenſem direxit, hæc verba notabilia ſcribit: Proſcriptæ ſunto in perpetuum omnes larvæ, per quas homines figuram, quam Deus illis indidit, non ſolùm transformare, ſed & delere ſtudent; imò per quas aliqui in turpi illa ſtultitia eouſque progrediuntur, ut antiquas in beſtias ſe transformandi metamorphoſes æmulari videantur; ſint etiam præter omnem alium reſpectum maledictæ & execrandæ larvæ, utpote antiquæ ruinæ noſtræ, quam Dæmon ſerpentis larva contectus nobis procuravit, nobis refricantes memoriam. Abominabiles larvæ, ſub quibus hominibus verba inhoneſta eloqui, & in geſta & acta impudicitiæ plena prorumpere, fas eſſe videtur; Sceleratæ larvæ impugnatrices honeſtatis & pudicitiæ, gravitatis inimicæ, omniſque cuſtodiæ quam Chriſtiani hominis anima intus foriſque habere debet, extrema ruina; Hæc omnia hactenus ſanctiſſimus Cardinalis, in quibus ſpecialiter noto idem, quod nos ſuperius aſſeruimus, nimirum quod prima larvarum origo primuſque inventor, inimicus noſter infernalis, fuerit, tunc præcipue cum ad Protoparentes decipiendos ſerpentis larvam induit; Adhæc quis eſt qui non videat, quod in hoc quoque ſe Creatoris ſui ſimiam eſſe probare voluerit, ſiquidem ſicut ille hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit, ita quoque Dæmon ex altera parte modum nos docet, quo imaginem hanc à nobis Bacchanalium tempore deponere, ſuamque ejus loco ſimilitudinem induere valeamus, dum illos nonnumquam in Dæmonis forma in publicum facit prodire. Et quidem ſi Chriſtus Magiſter noſter traditori ſuo, qui ſcholæ ipſius diſcipulus & Apoſtolus erat, poſtquam in traditionem ordiendam conſenſiſſet, dixit: *Diabolus eſt*; Cur non pariter idem de malis Chriſtianis, qui peccato mortali aditum dederunt, & præcipue de illis qui Diaboli ſpeciem per larvam induerunt, dicere poterit: *Diaboli ſunt?*

*Joan. 6. v. 71*

*Gaſp. Manzius cent. 10. QQ. Palat. Q. 50. n. 45. NB.*

10. Gaſpar Manzi in Quæſtione quadam Deciſionibus Palatinis inſerta, in qua adverſus Bacchanalia fuſe invehitur, factum quoddam haud parum curioſum refert; nimirum quod dum Cardinalis quidam Palatinus, quemdam amicum ſuum qui cæteroquin vir pius, eruditus & digniſſimus erat in privato conclavi ſuo veſte ſua purpurea, & galero Cardinalitio induiſſet, Summus Pontifex ex improviſo ſupervenerit, & quia hunc virum hoc modo veſtitum deprehendit, *pro pænitentia ei injunxit, ut Cardinalis eſſet & maneret.* Subjungit autem idem author: *Quam multi haud gravate ita luderent, eamdemque pænitentiam gratanter acciperent? Quid ſi autem Dominus Deus bacchantes in ſuo fictitio furore poſthac perpetuo juberet perſiſtere? Quid ſi articulatam vocem in rugitum & boatum mutare, & cum Rege Nabuchodonoſor herbas comedere? Quid ſi venuſtatem ſuam cum deformitate larvæ mutare?*

Idem Gaſpar Manz. Hiſtoria tragica.

11. Idem quoque de quibuſdam juvenibus Suecis, natalium nobilitate & divitijs conſpicuis aliam quamdam refert hiſtoriam, nimirum quod dum hi in veſtimentis ex lana, lino & pice contextis in Chorea, inter præcipuos nobiles viros & domicellas inſtituta, larvati ſaltitarent lætique & feſtivi Choragos agerent, ex facibus autem quæ ad præbendum Choreizantibus lumen, circumquaque in conclavi tripudij ardebant, favillæ quædam ignis in veſtes illas delapſæ fuiſſent, veſtes illæ pice illitæ in luculentam flammam exarſerint adeo, ut omnes in veſtimentis illis, à quibus flamma prohibente, diſcingi non poterant, totaliter exuſti & concremati fuerint: *Quo animæ abierunt?* Exclamat idem Author; *An ad larvatos & deformes genios, an vero ad ſimulachra ſua deformia*; Et tandem in hanc notabilem ſententiam concludit: *Deus ſcit, qui pro regula judicandi tenet; qualem te invenio, talem te judico.* Quia hic non videt, quanto cum meliori jure hiſce, in quibus non imaginem & ſimilitudinem ſuam, ſed Diaboli livream ſive gentilitias veſtes inveniebat dicere potuerit, quod olim fatuis virginibus dictum fuit: *Neſcio vos.*

*Matth. 25. v. 12.*

Bacchanalizantes damnantur.

12. Septuaginta diſcipuli, ut S. Lucas refert, die quadam ex Miſſionibus ad Salvatorem redeuntes, jactabundi, & alacres cœleſti Magiſtro dixerunt: *Domine etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis &c.* qui mox reſponſi loco hæc verba reportarunt: *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Apud S. Matthæum alia quædam comminatio refertur, jam relatæ parum diſſimilis; Dicit enim Salvator noſter: *Multi dicent mihi in illa die; Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus?* Quid vero Chriſtus ad hæc reſpondit: *Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos; Diſcedite à me qui operamini iniquitatem.* Unde ſtringens & validum quoddam argumentum deducere licet, nimirum, quod ſi illi qui in nomine Chriſti prophetarunt, & ad ejus gloriam Dæmonia ejecerunt, hoc non obſtante à levi quodam vanitatis vento aſpirati, à Salvatore noſtro tamquam ignoti prorſus rejecti fuerunt, quam ſpem illi habere poterunt, ut à Chriſto tamquam fideles ſervi agnoſcantur, & recipiantur, qui hoc tempore non prophetant, ſed per actus, geſtus, & verba ſacrilega Chriſtum blaſphemant, & profanant, ſeque per veſtes, livream & imaginem Diaboli portare & Dæmonis partem ſectari profitentur?

*Luc. 10. v. 17.*

*Ibid. v. 18.*

*Matt. 7. v. 22*

*Ibid. v. 23.*

Larvati à Deo puniti.

13. Inſtituamus obſecro brevem quamdam recenſitionem eorum, qui in veſte aliena larvati exiſtentes ab ultrice Dei juſtitia caſtigati & puniti fuerunt. Rex Achab, qui in bello mutato habitu agnitus non fuit (*Porro Rex Iſraël mutavit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum*) pœnam eodem die morte ſua luere debuit. Jeroboam Conjugi ſuæ habitum mutare perſuaſit: *Commuta habitum, ne cognoſcaris, quod ſis uxor Jeroboam*; Cupiebat enim ut clam ab Abia Propheta, qualemnam malitia Abiæ exitum habitura eſſet, ediſceret, quæ protinus mariti conſilium ſecuta fuit; ſed quo putas eventu? *Cùm ergo illa intraret, & diſſimularet ſe eſſè, quæ erat*, acriter illam reprehendens, ſtultitiam ejus illi exprobravit dicens: *Quare aliam te eſſe ſimulas? Ego autem miſſus ſum ad te durus nuncius*, & exinde ſeveriſſima mariti ſupplicia, imminentem quoque Filij ejus mortem, & quantopere Deus domui illius iratus eſſet, ſeriatim prædixit. De Saul reprobo pariter legitur, quod Pythoniſſam mulierem conſulturus abiens veſtes alienas induerit: *Mutavit ergo habitum ſuum, veſtituſque eſt alijs veſtimentis*; Sed quemnam inde fructum retulit? Eodem tempore vicinam mortem ſuam, à regno terreno pariter & cœleſti reprobationem, totius progeniei ſuæ exterminium, & millena alia iræ Dei ſeveriſſima ſupplicia ſibi prædici, licet invitus, audivit. Thamar in capite plateæ mutato habitu ſedens (*mutato habitu ſedit in bivio itineris*) à Juda meretrix æſtimata, tamquam talis cum perpetua ipſius infamia, utpote nurus ipſius carnaliter cognita fuit.

*3. Reg. 22. v. 30.*

*3. Reg. 14. 2.*

*3. Reg. 14. 5.*

*Ibid. v. 6.*

*1. Reg. 28. 8.*

*Gen. 38. 14.*

14. Porro omnium bacchanalium diſſolutionum, prout inferius videbimus, aſtutus ſtygiuſque ſerpens author fuit, ſpecialiter vero larvarum, & peregrini veſtium cultus; Et quidem tametſi quando primitus in Paradiſo ſerpentis larvam induens directe à Deo punitus non fuerit; attamen ſi bene rem conſideremus ejus vice ſerpens, velut larva illius, eſt caſtigatus: *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem; Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ, ſuper pectus tuum gradieris*, &c. quod per ſimilitudinem quamdam, pro meliori intelligentia explicare poſſumus, contingit enim aliquando, ut quando mortis rei juſtitiæ manibus apprehendi non poſſunt, in exemplarem ipſorum pœnam ſtatua illorum loco comburatur: Eodem modo quia Dæmon amplius, quam antea, à Deo maledici aut puniri non potuit, Deus divinæ juſtitiæ ſuæ gladium, adverſus ſerpentem, utpote ſimulationis & deceptionis ejus Inſtrumentum ſtrinxit.

*Gen. 3. v. 14.*

Hiſtoria.

15. Hiſtoricus quidam caſum qui in Francia in curia

*Paul. Æmil. l. 10. Hiſt. Franc.*

curia Caroli Sexti hujus nominis contigit, refert, ut ſequitur: Dum ſolemnes Principis cujuſdam celebrarentur nuptiæ, Rex una cum quinque alijs Baronibus, depoſitis conſuetis veſtibus leonis ſpeciem induti in triclinium ingreſſi ſunt, cumque frater Regis apprehenſa face ardenti, ut melius ſpectra videre poſſet, propius acceſſiſſet, ſcintilla quædam de face proſiliens; linum pectinatum, quo toto corpore cooperti erant; concepta flamma ardere cœpit, quo etiam alij approximantes correpti ardere cœperunt, omneſque vivi ſine ullo ereptionis remedio conflagrarunt, & mortui ſunt, uno dumtaxat, ſimul cum Rege, à repentino hoc incendio ſalvato.

## DISCURSUS VII.

### ARGUMENTUM.

Dæmon Bacchanaliorum Author eſſe probatur, qui per illa animas noſtras in æternam damnationem deturbare nititur.

### THEMA.

*Væ terræ, & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quoniam modicum tempus habet.* Apoc. 12. ℣. 12.

Bacchanaliũ author Dæmon.

1. AD exprimendam inimici infernalis ſolicitudinem, qua Chriſtianiſmum ad Bacchanalium diſſolutiones proſequendas provocat, nulla ex toto volumine ſacro ſeligi poterant aptiora verba, quam ſint illa quæ in aſſumpto hujus diſcurſus themate adducta fuerunt; Etenim dum Quadrageſimam, quæ tempus eſt pœnitentiæ, adeo propinquam eſſe cernit, videtq; quam modicum ſibi tempus ad illius meritum enervandum reliquum ſit, utique non dormit, ſed vehementer iraſcitur & indignatur, omneſque aſtutias & vires ſuas adhibet, ut fideles prævenire, & Bacchanalium filtro faſcinare poſſit, ut in curſu Quadrageſimæ ad omnia opera bona inepti evadant. Et ideo egregius quidam & de cœlo plurimum illuminatus Dei ſervus, cujus jam in præcedentibus diſcurſibus mentionem fecimus, nimirum Joannes Baptiſta de Fulginio, Bacchanalium in patria ſua implacabilis perſecutor & hoſtis, hoc tempus ſignificanter vindemiam Dæmonis appellare ſolebat. S. Carolus pariter in Concilio quodam Provinciali ad perpetuam rei memoriam Scriptum reliquit, quonam Epitheto feſtiva hujus temporis gaudia, larvæ, luſus, joci, recreationes & petulantiæ, quibus ſe Chriſtiani hiſce diebus deliniri, decipi, & ſeduci permittunt, appellari debeant, dum omnes illas vanitates *nefarias, Sathanæ blanditias* vocat. D. Chryſoſtom. quoque de hiſce licentioſiſſimis totius anni diebus loqui voluiſſe videtur, quando de riſu & jocis ita ſcribit: *Non eſt hoc eorum, qui ad regnum vocati ſunt, quique ſunt in cæleſti illa civitate conſcripti, non eſt ſpiritualia arma geſtantium, quod certe proprium eſt Diabolo militantium; ille enim eſt ille, qui etiam in artem jocos ludoſque digeſſit, ut per hæc ad ſe traheret milites Chriſti, virtutiſque eorum nervos redderet molliores; propterea in urbem etiam theatrum conſtruxit, & illos riſuum ac turpium voluptatum incentores paravit, & per illorum luem in univerſam urbem talem excitat peſtem.*

*L. 2. vita Joannis Baptiſt. Vitell.*

*Act. Eccleſ. Mediol. Concil. Prov. 3. pag. 86.*

*D. Chryſoſt. h. 6. in Matt.*

Bacchanal. ſunt Dæmonis Sacramenta.

2. S. Auguſtinus theatris, ſpectaculis, cunctiſque alijs diſſolutionibus & petulantijs, quæ hiſce diebus à Chriſtianis exercentur, acutiſſimo ingenio ſuo myſticum quoddam attribuit epithetum, dum illa *Diaboli* appellat *Sacramenta*; quod quidem nomen tametſi ſupra à nobis tactum fuerit, opus tamen eſſe cenſeo, ut deſuper brevem quamdam conſiderationem inſtituamus. Sanctus igitur hic Doctor poſtquam verba illa S. Joannis: *Concupiſcentiam oculorum* explicando, *concupiſcentiam illam ſive deſiderium oculorum* nihil aliud eſſe dixiſſet, quam *omnem curioſitatem*, protinus ſubjungit: *Jam quam late pateat curioſitas iſta in ſpectaculis, in theatris, in ſacramentis Diaboli*; At vero quænam eſt nomenclaturæ iſtius ratio? S. Thomas Sacramentum hoc modo definit: Eſt ſignum rei ſacræ, id eſt, gratiæ, ſanctificantis hominem; Sacramenta enim à Salvatore noſtro inſtituta ſunt, ut ſint divinæ gratiæ producendæ inſtrumenta, ad ſanctificandum animas: At vero Sacramenta Diaboli contrarium operantur effectum, ſiquidem eo ſolum tendunt, ut perdant animas, eaſque gratia & amicitia Dei privent, per voluptates ab ipſo excogitatas, ut conſcientias indiſſolubilibus peccatorum nodis illaqueare poſſit. Sacramenta, in quantum ſacrificia, iram Dei placant, at vero Dæmonis Sacramenta, qualia ſunt Bacchanalia, eamdem magis ſemper irritant. Sacramenta Chriſti S. Auguſtinus portas Paradiſi appellat, *ſine quibus ad vitam, quæ vera eſt vita, non intratur*: At vero hæc Dæmonis Sacramenta, ſcopuli quidam ſunt, procurantes nobis præcipitium inferni; Cujuſmodi ſunt larvæ, comœdiæ, ſpectacula profana, ſcurrilitates impudicæ, tripudia, choreæ, crapulæ, ebrietates, & quævis aliæ Bacchanalium turpitudines.

*1. Joan. 2. 16*

*S. Aug. T. 9. in 1. Joa. 2.*

*S. Thom. 3. p. Q. 60. h. 2.*

*S. Aug. Tr. 120. in Joa.*

3. In eadem vita Joannis Baptiſtæ de Fulginio ſcribitur, quod dum tam ipſe quam alia quædam Chriſti ancilla adverſus Bacchanalium vanitates ſeſe per ferventem orationem obarmarent, die quodam, quo hæ diſſolutiones quam maxime effervеſcebant, viſa fuerint ſeptem Dæmoniorum capita, quæ ſe ad murum aulæ illius in quo ſaltus & tripudia inſtituebantur, fortiter allidebant, eo quod conſilia & propoſita infatuari viderent, imo tanta erat perverſorum illorum rabies & iracundia, ut lapides in pulverem comminuerent: *Deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam.* S. Ephrem in capite quodam, cujus titulus eſt: *Quod ludicris rebus abſtinendum ſit Chriſtianis*, ad noſtram inſtructionem inquit: *Ubi Cytharæ ac chori ac plauſus manuum; ibi virorum tenebræ, & mulierum peratio Angelorum triſtitia, & Diaboli feſtum.* Quod ſi Sanctus hic vir idipſum de ſolo quodam vano gaudio & lætitia affirmare non dubitat, jungatis illi alias diſſolutiones; ſcandala, choreas, cantus profanos, & tot millenos alios exceſſus; & clare videbitis, quantum hi ſpiritus rebelles hiſce diebus de Chriſtianorum pernitie exultent, ac triumphent.

*L. 2. c. 9. vita Joann. Bapt. Vitellij.*

Diaboli feſta.

*Apoc. 12. v. 12.*

*S Ephrem. T. 1.*

4. S. Carolus de Septuageſima tractans, populo ſuo in hæc verba ſcribit: Hodie Dominicam Septuageſimæ celebramus, in qua Eccleſia per voces & apparatus ad mœſtitiam compoſitos in memoriam nobis ruinas & miſerias noſtras revocat, in quas per inſidias quas inimicus infernalis ſerpentis larvam indutus ab ipſo mundi exordio homini ſtruxit, turpiter incidimus; Quid vero Dæmon ab hac die facit? Nihil aliud profecto, quam ut dum ſancta mater Eccleſia filios ſuos ad luctum invitat, ipſe per mundanas & diſſolutas inſolentias eoſdem ſeducat ſibique adſtringat; Ipſe ſicut inimicus eſt Chriſti Domini noſtri, ita quoque noſter eſt hoſtis, qui Chriſtum vitæ profeſſione ſectamur, & velut quidam ut ita cum ſancto quodam viro loquar, publicus viarum latro, qui in inſidijs conſtitutus aliud non quærit, quam ut nos omnibus bonis ſpoliare poſſit; ac proinde vult optimus & benedictus Deus, ut illi tamquam capitali inimico noſtro omnibus viribus & cum omni ſtudio & induſtria reſiſtamus, ne prætenſam à ſe victoriam contra nos reportare queat. In alio quoque ejuſdem voluminis loco, in memoriali quodam ad populum ſibi ſubditum directo, idem inſinuat, nimirum quod Dæmon vanitatum omnium Bacchanalium author ſit & inſtrumentum; Unde zeloſiſſimus Paſtor ad gregem ſuum converſus ait: Vide retia inextricabilia, quæ Dæmon inimicus noſter hoc tempore nobis tendit; Vide foſſas peccatorum, in quas tot homines cœco quodam modo præcipites agit; Vide innumerabilium animarum prædam quam hoc tempore ſibi ſurripit. Quid plura? Vide, vide inquam, quantum hodie Sathanas triumphet, quomodo in hoc populo tuo regnet & tyrannizet, idque non ſolum quoad plebejos toto anno vitæ vanitati deditos, verum etiam perſæpe quoad illos, qui alio anni tempore bonam habent animæ ſuæ cuſtodiam, & à mundo ſapientes eſſe exiſtimantur. Gaſpar Manzi in præcitatis ſuis Deciſionibus Palatinis, hanc habet obſervationem: *Diabolus*, inquit, *humani generis inſidiator, qui Chriſtum Dominum poſt jejunium tentavit, Chriſtianos ante jejunium omnibus modis à Deo conditore ſuo abducere, præcipites in exitium trahere, & ab inſtituto Eccleſiæ abſtrahere laborat.* Diſcurſus ejus totus inſidioſus eſt, quia alium in eo finem non habet, quam ut per inordinatam hujus temporis vitam, per crapulam & ebrietates, ſtomachum & corporis complexionem ita deſtruat & perdat, ut poſtea etiam ex animo volentes, abſtinentiæ Quadrageſimalis rigorem obſervare minimè valeamus.

*Act. Eccleſ. Mediol. pag. 1020.*

Dæmon vel maxime ſeducit hoc tempore.

*Act. Eccleſ. Mediol. par. 7. pag. 1151*

*Gaſp. Manzi Cent. 1. deciſ. Palat. Q. 50. n. 15.*

5. Porro ſpectacula ſpeciale Diaboli diverſorium & irritamentum eſſe, ſpecialius probant multorum claſſicorum Patrum teſtimonia. Sic enim S. Auguſtinus Chriſtianis ſui temporis ſpectaculis aſſiſtentibus his verbis improperat: *Quid tibi cum pompis Diaboli quibus renuntiaſti?* In multis namque Eccleſijs, ut ſuperius diximus, uſitatum erat, ut baptizandi Sathanæ pariter & ſpectaculis renuntiarent; Unde Tertullianus in Apologetico inquit: *Æque ſpectaculis veſtris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum*

Spectacula fugienda.

*S. Aug. l. 4. de ſymb ad Catech. c. 1.*

*Tertull. Apol. c. 36.*

quas



*quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas*; Clarius vero in lib. de *ſpectaculis*, loquitur, dum ait: *Spectacula ſunt Pompa Diaboli quam in ſignaculo fidei ejuravimus.* Salvianus de eiſdem pariter ita ſcribit: *Spectacula etiam juxta noſtram profeſſionem opera ſunt Diaboli. Quomodo ô Chriſtiane ſpectacula poſt baptiſmum ſequeris, qui opus Diaboli eſſe confiteris? Renuntiaſti ſemel Diabolo, ſemel & ſpectaculis ejus, ac proinde neceſſe eſt prudens & ſciens, dum ad ſpectaculum remeas, ad Diabolum te redire agnoſcas.* S. Cyprianus in eo tractatu, quem contra ſpectacula ſcripſit ſimiliter ita ſcribit: *Græca illa certamina vel in cantibus, vel in fide ibus, vel in vocibus, vel in viribus præſides ſuos habent varia Dæmonia, & quidquid eſt aliud, quod ſpectantium aut oculos movet, aut delinit aures.* Idem quoque ſanctus Martyr ad Prophetam regium ex inſtinctu pietatis & devotionis coram arca ſaltantem alludens ſubjungit: *Diabolo artifice ex Sanctis in illicita mutata ſunt*; Cantiones, fidicinia & tripudia, quæ antea in proceſſionibus cultus Dei & Religionis demonſtrationes erant, Diabolus in licentiam & diſſolutionem transformavit.

*Tertull. de ſpect. c. 2. Salv. l. 6. de provid.*

*S. Cypr. de ſpect.*

*S. Cypr.*

6. D. Chryſologus ad præciſum præcurſoris caput, nec non ad ſacrilegam inceſtuoſi Herodis barbariem, qui ſe à ſaltatiuncula quadam perverti permiſit, oculum ſuum deflectens, Dæmonem in filia Herodiadis ſaltaſſe dicit: *Serpens tunc latebat in fœmina, quæ reptans greſſibus flexuoſis lethale toto corpore virus effudit, ut diſcumbentium mentes furor, venenum corpora ſauciaret.* D. Chryſoſtomus de ludis Circenſibus tractans, illoſque qui ut eos ſpectare poſſint, Deo dorſum obvertunt, reprehendens, his verbis illos ad propoſitum noſtrum alloquitur: *Equidem*, inquit, *adductus ſum ad hunc ſermonem, ut homines arguerem ſpectaculorum amantes, qui cum ſpirituale ſalutis ſpectaculum neglectui habeant, corporale nequitiæ curriculum, magis Sathanæ ſtudium pietati anteponunt*; Ubi notandum quod jocos, ſpectacula, ſcenas, *Sathanæ ſtudium* appellet.

In choreis Dæmon.

*D. Chryſoſt. ſerm. 174.*

*D. Chryſoſt. Tom. 6. de Circen.*

7. Multa leguntur talium hominum exempla, qui hiſce Bacchanalibus inſolentijs immerſi Dæmonis in ſe crudelem tyrannidem experti fuere. Surius in vita S. Eligij Epiſcopi refert, quod dum populo ſuo die quadam prædicans, eidem ut à ſaltibus & tripudijs, cunctiſque alijs profanitatibus à Dæmone ad præcipitandas in infernum animas adinventis abſtineret, perſuadere conaretur, quidam ex eis Epiſcopum ſe ipſorum petulanti levitati opponentem diutius ſuſtinere non valentes, de inferenda ei nece inter ſe deliberarint. Quod cum Sanctus hic Præſul martyrij patiendi cupidus audiſſet, cum uno tantum Diacono & duobus Clericis, ad eam ſe civitatis partem, ubi hi morabantur, contulit, & per medium furibundæ multitudinis pertranſiens, in locum quemdam ſublimiorem & elevatum aſcendit, indeque contra choreas & tripudia mira cum energia prædicans vanitates Dæmonis inſtrumentum & inventiones eſſe dixit: econtra vero furens plebecula varijs eum convitijs & injurijs afficiens, mortem ei, niſi deſiſteret comminabatur, aperte proteſtando, quod his ſe conſuetis recreationibus & ludis, nequaquam paterentur privari. Quare ſanctus hic vir ovium ſuarum emendationem & reſipiſcentiam vehementer deſiderans, Deum enixe rogat, ut ad ſalvandas ipſorum animas, Dæmones ipſorum corpora obſidere & ingredi permitteret; & ſubito quinquaginta ex illis, qui contra eum conjuraverant, à Dæmone fuerunt obſeſſi, qui omnes furioſe ſalire & ſaltare cœperunt non obſtante quod alij flexis coram S. Epiſcopo genibus in terram provoluti eum ſupplices rogarint, ut pro infelici illa hominum obſeſſorum multitudine ſuas apud Deum preces & orationes interponeret, quibus ipſe reſpondit admiranda potius & laudanda ab ipſis eſſe juſta Dei judicia, qui in reos juſtis beneque promeritis ſupplicijs ad aliorum exemplum & correctionem animadverteret: *Ad tempus illis traditi ſunt, quos amant ſentiant magiſtros ſuos quos colunt*; Unde hi obſeſſi per annum integrum choreas & tripudia ſua hoc modo continuarunt, in cujus fine, recurrente die quo ſaltare cœperant, eoſdem aquæ benedictæ aſperſione abſolvit, & à tripudijs abire juſſit.

*Sur. 1. Decemb.*

Saltantes à Dæmonibus obſeſſi.

8. Aliud quoddam ſimile ſupplicium Annales Eccleſiaſtici referunt nimirum: Deturbatos plures de poteſtate mentis fuiſſe magicis artibus, ac bacchantium veterum more funeſtas choreas agitaſſe, donec ſacris exorciſmis Dæmones ex miſerorum corporibus depulſi ſunt. Modum verò quo à rebellibus hiſce ſpiritibus agitabantur, his verbis recenſent: *Utriuſque ſexus homines illudebantur à Dæmonio, ut tam in domibus, quam in plateis, & Eccleſia ſe invicem manu tenentes; choreas ducerent, & in altum ſaltarent, nomina quædam Dæmoniorum nominantes, nec ullam verecundiam propter adſtantes populos habentes, in fine vero chorizationis ita circa pectoralia torquebantur, ut niſi mappis lineis à ſuis amicis circa medium ventris ſtringerentur, quaſi furioſè clamarent, ſe mori. Tandem Leodij per conjurationes ſumptas de illis, quæ ante baptiſmum in catechiſmo ſunt, à Dæmonio liberabantur, & ſanati dicebant viſos ſe tempore ſaltationis immerſos in fluvium ſanguinis & propterea ſic in altum ſaltaſſe.*

Exemplum aliud.

*Annal. Eccl. Raynal. Ann. 1374. n. 15.*

9. Myſticum quoque eſt illud Epithetum quod D. Chryſoſtomus Theatro attribuit, dum illud vocat: *Diabolicam officinam.* In ijſdem Annalibus Eccleſiaſticis refert Baronius, quod dum Gentiles in urbe Neocæſarienſis profano cuidam feſto celebrando inſiſterent, ingens quædam hominum in confinibus habitantium multitudo eo confluxerit, adeo ut dum unus alteri præ nimia populi confluentis denſitate, cedere vix poſſet Dæmonem, cujus ſolemnitates agebantur, ſupplices interpellarint, ut largiorem illis commodioremque locum indulgeret, alta voce clamantes: *Jupiter fac nobis locum.* Quod cum S. Greg. Thaumaturgo innotuiſſet, ſubito ad eos miſit qui illis futurum eſſe nomine ejus prædicerent, quod poſt modicum tempus largiorem & capaciorem eſſent locum habituri, imo voto & deſiderio ipſorum longe ampliorem; unde eodemmet die peſtilentialis quædam illis eſt immiſſa mortalitas, quæ cantus ipſorum in planctus ſubito convertit; tantus enim ex eadem lue morientium numerus fuit, ut vivi mortuis ſepeliendis minimè ſufficerent, nam quotidie terribilis coram eis figura ſe ſpectandam præbuit, domus autem ad quas propius accedebat figura iſta, ſine ullo remedio aut juvamine ſubito exinaniebantur ab incolentibus illas; Tandem vero ideo ſupplicium iſtud ſibi à Deo immiſſum fuiſſe animadvertentes, quia Dæmonem invocaverant, ad Thaumaturgum accurrerunt, qui flagellum iſtud orationum ſuarum efficacia protinus amovit, eoſque ad Chriſtianam Religionem integerrime perduxit.

*D. Chryſoſt. hom. 6. in Matth.*

*Annal. Eccleſ. Baron. Ann. 256. n. 1.*

Peſte puniti qui Dæmonem invocabant.

10. Cum igitur Dæmon Bacchanalium author exiſtat, ſequitur quod per hæc nobis propoſita præcipitium noſtrum operetur; Et ideo ut plurimum terminus illorum eſt æterna perditio; Quod forſitan S. Apoſtolus dicere voluit, quando ad Philippenſes ita ſcribit: *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus*; Ubi Chryſoſtomus loco dictionis, *interitus*, legit *perditio*; Et quidem ne ulla ſuperſit occaſio dubitandi, de quibus illo loco loqui velit, ideo immediate poſt ſubjungit: *Quorum Deus venter eſt*; id eſt, qui Bacchum velut Deum colunt & adorant.

Qui Bacchũ colunt damnantur.

*Phil. 3. v. 18.*

11. Dicite ſodes, cur inter tot arborum & plantarum genera ficus potiſſimum ab illo Deo, qui præ cunctis alijs virtutibus de manſuetudine gloriatur dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum*, maledictionem accepit, cur non potius pinus, vel ulmus, aut alia quædam arbor inutilis hoc maledictionis fulmine percuſſa fuit? Idque eo præcipue tempore, quod fructibus pariendis nequaquam à natura deſtinatum erat (*non enim erat tempus ficorum*) ſolvit hanc difficultatem S. Bonaventura dicens: *Per fici arborem poteſt intelligi homo deditus dulcedini mundanæ, qui dicitur eſſe ſecus viam, id eſt, in via carnis, non in via ſpiritus.* Per hanc vero viam homo hoc Bacchanaliorum tempore dici poteſt incedere, ac proinde mirum non eſt, ſi Dei ſuper ſe provocet maledictionem.

Dei maledictionem provocant.

*Matth. 11. v. 29.*

*Matth. 21. v. 19.*

*Marc. 11. v. 13.*

*S. Bonav. ſerm. 1. in Do. 7. poſt Pent.*

12. Neſcio an aliquando vos ad id reflexeritis, quod ex tam innumerabili populo, qualis Hebræus erat, in quo virorum bellatorum numerus ſexcenties millenos, citra mulieres & parvulos infantes, tranſcendebat, duo tantum in terram promiſſionis ingreſſi fuerint, videlicet Joſue & Caleb? Cujus equidem cauſa fuit, vel quia cœleſtem ſive cœlitus ad illos dilapſam annonam mannæ nauſeando, tanta cum aviditate in vaſta illa ſolitudine carnes appetivere Ægypti; vel quia coram vitulo aureo genua ſua incurvantes idololatriam commiſerunt, in ejuſque honorem poſtquam crapula & ebrietate ſe ingurgitaſſent, ſaltus inſtituerunt & tripudia. *Omnia in figura contingebant illis*; Deus enim per ſupplicium iſtud populo Chriſtiano inſinuare voluit, quod ſi hoc tempore crapulæ & ebrietati, jocis & ludis, alijſque ſimilibus inſolentijs operam dederit, aureoque Bacchanaliorum vitulo cultum & obſequium detulerit, ſpem omnem deponere debeat tandem aliquando ingrediendi in terram viventium.

Ad cœlum non perveniunt.

Inferni viam ingrediuntur.
S.Vinc. Ferrer. ſerm.3. in Quinq.

13. S.Vincentius Ferrerius in ſermone quodam in Dominicam Quinquageſimæ de hoc Bacchanalium tempore ita ſcribit : *Eſt tempus hoc tempus deſcendendi de peccato in peccatum, & per conſequens ad infernum*; & ideò dicitur: *Tenent tympanum & cytharam, & ducunt in bonis dies ſuos , & in puncto ad inferna deſcendunt.* S. Ephrem in capite ſuperius citato, cujus titulus eſt: *Quod ludicris rebus abſtinendum eſt Chriſtianis*; locum quemdam propoſito noſtro aptiſſime inſervientem ex Iſaia Propheta adducit dicens : *Iſaias Propheta , aut potius ipſe Deus per Prophetam ait : Væ ijs qui cum tympanis, ac tibijs, & cytharis vinum bibunt* ; Id quod hiſce diebus ad litteram practicatur, in quibus Bacchus qui apud Gentiles tamquam Deus vini colebatur, divinos ab innumeris hominibus per tympana, tibias , & cytharas ſortitur honores.

S. Ephrem. T.1.

Act. Eccleſ. Mediol. pag. 1151.

14. Hoc tempore præcipue , inquit S.Carolus Borromæus, Dæmon in cordibus hominum ſupra omnem modum ſuam exercere & dilatare ſolet tyrannidem; unde tandem derivatur id quod idemmet Propheta ſubjungit, quod ſcilicet infernus os ſuum aperiat & dilatet ad innumerabiles hominum animas devorandas: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis ; Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia , & vinum in convivijs veſtris , & opus Domini non reſpicitis &c.* Homines hoc tempore non ſolùm opere , ſed & rotundo ore non erubeſcunt dicere : Bene agere, & honeſte vivere ad Quadrageſimam pertinet , & ideo plerique ad gulam uſque hiſce diebus vanitatibus immerſi conſpiciuntur , ac proinde mirum non eſt quod Iſaias ſubjungat: *Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino.*

Iſa.5.v.11. & 12.
Iſa.5.v.14.

Admonitio.
D.Chryſol. ſerm.153.

15. Meritò igitur D.Chryſologus nos inſtantiſſime rogat, ut illis qui ad hoc præcipitium rapidiſſimo curſu properant, paternis admonitionibus noſtris ſubveniamus. En ipſiſſima ejus verba : *Si quæ ſunt viſcera pietatis in nobis, ſi qua eſt in nobis contemplatio humanitatis, ſi qua nos habet fraternæ ſalutis affectio, abſtrahamus eos, qui ſic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, feſtini ſunt in gehennam*; Nimirum his verbis de illis loquitur qui in principio Januarij ad jocos & ludos ſuperſtitioſos & profanos quos gentiles in Deorum ſuorum honorem inſtituere conſueverant , accurrere eoſque ſpectare non verebantur ; Bacchanalia autem , prouti ſequenti diſcurſu dicemus, eorumdem quoque paganorum reliquiæ & inventiones exiſtunt.

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Bacchanalia reliquiæ & inventiones ſunt hominum paganorum, quibus olim Baccho divinos cultus exhibebant, ideoque Chriſtianos omnino dedecent.

### THEMA.

*Nolite jugum ducere cum infidelibus &c. quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?* 2.Cor.6. ℣.14.

Antiqui mores gentilium renovantur.

1. QUod ſi ſanctus Apoſtolus in diebus ſuis indigniſſimum hunc Bacchanalium abuſum inter Chriſtianos vidiſſet, qui hodie per conſuetudinem velut uſus legitimus invaluit, & annis ſingulis magis magiſque augeſcit, juſtiorem utique habuiſſet de eo lamentandi cauſam, quam de Corinthijs, dicendique: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, &c. Hunc eumdem textum adducit S.Carolus, ut ſuis Mediolanenſibus quam hiſce diebus, priuſquam ipſius opera ſalutaris ejuſdem Eccleſiæ reformatio introducta eſſet, exercere ſolebant nimiam vivendi licentiam exprobraret ; Citatque illam S.Ambroſij authoritatem, in qua præfatus Apoſtoli locus his verbis explicatur : *Idoli portio eſt inebriare vino mentem, ventrem cibo diſtendere , ſalutationibus membra torquere, & ita pravis actibus occupari, ut cogaris ignorare quod Deus eſt* ; Moxque prædictum S. Apoſtoli locum ſubjungit, in quo præter aſſumpti thematis verba dicitur : *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? ... aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?* Hæccine filiorum Eccleſiæ, opera eſſe exiſtimatis? Potius filiorum nomine indignos eos judicabitis , utpote qui erga benigniſſimam matrem ſuam ſunt ingratiſſimi. Etenim ipſa plangente, illi rident; Eccleſia pro peccatis ipſorum gemente, ipſi triumphant per ſpectacula,

Act. Eccleſ. Mediol. par. 7.pag.5016.
S.Ambr. ibid.
2.Cor.6. 4.
Ibid.v.15.
Ibid.v.16.

per quæ Diabolus de ipſis victor evadit, Dum Eccleſia ſolicitè intenta eſt ut per Divina officia ſua iram Dei placare poſſit ; ipſi in quævis peccata conſentiunt , ut tanto acerbius adverſum ſe iram Dei provocent? Dum Eccleſia omnes profanitates, & ſuperſtitioſos gentilitatis ritus omni ſtudio abolere nititur : Ipſi antiquos & obſoletos gentilium mores ab ipſo mundi exordio ab ipſomet Sathana in aſſumpta ſerpentis larva Protoparentes noſtros miſere decipiente excogitatos & inventos renovare & reſtabilire ſatagunt : at verò ſicut idem Dæmon per aſſumptam larvam ſerpentis miſerabilem totius humani generis lapſum cauſavit : ita quoque nunc per larvarum vanitatem & falſitatem mundum in eamdem ruinam præcipitare adlaborat.

Act. Eccleſ. Mediol. par. 7.pag.1151.
Bacch. paganorum reliquiæ.

2. Idem quoque ſanctiſſimus Cardinalis, in pluribus alijs locis præſentis temporis ſcurrilitates & inſolentias; gentiliſmi reliquias eſſe affirmat ; Etenim in memoriali ad populum & Diœceſin ſuam Mediolanenſem directo dicit : Vide his diebus renovationem, memoriam , & imitationem tot profanitatum & obſcœnorum ac perverſorum abuſuum quos ſuperſtitioſus Paganus excogitavit. Videas inquam tot etiamnum inter nos Chriſtianos ſuperſtites vigere errores ; profanoſque ritus , quibus in Sacro Baptiſmi lavacro expreſsè renuntiavimus. Extra omne dubium eſt, quod, ſicut evidenter probabimus , Bacchanalia ſuum ab Idololatris principium habeant & originem, ac conſequenter quod Chriſtiani eadem hiſce diebus conſectando, imitentur infideles , ſuumque Dæmoni certo quodam modo cultum exhibeant , qui ſub nomine Bacchanalium, ſeu potius Bacchi , à quo Bacchanalia nomen obtinuerunt, abſconditur & occultatur, Unde S.Ephrem in ſæpius allegato capite , cui titulus eſt : *Ludicris abſtinendum eſſe Chriſtianis* , ita ſcribit : *Ne decipiamini fratres in Chriſto dilecti , non ſunt iſta Chriſtianorum , ſed Gentium , Deum non habentium.* Bacchanalia appellationem ſuam habent à Baccho , cui gentiles olim ſacrificabant, divinique cultus exhibebant honores , ut præmij loco turpes illis & obſcœnæ ab eo indulgerentur voluptates. Et quidem primi, qui ludicra hæc Feſta inſtituerunt, fuere Athenienſes : *Quibus* proinde *ad inſaniam uſque lætandi & epulandi conceſſa fuit tanta licentia , ut homines effrænes, & in omnem luxuriam fractos , qui ſolvere repagula modeſtiæ non erubeſcunt, ſoleamus dicere debacchari.*

S.Ephrem. T.1.

Alex. l.6. Genial. c.19.
A Romanis prohibita erant & à Chriſtianis celebrantur.

3. Alexander ab Alexandro poſtquam multos recenſuiſſet actus obſcenos , quibus gentiles Bacchi Feſta peragebant , tandem ita concludit : *Tanta erat temulentia & verborum licentia, ut Marcus Varro niſi ab amentibus fieri potuiſſe negaret ; Quæ Sacra procedente tempore , cum ex diurnis nocturna fierent , promiſcuis ingenuorum juvenum & fæminarum ſtupris , cum ſtrepitu & ululatu , in omne facinus & libidinem perpetuo ſenatus conſulto , non in Urbe modo , ſed per omnem Italiam coërcita fuere , maximiſque pœnis prohibitum, ne Romæ Bacchanalia fierent , neve in Italia, cum in contubernio ſordidiſſimorum pararentur , eſſentque maximorum ſcelerum cauſa & ſeminarium.* Quod ſi ergo illi qui in Deum minimè credebant , neque poſt hujus vitæ curſum vitam præſtolabantur infelicem aut beatam , qui tunc Dæmones, & inter eos præcipuè Bacchum & Venerem, Deorum loco adorabant , pro boni Regiminis regula inſtituenda , haſce turpes inſolentias & diſſolutiones diſtrictè interdicere opportunum , imò neceſſarium eſſe judicarunt , qua fronte nos, qui Chriſtiani ſumus , cum tanto jubilo & alacritate Baccho litaturi prodimus in campum , illaque feſta velut ſtulti & amentes ſtudioſè proſequimur & continuamus.

Reſuſcitantur.
Gaſp. Manz. in Cent. deciſ. Pal. Q. 50. n.12.
Clem. Alex. l.2. ſtrom.

4. Gaſpar Manzi in quadam Quæſtione , quàm adverſus Bacchanalia inſtituit, poſtquam præallegatas hujuſce inſaniæ retuliſſet à gentilibus per Senatus conſultum factas prohibitiones , pergit dicere : *Verùm quod Pagani ſepelierunt , Chriſtiani reſuſcitarunt , & quidem Dæmonis inſtinctu, eo maximè tempore , quo pietati magis indulgere, & mores ſuos ad legem Chriſti componere deberent.* Clemens Alexandrin. quærit : *Quando id quod in honorem alicujus Idoli ab Ethnicis agitur , à fidelibus Chriſtianis ſpectaculo frequentatur , & Idololatria gentilis aſſeritur , & in contumeliam Dei, religio vera & divina calcatur.* Cui utique reſponderi cum veritate poteſt , quod execrabilior Deo contumelia per totius anni decurſum irrogari nequeat, quàm ſit illa quâ hiſce diebus ſacrilegè afficitur , in quibus honor & cultus Deo debitus in Bacchum transfertur.

Comœdiæ à Diabolo inventæ.

5. Sanctus Carolus in loco quodam , ubi miniſtris verbi Dei , ut abuſus & ſcandala his diebus in Chriſtianiſmum introducta acriter reprehendant , incul-

cate



Act. Eccl. Mediol. ubi ſup.

care nititur, hoc illos præcipuè prædicare jubet. *Scenicæ perſonatæque actiones, unde tamquam à quodam ſeminario , ſemina malefactorum ac flagitiorum penè omnium exiſtunt, quàm à Chriſtianæ diſciplinæ officijs abhorrentes, quàm valdè cum Paganorum inſtitutis convenientes , atque Diaboli aſtu inventæ ſint.* S.Cyprianus ad Serpentis infernalis ſe reflectit aſtutiam , qui ab humano genere in Idolis adorari volens, conſequenter illis voluptates, per quas ad id alliciantur, ſubminiſtrare decrevit : *Ita Diabolus artifex , quia Idololatriam per ſè nudam ſciebat horreri , ſpectaculis miſcuit, ut per voluptatem poſſet amari.* Salvianus de ſpectaculis tractans, nos per ea à Deo & Religione ipſius apoſtatare dicit : *In ſpectaculis quædam apoſtaſia fidei eſt* ; Quod cum eo conſonat, quod diu ante ipſum ſcripſerat Tertullianus, dum ait : *Præſcripſiſſe debemus Dæmones ab initio proſpicientès ſibi inter cætera idololatriæ , etiam ſpectaculorum inquinamenta , quibus hominem à Deo avocarent , & ſuo honori obligarent, ejuſmodi quoque artium ingenita inſpiraſſe.* Fideles antiqui , quotieſcumque fidem ſuam publice proteſtabantur, ſpectaculis quoque abrenuntiare ſolebant ; Et ideò S. Auguſtinus ad Chriſtianos ſe convertens , illos Dæmoni hoc verbo *abrenuntio* &c. abjuraſſe ſcribit ; ac proinde Tertullianus de ſpectaculis cap.4. ait : *Cum aquam ingreſſi, Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profitemur , renuntiaſſe nos Diabolo , & pompæ, & Angelis ejus conteſtamur.* Idemque S.Auguſtinus eodem jam citato loco Chriſtianos his verbis propoſito noſtro apprime ſervientibus alloquitur : *Renuntiate non ſolùm vocibus, ſed etiam moribus, non tantùm ſono linguæ ; ſed actu vitæ. Scitote vos cum callido , antiquo, & veternoſo inimico ſuſcepiſſe certamen ; non in vobis poſt renuntiationem inveniat opera ſua , non jure vos attrahat in ſervitutem.* Simul etiam modum explicat , quo Dæmon ſibi ſuper nos comparavit authoritatem & imperium, eo nimirum aſtu , ut nos in gentilium ritibus ſpectaculis videlicet & Bacchanalibus communicare faciat : *Fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere, non tenens promiſſionis ſuæ fidem.*

S.Cypr. de ſpect.
Salv. de Gub. Dei. 6.
Tertull. de ſpect. c.11.
His abrenuntiabant antiqui.
Aug. T.9. l.4 c.1. de Symb. ad Catech.

6. Quamnam exiſtimas eſſe cauſam quod promiſſiones Deo ſtipulatas minimè adimpleamus? *Modo ingrediens Eccleſiam orationes fundere, poſt modicum in ſpectaculis cum hiſtrionibus impudicè clamare ; quid tibi cum pompis Diaboli, quibus renuntiaſti?* Quibus verbis inconſtantiæ noſtræ cauſam in ſpectacula refundit. Optimè igitur Tertullianus Chriſtianum in theatro conſtitutũ cum vidiſſet, his eum verbis allocutus fuit: *Nemo te cognoſcit Chriſtianum, ſed recogita, quid de te fiat in cœlo; dubitas enim illo momento, quo Diabolus in Eccleſiam furit, omnes Angelos proſpicere de Cælo , & ſingulos denotare, quis blaſphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures Diabolo adverſus Deum miniſtraverit?* Idem Tertullianus prius in alio quodam capite Deum enixè rogaverat, ut hoc à Chriſtianis ſcandalum, & abuſum illum ſacrilegum avertere dignaretur, ne in theatris umquam conſpiciantur : *Avertat*, inquit, *Deus à ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem; quale eſt enim de Eccleſia Dei in Diaboli Eccleſiam tendere? de Cælo (quod ajunt) in cœnum? Illas manus, quas ad Deum extuleris, poſtmodum laudando Hiſtrionem fatigare?* In promptu quoque eſt prohibitio quædam antiqua miniſtris Sacris intimata hujus tenoris : *Nullus Sacerdotum in theatrum prodeat, neque cum hiſtrione ullo vel ſaltatore ſit amicitia conjunctus, ad eorumve fores accedat.* S. Ephrem interrogat : *Quis demonſtrare poterit convenire Chriſtianis cytharizare, aut tripudiare, aut tibiis ludere, &c.* Saltem certum eſt , quod Eccleſia haſce diſſolutiones nequaquam approbet, quin potius deteſtetur & reprehendat, unde idem Sanctus ſubdit : *Neque uſquam reperitur hæc Chriſtianis permiſſa eſſe.*

Tertull. ibid. c.25.
Tertull. ibid. cap.25.
Jul. Imp. in fragm.
S.Ephr. ibid.
Sacerdotibus prohibitæ.

Eccl.32. 21.
Multi devoti ſeducuntur.

7. In Eccleſiaſtico dicitur : *Peccator homo vitabit correptionem, & ſecundùm voluntatem ſuam inveniet comparationem.* Multi etenim ex Chriſtianis, licet alijs temporibus timoratæ conſcientiæ fuerint ; hiſce tamen diebus ſine ullo ſcrupulo Bacchanalium gaudijs ſe aſſociant ; quia Diabolus ſingulari in id induſtria incumbit , ut ſapientes quoque magnaque prudentiæ circumſpectione conſpicui homines Bacchanalium celebrationi ſeſe jungant, ut malum illorum exemplum innumerabiles alios in peccati præcipitium ſeducat : at verò quantoperè ſpectacula & aliæ profanitates ſimiles Chriſtianos dedeceant , vel ex hoc ſufficientèr agnoſci poteſt , quod Conſtantinus Magnus poſtquam in fidè Chriſti, quam amplexatus fuerat, altius nonnihil profeciſſet, omnes ludos jocoſque ſæculares , qui ad ejus uſque tempora Romæ ſolemni cum apparatu celebrabantur, edicto Cæſareo totaliter proſcripſerit; Quod, ut Cardinalis Baronius obſervat, tantum Gentilibus dolorem conciliavit , ut publicare non fuerit veriti ( inſtigante illos ad hoc Diabolo) ludos illos utpote Divino nutu atque inſtinctu inſtitutos , abrogari nequaquam poſſe , ſiquidem eo præcipue fine inchoati fuiſſent , ut per illos varia ab ipſis peſtilentiæ nimirum , bellorum, aliarumque ærumnarum infortunia arcerentur , quæ alias Romæ velut fatalia ſupplicia imminere videbantur ; Unde & Zoſimus in ſua Hiſtoria antiquam Romanorum Rempublicam ſola Chriſtianorum culpa illis malis obrutam fuiſſe demonſtrare volens, cauſam illorum Conſtantino Magno attribuit, utpote qui ludorum illorum exercitium è medio ſuſtulit, cum tamen, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, etiam ſæculis illis, quibus Bacchanalium ludi in pleno vigore erant , mortalitates, alioſque funeſtos eventus minimè defuiſſe conſtet; imò quando Romani eoſdem ludos ſub Honorio Imperatore à poſtlimio revocarunt Gothi ſexennio poſt Romam ipſam poſt diuturnam obſidionem occupatam igne & gladio penitus devaſtarunt, cum tamen econtra ſæculum iſtud in quo ludi proſcripti & aboliti fuerunt, fortunatiſſimum extiterit. Denique Sanctus Sylveſter Papa ludos & jocos illos adeò Chriſtianos dedecere cenſuit, ut in ſynodo ſuo tempore celebrata, Comœdos, & hiſtriones, aut alias ſimiles profeſſiones exercentes à ſacrâ Communione arcendos eſſe decretum fuerit ; Valentinianus autem illos qui à Republicâ theatris præfecti fuerant , etiam quando relictis theatris Chriſtiani fieri volebant ad Sanctum Baptiſmatis Lavacrum non niſi in fine vitæ ipſorum admittendos eſſe reſcripto publico, Catholico Imperatore, ut Baronius ait , digniſſimo præcepit ; cujus ratio fuit , quia Hiſtriones & Comœdi à ſacris Canonibus rigoriſſimè prohibebantur ; quam proinde profeſſionem omnes qui noſtram fidem profitebantur, dimittere debebant.

Baron. An. 315. n.13.
Divinitus inſtitutos ludos putabant Gentiles.
Baron. An. 114.n.58.
Comœdis denegata communio.
Baron. An. 371.n.128.

8. Sanctus Ephrem quoque quantum joci & tripudia aliæque ſimiles diſſolutiones Chriſtianos dedeceant , his verbis inſinuat : *Hodiè , ut videre licet , pſallant ex ordinatione Dei , & cras ſtudioſè Choreis incumbunt , juxta doctrinam Sathanæ ; Hodiè conjunguntur Chriſto, & cras abrenuntiant & abnegant , inhonorantque eum ; Hodiè Chriſtiani & cras Ethnici ; Hodiè pij & cras impij ; Hodiè fideles & ſervi Chriſti , & cras apoſtatæ , inimicique Dei ; Nolite errare fratres mei, nolite errare : Nullus poteſt duobus Dominis ſervire , at cum Diabolo Choreas ducere.*

S.Ephrem. ca. cit.

9. Unde hiſce temporibus optimè mihi quadrare videtur apta quædam à Petrarcha nonnullis data reſponſio , qui Papam , ne Avenionem deſereret , Romamque ſe reciperet, dehortabantur , eo quod cibi & vina Avenionenſia Romanis ſapidiora eſſent , majoremque in ſe ſubſtantiam complecterentur ; *Planè*, inquit, *quod de cibis Galliæ deque vinis dixit , ad quamdam, ni fallor, audientium injuriam pertinuit, ita enim Apoſtolicos viros , ceu totidem piſces ac volucres cibi obtentu ineſcaſſe credidit, ac cepiſſe : nimis jam, prô pudor, hæc per urbem fama vulgata eſt , in eligenda ſanctæ Eccleſiæ ſede, voluptatum ac ciborum, atque in primis vini copiam ad conſilium venire, quaſi non de Chriſtiana religione, ſed de Bacchanalibus conſultetur. Heu mihi , nec auditur Paulus ad Corinthios, imò ad Chriſtianos clamans : Nolite jugum ducere cum infidelibus ; Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial? quæ proportio Chriſti ad Bacchum? numquid igitur quia Sacrificium Altaris vino eget Bacchus erit Chriſtianorum Deus? nec jam Chriſti præceptis ac monitis ; ſed Bacchi delinimentis furoribuſque parebitur?* Unde Chriſtiani dum in hiſce Bacchanalibus non ex alio capite , quàm quia paulò poſt ingreſſuri ſunt Quadrageſimam, per tantam ſcandalorum publicitatem inſoleſcunt , abuſum committunt adeò execrandum & abominabilem, ut vel ipſoſmet Turcas ſcandalizet , & in admirationem rapiat ; Hoc enim Sanctus Vincentius Ferrerius ſerm. 1. in Dom. Quinquageſimæ Valentiæ in Hiſpania revera accidiſſe refert , his verbis : *Homo de Agarenis nuntijs viſitantibus Conventum Majoricarum in die Carniſprivij dixit : Per Deum non eſtis homines boni.*

Petrarch. l.9. ep.1. ſer. Senil. ad urb. V.
Scandalizantur Turcæ.
S.Vinc. Ferr. ſerm.1. in Quinq.

10. Sanctus Judas Apoſtolus in Epiſtola ſua Canonica ſui temporis hæreticos deſcribens , eos pariter Chriſtianos, qui hiſce diebus Bacchanalibus vanitatibus turpiſſimis vacant , perfectè delineaſſe videtur ; Dicit enim : *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ convivantes ſine timore , ſemetipſos paſcentes* ; Paulò ante quoque dixerat : *Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ , & abeuntes poſt carnem alteram ; Similiter & hi carnem quidem maculant,*

Deus hoc tempore maxime offenditur.
S.Jud. Ap. in Ep. v.12.
Idem. v.7. v.8.



domina-

*dominationem autem ſpernunt, Majeſtatem autem baſphemant* ; Homo enim Chriſtianus in decurſu totius anni nullo umquam tempore adeò in crapulis, larvis, alijſque turpitudinibus inſoleſcit ; neque umquam tot contra Deum offenſas & peccata accumulat, ſicut hoc præſenti tempore.

*S. Aug. T. 10. ſer. 13. in Evang. ſecund. Matth. 16.*

11. S. Auguſtinus illos qui à theatris abſtinent mirè deprædicans, ſimul etiam haud obſcurè quales illi ſint, qui ea frequentant, his verbis inſinuat : *Non vult bonus Chriſtianus ire ſpectare hoc ipſum quod frænat concupiſcentiam ſuam, ne pergat ad theatrum clamat poſt Chriſtum, alÿ concurrunt, ſed forte Pagani, fortè Judæi.*

12. Tertullianus poſtquam varios ludos, quibus Pagani in falſorum numinum ſuorum honorem Feſta celebrabant, nominatim recenſuiſſet, tandem ad hominem Chriſtianum ſe convertens, ita eum alloquitur : *Animadverte Chriſtiane, quot nomina immunda poſſèderunt circum : aliena eſt tibi religio, quam tot Diabolici ſpiritus occupaverunt.* Quibus addi poteſt, quod theatra non ſolum nomina, ſed & facta immunda & impura poſſideant, cum vix ullum ſit impudicitiæ genus, quod in illis locum ſuum non habeat. Idem quoque in ejuſdem libri capitulo 12. De amphiteatro ita ſcribit : *Capitolium omnium Dæmonum templum, tot illic immundi ſpiritus conſiderat, quot homines capit* ; ac proinde Theophylus Antiochenus proteſtatur dicens : *Nec ſpectacula ſpectare audemus, ne oculi noſtri inquinentur, & aures noſtræ hauriant profana.*

*Tertull. de ſpect. c. 8.*

*Tertull. ibid. cap. 12.*

*Theophylus Antioch. l. 3. ad Autolycen.*

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Pœnæ, quas Deus Bacchanalibus laſcivijs operam dantibus immiſit, in genere & in ſpecie accuratius conſiderantur, contra eorumdem ſequaces, qui ex eo culpabiliores exiſtunt, quod per illa ſe à Deo avertant.

### THEMA.

*Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuſcemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis.* Num. 11. v. 33.

Chriſtianis hoc contingit quod Iſraelitis in deſerto.

1. POpulus Iſraeliticus quadraginta ſolidis annis per deſertum ad promiſſionis terram proficiſcens, tandem manna, quo à Deo quotidiè paſcebatur, faſtidiens, carnes anhelare cœpit, quas & protinus in ſumma abundantia conſecutus fuit, at verò bolus ille carnium caro ſatis pretio, ſtrage ſcilicet & irreparabili morte ſuorum illis conſtitit, unde locus, in quo cadavera occiſorum ſepulta fuere, ſepulchra concupiſcentiæ vulgari nomine appellatus fuit ; De quâ etiam funeſta Hiſtoria Pſalmiſta inquit : *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, &c.* Eodem prorſus modo populus Chriſtianus ad Judaici populi imitationem & ipſe carnes appetit, ſeque omni conatu & ſtudio Bacchanalium ſpurcitiebus immergit, idque non ex alio motivo, quàm quia paulò poſt pœnitentiæ quadrageſimalis deſertum eſt ingreſſurus : at verò quid fit ? dum in ſummo ſunt intemperantiæ exceſſu conſtituti, Eccleſia auribus illius mortis ſententiam intimat, dicens : *Memento homo quia pulvis es*, præterquã, quod, ut in hoc diſcurſu videbimus, Divina juſtitia illis alia quoque ſupplicia in horum exceſſuum & inſolentiarum Bacchanalium juſtè promeritam pœnam ſæpiſſimè infligat.

*Pſal 77. v. 30. & 31.*

2. Cajetanus circa hunc Scripturæ locum, argutè notat pœnam, quâ hi guloſi epulones à Deo puniti fuerunt, ejuſque qualitatem in eo Scripturæ textu nequaquam expreſſè declarari ; Unde ait : *Qualis fuerit hæc pœna, neſcitur ; tantum ſcimus quod fuerit percuſſio magna valdè populi, & quod percuſſio fuit mortifera, quia hoc ſepultura teſtatur* ; nec mirum quia non ſolum cum appetitu quodam inordinato importunè valdè carnes ſibi dari poſtularunt, verum etiam annonam Mannæ cœlitus ipſis quotidiè ſubminiſtratam contempſerunt, & temerè, contra illius levitatem cibi murmurarunt : at verò Chriſtiani eodem prorſus modo duplicis delicti rei exiſtunt, quia non ſolùm tantam ſibi ad obſcœnitates & diſſolutiones in tempore Bacchanaliorum committendas arrogant licentiam, verum etiam ex nimio illarum amore & deſiderio devotionem & pietatem illis diebus totaliter intermittunt, ſeque ut ita dicam, Chriſtianos eſſe prorſus obliviſcuntur.

*Cajet. ibid.*

Duplex peccatum Chriſtianorum.

Sub prætextu lætitiæ peccatur.

3. Sapiens in Proverbijs propoſitionem quamdam inter cæteras habet, quæ hiſce diebus maximè præ reliquo anni tempore adimpleri videtur ; Dicit enim : *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus* ; fideles etenim hiſce diebus ſub prætextu lætitiæ & recreationis univerſaliter introductæ & toleratæ, ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo millenis iniquitatibus animam ſuam commaculant ; at verò illis idem prorſus accidit, quod idem Sapiens capite 14. prædicit, dum ait : *eſt via, quæ videtur homini juſta, &c.* multi enim ob malum aliorum exemplum, & tolerantiam publicam licitum ſibi eſſe ducunt, ut voluptatum & delectationum torrentem pleno impetu pro libidine ſequantur, non conſiderantes, quod idem Sapiens conſequenter proteſtetur dicens : *Noviſſima ejus ducunt ad mortem : riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudÿ luctus occupat.*

*Prov. 10. 23.*

*Prov. 14. v. 12.*

Vitæ emendatio non differenda in Quadrag.

4. Cum Archias Thebarum tyrannus die quodam in numeroſo amicorum ſe recreantium & dulciter converſantium agmine conſtitutus lætus, feſtivus & hilaris aſſiſteret, litera quædam ad eum delata eſt, in qua ipſe ſecreto monebatur, multos in ipſius necem conjuratos hoſtes, eodem in loco ipſi machinari mortem ac proinde neceſſum ei eſſe, ut ab eorum inſidijs ſe cautè ſubduceret ; cumque literarum bajulus inſtanter, literas ut aperiret, illarumque ſeriem attente perlegeret, ſolicitaret, is nihilominus earum lectionem uſque & uſque diſtulit ; cumque ulterius litteras illas arduum illi ſignificare negotium, ac proinde in mora lectionis magnum ſubeſſe periculum, moneretur ; Tyrannus reſpondit : Seria in craſtinum ; Sed gravi mulcta moram hanc luere coactus fuit ; Siquidem mox ut ab amicis digreſſus fuit, violenta hoſtium ſuorum manu protinus interemptus occubuit. Quot ſunt qui hiſce diebus internas à Deo inſpirationes accipiunt, à Prædicatoribus enixè rogantur, monentur ex Librorum ſpiritualium lectione, nec non ab optimis timoratorum hominum exemplis, ut hiſce diebus à mundi univerſali vanitate ſe ſubducant, qui tamen tempus adhuc ſufficiens ſupereſſe reſpondent, quo in imminente Quadrageſimali tempore ſe ab ijs ſubtrahere, & bona operari poſſint, nunc tempus eſſe, ut pro communi aliorum more genialiter vivant, quos tamen Deùs in Quadrageſima juſto ſuo judicio à mortali quadam infirmitate corripi, vel occaſione inſolentiarum illius temporis inimicitiæ alicujus graviſſimum ſubire periculum, vel per crapulam ſuam totaliter perdere valetudinem, taliaque experiri diſcrimina permittet, ob quæ tota vita ſua ſuſpirare & gemere cogantur.

*Olaus Magnus l. 4. c. 9.*

Extrema gaudij luctus.

5. Olaus Magnus quibuſdam gelidum ſeptemtrionem incolentibus populis, in more poſitum eſſe refert, quod ſeſe invicem recreaturi lauta conſueverint inſtituere convivia, ijſque abſolutis inter tibiarum, cytharæ, cymbalorum artificioſos modulos ſaltus & tripudia in ſeram uſque noctem continuare, donec viribus Choreas agitando, exhauſtis, in terram corruentes, velut mortui ſe extendant & gaudiorum loco in planctus & ſuſpiria prorumpant : Idem prorſus eſt apud Chriſtianos Bacchanaliorum finis, poſtquam enim ſe diu crapulis, ſaltibus, tripudijs, alijſque millenis diſſolutionibus hiſce diebus fatigarunt, tandem omne ipſorum gaudium in cineribus & planctu miſerè terminatur. *Inter Veſtibulum & Altare plorabunt* ; imò ut melius dicam, ſæpè ob peccatorum ſuorum multitudinem, vanitates ipſorum planctu æterno terminantur.

*Ann. Eccl. Anno 1352. num. 31.*

Chorearum Hiſtoria tragica.

6. Annales Eccleſiaſtici de Epiſcopo quodam referunt, quod is, quia Joannes nomine inſignitus erat, in Feſto Sancti Joannis Evangeliſtæ, multas fœminas nobiles ad tripudiandum invitare conſueverit, cumque ipſe in medio illarum diu Choreas velut Choragus duxiſſet, repente cadens miſerabili morte expiravit, *mortuus non ut Epiſcopus, non ut Sacerdos, ſed veluti hiſtrio, mortuus non in atrio, ſed in theatro, non in loco Sacro, ſed profano, non in Eccleſia, ſed Chorea.*

*Bacchanaliſtarum typus Holofernes. Judith. 3. v. 10.*

7. Holofernes verus Bacchanaliſtarum typus fuit, tum ob ſuam ebrietatem & carnalem laſciviam, tum quia ab iiſdem populis, quos ſibi in ſervitutem redegerat, tanto cum gaudio & feſtivitate lætitiæ exceptus fuerat : *Excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes Choros in tympanis & tibiis.* Hic in textu græco capite 10. ejuſdem libri Judithæ totus Feſtivus occurriſſe dicitur : *Exiit in proſcenium, & lampades ardentes præcedentes eum* ; Cœnæ quoque una cum Juditha totus lætus & jucundus accubuit ; In medijs autem hiſce gaudijs, quibus ſuum cum Juditha ſponſalitium celebrare parabat, quando nil minus cogitabat, mortalem illum in cervice ictum accepit, quo caput ejus à buſto amputatum totiusque Hebraiſmi ludibrium factum fuit ; Quot ſunt hodiè, de quibus pariter



ter hiſce diebus, magno ipſorum & irreparabili infortunio verificabitur illud Scripturæ : *Extrema gaudÿ luctus occupat.* Quot infortunia & miſerabiles clades in medio gaudiorum accidunt, dum minus nihil timebatur ? Filia Jephtæ Patri ſuo glorioſè triumphanti fortè fortuitò occurrit : *Occurrit ei unigenita filia ſua cum tympanis & choris, quæ viſa ſcidit veſtimenta ſua & ait : Heu me, filia mea decepiſti me, & ipſa decepta es.* Pater enim voto ſe Deo obſtrinxerat, quod ſi Victor è prælio rediret, primum quod ſibi occurreret ei in Sacrificium offerre vellet ; & ecce prima omium filia ejus ei occurrit, quæ cantibus & tripudijs mortem ſibi præſagiebat : *Riſus dolore miſcebitur, &c.*

*Prov. 14. v. 13.*

*Jud. 11. v. 34. 35.*

*Prov. 14. v. 13.*

Philiſtæi.

8. In eodem Judicum libro Bacchanalia recenſentur, quæ Philiſthæi in honorem Dagon Dei ſui celebrabant : *Et Principes Philiſtinorum convenerunt in unum, ut immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo & epularentur &c. Lætantesque per convivia, ſumptis jam epulis, præceperunt, ut vocaretur Samſon, & ante eos luderet, qui adductus de carcere, ludebat ante eos, &c. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philiſtinorum ac de tecto & ſolario circiter tria millia utriusque ſexus ſpectantes ludentem Samſon.* Finis autem hujus gaudij, totiusque illius multitudinis feſtivantis, fuit ſtrages & interitus illorum univerſalis : *Concuſſis... columnis, cecidit domus ſuper eos*, idq; ex ſpeciali diſpoſitione Divina *invocato Domino*, inquit Sacer textus. *Samſon columnas domus convulſit.*

*Judic. 16. v. 23.*

*Ibid. v. 25.*

*Ibid. 27.*

*Ibid. 30.*

*Ibid. 28.*

Babylon.

*Dan. 5. v. 9.*

9. Legatur ſolemne illud convivium, quod Balthaſar Rex magnificentiſſimè inſtruxit, cui milleni præpotentis regni ſui Principes & Satrapæ, cum ingenti concubinarum numero accubuerunt qui omnes in cymbalis & cytharis atque tripudijs in honorem Beli Dei ſui feſtivas ſolemnitates agebant : Univerſa Babylonia illa nocte una cum Rege lautiſſimas cœnas præparaverat, tametſi civitas illa à validiſſimis eſſet exercitibus obſeſſa ; Sed ecce *riſus dolore miſcebitur*, nam tremendi illi digiti eadem hora in aula ſive triclinio regio apparuerunt, qui Regem toto corpore contremiſcere fecerunt, utpote cui mortem & Regni ejus prædixerunt interitum, in eadem namque nocte exercitus inimicus victor ingreſſus eſt civitatem, id quod Jeremias vaticinatus fuerat, dum ait : *Et inebriabo Principes ejus, & ſapientes ejus, & duces ejus, & magiſtratus ejus, & fortes ejus, & dormient ſomnum ſempiternum & non expergiſcentur.* Inter choreas igitur, cantus, Cytharæ modulos & crapulas univerſa Chaldæorum monarchia, quæ quadringentis annis maximæ mundi parti dominata fuerat miſerè cecidit & interiit.

Ebrietas cauſa ſemperni ſomni.

*Jer. 51. v. 57*

Bacch. finis.

10. Alibi populus Dei in deſerto vitulum erexit, eique in hilaritate & jucunditate inter ſonos, cantus, ſaltus, & epulas cultum Divinum exhibuit : *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*, quibus actionibus expreſſum edebant profanorum Bacchanalium prototypum : *Luſus enim illorum*, ut S. Baſilius inquit, *idololatria erat.* Sed quis tandem hujus lætitiæ finis ? *Tunc Levitæ contra fratres ſeſe armantes, ex eis viginti tria millia ceciderunt, ſic enim manus ſuas, inquit Hiſtoria conſecrarunt.*

*Exod. 32. v. 6*

*S. Baſil. de ebriet. & lux.*

Choreizantis ſuppliciũ.

11. In vita magni illius ſervi Dei Joannis Baptiſtæ de Fulginio refertur, quod dum ex locis Fulginio circumvicinis tripudia & alios temporis hujus exceſſus pro viribus zeloſè extirpare niteretur, die quodam in ſermone à ſe habito ad harum inſolentiarum deteſtationem auditores ſuos acriter hortatus fuerit, unus autem ex peſſimis hiſce Bacchanalium cultoribus exaſperatus ſine mora in ignominiam & deſpectum viri Dei in domum ſuam * cum pluribus alijs abiit, ibique Choreas, aliaſque quæ hoc tempore exerceri paſſim ſolent, petulantias jocoſque inſolenter inſtituit ; Sed ecce Divinæ juſtitiæ vindictæ in eum animadvertere nequaquam tardavit, ſiquidem dum Choreæ in ſummo fervore agitarentur, eodem temporis momento infelix ille homo à mortali quodam accidente correptus in terram corruit ; cumque ſervus Dei, qui in Eccleſia ſermocinabatur, advocatus ſubitò acceſſiſſet, invenit, quod *verſa erat in luctum cythara ejus*, acceptaque hac occaſione contra haſce diſſolutiones vehementer, ſummaque cum energia cum miro animarum ibidem præſentium, & miſeriam hujus hominis ſpectantium fructu detonuit, poſitusque in oratione, ut idem à ſubitaneo hoc malo ſanus reſurgeret, & facti pœnitens ſerio emendaretur, à Deo obtinuit.

Dei vindicta provocatur per Bacch.

12. Porrò diſſolutiones haſce Bacchanales Dei in populum Chriſtianum iram provocare, adeò ut in illas per calamitates & ærumnas publicas acerrimè animadvertat ; Sanctus Carolus Borromæus pluribus in locis clare teſtatur, unde adverſus eas hiſce Apoſtoli verbis uti ſolebat : *Nemo vos ſeducat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ ; nolite ergo fieri participes eorum.* In memoriali ſuo quod ad Diœceſin ſuam Mediolanenſem direxit, in hæc verba loquitur : Tandem, tandem aliquando viſis tot calamitatibus quas ira Dei per levitates veſtris hiſce diebus irrita vobis juſtè immittit, ſtatuite in cordibus veſtris firmiter, horum dierum vanitates intermittere, & à vobis præſcribere, tempuſque hoc in orationibus, lachrymis, pœnitentiæ operibus, debitaque pro Divinis beneficijs receptis gratiarum actione impendere, videtis enim, & manibus palpare poteſtis, quod dies iſti à vobis per levitates veſtras profanati, tandem in ſe vim habeant, ut flagella, calamitates, cœlique ſagittas juſto Dei judicio vobis ſuperinducant ; Paulò ante enim dixerat, undenam tot ruinæ, tot calamitates, bella & ſeditiones publicæ, fames, terræ motus, peſtes, diluvia, incendia, jacturæ regnorum, populorum ſtrages & neces, rebelliones &c. originaliter procedant, nimirum ex prodigioſis portentoſiſque horum dierum profanitatibus. Idem quoque Sanctiſſim. Cardinalis alibi civitatem Mediolanenſem hiſce verbis cives ſuos alloquentem introducit : Nolite, inquit, ſtagnantibus præ lacrymis oculis, dilecta patria veſtra, nolite inquam peccatis & ingratitudine veſtra Deo cauſam dare, ut ſuper me, alioſque concives veſtros has aliaſque ſimiles, vel etiam alias graviores tribulationes & anguſtias ſuperinducat ; quaſi Sanctus Archipræſul dicere vellet, ſi ad licentiam & diſſolutionem priſtinam denuò reverſi fueritis, utique iterata vice, ſi non contagium jam præteritum, certè alia longè graviora ſupplicia vobis immittet ; ac proinde inter alias Inſtructiones, quas Prædicatoribus ſuis dederat ; una hæc fuit : *Spectacula, ludos, ludicraſque res id generis, quæ Ethnicorum moribus originem ducunt diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur, perpetuò deteſtabitur, execrabitur, demonſtrabitque publicas ærumnas inde in Chriſtianum populum dimanare.*

*Eph. 5. v. 6. & 7.*

*Act. Eccl. Mediol. pag. 1158.*

*Act. Eccl. Mediol. pag. 115.*

*Ibid. p. 485.*

Deo & Baccho famulari non poteſt.

13. Porrò deteſtabilis hic abuſus non ſolum in eo conſiſtit, quod homines hiſce diebus Bacchanalibus gaudijs ſe dedant, in iiſque recreationem ſuam quærant & ponant, ſed etiam quia id faciendo dorſum Deo vertant, quia impoſſibile eſt, ut homo prius faciat, & alterum omittat ; *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, quod utique veriſſimum eſt, ſi ut interlinearis notat, ſermo ſit de duobus *inter ſe diſſidentibus*, & ut Dionyſius Carthuſianus ait, *non ſubordinatis, ſed contrariam voluntatem habentibus.* Turpiter utique decipimur, ſi credamus quod fideles in operibus bonis, quæ hiſce diebus faciunt, meritum aliquod apud Deum habere poſſint, ſi eodem tempore mundi torrentem ſectari licitum eſſe ſibi perſuadeant. Audite quid vir ille Dei illuminatiſſimus S. Ephrem in capite illo alias ſæpius allegato, cui titulus eſt : *Ludicris rebus abſtinendum eſt Chriſtianis*, dicat : *Noli hodie pſallere cum Angelis, & craſtino die in tripudijs eſſe cum Dæmonibus.*

*Matt. 6. v. 24*

*Interlin. ibid.*

*Dion. Carth.*

*S. Ephrem. T. 1.*

Citius Dei iram provocant prudentes.

14. Iſraëlitæ iram Dei in ſe provocarunt, non quando prima vice carnes à Deo poſtularunt, ſed quando petitionem iſtam etiam ſecunda vice reiterare præſumpſerunt ; Ecquid vero hæc differentia in ſe myſterij continet ? In Exodo poſtquam à Deo petierunt carnes, *aſcendens coturnix cooperuit caſtra, mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum* : In libro Numerorum vero mox ut carnibus quas à Deo petierant, ſatiati eſſent, divinæ vindictæ gladium diſtrictum in ſe ferociter ſævientem viderunt. Utrobique iidem Hebræi erant, eadem cum arrogantia conqueſti fuerant, eodem modo adverſus divinam providentiam murmuraverant, & tamen utrobique tanta cum diverſitate Deùs cum illis procedit, prima enim vice non fuere puniti, bene tamen dũ eamdem petitionem ſecunda vice reiterarunt ; ſcitiſne quænam hujuſce diverſi modi procedendi cauſa fuerit ? quando prima vice carnes ſibi dari poſtulabant ſtomachum ſuum etiamnum farina Ægyptiaca habebant repletum, nondũ manna cœlitus miſſum guſtaverant, & ideo tunc illos non punivit, ſed potius miſſo cœlitus manna ipſos pavit : Quando autem ſecunda vice carnes ſibi dari petierunt, jam diu ante per longum temporis ſpatium cœleſti manna nutriti fuerant, jure merito igitur ſine ulla remiſſione caſtigantur, utpote qui Angelorum cibum ollis carnium Ægyptiacis arroganter poſtponere non erubuerunt ; Eadem prorſus invenitur hiſce diebus in multis Chriſtianis deordinatio : qui cùm lumen & notitiam Dei ſufficientem habeant, gravitatem quoque offenſarum

*Exod. 16. 13.*

*Num. 11. 33.*

rum quibus Deum ad iracundiam provocant, clare ſatis agnoſcant, nihilominus ut tum à reſpectu quodam humano moti, tum ab appetituum ſuorum vehementia ſeducti, libidini ſuæ ſatisfacere poſſint, omni pietati & devotioni nuntium remittere non verentur, & ideo merito acerbius puniuntur, quam alij ſimplices homines, qui idem quidem hiſce diebus faciunt, eamdem tamen Dei notitiam aut lumen minimè habentes: *Heu, quale eſt*, inquit Tertullianus, *de Eccleſia Dei ad Eccleſiam Diaboli tendere?* Quia Achan in prælio Jerichuntino ſpolia quædam, & quam neſcio auri maſſam ſuſtulerat totus Iſraëliticus exercitus, in quem alias favorabilis victoriæ rota prona erat, hujus unicæ transgreſſionis ab Achan commiſſæ cauſa, ſumma cum ſeveritate ex juſſu Dei caſtigatus ac punitus fuit. At vero, dicet fortaſſe aliquis; Numquid indiviſibilis militum proprietas eſt furari & rapere? & multo magis ſeſe ex relictis ab inimicis ſpolijs locupletare? *Omnia in figura contingebant.* S. Iſidorus ait: *Jericho mundum ſignificat, de anathemate ejus in tabernaculo ſuo abſcondit, qui ſæculares mores Eccleſiæ ſecretis inſerit, qui ſub cultu Dei manent ſolemnitates ſæculi & ſpectacula diligit.*

Tertull. de ſpect. c. 25.
Joſue 7.
S. Iſid. l. 8. in Joſue à Gloſſa cit. in cap. 7.

Deus & Bacchus.

15. Philiſtæi ſe ab inæſtimabili arcæ theſauro locupletari & adaugeri videntes, eidem in ſumptuoſiſſimo templo ſuo honoratiorem aſſignare locum ſtatuerunt, illam nimirum proximè juxta Deum ſuum quem colebant, collocando: *Et ſtatuerunt eam juxta Dagon.* Cornelius à lapide poſtquam varias circa hoc Idolum opiniones recenſuiſſet, Idolum iſtud Venerem repræſentaſſe cenſet, quam Philiſthæi adorabant: Pagninus legit: *Philiſthym ruinam ponentes, ruinam portantes*, tametſi enim ipſi per cultum & honorem arcæ exhibitum ſe erga Deum arcæ gratos exhibere voluerint, ipſa tamen Idolum ipſorum penitus deſtruxit, ipſiſque irreparabilis cujuſdam exterminij & deſolationis cauſa extitit. S. Bonaventura ait: *Dagonem idolum Veneris; Philiſthæi poſuerunt arcam Domini, juxta idolum Veneris Dagonem: ſic mali Sacerdotes, quando ponunt filium Virginis juxta filium Veneris in altari.* Superius in progreſſu diſcurſus, eodem tempore quo Philiſthæi jocis, cantibus, convivijs & alijs feſtivis gaudijs arcam honorabant, aulam in qua erant protinus corruiſſe diximus: Sic Pariter ſuper fideles Divina cadunt ſupplicia, quando Dagonem & arcam, id eſt, Bacchanalia & Deum ſimul committere aut conjungere præſumunt, vel quando ſe Christi ſectatores & Bacchanalium hoſtes profiteri erubeſcunt, ne digito monſtrentur ab alijs.

1. Reg. 5. 2.
Corn. à Lap. in c. 5. lib. 1. Reg.
S. Bonav. in Pſal. 28.
Jeſus & Venus uniri non poſſunt.

## DISCURSUS X.
## ARGUMENTUM.

Gaudia præſentis vitæ ficta tantum ſunt & apparentia, & magno pretio conſtant, ſuntque roſæ undequaque multis ſpinis obſeptæ, quæ ſubitò effloreſcunt.

### THEMA.

*Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis.* Eccl. c. 2. ℣. 2.

Gaudia decipiunt.
Eccl. 2. 10.

1. ILle Monarcharum omnium, qui hactenus fuerunt, aut deinceps futuri ſunt, potentiſſimus & feliciſſimus, qui de ſemetipſo confeſſus eſt, dicens; *Omnia quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis*, ille ipſe inquam in hilaritate & gaudio meros latere errores & deceptiones agnovit: *riſum reputavi errorem, & gaudio dixi &c.* quæ verba aptiſſima pariter & efficaciſſima ſunt, ut nos ab his inſolentijs & vanitatibus Bacchanalibus, in quibus ab apparentia falſa, quæ nos adeò ad ſe rapit & trahit, ſingulariter deludimus, divertere queant.

In ſacrificijs mel prohibitum fuit.
Levit. 2. v. 11
Oleaſt. ibid.
Theodor. in qq. in Lev.
Philo de victimis.

2. In Levitico Deus quondam diſtrictè, ne quis ſibi mel in Sacrificijs offerre præſumeret, præcepit, & tamen mel liquor quidam eſt ſalutaris non minus quàm grati ſaporis palato: *Nec quidquam mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* Circa quam Dei legem Oleaſter acute obſervat, Dominum illud igne adoleri ſeu comburi voluiſſe, quia tametſi guſtui delectabile ſit, in ignem tamen effuſum fœtorem naribus & graveolentiam conciliat; qui idem Author pariter latens in eo myſterium exprimit dicens: *Nihil magis Deo diſplicet, quàm ſi mali odoris & famæ ſis*; Eſtque huic perſimilis illa interpretatio, quam in Theodoreto hiſce verbis legimus: *Prohibet offerri mel ad Altare, eo quod apis, ut quidam ferunt, in locis imparis ſedeat, & undecumque efficiendi mellis occaſionem coacervet.* Philo Hebræus de victimis immolandis tractans & ipſe notat, quod apes ex putrefactis boum cadaveribus naſcantur, licet ſecundùm uſum naturalem in alvearibus quoque gignantur; Nonnulli tamen in ſenſu allegorico dicunt, quod quia antiquæ legis Sacrificia, illud quod in monte Calvariæ offerendum erat, ſignificant, per hanc prohibitionem Deus ſibi non mellis dulcedinem, ſed aceti & fellis amaritudinem in Crucis ſacrificio reſervatam eſſe, innuere voluerit: Dicere quoque haud inepte poſſemus ideo hunc liquorem in ſacrificijs vetitum fuiſſe, quia homines voluptatibus & delicijs deditos ſymbolizat, qui proinde inepti ſunt, ut Deo offerantur: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; Nec invenitur in terra ſuaviter viventium.* Præterea apes, utpote mellis inſtrumenta & opifices, adulationem Deo adeo vehementer exoſam repræſentant; qui licet in ore verborum habeant dulcedinem, in extremitate tamen corporis aculeum graviter ſauciantem circumferunt. Adhæc conſiderare poſſumus, quod quia favus mellis & floribus potiſſimum componitur & elicitur, ideo mel bonorum propoſitorum quoddam ſit ſymbolum, quæ utplurimum executioni numquam demandantur, quia flores ſunt, qui in fructus numquam erumpunt, eoſque præfigurant, qui bene quidem incipiunt, ſed minimè perſeverant. Verumenimverò myſterium propoſito noſtro aptiſſimum eſt quod Cornelius à Lapide tangit, videlicet quod mel antiquitus Baccho offerri conſueverit; Merito igitur Deus noſter, de quo in veritate dici poteſt: *Omnia in ſapientia feciſti*, illud ab oblationibus & ſacrificijs ſuis abolitum & interdictum eſſe voluit, ut exinde univerſus Chriſtianiſmus intelligeret, quod præ cunctis alijs injurijs quæ ipſi irrogari ſolent, Bacchanalia ſpecialiter abhorreat: at verò Lyranus ſuper illa Eccleſiaſtis verba: *Riſum reputavi errorem*, addit: *quia convertitur in triſtitiam*: Unde mel ideo in ſacrificijs vetitum fuiſſe dicere poſſumus, quia licet faucibus ſapidum & gratum eſſe videatur, ſtomacho tamen nocivum eſt, quia in eo nutrimentum & excitamentum eſt bilis, & voluptates ad vivum repræſentat, quas licet mundus in calice aureo liquore ſuavi perfuſas hominibus offerat, intrinſecus tamen venenum propinare nimis liquide conſtat: Unde ſanctus Cyrillus Alexandrinus ad noſtram eruditionem ita ſcribit: *Mellis præterea oblationem reſpuit, voluptatis enim hoc quoque ſymbolum eſt, dulcis enim videtur adjuncta unicuique peccato voluptas, ſed exitium bile amariorem ſortitur.*

Pſ. 50. v. 19.
Job 28. v. 13
Mel Baccho offerebatur.
Cornel. à Lap. in c. 2. Levit.
Eccleſ. 2. v. 2.
Lyran. ibid.
S. Cyrill. Alex. ho. 1 de Feſt. Paſch.

Amaræ dulcedines mundi.
Num. 11. v. 31.
Cajet. ibid.

3. Notaſtisne aliquando ex qua mundi parte Deus populo Hebræo carnes avide poſtulanti, de ijſdem proſpexerit? In textu Græco, ut Cajetanus notat: *Fecit volare coturnices à mari*; At verò ex quo hæ aves in terra naſcuntur, indeque ſua alimenta accipiunt, nec aquaticæ ſunt, ut multæ aliæ, cur eas è mari Hebræis mittere voluit? Ad denotandum nimirum, ni fallor, quod carnes quas effrænis hominum concupiſcentia præcipue in hiſce diebus Bacchanalibus appetit, amaræ ſint & ſalitæ, magnoque pretio conſtent, nec umquam magna in ijs amaritudo deficiat.

Deficiunt.
Tertull. l. 27. de ſpect.

4. Tertullianus de vanis ſpectaculorum & theatrorum, quæ hiſce diebus vel maximè florent & triumphant, recreationibus tractans ita ſcribit: *Sint dulcia licet & grata & ſimplicia, etiam honeſta quædam, nemo venenum temperat felle & belleboro, ſed conditis pulmentis, & bene ſaporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit, ita & Diabolus lethale, quod conficit, rebus Deo gratiſſimis & acceptiſſimis imbuit. Omnia illic ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia, perinde habe, ac ſi ſtillicidia accipias mellis, de libacunculo venenato, nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem.* Sanctus Bernardinus de Senis tamen, dum uſitatam hiſce diebus vivendi licentiam per omnes ſui partes deſcribit, in fine concludendo Angelum fidelibus ad ea evadenda auxilium præbere aſſerit: *Hæc omnia*, inquit, *Angelus refrænat, illuminat mentem, ut cognoſcat, quod gaudia mundi decipiunt, faſtidiunt, & deficiunt.*

S. Bern. T. 2. ſerm. 8. art. 2. cap 1.
Eglon adumbrat Bacchan.
Judic. 3. v. 17
S. Hieron. ibid.

5. In Libro Judicum veram & vivam quamdam in Rege Eglonis Bacchanalium effigiem adumbratam reperimus, de quo ſacer textus teſtimonium perhibet dicens: *Erat autem Eglon craſſus nimis*; Hic autem populum Dei veluti mancipium, ſibi ſubditum habebat, prout hoc tempore Bacchus facit, qui pariter ob adipem ſuum craſſus eſt & pinguis; Verumtamen quod vel maximè mirandum venit, eſt Verſio Sancti Hieronymi, qui loco verborum illorum: *Craſſus nimis*, legit; *Exilis valde*; qua enim ratione inter ſe conſentiunt, quod idemmet uno eodemque tempore ſit *craſſus nimis & exilis vel macilentus nimis?* Attamen ſi rem melius perpendamus, utrumque in Bacchanalium turpitudine adimpleri & verificari videbimus; Hæc enim in apparentia exteriori, in corrupti mundi apprehenſione & opinione, ſatisfactionem, gaudium, & voluptatem hominibus conciliare videtur, cum tamen in ſubſtantia non ſint talia, ſed multis amaritudinibus conjuncta & ſociata eſſe comperiantur, ac proinde opus eſt, ut illi, qui hiſce diebus Aod officium explent, id eſt, quibus divini verbi gladius vibrandus commiſſus eſt, ad inferendam huic craſſo & obeſo monſtro necem, omnem induſtriam adhibeant, mundo fraudes & dolos ejus manifeſtent, dicantque *Riſum reputavi errorem.*



Lætum inter & læthum quæ differentia.

6. Inter dictionem *lætum*, quæ in Latina lingua lætitiam ſignificat, & dictionem *læthum*, quæ mortem denotat, nulla alia eſt, quam unius literæ H. quæ aſpiratio quædam eſt, differentia; Unde ingenioſus quidam author ait: *Putas lætum, & eſt læthum*; tu quidem lætum illum & jucundum eſſe credis, & tamen revera talis non eſt.

Sardonicæ herbæ ſunt Bacchan.
Poma à verminibus corroſa.
Job 24. v. 20

7. Scitisne undenam riſus Sardonicus derivetur, de quo Salvianus de populo Romano theatro, ſpectaculis, alijſque vanitatibus dedito loquens, ita ait: *Sardonicis herbis omnem Romanorum populum putes exſaturatum, moritur & ridetur*; Eſt enim certa quædam herba venenoſa, quam guſtans morte luere debet; hancque in ſe proprietatem habet, quod tales in illam deguſtante ſpaſmos cauſet, ut moriens os ſuum eo modo aperiat & expandat ut omnibus ridere videatur; quot ſunt hiſce diebus, qui ex hac herba deguſtarunt, id eſt, certi peccati cujuſdam, vel diſſolutionis venenum abſorpſerunt, qui tametſi modo rideant, & jucundi ac hilares exiſtant, attamen intra breve tempus ſe mulctandos & puniendos eſſe pertimeſcunt, aut verò culpæ illius mortalis, quæ illos æternæ mortis reos effecit, gravem interius puncturam & remorſum ſentiunt? Forſitan te pomum quoddam ſui pergrato ſapore & colore allicit & ineſcat, & ideo manum tuam ad illud decerpendum extendis, at dum illud dentibus mordere & comminuere incipis, in medio illius vermem, qui illud penitus corroſit & deſtruxit, latentem deprehendis; Unde Job ait: *Dulcedo illius vermes.* Scis, verbi gratia, quod in medijs iſtis inſolentijs, & amoribus furtivis his vel illis, zelotypas ſuſpiciones commoveris qua mariti nequaquam ſunt diſſimulaturi inultas; vel te ad duellum ab inimico provocandum eſſe noſti, & hinc eſt quod ex una parte zelotypia te infeſtet, ex alia vero parte inimicitia te perturbet, & quiete dormire non permittat: *Suavis eſt homini*, inquit Salomon, *panis mendacij, & poſtea implebitur os ejus calculo, id eſt*, inquit Hugo Cardinalis, *amaritudine pænitentiæ vel gehennæ.* In principio quidem levitates iſtæ nonnihil placent, ſed progreſſu temporis nauſeam & faſtidium pariunt; Et tamen mundanus homo vel maxime hoc tempore, licet vino ebrius ſit, *bibit ſicut aquam iniquitatem*, ſicut enim aqua quantumvis multa magna cum facilitate per fauces in ſtomachum demittitur, ita quoque à talibus Deus hiſce diebus ſine ullo fræno aut retinaculo offenditur, Adhæc propoſitio iſta Scripturæ etiam ex alio capite adimpletur; Aqua enim inſipidum quoddam omniſque ſaporis expers eſt elementum, & ideo dum Scriptura dicit quod mundani homines hiſce diebus bibant ſicut aquam iniquitatem, inſinuare velle videtur, quod hiſce diebus ſine ullo timoris fræno in omnis generis peccata & exceſſus proni ſint, non quia in ijs aliquem guſtum aut delectationem percipiant, ſed ut torrentem ſectentur aliorum ſimiliter peccantium, ne ab alijs digito monſtrentur tamquam ſingulariter ſapere volentes, vel quia reſpectus humanos vincere & pedibus ſubſternere neſciunt. Unde Franciſc. Petrarcha de tripudijs & ſaltibus ita ſcribit: *Ex cantu dulcedo aliqua, & ſæpe utilis ac Sancta percipitur, ex choreis nihil numquam, niſi libidinoſum, mane ſpectaculum honeſtis inviſum oculis*; Sublata enim impudicitia & inhoneſtate, quam in ijs affectant, quænam eſſe poteſt recreatio ſtolidior & faſtidioſior, quam in gyrum circuire, quod adeo eſt laborioſum, ut tandem in fine fateri cogantur & dicere: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis.*

Prov. 20. v. 17.
Hug. Card.
Job 15. v. 16
N. B.
Petrarch. l. 1. de remed. utriuſque fort. Dial. 24
Sap. 5. v. 7.
Bacchan. fungis ſimilia.

8. Ad innuendum & explicandam fallacem Bacchanalium gaudiorum apparentiam, aptiſſimè ſervit illa à fungis deducta ſimilitudo, ſicut enim hi ob gratum quem ex condimentis habent ſaporem, plurimum appetuntur, cum tamen ſanitati plurimum noceant, cum enim ſpongioſi ſint, faciles quoque ſunt ad venenum contrahendum, ac proinde ad illos manducandos magna opus eſt cautela & circumſpectione; nam ut Plin. de illis ſcribit: *Familias nuper interemere & tota convivia, quæ voluptas tanta ancipitis cibi?*

Plin. l. 22. cap. 22.
Voluptates apparentes tantum ſunt.

9. Certiſſimum eſt quod Bacchanalia quædam ſint ex Gentiliſmo ſuperſtites reliquiæ, & conſequenter Chriſtianis ſint pernitioſiſſima, quot enim mala quovis ſæculo Chriſtianiſmo non attulerunt? ut proinde à ſanctis, qui verum Dei lumen habent in ſumma execratione habita fuerint; & ſi quem ſaporem habere videntur, is tamen inſtar veneni noxius & contagioſus exiſtit, quia ut ſupra probavimus ſerpens ſtygius eorum eſt author, inventor, & promotor, Agedum igitur: *Quæ voluptas tanta ancipitis*, ſeu potius, ut liberius loquar, *venenati cibi?* In illa namque ſenſuali voluptate pericula incurritis mortalia, zelotypias, ſuſpiciones, infamias, veſtramque in ijs reputationem, ſanitatem, imo ſæpius vitam ſummo periculo exponitis; ac tandem evidenter cognoſcitis, & manibus quaſi palpatis, quàm verum ſit, quod Magnus ille monet Gregorius dicens: *Roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina, quæ pungit.* Quot ſunt qui veſperi ex illis inſolentijs cum animi pœnitudine: defatigatione, dolore, capitis inflammatione, indigeſtione, denique temporis & pecuniarum jactura domum redeunt? *Dulcis videtur adjuncta unicuique peccato voluptas*, inquit S. Cyrillus; Ubi notandum quod non dicat: *Dulcis eſt adjuncta*, ſed *videtur adjuncta*, quia voluptas quæ peccato ineſt, apparens tantum eſt & ficta, atque ad cor contentandum & demulcendum minimè ſufficit.

S. Greg. Mag.
S. Cyrillus.
Roſæ.
S. Bern. de Fallac. vitæ.

10. Facula ardens lucet quidem, ſed ſimul tamen eodem tempore conſumitur, & in fumum abit, qui viſum obfuſcat: *Ipſe ignis propria fomenta conſumit*, inquit S. Bernardus, *nec niſi propria conſumptione fovetur*; Dum enim hiſce recreationibus animum relaxare niteris, quot pericula, quot labores, quot diſpendia non incurris; certè ipſa ſanitas in multis periclitatur & læditur, ac tandem remorſus punctura accedit; Roſa effloreſcit & deficit, ſpina autem ſemper manet: *Sicut ergo flammæ illius noviſſima fumus occupat & caligo, ſic lætitia rei in triſtitiam commutatur.*

Periculis plenæ.
Exod. 32. v. 17.
Paez in Cant. Moyſ. Text. 15. Annot. 1.

11. Vitulus ille quem filij Iſraël cum tripudijs, cantibus, convivijs & ludis in deſerto erexerunt, velut figura quædam ad vivum hæc noſtra Bacchanalia repræſentat. Moyſes tabulas legis ſecum ex monte deferens Joſue audivit dicentem: *Ululatus pugnæ auditur in caſtris*; At vero prudens Legiſlator, acutiori auditu præditus, dixit; *Vocem cantantium ego audio.* Expoſitor quidam modernus hæc verba in ſua origine juxta linguam Hebraicam idem ſignificare notat, quod *vox afflictionis & miſeriæ auditur*; at quænam inter afflictiones & recreationes, inter cantus & ſonos & inter ærumnas & planctus eſſe poteſt proportio? *Riſus dolore miſcebitur.* Serenitas enim iſta cauſa erit pericoloſæ cujuſdam diſtillationis, hæc larva & paradoxum veſtimenti genus, cui geſtando non aſſuevisti; catharrum tibi provocabit, qui te oculis cæcutientem, ſeu potius cæcum penitus efficiet, tale enim infortunium nuper inſigni cuidam noſtri temporis viro nobili in manifeſtam Bacchanalis inſolentiæ pœnam accidit. Crapula iſta quot non eſt futura origo malorum? Gaudium præſens in alio, quem amicum habere conſueveras, ob zelotypas ſuſpiciones inimicitiam capitalem cauſabit: Comœdia illa profana, cui non voluptate aſſiſtis inextinguibilem in te concupiſcentiæ ignem accendet.

Prov. 23. v. 32.
Finis conſiderandus.

12. *Ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Voluptates nequaquam conſiderari debent ſecundùm ſpeciem quam habent, dum illis actualiter gaudemus, ſed ſecundùm illam quam præ ſe ferunt, dum finiuntur; Unde Philoſophi monitum eſt: *Voluptates contemplemur non venientes, ſed abeuntes.* Cur licentioſos illos & inſolentes juvenes roſis potius, quam alijs floribus tempora ſua cingere voluiſſe exiſtimatis? *Coronemus nos roſis*; Antiquus quidam Interpres ab Eminentiſſimo Card. Bellarmino inter Scriptores Eccleſiaſticos relatus, hanc illius reddit rationem: *Convenientes dicunt, quod volunt coronari roſis, quia ſicut roſa inter ſpinas creſcit, ſic & laſcivia mundi non eſt ſine punctura conſcientiæ*; Et quidem potiſſimum malum eſt, quod voluptatis ſpina non tantum animam, ſed etiam corpus transfigat, prouti quotidiana docet experientia. Unde S. Ambr. de ipſa ita ſcribit: *Venenum*

Robertus Holcot in Sap. ibid.
Voluptates corpus & animã transfigunt.

in

S. Ambr. l. 6. Epiſt. 42. ad Sabin.

*in dentibus habet, quibus unusquisque ſe eviſcerat, luxurioſus, belluo internecat, quantos ruperunt vina, diſſolvit ebrietas, diſtendit cruditas?*

Tranquillo mari ſimiles.

13. Seneca tranquilli maris ſimilitudinem adducit? Videbitis enim nonnumquam naves quasdam liquidum illud elementum ſumma cum jucunditate ſulcantes: At vero mox contrarius quidam exurgens ventus easdem conquaſſando ſubmergit tandem: *Noli huic tranquillitati confidere, momento mare vertitur, eodem loco, ubi luſerunt navigia, ſorbentur.* Viſi ſunt aliquando potentiſſimi Reges ſumma cum ſpectantium voluptate in haſtiludio ſe exercentes, unico infelici haſtæ ictu in terram proſtrati & ex vulnere mortui, Nobilis aliquis fœminea veſte larvatus, dum equo inſidet meticuloſo, ab eodem ex obvio quodam accidente perterrefacto in terram dejicitur, & calcibus ejusdem cerebrum ejus proteritur; Corruit theatrum & multi in eo exiſtentes ſub pondere ruinarum oppreſſi, mortem pro comœdia inveniunt; vel ob ſiniſtrum quoddam & pungitivum verbum indignatus nonnemo & ad duellum provocans in eo infeliciter occumbere videtur; quot ſunt alia ſimilia infortunia inter Bacchanalia utplurimum contingentia, quæ lætos, feſtivos & hilariter ludentes Bacchanaliſtas ex delectatione in ferale feretrum abire faciunt?

Senec. ep. 4.

Baccha. qualiter ſint celebrata à B. Hen. Roland. 25. Jan. c. 13.

14. De B. Henrico Suſone legitur, quod in Sabbato quod Dominicam Septuageſimæ antecedit, quando Alleluja ab Eccleſia in officio divino intermittitur, & fideles communiter Bacchanalibus celebrandis accinguntur, ipſe ad eadem Bacchanalia ſpiritualiter celebranda ſe præparare ſolebat, & quidem in ſpecie: *Cogitabat primum momentaneam ac pernitioſam carnalem Bacchanalium voluptatem atque ut plerique pro brevi delectatione diuturnis implicentur miſerijs.* Petrarcha quoque ad multarum animarum præcipitium, in quod hiſce diebus voluptatum cauſa incidunt, ſeſe reflectens, idem punctum pariter inculcat, dum ait: *Quonam pergis? quis te rapuit impetus ut ad horam gaudeas, unde ſemper doleas? ne videas ſemel, quod vidiſſe millies pœniteat?*

Petrarch. ibid. c. 30.

Exemplum. Drexel. de Æternit.

15. P. Jeremias Drexelius ex Annalibus ſuæ ſocietatis de juvene quodam Belga, cui nomen Bertrandus Cornelij erat, refert, quod idem utpote beſtialem vitam agens inquietus & vitioſus, ſuæque patriæ adeo moleſtus ut pater litium vulgari nomine appellaretur, cum juvenilibus petulantijs, ludis, jocis, conviviisque & potationibus totaliter deditus eſſet, circa finem Bacchanaliorum nocte quadam dum levitates illæ in plateis ſummo in fervore eſſent, à Deo interius inſpiratus ab ijs confeſtim, velut reſpirare aliquantulum volens, ſe ſubduxerit, quem ejus ſodales inſequentes, eumque triſtem & melancholicum eſſe obſervantes, exhilarare, moleſtasque & anxias ab eo cogitationes pellere ſummo ſtudio conati ſunt, eumque ad choreas & tripudia repetenda vehementer urſerunt; Ipſe autem eis de morte tandem aliquando ſubeunda, de ratione Deo in noviſſimo judicij die reddenda, deque vitæ futuræ felicis aut damnatæ æternitate ſermocinabatur, quod quidem in principio quidem per jocum ab eo dici credebant, at vero quia paulatim id ab eo ſeria & præſenti mente dici obſervatum eſt, omnes obſtupeſcentes coram eo hæſerunt attoniti; Quibus ille ſibi propoſitum eſſe dixit, vitam in melius commutare, moresque Chriſtiano homine dignos induere, nullamque bene operandi, cœlumque ſibi comparandi occaſionem negligere, hortatusque eſt ſodales, ut qui hactenus ſecuti fuiſſent errantem, pœnitentem quoque imitari non omitterent. Ex nunc ſufficienter & meridiana luce clarius intelligo & video, breviſſimis hiſce momentaneisque voluptatibus tandem imminere æternitatem; ac proinde vobis omnibus ultimum vale apprecor, moneoque ut deinceps quisque rebus ſuis proſpiciat; Domum vero revertens P. Eleutherium Pontanum è Societate Jeſu ſacerdotem alias ſibi familiariter notum, fortuito obvium, ut una ſecum iret rogaret, domique coram eo in genua provolutus inſtantiſſime ab eo in ſocietatis inſtitutum admitti rogavit, & obtinuit, in eoque per triginta quatuor annorum ſpatium vitam quamdam irreprehenſibilem duxit. Utique adoleſcens iſte attente conſideravit idipſum quod S. Baſilius diu ante de licentioſis hominibus, maximè ijs qui hiſce diebus Bacchanaliorum torrentem ſequuntur, ad noſtram inſtructionem his verbis dixerat: *Itaque inexcuſabiles laſciviæ pœnas apud juſtum Dei judicium quandoque dabunt*; quibus in verbis Ly illud, *inexcuſabiles*, bene notandum venit, quia ſi brevitatem, vanitatem & ærumnas ac maledictiones, quas Bacchanalium voluptates communiter ſecum adferunt, bene & attente conſideremus, nos illorum vanitatem ſectando inexcuſabiles eſſe facile deprehendemus: Etenim voluptates & gaudia, quæ nos licet falſo Bacchanalibus ineſſe ſupponimus, non veras ſed fictas & falſas eſſe vel hæc potens ratio ſufficienter probat, quia videlicet, fictis tantum & apparentibus rebus innituntur. Quod ſi enim ex haſtiludijs, torneationibus, comœdijs, ſpectaculis, larvis, alijsque recreationibus, aliquem guſtum & ſatisfactionem videris haurire, noveris omnes haſce læti animi ſignificationes fictas tantum eſſe, non vero veras; Omnis comœdorum induſtria in eo præcipue conſiſtit, quod ſuas perſonas apte & ad vivum repræſentare aliosque decipere & illudere poſſint. Turtures mox ut vulturem appropinquantem conſpiciunt, cantillare quidem incipiunt, cantus tamen iſte quidam formidinis effectus eſt atque indicium, non vero gaudij teſtimonium; Viatores quoque nocte intempeſta per horridas ſylvas ſolitarie ambulantes nonnumquam & ipſi cantant, ſed ut per cantum timorem quo percelluntur à ſe depellant. Quot hiſce diebus inter homines eſſe putas, qui extrinſecus ſe lætos eſſe ſimulant, vel jucundorum ſe ſocietatibus adjungunt, ut triſtitiam qua cor illorum intus opprimitur, aliquo modo ſublevare & fugare poſſint?

S. Baſilius hom. de ebr. & lux.

16. *Et gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, inquit Scriptura. Quibus in verbis, gaudium inſtar puncti, id eſt, breve eſſe, ſatis quidem ſufficienter intelligo, at vero difficultas mihi eſt, qua ratione id in Hypocrita verificetur & adimpleatur, qui quoad exteriorem ſpeciem dum pœnitentiam & mortificationem fingit, melancholicus ſemper eſt, mœſtus & triſtis? Sciendum igitur eſt, quod ſeptuaginta legant: *Gaudium impiorum*; horum enim gaudia non ſolùm ſunt brevia, verum etiam hypocritica, ficta, & falſa.

Job. 20. v. 5.

17. Hi qui à Stellionis ſive Tarantolæ morſu læſi ſunt, ſaltant, tripudiant, canunt, aliasque levitatis nugas exercent, & tamen inter ficta hæc illorum gaudia, ad cor ipſorum uſque venenum ſerpere non omittit: Et ideo de Bacchanaliſtis quoque idem aſſerere poſſumus, quod licet ad aliud propoſitum S. Auguſtinus inquit, nimirum: *Gaudia hæc de tua ægritudine ſunt, non de ſanitate.* Chorea & larva in laſcivi alicujus objecti amati gratiam inſtitutæ fuerunt, cum tamen virus & venenum culpæ mortalis, quotidie magis magisque proſerpat, ac proinde qua ratione guſtum aliquem in ijs habere poterit, ex quo Dei ſe amicum eſſe perſpicue novit? S. Ephrem in capite cui Titulus eſt: *Ludicris rebus abſtinendum eſſe Chriſtianis*, nonneminem licentioſorum iſtorum monet dicens: *Unico febris impetu tuæ ſaltationes atque laſciviæ finem capient; una hora te ab ijs, quibuſcum tripudiare ſolebas, ſeparabit.*

Venenum in dies magis ſerpens.

S. Ephrem. T. 1.

## DISCURSUS XI.

### ARGUMENTUM.

Bacchanalia ſtultitiæ nomen merentur, ſiquidem per illa rationis judicium amittitur, maximè dum nos à ſequela Chriſti apoſtatare faciunt.

### THEMA.

*Ibunt in adinventionibus ſuis.* Pſal. 80. ℣. 13.

1. DEus olim per os Pſalmiſtæ regij populo ſuo, ne alteri Deo quam ipſi, cultum ullum exhibere præſumeret, diſtrictè præcepit dicens: *Audi populus meus & conteſtabor te, Iſrael ſi audieris me, Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum*; Et tamen populus Chriſtianus hiſce diebus, prout Diſcurſu octavo probavimus, Baccho genua ſua flectere & Bacchanaliorum torrentem conſectari non erubeſcit; Deus quidem talibus improperat dicens: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, at verò quia neminem aut paucos fidelium eſſe videt, qui debitum ei cultum præſtet, & vocem ejus auſcultet, ideò ſoluto fræno ipſos ſecundum deſideria cordis in præceps currere permittit: *Et non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi, Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum.*

Baccho honor exhibetur Divinus.

Pſal. 80. v. 9. & 10.

Ibid. v. 12.

Ibid. v. 13.

2. In Evangelio Dominicæ ſexageſimæ inquit de Salvatore noſtro Sanctus Lucas: *Clamabat: qui habet aures audiendi audiat*, quia Divinum ſemen ſuum in eorum corda effundere geſtiebat; at verò Dæmon tamquam avis rapax, Bacchanalium inventor, illud continuò ſuffocare nititur: *Deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant*;

Luca 8. v. 10

Permittit Deus ſtultitias Bacchan.

Ibid. v. 13.





Pſ. 80. v. 13.

Quid igitur hic Deus facit? *Dimiſi eos*, inquit Deus, *ſecundùm deſideria cordis eorum*, quaſi dicat: Sinam eos facere quod volunt, & in omnem pro libitu diſſolutionem prorumpere; *Ibunt in adinventionibus ſuis*, vel ut quidam Interpres exponit: *In ſtultitijs ſuis*; quotquot enim larvas, comœdias, & ſimiles alias profanitates mundani homines in hiſce Bacchanalibus inveniunt & excogitant, meræ ſunt ſtultitiæ & fatuitates, unde Author ille legit: *Eant ſuis ſtultitijs obſequentes.* S. Fulgentius legit: *In ſuis voluptatibus*, cæci enim peccatores vanitates has inter voluptates & delicias reputant, licet revera non ſint tales.

Ibid. Apoll. cit. à Lorino in Pſalm.

S. Fulg. l. 2. de remiſſ. peccat. c. 13.

3. Etenim de voluptatibus Bacchanalibus verba illa dicere poſſumus: *Secundùm nomen tuum, ſic & laus tua*, ita tamen ut Ly *laus* per ironiam accipiatur, certum enim eſt, quod non veram laudem, ſed vituperium & deteſtationem mereatur æternam. Cæterum tempus illud Quadrageſimam immediatè præcedens latinè *Bacchanalia* appellatur, nomine videlicet quod à verbo *Bacchari* derivatur, quod idem ſignificat, quod furere & ſtulteſcere. Sanctus Auguſtinus ad Maximum Grammaticum ſcribens, de antiquis Bacchanalibus ita diſcurrit: *Quid autem dicis, eo noſtris veſtra Sacra præponi, quod vos publicè colitis Deos, nos autem ſecretioribus conventiculis utimur; primum illud abs te quæro, quomodo oblitus ſis liberum illum, quem paucorum ſacratorum oculis committendum putatis; deinde tu ipſe indicas, nihil aliud te agere voluiſſè, cum publicam Sacrorum veſtrorum celebrationem commemorares, niſi ut nobis Decuriones, & Primates Civitatis per plateas veſtræ Urbis bacchantes, ac furentes, ante oculos, quaſi ſpectacula poneremus*; at verò quæ ſequuntur verba ad Bacchanalium ſtultitiam & fatuitatem indicandam, propoſito noſtro ſpecialiſſimè congruunt; Dicit enim: *In qua celebratione, ſi à numine inhabitamini, certè videtis, quale illud ſit, quod adimit mentem.*

Bacchari idē quod ſtulteſcere.

S. Aug. T. 2. Ep. 44.

4. Sancta Mater Eccleſia in Collecta quadam, quâ in Sabbatho Sancto immediatè ante ſecundam Prophetiam utitur, hanc nobis à Deo gratiam poſtulat, ut adverſus voluptatum lenocinia ſolidi & immobiles perſiſtamus; Sed notate ſpecialiter phraſim loquendi quâ utitur: *Da nobis quæſumus*, inquit, *contra oblectamenta peccati mentis ratione perſiſtere*; quia voluptates & deliciæ ad turbandum & obfuſcandum mentis noſtræ judicium ac diſcurſum plurimum prævalent, idque hiſce diebus præcipuè, in quibus etiam ſapientioribus & timoratioris conſcientiæ hominibus illis nonnihil indulgere licitum eſſe videtur. Enimverò quiſquis hiſce diebus uſitatas inſolentias bene & in pondere ac ſiclo Sanctuarij ponderaverit, illas meras ſtultitias eſſe facile deprehendet: *Ibunt in adinventionibus ſuis, in ſtultitijs ſuis.* Et ideò Gaſpar Manzi alijs ſuis materijs legalibus, quamdam circa hanc materiam inſerit quæſtionem, in quâ de Bacchanalibus ſcribens, ſeu potius illa deſcribens ita loquitur: *Unde fit, ut impij ſeſe illis diebus ingurgitent, furentes & inſanientes in publicum prodeant, veluti larvati & perſonati per vicos & plateas diſcurrant, ſtultos ex profeſſo agant, deridenda faciant & loquantur, Deo ingrati, naturæ injurij, hominibus moleſti, Diabolo devoti, fatuos & momos repreſentent*; Et ideò obſervavi hactenus, quod quiſquis de hujus temporis inſolentijs loquitur, illas deliria, & ſtultitias appellare conſueverit.

Judiciū perturbatur.

Gaſp. Manz. in Cent. N B.

Deciſ. Pal. Q. 50. n. 17.

5. Sanctus Carolus in memoriali quodam ad populum ſuum directo ita eum alloquitur: Inter omnes conſolationes, quas mihi, ô dilecti filij mei, dare poteſtis, pro omnibus hactenus pro vobis toleratis laboribus & periculis, nec non, & præcipuè quidem, pro illa quam vobis peſtilentiæ tempore exhibui cura ac ſolicitudine, hanc ſpecialiter à vobis requiro gratiam, quam ego pro ſalute veſtra quàm maximè deſidero, ut ſcilicet profanas Paganiſmi memorias & reliquias totaliter extinctas & abolitas videre liceat, quibus Dæmon hiſce temporibus præcipuè utitur, ut corda hominum occupare, & ut ita loquar incantare, eaque adeò infatuare valeat, ut ne quidem etiam illi quos mundus ſapientioribus magiſque pijs hujus mundi hominibus annumerat, publicam hujus Bacchanalis ſtultitiæ profeſſionem inſtituere erubeſcant. Unde de his diebus potius, quam de ullo totius anni tempore illa Sidonij verba dicere poſſumus: *Nullas habenas nulla permittit repagula pudor.* Sanctus Hieronymus in Epiſtola quadam ad Marcellum de ludis & ſpectaculis tractans, *Arena ſæviat*, inquit, *Circus inſaniat.* In vita quoque Sancti Hilarionis hac eadem phraſi loquendi utitur, dum ait: *Non Circi furoribus, non arenæ ſanguine, non theatri luxuria delectabatur.*

Act. Eccl. Mediol. part. 7. pag. 1152.

Bacchanales ſtultitiæ dehortantur.

Sidon. l. 3. Epiſt. 16.

S. Hieron. ad Marcellum. Idem in vita S. Hilar.



6. Divus Chryſoſtomus ſe haud parum ſcandalizatum ex eo fuiſſe dicit, quod etiam eos qui ex annorum maturitate, & capillorum canitie majorem præ ſe prudentiam & integritatem ferre meritò debebant, hiſce temporibus in communibus abuſibus ſtulteſcentes conſpexerit: *Video inſanientes non juvenes ſolùm, ſed & ſenes ſuper quibus maximè verecundor.* In Oſeæ prophetia, ſuppliciorum illorum fit mentio, quæ Divinæ juſtitiæ vindicta licentioſis & diſſolutis mundi gaudijs præparare ſatagit: *Et nunc revelabo ſtultitiam ejus in oculis amatorum ejus &c. & ceſſare faciam omne gaudium ejus*; Ubi, ut vides modernis diſſolutionibus ſtultitiæ & fatuitatis nomen attribuit.

Etiam ſenes inſaniunt tempore Bacch.

D. Chryſ. cit. ab Hugon. in c. 9. Joan.

Oſe. 2. v. 10. & 11.

7. Sanctus Ambroſius de tripudijs tractans ita ſcribit: *Nemo ut dixit quidam ſæcularium Doctor, ſaltat ſobrius, niſi qui inſanit; quod ſi juxta ſapientiam ſæcularem, ſaltationis author eſt, aut temulentia, aut dementia, quid Divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, &c.* Sanctus Baſilius jejunij laudes præconizare volens, econtra etiam cujus matris tripudium indignus partus exiſtat, his verbis declarat: *Quid tripudium laſcivum à jejunio profectum eſt? Cantilenæ meretriciæ me hercule, ſaltationesque furibundæ repentè ex urbe diſcedunt à jejunio, tamquam à judice quodam auſtero fugatæ & pulſæ.* Idem quoque Sanctus Pater comparationem quamdam inter diem jejunij & Bacchanalia inſtituit, quam etiam ultimo diei Bacchanalium, & diei primo Quadrageſimæ adaptare poſſumus, ut diſſoluti Bacchanaliſtæ ad hanc ſe comparationem reflectentes perſpicere poſſint, quouſque mundanorum hiſce diebus uſitata ſtultitia progreſſa fuerit; Dicit enim: *Jejunium Civitatis eſt ornamentum, fori tranquillitas, domorum pax, incolumitas facultatum. Vis jejunij videre dignitatem? Confer mihi hodierni diei veſperam, cum veſpera craſtini, conſpicies Civitatem è tumultu ac tempeſtate, mutatam in profundam tranquillitatem, contrariorum enim eſt eadem diſciplina.* Sunt igitur Bacchanalia quædam ſtultitiæ tempeſtas.

Jejunij effectus.

S. Ambr. l. 3. de virg.

S. Baſilius orat. 5. de jejun.

S. Baſilius Hom. 1. de jejun.

8. Gaſpar Manzi dicit: *Nihil præſtantius accepit homo à Domino Deo, quàm uſum rationis & intellectum, quo à brutis præcipuè differt, atqui hujuſmodi bacchantes & inſanientes, & furentes, uſu rationis quaſi privant*; Choreis enim, ſpectaculis, cunctisque alijs diſſolutionibus & turpitudinibus totaliter dediti exiſtunt, licet ſapientiores illas ob damna quæ adferunt, ad perpetuam illarum infamiam, contumelioſiſſimis probris & convitioſis nominibus notaſſe ſciant; Dicit enim Sanctus Auguſtinus: *Ludi ſcenici ſpectacula ſunt turpitudinum & licentia vanitatum.* Sanctus Ephrem Sanctum Paulum ludis Idololatriæ deteſtabile nomen indidiſſe notat: *B. Apoſtolus Paulus Idololatras vocat ludentes*, 1. Cor. 10. cum ait: *Neque idololatræ effici animi.* Sacer Chroniſta adorationem vituli aurei in deſerto factam deſcripturus ac phraſi loquendi utitur: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Et quidem licet verè ludi ſemper quamdam idololatriæ ſpeciem præ ſe ferant, ut verum tamen fatear, ludi Bacchanales ſpecialiter hoc nomine notari merentur, ſiquidem per illos in ignominiam profeſſionis fidei noſtræ Dæmoni & Baccho cultus Divini & obſequia exhibentur, adeoque per illos idololatræ efficimur.

Gaſp. Manz. ibid. n. 31.

Bacchanaliſtę ſtulti Idololatræ.

S. Aug. de Civit. l. 1. c. 32.

S. Ephr. ibid.

1. Cor. 10. v. 7.

Exod. 32. v. 6.

9. Bacchanalia, ut experientia quotidiana demonſtrat, ſpecies quædam ſunt Apoſtaſiæ Chriſtianorum à Chriſto, major enim pars Chriſtianorum relicto Crucis Chriſti ſigno, ſub Bacchanaliorum vexillo ſe conſcribi faciunt; Unde quod S. Auguſt. de ſui temporis hominibus lamentatur, nos quoque de temporibus noſtris, hiſce præſertim diebus affirmare poſſumus, dicendo: *Quam multi baptizati hodiè circum replere, quàm iſtam Baſilicam maluerunt?* Sanctus Baſilius in Homilia quadam, quam contra ebrietatem conſcripſit, pariformiter hunc in modum lamentatur dicens: *Moves pedes, & inſanus ſaltas, Choreas ducis imprudens, cum genua ad Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti cultum flectere oporteat.* Longè acerbius illos Sanctus Ephrem reprehendit, hunc illis Dei contemptum, & ab eo naſcentem apoſtaſiam evidenter his verbis demonſtrando: *Hodiè, ut videre licet, pſallunt ex ordinatione Dei, & cras ſtudioſè Choreis incumbunt, juxta doctrinam Sathanæ; Hodiè conjunguntur Chriſto, & cras abrenuntiant, & abnegant, inhonorantque eum.*

Apoſtatæ.

S. Aug. in Pſal. 80.

S. Baſil. Hom. 14. de ebr. & lux.

S. Ephrem. ibid.

10. Divus Chryſoſtomus ſermonem quemdam conſcripſit, cui titulus eſt iſte: *Sermo ad eos qui conventum Eccleſiæ deſeruerunt*; titulus nimirum huic noſtro propoſito congruentiſſimus, ſiquidem Chriſtus & Eccleſia nullo umquam tempore adeò deſeri-

D. Chryſoſt. Tom. 5. ſerm. 48.

Deus & Eccleſia deſeritur.

tur, ſicut hiſce diebus; In hoc autem ſermone præfatus Sanctus Doctor ita loquitur : *Quis eſt adeo doloris expers, ut non doleat, cum in ea quæ ad Diabolum pertinent, plus ſtudij conferri cernat ? Atqui nulla ſpes veniæ nobis, vel excuſationis reliqua eſſet, ſi vel æquale ſtudium conferretur, cum autem etiam longè ſuperet, quis nobis defenſionis locus relinquitur ? Quotidiè nos invitant ſpectacula, nec ullus pigritatur, nullus eſt qui cunctetur, nullus eſt qui negotiorum occupationes obtendat, ſed tamquam expediti, & omni cura ſoluti occurrunt omnes, non canitiem ſenex reveretur, non ardorem naturæ ac libidinis juvenis ſuſpectum habet*; Poſt hæc verò pergit ponderando, quanto cum jubilo ad præcipitium curratur, & econtra quanto cum tædio & nauſea pedem noſtrum ſacris locis inferamus : *Si ad Eccleſiam veniendum ſit*, inquit, *quaſi ex aliquo ſublimi gradu, & honore deſiliendum ſit, ita pigritatur, & torpet, & inflatur, perinde quaſi quippiam fuerit Deo largitus : cum verò properat ad theatrum, ubi ſunt laſciva ſpectacula, non exiſtimat probro ſeipſum afficere.*

*Bacch. figura.*

11. Quod ſi quis ante obſidionem Bethuliæ ab Holoferne inchoatam, innumeros è prædicta Urbe erumpentes vidiſſet populos, qui ſummo cum jubilo huic tyranno occurriſſent, ut ſe tyrannidis ejus jugo ultro citroque ſubjicerent, quid ad hæc dicere aut cogitare potuiſſet ? utique nemo fuiſſet, qui exinde, illos rationis judicium amiſiſſe non ſubintuliſſet : *Tantuſque metus provincijs illis incubuit, ut univerſarum urbium habitatores, principes & honorati ſimul cum populis exirent obviam venienti, excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes Choros in tympanis & tibijs.* Deſideratiſne expreſſiorem Bacchanaliorum figuram, quæ licet homines in ſummam animarum perniciem ebrietati, crapulæ & luxuriæ turpiter ſubjiciant, omnes tamen Chriſtiani in magnam ſuæ profeſſionis ignominiam, ei lætabundi procedunt obviam, nobiles & divites, principes & plebei ei in tympanis & cytharis, in cantibus, convivijs, tripudijs, comœdijs alijſque gaudentis animi ſignificationibus certatim ei occurrunt, non obſtante quod ipſum nullum alium ſibi præfixum finem habere ſciant, quàm ut fidelium animas, velut mancipia, in ſuam ſervitutem redigat, mortemque illis ſæpenumero temporalem, ſemper autem & infallibiliter æternam inferre poſſit. Divus Chryſoſtomus ab Hugone Cardinali citatus gaudium & exultationem quacum inimico infernali, ſeu potius Bacchanalibus occurrimus, his verbis nobis deſcribit : *Si cythrædus vel ſaltator vos vocaverit, omnes quidem currunt cum ſtudio, & gratiam ei de vocatione ſua ſciunt, & diei integri dimidiam partem conſumunt, illi ſoli attendentes, Deo verò per Prophetas & Apoſtolos loquente oſcitamus, ſcalpimus, & multus æſtus videtur eſſe.* Hanc quoque mentis à Deo alienationem Sanctus Ambroſius his verbis obſervat : *Alius Circenſibus ludis atque theatralibus ſolicitatus voluptatibus, aut cæteris vanitatibus occupatus Eccleſiam non frequentat.* Quænam umquam excogitari poterit major mentis veſania, quàm ſi quis lætabundus ad venenum properet, cœleſte verò manna non niſi cum nauſea & mentis faſtidio ſumat ? aut ſi quis pro Dæmone & Baccho Deum ſtudioſè deſerat ? Ac proinde Divus Chryſoſtomus ut populum ſibi commiſſum ab hiſce ludicris vanitatibus avocet & deterreat, his eum verbis gravibus alloquitur : *Proinde frequenter vos hortatus ſum, ne quis eorum qui huc adveniunt, divinaque doctrina fruuntur, quique tremendi ac myſtici participes ſunt Sacrificij, ad illa iret ſpectacula, ne Divina cum Dæmoniacis miſceret myſteria.*

*Judith. 3. v. 9. & 10.*

*D. Chryſ. cit. ab Hugone in c. 9. Joann.* Auditur Comœdus vocans, ſed Deus non.

*S. Ambr. in Pſ. 118. col. 1025.*

*D. Chryſoſt. Hom. 1. de ver. Joan. Adhortatio.*

Luxurioſi eligunt volutabrum. *S. Bern. ſerm. 22. de lux. T. 4.*

12. Sanctus Bernardinus carnalitatem & luxuriam porco aſſimilat, & quidem ſimilitudinis hujus hanc rationem adducit : *Si enim ex una parte videret luti volutabrum, & ex alia lectum roſarum, potius eligeret in volutabro luti revolvi, quàm in roſarum lecto, ſic tales immunditiam luxuriæ delicijs paradiſi præponunt.* Sancta Mater Eccleſia hiſce diebus fideles ſuos ad Chriſti ſequelam, per ſolemnes quadraginta horarum indictas preces, per munificam theſaurorum ſpiritualium diſpenſationem, perque ſpiritualium exercitiorum eſcam allicere & invitare ſatagit, & tamen qui in molli roſarum lecto dulciter poſſemus quieſcere, velut immunda animalia in millenarum impuritatum & ſpurcitierum luto inquieti revolvi malumus. *Et ſtulti ea*, inquit interrogative Sapiens, *quæ ſibi ſunt noxia cupient?* Omninò ita eſt, quia *ſtultorum infinitus eſt numerus.*

*Prov. 1. v. 22. Eccl. 1. v. 15.*

Ad turpia rident. *D. Chryſoſt. Hom. 17. ad pop.*

13. Divus Chryſoſtomus ſtultitiam iſtam ex amplificat in illis, qui tum vel maximè, quando illis plangendum eſſet, velut inſani effuſiſſimè rident : *Quando mimi illi atque ridiculi blaſphemum ac turpe quid dixerunt, tunc potiſſimum quique ſtolidiores ſolvuntur in riſum, inde applaudentes magis, unde etiam illos lapidibus exagitare debuerant, qui fornacem ignis horribilis ex hujuſmodi voluptate in ſuum ipſorum caput ſuccendunt.*

Pro modica venditur anima.

14. At verò quid de illius eſſes ſtultitia dicturus, qui pro modica pecunia paciſcendo, ſe ex alta quadam rupe præcipitari ſineret ? Audite eumdem Divum Chryſoſtomum in alio quodam loco ad eum ſe reflectentem, qui animam ſuam pro modica pecuniola Dæmoni donaret ? *Circum nequitiæ fontes, hinc nequitiæ radices in Civitate germinaverunt, hinc ſunt qui moribus ipſius crimen afferunt, ſuas voces ſaltantibus vendentes, & tribus obulis ſuam illis ſalutem prodentes*; quot ſunt qui in hæc ſpectacula & comœdias, quæ æternum illis machinantur præcipitium, proprium ſuum peculium prodigè impendunt. Comici pro exiguo lucro animas ſuas Dæmoni vendunt, ſpectatores quoque Dæmonio illos diſperdenti mercedem promptam exolvunt.

Hiſtoria.

15. De Caligula hiſtoriæ referunt, quod ſumptuoſo cuidam convivio accumbens effuſè ridere cœperit, cumque à circumſtantibus de cauſa adeò effuſi riſus interrogaretur, reſponderit, conſidero quod per unicum dumtaxat nutum veſtrum omnium capita ut detruncentur, jubere poſſim; ridebat igitur quia ſtragem machinari poterat, attamen non ſibi, ſed alijs ; incomparabiliter vero major & ab omnibus ridenda ſtultitia eſt, quod tanto cum jubilo occurramus morti æternæ noſtri ipſius, atque inſuper nonnumquam mortem inferre nitamur corporalem alijs, prouti multis ſæpius evenit ? De choreis & tripudijs Petrarcha ita ſcribit : *Per ſe tota quidem inſulſa res eſt, & plus tædij allatura quàm gaudij, nam quid omnino eſt aliud in gyrum volvi, quàm excire vertiginem, & ſine termino viam ire ?* Conſideremus larvas & omnes alias hiſce diebus uſitatas levitates & petulantias, & has omnes ſtultorum adinventiones eſſe comperiemus. Sapiens inquit : *quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus* ; quæ propoſitio in Bacchanalibus, ſi umquam alias, verè adimpletur, quia leviculi homines per quamdam effuſi riſus diſſolutionem, & cum jucunditate & hilaritate mentis in multa ſe ſcelera immergere non pertimeſcunt.

*Petrar. l. 1. de remed. utriuſque fort. l. 1. c. 24.*

*Prov. 10. v. 23.*

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

De inſigni illorum lucro, qui hiſce diebus ſe dedicant ſequelæ Chriſti, cujus ſibi gratiam & gloriam conciliant, quique ſe familiarem illorum amicum eſſe comprobat.

### THEMA.

*Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei.* Luc. 8. ℣. 10.

Segregantes ſe à Bacch. multa lucrantur.

1. HÆc verba in Evangelio Dominicæ ſexageſimæ expreſſa, & à Salvatore noſtro ad diſcipulos ſuos directa, nos quoque ijs adaptare poſſumus qui hiſce diebus Chriſtum ſequentes, à mundanorum inſanienti multitudine ſe ſegregant, atque ſequeſtrant ; *Iſtis enim datum eſt noſſe myſterium Regni Dei*, quia ut Sanctus Apoſtolus Romanos monet, Regnum Dei non in convivijs, ebrietatibus, ſimilibuſque alijs diſſolutionibus conſiſtit, ſed in operibus virtuoſis, in pace interiori, & ſpirituali conſolatione : *Non eſt enim Regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Porrò lucrum & meritum quod ij qui à voluptatibus & diſſolutionibus, maximè verò à theatris & ludis, alijſque licentioſæ vitæ pravis moribus ſe abſtinent, lucrantur, ipſimet etiam gentiles agnoviſſe videntur. Seneca de ſpectaculis alijſque profanitatibus, ad quas univerſa quaſi Roma concurrebat, tractans, in Epiſtola quadam ita ſcribit : *December eſt menſis cùm maximè Civitas deſudat ; jus luxuriæ publicæ datum eſt, ingenti apparatu ſonant omnia; ... his maximè diebus animo imperandum eſt, ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cum in illa omnis turba procubuit. Certiſſimum argumentum firmitatis ſuæ capit, ſi ad blanda & in luxuriam trahentia nec it, nec abducitur. Hoc multo fortius eſt, ebrio ac vomitante populo ſiccum ac ſobrium eſſe. Illud temperatius, nō excerpere ſe nec inſigniri, nec miſceri omnibus, & eadē ſed non eodem modo facere, licet enim ſine luxuria agere diem feſtum.* Quot Chriſtiani ab hoc gentili Philoſopho condemnabuntur, ij nimirum, qui ſenſualitati ſuæ omne frœnū laxantes, levitatibus hiſce conſtanti animo nō audent reſiſtere, ſed à multitudinis torrente rapi quoq; ſe & ſeduci permittunt? *Licet ſine luxuria agere diem feſtum* ; Neque enim adeò ſtoici eſſe debemus, ut neq; nos aliquem cedamus honeſtis recreationibus locum, dummodo illæ ſemper cum timore Dei conjunctæ ſint ; cum conſtet quod ipſe quoque Sanctus Apoſtolus ad gaudendum nos invitet : *Gaudete*, inquit, *ſed in Domino* ; Et ſtatim ſubdit : *Iterum dico gaudete*, ita tamen, *ut modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus* ; Nam ut infra ſuo loco dicemus, honeſta recreatio Eutrapeliæ, virtus eſt, nec ſuo ſpeciali merito caret.

*Luc. 8. v. 10.*

*Rom. 14. 17.*

*Seneca Epiſt. 18.*

NE.





*Philip. 4. v. 4. & 5.*

*Job 3. v. 14.* Regnum Dei conſequuntur.

2. Sanctus Propheta Job inter alia in prophetia ſua dicit : *Requieſcerem cum Regibus & Conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines.* Utinam eadem Paradiſi, ſive cœlitum mens, cuilibet etiam animæ fideli hiſce diebus ineſſet, ut ſcilicet Dei honorem, ſuamque ſalutem zelando inter Bacchanalium ſtrepitus in ſanctam ſe ſolitudinem recipiens, modeſtiæ Chriſtianæ vacaret & quieti, adeòque Pſalmiſtam imitaretur dicentem : *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in Civitate, Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine ; Exſpectabam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.* Verum enimverò quinam ſunt hi Reges & Conſules terræ de quibus Job in præcitato loco loquitur ; Hi ex mente Sancti Gregorij ſunt Angeli, qui Reges & Conſules appellantur, quia mundi regimen & dominium ſibi à Deo commiſſum obtinent, cuique ex infallibilis providentiæ Divinæ ordine opportunè proſpiciunt. Angelorum igitur imitatores ſunt fideles illi, qui hiſce diebus, quibus ingens perverſorum Chriſtianorum turba, abjecto omni Divinæ & Eccleſiaſticæ legis fræno, ſpretiſque bonorum exemplis, Dæmonis inſignia turmatim ſequitur, Crucis Chriſti Vexillo ſe ſubjiciunt; Hi inquam ſpiritus imitantur Angelicos, qui dum ſpiritus rebelles Luciferi partibus adhæreſcebant, in Creatoris & Dei ſui cultu & obſequio immobiles ſemper & conſtantes permanſerunt : Denique Regis gloriæ fideles aulicos ſe eſſe probant, dū Bacchanalium voluptatibus & hilaritatibus renuntiantes, ut Deo obſequium & fidelitatem debitam præſtent, appetitus & ſenſualitates ſuas carnales aſſiduè mortificant. *Qui autem ſunt Chriſti*, inquit Sanctus Paulus, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs*; Ubi etiam fructus carnis & Spiritus latè enumerat dicens : *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ; invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia; quæ prædico vobis, ſicut prædixi ; quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur* ; à contrario ſenſu autem conſequens eſt, quod illi certò Regnum Dei conſequentur, qui carnem mortificant, & à Bacchanalibus ſe ſubducunt : *Vobis datum eſt noſſe*, &c. Eorum verò, qui Bacchanalibus renuntiantes, Chriſtum ſequuntur, ſequentes ab eodem Apoſtolo recenſentur fructus : *Fructus autem ſpiritus charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.*

*Pſ. 54. v. 10. Ibid. v. 8. Ibid. v. 9.*

*S. Greg. l. 4. mor. c. 17.*

*Gal. 5. v. 24.*

*Gal. 5. v. 19. Ibid. v. 20. Ibid. v. 21.*

*Gal. 5. v. 22. Ibid. v. 23.*

Dei commenſales fiunt.

3. Magnum fuit illorum Angelorum præmium, ſupremumque meritum, qui in ſua erga Deum ſuum devotione & fidelitate conſtanter perſeverarunt, ac proinde non diſſimilis erit omnium illorum fidelium remuneratio, qui hoc tempore, quo Deus à majori ferè hominum parte turpiter deſeritur, magis quam aliàs tamquam ſuam erga Deum fidelitatem probant. *Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, inquit Redemptor noſter Apoſtolis ſuis, *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, Ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Majores inſultus, atrocioreſque perſecutiones, quas Salvator noſter à Chriſtianis patitur, ſunt illæ, quæ adverſum ipſum hiſce diebus, ab ijs moventur, quando omnes illum omni depoſita verecundia impudenter offendunt ; & quidem ut idipſum cum tanto majori libertate & licentia facere poſſint, larvis facies ſuas contegunt, ut nullus eſſe poſſit erubeſcentiæ & verecundiæ locus: qui verò ab hujus temporis inſolentijs & vanitatibus abſtinent, in ejuſque ſequela etiam hiſce diebus ſtabiles & devoti perſiſtunt, hi ſunt, quos commenſales ſuos futuros eſſe declarat, *His datum eſt noſſe myſterium Regni Dei*, ijſque utpote in album cœleſtis curiæ ſuæ adſcriptis partem ſeu portionem ipſorum aſſignat: *ut edatis & bibatis*, &c.

*Luc. 22. 28. Luc. 22. 29. Ibid. v. 30.*

*Juxta Marc. 4. v. 11.*

*Luc. 22. v. 30*

Berzellai figura abſtinentium.

4. Berzellai ille Galaadites timoratum quemdam præfigurare videtur Chriſtianum, talem videlicet qui ſe hoc tempore à voluptatum lenocinio minimè ſeduci permittit, ſed cum Berzellai proteſtatur dicens : *Numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave aut amarum aut delectare poteſt ſervum tuum cibus & potus ? vel audire poſſum ultra vocem cantorum atque cantatricum.* Pro cujus figuræ meliori intelligentia ſciendum eſt, optimum hunc virum Davidi & univerſo exercitui ejus, dum propter Abſalonis rebellionem fugitivus moraretur in deſerto, victus annonam in abundantia ſubminiſtraſſe : *Et ipſe præbuit alimenta Regi dum moraretur in caſtris, traduxit Regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium proſequi eum.* Ait verò quamnam David eidem pro ingenti hac humanitate gratitudinem exhibuit? *Veni mecum*, inquit David, *ut requieſcas ſecurus mecum in Jeruſalem*; Ad hæc *oſculatus eſt Rex Berzellai & benedixit ei.* Sed quare Rex ille potentiſſimus erga privatum quemdam hominē, tanta oſtendit ſigna benevolentiæ, ut non ſolum ipſum oſculatus fuerit, verum etiam ampliſſima obtulerit munera, benedictionem quoq; copioſam, & ingentes ei honores detulerit ? *Omnia in figura contingebant illis* ; Deus namque verus ille David per hanc figuram indicare voluit, quanta ſit futura retributio illorum, qui ipſius partes etiam tunc vel maximè ſequuntur & ſuſtinent, quando Abſalonis perſecutio crudeliſſimè adverſus ipſum ſævit, id eſt quando Chriſtianiſmus, verū Dei Filium, hoc Bacchanaliorum tempore ipſum atrociſſimè offendit; Hos namque condignè præmiaturus ad Jeroſolymam ſupernam & cœleſtem invitat, ut ibidem in molli æternæ beatitudinis lecto ſecuri quieſcere poſſint.

*2. Reg. 19. v. 35.*



*Ibid. v. 31. Ibid. v. 32.*

*Ibid. v. 33. Ibid. v. 39.*

5. In vita magni illius ſervi Dei Joannis Baptiſtæ de Fulginio legitur, quod is Fulginij, utpote in patria ſua, dies hoſce per introducta à ſe varia devotionum genera ſanctificarit; prout aliàs ſæpius diximus ; ſpecialiter autem ad noſtrum propoſitum confirmandum non ſemel ſed ſæpius proteſtatus fuiſſe dicitur, quod ex quo per quinquaginta annorum ſpatium varijs aſtitit Civitatis illius moribundis ; hoc ſemper obſervavit, quod omnes quotquot in Die Jovis, qui craſſus vel pinguis paſſim appellatur, & Dominicam Quinquageſimæ antecedit poſt ſumptam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communionem illo die & alijs ſequentibus operibus dediti fuerunt devotionis, cum ingenti animæ diſpoſitione, magnaque ſpe propriæ ſalutis ex hac vita in aliam tranſmigrarint.

*Lib. 1. c. 9. vitæ.*

Magna cum ſpe moriuntur.

6. Nemo eſt noſtrum, quem non in magnam rapiat admirationem prærogativa illa boni latronis, quâ ipſi à Chriſto conceſſum fuit, ut ante tot Veteris Teſtamenti Patriarchas, ipſumque præcurſorem, de quo Chriſtus ipſe dixit : *A diebus autem Joannis Baptiſtæ Regnum Cælorum vim patitur*, ante Sanctum Petrum, cui conſignatæ fuerant claves Regni Cœlorum, & ante omnes alios Apoſtolos, alioſque inſignes Deoque ſummè dilectos Sanctos Paradiſum ingredi licuerit. Quenam obſecro fortunatiſſimus hic latro merita habuit, ut dicere potuerit : *Curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ?* Certè de nullo alio merito nobis conſtat, quàm quod in Cruce paucula hæc verba ad Chriſtum dixerit : *Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum* ; tunc enim confeſtim hoc à Chriſto reſponſum retulit: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiſo* ; Scitiſne quænam fuerit magni hujus beneficij, quod omni caret exemplo, latroni huic conceſſi cauſa meritoria ? Nulla alia, quàm ea quam modo edicam ; Hebræi enim linguis ſuis eum in Crucem affigi curaverant, eique in Cruce ſuſpenſo certatim inſultabant, Gentiles Pilati milites pedes & manus ejus clavis perforabant ; Apoſtolorum autem quidam eum tradiderat, alius trina vice negaverat, alij denique dorſum ei vertentes turpiter eum deſerebant. *Omnes relicto eo fugerunt* ; alter latro ejuſdem cum ipſo reatus conſors Dominum ſubſannabat; Virgo beatiſſima Mater ejus, & aliæ Mariæ ipſi quidem compatientes deflebant eum, at verò nullus ex omnibus reperiebatur, qui ad ipſum defendendum, ejuſque innocentiam conteſtandam os ſuum aperire audebat, ſolus hic latro cauſam ejus juſtificandi munus ſibi aſſumpſit, dixitque : *Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit*, idque adeò Redemptori noſtro placuit, quod videlicet licet antea impius & latro fuerit, cauſam tamen ejus defendendam eo præcipuè tempore ſibi vendicarit, quo omnes ipſum calumnijs & injurijs obruebant, ut ipſum eodemmet die, quo in gloriam ſuam ingreſſurus erat, ejuſdem gloriæ conſortem & ſocium habere voluerit, gratiæ abundantiam ei communicando, dando ei lumen & perfectam Chriſti patientis notitiam, actuſque ferventiſſimos fidei, ſpei, amoris & compunctionis ei infundendo : Enimverò nullus eſt noſtrum, cui probè ſatis non conſtet (prout nos inferius in ſpecialibus diſcurſibus videbimus) quod in hiſce Bacchanalibus Chriſti crucifixio, non quidem à Judæis, ſed à Chriſtianis ſpiritualiter renovetur ;

Latro Cauſidicus Chriſti præceſſit omnes ſanctos. *Matth. 11. v. 12.*

*2. Tim. 4. 7.*

*Luc. 23. 42. Ibid. v. 43.*

*Matth. 26. v. 56.*

*Luc. 23. 41.*

Eodem modo ſeſe ſequeſtrantes à Bacch.

*Hebr.6.v.6.*

vetur, quia tanto ſcandalo *rurſum Chriſtum crucifigentes ſibimetipſos filium Dei, & oſtentui habentes*; felices igitur & fortunati ſunt illi, qui hiſce diebus à ſtulta bacchantium turba ſe ſequeſtrant, cauſam Dei contumeliati defendendam ſibi aſſumunt, ejuſque ſequelam & ſocietatē minimè deſerunt, ex hoc enim magnum ſibi gratiæ & benevolentiæ Chriſti & multò magis æternæ retributionis pignus ſibi comparant; hoc enim verum aptiſſimumque tempus eſt, quo ſe ſervos fideles, & fidos bonosque Dei amicos eſſe probent.

*Chriſtus dum maxime deridetur ſequendus.*

7. David Abſalonis filij ſui inhumana perſecutione ex improviſo oppreſſus, atque ex urbe Jeroſolyma abire coactus ex toto populo Ethei fidelem expertus fuit, fidumque miniſtrum & amicum, hic enim ſe illum, quocumque pergeret, conſtanter ſequi, nec umquam deſerere velle profeſſus eſt, cui cum ſe afflictus & diſcretus Rex eum pari ſecum periculo expoſitum eſſe pati nolens, oppoſuiſſet, is Regi liberè reſpondit: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex quoniam in quocumque loco fueris Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita ibi erit ſervus tuus.* Circa quæ verba Theodoretus optime in hunc modum ſcribit: *Hæc ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam; ut diſcamus, quod nos oportet in rebus quidem ſecundis verſari cum amicis; ſin autem in res adverſas inciderint, eos deſerere.* Enimvero quod Chriſtianus aliquis in Quadrageſima ſequatur Chriſtum, tantum in ſe meritum non habet: At vero ſi in fervore hilaritatis & voluptatis Bacchanalibus conjunctæ, cum ludibrio & deriſione conſodalium ſuorum, ab ijs ſe ſubducens, illo tempore magis, quam alias in Dei ſervitio conſtans perſeveret, hoc ingens habet meritum conjunctum, per quod ſecurus efficitur, quod veri Davidis gratiam & benevolentiam in ſummo gradu compararit.

*2.Reg.15. v.21.*

*Theodoret. Q.30.*

*Bacchanaliſtarum Conſortia fugientes, Deo accepti.*

*Tob.12.v.13*

*Tob.1.v.4.*

*Ibid. v.5.*

*Ibid. v.6.*

8. Conſideraſtiſne aliquando cuinam rei Spiritus Sanctus ſanctitatem illam attribuat, qua Tobias Senior præfulſit, ille inquam qui ex ipſiuſmet Spiritus Sancti teſtimonio Deo adeo gratus & acceptus fuit: *Et quia acceptus eras Deo*, &c. Dici quidem poſſet ſanctitatem ejus inde ortum ſuum habuiſſe, quia *cumque eſſet junior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile geſſit in opere*; At vero genuina ſanctitatis ejus cauſa verbis exprimitur: *Denique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortia omnium; Sed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël.* Per hoſce Jeroboami vitulos aureos, voluptates & diſſolutiones Bacchanales intelliguntur, in quarum cultu mundani homines genua ſua flectunt; Ac proinde ſi illis ſpretis, mundanorum hiſce diebus abominanter conſortium, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum in quadraginta horarum ſolemnibus precibus publice expoſitum adoraverimus, communionemque ſacram aliaque exercitia ſpiritualia frequentaverimus, ingenti utique benedictionum cœleſtium abundantia cumulati Deo gratiſſimi & acceptiſſimi efficiemur.

*Declaratur ſimili.*

9. Quando Princeps aliquis in ſolemni ſubditorum ſuorum rebellione à ſuis proprijs aulicis, dorſum ei in miſeria conſtituto obvertentibus, totaliter derelictus, inter cæteros aliquem adeo erga ſe fidum experitur, ut tunc vel maxime ei obſequio ſe adhæreat, & in ejus devotione & obedientia conſtanter perſeveret, dici nequit, quantum per hoc ſe erga talem fidelem miniſtrum devinctum agnoſcat, ut omnem ei benevolentiam & gratiam exhibeat, omneſque modos ipſum copioſe remunerandi ſtudioſe exquirat. Idem igitur hiſce diebus fieri exiſtimetis; ſi quis enim hoc tempore quo Deus quaſi ab omnibus Chriſtianis deſeritur, & per tot offenſarum multiplicitatem offenditur, ſe à rebellium Chriſtianorum diſſolutionibus & petulantijs ſubducat, atque in ejus cultu ardentius, quam ullo alio anni tempore perſeveret, talis utique gratiam & amicitiam ejus magnopere ſibi devinctam & obſtrictam habebit. Nam ut Poëta canit: *Tempore felici multi numerantur amici: Dum fortuna perit, nullus amicus erit.* Sic quoque quadrageſimali tempore in quo Deus in ſummo ab omnibus honore habetur, omnes erga Deum devoti ſunt: At vero in Bacchanalibus, quando Deus ab omnibus fere Bacchanalibus vanitatibus immerſis deſeritur, tunc fideles, ſinceri, ingenui & veri ſervi Dei quam maximè probantur, tuncque videtur quinam ſyncere & ſuper omnia Deum diligant, & colant.

*Poëta.*

*Aliud ſimile.*

10. Servi alicujus Domini, ſicut & milites hujus vel illius Ducis vel Regiminis ex Livrea, aut veſtimenti, quo induuntur, figura vel colore facile dignoſcuntur: Sic etiam ſi ſcire velimus, quinam ex Chriſtianis veri, fideles, & ſynceri ſervi Dei exiſtant, ad Livream, vel ad veſtimenti genus quo hiſce diebus induuntur, oculos noſtros dirigamus: Si enim illos videamus larvatos per fora publica velut ſtultos diſcurrere, aut ſi notentur ſpectaculis vel choreis libenter intereſſe, illos utique non Dei noſtri, ſed Bacchi ſervos eſſe audacter dicere poſſumus: At vero ſi inveniantur hoc tempore in Oratorijs, in Eccleſijs verbum Dei attenta aure auſcultare, ſanctiſſimum Sacramentum devotè adorare, in Confeſſionibus faciendis & percipiendis Communionibus frequentes eſſe & Bacchanalia non ſolùm nihili facere, ſed & abominari eadem, libere & audacter eos veros Dei ſervos & aulicos eſſe affirmare poteritis. Hæc enim vera ſervorum Chriſti livrea eſt; quam S. Apoſtolus Romanos ſui temporis induere jubebat, dum ait: *Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum*: Sed quanam ratione id fiet? Audite ipſum confeſtim reſpondentem id alia ratione fieri non poſſe, quam per Bacchanalium contemptum & abominationem; Dicit enim: *& carnis curam ne feceritis in deſiderijs.*

*Rom.13.14.*

*Hiſtoria. Baron. An. 582. n.3.*

11. De Tiberio Imperatore Chriſtiano refert Cardinalis Baronius, quod cum à populo more ſolito præſtolaretur in circo; ubi utpote Juſtiniani nepotis Juſtini partibus addictus, vitæ ejus paraverat indeclinabiles inſidias, is ad fundendas Deo preces Eccleſiam adierit, eiſque finitis ab advocatis ad ſe in eamdem Eccleſiam Patriarcha, Conſulibus, & urbis præfectis in Palatium Cæſareum introductus, Chlamydeque ac paludamento Imperiali indutus inter infinitæ multitudinis applauſus in ſolium fuerit collocatus, adeoque ſeditioſi ſpe ſua fruſtrati & deluſi urbe excedere & in varias mundi partes fugere coacti fuerint: Ecce tibi inſignem fructum, quem reportare ſolent, qui theatra deſerentes, Deo conſtanter his diebus adhærent. Quot ſunt qui recreationibus hiſce nimium addicti ingentem paſſi ſunt regnorum, coronarum & gloriæ jacturam: Econtra vero quot ſunt qui cœleſtis regni poſſeſſionem ſibi ex ea ſolùm cauſa ſtabilierunt, quod hiſce diebus vel maxime Deo adhæſerunt.

*Luc.1.c.9. Exemplum, Communionem docens.*

12. In vita ſæpius à nobis nominati ſervi Dei Joannis Baptiſtæ de Fulginio declarationem illam legimus, qua ſe in patria ſua hiſce diebus ad majorem Dæmonis confuſionem & ignominiam vexillum Chriſti erigere, & ſub illud majorem, quem pro viribus poſſet, Chriſtianorum congregare velle numerum publice & aperte profeſſus eſt: Cum enim etiamnum juvenis eſſet ad coætaneos conſodales converſus dixit illis: Satagemus Diabolo hiſce diebus majorem quam excogitare poſſumus deſpectum & opprobrium conciliare, atque hoc fine in Eccleſia Cathedrali in die Jovis craſſo qui Dominicam Quinquageſimæ antecedit, omnes in conſpectu totius populi communicemus, eoque tempore quo Deus à mundo quaſi toto deſeritur, in hoc inquam nos mundum & ejus vanitates deſerentes ad Deum accedamus propinquius, ejuſque honorem tueamur: Quod cum ſtudioſe cum ſuis pijs commilitonibus exequeretur, magnam poſt ſe traxit piorum hominum turbam, quæ eamdem ipſorum devotionem imitabatur, atque hæc devotio deinceps non ſolum in illa Civitate, ſed & in univerſa Italia aucta & amplificata fuit, adeo ut hoc die paſſim Communio quædam Generalis inſtitui, multaſque eidem diei, ut majori cum fructu illum in exercitijs pietatis tranſigere poſſint, præparationes præmitti ſoleant.

*Diabolus torquetur ab abſtinentibus.*

*Matth.8. v.29.*

13. Refert S. Matthæus quod poſtquam Salvator inquietos turbulenti maris fluctus & procellas ſedaſſet, è navigio exſcendens terram ingreſſus fuerit Geraſenorum, ibidemque duos obvios habuerit Dæmoniacos, qui è ſepulchris, in quibus morari ſolebant egreſſi, dixerunt ad illum: *Quid nobis & tibi Jeſu Fili Dei? ut quid veniſti huc ante tempus torquere nos.* Ubi oritur quæſtio, quamobrem hi Dæmones è corporibus Dæmoniacorum ſe ante tempus à Chriſto torqueri, lamentati fuerint? Num igitur ante Chriſti adventum à pœnis infernalibus minimè cruciabantur? Utique torquebantur, ab ijs quia pœnæ infernales numquam illos deſerunt, ſed illos ubicumque degunt, inſeparabiliter ſequuntur, verumtamen tormenta ijs plurimum diminui & remittere putabant, quamdiu hac fruebantur conſolatione, quod videlicet homines illos affligere & torquere poſſent, hac enim ratione malitiæ & invidiæ ſuæ aliqua ſaltē ratione ſatisfaciebant. Verum ut hiſtoriam iſtam ad noſtrum accommodemus propoſitum, ſciendum eſt, quod Dæmones numquam per totius anni decurſum magis affligantur, quam in Quadrageſima, quod tempus eſt pœnitentiæ: At vero quando ferventiores Chriſtianos etiam antecedenter ante Quadrageſimam,

illis



illis præcipuè diebus quando Dæmones majorem malitiæ ſuæ fructum colligere ſolent, ſe in devotionis operibus exercere, ſuaſque tentationes ſuperare vident, dici nequit, quantum illi torqueantur. Simus igitur deinceps æmuli & imitatores Chriſti, ut rebellibus hiſce ſpiritibus tanto major accreſcat confuſio & ignominia.

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

Nonnulla illuminatiſſimorum virorum adducuntur exempla, qui zeloſos ſe Bacchanalium vanitatum hoſtes eſſe probarunt; Ubi etiam aliqua adducuntur Divinæ complacentiæ ſigna; quæ Deus illis exhibere dignatus eſt, qui hiſce diebus vanitatibus illis relictis ipſum ſequuntur.

### THEMA.

*Et derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* 3. Reg. 19. verſ. 18.

*Deus ſelegit aliquos qui Bacchum nō colunt.*

*3.Reg.19. v.18.*

1. QUando ferventiſſimus ille, zeloque Dei ardens Propheta Elias cultum veri Dei ab univerſo populo Iſraëlis ſperni & conculcari, Baal autem ab unoquoque flexis genibus tamquam verum Deum adorari mœſto animo vidit, Deum ſibi dicentem audivit: *Et derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal*, quaſi dicere ei voluiſſet. Ne turberis ô Elia, non enim numerus me ſyncere colentium adeo eſt exiguus, uti tu exiſtimas, jam enim ex tanta impiorum hominum fæce multos honorem meum zeloſiſſimè æmulantes mihi ſpecialiter ſelegi, qui impetuoſis inimici infernalis conatibus ſe pro viribus animo ſe opponant. Enimvero Hiſtoria iſthæc, ni fallor, præſentem vivaciſſime repræſentat Bacchanalium vanitatem; videri enim haud immerito poſſet ob nimiam Bacchanaliſtarum multitudinem, omnes quaſi fideles hoc tempore, ſi non ante Baal, ſaltem ante Bacchum genua ſua flectere, & tamen Salvator noſter multos honorem ſuum & cultum zeloſiſſime proſequentes, ab hac impietate omnino illæſos reſervat & immunes: Eoſque tanti æſtimat, ut omnes illos ſigillatim & individualiter quaſi numeratos habeat: *Derelinquam mihi ſeptem millia*, honorificentiſſimum quoque illis titulum attribuat, *virorum vir à virtute*, greſſus item illorum ſtudioſe enumeret, omniaque illorum opera, quæ eo tempore quo à majori Chriſtianorum parte deſeritur, pro ſuo amore exercerent & operantur, magno in pretio habeat, idque, ut Cajetanus ait, *ut ſciret Elias, quod non ſolius ipſius curam habeat, ſed etiam tot millium, Deum colentium, non idola, ſed ſummum Deum*; Deus etenim liberaliſſimus omnium remunerator operum bonorum, ſpecialem ſibi omnium illorum curam & ſolicitudinem vendicat, qui idolis, id eſt, Bacchanalium voluptatibus & inſolentijs dorſum obvertentes, hiſce diebus Divino ejus ſervitio ſe vel maximè impendunt.

*Cajet. ibid.*

*Pſ.36.v.27. Declina à malo Bacch.*

2. Univerſa lex quam Deus pro æternæ ſalutis aſſecuratione homini ſtatuit in duobus hiſce Polis vertitur & volvitur: *Declina à malo, & fac bonum*; atque ideo felices & fortunati ſunt illi qui hoc tempore in Chriſtianæ vitæ diſciplina & modeſtia nequidquam relaxantur, quin potius in operibus bonis magis magiſque efferveſcunt, optimique Chriſtiani partes perfectiſſime adimplent, ſiquidem hiſce diebus magis, quam aliàs umquam in toto anno maximum malum declinandum, id eſt, Bacchanalia infeſtant, ſiquidem hoc tempus, ut alibi diximus, non immerito fœcunda *Dæmonis vindemia* appellatur.

*Fecit S. Franc. de Sales.*

*Lib.5. vit.*

*Act. Eccl. Mediol. part.7. pag.1019.*

3. S. Franciſcus de Sales hiſce diebus ſe ſubducere & ſpiritualibus exercitijs incumbere conſueviſſe legitur: *Ut popularis inſolentiæ, & diſſolutionis, quæ vix impediri poteſt, teſtis non eſſet.* Quamvis etiam idipſum ob rationem aliam ſolitum fuiſſe facere, haud inveriſimiliter credi poſſit, nimirum quod hoc tempus, tamquam boni communis commiſſi ſibi populi zeloſiſſimus promotor, ſpecialiſſime pro ſuis exercitijs ſpiritualibus elegerit, quia ſcivit quid S. Carolus de devotionibus hiſce diebus per ipſum inſtitutis tractans dixerit, videlicet quod hoc tempore, quo juſta Dei indignatio per nimiam peccatorum multitudinem ſpecialiſſime contra nos provocatur, ad impetrandam & procurandam nobis Dei miſericordiam, neceſſum ſit, ut ſicut peccata illa ab hominibus pijs, Deique honorem zelantibus ſine lachrymis ſanguineis videri aut intelligi nequeunt, ita quoque quilibet ipſorum ſpiritum & omnem affectum ſuum per charitatem Chriſtianam ad Deum dirigat, eumque inſtantiſſime oret; ut ijs qui hiſce diebus ſimilibus tenebrarum operibus ſe immergunt, lumen ſufficiens indulgeat, ut ab errore ſuo reſipiſcere, ſeque emendare poſſint: alijs vero probis Deumque hiſce diebus vere timentibus majorem impertiatur gratiam, ut majorem quotidie in ſanctitate & vera pietate progreſſum faciant.

*S. Catharina Senenſis.*

4. Sancta Catharina de Senis, ut in ejus vita legitur, toto hoc durante Bacchanalium tempore, pro majori parte noctis in profunda oratione abſorpta erat; Dato autem ſigno quo aliæ ſorores ad Matutinum decantandum accerſebantur, ipſa licentiam ſibi à Deo dari poſtulabat, ut per modicam quietem membra corporis nonnihil reſtaurare poſſet, hoc enim commodiori tempore fieri non poſſe credebat, quam illo tempore & hora, quo multi diverſorum ordinum religioſi & religioſæ Deum pſallendo in cordibus ſuis laudabant. Idem quoque multis timoratis, Deique cultum & honorem zelantibus Chriſtianis dici hoc tempore poſſe videtur: Nunc tempus eſt orandi, Deum tot peccatorum exceſſibus nobis iratum placandi, tot denique peccata & ſcandala, quibus divina contra nos irritatur juſtitia, bonis operibus compenſandi: Poſtea vero quando inchoante Quadrageſima omnes pœnitentiæ agendæ intenti erunt, tunc potius occaſio & tempus nobis aderit, quo aliquod in vitæ rigore, & continuata devotione levamen admittere licebit. Unde Tertull. ut ſui temporis fideles à theatris abſtraheret, hoc illos monito præveniebat: *Sæculum gaudebit, vos triſtes eritis: lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cæperint, gaudeamus & nos, ne forte nunc cum illis gaudentes, tunc quoque jugiter lugeamus.* Et certe ſi nos in hiſce vanæ lætitiæ diebus cordialiter plangentes pœnitentiam faceremus, nobis non deeſſet ingens occaſio conſolationis & lætitiæ pro eo tempore quo mundani peccata commiſſa in jejunio, fletu, & planctu amarè deplorabunt; tunc enim nos ex corde gaudere poſſemus, de obſequijs Deo fideliter præſtitis, de acquiſitis meritorum ingentium manipulis, de majori nobis conciliata Dei gratia & amicitia, de ſuperatis tot Dæmonis laqueis & inſidijs, de liberatione à tot animarum periculis & præcipitijs, in quæ alij hoc tempore infeliciter inciderunt.

*Tertull. de ſpect. c.28. Lugendum dum alij gaudent.*

*Par.3. l.6. c.35. Chron. S. Franc. Zelus f. Michaëlis di Barea.*

5. In Chronicis S. Franciſci de quodam Patre, F. Michaële de Barea magnæ ſanctitatis viro legitur, quod tantam peccatorum quæ hiſce diebus libere committuntur, habuerit diſplicentiam, ut ad locum ubi mulieres ad tripudia & choreas inſtituendas congregatæ erant accedens, unamquamque illarum ſeorſim his verbis fuerit obteſtatus: Quod ſi mihi ô benedicta filia, promiſeris, quod ex puro amore Dei illum per hæc tripudia & alia hujus temporis peccata offendere nolis; viciſſim ſancte tibi polliceor, quod te toto hoc anno Deo per orationes ſpecialiſſime commendabo; hiſque promiſſis plurimas illarum à vanitatibus illis frequenter abſtraxit. Accidit quoque quod hiſce diebus locum quemdam, qui Calignanum dicitur, ubi varij profani luſus exercebantur, accedens, in medio ludentium tanto cum fervore in dictorum ludorum deteſtationem prædicaverit, ut multos præſentium non ſolum pro illo anno, ſed & pro alijs ſequentibus à ſimilibus luſibus ſæcularibus deterruerit.

*L.7. c.7. Giuſſanè. S. Caroli Borro.*

6. In vita ſancti Caroli Borromæi legitur, quod is in tribus ſeptimanis Quadrageſimam antecedentibus varia inſtituerit exercitia pietatis; ſcilicet in Eccleſia Metropolitana orationem publicam, & ſimiliter omnibus diebus Dominicis & Feſtis, ſub qua oratione Litaniæ & aliæ preces tempori accommodatæ decantabantur, proponebantur puncta orationis mentalis, quæ magno cum fructu ſiebat ab omnibus præſentibus. In ſeptimana Septuageſimæ quotidie à toto Clero & populo Mediolanenſi per ſingulas urbis portas in ſpeciales claſſes diſtributo proceſſionem quamdam ad ſeptem Eccleſias fieri curabat, ipſomet in ſingulis Eccleſijs contra præſentis temporis vanitates & diſſolutiones ingenti cum fervore & efficacia prædicante; ſicque verificabatur quod Deus quondam S. Eliæ Prophetæ dixit: *Et derelinquam mihi ſeptem millia virorum quorum genua*, &c. Scribit enim hiſtoricus qui vitam hujus ſanctiſſimi Cardinalis conſcripſit, tantam ad haſce proceſſiones & ſermones in ijs habitos confluxiſſe populi multitudinem, ut Eccleſiæ, quantumvis ampliſſimæ, illam ſufficienter capere minime poſſent; Ceſſabatque omnis populus illis diebus non ſolum à ſolitis Bacchanalium ludis & recreationibus,

*3.Reg.19. v.18.*





tionibus,

tionibus, verum etiam ab omnibus negotijs proprijs atque commercijs. Præterea ſolicitus hic & zeloſiſſimus Paſtor populum ſibi ſubjectum invitabat, ut ad Communionem ſacram diſtinctis diebus in Eccleſijs ad hoc per ſingulas quatuor urbis regiones deputatis, manu ſua propria illi porrigendam devotiſſime ſe præpararet, idque præter Communionem generalem, quæ in ultima Bacchanalium Dominica, Quinquageſimæ videlicet, quæ quoad devotionem, Dominicæ Paſchatis Reſurrectionis haud abſimilis erat, ab ipſo inſtitui ſolebat. Adhæc ut ſubditis ſuis etiam poſt meridiem utilis cujuſdam exercitij præberet occaſionem, orationem S. Sepulchri quotidie per omnes tres ſeptimanas prædictas fieri curabat, ſub qua duo excellentiſſimi Oratores & Prædicatores qui uſpiam reperiri poterant, ſermocinabantur, quibus ipſemet ſanctus Cardinalis tertium diſcurſum habiturus ſuccedebat, in quo præcedentium prædicatorum diſcurſus recapitulabat, arteque mirabili inter ſe concordabat.

Fructus ſubſecutus.

7. Verum enimvero ut clare videas, quantum Deus in ſancti zeli hujus Paſtoris ſubſidium concurrerit, quando ſe Bacchanalium implacabilem inimicum & perſecutorem, acerrimumque vanitatum flagellum eſſe probabat, ſciendum eſt, quod non ſolùm Diœceſim ſuam quoad Bacchanalium ſuppreſſionem, ad exemplariſſimam quamdam Reformationem perduxerit, verum etiam talem ac tantam Deus illi apud omnes conciliavit authoritatem, tamque eximium venerandæ ſanctitatis conceptum cunctorum mentibus impreſſit, ut quando poſt varias longasque à Gubernatoribus Mediolanenſibus hic Romæ præſentium dierum diſſolutionem & vitæ licentiam propugnare contendentibus perpeſſas perſecutiones, & contradictionum ſtrepitus, victor glorioſus ad Eccleſiam ſuam regrediebatur, urbemque Ferrarienſem pertranſiturus erat, Dux dictæ urbis, qui menſe Februario currente vanitatibus Bacchanalibus more ſolito tranſigendis totus deditus erat, mox ut ſanctum Cardinalem urbi appropinquare intellexit, vexillum, quod in ſignum indultæ licentioſioris vitæ illis diebus publice erigi ſolebat, è loco ſuo dimoveri, & quoad uſque ſanctus hic Archiepiſcopus in urbe præfata morabatur, omnes larvas, tripudia, aliasque diſſolutiones ſerio interdicto vetari juſſit; Unde ipſo præſente inſtituta eſt ibi Generalis quædam Communio, poſt quam S. Archiepiſcopus tali cum fructu ad populum peroravit, ut dies illi in quamdam ſeptimanam Sanctam tranſmutati eſſe viderentur. Venetijs pariter (res mira dictu, veriſſima tamen) in tam numeroſa multitudine, quæ alijs temporibus pari cum diſſolutione, qualis aliàs hiſce diebus tantum uſitari conſuevit, vivere ſolebat, dies Jovis craſſus, qui Dominicam Quadrageſimæ antecedit, in modeſtiam & religioſitatem diei Paſchalis tranſmutatus fuit, adeo ut ne unicus quidem per univerſam urbem larvatus conſpiceretur; Magna quoque cum inſtantia, ut Communionem quamdam generalem eo die inſtitueret, urgebat quam & matutino tempore ejuſdem diei Jovis celebrem in Eccleſia Patrum ſocietatis habuit, ubi pariter ad inſtantiam Patriarchæ & Nuntij Apoſtolici magno cum animarum fructu ſermonem ad populum habuit.

*L. 6. c. 3. Giuſſa.*

*Baron. in Notis ad 1. diem Jan. Martyrol. Rom.*

8. S. Almachius (cujus in Martyrologio prima die Januarij fit mentio) prout in Notis Cardinalis Baronij legitur, non ſolum voce ſed etiam ſanguinis ſui effuſione pernitioſas voluptatum theatricarum flammas extinguere conatus fuit; Nam *Divino afflatus Spiritu, cum dira ſpectacula edi videret, ſanguinem ſanguine abſtergendum putavit.* Ludi enim agitabantur gladiatorij, in quibus ſanguis fundebatur humanus, ſimulque multi in ijs triumphabant exceſſus & ſcandala, quæ ejuſcemodi ſpectaculis ſemper ſolent eſſe conjuncta; *Nec eum fefellit opinio, quid enim cruori martyris inconceſſum, cum omnia mundentur in ſanguine? Ecce enim quod Imperator legem ſanciendo non valuit perficere, Almachus effundendo ſanguinem impetravit; Unde appoſite ea de cauſa forte idem à Græcis Telemachus appellatur, paululum immutato nomine, quod finem pugnæ illi gladiatoriæ impoſuerit.*

*Vit. S. Lidwinæ Virg.*

9. In vita S. Lidvvinæ Virginis legitur, quod dum hæc patientiſſima Virgo inſtar Jobi ulceribus pleni & afflicti, varijs morbis excruciaretur, audito ingenti quodam diſſolutorum hominum ſtrepitu in plateis hoc Bacchanalium tempore excitato, poſtquam de cauſa illius ſibi adſtantes domeſticos interrogaſſet, eidem reſponſum fuerit, hoſce clamores à nonnullis Bacchanalibus conſuetis recreationibus operam dantibus excitari, quod ipſa audiens zelo reparandi honoris cœleſtis ſponſi ſui, qui illis profanis diebus conculcabatur, mota eumdem ſponſum ſuum enixe rogavit, ut pro diluendis profanorum iſtorum hominum offenſis, afflictum corpuſculum ſuum novo quodam & vehementi morbi genere dignaretur exercere, & ecce ſubito graviſſima quadam infirmitate correpta fuit, quæ acerrimos ei accerſivit dolores, qui per totam Quadrageſimam uſque ad Paſcha Reſurrectionis ſine ulla intermiſſione continuarunt.

*Chron. S. Franciſci l. 10. p. 4. pag. 4.*

10. De F. Lupo Prædicatore celeberrimo in Chronicis S. Franciſci legitur, quod dum Valentiæ in Hiſpania hiſce Bacchanaliorum diebus prædicationibus operam daret, diſſolutiones & petulantias illius temporis videns, multarumque animarum jacturam & perditionem inde conſequentem vivaciſſime apprehendens, Dei amore accenſus, ſequentem cum ſocio ſuo mortificationem ſubire decreverit; Nam inſtar publice pœnitentium habitibus laceris miſere induti, paulatim & pedetentim per plateas gradiebantur horrendos ejulatus edentes, amariſque lachrymis ea deflentes peccata, quæ ijs diebus committebantur, nec non exiguam hominum erga Deum devotionem & reverentiam; ſæpius etiam in ijſdem plateis altum clamabant: O Domine miſericordia, miſericordia, nobiſque miſeris peccatoribus dignanter compatere, qui ejulatus & clamores univerſam urbem Valentinam adeo commoverunt, ut Bacchanalia deſerentes cives devotionis exercitijs, Confeſſioni videlicet & cordis compunctioni & orationi totaliter ſe dedicarint, haud ſecus ac fieri ſolet in Feria ſexta Paraſceves, ad Dominicæ Paſſionis prædicationẽ.

Curioſum factum B. Jacoponi.

11. Curioſum quoque & memorandum eſt facinus illud, quod de alio quodam Religioſo Capucino legitur, cui nomen erat B. Jacoponus de Todi; Cum enim frater illius germanus vir nobiliſſimus pariter & opulentiſſimus ob deſponſatam ſibi uxorem ſolemnes inſtituiſſet nuptias, ipſumque inſtanter rogaſſet, ut ea nuptiarum die ab omni ſe pœnitentia contineret, nec ullos in civitate per devotiones concitaret motus, dictus Jacoponus miſſo ad ſe per fratrem nuntio protinus reſpondit: Dic fratri meo quod quemadmodum frater meus hodie familiam noſtram per ſuam providentiam honorare contendit, ita quoque ego idipſum facturus ſim per meas ſtultitias; quapropter ſe totaliter denudans totum corpus ſuum oleo terebinthino perunxit, ſeque inter plumas varij coloris circumvolvens, ex adhæreſcentibus corpori plumis monſtro quam homini ſimilior in ſummo recreationum fervore inter alios larvatos Bacchanaliſtas comparuit, quo viſo ſpectaculo omnes confuſi ac perterriti diſceſſerunt.

*Gen. 29. v. 23. D. Chryſoſt. hom. 45. in Gen.*

Jacob ſequendus.

12. D. Chryſoſtomus verba illa Geneſeos: *Et veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad eum*, exponens, inquit: *Vidiſti cum quanta olim honeſtate nuptias egerint? Audite qui Sathanicas pompas admiramini, num tunc tibiæ? num tunc cymbala? num tunc Choreæ Diabolicæ?* Laban quidem de inopinato Jacobi generi ſui è domo ejus diſceſſu conqueſtus dicebat, quod ſi debita cum licentia ab ipſo receſſiſſet, ipſum utique cum canticis & cytharis aliquouſque proſecuturus fuiſſet: *Ut proſequerer te cum gaudio & canticis, & tympanis, & cytharis*; ſed ut Procopius optimè obſervat, Jacob illa benevolentiæ paternæ ſigna admittere noluit: *Quæ tamen adhibere Labanus cum vellet, conſtat Jacobum effugiſſe*; Cum igitur Jacob alio nomine Iſraël, id eſt, videns Deum appellatus fuerit, ideo per hoc factum nobis innuitur, quod quiſquis lumen & notitiam Dei habet, profana gaudia & diſſolutiones pro viribus abominetur, & fugere contendat.

*Gen. 31. v. 27. Procopius ibid.*

Aliud factum B. Jacop.

*1. Cor. 3. v. 18.*

13. Optime igitur ſupradictus B. Jacoponus fecit, dum ſalutare illud S. Apoſtoli monitum ſecutus fuit, dicentis: *Si quis videtur inter vos Sapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens, ſapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Idem quoque cum tum ex natalium nobilitate, tum ex præſtanti litteratura qua præfulgebat, tum denique ex ea in qua poſitus erat dignitate, in ſumma apud compatriotas ſuos eſſet opinione, ad turbandam Bacchanalium diſſolutionem honoris Dei zelo accenſus, ad cingulum uſque ſe nudavit, aſinique clitellas cervici imponens, fræni autem loco lignum quo dictum jumentum ſub cauda accingitur ori ſuo imponens, manibus pedibusque ad inſtar beſtiæ rependo ingreſſus eſt locum illum ſeu forum, in quo Bacchanalis diſſolutionis ſolemnitas quam maxime efferveſcebat, ut tanto facilius eamdem turbare & de medio tollere poſſet, prouti reipſa præſtitit, quia enim omnibus notum erat, ipſum hanc corporis figuram ex ſolo Chriſtianæ mortificationis motivo induiſſe, ut Dei honorem zelaret, non vero ut ſolem-



ſolemnem illam mundi ſtultitiam hoc ſpectaculo promoveret, unus alterum ſine ullo riſu aut ludibrio illius oborto, imo cum magna cordis compunctione intuens, relicto foro, abjectiſque larvis in domum quiſque ſuam conceſſit.

*3. Reg. 19. v. 18.*

Viſio S. Gertrudi exhibita.

14. Porro opera bona quæ hiſce profanis diebus à Chriſti fidelibus fiunt, Deo tantopere placent, ut illa ſpecialiter in rationes deducat; omneſque qui his diebus ſub Crucis ſuæ vexillo fideliter militant, ſigillatim & exacte enumeret; *Et derelinquam mihi ſeptem millia virorum, &c.* Et quidem expreſſum hujus aſſertionis teſtimonium nobis celebris illa valdeque memorabilis viſio perhibet, quæ S. Gertrudi Virgini à cœleſti ejus Sponſo exhibita fuit, quæ proinde à nobis hoc loco fideliter exacteque recenſeri meretur. Huic igitur ſanctiſſimæ Virgini Chriſtus ſponſus ejus in nocte Quinquageſimæ, in throno gloriæ ſuæ magnificè reſidens apparuit, ad cujus pedes S. Joannes Evangeliſta velut Secretarius ejus actualiter quædam in libro particulari ſcribens & annotans ſedebat, Cumque ſancta hæc Virgo Chriſtum ſciſcitaretur, quidnam eſſet quod S. Joannes tam ſolicite & diligenter annotaret, hoc à ſponſo ſuo reſponſum accepit: Juſſu meo omnia illa deſcribit obſequia & ſervitia, quæ ab hujus tui Monaſterij ſanctimonialibus mihi hactenus exhibita fuerunt, nec non omnia illa, quæ ab eiſdem duobus hiſce ſequentibus diebus exhibebuntur; eaque hoc præcipue fine illum ſcribere juſſi, ut ego (cui Pater meus omnem judicandi poteſtatem & authoritatem tribuit) dum venturus ſum ut unicuique juxta menſuram bonorum operum ſuorum fideliter retribuam, ſimulque illis menſuram confertam fructuum Paſſionis & mortis meæ, unde omnia merita humana magnopere nobilitantur, ſuperaddam, illos cum hac charta coram Patre meo perducere valeam, ut is demum per infinitam paternæ benignitatis ſuæ potentiam, aliam quamdam ſupereffluentem & coagitatam menſuram pro omnibus illis ſervitijs & obſequijs mihi in horum dierum atroci perſecutione benignè & fideliter præſtitis clementer ſuperaddere dignetur; Cum enim ego præ cunctis alijs fideliſſimum me eſſe profitear, nequaquam committere poſſum, ut in retributione benefactoribus, fidiſque amicis meis facienda minus æquus aut legalis Davide inveniar, qui tametſi toto tempore vitæ ſuæ in exhibenda erga benefactores fideleſque amicos ſuos gratitudine numquam defecerit, attamen in die mortis ſuæ, quando jam diadema & Sceptrum Regni ſui filio ſuo Salomoni ceſſerat, eidem inſuper præcepit, ut filijs Berzellai & Galaaditis omnibus modis benefaceret, eoſque velut commenſales perpetuos regiæ menſæ adhibere non omitteret, eo quod hi cum omni fidelitate ſynceraque benevolentia & humanitate ei occurriſſent, quando à facie & armis Abſalonis filij ſui fuga ſibi cogebatur conſulere; Imò ſicut ſervitium aliquod in adverſitate alteri præſtitum ab omnibus majoris æſtimatur, fortioremque gratitudinis exhibendæ obligationem ſuperinducere cenſetur, quàm quod in proſperitatis tempore exhibetur: ita quoque mihi longe magis illa placet fidelitas, quæ hiſce diebus erga me exercetur, quibus per diverſa & enormia quæ ab hominibus committuntur peccata quam maximè contemnor & offendor. Totus hic diſcurſus ab increata & incarnata ſapientia Sanctæ Gertrudi Virgini propoſitus fuit. Ex quo manifeſtè ingens illa æſtimatio deducitur, quam Deus habet de illis operibus bonis, quæ hiſce profanis diebus in ejus obſequium & ſervitium exhibentur.

Omnia opera à Deo numerantur.

*Job 14. v. 16*

15. Ac proindè unaquæque anima, quæ hiſce diebus ſuam erga Chriſtum fidelitatem probat, jure merito dicere poteſt: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti*; quod ſi enim Angelus ille, ut in vitis Patrum legitur, greſſus Sancti illius Monachi, qui ad majorem ſui mortificationem, aquam, quam in vicinia commodè habere poterat, è fonte à cella ſua procul diſſito juſſu Abbatis ſui hauriebat, dinumeraſſe perhibetur, quanto magis Deus hiſce diebus exactiſſimam habebit rationem, numerabitque omnes illos fideles, qui hiſce diebus magis quàm umquam aliàs in divino ipſius obſequio conſtanter & ſolidè devoti ac ferventes exiſtunt, dum infinitus numerus *bibit quaſi aquam iniquitatem.*

*Job 15. v. 16*

Orandum cũ Pſalmiſta.

*Pſal. 16. v. 5.*

16. Unaquæque igitur Chriſtum hiſce diebus conſtanter ſequens anima ad ipſum converſa fidenter dicat: *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea*; hoc enim ſi à Chriſto impetraverit, pedibus ejus illud à ſacra ſponſa in Canticis expreſſum encomium attribuere potero, & dicere: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* Quotquot enim Chriſtianus Deo in hiſce Bacchanalibus declinandis conſtans & fidelis, impreſſa reliquerit in via Divinorum præceptorũ & conſiliorum ſuorum veſtigia, *Viam mandatorum tuorum cucurri*, tot quoque ſibi reponit futuræ retributionis æternæ ſecuriſſima indicia, imò pignora, quia Deus fidelitatẽ iſtam incomparabiliter tunc præcipuè æſtimat, quando Chriſtianis ad ingentem eorumdem confuſionem dici poteſt: *Pedes enim illorum ad malum currunt; laſſati ſunt in via iniquitatis*; De his quoque qui hoc tempore voluptates, quas mundus larga manu offert, contemnit & deſerit verè dici poteſt: *Et Luna ſub pedibus ejus*; quia ut omnibus paſſim notum eſt, luna propriiſſimum eſt vanitatum mundanarum Symbolum; Et ideò quia ut Scriptura dicit: *Nam ſtultus ſicut Luna mutatur*, meritò hoc tempore dici poteſt: *Et ſtultorum infinitus eſt numerus*, ſiquidem homines hiſce diebus, tam quoad faciem ſeu vultum, quàm quoad veſtes & habitus adeò tranſmutantur, ut vix ab aliquo dignoſci poſſint. Quod ſi autem voluptates mundanas hoc tempore contempſerint, conſequens eſt, ut tandem aliquando coronam ſtellarum duodecim in capite ſuo præſtolari ſecuriſſimè poſſint: *& in capite ejus corona ſtellarum.*

*Cant. 7. v. 1.*

*Pſal. 118. v. 32.*

*Prov. 1. v. 16. Sap. 5. v. 7.*

*Apoc. 12. v. 1.*

*Eccli. 27. v. 12.*

*Eccl. 1. v. 15.*

*Apoc. 12. v. 1.*

## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

Acceptum Deo & perfectum Sacrificium eſt, à gaudijs & voluptatibus, quas mundus hiſce diebus larga manu diſpenſat, abſtinere & Chriſti diſciplinæ ſe ſubmittere.

### THEMA.

*Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum: & nolite conformari huic ſæculo,* Ad Rom. 12. ℣. 1.

Dehortatio.

1. SAnctus Paulus Apoſtolus ad Romanos ſcribens, eiſdem magna cum ſolicitudine proprij corporis mortificationem, & voluptatum mundanarum omnimodam abnegationem inculcare nitebatur, eo quod recreationibus, & theatralibus ſpectaculorum gaudijs, aliſque ſimilibus profanitatibus valdè dediti erant. Porrò Lyranus verba illa: *Nolite conformari huic ſæculo*, ita quidem exponit, *id eſt, delectabilibus hujus mundi*; clarius tamen & ad propoſitum noſtrum convenientius verba illa: *Nolite conformari huic ſæculo*, Hugo Cardinalis interpretatur, dum addit, *quia mundus, caro, Dæmonia diverſa movent prælia*; Hiſce etenim verbis Bacchanalia, quæ fideles diverſis prælijs adoriuntur, ad literam deſcribere voluiſſe videtur; Horum etenim tempore mundus per ſpectacula, theatra, larvas pro viribus nos ſeducere nititur; Caro autem per convivia, ebrietates, commeſſationes, choreas, tripudia, cantus, aliasque ſimiles obſcœnitates nos extimulare molitur; Quod verò Dæmonem attinet, hoc unicum dixiſſe ſufficiat, quod præſens Bacchanaliorum tempus *Dæmonum vindemia* à ſacris Scriptoribus appelletur. S. Carolus autem in hiſce verbis interdictum quoddam, ſive prohibitionem omnium hujus temporis vanitatum & diſſolutionum contineri expreſsè declarat. S. Bruno Carthuſianæ ſolitudinis Patriarcha verba illa. *Nolite conformes fieri huic ſæculo* hac adjuncta Gloſſa illuſtrat: *Ut in aliquo obtemperetis mundo blandienti vobis.* Nos ut inæſtimabilia merita illorum, qui Deo placere cupientes ab omnibus Bacchanaliorum diſſolutionibus abſtinent, ſeſeque ſubducunt, clarius explicemus, ſub plurimum ſacrorum Interpretum fideli directione & magiſterio, quæ in hiſce verbis latent myſteria, fuſius ponderabimus.

*Rom. 12. v. 2. Lyran. ibid.*

*Hug. Card. Ibid.*

*Act. Eccl. Mediol. pag. 1152.*

*Rom. 12. v. 1.*

Solicita poſtulatio.

2. Dicit igitur Apoſtolus: *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei*; Ubi ſolicita ejus poſtulatio Romanis propoſita, ut videtis, Divinæ miſericordiæ innititur, quaſi dicere vellet, quanto zelo Dei æſtimatis & deſideratis miſericordiam & pietatem, tanto cum ardore, cura, & ſolicitudine vos Deo in ſacrificium offerre contendite, ſiquidem id faciendo miſericordiam & pietatem Dei vobis infallibiliter conciliabitis. Porrò Gloſſa interlinearis ad illa verba: *ut exhibeatis*, addit: *licet caro repugnet*; In hoc enim tota virtus conſiſtit, ut ſciatis & poſſitis horum dierum vanitatibus & diſſolutionibus reſiſtere, neque vos ab iis ſeduci patiamini, ſed in ſequela Chriſti hiſce diebus conſtanter perſeveretis: *Pereat licet mundus.* Nunc Bacchanalia aguntur, quæ Italice Carnevale appellantur,

 ut

ut alibi diximus, eo quod caro hiſce diebus omninò ſpiritui prævaleat,ac proinde nunc magni meriti opus erit,ſi vobiſmetipſis violentiam intuleritis,ne illa conſectemini,*licet caro repugnet.*

Abſtinere à gaudijs ſacrificium eſt. Pſalm.43. v.25. Philip.3. v. 19. Pſ.43.v.26. 2.Cor: 12. v. 7. Rom.12.v.1. Gloſſ.interl.

3. Unde hanc fortè ob cauſam Eccleſia in Dominica Sexageſimæ, quando Bacchanalia in ſummo conſiſtunt fervore,in ſacro Miſſæ officio hæc verba legit: *Conglutinatus eſt in terra venter noſter*, hiſce namque diebus vel maximè in nobis verificari videntur illa verba: *Quorum Deus venter eſt*, ideoque nobis à Deo ſubveniri poſtulamus dicentes: *Exurge Domine,adjuva nos & libera nos*, Sancti Pauli quoque patrocinium & & defenſionem in oratione illius Dominicæ imploramus,qui cum à carne ſua colaphizaretur: *ſtimulus carnis colaphizat me*, per Divinum ſibi exhibitum auxilium victor evaſit;ideò quoq; in hac Dominica ſtationē in ejus Baſilica inſtituit. *Obſecro,...ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam*; Gloſſa interlinearis dicit: *Hoſtiam in mortificatione carnalium deſideriorum*; Etenim oblatio hujus hoſtiæ,ad quam nos Sanctus Apoſtolus tam ſeriò invitat, in mortificatione & abſtinentia à quibuſvis Bacchanalium vanitatibus, & in noſtra ab horum dierum ludis,larvis,curſitationibus & petulantijs execrandis ſequeſtratione præcipuè conſiſtit. *Homo*,inquit Gloſſa ordinaria,*in quantum mundo moritur ut Deo vivat,Sacrificium eſt, corpus enim noſtrum cum temperantia caſtigamus, ſi hoc propter Deum facimus,Sacrificium eſt.* Quisquis enim in Bacchanalium fervore temperanter vivit, Sacrificium Deo de ſemetipſo immolat: Porrò Martyrium holocauſtum eſt perfectiſſimum, at verò certum eſt, quod ut Sanctus Bernardus ait, ſobriè in medio conviviorum vivere, & inter divitias pauperem vitam agere, martyrium quoddam ſit pœnoſiſſimum.

Gloſſ ordin. S.Bern ſerm. in Feſt.omn. SS.

*Quod martyrium gravius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias,quas oſtendit mundus, quas offert malignus, quas deſiderat noſter appetitus?* Quanto igitur magis hoc martyrij præconium vitæ noſtræ attribuere poterimus, ſi in hujus temporis univerſali totius mundi lætitia à curſibus, theatris, comedijs, choreis,tripudijs,larvis;imò & à quavis alia quantumvis honeſta recreatione abſtineamus,& hoc præſertim tempore orationi, verbi Dei aſſiduæ auſcultationi, Sacramentorum frequentationi, alijsque ſimilibus devotionis & pietatis operibus operam dederimus? Optimè igitur nos Sanctus Auguſtinus his verbis exhortatur: *Contra mortifera blandimenta luctemur, ſcientes in eo etiam quotidiana martyria Chriſtianis non deeſſe*; Cum igitur voluptates mundanæ nunc quàm maximè ferveant, & ad quemvis greſſum, ad quemvis oculorum obtutum ſe nobis abundanter & cumulatim offerant, utique ab illis nunc ſe continere verum quoddam eſt Sacrificium. Divus Chryſoſtomus in oratione quadam,quam in laudem Sanct. Teclæ conſcripſit propoſitionem illam,quod ſcilicet voluptatibus oblatis reſiſtere acerbius ſit martyrium, quàm quod à Carnificibus ſuſtinetur,fusè probat.

S.Aug. ſerm. 150. de tem. Martyria numquam deſunt. D.Chryſ.T.1 orat. de S. Tecla.

Bacchan. relinquentes cœlum ac cœleſtes gratias merentur. S.Baſil. in c.5.Iſaia.

4. Statua illa quam Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ adorandam expoſuit,quamdam cum Bacchanalibus & Baccho proportionem habere videtur; Hunc enim Dæmon hoc tempore fidelibus proponit, ut illum cultu & obſequijs ſuis proſequantur: Tres autem pueri potius ſe inter medias flammas in holocauſtum offerre maluerunt, quàm ſua coram illo Idolo genua flectere; id quod Sanctus Baſilius in ijs ſummoperè admiratur, dum ait: *Ad vocem reſonantium tubæ, fiſtulæ cytharæ, ſambucæ, pſalterij, ſymphoniæ omniſque generis muſicorum, populi quidem,& tribus, & linguæ in humum ſeſe demittebant,qui verò longiſſimè erant, nec ſuſtinebant bibere vinum Babylonicum, quoque menſæ regalis delicias execrabantur, hi ne prociderunt quidem, nec adorarunt imaginem.* Porrò juvenes illi à jejunijs extenuati,à convivijs & cibo regio abſtemij in fornace illa ardenti, haud ſecus ac in Paradiſo quodam, ab ardore Babylonico exempti cœleſtis roris fruebantur delicijs,ad inſinuandum per hoc nobis (ſiquidem *omnia in figura contingebant*) quod is qui Bacchanalibus cultum aliquem deferre detrectat, non ſolùm à flammis eximatur infernalibus, verum etiam gratias promereatur cœleſtes,eaſque ampliſſimas.

Carnales appetitus perimendi. Lipom. ibid. Exod. 32. v.26.

5. Quando populus Iſraëliticus in deſerto genua ſua coram vitulo aureo flectebat,eumdemque choreis, cantibus, ludis, convivijs, & alijs id generis vanitatibus colebat: *Sedit populus manducare & bibere & ſurrexerunt ludere*; Moyſes Divinum cultum proculcatum dolens, ſummoque zelo reſtaurare cupiens, vitulo iſthoc in pulverem minutiſſimè contrito, dixit: *Si quis eſt Domini, jungatur mihi*, id eſt, quiſquis partes Dei ſuſtinere deſiderat, is ſeſe prodat,meque audacter ſequatur; moxque Levitæ ſe Moyſi conjunxerunt, gladijſque accincti idololatras aggreſſi ſunt, factaque ingenti miſerorum illorum ſacrinculorum ſtrage hanc à Moyſe glorioſam laudem reportarunt: *Conſecraſtis manus veſtras hodiè Domino, &c. ut detur vobis benedictio.* Author Catenæ ſuper illa verba: *Si quis eſt Domini, jungatur mihi*, ita legit: *Si quis eſt pro Domino; quicumque colit Dominum, & vult tueri partes ejus, & non idoli, veniat ad me.* Porrò de Moyſe ibidem ſpecialiter dicitur, quod Levitas gladium fœmori accingere præceperit, cum gladius numquam aliter,quàm ſuper femur accingi conſueverit? Quodnam igitur in hoc præcepto latet myſterium? Sanctus Gregorius ait: *Gladium ſuper femur ponere, eſt prædicationis ſtudium voluptatibus anteferre. Et occidat*, inquit Moyſes, *unuſquiſque fratrem, & amicum & proximum ſuum.* Sanctus Auguſtinus per hoſce fratres, amicos, & proximos noſtros, appetitus noſtros intelligit carnales,qui ad voluptates adeò proclives eſſe noſcuntur: In talia vitia ſævire nos jubet Apoſtolus, cum dicit *mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam & avaritiam quæ eſt ſimulacrorū ſervitus*; Ne quidē fratribus carnalibus vult ut parcamus. Et ideò Sanctus Ambroſius ait: *Eſt ille Levita verus ultor & vindex,qui carnem interimit ut ſervet ſpiritum*; Illi igitur Levitici ordinis & Dei cultui dedicati eſſe cenſentur, qui quantum in ipſis eſt,Bacchanalia interimunt, ut ſpiritum ſalvent & ſequantur, ideoque ut Author Catenæ ait: *Zelo Divino ſe obarmare debent. Vincentes carnis amicitiam zelo Dei.* S. Ambroſius quoque ait: *Quid tam proximum quàm ſunt paſſiones corporis? eas in ſe Levita bonus interimit ſpiritali gladio.*

Exod.32. v.29. S. Gregor. Paſt.p.3. c.26. cit. in Cat. Exod.32. v.27. S. Auguſt. l. 22. con. Fauſtum cap. 92. Coloſſ 3.v.5. S.Ambr.ad Romul. ibid.in Cat. Author. Catenæ. Lipom.ibid. S.Amb.ibid.

Licita etiam relinquentes hoſtiam vivam Deo conſecrant.

6. *Hoſtiam viventem*; hoc nomine Sanctus Paulus mortificationem à fidelibus hiſce diebus exerceri ſolitam appellat. Hoſtia eſt victima viva, talis autem hoſtia efficimur, quando cum vivaci ſenſualitatis reſiſtentia mortificamur, quod fit dum hiſce diebus, quibus etiam nonnulli Sapientes ſeſe aliqua in re recreare licitum eſſe cenſent, à recreationibus & voluptatibus prorſus abſtinemus, imò dum (quod multi ferventes & zeloſi fideles faciunt) non ſolùm ab omnibus gaudijs & recreationibus etiam honeſtis nos ſubducimus, verum etiam in exercitijs pietatis & devotionis quàm maximè efferveſcimus; *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino*, inquit Moyſes ad Levitas, &c. *ut detur vobis benedictio*; Multi ſunt hiſce diebus, qui omnes greſſus, omnia verba,omnes cogitationes & opera ſua in cultum & obſequium Dei conſecrant; Tunc enim res aliqua Deo conſecrari dicitur, quando per certos ritus, benedictiones, & cærimonias ſacras ex profana in ſacram tranſmutatur, quod illi propriè faciunt qui ſe per orationes, confeſſiones, communiones, & alia opera bona Deo conſecrant. Sanctus Gregorius de Sancta Maria Magdalena inquit: *Quot habuit in ſe oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta.* Multi ſunt qui cum hiſce diebus licitis & honeſtis recreationibus vacare poſſent, id tamen facere propter Dei amorem omittunt, ſeque nunc vel maximè devotioni totaliter impendunt; poſſent quidem alicui ſpirituali & morali repræſentationi comicæ aſſiſtere, & tamen hac relicta, ad verbum Dei devotè ſe recipiunt; Commoditatem quidem in hac vel illa villa vel horto delicijs honeſtis fruendi habentes,illis ſpretis in Sancta ſeptem Eccleſiarum viſitatione ſeu peregrinatione corpus ſuum defatigare malunt. Poſthabitis Comœdijs laſcivis, alijſque ſcurrilibus petulantijs librorum ſpiritualium aſſiduæ lectioni vacant; dum Choreas ab honeſtis honeſto modo agitatas ſpectare poſſent, Sanctiſſimo Sacramento, ubi illud publicè expoſitum eſſe norunt, devotè viſitare coramque eo pro præſentis temporis peccatis orare percupiunt.

Exod.32. v.29.

7. Gloſſa ſuper illa verba: *Hoſtiam viventem*,interrogat: *Quomodo erit corpus hoſtia?* & reſpondet: *Videant quæ recta ſunt oculi lingua in Dei laudibus,manus in præceptis Dei exerceantur.* Divus Chryſoſtomus pariter ait: *Nihil turpe loquatur lingua, & facta eſt oblatio; nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocauſtoma.*

Gloſſa ad Rom. D.Chryſ. Hom.20. ad Rom.

8. *Hoſtiam ſanctam*; ſcilicet per devotionem, quâ corpus noſtrum Dei ſervitio mancipatur. Tunc hoſtia,quam Deo offerimus Sacroſancta victima, & Sacrificium ſanctum erit, quando nos totos & totaliter Deo, conſecraverimus. Idem Sanctus Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens inquit: *Hæc eſt enim voluntas Dei Sanctificatio veſtra*; ut autem exponat,in quonam Sanctificatio hæc conſiſtat, ſubjungit: *Ut abſtineatis vos à fornicatione &c. non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* Interlinearis legit: *Sanctam, in bonis firmam*; Multi quidem ſunt, qui bona ſe, in hac omnibus quaſi communi contagione, non contaminandi propoſita habent; at verò accidit illis, quod Salvator in Evangelio Sexageſimæ prædicit: *Et hi radices non habent; qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt; Deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.* Quamdiu prompta ſe non offert ſeductricis alicujus ſocietatis occaſio, ſe in ſervitio & ſequela Chriſti conſtanter perſeverare velle oſtendunt; at verò facillimè pervertuntur, quia ſi tentationi Dæmonis, malorum amicorum aut perverſorum ſociorum acceſſerit commercium & conſilium, ſubitò ſe ſeduci permittunt; ac proinde cœleſtis ille agricola, de verbi ſui, cœleſtiumque inſpirationum ſemine dicit: *Quod autem in bonam terram hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

S.Tho ibid. Totus homo Deo conſecrandus. 1.ad Theſſal. 4. v. 3. ibid.v.7. Gloſſ.Inter. Luc.8.v.14. Ibid. v.13. Societas mala ſeducit. Ibid.v.15.



Gal 6.v.8. Deliciæ ſunt ſpinæ. Gal.6. v.8.

9. Sanctus Apoſtolus ad Galatas ſcribens inquit: *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet.* Qui voluptatibus & delicijs vacat, agrum ſuum ſpinis & tribulis adimplet, ſeminatque zizania, quæ perpetua futura ſunt ignis æterni alimenta: *Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Dionyſius Carthuſianus Ly, *ſanctam*; ita exponit, ut idem ſignificet, quod *carnalibus ſordibus expurgatam.* Notandum eſt autem; quod Sanctus Apoſtolus ad eoſdem Galatas quoque hæc verba ſcribit: *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini*, quæ verba ad literam jure adaptari poſſunt illis, qui in principio quidem Bacchanalium in timore Dei vivere incipiunt; bonumque ſibi formavere propoſitum, in eodem vitæ genere deinceps ſemper continuandi,& tamen in fine tandem ſe miſerè ſeduci permittunt.

Propoſita cōtinuanda. Dio.Cart. ib. Gal.3.v.3.

Opera Juſtitiæ ſunt hoſtia Deo placens. Dion. Cart. ibid.

10. *Hoſtiam Deo placentem*: Talis verè eſt mortificatio ſenſualitatis, in quâ pij & devoti Chriſti fideles ſe exercent, hæc enim Sacrificium quoddam eſt, Deo ſupra omnem modum gratum & acceptum. Dionyſius Carthuſianus verba illa *Deo placentem*, ita gloſſat,id eſt *ad Dei gloriam ordinatam*; Et talis quoque eſt mortificatio prædicta; hanc enim hiſce diebus, quibus honor Dei à majori Chriſtianorum parte conculcatur ex zelo honoris Divini ad Dei gloriam defendendam ſpecialiter ordinamus. Unde Divus Thomas Doctor Angelicus inquit: *Exhibet homo Deo corpus ſuum ut hoſtiam, per hoc quod corpus ſuum exhibet ad opera juſtitiæ, & Divini cultus exequenda*; Ex hoc enim quod multos videamus hiſce diebus tanta cum ædificatione in orationibus Quadrag. horarum adeò ferventes, in viſitantibus hoſpitalibus, in obeunda ſeptem Eccleſiarum laborioſa peregrinatione,in verbo Dei denique devotè auſcultando maximè aſſiduos,Divinam ſupremi Numinis Majeſtatem adeò digni ſacrificijs coli & honorari impensè gaudemus; *Talis hoſtia Deo placet*,inquit D.Chryſoſtomus, *Quando membra noſtra mortificaverimus.* Obſervat autem idem Sanctus Doctor olim ſpecialem in ſacrificijs offerendis curam adhibitam fuiſſe, ut hoſtiæ offerendæ mundæ, omniſque maculæ expertes eſſent, atque ideò idem illud os aureum modum præſcribit, quo Sacrificium noſtrum Deo beneplacens efficere valeamus; Dicit enim: *Quoniam membra tua Deo ſunt ſiſtenda, quoniam hoſtiæ ſunt,omnem ab illis maculam auferto*, modumque quo id conſequi poſſimus protinus ſubjungit,dicens: *Neque offerri poterit oculus ſcortationi ſerviens,nec pedes claudicantes, theatraque viſitantes,nec venter delicijs ſerviens, voluptatumque deſideria inflammans, nec cor amorem fornicarium fovens, neque lingua turpia loquens.* Cajetanus per *Hoſtiam Deo placentem*, *exercitationem* intelligit *operum, quæ ſecundùm ſe grata ſunt Deo.* Sanctus Anſelmus Ly *placentem*,idem ſignificare dicit,quod *virtutum meritis acceptabilem*; Talem autem ſe hoſtiam efficiunt illi, qui dum omnes vel major hominum pars vitijs, ſenſibus & carnis laſciviæ omnem indulgent licentiam,non ſolum à voluptatum torrente ſe ſubducunt & ab ijs abſtinent,verum etiam illo tempore vel maximè in virtutibus Chriſtianis efferveſcunt; Hoc enim eſt Sacrificium gratiſſimum & acceptiſſimum holocauſtum. Nam *hoſtia corporis noſtri* inquit Sanctus Thomas, *vivit Deo per juſtitiam, & mortificatur concupiſcentijs carnis.*

S.Th. ibid. Membra item mortificata. D. Chryſ. Hom.20. ad Rom. Qualis,hoſtia Deo placeat. Cajet.ibid. S.Anſel.ibid. S.Tho. ibid.

11. Enimverò opera noſtra bona hoc tempore à nobis exercita Deo ſpecialiſſimè grata & accepta eſſe, ex multis præmijs & remunerationibus, quæ Deus ijs, qui ipſum hiſce diebus ſequuntur cōfert, facile deducere poſſumus. Etenim in vita egregij illius ſervi Dei Joannis Baptiſtæ de Fulginio inter alia ſcribitur, quod Joannes Paulus Fiaſtra Urbis Capitaneus poſt ſumptam in die Jovis craſſo vel pingui vulgariter nominato, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Communionem, à quodam jurato inimico ſuo duobus ſclopleti ictibus impetitus illæſus remanſerit; imò eadem die in parte quadam corporis periculoſiſſima pugione petitus ſequenti modo miraculosè liberari meruit; Ad pectus namque parvulum quemdam Crucifixum gerebat ex argento confectum, in quem cum pugionis ictus infixus fuiſſet, haud ſecus ac ſi ipſemet Chriſtus crucifixus, devotionem ejus cui illis diebus in ejus honorem vacaverat recompenſare volens, ictum hunc loco ipſius in ſe excepiſſet, nec quidquam ſauciatus fuit.

Lib. 1.c.4. Hiſtoria memorabilis.

12. Obſervaſtiſne aliquandò, quonam præcipuè tempore æterna veritas Davidi ſtipulato pacto Regnum ipſius in perpetuum ſtabilire promiſerit? Regnum videlicet illud; de quo Gabriel Archangelus in illa quàm ex ſanctiſſimæ Triadis juſſu executus eſt legatione loquebatur,dum ait: *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus; & regnabit in domo in æternum*, Eccleſia nimirum,quam Chriſtus in Sacroſancta humanitate ſua, ex progenie Davidis aſſumpta,aggreſſus eſt gubernare. Pro meliori igitur hujus intelligentia ſciendum eximium hoc privilegium tunc præcipuè conceſſum fuiſſe, quando ex ſingulari pietatis & devotionis impulſu coram arca Dei exultabundus ſaltitavit, indeque à Michol conjuge ſua deriſus & illuſus fuit; hoc enim tripudium innocens & ſanctum fuit; *ſaltabat totis viribus ante Dominum*; Sannæ autem & deriſiones quibuſcum ſaltatio iſthæc à Michol excepta fuit, majores fervoris ſtimulos addiderunt, ut obſequium iſtud in mundi quidem oculis vile & abjectum, imò ludibrioſum,in oculis Dei autem pretioſiſſimum,inæſtimabile, & honorficentiſſimum ſtrenue proſequeretur dicens: *Et ludam & vilior fiam,plus quàm factus ſum.*

Devotionis ſaltus Deo placet. Luc.1.v.32. 2.Reg.6. v. 14. Ibid. v.21.

13. In vita Sancti Bernardi legitur, quod dum aliquando in juventute, præ intenſiſſimo capitis dolore languidus in lecto decumberet; *inductaque eſſet quædam mulier ſuaviter canens,ut poſſet aliquo modo allevare ejus dolorem,protinus juſſerit eam à conſpectu ſuo amoveri:* Quonam verò fructu melliſluum hunc juvenem contagioſum hoc mulieris iſtius conſortium à ſe pepuliſſe exiſtimatis? nimirum hic non minus generoſus quàm ſtudioſus virtutis actus tantoperè Deo complacuit, ut ſubitò poſt fugatam mulierem ſanitatem ſancto juveni reſtituerit: *Ea recedente dolor omnis abſceſſit.*

Hiſtoria. Alb. Guilielm.

14. Sanctus Carolus Borromæus in memoriali ad populum ſuum Mediolanenſem directo ſcribit, quod inter alios fructus, quos Deus per horrendum Mediolanenſi Urbi immiſſum peſtilentiæ flagellum & clementem illius ab eodem malo liberationem in illa Urbe producere intendit, hic unicè ab eo deſideratus fuerit, ut videlicet abuſus præteriti (de Bacchanalibus expreſsè loquitur) ubique & totaliter annullentur & proſcribantur; ſiquidem ad hoc ut ira Dei & exinde immiſſa flagella abarceantur, ſimulque pro infinitis beneficijs & gratijs receptis,condignæ gratiarum actiones perſolvantur, unicum remedium eſt, ut quiſque à præſentibus Bacchanalium diſſolutionibus ſe ſubducat, & à familiaribus fieri minimè patiatur. Idem Sanctiſſimus Cardinalis paulò ante magnis Divinam providentiam laudibus deprædicaverat, quod eo tempore præcisè à gravi illo contagio Urbem Mediolanenſem liberaſſet, quo licentijs & diſſolutionibus Bacchanalium tempore exerceri ſolitis nuntium totaliter remiſerat; Unde exclamando dicebat: O ſapientia Dei infinita, quam inveſtigabiles ſunt viæ tuæ,quibus attingis à fine uſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuaviter! Quænam eſt illa tua ineffabilis providentia, quâ noſtram à flagellis iræ tuæ liberationem in illud uſque tempus reſervas,quo eadem ira Dei a profanitate morum, & peccatorum atrocitate quam maximè provocata irritabatur. Hoc præcisè tempore integra huic Urbi obtigit à peſtilentiali contagio liberatio, ut hoc eodem tempore ad reddendas pro beneficio accepto infinitas gratias publicæ inſtituerentur & promulgarentur proceſſiones, & quadraginta horariæ preces & ſtationes,Conciones frequentes & alia pietatis officia ſimilia plura. O benedicte Domine Deus meus, aperi huic populo meo oculos, ut perpetuo tum tempus hoc, tum cauſam pariter videat, obſervet & agnoſcat, ob quam Civitatem iſtam hoc eodem Bacchanalium tempore,imò & cunctis alijs deinceps futuris temporibus

Mediolani peſtis ceſſavit ſpretis Bacchan. Pag. 1150.

bus eximij hujus Beneficij memoriam vivam & recentem habere, indeque natam gratitudinis obligationem agnoſcere voluiſti. Hactenus verba ſunt S. Caroli Cardinalis.

Bacchanalia ſpreta Centuplum ferunt fructum animæ.
Luc. 8. v. 8.
Joan. 15. v. 1
Luc. 8. v. 15.

15. Seminis illius ab Agricola in agrum ſeminati, cujus in Evangelio Sexageſimæ fit mentio, tres partes, ut ſuperius diximus, interierunt, & una tantum pars fructum centuplicatum peperiſſe dicitur: *Et ortum fecit fructum centuplum*; Hæc autem pars illos denotabat Chriſti fideles, qui hujus cœleſtis agricolæ, qui dicit: *Pater meus agricola eſt*, ſanctis inſpirationibus dant locum, & ad illas fructuosè admittendas corda ſua aperiunt; ſuntque illi, *qui in corde bono & optimo &c. fructum afferunt in patientia.* Semen quidem dum in terram projicitur, nobis deperire videtur, marceſcit, & inundationibus, glaciei & nivium rigoribus alijſque hyberni temporis injurijs expoſitum eſſe videtur, veniet tamen deinceps tempus meſſis, in quo pro uno grano projecto, centum alia copiosè ſubnaſci videbuntur. Sed quidnam nobis Chriſtus per ſimilitudinem iſtam inſinuare intendit? Nimirum quod hiſce quidem diebus illi qui Chriſtum ſpretis Bacchanalium vanitatibus ſtudiosè ſequuntur, nil aliud experiantur & probent, quàm gaudiorum præſentium ſubtractionem, ſolitudinem, abſtinentiam, mortificationem, omnimodam à recreationibus, amicis, convivijs, Comœdijs, tripudijs & alijs ſimilibus vanitatibus ſequeſtrationem, hocque ſolum probamus quod ſenſualitati corporis contrarium eſt; Sed ex altera parte non videmus pericula quæ effugimus, laqueos quos evadimus, gratias item quas Divina beneficentia nobis præmij loco præparata reſervat; bonorum quoque temporalium abundantiam & proſperitatem; Denique dona perſeverantiæ in bono continentiæ & ſimiles alias millenas remunerationes, quibus nos liberaliſſimus remunerator noſter ſuo tempore gaudere faciet, quæque abſconditæ nos latent.

Mortificati corporis exaudiuntur preces.

16. S. Franciſcus de Aſſiſio aliquando rogatus, ut diceret, quænam oratio Deo acceptior foret? reſpondit: *Illæ preces, quas propriæ carnis comitatur mortificatio*; Quam reſponſionem pariter ad omnia alia opera bona extendere poſſumus, quæ tunc vel maximè Deo gratiſſima & acceptiſſima erunt, liberaliterque remunerabuntur, ſi mortificationi, quâ à vanitatibus Bacchanalibus abſtinetur, conjuncta fuerint.

Rom. 12. v. 1
Cajet. ibid.
Admonitio.
D. Chryſol. ſerm. 155.

17. *Rationabile obſequium veſtrum.* Cajetanus legendum eſſe cenſet: *Rationabilem cultum*; Quid verò juſtius aut rationabilius quàm quod à parte quadam, licet minima, timoratorum, cultus eo tempore exhibeatur Deo vivo & vero, quo major pars fidelium genua ſua certatim flectit coram Baccho. Et ideò Divus Chryſologus ſalubriter nos monet, ut ab indigna hac idololatria pro viribus declinemus: *Abſtrahat ergo Pater filium, ſervum Dominus, parens parentem, civem civis, homo homines, Chriſtianos omnes, qui ſe beſtijs comparaverunt, exæquantur jumentis, aptaverunt pecudibus, Dæmonibus formaverunt.*

## DISCURSUS XV.
## ARGUMENTUM.

**Deus illis qui hiſce diebus amore ſui Bacchanalium recreationibus ſe privant, conſolationem & dulcedinem communicat ſpiritualem.**

### THEMA.

*Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo manna abſconditum.* Apoc. 2. ℣. 17.

Deus internè conſolatur ſuos.
S. Hilarius.
2. Cor. 1. v. 3.
Franc. Ribera in Ap.

1. OMnes univerſim fideles hiſce diebus ad porrigendas Spiritui ſancto aures dulciter invitantur, utpote qui omnibus totius Chriſtianiſmi Eccleſijs indicat, quod quiſquis hoc tempore à Bacchanalium voluptatibus ſe ſubſtrahere, eaſque vincere noverit, conſolationum & gaudiorum cœleſtium manna ſit perfruiturus, nam ut S. Hilarius ait: *Conſolationes non perdimus, ſed mutamus, à corpore ad animam, à ſenſibus ad conſcientiam*; Neque enim credere debemus, quod Deus ille, qui à S. Paulo *Deus totius conſolationis* eſſe dicitur, ſequaces ſuos hoc tempore aridos, omniſque ſuavitatis expertes ſit relicturus, nequaquam, *non enim conſolationes & gaudia noſtra perdimus, ſed mutamus in melius.* Interpres quidam ſuper propoſiti thematis verba ita ſcribit: *Meritò ſpernentibus impuras carnis voluptates cœleſtium promittit dulcedinem, & idolothyta comedere nolenti, meliorem cibum pollicetur.*

Lyran.

2. Lyranus dicit, quod id quod *vincenti tentationem carnis* promittitur, pari quoque ratione Bacchanalia ſuperanti promittatur: Et Albertus Magnus ſimiliter dicit: *Vincenti deſideria carnis & dæmonum tentamenta, non vero tantum pugnanti dabo manna*; Manna inquam quod omne delectamentum ſuavitatis omneſque guſtus & ſapores imaginabiles in ſe complectitur; Et ideo Hugo Card. per manna intelligit *impinguationem, ſuavitatem dulcedinis internæ: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Dion. Carthuſ. per manna *conſolationem occultam* intelligit.

Alb. Magn. ibid.
Hug. Card.
Dion. Carth.

Differunt Carnales & ſpirituales deliciæ.
Juxta Exod. 16. v. 3.
Exod. 16. v. 13
Pſ. 77. v. 30.
Exod. 16. v. 13.
Philo Hebr. l. 2. Allegor.

3. In Exodo quamdam propoſito noſtro congruentiſſimam habemus hiſtoriam, utpote in qua nobis una ex parte hominum mundanorum præfigurantur Bacchanalia: ex alia vero parte guſtus & ſuavitates indicantur, quas Deus hoc tempore partium ſuarum ſectatoribus communicare ſolet: *Omnia in figura contingebant illis*: Etenim ex populo Hebræo multi carnes Ægypti ſecum in mente ſua revolvebant, *quando ſedebant ſuper ollas carnium*: Et ideo quia ad terram promiſſionis proficiſcentes procul ab Ægypto aberant, carnes ſibi à Deo ſubminiſtrari petierunt: *Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix cooperuit caſtra.* Et quidem delicatiores illis carnes dari non poterant, nec in majori quantitate, ac perdicum caro illis conceſſa fuit; Ecce tibi carnalium hominum Bacchanalia; ſed caro iſta nimio pretio illis conſtabat, quia *adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*; Vultisne vero alia ex parte ſpiritualia ſectatorum Dei Bacchanalia intueri? pergit ſacer Chroniſta immediate poſt & dicit: *Mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum: cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum*, manna videlicet; Sed cur manna iſtud in ſolitudine eis depluit; Philo Hebræus hac de re ingenioſam quamdam & moralem adducit obſervationem: *Non ubique apparet*, inquit, *ſed ubi deſertum eſt, vacuum vitijs & affectibus.* Joan. Gerſon Cancellarius Pariſienſis, prædicta thematis verba: *Vincenti dabo manna abſconditum*, aptiſſime ad propoſitum noſtrum hunc in modum explicat; id eſt, *contemnenti carnalem conſolationem dabo ſpiritualem.*

Solitarijs Deus loquitur.
Pſ. 54. v. 10.
v. 8.
v. 9.
Oſee. 2. v. 14.
Tertull. de ſpect. c. 29.

4. Animæ hiſce diebus à mundi torrente ſe ſequeſtranti optime adaptantur verba illa Pſalmiſtæ: *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate, Ecce elongavi fugiens & manſi in ſolitudine: Expectabam eum qui ſalvum me fecit ... & tempeſtate*; In ſolitudine enim Deus ſe animæ dilectæ dulcedinem & ſuavitatē Spiritus communicaturum eſſe pollicetur his verbis: *Et Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor ejus*; Tertullianus ad præſentem mundi vanitatem, dum de theatris & ſpectaculis tractat, alludens, illoſque qui ab eis ſe ſubducunt, conſiderans inquit: *Quæ major voluptas, quam faſtidium ipſius voluptatis?*

Deum timentes conſolantur.
Pſal. 80. v. 13.
Pſ. 80. v. 17.
Pſ. 30. v. 20.
Quæ major victoria.
S. Cypr. de bono pudicit. n. 38.

5. David Propheta in Pſal. 80. diſſolutiones nobis hujus temporis proponit, ſimulque eorum, qui hoc tempore divino ſe mancipant ſervitio, indicat remunerationem; Ex una enim parte dicit: *Et Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis*, quod verè hoc tempore facit, quando illis ad omnes diſſolutiones pro libitu conſectandas fræna laxat, unde Complutenſis verſio ita legit: *Dimiſi eos inſanire quantum vellent.* Ex parte vero alia illos, qui hiſce diebus plus quam alias fidelitatem ſuam Deo probare ſatagunt, digito quaſi ſubindicat, dum ait: *Et cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturavit eos: Dabo manna abſconditum*, quia axioma indubitatum eſt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abſcondiſti timentibus te?* Sed quibus dulcedo hæc reſervatur? Quinam ſunt illi, qui à dulcedinis ſpiritualis torrente impinguantur? Illi nimirum qui Dei timore imbuti ſunt, *quam abſcondiſti timentibus te*; nam ut S. Cyprianus de bono pudicitiæ ſcribens ait: *Nihil animum fidelem ſic delectat, quam integra immaculati pudoris conſcientia. Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima, nec ulla major eſt victoria, quam ea, quæ de cupiditatibus refertur. Qui hoſtem vicit, fortior fuit, ſed alter qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit: malum omne facilius vincitur, quàm voluptas, quia illud quidquid eſt, horridum eſt, hoc blandum eſt.*

Bacchanaliſtæ laſſi fiunt.
Sap. 5. v. 7.
Ibid.
Pſal. 118. v. 165.

6. Quot ſcandala committunt, in quot ſcopulos & offendicula licentioſi homines hoc Bacchanaliū tempore offendunt? *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis*, fatentur ipſimet, *Et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus*, in obſcuro ambulant, imo præcipites cadunt, nō vero ſic Chriſti ſequaces, quia *Pax multa diligentibus legē tuam, & non eſt illis ſcandalum*: Hi enim hiſce diebus divinam legem plenius & perfectius, quam aliàs umquam per totius anni decurſum obſervant; quod ſi enim lex Dei in duabus præcipue partibus juſtitiæ Chriſtianæ conſiſtat, nimirum *Declina à malo & fac bonum*, quando hi umquam à malo magis recedunt, quam hoc tempore? Quando operantur virtuoſius, quam in præſenti temporis circumſtantia? Et ideo nunc potius quam alias animā Deum timens dicere poteſt: *In juſtificationibus tuis meditabor*, ſeu ut eſt in Hebræo: *Deliciabor.* Cardinalis Bellarminus legit: *Oblectabo me ipſum*: Nam ut S. Juſtinus Martyr ait: *Quies illis & ſuaviſſima quædam animi recreatio contingit, qui in eis meditantur.*



Pſ. 36. v. 27.
Timorati deliciantur.
Pſ. 118. v. 16
Bellarm.
S. Juſtinus Mart. Dial. in Tryph.

Deut.
His dulciores lachrymæ quam Bacchan.
S. Ambr. de fuga ſæc. cap 8.
S. Auguſt.

7. In Deuteronomio dicitur: *Erunt Sabbatha terræ vobis eſcæ*: Bacchanalia enim eorum qui Chriſti partes ſequuntur in eo conſiſtunt, quod nutriantur & impinguentur in Spiritu, non vero quod eſcarum ingluvie carnis ventrem diſtendant. S. Ambroſius inquit: *Epulatorium & plenum jucunditatis & tranquillitatis eſt, requieſcere in Deo, & ejus delectationem videre.* Unde quod hodie in multis timoratæ conſcientiæ fidelibus adimpleri videmus, S. Auguſtinus quoque affirmat, dum ait: *Dulciores ſunt lachrymæ orantium, quam gaudia theatrorum.*

Cœleſtis vita meditanda.
Bolland. 25. Jan. c. 1.

8. P. Bollandus de B. Henrico Suſone refert, quid dictus vir Sanctus hoc tempore præcipue fuerit meditatus: *Præludia illa*, inquit, *cœleſtis vitæ meditabatur, uti Deus cum amicis ſuis in hoc etiam dum mortali corpore per conſolationes divinas quaſi ludat: moxque quidquid ipſe ejuſmodi expertus eſſet, multa cum gratiarum actione & laude commemorans, in Deo ac Domino ſuo delectabatur.*

S. Catharina Sen. deſponſata Chriſto in Bacch.
Lib. 1. c. 19. Pauli Frigerii.
Colloquium.
Matth. 8. 2.
Ibid. 3.

9. Quodnam tempus cœleſtem ſponſum præcipue ad inſerendum digito dilectiſſimæ filiæ & ſponſæ ſuæ S. Catharinæ Senenſis, annulum pronubum elegiſſe exiſtimatis? Utique non aliud quam quod in præſenti agimus, ſcilicet diem Jovis, qui craſſus ſeu pinguis vulgo appellatur. Tunc enim quando ipſa ſe hujus mundi privabat gaudijs, quando ſponſi ſui honorem proculcari videns, corpus ſuum aſperrimè affligebat, tunc Paradiſi torrentes in ſinum animæ ipſius emanare juſſit. En ipſiſſima verba quibus hoc in ejus vita deſcribitur: Accidit autem quod tempore Bacchanaliorum, quo homines omnem ſenſibus carnis indulgere ſolent libertatem, Virgo ſancta pauperculæ cellæ ſuæ incluſa, & in ſemetipſa in ſpiritu recollecta, inter rigoroſa jejunia, vigilias & orationes aſſiduas, tantæ ſibi à Domino factæ promiſſionis expectans adimpletionem, haſce ad Dominum effuderit pias & devotas preces: O Sponſe animæ meæ, qui in eo maxime delectaris, quod Creaturas tuas ſanctas efficias, Tu qui corda immunda purificare non ceſſas; Tu qui leproſo humiliato hiſce verbis tuum auxilium imploranti: *Domine ſi vis, potes me mundare*, dulciter reſpondiſti: *Volo, mundare*, dignare obſecro hoc die in quo totus infernus cum ſequacibus ſuis, membra ſua in operibus carnis confirmare conſpicitur, me quoque inutilem famulam tuam confirmare in operibus ſpiritus, ut omnis mundana voluptas, in comparatione tui ſpurcitia mihi eſſe videatur, nauſeamque animæ meæ pariat. Quæ verba nec non ardens Catharinæ deſiderium Domino longe fuerunt gratiſſima, in ejuſque rei ſignum de novo eidem apparuit, & his eam verbis fuit affatus: Quoniam tu ô dilecta filia mea hodie mundi contempſiſti vanitates, me ſolum ſummum æternumque bonum ſolicite & ardenter quærendo, omnibuſque carnis voluptatibus ſpretis, hoc tempore quo alij domus tuæ familiares in convivijs ſeſe recreant, cordis tui voluptates in me ſolo reponere voluiſti, ergo hodie ſolemne tecum & cum anima tua ſponſalitium inſtituere, teque mihi conſtantiſſima fide, ut alias tibi promiſeram, deſponſare decrevi; Et ecce hæc ad illam loquente Domino, ecce ipſamet virgo Virginum Maria cum dilecto diſcipulo S. Joanne Evangeliſta, & S. Paulo Apoſtolo, nec non S. Dominico, & Davide Rege ingreſſa coram ipſa apparuit; Quo regio Pſalte auribus ejus in inſtrumento Muſico ſuaviſſimam melodiam ingeminante, Magna Dei Mater ſacratiſſima manu ſua dexteram Virginis apprehendit, digitumque annularem verſus unigenitum Filium ſuum extendens, precabatur eumdem, ut illam ſibi in ſponſam adoptare dignaretur, moxque annulum quemdam quatuor pretioſis margaritis, & uno adamante inæſtimabilis pretij ornatum produxit: eumque digito annulari dexteræ Virginis inſeruit Chriſtumque protinus hiſce eum verbis affantem Virgo audivit: Ecce te mihi Creatori & Salvatori tuo in fide deſponſo, quæ viva ſemper & intacta in te conſervabitur, donec tibi in perpetuis Paradiſi nuptijs me facie ad faciem videre, meque in æternum frui licebit; Hacque ratione adimpleta eſt illa in Oſea à tot ſæculis dudum facta promiſſio: *Et ſponſabo te mihi in fide*, vel ut Chaldæus legit: *Conſolidabo & ſtabiliam ſedem meam in te.* Deus enim illi animæ quæ hiſce diebus quibus anima adultera & fornicaria non erubeſcit dicere: *Vadam poſt amatores meos*, fidelitatem Deo illibatam obſervat, promittere dignatur, quod Thronum ſuum in ea ſtabiliet & conſolidabit.

Oſee. 2. v. 20.
Oſee. 2. v. 5.

Exauditur qui in Domino delectatur.
Pſal. 36. v. 4.

10. Venerabilis F. Raymundus qui S. Catharinæ Senenſis Confeſſarius, & Prior Generalis Religionis ſuæ fuit, ita de hac ſancta Virgine ſcribit: *Cum ſæpe illi id oranti, ſæpe etiā reſponderet Dominus: Deſponſabo te mihi in fide, tandem in Bacchanalibus, &c.* moxq; ſubdit: *Quia veriſſime dixit. Propheta: Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui: Chriſtus ei apparuit, &c.*

Lib. 4. c. 15.
Exemplum 1.

11. In vita S. Gertrudis ſcribitur, quod quia in Sabbatho Bacchanalium tota in Deum abſorpta, ab omni ſe applicatione exteriori ſequeſtrabat; ideo Deus illam ſumma cum benignitate in ſinum ſuum receperit, ubi tanta cœleſtium conſolationum abundantia fruebatur, ut ſibi plane videretur, quod ſimul cum Domino ſuo de omnibus cœli terræque Regnis libere diſponere poſſet: Adhæc cœleſtis ejus ſponſus dixit ei: O dilecta mea tu hodie facta es protectrix mea, ita enim tibi perſuaſum & decretum eſſe ſcio, quod ſi ſana eſſes, libenter pro me laboratura eſſes, ut ſecurus efficerer, ab iis injurijs, quibus hoc tempore ſpecialiſſime offendor, ac proinde cum hodie paſſim ab omnibus repellar, ad te veni, ut meam in te quietem habeam.

Cap. 38. n. 110. ibid.
2.

12. De B. Henrico Suſone in eadem ejus vita legitur, quod inſtanter à Deo ſpiritualia Bacchanalia deguſtare & participare petierit, renuntiando omnibus illis quæ mundus tribuit, moxque in ſuaviſſimam quamdam extaſim raptus *Videre ſibi viſus eſt Dominū Jeſum intrantem ea forma, qua erat cum eſſet triginta annorum, ut ipſius expleret deſiderium, & cœleſtia ei Bacchanalia efficeret.*

3.
Tob. 3. v. 10.
Ibid. v. 11.
Ibid. v. 14.
Ibid. v. 16.
Hug. Card.

13. De ſancta Sara, quæ Tobiæ Junioris conjux fuit, legitur, quod de ſterilitate hactenus perpeſſa à Domino conſolari & relevari meruerit; At vero undenam cōſolatio iſthæc ſuam traxit originem, &c. *Et tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit; Sed in oratione perſiſtens cum lachrymis deprecabatur Deum &c. Ad te faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo*, ſimulque proteſtata dixit: *Tu ſcis quia numquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia*, id eſt, ut Hugo Card. exponit, *carnali, ſive carnis, numquam cum ludentibus miſcui me, in choreis*, inquit idem Card. *neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui*; Qui idem Cardinalis ſanctum citat Gregorium, qui de Virgine quadam refert quod in raptu, in cœlis ſanctarum Virginum viderit gloriam, ſibique dici audierit: *Si vis eſſe cum iſtis, non commiſceas te cum ludentibus*; Ad Saram Raphaël Archangelus miſſus cœleſtibus eam gratijs & benedictionibus adimplevit.

Sylv. Hiſt. l. 7. c. 1. n. 54.
4.
Jerem. 31. v. 4.
Pſ. 67. v. 26.

14. In Sylva Hiſtoriali de puella quadam legitur, quod ex quo choreis ſemper valde addicta fuerat, adeò ut illas frequentiſſime adire deſiderarit, ſi id ei à parentibus conceſſum fuiſſet, tandem hanc ſuam in choreas propenſionem Confeſſario manifeſtarit; qui illam interrogavit: quid ſi tibi chorearum voluptas per integrum annum quotidie continuanda promitteretur, cum ea tamen conditione, ut unica tantū die ab illis adeundis abſtinendo te mortificares, numquid hanc acceptares conditionem? Cui cum illa, omnino ſe hanc conditionem libenter admiſſuram eſſe reſpondiſſet; Subjunxit Confeſſarius: Scito igitur, quod ſi te hiſce tripudijs quæ in terris inſtituuntur voluntarie ex mortificatione uno tantum die privaveris, perpetuis Paradiſi choreis ſemper & in æternum intereſſe & aſſiſtere poteris. Ad quod illa ſubintulit, quod ſi ita ſe res habet, ut aſſeris, libentiſſime tripudijs terrenis in perpetuum renuntiabo; ac proinde Confeſſarius ut illam choreas ac tripudia contemnere doceret, hortatus eſt ut verba illa Jeremiæ frequenti meditatione intra ſe ruminaret: *Adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium*; Item ut illa Davidis verba penes ſe ponderaret, dicentis: *Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum*; necnon verba illa ex Hymno Virginum: *Quocumque pergit, Virgines ſequuntur atque laudibus poſt te canentes curſitant, hymnoſque dulces perſonant*, quæ dum hoſce Paradiſi Cantus melodicos; choreas, & gaudia ſeria meditatione aliquamdiu in mente ſua revolviſſet, ſuam in brevi tempore animam prorſus immaculatam in cœlum moriens transmiſit.

S. Ephrem. T. 3.

15. S. Ephrem in ſæpius citato Capite cujus titulus eſt, *quod ludicris rebus abſtinendum ſit Chriſtianis*, nos in

Tempore Bacch. pſallendum eſt.

in tempore lætitiæ ad pſallendum & cantandum invitat, verumtamen ad ſolius Dei honorem, conveniuntque hujus Sancti exhortationes illis præcipue, qui ante inchoatam Quadrageſimam devotiones haſce ordiuntur: *Ne quæſo fratres mei*, inquit, *ne quæſo ſic dies noſtræ conſumamus pœnitentiæ, verum David Prophetam clamantem & nos exhortantem audiamus: Venite, exultemus Domino*, *feſtinansque ſubjungebat: Præoccupemus faciem ejus in confeſſione, & in Pſalmis jubilemus ei; In Pſalmis*, inquit, *& non in rebus ridiculis; in Pſalmis & non in canticis Dæmoniacis.*

Pſ. 94. v. 1.

Ibid. v. 2.

Unde gaudia interna.

16. Sancta mater Eccleſia, ut in primo Diſcurſu probavimus, præſens tempus pœnitentiæ faciendæ deſtinavit; atque ideo licet mundus tempus hoc vanitatibus & diſſolutionibus impendat, nos tamen à mundi ſeductrice turba nos ſequeſtrantes, pœnitentiæ tempus in perſolvendis nunc potius quam alias in totius anni curriculo, Divinis laudibus utiliſſime anticipemus; neque enim hoc faciendo jubilo, lætitia & gaudijs noſtris deſtituemur, prout ei, qui verba illa: *In Pſalmis jubilemus ei*, conſideraverit, facile liquidum erit, præterquam quod devotio ex natura ſua ſemper, & præſertim ea quæ hoc tempore exercetur, lætitiam & gaudium internum conjunctum ſemper habet.

Abſtinentia S. Hen. remunerata. Ibid. c. 13.

17. B. Henricus Suſo, ut in vita ejus legitur, his diebus à carnibus & vino abſtinebat, nec tamen rigoroſam hanc abſtinentiam ſuſtinendo, friguſque ingens patiendo, ſua caruit remuneratione, quia *audivit cæleſtem concini cantilenam tanta vocis ſuavitate, ut nulla poſſit cythara eam æquiparare melodiam.* Enimvero quod ſi ij qui manna ſpiritus nauſeant, id eſt, qui ne Bacchanalium guſtum turbent, aut inſipidum reddant, in devotione ſua remittunt & tepidiores fiunt, veritatem dicere vellent, clarum utique nobis teſtimonium perhiberent, quod illas inter vanitates & voluptates, ariditates experiantur ſpirituales, eaſque maximas, illoſque devotionis ſenſus, quibus antea gaudebant, penitus amittat: *Defecitque manna poſtquam comederunt de frugibus terræ:* Ubi Dionyſius Carth. ait: *Signatum eſt quod divinam & ſpiritualem conſolationem meretur homo amittere, dum ad exteriora ſolatia vanaque gaudia ſe effundit.*

Joſue 5. v. 12.

Dionyſ. Cart.

Cur Venerabile exponatur tempore Bacchan.

18. Quænam obſecro cauſa eſt, quod ſancta mater Eccleſia hiſce diebus in tot Eccleſijs ſolemni cum apparatu ſanctiſſimum Euchariſtiæ exponat ſacramentum? Nimirum cauſa hæc eſt, ne fideles hiſce diebus guſtibus, gaudijs, & conſolationibus ſuis omnimodè deſtituantur, ſpiritualibus tamen, non vero carnalibus: *Vincenti dabo manna abſconditum*; Circa quæ verba Rupert. Abbas Tuitienſ. ait: *Vincere, eſt fornicationes primum in ſemetipſo per virtutem continentiæ, deinde in alijs per virtutem ſcientiæ deſtruere; Porro qui hoc modo vincit, ille ſacramentum corporis & ſanguinis Domini dignè percipit.* Idem quoque de hac victoria tractans, ſubjungit: *Munditiam cordis & corporis cuſtodienti, dabo panem verum, panem vivum, cujus figura fuit manna.*

Apoc. 2. 17. Rupert. Abb. ibid.

Delicias præbet. Gen. 49. v. 20. S. Cyrill. in Cat. S. Eucher. in Cat.

19. Benedictio, quam Jacob Patriarcha Aſer filio ſuo impertitus eſt, hæc fuit: *Pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.* Panis autem ille Chriſtus eſt, de quo S. Cyrillus Jeroſolym. ait: *Ipſe eſt panis pinguis, qui mentes fidelium impinguat, atque inhabitat per Spiritum ſanctum.* Quænam vero hujus panis deliciæ ſint S. Eucherius his verbis declarat, dum ait: *Chriſtus eſt, cujus panis pinguis factus eſt, caro ſcilicet ejus, quæ eſt eſca Sanctorum; iſte præbet delicias ſapientiæ, virtutum, gratiæ, & verbi Dei.* Rupertus Abbas ait: *Delicias præbebit cæleſtis alimoniæ, Euchariſtiam porrigendo, id eſt*, inquit Lyranus, *Sacramentum Euchariſtiæ.* Quiſquis enim aliquem ſanctiſſimo Sacramento exhibebit cultum & obſequium, eoque ſe nutriet, ineffabilium & incomparabilium deliciarum & gaudiorum ejus particeps fiet; Advertendum eſt autem, quod non omnes univerſim, ſed ſoli Reges deliciarum iſtarum futuri ſint participes; Dicitur enim: *Præbebit delicias Regibus*, adeoque illis non omnes indifferenter gaudebunt; At vero quæret hic fortaſſe aliquis, quinam ſunt iſti Reges? ut in horum Regum numerum recenſeamur; in noſtra conſiſtit libera poteſtate; Nam S. Eucherius Ly *Regibus*, ita exponit, ut eos ſignificet, *qui ſenſus proprios bene regunt, qui dominantur vitiorum ſuorum, qui caſtigant corpora ſua, & animæ ſuæ in ſervitutem ſubjiciunt.* Magna profecto excellentiæ prærogativa eſt; cæleſtia & ſpiritualia gaudia participare poſſe, licet mortificemur, & pœnitentiæ operibus operam demus.

Rup. Abb. in Gen. Lyran. ibid. Reges ſunt qui vitijs dominantur.

Appetitus ut Iſaac immolandus.

20. In reſponſorio quodam quo Eccleſia in officio Dominicæ Quinquageſimæ utitur, ſacrificij illius mentio fit, quo Abraham ſe ad unigenitum ſuum dilectiſſimum Iſaac immolandum accinxit, idque non alio fine, uti exiſtimo, quam ut fidelibus ſuis generoſum ſuggerat animum, ut recreationes, vanitates, & gaudia, quæ mundus in hiſce Bacchanalibus offerre & exhibere ſolet per ſui mortificationem Deo libenti animo offerre non dubitent. Quis enim eſt qui neſciat, quantum gratiarum & benedictionum cumulum, magnus ille Patriarcha ex hac tam prompta filij ſui ſibi propoſita immolatione, licet tandem ſolum arietem obtulerit, à Deo conſecutus fuerit? *Iſaac* porro in lingua Latina idem ſignificat, quod *riſus*, atque ideo verbis quoque exprimi nequit, quales & quantæ ſint illæ benedictiones & gratiæ, quas liberaliſſima Dei manus in illas animas copioſe confert, quæ ſe ex puro Dei amore mundi voluptatibus liberti animo privant; nec tamē per hoc, quod magna cōſideratione dignū eſt, noſtro dilecto Iſaac privamur, quinimo Iſaac vivus nobis ſemper ſuperſtes erit, quia *non perdimus delectationes*, inquit S. Hilarius, *ſed mutamus, & mutamus in melius*, ſolus aries qui ſpinis & tribulis hæret implicitus, excoriatur, id eſt, ſolos mortificamus ſenſus & inordinatos appetitus, qui in pericula nos præcipitia agere poſſent, quique multis reſperſi ſunt amaritudinibus, voluptates enim à Chriſto Domino ipſomet jure merito comparantur ſpinis: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui &c. à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur*; Iſaac autem, id eſt, vera gaudia & conſolationes, quæ cor noſtrum interius recreant, & exhilarant, vivus ſemper remanet. *Oblatus Iſaac*, inquit mellifluus Bernardus, *Sacrificatus eſt, non mactatus: & tu ſi vocem Domini audieris, & dicatur tibi, ut offeras Iſaac; ut tuum quodcumque eſt gaudium immoles Deo, fideliter & conſtanter obedire ne timeas, etiamſi oportuerit ipſum Iſaac jugulari, ſecurus eſto, non Iſaac, ſed aries morietur, non peribit tibi lætitia, ſed contumacia, cujus utique cornua vepribus hærent:* Impenſe enim gaudebimus, ubi nos Dæmonis evaſiſſe laqueos, tot evaſiſſe pericula, tam copioſam bonorum operum collegiſſe meſſem deprehendemus.

Gen. 22. v. 2. Gen. 22. v. 13

Luc. 8. v. 14.

S. Bern. ſerm. Ecce nos reliquimus omnia.

## DISCURSUS XVI.

## ARGUMENTUM.

Etiam virtuoſis & perfectis pericula Bacchanalium fugienda ſunt, neque de proprijs viribus nimium eſt præſumendum, alias enim in medijs occaſionibus miſere corruent.

### THEMA.

*Et aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit; quia non habebat humorem; Hi ſunt, ... qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, ... & in tempore tentationis recedunt.* Luc. 8. ℣. 6. 13. & 14.

Luca 8. v. 6. Ibid. v. 13. & 14.

Multos bonos ſeducunt Bacchan.

1. SAncta mater Eccleſia in eo Evangelio quod in Dominica Sexageſimæ nobis proponit, prudentiſſimè nobis indicat, quod una pars pretioſi illius ſeminis ab agricola in agrum diſperſi in petram ceciderit, ideoque ex humoris defectu protinus exaruerit: *Natum aruit, quia non habebat humorem*, cujus myſterium verbum incarnatum declarare nobis volens, per hanc petram illos denotari aſſerit, qui divinum quidem verbum libenter auſcultant, vel cæleſtes inſpirationes prona mente & aure percipiunt, vel denique ſancta propoſita facili negotio concipiunt, in illis tamen nequaquam ſolidè & perſeveranter perſiſtunt, nec profundas in cordibus radices agere permittunt: *Hi ſunt, ... qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbū, & hi radices non habent*; Hanc autem veritatem quotidie practicari videmus ab ijs in quibus bona deſideria & concepta propoſita, tentatione urgente, & in prompta proximaque occaſione ſubito evaneſcunt: *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Sic multos hodie videmus Chriſtianos, qui in reliquo totius anni curriculo timorate vivunt, divinamque legem obſervant, & tamen hiſce diebus ſe quoque à præcipiti mundi torrente ſeduci ſinunt, non obſtante quod bonæ mentis ſint; *cum audierint: cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent:* Et ideo quantumvis quis virtuoſus ſit, & in pietate ac devotione habituatus, Bacchanalium tamen tempore ſe inter pericula & lubricitates exponere nequaquam debet, de ſe nimium confidendo aut præſumendo de viribus ſuis, Quia *in tempore tentationis recedunt.*

Luc. 8. v. 6.

Luc. 8. v. 13. & 14.

Ibid. v. 13.

Ibid. v. 13.

Ibid.

Exempla malorum alliciunt.

2. Porro Bacchanalia Dæmonis vindemiam eſſe ſuperius Diſcurſu ſeptimo ſatis probavimus; qua veritate ſuppoſita, tempus idem tentationis tempus eſſe neceſſariò ſequitur: Et ideo hoc tempore audacter



aſſerere poſſumus, quod S. Leo in alia quadam materia ſcribit, nimirum *plena ſunt omnia periculis, plena ſunt laqueis, incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ:* Inter omnia tamen majus & pernitioſius malum eſt, peſſimum, quod unus alteri hiſce diebus exhibet, exemplum, nam ut ſanctus Cyprianus *de ſpectaculis* tractans advertit, *nullum malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet, dum & multitudine aſſeritur, & excuſatione blanditur.* Pes in luto ambulans nimis eſt lubricus, & ideo impoſſibile eſt, ut non ſæpe vacillet, ita quoque inter malorum exempla & occaſiones proximas conſtitutus non niſi valde temere de ſe poteſt præſumere. Sanctus Ambroſius de Noë ita ſcribit: *Nudatus eſt Noë quando inebriatus eſt, texit eum pietas filiorum, ſed nudatus erat per ignorantiam non per intemperantiam.* Etenim Noë qui ex immenſo illo aquarum univerſali diluvio ſalvus & incolumis evaſit, in modico vini vitro naufragatus fuit adeoque vinum, nec ſuo pepercit authori: & tamen adeo apud Deum immaculatus & ſanctus habitus fuit, ut ipſe ſolus totius humani generis malignitati, in morali bonitatis pondere par fuerit: Unde ſic arguo: Quod ſi Noë invitus, & ex ignorantia, non vero ex malitia bibendo inebriatus eſt, quid de illis dicemus, qui voluntarie & data opera Baccho inſerviendi occaſionem quærunt, ſibique torrentem mundi in hiſce Bacchanalibus ſequi licitum eſſe, deque corporis viribus præſumendo ſe nullum culpæ reatum contrahere poſſe exiſtimant?

S. Leo ſer. 3. Quad.

S. Cypr. de ſpect.

S. Ambr. de Elia & jejun. c. 5. N B.

Exemplum. Sophron. prat. ſpirit. c. 194.

3. In prato ſpirituali de quodam Anachoreta legitur, quod cum ſportas ſuas divenditurus Alexandriam ingreſſus, juvenem quemdam è taberna publica egredientem obſervaſſet, eumdem ſalutari quadam cum correctione de indignitate facti commonuerit, ab eoque ſequens retulerit reſponſum: *Vade ſenex in viam tuam, Deus non quærit, niſi cor mundum & purum*; Ex quo reſponſo optimus Senior obſtupefactus, elevatis in cœlum manibus dixerit: *O Domine Deus, laus tibi ſit & gloria: Ecce quinquaginta annis in ſolitudine dego, & cor mundum non habeo: Hic vero juvenis in locis diſſolutis frequenter agens, cor purum & mundum illibatè conſervat.* Idem quoque hiſce diebus plurimis diſſolutis juvenibus aptiſſime dici poſſet, multi enim Religioſi in Clauſtris arctiſſime recluſi, vel ſepulti in Eremis, continuiſque cilicijs & diſciplinis aſſuefacti, in meditationibus & contemplationibus continuis abſorpti hærent, & tamen in conſervandis virtutibus mirabiliter laborant & ſudant, qua igitur ratione fragiles hujus mundi homines in medio ludorum, ſpectaculorum, tripudiorum, conviviorum, variarumque aliarum diſſolutionum poſiti, hiſce diebus ſperare audebunt, quod inter hæc omnia immaculatos ſe à peccatis conſervare poterunt? Quis Davide circumſpectior fuit & cautior? Quis in tuendo Dei honore ardentior aut zeloſior extitit? *Inveni David filium Jeſſè virum ſecundùm cor meum*, & tamen unicus incautus è longinquo in mulierem defixus aſpectus, pernitioſiſſimum ei in adulterium, homicidium & ſcandalum publicum, pronum præparavit ſupplicium: *Audiant*, inquit D. Chryſoſtomus, *qui inſano ſpectaculorum ſtudio tenentur, qui dicunt: Spectamus quidem, ſed ſine detrimento: quid audio? David læſus eſt, & ego tuæ virtuti confidere queam? Is qui tantam Spiritus gratiam habebat, ſpiculum excepit, & tu in abſurdis ſpectaculis ſauciari te negas? Atqui ille ſcortum non vidit, ſed honeſtam & pudicam fæminam, idque non in theatro, ſed domi, tu vero in theatro cernis, ubi etiam locus ipſe animam ſupplicij ream efficit, nec tantum cernis, ſed etiam audis improba Verba, & meretricias atque obſcœnas cautiones, omnique ex parte fertur mens tua, per aſpectum nempe ad ea quæ vides, per aures ob ea quæ audis, & dum tot præcipitia ſint, tot corruptelæ, qui credere queam, te à ferarum morſibus immunem eſſe? Num tu ſaxum es? Num ferrum? Homo es communi naturæ imbecillitati obnoxius, ignem carpis nec ureris? An iſtud rationi conſentaneum eſt? Lucernam in fænum pone, & tum aude negare, quod fænum exuratur, quod porro fænum eſt, hoc etiam natura noſtra eſt:* Et quidem tametſi nonnunquam contingere poſſit, quod tunc damnum minimè ſentiamus, illæ tamen ſpecies memoriæ & menti noſtræ talia fortiter imprimunt phantaſmata: quæ ſuo tempore crudele nobis bellum movent, haud ita facili negotio componendum; Unde idem D. Chryſoſtomus de Davide ait: *Vidit, atque oculo vulneratus eſt, & cælum excepit.* Cervus à ſagitta ſauciatus ambulat quidem, & ſanus eſſe videtur, & tamen ferrum ſecum defert, quod paulatim eidem mortem adfert; Hac eadem occaſione præterire nequeo, quin Epiſtolam illam, quam ſanctus Hieronymus ad Euſtochium virginem conſcripſit, in medium adferam, in qua S. Doctor ita ſcribit: *O quoties ego ipſe in Eremo conſtitutus, putabam me Romanis intereſſe delicijs! horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, ille ego qui ob gehennæ metum me carcere damnaveram, Scorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum, pallebant ora jejunijs, & mens deſiderijs æſtuabat, in frigida carne, & ante hominem ſua jam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant; Jacebam ad pedes Jeſu, rigabam lachrymis, repugnantem carnem inedia ſubjugabam:* Quibus ex verbis efficax quoddam valdeque ſtringens licet argumentum conficere: Qua enim temeritate is qui nec ætatem habet ſancti Hieronymi, nec vitæ ſanctimoniam, qui non inter feras & ſcorpiones habitat in deſertis, ſed cum puellis verſatur in tripudijs, aut lautis accumbit convivijs, aureſque laſcivis porrigit comœdijs, qui corpore, ut Sanctus hic Doctor, non procul à choreis abeſt, ſed corpore & mente in medio illarum verſatur, & choragum agit, qua inquam temeritate talis ſperare poteſt, quod à ſtimulis liberabitur carnis, & velut Salmandra in igne degens, ne quidem à fumo illius ſit offuſcandus?

Homo quam fragilis.

Act. Apoſt. 13. v. 22.

D. Chryſoſt. hom. in Pſ. T. 1. De viribus non præſumendum.



Audiatur Hieron. S. Hier. Ep. 22. ad Euſtoch.

Reſponſio B. Ægidij danda Bacchanaliſtis.

4. In Chronicis ſancti Franciſci in vita B. Ægidij refertur, quod cum duo Cardinales ejus ſe orationibus commendaturi convenerint, quibus vir Sanctus, ſuas illis orationes minime neceſſarias eſſe dixit, utpote quibus perſuaſum eſſet, quod in medijs delicijs, honoribus, & millenis vitæ commoditatibus de ſalute ſua ſecuri eſſe poſſent, cum tamen ipſe & alij religioſi in continuis paupertatis, mortificationis, abſtinentiæ, & auſteritatis vitæ regularis de propria ſalute ſummè timerent, & toto corpore contremiſcerent; Unde ambo ab ipſo ſummè confuſi receſſerunt; Idem quoque reſponſum aptè congruit illis qui ſe in medijs voluptatibus & diſſolutionibus Bacchanalibus, & incentivis carnis immaculatos conſervare poſſe, temerè confidunt; ij namque homines qui in vita ſpirituali habituati, firmiterque radicati ſunt, ad innocentiam conſcientiæ conſervandam, ab omnibus peccandi occaſionibus his diebus ſequeſtrati, ſolitariè vivunt, atque in exercitijs devotionis plus quàm alio anni tempore efferveſcunt, ſæpè labuntur, qua igitur ratione temerarij illi homines ſe eamdem innocentiam inter medias levitates, ludos, choreas, crapulas, comparaturos eſſe ſperant, quàm illi per rigoroſam pœnitentiam, ſolitudinem, orationis aſſiduum exercitium ſe vix tueri poſſe confidunt?

Efficax Concio S. Franciſc.

5. Dum Sanctus Franciſcus Anno 1213. propè caſtellum Montis Leonis conſtitutus, Comitem Montis Feſtri ſe ad haſtiludia, choreas, & jocos profanos inſtituendos accingere, Comitemque Orlandum Catanium, Caſentini Dynaſtam, eodem quoque properare intellexiſſet, ad ſui ordinis conſodales converſus dixit: *Eamus & noſtras opponamus arces Dæmonis inſidijs, quas in hujuſmodi jubilationibus ſternere ſolet incautis.* Sanctus enim & Seraphicus hic Pater, utpote à Deo illuminatus clarè cognoſcebat, quales ſerpens aſtutus animabus in hujuſmodi vanitatibus texere & machinari conſueviſſet inſidiarum technas, ideòque ſe tanta cum ſpiritus efficacia & verborum energia coram illis prædicare illiſque ſpectaculis adeò fortiter ſe opponere cœpit, ut Comitem Orlandum ab illis levitatibus converſum adeò arctè ſibi adſtrinxerit, ut ab ejus obedientia & directione deinceps ſemper pependerit; is namque Comes idem ille eſt, qui Sancto Franciſco Alverniam donavit; Thema autem ſermonis quem S. Franciſcus illic habuit, fuere ſequentia verba: *Tantum eſt bonum illud quod me in futura vita expectat, ut quævis me jam non cruciet, ſed delectet.*

Luc. Wading. Anno 1213. n. 29.

Gen. 34. v. 1. Curioſa Dina deflorata fuit.

6. Dina filia Jacobi, viri nimirum adeò Sancti, ut Deus illum alio nomine *Iſraël*, quod idem eſt, quod *videns Deum*, appellarit, hac inquam occaſione feſtivi cujuſdam gaudij & chorearum, quas Sichemitæ habituri erant, ſola curioſitate ducta in Sichem conceſſit, ut mores & ritus mulierum regionis illius videre poſſet: *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius*; quamvis & ex alio motivo eo conceſſerit, ut ſcilicet ſe ex viſu ludorum & chorearum, quæ in ea gente illa occaſione inſtituebantur, tantiſper recrearet; Unde Abulenſis ait: *Fuit curioſa in videndo, quia videre voluit ornatum terræ illius & feſta quæ faciebant*; *Dicit*

Abul. ibid.

*enim Joſephus, quod illa die erat Feſtum, & congregabantur mulieres regionis illius, & fiebant feſta magna & gaudia: Dina autem quia nutrita fuerat in locis paſtoralibus extra civitates, deſiderabat illa die videre feſta.* Sed quem tandem incauta illa curioſitas ſortita eſt finem? Certè inde turpis ejus defloratio, & totius populi illius ſtrages cruenta ſubſecuta fuit.

De viribus proprijs non præſumendũ.
*Thren. 4. v. 7.*

7. Tractans Jeremias de Nazaræis, qui apud Hebræorum populum eodem in loco, quo inter nos reformatiores & exemplariores Religioſi, paſſim habebantur, ita loquitur: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, ſapphyro pulchriores*, & tamen paulò poſt eoſdem in titiones Inferni commutatos fuiſſe depræhenderetis; Dicit enim Propheta: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Vultiſne ſubitaneæ hujuſce mutationis intelligere cauſam? cauſa unica hæc fuit; quia ſolitudine ſua derelicta, per vicos & plateas vagari cœperunt; *Non ſunt cogniti in plateis*, quaſi diceret, ſe quidem in bonis propoſitis conſtantiſſimos & in ſequela Chriſti ſtabiles futuros eſſe jactare non dubitarunt, & tamen in occaſione obvia, primi omnium ad turpes lapſus proni ſunt, & horrenda quævis perpetrant: Habemus hac de re illud à Sancto Auguſtino deſcriptum, omnibuſque manifeſtum Alipij exemplum, præſenti propoſito noſtro convenientiſſimum; ſiquidem hic mirum adverſus ludos Circenſes patiebatur antipathiam animique averſionem: *Cum illos deteſtaretur & averſaretur*, inquit Sanctus Doctor, poſt prandium verò amici aliqui obvij ad eoſdem illum invitarunt, & recuſantem vehementer & reſiſtentem familiari violentia duxerunt; quibus, ſe quidem ludis ad inſtar corporis alicujus mortui interfuturum eſſe, reſpondit, & dixit: *Numquid & animum & oculos meos in illa ſpectacula poteſtis intendere? adero itaque abſens, & ſic & vos & illa ſuperabo.* Cujus tamen reſiſtentia nec quidquam profecit, utpote quem etiam invitum petitionibus ſuis acquieſcere coegerunt, *ſecum idipſum fortè explorare cupientes utrum poſſet efficere.* Verumtamen punctum quoddam valdè conſiderabile hoc loco prætereundum non eſt, videlicet quâ ratione hi Alipij amici tantam in Alipio à ludis Circenſibus averſionem videntes, illum tandem theatri voluptatibus & recreationibus interfuturum eſſe ſperare potuerint? Nimirum hæc eſt tortuoſi illius ſerpentis Dæmonis videlicet, mira fraudulentia, ut etiam illos ſeducendi, ſibique lucrandi modus aliquis ei non deſit, adeoque veriſſima ſemper eſt illa Sanctorum Auguſtini & Cypriani propoſitio: *Lubrica eſt illa ſpes, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat; impoſſibilis liberatio eſt, flammis circumdari, & non ardere.* Ibat Alipius ad loca illa, ubi *fervebant omnia immaniſſimis voluptatibus*; Et quidem clauſis oculis ibat, id eſt, cum firmo illos numquam ad illas ſpectandas aperiendi propoſito; Sed quid tandem: *Hi radices non habent; ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt; cum clamor ingens totius populi eum vehementer pulſaſſet, curioſitate victus, & quaſi paratus, quidquid illud eſſet, etiam viſum, contemnere & vincere: aperuit oculos, & percuſſus eſt graviori vulnere in anima, quam ille in corpore, quem cernere concupivit, ſpectavit, exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, quâ ſtimulabatur redire, non tantum cum illis à quibus prius abſtractus eſt, ſed etiam præ illis, & alios trahens.* Quod ſi igitur illi, qui cum nauſea & inviti omninò ad illa theatra accedunt, turpiter cadunt, & ab illis laſciviæ incentivis rapiuntur; quanto magis illis timendum eſt, qui ex curioſitate & concupiſcentia, licet nullo ſibi malo ſine propoſito eo ſe rapi ſinunt?

Exemplum 1.
*S. Aug. l. 6. Conf. c. 8.*

Exemplum 2.
*Gaſp. Manz. in Cent. deciſion. Palatin. Q. 90. n. 50.*

8. Gaſpar Manzi in Quæſtionis præallegatæ alijs diſcurſibus refert, quod ſequitur: *Unus diſcipulorum meorum*, inquit, *optimus ſane juvenis, nihil ſiniſtrè ſuſpicatus, & prorſus nihil mali machinatus, animum tantum in Bacchanalibus relaxare, & pro ſtudijs in Quadrageſima majori cum fervore reaſſumendis, ſeſe recreando aptare volens, in diſcurrentes per plateas incidit, & vitam ſuam miſerè, mater autem ejus præ dolore uſum ferè rationis amiſit.* Ecce tibi igitur pericula, ſive animæ, ſive corporis, & utplurimum utriuſque partis damna, in quæ miſerrimè incidere ſolent.

Objecta movent ſenſus.
*Luca 8. v. 13 Gloſſ. in Luc.*

9. Sciendum eſt igitur, quod objectum præſens, etiam ad eorum, qui in timore Dei ſtabiles ſibi eſſe videntur, animas ſeducendas, ingentem ſibi conjunctam habeat vim & violentiam. Nam ut Gloſſa ſuper illa verba: *Hi radices non habent, & in tempore tentationis recedunt*, ait: *Ubi ſpecies concupiſcibiles eorum obtutibus præſentantur, mox recedit ab eis, quidquid rectè cogitaverant*: Exemplum in Herode accipere licet, utpote quo nullum hiſce diebus aptius adduci poteſt, aut congruentius: *Cum gaudio ſuſcipiebat verbum*, id eſt, Baptiſtæ prædicationem, quia *libenter eum audiebat*; Nec eſt quod credatis, quod verbum Dei per unam ejus aurem ingreſſum, per alteram evolarit, quia ſtudioſè illud adimplevit Jacobi conſilium, quod dicitur: *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum*, ſiquidem Evangeliſta teſte, *audito eo multa faciebat*; & tamen *radices non habuit, ad tempus credidit, & in tempore tentationis receſſit*; Scitiſne cauſam, ob quam id factum fuit? *Ubi ſpecies concupiſcibilis obtutibus repræſentatur* &c. mox bona propoſita evaneſcere incipiunt; quando enim inceſtuoſam adulteram videbat coram ſe poſitam, nec Joannis Baptiſtæ, nec prædicationum ejus amplius memor erat, ſed à choreis, tripudijs, cantibus, & cytharæ plectris aliiſque convivij illius gaudijs & vanitatibus confeſtim adeò captus fuit, ut nulli alteri rei, quàm voluptatibus præſentibus captandis & fruendis intentus eſſet, Baſilius Seleucus ſaltatricem hanc ſequentibus verbis deſcribit: *Herodias autem filia*, inquit, *oſtentans habitu matris artes, exactum maternæ libidinis ſimulachrum, aſpectu impudenti, fracto corpore, anima diſſluente, jactis in cœlum manibus, pedes in altum ſubrigebat, habitu ſeminando ſuam turpitudinem publicabat.* Herodes Rex adeò Baptiſtæ devotus erat, ut in ſumma cum veneratione haberet: *Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Cuſtodiebat eum*, inquit, id eſt, particulares circa corpus ejus excubias ſtatuebat, ut cum ab Herodiadis mortem ei machinantis ira & inſidijs tueretur; & tamen quis eſt, qui neſciat, qualiter per unicum ſaltatricis tripudium ineſcatus, præciſum illius caput in medio convivij æſtu tanta cum inhumanitate & barbarie in diſco adduci juſſerit. Conſiderandum quoque eſt, quod Sanctus Marcus poſtquam venerationem, quâ Herodes Joannem proſequebatur, recenſuiſſet, ex peculiari Spiritus Sancti inſtinctu immediatè ſubjungat: *Cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui Cœnam fecit Principibus, & Tribunis, & Primis Galileæ, cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque diſcumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me, quod vis, & dabo tibi.* Expreſſioremne Bacchanalium figuram deſideratis? Ecce namque inceſtus, adulteria, ebrietates, crapulas, ſocietates laſcivas, tripudia & choreas; Sed ecce pariter viri alicujus, qui paulò ante verbum Dei libenter & attenta aure auſcultabat, ſanctoque præcurſori devotus erat, horribile præcipitium. Videte quàm verum ſit illud Sapientis dictum: *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*; Ubi notandum eſt verbum illud *Apoſtatare*, per hoc enim lapſus talis alicujus inſinuatur, qui anteà timoratus, juſtus, & virtuoſus extiterat. Syriaca legit: *Laſcivire faciunt cor*: Et Hugo Cardinalis *Apoſtatare* ita exponit, ut ſit idem *quod jugum Domini abjicere.*

*Marci 6. v. 20.*
*Jacob. 1. v. 22.*
*Baſ. Seleucus orat. 18.*
*Marci 6. v. 20.*
*Marci. 6. v. 21.*
*Ibid. v. 22.*
*Eccle. 19. v. 2.*
*Syriaca.*
*Hug. Card.*

Occaſiones qui fugiunt vinci non poſſunt.
*Pſal. 118. v. 101.*
*S. Hilar. ibid.*

19. Vultiſne ex alia parte ſcire, quinam ſint illi, qui adeò profundas egerunt radices, ut Dæmon bonum ſemen in illis agricolæ manibus reconditum ab eorum cordibus eradicare non valeat: *Hi radices habent, ad tempus credunt, & in tempore tentationis non recedunt*; Suntque verè tales illi, qui omni cum conatu occaſionem fugiunt peccandi. Sanctus Hilarius ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut cuſtodiam verba tua*, inquit: *Perfecta hæc & Evangelici viri vox eſt, ab omni ſe malitiæ via abſtinere, & tot abique occurrentibus errorum ſemitis, nulla earum, per quam nequitia adeatur, incedere*; Quibus in verbis Ly, *nulla*, notandum eſt; quia ſerpens aſtutus ſub larva probitatis ſæpè ſe occulit, ne agnoſcatur, cui proinde vel minimum ad nos aditum habere ſufficit; atque ideò *nolite locum dare Diabolo.* Sanctus Bonaventura in vita Sancti Franciſci dicit: *Diabolus, ſi de ſuo capillum poteſt habere in homine, cito excreſcere facit in trabem.* Hocque ſtratagemate hiſce potiſſimum diebus utitur; ad imprimendas namque laſcivas illas ſpecies, quibuſcum nos perpetuo bello infeſtare poſſit, unum ei verbum obſcœnum, unuſque ſufficit illi laſcivus obtutus. Unde Divus Chryſoſtomus ad cautelam noſtram inquit: *Deſcendiſti à theatro? quæ ſpectaſti ad memoriam recurrunt.* Optimum proinde eſt illud Apoſtoli monitum ita nos alloquentis: *Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis*, plena ſunt omnia periculis, plena ſunt laqueis. *Quis non id execretur*, inquit Sanctus Cyprianus, *& fugiat, quod alijs fuit exitio? Quis id appetat & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuit & telo? Si hauſto poculo moreretur ille, qui biberat, venenum ſcires eſſe quod ille potavit; Si accepto cibo, qui acceperat, interiret, ſcires eſſe lethale, quod*

*Epheſ. 4. v. 27.*
*S. Bon. c. 4.*
Unico aſpectu Diabolus Victor.
*D. Chryſoſt. Hom. 3. de Pœnit.*
*Epheſ. 5. v. 15.*
*S. Cypr. l. de habit. Virg.*
Caſus te reddant cautum.



*quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde, aut biberes, unde interiiſſe alios conſpiceres, nunc quanta ignorantia hæc veri eſt animi, quanta dementia id velle, quod nocuit ſemper, ut noceat, & putare quod inde non pereas, unde alios periiſſe cognoſcas.* Omnes probè novimus, tot alios in præcipitia turpiter fuiſſe prolapſos, eo quod ſe hiſce diebus mundi torrentem ſectantes manifeſtis expoſuerint peccandi periculis, quâ igitur fronte nos in eiſdem occaſionibus poſiti, nos minimè prævaricaturos eſſe ſperare poſſumus: *Quanta dementia id velle* &c.

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

Per Chriſti patientis & morientis conſiderationem, lumen ad illas voluptates contemnendas acquiritur, quæ Crucifixionis ejus cauſa fuerunt.

### THEMA.

*Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo & ſanabuntur.* Tobiæ 6. ℣. 9.

Cæci homines Bacchan. tempore.
*Tob. 6. v. 9.*
*Orig. in Matth.*
*Joa. 3. v. 20.*
*Alb. Magn. in Luc. 18.*
*Tob. 2. v. 11.*
*Eccli. 9. v. 10.*
*Phil. 3. v. 8.*
*S. Aug. ſer. 4. in Feſt. SS. Apoſt. Petri & Pauli.*

1. CUm Tobias occaſione excrementorum hirundineorum, quæ in oculos ejus inciderant, cœcus factus fuiſſet, Raphaël Archangelus cujus nomen idem, quod *Medicina Dei* ſignificat, Tobiam juniorem filium ejus fel piſcis illius, quem è fluvio Tygris extraxerat, paternis oculis adhibere juſſerat tamquam futurum certum contractæ cœcitatis illius remedium: *Fel valet* &c. Porro Evangelium quod in Dominica Quinquageſimæ occurrit legendum (quo tempore Bacchanalia in ſummo ſolent eſſe fervore) ſimiliter nobis propè Jericho ſedentem quemdam proponit cœcum; *Per Jericho autem*, ut Origenes inquit, *intelligitur mundus*, per cœcum verò genus humanum notatur, quod nullo totius anni tempore, majoribus eſt peccatorum tenebris obfuſcatum, quàm hiſce diebus; *Omnis enim qui malè agit, odit lucem*; Ipſa autem experientia clarè conſtat, quod homines hiſce diebus magis quàm umquam aliàs, vitijs ſint carnalibus addicti, ſenſibuſque omnem libertatem indulgeant, & ideò hi præcipuè per hunc cœcum intelligendi veniunt, utpote qui ut Albertus Magnus ait: *Significat eos quos peccata carnis excæcant*; Stercora enim, id eſt, voluptates & deliciæ mundanæ carnis in illis lumen turbarunt timoris Dei & rectæ rationis; Vocantur autem *calida ſtercora*, & maximè hiſce diebus nomen illud merentur, quibus mundani in delicijs & voluptatibus vel maximè efferveſcunt; De hoc ſtercore Eccleſiaſticus de impia fœmina tractans inquit: *Quaſi ſtercus in via conculcabitur*; De iiſdem quoque ſtercoribus Apoſtolus delicias & voluptates mundanas deteſtans ait: *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* At verò quonam modo huic miſerabili cœco lumen reſtitui poterit, ut in viam rectam dirigatur, nec mundi turbam ſequens in prærupta Inferni præcipitia miſerè corruat? Hoc utique commodiori modo nequaquam fieri poterit, quàm per piſcem illum, quem Tobias junior cœpit, adhibitum, per quem S. Auguſtinus Redemptorem noſtrum intelligit, dicens: *Eſt Chriſtus piſcis iſte, qui ad Tobiam aſcendit.*

*Tob. 6. v. 8.*
Viſum reddit meditatio Crucifixi.
*Tob. 6. v. 6.*
*Hug. Card. in Tob.*
*S. Bern. de inter. domo c. 38.*

2. Notandum verò eſt, quod Sanctus Archangelus per hujus piſcis interiora ſive inteſtina viſcera totum Infernum in fugam agi dicat: *Extricat omne genus Dæmoniorum*; Et ideò Sancta Mater Eccleſia in eodem Evangelio Chriſtum nobis in Crucis patibulo eviſceratum ob oculos ſtatuit, quia per hoc funeſtum & lamentabile ſpectaculum, omnia à nobis Dæmonia, quæ in hiſce Bacchanalibus in noſtram conjuraſſe videntur pernitiem, fugare & abigere intendit: *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo*; Ubi Hugo Cardinalis ait: *Albugo eſt peccati macula, fel Paſſionis amaritudo*; Ad illuminandas ſiquidem hujus cœci denſas tenebras interiores, & obſcuritates, nullum eſt remedium aut antidotum potentius, efficacius, aut ſecurius, quam attenta ac ſeria paſſionis & mortis Chriſti conſideratio. Unde Sanctus Bernardus ait: *Quoties te ſentis turpibus cogitationibus pulſari, & ad illicitam delectationem affici, toties pone ante mentis oculos, quomodo Chriſtus crucifixus eſt pro te.* Cum igitur hoc tempore in fidelibus non ſolum imaginationes impuræ dominentur, verum etiam geſtus, verba, repræſentationes comicæ, & actiones laſcivæ & impudicæ prævaleant, ut proinde Bacchanalia Italicè Carnevale appellentur, quaſi in quibus caro ſpiritui totaliter prævaleat, ecce tibi potentiſſimum horum malorum remedium: *Pone ante mentis oculos, quomodo Chriſtus in Cruce crucifixus eſt pro te.*

*Act. Eccl. Mediol. p. 7. pag. 1156.*
Meditatio paſſionis præſervat à peccatis.
*Thren. 3. v. 19.*

3. Sanctus Carolus Borromæus ut populum ſuum Mediolanenſem à diſſolutionibus, quæ ante hac in grege ſuo inundabant, retraheret, in memoriali ſuo ad eumdem populum directo ita ſcribit: Deus recordatus eſt noſtri, quoniam pulvis ſumus, & tamen opus manuum ſuarum, & ideò per gratiam, quæ data eſt nobis, fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, quibus verbis ad liberationem à contagione peſtilentiæ, ab ipſo, gregi ſuo impetratam alludit, ac proinde, ſubjungit, & aptius quidem ad propoſitum, ſimus nos quoque memores ipſius: *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſinthij & fellis*, inquit de Cruce Chriſtus: quaſi diceret: Memor eſto Crucis, dolorum, ſpinarum, clavorum & flagellorum, verberum quoque & vulnerum, quas in carne mea perpeſſus fui, ſanguinis denique quem liberaliter effudi, ut te à Paganiſmi profanitate, & ab omni alia peccati immunditia eriperem; Recordare igitur ne ad eadem opera denuò redeas, neque de novo, quantum eſt, ex parte tua, crucifigas & torqueas.

*Pſ. 68. v. 3.*
*S. Bern. ſer. 4. in virg. Nat.*
Paſſio Chriſti renovatur indies.
*Hebr. 6. v. 6.*
*S. Bern.*
*1. Cor. 12. v. 27.*
*Pſ. 81. v. 2.*
*Pſ. 77. v. 40.*

4. Ingenioſa pariter & utilis eſt illa Sancti Bernardi ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Infixus ſum in limo profundi*, facta conſideratio, Dicit enim, quod Chriſtus in hiſce verbis ſe in lutum confixum fuiſſe lamentetur, cum tamen ipſum Crucis ligno clavis affixum eſſe conſtet; cur igitur conqueritur dicens: *Infixus ſum in limo.* Pro reſolutione igitur notandum eſſe dicit, quod Apoſtolus de peccatoribus loquens ait: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei*; Quotieſcumque enim Deum mortaliter offendimus, toties ipſum quantum eſt ex parte noſtra in Cruce configimus; at verò quodnam eſt lutum illud ſive limus, cui Chriſtus ſe confixum eſſe dicit: Limus ille homo eſt carnalis, ſenſualitatiſque luto totaliter immerſus. Unde Sanctus Bernardus. *Fortaſſè*, inquit, *Crux ipſa nos ſumus, cui Chriſtus memoratur infixus, homo enim formam crucis habet, quam ſi manus extenderit, exprimit manifeſtius; Limum quidem nos eſſe manifeſtum eſt, quia de limo plaſmati ſumus.* Chriſtus autem ſe in nobis crucifixum eſſe cenſet, quia Apoſtolus ait: *Vos eſtis corpus Chriſti*; Felle ſe & aceto in nobis potatum eſſe reputat, ob dolorem & tormentum, quod in ebrietatum & crapularum noſtrarum exſolutionem ſuſtinuit; propter cuncta alia peccata, quæ in tot ſcurrilitatibus, obſcœnitatibus & convitioſis ac detractorijs, proximoſque noſtros pungentibus verbis per linguam noſtram committimus, ſpinis ac ſentibus ſe transfixum eſſe exiſtimat; per roſas denique quibus hoc tempore potiſſimum, licet fictis, tempora noſtra cingere ſolemus, oculos ſuos oblevatos eſſe lamentatur; In vultu quoque transformatur & deturpatur, quando nos ad inverecundius peccandum aſſumptis in facie larvis & peregrinis, alteriuſque ſexus induti veſtibus *facies peccatorum ſumitis*; Lancea latus ejus in haſtiludijs, aliiſque infinitis inde conſequentibus diſſolutionibus transfoditur; ferro manus pedeſque ſuos transfixos & perforatos eſſe dicit, in choreis, tripudijs, ſaltibus; In comœdijs obſcœnis, & verbis indignis, quæ aërem neſcio quo peſtilentiæ contagio inficere poſſent, cum blaſphemamus & convitiamur, & ideò mirum non eſt, quod ubi vulgata noſtra legit; *Quoties exacerbaverunt eum?* Hebræus legat: *Crucifixerunt eum?* Tandem ex exemplo illo quod in Diſcurſu quinto contra choreas & vana tripudia adduximus, clarè ſatis deduci poteſt, quod per illa ſpecialiſſimè doloroſiſſima ejus Crucifixio renovetur.

Venus contrariatur crucifixo.
*Phil. 3. v. 18.*
*Gal. 6. v. 8.*
*Phil. 3. v. 19.*

5. Adhæc dicere poſſumus, quod voluptates & blandimenta carnis præ cunctis alijs peccatis Chriſti crucifixi doloroſam & amaram Paſſionem mirum in modum adaugeant. Sanctus Paulus Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens adverſus certum quemdam abuſum, qui hiſce diebus in majori Chriſtianorum parte cum non exiguo ſcandalo cernitur, his verbis inſurgit: *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus*; Per hos autem Crucis Chriſti inimicos illi potiſſimũ intelliguntur, qui hiſce diebus Bacchanalibus, quæ mortẽ & cineres, ſive illud: *Memento homo quia pulvis es*, pro fine ſuo habent, aſſiduè intenti ſunt, horum finis etiam ideò interitus eſt, quia *qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem*; Et quidem quod Apoſtolus illis præcitatis verbis, de illis qui Bacchanalibus & Baccho cultum deferunt, loqui intendat, in verbis immediatè ſequentibus manifeſtius patet, cum de illis ſe loqui dicit, *quorum Deus venter eſt.* Quodnam inter

inter omnia falſa Paganiſmi numina illud fuit, quod Redemptoris noſtri Crucem tot annis ſubtus terram abſcondere & Chriſtianorum venerationi ſubtrahere præſumpſit? Fecit hoc ſimulachrum Veneris, quæ Bacchi individua ſemper comes eſt; Et ideò Hugo Cardinalis per illos *quorum Deus venter eſt, concupiſcentiam carnis* intelligit: Et hæc Venus hiſce Bacchanalium diebus paſſim ſacrilegè adoratur. Gentiles quidem ſuper loco, in quo Præſepium reconditum latebat, Adonem, & in loco Reſurrectionis Dominicæ Jovem ſtatuerunt: at verò in loco in quo Crucis Chriſti patibulum tenebatur abſconditum, ut Sacroſancti illius ligni venerationem penitus abolerent, Veneris collocarunt ſtatuam; Sed cur ſuper locum Crucis Chriſti Veneris ſtatuam erigere voluerunt? nimirum ut intelligeremus nullum eſſe vitium, quod morti & Paſſioni Salvatoris noſtri magis adverſetur, quàm peccatum Carnis, hoc enim Crucem Chriſti execratur, quia *contrariatur eorum carnalitati*, inquit Lyranus, quia pati & voluptuari directè inter ſe contraria exiſtunt: *Qui autem ſunt Chriſti*, inquit Apoſtolus, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Voluptates noſtræ carnales ſunt illæ, quæ pungentibus ſpinis tempora Chriſti transfixerunt, hæ clavi ſunt, manus pedesque Chriſti perforantes, nec non flagella, quæ Chriſti humeros crudeliſſimè lacerant; Lancea quidem latus Chriſti transfodit, ſed poſt mortem, ſpinæ autem non ſolùm, ſicut & clavi & flagella, in viventis Chriſti carnem ſævierunt, verum etiam nobiliſſimam magisque ſenſitivam corporis Chriſti partem, caput videlicet, innumeris vulneribus cruentarunt; *Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus*; Licet enim omnia peccata in Chriſtum crudeliter ferociant, voluptates tamen carnales eum vivaciſſimè vulnerant, acerbiſſimisque doloribus afficiunt; Et hæ per ſpinas præfigurantur; Unde Chriſtus quando *Verbum Dei inter ſpinas cecidiſſe* dixit, per ſpinas illas voluptates noſtras intellexit, dum ſtatim ſubjunxit: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt... qui à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur.* Haſce voluptates carnales in maximè ſenſitiva ſacratiſſimi corporis ſui parte, capite nimirum, temporibus, & cerebro expiare voluit.

*ad Phil. 3. v. 19.*
*Hug. Card.*
Simulachra à Gentilibus poſita.
*Lyran. ad Phil.*
*Gal. 5. v. 24.*
Voluptates carnales ſunt ſpinea corona.
*Matth. 27. v. 29.*
*Luc. 8. v. 14*
*Ibid.*

6. In Oſea legimus: *Filij fornicationum ſunt; Dixit, vadam poſt amatores meos.* Tales quoque Redemptor noſter hiſce diebus plurimos ex Chriſtianis eſſe conſpicit, qui mundi torrentem præcipiti curſu conſectantes, carnali appetitui ſuo plena cum libertate indulgent, ac proinde ut illis viam, quæ ad Inferni præcipitia illos perducit, quoad poſſibile eſt, præcludat, caput ſuum ſpinis coronatum illis opponit, ut dicere videatur: *Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inveniet*; Quando via aliqua obfirmanda & claudenda eſt, ne omnibus tranſeuntibus pervia ſit, ſepes è ſpineto complexæ, nec non prægrandes lapidum moles adhiberi ſolent: Eodem modo ſi Salvatoris noſtri animarum noſtrarum ſalutem avidiſſimè deſiderantis benigniſſimam Providentiam admirari volumus, conſiderandum nobis eſt, qualiter ipſe nos laxato prorſus omni fræno ad præcipitia properare videns viam noſtram acutiſſimis hiſce Paſſionis ſuæ ſpinis præcludere & obturare ſtuduerit, amaram ſuam nobis proponendo Paſſionem & mortem *ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria*, quo maceriæ nomine pariter ad acerbiſſimos Paſſionis ſuæ dolores alludit, unde quod in Canticis dicitur: *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ* de ſacratiſſimis Chriſti vulneribus intelligitur. Horum enim objectu obtinet, quod ſequitur: *Semitas ſuas non inveniet, Et ſequetur amatores ſuos & non apprehendet eos*; Sæpe enim Deus facit ut quas in hiſce turpitudinibus quærebamus delectationes, minimè inveniamus, aut ut ſperata mala & ſuſpecta familiaritate & commercio frui minimè concedatur, vel denique dulcedinem voluptatis, cum felle periculorum, vel ſiniſtrorum eventuum, aliorumque infortuniorum ærumnis juſto ſuo judicio commiſceat.

*Oſe. 2. v. 4. & 5.*
Chriſti paſſio viam voluptatis ſepit ſpinis.
*Ibid. v. 6.*
*Cant. 2. v. 14*
*Oſea 2. v. 6. & 7.*

7. Verum enimverò dum hunc Oſeæ textum nonnihil attentius apud me conſidero, videre mihi videor æternum Patrem quoque Unigenitum Filium ſuum Crucifixum de cœlo ob oculos nobis ponentem, ut præcipitem effrænium appetituum noſtrorum curſum ſiſtere hoc medio poſſit; nam ut Pſalmiſta ait: *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum; omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*; ac proinde quia univerſum ferè Chriſtianiſmum Dæmonis vexillum ſectari conſpicit, unumquemque noſtrum his ferè verbis affari videtur: *Sepiam viam tuam ſpinis*; Sed quænam eſt hæc via noſtra? Nulla utique alia quàm Chriſtus, ſiquidem hic ipſemet de ſe ait: *Ego ſum via.* Dicit igitur Pater æternus: Efficiam ut Filium meum ſpinis coronatum, ſentibusque in capite obſeptum in expiationem voluptatũ tuarum reſpicias; ut vel hoc ſpectaculo tamquam fræno ab eorumdem exceſſibus retraharis.

Pater æternus filium crucifixum oſtendit.
*Pſ. 13. v. 2. & 3.*
*Joan. 14. v. 6*

8. Quodnam obſecro in eo latet myſterium, quod ſitibundum Redemptorem noſtrum aceto potare volentes, ſpongiam quamdam aceto felle mixto intinctam hyſſopo circumpoſuerint? Numquid alia quædam arundo, vel aliud inſtrumentum præter hyſſopum haberi non poterat? utique notabilem hanc circumſtantiam S. Joannes non ſine peculiari myſterio nobis recenſere voluit, dum ait: *Vas ergo erat poſitum aceto plenum, illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Enimvero herba hæc calidiſſima eſt; ideoque dici poteſt fuiſſe effrænis concupiſcentiæ noſtræ carnalis peculiare Symbolum; In hac igitur Chriſto acetum bibendum propinarunt, quæ mox ut ori ejus admota fuit, mortem illi acceleravit, fuitque quaſi omnium dolorum hactenus perpeſſorum quoddã quaſi breve compendium, quia dicit S. Joannes *Cũ ergo accepiſſet acetum Jeſus dixit: Conſummatum eſt*, quaſi dicere vellet, ex nunc omnes dolores ad ſummum uſque gradum pervenerunt, & ideò mox ſequitur: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.*

Summum tormentum voluptates, noſtræ propinatæ Chriſto in cruce.
*Joann. 19. v. 29.*
*Ibid. v. 30.*
*Ibid.*

9. S. Hier. contra Jovinianum ita ſcribit: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt; quanta felicitas non uxoris ſervum eſſe, ſed Chriſti? ideò ſubdit: pretio magno empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum, redempti ſumus pretioſo Chriſti ſanguine, immolatus eſt pro nobis agnus, & aſperſi calidiſſimo rore hyſſopi omnem pituitam noxiæ voluptatis excoximus.*

*S. Hier. l. 1. adver. Jovin.*

10. In vita S. Gertrudis Chriſtus Redemptor noſter huic Sanctiſſimæ Virgini in Dominica Quinquageſimæ eo modo & forma apparuiſſe legitur, in qua flagellatus & inter duos lictores circumductus fuit, quorum unus ſpinis caput ejus cingere & doloroſiſſimè pungere videbatur; Cumque S. Virgo funeſtum hoc & lachrymabile ſpectaculum memoria ſua circumferens ad amarum fletum incitata, ſtagnantibus præ lachrymis oculis eum ſciſcitata fuiſſet, an aliquis hunc ejus dolorem mitigandi modus excogitari poſſet, Chriſtus cœleſtis Sponſus ejus ei reſpondit: Quod ſi quis amaram Paſſionem meam devoto & amoris pleno corde ad mentem ſerio revocaverit ſeque exinde in corde ſuo compungi ſentiens pro peccatoribus Deum precatus fuerit, is utique ſuaviſſimum afflicto cordi meo emplaſtrum conficiet, quo mediante dolor hic meus mitigari & lenior ac tolerabilior fieri poſſit. Verum eheu, ex quo nunc omnes Chriſti fideles inter ſe conjuratos Dæmonem ſectari, ſuisque deſiderijs ſine ullo reſpectu ſatisfacere videmus, dicere utique poſſumus, quod S. Bonaventura in ſerm. 1. Quinquageſimæ lachrymantibus oculis alta voce ad omnes Chriſtianos eloquitur, dum ait: *Non Filium Dei rurſus flagellemus per delectationem peccati, quia mitigandus eſt ejus dolor, non amplius renovandus.*

*Lib. 4. v. 15.*
Meditatio paſſionis Chriſti dolorem leviat.

11. Nobiliſſima fuit illa Uriæ Hethæi à Davide ad dormiendum cum uxore ſua abire juſſi, reſolutio, dicentis: *Arca Dei, & Iſraël, & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea, per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* Verum cujus mali Urias in eo arguendus fuiſſet, ſi cum uxore ſua in thalamo conjugali quieviſſet & dormiſſet, imò ſi id etiam apertè, & in facie totius exercitus feciſſet? Tantane erat illi erga Arcam Dei procul ab eo diſſitam, quæ nudum quoddam erat, multis licet ritibus & Cæremonijs ſacris Deo conſecratum reverentia & reſpectus? Quid igitur de illis fidelibus dicemus, qui licet à S. Matre Eccleſia in hac Dominica Quinquageſimæ Redemptor noſter à flagellis excarnificatus, & à ſpinis, id eſt, à voluptatibus, quæ per ſpinas intelliguntur, transfixus & confoſſus eorum oculis objiciatur, à peccatis ſuis tamen non ſolum non deſiſtunt, verum etiam Chriſtum à ſpinis laceratum velut deridentes, tempora ſua roſis, ſi non veris, ſaltem fictis accingere non erubeſcunt, dicentes: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant?* Cum tamen potius cum S. Bernardo dicere deberent: *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?*

Uriam ſequi debemus.
*2. Reg. 11. v. 11.*
*Sap. 2. v. 8.*
*S. Bern. in for. vit. honeſtæ.*

12. Superius Bacchanalia inventionem, imò vindemiam Dæmonis eſſe, totumque infernum, hiſce diebus laxatum, in pernitiem noſtram conjuraſſe ſæpius diximus, ſed qua ratione & modo illos vincere & profligare poterimus? De S. Edmundo Conturbienſi Epiſcopo refertur, quod cum aliquando Dæmonem in virtute ſanguinis Chriſti adjuraſſet, ut qua ratione facilius vinci & fugari poſſet, clare ediceret; *Adjuro te per aſperſionem ſanguinis Chriſti, ut dicas in quo facilius te vincere poſſum, reſponderit Dæmon: In eo quod nominaſti.*

Dæmon fugatur ſanguine Chriſti.
*Bellovac. ſpec. Hiſt.*



13. Ulyſſes ne à lenocinatricibus Syrenarum cantantium vocibus ſeduceretur, cantionumque lenocinia morte cogeretur luere ad navigij malum ſive arborem ſe alligari fecit: Qua fabula S. Ambroſius ad utiliſſimum quoddam nobis inculcandum monitum utitur, dum ita ait: *Non corporalibus vinculis ut Ulyſſes, ad arborem alligandus eſt animus, ſed ad crucis ſignum ſpiritualibus nexibus vinciendus, ne laſciviarum moveatur illecebris, curſumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis.*

Ulyſſis fabula pulchre applicata.
*S. Ambr. ſerm. 11.*

14. In vita B. Henrici Suſonis inter cætera ſcribitur, quod quotieſcumque illi nauſeabat cibus, illum in latus Salvatoris reponere, ac demum cum guſtu, & ſine ullius damni metu comedere ſolitus fuerit. Corrupto quidem & depravato guſtui & palato noſtro Bacchanalia vehementer placent; At vero ſi illorum concipere nauſeam volumus, in latus Salvatoris noſtri eadem intingamus; attentaque mente, quanti voluptates & gaudia noſtra illi conſtiterint, meditemur; Aut vero ſi ad præcipitia currendo cæci ſumus, *fel valet ad ungendos oculos*, &c. Audiamus quam bene S. Auguſtinus ad cœcitatis & ignorantiæ noſtræ eruditionem & illuminationem hac de re ſcripſerit: *Judæi*, inquit, *de crucifixo obtenebrati ſunt, Chriſtiani vero comedendo Chriſtum illuminantur.* Si verum lumen Dei recipere, noſque in diſciplinam & ſequelam Chriſti jungere volumus, hiſce diebus frequentius ad ſacram communionem, nec non ad venerationem & obſequium ſanctiſſimi Sacramenti, ubi publice expoſitum eſt accedamus, ſic enim Evangelici hujus cœci imitatores erimus, qui à tumultuante turba increpatus ut taceret, Chriſtique ſanctiſſimum nomen non invocaret, non ſolum increpantibus minime acquieſcendo non tacuit, verum etiam majori cum contentione animi clamando continuavit: *At ille multo magis clamabat: Fili David miſerere mei*; Idem quoque nos faciamus, tametſi enim prava aliorum exempla, amici item & ſodales & tota mundanorum turba, ad univerſales præſentium dierum diſſolutiones nos inceſſanter invitet, nec quidquam inde à bono noſtro propoſito deterreamur, quin potius hiſce diebus potius quam alias umquam conſtantiores ſtabilioresque nos exhibeamus in divino ſervitio, ſic enim lumen illud nobis comparabimus, quo confortari oculos noſtros in eum valeamus defigere, de quo ſcriptum eſt: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*; Fietque ut in nobis adimpleatur, quod de felici hoc cœco Evangelium affirmat, ſcilicet: *Confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum.*

Exemplum.
*S. Auguſt. in Pſal. 33.*
*Marc. 10. v. 48.*
*Joan. 1. v. 9.*
*Luce 18. 43.*

## DISCURSUS XVIII.

## ARGUMENTUM.

Sancta Dei Eccleſia in Evangelio Chriſti nobis paſſionem ob oculos ponit, ut per illam à præſentibus nos diſſolutionibus coerceat, eoſque qui veri Chriſtiani ſunt ritè exploret.

### THEMA.

*Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis; Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.* Luc. 18. ℣. 31.

1. HAud immerito prima facie videri non nemini poſſet, quod ſancta mater Eccleſia, licet per Spiritum Sanctum ſpecialiter & conſtanter dirigatur extra orbitam ſalire videatur, quando in Dominica Quinquageſimæ, in qua univerſus ferè mundus vanis deditus eſt gaudijs, & voluptatibus corporis immerſus, tale fidelibus Evangelium proponit, quod melius & congruentius ſeptimanæ Paſſionis vel hebdomadi ſanctæ adaptaretur, quam Bacchanalibus diebus congrueret; ſiquidem tam ſolemnis & accurata in ea paſſionis & mortis Chriſti mentio fiat. Etenim ut Sapiens ait: *Omnia tempus habent & ſuis ſpatijs tranſeunt univerſa ſub cælo; tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi & tempus ſaltandi.* Porro Quadrageſima tota, & præcipuè Septimana Sancta, tempora ſunt plangendis peccatis, & pœnitentiæ agendæ deſtinata, at vero nunc tempus Bacchanaliorum adeſt, *tempus* videlicet *ridendi, & tempus ſaltandi.* Quænam inveniri proportio poterit inter montem Calvariæ, & comica ſeu tragica theatra, inter fel & lauta convivia, inter acetum & ebrietates, ſpinas inter & roſas, clavos itidem & voluptates? Movetur hoc dubium à S. Vincentio Ferrerio ſerm. 1. in Dominicam Quinquageſimæ, ubi ait: *Quæſtio eſt moralis, quare hodie ſancta mater Eccleſia facit mentionem de Chriſti Paſſione, cum dicat Sapiens: Omnia tempus habent, tempus flendi*, &c. *Omne negotium ipſius opportunitatem habet; Cum ergo hodie ſit tempus lætitiæ & exultationis, quare ſit mentio de Chriſti Paſſione, quæ eſt flebilis & triſtis?* Reſponditque hic vir Sanctus ſequentibus verbis: *Reſpondeo quod ſancta mater Eccleſia à Spiritu ſancto gubernata & recta, ſciens exceſſum & guloſitatem filiorum ſuorum, quam faciunt his tribus diebus in comedendo & bibendo, ideo cogitavit ponere coram filijs Chriſti Paſſionem, ut fideles reſtringantur à guloſitate, conſiderantes quantum conſtitit peccatum gulæ primorum parentum, non gallinarum & perdicum, ſed unius pomi fructus, eſu commiſſum, quod Filius Dei habuit ſuſpendi in patibulo Crucis.* Et quidem quod Sanctus hic prædicator de gula dixit, nos quoq; alijs diſſolutionibus & turpitudinibus Bacchanalibus applicare poſſumus.

Paſſionem Chriſti Eccleſia proponit ut diſſolutiones coerceat.
*Eccle. 3. v. 1.*
*Eccleſ. 3. v. 1.*
*S. Vincent. Ferrer. ſer. 1. in Dom. Quinquag.*

2. Dum Rex Moab ſe à trium Regum, Iſraël videlicet, Juda, & Edom, potentiſſimis exercitibus circumſeptum videret, ingentemque paſſus fuiſſet militum ſuorum ſtragem, in arcta obſidione poſitus, in hanc tandem reſolutionem deſcendit, quia filium ſuum unigenitum, qui ei in ſolio regio ſucceſſurus erat, apprehenſum in conſpectu totius hoſtilis exercitus manibus proprijs occidit & ſacrificavit, ejuſque triſte cadaver e mœnibus Jeroſolymitanis miſerabiliter ſuſpendit, quo ex facinore victor hoſtium exercitus confuſus, & ex funeſto hoc ſpectaculo ad compaſſionem commotus, obſidionem protinus ſolvere cæpit: *Arripienſque filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum & facta eſt indignatio magna in Iſraël, ſtatimque receſſerunt ab eo &c.* Quis hiſce diebus animam Chriſtianam à tribus potentiſſimis hoſtibus, carne videlicet, mundo, & Dæmone arcta obſidione cingi non conſpicit? Hug. Card. ſuper illa Apoſtoli ad Romanos ſcribentis verba, quibus illos à Bacchanalibus divertere & deterrere moliebatur (hoc enim verba ipſius ex mente aliquorum indicare videntur) ſcilicet: *Nolite conformari huic ſæculo*, &c. ita ſcribit: *quia caro, mundus, Dæmonia diverſa movent prælia:* Mundus quidem, dum nos per tot luxus, ludos, jocos, comœdias, crapulas, haſtiludia, ad quamvis vitæ licentiam invitat & extimulat: Caro vero dum nobis tot vitæ commoditates, voluptates & delectationes carnales hiſce præſertim diebus ſolito frequentiores ob oculos ponit: Dæmon denique dum tot nos tentationibus his diebus infeſtat, ut in quemvis peccati exceſſum nos corruere faciat. Deus igitur animam hactenus ſibi fidelem, in hiſce certaminibus poſitam è cœlo videns, ejus compaſſione intima permotus, ut fortes hoſce exercitus diſſipet & profliget, eorumque vim & violentiam diſperdat; unigenitum filium ſuum, Crucis trunco confixum, ſibique in ſacrificium pro peccatis noſtris oblatum, atque è muris ſive mœnibus Jeroſolymæ, ab exercitu Babylonico arcta quadam obſidione oppreſſæ miſerabiliter ſuſpenſum, inimicorum oculis objicit, ut ab his funeſti hujus ſpectaculi aſpectu perterritis deſeratur & liberetur; Nam ut Origenes ad propoſitum noſtrum congruentiſſimè dicit: *Certum eſt, quia ubi mors Chriſti animo circumfertur, non poteſt regnare peccatum; Eſt enim tanta vis Crucis Chriſti, ut ſi illa ante oculos ponatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, ſed continuo ad ejus præſentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.*

Meditatione Paſſionis Chriſti fugatur exercitus voluptatum.
*4. Reg. 3. v. 27.*
*Rom. 12. v. 2.*
*Hug. Card.*
*Orig. in c. 6. ad Rom.*

3. S. Matthæus de muliere quadam, quæ duodecim annis continuis doloroſiſſimum & incurabilem ſanguinis fluxum paſſa fuerat; *Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis*; refert, quod ut ab hac miſeria liberaretur, confidenter ad veſtes Salvatoris contingendas acceſſerit: *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus.* Janſenius porro per hanc ſanguinis fluxum patientem mulierem, gentilitatem intelligit, à qua demum Eccleſia proceſſit: *In qua ſanguinis fluxus, ſuper his, quæ carnis & ſanguinis oblectatione patrantur.* S. Thomas pariter ſcribit: *Patitur fluxum ſanguinis propter fluxum carnalium delectationum.* Eodem quoque malo Eccleſia in ſuis filijs & fidelibus hoc tempore laborare, & ob Bacchanalium vanitatem, quamdam Gentiliſmi ſpeciem præ ſe ferre videtur, quæ proinde provido conſilio utitur, dum fimbriam Redemptoris

Paſſionis meditatio valet contra vitia.
*Matth. 9. v. 20.*
*Ibid.*
*Janſen. ibid.*
*S. Thom. ſer. in Dom. 23. poſt Pent.*

toris contingere ſatagit. Nam ut S. Antonius de Padua ait: *Veſtimentum Chriſti ipſius eſt caro, de qua Iſaiæ 63. Quare rubrum eſt indumentum tuum: Jeſus torcular, id eſt, preſſuram crucis ſolus ſuſtinuit, in quo veſtimentum ſanguine rubricavit: hujus veſtimenti ſimbria eſt ipſa paſſio, quæ animam liberat à peccato, & ſanguinis profluvio, contra enim carnis vitia ſumme valet memoria paſſionis Chriſti.*

*S. Ant. de Pad. in Dom. 24. poſt Trinit.*

Erubeſcentiã cauſa.

4. Ac proinde S. Bernardus dum oculos ſuos ad Chriſtum in ligni trunco crucifixum, potatum felle, clavis perforatum, fœdis ſalivis & pretioſo ſanguine madentem, viliſſimæque plebeculæ ludibrium factum dirigit, ad nos ſe convertens, ita nos affatur. *Quis ſuorum delicias ſeu gloriam ſuſtinere queat; nedum audeat quærere:* Et paulò poſt idem Chriſtianis objectum improperium proſequens dicit: *Et hæc intuens qui dicitur Chriſtianus, proprijs nihilominus voluptatibus indulgere nullatenus erubeſcit?*

*S. Bern. in Declam.*

Crudelitas Chriſtianorũ gravius crucifigentium Jeſum quam Judæi.

5. Ad hanc Chriſtianorum Redemptorem noſtrum dire crucifigentium crudelitatem melius intelligendam, neceſſum eſt ut conſideremus Filium Dei in die Veneris ſancto paucis horis in patibulo Crucis perpendiſſe ſuſpenſum, idque ex mero amore quo genus humanum proſequebatur, utpote quod redimere volebat; unde ob hunc amorem inſinuandum per os Zachariæ Prophetæ dicebat: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me;* ideo quoque traditori ſuo dixit: *Quod facis, fac citius;* & ob eamdem amoris cauſam alacer plane ac hilaris, ad locum, ubi paſſionem ſuam orſurus erat conceſſit: *Hymno dicto,* vel ut alij legunt, *cantato:* Hoc vero tempore à Chriſtianis, à fidelibus ſuis per tot ſcelerum exceſſus multis ſeptimanis in Crucem agitur & in Cruce ignominioſa manere cogitur: Peccata enim noſtra clavi ſunt, quibus Chriſtus crucifigitur: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum;* Et his quidem clavis caro ejus à ſuis configitur: *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, & ſi is qui oderat me,* &c. Ideo quoque S. Auguſt. Chriſtum introducit contra fideles ſuos graviter lamentantem, utpote qui dirius & crudelius ipſum crucifigunt, quam olim id Hebræi fecere: *Cur me graviori criminum tuorum Cruce, quam illa in qua quondam pependeram affixiſti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum Crux eſt, in qua invitus pendeo, quam illa, in qua tui miſertus mortem tuam occiſurus aſcendi.* Nos Judæos tantopere deteſtamur, eo quod Filium Dei in Crucem confixerint, & tamen nobiſmetipſis non indignamur, qui ipſum quotidie, & hiſce præſertim diebus, longè acerbiori & probroſiori morte per noſtras voluptates & diſſolutiones occidere non veremur.

*Zach. 13. 6.*
*Joan. 13. v. 27.*
*Matth. 26. v. 30.*
*Iſai. 53. v. 8.*
*Pſ. 54. v. 13.*
*S. Auguſt. ſerm 53. de diverſ.*

Bacchanaliſtę non minores hoſtes Chriſti quam Judæi.

6. Tertull. de theatrorum ſpectaculis, aliiſque ludis Bacchanalibus non multum diſſimilibus loquens, illa Pſalmiſtæ verba, in quibus deteſtabilis illius Conciliabuli ad mortem Chriſto machinandam & decernendam congregati fit mentio, nimirum *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit,* &c. ad præſens propoſitum interpretatur, dum ait: *Ergone nunc minus peccatores, minus hoſtes Chriſti, quam tunc Judæi? Quidquid & cætera congruunt? Nam apud ſpectacula & in via ſtatur.*

*Pſal. 1. v. 1.*
*Tertull. de ſpect. c. 3.*

Finis hujus lætitiæ Chriſti Crucifixio.

7. Memor eſto triumphi illius palmarum, in quo cives Jeroſolymitani Chriſto cum virentibus olivarum ramis, ſonoriſque vocibus, cum jubilo & lætitia, totque alijs devoti obſequij pijs demonſtrationibus, occurrerunt, à quibus tamen Salvator noſter eademmet die circa veſperam ne fruſtrum quidem panis habere potuit, imo eadem ſeptimana probroſiſſime crucifixus fuit. *Quam diſſimiles,* inquit S. Bernardus, *rami virentes & Crux? Flores & ſpinæ? Cui prius ſternebantur veſtimenta aliena ecce ſuis exuitur;* Ac tandem mellifluus Doctor concludit: *Hic eſt finis tranſitoriæ lætitiæ.* Tot hujus temporis inhoneſtæ converſationes, tot ludi, tot comœdiæ, curſus, larvæ, choreæ, & quævis alia gaudia, quo tandem fine clauduntur? In crucifixione Chriſti terminantur: *Hic eſt finis tranſitoriæ lætitiæ.*

*S. Bern. ſerm. 2. in Palmis.*

In vita ejus. Exemplum.

8. De inſigni illo Dei ſervo Joanne Baptiſta de Fulginio, implacabili illo Bacchanalium hoſte refertur, quod cum quidam è germanis fratribus ſuis his diebus mortuus fuiſſet, ipſe ſe lætum eſſe oſtenderit, ea præcipue de cauſa, ut cadaver illius publice expoſitum, multis frænum illis diebus injiceret, quo à peccatis coërcerentur, ſperabat enim quod per hoc ſpectaculum, ſi non plures, ſaltem aliquem à peccato aliquo veniali deterrere poſſet; ſed quęnam proportio eſſe poteſt, inter hominem aliquem naturali morte extinctum, & inter Filium Dei propter peccata noſtra in Crucis infami ligno ſuſpenſum? *Fratres,* exclamabat S. Auguſt. *ut à peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur.* S. Franciſcus quando haſtiludia ſpectacula & alias profanitates in Caſtello Montis leonis præparatas turbare & diſſipare niſus eſt, ut alibi diximus, hoc pręcipue medio uſus fuit; ut ſolemnis ille Ord. S. Franciſci Annaliſta inquit, quod illis Chriſti paſſionem vivaciter ob oculos repræſentarit, & impreſſerit: *Expenderunt eo tendiſſe ſermonem, ut à feſtis & vana ſæculi lætitia tranſeundum doceret ad Crucis Chriſti perferendas paſſiones.*

*S. Aug.*
*Lud. Wad. An. 1213. n. 29.*

Quinam veri ſint Chriſtiani.

8. Propriiſſimum ſignum unde hoc tempore fidelis Chriſti ſectator agnoſci poſſit; hoc eſt; ſi hiſce diebus ſub crucis regio vexillo conſtanter militiam ſuam continet: *Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs ſuis.* Qui enim ſe Chriſtiani nomine inſignitum eſſe gaudet, *Debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare; Diverſo quippe itinere ambulat,* ut S. Gregorius dicit: *Si gaudia delectationesque appetit, cui dux ſuus viam amaritudinis oſtendit.* Quod ſi pictor aliquis virum doloribus plenum delineare volens, caput illius exprimeret ſpinis & tribulis undequaque cinctum; cujus capilli livido ſanguine rigentes; oculi profundati; vultus pallidus & ſputis defœdatus ac lividus eſſet, collum vero eboris inſtar candidum, ac cætera totius corporis membra veſte pretioſiſſima auro & gemmis diſtincta amicta depingeret, ipſum vero Cytharam intra manus illius depictam plectro tangentem & hilari voce cantantem exprimeret, numquid pictoris illius ſtoliditati & imprudentiæ indignareris? Numquid illum pictorem amentem & delirum eſſe diceres? Utique ſic de illo arbitrareris; Sed audi quid Apoſtolus de nobis Chriſtianis dicat: in primis de Chriſto aſſerit: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ;* Sed quęnam ſunt huic capiti ſubordinata membra? Nos Chriſtiani membra illius ſumus: *An neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Quænam igitur eſt illa ſtoliditas noſtra quod cum ſancta mater Eccleſia Chriſtum caput noſtrum nobis exhibeat ſanguinem & lachrymas manantem: *Cum clamore valido & lachrymis,* flagellatum, ſpinis circumdatum, & felle potatum nos ſtolidi homines aliud nil quam voluptates, convivia, & gaudia requiramus & cogitemus.

*Gal. 5. v. 24.*
*1. Joan. 2. v. 6.*
*S. Gregor. Hom. 2. in Evang.*
*Coloſſ. 1. v. 18.*
*1. Cor. 6. v. 15.*
*Hebr. 5. v. 7.*

Bacch. figurata ſunt.

9. In Amos Propheta omnia illa prædicta fuiſſe videntur, quæ in hiſce Bacchanalibus accidere ſolent: Primo enim dicitur: *Væ... qui laſcivitis in ſtratis veſtris,* ecce voluptates carnales; ſubjungit: *Qui canitis ad vocem pſalterij;* Ecce muſicam, cantus, comœdias; Dicit inſuper: *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti;* Ecce ebrietates & alias vitæ turpitudines; Denique concludit: *Et nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph;* ubi per Joſeph Ægypti Salvatorem, mundi Salvator denotatur Crucis patientiſſimus.

*Amos 6. v. 4.*
*Ibid. v. 5.*
*Ibid. v. 6.*
*Ibid.*

Hiſtoria applicata Bacchanaliſtis.

10. Quonam fine Eccleſiam in Dominica Quinquageſimæ veri Joſephi, Chriſti Salvatoris noſtri nimirum veſtem cruore & ſanguine plenam coram populo Chriſtiano explicare exiſtimatis? Certe non alio quam ut ex illius aſpectu, quiſnam verus Iſraëlita ſit, comprobetur. Nota eſt illa à Tito Livio conſcripta Hiſtoria, quæ Romæ in Tullia Tarquinij ſuperbi impia filia accidit; Cum enim crudelis hæc mulier, cadaver Patris ſui, in via, per quam currus eam vehens trahendus erat, ſuper terræ pavimento miſerabiliter jacere conſpexiſſet, Rhedarius quoque curſum Rhedæ, ne cadaver illud ab equorum calcibus & Rhedæ rotis protereretur, ſtitiſſet, ut aliunde quæſito diverticulo Rhedæ viam ſterneret, impia hæc mulier Rhedarium, quod currum firmaſſet, graviter reprehenſum, equis ad progrediendum calcar & ſcuticam admovere juſſit, quaſi dicere voluiſſet: Numquid corpus Patris mei retardare poterit curſum itineris mei? Erat immanis hæc mulier, dignus Tarquinij ſuperbi fructus; quam profecto multi hiſce diebus ſequuntur qui præcipitem voluptatum & diſſolutionum Bacchanalium curſum ſine ullo cujuſcumque reſpectu proſequuntur, tametſi ſe filium Dei peccatis ſuis de novo crucifigere ſciant; qui proinde & ipſi filij ſunt adulteri & ſpurij, nomineque & charactere Chriſtianorum, nec non filiorum Dei hæreditate prorſus indigni.

Electus viſo crucifixo compungitur.

11. Quando illa ex ſanguine rigida Joſephi veſtis Jacob Patri ejus exhibita fuit, hic ſubito in amariſſimas lachrymas prorumpens, paterni amoris teneritudinem oſtendit, idque quia idemmet Jacob *Iſraël* quoque, quod *videns Deum* interpretatur, à Deo appellari meruit. Quiſquis igitur verus Iſraëlita, id eſt, verus & cœlo poſſidendo electus Chriſtianus fuerit, ad hoc Chriſti crucifixi ſpectaculum compungetur, verumque



que erga cœleſtem hunc Patrem ſuum oſtendet veri filij affectum: *Mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.*

*Joan. 16. v. 20.*

Exemplum.

12. Memorabile facinus quoddam à pluribus claſſicis & authenticis Scriptoribus, nominatim vero à S. Bernardino de Senis refertur; Hic enim poſtquam quæſiſſet: *Vis noſſè hanc diſtinctionem filiorum Dei, & Diaboli?* Mox ſubdit: *Audi exemplum.* Vir quidam uxorem cum tribus filijs habebat; quos veros & legitimos filios ſuos eſſe hactenus ſemper exiſtimarat, donec tandem aliquando conjux ejus adultera ſuam erga maritum bilem evomere volens, apertè ei diceret, quod ex tribus illis filijs, quos maritus ſuos eſſe hactenus crediderat, duos ex habito cum alijs viris commercio genuiſſet; Cumque maritus eam inſtanter, uter ex tribus illis verus ſuus & naturalis filius eſſet, interrogaſſet, illa hanc ei notitiam dare pertinaciter renuit, & paulò poſt, abſque eo quod filium legitimum manifeſtaret, mortua fuit; Maritus verò paulò poſt etiam infirmatus teſtamentum condidit, in quo illum hæredem ſuum futurum eſſe declaravit, qui ex tribus illis verus, legitimus, & naturalis filius ejus eſſe probaretur, abſque ſpecifica illius nominatione. Poſt mortem vero hujus, ſinguli hæreditatem tamquam veri filij adire contendentes, ad Judicem concurrerunt, qui ad imitationem Regis Salomonis, ad diſcernendum uter illorum verus filius eſſet, hoc medium excogitavit: *Præcepit enim eorum Patrem ad arborem alligari, & quod quilibet eorum fratrum ſagitta impeteret Patrem, ut noſcere poſſet ex jactu, quis verus filius ejus eſſet; Fuit forte memor iſte prudentiæ Salomonis 3. Reg. 3. de meretricibus coram eo contendentibus, tam mirabiliter ex vinculo amoris naturalis veritatem conjecturantis, & juſtiſſime judicantis; Primus illorum fratrum ſagittam jacit rectiſſime quantum ſapuit, in cadaver Patris defuncti; Secundus toto conamine nititur ſuperare primum; Cum ad tertium pervenitur, concutiuntur viſcera ejus, titubare incepit animus ejus, & cor tremuit, negat natura filij vulnerare proprium carnem Patris, horret facinus, pavet vulnus, ſtupet ſpiritus, & demum ipſius naturæ vinculo tractus, præelegit potius pro hæreditate Patris naturalem dilectionem, quam ejus ſubſtantiam temporalem, aitque Judici: Date hæreditatem cui dare licet, quia potius eligo illam amittere, quam meum licet mortuum vulnerare Patrem. Neſcitur rei veritas, palam fit per naturam, quod abſconditum erat per culpam, manifeſtatur hic eſſè filius verus, & tota hæreditas ejus in manibus relaxatur.* Enimvero quis noſtrum eſt, qui non videat Salvatorem noſtrum hiſce diebus vehementius, quam alias, lamentari poſſe de fidelibus ſuis dicendo: *Et poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam;* Etenim corpus & ſanguis Chriſti in trunco Crucis publice expoſitus eſſe cernitur; ſancta quoque mater Eccleſia eos qui veri filij & ad cœleſtem hæreditatem adeundam prædeſtinati ſint explorare nititur; Quotquot igitur hiſce diebus gaudijs & recreationibus ſuis, ex vero Dei amore ſe privant; hi veri fideles ſunt: Econtra vero *ecce peccatores intenderant arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent;* quia qui hiſce diebus appetitibus ſuis inordinatis omnem libertatem indulgent, qui peccatorum ſuorum jacula ſine ullo filiali reſpectu aut reverentia in pectus Chriſti figunt, hi infallibile in ſe ſignum edunt, è quo agnoſci poſſit, quod filij ſint adulterij & ſpurij; Non ſic anima illa electa fecit, de qua dicitur: *Arcum conteret & confringet arma;* hi igitur cœli veri declarabuntur hæredes.

*S. Bernardin. T. 1. ſer. 41. A. 2. c. 4.*
*Thren. 3. v. 12.*
*Pſal. 10. v. 3.*
*Pſ. 45. v. 10.*

Devota anima crucifixa eſt mundo.

13. Porro admirabile illud de Iſaac offerendum ſacrificium, cui ſe Abraham accinxerat, typus fuit crucifixionis Chriſti, nec non crucifixionis ſpiritualis, quam animæ devotæ hoc tempore ſubeunt, quia vere Deo ſacrificantur; *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt.* Notat vero S. Bernardus quod Abraham tandem non filium ſuum Iſaac, ſed arietem tantum jugulaverit, indeque hanc deducit moralitatem: *Tentat te Dominus Deus tuus, nec mactabitur Iſaac, ut opinaris; vivens vivet, ſed elevatus ſuper ligna, ut in ſublime gaudeas, nec in carne propria, ſed in Cruce Domini glorieris, propter quem nimirum crucifixus & ipſe es, ſed crucifixus mundo, nam vivis Deo.*

*Gal. 5. v. 24.*
*S. Bern. ſuper Ecce nos reliquimus omnia.*

*Plin. l. 8. c. 40*

Ingratitudinem Chriſtianorum canes damnabunt.

14. Plinius de cane quodam ſcribit, quod cum cadaver defuncti Domini ſui in catalecto ſtaret expoſitum, canis iſte prope funus Domini ſine ullius cibi aut potus ſumptione continuas egerit vigilias, & quem ei adferebant cibum ori Domini ſui admoverit, quaſi ſe inedia conficere volens, ut Dominum paſceret. Cumque prædictum cadaver in Tiberim conjectum eſſet, idem canis ſe quoque ipſum in eaſdem aquas præcipitanter committens, ne cadaver ab aquis mergeretur, omni conatu illud in ſuperiori aquarum ſuperficie ſuſtentare niſus eſt. Eheu quot hujuſce animalis erga Dominum ſuum quantumvis mortuum gratitudo damnabit Chriſtianos, quippè qui tametſi Redemptorem ſuum in expiationem voluptatum ſuarum in patibulum Crucis ſuſpenſum eſſe ſciant, & oculis conſpiciant; attamen hiſce diebus crapula ſe magis quam alias umquam ingurgitant; & *bibunt ſicut aquam iniquitatem?*

*Lib. 4. c. 15.*

Chriſto gratiſſimum ſervitium, paſſionis meditatio patientia in adverſis, mortificatio voluntatis.

15. In vita S. Gertrudis legitur, quod cum ipſa in triduo Quinquageſimæ hanc à cœleſti ſponſo ſuo gratiam poſtulaſſet, ut modum ei inſerviendi præſcriberet, quem Deo gratiſſimum eſſe ſciret, Chriſtus ei reſponderit. Tu nullo umquam tempore ſervitium aliquod majus vel gratius præſtare poteris, quam ſi per memoriam amaræ paſſionis meæ; patienter qualemcumque ſuſtinueris tribulationem, tibique vim intuleris, ut illa opereris quæ tuo deſiderio vel maximè ſunt contraria, quiſquis enim hoc in paſſionis meæ memoriam conatus fuerit facere; is utique largiflue ſe à me præmiandum eſſe, ſperare poterit. Ex quibus verbis advertendum nobis eſt, quod qui propriam ſuam abnegant voluntatem, ſuoſque appetitus mortificant, ut hac ratione ſe pro Chriſti Paſſione gratos exhibeant, hi ipſomet Chriſto teſte ſint illi; qui gratiſſima ei præſtant obſequia, adeo ut gratiora à debilitate noſtra numquam requiri poſſint, aut debeant, quique magna mercede ſe dignos efficiunt.

16. S. Leo, ni fallor, Bacchanalia *ad literam* optimè deſcribit, dum illa tempus perſecutionis appellat, non quidem à paganis; ſed à Chriſtianis contra Chriſtum excitatæ: *Sicut,* inquit, *totius eſt corporis pie vivere, ita totius eſt temporis Crucem ferre: Unum nomen eſt perſecutionis, ſed non una eſt cauſa certaminis, & plus plerumque periculi eſt in inſidiatore occulto, quam in hoſte manifeſto; Quoniam non ſolis doloribus corporis, atque ſupplicijs anima fidelis impetitur, verum etiam ſalva incolumitate membrorum gravi morbo urgetur, ſi carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem, præſidio Crucis Chriſti mens rationalis inſtruitur, nec cupiditatibus noxijs illecta conſentit.*

*S. Leo ſer. 9. de Quadrag.*

*Num. 21. v. 8.*

In tentationibus Crucifixus intuendus.

17. Deus olim ſerpentem æneum, qui Chriſti Crucifixi figura fuit in palo quodam erigi juſſit, ut omnes qui ex ſerpentinis morſibus accenſi & intoxicati erant, ex hujus ænei ſerpentis aſpectu ſanarentur. Serpentes infernales hoc tempore vel maxime igniti, in noſtram pernitiem venenum ſuum certatim evomere contendunt, laſciviam nimirum, gulam, profanitatem larvarum; & ſimiles alias carnalis hominis diſſolutiones, quonam vero remedio id obtinebimus ut ab horum ſerpentum morſibus, venenum prorſus nullum contrahamus, aut contractum protinus in nobis curetur? S. Bernardinus ait: *Si tentationum ſentis aculeos, exaltatum ſerpentem æneum intuere, & ſuge non tam vulnera, quam ubera Crucifixi.*

*S. Bern. Epiſt. 35.*

## DISCURSUS XIX.
## ARGUMENTUM.

De Eutrapelia, id eſt, honeſta recreatione, quæ ſervatis debitis conditionibus virtuti attribuitur.

### THEMA.

*Et juſti epulentur; & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Pſal. 67. ℣. 4.

Honeſtę recreationes virtuoſæ ſunt.

1. SPiritus Sanctus hoc tempore Chriſti quoque ſervos & ſectatores Regij Cytharædi miniſterio mediante ad ſua à ſingulis celebranda Bacchanalia invitat, id eſt, ad lætitiam, feſtiva gaudia, ad epulas & convivia; Dicit enim Regius Pſaltes nomine Dei: *Et juſti epulentur, & exultent,* non ſufficit ipſi quod illos epulari jubeat, *Epulentur,* verum inſuper præcipit ut gaudeant, *& exultent;* Et quidem ut juſti intelligant quod Deus gaudium & exultationem quamdam exceſſivam ab ijs expectet, dicit ulterius; *Et delectentur in lætitia.* Neque verba illa de ſpirituali ſolum gaudio explicari debent, verum etiam de honeſta lætitia & recreatione corporali, quæ communiter ſuum inter virtutes locum obtinet, & Eutrapeliæ nomine appellatur; Nam ut inquit Ariſtoteles: *qui laborant, indigent relaxatione.*

*Pſ. 67. v. 4.*
*Ariſt. l. 8. Polit. c. 3.*

2. Angelicus Doctor ſequens movet dubium, videlicet: *Utrum in ludis poſſit eſſe aliqua virtus;* Et reſpondet: *Circa ludos & jocos, qui nonnumquam ad animi ſolamen neceſſarij ſunt, ſi ſecundum rationẽ fiant, aliquam virtutem eſſe oportet, quam Eutrapeliam vocant;* Adducit ex

*S. Tho. 2. 2. Q. 168. A. 2*

*S.Auguſt.* — Neceſſaria. — *Ariſt.l.4. Eth.c.8.* — *S.Auguſt.*

S.Auguſtino ſequentia verba : *Volo tandem tibi parcas, nam ſapientem decet interdum remittere aciem rebus gerendis intentam.* Hunc finem vero conſequi poſſumus, inquit ſanctus Doctor per verba & actiones ad riſum & lætitiam excitandam ordinatas. Ariſtotel. l.4. Ethicor. c.8. de illis qui in hac virtute ſe exercent, dicit: *Fluxibili ac verſatili ingenio, qui dicta & facta quædam dextrè ad recreationem animi convertere norunt.* Idipſum S.Aug. ſequenti declarat exemplo : Sicut enim corpus humanum laboribus attritum & oppreſſum, nutrimento & ſomno mediante reſtauratur, ita quoque mens & animus hominis ex continua & vehementi applicatione defatigatus, ſua indiget reſtauratione & ſublevamine, quod in recreatione & jucunditate licita & honeſta conſiſtit. Enimverò quod homo nonnumquam rationabili & virtuoſa recreatione & dilatatione animi indigeat, adeo ex mente S.Thomæ certum, ut in Artic.4. ejuſdem Quæſtionis ſequentem ſtatuerit concluſionem:

*S.Thom.*

*Qui in ludo ita deficiunt, quod nec ipſi aliquod ridiculum dicunt nec faciunt, vel dicentibus & facientibus moleſti ſunt, vitioſi cenſentur.* Qui vero ſunt ejuſcemodi, tamquam inciviles de ruſticitate notantur & condemnantur, redditque aſſerti ſui rationem, quia *contra naturam eſt quod aliquis ſe alijs oneroſum exhibeat, dum nihil delectabile exhibet, & etiam eorum delectationes impedit,* quos proinde in hoc puncto tamquam ruſticos, duros & aſperos deficere aſſerit.

*S.Thom. Sen.c.15.de tranquillit.*

3. S.Thomas igitur de recreationibus & ludis dicit: *Ad animi ſolamen neceſſarij ſunt,* quod cum moralis Senecæ doctrina optimè conſentit, qui & ipſe dicit: *Danda eſt remiſſio animis;* & rationem hujus eſſet dicit, quia major à recreatione vigor derivatur; *Meliores acrioresque requieti ſurgent,* cavendum tamen eſſe dicit, ne illa animi relaxatio, diſſolutio quædam ſit, ſed recreatio tantum, quia hæc menti reſtauratæ majorem ad virtuoſe operandum ſubminiſtrat vigorem, *meliores ſurgent.*

*Ariſt.l.10. Eth.c.8.* — Ad virtutis incrementum quærend.

4. Salutare pariter eſt illud Ariſtotelis monitum, ejusque ſapientia & prudentia digniſſimum quo libro 10. moralium homini ſuadere nititur, ut in ludis recreationem quærat, dummodo id cum virtutis incremento, non vero cum diminutione ejuſdem fiat: *Lude, ut res ſerias deinde agas.* Ac proinde S.Auguſtinus hominem virtuoſum monet, ut recreationibus det operam, easque ad finem rectum dirigat, nimirum ut collapſas vires reparet atque reſtauret:

*S.Aug.in Pſal.34.* — *S.Gregor. Nyſſ.de opific.hom.c.13*

*Memento peregiſſe te aliquid, reſtare aliquid, divertiſſe te ad refectionem, non ad defectionem;* Ac proinde Sanctus Gregorius Nyſſenus de corporis noſtri architectura in lib. *de opificio hominis* diſcurrens, honeſtam recreationem, *tempeſtivam remiſſionem* appellat, & *reſtaurationem opportunam.* Plato cauſam edicere rogatus ob quam feſta & laborum remiſſiones inſtitutæ fuiſſent? id primo ideò factum fuiſſe reſpondit, ut debitus Deo cultus tribuatur. Secundò verò ad debilitatis humanæ laboribus exhauſtæ reſtaurationem:

*Plat.l.5. de leg.*

*Dij genus hominum laboribus natura preſſum miſerati, remiſſionem laborum ipſis ſtatuerunt, ſolemnia videlicet feſta in ipſorum Deorum honorem inſtituta præbentes.* S. Thomas dictum quoddam Sancti Joannis Abbatis à Caſſiano relatum adducit:

Similitudo.

Cum enim nonnemo apud ipſum conquereretur, non modicè ſe ex eo, quod ipſum ſimul cum diſcipulis ſuis hilarem, jocantem, & ridentem vidiſſet, fuiſſe ſcandalizatum; Sanctus hic Abbas cuidam, quem arcum manu ſua ferentem adeſſe videbat, arcum illum ut tenderet, & ſagittam eidem impoſitam evibraret præcepit, quod cum iteratis nimium vicibus illum facere juſſiſſet, is tandem impatiens arcum illum ex nimis continuata tenſione & exploſione facile frangi, chordamque rumpi poſſe reſpondit, niſi nonnumquam aliquamdiu illa nimis vehemens arcus tenſio remitteret, tunc Abbas ſapienter ſubjunxit: *Similiter animus hominis frangeretur, ſi numquam à ſua intenſione laxaretur.* Cui optimè conſonat illud antiqui & moralis Philoſophi documentum dicentis:

*Laert. in Theoph.* — *Demoſt. pro Cteſ.*

*Sapientiæ rumpit arcum, ſi non relaxetur.* Demoſthenes quoque de Hercule, ipſum *labores, quos in certaminibus ſubibat, ludicris alleviare ſolitum fuiſſe* dicit. Idem quoque Euripidem introducit, qui Deum quemdam Gentilium eodem fine recreationes admiſiſſe teſtatur: *Eumdem deum inducit, & facit dicentem: Ludo, & laborum recreat gratiſſima viciſſitudo me.* Plato de Republica ejusque miniſtris tractans, ita ſcribit:

*Plato l.8.de Republ.c.3.* — *Plin.l.7. c.40.*

*Quia ei, qui laborat, neceſſaria eſt requies, & ludus requietis cauſa comparatus eſt, negotiaque cum labore & contentione animi conjuncta ſunt, eam ob cauſam jocus adhibendus eſt.* Denique memorabilis eſt illa Plinij propoſitio dicentis: *Nemo mortalium omnibus horis ſapit;* ſicut enim corpus neceſſariò multis horis dormit ut poſt labores aliqualiter ſublevetur, ita quoque animus aliquot horis quieſcere debet, cum enim ex luto, non verò ex ferro plaſmati ſimus, neceſſum eſt ut per otium ad negotia diſponamur. Terra quidem in Vere germinat, in æſtate verò & autumno fructus producit, at verò in hyeme prorſus quieſcit; Et quidem tunc in tantum à florendo & fructificando remittit, in quantum ad producenda deinceps majori cum vigore & activitate germina ſua diſponitur:

*Philo l. Quod Deus &c.*

*Ut poſt reſpirationem quaſi athleta laſſus certamine, colligat vires, atque ita de integro ad labores anniverſarios redeat, id ſit verno æſtivoque tempore, tunc enim tamquam expergefacta è ſomno profundiſſimo, & oculos aperit, & ora patefacit;* inquit Philo.

*S.Tho.ibid.* — Ut recreatio ſit virtuoſa aliqua ſunt capienda. — *Minut.Felix in octav.*

5. Verum quidem eſt, quod, ut S.Thomas notat, ad hoc ut hæc remiſſio & recreatio virtuoſa ſit & honeſta multæ circumſtantiæ intercedere debeant: *Tria tamen videntur eſſe præcipuè cavenda. Primum & principale, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus &c.* Minutius Felix in ſpecie de Convivijs tractans inquit: *Convivia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria; nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, ſed gravitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore.*

Animi relaxatio fiat ut arctius Deo adſtringamur.

6. Sancta Cæcilia à Sancta Dei Eccleſia api comparatur: *Cæcilia famula tua quaſi apis argumentoſa tibi deſervit.* Apum verò hæc eſt proprietas, quod ex flore mel eliciant, cum araneæ econtra ex eodem eliciant & imbibant venenum: eodem quoque modo Sancta hæc Virgo ex cantibus organis, alijsque inſtrumentis muſicis, & nuptiarum feſtivis gaudijs, majorem & arctiorem cum Deo unionem, majusque nitidioris puritatis ſibi comparare novit: *Cantantibus Organis Cæcilia ſoli Domino decantabat dicens: Fiat Domine cor & corpus meum immaculatum.* Hic igitur eſſe debet honeſtæ recreationis finis, ut ſcilicet illa utamur non ut à Deo rebusque Divinis divertamur, ſed potius ut per illam Deo arctius adſtringamur, & cor noſtrum magis purificemus. Sancta hæc Virgo inter ſuaves organi modulos, terribile & horrendum Dei judicium ſemper ob oculos habebat, & per hanc conſiderationem diſſolutionem quæ inde oriri poterat, temperabat & moderabatur, quæ aliàs magnum animæ ejus præjudicium conciliare poterat: *Fiat cor meum immaculatum, ... ut non confundar.* Opportunè igitur ad propoſitum noſtrum Sanctus Ambroſius nos monet, dum ait: *Caveamus ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quemdam bonorum operum.* Et Sanctus Hilarius ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Exultate ei cum tremore*, dicit: *quia periculoſa ad oblivionem timoris eſſet libera à tremore lætitia;*

*Pſ.118.v.80* — *S.Ambr.l.1. off.* — *S.Hilar.ibid. Pſal.2.v.11.*

Lætandum cum memoria ſequentis judicij.

7. Sanctus Thomas, licet Omniſcius appelletur, eo quod omnia excellentiſſimè ſciverit & intellexerit, capere tamen Angelico ſuo intellectu non potuit, qualiter is, qui conſcientiam ſuam peccato mortali habet obnoxiam, ridere aut hilaris eſſe queat. Aurea igitur eſt illa S. Gregorij ſententia Hom. 39. in Evangelia dicentis: *Ita eſt agenda lætitia, ut numquam amaritudo ſequentis judicij à memoria recedat.*

*S.Greg.Hom. 39 in Evang.* — Recreationi juncta ſit Charitas. — *Gal.5.v.22.*

8. Obſervandum quoque eſt, quod S. Paulus Apoſtolus dum inter alios Spiritus Sancti fructus enumerat gaudium, illud immediatè recenſeat poſt Charitatem, quæ Regina eſt omnium virtutum: *Fructus autem Spiritus,* inquit, *Charitas, gaudium &c.* Ecce quàm neceſſum ſit ad hoc ut gaudium in nobis ſi verum, minimeque noxium, ut ſemper velut fundamentum & radicem ſpiritus conjunctam habeat charitatem, amorem & Dei gratiam. Cicero *de officijs* ita ſcribit: *Cum juvenes relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ;* Et paulò poſt idem ait: *Ludendi eſt quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur.* Salvianus ad propoſitum noſtrum ita diſcurrit: *Quis rogo hic furor eſt, quæ ſtultitia, numquid lætari aſſiduè & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus? An fortè infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? quis rogo furor eſt? rideamus quæſo quantumlibet, lætemur quantumlibet, dummodo innocenter.* At verò ut idipſum aſſequi valeamus, ad illa thematis propoſiti verba nos reflectamus neceſſum eſt: *Et juſti epulentur, & exultent;* notandum eſt enim quod ibidem dicat: *Et juſti*, neceſſum eſt enim ut rectam habeamus conſcientiam, ſi veram in nobis habere velimus lætitiam. *Exultent* igitur, ſed in *conſpectu Dei;* numquam ab oculis noſtris evaneſcere

*Cicer.l.1.de off.* — *Salv.l.6.*



Deus enim ubique præſens. — *Phil.4.v.4. ibid. Ibid.v.5. Ibid.*

debet Divina præſentia; Ad cujus doctrinæ confirmationem obſervandus eſt modus, quo S. Paulus ſuos ad gaudendum invitat: *Gaudete*, inquit, ſed ſtatim ſubjungit: *in Domino ſemper;* Eamdemque invitationem iterato repetit dicens: *Iterum dico gaudete,* ſed ſtatim addit: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus;* at verò quonam modo modeſtia hæc in nobis conſervabitur? *Dominus propè eſt*, quaſi dicat, conſiderandum vobis eſt, quod Deus nobis vicinus adſit, qui nos videt, nos auſcultat & obſervat.

Recreatio à Dei memoria ſeparari non debet — *Gen.17.v.1. Rup Ab. l.5. in Gen. 28.*

9. Venerab. Rupertus Abbas Ruitienſis Deum Abrahæ dixiſſe obſervat: *Ambula coram me & eſto perfectus*, idque tunc præcipuè dixiſſe, quando Iſaaci partus in propinquo erat; ſed cur tunc illum ita affatur? quidnam in eo latet myſterij? *Tunc demum hoc debuit dici*, inquit præfatus Abbas, *ambula coram me & eſto perfectus, quando Iſaac dono Omnipotentis Domini generatio parabatur.* Quid enim hoc nomen Iſaac aliud quàm riſum ſignificat? *riſum fecit mihi Deus;* Quia igitur Iſaac honeſtam & virtuoſam lætitiam præfigurabat, ideò Deus qui *Omnia in ſapientia fecit*, meritò Abrahæ dixit: *Ambula coram me*, ut (quia *Omnia in figura contingebant illis*) exinde intelligamus, quod lætitia, jubilus, ac riſus honeſtus ab actuali præſentiæ Dei memoria numquam ſeparari debeat. Tullius ex ſolius naturalis luminis dictamine loquens, inquit: *Ipſum genus jocandi ingenium ac facetum eſſe decet, non profuſum, nec immodeſtum, & ſemper in ipſo joco aliquod probi ingenij lumen eluceat.* Athenæus de Gentilibus ita ſcribit: *Cum ſibi perſuaderent Deos eſſe præſentes, moderatè & temperanter dies feſtos agitabant antiqui.* Sanctus Paulus proinde nos monet dicens: *Sive manducatis, ſive bibitis,... omnia in gloriam Dei facite. Videte*, inquit Sanctus Ambroſius, *quale viri Chriſtiani voluit eſſe convivium, ut plus reficiat hominem Dominici nominis frequens invocatio, quàm epularum multiplex & copioſa collatio.*

*Cic. ibid.* — *Athen.l.7.* — *1.Cor.10. v.31.* — *S.Ambr. l.de Elia.c.21.*

Mundi gaudia deficiunt. — *Joan.2.v.3.* — *Ibid v.10.*

10. In nuptijs Canæ in Galilæa in ipſo convivij fervore vinum defecit, *Deficiente vino;* unde clarè deducitur, gaudia & feſta hujus mundi tunc vel maximè deficere, cum maximè vigere videntur, & quando id futurum eſſe minimè cogitamus aut ſuſpicamur: Quia verò Deus veræ conſolationis ibi præſens aderat, aqua in vinum tranſmutata fuit, & quidem in vinum optimum, quod numquam vigente convivio defecit: *Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.* Ut intelligamus quod in illis convivijs, in illis nuptijs, in illis gaudijs, quibus Deus præſens adeſt, id eſt, in quibus convivæ aut collætantes in Dei gratia & amicitia conſiſtunt, & in quibus Dei offenſa ſtudioſè cavetur, ſed recreatio & gaudium illo tantum fine aſſumitur, ut per illud tantò in Divino ſervitio ferventiores reddamur, ibi gaudium & lætitia vera & cordialis numquam deficit, ſed ſemper augetur & creſcit. *Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.*

In recreationibus circumſpectio neceſſaria. — *Job 1. v.1.*

11. De S. Job legimus, quod pro filijs ſuis conviventibus Deo quotidie victimas & ſacrificia offerre conſueverit, ad hoc ut convivia & recreationes ſuas ſine ulla Dei offenſa conſummarent: *Cumque in orbem tranſiiſſent dies convivij, mittebat ad eos Job & ſanctificabat illos, conſurgensque diluculo, offerebat holocauſta pro ſingulis; Dicebat enim: Ne fortè peccaverint filij mei.* Hæc eſt circumſpectio illa & cautela, quam homines timorati habere debent: econtra verò illi qui ſine timore & fræno Dei vivunt, in omnibus gaudijs & recreationibus, quantumvis licitis, ſuſpicari & timere debent, ne fortè aliquis interveniat culpæ reatus, ac proinde cum omni cautela procedant.

Similitudo explicans malum quorumdam genium.

12. Philoſophi naturales Aſinum ſylveſtrem ejus naturæ eſſe ſcribunt, quod ex aquis limpidis & claris bibere nequeat, ideoque priusquam ex illis bibat, turbat eas & luto commiſcet, & poſtea os ſuum ſitibundum admovet. Multi quoque diſſoluti & ſine ulla diſciplina & timore Dei viventes Chriſtiani ſimilis prorſus ſunt indolis & naturæ, qui dum aliquas ſibi indulgere poſſent cum Chriſtiana modeſtia conditas, adeoque licitas recreationes abſque eo quod ullum conſcientiæ ſuæ peccati nævum adſciſcerent, illis tamen gaudendi ſeque recreandi modis minimè acquieſcunt, niſi aliquam impudicitiæ circumſtantiam conjunctam habeant; intervenire quidem huic vel illi ſpirituali vel morali repræſentationi comicæ poſſent, ſed non hanc, ſed laſcivam volunt, has quidem vel illas ludentium honeſtè & modeſtè convivantium converſationes frequentare poſſent, ſed ad choreas & feſtiva proſtibulorum gaudia & turpitudines malunt accedere.

Moderata ſit recreatio. — *Nazianz. Orat.6.* — *Plat.l.8.de Rep.c.4.*

13. Secunda à Sancto Thoma adducta Eutrapeliæ conditio eſt iſta: *Attendendum ne totaliter gravitas animæ reſolvatur.* Gaudia enim & recreationes cum moderatione admitti debent; ac proinde Sanctus Gregorius Nazianzenus ait: *Non interdictam volo animi relaxationem, ſed immoderationem coërceo.* Id quod Plato per Medicinæ ſimilitudinem declarat, quæ in pondere & menſura accipi debet, niſi ſalutem corporis non tam reſtitutam, quàm totaliter deſtructam, imò mortis quamdam neceſſitatem inde reportare velimus: *Jocus adhibendus eſt, obſervata uſus ejus occaſione, ut tamquam Medicinæ loco adhibeatur.* Verba enim faceta & honeſti joci ſales communiter appellari ſolent, quia ſicut ſal eſt condimentum univerſale ciborum, ita quoque joci & facetiæ honeſtæ, ſingulare quoddam ſunt bonæ converſationis condimentum, at verò neceſſum eſt, ut inſtar ſalis cum convenienti quadam & debita proportione adhibeantur. Unde Ariſtoteles in Ethica ſua inquit: *Parum de delectatione ſufficit ad vitam quaſi pro condimento, ſicut parum de ſale ſufficit in cibo.*

*Ariſt.l.9. Eth c.10.* — *Jud.7.v.5.* — Figura. — *Job 15.v.16.*

14. In libro judicum Gedeoni ad reportandam adverſus Madianitas victoriam certum quemdam militum delectum à Deo præceptum fuiſſe legimus, illi enim qui toto corpore ſuper aquas ſe extendebant, ut commodè & ad ſatietatem uſque bibere poſſent, tamquam ad prælium ineundum & obtinendam victoriam inhabiles arceri & dimitti: alij verò trecenti, qui obiter tantum ex vola manus aquam potabant, tamquam idonei milites jubebantur admitti: *Omnia in figura contingebant illis.* Madianitæ enim qui quondam populum Iſraeliticum à Deo lectum ad fornicationem, ad cultum Beelphegor ad carnes obſcœno ipſorum Idolo conſecratas manducandas inſtigarant, Bacchanalium ſectatores præfigurabant, qui ad omnem laſciviam proni *bibunt ſicut aquam iniquitatem.* Totum ſuum finem ultimum in hiſce gaudijs repoſitum habent, utpote Dei penitus obliti, & ſanctis ejus legibus pertinaciter rebelles: at verò veri fideles, qui Madianitarum ſunt victorioſi hoſtes, id eſt, Bacchanalia turbant & profligant, hi inquam velut canes Ægyptij trans Nili littora currentes, vix obiter aliquam aquæ ſtillulam excipiunt, caput verò vel os ſuum aquæ minimè immergunt, virtuoſè quidem & ſine ullo pietatis & devotionis Dei cultui debitæ aliquam ſibi honeſtæ recreationis ſpeciem indulgent, nequàquam verò ſe communis Bacchanaliſtarum turbæ turpitudinibus & inſolentijs immergunt, ſed cum moderatione, & Chriſtiana quadam cum modeſtia per aliqualem ætati, conditioni, & ſtatui ipſorum proportionatam recreationem defeſſas animi vires reſtaurare contendunt; Et hæc eſt ſecundo loco à Sancto Thoma adducta Eutrapeliæ circumſtantia.

Eutrapeliæ conditiones aliæ. — *Ariſt.l.4. Eth.c.8.* — *Act.Apoſt. 2.v.13.*

15. *Tertio attendendum eſt*, inquit Angelicus Doctor, *ſicut & in omnibus humanis actibus, ut congruat perſonæ, tempori, & loco, & ſecundùm alias circumſtantias debitè ordinetur, ut ſcilicet ſit jocus tempore & homine dignus;* Cui illa Ariſtotelis Stagyritæ verba perfectè conſonant: *Forma*, inquit, *quam hæc virtus ludo inſerit, eſt congruentia ad perſonam ludentem, tum in ſe ſpectatam, ut ejus dignitati non repugnet, tum in ordine ad alios, & ad locum, tempus, & negotium præſens.* Has utique conditiones plurimum exceſſerunt joci illi & ſtrepitus, quibuſcum illi non jam honeſte ſe recreantes; ſed veluti petulantes & diſſoluti, licet alioquin nobiles juvenes, Monaſterium Claravallenſe hoc Bacchanalium tempore infeſtare non dubitarunt; Hi etenim fama quidem Sanctitatis, quæ in Sancto Bernardo elucebat attracti, eo venerant, quia tamen Bacchanalia eo tempore paſſim agebantur, circum Eccleſiam Charavallenſem haſtiludia ibidem, ut in loco ſatis capaci & commodo inſtituere parabant, quos cum Sanctus Abbas, ut deſiſterent, inſtanter rogaſſet, nec tamen id ab ijs obtinere potuiſſet, operæ pretium ſe facturum eſſe judicavit, ſi eos hauſtu aliquo Cereviſiæ prius à ſe benedictæ honoraret, quàm ut biberunt (licet enim vinum non fuiſſet, de ijs tamen verè dici potuiſſet: *Quia muſto pleni ſunt iſti*) Spiritu infervescentes inter ſe de mundi vanitate, periculis & dolis diſcurrere, & in Dei amore adeò ardere cœperunt, ut ad Monaſterij fores redeuntes Habitum religioſum anxie poſtularint, & in eodem ad finem vitæ uſque ſanctè & cum ingenti exemplaritate & perfectione perſeverarint.

## DISCURSUS XX.

## ARGUMENTUM.

Univerſalem Bacchanalium torrentem ſine læſione aut offenſione ſecurè evaſiſſe, ſingulare Dei donum eſt, pro quo Deo gratias agere debemus, ſicut & pro eo, quod ſufficiens nobis lumen communicarit, ad cognoſcendum, quod gaudia hæc tandem in pulvere & cinere terminentur.

### THEMA.

*Laudabo nomen tuum aſſiduè, &c. Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo.* Eccleſiaſt. 51. ℣. 16.

Bacch. ſine peccato tranſactis Deo agendæ gratiæ.
Eccli. 51. v. 15.

1. HÆc laus & Deo reddita gratiarum actio optimè congruit animæ quam Deus hiſce diebus per auxilia gratiæ ſuæ à turpi & ſcandaloſa Bacchanalis vitæ licentia dignanter eripuit; Hæc enim meritò dicere poteſt: *Laudabo nomen tuum aſſiduè*; Eccleſiaſticus etenim præſens hoc Bacchanalium tempus in ſpiritu prophetico prævidiſſe, ideoque in perſona fidelis cujuſpiam à præruptis hujus temporis præcipitijs liberati hæc verba eloqui videtur, ſiquidem paulò ante dixerat: *Adjutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione,* à vitio gulæ & luxuriæ; Item *à lingua coinquinata*, id eſt, ut Lyranus exponit, *à verbis ſcurrilibus & immundis*; Denique *à preſſura flammæ incentivorum libidinis*; Juſtum igitur eſt, ut anima talis debitam pro tam grandi beneficio gratitudinem referat, utpote quæ *in medio ignis non fuit æſtuata, & à preſſura flammæ quæ circumdedit eam.* Quis enim eſt, qui non videat inimicum infernalem hiſce diebus in omnibus locis ſuos habere ad animas deprædandas protenſos laqueos? Poteſtque proinde Salvator noſter ad Chriſtianos converſus dicere: *Quoniam conjuraſtis omnes adverſum me, & non eſt qui mihi renuntiet,* id quod alijs temporibus lamentari aut conqueri non poteſt, quia tametſi tunc Hebræi, Heretici, Saraceni, Pagani, Schiſmatici, omnes adverſus ipſum conjurent, fidelem tamen illo tempore cultum exhibet univerſus Chriſtianiſmus: Hiſce autem diebus major fidelium pars Deum deſerit, ut is proinde adverſum nos his verbis lamentari poſſe videatur: *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.*

Eccli. 51. v. 2 & 3.
Lyran. ibid. v. 6.
1. Reg. 22. v. 8.
Pſ. 68. v. 9.
Eccl. 1. v. 15.

2. Verè nunc dici poteſt: *ſtultorum infinitus eſt numerus*, quia unuſquiſque hiſce diebus licitè ſe ſtulteſcere poſſe exiſtimat. Ezechieli à Deo præceptum fuit, ut barbam & capillos raderet, piloſque abraſos in medio foro publicè ponderaret. Jeremiæ ſimiliter ex Dei præcepto impoſitum fuit, ut veluti mancipium quoddam fugitivum catenis onuſtus per civitatis plateas hinc inde clamans & ejulans diſcurreret; Alias quoque ſimiles mortificationes in præclarorum Sanctorum hiſtorijs frequenter legimus, quas certè pauci admodum, quantumvis in virtutibus ſolidati & habituati ex puro Dei amore ſubituri eſſent; Et tamen quam eſt mundanorum hominum turba in hiſce Bacchanalium diebus depravata; ſiquidem innumeri ſunt Chriſtiani, qui ut alijs ſeſe aſſocient, & non videantur ſingulares *hodie* ſine erubeſcentia, *& lætantur cum malè fecerint*, & ſine ullo ætatis, natalium, profeſſionis & conditionis ſuæ reſpectu ad inſtar ſtultorum ſe veſtire non verentur.

Ezech. 5. v. 1.
Jerem. 27. v. 2.
N. B.
Prov. 2. v. 14

Vitiorum introitus per quinque ſenſus.
S. Hier. l. 2. cont. Jovin.

3. Aptè ad propoſitum noſtrum adaptare poſſumus quod S. Hieronymus his verbis contra Jovinianum ſcripſit: *Per quinque ſenſus quaſi per quaſdam feneſtras vitiorum ad animas introitus eſt: Non poteſt ante Metropolis & arx mentis capi, niſi per portas ejus irruerit hoſtilis exercitus: horum perturbationibus anima prægravatur & capitur, aſpectu, auditu, odoratu, ſapore, tactu.* Deſcendit autem Sanctus Doctor deinde ad hujus doctrinæ praxim, & de ſpectaculis & ludis Circenſibus tractando ait: *Si Circenſibus quiſpiam delectetur, ſi athletarum certamine, ſi hiſtrionum mobilitate, ſi formis mulierum, per oculorum feneſtras animæ capta libertas eſt, & impletur illud propheticum: Mors intravit per feneſtras.* Denique idem Sanctus nullum hac in re ſecurum eſſe poſſe oſtendit, ſiquidem etiam viri prudentiſſimi, & quoad ætatem ac judicium valde maturi effœminantur: *Comædorum, minorumque urbanitatibus & ſtrophis, & quidquid per aures introiens, virilitatem mentis effæminat.* Nunc adimpletur quod Seneca ait: *Nec furtiva jam ſcelera ſunt, præter oculos eunt*, imò homines hodiè ut Sapiens ait: *Et exultant in rebus peſſimis.*

Sen. l. 2. de ira. cap. 8.
Prov. 2. v. 14

D. Chryſoſtomus de ſui temporis juvenibus tractans inquit: *Neque verò tantum à ſpectaculis, ſed etiam à mollibus & diſſolutis cantilenis abducamus, ne his eorum anima faſcinetur; neque illos ad theatra deducamus, nec ad convivia & compotationes, ſed cautius quàm conclavi abditæ virgines cuſtodiantur à nobis juvenes.*

D. Chryſ. T. 2. Hom. 2. de Ann.

Cœleſte Donum Bacch. deſpicere.

4. Bacchanalium voluptates & delectationes contagium quoddam ſecum conjunctum habent, quod magna cum facilitate adhæreſcit & inficit, & quod omnium malorum maximum eſt, vehementer placet illis qui eo fruuntur; atque ideo cœleſte prorſus donum eſt, quod in timoratis animabus cernitur, dum à moderni temporis lenocinijs & incentivis non ſolùm prorſus alieni exiſtunt, verum inſuper hiſce diebus in Dei ſervitio magis magiſque efferveſcunt; quod utique donum per humanam induſtriam comparari nequaquam poſſet.

S. Auguſt. Epiſt. 141.

5. Sanctus Auguſtinus in Epiſtola ad zeloſam quamdam perſonam illis, qui de præſentis temporis malis conqueruntur & lamentantur opportunum quoddam his verbis præſcribit remedium: *Illo ſpiritu vivis*, inquit, *quo dictum eſt. Vidi inſenſatos & tabeſcebam, pia eſt illa triſtitia, & ſi dici poteſt, beata miſeria, vitijs alienis tribulari, non implicari, mereri non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi, hæc eſt perſecutio quam patiuntur, qui volunt in Chriſto piè vivere;* Verum enimverò conſiderandum hic eſt, quod cum ex eodem prorſus luto plaſmati ſimus omnes, omnes quoque ad lapſum faciles & proni ſimus, & ſicut nullum eſt corporale malum à quo quis eximi poſſit, niſi Deus ab eodem illum præſervet, ita quoque nullum eſt peccatum, quod committit unus homo, cui etiam ſubjacere non poſſit alter homo, niſi Deus illum ſpecialiſſima gratia adjuvaret; ac proinde quidam Dei ſervus dixit: *Nihil humani à me alienum puto.* Optimè quoque ad idem propoſitum idem jam citatus D. Auguſtinus ita loquitur: *Ut mutaremur in pejus, noſtra iniquitas fuit, ut mutaremur in melius, non noſtra juſtitia, ſed gratia Dei præſtat, quod ergo in pejus mutati ſumus, nobis imputemus, quod in melius commutamur, Deum laudemus.* Forſitan annis ſequentibus nos quoque Bacchanalium voluptatibus indulgebimus, atque ideò quod modo ab illis nos contineamus peculiare Dei donum eſt, cui illud proinde à nobis eſt attribuendum, Moyſes gloriam illam, quæ ob Pharaonis ſubmerſionem Deo debebatur, nequaquam uſurpavit ſibi, ſed dixit: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in mare; Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.*

Omnes ad lapſum faciles.
S. Aug in Pſal. 68.
Exod. 15. v. 1.
Ibid. v. 2.

3. Reg. 20. v. 11.
Cadere poſſumus æque ac alij.

6. Superbus ille Syriæ Rex Benadad, cum exercitu quodam potentiſſimo, in quo triginta duos Reges numerare poterat, Samariam aggreſſus eſt, jamque ſe civitatem poteſtati ſuæ ſubjecturum, ipſumque Samariæ Regem cum omnibus filijs ſuis captivum abducturum, omnes denique Regni illius theſauros ſibi abſque eo quod gladium ſtringeret, comparaturum eſſe certò confidebat; at verò Achab Rex nuntium illi miſit, qui ei diceret: *Ne glorietur accinctus æquè ut diſcinctus*, quia varius & ambiguus valdè eſt belli eventus. Et verè eventus nuntij illius veritatem oſtendit, ſiquidem univerſus Benadad exercitus miſere deletus fuit. Idem quoque nobiſmetipſis applicare poſſumus, quia licet per Dei gratiam à Bacchanalium periculis & præcipitijs procul abſimus, ob hoc tamen nequaquam vane extolli alijſque inſultare debemus, quia quoadùſque prælium durat (*militia eſt vita hominis*) nos æque faciliter cadere poſſumus, ac ipſi ceciderunt: *ne glorietur, &c.*

Ibid.

Singulare Dei donum immunem eſſe.

7. Ac proinde optimum eſt conſilium, ut illa Divi Pauli verba ſeriâ mente conſideremus: *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Porrò inter alias gratiarum actiones, quas Eccleſiaſticus in eodem aſſumpti thematis loco Deo agit, una hæc eſt: *Liberaſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui; à rugientibus præparatis ad eſcam*, Enimverò Dæmon per totius anni circulum nobis repræſentatur, tamquam *Leo rugiens, quærens quem devoret*; Quia verò hoc tempore omnes ſtygij ſpiritus ex Inferno emiſſi & laxati eſſe videntur, Deus ſpecialiter à nobis laudandus venit, eo quod terribiles ejus ungues potentiam, & immanitatem evaſerimus: *Torrentem pertranſivit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem*, inquit regius Propheta David; Quiſnam verò eſt hic torrens? & quænam aqua hæc eſt? illa nimirum de quâ dicitur: Bibunt ſicut aquam iniquitatem; *Benedictus*

2. Cor. 3. v. 4. & 5.
Eccli. 51. v. 4
1. Petr. 5. v. 8
Pſ. 123. v. 5.
Ibid. v. 6.





*Deus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* Quis noſtrum ſufficientes ſibi vires ad reſiſtendum huic torrenti, atque ad nimiam hanc Bacchanalium inundationem ſuperandam polliceri umquam potuiſſet? *Quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem? Niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in Inferno anima mea; Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua. Domine adjuvabat me.* Quiſnam in medio ſerpentum conſtitutus, promittere ſibi poterit, quod nullo ab illis ſit veneno inficiendus? & tamen hiſce diebus omnes Inferni colubri nos obſidere videntur: D. Chryſologus de profanis antiquorum ludis inquit: *Qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto, nemo cum ſerpente ſecurus ludit, nemo cum Diabolo jocatur impune*; ac proinde ſingulariſſimum Dei donum eſt, ſi ab hiſce, quibus circumdamur, flammis illæſi atque immunes maneamus, dicere poſſumus conſequenter: *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

Pſal. 93. v. 16
Ibid. v. 17.
Ibid. v. 18.
D. Chryſol. ſer. 155.
Pſ. 65. v. 12.

Bacchanalia ſpiritualia ſuadentur.
S. Baſil. de ebr. & lux.

8. Valdè quidem meritoria ſummaque laude digna actio eſt, non ſolum hiſce diebus à mundana vanitate totaliter ſe ſequeſtrare, verum etiam illis vel maximè Chriſtum per varia pietatis & devotionis exercitia ſectari, illudque in nobis adimplere, quod S. Baſilius his verbis ſuadet: *Jejunium ebrietatem curet, Pſalmus turpes cantus, lachryma riſum, pro ſaltatione genu Deo flectatur, pro tripudio pectus pulſetur:* Verumtamen ſeriò quoque conſideremus neceſſum eſt, quod non minus per totius anni curriculum ex vi juramenti & promiſſionis in Sacroſancto Baptiſmi Lavacro Deo præſtitæ, Deo fideles eſſe, ejuſque legem obſervare arctiſſimè obligemur, quæ in duobus hiſce polis: *Declina à malo, & fac bonum*, potiſſimè vertitur, neque ab hac obligatione etiam in hiſce Bacchanalibus, quæ Dæmonis latibulum, & magnus Chriſtianiſmi abuſus dici merentur, eximimur, adeoque ſi in hiſce diebus Chriſtianè viximus quod debuimus facere fecimus; *cum hæc omnia feceritis, dicite: ſervi inutiles ſumus. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

Luc. 17. v. 10
1. Cor. 3. v. 7

Joan. 15. v. 1
Cœleſtis ſeminatoris opus ſi fructus in nobis.

9. Numquam ille qui dixit: *Pater meus agricola eſt*, cœleſtium inſpirationum & invitationum ſemen in cunctorum fidelium rationales agros ejicere deſinit, ac proinde in Dominica Sexageſimæ non ſine myſterio, ſub Agricolæ ſimilitudine & parabola introducitur: *Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum:* at verò quid tandem fit? aves rapaces pretioſum hoc ſemen à cordibus noſtris tollere & rapere moliuntur: *Deinde venit Diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant*; Quod igitur Dæmon contra nos nec quidquam prævaluerit, divinumque hoc ſemen ad pariendos bonorum operum fructus, profundas in nobis egerit radices, cœleſtis hujus ſeminatoris opus eſt.

Luc. 8. v. 5.
Luc. 8. v. 12.

Bacch. necanda.
Jud. 3. v. 17.

10. Veram quamdam, ni fallor, Bacchanalium effigiem in libro Judicum in Rege Eglon delineatam habemus: *Erat autem Eglon craſſus nimis.* Hic enim populum Iſraël ſuæ tyrannidi habebat ſubjectum, ad eum modum, quo Bacchus populum Chriſtianum iniquis legibus ſuis adſtrictum tenet: At verò quonam medio Iſraëlitæ ab hoc jugo liberati & erepti fuere? Nimirum *ſuſcitavit eis Salvatorem, vocabulo Aod &c. qui fecit ſibi gladium ancipitem*; Hic enim coram Eglon comparens ſe illi dona offerre velle finxit, dixitque ei: *Verbum ſecretum habeo ad te;... Extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero fæmore ſuo, infixitque eam in ventre ejus, Tam validè, ut capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur.* Ecce tibi igitur hic adumbratum modum, quo Bacchanalia diſperdi & è medio tolli poſſint, nimirum ferro, ſeu enſe verbi Dei: *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*; Hunc enſem intra pinguedinem Bacchanalium immittere & profundare, id eſt, per ſeriam verbi Dei meditationem necem ei inferre debemus: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*; Animæ Chriſtianæ cor aperiendum eſt Dei ſanctis inſpirationibus & conſilijs, *quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor*, vel ut alia quædam verſio legit: *Qui non revertuntur ad ſtultitiam*, quod idem eſt, ac ſi dicat; pacem & quietem internam communicabit illis, qui ſe ab hujus profani temporis ſtultitia avertunt.

Ibid. v. 15.
Ibid. v. 19.
Ibid. v. 21.
Ibid. v. 22.
Epheſ. 6. v. 17
Pſ. 84. v. 9.
Ibid.

Gladio Divini verbi.
Apocal. 2. v. 14.

11. In Apocalypſi grave quoddam improperium illis objicitur, qui doctrinam & dictamina Balaam ſectabantur, nec non Epiſcopo illi, qui eos caſtigare neglexerat; At verò ſpecialiter notandus eſt modus, quo in hac materia loquitur Spiritus Sanctus: *Sed habeo*, inquit, *adverſus te pauca, quia habes illic habentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſraël, edere & fornicari, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Certum eſt autem, quod tam hi, quàm illi, individui Bacchanalium ſequaces fuerint, quia omnes carni & delitijs dediti erant; Statim verò immediate Bacchanalia penitus diſperdendi modum docet, id eſt, per ſeriam adhibitam pœnitentiam: *Similiter pœnitentiam age, ſi quo minus veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei*; Hic autem oris Divini gladius, alius eſſe nequit, quàm prædicatio Evangelica, atque ideo immediatè ab omnibus audientiam requirit & attentam auſcultationem: *Qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſijs: Vincenti dabo manna abſconditum*: Nimirum Spiritus & cœleſtium conſolationum ſuavitatem & dulcedinem illis promittit, qui Bacchanalium voluptates vincere & mortificare noverint.

Ibid. v. 15.
Ibid. v. 16.
Ibid. v. 17.

12. Deus olim per os Iſaiæ Prophetæ promiſit dicens: *Hinc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob Patris tui, os enim Domini locutum eſt:* At vero dicat fortaſſe aliquis, Quænā eſt illa hæreditas Jacob, qua anima fidelis adeo delicate nutrietur? Pro reſponſione igitur legendū vobis eſt Geneſeos caput 27. ibi namque invenietis, quod Iſaac pater ejus (qui nomine ſuo lætitiam & gaudium verum ſubindicat, quia *Iſaac* idem eſt, quod *riſus*) Jacob filio ſuo ſequentem aſſignaverit hæreditatem: *Frumento & vino ſtabilivi eum.* Hanc autem eximiam hæreditatem quoque nobis oſtendit hiſce diebus ſancta mater Eccleſia, dum hoc tempore in plurimis locis *frumentum* illud exponit *electorum, & vinum quod lætificat cor hominis*, idque eò præcipue fine ut eos qui erga ſanctiſſimū hoc Sacramentum devoti ſunt, ſpiritualibus conſolationibus repleat, atque inſuper ut ex illo hunc fructum valde conſiderabilem reportent, ut ſcilicet fraudes & dolos, vanitatem item & finem deplorabilem agnoſcant, in quo Bacchanalia tandem terminantur.

Iſa. 58. v. 14.
Cur hoc tempore S. Altaris Sac. exponatur.
Gen. 27. v. 37.

13. Opportunè hic mihi Jonas Propheta incidit, qui Niniven, civitatem ampliſſimam ingreſſus (in qua per totum annum continua celebrabantur Bacchanalia) elata voce per vicos & plateas hac verba clamando ingeminare cæpit: *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*, Factumq; eſt quod ad haſce hujus miſeri, nudi pedis, laceri, & è monſtri marini ventre egreſſi hominis voces, Rex Sardanapalus, licet adeo eſſet effœminatus, ut muliebri veſte amictus in medio concubinarum ſuarum filare non erubuerit, adeoque intemperanti gulæ deditus, ut in continua convivia, comœdias, choreas, & ſimiles vanitates omnes ſuos theſauros expenderit, cilicio aſperrimo ſuper nuda carne contectus, omnibus ſubditis ſuis, imo & brutis animantibus rigoroſo indicto jejunio, caput ſuum cineribus conſperſerit, ejuſque exemplo numeroſiſſimus urbis illius populus auſteriſſimam amplexatus fuerit pœnitentiam. At vero quid de populi Chriſtiani cœcitate & ignorantia dicemus? Cui cum non poſt quadraginta dies, ſed poſt breviſſimum temporis ſpatium mors intimanda ſit: *Memento homo quia pulvis es*, à vanitatibus tamen & diſſolutionibus Bacchanalibus non tantum non ceſſat, verum potius eaſdem adauget, & quanto propinquior eſt illarum terminus, tanto illas magis accelerat: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam.* Felices porro ſunt illi, quibus lumen adeſt ad dignoſcendum ſtultitiæ hujus Bacchanalis finem, indeque ſpiritualiter proficiunt.

Bacchanaliſtas condemnabunt Ninivitæ.
Jona 3. v. 4.
Luc. 11. v. 32.

14. Abundans illa ciborum annona, quæ in Babyloniæ regno coram Beli idolo quotidie apponi ſolebat, aliquam exprimere videtur cum Baccho ſimilitudinem; Etenim Babylonij firmiter ſibi una cum Rege perſuaſum habebant, annonam iſtam quotidie ab hoc Beli idolo abliguriri, cum tamen idolum illud omnis vitæ ſenſus, ac vegetationis expers eſſet; ut autem rei hujus pateſceret veritas, ipſeque Rex & omnes alij hunc errorem ſuum, quo tenebantur, agnoſcere poſſent, Daniel hoc uſus eſt conſilio: *Præcepit Daniel pueris ſuis, & attulerunt cinerem, & cribravit per totum templum coram Rege*, hacque ratione ſacrificulorum Beli detexit impoſturam, qua Belum genialiter adeo crapulari omnibus perſuadere nitebantur. Pari quoque modo ſi & nos, fictum & apparens Bacchanalium gaudium eſſe, experiri volumus, oculos noſtros in illorum finem conjicere debemus, qui alius non eſt, quam cinis, ſic enim omnes vanitates & lætitiæ in planctum tranſmutabuntur. *In fletu & in planctu ſcindite corda veſtra.* Præterquam quod illa vivendi inordinatio tales ſæpè conjunctas habet infirmitates quæ mortem ſpiritualem animæ, & ſæpiſſimè etiam corporis cauſant.

Idolum Bel Bacchi Typus.
Dan. 14. v. 13
Joel. 2. v. 12. & 13.

Bacchi gaudia in cinere terminantur.
2.*Paral.*15. *v.*16.
*S.Hier.T.*5. *extr.*

15. De Aſa legitur quod obſcœniſſimum illud Priapi ſimulachrum combuſtum in cineres redegerit : *Simulachrum Priapi omne contrivit , & in fruſta comminuens combuſſit in torrente Cedron.* Ubi S. Hieronym. ait : *Ajunt comminutum clam voluiſſe projicere, quod Dominus ut patefaceret , in torrente Cedron , ex aqua ignis proceſſit.* Non igitur Deo noſtro ſufficiebat, quod in minutiſſimas partes comminutum , in aquas projectum fuiſſet , verum inſuper illud per miraculum comburi voluit ; in igne nimirum ex aquis miraculoſe egreſſo ; *Omnia in figura contingebant* ; Sic enim etiam Eccleſiæ non videtur ſufficere, quod Bacchanalia ſuum tandem finem accipiant, verũ inſuper illa in pulverem & cinerem redigere intendit, ut hac ratione omnibus, quis voluptatum & lætitiæ, mundanæ finis ſit, innoteſcat.

*Prov.*30. *v.*15. & 16.
Cinis appetitum ſiſtet Bacchan.
*Pſ.*30. *v.*16.

16. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes : Affer, affer.* Porro in multis Scripturæ locis per ſanguinem peccatum denotatur, carnale præcipuè. Unde David à Deo gratiam libertatis ab impuris ſtimulis carnis poſtulare volens dicebat : *Libera me de ſanguinibus Deus.* Per has igitur ſanguiſugas , quæ ſanguinem bibentes ſatiari nequeunt, carnalis ſenſualitas intelligitur ; Quonam vero modo in hiſce animalculis ſanguinis exugendi appetitus ſiſtitur ? Per cinerem id obtinetur : Et ideo ſancta mater Eccleſia ad ſiſtendum præcipitem Bacchanalium curſum cineres adhibet, dum ait : *Memento homo , &c.*

Pulcher conceptus.
*Exod.*32. *v.*20.
*Ibid. v.*6.
*Pſal.* 113. *v.* 9.

17. Obſervandum quoque quod Moyſes vitulum, circa quem Hebræi choreas , crapulas & alias ſimiles impudicitias exercebant, ut ſacer textus ait : *Arripiens, &c. combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eis potum filijs Iſraël* ; Et quidem vitulam hunc Bacchanalium noſtrorum figuram fuiſſe, nullus eſt qui dubitet , quia ante eum *ſedit populus*, velut in Bacchanalibus , *manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere* ; At verò ſancta mater Eccleſia prima die Quadrageſimæ exemplo Moyſis illa in pulverem & cinerem redigit , huncque in aquas lachrymarum à fidelibus pœnitentibus effuſarum : *In fletu & planctu, diſpergit* , dictumque cinerem , ſi non adhibendum propinat , ad minus eodem capita & frontes fidelium tingit quale idolum illud , cui cultum & obſequium præſtabamus, in rei veritate ſit, perſpicue intelligamus ; Et ſicut ex aqua & cineribus inter ſe commixtis liquor aliquis conficitur qui *lixivium* appellatur , quique lini aliarumque rerum ſimilium ſordes perfecte mundat & purificat : Eodem quoque modo omnes animæ maculæ per veræ cujusdam compunctionis & pœnitentiæ aquam , nec non per aſſiduè à nobis meditatæ mortis cineres facili negotio purificantur : Illi vero è contra qui in hiſce Bacchanalibus non ſolum coinquinati non ſunt , verùm etiam eo tempore copioſam bonorum operum meſſem ſibi collegerunt , magnam habent cauſam referendi Deo laudes debitas & gratiarum actiones , dicendo cum Propheta : *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

---

# TRACTATUS X.

# DE BEATITUDINE SEU GLORIA COELESTI.

## DISCURSUS TRIGINTA.

DIscursus I. Cœleſtis gloria nec verbis exprimi, nec intellectu humano capi poteſt.

II. Cœleſtis Paradiſus pro nobis conditus fuit , utpote ad cœleſtem gloriam poſſidendam creatis ; ideoque ad hanc nos Deus ſuper omnia invitat, licet nos illam negligamus.

III. De amplitudine & immenſitate cœli Empyrei in cujus comparatione terra nonniſi punctum eſt, hæcque differentia ab illo qui cœlum aſpicit, facile agnoſcitur.

IV. Ex bonorum terrenorum aſpectu, devenitur in notitiam cœleſtium ; Unde ſupernæ Jeruſalem pulchritudo, delitiæ, opulentia, elegantia & lux fuſius conſideratur.

V. Beati omnes, utpote coronati Reges, in ſolio Majeſtatis ſedentes, in cœlis potentes erunt.

VI. Tractatur de animarum beatarum, & corporum ipſorum pulchritudine, & de dotibus charitatis, impaſſibilitatis, agilitatis & ſubtilitatis , quibus corpora adornabuntur , reſtaurabunturque omnes illius delectus.

VII. De gaudio & lætitia beatorum , quia ex divinæ faciei aſpectu perfundentur, utpote in qua omnigena pulchritudo videtur, variaque conſiderantur gaudia , quæ ſtabilia ſunt, omniſque triſtitiæ expertia.

VIII. Superabundantes gloriæ cœleſtis deliciæ, ex conſolationibus quas Deus ſervis ſuis etiam inter tormenta & dolores communicare ſolet, deduci poſſunt : Quilibet Beatus participabit de alterius beati gaudijs flueturque & unietur Deo omnis gaudij fonti ; Et ideo hic flendum eſt, ut ibi gaudere poſſimus.

IX Quod Beatitudo omnia in ſe deliciarum genera includat ex ſimilitudine Mannæ demonſtratur ; Et quidem ſi deliciæ cœleſtes cum terrenis conferantur , quantum illæ his ſuperiores ſint facile videtur.

X. Varij gloriæ accidentalis gradus , varijque ex beatitudine procedentes effectus conſiderantur , in qua invenitur quidquid volumus, aut deſideramus.

XI. De Paradiſi gloria ſub ſumptuoſi cujuſdam convivij metaphora & alluſione diſcurritur.

XII. De unione Beatorum quam habent in cœlis ; deque mutua gaudiorum inter ſe participatione tractatur.

XIII. In cœlo omnes Beati unam quaſi voluntatem habent, ex qua in cœleſti Hieruſalem magna inter beatos unio & concordia derivatur , ad quam amor & charitas aditum patefacit, & beatificat.

XIV. Quiſquis in cœlum oculum ſuum dirigit , omnia quibus hic in terris fruitur, aut frui poteſt, contempit, quia in cœlis omne bonum reperitur ; Unde quanti valoris unica tantum torrentis cœlum inundantis ſtilla ſit ponderatur.

XV. Beatitudo immunis eſt ab omnibus miſerijs, periculis, pœnis, culpis, alijſque hujus vitæ laboribus ; Et ideo beati lætabuntur quod portum ſecure teneant, & evaſerint infernum.

XVI. De gaudiorum , quibus beati fruentur, ſtabilitate, quippe quæ numquam deficient , cum bona hujus vitæ econtra continuæ mutationi ſint obnoxia.

XVII. Oculi noſtri in cœlum figendi ſunt, ſi bona terrena contemnere velimus.

XVIII. Conſideratio & ſpes bonorum cœleſtium nobis indicat vanitatem bonorum terrenorum ; Ubi agitur contra eos qui de præſentibus tantum gaudijs cogitant , de futuris nihil curantes.

XIX. Reprehenditur negligentia illorum , qui pluris terram quam cœlum faciunt, quibus Dæmon & omne malum communiter prævalere ſolet.

XX. Super illa verba : *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, variæ expoſitiones adducuntur.

XXI. Quiſquis cœlum aſpicit, jugum legis libenti animo portat ; Et ideo Evangelij ſectatores plus patiuntur, quam qui in antiquo Teſtamento vixerunt , cum jam apertus ſit Paradiſus, cujus conſideratione omnia facile ſuſtinentur.

XXII Mundus favorabilis facile ab eo contemnitur, cujus oculi in cœleſtem gloriam jugiter diriguntur , libenterque quævis adverſitas toleratur, utpote quæ ſpe æternæ retributionis ſuavis eſſe videtur.

XXIII. Chriſtus quidem Regnum cœlorum nobis conſignat ſed cum eodẽ onere quocum ille idipſum acquiſivit, id eſt, ſub onere Crucis & Paſſionis, quæ regnum ipſius fuit.

XXIV. Quiſquis ad Paradiſum vult ingredi , prius per flammivomum ærumnarum & tribulationum hujus vitæ enſem tranſire debet.

XXV. Paſſionum & tormentorum libenti animo toleratorum merita , viam ad cœlum complanant, & facilem efficiunt.

XXVI. Variæ gloriæ cœleſtis & electorum conſiderantur alluſiones & figuræ , in quibus mentio fit paſſionum ſuſtinendarum. Ubi etiam illorum reprehenditur negligentia qui cœlum deſerunt, ne pati cogantur.

XXVII. Sola divinorum præceptorum obſervantia ad beatitudinem acquirendam ſufficit, eſtque hæc in nova lege facilior quam in antiqua , eo quod in ſola charitate fundata ſit, quæ ſola in cœlos aditum præbet.

XXVIII.



XXVIII. Oſtenditur Salvatorem non omnes obligare voluiſſe, ut per eamdem paſſionis viam ad cœlum tranſeant, per quam ipſe illud obtinuit , ſed multas aperuiſſe vias faciles per quas cujuſlibet ſtatus & profeſſionis homines tranſire poſſunt ad æternam ſalutem.

XXIX. Aditus ad cœlum facilis eſt , cum Chriſtus illud nobis magna cum aviditate offerat, dicendo : Regnum Dei intra vos eſt ; Circa quæ verba variæ adducuntur obſervationes.

XXX. A multis parum pro cœlo datur, quia Deus contentus eſt à nobis accipere quod habemus, etiam ſolam bonam voluntatem, ſi plura dare nequeamus, & ideo velut in vehiculo in cœlos proficiſcimur.

### DISCURSUS I.

### ARGUMENTUM.

Cœleſtis gloria nec verbis exprimi, nec intellectu humano capi poteſt.

### THEMA.

*Oculus non vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus ijs qui diligunt illum.* 1.Cor.2. ℣.9.

Beatitudo inexplicabilis.
1.*Cor.*2.*v.*9.
2. *Cor.*12. *v.*2. & 4.

1. IDemmet Apoſtolus qui in Epiſtola prima ad Corinthios dicit : *Oculus non vidit , quæ Deus* in beatitudine electis *præparavit*, idem inquam in Epiſtola ſecunda ad eoſdem Corinthios de ſemetipſo teſtimonium perhibet dicens : *Et ſcio hujuſmodi hominem , ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit, Quoniã raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba* ; qua igitur ratione ſalva veritate aſſerere poteſt , gloriam humano ſenſui eſſe imperceptibilem, ſi ipſemet in hac vita mortali etiamnum vivens, eo modo ad illam raptus fuit , ut videre & audire illam potuerit : *Vidit , & audivit ?* Dico igitur verum quidem eſſe quod viderit & audiverit gloriam Paradiſi , verumtamen non niſi *per modum tranſeuntis*, ut ſcholæ loquuntur, oculos ſuos in divinam eſſentiam defixit ; *Audivit* quidem *arcana verba*, ſed *quæ non licet homini loqui*; Etenim à beati illius Regni venuſtate, elegantia, majeſtate, & immenſitate adeo obſtupefactus remanſit , ut veraciter ſe dicere poſſe exiſtimarit : *Nec oculus vidit, nec auris audivit*, &c. quæ verba Doctor Seraphicus conſiderans ait : *Tam ampla, tam alta, tam innumera ſunt illa bona, ut omnem excedant humanum intuitum, humanum auditum, & omnem animi cogitatum.*

*S.Bonav ſerm.*2. *de Aug.*
*S.Aug.Tract. de Beatitud.*
Hiſtoria.

2. Nota utique eſt hiſtoria illa quæ de S. Auguſtino ſcribitur ; hic enim die quadam dum Tractatum de Beatitudine ſcriberet , ad horam Completorij in extaſim raptus , ſuaviſſimam quamdam vocem audivit ; Cumque cujuſnam hæc vox eſſet, inquiſiiſſet? Reſpondit loquens : Ego ſum Hieronymus amicus tuus , qui dum in hac vita etiamnum ſuperſtes eſſet varia circa hanc materiam dubia contulit : Tunc S. Auguſtinus lætus ad eum dixit : Utique ex quo in cœlis videntem omnia clare & intuitive intueris, omnes hactenus inter nos agitatas difficultates reſolvere tibi jam minimè arduum erit: Cui ſanctus Hieronymus ait: Ut uno verbo edicam quod deſideras , opus erit, ut prius mihi ad ſequentia interrogata reſpondeas : Putaſne totam terræ rotunditatẽ in uno pugno claudere poteris ? Aut univerſam maris aquam in parvo vaſculo coërcere ? Si autem id impoſſibile eſſe judices , longe impoſſibilius eſſe dico quod intellectus aliquis creatus , illius gloriæ, quam Deus diligentibus ſe præparavit, minimam partem capere valeat; & his dictis protinus diſparuit.

Ad comprehendendam beatitudinem ratio eſt inſufficiens
*S.Joan.Damaſc.*

3. S. Joannes Damaſcenus efficaciſſimam quamdam rationem adducit, cui merito omnis intellectus creatus acquieſcere, ſeque ad Beatitudinem comprehendendam inſufficientem eſſe credere debet: Dicit ergo: *Neque vero mirandum eſt, gloriam illam , & lucem , & arcana bona nullis verbis declarari poſſe, neque enim ampla & eximia eſſent, ſi nos terreni & mortales , & gravem hanc & affectionibus obnoxiam carnem geſtantes ea tum cogitatione percipere , tum verbis exprimere poſſemus.*

Beatitudo laudari poteſt nõ explicari.
*S.Aug.ſer.*1. *de verb. Apoſt.*
1.*Cor.*2.*v.*9.

4. Poteritne inter omnes ſacros Doctores intellectus aliquis ſublimior, aut perſpicacior reperiri, quam fuit ille S. Auguſtini ? Hic ſe ex induſtria ad multas S. Pauli propoſitiones interpretandas in pluribus locis accinxit , ſpecialiter vero in duobus , ubi ita ſcribit : *Qualis autem ſit hæc gloria futura, & quibus divitijs floreat, quantoque ſplendore præfulgeat, laudare poſſumus , explicare non poſſumus. Quare ? quia legimus : Nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis deſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Alibi pariter hanc eamdem veritatem tradit his verbis : *Bona regni cœleſtis dicere, vel cogitare, vel intelligere, ut ſunt , nullus poteſt carne veſtitus , multo enim majora & meliora ſunt, quam cogitantur & intelliguntur* ; Ac tandem hunc Apoſtoli textum : *Nec oculus*, &c. adducens illa omnem capacitatem noſtram longe excedere concludit , dicens : *Regnum namque Dei omni fama majus, & omni laude melius , omni ſcientia innumerabilius , omnique gloria putatur excellentius* ; Quæ eadem fere verba Meditationum ſuarum cap.18. iterum repetuntur.

*S.Aug.T.*9. *De triplici habit. c.*1.
*S. Auguſt.in Meditat.c.*18

5. Magnificentia & fruitio animæ cujuſdam beatæ in pacifico Salomonis regno , thronique ejus magnificentia ſymbolice exprimitur , vere enim ubi talis anima cœlos ingreſſa Deum audiverit illam his verbis invitantem & dicentem : *Veni electa mea, ponam in te thronum meum* , majori cum jure quam Regina Saba fateri poterit, & dicere : *Et non credebam narrantibus mihi , donec ipſa veni & vidi oculis meis , & probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit.* S. Bernardinus de Senis in ſermone quodam de cœlorum Regno prolixè diſcurrens ita ſcribit: *Sequitur : Quantum eſt illud regnum ; hic deficit ſenſus , imaginatio, ratio, intelligentia ; Eſt enim magnum longitudine æternitatis interminabilis , latitudine capacitatis incoarctabilis, celſitudine ſublimitatis incomprahenſibilis.*

*Offic. Eccleſiaſt.*
3.*Reg.*10. *v.*7.
*S.Bern.ſerm. in Dom.*5. *poſt Epiph. c.* 4.

6. S. Gregorius ſuper illa verba : *Et aſcendit ſuper Cherubim & volavit*, ingenioſam quamdam facit ponderationem, & ad propoſitum noſtrum ita ſcribit: *Cherubim quippe plenitudo ſcientiæ dicitur , proinde ſuper plenitudinem ſcientiæ aſcendiſſe perhibetur , & volaſſe, quia majeſtatis ejus celſitudinem ſcientia nulla comprehendit ; volavit igitur , quia longe in altum ab intellectu noſtro ſe rapuit , volavit ſuper pennas ventorum , quia ſcientiam tranſcendit animarum.* Quiſnam obſecro ſapientior fuit Apoſtolo, qui ab ipſomet Deo promotus in Doctorem Gentium , in cœli Empyrei Academia eruditus , in ſecretiſſima divinorum myſteriorum penetralia introductus , & locupletatus fuit de illo ærario, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, & tamen licet pulchritudinis & opulentiæ beati illius regni oculatus teſtis fuerit, apertis verbis proteſtatus dicens: *Quod oculus nõ vidit*, &c. Quibus omnibus adjungere licet, quod idem Apoſtolus ſubjunxit, dicens: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum , Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei ; Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis , niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt ? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* Hic autem Spiritus Dei, qui perfectiſſimam habet bonorum beatitudinis ſcientiam, S. Paulo infuſus erat, eidemq; immortalia illa Beatorum gaudia revelaverat.

*Pſ.*17.*v.*11. *S.Greg. l.*17. *mor. c.*15.
Beatitudo deſcribi nõ poteſt ut Paulus teſtatur.
*Coloſſ.* 2. *v.*3.
1.*Cor.*2.*v.*9.
1. *Cor.*2. *v.*10.
*Ibid. v.*11.

7. In S. Joanne Salvator noſter duobus diſcipulis ipſum confidenter interrogantibus : *Rabbi ubi habitas ?* Reſpondiſſe legitur : *Venite & videte, venerunt & viderunt*; Et quidem nequaquam myſterio vacare credendum eſt , quod ſapientia illa incarnata in hac forma verborum reſponderit ; Siquidem *Omnia in ſapientia fecit.* Beda ait : *Volunt habitaculum noſſe Jeſu, volunt ſibi oſtendi, qualem habitationem habeat Salvator , ut cum ille oſtenderit, in quibus Chriſtus habitet, tales ſe exhibeant, in quibus poſſit Dominus habitare ; Et dixit eis : Venite & videte, Vultis videre habitaculum meum ? Sermone explicari non poteſt, opere demonſtratur.*

*Joan.*1.*v.*38. *Ibid. v.*39.
*V. Beda. ibid.*

8. Certum quidem eſt, quod Apoſtolus, ut jam diximus in Paradiſum raptus, ibidem beatitudinem & cœli Empyrei immenſam gloriam oculis ſuis contemplatus fuerit, & tamen cum omni ſua immenſa ſapientia illam nec exprimere , nec adæquatum illius conceptum ſibi formare potuit, *nec in cor hominis aſcendit*, licet cœleſtem beatitudinem in ejus Epiſtolis copioſius declaratam inveniamus , quam in ullo aliorum Hagiographorum qui *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem.* Imo ſæpius ad hoc me reflexi, quod ſcilicet hic primarius Eccleſiæ Doctor, licet ab ipſomet Spiritu ſancto immediate edoctus, & modo quodam inuſitato, & inaudito in cœlum raptus fuerit , quotieſcumque tamen de hac materia tractat , verba Iſaiæ , ut ita dicam decopiaſſe & deſcripſiſſe videtur , nam Iſaiæ cap.64. quaſi eadem verba leguntur : *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt , oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.*

1.*Cor.*2. *v.*9
1. *Cor.*13. *v.*12.
*Iſa.*64.*v.*4.

9. Sciendum quoque eſt quod idem Propheta Evangelicus , illos qui pro amore Dei in hac vita bene operantur & laborant , & cum innocentia vivere contendunt , ad conſtantiam animare & excitare volens ex ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu, hac loquendi phraſi utatur : *Dicite juſto quoniam bene , quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet : Væ impio in malum* ; Ac proinde quærendum venit, cur Propheta æter-

Retributio æterna inexplicabilis.
*Iſa.*3. *v.*10.

nam retributionem tanta cum verborum parſimonia circumſcribat,dicendo : *Dicite juſto quoniam bene*,& nihil aliud addendo? At vero ratio eſt eadem,quam paulò ante tetigimus , quia ſcilicet *nec oculus vidit , nec in cor hominis aſcendit* , &c. illa etenim retributio æterna inexplicabilis & cuivis intellectui humano quantumvis etiam claré à Deo illuſtrato imperceptibilis eſt , ac proinde indefinité ait : *Quoniam bene*, quia Beatitudo ſic definitur , *Eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.* Huic beatitudinis bonorum cumulo adjungatis licet omnia bona, quæ vobis imaginari aliqua ratione poteſtis, veſter tamen conceptus,veſtraq; imaginatio bonorũ quibus beati in ęterna beatitudine fruuntur multiplicitate inferior ſemper erit,atque manebit.

*1. Cor. 2. v. 9.*
*Boëtius.*

10. Ipſa quoque ſanctiſſima Dei mater , quæ *ſedes ſapientiæ* appellatur,de cujus utero dicitur : *Beatus venter; Emiſſiones tuæ Paradiſus*,quæ inſuper,ut graviſſimi authores aſſerunt , Deum ipſum ejuſque eſſentiam intuitivè & revelata facie vidit , in ſuo tamen Virgineo Cantico Beatitudinis bona ſpeciatim exprimere aut explicare minime præſumpſit , ſed his tantum verbis illa circumſcripſit : *Eſurientes implevit bonis.* Ubi Hugo Cardinalis ait : *Non dicitur quibus,ut intelligatur omnibus gratiæ & gloriæ ac ſpiritualis intelligentiæ.* In unum cumulum ſi omnia ſceptra , Coronas,Regna , Monarchias, & quaſcumque excellentias , dignitates , honores, quos mundus umquam habuit , aut ad finem uſque ſæculorum habiturus erit, congregetis , tandem hæc omnia nullam quamdam, ſive nihilum eſſe depræhendetis , in proportione ad minimum gradum gloriæ cœleſtis ; Et ratio eſt,quia *finiti ad infinitum nulla proportio*; Idem quoque de omni eo dicere licet,quidquid pulchri & boni quis non jam dico invenire , ſed vel imaginari ſibi in bonis hiſce creatis poterit , ſemper enim imaginatio veſtra minor erit eo quod in cœlis continetur;S.Nazianzenus quoque brevem quidem,ſed valde gravem habet ſententiam , quæ nobis de bonis immortalibus conceptum quemdam paulò minus quam adæquatum imprimit : Dicit enim bona cœleſtia talia eſſe, *quæ neque humanus intellectus pro poteſtate atque arbitrio beatitudinem fingent umquam informabit.* Forſitan vobis omnes beatos Reges coronatos , Imperatores,& Monarchas eſſe imaginamini? Nimis humilis eſt iſta imaginatio : Aut vero murus illius civitatis Dei ex auro puriſſimo , & pretioſiſſimis adamantibus conſtructos aptaretis ? Nimis & hæc phantaſia exigua eſt,in proportione ad pulchritudinem , divitias,& pretioſitatem beati illius domicilij : *Neque pro poteſtate aut arbitrio fingens umquam informabit.*

*Luc. 11. v. 27.*
*Cant. 4. v. 13.*
Beatitudinem Beatiſſima Virgo non explicare potuit.
*Luc. 1. v. 53.*
*Hug. Card.*
*Nazianz. Apolog. 3.*
*N B.*

11. Celebris valde eſt illa in Apocalypſi in ordine ad æternam retributionem facta promiſſio ; Dicitur enim: *Vincenti dabo manna abſconditum,& dabo illi calculum candidum , & in calculo nomen novum ſcriptum , quod nemo ſcit,niſi qui accipit:* Porro gloria cœleſtis merito mannæ comparatur , quæ in Scriptura ſacra panis Angelorum appellatur : *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum , panem de cœlo præſtitiſti eis, omne delectamentum in ſe habentem,& omnis ſaporis ſuavitatem, deſerviens uniuſcujuſque voluntati , ad quod quiſque volebat convertebatur* ; Unde ad explicandam cœleſtis gloriæ dulcedinem aptior hac adduci ſimilitudo nequit, quia ut ſuo loco dicemus, in illa habebimus omne id,quodcumque habere aut deſiderare poſſumus. Neque abs re erit ſi ex occaſione dulcedinis & ſuavitatis mannæ illius duce Ruperto Abbate Tuitienſi textum quemdam ex ſacris Canticis ponderaverimus , in quo ſancta ſponſa cœleſtis amatoris ſui delineamenta corporis ſigillatim his verbis deſcribit : *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus , Caput ejus aurum optimum,comæ*, &c. dum vero multis corporis ejus partibus enumeratis ad facies deſcribendas devenit,nihil aliud dicit,quam *Guttur illius ſuaviſſimum , & totus deſiderabilis.* Ubi Rupertus præfatus ait: *Porro guttur nulli rei ſimile,ſed tantum ſuaviſſimum dixit* : Caput quidem auro,Capillos elatis palmarum frondibus, oculos columbæ ſuper rivulos quarum Labia lilijs , crura columnis ſeu baſibus aureis aſſimilat , gutturis vero ſimilitudinem nullam prorſus adducit,quidnam in eo latet myſterij quod de gutturis dulcedine & ſuavitate agens omnem penitus ſimilitudinem omittat ? *Ut per hoc recogites ineffabilem , atque inæſtimabilem eſſe internam dulcedinem Divinitatis , ut merito dictum ſit illud , quod Deus diligentibus ſe præparavit : quod nec oculus vidit , nec auris audivit,nec in cor hominis aſcendit*, &c.

*Apoc. 2. v. 17*
Beatitudo mannæ comparatur.
1.
*Sap. 16. 20.*
*Cant. 5. v. 10. & 11.*
*Ibid. v. 16.*
*Rup. Abb. l. 5. in Cant. c. 6.*
*Rup. Abb. ibid.*

2.
12. At vero ecce tibi aliam quamdam rationem ob quam beatitudo à Spiritu ſancto per manna adumbrata fuerit ; Etenim populus ille Dei electus poſtquam prima omnium vice cœleſtis illius annonæ ſuavitatem & exquiſitos ſapores guſtavit , adeo ſtupefactus & attonitus hæſit , ut illam dulcedinem neque interius capere,nec verbis exprimere valens exclamaverit dicens : *Manhu , quod ſignificat , Quid eſt hoc: ignorabant enim quid eſſet.* Atque ex hiſce admirationis vocibus Mannæ nomen deductum fuit : Divina igitur ſapientia , quemdam dulcedinis & gaudiorum ineffabilium cœleſtis gloriæ conceptum formare volens,illam in manna præfigurare & depingere voluit , quia intellectum noſtrum in illam nequaquam ſine admiratione & ſtupore defigere valemus , utpote quæ compræhendi , aut exprimi neutiquam poteſt : Unde ſolum nobis cum admiratione exclamandum eſt: *Quid eſt hoc?* Ac proinde in eodem loco ſequitur : *Dabo illi*, &c. *quod nemo ſcit , niſi qui accipit.* Circa quæ verba S.Gregorius ait : *Nomen novum in calculo ſcriptum , id eſt, in æterno præmio , notitiam Dei humanis mentibus inuſitatam ſcire nemo poteſt, niſi qui hanc etiam acceperit.* Similiter S. Ambroſius ſuper hunc textum ita ſcribit : *Per calculum,nomenque in eo ſcriptum, poteſt beatitudo cœleſtis patriæ deſignari ; ut per calculum cœleſtis patria, per nomen vero in eo ſcriptum, beatitudo cœleſtis patriæ figuretur ; Hoc ergo nomen nullus ſcit,niſi qui accipit calculum,quia quanta ſit illa cœleſtis beatitudo , nullus ſcire prævalet, niſi qui ad hanc pervenire meruit, ſicut dicit Iſaias : Oculus non vidit, Deus, abſque te,quæ præparaſti expectantibus te.*

*Exod. 16. v. 15.*
*S. Greg. l. 19. mor. c. 2.*
*S. Ambr. T. 5. in Apoc. c. 2.*
*Iſa. 64. v. 4.*

13. In die illo quo Salvatore noſtro in cœlum triumphaliter aſcendente , cœli ad eum excipiendum aperti fuerunt , Apoſtolique fixis in cœlum oculis ſtetere attoniti , Angeli juxta illos ſe ſtatuentes , his eos verbis ſunt affati : *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Sed dicite ſodes, quidnam Angelorum intererat, quod Apoſtoli cœlum poſt tot ſæcula, quibus recluſum fuerat , apertum ſuumque Magiſtrum & Dominum qui illos docuerat. *Quærite ergo primum regnum Dei*, inibi glorioſe recipi videntes, in cœlum iſtud curioſe pariter & devote ſuſpexerint? S. Auguſtinus ait: *Quid aliud dixerunt,niſi nullo modo poteſt oculus hominum,uſque in illud penetrare ſecretum, quo ibat Dominus*; Angeli igitur,qui Apoſtolos in contemplanda clareq; videnda cœli gloria curioſos valdeque cupidos eſſe notabant , maxime cum is qui de ſemetipſo dixerat: *Ego ſum oſtium,per me ſi quis introierit, ſalvabitur*, per quadraginta dies de beati illius regni delicijs fuſe cum illis ſermocinatus fuiſſet; *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*,illos ne tempus fruſtra & inaniter perderent,commoverunt , dicentes : *Quid ſtatis? Nullo modo poteſt oculus hominum in illud penetrare ſecretum.*

Apoſtoli aſcendente Chriſto fixis oculis cœlum contemplati.
*Act. 1. v. 11.*
*Matth. 6. v. 33.*
*S. Aug. T. 9. Evan. 2. Q. 39.*
*Joa. 10. v. 9.*
*Act. 1. v. 3.*

14. Verum enimvero videor mihi nonneminem audire verba illa Hymni de Aſcenſione Domini objicientem, in quo dicitur : *Quicumque Chriſtum quæritis, oculos in altum tollite , illic licebit viſere ſignum perennis gloriæ.* At vero talis,quiſquis eſt, advertere debet quod non dicatur ibi: *Licebit viſere gloriam, ſed ſignum gloriæ*, Inter figuram & figuratum ingens eſt differentia ; In illo igitur hymno hoc ſolùm dicitur , quod quiſquis ſibi de cœlo Empyreo conceptum aliquem formare deſiderat, ſurſum ſuſpicere debeat, & dicere, quod ſi una tantùm ſtella , centies major eſt , quàm ſit tota hujus terræ vaſtiſſima machina,quanta igitur Cœli beatorum vaſtitas erit ? Quod ſi Cœlum ſtellatum tot lucidiſſimis ſtellis diſtinctum & ornatum , quanto pulchriores & lucidiores debent eſſe cœleſtis Paradiſi manſiones ? Quod ſi Sol ille viſibilis totum illuminat univerſum , aureiſque lucis ſuæ radijs benignos influit in hæc ſublunaria influxus, qualis Sol ille futurus erit, qui tribus luminibus in una luce reſplendet ?

Differentia.
*Hymnus Eccleſ.*

15. Salvator noſter apud Sanctum Matthæum docet nos cœleſtem à Deo poſtulare gloriam,dum ait : *Petite & dabitur vobis ; quærite & invenietis , pulſate & aperietur vobis* , quidnam verò nobis in Cœlo ſpeciatim petendum ſit,non exprimit neque declarat; Sed numquid aliàs quotidianam nos orationem edocens,nos ita orare præcepit : *Pater noſter qui es in Cælis &c. Adveniat regnum tuum?* Cur igitur modo nullam horum facit mentionem ? Nulli hoc loco dubitandum eſt, quin Salvator noſter, dum nos petere, quærere, & pulſare jubet, de æterna beatitudine locutus fuerit , jam enim dixerat: *Quærite ergo primum Regnum Dei* ; Item pulſate, ſed ubi, niſi ad fores Cœli ? *Domine , Domine aperi nobis.* Scirene cauſam vultis cur in illis verbis petite, pulſate , quærite nihil petendum aut quærendum, aut pulſandum ſpeciatim expreſſerit? Hugo Cardinalis inquit : *Cur dicitur,quærite,pulſate & petite, & non determinat quid, & ad quid?* Et mox ideò id factum eſſe reſpondet , quia cum in illis verbis de cœleſti gloria agatur ,

Verbum incarnatum ſat explicare nõ potuit.
*Matth. 7. v. 7*
*Matth. 6. v. 9*
*Matth. 6. v. 33.*
*Matth. 25. v. 11.*
*Hug. Card. ibid.*



agatur, nulla reperibilis eſt lingua,quæ illam nobis ad ſufficientiam explicare poſſit, licet etiam ipſummet ſit verbum æternum , ipſamet increata ſapientia,& illud ipſum,quod futurum eſt beatitudinis noſtrę objectum. *Ad ſignificandum,quod iſtud,quod petitur,quæritur,& ad quod habendum pulſatur,eſt innominabile.*

16. Porrò Etymologia hujuſce dictionis , *Cælum* , à Sancto Bernardino de Senis hiſce verbis exponitur : *Cælum , quia celat ſecreta Dei , à celando dicitur.* Cœlum etenim ſuam pulchritudinem , divitias,& gaudia ineffabilia , quibus inundat , non ſolùm ab oculis noſtris , ſed & ab intellectu noſtro celat & abſcondit. *Nec oculus vidit, nec auris audivit* , &c. Fuerunt nonnulli , qui ad cœleſtem gloriam adumbrandam Emblemate uſi ſunt , cujus corpus erat cœlum quoddam ſtellis, Sole, Luna , aliiſque omnibus elegantiſſimis & pretioſiſſimis ornamentis miré adornatum ; anima autem dicti Emblematis hac Epigraphe exprimebatur : *Pulchriora latent* ; Idem quoque nos in præſenti dicere poſſumus ; poſtquam enim de cœleſti gloria multum ſpeculati ſumus ; poſtquam de ea ſcripſimus, legimus, diximus , quidquid de ea à nobis ſcribi, legi, aut dici potuit ; imò poſtquam imaginationi & deſiderio noſtro, omne quidvis bonum, pulchrum, jucundum & appetibile quod excogitari poteſt , imaginandi & deſiderandi libertatem indulſimus , tandem liberè dicere poſſumus & debemus, quod longè plura,nobiliora,& præſtantiora in Cœlis viſuri & poſſeſſuri ſimus , ſiquidem. *Nec oculus vidit , nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit* &c.

Cœlum celat.
*S. Bern. Sen. de 7. donis Spirit. Sanct. A. 3. c. 2.*
Emblema.
*1. Cor. 2. v. 9.*

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Cœleſtis Paradiſus pro nobis eſt conditus, utpote ad cœleſtem gloriam poſſidendam creatis ; Ideòque ad hanc nos Deus ſuper omnia invitat , licet nos illam negligamus.

### THEMA.

*Quærite ergo primum Regnum Dei.* Matthæi 6. ℣. 33.

1. PRimum opus , quod à Divini illius Architecti omnipotenti dextera in totius univerſi creatione emanavit,fuit Cœlum Empyreum,domus videlicet æternæ beatitudinis. Unde ſacer Chroniſta primum Geneſeos caput ab his verbis orditur : *In principio creavit Deus cælum.* Divus Chryſoſtomus optimè ponderat,quod ſapientiſſimus mundi Artifex, mundialem hanc machinam erigendo omninò contrarium fecerit illius , quod nos hic in terris ædificia erigendo facere ſolemus , ſiquidem nos primo fundamenta jacimus,& poſtea conclavia domus paulatim erigimus. *Deus præter humanum morem , ſuum perficiens ædificium , prius Cælum extendit, poſtea & terram ſubſternit , prius culmen , poſtea fundamentum.* Et quidem tametſi verum ſit, quod nos ædificando primo omnium fundamentis effodiendis occupati ſimus,attamen primo omnium loco ad conclavia domus quæ inhabitaturi ſumus oculos noſtros convertimus, adeò ut hæc prima ſint in intentione, licet ultima in executione exiſtant , in tantum enim prius jacimus fundamenta , in quantum illa univerſam fabricam ſuſtentant : Creator autem noſter *Prius Cælum extendit , poſtea & terram ſubſternit* , idque non ſolùm ad hoc ut Cœlum ſine terra ſubſiſtere poſſe intelligamus , verum etiam ut primo omnium loco oculum & cor noſtrum ad cœleſtem Paradiſum tamquam ad domum & habitationem pro nobis fabricatam, dirigendum eſſe ſciamus, ſiquidem terra nobis velut exilium , via , & iter quoddam ad ſupernam Patriam poſſidendam aſſignata fuit; Unde Judex ille ſupremus,ad electos ſuos dicturus eſt: *Poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.*

Primò cœlũ creatum ut illuc cor noſtrum dirigeremus.
*Gen. 1. v. 1.*
*D. Chryſoſt. Hom. 2. in Gen.*
*Matth. 25. v. 34.*

2. Quando Deus poſt creatum cœlum Empyreum , fundamentum jecit totius univerſi , jam terra nondum in ſinu ſuo Infernum recludebat,quia couſque Lucifer nondum rebellis à Deo defecerat , neque quid peccatum eſſet ullus ſciebat,quod peccatum ſolùm ipſum in profundum abyſſi deturbavit , unde Infernus non eſt pro nobis conditus , bene tamen cœleſtis Paradiſus. Unde Sanctus Auguſtinus inquit: *Conſiderate quid dicturus ſit ad dexteram poſitis ; Venite Benedicti,percipite Regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi ; advertite fratres chariſſimi , quia Regnum Cælorum nobis prædeſtinatum: Gehenna autem non nobis,ſed Diabolo præparata eſt.* Valdè igitur conſideranda ſunt verba illa : *Paratum vobis Regnum*,quia Creator noſter,priuſquam hominem produceret, prius illi palatium,in quo habitaret, præparare, illudque non terram , ſed cœlum eſſe voluit, ac proinde : *In principio creavit Deus Cælum* , quia verò ita diſpoſuerat , ut priuſquam in Cœlos aſſumeretur , demoraretur aliquantiſper in terra , alium quoque eidem in hac eadem terra fabricavit Paradiſum: *Poſuit hominem in Paradiſo quem formaverat*,adeoque à primo ad ultimum hominem ſemper Cœlum ſuſpicere,ſemper deſiderare voluit: *Quærite ergo primum Regnum Dei* ; nolebat hominem ſtatim ab initio creationis ſuæ Cœli civem eſſe,ſicut ſunt Angeli , ſed poſt aliquod terreni incolatus ſpatium illum ad Cœlum transferre voluit , ut hac ratione adhuc in terra conſtitutus cor & oculos ſuos in Cœlum directos haberet.

Poſt terrenũ incolatũ voluit Deus transferre hominem in cœlum.
*S. Aug. ſer. 38. de SS.*
*Matth. 25. v. 34.*
*Gen. 1. v. 1.*
*Juxta Gen. 2. v. 8. & 15.*
*Matth. 6. v. 33.*

3. *Plantaverat . . . Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem.* Ubi S. Ambroſius ait: *In hoc Paradiſo hominem Deus poſuit, quem plaſmavit , poſuit ſicut Solem in Cælo , expectantem Regnum Cælorum.* Homo quidem fortis extra Paradiſum,in agro Damaſceno nimirum , formatus fuit , in Paradiſum tamen ſubitò poſt ſuam creationem tranſlatus fuit. Septuaginta legunt : *Sumpſit Dominus Deus hominem*, ut exinde intelligeremus , quantam Deus pro nobis curam habuerit , ut nos deliciarum ſuarum faceret eſſe participes: Quia tamen Protoparentes noſtri in tranſgreſſionis ipſorum juſtum ſupplicium è Paradiſo iſto fuere ejecti, hinc benigniſſimus Dominus , ut corde & oculis ad ſupernum & cœleſtem Paradiſum continuò ſuſpirarent , *collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim.* Sed quo fine ? Hunc finem Philo Hebræus exponit his verbis : *Cherubim & igneo gladio convenienter contra Paradiſum habitatio aſſignatur , non tamquam hoſtibus locum oppugnaturis , ſed tamquam familiariſſimis , amiciſſimiſque,ut ex aſpectu , contemplationeque mutua , innaſcatur deſiderium mutuum : totius Cæli circumferentiam cogitari vult.*

*Gen. 2. v. 8.*
Cur Cherubim ante paradiſum collocatus à Deo.
*Septuaginta.*
*Gen. 3. v. 24.*
*Philo l. de Cherub.*

4. Hoc eodem fine Creator noſter motus fuit, quando hominem inter omnia alia viventia vultu in cœlum erectò plaſmavit , corpuſque noſtrum pariter arboris inſtar ſurſum ferri voluit. Unde Rupertus Abbas Tuitienſis ait : *Forma corporis in hoc ſolo animante ſurſum caput attollit,Cælum intuetur , terram calcans pedibus recto pectore incedit , & ſydera vel cæleſtia regna ſupernè poſitis meditari commonetur oculis* ; At verò ſi de anima , quæ ſola eſt quæ corpori vitam tribuit, quæ principalis eſt ſubſtantia & eſſentia hominis, loqui velimus , ubinam illa ſuos habet natales, niſi in Cœlo ? nam ut Lactantius Firmianus ait : *Ficto corpore inſpiravit ei animam de vitali fonte ſpiritus ſui , conſtat ex anima & corpore, id eſt, quaſi è cælo & terra , quandoquidem anima quâ vivimus , velut è Cælo oritur à Deo,corpus è terra* ; ac proinde Sanctus Leo meritò nos monet dicens : *Surſum vocatos animos terrena deſideria non deprimant , ad cæleſtia præelectos peritura non occupent*; Animæ igitur noſtræ natales conſiderantes , nos in anima noſtra Cœlum portare intelligamus.

Cur anima in cœlo creata ac erecto corpori inſpirata.
*Rup. Abb. l. 2. in Gen. c. 22.*
*Lact. Firm. l. 2. de orig. error. c. 13.*

5. Quoaduſque vivimus , juſtiorem prætenſionem non habemus , quam quod ad beatum illud Regnum continuò aſpiremus. Unde Deus non ſolùm cœlum pro nobis fabricatum eſſe dicit : *Poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi* , verum etiam nos æternum Patrem ſuum , in noſtrum quoque Patrem accipere & agnoſcere docuit dicens : *Cum oratis , dicite: Pater noſter qui es in cælis,adveniat Regnum tuum* ; Unde Sanctus Apoſtolus conveniens efformat argumentum, dum ait : *Si autem filij & hæredes,hæredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti.* Quando principem aliquem in hos vel illos Dominiorum ſtatus , aut Regem in hoc vel illud Regnum hæreditariè ſucceſſiſſe audimus , fortunæ quidem ejus invidere poſſumus , partem verò hæreditatis illius prætendere minimè audemus ; at verò quoad beatum illud Regnum ſic ſe res non habet , ad illud namque poſſidendum omnes tamquam ejuſdem Patris filij ex æquo & à pari Jus habemus ; Aſpirare ad dominia & regna temporalia *crimen eſt læſæ Majeſtatis*,quod capitis pœna luendum venit , at verò quoad Regnum illud beatum verum eſt omninò contrarium , quia ad Regnum cœlorum non aſpirare,delictum grave eſt morte æterna , indignatione Dei,& Inferni perpetua pœna luendum , quia ad illud nobis comparandum, omnes poſſibiles conatus adhibere obligamur.

De jure nobis competit cœlum tamquam filijs ejuſdem patris.
*Matth. 25. v. 34.*
*Matth. 6. v. 9*
*Luc. 11. v. 2.*
*Rom. 8. v. 17.*

6. Regius Propheta David , ut S. Ambroſius bene obſervat , à Beatitudinis facta mentione Pſalterium ſuum orditur, dum ait : *Beatus vir* &c. *Quàm aptum, quàm opportunum principium* , inquit Sanctus Ambroſius,

Hoc præmiũ nobis proponitur certantibus.

Pſal. 1. v. 1. S. Ambr. in præf. ad Pſ. 1.

ſius , *namque ut ij, qui agonis aliquam ſolemnitatem receperint exhibendam , proponere præmium ſolent , jactare coronæ nobilitatem , quo certatui ſtudio majori conveniant, niſuque propenſiore decertent , ita Dominus noſter Jeſus Regni cœleſtis gloriam, perpetuæ quietis gratiam , vitæ æternæ beatitudinem , ad virtutis humanæ incentiva propoſuit , à præmio cœpit.* Nam Salvator noſter non ſolùm vix etiamnum natus , Angelorum exercitus in terram deſcendere fecit , qui mortalibus gloriam intimarent ; Verum etiam prima prædicationis ſuæ verba , primùmque thema unde prædicationem ſuam exorſus eſt , fuit cœleſtis Regni annunciatio idemque thema etiam ſanctiſſimus ejus Præcurſor paulò ante ſuis ad populum ſermonibus habitis præmiſerat ; ac proinde mirum non eſt , quod poſtea nobis inſinuarit dicendo : *Quærite ergo primum Regnum Dei.*

Matth. 4. v. 17. Matt. 3. v. 2. Matt. 6. v. 33

Verbū quærite à paucis auditur. Did. Stella in c. 12. Lucæ.

7. Haud immeritò Didacus Stella ex illis verbis Dominicæ orationis *Adveniat Regnum tuum* , motivum quoddam magnæ admirationis deſumpſit , dum ait : *Sed non poſſum non homines vehementer mirari , qui cum audiant Chriſtum dicentem : Quærite Regnum Dei , tantæ petitioni aures ſuas obturatas habeant , & frigidi & tepidi ſint.* Salvator noſter adeò anxiè deſiderat,ut regnum ejus ſtudiosè ambiamus & inſectemur , ut quando bonus latro,qui pauló ante unà cum ſocio ſuo & ſupplicij conſorte illum convitijs & blaſphemijs dehoneſtarat , qui innumeris ſceleribus & iniquitatibus onuſtus erat, verba illa in monte Calvariæ vix ore ſuo protulerat : *Memento mei cum veneris in Regnum tuum*, ipſum protinus ſibi reſpondentem audierit , & dicentem. *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Luc. 23. v. 42. Ibid. 43.

Chriſtus jam glorioſus quadraginta diebus nos inſtruxit cœleſtia deſiderare.

8. Adhæc licet corporum glorioſorum proprius locus ſit Cœlum,nihilominus poſtquam in glorioſo corpore à mortuis reſurrexerat quadraginta diebus in terra ante ſuam in cœlos aſcenſionem commorari voluit, nō alio certe fine,quàm ut fidelibus ſuis fervens quoddam cœleſtis gloriæ deſiderium ingereret , *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei.*

Act. 1. v. 3. Euſebius Emiſſenus. Luc. 11. v. 9. Petendi modus.

9. Euſebius Emiſſenus inſtructionem obſervat, quia nos Salvator noſter modum Regnum illud poſtulandi docere voluit : *Petite & dabitur vobis,quærite & invenietis,pulſate & aperietur vobis, id eſt,ut petamus orando, quæramus laborando; pulſemus deſiderando, pulſemus proficiendo,pulſemus perſeverando, & in ſpem cœleſtium promiſſorum tanto incitemur ſtudio , tantòque inardeſcamus affectu , ut cum præmiorum dignitate deſideriorum magnitudo concordet.* Quando Salvator noſter per infinitam ſapientiam ſuam orationem compoſuit Dominicam,in ſecunda illius petitione Regnum cœlorum nos petere docebat: *Adveniat Regnum tuum*,& paulo poſt nos panem ſuſtentationi noſtræ neceſſarium poſtulare præcepit: *Panem noſtrum quotidianum* &c.Sed quo myſterio ipſum hunc ordinem inter duas haſce petitiones inſtituiſſe exiſtimatis ? Nimirum docere nos voluit, ni fallor,quod à nobis menſa deliciarum æternalium primo loco ſpectanda ſit,de qua ipſe ait : *Beatus qui manducabit panem in Regno Dei* , poſtea vero panis hujus vitæ corporalis ſuſtentationi neceſſarius quærendus , aut vero per hunc ordinem nobis inſinuare intendit, quod majorem habere debeamus appetitum beatitudinis , quam ſit appetitus , quo corpus fertur in alimentum , quod ſuæ conſervationi eſt neceſſarium.

Matth. 6. v. 10. Matth. 6. v. 11. Luca 14. v. 15.

Appetitus gloriæ laudabilis. Philoſophus. Luc. 1. v. 53.

10. Habet porro appetitus famis & ſitis hanc prærogavitam, quod cum alij appetitus,etiam immoderati, abſcondi , vel diſſimulari poſſint , de famis aut ſitis appetitu econtra Philoſophus quidam dicere non dubitarit : *Omnem affectum excludit, imprimis verò verecundiam.* Fames immoderata,nec tempus,nec locum , nec perſonas reſpiciens apertè ſe manifeſtat. *Eſurientes implevit bonis*.Fames gloriæ non ſolum non eſt occultanda , ſed laudabiliſſima ſemper erit , ſi appetitus ejus immoderatior fuerit ; Unde Pſalmiſta dicebat : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Samaritana quæ à principio ſe ad tractandum & converſandum cum Chriſto invitam oſtendit, dicens : *Quomodo tu Judæus cum ſis,bibere à me poſcis , quæ ſum mulier Samaritana?* mox ut ſcaturientem divinæ gratiæ aquam ſibi à Chriſto promitti audivit : *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei,non ſitiet in æternum*,quaſi anxie cupida omniſque verecundiæ expers dicere cœpit: *Domine da mihi hanc aquam.* Ubi ut vides,Aquam hanc in modo imperativo loquens poſtulavit : *Da mihi*,ad eum modum, quo S.Mater Eccleſia nos gratiam poſtulare docuit, cujus diſpenſator eſt Spiritus Sanctus,dicendo: *Veni Sancte Spiritus,Veni Creator Spiritus* &c. cum tamen alias divinas perſonas alloquentes verbis deprecatorijs uti ſoleamus,dicendo : *Da quæſumus*,vel alio ſimili modo.

Pſ. 16. v. 15. Joan. 4. v. 9. Joan. 4. v. 14. Joan. 4. v. 15. Hymn. Eccleſ.

S. Vinc. Ferfer. in Feſt. Omn. SS. Exemplum.

11. S. Vincentius Ferrerius refert,quod cum quidam eximius Dei ſervus,qui cum magna ſanctitatis opinione ſemper vixerat, ad alteram vitam moriendo tranſiſſet, vehemens quemdam amicorum ſuorum inceſſerit deſiderium ſciendi an anima ejus recta evolaſſet ad cœlum, cumque ſuper hoc Dei reſponſum ſibi revelari ardenter petiiſſet,anima dicti ſervi Dei igne circumdata ei apparuit; & ter refacto ex hac apparitione amico ſuo dixit ſe in purgatorio ad aliquod tempus condemnatam hærere , eo quod in vita ſua cœli gloriam eo quo par erat ardenti deſiderio non quæſiſſet aut deſideraſſet : Non ſic Regius Propheta David fecit , qui ad cœleſtem gloriam continuo ex toto Spiritu aſpirabat , ideoque hanc vitam in patientia habebat , dicens ſemper : *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Sitivit anima mea ad Deum,&c.* & tamen portæ æternales gloriæ nondum patefactæ erant, ſed animæ etiam ſanctiſſimæ in ſinum Abrahæ deſcendebant.

Pſ. 119. v. 5. Pſ. 41. v. 4. Ibid. v. 3. Ibid.

12. Idem quoque alibi dicit : *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum , concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*,& poſtea ſubjungit: *Etenim paſſer invenit ſibi domum , & turtur nidum ſibi , ubi reponat pullos ſuos*;quaſi dicere vellet,hæc animalia ex naturali quodam inſtinctu de nido ſuo ſolicitudinem habent , illumque cum omni induſtria ſua fabricant, ut pullos ſuos in eodem collocare poſſint , & anima quæ cœlo poſſidendo creata eſt , cunctaque opera ſua eo dirigere debet,de illo minimè cogitabit ? Abſit ? Non ſic à me fiet , quin potius ſemper mente mea recolo. *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus! Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te; Beatus vir , cujus eſt auxilium abs te,aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Et ideò mirum non erat , quod vir ſecundùm cor Dei factus fuerit.

Pſ. 83. v. 2. Ibid. v. 3. Ibid. v. 4. Ad beatitud. naturalis inclinatio. Ibid. v. 4. Ibid. v. 5. Ibid. v. 6.

13. In alio quoque Pſalmo idem coronatus Propheta proteſtatur dicens: *Unam petij à Domino,hanc requiram , ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*; Circa quem textum S.Bern. de Senis notat quod *non ponit ſubſtantivum , non determinat quam unam petijt, quod utique facit ad myſticè innuendum,quod illud eſt omne bonum*,ait enim : *Unam petij à Domino,non multas, vel multa , ſciens porrò quod unum eſt neceſſarium.* Idem quoque S.Pater dicti Prophetæ regij curam & ſolicitudinem conſiderare pergit , quâ cœleſtem gloriam ſibi omnibus poſſibilibus modis acquirere conatus fuit: Dicit enim de illo : *Licet illam nondum habuerit,non tamen deficit,ſed pulſans perſeverat dicens:[Hanc requiram] Non dicit : Hanc quæram , ſed requiram,in quo notatur perſeverantia in multis operibus bonis ; & ſubdit,quæ ſit res illa,dicens:[Ut inhabitem in domo Domini,]hoc eſt in gloria [omnibus diebus vitæ meæ,] ſcilicet futuræ.* Idem quoque ardentiſſimum Prophetæ deſiderium S.Thomas de Villa nova his verbis conſiderat:*Sic quoque alius ardebat* , inquit, *qui profuſis lachrymis & gemitibus , jucundam illam ſocietatem ſitientibus, attenuatis oculis , ſuſpicientibus in excelſum , & quotidiè cœleſtes illas manſiones à longe ſalutantibus & gliſcentibus,ſicut pullus hirundinis ſic clamat : Educ de carcere Deus animam ad confitendum nomini tuo , à te quid aliud volui ſuper terram? Unam ſolam petij à te hanc requiram.* Experientia teſte videmus,quod an aliquis Italus,Germanus,vel Gallus ſit lingua,mores,diſcurſus,& converſandi ratio lucidè demonſtrent; Unde Philoſophus ille olim dicebat: *Loquere,ut te videam. Erat igitur filius legitimus*, inquit de Davide Thom.de Villanova , *& civis verus Jeruſalem,& ideò ſitit venire ad eam* ; qualis enim eſſet,verba ejus evidenter demonſtrabant.

Pſ. 26. v. 4. Solicitudo David acquirēdi beatitud. S. Bern. Sen. T. 2. ſer. 66. A. 3. c. 3. Luc. 10. v. 42. S. Th. de Vill. nov. de S. Michaële. Pſ. 141. v. 8. Pſ. 72. v. 25. Philoſoph. S. Thom. de Villanova ibid.

Beatitud. obtinendi gratiâ Dei opus. Rom. 10. v. 6. Luc. 17. v. 21.

14. Enimverò ſi forſitan quæſieris , ubinam locorum regnum iſtud à nobis quæri debeat, quod conſtat multis milliarium millionibus à nobis eſſe remotum ? *Quis aſcendet in cælum ?* Huic ego verbis ipſiuſmet Chriſti Salvatoris noſtri reſpondeo: *Regnum Dei intra vos eſt.* Verum dices fortaſſe quâ ratione fieri poterit , quod Regnum cœlorum adeò vaſtum & immenſum in unica dumtaxat anima reperiatur?Ac proinde ſciendum , quod ſicuti is qui indubitatum jus habet, ut in regno aliquo ſuccedat , Rex communiter vocari ſolet , tametſi Sceptrum Regni illius actualiter non moderetur,ita quoque dici poſſe videtur , quod is qui gratiam Dei in anima ſua poſſidet,quæ pignus quoddam & ſemen eſt gloriæ,regnum quoque Dei intra ſe habeat.Id quod S.Ambr. opportunè confirmat , dum ſuper illa verba *Adveniat Regnum tuum*,ita ſcribit : *Veniat Regnum tuum , quaſi non venerit , ſed tunc venit Regnum Dei,quando ejus eſtis gratiam conſecuti,ipſe enim ait; Re-*

Matth. 6. v. 10. S. Ambr. l. 5. de Sacram. c. 4.

gnum



*gnum Dei intra vos eſt.*Profectò prima facie accommodatius nos in oratione Dominica dicere poſſe videri poſſit,ſi ita oraſſemus:*Veniamus ad Regnum tuum*,quàm ſi diceremus: *Adveniat Regnum tuum intra nos*,& tamē is qui *Omnia in ſapientia dixit & fecit*, optimè nos docuit,quia nos ad gloriam adire nequaquam poſſemus , niſi prius illa in animam noſtram illaberetur,illamque imbueret , illa inquam non in reipſa ſed in pigno,non in flore,vel fructu,ſed in ſemine.Semen autem gloriæ gratia eſt,quæ appellatur gloria inchoata , ſicut gloria gratia conſummata : vel etiā dicere poſſumus,quod quia adeò in gloria cœleſti acquirenda & ambienda pigri,deſides,& inertes ſumus,ut opus eſſe videatur , ad hoc ut illa frui poſſimus,ut illa ad nos veniat,nobiſq; occurrat, id quod cum illo Apocalypſeos textu optimè conſonat, in quo S.Joannes ſequentē viſionem habuiſſe ſcribitur : *Vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentē de cælo,à Deo paratam,ſicut ſponſam ornatam*;Etenim quod in illa viſione Jeroſolyma cœleſtis inſtar elegantiſſimè adornatæ ſponſæ cujuſdam ſe videndam præbuerit, nihil in ſe mirum habet , hoc enim factum fuiſſe dicere poſſumus , ut hac illius ſpecioſitate & eximio ornatu major in nobis erga illam excitetur deſiderij ardor & vehementia affectus;at verò maximè notandus eſt modus & phraſis illa loquendi, dum ipſamet de cœlo deſcendiſſe,& hominis velut obviam occurriſſe dicitur;*deſcendentem de cælo*,quod benè cū illis verbis Luc.10.conſonat,ubi dicitur:*Appropinquavit in vos regnum Dei.*Ad hoc igitur ut nos gloriam cœleſtem deſideremus & ad illā conſequendam nos accingamus,opus eſt,ut cœlitus nobis gratia Dei dona & virtutes infundantur,ut in virtute gratiæ ad gloriā conſcendere valeamus;ac proinde Chriſtus non ſine cauſa poſtquā nos ad regnum Dei inquirendū invitaſſet,dicendo: *Primum ergo quærite regnum Dei*,immediatè ſubjunxit : *Et juſtitiam ejus*, quia juxta proportionem gratiæ , conſequemur pariter & gloriam , primò tamen gratiam ſibi quilibet acquirat neceſſum eſt, ac demum gloriam.

Apocal. 21. v. 2. Luc. 10. v. 9. Matth. 6. v. 33.

## DISCURSUS III.

### ARGUMENTUM.

De amplitudine & immenſitate Cœli Empyrei, in cujus comparatione terra non niſi punctum eſt, id quod ab eo qui cœlum aſpicit facile agnoſcitur.

### THEMA.

*O Iſraël quàm magna eſt domus Dei , & ingens locus poſſeſſionis ejus , magnus eſt , & non habet finem , excelſus & immenſus.* Baruch. 3. ℣. 24.

Empyreum menſurari nō poteſt. Baruch. 3. v. 24.

1. DEus populo ſuo aliquam Regni Cœlorū, quod vaſtum & interminabile eſt , notitiam communicare volens, hoc admirationis verbo uti voluit,dicendo : *O Iſraël,quam magna eſt domus Dei !* neque illi ſufficiebat dixiſſe quod locus ille amplius eſſet, id quod verbis illis,*ingens & magnus* ſatis explicaverat , verum inſuper illum quamdam infinitatis præcellentiam in ſe habere aſſerere voluit,dum addit,*non habet finem,excelſus eſt & immenſus,non* quidem *ſimpliciter*,inquit Lyranus, *quia nulla Creatura ſic eſt immenſa,ſed per comparationem ad nos , qui quantitatem ejus metiri non poſſumus.* Quod Dionyſius Carthuſ. confirmat dum ait: *Immenſus eſt,non penitus infinitè,ſed per Hyperbolen, ad inſinuandum magnitudinem loci.* Alios quidem cœlos Empyreo inferiores Aſtrologi per perſpicaciſſimi intellectus menſuram , perque Aſtronomicæ artis regulas menſi fuerunt, cœlorum verò beatorum menſuram minimè , quia locus ille *magnus eſt & non habet finem*; Unde Jeremias dicit · *Si menſurari potuerint cæli ſurſum ?* quaſi dicere vellet,qui hoc facere nititur,rem quamdam impoſſibilem facere tentat,S.Bernardinus de Senis de cœlo Empyreo tractans,inquit:*De hoc cælo fides maximè tria docet,ſcilicet magnitudinem, virtutem & pulchritudinem.* Et quidem quoad capacitatem & vaſtitatem ejus tale format argumentū : *Cum ſecundùm magnos Doctores minima ſtella major ſit tota terra, quid erit firmamentum cū excedat quaſi in infinitū quamlibet ſtellam ? quid erit Empyreum cælum,cum toties ſuperet firmamentum:* Hinc admiranter Baruch 3. dicitur· *O Iſraël,quàm magna eſt domus Dei , & ingens locus poſſeſſionis ejus,magnus eſt,& non habet finem !*

Baruch. 3. v. 24. Lyranus. Dion. Carth. Baruch. 3. v. 25. Jerem. 31. v. 37. S. Bern. Senen. de ani. dignit. Art. 1. c. 1. Baruch. 3. v. 24.

Diſtantiā.

2. Stellæ fixæ infimæ vel ſextæ magnitudinis decies octies majores ſunt univerſa terra ; Stellæ primæ magnitudinis verò amplitudine totius machinæ & molis vaſtiſſimæ terræ ſuperiores ſunt centies & ſepties.Meritò igitur Baruch. de Paradiſo cœleſti dicit : *Excelſus eſt*,ſiquidem ut Cornelius à Lapide in cap.4. Geneſ. & ſuper hunc textum ſcribit,ſi homo aliquis ad firmamentum uſque iter à terræ ſuperficie facere volens, per ſpatium duorum millium annorum per directam lineam aſcenderet,& quolibet die centum milliaria conficeret , eo uſque tamen, id eſt, ad firmamentum minimè perveniret,ſiquidem hac ratione triginta ſeptem milliones milliarium completurus eſſet,cum diſtantia quæ eſt inter terram & firmamentū octuaginta milliarium milliones in ſe contineat. Porrò convexum firmamenti continet mille ſeptendecim milliones milliarium, firmamentum verò à terra octuaginta millionibus diſtat , & à concavo ad convexum ejuſdē ſunt octuaginta milliones;atque ideò is qui in duobus annorum millenarijs uſque ad concavum firmamenti aſcendiſſet, ad hoc ut à concavo ad convexum uſque aſcenderet,totidem annorum millibus iterum opus habiturus eſſet; ac tandem ſi per ſpatium quatuor millium annorum cum eadem celeritate ulterius aſcenderet, non tamen ad Empyreum uſque pertingere poſſet,ſiquidem hoc longè eſt eminentius.*Numera ſtellas, ſi potes*, inquit Deus ad Abraham , ob incredibilem ſtellarum multitudinem , jam verò ſtellati Cœli minima ſtella , teſte Clavio octodecies major eſt univerſa terra , cum igitur in Cœlo ſtellato harum una ab altera in magna diſtantia infixa ſit,& hæ ſtellæ innumerabiles ſint,facile eſt conjicere inexplicabilem quaſi eſſe firmamenti illius in quo ſtellæ defixæ hærent , vaſtitatem. Adhæc Cœlum Empyreum ſupra firmamentum pluſquam centum & ſexaginta millionibus milliarium erigitur , ſiquidem ſupra firmamento eſt Cœlum cryſtallinum , & ſuper hoc poſtea primum mobile volvitur,ac tum demum ſequitur Empyreum.

Corn. à Lap. in c. 4. Gen. & in Baruch. Gen. 15. v. 5.

Vaſtitas.

3. Enimverò ut de vaſtiſſima , & infinita quaſi hujus Cœli capacitate & amplitudine,aliquem nobis conceptum formare valeamus, Sanctus Bernardinus à nobis audiendus eſt,qui dicit : *Tanta eſt magnitudo Cælorum,quod,ſi de novo crearet Deus hujuſmodi magnitudinis tot terrarum orbes , quot grana arenæ maris , adhuc non impleretur Empyreum cælum.* Eſt & alia Cœli Empyrei vaſtitatem aliquatenus explicandi ratio, quæ in ſequenti ſimilitudine conſiſtit ; Quod ſi enim totius univerſi ( quo Europa, Aſia, Africa, America continetur, ) abſolutus & independens Monarcha eſſes , omniaque totius mundi Regna & Provinciæ tributa ſua tibi penderent , numquid contentus futurus eſſes ? Neque enim aliud ſupereſſet,quod ulterius deſiderare poſſes. Sciendum verò tibi eſt , quod in cœlo unuſquiſque beatus ſeorſim tantam beati illius Regni partem ſortietur , quanta eſt præſentis mundi univerſa vaſtiſſima moles, nam ut Sanctus Bernardus à S. Bonaventura citatus unumquemque beatum ad tantum ſpatium dominaturum eſſe dicit in Cœlis ; quantum eſt ab Oriente uſque in Occidentem, ſi quilibet beatus partem ſe contingentem vendicare vellet : *Civitas iſta eſt in menſura valdè ſpatioſa, unde dicit Bernardus , quod ad litteram quilibet Sanctus in Cælo Empyreo habebit locum ſibi aſſignatum proprium, & ſpecialem magis ſpatioſum , quam ſit ab Oriente uſque in Occidentem.*

S. Bern. T. 1. ſer. 51. A. 2. c. 2. Similitudo vaſtitatem explicat. S. Bernard.

Creſcente beatorū numero nō minuitur poſſeſſio.

4. Eſt enim hæc ſpecialis beati illius regni excellentia & prærogativa , quod quanto in illo copioſior eſt Regum & Monarcharum numerus , ſeu quod idem eſt , quantò major eſt beatorum in Cœlis regnantium multitudo , tantò amplius extenditur , & per unumquemque illorum vaſtius & capacius efficitur , cujus contrarium ſecum adfert miſera hic in terris degentium mortalium conditio , ſiquidem horum terrenorum bonorum poſſeſſio tantò efficitur minor & anguſtior , quantò poſſeſſorum numerus efficitur major. Unde Sanctus Auguſtinus nos ad generoſam mentem concipiendam his verbis animat : *Non tibi ſit anguſta domus ejus, pariter ab omnibus , totum à ſingulis poſſidetur Regnum Dei , creſcente poſſeſſorum numero non minuitur, quia non dividitur, unicuique integrum eſt , quod concorditer habetur à multis.* Sanctus Bernardinus pariformiter ſcribit , quod ab animarum beatarum & glorificatarum multitudine gloria non diminuatur , ſed magis potius dilatetur : *Eſt etiam*, inquit, *illud regnum magnum,latitudine capacitatis , quia licet ibi ſint ex omni populo, tribu, lingua , & natione.* Apocal.7. *nihil tamen propter hoc anguſtiabitur, ſed potius amplificabitur, quia inde cuilibet gloria ſua creſcet. Non coarctabitur multitudine exiſtentium, advenientium, poſſidentium, nec etiam deſiderantium,& hoc totum facit Charitas, quâ homo tantum gaudet de bono proximi , quantum de ſuo proprio.*

S. Aug. ſerm. 18. de ver. Dom. t. 17. S. Bern. ſer. in Dom. 5. poſt Epiph. Apocal. 7. v. 9.

Parvi æſtimatur. Matth. 13. v. 31.

5. Verum opponet hic mihi aliquis , quod Salvator noſter,qui Cœli portam ſe appellavit, Cœlum minutiſſimo ſinapis grano comparaverit. *Simile eſt Regnum Cælo-*

Ibid. v. 32. Ibid. v. 31. Ibid. v. 32.

*Cælorum grano ſinapis*; cujus ſimilitudinis myſterium ſive cauſam paulò poſt ſubjunxit, dicens: *Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus*, quomodo ergo Regni hujus adeo immenſa vaſtitas alicui perſuaderi poterit? Enimvero pro reſolutione hujus difficultatis, neceſſarium eſt legere quod ſequitur; Dicit igitur Salvator ulterius: *Quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo, cum autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres Cœli veniant, & habitent in ramis ejus.* Verum quidem eſt quod Cœlum inſtar grani ſinapis ſit minutiſſimum, ſed ubi? in multorum hominum æſtimatione; quia ſicut nobis illorum granorum, atomum è manibus labi facili negotio permittimus, ita quoque multi per ſimilem negligentiam amittunt Paradiſum; Quot enim ſunt qui propter unicum terræ pugillum, facillime renunciant vaſtæ illi terræ viventium, quæ fluit lacte & melle retributionis æternæ? *Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis.* At vero hi qui in cordis & mentis ſuæ agro granum illud ſerunt aut plantant, id eſt, qui regni illius gloriam ſeria mente meditantur & conſiderant, perq; animi affectus in altum ſeſe ad divina conſideranda erigunt, hi ſupernæ illius Jeruſalē myſteria, venuſtatem, amplitudinem, opulentiam, gaudia; aliaque bona inexplicabilia & finita facile intelligunt.

Ezech. 13. v. 19.

Dion. Carthuſ. in Matth. Cajet. ibid. S. Ignat. Lojola. S. Greg. l. 2. Dial. c. 35. Sancti terrena deſpexerunt.

6. *Volucres cæli*, id eſt, ut Carthuſianus exponit, *animæ contemplantes cæleſtia*; Cajetanus verò per illas intelligit: *Homines cæleſtis deſiderij, cæleſtis mentis*, in hac arbore nidificant. S. Ignatius Lojola oculorum, imo cordis ſui obtutum in cœlum dirigens, & ad hæc terrena paulò poſt ſe reflectens, dicebat: *O quam mihi ſordet tellus cum cœlum aſpicio.* Refert quoque S. Gregorius Magnus, quod dum S. Benedictus nocte quadam profundæ cuidam ardentique orationi operam daret; ſubito ſibi omnem tenebrarum obſcuritatem ſibi evaneſcere ſentiens, ſereniſſimam quamdam lucem, quæ meridianum ſplendorem & claritatem longè ſuperabat, conſpexerit, & protinus in quodam Solis radio, univerſum mundum in breve quoddam Compendium & Epitomen redactum coram ſe intuitus fuerit: *Omnis etiam mundus velut ſub uno Solis radio collectus, ante oculos ejus adductus eſt, qui Venerabilis Pater, dum intentam oculorum aciem in hoc ſplendore coruſcæ lucis infigeret vidit Germani Capuani Epiſcopi animam in ſphæra ignea ab Angelis in cœlum ferri.* Cumque Petrus Diaconus, hujuſce viſionis in qua totus mundus in radio quodam compendiatus repræſentabatur, myſterium à S. Gregorio ſibi enucleari petiiſſet, Pontifex reſpondit: *Animæ videnti creatorem anguſta eſt omnis creatura, quodlibet enim parum de luce creatoris ſi aſpexerit, breve ei fit omne quod creatum eſt.* Idem quoque ſcribit de Sancto Antonio Magno, qui divinæ contemplationis oculum in bonis cœleſtibus defixum tenens, omnia terræ hujus bona velut nihilum æſtimabat, unde diſcipulis ſuis dicebat: *Nemo cum deſpexerit mundum, reliquiſſe ſe arbitretur ingentia, quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum, brevis ac prava eſt.* Quod ſi enim oculum noſtrum in terram conſiderandam defigamus, vaſta quidem eſſe videbitur, at vero ſi oculum noſtrum in cœlum dirigamus, mundus iſte nidus quidam eſſe videbitur formicatum.

S. Anton. Magn.

Modica eſt terra in comparatione ad cœlum, ut formicarum nidus. Senec. in Præfat. l. nat. Quæſt.

7. Seneca moralis non quidem adeo perſpicaci viſu præditus erat, ut cum eo cœlum Empyreum penetrare poſſet, ſiquidem ſolus fidei oculus eo poteſt pertingere, & tamen ſequentia verba Chriſtiano Philoſopho digniſſima poſt ſe ſcripta reliquit: *Si quis formicis det intellectum hominis, nonne & illæ unam aream in multas provincias divident? Cum te in illa vere magna ſuſtuleris quoties videbis exercitus ſub erectis ire vexillis, & quaſi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo è lateribus affuſum, libebit dicere: It nigrum campis agmen, formicarum ille diſcurſus eſt, in anguſto laborantium, quid illis & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi?* Idem quoque moralis Philoſophus progreditur ulterius & dicit, totam hanc mundi machinam noſtris quidem oculis immenſam, in comparatione tamen cœlorum verè & in ſubſtantia nihil eſſe aliud quam punctum, quia tamen ut diximus intellectus ſui oculo licet perſpicaciſſimo cœlum Empyreum penetrare non potuit, ideo intra ſphæram Philoſophiæ moralis ſubſiſtens, ad ambitioſos mortales qui ad aliud non aſpirant, quam ut hic in terris dilatare & extendere ſe poſſint, ſe convertens, ita ſcripſit: *Punctum eſt illud in quo bellatis, in quo regna diſponitis, ſurſum ingentia ſpatia ſunt in quorum poſſeſſionem animus admittitur.*

Ptolom. l. 1. Almageſti cap. 1. Punctum.

8. Ptolomæus celeberrimus Scriptor à Cornelio à Lapide in Cap. 3. Baruch. relatus, totum terræ globum in comparatione ad cœlum ſtellarum non niſi punctum quoddam eſſe tribus rationibus evidenter probat, ac proinde cogitare quam modica terra eſſe videatur in comparatione ad cœlum cryſtallinum, & multo magis ad cœlum Empyreum. Unde Severinus Boëtius merito ſcribit: *In hoc ergo minimo puncti puncto concluſi, de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis?* Seneca quoque in loco ſupracitato ait: *Hoc eſt punctum quod inter tot gentes ferro & igne dividitur; O quam ridiculi ſunt mortalium termini.*

Boët. l. 2. de conſolat. Senec. ubi ſup.

Exemplum, S. Lud. Tholoſ. Epiſcopus.

9. De S. Ludovico Epiſcopo Tholoſano, & Caroli Siciliæ Regis filio in ejus vita legitur, quod uno oculo Regnum Patris ſui, altero vero cœlum intuens, dicere ſolitus fuerit: *Si domum ac paternum Regnum contemplor, parvum eſt contemplanti ingenia illa ſpatia quæ ſurſum ſunt*; Ac proinde ſaluberrimum eſt illud Apoſtoli conſilium dicentis: *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.*

Coloſſ. 3. v. 1.

10. Eccleſia ſancta Dei S. Hermenegildo Hiſpaniarum Regi & glorioſiſſimo Chriſti Martyri pulchram noſtroque propoſito comprimis congruentem adaptat orationem; eſtque hæc ſequens: *Deus qui B. Hermenegildum Martyrem tuum cæleſti Regno terrenum poſtponere docuiſti*, illudque verè de hoc glorioſo Martyre dici; præclari diſcurſus quos intra carceris vincula & compedes intra ſemetipſum ediſſerebat perſpicue teſtantur, quos S. Gregorius in ſuis Dialogis his verbis refert: *Cœpit igitur Hermenegildus Rex juvenis terrenum regnum deſpicere, & forti deſiderio cæleſte quærens, tantoque ſublimius gloriam tranſeuntis mundi deſpicere, quanto & religatus agnoverat, nihil fuiſſe, quod potuerat auferri*; Quibus in verbis valde conſiderabilis eſt dictio illa *Nihil*, quia ſervi Dei, qui divino lumine illuminati, ad penetrandum ipſum cœli Empyrei convexum lynceos oculos habent, hunc mundum viſibilem in comparatione bonorum cœleſtium nihil prorſus eſſe facile intelligunt. *Tamquam momentum ſtateræ*, inquit Monarcharum quos mundus umquam habuit, aut habiturus eſt, feliciſſimus, *Sic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram*: In Iſaia pariter legimus: *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt, ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus*; Ubi Gloſſa ait: *Quaſi momentum ſtateræ quod leviter declinatur, & ſicut gutta roris antelucani, quæ primo aſpectu Solis ſiccatur, vel ſicut ſitulæ ſtilla, ſi fluit, à portante deſpicitur, vel negligitur.* Imo Cicero paganus, qui ad Firmamentum uſque viſu ſuo vix pertingere potuit, in Somnio Scipionis ita ſcribit: *Ipſa terra ita mihi parva viſa eſt, ut me Imperij noſtri, quo quaſi punctum ejus attingimus pœniteret*; & paulò poſt proſequitur dicens: *Sentio te ſedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum, quæ ſi tibi parva, ut eſt, videtur, hæc cæleſtia ſemper ſpectato, illa humana contemnito.*

S. Greg. l. 3. Dial. c. 31. Sap. 11. v. 23. Iſa. 40. 15. Gloſſa. Sap. 11. v. 23. Cicero in Somn. Scipi.

Quibus cœleſtia ſapiunt mundana deſpiciunt.

11. Quiſnam umquam majorem evaneſcendi occaſionem habuit Davide in throno regio conſidente tot victorijs, & triumphis glorioſis inclyto? Siquidem ad regium ſolium ex ſtatu humili & depreſſo qualis Paſtorum & opilionum eſſe ſolet, aſcenderat, & tamen quis illo in tam ſublimi dignitate conſtituto humilior, modeſtior, aut temperantior erat? Hic igitur die quadam Deum his verbis alloquebatur: *Locutus ſum in lingua mea, Notum fac mihi Domine finem meum*; Quibus verbis ſibi à Deo intellectum & notitiam Gloriæ, quæ hominis ultimus finis eſt, & cujus cauſa homo creatus eſt, communicari deſiderabat: At vero ex hac notitia tandem quidnam in eo conſecutum fuit? Omnium honorum & dignitatum humanarum generoſus ac heroicus contemptus, unde ſubdit: *Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens; Subſtantia mea tamquam nihilum ante te, verumtamen in imagine pertranſit homo.* S. Gregorius ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens*, ita ſcribit: *Æternam patriam contemplatus, & hæc mala penſans in quibus erat, atque illa bona conſiderans, in quibus adhuc non erat, ait: Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt.* Regna quorum pacificum habebat dominium, nihili faciebat, quia cor & oculos ſuos in cœlorum regnum defixos ſemper habebat. Et quidem ſe in bonorum æternorum ſeria contemplatione totaliter abſorptum fuiſſe his verbis inſinuat: *Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia: Gratiam & gloriam dabit Dominus: Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia, Domine virtutum,*

Pſ. 38. v. 5. Ibid. v. 6. Ibid. v. 7. S. Greg l. 13. mor. c. 13. Pſ. 119. v. 5. Pſ. 83. v. 11. Ibid. v. 12. v. 13.



*virtutum, beatus homo qui ſperat in te*; Ubi Theodoretus ait: *Beatum eſſe dicit, & felicem nuncupat, qui omnem præſentis vitæ felicitatem pro nihilo ducit, & ſoli ſpei, quam in Deo fixam habet, fidit, & demum ſalutem, quæ hinc oritur, vindemiat.* Ubi notandum, quod Theodoretus tunc ſe mundum nihil eſſe cenſuerit, poſtquam in cœlum oculos ſuos levavit: *Omnem præſentis vitæ felicitatem pro nihilo ducit*, ſed quando? *Cum ſoli ſpei, quam in Deo fixam habet fidit.* S. Bonaventura ſuper illa ejuſdem regij Prophetæ verba: *Incola ego ſum in terra*, dicit: *Appetitus cæleſtium parit contemptum terreſtrium quibus enim divina ſapiunt, eis mundana deſipiunt.*

Theodoret. in Pſal. 83. v. 13. S. Bonav. in Pſalt. Pſal. 118. v. 19.

# DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Ex bonorum terrenorum aſpectu, in cœleſtium notitiam devenitur; Unde ſupernæ Jeruſalem pulchritudo, deliciæ, opulentia, elegantia & lux fuſius conſideratur.

## THEMA.

*Oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem, deſcendentem de cœlo à Deo habentem claritatem Dei.* Apoc. 21. ℣. 10.

Cœli pulchritudo Joanni monſtrata.

1. S. Joannes ad cœlum contuendum viſum omnino accuratiſſimum habuit, unde & pro ſymbolo ſui ſignificativo in ſacris literis aquilam ſortitus fuit, quæ quondam pro corpore Emblematis aſſumpta, hac epigraphe animabatur: *Profundiſſima quæq;*. Ac proinde cœleſtis Jeroſolymæ ſupremam pulchritudinem deſcribens nos fallere nequaquam potuit, dum ait: *Venit unus de ſeptem Angelis, &c. Et locutus eſt mecum dicens: Veni & oſtendam tibi ſponſam*, quibus ex verbis gloriam ipſi ſub figura alicujus elegantiſſime exornatæ ſponſæ exhibitam fuiſſe liquet. *Et ſuſtulit me in ſpiritu*, Nimirū pro duce non ſolum Angelum quemdam, ſed & Spiritum ſanctum habuit, prouti in diſcurſus iſtius progreſſu videbimus, atque ab hoc ei cœli Empyrei, regni beatorum, quod ſupremus ejuſdem factor dixit *paratum à conſtitutione mundi*, deliciæ, pulchritudo, theſaurus, & gloria delineata fuit. Et quidem ex quo primum, principaliſſimum, digniſſimum, eſt ſummo, ut ita dicam ſtudio elaboratum opus, quod increata Dei ſapientia & omnipotens Altiſſimi dextera in univerſæ mundi machinæ creatione produxit Paradiſus, ſive cœlum Empyreum fuit, juxta illud: *In principio creavit Deus cœlum*, quid mirum igitur, ſi in hujus Paradiſi fabricam coacervarit, quidquid pulchri divinus ille architectus (de quo dicitur: *Omnia quæcumque voluit fecit, Fecit potentiam in brachio ſuo*) facere potuit, ſcivit, aut voluit; Ut proinde merito dixerit Salvian. *Electorum civitatem, ad cujus ſplendorem & magnificentiam, æternam ſapientia induſtriā impendit ſuam, ut eſſet theatrum in quo viſendas, potiendaſque proponeret divitias gloriæ ac magnificentiæ ſuæ.*

Apoc. 21. v. 9. Ibid. v. 10. Gen. 1. v. 1. Pſ. 113. v. 3. Luc. 1. v. 51. Salvian. l. 9. de pœn. damn. rep. c. 7

Bona terrena cœleſtia docent. Eſth. 1. v. 4.

2. Rex Aſſuerus, qui regnabat ſuper centum viginti ſeptem Provincias, ſumptuoſiſſimum illud præparavit convivium, de quo ſacer chroniſta cum admiratione ita loquitur: *Ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ ſuæ*, ſed *omnia in figura contingebant illis.* De Regina Saba S. Thomas de Villanova ita ſcribit: *Ingreſſa Jeruſalem cum vidiſſet domum ampliſſimam, divitias, & potentiam, & ordinem & ornatū miniſtrorum, pulchritudinem pincernarum & principum aſſiſtentium, expavit, & non remanſit in ea Spiritus præ ſtupore; ſic admirata eſt mortalis mortalem; quid putas faciet anima, quæ ex captivitate Babylonis ſubito in cæleſtis Jeruſalem opulentiam rapitur? non principis cujuſpiam terreni, ſed omnipotentis Dei domum, potentiam, miniſteriam; divitias, delicias, ornatum &c.* Nota eſt unicuique illa S. Gregorij de cœleſti gloria tractantis declaratio, qua dicit: *Cælorum regnum idcirco terrenis rebus ſimile dicitur, ut ex his quæ animus novit, ſurgat ad incognita quæ non novit, quatenus exemplo viſibilium ſe ad inviſibilia rapiat, &c.* De Joſepho Ægyptio Vice-Rege legitur, quod cum granaria frumentis (intra ſpicas, ut aliqui credunt, reſervatis) referta haberet, ut hujus ſuæ abundantis meſſis & divitiarum ſuarum aliqualem alijs procul ab Ægypto diſtantibus populis famelicis indicaret notitiam, paleas & ſtramina è quibus frumentum excuſſum fuerat ſuper Nili aquas conjecta, deorſum ad alias regiones in magna copia manare fecerit, ut hac ratione illas de annona ſibi mature ſatis procuranda commonefaceret: Eodem modo nos quoque dicere poſſumus, quod Deus noſter ut nos ad pulchritudinem & divitias immenſas bonorum cœleſtium deſiderandas excitaret, hic in terris, ſive in hac lachrymarum & miſeriarum valle, bona aliqua apparentia ob oculos ponat, ut ab illorum pulchritudine & aſpectu, qui appetitum noſtrum adeo proritat, in bonorum immortalium, verorum, & æternorum cognitionem devenire valeamus, hæc enim terrena bona paleæ ſunt, ſi cum cœleſtibus comparentur: *Triticum autem congregate in horreum meum.*

S. Thom. de Vill. no. ſer. de S. Michael. S. Greg. Matth. 13. v. 30.

Si tanta felicitas in hac vita reproborum, quanta erit prædeſtinatorum.

3. Quod ſi quiſpiam in magni alicujus Principis palatium ingrediens in primo aditus limine ſtabula videret ex auro puriſſimo pavimentata, carceres gemmis & unionibus copioſe diſtinctos & ornatos, incarceratos denique in medio haſtiludiorum, choræarum, cantuum, conviviorum, & viridariorum poſitos inveniret, quemnam obſecro talis de ipſiuſmet Principis majeſtate, delicijs, divitiarum opulentia, & gaudiorum varietate; deque Palatij ſui conclavibus formaturus eſſet conceptum? Porro hic mundus viſibilis carcer quidam eſt, in quo tot malefactoribus ad inferni ſupplicia deſtinatis, infallibilis illa Dei providentia tot diſtribuit honores, imperia, theſauros, delicias, voluptates & alia quæ hic in terris magno in pretio haberi ſolent, unde hunc in modum arguere licet, quod ſi Deus in hac lachrymarum valle reprobis & præſcitis tot terrena bona larga manu diſtribuit, quæ tantopere homines delectant, quodnam ergo & quale bonum illud erit, quod liberaliſſimus bonorum operum remunerator electis ſuis reſervavit in cœlo? Unde S. Auguſtinus ait: *Quid dabit ijs quos prædeſtinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædeſtinavit ad mortem?* Regius Propheta dicit: *Quam bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde.* Sed unde hanc Dei bonitatem colligere potuit? Et temporali nimirum reproborum felicitate: *Quia zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns.*

S. Aug. l. 22. de civit. Dei. cap 24. Pſal. 72. v. 1. Pſ. 72. v. 3.

Si magna ſunt gaudia in terris qualia erunt in cœlis.

4. Quod ſi quis in domo quadam prædivite & opulenta, jumenta confecturis ex ſaccaro conditis nutriri, ex nectare & Ambroſia potari, aurea ex tela confectis ſtragulis cooperiri videret, quanto ſuperbius veſtitum & lautius ac delicatius crediturus eſſet nutritum illum qui Dominus & Patronus eſt domus illius, ejuſque aulæ proceres? Hæc eſt illa conſequentia, quam S. Aug. ad propoſitum noſtrum aptiſſime deduxit, dum ait: *Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Si tanta ſolatia in hac die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum?* Hi ſenſus noſtri, velut jumenta quædam aut mancipia ſunt, corpus vero noſtrum nihil aliud, quam lutum quoddam animatum, & vivus quidam hujus animæ noſtræ carcer, & ſqualidum ergaſtulum, & tamen Deus noſter hic in terris, in hoc miſeriarum centro oculo, guſtui, odoratui, tactui, auribus & toti corpori de tot delicijs, totque alijs blandientibus & lenocinantibus objectis proſpexit, quænam igitur bona præparaſſe cenſebitur animæ, quam ſibi in beatitudine in dilectam ſponſam elegit?

S. Aug. in Soliloq. c. 21.

An aurea ſint palatia in cœlo.

5. Controvertitur inter ſacros expoſitores an vere in cœlo Empyreo ſint Palatia, aurum, gemmæ, fontes, arbores, & alia quæ in ſacro Scripturæ textu paſſim recenſentur? Barradius una cum multis alijs graviſſimis Scriptoribus affirmativam ſententiam ſuſtinet. S. Auguſt. in ea eſt opinione quod quotieſcumque ſacra Scriptura abſque ullo incommodo intelligi poteſt ſecundum literam, ſuſtinendus ſit ſemper ſenſus illius literalis; Eamdem quoque opinionem refert & ſequitur Cornel. à Lapide, dum illud Ly, *Civitas*, conſiderat, Civitas enim eſt mutua civium cohabitatio, nam *Civitas non vocantur horti & Paradiſi, ſed domus civium; Hinc & Chriſtus ait* Joan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, aſſerit tamen habitationes illas nequaquam noſtris futuras eſſe ſimiles, nimirum ex lapidibus fabricatas, ut ab aëris injurijs tuti eſſe poſſint: Sed vitreæ erunt & pellucidæ ad pulchritudinem voluptatis. Et Barradius dicit: *Ampla erunt ædificia ex incorruptibili materia, ipſiſque margaritis pretioſiori ædificata.*

Barrad. T. 3. l 10. c. 3. S. Aug. Cornel. à Lap. in c. 21. Apoc. Joan. 14. v. 2. Barrad. ubi ſup.

Hiſtoria.

6. Celebre eſt factum illud quod de Troilo Epiſcopo in vita S. Joannis Eleemoſynarij refertur; Cum enim ad inſtantiam S. Joannis quamdam triginta librarum erogaſſet eleëmoſynam, deque illa jam erogata paulò poſt ipſum pœnituiſſet. S. Joannes de pœnitudine hoc Troili certior factus, quemdam ad eum ablegavit, qui illi Eleemoſynæ erogatæ quantitatem reſtitueret, dummodo ſcripto ſe Eleemoſynæ jam factæ præmium ipſi cedere velle conteſtaretur; Quod ut a Troilo præſtitum fuit mox in extaſi quadam ſequentem habuit viſionem; in pulcherrimum namque valdeque opulentum in cœlo vidit palatium, cujus frontiſpicium hanc referebat inſcriptionem: *Hæc eſt domus, in qua Troilus Epiſcopus*



quieſcet,

*quieſcet*, qua ex viſione cum impenſe admodum lætaretur, ſubito gravem quemdam vidit virum è Senatorio ordine, magnaque luce conſpicuum, cum variis miniſtris ſuum ad dictum palatium accedentem, quibus ipſe priorem domus inſcriptionem è frontiſpicio abradi & deleri, in ejusque locum aliam ſubſtitui præcepit, cujus hic tenor erat: *Hæc eſt domus quam Joannes Alexandrinus Epiſcopus ſibi triginta librarum pretio comparavit*; Qua ex hiſtoria aliqua prædictæ opinionis probabilitas deduci poſſe videtur; Interim quidquid ſit, certum tamen eſt, quod hoc nomen *Paradiſus*, quo cœlum Empyreum paſſim appellatur, deliciarum & amœnitatis magnæ ſit expreſſivum ac proinde graves authores hanc tenent opinionem, arbores, frondes, flores, fructus, & fontes, in cœleſti futuros eſſe paradiſo. *In die illa*, inquit Iſaias, *erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis.* In multis quoque Scripturæ locis cœlum hortus, pomerium appellatur, eo quod in hiſce locis ſoliti ſimus noſtros recreare ſenſus, oculos nimirum herbarum viriditate & varietate colorum, guſtum ſapore fructuum, aures cantillantium volucrum harmonia, nares denique fragrantia odorum. Unde B. Laur. Juſt. ait: *Fragrans quoque ſuavitas cœleſtium odor amentorum mira liquefactione reſpergit odoratum*; *Hos prælibaverit (tenuiter tamen) qui dicebat: Odor tuus ô Domine excitavit in me concupiſcentias æternas.*

*Iſa. 4. v. 2.*

*B. Laur. Juſtin. l. de diſcip. & mun. cont. cap. 23.*

Cœli amœnitas.

*Sur. in vit. S. Doroth.*

7. Theophylus ille qui per modum ludibrij S. Dorotheæ dixit: *Mitte mihi de Paradiſo ſponſi tui mala aut roſas*, ſubito coram ſe puerum quemdam ſportulam roſis plenam conſpexit: *Ecce puer ante eum apparuit, ferens in orario tria mala optima, & tres roſas*, qui huic incredulo homini dixit: *Virgo Dorothea hæc tibi mittit munera de horto ſponſi ſui.*

*V. Bed. ſer. 1. de SS.*

*Apoc. 22. v. 1*

8. In ſecundis lectionibus Matutina in ſolemnitate omnium Sanctorum, illa Venerabilis Bedæ verba leguntur: *Floribus ejus* (id eſt, horti Civitatis Dei) *nec roſæ nec lilia deſunt.* Ita in cap. 22. Apocal. S. Joannes teſtatur dicens: *Et oſtendit mihi fluviũ aquæ vivæ ſplendidum tamquam cryſtallum, in medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus*, poſt quæ verba S. Joannes paulò poſt dicit: *Hæc verba fideliſſima ſunt & vera.* Corn. à Lapide in Geneſin, in opere ſecundæ diei, in ea eſt opinione, quod in Cœlo Empyreo tempus quoddam vigeat amœniſſimum ratione aëris & cœli temperati, omnisque generis delicijs refertum: *Aërem vel ætherem omni rerum ſpecie ornatiſſimum.* De eodem quoque Alcazar pariformiter ita ſcribit: *Atque ut tota Civitas amœniſſimi Paradiſi ſpeciem præ ſe ferat, concipiendæ ſunt viæ omnes laxæ ſatis & ſpatioſæ, & per omnes copioſos valde aquæductus deduci ex ipſis fluvij fluentis; atque ad utramque fluminis ripam per omnes civitatis vias arbuſta viridiſſima.* Idem quoque alibi ex authoritate S. Auguſtini, S. Anſelmi & B. Laur. Juſtiniani ſuſtinet quod in Paradiſo amœnæ & delitioſæ reperiantur arbores, flores, poma, flumina, & omnia alia, quæ hortum aliquem delicioſum reddere, ſenſibusque delectationem conciliare poſſunt. Fingas imaginatio & phantaſia, quidquid in gemmis, delicijs, dignitatibus, Majeſtate & alijs quibuſcumque placet, denique quidquid boni aut pulchri excogitare poteſt & valet, utique in Paradiſo cœleſti reipſa pulchritudinem, venuſtatem, amœnitatem, & divitias reperiet longe majores illis quas umquam deſiderare, capere vel imaginari poſſit intellectus humanus, cum à ſpiritu veritatis ipſomet dictata veritas ſit, quod *Nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Quod ſi vobis imaginemini montes, adamantes, flumina, margaritas, liquidosque nectaris & Ambroſiæ torrentis, illis utique excellentiora ibidem reperietis, quam deſiderare aut imaginari vobis poſſitis. S. Bern. ſuper illum Pſalmiſtæ textum: *Quis aſcendet in montem?* poſtquam multa cœleſtis gloriæ gaudia enumeraſſet, ſubjungit: *Porro ex his omnibus & ſi qua poſſunt ſimiliter deſiderabilia cogitari, una eſt beatitudinis menſura bona, conferta, coagitata, ſupereffluens, ac ſi plurimos montes, alium quidem aureum, alium argenteum, alium ex hyacinthis & ſmaragdis, atque omnium gemmarum gloria, alium quoque è vermiculo, purpura, & byſſo, cæterisque ejuſmodi opibus pariter coacervans in unum redigas montem.*

*Corn. à Lap. in c. 1. Gen.*

*Alcazar. in c. 21. Apoc.*

Superat omnia imaginabilia.

*1. Cor. 2. v. 9*

*Pſ. 23. v. 3.*

*S. Bern. in ſerm.*

Cœli pretioſitas.

*Apoc. 21. v. 19.*

*Ibid. v. 20.*

9. Quod ſi ſupernæ illius Jeroſolymæ civitatis Dei fundamenta conſideremus, de ijs S. Joannes ita ſcribit: *Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata; Fundamentum primum Jaſpis, ſecundum Saphyrus, tertium Chalcedonius, quartum Smaragdus, Quintum Sardonox, ſextum Sardius, ſeptimum Chryſolithus, octavum Berillus, nonum Topazius, decimum Chryſopraſus, undecimum Hyacinthus, duodecimum Amethyſtus.* Neque pretioſitas cœleſtis illius civitatis ſolùm in nova lege gratiæ, S. Joanni, verum etiam in antiquo teſtamento revelata fuiſſe legitur. In Iſaia namque Deus dicit: *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſaphyris, & ponam jaſpidem propugnacula tua.* Quotidiana porro apud nos experientia teſtatur, quod in fundamentis ædificij alicujus, impoliti & rudiſſimi lapides conjici ſoleant; quia non videntur; atque ideo ex fundamento præſtantia facile valor inæſtimabilis & incomparabilis, pulchritudo murorum civitatis ſanctæ, & penetralium aulæ cœleſtis conjici poteſt, ſiquidem lapides incultiſſimi, qui in illius fundamenta jaciuntur, tales ſunt, qui apud nos in tanto ſunt pretio & æſtimatione. *Portæ Jeruſalem ex ſapphyro*, dicitur in libro Tobiæ, *& ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum ejus, ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus ſternentur.* S. Joannes in Paradiſo duodecim portas vidit, easque ex gemmis meris & pretioſiſſimis fabricatas: *Duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis. Plateæ & muri ejus*, canit ſancta mater Eccleſia: *Ex auro puriſſimo, portæ nitent margaritis; Platea civitatis aurum mundum*; inquit S. Joannes, *tamquam vitrum perlucidum.* Aurum quidem inter omnia metalla pretioſiſſimum eſt, at vero ſi inſtar Cryſtalli perſpicuum, clarum, & perlucidum eſſet, quanto oculus noſter abinde in majorem admirationem rapiendus eſſet. Imaginemini vobis quanta ſit beatæ illius domus opulentia & præſtantia, cujus plateæ, muri, viæ ex auro puriſſimo pavimentatæ & fabricatæ dicuntur, & quidem ex auro tam pretioſo, & ſelecto.

*Iſa. 54. v. 11.*

*Tob. 13. v. 21.*

*Apocal. 21. v. 21.*

*Hymn. Eccl.*

*Apocal. 21. v. 21.*

Cœli claritas.

*Cornel. à Lap. in c. 21. Apoc.*

10. De S. Salvio ſcribitur, quod cum poſt quartum diem à mortuis ad vitam rediiſſet, dixerit: *Audite dilectiſſimi, & intelligite, quia nihil eſt quod cernitis in hoc mundo, ſed ſunt, juxta id quod Salomon Propheta cecinit, omnia vanitas.* Interrogatus autem quid vidiſſet, reſpondit: *Cum Solem ac Lunam, nubes & ſydera ſub pedibus habere putarem, per portam luce iſta clariorem introductus ſum in illud habitaculum, in quo omne pavimentum erat quaſi aurum, argentumque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis.* Porro de luce & claritate cœli Empyrei idem Joannes teſtimonium perhibet dicens: *Et oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem, habentem claritatem Dei, & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo, tamquam lapidi jaſpidis ſimile cryſtallo; Et Civitas non eget Sole neque Luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit illam.* Ubi antiquus quidam Interpres ita ſcribit: *Gloria civitatis melius explicari non potuit, quam ut diceretur claritate Dei illuminari, & agnum lucernam ejus eſſe; Illuſtratio luminarium cœli non erit neceſſario beatis in patria, cum corpora eorum clariora ſint futura Sole & Luna, claritatem omnem à claritate Dei habitura*; Id quod in Iſaia cap. 60. claris verbis exprimitur: *Non erit tibi amplius Sol & lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempernam, & Deus tuus in gloriam tuam.* B. Laurentius Juſtinianus de immenſa illa cœli Empyrei claritate ita ſcribit: *Nimia claritate fulgebit, ita ut Solis ſepties tranſcendat ſplendorem, non autem lumine ſuo intuentium ſe reverberabit aſpectum.* Sed ineffabili quodammodo confortabitur, clarificabitque, nec mirum quia de Deo noſtro dicitur, quod eſt *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem, Lucem inhabitat inacceſſibilem.* S. Auguſtinus quoque in ſuis Soliloquijs, verba illa, *In lumine tuo videbimus lumen*, conſiderans inquit: *Quale autem lumen? Lumen immenſum, lumen incorporeum, incorruptibile, incomprehenſibile, lumen indeficiens, lumen inextinguibile, lumen inacceſſabile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen divinum, quod illuminat oculos Angelorum, quod lætificat juventutem ſanctorum.*

*Apocal. 21. v. 10.*

*Ibid. v. 11.*

*Ibid. v. 23.*

*Cel. Dan. Ibid.*

*Iſa. 60. v. 19*

*B. Laur. Juſtin. de diſcipl. & mun. cont. c. 23.*

*Joan. 1. v. 9.*

*1. Tim. 6. v. 16.*

*Pſ. 35. v. 10.*

*S. Aug. in Solil. c. 36.*

Æterna dies.

*Apocal. 21. v. 11.*

11. Neque myſterio vacat, quod lux illa gemmæ pretioſæ aſſimiletur; *Et lumen ejus ſimile lapidi pretioſo*, quia tametſi lux & Sol illuminet, nonnumquam tamen etiam oculum offendit & offuſcat; & juxta Aſtrologorum quorumdam opinionem in majoribus illis luminaribus ſuæ etiam norantur maculæ, at vero lux quæ ex gemma aliqua ſcintillat, non ſolùm nos non offendit, verum etiam viſum reficit & confortat: *Non autem lumine ſuo intuentium ſe reverberabit aſpectum*; Luminis illius claritas inalterabilis & indeficiens erit: *Lux perpetua lucebit ſanctis tuis Domine & æternitas temporum*; Ac proinde notat S. Auguſtinus, quod dum in omnibus ſex diebus mentio fit mane & veſperi, lucis & tenebrarum in principio mundi. *Factum eſt veſpere & mane*; in die tamen ſeptimo, qui æternam præfigurabat quietem, nullius veſpere mentio exprimatur.

*Eccleſia.*

*S. Auguſt. Gen. 1. v. 5.*

12. Simile



Deus videbitur ut in ſe eſt.

12. *Simile Jaſpidi*; De hac eadem gemma dicitur quod ſit ſimilis cryſtallo; Hic autem nec rubeum, nec viridem in ſe colorem habet, quia in cœlo ſpes locum non habet, cujus ſymbolum eſt color viridis, eo quod ibi jam jucunde poſſidetur, quod anxie ſperabatur in via; Neque etiam rubeus color in cœlum admittitur, utpote qui dolores & miſerias ſeu etiam ſanguinem Martyrum repræſentat; *Et abſterget Deus omnem lacrymam, &c.* Color etiam cryſtallinus vere lux quædam eſt. Et ideo licet ſi objectum aliquod per gemmam aliquam cæruleum colorem referentem ſpeculeris, illud non tibi exhibeatur ſicut in ſe eſt, ſed ſub illo colore, qui à gemma oculo imprimitur, non tamen idem eſt de cryſtallo, ſi enim per cryſtallum rem aliquam rubeam intueris, rubeam illam quoque tibi repræſentabit cryſtallus, & flavam, ſi res videnda flavo colore imbuta fuerit; tale quid ſimiliter eſt lumen gloriæ, hoc enim Deum cum omnibus ſuis divinis attributis, ita pulchrum, majeſtuoſum, & amabilem, repræſentabit, ſicuti in ſe eſt. *Quoniam videbimus eum ſicuti eſt; Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem.*

*Apoc. 7. v. 17 & c. 21. v. 4.*

*1. Joa. 3. v. 2*

*1. Cor. 13. v. 12.*

*Surius in vit. S. Ceciliæ.*

13. In vita S. Cæciliæ refertur, quod cum martyrij ipſius miniſtri ipſam acrius repræhenderent, quod in flore ætatis pulcherrimo conſtituta, ſponſalitij ſui voluptates, divitias, cunctaque alia hujus vitæ bona ſimul & ſemel perdere non dubitaret, ipſa libera voce reſponderit: *Hoc eſt dare lutum & accipere aurum, dare tabernaculum breve & miſerabile, & magnam, ſpatioſamque, & amplam domum accipere ex lapidibus pretioſis & auro ædificatam, dare angulum, tenebroſum locum, & accipere lucidum, margaritis cœleſtibus reſplendentem, dare lapidem miſerabilem, quem pedibus conculcatis, & accipere lapidem pretioſum, qui reſplendet in regio diademate.*

## DISCURSUS V.

### ARGUMENTUM.

Beati omnes, utpote coronati Reges in ſolio Majeſtatis conſidentes, in cœlis potentes erunt.

### THEMA.

*Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Iſaiæ 60. ℣. 3.

In cœlo omnes ſunt Reges.

1. S. Fulgentius ſuo tempore inclytæ hujus urbis Romanæ (quæ ut egregius quidam Orator ſcribit, nihil eſt aliud quam parvus quidam mundus, ſicut mundus univerſus aliud non eſt, quam magna quædam Roma) hujus inquam urbis magnificentiam vehementer demiratus, in pulchra hæc verba prorupit: *Quam ſencioſa eſſe poteſt civitas cœleſtis, ſi ita fulget Romana terreſtris? Et ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præſtabitur Sanctis diligentibus veritatem?* Cineas apud Pyrrhum Regem adeò celebris Orator, ab eodem interrogatus: Quidnam ſibi de Roma viſum fuiſſet? reſpondit: *Regnum ſibi urbem viſam eſſe*, quantò igitur magis idipſum in veritate de cœleſti Jeroſolyma civitate Dei aſſerere poſſumus, de qua clarum eſt propheticum illud oraculum, &c. *Et Ambulabunt, & Reges in ſplendore ortus tui?* Quodnam eſſe poteſt gratioſius glorioſiusque ſpectaculum, quam videre innumerabilem quamdam Regum, Imperatorum, Monarcharumque multitudinem? Jeremiam Prophetam quæſo audiamus, qui ſub figura Jeroſolymæ, de Regno Beatitudinis loqui volens, ita diſſerit: *Ingredientur per portas Civitatis hujus Reges & Principes, ſedentes ſuper ſolium; Quàm nobilis ſocietas*, inquit ibi Doctor Seraphicus, *Quam glorioſa Civitas illa eſſet, in qua nullus omninò niſi Principes & Reges habitarent*; Si in Civitate aliqua duos civium milliones numerante, neminem videres alium, quàm Principes, Reges, Papas, qualis in tali Regnorum & Monarchiarum metropoli nobilitas & magnificentia reluceret. Pergit autem idem S. Bonaventura de Regno cœlorum ulterius dicere: *Reges utique ſunt, qui de manu ſupremi Imperatoris coronam Regni accipiunt.*

*S. Fulgent.*

*Cin. Orat.*

*Iſai. 60. v. 3.*

*Jerem. 17. v. 25.*

*S. Bon. ſer. 2. in Feſt. Omn. SS.*

*S. Bon. ibid.*

Potentes.

2. Huic quoque veritati Sapiens per quædam verba teſtimonium perhibet, quæ in Sanctorum Martyrum honorem ſæpius à nobis recitantur, ait enim: *Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*; paulò poſt verò Beatorum potentiam & dominium declarare volens ſubjungit: *Judicabunt nationes & dominabuntur populis.* Similiter David Pater ejus prius hac de re ita ſcripſerat: *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Principatus eorum.* Ubi notanter dicit: *Nimis confortatus eſt, &c.* Quia ſi Regna terræ hujus conſideremus, ex multis Hiſtorijs clarum eſt, quod Principes cæteroquin potentiſſimi, utpote multis regnis dominantes cum omni theſaurorum ſuorum robore, cum cunctis exercitibus, cum omni denique poteſtate & conſilijs ſuis, rebelles ſubditos ſuos nonnumquam donare non poſſint, & tamen unus dumtaxat è ſpiritibus Angelicis in breviſſimo tempore nocte quadam centum octuaginta quinque millia inimicorum Dei & populi ejus circa Jeroſolymam admirabili ſtrage delevit. *Et qui vicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, Et reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur.*

*Sap. 3. v. 7.*

*Ibid. v. 8.*

*Pſ. 138. v. 17*

*Apocal. 2. v. 26.*

*Ibid. v. 27.*

Hiſtoria.

3. Legatur vita Sancti Caſimiri, & contra inimicos regni ſui longè glorioſior in Cœlis quam in terra fuiſſe reperietur; In ejus namque lectionibus legimus: *Poſt ejus mortem Lithuanicus exercitus exiguus numero, ob ſubitaneam & inſperatam Moſci potentiſſimè inſtructi irruptionem, voto facto Beato Caſimiro, apparente ipſo in aëre quaſi duce prævio, de hoſte ad internecionem deleto victoriã inſignem reportavit. Et gladij ancipites in manibus eorum, Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, Ad alligandos Reges eorum in compedibus.*

*Pſal. 149. v. 6.*

*Ibid. v. 7.*

*Ibid. v. 8.*

Quot inimici exercitus per unius dumtaxat Regum & Monarcharum illorum qui regnant in Cœlis patrocinium & invocationem fuere fugati? quot regna ſubjugata? quot ſubacti Barbari. Sanctus Anſelmus de Beatis, quoad potentiam illorum ita ſcribit: *Præſtabunt viribus quicumque ſupernis meruerint civibus aſſociari, in tantum ut nullatenus illis quidquam obſiſtere valeat, vel ſi movendo quid aut evertendo voluerint à ſuo ſtatu, quin illico cedat, nec in eo quod dicimus majori laborabunt conatu, quam nos modo in oculorum noſtrorum motu.*

*S. Anſel. l. de ſimilit. c. 52.*

Beatorum authoritas ac creaturarum ſubjectio.

*S. Th. opuſc. 63. cap. 4.*

5. Qui hic in terris rerum potiuntur Monarchæ limitatam habent potentiam & authoritatem, neque hanc ulla in re exercere poſſunt, niſi promptam in ſubditis inveniant obedientiam, de illis verò cœleſtis Paradiſi Regibus, Doctor Angelicus ita ſcribit: *Ibi voluntas cujuſque ſemper & ubique complebitur, juxta illud Auguſtini: Omnipotentes erunt voluntatis ſuæ, ſicut Deus ſuæ*; & ideò Creaturæ omnes promptiſſimè illis parebunt, & Creatoris, cui ſunt perfectiſſimè uniti, potentiam participantes, qua ſi omnipotentes erunt. Pro cujus explicatione Sanctus Anſelmus exemplum adducit Angelorum dicens: *Sicut Angelis nihil obſiſtit, nec aliquid eos impedire poteſt, nec conſtringere, quin pro velle ſuo cuncta penetrent liberrimè ita non erit aliquod obſtaculum quod nos retardet, nulla clauſula quæ nobis ullatenus obſtet, non elementum quod nobis ad velle noſtrum promptum omninò non extet.*

*S. Anſel. ibid. c. 53.*

Omnes beati coronati ſunt Reges.

6. Porrò Beatos in cœleſti Paradiſo coronatos eſſe Reges adeò verum & certum eſt, ut ipſemet Salvator noſter electos in noviſſimo judicij die ad gloriam invitaturus, hanc illis à ſe ſub titulo Regni dari proteſtaturus ſit, & tametſi tunc venturus ſit in forma Judicis nihilominus cum titulo, poteſtate & Majeſtate Regis ſit compariturus: *Cum autem venerit filius hominis in Majeſtate ſua, tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Ubi, ut vides, gloriam non hæreditatem, non præmium, non pallium aut bravium, ſed regnũ appellat, ſicut & gratiam, quæ ſemen eſt gloriæ: *Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt*, quando enim Divinæ ſumus gratiæ poſſeſſores, jus habemus ut regni illius inveſtituram quoque accipiamus, ad cujus poſſeſſionem nobis per ſanguinem Agni aperta via fuit.

*Matt. 25. 31*

*Ibid. v. 34.*

*Ibid.*

*Luc. 17. v. 21*

Soli Deo ſubjecti cum eo Regnantes.

*Apoc. 5. v. 9.*

7. Illi viginti quatuor Senatores, de quibus in Apocalypſi mentio fit, quorum capita Diadematibus redimita erant, his ei verbis applaudebant: *Redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro Regnum, & regnabimus.* Sanctus Antonius de Padua proinde in ſermone quodam inquit: *Percipite Regnum vos eritis Reges.* Apocal. 5. *Feciſti nos Regnum; ſtudioſam ordinationem, quia hoc Regnũ non eſt caſuale, ſed præparatum nobis ab origine mundi, de qua præparatione ſtudioſa loquitur Apoſtolus* 1. Cor. 2. *& accepit ex* Iſaiæ c. 64. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus ijs qui diligunt illum.* Quamdiu in hac præſenti vita vivimus, omnes ſubditi ſumus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, at verò quando ab hujus corporis carcere ſoluti & exempti erimus ſubitò ut regno illi pedem noſtrum intulerimus, regio diademate coronabimur. *Ibi nullus alteri ſubjicitur*, inquit Sanctus Thomas, *ibi ceſſabit omnis prælatio, ſed ſoli Deo omnes ſubjecti ſunt*; at verò numquid ſubjectio iſta liberum Dominij ſceptrum forſitan impediet? Nullo modo; Et ideò Sanctus Thomas protinus ſubdit: *Cui ſubjici & ſervire eſt verè regnare*; ſiquidem idem ipſe Rex gloriæ in Paradiſo

*S. Anton. de Pad. Fer. 2. poſt Dom. 1. Quadrag.*

*Apocal. 5. v. 10.*

*1. Cor. 2. v. 9*

*Iſai. 64. v. 4.*

*Rom. 13. v. 1*

*S. Tho. opuſc. 63. c. 4.*

diſo non ſolùm voluntatis beatorum promptus erit executor, verum inſuper illorum miniſterio totus deditus erit: *Tranſiens miniſtrabit illis.*

*Luc.12.v.37*

Beatitudo corona nominatur.

8. Porro æterna retributio non ſine myſterio in pluribus Scripturæ locis Coronæ titulo appellatur, vult enim Spiritus Sanctus, ut omnes electorum animas in Paradiſo coronandas eſſe ſciamus; Et hæc eſt ratio, cur circa Beatorum capita coronæ inſtar radij cujuſdam depingi ſoleant. Sanctus Apoſtolus, qui ad Cœlum Empyreum à Deo raptus fuit, Beatitudinem coronæ titulo decoravit: *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*; Et in Apocalypſi dicitur: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ, id eſt*, inquit Hugo Cardinalis hæc verba exponens, *vitam interminabilem, vel vitam regalem, quia modo non habemus niſi vitam ſervilem, quia ipſe Dominus erit nobis Corona*; In cujus probationem textum illum Iſaiæ cap.28. adducit, dicentis: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ.*

*2. ad Tim.4. v.8. Apocal. 2. v.10. Hug. Card. Ibid. Iſaia 28. v.5*

Deſcribitur gloria.

9. Sapiens de Beatorum gloria tractans, ita illam nobis delineavit. *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum, ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* Sanctus Bonaventura huic quoque veritati teſtimonium perhibet, dum omnes beatos velut totidem Reges futuros eſſe dicit: *Omnes Sancti*, inquit, *erunt Reges, juxta illam ſæpius allegatam Chriſti invitationem: Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum, &c.* Chriſtus in propria perſona honorabit eos: *Præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*, ſicut filius Regis conſuevit in propria perſona ſervire, quando vult multum ſuos nobiles honorare. Idem quoque Seraphicus Doctor obſervat, quod Eccleſia de quolibet Beato cantando dicat: *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*; De hoc quoque lapide pretioſo emptionem illam interpretatur, de qua dicitur: *Simile eſt Regnum Cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inventa una pretioſa margarita, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Eodem quoque in loco inter coronas diſtinguens ait: *Nota quod duplex eſt corona, aurea ſcilicet & aureola. Aurea dicitur præmium ſubſtantiale, quod conſiſtit in tribus, ſcilicet in viſione Dei clariſſima, in fruitione ſuaviſſima, & in recreatione ſecuriſſima, de qua dicitur: Corona aurea ſuper mitram ejus, quæ eſt ornatus Pontificum, quia omnes Sancti non ſolùm erunt Reges omnipotentes ſuæ voluntatis, ſed etiam erunt Sacerdotes & Pontifices, offerentes Deo ſemper Sacrificium laudis; Et ideò dicitur: Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes. Alia corona dicitur Aureola, id eſt, coronula parva*; redditque coronæ hujus rationem, dicendo, quod ſit gloria quædam ſpecialis accidentalis, quæ Sanctis quibuſdam propter excellentiora quædam opera communicatur: *Datur tribus generibus operum; Virginibus, & hæc eſt florea; Martyribus, & hæc eſt gemmea; Doctoribus, & hæc eſt ſtellata.*

*Sap.5. v.16. Ibid. v.17. S.Bonav.in Diet.ſal.vit. 10. c.2. Matth.25. v.34. Luc.12.v.37 S.Bonav. in Diet.ſal. vit. 10. c.2. Pſ.20. v.4. Matth. 13. v.45. S.Bonav. Ibid. Eccli.45. v.16. Apocal. 5. v.10. Idem ibid.*

Beati in thronis ſedebunt.

10. Enimverò præter Diadema eſt & alia regia corona in ſignum Majeſtatis quàm in Rege ſolium occupante reveremur; Sanctos quoque in ſolio gloriæ ſeſſuros eſſe legimus: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Pharao Joſephum honorare volens, *Fecit eum aſcendere ſuper currum ſuum, uno tantum Regni ſolio te præcedam*; non verò ſic Deus noſter Rex gloriæ & cœleſtis Paradiſi Monarcha, is enim apertè dicit: *Dabo ei ſedere mecum in throno meo.* In prophetia Danielis plures in cœlo thronos preparatos eſſe legimus: *Aſpiciebam*, inquit Propheta, *donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit*; cujus ratio eſſe poteſt, quia ſupremus ille Monarcha non ſolùm vult ut animæ beatæ in eodem ſolio ſuo honorificentiſſimè ſedeant, ſed etiam ut ad inſtar regum quilibet in throno ſuo particulari pariter cum ipſo ſedeat; Unde Rup. Abb. Tuitienſis ait: *Thronus unus, & plures Throni plures ſunt ſancti.*

*Apocal. 3. v. 21. Gen.41.v.43 Apocal. 3. v.21. Daniel. 7. v.9. Rup. Abb. l.1. c.13.*

Ut Reges.

11. In glorioſo illo Transfigurati Salvatoris ſpectaculo, in ejus comitatu ſimul Moyſes & Elias comparentes viſi fuêre, nec tamen eſt, quod ideò vobis perſuaſum habeatis, quod ſolum in actu reverentialis obſequij ipſi aſtiterint, quin potius in actuali majeſtate velut reges juxta ipſum fuere viſi; ſiquidem Sanctus Lucas apparitionem & ſitum illorum deſcribens, non ſine ratione dixit: *Erant autem Moyſes & Elias viſi in Majeſtate.* Ingenioſa proinde eſt illa Sancti Thomæ de Villanova de Sancto Præcurſore ſcribentis ponderatio, quod ſcilicet poſt laudes quibus Divinus Panegyriſta Præcurſorem extulit, mox etiam ſubjunxerit: *Qui autem minor eſt in Regno Dei, major eſt illo*; Unde hanc deducit conſequentiam; *Quanta illa gloria quo tendimus, ubi omnium minimus maximo, ſapientia, puritate, virtute, perfectione major eſt? quiſquis maximus habetur, ad illam felicitatem comparatus, velut infantulus reputatur*; Et tamen Sanctus Gabriel de Baptiſta dixerat: *Erit enim magnus coram Domino.* Æterna veritas illum Angeli honorifico titulo exornarat. Denique Synagoga illum in conceptu Filij Dei & Meſſiæ habebat.

*Luc.9. v.31. Luc.7. v.18. S.Th à Vill. nov.conc.3. de S.Joan. Bapt. Luc.1. v.15.*

Omnes magni.

12. Quoad ſanctitatem quoque nulla eſt hic in terra dignitas aut magnificentia, quæ Beatorum excellentiæ comparari poſſit; etenim nos hic in terris, in comparatione ipſorum, velut Pygmæi quidam ſumus: *Quis Paulo major?* quærit Villanovanus: *Sed quid ait de ſe ipſo: [Cum eſſem parvulus loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus:] Ubi Paulus parvulus eſt? quis dicere audebit: vir ſum ego? Feſtinemus ingredi illam requiem, ubi verè magnus eſt, quiſquis etiam in ea minimus eſt; non mihi curæ eſt, Deus meus, quantùs futurus ſim apud te in Regno tuo, ſed hoc magis curo & exopto, ut de Regno tuo ſim, quia ſi ad domum tuam pertineo, qualiſcumque fuero, magnus ero.*

*S.Thom.de Villanov. Ibid. 1. Cor.13. v.11.*

13. In Apocalypſi dicitur: *Et Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam*; Quem obſecro honorem, aut quam gloriam Magnates & Potentes mundi hujus cœleſti Jeroſolymæ afferre poterunt, de quibus Sanctus Hieronymus dicit, quod contremiſcentes ante Thronum Dei aſtituri ſint? *Potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt.* Enimverò ni fallor Sanctus Joannes his verbis dicere voluit, quod Reges & Monarchæ mundi hujus, ſupremam Beati illius Regni Majeſtatem & magnificentiam contemplantes, ſuos in cœlos honores ſint repoſituri, id eſt, quod ſceptris & coronis terrenis renuntiaturi ſint hic in terris, ut tandem glorioſius & præcellentius regnare poſſint in cœlis. *Et Ambulabunt, & Reges in ſplendore ortus tui, &c.* inquit Iſaias; Quibus in verbis myſtica eſſe videtur dictio illa, *ambulabunt*, ſiquidem perfectionis eſt expreſſiva, juxta illud: *Ambula coram me & eſto perfectus*, atque ideò Propheta vult dicere. Multi reges in hac præſenti vita in luminoſum æternæ beatitudinis Orientem ſuos defigendo cogitatus oculos ingentibus paſſibus in Sanctitate ambulaudo proficient, ut ſuo tempore longè pretioſiori corona, nimirum cœleſtis gloriæ diademate tempora ſua cingere poſſint; prouti fecerunt Sanctus Ludovicus Rex Franciæ, Sanctus Hiſpaniarum Rex Hermenegildus, Sanctus Eduardus Rex S. Angliæ, Sanctus Caſimirus Rex Poloniæ, Sanctus Emericus Rex Sueciæ, Sanctus Canutus Rex Daniæ, Denique Sancti Carolus Magnus & Henricus Imperatores, & plures alij ſalutare Severini Boëtij conſilium ſecuti dicentis: *Non in hoc terræ puncto, ſed in Cœlo propaganda gloria.*

*Apocal. 21. v.24. S.Hieron.* Reges terrenis coronis renuntiarunt. *Iſa.60.v.3. Gen.17.v.1. Severin. Boëtius.*

Potentiores in cœlo futuri.

14. Verum enimverò quæret fortaſſe aliquis, quâ ratione Jeremias Propheta dicere potuerit: *Ingredientur per portas civitatis hujus Reges & Principes*, cum in toto octo Beatitudinum numero nulla non ſolùm regum, ſed nec divitis alicujus aut in hac vita proſperitate aliqua affluentis fiat mentio, ſed tantum eorum, qui ſuam in afflictionibus, paupertate & continuis perſecutionibus traduxere vitam: *Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui perſecutionem patiuntur? &c.* At verò facilis eſt in promptu reſponſio, ſiquidem omnes electi etiam reges quamdiu hic in terris vitam degunt, in humilitate, contemptu & perſecutionibus continuis fluctuant, at vero in vita futura quando remunerandi erunt, ſubito ut beati illius regni inveſtituram acceperunt, veri reges fiunt, & quanto hic fuere majoribus ærumnis ſubjecti, tanto in Cœlis amplius & magnificentius erit illorum Dominium.

*Jerem.17. v.25. Matth.5.v.3 &c. uſque ad v.10.*

Ubi etiam nos regnare poterimus hic ſuperabis vitijs.

15. Sanctus Anſelmus idipſum explicat per ſimilitudinem hominis alicujus, qui in via publica ulceribus plenus atque ab omnibus derelictus & contemptus jacet, quem Rex illa pertranſiens non ſolùm levari & curari jubet, verum etiam reſtauratum & divitijs auctum in partem regni ſui clementer aſſumit: *Si Curatum, ſuis regalibus ornamentis indutum ſibi præſentari præciperet, ut in regno ſuo filius ſuus à cunctis haberetur, atque in nullo quod imperaret, à quoquam contradiceretur, hæredem ſuum filijque ſui cohæredem conſtitueret, & eum ſuo nomine vocari vellet, nonne diceres hunc magnifice & inopinatè honoratum? Et certe Deus nobis hæc omnia faciat; nati enim de putredine carnis, replemur multis miſerijs; vocatos nos nomine ſuo Deos faciet; ipſe enim dicit: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes, ſed ipſe Deus Deificans eſt, tu verò Deus Deificatus.* Porro in noſtra eſt poſitum poteſtate, ut in immortali illo regno corona gloriæ redimiti, de illorum beatorum regum

*S.Anſel.c.66 de ſimi. Pſ.81. v.6.*



regum numero cenſeamur; at verò hic in terris res ita ſe non habet, cum paucis ſors iſta contingat, ut regnare, vel Reges, Imperatores, vel Papæ fieri poſſint; Quanta igitur & quam longè melior & Monarcharum cœleſtium conditio, & tamen ut ſtatum hunc ſublimem ſortiamur, totum à nobis & à noſtro arbitrio dependet. Sanctus Hilarius verba illa Pſalmi: *Et nunc Reges intelligite*, explicans dicit: *Alios nobis Reges Evangelia demonſtrant, ſcilicet in quos appropinquavit Regnum Dei, qui regnans in ſe peccatum devicerint, qui ſui ipſius corporis reges ſunt, dominatus ſuo univerſa vitiorum incentiva ſubdentes; hoc enim in nobis eſt Regnum Dei*, adducitque illam Sancti Pauli ad Corinthios ſcribentis authoritatem, in qua dicitur: *Utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus; Hoc itaque Regnum Dei eſt, ubi peccatum vincetur, ubi non regnat hoſtis.*

*Pſ.2. v.10. S. Hilarius Ibid. 1.Cor.4.v.8.*

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

Tractatus de animarum beatarum, & corporum ipſorum pulchritudine & de dotibus claritatis, impaſſibilitatis, agilitatis & ſubtilitatis, quibus corpora adornabuntur, reſtaurabunturque omnes illius defectus.

## THEMA.

*Tunc juſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum.* Matth.13. ℣.43.

Corpora noſtra reſurgent veſtita immortalitate.

1. GEdeon olim ex juſſione Dei militibus ſuis, ut ad tubæ ſonitum vaſa teſtea, quæ deferebant in manibus, confringerent, præcepit, ut lumen in illis abſconditum promicare poſſet; Sed *Omnia in figura contingebant illis*; Nos enim qui *habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*, ad ſonitum tubæ judicij particularis uniuſcujuſque noſtrum, per corporis noſtri depoſitionem vas hoc teſteum & fictile rumpemus, moxque ſplendor animæ, gloriæ lumine undequaque cinctæ copioſè promicare incipiet; ad ſonitum verò judicij univerſalis terram hanc quam in morte depoſueramus, reaſſumemus quidem, ſed eo modo quem Apoſtolus his verbis deſcribit: *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur; oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Verum quidem eſt, quod ſecundùm modum diſcurrendi humanum impoſſibile videri poſſit, quod lutum hoc luce & immortali veſtiendum ſit claritate, ſiquidem, *Homo putredo & filius hominis vermis*, verumtamen ut Sanctus Cyrillus, quo nullus ad propoſitum noſtrum loqui poterat convenientius, inquit: *Juſti ſplendebunt ut Sol, & tamquam Luna, ſicut & ſplendor firmamenti, & prævidens iſtam hominum incredulitatem, vermibus parvis lucidum corpus dedit, ut eo ſplenderent, ut ex apparentibus crederetur id, quod expectamus, qui enim partem potuit præſtare, poterit & totum, & qui fecit ut vermis lumine ſplenderet, multò magis hominem juſtum ſplendidum efficiet.*

*2.Cor.4. v.7 1.Cor.15. v.52. Ibid. v.53. Job.25.v.6. S. Cyrillus Hier. catech. 18.*

Mediante Redemptore mereri poſſumus gloriam.

2. In officio Aſcenſionis Domini hoc legitur reſponſorium: *Omnis pulchritudo Domini exultata eſt ſuper ſydera*; Dicitur autem notanter: *Omnis pulchritudo Domini*, quia quidquid in corporibus glorioſis, & multo magis in animabus beatis pulchrum eſt, ſuam non ſolùm originem, ſed & effectum ſuum à glorioſa Chriſti ſortitur humanitate; *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Salvator noſter apud Sanctum Lucam de Beatis dicit: *æquales enim Angelis ſunt*, at verò lux & claritas etiam unius dumtaxat Angeli immenſa eſt: *Poſthæc*, inquit Sanctus Joannes in Apocalypſi, *vidi alium Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria ejus*; Idem verò Sanctus Joannes in Epiſtola prima ulterius progrediens dicit: *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus*; Pro quorum verborum intelligentia notandum, quod quando ſerpens infernalis humani generis hoſtis Proto-parentes noſtros adeò à Deo ſublimatos videns, ut illos ad lapſum & præcipitium inclinaret & diſponeret, ijs dixit: *Eritis ſicut Dij*, id non fecerit, quaſi medium, quo Deo ſimiles fierent, ſuggerere volens, ſed mera Luciferi illis fortunam eorum invidentis fraus & deceptio fuit; inde enim factum eſt, quod quidem *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, non verò Deo, ut ſerpens doloſè promiſerat: at verò poſtquam ſecundus Adam, non terrenus, ſed cœleſtis, in progreſſu ſæculorum de Cœlo deſcendit, ſapienter diſpoſuit, ut homines pœnitentia mediante merita ſibi acquirerent ad gloriam, & in virtute redemptionis ſuæ ſimiles illi in beatitudine fierent, Unde Apoſtolus ait: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.*

*1.Cor.15. v.22. Luc.20.v.36 Apocal. 18. v.1. 1.Joan.3. 2. Gen.3.v.5. Pſal.48.v.13 2.Cor. 3. v.18.*

Animæ pulchritudo non apparet niſi depoſita carne.

3. Enimverò quænam ſit animæ alicujus in gratia exiſtentis pulchritudo & venuſtas, ex illis verbis deducere poſſumus Pſalmiſtæ dicentis: *Et concupiſcet Rex decorem tuum.* Tanta enim eſt talis animæ pulchritudo, ut Deus ille, qui Paradiſum beatum efficit, incomparabili ejus pulchritudine rapiatur; Unde verbis illis: *Decorem tuum*, Divus Chryſoſtomus hanc gloſſam addit: *Secundum animam*, ac demum ſubdit, *Ex animæ pulchritudine licet tantum bonum lucrari, quantum poſſidet, qui Deum habet amatorem.* Quia verò gratia ſemen eſt gloriæ, meritò dicere poſſumus, quod qualis ſemen inter & fructum, qui ſeminis germen eſt, differentia intercedit, talis quoque differentia ſit inter pulchritudinem animæ viatricis in gratia Dei exiſtentis, & aliam quæ actuali & perpetua gloria perfruitur; *Et nondum apparuit quid erimus*, quia quamdiu anima cum hoc mortalis corporis luto conjuncta eſt, nullum de ejus pulchritudine conceptum facere poſſumus.

*Pſal.44. v.12. D.Chryſ. Ibid. 1.Joan.3. v. 2.*

Quatuor glorioſorũ corporum dotes.

4. Sanctus Bonaventura in ſermone quodam de Reſurrectione verba thematis aſſumpti, ſcilicet: *Tunc juſti fulgebunt ſicut Sol, &c.* ponderans, in hoc planeta quatuor corporum glorioſorum dotes conſiderat, dicens: *In ſplendore Solis ſignificatur dos claritatis: In perpetuitate ſolis, dos impaſſibilitatis; In virtute ſolis activa (ſol enim penetrat integrum vitrum) dos ſubtilitatis; In celeritate ſolis, dos agilitatis, ſole celeriores erunt Sancti.* Has igitur glorioſi corporis dotes ſigillatim ponderemus; Et primo quidem animarum & corporum glorificatorum lucem & claritatem. Enimverò Moyſes Deum in monte Sinai facie ad faciem non viderat, quin potius claram Dei viſionem poſtulanti Deus reſpondit: *Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*, & tamen ex eo ſolùm, quod cum Deo locutus fuerat, Filij Iſraël oculos ſuos in ejus faciem nimio ſplendore coruſcam defigere minimè potuerunt, ſed neceſſum fuit ut Moyſes vultum ſuum velo quodam obtegeret; Unde ſic arguere licet, quod ſi Moyſes hac mortali carne etiamnum cinctus ex ſolo cum Deo paucis diebus continuato conſortio & familiari colloquio, tanto ſplendore coruſcavit, quænam erit claritas illa quæ in illam animam copioſiſſimè redundabit, quæ Divino Soli, qui tribus luminibus in una luce reſplendet, intimè conjuncta erit?

*S.Bon. ſer.5. de Reſurr. Matth.13. v.43. Exod. 33. v.23.*

Corpus beati ſole clarius.

5. Neſcio an aliquando ad illum Iſaiæ textum vos reflexeritis, in quo dicitur: *Et erit lux Lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die, &c.* In univerſali etenim reſurrectione Luna ad aſpectum corporum beatorum reſurgentium ſcintillabit, ſicut lux ſolis, & hic radios ſuos ſeptempliciter adaugebit. Sed dicat aliquis; Numquid ex Divinæ Scripturæ oraculo clarum eſt, quod in illa die *Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum?* Et ideò reſpondeo, verum quidem eſſe, quod funeſta hæc ſigna judicium præceſſura ſint, verumtamen Humanitate Chriſti & luminoſis ac reſplendentibus Beatorum corporibus in medium prodeuntibus, tam exceſſiva lux ex animabus beatis, & corporibus glorioſis redundabit, ut tametſi ſol & luna ſub Eclypſeos deliquio deliteſcerent, & ſtellæ obſcuratæ eſſent, unicum tantùm corpus unius Beati, ad totum univerſum copioſius, quàm à ſole fieri ſolet, illuminandum abundè ſufficeret: Unde ad illa verba quæ Sanctus Lucas de Salvatore noſtro transfigurato ſcribit, ſcilicet: *Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol*, Gloſſa interlinearis dicit: *Non habet clarius cui comparet, hoc inſinuans, quod ſole clarior ſit claritas corporis beati.*

*Iſai.30.v.26. Matth. 24. v.29. Matth. 17. v.2. Gloſ. interl.*

Animæ dabit majorẽ pulchritudinem.

6. Sanctus Vincentius Ferrerius corpus aliquod glorioſum ſepties ſole luminioſius futurum eſſe ſcribit, undè idipſum arguit, quod nos jam tetigimus, ſcilicet quod ſi Deus ad mundum illuminandum glorioſo aliquo corpore loco ſolis uteretur, hoc majori lumine mundum perfunderet, quàm quo à ſole illuſtratur. Abſit à me ut exaggerationem Hyperbolicam eſſe dicam, quod hac de re ſcribit Sanctus Auguſtinus, ſiquidem tanti tamque præſtantis Doctoris authoritas venerationem meretur non verò ventilationem aut cenſuram; Hic agitur de corpore glorioſo ita ſcribit: *Hujus corporis claritas tantùm ſolem excedit, quantum ſol in claritate noſtrum corpus præcellit.* Idem quoque rationem exceſſivæ hujus claritatis aſſignat, nimirum quia procedit

*S.Vinc. Fer. ſer.3. in Dom. in albis. S.Aug.T.9. Tract.5.c.47. Ibid.c.46.*

cedit ab anima, & ideò *hujus corporis claritas eſt tanta, quanta eſt ſpiritus*; tunc etenim de corpore dici non poterit: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, ſed potius corpus tunc animæ majorem conciliabit pulchritudinem: *Non enim eſt hoc corpus animæ oneri, ſed decori, quod nulla corruptibilis moles aggravat, ſed quod Angelicæ naturæ æqualitas levigat.*

Sap. 9. v. 15.

Septempliciter fulgens plus quam ſol in mundi fine.

7. S. Bernardinus circa hanc claritatem obſervationem quamdam habet, per quam id quod hactenus de exceſſivo glorioſorum corporum ſplendore diximus magis roboratur & eluceſcit, nimirum quod quando Salvator noſter dicit: *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol*, non ſit intelligendus de illa luce, quam ſol in præſenti tempore habet, ſed de illa quam poſt univerſalem reſurrectionem eſt habiturus, quando ſcilicet teſte Iſaia *erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum*, citatque Richardum in 4. diſt. 49. dicentem: *quod non ſunt ejuſdem ſpeciei lux elementaris, & lux corporis cœleſtis*. Idem Sanctus in eodem ſermone dicit: *Dionyſius ſcribens ad Dioſcorum teſtatur dicens, quod Beatitudo non eſt corporum, ſed ab animabus redundat in corpora; ex quo patet quod ſpiritus illuſtratus & glorificatus viſione lucis æternæ claritatem ſuo corpori miniſtrabit*, teſte Apoſtolo ad Philipp. 3. dicente: *Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.*

S. Bern. T. 2. ſer. 66. A. 3. cap. 2. Matth. 13. v. 43. Iſa. 30. v. 26. Richard. in 4. diſt. 49. Dion. ad Dioſcorum. Philip. 3. v. 20.

Splendorem temperare poſſunt beati.

8. Sciendum tamen eſt, quod in corporis glorioſi & animæ beatificæ poteſtate ſit lucem ſuam temperare & reſtringere, ne oculum aſpicientis hebetet & offuſcet, id quod in monte Thabor factum fuiſſe videtur, ubi in primis Apoſtoli irretortis oculis glorioſum hoc intueri potuerunt ſpectaculum; Deinde lux vultus Chriſti qui ſolis inſtar reſplenduit, taliter temperata fuit, ut ſe extra montem Thabor minimè extenderit; id quod etiam in alijs apparitionibus factum fuit, in quibus à diſcipulis ſuis poſt Reſurrectionem ſæpius viſendum ſe præbuit, ſi enim totam glorificatæ humanitatis ſuæ lucem, quanta quanta eſt in aëra tranſmiſiſſet, non ſolùm terram, ſed & Cœlum inſolita & admirabili luce & claritate ſua illuſtraſſet. Et quidem idipſum quod diximus alia quadam conſideratione evidenter credibile reddere poſſumus; Si enim unicus tantum ſol in Cœlo ſuo conſtitutus, omnes homines, animalia & plantas lætificat, vitam & calorem omnibus viventibus ſubminiſtrat, totque alios admirandos hic in terra, quæ vallis eſt lachrymarum, effectus producit, quale gaudium, quale lux & claritas in Cœlo Empyreo ex tot innumerabilium animarum beatarum & glorioſorum corporum conſortio coruſcabit, ubi hæc velut totidem ſoles luminoſa erunt, ſuoſque radios in illam Dei civitatem ex auro inſtar cryſtalli coruſco ſtratam, totque inæſtimabilibus & ſplendentibus gemmis locupletatam effundet?

S. Bern. ubi ſupra.

Corpus beati impaſſibile.

9. *In perpetuitate Solis dos impaſſibilitatis.* Sanctus Bernardinus de hac dote ita ſcribit: *Impaſſibilitas reſultabit ex virtute animæ ſuum corpus potenter retinentis, ita quod à nullo exteriori agente immutari valebit.* Dicit præterea, quod ſi corpus alicujus Beati collocaretur in Inferno, nullam inde paſſurum eſſet læſionem, citatque authoritatem Iſaiæ dicentis: *Aſſument pennas, ſicut aquilæ volabant, & non deficient; non laborabunt, ambulabunt & non deficient*; Ideò in Antiphona de ſanctis Martyribus canitur: *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & jam non erit amplius neque luctus neque clamor, ſed nec ullus dolor*; Non jam amplius fami, ſiti, æſtui, frigori, laſſitudini, aut alijs corporis paſſionibus ſubjecti erunt, adeò ut ſi corpus alicujus Beati mare tranſiret, inde non madeſceret, nec ſi per flammas tranſiret, ardorem ſentiret. Et quidem juſtum eſt, ut corpus glorioſum hac impaſſibilitate & incorruptibilitate præditum ſit, ad hoc ut ſine intermiſſione Creatori ſuo laudes continuas dicere & referre poſſit. Sanctus Auguſtinus proinde ait: *Omnia membra & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per uſus neceſſitatis varios diſtributa, quoniam tunc non erit iſta neceſſitas, ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei.*

Iſai. 40. v. 31. Apoc. 7. v. 17. & c. 21. v. 4. S. Aug. l. 22. de Civit. cap. 30.

Agilitas corporis beati.

10. *In celeritate Solis dos agilitatis.* Doctor Seraphicus inquit: *Tam potentem tunc faciet Deus animam, ut ex ejus Beatitudine pleniſſima redundabit in corpus, ex qua redundantia habebit vigorem impaſſibilitatis, ſplendorem claritatis, aptitudinem ſubtilitatis, promptitudinem agilitatis.* Hinc Beati aſſimulantur Aquilis in agilitate, *ſicut Aquilæ curræ*; inſtar fulguris ex uno polo diſcurrent ad alterum. Sanctus Bernardus de illorum velocitate ita ſcribit: *Tanta credenda eſt futura corporum levitas, & agilitas Beatorum, ut poſſint, ſi velint, abſque omni mora ſeu difficultate ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi ad omnia velocitatem.* Sanctus Auguſtinus motum hunc ad proportionem animæ agilem futurum eſſe opinatur: *Ubi volet ſpiritus*, inquit, *ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſſit decere nec corpus.* Idem S. Doctor in lib. de cognitione veræ vitæ ita ſcribit: *Porro illorum corporum gloria, non ratione, ſed ſola fide eſt contemplanda, erant quippe illa corpora ut animus agilia, & Sol perſpicua, quam cito enim nunc animus ab Oriente in Occidentem cogitatione pervenit, tam cito tunc illud corpus illuc pervenire poterit.*

S. Bon. in Soliloquijs. Iſai. 40. v. 30. S. Bern. ſer. 4. in Feſto omn. SS. S. Aug. ibid. S. Aug. T. 9. de cognit. veræ vitæ Tr. 5. c. 46.

Angelis æqualis.

11. S. Anſelmus Angelorum exemplum adducit, de quibus Pſalmiſta ait: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*, dicitque illis nequaquam inferiorem futuram eſſe corporum glorioſorum agilitatem: *In illa beata vita velocitas tanta nos comitabitur, ut ipſis Angelis Dei æque celeres ſimus futuri, qui à cœlo ad terram & converſo dicto citius delabuntur. Hujus velocitatis exemplum in radio ſolis licet intueri, qui ſtatim orto ſole in plaga Orientali, pertingit uſque ad ultimum plagæ Occidentalis, ut eo perpendamus non eſſe impoſſibile, quod de noſtra dicimus futura celeritate, præſertim cum rebus animatis ſoleat ineſſe major velocitas, quam inanimatis.* Adducit quoque viſus noſtri exemplum: *Radius quippe*, inquit, *oculorum noſtrorum in ſublevatione palpebrarum, uſque ad cœlum pertingit, & ictu earum totus in ſemet ac integer redit.* Sanctus Bernardinus in eodem loco de hac dote diſſerens ita ſcribit: *Anima poterit ita velociter corpus movere, quemadmodum ſine corpore poteſt movere ſeipſam.* Citatque ſanctum Auguſtinum lib. 21. de Civitate Dei cap. 3. dicentem: *Ubi volet Spiritus, ibi protinus erit corpus.* S. Bonaventura ex eodem S. Auguſtino rationem illius reddit dicens: *Mox ubicumque voluerit animas, ſtatim aderit corpus*, inquit Auguſtinus, *Sicut enim tunc animus perfectiſſimo obedit creatori, ita corpus promptiſſime obtemperabit ſuo motori.*

S. Anſel. l. de ſimilit. c. 51. Pſ. 103. v. 4. S. Bernardin. ibid. S. Aug. l. 21. de Civit. c. 3. S. Bonav. in Soliloqu.

Subtilitas corporis glorificati.

12. *In virtute ſolis activa dos ſubtilitatis*; Et hæc eſt quarta dos corporis glorioſi, de qua S. Auguſtinus in Tractatu de cognitione veræ vitæ ita ſcribit: *Corpus Sanctorum reſurget ſpirituale, quia velocitate, perſpicuitate, levitate ſpiritus erit æquale, & omne ſolidum erit ei penetrabile, ſicut & corpus Domini lapide clauſo ſurrexit, & janius clauſis intravit.* Corpus enim beati non jam amplius vitæ vegetativæ operationibus ſubjectum erit, ſed ad inſtar puri Spiritus *erit corpus ſpirituale*, omne corpus ſolidum penetrabit pro libitu, etiamſi ferreum eſſet.

S. Aug. ibid. cap. 45.

Omnes deformitates auferat reſurrectio.

13. S. Bernardinus quatuor haſce dotes enumerans illumque Sapientiæ textum: *Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*, adducens, ita ſcribit: *Primo in fulgore deſignatur claritas: Secundo impaſſibilitas denotatur in igne: Tertio in ſubtilitate ſcintillæ ſubtilitas indicatur: Quarto in diſcurſu poteſt agilitas deſignari.* Citat quoque S. Auguſtinum, qui punctum aliquod ab alijs quoque ſanctis Patribus indicatum, his verbis tangit: *Aberit à corporibus noſtris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmas, omnis corruptio per impaſſibilitatem.* Et in alio quodam ſermone poſtquam dixiſſet: *Advertendum eſt etiam quod glorioſum corpus erit viſibile, & inviſibile, ſicut ei placuerit*; ſubjungit: *Omnes deformitates auferrentur ab eis, qui omnes erunt conformes Filio Dei, in ætate & ſimilitudine, in quo nulla deformitas fuit.* S. Auguſtinus ad idem propoſitum ſic meditatur: *Quidquid hic humanis corporis vel ferarum morſus aut improviſi caſus abſtulerint, aut malarum valetudinam genera diverſa decerpſerint, aut humana crudelitas amputaverit, aut ignis, aut quælibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut etiam ſenectus ipſa ſatis oneroſa negaverit, hæc atque his ſimilia corporum damna una ibi reſurrectio reparabit.*

S. Bernardin. T. 1. ſer. 63. A. 1. c. 1. S. Auguſt. S. Bernardin. T. 2. ſer. 66. A. 3. c. 2. S. Aug. in Medit. c. 17.

## DISCURSUS VII.

### ARGUMENTUM.

De gaudio & lætitia beatorum, qua ex divinæ faciei aſpectu perfundentur, utpote in qua omnigena pulchritudo videtur, variaque conſiderantur gaudia, quæ ſtabilia ſunt, omniſque triſtitiæ expertia.

### THEMA.

*Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. ℣. 21.

Beatorum magnum gaudium ex viſione beatifica.

1. ANgelicus Doctor circa hæc thematis verba dubium quoddam movet, nimirum cur increata & incarnata ſapientia potius dixerit: *Intra in gaudium Domini tui*, quam: *Accipe gaudium*; Cui hac adhibita diſtinctione reſpondet: *Quod eſt in aliquo, continetur ab illo, & continens majus eſt; Quando ergo gaudium eſt de aliquo quod minus eſt, quam cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum: Sed Deus major eſt corde, ideo qui gaudet de Deo intrat in gaudium.* Cajetanus tamen aptius ad propoſitum loquitur, dum ad gaudiorum cœleſtium æternæ beatitudinis immenſitatem ſeſe reflectens, inquit: *Tam magnum eſt gaudium cœleſtis patriæ de Deo, ut non poſſit concludi in homine, & ideo homo intrat in gaudium illud incompræhenſibile, & non intrat gaudium illud in hominem, velut compræhenſum ab homine*; Anima etenim revelata facie vultum illum intuebitur, qui Paradiſum lætificat, & electos beatos efficit. Unde S. Auguſtinus dicit: *Hæc eſt plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei ſui, videre eum qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum qui ſalvavit eum, qui glorificavit eum, videbit eum cognoſcendo, amabit diligendo, laudabit poſſidendo*; Ab hac autem cognitione, ab hac poſſeſſione & amore, lætitia quædam & gaudium infinitum in eum derivabitur, ac proinde S. Bernardus, qui & mellifluus dicitur, hunc in modum meditatur: *Delectabilis eſt ad videndum, ſuavis ad habendum, dulcis ad perfruendum.* Angelicus quoque Doctor de beatitudine diſſerens, exceſſivum hoc gaudium, quod animæ in continua illa, nec umquam intermiſſa aut interrupta Dei viſione communicabitur, ſequentibus verbis explicare ſatagit: *Ibi*, inquit, *anima valde delectabitur in continua viſione delectabilis vultus Dei, de qua dicit Gloſſa ſuper Pſalmum, quod viſione nihil delectabilius, quia ſemper amabunt, quem ſemper videbunt; In ea tanta eſt delectatio, quod, teſte Auguſtino, ſi poſſent mali, mallent eſſe in pœnis, & Deum videre, quam eſſe extra pœnas, & Deum non videre, illa enim facies delectabiliter mirabilis eſt, & plena gratiarum.* Et quidem quotidiana in nobis experientia verum eſſe comperimus, quod dum rem aliquam raræ pulchritudinis videmus, & multo magis dum eamdem ut propriam poſſidemus miram inde delectationem & voluptatem capiamus; Ac proinde quis gaudium & delectationem illam pro dignitate explicare poterit, quam beati deguſtabunt, indeficienter videndo faciem illam, quæ gaudium eſt cœleſtis Paradiſi, ſimulque fruendo illo omnium ſpirituum Angelicorum, animarumque glorificatarum incomparabili ſplendore & pulchritudine, nam ut S. Bonavent. ait: *In cœleſti patria corda beatorum ſibi invicem in claritate lucent, & puritate tranſlucent, ibi uniuſcujuſque vultus aſpicitur*; Quamvis omnis noſtra delectatio ſpecialiſſime in Dei clara viſione conſiſtat, ut proinde David merito dicat: *Exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*; Et S. Auguſtinus: *In qua ſola conſiſtit tota gloria ſempiterna beatorum, quam quidem videre vita æterna eſt, & gloria ſempiterna ſanctorum.* O quam ſibi complacet oculus noſter varia videndo objecta quæ illa in rebus viſibilibus alliciunt, tametſi non aliunde quam ex luto & vili quatuor elementorum materia ſint compoſita? quantam experimur, favum mellis guſtando, dulcedinem & ſuavitatem, tametſi illud à minimis animalculis, apibus ſcilicet, congregatum coaleſcat? Quantum hæremus attoniti, dum ſuavem aliquem ſymphoniæ concentum, & vocum ac Inſtrumentorum Muſicorum harmoniam auſcultamus? *Cogitemus igitur*, inquit S. Auguſt. *quale & quantum electorum ſit unicum & ſingulare gaudium, illud ſcilicet ſummum bonum, quod vita, lux, Beatitudo, ſapientia & æternitas eſt.* Porro primus & præcipuus hujus gaudij fons in Divinæ eſſentiæ, trium perſonarum, potentiæ Patris, ſapientiæ Filij & bonitatis Spriritus ſancti clara viſione conſiſtit: Ibi enim videbimus, qua ratione Pater ab æterno generet filium, ſuam ei communicando ſubſtantiam; & ambo, Pater ſcilicet & filius tamquam unum principium æternum ſpirent Spiritum Sanctum, divinam ei communicando eſſentiam ſuam, & tamen in qualibet trium perſonarum omnis remaneat perfectio. *Ibi videbitur*, ut S. Auguſt. ait: *tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & beata Trinitas, & Trinitatis unitas, & unitatis Deitas, & Deitatis beata viſio, quæ eſt gaudium Domini Dei tui.*

Matth. 25. v. 21. S. Thom. in Matth. ibid. Cajet. ibid. S. Aug. T. 9. Solil. c. 36. S. Bern. Medit. c. 4. S. Thom. opuſc. 63. c. 3. S. Bonav. in Solil. Pſ. 26. v. 8. S. Aug. ibid. S. Auguſt. in Medit. c. 16. S. Auguſt. in Solil. c. 35.

Deus complacentiam habet de beatitudine noſtra.

2. D. Chryſologus in illa tam amabili promiſſione: *Quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*, ſpecialiter ponderat verbum illud *Complacuit*, & dicit, non ſolum Patri, ſed conjunctim omnibus tribus divinis perſonis perplacet, quod de illarum gaudijs immenſis participemus: *Quod autem non dixit: Placuit, ſed complacuit, munus edocet Trinitatis, quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati.* Omnes enim tres illæ divinæ perſonæ mire gaudent, ſibique complacent in eo quod animæ noſtræ in lucidiſſimum divinæ eſſentiæ ſuæ ſpeculum ſuos poſſint defigere obtutus, nobiſque omnes Paradiſi theſauri & gaudia communicentur.

Luc. 12. v. 32. D. Chryſoſt. ſerm. 23.

Sicut ardentiſſimus beatorum eſt amor ita eſt & gaudium inexplicabile.

3. Enimvero ſacri Doctores multa animæ gaudia, quibus in cœlis perfundetur, recenſent: Doctor Seraphicus dicit: *Triplex gaudium illos beatos Spiritus lætificat & delectat: Gaudent delectabiliter in perfecta & clariſſima divinæ claritatis contemplatione; gaudent dulciter in melliflua & ſuaviſſima divinæ bonitatis deguſtatione: gaudent ſempiternaliter in tranquilla & ſecuriſſima Divinæ Majeſtatis retentione.* Porro ad proportionem cognitionis ipſius Dei quam anima in cœlis habebit, amor quoque ejuſdem animæ accendetur, & juxta menſuram amoris creſcet in anima delectatio & gaudium; ac proinde cum cognitio futura ſit clara & revelata: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, conſequens eſt ut amor beatarum animarum ſit ardentiſſimus, nec non & jubilus gaudij ex amore boni illius infiniti conſurgens omnino tranſcendens.

S. Bonav. in Solil. 1. Cor. 13. v. 12.

Dei amabilitas trahit ad amorem.

4. Nos quidem in tantum ad rem aliquam diligendam movemur, in quantum eſt pulchra & bona, ſeu in quantum nobis utilis eſt, noſque delectat, ac proinde cum in Deo omnis bonitas, omnis utilitas, omniſque pulchritudo reperiatur, illum utique amabimus, illoque gaudebimus & fruemur in infinitum, juxta infinitæ amabilitatis ſuæ proportionem. *Tanta autem eſt in Deo jucunditas & amabilitas*, inquit S. Thomas, *ut cognitus ab anima ſtatim ipſam ad ſe trahat, eamque vehementer in ſe abſorbeat, ad ſimilitudinem adamantis, qui virtute ſua fortiter ferrum ad ſe trahit.* Idem quoque Angelicus Doctor modum nobis declarat, quo anima beata Deo unitur, unde demum gaudium, delectatio & fruitio beatitudinis procedit: *Fruitio*, inquit, *eſt delectatio proveniens ex conjunctione intellectus & affectus in Deum, cum enim anima figit intellectum in æternitatem, immenſitatem, omnipotentiam, ſapientiam, largitatem, bonitatem, charitatem, nobilitatem Dei &c. ſtatim affectus animæ delectatur ſingulis intellectis.*

S. Thom. opuſc. 63. Ibid. c. 3.

Varia beatorum gaudia.

5. S. Antonius de Padua in ſerm. quodam varia quoque beatitudinis gaudia enumerat; *Primum gaudium à dexteris eſt de jucunda Angelorum ſocietate, quando inter Sanctos tanta erit claritas, ut gaudium ſingulorum ſit omnium commune.* Neque enim anima glorificata ſolum in gaudium Domini ſui intrabit: *Intra in gaudium Domini tui*, verum etiam in gaudia ingredietur omnium Beatorum cunctorumque Angelorum in genere & in ſpecie. *Secundo de Beatitudine & ſtola propria animæ, quando lætitia ſempiterna erit ſuper caput eorum, & gaudium & lætitiam obtinebunt.* Iſaiæ. *Implebit ſplendoribus animam tuam. Tertium de Reſurrectionis expectatione, quando in terra ſua duplicia poſſidebunt; Quartum de admirabili Chriſti hominis fraternitate, quando carnem illam glorioſam oculo ad oculum videbimus, quando poterimus eum vocare fratrem, & dicere os meum & caro mea*, Adducitque authoritatem S. Bernardi dicentis: *Plenum prorſus omnis ſuavitatis dulcedine hominem videre hominis conditorem, hoc gaudium ſpeciale præ Angelis habebimus: Quintum de manifeſta Trinitatis cognitione: Sextum de horum omnium æterna & ſecura poſſeſſione: Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Apocal. 3. *Foras non egredietur amplius.*

S. Anton. de Pad. ſer. 1. de uno trat. Matth. 25. v. 21. Iſai. 58. v. 11. Iſai. 61. v. 7. S. Bernard. Joan. 16. v. 22. Apoc. 3. v. 12.

6. S. Thomas quoque punctum illud tetigit, nimirum quod in animam beatam tranſmittendum ſit omnium Angelorum aliorumque cœlitum gaudium. *Non ſolùm autem delectatur in ſingulis, quæ in Deo ſunt, imo etiam fruitur Deo in ſingulis Angelis & Sanctis*, juxta illud Iſaiæ c. 60. *Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum; Videbis intellectu divinam naturam, & divina opera, & afflues deliciando in ſingulis, & mirabitur cor tuum Trinitatem in unitate & unitatem in Trinitate, & ſingula opera divina, & quomodo in ſingulis ipſe ſit totus: Et dilatabitur cor tuum ad ſuſcipiendam Trinitatem, cum omni quod habet & poteſt.*

S. Thom. ibid. Iſa. 60. v. 5.

Anima ſole amicta & 12. ſtellis diverſorum gaudiorū coronata.

7. In Apocalypſi celebris illa S. Joanni facta apparitio his verbis deſcribitur: *Et ſignum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Per hanc vero Sole amictam mulierem animam beatam intelligere poſſumus, quæ in Sole poſuit tabernaculum ſuum, quia illi luci intime conjungitur & unitur, quæ tribus luminibus in una luce reſplendet: Per Lunam ſub pedibus calcatam omnium rerum terrenarum contemptus deſignatur, quia qui

Apocal. 12. v. 1.

terram calcat, cœlum attingit; Denique per coronam ſtellarum duodecim Diadema gloriæ ſymbolice exprimitur, in quo Albertus Magnus totidem obſervat gaudia, quot fuerunt in illa corona ſcintillantes ſtellæ: *Perennitas duodecim gaudiorum*, inquit B. Albertus, *hic deſignatur, quorum unum eſt, de viſione Divinitatis: aliud de viſione humanitatis; Tertium de loci ſpecioſitate; Quartum de ſpacioſitate; Quintum de ſocietate hominum: Sextum de ſocietate Angelorum: Septimum de pulchritudine Creaturarum: Octavum de ſtabilitate earum: Nonum de pœnarum evaſione: Decimum de inferni clauſione: Undecimum de ſtola animæ: Duodecimum de ſtola corporis.* Præter hæc autem gaudia multa conſiderat, & breviter enumerat dicens: *Vel ſic accipiantur duodecim gaudia: plena cognitio, plena dilectio, firma compræhenſio, claritas corporis, impaſſibilitas, ſubtilitas, agilitas, pacis tranquillitas, grata ſocietas, loci amœnitas, plena ſecuritas, plena ſocietas.*

*Alb. Magn. ibid.*

Ibi perfectum gaudium. *S. Bern. Sen. T. 2. ſeq. 49. c. ult. Joa. 16. v. 24. Matth. 6. v. 33. Joa. 16. v. 24. Pſ. 15. v. 11.*

8. S. Bernardinus de Senis ad illa verba ſe reflectit, quibus Salvator noſter diſcipulos ſuos ſic allocutus fuit: *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*; *Petite*, inquit, nimirum regnum cœlorum, de quo alibi dixit: *Primum quærite regnum Dei:* In hoc namque ſolo gaudij & exultationis plenitudo reperitur: *Ut gaudium veſtrum ſit plenum, quod erit gloria ſempiterna, quod quidem propter tria plenum nominatur; Primo quia adimplebit totum animi appetitum*, de quo Propheta ait: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; Secundo quia conſiſtit in viſione, fruitione, & poſſeſſione pleniſſimi & conſummati boni, quod eſt Deus trinus & unus*, de quo immenſo & infinito bono intelligendum eſſe dicit textum illum Exodi cap. 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum; Tertio quia tale & tantum gaudium omnino inamiſſibile eſt;* Unde Joan. 16. dicit diſcipulis ſuis: *Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Etenim nulla hic in terris eſt ſerenitas, quæ ſuam non patiatur nubeculam, nulla roſa eſt, quæ ſpinas ſuas non habeat; *Riſus dolore miſcebitur; Extrema gaudij luctus occupat.* At vero non ſic eſt in cœlo; *Ut gaudium veſtrum ſit plenum.*

*Exod. 33. v. 19. Joan. 16. v. 22. Prov. 14. v. 13. Ibid. Joan. 16. v. 24.*

Mundi gaudia mixta. *Jud. 14. v. 8. 1. Reg. 14. v. 27.*

9. Apoſtoli Chriſto immediate poſt ſuam reſurrectionem favum mellis obtulerunt, in quo quidem magna eſt ſuavitas, ſed ſimul etiam in eo eſt ceræ inſipiditas, utpote quæ quoddam eſt apum excrementum. Eodem modo gaudia mundi ſecum quidem delectationem aliquam adferunt, ita tamen ut ſemper aliqua animi amaritudine permixta ſint: Sunt quidem hæc gaudia mel quoddam dulce, ſed in faucibus leonis poſitum, qui primo dilaniandus eſt, priuſquam mellis dulcedine frui liceat; Mel quoddam ſunt, ſed in apice haſtæ reconditum, quæ mundanos ſæpe ad mortem temporalem, & nonnumquam ad æternam mortem perducunt; Sunt Roſæ, ſed ſpinis circumdatæ, quia inter illa conſtituti ſæpe cogimur experiri remorſum & ſynderesim malæ conſcientiæ, non vero talia ſunt gaudia beatorum in cœlis. Unde S. Bernardinus ait: *Non favum mellis, ſed puriſſimum & liquidiſſimum mel repoſuit nobis Dominus, ipſam plane lætitiam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, felicitatem, jucunditatem, exultationem.* Gaudent quidem homines, inquit mellifluus Bernardus in pompis, faſtu, convivijs, delicijs, facultatibus, at vero ſemper verum eſſe comperiunt, quod *extrema gaudij luctus occupat;* Sunt gaudia mundi, velut cereus quidam albus, qui ardet, reſplendet & tenebras diſſipat, ſed ſimul eodem tempore conſumitur, & ad finem properat, non vero talia ſunt Paradiſi gaudia, utpote quæ indeficientia ſunt, & numquam finem accipiunt? *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

*S. Bernardin. de fallacia præſentis vitæ. Prov. 14. v. 13. Joa. 16. v. 22.*

In cœlo ſiniſtra nulla. *Matth. 20. v. 21. Ibid. v. 22. Matth. 6. v. 33. Matth. 6. v. 10. Pſ. 15. v. 11.*

10. Acceſſit quondam ad Salvatorem mater ſanctorum Jacobi & Joannis, & ſuppliciter eum rogavit: *Dic ut ſedeant hi duo filij mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo*, cui jure merito ab eodem Salvatore protinus reſponſum fuit: *Neſcitis quid petatis.* Verum dicet fortaſſe aliquis; Cur Chriſtus hos diſcipulos & matrem eorum repræhendit & ignorantiæ redarguit, qui alias ab ejus ore verba hæc audierant: *Quærite ergo primum Regnum Dei?* Numquid illos in oratione Dominica petere docuerat: *Adveniat regnum tuum?* Cur igitur nunc illos rejicit, dicens: *Neſcitis quid petatis?* Nimirum errorem in quo hærebant è mentibus illorum tollere voluit, ſiquidem ipſi in beato cœlorum regno etiam ſiniſtram reperiri credebant, in quo tamen graviter errabant, nequaquam enim ibi ſiniſtra locum habet, ſed ſolus & merus ibi dexteræ locus reperitur, nullum eſt ibi triſtitiæ genus, ſed ſolum gaudium & mera lætitia, *Delectationes in dextera tua uſque in finem.* Ibi lætitia eſt ſine melancholia, tranquillitas ſine turbatione; divitiæ ſine jactura, honores ſine periculis, ſanitas ſine indiſpoſitione, abundantia ſine paupertate, vita ſine morte, felicitas ſine miſeria; Econtra vero in hac lachrymarum valle, nullus umquam Sol ſine ſua Eccliſi naſcitur, nulla dies ſine nocte oritur; *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt.*

*Ad Rom. 8. v. 20.*

## DISCURSUS VIII.

### ARGUMENTUM.

Superabundantes Gloriæ cœleſtis deliciæ, ex conſolationibus, quas Deus ſervis ſuis etiam inter dolores & tormenta communicare ſolet, deduci poſſunt: Quilibet beatus participabit de alterius beati gaudijs, frueturque & unietur Deo omnis gaudij fonti. Et ideo hic flendum eſt, ut ibi gaudere poſſimus.

### THEMA.

*Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Pſalm. 35. ℣. 9. & 10.

In cœlo erit riſus cordis. *Job 8. v. 21. S. Greg. l. 8. mor. c. 31. Joan. 16. v. 20. Prov. 31. v. 25.*

1. DUbitatum eſt aliquando, an riſus in cœlo locum habeat? Sed facilis eſt pro parte affirmante reſponſio: Cum apud Jobum legatur expreſsè: *Donec impleatur riſu os tuum, & labra tua jubilo;* Ubi S. Gregorius ait: *Os juſtorum tunc riſu replebitur, cum eorum corda finitis peregrinationum fletibus æternæ lætitiæ exultatione ſatiabuntur. De hoc riſu diſcipulis veritas dicit: Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. De hoc riſu Sapiens loqui intendit, quando dicit: Et ridebit in die noviſſimo.* Advertendum tamen eſt, riſum quem inter beatos locum habiturum eſſe diximus non corporalem futurum eſſe, ſed ſpiritualem; Unde idem ſanctus Pontifex ait: *Non autem tunc riſus erit corporis, ſed cordis, riſus enim nunc corporis de laſcizia diſſolutionis, riſus autem cordis tunc de lætitia naſcetur ſecuritatis.* Mox vero quidnam per jubilum intelligatur, declarat dicens: *Jubilum vero dicimus, cum tantam lætitiam corde concipimus, quantam ſermonis efficacia non explemus, & tamen mentis exultatio hoc quod ſermone non explicat, ore ſonat: Bene autem os riſu impleri dicitur, & labia jubilo, quia in æterna patria, cum juſtorum mens in exultatione rapitur, lingua in cantum laudis elevatur.*

Quanta illic gaudia. *S. Thom. Quod l. 11. Q. 9. A. 6. Idem opuſc. 63. c. 3. Pſ. 36. v. 4.*

2. S. Thomas de Aquino in eadem eſt opinione, quod ſcilicet in cœleſti patria riſus non deerit, qui proinde in eodem Jobi textu fundatur; In Opuſculo autem 63. qualia futura ſint animæ beatæ incompræhenſibilia gaudia his verbis declarat: *Ceſſante vero omni delectatione circa creaturas in futuro, introducet Dominus Jeſus fidelem animam in delectationem totius Creatoris*, per illud verbum Pſal. 36. *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui;* Ac demum inter delectationem terrenam & cœleſtem diſtinguit dicens: *Delectatio hic tam modica, quod tota intrat in animam, illic vero tanta eſt, quod non poteſt tota in animam intrare, ſed anima intrabit in illam;* Juxta illud Auguſtini: *Non totum gaudium intrabit in gaudentes, ſed toti gaudentes intrabunt in gaudium.*

Solemnitas infinita. *B. Petr. Damian. l. 7. Epiſt. ult. S. Bern. Medit. c. 9. S. Auguſt. in manuali c. ult.*

3. B. Petrus Damianus optime conſiderat, quod feſta & ſolemnitates quas hic in terris celebramus inter ſe diviſæ ſint, quia dum una celebratur, non celebratur alia, cujus contrarium fit in cœlo, unde dicit: *Illic autem omnium ſolemnitatum ſemper eſt coacervata lætitia, quia illic præſentes aſſiſtunt; qui ſolemnitatum ſunt procul dubio cauſa.* S. Bernardus de ſuperna illa civitate cœleſti loquens, nihil in ea præter merum gaudium atque lætitiam eſſe concludit: *O civitas cœleſtis, manſio ſecura, patria fertilis & ampla, totum continens quod delectat.* S. Auguſtinus poſtquam in exponendum animarum beatarum gaudium fuſe ſe extendiſſet, tandem dicit: *Nondum ergo cogitavi aut dixi Domine, quantum gaudebunt electi tui, utique tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoſcent, & quantum te Domine cognoſcent, quantum te amabunt? Certe nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit in hac vita, quantum te cognoſcent & amabunt in illa vita;* Amor igitur intenſus erit juxta proportionem cognitionis; Unde ſicut hæc perfecta erit, ita amor quoque immenſus, & gaudium ac voluptas interminabilis erit.

Futura gaudia aliqualiter nobis adumbrata. *S. Greg. Apoc. 19. v. 7. Apocal. 21. v. 2. Matth. 22. v. 2.*

4. Porro voluptates quæ nos mortales homines hic in terris quam maxime alliciunt, ſunt gaudia ſponſalitiorum & nuptiarum; Ac proinde Spiritus Sanctus non ſine myſterio hac utitur ſimilitudine, ut aliqua ſaltem ex parte cœleſtia nobis explicet gaudia. *Ut ex his quæ animus novit*, inquit S. Gregorius, *ſurgat ad incognita, quæ non novit, quatenus exemplo viſibilium ſe ad inviſibilia rapiat: Quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe: Vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo; Simile factum eſt regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.*

*S. Anſelm. l. de ſimilitud. c. 57.*

5. S. Anſelmus in libro de ſimilitudinibus de ſuperabundanti Paradiſi gloria & lætitia tractans, ita ſcribit: *Delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit: & inæſtimabili dulcedine ſui, totos eos inenarrabili exundantia ſatiabit; quid dixi totos? Oculi, aures, nares, os, manus, pedes, guttur, cor, jecur, pulmo, oſſa, medulla, exta etiam ipſa, & cuncta ſigillatim ſingulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis ſenſu replebuntur, ut verè totus homo de torrente voluptatis Dei potetur.*

Si tribulationis tempore electis tanta eſt conſolatio: quanta futura? *Pſ. 30. v. 20. 2. Cor. 7. v. 4. Cardin. Bellarm. S. Aug. l. 8. Conf. c. 3.*

6. Enimvero ſi in hac lachrymarum valle multæ animæ electæ in medio tribulationum & ærumnarum inexplicabiles ſæpe conſolationes experiuntur, qualia igitur gaudia illorum erunt, qui inſunt ſanctiſſimæ Triadis ſuaviter requieſcunt. Cardinalis Bellarminus ſuper illa verba Pſalmiſtæ: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Dominè, quam abſcondiſti timentibus te?* Textum illi Apoſtoli: *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*, ponderans, ſequens efficaciſſimum conficit argumentum: *Si tempore tribulationis tanta eſt multitudo dulcedinis in corde militantis, quanta erit tempore gloriæ in corde triumphantis?* Si miles in medio prælij totus cruentus & vulneribus ſaucius adeo eſt hilaris & lætus, quale gaudium habiturus erit dum trophæa appræhendit, & collectis ſpolijs, currui triumphali impoſitus glorioſe circumvehetur? *Quanto majus periculum*, inquit S. Auguſtinus, *fert in prælio miles, tanto majus eſt gaudium in triumpho.*

*Idem. S. Bern. de Scala Clauſtr. S. Bern. ſerm. 61. in Cant. Pſ. 149. v. 5.*

7. Numquam Martyres in ſqualidis carceribus marceſcentes, vel flagellis, equuleis, cataſtis, feris, flammis, aliorumque crudeliſſimorum tormentorum carnificinis cruciati, auditi ſunt dixiſſe: *Satis eſt;* id quod tamen ſæpius clamarunt, poſtquam in medijs tormentis & cruciatibus unica tantum cœleſtium conſolationum ſtilla fuere perfuſi; quod ſi igitur in medijs ferarum faucibus adeo jubilarunt, quænam illorum erunt gaudia, poſtquam inſerti fuerint choris Angelorum? *Si adeo eſt dulce flere pro te*, inquit S. Bernardus, *quam dulce erit gaudere de te?* Idem mellifluus Doctor in ſermone quodam ſuper Cantica, Martyris cujuſdam inter medios Carnificinæ dolores poſiti mirum nobis jubilum his verbis deſcribit: *Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, ſed & alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem.* Si S. Laurentius vivis & ardentibus carbonibus in craticula ſuperimpoſitus, haud ſecus ac ſi lautiſſimo cuidam accumberet Convivio, adeo feſtive jubilabat dicens: *Has epulas ego ſemper optavi*, quid illum facturum eſſe dicemus quando *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis?*

Probatur. *Luc. 9. v. 33. Luc. 9. v. 31. S. Auguſt. in Solil. c. 22.*

8. S. Petrus in monte Thabor Magiſtrum ſuum à gloria transfiguratum conſpiciens, ex glorioſo illo ſpectaculo raptus, & ab exceſſivo quodam gaudio totaliter abſorptus exclamavit dicens: *Bonum eſt nos hic eſſe*, cum tamen diſcurſus, quem tres illæ ſanctiſſimæ perſonæ Chriſtus, Moyſes, & Elias inter ſe miſcebant, verteretur circa ignominiam, deriſiones, flagella, ſpinas, clavos, & crucis patibulum, quod Salvator noſter in Calvario monte ſubiturus erat. *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem;* Nimirum ut S. Auguſtinus de S. Petro inquit: *Unam ſtillam dulcedinis ille guſtavit, & omnem aliam faſtidivit dulcedinem, quid putas dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis Divinitatis guſtaſſet, quam abſcondiſti timentibus te?*

Contemnitur terra & quidquid extra Deum. *S. Ambr. l. 5. in Luc. S. Auguſt. in Pſalm. 16.*

9. S. Matthæus poſtquam à Chriſto vocatus fuit, divitias & theſauros, quos congregaverat, tanto cum gaudio deſeruit, ſeque Chriſti diſciplinæ ſubmiſit, licet ab ea non niſi paupertas, nuditas, & rerum terrenarum contemptus in continuo haberetur exercitio, ut in ſignum jubilantis animi, feſtivum domui ſuæ diem indixerit, in eoque Chriſtum ſumptuoſo quodam exceperit convivio, ſcitiſne jubili hujus cauſam? S. Ambroſius ait: *Qui domicilio Chriſtum recipit interno maximis delectationibus exuberantium paſcitur voluptatum.* Econtra vero ideo nobis placent mundana gaudia, quia ad cœleſtia gaudia mentem noſtram vix umquam extollimus; Non ſic S. Auguſtinus qui ait: *Quidquid præter Deum eſt, dulce non eſt; Quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & ſe mihi det;* Quibus verbis ſanctus Doctor, clare innuat, quod convivia, ludos, converſationes, theſauros, delicias, & omnia alia delectabilia, quæ mundus iſte largiri poteſt, quæque triginta trium annorum ſpatio ſatis ſuperque deguſtarat, nihil faciat, poſtquam conſolationes ſpiritus deguſtare cæpit; & tamen haſce in mortalis corporis anguſto carcere deguſtarat, quid igitur in animabus beatorum immenſum illud cœleſtium gaudiorum diluvium faciet, quod electos omnes in civitate Dei inundabit? *Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quot Reges & Monarchæ mundum deſeruerunt illis obblandientem, ex quo vel unicam cœleſtis mannæ micam deguſtare cæperunt.

*Pſ. 35. v. 9.*

Si Philoſophus cū jubilo moritur quali cum gaudio morietur juſtus?

10. Porro ingens hoc gaudium incredibiliter augebit Angelorum conſortium, & multitudo infinita omnium aliorum Sanctorum. Enimvero de gentili Philoſopho quodam referunt hiſtoriæ, quod dum is morti vicinus eſſet, ſummo cum gaudio ſe ex hac vita migrare profeſſus fuerit, eo quod ex nunc ad Campos Eliſeos magis appropinquaret, ubi multorum doctrinæ & ſcientiarum fama illuſtrium virorum daretur frui conſortio, ubi Homerum inter Poëtas, inter Philoſophos Pythagoram; Salluſtium inter hiſtoricos ad quotidianam admittere poſſit converſationem; quod quidem tametſi potius quoddam morientis hominis delirium, quam ſapientis hominis prudens effatum cenſeri debeat: Attamen majori cum fundamento veritatis, majorique cum conſolatione juſti morientes lætari poſſunt, eo quod in cœlo illis frui dabitur Angelicorum ſpirituum ſocietate, totque aliarum beatarum animarum conſortio, & in ſinu Dei deliciantes, de gloria, voluptatibus & gaudijs infinitis omnium Sanctorum in genere, & ſingulorum individualiter magnoperè participabunt. Quod ſi hic in terris centies milleni Imperatores eſſent, quorum ſinguli cum Auguſto de felicitate contendere poſſent, tuque in omnium horum felicitate notabilem partem haberes, quantò id te afficeret gaudio? Jam verò ut ſanctus Anſelmus ait: *Ad cumulum Beatitudinis ſuæ aliud habebit, unde magis poſſit gaudere, quia enim quiſque ſicut ſe alterum amabit, pater quia ſic de illius felicitate, ut de ſua gaudebit, O quot igitur & quanta gaudia quiſque obtinebit, qui de tot & tantis beatitudinibus Sanctorum jubilabit! Quod ſi tantum de alijs, quos ut ſe diliget, gaudebit, quantum de Deo, quem ſupra ſe diliget, exultabit? Gaudium erit ei intus & extra, gaudium ſurſum & deorſum, ubique gaudium plenum.*

*S. Anſelm. l. de ſimilit. c. 71.*

Beati participant de aliorum beatorū gaudijs. *S. Auguſt. in Man. c. 35. Tob. 13. v. 22. Apocal. 19. v. 3. & 4.*

11. Sanctus Auguſtinus ſimili ferè modo diſcurrit, dum ait: Quod ſi amicum aliquem amares ſicut temetipſum, de illius bono utique tantumdem quantum de tuo proprio gaviſurus eſſes; Si verò plures amicos pari à te amore dilectos, parique felicitate affluentes haberes, utique ad numerum illorum, quorum bonum æquè æſtimas ac tuum proprium, tuum quoque adaugeretur gaudium; Unde Sanctus Doctor tandem his verbis concludit: *Ergo quid erit in illa perfecta claritate innumerabilium beatorum Angelorum & hominum, ubi nullus diliget alium minus, quàm ſeipſum? non enim aliter gaudebit unuſquiſque pro ſingulis alijs, quàm pro ſeipſo; ſi ergo cor hominis de tanto bono ſuo vix gaudium ſuum capiet, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? & utique quantum quiſque diliget aliquem, tantum de bono ejus gaudet.* Quid igitur mirum ſi inter tot & tam inexhauſta gaudia in cœleſti Paradiſo aliud nihil quàm continuum & perpetuum *Alleluja* decantetur: *Per vicos ejus Alleluja cantabitur.* Et in Apocalypſi: *Alleluja, laus & gloria; Iterum dixerunt Alleluja; Amen Alleluja.*

Deo fruuntur. *S. Bern. T. 2. ſerm. 66. A. 3. c. 2. S. Th. opuſc. 63. c. 3. S. Aug. lib. de Trinit.*

12. Gaudium hoc & ſuavitas iſta fruitio vocatur, quæ ingens quædam Beatitudinis pars eſt, imò in qua ut ex Sancto Bernardino colligitur, Beatitudo conſiſtit, de qua idem Sanctus ita ſcribit: *Hanc quidem ſuavitatem quidam vocant fruitionem, quæ nihil aliud eſt, quàm ſummo bono clarè viſo, & certè poſſeſſo, propter ſeipſum perfecto amoris vinculo inhærere.* Sanctus Thomas Sanctum Auguſtinum citat in libro de Trinit. dicentem: *Quidquid amabitur aderit, & ſummus Deus ſummum bonum erit, adque fruendum amantibus præſto erit. O quanta jucunditas ex Dei præſentia, ubi tanta eſt ex Dei memoria in hac vita! Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Ecce tibi quouſque unio animæ beatæ cum Deo pertingere poſſit.

Similitudinibus declaratur. *S. Bern. l. de dilig. Deo.*

13. Sanctus Bernardus à S. Bonaventura Tract. 6. de ſeptem donis Spiritus Sancti cap. 11. citatus haſce adducit ſimilitudines: *Quomodo ſtilla aquæ modica multo infuſa vino puro à ſe deficere tota videtur, & ſapo-*

*rem, vini induit & colorem ; & quomodo ferrum candens ignitum, ſimillimum igni ſit, priſtina, propriaque forma exutum ; Et quomodo Solis luce aer perfuſus, in eamdem transformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus quam ipſum lumen eſſe videatur : Sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo neceſſe erit à ſemetipſa liquefacere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem.* Idem quoque de gaudio & delectatione cœleſti dicere poſſumus. Idem ſanctus Bernardus in ſuis Meditationibus, ſtrictiſſimam animæ beatæ cum Deo unionem paucis verbis expreſſit ; Etenim de æterna retributione ita ſcribit : *Præmium eſt videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, eſſe cum Deo, eſſe in Deo, qui erit omnia in omnibus.*

S. Bernard. Medit. 4.

S. Bon. in Diæt. Sal. tit. 10. c. 2. Pſ. 81. v. 6. Qualiter beati futuri Dij. 2. Cor. 1. v. 3.

14. Doctor Seraphicus ad ſupremam illam Divinitatis & Filiationis Altiſſimi dignitatem, quæ Beatis communicabitur ſe reflectens, ita ſcribit : *Omnes erunt Dij ſicut dicitur in Pſalmo : Ego dixi Dij eſtis & filij excelſi omnes ; Et hoc quia Divinitas erit in Sanctis, & multitudine vel magnitudine dilectionis, quæ transformat amantem in amatum.* Anima igitur beati illo Deo fruetur, qui à ſancto Paulo appellatur : *Deus totius conſolationis* ; idemque Deus adeò totus ipſius erit, ac ſi nulli alteri communicaretur.

Angelicus Doctor docet. S. Thom. ubi ſup. c. 4. Luc. 15. v. 31. Pſ. 81. v. 6.

15. Sanctus Thomas Aquinas qui oculum & intellectum Angelicum ſortitus fuit, cuique ab ipſiſſima æterna Veritate dictum eſt : *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, qui proinde præ cunctis alijs Scriptoribus in hac materia de Beatitudine fidem apud nos meretur, ita ſcribit : *Deus Pater dicet unicuique fideli : Fili tu mecum ſemper es, & omnia mea tua ſunt, ideoque omnes electi fiunt Dij, juxta id quod in* Pſalm. 81. dicitur : *Ego dixi Dij eſtis ; Hæc unio fidelis animæ ad Deum fit per Dei Filium, quia ideo naturam aſſumpſit humanam, ut per eamdem tranſiret ad unionem Divinam ; Hanc unionem Filius Dei impetravit in oratione devotiſſima dicens ad Patrem : ſicut tu Pater in me, ita & ipſi in nobis unum ſint ; Et iterum : Ego in eis & tu in me.* Ut autem ad hæc gaudia pertingere valeamus ; Ecce tibi viam planam, regiam, & ſecuram ; nimirum *Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur.* Nam ut Beatus Petrus Damianus ait : *Momentaneo riſu perpetuus fletus emitur, & temporali fletu perpetua lætitia comparatur.* Sanctus Baſilius quoque ſuper illa verba : *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus*, ita ſcribit : *Apoſtolus ut cum flentibus fleamus permittit, quod hujuſmodi lacbrymæ ſint ſeminarium quoddam ac fœnus, quibus æternum illud gaudium increſcit quotidiè & cumulatur.*

Joa. 17. v. 21. Joa. 17. v. 23. Hic flendum ut ibi gaudere poſſumus. Matt. 5. v. 5. S. Petr. Damian. l. 5. Ep. 2. Rom. 12. v. 15. S. Baſ. Hom. 4. de Grat. act.

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Quòd Beatitudo omnia in ſe deliciarum genera includat, ex ſimilitudine Mannæ demonſtratur ; Et quidem ſi deliciæ cœleſtes cum terrenis conferantur quantum illæ his ſuperiores ſint facile videtur.

### THEMA.

*Vincenti dabo Manna abſconditum.* Apocal. 2. ℣. 17.

Similitudo inter manna & beatitudinem. Boët. de Conſol. Philoſ. l. 3. proſ. 2.

1. NUlla inveniri poteſt aptior & per omnia conſonantior ſimilitudo, quam ſit illa, quæ manna inter & Beatitudinem reperitur. Etenim celebris eſt illa quam Boëtius tradit, Beatitudinis ſeu gloriæ cœleſtis definitio. Dicit enim : *Eſt bonum, quo adepto, nihil ulterius deſiderari queat, quod quidem eſt ſummum omnium bonorum, cunctaque inter ſe continens bona ; liquet igitur eſſe Beatitudinem ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum.* Ad eumdem modum Sapiens de manna dicit, quod omnes in ſe deſiderabiliores ſapores & ciborum guſtus in ſe comprehenderit : *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de Cœlo præſtitiſti eis, ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, ſubſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat ; & deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur.* Sanctus Bonaventura eamdem Beatitudinem ſub alijs terminis definit ; Dicit enim : *Beatitudo eſt Divinæ dulcedinis inebriatio ſine fine.* Omnes ſapores quos quantumvis exquiſitus Iſraëlitarum appetitus deſiderare, invenire, aut imaginari ſibi poterat, in Manna reperiebantur : De Beatitudine quoque ſanctus Auguſtinus atteſtatur dicens : *Nihil in Regno Dei deſideratur, quod non inveniatur : at in Inferno nihil invenitur, quod deſideratur ; In Regno Dei nihil invenitur, niſi quod placet, & delectat, & ſatiat.* Quod ſi Iſraëlita deſideraſſet piſcem, aut ſturnionem, aut lac, aut mel, vel melonem, id totum in hoc cœleſti cibo, quoad ſaporem præſto fuiſſet : *Et deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur :* De Beatitudine pariter idem Sanctus Auguſtinus in perſona Divini & cœleſtis remuneratoris loquens dicit : *Ego ero quæcumque ab hominibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, & copia, & honor, & gloria, & pax, & omnia bona ; ſic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apoſtolus, ut ſit Deus omnia in omnibus, ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur.* De Manna Sanctus Cyprianus teſtatur dicens : *Hic panis omnium carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exſuperat dulcedinum voluptates.*

Sap. 16. v. 20. S. Bon. p. 2. ſtimuli am. c. 13. S. Aug. T. 9. l. de ... Sap. 16. v. 21. S. Aug. l. 22. de Civit. c. 30. S. Cyprian. Tract. de Cœn. Dom.

2. De Manna dicitur : *Panem Angelorum manducavit homo*, ſed quis eſt hic Angelorum panis, quo ſimul cum natura Angelica pariter & humana nutrietur ? Ille nimirum, qui de ſeipſo dixit : *Ego ſum panis vivus qui de Cœlo deſcendi ; Beatus qui manducabit panem in Regno Dei ;* Denique panis ille *in quem deſiderant Angeli proſpicere.* Quiſquis voluptates, quas homo ex bonis hiſce viſibilibus recipit, ritè examinaverit, fatebitur utique incomparabiliter ſuperiora eſſe bonorum inviſibilium & cœleſtium gaudia, delicias & voluptates.

Pſ. 77. v. 25. Joan. 6. v. 41. Luc. 14. v. 15. 1. Petr. 1. v. 12.

3. In Geneſi dicitur : *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formaverat ;* Quod ſi igitur Deus homini adeò delicioſum & amœnum Paradiſum in terra formavit, qualis igitur erit Paradiſus ille cœleſtis, tam Angelis, quam humanæ naturæ communis ? Sanctus Bernardinus de Senis ſerm. 7. A. 3. cap. 3. de Cœlo Empyreo dicit : *Dicitur Paradiſus à dulcedinis ſuavitate.* Huc quoque ſervit illud à ſancto Bonaventura formatum argumentum, quo dicit : *Si ſic delectat aſpectus hortorum, ſi ſic ſuavitas liliorum, roſarum, & violarum, ſi ſic amœnitas agrorum florentium, ſi ſic pulchritudo ſtellarum, quantum credis, delectat cernere ſummum bonum, pulchritudinem omnium ſæculorum, & pulchritudinis omne principium.*

Gen. 2. v. 8. Si deliciæ terreſtres conferantur cum cœleſtibus quantum hæ excedant. S. Bern. Sen. ſer. 7. A. 3. c. 3. S. Bonav. ſer. 2. de Annunt. Conſiderantur horti.

4. Doctor Seraphicus ad firmamentum oculos elevans, pulchritudinem, ornatum, varietatem, & ſymmetriam ſtellarum, planetarum, luminarium denique majorum & minorum conſiderat, ac demum perſpicacia intellectus ſui Cœlum Empyreum penetrans exclamat : *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solem ; & ſi ſic delectat creatum hunc videre Solem, quid delectationis putas illis eſſe, qui creantem intuentur Solem ?*

Firmamentū.

5. Sanctus Ambroſius ſuper illa verba Apoſtoli ad Romanos : *Revelatur enim ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in juſtitia detinent ;* ſcribens, Deum illis, qui ideo in ipſum non credunt, nec eum agnoſcunt, quia ſe ad Cœlum contemplandum nequaquam erigunt, juſtè indignari dicit, eo quod fabrica illius ad Deum, qualis eſt, agnoſcendum abundè ſufficiat : *Ex ipſa enim Cœli fabrica iratus illis Deus videtur ; idcircò enim tam pulchra aſtra condidit, ut ex ijs, quantus, & quàm admirabilis Creator eorum eſt, poſſit agnoſci, & ſolus adorari ; Unde ſcriptum eſt : Cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Idem quoque S. Ambroſius, ſuper ejuſdem Pauli verba quæ ſequuntur : *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*, ita ſcribit : *Notitia Dei manifeſta eſt ex mundi fabrica, ut enim Deus, qui natura inviſibilis eſt, etiam viſibilibus poſſet ſciri, opus factum eſt ab eo, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret.*

S. Ambr. ibid. Rom. 1. v. 18. Pſ. 18. v. 2. Rom. 1. v. 19.

6. Magnam nos ex modulatis avium cantibus, ex vocum muſicalium & inſtrumentorum harmonia, beneque regulatis ſymphonijs percipimus delectationem ; Et ideò Sanctus Bonaventura exinde ita arguit : *Multum demulcet auditum cantus avicularum, multum melodia hominum, plurimum harmonia inſtrumentorum muſicalium, Ergo quid faciet melodia tantorum Sanctorum, & innumerabilium Angelorum ?* Sanctus Franciſcus Aſſiſias exceſſiva quadam melancholia oppreſſus, in lecto decumbens, rogavit Fratrem Pacificum, ut Aſſiſium abiens quemdam ſui ordinis Religioſum, qui perfectus cytharædus erat ad ſe accerſeret, ad hoc ut ex cytharæ ſono modulato nonnihil ſublevaretur. Cui Frater Pacificus multos exinde ſcandalizandos fore reſpondit, ac proinde monuit ut meliori uſus conſilio, ad Deum potius ſe toto corde converteret, ſic enim futurum eſſe ajebat, ut pro moleſtæ illius triſtitiæ mitigatione ſolatium aliquod perciperet.

Muſica & avium cantus. S. Bon ſer. 7. de SS. Apoſt.

Cui



Cui conſilio cum Seraphicus Pater morem gerere vellet, contigit, ut dum Sanctus vir Dei ad ſublevamen iſtud implorandum, ſuam in Deum mentem elevaret, protinus Angelus quidam cytharam artificioſo plectro pulſans coram viro Dei compareret, qui dum vix primæ Chordæ plectrum ſuum admoviſſet ; Seraphicus Franciſcus mox ſe tanto jubilo adeoque immenſa lætitia demulceri & perfundi ſenſit, ut eum ne ſecundam Chordam tangeret, impenſe rogarit, timens ne præ nimia ſuavitate & infinita dulcedine quâ interius afficiebatur, ſpiritum exhalaret, unde ad infinitum hunc jubilum quem in corde ſuo perſentiſcebat, temperandum, Crucem quamdam vicinam amplexatus Paſſionem Redemptoris noſtri menti ſuæ vivaciſſimè impreſſit.

Pſ. 79. v. 6. Deus exceſſivas mittit cœleſtes ſuavitates. Pſ. 35. v. 9.

7. Porrò Deus animabus electis ærumnas, tribulationes, & adverſitates in certa quadam menſura immittere quidem ſolet, juxta illud *Et potum dabis nobis in lachrymis in menſura*, non verò item cœleſtes mentis dulcedines menſuratim communicat ; quin potius *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quot Sancti fuerunt, qui præ nimia illis à Deo communicata cœleſti conſolatione eidem dicere perſæpe ſolebant : *Satis eſt Domine ! ſatis eſt !* quique dum Paradiſi dulcedo mentis ſinui infundebatur, præ nimia ſuavitate deficientes in mentis deliquium inciderunt ? Exemplo nobis ſit Franciſcus Xaverius, & Philippus Neri, in quorum poſtremo, ut in ejus vita legitur, ad litteram adimplebatur, quod S. Apoſtolus de ſeipſo ait : *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio*, quotquot enim cum illo familiariter converſabantur quotidiè, illum jure merito cum S. Ephrem dicere potuiſſe affirmabant : *Contine Domine undas gratiæ tuæ & recede à me, quia non poſſum ſuſtinere magnitudinem dulcedinis tuæ.*

L. 2. c. 1. n. 2. 2. Cor. 7. v. 4.

8. S. Bonaventura aliam habet propoſito noſtro congruentem obſervationem ; Ita enim ſcribit : *Si ſic poteſt delectare Platonis muſica, ſi ſic eloquentia Demoſthenis, ſi ſic Rhetorica Ciceronis, ſi ſic ſapientia Salomonis, quæ à finibus terræ homines ad ſe traxit, quid erit audire divinam ſapientiam ; quæ ſapientiam omnibus iſtis dedit ?* Adducit verba Reginæ Salomonis de ſervis Salomonis Regis dicentis : *Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.*

S. Bonav. ibid. Conſiderantur hominū dona à Deo accepta. 3. Reg. 10. v. 8.

9. De Manna Iſraëlitarum dicit Scriptura Divina : *Ad quod quiſque volebat convertebatur*, de Beatitudine autem ſanctus Anſelmus inquit *Qui tanto bono fruetur, quidquid volet, erit, & quidquid nolet, non erit.* Non erat Iſraelitis cœleſte Manna guſtantibus neceſſum, ut ſtudioſe & cum labore carnes ferinas, piſces, poma, fructus, mellis facies, perdices, vel alios exquiſitiores cibos perquirerent, & inveſtigarent, quia cæleſte illud Manna omnium horum ferculorum, omnium carnium cujuſcumque generis, omnium denique delicioſiſſimorum fructuum ſapores in ſe continebat. Eodem modo idem S. Anſelmus à S. Bonaventura in ſoliloquio circa finem citatus, unumquemque noſtrum his verbis alloquitur : *Cur per multa vagaris quærendo bona creata ? Ama unum in quo ſunt omnia ; ſi delectat pulchritudo, Fulgebunt juſti ſicut Sol ; ſi libertas, aut fortitudo : ſimiles erunt Angelis Dei in Cœlo ; ſi longa & ſalubris vita : Eſt ibi ſanitas æterna ; ſi ſatietas, aut ebrietas ! Satiabuntur de gloria ; & inebriabuntur ab ubertate domus Dei ; ſi melodia, ibi canunt Angeli ; ſi ſocietas & amicitia, ibi eſt beatorum ſocietas, & una omnium voluntas ; ſi honores & divitiæ : Gloria & divitiæ in domo ejus ; ſi ſecuritas & certitudo, ibi omnium temporum æterna longitudo.* Idem ſanctus Bonaventura Tract. 6. de ſeptem donis Spiritus Sancti cap. 11. citat ſanctum Auguſtinum de gloria Paradiſi dicentem : *Ibi nihil, quod amabitur, deerit, nihil deſiderabitur, quod non adſit.*

Sap. 16. v. 21. S. Anſelm. in Proſ. c. 24. In beatitudine omnia ſunt. S. Anſelm. ibidem. S. Bon. in Soliloquijs Juxta Matth. 13. v. 43. Luc. 10. v. 36. Iſai. 45. v. 17. Pſ. 35. v. 10. Pſ. 111. v. 3. S. Bon. Tr. 2. de ſeptē donis Spir. Sanct. c. 11.

10. Sanctus Thomas de Aquino demonſtrare volens, quod voluptates terrenæ palatium noſtrum adeò vitient, ut cœleſtia guſtare non valeamus, hanc mannæ adhibet ſimilitudinem, & dicit : *Quod autem ex delectatione creaturarum anima impediatur à delectatione Creatoris, hoc præfiguratum eſt in Judæis, quibus nequaquam dedit Manna, durante farina circa quadraginta dies, quam tulerant ex Ægypto, qua ceſſante præſtitit eis panem de Cœlo, habentem in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuavitatis, & uniuſcujuſque voluntati deſerviens ;* Tandem vero exclamando concludit : *Eia quanta erit delectatio in Creatore, qui tantam delectationem poſuerat in pane !*

S. Thom. Terrena vitiant palatum noſtrum.

11. Axioma eſt Philoſophicum : *Propter quod unumquodque tale, & illud magis ;* Et ideò ſi Luna reſplendet, ſi ſcintillant Stellæ, Sol utique longè illis luminoſior erit, utpote qui tam illi, quàm hiſce omnem lucem ſuam communicavit ; Quod ſi mortales in hiſce rebus creatis ex corruptibili quatuor elementorum maſſa compoſitis tantam voluptatem percipiunt, quantò major voluptas & gaudium ab eo in illos redundabit ; qui hæc omnia quæ in creaturis alliciunt & placent, communicavit ? Audite hac de re Sanctum Auguſtinum ita meditantem : *Si ſingula bona delectabilia ſunt, cogita mente, vide quam delectabile ſit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis ſumus experti, ſed tanto differentem, quantum differt Creator à creatura ;* Inſuper Sanctus Doctor, ut nobis, quanto bona cœleſtis Paradiſi delectabiliora ſint bonis terrenis, firmiter perſuadeat, à minori ad majus hoc modo arguit : *Si enim eſt bona vita creata, quam bona eſt vita creatrix ? Si jucunda eſt ſalus facta, quam jucunda eſt ſalus quæ fecit ſalutem ? Si multæ & magnæ delectationes ſunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta eſt delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia ? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit ?* Sanctus Bernardus in ſermone quodam, cui titulus eſt : *De triplici genere bonorum*, de Beatitudine inquit : *Beatitudo eſt, ubi nihil ſit quod nolis, & ubi totum ſit quod velis ;* Ratio autem cur anima in Cœlo id totum habitura ſit, quod volet, eſt, quia ibi Deum poſſidebit, in quo ſunt omnia bona : *Deus meus & omnia ;* ac proinde ſanctus Auguſtinus, vel quiſquis Author ille ſit, dicit : *Quid ibi deeſſe poteſt, ubi Deus eſt, cui nihil deeſt ?* idem quoque Sanctus Doctor alibi nos inadvertentiæ vel ignorantiæ redarguit, dicitque ſe capere non poſſe, cur ad voluptates & delectationes captandas ad creaturas convertamur, cum in Deo Creatore vera, æterna, & infinita gaudia invenire valeamus : *Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui ? Ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit ? Quid deſideras anima mea ? Ibi eſt, ibi eſt, quidquid amatis, quidquid deſideratis ; ſi delectat pulchritudo, Juſti fulgebunt ſicut Sol ; Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis cui nihil obſiſtere poſſit, Erunt ſimiles Angelis Dei ; Si longa & ſalubris vita, Ibi erit ſana æternitas, & æterna ſanitas, quia juſti in perpetuum vivent, & ſalus juſtorum à Domino ; ſi ſatietas, ſatiabuntur, cum apparuerit gloria tua ; ſi ebrietas, Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ ; ſi melodia, Ibi Angeli concinunt ſine fine Deo ; ſi qualibet ſunt immunda, ſed munda voluptas ; Torrente voluptatis ſuæ potabit eos Dominus ; ſi ſapientia, ipſa Dei ſapientia oſtendet ſeipſam illis ; ſi amicitia, diligent Deum plus quam ſeipſos, & Deus illos pluſquam illi ſeipſos ; quia illi illum & ſe, & invicem per illum, & ille ſe, & illos per ſeipſum ; ſi concordia, omnibus una erit voluntas, quia nulla in illis erit, niſi Dei ſumma voluntas ; ſi poteſtas, omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, ut Deus ſuæ ; ſi honor & divitiæ, ſervos ſuos bonos & fideles ſupra multa conſtituet, imo Dei & Dij vocabuntur, & erunt, ubi erit unicus, ejus ibi erunt & illi hæredes quidam Dei, cohæredes autem Chriſti ; ſi vera ſecuritas, certè ita certi erunt ſe nō ſua ſponte illud amiſſuros, nec dilectorem Deum, illud dilectoribus ſuis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius, Deum & illos ſeparaturum.*

Axioma. Conſiderantur voluptates terrenæ & delectabilia bona. S. Auguſt. in Med. c. 18. S. Bern. de tripl. gen. bonorum. S. Aug. l. de ſpir. & anima c. 57. S. Auguſt. in Man. c. 34. Juxta Matth. 13. v. 43. Luc. 20. v. 36. Iſai. 45. v. 17. Sap. 5. v. 16. Pſ. 36. v. 39. Pſ. 16. v. 15. Pſ. 35. v. 10.

12. Idem quoque ſanctus Doctor in ſoliloquijs ſuis alia nobis motiva, ut ad agnitionem ineffabilium gaudiorum quibus animæ beatæ perfruuntur, pertingere valeamus, inſinuat, reflectendo ſe ad voluptates, gaudia, & delectationes, quas ſenſibus corporis noſtri (quod quoadusque vivimus, nihil eſt aliud, quàm carcer quidam animæ obſcurus & anguſtus) hic in terris conceſſit ; Dicit enim ; *Si mi Domine pro hoc corpore ignobili & corruptibili tam magna & innumera beneficia præſtas è Cœlo, ex aëre, à terra, & mari, à luce & tenebris, à colore & umbra, rore & imbre, ventis & pluvijs, volucribus & piſcibus, beſtijs & arboribus, & multiplicitate herbarum & germinum terræ cunctarum Creaturarum tuarum miniſterio, nobis ſucceſſivè per ſua tempora miniſtrantium, ut alleves faſtidium noſtrum, qualia quæſo, & quam magna & innumerabilia erunt bona illa quæ præparaſti diligentibus te in illa cœleſti patria, ubi te videbimus facie ad faciem ? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio ?*

13. Idem quoque Sanctus Præſul bona illa conſiderat, quæ hic in terris indifferentia ſunt, nimirum voluptates & gaudia illa quibus etiam reprobi gaudent, licet inimici Dei exiſtant, indeque tranſit ad ponderandas conſolationes & gaudia incomprehenſibilia electorum : *Cum enim ſint hæc omnia valde bona & delectabilia, quæ bonis pariterque malis communia tradidiſti, qualia futura ſunt illa, quæ ſolis bonis recondidiſti ? ſi tàm innumera & varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis & inimicis, quàm magna & innume-*

*rabilia, quàm dulcia & delectabilia, quæ ſolis tuis es largiturus amicis? ſi tanta ſolatia in hac die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? ſi tanta delectabilia continet carcer, quanta quæſo continet patria?* Hugo Cardinalis verba illa: *Manna abſconditum* conſiderans, illa idem ſignificare dicit, quod *ſuavitatem dulcedinis æternæ*; Seque ad Ly: *Manhu,... quid eſt hoc!* reflectens dicit: *Sancti æterna beatitudine recepti, præ dulcedine domus Dei inebriati, quàm plurimum mirabuntur.*

*Apoc. 2. v. 17. Hug. Card. in Apocal. Exod. 16. v. 15.*

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

Varij Gloriæ accidentalis gradus, variique ex beatitudine procedentes effectus conſiderantur, in qua invenitur, quidquid volumus aut deſideramus.

### THEMA.

*Et Implebit ſplendoribus animam tuam.* Iſai. 58. ℣. 11.

Varia beatorum gaudia. *Iſa. 58. v. 11.*

1. LUmen gloriæ quod in animabus beatificatis ſcintillabit, adeò clarum & ſplendidum jubar erit ut inde varij gaudiorũ bonorumque immortalium ſplendores ſint emicaturi: *Et implebit ſplendoribus animam tuam.* Porrò S. Bonaventura myſticam illam coronæ duodecim ſtellarum viſionem ex S. Bernardo ita ad præſens propoſitum noſtrum exponit: *Bernardus in ſermone dicit* (verba ſunt Doctoris Seraphici) *quod illæ ſtellæ duodecim ſignificant plenam perfectionem quæ Beatis in patria debetur. Prima ſtella, inquit Bernardus, eſt memoria ſine oblivione: Secunda ratio ſine omni errore. Tertia voluntas ſine omni perturbatione. Quarta impaſſibilitas moriendi, quia reſurget corpus incorruptibile. Quinta claritas, quia configuramur claritati Chriſti corporaliter. Sexta agilitas, ut corpus ſit agile ſecundùm agilitatem mentis. Septima eſt ſubtilitas, ut corpus noſtrum penetret omnia corpora. Octava eſt, ut quilibet diligat alterum, ſicut ſeipſum. Non eſt, videre quod proximus quilibet diligit ipſum, ſicut ſeipſum. Decima eſt, Deum perfectè diligere, & plus quàm ſeipſum. Undecima eſt diligere ſeipſum tantummodo propter Deum. Duodecima eſt, videre Deum ſe diligentem, pluſquam ille homo diligat ſeipſum.*

*S. Bonav. Tr. 6. de 7. donis Spir. Sanct. c. 11. S. Bern. in ſer.*

Omnia imaginatione ſuperiora.

1. Valdè conſiderabile eſt Ly illud, *implebit*, quia anima copioſiſſimè repleta erit omnibus illis bonis, quibus omnipotentia, magnificentia & amor infinitus Creatoris creaturam aliquam implere poterit. Et ideò ſanctus Thomas de Villanova ait: *Oculi tui videbunt Jeruſalem habitationem opulentam, id eſt, omnibus divitijs & delicijs refertam, omnibus gaudijs & ſuavitatibus plenam, omnibus denique bonis, quæ deſiderari poſſint, abundantiſſimè ſuperfluentem.* Sanctus Auguſtinus horum immortalium bonorum immenſitatem & magnificentiam contemplans, tandem illa omni capacitate & imaginatione ſuperiora eſſe concludit dicens: *Regnum Dei plenum eſt Lucis ac pacis, charitatis & patientiæ, honeſtatis & gloriæ; dulcedinis & dilectionis, lætitiæ & beatitudinis perennis, & omnis boni & ineffabilis, quod nec dici nec cogitari poteſt.* Alibi quoque idipſum confirmat, ſcilicet, quod in Paradiſo longe amplius reperturi ſimus omni eo quod mente noſtra concipere poſſumus; *Quin quantumcumque ſibi mens humana exaggeravit bonum quod Deus eſt, minus agit, & valde infra eſt, & neceſſe eſt plus inveniat adoptio, quam formabat cogitatio.*

*Iſai. 33. v. 20. S. Thom. de Villanov. ſer. de S. Mich. S. Aug. c. 18. Med. S. Aug. de ver. Ap.*

His adimplebuntur animæ beatæ. *Pſ. 15. v. 11.*

3. Regius Propheta David ad æternam retributionem, licet è longinquo, reſpiciens, ad Deum converſus dixit: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*; Ubi ſanctus Auguſtinus ait: *Horum verborum multum ponderandus eſt ſenſus; Dicit enim: Adimplebis, non tantum gaudio pleni erimus, ſed adimpleti.* Doctor Seraphicus ſuper illa verba Pſalmi: *Vivet anima mea*, animam beatam conſiderans dicit: *Anima beata erit magnificata, inebriata, impinguata, quoniam animæ potentiam retentivam magnificabit Divinæ poteſtatis immenſitas; potentiam animæ appræhenſivam inebriabit Divinæ Veritatis incompræhenſibilitas; potentiam animæ appetitivam impinguabit Divinæ bonitatis ineffabilitas.*

*Pſ. 118. v. 175. S. Bonav. in Pſ. A. 2.*

*S. Bern. ſer. de tripl. genere bonor.* Cuncta ſcient.

4. Sanctus Bernardus in ſermone *de triplici genere bonorum*, in animabus glorificatis perfectiſſimam notat omnium Divinorum myſteriorum ſapientiam & intelligentiam: *Nihil nos latebit*, inquit, *& ecce ſapientia, qua curioſitas hominis ſatietur. O ſapientia qua tunc omnia quæ in Cælo & in terra ſunt, perfectiſſimè cognoſcemus.* Eodem modo ſanctus Anſelmus electos omnium ſcibilium perfectiſſimam ſcientiam habituros eſſe affirmat: *Sapientia*, inquit, *quam homines in hac vita non inutiliter amant, tanta in futura vita bonis erit, ut eorum, quæ ſcire voluerint, nihil ſit quod ignorent: Tunc juſti cuncta ſcient, quæ Deus fecit ſcienda, tam ea quæ præterita ſunt, quam ea quæ poſtmodum ſunt futura.*

*S. Anſelm. l. de ſimilit. c. 59.*

5. Adhæc in Paradiſo verè quodam fruemur immarceſcibili; Unde in Beatos redundabit juventus quædam, & ſanitas per omnem æternitatem florida. Unde Petrus Damianus ait: *Hinc floridæ juventutis æterna viriditas, hinc venuſtas eſt pulchritudinis, & indeficiens vigor incolumitatis.* Sanctus Bonaventura in delicioſa beati illius Paradiſi amœnitate, duodecim notat Beatitudinis fructus, quos ſigillatim hoc modo enumerat: *Primus ſanitas abſque infirmitate. Secundus juventus ſine ſenectute. Tertius ſatietas ſine faſtidio. Quartus libertas ſine ſervitute. Quintus pulchritudo abſque deformitate. Sextus impaſſibilitas vel immortalitas. Septimus abundantia ſine indigentia. Octavus Pax ſine perturbatione. Nonus ſecuritas abſque timore. Decimus cognitio abſque ignorantia: Undecimus Gloria ſine ignominia. Duodecimus gaudium ſine triſtitia.* Pergit deinde idem Seraphicus Doctor cauſas exponit lætitiæ illius qua in Cœlis Beati perfundentur, ſine ulla triſtitiæ admixtione, illarumque ſex ſpeciatim recenſet: Scilicet *loci amœnitas quam poſſidebunt; jucunda ſocietas in qua regnabunt; Corporis glorificatio quam habebunt; Mundus, quem contempſerunt; Infernus quem evaſerunt.*

*S. Petrus Dam. l. 7. Ep. ult. S. Bonav. in Diat. ſal. cit. 10.* Duodecimus beatitudinis fructus.

Alij adhuc beatitudinis fructus.

6. Sanctus Anſelmus integrum quemdam texit bonorum catalogum quæ à nobis in hac vita vel maximè deſiderantur, & anxiè quæruntur, quæque in beata illa Civitate in longe eminentiori gradu electis communicabuntur: *Partes*, inquit, *Beatitudinis ſunt; Pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, ſanitas, voluptas, longævitas, ſapientia, amicitia, concordia, honor, poteſtas, ſecuritas, gaudium. Iſta, ut æſtimo, ſunt quæ propter ſe, & propter quæ alia quæque ab hominibus appetuntur.* Nullus umquam homo in præſenti hac vita inventus eſt, nec invenietur deinceps quamdiu mundus durabit, qui quantumvis in hac vita felix fuerit, ſuo ſtatu integrè & perfectè contentus fuerit, & ratio eſt, quia ſolus Creator animam à ſe conditam ſatiare & replere poteſt: *Creaſti nos Domine ad te & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*; In ſolo igitur Deo vera eaque omnia deſiderabilia, imò & poſſibilia bona inveniemus; Et ideò ſanctus Bonaventura ait: *In ipſo autem ſolo Deo, cum ſit ſummum, infinitum bonum, jucundiſſimum & æternum, quieſcit humanum deſiderium, & in nullo alio fit quietum.* Unde ſanctus Bernardinus in ſuis meditationibus dicit: quod anima Deum poſſidens, nihil ulterius deſiderare queat, quia in ipſo omnia bona invenit: *Ubi eſt ſummum bonum, ibi eſt ſumma felicitas, ſumma jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna ſecuritas, & ſecura æternitas; ibi eſt vera lætitia, plena ſcientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo. Eſt ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honeſtas, gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis.*

*S. Anſel. l. de ſimil. c. 48.* Solus Deus cor hominis ſatiat. *S. Bonav. ſer. 7. de SS. Apoſt. S. Bernard. Med. c. 4.*

8. Quodnam in eo latere putatis myſterium, quod Cœlum theſauro ſimile eſſe dicatur: *Simile eſt Regnum Cælorum theſauro*, nec tamen quibuſnam ex bonis theſaurus iſte congregatus ſit, ſpecificetur? Porro Scriptura Divina alibi clarè ſatis indicat, de quibus theſauris Spiritus Sanctus loqui velit; Dicit enim Pſalmiſta: *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* Et apud Jobum dicitur: *Numquid ingreſſus es theſauros nivis? aut theſauros grandinis aſpexiſti?* Apoſtolus quoque Divinam ſapientiam ſub theſauri nomine expreſſit, dum ab illo vocatur: *Theſaurus ſapientiæ & ſcientiæ Dei*; In hoc autem præcitato loco non exprimitur, quibuſnam ex pretioſis rebus aggregatus fuerit, an ſcilicet fuerit ex auro, vel argento, vel gemmis, vel alia quadam magni pretij & valoris materia ſeu metallo accumulatus; Scirene cupitis, quænam mihi hujus ratio eſſe videatur? Hæc videlicet, quia cum eo in loco theſauri nomine beatitudinem Chriſtus adumbrare voluerit, ideo illam theſaurum ſimpliciter abſque expreſſione materiæ e qua congregatus ſit, appellavit, ut indicaret, quod Beatitudo quidam ſit omnium bonorum deſiderabilium cumulus, quia ſicut qui theſaurum poſſidet, in eo ſimul habet, quidquid voluptatum, divitiarum, deliciarum, aliorumque terrenorum bonorum deſiderare aut optare poſſet, ita quoque qui Beatitudinem aſſecutus eſt, in ea omnia deſiderabilia poſſidebit: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.*

*Matth. 13. v. 44.* Beatitudo omnium deſiderabilium cumulus. *Pſ. 134. v. 7. Job. 38. v. 22. Pſ. 134. v. 6.*

Beati idẽ velle & nolle habent cũ Deo.

9. S. Anſelmus animam beatam hac prærogativa gaudere dicit, quod poſſit omnia, quæcumque voluerit, tam hic in terra, quam in cœlo: *Sic etiam*, inquit,



*S. Anſelm. Epiſt. 2. ad Hugon.*

quit, *beatus quidquid volet, hoc erit in cælo & in terra, & quidquid nolet non erit in cælo, nec in terra.* Voluntas enim beati, Dei voluntati perfectè conjuncta erit, & hæc viciſſim voluntati animæ glorificatæ per omnia ſe conformabit, eamque adimplere ſataget; Dicit enim Pſalmiſta: *Voluntatem timentium ſe faciet*, quanto magis illorum, qui ſecum perfectè ſunt uniti & voluntate concordes: *Qui manet in me, & ego in eo*: Idem velle & nolle habet cum ipſo Deo. Unde B. Laurentius Juſtinianus ait: *In illa cæleſti patria quidquid amabitur aderit, nec deſiderabitur, quod non aderit, omne quod ibi erit, bonum erit, ac etiam beatiſſimum & æternum.*

*Pſal. 144. v. 19. Joan. 15. 5. B. Laur. Juſt. de lig. vit. cap. 7.*

Eſſentialis gloria ſtabilis, accidentalis autem in augmento continuo. *Luc. 12. 37.*

10. Enimvero verbum hoc ultimum Juſtiniani contradicere aliquo modo videtur parabolæ à Salvatore noſtro apud S. Lucam propoſitæ, in qua dicitur: *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*: Pro cujus loci intelligentia ſupponendum tamquam certum, quod in illis verbis agatur de gloria, quæ in ſacra Scriptura ſæpe ſub ſymbolo convivij inſinuatur; Dicit autem in primis *Faciet illos*, ſcilicet beatos *diſcumbere*, quibus verbis ad Veterum alludit conſuetudinem, qui dum cœnabant, in lectis ad illum finem factis decumbere & jacere ſolebant; Præterquam quod etiam verbum illud *diſcumbere* animæ beatæ ſignificet quietem: *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, A modo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis*; Deinde dicit: *Tranſiens miniſtrabit illis*: Quibus verbis indicat, quod ſupremus Rex gloriæ in illo convivio, de quo in ſequenti diſcurſu fuſius diſcurremus, inſtar ſervi miniſtrare nequaquam dedignabitur. At vero quænam eſt cauſa, quod Salvator dixerit: *Tranſiens miniſtrabit illis?* Potius enim dicendum videbatur: *Stans miniſtrabit illis*, ſiquidem eſſentialis, & ſuper quaſvis alias maxime æſtimanda beatitudinis prorogativa eſt, quod ſit ſtabilis, permanens, & perpetua; Unde & B. Laur. Juſtin. loco ſtatim citato dicit; *Omne quod ibi erit, bonum erit & æternum.* Verum quidem eſt, quod huic Ly *Tranſiens* patrocinari videatur quod de Moyſe & Elia in Scriptura ſacra legitur; cum enim Moyſes hanc à Deo gratiam poſtularet: *Oſtende mihi faciem tuam*, Deus illi reſpondit: *Ego omne bonum, oſtendam tibi*, & quidem ut ad hanc gratiam recipiendam diſponeretur, Deus illi præcepit: *Stabit ſupra petram, cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ*; ubi notanter dicitur: *Tranſibit gloria mea*; Simile quid etiam S. Eliæ Prophetæ accidit, cui Dominus dixit: *Egredere & ſta in monte coram Domino, & ecce Dominus tranſit*; Verumtamen ad hæc duo ſcripturæ loca facilis eſt reſponſio: Cum enim Deus in utroque loco cum ijs ageret qui puri viatores erant, ideo illis ex mera quidem liberalitate cum ijs diſpenſare voluit, ut aliquem cœleſtis gloriæ prægustum experiri poſſent, ſed *per modum tranſeuntis*, ut ſcholæ loquuntur: At verò in caſu de quo Chriſtus in parabola loquitur ſupponitur, quod convivæ, quibus cœlorum Rex tranſiens miniſtraturus eſt, veri ſint compræhenſores, ſiquidem ut diximus in illa parabola de æterna beatitudine ſermo eſt. Vera igitur & ſolida ad hanc difficultatem reſponſio eſt, quod Beatitudo quidem eſſentialis, quæ in clara Dei viſione conſiſtit, ſtabilis ſit, fixi, immobilis & immutabilis: *Ego autẽ dixi in abundantia mea Non movebor in æternum*: At vero gloria, quæ accidentalis dicitur, in continuo augmento conſiſtit, ſiquidem Deus animabus Beatis ſemper novas communicat revelationes, nova gaudia, novas illuſtrationes, & cum hoc Beatorum incremento, novus quoque unicuique animæ accreſcit jubilus; Et hæc cauſa eſt cur divinis remunerator in parabola in continuo tranſitu verſari dicatur.

*Pſal. 149. v. 5. Apoc. 14. v. 13. Exod. 33. v. 13. Ibid. v. 19. Ibid. v. 22. 3. Reg. 19. v. 11. Pſ. 29. v. 7.*

Proſecutio.

11. S. Joanni in Apocalypſi flumen quoddam aquæ vivæ de throno Dei emanantis oſtenſum fuit, à cujus fluminis utraque parte lignum vitæ cernebatur, quod per menſes ſingulos duodecim proferebat fructus: *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum.* Porro per haſce juxta flumen iſtud (de quo dicitur: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*) plantatas arbores, Beati æterna vita perfruentes denotantur, per fructus vero, qui per ſingulos menſes producebantur, gaudium & gloria accidentalis intelligitur; Et ideo S. Bernardus in ſermone quodam, prædicta verba: *Tranſiens miniſtrabit illis* exponens dicit: *Tranſiens quippe miniſtrabit, novas utique & nobis inexpertas delicias manifeſtæ ſuæ contemplationis, ad eum fere modum, quo in lauto quodam & ſumptuoſo convivio novæ ſemper & magis magiſque exquiſitæ dapes & fercula ſubinferri ſolent.*

*Apoc. 22. v. 2. Pſ. 45. v. 5. S. Bern. ſer. 4. in feſt. omn. SS.*

Beatorum 5. ſenſus implebuntur delectationibus.

12. Enimvero varij hujus gloriæ gradus à ſanctis Patribus adferuntur in medium, *quantumvis viderent tunc per ſpeculum in ænigmate.* S. Bonaventura ait: O anima, quantum putas gaudent & lætantur, qui illud æternitatis ſpeculum jugiter contemplantur. Idem Seraphicus Doctor Tract. 6. cap. 11. S. Bernardum citat dicentem: *Deus bonum infinitum communicat ſe omnibus incolis illius regni, & convivis illius menſæ, quantum quilibet capax eſt; Unde ipſe implebit ſenſus interiores maximis delectationibus, erit enim Deus ſpeculum viſui, cythara auditui; mel guſtui, balſamum olfactui, flos delectabilis tactui.* Idem quoque S. Bonaventura corporum noſtrorum glorificatorum gaudium & gloriam è ſacroſanctæ Chriſti humanitatis fruitione procedentem conſiderat his verbis: *Beatitudo animæ eſt in viſione Dei, ſed beatitudo corporalis ſubſtantiæ eſt in viſione corporis Chriſti.*

*S. Bonav. in Solil. Idem Tr. 6. de 7. donis Spir. ſanct. cap. 11. S. Bern. ſer. 33. in Cant. S. Bonav. ſer. 5. de SS. Apoſt.*

Ornamenta animarum. *Pſ. 44. v. 10.*

13. Anima beata à Pſalmiſta in ſpecie Reginæ cujuſdam ſpecioſiſſimæ & ornatiſſimæ à dextera Dei conſiſtentis deſcribitur, dum de illa ait: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*; Ubi B. Laurentius Juſtinianus inquit: *Merito illa anima in cælo varietate veſtita eſſè perhibetur, quæ quoad vixit in carne, cum utriuſque hominis laboribus ac ſudoribus, per pietatis opera ſobrie, temperanter, juſtèque vivendo, multiplicium virtutum ſibi compoſuit indumentum, talibus ornamentis cæleſtis ſponſi affectus allicitur, qui non in ſericis coopermentis, non in deauratis veſtibus, non in gemmis, vel pretioſis monilibus delectatur, ſed in puritate animæ; in cordis humilitate, in ſynceritate fidei, in nitore conſcientiæ, in ſpei longanimitate, in rectitudine mentis, in promptitudine obedientiæ, in fervore charitatis, in magnanimitate tolerantiæ adverſorum, in deſpectu mundi, in contemptu ſui, in proximi dilectione non ficta, in aſſiduitate orationis, in miſerorum compaſſione, in unitate Spiritus, & indiſſolubili vinculo pacis.* Inter omnia autem hæc ornamenta, Regina pompam ſuam non ſine corona & diademate regio exhibet, quia ut S. Bonaventura ait: *Deus in patria regnare facit & coronat*, dicens illud: *Per me Reges regnant; regnantes autem coronas habent in capitibus*, citatque Richardum de S. Victore, qui lib. 2. ſuper Apocalypſin cap. 1. dicit: *Coronas habent in capitibus ob gloriæ decorem, & regni cæleſtis infinitatem*; Mentionem quoque facit coronæ illius ex duodecim ſtellis concinnatæ, eamque exponens dicit; *Habuit duodecim ſtellas, id eſt, univerſalem perfectionem, nam ſecundùm Richardum rotunditas coronæ, ſignificat illius regni æternitatem, & præclaritas ſtellarum numero duodecim ſignat beatorum omnium æterni regni infinitatem.*

*B. Laur. Juſt. de ſpir. Anim. reſp. l. 2. c. fin. S. Bonav. Tr. 6. de 7. donis Spir. ſanct. cap. 11. Rich. de S. Vict. l. 2. in Apoc. c. 1.*

Palatium diverſimode deſcribitur.

14. Porro Beatæ animæ palatium quod incolit, varijs in Scriptura ſacra nominibus appellatur; Aliquando enim dicitur *tabernaculum*: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum*; Aliquando *atrium*: *Et deficit anima mea in atria Domini*; Nonnumquam habitatio ſeu domus: *Etenim paſſer invenit ſibi domum*; Subinde nidus: *Et turtur nidum*; Interdum altare: *Altaria tua Domine virtutum*; Quorum omnium nominum Albertus Magnus declarat myſterium, dum ait: *In tabernaculo jucunditas; in atrio latitudo; in domo ſecuritas: in nido ſuavitas: in altari notatur loci illius ſanctitas.* S. Auguſtinus cœleſtem illam patriam conſiderans inquit: *Ibi totum negotium noſtrum non erit niſi laudare Deum, & frui Deo: & quid alium quæramus, ubi ſolus ſufficit, per quem facta ſunt omnia? Habitabimur & habitabimus: ſubjicientur illi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus: Beati qui habitant in domo tua Domine: Unde beati: Habendo aurum? habendo argentum, numeroſam familiam, multiplicem prolem? Unde beati? Beati qui habitant in domo tua, in ſæcula ſæculorum laudabunt te: Hoc uno beati otioſo negotio.*

*Pſ. 83. v. 2. Ibid. v. 3. Ibid. v. 4. Ibid. Ibid. v. 4. Alb. Magn. Ibid. S. Aug. T. 9. in Pſ. 86. Pſ. 83. v. 5.*

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Paradiſi gloria ſub ſumptuoſi cujuſdam convivij metaphora & alluſione deſcribitur.

### THEMA.

*Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Luc. 22. ℣. 29. & 30.

Beati hujus convivij architriclinus erit Chriſtus. *Iſa. 25. v. 6.*

1. SPiritus ſanctus cœleſtis Paradiſi gloriam omnium primò quidem ſub convivij ſymbolo in Iſaia delineavit, dum ait: *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium,*

Luc.22.v.29. Luc.12.v.37. Eſth.1.v.3. Pſ.23.v.1.

*convivium vindemiæ, pinguium medullatorum* : At vero Salvator noſter in verbis aſſumpti thematis æternam beatitudinem ſub lautiſſimæ cujusdam menſæ ſymbolo longe clarius repræſentavit. Et quidem ſi ejus qui hoc convivium inſtruxit, potentiam, magnificentiam & liberalitatem conſideremus, inveniemus quod ipſemet Dei Filius ſe convivi illius architriclinum futurum eſſe profiteatur : *Ego diſpono*, quod optimè cum alijs ejuſdem Evangeliſtæ verbis conſonat, dicentis: *Tranſiens miniſtrabit illis.* Quando vir aliquis privatus convivium aliquod inſtruit, tametſi illud magnis ſumptibus apparaverit, nullam tamen apud alios æſtimationem ſortitur : At verò ſi Rex aliquis Aſſuero in potentia ſimilis, qui centum viginti ſeptem Provincijs imperabat, illud inſtrueret, longe major illius apud omnes erit æſtimatio : *Fecit grande convivium cunctis Principibus, &c. ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui* ; At vero quænam inter terræ Monarcham, & gloriæ Dominum, de quo dicitur : *Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & univerſi qui habitant in eo*, eſſe poteſt proportio ?

Quam lautum daturus ſit conviviũ. Juxta Pſ.144.v.16. Pſ.77.v.25. Pſ.103.v.27.

2. Facile quidem eſt, ut viri Principes, divites & potentes lautiſſimum aliquod convivium apparent, ſiquidem multos ſtipendiatos ſervos & miniſtros habent, varias variorum piſcium piſcinas & vivaria obtinent, Venationes ferarum ipſis ſolis reſervantur, & interdicuntur alijs, vina, fructus, varias confecturas, & omnes alios cibos exquiſitiſſimos, illiq; climati, in quo vivunt, omnino ignotos ex uno polo ad alium pro libitu ſuo magnis ſumptibus ut alij tranſmittant, jubere poſſunt : At vero quanto major eſt hujus cœleſtis architriclini in apparando hoc convivio facilitas, ſiquidem *Aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione?* Populum quidem Iſraëliticum per quadraginta annos cibo nutrivit, qui omnes in ſe ſapores imaginabiles continebat: At vero in cœlis omnes beatos ex ſuimetipſius ſubſtantia nutrit & ſuſtentat : *Panem Angelorum manducavit homo.* Poſtquam uno ſolùm verbo agris indidiſſet fertilitatem, fœcunditatem plantis, generoſitatem vinis, carnibus ſaporem, maturitatem & amabilitatem fructibus, eodem quoque verbo hæc omnia per ſexies millenos & amplius annos conſervavit, ut ſic ab illo quotidianus omnium viventium dependeat victus : *Omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore :* Pari autem facilitate convivium aliquod inſtituere poterit lautius longe & ſumptuoſius.

Proſecutio.

3. Quod ſi in palatio aliquo jumenta, canes, & viliſſima quævis animalia Ambroſia & nectare potari videres, cibari pane ſaccaro condito, numquid exinde Dominum palatij iſtius longè delicatioribus, epulis paſcendum eſſe conjiceres. Deus autem corporibus & ſenſibus noſtris, vili inquam huic jumento in cibum & alimentum ſubminiſtrat quidquid bonæ & ſapidæ volucris per aëra volitat, quidquid in liquido elemento natat, quidquid delicati germinis terra producit, quidquid in delicatiſſimarum dapum compoſitione humana induſtria adinvenire prævalet, & has quidem delicias in hoc anguſto carcere, ſive in miſerabili illo exilio nobis præbet, quanto igitur magis credendum eſt nobis, quod illa Altiſſimi providentia & infinita magnificentia in cœleſtium deliciarum Paradiſo animæ beatæ, ſponſæ & conſorti ſuæ convivium præparatura ſit longè nobilius & lautius, habito ſcilicet ad eum cui præparatur reſpectu, ne ſponſa ab eo pari loco quo vile jumentum haberi videatur.

Proſecutio. S.Bonav. Tr.6.de 7. donis Spir. ſanct.c.11. Eſth.1.v.4. Pſ.144.v.11. Ibid. v.12. Pſ.144.v.13.

4. Haud immerito S. Bonaventura exclamat dicens : *O qualis refectio, ubi dapifer Chriſtus, pincerna Spiritus ſanctus, & certe Pater hoſpes largiſſimus.* In convivio regio quidquid præſtans aut pretioſum, quidquid bonum, ſapidum, aut delicatum natura ſubminiſtrare valet, ſtudioſe congregatur, quia omnia quaſi elementa veluti tributaria concurrunt in accumulandis piſcibus, avibus, carnibus ferinis, fructibus, cunctiſque alijs quæ palato magis placent, aut ſapore ſuo gulam proritare poſſunt : atque ideo cœleſtis gloria in ſumptuoſo quodam convivio præfiguratur, quia hæc totum illud in ſe continet quidquid Deus, qui unicum eſt beatitudinis objectum, bonitatis, pulchritudinis, pretioſitatis, aut deliciarum umquam creavit: Et ideo ſicut de convivio Aſſueri ſacer textus dicit : *Ut oſtenderet &c. magnitudinem atque jactantiam potentiæ ſuæ :* Ita quoque de illo cœleſti ac divino convivio Regius Propheta inquit : *Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui, regnum tuum, regnum omnium ſæculorum & dominatio tua in omni generatione & generationem.*

Convivij hujus Dapifer Deus. S.Thom. à Villanova ſer. de S. Ildephonſo. Luc.12.v.37. Hebr.1.v.3. Luc.12.v.37.

5. S.Thom. de Villanova in ſermone quodam de S. Ildephonſo ſupremam hujus Archidapiferi, qui hanc gloriæ menſam nobis inſtaurabit, dignitatem admirans dicit : *Præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, multum eſt hoc ad quodcumquè famuli meritum, ut cum Domino ſuo ad menſam ſedeat, neque ſolum hoc, ſed ut ſuus ei Dominus ſuccinctus miniſtret, qualis honor ad menſam una cum Deo & cæleſtibus ſedere principibus?* S. Apoſtolus qui hujus rei in cœlo oculatus teſtis fuit, de nobiliſſimo hoc menſæ cœleſtis miniſtro dicit : *Sedet ad dexteram majeſtatis in excelſis*, & tamen ille ipſe de ſe dicit : *Tranſiens miniſtrabit illis.*

Proſecutio. Hug. Card. in Luc. Sap.8.v.1. Prov.9.v.1.

6. Valde conſiderabile eſt verbum illud, *Diſpono*; Etenim convivium quod non eſt bene diſpoſitum & ordinatum, nauſeam generat & confuſionem ; Qualis convivij alicujus diſpoſitio & magnificentia futura eſſet, ſi Rex aliquis, vel Monarcha magnus Dapiferatus miniſterij intelligentiſſimus, ipſe Dapifer & Convivij moderator eſſet? Hugo Cardinalis igitur bene ait: *Ordinata ferculorum diſpoſitio tangitur in hoc verbo diſpono.* In dubium revocari nequit, quin Dapifer ille magnam habiturus ſit quoad ſuavitatem & lautitiem ferculorum procurandam ſolicitudinem, cum de hac divina Sapientia dicatur; quod *diſponit omnia ſuàviter*; Et hæc eſt eadem illa increata Sapientia; de qua legimus : *Sapientia ædificavit ſibi domum, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum & propoſuit menſam ſuam.*

Convivij hujus cibus appetitum ſatians Deus erit. Luc.22.v.30. Alb. Magn. in Luc. 1.Cor.2.v.9. S.Aug.T.9. de cog.ver. vit.c.47.

7. Ponderari etiam merentur verba illa : *Menſam meam*, quia Salvator noſter in verbis thematis apud S. Lucam non ſine myſterio illa repetit, dicens : *Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam*, ſiquidem ut Albertus Magnus notat : *Dicitur menſa plena & ornata exhibitio Deitatis ad fruendum.* Neſcio an aliquando obſervaveritis, quod incarnata ſapientia, quænam menſæ illius futuræ ſint dapes, nequaquam ſpecificet, aut declaret ; cum tamen ſcriptura quoad convivium Abrahæ, nec non patris filij prodigi, & plurium aliorum ferculorum quæ in menſam illata fuerunt, punctualiſſimam mentionem faciat; Scitiſne quidnam quoad hanc Conviviorum deſcriptorum differentiam reſponderi poſſit ? Nimirum, quod per hanc menſam viſio beatifica intelligatur, quæ tot tantasque in ſe delicias complectitur, ut imperceptibiles ſint, humanoque intellectui inexplicabiles : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum*; Et ideo qui huic menſæ tamquam convivæ accumbunt, appetitum ſuum integerrimè ſatiant : *Si autem*, ut S. Auguſtin. ait : *quidquid minus quam ſummum bonum in præmium acciperent, adhuc plus appeterent, & conſequens eſſet, quod plenum gaudium non haberent, ſed cum conſtet eos plenum gaudium habere ; neceſſario ſequitur eos ſummum bonum Deum habere, id eſt de ejus affluentia & plenitudine omnium bonorum, abundare.*

Deus miniſtrabit cibos pro merito citiusque. S.Thom. à Villanova ſer. cit.

8. Porro qua ratione intelligi debeat, quod ſummus cœlorum Rex huic menſæ miniſtret S. Thomas de Villanova his verbis declarat : *Præcinxit autem ſe Dominus ad menſam iſtam, non ad ſerviendum, ſicut in cœna ultima, quando lavit pedes diſcipulorum ; Tempus enim ſerviendi jam tranſiit, non tam humilitatis ſervum, ſed majeſtatis Dominum ſe præbet in cœlis, & tamen quidquid ad illam menſam beatorum apponitur obſonij, totum ex illo refertiſſimo divinitatis cellario propinatur, ideo miniſtrare dicitur ; non quia recumbentibus ſerviat, ſed quia dulciſſimos ſingulis cibos, pro merito cujusque, manu ſua proponat.* Et S. Bonaventura ait : *Chriſtus miniſtrat cibum, dum ſemetipſo convivantes reficit : Spiritus ſanctus potum propinat, cum ſuis donis convivantes potat & inebriat.*

Magnificum erit conviviũ ex accumbentium dignitate.

9. Convivium aliquod ſupra modum ſumptuoſum & nobile eſſe ex accumbentium dignitate & magnificentia æſtimatur; Unde ſi omnes Reges & Monarchæ totius mundi ſimul juncti uni & eidem menſę accumberent, procul dubio, menſa illa ab omnibus valde & ſplendida eſſe crederetur : Jam vero, uti in Diſcurſu quinto ſuperius fuſe probavimus, in cœleſti gloria omnes beati Reges, Imperatores & Monarchæ erunt, coronis & diadematibus regijs redimiti ; Ibi ſedebunt Throni Dominationes, Principatus, Poteſtates, Cherubini & Seraphini.

Convivę dulciter quieſcent.

10. Obſervanda quoque ſunt verba illa : *Faciet illos diſcumbere :* Etenim apud antiquos uſitatum erat, quod prope menſam jacerent, in lectis namque ad hunc effectum factis procumbentes manducabant. Quia in re animæ beatæ æterna requies denotatur ; Unde hæc requies homini ex hac vita migranti his verbis annunciatur : *Requiem æternam dona eis Domine.* Richardus de

S. Victore



Cant.3.v.7. Rich. de S. Vict.p.2. in Can.c.10. Job 3. v.17.

S. Victore ſuper illa verba Canticorum : *Lectulum Salomonis, &c.* dicit : *quæ quies lectulus dicitur, quia in illa ab omni inquietudine & labore hujus vitæ pauſatur; in illa quiete pauſant, qui hic pro Deo laboraverunt ; Ibi enim, ut in Job legitur, requieſcunt feſſi labore, illic æterna quies reficit, & remunerat, quos hic labor præceptorum & virtutum profectus fatigabat.*

Beatitudo ſola ſatiat. Pſ.35.v.9. S.Thom. de Villanova ſer. de S.Mich. S.Auguſt.in Medit. c.18. Pſ.16.v.15. Eccli.1.v.8. S.Bern.ſerm. 32. in Cant. Luc.14.v.15. Hug.Card. Pſal.144. v.7. S.Thom. Opuſc.63.

11. Quod ſatietatem attinet, quæ in animam beatam ab hac menſa redundat, de hac S. Thomas Villanovanus ita ſcribit : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; Mira affluentia, quæ tantum exercitum tantorum principum, tot ſæculis, imo in ſæculorum ſæcula affluentiſſime paſcit & reficit, neque umquam deficiet, ſed ſemper abundat, & ſuperabundat.* Quantumcumque appetitus noſter vehemens ſit & avidus, certum tamen eſt quod nihil adeo exquiſitum hic in terris appetere poſſit, quin id quo in cœlis fruitur omni imaginatione & deſiderio noſtro præſtantius ſit & excellentius ; Unde S. Auguſtinus jure merito ait : *Cur per multa vagaris, quærendo bona corporis & animæ noſtræ : Amemus unum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit ; Quid enim amas ô caro? Quid deſideras ô anima? Ibi enim eſt quidquid amas, quidquid deſideras.* David quondam pauper paſtorculus erat, ejusque generoſitas animum ei ſuggeſſit ut contra Goliath dimicare eumque glorioſe proſternere non dubitarit, & per hoc cum tanta ſua gloria regnum Iſraëliticum ſibi ſtabilierit, cumque ab univerſo populo velut triumphator glorioſe exciperetur, ob hoc tamen nequaquam contentus remanſit ; Factus eſt gener Regis, nec hoc ei ſuffecit ; Poſt Saulis mortem ſolium Regium conſcendit, in eoque per innumerabiles victorias, multorumque ſtatuum & regnorum acquiſitionem illuſtris evaſit, & tamen in omnibus hiſce honoribus, theſauris, & proſperitatibus humanis, cor ejus minime contentum fuit, ſiquidem proteſtatus eſt dicens : *Satiabor* quaſi hactenus numquam ſatur fuerit ; Sed quando ? *Cum apparuerit gloria tua.* Solum in illa æternalium deliciarum menſa anima ſaturari poteſt. Enimvero homo tunc ſatur eſſe dicitur, quando nihil eſt, quod ejus appetitus ultra deſideret : In homine autem multæ ſunt potentiæ, quarum quælibet vehementi appetitu urgetur, qui hic in terris numquam expletur ; Imaginatio numquam dicit, ſufficit ; auditus nova ſemper percipere deſiderat ; Oculus quo plus viderit, tanto plura objecta nova & rara videre concupiſcit : *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu adimpletur.* Cum igitur idipſum in potentijs ſenſitivis manibus noſtris veluti palpemus, quid de animæ potentijs dicendum erit ? Quantum intellectus appetitum habebit ? Quantam voluntas famem patietur ? Solum in hac menſa ſatiari poterimus, quia ibi erunt theſauri, honores, voluptates, & quidquid intellectus tam humanus quam Angelicus valet excogitare aut apprehendere ; Ibi erit Sapientia, Dominium, æternitas, immutabilitas. *Quis igitur*, inquit S. Bernardus, *non illic vehementer cupiat paſci?* Ejusque rationem reddit, breviter quidem, ſed valde ſignificanter, dum ait : *Dulce pabulum verbum. Beatus*, inquit verbum hoc incarnatum apud S. Lucam, *qui manducabit panem in regno Dei* ; Ubi Hugo Cardinalis ait : *Hoc eſt manducare, ipſum videre facie ad faciem, & contemplari*; Memoria in infinito illo Divinitatis pelago abſorbebitur, omniumque ærumnarum præteritarum obliviſcetur, aut ſi memoriæ quidpiam ſupererit, id totum ſolum ad laudes & gratias Deo referendas deſerviet, ſive ad majus vehementioris jubili motivum : *Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt, & juſtitia tua exultabunt.* Intellectus lumine gloriæ illuſtratus videbit, quomodo Pater ab æterno generet Filium, & ambo producant Spiritum ſanctum, & qualiter hi tres unus ſolus, immenſus, incomprehenſibilis, infinitus æternus Deus ſint ; Videbit omnes divinas perfectiones, ſapientiam, bonitatem, omnipotentiam, immenſitatem, amorem, immortalitatem, providentiam ; Videbit incarnationem verbi, & omnia alia humanæ redemptionis opera; Ibi ceſſabit omnis fides, quia quod hactenus crediderat, ibi apertè videbit ; Spes item deficiet, quia de facto anima aſſecuta erit, quod ſperaverat, intuebitur impenetrabilium Divinitatis judiciorum abyſſum ; Videbit media quibus altiſſima Dei ſapientia uſa fuit, ut illum prædeſtinaret ad gloriam, faceretque cœleſtis gloriæ commenſalem, videbit pericula quæ evaſit, & auxilia efficacia, quæ Deus illi ſubminiſtravit ; Denique videbit Deum facie ad faciem, adeoque perfectè ſatiabitur, quia ut Doctor Angelicus ait : *Illa beatitudo conſiſtit in Dei cognitione, dilectione, fruitione, unione, laude, gratiarum actione & congratulatione.*

Viator unam beatitudinis guſtando guttam faſtidiret terrena. S. Bonav. in Solil. Rich. à S. Vict. p.2. in Cant. c.10. Pſ.16. v.15.

12. Adeo perfectè appetitus animæ ſatiabitur, ut unica tantum copioſi illius torrentis beatitudinis æternæ ſcintilla, ad creandam in illo omnium voluptatum & gaudiorum mundi hujus nauſeam abundè ſufficeret. Nam ut S. Bonaventura ait : *Si vel una mica quæ cadit de menſa Dominorum in hoc convivio, aperto mentis ore ſumpſiſſes, puto quod hanc peregrinationem ex tunc impatienter tolerares ; puto ſi unam guttam potus ejus deguſtaſſes, omnem hujus ſæculi dulcedinem faſtidires.* De hac menſa etiam Richardus à S. Victore, ad verba Jobi & Davidis alludens ita ſcribit : *Hujus menſæ requies ut in Job legitur, plena eſt pinguedine, perfectè ſatiat*, ſicut dicit Propheta : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* ; eſt enim ibi ſatietas ſine faſtidio.

Quomodo beati eſuriãt. Matth.5.v.6. Eccli.24. v.29. S. Bernardin. Sen.ſerm.5. in 8. beat. A.3.

13. S. Bernardinus illam Beatitudinem: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*, declarans, illum Eccleſiaſtici textum citat : *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Simulque modum quo hæc fames & ſitis intelligenda ſit exponit dicens Eſurient & ſitient. *Non pro indigentia rei abſentis, ſed præ complacentia rei præſentis ; Habet ſemper jucundiſſimam ſatietatem, quæ non generat faſtidium, & ideo ſemper in uniformi accenſione amantis, deſiderium tenet ; Ex his clareſcere poteſt, quod quanto beatus in beatitudine glorioſior, atque amplius ſaturatus & inebriatus eſt, tanto magis eſurit, nam quanto plus delectatur in Deo, tanto plus deſiderat in eo, & de eo delectari.*

Proſecutio. S.P.Dam. l.7.Ep.ult. Matth.18. v.10. 1.Petr.1.12. Gloſſ. in Ep. Petri. S. Auguſt. in Medit.c.2.

14. In convivijs immoderatis mundi hujus, ſtomachus communiter experitur indigeſtiones, dolores acerbiſſimos, nauſeam, & alia corporis incommoda, de hoc autem B. Petrus Damianus ait : *Illic vitæ fontem & ſitientes hauriunt, & haurientes ſitiunt, quia ibi non poteſt vel aviditas paſſionem gignere, vel ſatietas faſtidire.* Unde licet Salvator noſter de Angelis dicat : *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei*, attamen S. Petrus de iiſdem ait: *In quem deſiderant Angeli proſpicere* ; ex quo liquet, quod etiam dum vident, adhuc videre deſiderent. Qua de re Gloſſa ait : *Contemplatio divinæ præſentiæ ita Angelos beatificat, ut & ſemper viſa gloria ejus ſatientur, & ſemper ejus dulcedinem quaſi novam inſatiabiliter eſuriant.* Eodem quoque modo S. Auguſtinus meditatur dicens : *Eſt in eis deſiderium viſionis Dei cum ſatietate, & ſatietas cum deſiderio, in quibus nec deſiderium pœnam generat, nec ſatietas faſtidium parit.*

Ad convivium hoc admittentur ſobrij à terrenis. Apocal. 21. v.6. Luc.1.v.53. Rich.de S. Vict. p.2. in Apoc.l.7.c.2.

15. Convivia noſtra cum illo cœleſtis gloriæ magnifico convivio in hoc conveniunt, quod ad hoc ut magis convivam delectent, neceſſum ſit, ut ad illa quis famelicus & ſitibundus accedat : *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis, qui vicerit, poſſidebit hæc.* Sic quoque Beatiſſima Virgo in ſuo Cantico ait: *Eſurientes implevit bonis.* Denique Diogenes cuidam frugaliter nimis cœnanti dixiſſe legitur; *Hoc modo nequaquam cœnares, ſi pari cum frugalitate pranſus fuiſſes.* Illi igitur in Paradiſo cœleſti hoc convivio fruuntur, qui hic in terris multum laborarunt, quique famelici, abſtinentes & ab omnibus terrenis bonis ſobrij fuerunt. Richardus de S. Victore ſuper præfatum Apocalypſeos textum ita ſcribit : *Bona cœleſtia ſint, qui ea totis præcordijs ſitit & concupiſcit. Deus quippe ſitienti dè fonte aquæ vivæ dat, quia anima quæ ad illum ardenter ſuſpiret, cæleſtibus bonis ſe minime fraudat, gratis etenim fons aquæ vivæ datur, quia per gratiam divinam ſupernæ plenitudinis nobis bonum confertur. Qui vicerit, id eſt, hoſtem antiquum, mundum, vitium, poſſidebit hæc: Quæ? quæ oculus non vidit, nec auris, &c. & quæ propter immenſitatem nequeunt comprehendi, propter æternitatem finiri, propter bonitatem æſtimari.*

## DISCURSUS XII.
## ARGUMENTUM.

De unione Beatorum quam habent in cœlis, deque mutua gaudiorum inter ſe participatione tractatur.

### THEMA.

*Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum.* Cant.4. verſ.13.

Beatorum in cœlis unio.

1. COmparatio hæc qua Paradiſus cœleſtis malo punico aſſimilatur prima quidem facie nonnemini valde impropria & incongrua videri poſſet, quod ſi enim Spiritus ſanctus Regnum cœlorum Monarchiæ alicui vel ampliſſimo Regno comparans, nimis modice de eo loqui videtur, quanto magis comparatio iſta impropria & minus apta cenſenda erit, qua

malo

*Cant. 4. v. 13*
*S. Anton. de Pad. in Dom. 2. poſt Trin.*

malo granato vel punico ſimile eſſe dicitur? *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum.* S. Anton. de Padua difficultatem iſtam hiſce verbis reſolvit: *In malo granato triumphantis Eccleſiæ unitas, & præmiorum diverſitas deſignatur: Malogranata dicuntur, eo quod intus habent grana olentia: & ſicut in ipſis omnia grana latent ſub uno cortice, & tamen quælibet grana habent pro ſe diſtinctas cellas, ſic in vita æterna omnes Sancti habebunt unam gloriam, & unusquisque ſecundùm proprium laborem magis vel minus recipiet mercedem*; Unde ipſe Chriſtus dicit Joan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

*Joan. 14. v. 2.*
Amor enim mirabiliter conjungit.
*Cant. 4. v. 3.*

2. In eodem Canticorum capite Spiritus Sanctus paulo ante dixerat: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet*, quibus verbis cœleſtis Jeroſolymæ ſive Eccleſiæ triumphantis genas fragmini mali punici ſimiles eſſe dicit. Porro inter omnes fructus nullus eſt, qui ſicut hoc pomum, coronam ſive diadema regium in vertice ſuo habeat; Sic quoque prout in Diſcurſu quinto oſtendimus in Cœlo nulli ſunt alij, quàm meri Reges & capita coronata; Præterea malum granatum, innumerabilia in ſe, eaque rubicantia complectitur grana, admirabili ſymmetria inter ſe unita & concordia, quia amor Regni cœleſtis animas beatas mirabiliter inter ſe conjungit & unit.

Par erit gaudium.
*Hug. de S. Vict. in An. eluc. q. 136.*
*1. Cor. 15. v. 41.*

3. Hugo de ſancto Victore ſuper illa Apoſtoli verba, quibus ſub ſymbolo variorum graduum lucis, de præmiorum & graduum gloriæ varietate diſſerit, dubium quoddam movet dicens: *In diſpari claritate erit par gaudium, quæritur, ſi diſpar claritas, quomodo gaudium par poſſit eſſè? nonne juxta quantitatem claritatis erit quantitas gaudij?* Sanctus Paulus dicit: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum, Stella enim à Stella differt in claritate*; Ex quo igitur unus ad ſublimiorem gloriæ gradum exaltandus erit quàm alter, quomodo par utriusque gaudium eſſe poterit? Si à magno illo Patrefamilias omnibus in vinea laborantibus, idem ſtipendium exſolvitur, quomodo inter laborantes inæqualitas eſſe poterit? *Si idem nummus omnibus dabitur, quomodo diſpar claritas? Si par gaudium erit, ergo gaudium Petri erit gaudium Martini*; Tandem verò ad difficultatem hanc per ſequentem diſtinctionem reſpondet, dicens: *Aliud eſt gaudium experientiæ, aliud voluntatis, ut gaudium Petri remunerationis eſt & experientiæ, Martino verò non experientia, ſed affectus eſt, tantum enim placet illi bonum Petri, quantum ipſi Petro, non tamen in ſe ſentit & experitur tantam beatitudinem, quam Petrus ſentit.* Tandem concludit probando, quod Beatitudo in animabus glorificatis in quantitate differat, licet quoad qualitatem eadem ſit, idque ſequenti oſtendit ſimilitudine: *Velut ego de ſanitate alicujus convaleſcentis ex infirmitate, tantum gaudeo, quantum ipſe, affectu, etſi non experientia, quia ſanitatem in me non ſentio, quam ille experitur.*

Charitas hanc operatur unionem.
*S. Bonav. in Præm. in Eccleſ.*

4. Sciendum igitur eſt, quod fundamenta Civitatis Dei ſint amor, charitas, dilectio; Unde Seraphicus Doctor ait: *Superna Civitas, quia fundata eſt in Charitate, quæ erigat ad æterna, in æternis quieſcit, & in eis Beatitudinem ponit.* Hæc autem Charitas & amor, qui in Cœlis indeficienter exardeſcit, illam operatur unionem & mutuam gaudiorum participationem & communionem in ſpiritibus & animabus beatis. Unde idem citat ſanctum Auguſtinum dicentem: *Quoniam Deus Charitas ſit, per Charitatem fit, ut quod habent ſinguli, commune ſit omnibus, ſic enim quisque etiam ipſe habet, quia amat in altero, quod ipſe non habet.*

*S. Bonav. in c. 14. Joan. col. 63.*

Beatis omnia ſunt communia.
*Luc. 15. v. 29.*
*Ibid. v. 31.*

5. Pro meliori hujus doctrinæ intelligentia, Parabolam filij prodigi nonnihil accuratius examinemus; In ea namque dicitur, quod quando frater natu major domum reverſus jubilum & lætitiam audivit, quam Pater & tota domus de reditu diſcoli licet tunc intime pœnitentis fratribus ſui conceperant, & quæ ob eamdem inſtituerant feſta, graviter apud Patrem ſuum lamentari cœperit dicens *Et numquam dediſti mihi hædum, &c.* Cui protinus Pater reſpondit: *Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* At verò ſi ita eſt, quod omnia, quæ Pater poſſidebat, etiam hujus filij natu majoris propria bona fuerint, quo jure igitur Pater ſine filij ſui beneplacito in convivium illud magnificum, cujus idem filius particeps non erat, ſubſtantiam utrique communi conſortio propriam expendit? maximè cum filius alter degener & prodigus jam ſuam ſubſtantiæ portionem accepiſſet & prodige cum meretricibus diſſipaſſet; Imò dato etiam caſu, quod Pater ad hanc ſine conſenſu filij liberalitatem exercendam jus aliquid habuerit, jam male dixiſſe videtur: *Omnia mea tua ſunt.* Sanctus Auguſtinus ad myſterium recurrens, dubium hoc ita reſolvit: *Quid ſibi vult omnia mea tua ſunt, quaſi non ſint & fratris? Sed ſic à perfectis & immortalibus filijs habentur omnia, ut ſint & omnium ſingula, & omnia ſingulorum.* De primis illis fidelibus ſanctus Lucas in Actis Apoſtolorum ſcribit, illos adeò indiſſolubili perfectæ Charitatis vinculo inter ſe conjunctos fuiſſe, ut *Multitudinis credentium eſſet cor unum & anima una*; Et alibi: *Erant omnes pariter*; *Et habebant omnia communia.*

*S. Aug. l. 2. Q. Evang. 33.*
*Act. 4. v. 32.*
*Act. 2. v. 1.*
*Ibid. v. 45.*

Hæreditas illorum creſcit.
*S. Ambr. in Pſalm. 118. oct. 14.*

6. Quidquid igitur gloriæ ſodalibus in Paradiſo accedit & accreſcit, hoc totum in ſingulorum cedit augmentum: *Omnes ſcripti hæredes ſumus*, inquit ſanctus Ambroſius, *non proportione, ſed pro univerſitate; Novum Teſtamentum & ſinguli adeant, & omnes poſſident, nec minuitur hæredi, quidquid ab hæredibus vindicatur, manet emolumentum integrum, & eo magis ſingulis creſcit, quo pluribus fuerit acquiſitum.* Idem quoque punctum ſanctus Auguſtinus tangit, dum de Beatitudine ſub hæreditatis allegoria diſſerit: *Hæreditas, in qua cohæredes Chriſti ſumus, non multitudine minuitur filiorum, nec fit anguſtior numeroſitate cohæredum, ſed tanta eſt multis, quanta paucis, tanta ſingulis quanta omnibus.*

*S. Aug. ſer. 119. de temp.*

Quilibet de alterius participabit gaudijs.

7. Pater cœleſtis latronem, & peccatricem Magdalenam, item Joannem Baptiſtam & ſanctum Franciſcum in Cœlum recepit, & unicuique eorum in primo in Cœlos ingreſſu dixit: *Omnia mea tua ſunt*, licet gradus gloriæ plus minusve eminentiores fuerint, juxta merita ſingulorum, ultimus tamen Beatus in Paradiſo fruetur Beatitudine ſupremi, ac ſi ejus propria eſſet. Unde ſanctus Bernardinus de anima beata ſcribit: *Sentiet de quolibet beato ſingularem odoris fragrantiam, proinde* Apocalypſi 5. *dicitur, quod ſinguli Beati habebant cytharas & phialas aureas plenas odoramentorum. Secundo delectabitur de illius voce, quia de quolibet Beato perciperet varietatem vocis, ſcilicet in cantu.* Apocal. 14. *Poſt hæc audivi vocem tubarum multarum dicentium in Cœlo Alleluja, nam ſecundùm Hieronymum Ja eſt unum de decem nominibus Dei; Delectabitur de illius ſplendore, Delectabitur de illius pulchritudine & colore.* Beatus Laurentius Juſtinianus hujus mutuæ gaudiorum communionis, quam Beati inter ſe habebunt, hanc reddit rationem dicens: *Tanta vis in illa cœleſti pace nos ſociat, ut quod in ſe quisque non accipit, hoc ſe accepiſſè in altero exultet: Una cunctis erit Beatitudo lætitiæ, quamvis non una ſit omnibus ſublimitas vitæ.*

*S. Bern. Sen. T. 2. ſer. 66. A. 2. c. 3.*
*B. Laur. Juſt. de long. vita cap. 7.*

Inferior non invidebit ſuperiori.

8. In corpore humano omnia membra adeò ſunt inter ſe concordia & pacifica, ut unum de alterius bono congaudeat, tametſi in operibus & in gradu valde inter ſe differant, licet etiam caput majoris æſtimetur quàm pedes. Unde ſanctus Anſelmus in libro de ſimilitudinibus dicit: *Quantum quisque ſeipſum, tantum, & tamdiu diliget alterum, nec enim video, quomodo alter eſſè poſſit, præſertim cum omnes unum corpus Chriſti ſint, & Chriſtus, qui eſt ipſa pax, ſit omnium caput, nec minori ſeſe affectu complectantur, quàm membra unius corporis ſibi invicem copulantur.* In corpore humano oculus tàm eſt contentus videndo, quàm intellectus eſſe poſſit in ſpeculando; una pars corporis alteri nobilitatem ſuam præcellentiorem non invidet, neque ob id rixas inter ſe habent aut diſſenſiones; anima enim quæ omnia membra informat, una eſt & ſola, eademque in pedibus, in cerebro, in brachijs & in corde: Tota in toto & tota in qualibet parte, pes non minus æſtimat, quod tota anima ſit in ipſo, quàm caput æſtimare poſſit quod ſit in illo, licet in hoc nobiliores & præclariores exerceat operationes: ita anima aliqua beata; tantumdem ſe Deum poſſidere æſtimabit, licet ſit in infimo Angelorum Choro conſtituta, quantum illa quæ inter Seraphicos Charitatis ardores conflagrare conſpicietur; De ipſo gaudebit, ipſoque fruetur tamquam totaliter ſuo, haud ſecus ac ſi nullus eo præter ipſam frueretur; Et tametſi multos Beatos ad ſublimiſſimos Beatitudinis gradus elevatus conſpiciat, illis tamen non invidebit, ſed potius de illorum felicitate gaudebit, haud ſecus ac ſi præmium & remuneratio propria eſſet, ad eum modum quo manus contenta eſt quod ſit manus, nec oculo vel cordi minimum invidet. Unde ſanctus Auguſtinus ait: *Id etiam beata Civitas illa magnum in ſe bonum videbit, quod nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri, tamquam nollet eſſè unusquisque quod non accepit, quamvis ſit pacatiſſimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obſtrictus, quam nec in corpore vult oculus eſſè, qui eſt digitus, cum membrum utrumque contineat totius corporis pacata compago.*

*S. Aug. l. 22. de Civ. c. 30.*

9. San-



Beatorum concordia.
*S. Bonav. in ſoliloquijs.*
*S. Anſel. l. de ſimilit. c. 59.*

9. Sanctus Bonaventura ex ſancti Anſelmi libro de ſimilitudinibus capite 59. ſequentia verba citat: *Ibi à ſingulis omnes, ibi ab omnibus ſinguli cognoſcentur, nec quemquam latebit, qua patria, qua gente, qua ſtirpe quis conditus ſit.* Demum verò ad propoſitum noſtrum deſcendens, hujusque inter Beatos concordiæ & conformitatis rationem reddens ſubjungit: *Ibi erit tam perfecta & beata Charitas juſtorum, quod unusquisque in tantum diliget proximum ſuum, quantum ſeipſum, ex quo illud inæſtimabile ſequetur bonum, quod ita unusquisque de alterius bono vel gaudio gaudebit, ſicut de merito proprio, proinde cum inenarrabilis ſit numerus electorum, quis putas narrare ſufficiat gaudium Beatorum?* Deinde idem Sanctus circa gradus gloriæ plus minuſve eminentes diſtinguit, & qualiter intelligendi ſint, explicat: *Quamvis ibi pro differentia meritorum quædam data ſint excellenter, nihil tamen ibi ex inæſtimabili Divinæ pietatis immenſitate, ſecundum Gregorium poſſidetur ſingulariter.* Et profectò punctum iſtud ſumma eſt conſideratione dignum; Quantum enim is hic in terris ſe felicem eſſe arbitraretur, qui omnium literatorum gauderet & frueretur ſapientia, potentia omnium Principum, divitijs omnium divitum, omnium denique feliciſſimorum hujus mundi hominum voluptatibus, delicijs & gaudijs perfecte communicaret: *Omnia ſunt omnibus communia*, inquit de bonis cœleſtibus. *Ibi virgo gaudebit de ſanctæ viduitatis merito: Ibi vidua exultabit de caſtæ virginitatis privilegio: Ibi confeſſor de Martyris jucundabitur triumpho; Ibi Martyr tripudiabit de Confeſſorum bravio; Ibi Propheta laudabit de Patriarcharum pia converſatione; Ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide; Ibi Apoſtoli & Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum; Ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria & corona ſuperiorum.*

*S. Gregor.*

Quod defuerit alicui in meritis, mutua ſocietas adimplebit.

10. Bonus quidem latro Cœlo non intulit merita virginitatis, Martyrij, Doctoratus, aut Apoſtolatus, quia aliud de illo nihil ſcimus, niſi quod in monte Calvario in breviſſimo temporis ſpatio dixit & fecit; idemque ex Hiſtorijs de alijs multis verum eſt, at vero num propter hoc ipſorum gloria in Paradiſo imperfecta erit? Nequaquam; quin potius audite quali conſolatione Seraphicus Doctor illos qui ejuſcemodi ſunt confortet: *Id quod ibi in te defuerit, illa cœleſtis & divina Beatorum ſocietas Charitate mutua adimplebit, quia unusquisque habebit ibi in proximo, quod ſibi deficit in merito proprio.*

*S. Bon. ſer. 2. de Aug.*

Similitudo.
*S. Bon. ſer. 6. de Confeſſ.*

11. Sanctus Bruno Carthuſianorum Patriarcha, paulo ante adductam producit membrorum unius & ejuſdem corporis ſimilitudinem, & dicit: *Uniuſcujusque gloria omnium communiter gaudium & lætitia erit; qualis enim nunc concordia eſt inter omnia membra corporis noſtri, talis erit inter omnia membra ſupernæ illius Civitatis.* Enimverò cauſa unica cur hic inter nos tam facile exurgat, invidia eſt, quia cum mundus tam ſit bonorum inops, unusquisque bona illius ſibi optaret, ne dum alium illis inſtructum eſſe videt, ipſe ijs carere cogatur, & hinc invidiæ motus oritur. In cœleſti Regno autem, ut Hugo de Sancto Victore ſcribit: *Nullus inferior nulli majori invidebit; Nec majus gaudium ſuperioris ſibi, deſiderabilitate unusquisque tantum habebit, quantum volet, alioquin non eſſet Beatus.*

*Hug. de S. Vict. in Annot. elucid. Q. 136.*

Ob hæreditatem diſcordia erit nulla.
*S. Thomas de Villanov. Conc. in Dom. Quinquag.*
*Pſ. 121. v. 3.*

12. Inter nos diſcordiæ, lites, inquietudines & ſolicitudines, quæ nos conturbant ex cupiditate derivantur, propter *meum & tuum*, at verò ut Sanctus Thomas de Villanova ait: *Non eſt ibi diſcordia, non diſſenſio, non jurgia, non lites quia non eſt ibi meum & tuum, ſed omnia communia*; citatque verba illa Salvatoris, in quibus de ſuperna Jeruſalem agitur, de qua ſcriptum eſt: *Cujus participatio ejus in idipſum: Non partitur, non dividitur hæreditas illa in hæredes, ſed tota eſt omnium, & tota cujuſlibet eſt*; adducit quoque ſimilitudinem lucis, cui proprium eſt illuminare ſingulos ſicut omnes, & omnes tamquam ſingulos: *ſicut Sol iſte*, inquit, *quem vides, ſic omnium eſt, quod totus eſt tuus, nihil de illo partitur, ſed totus te calefacit & illum; ſic tuum hortum implet arboribus & floribus, quaſi ſolum impleret, atque alium nullum.*

Quilibet beatus contentus erit.
*S. Anſel. L. de ſimilit. c. 64.*

13. S. Anſelmus dubium quoddam movet & reſolvit quod magnæ eſt conſiderationis, ſuppoſito enim quod Beati in cœlis ſint omnipotentes, omniaque poſſint, quæ volunt, occurrere poſſet caſus quod anima aliqua beata, quæ æterna ſua remuneratione in infimo choro gaudet, deſideret pari in loco cum S. Franciſco in choro Seraphinorum conſiſtere, ut tanto Deo vicinior eſſe, tantoque vehementior Charitatis ardore erga illum flagrare poſſet; moxque ſubjungit: *Reſpondeo, quia ſi etiam B. Petro in gloria par eſſe volueris, eris, in gloria dico, quia ut Petrus ſit in perſona, velle non poteris, quia pulcherrimam illius corporis compoſitionem, quam in hoc conſpiceres violari, plus omni commodo amabis*: prouti in ſimilitudine corporis humani videre licet, in quo cum multa ſint & varia membra, unumquodque ſua in corpore ſituatione contentum eſt: *Nec enim in corpore humano, vel pes loco aut officio manus, vel manus pedis fungi exoptat, aut os vel naſus, ubi oculi ſunt, aut oculi ubi os aut naſus, relictis ſedibus cupiunt transferri, aut ſi transferrentur, convenienter & ſine injuria, non id paterentur; eodem modo in illa admirabili & glorificata diſpoſitione, & æque diſpoſita glorificatione beatæ civitatis Dei, ita quisque quod adeptus fuerit, amabit, ut ſtatum ſuum potiori gradu immutari non velit: quare? quia cuique ſatis erit ſua felicitas, & beatitudo ſibi pro meritis ſuis miſericorditer impertita.*

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

In cœlo omnes beati unam quaſi voluntatem habent, ex qua in cœleſti Jeruſalem magna inter Beatos unio & concordia dirivatur, ad quam Charitas aditum patefacit & beatificat.

### THEMA.

*Jeruſalem quæ ædificatur ut civitas cujus participatio ejus in idipſum.* Pſalm. 121. ℣. 3.

Beati unius ſunt voluntatis.

1. REgius Pſaltes de cœleſti Jeroſolyma diſſerens, inter alias prærogativas illius quas deſcribit, hanc veluti valde particularem adducit: *Cujus participatio ejus in idipſum.* S. Bruno Carthuſianæ ſolitudinis fundator & Princeps de Paradiſo diſcurrens horum verborum proinde memor dicit: *Hæc eſt illa Jeruſalem, quæ, ſicut ſcriptum eſt, ædificatur ut Civitas cujus participatio ejus in idipſum, quibus eſt cor unum & anima una*; Nulli etenim dubium eſſe poteſt, quin illis verbis Pſalmiſta de civitate Dei ſuperna loqui intendat, ſiquidem in principio Pſalmi ita loquitur: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus; ſtantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Jeruſalem*; ubi bene dicit *ſtantes erant pedes &c.* quia alibi quàm in Cœlo beatorum pes noſter firmiter ſtare aut ſtabilire non poteſt; valde enim conſiderabilis regni illius præcellentia eſt, quod omnibus illius civibus & incolis unica tantum ſit voluntas, eaque divinæ voluntati perfecte conformata: Regna autem temporalia in ſeipſis diviſa in ruinam abeunt, quando plures cum authoritate ſuprema & independente illius præſunt dominio, quia *Nec Regna ferre ſocium, nec thædæ ſciunt*, ut Poëta ille cecinit, voluntates enim plurium gubernantium raro ad invicem conformantur, atque ideo ut ex tali regimine diſſenſiones emergant, neceſſum eſt, in regno vero beatitudinis æternæ non item; ibi enim ut S. Auguſtinus ait: *Omnipotentes erunt ſuæ voluntatis, ut Deus ſuæ, unde ſicut Deus poterit quod volet per ſeipſum, ita poterunt illi quod volent, Beati autem aliud non volunt, niſi quod volet Deus, hic autem illorum ſe voluntati adaptabit.*

*S. Brun. de Laud. Eccl. cap. 6.*
*Pſ. 121. v. 1.*
*Ibid. v. 2.*
*S. Aug. in Man. c. 34.*

Proſecutio.

2. S. Joannes in Apocalypſi vidit viginta quatuor Seniores, omnes quidem regio diademate coronatos, eadem tamen diademata ad pedes agni projicientes, ad demonſtrandam ſubjectionem & dependentiam ſui erga ipſum, quia *omnibus erit una voluntas*, ut S. Anſelmus ait: *quaſi nulla eſſet illis, niſi Dei voluntas; ideò erit omnibus plena concordia, & ideo ſicut illi non ſunt aliud, quam quod ille, ita ille volet quidquid volent illi, & ideo filij Dei, & Dij vocabuntur.* S. Auguſtinus quoque de illius Civitatis Dei civibus diſſerens, hanc præcipue in ijs unionem & voluntatum concordiam obſervat: *Erit illius Civitatis & una in omnibus, & inſeparabilis in ſingulis voluntas.*

*S. Anſel. in Proſ. Log. cap. 24.*
*S. Aug. l. 22. de Civ. c. 30.*

Beatorum concordia.
*Ezech. 1. v. 1.*
*Ezech. 1. v. 4.*

3. Ezechiel Propheta Babylonicæ ſervitutis tempore juxta fluvium Chobar conſtitutus, Cœlos aperiri vidit: *Aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei*; ſed quodnam illi in hac viſione exhibitum fuit ſpectaculum? *Et nubes magna & ignis involvens, & ſplendor in circuitu ejus, & de medio ejus, quaſi ſpecies electri, … & in medio ejus ſimilitudo quatuor animalium, & hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis, quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni.* Hæ autem quatuor animalium facies ab invicem differentes, imo omnino inter ſe contrariæ erant, quia Aquila velox eſt, Bos vero piger & tardus Leo terribilis & ferox eſt, Homo vero mitis & manſuetus, & tamen omnia hæc animalia pariter ambulabant, atque ad collum currui, qui gloriam præfigurabat,

figurabat, ſubmittendum omnino inter ſe concordia erant: *Unumquodque eorum coram facie ſua ambulabat, ubi erat impetus ſpiritus gradiebantur*, quocumque ibat ſpiritus, illic *eunte ſpiritu & rotæ pariter elevabantur, ſequentes eum, ſpiritus enim vitæ erat in rotis, Cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant, & cum elevatis à terra pariter elevabantur & rotæ.* Ecce tibi ad vivum delineatam effigiem & ſymbolum illius, quod in cœleſti regno ſuccedit: Licet enim omnes animæ quæ ad illud ſubvectæ & ingreſſæ ſunt, collectæ ſint ex populis & nationibus, inter ſe nonnumquam magnopere diſſidentibus, & quoad mores, genios, ritus, ætates, ſexus, profeſſiones & conditiones omnino contrarijs attamen omnes illæ animæ glorificatæ inter ſe uniformes & concordes ſunt, & ſicut unius regni, ita quoque unius voluntatis pacifici concives exiſtunt: Unde dicunt: *Et redemiſti nos Domine Deus in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, ... & regnabimus.* Dicit ulterius Ezechiel: *Et totum corpus oculis plenum in circuitu.* Quodnam obſecro in eo latet myſterium, quod corpus horum animalium undique oculis plenum à Propheta viſum fuerit? Nimirum eo hæc viſio ſpectabat, ut nobis per hanc inſinuaretur, quod Beati in cœlis ad inſtar oculorum inter ſe conjuncti ſint, animiſque concordes, unde S. Anſelmus ait: *Corpus & anima cujuſque Sancti, concordiæ tantæ erunt, quantæ in præſenti ſunt oculi noſtri; ſicut enim oculus unus verti non poteſt, quo non vertatur & alius, ſed in eamdem partem ſemper volvuntur, ſic etiam corpus & anima vel ſocietas illa juſtorum nihil poterunt velle diverſum, ſed eamdem ſemper voluntatem habebunt.*

Ezech. 1. v. 9. Ezech. 1. v. 12. Ezech. 1. v. 20. Ezech. 1. v. 21. Apocal. 5. v. 9. Ezech. 1. v. 18. S. Anſel. L. de ſimilit. c. 62.

Ibi abſterſæ ſunt lachrymæ per quas cœlum lucrati ſunt.

4. S. Joannes in Apocalypſi oculos ſuos ad cœleſtis illius Jeroſolymæ portas dirigens, dicit quod à ſe viſæ fuerint, *ab oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres*: at vero quibuſnam ex lapidibus portæ hæ fabricatæ erant? Num forte ex alabaſtro, Jaſpide, Rubinis, vel adamantibus? Nequaquam; ſed *duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, & platea civitatis aurum mundum*, imo paulo ante dixerat, quod *menſus fuerit civitatem de arundine aurea*; at vero cum aurum charitatis & amoris Dei ſit ſymbolum, mirum non eſt, quod hoc potius metallum, quam quodvis aliud in illo regno beatitudinis emicare, illudque locupletare conſpiciatur; ſed quænam obſecro eſt margaritas inter & Paradiſi portas proportio? S. Bruno inquit: *Habebat portas duodecim ſingulas ex ſingulis compoſitas margaritis*, margaritæ autem proprium ſunt Lachrymarum *ſymbolum*: & ideo bene ex his portæ conſtructæ eſſe dicuntur, quis enim eſt qui neſciat, quod per undas lachrymarum & planctum ad paradiſi littora feliciter appellamus? Hæ autem margaritæ non in cœlo, ſed foris extra illud, & in ingreſſu cœli viſæ ſunt, quia intra Cœli penetralia ne umbra quidem triſtitiæ, aut planctus admittitur: *Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor*; Verumtamen tanti lachrymarum æſtimatur valor & pretium, ut illas Deum in primo ſupernæ Jeroſolymæ aditu velut margaritas & cœli fores emicare, & conſpici voluerit: *Beati qui lugent.* Et Petrus Cellenſis lib. 1. de panibus cap. 2. de unda lachrymarum ait: *Aqua hæc aut facit, aut invenit Paradiſum.*

Apoc. 21. v. 13. Apoc. 21. v. 21. S. Bruno. Apoc. 21. v. 4. Matth. 5. v. 5. Petr. Cellen. l. 1. de Pan. c. 2.

Anima quæ cœlum ingredi cupit ad inſtar nitidæ ſit margaritæ.

5. Conſiderari quoque hoc loco meretur differentia, quæ eſt inter margaritas, & alias gemmas & lapides pretioſas; Hi enim ſcapello opus habent, & expoliri debent, poſtquam è terræ viſceribus eruti ſunt. Quantus enim non adhibetur labor, ad perficiendum & expoliendum aliquam adamantem, Jaſpidem, vel alias gemmas ſimiles? Sola margarita eo modo quo ex aquis marinis extrahitur, ad exornandas regum Coronas apta eſt & idonea, omnemque ab ipſis primis natalibus ſuis perfectionem ſecum adfert, tales autem eſſe quoque debent animæ, quæ Paradiſum ingredi volunt, ſcapello indigere minime debent: quia *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, ideoque neceſſario mundæ, puræ, nitidæ, atque ab omni culpæ nævo expurgatæ eſſe debent.

Apoc 21. v. 27.

Cur Cœlorum portæ ex margaritis fabricatæ.

6. Dici quoque poteſt portas Cœlorum non ex ſmaragdis, vel alijs ſimilibus lapidibus pretioſis, ſed ex margaritis fabricatas & ornatas eſſe, ad inſinuandum, illos præcipue qui divinis inſpirationibus fideliter correſpondent, illiſque morem gerunt, mereri ut ad gloriam pervium iter & aditum habeant, quia conchæ marinæ ejus ſunt naturæ quod ſe ad rorem cœleſtem avide excipiendum ſponte propria aperiant, illumque hauſtum & imbibitum in margaritas in ſinu ſuo conſolident; unde margaritæ illas animas præfigurant, quæ gratiæ tamquam ſemini gloriæ, ſine ulla mora aut dilatione correſpondent & cooperantur: Talis margarita ſponſa cœleſtis fuit, cui ſponſus ait: *Aperi mihi ſoror mea, &c. quia caput meum plenum eſt rore.* Tales animæ ſunt, quæ portas Cœli exornant, quia rori, id eſt, gratiæ cœleſti ſinum ſuum patulum ſponte, imò avide exhibent.

Cant. 5. v. 2.

7. Præterea notandum eſt, quod aliæ gemmæ natales ſuos habeant, vel inter ſaxa, vel in terræ profundis cavernis, vel in undis maris; at verò licet concha quæ margaritæ mater eſt, aquis innatet, ipſa tamen margarita ex rore, qui cœlitus in concham irroratur, producitur; Cœlique ei major ſocietas eſt, quam maris, ideoque mirum non eſt, quod in Paradiſi portis margarita potius, quàm quævis alia gemma conſpecta fuerit, quia illæ ſolùm animæ aditum in cœleſtem gloriam habent, quæ Cœlum potius quàm terram diligunt, quæque ea *quæ ſurſum ſunt ſapiunt, non quæ ſuper terram.*

Coloſſ. 3. v. 1. & 2.

8. Enimvero eſt & aliud myſterium propter quod Portæ Cœli ex margaritis conſtructæ eſſe dicuntur, quia Jeroſolyma cœleſtis dicta eſt *Pacis viſio: Urbs beata Jeruſalem dicta Pacis viſio:* Margarita autem & ipſa Pacis concordiæ & unionis expreſſiva eſt, ſiquidem latino ſermone appellatur *Unio.* Et ut alibi probavimus hæc unio conformitas & concordia in Cœlis vel maxime viget, adeò ut Beatus Petrus Damianus dicere non dubitet: *Illic omnium mentes in mutui amoris unione conflatæ; nulla invicem varietate diſſentiunt, ſed in communi voluntatis ſtudio omnes unanimiter fœderantur.*

Hymnus Eccl. S. Petrus Dam. l. 7. Ep. ult.

9. Sanctus Bruno ad explicandam Beatorum in voluntate concordiam ſimilitudinem adducit corporis humani cujus membra inter ſe adeò concordia ſunt, ut omnes uni & eidem ſubordinentur & pareant voluntatis Imperio: *Uniuſcujuſque gloria*, inquit, *omnium communiter gaudium & lætitia erit, qualis enim nunc concordia eſt inter omnia membra corporis noſtri, talis inter omnia membra illius ſupernæ Civitatis.* Tametſi enim omnes regnaturi ſint, futurique omnipotentes & liberi in exercitio propriæ voluntatis, unius tamen voluntas ab alterius voluntate minimè diſcrepabit, quia omnes animis conjuncti & concordes erunt ad volendum, quod Deus volet, & quod unuſquiſque in particulari volet, erit pariter in univerſali velle omnium ſimul; nam ut ſanctus Anſelmus ait: *Nullus ibi volet, niſi quod Deus & quod volet unus, hoc volent omnes, & quod volet unus vel omnes, hoc ipſum volet Deus*; Unde hanc ad propoſitum noſtrum deducit conſequentiam: *Sic ſinguli erunt perfecti Reges, quia quod ſinguli volent, hoc erit.* Hinc demum inter illos ſpiritus & animas glorificatas perfectiſſima quædam naſcitur voluntatum unio atque concordia, adeò ut idem ſanctus Anſelmus dicat: *Regnare in Cælo non eſt aliud, quàm ſic glutinari cum Deo, & cum omnibus ſanctis Angelis & hominibus per dilectionem in unam voluntatem, ut omnes utantur ſimul una poteſtate.*

S. Bruno de Confeſſ. ſer. 4. S. Anſelm. Epiſt. 2. ad Hugon. S. Anſelm. ibid.

10. Ex hac autem voluntatum conformitate imperturbabilis quædam ſequitur Pax & concordia, de qua ſanctus Bernardinus ita ſcribit: *In Regno Dei eſt omnimoda Pax & concordia, in Regno Dei eſt omnimoda quietatio quoad ſeipſum, quilibet enim eſt contentus eo quod habet, nec amplius deſiderat, minimus enim Paradiſi nollet effici ſicut Beata Virgo.* Sanctus Bernardus de beatis illis civibus ita meditatur: *Una erit omnium lingua, jubilatio indefeſſa, unus affectus. Angelorum & hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium.* Eamdem quoque conſiderationem ſanctus Baſilius exprimit, dum ait: *Nulla ibi lis, nulla contentio, nulla controverſia.* Nulli ibi ſunt errores in intellectu, quia Beati perfectiſſimam habent notitiam & lumen Veritatis, omnes ſe Divinæ voluntati conformant, maximè cum cor & voluntatem habeant eodem Divino amore accenſam & inflammatam; Charitas enim quaſi vinculum quoddam erit, quod illos ad invicem ſtringit & unit; hæc vera eſt trutina & pondus Beatitudinis ad cujus proportionem & menſuram Deus pariter animabus & ſpiritibus beatis communicatur. Unde Innocentius III. Pontifex ait: *Non in ſublimitate graduum, ſed in amplitudine Charitatis acquiritur Regnum Dei, apud quem non gradus elegantior, ſed vitæ melioris actio comprobatur.*

S. Bern. Sen. ſer. in Dom. 5. poſt Epiph. c. 5. S. Bern. in Medit. c. 4. S. Baſil. in Conſtit. Monaſt. c. 19. Innoc. III. l. 3. Reg. 15. Epiſt. 140.

11. Celebris eſt textus ille ſancti Apoſtoli ad Corinthios dicentis: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam &c.* Deferantur licet

1. Cor. 13. v. 1.

licet



licet in Cœlos Virginitas, converſio animarum, Eleëmoſynæ, jejunia, Eremitoria, martyria, & quævis alia quæ anima virtuoſa, perfecta, & ſancta facere prævalet, ſi non ſimul eo amorem & Charitatem ſecum deferat, aditum in Cœlos ſe habituram eſſe temerè præſumit & ſperat; Unde Beatus Laurentius Juſtinianus ait: *Eo quiſque in illa Cælorum regione erit beatior, quo fuerit in Charitate perfectior; Charitas quippe æquitati ſtatera eſt, in qua appenduntur merita ſingulorum, per quam homo fit proximus Deo.*

B. Laur. Juſtin. de caſto connub. c. 1.

12. Fundamenta, ut videmus, ſuſtentant ædificium, illiſque deficientibus domus ſolotenus corruit; Cuinam igitur baſi Jeroſolyma cœleſtis (*Urbs beata Jeruſalem dicta pacis viſio, quæ conſtruitur in Cælis vivis ex lapidibus*) cui inquam illa innititur? in quo fundamento quieſcit? Sanctus Bonaventura ait: *Superna Civitas fundata eſt in Charitate.* Calx hic in terris ex lapidibus in fornace ignis excoquitur, hæcque eſt quæ lapides ædificij inter ſe committit & unit: Civitas quoque Dei *conſtruitur in Cælis vivis ex lapidibus*; Sed quænam eſt calx illa, quæ vivos hoſce lapides inter ſe ſtringit & unit? Nulla alia profectò, quàm amor Dei & perfecta Charitas.

S. Bonav. Prœm. in Eccleſ.

13. Sanctus Auguſtinus opportune pro noſtro propoſito conſiderat, quod in nocte feliciſſimæ Nativitatis Domini noſtri exercitus Angelorum de Cœlo deſcenderit, ac primo quidem gloriam Deo, deinde verò pacem his qui bonæ eſſent voluntatis præconizarit: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; Quænam verò ſit hæc bona voluntas, idem ſanctus Doctor his verbis declarat: *Audi clamantes Angelos, in terra pax hominibus bonæ voluntatis, totum habet, qui bonam voluntatem habet, ipſa eſt, quæ poteſt ſufficere, ſi cætera non ſint, ſi autem ſola deſit, nihil prodeſt quidquid habitum fuerit.* Demum verò idem ſanctus Pater per bonam voluntatem Charitatem intelligendam eſſe definit.

Luc. 2. v. 14. S. Aug. T. 10. Hom. 8.

14. Richardus à ſancto Victore reciprocum qui Deum inter & Beatos verſatur amorem his verbis, hiſque affectibus nobis delineare contendit: *Quis cogitare ſufficiat illum mutuum amorem Salvatoris & ſalvatorum, & quomodo diligat, quos tam pretioſò precio redemit, quomodo illorum ſaluti congaudeat, quomodo ipſi eum diligant, & in ejus amore requieſcant, & in eo gaudeant, per quem ſe redemptos & ad requiem translatos ſciunt, & ſemper vident?* Gaudium & lætitia, quæ magna felicitatis & Beatitudinis cœleſtis pars quædam eſt, ſuam in amore menſuram habebit. Unde Seraphicus Doctor ait: *Tantum gaudebunt, quantum amabunt, tantum amabunt, quantum videbunt*, ac proinde cum Charitas adaugenda ſit in Beatis juxta proportionem viſionis Dei, facile eſt conjicere, quanta Charitas in æterna Beatitudine habitura ſit incrementa.

Richard. de S. Vict. p. 2. in Cant. c. 10. S. Bonav. in ſolil.

15. Sanctus Bernardinus ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*; dicit: *In his verbis tria myſteria per ordinem de anima deſcribuntur; In primo ſtatus ejus naturæ: Omnes; In ſecundo ſtatus ejus gratiæ, ibi: Qui diligunt nomen tuum; In tertio ſtatus ejus gloriæ, ibi: Gloriabuntur in te.* Ubi notandum quod Pſalmiſta non dicat, illos gloria cœleſti decorandos eſſe, qui atrocia pro Chriſto ſuſtinuerunt martyria, nec qui ſe vivos quaſi in antris deſerti ſepelierunt, aut qui omnes facultates diſtribuerunt inter pauperes, ſed dicat: *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum*, quod optime cum celebri illa S. Pauli ſententia conſonat, dicentis: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, ... quæ præparavit Deus ijs: &c.* Quibus? num forte virginibus? Aut certe humilibus? Nequaquam, ſed ijs *qui diligunt illum*; Nam ut S. Bernardus ait: *Summum bonum diligere, ſumma eſt beatitudo; Quanto quiſque Deum amplius dilexerit, tanto magis beatus erit.* Quanto anima majori & clariori illuſtrata fuerit lumine gloriæ, mentiſque oculos profundius in divinam defixerit eſſentiam, tanto erit majori beatitudine adaucta, ſed de eo quod ad hæc à nobis requiritur audiamus S. Auguſtinum dicentem: *Et erit tunc quanto quis amplius alio hic obediens Deo fuit, tanto ampliorem illic mercedem accipiet, quantoque hic amplius Deum amavit, tanto propius eum videbit.* Veſtis etenim nuptialis, quæ ad accumbendum illi convivio à nobis requiritur, charitas eſt, hæc inquam teſſera eſt Regni cœleſtis. De qua proinde B. Laurentius Juſtinian. ita ſcribit: *Signaculum eſt, ſine quo nullus ingreditur; Sola eſt dilectio, quæ diſcernit inter filios Dei & filios Diaboli.* Alibi pariter idem ſanctus Patriarcha charitatem clavem Regni appellat: *Clavis eſt Regni.*

Pſ. 5. v. 12. S. Bern. T. 1. ſerm. 62. Pſ. 5. v. 12. 1. Cor. 2. v. 9. S. Bern. de mod. bene viv. ſerm. 5. S. Aug. T. 9. l. 1. de vanit. ſæc. B. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 5. B. Laur. Juſt. de Caſto connub. c. 18.

16. Digna D. Chryſoſtomi ſpiritu eſt exhortatio, qua nos ad properandum in illam beatam patriam his verbis excitat: *Verum regnum iſtud eſt, poſſe nos optima vita propitium & clementem nobis facere Deum, ut enim gehennam timere non debemus, propter ignem illum inextinguibilem, & pœnas terribiles, & perpetuos cruciatus, ſed quia offendimus tam bonum Dominum, & ab illius gratia ſumus alieni, ita & ad regnum nobis feſtinandum, non niſi propter amorem in illum, ut ejus gratia fruamur.*

D. Chryſoſt. T. 2. hom. 23. in Gen.

17. Porro mundus iſte, uti in Diſcurſu tertio hujus tractatus probavimus in comparatione ad cœlum Empyreum, nidus quidam eſt formicarum, noſtraque anima intra hujus luti anguſtias recluſa & conſtricta tenetur; Quod ſi autem nos dilatare nonnihil velimus Deum ex toto corde noſtro amemus, charitatis namque munus eſt haſce noſtras dilatare & ampliare anguſtias. S. Auguſtinus quærit: *Quare omnes laboramus, niſi quia ſumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, quæ faciunt invicem anguſtias?* S. Paulus nos ſimiles eſſe dicit vaſis teſtaceis ſive fictilibus, quorum unus alterum in officina hac figuli graviter opprimit; *Sed ſi anguſtantur vaſa carnis*, inquit S. Auguſtinus, *dilatentur ſpatia charitatis*, hæc enim majoris minoriſve latitudinis in ſuperna illa civitate habendæ menſura erit. Unde idem ſanctus Doctor alibi, de cœleſtibus illis incolis ita ſcribit: *Poſſident Jeruſalem cæleſtem ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine diverſitate & diviſione limitum; Omnes habent eam, & ſinguli habent totam, non anguſtat frater fratrem; Quia amor, charitas, unio quæ eſt inter ipſos omnia bona communia efficit, & ideo de ſuperna illa civitate dicitur quod ſit civitas, cujus participatio ejus in idipſum.*

S. Aug. ſer. 16. de ver. Dom. S. Aug. in Pſal. 83.

## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

Quiſquis in cœlum oculum ſuum dirigit, omnia quibus hic in terra fruitur, aut frui poteſt, facile contemnit, quia in cœlis omne bonū reperitur; Unde quanti valoris unica tantum torrentis cœlū inundantis ſtilla ſit ponderatur.

### THEMA.

*Quia melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia.*
Pſalm. 83. ℣. 11.

1. PRopheta regius, qui è ſtatu plebejo & ſervili ad purpuram, à cuſtodia ovium ad regimen populorum tranſierat, quique per annos plurimos in omni felicitatis humanæ genere proſperatus, à mundi Potentatibus in veneratione habitus, multis theſauris adauctus, plurimiſque victorijs & triumphis glorioſus fuerat, dum mentis ſuæ oculos in cœleſtis Jeroſolymæ delicias & gaudia, quantumvis longe ab eo diſtantia dirigeret, dixit: *Quia melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia.* Et quidem illum ibi de Paradiſo cœleſti loqui in dubium revocari nequit, ſiquidem eumdem Pſalmum hiſce verbis exorſus fuit: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Porro ad formandum nobis dignum de cœleſti gloria conceptum oculos noſtros primo in cœlum ad cœleſtia bona contemplanda elevare, ac tum demum illa cum terrenis bonis conferre debemus, ſic enim hæc omnia purum quoddam nihil eſſe, facile depræhendemus.

Pſ. 83. v. 11. Pſ. 83. v. 1. Ibid. v. 5.

2. Job potens & dives erat in hoc ſæculo, multorumque ſubditorum gubernator & Dominus, omnigena felicitate & proſperitate à Deo cumulatus, adeo ut Divina Scriptura de illo dicat; *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales*; & tamen Caput 37. exorditur hiſce verbis: *Super hoc expavit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo*; Ubi S. Gregorius ad propoſitum noſtrum inquit: *Locus humani cordis eſt delectatio vitæ præſentis, ſed cum divina aſpiratione tangitur locus noſtri cordis, fit amor æternitatis, conſideratione igitur æternæ patriæ de loco ſuo animus movetur, quia derelictis infimis, in ſupernis cogitationibus ponitur.*

Job 1. v. 3. Job 37. v. 1. S. Greg. l. 27. Mor. c. 9.

3. S. Bernardus in ætate juvenili & florida, opulentiſſima domo paterna derelicta, ad clauſtra ſe Claræ-vallenſia recipiens, alios quoque fratres ſuos ad ejuſdem clauſtri ſolitudinem exemplo ſuo invitavit, qui quidem omnem ſuam hæreditatem, quæ ampliſſima erat, fratri ſuo Nicardo natu minori relinquere ſtatuerant dicentes: *Eia Nicarde! ad te ſolum reſpicit omnis* terra

Guil. Abb. in vit. S. Bern. l. 1. c. 3.

*terra poſſeſſionis noſtræ* : At vero puer ille ſenili cum maturitate fratribus ſuis reſpondit dicens : *Vobis ergo cœlum & mihi terra? Non ex æquo diviſio hæc facta eſt*; cui reſponſo conſtanter inſiſtens mundum deſeruit, ut Deum ſibi compararet amicum , quia *qui contempſerit ſæcularia* , inquit S. Ambroſius , *ipſe merebitur ſempiterna*.

S. Ambr. l. 5. in Luc. c. 6.

4. Salvator noſter Regnum cœlorum homini negotiatori ſimile eſſe dixit , qui pro margarita quadam comparanda totam ſuam ſubſtantiam impendit : *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum homini negotiatori , quærenti bonas margaritas : Inventa autem una pretioſa margarita , abijt & vendidit omnia quæ habuit , & emit eam*. Euſebius Gallicanus negotiatoris hujus prudentiam & circumſpectionem valde commendat , licet alijs videri poſſit ipſum ſtulte egiſſe , dum pro una margarita emenda omnes ſuas facultates erogavit : *Callidus negotiator eſt, quod ex his, quæ diu poſſidere non poteſt, tale aliquid emit, quod numquam amittere timeat, & in quo univerſa poſſideat*. S. Gregorius pariter hanc emptionem margaritæ multum commendat , ſimulque ad bonorum æternorum acquiſitionem alludit, pro quibus merito eroganda & deſpicienda ſunt bona terrena: *Omnia vendens emit , quia qui cœleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poſſibilitas admittit, perfectè cognoverit, ea quæ in terrenis amaverat, libenter cuncta derelinquit : in comparatione ejus vileſcunt omnia, deſerit habita ; congregata diſpergit*.

Matth. 13. v. 45.
Euſeb. Gallic. h. in Nativit. Virg.
S. Greg. h. 11. in Evang.

5. D. Chryſoſtomus, ut aperte nobis oſtendat, quod in tantum nos terrena diligamus , in quantum bona cœleſtia oblivioni tradimus aptiſſimam hanc producit ſimilitudinem : *Nam quemadmodum is qui fœminam quampiam adamaverit, alia viſa, quæ pulchritudine priorem excedat , illa intermiſſa hanc deperibit ; ſic terrenæ gloriæ ſectatores, ut primum divina illuxerit , eam facile contemnent*. S. Auguſtinus multorum fidelium deteſtatur ſtultitiam , qui hujus vitæ fallacem & fugacem gloriam ſectantur, veram & immortalem Paradiſi gloriam nauſeantes : *Quid ſtultius, quid inſanius eſt , quam umbra, & imagine, & ſimilitudine veræ gloriæ , & veræ delectationis, veræ pulchritudinis , veri decoris , veri honoris, more infantium decipi & ſuperari , & ipſam gloriam non quærere, non deſiderare ? Quis imaginem auri in aqua ipſo auro neglecto eligeret, & non ſtatim à cunctis fatuus & inſanus crederetur ? Quis orbem Solis in ſpeculo redditum , vel in qualibet materia formatum plus diligeret, quam ipſum Solem, & non ab omnibus derideretur. Sic irridendus, ſic æſtimandus eſt , quiſquis mundi hujus caducam fragilitatem, & inutilem carnis voluptatem diligit, quærit, contendit , externa gloria contempta & neglectis regni cœleſtis ineffabilibus gaudijs*. Quidnam obſecro appetitus noſter deſiderare umquam poterit , quod in cœlo non habeatur ? Mellifluus Bernardus de Deo noſtro , qui unicum eſt beatitudinis noſtræ objectum , dicit : *Ipſe per ſe placet, & per ſe ſufficit ad meritum , ſufficit ad præmium , nec extra illum quidquam quæritur, quia totum in illo invenitur , quidquid deſideratur, ſemper libet eum aſpicere , ſemper habere , ſemper in illo delectari, & illo perfrui* ; Quod ſi enim ſalutem deſideratis : *Quoniam apud te eſt fons vitæ*; *Placebo Domino in regione vivorum* ; Si gaudium & omnis appetitus veſtri ſatietas delectat : *Satiabor* , dicebat David, *cum apparuerit gloria tua* ; Si Harmonia vos afficit : Angelicæ Hierarchię inceſſabili voce proclamant: *Sanctus, ſanctus, ſanctus*. Si Sapientiæ avidi eſtis : *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*. Si dominiũ & poteſtatis excellentiam ambitis: *Introibo in potentias Domini* : *Feciſti nos Deo noſtro regnum ... & regnabimus* ; Si lauta convivia deſideratis : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Si divitias quæritis , ibi omnes animarum beatarum theſauri ſimul ſunt congregati ; Si grata vobis arridet ſocietas & converſatio : Ibi converſatio noſtra ſemper & in perpetuum erit cum Angelis & Archangelis , cum thronis & dominationibus , cumque omni militia cœleſtis exercitus. Verum quidem eſt quod in Apocalypſi legamus· *Et requiem non habebant die ac nocte*; Verumtamen ex alia quoque parte verum eſt, quod animæ electæ ex hujus vitæ carcere egredienti requies his verbis ab Eccleſia denuntiari ſoleat : *Requieſcat in pace : A modo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis*.

D. Chryſoſt. T. 5. hom. de inan. glor. cupid.
S. Aug. T. 9. de trip. hab. Tr. 24. c. 3.
S. Bern. in Medit. c. 4.
Pſ. 35. v. 10.
Pſ. 114. v. 9.
Pſ. 16. v. 15.
In Præfat.
Coloſſ. 2. v. 3.
Pſ. 70. v. 16.
Apoc. 5. v. 10
Pſ. 35. v. 9.
Apoc. 4. v. 8.
Apoc. 14. v. 13.

6. Objiciet fortaſſe aliquis quod Apoſtolus gloriam cœleſtem pondus æternum appellet : *Æternum gloriæ pondus* ; Is vero qui gravi pondere onuſtus eſt , requiem habere nequit ; Sed facilis & in promptu eſt reſponſio ; nam verum hoc quidem eſt de pondere terreno, non vero de cœleſti pondere , hoc enim quidem eſt æternum pondus, ſed gloriæ. Sed dices quænam beatis eſſe poteſt requies , qui numquam quieſcunt , utpote qui *inceſſabili voce proclamant Sanctus , Sanctus , Sanctus*. Reſpondeo Beati in cœlis laudando, magnificando Deum , reddendiſque Deo gratijs & laudibus non quieſcunt.

2. Cor. 4. v. 17.

7. Quidquid mundus in ſe boni aut pulchri complectitur, brevi deficit , & finem habet, at vero David inquit: *Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum*. Quinque ſunt præcipue, ut Albertus Magnus notat , quæ animam quamdam beatam efficiunt ; *Primum ut quod vult habeat* , nam ut S. Auguſtinus, *de Beata vita*, inquit : *Miſeri ſunt, qui non habent quod volunt*. *Secundum , ut tantum bonum velint* , nam ut idem S. Auguſtinus ſcribit: *Ajunt eſſe beatos qui vivunt, ut ipſi volunt, id quidem falſum eſt, velle enim quod non decet , idipſum miſerrimum eſt. Tertium eſt, ut poteſtas ſatiandi deſiderium ſit in voluntate , plena ſatietas animorum eſt in vita beata. Quartum eſt, ut ipſum bonum ſit ſatians , ſit ſemper manſurum , ideo mundana non poſſunt facere beatum*, 1. Joan. 2. *Mundus tranſit & concupiſcentia ejus, ſed ille ſolum non tranſit , apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Quintum eſt ſecuritas non amittendi illud bonum* ; Ac proinde David de illa Jeroſolyma non terrena , ſed cœleſti ſapienter dixit : *Stantes erant pedes noſtri, in atrijs tuis Jeruſalem*.

Pſ. 29. v. 7.
Alb. Magn. in Pſal. 1. v. 1.
1. Joan. 2. v. 17.
Jacob. 1. 17.
Pſ. 121. v. 2.

8. In Apocalypſi electorum animæ inter cætera beneficia pro quibus Deo gratias & laudes referunt, hoc quoque recenſent : *Feciſti nos Deo noſtro regnum ... & regnabimus* : Sed qua ratione intelligendum eſt, quod ſe regnum Dei factos & inſuper regnaturos eſſe aſſerant : Si quis mihi diceret : Urbs Athenienſis facta eſt regnum , eritque Rex & regnabit, improprium utique hunc loquendi modum eſſe dicerem, ſiquidem non regnum , ſed Rex imperat & gubernat. Advertendum igitur eſt , quod valde differat modus loquendi cœli , à conſuetudine loquendi terræ hujus: Animæ etenim beatæ futuræ ſunt regnum , quia in illis Deus regnabit , quia Deus in illis omnes ſuas delicias, imo & centrum ſuum habet : *Et deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum* : Ac proinde in illas omnes cœleſtis Paradiſi theſauros effundet: *Erit Deus omnia in omnibus* : In hac vita Deus inter electos ſuos dona ſua diviſit : Abrahamo fidei prærogativam donavit, Jacobo in laboribus fortitudinem & conſtantiam , Jobo patientiam, Moyſi manſuetudinem, Davidi humilitatem , Eliæ legis Dei zelum , &c. *Diviſiones verò gratiarum ſunt* , inquit S. Paulus , huic enim donum Prophetiæ , alteri miraculorum donum conceſſit : *Nihil ex omni parte beatum* , quamdiu ſcilicet hæc præſens vita durabit, non vero ſic in beata & æterna vita erit : Job enim non ſolum patientiæ meritum habebit , ſed & omnium aliarum virtutum, quæ alijs mirabiliter relucent: *Erit Deus omnia in omnibus*. Quod ſi aliquis veſtrum interrogaretur , quàm velles eſſe Deo in hac vita gratus & acceptus ? Reſponderet utique quantum S. Franciſcus, vel ſimilis aliquis Sanctus : At vero quilibet beatus in cœlo non minus gratus Deo erit, quam fuerit S. Franciſcus, vel S. Dominicus , vel S. Joannes Baptiſta , vel S. Petrus, quia omnia gaudia accidentalia adeo omnibus communicabuntur , ut omnibus communia eſſe videantur. *Si ergo* , inquit ſanctus Anſelmus , *homo de tanto bono ſuo vix capiet gaudium ſuum , quo modo capax erit tot & tantorum gaudiorum*.

Apoc. 5. v. 10
Prov. 8. v. 31
1. Cor. 12. v. 4.
S. Anſelm. in proſ. c. 25.

9. Deus olim Iſraëlitas ex illo uvæ botro quem exploratores miſſi è terra promiſſionis ſecum attulerant , in cognitionem fertilitatis terræ illius devenire voluit : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Quod ſi in rudem aliquam gaudiorum cœleſtium notitiam devenire volumus , unicam tantum torrentis illius , qui Paradiſum inundabit , ſtillam in pondere ſanctuarij ponderemus. P. Franciſcus Arias ſpiritualis vitæ Magiſter eximius ſcribit, quod ſi aliquis ſanctus mille annis vixiſſet , & quolibet illorum annorum die pro Dei amore omnia paſſus fuiſſet tormenta , quibus ſancti Martyres excruciati fuerę ; ſi omnia toleraſſet ſuppliciorum genera , quibus omnes homines ad finem uſque ſæculorum fuerunt ſubjecti, & in omnium illorum millium annorum fine Deus illum in cœlum juberet aſcendere , eique faciem ſuam intuitive videndam exhiberet , eaque ipſum per unius dumtaxat Ave Maria ſpatium perfrui ſineret , fateretur utique & cum veritate ſe abundanter remuneratum , omneſque quas ſuſtinuit amaras paſſiones copioſe recompenſatas eſſe , imo majus ſe præmium accepiſſe aſſirmaret, quam

Pſ. 45. v. 5.
Pſ. 35. v. 9.
Arias p. 3. Tr. 3. c. 12.



quam umquam per illa tormenta fuiſſet promeritus. Contexatis velim longum quemdam jejuniorum, ſolitudinum, orationum , Eleëmoſynarum, auſteritatum corporalium , Martyriorum omniumque illarum Paſſionum quas paſſi ſunt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, & omnes alij à principio mundi uſque ad finem, catalogum , & haud dubie hæc omnia in comparatione unius tantum ſtillæ torrentis illius immortalis nihil eſſe dicetis. S. Paulus Apoſtolus oculatus cœlorum ſpeculator & teſtis fuit , qui proinde dixit : *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Obſervate bene verba illa, *hujus temporis*, quia ſi ab eo momento, quo tempus principium ſuum habuit , illudque à creatione hujus univerſi uſque ad noviſſimum finalis judicij diem tranſcurrendo, numeraveritis, ſi poteſtis, omnes paſſiones, quas umquam illo tempore homines ſuſtinuerunt, ex quocumque genere tormentorum , libere & abſque metu contradictionis alicujus dicere poteritis: *Non ſunt condignæ ad futuram gloriam paſſiones hujus temporis*. Unde Euſebius inquit: *Non valent vitæ præſentis obſequia æternæ vitæ gaudijs compenſari , laceſſant licet membra vigilijs, palleſcant licet jejunijs , non erunt tamen dignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam , quæ revelabitur in nobis* ; Ac tandem notabilibus hiſce verbis totum diſcurſum ſuum concludit : *Futura beatitudo acquiri poteſt, æſtimari non poteſt*. Quod ſi dixeritis etiam Sanctos quoad vixerunt in obſcuro tenebrarum ambulaſſe: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, adeoque in hac æſtimatione decipi potuiſſe , attamen certum eſt quod ejuſmodi deceptionem S. Paulus ſaltem paſſus non fuerit, qui dicit : *Veniam ad viſiones & revelationes Domini* ; *Scio hominem in Chriſto, &c. raptum uſque ad tertium cœlum* ; *Et ſcio hujuſmodi hominem, &c. quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba*. Sed quid dicam ? tametſi etiam errore deluſi fuiſſent omnes homines , non tamen Filius Dei, ſapientia Patris, qui expertiſſimus negotiator fuit errare aut decipi poterat: Hic enim *idoneus ſui operis æſtimator*, ut S. Ambroſius ait, de ſemetipſo ait: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam?* Hic inquam negotiator prudentiſſimus. *Vendidit omnia quæ habuit & emit eam* : At verò, inquies, numquid anima Chriſti à primo Conceptionis ſuæ inſtanti beata erat? Omnino talis erat, & tamen pati & dolores immenſos ſuſtinere voluit, ut corporis ſui gloriam inſuper acquirere poſſet. Si peritiſſimus aliquis gemmarius ad hoc ut adamantem aliquem ſibi comparare poſſet, omnes alias quas habet gemmas prodigeret, cunctaſque poſſeſſiones ſuas divideret , quantumvis hæ valoris & pretij inæſtimabilis eſſent, numquid gemmam illam ineffabilis & incompræhenſibilis pretij eſſe diceres ; Incarnata autem Sapientia pro gloria corporis ſui (quam ſolus ipſe condigne æſtimare poterat) dedit omnia quæ habuit, animam, carnem, ſanguinem , vitam & honorem, quia *Et cum ſceleratis reputatus eſt* , imo quidquid dolorum in paſſione ſua ſuſtinuit; Factuſque eſt adeo pauper , ut *Non habuerit , ubi caput reclinaret*. Verùm obſervandum quoque eſt , quod Chriſtus dixerit : *Et ita intrare in gloriam ſuam* : Dicere enim quis poſſet : ſi gloria hæc ſua erat , cur igitur illam emit ? imo cur illam tam caro pretio emere voluit ? Pro intelligentia ſequens ſimilitudo ſervire poterit : ſi enim nobilis quiſpiam poſtquam palatium aliquod pretio unius integri millionis emiſſet , nihilominus illud non emptum , ſed à venditore dono ſibi liberaliter datum eſſe cenſeret , utique talis æſtimationem illius palatij majori & evidentiori argumento exprimere non poſſet: Idem quoque hic in præſenti propoſito à Chriſto factum fuiſſe cogita : Gloria enim cœleſtis Chriſto tamquam unigenito & naturali Dei Filio debebatur mille titulis , & tamen illam ſibi cum tanta ſui complacentia , cariſſimo pretio emit; Scitiſne cur id fecerit ? Nimirum ut exinde cognoſceremus , quam ſit illa pretioſa & inæſtimabilis. At vero dices : Cur Chriſtus ait : *Oportuit pati?* Ergone poſſibile eſt quod Chriſtus aliquam patiendi & moriendi neceſſitatem habuerit ? Imo vero *oportet*, ſuppoſito videlicet divinæ diſpoſitionis decreto , Poterat prudens ille negotiator palatium illud , vel gemmam illam quinquaginta ſcutorum millibus emere , & tamen in illius emptionem integrum millionem exſolvit, ut hac ratione immenſum & infinitum illius valorem inſinuaret : Eodem modo poterat Salvator noſter , per unicam guttam, non jam dico ſanguinis, ſed ſudoris , imo per unicam lachrymæ ſtillam , per unicum ſuſpirium gloriam cœleſtem toti generi humano imo millenis mundis emere ; quod vero torrentem integrum ſacratiſſimi ſanguinis ſui effuderit, quod triginta trium annorum Iliadem vitæ pœnoſiſſimæ duxerit , per hoc ſignificare nobis voluit , quod gloriam in ſumma habeat æſtimatione, utpote de qua ſemper verum erit dicere: *Acquiri poteſt, æſtimari non poteſt*.

Rom. 8. v. 18
Euſ. Emiſſ. Hom. 31 ad Monach.
1. Cor. 13. v. 12.
2. Cor. 12. v. 1. 2. 3. & 4.
S. Ambr. l. 7. in Luc. c. 12.
Luc. 24. v. 26.
Matth. 13. v. 46.
Iſa. 53. v. 12.
Luc. 9. v. 58.
Luc. 24. v. 26.

10. S. Auguſtinus à S. Bernardino Tom. 1. ſerm. 62. A. 3. c. 3. citatus tametſi ad ingenerandum nobis dignum Beatitudinis conceptum præclare loquatur , nimis tamen parum dixit , dum ait : *Tanta eſt pulchritudo juſtitiæ , tanta eſt jucunditas lucis æternæ, hoc eſt, incommutabilis veritatis & ſapientiæ , ut etiamſi non liceret amplius in ea manere , quam unius diei hora, propter hoc ſolum innumerabiles anni hujus vitæ , pleni delicijs & circumfluentia bonorum temporalium rectè & meritò contemnerentur*. Tanta enim eſt æternæ beatitudinis ſuavitas & dulcedo, ut anima aliqua etiam leviter huic immerſa, nullas ſenſura eſſet pœnas infernales, licet in medio atrocitatis illarum poſita foret. Unde S. Thomas de Villanova authoritati S. Auguſtini innixus dicit : *In ea tanta eſt delectatio , quod teſte Auguſtino , ſi poſſent mali, mallent eſſe in pœnis, & Deum videre, quam eſſe extra pœnas & Deum non videre : Illa enim facies delectabiliter mirabilis eſt & plena gratiarum : itaque omnis pœna eorum citius deleretur ex intuitu faciei, quam una ſcintilla in medio maris extingueretur*. In qua etiam opinione ſunt non ſolùm Doctor Angelicus , verumetiam Seraphicus , qui verba illa : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* , adducens , ſubjungit : *Ejus viſio tam jucunda eſt , quod ſi quis in inferno exiſteret , & Deum videret , nullum omnino dolorem ſentiret , quia dolorem magnum magna delectatio abſorberet*.

S. Aug. l. de moribus.
S. Thom. Opuſc. 63. c. 3.
Luc. 10. v. 23.
S. Bonav. ſerm. 7. de Apoſt.

11. Neſcio an non vobis videbor per exaggerationem & hyperbolice loqui velle , ſi dixero , quod unica tantum torrentis illius beati qui Dei civitatem inundat , guttula , ad infernum in verum quemdam Paradiſum commutandum ſufficeret , ſi illam eo penetrare poſſe contingeret, Exemplum in Epulone habemus , qui in tormentorum abyſſo poſitus , Abrahamum ut Lazarum ad ſe mitteret , obnixe rogavit : *Ut intingat extremum digiti ſui in aquam , ut refrigeret linguam meam*. Sanctus Gregorius Nyſſenus modicam hanc adeoque limitatam & reſtrictam hujus Divitis Epulonis petitionem conſiderans , præ ſtupore & admiratione quærit , cur dives ille non petierit ut Lazarus juberetur totum brachium , vel totam manum , vel ſaltem ad minus totum digitum in beatum illud cœleſtis nectaris flumen immitteret , ut tanto copioſius reficeretur ? Cur ſolum extremum digiti ab eo intingi petit? Num forte timebat ne ſicut ipſemet petitam à Lazaro micam panis eidem negaverat ita quoque Lazarus pari cum parcitate duritiem hanc compenſaturus eſſet ? Aut fortè non audebat plus petere, remordente illum tenacitatis ſuæ conſcientia ? His adde quod experientia doceat, quod modicum aquæ in ardentes flammas conjectum, earumdem ardorem potius augeat , quam diminuat ; Unde fabris ferrarijs in more poſitum eſt, quod ad intendendum carbonum ignitorum ardorem, modico illos aquæ rore , ſeu paucis guttulis conſpergere ſoleant ; Unde dives epulo ſtillam tantum aquæ poſcendo , potius cruciatus ſui poſtulaſſe videtur augmentum quam refrigerium. Verum enimverò omne quoad difficultatem propoſitam ceſſat dubium , ſi conſideretur, quod in ſinu Abrahæ non aquæ elementares præſto fuerint , neque dives hic reprobus haſce ab Abraha ſibi manibus Lazari impertiri popoſcerit , ſed potius ſtillam aliquam illius nectaris & ambroſiæ, quæ in cœleſti Paradiſo ubertim manare noſcitur. Unde Greg. Nyſſenus ait : *Guttam aliquam ex pelago bonorum , quibus ſancti affluunt & abundant ad ſui gloriam , deſiderat*. Similiter D. Chryſologus dicit : *Sitit itaque guttam , qui vini lacus , cum pauper ſitiret, effudit , & ſtilla digiti extremi, credit gehennæ flammas extinguere*. Satis enim ſibi perſuaſum habebat , firmiterque credebat, quod vel unica tantum guttula fluminis illius de quo dicitur : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, ad ignem inferni vel extinguendum, vel ad eumdem in Paradiſum convertendum abunde ſufficeret ; Nec profecto ſtolide ſive ſine ſufficienti rationis fundamento diſcurrebat , quia eadem, ut ita dicam, eſt proportio gloriæ ad pœnam, quæ eſt gratia ad culpam ; Unde ſicut minimus juſtificantis gratiæ gradus ad innumeras , eaſque enormiſſimas culpas delendas ſufficit , ita quoque minima ſtilla ſeu minimus gradus beatitudinis , ad pœnas & tormenta infinita deſtruenda

Luc. 16. v. 24.
S. Greg. Nyſſ. de Reſur. carn. & an.
S. Greg. Nyſſ. ibid.
D. Chryſol. ſerm. 124.
Pſ. 45. v. 5.

da ſufficiens erit. Et quidem nō ſolus Nyſſenus hanc veritatē aſſerit, ſiquidem etiam S. Auguſtinus eidem ſententię ſubſcribit, cujus hęc ſunt propriiſſima verba:

S. Aug. ſer. 8. de Transfig.

*Tanta eſt dulcedo futuræ gloriæ, quod ſi una ſtilla in infernū diſflueret, totam damnatorum amaritudinem indulcoraret.* Quid ſi una ſtilla mellis Oceano injecta, ſalſas illius aquas in nectar merum & ambroſiam converteret, quid diceres? Si igitur una gutta è cœleſti torrente decidua ad infernum in Paradiſum transmutandum ſufficit, quale erit animæ illius gaudiū, quæ in ipſo dulcedinis & ſuavitatis cœleſtis pelago largiflue natabit?

Pſ. 28. v. 10.

*Dominus diluvium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternū.*

## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Beatitudo ab omnibus miſerijs, periculis, pœnis, culpis, alijſque hujus vitæ laboribus immunis eſt; Et ideo Beati lætabuntur quod portum ſecurè teneant & evaſerint infernum.

## THEMA.

*Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apoc. 7. ℣. 17.

Matt. 5. v. 5. Apoc. 7. v. 17. & Apoc. 21. v. 4. S. Bonav. p. 3. ſtimuli am. c. 20.

1. S. Bonaventura manū Dei conſiderans qua Deus lachrymas electorum in hac valle lachrymarum effuſas (*Beati qui lugent*) ab eorum maxillis deterget, ſuper illa verba: *Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, ita ſcribit: *Felices lachrymæ quas manus conditoris abſterget.* Philoſophi naturales de monte Olympo ſcribunt, quod in ſupremo ejus vertice, qui ipſis quoque nubibus ſuperior eſt, ob miram ſitus illius eminentiam & altitudinem per totum annum nec ventorum procellæ, nec grandinis imbres, nec pluviarum undæ videantur, ſed ſumma ibi ſit aeris quies & tranquillitas, ac proinde imperturbabilem illam cœli beatorum aliqua ex parte præfigurat ſerenitatem & perpetuam quietem, de qua S. Auguſtinus ita ſcribit:

S. Aug. T. 9. Solil. c. 35.

*Ibi dolor numquam ſentitur, ibi gemitus numquam auditur, ibi triſte nihil videtur, ibi malum nullum timetur.* De eadem expreſſius Iſaiæ cap. 4. dicitur:

Iſa. 4. v. 6.

*Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluvia.*

2. Neſcio an aliquando obſervaveritis, quod S. Joannes in Apocalypſi ſupernam Jeroſolymam deſcribens, poſtquam ejus fundamenta, muros, vicos & plateas, portas denique, latitudinem & divitias ejus, & omnes alias illius partes minutim & punctualiſſime delineaſſet, ſubjunxerit:

Apocal. 21. v. 22.

*Et templum non vidi in ea.* Quod ſi divina Sapientia templum adeo ſumptuoſum in Jeroſolyma terreſtri erigi voluit, cur is de quo ſcriptum eſt:

Matth. 12. v. 42.

*Et ecce plus quam Salomon hic*, non ſimile templum in cœleſti Jeruſalem erigi diſpoſuit, maxime cum non minor in cœlis quam in terris ſit templi neceſſitas. Templa enim ad orandum & laudandum Deum eriguntur:

Pſ. 10. v. 5.

*Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus:* Ubi autem Deus ſanctius & perfectius adoratur & magnificatur, quam in cœleſti Paradiſo? Verumtamen reſponſionis loco ſervire poteſt, quod S. Joannes immediate ſubjungit:

Apocal. 21. v. 22. Did. Stell. in c. 12. Luc.

*Dominus enim Deus Omnipotens templum illius eſt & agnus;* Circa quæ verba Didacus Stella ait: *Deus eſt templum ſuorum amicorum, non eſt Sol, quia ipſe Deus qui claritas eſt infinita, eam illuminat; & lampas ardens agnus immaculatus Chriſtus: Portæ ejus ex margaritis confectæ, & numquam clauduntur, quia nullus timor inimicorum.* Quamvis & aliud ſubeſſe videatur myſterium, cur in Paradiſo cœleſti nullum ſit templum, quia ſi finis ob quem templa communiter erigi ſolent, attente conſideretur clare templa in cœleſti gloria inutilia & ſuperflua eſſe conſpicietur. Deus enim dum templum à Salomone erectum conſecraretur & dedicationis illius ageretur dies; Ad illud recurrendum eſſe dixit in cunctis occurrentibus & urgentibus neceſſitatibus, ad impetrandam peccatorum veniam & remiſſionem, ad implorandam tempore calamitatum, peſtilentiæ, bellorum, famis, & ſimilium ærumnarum divinam pietatem & clementiam: At vero in cœlis, in æterna illa beatitudine ſtatum quemdam omnium bonorum imaginabilium aggregatione perfectiſſimum poſſidebimus, ibi vitam vivemus omni ex parte beatam, ibi ab omnibus malis procul remoti, imo ipſorum percipiendorum incapaces erimus, ſive illa pœnæ ſint, ſive culpæ. Et ideo Romani quando à bellorum tumultibus liberi erant, templum Jani, quem velut Deum pacis colebant, obſerare conſueverant, per hoc inſinuare volentes, ex nunc nequaquam opus eſſe ut ad Deum pro pace & tranquillitate obtinenda funderentur preces, ſiquidem illa jam feliciſſime frui liceat.

Apoc. c. 14. v. 13. Alb. Magn. ib.

3. Albertus Magnus ſuper illum Apocalypſeos textum: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis*, &c. ita ſcribit: *Conſiſtit Beatitudo Sanctorum in duobus; in carentia mali, quod ibi inſinuatur, quia amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus; In adeptione boni, quod ibi inſinuatur: Opera enim illorum ſequuntur illos. In primo notantur tria: Primum eſt laboris modicitas: Amodo. Secundum eſt quietis infinitas: Requieſcant: Tertium ordo laboris ad quietem; à laboribus ſuis, id eſt, poſt labores ſuos; Amodo, id eſt, à præſenti tempore; Unde datur intelligi laboris modicitas*, quia Sap. 3.

Sap. 3. v. 5.

*In paucis vexati in multis bene diſponentur; Jam dicit, Spiritus, id eſt, tota Trinitas Deus, ut requieſcant requie interminabili & æterna.* Job 11.

Job 11. v. 19.

*Requieſces & non erit qui te exterreat.*

Ab omnibus malis in cœlo liberi erimus.

4. Anima quæ ab omni culpæ & pœnæ nævo purgata eſt, ad cœleſtem invitatur regiam, ut ibidem gloriæ diademate coronetur:

Cant. 4. v. 7. & 8.

*Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Circa quæ verba ſcire omnino percuperem, qualiſnam ſit hæc corona qua animæ beatæ decorabuntur, quęque ex jugis Alpium, ex nidis Leonum & montibus Pardorum contexta eſſe dicitur, cum tamen feræ iſtæ ob ſui ferociam horrificæ eſſe ſoleant: Per verba illa ſponſus cœleſtis utique aliud nihil inſinuare voluit, quam quod gemmæ quæ cœleſtis Paradiſi diademata condecorabunt, non ſint futuræ aliæ, quàm gaudium illud & cordis jubilus, quo animæ illæ vel ex eo præſertim motivo perfundentur, quod inimicorum infernalium evaſerint tyrannidem, ab aſtuti ſerpentis laqueis ſe exſolverint, atque ab hujus tam periculoſæ & lachrymabilis vitæ, periculis, miſerijs & ærumnis feliciſſimè fuerint ereptæ: *Opportune poſt triſtitiam gaudium ſubit*, inquit ſanctus Bernardus

S. Bern. ſerm. 68. in Cant.

*Poſt laborem quies, poſt naufragium portus. Placet cunctis ſecuritas, ſed ei magis qui timuit, jucunda omnibus lux, ſed evadenti de poteſtate tenebrarum jucundior, tranſiſſe de morte ad vitam vitæ gratiam duplicat.* Et quidem ſi quot mala ſint, à quibus in Cœlo liberi erimus, cognoſcere aut ſcire vultis; uno verbo ſcire ſufficiat, quod S. Auguſtinus ait:

S. Aug. in ſolil. c. 35.

*Intra in gaudium ſine triſtitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum; Ubi erit, quidquid voles, & non erit, quidquid noles.*

Præcipue à Dæmone.

5. In Exodo duos Sacræ Scripturæ textus invenio, quorum unus alteri prima facie contrarius eſſe videtur; Nam in dicti libri cap. 3. viſio illa quam Moyſes in monte Horeb habuit deſcribitur, in qua Deus Prophetæ in rubo apparens, eidem dixit:

Exod. 3. v. 5.

*Ne appropies inquit huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis;* Econtra verò in ejuſdem libri capite 12. quando idem Moyſes in procinctu erat, ut ex Ægypto in terram promiſſionis diſcederet, Deus hoc Hebræis præceptum impoſuit:

Exod. 12. v. 11.

*Calceamenta habebitis in pedibus.* Quodnam obſecro eſt hujus tantæ diſparitatis myſterium? Notandum proinde eſt, quod ipſemet Deus rationem aſſignare videatur, cur Moyſes ſe diſcalceare juſſus fuerit:

Exod. 3. v. 5.

*Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt;* Unde viſio illa Moyſis gloriam cœleſtem præfigurabat:

Exod. 3. v. 3.

*Vadam & videbo viſionem hanc magnam;* Ubinam autem vera reperitur ſanctitas? Num fortè hîc in terris? nequaquam, niſi fortè in typo quodam & figura, vera autem & perfecta Sanctitas, ſine ullo culpæ aut pœnæ nævo in Cœlo tantum eſt; Ibi ſolum

Apocal. 21. v. 27. Sap. 7. v. 26.

*Nihil coinquinatum intrabit*, Hoc propriè eſt *ſpeculum ſine macula;* Et ideò hic ſe Moyſes diſcalceare jubetur; quod pariter Joſue in ſimili quadam viſione fuit impoſitum:

Exod. 3. v. 5.

*Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Quænam verò ratio eſt, quod ſuper illa terra nudis tantum pedibus ambulare licebat, cum tamen per deſertum econtra calceati ire jubeantur? Ratio hæc eſt, quia cum deſertum vitam præfiguraret præſentem, in qua ad viventium terram peregrinando ambulamus, in quolibet ferè greſſu in ſpinam aliquam incidimus, aut tribulos, quibus pedes noſtri graviter cruentari & lædi poſſent, & ideò cum magna cautela & circumſpectione ire debemus, quod periculū in Cœlo, utpote terra ſancta ceſſat. Unde ſanctus Gaudentius ait:

S. Gaudentius.

*Calceamenta in terra ſancta decernuntur eſſe ſolvenda, in illa enim non ſunt tribuli & ſpinæ, in qua non ſunt ſcorpij & ſerpentes, quippe ibi Diabolus cum cæteris immundis ſpiritibus non accedit.*

6. San-



S. Anton. de Pad. in Dom. 4. poſt Trin.

6. Sanctus Antonius de Padua ſuper illa Jobi verba: *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*, ponderationem quamdam habet huic noſtro propoſito percommodam; Dicit enim: *Sinus eſt receptaculum aliquod & portus, & ſignificat quietem vitæ æternæ, in quem ſancti de tempeſtate hujus mundi liberati, quaſi in quiete portus recipientur;* adducitque aliam quamdam pueri alicujus ſimilitudinem, qui in ſinu Genetricis ſuæ omnem ſuam invenit conſolationem: *Vel ſicut*, inquit, *filius parvulus plorans revertitur ad ſinum matris, & ipſa blandiens ejus lachrymas tergit, ſic ſancti de hujus mundi ploratu ad ſinum gloriæ revertentur, in qua Deus abſterget omnem lachrymam.*

In cœlo nihil nos offendet.

7. Sanctus Antonius in viſione quadam aërem ubique laqueis plenum conſpexit. Talis eſt hæc vita, quæ ideò tentatio & militia appellatur. In hoc mundo enim, quæ miſerabilis quædam lachrymarum vallis eſt, quot non occurrunt nobis fortunæ, naturæ, culpæ & pœnæ peſſima offendicula, ad quæ miſerè impingimus? Non verò ſic in beata illa patria erit, de qua ſanctus Bernardus optime dicit:

S. Bern. ſerm. 32. in Cant.

*Tuta habitatio Paradiſus*, in hunc enim Cœleſtem Paradiſus tortuoſus ille coluber, nullum habere poteſt aditum, & conſequenter rebelles Angeli ſi in Cœlo manſiſſent, numquam utique prævaricati fuiſſent, quia eo

Apocal. 21. v. 27.

*Nihil coinquinatum intrabit.* Hoc namque Paradiſus cœleſtis privilegium ſemper habuit, & uſque & uſque habebit, quod ſcilicet ſit ſolius gratiæ, gloriæ, ſanctitatis & innocentiæ receptaculum. Sanctus Auguſtinus proinde ſub portus metaphora ita loquitur:

S. Auguſt. in ſolil. c. 35.

*Adhuc me ad portum felicitatis æternæ. Qui de periculo maris hujus educti ad te Deum portum tutiſſimum pervenire meruere: O verè felices qui de pelago ad littus, de exilio ad patriam, de carcere ad palatium pervenerunt, optata jam quiete beati;* Mundus enim ſive vita hæc mortalis in mari ſignificantur:

Pſ. 103. v. 25.

*Hoc mare magnum*, & quot non occurrunt in eo contrarij eventus? quot ſcopuli? quot procellæ & tempeſtates? quot fluxus & refluxus? imò in quot non incidimus ſyrenes lenocinatrices, quæ mortem nobis machinantur? at verò *Tuta habitatio Paradiſus; Ubi non erit hoſtis impugnans*, inquit idem S. Auguſtin.

S. Aug. l. 22. Civ. c. 30.

*nec ulla illecebra, ſed ſumma & certa ſecuritas, ſecura tranquillitas, & tranquilla jucunditas, jucunda felicitas.* In libris de civitate Dei, idipſum confirmat; De illa namque civitate, ejuſque prærogativis ibi ſcribens, ait: *Ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum.* B. Petrus Damianus gaudia beatorum pura futura eſſe conſiderat; cumque nulla triſtitia permixta, ſiquidem ibi perpetua quædam ſerenitas erit, perturbationum nubibus & nebulis nequaquam ſubjecta:

S. Petr. Dam. l. 7. Ep. ult. S. Bonav. p. 3. ſtim. am. c. 20. S. Aug. in Man. c. 6.

*Ubi ſic præſentibus quique gaudijs ſunt repleti, ut de futura numquam ſint adverſitate ſoliciti.* Seraphicus Doctor pariter dicit: *Ibi omnis ſecuritas, liberi erimus ab omni injuria, violentia, culpa & miſeria.* S. Auguſtinus in manuali inquit: *Nullo mortis metu anima beata afficitur, tranquilla eſt & ſecura, jam non timet hoſtem nec mortem, non eſt ibi malus, neque malitia, non eſt adverſarius & impugnans, non eſt ulla peccati illecebra, nulla eſt ibi indigentia.*

In cœlo fraus nulla.

8. Eſt & alia valde memorabilis felicitas, qua in æterna Beatitudine perfruemur. S. Thomas de Villanova ad illa verba Apocalypſeos ſe reflectens, ubi dicitur quod aurum mundum quo civitas illa cœleſtis obtegetur, ſimile futurum ſit vitro mundo, ita ſcribit:

S. Thom. de Villanov. ſer. de S. Mich.

*Civitas illa auro mundo ſimilis vitro mundo deſcribitur à Joanne, quia civium cœleſtium corda, & claritate fulgent, & puritate tranſlucent;* In hoc verò mundo aliud non videtur præterquam duplicitates animi, fictiones, hypocriſes, doli, fraudes, & deceptiones:

Pſ. 61. v. 10.

*Non ibi fraus, non hypocriſis, non dolus & ſimulata dilectio, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum, ſicut hic, ſed ibi intima cordis patent, ut ſunt.* Sanctus Auguſtinus capite 18. Meditat. inquit:

S. Auguſt. in Med. c. 18.

*Ubi veritas regnat, ibi nec fallit quiſquam, nec fallitur; Ibi ita patebunt ſingulorum ſingulis mentes, ſicut corporalibus oculis ſubjacent facies corporales.* Quam ſunt hominum promiſſiones, & ſpes humanæ fallaces?

Pſ. 145. v. 2. 2. Cor. 1. v. 18.

*Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus; Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo eſt, & non.* Unde de Dei promiſſis certi ſumus, imo longe plus conſecuturi ſumus eo quod alias ſperaveramus.

Indigentia nulla.

9. Hæc vita quam in hac miſeriarum valle agimus, quam eſt inops & egena?

S. Greg. Nyſſ. de ani. & reſur.

*Nulla eſt ibi indigentia*, inquit ſanctus Gregorius Nyſſenus, *multæ res ſunt, quarum participes ſumus, ut temporis, ut aeris, ut loci, cibique ac potus, ut tegumentorum & Solis, lucernarumque, ut aliarum rerum multarum ad uſum vitæ neceſſariarum, quarum rerum nulla Deus eſt; Beatitudo verò quæ expectatur, nullius quidem harum rerum egena eſt, omnia autem nobis, locoque omnium erit Divina Natura, ad omnem uſum, ad neceſſitatem illius vitæ ſeſe convenienter & apte impartiens.* Nulla hic inter nos Roſa reperitur, quæ ſuis non ſit circumdata ſpinis, nulla ſerenitas, quæ ſuis non offuſcetur nubibus; in Paradiſo verò cœleſti non item, quia ut ſanctus Auguſtinus ait:

S. Auguſt. in Man. c. 17.

*Quid hac vita beatius? ubi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas, ibi nemo læditur, nemo iraſcitur, nemo invidet, cupiditas nulla inardeſcet, nullum cibi deſiderium, nulla honoris aut poteſtatis pulſat ambitio, nullus ibi Diaboli metus, inſidiæ Dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors neque corporis, nec animæ, ſed immortalitatis munere jucunda vita.* Idem quoque ſanctus Doctor in Meditationibus ſuis ita ſcribit:

S. Auguſt. in Med. c. 18.

*Cujus humanæ ſubſtantiæ ad Conditoris ſui ſimilitudinem ſublimatæ, omnia bona quæ naturaliter accepta corruperat peccando, mutabuntur in melius id eſt, intellectus ſine errore, memoria ſine oblivione, cogitatio ſine pervagatione, Charitas ſine ſimulatione, ſenſus ſine offenſione, incolumitas ſine debilitatione, ſalus ſine dolore, vita ſine morte, facilitas ſine impedimento, ſaturitas ſine faſtidio.*

Triſtitia nulla.

10. Sanctus Bernardus ſerenitatem cœleſtis gloriæ adeò imperturbabilem eſſe aſſerit, ut neque à pœnarum infernalium, quas reprobi ſuſtinent, atrocitate vel minimum offuſcari poſſit:

S. Bern. de diligendo Deo in fine.

*Abſit autem*, inquit, *ut vel eos, qui ignibus æternis, cum Diabolo & Angelis ejus deputandi ſunt, plangat & defleat in illa Civitate, quàm fluminis impetus lætificat, cujus & diligit Dominus portas, ſuper omnia tabernacula Jacob, quod videlicet in tabernaculis, & ſi quando gaudet de victoria, laborat tamen in pugna, & plerumque periclitatur de vita, in illa autem patria nulla prorſus admittatur adverſitas ſive triſtitia, quemadmodum de illa canit:*

Pſ. 86. v. 7.

*ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Similiter ſanctus Auguſtinus de illa beata vita ſic ſcribit:

S. Auguſt. in Man. c. 7.

*O vita vitalis, vita ſempiterna, & ſempiternè beata! Ubi gaudium ſine mærore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, perpetuitas ſine corruptione, Beatitudo ſine calamitate;* Pſalmiſta non de Jeroſolyma terreſtri, in qua ipſe regnabat, ſed de cœleſti ita canit:

Pſ. 147. v. 12. Ibid. v. 13. & 14.

*Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Syon; Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te, qui poſuit fines tuos pacem.* Ubi ſanctus Auguſtinus ait:

S. Aug. de Civit. Dei l. 22. c. 30.

*Vera pax ibi eſt, ubi nihil adverſi, nec à ſeipſo, nec ab alio quiſquam patietur.* Angelicus Doctor pariter in quodam opuſculo ſuo, de Beatitudine inquit:

S. Thom. in opuſc. de Beatit.

*Ubi nemo turbat alium, ſed ſedebit, dicit Dominus per Iſaiam, populus meus in pulchritudine pacis, quoniam teſte* Pſalm. 147. *confortavit ſeras portarum Jeruſalem, & benedixit filijs ſuis in ea.* Et quidem merito regius Pſaltes illam Dei civitatem ad laudes concinnendas invitavit dicens:

S. Thom. de Villanova ſer. de S. Mich. Pſ. 147. v. 12. Pſ. 121. v. 4.

*Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Syon;* neque in tota illa Civitate aliud officium reperitur, niſi laus & benedictio Creatoris; *Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini*, non certè ad aliud, niſi *ad confitendum nomini Domini.* O quanta cum irreverentia hic in terris nomen Domini à mortalibus nominatur, imò maledicitur & blaſphematur?

S. Auguſt. in Med. c. 18.

*Humanorum pectorum tanta erit ibi, & tam perfecta munditia, ut habeant unde mundati Deo gratias agant, non unde offenſi antiquis ſordibus peccatorum erubeſcant.* Idem quoque ſanctus Doctor in ſoliloquijs ſuis aliàs ejuſdem cœleſtis domicilij prærogativas nobis deſcribit dicens:

S. Auguſt. in ſolil. c. 35.

*Ibi lætitia ſine triſtitia, ſalus ſine dolore, via ſine labore, lux ſine tenebris, vita ſine morte, omne bonum ſine omni malo. Ubi juventus numquam ſeneſcit, ubi vita terminum neſcit, ubi decor numquam palleſcit, ubi amor numquam tepeſcit, ubi ſanitas numquam marceſcit, ubi gaudium numquam decreſcit. Deeſt illic ignorantia*, inquit Beatus Petrus Damianus,

S. Petrus Dam. l. 7. Ep. ult.

*deeſt impoſſibilitas, quia in ſapientia, cui uniti ſunt, omnia ſciunt, in Omnipotente omnia poſſunt.*

Omnium erit malorum oblivio.

11. Conſolationem & gaudium ipſorum augebit ſecuritas, quâ ſe offenſæ Dei ſubjiciendos non eſſe certò ſciunt, ſicut nec ulli generi culpæ, ſeque omnia pericula evaſiſſe mire gaudebunt. Richardus de ſancto Victore inquit:

Rich. de S. Vict. p. 2. in Cant. c. 10. Pſ. 123. v. 5. Ibid. v. 6. Ibid. v. 7.

*Quanto reminiſcentur periculorum & miſeriæ, quam evaſerunt, tanto exultantes dicent: Torrentem pertranſivit anima noſtra aquam intolerabilem, & laudantes Deum ſubjungent: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, ſcilicet Dæmonum, de laqueo quorum venantium animæ eorum ereptæ ſunt, & contritus eſt laqueus, quia ceſſavit tenta-*

Gen. 41. v. 51.

*tentatio.* Unde quilibet Beatus dicere poterit : *Oblivіſci me fecit Deus omnium laborum meorum* ; Quando enim ad regium illum Thronum aſſumptus fuerit, omnes miſerias , ærumnas & dolores perpeſſos è memoria deponet. Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam de atrociſſimis Paſſionis ſuæ tormentis biduo ante perpeſſis

Luc. 24. v. 19

interrogatus , reſpondit : *Quæ ?* quaſi reſurrectionis ſuæ gloria omnium illorum totaliter aboleviſſet memoriam. Sanctus Paulus vix unicam beati illius torrentis Civitatem illam inundantis ſtillam deguſtarat,

2. Cor. 12. v. 2.

quando protinus dicebat : *Sive in corpore neſcio , ſive extra corpus neſcio* ; *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ.*

2. Cor. 7. v. 4

Beatorum peccata patebunt cunctis ad Dei majorem gloriam.

12. Sanctus Anſelmus dicit,quod etiam transgreſſionis noſtræ in Cœlis à nobis in memoriam revocatæ, ad majus laudandi Deum,& Divinæ miſericordiæ gratias agendi motivum deſerviunt : *Ut in laudibus illius æternaliter jucunderis , ſemper de quanta miſeria ſis erutus,ut puto,coram habebis ; cum ergo ſingulorum conſcientiæ ſingulis pateant, fateri audeò, ea quoque peccata cunctis electorum patere, pro quorum curatione tu Deo gratioſus exiſtes aſſiduè , non ad tuam confuſionem , ſed ad magnam Dei miſericordiam,cujusque glorificationem , tuamque congratulationem.*

S. Anſel. de ſimilit. c. 70.

Damnatorũ pœnæ augebunt Beatam gloriam.

13. Quæri hoc loco haud inopportunè poterit , an beati etiam aliquam habituri ſint pœnarum infernalium notitiam. Chryſoſtomus ſuper illa verba : *Chaos magnum firmatum eſt , ut hi qui volunt hinc tranſire,&c.* affirmare videtur ; Dicit enim : *Videre poſſumus, tranſire non poſſumus , nos videmus quod fugerimus , & vos videtis quid perdideritis , & noſtra gaudia cumulant veſtra tormenta , & veſtra tormenta cumulant noſtra gaudia.* Sanctus Bernardinus illa verba Pſalmi : *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam ,* huic eidem propoſito adaptat ; Dicit enim ſenſum illorum verborum eſſe : *lætabitur juſtus cum viderit vindictam ſcilicet ſuper damnatos juſtiſſime exerceri ; gaudebunt quoque quia conſpicient ſe ex Dei miſericordia à talibus tormentis liberatos,ideo exultabunt dicentes illud Propheticum ; Anima noſtra ... erepta eſt de laqueo venantium.* Dicet pariter tunc anima beata : *Niſi quia Dominus adjuvit me,paulominus habitaſſet in Inferno anima mea* ; Sic quoque in Iſaia dicitur: *Et egredientur & videbunt cadavera virorum , qui prævaricati ſunt in me.* In eamdem quoque opinionem S. Joannes concurrere videtur, qui in Apocalypſi ſcribit : *Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.*

Luc. 16. 26. D. Chryſ. Ibid. Pſ. 57. v. 11. S. Bernardin. Sen. Tr. 2. ſer. 65. A. 3. cap. 3. Pſalm. 123. v. 7. Pſ. 93. v. 17. Iſai. 66. v. 24. Apocal. 14. v. 11.

14. Verum dicet fortaſſe aliquis , quamnam intolerabilis illa puteolentia & fœtor,Paradiſo ineffabilium deliciarum loco conſolationem adferre poterit ? Verum quidem eſt quod quando Iſraëlitæ Ægyptios in mari rubro ſubmerſos , eorumque cadavera ad littus projecta & diſperſa viderunt , tametſi illa enormiter fœterent , ipſi tamen jubilantes & exultabundi dixerint : *Cantemus Domino , glorioſè enim magnificatus eſt ; Equum & aſcenſorem projecit in mare ; fortitudo mea & laus mea Dominus & factus eſt mihi in ſalutem :* Sed fœtor ille ad beatum illud viridarium,ubi omnia lilijs & roſis ſuaviſſimè fragrant pertingere non poterit : *Chaos magnum firmatum eſt* ; Dico igitur quod tametſi hoc verum ſit, attamen grata illa memoria quâ ſe in virtute gratiæ & Omnipotentis dexteræ Dei ab illa abyſſo liberatos eſſe recordabuntur , linguam eorum ad cantum, ad laudes & gratias Deo pro tanto beneficio inceſſanter reddendas ſemper faciet eſſe expeditam ; Unde ſanctus Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei capite 22. cujus hic eſt titulus : *Qualis futura ſit egreſſio Sanctorum ad videndas pœnas malorum* ; dicit : *Egredientur per ſcientiam* , & paulò poſt ſubdit : *Qui erunt in pœnis , quid agatur intus in gaudio Domini neſcient, qui verò erunt in illo gaudio , quid agatur foris in illis tenebris exterioribus , ſcient*, idque eo præcipuè fine,ut divinam pietatem perpetuò laudent & magnificent.

Exod. 15. v. 1. Ibid. v. 2. Luc. 16. v. 26 S. Aug. l. 20. de Civ. c. 22.

## DISCURSUS XVI.
## ARGUMENTUM.

De gaudiorum , quibus Beati fruentur , ſtabilitate, quippe quæ numquam deficient , cum bona hujus vitæ ècontra continuæ mutationi ſint obnoxia

### THEMA.

*Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum.* Pſalm. 29. ℣. 7.

Beatitudo ſtabilis.

1. REgius Propheta cœleſtis Jeroſolymæ gloriam , cum Jeroſolyma illa in qua ipſe velut Rex gubernabat , collatam contemplans in ſpiritu abſorptus dixit : *Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.* Quaſi dicere vellet : Magnificentia , Regna & diademata mundi hujus citò tranſeunt ; cœleſtis gloria autem ſtabilis eſt ; *Quia in illa Beatitudine*, ut ſanctus Auguſtinus ait : *quod ſemel adipiſcetur, ſemper tenetur.* Idem quoque ſanctus Doctor alibi, in Meditationibus ſuis differentiam,quæ verſatur inter bona quæ Deus in hac vita tribuit , & inter illa quæ largitur in altera , his verbis aſſignat : *Quæ dat in præſenti temporalia ſunt , quæ autem in futuro ſæculo ſe promittit ſuis daturum, æterna ſunt. Temporalia bona difficile acquiruntur, & acquiſita facile dilabuntur, & quæ habita ſunt , cum gravi ſolicitudine cuſtodiuntur, & cum dolore amittuntur, & amiſſa cum gravi labore recuperantur : futuri autem ſæculi bona numquam amittuntur , cum gaudio & quiete poſſidentur, cum ſemel quis acceperit, ita ſecurus erit, ſe ea numquam amiſſurum , ſicut certus eſt, vel erit, ſe numquam velle amittere.* Idque adeò verum eſt,ut nullus futurus eſſet beatus,niſi ſecurus pariter eſſet,ſe æternam felicitatem numquam poſſe in æternum amittere. Unde ſanctus Bernardinus authoritatem quamdam ſancti Auguſtini lib. 13. de Trinit. capite 8. citans dicit ; *Impoſſibile eſt aliquem eſſe beatum, niſi ſit ſecurus de ſuæ Beatitudinis perpetuitate.* Nam ut Danielis capite 7. Ubi de beato illo Regno fit mentio,ſcribitur : *Poteſtas ejus poteſtas æterna , quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur* : quæ verba ſanctus Bernardinus citans ſubjungit : *Non enim corruptibile eſt in ſe , ſeu ab intra* ; ac proinde notat , quod ſanctus Petrus Paradiſum cœleſtem *gloriam immarceſcibilem* appellarit : *Poteſtas Regni ejus eſt æterna , quia nihil habet ſupra ſe , & cui nulla poteſt fieri violentia.* Sanctus Bonaventura Cæſarium citat : & poſtquam dixiſſet : *Beatam vitam facilius eſt conſequi quam enarrare* , mox infinitorum & immortalium illorum bonorum ſtabilitatem his verbis oſtendit : *Cujus curſus ſine termino , uſus ſine faſtidio , refectio ſine cibo , ſub antiquis perpetuisque gaudijs ſemper nova jucunditas, & ſine timore amittendi continuata felicitas.*

Pſ. 29. v. 7. S. Aug. T. 9. de rect. Catech. conv. l. 20. S. Auguſt. Med. c. 16. S. Bern. T. 1. ſer. 68. A. 3. c. 3. Dan. 7. v. 14 S. Bern. ſer. in Dom. ult. poſt Epiph. c. 4. S. Bonav. in ſolil.

In primævo manens flore.

2. Sanctus Joannes ſupernam illam Jeroſolymam ſub duplici nobis ſpecie repræſentat , nimirum ſub figura quadrata, & in ſpecie Civitatis noviter ædificatæ : *Et Civitas in quadro poſita eſt :* Tota mundi hujus moles in figura ſphærica & rotunda ſubſiſtit, prout videre eſt in Mappa mundi ; Cur igitur Civitas cœleſtis Jeroſolymæ in forma adeo diverſa , quadrata videlicet conſpicitur ? Myſterium hujus ſanctus Bonaventura declarat dicens : *Quadrum figurat ſoliditatem & ſecuritatem illius Regni cœleſtis.* Sanctus Joannes in ejusdem libri capite 21. ſcribit : *Et vidi Cœlum novum ; & vidi ſanctam Civitatem Jeruſalem novam.* Quis hanc Cœli novitatem à ſancto Joanne conſpectam non admiretur vehementer : Quomodo enim cœlum novum eſſe poteſt , quod jam ante quinquies millenos & amplius annos ante tempora S. Joannis fabricatum fuerat,maxime cum cœlum inter omnia opera quæ omnipotens Dei dextra creavit, omnium ſit antiquiſſimum;ſiquidem *In principio creavit Deus cœlum.* Ad hoc poteſt reſponderi , illam rem vetuſtam eſſe & appellari , quæ poſtquam producta eſt,primitivam ſuam amittit pulchritudinem, ſive quæ à primævo ſuo flore & vigore defecit ; Cœleſtis autem Paradiſus per omnem æternitatem in primævo ſuo vigore ſemper permanſit , & porro permanebit. Hic in terris flores citò langueſcunt , non ſic flores illi qui in horto deliciarum æternalium progerminant : Quem proinde S. Petrus merito appellat : *Hæreditatem incorruptibilem , ... & immarceſcibilem conſervatam in cœlis* ; Et iterum ait : *Percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.*

Apoc. 21. v. 16. S. Bonav. in Diæt. ſal. tit. 10. c. 5. Apoc. 21. v. 2 Gen. 1. v. 1. 1. Petr. 1. v. 4 1. Petr. 5. v. 4

Beati omnes in Chriſti ſunt & manent ætate.

3. Et hæc eſt ratio,cur in cœlis quid ſit conſeneſcentia aut vetuſtas , penitus ignoretur : Unde Angeli qui ante ſexies millenos & amplius annos creati fuere , juvenes nihilominus ſemper pingi ſolent, numquam vero barbati, unde apud Iſaiam dicitur : *Non erit ibi amplius infans dierum & ſenex*,quia tametſi multi juvenes pariter & ſenes ex hac vita in æternam beatitudinem poſſidendam commigrent , mox tamen ut in eamdem recipiuntur,omnes ætatem Chriſti protinus induunt,& velut coætanei fieri videntur , ut hac ratione feliciſſimum ſtatum in omnem æternitatem firmiter ſtabiliant : *Donec occurramus omnes ... in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Iſai. 65. 20. Epheſ. 4. v 13.

Beatit. ſenectutẽ neſcit.

5. S. Marcus refert quod tres Mariæ poſtquam ad Chriſti ſepulchrum acceſſiſſent, *Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem* ; at vero dicat fortaſſe nonnemo,

Marci. 16. v. 5



nemo , numquid convenientius Angelus in ſpecie viri ſenis apparuiſſet , maximè cum illi cum matronis honeſtiſſimis tractandum eſſet ? Nequaquam , reſpondet Chryſologus,ſed ſpecies hæc juvenilis magnum in ſe continet myſterium : *viderunt juvenem , ut cernerent noſtræ Reſurrectionis ætatem ; vident juvenem, quia neſcit reſurrectio ſenectutem , neque ætates recipit æterna perfectio.*

D. Chryſol. ſer. 83.

5. Jacob Patriarcha à Pharaone , quot annos haberet, interrogatus , reſpondit : *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum.* Circa quæ verba Origenes ingenioſe obſervat , quod Spiritus Sanctus cum magna circumſpectione Patriarcham illum in hac occaſione non Iſraëlis nomine, ſed Jacobi appellarit. : *Et dixit Jacob , Jacob qui dixit ad Pharaonem,quia parvi & peſſimi ſunt dies vitæ ſuæ,quod utique numquam diceret Iſraël. Jacob* enim idem ſignificat, quod *ſupplantator* , ideoque hominem viatorem repræſentabat , qui ætatis & annorum viciſſitudinibus noſcitur eſſe ſubjectus : *Iſrael* autem idem ſignificat, quod *videns Deum*, ideoque compræhenſoris eſt ſymbolum, qui ætatis defectui minimè ſubjicitur.

Gen. 47. v. 9. Non ſubjicitur ætatis defectui. Gen. 47. v. 9.

Stabilis eſt.

6. Controvertitur inter Doctores an Beati in cœlis ſeſſuri ſint , an vero in pedes erecti ſtabunt , quia utrumque de Chriſto legimus : Dicit enim S. Marcus : *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei :* S. Stephanus autem illum in Cœlo ſtantem conſpexit : *vidit ... Jeſum ſtantem à dextris Dei :* Verumtamen convenientius dicendum videtur , quod Beati in cœlis ſedebunt,quia nomen ſeſſionis potius quam ſtationis honorem & præeminentiam denotat ; unde & beatis in Scriptura ſacra ſeſſio promittitur : *ſedebitis & vos &c.* idque in ſignum ſummi honoris qui illis in cœlo exhibebitur;ſicut enim permagni hic in terris æſtimatur, ſi ſubditus aliquis in præſentia Regum vel Imperatorum ſedere ab illis jubeatur , ita quoque Chriſtus Apoſtolis ſuis in incomparabilium meritorum ſuorum remunerationem dixit : *ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim &c.* vel etiam dicere poſſumus quod ſeſſio iſta denotet Beatitudinis electorum ſtabilitatem , æternorumque bonorum cum quiete, gaudio , ac omnimoda ſatisfactione permanentiam. Verum quidem eſt,quod de Seraphinis in Iſaia dicatur : *Seraphim ſtabant* , attamen non minus verum eſt eosdem pariter viſos fuiſſe alatos : *Sex alæ uni &c.* Quarum alarum occaſione opportune hic mihi dubium quoddam incidit à S. Bernardo propoſitum ; Ita enim ſcribit : *Ergone etiam cum hyems tranſierit, & ſedebit Rex ſuper ſolium , volandum adhuc erit & ipſis Seraphim,ut poſſint diverſis occurrere neceſſitatibus diverſorum , ab imminentibus liberare periculis, opem ferre laborantibus,in tribulatione poſitos conſolari ? Abſit ut in illo Beatitudinis regno neceſſitas , aut periculum, aut labor, aut tribulatio ſit , cui oporteat ſubvenire. Ad quid ergo tunc alæ ? Credo autem ſicut in ſtatione (ſtabant) immutabilitatem ſic & in volatu alacritatem promittit, ne videlicet inſenſibilis quædam, & quaſi lapidea ſtabilitas æſtimetur.*

Marci 16. v. 19. Act. 7. v. 55. Matth. 19. v. 28. Iſai. 6. v. 2. Ibid. S. Bern. ſer. 4. de ver. Iſai.

Proſecutio. Pſ. 29. v. 7. S. Ambroſ. in Pſal. 29.

7. S. Ambroſius ſuper illa Pſalmiſtæ verba : *Non movebor in æternum*,ita ſcribit: *Semel in patriam receptus, lubricum non debet habere veſtigium, ſed tenere ſtatus proprij firmamentum.* Hocque unicum motivum fuit , cur David Rex in ſupremo honorum,Dominiorum , theſaurorum , & triumphorum Jeroſolymitanorum culmine poſitus, numquam contentus aut quietus extiterit, ſed corde ad Jeruſalem cœleſtem converſus,& bonorum immortalium illius ſtabilem permanentiam conſiderans exclamarit : *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Jeruſalem, Jeruſalem qui ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum.* S. Bernardinus ſuper illa verba Pſalmi : *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*,inquit : *Quæ pax eſt in idipſum, id eſt immutabilis ? pax enim præſentis temporis non eſt in idipſum,quia ſæpe mutatur & variatur.*

Pſal. 121. v. 2. & 3. Pſal. 4. v. 9. S. Bernardin. T. 2. ſer. 66. A. 3. c. 2.

Iſai. 33. v. 20 Proſecutio.

8. Deus olim apud Iſaiam promiſit dicens : *oculi tui videbunt Jeruſalem habitationem opulentam , tabernaculum quod nequaquam transferri poterit , nec auferentur clavi ejus in ſempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur*, quaſi dicere vellet ; Nullum erit periculum, ob quod timeri poſſit ne hoc tabernaculum tranſportetur, quia fundamenta ejus nimis fixa & ſtabilita ſunt in æternitate ; unde S. Bonaventura ait : *Beatitudo noſtra eſt per bonorum poſſeſſorum interminabilem durationem ; ſtatus enim hic finiri poteſt,beatus non eſt, ſed miſeriæ ſubjacet,cum igitur interminabilitas non poſſit haberi , niſi à fonte immortalitatis , in eo ſolo beatificatur ; Ideo dicitur : Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te , quia erit eorum lætitia ſempiterna.* S. Bernardinus eamdem fere habet conſiderationem, dum ait : *Deum quem anima cognovit ſummum bonum, poſſidebit ſumme Charum , atque omnes alias Creaturas in Deo : Tunc profecto quælibet anima dicere poterit illud* Cant. 3. *Tenui eum nec dimittam.*

S. Bonav. proœm. in Eccleſ. Pſ. 83. v. 5. Iſai. 35. v. 10 S. Bernardin. Ibid. Cant. 3. v. 4.

Beatitudinis abundantia ac ſtabilitas.

9. His tamen quæ hactenus quoad hanc bonorum cœleſtium & immortalium permanentiam & ſtabilitatem diximus , opponi poteſt , quod ſcilicet eadem bona, nobis per modum rei alicujus tranſeuntis & fluentis , non vero ſtabiliter permanentis in Scriptura ſacra repreſententur , Dicitur enim in Pſalmo : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* ; *Torrente voluptatis tuæ potabis eos* ; Et in Apocalypſi dicitur : *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ.* Sed facilis eſt reſponſio ſi conſideretur , quod in illis locis fluminis & torrentis nomine gaudiorum & delectationum beatarum deſcribatur abundantia : *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam Gentium* ; quamvis & notandum ſit , quod in illo textu Apocalypſeos dicatur: *Et oſtendit mihi fluviũ aquæ vitæ , ſplendidum tamquam cryſtallum :* in cryſtallò claritas eſt ſimul & firmitas : In flumine igitur immortalium bonorum denotatur abundantia , ſtabilitas autem in cryſtallo.

Pſ. 45. v. 5. Pſ. 35. v. 9. Apoc. 22. v. 1 Iſai. 66. v. 12 Apoc. 22. v. 1.

10. Fieri nequit,ut ſine admiratione quis legat,quod ex ſpeciali impulſu Spiritus Sancti S. Lucas dicit,dum S. Petrum de ignorantia notare non veretur : Dum enim S. Petrus divini Magiſtri ſui admirabilem transfigurationem & gloriam conſpexiſſet , dixiſſetque : *Bonum eſt nos hic eſſe ; & faciamus tria tabernacula* ; ſubdit Evangeliſta , quod S. Petrus id locutus fuerit, *neſciens quid diceret.* Sed quomodò de S. Petro dici poteſt , quod neſcierit quid diceret , quando illum claves ſcientiæ & ſapientiæ divinæ habuiſſe conſtat , qui proinde è cathedra ſua in finem uſque ſæculorum univerſam Eccleſiam de veritatibus fidei erudire & docere debebat ? S. Antonius de Padua errorem S. Petri in eo ſteriſſe dicit ; *Quia tabernaculum eſt manſio tranſmutabilis , firmam autem habitationem Deo facere oportet , Deo autem competit æterna.* Dicendum igitur , quod ideo S. Petrus *neſciebat quid diceret* , quia quando de gloria cœleſti agebatur , ipſe de tabernaculis conſtruendis ſolicitus erat , quæ ex uno loco moventur ad alium ; Longe aliam in hac materia mentem habebat illa à Deo dilecta & prælecta anima , quæ dicebat : *Tigna domorum noſtrarum Cedrina, laquearia noſtra Cypreſſina.* Tabernacula extemporanea quædam ſunt tentoria,quæ faciliter & velociter diſſolvuntur , cum tamen ècontra tentoria & tabernacula cœleſtia trabibus innitantur Cypreſſinis & Cedrinis incorruptibilibus , nec tinearum corroſioni ſubjectis.

Luc. 9. v. 33. S. Anton. de Pad. in Dom. 2. Quadr. Cant. 1. v. 16

Beati de ſtatu gratiæ ſecuri.

11. Una ex majoribus hujus præſentis vitæ miſerijs hæc eſt,quod ſcilicet quamdiu in hoc mortali corpore vivimus de ſtatu gratiæ ſecuri eſſe nequeamus ; Unde Apoſtolus monet dicens : *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat* ; Quamdiu enim quis viator eſt , ſecurus eſſe nequit,quia ſemper à recta via & ſemita declinare poteſt , non vero ſic erit nobiſcum poſtquam in patria appulerimus:Ibi enim quilibet beatus ſecure dicere poteſt : *Non movebor in æternum :* in præſenti autem vita valet monitum illud Apoſtoli : *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* D. Chryſol. ſuper illa ſymboli verba : *Aſcendit in cœlos* , dicit : *Aſcendit,non ut ſe referret in cœlum, qui ſemper manſit in cœlo, ſed ut te perferret,quem taliter vinctum abſolvit, & ſubtraxit inferno ; Intellige unde & ubi homo per Deum ſit levatus , ut eſſes in cœleſtibus ſtabilis, qui eras lubricus.*

1. Cor. 10. v. 12. Pſ. 29. v. 7. Phil. 2. v. 12. D. Chryſol. ſer. 57.

Similitudo.

12. De Corallo naturales Philoſophi ſcribunt,quod quamdiu eſt in mari poſitus , unde ſuum trahit originem,arbuſtulum ſit tenerum,flexibile,ac facile frangatur ; Cum tamen mox ut è mari foras extrahitur, inſtar lapidis ſolidetur & indureſcat , nec amplius flecti ſe patiatur,colorem quoque viridem pallidiuſculum,in rubicundum protinus tranſmutet : eodem quoque modo de nobis loqui poſſumus quamdiu enim in mari hujus mundi conſtituti ſumus, continuis lapſibus,iisque periculoſis ſubjicimur , continuam contra noſmeipſos luctam experimur & prævaricari facile poſſumus : At vero ex hujus maris undis extracti , & in aliam vitam tranſlati, in amore Dei ſolidi & conſtantes efficimur , atque in Beatitudine immutabilem quemdam ſtatum nobis comparamus. Unde S. Bonaventura ait : *De hujus regni & convivij æternitate dicit Auguſtinus : O vita vitalis , dulcis , & amabilis , ubi ſumma ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas , felix æternitas, æterna beatitudo, & beata vita ſine fine* , quæ omnia

S. Bonav. Tr. 6. de 7. donis Spir. Sanct. c. 11.

omnia deſumpta ſunt ex S. Auguſtino in ejus Meditationibus, ubi ſubjungit : *Ubi amor eſt perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & unus omnium Spiritus de contemplatione Dei ſui, ac de ſua cum illo permanſione ſecurus*; Et paulò poſt, inquit : *Ubi beatus nullus ejicitur; ubi nullus miſer admittitur.*

*S. Aug. in Med. c. 16.*

13. Inter alias hujus miſerabilis vitæ noſtræ miſerias, quas S. Job deplorat, una hæc eſt: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſerijs; Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.* Continuam namque in ætate, in vultu, in valetudine, in alijs naturæ & fortunæ bonis inſtabilitatem & mutationem hic in terris cernimus. Unde S. Anſelmus ait : *In hac vita nihil quis poteſt habere, unde ſecurus valeat eſſe; ſub eodem enim momento pauper ex divite, mortuus ex vivo poteſt exiſtere*; Econtra vero de anima beata idem ſcribit : *Quidquid voluerit habebit, & nihil ex eo ſe amiſſurum timebit.* Hanc quoque mutabilitatem D. Chryſoſtomus his verbis conſiderat : *Velut ſomnium ſunt omnia ſenſibilia, & generationi ſuppoſita ſunt & corruptioni, licet enim corporis fortitudinem habeamus, ipſam dejicit ægritudo, lætitiam excipit tribulatio, pulchritudini ſuccedit ſenectus : Si menſa lauta fruamur, ſuperveniens veſper voluptatem diſſolvit, & præſentia ſunt aranea imbecilliora, & ſomnijs fallaciora.*

*Job. 14. v. 1. v. 2.* — Nulli mutationi ſubjecti. — *S. Anſelm. l. de ſimil. c. 69* — *D. Chryſ. T. 1. h. 77.*

14. Nihil adeo mortales ambire ſolent, quam Regna & Sceptra eo quod Reges in ſupremo humanæ felicitatis imaginabilis apice collocati eſſe creduntur; at vero quænam eſt hic in terris quantumvis potens & formidabilis Monarchia, quæ in temporis procinctu non vacillaverit ? Soli cœlorum Regno hanc Deus prærogativam reſervavit, quod ſtabile ſit & immobile, nullique mutationi, niſi quæ ad melius eſſe contendit, ſubjectum : *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Hoc motivo tot Reges moti fuere, ut regnis & coronis ſuis ſpretis & poſthabitis, vivos ſeni arctis regularis vitæ clauſtris ſepelierint & ſceptrorum loco arreptis diſciplinis in carnem propriam ſævierint. Sanctiſſimus ille Rex Franciæ Ludovicus IX. Emblema ſibi formaverat, quod ſemper ob oculos poſitum ſpeculabatur, coronam videlicet in aëre ſuſpenſam & ad cœlos elevatam, cum hoc ſubjecto ſymbolo ſeu Epigraphe : *Volo ſolidum, perenne.* Princeps quidam potentiſſimus à quodam ſibi unice charo interrogatus, an in hac dignitate, in qua plane independens erat à quovis alio, ad cujus oris imperium populus obediebat, contentus viveret, adeoque nihil ulterius deſideraret ? Reſpondit ſe ad quietis animi ſui complementum aliud nihil deſiderare, nec ulla re indigere, quam clavo quodam, cumque circumſtantes hoc Principis dictum admirabundi exciperent, reſponſi hujus illis mox declaravit myſterium, videlicet eo fine ſibi neceſſarium eſſe clavum, ut illo fortunæ rotam, ne deinceps volvatur, & invertatur, figere & ſtabiliter ſiſtere poſſet; Et vere ita eſt, nam felicitas terrena, quantumvis excellens ſit & magna, inſtabilis eſt, & defectibilis, & finem habet. De S. Hermenegildo Hiſpaniarum Rege S. Gregorius Papa ſcribit : *Capit itaque Hermenegildus Rex juvenis terrenum regnum deſpicere, & forti deſiderio cæleſte quærere*; Sed quodnam erat hujus tam heroici contemptus motivum ? *Tantoque ſublimius gloriam tranſeuntis mundi deſpicere, quanto & religatus agnoverat nihil fuiſſe quod potuerit auferri.*

Felicitas terrena inſtabilis ſecus cœleſtis. — *Pſal. 144. v. 13.* — *S. Greg. l. 5. Dial. c. 31.*

15. Omnes in cœlo rutilantes ſtellæ ſimul cum primo mobili cōtinuo ab Occidente moventur ad Orientem, ſola excepta ſtella polari, quæ numquam abſconditur, nec umquam ab oculis noſtris diſparet, licet aliæ ſuas habeant in aſcenſu & deſcenſu, in ortu & occaſu viciſſitudines. Similis quoque eſt ſceptrorum regnorum cunctarumque aliarum felicitatum terrenarum periodus; Floret enim hoc ſæculo hic vel ille Principatus, qui tamen in ſequenti ſæculo iterum miſere ſuccumbet; Hodie regnum illud floridum eſt & in ſumma proſperitate conſtitutum, quod tamen paucis poſt diebus diſſipatum videbis & miſere deſtructum; Non vere res ita ſe habet in regno cœlorum : ſiquidem nullus umquam erit qui coronam & diadema gloriæ ab eorum vertice eripere poſſit : *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum : In æternum exultabunt, & habitabis in eis, & gloriabuntur in te.* Pſal. 5. ℣. 12.

Proſecutio. — *Pſalm. 144. v. 13.* — *Pſ. 5. v. 12.*

16. Apoſtolus cœleſtem gloriam *Æternum gloriæ pondus* quoddam appellat : *Supra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operans in nobis.* Quis hic non miretur quod Apoſtolus Beatitudinem pondus appellare non dubitet, cum tamen inſeparabilis illa ſit ponderis proprietas, quod aggravare & deprimere ſoleat : *Semper enim*, inquit Job dolens *Quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* Reſpondet Theophylactus, Apoſtolum hyperbolico hoc loquendi modo gloriæ nobis explicare voluiſſe immenſitatem : *Gloria æterna eſt, & pondus habet, hoc eſt, magnitudinem excellenter excellentem, hoc enim eſt quod ait per hyperbolen ad hyperbolen* : Sic enim qui ad ſolium Imperiale, vel ad thronum Pontificium evectus eſt, lamentari ſolet, dicendo Magnum humeris meis pondus & onus impoſitum fuit, non obſtante quod ad ſummum & deſideratiſſimum terrenæ felicitatis culmen aſcenderit. Eodem modo Hugo Cardinalis inquit : *Pondus gloriæ hoc dicit, quia in ſe tanta eſt, quod homo in ſe eam ſuſtinere non poſſet, niſi Domino favente; In lumine tuo videbimus lumen.* Gloſſa autem alium modum nomen hoc explicandi ingreditur, quia dicit Apoſtolum illis verbis ad invicem opponere voluiſſe infelicitates quas Beati evaſerunt, & gaudia cœleſti in quorum ſunt poſſeſſionem ingreſſi : *Quod momentaneum & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur.* Illi enim quod in hac vita momentaneum eſt, correſpondet æternum, ei quod inconſtans eſt leve, quodque inſtar folij cujuſdam cito moventur, pondus correſpondet, quod immobilitatem quamdam ſecum ſubinfert, denique tribulationi correſpondet gloria. Cajetanus aliam reddit rationem dicens : *Quemadmodum leve vocat quod parvi penditur, ita pondus appellat, quod magni penditur* : Lyranus ſimiliter dicit, vocatur *pondus ratione pretioſitatis.* Cajetanus vero inſuper dicit, quod ſicut res aliqua inconſtans & facile mobilis levis appellatur, ita ponderis nomine res aliqua ſtabilis & immobilis vocari ſoleat, & talis eſt gloria Paradiſi, quæ permanens eſt & perpetua, nullique mutabilitati ſubjecta. Lyranus ait : *Pondus gloriæ quietat appetitum totaliter in Deo, ſicut pondus quietat grave in centro*; Sicut enim centrum eſt immobile, ita & beatitudo, quæ centrum eſt animæ (*creaſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*) ſtabilis eſt & fixa : *Ego dixi in abundantia mea; Non movebor in æternum.*

*2. Cor. 4. v. 17.* — Beatitudo nulli mutabilitati ſubjecta. — *Job 31. v. 23* — *Theophyl. l. 2. c. 4.* — *Hug. Card. ibid.* — *Pſ. 35. v. 10.* — *Gloſſ. ord. ibid.* — *Cajetanus.* — *Lyranus.* — *Lyranus.* — *Pſ. 29. v. 7.*

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

### Oculi noſtri in cœlum à nobis dirigendi ſunt, ſi bona terrena contemnere velimus.

### THEMA.

*Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* Eccleſ. cap. 10. ℣. 2.

1. QUod ſi quis Anatomiſtas de hac Eccleſiaſtis propoſitione, ejuſque veritate conſuleret, miraretur utique quod vir aliquis adeo ſapiens, qualis Salomon fuit, aſſerere non dubitet, quod cor ſapientis in dextera conſiſtat, ſtultus vero cor ſuum in ſiniſtra corporis parte habeat, quis enim eſt qui eamdem in omnibus corporibus humanis ſymmetriam & architecturam inveniri neſciat ? Et ideo pro hujus loci myſteriorumque ejus intelligentia, non ad Anatomiſtas naturæ, ſed ad anatomiſtas gratiæ hoc eſt myſteria ſpiritualia recurrendum eſt. S. Antonius de Padua in quodam ſerm. ſuo dicit : *Cor ſapientis in dextera ejus, id eſt, in æternis, cor ſtulti in ſiniſtra illius, id eſt, in bonis tranſitorijs.*

Cor ſtulti in bonis tranſitorijs. — *S. Ant. de Pad. ſer. in Fer. 4. Cin.*

2. Quando Redemptor noſter poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis ad mare Tyberiadis, ubi piſcationi operam dabant, apparuit, ad dexteram navigij illos retia ſua ejicere juſſit, de bona illos piſcatione faciens eſſe ſecuros : *Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis* : Quodnam obſecro huic Chriſti juſſui ſubeſt myſterium, quod in dextero potius, quam ſiniſtro navigij latere, major reperienda dicatur piſcium quantitas ? Et vere ita factum eſt, *Et jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.* Enimvero ſub hiſtoriæ illius litera ſequens latet myſterium; Per piſcationem enim prædicatio figurabatur Evangelij : *Faciam vos fieri piſcatores hominum*; Per dexteram æterna Beatitudo denotabatur : *Delectationes in dextera tua uſque in finem*; Dum igitur Chriſtus dicit : *Mittite in dexteram navigij rete*, prædicatores Apoſtolicos, qualiter ſe in procurando animarum lucro gerere debeant, monere voluit, nimirum ut prædicationis ſuæ retia ad dexteram protendere ſatagant, id eſt, gloriam & beatitudinem Paradiſi auditoribus ſuis frequenter inculcent, ſic enim eximium animarum fructum ſperare poterunt.

Prædicatores de Beat. prædicent ſæpius. — *Joan. 21. v. 6.* — *Joan. 21. 6.* — *Matth. 4. v. 19.* — *Pſ. 15. v. 11.* — *Joan. 21. 6.*

3. Eiſdem



3. Eiſdem quoque Apoſtolis Salvator noſter in S. Matthæo hanc ſimilitudinem propoſuit, dicens : *Omnis Scriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini Patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis per hunc Scribam Prædicatorem Evangelicum interpretatur, per Regnum cœlorum vero Eccleſiam, per theſaurum denique Chriſti ſcientiam & doctrinam : *De theſauro, de ſcientia ſua, theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis, profert nova & vetera.* Prædicator itaque Evangelicus omne ſtudium, facundiam & efficaciam ſuam ad pœnas infernales, & Paradiſi gloriam inculcandas adhibere debet, quia juxta eumdem Hugonem *per nova & vetera, promiſſa & minæ intelliguntur.*

Proſecutio. — *Matth. 13. v. 52.* — *Hug. Card. Ibid.* — *Prov. 21. v. 20.*

4. In Apocalypſi inquit S. Joannes : *Procedebant fulgura, & voces & tonitrua* : Sed undenam hæc fulgura, & voces & tonitrua homines perterrentia proceſſiſſe exiſtimas ? *De throno.* Quando enim Chriſtus vel in throno Majeſtatis, vel ad dexteram Patris glorioſus ſedens, vel tamquam liberaliſſimus electarum animarum remunerator, aut vero ut implacabilis quidam Judex Chriſtiano auditorio ſerio proponitur; jam prædicator auditorium animas valido quaſi tonitrui ictu percutiens glorioſe triumphat. Sanctus Gregorius ſuper eadem verba Chriſti Matth. 13. diu ante Hugonem Cardinalem ita ſcripſit : *Intelligi valet, quia non de his qui fuerant, ſed de his qui eſſe in Eccleſia poterant, loquebatur, qui tunc nova & vetera proferunt, cum utriuſque teſtamenti prædicamento vocibus & moribus loquuntur.* Demũ vero ad noſtrum propoſitum deſcendens prædicta Chriſti verba alio quodam ſenſu, jam dictis conformi exponit dicens : *Vetuſtum humani generis fuit, ad inferni clauſtra deſcendere, pro peccatis ſuis æterna ſupplicia tolerare, cui per mediatoris adventum novum aliquid acceſſit, ut ſi hic recte ſtudeat vivere, cœlorum regna valeat penetrare* : Ac tandem per notabilem quamdam ſententiam omnium Prædicatorum Evangelicorum cordibus merito inſculpendam concludit dicens : *Ille in ſancta Eccleſia doctus Prædicator eſt, qui & nova ſcit proferre de ſuavitate Regni, & vetuſta dicere de terrore ſupplicij, ut vel ſupplicia terreant, quos præmia non invitant.* Notandum vero eſt, quod Salvator noſter prius dicat *Nova*, & poſtea ſecundo loco ſubdit *Vetera*, ut ſciamus quod multo majus malum ſit privari gloria, quam ad infernum condemnari: ita enim ad noſtram doctrinam D. Chryſoſtomus optime notat, dum ait : *Sunt quidem abſurdi judicij, qui dumtaxat amant, effugiſſe gehennam, contra ego multo durius eſſe tormentum quoddam aſſero, quam gehenna eſt, hoc eſt, non aſſecutum eſſe tantam gloriam, & illinc elapſum eſſe, nec opinor quidem tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quam neceſſum eſt caſum deplorare, quod de cœlis excidimus, qui eſt nimirum cruciatus omnium duriſſimus.*

*Apocal. 4. v. 5.* — *Ibid.* — Proſecutio. — *S. Greg. h. 11 in Evang.* — *D. Chryſ. T. 4. ad Theod. Lapſ.*

5. Verumenimvero ut ad diſcurſum noſtrum quoad dexteram denuo redeamus, una mecum velim ad verba illa è ſacris Canticis deprompta vos reflectatis, quibus anima electa cœleſti ſponſo ſuo dicit : *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me* : in his namque verbis dexteram ſub capite poſitam, dexteram vero ſponſam blande amplexantem invenimus; Et quidem notandum, quod dicat *ſub capite*, non verò *ſupra caput*, adeoque manum ſuam abſcondat & occultet : quidnam in eo latet myſterij ? S. Gregorius ait : *Per lævam ſponſi vita præſens, per dexteram vero vita æterna deſignatur; per caput autem ſponſæ, mens, quæ animæ principatur, aſſumitur, ſed læva ſponſi ſub capite ſponſæ eſſe dicitur, & dextera ejus amplexatur eam, quia vitam temporalem ſub mente ſua ſemper ponit, vitam vero æternam, ut omnimodò amplexetur, concupiſcet : Hæc quippe quæ videt, magnanimiter mente ſublimi conculcat, officijs cæleſtibus ſeſe occupat, hæc neceſſitate tolerat, ad illa ſummo deſiderio, quaſi brachio dextero ſponſi adſtricta ſuſpirat.*

*Cant. 2. v. 6.* — *S. Greg. ibid.*

6. In S. Matthæo Magiſter noſter cœleſtis dicit : *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te, bonum tibi eſt, cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* At vero dic ſodes, numquid Beatitudo in viſione Dei conſiſtit ? Quod ſi ita eſt, igitur non ſolum duos oculos habere, ſed plane Argum eſſe expedientius eſt : Cur igitur Salvator noſter unum oculum eruere & abjicere ſuadet ? Et quiſnam oculus ille projiciendus erit ? Num forte dexter ? Nequaquam, ſed ſiniſter, id eſt amor bonorum terrenorum, & vehemens ad illa affectus, quia cœlum nemo acquirere valebit, qui terram dilexerit, non vero calcaverit.

Terrena projicienda. — *Matt. 18. v. 9*

7. Richardi de S. Victore nobilis illa doctrina eſt, quod videlicet contemptus bonorum terrenorum in nobis augeatur juxta proportionem, notitiæ quam de bonis cœleſtibus habemus : *Quantum*, inquit, *æterna cognoſcimus, tantum tranſitoria deſpicimus, & damnamus, hæc eſt enim illa pretioſa margarita, quam qui invenit, quæ prius amaverat, libenter cuncta derelinquit.* Ad illa quoque Canticorum verba : *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris ?* Seſe reflectens, quidnam per myrrham, quid vero per thus intelligendum ſit pariter exponit dicens : *Myrrham cremat anima, cum terrenas delectationes contemnit, thus vero cum ſuperna deſiderat, & quærit.* Zachæus bonis temporalibus toto corde ſuo, & ad gulam uſque immerſus, notitiam aliquam Filij Dei habere deſiderabat : *Hic Princeps erat Publicanorum, & ipſe dives, & quærebat videre Jeſus quis eſſet;* Sed quonam tandem modo ad Chriſti notitiam & agnitionem pervenit ? *Præcurrens aſcendit in arborem Sycomorum, ut videret eum*; Moxque ut ſe à terra elevavit, Filium Dei videre & agnoſcere meruit : *Suſpiciens Jeſus vidit illum, & dixit ad eum : Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere*; Ubi S. Ambroſius ait : *Nemo facile Jeſum videt, nemo poteſt Jeſum videre conſtitutus in terra.* Poſtquam vero Jeſum intra domus ſuæ hoſpitium accepit, mox omnes theſauros ſuos mente ſua deſpexit, & deſeruit.

*Richard. de S. Vict. p. 2. in Cant. c. 9.* — *Cant. 3. v. 6.* — Zachæus Chriſtum vidit poſtquam à terra ſe elevavit. — *Luc. 19. v. 2.* — *Ibid. v. 4.* — *Ibid. v. 5.* — *S. Ambr. ibid.*

8. In Apocalypſi admirabilis illa viſio his verbis ex parte refertur : *Et ſignum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus.* Quando enim oculus animæ, id eſt, mens & intellectus noſter in cœli gloriam defigitur, jam omnis hujus vitæ felicitas deſpicitur, Luna pedibus ſubſternitur, omnis denique mundi vanitas velut lutum contemnitur : *Luna ſub pedibus ejus.*

Ubi mentis oculus in cœlũ defigitur, terra deſpicitur. — *Apoc. 12. v. 1*

9. David nobis cœlum per montis cujuſdam eminentiam affabrè delineat, dum ait : *Quis aſcendet in montem Domini ?* Ac proinde S. Valerian. in Homilia quæ *De arcta & anguſta via* intitulatur, dicit : *Liberum & exutum omnibus impedimentis illum eſſe convenit, qui iter ardui montis aggreditur; exonerandum corpus eſt ſæcularibus deſiderijs impeditum.*

*Pſalm. 23. 3.* — *S. Valer. hom. 2.*

10. Certiſſimum eſt quod cœna illa magna, cujus apud S. Lucam fit mentio, expreſſa ſit æternæ beatitudinis figura; Unde Lucas Burgenſis ait : *Convivium vocat, quia mentes hominum dulciſſima Dei viſione ſatiabit; Cœnam autem potius quam prandium, quia in fine vitæ ſic exhibebitur, ut nulla alia refectio ſit eam ſatiatura* : Sed quidnam in eo eſt myſterij, quod ad hanc cœnam convivæ tales advocentur, qui velut otioſi juxta ſepes, aut in vijs publicis divagabantur ? *Exi in vias & ſepes & compelle intrare*; S. Ambroſius ait : *Quod hi videlicet apti ſint regno cælorum, qui nullis præſentium cupiditatibus occupati ad futura feſtinent.*

Terrena deponant qui ad futura feſtinant. — *Luc. Burg. ibid.* — *Luc. 14. v. 23* — *S. Ambr. in Luc. c. 15.*

11. Deus olim Moyſi ſervo ſuo divinam faciem ſuam, quæ præcipuum eſt Beatitudinis objectum, videre deſideranti, reſpondit : *Non poteris videre faciem meam*, & protinus rationem ſubjungit dicens : *Non enim videbit me homo*; Sed numquid plurimi ſunt in cœlo homines qui Deum facie ad faciem vident ? Aut vero ſoli forſitan Angeli viſione Dei fruuntur ? Pro intelligentia notandum, quod non ſine myſterio dicatur : *Non enim videbit me homo*, quia quoaduſque homines ſumus, id eſt, hoc corporis luto veſtiti, vel ut melius dicam, huic terræ (quia homo ſuam à terra derivationem habet, Homo ab humo) affixi fuerimus, ad cœlum aſcendere minime valebimus.

Homo ut homo Deum non videbit. — *Exod. 33. v. 20.* — *Ibid. v. 20.*

12. Quando Moyſes rubo ardenti, in quo Deus erat, qui *ignis conſumens eſt*, appropinquare voluit, vocem quamdam audivit ſibi dicentem : *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Ubi S. Ambroſius ait : *Illud utique calceamentum, quod ex Ægypto detulerat; Nondum ei dictum erat : Faciam te in Deum Regis Pharaoni, adhuc homo erat, proceſſu ei debebatur, ut in Deum fieret, & ideo dictum eſt ei : Solve calceamentum; De homine dixit.* D. Chryſologus egregie ad hoc propoſitum ita ſcribit : *Homo ex terrena vilitate concretus, dum terrenam labem vincit, dum ſanguinis ſtimulos frangit, dum carnis exſuperat paſſiones, tranſcendit cælum, ad ipſam Deitatis pervolat ſedem.* Quodnam in conceptu S. Paulus mundum habebat ? In eo nimirum, ut diceret : *Mihi mundus crucifixus eſt, omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora.* Ac proinde nil mirum, quod etiamnum vivens ad cœleſtem raptus fuerit Paradiſum. Unde idem D. Chryſologus de eodem ſancto Apoſtolo ita ſcribit : *Dum terram vincit, intravit cælum, & tranſivit alium, & uſque ad tertium meruit pervenire; & juſte, nam prius conſcendere debet cælos, qui ſic & verbo*

*Deut. 4. v. 24.* — *Exod. 3. v. 5.* — *S. Ambr. in Pſal. 118. cit. 8.* — *Exod. 7. v. 1.* — *D. Chryſol. ſer. 120.* — Terram qui vicerit cœlũ intrabit — *Galat. 6. v. 14.* — *Philip. 3. v. 8.* — *D. Chryſol.*

&

*& exemplo homines penetrare docuit cælos : Erit, erit major cælo, qui vixerit ſicut docuit Paulus.*

Luc. 13. v. 11

13. De miſerabili illa & incurvata muliere dicitur : *Et erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere*; Ubi S. Gregorius in ſenſum morali ita inquit : *Omnis peccator terrena cogitans, cæleſtia non requirens, ſurſum reſpicere non valet, quia dum deſideria inferiora ſequitur, à mentis ſuæ rectitudine curvatur.* Speciali Dei aſſiſtentia & directione nobis opus eſt, ut in hoc itinere non deviemus; Unde ſancta mater Eccleſia in collecta ſive oratione quadam ita nos orare docet : *Multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Contemplationem cæleſtium perdens*, inquit S. Gregorius Magnus, *ſi ſola carnis neceſſaria homo cogitaret, incurvatus & humiliatus eſſet ; ſed tamen uſquequaque non eſſet*, idque dicit occaſione verborum illorum Pſalmiſtæ dicentis : *Humiliatus ſum uſquequaque Domine. Quem ergo à ſupernis cogitationibus non ſolùm neceſſitas dejicit, non ſolùm incurvatus, ſed uſquequaque incurvatus eſt*; & paulò poſt ſubjungit : *Terram ſemper intuetur qui curvus eſt, & quo præmio ſit redemptus non meminit, qui ima quærit.*

S. Greg. hom. 31. in Evang. — Orat. Dom. 3. poſt Penth. — Pſalm. 118. v. 107.

Oculi à terrenis puri Deum videbunt.

14. Quando oculus noſter purus eſt, viſum habet acutiorem, ſed minimus quiſquis pulveris nævus viſum noſtrum offuſcat & turbat : Eodem modo quanto anima aliqua à terrenarum rerum affectibus purior eſt, easque magis contemnit, tanto conſtantius oculum mentis in viſione beatifica exacuit; econtra vero terrenarum rerum pulvis, intellectum noſtrum adeo obtenebrat, ut in Deum defigi nequaquam poſſit. S. Antonius de Padua proinde dicit : *Beati oculi mundi corde, qui vident Jeſum Chriſtum.* Unde Job 42. *Nunc autem oculus meus vidit te: Beati oculi quos ſtercus divitiarum non excæcat, nec lippitudo ſolicitudinum obnubilat, quia ipſi vident Dei Filium involutum panniculo, reclinatum in præſepio.* In Nativitate Chriſti apertum eſt cœlum, quando Angeli cœleſtem illam hymnodiam : *Gloria in altiſſimis Deo* intonabant : At vero ipſe Rex gloriæ, in fœno nudus jacebat. Unde B. Laurentius Juſtinianus ſcribit : *Juſtè namque (ſi fas eſt dicere) contemnentibus mundum largitur cælum, totum quod poſſident, dantibus eis, ad fruitionem perennis gloriæ tribuatur, qui omnia poſſidet.*

S. Ant. de Pad. in Dom. 13. poſt. Trin. — Job: 42. v. 5. — Luc. 2. v. 7. — Ibid. v. 14. — B. Laur. Juſtin. in ſolemn. omn. SS.

Conſideratio cœleſtium efficaciter movet ad contemnendum terrena.

15. Enimvero anima aliqua Chriſtiana varia quidem habere poteſt motiva ad contemnenda hujus vitæ bona, eaque omnia efficacia & potentia, at profecto nullum inveniri ad hunc effectum poterit efficacius, quam ſi cor ſuum erigat ad conſideranda bona cœleſtia, eaque ſempiterna, quæ numquam deficiunt. Digniſſima eſt illa S. Bernardini Senenſis ſententia, ut ſerio ab omnibus ponderetur : *Nec aliquid tantum valet ad ſpernendum præſentem vanitatem, quam cogitare jugiter æternitatem.* S. Thomas de Villanova in ſerm. de S. Michaele Archangelo nos unico dumtaxat ſupremæ illius lucis radio illuſtrari exoptat, exiſtimans omnino, quod unica ſolum ignis illius quo Seraphini in cœlis ardent ſcintilla, ad bona illa terrena toto corde ſpernenda abunde ſufficeret : *O ſi vel tenuiſſimo lucis ſuæ radio*, inquit, *mentis noſtræ oculos illius cæleſtis gloriæ quo tendimus immarceſcibilis claritas, vel quaſi ſubitum fulgur raptim perſtringeret, quomodo raperet ad ſe animas noſtras ? Quanto illius deſiderio flagraremus ? Quibus vocibus & affectibus cum Propheta clamaremus : Quis deducet me in civitatem munitam? Quis deducet me uſque in Idumæam? Sic æſtuabat ille, qui illius deſiderio totus abſorptus dicebat : Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis & aſcendam ad populum accinctum noſtrum, populum fulgidum, decorum, nobilem, beatum, & glorioſum, populum hilarem, feſtivum & jucundum, cujus eſt Dominus Deus ejus.*

S. Bernardin. in Dom. 5. Epiph. c. 4. — S. Thom. Villanova de S. Mich. — Pſ. 59. v. 11. — Habac. 3. v. 16.

## DISCURSUS XVIII.

## ARGUMENTUM.

Conſideratio & ſpes bonorum cœleſtium nobis indicat vanitatem bonorum terrenorum; Ubi agitur contra eos, qui de præſentibus tantum gaudijs cogitant, de futuris nihil curantes.

### THEMA.

*Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens ; Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Ad Coloſſ. 3. ℣. 1. & 2.

1. NEmo nos ad terram & terrena contemnenda, & inquirendum cœlum efficacius hortari poterat S. Paulo Apoſtolo, utpote qui penetravit cœlos, cuique in ipſam cœli pulchritudinem & Majeſtatem ſuos defigere oculos licuit; Et quidem, ut bene Theophylactus notat, Apoſtolus non erat contentus, quod nos ad bona cœleſtia requirenda hortatus fuiſſet, ſed ſubjunxit inſuper : *Ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens : Non contentus fuit ſuperna dicere, neque ubi Chriſtus eſt, ſed adjecit : In dextera Dei ſedens, at magis à terra animum noſtrum abducat.* Addit Apoſtolus : *Quæ ſurſum ſunt ſapite :* De hac autem ſuperna ſapientia, quæ nobis jubente Apoſtolo ſpecialiter inquirenda eſt, S. Jacobus Apoſtolus loquitur, dum ait : *Quæ autem de ſurſum eſt Sapientia.* Et S. Anſelmus ſuper illa verba : *Quæ ſurſum ſunt ſapite*, dicit : *Sapite, id eſt, habete ſapientiam de cæleſtibus & æternis, non de temporalibus & caducis.*

Theophyl. ibid. — Coloſſ. 3. v. 1. — Coloſſ. 3. v. 2. — Jacob. 3. v. 17. — S. Anſelm. in cap. 3. Coloſſ.

Terreni homines oculos habent in pedibus.

2. Eccleſiaſtes propoſitionem quamdam habet primo aſpectu captu valde difficilem; Dicit enim : *Sapientis oculi in capite ejus, ſtultus in tenebris ambulat.* Enimvero quis umquam hominem aliquem vidit, qui oculos in alia parte corporis habuerit, quam in capite, imo homines etiam ſtolidiſſimi in capite oculos ferunt; Cur igitur dicit : *Sapientis oculi in capite ejus?* S. Baſilius ad intentum noſtrum optime reſpondet; Dum enim primo quæſiiſſet : *Cujuſnam oculi non ſunt in capite?* Mox ſubjunxit : *In capite oculos habent, qui ea contemplantur quæ in ſublimi ſunt, nam qui non ad bona quæ in ſublimi ſunt, ſed quæ in terra, reſpectat, is utique defigit detrahitve oculos in terra.* Quod ſi aliquem in bonis cœleſtibus experiri guſtum volumus, neceſſum eſt ut quantum hoc deſideramus; tantam de bonis terrenis concipiamus nauſeam; Nam ut S. Anſelmus ait : *Si terrena vobis dulcia non fuerint, tunc cæleſtium dulcedinem guſtare poteritis, ſi terrenas concupiſcentias non habueritis, tunc cæleſtibus gaudijs inhiare valebitis.*

Eccl. 2. v. 14. — S. Baſil. h. 11. in Hexam. ver. fin. — S. Anſel. ibid.

Homo quantumcumque piger oculos tamen in cœlum dirigens inſtar aquilæ elevabitur.

3. Omnibus paſſim nota eſt admirabilis illa Ezechielis Prophetæ viſio currus illius, quem trahebant quatuor animalia facie multum differentia, ſcilicet aquila, bos, leo, & homo. At vero quonam modo fieri poterat ut hæc animalia pari paſſu & greſſus velocitate aut tarditate ſimul ambularent? Aquila in volatibus ſuis velociſſima eſt, bos econtra in greſſibus ſuis ſupra modum piger & tardus. Pro reſolutione ſciendum, quod currus ille cœleſtis Paradiſi gloriam præfigurarit, ac proinde cum ſplendor electri, gemmarum, auri denique & argenti in hæc animalia quæ oculis undique plena erant, radios ſuos diffuderit, mirum non eſt, quod etiam bos adeo piger & tardus, qui in nulla re alia, quam in terra occanda & aranda continuo laborat, inſtar aquilæ volarit; Nam ut Gloſſa ſuper illa verba : *Fruſtra autem jacitur rete ante oculos pennatorum*, optimè dicit : *Laqueos Diaboli facile evadit in terris, qui ſemper oculos habet in cælis.* Eodem modo & nos dicere poſſumus, quod quantumcumque homo aliquis in bonis operibus piger ſit & tardus quantumcumque etiam bonis terrenis affectus & immerſus fuerit: Si tamen oculos ad cœlum direxerit, inſtar aquilæ elevabitur, & pari cum ipſa velocitate volabit, ad eum fere modum quo hæc animalia oculos, quibus plena erant, in cœlum dirigendo, hoc obtinebant, quod *ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* Vultiſne ut plura & excellentiora vobis dicam? Bos ille non ſolum velocitate & agilitate curſus aſſecutus eſt aquilæ volatum, verum etiam tranſmutatus eſt in Angelum, ſive Cherubinum, ſiquidem in cap. 10. ejuſdem Ezechielis ubi eadem animalia recenſentur nulla fit bovis mentio, ſed loco ejus Cherubim ſubſtitutus reperitur: *Facies una facies Cherubim*, Nec eſt quod dicas viſionem illius capitis, diverſam omnino eſſe à prima, quia idemmet Propheta Ezechiel expreſsè dicit : *Ipſum eſt animal, quod videram juxta fluvium Chobar*; Et revera ita fit: Homines enim terræ culturæ totaliter dediti, boniſque hiſce terrenis immerſi, quando *ſapiunt quæ ſurſum ſunt*, in bonis hiſce terrenis nauſeam concipientes, colla ſua jugo legis Dei libenter ſubmittunt, divinique ſervitij ſui curſum expedite perficiunt. Quod igitur bos convertatur in Angelum non eſt adeo mirandum, quando, ut S. Ezechiel Propheta dicit : *Firmamentum quod erat imminens capiti eorum*; Cœlum ſtellatum ſive Firmamentum cervicibus bovis imminebat; Et ut idem Ezechiel cap. 1. dicit : *Aperti ſunt cæli, & vidi viſiones fidei*, quomodo igitur Bos piger & tardus manere poterat?

Prov. 1. v. 17. — Gloſſ. ibid. — Ezech. 1. v. 12. — Ex bove fict Angelus. — Ezech. 10. v. 14. — Ibid. v. 15. — Ezech. 1. v. 26. — Ezech. 1. v. 1.

Primi fideles ſubſtantiam ſuam poſuere ad pedes Apoſtolorum, ad cœlum vocati.

4. Quod ſi enim bravium currentibus equis propoſitum animalibus illis omnis rationis & diſcurſus expertibus acutiſſima addit calcaria quibus excitata non currunt, ſed volare videntur, ut præ cunctis alijs perveniant ad metam & bravium illis propoſitum aſſequi



qui & lucrari poſſint, quomodo anima aliqua ad gloriam adipiſcendam creata, & tot ſtimulis ad cœlum invitata, à ſua non evigilabit pigritia, aut per æternæ retributionis aſpectum à terra ſe non expediet, & volabit ad cœlum? Undenam obſecro procedebat, quod primi fideles adeò à terrenis alieni & expediti fuerint, ut certatim divitias & patrimonia ad pedes detulerint Apoſtolorum? num forte non ex eadem nobiſcum progenie deſcenderant & geniti fuerant, de quibus David dicit : *Conglutinatus eſt in terra Venter noſter?* Imo vero multi ex ipſis de numero illorum forſitan erant, qui ex motivo avaritiæ Filio Dei mortem machinati fuerant, ne aliquod lucris ipſorum obſtaculum ponere amplius poſſet, & tamen, ut D. Chryſoſtomus ait: *Gaudebant & exultabant, cum opes offerrent, maxima lucrari ſeſe putantes, maximæque Charitatis eſſe arbitrabantur, ſi eas ab ipſis recipere dignarentur Apoſtoli, & quaſi hi qui ad magnos quosdam magiſtratus accerſiti, regias ſemper inhabitaturi civitates, omnem ſubſtantiam ſuam in pecuniam commutant, & ſic illo migrant, ita plane & tunc faciebant homines illi.* Sed quodnam ad id faciendum motivum illorum erat? *Ad cælum vocati*, inquit D. Chryſoſtomus, *& ad ſupernam metropolim & regnum, quod illic eſt; nam perſuaſum habentes illic eſſe patriam, omni ſubſtantia ſua in pecuniam commutata, ipſam per Apoſtolorum manus illo præmiſerant.* Non eſt quidem dubitandum; quin etiamnum tunc in primorum illorum effervescentium Chriſtianorum cordibus, ſanguis Agni immaculati in monte Calvariæ coram oculis ipſorum copioſe effuſus ebulliens efferbuerit, attamen ſciendum inſuper eſt, quod pariter in Aſcenſione Salvatoris quando *Videntibus illis elevatus eſt*, cœlum apertum conſpexerint, ideoque ſpem firmam illuc quo caput principiumque ipſorum præceſſerat, ſe quoque perventuros aliquando eſſe conceperint : Et hoc præcipuum quoddam illis motivum fuit, ut tam promptis animis bona illa terrena contempſerint, quæ alias hic in terris tanti æſtimari ſolent.

Pſalm. 43. v. 25. — D. Chryſ T. 5 ſerm. 21. — D. Chryſoſt. — Act. Ap. 1. v. 9.

Idem fecit S. Barnabas.

5. S. Barnabas qui prius unus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis fuit, ad plurium aliorum exemplum, cunctas poſſeſſiones ſuas divendidit, pretiumque illarum inter pauperes liberaliter diſpenſavit, retenta tamen ſibi portione quadam ad ſui alimoniam ſufficiente; ſed & hanc poſtea divendidit; indeque comparatum pretium ad pedes Apoſtolorum depoſuit; ſed quando id fecit? poſt Chriſti in cœlos Aſcenſionem, quando Cœlis apertis cor & oculos ſuos in æterna illa bona direxit. Porro quod S. Gregor. de hujus vitæ malis & ærumnis ſcripſit, nos quoque de bonis ejuſdem vitæ aſſerere poſſumus, ſcilicet quod illa id pondere ſanctuarij trutinare, & quanti valeant, aut quantum ponderis in ſe habeant, vere agnoſcere non poſſimus, niſi ex altera libræ parte bona cœleſtia & ſempiterna æqua lance ponderemus : *Neque enim quis præſentis vitæ mala* (adde : Nec bona) *ſicut ſunt, conſpicere valet; ſi bona æterna patriæ per contemplationis guſtum contingere necdum valet.* Quiſquis enim in beatam illam patriam oculos dirigit, de hoc exilio non ingemiſcere aut ſuſpirare non poteſt: *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum.* David inter omnes theſauros ſuos quibus abundabat, inter omnes victorias & triumphos ſuos continere ſe non potuit, quin diceret : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ &c.* Ubi Theodoretus ait : *Qui aſcenſiones in corde ſuo admiſit, & legiſlatoris benedictionem eſt adeptus, non riſui, delitijſque, ſed luctui & lachrymis ſeipſum dat, ex hoc corpore liberari cupiens.*

S. Greg. l. 19. Mor. c. 2. — Pſ. 83. v. 6. — Pſ. 119. v. 5. — Pſ. 41. v. 3. — Pſ. 41. v. 4. — Theodor. ibid. in Pſ. 83

6. Quamnam putatis fuiſſe cauſam, quod S. Petrus à S. Matthæo arguatur ignorantiæ, *Neſciens quid diceret*, quando dixit : *Si vis faciamus hic tria tabernacula.* S. Remigius ait : *Erravit Petrus, qui Regnum cælorum voluit, ut conſtitueretur in terra, quod Dominus promiſerat dare in cælo.* Etenim bona vera, ſtabilia, & immortalia in Cœlis, non vero in terra quærenda ſunt, hic enim nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Ingenioſa eſt illa Hugonis Cardinalis ſuper textum Apoſtoli ad Coloſſenſes obſervatio : *Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram, id eſt terrena quæ ſuperficialia ſunt; Non dicit quæ ſunt in terra, ſed quæ ſuper terram; qui enim conſiderat terram interius, vel corporis ſui, vel terrenorum abundantiam, quam labilis, quam fallibilis, quam caduca, talis bene ſaperet cæleſtia, quia non eſt dubium quin ei deſiperent iſta terrena, ſed omnes fere conſiderant ea quæ ſunt ſuper terram, id eſt ſuperficialia terrenæ, ſcilicet delectationes & jucunditates quæ apparent eſſe in terrenis, id eſt, ſapit eis terra, & lingunt pulverem ſicut ſerpens.*

Matt. 17. v. 4 — S. Remig. ibid. — Stabilia ſunt in cœlo. — Coloſſ 3. v. 1 — Hugo Card. ad Coloſſ.

Ut felicitatis portum attingamus, oculos in cœlum levemus.

7. Mundus hic in ſcriptura mari aſſimilatur : *Hoc mare magnum & ſpatioſum*; In hoc autem mari lenocinatrices & vere ſeductrices Syrenæ cantant, magnaque ſæpe humanæ felicitatis ſerenitas & tranquillitas affulget, verumtamen ne in vaſto hoc pelago perdamur, aut naufragemur, optimum nobis Baſilius Seleucus præſcribit remedium, nimirum ut oculos noſtros non in maris undas, ſed ad ſtellas & ad cœlum ſublevemus : *Longa maria trajicientibus, ad curſum regendum pro teſſera ſunt aſtrorum undequaque ſplendentium monitiones, & gubernator incumbens gubernaculo, tollit in cælum oculos, aſtrorum motibus aurigans navim, curſumque per mare cæleſti lumine contorquens, fertur in portum.*

Pſ. 103. v. 25 — S. Baſil. Seleuc. Orat. 8.

Spes anchora eſt.

8. Theodoretus verba illa Apoſtoli : *Qui Confugimus ad tenendam propoſitam ſpē, Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentē uſque ad interiora velaminis, Ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus*, hæc inquam verba exponens ſequentem anchoræ adducit ſimilitudinem; Dicit enim : *velamen cælum vocavit, regnum enim cælorum ſe Dominus daturum eſſe pollicitus eſt ijs, qui in ipſum crediderint; Illa, inquit, bona ſperamus, hanc ſpem tenemus, velut ſacram anchoram; anchora enim in profundo abſcondita, non ſinit ut noſtræ animæ conquaſſentur.* Cauſa autem cur in hoc mundi pelago multæ animæ ſubmergantur, eſt, quia propitiam Spiritus ſancti auram non habent, bonorumque cœleſtium totaliter obliti aut certe immemores vivunt. S. Thomas de Villanova S. Bernardum citans, ita ſcribit : *Filios Babylonis non delectant cantica Syon; O quam rarus hodie qui optet diſſolvi & eſſe cum Chriſto! qui dicat : Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt! imo qui vocatus ad cælum, non exeat cum triſtitia! unde tanta tepiditas in orando, tanta negligentia in operando, tam modica reſiſtentia in reſiſtendo, niſi ex hac oblivione?* citat atque illum locum Pſalm. 136. *Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea; Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. Ita eſt, & lingua adhæret in orando, & manus torpet in operando, ſi adeſt oblivio præmij ad excitandum deſiderium & torpentes affectus.* Jeremias Propheta quoque dicit : *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia non eſt qui recogitet corde*; Et ideo valde modicus eſt electorum numerus, ac proinde S. Joannes Climacus ait : *Precare Deum, ut ſis è numero paucorum, rarum eſt, quod bonum eſt, proinde pauci cælum ingrediuntur.*

Hebr. 6. v. 18 — Ibid. v. 19. — Hebr. 6. v. 20 — Theodor. in c. 6. Hebr. — Cauſa cur multæ animæ naufragentur. — S. Th. de Villan. ſer. de S. Michaele. — Pſ. 119. v. 5. — Pſ. 136. v. 5. — Pſ. 136. v. 6. — Jerem. 12. v. 11. — S. Joan. Climac. Schol. ad Scal. Parad. gr. 19.

Hæreditas noſtra in cœlis.

9. Deus olim tunc vel maxime populum Iſraëliticum hæreditate terrena, divitiarumque ac bonorum temporalium poſſeſſione exuit, & exterorum Principum poteſtati ſubjectos, ad bonorum fortunæ egeſtatem redegit, quando jam in procinctu erat, ut deſcenderet in terram, & Paradiſum conſequenter aperiret : *Conſequens erat*, inquit Origenes, *ut hæreditate regni cælorum patefacta, hæreditas terrena ceſſaret*; & paulo poſt inquit : *Miſericordia Dei hæreditas terrena nobis ſublata eſt, ut hæreditatem quæramus in cælis.*

Orig. Hom. 17. in Joſ.

Rex Babyl. reſipuit dum oculos in cœlum levavit.

10. Nabuchodonoſor Rex, qui ſe contra ſupremam Dei altiſſimi majeſtatem erigere non erubuit, & ut communem cum beſtijs vitam ageret condemnatus fuit, quandonam reſipuit, ſeque emendare cæpit? Scriptura ſacra idipſum clare indicat, dum ait : *Igitur poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi, & Altiſſimo benedixi.* Quum primum ad cœlum oculos ſuos levavit, mox Monarchiæ ſuæ vanitatem animadvertere cæpit : *Viventem in ſempiternum laudavi & glorificavi, quia poteſtas ejus, poteſtas ſempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem*, antea, priuſquam ſuos in cœlum oculos extuliſſet, adeo ſuperbus & arrogans fuerat, ut neminem præter ſe Cœli terræque Dominum eſſe crederet; unde S. Hieron ait : *Niſi oculos levaſſet ad cælum, ſenſum priſtinum non recepiſſet*, imo niſi cor ſuum ad Deum erexiſſet, veluti beſtia quædam ſemper remanſiſſet, ejuſque ſuperbia majoribus indies aucta fuiſſet incrementis.

Dan. 4. v. 31. — S. Hieron. ibid.

Præſentia homines ſeducunt.

11. Præcipuus multarum animarum, quæ Inferno in prædam cædunt, error hic eſt, quod ſe ad inviſibilia minima reflectentes, à præſentium bonorum amabilitate ſeſe ſeduci permittant : nam ut S. Ambroſius ait : *Allicit homines magis dulce peccati quod ad præſens influit, & impinguat videntis affectum, quam triſte virtutis, quæ fidei ſpem, velut quodam cortice amari laboris involvit.* Idem quoque alibi ſimiliter ita ſcribit : *Raro quamvis excelſa virtus futuris commutat præſentia: difficile quippe videtur hominibus, ut ſpem periculis emat, damnoque præſentium futuræ lucrum mercentur ætatis.* Contra hos ſuum quoque calamum S. Hieronymus exacuit, dum ita ſcribit : *Delicatus es frater ſi hic vis gaudere cum ſæculo*

S. Ambr. in Pſalm. 1. — S. Ambr. L. 7. in Luc. c. 1. — S. Hieron. in Reg. Monaſt. cap. 19.

*ſæculo, & ibi regnare cum Chriſto.* S. Gregorius illum Jeremiæ textum adducit: *Omnis homo qui comederit Uvam acervam, obſtupeſcent dentes ejus: quid namque Uva acerba niſi peccatum eſt? Uva quippe acerba eſt fructus ante tempus, quisquis enim præſentis vitæ delectationibus ſatiari deſiderat, quaſi fructus ante tempus comedere feſtinat.* S. Gregorius Nazianzenus ex S. Cypriano hæc verba transſcripſit: *Admonet ne patriam negemus, ne facultates & copias, ne ſpes & potentiam aut aliud quidpiam eorum, quæ humi ſtrata & caduca ſunt, veritati, præmijsque illis, quæ virtutis cauſa periculum adeuntibus in cœlo recondita ſunt, anteponamus, hanc enim negotiationem omnium præſtantiſſimam eſſe, qua exigui ſanguinis pretio cœleſte regnum emitur, ac brevia & fragilia bona cum ſempiterna gloria commutantur.*

*Jerem. 31. v. 30. S. Greg. L. 11 Mor. c. 15. Nazianz. orat. 18.*

12. D. Chryſoſtomus ſuper illa Apoſtoli verba: *Nam oportet & hæreſes eſſe,* longum quemdam texit diſcurſum, in cujus progreſſu illorum detegit ſtultitiam, qui in hac præſenti vita divitias & gaudia ſibi accumulare, iisque frui volunt, neſcientes quid illis tandem obventurum ſit in alia vita: *Eſt autem extremæ ſtultitiæ relinquere aliquid rerum noſtrarum in hoc loco, nobis paulo poſt etiam hinc emigraturis, quidquid enim relinquitur in dominum cedit.* Idem quoque alibi inquit: *Hoſpes es hic & peregrinus, patriam habes in cœlis, illuc omnia tranſmitte, qui enim ſpe bona alitur, & de futuris confidit, hic jam regnum guſtavit, nihil enim tantum animam reparare conſuevit, & meliorem facere, quam bona futurorum ſpes.*

*1. Cor. 11. v. 19. D. Chryſoſt. T. 5. ſer. 21. D. Chryſoſt. Hom. 2. ad pop.*

13. Sanctus Rex & Propheta David die quodam ex ſpiritu & zelo quodam, qui corde ipſius, utpote cum Divino corde conjunctiſſimo, digniſſimus erat, alta voce prædicare cæpit, & dicere: *Filij hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis Vanitatem & quæritis mendacium?* Moxque gravem hanc ſubjunxit exhortationem: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ & ſperate in Domino:* At vero quidnam ei à majori auditorum ſuorum parte reſponſum fuiſſe exiſtimatis? *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?* quaſi diceret, multi ſe mihi bene illos momenti oppoſuerunt, dicendo, quod bona cœleſtia, quę ego illis promittebam, futura eſſent, & à ſpe majori ex parte dependerent, nec oculis humanis umquam fuiſſent ſubjecta, unde ſic contra eum arguebant: Ergone tibi perſuades, quod nos propter bona quæ procul à nobis remota, & mere futura ſunt, quorum proinde ambiguus eſt eventus, paſſuri ſumus ut bonis quibus in præſenti & actualiter gaudemus & fruimur, nos deſtituamur & privemur? nam ut S. Gregorius ab Hugone Cardinali citatus, ſuper prædicta Pſalmiſtæ verba dicit: *Carnalium mentes bona penſare non valent, niſi quæ carnaliter vident.* Et quidem hoc eſt præcipuum offendiculum, quod etiam hiſce noſtris temporibus multos turpiter cadere facit; Quot enim ſunt hodie, qui dum ſimilia illis de bonis cœleſtibus proponuntur, clam in corde ſuo dicere non verentur; *Et non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis; Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum; Nec noſtra conſiderat, & circa Cardines cœli perambulat.* Hæ hæ & ſimiles aliæ ſunt multorum nominetenus tantummodo fidelium Chriſtianorum blaſphemiæ, qui fidei oculum in futura & cœleſtia bona minime defigunt, nec umquam de illis cogitant, vel quia illa non credunt, aut vero ſi credant, à præſentium bonorum oblectatione ſeduci ſe permittunt. Porro quinam illi ſint, qui ſapientiam ſuam circa terram & terrena potiſſimum exercent, S. Thomas his verbis declarat: *Sapit quæ ſunt ſuper terram, qui ſecundùm terrena bona omnia ordinat & judicat, judicans ea ſumma bona.* In hac quoque materia valde conſiderabilia ſunt verba illa S. Iſidori dicentis: *Omnis ars ſæculi hujus ſtrenuos amatores habet, & ad exequendum promptiſſimos,* cujus hanc aſſignat rationem, *quia præſentem habet operis ſui remuneratorem;* at vero de Deo noſtro ſubjungit: *pleroſque habet ſectatores languidos, tepidos pigritiæ inertia congelatos; hoc proinde fit, quod labor eorum non pro præſenti, ſed pro futura remuneratione defertur.*

De futuris bonis multi non cogitant. *Pſ. 4. v. 3. Ibid. v. 6. Ibid. S. Greg. ab Hug. Car. cit. Sap. 2. v. 1. Pſ. 113. v. 16 Job 22. v. 14 S. Thom. ad Coloſſ. 3. S. Iſid. L. 2. de ſummo bono cap. 10.*

## DISCURSUS XIX.

## ARGUMENTUM.

Repræhenditur negligentia illorum, qui pluris terram quam Cœlum faciunt, quibus Dæmon & omne malum communiter prævalere ſolet.

### THEMA.

*Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur.* Joan. 3. verſ. 31.

1. EXperientia quotidiana docet, quod homines communiter ex lingua, moribus, inclinationibus & proprijs conſuetudinibus ſuis inter ſe dignoſcantur; ac proinde pari modo ſi experientiam capere velis, an anima aliqua ad cœlum poſſidendum à Deo electa ſit, an vero ſit præſcita & reprobata ad implendum Infernum, conſideres ubi talis anima cor, affectum, linguam & propenſiones ſuas inclinatas habeat: *Qui eſt de terra, de terra eſt.* Quot videmus quotidie homines, qui oculos ſuos ne ſemel quidem ad cœlum elevant, nec umquam de futura vita cogitant, ſed *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Veri Iſraëlitæ, qui filiorum Dei genuinum characterem animabus ſuis impreſſum deferebant, etiam quo tempore ſub ſervitute Babylonica ingemiſcebant, licet corporetenus in Babylonia coercerentur, corde tamen & animo in Syon demorabantur, ac Jeroſolymam civitatem ſanctam continuo ſuſpirabant. *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus, cum recordaremur Syon,* imo à Babylonijs ad ipſorum cantica concinendo exſtimulati; juxta illud: *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum; Et qui adduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de Canticis Syon,* libere reſponderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Illi proprie ad Jeroſolymam cœleſtem, tamquam futuri incolæ ejus pertinere dignoſcuntur, qui tametſi in hujus corrupti & ad depravati mundi triſti Babylonia detineantur captivi, deſiderijs tamen, affectibus, & operationibus ſuis in cœlo verſantur. Hi qui ex Hebræis ad ollas Ægyptias, & ad Ægyptum repetendam quotidie anhelabant, in deſerto diſperſi manſerunt, neque promiſſionis terræ pedem ſuum umquam intulerunt. *Omnia in figura contingebant illis,* ac proinde ij pariter qui in hac præſenti vita, numquam de vera terra promiſſionis, ſeu vita beata cogitant, ſed cor & animum in Ægypto mundi hujus defixum habent, ſignum de ſe prognoſticum edunt, unde illos numquam Cœlo pedem illaturos eſſe dignoſci poſſit.

Prognoſticum electorum & præſcitorum. *Joan. 3. v. 31 Pſ. 16. v. 11. Pſ. 136. v. 1. Ibid. v. 3. Ibid. v. 4.*

2. Seneca de Ægyptijs ſcribit: *Nemo aratorum cœlum aſpicit,* quaſi diceret, inter agricolas Ægyptios nullus eſt, qui ut terram fructiferam & fertilem efficiat, oculorum ſuorum palpebras vel ſemel in cœlum levet, cujus ratio eſt, quia illi nullas à cœlo pluvias expectant, ſed omnem ſpem ſuam in aquis Nili repoſitam habent, quibuſcum agri certo & ſtatuto anni tempore inundantur, ut fructus copioſos parere poſſint. Eheu quot hodie reperiuntur Ægyptij, qui oculos ſuos numquam ſurſum elevant? ſed *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram,* eo quod omnem ſpei ſuæ eventum, omniaque quæ deſiderant bona, à terra & ab hac præſenti vita ſperant & expectant. Non ſic agebat Daniel, qui tametſi in Babylonia in aula Regis moraretur, nihilominus trina vice quotidie feneſtras aperiebat, ut ſi non oculo, ob nimiam diſtantiam, ſaltem cordi ſuo liberam daret verſus Jeroſolymam civitatem ſanctam, evolandi facultatem.

*Seneca L. 4. nat. QQ. Q. 2.* Multi ſunt modo Ægyptij qui numquam in cœlum elevant oculos. *Pſ. 16. v. 11.*

3. Refert S. Matthæus, quod poſtquam Salvator noſter horridam illam maris tranquillaſſet tempeſtatem, Geraſenorumque regionem ingreſſus fuiſſet, duos obvios habuerit Dæmoniacos; Cumque corpora eorum inſidentes Spiritus ſe ad hoſpitia ſua deſerenda conſtringendos eſſe prævidiſſent: *Dæmones autem rogabant eum dicentes: ſi ejicis nos hinc mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite; at illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis;* Cumque ſubmerſionis hujuſcemodi porcorum fama in civitate innotuiſſet; ſubjungit Evangeliſta: *Et ecce tota Civitas exiit obviã Jeſu.* Sed quo fine? num forte ut adorarent eum velut pro fugatis ab ipſorũ finibus Dæmonijs, debitas ei gratias referrent, aut vero ut pro animarum ſuarum ſalute aliquam ab eo gratiam depoſcerent, ob manifeſta quæ in eo manifeſtè relucebant Divinitatis veſtigia? Minime; ſed audite quid ab eo popoſcerint: *Et viſo eo, rogabant, ut tranſiret à finibus eorum.* Ergone deſiderabant ut Dei Filius procul ab illis diſcederet, cum tamen Pſalmiſta dicat: *Quia ecce qui elongant ſe à te, peribunt; Mihi autem adhærere Deo bonum eſt;* aut vero ex quodam humilitatis inſtinctu id à Chriſto petierunt, quomodo S. Petrus alibi dixerat: *Exi à me quia homo peccator ſum Domine?* Nequaquam hæc eorum mens fuit, ſed quia magnam in hiſce porcis ſubmerſis jacturam paſſi fuerant, Salvatorem à ſe nitebantur repellere, quia pluris porcos, quam ipſum Dei filium, & propriam ſalutem æſtimabant. At vero quodnam in eo ſubeſt myſterium quod potius in hæc immunda animalia, quam in alia corpora aſtutus ille ſerpens, de quo dici poteſt: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ,* immitti petierit? Pro reſponſione ſervit quod Plutarchus de natura

Sunt qui pluris porcos quam ſalutẽ æſtimant. *Matth. 8. v. 31. Ibid. v. 32. Ibid. v. 34. Matth. 8. v. 34. Pſ. 72. v. 27. Ibid. v. 28. Luc. 5. v. 8. Gen. 3. v. 1.*



natura & proprietatibus horum animalium his verbis ſcribit: ſcilicet *oculorum porcorum ita inflexam eſſe aciem atque dejectam, ut rem umquam nullam ſupernam perſpiciant, neque ſuſpiciant cœlum;* ac proinde dici poteſt Dæmones in illis ſpeciale quietis ſuæ centrum habere, qui bonis hiſce terrenis corde immerſi ſunt, qui de cœleſtibus numquam cogitant, qui pluris brutales ſuos appetitus, quam Deum cum univerſo ſuo Cœlorum regno æſtimant, qui denique *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.*

*Plutar. de QQ. Conv l. 5. c. 5. Pſ. 16. v. 11.*

4. Saül licet à Deo ſingulari quodam modo ad thronum Iſraëliticum promotus fuerit; nihilominus tandem non ſolùm à Regno Iſraëlis, verum etiam à cœleſti regno reprobatus fuit. Sed quonam ejus demerito, aut culpa hoc ei infortunium ingens accidit? Utique culpa ejus non una tantum, ſed multiplex fuit; ſpeciatim vero gravem hanc Dei adverſus ipſum indignationem provocavit inſignis illa quam Deo exhibere non erubuit inobedientia, dum majori cum ſolicitudine regnum ſuum per politicam ſtatus rationem ſtabilire, quam Dei præcepta adimplere curavit; D. Gregorius Nazianzenus autem conſiderat in eo, quod à primis diebus priuſquam in Regem unctus eſſet, immoderatum hunc erga bona terrena affectum in ſe prodiderit, quia ut è ſacro textu colligitur, in inquirendis amiſſis patris ſui aſinis eo tempore quo de corona regia capiti ejus imponenda ſerio agebatur, ſupra modum anxius & ſolicitus fuit; *Patris aſinos quærens regnum invenit, pluſque in ea re, quam obiter agebat, quam in eà quæ præcipue ipſi curæ erat, lucri fecit:* Quot ſunt eheu hiſce diebus, qui majorem in inquirendis aſinis, quam in regno aliquo acquirendo, curam & anxietatem exhibent? *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas.*

Majorem adhibent curam in inquirendis aſinis, quã cœleſtibus. *1. Reg. 9. v. 3. S. Greg. Nazianz. orat. 20 de Laud. Baſilij. Jerem. 2. v. 13.*

5. Deus olim populo ſuo, quoad piſces qui manducari poterant, hanc Regulam præſcripſit: *Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam in mari, quam in fluminibus, & ſtagnis comedetis; quidquid autem pinnulas & ſquamas non habet eorum, quæ in aquis moventur & vivunt; abominabile vobis execrandumque erit; Numquid de bobus cura eſt Deo?* inquit Apoſtolus, multo igitur minor illi de piſcibus cura erit; quid enim Dei referebat ſive piſces ſquamas habeant, vel non habeant; ut ob eorum defectum vel præſentiam illorum eſum vel prohibuerit, vel indulſerit? S. Gregorius ait: *Piſces qui pinnulas non habent, ab eſu fidelis populi prohibentur; piſces quippe qui pinnulas ſquammarum habent, dare etiam ſaltus ſuper aquas ſolent, quid ergo pinnatis piſcibus, niſi electæ animæ ſignificantur, quæ profecto ſolæ in cœleſte Eccleſiæ corpus tranſeunt, quæ modo virtutum pinnulis fultæ, ſaltus dare per cœleſte deſiderium ſciunt.*

*Levit. 11. v. 9. Ibid. v. 10. 1. Cor. 9. v. 9. S. Greg. Hom. 11. in Evang.*

6. Tyrannus ille infernalis apud Jobum ſub ſpecie *Behemoth* deſcribitur, cujus hæc natura à ſacro textu traditur, quod *ſub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus.* Circa quæ verba S. Gregorius ait: *Dormire in ſanctorum mentibus non poteſt, quia etſi quando ſe in eis ad breve momentum collocat, ipſe eum deſideriorum & cœleſtium æſtus fatigat, & quaſi toties, ut recedat, pungitur, quoties ab eis amore intimo ad æterna ſuſpiratur: tantæ eum voces excitant, quantæ ex illorum mentibus ſanctæ cogitationes ad cœlum clamant.* Tunc igitur inimicus infernalis in anima dormit, ſuamque habet dulcem & imperturbatam quietem, quando illam bonis hiſce terrenis indormiſcentem, cœleſtiumque oblitam eſſe conſpicit.

*Job 40. v. 16. S. Greg. L. 33. Mor. c. 3.*

7. S. Thomas de Villanova rationem aſſignat, cur diſcurſus Prædicatoris, in quo de Paradiſi gloria tractatur, nullam in auſcultantibus impreſſionem faciat; Dicit: *Ideo in corde carnali non fit impreſſio, neque ſigillatio illius tanti boni, præpediente duritia peccatorum, aut, quod abſit, quia non ſumus cives illius civitatis, & ideo non poſſumus inclinari naturaliter in illam, unuſquiſque enim ad ſuam patriam naturaliter inclinatur.* Eſt in majori parte fidelium Lethargus quidam, ſive ut melius dicam, ſpeciale quoddam delirium quod omnes illos diſcurſu & uſu rationis privat, & paſſim quotidie invaleſcere videtur, & in eo præcipue conſiſtit, quod tanta cum facilitate ſe pro unico terræ pugillo univerſo cœlorum regno privari patiantur; verumtamen infirmitas hæc mortalis originaliter ab ipſis protoparentibus ad nos uſque derivata fuit; *Hoſtis enim offert pomum & ſubripit Paradiſum;* Quot ſunt hodie qui viliſſimum aliquod intereſſe ſeu lucrum, voluptatem aliquam momentaneam, vanamque & fugacem mundi gloriam longe majori in pretio habent, quam bonorum immortalium æternitatem, & delicioſiſſimi cujuſdam Paradiſi conſecutionem: Nullus eſt qui Eſau ſtultum valdeque ſtolidum fuiſſe non cenſeat, eo quod pro una offa lentium Jacob fratri ſuo nobilem ſuam vendiderit primogenituram: *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Sed quot hodie ſunt Chriſtiani, qui pro turpi & ſordida voluptatula quadam Diabolo excellentiſſimum jus illud vendunt, quod habent ad regnum cœlorum? *Hoſtis offert pomum, & ſubripit Paradiſum.*

Cum multorum prædicatio non fructificet. *S. Thom. Villan. Conc. in Quinquag. Gen. 25. v. 32.*

8. Titius Boſtrenſis verba illa filij prodigi jam reſipiſcentis, quibus cum Patrem ſuum eſt allocutus, nimirum: *Pater peccavi in cœlum & coram te,* conſiderans hunc ſenſum illa habere dicit: *Derelinquendo cœleſtia peccavi in ea, præferens ipſis voluptatem contemptibilem, quemadmodum in aurum peccare dicitur qui illi plumbum præfert; ita in cœlum peccat, qui illi terrena proponit. Merito igitur tales alloquendi ſunt verbis illis, quibus Deus noſter per os Iſaiæ Prophetæ populum ſuum ad Babyloniam deſerendam exſtimulare voluit; Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis;* nec non verbis illis ejuſdem Dei noſtri apud Jeremiam: *Egredimini de medio ejus populus meus, ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini.* Valde enim divina juſtitia adverſus illos irritatur, qui plus ſervitutem diligunt, quam libertatem, plus amant Babylonem quam Jeroſolymam, plus Nabuchodonoſorem, quam Deum. *Audite cœli* (his verbis Iſaias Prophetiam ſuam exorditur) *& auribus percipe terra; &c. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filij ſceleratis;* Sed cur tot illos indignis improperijs vituperat? *Dereliquerunt Dominum.*

*Luc. 15. v. 18. Tit. Boſtr. in Cat. Græc. Patr.* Deus averſatur eos qui terrena diligunt prę cœleſtibus. *Iſaiæ 48. v. 20. Jerem. 51. v. 45. Iſai. 1. v. 2.*

9. Ab hac cœli oblivione omne malum derivatur; *ubi illius Beatitudinis oblivio inciderit,* inquit S. Thomas de Villanova, *& manus hæret, & lingua balbutit; illius quippe memoria & operi ſolertiam, & verbo fœcundiam præſtat, qui enim præmij obliviſcitur, lente movetur ad opus.* Quando Chriſtus in procinctu erat ut in cœlum ipſe aſcenderet (prout ex officio Aſcenſionis Domini colligitur) ad ſuos converſus, ita eos affatus eſt: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum & Deum veſtrum;* nimirum verbis illis indicare nobis voluit, nos fratres ejus eſſe & cohæredes; ſeque paternæ hæreditatis adire poſſeſſionem, ibidem nos expectando tamquam ſuos cohæredes.

Præmij oblivio pigros facit operarios. *S. Th. Villan. in Conc. ſun. Joan. 20. v. 17.*

10. In oratione Dominica inter cætera Dominus hoc quoque nos petere docuit: *Adveniat regnum tuum?* ſed qualis eſt hæc tam iners petitio? Nam forte Paradiſus cœleſtis tam vile quoddam regnum eſt, ut niſi propria ſponte ad nos ultro citroque veniat, à nobis aliqua cum ſolicitudine procurari & acquiri non mereretur? ut proinde velit, ut hoc tantum petamus: *Adveniat regnum tuum?* Salvator noſter hoc modo hanc petitionem è nobis fieri voluit, quia optimè negligentiam & inertiam noſtram noverat, quæ tanta eſt, ut regnum Dei à nobis minime quæreretur, niſi illud ultro citroque ab homine licet minimè quæſitum eidem occurreret; quamvis nec hoc ad noſtrum erga cœleſtem gloriam excitandum deſiderium ſufficiat, adeo ſumus illius penitus obliti; Pauci ſunt qui Samaritanæ in ſe indolem exprimant, quæ mox ut audivit dici: *Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ, ſalientis in vitam æternam:* ſubito dixit: *Domine da mihi hanc aquam; reliquit ergo hydriam ſuam mulier.* Ubi S. Auguſtinus dicit: *Projecit ergo hydriã ſuam Samaritana, quæ jam nõ uſui, ſed oneri fuit, avide quippe deſiderabat aqua illa ſatiari.*

*Matth. 6. v. 10.* Hominũ inertia in quærendo cœlo. *Joan. 4. v. 14. Ibid. v. 15. S. Aug. Tr. 15. in Joan.*

10. Scitiſne quonam nos Deus noſter remiſerit, ut fervens aliquod bonorum immortalium deſiderium in nobis poſſet excitare? Non alio quam ad formicam: *vade ad formicam O piger;* Ubi S. Hieronymus ait: *Formica dicitur ſtrenuus quiſque & providus operarius qui in præſenti vita velut in æſtate, fructus juſtitiæ, quos in æternum recipiat, ſibi recondit; ſi tantillum animal principe carens, & rationis expers, natura duce, ſibi providet impoſterum, multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam ejus gloriam vocatus; Doctorum magiſterio adjutus, ipſum conditorem habens Ducem, debet in præſenti bonorum operum, fructus congregare, quibus in æternum vivas in futuro. Hæc etenim vita in eo meſſi comparatur & æſtati, quod nunc inter ardores tentationum tempus eſt colligendi futurorum merita præmiorum; at dies judicij hyemis aſſimilatur rigoribus quia tunc nimirum nulla relinquitur facultas pro vita laborandi, ſed tantum cogit quis de horreo priſcæ actionis quod recondidit proferre, unde & Dominus præcipit dicens: Orate, ut non fiat fuga veſtra in hyeme, vel ſabbato; Hyeme enim facultas, ſabbato licentia juxta legem deeſt fructus vitæ colligendi, ac penuriam fugiendi perpetuam.*

Quos formica docet. *Prov. 6. v. 6. S. Hieron. Matth. 24. v. 20.*

11. S. Bernardus ſe noſtram in cœlo nobis acquirendo

*S. Bern. de diligendo Deo ſerm. in ſex Tribulat.*

do negligentiam capere non poſſe fatetur, maxime cum Deus id à nobis adeo anxie & ſolicite requirat, ut primum quod in totius univerſi architectura condidit, Cœlum Empyreum fuerit, futurum nimirum animarum noſtrarum, poſtquam beatificatæ fuerint, perpetuum habitaculum: *Poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi*; *Dignum namque eſt, & omnino exigit æquitatis ratio, ut quibus à conſtitutione mundi regnum paratur, ipſi etiam ſeſe regno parare non negligant, ne parato regno inveniantur forſan, qui regnaturi fuerant, imparati: ſic enim legimus de cœna quadam, dicente Domino: Quoniam quidem cœna parata eſt, ſed qui invitati erant, non fuerunt digni.*

*Matth. 25. v. 34.*

*Juxta Matth. 22. v. 8.*

12. S. Antonius de Padua ingenioſam facit reflectionem ſuper illo Chriſti monito, quo nos cohortatus fuit, ut in cœlo, non vero in terra theſaurizaremus: *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo*; Et quidem præcipue illud Ly *vobis* obſervat: *Theſaurizate vobis, & non mihi, quia Deo nihil prodeſt.* Job 22. *Quid prodeſt Deo ſi juſtus fueris? Aut quid confers ei, ſi immaculata fuerit via tua?* Pſal. 15. *Bonorum noſtrorum non indiges, theſauros, id eſt multitudinem meritorum in cœlo; quia locus verus & proprius theſauri, non eſt terra, ſed cœlum.* Quando in terra theſaurus aliquis reperitur, ſubito inde eruitur, quia locus theſaurorum proprius non eſt terra, licet in medio illius mineralia gignantur, ſed informia. Unde Dionyſius Carthuſianus ait: *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, id eſt, cumulum operum meritoriorum in cœlo, id eſt, ad hunc finem, ut ad cœleſtem perducamini manſionem.*

*Matth. 6. v. 20.*
*S. Ant. Pad. ſerm. in Fer. 4. Cin.*
*Job 22. v. 3.*
*Pſ. 15. v. 2.*
*Dionyſ. Carthuſ. ibid.*

13. In cap. 3. lib. 2. Paralipom. de ſtructura templi, de ſanctuario & pretioſiſſimis illius ornatibus tractatur, & inter cætera dicitur: *Sed & clavos fecit aureos*: Et pariter de his clavis aureis lib. 3. Reg. cap. 6. fit mentio: *Domum quoque ante oraculum operuit auro puriſſimo, & affixit laminas clavis aureis.* Quidnam in clavis illis aureis ſubeſt myſterij? Idem ipſe Salomon, qui ordinem totius illius fabricæ præſcripſit, in Eccleſiaſte dicit: *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore uno*; Sed audiamus quidnam Venerab. Beda hac de re dicat: *Clavi aurei quibus erant affixæ laminæ, ipſa ſunt promiſſa æternæ claritatis, per quæ in exercitio ſtudioque virtutis, ne deficiamus donante Chriſti gratia continemur.* Hi clavi, ſive infallibilia hæc æternæ veritatis promiſſa, ſolidos & conſtantes nos reddere debent, ne ad hujus vitæ gaudia declinemus & inflectamur; Hæc inquam nobis eſſe debent velut totidem calcaria, quibus ad indefeſſe cœlum verſus ambulandum, ad pellendum negligentiæ & ſocordiæ noſtræ lethargum excitemur.

*2. Paralip. 3. v. 9.*
*3. Reg. 6. v. 21.*
*Eccle. 12. v. 11.*
*V. Beda l. de templo c. 12.*

## DISCURSUS XX.

## ARGUMENTUM.

Super illa verba: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, variæ expoſitiones adducuntur.

### THEMA.

*Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. cap. 11. ℣. 12.

Vim patitur cœlum.

*S. Bernardin. Tom. 1. ſer. 66.*
*Matth. 11. v. 12.*

1. S. Bernardinus, felix & fauſtum illud nuntium, quo Regnum cœlorum vim pati, & violenti illud rapere dicuntur, numquam hactenus uſque ad feliciſſimum Chriſti adventum mundo innotuiſſe obſervat: *Audi vocem exultationis*, inquit, *vocem miræ jucunditatis, quod antea celaverat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ non dixerant, Præcurſor Chriſti tranſierat*; *Sed* Matth. 11. *aperiens os ſuum Rex cœlorum & Dominus Angelorum ait: A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. O inexplicabilis jucunditas! O incogitabilis ſuavitas! O inſatiabilis aviditas! Regnum vim pati & violentia rapi.* Enimvero ſanctus hic Divini verbi Prædicator ſe capere non poſſe fatetur, qua ratione regnum aliquod adeo altum, ſublime, & inacceſſibile per illatam ei violentiam infeſtari & diripi poſſit: *Quomodo poſſunt hæc fieri? Regnum tam altum, tam magnum, tam incomprehenſibile bonum vim pati, violentia rapi? O Deus, quid eſt hoc?*

Vis hæc pœnitentia eſt.

*S. Anſelm in Matth. ibid.*

2. S. Anſelmus hunc textum exponit in favorem gentilium, quales nos Chriſtiani fuimus, quibus hoc regnum, id eſt, Eccleſia tam militans quam triumphans Synagogæ ablata, data fuit, idque per ſequentem declarat ſimilitudinem: *Si aliquod regnum extraneis daretur, & filijs regni auferretur, violentia eſſe videretur*; *Similiter Phariſæi & Scribæ, qui in conſpectu hominum juſti apparebant, filij Regni cœlorum videbantur, publicani vero & peccatores quaſi à regno longe erant*: Verumtamen ſi ad verba antecedentia reſpiciamus, Redemptorem violentiæ nomine hoc loco pœnitentiam intelligere voluiſſe comperiemus, hæc enim eſt, quæ vim cœlo infert: *A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, Regnum cœlorum vim patitur*, quia in principio prædicationis ſuæ, Regnum hoc annuntiare cœpit cohortando pariter ad pœnitentiam: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*; *Quia qui peccatoribus pœnitentiam indixit*, inquit S. Gregorius Papa, *quid aliud quam Regno cœlorum vim facere docuit. Regnum cœlorum rapi vult noſtris fletibus*; quod noſtris meritis non debetur.

*Matth. 11. v. 12.*
*Matth. 3. v. 2.*
*S. Gregor. hom. 20.*

Proſecutio.

3. Xerxes Rex Perſarum ingens illud incredibileque facinus attentaſſe legitur, ut videlicet duas illas mundi partes adeo inter ſe diſtantes, quaſque Natura ab invicem diviſerat, Aſiam videlicet & Europam inter ſe uniret & conjungeret: Hoc enim fine pontem quemdam in fundo maris fundavit, quem *Helleſpontum* nominari voluit, adeo longum ut ab una mundi parte ad alteram liberum impertiretur tranſitum ut hac ratione inter Aſiaticos & Europæos populos communia vigerent commercia; leges item & mores inter ſe confunderentur. O quanta erat, antequam Joannes Baptiſta in terris viſus fuiſſet, quamque infinita cœlum Empyreum inter & terram diſtantia: *Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris; chaos Magnum firmatum eſt inter nos.* Quis autem alius modum pontem hunc ſuper quo feliciſſime ad littora uſque tranſitur Paradiſi, fundandi adinvenit, quam Joannes Baptiſta, qui ex inſtinctu Chriſti tamquam ejus præcurſor pœnitentiam annuntiavit, qua ad cœlum perducimur: *Pœnitentiam agite appropinquavit enim Regnum cœlorum.*

*Iſa. 55. v. 9.*
*Luc. 16. v. 26.*

Proſecutio.

4. S. Joannes quondam hanc viſionem habuit: *Et ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens*; Demum vero viſionis narrationem proſequens paulò poſt dicit: *Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum*; adeoque quiſquis ad magnificum hunc thronum pertingere, in eoque Deum videre & cum illo uniri cupiebat, neceſſario mare hoc trajicere debebat; quod equidem aliud non præfigurabat, quam pœnitentiam: *Magna eſt enim velut mare contritio tua*; Unde Dionyſ. Carthuſ. ait: *Impoſſibile eſt, ut anima poſt peccatum ad thronum gloriæ perveniat, niſi mare pœnitentiæ navigando pervaſerit.*

*Apoc. 4. v. 2.*
*Ibid. v. 6.*
*Thren. 2. v. 13.*
*Dionyſ. Carthuſ. ibid.*

5. Rupertus Tuitienſis Abbas notat, quod Salvator noſter à Phariſæis quoad regnum cœlorum interrogatus; *Quando venit regnum Dei?* Reſponderit: *Non venit Regnum Dei cum obſervatione, neque dicent, Ecce hic aut ecce illic; Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt. Plus aliquid hic dixit*, inquit idem Rupertus, *Attamen ad idem reſpicit, cum enim prædicaret dicens: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum, profecto neſcientes myſterium regni Dei ſæpe quærebant, ſæpius inter ſe conferebant, ubinam eſſet, aut quando veniret, proinde ipſe volens eos ſcire, quia Regnum Dei præſentia eſſet adventus ipſius Regis Chriſti, & quod in illud regnum introire hoc eſſet pœnitentiam agere, ſecundùm prædicationem vel teſtimonium Joannis Baptiſtæ, & illic interrogatus à Phariſæis dixit: Ecce enim regnum Dei intra vos eſt, & hic cogitationibus turbarum reſpondens: A diebus autem*, inquit, *Joannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, ac ſi diceret, non ſicut olim, ita & nunc regnum Dei, ſive regnum cœlorum de longinquo venturum expectatur, ſed jam venit, jam intra vos eſt, ita ut apprehendi poſſit, jamque manu apprehenditur, manu rapitur, vim patiens à violentis, id eſt à peccatoribus pœnitentibus.*

*Luc. 17. v. 20.*
*Ibid. v. 21.*
*Rup. Abb l. 9. de glor. & hon. filij hominis.*
*Matth. 3. v. 2.*
*Luc. 17. 21.*
*Matth. 11. v. 12.*

Cœlo vim faciunt lachrymæ.

6. Verumtamen quædam hic adverſus jam dicta fieri poſſet objectio, quia in eodem Evangeliſta ſancto Matthæo diſcipuli ad Chriſtum acceſſiſſe leguntur, & quæſiiſſe: *Quis putas major eſt in regno cœlorum? Et advocans Jeſus parvulum ſtatuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis: Niſi . . . efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*: At vero qualem pueri cœlo inferre poterunt violentiam? Divus Chryſologus dicit: *Verum ſi regni quod promittit puſillis, deſideras noſſe qualitatem; ipſe aperit ſic dicendo: Sinite parvulos venire ad me, . . . talium eſt enim regnum cœlorum; eſſe in cœlo mirum eſt, in cœlo vivere eſt majeſtatis; jam regnare in cœlo, quanti ſit, ſenſus deſinit æſtimare mortalis, & tamen homo, quod æſtimare non potes, percepiſti.* At vero huic quoque difficultati alia inſuper adhiberi poteſt reſponſio; Etenim quando pueri à nutrice, à matre, vel ab alijs aliquid violenter extorquere volunt, importune flere incipiunt, adeoque in fletu omnem vim ſuam conſtituunt; Et hoc forte eſt, quod S. Ambroſius ſuper hæc verba: *Vim facientes diripiunt illud*, dicere voluit, dum ait: *Vim facimus Domino non compellendo, ſed flendo. O beata violentia, qua non indignatione percutitur, ſed miſericordia condonatur: Beata inquam violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti; quiſquis violentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur à Chriſto.*

*Matth. 18. v. 1.*
*Ibid. v. 2.*
*Ibid. v. 3.*
*D. Chryſol. ſerm. 25.*
*Marci 10. v. 14.*
*Matth. 11. v. 12.*
*S. Ambr. T. 5. ſerm. 5.*



Quinam cœlum violenter diripiunt.

*S. Auguſt. in Append. de diver. ſer. 76.*

7. S. Auguſtinus in ſermone quodam de hujus propoſitionis intelligentia diffuſe tractans, per hanc violentiam bellum quoddam intelligendum eſſe dicit [illegible] quod nobiſmetipſis à nobis indicendum eſt, ut de [illegible]ſionibus & inordinatis appetitibus noſtris victo[illegible] glorioſe reportemus: *Novimus quia familiari[illegible] humana in diverſis hujus mundi illecebris & [illegible]centijs devicta, fugit laborem, expetit voluptatem [illegible] vix adducitur, ut conſuetudinem à ſe vitæ prioris exc[illegible]dat; ſed cum cœperit cogitare ultimi diei neceſſitatem, ac futuri judicij pondus, incitata & ſtimulata vel ſpe præmij, vel timore ſupplicij voluntarium bellum indicit paſſionibus, & vim facit priſtinis ſuis deſiderijs, & violenter ſe vincere ipſa contendit, non enim ſine violentia fieri poteſt, ut de abundantia & delicijs ad famem & ſitim, & abſtinentiam tranſeat & crucem, ut ſomno prius atque otio amicam carnem, contritione vigilijſque conficiat; non inquam ſine violentia fieri poteſt, ut unuſquiſque iracundiam patientia, ſuperbiam humilitate commutet, amore paupertatis divitiarum ac ſufficientiæ affluentiam ſuperet, vinolentiam ſobrietate, luxuriam caſtitate condemnet, & homo ſubito in virum transformetur perfectum, & quodammodo alter reddatur ex altero, & ſic à talibus per violentiam regnum cœlorum diripitur.* Sic illi qui vivos ſeſe in clauſtris regularibus ſepeliunt, in eiſque perfectioni Chriſtianæ acquirendæ continuam navant operam, hoſce ſenſus & appetitus, qui inceſſanter nos infeſtant, & in noſtram pernitiem contra nos militant, obſidione arctiſſima cingunt. *Unde bella & lites in vobis*, quærit S. Jacobus Apoſtolus, *nonne hinc? ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Qui ergo victoriam reportare, ingentemque & prædivitem regni cœlorum prædam ſibi comparare deſiderat, huic opus eſt ut ſemetipſum vincat & ſuperet, propriiſque ſenſibus violentiam inferat, id quod adeo verum eſt, ut ſine hac virtute mortificationis, non ſo[illegible] ad beatitudinem non pertingere, verum etiam ſi[illegible]lla mentem & cor noſtrum ad bona illa cœleſtia & immortalia elevare penitus non poſſimus. *Numquam affectus noſter*, inquit Richardus à S. Victore, *ad deſiderium æternorum accenditur, nec intellectus ad cœleſtium contemplationem perfecte acuitur, niſi cura carnis, etiam in licitis & neceſſarijs, frequenter & fortiter repellatur.* Sola vitia & culpæ noſtri ſunt inimici, qui nos ab ingreſſu cœlorum arcent & impediunt; Hæ autem in corde ſive in voluntate noſtra ſedem ſuam habent: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia*, &c. ſenſus noſtri ſunt Interpretes & Procuratores peccati, hoc autem eſt inimicus, contra quem pugnare quemque vincere debemus, quia *Nihil coinquinatum intrat in regnum cœlorum*; Hoc autem non niſi mortificatione tam interna, quam externa mediante conſequemur.

*Jacob. 4. v. 1.*
*Rich. de S. Vict. de Contempl.*
*Matth. 15. v. 19.*
*Apoc. 21. v. 27.*

*D. Chryſol. ſerm. 171.*

Violentia ad vincendum hoſtem noſtrũ opus eſt.

8. D. Chryſologus ait: *Tolerabilis eſt hoſtis cum muros arietat extrinſecus, cum foris poſitus cedit aliquando conflictui, cui vero intus eſt inimicus, hic ſe oppreſſam ſentit, ſe captivam deplorat*; Hic igitur violentiâ opus eſt, ad vincendum ſeipſum, & totaliter quidem vincendum, ſi quidem omnium inimicorum noſtrorum maximus corpus noſtrum eſt, ſeu potius nos ipſi noſtrimetipſius acerrimi & pernitioſiſſimi hoſtes ſumus, ac proinde in cœleſtem Jeruſalem ſeu viſionem pacis pedem noſtrum inferre non poſſumus, niſi prius nobiſmetipſis hanc vim & violentiam inferamus, nam *violenti rapiunt illud, idem eſt*, ut ait S. Anſelmus, *quod qui violenter domant carnem ſuam.* S. Ambroſius ſimiliter inquit: *Vis igitur menti affertur humanæ, quæ diverſis illecebris delinita, laborem fugit, voluptatem expetit, cum vel metu ſupplicij coërcita, vel præmio provocata vincere ipſa ſe nititur.* Idem quoque alibi de corporis caſtigatione tractans inquit: *Ut autem his armis uti in vi inferenda poſſimus, ante corporibus noſtris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, prius ipſi regnare debemus in nobis, ut regnum poſſimus diripere Salvatoris.*

*Matth. 11. v. 12.*
*S. Anſelm. in Matth. ibid.*
*S. Ambr. l. 5. in Luc. c. 7.*
*S. Ambr. T. 5. ſerm. 5.*

Proſecutio.

9. In ſacris Canticis ſponſum dixiſſe legimus: *Veni de Libano veni coronaberis*; At vero quibus meritis hæc anima obtinuit, ut pretioſo hoc diademate coronaretur? Ubi ſunt certamina, & luctæ, vel victoriæ quas de hoſtibus reportavit? Numquid S. Paulus ait: *Non coronatur niſi legitimè certaverit?* Ubi igitur, vel quando, vel contra quem certavit? Num forte de monte in vallis planitiem deſcendere, certare ipſius fuit? Dicit enim ſponſus: *Veni de Libano.* S. Bruno Carthuſ. ait: *Ipſum venire certare eſt, neque enim ei facile fuit patriam parenteſque relinquere, priſtinos mores antiquam converſationem deſerere*: Et ideo ad hoc ut quis ſponte ſua deſerat quæ placent & delectant, [illegible] opus eſt; ſibique ipſi ab homine vio[illegible]nda eſt.

*Cant. 4. v. 8.*
*2. Tim. 2. v. 5.*
*S. Bruno ibid. in Cant.*

[illegible] *[illegible]um cœlorum vim patitur & violenti rapiunt* [illegible]o ut quis regnum aliquod armata manu [illegible], magna militũ & expertorũ Belli Ducũ [illegible], multæ requiruntur munitiones, annonæ, [illegible]rum abundantia eſt neceſſaria, prouti inter nos quotidiana docet experientia; ac proinde audite quænam ad invadendum regnum cœlorum requirantur militiæ ſpiritualis præparamenta, hæc enim S. Ambroſius optimè exponit; dum ait: *Aggredimur Chriſtum non ferro, non fuſte, non ſaxo, ſed manſuetudine, bonis operibus, caſtitate, hæc ſunt arma fidei noſtræ quibus in congreſſione certamus: Ut autem his armis uti in vim inferendam poſſimus; ante corporibus noſtris vim quodammodo faciamus.* Idem quoque ſanctus Pater alibi, dum verba illa: *Regnum cœlorum vim patitur*, exponit, ita ſcribit: *Aggredimur in itinere Dominum (ſiquidem ipſe eſt via) & more latronum ſuis eum ſpoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, theſaurum, & vitam, ſed ille tam dives & largus eſt, ut non abnuat, non reſiſtat, & cum omnia dederit, nihilominus omnia ipſe poſſideat.* Non rapitur hoc regnum cœlorum per inſidias, per fraudes & proditiones, ſed pugnemus neceſſum eſt: *Regnum cœlorum vim patitur*: Eſt enim ars quædam ſeu fortalitium, quod alia via comparari nequit, quam per viam ſudoris, laboris, certaminis, & illatæ violentiæ: *Violenti rapiunt illud*, ſed quænam eſt hæc violentia? *Aggredimur non ferro, ſed bonis operibus. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Aut quis requieſcet in monte Sancto tuo? Qui ingreditur ſine macula & operatur juſtitiam? Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit*, &c. Scrutemini & perſcrutemini, volvatis & revolvatis licet univerſam ſacram Scripturam, nuſquam tamẽ regnum cœlorum aliter acquiri poſſe invenietis, quam per merita, & opera virtuoſa & ſancta: *Opera enim illorum ſequuntur illos*; Unde S. Anſelmus ait: *Regnum cœlorũ vim patitur, quando à peccatoribus bene operantibus rapitur.*

*Matth. 11. v. 12.*
Arma ſunt opera bona.
*S. Ambr. ſerm. 16.*
*S. Ambr. T. 5. ſerm. 5.*
*Pſ. 23. v. 3.*
*Ibid. v. 4.*
*Pſ. 14. v. 1.*
*Ibid. v. 2. & 3.*
*Apoc. 14. v. 12.*
*S. Anſelm. in Matth. ibid.*

Cum violentia dimicandum.

11. *Vim patitur & violenti rapiunt*; Duce Chriſto & ſub regio ſanctæ Crucis labaro conſcripti & immatriculati fortalitium iſtud per varios aſſultus aggredimur; Nam ut apud Michæam dicitur: *Aſcendet enim pandens iter ante eos, divident & tranſibunt portam & ingredientur per eam.* Filius Dei per triumphalem Aſcenſionem ſuam viam ad Paradiſum cœleſtem aperuit, vulneribus, cruentis prælijs, imo & acerbiſſimæ morti generoſo lubentique animo occurrerunt, ſeque ultro citroque ingeſſerunt, ut beati hujus regni poſſeſſionem capere, ſeu potius rapere poſſent. S. Hieronymus ſuper prædicta Micheæ verba ita ſcribit: *Quia Angeli, ſive Pater & Spiritus Sanctus diviſerunt quod videbatur obſtare, & fecerunt viam volentibus ingredi, & quia aperto itinere invaſerunt iter, non ſolùm ingreſſi ſunt portam, ſed & tranſierunt per eam.* Propheta prædictus paulo ante dixerat: *Tumultuabuntur à multitudine hominum*; Pro quibus verbis S. Hieronymus ex verſione Septuaginta legit: *Exſilient ex hominibus*, id eſt, ut idem ſanctus Doctor ibidem exponit: *Tranſcendent humanæ conditionis ſtatum, exſilient ex hominibus*; Illi enim qui cœlorum amore ac deſiderio capti, beato huic regno acquirendo cor & animum efficaciter applicant, certando, patiendo, ac tormenta acerbiſſima ſuſtinendo, humana conditione ſe ſuperiores eſſe evidenter probant; *Violenti rapiunt. Vim faciamus regno cœlorum*, inquit S. Ambroſius, *omnis enim qui vim facit, vehementi ſtudio properat, non torpenti leneſcit affectu.*

*Mich. 2. 13.*
*S. Hier. in Mich.*
*Mich. 2. v. 12.*
*S. Hieron.*
*S. Ambroſ. l. 8. in Luc. in princ.*

Conſiderandus eſt Dux noſter.

12. Quando Civitas aliqua armata & violenta manu expugnanda eſt, jamque dies inſultui faciendo eſt deſignatus, Dux belli generaliſſimus, una cum cæteris militiæ capitibus præcipuiſque Officialibus & Baronibus

bus primi ſunt qui in hoſtem penetrant, & mœnia adoriuntur, ut alijs cor & animum generoſum & intrepidum ſuggerant. Sic Rex Abimelech, ut Sichimitarum turrim, in qua ſe fortiter communierant, expugnaret:

*Jud. 9. v. 48.*

*Aſcendit in montem Selmon cum omni populo ſuo, & arrepta ſecuri præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios: Quod me videtis facere, cito facite.*

*Ibid. v. 49.*

*Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, ſequebantur Ducem.* Quænam poſſet in toto Veteri Teſtamento reperiri figura, in qua id quod in expugnando poſt mortem & Paſſionem Chriſti regno Cœlorum accidit, clarius & convenientius exprimatur, quam in iſta? Quis ex toto genere humano adeo fuiſſet magnanimus, ut Paradiſo cœleſti per [illegible] univerſo generi humano inexpugnabili, [illegible] vere, caſque conſcendere auſus fuiſſet? Nullus [illegible]. Tandem igitur Rex gloriæ impoſita [illegible] ponderoſiſſima Cruce ad ſuos converſus eiſdem dixit:

*Ibid.*
*Matth. 16. v. 24.*

*Quod me videtis facere cito facite: Si quis vult poſt me venire, . . . tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Quo exemplo præmiſſo, quot fuere innumeri homines qui impoſita ſibi Cruce cœlo vim intulerunt, cœloque conſcendendo admoverunt perfectioris vitæ ſcalam, eamque generoſe aſcenderunt?

*Jud. 9. v. 49.*

*Certatim ramos de arboribus præcidentes ſequebantur Ducem:* Quot martyres quot tenellæ virgunculæ certatim morti occurrerunt, haud ſecus ac ſi ituri fuiſſent ad nuptias? Adeo ut, quod S. Leo notat, tyranni deluſi remanſerint,

*S. Leo ſer. 6. de Epiph.*

*Ne ſcientes Eccleſiam Dei per furorem ſuæ crudelitatis augeri, quoniam in ſupplicijs & mortibus beatorum martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo.*

*S. Aug. l. 8. Conf. c. 11.*
Ad pugnam allicit multorum exemplum.

13. S. Auguſtinus in libris Confeſſionum ſuarum in cap. cui titulus eſt: *De lucta ſpiritus & carnis*, tractans de malis ſuperatuque difficilibus vitiorum habitibus, multarum tenellarum Virginum, aliorumque innumerabilium, qui candoris ſui lilium illibatum conſervarunt, generoſo exemplo animum ſuum erigit, dicens: *Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas, & graves viduæ, & Virgines anus, & omnibus ipſa continentiæ nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum, de marito te Domine, & irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret: Tu non poteris, quod iſti & iſtæ? An vero iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt ac non in Domino Deo ſuo?* Ex quo igitur tenellæ Virgines & pueri imbelles ac inexperti juvenes tam generoſo & impavido animo cœlum per ſcalas virtutum conſcenderunt, quid nos trepidamus? Legatur liber ſecundus Macchabæorum, & videbitur quam fuerint ſeptem illi fratres, ad expugnandum certatim per diriſſima perpeſſa ſupplicia cœlum fortes & intrepidi. Similiter ſancta illa Symphoriani mater, metuens, ne ſanctus adoleſcentulus ad ſtricti gladij fulgorem trepidaret, exclamare cœpit: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum ſuſpice & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, ſed mutatur in melius, & ſic fortiter Jeſu Chriſti cauſâ carnifici collum præbuit.*

## DISCURSUS XXI.

### ARGUMENTUM.

Quiſquis in cœlum aſpicit, jugum legis libenti animo portat: Et ideo Evangelij ſectatores plus patiuntur, quam qui in antiquo Teſtamento vixerunt, cùm jam apertus ſit Paradiſus, cujus conſideratione omnia facile ſuſtinentur.

### THEMA.

*Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* 2. Cor. 4. v. 17. & 18.

Qui cœlum reſpicit huic levis eſt tribulatio.
*2. Cor. 4. v. 18.*

1. Obſervandum eſt quod Apoſtolus hiſce verbis brevitatem paſſionum vitæ præſentis, futurorum gaudiorum contra opponat brevitati, ſimulque nos eodem tempore ad cor & oculos noſtros in cœlum extollendos paterne invitet: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* S. Auguſtinus in Pſalm. 93. ita ſcribit:

*S. Auguſt. in Pſal. 93.*

*Attendis te hic habere laborem, ſed attende qualem ille requiem pollicetur, numquid cogitare poteris? Si illam poſſes cogitare, videres te nihil laborare ad compenſationem; Audi eum, qui illud ex parte cernebat, qui dixit: Nunc ſcio ex parte. Quid ait Apoſtolus? Etenim quod eſt ad præſens temporale, & leve tribulationis noſtræ, juxta incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis; Quid eſt, æternum gloriæ pondus operatur in nobis? Quibus operatur? Non reſpicientibus quæ videntur, ſed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna.* Quiſnam nobis de infinita Paradiſi gloria adæquatam magis notitiam dare potuit S. Paulo Apoſtolo? Qui in cœlum Empyreum raptus, *de viſu oculorum* eamdem, licet *per modum tranſeuntis*, fuit contemplatus; Hic igitur omne id quod in hac vita ſuſtinetur, *momentaneum & leve tribulationis* appellat, licet idipſum in ejus perſona valde multum fuerit, quia facta comparatione ſui ad omnes alios Apoſtolos, dixit de ſe:

*2. Cor. 4. v. 17.*

*Abundantiùs illis omnibus laboravi*; Quod verum eſſe, evidentius ex illis ejuſdem Epiſtolæ verbis apparet: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs*, &c.

*1. Cor. 15. v. 10.*
*2. Cor. 11. v. 23.*

Lex Moyſis gravis erat quia cœlum nondum erat apertum.

2. S. Petrus Apoſtolus de præceptorum adimpletione tractans legem Domini ante felicem Chriſti adventum grave jugum & pondus ingens fuiſſe dicit:

*Act. Apoſt. 15. v. 10.*

*Intolerabile jugum, quod neque Patres noſtri neque nos portare potuimus*; Et tamen alia ex parte, ex indubitato æternæ veritatis teſtimonio conſtat nobis contrarium; Dicit enim Salvator noſter:

*Matth. 11. v. 30.*
*Ibid. v. 28.*

*Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve; Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; Undenam quæſo hæc differentia procedit? Num forte ex præceptorum legis Moſaicæ multiplicitate? Aut vero quia illa non conferebat eam adimplere. Volentibus gratiam, nec ulla auxilia ſubminiſtrabat? Aptior noſtroque propoſito convenientior ad hanc difficultatem reſpondendi modus eſt, ideo ſcilicet legem Moyſis grave jugum fuiſſe, quia in veteri lege cœleſtis Paradiſus nondum erat apertus; Cum majori enim animoſitate operatur quis, quando præmium laboris adeo nobis vicinum eſt, ut faciliter videatur. Unde S. Joannes Baptiſta mundo voluptatibus & delicijs aſſuefacto, Pœnitentiam adeo auditui faſtidioſam, & in executione difficilem proponere & inculcare volens, ſimul etiam eodem tempore, Regnum cœlorum vicinum eſſe affirmavit:

*Matth. 3. v. 2. & Matth. 4. v. 17.*

*Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, Sic quoque incarnata ſapientia in prædicationis Evangelicæ exordio, utrumque ſcilicet Pœnitentiæ agendæ neceſſitatem, & Regni cœlorum vicinitatem ſimul conjunxit, quando ſemen legis novæ & gratiæ ſpargere cœpit.

Lex gratiæ jugum fecit leve.

3. Obſervandum eſt, quod ex quatuor illis animalibus, quorum Ezechiel Propheta meminit, unicum tantum fuerit, quod collum jugo ferendo aptum & idoneum habebat, bos videlicet: Aquila enim, leo, & homo naturâ ſuâ ad jugum ferendum omnino ſunt inhabiles, imò & alieni. Imo notandum eſt inſuper, quod tametſi Bos natura ſua tardiſſimus ſit, nihilominus eamdem cum aquila velocitatem & agilitatem, imo & alas pennatas induerit:

*Ezech. 1. v. 12.*

*Ubi erat impetus ſpiritus, illic gradiebantur*; Quia ubi cœli aperti conſpiciuntur, cervices quantumvis duræ, obſtreperæ & recalcitrantes Divinæ legis jugo facile & libenti animo ſubjiciuntur. Illique qui alias ab omni ſunt mortificatione maxime alieni, & in Divino ſervitio pigerrimi & tepidiſſimi, difficillimis maximeque arduis pœnitentiæ & mortificationis operibus ſeſe accingunt, idque quia aperti ſunt cœli; Unde & Ezechiel priuſquam myſtici illius currus mentionem faceret, cœlum ſibi apertum vidit:

*Ezech. 1. v. 1.*

*Et vidi viſiones Dei.*

*Eccli. 31. v. 10.*

4. Regius Propheta David in throno Iſraël, mediaſque inter delicias poſitus, *potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit*: Sed cur adeo perfecte & fideliter appetitus ſuos ſuppreſſit, collumque ſuum unâ cum ſublimis Imperij ſui ſceptro, & independenti qua præfulgebat authoritate Divinæ legis jugo ſubjecit?

Ob cœli præmium.

Quia ad cœlum ſive ad æternam retributionem oculos ſuos levavit; Unde ait:

*Pſal. 118. v. 112.*

*Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*; Nam ut S. Auguſtinus ait:

*S. Auguſt. Epiſt. 143. ad Dom.*

*Omne opus leve fieri ſolet, cum ejus præmium cogitatur, & ſpes præmij ſolatium eſt laboris.*

5. Salvator noſter aliquando ad Apoſtolos ſuos converſus, eiſdem dixit:

*Matth. 5. v. 20.*

*Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* At vero dicet fortaſſe aliquis, numquid idem cœleſtis Paradiſus, idemque præmium æternum omnibus fidelibus ex æquo præparatum fuit, cur igitur in diſcipulis ſcholæ ſuæ Chriſtus majorem requiſivit perfectionem, quam in alijs?

Propter cœleſte præmium multi ſolitudinem elegerunt.

Num forte Chriſtus acceptor perſonarum fuit? D. Chryſoſtomus, ni fallor, dubium iſtud reſolvit, dum ad Chriſtum ſe convertens, ita eum alloquitur:

*D. Chryſoſt. hom. 56. de Pœnit. 8.*

*Plus à me laboris exigis? Quare? Num una cum illis non ſum naturâ? Numquid ſum homo ſimilis illis? Quare nobis labores addidit? Quare majores deſudationes exquirit? Occurrit objectioni, regnum cœlorum proferens:* Notandum enim eſt, quod eodem prorſus tempore; quo dixit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum.* Simul etiam regni cœlorum paulò poſt aperiendi mentionem fecerit: *Majora*, inquit, *præmia deſero, dicens labores, dicens certamina, dicens extenſionem legis, & præmiorum meminit; Nequaquam enim Palæſtinam do, neque terram fluentem lacte & melle, ſed ipſum vobis cœlum deſero.* Vix etiamnum felix fortunatumque nuntium de Chriſti in terras deſcenſu (in quo juxta votum ſanctorum Patrum dicentium:

*Iſa. 64. v. 1.*

*Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes*, aperti ſunt cœli) hic in mundo ad nos delatum fuit, cum ecce ſanctiſſimus Chriſti præcurſor pariter, ut diximus, annuntiavit nobis:

*Matth. 3. 2.*
*Matth. 4. v. 17.*

*Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*; Ipſe præcurſor Chriſti primus fuit, qui etiamnum infantulus exiſtens in ferarum latibulis vivum ſe ſepelivit, & ſcorpionum ac ſerpentum ſe ſocium fecit; Unde Chriſtus meritò dixit:

*Matth. 11. v. 12.*

*A diebus autem Joannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud:* Univerſus Judææ populus ad illum accedens deſerta replevit, econtra vero civitates Judææ ab incolis exinanitæ, in deſerta commutatæ fuerunt, ob confluentem in deſertum Joannis hominum multitudinem, ut à Joanne Baptiſmatis undis tingerentur, ejuſque prædicationes auſcultarent; In denſis ſolitudinis illius ſylvis primi aptabantur lapides fundamentales, qui in cœleſtis Jeroſolymæ fundamenta conjiciendi erant, quales fuere Andreas, Petrus, Philippus & Jacobus, & alij. At vero poſtquam cœlorum januæ in Aſcenſione Domini patefactæ ſunt, tunc mirabiliter auctus eſt pœnitentium numerus, qui ad S. Marci prædicationem converſi & Eremitæ facti Ægypti ſolitudines & horridas ſylvas impleverunt, quique ut ſanctus Hieronymus notat conjectis in cœleſtem Jeroſolymam oculis ſolitudinum, illarum rigores, cilicia, jejunia, aliaſque ſimiles auſteritates in ſuavitate Spiritus ſuſtinentes longævam ſibi vitam compararunt: De quibus omnibus S. Hieronymus inquit:

*S. Hieron. Epiſt. 1. ad Heliod.*

*O ſolitudo in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi civitas magni Regis exſtruitur.*

Plura ſunt paſſi fideles in lege gratiæ quam in lege ſcripta.

6. Legatis abhinc præcedentium quinque millium annorum Hiſtorias, & ſolum Eliam & Eliſeum cum aliquorum Prophetarum non adeo numeroſo grege in Carmelo habitantes invenietis: at vero poſtquam in Aſcenſione Domini cœli aperti fuere, quot ſylvæ, quot antra & ſpecus, quot ſolitudines & deſerta loca ab innumerabili Anachoretarum & Monachorum multitudine per omnes totius Chriſtianiſmi partes fuere ſanctificata? quot fuere qui non retia lacera, non ruinoſas naviculas, ut Apoſtoli; ſed coronas deſeruerunt & ſceptra imperialia? Quanto plus fideles novæ legis in perpeſſis tormentis excelluerunt, præ cunctis alijs etiam ſanctis, qui legis naturæ, vel ſcriptæ tempore vixerunt in ſæculis antiquis? Comparetis velim qui in utriuſque Teſtamenti ſtatu excellentiores fuere, & me vera dixiſſe ſine ullo dubio deprehendetis.

His levius eſt jugum.
*Gen. 49. v. 14.*
*Ibid. v. 15.*

7. In Geneſi inter alias benedictiones quibus S. Patriarcha Jacob filios ſuos cumulare voluit, hæc quoque reperitur: *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos vidit requiem, ... & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum.* Sed quodnam eſt jumentum iſtud, quod ex ſpe captandæ aliquando quietis dorſum ſuum cuivis quantumcumque gravi & ponderoſo oneri libere ac libenti animo ſuppoſuit? S. Gregorius ad propoſitum noſtrum reſpondet:

*S. Greg. L. mor. c. 6.*

*Inter terminos accubare eſt præſtolato mundi fine requieſcere, nihilque de his quæ nunc in medio verſantur, quærere, ſed ultima deſiderare.* Per jumentum vero hoc loco Gentilitas intelligitur, quæ poſtquam in locum repudiatæ Synagogæ ſubſtituta & ad notitiam & ſequelam Chriſti vocata fuit, auditis Chriſti promiſſionibus, conſpectiſque apertis Cœlorum foribus, cuilibet etiam graviſſimo ac intolerabili oneri humeros ſuos ſubjicere non dubitavit: *Et fortis aſinus*, inquit idem S. Gregorius, *requiem ac terram optimam videt, cum ſimplex gentilitas idcirco ſe ad robur boni operis exigit, quia ad æternæ vitæ patriam tendit; Quæ ad portandum onus humerum ſupponit, quia conſpecta ſuperna requie, præceptis etiam gravibus in operatione ſe ſubjicit, & quidquid intolerabile puſillanimitas aſſerit, hoc ei leve ac facile ſpes remunerationis oſtendit.*

Ob promiſſam cœli gloriam.

8. Jacob, paternæ domus delicijs aſſuefactus, non vero ut Eſau frater ejus in venationis difficillimis laboribus exercitatus poſtquam per artificioſum illud





cunctiſque notum ſtratagema, Patris ſui benedictionem, cum tanta fratris ſui jactura præoccupaſſet indeque fratris ſui ſuper ſe ad mortem uſque provocaſſet vindictam, à matre ſua perſuaſus in Meſopotamiam conceſſit, idque ſine ullo viatici aut annonæ proviſione tam prolixo itineri conficiendo neceſſaria, ut proinde poſtea dixerit:

*Gen. 32. v. 10.*

*In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum.* Et prima quidem nocte ſuper nuda humo ac ſub dio, in aperto aëre duriſſimo lapide cervicalis loco capiti ſuppoſito cubavit; adhæc longum illi iter in regionem longinquam, ignotam Idolorum cultui deditam in magna rerum omnium egeſtate, interque continuos mortis timores à furibundo & irato fratre necem illius machinante incuſſos conficiendum erat, ac tandem terminatis itineris laboribus panem ſuum in ſudore vultus magniſque laboribus lucrari debebat, & dura pati:

*Gen. 31. v. 40.*

*Diu noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*, Deus igitur ut illum ad hanc tam longam & ærumnoſam malorum & miſeriarum Iliadem ſuſtinendam animaret, cordiſque ſuggereret generoſitatem, quid fecit? Cœlum ei apertum & myſticam illam à cœlo in terram uſque protenſam ſcalam, in qua Angeli aſcendebant & deſcendebant ob oculos poſuit & videndam præbuit, ex qua cœleſti viſione adeo eximium percepit ſolatium, ut reliquum ardui & ærumnoſi hujus itineris facili negotio conficere potuerit. Optime igitur S. Baſilius filium quemdam ſuum ſpiritualem his verbis admonuit:

*S. Baſil. in admonit. ad fil. ſpiritualem.*

*ſemper cor tuum promiſſa cœleſtia meditetur, ut ipſa te ad virtutis viam provocent.*

Tribus Apoſtolis ut fortius adverſa tolerarent oſtenſa eſt transfiguratio.

9. Quonam fine Salvatorem noſtrum in monte Thabor illum cœleſtis gloriæ, qua anima ejus fruebatur, radium in corpus ſuum derivare voluiſſe exiſtimatis, adeo præfulgidum ut à tribus illis Apoſtolis viſus fuerit Solis inſtar luminoſus & cœleſti gloria conſpicuus? Venerabilis Beda ait:

*Ven. Beda.*

*Pia proviſione factum eſt, ut contemplatione ſupereminentis gaudij ad breve tempus delibata, fortius adverſa tolerarent*; Ex his namque tribus Apoſtolis primus, ſcilicet Jacobus, pro fidei confeſſione martyrium ſubire, S. Joannes Paſſioni Redemptoris noſtri in monte Calvariæ præſens aſſiſtere, Tertius denique S. Petrus videlicet Claves cœli moderari, omneſque Chriſti ſequaces tamquam caput Eccleſiæ ad patiendum & moriendum pro fide animare & excitare debebat; ac proinde merito illis primo cœlum licet clauſis quaſi oculis, ut ita dicam, conſpiciendum præbuit, ut tanto magis intrepidi ad quævis ſupplicia, conſtantioreſque evaderent.

Ob contemplatam cœli gloriam multi martyrium ſubiere.

10. Poſtquam Salvator noſter in die triumphalis Aſcenſionis ſuæ ſanguine tinctus Cœlos ante Apoſtolorum oculos apertos (Angelis pro ſtupore attonitis & quærentibus:

*Iſa. 63. v. 1.*

*Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?*) ingreſſus fuit, mirum fuit, quot ex Evangelij ſequacibus, in ſtrictos ſe Tyrannorum enſes ultro citroque ingeſſerint, quot ſanguinis humani torrentes ex amore pro fidei noſtræ confirmatione effuſi fuerint, quot ſancti Confeſſores ardentiſſima charitate & in arcta pœnitentia Deo inſervierint, id quod nequaquam fieri potuiſſet; niſi tam ſancti Martyres in crudeliſſimorum tormentorum ſuorum carnificina, quam ſancti Confeſſores in tanta rigoroſiſſimæ pœnitentiæ ſuæ auſteritate Cœlum ſibi ob oculos poſitum continua conſideratione contemplati fuiſſent.

David expoſuit ſe mortis periculo & Goliath aggreſſus ſpe præmij.

11. Quando ſuperbus ille Goliath univerſum Iſraëlis exercitum ad duellum ſecum ineundum provocavit, omnes ad inſtar folij cujuſdam vento hinc inde agitati contremiſcebant, nec ullus eorum ſe hujus Coloſſi, qui inſtar Chalibei montis conſpiciebatur, faſtui & arrogantiæ opponere, aut ad particulare cum ipſo certamen ineundum offerre audebat; donec à Saüle facinus hoc adorienti ingens quoddam decerneretur præmium, tunc enim vilis quidam paſtorculus præmij hujus cupidine extimulatus in medium prodiit, cumque interrogaſſet:

*1. Reg. 17. v. 26.*

*Quid dabitur viro qui percuſſerit* &c. & præmij intellexiſſet præſtantiam: Gigantem hunc aggreſſus glorioſam de illo in nomine Domini reportavit victoriam, cujus in Scriptura ſacra non una ſed frequens fit mentio; nimirum conſideratio præmij ipſum animavit, & incredibilem animi ſuggeſſit vigorem, ſciebat enim quod victor contra hunc Coloſſum exiſtens è pecorum ſtabulo ad regia tranſiturus eſſet palatia, & ex pauperculo ovium paſtore futurus eſſet gener Regis: unde arguere poſſumus & dicere quod ſi ſpes retributionis cujuſdam adeo modicæ huic juveni animum inferere potuit adeo generoſum, ut vitam ſuam evidentiſſimo mortis periculo exponere non dubitarit, qualis erit illa animi generoſitas,

quæ inſerenda eſt animæ cuipiam fideli ad adeundum quævis mortis pericula, conſideranti quod in propinquo ei ſit merces regni cœlorum.

*Illi levis eſt corporis maceratio.* *S. Hieron. L. 2. Ep. 13.*

12. S. Hieronymus ad Ruſticum ſcribens, poſtquam illi ad agendam vitam quamdam perfectam varia præſcripſiſſet ſalutaria monita, tandem notabilibus hiſce verbis diſcurſum ſuum concludit: *Si habes ſubſtantiam, vende, & da pauperibus, ſi non habes grandi onere liberatus es, nudum Chriſtum nudus ſequere*, ac demum ad propoſitum noſtrum ſubjungit: *Durum, grande, difficile eſt, ſed magna ſunt præmia.* Quotieſcumque igitur maceranda eſt caro noſtra jejunijs diſciplinis, cilicijs, deneganda ſunt illi voluptates, lectus mollis, aut delicatus veſtitus, mentem noſtram ad id erigere debemus, quod D. Chryſoſtomus his verbis inſinuat: *Largiſſimam profecto mercedem pro contempta temporali voluptate capiemus; atque ipſe ad tuam animam loquere: Triſtaris quia te corporis voluptate defraudo? ſed lætare potius, quia tibi cœlorum regna providebo.* In ſtolam gloriæ mutabuntur rigida cilicia: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* *(D. Chryſoſt. Pſ. 29. v. 12.)*

*Imo omnia ſunt levia.* *Pſ. 93. v. 19.*

13. Hac conſideratione extimulatus regius Pſalmiſta purpuras cum ſaccis generoſe commutabat: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*; in illos nectaris & ambroſiæ torrentes quæ Civitatem Dei copioſe inundant ſuos conjiciens oculos, in ſuis ſe conſolabatur jejunijs abſtinentijs, auſteritatibus, mortificationibus, aliiſque vitæ auſteritatibus, quas libenter & prompte ſuſtinebat; Ejus quidem inimici ex invidia & malignitate ſua moti illum pro viribus calumniari ſtudebant. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi*, ſed quonam utebatur remedio, ut inter haſce calumnias, de quibus Sapiens ait: *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius*, ſolidus & conſtans perſeveraret, ſeque ab illis defenderet? Certe non alia, quam ſeria hujus verſus repetitione: *Credo videre bona Domini in terra viventium*; ac tandem ſeipſum ad animi conſtantiam & fortitudinem excitans ſubjungebat: *Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Huc etiam ſpectat illa S. Auguſtini præclara ſententia dicentis: *Si vis ſuſtinere laborem, attende mercedem; cum attenderis quid ſis accepturus, omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æſtimabis, pro quibus illud ſuſcipias.* *(Pſ. 26. v. 12. Eccle. 7. v. 8. Pſ. 26. v. 13. Ibid. v. 14. S. Auguſt. in Pſ. 39. Conc. 2.)*

*Specul. Exempl.*

14. *In Speculo Exemplorum* refertur quod juvenis quidam nobilibus natalibus oriundus, domique à pueritia in delicijs enutritus, ex ſpeciali Dei ipſum interius in anima extimulantis inſtinctu; Religionem ingreſſus fuerit S. Franciſci, at vero intra paucos dies à Dæmone acriter tentatus in gravi fuerit Dæmonis ſuggeſtionibus conſentiendi periculo, jam enim magnam rudis illius habitus conceperat nauſeam, adeo ut ſibi intra viliſſimum quemdam ſaccum conſtrictus & illigatus eſſe videretur; Nocte autem quæ diem illum, in quo dimiſſo habitu clauſtrum deſerere decreverat, anteibat, Eccleſiam pertranſiens, & ante altare ſanctiſſimi Sacramenti conſtitutus, in ſpiritu elevatus ſequentem habuit viſionem; Innumerabilem namque beatorum conſpexit multitudinem, qui bini & bini proceſſionaliter, ſplendidiſſimo ex jaſpide veſtiti, in manibus autem, pedibus, vultibus, & alijs corporis partibus Sole luminoſiores, & Angelorum modulantium ſuaviſſima melodia ſtipati gradiebantur; Inter omnes autem hoſce Beatos duo erant agmen illud claudentes, qui omnes alios elegantia, majeſtate, & luminis ſplendore longe excellebant, quos unus tandem ultimo in loco ſequebatur, qui tamquam recenter eorum glorioſo conſortio adjunctus ab omnibus honorari atque ad gloriam quamdam eminentem ſublimari videbatur; cumque juvenis ille proceſſionis hujuſce myſterium ab illis interrogare diu non auderet; tandem reſumpto animo, ab illis qui inter eos ſibi viciniores erant, proceſſionis prædictæ myſterium ſibi enodari poſtulavit, qui ſereno vultu ipſum reſpicientes dixerunt ei: Omnes nos Fratres Minores ſumus, qui è Paradiſo in hunc locum venimus: Ipſo autem, quinam illi duo ultimi eſſent, interrogante, dixerunt: Duo noviſſimi ſunt S. Franciſcus & S. Antonius de Padua, qui autem illos ſolitarie ſequitur, eſt anima fratris illius paulo ante in hoc loco mortui, quam in Cœlum deducturi in hunc locum Deo permittente deſcendimus, eo quod ad finem vitæ uſque in Religione & operibus bonis perſeverarit, cunctiſque Dæmonis ipſum à propoſito ſancto ſeducere conantis tentationibus viriliter reſtiterit; Adhæc ſubjunxerunt, veſtes illas luminoſas valdeque opulentas, quibus amicti conſpiciebantur, illis datas eſſe in præmium rudis illius & aſperi regularis ſui habitus, quem tot annis patienter detulerant, ſeque ad eminentiſſimos gloriæ gradus exaltatos eſſe dixerunt, ob inſignia mortificationis, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, aliarumque auſteritatum merita: ac tandem ad hunc juvenem ſe vertentes dixerunt ei: Ne tibi durum aut grave eſſe videatur hunc habitum diutius & ad finem uſque vitæ tuæ conſtanter deferre, quia ſi in hac ſacra veſte & religione perſeveraveris, etiam & tu huic Proceſſioni haud dubio annumeraberis; Hiſque dictis tota viſio evanuit; neque ille alio ſtimulo opus habuit, ut à cœpta ſua iniqua reſolutione deſiſteret, ſiquidem ab hoc tam grato ſpectaculo adeo conſolatus permanſit, ut ex illa hora ad finem vitæ uſque in vita Religioſa novo cum fervore reinchoanda, continuare & perſeverare decreverit. S. Gregorius qui ante Pontificatum per multos annos Monachus exiſtens, vitam rigoroſam valde & auſteram egit, ita hac de re ſcribit: *Mala vitæ præſentis tanto durius animus ſentit, quanto penſare bonum, quod ſequitur, negligit, & quia non vult præmia conſiderare quæ reſtant, gravia æſtimat eſſe quæ tolerat.* *(S. Greg. l. 10. Mor. c. 12.)*

## DISCURSUS XXII.

## ARGUMENTUM.

Mundus favorabilis facile ab eo contemnitur, cujus oculi in cœleſtem gloriam jugiter diriguntur, libenterque quævis adverſitas toleratur, utpote quæ ſpe æternæ retributionis ſuavis eſſe videtur.

## THEMA.

*Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. ℣. 18.

*Omnia contemnit qui cœlum conſiderat.*

S. Paulus nõ ex levibus ad id conjecturis motus eſt, ut omnia hujus vitæ tormenta nullam cum gloria proportionem habere aſſereret, cum enim ad tertium uſq; cœlum, quod Empyreum eſt & ſedes beatitudinis, raptus fuerit, aſſertionis ſuæ teſtis oculatus eſſe meruit; ac proinde valde conſiderabile & myſticum eſt verbum illud, *Exiſtimo*, hoc enim judicium indicat certum & cum veritate conjunctum; Veriſſimum igitur eſt quod quiſquis cor & animum in gaudia & bona immortalia dirigit, facili negotio omnia bona & felicitates hujus vitæ contemnet & abjiciet, econtra vero omnibus ſe ærumnis & paſſionibus vitæ præſentis libenter ſe ſubjiciet, imo omni cum generoſitate & gaudio illis obviam occurret & excipiet, veriſſimum eſſe ſciens, quod *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, &c.*

*Abraham adverſa nõ metuit habens pro mercede Deum.*

2. Quis generoſum illum & heroicum primi credentium Patris Abrahæ animum non admiretur, quo patriam, parentes & omnes paternæ domus divitias tanta cum promptitudine deſeruit, ut velut peregrinus & errabundus in patriam alienam ſibique incognitam abiret, quoad unicam dumtaxat vocantis Dei vocem miſſus fuerat? Sed quid mirum eſt, ſi idipſum fecerit, qui à Deo audire meruit; *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*; atque ab eo invitabatur de quo dicitur: *Domini eſt terra & plenitudo ejus*, quique in pollicitata ei terra promiſſionis ſecuriſſimum ei cœleſtis gloriæ elargiebatur pignus, ſiquidem *omnia in figura contingebant illis &c.* S. Gregorius in ſuis moralibus ait: *Si ſemel quiſque ad æterna ſe erigat, atque in his quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis defigat, prope nihil eſſe conſpicit, quidquid ad finem currit*, Et ideo quid mirum eſt ſi Abraham inter miſerias & ærumnas ſibi obvias velut peregrinus vivat, imo cunctis adverſitatibus & periculis libenti animo occurrat, ſiquidem dum mentis oculum bene operando in æternam retributionem defigit, nullam ſibi obviam adverſitatem gravem ſibi eſſe depræhendit; nam ut S. Thomas de Villanova optime ait: *Momentum tibi erit vita præſens, ſi oculum dirigas ad æternum præmium; Tranſit cito quod cruciat, permanet in æternum quod coronat.* *(Gen. 15. v. 1. Pſ. 23. v. 1. S. Greg. L. 10. mor. c. 12. S. Thom. Villan. in Conc. funeb.)*

*Nec Moyſes*

3. Moyſes regiam purpuram in ſaccum ſervilem, poteſtatemque regiam cum ſervitute libenter commutavit, melius ſibique utilius eſſe exiſtimans, ſi cum vili Hebraiſmi plebecula in conficiendis è luto lateribus divexaretur, quam ſi glorioſo Dominij ſui ſceptro regna & ſubjectos ſibi populos gubernaret: Nec eſt quod perſuadeatis vobis Davidem idipſum in ætate juvenili & minime conſiſtente, omniſque conſilij inope feciſſe, nequaquam enim ita eſt, ſed in ætate matu-



matura idipſum præſtitit. Dicit enim ſanctus Apoſtolus: *Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti.* Sed quo motivo id ipſum facere ſtatuerat? Motivum hoc ſanctus Apoſtolus immediate ſubjungit, dum ait: *Aſpiciebat enim in remunerationẽ. Negavit*, inquit Chryſoſtomus, *hoc eſt, odit, averſatus eſt; cœlo enim propoſito, ſupervacaneum erat admirari regiam Ægypti.* *(Hebr. 11. v. 24. Ibid. v. 25. Ibid. v. 26. Hebr. 11. v. 26. D. Chryſoſt. Hom. 26. ad Hebr.)*

4. S. Ambroſius verba illa Davidis: *Tu ſcis improperium meum* exponens, ſubjungit loco gloſſæ: *Quamquam iſtud opprobrium Chriſti ſit, quod non eſt verum opprobrium, ſed gloria Dei.* Demum vero ad Moyſen deſcendens, & prædicta, Apoſtoli verba gloſſans ita ſcribit: *Hoc opprobrium theſauris Ægypti Moyſes prætulit, majus æſtimans theſauris Ægypti opprobrium Chriſti: ſi opprobrium tuum gloria eſt Domine Jeſu, quanta eſt gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus; cujus ſumus opprobrio glorioſi:* Omnia hujus vitæ improperia, gloriæ cenſebat eſſe trophæa eo quod ad gloriam cooperarentur æternam; Quiſquis enim in pondere ſanctuarij bona & felicitatem hujus vitæ vult revocare ad trutinam, neceſſario oculos ſuos elevare debet ad bona vitæ futuræ & ad cœleſtem gloriam. Unde S. Ambroſius ſuper illa verba Pſalmi: *Vidi impium ſuperexaltatum, ... tranſivi, & ecce non erat*, ita ſcribit: *Hoc eſt vidi eum ſuperexaltatũ in ſæculo, antequam conſiderarem, quia nihil eſt ſæculum: ubi autem tranſivi mente ſupra mundum, vidi, quia jam non erat, qui ante erat ſuperexaltatus in hoc mundo; tranſi à præſentibus ad ea quæ futura ſunt, & tranſibunt tibi præſentia.* *(Pſ. 68. v. 20. S. Ambr. in Pſal. 118. Octon. 5. Pſ. 36. v. 35. S. Ambr. in Pſalm. 36.)*

*Daniel.*

5. Obſervaſtiſne aliquando luctam illam quam Daniel quondam in animo ſuo ſuſtinuit? Obtinebat is apud Darium tantam ſui æſtimationem, ut ab eo ad primam poſt Regem dignitatem evectus eſſet: *Porrò rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum*, quod adeo amplum erat, ut in centum viginti ſeptem divideretur diſtinctas magnaſque Provincias, & tamen quando ſibi deliberandum erat, an obedire vellet edicto regio, pro cujus obſervantia æmuli ejus acriter inſtabant, an vero ſpreto Regis edicto, Deum ſuum vivum & verum adorare, potius Regis gratiam & favorem amittere, & leonibus in prædam cedere, quam Deum vivum & verum deſerere elegit; at vero unde illi ſubnata eſt generoſa hæc ancipitis animi reſolutio? S. Hieronymus dicit: *Daniel Regis juſſa contemnens, & in Deo habens fiduciam, non erat in humili loco, ſed in excelſo, & feneſtras aperit contra Jeruſalem ubi viſio pacis*; In illa namque terreſtri Jeroſolyma cœleſtem agnoſcebat, & per immortalis illius Regni conſiderationem, quodvis aliud contemnebat regnum terrenum. *(Dan. 6. v. 4. S. Hieron. Ibid.)*

*Imo omnes electi.*

6. Aptior propoſito noſtro ſimilitudo adduci nequit, quam ſit illa qua Job cap. 7. prophetiæ ſuæ utitur, dum ait: *ſicut dies mercenarij dies ejus; & ſicut mercenarius, præſtolatur finem operis ſui*; Quæ verba egregie à S. Gregorio conſiderantur, quia ſicut mercenarius agricola omnibus aëris injurijs expoſitus arat, occat, fodit, ſudat & laborat, nec eum toto die hoſce labores continuare piget, quia ad mercedem quam ex diuturno labore ſibi comparat cor & animum ſuum directum habet: *ſic electi quique dum mundi hujus adverſa patiuntur, cum inhoneſtates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, eſſe gravia quibus exercentur penſant, ſed cum mentis oculum ad æternæ patriæ conſiderationem tendunt, ex comparatione præmij, quam ſit leve quod patiuntur inveniunt*; adducitque egregium S. Pauli Apoſtoli exemplum, qui in cunctis ærumnis ſuis, quas innumeras patiebatur, jucundum ſe ſemper & conſtantem exhibuit: *ſemper ſeipſo robuſtior contra adverſa erigitur, quia nimirum finem ſui operis, ſicut mercenarius, præſtolatur*; Examinans deinde Apoſtoli miſerias & Paſſiones, quas ipſemet S. Paulus in Epiſtola prima ad Corinthios cap. 11. recenſet, concludit: *Sed quomodo remunerationis linteo ſudores tanti laboris tergat, ipſe denuntiat dicens; Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, dum profectum remunerationis conſiderat, vile æſtimat quod pene deficiens laborat.* *(Job 7. v. 1. Ibid. v. 2. S. Greg. B. 8. mor. c. 5. Rom. 8. v. 18)*

*Quibus jugum ſuave ob præmij ſpem.*

7. Salvator noſter Matth. cap. 7. claris verbis vim cœli laborioſam, & ſemitam illius anguſtam, multiſque ſpinis, tribulis, & ſentibus repletam & impeditam eſſe dicit: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam:* & tamen idem Dominus noſter inferius cap. 11. ex alia parte dicit: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*; qui ambo textus inter ſe contrarij eſſe videntur, & quiſnam erit illos inter ſe conciliandi modus? Audite Euthymium dicentem: *Onus præceptorum leve ob ſpem æternorum bonorum, virtus quidem gravis eſt ob laborum moleſtiam, levis autem propter retributionem*; Et S. Auguſtinus inquit: *Noli eſſe piger in labore breviter, & gaudebis inceſſabiliter, æternam vitam tibi daturus eſt Deus, cogita quanto labore emenda ſit.* Quot ſunt qui in Clauſtris & Eremis inter diſciplinas, jejunia, cilicia alioſque humanæ debilitati & fragilitati intolerabiles rigores, vitam auſteriſſimam ducunt, qua autem ratione cum tanta conſtantia in eadem vita perſeverant? Non alia quam ſolius præmij & bravij conſideratione: *Et illi quidem* inquit S. Paulus de luctatoribus, *ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam: Iſte in excelſis habitabit*, inquit Iſaias, *munimenta ſaxorum ſublimitas ejus, panis ei datus eſt, aquæ ejus fideles ſunt*; Ubi S. Gregorius ait: *Nam quo altius in æternorum civium viſione ſuſpenditur, eo & ſibi fortior, & alijs utilior invenitur.* *(Matth 7. v. 14. Matth. 11. v. 30. Euthym. ibid. S. Auguſt. in Pſalm. 93. 1. Cor. 9. v. 25. Iſai. 33. v. 16. S. Greg. in lib. 1. Reg. cap. 9.)*

*Spes premij animum erigit.*

8. Rupertus Abbas Tuitienſis illam omnibus notiſſimam Jacob Patriarchæ hiſtoriam per omnes illius conſiderat circumſtantias, qualiter nimirum ſolus è domo paterna egreſſus in Meſopotamiam abierit, & myſticam cœli aperti & ſcalæ à terra in cœlum protenſæ, Angelorumque in ea aſcendentium, deſcendentiumque viſionem obviam habuerit. *Hunc imitantur*, inquit Rupertus, *quicumque depoſitis ſæculi oneribus, nudi & expediti ad deſtinatum tendunt locum, vigilantque & in omnibus laborant, & ſobrij ſunt, nihil ſe ſcire judicantes, niſi Chriſtum Jeſum & hunc crucifixum; & cum Apoſtolo dicentes: Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus, illis porta hæc aperitur, & aſcendentibus ſcala hæc erigitur.* Quiſquis ſanctorum Martyrum, Confeſſorum, omniumque aliorum Heroum vitas legit, qui per arctam & ſtrictam perfectionis viam ambularunt, facile videre poteſt, qualiter adimpletum in illis fuerit illud Sapientis pronuntiatum: *Non contriſtabit juſtum, quidquid acciderit ei.* S. Gregorius textum illum Jobi: *Salvum faciet egenum de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem*, exponens, ſenſum illius eſſe dicit, ac ſi aperte diceretur, ſic in ſe Deus mentes hominum ſolidat, ut eas ad perpetrandam nequitiam, nec blandimenta ſuaſionum pertrahant, nec dolores ſuppliciorum frangant, rationemque hujus indifferentiæ & conſtantiæ tam in continentia inter proſpera, quam in patientia inter adverſa, illam aſſignat: *Spes quippe in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exterius, quæ tolerat, ſentit.* *(Rup. Abb. l. 7. in Gen. c. 21. Hebr. 13. v. 14. Prov. 12. v. 21. Job 5. v. 15. S. Greg. l. 6. mor. c. 13.)*

*Adverſa & pericula deſpicit qui cœlum reſpicit.*

9. Ad ſanctiſſimum Carmeli Patriarcham Eliam Prophetam currus quidam igneus cœlitus demiſſus fuit, in quo non per terram, ſed per aëra vehendus erat, unde mirum eſt quod nullum ſibi à flammis adeo voracibus pertimuerit periculum, nec lapſum è curru aut præcipitium, aut currus everſionem, maxime quando nullus eum gubernans aderat auriga: imo ipſe gaudens & alacer currum hunc ingreſſus eſt: undenam ſancto huic Prophetæ hæc tanta animoſitas? S. Baſilius dicit: *Currus equoſque igneos ad ſe venientes minime expavit, verum itineris ſuperni deſiderio incenſus, contra formidoloſa eſt auſus, ac hilaris, gaudenſque flammantes aſcendit currus.* Quando enim oculus hominis in cœlum erigitur, omne obvium periculum, aut occurrens adverſitas deſpicitur quia *Non ſunt condignæ paſſiones &c. Nec valent vitæ præſentis obſequia*, inquit Euſebius Emiſſenus, *æternæ vitæ gaudijs compenſari, laſſeſcant licet membra vigilijs, palleſcant licet ora jejunijs, non erant tamen condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* *(S. Baſil. Hom. 13. Rom. 8. v. 18. Euſeb. Emiſſ. Hom. 3. ad Mon.)*

*Ubi voluptatum erit torrens.*

10. Salvator noſter amaram Paſſionem ſuam, quæ omnium Martyrum qui fuerunt, & ad finem uſque ſæculorum futuri ſunt acerbiſſima tormenta longe ſuperat, cyathum ſive calicem appellavit, dum ait: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*; Eamdem etenim proportionẽ quam calix habet comparatus cum flumine & torrente, paſſiones hujus vitæ cum æternis bonis collatæ pariter habere noſcuntur, hæc enim bona in Scriptura ſacra nobis ſæpius ſub fluminis aut torrentis nomine repræſentantur: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* *(Matth. 20. v. 22. Pſ. 45. v. 5. Pſ. 35. v. 9.)*

*Eccleſia Martyrum proponit tormenta & gloriam ad ſequelam.*

11. Ut Deus Iſraëlitis olim ad terram promiſſionis lacte & melle manantem ſibi comparandam animos erigeret, adduci coram illis curavit botrum quemdam prægrandem ex vecte ſuſpenſum: ita quoque ſancta mater Eccleſia, ut aliquam fidelibus ſuis cœleſtis gloriæ notitiam communicare poſſit, iiſdem quotidie in feſtis quæ per annum celebrat multorum ſanctorum proponit gloriam qua perfruuntur in cœlis, ſimulque illorum

illorum commemorat tormenta quæ in ſuis ſuſtinuere Martyrijs; Qua de re S. Bernardus ita ſcribit: *Fidelis quippe ſermo & omni acceptione dignus, ut quos ſolemni Veneratione proſequimur, etiam ſimili converſatione ſequamur, quos beatiſſimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus, nec parum ſane fructuoſa invenitur memoria feſtiva ſanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens, cum eorum interceſſione juvetur infirmitas noſtra, conſideratione beatitudinis excitetur negligentia noſtra:* at vero longe melius ad propoſitum noſtrum finem quem ſibi Eccleſia in eo propoſitum habet; Euſebius Emiſſenus his verbis deſcribit: *ut intelligamus quanti debeat deſiderari vita illa, quam per cruciatus, per vulnera, per intolerandos labores videmus inquiri, quam cognoſcimus pretio ſanguinis comparari.*

*S. Bern. ſer. 2. in feſto omn. SS.*
*Euſeb. Emiſſ. Hom. de nat. Apoſt. Petri & Pauli.*

Spes æternæ retributionis ſolatur in adverſis.

12. Stygius ille Inferni Tyrannus, omnem quidem poſſibilem conatum ſuum ad Jobum torquendum & affligendum adhibuit; an vero ipſe inſtar Margeſiæ cautis immobilis, conſtans & patiens permanſit; ſcitiſne quænam hujus conſtantiæ ipſius cauſa fuerit? Audite ipſummet hanc explicantem: *Et in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Utique ſæpius ſequentem viatoris illius audiſtis ſimilitudinem, qui dum opulentam quamdam Civitatem debiti cujuſdam exigendi, vel bonam quamdam literam Cambialem exigendi cauſa proficiſcitur, in omnibus occurrentibus itineris moleſtijs ſe per hujus accipiendæ pecuniæ infallibilem ſpem unice ſolatur & erigit: Ita quoque Job in prædictis verbis dicere velle videtur, licet quoadusque viator ſum & ad Jeroſolymam cœleſtē contendo multis infeſter ærumnis & adverſitatibus, attamen in his omnibus unice me conſolatur ſolida quam in ſinu cordis mei foveo ſpes æternæ retributionis: *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*

*Job. 19. v. 26*
*Job. 19. v. 27*

13. Quodnam in eo reconditum eſſe putatis myſterium, quod ſacra ſcriptura de magno illo patientiæ ſpeculo, Jobo videlicet, expreſſe dicat, quod *in ſterquilinio ſedens teſta ſaniem radebat?* cur non potius lana vel lino uſus eſt, vel alio quodam mitiori inſtrumento? teſta enim dolorem ejus potius adauxit, quam mitigavit, aut depulit. Pro reſponſione autem obſervandum quod quia teſta terra quædam in igne excocta erat indurata, veriſimile ſit quod per hanc teſtam ignem æternum ſibi in memoriam revocarit, hacque ratione medium ſe inter ſpem præmij, & timorem Inferni conſtituerit, dicendo: *Hic ure, hic ſeca, ut in æternum parcas,* ſicque fortis & conſtans permanens ſe à Diabolo tentatore minime ſeduci permiſerit.

*Job. 2. v. 8.*

Hiſtoria.

14. Tempore Diocletiani Imperatoris contigit, quòd dum miles quidam Martyres ſæviſſima tormenta & cruciatus exceſſivos cum ingenti cordis jubilo patienter ſuſtinere conſpiceret, ipſosque interrogaret undenam in tanta ſuppliciorum acerbitate tantum derivaretur gaudium, unus illorum ei reſponderit: *Ex gloria quam nobis Dominus promiſit;* Cumque ille ulterius quænam illa gloria eſſet, quam ſibi promiſſam expectabant, ſciſcitaretur, reſponderit Martyr: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit &c.* Moxque ſola illa æternæ mercedis commemoratio tantam vim in animo Adriani (hoc enim militis nomē erat) obtinuit, ut protinus ad Chriſti ſe fidem converterit, fortiterque ac generoſe Martyrium ſuſtinuerit.

*1. Cor. 2. v. 9*

15. S. Cyrillus Alexandrinus ad illa Pſalmi verba: *In ſervum vænundatus eſt Joſeph, humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſit animam ejus,* ſe reflectens optime conſiderat, quod poſtquam regius Pſaltes omnes hujus ſancti juvenis miſerias & tribulationes ſigillatim, & præcipue illam cum Putipharis uxore habitam luctam, ſibique à muliere inuſtam impoſturam, ejusque erga Dominum ſuum fidelitatem recenſuiſſet, tandem quoque modum inſinuet, quo tantam ſibi animi generoſitatem & vigorem comparat, ut in ſua innocentia conſtanter perſiſtere, omnemque à famæ ſuæ integritate maculam avertere, ac tandem carceris ærumnas patienter ſuſtinere potuerit; Modus autem iſte hiſce verbis inſinuatur: *Eloquium Domini inflammavit eam;* Spem namque firmam conceperat, tandem præ foribus eſſe tempus illud, in quo oſtenſum ei in ſomnio præſagium adimplendum eſſet, nimirū quod à vinculis carceris tranſiturus eſſet ad ſceptrum: Unde ſic licet arguere: Quod ſi Joſeph ob ſpem adeo remotam & terrena tantum reſpicientem in tetri & obſcuri carceris compedibus & vinculis continere ſe potuit, quænam ab animabus fidelium patienter & animoſe non ſuſtinebuntur tormenta & adverſitates, ut ad gloriam pervenire æternam poſſint? *Nihil crus ſentit in nervo,* inquit Tertull. *dum animus eſt in cælo.*

*S. Cyrill. Alex. l. 4. de ador. ad fin.*
*Pſalm. 104. v. 17.*
*Ibid. v. 18.*
*Pſ. 104. v. 20*
*Tertull. l. ad Martyros, c. 2*

16. D. Chryſologus ſuper illa Chriſti verba: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum,* egregie obſervat, quod Salvator noſter ut ab Apoſtolis omnem, quo in venturis perſecutionibus, & crudeliſſimorum ſuppliciorum carnificinis percelli potuiſſent, metum depelleret, regni cœlorum illis gloriam promiſerit: *Hinc eſt,* inquit, *quod diſcipulis ſuis Chriſtus regnum ponit in præmio, ut in certamine non cedant periculis, non timori; Pericula deſpicit, qui tendit ad regnum.*

*Luc. 12. v. 32*
*D. Chryſol. ſerm. 22.*

Chriſtus Apoſtolis cœlū promiſit ne cederent tormentis.

17. Generoſa illa Macchabæorum martyrum mater filium ſuum ultimum modo aliquo periculoſiori, quam alios fratres ſuos à Tyranno infeſtari videns, (ſiquidem non ſolum comminabatur tormenta; ſed & honores, theſauros, dignitates ac felicitates humanas, ſi ad ejus ſe nutum flecti pateretur, offerebat) ut fortem & conſtantem eum efficeret, dixit eidem: *Peto nate ut aſpicias ad cælum, ... ita fiet, ut non timeas carnificem iſtum.* Ubi Dion. Carthuſ. ait: *Ex hoc concipies tantum timorem, delectationem & venerationem ad proprium creatorem, ut non timeas carnificem iſtum.*

Macchabæorum mater filio.

*2. Mach. 7. v. 28.*
*Dion. Carth. ibid.*

18. In Hymno quodam de ſanctis Martyribus ſancta canit mater Eccleſia: *Traduntur igni Martyres, & beſtiarum dentibus armata, ſævit ungulis tortoris inſani manus? Nudata pendent viſcera; ſanguis ſacratus funditur, ſed permanent immoles;* Sed unde mira hæc conſtantia & heroica fortitudo derivatur? Num forte ab illorum inſenſibilitate & ſtupiditate? Nequaquam; Sed ſolùm ex directis martyrij tempore in cœlum oculis: *Sed permanent immobiles vitæ perennis gloria,* vel ut alij legunt, *gratia.*

Hinc Martyrum conſtantia.

19. S. Dorothea Tyranno dixit: *Imus per has pœnas breves & exiles ad Paradiſum deliciarum, ubi ſunt poma miræ pulchritudinis, roſæ, lilia;* Unde Ezechielis 28. dicitur: *In delicijs Paradiſi Dei.*

*Sur. in vit. S. Dorotheæ.*
*Ezech. 28. v. 13.*

20. Quando coram invicto illo Dei athleta & Levita Laurentio cuncta adducta fuere ſuppliciorum tormenta, dicenti ſibi: *Tota hæc nox expendetur in ſupplicijs,* ipſe cum ingenti lætitia cordis reſpondit: *Has epulas ego ſemper optavi;* At vero quidnam illud erat, quod hoſce ignitos carbones, craticulam candentem, ungulas, equuleos ei tamquam ſapidiſſimas ſuaviſſimasque dapes ejus palato adeo dulces reddidit? Laurentius orabat dicens: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui;* Siquidem tametſi corporetenus inter ſupplicia conſiſteret quoad animam tamen jam cœlum ipſum ingreſſus fuerat.

Laurentio tormenta dulce erant convivium.

21. Quo tempore glorioſi illi quadraginta Martyres intra gelidum quemdam lacum projecti in unum cum illius aquis gelu coaluerant; Quidam e militibus qui ad cuſtodiam lacus velut miniſter juſtitiæ, carnifex & idololatra prope illos conſtitutus erat, Angelos cum triginta novem coronis de cœlo deſcendentes conſpiciens, ſimulque unum ex illa Martyrum caterva dolore victum è lacu illo egreſſum eſſe conſiderans, coram cæteris commilitonibus à ſe protinus à ſomno excitatis veſtibus ſe indilate exuens, ſe quoque Chriſtianum eſſe confeſſus eſt; patiendi quidem & pro Chriſto moriendi avidus, avidiori tamen deſiderio coronam apoſtatæ illius à Martyrio deficientis hæreditare deſiderans. Merito igitur Seraphicus Pater Franciſcus, qui Religionem quamdam adeo auſteram & rigidam in Eccleſia Dei fundavit, ſæpius dicere & identidem repetere ſolebat: *Tantum eſt bonum quod me expectat, ut nulla ſit pœna, quæ me non delectat.*

Hiſtoria 40. Martyrum.

22. Memores utique eſtis illius, quod de ſanctiſſimo Protho-martyre ab Eccleſia refertur; illa etenim in Antiphona quadam ita de illo canit: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt;* ſiquidem intra ſaxorum duritiem mel imo ſuavitatem reperit Paradiſi, adeo ut de eo & alijs dici poſſit, quod Deus noſter *de petra melle ſaturavit eos.* Unde Euſebius Emiſſenus ſuper illa verba: *Ecce video cælos apertos & Jeſum ſtantem,* dicit: *Juſtè incunctanter offert ſanguinem, qui præ oculis habet regem ſuum, ſimul & bravium; Et filium hominis à dextris ſtantem Dei; digne patentibus cæli portis comparatur cælum, bella deſudant, ac ſic dum occupatur in ſtupore ac amore cæleſtium, merito ingruentium non turbatur duro imbre ſaxorum.* Eodem modo S. Ambroſ. in Epiſtola quadam ita ſcribit: *Quæ juxta pedes ſunt, & infima iſta, ac ſeipſum Stephanus deſpiciebat, ita ut etiam lapidum propterea non ſentiret ictus, non conſideraret corporis vulnera;* Quodſi vero hujus tam inſignis tolerantiæ originem noſſe deſideratis, attendite quid idem ſanctus Epiſcopus ſubjungat: *Oculis Chriſto affixus, & illis inhærens:* Unde Prothomartyr dicebat: *Ecce video cælos apertos & filium hominis ſtantem;* Ubi Euſebius Emiſſenus ait:

Stephano dulces erant lapides.

*Pſ. 80. v. 17.*
*Act. Ap. 7. v. 55.*
*Euſeb. Emiſſ. hom. de Prothomart.*
*S. Ambr. Epiſt. 30.*

*Vides*



*Vides quod ſpectantis intuitus armat conſtantiam triumphantis.* Beda à Gloſſa citatus ait: *Ad confirmandam Martyris patientiam cælum panditur.* S. Gregorius rationem aſſignat laudabiliſſimæ illius conſuetudinis recitandi ſeptem horas canonicas, quæ pro majori ſui parte de nocte recitari ſolent: *Carmen in nocte,* inquit, *eſt lætitia in tribulatione, quia etſi preſſuris temporalibus affligimur, ſpe tamen de æternitate gaudemus.* S. Hieronymus Heſiodorum ad vitam exhortans ſolitariam, ita ad eumdem ſcribit: *Paupertatem times? Sed beatos Chriſtus pauperes appellat: pavore terreris? At nemo athleta ſine ſudore coronatur: De cibo cogitas? Sed fides famem non timet: Super nudam metuis humum exeſa jejunijs membra collidere? Sed Dominus tecum jacet: Squalidi capitis horret inculta cæſaries? Sed caput tuum Chriſtus eſt: Infinita Eremi vaſtitas deterret? Sed tu Paradiſum mente deambula:* Ac demum ad propoſitum noſtrum ita concludit: *Ad cuncta audias Apoſtolum reſpondentem: Non ſunt condignæ Paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

*Euſeb. ibid.*
*Gloſſa.*
*S. Greg. l. 26. Mor. in c. 35. Job. v. 10.*
*S. Hier. l. 2. Epiſt. 6.*
*Rom. 8. v. 18*

## DISCURSUS XXIII.

## ARGUMENTUM.

Chriſtus quidem Regnum cœlorum nobis conſignat, ſed cum eodem onere quocum ille idipſum à Patre ſuo accepit, id eſt ſub onere Crucis & Paſſionis quæ regnum ipſius fuit.

### THEMA.

*Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum.* Luc. 22. v. 28. & 29.

1. OBorta inter Apoſtolos de primatu contentione: *Factus eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major,* ſapiens Magiſter noſter Chriſtus, ut Cajetanus notat, *retrahit eos ab ambitione, ex præmio præparato eis in cæleſti gloria, ut non ſolum ex tanti temporis merito ſed ex præparato tam excelſo præmio erubeſcant ambire.* Advertendum tamen eſt, quonam modo Chriſtus eis beati illius regni inveſtituram & poſſeſſionem promiſerit: *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum.* Ubi ponderanda ſunt verba illa: *Sicut diſpoſuit mihi Pater.* Rupertus Abbas inquit: *Hoc jus legale eſt apud cæleſtem Regem, ut ſicut ipſi diſpoſuit Pater regnum, ita nobis diſponat præmium, permanentibus cum illo in tentationibus ejus.*

*Luc. 22. v. 24*
*Cajet. ibid.*
*Luc. 22. v. 29*
*Rup. Abb. in Sap. 5.*

Cœlum qui ingredi cupit onus Chriſti portet.

2. Trita in jure Regula eſt, quod hæres poſſeſſionis alicujus, majus in illam jus habere nequeat, quam teſtator habuerit: Ac proinde cum Chriſtus diſcipulis ſuis, & conſequenter nobis omnibus ſub iiſdem oneribus & obligationibus regnum ſuum relinquat, quibuſcum ipſe illuc ab æterno Patre ſuo accepit, conſequens eſt, quod ſi in ſupernæ illius hæreditatis poſſeſſionem ſubingredi volumus, onera quoque & obligationes illius adimplere neceſſario debeamus; Unde idem Cajetanus verba illa: *Diſpono vobis, &c.* Ita explicat: *Similes mihi diſpono vos futuros in regno, qui perſeveraſtis mecum in afflictionibus;* Prius enim Apoſtolus dixit: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis;* & poſtea ſubdit: *Et ego diſpono vobis regnū;* Sic enim ipſemet quoq; Dei filius de ſeipſo dixit: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam?*

*Luc. 24. v. 26*

3. S. Bonaventura ſuper propoſiti thematis verba textum illum S. Pauli adducit 2. ad Timoth. 2. dicentis: *Fidelis ſermo, nam ſi commortui ſumus & convivemus; Si ſuſtinebimus & conregnabimus; & particeps in tribulatione & regno.* Et ſubdit: *Pater diſpoſuit filio, quod perveniret ad exaltationem per humiliationem;* Unde ipſemet filius dixit: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, &c.* Et Paulus ait: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* ac tandem S. Doctor concludit: *Sic & filius diſponit nobis eodem modo.*

*2. Tim. 2. v. 11.*
*Ibid. v. 12.*
*Apoc. 1. v. 9.*
*Luc. 24. v. 26*
*Philip. 2. v. 8*
*S. Bonav. in Luc.*

Chriſtus ſemper in pœna fuit.

4. S. Ambroſius in ea eſt opinione, quod quando Deus ſi Moyſi in ſpineto ſive rubo ſpinoſo videndum exhibuit, myſterium incarnationis nobis licet à longe præfigurare voluerit: *Per rubum Chriſtum intelligendum exiſtimo, ſecundum quod homo eſt, flamma vero rubi ejus Divinitatem figuravit.* Quo ſuppoſito quærendum venit, cur Deus non potius in alia quadam arbore, vel planta nobiliori, verbi gratia Platano, Cedro, vel alia ſimili apparere voluerit? Cur videri voluit intra denſum quoddam dumetum ſpinis & ſentibus undique obſeptum: Cur non potius ſe roſas inter & flores conſpiciendum exhibuit? Ipſe quidem lilio comparatur; *Sicut lilium ſed inter ſpinas* conſtituto. Unde Seraphicus Doctor ait: *Volve & revolve vitam boni Jeſu, & non invenies eum niſi in Cruce, ex quo enim carnem aſſumſit, ſemper in pœna fuit.* A primo inſtanti quo Filius Dei hac ſe mortalitate noſtra veſtivit, nuſquam illum alibi quam inter ſpinas inveniemus.

*S. Ambr. T. 5. in c. 6.*
*Cant. 2. v. 2.*
*S. Bonav. ſer. 3. de Paſſ.*

Ab ærumnis ſumpſit exordium.

5. Gabriel Archangelus, quando ſuam ad beatiſſimam Virginem executus eſt legationem, de expreſſo ſupremi Conſiſtorij ſanctiſſimæ Triados ordine eidem inter alia exponere debuit ſequentia: *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit;* At vero qua ratione Regnum Davidi cum ſuam ſumpſit Originem? *Et convenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti, ... & factus eſt eorum princeps.* Ab ærumnis igitur ſuum ſumpſit exordium: Vita autem Chriſti à quo principio primum cæpit? *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui;* Hic autem liber eſt idem ille, de quo ſcribitur: *Liber generationis Jeſu Chriſti Filij David;* Chriſtus ipſe per os Davidis ait: *Pauper ſum ego & in laboribus à juventute mea.* Chaldæus vertit: *Exſpirans ab adoleſcentia mea;* Alij legunt: *Moriens, moribundus agonizans, pene mortuus à puero.*

*Luc. 1. v. 32.*
*1. Reg. 22. v. 2.*
*Hebr. 6. v. 7.*
*Pſal. 39. v. 9.*
*Matth. 1. v. 1*
*Pſ. 87. v. 16.*

6. Enimvero S. Thomas de Villanova quærit, qualiſnam ſit iſta promiſſio: *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit?* Ubi eſt Angele promiſſio tua? Ubi ſedes & gloria Regni? Et poſtquam aliquouſque diſcurriſſet de anguſtijs & miſerijs quibus Chriſtus à primo Conceptionis ſuæ inſtanti per totam vitam ſuam ſubjectus fuit, tandem ad Mariam Virginem ſe convertens, ita eam affatur: *Non aſpicis caput diademate Regis ornatum? Titulum non conſpicis regali è throno pendentem? Non audis multorum Regem acclamantium voces? Sceptrum non diſcernis potenti manu defixum?* Ecce quibus meritis æternus Pater Filium ſuum ad Regnum cœlorum evexerit; Voluit illum primo in terra regnum quoddam, ſed regnum ærumnarum, adverſitatum, miſeriarum: *Dabit illi Dominus Deus ſedem,* ſed *David:* Conſtat vero quod quando David à Saule ad mortem conquiſitus ſe in ſpeluncam odollam recepit, multi ad eum homines confugerint debitis ſupra vires onuſti, & perſecutionibus vexati, qui illum ſibi in Principem & caput ſuum aſſumentes, ſub ejus ſtipendio deinceps militarunt: Similiter Chriſtus priusquam in Cœlis ad dexteram collocaretur Patris ſui æterni, in medio gentis tribulatæ & afflictæ conſtitutus reperitur, hoc eſt in medio claudorum, paralyticorum, Dæmoniacorum, ſurdorum, mutorum, aures ſuas ſolis miſerabilium perſonarum lamentis & ejulatibus porrigebat apertas.

*Luc. 1. v. 32.*
*S. Thom. de Villanova Conc. 1. de Annunt.*

His per totā vitam ſubjectus erat.

*Luc. 1. v. 32.*

Cœlum per crucem aperitur.

7. S. Bernardus blaſphemas incredulorum Hebræorum voces conſiderat, quibus ipſi in Cruce pendenti improperando acclamabant: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de Cruce & credimus ei:* Hasque ipſorum vociferationes à Dæmone adinventas eſſe exiſtimat; Dicit enim: *Quid conſequentiæ videtur habere: Ut deſcendat, ſi Rex Iſrael eſt, & non magis aſcendat? Sic non meminiſti ſerpens antique quam confuſus abſceſſeris olim, cum dicere præſumpſiſſes, mitte te deorſum; Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me? Sic tibi Judææ excidit, quod audiſti, quia Dominus regnavit à ligno, ut Regem abneges, quia manet in ligno? Merito igitur titulū Regni Præſes gentilis inſcripſit in ligno, nec potuit Judæus (ut voluit) corrumpere tituli inſcriptionem; Deſcendat, ſi Rex Iſrael eſt, imo titulum Regni non deſerat.* Ecce tibi ubinam titulus Regni ipſius affixus hæreat, in cruce nimirum; Crux unica clavis fuit qua cœlum aperuit, quod alias à die quo ab omnipotenti Dei dextra fabricatum fuit, univerſo generi humano firmiter obſeratum & clauſum permanſit. Primus qui illud aperuit. Redemptor noſter fuit, ſed vulneribus ſaucius: *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Nonne hæc oportuit pati Chriſtum;* Ecce tibi Chriſtum patientem: *& ita intrare in gloriam:* Ecce tibi apertum cœlum, ſed per Crucis patibulum.

*Marc. 15. v. 32.*
*S. Bern. de Paſſ. c. 3.*
*Matt. 4. v. 9.*
*Iſai. 63. v. 1.*
*Luc. 24. v. 26.*

Proſecutio.

8. Ingenioſa eſt illa ſancti Ambroſij obſervatio, quod videlicet ſupernus artifex cœlum in figura Crucis fabricare voluerit, quaſi inſinuare nobis volens, quod inveſtitura & poſſeſſio Regni hujus non niſi patiendo obtineatur: *Cælum quoque ipſum hujus ſigni figura diſpoſitum eſt, nam cum quatuor partibus, hoc eſt, Oriente & Occidente, Meridiano & Septentrione diſtinguitur, quatuor quaſi Crucis angulis continetur.*

9. Obſervaſtiſne aliquando quod eodem tempore quo Propheta Evangelicus Chriſtum à teneris Infantiæ annis Crucis patibulum in humeris ſuis portaſſe ſcribit, ſimul etiam eidem Regni & Imperij titulum attribuat? Unde ſanctus Bernardus ſuper illa verba:

*Parvulus*

*Iſa. 9. v. 6.*

*Parvulus enim datus eſt nobis, &c. Factus eſt principatus ſuper humerum ejus*, dicit: *Crucem, quam imperij nomine ſignificavit, Nativitati ſtatim adjungit, quia ſtatim à Nativitatis exordio, paſſio Crucis ſimul exorta eſt.*

Crux principatum ſignificat.

10. Etenim in celebri illa Hiſtoria, quæ circa duos illos fratres germanos Zebedæi filios accidit, propoſitionis ſive argumenti hujus veritatem mirabiliter adimpletam eſſe cernimus. Cum enim cœleſtis Magiſter una cum diſcipulis ſuis Civitati ſanctæ appropinquaſſet, dixit illis: *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus ſacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. Et tradetur gentibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigendum*; mox Evangeliſta non ſine myſterio ſubjungit: *Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi*; id eſt, Novit optime uti oblata ſibi occaſione; *Tunc*, id eſt, in illa rerum circumſtantia prodiit mater illa pro ambitioſis filijs ſuis ſupplicans & petens: *Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Mira res! Chriſtus de patibulis loquitur, non de thronis, de clavis, non de ſceptris; de purpura, ſed lacera, obſoleta & ridicula: De corona & diademate, ſed ex ſpinis & ſentibus plexa, quomodo igitur, aut qua fronte mulier iſta prodire audet in publicum ut primas regni ſedes filijs ſuis depoſcat, quando *Filius hominis non habet ubi caput reclinet?* Baſilius Seleucus ait: *Antevertit, ut apparet, latronis voces mulier, ille in Cruce orationes fundebat: Memento mei dum veneris in regnum tuum, hæc autem crucem pro regno ſupplicabat*; Veriſſimum namque eſſe intelligebat, quod poſtea dixerunt S. Joannes: *Particeps in tribulatione & regno*; Et S. Paulus: *Si ſuſtinebimus & conregnabimus.* Idem Baſilius loco citato ait: *Vis mulieris fidem cernere? Supplicationis quære tempus; quando libellum ſupplicem offert? Quod poſtulationis tempus? Crux erat parata.* Et hæc regnum eſt Chriſti: *Dominus regnavit à ligno*, inquit Propheta regius: Et S. Iſaias inquit: *Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus*: Quod S. Auguſtinus conſiderans ita ſcribit: *Chriſtus principatum ſuper humerum habuit, quando Crucem in montem Calvariæ portavit: Nec incongrue Crux ſignificat principatum, quia per ipſam & Diabolus vincitur, & mors ſuperatur, & totus mundus ad Chriſti notitiam & gratiam revocatur.*

*Matth. 20. v. 18. Ibid. v. 19. Ibid. v. 20. Ibid. v. 21. Matth. 8. v. 20. Baſil. Seleuc. orat. 24. Luc. 23. v. 42. Apoc. 1. v. 9. 2. Tim. 2. v. 12. Iſa. 9. v. 6. S. Aug. ſer. 72. de temp.*

Cœlum ſine cruce & operibus bonis non obtinetur.

11. Dubitari haud immerito poteſt, an quando Chriſtus diſcipulis ſuis dixit: *Diſpono vobis Regnum*, de cœlorum Regno locutus fuerit, an vero de regno crucis ſuæ ſuorumque tormentorum? Item an mater filiorum Zebedæi primas Regni Chriſti ſedes poſtulans de Regno cœlorum, an vero de Crucis regno intelligenda ſit? At vero quia Chriſtus primo de Crucis patibulo & univerſa paſſione ſua locutus fuit, conſequens eſſe videtur ut mater poſtea filijs primas regni ſedes poſtulans de regno Crucis intelligenda ſit. Verumtamen advertendum eſt quod Chriſtus matri huic reſponderit: *Neſcitis quid petatis*; Quomodo autem incarnata ſapientia illis in hac petitione exprobrare poteſt ignorantiam, quando ipſamet in oratione quotidiana ſive Dominica ita à nobis petendum eſſe docuit: *Adveniat regnũ tuum?* Si dixiſſet: *Neſcitis quo modo petatis*, facilius intelligi potuiſſet, quia petebant in hoc regno ſedes ad dextram & ſiniſtram, cum tamen in ſiniſtra nullæ ſint ſedes: Jam vero non hoc modo reſpondit, ſed dixit: *Neſcitis quid petatis*: nimirum repræhendere illos voluit, quia cœlum ſine Cruce, ſine paſſione, ſine labore conati ſunt adipiſci, quo modo nullus illud adipiſci poterit. Verum quidem eſt quod Chriſtus præter orationem Dominicam inſuper juſſerit dicens: *Quærite ergo primum regnũ Dei*, verumtamen obſervandum eſt, quod addat: *& juſtitiam ejus*, quaſi dicere vellet: quærite quam poteſtis ſtudioſiſſime regnum cœlorum, verumtamen non ſine merito virtutum perfectionis & ſanctitatis: Similiter verum quidem eſt, quod nos regnum illud beatum in oratione dominica petere juſſerit: *Adveniat regnum tuum*: Attamen ſimul etiam nos docuit, ut priusquam illud peteremus, orationem iſtam ab hoc titulo ordiremur, dicentes: *Pater noſter qui es in cœlis*, quibus verbis nos obligat, ut priusquam ſequentia petamus, vitam filio dignam agamus, curemuſque ne ſimus degeneres filij. Secundo priusquam petamus *Adveniat regnum tuum*, vult ut nomen ipſius ſanctificemus: *Sanctificetur nomen tuum*, quod non fit niſi per opera ſancta, & Dei filijs digna.

*Luc. 22. v. 29. Matth. 20. v. 22. Matth. 6. v. 10. Matth. 6. v. 33. Ibid. v. 10. Ibid. v. 9. Ibid. v. 6.*

*Matth. 20. v. 21.* Proſecutio. *Baſil. Seleuc. orat. 24.*

12. Præterea incauta hæc mulier dicebat: *Dic ut ſedeant*, non intelligens quod priusquam regnare poſſimus in cœlo, opus ſit ut prius patiamur & affligamur in terra. Unde Baſil. Seleucus in perſona Salvatoris ait: *Si leproſus curationem quærit, virtutem exero; ſi mortuum è tumulo reſurgere neceſſum eſt, poteſtatem exprimo; quod ſi thronum quis petat, fuſum proprietate verborum ſudorem teſtibus repoſco*; ac proinde ſumma cum providentia illis reſpondit: *Non eſt meum dare vobis*, quia thronus per labores & ſudores acquiri debet, quemadmodum facturus ſum ego: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?*

*Matth. 20. v. 23. Ibid. v. 22.*

Proſecutio.

13. Propheta regius die quadam contra nonnullos, qui ad hæreditatem & poſſeſſionem gloriæ ſine laboribus & ſudoribus ingredi prætendentes armatus & ſpeciali zelo tactus dixit: *Qui dixerunt: Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei; Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Albertus Magnus ſuper illa verba: *Ego diſpono vobis, &c.* hanc adjicit paraphraſim: *Ego, cujus eſt hæreditas, diſpono omni jure teſtationis, vobis, qui ſic mecum permanſiſtis*; Verum quidẽ eſt, quod Paradiſum vobis per modum hæreditatis relinquo, verumtamen ponderanda eſt conditio & onus, ſub quo hæreditatem illam vobis deſtino: Non enim aliter hanc vobis aſſigno, quam cum hoc titulo & onere: *Sicut diſpoſuit mihi Pater meus.* Ubi Oleaſter quærit: *Quo modo diſpoſuit tibi Pater regnum tuum, dic nobis bone Jeſu? Et mox reſpondens: Per calicem*, inquit, *paſſionis.* Merito igitur à duobus illis diſcipulis Jacobo & Joanne petiit, an huic Calici Paſſionis ſua quoque labia admovere, eumque ad fundum uſque exhaurire poſſent: dicere enim volebat, quod ſi hoc facere non renuatis, ſpes quoque vobis eſſe poterit, ut & mecum regnetis.

*Pſ. 82. v. 13. Ibid v. 14. Alb. Magn. in Luc. Oleaſt. in c. Iſai.*

*Matth. 20. v. 23.* Sub onere Crucis Chriſtus nos conſtituit cœli hæredes.

14. Verumtamen ulterius advertendum eſt, quod Chriſtus iiſdẽ diſcipulis dixerit: *Sedere autem ad dexterã meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*; Quibus verbis objicere quis poſſet; Numquid conſtat quod paulò poſt Chriſtus in monte Calvariæ ad unã dumtaxat vocem unius latronis dicentis: *Memento mei, cum veneris in Regnum tuum, abundantia pietatis ſuæ merita ſupplicis exceſſit & vota*, ſiquidem protinus illi reſpondit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*; quomodo igitur nunc dicit: *Non eſt meum dare vobis?* Numquid alibi dixerat: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur?* Numquid itẽ electis dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum?* Reſpondet idemmet Baſilius: *Non eſt meum dare, Cur? quia remuneratio accipientis meritum ſequitur, non ſolam facultatem dantis, thronus laborũ præmium eſt*; atque ideò quando Chriſtus Regnum ſuum Apoſtolis cum titulo hæreditatis ceſſit, primo hujus teſtamentariæ diſpoſitionis & inſtitutionis hæredis cauſam reddit, dicendo: *Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, ac tum demum ſubjunxit: *Et diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum*, quaſi diceret: Cum iiſdem conditionibus, cum eodem onere, cum quo Pater meus regnum illud mihi contulit, eo quoque vobis chariſſimis & bene meritis diſcipulis meis eamdem hæreditatem dono.

*Lucæ 23. 42. Ibid. v. 43. Matth. 20. v. 23. Joan. 10. v. 9. Matth. 25. v. 34. Baſil. Seleuc. ibid. Luc. 22. v. 28. Ibid. v. 29.*

Proſecutio.

15. Quod ſi alicui pannum aliquem ſericum emere volenti, mercator eumdem in eodem divenderet pretio, quo illum paulo ante proprijs filijs divendiderat, numquid talis mercatoris ſinceritatem & inſignem erga ſe affectum grata deberet mente agnoſcere; Hic autem eſt caſus noſter in ipſis terminis, de quo agimus: *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnũ; Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriã ſuam?* Quanti cœlorum regnum diſcipulis ſuis conſtitit, qui ipſum in omnibus tentationibus ſuis aſſociarunt; Deus illis quos maximè amat & æſtimat, quibusque ſumme benefacere contendit, majorem communiter patiendi & ærumnandi occaſionem ſubminiſtrat. Unde S. Bonaventura ait: *Valor gloriæ cœleſtis attenditur in hoc, quod ita caro pretio Deus vendidit ſuis amicis*; Conſtitit enim Petro martyrium Crucis; Paulo decollationem capitis: Eſt autem veriſſimum & certum, quod Deus non decipiet unum amicorum ſuorum; & quod plus eſt, ipſe Chriſtus emit gloriam illam pro amicis ſub tormento & ignominia Crucis: Eſt enim certiſſimum, quod Deus Pater unigenitum Filium ſuum, in emendo illo regno minime decipiet. Cum ergo illud regnum tantum conſtiterit Filio Dei, & ejus alijs amicis, certum eſt, quod res maxima & valoris impretiabilis eſt. Audiamus S. Aug. hac de re ſcribentem: *Regnum per ligni guſtum amiſſum eſt, & iterum per lignum quæſitum eſt: Dominus enim regnavit à ligno.*

*Lucæ 22. 29. Lucæ 24. v. 26. S. Bonav. in Diet. ſal. tit. 10. c. 2. S. Aug. T. 4. p. 2. Q. ex vet. Teſt. Q. 8.*

## DISCURSUS XXIV.
## ARGUMENTUM.

Quisquis ad Paradiſum vult ingredi prius per flammivomum ærumnarum & tribulationum vitæ hujus enſem tranſire debet.



### THEMA.

*Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim & flammeum gladium.* Gen. 3. ℣. 24.

Omnes oportet tranſire per tribulationum flammas qui cœlum cupiunt.

1. ERat Paradiſus terreſtris in ſtatu innocentiæ quoddam cœleſtis Paradiſi depoſitum, ipſasque æternæ beatitudinis delicias aliqua ſaltem ex parte præfigurabat: Ac proinde, ut omnibus notum eſt, Deus ante illum quemdam ex Angelis conſtituit Seraphinum, flammeum manu ſua vibrantem gladium, ut cuſtodiret illum, ut per hoc intelligeremus, (quia *omnia in figura contingebant*) quod qui ad beata illa littora feliciter tranſmigrare deſiderat; neceſſum illi ſit, ut prius per ignem, id eſt, per adverſitates, afflictiones, & ærumnas, hujus vitæ generoſo animo pertranſeat. Unde S. Bernardinus ait: *Nullus poteſt intrare in regnum, niſi tranſeat per flammeum gladium; atque verſatilem; qui poſitus eſt ad cuſtodiam ligni vitæ; ſed hoc nullus poteſt facere, niſi per patientiam in tribulatione; gladius enim flammeus atque verſatilis tribulatio eſt, affligens animam & corpus; Et ideo dicit Apoſtolus Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hugo Cardin. pariter per flammeum gladium tribulationem intelligit: *Flammeus gladius*, inquit, *tribulationes & dolores, & labores hujus vitæ ſignificat, quibus nos hic exercemur.* Ad idem S. Ambroſius alludens ita ſcribit: *Omnes oportet per ignem probari quicumque ad Paradiſum redire deſiderant, non enim otioſe ſcriptum eſt, quod ejectis Adam & Eva de Paradiſi ſede, poſuit Deus in exitu Paradiſi gladium igneum verſatilem; Omnes oportet tranſire per flammas ſive ille Joannes Evangeliſta ſit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum: Sic eum volo manere . . . quid ad te? Tu me ſequere. De morte ejus aliqui dubitaverunt, de tranſitu per ignem dubitare non poſſumus, quia in Paradiſo eſt; Sive ille ſit Petrus, qui claves accepit regni cœlorum*; Omnes ſancti tranſierunt per ignem adverſitatum; Unde canunt: *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

*S. Bernardin. Sen. ſer. in Dom. 5. poſt Epiph. c. 5. Act. 14. 21. Hug. Card. ibid. S. Ambr. in Pſalm. 118. ſer. 20. Joa. 21. v. 22. Pſ. 65. v. 12.*

Chriſti in paſſione ſocius Diſmas gloriæ quoque ſocius fuit.

2. Primus qui Paradiſum hactenus à die ſuæ creationis clauſum ingreſſus fuit, eſt verbum incarnatum Chriſtus Jeſus Dei Filius; Quis autem primus fuit, qui in ejus ſocietate illuc pariter penetravit? Num forte Adam, Abel, Abraham, Moyſes, Petrus, Joannes Baptiſta, aut ſanctiſſima ejus mater? Minime, ſed latro aliquis & infamis ſicarius, cui dictum eſt: *Hodie mecum eris in Paradiſo*; At vero quibus meritis ad ſummam hanc felicitatem ei pertingere licuit? Non ob alia merita, quam quia paſſus eſt ſimul cum Redemptore, eique intime compaſſus fuit. Unde S. Bernardinus ait: *Numquid ille ſocium paſſionis à communione gloriæ patietur arceri? Denique uſque adeo dedignatur Paſſionis ſuæ conſortem & in regnum mittere ſecum, ut in Cruce confitens latro eadem die cum eo fuerit in Paradiſo.* De alijs vero electis, quos æterna beatitudine indubitanter frui, fides ipſa nos docet, quot eorum cruciatus aut adverſitates ab ipſis patienter toleratas in vitis & actis eorum non legimus? *Omnes Sancti quanta paſſi ſunt tormenta? Ecce per totum mundum*, inquit Euſebius Emiſſenus, *in ſanctis Apoſtolis atque Martyribus, felicitati adverſitas viam fecit, ſaluti perditio militavit, & oſtium dum vitæ claudit, gloriæ patefecit?*

*Luc. 23. v. 43. S. Bern. ſer. 1. de ver. Iſai. Euſeb. Emiſſ. hom. de SS. Elph. & Alexandro, L. 1. vit. c. 20 n. 20.*

Pulchrum S. Phil. Nerij dictum.

3. Inter alia à S. Philippo Nerio præclare & ſapienter dicta, quæ in ejus vita leguntur, hoc unum fuit, quo ſolitus erat dicere, in hac vita nullum dari purgatorium, ſed vel infernum, vel Paradiſum, qui enim tribulationem cum patientia ſuſtinuit, habet Paradiſum, qui vero eam hoc modo non ſuffert, infernum poſſidet.

Sine labore gloria non obtinetur.

4. Lactantius Firmianus optime conſiderat, quod licet Deus adeo ſe erga hominem benignum & propitium exhibuerit, ut in eum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam à ſe creatum, pretioſiſſimos quosque cœli theſauros infuderit, ex altera tamen parte corpus illi dederit corruptibile, milleniſque miſerijs & ærumnis ſubjectum; Sed quonam fine id eum feciſſe exiſtimas? *Ut proponeret homini virtutem, id eſt, tolerantiam malorum*; Sed qua utilitate id fecit? *Per quam poſſit gloriam immortalem adipiſci, ne immortalitas homini ſine ulla difficultate conſtaret*; Et quidem horum ultimorum verborum Euſebius Emiſſenus rationem aſſignat, dicens: *Non vult Deus bona ſua nimia inveniendi facilitate vileſcere, pretioſa & concupiſcibilis merces cupidum amatorem, & avidum negotiatorem requirit.* Quid avari continuo laborando non ſuſtinent, ut opulentas ſibi facultates congregare valeant? Et cœlum nobis acquirere volemus quiete & ſuaviter dormiendo?

*Lactant. Firm. Divin. Inſtit. l. 7. c. 5. Euſeb. Emiſſ. hom. 3. ad Mon.*

Pro ſocordibus cœlum non Præparatum.

5. Scala illa in qua S. Patriarcha Jacob Angelos vidit aſcendentes & deſcendentes ſemper à nobis ob oculos & in admiratione haberi meretur: Et quidem, ut ſacer Chroniſta refert, mox ut S. Patriarcha prædictus illam vidit, totus perterrefactus & contremiſcens dixit: *Quam terribilis eſt locus iſte!* Scio nonnullos eſſe qui per hanc ſcalam vitam perfectam ſecundum varios ſuos gradus præfigurari exiſtimant; de qua myſtica ſcala dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon*; Verumtamen negari etiam vix poteſt quin eadem ſcala ſymbolum fuerit æternæ beatitudinis; quia Jacob qui alio nomine *Iſraël*, id eſt, *videns Deum* appellatur claris verbis dixit: *Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli*; At vero fortaſſe objicies; ſi ita eſt, cur igitur ad cœli aperti & immortalium bonorum, quæ in eo ſunt, aſpectum ſanctus Patriarcha tantopere contremiſcit? Pavensque ait: *Quam terribilis, &c.* Obſervandum eſt, quod Jacob erat dormiens, unde quia cœlum nequaquam pigris & ſocordibus Endymionibus præparatum eſſe optime noverat, ſed potius neceſſarium eſſe, ut quis per ſcalam vitæ laborioſæ & arduæ ſurſum ſemper aſcendere contendat; ideo ob ſomnolentiam ſuam timet & formidat: Nam ut bene ait S. Gregor. Magnus: *Delectat magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborũ.* Porrò Deus huic ſcalæ innixus, verbum incarnatum in patibulo crucis ſuſpenſum præfigurabat, nam ut S. Auguſtinus ait: *Scalæ incumbere eſt in ligno pendere.* Unde D. Chryſoſtomus verba illa ponderans: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* hiſce nos verbis alloquitur: *Chriſtus intravit in gloriam ſuam per paſſionem, & tu vis intrare in alienam ſine cruce.*

*Gen. 28. 17. Pſ. 83. v. 8. Gen. 28. 17. Gen. 28. 17. S. Aug. ibid. Luc. 24. v. 26.*

Crucem ſuam portet qui beari cupit.

6. Evangelica veritas eſt quod nullus electorum aditum in cœlum habere poſſit; niſi prius crucem ſuam portaverit: *Qui non bajulat crucem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* At verò S. Thomas de Villa Nova notat, Chriſtum non præcepiſſe ut ſuæ crucis lignum humeris noſtris impoſitum circumferamus, neque enim humeri noſtri ad illud portandum ſufficerent; unde non dixit: *Tollat crucem meam, ſed ſuam; Tollat crucem ſuam, nam meam non poterit, graviſſima eſt enim, quàm nullus puri hominis humerus portare ſuſtineat.* Idem quoque ſanctus Archipræſul multas diſtinguit cruces, inter quas tamen unam his verbis inſinuat: *Age pœnitentiam pro peccatis tuis, & ſufficit mihi, jejuna, plora, vigila, affige modicum carnem tuam, & ſatis mihi eſt.*

*Luc. 14. 27. S. Tho. de Villan. de uno Mart. Conc. 3.*

7. Hugo Cardinalis circa verba aſſumpti thematis noſtri obſervat, quòd Moyſes non dicat *flammam & gladium*, ſed *flammeum gladium.* Unde ſequentem elicit moralem doctrinam: *Qui enim ad Paradiſum redeunt, neceſſe eſt ut igne Spiritus ſancti, omnes concupiſcentias hujus vitæ exurant, & gladio verbi Dei omnia noxia præcidant.*

*Hug. Card. ibid. Gen. 3. v. 24.*

Cœleſtis coronæ gemmæ ſunt virtutes & tribulationes.

8. B. Laurentius Juſtinianus duce S. Paulo, utpote oculato cœleſtis gloriæ teſte, pretioſitatem nobis deſcribit gemmarum illarum, quæ in cœlis Sanctorum Diademate locupletant & exornant: *Qualis eorum dum peregrinarentur in corpore extiterit converſatio, Apoſtolus exhortando manifeſtat dicens: Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in vigilijs, in jejunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut ſeductores & veraces, quaſi morientes, & ecce vivimus, ut caſtigati & non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, tamquam nihil habentes & omnia poſſidentes*; ac tandem haſce omnes virtutes cœleſtium coronarum pretioſas gemmas eſſe his verbis concludit: *Hujuſmodi virtutum gemmis fabricata eſt corona ſanctorum.*

*B. Laur. Juſtin. ſer. in ſol. omn. Sanct. 2. Cor. 6. v. 4. Ibid. v. 5. Ibid. v. 6. ibid. v. 7. ibid. v. 8. ibid. v. 9. Ibid. v. 10.*

9. De S. Hermanno Canonico Steinfeldenſi Ordinis Præmonſtratenſis in ejus vita apud Surium legimus, quod *multigena ei Dominus flagella adhibuit, ut omnigenis poſtea in cœlo gaudijs aſſiceretur.*

*Sur. 7. Aprilis*

Hiſtoria. *In vit. S. Liduinæ Virg.*

10. De S. Liduina in ejus vita ſcribitur, quod cum per triginta octo annos gravi quadam infirmitate afflicta fuiſſet, jamque ardenter coronam deſideraret martyrij, ei in extaſi quædam inæſtimabilis valoris corona exhibita fuerit, cujus ſertum ſeu circulus nondum ex integro perfectus & abſolutus erat, cumque hanc ſibi præparatam eſſe intelligeret, inſtanter à Deo acerbiora ſibi immitti petierit, ut hac ratione neceſſarius ad eamdem coronam perficiendam gemmarum numerus conſummaretur, qua in re à divino ejus ſponſo exaudita fuit, ſiquidem Deus permiſit, ut è nonnullis militibus per improperia, verbera, contumelias,

melias, variaſque alias injurias dire retractaretur, quæ omnia cum ab illa conſtanti & heroico animo ſumma cum patientia tolerata fuiſſent, Angelus quidam ſole ſplendidior ei apparuit: *Salve chariſſima ſoror, ecce nunc abſoluta eſt corona, quam nuper imperfectam vidiſti, ludibria & vulnera corpori tuo impoſita fuere gemmæ, quas in illa corona & adeſſe vidiſti, & deeſſe.*

*S. Antoninus.*
2.

11. S. Antoninus refert de S. Dominico, quod ſanctus hic Patriarcha die quadam mulierem quamdam ex virtute non minus, quam ex nomine *Bonam* appellatam in turri quadam juxta portam S. Joannis in Laterano viſitans eamdem pectus ulceratum & vermibus ſcatens habentem, proque Chriſto diriora pati magnopere deſiderantem invenerit, quod admirans S. Dominicus inſtanter unum ex illis vermibus ſibi dari ab ea petiit, qui ex ulceribus ſerpentes nonnumquam in ſinum ejus decidebant, quos ipſa alias recolligens ulceribus ſuis denuo reimmiſit; tandem verò poſtquam varijs modis ſancti hujus petitioni reſtitiſſet precibus ejus victa, unum illorum ei donavit, cum hoc tamen pacto, ut eumdem mox ei reſtitueret; accidit autem ut ſubito poſtquam ſanctus vir Dei vermem iſtum in manibus ſuis habuit, in gemmam pretioſiſſimam tranſmutatus fuerit; cumque à circumſtantibus S. Patriarcha ne vermem hunc transformatum mulieri reſtitueret, ardenter rogaretur, ipſa vero reſtitutionem amaris lachrymis urgeret, tandem lachrymis ejus ſuperatus, gemmam mulieri reddidit, & reſtitutus in priſtinam denuo vermis ſpeciem reverſa fuit.

*D. Chryſoſt. Hom. 8. de Lucid. Pauli.*
Tribulationes pignus beatitudinis.

12. D. Chryſoſtomus de S. Paulo Apoſtolo ita ſcribit: *Livoribus quos ei verbera ſæpius inferebant, quaſi quibuſdam gloriabantur coronis.* Unde & Deus noſter poſtquam S. Paulum ex perſecutore feciſſet Apoſtolum, vas electionis, & Doctorem gentium, ac demum in ipſummet rapuiſſet Paradiſum, ibidemque illum in ſecretiſſima divinæ ſapientiæ penetralia admiſiſſet, totum quoque mundum & qui tunc in eo erant homines, & qui deinceps in finem uſque ſæculorum in eodem futuri erant expreſsè ſcire voluit, quod hoc gloriæ pignus, illa quoque electio & prædeſtinatio ad æternam beatitudinem, & ad tam eminentem & ſublimem in cœlis gradum habendum, in nullo alio merito fundetur quam in paſſionibus, perſecutionibus, ærumnis & adverſitatibus, quas pro Chriſti nomine perpeſſurus erat, ut ſcilicet hæ ab illis Divinis favoribus coronarentur: *Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*; Et ideò D. Chryſoſtomus, qui ut ex tot librorum ſuorum locis patet; ſummus hujus ſancti Apoſtoli cultor & venerator extitit, ſe Paulo non tam propter raptum ejus ad tertium cœlum, quam propter catenas, quibus pro Chriſti nomine vinctus & onuſtus fuerat, invidere dicebat: *Non tam beatum exiſtimo, quod raptus ſit in Paradiſum, quam quod conjectus ſit in carcerem, non tam cenſeo beatum, quod raptus ſit ad tertium cælum, quam eum cenſeo beatum propter vincula:* In tribulationibus enim & adverſitatibus, quæ pro Dei gloria & fidei confeſſione libenter ſuſtinentur indubitatum quoddam beatitudinis pignus habemus; dicente S. Bernardo: *In tribulatione ſpes gloriæ, & ipſa in tribulatione gloria continetur, ſicut ſpes fructus in ſemine, ſic & ipſa inſtar fructus in ſemine eſt. In hunc modum etiammodo regnum Dei intra nos eſt, theſaurus ingens in fictili vaſe, in agro vili eſt, ſed abſconditum felix qui ibi invenerit illud.* Pergit deinde idem mellifluus Doctor oſtendere, quod fidei oculus hunc inveniat theſaurum, non ſecundùm exteriorem apparentiam judicando, ſed conſiderando id quod non apparet: *Quam veraciter hunc theſaurum invenerat, quem volebat inveniri & ab alijs, qui dicebat: Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis; Non dixit: remunerabitur, ſed æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas; in hoc levi pondus ſublime, & ſupra modum.*

*Act. Ap. 9. v. 16.* — *D. Chryſoſt. Hom. 8. ad Epheſ.* — *S. Bern. ſer. 17. ſuper Pſal. Qui habitat.* — *2. Cor. 41. v. 17.*

*Baron. An. 205. n. 21.*

13. Eo anno quo Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis Martyrium conſummatum fuit, id eſt, paulo ante quam paterentur, prouti Annales Eccleſiaſtici fidem faciunt, S. Perpetua varias viſiones habuit, prout S. Auguſtinus & Tertullianus ſcribunt; Et quidem inter alia ſcalam quamdam vidit auream ad cœlũ uſque ſe protendentem, ex utroque latere dextero ſcilicet & ſiniſtro enſibus & cultris plenam, adeoque anguſtam, ut unus tantum, idemque parvus eam aſcendere poſſet, ad pedem ſcalæ horribilis quidam draco, qui omnibus aſcendere volentibus terrorem incutiebat; vidit autem in eadem ſcala Satyrum unum ex ſodalibus ſuis, qui aſcendendo, alios, ut ſequerentur, nec quidquam timerent, exhortabatur; quando enim præmium ob oculos conſpicitur, & mens in cœlum dirigitur, nullum eſt periculum, quod non generoſo animo ſuperetur.

Adhortatio ad patienter ſuſtinendum adverſa.
*S. Auguſt. in Man. c. 15. Pſ. 30. v. 11. Abacuc. 3. v. 16.*

14. Audiamus qua ratione S. Auguſtinus animum ſuum ad generoſe patiendum & ſuſtinendum in ſemetipſo excitarit: *O anima mea, ſi quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, ut Chriſtum in gloria ſua poſſemus videre, nonne dignum eſt, pati omne quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur? Inſidientur ergo Dæmones, frangant corpus jejunia, labores gravent, vigiliæ exſiccent, frigus incurvet, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur ſtomachus, palleſcat vultus, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat*; Ego tamen, concludit S. Auguſtinus, ſuſpirabo & anhelabo, ut magis pati & tribulari poſſim; ſed quo fine? *Ut requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum.*

*Abacuc. 3. v. 16.*

15. Quis eſt qui neſciat quod priusquam ſervi Dei in Eccleſia militante per ſolemnem canonizationem in Catalogum recenſeantur Sanctorum, prius multi formari ſoleant proceſſus, de eorum paſſionibus & Martyrijs quæ ſuſtinuerunt? Unde & D. Chryſoſtomus ait: *Martyres cum beatos vocamus, ex vulneribus primum beatificamus, & tum ex præmijs; ex plagis, & mox ex coronis repoſitis.*

*D. Chryſoſt. de orat. Annæ.*

Deus electos quosdam cruciat alios honorat.
*Iſidor. Peluſ. l. 3. Ep. 291.*

16. Iſidorus Peluſiota rationem aſſignat, cur nonnulli juſtorum & electorum Dei in hac vita multis tribulationibus exagitentur, alij verò econtra à Deo nonnumquam ſummè honorentur, & in proſperitate vitam ſuam agant; Dicit enim: *Quod juſti viri, atque omni virtutum genere florentes, multas hic acerbitates pertulerint, hoc paratas ipſis in altero ævo coronas indicat, quod verò nonnulli quoque ex ipſis honore affecti fuerint, hoc ob eos qui peccato delectantur, factum eſt, ne ſcilicet virtutem calamitatum cauſam eſſe arbitrantes, eam effuſo curſu fugiant.* Quamvis etiam verum ſit, quod dum in felicitatis humanæ culmine conſtituti in innocentia Chriſtiana & continentia ac temperantia vitam hanc tranſigimus, ſua quoque nobis pœna & patientiæ exercendæ occaſio non deſit; Unde S. Bernardus ait: *Quod Martyrium gravius eſt, quam inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter appetitus.*

*S. Bern. ſer. in feſt. omn. Sanctor.*

Crux & tribulatio ſecura ad cœlum via.

17. Sciendum tamen eſt, quod ad hoc ut ad Paradiſi littora feliciter pertingamus, via omnino contraria progrediendum ſit nobis, longeque ab ea diverſa, quam nautæ deſiderant, ut ad portum pervenire poſſint; hi enim vento propitio, quiete, & tranquillitate maris opus habent, econtra verò venti impetuoſi, tempeſtatum procellæ, aliaque ſimilia infortunia illos de naufragio ſuſtinendo periclitari faciunt: Nos autem ut portum feliciter aſſequamur, & de cœlo habendo reddamur ſecuri, tempeſtatibus, id eſt, tribulationibus, ærumnis, afflictionibus valde indigemus, dicente Apoſtolo: *Quod in præſenti momentaneum eſt & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

*2. Cor. 4. v. 17.*

Proſperitas ad Infernum ducit.

18. Rupertus Abbas Tuitienſis, dum perſecutiones, quibus Laban Jacob Patriarcham exagitans, illum pariter una cum tota ſua familia à maledicta domo Labani, in qua Idola adorabantur, liberavit, conſiderat, hac utitur ſimilitudine: *Nihilominus & ipſis conjugibus in idipſum bonum cooperata eſt inclementia Patris, hoc vento adverſo navigium feliciter impellente ultro portum aſpiciunt.* Sic quoque in Iſaia legimus: *Coronans coronabit te tribulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpacioſam, ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ.*

*Rup. Abb. l. 7. in Gen. c. 9.* — *Iſai. 22. v. 18.*

19. Epulo ventum quidem propitium habebat, quia *erat dives, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide*, ſed qualem tandem proſpera hæc navigatio finem accepit? *Mortuus eſt autem, & dives, & ſepultus eſt in inferno.* S. Bernardus in declamationibus ſuper illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, illa Abrahæ verba: *Recepiſti bona in vita tua*, conſiderans dicit: *Hæc cruciatuum cauſa tota, quod in hoc ſæculo bona recepit:* Econtra vero Lazarus mendicus erat, ulceribuſque plenus adeo ut ipſi quoque canes ejus moverentur compaſſione, ejuſque ulcera lingerent, denique famem ſuam ne quidem ex micis è divitis menſa decíduis mitigare concedebatur; Ecce tibi adverſitatum & miſeriarum ingentem procellam & tempeſtatem; verumtamen his non obſtantibus, ſed potius navigium ſuum promoventibus Paradiſi portũ feliciter eſt aſſecutus: *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur*

*Luc. 16. v. 19.* — *Luc. 16. v. 22.* — *Matt. 19. 27.* — *Luc. 16. v. 25.* — *S. Bernard.* — *Ibid. 22.*



*Luc 16. 22. S. Aug. in Medit. c. 17.*

*retur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Unde S. Auguſtinus ait: *Promiſit nobis à labore requiem, à ſervitute libertatem, à timore ſecuritatem, à mœrore conſolationem, à morte reſurrectionem, à reſurrectione plenum gaudium, ſummum gaudium, & indeficiens.*

## DISCURSUS XXV.

## ARGUMENTUM.

Paſſionum & tormentorum libenti animo toleratorum merita, viam ad cœlum complanant, & facilem efficiunt.

### THEMA.

*Fidelis ſermo, . . . ſi ſuſtinebimus & conregnabimus.* 2. Tim. 2. ℣. 12.

Crucem ſuccedit beatitudo.

1. Valde conſiderabilis eſt illa Apoſtoli proteſtatio, qua dicit: *Fidelis ſermo*; per hanc enim inſinuat, ſe in ſubſequentibus verbis, nos nequaquam decipere, ſed veridice loqui, tamquam æternæ & infallibilis veritatis & veracitatis teſtem; ac proinde non eſt quod contriſtemur, dum nos in varias adverſitates redigi videmus, cum axioma illud Apoſtoli omnino indubitatum ſit: *Si ſuſtinebimus & conregnabimus*, prius ergo præcedere debet patientia in adverſis, & poſtea infallibiliter ſuccedet beati illius regni æterna poſſeſſio

*2. Tim. 2. v. 12.*

Electi modo guſtant mala ut accipiant bona.
*Gen. 2. v. 17.*

2. Deus primum hominem à ſe conditum vix etiamnum in Paradiſum terreſtrem tranſtulerat, cum ecce illi de omni fructu comedendi licentiam dedit, ſolo excepto fructu arboris ſcientiæ boni & mali: *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas*, imò quoad uſque in illo deliciarum loco, Paradiſo videlicet commorabantur, nolebat ut ad hoc pomum manum ſuam extenderent aut de illo veſcerentur; noſtiſne prohibitionis hujus aſſignare myſterium? Hugo Cardinalis ait: *Signanter dictum eſt, boni & mali, quia qui hic bonum experiri volunt, in futuro malum experientur; unde mali comedunt lignum ſcientiæ boni & mali, ſed ſancti viri è converſo comedunt lignum ſcientiæ mali & boni.* Electi prius hujus vitæ tribulationes & adverſa deguſtant, ut demum cœli poſſeſſionem accipiant; non vero ſic reprobi, qui in hac præſenti vita gaudere volunt, ad futuram vero vitam minime reſpiciunt, ac proinde à Paradiſo exulare in perpetuum debent, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Pro cujus veritatis probatione aliam quamdam figuram ejuſdem libri Geneſeos conſiderare poſſumus.

*Hug. Card. in Gen.* — *Act. Ap. 14. v. 21.*

*Gen. 1. v. 5.*
Non tribulationum præcedere debet diem æternũ.

3. Nam in principio creationis mundi, dum Moyſes principium primi diei à Deo producti deſcribit, inquit: *Factumque eſt veſpere & mane dies unus*; quibus verbis principium diei à veſpera deſumptum eſſe inſinuat, econtra verò dies noſtri à diluculo matutino, id eſt à ſolis in Horizonte noſtro exortu ſuum deſumunt exordium, quod quoddam eſt humanæ felicitatis ſymbolum; in Calendario Dei autem contrarium obſervatur, in eo namque veſpere & mane diem conſtituunt; adeoque veſpera, ſive ſolis occaſus principium eſt diei: *Ad veſperum demorabitur fletus.* Optimum ſignum eſt quando homo non multum gaudet aut ridet, ſed flet, ſed ſuſtinet & patitur in hac vita; *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*; *Multæ tribulationes juſtorum.*

*Pſ. 29. v. 6.* — *Matth. 5. v. 5.* — *Pſ. 33. v. 20.*

Cur Deus juſtos tribulari permittat.

4. At verò dicet fortaſſe aliquis, quod ſi fideles Dei ſervi, qui in via divinorum præceptorum & conſiliorum ſuorum fideliter & inoffenſo pede ambulant, Deo adeò ſunt chari, grati, & accepti, cur illos tot moleſtijs, anguſtijs & perſecutionibus infeſtari permittit? Dydimus reſpondet: *Permittit Deus juſtum à pluribus affligi, ut illi gloriæ quæ tribulationum magnitudine comparatur ſtabilitatis occaſionem præbeat*; Tribulatio enim tranſitoria quidem eſt, brevis eſt, & obiter tranſvolat, æternæ tamen beatitudinis in nobis operatur ſtabilitatem & permanentiam. *Dei ineffabilis & immenſa bonitas*, inquit S. Auguſtinus, *etiam hoc providit, ut laboris quidem tempus, & agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum, ſed breve, & ut ita dicam momentaneum.* In hac quidem vita Deus nos ſudoribus, perſecutionibus, paupertate, ignominia, & ærumnis exercet; verumtamen in altera vita his omnibus ſceptra, coronæ, throni & immenſa gloria correſpondent, & hoc quidem illa cum prærogativa: ut labores quidem citò finirentur, meritorum verò præmia ſine fine durarent.

*Dydimus in Cat. Græc. in Pſal. 3.* — *S. Aug. ſer. 37. de Sanctis.*

Tribulatio brevi finitur, præmium numquam.

5. In diſcurſu quidem præcedenti gladium flammeum quo Cherubinus ad Paradiſi cuſtodiam inſtructus erat, illarum Paſſionum & afflictionum, per quas in cœleſtem Paradiſum introire volens tranſire debet, ſymbolum fuiſſe oſtendimus; verumtamen notandum eſt quod gladius iſte vocetur *flammeus atque verſatilis*, quia omnes pœnæ & tribulationes hujus vitæ amovibiles ſunt & deficiunt, mortificationes quoque, jejunia, cilicia, vigiliæ, paupertas, perſecutiones &c. tandem aliquando finem ſuum accipiunt, & ideò *momentaneum tribulationis* appellantur: præmium verò nullum umquam habiturum eſt finem. Unde S. Auguſtinus ait: *Qualis miſericordia Dei? non dicit: decies centena millia annorum labora; non dicit; Vel mille annos labora, cum vivis, labora in paucis annis, inde jam requies erit, & finem non habebit: Momentaneum hoc &c. Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam ſiliquam ad accipiendos theſauros ſempiternos.*

*Gen. 3. v. 24.* — *S. Aug. in Pſ. 93.*

Mundani roſis brevi decidentibus coronantur.
*Sap. 2. v. 8.*

6. Coronæ quibuſcum mundanorum tempora cinguntur roſeæ ſunt: *Coronemus nos roſis*; at vero bene advertendum eſt, quod ijdem mundani protinus ſubjungant: *antequam marceſcant*; quia hic in terris tam voluptates & deliciæ, quàm tribulationes & adverſitates citò tranſeunt: at vero Beatorum coronæ non ſunt ex floribus contextæ, ſed aureæ ſunt, gemmiſque pretioſis diſtinctæ & exornatæ; Et tametſi per ignem, per malleos, per forcipes, per ſcalpella variarum contradictionum & moleſtiarum tranſire debeant, priuſquam perficiantur; *hoc tamen pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur.*

*Tob 3. v. 21.*

Prius fel guſtandum.

7. Salvator noſter nullibi mel comediſſe legitur, niſi poſt ſuam Reſurrectionem, ut Apoſtolis ſuis ſpecimen aliquod daret ex quo agnoſcere poſſent, quod reſurrexiſſet ad gloriam immortalem: *Illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi & favum mellis, & cum manducaſſet coram eis*; ſcitiſne cauſam cur Salvator hujus cibi ſuavitatem non citius, priuſquam ſcilicet reſurgeret à mortuis deguſtare voluerit? Tertullianus inquit: *Favos poſt fella guſtavit, nec antea Rex gloriæ à cæleſtibus ſalutatus eſt, quam Rex Judæorum proſcriptus in Crucem*; Cum enim omnis Chriſti actio, noſtrarum ſit operationum norma & inſtructio, per hoc nobis ſignificare voluit, in hac vita gaudiorum mel nobis nequaquam delibandum eſſe, ſed potius fel afflictionum, dummodo veram promiſſionis terram lac & mel conſolationum æternarum indeficienter ſcaturientem nobis comparare ſit animus; interea tamen grave nobis nequaquam videri debet hic brevi tempore pati & affligi, ut per integram quamdam æternitatem gaudere valeamus; terra enim promiſſionis juxta tritum illud Apoſtoli axioma: *Omnia in figura contingebant illis*, veram terram viventium, ſive vitam beatam præfigurabat.

*Luc. 24. v. 42. 43.* — *Tertull. l. de Coron. mil. c. 24.*

Anguſtiatos Iſraelites Deus liberavit.
*Exod. 3. v. 7.*

8. Quandonam Deus olim poſt tot ſæcula motus eſt, ut populo ſuo ad exeundum de Ægypto viam commonſtraret? Tunc nimirum quando Deus, ut Moyſes familiaris ipſius amicus ſcribit, dicere vere poterat: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum, qui præſunt operibus*, tunc & non citius eos in poſſeſſionem Palæſtinæ immittere contendit, quando vel maximè anguſtiatus & oppreſſus ingemiſcebat, ut veriſſimum eſſe intelligeremus, quod *ſi ſuſtinebimus & conregnabimus.*

*2. Tim. 2. v. 12.*

His manna dedit amaritudine excruciatis.
*Exod. 15. v. 23.*

9. Similiter quando Deus populo ſuo Manna, quod gloriæ ſymbolum eſt, ut in diſcurſu nono vidimus, ſubminiſtrare voluit id non fecit, niſi poſtquam aquarum Mara ſalſedine & amaritudine aliquamdiu excruciatus fuit: *Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod eſſent amaræ*, quia ut Poëta ille olim cecinit: *Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.* Verum enimvero ex quo aquarum mentionem facere cœpimus, opportune mihi incidit, quod Jeroſolyma cœleſtis aquis illam lætificantibus inundari dicatur: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*; *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*; verumtamen intellectu difficile videtur, quod in cœlo beatorum aquarum flumina manare dicantur; In paradiſo quidem terreſtri quatuor flumina perpetuo curſu manaſſe conſtat; at quo fine in cœlis aquis opus habebunt; Quando Pſalmiſta dicit: *Et aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini*, de cœlo Cryſtallino intelligendus eſſe creditur; Venerabilis Beda ſimiliter ſuper illa verba *Fiat firmamentum*, cœli firmamentum à principio ex aquarum maſſa quadam formatum fuiſſe exiſtimat. Verumtamen in ſenſu accommodatitio dicere poſſumus, quod etiam cœleſtis Jeroſolyma multis abundabit aquis, id eſt, multarum animarum, quæ in hac vita ſub adverſitatibus & tribulationibus corporalibus ingemuerunt repleta erit jubilo & lætitia, ſicut enim tribulationes ſymbolizantur in aquis, juxta illud: *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam*; Et

*Pſ. 45. v. 5.* — *Pſ. 35. v. 9.* — *Pſ. 148. v. 4.* — *Gen. 1. v. 6.* — *Pſal. 68. v. 2.*

*Cant. 8. v. 7.* *Pſ. 93. v. 19.*

Et iterum : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, ita quoque cœleſtium conſolationum ſymbolum aquæ dici poſſunt, quæ in ijs qui in hac vita afflicti & tribulati fuerunt ſingulariter redundabunt, ut dicere poſſint : *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Per multas tribulationes in cœlū pervenitur. *Apoc. 7. v. 17.* *Act. 14. v. 21.*

10. Sanct. Joannes in Apocalypſi ingentem quamdam & quaſi innumerabilem vidit hominum agnum ſequentium multitudinem ; cui interroganti quinam & quales ij eſſent, reſponſum eſt : *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas . . . in ſanguine agni ideò ſunt ante thronum Dei.* Ex quo manifeſtum eſt, *nos per multas tribulationes introire Regnum Dei oportere*, ſicut Apoſtoli Paulus & Barnabas in Actibus Apoſtolicis Diſcipulos Chriſti Lyſtrenſes, Iconienſes & Antiochenos ſolatio confirmaverunt in ſpe, ut & ipſi per quotidianam pœnitentiam ſtolas ſuas in ſanguine agni lavarent, & per patientiam eventum liberationis, ac cœleſte præmium præſtolarentur, cum Deus ſuos non æternum in inquietudinibus relinquat, ſed aliquando in ipſorum auxilium intendat, æternaque miſeratione colligat.

*Pſ. 114. v. 3.* *S. Hieron.* Has ſancti & electi quærunt.

11. Sanct. Hieronymus ad illa Pſalmiſtæ verba: *Tribulationem & dolorem inveni*, ſe reflectens, ultimum verbum, *Inveni*, ſpecialiter ponderat : Dicit enim quòd ſi Pſalmiſta dixiſſet : Tribulatio & dolor invenerunt & aggreſſi ſunt me, facile quidem intelligi potuiſſet, jam verò econtra ſe tribulationem & dolorem inveniſſe dicit, cum tamen nihil inveniatur, niſi quod quæritur ? quis autem ſapiens Tribulationem quærat ? Reſpondet tamen veriſſimum eſſe quod David tribulationem quæſiverit, quia Sanctus non quærit requiem, ſed tribulationem, novit enim quoniam *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit.* Et ideo *proteſtor*, inquit Sanct. Hieronymus, *quod in hac vita nequaquam quæram requiem, ſed afflictiones & anguſtias, ut tanto ſim de gaudijs alterius vitæ ſecurior : Propterea nunc amaritudinem ſuſtineo, ut poſtea dulciora promerear.* *Rom. 5. v. 3.*

In tribulationibus gloriantur. *Luc 9. v. 33.* *D. Chryſ. in 1. ad Tim.* *S. Dion Areop. de Div. nom.* *Luc. 9. v. 33.* *S. Leo de Transfigur.*

12. Sanct. Petrus à Sanct. Luca Evangeliſta ignorantiæ redargutus fuit, quando in Transfiguratione Chriſti dixit : *Faciamus hic tria tabernacula, Bonum eſt nos hic eſſe*, cum tamen D. Chryſoſtomus illum vocet *Totius orbis magiſtrum*, & Sanct. Dionyſius Areopagita, *Antiquiſſimum Theologorum culmen*, quomodo igitur Evangeliſta de ipſo dicit, quod hæc verba locutus fuerit, *neſciens quid diceret.* Sanct. Leo Papa Petrum faſcinatum fuiſſe dicit ab illa elegantiſſima ſpecie gloriæ quæ in veſtimentis & in vultu Magiſtri ſui reſplendebat, abſque eo quod cogitaret neceſſum eſſe pati & affligi prius, quam in illius gloriæ poſſeſſionem ſubingredi poſſet. *Licet non oporteret de beatitudinis promiſſionibus dubitari, intelligeremus tamen, inter tentationes hujus vitæ prius nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quam gloriam, quia tempora patiendi non poteſt felicitas prævenire regnandi* ; Et ideò nos Sanct. Bernardus hiſce calcaribus ad patiendum extimulat dicens : *Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in ſpe gloriæ magni Dei, non ſolum autem, ſed ut dicam expreſſius, gloriemur in tribulatione, in ea ſiquidem ſpes gloriæ eſt* ; Clarum etenim eſt illud Sanct. Pauli teſtimonium : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit* ; juxta enim menſuram afflictionum patienter toleratarum creſcet quoque ſecuritas & gradus plus minuſve ſublimis gloriæ, nam ut Sanct. Gregorius ait : *Tanto in Deum ſpes ſolidior ſurgit, quanto pro illo quiſque graviora pertulerit.* *S. Bern. ſer. 17. ſuper Pſal. Qui habitat.* *Rom. 5. v. 3.* *S. Greg. l. 10. Mor. c. 22.*

*Luc. 14. v. 16.* *Lyran. ibid.* *Luc. 14. v. 21.* *Ibid. v. 22.* *Ibid. v. 22.* *Ibid. v. 23.*

13. Magna illa Cœna, cujus Sanct. Lucas cap. 14. meminit, figura eſt gloriæ cœleſtis; unde Lyranus dicit : *Fecit cœnam, id eſt, ſtatuit cœleſtem beatitudinem* ; ac quinam Cœnæ illius fuerunt commenſales ? *Pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc, & ait ſervus : Domine factum eſt ut imperaſti* ; Igitur omnes illi qui ſumptuoſo huic convivio accubuerunt, meri fuerunt homines anguſtiati & afflicti. *Et adhuc locus eſt*, inquit ſervus ? Sed quoſnam pro hoc loco adimplendo Dominus de novo advocari juſſit ? *Ait Dominus ſervo : Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea* ; ſed quinam alij in ſepibus & vijs publicis morari ſolent, quam homines tribulati, pauperes & mendici, hos igitur Dominus advocari voluit; unde dicitur : *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* ; *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes* ; & Dionyſius Carthuſianus ait : *Per vicos eos intellige, qui in adverſitatibus premebantur.* Nota autem quod Dominus ſervo ſuo dixerit : *Compelle intrare*; Eſt enim celebris illa Magni Gregorij ſententia: *Mala quæ nos hic premunt ad Deum ire compellunt* ; Et Gloſſa ſuper hoc textu clarius dicit : *Qui enim hujus mundi adverſitatibus fracti ad Deum amore redeunt, atque à præſentis vitæ deſiderijs corriguntur, illi non niſi compulſi intrant.* *Matth. 5. v. 3.* *Luc. 1. v. 53.* *Dion. Carth. ibid.* *Luc. 14. v. 23.* *S. Gregor.* *Gloſſa ibid.*

*Exod. 33. v. 23.* Moyſi paſſionis Chriſti Myſterium revelatum. *Exod. 33. v. 22.* *1. Cor. 10. v. 4.*

14. Moyſi Divinam faciem, quæ viſionis Beatificæ objectum eſt, videre cupienti reſponſum fuit : *Videbis poſteriora mea.* Conſtans verò Theologorum eſt opinio Moyſen etiamnum viventem, haud ſecus ac Apoſtolum, *per modum tranſeuntis* Divinam vidiſſe eſſentiam, quia in eodem capite dicitur : *Cumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ* : Quænam vero aut qualis petra hæc perforata erat ? Sanct. Paulus inquit : *Petra autem erat Chriſtus*, id eſt, Redemptor noſter vulneribus laceratus & ſaucius ; Moyſi enim Incarnationis & Paſſionis Chriſti myſterium revelatum fuit ; unde deinceps in monte Thaboris in ejus ſocietatem admiſſus fuit, quando ſacratiſſima Chriſti humanitas glorioſa ſcintillavit, quo tempore de ejus quoque Paſſione & morte agebatur ; voluit igitur Deus ut quo tempore Paradiſum penetrans, licet per modum tranſeuntis & obiter Divinam videbat eſſentiam, dorſum ejus flagellis cruentatum & excarnificatum intueretur, indeque hanc eſſe ad illam viſionem pertingendi viam, intelligeret, nam ut S. Bernardus ait: *Poſteriora ipſius in pallore auri, quæ fuſcum non erubuit crucis, viſionem Paſſionis non horruit, livorem vulnerum non refugit.* In hiſce vulneribus ſponſa requieſcet, quæ animæ electæ ſymbolum eſt: *Columba mea in foraminibus petræ.* *S. Bern. ſerm. 61. in Cant.* *Cant. 2. v. 14.*

Poſt laborē præmium.

15. Verum ex quo de auro & dorſo mentionem fecimus, à propoſito noſtro alienum non erit, ſi locum quemdam ex Pſalmo 67. ponderaverimus, ubi David columbam quamdam in hunc modum deſcribit : *Pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.* Hugo de S. Victore circa hunc locum ſcribens, valde miratur quod aurum iſtud in nulla alia corporis parte, quam in dorſo viſum fuerit ; cur non potius in pectore, vel in capite, aut in alis exhibebatur ? Sexus fœmineus vanitati plurimum intentus aurum ad collum vel ad aures ſuſpendere ſolet, vel etiam digitos annulis aureis adornat ; quis autem illud umquam viſus eſt portare in humeris? Porro myſterium quo Hugo ex hiſce verbis elicit, propoſito noſtro aptiſſime congruit : *In dorſo*, inquit, *ſolent onera portari, & per hæc eadem poſſunt operum labores deſignari : per poſteriora vero dorſi, deſignatur expectatio præmij, poſt tolerantiam ſiquidem præſentium laborum, in futuro ſubſequi credimus juſtis meritorum præmia, & hoc in pallore auri eſſe credimus* ; pondera enim & onera tribulationum, infirmitatum, laborum & omnium hujus vitæ ærumnarum, *æternum gloriæ pondus operantur in nobis.* S. Baſilius ad illud Apoſtoli conſilium ſe reflectit, quo Apoſtolus ſuadet *flere cum flentibus* ; & dicit : *Apoſtolus, ut cum flentibus fleamus permittit, quod hujuſmodi lachrymæ ſunt ſeminarium quoddam, ac laneus quibus internum illud gaudium creſcit quotidie & cumulatur.* *Pſ. 67. v. 14.* *Hugo de S. Vict. ibid.* *2. Cor. 4. v. 17.* *S. Baſilius Hom. 5. de grat. act.* *Rom. 12. v. 15.*

*Pſ. 49. v. 23.* Gratum Deo ſacrificium corpus mortificatum.

16. David Rex in extaſim raptus, in perſona Dei dicit : *Sacrificium laudis honorificabit me*, & mox immediatè ſubjungit : *Et illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei ?* Quodnam obſecro eſt ſacrificium iſtud quod planam, ſecuram, & regiam ad Paradiſum viam ſternere dicitur ? S. Paulus oblationem corporum noſtrorum, prout per mortificationem jejunia, cilicia, flagella, aliaſque carnis macerationes extenuata ſunt, ſacrificium appellat: *Obſecro itaq; vos... ut exhibeatis corpora veſtra Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* S. Joannes in Apocalypſi dicit : *Ecce Agnus ſtabat ſupra montem Syon, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & audivi vocem ; & vocem quam audivi, ſicut cytharœdorum* ; S. Anſelmus ait : *id eſt mortificationem oſtendentium & cytharizantium in cytharis ſuis, ſcilicet proprias carnes ſuas affligentium, hi ſequuntur agnum ſeu imitantur Chriſtum quocumque ierit.* Per hoc ſacrificium, quod laudis appellatur, id eſt, Deo ſumme gratum & acceptum, hoc conſequimur, ut via nobis ad cœlum aperiatur : *Illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei. In hoc ſacrificio*, inquit Caſſiodorus, *eſt iter, id eſt, via ad Deum.* *Rom. 12. v. 1.* *Apocal. 14. v. 1.* *ibid. v. 2.* *S. Anſelm. in Apoc.* *Apocal. 14. v. 4.* *Pſ. 49. v. 23.* *Caſſiod. in Pſalm.*

17. S. Bernardinus de Senis Etymologiam nobis Cœli Empyrei inſinuat dicens : *Dicitur Empyreum, à Pyr, quod eſt ignis, propter ſimilitudinem Charitatis.* Quis autem eſt qui ignem quoque tribulationum Symbolum eſſe ignoret ? Unde electi Deum laudabunt, dicentes : *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* *Quod ſi quotidie foret millies moriendum*, inquit D. Chryſoſtomus, *ſi gehennam, tormentaque omnia conveniret ſuſtinere, ut videre poſſet Chriſtum venientem in gloria ſua, & adſcribi ordini ſanctorum, nonne illa omnia ferenda eſſent ?* Idem quoque alibi nos monet ne deſtituamur animo, dum ſervos Dei tribulationibus hinc inde exagitari conſpicimus : *ſiquidem videris*, inquit, *virtutis ſtudioſum, innumeris tamen affligi moleſtijs, beatum hunc puta, ut qui commiſſa peccata hic diluat, & illic paratam habeat mercedem.* *S. Bernard. Sen. de mun. cord. ſerm. 7. A. 3. C. 3.* *Pſ. 65. v. 12.* *D. Chryſoſt. Tom. 4. ad Theod.* *D. Chryſoſt. orat. 3. de Lazar.*



## DISCURSUS XXVI.

## ARGUMENTUM.

Variæ gloriæ cœleſtis & electorum conſiderantur alluſiones & figuræ in quibus paſſionum ſuſtinendarum fit mentio; ubi etiam illorum reprehenditur negligentia, qui Cœlum deferunt ne pati cogantur.

### THEMA.

*Triticum autem congregate in horreum meum.*
Matth. 13. ℣. 30.

Tribulationibus ſignantur electi. *S. Th. opuſc. 58. c. 10.* *Rom. 8. v. 29.* *Lyran. ibid.*

1. MOvet Angelicus Doctor inter alia Quæſtionem, cur ſapientia incarnata Eccleſiæ corpus ſuum ſub ſpecie panis triticei relinquere voluerit, adeo ut nulla alia materia conſecrationis capax exiſtat ; Et reſpondet : *Ex hoc quod Dominus dicit ſe granum frumenti, habet Eccleſia, quod ſub nulla alia ſpecie conſecrat corpus Chriſti*; ac proinde ob eamdem cauſam nos quoque aſſerere poſſumus hanc eſſe rationem, cur electi per frumentum ſive triticum intelligantur, ſicut per paleas reprobi; utpote *quos ... prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui*, Lyranus vero ad propoſitum noſtrum dicit: *Triticum, id eſt, fideles in area hujus mundi mihi contritos & flagellatos.* Quod ſi enim omnes electorum & prædeſtinatorum ad gloriam metaphoras, figuras, & alluſiones examinare voluerimus, illos ſemper per Tau tribulationis & adverſitatis ſignatos eſſe comperiemus.

*Zach. 9. v. 17.* Electi dicuntur frumentum.

2. Dicuntur igitur in primis *Frumentum electorum* ; per quod trituras & flagellationes ac exagitationes frumentum tranſire debet, priuſquam ex illo panis fiat ? in primis enim ſepelitur ſub terra, ibique corrumpitur & marceſcit, quando germinans in herbam excreſcit, animalibus cedit in pabulum, vel falce demetitur ; quando creſcit in altum pariter incurvatur, eſtque ventis, pluvijs, nivibus, glaciei, grandini & ardentiſſimis ſolis æſtibus continuo expoſitum, ferro præſcinditur, in faſces & manipulos conſtringitur, nodoſis virgis & baculis flagellatur, ſaccis velut carceribus includitur, & ſi inde ad molendinum portandum eximatur, ponderoſiſſimo molari lapidi ſubjicitur & in farinam redigitur, quæ tandem aquis ſubacta & in maſſam quamdam redacta, furno ardenti immittitur, & fit panis, qui demum cultello vel dentibus in minutas partes dividitur. Euſebius Emiſſenus ait: *Solita purgantis ſolicitudine præparatum, in candidam ſpeciem molarum labore perficitur, ac per aquam & per ignem in unius panis ſubſtantiam congregatur.* Quodnam proinde expreſſius inveniri poterit ſymbolum electorum ? de quibus Apoſtolus ait : *Obturaverunt ora leonum, Extinxerunt impetū ignis, effugerunt aciem gladij, ... alij autē diſſecti ſunt, ... Alij vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, In ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ.* *Euſeb. Emiſſ. Hom. 5. de Paſch.* *Hebr. 11. v. 33.* *Ibid. v. 34.* *Ibid. v. 36.* *Ibid. v. 37.* *Ibid. v. 38.*

Similitudine declaratur. *B. Laur. Juſtin. de inter. Conflictu c. 2.*

3. Porro ut in perfectam utilitatis tribulationum & adverſitatum notitiam pervenire poſſimus B. Laurentius Juſtinianus ſequentem aptiſſimam adducit ſimilitudinem : *Trituratur terra, & vomere ſcinditur, ut germinet, univerſæ putantur arbores, ut fœcunditate ſua alimoniam hominibus ſubminiſtrent, in vite inutiles purgantur racemi ut uberiorem fructum exhibeant, ſic & ab adverſarijs veritatis juſti opprimuntur, & tacent ; temporalium damna patiuntur, & diligunt ; calumniantur & obſequia impendunt ; benefaciunt odientibus ; pro perſecutoribus orant, ſe corporis Chriſti membra eſſe fatentur, conſorteſque ſanctorum, qui mala perferendo, coronam gloriæ perceperunt.*

*Pſ. 83. v. 1.* Elect. ad torcularia vocantur. *Pſ. 83. v. 2.*

4. Pſalmo 83. hic titulus : *Pro torcularibus*, non ſine myſterio præfigitur ; at vero inquies forſitan, ex quo in dicto Pſalmo præcipue de Paradiſi gloria tractatur, ut patet ex illis verbis à quibus dictus Pſalmus incipitur : *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum &c.* hic titulus adeo apte nequaquam illi conveniet, quænam namque eſt inter torcular & beatorum gaudia proportio ? Obſervandum eſt igitur, quod torcular quædam ſit paſſionum & ærumnarum figura, unde Chriſtus de Paſſione ſua loquens dicit : *Torcular calcavi ſolus*, ubi nomine torcularis Crucem ſuam intelligit. S. Auguſtinus dicit : *Uva & oliva quamdiu pendent in frutetis ſuis, libero aëre perfruuntur, & nec uva vinum eſt, nec oliva oleum ante preſſuram, ſic ſunt & homines quos prædeſtinavit Deus ante ſæcula conformes fieri imaginis Filij ſui, qui præcipuè in Paſſione magnus botrus expreſſus eſt*; Paulo poſt vero unumquemque ad afflictiones patienter ferendas extimulat: *Accedens quiſque* inquit, *ad ſervitutem Dei, ad torcularia ſe veniſſe cognoſcat, contribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc ſæculo pereat, ſed ut in apotheca Dei defluat.* *Iſa. 63. v. 3.* *S. Aug. in Pſal. ibid.*



Per multas tribulationes cœlum obtinetur. *Apocal. 19. v. 8.*

5. Conſideraſtiſne aliquando qualeſnam ſint habitus quibus Beati à S. Joanne viſi fuere induti ? Vidit Agnum veſtitum byſſo ſubtili pariter & candida, & ait: *Hæ ſunt juſtificationes ſanctorum: Et datum eſt illi ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido* ; *Byſſinum enim juſtificationes ſunt ſanctorum* ; Tales pariter ſunt aliorum beatorum ſtolæ : *Amicti ſtolis albis ſequuntur agnum* : at vero dicite ſodes, numquid ad dandam pulchritudinis & opulentiæ regni illius immortalis & beati perfectam notitiam, congruentius fuiſſet, ſi ſancti huic Apoſtolo exhibiti fuiſſent ut aureis veſtibus, ijs demque margaritis & gemmis pretioſis phrygio opere diſtinctis & ornatis induti ? Nequidquam ſiquidem intentum Spiritus Sancti in Scriptura ſacra hoc fuit, ut videlicet ſimul modum indiceret, quo ſancti hiſce ſtolis albis ſe adornarunt. Etenim quidnam myſterij in hac veſte linea contineatur, Origenes his verbis declarat : *ſicut*, inquit, *multo labore linum fit candidum, ita multis tribulationibus ad apicem animæ perducuntur.* Numerate obſecro labores & vexationes quaſi innumeras, per quas linum pertranſire debet, priuſquam ad candidam & nitidam veſtem aliquam conficiendam adhiberi valeat. Primo enim in campo aperto ſeminatum, omnes aëris ſuſtinet injurias, quas paulo ante circa frumentum enumeravimus, quando in meſſe colligitur, non demetitur falce, ſed radicitus evellitur, ac ſic eradicatum in aquas ſtagnantes projicitur ut computreſcat, ibidemque ſaxis ponderoſiſſimis opprimitur & conculcatur, indeque ereptum ardentiſſimo ſoli exſiccandum exponitur, deinde cum non niſi pelle & nervis conſtat, inter duo ligna mittitur, ut quidquid duri in eo eſt, totaliter emolleſcat & confringatur, ut ſolum linum ſine cortice ſuperſit ; tunc demum in pectinibus acutiſſimis ex ferro & chalybe confectis carminatur & diſcriminatur ; tandem ex eo tela linea conficitur, diſcinditur, & varijs acuum puncturis transfigitur ; *Sic quoque omnes ſancti quanta paſſi ſunt tormenta* ! numquid igitur ſtola hæc & veſtis linea qua cœleſtis Paradiſi incolæ amiciuntur aptiſſime illis quadrare & adaptari videtur ? Multis enim tribulationibus ad apicem animæ perducuntur ; legatis velim vitas illorum ſanctorum, quos ſancta mater Eccleſia Paradiſi gloria & gaudijs perfrui declaravit, & videbitis per quot tranſierint labores & ærumnas priuſquam illis hac ſtola gloriæ contegi concederetur. *Orig. Hom. 6. in Jer.*

Proſecutio. *Pſ. 28. v. 9.* *3. Reg. 6. v. 7.* *Apocal. 7. v. 17. & c. 20. v. 4.*

6. Eccleſia in hymno quodam canere ſolet : *Urbs beata Jeruſalem dicta pacis viſio, quæ conſtruitur in cœlis vivis ex lapidibus.* Significantur igitur electi quoque per petras, ex quibus cœleſtis Jeroſolyma fabricatur; at vero audiatis, ſi placet, verba quæ ſequuntur : *Tunſionibus preſſuris expoliti lapides, ſuis coaptantur locis,* quot tunſiones & percuſſiones lapis aliquis ſuſtinere debet, donec quadretur & expoliatur, ad connectendam pulchræ alicujus faciei & aſpectus ſtructuram ? non vero ſic fit circa ſaxa rudia ; quæ ſine ulla politura aut ordine fundamentis injiciuntur ; Et ideo nec reprobi tot exercentur adverſitatibus ſicut electi, hi enim quia in Civitate Dei pro inſigni illius ornamento ſervire debent ; ideo hic in terris tunſionibus, preſſuris, & inciſionibus opus habent, ut expoliti lapides fiant ; nam in templo illo beato (*in templo ejus omnes dicent gloriam*) *& malleus . . . & omne ferramentum non ſunt audita, cum ædificaretur*, ſiquidem ibi *abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, ſed nec ullus dolor.*

Proſecutio. *1. Cor. 9. v. 24.* *Ibid. v. 25.*

7. Ad hæc cœleſtis gloria etiam in ſcriptura ſacra ſæpe ſub bravij ſymbolo proponitur : *Neſcitis, quod ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt ſed unus accipit bravium ; ſic currite ut comprehendatis ; Omnis autem qui in agone contendit ; ab omnibus ſe abſtinet,*

*abſtinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam; Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum, ſic pugno non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Prælia autem pericula, labores, & ſudores, imo etiam ſæpe ſanguinis effuſionem & vulnera ſecum conjuncta habent. *Non coronatur, niſi qui legitimè certaverit*; Et Nazianzenus ait: *Coronæ in eos comparantur, qui certamine congrediuntur, non qui ſurſum ſedent, velut ſpectatores.* S. Irenæus quoque ad propoſitum noſtrum dicit: *Quæ corona his debetur, qui eam ut victores in certamine conſecuti ſunt*; Et poſtquam prædictam Apoſtoli ſententiam: *Non coronabitur &c.* adduxiſſet, ſubjungit: *Bonus agoniſta adhortatur, ut coronemur, & pretioſam arbitremur coronam, videlicet quæ per agonem nobis acquiritur, & quanto per agonem nobis advenit, tanto eſt pretioſior.*

Ibid. v. 26. Ibid. v. 27. 2. Tim. 2. v. 5. S. Greg. Nazianz. Or. 1. in Julian. S. Irenæus l. 3. adv. hæreſ. c. 72.

Proſecutio. Matth. 25. v. 33.

8. Prædeſtinati ad gloriam prælecti ſimiliter in ovibus deſignantur: *Statuet quidem oves à dextris ſuis.* Quis autem adeo eſt officij Eccleſiaſtici Divini imperitus, qui neſciat quod Eccleſia in Hymno de ſanctis Martyribus, qui in ſuppliciorum carnificina ſanguinem ſuum effuderunt, ad oves alludendo dicat: *Cæduntur gladijs more bidentium, non murmur reſonat, non querimonia, ſed corde tacito mens bene conſcia conſervat patientiam.* Oves in agris herbas ſalitas amant & ſeligunt, in quibus utplurimum Sal petræ reperitur, & libenter etiam amara arborum folia deguſtant: ita quoque anima prædeſtinata tanto evadet purior, majoremque ſibi gloriam comparabit, quanto in conſectanda afflictionum amaritudine ſtudioſior fuerit atque avidior: *Tanto fit rationalis anima purgatior*, inquit S. Leo, *quanto fuerit ſubſtantia carnis afflictior.* Unde Chriſtus ipſe ad patibulum Crucis deductus in Iſaia ovi ad macellum ductæ aſſimilatur: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & non aperiet os ſuum.* Oves enim homines inter adverſa patientes ſignificant, qui inter vulnera & mortes invicta patientia ſuam exhibent manſuetudinem.

S. Leo ſer. 1. de jejun. Iſa. 53. v. 7.

9. Felix quoque terra Viventium in promiſſionis terra exprimitur: *Credo videre bona Domini in terra Viventium*; Conſtat autem quod priuſquam populus Iſraël vel palmum aliquem in dicta promiſſionis terra ſibi vendicare poſſet, prius tot annis mortis periculis continuo expoſiti, vix umquam arma è manibus deponere, aut à viris & laboribus liberi aut ſecuri eſſe potuerint; Verum quidem eſt, quod terra illa lacte & melle inundaſſe dicatur; verumtamen quod lac attinet, quid hoc aliud eſt, quam ſanguis iterata in uberibus concoctione purificatus; mel autem quædam eſt apum compoſitio, hæ autem præter ſuavitatem liquoris quem operoſe congregant & conficiunt, conjunctum quoque tibijs habent aculeum quo pungunt, ut exinde intelligamus, neminem ad beatitudinis dulcedinem deguſtandam pertingere poſſe, niſi prius labia ejus ærumnarum & adverſitatum conſpergantur amaritudine. Unde de B. Ægidio, qui unus fuit ex primis ſodalibus S. Franciſci, legitur quod à nonnullis Cardinalibus, ut pro illis oraret rogatus, ſuis illos orationibus minime indignos eſſe reſponderit, utpote qui majorem futuræ ſalutis ipſorum fiduciam haberent quam ipſemet: *vos in tantis opibus, honoribus, & proſperis ſucceſſibus putatis ſalvos fore, cum ego in miſeria & rebus duris atque adverſis, me damnatum iri formidem.*

Pſ. 26. v. 13. Serm. 23. Apoc. Hiſtoria.

Operarij mercedem accipient. Matth. 20. v. 1.

10. Cœleſtis quoque gloria à ſcriptura ſacra in denario vineæ laboratoribus erogato haud obſcure aut incongruè repræſentatur: *Simile eſt regnum cælorum homini Patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam*; at vero ad propoſitum noſtrum bene obſervandum eſt, quod quo tempore merces operarijs exolvenda erat, Dominus villico ſuo dixerit: *Voca operarios & redde illis mercedem*; neque enim hi operarij manibus ad cingulum aut ſinum poſitis otiabantur, ſed *portavimus*, dicebant, *pondus diei & æſtus*; Nos autem quid aliud quam *mercenarij ſumus*? inquit D. Chryſoſtomus, *mercenarius ſine opere eſſe non poteſt*: Et S. Gregorius ait: *Homo naſcitur ad laborem ut avis ad volatum, quia inde mens ad ſumma volat, unde caro durius laborat.* S. Hieronymus quoque dicit: Proverbium eſt; *Anima operantium impinguabitur, quia qui pijs pro Domino laboribus inſudant, cæleſti & immarceſcibili poſt labores corona donabuntur.* Dionyſius Carthuſianus ſuper illa verba: *Ex denario diurno*, dicit: *Dicitur diurnus, quia propter eum quotidie laboratur, & quotidie ingredientibus regnum cæleſte confertur.* De hac vinea idem Evangeliſta capite ſequenti dicit: *Sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular*; Igitur etiam in hac vinea ſepes, id eſt, ſpinæ inveniuntur, nec non & torcular, tam vero per hoc, quam per ſpinas Paſſio & mors Redemptoris figurantur. S. Thomas per hoc torcular intelligit Martyres qui pro fide ſanguinem fuderunt, id quod etiam S. Anſelmus confirmat, dum obſervat quod in Pſalterio tres Pſalmi intitulentur: *Pro torcularibus, id eſt, poſuit in ea tales viros, qui parati eſſent torqueri in nomine Chriſti.*

Matth. 20. v. 8. Matth. 20. v. 12. D. Chryſ. cit. ab Hugone Card. ibid. S. Greg. l. 7. mor. c. 6. Job 5. v. 7. Prov. 13. v. 4. S. Hier. Dionyſ. Carthuſ. ibid. Matth. 21. v. 33. S. Thom. ibid. Pſ. 80. v. 1.

Qui Chriſtum ſequitur in tribulatione ſequetur in regno. Joan. 10. v. 9. Matth. 7. v. 13. 14.

11. Præterea conſiderandum eſt, quid Salvator noſter ſemetipſum Paradiſi portam ſive oſtium appellarit: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabitur.* Quis autem eſt qui neſciat, quod ipſe Dominus noſter apertis verbis nobis dicat: *Intrate per anguſtam portam, . . . quam anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Conſequens igitur eſt, quod cum Redemptor noſter ſpinis redimitus, clavis transfixus, felleque potatus fuerit, noſtræ quoque fauces amaricari noſque ſpinis ejus pungi debeamus, ut dicere quilibet noſtrum poſſit: *Particeps in tribulatione & regno.* Enimvero S. Bartholomæus in hujus portæ anguſtijs pellem ſuam exuere & poſt ſe relinquere debuit, & multi alij ſubſtantijs & facultatibus ſuis denudari fuere: *Ecce nos reliquimus omnia.*

Apocal. 1. v. 9. Matth. 19. v. 27.

12. Sapiens pariter electos in auro repræſentat, dum ait: *Æſtimata eſt afflictio exitus illorum, . . . coram hominibus tormenta paſſi ſunt. Deus tentavit eos, . . . tamquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos*; Ignis igitur qui aurum probat, & mallei qui illud contundunt & percutiunt, juſtorum indicat magnanimam patientiam; quæ in eo vel maxime inſinuatur, quod ut Tertullianus inquit; *aurum percuſſum ſilet*; non tinnit, ut argentum & alia metalla; Aurum quoque in eo quod colorem pallidum habet, jejunia, rigores; & pœnitentias ſignificat, quibus palleſcunt animæ electæ, quæ ad perfectionem vitæ & cœleſtem beatitudinem magnis paſſibus ire contendunt.

Sap. 3. v. 2. Ibid. v. 4. Ibid. v. 5. Ibid. v. 6. Electi auro ſimiles.

Invectiva in Chriſtianos molles.

13. Ex hactenus igitur dictis occaſio mihi ſubminiſtratur minime hoc loco negligenda, graviter in illos Chriſti fideles invehendi, qui cœleſtis gloriæ obliti, ne carnem, quam nimium diligunt, affligant, aut moleſtia afficiant, Crucis & pœnitentiæ viam perhorreſcunt; Contra quos S. Bernardus, ſuper illa Canticorum verba: *Trahe me poſt te*, ita ſcribit: *Quam pauci poſt te Domine Jeſu ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo ſit qui nolit; hoc ſcientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua uſque in finem, & propterea volunt omnes te frui, ſed non ita & imitari, conregnare cupiunt, ſed non compati.* In libro Judicum legitur quod Iſraëlitæ quinque ſelectos milites ad civitatem Lais explorandam deſtinarint, qui terram illam fertilem eſſe conſiderantes, ad ſuos reverſi, alijs militibus ad terram illam invadendam, ſuique juris faciendam animos addiderunt, hiſque illos verbis fuere affati: *Surgite aſcendamus ad eos, vidimus enim terram valde opulentam, & uberem nolite negligere, nolite ceſſare, eamus & poſſideamus eam, nullus erit labor*; Eodem quoque modo ſi & nos à pigritie noſtra excitari & expergiſieri volumus, oculum mentis noſtræ, id eſt, intellectum per ſeriam quamdam contemplationem in bona illa æterna defigamus; quod ſi fecerimus: *Nullus erit labor*, imo omnis conatus noſter levis & ſuavis eſſe videbitur. Nemo quidem eſt cui Paradiſus cœleſtis non placeat, quique illum non ardenter deſideret; cur autem tam pauci ſunt qui illum adipiſcuntur? S. Antonius de Padua ſuper illa verba: *Dico autem vobis, quod multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis*, ita ſcribit: *In Prophetis Prælati Eccleſiæ, in Regibus Principes hujus ſæculi deſignantur, tam illi quam iſti volunt videre Chriſtum in cælo, ſed nolunt videre ſuſpenſum in Patibulo; volunt gaudere cum Chriſto, ſed in cœlo, & in mundo regnare.* Iſti dicunt cum Balaam Num. 23: *Moriatur anima mea morte juſtorum*; *Iſti volunt videre gloriam Divinitatis, quam viderunt Apoſtoli, ſed nolunt ſuſtinere ignominiam Paſſionis, & paupertatem Chriſti, quam ſuſtinuerunt ipſius Diſcipuli.*

S. Bern. ſerm. 21. in Cant. Cant. 1. v. 3. Jud. 18. v. 9. Luc. 10. v. 24. S. Ant. Pad. in Dom. 13. poſt Pent. Num. 23. v. 10.

Pulchra ſimilitudo. Prov. 13. v. 4. S. Hier. Did. Stella in c. 6. Luc.

14. Sapiens haſce animas, quæ de ultimo fine numquam cogitant, earumque deſidiam & negligentiam his verbis deſcribit: *Vult & non vult piger*; Ubi S. Hieronymus inquit: *Recte pigri Vocabula denotntur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo, delectant præmia cum pollicentur, deterrent certamina cum jubentur.* Didacus Stella ingenioſam quamdam Regis cujuſdam adducit ſimilitudinem, qui armarium quoddam auro & gemmis pretioſis refertiſſimum habens, ei qui illud aperuerit ingentia dona promittit, ſimulque eo fine duas claves offert, quarum una ferrea



ferrea eſt, aurea altera, cum hac tamen inter ambas illas differentia, quod ſola ferrea aperiat, alia vero minime; Utram illarum clavium electurus eſſes? Utique expedientius foret ſi manum tuam ad ferream clavem accipiendam extenderes: *Aurea quidem pretioſior eſt, ſed ad reſerandum inutilior, ferrea quamvis vilior ſit, præſtantior eſt, quia cum ea aperitur theſaurus: ſic domus plena theſauris eſt gloria & beatitudo, quia Gloria & divitiæ in domo ejus: Clavis aurea divitiæ ſunt temporales, ferrea paupertas, has duas claves porrigit tibi Deus; Utram illarum eliges? nonne potius ferream qua aperitur cælum?* D. Chryſoſtomus quoque in hac materia ſtringens quoddam & efficax conficit argumentum, Dicit enim, quod ſi uni ex nobis totius mundi promitteretur dominium, quot non paſſurus eſſes & libentiſſime quidem, labores & ſudores, quam futurus eſſes in perpeſſis injurijs & contumelijs patiens? *Obdura igitur & nunc, non regni terreni, ſed cæleſtis cauſa, non ut veſte aurea, ſed immortalitate indutus recipias & gloria, quantam eos qui in cælis degunt, habere conſentaneum eſt.*

Pſ. 111. v. 3. D. Chryſoſt. T. 4. Ep. 4. ad vid.

## DISCURSUS XXVII.

## ARGUMENTUM.

Sola divinorum præceptorum obſervantia ad Beatitudinem acquirendam ſufficit; eſtque hæc in nova lege facilior quam in antiqua, eo quod in ſola charitate fundata ſit, quæ ſola in cœlos aditum præbet.

### THEMA.

*Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*
Matth. 19. ℣. 17.

Pſ. 32. v. 6. Joan. 10. v. 9. Matth. 19. v. 16. Ibid. v. 17.

1. DEus ille, de quo ſcribitur: *Verbo Domini cæli firmati ſunt*, qui & de ſeipſo dicit: *Per me ſi quis introierit, ſalvabitur*, is inquam dum quondam interrogaretur: *Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam*, brevibus quidem ſed gravibus verbis reſpondit: *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Regnum etenim cœlorum in noſtra poſitum eſt voluntate: *ſi vis.* Unde S. Thomas Doctor Angelicus, à ſorore ſua requiſitus ut pro aſſecuranda ejus ſalute, & vitæ ſanctitate facilius aſſequenda, breve aliquod ipſi præſcribat ſpiritualis vitæ exercitium; cumque eidem hunc in finem utilia quædam præſcripſiſſet monita, ipſaque inſtantius à fratre ſuo poſtularet, ut omiſſis variorum præceptorum ambagibus breve quoddam & compendioſum ſalutis comparandæ documentum ei præſcriberet, ſanctus Doctor eidem unico verbo id fieri poſſe reſpondit, nimirum *Volendo.* Is enim qui tamquam vitæ æternæ Dominus de eadem abſolute valet diſponere, illius acquiſitionem in arbitrio & voluntate noſtra poſuit dicens: *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; Et quidem præcepta quæ Deus nobis obſervanda propoſuit, non ad ejus propriam ordinantur utilitatem: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, ſed potius ad utilitatem diriguntur noſtram, ut ſcilicet ab ipſo remuneremur, cœleſtiſque regni ipſius efficiamur participes; Id quod S. Hieronymum permovit, ut ad Celantiam ſcribens, omnibus divinæ legis tranſgreſſoribus ſequentibus verbis improperaret: *Quid verò umquam tam ſuperbum, quid verò tam ingratum videri poteſt, quàm adverſus ejus vivere voluntatem, à quo ipſum vivere acceperis? quam illius præcepta deſpicere, qui ideo aliquid imperat, ut cauſas habeat remunerandi? neque enim obſequij noſtri Deus indiget, ſed nos illius indigemus imperio, mandata ejus deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, dulciora ſuper mel & favum, quoniam in cuſtodiendis illis retributio multa.* Quantum nobis lux placet & utilis eſt, tantum quoque lex nobis grata & accepta eſſe debet: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, inquit Pſalmiſta; Et ſapiens filio ſuo dicit: *Mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ*; Quid autem in eo difficultatis eſt aut moleſtiæ, quod lucem ſequamur? *Lex Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis; Juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* Eo ipſo quo homo immaculatam habet animam Paradiſum cœleſtem in manu ſua habet, hæc autem animæ munditiес & innocentia Divinæ legis obſervantia conciliatur. *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

Qui vult Dei præcepta ſervare cœlum accipere poteſt. Pſ. 15. v. 2. S. Hier. l. 2. Epiſt. 20. Pſ. 18. v. 11. Pſ. 18. v. 12. Pſ. 18. v. 9. Prov. 6. v. 23. Pſ. 18. v. 8. Ibid. v. 9. Pſalm. 118. v. 104.

Obſervantia præceptorũ. Luc. 10. v. 25

2. Albertus Magnus verba illa apud S. Lucam; *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo*, ponderans dicit: *Radix immortalitatis cuſtodia eſt legum divinarum, juxta illud Sapientis: Cuſtoditio autem legum conſummatio incorruptionis eſt*, Et ideo anima quæ irreprehenſibilis & immaculata eſſe deſiderat, Divinam legem zeloſe & ſolicitè cuſtodiat. Propheta regius inquit: *Beati omnes qui timent Dominum*, ſed unde quis conjicere poterit, quod timor Dei alicui inſit, ac proinde beatus dici poſſit? ex verbis immediate ſequentibus: *Qui ambulant in vijs ejus. In veritate comperi*, inquit S. Petrus *quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Theodoretus ſuper præcedentia Pſalmi verba inquit: *Tacite oſtendit divinus ſermo divini timoris characterem, dum infert: Qui ambulant in vijs ejus, non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt.* Hæc autem Dei voluntas in Divina ejus lege exprimitur: *Sed in lege Domini voluntas ejus*; proprium eorum qui Deum timent, à Divinis vijs haud quaquam deflectere, ſed in ipſis continuo iter facere. Idem quoque ſuper illa verba: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, dicit: *Eos beatos eſſe ait, qui regiam incedunt viam, non deflectendo, qui ambulant in lege Domini, qui enim ſecundùm hanc vivunt, reprehendi minime poſſunt, viam namque vitam vocat.*

Alb. Magn. in cap. 10. Luc. Sap. 6. v. 19. Pſ. 127. v. 1. Ibid. Actor. 10. v. 34. Theodor. in Pſal. ibid. Matth. 7. v. 21. Pſ. 1. v. 2. Pſ. 118. v. 1.

Did. Stella in c. 2. Luc. Deus cœlum promiſit mandata cuſtodientibus.

3. Didacus Stella Deum legem ſuam nobis dando, magnum nobis contuliſſe beneficium conſiderat, quia ſi Princeps aliquis ſubdito ſuo promitteret, quod voluntatem ſuam facienti partem dominij dare, illam verò negligenti mortem inferre vellet, quanto cum ſtudio talis curaturus eſſet, ut minimum Domini ſui nutum accuratiſſime obſervaret & adimpleret; talis autem promiſſionis excellentia nobis obtigit, Deus enim legem ſuam nobis imponendo, indubitate futurum promiſit, quod eamdem adimplendo cœleſte regnum ſuum præmij loco reportaturi ſimus: *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, quis igitur noſtrum, niſi amens ſit, nutus Divinæ legis ſolicite non attendet eamque accurate adimplere non curabit, ut infinitum illud nobis promiſſum bonum, æternam ſcilicet beatitudinem, ſive Regnum cœlorum conſequi poſſit: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum*, dicebat David, *propter retributionem.*

Matth. 19. v. 17. Pſalm. 118. v. 112.

Onus leve eſt Chriſti lex. Act. 15. v. 10.

4. Nec eſt quod objicias, D. Petrum divinam legem onus quoddam inſupportabile nominaſſe: *Jugum . . . quod neque Patres noſtri neque nos portare potuimus*, ſiquidem Apoſtolum illis verbis de lege Moſaica locutum fuiſſe conſtat, quæ ſexcenta tredecim præcepta partim judicialia, partim cæremonialia, partim legalia & moralia in ſe complectebatur. De hoc jugo S. Auguſtinus loquens, illud *ſarcinam innumerabilium obſervationum* appellavit; Et alibi dicit: *Remotis innumerabilibus & multiplicibus ſacramentis, quibus Judaicus populus premebatur.* Etenim in nova lege gratiæ benigniſſimus Salvator Paradiſum nobis aperire, eoque ducentem viam facilem & ſuavem reddere volens, innumera illa veteris legis præcepta, in unum tantummodo dilectionis mandatum reſtrinxit: *Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* De veteri lege S. Bernardus ait: *Grave jugum legis, quia vile præmium ejus, terræ nimirum in promiſſione*; Nondum enim cœlum apertum erat, & ideo exactis legis illius obſervatoribus, Deus regnum cœlorum claris & apertis verbis non promittebat, ſed bona tantum pollicebatur terrena.

S. Aug. ſer. 9 de verb. Dom. & Ep. ad Rom. Rom. 13. v. 10. S. Bern ſerm. 30. in Cant.

Proſecutio. Iſa. 10. v. 27.

5. De nova lege gratiæ Propheta Evangelicus vaticinatus eſt dicens: *Et computreſcet jugum à facie olei*; Ubi per oleum charitatem intelligit, qui ſicut hic liquor omnibus alijs ſupernatat, ita inter omnes alias virtutes amor Dei ſuperexcellit: *Major autem horum eſt Charitas*; ac proinde Iſaias dicere vult, jugum divinæ legis in nova gratiæ lege futurum eſſe ſuave, atque ad portandum leve & facile. Unde Salvator noſter Hebræos his verbis invitabat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos; Tollite jugum meum ſuper vos, . . . jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*; quin tota lex Evangelica in amando conſiſtit, *Qui amat autem, non laborat.* Hanc Chriſtianorum prærogativam Regius Propheta David in ſpiritu Prophetico prævidens, dicebat: *Latum mandatum tuum nimis; & ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi*; Charitati enim proprium eſt dilatare. S. Gregorius Nyſſenus inquit: *Jumentum Chriſti ſimus, induamus vincula charitatis, tale jugum ne detrectemus, ſuave eſt, leve eſt, ſubeuntis cervicem non atterit, ſed demulcet.* Lex ſcripta in tabulis lapideis inciſa fuit, ad inſinuandam ejus duritiem: Lex autem Evangelica inſcripta eſt cordibus humanis, idque digito ipſius Dei, qui eſt Spiritus Sanctus: *Auferam*

1. Cor. 13. v. 13. Matth. 11. v. 28. Ibid. v. 29. Pſalm. 118. v. 96. Pſal. 118. v. 45. S. Greg. Nyſſ. de paupertate amanda.

Ezech. 36. v. 26. 27.

*feram*, inquit Deus apud Ezechiëlem, *cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio veſtri*, moxque finem, ob quem Spiritus Sanctus nobis infuſus eſt, exprimere volens, ſubjungit: *Et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, quæ quamdiu in cordibus noſtris inardeſcit, divinorum præceptorum adimpletionem ſuavem & facilem reddit, quia, ut diximus, *plenitudo ergo legis eſt dilectio.*

Ibid. v. 27. Rom. 5. v. 5. Rom. 13. v. 10.

6. S. Bernardus hanc Evangelicæ legis adimpletionem ſequenti ſimilitudine declarat, dicens: *Lex Chriſti onus eſt allevians, & à jugo liberans, ſimile pennis avium, quæ corpulentiorem reddunt ſubſtantiam & agiliorem.* Enimvero, pennæ oculis noſtris gravare avem, & onerare pondere ſuo videntur, cum tamen magno ipſi ſint adjutorio, quia expeditiorem & agiliorem faciunt ipſius volatum: Eodem modo præcepta divina prima quidem facie humanæ debilitati gravia & oneroſa eſſe videntur, cum tamen revera talia non ſint, quia pennæ ſive plumæ divinæ gratiæ ſuavem & facilem efficiunt illorum obſervationem.

S. Bernard. Ep. 72. — Lex Chriſti ſimilis avium pennis.

Gratia Dei nos adjuvat.

7. Referunt Sacræ Scripturæ paginæ, quod, quando David arcam è domo Obededom in ſuum fecit reportari palatium, Levitæ, qui illam humeris ſuis ſuſtentabant, ſpecialiter à Deo fuerint adjuti: *Cumque adjuviſſet Deus Levitas, qui portabant arcam.* Ubi Lyranus ita ſcribit: *Hebræis dicunt, quod iſtud adjutorium intelligitur per hoc, quod arca portabat ſeipſam; Levitæ portitores ejus nullum pondus ſentiebant; omnia in figura contingebant;* Etenim in concavitate arcæ, decem præcepta moralia, quæ etiam nos Chriſtiani obſervamus, continebantur, & ideo per hoc nobis à Deo inſinuatur, quod nos ab eo ad hoc onus portandum per divinam ejus gratiam mirabiliter adjuvemur, quæ in antiqua lege non conferebatur, licet abundanter communicetur in nova. Nam ut S. Joannes inquit: *De plenitudine ejus*, ſcilicet legis novæ, *nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Nec mirum, quia *lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*; Lex quidem ea, quæ exequenda aut declinanda erant, præſcribebat, nec tamen hominibus ad id faciendum virtutem ullam ſubminiſtrabat. Unde S. Auguſtinus ait: *Lex data eſt, ut gratia quæreretur, gratia data eſt, ut lex impleretur.*

1. Paral. 15. v. 26. — Joann. 1. v. 16. Ibid. v. 17. — S. Aug. l. de Spir. & Litt. c. 19.

8. Et ideo S. Thomas de Villa nova optime notat, quod Deus viam ad beatum regnum ſuum charitate mediante valde facilem & planam reddiderit: *Quam levis & facilis eſt aſcenſus ad tantam gloriam?* adducitque textum illum è ſacris Canticis, in quo de Salomone dicitur: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum aſcenſum purpureum media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem;* Ubi per columnas argenteas, Prophetas & Apoſtolos intelligit; *Reclinatorium aureum eſt ſinus patris, in quo quieſcit cum Sanctis ſuis; Aſcenſus purpureus ex ſanguine, ſic ipſe aſcendit; Tradetur enim gentibus ad illudendum & flagellandum, ſic & aſcenderunt Apoſtoli & Martyres. O Domine quam pulchrum eſt ferculum! ſed aſcenſus arduus, quis aſcendet per illum? ſed nolite diffidere, nam media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem tenellas & delicatas, ſanguinem in charitatem, crucem in amorem commutavit.* Deinceps enim iſta non vivimus tempora, (ſaltem in hiſce Chriſtianiſmi partibus) in quibus fideles ad Martyrium quærantur, ſed pro pretio gloriæ cœleſtis comparandæ ſufficit illi divinæ legis, præceptorumque ſuorum perfecta obſervantia, quæ omnia in ejus amore fundantur: *Non exigitur hodie à te, O Chriſtiane, mors, non ſanguis, non ſupplicia; ama, & regna; quid facilius quam amare? O quam conſtrata eſt via, & quam plana? ut diligendo pervenias, quo pervenit Laurentius patiendo.* Hæc eſt via illa regia, quam nobis monſtravit Apoſtolus, quando dixit: *Adhuc excellentiorem vobis viam demonſtro;* num forſitan acclivis & ardua eſt via iſta? S. Auguſtinus ſuper illa verba: *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*, dicit: *Certe anguſta via eſt, ſed quibus? Laboranti anguſta eſt, amanti lata eſt.* Quod ſi quis diceret tibi: Si in cœlum intrare deſideres, neceſſum eſt, ut vivum te inter denſæ alicujus ſylvæ latebras ſepelias, ut ſine intermiſſione in pane & aqua jejunando vivas, ut ſuper nuda carne hiſpido veſtiaris cilicio, ut inter nives & glacies toto corpore nudus contremiſcas, ut ad vehementiſſimos ſolis ardores torrearis, hæc omnia ſine ullo deberes facere faſtidio, non ſolum ne cœleſtem Paradiſum amitteres, ſed etiam ne inexplicabilia inferni tormenta ſuſtinere cogereris. Jam verò nihil horum à te exigitur, non vult Deus, ut tanti tibi conſtet gloria cœleſtis: *Si vis autem ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et quis eſt, qui neſciat, quam ſit facilis omnium illorum adimpletio? *Diliges Dominum Deum tuum; Diliges proximum tuum; in his duobus mandatis univerſa lex pendet.*

S. Thom. Villan. Conc. in Dom. Quinquag. Cant. 3. v. 9. — Ad comparandam gloriam ſufficit obſervantia mandatorũ. — 1. Cor. 12. v. 31. Pſ. 30. v. 9. S. Aug. ibid. — Matth. 19. v. 17. — Matth. 22. v. 37. v. 38. Ibid. v. 40. — Deum diligentes cœlũ conſequentur.

9. Pro quibuſnam beatum illud Cœlorum Regnum fabricatum eſſe exiſtimas? Num forte illis tantum, qui pro fidei defenſione ſudarunt ſanguinem? aut illis tantum, qui virginitatis lilium ſemper illibatum conſervarunt? aut qui multas animarum myriades ad ſalutem converterunt æternam? Veriſſimum quidem eſſe dubitari nequit, quod hos omnes valde intenſi cœleſtis beatitudinis gradus expectent; Verumtamen Apoſtolus ille, qui ad tertium uſque cœlum raptus, oculatus cœleſtium rerum à ſe viſarum teſtis eſt, de illa ita ſcribit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus.* Sed quibus? *Iis, qui diligunt illũ*, adeo ut S. Thomas firmiter hanc ſtatuat concluſionem: *Qui plus diligit, majorem locum habebit.*

1. Cor. 2. v. 9. S. Thom. in Expoſ. c. 14. Joan. — Proſecutio.

10. In finali judicio Judex ſupremus electos ad dexteram vocans, & reprobans præſcitos, in proceſſu & examine nullam faciet aliorum operum bonorum mentionem, præterquam operum miſericordiæ dumtaxat, ibi enim nulla fiet mentio converſionum, quibus tot Sancti tot animas Paganiſmi tenebris, quibus involutæ erant, eruerunt. Non adducentur in medium tot ſuppliciorum carnificinæ, quas Sancti Martyres generoſo animo ſuperarunt, non Eremi aut ſolitudines, quas tot præclari Confeſſores incoluerunt; At vero cur ſola ibidem charitatis opera recenſebuntur? quia nimirum, ut habet tritus ille Apoſtoli textus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, &c.* Nullum opus, quantumvis heroicum illud ſit & ſanctum, alicujus valet, niſi fuerit vero Dei amore informatum; Hic ſolus eſt, qui aditum indulget in Regnum cœlorum, ut omnium reproborum ora maledica obmuteſcere faciat; hi enim aliàs facile ſe excuſare poſſent, dicendo, ſe carere ſcientia ad animarum converſionem neceſſaria, vel complexione nimis debili ſe eſſe, quam ut poſſint longa exercere jejunia, pecunias ſibi deeſſe ad faciendas eleëmoſynas & feſta celebranda, aut ad faciendas orationes tempus illis minime ſuppetere; at vero *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus, nec eſt, qui poſſit ſe excuſare, quin eum diligere non poſſit*, inquit Hugo Cardinalis. Janſenius ait: *De quibus nemo ſe facile excuſare poteſt, hujuſmodi dilectionis enumerat opera, quæ omnibus competere poſſunt.* Paulus de Palatio ſuper Matthæum ait: *Nec audire pigeat cauſam, cur Dominus ſolam charitatem & miſericordiam delegit, cui poſſeſſionem regni tribueret; cauſa eſt, quia nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, at ſola charitas deduxit Chriſtum ad nos, igitur ſola charitas efferet nos ad Chriſtum.*

1. Cor. 13. v. 1. — Nemo ſe excuſare poteſt à dilectione. — Pſ. 18. v. 7. — Hug. Card. ibid. Janſ. c. 127. Conc. — Paul. de Palat. in Matth. ibid.

11. D. Chryſologus obſtupeſcit, quod increata Sapientia dubia hæreat & perplexa quoad id, cui Regnum cœlorum comparandum veniat: *Audiſtis quemadmodum grano ſinapis tota Regni cœleſtis comparata eſt magnitudo; Sic enim ait Dominus: Cui eſt ſimile Regnum Dei? & cui ſimile æſtimabo illud? Cum dicit, cui eſt ſimile? quaſi quærentis indicat & producit affectum; Et ille ſolus Verbum, ſcientiæ fons, dicendi flumen, qui omnium corda rigat, ſenſus aperit, ingenium dilatat, in inveniendo ſimilitudine nunc laborat? ſed quid invenerit, audiamus: Simile eſt, inquit, Regnum cœlorum grano ſinapis, quærens in cœlo & in terra nil invenit, niſi granum ſinapis, in quo potentiam totam ſupernæ dominationis includat, & illud Regnum ſingularitate potens, æternitate felix, Divinitate fulgens, diffuſum toto cœlo, tota terra dilatatum, in grani ſinapis coarctat & includit anguſtias!* Quodnam igitur eſt hujuſce ſimilitudinis myſterium, qua Sapientia increata adeo minuto grano cœleſtem comparat Paradiſum? S. Auguſtinus de ſinapi ſcribit: *Cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto ferroris calore ſuccenditur, ut mirum ſit, in tam frivolis tantum ignem fuiſſe concluſum.* Albertus Magnus ſuper hanc parabolam ſcribens, de hoc ſemine dicit: *Eſt vaporativum per ſpiritus charitatem;* Cum itaque charitatis & amoris Dei quidam ſit typus, mirum non eſt, quod univerſum cœlorum Regnum tam modico grano ſimile eſſe dicatur; quia minimus charitatis gradus ſufficit ad conſtituendum aliquem poſſeſſorem æternæ beatitudinis; & hoc eſt, quod Salvator noſter dicere voluit, quando ait: *Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt.*

Charitas in cœlos aditũ præbet. D. Chryſol. ſerm. 98. — Matth. 13. v. 31. — S. Aug. ſerm. 81. in Append. Alb. Magn. ibid. — Luc. 17. v. 21.

12. S. Thomas ad mendicum Lazarum ſe reflectit, de quo S. Lucas ait: *Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, quaſi dicat*, inquit Angelicus Doctor, *quod projicis de menſa, hoc præbe in eleëmoſynam, fac damno lucrum.* Etenim ſi id ipſum, quod alias tamquam vile, & lautæ menſæ tuæ ſuperfluum abjicis

S. Th. in Cat. in Luc. c. 22.





Cœlum vili venditur pretio.

jicis ex motivo compaſſionis pauperi erogaveris, æternam tibi retributionem exinde comparare poteris. *Qui dederit eſurienti panem*, inquit Chryſologus, *dabit tibi regnum, negabit ſibi fontem vitæ, ſitienti aquæ calicem qui negarit, amore pauperis Deus ſuum Regnum vendit, & ut emere illud omnis homo poſſit, fragmentum panis ponit in pretium, quia vult habere omnes, qui tantum petit pretij, quantum hominem ſcit habere; Deus regnum ſuum fragmento panis vendit, quis excuſare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accuſat?*

Proſecutio. Marci. 9. v. 40. — Matth. 10. v. 42. — S. Leo ſer. 6. de Quadr.

13. In S. Matthæo deſcribitur illa ab æterna & prima veritate facta promiſſio. *Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo,... Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* In S. Matthæo eadem quidem propoſitio adducitur, ſed additur inſuper: *Calicem aquæ frigidæ tantum*; ad quidnam obſecro illa hujus circumſtantiæ expreſſio deſervit? quid refert, an aqua frigida ſit, vel non? S. Leo ait: *Qui ſitienti pauperi calicem aquæ frigidæ miniſtrarit, mercedem eſt ſui operis adepturus, tanta ſervis ſuis Domino ad obtinendum Regnum ſuum præparante compendia, ut etiam præbitio aquæ, cujus uſus gratuitus atque communis eſt, præmio non careret, quod ne ulla intercluderet difficultas, de aqua frigida forma eſt propoſita pietatis, ne putaret ſe mercede cariturum, cui de calefactione potus lignorum impendium defuiſſet: de quo tamen calice non fruſtra admonet Dominus, ut in nomine ipſius præbeatur, quia hæc quæ per ſe ſunt vilia, fides efficit pretioſa*, vel addere poſſumus: *Charitas efficit pretioſa.*

## DISCURSUS XXVIII.

### ARGUMENTUM.

Oſtenditur Salvatorem non omnes obligare voluiſſe, ut per eamdem paſſionis viam Cœlum tranſeant, per quam illud ipſe obtinuit, ſed multas aperuiſſe vias faciles, per quas cujuſlibet ſtatus & conditionis homines tranſire poſſunt ad æternam ſalutem.

### THEMA.

*In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Joan. 14. v. 2.

In cœlum per viam crucis ivit Jeſus. Joan. 14. v. 2. — Joan. 14. v. 2. Tolet. ibid.

1. CIrca horum verborum legitimam intelligentiam ſciendum eſt, quod Chriſtus Apoſtolis ſuis prius dixerit: *Non turbetur cor veſtrum;* ac demum ſubjunxerit: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt;* at vero quænam Apoſtolis eſſe potuit contriſtandi occaſio, quando Redemptor noſter illis aliud nihil dixerat, unde contriſtari poſſent, quam: *Quia Vado parare vobis locum*, quod idem erat, ut Cardinalis Toletus exponit, quod *aperire januam cœli?* Pro cujus difficultatis elucidatione ſciendum eſt, quod hiſce verbis: *Vado parare, &c.* ut idem Cardinalis ſubjungit, alia quidem adhiberi poſſit explicatio, ut videlicet eumdem ſenſum habeant, ac ſi diceretur: *Vado ſolvere pretium manſionum, ſeu vado ad crucem; Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* quod coincidit cum Gloſſa S. Thomæ Aquinatis dicentis: *Vado demonſtrando eis viam ad locum eundi*; unde Michæas prædixit: *Aſcendet enim pandens iter ante eos*; quando enim hæc verba dixit, jam properabat ad Crucem.

Luc. 24. v. 26 — S. Thom. in Joan. Michæas 2. v. 13.

2. Porro idem cœleſtis Magiſter alia quadam vice præſentibus Apoſtolis dixit: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum cœlorum; facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum cœlorum*; qua terribili ſententia percepta, mutuo ſe aſpicientes dixerunt: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe*: at vero numquid Petrus omnium Coapoſtolorum nomine dixerat: *Ecce nos reliquimus omnia?* Quomodo igitur verba Salvatoris illis metum aliquem periclitandi à ſalute injicere poterant? Dicendum igitur, quod non tam ex propriæ perditionis metu hoc dixerint, quam ex charitate erga proximos extimulati petierint: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Idem ergo in præſenti occaſione aſſerere poſſumus, quod tametſi quoad ſeipſos Diſcipuli ad Chriſtum in crucem uſque conſectandum prompti fuerint, hæc tamen crucis via ipſis quoad multarum animarum ſalutem valde difficilis & ardua viſa fuerit, utpote quæ tanto ſpiritu, tantaque virtute præditæ non erant, ac proinde benigniſſimus Salvator illos conſolaturus, dixit illis: *Non turbetur cor veſtrum: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, quaſi diceret: Non deſunt multæ aliæ viæ, per quas ad domum æterni Patris mei, in qua multæ manſiones ſunt, perveniri poſſit.

Matth. 19. v. 23. & 24. — Præter viam crucis aliæ ſunt viæ in cœlum. — Ibid. v. 25. Matth. 19. v. 27. — Joan. 14. v. 2

3. S. Thomas pro horum verborum: *In domo Patris &c.* explicatione dicit: *Sciendum, quod cum uniuſcujuſque domus ſit, in qua habitat, illa dicitur Domus Dei, in qua habitat Deus; Deus autem habitat in Sanctis: Quod ipſe Deus ſit Domus, habetur 2. Cor. 5. Domum habemus à Deo non manufactam &c. & hæc domus eſt gloriæ, quæ Deus eſt; Manſiones multæ ſunt, id eſt, diverſæ participationes beatitudinis ipſius, quia qui plus diligit, & plus cognoſcit, majorem locum habebit; Diverſæ ergo participationes divinæ cognitionis & fruitionis, ſunt diverſæ manſiones.* Amor enim & charitas plus vel minus intenſa, nobis in illo regno proportionaliter thronos gloriæ præparant plus minusve ſublimes; Hujus autem amoris ſtatus quilibet hominum, omniſque vocatio capax exiſtit.

S. Thom. ibid. — Diverſæ ſunt participationes beatitudinis juxta intenſionem charitatis.

4. S. Auguſtinus ſuper illa verba: *Si abiero, & præparavero vobis locum*, dicit: *Deſiderium dilectionis, præparatio eſt manſionis*; Solum enim Deum amandi, & proximos Deo gratos efficiendi deſiderium, ad æternas illi manſiones præparandas ſufficit. Non ſolum in eremis, in equuleis, in cataſtis, in clauſtris regularibus Deum amandi, noſtramque erga ipſum charitatem demonſtrandi occaſio adeſt, verum etiam in omni tempore, in omni loco, in omni ætate, in omni profeſſione. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.*

S. Aug. ibid. in Joan. Joan. 14. v. 3 — Pſ. 18. v. 7. — Pulcher conceptus.

5. Idem quoque argumentum ſequentis figuræ confirmabit elucidatio; Quippe Ægyptus quidem mundi typus erat, ſicut terra promiſſionis cœli; populus Iſrael autem figurabat electos; quem populum è duræ ſervitutis vinculis ereptum, ſicut pedibus mare rubrum tranſvagare fecit, adeo ut non tam mare, quam floridum quemdam hortum tranſire videretur; Siquidem populo Iſraelitico tranſeunte diverſa florum genera è fundo maris progerminare conſpiciebantur: *In mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo.* Cur obſecro fundus maris, quem Iſraelitæ pertranſierunt, vireſcens floribuſque præter omnem rerum ordinem apparuit? Nimirum ne Iſraelitæ viſis utrimque maris rubri undis in montium morem intumeſcentibus, pavore nimio conſternarentur; *Omnia in figura contingebant illis*; virga etenim Moyſis, quæ populo per mare rubrum iter pervium fecit, crucem Chriſti deſignat, quæ viam nobis referat Paradiſi, unde de cruce canit S. Mater Eccleſia, quod fuerit *in virga Moyſi primitus præfigurata*; Hæc autem crucis via merito unumquemque deterrere potuiſſet, quò minus illam quis ingredi auderet, nam ut ſuper illa Redemptoris noſtri verba: *Ego ſum via*, Hugo Cardinalis inquit: *Via hæc dicitur ferrata pro clavis crucis; ſignata pro ipſa cruce, ut omnibus appareat, ſicut ponuntur cruces in capitibus viarum; etiam dicitur lapidea, pro lapidibus quos in Chriſtum projecerunt*; ac proinde ne via hæc nimium difficilis & ardua, via clavis, ſpinis, flagellis, alijſque tormentis pleniſſima Chriſti fidelibus nimium terrorem incuteret, Deus hoc paſſionis ſuæ mare rubrum, quod nobis tranſvadandum eſt, flores allicientes & recreantes progerminare voluit, dicens: *Non turbetur cor veſtrum*; vos crucem intuemini horridam, ſed conſiderate pendentem in illa Redemptorem, qui de ſe ipſo dicit: *Ego flos campi*, quique non ſine myſterio, hunc cruci ſuæ titulum inſcribi voluit *Jeſus Nazarenus*, quod idem eſt ac *Salvator floridus.*

Cap. 19. v. 7. — Joan. 14. v. 6. Hug. Card. ibid. — Joan. 14. v. 1. — Cant. 2. v. 1.

6. Verum quidem eſt, quod Chriſtus unicuique noſtrum crucem bajulandam imponit, dum ait: *Si Quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuã*; Notandũ tamen eſt, quod non dicat: *Tollat crucem meam, ſed ſuam*, ut bene S. Thomas de Villanova obſervat, dum ait: *Non meam injungo, ait Dominus, ſed tollat ſuam, levem, & facilem.* Venerabilis Beda in cœleſtem illum & immarceſcibilem hortum oculos dirigens, floridaſque illius areolas conſiderans, ait: *Floribus ejus nec roſæ nec lilia deſunt; in cœleſtibus caſtris pax, & acies habent flores ſuos.* Non omnes quotquot in cœlo ſunt illibati flores, ſanguinis purpura tinctæ roſæ ſunt, ſunt etiam ibi lilia, ſunt Hyacinthi, ſunt violæ, quia non omnes Cœlites Martyres ſunt, & Confeſſores, ſunt virgines, imo ſunt in delicijs continuo nati & educati Reges & Principes.

In cœlo diverſi ſunt beati. Luc. 9. v. 23. S. Thom. de Villan. Conc. 3. de uno Mart. — V. Beda ſerm. 18. de SS.

7. Hugo Cardinalis ſuper illa verba: *Ego flos campi*, optime notat, quod Salvator noſter non dicat: *Ego ſum flos in horto clauſus & cuſtoditus*, ſed *Ego flos campi*, id eſt, publico omnium fidelium uſui expoſitus, imo *quo nihil eſt magis expoſitum*, quia *vult omnes ſalvos fieri*, quantum eſt ex parte ſua. Omnibus univerſim in omni ætate, in omni tempore, in omni ſtatu & conditione odorandus & carpendus proponitur, & nulli prorſus abſconditur. Advertit idem Hugo Cardinalis inſuper quod non ſpecificet, qualis flos ſit, an Roſa, vel Narciſſus, vel Lilium, aut viola, &c. *Quia non unico modo floret in Campo Eccleſiæ, ſed, ut ita dicam, rubet in Martyribus,*

Cant. 2. v. 1. Hug. Card. in Cant. — Chriſtus innominatus flos eſt. — Hug. Card. ibid.

*tyribus, candet in Virginibus, viret in Confeſſoribus, pallet in Pœnitentibus;*

Viæ diverſæ in cœlum. Pſ. 103. v. 25.

8. Verum enimverò ut ad mare denuo revertamur, quod ſæculi & vitæ præſentis ſymbolum eſt, utpote per quam tranſimus ad æternam: *Hoc mare magnum & ſpatioſum*; Sciendum eſt ſecundo, quod Pſalmiſta apertis verbis dicat, per virgam Moyſis non unam, ſed plures vias, easque omnes floridas apertas fuiſſe dicat: *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones.* Cur verò non unam tantum, eamque ſatis amplam, & ſpatioſam omnibus ſimul tranſeuntibus aperuit? Multorum eſt opinio, quam etiam expreſſe Dionyſius Carthuſianus profitetur duodecim vias apertas fuiſſe, ut unicuique ex duodecim tribubus ſpecialis ſemita præſto eſſet; Per quod aliud inſinuatur, quam quod per mare rubrum Paſſionis Chriſti, quod per myſticam Crucis ſuæ virgam diviſum & apertum fuit, electis non una, ſed diverſæ viæ & ſemitæ perambulandæ aperiantur, ut tanto facilius veram promiſſionis terram ingredi valeant. Unde Hugo Cardinalis ait: *Hoc dividit Deus in diviſiones, quia facit de mundo tranſire ad cœlum diverſis & varijs modis*; Sicut ſunt varij in Eccleſia ſtatus, Conjugalis videlicet, vidualis, virginalis, & religioſus; Sunt item vocationes in ea diverſæ Prælatorum, ſubditorum, & plurium aliorum cujuſlibet profeſſionis & Ordinis, qui omnes & ſinguli, ſingulas quoque vias ſuas habent, per quas æternam ingrediantur beatitudinem.

Pſal. 135. v. 13. — Dion. Carthuſ. in Pſal. — Hug. Card. in Pſalm.

1. Tim. 2. v. 4. Quas omne genus hominum intrare poteſt. Matth. 13. v. 47. Joan. 21. v. 6. v. 11.

9. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*, inquit de Salvatore noſtro S. Apoſtolus, *Voluntate ſcilicet antecedenti, non conſequenti*, ut ſcholæ loquuntur, ac proinde *Regnum cœlorum ſagenæ ſimile eſſe dicit, ex omni genere piſcium congreganti.* Poſtquam Salvator noſter poſt paſſionem ſuam, Diſcipulis ſuis dixiſſet: *Mittite in dexteram navigij rete, aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus*, quo numero omnes principaliores piſcium ſpecies denotantur, ut ſanctus Hieronymus, quia tot præciſe ſunt piſcium ſpecies & non plures; Erat autem piſcatio iſthæc præludium quoddam ejus capturæ ſive piſcationis, quæ Apoſtoli mediante prædicatione ſua ex omnibus populis, ætatibus, conditionibus, ſexibus, & profeſſionibus hominum innumeras erant capturi animas. *Nihil remanſit incaptum*, inquit ſanctus Hieronymus, *dum & nobiles & ignobiles, divites & pauperes, & omne genus hominum de mari hujus ſæculi extrahitur ad ſalutem.*

S. Hieron. in Ezech. c. 47.

Omnis conditionis homines ad cœnam vocantur. Luc. Burg. ibid. Luc. 14. v. 23.

10. Obſervaſtiſne aliquando quinam magnæ illius Cœnæ præparatæ Commenſales & Convivæ extiterint. Lucas Burgenſis de hac Cœna dicit: Convivium idcirco vocat, *quia mentes hominum dulciſſima Dei viſione ſatiabit.* Qualitatem autem convivantium Chriſtus illis verbis inſinuat: *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles & cæcos, & claudos introduc huc*; at verò quidnam hæ viæ & plateæ, è quibus Cœnam hanc deguſtaturi congregantur, ſignificare putas? nimirum quia in vijs & plateis omnis generis homines congregantur, ideo myſtice innuitur, quod huic menſæ in Cœlo ingens quædam hominum multitudo ex omni hominum genere congregata accumbet. Similis quoque commiſſio in illa huic perſimili parabola nuptiarum à Rege data fuit, dum ait: *Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis vocate ad nuptias*; ubi Author imperfecti ait: *Viæ ſunt omnes profeſſiones hujus mundi, ut puta Philoſophiæ, militiæ, & hujuſmodi; Dicit ergo: Ite ad exitus viarum, ut cujuſlibet conditionis homines vocent.*

Matth. 22. v. 9. Aut. imperfecti.

Omnibus apertum eſt cœlum. Matth. 3. v. 2. Matth. 3. v. 5. Luc. 3. v. 14.

11. Quando Præcurſor Chriſti in deſerto regnum Cœlorum vicinum eſſe annuntiabat dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, cujuſlibet ſtatus & conditionis homines ad eum concurrebant; Dicit enim ſanctus Matthæus: *Tunc exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem; & baptizabantur? Interrogabant autem eum*, ut ſanctus Lucas ſcribit, *& milites dicentes: Quid faciemus & nos?* Ecquid verò Præcurſorem reſpondiſſe exiſtimatis? num fortaſſe illos à ſe repulit, illosque dedignatus eſt audire, prouti forte facere potuiſſet, eo quod, ut Poëta canit:

*Nulla fides pietasque viris qui caſtra ſequuntur?*

Abſit, ut hoc faceret, quinimo & ipſis Cœlum apertum eſſe oſtendit; *Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.*

Luc. 3. v. 14.

Probatur ſcripturæ locis.

12. Præterea, ſi clare videre vultis qualiter Chriſtus nullum prorſus hominum genus à Cœlorum regno excludat, obſervetis velim quibus alluſionibus utatur, quotieſcumq; in Eccleſiæ ſuæ annalibus aliquam beati & immortalis regni ſui ſimilitudinem deſcribere voluit: *Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo*; Ecce tibi ab Agricola deſumptam ſimilitudinem; *Simile eſt regnum Cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis*, Ecce tibi qualiter nec mulierem panibus pinſendis operam dantem à Cœlo excludat; *Simile factum eſt regnum Cœlorum theſauro,... quem qui invenit homo abſcondit*; Ecce qualiter & divites debita adhibita cautela cœleſti gloria ſe dignos efficere poſſint; *Simile eſt regnum Cœlorum homini negotiatori*; Igitur & mercatores modum habent, quo ſalvari poſſint; *Simile factum eſt regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo*; Igitur & ij qui Regnis & Provincijs præſunt, & ſceptra tractant, etiam inter nuptias regnum iſtud comparare poſſunt.

Matth. 13. v. 24. Matth. 13. v. 33. Matth. 13. v. 44. Matth. 13. v. 45. Matth. 22. v. 2.

13. Huc quoque ſpectat, quod quando ſupremo Apoſtolorum Petro, cui claves conſignatæ fuerunt regni cœlorum, ingens illud cœlitus dimiſſum linteum immundis animalibus plenum in ecſtaſi monſtratum fuit, ipſomet dicente: *Ego eram in civitate Joppe orans, & vidi in exceſſu mentis viſionem, deſcendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs ſummitti de Cœlo, & venit uſque ad me.* Finis viſionis illius unicus hic erat, ut ſcilicet claviger æthereus ex hac viſione doceretur, quod nulli quantumvis enormi peccatori janua regni cœleſtis obſeranda vel claudenda ſit, dummodo talis ad veram & ſynceram redeat pœnitentiam: *In quod intuens conſiderabam & vidi quadrupedia terræ, & beſtias, reptilia & volatilia Cœli, audivi autem vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide & manduca*; Quod cum Petrus facere detrectaret, eamdem vocem idem omnino præcipientem binis terniſve alijs repetitis vicibus diſtincte audivit: *Hoc autem factum eſt per ter, & recepta ſunt omnia rurſum in Cœlum.* Qua viſione habita relicta urbe Joppe, Cæſaream verſus ſe recepit, claves Cœli veluti manu ſua ad eumdem locum ſecum deferens, ut iiſdem illud cuidam viro, qui profeſſione miles, religione verò paganus & gentilis erat, aperiret, prout & fecit, quando eumdem una cum tota familia baptiſmatis unda abluit. Unde hac occaſione in magnæ hujuſce veritatis teſtimonium *Aperiens Petrus os ſuum* (velut ex cathedra loquens.) *dixit: In veritate comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.*

Act. Apoſt. 11. v. 5. Act. Apoſt. 11. v. 6. Act. 11. v. 10. Act. 10. v. 34. Ibid. v. 35.

Chriſtus nullum reſpuit ſtatum. Joan. 14. v. 6. Joan. 10. v. 9.

14. Enimvero cum omnis Chriſti actio, noſtra ſit inſtructio, ipſomet de ſe dicente: *Ego ſum via, veritas & vita; Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabitur*, advertendum eſt, quod ipſe Dominus noſter in vita ſua per triginta três annos omnis ſtatus, ætatis, & conditionis homines converſatione ſua ſanctificare voluerit, ut per hoc nobis omnes Cœli poſſidendi capaces eſſe ſignificaret. Sic enim incarnari voluit ex virgine quadam, oſtendendo per hoc quantopere ſtatum virginalem ſuper omnes alios ſtatus diligat; Hanc autem virginem nexu conjugali ſancto Joſepho adſtringi voluit, ad inſinuandum quod ſibi nequaquam ſtatus diſpliceat conjugalis; Duodennis exiſtens in medio Doctorum diſputationibus aſſiſtere, alias quoque ſæpius cum Scribis & Phariſæis ac legis Doctoribus familiariter converſari voluit, ut ſtudia literarum & ſcientias debita cum moderatione, non plus ſapiendo, quam oportet ſapere, acquiſitas approbaret; Item in ſtabulo inter paſtores naſci, eisdemque gaudioſum feliciſſimæ nativitatis ſuæ nuntium præ cunctis alijs annuntiari voluit, ut oſtenderet ſe hujus ſtatus laboribus dediti paupertatem & ſimplicitatem nequaquam deſpicere: *Pater meus agricola eſt.* In officina ſancti Joſephi aliquot annis dictum nutritium ſuum laborando adjuvit, adimplendo illud Davidis effatum: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*; ut hac ratione artiſtarum ſive Mæchanicorum vocationem ſanctificaret; Præterea cum Principibus Synagogæ ſæpius fuit converſatus, ut Regibus, Magnatibus, Potentatibus, alijsque in hoc ſæculo honoratis viris ſpem daret ſalutis. Fidem laudavit Centurionis, in ejusque domum ingredi non fuit dedignatus, ut inde cognoſceremus, quod quælibet hominis profeſſio, quantumvis etiam ſit periculoſa, ſe per divinæ gratiæ ſubſidium & aſſiſtentiam ad gloriam habilitare queat. Quiſnam primus fuit, qui Chriſto Cœlum Empyreum ingredienti comitatum præbuit? Certum eſt quod id latro quidam præſtiterit, is videlicet, cui Chriſtus in Cruce dixerat: *Amen dico tibi; Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Rom. 12. v. 3. Joan. 15. v. 1. Luc. 23. v. 43.

Omnibus æqualiter juxta æqualitatem charitatis dividet præmium. 1. Reg. 30. v. 22.

15. Quando David Rex poſt devictos Amalecitas victor in Siceleg rediit, orta eſt inter milites qui ad ſarcinarum cuſtodiam remanſerant, & alios qui cruento illi prælio interfuerant, gravis de ſpoliorum participatione controverſia, hiſce nimirum adverſus illos prætendentibus, nullam illis ex partis ſpolijs partem deberi: *Reſpondensque omnis vir peſſimus & iniquus de viris, qui ierant cum David, dixit: Quia non venerunt nobiſcum non dabimus eis quidquam de præda,.. ſed ſufficiat unicuique uxor ſua, & filij.* David autem juſtus Princeps, ambabus partibus rite auditis, controverſiam prædictam in favorem determinavit illorum, qui ad ſarcinarum & hoſpitiorum cuſtodiam remanſerant: *Dixit autem David: Non ſic facietis fratres mei de his, quæ tradidit nobis Dominus, ... æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter divident.* Origenes hiſtoriam hanc noſtro propoſito applicans conſiderat, quod illi, qui Davidem ad prælium fuere ſecuti, religioſos ſignificent, qui mortificationis ferrum in ſeipſos vertentes implacabile ſibi ipſis bellum indicunt, aut vero gladium Verbi Dei vibrantes multas animas convertunt, atque ab inimico infernali liberant, cum inferno continuo præliantur, nec non adverſus mundi illecebras & allicientes blanditias: Per illos vero, qui domi ad ſarcinarum cuſtodiam remanſerunt, ſæculares intelligit, quibus ob vocationem ſuam bonis hiſce temporalibus ſeſe applicare incumbit. Terminato prælio, id eſt, poſt vitæ hujus, quæ *militia eſt ſuper terram*, conſummationẽ, religioſi forte ſe ſolos ſpoliorum æternæ beatitudinis participes futuros eſſe credent, ſed ſe deceptos eſſe experientur, ſiquidem Deus verus David declarabit: *æqua pars erit &c.* Et ratio eſt, quia amor Dei adeo intenſus eſſe adeoque vehementer ardere poteſt ſub purpura & paludamento regio, quam ſub vili aliquo ſacco & cilicio. Quot enim Cardinales, Reges, Imperatores, & ſummi Pontifices in ſupremo honorum, theſaurorum, & terrenæ felicitatis culmine poſiti Sancti fuere.

1. Reg. 30. v. 23. Ibid v. 24. Orig. Hom. 13. in Num. Job. 7. v. 1.

Tam Religioſis quam ſæcularibus apertum eſt cœlum. Exod. 26. v. 1.

16. Deus Moyſi Tabernaculum in hanc formam facere præcepit, dicens: *Tabernaculum ita facies; Cortinas de byſſo retortâ & Hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, ... facies & ſaga cilicina undecim ad operiendum tectum Tabernaculi.* Ecce qualiter in Tabernaculo Dei tam chlamydes regiæ, veſtes phrygiatæ, purpuræ, gemmæ, quam rudes ſacci & cilicia inveniantur, ad denotandũ, quod in cœlo (quia *omnia in figura contigebant*) non ſolum religioſi regnent, verum etiam ſæculares, illi nimirum, qui in mundo regnarunt. Unde David, qui Rex erat, die quadam ad Deum ſe vertens, curioſe eumdem interrogavit dicens: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Et quid ipſi reſponſi loco repoſitum fuiſſe exiſtimatis? Num forte Spiritus Sanctus illos ſolum in monte ſancto quieturos eſſe dixit, qui vitam ſuam cum filijs Prophetarum in Carmeli rigoribus tranſegerunt? aut vero qui veſtiti Ephod in templo ejus miniſtrarunt: Nequaquam, inquit Spiritus Sanctus, ita erit, ſed in cœleſte tabernaculum admittetur omnis ille, *qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam; Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum*; Hujus autem faciendi omnes capaces ſunt, cujuſcumque ſint ſtatus.

Pſal. 14. v. 1. Ibid. v. 2. & 3.

Devote vivere ubique poſſumus. 1. ad Tim. 2. v. 8.

17. S. Apoſtolus dilecto ſuo Timotheo ita inter alia ſcribit: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, ſine ira & diſceptatione.* In qualibet vero Academia, in qualibet officina, in qualibet platea, in quovis agro cor & mentem ad Deum elevare, eamdemque divino ejus amore accendere poſſumus, hocque facientes, ſequetur inſuper quod puras manus habebimus, id eſt, quod vitam agemus immaculatam & irreprehenſibilem; *Levantes puras manus ſine ira, & diſceptatione*, pacem denique & charitatem ubique amare & fovere poſſumus: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

1. ad Tim. 1. v. 8. Matth. 5. v. 9.

## DISCURSUS XXIX.

### ARGUMENTUM.

Aditus ad cœlum facilis eſt, cum Chriſtus illud nobis magna cum aviditate offerat dicendo: *Regnum Dei intra vos eſt*; Circa quæ verba variæ adducuntur obſervationes.

### THEMA.

*Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt.* Luc. 17. ℣. 21.

Chriſtus nos cohæredes fecit ſui regni. Luc. 17. v. 21.

1. SAlvator noſter, qui, ut Angelicus Doctor de illo ſcribit: *Se regnans dat in præmium*, felicius nuntium nobis inſinuare non poterat, quam dum nobis claris verbis, *Regnum Dei intra nos eſſe*, affirmavit: *Ecce regnum Dei intra vos eſt.* Obſervaſtiſne aliquando quanta cum aviditate Deus ſemper ad hoc inclinatus fuerit, ut nos gloriæ faceret participes? Terreni Reges non compatiuntur ſecum unius ejuſdemque Regni vel Dominij conſortes, ſed potius illos ſemper, quoad poſſunt, excludunt: Quia *Regnum non capit duos*; Filij quoque ab eodem Patre progeniti, licet inter ſe germani ſint fratres, in adeunda tamen hæreditate paterna ſoli ſemper eſſe mallent, ut potentiores opulentioresque evadant: at vero Salvator ad cœleſte Regnum ſuum aſcendens nos omnes non ſine myſterio fratres appellavit, dum ait: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; ſi autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*; nam ut ſanctus Cyprianus ait: *Hoc gloriam unigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis ſuæ non patitur ſolitariam eſſe magnitudinem, ſed addidit fratres, non qui minuant quaſi in plures diviſam excellentiam, ſed altitudinem divitiarum exornent participes.*

Joa. 20. v. 17. Rom. 8. v. 17. S. Cypr. ſerm. de Aſcenſ.

Apertum eſt oſtium cœli. Act. 7. v. 55. S. Petr. Dam. ſer. de S. Stephano.

2. Quando Martyrum primicerius Stephanus, ſuum inter ſaxa pro Chriſto effudit ſanguinem, Chriſtus aperta cœleſtis Paradiſi janua obviam ei proceſſit: *Intendens in cœlum, vidit gloriam Dei. Ecce video cœlos apertos, & Jeſum ſtantem*; ubi B. Petrus Damianus ait: *Movet me hæc intentio, quæ de cordis puritate tranſfuſa vim facit cœlis, & ad ipſius Divinitatis conſiſtorium penetrat & attingit; cœli aperiuntur, gloria Dei videtur.* Sanctus Joannes quoque ſe cœlum coram ſe apertum vidiſſe, atque ut illuc aſcenderet, invitatum fuiſſe teſtatur, dum ait: *Ecce oſtium apertum in cœlo, & vox prima, quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi.*

Apoc. 4. v. 1.

Cœlo deſponſari poſſumus. Matt. 6. v. 10.

3. Salvator noſter per operationem quotidianam à ſe nobis traditam orandi modum docere volens, inter alias petitiones, hanc quoque nos Deo proponere voluit: *Adveniat regnum tuum*; non jubet ut dicamus: *veniamus & nos in regnum tuum*, ſed veniat regnum tuum ad nos, quaſi Paradiſus cœleſtis majori flagret deſiderio, ut ad nos veniat, quam nos in illud ingredi, illoque gaudere & perfrui deſideremus; Et revera S. Joannes in Apocalypſi Jeroſolymam cœleſtem ſicut ſponſam egregie ornatam de cœlo deſcendentem conſpexit, ut à nobis videretur, nosque exceſſiva & ſupereminenti pulchritudine ſua in ſui deſiderium pelliceret: *Vidi... Jeruſalem deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*; at vero inquies fortaſſe, ſi vera eſt illa propoſitio: *ſi vis apte nubere, nube pari*, qua ratione igitur cum gloria deſponſari poterimus, inter quam & nos tanta eſt diſparitas? Reſpondeo igitur, priusquam nos gloriæ deſponſemur, ipſa nos prius mira venuſtate adornat, ſuisque theſauris nos locupletat.

Apoc. 21. v. 2.

Apoc. 4. v. 11. Deus ad gloriam dat gratiam. Joan. 15. v. 5. S. Ambroſ. T. 5. in c. 4.

4. S. Ambroſius ſuper illa verba: *Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem*, quærit, qua ratione Deus à nobis gloriam recipere poteſt, quandoquidem nos hanc ab illo recipere debeamus, qui dicit: *Quia ſine me nihil poteſtis facere*; Si Sancti ſine Deo nihil poſſunt facere, quid poſſunt dare illi? Et reſpondet: *Dat Deus Sanctis ſuis, unde ipſos remuneret; regnum namque cœlorum Deus promiſit Sanctis ſuis, attamen ſi pretium bonorum operum pro eo dederint, & quia electi hoc pretium non habent, niſi ab ipſo accipiant, ipſe dat pretium, unde ab ipſo amant, vitam æternam.* Deus noſter itaque nobis dat gratiam, qua mediante digni efficimur, juxta menſuram quippe gratiæ, gloria pariter confertur, hancque gratiam Deus de cœlo in animas noſtras ſumma cum abundantia depluit, Ideoque verificatur, quod *Regnum Dei intra nos eſt*, id eſt, ut Hugo Cardinalis exponit: *Regnum gratiæ*; Hoc etenim regnum numquam nobis deeſſe poteſt, quia axioma Theologicum eſt: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.*

Luc. 17. v. 21. Hug. Card. in Luc.

Joan. 14. v. 2. Diverſimode. S. Thom. in Joan. 14.

5. Doctor Angelicus ſuper illa verba: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ſequentem adducit ſimilitudinem: Dicit enim: Idem eſt, quod omnes beati vident, & quo omnes fruuntur, ſed diverſimode videbitur & amabitur; ſimile eſt, ac ſi aliquis præberet alicui fontem, ut ad libitum omnes biberent, de quo, qui majus vas haberet, plus acciperet, qui minus, minus; unus fons ex parte ſua eſt, ſed non eadem menſura recipientium. In nobis poſitum eſt, quod ingens ad hunc fontem vas deferamus, quia *eſurientes implevit bonis*; *Sitientes venite ad aquas.* Mulier illa Samaritana ſubito ut audivit Chriſtum dicentem: *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, protinus ex muliere fornicaria effecta eſt ſancta, dixitque: *Domine da mihi hanc aquam, ut non ſitiam*; *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier*; Ubi ſanctus Auguſtinus inquit: *Projecit ergo hydriam ſuam Samaritana,*

Luc. 1. v. 53. Iſa. 55. v. 1. Joan. 4. v. 14. Joa. 14. v. 15. Joan. 4. v. 28.

S.Aug.T.15. in Joan.

*quæ jam non uſui, ſed oneri fuit, avida quippe deſiderabat aqua illa ſatiari:* Et quia ſalutarem hanc aquam in cor & animam ſuam imbiberat, *ideo projecit hydriam.*

Facilis ad cœlum aditus. Iſa.2.v.2. Iſai.2.v.2.

6. Iſaias Propheta de Legis Evangelicæ ſtatu tractans, æternamque beatitudinem adumbrare volens ita ſcribit: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles*, id eſt, ad cœlum Empyreum, quod omnibus cœlis ſuperius exiſtit: at verò notetis velim, qualem ingreſſi ſint viam, qui eo aſcenſuri erant. *Et fluent ad eum omnes gentes*; ſi dixiſſet: *Aſcendent*, facili negotio intelligi potuiſſet, jam verò dicit *fluent*, quod indicat torrentem quemdam deorſum fluentem. Rupertus Abbas Tuitienſis Spiritum Sanctum hiſce verbis magnam facilitatem indicare voluiſſe dicit, qua animæ in nova Lege Evangelica gratiæ in cœlum aſcendere poterunt: *fluent, id eſt, plano itinere ibunt*; ſicut enim aqua deorſum quaſi ad centrum ſuum facillimè labitur, ita quoque vult dicere, animæ modo quodam facillimo ad cœlum conſcendunt.

Rup. Abb. l.1.9. in Iſa.

Per Dei gratiam. Matth.10. v.7.

7. Chriſtus Apoſtolis ſuis præcepit, ut regnum cœlorum in propinquo nobis adeſſe prædicarent: *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum*; at verò ex quo regnum cœlorum immobiliter ſubſiſtit, qua ratione nobis propinquius fieri dici poteſt; adhæc cum univerſa terræ machina in comparatione ad cœlum Empyreum, arenæ granum quoddam ſit valde exiguum, dicere quod regnum cœlorum terræ appropinquet, idem eſt, ac ſi diceretur, quod ſol alicui ignis ſcintillæ, vel mare modico alicui rivulo appropinquet; Cui difficultati non niſi per aſſumpti thematis verba reſponderi poteſt: *Regnum Dei intra vos eſt*; id eſt, ut S.Bonaventura ait: *per divinæ gratiæ oblationem*, quæ quidem facta fuit in adventu Chriſti; unde ſancta mater Eccleſia in Epiſtola primæ Miſſæ Nativitatis Chriſti utitur verbis illis Apoſtoli ad Titum: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus.* Etenim animæ electorum quando in veteri Teſtamento migrabant è corporibus, non ſolum in cœlum non aſcendebant, quin potius deſcendebant in centrum uſque terræ, ſive in ſinum Abrahæ; cum tamen in Lege gratiæ, mox ut à corpore ſolutæ ſunt, dummodo purgatæ inveniantur, in cœlum rectâ demigrant, adeoque *regnum Dei intra nos eſt*, dum in gratia & amicitia Dei conſtituti ſumus.

Luc.17.v.21 S.Bonav. in Luc. Tit.2.v.11. Juxta Luc. 17. v.21.

Luca 11.20. Did.Stella in c.11. Luc.

8. Didacus Stella verba illa ſancti Lucæ: *pervenit in vos regnum Dei*, ponderans, hanc adfert ſimilitudinem: *In hoc præcipue regnum Dei eſt mirabile*, inquit; *nam quando quis in extera proficiſcitur regna, dicitur abiiſſe in regnum Franciæ vel in aliud quodvis, non tamen rectè diceretur veniſſe regnum Franciæ in illum: verum cum regnum Dei prius in hominem veniat, quàm homo in illud ingrediatur, optimè dicitur ad nos veniſſe regnum Dei, tunc enim regnat in homine, cum homo ſuſcipit illud per fidem & charitatem.*

Diverſæ explicationes thematis.

9. Terreni quidem Reges potentia ſua mediante in ſubditos imperium obtinent, raro tamen in voluntates eorum dominium habent, *raro aut numquam eorum voluntatibus dominantur, ſed modus, quo vobis Deus dominatur, eſt totum ſibi ſubjicere hominem, & in animam per amorem ſeſe intromittere*; adeoque quando Deus eſt in corde & anima noſtra, in eadem Paradiſum, qui regnum ejus eſt, habere dicimur: *Regnum Dei intra nos eſt*, ſiquidem ipſe eſt, qui beatum efficit ipſummet Paradiſum; *in quem deſiderant Angeli proſpicere.*

Luc.17.v.21 1.Petr.1. v.12.

V. Beda in Luc. Apoc.5.v.10 Did. Stella ibid.

10. Venerabilis Beda ſuper illa verba: *Regnum Dei intra vos eſt*, inquit: *Regnum Dei ſeipſum dicit*; ac proinde animæ illæ electæ dicebant: *Feciſti nos Deo noſtro regnum,... & regnabimus*; quo ſenſu etiam Stella concludit dicens: *Quapropter regnum Dei prius ad nos venit, quam nos deveniamus ad illud; quoniam Dominus, qui eſt regnum noſtrum, bonum noſtrum, & hæreditas noſtra, venit ad nos, & habitat in nobis per gratiam, & à nobis diligitur per charitatem.*

11. Similiter quando ſacratiſſimo Chriſti corpore cibamur, in veritate tunc dicere poſſumus: *Regnum Dei intra nos eſt*, non ſolum, quia *Chriſtus ſumitur, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*, verum etiam quia ipſe eſt ipſiſſimum regnum beatum, ad quod aſpiramus. Unde Clemens Alexandrinus de hoc Sacramento tractans, hoc illud epitheto circumſcribit: *Regno Dei digne degustato.*

Clem. Alex. l.3. pædag.c.2

Rom.14. v. 17.

12. Sanctus Paulus ad Romanos ſcribens, in quo regnum Dei conſiſtat, optimè explicat, dum ait: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*; juſtiſſima eſt omnis virtus, inquit D. Chryſoſtomus. Et quidem ſicut hæ & omnes virtutes Chriſtianæ in noſtra ſunt facultate, dummodo ſerio illas velimus, ita quoque ab illis in nos bonæ conſcientiæ quies derivatur, & gaudium Spiritus Sancti.

D.Chryſ. Hom.16. in Matth.

S. Aug. T.5. c.44.

13. S. Auguſtinus *de cognitione veræ vitæ*, inquit: *Regnum cælorum, id eſt, juſtorum, non urbium mœnia, non poſſeſſionum prædia, non auri vel gemmarum copia, non ſupellex varia, ſed juſtitia & pax, & omnimoda gloria in pleno gaudio creditur, quod de viſione æternæ charitatis, & de ſocietate Angelorum & Sanctorum habetur*; idque ſanctus Doctor exinde probat, quia ſi Deum haberemus nobiſcum, illum intuendo facie ad faciem, haberemus utique in nobis Paradiſum, unde in tantum in hac vita Beatitudine non gaudemus, in quantum, quoaduſque vivimus, clara hac Dei viſione privati ſumus: *idcirco nunc extra Deum, vel extra regnum cœlorum eſſe dicimur, quia hac viſione privamur.*

Matt.6.v.10 S.Aug. ſer.5. in Append. de diverſ.

14. Idem quoque ſanctus Doctor in ſermone quodam illam orationis quotidianæ petitionem: *Adveniat regnum tuum*, ponderans dicit: *Tunc venit regnum Dei, quando eſtis gratiam ejus conſecuti, ipſe enim ait: Regnum Dei intra vos eſt.* Feliciſſimum hocce nuntium non eſt annuntiatum Veteris Teſtamenti fidelibus, ſed Legis Evangelicæ & gratiæ conſortibus, quia Sacramenta, per quæ divina gratia confertur, à Chriſto fuerant inſtituta. Albertus Magnus in Commentarijs ſuper Joannem, gloſſans hunc textum: *Quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis*, dicit: *Viam ſcitis, quia ego ſum oſtium & via; non eſt alia via ad beatitudinem, niſi ego in ſacramentis, quæ perfeci & verbis, quæ docui, & exemplis, quæ præbui; per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & paſcua inveniet.*

Joa.14.v.4. Alb. Magn. in c.14. in Joan.

Luc.17.v.21 Hug Card. in D. Luc.

15. *Regnum Dei intra vos eſt*, id eſt, ut Hugo Cardinalis declarat, *bona conſcientia*; quando enim homo animam puram & immaculatam habet conſcientiam, quam nullius culpæ remorſus diſcruciat, *Regnum Dei in manu ſua repoſitum habet: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Doctor Angelicus, poſtquam determinaſſet in viſione Dei beatitudinem noſtram conſiſtere, protinus ſubjungit: *Ad hanc diſponitur homo per munditiam*; ac proinde Pſalmiſta ait: *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini; quanto enim quis habet cor* (inquit ſanctus Thomas) *magis elevatum à terrenis, tanto magis & perfectius Deum videbit.*

Matt.5.v.8. Pſ.118.v.1. S.Th. in c.14 Joan.

Clichtoveus. Qui vult eſſe beatus ſit vitæ immaculatæ.

16. In Hiſtoria ſancti Ludovici Regis Franciæ ſignum notatur, è quo in primis hujus ſancti Principis, teneriſque annis clarè ſatis dignoſci poterat, ipſum potius ad cœleſte, quàm ad terrenum regnum aſpirare: *Statim à primis annis magnam cœpit futuri ejus veri regni, id eſt, ſanctitatis ſpem omnibus præbere Ludovicus, adeo ut nullum in vita ſua lethale ſcelus unquam admiſiſſe exiſtimetur.* Sanctus Auguſtinus ſuper allegata Pſalmiſtæ verba, ſcilicet: *Beati immaculati in via &c.* ita ſcribit: *ut quid ergo nobiſcum agitur, ut velimus quod nolle non poſſumus, niſi quia omnes quidem beatitudinem concupiſcunt, ſed quomodo ad eam perveniatur, plurimi neſciunt? ideoque hoc docet iſte, qui dicit: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, tamquam diceret, ſcio quid velis; Beatitudinem quæris; ſi ergo vis eſſe beatus, eſto immaculatus; ſed ubi erit quiſque immaculatus? niſi in via? in qua via, niſi in lege Domini? Beatus dives*, inquit alibi Sapiens, *qui inventus eſt ſine macula.* Sanctus Bernardus lib. de Conſcientia cap.4. ait: *Futuræ beatitudinis non eſt utilius remedium, nec certius teſtimonium, quam bona conſcientia.* At vero ubinam invenitur homo ille, qui intra triginta, quadraginta, ſexaginta annorum decurſum immaculatus omniſque labis prorſus expers conſtanter vivere poſſit? *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus*, inquit ſanctus Joannes, *ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; at verò quidnam quoad hoc per Chriſti redemptionem lucrati ſumus? *Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato*; hujus autem ſanguinis pretium ſunt ſacramenta, quæ nos mundant, & immaculatos efficiunt.

S. Auguſt. in Pſalm.118. conc.1. Pſ.118.v.1.

Eccli.31.v.8

Sacramenta nos mundant. Pſ.50. v.7. 1.Joa.1.v.8. 1.Joa.1.v.7.

17. Præterquam quod B. Chryſologus aliud nobis peccata diluendi remedium innuit, illorum videlicet ex vero Dei amore deteſtationem. *Teneræ militiæ*, inquit, *delicati conflictus eſt, amore ſolo de cunctis criminibus deportare victoriam.* Conſiderate igitur quam facilem nobis Deus noſter Cœli viam reddiderit, quando etiam peccata, (quæ ſcopuli ſunt periculoſiſſimi, ad quos navis animæ noſtræ allidens in perditionis pelago facile naufragatur) per ferventis contritionis actus deteſtata, ad conſcendendum in Paradiſum ſcalæ loco deſerviunt. Sanctus Hieronymus

D. Chryſol. ſerm.94.

Vitia conculcata ſcalæ loco deſerviunt in paradiſum.

ſuper



in Pſalm.67. v.20. & 21. S.Hier.ibid.

ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Benedictus Dominus die quotidie, proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum; Deus noſter, Deus ſalvos faciendi*; dicit: *Proſperum iter, quia ab ipſo ſalvamur; proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum; ſecurus eſto peccator, Deus adjuvat nos, & cooperatur nobis; ſalutarium noſtrorum: bene dixit pluraliter ſalutarium, quod quanta peccata commiſimus, tot & ſalutes habemus*; at verò inquies forſitan, numquid peccata nobis aperiunt Infernum? quomodo igitur nobis aperire cœlum poſſunt? Sanctus Auguſtinus ad hoc reſpondet dicens: *De vitijs noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus, elevabunt nos, ſi fuerint infra nos.*

S. Aug. ſerm. 176. de temp.

S.Cyrill. in Cat.S.Tho.

18. *Regnum Dei intra vos eſt*, inquit ſanctus Cyrillus, *in veſtris affectibus, & in poteſtate veſtra eſt id capere; eſt enim quilibet homo juſtificatus per fidem Chriſti, & virtutibus ornatus regnum obtinere cœlorum.* Terrenorum regnorum acquiſitio ardua eſt & difficilis, imò nonnumquam impoſſibilis, at verò Regnum cœlorum ab unoquoque comparari poteſt; ſinit enim ſe facile vinci, imò ut paulo ante diximus, ultro citroque ſe unicuique noſtrûm offert: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* O quanto facilius cœli quàm terræ gloria acquiritur? Hæc etenim à voluntate noſtra non dependet, imò nec à meritis noſtris aliquando, ſed potius à fortuna, ab alterius diſpoſitione; ambitio, induſtria, & labor ad illud acquirendum non ſemper juvat, non verò ſic ſe res habet, quod attinet æternæ gloriæ conſecutionem. Sanctus Valerianus in Homilia quadam, quæ de arcta & anguſta via intitulatur, inquit: *Facilem ſe volentibus præſtat*; ſed quando? *ſi non aut vanitas impediat, aut fallax hujuſmodi ornatus obſiſtat.* Superbi quidem mundi gloriam ſtudioſè ſectantur, ſed ſæpe, imò ut plurimum eamdem non aſſequuntur; Cœleſtem verò gloriam ſectantur humiles, nec umquam irrito effectu; nam, ut ſanctus Bernardus ait: *Arcta eſt janua regni cœlorum, nec recipit niſi parvos, tumidi repellantur.* Longe autem facilius eſt humilem velle eſſe & ab alijs contemni, quàm ab alijs in veneratione & reverentia haberi velle, quin illud in noſtra poſitum eſt voluntate, hoc in aliena; & ideò inter octo beatitudines nulla eſt, in qua dicatur; Beati qui ad theſauros, ad imperia, ad voluptates aſpirant, & anhelant, bene tamē dicitur: *Beati pauperes,... Beati mites,... Beati qui perſecutionem patiuntur,... Beati mundo corde,... Beati qui lugent*; Valde enim durū nobis fuiſſet, ſi ad cœleſtem gloriam adipiſcendam tale quid à nobis poſtulaſſet, quod in uniuſcujuſque noſtrûm non fuiſſet poteſtate aut voluntate, pauper verò contemptus, mitis, tribulatus quilibet eſſe poteſt.

Cœleſtis gloria facile acquiri poteſt. Matth.11. v.12.

S.Valerian. Hom.2.

S.Bern. de Paſſ. c.17.

Matth.5. v.3. &c.

S.Bernardin. ſer. de paup. in procœmio. Pulcher. apologus.

19. S. Bernardinus in Sermone *de Paupertate*, in Procœmio Apologum quemdam adducit Patris cujuſdam, qui duas habebat filias, aliam facie valde decoram; turpem vero valdeque deformem alteram, quarum primam quidem ſinguli procabantur; aliam verò nemo non abominabatur, qua de re cum hæc apud Patrem quærula voce lamentaretur, Pater ut eam conſolaretur, bono eamdem animo eſſe juſſit, ſubdens, quod primæ nullam aſſignaſſet dotem, ipſi vero, id eſt deformi, omnes ſuas facultates feciſſet dotales, tametſi hæ regnum facile adæquarent. Moxque prædictū Apologum in ſenſu morali explicans, per Patrem Deum intelligit, per filiam vero apparenter ſpecioſam, proſperitatem mundanam, per deformem vero paupertatem exponit: Hanc turpem filiam qui acceperit in uxorem, promittit ei Deus Regnum ſuum, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Quanto autem facilius eſt unicuique paupertatem profiteri, quam divitem eſſe?

Matt.5.v.3.

Humilitate obtinetur cœlum. Matth. 20. v.22. Matth.20. v.24.

20. Quando duo illi ambitioſi fratres primas à Chriſto Regni ſui ſedes poſtulatunt, Salvator eis reſpondit: *Neſcitis, quid petatis*; Et quidem tametſi reliqui petitionem iſtam animis non admodum æquis auſcultarint, & proinde S. Evangeliſta dicat; *Et audientes decem indignati ſunt de duobus; facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major &c.* Sapientiſſimus tamen eorum Magiſter, ut hanc in illis febrim, de qua S. Ambroſius ait: *Febris noſtra ambitio eſt*, optimo adhibito remedio curaret, optime illis quanto regna terrena præ cœleſtibus Regnis difficilius acquirantur, ſequentibus verbis declaravit, dum ait: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum &c. non ita erit inter vos, ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter*; Ubi Lyranus ait: *Quia regnum terrenum acquiritur per ambitionem & poteſtatem, ſed Regnum meum per humilitatem.*

S. Ambr. l.4. in c.4. Luc.

Luc.22.v.24 Matth. 20. v.25. & 26 Lyran. ibid.

Sui cõtemptu charitate &c.

21. B. Laurentius Juſtinianus tria beatitudinis ſemina eſſe dicit; quorum primum eſt ſui ipſius contemptus: *Æternitatis ſemina ſunt hæc: Contemptus ſui, charitatis donum, operum Chriſti guſtus*; è quibus contemptus noſtri ipſius in noſtra eſt facultate & libertate poſitus, ſicut etiam amare Deum, eique in præſtitis ipſi ſervitijs placere. S. Ambroſius cæcos illos, claudos, debiles, pauperes ad accubitum ſumptuoſæ illius Cœnæ, quæ gloriæ ſymbolum erat, invitatos fuiſſe conſiderans, dicit; *Quo oſtenditur nobis, vel quod nullum debilitas corporis excludat à regno, rariusque delinquat, cui occaſio deſit peccandi.*

B. Laur. Juſtin. de obed. c.26.

S. Ambr. in c.15. Luc.

Quibus promiſſum ſit cœlum.

22. B. Laurentius Juſtinianus egregium quemdam format diſcurſum, è quo omnes illos, quibus Salvator Regnum cœleſte promiſit, magnam illud conſequendi facilitatem habere evidenter deducitur, dicit enim inter alia: *Promiſit Dominus cœlorum Regnum non divitibus, ſed pauperibus; non dominantibus, ſed mitibus; non ventris voluptatibus deditis, ſed juſtitiam eſurientibus & ſitientibus; non gaudentibus, ſed lugentibus; non obſcœnis cogitationibus involutis, ſed corde mundis; non rixantibus & ſuperbis, ſed pacificis; non temporali felicitate florentibus, ſed propter juſtitiam & Domini noſtri Jeſu Chriſti dilectionem perſecutionem patientibus.* Qui regna mundi moderatur, opus habet, ut ſuſtineatur fidelitate populorum ſubditorum, patriæ & Provinciarum magnis gravaminibus, theſauris, fortificationibus, munitionibus, annonæ copioſa proviſione, & pluribus alijs, quæ magnam in ſe arduitatem & difficultatem habent, quales difficultates in Regno Dei acquirendo & conſervando minimè occurrunt.

B. Laur. Juſtin. de inſtit. Prælat. c.20.

23. Theodoretus ſuper illum Pſalmi verſiculum: *Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus*, dicit: *Gloriæ mater eſt Sanctitas*; Sanctitas enim & virtutes Chriſtianæ ſolum requiruntur, ut quis in ſtabilem Regni illius beati poſſeſſionem immittatur, in quo *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Beatus vir*, inquit alibi idem Pſalmiſta, *cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*; Ubi Albertus Magnus inquit: *In corde, ſignanter dicit, ad excludendos illos, qui non volunt intus aſcendere gradibus virtutum, ſed exterius cum Diabolo gradibus dignitatum*, Iſaiæ 14. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Scalæ igitur & gradus, quibuſcum anima in Paradiſum cœleſtem aſcendere debet, non ſunt alij, quam virtutes Chriſtianæ, ex quibus in corde hominis ſcala quædam fabricanda eſt, quæ in cœlum uſque ſeſe protendat, ut proinde de illis verè dici poſſit: *Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt.*

Pſ.149.v.9. Theodor. in Pſalm.150. Pſ.149.v.5. Pſ.93.v.6. Alb. Magn. ibid. Iſai.14.v.14. Luc.17.v.21.

## DISCURSUS XXX.

### ARGUMENTUM.

A multis parum pro cœlo datur, quia Deus contentus eſt à nobis accipere quod habemus, etiam ſolam bonam voluntatem, & ideo velut in vehiculo in cœlum proficiſcimur.

### THEMA.

*Pro nihilo ſalvos facies illos.* Pſalm.55.ỷ.8.

Beatitudo facile à nobis comparari poteſt.

1. SAnctus Propheta David, qui eximium quoddam fuit divinæ Sapientiæ oraculum, & vir ſecundum cor Dei, in ſpiritu raptus, quanta cum facilitate, & cum quam exiguo pretio cœleſtis beatitudo à nobis comparari poſſit, conſiderans, dixit: *Et pro nihilo ſalvos facies illos*, quod cum alio quodam ab ipſo pariter perhibito teſtimonio optime conſonat, in quo dicit: *Et pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* D. Chryſoſtomus ad vilitatem pretij ſe reflectens, ſub quo cœleſtis ille & prudentiſſimus negotiator Regnum cœlorum nobis vendit: *Simile eſt Regnum cœlorum homini negotiatori*, dicit: *Ecce & nunc tibi vendit Regnum cœlorum*, ſimulque oſtendit negotiatorem hunc contentum eſſe, ut pro illo accipiat hoc ſolum, quod habemus: *Si non habes obulum*, inquit, *unde emas, eme gemitu, pro fragmento panis cœlorum Regnum tibi retribuit; Ecce clamat Propheta, dicens: Quis vult emere vitam? Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? non habentes*, inquit, *argentum, abſque argento tollite. Quid enim quærit à nobis Deus? Non habes, inquit, pecuniam, non compunctionem, non luctum, non aliud quid eorum, quæ quæruntur, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, & in ſalutem tibi ſufficiet.*

Pſ.55.v.8. Pſ.105.v.24. Matth.13. v.45. D. Chryſ. T.1. Hom.77. Pſa 33.v.13 Pſalm.33. v.14.

Hoc pretium nobis Chriſtus comparavit.

2. Sancta Mater Eccleſia in quadam Antiphona ita canit: *O admirabile commercium, Creator generis &c.* Audite, quæſo, cum qua induſtria opulentus ille è cœlo deſcendens negotiator ſalutem noſtram mercari & comparare ſategerit; E Paradiſo ſecum in hanc extermini terram attulit, quod ibi nullo pretio adhibito haberi non poterat, ſecumque in cœlos advexit, quod ibi rarum erat, nec uſpiam videre, ibi videri hactenus

licuerat;

licuerat;Nullæ in Paradiſo cœleſti hactenus hominum animæ viſæ fuerant,ac proinde eas ſecum in cœleſtem gloriam adduxit ; In terra nulla merita erant, quibus cœleſtem gloriam mercari poſſemus, ac proinde his ipſe terram mire locupletavit. In cœlo nullus erat hominum,qui cœleſti frueretur gloria ; Nobis autem extrema erat egeſtas divinæ ipſius gratiæ, qua eamdem promereri poſſemus ; Noſtram igitur aſſumpturus carnem, de cœlo deſcendit, ut per dolores & tormenta amariſſimæ Paſſionis ingentem compararet meritorum cumulum, eumque nobis liberaliter conferret, veluti Regni ſui à nobis comparandi pretium. S. Auguſtinus inquit : *Deus propoſuit venale Regnum cælorum ; Dicis illi : Quantum valet? Pretium ipſius labor eſt, at vero quia ſempiterna requies eſt, ubi inveniri poterit æquale pretium? æterno certe labore digna eſt æterna quies comparari, ſed ſi ſemper laborares, numquam ad requiem pervenires ; digna eſt quidem emi labore perpetuo, ſed & neceſſè eſt, ut labore temporali ematur ; certe tantus debuit eſſe, id eſt, ſempiternus labor, pro requie ſempiterna.* Progreditur idem ſanctus Doctor ulterius admirando miram cœleſtis remuneratoris liberalitatem, dum oſtendit quod pro paucis & modicis laboribus, nobis poſſeſſionem & inveſtituram tribuit regni æterni & cœleſtis, adducensque celebrem illum S. Pauli textum : *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, mox ſubdit : *Ecce quantum pretium damus ; quodammodo unam ſiliquam ad accipiendos theſauros ſempiternos.*

Ut modico cum labore emi poſſit.
*S. Auguſt. in Pſalm. 93.*
*2. Cor. 4. v. 17.*

Proſecutio.

3. Negotiatores mundani quoad poſſunt lucris augendis intenti ſunt, ut divites evadant, Deus vero non item, quin potius totum lucrum ex hac ſpirituali negotiatione emergens in noſtram cedere deſiderat utilitatem ; *De plenitudine ejus nos omnes accepimus;Semetipſum exinanivit* ; ac proinde D. Chryſoſtomus nos in perſona Dei hunc in modum alloquitur : *Pretium non appono, ne objicias inopiam, quanti potes,tanti eme;habes obulum, eme cælum ; non habes obulum, da calicem aquæ frigidæ, da panem & accipe Paradiſum.* Deus in divenditione Paradiſi ad eum ſe modum habuiſſe videtur, quo mercatores in nundinis merces ſuas vendere ſolent ; in principio etenim nundinarum omnia caro pretio divendunt,quæ tandem in fine pro levi pecunia dimittunt ; Quando Chriſtus in die Aſcenſionis cœli officinam prima vice aperuit, primis ſæculis illam ſequentibus magna fidelium pars ſub perſecutionum, ſolitudinum, martyriorum pretio æternam ſibi beatitudinem comparare non dubitavit ; tunc in Ægypto vaſtæ pro Chriſto incolebantur horridorum deſertorum ſolitudines, fervidiſſimi Chriſtiani tunc in æquuleis extendi, uncinis & pectinibus ferreis dilaniari, feris objici ab iiſdemque devorari ſe permittebant : Poſtea verò ceſſantibus perſecutionibus faciliori & planiori via cœlum ſunt ingreſſi,in quiete cōtemplationis cœleſtium dulciter conquieſcendo, aut fervidos charitatis actus exercendo aut vero virtutum Chriſtianarum praxi & ſtudio aſſiduam operam impendendo.

*Joa 1. v. 16.*
*Phil. 2. v. 7.*
*D. Chryſoſt Hom. 57. ad pop.*

Pro eo quod habes Deus cœlum vendit.
*S. Auguſt. in Pſal. 113.*

4. S. Auguſtinus valde miratur quod Salvator noſter hominibus tam liberaliter condeſcendat, unum idem regnum quod uni ſub rigoroſiſſimo pretio divendidit, alteri veluti pro nihilo liberaliter dando : *Quid autem fratres potentius*, inquit, *quam ut regnum cælorum non ſolum Zachæus emat dimidio rerum ſuarum, ſed & vidua duobus minutis, & tantundem ibi uterque poſſideant? Quid potentius quam ut idem regnum & theſauris diviti, & calice aquæ frigidæ pauperi valeat?* S. Bernardus quoque pro conſolatione noſtra ſcribit : *Regnum Dei tantum valet, quantum habes.* Tribus illis Regibus ſeu Magis Orientalibus auro, incenſo, & myrrha conſtitit : Viduæ Sareptanæ unico tantum farinæ pugillo ; Marthæ liberali quodam prandio ; Magdalenæ unguento pretioſo ; Joſepho ab Arimathæa accommodato in uſum Chriſti mortui ſepulchro ; Samaritano modico oleo quod ejus, qui ex Jeruſalem in Jericho deſcendens, in latrones inciderat, vulneribus infudit. Unde B. Laurentius Juſtinianus ait : *Venalis quippe eſt illa Beatitudo cæleſtis, & tanti valet,quantum quis poteſt expendere ; Hanc per egenorum ſuſceptionem ſibi vendicavit Abraham, Job per miſerorum compaſſionem, Tobias per defunctorum exequias, Zachæus per diſtributionem dimidij bonorum ſuorum, vidua duobus minutis, alij verò pro calice aquæ frigidæ* ; Imò dato etiam caſu quod nec tantillum præſto ſit, quod erogare poſſis, Deus etiam ſolam erga pauperem cordis compaſſionem pro cœlo tibi vendendo acceptat : Unde D.Chryſoſtomus ait : *Da indigenti, ſi minus habueris, vel ſuſpirium ſi profers,omne tribuiſti, nam inſomnis ille oculus videt te dediſſe, quod habueras* ; Etenim Deus cor & voluntatem noſtram gratiſſimi muneris loco ſuſcipit, ac proinde S. Auguſtinus ait : *Deus coronat bonam voluntatem, quando non invenit facultatem.* V. Beda ſimiliter ait : *Regnum cæleſte aliud non quærit pretium, quam teipſum, tantum valet, quantum es tu,te da,& habebis illud. Quid turbaris de pretio? Chriſtus ſemetipſum tradidit, ut acquireret te in regnum Deo Patri, ita & tu te ipſum da, ut ſis regnum ejus,ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, ſed ſpiritus in acquiſitionem vitæ.* Deus cor, intentionem, amoremque noſtrum libenter tamquam dona gratiſſima ſuſcipit. *Nulli parvus eſt cenſus*, inquit S. Leo, *cui magnus eſt animus, nec de rei familiaris modo menſura miſerationis pendet ; aut pietatis, numquam merito caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia.*

*S. Bern. ſer. 8. de modo bene viv.*
*B. Laur. Juſtin. l. 2. ſpir. an. & reſ.*
*D. Chryſoſt. Hom. 7. de pænit. ad fin.*
*S. Auguſt. in Pſ. 105. ſer. 18. de Sanctis.*
*V. Beda.*
*S. Leo ſerm. 2 de Quadr.*

5. In Exodo inter auri,argenti, purpuræ, gemmarumque pretioſas oblationes, pili quoque caprarum, licet viles ſint, connumerabantur : *Pilos caprarum & pelles arietum.* Pari quoque modo pauperes ruſtici pro patientia, paupertate & laboribus quos in hac vita ſuſtinuerunt, pari in cœlis præmio remunerabuntur,quo multæ animæ quæ in hac vita ſublimibus Eccleſiæ miniſterijs ſuam impenderunt induſtriam ; unde S.Iſidor. Agricola in cœlo cum multis ſanctis Epiſcopis par erit in præmio;Ac proinde nullus adeo eſt egenus & pauper, quantumvis mendicus ſit, qui non habeat unde regnum Dei comparare ſibi poſſit:Inveniuntur quidem nonnumquam mendici,qui ne micam panis ad ſui refectionem habent:at verò nullus hominū adeò eſt deſolatus,qui monetam non habeat ad comparandam ſibi cœleſtem gloriam ; Cujus evidens in Lazaro habemus exemplum,cui quantumvis pauperrimo & afflictiſſimo ſolemnes in cœlo ab Angelis celebratę fuerunt exequię, ſuaque mendicitate comparavit ſibi regnum cœlorum; Liberalitati enim & magnificentiæ illius qui abſolutus eſt Dominus Paradiſi, abunde ſufficit, ſi demus quod habemus. Qua in re nonnullos imitari videtur creditores, qui ut à moroſis debitoribus tandem ſolutionem expeditam obtineant, acceptant quidquid apud illum inveniunt ; unde ſi debitor dixerit : Non ſunt mihi ullæ pecuniæ, creditor juxta pecuniæ debitæ quantitatem granum ſe libenter acceptaturum eſſe reſpondebit ; ſi non habeat grana, acceptabit ligna,ſi ligna deſint acquieſcet fæno ; ſi fæno careat, tanta fimeti aut ſterquilinij quantitate contentus erit : Eodem quoque modo in caſu noſtro diſcurrere poſſumus ; Salvator etenim à divitibus pro pretio gloriæ pecunias poſtulat in Eleëmoſynas erogatas, cui non eſt facultas diſpenſandi nummos, corpus ſuum per diſciplinas & cilicia affligat ; qui verò corporis auſteritates ob nimiam debilitatem ſuſtinere nequit lucro animarum ſe conſecret ; qui neque ad hoc faciendum talentum à Deo habet, in operibus miſericordiæ corporalibus ſeſe exerceat ; qui infirmus eſt tribulationem à Deo ſibi immiſſam patienter ſuſtineat, divinæque obſequatur voluntati ; ſi contemnatur aut afficiatur opprobrijs, gaudens Deum benedicat & collaudet,qui pro ejus amore patienti occaſionem ei tribuit ; quod ſi etiam nudus cum Jobo redigatur in ſterquilinium, roget Deum ut peccata offenſæ & injuriæ quibus illum adverſum ſe irritavit illius miſeriæ intuitu condonet, ſic enim peccata noſtra nobis ad cælum conſcenſuris ſcalæ loco deſervient, dummodo pro illis pœniteamus & emendemur. S. Auguſtinus dicit : *Nec multum exæſtuet de re magna propter pretij magnitudinem ; tantum valet, quantum habet : noli quærere quid habes, ſed qualis ſis, ſed malus ſum, inquies, & forte me non accipiet, te dando illi bonus eris.* D. Chryſol. de Eleëmoſyna tractans ita nos monet : *Da terram pauperi, ut accipias cælum, da nummum, ut accipias regnum.* S. Auguſtinus poſtquam Zachæum dimidio divitiarum, viduam verò duobus minutis gloriam ſibi comparaſſe oſtendiſſet, pergit dicendo : *Ex duobus nummis valet ; ſi terrebat te pretium, quod dedit Zachæus, conſoletur te hoc pretium, quod dedit hæc vidua ; plus addo chariſſimi ; valet & vilius, vilior eſt calix aquæ frigidæ, vilior eſt ſola bona voluntas.* D. Chryſologus divitem Epulonem ſalvandum fuiſſe cenſet,ſi ex motivo compaſſionis vel unicam micā panis, aut verò aquæ guttulā Lazaro mendico erogaſſet : *Qui ſitis extremi digiti guttam,quam ſi vel ſolam dediſſes pauperi,non ſitires.*

*Exod. 25. v. 4.*
Nullus tam pauper, qui emere non poſſit.
*S. Aug. in Pſal. 93.*
*D. Chryſol. ſerm. 8 de jejun & eleëm.*
*S. Aug. Tr. 10 hom. 8.*
*D. Chryſol. ſerm 122.*

Eccleſia nos in cœlum vehit.
*Iſa. 57. v. 14*

6. Verum enimvero quid ſi tibi Paradiſi vias adeò faciles & expeditas eſſe oſtenderem, ut quaſi in vehiculo ad cœlum contendere videamur, quid diceres? Iſaias Propheta de nova lege Evangelica vaticinatus prædixit : *Et dicam : viam facite, præbete iter,... auferte offendicula de via populi mei.* At verò quonam fine haſce vias adeò ſolicite accommodari, & ab omnibus offendiculis & impedimentis expediri debuiſſe putas? Audite quid in ſacris Canticis, de ſponſa, quæ Eccleſiæ ſymbolum eſt, dicatur à ſponſo : *Anima mea conturbavit me propter quadragas Aminadab*: Pagninus legit : *Anima mea poſuit me, ut quadrigæ populi mei.* Pro cujus loci intelligentia ſciendum quod Aminadab eo tempore quo Hebræi egrediebantur de Ægypto, princeps tribus Judæ fuerit adeò magnanimus & generoſus, ut dum omnes aliæ tribus Iſraël ad maris rubri conſpectum trepidantes titubarent, viamque maris rubri illis divinitus apertam ingredi non auderent, Princeps jam dictus concitatis quadrigæ ſuæ equis primus omnium viam maris apertam ingreſſus fuerit, hacque ratione omnes ad idem iter proſequendum provocarit; unde tribus Juda, propter generoſum hoc facinus, inter omnes alias primatum & regnum accipere promeruit. Sancta igitur mater noſtra Eccleſia in ſponſa præfigurata, ad hanc quadrigam Aminadab alludens,ſe à ſponſo ſuo Chriſto electam eſſe gloriatur, ut velut currus, ſeu vehiculum quoddam Chriſti fidelibus deſerviret, in quo ſuum ad cœlum, per terram promiſſam præſignatum, iter abſolveret. Unde Philo Carpathius ait : *Currus vel quadrigas Eccleſiam ipſam poſitam dicit, ut ſe velui piam matrem ac ſanctiſſimum vehiculum, quo plures convehantur ad patriam, eſſe intelligat*, quaſi dicere vellet : Eccleſia per ſacramenta, ſacrificia, orationes, heroica ſanctorum exempla, plurimaque ſimilia auxilia ſpiritualia per viam facillimam & ab omni impedimento expeditam ad cœleſtem nos Paradiſum commodiſſime velut in ſuavi vehiculo perducit, id quod ni fallor Propheta Evangelicus de fidelibus legis gratiæ tempore viventibus loquens illis verbis prædicere voluit, dum ait : *Annuntiabant gloriam meam gentibus & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meam Jeruſalem.*



*Cant. 6. v. 11. Sanctes. Pagninus.*
*Philo Carpath. in Cant.*
*Iſa. 66. v. 19. & 20.*

*S. Bonav. ſerm. 4. de Aſcenſ.*
Currus per quem in cœlum vehimur deſcribitur.
*Pſ. 23. v. 3. 4.*

7. S. Bonaventura in ſerm. 4. de *Aſcenſione Domini* currum hunc ſequentibus verbis deſcribit : *Currus*, inquit, *ſunt boni fructus & ſtatus bonorum hominum : Aſcendant ergo quidam in curru conjugali, quidam in viduali, quidam in virginali ; ſed quatuor rotæ neceſſariæ ſunt in curru ad aſcendendum, de quibus Pſalmiſta ait : Quis aſcendet in montem Domini? Certe innocens manibus ; Ecce una rota : Et mundo corde ; Ecce alia rota : Qui non accepit in vano animam ſuam; Ecce tertia : Nec juravit in dolo proximo ſuo, Ecce quarta.* Illi homines qui cœli totaliter obliti vivunt, laborant & ſudant, quia per vias arduas, moleſtas, & difficiles ambulant, ideoque dicunt : *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles* ; non vero ſic illi, pro acquirenda vita æterna vivunt & operantur ; Hinc eſt quod magnus ille Angliæ Cancellarius Thomas Morus, qui ſub impio Rege Henrico VIII. pro ſidei orthodoxæ confeſſione ſanguinem ſuum fudit, dicere ſolebat : Quod ſi homines medietatem laboris & ſudoris illius quo ſibi Infernum comparant, cœlo emendo impenderent, facili negotio utique illud obtinerent :

*Sap. 5. v. 7.*

Proſecutio.
*Luc. 16. v. 22.*

8. Habemus in ſcriptura ſacra Hiſtoriam quamdam propoſito noſtro convincendo aptiſſimam, quæ digna eſt, ut ab omnibus ſerio ponderetur : Dicit igitur S. Lucas : *Factum eſt ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Quidnam obſecro pauper hic Lazarus bonorum operum fecerat, ut bajulis Angelorum manibus in nobilem hunc quietis locum deportaretur? S. Catharina ut cœleſtem ſibi gloriam acquireret, quinquaginta Philoſophos ad Chriſtum converterat, virginalis candoris ſui lilium illibatum ab omni carnis ſpurcitia conſervarat, Divini ſponſi ſui per maximinum contumeliati honorem heroicè defenderat, in crudeliſſima ſuppliciorum ſuorum carnificina ad ultimum uſque ſpiritum conſtans ſemper permanſerat: At verò quænam pauper hic mendicus pro divino ſervitio præclara opera patrarat, ut glorioſum iſtud mereretur Angelorum ipſum bajulantium obſequium? Certè de nullo alio conſtat, quam quod in mendicitate & extrema egeſtate ſua ſine ullis lamentatis patiens ſemper permanſerit ; O quot hodie homines,qui velut in vehiculo ingrederentur ; nam ut S. Bonaventura ait : *Perfectius eſt adverſa tolerare patienter, quam bonis operibus inſudare. Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis ; In manibus portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Pauper hic mendicus adeò languidus & ex paupertate extenuatus erat, ut propterea ne in via cœlum defatigaretur, Angeli ad eum portandum certatim accurrerint ; *Factum eſt ut portaretur ab Angelis* ; Ubi Chryſoſtomus ait : *Ne forte ambulans laboraret.*

*S. Bonav.*
*Pſ 90. v. 11.*
*Ibid. v. 12.*
*Luca 16. 22.*
*D. Chryſoſt. Conc. 1. de Laz.*

9. Verum enimverò hactenus à nobis dictis una difficultas obſiſtere & contrariari videtur, nimirum quod ante Paradiſum terreſtrem, qui cœleſtis ſymbolum eſt,Deus collocavit Cherubim & flammeum gladium; videtur igitur, quod ingreſſus in Paradiſum non ſit adeo facilis. Verumtamen omnis hæc vana formido facile diſpellitur, ſi verſio Oleaſtri conſideretur ; Hic enim legit : *Collocavit Cherubim puerum.* Ecce quam ſit nobis in Paradiſum cœleſtem facilis aditus, quando nobis cum puero januam ejus obſervante negotium futurum erit. Putarunt Doctores Hebræorum,hujuſmodi Cherubim eſſe ad modum puerorum. Salvator noſter proinde ait: *Niſi ... efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum*, non exigit à nobis fortium Heroum facinora, ſed puerilem quamdam innocentiam & ſimplicitatem. Unde S. Hilarius ait : *Non niſi reverſos in naturam puerorum introire regnum cælorum, Dominus docet, id eſt, per ſimplicitatem puerilem. Hi Patrem ſequuntur, matrem amant proximo velle malum neſciunt, curam opum negligunt, non inſoleſcunt, non oderunt, non mentiuntur, & hæc omnium affectionum aſſumpta nobis & conſuetudo & voluntas cælorum iter pervium præſtat.* Quæ ſequuntur ſummæ conſolationis verba, ſunt ex Gregorio Magno deprompta, qui dicit : *Exteriora noſtra Domino quamlibet parva ſufficiant, cor namque & non ſubſtantiam penſat, nec perpendit, quantum in ejus ſacrificio, ſed ex quanto proferatur*; Cujus rei in S. Petro & Andrea manifeſtum habemus exemplum, qui beati illius regni poſſeſſionem, propter lacera quædam retia & carie exeſam naviculam relictam acceperunt; unde idem S. Pontifex ſubjungit ſequentia : *Æſtimationem quippe pretij rectè non habet ; ſed tantum Regnum Dei valet, quantum habes ; valuit namque Zachæo dimidium ſubſtantiæ,valuit Petro & Andreæ dimiſſis retibus & navi; valuit viduæ duobus minutis ; valuit alteri calicem aquæ frigidæ ; penſate fratres, quid vilius cum emitur, quid charius cum poſſidetur ; ſed fortaſſe nec calix aquæ frigidæ ſuppetit, qui indigenti præbeatur, etiam tunc ſecuritatem nobis promittit ſermo divinus, Redemptore etenim nato cœli cives oſtenſi ſunt, qui clamarent : Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; ante Dei namque oculos, numquam eſt vacua manus à munere, ſi fuerit arca cordis repleta bona voluntate* ; Numquid igitur Propheta merito ait: *Pro nihilo ſalvos facies illos? Et pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem?* Et S. Bernardinus : *Pro nihilo gloriam ſempiternam adepti ſunt?*

Facilis in Cœlum aditus.
*Gen. 3. v. 24.*
*Oleaſter ibid.*
*Matth. 18. v. 3.*
*S. Hilar. Can. 18. in Matth.*
*S. Gregor. Hom. 5.*
*Pſ. 55. v. 8.*
*Pſalm. 105. v. 24.*
*S. Bern. de paupert. ſer. 2. A. 2. c. 2.*

10. Verumtamen certum eſt, quod nonnullis æterna beatitudo caro ſatis pretio conſtitit, ac proinde S. Bonaventura ex S. Bernardo *in ſententijs*, quatuor diſtinguit perſonarum genera, quæ beatum illud regnum poſſidere noſcuntur : *Alij*, inquit, *violenter rapiunt, alij mercantur, alij furantur, alij compelluntur. Illi rapiunt, qui relinquunt omnia, & ſequuntur Chriſtum ; mercantur, qui dant temporalia & accipiunt æterna ; furantur, qui bona occulte faciunt, & laudem humanam vitantes, ſolo divino teſtimonio ſunt contenti ; compelluntur intrare pauperes, quos hic ignis paupertatis, Deo diſpenſante, probat, ne in futuro ignis judicij damnabiliter premat.*

*S. Bonav. in c. 16. Luc.*

# TRACTATUS XI.

# DE BLASPHEMIA,

## CONTINET

## DISCVRSVS XIII.

DISCURSUS I. Adducuntur nonnullæ definitiones & diſtinctiones Blasphemiæ, quæ valde aggravatur per vilitatem blaſphemantis, & Majeſtatem injuria affectam, quæ Deus ipſe eſt, utpote qui directe offenditur à blasphemante.

II. Blaſphemi linguam ſuam in cœlum ponere & contra Deum ſe erigere non dubitant; ac proinde ab eo miraculoſe in lingua ſæpe caſtigati ſunt, cujus varia adducuntur exempla.

III. Per varias ſententias & ſanctorum Patrum authoritates, hujus peccati alijs omnibus deterioris gravitas conſideratur, & nonnulla blaſphemis à Deo immiſſa ſupplicia recenſentur.

IV. Blaſphemia in multis ſcripturæ locis præ horrore non nominatur expreſſe, ſed circumſcribitur; oſtenditur etiam quod animalia bruta plus Deum venerentur, quam homines, licet Deus horum, in lege Evangelica præcipue Pater & benefactor exiſtat.

V. Deus ſe blaſphemis implacabilem exhibet, nec ullus pro illis mediator aut interceſſor exiſtit, & ideo ut plurimum impœnitentes moriuntur, ſuæque reprobationis ſignum in ſemetipſis manifeſtum deferunt; Nonnulla etiam adducuntur eorum exempla, qui pro blaſphemis intercedere aut ſe interponere noluerunt.

VI. Blaſphemia modicæ in Deum fidei indicium eſt, utpote quæ fidei opponitur; ac proinde Concilia & Summi Pontifices atroces contra illam pœnas ſtatuerunt, Divinaque juſtitia per miraculoſe illis immiſſa ſupplicia acriter in eos animadvertit.

VII. Blaſphemia idioma eſt Dæmonis & damnatorum, quo eodem idomate Antichriſtus filius perditionis loquetur, adducuntur etiam nonnulla blaſphemorum exempla, quos Dæmon è medio ſuſtulit.

VIII. Blaſphemare eſt filium Dei de novo flagellare & crucifigere, eſtque peccatum longe gravius illo, quod Judæi commiſerunt.

IX. Varia conſiderantur in pœnam blaſphemiarum immiſſa ſupplicia, & maxime variæ exercituum ſtrages; Duodecim quoque enumerantur maledictiones in hoſce ſacrilegos pronuntiatæ.

X. Blaſphemiæ varias populis ſuperinducunt calamitates publicas, ſuntque multorum infortuniorum cauſa.

XI. Sacra Concilia blaſphemiam funditus eradicare ſatagunt, idemque Patres familias, Epiſcopi & Principes facere debent. Recenſentur item pœnæ contra illas qui blaſphemos accuſare & punire negligunt, nec non & meritum ac lucrum eorum qui condigne eoſdem caſtigant.

XII. Proprias diſſimulare injurias virtutis opus eſt, eas vero quæ Deo irrogantur diſſimulare impietas eſt, Et ideo ſi Deo cum ingenti commodo noſtro placere volumus à blaſphemis alieni & averſi eſſe, eoſque corrigere debemus.

XIII. Blaſphemiæ in ipſos blaſphemos recidunt, ubi perſtringuntur qui in adverſis Deo maledicunt, cum benedicere deberent, variaque ſuppliciorum in ſacrilegos iſtos recenſentur exempla.

## DISCURSUS I.

## ARGUMENTUM.

Adduntur nonnullæ Definitiones & diſtinctiones Blasphemiæ, quæ valde aggravatur per vilitatem blaſphemantis & Majeſtatem injuria affectam, quæ Deus ipſe eſt, utpote qui à blaſphemo directe offenditur.

### THEMA.

*Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias?* Luc. 5. v. 21.

Blasphemiæ definitio.

1. QUod ſi blaſphemiæ enormem malitiam & gravitatem in pondere ſanctuarij trutinare ſit animus, pro majori illius intelligentia, definitiones ejus à ſacris Doctoribus traditæ prius à nobis neceſſario penetrandæ erunt, ut vel ſic accurate diſcernere valeamus, *Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias.* Inprimis igitur S. Auguſtinus dicit: *Eſt autem blaſphemia, cum aliqua mala dicantur de bonis, itaque jam vulgo blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere; De hominibus namque dubitari poteſt, Deus vero ſine controverſia bonus eſt.* Cui ſententiæ inhærens Valentia dicit; quod conſiderata Etymologia hujus nominis *blasphemia appellari poteſt quodcumque maledictum, quo detrahatur de dignitate & honore alterius*; ſubdit tamen communiter hoc nomine ſolam maledicentiam & improperium contra Deum pronuntiatum importari. Cajetanus in cap. 24. Levitici dicit: *Maledictio & deſpectio divini nominis blasphemia eſt.* Suarez Angelici Doctoris authoritati innixus, inquit: *Blasphemiam importare quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, præcipue divinæ*; aſſerit item alios opinari per hanc dictionem, *Blaſphemia*, intelligi omnem maledicentiam, omnemque ſermonem injurioſum & imprecatorium, poſſeque extendi tam quoad Deum, quam quoad creaturas; Verumtamen in quantum Blasphemia ſignificat *ſacrilegam infamationem*, clarum eſt, quod ſolum de contumelia contra Deum & Sanctos, aliasque res ſacras, & ad Divinum ejus cultum ſpectantes explicari debeat. Unde concludit: *Uſu receptum eſt, ut blasphemia ad derogationem divini honoris ac bonitatis applicata ſit.* Citatque eodem loco Hugonem de S. Victore, dicentem: *Blasphemiam eſſe cum quadam probroſa irreligioſitate, & diminutione honoris divini, vituperium ac convitium.* Seraphicus Doctor tres modos declarat, quibus aliquis blaſphemiam committere poſſit, ſcilicet *vel cum attribuitur Deo, quod ſibi non convenit, vel cum removetur ab eo, quod ſibi convenit, vel cum creaturæ attribuitur, quod proprie Deo convenit.*

Luc. 5. v. 21.
S. Aug. T. 1. l. 2. de mor. Manich. c. 11.
Valent. T. 3. diſp. 1. Q. 13. pun. 2.
Cajet. in cap. 24. Levit.
Suarez T. 1. l. 1. de Indig. c. 4.
Hugo de S. Vict. l. de fruct. carn. & ſpir. c. 6.
S. Bonav. in c. 5. Luc.

Suarez. ibid. Blaſphemiæ definitio alia.

2. Suarez definit Blaſphemiam, quod ſit *verbum maledictionis convitij, ſeu contumeliæ in Deum*; ſimulque illam diſtinguit in eam quæ profertur lingua & in aliam quæ interius in corde concipitur: *Eſt autem duplex verbum* inquit, *mentale & ſenſibile, ſive externum, utroque poteſt blaſphemari Deus, ſicut poteſt etiam mente & ore laudari.* Frequenter etiam injuriæ & blaſphemiæ in Deum proferuntur à multis, qui anguſtias patiuntur & perſecutiones, etiam nonnumquam innocenter; & hi communiter Deum juſtum non eſſe, vel ſuas illorum precibus aures minime præbere credunt; Et hæc eſt blasphemia hæreticalis, niſi ab inconſideratione, & vehementi impatientiæ aut iracundiæ impetu excuſetur.

S. Bonav. T. 7. ſerm. 3. de decem præceptis.
Diſtinctio.

3. S. Bonaventura aliud quoddam blaſphemiæ genus tangit, quod committitur *per locutionem profanam, ſicut quando qui loquitur de membris Chriſti interioribus, blaſphemat peſſime, etiamſi verum dicat, & Chriſtum deſpicit in eo quod humilis fuit.* Et quoque blaſphemia, quando aliquis mente ſua hoc vel illud improperium Deo minime convenire cognoſcit, adeoque ſe improperium illud exprimendo falſum dicere novit, & tamen ut Deum inhonoret in illam contumeliam prorumpit; ac proinde Suarez: *Non ſumitur maledictio tantum pro imprecatione alicujus mali, ſed in univerſum pro locutione cujuſcumque mali, juxta illud Pſalm. 77. Et male locuti ſunt de Deo: Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Sic etiam impij homines frequenter dicunt: Impoſſibile eſt quod Deus id facere poſſit; vel faciam hoc etiam invito Deo, vel in contemptum Dei; Suarez autem ex prædictis Pſalmiſtæ verbis, blaſphemiam eſſe arguit, ſi quis potentiam, ſapientiam vel bonitatem, aut quodvis aliud attributum Divinum in dubium revocare præſumat; His addit pariterque deteſtatur alium quemdā blaſphemandi modum per verba optandi, aut deſiderandi, aut imprecandi Deo malum aliquod, vel carentiam alicujus boni.

Suarez ibid. n. 8.
Pſ. 77. v. 19.
Suarez c. 5. n. 5. ibid.

4. Quia verò blaſphemia non ſolum contra Deum militat, verum etiam contra ſanctiſſimam ejus matrem, & alios electos Dei ſervos, ideo circa ſanctos hiſce verbis diſcurrit: *Sancti ex vi ſui ſtatus habent, quaſi intrinſecam habitudinem ad Deum, & ideo ſi contumelia afficiantur, injuria tranſit in Deum ipſum, etiamſi ſi hoc formaliter non intendatur, vel illa habitudo expreſſè non conſideretur: ſicut conſiderari poſſet & deberet*, unde S. Thomas ait: *Sicut Deus in ſanctis ſuis laudatur, in quantum laudantur opera quæ Deus in Sanctis efficit, ita & blaſphemia quæ fit in ſanctos, ex conſequenti in Deum redundat.* Quia verò objicere quis

S. Tho. 2. 2. Q. 76. A. ...



poſſet pari quoque ratione futuram eſſe blaſphemiam, ſi quis contumeliam aliquam proferat, contra quamvis aliam creaturam, ideò cum eodem Sanct. Thoma reſpondetur: *Maledicere rebus irrationalibus, in quantum ſunt creaturæ, eſſe peccatum blaſphemiæ.*

Temeritas blaſphemantium.
Luc. 5. v. 21.
Job. 25. v. 6.
Eccli. 10. v. 9.

5. Valde conſiderabilia, ſeriaque & attenta reflexione digna ſunt verba aſſumpti thematis noſtri: *Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias?* Ex hac namque conſideratione gravitas peccati blaſphemiæ optimè intelligitur: Vis igitur ſcire quiſnam ille ſit; *Homo putredo & filius hominis vermis; Quid ſuperbit terra & cinis?* Quænam eſt inverecunda illa temeritas hominis, ut injuriari auſit ſupremam illam majeſtatem: *Quam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates?* De qua temeritate Sanct. Judas Apoſtolus lamentatur, dum ait: *Majeſtatem autem blaſphemant*, ubi Lyranus ait: *Id eſt, ſanctam Trinitatem, qui blaſphemia eorum contra Chriſtum redundat in totam Trinitatem.* Pergit verò Sanct. Thadæus Apoſtolus efficax quoddam ſubnectere motivum, abominandi hoc adeo enorme delictum, dum ſequens validiſſimum conficit argumentum dicens: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* Enimvero hujus cum Diabolo exortæ altercationis cauſa erat, quia nimirum Sanct. Michael honorem & cultum Deo debitum, qui penes Hebræos poſt Moyſis mortem ex eo, quod Diabolus totus ad hoc conabitur, ut Hebræi mortui Moyſis cadaver velut numen divinum adorarent, admodum periclitabatur, defendere geſtiebat, hoc namque fine ut videlicet imminens Hebræorum offendiculum è medio tolleret, cadaver illud clam Diabolo in loco quodam abditiſſimo abſcondit; Et quidem tametſi Sanct. Michael juſtiſſimam Dæmonem in hac altercatione injuriandi & maledicendi haberet rationem, nihilominus per umbram quidem verbum aliquod maledicentiæ in ipſum proferre præſumpſit; unde evidentem hanc licet deducere conſequentiam; Quod ſi is qui cœleſtis militiæ Princeps eſt, pro divini honoris defenſione inimico Dei non fuit auſus maledicere, qua fronte homo, viliſſimus ille terræ vermiculus, tantis à Deo beneficijs cumulatus, eumdem optimum Deum cum tanto honoris & reverentiæ ei debitæ præjudicio blaſphemare & execrari, eique maledicere audebit?

Jude v. 8.
Lyran. ibid.
Juda v. 9.

S. Hieron. in c. 3. Gal.
Proſecutio.

6. Optime Sanct. Hieronymus notat, quanta cum circumſpectione & cautela Deus cum homine, qui ejus eſt creatura Deique mancipatui mille titulis ſubjecta, & propter injurias quibus Deus ab eodem continuo laceſſitur quovis diriſſimo ſupplicio digna, proceſſerit ſemper; Dicit enim: *Audaci pede ad hoc procedo certamen, ut ad libros provocem; Nullo loco ſcriptum, à Deo quemquam eſſe maledictum & ubicumque maledictio ponitur, numquam Dei nomen adjunctum*; idque exemplificat in ſerpente: cui dixit: *Maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ*; Caino dixit: *Maledictus ſuper terram.* Ad Chanaan ait: *Maledictus Chanaan*; Et alibi *Maledictus furor eorum*; Protoparenti dixit: *Maledicta terra in opere tuo*; Et ſic deinceps, inquit ſanctus Doctor, fiat omnium in Deuteronomio & alijs libris ſacris deſcriptarum maledictionum exactus quidam catalogus, ſic enim *in nulla earum Dei nomen additum fuiſſe deprehendetur*; non enim dicitur, quod Deus ipſemet alicui creaturæ maledixerit; *in tantum, ut etiam ipſe Satan, cum de Job polliceretur; quod ſi grandibus preſſus anguſtijs blaſphemaret, à meliori parte hoc ſignificaverit dicens: Niſi tibi in faciem benedixerit.* Solus homo, qui eſt quidam luti pugillus, & vas ſtercorum, Deo infinitæ majeſtatis & bonitatis maledicere nō erubeſcit.

Gen. 3. v. 14.
Gen. 4. v. 11.
Gen. 9. v. 25.
Gen. 49. v. 7.
Gen. 3. v. 17.
Job. 1. v. 11.

S. Tho. 3. p. Q. 1. Art. 3.
Blaſphemia graviſſima eſt culpa.

7. Porrò *peccatum*, ut Doctor Angelicus ait, *habet quamdam infinitatem ex infinitate Divinæ Majeſtatis, tanto enim offenſa eſt gravior quanto major eſt ille in quem delinquitur*; Licet enim ſuprema altiſſimi majeſtas per quamlibet culpam mortalem graviter offendatur, majori tamen cum imprudentia & irreverentia per blaſphemiam irritatur; Qua de re Sanct. Bernardinus ingenioſam quamdam & utilem habet reflectionem, dicit enim: *In omnibus alijs peccatis quæ fiunt maxime contra proximum, nullus intendit divinam offenſam, neque intendit ſe vindicare de Deo, ſive committat homicidium, ſive furtum, ſive adulterium, ſive quod ſimile crimen, imo potius cuperet homo hujuſmodi operari, ita quod non offenderet Deum, in blaſphemia autem intendit homo directe offenſam Dei, & de ipſo vindicare, qui nullam commiſit, neq; committere poteſt culpam.*

S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 1. c. 1.

Art. 2. c. 3.
Proſecutio.

8. Offenſa, inquit idem ſanctus Pater, aggravatur plurimum ex vilitate offendentis, & per relationem perſonæ quæ offenditur & injuriatur; quanto enim hæc in ſublimiori dignitate poſita eſt, tanto quoque proportionaliter magis creſcit gravitas injuriæ & offenſæ, unde licet graviter peccet, quia aliquem Regis ſubditum injuria & contumelia afficit; magis tamen peccabit ſi nobilem quemdam ejuſdem Regis militem aggrediatur; Denique maxime peccabit, ſi intimo cuidam Regis conſiliario injurius fuerit; *Gravius inſuper tum in filio Regis, ſed graviſſime cum in perſonam Regis; ſic in peccato blaſphemiæ; In alijs peccatis contra proximum fit convitium contra ipſum creatorem, ſed quantum creator excedit alias creaturas, tantum blaſphemia excedit alia peccata.*

Proſecutio.

9. Continget nonnumquam ſubditum quemdam adeo eſſe temerarium, ut in facie Principis ſui, legem ejus prævaricari auſit, qua v. g. princeps ſub pœna indignationis ſuæ, vel ſub alijs arbitrio ſuo reſervatis pœnis pugionem, aut ſclopetum publico aut ſecreto deferri prohibetur: At vero ſi ſubditus in hoc minime quieſceret, ſed inſuper enſem ſuum vel pugionem ad inferendam Principi ſuo necem ſtringere præſumeret, quanto ille futurus eſſet dignus ſupplicio? Quam ſimilitudinem S. Joannes Damaſcenus adducit citatus à S. Baſilio inſuper dicente: *Qui peccat legem quidem violat, at qui blaſphemat adverſus ipſum divinum numen, impietatem admittit.*

S. Joan. Damaſc. l. 1. paral. c. 5.

Proſecutio.

10. Et proinde quia peccatum hoc immediate contra Deum militat, eſtque crimen læſæ majeſtatis *in primo capite*, Deus quoque ipſemet per ſeveriſſima ſupplicia in id committentes directe ſolet animadvertere: cujus inter plurima alia manifeſtum habemus exemplum in Levitico ubi in primis ſacer Chroniſta dicit: *Cumque blaſphemaſſet nomen, & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſen*; Quibus in verbis ſingulariter notandum, qualiter Chroniſta ſacrilegam impij illius viri blaſphemiam circumſcripſerit, non enim nominatur Deus, ſed tantum dicit: *Cumque blaſphemaſſet nomen*, non exprimendo eum cujus nomen erat, quia peccatum hoc adeo horrendum eſt, ut *aures exhorreſcant* illud auſcultando; at vero quonam conſilio Moyſes ad illum condigne caſtigandum uſus fuit? *Miſeruntque eum in carcerem, donec noſſent, quid juberet Dominus*; ſed numquid omnes reos in quacumque cauſa, etiam Religionis abſolvendi vel condemnandi ſupremam poteſtatem habebat? cur igitur cœlitus à Deo expectavit ſententiam & condemnationem? Quia ſupplicium blaſphemiæ *immediate* & directe divinæ juſtitiæ graviter læſæ & injuriatæ reſervatur: *Qui locutus eſt Moyſen dicens: Educ blaſphemum &c.* ubi S. Bernardus ait: *Opus tanto gravius blaſphemiæ peccatum eſt, quanto immediatius offendit Deum*; qui & authoritatem & doctrinam adducit S. Thomæ, qui Deum varijs modis offendi poſſe ſcribit: *Primo, quantum ad ſuas Creaturas, ſcilicet in homicidijs, furtis, adulterijs & ſimilibus. Secundo quantum ad ſuam familiam ſpiritualem. Tertio quantum ad perſonam velatam. Quarto quantum ad naturam aſſumptam. Quinto quantum ad Naturam Divinam.* Etenim qui furatur, inquit hic ſanctus, qui committit fornicationem vel homicidium, Deum in ſubditis ſuis maletractat; qui vero Martyribus, Apoſtolis, alijſque familiaribus Dei amicis necem infert, gravius illum offendit. Denique qui ſacratiſſimum ejus corpus ſumptum pedibus ſuis protereret & conculcaret, præcedentibus longe abominabiliorem Deo inferret injuriam: *Sed qui offendunt Deum, quantum ad Naturam Divinam, graviſſime peccant, quod faciunt blaſphemantes, nam Blaſphemia eſt peccatum immediatum contra Deum.* Et ideo, ut paulo ante diximus, Moyſes quoad blaſphemum illum, non contulit conſilium ſuum cum ſenioribus, neque cauſam illius ad Magiſtratus inferiores remiſit, multo minus ipſemet per ſe immediate illam decidere auſus fuit: ſcitiſne cur adeo timide contra hoc vitium proceſſerit? Cauſa illius hæc eſt, nondum enim eo uſque increata Dei ſapientia contra blaſphemos legem aliquam ſeu modum procedendi condiderat, quaſi ſibi non exiſtimans, quod lingua aliqua, non ſolum Diabolica, ſed multo minus humana adeo futura eſſet temeraria, ut Deo & Creatori ſuo maledicere præſumeret: Ita reſpondet Procopius in Gloſſa ubi dicit: *Lex nulla poſita fuerat, qua plecterentur blaſphemi, Deo ipſo differente illam pœnam, ut exemplo horrendo eam pœnam ſanciret*; atque ideo quia divina juſtitia immediate ab illo contempta fuerat, ab illa quoque ſola juſta expectabatur criminis illius puniendi deciſiva ſententia, ſiquidem *Delicta quis intelligit?*

Levit. 24. v. 11.
Ibid. v. 12.
Ibid. v. 14.
S. Bern. ſerm. cit. A. 1. c. 4.
Procop. in Gloſſ. in Levit. c. 24.
Pſ. 18. v. 13.

*Jerem. 11. v. 20.* *Job. 9. v. 19.*

*intelligit* : Solus ergo Deus culpæ hujus gravitatem ponderare poterat, de quo ſcriptura ait : *Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juſte*, unde Moyſes in hac occaſione dicere voluiſſe videtur, quod in alia quadam conjunctura Job dixit : *Si fortitudo quæritur robuſtiſſimus eſt: Si æquitas judicij, nemo audet pro me teſtimonium dicere*; atque ideo ipſe modum ſciet quo puniendi ſunt illi qui ipſum blasphemijs afficiunt, juſtamque noverit pronuntiare ſententiam.

*Baron. An. 494. n. 54.* Hiſtoriæ.

*Ungar. Minor. ſerm. 10. in Explic. Symboli in Gem. Fidei.*

11. In Annalibus Eccleſiaſticis refertur, quod cum Conſtantinopoli ex Arrianæ ſectæ hæreticis, qui SS. Trinitatis jurati hoſtes erant, unus, cui nomen Olympius, in balneo corpus ſuum abluens impias contra eamdem & horrendas blaſphemias evomuiſſet, confeſtim in rabiem actus ſemetipſum unguibus miſerabiliter dilaniarit, & paulò poſt ſacrilegam animam ad infernum transmiſerit. Alius quoque ſcriptor memorabilem quemdam caſum recenſet, qui in Regno Hiſpaniarum contigit circa quemdam, qui poſtquam omnia quæ habebat ludendo perdidiſſet, Deum inſtanter rogavit ut pro jactura ſua reparando, gratiam ſuam impertiretur, at vero quia fortuna illa totaliter adverſante ludus ſemper de malo devolvebatur in pejus, pecunijs ludo penitus amiſſis, tandem veſtes quoque ſuas ejusdem ludi exponebat diſcrimini, ac demum veſtibus denudatus domum repetijt, ibidemque aſſumptis armis & conſcenſo equo in forum conceſſit, ubi coram multis alta voce exclamavit, & ait: *Si quis eſt amicus, & fidelis Dei, qui dicat Deum eſſe aliquid, vadat, & ſe armet, & congrediatur mecum in nomine Dei ſui, & ego ipſum occidam ſine Deo, & intelliget, quod nullus Deus ſit*; ad quam propoſitionem omnes quidem exhorreſcentes, præ nimio ſtupore hæſere attoniti, nullus tamen ex omnibus erat, qui deteſtabile facinus iſtud, ejuſque inverecundam temeritatem ei improperare auderet : *Sed cui non reſpondit homo, protinus, Deus reſpondit, nam qui olim flagellaverat Pharaonem ſe potentiæ ſuæ opponentem, non urſis & leonibus, ſed ranis & muſcis; immiſit Deus huic væſano unam muſcam, licet eſſet tempus hyemis, quæ eum in facie ſic invaſit, & ſic inter faciem & galeam ſe opponens, aculeis ſuis graviter eum læſit, ita quod oportuit galeam deponere, & ad terram projicere, at ubi muſca liberum habuit acceſſum; ſic eam in facie feriebat, quod ſe defendere non valens, de equo ad terram cecidit, faciem verſus terram firmans, ut poſſet ſe tueri à muſca, quæ etiam ibi fortiter eum invaſit, nec ceſſavit, quouſque publice blaſphemiam, quam ore profano protulerat, omnibus audientibus cum cordis gemitu revocavit.* En exemplum horribile quod omnes ſibi documento ducere deberent. Quis tantam moleſtiam æquo animo & ſedato tolerare poſſet, ne vindice hac moleſtia perſentiſceret iram divinam, quæ magis intus tenellulam conſcientiam divexat, ut præ animi confuſione & cordis anguſtia quo ſe vertat neſciat.

*Th. Cantip. l. 2. Apo. l. 49. par 6.* Hiſtoria.

12. De aliò quoque blaſphemo refertur quod cum in villa quadam Terræ Laboris in Regno Neapolitano ſituatæ, in die ſancto Paraſceves duo, quorum unus Chriſtianus, alter Judæus erat, taxillis luderent, & Judæus magnam pecuniæ ſummam perdidiſſet, hic Chriſtum horrendum in modum blaſphemare cæperit, cumque ludum repetere volens taxillos apprehendere niteretur, ſubito nervi manuum ejus contracti fuerunt; quare magis indignatus manibus hoc modo contractis menſam luſoriam in terram dejicere contendit, majori cum impetu blaſphemias contra Chriſtum ejuſque ſanctiſſimam matrem multiplicando, at vero confeſtim ſuper temerarium hunc hominem divina vindicta animadvertere cœpit, ſiquidem ſubverſis in capite oculis protinus in terram corruit mortuus: *Chriſtianus colluſor illius pavore nimio in amentiam verſus elanguit, & miſeram vitam morte miſera finivit.*

## DISCURSUS II.

### ARGUMENTUM.

Blaſphemi linguam ſuam in cœlum ponere, & contra Deum ſe erigere non dubitant; ac proinde miraculoſe ab eodem Deo in lingua ſæpe caſtigati ſunt, cujus varia adducuntur exempla.

### THEMA.

*Poſuerunt in Cælum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.* Pſal. 72. v. 9.

Blaſphemi in cœlum lin- guam po- nunt.

*Pſ. 72. v. 6.*

1. PRopheta regius de blaſphemis in præcitato Pſalmo loquens eoſdem tamquam perditæ ſalutis homines, impietatibus & ſacrilegijs, alijsque iniquitatibus & exceſſibus immerſos deſcribit : *Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua; prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum &c. ... : cogitaverunt & locuti ſunt nequitiam*, ac tandem *maximum quod ſic* iniquitatum ipſorum explicaturus, ad eam uſque malitiam eos perveniſſe dicit, ut linguam ſuam in cœlum ponere non formidarint : *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt; Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.* S. Ephrem hæc verba adducens ſubjungit : *Et audes aperire audacter os tuum, & in cælum verba emittere, juramenta atque blaſphemias? & non times, ne forte falx ignea quam Propheta vidit, demoretur in domo tua?* Lorinus ait : *De Deo paſſim hæc verba explanant de quo impij blaſphemant ſermones contra excelſum. Poſuerunt in cælum os ſuum, id eſt*, inquit Hugo Cardinalis, *contra Deum & cæleſtia.* Daniel Propheta Antichriſti tyrannidem prædicens, inter alios ejus intolerabiles exceſſus, hunc quoque enumerat : *Sermones contra excelſum loquetur, & ſanctos Altiſſimi conteret, blaſphemando nimirum*; inquit idem doctiſſimus Cardinalis, hoc enim proprie eſt in cœlum os ſuum ponere; *Et lingua eorum tranſivit uſque ad cælum, ſic blaſphemando in excelſo; Ecce peccatum læſæ majeſtatis vel blaſphemia.*

*Ibid. v. 8.* *Ibid. v. 9.* *S. Ephrem T. 2. Pa. Ep. 43.* *Lorin. ibid.* *Hugo Card. ibid.*

2. S. Hieronymus nullum delictum blaſphemia execrabilius eſſe dicit : *Nihil horribilius blaſphemia, quæ ponit in cælum os ſuum; omne quippe peccatum comparatum blaſphemiæ levius eſt*; Nec mirum, quia : ut ait Rupertus, irreverentia ſanctiſſimo nomini Dei irrogata contrariatur & repugnat Charitati & amori Dei; quanto igitur eidem charitati magis adverſabitur eidem nomini & Deo ipſi irrogata injuria & contumelia? *Reverentia nomen Dei dignum non æſtimare, ubicumque fuerit invocatum, dilectioni Dei omnino eſt adverſum* : At vero certiſſimum eſt, quod peccatum aliquod tanto ſit enormius, quanto amplius Charitati apponitur.

*S. Hier. in c. 18. Iſa.* Blaſph. charitati opponitur magis. *Rup. Abb. in Gloſ. ad. c. 20. Exod.*

3. D. Chryſoſtomus indecentiam & enormitatem hujus peccati ex proverbio quodam deducit, quo uti ſolemus quando quis de alijs cum exigua reverentia & reſpectu loquendo linguam ſuam exſerit; Dicit enim : *Neſcitis quis ſit Deus, & quali debeat ore vocari? quod ſi de ſtudioſo quidem viro male loquamur, dicimus : Os tuum ablue, & ita commemora, nunc vero nomen ſuper omne nomen venerandum, quod audientes Dæmones horrent, temerarie circumferimus?* Hæc ſatis congruenter menti ſanctæ Scripturæ & aureæ veritati, cœleſti, quæ os blaſphemum & cor impium cohibere & reprimere deberent ne SS. Dei nomen profaneretur execrandis verbis blaſphemis.

*D. Chryſ. Hom. 26. ad pop.* Hujus peccati gravitas.

4. Deus per os Pſalmiſtæ lamentatur dicens: *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, & ſi is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet: Tu vero homo unanimis &c. ... qui ſimul mecum dulces capiebas cibos &c.* Quam utique quærimoniam longe majori jure de Chriſtiano blaſphemo pronuntiare Deus poſſet; Quod enim Hebræus aliquis, vel hæreticus, vel idololatra, aut Mahometicæ ſuperſtitioni addictus Deum blaſphemet eique maledicat, mirum non eſt, at vero quod Chriſtianus aliquis tot beneficijs cumulatus, imo ſacratiſſimo ejus corpore toties nutritus, lingua ſua, à carnium Agni immaculati contractu toties conſecrata, blaſphemias adverſus ipſum & improperia evomat, quid non jam dici, ſed excogitari poteſt execrabilius, horrendius, & iniquius? ac proinde immediatè ſubjungit : *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in Infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum.*

*Pſal. 54. v. 13.* *Ibid. v. 14.* Præcipue ſi à Catholico fiat blaſphem. *Pſ. 54. v. 16.*

5. S. Bernardinus Senenſis in quodam ſermone ſuo hæc verba habet : *Mahometus infideliſſimus canis in Alcborano ſuo præcepit, quod quicumque Deum & Chriſtum & etiam B. Virginem blaſphemaret, medius divideretur; Retulit mihi quidam frater de ordine ſocius noſter, unum Saracenum in terra ſancta graviter fuiſſe punitum ab officiali Pagano, eo quod verbum inhoneſtum contra Virginem protuliſſet.* Quanta igitur Chriſtianiſmi indignitas erit, quod minorem Turcis reverentiam & reſpectum Deo & Beatiſſimæ Virgini deferat. Idem Sanctus Bernardinus in alijs quidem peccatis aliquod gaudij, aut voluptatis motivum ineſſe poſſe dicit, in blaſphemia vero minime, *propterea*, inquit, *Richardus de S. Victore ait. Sceleratiſſimum genus peccati eſt, quando quis in Dei vituperium delectatur.*

*S. Bern. T. 1. ſer. 41. A. 3. c. 3.* Turcarum reverentia erga Deum & B. V. *Rich. de S. Vict. cit. à S. Bern. ib.*

6. S. Michaël Archangelus, prout diſcurſu præcedenti diximus, in cauſa adeo ardua, qualis erat defenſio & zelus honoris Dei, & Religionis ac cultus divini in populo Hebræo conſervatio, contra nequam illum ſpiritum, Luciferum inquam, in verbum aliquod injurioſum prorumpere auſus non fuit : *Non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ*, ubi Gloſſa interlinearis inquit : *Vos non debetis blaſphemare, quia nec Michael auſus eſt judicium inferre blaſphemiæ*; Quod idemmet argumentum Gloſſa ordinaria in forma magis conſpicua & conveniente his verbis proponit : *Quia ſi Michael Archangelus Diabolo ſibi adverſanti blaſphemiam dicere noluit, ſed modeſte cum ſermone coercuit, quanto magis hominibus omnis blaſphemia eſt cavenda, & maxime in creatorem?* Eſtque hoc argumentum prorſus irrefragabile; Neque enim Angelus os ſuum in Infernum ponere præſumpſit, ut injuriaretur Diabolum! Et nos viliſſimi terræ vermiculi adeo præſumptuoſi & arrogantes erimus, ut ad blaſphemandum & contumeliandum ſacratiſſimum & venerabiliſſimum Dei & ſanctorum ſuorum nomen, linguam noſtram in cœlum mittere non dubitemus?

*A. 1. c. 2.* Michael Dæmoni nullam dixit blaſphemia. *Jude. v. 9.* *Gloſ. interlin.* *Gloſ. ord.*



Communis frequens multorum blaſphemia.

7. In Prophetia Malachiæ blaſphemia quædam memoratur, quæ in multorum ore valde frequens eſſe ſolet, eorum præcipue, qui cum in tribulationibus & adverſitatibus ſuis impatientes ſint & deſperabundi, contra Deum velut injuſtum obmurmurant & lamentantur dicentes: *Nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat*; Deum enim nullam harum rerum ſublunarium providentiam habere exiſtimant, eo quod per experientiam quotidie videant; quod *alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Hanc autem blaſphemiam idem Propheta omnipotenti Deo, qui tribus digitis mundum univerſum ſuſtentat, adeo ponderoſam, gravem, & portatu difficilem eſſe dicit, ut Deus per os ipſius merito conqueratur dicens : *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis : In quo eum fecimus laborare? in eo quod dicitis? Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent; aut certe ubi eſt Deus judicij?* Hi tales os ſuum in Cœlum ponere volunt, Divinorum ſcrutando judiciorum abyſſum; non intelligentes quod Deus electis tribulationes immittat, ut cœlum lucrentur; reprobos vero in hac vita gaudere permittat, eo quod deinceps ſemper ſine intermiſſione torquendi ſint in Inferno : *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt.* Hæ & aliæ ſimiles blaſphemiæ Deo adeo diſplicent, ut eum laborare & quaſi ſudare faciant. Unde Iſaiæ 43. dicit : *Præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Si enim Deus aliciujus foret fatigationis capax; utique ſimiles blaſphemias ſuſtinendo intolerabiliter defatigandus & moleſtias paſſurus eſſet.

*Job. 22. v. 14.* *1. Cor. 11. v. 21.* *Mal. 2. v. 17.* *Job. 21. v. 13.* *Iſ. 43. v. 24.*

8. Alij apud eumdem Iſaiam non minus blaſpheme lamentabantur dicentes : *Quare jejunavimus & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Cur obſecro hi tales jejunia ſua, alioſque vitæ ſuæ rigores caſſos & irritos apud Deum eſſe exiſtimabant? audite rationem ipſorum: *percutitis pugno impie*; ſunt etenim certi quidam deſperati homines, qui Cœlo quaſi leges præſcribere aut cum eo contendere, imo ipſimet Deo bellum indicere volunt; ejuſque infallibilem providentiam negligentiæ, & juſtitiam illius iniquitatis arguere non erubeſcunt, quando non omnia illis ad nutum voluntatis ſuccedunt : Hi tales, quidquid boni egerint, Deo grati & accepti numquam eſſe poterunt, imo graviſſime communiter à Deo puniuntur. Tales erant illi increduli Hebræi, qui deficiente illis, quam ſecum tulerant Ægypti annona, non habentes unde viverent, aut ſe ſuſtentarent : *Et male locuti ſunt de Deo, dixerunt : Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* quæ blaſphemia cor Dei ſauciavit, unde & Pſalmiſta paulo ante dixerat : *In iram excitaverunt excelſum &c.* ac proinde ultrix Dei vindicta protinus ſuper illos deſcendit : *Audivit Dominus, &c. ... & ignis accenſus eſt in Jacob, & ira aſcendit in Iſraël*, quia qui adeo ſunt temerarij, ut os ſuum in cœlum ponere non vereantur, divinum ſubito experiuntur ſupplicium; Unde Eccleſiaſticus dicit: *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet*, quaſi dicat quiſquis cum Deo contenderit, caput ſuum ad cerebri excuſſionem uſque collidet; Id quod Plutarchus practica quadam ſimilitudine aptiſſime exponit, dum ait : *Jaculum ſi in ſolidum aliquod ceciderit, nonnumquam in mittentem retorquetur ita convitium in fortem & conſtantem Virum tortum recidit in convitium facientem*; Et quidem ſi id ipſum in hominibus virtuoſis locum habet, quanto magis in Deo; ac proinde David immediate ſubdit : *Et lingua eorum tranſivit in terra.*

*Iſ. 58. v. 3.* Quidam Deum blaſphemant quando non omnia ad nutum ſuccedunt. *Ibid. v. 4.* *Pſ. 77. v. 19.* *Pſ. 77. v. 17.* *Pſ. 77. v. 21.* *Eccli. 27. v. 28.* *Plutar. in moral. ibid.* *Pſ. 72. v. 9.*



9. S. Ephrem contra blaſphemos honorem Dei zelans, poſtquam dixiſſet : *Non times ne forte falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua*, mox ſubjungit : *Donec ex ea quæ ſub Cælo eſt, te excidat ac deleat, dum ſic audes os aperte adverſus Deum omnipotentem, in quem Angeli, Archangeli, Cherubim, ac Seraphim non audent oculos conjicere, ſed cum timore ac tremore aſſiſtunt collaudantes formidabile & glorioſum atque honorabile nomen ejus*; nam David olim Dei in linguas blaſphematrices vindicativam juſtitiam his verbis prædixit : *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam, Qui dixerunt : Linguam noſtram magnificabimus; labia noſtra à nobis ſunt*, audite inſignem Blaſphemiam, *quis noſter Dominus eſt?* Superbi enim Deum renuebant agnoſcere.

*S. Ephr. T. 2. p. 5. Paran. 43.* Quos Deus diſperdet. *Pſal. 11. v. 4.* *Ibid. v. 5.* *Ibid.*

10. In libris Machabæorum refertur quod poſtquam Demetrius in Regnum ſubingreſſus per Bacchidem & Alcimum Judam Macchabæum pro viribus quantum potuit ſed cum exiguo fructu exagitaſſet, iterata vice adverſus eum Nicanorem in campum emiſerit qui omnes quidem conatus ſuos in hoc adhibuit, ut victor evaderet, at vero Judas cum ſequacibus ſuis in potentiſſimum Cœlorum ſubſidium & auxilium confiſus, certam ſibi promiſit victoriam; Deo enim non tam ſupplicavit, quam abſolute imperavit dicens: *Fac vindictam in homine iſto & exercitu ejus & cadant in gladio.* Sed dicite ſodes, ſi noſtis, quanam præcipue in re ejus tam viva fundabatur fiducia : Audite id exponentem Judam, dum ait : *Memento blaſphemias eorum, & ne dederis eis, ut permaneant.* Judas Deum memorari petijt qualiter blaſphemiæ Sennacherib per adeo evidens miraculum Divina manu ſua caſtigatæ fuerint, ſimulque ut eodem ſupplicio in illa velit occaſione in idem peccatum animadvertere : *Sic contere exercitum iſtum in conſpectu noſtro hodie, & ſciant cæteri, quia male locutus eſt ſuper ſancta tua.* Imo Joſ. Hebr. Judam hiſce verbis exercitum ſuum animaſſe ſcribit : *Quouſque otio torpemus & non procedimus ad bellum, ſumentes ultionem de blaſphemo illo? Quis eſt canis ille mortuus & abjectus, qui audet opprobria dicere, in eum, qui eſt robur & decor Iſraëlis? Proficiſcens itaque venit contra Nicanorem in ira & zelo magno, Judas apprehendit eum, percuſſitque gladio ſuo, & diſſecuit in duas partes, dejiciens ipſo ictu in terram.* Scriptura vero dicit : [*Contrita ſunt caſtra Nicanoris, & cecidit ipſe primus in prælio,*] Et proſtraverunt non minus triginta quinque millia. Sed quænam fuit hæc divinam juſtitiam adeo irritans blaſphemia? Pro hujus evidentia majori ſciendum eſt quod ut in ultimo hujus hiſtoriæ capitulo legitur, poſtquam Nicanor Judæ in die Sabbati bellum movere decreviſſet, eique à nonnullis Judæis ipſum ſequentibus dictum fuiſſet : *Ne ita ferociter & barbarè feceris; ſed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eum qui univerſa conſpicit*, ſuperbus & elatione tumidus Nicanor eos interrogavit : *Si eſt potens in cælo qui imperavit agi diem Sabbatorum?* cui cum reſpondiſſent : *Eſt Dominus vivus ipſe in cælo potens, qui juſſit agi ſeptimum diem*, ſacrilegus blaſphemator reſpondit : *Et ego potens ſum ſuper terram qui impero ſumi arma, & negotia Regis impleri.*

Nicanoris blaſphemia ac ſuperbia. *1. Machab. 7. v. 38.* *Ibid.* *1. Machab. 7. v. 41.* *Joſeph Hebr. l. 3. Hiſt. c. 22. cit. à Gloſſ.* *1. Machab. 7. v. 43.* *2. Machab. 15. v. 2.* *Ibid. v. 3.* *Ibid. v. 4.* *Ibid. v. 5.*

11. Job c. 15. blaſphemum hunc Nicanorem hiſce verbis aggredi velle videtur : *Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium, condemnabit te os tuum & non ego, & labia tua reſpondebunt tibi.* Sed audiatis velim qualenam fuerit linguæ Nicanoris irrogatum ſupplicium; Judas Machabæus huic blaſphemo humerum & caput amputari juſſit, & utrumque membrum in Civitatem ſanctam deportari fecit, quo cum perveniſſent coram convocatis ſacerdotibus & urbis illius præſidiarijs militibus, & *oſtenſo capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum ſanctam omnipotentis Dei magnifice gloriatus eſt linguam etiam impij Nicanoris præciſam juſſit particulatim avibus dari, manum autem dementis contra templum ſuſpendi*; ubi Dionyſius Carthuſianus ait : *Juſſit avibus dari ad comedendam propter blaſphemias per linguam ejus prolatas : Manum autem dementis contra templum ſuſpendi, id eſt, dexteram inſenſati ac blaſphemi amputatam, juſſit ex oppoſito templi ſuſpendi, eo quod dexteram extendendo, comminatus erat, quod templum ipſum deſtrueret.*

*Iob. 15. v. 5.* *Ibid. v. 6.* Supplicium Nicanoris blaſphemi. *2. Machab. 15. v. 32.* *Ibid. v. 33.* *Dion. Carth. ibid.*

12. De Blaſphematoribus verificatur quod Pſalmiſta olim de Judæis dixit : *Quia exacuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram &c.* at vero tandem

*Pſal. 63. v. 4.*

*Ibid. v. 8.*

tandem quid factum eſt? *Sagittæ parvulorum ſunt plagæ eorum?* Sagittæ enim quæ hoſtiliter contra cœlum evibrantur, revertentes aut reſilientes blaſphemantium linguas recidunt, id quod varijs poteſt probari

*Pſal. 72. v. 9.* *Anno Ciſt. 120. cap. 5. n. 4.* Aliud ſupplicium cujusdam blaſphemi.

exemplis: *Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.* Etenim in Annalibus Ciſtertienſibus legitur, quod dum in procinctu eſſet ut corpus B. Joannis de monte mirabili ad locum aliquem honorificentiorem transferretur, latomus quidam ſeu lapicida oſſa ipſius arcæ cuidam imponenda eſſe intelligens, illa potius canibus ad corrodendum exponenda & projicienda eſſe dixit, quod audientes circumſtantes ipſum quidem reprehenderunt; immittendumque illi cælitus ſupplicium comminati ſunt, ſed ſine ullo emendationis fructu ſubſecuto: Eadem igitur nocte *Divina manus quæ dictam blaſphemiam præterire noluit impunitam, in membro quo peccaverat eum graviſſime flagellavit, os enim ejus per quod blaſphemaverat, in alteram partem deformiter eſt transverſum, etiam intuitus ſui propemodum luce privatus.*

13. In hiſtorijs virorum illuſtrium ejuſdem ordinis Ciſtertienſis Abbas Gherebaldus quemdam inverecundum Beatiſſimæ Virginis blaſphematorem Dæmonis poteſtati traditum fuiſſe refert, qui idem inſuper

*In hiſt. de vir. illuſt. Ord. Ciſtert.* Aliud.

*duriſſima paſſione diu vexatus atque diſtortus eſt, ita ut oculis everſis, & facie tota enormiter intumeſcente, linguam ardentem atque ejectam longius ab ore porrigeret, qui cum ita fuiſſet longo & horrendo tormento excruciatus, tandem miſerabilem animam Dæmoniacis ſpiritibus reddidit, linguamque effrænem quam extraxerat nec in morte retraxit.*

14. Porro apud Jeremiam Prophetam lingua

*Jerem. 9. v. 3.*

blaſphematrix arcui aſſimulatur: *Et extenderunt linguam ſuam quaſi arcum*, ubi S. Hieronymus ait:

*S. Hier. ibid.* *Pſ. 36. v. 14.*

*Vide quam horribile ſcelus ſit blaſphemia, quaſi arcus in Deum intenditur lingua. Intenderunt arcum ſuum*, blaſphemi videlicet, ſed quo eventu id fecerunt?

*Pſ. 36. v. 15.*

*gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur*: Mala etenim quibus Deum injuriantur ſuper linguam & fauces ipſorum recidunt; prout

*Tilm. Bredenb. l. 3. Coll. c. 17.* Hiſtoriæ aliquot ad finem uſque

ex ſequentibus hiſtorijs clare ſatis videre licet. Etenim dum poſt demolitum quoddam in Flandria Ordinis ſancti Franciſci monaſterium, dum multæ ſanctorum ſtatuæ igne conflagrante abſumerentur, unus illorum ſacrilegorum in ſtatuam quamdam S. Antonij incidens poſtquam varijs illam contumelijs affeciſſet; tandem in execranda hæc verba prorupit; *ſi quam vim aut virtutem habet, declaretur*; & ecce protinus ignis è ſtatua illa egreſſus, eumdem viventem totaliter combuſſit. In ejuſdem libri cap. 29. & 30. narratur, dum hæreticus quidam ejuſdem ſancti ſtatuam ad ignem comburendam deportaret eidem ludibrioſe dixerit: *Antoni, Antoni, tu quidem ſoles in mortale genus deſævire eoſque miſere uſtulare, at ubi nunc vires illæ?* Et ecce ſubito lingua illius peſte correpta eſt, ac demum paulopoſt cum tota familia ſua igne peſtilentiæ conſumptus eſt, idque P. Coſterus refert in Conc. Dom. 3. Quadrageſimæ. Scribitur & aliud quoddam miraculum quod Anno 1588. accidit circa quemdam Virum diſcolum & perditum qui poſtquam mulierem quamdam Hebræam nocte quadam cum ipſa fornicando ſeduxiſſet, Cœlum fulminibus armatum fulgurando, grandinando, & tempeſtates excitando furere cœpit, miſera muliere, licet Hebræa eſſet,

*Jo. Peloc. in turri Babyl. c. 6. Franc. Benzon. Ann. 1588.*

altum vociferante: *Virgo Maria fer opem; at vir ferus & impius, Tace ſis ſtulta*, inquit, *auxilium ullum ferre poteſt Maria? Abſcidit ad extremam vocem fulmen ſubitum, quod intonuit, & adhuc loquentem evellit ab amplexu muliercula, repeniunt hominem hianti ore, ſine ullis dentibus, ſine lingua.*

*Ann. 420. num. 26.*

15. Eminentiſſimus Cardinalis Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis refert, Quod cum Gororanes Rex Perſarum ſub imperio Theodoſij urbem Imperatoris nomine nuncupatam obſidione cinxiſſet, & multa inſtrumenta bellica ad urbes capiendas accommodata ad murum applicaſſet, ſolus Eunomius illius urbis Epiſcopus ei reſtitit: Cum enim duces noſtri præliari contra hoſtes renuerent, & obſeſſis opem ferre non auderent, iſte Epiſcopus ſe hoſtibus opponendo urbem ſervavit incolumem. Nam cum unus ex Regulis barbaris conſuetam blaſphemiam in Deum jaceret, & in mortem Rhabſacis & Sennacherib verba execrabilia funderet, furoreque incitatus minaretur ſe ſacroſanctum Dei templum incendio vaſtaturum, Vir Dei ſanctus tantam inſolentiam ferre non valens, baliſtam S. Thomæ Apoſtoli nomine inſcriptã ad pinnas muri ſtatui, & ingentem lapidem in ea imponi, atque in blaſphematorem exonerari fecit, hacque ratione non ſolum vultus ejus dilaceratus, ſed & fuſo per terram ejus cerebro caput penitus diſruptum fuit; unde Rex timore perculſus & perterrefactus obſidionem ſolvit, ſeque à Romanis ſuperatum confeſſus firmam cum ijſdem pacem pactus fuit. Similiter Neſtorius Hæreſiarcha, qui horrendas in magnam Dei matrem blaſphemias evomuerat, linguam ſuam à vermibus devoratam debiti ſupplicij loco reportavit. Sic quoque Hieronymus Bolſecus Medicus in vita Calvini cap. 22. *Hæreſiarcham verminoſum ad extremum ſpiritum cruciatum fuiſſe* ſcribit.

*Niceph. l. 10. c. 29. Theodoret. l. 3. c. 13.*

16. Nicephorus & Theodoretus de Juliano, Apoſtatæ Juliani patruo referunt, quod quia is in ſocietate Felicis & Elpidij Quæſtorum imperialium in primarium urbis Antiochenæ templum ad illud deprædandum, & congregandas ex opulenta illius ſupellectile pecunias ingreſſus dixit: *Ecce qualibus vaſis Mariæ filius in divina re peragenda colitur*; Julianus tali fuerit infirmitate percuſſus ut vermes ex ejus infirmitate ad eum devorandum ſubnaſcentes ejus corpori eo uſque adhæſerint, donec corpus ejus totaliter eſſet putrefactum; Felix autem omnem quaſi corporis ſui ſanguinem ex ore evomuerit; Elpidius de tyrannide ad quam aſpirabat convictus, ſuam ignominioſiſſime clauſerit vitam.

*Jer. Drexel. p. 1. c. 7.*

17. Narrat quoque circa Annum 1380. P. Jeremias Drexelius, quod in ſtratagemate quodam quo nonnemo ex militiæ commendantibus oppidum Hallenſe ſui juris facere machinabatur, miles quidam hæreticus Beatam Virginem, cujus in eodem loco ob quamdam ejus imaginem miraculoſam in maxima devotione ibidem habitam magna erat religionis reverentia & affectus, blaſphemarit, ejusque ſtatuam inde ſublatam Bruxellas deportare, ibicumque incinerare decreverit, cui temerario in juſtam blaſphemiæ ſuæ vindictam ab ictu globi è baliſta ejaculati os una cum mento avulſum fuit, ipſeque paulo poſt miſerrime vitam ſuam finivit.

Hiſtoriæ.

18. S. Bernardinus varia blaſphemis à Deo irrogata ſupplicia refert, in ſpecie vero quoad illos qui in lingua à Deo puniti fuerunt, de nauta quodam his verbis refert:

*S. Bern. T. 1. ſer 42. A. 3. c. 3.*

*Nauta quoque qui blaſphemavit Deum, cum in natando expertus eſſet, ſubito ſubmerſus eſt, quem frater ejus invenit in littore illæſo corpore, ſed radicitus avulſa lingua & conſumpta.*

19. B. Petrus Damianus pariter de quodam impio rixiſque dedito Clerico refert, quod cum tempore diem & horam præſignaſſet, in qua cum quodam hoſte ſuo, qui nonnullas beneficij ſui poſſeſſiones uſurpabat, manus conſerere decreverat, acciderit, quod mane Miſſæ audiendæ aſſiſtens verba illa audiens:

*Luc. 14. v. 11.* *B. Petr Dam. c. 2. Epiſt. 15.*

*Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*, illico hic Clericus converſus in hanc ſacrilegam vocem protervus eruperit: *Hæc ſententia vera non eſt, nam ſi ego me meis adverſarijs humiliter inclinaſſem, hodie tot poſſeſſionum copias atque clientum non haberem*; Cumque in eodem loco ab adverſario Clerici miſſus nuntius alterum de Clerici propoſito informaturus, præſens, adeſſet, hanceque à Clerico prolatam blaſphemiam ei à quo miſſus fuerat referret, mox *ille plaudens in Domino lætus aſſicitur, atque ad ſpem procul dubio obtinendæ victoriæ milites cohortatur.* Pridie vero quam manus conſerturi ad invicem erant, Deus blaſphemum iſtum caſtigare volens, jumentum ejus quemdam ſalis modiũ in via obvium habere permiſit, quem cum avide abligurijſſet, ſitibundus equus, ad copioſum quemdam aquarum rivum perveniens, ut ſe in torrentem illum mergeret, ſitimque ſuam mitigaret, frænum Clerico è manibus avulſit: *Ille verò dum ea manu, qua ſcutum tenebat, cum jumento confligit, hoſtilibus jaculis faciem coactus exponit, & ecce repente gladius os ejus fulminis more transfigit, talique reprobus vitam ſuam fine concluſit. O quam congrue in illa pertulit corporis parte vindictam, qua nigri fellis in Dominum vomuerat blaſphemiam! Et cum Propheta de talibus dicat:*

*Pſ. 56. v. 5.*

*Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus, qui linguam ſuam & dentes adverſus Deum gladij more vibravit, digne per eadem membra materialis gladij pœnas exolvit.* Nicephorus & Evagrius Juſtinum I. anno primo imperij ſui ſtatuiſſe ſcribunt, ut blaſphemo convicto lingua evelleretur radicitus.

DIS-



## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Per varias ſententias & Sanctorum Patrum authoritates hujus peccati alijs omnibus deterioris gravitas conſideratur, & nonnulla blaſphemis à Deo immiſſa ſupplicia recenſentur.

### THEMA.

*Blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia*, ad Epheſ. 4. v. 31.

Blaſphemia deterior alijs peccatis.

1. UT blaſphemiæ malitia & gravitas æqua lance ponderetur, hoc unicum dicere ſufficiat, quod cum omni malitia conjuncta ſit, quodque cunctis alijs iniquitatibus multum præponderet: *Blaſphemiam cum omni malitia*; Et quidem ne forte nobis perſuaderemus propoſitionem iſtam citra omnem advertentiam à calamo Apoſtoli adeo in ſcribendo circumſpecti & providi emanaſſe, ſciendum nobis eſt, quod idem Apoſtolus pariter ad Coloſſenſes ita ſcribat:

*Coloſſ. 3. v. 8.*

*Deponite &c. iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam*; ubi notandum eſt, quod in hiſce ultimis verbis Apoſtolus primo malitiæ in genere mentionem faciat, & poſtea ſubjungat blaſphemiam, tamquam omnis malitiæ primiceriam.

Nil prius illa.

2. Ad intelligendam porro blaſphemiæ malitiam obſervandum quoque eſt, qualiter Iſaias de blaſphemis loquatur; Etenim primo præmittit:

*Iſa. 1. v. 4.*

*Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum.* Sed quinam ſunt hi ſacrilegi, impietate pleni, & ſcelerati? Certe de nullo alio ſceleratorum genere ibi Propheta loquitur, quam de blaſphemis:

*Iſa. 1. v. 4.*

*Blaſphemaverunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum.* Unde D. Chryſoſtomus in hujus execrabilis culpæ deteſtationem, in ſuis ad populum Antiochenum habitis homilijs, his eum verbis alloquitur:

*D. Chryſ. Hom. 1. ad pop.*

*Nullum gratiarum actione par bonum, quemadmodum blaſphemia pejus nihil.*

*Eccli. 10. v. 15.* Superbia in blaſph. Conſiſtit.

3. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, inquit Eccleſiaſticus, quia ſuperbia & faſtus Luciferi omnium peccatorum, omniumque offenſarum Deo irrogatarum prima radix & origo fuit; at verò in quonam præcipuè hoc peccatum ſuperbiæ conſiſtit, quod cuncta alia peccata poſt ſe in conſequentiam trahit? Non in alio, quam in blaſphemando Deum conſiſtit: Blaſphemus namque ſpiritus ille cum ſuprema Dei Majeſtate, eamdem ſumme aſpernando, de ſolio certare non erubuit; unde Iſaias ad Luciferum ſe vertens inquit:

*Iſa. 37. v. 23.*

*Cui exprobraſti? & quem blaſphemaſti? & ſuper quem exaltaſti vocem & levaſti altitudinem oculorum tuorum?*

4. Angelicus Doctor blaſphemiam peccatum mortale eſſe, extra omnem controverſiam poſitum eſſe dicit, juxta illud Levitici:

*Levit. 24. v. 16.* S. Tho. 2. 2. q. 13. A. 2. Blaſph. peccatum eſt mortale.

*Qui blaſphemaverit nomen Domini morte moriatur*, pœna enim mortis non infertur, niſi pro peccato mortali; idemque ſequenti probat ratione: *Peccatum mortale eſt, per quod homo ſeparatur à primo principio ſpiritualis vitæ, quod eſt charitas Dei; unde quæcumque charitati repugnant, ex ſuo genere ſunt peccata mortalia, blaſphemia autem ſecundùm genus ſuum repugnat Charitati Divinæ; quia derogat divinæ Bonitati, quod eſt objectum charitatis.* Valentia hanc habet obſervationem:

*Valentia T. 3. diſp. 2. q. 13. pun. 1.*

*Notandum*, inquit, *quando plene aliquis animadvertit verba aliqua pertinere ad blaſphemiam, neque tamen abſtinet ab illis, ſemper eſſe peccatum mortale ex ſententia D. Thomæ*; ac demum ex propria opinione ſubjungit, in hoc peccato parvitatem & modicitatem materiæ minimè excuſare: *Neque arbitror in hac parte excuſare à mortali parvitatem materiæ.*

5. Deus Opt. Max. dum apud Iſaiam nomen ſuum blaſphematum eſſe graviter conqueritur, ſimulque tempus aliquando venturum eſſe comminatur, quo id ipſum annunciaturus & vindicaturus ſit, audite quibus ad id effandum verbis utatur:

*Iſa. 52. v. 5.* *Ibid. v. 6.*

*Dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, & jugiter tota die nomen meum blaſphematur, propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa.* Enimvero quod circa illa verba vel maximè propoſito noſtro deſervit, eſt obſervatio quædam, quam circa illa facit Hugo Cardinalis, dum ait:

*Hug. Card. in 2. Tim. 3.*

*Dominatores ejus iniquè agunt, non dicit, iniquè dicunt, ſed agunt, & jugiter tota die nomen meum blaſphematur inter gentes per vos, id eſt, per opera veſtra.* Tametſi enim blaſphemia ut plurimum lingua evomatur, vel etiam per conceptum internum enuntietur, ejus tamen malitia cunctis alijs peccatis exterioribus longè præponderat; *Non dicit inique dicunt, ſed agunt.*

*S. Ephrem T. 3. in Teſtament.*

6. *Intolerabilis & evitanda*, inquit S. Ephrem, *ſummopere iniquitas eſt in Deum blaſphemia, cujus vos eſcam atque illecebras fugite apertè O mei diſcipuli*; Ac proinde is qui in deſerto blaſphemaverat poſitus in carcere, quoad ſupplicium ſubeundum Dei ſolius arbitrium & beneplacitum ordinem expectare debuit, quia tametſi Moyſes & Magiſtratus illum condemnare potuiſſent, nihilominus, quia in rebus graviſſimis ad divinæ Sapientiæ oraculum recurrere ſolebant, ſuum potius in hujus peccati ſupplicio decernendo ſuſpendere voluerunt judicium; unde Abulenſis ait:

*Abul. ibid.*

*Poſuit in carcerem, quoadusque peteretur à Deo quid agendum eſſet, nam in omnibus cauſis magnis conſulebatur Deus; Moyſes non dubitabat de morte, quoniam blaſphemia eſt de maximis peccatis, ſed de genere mortis.*

*3. Reg. 21. v. 10.*

7. Quando Jeſabel totaliter in corde ſuo innocentem Nabothi ſanguinem fundere decreverat, atrocius contra ipſum per omnem ſuam aſtutiam muliebrem & authoritatem invenire & excogitare delictum non poterat, quam blaſphemiam, quia tametſi ipſi crimen læſæ Majetatis imponere potuiſſet, ſciebat tamen quod ob nullum delictum adeo eſſet populo futurus exoſus, adeoque declarandus reus & culpabilis, quam ſi ipſum blaſphemiæ reum eſſe convinceret. Unde S. Bonaventura ait:

*S. Bonav. T. 7. in Bibl. paup. c. 23.*

*Videtur quod majus peccatum nequiverit excogitare iniquiſſima Jezabel*; probè namque ex præſcripto divinæ juſtitiæ ordine intelligebat, quod ad hujus exceſſus ſupplicium ſine ulla perſonarum diſcretione procederetur:

*Levit. 24. v. 16.*

*Lapidibus*, inquit ſacer textus, *opprimet eum omnis multitudo; ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit*; adeoque nullus ſive ad nobilitatem, ſive ad divitias, ſive ad authoritatem habebatur reſpectus.

8. Ex eo quoque quod condemnatio alicujus blaſphemi ad pœnam, non à Moyſe, nec ab Hebraiſmi Magiſtratibus, Senioribus, vel Concilijs fiebat, ſed directè & immediatè à divinæ juſtitiæ ſignatura promulgabatur, talis in eo populo erga hoc peccatum horror impreſſus remanſit, ut quotieſcumque blaſphemiam aliquam pronuntiari audiebant, in illius deteſtationem veſtes à capite ad pedes uſque dilacerare ſoliti fuerint, prouti in multis veteris Teſtamenti locis apertè legitur. Imo licet S. Stephanus ex patratis in Judæa miraculis ubique clarus eſſet, quia

*Act. Ap. 6. v. 8.*

*faciebat prodigia & ſigna magna in populo.* Licet etiam ob vitam immaculatam quam ducebat, in magna apud omnes æſtimatione eſſet, nihilominus ob ſolam blaſphemiæ ſuſpicionem omnes unanimiter ad lapides advolarunt, ut eum lapidando horrenda morte occiderent; imo tametſi Chriſtus defenſor ejus vultum ejus reſplendere faceret, ſicut faciem alicujus Angeli:

*Act. Ap. 6. v. 15.*

*Intuentes eum omnes qui ſedebant in Concilio viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli*; ob hoc tamen ab hujus calumniæ pœna evadere nequaquam potuit;

*Gal. 1. v. 14.*

quin & *Saulus nimius æmulator exiſtens paternarum traditionum*, ut S. Auguſtinus ſcribit, ut illum per omnium Judæorum lapidantium manus lapidare poſſet, omnium lapidantium veſtimenta tempore lapidationis cuſtodivit.

9. Stephanum quoque ob præſumptam blaſphemiam lapidare volentes, non intra civitatem, ſed foris huic ſupplicio ſubjecerunt:

*Act. Ap. 7. v. 57.* *Levit. 24. v. 14.* *Oleaſter ib.*

*Ejicientes eum extra civitatem*; nam & in Levitico à Deo ordinatum fuit: *Educ blaſphemum extra caſtra*; ubi Oleaſter ait: *Non ſolum eſt indignus vivere inter pios ſed etiam mori inter eos, ideo extra caſtra ejici à Domino præcipitur*; ut de blaſphemo olim dici potuerit, quod Iſaias de Aſſyriorum Rege loquens inquit;

*Iſa. 14. v. 19.*

*Tu autem projectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis pollutus & obvolutus cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci quaſi cadaver putridum. Adverte*, inquit Oleaſter, *quod non excuſavit illum à morte, quod calore iracundiæ blaſphemaverit, ut ſcias tales debere acriter puniri.*

*S. Hier. in c. 3. Gal.* *Deut. 21. v. 23.*

10. S. Hieronymus ſuper illa verba: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*; illum Deuter. 21. textum juxta Symmachi lectionem adducit: *Si autem fuerit homini peccatum ad judicium mortis, & occiſus fuerit, & ſuſpenderis eum ſuper lignum, non pernoctabit cadaver ipſius ſuper lignum, ſed ſepultura ſepelies eum in die ipſa, quia propter blaſphemiam Dei ſuſpenſus eſt, & non contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dabit tibi ad hæreditatem.* Blaſphemi enim deteſtandi & abominabiles ſunt, dignique qui ab omnibus vitentur tam in vita quam poſt mortem.

11. S. Ephrem zelo Eliano ſuccenſus ori blaſphemo peccatum ſuum his verbis improperat:

*S. Ephr. T. 1. paran. n. 43.*

*Non metuis ne forte ignis de cœlo deſcendat, & devoret te, qui ſic os adverſus Omnipotentem aperis? neque vereris ne forte*

terra

*terra ſub te diſrumpatur & te abſorbeat ? Ne decipiaris ô homo ; impoſſibile enim eſt manus effugere Creatoris ; audi eum qui dicit : Blaſphemantes rationem reddent Deo, qui paratus eſt judicare vivos & mortuos.* Seneca

Seneca l. 1. de ira.

refert, quod ex quo milites Caji Imperatoris Deos minime experti fuerant propitios, ſe de ijs vindicare volentes jacula & ſagittas adverſus cœlum ejacularint, quæ tamen in ſagittarios recidentes plurimos eorum gravibus vulneribus ſauciarunt. Audite vero quo nomine S. Vincentius Ferrerius blaſphemias appellarit, dum ait : *Sagittæ toxicatæ ſunt blaſphemiæ*, hæ autem in ipſos blaſphemos recidunt, irreparabilemque & æternam illis mortem conciliant ; ut proinde dicere poſſint : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

S. Vinc. Ferr. ſerm. 5. in Dom. Adv.
Pſ. 68. v. 10.
Jerem. Drex. de ling. derid. c. 14. n. 3.

12. Pater Jeremias Drexelius refert, quod cum Anno 1585. in civitate Burgenſi Eliſabeth Bleſtina in die ſacratiſſimi Corporis Chriſti, una cum marito ſuo, matre item & ancilla in Eccleſiam S. Severi filiolum ſuum in ulnis deferens ingreſſa fuiſſet, quemdam verbum Dei publice ex pulpito declamantem audiens eum deriſerit ; Concione verò finita, dum Parochus ejuſdem loci ſacrum Miſſæ officium exordiretur, ipſa ritus Miſſæ & ceremonias ſacras pari riſu proſequens dixit : Accedamus propinquius & ſpectemus ſtulti illius Presbyteri ſuperſtitioſas geſticulationes ; Et ecce mox ut ad altare propius acceſſit ſubitaneo fulmine percuſſa, ſine ulla pueruli, quem in ulnis portabat, læſione in terram ad pedes Gubernatoris civitatis illius concidit ; Mater autem ejus quæ blaſphemiæ conſors fuerat, muta facta in amentiam incidit, magnamque ſanguinis copiam ex ore & naribus ejecit.

13. De Alphonſo Hiſpaniarum Rege & perito Aſtrologo legitur, quod ob ſcientiam Aſtrologiæ, quam perfecte callebat, elatus die quadam dixerit ; Quod ſi ego in principio creationis mundi Deo adfuiſſem præſens, omnia utique nunc in meliori ordine ſubſiſterent : *Voluiſſet omnia melius ordinare & diſponere, ſi ipſe Deus fuiſſet* ; Factum eſt autem quod nocte ſubſequenti palatium ejus ex vehementiſſimo turbine cui tonitrua, fulgura, & fulminum ſagittæ conjunctæ erant conquaſſatum ab igne accenſum fuerit, qui omnem palatij pretioſam ſupellectilem conſumpſit, in quo etiam incendio uxor ejus & filij concremati perierunt, ipſo ſolo & nudo fugiente, quippe qui à Deo cordialiter commiſſæ blaſphemiæ veniam deprecans, per divinam miſericordiam vitam ſalvavit.

Roderic. Sontius 4. p. Hiſt. Hiſt. c. 5.

14. Idem Drexelius refert, quod dum die quadam Catholicus quidam & Hæreticus Geneva Loſannam iter facerent, Catholicus aëra fulmine percelli & ſagittas hinc inde è cœlo vibrari videns, ſigno crucis ſe munierit, quod hæreticus videns ironicè interrogavit, quid faceret, an forte muſcas abigeret ; Et ecce vix blaſphema hæc verba ore ſuo protulerat, quando ira Dei protinus fulmen in eum direxit, quo totus conflagravit, ſine ullo Catholici nocumento : *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.* Nec mirum eſt quod divina juſtitia toties contra Sacrilegos & temerarios illos vindicem gladium ſuum ſtrinxit, ſiquidem peccatum hoc adeo eſt abominabile, ut quocumque oculos noſtros deflectimus, execrabilibus illud titulis deteſtatum ſemper fuiſſe inveniamus. Pius V. in Bulla 3. cujus initium eſt : *Cum primum Apoſtolatus officium &c.* in progreſſu ejuſdem §. 10. inquit : *Ad abolendum vero nefarium & execrabile blaſphemiæ ſcelus.* S. Joanne Climacus de hoc peſſimo ſemine ita ſcribit : *Pernitioſæ ſtirpis & parentis pernitioſiſſimam ſobolem eſſe ſupra demonſtratum eſt, execratæ ſuperbiæ infandam blaſphemiæ prolem.* D. Chryſoſtomus quoque in ejus deteſtationem nullum dari peccatum gravius & enormius aſſerit : *Non eſt, non eſt hoc peccato ullum deterius, ſed neque par, nam in eo & acceſſio omnium malorum eſt, omniſque confuſio, inexpiabile ſupplicium, & intolerabilis pœna.* Lyranus de illo blaſphemo loquens, quem Deus puniendum extra caſtra duci juſſit illis verbis : *Educ extra caſtra*, hanc gloſſam ſubnectit, *tamquam omnibus execrabilem & abominabilem.* Dionyſius Carthuſianus eadem verba ita gloſſat : *Extra habitacula ſeu tentoria populi, tamquam indignum mori ac vivere in medio plebis Deum colentis.*

Pſ. 63. v. 8.
Bullar. Bull. 3. Pij V.
S. Joan. Clim. in ſcal. Par. gr. 23.
D. Chryſoſt. T. 1. Orat. 2. De fato & Provid.
Levit. 24. v. 14.
Lyran. in Levit.
Dion. Carth. ibid.

15. Poſtquam S. Matthæus Evangeliſta, quibus modis ſacrilegi illi Filium Dei in monte Calvariæ blaſphemarint, recenſuiſſet dicendo : *Prætereuntes blaſphemabant eum moventes capita ſua, & dicentes : Vah ! qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva temetipſum : Si Filius Dei es, deſcende de cruce : Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant : Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere ; ſi Rex Iſraël eſt deſcendat de cruce ; idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei* ; Idem Evangeliſta immediate poſt prolatas haſce blaſphemias, ſine ullius alterius hiſtoriæ intermixtione ſubjungit : *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram* ; ubi, merito quærere nonnemo poteſt, cur Sol non potius radios ſuos retraxerit, quando oculi veri Solis juſtitiæ in Prætorio velati fuere ? aut vero quando ſex mille & amplius flagellorum crudeles ictus ſacratiſſimo ejus dorſo fuere inflicti ? cur non ſurrexerunt tenebræ, quando ipſum coronarunt ſpinis, vel clavis in crucis patibulum fixerunt ? Audite S. Anſelmum hujus rei myſterium explicantem ; dicit enim : *Videtur mihi Sol radios ſuos retraxiſſe, ne videret ſuum Dominum pendentem in cruce, aut ne impij blaſphemantes fruerentur ſua luce.*

Matth. 27. v. 39. & 40.
Ibid. v. 41.
Ibid. v. 42.
Ibid. v. 44.
Ibid. v. 45.
S. Anſelm. in Matth. ibid.

16. Enimverò ut execrabilis hujus delicti gravitas penitus cognoſcatur, neceſſum eſt ; ut infinitam, quam de ſuprema Altiſſimi Majeſtate in corde noſtro habere debemus venerationem & reverentiam debitam æqua lance ponderemus : Deus enim eſt, quem Cherubim & Seraphim inceſſabili voce proclamant : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Qua igitur fronte fœdiſſimum lutum, homo ſcilicet ; Majeſtatem illam improperij verbis deridere aut contumeliari audebit ? Quanta eſt differentia inter offendere formicam aliquam & offendere hominem, item quanto acerbius caſtigari meretur, qui non ſervum aliquem, ſed potentem Regem & Monarcham aliquem offendit. Quis igitur adeo cæcutit, ut non videat, quantum illius adaugeatur temeritas, qui Deum illum injuria afficere non veretur, in cujus fœmore ſcriptum eſt : *Rex Regum & Dominus dominantium* ? S. Michael contumelioſis verbis Dæmonem compellare non præſumpſit ; eo quod in ipſo naturam conſpiceret Angelicam, licet culpa & nequitia ipſius contaminatam ; unde Gloſſa hanc deducit conſequentiam : *Hic declarat*, inquit, *quod blaſphemia ſit valde grave peccatum, per hoc quod Michael non fuit auſus blaſphemare dæmonem ; propter ejus naturam bonam, & per hoc patet, quod blaſphemare Deum, cujus natura eſt excellentior in infinitum, eſt graviſſimum peccatum.* Idem quoque Dionyſius Carthuſianus notat, dum ait : *Propter naturam Diaboli bonam, in qua ſimilitudo Dei reſplendet, propter quod ſecundùm ſe contemnenda non fuit, ſed dixit Diabolo : Imperet tibi Dominus, id eſt, modeſto verbo coercuit dæmonem.* Idem quoque Carthuſianus aliud factum ſimile adducit, quod Zacharias Propheta deſcribit, quando nimirum Angelus ille inimico infernali Jeſu Sacerdoti filio Joſedech ſe opponenti dixit : *Increpet Dominus in te Sathan* ; unde hanc deducit conſequentiam : Quod Chriſto inferre blaſphemiam ſit incomparabiliter gravius in quantum ipſe Deus eſt. Suarez per authoritatem S. Auguſtini lib. contra mendacium cap. 19. peccatum blaſphemiæ haud dubiè perjurio pejus eſſe dicit : *Ideo*, inquit, *pejus eſt blaſphemare, quam pejerare, quoniam pejerando falſæ rei adhibetur teſtis Deus, blaſphemando autem de ipſo falſa dicuntur de Deo.*

Iſa. 6. v. 3.
Apocal. 19. v. 16.
Gloſſ. ibid.
Jude v. 9.
Dion. Carth. ibid.
Zach. 3. v. 2.
Suarez de Relig. lib. 1. de Irrelig. c. 3. n. 13.

17, Didacus Stella ad oſtendendam culpæ hujus enormitatem aliam reflectionem adducit ; dicit enim : Ideo latro latrocinando Deo infert injuriam, quia ſervorum ſuorum facultates deprædatur vel damnificat : *Sed blaſphemus in illud bonum divinum, quia Deus eſt, contumeliam infert, ideò maximè diſplicet Deo peccatum blaſphemiæ.* Blaſphemi valde ſunt alijs peccatoribus diſſimiles, hi enim etiam quidem Deum offendunt, ſed contra intentionem ſuam, quia latro vellet & optaret ſe bona alterius furari poſſe, abſque eo quod legem Dei *Non furaberis* transgrederetur. Similiter homo carnalis ſenſualitatibus ſuis carnalibus ſe oblectari cuperet, ſed diſplicet ei, quod à Deo præceptum ſit : *Non mœchaberis* : At vero blaſphemi ex *propoſito & induſtria ipſum Deum tranſgrediuntur : Alij peccatores appetunt delectationes, honores, vel aliud quidpiam mundi, & vellent, ſi poſſent, his bonis frui ſine Dei offenſa, ſed blaſphemus multo aliter, quia conſulto & præmeditatè contra Deum inſurgit.* Similem conſiderationem diu ante ipſum adduxit S. Bernardinus, dum ait : *Omnia alia peccata videntur procedere partim ex fragilitate & infirmitate humanæ naturæ, partim ex ignorantia, ſed illud peccatum blaſphemiæ procedit ex propria malitia, & quanto eſt major perſona offenſa, tanto major eſt culpa, & plus creſcit malitia culpæ, & ſic blaſphemia continet in ſe majorem malitiam alijs peccatis, & nullum eſt peccatum, quod habeat in ſe tantam iniquitatem, ſicut blaſphemia.* Paulò

Did. Stella in Luc. c. 5.
S. Bern. T. 4. ſer. 33. 2. princip. parte.



Paulo poſt vero ad complementum malitiæ filius ſubjungit : *Alterat omnem virtutem, quia injuriatur Deum, in quo conſiſtit omnis bonitas virtutis.* Idem quoque ſanctus Pater in alio quodam ſermone contra idem peccatum, blaſphemiam contra primæ tabulæ præcepta militare dicit : *Peccatum blaſphemiæ eſt contra præceptum primæ tabulæ, homicidij ſecundæ*, unde blaſphemiam homicidio execrabilius peccatum eſſe colligit. Idem quoque Sanctus hanc culpam ex alio quodam motivo aggravat dicens : *Peccatum tanto majus & gravius eſt, quanto minus motivum habet ; ſi juvenis & ſenex adulterium perpetrant, plus in hoc peccaret ſenex : In cæteris peccatis aliquod eſt motivum ad peccandum inducens, ſicut in ſuperbia excellentia dignitatis, in luxuria delectatio carnis, in gula guſtus, in avaritia pecunia, in blaſphemia autem nullum eſt motivum, quia nulla eſt ibi delectatio ad blaſphemandum inducens.* Magnus ille Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius Gerſon de hac materia tractans ita ſcribit : *Peccatum blaſphemiæ ex ſe pejus eſt atque horribilius, quam furari alteri, aut comedere carnes die Veneris, vel in Quadrageſima.*

S. Bern. t. 1. ſerm. 41. A. 1. c. 3.
Gerſon. c. 4. Conſid. 2.

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Blaſphemia in multis Scripturæ locis præ horrore non nominatur expreſſe, ſed circumſcribitur ; Oſtenditur etiam quod animalia bruta plus Deum venerentur, quam homines, licet Deus hominum in lege Evangelica præcipuè, Pater & Benefactor ſit.

### THEMA.

*Eſt & alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Jacob*, Eccli. c. 23. v. 15.

1. Eccleſiaſticus de blaſphemia tractans eamdem expreſſe non nominat, ſed circumlocutione adhibita deſcribit tantum, cujus ratio eſt, quia linguam humanam peſſimo hoc vocabulo contaminari nequaquam convenit : *Nec nominetur in vobis.* Huncque ſtylum Spiritus ſanctus in ſacra Scriptura varijs in occaſionibus obſervavit, quando de hoc vitio differendum erat. Hugo Cardinalis ait : *Hic prohibet author blaſphemias, improperia, quæ ſunt loquelæ impiorum, loquela dæmonium eſt lingua blaſphemiæ* ; Et ideo non meretur nominari ; quia *horrent aures.*

Ephſ. 5. v. 3.
Hug. Card. ibid.

2. Impia illa & ſacrilega Jezabel, quæ Baal loco Dei ſui adorabat, quantumvis impia & petulans fuerit, Naboth tamen Deo maledixiſſe aut injuria eum affeciſſe affirmare non audebat : *Benedixit Deum & Regem* ; ubi S. Ambroſius ait : *Ne divitem maledicti nomen offendat, & ſermonis ipſe læditur ſono benedictam pro maledicto locatur.* Dionyſius Carthuſianus ait : *Tam enorme crimen eſt maledicere Deo, ut Scriptura in alijs locis horreat illud exprimere, atque ob id per bonum contrarium illi deſignet, ut in Job : Niſi in faciem benedixerit tibi.* Videtur ſpiritus ſanctus quodammodo metuere, ne delictum hoc nominarim & apertè exprimendo divinum calamum ſcribæ velociter ſcribentis commaculet ; Cæterum textus ille Job in catena Græcorum Patrum hoc modo exponitur : *Niſi in faciem benedixerit tibi, id eſt, ſi non te maledictis palam tunc inceſſat, & audacia contra te elatus linguam exacuerit.* Olympiodorus dicit : *Scriptura pro blaſphemabit, honeſto uſa vocabulo, dixit : Benedicet* ; adfertque jam allatum Naboth exemplum. Dydimus ait : Dicit benedicet, *ne vocem aſperiorem proferret* ; Macula enim qua blaſphemia (etiamſi cor ad illam evomendam non concurrat) labia blaſphemi coinquinat, & velut peſtis quædam inficit, adeo eſt abominabilis, ut nec dæmon illam uſurpare præſumat, id quod Gloſſa perſpicuis verbis declarat, dum ait : *Qui maledicunt, etſi non ex corde, non ex voto vel animo iniquo, immunditiam tamen labiorum (ſecundùm Iſaiæ verbum) & iniquinamenta oris incurrunt.* D. Chryſoſtomus quoque de Job loquens dicit : *Benedixerit, id eſt, maledixerit, etenim ſcriptura benedictis maledicta velavit.* Uxor denique Jobi maritum ſuum ad blaſphemandum extimulare volens, blaſphemiæ nomen proprio vocabulo exprimere non præſumpſit, ſed dixit ei : *Benedic Deo, & morere.*

3. Reg. 21. v. 10.
S. Ambr. l. de Naboth cap. 11.
Dion. Carth. in c. 84. Lev.
Job. 1. v. 11.
Cat. Græc. Patr
Olympiodorus.
Dydimus.
Gloſſ. in c. 24. Levit.
D. Chryſ. Hom. 4. de patient. Job.
Job. 2. v. 9.

3. Deus apud Iſaiam cœlum & terram ad ſe attenta aure auſcultandum invitat, dicens : *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt* ; ſed quidnam erat de quo ad ſtellas uſque cœlorum adeo graviter lamentatus fuit ? *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me : Cognovit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui ; Iſraël autem me non cognovit* ; at vero quidnam eſt illud quod Iſraël commiſerat, unde illum ſe non agnoſcere arguere poterat ? quid fecit ? num forte illum offendit quia bonis abutebantur terrenis, quæ Deus illis in tanta abundantia contulerat ? aut vero quia coram falſis numinibus genua curvaverant, vel quia ſacrificijs abolitis, clauſoque templo, divinis ejus cultus poſthabebatur ? Minime gentium, ſed potius audite quas contra populum illum tamquam omnis iniquitatis reum fulminavit comminationes : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, &c. ... blaſphemaverunt ſanctum Iſraël.* Graviter igitur illis improperat, quod animalia bruta majorem communi ipſorum Creatori reverentiam & reſpectum exhibeant, quam ipſi, quia jumenta, canes, imo & ferociſſimæ feræ, quæ in clauſtris ad hoc deputatis à Domino ſuo aluntur, ei qui illas nutrit & ſuſtentat, nequaquam inſultant, quin potius omni ferocitate depoſita erga benefactores manſuetas ſe exhibent, ſolus autem homo Creatorem, Conſervatorem, ſummumque Benefactorem ſuum continuis laceſſere injurijs non ceſſat : *Quodnam vero dari poteſt majus argumentum malitiæ, quam ab eo deficere qui bonus eſt ?* inquit S. Baſilius : *Quæ uſquam gravior exſuperantia malignitatis, quam enim exaſperare, quo nihil melius ?* Paulo poſt vero idem ſanctus Pater homini tot à Deo beneficijs cumulato exiguum quem erga Deum habet reſpectum his verbis improperare pergit, dicens : *Plane intolerabili eſt odio dignus, qui ad id honoris faſtigium evectus eſt, ut conſors fieret cœleſtium bonorum, & ne ſic quidem perſeverat in charitate erga tanti beneficij authorem.* Nobiliſſima eſt illa D. Hieronymi ſententia, qua nobis finem ob quem à Deo conditi ſumus, ob oculos ponit ; Dicit enim : *Ad benedicendum & non ad maledicendum creati ſumus.* Angeli quotidie Deum benedicere, ejus laudes decantare non ceſſant ; *Benedicite Angeli Domini Domino* ; neque omnes aliæ creaturæ inſenſibiles & irrationabiles alteri rei ſtudent, aut ad ad aliud nituntur, quam ut Deum quotidie collaudent : *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

Iſai. 1. v. 2.
Ibid.
Ibid. v. 3.
Iſai. 1. v. 4.
S. Baſil. in c. 1. Iſai.
S. Hier. in Apol. ad Ruffin. l. 2.
Dan. 3. v. 58.
Dan. 3. v. 57.

4. S. Joannes in Apocalypſi omnes creaturas ſupremo cœlorum Monarchæ benedictionum, laudum, & gratiarum tributum ſubmiſiſſime exſolvere vidit : *Et omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, & omnes audivi dicentes : Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum, ... Amen.* Ac proinde quis non miretur, quod ſolus homo ſanguine Agni immaculati redemptus ad illam uſque arrogantiam & impudentiam pertingere poſſit, ut Deum ſuum injurijs onerare eique maledicere auſit ? Certè blaſphemorum nullus umquam Orationem Dominicam ſine verecundia, aut ſalva veritate recitare poterit ; qua enim fronte is dicere poterit : *Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Si ergo Pater ego ſum*, replicare illi Deus merito poterit : *Ubi eſt honor meus* : Sanctiſſimum Dei nomen injurijs laceſſere & blaſphemare utique non eſt ſanctificare illud, ſed idem ſacrilege profanare & conculcare. Enimvero, inquit ſanctus Bernardinus : *Quis magis ingratus eſt Deo de beneficio ſpecialiter ſibi collato præ cæteris creaturis, ſcilicet loquela & lingua, quam blaſphemator nominis Dei ? qui cum dicere debeat cum Propheta : Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo, Dominum ſuo ore fœtido maledicit ? Omnes enim creaturæ, & quælibet ſuo modo, ſolicitè laudant Deum, & benedicunt potentiam, ſapientiam, & clementiam Salvatoris.*

Apocal. 5. v. 13.
Matth. 6. v. 9.
Malach. 1. v. 6.
S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 2. c. 3.
Pſal. 33. v. 2.

5. In Cantico trium puerorum Sol, Luna, Stellæ, cœli, virtutes ſupernæ, pluviæ, roris antelucani guttæ, nives, glacies, grandines, lux ; tenebræ, dies nox, aves, piſces, herbæ, quadrupedia, & omnia alia animalia ad laudes Creatori ſuo perſolvendas invitamur : *Omnes Creaturæ numquam ceſſans à laude Creatoris*, inquit S. Bernardinus, *excepto maledicto blaſphematore.* Hanc ſuam deteſtabilem ingratitudinem amplius blaſphemus aggravat, dum membra Filij Dei, quibuſcum ab inferno redemptus eſt per contemptum formalem & irreverentiam aſpernatur & quaſi pedibus conculcat ; *Ingratus etiam de immenſo beneficio Incarnationis, nam membra illa humanæ infirmitatis quæ pro ſalute noſtra aſſumpſit Dei filius, blaſphemus nominat ad contumeliam quaſi non ſatis afflictus fuerit Chriſtus pro ſua & aliorum ſalute ab impietate Judaica, propterea compleat contumelias ejus.*

[Paulus VVan. ſerm. 68.] 6. Author quidam qui vixit circa Annum 1516. morales quoſdam edidit ſermones à Poſſevino relatos, in quibus in hujus peſſimæ & ad ignem æternum deſtinatæ Zizaniæ deteſtationem varia nobis, eaque efficacia motiva ſubminiſtrat; Dicit enim: Grave utique eſt peccatum, dum homo membro illo, ſcilicet lingua, *Deum inhonorat, qui eum præ cæteris creaturis honoravit, ut ſcilicet mentis conceptum loquendo exprimeret, & ideo frequenter tales malè moriuntur*; nam ubi vulgata noſtra, ut in principio hujus diſcurſus diximus, legit: [Eccli. 23. v. 15.] *Eſt loquela contraria morti*, in Græco legitur: *Circumveſtita morte, tota obvoluta, comprehenſa, & quaſi poſſeſſa à morte*; quæ verba nonnulli expoſitores, inter quos etiam prædictus author exiſtit, ita declarant: *Aliquando ſubito puniuntur, patet de quodam milite, qui dum per oculos Dei juraret, oculus proprius de capite exilijt, & ſuper aleam cecidit.* Paulo poſt in eodem ſermone ſequentes habet conſiderationes: *Patet*, inquit, *quod blaſphemantes Deum pejores ſunt beſtijs, canibus, & alijs, canes enim non mordent dominos ſuos, licet ab eis lædantur, ſed blaſphemus eodem ore, quo Dei beneficium percipit, & bibendo vinum, Deum blaſphemat*; Unde [Pſ. 34. v. 12.] Deus apud Pſalmiſtam lamentatur dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis*, Imò ſubjungit, omnes aliæ creaturæ Deum ſuum laudant: *Aqua in continuo curſu, arbores ſe erigendo & fructum dando, aves cantando, ſol lucendo, ſed blaſphemus eodem membro Deum inhonorat, in quo præ cæteris animalibus Deus eum honoravit*; nam ut Ariſtoteles inquit, & ipſamet docet experientia: *Nullum animal habet naturaliter ſermonem, niſi homo, & hoc ut Deum laudaret, contrarium facit blaſphemus.* Theodoſius Imperator ex ſolo hoc gratitudinis motivo perſuaſus olim fuit, ut in fidei noſtræ beneficium faceret, quod hic ſubjungo. Cum enim ab Occidente in Orientem, Amphilochius ſuppliciter ab eo petijt, ne Arianos in ſubjectis ſibi civitatibus toleraret, qui tamen hanc Epiſcopi petitionem nimis ſeveram eſſe exiſtimans illius executionem aliquousque diſtulit; Epiſcopus vero ad eum permovendum hac uſus eſt occaſione, cum enim ſolitam Imperatori reverentiam exhibiturus eum viſitaret, Arcadium filium ejus jam à Patre ejus deſtinatum Cæſarem ſine ullo honoris ſigno pertranſijt, qua de inurbanitate cum Theodoſius Epiſcopum reprehenderet, his Imperatorem verbis Epiſcopus affatus eſt: [Hiſt. Trip. l. 9. c. 25.] *Sufficit Filio proprius honor*; cumque *hoc reſponſo offenſum Imperatorem adverteret, occaſionem nactus, magno clamore dixit: Vides Imperator, quemadmodum filio tuo contumeliam non pateris irrogari, crede etiam omnium Deum ſic abominari eos; qui ipſius Unigenitum Filium blaſphemare contendunt, & velut ingratos circa Salvatorem & benefactorem habere ſemper odio*: Quæ verba pium Principem permoverunt, ut zelum Epiſcopi admirans edictum promulgarit, quo perfidorum illorum conciliabula ſerio prohibuit.

7. Aliud quoque ad unumquemque ab hoc peccato deterrendum efficaciſſimum motivum in ſancto [S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 3. c. 1.] Bernardino legimus; Dicit enim ſanctus hic Pater; Quòd ſi honor & reverentia erga proprios genitores adeo unicuique homini ab omni lege naturali, poſitiva humana & divina ſub graviſſimis pœnis præcipitur, quanto magis unumquemque urgere debet reverentia erga illum Patrem, *ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Hoc ſcelus eſt in cæleſtem Patrem, & ideo dignum æterna morte.* [Exod. 21. v. 17.] *Qui maledixerit Patri ſuo vel matri, morte moriatur.* Blaſphemi ſunt de peſſima illa progenie, de qua Sapiens ait: [Prov. 30. v. 11.] *Generatio, quæ Patri ſuo maledicit.* [Lyran. in c. 24. Levit.] Lyranus rationem reddens, cur is, qui in deſerto blaſphemaverat, in carcerem conjectus fuerit, ut ab ore Dei juſtum illi crimini expectaretur ſupplicium, dicit, nequaquam quoad ipſum controverſum fuiſſe, an blaſphemus ille mortis reus eſſet, ſiquidem Exod. 21. perſpicuis verbis dicitur: [Exod. 21. v. 17.] *Qui maledixerit Patri, vel matri morte moriatur*: Multo fortius incurritur hæc pœna pro maledictione Dei, qui eſt Pater omnium per creationem. Eccleſiaſticus illum, qui Patrem deſerit infamem eſſe, declarat, dum capite 3. ait: [Eccleſ. 3. v. 18.] *Quam malæ famæ eſt, qui derelinquit Patrem?* In Græco, ut Cornelius à Lapide [Corn. à Lap.] refert, legitur: *Quam execrabilis, ſeu quam infamis eſt*; Editio Romana ex Græco legit: *Tamquam blaſphemus eſt, qui derelinquit Patrem*, adeoque Spiritus in eadem claſſe eum, qui blaſphemat, collocat cum illo, qui Patrem ſuum deſerit. Syriaca legit: *Blaſphemat qui ſpernit Patrem ſuum.* Ac proinde ſi id quoad Patrem naturalem verum eſt, quanto majoris culpæ reatu obnoxius erit, qui Patrem cœleſtem contempſerit. Idem quoque argumentum Malachias Propheta format, dum in perſona Dei ait: [Mal. 1. v. 6.] *Filius honorat patrem, & ſervus Dominum ſuum; ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Verum quidem eſt, quod à parentibus nanciſcamur vitam, bonam inſtructionem, alimenta, & quidquid hic in terris bonorum poſſidemus, ſed quis non videt majoribus nos à Patre noſtro cæleſti affectos eſſe beneficijs, utpote qui non ſolum de nobis, ſed & de parentibus noſtris curam gerit: [Jac. 1. v. 17.] *A quo omne datum optimum, & omne donum perfectum.*

8. Venerabilis Pœmen Abbas quemdam diſcipulorum ſuorum, qui frequentibus à ſpiritu blaſphemiæ pulſabatur tentationibus, docuit, ut tentatus ſemper diceret: *Vellem quidem blaſphemare, ſed non habeo cauſam blaſphemandi Deum.* Quando ille Senecio Polycarpus ſolicitabatur à Tyranno, ut ſi vitæ ſuæ conſulere vellet, Chriſtum blaſphemaret, animoſe reſpondit: Jam octoginta ſex anni elapſi ſunt, quibus Chriſto meo inſervio, nec tamen umquam mali quippiam ab illo recepi, imo multis ijsque præclaris bonis de manu ipſius auctus ſum, qua igitur ratione illum, prout tu, O Proconſul, à me fieri deſideras blaſphemare, illique maledicere potero, qui tot mihi beneficia præſtitit, qui me creavit, & hactenus adeo benigne conſervavit? qua fronte tam bono Deo & Domino ingratus eſſe potero? Cajetanus circa illam Patrem maledicentibus à Deo intentatam comminationem [Cajet. ibid.] ita ſcribit: *Punitur autem contumelia in parentes morte, quemadmodum & blaſphemia Dei; Et eſt ratio legis: quia nec Deo, nec parentibus poſſumus reddere æquale, conſideravit enim, quod quemadmodum Parentes in hoc conveniunt cum Deo, ita pœna contumeliæ in parentes conveniat cum pœna contumeliæ in Deum.*

9. *Non inveniatur in hæreditate Jacob*, inquit Ec- [Eccli. 23. v. 15.] cleſiaſticus, id eſt, ut Hugo Cardinalis exponit, [Hugo Card. ibid.] *Non inveniatur blaſphemus in Eccleſia militante*, ſiquidem per hanc hæreditatem Eccleſia intelligitur, teſte Gabriele Archangelo, qui Beatiſſimæ Virgini Mariæ, in nomine Conſiſtorij ſupremi Sanctiſſimæ Triados virginei uteri ſui floridiſſimum germen in domo Jacob, id eſt, in Eccleſia militante ſemper regnaturum eſſe promiſit dicens: [Luc. 1. v. 32.] *Regnabit in domo Jacob in æternum*; Voluit igitur Spiritus Sanctus per os Eccleſiaſtici oſtendere, quantum diſconveniat & dedeceat ſi maledicta hæc zizania in medio reperiatur frumenti boni Chriſtianiſmi; unde & ipſe Deus lamentatur dicens: [Pſ. 54. v. 13.] *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.*

10. Divus Chryſoſtomus ad pœnam, parentes ſuos maledicentibus in præallegato Exodi 21. capite impoſitam, ſe reflectens, illam in antiquo teſtamento ſtatutum eſſe dicit: [D. Chryſoſt. T. 1. orat. 2. de fato & provid.] *Quando non abſolutæ Reipublicæ & formæ perfectio, quando Divinitatis inductio fuit, quando puerilia præcepta, quando lac, quando pædagogus, quando lucerna, figura & umbra: Quid igitur dicemus de his, qui nunc in gratia & rerum ipſarum veritate, & tanta in cognitione ſunt non Patri aut matri maledicentibus, ſed ipſi univerſitatis rerum Deo? quo enim ſupplicio excipientur? qualis animadverſio? quis igneus amnis? quis vermis ſempiternus? quæ tenebræ exteriores, quæ vincula, quis ſtridor, quis ploratus ſcelerum magnitudini ſatis eſſe poſſit? omnes cruciatus, qui nunc ſunt, quique futuri ſunt, minores juſto ſunt, animo ita affecto ac eo uſque improbitatis prolapſo.* Non erat in veteri teſtamento hominibus tantum lumen, tantaque Dei notitia, nec tanta divinorum beneficiorum abundantia in genus humanum profuſa erat: At vero poſtquam Deus ad redemptionem noſtram filium ſuum nobis dedit, [Rom. 8. v. 32.] *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Quando in deſerto adverſus illum, qui blaſphemaverat, promulgata fuit condemnatio, dicit Moyſes: [Levit. 24. v. 11.] *Cumque blaſphemaſſet nomen & maledixiſſet ei*; ubi Gloſſa ait: [Gloſſ. ibid.] *Notandum quod non determinat, quod, vel cujus nomen; adhuc enim nomen Chriſti ignotum erat, de quo Gabriël: Et vocabis nomen ejus* [Luc. 1. v. 31.] *Jeſum*; De quo nomine Paulus: [Phil. 2. v. 9.] *Donavit illi nomẽ, quod eſt ſuper omne nomen, Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & inferorum.* [Ibid. v. 10.] Quiſquis hoc nomen vilipendit, non eſt quod ſperet ſalutem, aut in divinæ gratiæ aſſiſtentiam & patrocinium confidat, ſiquidem Deus expreſſe ſe ijs tantum propitium futurum eſſe proteſtatur, qui nomen ejus reverenter agnoſcunt: [Pſ. 90. v. 14.] *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* D. Chryſoſtomus adverſus blaſphemos dicit:



[D. Chryſ. hom. 3. de Lazaro.] *Deus præcepit ut inimicos tuos diligas, tu vero Deum te amantem averſaris? Deus juſſit ut convitijs inſectantibus benignè loquaris, maledicentibus benedicas, tu vero illi benefacienti & tui curam agenti maledicis, cum nulla in re læſus ſis?*

11. Refert B. Petrus Damianus de duobus impijs & ſceleratis viris, quod dum in Comitatu Bononienſi duo eidem menſæ accumbentes genialiter epularentur, unus illorum gallum aſſum menſæ illatum in minutas partes diviſerit, ſingulaſque delicato embammate ſuperinfuderit, quod alter commenſalis videns, dum juxta timoratorum hominum piam conſuetudinem cibum benedicere, actiſque Deo & Sanctis gratijs & laudibus eo frui debuiſſet, ipſe econtra blaſphemando os ſuum in cœlo poſuit, ſiquidem ad convivantem & menſæ conſortem ſe convertens eidem dixit: [B. Petr. Dam. l. 2. Ep. 17.] *Profecto Compater ſic explicuiſti Gallum, ut ipſe ſanctus Petrus, etiamſi velit, redintegrare non poſſit*, Quod alter audiens cum applauſu, ut blaſphemiam blaſphemiæ reponeret, ſubjunxit: *Plane non modo Beatus Petrus, ſed & ſi ipſe Chriſtus imperet, gallus hic perpetuo non reſurget; Ad hanc vocem repente & gallus vivus & plumis undique coopertus exſilait, alas percuſſit, & cecinit, plumas concuſſit, totumque liquamen ſuper eos, qui conveſcebantur, aſperſit, illico ſacrilegium blaſphemiæ, temeritatis digna pœna ſequitur ultionis, nam & in aſperſione piperis, lepra percuſſi ſunt, quam videlicet plagam non modo ipſi uſque ad obitum pertulerant ſed & poſteris ſuis in omnes generationes, velut quoddam hæreditarium reliquerunt, unde factum eſt, ut in famulatum ſubacti ſint ſanctæ Bononienſis Eccleſiæ, quæ videlicet Beati Petri Apoſtoli eſt inſignita vocabulo, quorum progenies, ut Relator aſſerait, huc uſque leproſa, hoc illationis canone cenſita eſt, ut ex operibus manuum ſuarum inferant Eccleſiæ capiſteria; ſic, ſic nimirum duplici pœna lepræ ſimul & ſervitutis addicti ſupplicijs, inſtruant alios, ut jam temere de divina potentia non loquantur, & gallus qui dudum arguerat Petrum in terra negantem, tunc probavit Petrum cum eo, quem negaverat, in cælo regnantem.*

12. Gloſſa in cap. Levici ita ſcribit: [Gloſſ. in c. 23. Levit.] *Eſt lepra, quæ omnino mundari non poteſt, & ideo extra caſtra pellenda, hoc eſt, crimen blaſphemiæ, quod in Spiritum Sanctum committitur, de quo dicitur: Qui peccat in Spiritum Sanctum, non remittetur ei.* [Matth. 12. v. 32. & 33.] S. Ephrem hominis in Deum benefactorum ſuum maledici, & contumelioſi ingratitudinem deteſtatur dicens: [S. Ephr. Paræn. 43.] *Quouſque tandem exacerbamus eum, qui tanta nobis bona donavit? Qui pulverem è terra capiens formavit hominem, & ſpiravit in eum ſpiritum vitæ? qui cuncta ſubjecit ſub pedibus ſuis, & nos dormientes cuſtodit, & excitatos protegit; & eſurientes nutrit, & nudos veſtit, puſillanimes conſolatur, corripit & miſeretur, qui etiam filium ſuum unigenitum pro omnium vita tradidit.*

## DISCURSUS V.

### ARGUMENTUM.

Deus ſe blaſphemis implacabilem exhibet, nec ullus pro illis mediator aut interceſſor exiſtit, & ideo ut plurimum impœnitentes moriuntur, ſuæque reprobationis ſignum in ſeipſis manifeſtum deferunt. Nonnulla etiam adducuntur eorum exempla, qui pro blaſphemis intercedere aut ſe interponere noluerint.

### THEMA.

*Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur.* Matth. 12. verſ. 31.

1. Blaſphemiam peccatum irremiſſibile eſſe, ipſamet prima & æterna veritas, quæ nec mentiri, nec fallere poteſt, in Evangelio ad perpetuam rei memoriam ore ſuo proprio pronuntiavit, quod tamen ita intelligendum eſt, quod videlicet non niſi ſumma cum difficultate remittatur; Hoc enim ſenſu Richardus de S. Victore de hac materia ſcribens hunc locum de blaſphemia & injuria Deo illata exponit.

2. S. Joannes in Apocalypſi ſe ab Angelo quodam [Apoc. 17. v. 1.] his verbis invitatum eſſe ſcribit. *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*, moxque ſe in ſpiritu in deſertum quoddam raptum fuiſſe dicit, in quo ſequens [Ibid. v. 3.] hoc funeſtum ſpectaculum ei exhibitum fuit: *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam; plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* Circa quæ verba Bernardinus ait: [S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 1. c. 5.] *Qui ex conſuetudine mala & habitu impietatis blaſphemat, blaſphematoris ſortitur nomen, qui merito deſignatur per coccineam beſtiam, de qua Apocal. 7. ſcriptum eſt: Vidi mulierem ſedentem &c.* In qua ſententia ſpecialiter notanda ſunt verba illa: *Qui ex conſuetudine mala*, his enim innuitur, non eſſe adeo culpabilem illum, qui ex inadvertentia, inconſiderate, & præter expreſſam voluntatem, ac raro in hoc peccatum prorumpit. Unde & Gloſſa ſuper c. 24. Levitici verba: [Levit. 24. v. 15.] *Homo qui maledixerit Deo, peccatum accipiet*, dicit: [Gloſſ. in c. 24. Levit.] *Blaſphemia quæ ſciemer committetur, maxima pœna vindicabitur; unde qui peccaverit in Spiritum, non dimittetur ei, id eſt, qui in ſcientia blaſphemaverit, quæ eſt donum Spiritus ſancti.*

3. Idem S. Joannes in eadem Apocalypſi cap. 13. aliam quamdam viſionem prædictæ perſimilem habuit: Dicit enim: [Apoc. 13. v. 1.] *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ*; Et paulo poſt idem Joannes beſtiam illam numquam os ſuum aperuiſſe dicit, niſi pariter blaſphemaret: [Ibid. v. 5.] *Et datum eſt ei os loquens blaſphemias, ... & aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum,* [Ibid. v. 6.] *blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant.* Hæc autem beſtia impios quoſdam repræſentat, qui beſtialem vitam agunt, qui ſunt feroces, truculenti, ſanguinarij & inhumani, ac proinde beſtiæ nomine jure appellari merentur; hi vix umquam os ſuum, niſi cum Divini nominis irreverentia & contumelia aperiunt. Talis Beſtia Goliath fuit, qui horrendas adverſus Deum Iſraël blaſphemias evomuit, de quo proinde David vir ille illuminatus & ſecundùm cor Dei ait: [1. Reg. 17. v. 36.] *Nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus, erit igitur Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis*; merito autem blaſphemum hunc Goliath inter beſtias reponit, quia ut Theodoretus ait: [Theodoret. Q. 40.] *Nihil differt à beſtia, qui vivit in impietate.* Tales quoque beſtiæ hiſcè noſtris temporibus ſunt multi milites, qui vix umquam os ſuum aperiunt, quin pariter in horrendas contra Deum & Sanctos contumelias & blaſphemias prorumpant. Septem autem capita blaſphemijs plena, ſeptem denotant vitia capitalia, quæ peccatum iſtud communiter conſequuntur; Notanter vero dicit Apoſtolus in ſequentibus, quod nomina omnium illorum, qui beſtiam hanc adorabant, in libro vitæ nequaquàm deſcripta fuerint: [Apocal. 13. v. 8.] *Et adoraverunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi*; tales enim redemptionis & pretioſi ſanguinis ab Agno divino effuſi nequaquam efficiuntur efficaciter participes; unde blaſphemia magnum & evidens eſt reprobationis ſignum in homine Chriſtiano; Is enim qui claves cœli ſibi conſignatas in manibus defert, ex cathedra loquens, ita definit: [Act. Ap. 4. v. 12.] *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*; blaſphemi autem ſanctum hoc Dei nomen aſpernantur & conculcant, nec nomen hoc ſaluti eorum profuturum eſſe credunt; Et quia ſacratiſſimum corpus & ſanguinem Salvatoris, à quibus vitam recipere poſſent, tot contumelijs & injurijs afficiunt, medicinamque animæ in venenum convertunt, ideo ut plurimum teſte quotidiana experientia, velut corporis & ſanguinis Chriſti communione indigni, ſine hoc ſacramento percepto moriuntur, vel quia ſacrum viaticum tardius adfertur, vel quia Deus permittit, ut nullus inveniatur Sacerdos, qui illud miniſtret, ſicque in ipſis infeliciter morientibus Divina illa comminatio adimpletur: [Prov. 1. v. 26.] *Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* Unde Hugo Cardinalis ſuper illa verba Apoſtolo 2. ad Timotheum cap. 3. v. 2. [2. Tim. 3. v. 2.] *Elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes &c.* inquit: [Hugo Card. ibid.] *à ſuperbia blaſphemia, à blaſphemia deſperatio.*

4. Eliphaz Jobum in deſperationis barathrum corruiſſe, adeoque Dei inimicum eſſe credebat, eo quod obliquo licet judicio ipſum contra Deum blaſphemaſſe, exiſtimabat: [Job. 15. v. 5.] *Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium, condemnabit te os tuum*, [Ibid. v. 6.] quibus ex verbis liquet ipſum hujuſmodi penes ſe formaſſe diſcurſum: Deus neminem ſuorum derelinquere ſolet, hic autem à Deo derelictus eſſe cernitur; Credere igitur oportet ipſum blaſphemaſſe; hacque Deo irrogata injuria, ejuſdem Dei ſuper ſe provocaſſe indignationem; unde dixit Jobo: [Bolduc. in Job.] *Voca ergo, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*, quaſi diceret: Ex quo Deum & Sanctos [Job. 5. v. 1.]

ctos blaſphemando offendiſti, cura ut invenias ex Sanctis aliquem, qui pro te apud Deum interceſſor exiſtat. Imo hac de Jobo præſumpta blaſphemia ſuppoſita, ipſum quoque quorumlibet aliorum ſcelerum reum eſſe credebat. Unde Interpres quidam verba illa: *Imitaris linguam blaſphemantium*, ita explicat: *Exponit his verbis, quid ſpecialiter ſub generali iniquitatis nomine dicere intenderit, quia nomine iniquitatis ex vi vocis originalis, ſignificatur maxima animi perverſitas.*

*Iob. 15. v. 5.*

5. Sanctus Bonaventura verba illa Heli Sacerdotis ad filios ſuos: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: Si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo.* Optimè ad propoſitum noſtrum adaptat; Quod ſi enim quis criminis læſæ majeſtatis *in primo capite* reus factus fuerit, eo quod directe in vitam ipſiuſmet Principis iniqua fuerit conſilia machinatus, quis ſe pro reo interponere audebit. Venerabilis Beda de blaſphemis ita ſcribit: *De his dictum videri poteſt: Qui pœnitentiam negant de maximis noxis non pœnitendo, de quibus dicitur: Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: Secundùm hoc ergo Domini dictum ſunt delicta, quæ illic donanda ſint, ubi & indelebile peccatum blaſphemiæ ſpiritus nominatur; non enim diceret Deus; Hoc peccatum non remittetur, ſi aliqua peccata non remitterentur illic.*

*1. Reg. 2. v. 25. S. Bonav. T. 7. in Bibl. paup. c. 21. V. Beda l. 1. in Job. Prov. 18. v. 3. Matth. 12. v. 32.*

6. Advertendum quoque eſt pro præſenti propoſito, quod tametſi Spiritus Sanctus in primi libri Sapientiæ lineis dicat: *Sentite de Domino in bonitate:* imò paulo poſt ſubjungit: *Benignus eſt enim Spiritus ſapientiæ*, nihilominus hac bonitate, benignitate & miſericordia Dei non obſtante, pergit idem Spiritus Sanctus dicere: *Et non liberabit maledicum à labijs ſuis*, at vero dicat aliquis, numquid idem Spiritus Sanctus dicit: *Dives in omnes, qui invocant illum*? Cui reſpondeo, verum quidem id eſſe, verumtamen notandum eſt, quod ſolum dicat: *Dives in omnes, qui invocant illum*, non vero qui blaſphemant; Imo pergit idem Apoſtolus dicere: *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Pſalmiſta pariter dicit quidem: *Quam bonus Iſraël Deus*? ſed protinus ſubjungit: *His qui recto corde ſunt*, non vero malignis qui ſanctiſſimo Dei nomini maledicunt. Lyranus verba illa: *Non liberabit maledicum à labijs ſuis*, ita exponit; *id eſt, à blaſphemijs labiorum motu perpetratis*; In Græco loco *Ly*: *Maledicum*, legitur: *Blaſphemum*; Syriaco legit: *Non juſtificat populum blaſphemantem.*

*Sap. 1. v. 1. & 6. Ibid. v. 6. Rom. 10. v. 12. Rom. 10. v. 13. Pſ. 72. v. 1. Ibid. Sap. 1. v. 6. Lyr. in Sap.*

7. Oculum quæſo veſtrum in Antiochum dirigentes, eumdem pro illo tempore conſiderate, quo conpunctus & contritus, ut videbatur, ad templum ſanctum Jeroſolymitanum ſe convertens ferventiſſima Deum oratione interpellabat; Dicit enim ſacer textus: *Quod promiſerit ſe Templum ſanctum, quod prius exſpoliaverat, optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de redditibus ſuis præſtaturum, ſuper hæc & Judæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulaturum & prædicaturum Dei poteſtatem*; Hæc, inquam, erant promiſſa, quæ verbo Regio coram Deo ſtipulabatur, & tamen dicit Spiritus Sanctus: *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*; cujus ratio eſt, quia tametſi Deus pro alijs peccatis facile placetur, tamen quoad blaſphemiæ peccatum implacabilem ſe & inexorabilem oſtendit. Refert autem Joſeph Hebræus, quod dum exercitum ſuum contra Jeroſolymam ordinaret & diſponeret, elato corde dixerit: *Quis poterit ſtare contra faciem meam? nonne mare & arida in poteſtate mea ſunt, ut pro arbitrio meo commutem creaturas eorum? vertam mare in terram, & terram in mare*; at vero quid tandem ei evenit? Dum currus, cui inſidebat, ante Elephantem quemdam tranſiret, hic elatæ vocis ſuæ ſtridore, equos ejus terrore perculſos in fugam convertit, qua in fuga à curru everſo corruens Antiochus gravi obeſi corporis colliſione in membris convulſus fuit, *ita ut* ex plagis acceptis *de corpore impij vermes ſcaturirent*, & hoc quidem juſto Dei judicio ei accidit; merebatur enim ut vilis terræ vermis, qui ſe contra Altiſſimi Majeſtatem armare temere præſumpſerat, ad faſtum illius reprimendum, in condignum ſupplicium vermes carnifices & mortis ſuæ inſtrumenta habere.

*2. Machab. 9. v. 19. & ſeqq. Machab. 9. v. 13. Joſeph. Hebr. l. 3. Jud. c. 12. 2. Machab. 9. v. 9.*

8. Refert quidam Scriptor, quod Alvarado Regio Hiſpaniarum miniſtro, in prælio cum Xaliſcæ populis habito, mortuo, Beatrix de Cuena uxor illius in blaſphemas voces eruperit, dicendo; Nullam in Deo eſſe omnipotentiam; unde ſubitanea quædam tempeſtas oborta è vicino monte diluvio quodam civitatem à marito ipſius ædificatam inundavit, quod prægrandia ſecum à monte divulſa ſaxa rapiens in domum, in qua blaſphemiam illam, in cujus pœnam univerſa civitas ſubverſa remanſit, evomuerit, ingenti cum impetu alliſit, ſoloque tenus eamdem ſubvertit; Quod vero vel maxime ad propoſitum noſtrum facit, eſt, quod præfatus author ſcribat, quod blaſphema hæc mulier imminentem domus ſuæ ruinam videns, *ſaniori exinde mente concepta, precibus malum, quod imminebat, à domo ſua avertere quidem conabatur*, ſed in caſſum, ſiquidem diluvium raptata ſecum ſaxa in domum illidens *eamdem oppreſſit, totamque civitatem momento evertit.*

9. Similiter ut S. Gregorius Turonenſis ſcribit, mox ut certus quidam vir ferox & truculentus ſanctos Chriſti Confeſſores Martinum & Martialem nullum fiſco lucrum attuliſſe blaſpheme edixerat, *ſtatim percuſſus à virtute confeſſorum, ſurdus & mutus effectus amens mortuus eſt; venitque miſer ad Baſilicam S. Martini*, inquit author, *celebravit vigilias, dedit munera, ſed eum non reſpexit virtus conſueta.*

*S. Greg. Turon. l. 4. Hiſt. Franc. c. 16.*

10. Refert Theodoretus, quod Præfectus quidam Orientalis Juliani Apoſtatæ juſſu, in Eccleſiam quamdam, ut eam vaſis ſacris ſpoliaret ingreſſus, ſuam ante altare majus ejuſdem Eccleſiæ urinam emiſerit, quam Sacerdos videns acriterque reprehendens inſignem ab eo colaphum retulit, juſſiſque eſt tacere eo quod jam deſolata omnino eſſet Chriſtiana religio & maledicta; vix blaſphemiam hanc compleverat, cum ecce à morbo quodam percuſſus fuit, qui inteſtina illius devorans ex ore ſtercora exonerabat. Porro uxor ejus, quæ Chriſtiana erat, omnem movit lapidem, ut eum ad culpæ ſuæ perduceret agnitionem, Antiochi exemplum ob oculos ei conjiciens, at parum profecit, ſiquidem tametſi conjugis ſuæ hortamentis locum dare conaretur, attamen Deus, *qui ſcrutatur renes & corda*, conatum hunc à mortis formidine potius, quam ex vera pœnitentia & ſyncero vitam ſuam emendandi propoſito derivari cognoſcens, ipſum nequaquam exaudivit: Sed infeliciter mori fecit.

*Theod. l. 3. Hiſt. Eccl. c. 10. n. 12.*

11. Dicit Scriptura: *Homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Sed quodnam in eo latet myſterium, quod Scriptura blaſphemum peccatum ſuum portaturum eſſe dicat? nimirum eo loquendi modo vult inſinuare, quod illud ad ſepulturum uſque abſque ulla ſpe emendationis ſit continuaturus, & impœnitens moriturus. Porro S. Bernardinus ex Hugone de S. Victore rationem aſſignat, cur peccatum hoc non æque facilem, ſicut alia peccata remiſſionem & veniam obtineat; quia dictus Venerab. Hugo *de hoc peccato loquens ait: Eo quod hoc malum nihil in ſe habet excuſationis, non meretur habere executionem remiſſionis.* Ubi notanda eſt dictio illa *executionem remiſſionis*, quia tametſi Deus nonnumquam ad placandum, concedendamque ei commiſſarum in ſe culparum remiſſionem promptus eſſet, juſto tamen judicio ſuo permittit, ne blaſphemus prompta hac ejus voluntate utatur, qui potius ad recidivam ſubito redeat; Idem ſanctus Prædicator in alio ejuſdem ſermonis articulo textum quemdam Sanct. Joannis adducit dicens: *Spiritus blaſphemiæ non remittitur, id eſt, vix remittitur, ideo vocatur peccatum ad mortem. Unde 1. Joan. 5. dicitur: Eſt peccatum ad mortem, non dico, ut pro eo quis roget, id eſt, quilibet, quia neceſſe eſt, ut magni meriti ſit, qui hujus ſceleris remiſſionem impetrare valet, cujus ratio eſt, quia tanta cæcitate obtenebratur mens talis, maxime judicio Dei, in puncto mortis, quod peccatum ſuum nullo modo cognoſcere poteſt, unde pervenire ad veram pœnitentiam poſſit*, juxta illud Levitici cap 20. *Qui maledixerit Patri, id eſt, Chriſto & Deo, vel matri, id eſt, virgini, vel Eccleſiæ triumphanti, extinguetur lumen ejus in medijs tenebris, id eſt, in puncto mortis.* In alio quoque ſermone qui eſt in Tom. 4. ſermo 33. idem Sanctus textum illum S. Matthæi: *Non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro*, ponderans ait: *Quia propter ejus ingratitudinem in puncto mortis non recordatur pœnitendi ſe, & iſto modo remanet damnatus, quia eſt extra gratiam Dei, & eſt peccatum in Spiritu Sancto.*

*Levit. 24. v. 15. S. Bern. Tr. 3. c. 3. ibid. S. Bern. T. 4. ſerm. 33. 2. p. princip. Matth. 12. v. 31. 1. Joan. 5. v. 16. Levit. 20. v. 9. Matth. 13. v. 32. S. Bern. T. 4. ſerm. 33.*

12. S. Joannes Climacus à ſcala & gradibus, quibus in cœleſtem Paradiſum conſcenditur, blaſphemos excludit, ſequenti dictus ratione: *Quia ſæpenumero non paucis uſu venit, ut in ultimam deſperationem omni ſalutis ſpe ſublata inciderent, non ſecus enim ac teredo lignum, ita ſpem omnem blaſphemia impia abſumit:*

*S. Joan. Clim. in Scal. Par. gr. 23.*



Albertus Magnus optime obſervat, quod ſanctus Matthæus Chriſtum è domo, in qua injurijs affectus fuerat, ut videre eſt cap. 12. egreſſum fuiſſe in principio ſequentis capitis dicat: *Exiens Jeſus de domo. Exitu ſuo*, ut Albertus Magnus ait, *blaſphemos oſtendens eſſe derelinquendos, juxta illud Num. 16. Recedite à tabernaculis hominum impiorum.* Hi enim non quidem ſufficientibus, ſed efficacibus divinæ gratiæ auxilijs deſtitui merentur, ſiquidem divina liberalitas hæc ijs, qui Deo vel maxime placent, non verò ijs, qui ſanctiſſimum ejus nomen contemnant, conferre conſuevit.

*Matth. 13. v. 1. Alb. Magn. ibid. Num. 16. v. 26.*

13. Obſervaſtiſne umquam, quiſnam primus inter homines blaſphemus fuerit? Certè non alius; quam primus omnium hominum reprobus, qui dixit: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*, quod quidem dicendo licet falſum dixerit, veriſſimum tamen eſt, quod ſi peccatum aliquod daretur inexpiabile & irremiſſibile, id certe aliud futurum non eſſet, quam blaſphemia, utpote quæ character quidam eſt & ſignum infallibile quaſi hominis præſciti. Author imperfecti ad hoc propoſitum ſequentem adfert ſimilitudinem: *Si quis lupum cooperiat pelle ovina, quomodo cognoſcas illum, niſi aut per vocem, aut per actum? Ovis inclinata deorſum balat, lupus in aëra convertit caput ſuum contra cælum, & ſic ululat, qui ergo ſecundùm Deum vocem humilitatis & confeſſionis emittit, ovis eſt, qui vero adverſus veritatem turpiter blaſphemijs ululat contra Deum, lupus eſt, ſicut dicit Propheta de illis: Iniquitatem in excelſo locuti ſunt; poſuerunt in cælum os ſuum.* Sic quoque ex loquela facile dignoſcitur, an quis Germanus, Gallus, Græcus, Hiſpanus vel Italus exiſtat.

*Gen. 4. v. 13. Auth. imp. Hom. 19. Pſal. 72. v. 8. Ibid. v. 9.*

14. In diſcurſu præcedenti verba illa Eccleſiaſtici: *Eſt & alia loquela contraria morti*, de blaſphemia ab Interpretibus exponi diximus; Et quidem non ſine myſterio peccatum iſtud hoc titulo appellatur, quia ex loquendi modo in notitiam hominis blaſphemi devenitur, ſimulque agnoſcitur, quod *ſecundùm præſentem juſtitiam* ſit reprobus, ac proinde blaſphemo dici poteſt: *Nam & loquela tua manifeſtum te facit.* Deus olim eum, qui in deſerto blaſphemaverat, velut mortis reum lapidari præcepit; nec mirum, quia ut Lyranus dicit: *Blaſphemia meretur mortem gehennæ & etiam naturæ, nam blaſphemus in lege præcipitur lapidari.* Magna etenim, ut Didacus Stella obſervat, inter blaſphemiæ crimen & alia peccata eſt differentia: *Blaſphemus contumeliam infert ipſi Deo, cum alij peccatores contumeliam faciant in rebus ſuis.* Magnum diſcrimen eſt inter ſubditum, qui ab obſervantia legis Principis alicujus ſe ſubducit, vel alicui privato homini contumeliam inurit, & alium, qui vel infamando, vel mortaliter lædendo ipſimet Principi manus injicit violentas; ac proinde S. Joannes de hoc delicto dicit: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*, quaſi dicat: Nemo ſe apud Deum pro hoc blaſphemiæ peccato velut mediatorem interponat, quia Deus huic peccato implacabilem ſe exhibet, ac proinde ne quidem ipſa Clementiſſima Virgo Deipara, quæ *refugium eſt peccatorum*, pro hiſce ſacrilegis advocatam ſe exhibere dignatur.

*Eccli. 23. v. 15. Matth. 26. v. 73. Lyran. in c. 24. Levit. Did. Stella in c. 5. Luc. 1. Joan. 5. v. 16.*

15. Ex duobus illis famoſis latronibus, qui eorumdem erant criminum rei, *in eadem damnatione es*, quique Chriſto crucifixo æque vicini in crucibus ſuis hærebant, illique ſanguini, qui in ſalutem & redemptionem peccatorum etiam obſtinatiſſimorum tanta cum aviditate bulliebat, æque proximi erant, unus ex ſanguine illa vitam conſecutus eſt æternam, altero vero nullum illius in ſe effectum ſenſit. Sed quænam fuit hujus in duobus hiſce latronibus diverſitatis ratio? Scio equidem multorum opinionem eſſe, quod quia bonus latro ex illa crucis Chriſti parte crucifixus pendebat, in qua Beatiſſima Virgo, quæ *refugium eſt peccatorum*, ſubſiſtebat, ideo ipſa pro ejus converſione apud filium ſuum interceſſerit; at vero cur eadem ſanctiſſima Virgo, cujus interceſſio adeo eſt liberalis & efficax, ut etiam alteri latroni reprobo pœnitentiæ donum facili negotio impetrare potuiſſet, non pariter illi latroni patrocinata fuit? Ideo id facere omiſit, quia is non merebatur, ut patrocinio ejus frueretur, ſiquidem is una cum alijs filium ejus pariter blaſphemavit: *Unus autem ex his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos*: Alter vero non item, quin potius *reſpondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es; nos quidem juſte, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali geſſit*, atque ideo patrocinium Mariæ jure promeruit, quia tametſi ipſe quoque ante blaſphemaſſet, hoc tamen eo tempore factum eſt, quo lumen & notitiam Dei non habebat: protinus vero ut eum cognovit, blaſphemiam in eum evomere tantopere exhorruit, ut ad conſodalem ſuum aſpere reprehendendum zelo ſe ardentiſſimo obarmarit.

*Luc. 23. v. 40. Luc. 23. v. 39. Ibid. v. 40. ibid. v. 41.*

16. Neque deſunt plura eorum exempla, qui vel ſe pro eximendis blaſphemis à digne promeritis ſupplicijs interponere, aut pro illis intervenire renuerunt, aut allatas ab alijs in illorum favorem interceſſiones non admiſerunt. Et quidem inprimis Rupertus Imperator & Rex Romanorum electus, qui rectam pro ſeipſo conſcientiam, incorruptam vero pro commiſſo ſibi populo zelabat juſtitiam, cum civitates Imperiales in negotijs Reipublicæ viſitaret, civitatem Spirenſem ingreſſus eſt, idque juxta uſum Imperij cum non modico proſcriptorum & à civitate exultantium comitatu, utpote qui ſub ſpe obtinendæ gratiæ per preces intraturi Imperatoris ſe eidem civitatem intranti junxerant. Conſulatu igitur accerſito Rex omnium, qui ſub ſua tutela civitatem intraverant, cauſas demeritorum volebat audire. Tandem vero potiores civitatis & adjacentium partium amici interceſſerunt pro quodam de Spira nato, ut ſecurus deinceps manere poſſet, volente autem religioſo Principe omnino exilij ipſius cauſam ſcire, dictum eſt, quod in ludo quodam blaſphemaſſet Deum non ſemel, ſed ſæpe. Tunc Rex vero divini honoris motus ſubintulit; *Rogamina fundenda pro omnibus alijs iſto dempto: Alij enim in homines peccaverunt, atque ideo ſupplex peto, ut hominibus talibus parcere velitis pro iſto vero, qui Deum blaſphemavit, & in Creatorem ſuum virus ſuæ iræ retorſit nihil intercedo.*

*Annal. Eccleſ. Rayn. Ann. 1401. n. 10.*

17. Anno 1509. accidit Argentinæ quod ſenatus pro tribunali ſedens judicium ferre debuerit quoad duos milites urbis præſidiario quorum unus armis ſuis Gubernatorem ſuum graviter data opera offenderat, alter vero enormes in Deum blaſphemias evomuerat; Et quidem unus illorum multos pro ſe ſuique liberatione habebat advocatos, alter vero neminem habebat, qui in ejus defenſionem os ſuum aperiret: *Pro illo ob ſpectatam fortitudinem Optimi quique intercedebant, pro hoc nulli; Senatus prudens indignum ratus violatorem Dei meliori conditione eſſe, quam calumniatorem hominis, cauſæ cognitione, quibus oportuit, demandata, ubi blaſphemiam horrendam, licet ab ebrio & emotæ mentis homine admiſſam cognovit, plus divinæ majeſtati, quam humanæ gratiæ & interceſſioni tribuendum ratus, ſupplicio capitali, extracta per cervicem lingua, blaſphemum affecit.*

*In Theatro vitæ hum.*

18. Michael de Barro Navarræus Ordinis S. Jacobi nobilis Eques de Rege ſuo optime meritus ſemel tantum *per vitam Dei* publice jurans, triginta & uno diebus in carcerem compactus fuit; Cumque de gravi nimis pœna, qua mulctabatur, apud Regem conquereretur, *Rex filium ſuum ſeipſi in ſocium additurum reſpondit, qui catenarum pondus dimidiatum cum ipſo ferret, ita enim de ſe meritum eſſe, ut libenter ipſum juvare velit, hac vera in re nullam aliam gratificandi rationem diſpicere*; Ac proinde carcerem quidem in gratiam illius nonnihil ornamentis apparari fecit, at vero compedes & catenas ab ipſo tollere renuit.

*Florem de orig. har. l. 5. c. 6.*

19. Cum S. Ludovicus Rex Franciæ (ut in Annalibus Eccleſiaſticis legitur (edicto publico ſanciviſſet, ut cuilibet nomen Dei blaſphemanti ignito ferro in labijs ſtigma inureretur, accidit ut poſtquam civis quidam Pariſinus hujus pœnæ reatum incurriſſet, multi pro illius ab hac pœna emptione intercederent, *quem Rex juſtus abſque miſericordia cauterizari præcepit in labijs ferro candenti in peccati ſui memoriam ſempiternam, & in aliorum exemplum*; Non defuere quidem multi etiam ſecundùm mundum ſapientes viri, qui S. Regem, velut nimis crudelem & rigidum cenſurarent, at vero S. Rex veriſſimum eſſe ſciens, quod ait Chriſtus: *Beati eſtis cum maledixerint vobis ... & dixerint omne malum adverſum vos*, hanc protulit regia majeſtate ſua dignam ſententiam, *videlicet quod deſiderabat potius ſimile cauterium ſibi in labijs eſſe inuſtum, & quoad viveret, talem indecentiam ſuſtineret, dummodo hujuſmodi perniitioſum vitium de regno ſuo penitus tolleretur.* De Philippo pariter Franciæ Rege legimus, quod quotieſcumque aliquos in tabernis vel etiam in bello milites blaſphemias protuliſſe audebat, illos protinus ſubmergi juſſerit, hancque legem in Regno ſuo perpetuo & inviolabiliter obſervari voluit, *Et de hoc edictum poſteris firmiter tenendum reliquit ante mortem.*

*Ann. Eccl. Rayn. 1267. n. 63. Matth. 5. v. 11. Vinc. in Spec. Hiſt.*

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

Blaſphemia modicæ in Deum fidei judicium eſt, utpote quæ fidei opponitur; ac proinde Concilia & ſummi Pontifices atroces contra illam pœnas ſtatuerunt, Divinaque juſtitia per miraculosè illis immiſſa ſupplicia acriter in eos animadvertit.

### THEMA.

*Dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum*, Iſai. cap. 1. verſ. 4.

1. VAlde conſiderabilis eſt illa Dei lamentatio, in qua poſtquam ſe ab hominibus blaſphemijs oneratum fuiſſe conqueſtus eſſet, mox quoque illos ſibi dorſum obvertentes à divino ejus cultu abalienatos & ad idololatriam converſos eſſe lamentatur; id quod Jeremias clarius his verbis expreſſit: *Dicentes ligno: Pater meus tu es, & lapidi: tu me genuiſti, verterunt ad me tergum.* In Eſdra pariter dicitur: *Et quidem cum feciſſent ſibi vitulum conflatilem, & dixiſſent: Iſte eſt Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto, feceruntque blaſphemias magnas*; Ex quo apoſtaſiam à vero Deo hæreſin, & infidelitatem blaſphemiæ filias & fœtus eſſe deducitur. Sanctus Apoſtolus ſe quidem blaſphemum fuiſſe fatetur, ſed pro eo tempore, quo Eccleſiæ & Evangelij hoſtis & perſecutor erat; unde ad Timotheum ſcribens dicit: *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* In fine autem illius capitis Timotheo dilectiſſimo diſcipulo ſuo dicit: *Habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Ubi notandum, quod primo quoad impios illos præmittat naufragium fidei, & omnimodam conſcientiæ proſcriptionem, poſtea vero illos blaſphemaſſe dicat, quia is, qui aliquem blaſphemias evomentem audit, nequaquam temerarium facit judicium, ſi eumdem pariter apoſtatam & fidei rebellem factum eſſe æſtimet.

*Jerem. 2. 27. — 2. Eſdræ 9. v. 18. — 1. Tim. 1. v. 13. — 1. Tim. 1. v. 19. — Ibid. v. 20.*

2. S. Thomas in ſumma ſua quærit: *Utrum peccatum blaſphemiæ ſit maximum peccatum?* citatque textum illum Iſaiæ cap. 18. *Ad populum terribilem &c.* Ubi Gloſſa ait: *Omne peccatum blaſphemiæ comparatum levius eſt*, cujus rationem reddit Doctor Angelicus dicens: *Dicendum quod ſicut blaſphemia opponitur confeſſioni fidei, & ideo habet in ſe gravitatem infidelitatis, & aggravatur peccatum, ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis, & adhuc magis, ſi prorumpat in verba.* Sanctus Bernardinus in ſermone quodam blaſphemiæ enormitatem deteſtans, ob eamdem rationem eamdem omnibus alijs peccatis graviorem & deteriorem eſſe cenſet, quia ſcilicet ad infidelitatem accedit, illiuſque malitiam participat: *Gravitas iſtius peccati eſt digniſſima punitio, quia omnia alia peccata videntur minoris ponderis, quam blaſphemia, quia in ſe continet infidelitatem, & infidelitas continet in ſe omne peccatum.*

*S. Thom. 2. 2. Q. 13. Art. 3. — Iſa. 18. v. 2. — S. Bern. T. 4. ſerm. 33. 2. p. princip.*

3. Primum peccatum blaſphemiæ quod umquam poſt bis millenos, quadringentos & amplius annos in mundo auditum fuit, tempore Moyſis in deſerto conmiſſum fuit: nuſquam enim ſacra Scriptura abominabilis illius peccati meminit, niſi tunc, ac proinde illud ipſum cum omnibus ſuis circumſtantijs recenſet: *Ecce autem egreſſus filius mulieris Iſraëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio; &c.* Ubi Rabanus ait: *Iſte qui licet matre Iſraëlitide, Ægyptio tamen progenitus eſt patre, exijt, & nominans nomen maledixit; de quo ego puto, quod niſi exijſſet, non litigaſſet adverſus verum Iſraëlitam, nec nominans maledixiſſet; Exijt enim à veritate, exijt à timore Dei, à fide, à charitate, quomodo ſi per hæc quis exeat de caſtris Eccleſiæ.* Enimverò non ſine myſterio homo ille ex matre muliere Iſraëlitide, ex patre vero Ægyptio progenitus eſſe dicitur, quia tametſi multi veræ Eccleſiæ filij exiſtant, per blaſphemiam tamen ſe ex Ægypto procedere probant, utpote ubi Deus non cognoſcitur, ſed contemnitur.

*Levit. 24. v. 10. — Raban. l. 6. in Levit. c. 4.*

4. Neque etiam myſterio vacat illa in ſacrilego blaſphematore lapidando & caſtigando à Deo ordinata cæremonia: *Et ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus*; ubi idem Rabanus ait: *Oſtendentis per caput, quia caput viri Chriſtus, caput Chriſti Deus eſt, quia qui filiū blaſphemat, & Patrem in illo blaſphemavit.* Sanctus Judas Apoſtolus in Epiſtola, quam adverſus nonnullos hæreticos conſcripſit, dicit: *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judicio) impij, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes*; paulò poſt vero eos, qui Deum abnegarunt, & in infidelitatem prolapſi fuerant hæreſeos quoque infami ſtigmate ſignatos fuiſſe dicit, ſubdit vero; *Dominationem autem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant*, & paulo poſt: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant*; Unde omnes illos, qui adeo faciliter & temerè in blaſphemias prorumpunt, lumen & notitiam Dei pariter amittere colligitur, quia certum eſt, quod unuſquiſque juxta proportionem luminis & notitiæ, quam habet de Deo, plus quoque minuſve Deum veneretur & honoret: Unde Angeli, qui minus lumen habent, quam dominationes, Deum laudare dicuntur: *Quem laudant Angeli*; Dominationes vero adorant, denique poteſtates, quæ Deo præ cæteris omnibus Angelis viciniores ſunt, contremiſcunt, *tremunt poteſtates*; unde clariſſimum argumentum, unde quis aliquem à Dei notitia remotiſſimum eſſe colligere poteſt, eſt ſi illum Deum contemnere & vilipendere videat; quales S. Judas *velut irrationabilia pecora* eſſe dicit. Sanctus Thomas de ejuſmodi impijs dicit: *Ex his patet, quod hæretici damnabuntur, qui carnem maculant per luxuriam, dominationem ſpernunt per ſuperbiam, majeſtatem blaſphemant per doctrinam erroneam.*

*Levit. 24. v. 14. — Raban. ib. — 1. Cor. 11. 3. — Jude v. 4. — Jude v. 8. — Ibid. v. 10. — S. Thom. ib.*

4. Similiter Sanctus Ephrem calamum ſuum adverſus blaſphemos ſtringens & acuens, poſtquam dixiſſet: *In Deum univerſorum apoſtaſiam is prædicat, qui blaſphemijs effertur, & fundamentum verbi fidei emovet*, paulo poſt in eadem materia ſubjungit: *Ubi Angeli, fortitudine & virtute cum ſint majores, non portant adverſus ſe execrabile judicium, hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem injuſtitiæ.* Origenes pariter blaſphemos communiter à fide deviare & Eccleſiæ rebelles fieri dicit. Unde verba illa Pſalmiſtæ: *Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam*, cum illis Matthæi verbis: *Prætereuntes autem blaſphemabant eum*, ingenuoſe combinans dicit: *Nemo ſtans Jeſum blaſphemat, neque recte incedens: Tranſeuntes blaſphemabant eum; & ſicut in græco habetur: Prætereuntes qui etiam macerie vineæ diſſoluta à Deo, vindemiant eos, qui remanſerunt; ſcriptum eſt enim: Ut quid poſuiſti maceriem ejus? & vindemiant eam omnes, qui prætereunt viam; quamdiu ergo quis non præterivit viam, neque declinavit à via, ſtans dicere poteſt Deo: Statuiſti ſupra petram pedes meos, & non blaſphemant Jeſum: Si autem ceciderit, aut præteriverit, vel tranſierit, vel declinaverit, tunc eum blaſphemat.*

*S. Ephrem T. 4. Paran. 43. — Origen. T. 35. in Matth. — Pſ. 79. v. 13. — Matth. 27. v. 39. — Pſ. 39. v. 3.*

5. Et quidem hæc eſt ratio, cur tam Concilia, quam Summi Pontifices, ad evellendam ex agro Eccleſiæ maledictam hanc zizaniam, fidemque & cultum divinum perpetim conſervandum & ſuſtentandum, tam atroces pœnas & ſupplicia contra blaſphemos quovis tempore tanta cum ſolicitudine decreverint. In Concilio Lateranenſi hæc verba leguntur: *Ad abolendam execrabilem blaſphemiam, quæ in maximum Divini Numinis & Sanctorum contemptum ſupra modum invaluit, ſtatuimus, ut quicumque Deo palam, ſeu publicè maledixerit, contumelioſiſque atque obſcœnis verbis Dominum Jeſum Chriſtum, vel Virginem Mariam expreſſè, blaſphemaverit, &c.* tandem vero hanc illis pœnam ſtatuit, ut ſi blaſphemator publicum adminiſtret officium, ejus emolumentis per integrum trimeſtre deſtituatur, quam quidem pœnam ſolum pro ijs, qui prima vel ſecunda vice blaſphemaverint, decernit: at vero ſi idem crimen tertia quoque vice committere præſumpſerit, *ipſo facto* à tali officio depoſitus eſſe declaratur. Si vero Clericus vel Sacerdos de hoc crimine convictus fuerit, fructus minus anni omnium beneficiorum ſuorum pendere jubetur, idque pro prima vice; Si vero ſecunda vice eodem ſe crimine commacularit; ſi unicum ſolummodo beneficiū poſſederit, illo privetur: ſi verò plura beneficia habuerit, ab Epiſcopo ad unum illorum pro libitu deſerendum adſtringatur: Si tertia vice recidivus fiat, *ipſo facto* omnibus beneficijs privetur, atque ad alia deinceps obtinenda inhabilis declaretur, adeo ut eadem ab alijs impetrare & poſſideri valeant: Quod ſi vero blaſphemator ſæcularis fuerit, tunc ſi fuerit nobilis pro prima vice viginti quinque ducatorum mulcta afficiatur, ſecunda

*Concil. Later. ſub Leon. X. ſeſſ. 9.*



autem vice quinquaginta pendere cogetur, tertia autem vice omni nobilitatis honore privandus eſſe decernitur: ſi autem blaſphemus plebejus fuerit, carceri mancipetur: Idemque ſi deinceps duabus vicibus blaſphemaſſe convictus fuerit, impoſita in ejus capite infami mitra tota die per civitatem circumducatur, ac tandem velut ſpectaculum publicum ante Eccleſiæ majoris fores in conſpectu omnium exponatur: *Si vero pluries in hoc ipſum peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel triremes damnetur, ad judicis deputatis arbitrium.*

6. Julius III. Tom. 1. Bullarij in Bulla 23. quæ incipit: *Noviſſimo*, dicit: *Nihil eſt quod animum noſtrum magis exulceret, & confodiat, quam horribilis atque impia, & Chriſtianis auribus intolerabilis divini nominis blaſphemia, cum audivimus ſacratiſſimum Dei & Jeſu Chriſti Domini noſtri nomen, quod ſuper omne nomen, cæleſtia venerantur, terreſtria adorant, inferna contremiſcunt (quod ne temere quidem à quopiam propter ejus ſublimitatem ac majeſtatem uſurpandum ſit) paſſim pravorum efferatorumque hominum vocibus ſcindi &c. ut minime mirandum ſit, ſi à Chriſtianis populis, in tantis calamitatibus conſtitutis, divina iracundiæ flagella non amoveantur.* Pœna autem qua divites mulctat, eſt quadraginta ſcutorum aureorum, pauperes vero decem pendere; & ſi in ære id facere nequeant corporaliter puniri jubentur, idque pro prima vice: ſi vero ſecunda vice idem crimen attentare præſumpſerint, pœnam duplicandam eſſe ſtatuit: *Inſuper incurrant infamiam, & inhabilitatem ad beneficia quæcumque ad gradus, dignitates, & honores obtinendos; vilibus convictis perfodiatur lingua*; Neque enim vel in ipſis ſummis Sacerdotibus in condigno puniendo tanto crimine, ulla debet eſſe circa delinquentes compaſſio aut lenitas ulla, ſiquidem de injurijs & contumelijs Deo irrogandis vindicandis & puniendis agitur.

*Bullar. T. 1. noviſſ. Bulla 23. Julij 3.*

7. Sic enim in libris Machabæorum Sacerdotes ſe in templo coram Domino poſuiſſe leguntur ad requirendum à Deo, condignum huius criminis ſupplicium atque vindictam: *Et intraverunt Sacerdotes, & ſteterunt ante faciem altaris & templi, & flentes dixerunt: Tu Domine elegiſti domum iſtam ad invocandum nomen tuum in ea, ut eſſet domus orationis & obſecrationis populo tuo, fac vindictam in homine iſto*; at vero dicat fortaſſe aliquis: Numquid proprium Sacerdotum munus eſt, Deum iratum placare, vel populi emendationem curare, non vero ſupplicia & divinæ juſtitiæ fulmina adverſus quemcumque enormem peccatorum expoſcere? Noluit enim Deus ut in templi ædificatione ullus audiretur ferri ſtrepitus, ad inſinuandum quod Eccleſiaſtici mites & manſueti eſſe debeant; licita quidem illis eſt juſta in oppreſſionibus defenſio, ſed non vindicta; Et tamen hi Sacerdotes dicunt: *Fac vindictam*: Scitiſne cauſam? Negotium illis erat non de vindicandis injurijs proprijs, ſed ijs quæ in Divini cultus ſui & religionis contemptu & profanatione ipſimet Divinæ Majeſtati irrogatæ fuerant, in quo caſu etiam Sacerdotes & Eccleſiaſtici per pœnas & ſupplicia obarmare ſe debent, & enſem ſpiritualem ipſis concreditum ex divini honoris tuendo zelo fortiter ſtringere; Dicunt igitur hi Sacerdotes: *Fac vindictam in homine iſto, & exercitu ejus, & cadant in gladio, memento blaſphemias eorum, & ne dederis eis ut permaneant, ... & ſciant cæteri, quia malè locutus eſt ſuper ſancta tua.*

*1. Machab. 7. v. 36. — Ibid. v. 37. — Ibid. v. 38. — Ibid. v. 38. — Ibid. v. 42.*

8. Memorandum eſt hoc loco præceptum, quod Holofernus pro Ninivitica expeditione ſua à Nabuchodonoſore rege acceperat: *Præceperat enim illi Nabuchodonoſor Rex, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipſe ſolus diceretur Deus*; quæ quidem regia commiſſio quoad falſorum Deorum exterminium convenientiſſima erat, at vero quod ſe veluti Deum adorari præciperet, arrogans nimis temeritas erat; Similiter & Holofernes Achior potentiam veri Dei Iſraël magnificanti dixit: *Ut oſtendam tibi, quoniam non eſt Deus niſi Nabuchodonoſor &c.* At vero Divina juſtitia ad ſuperbum & temerarium hunc blaſphematorem puniendum, ſe non jam acceptis è cœli armamentario fulminibus obarmavit, ſed manum fœmineam, ſoli fuſo tractando aſſuetam adhibuit, quæ proinde generoſa mulier ſancto quodam zelo ſuccenſa hiſce Deum verbis ſupplex allocuta fuit: *Erige brachium tuum, & allide virtutem illorum in virtute tuâ, cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt ſe violare ſancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & dejicere gladio ſuo cornu altaris tui, fac Domine, ut gladio proprio ejus ſuperbia amputetur.*

*Judith. 3. v. 13. — Judith. 6. v. 2. — Judith. 9. v. 11. — Ibid. v. 12.*

9. Nec deſunt plurium hæreticorum & infidelium exempla, qui adverſus Petri petram contendere & certare volentes, capita ſua allidendo confregerunt & conquaſſarunt. Sic enim P. Jeremias Drexelius refert; quod Anno 1583. Noveſij in Diæceſi Colonienſi mulier quædam hæretica, ſed occulta, interrogata cur una cum alijs non frequentaret Eccleſiam & officia divina, per ludibrium reſpondit, adeo alta & ſublimis eſt illius fabrica, ut de illius ruina vix in ea ſecuri eſſe poſſimus; accidit autem eodem tempore, quod ibidem Monaſterium quoddam Religioſorum extra urbis mænia ſituatum demoliretur, alibi in urbe in ſitū quodam commodiori & ſecuriori reædificandum, quod prædicta mulier videns, ex petulantia quadam hæretica ſe gaudere dixit, quod ad illud uſque tempus vitam ſuam produxiſſet, quo Papiſtarum Eccleſias devaſtari, & ſolotenus everti videre liceret; & ecce dum prædictam monaſterij demolitionem jucundo vultu ſpectat, columna quædam in ipſam collapſa eamdem oppreſſit & totaliter contrivit, alijs aſtantibus nec quidquam læſis.

*Jerem. Drexel. c. 14. n. 3. de ling. deridente.*

10. In Annalibus Eccleſiaſticis ex Thoma VValdenſi Carmelitano oculato teſte refertur, quod jam memoratus præclarus Eccleſiæ & Fidei pugil proprijs oculis quemdam viderit hæreticum, qui cum veram & realem Chriſti in ſanctiſſimo altaris Sacramento præſentiam credere nollet, ab Epiſcopo illum reverenter adorare juſſus dixerit: *Vere dignior eſt aranea revereri*; dicitque præfatus VValdenſis, qui idipſum Londini in Eccleſia Cathedrali S. Pauli vidit, quod dum Archiepiſcopus Cantuarienſis ipſum ad ſaniorem fidem apprehendendam, fruſtra & incaſſum, hortaretur, divina juſtitia vindex debitum huic temerario homini immiſerit ſupplicium; nam *ſtatim de alto culmine tecti, deſcendens ingens & horrenda viſu aranea ad os blaſphemi pervenit, & dum loqueretur, ut intraret pro polluta labia ſolicite procuravit, & multorum manibus vix potuit prohiberi.* Unde Epiſcopus occaſione hac uſus hanc divinæ juſtitiæ demonſtrationem populo manifeſtavit; *Nec mora, qui pretioſiſſimæ carni agni prælegit araneam, peccatricem carnem ſuam flammis devorandam amiſit.*

*Ann. Eccl. An. 1396. n. 17.*

11. In eiſdem Annalibus ex Matthæo Pariſio refertur, quod cum Simon Churnaius vir ob inſignem literaturam apud omnes in ſumma æſtimatione & reverentia habitus, magnis precibus ferventer rogaretur, ut materias theologicas à ſe ſcriptas alijs traderet cuſtodiendas, ne deperirent, id facere non ſolum renuerit, verum etiam, quia *ſcientia inflat, elatus, & major ſibi factus oculis ſublevatis temere ſolutus in cachinnum dixerit: O Jeſule, Jeſule, quantum in hac quæſtione confirmavi legem tuam & exaltavi, profecto ſi malignando & adverſando vellem, fortioribus argumentis, & rationibus ſcirem illam infirmare; Hoc dicto elinguis factus penitus obmutuit, non tantum mutus, ſed & idiota & ridiculè infatuatus, factus eſt in ſibilum & deriſum omnibus.* Non minor fuit alterius cujuſdam ſacrilegi arrogantia cujus in ijſdem Annalibus fit mentio, ſicut & apud Thomam Cantipratenſem l. 3. c. 48. & affertur à Drexelio c. 8. p. 1. *de lingua deridente.*

*Ann. Rayn. 1201. n. 36.*

12. Anno 1239. Simon de Tornaco Doctor pariter Pariſianus vir magnæ doctrinæ & famæ, ſed non minus inverecundus & impius, dicere non erubuit; Tres præcipue doctrinâ ſuâ totum ſibi ſubjugaſſe mundum, Moyſen ſcilicet, Chriſtum, & Mahometum; Moyſes enim, inquit, delirare fecit Hebræos, Chriſtus Chriſtianos, Mahometus vero Gentiles & Paganos, moxque his dictis in terram corruens oculoſque in fronte in diverſa contorquens, bovis inſtar horrendos mugitus edidit, domumque ſuam delatus & in lecto poſitus omnis literaturæ memoriam, ad uſque Alphabetum pueris tradi ſolitum, amiſit; & in evidentius Divinæ juſtitiæ teſtimonium datum ei fuit, ut cæteroquin mutus concubinæ ſuæ Adelheidis nomen ante mortem ſuam ſæpius imploraret, Divinique nominis & numinis penitus oblitus, intra triduum veluti beſtia infelicem animam exhalaret.

*Rayn. Ann. 1239. n. 27.*

13. Refert Baronius de Libanio Sophiſta, qui ſancti Gregorij Nazianzeni Magiſter fuit, de quo etiam Theodoretus lib. 3. cap. 18. ſcribit, quod Juliani Apoſtatæ amicus & ſectator exiſtens, Chriſtianorum quemdam ſibi familiariter notum per ludibrium, quid filius fabrici, id eſt; Chriſtus faceret, interrogarit; cui ille id, quod poſtea revera accidit, protinus reſpondit, videlicet: Deus hujus univerſi Creator, quem tu per ludibrium fabri filium appellas, Juliano feretrum, in quo mox moriturus collocabitur, fabricat, factumque eſt,

*Baron. An. 363. n. 32.*

ut paulo poſt Julianum peſſima morte defunctum fuiſſe nuntiaretur, nam ex vulnere lethifero, quo ab inviſibili manu ſauciatus fuerat, effluentem ſanguinem volâ manus excipiens cœlum verſus projecit, ad ultimum usque ſpiritum blasphema voce dicendo: *Viciſti Galilæe.*

*Ann. Eccl. Rayn.* 1383. *n.* 10.

14. In eisdem Annalibus à Raynaldo Oderico præclaro ſtudio & feliciter continuatis refertur, quod luſor quidam poſtquam omnem ſubſtantiam ſuam aleis ludendo amiſiſſet, primo quidem cum ſocijs rixatus varias in illos injurias, ac demum horrendas in Deum effutiverit blasphemias, moxque, ut nonnulli referunt, comminatus eſt, primò ſibi occurrenti ſacræ Imagini, quod jacturæ ſuæ luitura eſſet pœnas, tametſi illa ipsa Chriſti crucifixi ſimilitudinem referret. Et quidem impium hoc propoſitum majori cum impietate executurus relictis ſocijs colluſoribus urbe egreſſus ad ſacellum quoddam, quod inter Eccleſiam S. Albani, & aliam B. Virginis titulo condecoratam interjacet, pervenit, ubi Imaginem Crucifixi diſſecuit, nec non Divæ Virginis aliorumque Sanctorum, ſigno Crucis aſtantium ſtatuis cæſim & punctim pleraque vulnera inflixit: Ex quibus imaginibus, tametſi ligneæ eſſent, ingens ſanguinis copia effluxit; Ipſe autem ſacrilegus ſacrarum imaginum temerator in flagranti crimine deprehenſus, & ad Magiſtratum perductus, de ejuſdem ordine & juſſu vivus combuſtus fuit. Enimvero D. Chryſoſtomus non tantopere admirandum eſſe dicit, quod infideles & pagani Deos ſuos verbis aut factis injurioſis male & irreverenter tractent; ſiquidem illos nil præter ligna, lapides, aut metalla quædam eſſe ſciunt: *Atqui infideles & in ligna ac lapides inhiantes eaque venerantes hoc laborare morbo minime mirandum*; at vero quis Deum illum injurijs & contumelijs afficere præſumat, *qui reſpicit terram, & facit eam tremere*, qua ratione talis non timet, & toto corpore contremiſcit, dum impudico & petulanti ore profert contumeliam? Utique hoc faciendo, clarum & manifeſtum crudelitatis ſuæ interioris ſignum edit. Refert Paulus Diaconus, quod dum Olympius Epiſcopus Arrianus in balneo exiſtens, ſanctiſſimam Trinitatem blasphemijs horrendis impeteret, ſubito doloribus atrociſſimis correptus, & tribus in anima fulminibus, ut ſibi videbatur vulneratus, infeliciſſime mortuus fuerit.

*D. Chryſ. T.* 1. *orat.* 2. *de fato & provid.*
*Pſal.* 103. *v.* 32.
*Paul. Diac. l.* 15. *in Anaſtaſ.*

## DISCURSUS VII.

### ARGUMENTUM.

Blaſphemia idioma eſt Dæmonis & damnatorum, quo eodem idiomate Antichriſtus filius perditionis loquetur; addecuntur etiam nonnullorum blaſphemorum exempla, quos Dæmon è medio ſuſtulit.

### THEMA.

*Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ*, Apoc. 17. v. 3.

1. SCiendum eſt, quod in hac mulieris ſuper beſtiam ſedentis viſione, quam S. Joannes habuit, animæ cujuſdam damnatæ ei exhibitum fuerit Hieroglyphicum: unde Angelus ei dixit: *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*; vel etiam mulier illa, ut Doctor Angelicus interpretatur, quamdam præfigurat reproborum multitudinem: *Per mulierem*, inquit Angelicus, *intellige multitudinem impiorum, mollem ad mala, & alios emollientem; ſedentem, quia ſedet in Diabolo, quaſi in ſede ſua; ſuper beſtiam, id eſt, ſuper Diabolum; coccineam, id eſt, ſanguineam in ſe & in ſuis, quia Diabolus plenus eſt peccatis, quæ per ſanguinem ſignantur; nominibus blaſphemiæ, per hæc ſignificatur, quod Diabolus plenus eſt in ſe & in ſuis ad inventionem blasphemiarum.*

*Apoc.* 17. *v.* 1.
*S. Thom. ib.*

2. Author quidam antiquus in ſermone quodam de blasphemia, hoc vitium peculiarem eſſe dicit Diaboli & damnatorum linguam & idioma: *Blaſphemia eſt peccatum Diabolicum, loquela infernalis: Sicut enim Spiritus Sanctus loquitur per bonos, ita Diabolus per blasphemos.* Porrò primus in cœlo Lucifer blaſphemavit: *Ero ſimilis Altiſſimo*; Ego feci memetipſum; prima quoque blaſphemia, quæ hic in terris audita fuit ab eodem hujus tortuoſi ſerpentis venenoſo ore prodijt, quando Evæ dixit: *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo*, id eſt, pomo vetito, *aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum*: Quibus verbis Deum ſimul & ſemel mendacem & invidum eſſe aſſeruit, Evæque pariter illam divinorum poſſe attributorum participem fieri perſuaſit.

*Mag. Paulus VVan ſer.* 68.
*Iſa.* 14. *v.* 14.
*Gen.* 3. *v.* 5.

3. S. Bernardinus blasphemi ingratitudinem deteſtabilem exponens, linguam ejus linguam Diabolicam appellat: *O lingua Diabolica*, inquit, *quid poteſt te inducere ad blaſphemandum Deum tuum, qui te plaſmavit, in quo ſummum bonum tuum conſiſtit, qui te cum pretioſò ſuo ſanguine redimit?* Quiſnam majus motivum habuit Lucifero, ut ſe ergà Creatorem ſuum gratum eſſe teſtaretur? *Lucifer qui mane oriebaris.* Erat enim totius cœli pulcherrimus & venuſtiſſimus Angelus, in quem ingenti cum abundantia omnes gratiæ & gloriæ theſauros effuderat, & tamen adverſus eumdem blasphemias evomere non dubitavit; Idem quoque maledictum idioma ſequacibus ſuis Apoſtatis Angelis inſinuavit, idemque cunctis alijs; quos ex humana progenie ſibi comparare ſatagit, imprimere conatur.

*S. Bern. T.* 4. *ſer.* 33. 1. *p. princip.*
*Iſa.* 14. *v.* 12.

4. Sanctus Propheta Job olim lamentabatur dicens: *Et derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*; at verò quiſnam hujus lamenti ſenſus ſit, non ſatis liquide patet; Quo enim fine Diabolus illum toto corpore ſaucians labia ſola intacta reliquit? Num forte id ex quodam compaſſionis motivo fecit, ut ſcilicet inter tot plagas ſibi inflictas, fauces, labia, & linguam liberam & illæſam haberet; ut expeditè loqui, ſuosque conceptus enuntiare poſſet? Magnum enim in infirmitate ſolatium eſt, lamentari poſſe, & cruciatus internos, aliaque omnia malorum ſymptomata Medicis poſſe exprimere; num igitur hæc illæſi labij ipſi relicti cauſa fuit? *Percuſſit Job ulcere peſſimo à planta pedis usque ad verticem ejus*; cur igitur non quoque linguam vermibus, & fauces putredine adimplevit? Sanctus Hieronymus inquit: *Labia tantum inter ora ad hoc Diabolus reliquit, ut haberet Job poſitus in tormentis; quibus poſſet facile blasphemare.* Diabolus enim omnes ſuas adhibuit aſtutias, omnibuſque viribus ſuis uſus eſt, ut illum ad blasphemandum pellicere poſſet; Etenim blasphemia ut plurimum ex deſperatione procedit; hæc autem in cruciatibus & tormentis atrociſſimis ſine ullo ſublevamine iteratis & multiplicatis, qualia ipſi innumera inflixerat, fomentum ſuum potiſſimè poſitum habet; Imo amicos ejus, & ſpecialiter uxorem, ut eum ad blasphemandum inducerent; inſtigavit; Dixit enim uxor ejus: *Benedic Deo, & morere*, quod idem erat: ac ſi dixiſſet: Blasphema, ut vel ſic mortis non tam corporalis, ſed ſpiritualis & æternæ reus efficeretur. Unde ubi vulgata noſtra legit *Benedic Deo*, ſeptuaginta vertunt: *Dic aliqua verba contra Deum.* Sanctus Gaudentius in præfatione in Exodum, legit: *Dic aliquem ſermonem contra Deum.* Origines inquit: *Fecerunt tria cornua nequiſſimi Dæmones, omnes pariter adverſus Job dimicantes, ſolus Diabolus, qui eſt in iniquitate maximus, præſens Job erat, ſolicite obſervans infelix, quomodo blaſphemiæ ſermonem ex juſti illius ore potuiſſet audire*; Potuiſſet equidem totum in ejus pernitiem infernum laxare, verum prout *ſerpens erat callidior*, ut eum in omnis iniquitatis barathrum præcipitem ageret melius medium eſſe cenſuit, ſi illum ad aliquod blasphemiæ verbum enuntiandum inducere poſſet quamvis hoc ejus conſilium in Jobo effectum ſortitum fuerit omnino contrarium, quia quanto magis torquebatur Job corde, lamentabilia nuntia ſubinde audiendo, tanto plus torquebatur Diabolus, ea quæ volebat, vel deſiderabat, id eſt, Dei blaſphemiam ab eo non audiendo.

*Job.* 19. *v.* 20.
*Job.* 2. *v.* 7.
*S. Hier. ib.*
*Job.* 2. *v.* 9.
*S. Gaudent. in præfat. in Exod.*
*Gen.* 3. *v.* 1.

5. Sanctus Bernardinus de hoc peſſimo & abominabili ſemine dicit: *Nihil horribilius blaſphemia, qua ponit os in cœlum? O rabidi canes & diabolici homines! O incarnati Dæmones!* appellat autem blasphemos Dæmones incarnatos, quia blasphemia lingua ſeu idioma eſt inferni & ſpirituum rebellium; unde Interlinearis ſuper verba illa ſancti Judæ: *Majeſtatem autem blaſphemant*, addit, *ſicut Angeli Apoſtatæ.* Gerſon quoque expreſſe dicit: *Eſt idioma infernalis inimici & damnatorum.* Et ideo David de blasphemis loquens dum ait: *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique*; condignum illis & proportionatum pauló poſt comminatur ſupplicium; ſed quantum illud eſſe exiſtimas? ut ſcilicet in infernum mittantur, cujus linguam loquuntur: *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes.* Hoc Dathan & Abiron per adeo horribile prodigium accidit, dum in abyſſum ignis ituri vivi à terra abſorpti ſunt: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos, ... deſcenderuntque vivi in infernum*; ſed quodnam erat eorum delictum, quo adeo memo-

*S. Bern. T.* 1. *ſerm.* 41. A. 1. *c.* 3.
*Judæ v.* 8. *Interlin. in Jud.*
*Gerſon.* T. 4. *Conſid.* 2.
*Pſ.* 54. *v.* 13.
*Pſ.* 54. *v.* 16.
*Num.* 16. *v.* 31. & 33.



morabile ſibi ſupplicium conciliarunt? nimirum Sacer Chroniſta poſtquam dixiſſet: *Deſcenderunt viventes in infernum*, immediatè ſubjungit: *Scietis quod blaſphemaverint Dominum*; ex quo enim idioma loquebantur inferni, illos diutius in terra commorari conveniens nequaquam erat. Sanctus Ambroſius ait: *Immugiens terra in medio plebis ſcinditur, aperitur in profundo ſinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aërem hauſtu, nec cœlum viſu, nec mare tactu, nec terram contaminarent ſepulchro*; Blaſphemi enim omnibus creaturis rationalibus, ſenſibilibus, & inſenſatis in odio ſunt & horrore, ſed non Dæmonibus, hi enim illos tamquam ſuos concives, unius cum ipſis linguæ conſortes recipiunt, non tamen illis abblandiendo, ſed atrociter torquendo.

*Ibid. v.* 30.
*S. Ambr. Epiſt.* 82.

6. Benigniſſimus Salvator noſter multoties manſuetudinis virtutem Diſcipulis ſuis docendo inculcarat proprioque exemplo exercuerat, unde ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum*, in varijs quoque occaſionibus multos ſibi contumelioſe irrogatos contemptus diſſimulaverat; & tamen ut liquet ex cap. 8. ſancti Joannis, incredulis Hebræis dixit. *Vos ex patre Diabolo eſtis*; at verò ex quo illi ſe Abrahæ filios & poſteros eſſe gloriabantur, cur illos Salvator noſter hoc tam acerbo licet condigno improperio ad impatientiam provocat? Ratio eſt quia blasphemaverant, ac proinde juſtam habebat cauſam ut illos Diaboli filios eſſe diceret, propriiſſimum namque ſignum unde filij Diabolo dignoſcuntur eſt blasphemia, quæ nequaquam diſſimulanda eſt, ſed acriter reprehendenda & punienda.

*Matth.* 11. *v.* 29.
*Joan.* 8. *v.* 44.

7. Æthna flammas & ignem continuo evomit, quia intus ſulphure plenus exiſtit; talis Æthna eſt vir blasphemus, dum enim ex ejus ore blasphemiam prodire auditis, liberè dicatis, illum intus igne infernali plenum & reproborum turbæ merito annumerandum eſſe: *Qui dixerunt: Hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei; Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti; Sicut ignis qui comburit ſylvam, & ſicut flamma comburens montes.*

*Pſ.* 82. *v.* 13.
*Ibid. v.* 14.
*Ibid. v.* 15.

8. Sanctus Bernardinus ait: *Solet homo, ex qua patria ſit, ad loquelam cognoſci*, & ideo cum cœleſtis Patriæ loquela ſit benedicere & laudare Deum; *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*, ita quoque ſit hic in terris quiſnam cœleſtis paradiſi civis ſit, agnoſcere velimus, oculum veſtrum eo præcipue tempore in hominem conjicite, quo in paupertatis, infirmitatis, vel aliarum adverſitatum poſitus eſt miſerijs & anguſtijs, ſi enim tunc Deum laudet & benedicat, ſignum eſt quod cœleſtis Patriota ſit & pertineat ad cœlum: *Mundialis regio ſuos etiam cives habet, ex ſermonibus cognoſcendos; Superbi enim loquuntur de faſtu ſæculi, & honoribus mundi; luxurioſi de vanitatibus & laſcivijs; avari de lucris*, 1. *Joan*, 4. *De mundo ſunt, & ideo de mundo loquuntur*, *Joan.* 3. *Qui de terra eſt, de terra loquitur; Infernalis autem patria etiam nunc in mundo multos concives habet, ſermo autem infernalis nihil aliud eſt, quam blaſphemiæ & maledictiones Dei, & Virginis, & omnium Sanctorum*; Blasphemi igitur quia jam ſcripti ſunt in libro æternæ perditionis, ideo jam aſſueſcunt loquelæ officio; quod facturi ſunt in inferno. Denique Sanctus hic Pater de blaſphemis idem dici poſſe ait, quod Petro dictum eſt, quando Chriſtum negavit: *Cuilibet veſtrum dici poteſt*, inquit, *quod Matth.* 26. *dictum eſt Petro: Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit; Omnes namque blaſphemorum linguæ, Dæmonum fiſtulæ vel ora ſunt, de quibus Pſalmiſta ait: Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt.*

*S. Bern. T.* 1. *ſerm.* 31. A. 3. *c.* 1.
*Pſ.* 83. *v.* 5.
1. *Joan.* 4. *v.* 5.
*Joan.* 3. *v.* 31.
*Matth.* 26. *v.* 73.
*Pſ.* 13. *v.* 3.

9. Antichriſtus primogenitus eſt Diaboli filius, de quo Apoſtolus ait: *Homo peccati, filius perditionis*; hic autem non niſi in blasphemias os ſuum aperiet. Albertus Magnus per beſtiam illam de mari aſcendentem de qua Apocal. cap. 13. mentio ſit, Antichriſtum intelligendum eſſe dicit; Antichriſtum ad modum beſtiæ ſævientem; Hæc autem beſtia ſeptem habebat capita, eaque omnia blaſphemiarum nominibus plena: *Datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias; ... aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum*; ubi ſacer quidam interpres ait: *Blaſphemias profert in vocibus, quia & his nominibus titulatur in ſuis capitibus, ut omni ex parte damnatus ille homo oſtendatur blaſphemus.* Sanctus Ambroſius à Gloſſa citatus ad diademata, quæ hæc beſtia in cornibus deferebat, ſe his verbis reflectit: *In capitibus ſeptem diademata, per quæ omnes reprobos intelligit: Hæc autem beſtia non in capitibus, ſed in decem cornibus decem diademata habuiſſe deſcribitur ideoque per decem cornua gentes, quas ſibi Antichriſtus ſubjugaturus eſt, deſignantur, ſeptem vero capita, ſeptem principalia vitia*: Et quidem gemmæ quibus hæc diademata exornantur & locupletantur, blaſphemiæ ſunt, utpote quæ velut gemmæ apud Luciferum & omnes ejus ſequaces, in magno pretio habentur.

2. *Theſſ.* 2. *v.* 3.
*Apocal.* 13. *v.* 1.
*Alb. Magn. ibid.*
*Apoc.* 13. *v.* 5. & 6.
*Ansbert. ibid.*
*S. Ambr. in Gloſſ.*

10. Abulenſis de eo qui in deſerto tamquam primus blasphemator lapidatus fuit, Hebræorum opinionem fuiſſe refert, illum Tribu Dan fuiſſe progenitum, ex parte ſtirpis maternæ aliunde vero certum eſt, ex eadem quoque tribu naſciturum eſſe Antichriſtum Præterea notandum venit, blasphemum illum nec vere Hebræum fuiſſe, nec Paganum, ſed ex patre Ægyptio, matre autem Hebræa fuiſſe procreatum; ex quo etiam capite Interpres quidam filium perditionis per eumdem præfiguratum fuiſſe conjicit: *Jurgatur ille nec gentilis, nec Judæus, Antichriſtum ſignificat, de Eccleſiaſticis parentibus naſciturum, cujus in Deum blaſphemiæ apud Danielem leguntur.* Ex textu quodam Apocalyptico quoque colligitur, quod ubi Antichriſtus ad ſummum iniquitatis & impietatis ſuæ culmen pertigerit, tunc ad blasphemandum os ſuum ſit aperturus; Qualitatem vero blaſphemiarum quas evomet ſanctus Ambroſius his verbis deſcribit: *Aperiet autem os ſuum ad blaſphemandam Deum Patrem videlicet, & Filium, & Spiritum Sanctum; blaſphemabit & nomen Dei, dicens Chriſtum non eſſe Deum, blaſphemabit etiam tabernaculum Dei, id eſt, Eccleſiam Dei dicens: Nihil prodeſſe fidelibus Religionem Chriſtianam, ſed interitum magis afferre quam ſalutem.*

*Abulenſis.*
*Rudolph. in Gloſſ.*
*S. Ambr. in Apoc. c.* 13.

11 Ad hoc verò ut non prorumpamus in blasphemias, præcipitemque linguam noſtram refrænemus, D. Chryſoſtomus optimum nobis inſinuat his verbis remedium; Dicit enim: *Ex conſuetudine frequenter impetu rapitur lingua, ut perverſum illud verbum ſonet, verum cum huc rapietur, priusquam verbum effuderit, commorde illam utique dentibus acriter. Præſtat illam nunc fluere ſanguinem, quam tunc concupiſcere guttam, nec impetrare poſſe refrigerium, præſtat illam temporarium facere dolorem, quam tunc perenniter & immortalibus malis cruciari.* Ioannes Caſſianus inferni pœnas deſcribens, de blasphemis inquit: *Ibi dracones blaſphemantium labia vorant, & regulus diris morſibus miſerorum pectora lacerat.* Michael de Ayguanis de Bononia Carmelitanus, vulgo Incognitus appellatus ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum*, dicit: Exiſtentes enim in inferno Deum non laudant, ſed præ doloribus linguas ſuas mordentes ipſum blaſphemant, de quibus dicitur Apoc. 16. *Et commanducaverunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemaverunt Deum cœli.*

*D. Chryſoſt. Hom.* 2. *de Lazaro.*
*Ioan. Caſſian. in Conf. Theol. p.* 3.
*Pſ.* 113. *v.* 17.
*Mich. Ayg. ibid.*
*Apocal.* 16. *v.* 10.

12. Doctor Angelicus de hac materia in Art. 4. tractans eumdem Apocalypſeos textum adducit illaque verba: *æſtuaverunt homines æſtu magno* Gloſſam citat dicentē: *Quod in inferno poſiti, quamvis ſciant ſe pro meritis puniri, dolebunt tamen quod Deus tantā potentiam habeat, quod plagas eis inferat*: At vero quas in cœlū evomunt blasphemias in inferni abyſſum remiſſæ, in eoſdem ſacrilegos blaſphematores iterum recidunt. Apud ſanctū Jobum de Dæmone dicitur: *De ore ejus lampades procedunt, ſicut tædæ ignis accenſæ.* Ubi ſanctus Hieronymus ait: *Alij legunt: Faculæ ardentes, ſcilicet omnes impij & blaſphemi os Diaboli ſunt, de quibus ſub equorum ſimilitudine in Apocalypſi dicitur: De ore eorum exit ignis, fumus, & ſulphur, hoc eſt verba blaſphemiæ.* Idem ſanctus Doctor ſuper illa verba: *Flamma de ore ejus egreditur*, dicit: *Alij legunt: Globatur, hoc eſt pœna blaſphemiarum.*

*Apocal.* 19. *v.* 9.
S. *Tho.* 2. 2. *q.* 13. *A.* 4.
*Iob.* 41. *v.* 10.
S. *Hier. ibid.*
*Apocal.* 9. *v.* 17.
*Iob.* 41. *v.* 12.

13. Et quidem tametſi Deus ut plurimum blaſphemorum ſupplicia & pœnas in infernum uſque differat, multa tamen habemus exempla, in quibus Dæmonem etiam in hac vita in eis poſſeſſionem & dominium apprehendiſſe clare videmus. Eſt etenim celebris illa hiſtoria, quam Sanct. Gregorius Papa de ſexennali quodam puero recenſet, qui jam à pueritiæ teneritudine blasphemare didicerat: *Quodnam die cum blaſphemaret, & eſſet in ſinu Patris, raptus eſt à Dæmonibus, & portatus in infernum.* Sanct. Bernardinus duo facta valde horrenda refert, quorum unum eo tempore contingit, quando Florentini & Mediolanenſes armis inter ſe præliabantur; dum enim in caſtello quodam in alpibus, quæ Ubaldinorum appellantur ſituato, miles quidam ludendo in blasphemias prorumperet, Diaboli in viſibili ſpecie advenientes illum ſecum rapere moliebantur; qui ſocijs ſuis tenaciter apprehenſis fortiter adhæreſcens

*S. Greg. l.* 4. *Dial. c.* 18.
S. *Bern. T.* 2. *ſerm.* 43. 2. *p. princip.*

ſcens, ab ijſdem omni adhibita vi è Dæmonum manibus ereptus evaſit: At vero dum ſequenti die de novo cum ſocijs ſuis ludendo easdem blasphemias in Deum & Sanctos reiteraret, circa meridiem *Diaboli viſibiliter ceperunt eum, & portaverunt eum per aëra, omnibus ipſum videntibus, & per ſpatium unius milliarij cadebat una caliga, & per aliud ſpatium ſubtilaris, & per aliud veſtis, & ſic de alijs*, dicitque idem Sanctus: *Unde dum ego F. Bernardinus eſſem Florentiæ in loco, qui dicitur Sanctæ Mariæ de Buſco; venerunt duo Fratres pro parte R. P. F. Joannis Dominici Cardinalis, quos mittebat ad illud caſtrum; cauſâ videndi iſtud prodigium.* In eodem ſermone refert, quod digniſſimus quidam in Sacra Theologia Magiſter ſibi narrarit, ſe in Comio oculis proprijs vidiſſe, quod faber quidam ferrarius, qui enormis blaſphemator erat, à Dæmone per capillos capitis apprehenſus ex officina ſua raptatus & ab omnium oculis ſublatus fuerit: *Cum una die blaſphemaret in ſua apotheca, Diabolus traxit illum per capillos in aëra, usque ad grondam domus, & tenebat ipſum pendulam, donec religioſæ perſonæ venerunt, qui eum aqua ſancta & orationibus communientes effecerunt, ut confitendo reatum ſuum & pænitendo depoſitus fuerit.* Idem quoque in alio, duo alia refert exempla: *Miles quidam in Diœceſi Rhemenſi, cum quadam die ludendo in cœna blaſphemaret Deum, ſtatim percuſſus caduco morbo coram aſtantibus cadens, per totam ſequentem diem horribiliter ſe diſcerpens & ad terram allidens, & ex ore ſpumam evomens, miſerabilem animam exſpirando Diabolo commendavit.* Alius quoque poſtquam Beatiſſimam Virginem in varijs ſui ſacratiſſimi corporis partibus blaſphemaſſet, *membra illa in corpore ſuo amittens, demum deſperatus ventre crepuit, & infelicem animam in manu Diaboli exhalavit.*

*Ibid. ſer. 33. c. ſin.* — *S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 3. c. 3.*

14. Quam ob cauſam Judam Machabæum præcepiſſe exiſtimatis, ut blaſphematrix Micanoris linguas è faucibus evulſa volucribus cœli devoranda objiceretur? cur non potius illam à vermibus conſumi permiſit? aut vero acubus transfigi, vel alia ſimili atroci pœna affici juſſit? Lyranus ait: *Id factum eſſe propter blaſphemiam ab eo prolatam; per hoc autem quod fuit præciſa, & particulatim avibus data, ſignificatur quod anima blaſphemi ſit à Dæmonibus graviter punienda, qui nominantur aves*, ut videre eſt Matth. 13. in Parabola ſeminantis ſemen in agro ſuo, quarum unam partem *volucres cœli comederunt*, id eſt, ut ipſemet Salvator exponit, Dæmones, hi enim in linguam blaſphematricem jus quæſitum habent.

*Lyranus ib.* — *Matth. 13. v. 4. Luc. 8. v. 5.*

15. In Speculo Hiſtoriali de cive quodam blaſphemijs aſſueto legimus, quod cum ludendo multas amiſiſſet pecunias, adeo ut non niſi unica ipſi moneta ſuperſtes fuerit, Chriſtum & beatiſſimam ejus matrem blaſphemare & Dæmonem invocare cœperit, qui comparens, ipſum, quid à ſe deſideraret fieri, interrogavit, cui ille deſperatis dixit: Accipe ſimul cum hac moneta corpus & animam meam, quæ tui deinceps juris eſſe volo. Diabolus moneta accepta abivit, at verò ſequenti diluculo, alijs pluribus Dæmonibus aſſociatus ei denuò comparens dixit ad eum: Tu me ex nunc tamquam dominum tuum ſequere; cumq; blaſphemus ille bidui dilationem petijſſet, ſimulque obtinuiſſet, accidit, ut mulier quædam pro amore Dei aliquam ab eo eleemoſynam poſceret; cui impius, ſibi nihil deinceps cum Deo negotij amplius eſſe reſpondit, ac proinde ſi quam ab illo exſpectaret eleemoſynam illam in nomine Dæmonis à ſe poſcere juſſit: Quæ horrendum hocce reſponſum ad vicinos ſuos detulit, qui miſerabilis viri illius perditioni intimè compatientes, omnem adhibuerunt induſtriam, ut illum ad veram vitæ ſuperioris perduceret pœnitudinem, vitæque emendationem & ſeriam reſipiſcentiam, ſed incaſſum, ſiquidem miſer ille non jam princeps reſipiſcendi aut pœnitendi tempus ſupereſſe, quo dicto protinus comparentes viſibiliter Dæmones eum coram aſtantium oculis ſuſtulerunt è medio.

*Vinc. in ſpec. Hiſt.*

## DISCURSUS VIII.

### ARGUMENTUM.

Blaſphemare eſt Filium Dei de novo flagellare & crucifigere, eſtque peccatum longè gravius illo, quod Judæi commiſerunt.

### THEMA.

*Prætereuntes autem blaſphemabant eum*, Matth. 27. v. 39.

1. INter alios acerbiſſimos dolores, quos Filius Dei in Monte Calvariæ pro nobis ſuſtinuit, haud dubiè annumerandæ quoque ſunt blaſphemiæ & contumeliæ, quibus illum longè, crudelius transfixerunt Judæi, quam carnifices illum clavis transfodere potuerunt, hi enim ſolum corpus ſauciarunt, hæ verò animam transfixerunt: longeque pœnoſior eſt honoris contumeliatio, magisque intima cordis penetrat, quam carnis cruciatus. *Honorem meum alteri non dabo*; præterquam quod valde probabile ſit, quod Chriſtus ſe deinceps ab impijs quovis retro tempore eodem modo maledicendum & contumeliandum eſſe prævidens, valde ex perceptis blaſphemijs afflictus fuerit, utpote in quibus certo quodam modo Paſſionem ſuam continuandam eſſe ſciebat; & hoc forte eſt, quod Chriſtus in lamentatione ſua dicere voluit, qua in Pſalm. 68. de Crucifixionis ſuæ ſupplicijs & doloribus loquens, inter cætera dicit: *Et ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Etenim ſi tormenta quibus Redemptor noſter in Paſſione ſua cruciatus fuit conſideremus, illa quidem conſiſtebat in ſpinis, flagellis, clavis, alijsque ſimilibus inſtrumentis, quibus horrendis in corpore ſuo vulneribus ſauciatus fuit: At vero quod ſuper hæc omnia vel maximum illi dolorem intulit, fuit tormentum illud, quod præter plagas & vulnera corporalia in animo ſuo perſenſit, quod utique aliunde derivari non potuit, quam ex horrendis contra eum prolatis blaſphemijs, unde conquerebatur, dicens: *Omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labijs & moverunt caput*; Dicebant enim: *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas; ſi Filius Dei es, deſcende de cruce; ſperavit in Domino, eripiat eum, ſalvum faciat eum.* Hæc ludibria & blaſphemiæ acerbius ipſum transfigebant, quam clavi vel lancea.

*Pſ. 68. v. 27.* — *Pſal. 21. v. 8.* — *Matth. 27. v. 40.* — *Pſ. 21. v. 9.*

2. Sanctus Bernardus contra illos, qui alios verbis deriſorijs à Chriſti ſequela retrahere & ſeducere ſatagunt; ita ſcribit: *Horrendum penitus ſacrilegium, quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino Majeſtatis manus ſacrilegas injecerunt.* Enimvero idem in præſenti caſu noſtro dicere poſſe videmur, ſcilicet quod blaſphemi vulnera longè dolentiora & acerbiora infligant, quam per ſpinas flagella & clavos ei inflixere carnifices. Nam in lingua Hebræa teſte Oleaſtro hujus linguæ peritiſſimo, *blaſphemare* idem ſignificat quod *ſcindere* vel *perforare*: *Vocat autem Hebraiſmus blaſphemare ſcindere vel perforare ſeu dividere, quod blaſphemans habeat ſe ad modum ſcindentis ſeu percutientis Dominum, cum nomen ejus benedictum blaſphemat*; Et ideo tametſi omnia peccata Deum offendant, hoc tamen præ cunctis alijs vivaciſſime ſentit.

*S. Bern. ſer. 2. de Converſ. S. Pauli.* — *Oleaſt. in c. 1. Gen.*

3. Eccleſiaſticus injuriam blaſphemia vel contumelia illatam, *flagellum linguæ* appellat, quia flagellum non ſolum percuſſiones & verbera ſecum ſubinfert, verum inſuper gravem annexam habet ignominiam, cum ſit proprium mancipiorum ſupplicium: Eodem modo injuria non ſolum ſenſum offendit; ſed etiam & longè quidem acerbius mentem; ac proinde increduli Hebræi cum illis apud Jeremiam congregatis, ſimul contra Redemptorem noſtrum dicere potuiſſe videntur: *Venite & percutiamus eum lingua*, quaſi dicerent, ſinamus ut miniſtri Pilati illum flagellis & colaphis onerent, ut tempora ipſius ſentibus & ſpinis transfigant, ut manus ejus & pedes clavis acutis perforent, ac demum in crucis ligno illum ſuſpendant, nos interea adverſus ipſum rabiem & furorem noſtrum aſperrimè evomere non deſinemus: *Venite, & percutiamus eum lingua*; ac proinde; *Prætereuntes autem blaſphemabant eum.*

*Eccli. 26. v. 9.* — *Jerem. 18. v. 18.* — *Ibid. & Matth. 27. v. 39.*

4. Job qui Chriſti patientis figura fuit, licet remota, non tam de plagis acceptis, quam de blaſphemijs quas omnes adverſus eum certatim evomebant, lamentatur dicens: *Uſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus*; quibus verbis Origenes Jobum magis de hiſce maledictionibus, quam de acerbiſſimorum cruciatuum ſuorum carnificina conqueſtum fuiſſe exiſtimat, quia *ſæpenumero qui corporis cruciamenta toleravit, non paſſus eſt verba*; Contumeliæ enim oſſium medullas penetrabant, prouti ex verbo illo, *atteritis*, clare deducitur Chriſtus quoque apud Jeremiam cap. 20. lamentans ait: *Factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me.* Qualiter autem ludibria hæc cor vulnerarint, ex ipſiuſmet ore audite: *Et factus eſt in corde meo*, inquit, *quaſi ignis exæſtuans, clauſusque in oſſibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens*; quaſi diceret: Non tam crux, clavi, flagella, quam Judæorum, quibus tanta contuleram beneficia, blaſphemiæ, ludibria, deriſiones improperia mortem mihi accelerarunt: *Defeci, ferre non ſuſtinens, audivi enim contumelias multorum.* Idipſum Pſalmiſta quoque inſinuare voluit, quando in perſona Salvatoris de ejus

*Job. 19. v. 2.* — *Orig. ibid.* — *Jerem. 20. v. 7. & 8.* — *Jerem. 20. v. 9.* — *Ibid. v. 10.*



ejus paſſione loquens, poſtquam dixiſſet: *Congregata ſunt ſuper me flagella*, paulo poſt ſubjungit: *Tentaverunt me ſubſannaverunt me ſubſannatione, frenduerant ſuper me dentibus ſuis*; quæ opprobria & deriſiones adeo cor ejus contorſerunt, ut ex tunc æterno Patri ſuo ſe recommendans dixerit: *Deus meus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Siquidem ut pauló ante ex Jeremia diximus: *Defecit, ferre non ſuſtinens.* Et ideo hæ deriſiones, & improperantium Judæorum inſultus necem ei intulerunt; unde per os ejuſdem Pſalmiſtæ pergit dicere: *Domine quando reſpicies, reſtitue animam meam à malignitate eorum.* Ubi noſtra vulgata apud Zachariam legit: *Et aſpicient ad me, quem confixerunt*; ſeptuaginta legunt: *Pro eo quod inſultaverunt*, adeoque Spiritus Sanctus inſultare Filio Dei idem eſſe exiſtimat, quod eum cruci affigere.

*Pſalm. 34. v. 15.* — *Ibid. v. 16.* — *Matth. 27. v. 46.* — *Jerem. 20. v. 9.* — *Pſal. 34. v. 17.* — *Zach. 12. v. 10.*

5. Sanctus Bonaventura Filium Dei non minus per impiorum blaſphemias flagellatum fuiſſe exiſtimat, quam dum in Prætorio Pilati ad columnam alligatus, flagellorum percuſſionibus cruentatus fuit, adducitque authoritatem Sanct. Auguſtini Tract. 10. ſuper Joannem dicentis: *Flagellatus eſt Chriſtus flagellis Judæorum, ſed non minus flagellatur blaſphemijs falſorum Chriſtianorum.* Porro inter alia tormenta, quibus, ut ſanctus Lucas refert Redemptorem noſtrum in doloroſiſſima illa Paſſionis ſuæ nocte afflixerunt, *unum fuit, illudebant ei cædentes, ... & percutiebant faciem ejus*, quem crudelem Judæorum inſultum Job prædixerat, dum ait: *Et exprobrantes percuſſèrunt maxillam meam*; ubi Hugo Cardinalis ait: *Myſticè colaphi & ſputa Judæorum, ſignificant blaſphemias & opprobria falſorum Chriſtianorum, quibus inceſſanter Deum inhonorant.* Unde V. Beda ait: *Qui tunc cæſus eſt colaphis Judæorum, nunc cæditur blaſphemijs falſorum Chriſtianorum, & qui conſputas eſt ſalijs infidelium, nunc væſanis opprobrijs fidelium exhonoratur.*

*S. Bonav. in Phareto. l. 3.* — *Luc. 22. v. 63. & 64.* — *Job. 16. v. 11.* — *Hug. Card.* — *V. Beda.*

6. Advertenda quoque eſt ad propoſitum noſtrum ſpectans doctrina quædam Oleaſter ſuper illa verba cap. 24. Levitici: *Maledixit filius mulieris &c.* dicit enim quod licet Ly, *Maledicere* in lingua Hebræa in propria ſignificatione idem ſit quod *maledicere*, ipſe tamen eamdem vocem diverſam aliam ſignificationem habere probabilius exiſtimet: *Video tamen propriam ejus ſignificationem eſſè perforare*, idque varijs exemplis confirmat ac proinde legit: *Perforavit nomen, & deſpexit, & ſenſus eſt Filius mulieris Iſraëlitidis habuit ſe ad modum perforantis nomen Domini, ſcilicet blaſphemando*; Imo ſubſtitui etiam poſſe Ly, *malleavit nomen Domini, ſcilicet deſpiciendo*; adducit quoque illum Zachariæ textum: *Aſpicient ad me, quem confixerunt*, ſcilicet blaſphemijs ſuis In eodem capite ſuper illa verba: *Qui blaſphemaverit*, dicit idem Author: *Poſſet etiam verti: Qui perforaverit, ſeu pupugerit.* In quo eodem capite quoad mores hanc deducit conſequentiam. *Ubi expende quantum malum ſit blaſphemia, quæ eſt perforare quantum in ſe eſt nomen Domini, & quaſi pungere*; ac proinde ſanctus Bernardinus blaſphemos non ſine myſterio Redemptoris noſtri traditores appellat: *O animæ maledictæ! O proditores & occiſores Majeſtatis Divinæ.*

*Levit. 24. v. 10.* — *Oleaſt. in c. 24. Levit.* — *Zachar. 12. v. 10.* — *Levit. 24. v. 16.* — *S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 1. c. 3.*

7. Commentator Nazianzeni calamum ſuum adverſus Julianum Apoſtatam exacuens, & ad ejus contra Chriſtum & fidem Catholicam ſacrilege pronunciatas blaſphemias alludens ita ſcribit: *Ergo erat etiam Herodes puerorum carnifex, Chriſti perſecutor, extitit autem etiam poſt ipſum Julianus ejuſdem perſecutor, impias & contumelioſas voces adverſus eum effundens, & adverſus ipſius hæreditatem furens*; Demum vero ad propoſitum noſtrum dicit: *Ac poſt Pilatum Chriſticidam, Chriſticidæ enim ſunt omnes, qui impiè & contumelioſè adverſus eum debacchantur.* Hanc quoque myſticam Redemptoris noſtri lacerationem & crucifixionem ingenioſus Tertullianus adverſus Marcionem Hæreticum his verbis ad vivum exprimit: *Deus omnipotens blaſphemijs lancinatur.* Blaſphemator ad hoc quidem modò pertingere nequit, ut manus ſuas in ſanguine Filij Dei cruentet; verumtamen ictus illos quos in corpus illius impaſſibile & glorioſum impingere nequit, lingua ſua in eum evibrat, dum eum in honore & reſpectu, ei infinitis titulis debito, ſacrilegè dilacerat.

*Nazianz. Orat. 3. cont. Julian.* — *Tertullian. l. 1. c. 1. cont. Marcion.*

8. Theodoretus de eo qui ob blaſphemias prolatas in deſerto lapidatus eſt, tractans, ita ſcribit: *Merito hiſce de blaſphemia legibus homicidij legem aptavit, quia blaſphemator cum Deum interficere non poſſit, lingua ferit*; Ac proinde ſanctus Bernardinus Chriſto hæc Jeremiæ verba adaptat: *Heu, heu me cum quotidie per Jerem. Threnorum, 3. conqueratur Dominus: Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.* Idem in alio capite blaſphemiam gladium ancipitem appellat; *Patet*, inquit, *quod grave eſt blaſphemare Deum, cum lingua blaſphemantis efficitur quaſi gladius cor Dei penetrans, & enſis undique Deum ſcindens*, juxta illud Pſalmiſtæ: *Et gladius in labijs eorum, quoniam quis audivit*; & quamquam Deus ſit immortalis, nihilominus ex parte malitiæ eorum, non deeſt cauſa & conatus ad occidendum Deum. Quod ſi enim Apoſtolus de impijs in genere dixit *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei*, quanto magis idipſum de blaſphemantibus dici verè poterit? Item ſi peccatum nihil eſt aliud, quam quædam à Deo facta averſio, quisnam a Deo ſe magis avertit, & obverſo dorſo ab illo recedit, quam blaſphemus?

*Theodoret. in c. 24. Levit.* — *S. Bern. ſeo. ci. A. 2. c. 4.* — *Thren. 3. v. 12.* — *Pſal. 58. v. 8.* — *Hebr. 6. v. 6.*

9. Angelicus Doctor naturam hujus peccati exponens, ita ſcribit: *Nomen blaſphemiæ importare videtur quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis & præcipuè Divinæ, quicumque negat aliquid de Deo, quod ei convenit, vel aſſerit de eo, quod ei non convenit, derogat Divinæ bonitati.* S. Bonaventura Gloſſam in Pſal. 68. teſtem adducens, blaſphemiæ crimen gravius & enormius eſſe aſſerit ipſamet actuali Chriſti crucifixione: *Gravius peccat*, inquit, *contemptor ſedentis in cœlo Majeſtatis, quam crucifixor ambulantis in terra paupertatis.* Idipſum quoque multis in medium adductis rationibus probare conatus eſt S. Bernardinus, oſtendendo eos qui blaſphemant Judæis longè deteriores eſſe; licet hi Chriſtum in crucem egerint. Primo quidem quia hi Chriſtum in crucem egerunt, & dirè tractarunt, dum mortalis etiamnum eſſet, & in ſtatu objecto, paupere, & vilinobiſcum viveret: at verò blaſphemans illum in cœlis glorioſe regnantem injuria afficit; adducitque quamdam ex Alexandro de Ales petitam rationem, qui ait; *Fit major injuria ratione majoris ſtatus, ſtatus autem regnantis in cœlis eſt major ipſius regnantis in terris.* Secunda ratio illius eſt: *Judæi hoc fecerunt ex ignorantia; ſi enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, 1. Corinth. 2. *Blaſphemus autem hoc perpetrat ex malitia.* Tertia, eaque præcedentibus non minus efficax eſt: *Judæi non promiſerunt ei fidem, blaſphemi autem in Baptismate promiſerunt, & in Chriſmate confirmaverunt*, ac proinde Deum illis apud Iſaiam improperare dicit: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Deum, blaſphemaverunt ſanctum Iſraël.* Idem quoque ſanctus Pater in cap. 4. ſequenti ejuſdem ſermonis, multis oſtendere nititur differentiam quæ intercedit inter filios Dei & filios Diaboli: *Nam veri filij tolerare non poſſunt, quod verus pater eorum immaniter à blaſphemantibus ſagittetur, de quo filij Diaboli minimè curant. O cor lapideum & ferreum, imo durius omni duriſſimo adamante, tolerare poſſè blaſphemias Domini Dei. Vis noſſe hanc diſtinctionem filiorum Dei & diaboli? audi exemplum ad hoc propoſitum valde notabile.* Refertur enim maritum quemdam ex conjuge ſua tres, ut ipſe quidem credebat, procreaſſe filios; Conjux verò hæc die quodam marito ſuo vehementer indignans in majorem ejus confuſionem ex tribus hiſce filijs, quos omnes ſuos eſſe exiſtimabat, duos ſpurios & illegitimos eſſe dixit, nec tamen quinam illi eſſent, ſpecificare voluit, quoadusque vixit: Mortua autem uxore paulo poſt pater quoque ad mortem usque infirmatus deque filiorum legitimitate ambiguus, teſtamentum condidit, in quo omnium facultatum ſuarum illum conſtituit futurum hæredem, qui ex tribus illis legitimus & naturalis filius ejus eſſet, ceteros penitus exhæredando, nec tamen quisnam ille eſſet, ſpecificando aut diſtinguendo. Mortuo igitur patre ſubito inter illos nata eſt controverſia, quiſnam eorum paternam aditurus eſſet hæreditatem, quolibet eorum ſe legitimum mortui illius patris filium eſſe prætendente: Judex verò filijs prædictis per judicij ſtrepitum coram ſe contendentibus (ut quiſnam filius eſſet naturalis & legitimus certo experiri poſſet) præcipit ut mortui patris & teſtatoris cadaver ad arborem quamdam firmiter alligaretur, *& ut quilibet eorum fratrum ſagitta impeteret Patrem, ut noſcere poſſet ex jactu, quis verus filius ejus eſſèt; fuit forte memor iſte prudentiæ Salomonis 3. Reg. de meretricibus coram eo contendentibus, tam mirabiliter ex vinculo amoris veritatem conjecturantis, & juſtè judicantis: Primus illorum fratrum ſagittam jacit rectiſſime quantum ſapit in cadaver patris defuncti, ſecundus toto conamine nititur ſuperare primum; cum* ad

*S. Tho. 2. 2. q. 13. A. 1.* — *S. Bonav. l. 3. in Pharetra.* — *S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 2. c. 3.* — *1. Cor. 2. v. 8.* — *Iſa. 1. v. 4.* — *S. Bern. ib. c. 4.* — *3. Reg. 3. v. 26.*

*ad tertium pervenitur, concutiuntur viſcera ejus, titubare incepit animus ejus, & cor tremuit, negat natura filij vulnerare propriam carnem patris, horret facinus, pavet vultus, ſtupet ſpiritus, & demum ipſius naturæ vinculo tractus, prælegit potius hæreditate patris naturalem dilectionem, quam ejus ſubſtantiam temporalem, atque judici: Date hæreditatem, cui dare licet, quia potius eligo illam amittere, quam meum licet mortuum vulnerare patrem. Neſcitur rei veritas, palam fit per naturam, quod abſconditum erat per culpam manifeſtatur hic eſſe filius verus, & tota hæreditas ejus in manibus relaxatur.* Hocque factum idem Sanctus applicat omnibus illis, qui Filium Dei pro animarum noſtrarum ſalute in crucis ligno exſanguem pendentem blasphemijs ſuis lancinare & ſagittare exhorreſcunt: *Quis*, inquit, *corde ſenſatus & in zelo Dei vivus; cum ſentit Deum vel Virginem blasphemari, non confodiatur gladio doloris intrinſecus, & ſi non valet manu ulciſci Dominum, non clamet corde, & ore, clamore valido & lachrymis usque ad cælum?*

10. Negari etenim non poteſt, quin is qui blasphemat, quantum in ipſo eſt, per verba ſua contumelioſa ſagittas & jacula ex oris ſui pharetra in Redemptorem noſtrum evibret. Sic enim Thomas Cantipratenſis refert quod dum Lovanij in Brabantia civis quidam timoratæ conſcientiæ mane in die Veneris ſancto ad templum properans, ante tabernam quamdam tranſeundo diſſolutos quosdam juvenes audiret ludentes, Deumque enormiter blasphemantes, viderit pariter in platea quam pertranſibat, multos homines, ex compaſſione miſerabilis cujuſdam hominis graviter ſauciati, ignoti tamen, amare plorantes, eumque circumſtantes quiſnam crimen illud commiſiſſet ſciſcitaretur, reſponderunt, id à juvenibus illis petulantibus, Deumque in taberna ſine intermiſſione blasphemantibus fuiſſe patratum, ad quos proinde ingreſſus execrabile hoc facinus acerrimè illis improperavit, qui tamen id ab ſe minimè factum eſſe conſtanter aſſeverarunt, falſamque hanc de illis conceptam opinionem efficacibus rationibus à ſe niſi ſunt propulſare, utpote qui nec verbis nec factis illi homini ſaucio moleſtiam ullam intuliſſent; quia verò egreſſi ut vulneratum hunc hominem viderent & criminis authorem ab eodem explorarent, ipſum diſparuiſſe invenerunt, idem Author in hæc verba concludit: *Converſi ſinguli ad ſeipſos animadverterunt blaſphemijs ſuis rurſus Chriſtum Dominum contumelijs aſſectum, rurſus improperijs cruciatum.*

Tho. Cantipr. l. 2. Apum. c. 49. p. 9. 10.

11. Judæi in obſervantia Sabbati adeo exacti erant, ut etiam illud ad ſuperſtitionem uſque obſervarent, & tamen ſe poſito omni quoad Sabbatum reſpectu aut religione, in eodem necem procurarunt & intulerunt Chriſto, de quo pleno ore falſi fuerant: *Quia hic homo multa ſigna facit*; & tamen. *Erat enim magnus dies ille Sabbati*; Verum quidem eſt, quod idipſũ invidiæ ſtimulis agitati fecerint; nihilominus veriſimile eſt multos quoque inter illos qui Chriſti necem machinabantur, ab omni fuiſſe paſſione immunes, qui proinde ex ſolius blasphemiæ ab ipſo, ut credebant, prolatæ ſuſpitione (hanc enim illi tamquam mortis inferendæ culpam objiciebant) inducti ſunt ut ſe poſita omni diei Sabbati religione, nec diem, nec Paſchatis ſolemnitatem, nec famam ſanctitatis, miraculorum, prophetiæ &c. qua penes populum clareſcebat, conſiderarent, ſiquidem ad offuſcandum bonum hominis nomen, quantumcumque illud ſit, ſola blaſphemiæ umbra ſufficit. *Blaſphemavit; quid adhuc egemus teſtibus?* quaſi dicerent: Eſto ſit ita, quod videlicet ſit ſanctus miracula patrarit, futura tamquam Propheta prædixerit, mortuos ſuſcitarit, ſi blasphemavit, hoc ad illum in cæteris etiam plane irreprehenſibilem crucifigendum, & atrociſſimæ mortis reum pronuntiandum ſufficit; adeoque ſolo blasphemiæ ſuſpicio mortis Chriſti cauſa fuit.

Joan. 11. v. 47. Joan. 19. v. 3. Matth. 26. v. 65.

12. Supremus ille Judex in noviſſimi judicij die ſeveriorem ſe & implacabiliorem blasphemis exhibebit, quam quibuſlibet alijs peccatoribus, ſiquidem ut in Apocalypſi legitur in prima ſui comparitione, primi, adverſus quos acutiſſimas vindicativæ ſuæ juſtitiæ ſagittas emiſſurus eſt, erunt ij, qui illum blasphemijs impetiverunt: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*, ſiquidem ut paulo ante ex ſententia Oleaſtri diximus, *pungere & transfigere* Filium Dei idem eſt, quod illum *blasphemare*. S. Joannes poſt enarratam Redemptoris Crucifixionem textus illius Zachariæ meminit: in quo dicitur: *Videbunt in quem transfixerunt*. Hi igitur qui illum transfixerunt ſunt illi, qui illum blasphemijs ſuis dehoneſtarunt, & hi primi erunt, contra quos judicij ſui proceſſum inſtituet, ſive primi in quos ſagittæ, quas in cœlum evibrarunt, denuò recident.

Apoc. 1. v. 7.

13. In Crucifixione Redemptoris terribilis ille terræ motus accidit, ex quo montes rupti, ſciſſæ petræ, monumenta aperta, & ſol lugubri chlamyde opertus fuit, quaſi omnes creaturæ armare ſe voluiſſent ad vindicandas Creatori ſuo illatas injurias; ac proinde optime ſanctus Ephrem blasphemum monet, ut & ipſe pariter timeat, & contremiſcat: *Deſine O homo, ne idem ſermo, quem contemnis, flamma fiat in ore tuo, & tuam linguam comburat: Nam ſi homo hominis pugnam ſuſcitans, etiam pace jam facto in conſpectum ejus prodire erubeſcit, quomodo tu hodie in mundo conſtitutus, & cras tribunali ipſius præſentandus, audes talia eloqui? & non metuis, ne forte ignis deſcendat de cælo & devoret te, dum ſic os adverſus Omnipotentem aperis? neque vereris ne forte terra ſub te repentè diſrumpatur & te abſorbeat? Ne decipiaris O homo, impoſſibile eſt enim manus effugere Creatoris noſtri, audi eum qui dicit: Blaſphemantes rationem reddent Deo, qui paratus eſt judicare vivos & mortuos.*

S. Ephrem. T. 2. Paræn. 43.

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Varia conſiderantur in pœnam blaſphemiarum immiſſa ſupplicia, & maximè variæ exercituum ſtrages; Duodecim quoque enumerantur maledictiones in hoſce ſacrilegos pronuntiatæ.

### THEMA.

*Et qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur,* Levit. cap. 24. v. 16.

1. A Signatura Juſtitiæ cœlorum inappellabilis contra blasphemos promulgata eſt ſententia, eademque hic in terris tribunalium mundanorum ſtatutis & decretis inſerta fuit, ſiquidem in arrogantes temerarios illos qui fœtido ore ſuo Altiſſimi Majeſtatem contumelijs onerare non erubeſcunt ſeveriſſimæ ſancitæ ſunt pœnæ, non enim lex Moſaica tantum, ſed & Evangelica blasphemum æternæ mortis reum eſſe pronuntiavit, ac tandem Principes tam Eccleſiaſtici quam ſæculares ſeveris legibus & pœnis in hoſce ſacrilegos ſemper animadverterunt.

Per totum diſcurſum enarrantur ſupplicia blaſphemantium.

2. Sanctus Cyrillus de antiqua lege ſcribit: *Inevitabile ſupplicium Moſaica Lex ijs irrogat, qui in univerſi Deum blaſphemant; Et ſane Ægyptiæ filium in eremo Deus obrui lapidibus ab univerſa Synagoga præcipit, quod nomen nominaſſet, ut ſcriptum eſt, & aliquid nefandum dicere auſus eſſet.* Etenim Moyſes pœnam impio illi blasphemo debitam nequaquam per ſemetipſum decidere, ſed potius à Deo determinandam exſpectare voluit, de quo Pſalmiſta ait: *Juſtus es Domine, & rectum judicium*, ne forſitan dubitare quis poſſet, an ſtatuta blaſphemijs pœna per æquitatem ponderata fuiſſet judicij ſapientiæ illius, de qua Sapiens ait: *Sed omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Cajetanus hanc Dei contempti honorem zelantem condemnationis ſententiam ponderans, ait: *Ecce divini juris decretum de pœna blaſphemi, & utinam hodie ſervaretur, quando jam blaſphemare licet impunè, non ſolum in iracundia (ut iſte litigando blaſphemaverat) ſed etiam colloquendo quietè.* Verumtamen clare ſatis conjicere licet, quod ex quo is qui legem Dei blasphemando transgreditur pœna mortis corporalis afficiendus eſſe decernitur, longè irremiſſibilior ei infligenda ſit æternæ mortis condemnatio. Idem quoque purpuratus Doctor bene notat, quod Moyſes notanter expreſſerit, quod blaſphemus ille in jurgio & litigio conſtitutus Deo maledixerit: *Significanter deſcribitur iſte lapidatus ob blaſphemiam in jurgio, divina ſententia, ut hinc intelligeremus multò magis puniendos, qui quieto animo blaſphemant.* Ab eodem Authore in Poſtilla notatur: quod ad inferendum reis mortem quatuor præcipuè ſuppliciorum genera uſitata fuerint, vel enim occumbere debebant lapidatione, vel igne cremabantur, vel ſtrangulabantur laqueo, vel denique capita eorum amputabantur gladio; atque ex quatuor his mortis generibus, inquit idem Cajetanus, primum quod blasphemis ſtatutum erat, cæteris erat acerbius, ut ex atrocitate ſupplicij colligeretur enormitas peccati.

S. Cyrill. Alex. T. 5. Dial. de SS. Trin. Pſal. 118. v. 137. Sap. 11. v. 21. Cajetan. in Levit.

3. Enim-



3. Enimvero ſi quantum lex naturæ blaſphemiam abhorruerit, conſiderare velimus, utique illam & ab hac mortis ſupplicio dignam judicatam fuiſſe reperiemus, maximè ſi verba illa quibus uxor Jobi illum ad maledicendum Deo inſtigare ſatagebat, ponderaverimus; Dicebat enim illa: *Benedic Deo & morere*; ubi Lorinus ait: *Hortata eſt uxor benedicere, id eſt, maledicere Deo & mori.* Sed inquies, qua ratione peſſima hæc mulier erga ſanctum hunc virum adeo male affecta eſſe poterat, ut illum ad conciliandam ſibi mortem inſtigaret? Nimirum idipſum ad aliquod dolorum ſuorum ſublevamen ſuggerebat, unam ei mortem tolerabiliorem futurum eſſe exiſtimans, quam ſi in tribulatione illa continua poſitus mortes experiri cogeretur innumeras; *Hoc eſt*, inquit præcitatus Lorinus, *ut eo peccato provocaret in ſe Deum, ſicque ab eo interfectus morte faceret miſeriarum compendium*; Et quidem in hanc ipſe ſententiam D. Chryſoſtomum adducit, & alios. Apollinarius in Catena Græcorum Patrum, in eadem eſt opinione, dum ita ſcribit: *Affinitate hæc attingit Diabolum, quæ prava hac narratione, futurorum ſpem viro præcidere conatur, dum inquit: Blaſphemia tibi mortem acceſſe*; Et paulo poſt ſubjungit: *Tu vero quæ de blaſphemia fuerit mulieri ſententia, vide, quod ſcilicet ad repentinam mortem conciliandam ſola ſufficeret.*

Lorinus in Act. Apoſt. c. 6. v. 13. Apollinar. in Cat. Græc. Patr.

4. Sanctus Baſilius in eadem Catena allegatus mulierem hanc operæ pretium ſe facturum eſſe exiſtimaſſe dicit, ſi per blasphemiam, ad quam inſtigabat, divinam viro ſuo iram conciliaret; ut vel hac ratione tandem ad miſeriarum ſuarum finem & terminum pertingere poſſet: *Aperte*, inquit, *viro ſuadebat rectius & utilius futurum illi, ſi verborum impietate Dei mucronem, qui illum exſcindat de terra: exacueret, quam ſi malorum tolerantia certaminum gravem moleſtiam tum ſibi, tum conjugi produceret.*

S. Baſil. in Cat. ibid.

5. Mirum Eccleſiaſticus blaſphemiæ epithetum attribuit; Quodnam verò eſt illud? *Eſt & alia loquela*, inquit, *contraria morti, non inveniatur in hæreditate Jacob*: Paulo ante de juramento locutus fuerat, hic vero de maledictione Dei ſermone inſtituit, licet illam nominatim non exprimat: Complutenſis legit: *Eſt ſermo veſtitus morte.* Tigurina legit: *Sermo morte obvolutus*; verumtamen quocumque modo verba hæc interpretati fuerimus, ſive de morte corporali, ſive de ſpirituali, ſemper id quod veritati conſonum eſt, affirmabimus, quia per hoc peccatum mors æterna ſemper & infallibiliter accerſitur, & ſæpenumero etiam ex juſto Dei judicio mortis temporalis & corporalis reatus conciliatur, prouti multis accidiſſe novimus. Hugo Cardinalis de blaſphemia dicit: *Talis loquela eſt mortis loquentis, hoc eſt, peccatum in Spiritum Sanctum.* Quis eſt ita in Scriptura ſacra imperitus, qui neſciat, quod quia Pharao execrabilem illam contumeliam contra divinam Omnipotentiam evomuit, dicens: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus &c.? neſcio Dominum*; præter decem plagas, quibus à Deo percuſſus fuit, inſuper cum univerſo exercitu ſuo in mari rubro ſubmerſus interierit?

Eccl. 23. v. 15. Tigurina. Hugo Card. ibid. Exod. 5. v. 2.

6. Interlinearis ſuper Epiſtolam S. Judæ Apoſtoli commentando, peccatum ſuam in ſuperbia & elatione animi radicem habere dicit: *Blaſphemabant ex ſuperbia.* Ac proinde ſuperbo Holoferni illum, præter Regem ſuum, Deum agnoſcere detrectanti femineâ dextera, quæ fuſo tractando aſſueverat, tanta cum ſuperbi hujus thraſonis confuſione & ignominia caput à buſto amputari fecit. Rabſaces nimio faſtu turgidus, numeroſiſſimo, quem habebat exercitu ſuo civitatem ſanctam, & univerſum pariter Iſraëlis populum ſimul & ſemel deglutire parabat; ac proinde ad Ieroſolymam converſus dicebat: *Quod ſi dixeritis mihi: In Domino Deo noſtro habemus fiduciam, nonne iſte eſt, cujus abſtulit Ezechias excelſa*; Cumque ſanctus Rex Ezechias ob contumelioſos in Divinam Majeſtatem jactatos blaſphemiarum inſultus contriſtatus, ad Dei honorem defendendum ſe accinxiſſet, dicit paulò poſt Spiritus ſanctus: *Cumque diluculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum*; Deſcendens enim de cœlo Angelus Domini una nocte centum octoginta quinque millium cæſorum militum horrendam & miſerabilem ſtragem inſtituit. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ſuper illa verba: *Et ſurrexit & vidit omnia cadavera mortuorum*, dicit: *Hi pietatis ſunt fructus, hæc eorum, qui blaſphemas in Deum voces non fuerunt, merces.* S. Bonaventura idem exemplum adducens dicit: *Cum Judæos invaderet, & Regem blaſphemaret, in ipſa nocte Angelus Domini occidit centum octoginta quinque millia virorum, & Regem ipſum cum paucis fugientem in ſuis curribus manu filiorum in templo Neſroch Dei ſui occidit.* Herodotus in hiſtoria ſua occiſorum per manum Angeli militum ſcuta & arcus à muribus ſylveſtribus miraculosè corroſa, Regis autem à filijs trucidati capillos & barbam ad majorem ejus ignominiam & infamiam raſam fuiſſe, atque in ſtatuæ cujuſdam ipſum repræſentantis manus murem quemdam inſeruiſſe dicit, cum hac ei ſubnexa inſcriptione; *In me quisquis intuitus fuerit, pius eſto.*

Interlin. in Epiſt. Judæ. 4. Reg. 18. v. 22. 4. Reg. 19. v. 35. S. Cyrill. Alex. lib. de ador. ad Theodor. S. Bonav. ſerm. de SS. Apoſt. Herod. l. 2. Hiſtor.

7. Dixit quondam Propheta ille ad Regem Achab, futurum fore ut Benadad eum iterata vice anno ſequenti cum potentiſſimo exercitu adoriretur, ſimulque monuit ne ob id quidquam formidaret: *Vade & confortare, & ſcito, & vide quid facias, ſequenti enim anno Rex Syriæ aſcendet contra te.* At vero quidnam Achabo infallibilis victoriæ ſpem ſuggerere poterat, ut proinde omnem metum deponere juberetur; licet anno præcedenti armorum Syriæ potentiam ſatis expertus fuiſſet? Dixit Michæas ad Achab: *Servi Regis Syriæ dixerunt ei: Dij montium ſunt Dij eorum, ideo ſuperaverunt nos; ſed melius eſt ut pugnemus contra eos in campeſtribus*; Nimirum exiſtimavit Propheta, nec immerito, Deum ad honorem ſuum à ſervis Regis Syriæ graviter læſum defendendum, ſumendamque de atroci ſibi illata contumelia condignam vindictam, magnopere obligari; Nec eum ſua fefellit opinio; nam mox *accedens unus vir Dei dixit ad Regem Iſraël*, quando ſcilicet in adeundi certaminis procinctu erat: *Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium eſt Dominus, & non eſt Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & ſcietis quia ego ſum Dominus*: At vero quis aut qualiſnam erat ille, cui Deus hanc promittebat victoriam? utique Rex quidam divinæ ejus legi & voluntati rebellis & obſtreperus, Achab videlicet impius & ſacrilegus; Et ratio cur hunc impium Regem hac tam inſigni victoria honorare voluerit, hæc eſt quia Deus nullum habebat ad ejus demerita & ſcelera reſpectum, ſed potius injurias ſibi per Syrorum blaſphemias illatas vindicare ſtatuerat; ac proinde hinc haud obſcurè colligere licet, quod ex quo auxilia ſua illis qui ea minimè merentur, impertiri dignatur, longè efficaciora præſtiturus ſit illis, qui debita cum devotione & fiducia invocant illum, ſeque per ſanctæ legis ſuæ obſervantiam ad illa accipienda dignos efficiunt. Porro Author quidam obſervat, quod ex blaſphemia Sennacherib non ſolum univerſale totius exercitus ipſius exterminium, eique à proprijs filijs illata mors, verum etiam potentis adeo & formidabilis Aſſyriorum Monarchiæ ſubverſio, variæ quoque Provinciarum & Regnorum diviſiones ſubſecutæ fuerint, adeo ut deinceps non niſi meros Dominia ipſius Tyrannos habuerint.

3. Reg. 20. v. 22. 3. Reg. 20. v. 23. 3. Reg. 20. v. 28. Ibid.

8. Ubi vulgata noſtra in Epiſtola Jacobi legit: *Blaſphemaverunt ſanctum Iſraël*, in Hebræo dictio quædam eſt idem ſignificans, quod *ad iracundiam concitarunt*, quia peccatum iſtud omnes cœleſtis armamentarij ſagittas & fulmina in ſe evocat; Unde ſeptuaginta legunt: *Ad iracundiam concitaſtis ſanctum Iſraël.* Et ideo Judæi quando Salvatori non ſolum blaſphemo ore dicere non erubuerunt: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes*, verum inſuper ſacrilegas manus lapidibus in eumdem projiciendis armarunt, juſto Dei judicio fuere promeriti, ut Romani in juſtum ſacrilegæ transgreſſionis ipſorum ſupplicium Jeroſolymis ne lapidem quidem relinquerent ſuper lapidem: *Et circumdabunt te inimici tui vallo, ... & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Similiter quando temerarius ille Nicanor, templo Dei totale comminando exterminium dixit: *Si eſt potens in cælo &c. Et ego potens ſum ſuper terram.* Judas Machabæus Deo ſupplex factus eſt & dixit: *Tu Domine, qui miſiſti Angelum tuum, ſub Ezechia Rege Juda, & interfeciſti de caſtris Sennacherib centum octoginta quinque millia: Et nunc Dominator cælorum mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore & tremore magnitudinis brachij tui, Ut metuant qui cum blaſphemia veniunt adverſus ſanctum populum tuum, ... Proſtraverunt non minus triginta quinque millia ... Præcepit autem Judas ... caput Nicanoris, & manum cum humero abſciſſam Jeroſolymam perferri, Linguam ... præciſam juſſit particulatim avibus dari.*

Iſa. 1. v. 4. Ioan. 8. v. 48. Luc. 19. v. 44. 2. Mach. 15. v. 3. Ibid. v. 5. Ibid. v. 22. Ibid. v. 23. Ibid. v. 24. Ibid. v. 27. Ibid. v. 30. Ibid. v. 33.

9. Refert Pater Jeremias Drexelius, quod magnanimus ille ſummaque militari experientia præditus miles Oliverius Trempelius Bruxellis exiſtens anno ſalutis 1580. Urbis Hallenſis obſidionem machinatus

Drexel. p. 1. c. 6.

fuerit,

fuerit,huicque ſe facinori tanto majori cum audacia & arrogantia accinxerit,quanto plures è civitatibus confinibus in ſuam redegerat poteſtatem, quantoque certior erat, quod ad urbis illius defenſionem vix quadraginta præſidiarij milites reperirentur, ijque omnes inexperti & imbelles; Cumque primo obſidionis die è circumvallationis lineis depulſi ejus milites fuiſſent, ipſe bellico uſus ſtratagemate in primis ſe ſoluta obſidione recedere velle finxit, quaſi de loco invadendo aut armis ſuis ſubjugando deſperans; at vera congregatis ex vicinis locis præſidiarijs, cum ingenti milite ex improviſo ad obſidionem proſequendam reverſus eſt, cumque ſub crepuſculum veſpertinum diei ſequentis applicatis ad mœnia ſcalis, alijſque ordinatis inſtrumentis bellicis inſultum facturus de victoria & urbe capienda certum ſe eſſe credidit, quidam militum ſuorum nomine Joannes Schvvichius ſe mulierculæ Hallenſi (hoc nomine Beatam Virginem Mariam, quæ Hallis mirifice colitur, contumelioſe appellabat) proprijs manibus nares præſcindere velle per ludibrium jactitavit, at verò blaſphemiæ ſuæ pœnam protinus luere debuit, ſiquidem dum ad Hallenſis oppidi valla perurgeret, evibratus è ſclopeto globus naſum ei penitus ſuſtulit, adeòque ad majorem ejus ignominiam ſupervivens unicuique ludibrio erat: Quisquis enim illum videbat illum deridendo dicebat: Hallam abito, ut naſum tibi ademptum recipias.

*S. Greg. Turon. l. 2. Hiſt. Franc. c. 7.*

10. Sanctus Gregorius Turonenſis refert, quod cum Urbs Aurelianenſis à Gothis arcta obſidione cincta eſſet, & Anianus Epiſcopus loci illius, una cum univerſo Clero pro cœleſti ſubſidio impetrando mœnia obambularet, ſacerdos quidam, qui penes hoſtem captivus detinebatur, idipſum audiens ſancto Epiſcopo: Nihil ipſum contra hoſtem obtenturum eſſe dixit cantando, utpote qui armis non cantibus fugandus eſſet, id quidem alibi quoque cantando tentatum fuiſſe, ſed effectu prorſus irrito atque inani; Quæ verba cœlum aure minime ſurda percipiens, contumeliam hanc morte ſubitanea mulctavit.

*Drexel. de lingua deridente c. 14. n. 3.*

11. Refert P. Jeremias Drexelius, Danos Anno ſalutis 845. quando Chriſtiana nondum fide initiati erant, univerſam Franciam pervagatos, urbe Rhotomagenſi capta, ipſam quoque civitatem Pariſienſem armis ſuis ſubjugatam ingreſſos fuiſſe, ubi poſtquam S. Germani monaſterium omnibus rebus ſpoliaſſent, tandem pacis articulis cum Carolo Rege pactis, ſe ad inferenda Regno illi damna numquam redituros eſſe jurarunt. Regenerius autem Dux exercitus illius præcipuus, dum ſe Pariſios ſubjugaſſe & monaſterium illud deprædatum fuiſſe inaniter gloriaretur, inter cætera, Pariſijs mortuos vivis longe robuſtiores eſſe dixit, ſiquidem à nemine majorem expertus fuiſſet reſiſtentiam, quam à ſene illo decrepito Germano; Et ſubito his dictis toto corpore contremiſcere, intumeſcere, & per terram ſe volvendo repere cœpit, altumque vociferari & dicere: Germanus hic adeſt, qui baculo ſuo me percutit; Et licet Chriſtianam ſe Religionem amplecti, & in ſancti illius Epiſcopi honorem ſtatuam quamdam argenteam corporis ſui pondus adæquantem erigere velle promiſiſſet, exaudiri tamen nequaquam meruit, ſed miſerabiliter expiravit.

*Baron. An. 886. n. 7.*

12. In Annalibus Eccleſiaſticis de Baſilio Imperatore ſcribitur, quod cum per cujuſdam Andreæ belli & exercitus ſui primarij Ducis, & eximia pietate conſpicui viri manum, eximiam contra Saracenos Tharſis regnantes obtinuiſſet victoriam, ſequentis tenoris ad jam dictum Ducem miſſa fuerit litera: Scito quod experientiam facere decreverim, an filius Mariæ, ejuſque pater tibi auxiliaturi ſint, ſiquidem proximis diebus una cum toto exercitu meo, vires tuas explorabo; Quam blaſphemam epiſtolam præfatus belli Dux, ad quamdam Beatiſſimæ Virginis imaginem ſuſpendens dixit ei: Ecce ô Deipara Virgo, & tu vere & vive Dei & æterni Patris Filij, ecce inquam quænam Barbarus iſte adverſus ſanctũ nomen tuum & fidelem populum tuũ exprobrarit, & ſuperbe effutierit; Hiſque dictis una cũ univerſo exercitu ſuo Tharſum concedens, hoſtemque in prælium provocatum, commiſſa cruenta utrimque pugna, feliciter proſtravit, & quidem impius ille ſacrilegusque blaſphemator primus omnium cecidit.

*An. Ray. anno. 1209. n. 22.*

13. In ijſdem Annalibus, quos Odoricus Raynaldus feliciter eſt proſecutus circa annum 1209. ſcribitur, quod poſtquam Cruce ſignati conſilio & auxilio Innocentij Papæ III. in Francia ſuffulti ad Biterras caſtra defixiſſent, eamdem urbem Biterrenſem ipſo die ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſacro in ſuam redegerint poteſtatem, ubi dictus Raynaldus ex Cæſario Heiſterbacenſi ita exclamat: *O juſtiſſima divinæ diſpenſationis menſura! Dicebant Hæretici Beatam Mariam Magdalenam fuiſſe Chriſti concubinam, propterea in Eccleſia ipſius, quæ erat in civitate, cives Biterreſes Dominum ſuum occiderant, Epiſcopo ſuo dentes confregerant; Merito igitur in illius feſtivitate capti ſunt & deſtructi, de qua contumelioſa tot dixerant.*

*Rayn. Anno 1239. n. 29.*

14. In ijſdem Annalibus circa annum ſalutis 1239. refertur, quod veſani nonnulli Frederici II. Imperatoris ſectatores, præterquam quod Gregorio Papæ IX. hic Romæ graviter detraxiſſent, inſuper eum in feſti aſſumptæ in cœlum Virginis pervigilio Salvatoris imago per urbem ex antiquo more circumlata eſſet, atque in atrio Eccleſiæ S. Mariæ novæ reponeretur, ſe nullum alium Salvatorem, quam Imperatorem agnoſcere blaſphemis vocibus exclamarint; de qua blaſphemia vitæ dicti Gregorij Papæ ſcriptor ſequentia ſubjunxit: *Blaſphemis quibuſdam ſacrilega voce clamantibus: Ecce Salvator, veniat Imperator, turris in ignominiam Sponſæ Chriſti* (in quodam Frangipanenſium territorio) *de ſanguine pauperum & lachrymis viduarum è vicino erecta, mox everſa funditus, blaſphemantium multitudinem judicio divinæ ultionis oppreſſit, ut quaſi non ſuſtinens Salvatoris injuriam inſenſibilis creatura, Creatori de hoſtium vindicta ſerviret, & elementa muta cognoſcerent, quem rationale animal non cognovit, ac injuriam in ſuo ſuſceptam Vicario Salvator ipſe non videretur tranſire inultam.*

*Tob. 13. v. 16.*

15. In libro Tobiæ Divinum quoddam atrocemque comminationem contra blaſphemos fulminans, recenſetur Oraculum: *Maledicti erunt, qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes qui blaſphemaverint te.* Sanctus Bernardinus duodecim enumerat maledictiones, quibus ſacrilegi iſti ſubjacebant, eaſque ex Pſal. 68. adducit, quarum prima eſt; *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum*, quæ verba hoc modo declarat: *id eſt, cibus & potus tranſeuntes per illud maledictum os & gulam, coram impijs in laqueum fient, ſcilicet ſuffocationes & culpæ.* Secunda maledictio eſt: *In retributionem id eſt: Creaturæ omnes ei maledicent*, tam eæ quæ in terra, quam quæ in cœlo & inferno ſunt, tam ſenſibiles, quam inſenſibiles & irrationales, idque in condignam blaſphemiæ pœnam, qua communem omnium Creatorem injuria afficere non dubitarunt. Tertia maledictio eſt: *In ſcandalum, ſcilicet commenſalium ſuorum, vel omnium cæleſtium, qui indignantur & ſcandalizantur, quod cibus & potus, qui ſunt creaturæ Dei, tranſeant per illud iniquum os.* Quarta eſt: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, ſcilicet ſpiritualia, cæci mente, neque corporalia cæci corpore.* Quinta maledictio eſt: *Et dorſum eorum ſemper incurva; dorſum, ubi renes, & affectus eorum ſunt, ſemper incurva, hoc eſt, in peccatorum ruinam.* Sexta maledictio eſt: *Effunde ſuper eos iram tuam*, adinſtar bullientis aquæ, quæ animalibus immundis ſuper infunditur, ut pili eorumdem radantur. Septima à præcedenti parum differt: *Et furor iræ tuæ comprehendat eos, quia ſcilicet ſicut fur comprehendentur inter anguſtias deſperatæ mortis.* Octava imprecatio eſt: *Fiat habitatio eorum deſerta*, id quod ſanctus Bernardinus literaliter adimpleri dicit, *cum moriantur & relinquant alienis domos & divitias ſuas.* Nona maledictio eſt: *Et in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet*, quia communiter illos conſequitur mortalitas in filijs, & alijs ad eorum familiam pertinentibus, cujus maledictionis rationem Pſalmiſta protinus ſubjungit dicens: *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, id eſt*, ut ſanctus Bernardinus ait: *In paſſione, juxta illud Iſaiæ 53. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, dicit Dominus, perſecuti ſunt, ſcilicet blaſphemijs, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt, videlicet, ut prædictum eſt, gravius offendendo, quam Judæi.* Decima quæ blaſphemis immittitur, maledictio eſt, quod illos iniquitatibus cumulatim adaugeat: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, id eſt, permitte Domine, ut veniant de iniquitate ad iniquitatem, ſicut Pſalmiſta ait: Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Undecima continet in ſe comminationem jacturæ omnium operum bonorum: *Et non intrent in juſtitiam tuam, id eſt, amittant omnia opera bona.* Ultima ſe habet in ordine ad æternam reprobationem: *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur, id eſt, de & in cælo appareant de libro vitæ.*

*S. Bern. T. 1. ſer. 41. A. 3. c. 1. — Pſ. 68. v. 23. — Ibid. v. 24. — Ibid. v. 25. — Ibid. v. 26. — S. Bernard. — Ibid. v. 27. — Iſa. 53. v. 8. — Pſ. 68. v. 28. — Pſ 34. v. 6. — Pſ. 68. v. 28 — Ibid. v. 29.*

*Baron. An. 768.*

16. Enimvero quotidiana nos ſemper experientia docet, quod potior impiorum iſtorum blaſphemantium pars igne pereat, qui quoddam eſt ſecuturi ignis infernalis præludium. Etenim in Baronio de Conſtantino



ſtantino Copronymo Imperatore forinſecus quidem quoad habitum Chriſtiano, intrinſecus vero Judæo legitur, quod juratus fuerit Beatiſſimæ Virginis inimicus, qualem ne quidem in neceſſitatibus invocari volebat; illam aſſerendo nullam conferre poſſe invocantibus eam ſubſidium, quamque honore quidem dignam fuiſſe dicebat, quamdiu Chriſtum in utero ſuo ferebat, non vero poſtquam Chriſtum è caſtis viſceribus ſuis enixa fuit, utpote quæ tunc alijs mulieribus nihilo ab illo credebatur eſſe dignior aut melior; Hic autem Anno ſalutis 775. talem vitæ ſuæ finem habuit; nimirum moriendo lamentabiliter clamavit dicens: *Vivens adhuc igni ſum inextinguibili traditus.* Unde opinionem ſuam retractavit, Beatamque Virginem velut Dei matrem honorari præcepit. Alius quidam Author de auriga quodam, qui viatores Pariſijs ad S. Dionyſium in curru ſuo vehere ſolebat, refert, quod dum ad quamvis obviam minimam occaſionem blaſphemaret, flamma quædam cœlitus delapſa ipſum invadens, ipſum abſque ulla viatorum læſione vivum combuſſerit.

*Tilm. Bredenb. l. 7. Collat. ſac. c. 35.*

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

Blaſphemiæ varias populis ſuperinducunt calamitates publicas, ſuntque multorum infortuniorum cauſa.

## THEMA.

*Fructum eorum de terra perdes, . . . quoniam declinaverunt in te mala.* Pſalm. 20. v. 11. & 12.

*Blaſphemi tripliciter puniuntur. — Pſ. 20. v. 9. — Ibid. v. 10.*

1. POſtquam Pſalmiſta regius ultricem ſuper inimicos ſuos Dei manum invocaſſet dicens: *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis; dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt; Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis*, demum varias refert calamitates, quæ impios illos manent, per quos ex mente S. Bernardini blaſphemi ſpecialiter intelliguntur. *Audi quid contra eos Pſal. 20. dicatur: Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum, quoniam declinaverunt in te mala, in quibus verbis tres maledictionum ſpecies annuntiat Propheta omnibus blaſphematoribus ex ore Dei; Prima eſt maledictionum æternalium: Fructum eorum de terra perdes; Secunda temporalium: Et ſemen eorum à filijs hominum; Tertia maledictionum ſpiritualium: Quoniam declinaverunt in te mala, quæ omnia propter hoc ad literam ſuper Judæos miſit Deus, juſte enim tales & conſimiles ſceleſti homines maledictionibus replentur à Deo.*

*S. Bern. T. 1. ſer. 41. in princ.*

*Bullar. noviſſ. T. 1. Bull. 23. — Blaſph. cauſa calamitatum.*

2. Julius III. Pontifex Max. peccatum hoc in quadam Bulla ſua deteſtans, debitaſque temerarijs tranſgreſſoribus pœnas imponens, blaſphemias tot calamitatum & miſeriarum, quibus populi affliguntur, unicam cauſam eſſe aſſerit: *Ut minime mirandum ſit*, inquit, *ſi à Chriſtianis populis in tantis calamitatibus conſtitutis divinæ iracundiæ flagella non amoveantur.*

*Juſtin. Imp. Auth. ut non lux. hom. Novell. 77. — Non manet impunita.*

3. Juſtinianus Imp. in Authentica: *Ut non luxurientur homines, Novell. 77.* maledictiones contra Deum blaſphemo ore pronuntiatas magna cum ſolicitudine prohibet, ejusque mox cauſam ſubdit dicens: *Si enim contra homines factæ blaſphemiæ impunitæ non relinquuntur, multo magis qui ipſum Deum blaſphemant, digni ſunt ſupplicia juſtinere propter tua enim delicta & fames & terræ motus & peſtilentiæ fiunt.* Dum Princeps aliquis à ſubdito ſuo injurijs laceſſitur, bonorum confiſcatione, imo & morte talis pœnam luere debet: Quod ſi vero injuria ab alto procedat videlicet ab alio quodam Principe, ad illam condigna vindicta diluendam armantur confeſtim ſubditi, potenteſque congregantur exercitus; quanto igitur magis timendum nobis erit, ne Deus noſter propter injurias & blaſphemias ab hominibus viliſſimis terræ vermiculis eidem illatas, juſtè indignatus, ſuas contra nos creaturas ad arma compellet: *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum; cruenta excitando bella*, famemque, ſterilitatem, peſtilentiam aliaque ſimilia illis infortunia & ærumnas immittendo. Ac proinde ſupra memoratus Imperator rationem reddere volens, cur tot contra blaſphemiæ peccatum pœnas decernat, id ſe non ſolum ob Dei contumeliati honorem defendendum feciſſe dicit, verum etiam ut flagella & calamitates publicas à Republica amoveat: *Præcipimus præfecto regiæ civitatis ultimus ſubdere ſupplicijs, ut non ex contemptu talium inveniatur & civitas & Reſpublica per hos impios actus lædi.*

*Sap. 5. v. 18.*

*Hinc flagella Dei. — Gerſ. T. 4. Conſid. 4.*

4. Enimvero quod blaſphemiæ præcipua cauſa ſint, cur tot calamitates & flagella populos opprimant, Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis his verbis manifeſte declarat: *Peccatum blaſphemiæ eſt magna cauſa peſtilentiarum, bellorum, famis, & aliarum tribulationum in Chriſtianitate & ſpecialiter in nobili regno Galliæ*; Idemque ulterius pergit dicendo, quod tametſi regnum iſtud Chriſtianiſmi nobile nomen obtineat, in eo tamen plus quam in alijs mundi regnis peccatum iſtud radices firmiores habeat *in magnam ſuam infamiam atque evidens damnum & deſolationem.*

*S. Bern. T. 2. ſerm. 18. A. 1. c. 1.*

5. S. Bernardinus cauſas inveſtigans, cur Deus ad terram varijs modis caſtigandam Divinæ iræ ſuæ fulmina in eamdem tam frequenter immittat, primo loco Blaſphemiam adducit, idque ex claro quodem textu Iſaiæ cap. 1. convincit: Ibi namque poſtquam dixiſſet: *Blaſphemaverunt ſanctum Iſraël*, immediatè ſubjungit dicens: *Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens A planta pedis usque ad verticem, non eſt in eo ſanitas, vulnus & livor, & plaga tumes, ... Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni, regionem veſtram coram vobis alieni devorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili, Et derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea.* Quod ſi quis per exactam notitiam ea, quæ Deus habet Divinæ juſtitiæ ſuæ motiva penetrare poſſet, ob quæ tot provinciarum exterminia, quæ hiſce diebus oculis noſtris perſpicimus, permittit, is utique illa ſuam ex blaſphemiæ horrore originem & cauſam trahere intelligere poſſet. S. Valerianus inquit: *Hoc habet ſemper lingua malitioſa commercium, at licet ſerat, odia moveat, mortes acquirat, ita in hoc loco Salomone dicente: lingua multos conturbavit pacem habentes*; imo quod vel maxime propoſito noſtro deſervit, eſt id quod ſtatim ibidem ſequitur: *Civitates muratas divitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit.* Merito proinde D. Chryſoſtomus populũ ſuum Antiochenum ad blaſphematricem linguam coercendam & refrænandã hortatur, ut innumerabilium malorum, quæ in illius pœnam cum extremo populorum exterminio immittuntur, ora imo voragines occludere valeat: *Obſtruamus eorum ora tamquam fontes mortiferos, occludamus & penitus evaneſcant mala, quæ civitates comprehenderunt.*

*Iſa. 1. v. 4. — Ibid. v. 5. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 7. — Ibid. v. 8. — S. Valer. Homil. 5. de oris inſolentia. — Eccl. 28. v. 16. — Ibid. v. 17. — D. Chryſ. Hom. 2. ad pop. Antioch.*

*Blaſphemi ab urbe proſcribantur.*

6. Sciendum vero eſt, quod idem S. Doctor in eadem Homilia paulo ante Antiochenos inſuper hortatus fuerit, ut ſacrilegos illos & impios blaſphemantes ſumma cum ſeveritate caſtigent, à civitatibus expellant: & in exilium proſcribant: *Sed & aliam à vobis nunc mercedem exegi; forte noſtis & meminiſtis? quæ vero erat merces: Civitatis blaſphematores punire & caſtigare, Deum contumelia afficientes; non ex meipſo talia dixiſſe arbitror, ſed Deum talia prævidentem in mentem noſtram verba miſiſſe.* Ex hiſtorijs namque conſtat urbem Antiochenam hujus S. Doctoris tempore ob multas calamitates & immiſſa ærumnas ſupra modum afflictam fuiſſe, atque ideo tamquam ſanctus & ſolicitus Paſtor mox ſubjungit, quod ſi nos blaſphemos mature ſatis ab hujus urbis incolatu ejeciſſemus, utique præſentes nos anguſtiæ minimè premerent: *Si enim talia auſos puniſſemus, non talia nunc accidiſſent, quæ acciderunt. Ecce crimen à paucis commiſſum eſt, & culpa communis efficitur; ecce propter illos nunc omnes paveſcimus, & ab illis patratorum pœnas ipſi juſtinemus.* Pergit ulterius S. Doctor, & numquam ſe deſtitiſſe dicit monendo eos, ut blaſphemi rigido punirentur exilio & proſcriptione perpetua: *Clamare & conteſtari non deſtiti: blaſphemantium furorem puniamus, ſi hoc facientes mori oporteat, magnam nobis hoc afferret lucrum, ne communem Deum contumelijs affici negligamus, magnum civitati malum pariet talia deſpicere, hæc prædicebam, hæc nunc acciderunt.*

*Ne propter hoc omnes affligantur incolæ.*

7. Ob læſæ majeſtatis crimen in præjudicium vitæ Principis alicujus commiſſum non ſolum delinquentes principales puniuntur, verum etiam exilio mulctantur & extirpantur illorum familiæ, ſolotenus eorum quoque domus devaſtantur & exſcinduntur: Cum igitur blaſphemiæ crimina ſint læſæ majeſtatis contra Deum immediate & in ſemetipſo contumeliatum commiſſa, mirum non eſt, ſi eodem quoque modo non ſolum rei immediati & principales caſtigentur, verum etiam debita ipſis ſupplicia per ærumnas & calamitates univerſales in populum concivem & civitates, quas incolunt redundent.

*Contra Blaſph. certa Victoria.*

8. S. Ezechias Rex utpote à Deo magnopere illuminatus mox ut horrendam Sennacherib blaſphemiam audivit, certam contra ipſum obtinendam victoriam in manu ſua ſe habere exiſtimavit, neque tam Jeroſo-

Jeroſolymæ fortificationibus, munitionibus, victualium annonæ, militumque ſuorum generoſitati innixus eſt, quam indubitatæ ſpei, quam de Deo protinus concepit, qua futurum eſſe confidit, quod Deus honorem ſuum ab inimico ſuo Sennacherib enormiſſime læſum defenſurus eſſet, vindicando illatas ſibi per blaſphemiam graviſſimas injurias. Unde ſanctus Cyrillus Alexandrinus ait: *Convitia in Deum detorta ægerrimè ferens Rex, eaque ſi diſſimularentur, capiundæ civitatis cauſam eſſe poſſe piè prudenterque conſiderans, & ſe nihilominus ab ipſo blaſphemarum vocum crimine exſolvere percupiens, derepente conſciſſa veſte in domum Dei aſcendit, precibuſque, quibus potuit, iræ divinæ ſe oppoſuit*: Sciebat enim, quod eo ipſo, quo de illatis Deo injurijs intrinſecum cordis exterius teſtaretur dolorem, Divinamque ejus juſtitiam ad injurias illas debite mulctandas imploraret, conſequens futurum eſſet totius hoſtilis exercitus infallibile exterminium. Concilium quoque Epheſinum eadem præcitata S. Cyrilli verba adducit, dum de hac materia tractans utilitates enarrare nititur, quas injurias Deo illatas rigide vindicando conſequimur.

S. Cyrill. Alex. l. de fide ad Theod.

Conc. Epheſ. Oecumen. T. 1. c. 4.

9. De Marco Epheſino Hæreſiarcha & blaſphematore peſſimo, qui diſponente Deo in diſputatione quadam convictus & confuſus præ rabie crepavit, & cum blaſphemum os ſuum conſpurcaſſet ſtercore ad inſtar Arrij cum ſtercore animam effudit, notabilis quædam Hiſtoriæ ad præſens propoſitum optime deſerviens circumſtantia ſcribitur, nimirum: *Creditus eſt hic vir impius extremi Græcorum excidij author, cum ij ob ſchiſma deſerti à Deo in Turcicam ſervitutem ſint addicti*. Iſaias Propheta de mancipatu & ſervitute Iſraëlitici populi loquens dicit: *Gratis vænundati eſtis &c. In Ægyptū deſcendit populus meus in principio, ut colonus eſſet ibi, Dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus*; cauſam vero, unde hæc ſervitutis & tyrannis derivabatur demonſtraturus, ſubjungit dicens: *Et jugiter tota die nomen meum blaſphematur*. Eundem vero populum ſuum à prædictæ ſervitutis jugo liberaturus, eumdem populum ſanctiſſimi nominis ſui dignitatem agniturum eſſe dicit: *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ipſe, qui loquebar, ecce adſum*. Ipſi namque ſanctiſſimum Jeſu nomen imponendum erat, ipſe enim ſalvum fecit populum ſuum, facietque deinceps per devotam ejuſdem ſanctiſſimi nominis venerationem & religioſum obſequium.

An. Rayn. 1445. n. 17. Hiſtoria.

Iſa. 52. v. 3. Ibid. v. 4. Ibid. v. 5.

Ibid. v. 6.

10. Narrat Drexelius, quod Batavi, poſtquam Sacriſtiam Beatiſſimæ Virginis Sichemenſis deprædati fuerunt, multas deinceps valde præcipuas amiſerint civitates. Oſtendam nimirum & Bredam, multaque alia infauſta & funeſta illis acciderint; Et quidem hoc loco ſileri non debet, quod ex prædonum illorum numero unus fuerit, qui equo cæco inſidens per ludibrium dixit: Eja Maria nunc miracula faciendi tempus adeſt, ſi potes, huic equo meo viſum reſtituas; quibus verbis dictis, equo quidem oculorum lumen reſtitutum fuit, ipſe autem blaſphemus prædo penitus excæcatus remanſit, in mulctam criminis, quo Deiparam Virginem ipſe deriſerat.

Drexel. p. 1. c. 7. Hiſtoria.

11. Enimvero in libro 2. Regum evidens quoddam habemus teſtimonium, ex quo manifeſte videre licet, quod infortunia tam privata, quam publica effectus ſint blaſphemiarum & injuriarum, quibus ſuprema illa Majeſtas ignominioſe afficitur. Nathan enim ex ſpeciali Dei juſſu David dixit: *Ecce, ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, &c.* ... *non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum, filius qui natus eſt tibi, morte morietur*; unde autem cuncta hæc flagella derivata fuerint, clarè ſatis indicatur; dum ſubditur: *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini*.

Blaſp. effectus calamitates.

2. Reg. 12. v. 11.

Ibid. v. 14.

12. Author Catenæ illa Exodi verba gloſſando: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra*, ad cœlum uſque ſæculi ſui lamentatur abuſum, quo ſanctiſſimum Dei nomen non jam dico blaſphematur, ſed exiguo cum reſpectu & reverentia profertur: *Quis ſatis enumerare & plangere valet*, inquit *peſſimos mores & eloquia noſtri ſæculi? at ſi aliud crimen noſtrum nullum extaret (quæ tamen maxima ſunt ſine numero) unicum illud blaſphemandi & pejerandi nefas ſufficeret, involvere nos digne omnibus & majoribus malis & calamitatibus, ac miſerijs, quibus merito noſtro ſæculo premimur & premimur, ſi ut cæptum eſt, pergere voluerimus*; ac proinde ſi hæc calamitates ijs, qui Dei nomen modica cum reverentia proferunt irrogantur in pœnam, quid ijs contingent; qui illud blaſphemando tanta cum contumelia dehoneſtant?

Exod. 20. v. 7. Lipom. in c. 20. Exod.

13. Tobias clarè nobis indicat, quod ingens illa ab Angelo centum octoginta quinque millium militum illorum facta ſtrages, non tam pro urbis Jeroſolymitanæ conſervatione, vel pro defenſione populi Judæorum, aut pro tutando templo, vel religione & cultu ejus in ſancta illa civitate ſuſtinendo, quam ad vindicandam horrendam Sennacherib blaſphemiam potiſſimum inſtituta fuerit: *Denique cum reverſus eſſet Rex Sennacherib fugiens à Judæa, plagam quam circa eum fecerat Deus, propter blaſphemiam ſuam*. Blaſphemi igitur hujus in Deum increduli Regis, caro ſatis pretio ipſi conſtitit, quia eamdem tam floridi exercitus ſtrage, tot Provinciarum ingenti cum labore comparatarum jactura denique violenta & ignominioſa morte ſua luere debuit.

Tob. 1. v. 21

14. Deus olim Moyſi præcepit dicens: *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus*. Sed cur illum extra caſtra educi voluit. De S. Stephano quoque legimus, quod cum lapidandum è civitate ejecerint; *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant, ne illam*, ut Cornelius à Lapide inquit, *ſeu blaſphemia contaminaret*; Blaſphemia enim ſcelus quoddam eſt adeo horrendum, ut divinæ iracundiæ flagella civitatibus ſuperinducat, atque ideo Blaſphemi velut morticinum quoddam è civitatibus ejiciebantur, tanquam hominum conſortio indigni, & Reduspubl. pernitioſiſſimi. Quod vero Deus inſuper cunctos capiti ipſius malefactoris manus imponere juſſerit, id fecit eo fine, ut hoc ritu ſe nullam in illa blaſphemia partem aut conſortium habere proteſtarentur, & conſequenter ſe juſtificarent, ſeque ab hoc ſupplicio, quod blaſphemus meritus fuerat; indemnes efficerent, illudque ſolius ipſius capiti imponerent. Dicit inſuper ſacer textus: *Lapidet eum omnis populus, cujus cauſa videtur eſſe*, inquit Abulenſis, *quia illud peccatum eſt publicum, ſcil. quod qui committit illud peccatum, in communitatem peccet, cum publicè offendat Deum, & Dominum communitatis*. Idem quoque Doctor plures alias rationes conſiderat, ob quas omnes blaſphemum lapidare juſſi fuerint; quarum prima eſt, quia ille Deum communem Creatorem, cui unuſquiſq; honorem debet & reverentiam, blaſphemando, omnibus injuriam intulerat. Secunda eſt, quia lapidatio illa; ſpecies quædam erat cultus, quem omnes unanimiter Deo exhibebant, *nam erant omnes ſubditi Deo, & tenebantur honorare eum, ideo ad omnes pertinebat ulciſci injurias Deo illatas*. Tertia ratio cæteris potentior hæc eſt: *Ut cum venirent omnes ad blaſphemum lapidandum, viderent atrocitatem mortis, & quod nulla miſericordia habebatur cum eo, qui talia commiſerat, ideo videntes omnes timerent talia committere, quod non fieret, ſi pauci viderent iſtas executiones pœnarum*. Prædictis rationibus aliam quoque ad præſens propoſitum haud parum deſervientem adjungere poſſumus; quia enim blaſphemiæ divinæ iracundiæ flagella è cœlo ſuper nos provocant, hæcque nonnumquam ob miſerias & calamitates publicas ipſis quoque innocentibus immitti ſoleant, ideo ut ſe ab illis, quantum eis poſſibile erat, eximerent, juſtum erat, ut hoc actu ſe blaſphemias execrari & abominari proteſtarentur, quas adeo rigide & ſevere caſtigabant. Oleaſter inquit: *Super caput ejus deberent mali ab omnibus, qui eos malos noverunt deſignari, & quaſi oſtendi; ubi etiam docemur, mundi expiationem eſſe malorum occiſionem*.

Levit. 24. v. 14.

Act. Ap. 7. v. 57. Cornel. à Lapide.

Blaſph. Civitatibus calamitates inducit.

Levit. 24. v. 14. Abul. ibid. Q. 11.

Oleaſt. ib.

15. Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica Maximiani Imperatoris odium, quo Chriſtianos proſequebantur, tantum fuiſſe refert, ut multas adverſus Chriſtum componi fecerit blaſphemias, eaſdemque ſcholarum didaſcalis ſeu ludimagiſtris dari & diſtribui præceperit, ut ſcholares eaſdem edocti, ad majus fidei noſtræ ludibrium per vicos & plateas publicas decantarent, ut tanto firmius teneræ illius ætatis menti & memoriæ imprimerentur: At vero per ſævam adeo peſtilentiam punitus fuit, ut mortuorum cadavera ob nimiam illorum multitudinem inſepulta remanſerint, ita tamen quod nullus Chriſtianorum eadem infectus fuerit, ipſe quoque Imperator oculorum lumine orbatus & rabie plenus caput ſuum columnæ ſæpius valideque allidens, totus deſperatus necem ſibimetipſis intulit.

Euſeb. Hiſt. Eccl. Hiſtoria.

16. In Ezechiele ſequentia verba legunt: *Propterea hæc dicit Dominus Deus: eo quod elevatum eſt cor tuum, quaſi cor Dei, idcirco ecce ego adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos gentium, & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum*; Ecce quem tandem finem injuriæ illæ habeant; quæ adverſus cœlum evomuntur, tela enim hæc in cœlum evibrata in terram denuo recidunt, ſiquidem divina juſtitia blaſphemias illas implacabilibus & irreconciliabilibus bellis caſtigat & punit. Robertus Rex Franciæ pacem publicam in regnis ſuis pro virium ſuarum poſſibilitate conſervare ſatagebat, eoque fine devotiſſimas coram Crucifixo quodam preces effundebat: *In proemio pragmaticæ Sanctionis narratur, quod Roberto Regi Francorum, filio Capeti in urbe Aurelia pro pace regni ſui oranti, Crucifixus non ſine ingenti prodigio & ingenti miraculo reſpondit: Non habiturum pacem in regno donec blaſphemias extirparet*. Tempeſtates, grandines, ſterilitates, omniaque alia ejuſdem generis infortunia veri ſunt peſſimæ hujus zizaniæ fructus. Unde in Apocalypſi dicitur: *Et blaſphemaverunt homines Deum propter blaſphemiam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer*. S. Ambroſius hunc textum exponens forte linguæ blaſphematrici frænum injicit, dum ait: *Quis in illo tam diſtricto juſtorum judicio blaſphemare Deum audebit? Sed blaſphemare dicuntur, quia blaſphemiæ reproborum, quas modo in corde tegunt, cunctis manifeſtabuntur*. Blaſphemi ad blaſphemandum in ſempiternum inter damnatos ſe præparant, ſuiſque blaſphemijs non ſolum ſibimetipſis miſeriarum & calamitatum irrepabilium fabri exiſtunt, verum etiam omnibus alijs, in quos ipſorum rigidæ pœnæ & ſupplicia redundant.

Ezech. 28. v. 7.



Lerin. in c. 24. Levit.

Apoc. 16. v. 21.

S. Ambr. ib.

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Sacra Concilia blaſphemiam funditus eradicare ſatagunt, idemque Patresfamilias, Epiſcopi, & Principes facere debent; Recenſentur item pœnæ contra illos ſtatuæ, qui blaſphemos accuſare & punire negligunt, nec non meritum ac lucrum eorum, qui condigne eoſdem caſtigant.

### THEMA.

*Quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.* 1. Timoth. 1. v. 20.

Contra Blaſp. Pauli Zelus.

1. S. Paulus Apoſtolus Divini nominis & honoris zeloſiſſimus defenſor nonnullos, qui in fide Chriſti naufragium fecerunt, Hymenæum videlicet & Alexandrum Sathanæ poteſtati tradidit, ut ab hiſce miniſtris tartareis cruciari dicerent deinceps ab omni blaſphemia abſtinere: *Circa fidem naufragaverunt, ex quibus eſt Hymnæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ, ut diſcant non blaſphemare*; ubi S. Ambroſius ait: *Traditio autem hæc eſt; qua commotus Apoſtolus blaſphemijs eorum; ſententiam protulit in eos, Diabolus autem qui ad hoc paratus, ut averſos à Deo accipiat in poteſtatem, ſententia corripuit eos, ut intelligerent hac cauſa ſe pœnis adſtringi, quia blaſphemaverant*. Etenim tametſi implacabilis ille humani generis inimicus nullum loquendi genus libentius audiat, quam blaſphemias, ſiquidem ut in Diſcurſu 7. diximus, hæc eſt lingua ſeu idioma, quo in inferno loquuntur, nihilominus etiam in hac vita divina juſtitia ad blaſphemos caſtigandos eſt deputatus; unde Theodoretus ait: *Tradidit eos diabolo, non ut bonorum magiſtro, ſed ut ſævo carnifici, & ideo non dixit, ut doceret, ſed ut diſcant non blaſphemare; ab Eccleſiaſtico enim corpore ſeparati, & divina gratia nudati ab adverſario crudeliter flagellabantur*.

1. Tim. 1. v. 19. & 20. S. Ambr. ibid.

Theodoret. ibid.

2. Omnes Principes tam Eccleſiaſtici, quam Sæculares omni poſſibili induſtria & diligentia peſſimam hanc zizaniam radicitus extirpare contenderunt. Abulenſis de blaſphemo illo, qui in deſerto Deo maledixerat, cujus Levitici capite 24. fit mentio, tractans, cauſam ejus Moyſi commiſſam fuiſſe conſiderat, eo quod graviorum cauſarum judicium, ejus reſervatum fuiſſet arbitrio: *Quamquam eſſent alij judices*; inquit, *ſolum judicabant de rebus parvis, Moyſes de magnis*, Exodi 18. *Quidquid autem majus fuerit, referant ad te, judicium autem de blaſphemia erat maximum judicium*, hoc enim crimen tanti erat momenti, ut Moyſes ad ferendam de illo ſententiam, divini oraculi votum deſiderarit, atque ad ſignaturam juſtitiæ increatæ Sapientiæ confugerit. Doctiſſimus quoque Salmeron de hoc delicto agens, inquit: *Quo crimine nullum erat apud Judæos capitalius, nec apud populum atrocius*.

Moyſis & cœlis per totum diſc. Abulen. in c. 24. Levit.

Exod. 18. v. 22.

Salmer. T. 12. Tr. 132.



3. Solo blaſphemiæ ſuſpicio vel umbra, quam de Chriſto conceperant, in cauſa fuit, quod licet populus & turbæ paulo ante, id eſt, eadem ſeptimana, ipſum in die Palmarum tamquam verum Meſſiam triumphali pompa recepiſſent, attamen poſtea contra ipſum conclamarint dicentes: *Tolle, tolle, crucifige eum*, ejuſque cauſa ad Concilium delata fuerit, in quo decidebatur: *Quid adhuc deſideramus teſtes audiſtis blaſphemiam*, quodque non populare vulgus, & idiotæ, ſed Concilia, Sapientes, Seniores, Scribæ, Sacerdotes & Pontifices pro hoc crimine caſtigando ſimul convenerint.

Joan. 19. v. 15. Marc. 14. v. 64.

4. In ſecundo Concilio Provinciali à S. Carolo Borromæo celebrato, decretum quoddam reperitur, quod eſt tertium in ordine his verbis conceptum: *Ut deteſtabile blaſphemiæ ſcelus, quam diligentiſſimè fieri poteſt, tollatur, præterea, quæ ſuperiori Concilio decreta ſunt, id Epiſcopi ſtudeant, ut in ſua quiſque urbe & Diæceſi, hominum, qui Zelo religionis accenſi ſint, ſodalitatem Dei nominis inſtituant*. In primo autem Concilio ita ſtatutum fuiſſe legimus: *Blaſphemiæ impudentia & impietas eo prolapſa eſt, ut in ea coercenda vix ſatis diligentiæ adhiberi poſſe videatur, itaque ſacris Canonibus & Pontificum decretis, maxime vero his, quæ Leo X. in Lateranenſi Concilio decrevit, innixi, hæc mandamus &c.* Paulo poſt vero ad demonſtrandam quam in hac peſte extinguenda habebat curam & ſolicitudinem, Magiſtratus publicos & Principes ſæculares, ut omnem poſſibilem conatum & induſtriam ad eam proſcribendam adhibeant, invitat: *Principes & Magiſtratus per Dei gloriam, quæ blaſphemia maxime violavit, obſecramus, ut hæc omnia diligentiſſime ſervare ſtudeant, uberrimam piæ curæ mercedem à Deo expectantes*. In Bulla quadam Julij III. blaſphemia peſtis probroſo nomine appellatur: *Inſuper ne ſacrilega & mortifera hæc peſtis, ſi lateat, minus curari vel præcidi poſſit &c.*

Acta Eccl. Mediol. Concil. Prov. 2. Decret. 3.

Concil. Provinc. 1.

Jul. III. T. 1. Bullar. noviſſ. Bulla 23.

5. Epiſcopi, omneſque ſuperiores Eccleſiaſtici, capita item familiarum, & omnes alij, qui ſuperioritate pollent ad emendandos contumelioſos Divini nominis profanatores, omnem ſuam induſtriam & authoritatem impendere debent, nam S. Bernardinus de Senis, de ijs qui ad blaſphemos invigilare, eoſque caſtigare obligantur, dicit: *Primo blaſphemantium genitores, qui non corrigunt filios, os in tantam iniquitatem laxantes, quos ſi quandoque Dei judicio perdunt, nil mirum, cum eos nutriant ad utrorumque perditionem, cum eos non corrigant in hujuſmodi ſceleribus delinquentes. Secundo ſunt in hoc participes, blaſphemare in domo propria permittentes*.

S. Bernard. T. 1. ſer. 41. A. 3. c. 4.

6. Sacer Chroniſta Moyſes primi illius blaſphemantis progeniem & majores exactiſſime his verbis refert: *Filius mulieris Iſraëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſraël, vocabatur autem mater ejus Sulamith, filia Dabri de tribu Dan*, quæ tam accurata parentum deſcriptio utique non vacat myſterio, quia, ni fallor, Spiritus Sanctus genitores illius de mala ejus educatione redarguere intendebat, quia ſi illum, quando eum prima vice ſeu in primis annis Dei nomen profanantem audierunt, debita cum ſeveritate caſtigaſſent, in hoc ſcelere continuando utique progreſſus non fuiſſet. In libro Job. cap. 1. legitur, quod ſanctus hic vir *conſurgens diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis* (id eſt, pro uno quoque filiorum & filiarum) *ne forte peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis*; ſed qua ratione fieri poterat, ut id timeret, quandoquidem illas in timore Dei pro parte ſua ſtudioſe ſemper educaverit; verumtamen licet hoc verum ſit, ex progreſſu tamen hiſtoriæ clare ſatis deducitur, quod propria ejus uxor in blaſphemias eruperit, dicens ei: *Benedic Deo & morere*, ac proinde juſtam habebat timendi occaſionem, ne forte illis aliquid picis hujus ex parte matris adhæreſceret, atque ideo continua pro illis ſacrificia Deo offerebat, ne ab hoc malo animæ illorum conquinarentur.

Levit. 24. v. 10. Ibid. v. 11.

Job. 1. v. 5.

Job. 2. v. 9.

7. In ſexto Concilio Provinciali S. Carolus Epiſcopis impoſuit, dicens: *Illud vero etiam maxime Epiſcopus cum militum præfectis valde agat, ut à blaſphemijs omnino abſtineant, quas radicitus extirpare ille conetur, cum militis Chriſtiani officium proprium ſit, etiam ſanguinis profuſione tueri gloriam Dei, ſine cujus Divinæ ope nihil reliquum militi Chriſtiano eſt, quod glorioſum eſſe poſſit*. Idem quoque ſanctus Cardinalis & Archiepiſcopus, dum de enormioribus peccatis mentionem facit, quorum reprehendendorum & extirpandorum prædicatores ſummam curam gerere debent, primo loco blaſphemiam ponit: *Mala quidem*

Act. Eccl. Mediol. Conc. Prov. 6. c. 37.

Ibid. p. 4. pag. 484.

*dem vitia ac peccata, quæ Concionator tollere ſtudebit, per multa ſunt, ſed quæ contra legis divinæ præcepta committuntur, quæque eripere omni perpetuo prædicationis officio contendet, hæc frequentiora ſunt, deteſtabile blaſphemiæ ſcelus & nefaria maledicta, quæ in Deum Sanctoſque conjiciuntur.*

8. Execrabiles ſemper & abominabiles fuerunt ij, qui os ſuum in cœlum temere immittere non erubeſcunt. Plato, qui Divini titulum ſibi acquiſivit, in Legibus ſuis inter cætera ita decernit:

Plato l. 7. de Legib.

*Primo cavendum eſt, ne quid in Deum aut verbo aut opere aliquando peccemus; deinde ne quid adverſus divinos homines*, qui profecto ſi fidei lumine illuſtratus fuiſſet, melius & Chriſtiano homine dignius nihil dicere potuiſſet. Primitivæ Eccleſiæ fideles ijs, qui inter ipſos divites aut potentes erant ſpecialem ſemper honorem exhibere ſolebant, quos tamen ſanctus Jacobus Apoſtolus hoc honore indignos fuiſſe proteſtatur, utpote qui blaſphemabant Deum:

Jac. 2. v. 6. Ibid. v. 7.

*Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia? Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod invocatum eſt ſuper vos?* Per quod motivum illos ad prædictos contemnendos, denegandumque illis omnem honorem inducere voluit; Et quidem tametſi verum ſit, quod S. Paulus dicat:

Rom. 13. v. 7.

*Cui honorem, honorem*, hæc tamen verba non de illis intellecta eſſe voluit, qui erga Deum contumelioſi erant, quia honorari nequaquam meretur, qui debitum Deo honorem non defert; unde blaſphemi à Magiſtratibus infames, honorumque incapaces eſſe declarantur; officijsque publicis exui jubentur.

6. In Annalibus Eccleſiaſticis legimus, quod S. Ludovicus Rex vere Chriſtianiſſimus inter alia monita, quæ filio ſuo, qui in regno ſucceſſurus erat, ſpecialiter commendata eſſe voluit, unum hoc fuerit:

Ann. Eccl. Rayn. 1270. n. 15.

*Maximè autem nullum verbum blaſphemiæ de Deo ſive de Sanctis patiaris dici ab aliquo, quin vindictam de eo fieri facias.* Et paulo poſt vitæ ejus hiſtoria ibidem num. 17. repetit ſanctum hunc Regem eidem filio ſuo de novo, ſingulari cum anxietate animi & ſolicitudine dixiſſet: *Labora quod omne peccatum de terra tua removeatur, maxime autem, blaſphemia.* Sanctus Antoninus de eodem ſancto Rege ſummum Pontificem Innocentium IV. in Concilio Lugdunenſi viſitante ita ſcribit:

S. Anton. 3. p. Hiſtor. Tit. 19. c. 9. §. 4.

*Dilationes fidei ardenti deſiderio cupiebat, unde tamquam Zelator fidei, cum Concilium fuit celebratum Lugduni per Innocentium IV. contra Fridericum II. Imperatorem, viſitans Papam obtulit ſe & regnum in adjutoriũ Eccleſiæ, & omnes adverſarios Eccleſiæ; Hic etiã fieri fecit edictum contra blaſphemantes, nomen Domini, & virginis gloriam, adjiciens pœnam igniti cauterij in fronte.*

10. Principes qui ſtatus & dominia ſua tranquilla & florida conſervare ſatagunt, ut hunc finem tanto certius & ſecurius aſſequi valeant, Dei per maledicta contumeliati honorem per illata rigida blaſphemis ſupplicia tueri & defendere omnibus modis nituntur. Unde S. Auguſtinus promulgatum à Nabuchodonoſore contra illos edictum, qui Deum Iſraël blaſphemare præſumerent, qui per prodigioſum adeo miraculum tres pueros in ardenti fornace illæſos conſervarat, commemorans, ita ſcribit:

S. Auguſt. Ep. 50 cit. à Gloſſa in c. 3. Dan.

*Quomodo Reges Domino ſerviunt in timore, niſi ea quæ contra Domini juſſa fiunt, religioſa ſeveritate prohibenda atque plectendo? aliter enim ſervit, quia homo eſt, aliter etiam quia Rex eſt, quia homo eſt ſervit ei vivendo fideliter, quia etiam Rex eſt ſervit Leges juſta præcipientes, & contraria prohibentes ſanciendo.* Idem quoque ſanctus Doctor poſtquam ad id probandum exempla adduxiſſet Ezechiæ Regis qui idololatrarum templa pariter & Deorum ſimulachra demolitus fuit; Joſiæ item & Regis Ninive, qui populum ſuum ad pœnitentiam ſuo exemplo reduxit, Darij denique qui Belum in Danielis poteſtatem conſtituit, tandem concludit dicens: *In hoc ergo ſerviant Domino Reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges* Privati adeo facile blaſphemantium temeritatem reprimere & caſtigare nequeunt, quemadmodum Reges & Principes, qui longas manus habent; Et ideo ſi hi honoris Dei Zelum demonſtrent, ſi blaſphemantibus indignentur, illoſque puniant, venoſam hanc ſementem à ſubditis ſuis facillimo negotio extirpabunt. De eodem Nabuchodonoſore alibi legimus:

Decretum 11. quæſt. 3. c. 98.

*Miraculo Salutis trium puerorum commotus atque mutatus pro veritate contra errorem edictum propoſuit, ut quicumque blaſphemaret Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, in interitum irent, & domus eorum in diſperſionem, & non vultis, ut aliquid tale contra vos jubeant Imperatores Chriſtiani, cum ſciant à vobis in eis, quos rebaptizatis Chriſtum exſufflari?* Apud Auguſtinum quoque alibi, id eſt, in quodam ejus Tractatu ſuper Joannem, zelum ejus clare legimus, quo principibus; blaſphemis rigida ſupplicia inferenda eſſe, perſuadere conatus fuit, ad hoc ut pacem in Eccleſia perennem conſervent:

S. Auguſt. tr. 10. in Joan.

*Mirantur*, inquit, *quia commoventur poteſtate Chriſtianæ adverſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ; non ergo moverentur, & quomodo redderent rationem de imperio ſuo Deo? intendat Charitas veſtra quid dicam, quia pertinet hoc ad Reges ſæculi Chriſtianos, ut temporibus ſuis peccare nolint in matrem ſuam Eccleſiam unde ſpiritualiter nati ſunt.* Tandem ex prædicto ſuperius Nabuchodonoſoris decreto omnibus populis, cunctiſque cujuſcumque ſtatus, conditionis & profeſſionis hominibus propoſito, quo Deum Iſraël blaſphemare prohibebantur, concludit: *Ecce quomodo ſævit Rex alienigena blaſphemetur Deus Iſraël, & nolunt ut ſæviant Reges Chriſtiani, quia Chriſtus exſufflatur, à quo non tres pueri, ſed orbis terrarum cum ipſis Regibus à Gehennali igne liberatur.*

Contra Blaſph. leges Canonicæ. Concil. Later. ſeſſ. 9. ſub Leone X.

11. Valde acriter Sacri Canones & Leges reprehendunt omnes illos judices, Magiſtratus, & quoſvis alios, qui in peſtifera hac zizania eradicanda negligentes exiſtunt. In Concilio Lateranenſi ſub Leone X. habito dicitur: *Statuimus etiam, ut ſæculares judices, qui contra tales blaſphemiæ convictos non animadverterint, eoſque juſtis pœnis minimè affecerint, quantum in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxij, eiſdem quoque pœnis ſubjiciantur; qui vero in illis inquirendis puniendiſque diligentes & ſeveri fuerint, qualibet vice decem annorum indulgentiam conſequantur.* S. Bernardinus quoque eos qui in hiſce transgreſſoribus puniendis negligentes exiſtunt, graviter his verbis reprehendit:

S. Bern. ib.

*Participes*, inquit, *ſunt Prælati & animarum Rectores* (intellige tam quoad culpam, quam quoad pœnam) *qui ſi in correptione hujus ſceleris ſunt negligentes, Judæis ſunt deteriores, qui audita blaſphemia lapidabant blaſphemantem; ſi hoc agere non poterant, aures obturabant, veſtes ſcindebant. In hoc ſcelere participes ſunt Domini, & regimina Civitatum habentes, de correctione hujus vitij non curantes; quid enim ſi in terra ſua Idololatriam ſuſtinerent, nonne æſtimaretur horrendum: & tamen blaſphemia in hoc deterior eſt, quia Idololatria honorem ſuum Deo aufert, ſed ultra hoc blaſphemia contumeliam infert.* In Bulla Julij III. cujus paulo ante facta eſt mentio, in ſupplicium & pœnam illorum, qui blaſphemantes auſcultant, & cum eis diſſimulant, ita decernitur:

Julij III. bulla citata.

*Si conſtiterit aliquem ſcientem noluiſſe denuntiare cujuſcumque fuerit ſtatus, dignitatis, & conditionis, præter ultionem divinæ juſtitiæ, quam ei annuntiamus, & præter culpam mortalem quam incurret, ob inobedientiam & neglectum honorem Dei, puniantur eiſmet pœnis, quibus blaſphemi, & ſic eos mulctari præcipimus.*

12. Enimvero ſi Lucrum & meritum conſideremus quod ſibi comparant, qui Dei contumeliati honorem defendunt, nullum futurum eſſe exiſtimo adeo abjecti animi, qui ſe adverſus hoſce impios ſancto quodam zelo obarmaturus non ſit; Nam ut Hugo Cardinalis inquit:

Hugo Card. in c. 24. Levit.

*Juſtum eſt, ut qui pie Deum colunt, ejus injurias non contemnant; Unde Moſes trucidatis idololatris dixit interfectoribus: Conſecraſtis hodie manus veſtras Deo.* D. Chryſoſtomus ferventiſſimum Joannis Baptiſtæ in Herode reprehendendo zelum conſiderans, inquit: *Non audiſti quid Joannes fecerit? Tyrannum vidit, hominem nuptiarum legem ſubvertentem, & cum fiducia in medio foro dicit: Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui; ego autem non ad tyrannum te duxi, neque ad judicem, neque pro nuptijs illegitimis, neque pro ſervis contumelia affectis, ſed pro furore in Dominum, æqualem ut caſtiges depoſco. Nunc vero ſaltem conſervum vel æqualem corrige, & ſi mori opus ſit, caſtigare fratrem ne torpeas:* En Lucrum quod inde comparabimus, infinitum erit: *Martyrium tibi hoc eſt, quoniam & Joannes Martyr fuit.*

13. Cum Machabæi certam quamdam civitatem arcta obſidione cinxiſſent,

2. Machab. 10. v. 34.

*At hi qui intus erãt loci firmitate confiſi, ſupra modum maledicebant, & ſermones nefandos jactabant*; Et quidem crebidile eſt, illos horrendas in Deum Iſraëlis evomuiſſe blaſphemias, quia hiſtoria ulterius dicit:

Ibid. v. 35.

*Viginti juvenes ex his qui cum Machabæo erant, accenſi animis propter blaſphemiam, viriliter acceſſerunt ad murum, & feroci animo incedentes aſcendebant*; Zelus enim Dei contumeliati honorem defendendi, animi & cordis vigorem ſuggerit & voluit invictum. Tandem vero caput iſtud his verbis concluditur:

Ibid. v. 38.

*In hymnis & confeſſionibus benedicebant*

dicebant



*dicebant Dominum, qui magna fecit in Iſraël, & victoriam dedit illis.*

Ann. Eccl. Rayn. An. 1267. n. 3.

14. In Annalibus Eccleſiaſticis de S. Ludovico Rege Franciæ legimus quod cum vaſtiſſimam Civitatem ſuam Pariſienſem, Regni ſui metropolim ingenti cum beneficentia magnificatam illuſtraſſet, à quolibet civium innumeris proſecutus fuerit benedictionibus, quod pius Rex reſciens, reſpondit: *Quod majorem mercedem à Domino expectabat pro maledictionibus, quas occaſione illius cauterij incurrerat, quàm pro benedictionibus, quas habebat pro illo beneficio generali.*

15. S. Bernardinus præ cunctis alijs lucrum quod à fidelibus, & maxime à judicibus & Rebuspublicis hac de cauſa comparatur, æqua rationis bilance trutinat, dum ait:

S. Bern. ib.

*O quot denarios lucrari poſſent puniendo blaſphemos, cum Dei & ſui magno honore & lucro ſanctiſſimo & benedicto; teneo namque certiſſima fide, quod nullum temporale lucrum in eorum manus obvenit gratias, quam ex ſolicita & juſta punitione iſtius ſceleris.* Idem quoque hanc in blaſphemos animadverſionem alia quadam non minus efficaci ratione urget; nimirum quia Judices in exordio ſui muneris juramento ſe adſtringunt, quod curare velint obſervari ſtatuta & leges, quæ blaſphemantibus pœnas & ſupplicia imponunt; *quæ propter*, inquit, *toties perjuri ſunt contra Deum, quoties negligunt hujuſmodi extirpare vel refrænare peccatum, quod ſi fecerint ex hoc honorabiliores redduntur apud Deum, tam copioſe merentur, credo plusquam Dominicum adeundo ſepulchrum, denarioſque ex parte eorum benedictos copioſe lucrantur. O ſtabile lucrum & à tota cœleſti curia benedictum! O denarij juſti, per quos tota injuſtitia & iniquitas refrænatur.*

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

Proprias diſſimulare injurias virtutis opus eſt, eas vero quæ Deo irrogantur, diſſimulare, impietas eſt. Et ideo ſi Deo cum ingenti commodo noſtro placere volumus, à blaſphemijs alieni & averſi eſſe, eaſq; corrigere debemus.

### THEMA.

*Tunc Princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit*, Matth. 26. v. 65.

Judæi audita blaſph. ſciderunt veſtimenta.

1. Zelus defendendi nominis Dei contumeliati populo Hebraico adeo vehementer impreſſus erat, ut ad indicandam inde conceptam triſtitiam veſtes ſuas à capite ad calces uſque lacerare conſueverint, idque non tantum penes privatos homines in uſu erat, verum etiam apud Reges & Pontifices. Ezechias Rex mox ut blaſphemias quas Rabſaces contra Deum & templum ſanctum ejus evomuerat, audivit:

Iſa. 37. v. 1. Procop. ib.

*Scidit veſtimenta ſua, & obvolutus eſt ſacco*; ubi Procopius ait: *Mos erat Judæis, ſi quas in Deum blaſphemias audiſſent, veſtes ſuas lacerare:* Idque ex eo præcipuè myſterio faciebant, quia *ita ſuis ſe purgati criminibus arbitrabantur, ſi audita in Deum blaſphemia, ſuas veſtes laceraſſent, quod & hic etiam faciebant, tamquam impiorum verborum exauditione facti participes, vel propter factam Deo contumeliam.*

Novarin. Schediaſ. l. 9. c. 26. n. 129.

2. Novarinus Concilium Sinedrin in cap. 7. citat, quod de judicibus blaſphemos condemnantibus ita ſcribit: *Judices ſtant erecti, veſteſque diſcerpunt non reſarciendos*; Et quidem erecto in pedes corpore conſiſtunt in ſignum reverentiæ, quam Divino exhibent cultui & honori: Veſtium vero dilaceratio, ſummi doloris interni ſignum eſt, quem ex ſupremæ illius Majeſtatis contumelia percipiunt. Unde & Cornelius à Lapide ſuper illa verba Actuum Apoſtolicorum:

Cornel. à Lapide ib. Act. 16. v. 24.

*Conſciſſis tunicis eorum*, dicit: *ut hoc ſigno ſibi cor intimo dolore tangi, & quaſi ſcindi teſtarentur, ac blaſphemiã cum blaſphemo dignam eſſe, quæ plane dirumperetur & diſtunderetur, veſtes frequentius ſcindebant à collo ſecundùm humeros uſque ad pectus, ubi eſt cor, & doloris ſenſus:* Imo licet adeo tenaces & avari eſſent, attamen ad conteſtandum horrorem quo injurioſa contra Deum verba proferre audientes percellebantur, veſtes ſuas totaliter diſperdendo damnum ſibi conciliare minime curabant:

S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 1. c. 3. Chriſtiani Judæis pejores.

*Veſtes diſcerpunt non reſarciendas*: Econtra vero S. Bernardinus multos dicit eſſe Chriſtianos, qui Judæis longe ſint pejores: *Deteriores ſunt ipſis Judæis, quibus in conſuetudine poſitum erat quod audita blaſphemia ſibi aures obturabant*, juxta illud Actuum Apoſtolicorum cap. 7.

Act. Ap. 7. v. 56.

*continuerunt aures ſuas*; Vbi interlinearis addit, *ne ſcilicet blaſphemiam audirent.*

Pſal. 144. v. 9.

3. Deus noſter, de quo ſcribitur: *Et miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, à Moyſe, viro, ipſomet ſpiritu Sancto teſte, præ cunctis hominibus manſuetiſſimo, interrogatus, qua ratione ſibi contra blaſphemum illum, cujus in libro Numerorum fit mentio, procedendum eſſet, non obſtante quod illa contumelia prima fuiſſet, quam umquam ab aliquo Hebræorum acceperat, ac proinde aliquali remiſſione & indulgentia digna eſſet, nihilominus rigoroſæ juſtitiæ enſem contra eumdem ſtringi juſſit,

Vindicta omnibus commiſſa in blaſph.

Levit. 24. v. 14.

Ait enim Deus: *Et ponant omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus*; Hæc autem manuum ſuper caput rei impoſitio, erat quædam debiti ſupplicij refacta imprecatio, ut Carthuſianus inquit:

Dion. Carth. ibid. Oleaſter.

*Ut Zelo juſtitiæ imprecentur ei debitam pœnam.* Oleaſter legit: *Conjungant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus*; Sicut quando offerebatur victima, manus ſuper eam imponere ſolebant veluti ſi offerens ſe quidem mortis reum eſſe proteſtaretur, Dei autem miſericordia reatum ſuum in victimam animalis illius tranſlatum eſſe; *Proteſtando ſe morte dignum, & Dei miſericordia ſuam mortem commutatam in pecudem; ita etiam audientes blaſphemiam & ferentes, digni erant morte, ſed Domini miſericordia ſuum tenebat authorem blaſphemiæ, qui pro omnibus Deo immolabatur.* Quod ſi quæſierit, inquit idem Oleaſter, cur Deus ad hujus blaſphemi ſupplicium exequendum tunc non deputatos adhibuerit juſtitiæ miniſtros, ſed potius illud ab univerſo populo executioni demandari præceperit?

Salvian. l. 3. de Provid.

*Crediderim omnibus committi vindictam* reſpondet, *ne poſtmodum qui è populo auderet blaſphemare, & vereretur ipſe facere, quod in alio ſe vindicaſſè noviſſet.* Salvianus rationem quamdam adfert huic jam allatæ non multum diſſimilem; Dicit enim: *Punitus ſub teſtimonio eſt, ut damnare ſcilicet reum videretur juſtitia non poteſtas, exemplo ſcilicet ad cunctorum emendationem proficientem, ut nequis poſtea admitteret, quod omnis in uno populus vindicaſſet.*

Chriſtus mitis propter blaſph. fit leo. Matth. 11. v. 29. Iſa. 42. v. 3.

4. Tametſi Chriſtus poſtquam mortali hac carne noſtra veſtitus fuit, manſuetudinem ſuper cunctas alias virtutes in ſe oſtentarit, dicendo: *Diſcite à me quia mitis ſum*: Unde & Iſaias prædixerat: *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet*, attamen ubi de injurijs agebatur, quæ Divinitati inferebantur, ipſum ex miti agno in furibundum quaſi Leonem commutatum videmus, prouti cernere licuit in templo, ubi dexteram ſuam flagello armavit; In deſerto quoque ad duos primos à Dæmone tentatore factos inſultus imperturbabilis ſtetit, nimirum quando Diabolus ei lapides in panes tranſmutandus obtulit, & quando ipſum ad ſe è pinnaculo templi deturbandum inſtigavit, non vero item, quando illum, ut ſe veluti Deum adoraret, inducere voluit; Unde Author imperfecti ait:

Auth. imperf. hom 7. Matth. 4. v. 3.

*Cum Chriſtus in prima tentatione paſſus fuiſſet tentationis injuriam dicente ſibi Diabolo: Si filius Dei es: dic ut Lapides iſti panes fiant, non eſt exaſperatus, nec in increpationem vel abjectionem ejus eſt exercitatus, ſed ſuſtinuit & mitis permanſit; ſimiliter & in ſecunda, quam vos eſſet injuriatus: Nunc autem quando Diabolus, quæ ſicut ſibi fieri à Chriſto, quod ſoli Deo fieri debebat, exaſperatus eſt, & iratus eſt, & increpuit eum & repulit dicens: vade Satana*: Unde idem Author utiliſſimum quoddam deducit documentum, ſcilicet

Ibid. v. 10.

*ut nos exemplo illius diſcamus, noſtras quidem injurias illatas ab impijs, ſive in dicto, ſive in facto, magnanimiter ſuſtinere, Dei autem injurias & contemptum, nec uſque ad auditum ſufferre, quoniam in proprijs injurijs eſſe quempiam patientem laudabile eſt, injurias autem Dei diſſimulare, nimis eſt impium.*

Job patiens ob blaſph. exacerbatus.

5. Oculos quæſo veſtros in Jobum conjicite in ſterquilinio ulceribus plenum, conſidentem, jactura facultatum filiorumque ſuorum ad imam paupertatem redactum, millenis chariſſimorum amicorum ſuorum injurijs calumniatum & irritatum, ſemper tamen patientiſſimum & in mentis ſuæ quiete imperturbatum, & tamen idem illud patientiæ ſpeculum mox ut uxoris ſuæ blaſphemias audivit, ſuam quodammodo viſus eſt ſolidam patientiam amiſiſſe, quia ſcilicet per hanc non ipſe in perſona ſua, ſed Deus offendebatur: Hoc eſt quod S. Baſilius de eodem Jobo dicit:

S. Baſil. in Cat. Patr. Græc.

*Ira & indignatione plenus, Leone impetuoſior extitit, non propter mala quæ patiebatur, ſed propter ea quæ illa Diabolice ſuadebat.* Putredo, vermes, ulcera, ſpaſmi, in comparatione verborum blaſphemiæ, ipſi delitiæ, lilia, &





roſæ

roſæ eſſe videbantur : *Cum ea verba ſtomachum Job moviſſent (id quod ſuperiora mala minimè facere potuerant) pleno iracundiæ vultu, trucique aſpectu ad uxorem tamquam ad hoſtem, converſus priuſquam os aperuiſſet, ſolo vultu machinas ejus repulit.*

*S. Bern. T. 1. ſerm. 41. A. 3. c. quæſt.* Blaſphemos non corrigentes participes fiunt.

6. S. Bernardinus eum qui blaſphemiam auſcultans eamdem non abominatur, culpæ & reatus blaſphemiæ participem fieri exiſtimavit : *Participes fiunt in hoc blaſphemantibus aſſiſtentes, ſi non obviant huic ſceleri, quantum poſſunt licite, & quantum expoſtulat regula diſcretionis, & charitas correctionis* : citatque quoddam S. Hieronymi teſtimonium, in quadam Epiſtolarum ſuarum dicentis : *Sicut ad proprias injurias patientes eſſe debemus, ita ſi aliquem viderimus erga Deum ore ſacrilego blaſphemantem, illic patientiam tenere non debemus, ſed reſiſtere ſacrilego, os blaſphemum veritatis reſponſione damnare.* Dionyſius Carthuſianus eamdem conſiderationem habet, quod ſcilicet inſignis ſit actus virtutis, offenſas nobis directè, irrogatas patienter tolerare, ſumma vero ſit impietas diſſimulare Dei contumelias : *Etſi pium ſit*, inquit, *propriam æquanimiter ferre injuriam, impium tamen eſt Dei injuriam, præſertim blaſphemiam diſſimulare aut ſuſtinere, imo cum homo deſerat Deum incomparabiliter plusquam ſe ipſum, & cætera cuncta diligere, Zelum ſuum debet in tali caſu pro Deo demonſtrare.*

*Dion. Carth. in c. 24. Levit.*

Exempla.

7. Sic videmus viros ſumma virtute & manſuetudine præditos, quotieſcumque de honore Dei zelando aut defendendo agebatur furibundos ſeſe exhibuiſſe Leones : Sic Phinees correpto ferro cruentam ſtragem fecit : Elias non ſolum verbis deriſorijs Propheta Baal deluſit, verum etiam eoſdem populo dilacerandos tradidit. Sanct. Petrus Simoni Mago ſe opponens eumdem deorſum præcipitem egit ; Sic S. Paulus contra Elimam dimicavit ; Sanct. Irenæus contra Valentinum ; Tertullianus contra Marcionem ; S. Hieronymus contra Jovinianum & Vigilantium ; Sanct. Auguſtinus contra Fauſtum : S. Baſilius contra Eunomium ; S. Athanaſius contra Arianos ; Nazianzenus contra Julianum : Et ſic per Hiſtorias ſacras diſcurrendo dicendum de cæteris : Quia ut Salvator noſter ait : *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.* Non ſufficit ore dumtaxat dicere, quod blaſphemiam non approbes, aut quod tibi diſpliceat: ſed tunc id vere te facere ſignificabis, ſi dum illam coercere aut caſtigare vales, idipſum cum egregio animi ardore exequaris : *Qui non zelat, non amat* ; Undenam enim amorem verum dignoſcere potero ? *Probatia dilectionis, exhibitio eſt operis.*

*Luc. 11. v. 23.*

8. Didacus Stella conſiderat, quod quandò ſcribæ & Phariſæi, qui Chriſti Divinitatem minime credebant, Salvatorem audierunt Paralytico dicentem : *Remittuntur tibi peccata tua*, dixerint : *Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias ?* tametſi enim in judicio Divinitatis ob notitiæ fidei defectum erraverint, ardentem nihilominus demonſtrabant Zelum, qui cor ipſorum in furorem adegit, quando Divinitatem per blaſphemiam contumeliari audiebant ; Unde idem Stella ad noſtram eruditionem hoc ſubinfert documentum : *Exempla Phariſæorum*, inquit, *oportet nos omnibus modis abominari blaſphemos, & gloriam, quæ ſolius Dei eſt, alteri non dare, Phariſæi blaſphemiam accuſant, ubi non eſt, nos vero impijſſimos blaſphemos accuſare pudet.*

*Luc. 5. v. 20. Ibid. v. 21. Didacus Stella in c. 5. Luca.*

9. Porro Chriſtianus qui offenſam Dei in blaſphemo ſine ullo indignationis motu diſſimulat, merito ab irrationali quadam beſtiola ad erubeſcentiam confundi debet ; Refert enim Ludovicus Epiſcopus Tudenſis Fratrem Eliam qui S. Franciſco in Generalatu ordinis Minorum ſucceſſit, ſequentem caſum retuliſſe qui Laudæ revera accidit ; Ibi namque in Hoſpitali quodam hæreticus quidam, licet ignotus, ad mortem uſque infirmabatur, quem proinde ſacerdos ut ſacro ſe viatico armaret hortatus fuit, cui hæreticus cum ſuſpirijs reſpondit : *Ecquis dabit mihi corpus Chriſti, ut accipiam & adorem ?* cui ſacerdos, ſacellanum illud confeſtim allaturum eſſe reſpondit : Cui infirmus replicavit : *Apage ſis, Presbyter non deferet corpus Dominicum, ſed panem toſtum*, & ecce eodem, quo hæc dicebat, momento Cattus quidam, qui alias cicur & domeſticus fuerat, in gulam temerarij illius inſilivit, dentibuſque & unguibus illum miſere diſcerpere cœpit, adeo ut ſumma cum difficultate Cattum iſtum ab illo avellere poſſent ; Quo miraculo circumſtantes animati, infirmo enixe conati ſunt perſuadere, ut in Chriſti in hoc ſanctiſſimo Sacramento præſentiam crederet, ſuamque hæreſim deteſtans abjuraret, eo vel maxime quod jam oculis conſpexiſſet qualiter ſe beſtiola iſta ad inſultum in communem ſui & ipſius creatorem ab ipſo temere factum vindicandum armaſſet : Quibus ille Cattum illum utique antea ferocem & rabidum fuiſſe reſpondit : ubi vero ab illis rei veritatem percepiſſet, quod ſcilicet numquam ferocijſſet, quin potius hactenus ſemper unicuique familiaris & blandus exiſtens, hanc ſuam ferociam & rabiem tamquam inſtrumentum ab ultrice divina juſtitia aſſumptum exercuit, infirmus etiamnum licet, in ſua contumacia perſeverans, ſubticuit : Cum vero ſacerdos paulo poſt ad eum accedens, hortaretur eum ut ſe ad ſaniorem fidem converteret, ille vero de novo blaſphemaret, & in ſacerdotis faciem conſpueret, Cattus ille protinus reverſus, eum, ut antea, crudeliter invaſit, unguibuſque atrociter in collo & facie diſcerpſit, eumque quaſi ad mortis anguſtias reduxit: Qui tamen à circumſtantibus coercitus & ne deinceps ipſum lædere poſſet, videreturque num infirmus ad ſaniorem rediturus eſſet mentem, caveæ incluſus fuit, interea blaſphemus ille deſperatus & obſtinatus mortuus eſt ; Cumque ſua catto reſtitueretur Libertas, ex hoſpitali ad agrum properavit, in quem cadaver impij illius projectum fuerat, ibique clamoribus & ejulatibus aëra replens tandem & ipſe mortuus eſt. Dicite ſodes, quot futuri ſunt, qui in noviſſimo judicij die ab hac beſtiola condemnabuntur, maxime inter Chriſtianos, qui tantis à Deo : cujus imaginem nobis impreſſam gerimus, beneficijs cumulati ſunt & tamen honorem illum, quem ipſæ quoque irrationales beſtiæ tanta cum anxietate & conatu defendunt? defendere negligunt ? In libro qui Pratum floridum intitulatur, ſcribitur, quod in partibus Vaſconiæ duo laniones in blaſphemijs quotidianis habituati Corpus Chriſti frequenter per diem ex contemptu nominare conſueverint, cumque ambo die quadam à ſuis inimicis ad mortem uſque ſauciati eſſent, omnes regionis illius canes certatim ad eos accurrentes, utrumque aggreſſi, corpora illorum dilaniarunt, & in minutas partes diſcerpſerunt.

*Ludov. Tuden. l. 2. adv. Alex. 9. c. 14.* Hiſtoriæ.

*Pratum Florid. p. 1. l. 1. c. 6.*

10. Alius quidam author de hæretica quadam muliere ex partibus Hollandiæ orìunda refert, quod cum evidenti ſalutis periculo parturiens à vicinis mulieribus moneretur, ut ſe Beatiſſimæ Virgini Deiparæ recommendaret, ipſa, utpote Anabaptiſtarum hæreſi imbuta, ſe nequaquam ad hoc ſe induci paſſuram eſſe, ut ſe protectioni cujuſdam ſæculæ committeret. Mira profecto res: ſed vera, Deus enim in hujus tam execrabilis blaſphemiæ vindictam diſpoſuit, ut eadem mulier veluti ſuis quædam multos porcos mortuos parturiret.

*Tilm. Bredenb. li. collat. ſacr. c. 29.*

11. Revocandum eſt hoc loco in memoriam, quantopere olim Abiſai efferbuerit, ſeu ut melius dicam ferocierit, id ſumendam de ijs injurijs & contumelijs vindictam, quas Semei David irrogarat, tametſi ipſi perſpectum eſſet, Deum haſce injurias Davidi in majus ipſius bonum irrogari permiſiſſe : Dixit enim David Abiſai ; *Dominus præcepit ille ut malediceret*, cum Abiſai quæreret : *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi ?* Nobis autem manifeſte conſtat, quod Deus blaſphemorum arrogantiam & temeritatem adeo impiam non ſolum non permittat, ſed potius deteſtetur & abominetur ; Imo præcepit nobis, ut honoris ſui defenſionem toto zelo proſequeremur, delinquenteſque debitis mulctaremus ſupplicijs.

Abiſai fervor contra Semei.

*2. Reg. 16. v. 10. Ibid. v. 9.*

12. In Levitico dicitur : *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam* ; Ubi Oleaſter ait : *Aliqui ex Hebrais hoc intelligunt de maledicente ſeu blaſphemante nomen Domini, niſi annuntiaverit, portabit iniquitatem*, quaſi dicere vellet, talis & malitiæ & iniquitatis blaſphemantis particeps erit, & debiti eidem ſupplicij : Quia ut Gerſon ſcribit : *Peccatum blaſphemiæ cadit omnino ſuper eos, qui ipſum audiunt libenter, vel qui irrident, vel quando non ponant impedimentum unaquæque perſona ſecundùm poſſe ſuum & ſcire ſuum.*

*Levit. 5. v. 1.*

*Oleaſter ib.*

*Gerſ. T. 4. Conſid. 6.*

13. Bernardinus rationem quamdam convincentem, quæ à minori ad majus procedit, adfert in medium ; Dicit enim : *O nefanda crudelitas creatorem noſtrum & Dei matrem in Laribus proprijs ſinere illis linguis maledictis ſic crudeliter laniari ? Quis namque ſapiens & timens Deum permitteret cum perturbare poſſet, alicui ſancto viro contumeliam fieri in propria domo ? quanto minus Deo & Salvatori noſtro, & ſanctis cum Chriſto jam beatis ? Quis ſuſtinere poſſet, quod coram eo aliquod convitium vel vituperium contra proprium Patrem impingeretur ? Non enim poſſunt proprios Dominos diligentes de eis aliquid audire ſiniſtrum, quanto minus ſuſtinere debent de Domino Dominorum & Rege Regum,* Et ideo Tertullianus in ea eſt opinione, quod Angeli blaſphemias audientes de cœlo proſpiciant, ut videant quiſnam ſit temerarius ille, qui illos ad zelandum Dei honorem excitat : *Dubitas illo momento omnes Angelos proſpicere de cœlo, & ſingulos denotare quis blaſphemiam dixerit, quis linguam, qui aures Diabolo adverſùs Deum adminiſtraverit ?*

*S. Bern. T. 1. ſer. 41. A. 3. c. 4.* Blaſph. debent corrigi.



*Tertul. l. de ſpectac.*

Ideo Diſmas cœlum adeptus.

14. Paradiſus cœleſtis poſt tot ſæcula à quibus poſt ſui creationem clauſus fuit, tandem latroni cuidem apertus fuiſſe legitur, ſiquidem poſt quinquies millenos & amplius annos ab illa Deo, qui ſe cœli oſtium vocat, audita eſt vox illa: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* At vero quonam merito publicus hic viarum prædator hanc ſibi à Deo gratiam promeruit ? num forte quia in Redemptoris pro nobis patientis ſocietate fuit? aut quia ea die mortuus quo ſanguis filij Dei pro humana Redemptione effuſus fuit, optatiſſimam hanc fortunam habuit, ut præ cæteris infiniti valoris ipſius particeps fieret? at vero ſi ita eſt, cur non etiam malus eumdem effectum participavit, de quo ſacer textus aſſerit, quod *in eadem damnatione erat?* Audite, quæ ambos hoſce latrones intercedit, differentiam: *Unus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum dicens : Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos*; nequaquam enim merebatur ut Agni immaculati pro nobis occiſi ſanguine madeſieret, quando actualiter eumdem blaſphemabat : Econtra vero alter quia Salvatorem ab ijs opprobrijs quibus ejus in patibulo ſocius ipſi improperabat defendendo, ſuum erga Chriſtum defendendum zelum demonſtrabat dicens: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es; nos quidem juſte, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit* juſte audire meruit: *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in Paradiſo.*

*Luc. 23. v. 43.*

*Luc. 23. v. 40. Ibid. v. 39.*

*Luc. 23. v. 40.*

*Ibid. v. 43.*

Cor Chriſto rapuit corrigendo blaſph.

15. *Corripere* idem eſt, quod *cor rapere*, ideoque nil mirum eſt quod illa à juſto latrone impio & blaſphemanti ſodali ſuo facta exprobratio & correctio, cor Redemptoris noſtri, ut ita loquar, ſibi quaſi rapuerit, ſiquidem *impune* non ſolum ipſe, ſed omnes alij *prætereuntes autem blaſphemabant*, neque ut alias blaſphemijs auditis fieri ſolebat, præ nimia blaſphemiæ diſplicentia veſtes ſuas lacerabant, ſed potius gaudebant & exultabant videntes quod non corpus ſolùm, ſed & honorem & exiſtimationem ejus dilacerarent.

*Math. 27. v. 39.*

16. D. Chryſoſtomus Hom. 2. ad populum Antiochenum ad hanc correctionem nos exhortatur dicens : *Sufficit unus homo zelo fidei ſuccenſus totum corrigere populum : Cum vero non unus tantum nec duo, vel tres, ſed tanta ſit multitudo, quæ negligentiam curam poſſit attingere, non aliunde, ſed per torporem veſtrum; neque per impotentiam plures pereunt, & labuntur.* Idem quoque rationem quamdam id efficaciter perſuadentem adducit; Dicit enim: Rixas ex plateis ſuſcitatas audientes protinus accurrimus, ut eas compeſcamus, aut in duellum mutuum ſe provocantes reconciliemus; Imo ſi jumentum aliquod ſub onere ſuccumbat & corruat, prompti ſumus, ut ejus Domino ad illud erigendum opem feramus: *Fratrum vero pereuntium curam habemus nullam ; aſinus eſt blaſphemus iracundiæ pondus non ferens; cecidit ? accede, excita & per verba & per facta, & per lenitatem & vehementiam varia ſit medicina.*

*D. Chryſoſt. T. 1. Hom. 2. ad pop.* Ad corrigendum adhortamur.

17. Audite autem ſi placet, quodnam ſit eorum qui hac in re Zelum ſuum conteſtantur, egregium lucrum. S. Bernardinus ait: *Juſte quidem penſari poteſt, quod glorioſa virgo, cæterique Sancti cæleſtes apud Deum pias effundant preces, pro ſolerti officiali contra blaſphemos* (quod idem de perſonis privatis affirmari poſſe videtur) *cum tantum horreant Deum & ſua nomina blaſphemari, propterea denarij quos ex blaſphemorum punitione officiales lucrantur, mammona iniquitatis nuncupari poſſunt, ad quos lucrandum hortatus Dominus, dicens: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula ; amicos, id eſt, cæleſtes ſanctos ; de mammona iniquitatis, id eſt, condemnate blaſphemos, ut vobis denarios ex ſua patrata iniquitate dent; nec aurum eſt, ſi ut dictum eſt, ex orationibus ſanctorum ſuorum ſubſtantia conſervatur ; ſed quod maxime eſt ei neceſſarium, quodammodo æterna gloria promittatur ; quia à Domino ſubinfertur: Ut cum defeceritis, ſcilicet per corporalem mortem, recipiant vos æterni cives in æterna tabernacula regni cælorum.* Idem quoq; S. Pater ad Prælatos in puniendis blaſphemijs negligentes converſus, ita illos alloquitur : *O ſi percuterentur inſignia & arma veſtra, ô quot inquiſitiones, quot examinationes fierent,* quod ſi hoc ipſum ad inquirendum & puniendum blaſphemo fieret, quanto magis &c.

*S. Bern. ib. A. 3. c. 4.* Lucrum.

*Luc. 16. v. 9.*

*S. Bern. A. 1. c. 3.*



# DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

Blaſphemiæ in ipſos blaſphemos recidunt; ubi perſtringuntur, qui in adverſis Deo maledicunt, cum benedicere deberent ; variaque ſuppliciorum in ſacrilegos iſtos recenſentur exempla.

## THEMA.

*Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet.* Eccleſiaſtici 27. v. 28.

Blaſph. à Deo puniuntur.

1. PEr quotidianam experientiam videmus, quod lapides in ſublime ex funda evibrati, majori cum præcipitio recidant in projicientem : Eodem modo quiſquis verba contumelioſa & probroſa in cœlum evomit, ab ijſdem ut plurimum ſeveriori pœnæ ſubjicitur, id quod D. Chryſoſtomus in quadam Homilia ſua *de incompræhenſibili Dei natura*, ſuper illo textu : *Qui blaſphemant ipſi lædunt ſalutem & perimunt*, latius deducit, dum ait : *Veriſſima namque illius ſententia eſt, qui de blaſphemis inquit hominibus : Lapidem qui ſurſum jacit in excelſum, in ſuum caput jacit ; quemadmodum enim qui lapidem illo jaculatur, corpus cæleſte non attingere, nedum lacerare poteſt, plagam autem ſuo capite excipit, cum lapis eodem, unde jaculatus eſt, redeat, ita qui beatam illam blaſphemat ſubſtantiam, ut numquam offendere eam poteſt, cum longe potior atque excelſior ſit, quam ut affici aliquo poſſit detrimento, ſic ferrum adverſus animam ſuam acuit & parat, cum ſe ingratum Domino bene merenti exhibet.* Porro Deus olim blaſphemantem lapidibus opprimi juſſit: *Lapidet eum populus*, & merito quidem, quia ut Procopius à Gloſſa allegatus ait ; *quia is erat quaſi lapis; lapidibus merito obruitur.*

*D. Chryſ. Hom. 3. de incomp. Dei natura.*

*Levit. 24. v. 14. Procopius in Gloſſa.*

2. S. Carolus Borromæus in Concilio Provinciali 3. blaſphemos publicos, qui ad pœnitentiam ſe reduci non ſinunt ſepultura Eccleſiaſtica privari præcepit : Et in Concilio Provinciali primo ſequens decretum condidit : *Blaſphemi ſemel ad pœnitentiam & communionem admiſſi, ſi poſtea eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum ſit, amplius ad ſacram communionem non recipiantur, niſi poſtea vitam & mores emendaſſe perſpexerint* : Quam eis pœnam merito impoſuit, cum æquum non ſit, nec conveniens, ut ſacratiſſimum & venerabiliſſimum corpus filij Dei, quem *adorant Dominationes, tremunt poteſtates*, temerariæ ejuſmodi linguæ imponatur, quæ eum contumelijs & injurijs onerare præſumpſit.

*Act. Eccl. Mediol. p. 4. c. 560. concil. Prov. 1. p. 1. c. 10.* Communione non digni.

3. Deus nobis linguam eo fine dedit, ut venerabiliſſimum ejus nomen ſanctificemus : *Sanctificetur nomen tuum* ; ac proinde D. Chryſoſtomus monet dicens: *Invocemus Deum, quem illi maledictis laceſſunt, nos omni laude proſequamur & honore, rogemuſque ut linguam ad dicendum plenius, & mentem ad intelligendum certius excitet, cauſam enim illius agimus, pro ejuſque gloria laboramus, vel ut verius loquar, pro ſalute noſtra contendimus, Deum namque nemo quiſquam eſt, qui vel contemnendo offuſcet, vel commendando reddat illuſtriorem, manet ille quidem ſemper in ſuo eodem ſtatu cum gloria, neque laudibus ampliandus, neque maledictis minuendus* ; ac tandem concludit, quod qui Deum laudibus & benedictionibus extollit, ab ipſo viciſſim benedictionibus repleatur, è contra vero qui eum vituperat & blaſphemat, divinas quoque maledictiones ſibi conciliet. *Qui in altum mittit &c.*

*Matth. 6. v. 9. D. Chryſ. Hom. cit.* Divinas recipiunt maledictiones.

4. Dionyſius Carthuſianus verba illa Exodi : *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, exponens: dicit : *Decet ut numquam ſine reverentia & cordis attentione Deum nominemus, aut etiam nominari audiamus* ; Quid igitur dicemus de illis, qui eum non ſolum non venerantur aut honorant, verum inſuper ei maledicunt. Quot ſunt, qui dum Principis ſui, vel ſummi Pontificis, nomen nominatur, magnam illi reverentiam exhibent : *Deum vero* : inquit D. Chryſoſtomus, *tam continuè, tamquam nihil vocas ? in orationibus voca, voca eum ad amici beneficium, vocas ad animæ tuæ ſalutem, tunc aderit, tunc eum lætificabis ; nunc autem irritas* ; Et hoc quidem os illud aureum de irreverentia nominis Dei dicit, non de blaſphemia, ac proinde proſequitur dicendo : *Et tu quidem ſi cujus ſine honoris titulo memineris venerabilis viri, contumelia facta eſt, Deum autem circumfers importune in ſermonibus tuis.* Idem quoque ſanctus in Homilia 2. ad populum Antiochenum in deteſtatione blaſphemorum ardentiſſimum ſuum Zelum demonſtrat, dum ab eodem populo ſolam horum

*Exod. 20. v. 7. Dion. Carth.*

*D. Chryſ. Hom. 27. ad pop.*

*D. Chryſ. Hom. 2. ad pop. Ant.*

rum ſacrilegorum, condignam punitionem in prædicationum ſuarum pretium & remunerationem expoſcit dicens: *Unam à vobis omnibus petere volo retributionem pro concione hac atque ſermone, ut in Civitate blaſphemantes mihi caſtigetis, & ſi quempiam in bivio & foro Deum blasphemantem audieris, accede, increpa, & ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes, ipſius faciem alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica; & ſi ulli accuſaverint, & ſi in judicium traxerint, ſequere, & ſi pœnam judex pro tribunali repoſcerit, dic cum libertate, quod Angelorum Regem blasphemavit, ſi enim Reges terræ blaſphemantem puniri oportet, multo magis illum contumelia afficientes.*

In adverſis noli Deum blaſphemare.

5. Experientia quotidiana teſtatur, quod adverſitates nobis invitis immiſſæ cauſæ eſſe ſoleant blaſphemiarum, quia in contradictionibus paupertatis, perſecutionum, infirmitatum, jacturæ facultatum, alijſque ſimilibus adverſis, lingua noſtra per impatientiam & furorem inſtigata ad maledicendum Deo ſanctiſque ejus moveri ſoleat; contra quos idem D. Chryſoſtomus varijs in locis mirabiliter diſcurrit; Et quidem Tom. 7. Conc. 3. de Lazaro inquit: *Quid facis ô homo in beneficium, in proviſorem, in tui curam agentem, in ſervatorem convitia jaciens! nec te ſentis in præcipitium abripi, teque ipſum in extremi exitij barathrum dejicere? num enim ſi blaſphemiam proferas, leniorem reddas morbum? exacerbas potius illam, ac moleſtiorem reddis cruciatum, propter hoc enim Diabolus innumeras impingit moleſtias, ut in illud barathrum te præcipitet.* Conſiderat etenim ſanctus, quod aſtutus ſerpens dum nos in anguſtijs poſitos in deſperationem & impatientiam adigi videt, tanto magis humorem hunc peccantem in nobis adaugere contendat blasphemiaſq; à nobis multiplicari faciat: econtra vero dum nos tribulationem ſufferre videt cum patientia, & gratiarum actione ergà Deum, à nobis procul recedens malum non aggravat, ne in nobis patientiæ & conformitatis voluntatis noſtræ cum divino velle meritum, ſibi vero damnum, quod ex jactura animæ noſtræ patitur, magis adaugeat: eſt enim Dæmon ex hac parte cani ſimilis, qui dum ſub menſa aliquid cibi ſibi porrigendum expectans, aliquid à quodam menſæ accumbentium accipit, ab illo non recedit, at vero ſi cibus ſemel, bis, terve illi ſolicitanti denegetur, recedit, nec amplius comparet: *Itidem & Diabolus jugiter nobis inhiat, ſi quod blaſphemum verbum ipſi ceu cani projiciamus, hoc accepto rurſus aggreditur, quod ſi perſeveraveris gratias agere, jugulaveris illum fame, celeriterque abegeris, & aufugere coëgeris.*

D. Chryſ. T. 7. conc. 3. de Lazaro.

Proſecutio.

6. At vero, inquit D. Chryſoſtomus, fortaſſe dices, dolores & mala quæ pateris adeo vehementer te torquere, ut os tuum à lamentis coercere, & in patientia ſolide perſiſtere nequeat: At vero ſciendum tibi eſt quod à me nequaquam prohibearis loqui, aut dolores tuos lamentis conteſtari, ſed ſolum ne in doloribus conſtitutus in blasphemias erumpas, hoc eſt quod tibi prohibetur: *volo te*, inquit S. Doctor, *pro blaſphemia loqui gratiarum actionem, pro verbis indignationis, verba boni ominis. Confitere Domino, clama, vehementer obſecrando, clama vehementer glorificando ſic tibi & morbus redditur levior, diſcedente quidem Diabolo propter tuam gratiarum actionem, Dei vero auxilio accedente, nam ſi blaſphemias effuderis, pariter & Dei auxilium ſubmoviſti, & Diabolum adverſus temetipſum reddidiſti ſæviorem, & teipſum magis involviſti doloribus.*

Multi blaſph. modò non puniuntur ut gravius luant in inferno.

7. Idem quoque S. Archipræſul quærit utrum ex his duobus facilius ſit, an Deo in adverſis gratias reddere eumque laudare, an vero Deo maledicere? Et reſpondet facilius eſſe gratias agere, quam maledicere, quia ſi Deo maledixeris, qui te auſcultant, ſive ij parentes aut amici ſint, ſive quiſcumque alius, ſtatim tui efficiuntur inimici; præterquam quod de ſalute animæ tuæ mortaliter pericliteris, at vero ſi in adverſis infracto & conſtanti animo perſtiteris, coronas tibi immortales comparabis, teque æterna remuneratione dignum efficies. Ac demum ſubjungit: *Cur igitur quod utile eſt, quod facile, quod jucundum omittens, id quod lædit, quod contriſtat, quod tabefacit, illius loco ſectaris?* Evidentibus quoque rationibus adverſitatis blaſphemiarum cauſam eſſe demonſtrat idque ex ſolius malæ voluntatis noſtræ perverſitate, non vero ex adverſitatum natura, quia multi ſunt qui in paupertate, alijſque adverſis conſtituti Deo arctius adſtringuntur: Econtra vero alij perſæpe reperiuntur, qui in culmine felicitatis & deliciarum poſiti adverſus cœlum blaſphemias continuo evomunt; Denique rationem reddit, cur alij puniantur in hac vita præſenti, aliorum vero pœna in alteram uſque vitam reſervetur: *Omnes*, inquit, *ſumus obnoxij pœnis; ſi nullus hic puniretur, plures redderentur ſocordiores, multique dicerent non eſſe providentiam, etenim ſi cum nunc videant multos improbos puniri, multas ejuſmodi blasphemias evomunt, ſi ne hac quidem eſſet, quidnam dicerent? ad quod malitiæ genus non raperentur? Has ob res Deus alios quidem hic punit, alios non punit. Punit quidem aliquos, excidens illorum vitium, pœnamque illos reddens leviorem, aut etiam in totum liberans illos, & eos qui perverſe vivunt, caſtigatiores reddens hac punitione: alios vero rurſus non punit, ut ſi reſipiſcentes ſibi ipſi caverint, ac Dei benignitatem reveriti fuerint, & hic liberarentur à pœna, & illic à ſupplicio, ſin perſtiterint nihilo meliores facti Lenitate Dei, qui mala noſtra diu tolerat, majorem ſuſtineant cruciatum, propter inſignem eorum contemptum*; Mirum igitur nequaquam eſt, ſi multi blaſphemi in hac vita, nec ab humana, nec à Divina juſtitia caſtigentur, quia Deus tanto acerbius ipſis in futura vita reſervat ſupplicium, & tarditatem ſupplicij gravitate compenſat.

Antiochi blaſp. ſupplicium.

8. Verum enimvero ut diſcurſus noſter denuo ad utiliſſimum illud redeat punctum, quod antea tetigimus; ſcilicet in adverſis Deum nequaquam laceſſendum blasphemijs, ſed benedictionibus, laudibus, & gratiarum actionibus demulcendum, noſtramque cum divinæ voluntatis arbitrio conformandam voluntatem, quid dicemus, ſi nobis ob oculos poſitus fuerit impius ille Antiochus? *Iſque qui videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conſtans, ita ut de corpore impij vermes ſcaturirent, &c. odore etiam illius & fætore exercitus gravaretur.* Quod ſi illud ſuperbiæ monſtrum prius contra Deum Iſraël blaſphemaverat, multo magis igitur nunc videri potuiſſet ſuam in ſimiles contra Deum evomendas blaſphemias Laxaturus fuiſſe linguam ſacrilegam, cum ſub tot adverſis ingemiſceret, & tamen audite ſodes in quænam tunc verba proruperit: *Juſtum eſt*, inquit, *ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*; Imo vovebat ſe Jeroſolymam à jugo ſuo excempturum eſſe, locupletaturum ærarij ſui donis templum, pro ſacrificijs ære ſuo procuraturum victimas, ac tandem Religionem Judaicam mox eſſe amplexaturum; at vero ut ſacer textus ait: *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*, nimirum non merebatur exaudiri à Deo, qui in templo, ubi omnes ejus conatus felices fuerant ſortiti exitus, toties ſacrilego ore ſuo in enormes valde blaſphemias proruperat: Quamvis per hoc quoque nobis aliunde inſinuetur, etiam illos qui in ſupremo ſunt felicitatis apice conſtituti, licet in blaſphemijs habituati ſint, ab illis tamen ſe continere poſſe.

2. Machab. 9. v. 8.

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 12.

Ibid. v. 13.

9. Sed quid de hominibus loquor? etiam ab ipſomet Dæmone exemplum ſumere licet, de quo apud S. Marcum ſcribitur quod dum per Chriſti Domini præſentiam torqueretur; *veniſti perdere nos?* eidem dixerit: *Scio qui ſis, Sanctus Dei*, ad confuſionem nimirum Chriſtianorum, qui in adverſitatibus conſtituti, Deum vel maximè ad indignationem irritant. Et quidem mendicus ille Lazarus, qui ab Angelis in ſinum Abrahæ certatim delatus fuit, ex hoc ſolum motivo in Scriptura Sacra ab æterna & incarnata veritate ad perpetuam rei memoriam canonizatus fuit, quia non conſtat uſpiam quod ex hujus in tot famis, ſitis, nuditatis, paupertatis, frigoris, ulcerum, cunctarumque aliarum deſolationum ærumnis conſtituti hominis ore, vel minimum blasphemiæ aut impatientiæ verbum umquam prolatum fuerit. Unde Theophylactus ait: *Num igitur Lazarus in tantis malis blaſphemabat? num convitiabatur? num providentiam Dei repræhendebat? nihil horum, ſed fortis erat.* Undenam vero vetuſtus hic ſcriptor id conjicere poterat? nimirum quia Evangelium nullam hac de re mentionem fecit, cum tamen ſi tale quid ab eo commiſſum fuiſſet, ſcriptura ſacra, aliquam illius mentionem feciſſet: Imo tametſi verum ſit, quod homines ſimilibus ærumnis divexati, ut plurimum de Deo ejuſque divina providentia conqueri aut lamentari ſoleant, attamen ſi Lazarus in hiſce miſerijs conſtitutus in Cœlum maledicus fuiſſet, hoc utique ad corporis ipſius exequias & funeralia celebranda, atque ad animam ejus velut in triumphali curru in Paradiſi depoſitum deportandam numquam tot Angelorum exercitus expediviſſet; Unde ex hoc unico motivo Theophylactus Lazari ab hoc vitio immunitatem concludit, dicens: *Propterea quod Angeli illum mortuum ſuſceperunt, nam ſi obmurmurator fuiſſet & blaſ-*

Marc. 1. v. 24.

Econtra Lazari gloria.

Theophylactus in Lucam.



*blaſphemus, neutiquam tantum honorem fuiſſet conſecutus, & Angelorum comitatu ſtipatus.*

Eccle. 27. v. 28.

Blaſph. impoſita ſupplicia.

10. Verum enim ſi illam Eccleſiaſtici comminationem: *Qui in altum mittit Lapidem* ad literam verificatam videre volumus, ex multiplicium ſuppliciorum ſerie blaſphemos ut plurimum malo vitam ſuam fine clauſiſſe, juſtamque blaſphemiæ ſuæ pœnam ſemper reportaſſe deprehendemus. Et quidem ſi de impoſitis huic ſceleri à viris principibus ſupplicijs nobis ſermo ſit, præter ſuperius enarratas factas in illos acerbiſſimas animadverſiones. Nicolaus Boerius titulo *de Maleficis & Blaſphemis*, lege Regni Galliarum ita circa hoc diſpoſuiſſe ſcribit, ut qui prima vice in blaſphemiam aliquam prorumperet, per jejunium in pane & aqua puniretur per menſem, & in hujus menſis decurſu pariter à Prima uſque ad Nonam publice expoſitus in loco publico conſiſteret, data unicuique libera facultate levatas è terra ſordes in ejus faciem conjiciendi. Secunda autem vice labium ejus ſuperius in die publici mercatus præſcindi jubebant, ut hac ratione ſuperiori truncato labio dentes ejus denudati conſpicerentur. Tertia autem vice labium ejus inferius eodem modo in conſpectu omnem detruncanda eſſe decernebant. Denique quarta vice Lingua è faucibus extracta amputari jubebatur.

Nic. l Boerius decr. 301.

11. Cœleſtis autem Juſtitiæ Signatura temerarios hoſce ſacrilegos varijs quoque modis punire conſuevit. Et quidem in Sophronij Prato florido de morione quodam, cui nomen Gajanus erat, refertur, quod dum Helipoli in Phænicia Deiparam in publico theatro verbis ridiculis blaſphemaſſet, ſanctiſſima Virgo apparens ei dixerit: *Noli quæſo, noli ita lædere animam tuam, ille vero rurſus deterius illam blaſphemabat*; Cumque Deipara de novo eidem apparuiſſet, ut eum ad ſaniora conſilia capeſſenda hortaretur, ſacrilegus autem in ſua impietate perſiſteret ipſa iterato eidem in meridie dormienti apparens nec tamen minimum ei verbum dicens: *Digito ſignavit ejus manus & pedes, evigilans autem invenit ſe truncatum manibus & pedibus, & ita infelix, ut truncus inutilis jacens, confitebatur omnibus, cujus rei gratia, & quomodo hoc paſſus eſſet.*

Sophron. in Prato flor. c. 47 Hiſtoria.

Vigliegas in vit. Alex. Papæ.

12. Vigliegas in vita S. Alexandri Papæ refert, quod Aurelianus Præfectus Romanus minimè contentus quod Alexandro Papæ necem intuliſſet, dum ſacrum ejus cadaver ad majorem illius ignominiam & contemptum blaſphemaret, multiſque opprobrijs afficeret, confeſtim à Deo punitus fuerit, ſiquidem virga quædam ignea cœlitus in ipſum cecidit, eodemque tempore vocem quamdam ſibi dicentem audivit; Accipe ô Aureliane condignum impietatis tuæ præmium, unde ſubito, in terram velut mortuus corruit, & horribiliter clamans poſt multos deſperationis actus animam ſuam Diabolo tradendam exhalavit.

Joſeph. Hiſtor. l. 17. Antiq. Jud. c. 8.

13. De Herode Aſcalonita conſtat, quod dum nimium elatus contra ipſiſſimam ſupremam Altiſſimi Majeſtatem blaſphemias evomeret in partibus ſecretis percuſſus, vivus à vermibus devoratus fuerit. Idem quoque Antiocho impio blasphematori accidit. De Hunnerico VVandalorum Rege Arriano idem ſupplicij genus ſumptum fuiſſe legitur, cujus omnes corporis partes putrefactos vermes & ſaniem copioſe ſcaturiebant. Neſtorijs hæreſiarcha qui contra Beatam Virginem adeo horrende blaſphemavit in lingua punitus fuit, utpote quæ ipſo etiamnum vivente à vermibus conſumpta eſt.

Vict. Utic. l. 3. perſec. Wandal.

Jerem. Drexel. de ling. deriden. c. 1. 4 n. 3.

14. Refert P. Ieremias Drexelius, quod Auguſtæ Vindelicorum cum in Eccleſia S. Salvatoris expoſito ſanctiſſimo Sacramento indictæ eſſent preces quadraginta horarum ad implorandam divinam opem contra tunc imminentem peſtilentiam, Lutheranus quidam illic tranſiens, interrogarit quid ibi ageretur, qui reſponſo accepto cum preces illas nec non & alios ritus Chriſtiano-Catholicos derideret vix domum ſuam ingreſſus eſt, cum ecce à peſte correptus fuit, omnibus alijs domus ſuæ familiaribus, alijſque vicinis ſuis illæſis remanentibus.

Wading. An. 1242. n. 7.

15. In Annalibus ordinis S. Franciſci, inter inſignes B. Lucheſij Tertij ord. ejuſdem S. Franciſci eximij religioſi virtutes ibi relatas legimus, quod cum diverſos infirmos alios ex humeris à tergo ſuſpenſos, alios brachijs complexos ſimul & ſemel portaret, alios denique manu ſua duceret, hocque pondere onuſtus diſſoluto cuidam & perditæ ſalutis juveni occurriſſet, dicenti ſibi: Quodnam eſt onus iſtud quod portas? an Diabolum humeris tuis inſidentem non vides? *Ad tantam inſipientiam vir ſanctus illacbrymatus, reſpondit: O miſer & miſerabilis, mihi Diabolus nequaquam inſidet, ſed Chriſtus in ſuis pauperibus, qui dixit: Amen dico vobis, quamdiu uni ex fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis. Sancti hujus verba ſecuta eſt Dei virtus & ultio; Blaſphemus ſtatim obmutuit, qui manum altiſſimi recognoſcens in lacbrymas & pænitentiam fuſus, quibus potuit ſignis opem Dei ſupplex implorat*, & gratia ei impetrata dixit ei: *Eſto tui cuſtos ne pejus tibi contingat, nec deinceps offendas Deum factis aut verbis.*

Wading. An. 1243. n. 3.

16. In iiſdem Annalibus de quodam Armando Ruffo ſcribitur, quod cum hic ab hæreſi ſeductus Caroli Archidiaconi ob religionem orthodoxam occiſi, à quo ipſe Armandus in cauſa ejuſdem fidei ſæpius inquiſitus & caſtigatus fuerat, mortem audiviſſet, mox auditus fuerit in ſequentia blaſphema verba prorumpere: *Avinione nunc vadam, & videbo ſi hic ſcriptor loquax & ineptiſſimus vir potuerit mori, qui veniens & videns ſanctum Archidiaconum in ſuo ſanguine volutatum, pede percuſſit eum dicens: Jace ruſtice loquax, nunc loquere ſi potes; mox ulcere inſanabili in eadem tibia eſt percuſſus.*

Cæſar. Hiſterb. l. 7. Hiſt. c. 44.

17. In alio quodam ſcriptore legimus, quod cum ex duobus luſoribus unus qui ſua ludendo perdiderat varias contra Deum blaſphemias effutiiſſet, colluſor id ipſum audiens ei dixerit, quod modum efficaciter blaſphemandi ignoraret, ac proinde ipſum docere volens horrendas contra Deum & ſanctiſſimam ejus matrem evomuerit blaſphemias: Et ecce ſubito vox quædam audita fuit hæc verba articulate pronuntians: Hactenus illatam mihi injuriam diſſimulavi, at vero nunc quia de honore matris meæ agitur, vindictam differre nequeo, & confeſtim in eodem loco ab inviſibili manu ferro transfoſſus animam exhalavit.

Ibid. l. 4. Hiſt. c. 21.

18. In eadem Hiſtoria de nobili quodam legitur quod dum longo tempore aërem quotidie turbari, novamque imminere tempeſtatem vidiſſet, impatiens & furore plenus dixerit: Ecce de novo Diabolus iſte ſe prodere incipit; Qui vix blasphemum hoc verbum finierat, cum ecce filius ejus inter manus nutricis poſitus fulminis ſagitta percuſſus interijt, nutrice prorſus illæſa remanente, eodem quoque fulmine quædam ejus ædificia conquaſſata corruerunt, omniaque ejus armenta, & ovium greges diſperſi fuerunt.

Guiliel. Vald. l. 3. Itinerari c. 21.

19. Verumtamen longe atrociori ſupplicio in juvenem quemdam Mediolanenſem animadverſum fuit, qui cum ſuo contubernali ſæpius rixatus, eumdem tandem in duellum provocavit cumque inter duellandum Beatam Virginem Blaſphemaret Divina juſtitia in juſtum talis blasphemiæ ſupplicium diſpoſuit, ut adverſarij ſui enſis in fauces ejus penetraret, & linguam ei radicitus evelleret, ut ſic verificaretur illud Jobi dicentis: *Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua reſpondebunt tibi.*

Job. 15. v. 6.

# TRACTATUS XII.

# DE CALUMNIIS,

CONTINET

## DISCVRSVS VII.

DISCURSUS I. Calumniæ viros etiam ſapientes & perfectiſſimos perſæpe turbant, & totaliter ſubvertunt.

II. Calumnia cor vulnerat, idque ex factis nonnullis B. Henrici Suſonis, & quibuſdam Scripturæ Exemplis probatur; Conſiderantur etiam mala quædam, quæ ab illa derivantur; Denique Diabolus primus illius author eſſe oſtenditur, utpote cujus no-

men idem ſignificat, quod calumniator.

III. De virtute, merito, & æterna remuneratione eorum, qui calumnias fortiter & patienter ſufferunt.

IV. Juſti ſpecialiter à calumnijs infeſtantur, idque plurium Sanctorum, imo & ipſiuſmet Chriſti Domini exemplis probatur.

V. Deum calumnias earumque falſitatem detegere probatur, multorumque Sanctorum, nec non Chriſti Domini exemplis oſtenditur.

VI. Explicantur pœnæ & ſupplicia, quæ Deus calumniatoribus varijs temporibus intulit.

VII. Adducuntur nonnulli ſancti, qui inter Calumnias patientes fuerunt; Alij quoque qui ab ijſdem fuere liberati; Inter Calumnias bona conſcientia magnum præbet ſolatium; Modi quoque explicantur, quibus ingens ex calumnijs comparari poteſt meritum.

## DISCURSUS I.

## ARGUMENTUM.

### Calumniæ viros etiam ſapientes & perfectiſſimos ſæpe turbant, & totaliter ſubvertunt.

### THEMA.

*Calumnia conturbat ſapientem*, Eccleſ. 7. verſ. 8.

Calumioſus juſtos perturbat. *Proverb.* 12. *v.* 21. *Eccl.* 7. *v.* 8.

1. IDemmet ſapiens qui paulo ante in Parabolis ſuis virum juſtum nulla ex re contriſtari aut quidquam timere juſſit, dicendo: *Non contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit*, nunc de Calumnia loquens, illam adeo potentem eſſe dicit, ut ad virum juſtum perturbandum eique omnem animum, virtutem & ſpiritum eripiendum prævalere poſſit; Dicit enim: *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius.*

S. Bonav. *in ſpecul. animæ.* *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 68. *A.* 3. Calumniæ definitio.

2. Doctor Seraphicus peſſimam calumniæ zizaniam his verbis definit: *Calumnia eſt falſi criminis impoſitio, & eſt manifeſtè mortale, quia eſt pernitioſum mendacium, & procedit ex odio, & quia injuſtitia reperitur ibidem.* Similiter Doctor Angelicus ita eam deſcribit: *Calumniatur, qui ex malitia in falſam accuſationem prorumpit.* Ubi notandum eſt ly illud: *Ex malitia*, quia ſi quis alicui rem falſam cum infamia conjunctam imputaret, quam tamen veram eſſe crederet, talis materialiter tantum calumniaretur, non vero formaliter. Hæc autem talis eſt naturæ, tantumque in ſe pondus continet, ut ſæpe etiam ijs, qui firmamentum velut Atlantes ſuſtentant, inſupportabilis fiat. Inveniuntur ſæpe inter ſacros Heroes aliqui licet in certaminibus cum mundi blanditie, Lenocinijs ſenſualitatis cum ſpiritibus tartareis, cum Tyrannis crudeliſſimis habitis glorioſe triumphaverint, tandem nihilominus ſub calumniarum falſarumque impoſturarum impetu miſere vacillant & ſuccumbunt.

*Eccl.* 26. *v.* 5. *Ibid. v.* 6. *Ibid. v.* 7. Horruit Calumnias Eccleſiaſt.

3. Eccleſiaſticus vir nimirum tanta virtute & ſanctitate conſpicuus proteſtatur dicens: *A tribus timuit cor meum; ... Delaturam civitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem ſuper mortem omnia gravia.* Ubi juxta Cornelij à Lapide expoſitionem ly *delatura* idem eſt quod imputatio criminis alicujus publica ab integra aliqua civitate viro alicui innocenti impoſita & cum ipſius gravi injuria ſiniſtre ſuſcitata, per quam ei qui minime reus eſt, atrox aliquod delictum imponitur. Collectio & ſeditio populi eſt, quando vir aliquis ſine ullo prævio *juridice* inſtituto examine ad necem poſtulatur. Calumnia vero eſt quando quis proximo ſuo innocenti Juridicè per falſa teſtimonia mortem machinatur, reum illum & infamem declarando; qui caſus realiter in Suſanna & Naboth accidit, utique enim injurioſa & ſine ulla Juſtitia aut ratione crimina peſſima impacta fuerunt. Dicit vero

*Eccl.* 26. *v.* 7.

Eccleſiaſticus: *Super mortem omnia gravia*, quia honor viri, bonaque ejus exiſtimatio, quæ per calumniam falſamque impoſturam magnopere periclitatur, à viris honoratis longe majoris, quam ipſamet vita æſtimatur; Et ideo Cornelius à Lapide dicit, quod verba illa ſapientis: *Conturbat ſapientem, propriè ſignificent idem quod dedecorat, inglorium facit, dehoneſtat; obſcurat.*

David.

4. David porro vir erat generoſiſſimus, adeo ut in annis ſuis juvenilibus dilaniarit urſos, & Leones occiderit, invictum quoque animi ſui robur ſatis manifeſtè probavit, dum ingentem illum coloſſum & velut montem ex carne & oſſibus compoſitum, Goliath inquam, glorioſe proſtravit, ac proinde nullo percellebatur timore, licet omnes adverſus ipſum conjuraſſent mundi exercitus aut furiæ infernales ipſum laceſſere niterentur unde ait: *Si conſiſtant adverſum me ca-*

*Pſ.* 26. *v.* 3.

*ſtra, non timebit cor meum: Si exurget adverſus me prælium, in hoc ego ſperabo:* Et tamen adeo ad calumnias cohorruit, ut haud immerito ſe ab illis in tranſgreſſionis divinorum præceptorum barathrum ſe præcipitandum eſſe formidarit, unde Deum rogavit dicens: *Redime me à calumnijs hominum*: Sed quo fine id tanta cum animi anxietate à Deo petijt? *Ut cuſtodiam mandata: Non tradas me calumniantibus me: Suſcipe ſervum tuum in bonum non calumnientur me ſuperbi.* S. Ambroſius hujus à Davide factæ deprecationis rationem reddit, dicens: *Qui enim opprimitur calumnia, non facile poteſt cuſtodire mandata divina; triſtitiæ neceſſè eſt plerumque aut timori cedat, & affligatur, vel metu calumniæ, vel dolore.*

*Pſalm.* 118. *v.* 134. *Ibid. v.* 121, 122. S. *Ambr. in Pſal.* 118. *v.* 134.

Exemplum de S. Petro Mart.

5. Sanct. Petrus Martyr furibundis obſtinatorum hæreticorum inſultibus invicto ſemper pectore reſtiterat; dura adverſus infernum certamina ſuſtinuerat; per tot adeo heroicos mortificationum & macerationum corporalium actus frequentes de ſemetipſo reportarat victorias; & tamen amariſſimum calumniæ illius bolum, quæ ipſi à calumniatore quodam materiali potius quam formali ſine ulla malitia, ſed potius ex vitæ regularis zelo inuſta fuerat, aliquanto tempore deglutire non potuit; Nam ut ex hiſtoria ipſius paſſim omnibus nota conſtat; cum S. Catharina, S. Agnes & S. Cecilia ipſum aliquando in oratione abſorptum in propria ipſius cellula viſitarent, voce adeo ſonora cum ipſo loquebantur, ut à quodam cellam ejus pertranſeunte Religioſo diſtincte audiri potuerint, qui proinde S. Petrum alijs quibuſdam mulieribus in cella ejus aſſociatum eſſe credens ſanctum virum Dei in Capitulo publico accuſavit, & aſpere repræhendit: Cui accuſationi Sanct. Petrus dona cœleſtia manifeſtare nolens aliud nihil reſpondit, quam quod ſe gravem profiteretur eſſe peccatorem; Superior autem id per inconſiderationem potius quam per malitiam factum fuiſſe credens, juxta regulæ rigorem minime quidem cum illo proceſſit, nihilominus ſanctus vir Dei paſſim apud omnes hac macula & labe defœdatus, in Conventu Jeſi in carcerem conjectus fuit, ubi licet in virtutibus & maxime in conformatione voluntatis ſuæ cum divina habituatus eſſet, licet etiam ad quaſvis corporis macerationes & mortificationes aſperrimas jugiter anhelaret, nihilominus graviter de hac ei impacta calumnia lamentatus & conqueſtus fuit, nam *conturbat calumnia ſapientem*, id eſt, ut multi ſacri interpretes exponunt: *Dolore afficit, affligit, cruciat*, unde quia ſibi videbatur quod Chriſtus ejus minime juſtificaret innocentiam, coram crucifixo quodam plorans dixit: Cur me juſtam hanc calumniam ſine cauſa patiente, nihil O Domine loqueris? Jam aliquot captivitatis meæ elapſi ſunt menſes, & tamen tu juſtificationem meam & cauſæ meæ patrociniam tibi minime vendicas? Cur me hanc infamiam tanto tempore ſine ulla mea culpa ſuſtinere permittis? Cui Chriſtus è cruce reſpondit; Et ego, O Petre, quod peccatum commiſi, ob quod in hoc patibulum configi meruerim? Meo velim exemplo deinceps in obvijs tibi ærumnis patiens eſſe diſcas, utpote quæ meis æquiparari nequaquam poſſunt: Quibus ex verbis vir Dei conſolatus pariter & confuſus remanſit, de hoc ſibi propinato calice ſe umquam conqueſtum fuiſſe erubeſcens, ideoque deinceps omnia adverſa ex puro Dei amore patienter tolerare conſtituit, ſimulque ſe derivatam in ipſum ex hac calumnia confuſionem & erubeſcentiam pro omnibus mundi hujus ſceptris & regnis commutare nolle eſt proteſtatus.

*Eccl.* 7. *v.* 8.

S. Baſilius Magnus in Epiſtola ad Patrophylum Epiſcopum infinitum ſuum prodit dolorem, quo cor ſuum ex ea calumnia ſauciatum fuiſſe dicit, quæ eum ſecretæ cujuſdam cum hæreticis intelligentiæ reum eſſe dicebat: *Ad tam inopinam & ſubitam immutationem animo perculſus, nec reſpondere quidem poteram, palpitabat enim mihi cor, & lingua me deſtruebat, manus ſtupebat, & plane patiebar, quod animo ſolet parum forti accidere.* Unde ubi noſtra vulgata legit: *Calumnia conturbat ſapientem*, ſeptuaginta legunt: *Calumnia circumfert ſapientem*; Pagninus, *Inſanire facit*: Tigurina, *Ad inſaniam adiget*: Aquila, *ſeducet*: Chaldæus: *Decipiet.*

*S. Baſil. Epiſt.* 82.

Job & alij qui in finem diſc. recenſentur.

6. Job quidem nobis à ſpiritu ſancto velut ſpeculum quoddam & Idæa patientiæ proponitur, utpote quæ in eo admirabiliter ſemper præfulſit, maxime vero in totali facultatum ſuarum jactura, in ruina domus, in filiorum ſtrage, in totius corpori continuato ulcere



*Iſa.* 1. *v.* 6.

ulcere & putrefactione, ſiquidem *à planta pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas*, denique in improperijs ipſiuſmet conjugis ſuæ: At vero, ut D. Chryſoſtomus ſapienter notat, quando ſe ab amicis ſuis calumnijs impeti audivit, tunc ipſius quodammodo evanuiſſe patientia videtur: *Ubi vero exprobrare ſibi amicos atque inſultare vidit, & malignam de ſe exiſtimationem facere, & dicere quod talia propter peccata pateretur; & malitiæ ſuæ ſolveret ultionem, tunc demum turbatus eſt vir ille maximus, fortiſſimus.*

D. Chryſ. Hom. 15. in Matth.

*Tob.* 3. *v.* 8. *Ibid. v.* 10. *Ibid.*

7. Sara Raguelis filia, quæ junioris Tobiæ conjux fuit, ſeptem ſibi ſponſos repentina morte, conſequenter eripi conſpexit, idque opera ſpiritus cujuſdam tartarei, cui *Aſmodæus* nomen erat: *Tradita fuerat ſeptem viris, & Dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam*; & tamen inter omnes haſce infelicitates & funeſtos caſus conſtans permanſit, Divinæque voluntati acquievit, at vero quando temeraria & calumnioſa ancilla ejus, ei quod ſponſis ſuis mortem intuliſſet, temere nimis exprobavit (poſtquam enim illam juſte repræhendiſſet, dixit ei: *Numquid & occidere me vis, ſicut jam occidiſti ſeptem viros*) ex tunc continere ſe non potuit, quin intime contriſtaretur & doleret: *Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit neque bibit.*

*Eccl.* 4. *v.* 1. 1. *Cor.* 10. *v.* 13.

8. Notandum quoque poſtquam Eccleſiaſtes caput quartum libri ſui hiſce verbis exorſus fuiſſet: *Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur*, progrediatur dicendo: *Et lacbrymas innocentium & neminem conſolatorem, nec poſſè reſiſtere eorum violentiæ cunctorum auxilio deſtitutos.* Apoſtolus itidem ad Corinthios ſcribens dicit; *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana; fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*; Equidem quidnam Apoſtolus his verbis dicere voluerit, non ſatis intelligo, quænam enim illa eſt tentatio, quæ adverſus genus humanum directa non ſit? ni fallor tamen, Apoſtolus his verbis dicere voluiſſe videtur, dari nimirum certum quoddam genus tentationum, quod vires humanas longe exſuperet, pro quo conſequenter ſuperanda opus ſit ſpiritu pluſquam humano. Unde S. Ambroſius ſuper illa verba: *Libera me à calumnijs hominum*, dicit: *Non unum genus eſt noſtræ afflictionis, eſt tentatio, & eſt calumnia, ſed tentatio lenior, calumnia gravior, ſiquidem tentatio poteſt eſſè calumnia, calumnia in ſe & tentationem habet, eſt humana tentatio, quam ferre poſſumus, calumnia autem gravis eſt.* Dicere igitur Apoſtolus voluiſſe videtur, quod aliæ quidem tentationes intra humanæ debilitatis ſphæram tolerabiles ſint, calumnia vero non item; *Et ideo Dominus*, ſubjungit idem ſanctus Mediolanenſis Archipræſul, *quæ ſunt graviora ſuſcepit, & calumnijs appetitus, ſilentium detulit triumphale*; nimirum exemplo ſuo demonſtrare voluit, quod inter calumnias non exaſperari aut contriſtari, divinum quid potius, quam humanum in ſe contineat, quia *calumnia conturbat ſapientem.*

*Pſal.* 118. *v.* 134. *S. Ambr. in Pſ.* 118. *eſt.* 17.

*Num.* 12. *v.* 3.

9. Nemo eſt adeo rerum imperitus, cui eximia illa Moyſis mititas & manſuetudo non ſit perſpecta: *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*; Et tamen quando à Chore, Dathan & Abiron atrocem illam paſſus eſt calumniam, quaſi ſibi principatum populi, Aaroni autem fratri ſuo ſummum ſacerdotium ambiviſſet: *Vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbaverunt ſpiritum ejus*; nec continere ſe potuit, quin indignatione motus lamentaretur coram Domino, & humanum ſe pari ſenſum oſtenderet: *Iratuſque Moyſes valde ait ad Dominum: Ne reſpicias ſacrificia eorum; tu ſcis quod ne Aſellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.* Titelmannus ſuper Eccleſiaſten hoc Moyſes exemplum in medium adducens dicit: *Ecce quomodo conturbatur à calumnia is, cui teſtimonium perbibet ſcriptura, quod vir mitiſſimus erat ſuper omnes habitantes in terra; ſed & alias populi murmurantis adverſus ſe & Deum, calumnia eo adductus eſt, ut quaſi cum Deo contendere videretur, dicens: Cur afflixiſti ſervum tuum, quare non invenit gratiam coram te*; Demum vero illa Pſalmiſtæ verba: *Exacerbaverunt ſpiritum ejus*, ad propoſitum noſtrum explicans dicit: *Quod ipſius ſpiritum exacerbaverint, ſua nimirum murmuratione contra Deum, & calumnia contra Moyſen.*

*Pſal.* 105. *v.* 32. *Num.* 16. *v.* 15. *Titelmann. in Eccleſiaſten.* *Pſalm.* 103. *v.* 33. 42.

10. Tametſi Jeremias Propheta adeo mitis & manſuetus extiterit mox tamen ut hanc ab Hebræis paſſus eſt calumniam, quia eum populi ſui traditorem eſſe, & Chaldæorum partes ſectari inſimularunt, ſiquidem urbis ſanctæ prædicebat exterminium; continere ſe nequivit, quin de eis indignatus diceret: *Factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me*, quibus verbis ſe unicum improperiorum ipſorum ſcopum & ſignum factum eſſe lamentabatur.

*Jerem.* 20. *v.* 7.

11. In annalibus Eccleſiaſticis de S. Narciſſo Epiſcopo Jeroſolymitano refertur, quod injurioſe à tribus viris peſſimis & perditis, qui ejus correctiones ſuſtinere non valentes, cum ab eo ſe caſtigandos eſſe metuerent, de enormi quodam delicto calumnioſe accuſatus fuerit, quæ ijdem cum juramento de S. Epiſcopo aſſeverebant. Unus namque illorum dixit: Si aſſertum ipſius delictum vere ab eo commiſſum non eſt, faxit Deus ut ab igne miſere conſumar; Alter quoque ſubjunxit, quod ſi ego mendacium in hac aſſertione edico, rogo Deum, ut corpus meum à turpi quodam malo ſenſim conſumatur. Permittat Deus, inquit tertius, ut protinus oculorum lumine orbatus excæcer: ſi ita non eſt, ut dico; Et quidem tametſi nemo impoſturæ huic fidem adhiberet, ob notam omnibus Epiſcopi puritatem & ſanctitatem, ipſe tamen reipſa oſtendit, quam verum ſit, quod ſapiens ait: *Calumnia conturbat ſapientem*, quia calumniam hanc æquanimiter ſufferre non valens, ab hominum oculis ſe ſubducens in procul remotam quamdam ab hominum acceſſu ſe contulit ſolitudinem, ubi multis annis vitam ſolitariam duxit, abſque eo quod ulli hominum locus moræ ipſius notus eſſet: At vero Epiſcopus vix etiamnum ab urbe ſancta receſſerat, cum ecce ira Dei protinus corripuit calumniatores; ſiquidem primus per dilapſum cœlitus ignem cum univerſa familia ſeu conflagravit ſecundus à turpi quodam malo protinus correptus à capite ad calces usque infectus fuit. Tertius vero ob viſa collegarum ſuorum ſupplicia perterrefactus, impoſturam confitendo delictum detexit, adeoque de commiſſo compunctus fuit, ut amare & inconſolabiliter lachrymando oculorum ſuorum lumen amiſerat.

*Jerem.* 20. *v.* 7. *Baron. An.* 199. *n.* 7. De Vindicta calumn.

12. Impius quidam Alexandri Magni paraſitus nonnullis perverſæ ſectæ ſuæ hominibus ſolitus erat dicere: *Quodlibet crimen in quemvis intendite, ut maxime enim ſanet vulnus qui læſus eſt, manet tamen cicatrix*, calumnia etenim numquam adeo integre ac perfecte purgari & dilui poteſt, quin ſemper aliqua infamiæ præcedentis remaneat ſuſpicio atque memoria. Alius quidam dicebat: *Rapite, ſpoliate tam amicos quam inimicos, nam ut qui ſpoliati ſunt ſic agunt apud Principem, ut reſtituere cogamur, ſemper tamen aliqua prædæ portio remanebit apud nos.* Ad hæc quotquot ſunt virtuoſi & perfectionem zelantes homines, quando de falſo diffamari & calumniari audiunt, hoc inſuper conſiderant, quod eo ipſo honor quoque Dei enormiter lædatur; utpote cui per exactam divinæ legis obſervantiam intimè ſunt conjuncti, atque ideo non contriſtari aut non affligi non poſſunt, non ſolum propter reſpectum ad ſe, verum etiam propter injuriam & contumeliam Dei.

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

### Calumnia cor vulnerat calumniati, idque ex factis nonnullis B. Henrici Suſonis, & quibuſdam ſcripturæ exemplis probatur: Conſiderantur etiam mala quædam quæ ab illa derivantur; Denique Diabolus primus illius anthor eſſe oſtenditur, utpote cujus nomen idem ſignificat, quod calumniator.

### THEMA.

*Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius.* Eccleſiaſt. c. 7. v. 8.

Calumnia virtuoſos infeſtat. *S. Greg. Thaumaturgus.*

1. ECcleſiaſtes non ſolum calumniam ad ſapientem turbandum ſufficere dicit, verum inſuper ſubjungit: *Et perdet robur cordis illius*; Quæ verba à S. Gregorio Thaumaturgo bene ponderata, idem ſignificant, ac ſi diceret: *Generoſam illam ac denſam virtutum ſylvam extirpare molitur*: Calumnia enim ut plurimum perſonas virtutum & meritorum divites quam maxime infeſtat illaſque inæſtimabilibus hiſce theſauris ſpoliare contendit: *Eſt & alia miſeria in humanis, ſummum hoc malum calumniæ, quæ ſapientum maximè animabus inſidiatur.* Socrates quoque ait: *Calumnia & invidia alios multos viros bonos peremit hactenus, & arbitror perimet.* Tigurina legit: *Calumnia frangit cor ſapientis præclaris dotibus ornatum*; quod non

*Socrates in Apoll. apud Platon.* Tigurina.

non ita intelligendum eſt, quaſi illud totaliter dejiciat & proſternat, ſed quod illud concutiendo magno periculo exponat. Unde David de divinâ providentia ſe nonnihil conqueri poſſe putabat, quando videbat quod juſtitia vindicativa juſtas impijs non infligeret pœnas, dum adverſus innocentes prævalebant : *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns.*

Pſ. 72. v. 2. Ibid. v. 3.

Titelm. in Eccleſiaſt. Et tranquillum cor inquietat.

2. Titelmannus ſuper hunc Eccleſiaſtis textum ita ſcribit : *Si de perfecte ſapiente & in ſapientiæ ſtabilito intelligamus, conturbatio illa non dejiciens, ſed tantum vexans & affligens accipietur, perdere dicitur calumnia robur cordis illius, non quod in totum auferat, ſed quoniam conturbat, & quaſi infirmat ad tempus vigorem & tranquillam diſpoſitionem cordis ejus.*

Bollandus T. 2. 25. Januar. c. 25. n 64. Exemplum. 1.

3. In vita B. Henrici Suſonis legitur, quod coram certo quodam crucifixo, juxta quem multa vota ex cera facta, plurimæque candelæ ſuſpenſæ hærebant, orationem ſuam ſolitus fuerat facere, cumque tam vota quam candelæ die quadam ſimul & ſemel furto ſublatæ fuiſſent, tota culpa in virum Dei conjecta fuit eaque tanto videbatur in eo certior, quando puella quædam ſeptennis ſe huic ab ipſo patrato furto præſentem fuiſſe ajebat. Porro fama hæc, ſeu potius infamia ſancti, in tantum divulgata fuit, ut omnes adverſum ipſum tumultuantes, ſeveram de ipſo pœnam ſumendam eſſe ſtatuerint ; Dicit autem Hiſtoria : *Ut hæc ille percepit, valde extimuit, licet plane innocentem ſe noſſet, atque alto cordis gemitu dixit ad Deum : Quandoquidem me pati neceſſe eſt mi Domine, ſi Cruces ejuſmodi mihi evenire permitteret, quæ me non dehoneſtarent, ferrem eas equidem patiens ac lubens, Atqui ea te permittente mihi accidunt, qui meam extinguunt famam, mihique acerbiſſima ſunt* ; Non obſtante igitur quod auſteriſſimas faceret pœnitentias, quodque in virtutibus ſolide ſtabilitus ad patiendum pro amore Dei ſui anhelaret, nihilominus prout ex hac hiſtoria, & alijs quas infra referemus clare liquet, in patientia ſolide conſiſtere non poterat, ſed ad ſtellas uſque lamentans conquerebatur.

2.

4. In territorio quodam valdè populoſo, crucifixus quidam oſtendebatur lapideus, veram Chriſti, ut ajebant, ſtatuam perfecte referens, ad quam quia in die quodam Quadrageſimæ ſanguinem manere videbatur, appropinquans ſanguinem digito ſuo abſterſit, eodemque multis in teſtimonium monſtravit, cumque populus ad miraculum iſtud videndum ingenti numero concurriſſet, mox à malignis calumniatoribus vox publica paſſim divulgata eſt, figmentum hoc ex ſuo inventione excogitatum fuiſſe eo fine, ut auram ſibi popularem acquireret, genteſque colligeret, ad congregandam & accumulandam ſibi in ſatisfactionem avaritiæ ſuæ eleemoſynam ; peſſimuſque hic de perſona ejus formatus conceptus adeo prævaluit, ut non obſtante evidenti ipſius innocentia fugerit, cumque ad inferendam ei necem eum ubique quærendo inſectarentur, nec tamen aſſequi poſſent, ut eum quovis modo poteſtatis ſuæ facerent ingens eum adducentibus conſtituerunt præmium ut ſeveriſſimum de eo ſumerent puniendo ſupplicium, ſanctus autem vir Dei ad inſtar alterius Publicani præ nimia verecundia & confuſione *nolebat nec oculos ad cælum levare.*

Luc. 18. v. 13.

Neque hic impoſturæ adverſus eum adductæ ſteterunt, quibus Deus illum affligere & exercere diſpoſuerat, dum enim in Germaniam inferiorem ubi Capitulum Provinciale celebrandum erat, concederet, duo Religioſorum ſui ordinis ſcientia & æſtimatione apud homines conſpicui ipſum calumniati ſunt, *calumnia* autem *conturbat ſapientem, & perdit robur cordis illius*, quis enim cum univerſis Inferni furijs dimicare auſit ? Et ideo audite quanto ad haſce calumnias timore perculſus contremuerit : *Adductus eſt corde tremulo ad judicium, & inter alia multa etiam eo nomine delatus eſt, quod (ut ipſi ajebant) libros hæreſi infectos conficeret, quibus omnis circumquaque regio depravaretur, hac de cauſa acriter objurgatus eſt, multaſque ei minas intentarunt*, fuitque adeo vehemens animi & cordis ejus afflictio, ut ardentiſſima quadam febre, cum acerbiſſimis ſymptomatibus conjuncta correptus, ad extremum uſque vitæ perductus fuerit, *perdidit robur cordis ſui*, ſiquidem ad Deum converſus dixit : *O Deus juſtiſſime, qui exhauſtum corpus meum, tam intolerabili prægravaſti dolore, & cordis penetralia ingenti probro ac ignominia afflixiſti; adeo, ut jam totum me foris & intus vehemens angor occupet, quando tandem, Pater piiſſime ſatis tibi afflictus videbor ? quando tandem percutere deſines ?*

Eccl. 7. v. 8.

5. Alia quadam vice nova quædam contra eumdem virum Dei impoſtura ſparſa fuit, qua venenum ab ipſo hominibus propinari falſo dicebatur, ſiquidem multi ijs in locis toxico infecti moriebantur ; nemo tamen ſceleris hujus author ſciri aut deprehendi poterat ; Qua fama B. Henricus perculſus fugit, hacque fuga violentam hominibus ſuſpicionem, ingerebat, ut apparenter ſaltem criminis illius reus cenſeri poſſet ; Nonnulli ipſum in Rheni flumine ſubmergere volebant, quibus tamen ſe alij opponebant, dicentes : *Nam flumen omne impurus hic latro inficiet, ſanus eſt, ut flammis exuratur* ; At Ruſticus quidam præ cæteris audentior atque ferocior, arrepta haſta in conſpectum populi prodiens dixit : *Nulla poterit hæreticus iſte probroſiori morte aſſici, quam ſi hac eum haſta medium transfigam, perinde ac configi ſolent bufones* ; Enimvero adſtantium nullus ad innocentis viri defenſionem os ſuum aperire audebat, populi adverſus eum tumultuantis furiam nimium formidantes, cum vero noctis crepuſculum invaleſceret, neſcio quomodo ab oculis eorum declinans, ſubque denſam quamdam ſepem ſe ſubducens, hiſce Deum verbis alloqui cœpit : *Oculos tumeſcentes ad cæleſtem Patrem erigens*, ait : *O Pater indulgentiſſime, quando tandem miſero feres auxilium bis in anguſtijs laboranti ? In præmortuo corde meo nulla vivendi ſpes reliqua eſt, prorſus jam emoriendum mihi, ſive in aquas demerſo, ſive flammis conflagranti, ſive lancea confixo* ; Dumque hæc ſuſpiria & gemitus ſacerdos quidam haud procul abſens inaudijſſet, ipſum in domum ſuam recepit, interque denſas noctis tenebras opem ipſi tulit, ut ab hac ſe indignatione ſubducere perque fugam iſtam iram hanc popularem evadere poſſet. Ex quibus impoſturis evidenter licet colligere, quam verum ſit, quod *calumnia conturbat ſapientem, & perdat robur cordis illius.*

Ibid. n. 73. 3.

6. Commentator quidam nuperus ſuper hæc Eccleſiaſtis verba ſcribit : *Hoc dicto docet Salomon, pleraque vitia in nobis latere, quæ tamen habita opportunitate ſe produnt, non enim ſine cauſa dictum eſt : Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile*; Item : *Nemo ſcit quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis, imo homo ſeipſum neſcit, videtur ſibi probus, ſed habita occaſione cadit, videtur patiens, multa etiam poteſt ſufferre, præter calumniam, hic ſe prodit natura.* Quem mihi daturi eſtis in adimpletione præceptorum, conſiliorumque Evangelicorum zelantiorem Paulo Apoſtolo ? Salvator noſter apud Sanct. Matthæum modum præſcripſit, à ſequacibus ſuis dum ab alijs contumelias & calumnias patiuntur obſervandum : *Ego autem dico vobis*, inquit, *non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, fierine poteſt ut Sanct. Apoſtolus iſtud Salvatoris præceptum ignoraverit ? Nequaquam, cur igitur ex juſſu Ananiæ ſummi ſacerdotis alapa percuſſus, indignabundus reſpondit : *Percutiet te Deus paries dealbate ?* Scitiſne hujus in Apoſtolo impatientiæ cauſam ; non id feciſſe credendus eſt, quod non libenter hanc contumeliam & injuriam pro Chriſti amore ſuſtinuerit, imo illas pati unice deſiberabat, quod verum eſſe comperietis ſi ſecundæ Epiſtolæ ad Corinthios cap. 11. attente legeritis ; in hac autem occaſione de qua loquimur, oſtendere nobis in ſe voluit, quam vera ſit illa ſapientis ſententia, qua dicit : *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius* ; Hic enim de calumnia & impoſtura ipſi negotium erat, qua à perſecutoribus ſuis, & ipſomet ſummo ſacerdote fautore ipſorum affectus fuerat, ac proinde patiens eſſe non potuit, licet idem ille eſſet, qui de ſeipſo proteſtatus fuerat : *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ.* Unde ſupradictus Commentator dicit : *Hic vides quanta peſtis ſit calumniator, ut non abs re Diabolus dictus ſit calumniator.*

Joan. Ferus in Eccleſ. Jerem. 17. v. 9. Calumnia ſufferri nequit. Matth. 5. v. 39. Act Apoſt. 23. v. 3. Eccl. 7. v. 8. 2. Cor. 7. v. 4. Joan. Ferus ibid.

Potens ad dejiciendum.

7. Ad oſtendendum quam ſit calumnia, ad animam aliquam, quantumvis illa perfecta ſit & ſancta, dejiciendam potens machina, efficacius argumentum adduci nequit, quam ſi oſtendatur, quod hoſtis ille tartareus ad omnia vitia attentanda inſtigator inceſſabilis, non ſibi vendicarit nomen ſuperbi, guloſi, fornicatoris, aut homicidæ, ſed calumniatoris ; Primus enim & præcipuus calumniæ inventor & author fuit ſerpens ille Diabolicus, qui apud protoparentes noſtros Deo invidiæ crimen falſo imputavit, quæ illis gloriam, & omne bonum ipſorum dicebat invidere, & ideo eſum fructus arboris ſcientiæ boni & mali illis interdixiſſe : *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi? ſcit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dei, ſcientes bonum & malum.*

Calumniæ author Dæmon. Gen. 3. v. 1. Ibid. v. 5.



Pſ. 71. v. 4. S. Auguſt. ib. Job. 1. v. 9. Euthym. ibid.

8. S. Auguſtinus ſuper illa verba Pſalmiſtæ : *Et humiliabit calumniatorem*, dicit : *Nullus melius quam Diabolus hic calumniator agnoſcitur : Calumnia ejus eſt: Numquid fruſtra timet Job Deum ?* Aptius vero ad propoſitum noſtrum Euthymius inquit : *Calumniatorem, Diabolum nimirum, qui Deum ipſum primo calumniatus eſt, invidioſe illum vetuiſſe aſſerens, ne homines de ligno ſumerent, & qui nunc paſſim etiam omnes calumniatur, unde juxta nominis Etymologiam verè ac propriè Diabolus nuncupatur, idem enim eſt græcis diabolus, quod latinis calumniator.*

9. Scipio denominatus eſt Africanus eo quod Africam ſubjugaſſet, eodem modo dicere poſſumus, quod Dæmon calumniator appelletur ; quia nimirum per impoſturas & falſas accuſationes in multis cæteroquin exemplaribus rigorem, ſpiritum & confidentiam in Deum tollere, vel ſaltem magna ex parte perdere nititur ; *Perdet robur cordis illius*, id eſt, ut Lyranus ait, *conſtantiam virtutum, ſi multum invaleſcat, quaſi dicat : Propter hoc ſapiens debet ſe armare contra impetum hujus invaleſcentiæ, ad quod maxime facit divinum adjutorium per orationem* ; ac proinde advertendum eſt, quod immediate poſt orationis mentionem faciat : *Melior eſt finis orationis, quam principium.* Hugo Cardinalis verba illa : *Perdet robur cordis illius*, ita explicat : *Id eſt, virtutem fiduciæ & magnanimitatis ejus, dum enim conſiderat tot calumnias juſtis & innocentibus irrogari, & ſe non poſſe reſiſtere, & Deum non ſtatim ſubvenire, deficit in ſeipſo.*

Eccl. 7. v. 8. Lyranus in Eccleſiaſt. Eccleſ. 7. v. 9. Hug. Card. in Eccl.

10. Et quidem tanto eſt calumnia formidabilior, quanto certius eſt, quod non ſolum corpus ſauciet ; mortalibus illud perſæpe involvendo periculis : Sed longe damnoſius honorem viri & reputationem quæ ſuper omnia hujus mundi bona æſtimanda venit. Unde cum Theoridas enſem ſuum ſuper ſilice vertendo & revertendo limaret & acueret interrogatus an acies enſis ad vulnerandum valida eſſet, merito reſpondit, validior calumnia : *Gladium in cote ſubigens, cum interrogaretur, acutuſne eſſet, reſpondit : Acutior quam calumnia.*

Plutarch. in Apop. Lac. p. 221. c.

11. Inter alia peſſima infortunia, & maledictiones, Divinæ legis transgreſſoribus in libro Deuteronomij imprecatas, una eſt valde conſiderabilis & magni ponderis ; Dicitur enim : *Omnique tempore calumniam ſuſtineas ; & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te* ; Et paulo poſt repetit : *Et ſit ſemper calumniam ſuſtinens.* Moyſes calumniæ nomen oppreſſionis attribuit, dicens : *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.* Spiritus ſanctus per os ejuſdem ſapientis in Proverbijs illâ ſub hiſce terminis circumſcribit: *Jaculum & gladius; & ſagitta acuta homo, qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium.*

Deuter. 28. v. 29. Ibid. v. 33. Levit. 19. v. 13. Prov. 25. v. 18.

12. Ubi vulgata noſtra legit : *Perdet robur cordis illius* ; Interlinearis Gloſſæ loco adjicit : *Refrigeſcet Charitas multorum*, quod optime cum illa expoſitione S. Bonaventuræ conſonat dicentis : *Perdet robur cordis, id eſt, fortitudinem Charitatis*, cum enim vigor, virtus, robur, vel etiam ſanctitas & perfectio animæ in Charitate conſiſtat, hæc autem inter calumnias plurimum periclitetur merito ſapiens dicit quod *Calumnia perdet robur cordis illius* ; Unde niſi Deus noſtri ſibi vendicet protectionem, noſque defendat, de calumniatoribus, aut vindictam ſumat, aut ſupplicia decernat, ſancti, quantumcumque etiam ſint virtuoſi, contriſtantur, & tametſi interius multos eliciant manſuetudinis actus, ſuiſque calumniatoribus ex corde ignoſcant, nihilominus quin in re adeo delicata tantique pretij, quanti honor eſt & reputatio, læſos ſe eſſe conſpiciunt, ſemper aliquis juſti doloris & indignationis ſenſus reliquus manet, ſuſcitaturque adverſus calumniatores facili negotio aliqualis animi rancor & amaritudo, nam ut D. Chryſoſtomus ſcribit : *Sicut benedicere & laudare amicitiæ principium eſt, ſic & maledicere & calumniari inimicitiæ & odij & injuriarum, atque infinitarum diſcordiarum materia.*

Interlinear. S. Bonav. ib. Calumnia Charitatem minuit. D. Chryſoſt. Hom. 3. ad pop.

Patientiam dejicit. Bolland. T. 2. 25. Ian. c. 40. n. 110.

13. Verum enimvero ut diſcurſus hic noſter ad eumdem B. Henricum Suſonem denuo redeat, ſciendum eſt quod die quodam poſt diluculum matutinum viſionem quamdam habuerit, quaſi in loco quodam, ubi inchoandum erat Divinum officium, conſtitutus audiſſet, quod officium cantaretur de communi Martyrum, licet feſtum Martyris ea die non occurreret, ipſoque Clericos monere ſatagente, ut officij qualitatem mutarent, ſiquidem dies ille nullius Martyris feſtivitati ſacer eſſet, tale à quodam ſibi ignoto reſponſum retulit : *Etiam hodie Deus ſuos habet martyres, tu præpares te* ; Unde novas ſibi adverſitates præparari intelligens : *Totus corde contremuit, atque ! Eheu pie Jeſu, rurſuſne Cruces ſerendæ ſunt.* Hæc autem crux in nova quadam impoſtura & calumnia conſiſtebat, quæ ei à malevolis præparabatur, fuitque talis : Cum enim converſionis animarum ſe ſemper avidum oſtenderet, petulans quædam & verſipellis mulier ad eum acceſſit, *cor lupinum ſub honeſtæ, ut videbatur, converſationis tegmine gerens*, quæ malitiam ſuam adeo diſſimulare noverat, ut ſanctus nihil de ipſi ſuſpicari poſſet ; Quia vero mulier illa paulo ante in turpe carnis peccatum lapſa pepererat, innocentem virum Dei hujuſce prolis Patrem eſſe inſimulare volebat, prouti poſtea reipſa fecit. Cum enim B. Henricus ejus audiſſet Confeſſionem præter ſalutaria monita quæ ei ſub confeſſione ſuggerebat, egregia quoque vitæ temporalis ei procuravit ſubſidia, idque eo potiſſimum fine, ut illam hac ratione à turpis vitæ conſuetudine penitus aliquando diverteret, quam tamen ipſa etiam dum hiſce ſibi procuratis frueretur ſubſidijs, plusquam alias umquam continuabat, quod ſanctus tandem intelligens, ſe quidem id ſcire diſſimulavit, ſubſidia tamen temporalia, quæ antea illi ſubminiſtraverit, ſubtraxit, quod peſſima illa mulier videns, ſancto viro Dei, ipſum hanc erga illam aliquamdiu uſitatam duritiam & inhumanitatem, inſigni pœna luiturum eſſe indicari fecit, *nam ſi emolumentis, quæ ex ipſo caperet, fraudaretur, ipſum pœnas luiturum, daturumque ſe ei puerulam, quem ex ſæculari viro haberet, cujus ipſum vellet genitorem affirmare, atque eo ipſo tantum ſe illi ignominiæ notam inuſturum, ut ubivis locorum peſſimè diffamaretur* : *Calumnia conturbat ſapientem, & perdit robur cordis illius* ; Hiſtoria autem vitæ ipſius factum iſtud ulterius proſequens dicit : *Satis ille his verbis conſternatus fuit, ſtanſque ſecum tacitus, ex imo ingemiſcens pectore, intra ſe dixit : Anguſtiæ mihi ſunt undique, & quo me vertam ignori ; Si enim hoc egero væ mihi eſt : Si autem non egero iterum væ mihi eſt, atque ita totum me anguſtiæ obſident, ut obruere me poſſint* : Cum vero B. Henricus peſſimæ huic & malignanti furiæ infernali conſuetam negaret eleemoſynam, ipſa confeſtim eumdem ubique & maximè apud Religioſos diffamare cœpit, puerum hunc naturalem Henrici prolem eſſe affirmando : *Id medullas cordis & animæ ejus penetrabat, ibatque in ſeipſo tabeſcens præ miſeria & anguſtijs, duxitque noctes inſomnes & moleſtos dies, breviſque ſomnus ejus terroribus permixtus erat; ſuſpexit ergo lamentabili vultu, & profundis ſuſpiriis ad Deum*, & ait : *En adeſt Domine, tempus illud miſerabile, adeſt hora mea, quinam poteram immenſas cordis mei preſſuras perpeti.* Cumque coram Deo multum lamentatus fuiſſet de infamia, quæ reſpectu ipſius licet innoxij in Dominicanam religionem redundabat, tandem ſubjunxit : *O anguſtias cordis mei.* Amici quoque coram quibus pro aliquo anguſtiarum ſuarum ſublevamine ſe lamentando latius aperiebat, plusquam ullus aliorum ſcandalizati amicitiæque ejus renuntiantes turpe hoc delictum ei exprobrabant, dicitque Hiſtoria : *Ea verba per intimas cordis ejus medullas ferebantur &c.* Ex ijs igitur quæ hactenus adduximus perſpicue videtur, quantum calumnia cor viri, quantumvis ille magnanimus & conſtans ſit, perturbet & exanimet : Vere igitur ſapiens dicit : *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius*, id eſt, ut Dionyſ. Carthuſ. exponit, *patientiam ejus dejiciet.*

Dion. Carth.

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

De virtute, merito, & æterna remuneratione eorum, qui calumnias fortiter & patienter ſuſtinent.

### THEMA.

*Beati eſtis cum maledixerint vobis, . . . & dixerint omne malum adverſus vos, mentientes propter me.* Matth. cap. 5. v. 11.

Beati qui patienter Calumnias ſuſtinent. Matth. 5. v. 3. & ſeqq.

1. SAlvator noſter apud S. Matthæum in principio cap. 5. de modo ad regnum cœlorum perveniendi differens, in octo à ſe recenſitis beatitudinibus varias ad cœlum vias nobis demonſtrat : *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* ; *Beati mites* ;

*tes; Beati qui lugent: Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, Beati miſericordes; Beati mundo corde; Beati pacifici; Beati qui perſecutionem patiuntur.* Obſervandum vero eſt, quod dum de calumnijs & impoſturis ejus amore patienter tolerandis differere cæpit, ad Apoſtolos ſe convertens, cum ijs ſolis locutus fuerit; prius

*Ibid. v.* 1.

enim loquebatur ad turbas: *Videns Jeſus turbas aſcendit in montem*, adeoque de beatitudinibus differens convertit ſe ad populum: At vero quando de virtute quadam adeo heroica, qualis eſt tolerantia & patientia conſtans ſub injuſtis calumnijs exhibita, loquendi phraſi mutata, ſolos ſcholæ ſuæ diſcipulos eſt allocutus. Unde S. Thomas ait: *Inſtruxit generaliter de ijs quæ erant perfectionis, hic ſermonem ad diſcipulos dirigit, dicens: Beati eſtis cum maledixerint &c.* quaſi illis dicere voluiſſet, Calumnias patienter ſuſtinere, ex eiſque fructum reportare, non eſt cujuſlibet, ſed illorum dumtaxat, qui in ſtatu perfectionis conſiſtunt; unde eiſdem ſubjunxit: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

*S. Thom. in Matth. Matth.* 5. *v.* 11.

*Ibid. v.* 12.

*Dion. Carth. in c.* 5. *Matth.*

2. Dionyſius Carthuſianus ſuper illa verba: *Mentientes propter me*, hanc adjicite gloſſam; *Varia crimina vobis imponendo, non veraciter ſed mentientes, id eſt, mendaciter vos accuſantes*; ex qua oppoſitione perſpicue colligitur, quod eo loco Salvator noſter de impoſturis & calumnijs loqui intendat, quas ultimo loco reponit, per hoc indicare volens quod eminentia perfectionis in hac tolerantia & patientia ſub calumnijs amore Dei exercitata ſpecialiſſimè conſiſtat: Nec ſine myſterio de calumniarum patienti tolerantia loquens, mentionem facit beatitudinis; *Beati eſtis*, & repetit: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis*, quia ut Rabanus ab Hugone Cardinali & S. Thoma citatus notat: *Neſcio quis noſtrum hoc implere poſſit, ut laceretur opprobrijs fama noſtra, & nos in Domino exultemus, hoc qui vanam ſectatur gloriam, implere non poteſt*, quaſi vellet dicere: Ad hoc ut quis in hac calumniarum tentatione poſitus conſtans perſeveret, & non labatur, alia quam regni cœlorum promiſſa remuneratio minime ſufficit.

*Matth* 5. *v.* 12. *Hug. Card. ibid.*

3. Interpres quidam modernus hanc Chriſti promiſſionem bene ponderans, ita ſcribit: *Summa beatitudo eſt, pro Chriſto, pietate & virtute, patienter & generoſe, imo & hilariter ferre calumnias, in hoc ſitus eſt apex divinæ, Chriſtianæque virtutis ac perfectionis*, adducit ſancti ſui Fundatoris exemplum, qui in Conſtitutionibus ſocietatis *Regul.* 11. *ſummarij Conſt.* hanc ſuis calumniarum ſufferentiam imponit, eo quod in virtute illius Chriſto Salvatori noſtro vere conformemur.

*Cornel. à Lapide ib.* Chriſto conformantur.

4. Certus quidam ſacer interpres ingenioſe obſervat, quod Aaron Moyſen rogans ne ob calumniam ei ab Aarone & Maria ſorore ejus impoſitam indignaretur, eumdem fratrem ſuum Dominum appellarit: *Ait ad Moyſen: Obſecro Domine mi, ne imponat nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus*; quonam quæſo myſterio eum tunc pridem, & non antea in tot alijs occaſionibus, in quibus opera adeò heroica patraverat, Domini nomine honorare voluit? Reſpondetque idem interpres; *Homine fit major, qui calumniantium linguas ſuſtinet.*

*Novarin. ib.* Hominibus majores. *Num.* 12. *v.* 11.

5. S. Hieronymus ab æmulis ſuis graviter calumniatus fuit, quod cum Paula & Melania, quas in via ſpiritus & perfectionis inſtruebat, commercium haberet haud ſatis honeſtum; Auſcultemus obſecro hunc ſanctum Doctorem in quadam Epiſtola ſua ita ſcribentem: *Maleficum quidam me garriunt, titulum fidei ſervus agnoſco, Magum vocant & Dominum meum Judæi, ſeductor & Apoſtolus dictus eſt, tentatio me non apprehendat niſi humana*, quaſi dicere vellet, calumnia tentatio quædam eſt, quæ vires humanas longè excedit; unde colligitur eum qui inter calumnias conſtans eſt, nec quidquam movetur, virtute divina ſe pollere demonſtret. Sanct. Hieronymus de promiſſione Salvatoris ijs qui inter calumnias patientes ſunt, facta, loquens dicit: *Quotam partem anguſtiarum perpeſſus ſum, qui Cruci milito? infamiam falſi nominis imputarunt, ſed ſcio per bonam & malam famam perveniri ad regna cælorum*, indubitata enim promiſſio eſt, qua dicitur: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

*L.* 1. *Epiſt.* 4. *Aſellæ.* Virtute pollent Divina.

6. In vita S. Catharinæ Senenſis legitur, quod dum ſancta hæc virgo infirmæ cuidam mulieri inſerviret, quæ Gangræna laborabat in pectore, quæ eam ſenſim devorabat, adeoque intolerabilem exhalabat fœtorem, ut nullus vicinius ei appropinquare poſſet, ſancta hæc virguncula charitate & compaſſione mota ei nihilominus die ac nocte per multa obſequiorum genera inſervierit indefeſſe, adeò ut os ſuum per egregiam & heroicam mortificationem puteolenti & fœtidiſſimæ huic plagæ infixerit: At verò Dæmon inſignem hujus virginis virtutem tolerare non volens, infirmam hanc mulierem ad ſanctan de inhoneſtate & impudicitia calumniandam fortiter inſtigavit, quæ proinde Catharinam impudicam & laſcivam mulierem eſſe per totam civitatem, divulgavit, adeoque accuſationes ſuas probabilitate quadam coloravit, ut calumnia illa etiam ſui monaſterij ſororibus haud incredibilis appareret. *Beati eſtis cum maledixerint &c.* Porro ſancta virgo tametſi ab hac macula profunde in corde ſuo vulnerata eſſet, eidem tamen ſuæ calumniatrici infirmæ omni cum poſſibili punctualitate & charitate deſervire non deſtitit; at vero quia *calumnia conturbat ſapientem*, ſancta virgo cellam ſuam ingreſſa ad orationem ſe accinxit, in eaque coram cœleſti ſponſo amicabiliter, quod ſuam non defendiſſet in gravi hac calumnia innocentiam, conqueſta fuit, cui proinde in eodem temporis momento Dominus viſibiliter apparuit, in dextera coronam ferens auream pretioſis gemmis & margaritis præclare ornatam, in ſiniſtra verò aliam ex acutiſſimis ſpinis inter ſe complexis intextam, eique dixit: Scito ô mea filia dilectiſſima, te diverſis temporibus ambabus hiſce coronis coronandam eſſe, verumtamen ex nunc alterutram ex illis, quæ magis tibi placuerit, eligito, libera enim tibi alterutrius illarum datur optio & electio, cogitat verò, quod ſi in hoc mundo coronam tibi ſpineam elegeris, aureum hoc diadema tibi reſervabitur in altera vita (ecce tibi quam verum ſit, quod Chriſtus ait, *Merces veſtra copioſa eſt in cælis*) quod ſi verò manum tuam in hoc præſenti tempore ad coronam extenderis auream, ſpineam utique habebis poſt mortem; Sancta igitur virgo coronam ſibi ſpineam ingenti cum aviditate elegit, eamque apprehendens tanta cum violentia capiti ſuo adſtrinxit, ut interius à puncturis transfixa dolorem per multos dies ſenſerit atrociſſimum. Obſervandum eſt autem, quod receptus in Eccleſia uſus ſit, ſanctam hanc virginem repræſentandi veluti cinctam in capite corona ſeu ſerto ſpineo ut per hoc nobis inſinuetur, quod inter cæteraglorioſa hujus virginis merita, heroica illa inter calumnias exhibita æquanimitas & patientia præſtantiſſimum ſit, quodque ſanctam hanc virginem vel maxime glorioſam reddidit, atque conſpicuam, quæ etiam paulò poſt cum immortali gloria ſua ab hac impoſtura & calumnia juſtificata & purgata fuit.

Exemplum. *Vita l.* 2. *c.* 8. *Paul. Friger.*

7. Sanct. Joannes Climacus *in ſcala Paradiſi* Monachum quemdam diuturno tempore aſperrimis calumnijs impugnatam fuiſſe ſcribit, quas tamen cum generoſa quadam conſtantia æquanimiter toleravit, ſed audite quanto id cum lucro ſuo fecerit: *Hic generoſus Abacyrus*, inquit prædictus Climacus, *biennio poſtquam adveneram exceſſit è vita, patres jam jam è vita abiturus intermorituris vocibus allocutus: Grates, grates Domino & vobis, à quibus ſalutis meæ cauſa à Dæmonium inſultibus decem ecce & ſeptem annos liber fuit*; cauſa autem cur à Dæmonis tentationibus exemptus, & meritis plenus tanto cum jubilo mortuus fuerit, hæc unica fuit, quia videlicet per quindecim annorum curricula, horrendis calumnijs fuerat impetus. *In memoria æterna erit juſtus*, inquit Pſalmiſta, ſed quam ob cauſam tam conſtans ejus erit memoria? *Ab auditione mala non timebit.*

*S. Joan. Climac. in Scal. Parad. gr.* 4. *de obeb. n.* 37.

*Pſ.* 111. *v.* 7.

8. Ex quadam ſancti Ambroſij gloſſa, quam adfert ſuper Epiſtolam 2. ad Timoth. cap. 4. clarè ſatis deducitur, magnum futuræ requiei æternæ, & retributionis cœleſtis pignus in noviſſimo judicij die habituros illos, qui in ſuſtinendis patienter impiorum perſecutionibus & calumnijs conſtantes fuerint, Sanctus enim Archipræſul ſuper illa Apoſtoli verba: *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, &c.* ita ſcribit: *Preſſuras & tribulationes ſibi illatas defenſionem ſuam nuncupat, paſſio enim Chriſtianis vita eſt, & perſecutio defenſio, perſecutio enim illata pro juſtitia, defendet illum in die judicij, reos conſtituens perfidos.* Legatis Apocalypſeos caput 2. & de Epiſcopo illo Smyrnenſi ſcriptum invenietis: *Scio tribulationem tuam, . . . & blaſphemaris ab his qui ſe dicunt Judæos eſſe & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanæ*: ubi Angelicus Doctor legit: *Diffamationem ſuſtinet, quod eſt pati blaſphemiam*, quo ſenſu etiam Sanct. Paulus dicit: *Blaſphemamur & obſecramus*, ubi D. Chryſoſtomus inquit; *Nemo poteſt dicere quod hæc ægrè feramus, aut perſequentes accuſemus, contrarijs enim qui nos calumniantur, remuneramur*; at verò ad præfatum Epiſcopum ut redeamus, dicite ſodes quodnam vel quale fuit præmium illud, quod ei pro exercita in calumnijs conſtantia promiſſam fuit? *Nihil horum timeas quæ paſſurus es, ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem; Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Conſtantibus in calumnijs patienter tenendis cœlum promittitur. 2. *Tim.* 4. *v.* 16. *S. Ambr. ibid.*

*Apoc.* 2. *v.* 9.

S. *Thom. ibid.* 1. *Cor.* 4. *v.* 13. *D. Chryſ. ibid.*

*Apoc.* 2. *v.* 10.



9. Legatur obſecro certamen illud mirabile, quod Joſeph cum impudica Putipharis conjuge ſubijt; Etenim hæc ejus Domina & patrona erat, ipſe verò ſervus & mancipium ejus, & tamen licet pudicitiæ ſuæ theſaurum illæſum & illibatum conſervaſſet, inique à Domina ſua calumnijs graviſſimis commaculatus fuit, ipſe verò quia ab impoſtura Dominæ ſuæ ſe non defendit, ſed potius camdem per tot annos generoſa cum æquanimitate toleravit, tandem loco præmij ad Ægypti ſolium regium promoveri meruit. Qualiſnam fuit illa benedictio, quam Pater ejus illi impertitus fuit? *Sedes in forti arcus ejus, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius*; ubi Chaldæus legit: *Poſitum eſt aurum ſuper brachia ejus*, ſed qua ratione factum eſt quod digiti & brachia ipſius, auro contecta fuerint? Cajetanus ait: *Herus & Domina ſagittaverunt Joſeph, ſagittis infamiæ & cruciatus, ſed ipſe fortiter reſtitit in arcu ſuo, ita quod immotus fuit animus ejus, hujuſmodi enim arcu pugnavit cum Domina ſua: & inde ſecutum eſt, quod brachia illius ornata ſunt auro*; quaſi diceret vellet: Non ob merita conſervatæ & defenſæ caſtitatis, ſed propter æquanimitatem & patientiam, qua in calumnia illa diſſimulanda uſus fuit, ad regnum eſt ſublimatus.

*Gen.* 49. *v.* 24. *Chaldæus.*

*Cajetan. ibid.*

10. Advertendum quoque eſt, quod de eodem Joſepho calumniato, quando tamquam laſcivus adulter in ſqualido carcere ſub catenis, compedibus & manicis ferreis ingemiſcebat, ſacer textus dicat: *Fuitque Dominus cum eo*, potius contrarium aſſerendum fuiſſe videbatur, ſiquidem Deus per tot annos illum à falſa hac impoſtura nequaquam purgavit aut exemit; & tamen veriſimile eſt, quod Deus ſemper illi adſtiterit, nec umquam deſeruerit, ſiquidem ſacer textus ait; *Deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum.* Scitiſne cauſam cur illum à calumnia tutatus minimè fuerit? Nimirum ex quo illum ad regnum cœlorum prædeſtinaré, ſimulque in terris ad coronas & ſceptra ſublimare voluit, viam illi pariter demonſtravit qua ad illa omnia pervenitur; nimirum æquanimem calumniarum tolerantiam: *Beatis eſtis cum maledixerint &c.* quoniam merces &c. unde in libro Sapientiæ de eodem Joſeph dicitur: *Venditum juſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberavit eum, deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam adverſus eos qui eum deprimebant, & mendaces oſtendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam*; ubi vulgata noſtra legit: Dominus erat cum illo. Chaldæus legit: *Verbum Domini erat in auxilium ejus*, id quod cum illis verbis conſonat, quibus dicitur; *Eloquium Domini inflammavit eum.* Joſeph Hiſtoricus Hebræus de eodem Joſeph Patriarcha ita ſcribit: *Vinculorum neceſſitatem tacitus una ſpe conſolabatur, nimirum Deum potentiorem eſſe his, qui ſe vinxerant, cujus providentiam eſt expertus.*

His Deus aſſiſtit.

*Gen.* 39. *v.* 2.

*Sap.* 10. *v.* 13.

*Ibid. v.* 13. *Ibid. v.* 14.

*Pſalm.* 104. *v.* 10.

*Joſeph. Hebr. l.* 3. *Antiquit.*

11. Quænam calumnia magis temeraria uſpiam excogitari poterat, quæm fuerit illa quam Semei Davidi impingere conatus fuit? Conſtat enim Davidem non ſolam nullius ex ſtirpe Saulis effudiſſe ſanguinem, verum inſuper ab hoc invido perſæpe ad necem fuiſſe quæſitum & deſtinatum: *Mittebatque lapides contra David, & ita autem loquebatur Semei cum malediceret Regi: Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul, quoniam invaſiſti regnum pro eo*; Omnes quidem Davidem circumdantes & defendentes armati exercitus in procinctu erant, ut temerarium hunc calumniatorem minutim diſcerperent, at David id eis prohibuit: *Beati eſtis cum maledixerint &c. Dimittite eum ut maledicat, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, Dimittite eum ut maledicat*; at verò quamnam David ex hac tolerantia ſperabat remunerationem? *Si forte reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.* Ubi D. Chryſoſtomus ait: *David omittens cuncta quæ pertulit pro maledicto patienter audito vicem à Domino repoſcebat.*

*Benedict.*

2. *Reg.* 16. *v.* 6. *Ibid. v.* 7. *Ibid. v.* 8.

*Ibid. v.* 10.

*Ibid. v.* 12.

*D. Chryſoſt. Hom.* 15. *in Matth.*

12. Quot & quam atroces S. Hieronymus in vita ſua ſuſtinuit calumnias; In Epiſtola 77. ſe Sabellianum proclamatum fuiſſe ſcribit, unde & Monachi illum tamquam talem ex Eremo proſcribere & exturbare volebant. Calumnioſa de ipſo fama divulgata paſſim fuit ipſum hæreticum eſſe Manichæum, eo quod contra Jovinianum ſcripſiſſet, qui virginitatem pari cum nuptijs loco habebat, imò objiciebatur illi quod cum Manichæis Matrimonium contemnere & condemnaret; Imò calumniæ adverſus ipſum excogitatæ eo uſque excreverunt, ut famæ & opinioni ipſius apud Siricium Papam multum ademptum fuerit; Præterea à Luthero proclamatus eſt Arrianus. De invidia quoque à multis notatus fuit, deque ipſo licet falſo ſequentia ſcribuntur: *Hieronymus quidam Presbyter habitabat in illis locis, qui in ſermone Romono magna erat virtute ornatus & præclaro ingenio, ſed tanta fuit ejus invidia, ut ab eo obrueretur virtus doctrinæ, cum ergo multis diebus cum eo verſatus eſſet S. Poſſidonius dicit mihi in aurem: Ingenua quidem Paula, quæ ejus curam gerit, præmorietur, libera ab ejus invidia; ut autem arbitror, propter hunc virum non habitabit vir ſanctus in his locis, ſed ejus pervadet invidia vel uſque ad proprium fratrem.*

Quot Calumnias perpeſſus S. Hier.

*Pallad. c.* 87. *Lauſiæ.*

13. Dionyſius Carthuſianus aliam de eodem S. Hieronymo refert hiſtoriam, à nemine, quod ſciam, aliorum relatam, ac proinde illius fides eſto penes authorem magnæ cæteroquin exiſtimationis virum. Sermone igitur primo de Sanct. Hieronymo refert, quod ex quo ſanctus hic Eccleſiæ Doctor, dum Romæ doceret obſervantia diſciplinæ & reformationis Eccleſiaſticæ ardentiſſimus zelator ſemper fuerat, nec non in delinquentium pœnis procurandis admodum ſeverus, Cleri contra ſe odium excitarit: Quia verò etiamnum juvenis ob ſcientiæ & exemplaritatis ſuæ meritat Presbyter Cardinalis fuerat ordinatus, mortuo Summo Pontifice, *cum ſummo Pontificatu dignus ab omnibus acclamaretur, præfati æmuli ejus juxta lectulum ipſius veſtem poſuerant fœmineam, quam ipſe more ſolito ad matutinum ſurgens ſine advertentia induit, ſicque Eccleſiam introivit, quo viſo impij irriſerunt & expulerunt, tamquam qui fœminam habuiſſet in lecto*; *hoc idem teſtatur Sanct. Euſebius ejus diſcipulus, in Epiſtola de morte ipſius*; at verò quodnam vindictæ genus ſanctum hunc Doctorem de hac tam ignominioſa ſibi impoſita calumnia ſumpſiſſe exiſtimas? *Beati eſtis cum maledixerint &c.* nimirum probe intelligebat, quanti ponderis ſit illa à Chriſto facta promiſſio, & quantum illis adferatur emolumentum & lucrum, qui cum heroica patientia atroces ſibi illatas calumnias, æquanimiter ſuſtinent, & diſſimulant. Idem verò Dionyſius Carthuſianus in ſua paulo ante relata hiſtoria ulterius progrediens dicit: *Hieronymus vero impijſſimis illis compatiens, & cuncta patientiſſime ferens, ad Beatiſſimum atque doctiſſimum Præſulem Gregorium Nazianzenum profectus eſt*: Tandem cum idem Dionyſius ſanctum hunc Doctorem multas quoque alias calumnias & impoſturas æquanimiter ſuſtinuiſſe pluribus expoſuiſſet, in hæc verba concludit: *Teſte Sanct. Euſebio dixit: Gratias ago Deo meo, quia dignus habitus ſum, ut odiat me mundus, maleficum me eſſe garriens, ſcio enim ad æternam perveniri gloriam per infamiam.*

*Dion. Carth. ſer.* 1. *de S. Hier.* Proſecutio.

14. Salvator noſter de ſemetipſo ait: *Ego ſum via*, & ideo errare aut deviare à cœlo non poſſumus, ſi quoadusque tamquam viatores ad cœleſtem patriam properamus per Chriſti veſtigia & ſemitas progreſſi fuerimus. S. Auguſtinus ſuper illa verba: *Non calumnientur me ſuperbi* de cruce Redemptoris noſtri dicit: *Hanc intuentes ſalutiferam crucem omne calumniantium ſuperborum virus expellimus*; Chriſtus enim quoadusque nobiſcum hic in terris vixit, & præcipuè in paſſione & morte ſua falſa calumnijs & accuſationibus impetitus, raro ſe defendit, adeo ut ejus hac in re taciturnitas Pilatum in non modicam rapuerit admirationem. *Et non reſpondit ei verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer*, aperte namque illa de quibus Hebræi eum accuſabant, evidentem in ſe falſitatem continere videbat, à quibus ſe proinde facillimo negotio purgare poterat. S. Paſchaſius inquit: *Mirabantur conſtantiam ejus, fortior namque erat in eo virtus, quam humana natura in ſe habeat; & ideò poterat non ſolum admirari Pilatus, verum etiam vehementer, quoniam taceret, ſine ulla defenſione ſua.*

*Joan.* 14. *v.* 6. Tacendum cum Chriſto.

*Pſalm.* 118. *v.* 122. S. *Auguſt. ſerm.* 26. *in Pſ.* 118.

*S. Paſchaſ. ibid.*

15. Tertullianus proinde ſuam Hebraiſmo improperat cæcitatem; ſiquidem ex hac tolerantia ipſum verè Deum eſſe agnoſcere poterat: *Hinc vel maximè*

Tertull. l. de Patient. c. 3.
Hunc ſequere.
S. Leo ſerm. 6. de Paſſ.

*Phariſæi Dominum cognoſcere debuiſtis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret.* S. Leo pariter in quodam ſermone de Paſſione ſimilem habet conſiderationem; Dicit enim: *Perducto Jeſu ad Caipham, quo Scribæ & omnis Sacerdotalis ordo convenerat, falſa adverſus Dominum teſtimonia quærebantur, ſed inter inconditas & diſſonas voces, hoc Jeſus mirabiliter elegerat, ut taceret*, quaſi diceret: Illud ejus ſilentium, illi ejus ab accuſationibus ſtudioſe intermiſſa purgatio & defenſio, ex majoribus ejus prodigijs unum erat, quod ſingulari cum myſterio elegerat, ut ſuam virtutem omni humana conditione ſuperiorem eſſe oſtenderet: *Hoc Jeſus mirabiliter elegerat, ut taceret.* S. Auguſtinus ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Propter te ſuſtinuit opprobrium*, textum hunc de calumnijs noſtrum amore ad noſtram inſtructionem toleratis explicat, dicens: *Ideo prior ille ſuſtinuit opprobria, ut nos ſuſtinuere diſceremus*, notatque quod Chriſtus cum bona veritate dixerit: *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam; Dictus eſt peccator, dictus eſt inimicus, dictus eſt Beelzebub, dictus eſt inſanus, tu dignare ſerve audire pro meritis tuis, quod Dominus audivit nullis meritis ſuis; ille venit ut tibi præberet exemplum; quaſi gratis hoc fecerit, ſi tu non proficis, quare enim ille audivit, niſi ut tu cum audires non deficeres, ecce tu audis & deficis, fruſtra ergo ille audivit, non enim propter ſe, ſed propter te audivit.*

S. Aug. Enarr. in Pſal. 68. conc. 8.
Joan. 14. v. 30.

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Juſti ſpecialiter à calumnijs infeſtantur, idque plurium Sanctorum, imò & ipſius mei Chriſti Domini exemplo comprobatur.

### THEMA.

*Calumniam ſuſtinent filij Iſrabel.* Jerem. 50. verſ. 33.

Diſcurſus hic exempla SS. habet.

1. Ipſa nos experientia per omnia ſæcula docuit, quod peſſima calumniæ zizania inimici infernalis opera ut plurimum in agrum tritico ſeminatum ſpargatur; ſicut & ſagitta ex intentione arcum laxantis in partem metæ albam evibretur, id eſt, in eum in quo innocentia, & ſanctæ ac immaculatæ vitæ candor viget calumnia communiter effunditur; unde Sapiens ait: *Calumnia conturbat ſapientem.* David, *vir erat ſecundùm cor Dei*, ac proinde meta fuit in quem maligni homines impoſturarum ſuarum tela ejaculabant, Atque ideo petebat: *Redime me à calumnijs hominum; ubique ei calumniantium inſidiæ*, inquit S. Hilarius. De S. Jobo ipſamet æterna veritas teſtimonium perhibet: quod in univerſa terra nullus ei in ſanctitate ſimilis extiterit, & ideo inquit S. Auguſtinus, tot fuit calumniarum nævis denigratus; *Calumnia ejus eſt*, id eſt, Dæmonis: *Numquid fruſtra Job timet Deum?* quot alias falſas impoſturas ipſimet quoque amici ejus illi impegerunt?

Eccl. 7. v. 8.
Pſalm. 118. v. 134.
S. Hilar. in Pſalm. 118.
S. Aug. in Pſ. 71. v. 4.
Job. 1. v. 9.

2. Invidia ut plurimum calumniæ mater eſt, quæ aliorum ſe virtuti & merito ſemper opponit. Petrus Bleſenſis de falſis accuſationibus ob quas Guilielmus Clienſis ab Epiſcopatu depoſitus fuit, differens, ita ſcribit: *Præſens eram, vobiſque prædixeram, qualiter æmuli veſtri jam contra vos arma iniquitatis, ut invidiæ fornace conflabant.* Dion. inquit: *Nemini eorum, qui cum gloria vixerunt, licuiſſe effugere calumniæ terminum.* S. Cyprianus Antonianum monuit ne calumnijs contra S. Cornelium ſparſis aures benignas præberet, cujus ad martyrium præparationem commendans, ita ad propoſitum noſtrum differit: *Quod autem quædam de illo inhoneſta & maligna jactantur, nolo mireris, cum ſcias hoc eſſe opus ſemper Diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, ut qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur.*

Petrus Bleſ. Epiſt. 87.
Dion. orat. 37.
S. Cypr. Ep. 52.

3. S. Gregorius de calumnijs Lerni Epiſcopo impoſitis, quæ diligenter examinatæ falſæ inventæ fuerunt, differens, ſubjungit: *Habet hoc proprium antiqui hoſtis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione Deo ſibi reſiſtente decipere non valet, opiniones eorum falſa ad præſens ſimulando dilaceret.* In duobus libellis, quorum unus Joannem Diaconum, alter Iſaacium Epiſcopum authorem habebat, variæ contra D. Chryſoſtomum excogitatæ calumniæ continebantur, nimirum in primo viginti novem, in ſecundo verò octodecim, & tamen ſanctus hic Pater fidei & Eccleſiæ Catholicæ inſuperabilis Atlas, irrepræhenſibilis, & ab omni quarumvis minimo culpæ nævo immunis erat. Idem S. Doctor in Epiſtola quadam ita de ſe ſcribit: *Criminentur me cum muliere concubiſſe, exuite corpus meum, & membrorum meorum mortificationem reperietis.*

S. Greg. l. 2. Indict. 10. Epiſt. 23.
D. Chryſ. Epiſt. 125.

4. S. Gregorius Conſtantinum Mediolanenſem Epiſcopum, qui falſis impoſturis à diverſis lacerabatur, conſolari volens, pulchram hanc adducit ſimilitudinem: *Sic namque in corporali prælio fieri ſolet, ut is qui in certamine vexillum portat, ipſum hoſtis vehementer impetat, quatenus ſi ipſe, qui à cæteris attenditur, vulnus accepit, multitudo omnis citius diſperſa capiatur.*

S. Greg. l. 6. Indict. 15. Ep. 14.

5. S. Athanaſius Epiſcopus & Catholicæ religionis propugnator acerrimus, ab Arrianis curioſiſſimo & calumniandi avidiſſimo oculo conſideratus fuit, & incredibile eſt, quot & quam execrabilibus calumnijs ab illis diſcerptus fuerit. Falſo ei imputarunt, quod partes ſequeretur Magnentij Tyranni, qui Conſtantem Imperatorem occiderat, eique ſimul Tyranno ex pacto mutuo mortem machinatus fuiſſet, item quod virgini cuidam vim intuliſſet; Denique quod Arſenium Epiſcopum occidiſſet, multaſque alias ſimiles calumnias, quas ne prolixiores ſimus, referre omittimus. Enimvero operæ pretium fore exiſtimamus, ſi plurium aliorum ſervorum Dei ſanctitate inſignium, de gravibus delictis falſo & per calumniam accuſatorum brevem quemdam hic ſubnectamus catalogum.

6. S. Ætherius Epiſcopus cujuſdam ingrati Clerici opera, quem ſæpius ex gravibus miſerijs liberaret nec non ope cujuſdam mitram ambientis Archidiaconi, de habito cum impudica quadam fœmina carnali commercio accuſatus fuit, qui & teſtificabantur *vidiſſe ſe mulierem è cubiculo egredi, ipſamque ab hoc dimiſiſſe, dum ad Epiſcopum feſtinarent*, unde in ſqualidum confectus carcerem, catenis gravibus conſtrictus fuit, donec per miraculum aperto carcere, fuga ſe inde proripuit.

S. Greg. Turon. l. 6. Hiſtor. Fran. c. 36.

7. S. Angelus Martyr Religionis Carmelitanæ clariſſimum Sydus, cujus feſtivitas in diem quintum Maji incidit, dum Berengarij viri potentis publicum inceſtum reprehendiſſet, hoc ab eodem reſponſum retulit; *Hypocrita triſtis, & homo Diabolicus, mentiens de omnibus*, à quo etiam deinceps graviſſimè diffamatus fuit à Deo autem per miraculum protectus.

8. S. Thomas Epiſcopus Monaſterienſis in die Natalis Domini juſſu Henrici II. Angelorum Regis in Eccleſia eſt trucidatus, quem dictus Rex calumniabatur, quaſi contra publicam Regni ſalutem conjuraſſet, licet revera nullam aliam ob cauſam mortem hanc paſſus fuerit, quam quod huic ſacrilego Regi in immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium cedere & adhærere noluerit. Imò hiſce noſtris temporibus Angli apoſtatæ & hæretici eumdem ſanctum Archiepiſcopum Calendario ſub titulo Traditoris inſerere non erubeſcunt.

9. Sanct. Arnulpho Metenſi Epiſcopo calumnioſe imputatum fuit, quod minus honeſtum cum Regina habuiſſet commercium, quam ſub prætextu capiendi in rebus arduis ab illo conſilij nocturno tempore ad ejus lectum ſæpius acceſſiſſe dicebat: At verò Deus malignos hoſce falſarios condignis pœnis mulctavit, eorum comburendo veſtes igne tali, quem nulla affuſæ aquæ copia extinguere poterat. Noddus autem, qui hujus calumniæ author fuerat, maligna fraude illius detecta per manum Carnificis morte mulctatus fuit.

10. S. Auguſtinus de Etij hæreſi accuſatus fuit; Et S. Proſper multas alias contra ipſum divulgatas refert calumnias, quas multi maligni & ignorantes doctrinæ ſuæ hoſtes excogitarunt, quas omnes dictus Poſſidonius in libro cui titulus eſt: *De objectionibus Gallorum* graviter confutat.

11. S. Gregorius Nazianzenus traductus fuit, quaſi Cathedram Conſtantinopolitanam, ad quam per illatam ei vim promotus fuit, ambitioſe affectaſſet. In eadem quoque Oratione de alia quadam ſe calumnia juſtificat & purgat, dum ait: *In gratiam cum veritate redeant, qui nos alienam uxorem expetiviſſe ajunt, cum ne propriam quidem habere voluerimus.*

Orat. 27.

12. Sanct. Franciſcus de Paula ſuperioris ſæculi verus Thaumaturgus, ut prodigioſa quæ patrabat miracula ab hominum oculis abſconderet, herbas, pulveres, & unguenta ad curandas infirmitates adhibere ſolebat; Quia verò ad majorem ejus gloriam divina diſpoſitione ſæpe contingebat, ut priuſquam hæc media applicarentur jam abſoluta eſſent & completa miracula, quidam ordinis Minorum Religioſus prædicator, omnia quæ per virum Dei fiebant mirabilia figmenta eſſe credere cœpit, qui



qui proinde ſanctum hunc Patriarcham velut hypocritam contempſit, & tamquam talem utique etiem in pulpito publice divulgavit; quod quia Sanct. Franciſcus patienter & ſine ulla indignatione pertulit; temerarius vir ille ſemper inſolentior evaſit, Deus autem ſancti hujus viri innocentiam declarare volens; ejus animo ſuggeſſit, ut in teſtimonium & expreſſionem innocentiæ ejus, in manibus ſuis nudis carbones ignitos & accenſos publicè deferret, quod ut calumniator vidit totus compunctus ad ejus ſe pedes proſtravit, ab impacta illi calumnia eum defendendo; reſtituendoque famam ejus, quam antea calumnioſe traduxerat.

13. S. Dionyſius Alexandrinus tamquam fidelis Arrianorum ſectator & cultor accuſatus fuit; cui etiam calumniæ ipſemet Gennadius ſe ſubſcripſiſſe & conſenſiſſe viſus fuit, tametſi invictum illud fidei Catholicæ propugnaculum Sanct. Athanaſius meram ab æmulis ejus impactam teſtetur fuiſſe calumniam. Literæ quoque Valentiniani primi Imperatoris S. Damaſo Papæ adulterij crimen imputatum fuiſſe teſtantur, quod tamen meram fuiſſe calumniam, S. Hieronymus in Epiſtola ſua, quæ in ordine quinquageſima eſt, teſtatur, ipſum illibatam ſemper in vita ſervaſſe virginitatem perhibet; quæ macula eidem à ſchiſmaticis inuſta fuit.

14. Metaphraſtes ad diem 11. Decembris de Sanct. Daniele Stylita & diſcipulis ejus Hæreticos publicam de illis famam divulgaſſe refert, quod laſcivæ cuidam mulieri, cui Batiana nomen erat, mortem intuliſſent, eo quod à malignis illis ſubornata fuiſſet ut diceret quod Stylita illam ſolicitaſſet, ut per ſcalas columnæ ſuæ appoſitas ſurſum ad eum aſcenderet, ad explendam ſuam cum eadem libidinem, quodque illa idipſum ei denegante, ne ejus & diſcipulorum ſuorum divulgaret intemperantiam, illam tentaſſent occidere. Deus autem acerbiſſima illam pœna mulctavit, ſiquidem Dæmoni in prædam data fuit, donec facinus illud meram quamdam ab æmulis machinatam impoſturam eſſe confiteretur. Alia quadam vice ab homine quodam temerario tamquam ſi guloſus eſſet, & in ſpecie tantum externa abſtinentiam fingeret, traductus fuit, in cujus rei argumentum piſcem aſſum, quem attulerat, populo exhibens en hæc & alios cibos ſanctus in abſcondito devorabat, poſtquam verò de piſce hoc conjugi & filijs ſuis alijſque qui cum ipſo erant diſtribuiſſet, Dæmon omnium illorum corpora ingreſſus eſt, donec ad ſancti viri orationes confugientes liberati fuere, pro quo beneficio argenteam quamdam ipſius imaginem in gratiarum actionem templo S. Michaelis intulerunt.

15. S. Cyrillus Alexandrinus qui in defenſione Incarnationis contra Neſtorium indefeſſus erat, tamquam ſi Apollinariſta eſſet, traductus fuit, quæ calumnia adeò contra ipſum prævaluit, ut à Neſtorianorum conciliabulo depoſitus, & Epheſi in arctam cuſtodiam miſſus per 12. Capitulorum à Neſtorianis impugnatorum declarationem & per ſcriptam ad Theodoſium Apologiam ſuam conteſtari innocentiam coactus fuerit.

S. Cypr. Ep. 52.

16. S. Cornelius Papa à Novato & Novatiano calumniam inuſtam accepit, quaſi ijs qui idolis ſacrificaverant adhæſiſſet, cujus S. Cyprianus in Epiſtola 52. num. 33. mentionem facit, ubi dicitur ſanctum hunc Pontificem de eo quod illis Epiſcopis adhæſiſſet mendaciter fuiſſe infamatum, hocque ei à ſchiſmaticis imputatum fuiſſe aſſeritur.

17. S. Cæſarius Diaconus pro Mago habitus, & tamquam talis à Luxurio conſulari infamatus fuit, & quia ad ipſius orationes falſum quoddam ſimulachrum corruit, Firminumque oppreſſit, de ſancto viro ſupplicium ſumpturus, univerſam civitatem congregavit, aſſerens, quod per Cæſarij incantationes templum illud corruerit; Sanctus autem Cæſarius ſe defendit, illudque potentia veri Dei accidiſſe monſtravit. Idem quoque de crimine proditionis infamatus fuit, utpote qui civitatem & regnum Arelatenſe Burgundionibus tradere voluiſſet, cum tamen & Cyprianus econtra de eo ſic ſcribat: *Cum Paſtor vigilantiſſimus flexis genibus pacem gentium, urbium tranquillitatem diebus & noctibus à Domino precaretur, quare magis etiam credendum eſt Diabolo inſtigante in ſancti viri exilium barbaram ferocitatem incitatam eſſe.*

19. S. Baſilius præterquam ut ſuperius diximus, de hæreſi accuſatus fuerit, inſuper etiam traductus eſt, quaſi ſibi reſcriptum Neocæſarienſe per ambitionem & arrogantiam procuraſſet, cum tamen ipſe in Epiſtola 64. ſuam oſtendendo quoad hoc factam reluctantiam, & vim à Clero populo ſibi illatam ab hac ſe labe egregie juſtificet & defendat: *Quomodo qui tum cum vocabar, non obedivi, nunc citra vocationem meipſum intrudere conatus eſſem? quomodo conſectarer & ambirem jam calumniantes, cum aliquando laudantes me & celebrantes fugerim?*



19. S. Lucianus Martyr & Presbyter Antiochenus eruditiſſimus eo quod ſe Sabellio oppoſuiſſet, impoſturam ſuſtinuit, quaſi Arrianus eſſet, cum tamen S. Athanaſius ipſum tamquam eximium ſanctæ Religionis noſtræ zelatorem laudarit.

20. S. Lupus apud Theodoricum Regem accuſatus fuit, quaſi Veroſiam ferventiſſimam Dei famulam affectu proſequeretur minus honeſto; Qua de re cum Sanctus moneretur, per illud dictum Evangelicum reſpondit: *Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes*, prætereaque ſubjunxit: *Nihil nocent homini dicta aliorum, quem propria non maculat conſcientia*: Imò ſubito per evidentia quæ patrabat miracula plene ſe innocentem ab hac labe oſtendit.

21. S. Macharius Alexandrinus lib. 5. vitæ Patrum libello 15. n. 25. de ſemetipſo ſcribit, infamatum ſe fuiſſe quaſi juvenculam quamdam conſtupraſſet, ac proinde cum puella, fœtum quem ex alio conceperat ipſi attribueret, qui receptis ob hoc à parentibus & alijs loci illius incolis varijs plagis & moleſtijs patienter tuliſſe illatam ſibi calumniam; accidiſſe autem, quod dum laſcivæ hujus meretriculæ partus appropinquaret, doloreſque partus ingentes per multos dies illam diſcruciarent, nec tamen parere poſſet, id ſibi in pœnam à Deo impoſitum fuiſſe cogitans, errorem ſuum agnoverit, ſanctuſque ab omni ſiniſtra ſuſpicione liber & immunis remanſerit.

22. S. Sylverius Papa & Martyr quod per viam Simoniæ ad Papatum promotus fuerit, traductus fuit, de eo namque Anaſtaſius ſequentia ſcripta reliquit. *Sylverius levatus eſt à Tyranno Theodato, ſine liberatione decreti, qui Theodatus corruptus pecuniæ dato, talem timorem indixit Clero, ut qui non conſentirent in ejus ordinationem, gladio punirentur*, qui idem electionem ejuſdem Pontificis ob metum ſchiſmatis confirmatam fuiſſe ſubjungit. Hoc tamen falſiſſimum eſſe ex eo vel maxime apparet quod liberatus Carthaginenſis illius temporis ſcriptor de illo ſcribit, hic namque cap. 22. *Breviarij* expreſſe dicit, quod electio ejus à Clero facta fuerit, nulla prorſus Simoniæ facta mentione; Et vere qua fronte Sylverius Vigilium de Simonia damnare aut arguere potuiſſet, ſi ipſemet ab eadem fuiſſet pice turpiter coinquinatus; Demum Anaſtaſium in inſerendis in ſcripta falſis in & ab adverſarijs excogitatis impoſturis nimis facilem, in eiſque admittendis nimis credulum fuiſſe concludit.

23. S. Malachias Epiſcopus Hyberniæ, cujus ſanctam vitam S. Bernardus cum admiratione conſcripſit, à viro quodam ei ingratiſſimo veluti mendax, falſus, & injuſtiſſimus accuſatus; & communi nomine per improperium Simius ab eo appellatus fuit, qui protinus eodem die cœlitus fuit punitus; ſiquidem à Dæmone poſſeſſus ab eoque in ignem conjectus vel impulſus fuit, è quo ſemiuſtus & delirus ereptus fuit; licet vero ſancti viri precibus ſanum rationis judicium ipſi fuerit reſtitutum, juſto tamen Dei judicio ad mortem uſque à Dæmone poſſeſſus remanſit.

24. S. Meletius omnium ferè Græcorum encomijs inſignis ab Arrianis per calumniam tamquam Sabellianus à ſede ſua expulſus fuit; Hoc autem eidem calumnioſe impoſitum fuiſſe in ſcriptis ſuis teſtantur Nyſſenus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Baſilius; & multi alij.

25. S. Melchiades Papa diffamatus eſt tamquam Idololatra; In cujus tamen defenſionem ſcripſit S. Auguſtinus, falſam hanc accuſationem ab eo depellendo, idque in *lib. contra Petilianum Donatiſtam de unico baptiſmo cap. 16.*

S. Aug. l. cont. Petilian. Donat. de unic. Baptiſmo c. 16.

26. S. Methodio Epiſcopo Conſtantinopolitano, utpote ſacras imagines debita veneratione colenti ab impio Theophilo Iconomacho Idololatriæ crimen imputatum fuit, & tamquam talis poſtquam primo aſperrime flagellatus fuiſſet, una cum duobus latronibus intra ſepulturam quamdam reclufus fuit; quia enim ſacrilegi hæretici iſti imagines ſacras idola vocabant, ideò ipſum illas colentem Idololatram dixerunt.

27. Porrò hujuſce veritas quod ſcilicet Diabolus peſtiferam hanc zizaniam, ſeminato optimo tritico inter-

interſerat, id eſt, ſanctiſſimos viros falſiſſimis hiſce calumnijs impetat, innumera poſſemus exempla adducere; Enimverò ut ſuperius diximus, *Diabolus*, idem ſignificat, quod *calumniator*; de illo autem Chriſtus

Luc. 22. v. 31.

diſcipulis ſuis dixit: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum*; quod equidem verè in ipſis ad literam adimpletum fuit, ſiquidem incredibile dictu eſt, quot ipſi ab hominibus calumnias perpeſſi fuerunt; Et quidem ut cætera omittam, ipſamet die qua ſuperveniente in ipſos Spiritu S. repleti ſunt, illos ebrios &

Act. 2. v. 13.

vino nimio madentes Judæi appellarunt: *Quia muſto pleni ſunt iſti.* Imò ipſemet Chriſtus quantis fuit enormibus criminibus innocenter traductus? *Blaſphemavit*,

Matth. 26. v. 65.

inquit ſummus Pontifex, *quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam*, quæ eadem impoſtura mortem illi cauſavit, nec tamen quidquam blaſphemum locutus fuerat, ſed cum ipſe prima & æterna veritas eſſet, ſe filium Dei eſſe teſtificatus eſt. Alia quo-

Luc. 11. v. 15. Marc. 3. v. 22.

que calumnia ipſi illata fuit, quando dixerunt: *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit dæmonia*; Imò ut S. Marcus ait: *Et ſcribæ qui ab Jeroſolymis deſcenderant, dicebant, quoniam Beelzebub habet, & quia in Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* S. Cyprianus

S. Cyprian. l. de Idololat. vanit.

lib. de idolorum vanitate de Chriſto inquit: *Judæi qui illum crediderunt hominem tantum de humilitate carnis & corporis exiſtimabant Magum de licentia poteſtatis*: Idem quoque ſanctus ulterius hanc unicam ſuæ ad mortem condemnationis cauſam fuiſſe dicit: Ad hæc principes Synagogæ, Magiſtratus, totiusque Hebraiſmi primores aliam coram Præſide Judeæ adverſus Salvatorem attulerunt impoſturam, dicentes:

Luc. 23. v. 2.

*Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe*, & tamen quam id à veritate alienum fuerit, omnibus conſtat, ſiquidem ipſemet Salvator coram eodem Judice expreſſe declaravit, quoad hoc

Joan. 18. v. 36. Matth. 27. v. 18.

punctum dicens: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; unde ipſemet Judex fateri coactus, quod hanc ei calumniam ex mera impoſuiſſent invidia; *Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum.* Eſtque hoc ipſum ingens ſolatium illis, qui falſis gravantur accuſationibus, dum videlicet Chriſtum ejusque chariſſimos diſcipulos per eamdem viam proceſſiſſe conſide-

Joan. 13. v. 16.

rant; *A Chriſto dicti ſumus Chriſtiani, nonne ea via qua Chriſtus ambulavit, & nos debemus ambulare? Non eſt ſervus major Domino ſuo.*

## DISCURSUS V.

### ARGUMENTUM.

Deum calumnias, earumque falſitatem communiter detegere & manifeſtare conſueviſſe probatur, multorumque ſanctorum nec non Chriſti Domini exemplis oſtenditur.

### THEMA.

*Et ſalvos faciet filios pauperum*, Pſalm. 71. verſ. 4.

Diſcurſus per ſe clarus.

1. HIs verbis Pſalmiſta ſtipulata promiſſione pollicetur, quod Deus ſervos ſuos, eorumque innocentiam à calumniatoribus certo ſit liberaturus, ac proinde immediate ſubjungit: *Et humiliabit calumniatorem.* Haymo Halberſtadienſis per *filios pauperum* intelligit *imitatores Apoſtolorum*; quam eamdem

Haymo ibid.

expoſitionem etiam habet Sanct. Remigius. Sanct. Bernardus in ſermone quodam ſuper Cantica ad hunc

S. Bernard. ſerm. 17. in Cant.

Pſalmiſtæ locum alludens ita ſcribit: *Ubique & ſemper judicabit Dominus populos, & humiliabit calumniatorem; ubique & ſemper defenſabit ſuos, propulſabit nocentes: & tollet virgam peccatorum deſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.*

2. Nota eſt unicuique illa caſtiſſimæ Suſannæ hiſtoria, cui, dum effreni ſeniorum illorum Judicum libidini conſentire nollet, ſenes illi hanc intulerunt calumniam, quod ſcilicet cum juvene quodam dimiſſis ancillis & pediſſequis ſuis ſe commiſcendo thorum conjugalem violaſſet, hujuſque ſe oculatos teſtes eſſe affirmabant, utpote qui juvenem ab eorum ſe conſpectu fuga ſe proripientem conſpexiſſent. Quorum verbis populus nimium credulus, fidem adhibens, eamdem juxta leges jam mortis ſententia condemnaverant, dumque in procinctu eſſent, ut eam lapidarent, ipſa omnem ſuam fiduciam in Deum re-

Dan. 13. v. 35.

ponens, & *flens ſuſpexit ad cælum, erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*; Sciebat enim Deum nequaquam permiſſurum ut fidelitate ab ipſa ſuperaretur, ac proinde, cum illa ad offenſam Dei reſpiciens inſignem hanc præmiſiſſet proteſtationem:

Ibid. v. 23.

*Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras quam peccare in conſpectu Domini*, juſtum quoque erat, ut Deus ad ejus conſervandum honorem reſpiciens, ejus tutandi curam haberet, ſcire namque debebat, quod poſtea ad gloriam ejus dixit D. Chryſo-

D. Chryſoſt. Hom. de Suſan.

ſtomus: *Suſanna aſpectabatur quod audiebat, quia timebat eum quem nihil latebat; falſi enim teſtes poſſunt lædere famam, non occidere conſcientiam.* Et ideò Suſanna cauſam ſuam non peroravit tutata eſt verbis, quia adverſarios ſe nimium potentes habere illoſque verbis minime credulos futuros eſſe ſciebat. Origenes de Redemptore noſtro loquens, qui impoſitas ſibi calumnias prudenti ſilentio diluit, inquit: *Majus*

Orig. Hom. 35. in Matth.

*eſt libere & fortiter ſilere, quam defendere ſe ſine ullo Propheta, ut non humiliemur à teſtibus falſis*, & calumniatoribus improbis.

3. Nonnulli haud immeritò obſervant, & cauſam inquirunt, cur Naboth os ſuum non aperuerit, neque cauſam ſuam per preces & ſupplicationes divinæ juſtitiæ tribunali recommendaverit, cum Su-

Dan. 13. v. 42. Ibid. v. 43.

ſanna econtra dixerit: *Deus æterne qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, tu ſcis, quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me, & ecce morior cum nihil horum fecerim.* Reſpondentque Deum in duabus hiſce perſonis duos demonſtrare voluiſſe calumnias patientium effectus, aliqui enim eos Deo recommendant; in eumque ſolum totaliter confidunt, ſiquidem *ſalvos faciet filios pauperum*; Ita Suſanna fecit: Alij verò calumnias patienter & ſine

Iſ. 30. v. 15.

querela aut lamento ſuſtinent, & *in ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra*, talis fuit innocens Naboth, qui tyrannidem Jezabelis adeò violentam eſſe dicebat, ut nullus apud eam ſe defendendi locus ſibi reliquus eſſet; erat *cor ejus fiduciam habens in Domino. Ad te*

Pſ. 24. v. 1. Ibid. v. 2. Ibid. v. 15.

*Domine levavi animam meam*, dicebat David, *Deus meus in te confido non erubeſcam; oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.*

Interlin.

Interlinearis ſuper illa: *Quæ flens ſuſpexit ad cælum, ait quaſi diceret: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Liranus ait: *Quia aliunde non poterat habe-*

Lyranus Pſ. 122. v. 1.

*re auxilium, & proprium eſt Divinitatis ſuccurrere in caſibus deſperatis*, quales ſunt calumniæ quæ firmiter pedem fixerunt; quia enim inter calumnias nonnumquam parum abeſt, quin in deſperationem redigamur, Deus communiter manifeſtata veritate calumnias depellit: *Salvos faciet filios pauperum*, Spiritus S. enim, qui Spiritus eſt veritatis, accuſationum falſitatem aperiendo innocentem ſe exhibet defen-

Dan. 13. v. 45. Interlin. in Dan.

ſorem, unde S. Scriptura dicit: *Suſcitavit Dominus Spiritum S. pueri junioris*; ubi Gloſſa interlinearis dicit: *Non dedit, quia jam in eo erat, ſed propter ætatis infirmitatem quieſcebat, nec opera demonſtrabat, ſed occaſione data ſuſcitavit pro ſancta fæmina*; ut calumniato-

Gloſſa.

rum technas detegeret. Unde Gloſſa ait: *Stupet populus pro judicio repentino, revocatur addicta, falſos teſtes pavor invadit, gemit diabolus; quod ipſius commenta nudantur, gaudent Angeli de pudoris integritate comperta, & quod defendatur in terris veritas fatigata.*

4. Regius Propheta David, qui in pluribus Pſalterij ſui locis, ſe innumeris calumnijs impetitum fuiſſe lamentatur, divinæ juſtitiæ ſignaturam ad ſui defenſio-

Pſ. 42. v. 1. Ibid. v. 2. Ibid. v. 3.

nem his verbis implorat: *Judica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo erue me, quia tu es Deus fortitudo mea; ... Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.*

5. Phariſæi Apoſtolorum calumniabantur Collegium, quod non jejunaret; at verò providus illorum Magiſter, qui *ſalvos facit filios pauperum*, id eſt, ut

Richard. Pamph. in Pſal.

Richardus interpretatur, *imitatores Apoſtolorum*, innocentiam ipſorum defendere non diſtulit, ſiquidem malignus illis calumniatoribus vitam illorum perpetuam quamdam abſtinentiam oſtendit, utpote quibus ad famem pellendam ſpicas in agris decerpere neceſſum fuit, adeoque factis non verò verbis illos ab hac calumnia purgavit.

6. Eccleſiaſtici cap. 51. elegans illa & efficax Jeſu filij Sirach oratio deſcribitur, ex qua eximia illius erga Divinam Majeſtatem gratitudo egregiè relucet, eo quod calumniarum falſitatem detegendo, ipſum ? congeſtis in eum impoſturis clementer & provide de-

Eccli. 51. v. 1. Ibid. v. 2. Ibid. v. 3.

fendiſſent: *Confitebor tibi Domine Rex* inquit, *& collaudabo te Deum Salvatorem meum, confitebor nomini tuo, quoniam adjutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione*; ipſum verò ibi de calumnijs



lumnijs loqui, quas patiebatur, verbis ſequentibus declarat, *à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium*

Eccli. v. 6.

*mendacium*; & paulò poſt dicit: *In medio ignis non ſum æſtuatus*; quibus verbis peſtilentialem hanc zizaniam ignem appellat. S. Joannes Damaſcenus de ca-

S. Joan. Damaſc. Paral. l. 1. c. 91.

lumnia diſſerens dicit: *Quid calumnia pejus fingi queat? auditorum enim aures delinit, atque eorum animos ſtupore afficit, eosque qui malis tamquam præde cuipiam imminent ferinos reddit.*

7. Nec mirum quod ſanctus hic Pater calumniam tantopere deteſtetur, ſiquidem in ejus vita memorabile quoddam factum ei accidiſſe legitur; Cum enim Leo Iſauricus Imperator Orientis in truculenta ſua perſecutione imagines ſacras ſeveriſſimis edictis prohibuiſſet, S. Joannes Damaſcenus multas contra eum literas ſcripſit, cœleſti ſapientia adeò refertas, ut cœlitus miſſæ fuiſſe crederentur, easque per varia loca diſpergi procuravit, quibus veluti aggeribus magnam illius perſecutionis procellam & furiam cohibuit. Quia verò ſanctus hic vir Imperij ſui ſubditus non erat, ideoque de ipſo deſideratam vindictam ſumere non potuit; Imperator furore & rabie adverſus ſanctum concepta plenus quamdam manu ipſius conſcriptam literam habere curavit, quam acceptam falſarijs quibusdam ad imitandum ejus characterem conſignavit, ſubque hoc excogitato ſtratagemate, nomine S. Joannis fictam quamdam literam quaſi ad ſe directam exarari fecit, hujus ferè tenoris, cum ambo Chriſtiani, & ejusdem religionis conſortes ſimus, mihique ſpes ſit non vulgaris à tua Majeſtate me aliquando liberaliter remunerandum eſſe; operæ pretium mihi viſum eſt, haſce ad te ſupplices literas mittere, te etiam atque etiam obteſtando, ut civitati Damaſcenæ, ab exiguo militum præſidio cuſtoditæ, & in ſumma pace extra omnem mali imminentis ſuſpicionem viventi, clementer compati digneris, ſiquidem facillimo negotio eamdem in tuam poteſtatem redigere poteris, ſi occultè ad eam capiendam gentem armatam eo ſubmiſeris; ego enim qui magnam in illius & totius regni gubernatione partem habeo ad hoc tam glorioſum & ſanctum opus libenter auxiliando & traditionem urgendo ſuccurram; hancque literam à ſe confictam impijſſimus Imperator Principi Damaſceno tranſmiſit, dicendo ei, quod niſi tantus pacis, & promiſſionis ſuæ verbo regio factæ amicus eſſet, hanc ſibi ſuggeſtam opportunam ipſum ſubjugandi occaſionem minimè necleⁿcturus fuiſſet: Nunc verò decretum quidem ſibi eſſe pactis inter eos hactenus capitulationibus conſtanter inſiſtere, verumtamen diſplicere ſibi vehementer; quod perfidos adeò habeat domeſticos, qui ipſum vendere, ſuisque exuere dominijs contenduut; prout ex litera quadem ad ſe per aliquem ſuorum ſcripta latius videre poſſet. Princeps igitur S. Joanni qui Damaſci gubernator erat, ad ſe accerſito miſſam ad ſe à Leone Imperatore literam legendam exhibens eum anne literæ iſtius character ſuus eſſet interrogavit, qui Principi; videri quidem ſuum eſſe characterem, tametſi revera ſuus non ſit, reſpondit; Tunc Barbarus abſque ullo ulteriori reſponſo, aut examine manum ejus dexteram amputari, atque ad quoddam in publico foro erectum patibulum configi juſſit; Sanctus igitur ſubitò, unde hæc ei impoſtura, irrogata fuiſſet, animadvertens, cognovit quod Leo dum ipſum unguibus & dentibus ſuis dilaniare & comminuere non poterat, per hanc aſtute excogitatam calumniam bellum ei inſerendo in vulpem commutatus eſſet, cæterum in Deum

Pſ. 71. v. 4.

confidit, *Qui judicabit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum*, ab eoque ſibi amputatam manum reſtituendam eſſe non dubitavit, utpote quam ad majorem ejus gloriam, honorem illius defendendo adhibuerat, quæque ſicut prius atramento, ita poſtea ea ſanguine ſanctam ejus fidem confeſſa fuerat: Cum igitur Principem nonnihil placatum eſſe intellexiſſet ſupplex ab eo manum ſuam ab infami illo loco tolli, ſibique reſtitui poſtulavit, ut eam terræ mandare valens, aliquod ignominiæ ſuæ ſublevamen perſentiſceret; Cui cum Princeps acquieviſſet, Sanctus oratorium ſuum ingreſſus ſe coram quadam Beatiſſimæ Virginis imagine cum ingenti affectu, copioſiſque lachrymis proſtravit, manuque ad brachium admota, ab ea, ut manus brachio ſicut antea vitaliter conjungeretur, humillimè petijt, Beatiſſima Virgo igitur hanc ei manum ob ſuarum ſuique filij imaginum defenſum honorem amputatam eſſe illumque eamdem ſibi nullo alio fine reſtitui deſiderare ſciens quam ut ambobus tanto fidelius utiliusque præſtare poſſet obſequium, ei dormienti apparuit & dixit: Ecce jam ſanus, compone hymnos & laudes meas deſcribe; qui mox ut a ſomno expergefactus fuit manum ſuam brachio ſolidius & fortius quam umquam alias conjunctam eſſe deprehendit; Quo viſo miraculo increduli Saraceni, novam falſamque ei denuo texere cæperunt calumniam; Siquidem Principi Damaſci, juſtitiam ab ejus miniſtris minime circa ipſum rite executioni demandatam fuiſſe perſuadebant, eo quod manus in foro patibulo affixa, non ejus, ſed perditi cujusdam mancipij fuiſſet, unde protinus ſanctum Patrem accerſiri fecit; & ex modico quodam ſigno, quod Deus in teſtimonium miraculi, & infidelium confuſionem, in illa manus cum brachio conjunctione relinquere voluit, illam revera præciſam fuiſſe perſpicue agnoſci potuit; Unde Barbarus hic Tyrannus à ſancto miraculum circa ſe à Deo patratum intelligens, de viri Dei innocentia & impij ac ſacrilegi Imperatoris impoſtura certior factum ſanctum hunc Patrem, quantum alias umquam, honorari decrevit, qui tamen ut Deo totaliter ſerviret ab hominum ſe oculis ſubduxit & ejus qui *ſalvos facit filios pauperum*, obſequijs ſe mancipavit.

Bolland. 17. Febr.

8. De Sanct. Hildegarde quæ Ruperti Comitis Palatini conjux fuit refertur, quod dum hic Princeps in venatione, totam noctem tranſegiſſet, illuceſcente die mature ſatis domum reverſus mulierem quamdam, quid rerum circa conjugem ſuam actum fuiſſet, interrogavit; cui illa reſpondit: Id agere quod impudicæ ac libidinoſæ ſolent, viro abſente totas noctes adulteris obſequi, atque audacter fidei adſtruendæ oculos oppignorat, his certe ſpectaſſe flagitium; niſi fortaſſe beſtiam ſe fuiſſe, aut ſtatuam credat, cum iſta vidit. Comes furibundus hancque calumniam tanto firmius credens, quanto ei ad cubile pulſanti tardius aperiebatur, ſanctam pedibus crudeliter conculcatam, è feneſtra in profundam quoddam præcipitium deturbavit; unaque cum illa ancillam ejus; quæ Dominæ ſuæ innocentiam ſtrenuè fideliterque defendebat: Ivere ambæ præcipites, ſed innocuæ, Angelorum miniſterio inter prærupta petrarum locatæ, & ſuaviſſimo concentu recreatæ; id ubi è feneſtra Comes aſpexit, ad ſumendam de perjura accuſatrice vindictam proſilit, velut illa jam graves (heu) Deo ſolverat pœnas; nam non ipſa ſolum, ſed & vacca, mulctrum, ſedile, lac quoque, eodem omnia quo prius ſitu, figuræ, colore, in ſaxa penitus obdure urant, ajunt ita etiam nunc perſtare.

Prat. Flor. 2. p. c. 57.

9. In Prato florido ex S. Cyrilli Patriarchæ Jeroſolymitani relatione habetur, quod Sabinianus hæreticus poſt mortem Sanct. Hieronymi, libellum quemdam multis conſperſum erroribus à ſe conſcriptum ſub nomine ſancti Doctoris in lucem ediderit, unde ingens inter Catholicos nata eſt confuſio. Huic autem ſacrilego Silvanus Epiſcopus Nazarenſis ſe oppoſuit; multis probans argumentis Sabinianum falſarium & impoſtorem libri hujus eſſe authorem, ſeque paratum futurum promiſit ad mortem ſubeundam, niſi ſequenti die cœlitus miſſo ſigno, librum hunc Sanct. Hieronymi nequaquam eſſe doceretur; Quo audito mirè hæreticus lætitia geſtire cæpit, ſperans ſignum illud nequaquam exhibendum, adeoque Sylvanum decapitandum fore; Die ſequenti adveniente, Sylvanus ad mortem ſe obtulit, jamque lictor exemptum gladium extento brachio in cervicem ejus impingere paratus erat, quando ecce S. Hieronymus viſibiliter in aëre apparuit, qui lictorem cohibuit, & ad Sabinianum converſus ejus illi calumnias & falſitates acriter exprobravit, diſparente autem S. Doctore, caput hæretici, detruncatum ab omnibus viſum fuit, cunctis vero, qua id ratione factum fuiſſet, ignorantibus.

10. Idem quoque S. Hieronymus in quadam Epiſtolarum ſuarum aliud ſimile refert miraculum, de muliere quadam quæ cum Vercellis de adulterij reatu à marito accuſata fuiſſet, complex prætenſus juvenis violentiæ tormentorum cedens, ea quæ minimè contigerant confeſſus una cum muliere iſta ad eamdem fuit pœnam condemnatus; mulier autem in innocentiam ſuam Dei protectionem confiſa, velut alia quædam Suſanna, cœleſte imploravit auxilium dicens: *Tu*

S. Hieron. Epiſt. 40. ad Innoc.

*teſtis es Domine Jeſu, cui occultum nihil es, qui es ſcrutator renis & cordis, non ideò me negare velle ne peream, ſed ideo mentiri nolle ne peccem*; Cumque lictor ſæpius

ſæpius ultimum ei gladij ictum impingere viſus fuiſſet, obrigeſcente brachio illius nihil efficere potuit: *Prorogo*, inquit S. Hieronymus, *quæ eſt iſta ſecuritas? impendentem non timet mortem, lætatur percuſſa, carnifex pallet*, moxque S. Doctor S. Suſannæ ſubnectit mentionem dicens: *Hic Suſanna nobilis fide omnium ſubeat mentibus, quæ iniquo damnata judicio, Spiritu Sancto puerum replente, ſalvata eſt; Ecce non diſpar in utraque miſericordia Domini; illa liberata per judicem ne iret ad gladium, hæc à Judice damnata abſoluta per gladium eſt.*

*Bolland. T. 1. Feb.*

11. In vita S. Brigidæ de S. Patritio narratur, quod cum die quodam in plurium Epiſcoporum ſocietate ſederet, impudica quædam fœmina coram hoc venerabili cætu comparuerit, quæ infantulum in brachijs ſuſtinens, hunc Epiſcopi cujuſdam qui S. Patritij quondam diſcipulus fuerat, & Broon appellabatur, filium eſſe conteſtabatur, quod cum Epiſcopus ille negaret, Epiſcopi præſentes, quod S. Brigidam ob mirabilia quæ fecerat, permagni facerent, ab ea ut hanc ipſa controverſiam dirimeret, enixe rogarunt: *Dixit autem Brigida ad illam, de quo concepiſti infantem hunc? Illa reſpondit, de Epiſcopo Broon; Brigada dixit: Non ſic exiſtimo. Tunc Brigida ad S. Patritium ſe humilians dixit: Pater tuum eſt hanc quæſtionem ſolvere*; In hoc tamen humilitatis conflictu ſancta Brigida S. Patritio cedere, & veritatem à fœmina extorquere debuit: *Sancta igitur Brigida ſignans os illius fœminæ ſigno crucis Chriſti; ſtatim intumuit totum caput ejus cum lingua, ſed nec illa pœnituit: Tunc Brigida linguam infantis benedixit, dicens ei: Quis eſt pater tuus? Ille reſpondit ambulans: Non eſt Epiſcopus Broon pater meus, ſed quidam homo, qui ſedet in parte Concilij ultimus ac turpis viliſque.* Alia exempla ſimilia de ijs qui poſt acceptas calumnias miraculoſe defenſi & purgati fuere paſſim apud Hiſtoricos leguntur.

*Sophron. in prat. Spirit. c. 114.*

12. Sophronius in Prato ſpirituali refert, quod cum ſanctus Daniel Abbas die quadam pro ſportis quibuſdam vendendis civitatem ingreſſus fuiſſet, à juvene quodam rogatus fuerit, ut pro conjuge ſua, quæ ſterilis erat, orationem ad Deum fuſurus, domum tantiſper dignaretur, ingredi, quod cum ille feciſſet, fœcundata muliere mox à malignis falſe fuit de inhoneſto cum prædicta muliere habito carnali commercio accuſatus, quodque fœtus ab ea conceptus non mariti, ſed ipſius eſſet, quod cum ſanctus vir Dei percepiſſet, ut ab hac ſe calumnia liberaret ad civitatem ſe recipiens, domum illam ingreſſus eſt, in quo calumniatores ſuos præſentes eſſe ſciebat, in eorumque præſentia infantulum à quindecim diebus natum, quis pater ipſius eſſet interrogavit, qui mox tenellum brachiolum verſus genitorem ibi præſentem extendens articulata voce dixit, ab hoc ſum generatus, & non ab alio.

*Baron. An. 699.*

13. In Annalibus Eccleſiaſticis de S. Sergio Papa legitur, quod cum à nonnullis æmulis ſuis paſſim divulgaretur, quemdam ex inceſtu natum infantulum, ſanctiſſimi & innocentiſſimi hujus Pontificis eſſe filium, S. Althelmus Epiſcopus Schireburgenſis tunc Romæ præſens, ut ſanctum Pontificem ab hac impoſtura eximeret, infantem novem & non plures ab ortu ſuo dies habentem interrogavit, num Sergius Pater ejus eſſet, qui promptiſſima voce reſpondit: *Nihil Sergio cum fæmineo ſexu eſſe commercij*; nimirum *ſalvos facit Deus filios pauperum.*

14. In vita S. Caroli Borromæi ſcribitur, quod cum is poſt improviſam Federici Comitis fratris ſui mortem, reformationibus inſtituendis, & vitæ exemplaris & perfectæ rigoribus plus ſolito deditus eſſet, ac proinde cum Patre ſuo ſpirituali, qui tunc P. Joannes Baptiſta Ribera è Societate Jeſu erat, frequentius tractaret, nonnulli ejus aulici hanc ſolitudinem tolerare non valentes, præter alias quas huic ſervo Dei inferebant injurias, calumniati ſunt eum quaſi quemdam Dominæ virginiæ de Ruvere defuncti fratris conjugis viduæ ephebum ad inhoneſta ſolicitaſſet, quod idem juvenis ille ab eis ſubornatus fatebatur, & parum aberat, quin S. Cardinalis ipſemet huic calumniæ fidem adhibuiſſet: At verò poſt diligentem factam rei perquiſitionem, de Patris illius innocentia certior factus eſt, cui deinceps ſummo affectu conjuctus permanſit.

*Joan. 15. 20. Hiſt. l. 2. p. 1. n. 50. & ſeqq.*

15. Porrò S. Ignatius inſtitutæ à ſe Societatis Patribus dicere potuit; *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*; ſiquidem in Hiſtoria Societatis de ipſo legitur, quod cum Romæ hæreſiarcham quemdam, qui coram numeroſo auditorum concurſu prædicabat, poſt exhibitam illi, licet fruſtra ſecretam correctionem, detexiſſet, jamque factus vir Dei errores & zizania quæ ſeminabat publicè deteſtatur, hic in vindictam exaſperatus ſanctum accuſavit, quaſi è diverſis mundi partibus tamquam hæreticus proſcriptus fuiſſet, & ad hoc probandum multa falſa congeſſit teſtimonia, Deus quidem S. Ignatium intolerantia calumniæ iſtius, ad tempus aliquod exerceri permiſit, at verò cum veriſſimum ſit, quod Deus verus ſit *adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*; *Et ſperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine*, hinc altiſſima & infallibilis Dei providentia diſpoſuit, ut quo die cauſa ipſius hic Romæ decidenda erat, in eamdem hanc almam urbem ex diverſis mundi partibus ex Hiſpania nimirum Francia & Venetijs ijdem appellerent judices, à quibus in materia fidei inquiſitus, abſolutus, & innocens declaratus fuerat, qui omnes de doctrinæ ipſius integritate, & ardenti zelo ſalutis animarum, de vitæ ejus exemplaritate & ſanctitate, deque miris animarum converſionibus per ipſum patratis indubitatam fidem faciebant, malignoſque impoſtores de calumniæ convincebant falſitate, unde cum ſumma ipſius gloria per ſententiam Judicis liberatus fuit.

*Pſ. 9. v. 10. Ibid. v. 11.*

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

Explicantur pœnæ & ſupplicia, quæ Deus varijs temporibus calumniatoribus inflixit.

### THEMA.

*Et humiliabit calumniatorem.* Pſal. 71. v. 4.

1. IDemmet cœleſte oraculum quod ſe innocentes calumnijs oppreſſor defenſurum, atque à falſis impoſturis liberaturum eſſe promiſit, pariter ſe impoſtorem humiliaturum & puniturum pollicetur, dum ait: *Salvos faciet filios pauperum & humiliabit calumniatorem.* S. Remigius ſuper hunc Pſalmi verſiculum dicit: *Calumniator eſt, qui alienam innocentiam nititur ducere in culpam exquiſita aliqua doloſitate, & machinata aliqua calliditate*; *Humiliabit*, inquit Albertus Magnus, *in præſenti ejus potentiam debilitando, & ipſum vulnerando.*

*S. Remig. ibid. Alb. Magn.*

2. In Deuteronomio tale Deus decretum condidit: *Cumque diligentiſſime perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit*; Divina etenim juſtitia ſæpe permittit ut ſupplicia & ignominiæ quas maligni & invidi calumniatores calumniam patientibus procurare nituntur, ſuper ipſoſmet recidant impoſturarum authores; Hanc namque veritatem in libidinoſis illis ſenibus Suſannam calumniantibus adimpletam fuiſſe novimus, unde doctiſſimus Salmeron ea de re ita ſcribit: *Si quis diſſamatus ſit citra culpam ſuam, pœna infamiæ redit in caput calumniatorum, quemadmodum recidit in Presbyteros, qui injuſtè accuſaverunt de violata pudicitia Suſannam.*

*Deut. 19. v. 18. & 19. Salm. T. 7. Tr. 20. n. 3.*

3. Pſalmiſta David ſpecialiter eo fine, ut ab impoſtoribus liber evadat, Deo ſe recommendat dicens: *Salvum me fac Domine ... quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum, ... labia doloſa in corde & corde locuti ſunt; diſperdat Dominus univerſa labia doloſa*; expreſſius verò juxta Chryſoſtomum, Spiritus ſanctus calumniatoribus ſupplicium comminatur, dum ait: *Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua*; ubi notandum, quod dicat: *Cogitavit*, quia ut calumnia aliqua veriſimitudinem aliquam in ſe contineat, & faciliorem penes audientes fidem inveniat, neceſſum ut ex induſtria componatur, fabricetur, & debitis ſuis coloribus imbuatur, ut credibilis videatur, ac proinde dicitur: *Injuſtitiam cogitavit lingua, dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa*; at vero audi quale illi comminetur ſupplicium: *Propterea Deus deſtruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium*; quæ verba D. Chryſoſtomus de Calumniatoribus interpretatur, dum ait: *Quorum numerum augebat Doeg, cum falſo ſermone atque calumnia uſus ſacerdotes Dei obtruncavit; Verum quænam divinitus eum pœna conſecutura ſit, præſens ſermo docet, veluti ad eum, qui in iniquitate potens ſit, loquens: Propterea Deus deſtruet te in finem; Juxta Symmachum: Deſtruet te, & abrodet te de tentorio tuo, & eradicabit te de terra viventium in perpetuum.* Dicit igitur S. Doctor

*Pſ. 11. v. 2. Ibid. v. 3. Ibid. v. 4. D. Chryſoſt. ibid. Pſ. 51. v. 4. Ibid. v. 6. Ibid. v. 7.*

verba



verba hæc quoad ſenſum literalem ad Doeg directa fuiſſe, qui tametſi nativitate Syrus eſſet, in medio tamen Hebræi populi converſabatur & habitabat; utpote qui ex aulicorum Saulis Regis numero unus erat, ac proinde una cum cæteris Saulis miniſtris, ut veriſimile eſt, ad templum, vel ad quemcumque alium locum ubi debitus vero Deo cultus exhibebatur ſimul conveniebat; Quoad ſenſum vero moralem, *dicta ſunt etiam ad quemlibet hominem, qui improbitate potens eſt, ac lingua loco gladij ad animarum perniciem abutitur, quem velut amaram & peſtiferam quamdam radicem animarum agricola evellet, etiamſi ad breve aliquod temporis ſpatium in Dei tabernaculo, ipſiuſque Eccleſia conſitus eſſè videatur. Exciſus hujuſmodi homo, proculque à ſanctorum tabernaculo abjectus, miſerandum ſpectaculum præbebit ad intuentium utilitatem & caſtigationem.*

4. Idem Propheta David ſe inter calumnias vix ſubſiſtere potuiſſe fatetur, quando Calumniatores non ita ſubito à Deo caſtigari videbat: *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei*, quia *zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns*, quibus verbis de illis loqui intendit, qui peſſimam hanc calumniæ inſaniam inter alios ſpargebant, prouti ex verbis ſequentibus deducitur: *Cogitaverunt & locuti ſunt nequitiam*, quia calumnia prius cogitando & confingendo componitur, & poſtea in publicum ſpargitur; at vero quis tandem finis illorum fuerit, velim obſervate: *Quomodo facti ſunt in deſolationem ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.* Titelmannus ſuper illa verba quæ à principio ex Pſalmiſta citavimus, Iſaiam cap. 14. adducens ait: De calumniatore autem ſubditur: *Et interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.*

*Pſ. 72. v. 2. Ibid. v. 3. Ibid. v. 8. Ibid. v. 19. Titelman. in Pſ. 71. n. 4. Iſ. 14. v. 30.*

5. Invidi illi Satrapæ & Conſiliarij Danieli multas apud Regem calumnias affinxerunt, quibus eumdem eo uſque redegerunt, ut tandem juſſu regio in lacum Leonum conjectus fuerit; Verumtamen quia veriſſimum eſt, quod *Deus ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem*, in eodem inter famelicorum leonum dentes illæſus remanſit: *Deus meus miſit Angelum ſuum*, inquit Daniel, *& concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo juſtitia inventa eſt in me, ſed & coram te Rex delictum non feci*; Quodnam vero fuit invidorum calumniantium ſupplicium? *Interire faciam radicem tuam, & reliquias tuas interficiam; Danielem præcepit educi de lacu eductuſque eſt, & nulla læſio inventa eſt in eo, ... jubente autem Rege adducti ſunt viri illi, qui accuſaverant Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt ipſi, & filij, & uxores eorum, & non pervenerunt uſque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.* Sic & omnes calumniatores aut male perierunt aut mala quæ alijs cogitarunt, in ipſorum capita reciderunt, ſecundùm tritum proverbium, malum conſilium conſultori peſſimum, quod & ſequens Amani Judæorum hoſtis hiſtoria luculenter declarat.

*Daniel. v. 22. Iſ. 14. v. 30. Daniel. 6. v. 23. Ibid. v. 24.*

6. Aman populum Hebræorum apud Regem Aſſuerum multis calumnijs traduxerat, tandemque ab eo obtinuit, ut poſt confiſcata omnia ipſorum bona in ore gladij interfici juberentur: *Eſt populus per omnes Provincias Regni tui diſperſus, & à ſe mutuo ſeparatus, novis utens legibus & Ceremonijs, inſuper & regis ſcita contemnens*; Ecce tibi calumnias: *Et optime noſti quod non expediat Regno tuo, ut inſoleſcat per licentiam, ſi tibi placet decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ*; Jam vero ejus quoque audite ſuppliciū: *Suſpenſus eſt itaque Amã in patibulo, Deniq; & ipſũ & filios ejus affixerunt Cruci*; nimirum divina diſponente juſtitia factum eſt, ut non ſolum ipſa, ſed & progenies ejus extirparetur, & eradicaretur de mundo.

*Eſther. 3. v. 8. Ibid. v. 9. Eſther. 7. v. 10. Eſther. 9. v. 25.*

7. Achabi voluntatem ingens vineam Naboth ſibi adſciſcendi inceſſit deſiderium, & quia eamdem pro voto habere non potuit, contriſtatus eſt; & præ doloris magnitudine in lecto decubuit; quod Jezabel Regina audiens, Regi vineam infra paucos dies manibus ejus conſignandam eſſe promiſit; Accepto igitur Sigillo Regio, ſequentis tenoris literam concipi & exarari fecit: *Prædicate jejunium & ſedere facite Naboth inter primos populi, Et ſubmittite duos viros filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant; Benedixit Deum, & Regem, & educite eum & lapidate, ſicque moriatur.* Quæ juſſa impia & barbara mox executioni mandata fuerunt. Sed quid tandem evenit? *Humiliabis calumniatorem*; Dei enim juſſu Elias coram Achab comparens dixit ei: *Occidiſti, inſuper & poſſediſti; ... In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum, ... Demetam poſteriora tua & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum & ultimum in Iſraël, ... Sed & de Jezabel locutus eſt Dominus: Canes comedent Jezabel in agro Jerzabel.*

*3. Reg. 21. v. 9. Ibid. v. 10. Pſ. 71. v. 4. Ibid. v. 19. Ibid. v. 21. Ibid. v. 23.*

8. Annales Eccleſiaſtici de S. Stephano Epiſcopo Conſtantinopolitano referunt, ei à quodam diſcipulo ſuo, cui Caliſtus nomen erat, hanc inuſtam fuiſſe calumniam, quod ſcilicet illicita conſuetudine cum Anna moniali uſus fuiſſet, cumque turpis hæc accuſatio coram Conſtantino Copronymo Imperatore contra eum allata eſſet, dictaque ſanctimonialis rigido ſubjiceretur examini, illa intrepide hunc in modum reſpondit: Ecce tibi ô Imperator corpus meum, ſi libet ferro, igne, & aſperis verberibus illud affligito, donec animam exhalaverim, nec tamen ab Anna umquam aliud, præterquam veritatem audire licebit, certa ſum, quod vir ille ſanctus ſit & juſtus, quia magnam animæ meæ ſalutem attulit; ſacrilegus itaque hic Princeps illam in obſcurum quemdam & ſqualidum carcerem conjectam; minis & pollicitationibus ut ſanctum Epiſcopum de ſacrilego concubitu accuſaret, inducere conatus fuit, cumque nihil proficeret, illam coram ſe adduci & lacerari juſſit, niſi ſancti viri incontinentiam publice fateretur, ipſa vero ad imitationem Chriſti tacente, Imperator tanto fuit furore accenſus, ut ipſam tamquam infamem meretricem à quatuor viris diu plumbatis cædi fecerit, inter quæ verbera, aliud ex ejus ore non prodijt, præterquam hæc verba: *Non novi hominem quemadmodum ipſe ait, non novi, Domine miſerere*: Juſſu autem Imperatoris vilis quædam ancilla prodijt, quæ ſputis ipſius faciem turpiter defædabat, & hæc ipſa erat, quæ hanc ſancto Epiſcopo calumniam machinata fuerat; at vero *cognoſcetur Dominus judicia faciens*, ſiquidem à juſto Dei judicio ſe ſubducere non potuit, quia poſtquam deinceps maritata eſſet, in juſtum perfidiæ ſuæ præmium, duos gemellos peperit, qui ſub media nocte materna ubera furioſo ore apprehendentes eadem horrendum in modum mordendo diſcerpſerunt, avideque manducarunt, & eadem nocte occiderunt; ſed & ambo hi viperini fœtus ſimul cum matre miſere interierunt.

*Baron. An. 763. n. 1. & ſeq. Pſ. 9. v. 17.*

9. In eiſdem Annalibus ſcribitur, quod dum Sanct. Gregorius Thaumaturgus die quodam nonnullis diſputaret; fœmina quædam impudica, ingenti cum audacia & inverecunda temeritate in medium prodierit; ab æmulis ſuis pretio ad hoc conducta (ſiquidem viri hujus ſanctitas tacita quædam erat illorum reprehenſio, ideoque ipſe illis erat velut ſpina in oculis) & in conſpectu omnium meretriciam ab eo mercedem inverecunde popoſcit, utpote ſibi ab eo ob turpe cum ipſa habitum commercium debitam; ſanctus autem vir Dei abſque ulla ſui turbatione, nulloque in innocentiæ ſuæ defenſionem prolato verbo, cuidam familiarium ſuorum poſtulatam pecuniam ei quantocius ut expediret præcepit, ne ejus importunitate turbaretur cæpta diſputatio; at vero *Deus humiliabit calumniatricem*; Vix enim ipſa numeratum ei pretium in manus acceperat, cum ecce Dæmon corpus ejus ingreſſus, adeo eam in conſpectu omnium ferociter torſit, ut imminentem ei in mortem evaſum non fuiſſet, niſi caſtiſſimus Gregorius ſuas pro illa apud Deum preces interpoſuiſſet.

10. Notiſſimum quoque eſt, quod in aula regia Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ accidit; Cum enim invidus quidam impoſtor unum ex ephebis collegam ſuum apud Regem calumnioſe accuſaſſet, quod minus honeſtum cum ſancta Regina commercium haberet, Rex nimium credulus Carbonarijs quibuſdam præcepit, ut miſſum ad illos diluculo ſequenti ephebum iſtum in ignem injicerent, & vivum concremarent; ac proinde altero die mane eidem commiſſionem quamdam apud prædictos Carbonarios cito expediendam impoſuit, qui in via ut Miſſæ ſacrificio auſcultando aſſiſtere poſſat, aliquantiſper moram traxit; Interea vero Rex exitum hujus rei reſcire percupiens, hujus Ephebi accuſati æmulum & calumniatorem, ſumma cum celeritate ad dictos carbonarios dimiſit, ut ab ijs, an regia juſſa compleviſſent, requireret, qui illum eſſe credentes circa quem regium præceptum exequendum erat, eumdem apprehenderunt, & quamvis ſumma vi renitentem & recalcitrantem in ignem conjecerunt; Quo facto ſupervenit ephebus inno-



cens,

cens, quem Carbonarij rogarunt, ut ad Regem reverſus, eidem commiſſionem ejus executioni datam eſſe nuntiaret. Rex idipſum ab hoc ephebo audiens præ admiratione attonitus hæſit, indeque Reginæ & Ephebi innocentiam manifeſte conjecit, Divinumque juſtum ſupplicium ſuper æmulum calumniatorem æquiſſime cecidiſſe agnovit; Ecce igitur quam verum ſit, quod de impoſtoribus Deus ſtatuit: *Reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit.*

Deuter. 19. v. 19.

11. Quod ſi aliquis cum igne pugnare, flammasque ignis manibus ſuis percutere contenderet: quid de eo dicturus eſſet? utique talis majorem ab igne, quam ignis ab illo offenſam reportaturus eſſet. Audite D. Chryſoſtomum idipſum luculentius exponentem; Dicit enim: *Inſidiator & Calumniator ſeipſum prius interficit; ſiquidem qui ignem tangit, ſeipſum comburit, & qui adamantem percutit, ſeipſum lædit, & qui adverſus ſtimulos calcitrat, ſeipſum cruentat; tale quiddam eſt, qui injuriam pati & generoſe ferre novit, & adamas, & ſtimuli, & ignis: Qui vero injuriam inferre meditatur, quovis luto imbecillior eſt.*

D. Chryſ. Hom. 43. in Matth.

12. In Annalibus Eccleſiaſticis Romæ Concilium quoddam ſuper perſona Sixti III. celebratum fuiſſe legitur, cui cauſam dedit Anicius Baſſus quondam Conſul Romanus, qui dictum Sergium falſo calumniatus eſt, quaſi cuidam Deo ſacratæ Virgini feciſſet injuriam, quam cauſam dictus Pontifex à ſynodo quadam cui quinquaginta ſex Epiſcopi intererant, ventilari voluit. In hac autem Synodo, Sixtus declaratus eſt innocens, Baſſus calumniator autem condemnatus & excommunicatus fuit; Cumque Valentinianus & Placidia bona ejus confiſcaſſent, ipſe intra tres menſes miſerabiliter mortuus eſt.

Baron. An. 43. n. 31.

13. Nicephorus recenſet quod cum quidam S. Simeonis amicus famulam quamdam ab alio conſtupratam haberet, ipſaque gravida partui vicina eſſet, Domino illius jubente ancillæ, ut à quo concepiſſet clare ediceret, ipſa Simeonem accuſaverit, illumque fætus hujus Patrem juramento affirmarit, multosque ad idipſum probandum teſtes adduci poſſe dixerit: Quod cum ad S. Simeonem delatam fuiſſet, ipſe totam hanc famam, veluti fabulam deriſit, ſe quidem hominem alijs ſimilem eſſe dixit, nihilominus intelligens, quod ſi calumniam hanc veram eſſe affirmaret fama ejus plurimum periclitatura eſſet, eamdem Deo cordiali affectu recommendavit; ſed audite quomodo Deus humiliavit calumniatricem. Etenim ipſa tempore partus quem longo tempore difficillimum habebat in atrociſſimis doloribus eo usque permanſit, donec viri ſancti innocentiam, veri autem genitoris manifeſtaret reatum.

Nic. Hiſt. Eccl. l. 17. c. 22.

14. Porro quid S. Britio viro ſanctiſſimo, qui S. Martino in Epiſcopatu ſucceſſit, acciderit; vitæ ejus refert hiſtoria: Hic namque falſo introductus fuit, quaſi filium quemdam ex illa genuiſſet muliere, quæ cubicularia domus ſuæ linea abluebat, hæcque opinio adeo altas in populi Turonenſis mente egit radices, ut parum adfuerit, quin ſanctum Epiſcopum lapidaſſent; cum igitur ob hanc ſibi innocenter impoſitam calumniam affligeretur, neſciretque quo modo ſe efficaciter ab hac impoſtura purgare poſſet; infantem coram ſe adduci præcepit, quem ex ſe genitum eſſe dicebant, eique ex parte Dei imperavit, ut ſi ipſe pater ejus eſſet, id coram omnibus libere ediceret; Infans autem qui triginta ſolum ab ortu dies numerare poterat, alta voce Britium nequaquam Patrem ſuum eſſe reſpondit; Quia vero huic tam conſpicuo prodigio populus fidem non habebat, ipſe acceptos intra veſtem ſuam carbones, ad usque ſepulchrum S. Martini detulit: ubi ad eos qui hactenus eum perſecuti fuerunt, converſus, eisdem dixit: *Quemadmodum hæ veſtes à Carbonibus ignitis nihil læſæ aut ambuſtæ fuerant, ita quoque corpus meum ab illicito concubitu maculatum non fuit.*

S. Greg. Turon. l. 2. Hiſtor. Franc. c. 1.

15. Verum enimvero præ cunctis alijs impoſturis artificioſior illa fuit, quam adverſus ſanctum Epiſcopum Arigentinum, Gregorium nomine machinati fuere æmuli ipſius, qui ſicut communi populi conſenſu ad munus Paſtorale aſſumptus fuerat, ita quoque illud per vitæ ſuæ ſanctiſſimæ exemplaritatem multorumque miraculorum ſplendorem egregie illuſtrabat; Verumtamen hæc ejus electio in Sabino & Creſcentino, qui eamdem dignitatem prætendebant eamque à populo ſibi oblatam obtinuerant, tametſi quod ad eamdem Sanct. Gregorius divina revelatone promotus fuiſſet, Cathedræ illius poſſeſſionem, numquam acceperant, magnam excitavit invidiam, quia ut ſanctum Virum è Cathedra ſua exturbarent, malignam hanc & horrendam confinxerunt impoſturam; Cum enim ſervos ejus domeſticos ingenti illis data pecuniæ ſumma ad partes ſuas adſciviſſent, ſancto Epiſcopo in Eccleſia orationi incumbente, famoſam quamdam & infamem illius Civitatis meretricem in Epiſcopi lectum introduxerunt; Cumque Epiſcopus ad Cameram ſuam reverſus eosdem pro more ſuo ſecum retineret, donec pro Matutino dicendo ſub noctem conſuetum campanæ ſignum daretur, ſtructam ſibi calumniæ machinam minimè advertens, pro dicendo una cum Clero divino officio, iterata vice in Eccleſiam deſcendit, illoque expleto Epiſcopo cum copioſo ſacerdotum aliorumque familiarium comitatu ad cubile ſuum revertente, duo ex illis qui ejus perſecutores erant, impudicæ huic fœminæ è lecto egrediendi ſignum dederunt, qua è lecto prodeunte ſanctus Epiſcopus ad hoc ſpectaculum totus impalluit, omnesque circumſtantes impoſturam hanc ignorantes, ſeque mutuo præ admiratione reſpicientes inhorruerunt; maligni autem impoſtores cum aſſeclis ſuis, Epiſcopum multis in eum jactatis contumelijs & injurijs aggreſſi, eum publice tamquam fornicarium ſacrilegum, ſcandaloſum magno cum clamore & ſtrepitu convitiati ſunt; eumque ſumma cum ignominia traxerunt ad carceres, initio tamen prius cum dicta meretrice pacto, ut illam ab ineunte nocte usque tempus illud quo ad Matutinum dicendum ad Eccleſiam deſcenderat, turpe ſecum habuiſſe commercium, teſtificaretur. Deus autem ad Epiſcopum in Carcere vinculis oneratum & compedibus adſtrictum Angelum ſuum cœlitus; ad eum confortandum ſubmiſit, qui ſublatis à pedibus ejus compedibus, carcerem ei aperuit, quo miraculo à multis conſpectu, plurimi ad pedes ejus lachrymabundi accurrerunt. Quo non obſtante Epiſcopus à duobus illis calumniatoribus apud urbis Agrigentinæ Gubernatorem accuſatus fuit, ut ſeverum de ipſo ſtatueret ſupplicium, qui dum laſcivam hanc fœminam examinaret, ipſa vero impoſitam Epiſcopo calumniam confirmaret, Dæmon mulierem illam protinus poſſidere cœpit; Quia verò maligni impoſtores hoc Sanct. Gregorium per Dæmoniacas incantationes feciſſe calumniabantur, dictus Gubernator Epiſcopi cauſam ad ſummum Pontificem remiſit; qui de ejus innocentia minimè informatus, & aſperrime contra eum ob criminis indignitatem indignatus, eum denuo vinculis oneratum in carcerem remiſit: At vero ſequenti nocte ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus Gregorium in carcere viſitantes, omnia ejus vincula, quibus tenebatur adſtrictus, ruperunt, præterquam quod in carcere illo his & alijs viſionibus cœleſtibus conſolatus, multa alia patraverit miracula. Tandem vero cauſa ejus coram Papa diſcuſſa, juſtificata fuit Epiſcopi innocentia, impudica vero & ſubornata mulier à Dæmone poſſeſſa orationibus ſervi Dei liberata fuit, poſtquam tamen prius in præſentia centum & quinquaginta Epiſcoporum crimen ſuum faſſa fuiſſet: *Humiliabit Calumniatorem, Salvos faciet filios pauperum*; Creſcentinus autem & Sabinus, juxta illud in Jeremia prædictum & interminatum calumniatoribus ſupplicium, ſcilicet: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum*, vultibus ſuis nigri facti ſunt, ſicut carbones, eorumque labia adeo compreſſa manſerunt, ut ne verbum quidem effari poſſent, atque deinceps in conſpectu totius mundi, cum perpetua ipſorum infamia exoſi & horribiles manſerunt.

Sur. in vita 23. Nov.

Thren. 4. v. 8.

16. Refert Theodoretus de Palladio magnæ & conſpicuæ auſteritatis viro, quod cum in Eremo quadam, opulenta cuidam & mercimonijs tractandis aptiſſimo territorio contigua pœnitentiam ageret, latro aliquis certo cuidam mercatori prædiviti necem intulerit, & ſublatis ei omnibus quas ſecum habebat pecunijs, occiſi cadaver ad limina Eremitorij quod ſanctus hic Eremita incolebat, ſecreto depoſuerit demum vero paratum homicidium velut ſi ab illius reatu innocens eſſet, paſſio divulgarit, illudque Palladio velut homicidæ attribuerit: Qui proinde una cum miniſtris juſtitiæ ad ejus Eremitorium acceſſit, & in carcerem deduci fecit; Cum vero ad tugurium Eremitæ accedentes, fores illius dirupiſſent & in terram demoliti fuiſſent, jamque in procinctu eſſent, ut cum captivum

Theodoret. in vitis Patrum.



captivum abducerent, ſanctus vir Dei ad orationem confugiens, Deum ut ejus innocentiam defenderet, eumque qui criminis reus eſſet, detegeret, inſtanter rogavit; Demum vero oratione expleta ſurgens, & una mortui manu apprehenſa, ipſumque ipſum de terra nonnihil elevans dixit ei. Tu O cadaver, tametſi mortuum ſis & vita carens, eum qui te occidit, manifeſta, meque ab hac calumnia libera; Ad quæ verba Cadaver ſublevato capite oculos ſuos aperiens, circumquaque circumſpexit, ipſumque malefactorem digito demonſtrans, dixit: Peſſimus vir iſte eſt homicida meus; cujus dum perveſtigarent & examinarent veſtes, ſub illis cultrum oblongum ſanguine cruentum invenerunt qui tandem examinatus & convictus per juſtitiam publicam occiſus eſt: Palladius autem ab omnibus in majori quam antea reverentia & æſtimatione habitus fuit.

Baron. An. 348. n. 5.

17. In Annalibus Eccleſiaſticis legitur, quod cum Legati Synodi ad Conſtantium Imperatorem miſſi, inter quos Euphrates Epiſcopus Colonienſis unus erat, Antiochiam veniſſent, Stephanus Arianus illius Civitatis Epiſcopus in feſto Paſchatis ex aliorum hæreticorum conſilio nocturno tempore meretricem quamdam ad hunc Epiſcopum introduxerint, quæ Epiſcopum Senem videret decrepitum, incondita voce clamare cœpit; licet illam, ut taceret, & Euphratem habiti ſecum carnalis commercij calumnia aſpergeret, rogaſſent: Die autem ſequenti Stephanus Epiſcopus Arianus, id quod factum fuiſſe calumniabatur, paſſim publicavit, & concurrente populo, cauſa hæc judicio commiſſa fuit, detectaque impoſtura, qua ſacrilegus ille legatum diffamare parabat, ab Epiſcopatu ſuo depoſitus, & in ejus locum Leontius Eunuchus quantumvis Arrianus ſubſtitutus fuit; Conſtantius vero Imperator oppoſitiones ab Hæreticis adverſus Catholicos factas, meras, fuiſſe calumnias intelligens, ſubito Presbyteros & Diaconos qui in Armeniam relegati fuerant, redire juſſit; atque inſuper ne in Alexandria Presbyteri & omnes alij à ſancto Athanaſio dependentes perſecutionibus infeſtarentur, præcepit, ipſumque Athanaſium poſt decem menſes ab exilio revocavit.

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Adducuntur nonnulli ſancti, qui mira inter calumnias præfulſere patientia; Alij quoque qui ab ijsdem fuere liberati, Oſtenditur etiam quod inter calumnias bona conſcientia magnum præbeat ſolatium: Modi quoque explicantur, quibus ingens ex calumnijs meritum comparari poteſt.

### THEMA.

*Redime me à calumnijs hominum, ut cuſtodiam mandata tua.* Pſalm 118. verſ. 134.

1. REgius Propheta David hanc à Deo expetijt gratiam, ut à calumnijs & impoſturis, quibus aggravabatur, juſtificari & liberati poſſet, ut ab ijs liber & immunis divinam ejus legem exactiſſime obſervare poſſet unde dicebat: *Redime me à calumnijs hominum, ut cuſtodiam mandata tua*; Verumtamen mihi quoad hoc Joſephum Patriarcham præferre Davidi, utpote qui ab adultera falſo accuſatus ſe juſtificare aut defendere noluit, ſed potius calumnioſam impoſturam patienter tolerando, medium adinvenit, quo homini in via perfectionis magnis paſſibus licet proficere, & ad eminentem ſanctitatis gradum pervenire. Unde D. Chryſoſtomus de eo ita ſcribit: *Obtinet apud eum* (id eſt apud Putipharem Dominum ſuum) *falſitas, veritas exulat; in cuſtodia innocens, quia reus eſſe noluit, religatur; cur in innocentiam graſſaris importuna tentatio? cur appetis juſtam? cur ſanctum perſequeris? Joſeph enim innocentia reus eſt, non culpa; caſtitate, non adulterio offendit, cuſtoditi pudoris, non violati hoſtis eſt. Vim paſſus eſt ipſe, non fecit, injuriam accepit, non irrogavit; peccavit, quia peccare noluit, non quia peccavit; quinimo pœnam meruit, quia peccare pertimuit; eat licet in carcerem juſtus, conjiciatur in vincula, in cuſtodiam religetur, injuria injurioſi eſt, non innocentis, pœna lædentis eſt, non læſi, ſupplicium ſi merui, patior, ſi non merui ille patitur qui irrogavit; reus quem peccatum, non pœna caſtigat, ſpectat ſuum ſupplicium:* Detur mihi aliquis qui ſine cauſa aut culpa ſua calumniam patitur, & ego de illo mox pronuntiabo, quod apud Deum nihil perdat, nec animam ſuam apud eumdem amittit, vel deſtruit, ſed lucratus potius illam & perficit.

D. Chryſoſt. orat. de Joſeph.

2. Sanct. Auguſtinus ſuper propoſiti thematis verba ita arguit: *Si verà illi homines crimina objiciunt, non calumniantur, ſi falſa; quid eſt quod ſe redimi deſiderat à calumnijs, id eſt, à criminibus falſis, quæ illi nocere non poſſunt*; ac demum idem ſanctus Doctor ad inſtructionem & conſolationem noſtram ita concludit: *Crimen quippe falſum, quod eſt Calumnia, reum non facit hominem, niſi apud judicem hominem: ubi autem Deus judex eſt, nullus falſo crimine læditur, quia non cui objicitur, ſed objicienti potius imputatur.* Quam obſecro ſe Joſeph coram toto mundo in omnibus ſæculis glorioſum reddidit, quia impoſturam illam tanta cum generoſitate portavit? Coronam, univerſam Ægyptum & cœlum per hanc ſibi vendicavit; Et Deus ipſe rependendum illi injuriæ debitum ſupplicium adeo ſibi cordi duxit, ut ſeptennalem & ingentem immiſerit annonæ caritatem, quæ tot populos oppreſſit; Unde Author imperfecti ait: *Qui quaſi maleficus in carcere fuerat, quaſi Propheta eductus eſt, in unius pueri vindictam totus mundus flagellatus eſt.*

S. Auguſt. ſer. 27. in Pſ. 118.

Auth. imperf. Hom. 25. in Matth.

3. Petrus Bleſenſis S. Thomam Cantuarienſem unicum ſcopum fuiſſe ſcribit, in quem malevolorum, Regi perſecutori ejus adhærentium calumniæ collimabant, & tamen *Quidquid machinabatur ad ejus infamiam humana malitia, eidem convertebat Dominus ad coronam*; Viri enim ſapientes non adeo faciles ſunt ad adhibendam calumnijs fidem: *Qui credit cito, levis corde eſt, itaque nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Et Sanct. Joannes Damaſcenus dicit: *Qui inſigni animi prudentia præditi ſunt, calumniam potius, quam ei, qui calumnijs expetitus eſt, infeſtos ſe præbent, et videlicet ſuccenſentes, ac per objurgationis impetum os obſtruentes, quoad evidenti teſtimonio fidem dictis ſuis aſtruxerit.*

Petrus Bleſenſis. Ep. 45.

Eccl. 19. v. 4. 1. Cor. 4. v. 5.

S. Joan. Damaſc. paral. l. 1. c. 91.

4. D. Chryſoſtomus de Suſanna differens ita ſcribit: *Poſſunt accuſatores falſi facere malam famam, ſed non interficere conſcientiam; calumniam optime refutavit, qui ei reſiſtit innocentia.* Habeatis licet decem contra vos teſtes, qui illatam vobis impoſturam confirment; ſi tamen bonam habueritis conſcientiam in favorem veſtrum, longe majorem in veſtri defenſionem habebitis teſtium numerum, nam ut dicitur: *Conſcientia mille teſtes.* Cum apud Pelopidam generoſus quidam & magnanimis miles accuſatus eſſet, quod ejus famam calumnijs dilaceraſſet, Pelopida accuſatori reſpondit: *Equidem facta ejus reſpicio, verba autem non audivi.*

D. Chryſ. Hom. de Suſanna.

Apud Stobæ. ſer. 40.

5. Præclare D. Chryſoſtomus advertit, quod Salvator noſter non ſolum illos beatos appellat: qui ſui cauſa malitioſorum hominum maledictionibus & detrectationibus infeſtantur; Verum inſuper miſerabiles & infelices vocet illos, qui laudantur ab hominibus, aut applauſum ab illis accipiunt; *Væ cum benedixerint vobis homines*; quia ſi homo juſtus ab omnibus reverendus & laudandus ſemper eſſet, neminem autem, qui eum calumniaretur haberet, merito aliqualem ſibi ſuperbiæ ſtimulum timere poſſet, hoc enim impoſſibile eſt, cum virtute viventibus cunctorum ore benedici, imo experientia demonſtrat, quod ut plurimum *& omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur.* Quid igitur ſervo Dei in hoc falſarum accuſationum certamine facere convenit inquit D. Chryſoſtomus: *Reſplende fulgore vitæ, & maledicos omnes contemne*, vivamus igitur & operemur taliter, ut nulla calumniatoribus noſtris fides adhibeatur. Catone cuidam indicanti ſibi aliquem qui de ipſo calumnias ſpargeret, reſpondit; *Ego ita vivam, ut nemo illi credat.* Et ideo Sanct. Auguſtinus in Epiſtola quadam ad Secundinum ita ſcribit: *Senti de Auguſtino, quod libet, ſola coram Deo conſcientia me non accuſet.* Ideo etiam Chriſtus Apoſtolos ſuos monuit, ut vitam ducerent omnino irreprehenſibilem hac enim ratione illos ſecuros eſſe poſſe quod omnes calumnias & impoſturas contra ipſos excogitatas ſint evacuaturi: *Irreprehenſibilem igitur etiam hominibus præſtate vitam*, inquit in perſona Salvatoris D. Auguſtinus: *Ut nullum in vobis verum colorem accuſationes inveniant, ſequitur illud, ut etiamſi innumeri accuſare cupiant, nullus umquam infuſcare vos poſſit.*

D. Chryſoſt. Hom. 15. in Matth.

Luc. 6. v. 26.

2. Tim. 3. v. 12.

S. Aug. ad Secundinum.

6. In

Summæ Patientiæ Exemplum.

Luc. Wading. An. 1232. n. 25.

6. In Chronicis S. Franciſci de B. Fratre Junipero legitur, quod cum Dæmon ipſum pro viribus quantum poterat, perſequeretur, ipſam quoque vitam ei eripere non ſemel molitus fuerit, eoque fine ſequentes ei laqueos tetendit: *In agris Romanis magna tyrannide graſſabatur ingens prædo; Nicolaus nomine, fortis viribus, munito caſtro imperterritus, & optimi equi velocitate confiſus; in ſpectro nocturno ei perſuaſum, fraterculum quemdam veſte lacera cito in caſtrum venturum, qui vel ipſum Dominum vel equum ſumme charum ſubula confodiat, expergefactus ſomnium non omnino neglexit, ſed anxius expendit, cum ſuperveniens in agricolæ ſpecie Diabolus plenam ei, rei fidem impreſſit, quæ nocturnas ſpecies corroboravit*; Dixit enim ei malignus hic ſpiritus, traditorem quemdam veſte paupercula & lacera amictum venturum, eumque cum ſubula vulneraturum eſſe, qui ſecum Chalybem habeat ad ignem accendendum quo caſtrum ejus conflagret, unde tyrannus ille in quovis caſtri loco excubitores, de omnibus ſignis ex quibus traditor agnoſcendus erat, optime informatos diſtribuit, tandem: *Indit candide nihil mali præmeditatus in illorum manus Juniperus*, qui ſubulam quidem ſecum tulit, ut ſandalia in caſu neceſſitatis reficere poſſet; Chalybem quoque habebat & ſilicem, ſi neceſſitas ita expoſceret, ignem ad ſe calefaciendum accendere poſſet; Sicarius autem prædictus, ut criminis veritatem fateri cogeretur, in equuleo eum extendi juſſit, ubi interrogatus quis eſſet, ſe gravem peccatorem eſſe reſpondit; Interrogatus an illic cum intentione caſtellum igne conflagrandi veniſſet, reſpondit, *ſceleſtiſſimum ſe eſſè proditorem*, Interrogatus an intentio ipſius fuerit ſubula Dominum caſtelli vulnerare vitamque ei eripere, dixit: *Hoc & pejora ſe facturum, ſi malo ſuo genio à Domino derelinqueretur*. Adſtrictus demum ut diceret unde veniſſet aut à quo miſſus eſſet, ſæpius reſpondit: *Laudetur Dominus Jeſus Chriſtus*. Atrocia inſuper ei tormenta inflixerunt, ut diceret & fateretur, quod de eo ſuſpicabantur, ipſe autem in repetendis iterum iterumque divinis laudibus generoſe perſiſtebat. Tandem ad patibulum condemnatus erat, ita ut caudæ equinæ alligatus eò raptaretur: *Dum duceretur alacriter Deum laudabat, & ſtimulos qua poterat arte addebat caballo, ut velocius accederet ad locum ſupplicij, forte fortuna prætereuntem cognovit quædam muliercula, quæ feſtina ad cænobium fratrum extra caſtrum perrexit, admonitum ingentis periculi Juniperi; ſupervenit etiam alius petiturus à Guardiano Confeſſarium, qui proditorem ad bene moriendum excitaret. Abierunt confeſtim duo ex fratribus, qui Juniperum agnoverunt, amoto velamine, quo jam ſuſpendendi faciem contexerunt, petierunt ut differretur executio latæ ſententiæ, donec Dominum informarent; Cui cum rem narrarent, hominemque incuſarent, quod perfectiſſimum fratrem & ſanctiſſimum virum voluerit interficere, totus pavens & timens inquit, vere nunc ſcio malorum meorum culmen expleri, & Deum juſte de me vindictam ſumpturum, quia hominem adeo ſanctum dire tribulavi: Prophetizavit ſibi malum, nam poſt paucos dies fœde eum adverſarij dilaniarunt, & caſtrum diripuerunt*; adeoque in hac hiſtoria ad literam adimpletum fuit oraculum illud Davidicum, quo dicitur: *Judicabit pauperes populi & ſalvos faciet filios pauperum & humiliabit calumniatorem*.

Pſ. 71. v. 4.

S. Remig. ibid.

Dion. Carth. in Pſ. 71.

S. Remigius per *filios pauperum* intelligit *imitatores Apoſtolorum*; *Per calumniatorem* Dionyſius Carthuſianus *intelligit omnem perſecutorem juſtorum, omnemque tyrannum Eccleſiæ*; vere hic *ſalvum fecit filium pauperis* quia Juniperus S. Franciſci, qui altiſſimam profitetur paupertatem, filius erat. Per *calumniatorem* vero S. Hieronymus *Diabolum* intelligit, hic quippe confuſus remanſit, ſiquidem ſancto huic Dei ſervo perheroicum factum iſtud tum in cælo tum in terra major ejus aucta eſt gloria: *Frater Juniperus ijs diebus apud eos commoratus eſt, hominem valde dilexit, ſæpius viſitavit, munuſculis à pijs viris acceptis frequenter affecit: aſſeverans nullum meliorem alibi inveniſſè amicum, ille vero erubeſcens de facto, ubi obvium habebat, Juniperum genuflexus errati veniam petebat.*

S. Hieron.

Pro Calumniatoribus orandum, Matth. 5. 44. Matth. 12. 9.

7. Porro hanc quam Juniperus de perſecutore ſuo ſumpſit vindictam, à Chriſto didicit, qui hoc nobis conſilium ſuggerit; *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, idque omnium primus executioni mandavit, de Chriſto enim ſcribitur: *Et cum inde tranſiſſet, venit in Synagogam eorum.* Pro cujus intelligentia notandum, quod Salvator noſter paulo ante culpatus aut reprehenſus fuerit, quod diſcipuli ſegetum ſpicas decerperent, & tametſi denuò novos ſibi laqueos tendi ſciret, attamen bonum pro malo reddere non deſtitit, dum Synagogam Hebræorum ingreſſus eos erudivit: *Hæc eſt vera lætitia*, inquit S. Franciſcus ad F. Leonem, *ſi calumnijs, probris, verberibus afflicti hæc omnia amore Chriſti libenter toleremus.* D. Chryſoſtomus ait: *Sicut voluptas non in ciborum apparatu, ſed in comedentium affectu ſita eſt, hoc & de contumelia dico, quod contumelia non à contumeliantium ſententia, ſed à patientium affectu conſtituitur, vel deſtruitur, v. g. multa quidem in te fanda atque nefanda contumelioſe egit, ſi contumelias deriſeris, ſi verba non ſuſceperis & vulnere ſuperior ſis, contumeliam non es paſſus.*

D. Chryſ. Hom. 1. ad pop.

Calumnia innocentibus non nocet.

8. In libro Exodi prodigioſi illius ignis fit mentio, qui intra rubum ardebat quidem, ſed eum non comburebat; talis ignis eſt ira & indignatio & impoſtura invidorum, quæ inſtar ignis famam, honorem & exiſtimationem ſervorum Dei comburere quidem & perdere nituntur ſed caſſo & irrito eventu; *In medio ignis non ſum æſtuatus*, inquit Eccleſiaſticus: *Locus in quo ſtas terra ſancta eſt*, quando enim anima innocentiam conjunctam habet, vitamque agit irreprehenſibilem, impoſturæ calumniantium vel non creditur, vel cito detegitur ejus falſitas ut nocere non poſſit: In metallis politis & lævigatis, & maxime in pretioſis auro ſcilicet vel argento ærugo non tam facile adhæreſcit. Unde Tullij ſententia eſt: *Ut ignis in aquam conjectus ſtatim reſtringuitur, ſic falſum crimen in vitam caſtam nihil obtinet.*

Eccl. 51. v. 6. Exod. 3. v. 5.

Baron. An. 843. n. 1. Hiſtoria quod fama quandoque defendenda.

9. Refert Cardinalis Baronius quod cum Joannes hæreticus Iconoclaſta à ſede Conſtantinopolitana depoſitus eſſet, ipſe unà cum Arſabet patritio fratre ſuo & nonnullis alijs, ut in perniciem Catholicorum S. Methodij novelli Patriarchæ Conſtantinopolitani famam commaculare poſſent, laſcivam quamdam fœminarum promiſſa pecunia induxerunt, ut eum de turpi impudicitia accuſaret: De qua accuſatione Judices, & præcipue Manuelus Dux generalis exercitus, & Principis infantis tutor conſtitutus indignati ſunt, videntes quod unius cauſa multi Catholici innocentes periclitaturi eſſent, quod etiam S. Methodius conſiderans, ut tanto ſcandalo obviaret poſtpoſita propria verecundia, veſtes ſuas levavit, & ſecretas quaſdam & verendas corporis ſui partes in conſpectu omnium detexit, quæ per infirmitatem omnis ſenſus expertes erant, quo facto innocentiam ſuam manifeſtavit, condemnavitque calumniatorum malignitatem & turpe mendacium: Ubi enim non propria tantum, ſed etiam aliorum fama & exiſtimatio periclitatur, & boni publici ratio intercedit, neceſſaria eſt famæ defenſio.

Defenſio ſit modeſta.

10. Anna Elcanæ conjux ſanctiſſima ab Heli ſummo ſacerdote per calumniam de ebrietate notabatur, quæ quod hac in re bona quoque fama conjugis ſui periclitabatur, protinus ſe defendit, ſed vide quanta cum modeſtia idipſum fecerit: *Ne reputes*, inquit, *ancillam tuam quaſi unam de filiabus Belial &c.* ubi ut D. Chryſoſtomus bene obſervat, *mulier ex accuſatore fecit patronum; tanta res eſt humanitas ac manſuetudo pro contumelia; copioſo accepto viatico diſceſſit, eumque nacta eſt propugnatorem & interceſſorem, quem habuit objurgatorem.* Dixit enim ad ipſam Heli: *Vade in pace, & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eum.*

1. Reg. 1. v. 16.

D. Chryſ. de fide Annæ.

1. Reg. 1. v. 17.

11. Idem quoque conſiderat, quod quando inter calumniatorum impoſturas ſine vindicta ſolide & conſtanter ſubſiſtimus, ipſimet calumniatores virtutem noſtram admirentur: *Nam illi quoque ipſi, qui hoc publice faciunt invidentes, apud conſcientiam tamen ſuam admirabuntur vos, atque ſuſpicient, ſicut è regione vitioſos quoque adulatorio ſermone demulcent, ſed eosdem in ſecreto meritis accuſant.* Magnum edimus ſolidæ virtutis ſpecimen, dum calumnijs exagitati non iraſcimur, hoc enim facientes tribus reſiſtimus inimicis, ijſque omnibus fortiſſimis, Mundo videlicet, qui noſtram nititur deſtruere famam & exiſtimationem; Dæmoni qui nos ſtudet inducere in deſperationem, noſtramque nobis eripere patientiam, charitatem, & manſuetudinem, quia *calumnia conturbat ſapientem*; Carni denique, quia hæc nos extimulat ad vindictam, maxime dum falſitatem & malignitatem adeo deteſtabilem & intolerabilem videmus. *Fieri quidem nequit*, inquit D. Chryſoſtomus, *ut qui virtutem diligenter exequitur, nusquam plurimos habeat inimicos*, verumtamen hi majoris nobis erunt gloriæ authores, *quandoquidem clarius illorum occaſione virtus reſplendeat.*

D. Chryſoſt. Hom. 15. in Matth. Non vindicantes calumniam, tres hoſtes ſuperant.

Eccl. 7. v. 8.



Joan. 8. v. 48. Chriſtus à calumnia ſe purgat.

12. Quando Salvator noſter à Judæis calumnias accepit, dicentibus: *Samaritanus es tu & Dæmonium habes*, non obſtante quod dixerit: *Diſcite à me quia mitis ſum*, ab hac tamen calumnia purgare ſe voluit, cum enim Evangelium mundo annuntiaturus eſſet, nequaquam conveniebat, ut malam de ipſo homines opinionem conciperent, ut Schiſmaticus eſſe crederetur, quales Samaritani erant, neque conveniens erat, ut miracula Mariæ Virgini attribuerentur, quæ eo fine operabatur, ut doctrinæ & prædicationi ſuæ fidem conciliaret.

Baron. An. 1074. n. 34. Calumnia facile evaneſcit, ſi in innocentes facta.

13. D. Gregorius Papa, ut Baronius ſcribit, de commercio minus honeſto ipſi cum Mathilde Comitiſſa intercedente inſimulatus fuit: Quia enim hæc multa Eccleſiæ dominia donaverat, ipſique ſummo Pontifici in multis honorificis obſequijs devotiſſime inſerviebat, Clerici, quibus tunc interdictum erat matrimonium, contra ſanctum Pontificem exaſperati obſtrepebant, hacque illum macula aſpergere moliebantur, at vero nullam impoſtura hæc habebat ſubſiſtentiam, ſiquidem Benno Cardinalis ſchiſmaticus quoad hoc punctum, ne quidem os ſuum aberire præſumebat prout alias in multis capitibus fecerat, ſciens quod nullam hac in re uspiam fidem habiturus eſſet, unde ſubito omnis hæc calumnia evanuit; ſiquidem ut quidam illius temporis Author ſcribit, in celebratiſſima illa civitate, in tanto præſentium Prælatorum aliorumque aulicorum Pontificem continuò circumdantium numero, factum aliquod ſimile occultari minime potuiſſet; præterquam quod miracula quæ Gregorius frequenter operabatur, item honoris Dei, & obſervantiæ legem Eccleſiarum zelus, quo dictus Pontifex inceſſanter ardebat, evidens coram toto mundo integritatis ipſius teſtimonium ediderant.

In vitis Patrum.

Hiſtoria.

14. In vitis Patrum duæ notabiles hiſtoriæ in hac calumniarum promotione leguntur; Etenim Monachus quidam, qui in ſæculo uxorem & filios habuerat, unam filiarum ſuarum ſub habitu virili Monaſterium ingredi permiſit, quæ habitu monaſtico virili proprio induta Smaragdi nomen ſortita fuit, cumque Monachis in agro pro Monaſterij ſervitio laborantibus, grave quoddam fornicationis peccatum commiſſum fuiſſet, ipſaque mulier fornicaria gravida eſſet, hujus peccati reatus Fratri Smaragdo, qui antea Marina vocabatur, impoſitus fuit; Ille autem de eo coram Abbate accuſatus aliud nihil, quam gravem ſe peccatorem eſſe reſpondit; unde è Conventu ejectus, auſteriſſimam ante Monaſterij fores egit pœnitentiam, donec ab omnibus Monaſterij fratribus ad compaſſionem commotis ad communem cum cæteris convictus admiſſus fuit; Poſt mortem vero impoſita ei calumnia manifeſte detecta fuit, nam dum eum muliebrem ſexum ſub virili monaſtico habitu occultaſſe deprehenderunt, cuncti ejus admirati ſunt patientiam, ipſa verò ſub nomine S. Marinæ Romano Martyrologio & ſanctorum catalogo inſeri meruit.

Hiſtoria.

15. In eodem libro de S. Eugenia legimus quod clam è domo patris ſui Præfecti Alexandrini in habitu ſervi alicujus fugiens in Monaſterium quoddam ſe receperit, ut eidem in habitu viri famularetur, cumque per virtutes eximias conſpicuam ſe valdeque ſpectabilem omnibus effeciſſet, accidit, quod poſtquam valde præcipuam Dominam Alexandrinam, Melaniam nomine priſtinæ valetudini miraculosè reſtituiſſet hæc impuro erga illam quam in diverſo à ſe ſexu poſitam arbitrabatur, amore ſuccenſa fuit; videns autem quod poſt ingentes importunas, ſæpiusque iteratas ſollicitationes ſuum aſſequi intentum non poſſet, amore in odium mutato eamdem de intentata ſibi violentia apud Præfectum accuſavit; Quo vero tempore ei ſupplicium pro prætenſi criminis caſtigatione parabatur; à nonnullis Monachis aſſociata remanſit, ipſa autem Præfecto qui Pater ejus erat; ſe mulierem & filiam ejus eſſe manifeſtavit, unde accuſationis falſitas cum perpetua Melaniæ ignominia continuo evanuit, ſanctitasque vitæ S. Eugeniæ omnibus innotuit, *& ſit tota Alexandrina civitas, quaſi una Eccleſia.*

Hiſtoria.

16. In Martyrologio Romano ad diem quintum Januarij mentio fit S. Apollinaris Virginis, quæ Antemij viri nobilitate, patriaque & ſenatoria dignitate illuſtris viri filia erat: Sancta hæc vero poſtquam ſacra illa loca viſitaſſet, ad faciendam rigidiſſimam pœnitentiam in deſertum quoddam ſe ſubduxit, ſumptoque Dorothei nomine, in virili habitu Eunuchum ſe eſſe finxit. Cum verò Pater ejus filiam quamdam à Dæmone obſeſſam & energumenam haberet, ſanctique Dorothei vitæ ſanctitas ijs in locis celebris admodum eſſet, ad ſanctos illos Monachos, qui Eremum illam incolebant pro liberatione filiæ ſuæ impetranda ſubmiſit, qui Dorotheum illuc deſtinarunt, à quo fuſis ad Deum precibus liberata fuit; quia vero filia hæc domum reverſa deprehendebatur eſſe gravida, Pater ejus Dorotheum carnale cum ipſa commercium habuiſſe ſuſpicatus, in carcerem illum conjecit; qui ut & ſuſpicione & ignominia hæc ſe liberaret, operæ pretium duxit ſi ſubtracta larva, ſub qua hactenus mundum deriſerat, quis revera eſſet, ſcilicet mulier & dicti Patris germana filia; manifeſte demonſtraret.

Deus mirè liberat à Calumnijs.

17. In lectionibus S. Staniſlai Martyris de Boleſlao Rege truculentiſſimo ob ſcandaloſam ejus libidinem ab eo reprehenſam, perſecutore legimus ſequentia: *In ſolemni regni conventu Staniſlaum per calumniam in judicium coram ſe vocari curat, tamquam pagum occuparet, quem Eccleſiæ ſuæ nomine coemerat, quod cum neque tabulis probare poſſet, & teſtes veritatem dicere timerent, ſpondet Epiſcopus ſe pagi venditorem, qui triennio ante obierat, intra tres dies in judicium adducturum*; quod & ab illo vere præſtitum fuit, expleto namque in fuſis orationibus & celebratis jejunijs triduo poſt Miſſæ ſacrificium celebratum, accedit ad ſepulchrum, *Petrum è ſepulchro ſurgere jubet, qui ſtatim redivivus Epiſcopum ad regium tribunal euntem ſequitur, ubique Rege & cæteris ſtupore attonitis, de agro à ſe vendito, & pretio ſibi rite ab Epiſcopo perſoluto teſtimonium dicit.* Sic Deus ſemper ſuos à calumniantium inſidijs & maledictis eruere & expedire conſuevit; modò à tergo poſt ipſum non abierint, è contra vero ejus ſe Protectioni ardentibus precibus commiſerint, firmiſſimaque ſpe ejus auxilium & liberationem ſine murmuratione exſpectaverint. Et quis omnia Divinæ liberationis exempla eorum, qui è calumniatorum retibus erepti ſunt, quorumque innocentia mirandis modis patefacta ad calumniantium confuſionem fuit, recenſere poſſet, tempus & charta mihi deficeret: Igitur hunc tractatum ſequentibus adhuc duabus hiſtoriolis finiam, quarum una de S. Antonio Paduano, altera de Montano Archiepiſcopo Toletano hunc diſcurſum ac totum tractatum claudent.

Hiſtoria. Surius in vita S. Antonij.

18. In vita S. Antonij de Padua habemus, quod cum ipſe patrem ob inventum in ejus horto pueri alicujus nuper occiſi, ibidemque ſepulti cadaver, de homicidio commiſſo accuſatum & in carceres conjectum in ſpiritu prævidiſſet, ſumma cum celeritate ad domum ſe paternam tranſtulerit, ibidemque reſuſcitatum à ſe puerum adſtrinxerit, ut patrem ſuum ab hoc reatu innocentem eſſe publice ediceret, eumque ab hac calumnia liberaret, qui poſtquam juſſis Sancti Antonij ſatisfeciſſet, recepta ab eodem ſancto peccatorum ſuorum abſolutione, ad ſepulchrum ſuum rediens denuo mortuus eſt.

Joan. Vaſæus Chron. Hiſp. An. 350.

19. Joannes Vaſæus in Chronicis Hiſpaniarum circa annum quingenteſimum trigeſimum de Montano Archiepiſcopo Toletano refert, quod cum calumnioſe de ipſo, quod certæ cujusdam fœminæ honeſtatem tentaſſet, publica voce ſpargeretur, Deum enixe obſecrarit, ut ab hac ipſum calumnia liberum & immunem faceret, qui mox poſt acceptam à Deo inſpirationem exemptos ab igne carbones etiamnum ardentes veſtibus ſuis ſuperimpoſuit, in ijſdemque per totum ſpatium quo Miſſam celebravit, immotos reliquit, quo viſo calumniatrix fœmina intime compuncta, famam hanc meram impoſturam eſſe in conſpectu totius populi manifeſtavit.

# TRACTATUS XIII.

# DE CARNIS VITIO,

## SIVE

## DE LUXURIA, SENSUALITATE, VOLUPTATIBUS, DEQUE FUGIENDIS HUJUS VITII OCCASIONIBUS,

## CONTINENS.

## DISCVRSVS XXXV.

DISCURSUS I. Carnis vitium generico nomine malitia nominatur, eo quod origo & cauſa ſit omnium malorum ſuosque ſectatores in quemvis enormem exceſſum præcipitet.

II. Conſiderantur alia mala & damna, quæ à carnali concupiſcentia derivantur, peſſimique illius effectus & indicia declarantur.

III. Sub alluſione ignis & proprietatum ipſius varij vitij carnalis recenſentur effectus, quod inſtar flammæ omnes virtutes & bonorum operum merita devorat & conſumit.

IV. Vitium Carnis à Deo nos ſeparat, ejusque notitia & lumine, nec non omni vero ſpiritu & devotione nos privat.

V. De connectione quam carnis vitium cum idololatria habet, quia potens eſt medium ad procurandam in nobis apoſtaſiam à fide.

VI. Carnis vitium origo & cauſa eſt hæreſum, ſiquidem carnales homines ab hoc vitio ſeducti in multos labuntur errores.

VII. Carnales homines nidus & centrum ſunt Dæmonis, qui immunditia gaudet nosque ad ſe præcipue per voluptates carnis attrahere ſtudet.

VIII. Homines carnales inter alios peccatores maximè à Dæmone poſſidentur, & ab eo male tractantur.

IX. Vitium Carnis in ſcriptura Sacra Inferni nomine appellatur, qui ſectatores ſuos irreparabiliter ad æternam perditionem perducit.

X. Vitium Carnis venenum æternæ mortis ſub dulcedine abſcondit voluptatis, quæ omnem nobis ad beatam vitam aditum intercludit.

XI De ſeveritate divini judicij contra homines carnales, & ſupplicijs & pœnis quas à Deo implacabili ipſorum judice reportabunt.

XII. Hoc Carnis vitium cauſa eſt exterminij populorum & calamitatum publicarum origo, ubi adducuntur nonnulla ſuppliciorum exempla, quæ Deus perſonis particularibus immiſit.

XIII. Sub alluſione contagionis & peſtilentiæ variæ hujus vitij deteſtationem fiunt conſiderationes.

XIV. Voluptates carnales hominem debilitant, eique vitam abbreviant, ſæpeque cauſant, ut in infirmitates & pericula mortalia incidat.

XV. De injuria graviſſima quæ Deo per fornicationem irrogatur, dum ipſa laſcivæ alicui fœminæ poſthabetur, cui membra Chriſti, id eſt, corpora noſtra in prædam miſere cedunt.

XVI. Circa deformitatem & immunditiam carnalis concupiſcentiæ variæ conſiderationes inſtituuntur.

XVII. Carnis vitium excæcat intellectum, nobisque judicium & diſcurſum eripiendo beſtijs nos ſimiles efficit.

XVIII. De Concupiſcentia carnali ſub analogia laqueorum & retium diſſeritur, illamque hominem carnalem ſervum & mancipium efficere oſtenditur.

XIX. Vitium carnis intellectum, mentem, & animam noſtram adeo abſorbet, ut illam de nulla re alia, quam de voluptate & libidine ſua explenda cogitare permittat.

XX. Multæ conſiderantur difficultates, quæ in hominibus carnalibus ad pœnitentiam inducendis occurrunt, unde pœnitentia quæ in illis ſæpe reperitur, inſtabilis eſt & infirma.

XXI. Incauta cum mulieribus converſatio motifera eſt & cauſa multorum malorum, eſtque ſpeciale Dæmonis inſtrumentum; Ubi etiam quantum hic ſexus facere & obtinere prævaleat oſtenditur.

XXII. Quam debilior hic ſexus illecebroſus & periculoſus ſit oſtenditur, ſiquidem in ipſius conſortio etiam viri conſtantiſſimi periclitantur.

XXIII. Quam periculoſa ſit viri cum muliere frequens converſatio per exemplum Adæ ab Eva ad prævaricationem circa pomum vetitum inducti oſtenditur.

XXIV. Viri etiam ſanctiſſimi in carnis vitium prolapſi ſunt, qui proinde hoc certamen aggredi ſemper timent, & ideo quoad hoc fugiendum eſt omne periculum, cumque omni circumſpectione procedendum.

XXV. Sub metaphora ſpinarum, quibus carnis voluptates à Salvatore aſſimilantur, Roſam delectationis carnalis multis anxietatum, periculorum, aliorumque faſtidiorum ſpinis circumdatam eſſe oſtenditur.

XXVI. Delectationes carnales cum dulcedine ſua conjunctam habent magnam amaritudinem, ſiquidem carnalibus hominibus remorſum & triſtitiam conciliant.

XXVII. Concupiſcentiam carnalem inſatiabilem, brevemque & momentaneam ejus delectationem eſſe, ideoque pœnarum æternarum pretio minime comparari debere oſtenditur.

XXVIII. Ad reſtinguendum luxuriæ ignem ſingulare remedium eſt, ignem cogitare & infernum.

XXIX. Meditatio ſepulchri quod carnem noſtram in putredinem, vermes, & cinerem redigit, ad deteſtandam omnem delectationem carnalem omnipotens eſt remedium.

XXX. Carnalem concupiſcentiam fugere non ſufficit, niſi ſimul etiam fugiantur occaſiones & pericula, quæ illius ſunt incentivum vel fomentum.

XXXI. Proſequitur Author probare, impoſſibile eſſe ut quis ſe in ignem occaſionis ingerat, & incendium non concipiat: Variæ etiam adducuntur rationes ob quas fugienda ſunt omnia pericula.

XXXII. In certamine contra vitium carnis fugere debemus, ſi de victoria obtinenda & de Dei aſſiſtentia ſecuri eſſe velimus; Referuntur etiam quorumdam cautelæ, qui etiam poſt mortem occaſionibus ſe exponere detractarunt.]

XXXIII. Ad hoc ut quis ſe à vitio carnis præſervet, neceſſum eſt, ut ad ea loca, in quibus lapſus eſt alias, numquam redeat, eò quod in ijs facile ſit relapſus.

XXXIV. De circumſpectione qua viri etiam illuminatiſſimi uſi ſunt in evitandis periculis & occaſionibus ſenſualitatis, quorum nonnulla adferuntur exempla.

XXXV. Judith prolixè defenditur, oſtendendo quod in heroico illo facinore qua necem Holoferni intulit, impudicitiæ periculo aut occaſioni ſe non expoſuerit.

## DISCURSUS I.

### ARGUMENTUM.

Carnis vitium generico nomine malitia nominatur, eo quod origo & cauſa ſit omnium malorum, ſuosque ſectatores in quemvis enormem exceſſum præcipitet.

THEMA



### THEMA.

*Videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, ... Pœnituit eum quod hominem feciſſet.* Gen. 6. v. 5. & 6.

Luxuria generice malitia dicitur.

1. MOyſes in cap. 6. Geneſeos toti mundo cauſam manifeſtare volens diluvij, quo divina juſtitia genus humanum ad fauces usque impudicitiæ cœno immerſum caſtigare decrevit, vitium iſtud duobus epithetis, malitiæ nimirum, & mali in genere nominibus appellare voluit: *Videns quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio hominum intenta eſſet ad malum*, ubi Septuaginta legunt, *Videns Deus quia multiplicatæ ſunt malitiæ hominum ſuper terram, & unusquisque cogitat in corde ſuo ſuper maligna.*

*Pſalm. 13. v. 2. & 3. Gen. 6. v. 12.* Origo omnium peccatorum.

2. Sed dices, Ergone in illo tam corrupto ſæculo ſolum vitium carnis & non potius omnia ſcelera inundarunt, in quo dici poterat: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum, Omnes declinaverunt?* Numquid enim tunc *omnis quippe caro corruperat viam ſuam?* Verumtamen ceſſat omnis difficultas, ſi conſideretur, quod hoc peccatum carnis, de quo in præſenti loquimur, generico malitiæ & mali nomine appelletur; quia hoc, uti videbimus, centrum eſt omnis iniquitatis, & ob peſſimas, quas poſt ſe trahit, conſequentias, eſt inter omnia alia peccata peſſimum, cum nullus ſit exceſſus, quantumvis enormis, in quem non præcipitetur is, qui hoc vitio eſt coinquinatus.

*Rich. de S. Vict. p. 2. in Apoc. c. 1.*

3. Richardus de S. Victore inquit: *Malitia corruptio totius animi ſpirituale eſt vitium, & ſpiritualium fons & origo vitiorum. Sunt ergo duo maxima vitia malorum omnium cauſa, malitia & luxuria, intus eſt malitia, foris eſt luxuria, malitia in corde, luxuria in carne.* Porrò carnis vitium à Spiritu ſancto malitiæ nomine appellari, ex quodam Eccleſiaſtis textu evidenter deducitur, quia Regi Salomoni, qui huic vitio maxime deditus erat, dum poſtea ut ex eodem libro non obſcure colligitur, de eodem pænitens reſipuit, hoc conſilium præſcripſit: *Amove malitiam à carne tua, adoleſcentia enim & voluptas vana ſunt.*

Salomon huic vitio deditus reſipiſcens dat Conſilium.

*Math. 6. 13.*

4. Patres Græci, Chryſoſtomus, Gregorius Nyſſenus & Theophylactus ultimam orationis Dominicæ petitionem ita exponunt: *Libera nos à malo* Dæmonis. Alij per hoc malum omnia illa intelligunt, quæ nos ad offenſam Dei inducere poſſunt. S. Auguſtinus autem de voluptatibus carnis interpretatur; Et ſimiliter Hugo de S. Victore ita ſcribit: *Hæc eſt ſeptima petitio, quæ contra vitium luxuriæ opponitur, ecce ad te clamamus captivi, qui te contempſimus liberi; Libera nos à malo, malum eſt hoc Domine, non ſicut cætera mala, crudelius perſequitur, profundius nocet, efficacius lædit.* Similem ſapientiam qualem increata & Divina Sapientia Salomoni contulit, nullus umquam habuit, neque in omnibus futuris ſæculis habebit, hic igitur hoc ſuo ſublimiſſimo intellectu, curioſiſſime inveſtigavit, quodnam ſit maximum malum ſuper terram, ac tandem mulierem tale malum eſſe concludit, utpote quæ concupiſcentiæ carnalis eſca eſt & fomentum, S. Hieronymus ait: *Circuivi ego & cor meum ut cognoſcerem, Symmachus interpretatus eſt dicens; pertranſivi univerſa ſenſu meo, ſcire & diſcere & inveſtigare; quia igitur ſupra Eccleſiaſtes dixerat, omnia ſe in ſapientia pertentaſſè, & quanto plus eam inquiſierit, tanto illam longius refugiſſe, nunc ait, etiam illud in ſua ſe quæſiſſè ſapientia, quod in rebus humanis malum, univerſa antecedat mala, & quæ res impietatis, ſtultitiæ, erroris, vecordiæ teneat principatum, & dicit ſe omnium malorum caput mulierem reperiſſe;* at verò quia S. Hieronymus verebatur, ne forte alicujus hæc legentis animus in fide hujus veritatis hæſitaret, ideo ad majorem ejusdem corroborationem ſubjungit, dicens: *Ne putemus temere hanc Salomonem, de omni genere mulierum protuliſſe ſententiam: Quod expertus eſt, loquitur.*

*S. Aug. Ep. 121. Hug. de S. Vict. l. 2. Alleg. c. 14.* Luxuria & mulier maximum malum. *Eccleſ. 7. v. 26. S. Hieron. ib.*

*Zach. 5. v. 7.*

5. Zacharias Propheta hanc inter alias habuit viſionem: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una ſedens in medio amphoræ, Et dixit: Hæc eſt impietas;* Ecce tibi conjunctam cum muliere impietatem & iniquitatem; nam Septuaginta legunt: *Hæc eſt iniquitas.* S. Cyrillus Alexandrinus inquit: *Omnis iniquitas non aliter committitur, niſi voluptate; pingitur ergo & congruenter valde ſub mulieris ſpecie iniquitas.* At verò quid hac de re S. Hieronymus dicat: audiamus: *Cæterum*, inquit, *juxta intelligentiam ſpiritualem, omne generaliter peccatum mulierem nominamus, & iniquitatem, quæ ſub ſpecie mulieris ſedet in Zacharia ſuper talentum plumbi.*

*Ibid. v. 8.* Mulieri conjuncta eſt impietas. *S. Cyrill. Al. ibid. S. Hier. in Cap. 7. Eccl.*

*Iſa. 33. v. 15. Ibid. v. 16.* Cælum intrant qui mulieres non concupiſcunt.

6. Iſaias poſtquam pœnarum infernalium repræſentaſſet atrocitatem, declarare volens cuinam aditus in cœlum pateat, dicit: *Qui ambulat in juſtitijs & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam, ... qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum, Iſte in excelſis habitabit.* Porro ultima hæc verba aliquam in ſe difficultatem continere videntur, quia ad evadendum inimici inſidiantis laqueos, potius neceſſum eſſe videtur, ut quis oculos apertos habeat & circumquaque reſpicere poſſit. Lyranus dubium hoc ſolvit dicens: *Ne videat malum, id eſt, mulierem alienam ad concupiſcendum.*

*Gen. 39. v. 9. Hug. Card. in Iſai. Olympiod. c. 12. Eccl.*

7. Obſervaſtiſne aliquando illum loquendi modum, quo caſtiſſimus Joſeph uſus fuit, ad declinandum dominæ ſuæ eum ad adulterium provocantis inſultum? *Quomodo ergo*, inquit, *poſſum hoc malum facere?* nimirum adulterium, ad quod provocabatur, hoc generico mali nomine ſubindicat. Hugo Cardinalis ſuper Iſaiam inquit: *Per hoc excluditur luxuria, quæ frequenter ex aſpectibus & nutibus oculorum contrahitur.* Olympiodorus in principio Capitis 12. Eccleſiaſtis de Salomone ita ſcribit: *Malignitatem carnis accipit pro omni peccato; nam & Apoſtolus opera carnis vocat opera peccati, præcipua vero malignitas carnis eſt ipſa libido.*

In luxurioſo omnia peccata probantur. *Joan. 4. v. 29.* Uſque ad finem diſcurſus. *D. Chryſ. T. 6. Orat. de Samarit.*

8. Salvator noſter laſcivæ illi mulieri Samaritanæ omnes manifeſtaverat commiſſas fornicationes, indeque factum eſt, quod illa reſipuerit, atque ad Civitatem accurens, clamare cœperit: *Venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Legatis obſecro Evangelium in quo diſcurſus Chriſtum inter & ipſam habitus minutatim deſcribitur, & ibi Chriſtum ſolum impudicitiæ peccatum ipſi detexiſſe invenietis: Unde D. Chryſoſtomus ait: *Vide mulieris ſapientiam, vide meretricis probitatem, unum tantum ei dixit ſcortationis peccatum Chriſtus, & illa relicta hydria, accurrit ad urbem dicens: Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia;* nimirum D. Chryſoſtomus vult dicere, quod ſapiens hæc mulier, eo ipſo quo Chriſtum ſibi omnes admiſſas fornicationes & ſenſualitates detexiſſe audiebat, aliarum quoque iniquitatum ſe ream eſſe intellexerit.

*S. Ant. de Pad. ſer. in Dom. 3. poſt Paſcha. S. Anton. de Padua in Dom. 4. poſt Paſch.*

9. S. Antonius de Padua, titulum quo Spiritus ſanctus mulierem quamdam fornicariam appellat, egregie conſiderat, dum ait: *Iſta mulier fornicaria, Babylon magna, Satanæ Synagoga, carnalium turba circumdatur, & ornatur;* Equidem eo ipſo quo Babylonia quædam eſſe dicitur, omnium quoque ſcelerum centrum ipſam eſſe inſinuatur. Idem quoque hujus dictionis, *Pellex*, etymologiam obſervat, dum ait: *Peccator à pellice, id eſt meretrice vocatus, quaſi pellicator, quod nomen antiquitus flagitioſorum fuit, poſt vero tranſivit in appellationem omnium iniquorum, peccato ſiquidem fornicationis plus quam alio vitio mundus eſt coinquinatus.*

*Gen. 6. v. 11. D. Chryſoſt. Hom. 22. in Gen.*

10. Moyſes in eodem capite 6. Geneſeos hoc carnis vitium per totum mundum paſſim diſperſum eſſe innuere volens, hac loquendi phraſi utitur: *Corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate;* Ex quibus verbis D. Chryſoſtomus rationem colligit, cur concupiſcentia carnalis, malitiæ & iniquitatis nomine indicetur: *Ex hoc enim malo opere*, inquit, *quaſi ex fonte quodam multa etiam alia ſuboriebantur peccata, & ideo dicit: malitiæ hominum, nam ubi ſcortatio & luxuria, veriſimile eſt, & ebrietatem, & crapulam, & magnam injuſtitiam, & avaritiam, & innumera alia naſci mala.* Sanct. Apoſtolus ad Galatas ſcribit: *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.* Ubi notandum quales ſint hujus peſtiferæ arboris fructus; *Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, Invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes,* ubi & tacitè innuit, multa quoque alia peſſima germina exinde pullulare, quæ ſub ſilentio pertranſit, dum ait: *& his ſimilia.*

*Gal. 5. v. 19. Ibid. v. 20. Ibid. v. 21. Ibid.*

*Euſeb. l. 7. Præpar. Evang. Clem. Alex. l. 7. Aſtr.*

11. Audite quale epithetum Euſebius Cæſarienſis libidini attribuat; Eam namque vocat *Hydriam multorum capitum.* Clemens Alexandrinus alium ſimilem titulum eidem ingenioſe imponit dicens: *Voluptas eſt vitij metropolis.* Sanct. Bernardus de curru luxuriæ, quæ in inferni prærupta nos præcipites

S. Bern. ſer. 39. in Cant.

præcipites agit, diſſerens ait: *Luxuriæ verò curru, quadriga nihilominus volvitur vitiorum, ingluvie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie veſtium, otij ſoporiſque reſolutione; trahitur equis æque duobus, proſperitate vitæ, & rerum abundantia, & qui his præſident duo, ignaviæ torpor, & inſida ſecuritas.* S. Bonaventura autem ex quâdam authoritate S. Auguſtini ita ait: *Libido dicitur cauſa omnis peccati, ſicut ait Auguſtinus, & hoc propter delectationem creaturæ, quæ inordinatam trahit animam, & avertit à ſummo bono.* Sancti quoque Caſſiani authoritatem adducit dicentis: *Radix omnis peccati luxuria eſt:* Redditque mox rationem, *quia carnales delectationes nobis ſunt naturales, ad naturalia autem prompti ſumus, & difficulter reſiſtimus;* Cui concordat, quod Sanct. Thomas ait: *Vitium capitale eſt, quod habet finem multum appetibilem, ita quod ejus appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda.* Delectatio autem & voluptas habet vim attractivam valde vehementem atque ideo homines etiam probiſſimos ſeducit & decipit. S. Ambroſius quoque luxuriam omnium vitiorum ſeminarium eſſe ſcribit: *Luxuria ſeminarium & origo vitiorum eſt.* S. Joannes Climacus camdem concluſionem ſtabiliendo dicit: *Procreatrix omnium malorum eſt luxuria.* Quod ſi mihi ſuperbiam omnium malorum originem & primum principium eſſe objeceris, reſpondebo tibi cum Iſidoro: *Ex culpa ſuperbiæ pleramque in abominandam carnis immunditiam itur. Libidinis naſci immunditiam de animi occulta conſtat ſuperbia, exemplo primi hominis, qui mox ut per ſuperbiam contra Deum tumuit, ſtatim carnis libidinem ſenſit.*

S. Bonav. in in Comp. Theol. T. 7. l. 3. c. 13.
S. Thom. 2. 2. Q. 153. A. 4.
S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 19.
S. Joan. Clim. in Scal. Par. gr. 26. n. 38.
S. Iſidor. l. 2. ſent. c. 39.

12. In illo Evangelico divite, quem carnalem fuiſſe in dubium revocari nequit, valde notabiles ſunt multæ iniquitates; In illo namque in primis cupiditas ſupra modum prævaluit: *Habes multa bona poſita in annos plurimos.* Otium ejus & deſidia in illo verbo, *requieſce* inſinuatur; Ebrietas in illo verbo: *Bibe*; Luxuria ex illo verbo *epulare* conjicitur, quia ſciendum eſt quod in Græco loco hujus verbi, *epulare*, legatur, *oblectare*; vide igitur quam verum ſit, quod voluptas carnalis omnia alia peccata poſt ſe trahat. Legatis velim in libro Sapientiæ, illas diſſolutorum perditorumque hominum damnabiles inſolentias; Dicunt enim: *Venite ergo & fruamur bonis, ... Vino pretioſo & unguentis nos impleamus, ... Coronemus nos roſis, antequam marceſcant*, at verò ſcirene deſideratis, undenam hæ vivendi licentiæ deriventur? *Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra, Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ.*

Luc. 12. v. 19. Ibid. Ibid.
Sap. 2. v. 6. Ibid. v. 7.
Ibid. v. 8. Ibid. v. 9.

13. S. Joannes omnium malorum, quæ in hac reperiuntur lachrymarum valle (ſiquidem *circumdederunt nos mala, quorum non eſt numerus:*) breve quoddam compendium inſtituens, ad tria præcipue capita eadem reducit, dicit enim: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Sanctus Paulus Apoſtolus quoque dicit: *Radix omnium malorum eſt cupiditas*; quis autem eſt qui hoc vitium per antonomaſiam concupiſcentiam appellari ignoret? utpote quod in omnibus peccatis partem ſuam & locum habet; Ingenioſa fuit illa S. Zenonis obſervatio, quod ſcilicet huic vitio dediti, non ſine myſterio eidem vitio hoc nomen, *Cupido*, impoſuerint: *Cupido vocari à luxurioſis ſibi cultoribus cœpit.* Unde merito dicere poſſumus: *Radix omnium malorum eſt cupido.* Et quidem tametſi nobis neceſſum non ſit, de mendacio adſtruere veritatem, attamen ex fabulis poëticis multas veritates Chriſtianas confirmare videmus. Finxerunt itaque Poëtæ quod Pandora ex vaſe quodam quod in manu ſua portabat, omnia in terram mala effuderit, quia de ſexu debiliori dici poteſt, quod omnis mali cauſa ſit & hactenus extiterit; unde Nazianzenus ait: *Pandoræ quippe filiæ, ſunt proceres omnes mulierculæ, perfrictæque frontis.*

Pſ. 39. v. 13
1. Joan. 2. v. 16.
1. Tim. 6. v. 10.
S. Zeno l. 1. de fide &c. ſer. 2.
Nazianz. adv. mulieres.

14 Porrò peccatum hoc omnium aliorum ſentinam eſſe adeò eſt verum, ut à ſacris Doctoribus appellari ſoleat maximum & peſſimum, ſic in Jobo dicitur: *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, ... ſcortum alterius ſit uxor mea ... hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima.* D. Chryſoſtomus de filijs Jacob ſororum ipſorum à Sichemitarum Principe conſtupratam eſſe reſcientibus, ita ſcribit: *Contriſtati ſunt, & rem intolerabilem eſſe putaverunt, & graviſſimam. Videns filiorum continentiam*, inquit Sanctus, *quomodo turpitudinem maximam hoc factum reputabant.* S. Cyrillus Alexandrinus ad hunc ſcopulum declinandum nos exhortans, eumdem hiſce verbis deſcribit: *Age igitur, luxuriam quidem peſſimum malorum vincamus.* Idem quoque alibi hujuſce rationem reddere voluiſſe videtur, quando ait: *Illi quibus voluptas perſuaſa eſt, proclives in quodvis abſonum vitium prolabuntur.*

Job. 31. v. 9. Ibid. v. 10.
D. Chryſoſt. Hom. 59. in Gen.
S. Cyrill. Alex. Hom. 9. de Feſt. Paſch.
S. Cyrill. in Dial. de adorat. ad Pallad.

15. Varias reperio expoſitiones celebris illius textus apud Iſaiam: *Sirenes in delubris voluptatis:* Septuaginta vertunt: *Struthiones*: Enimvero ingens inter Sirenes & Struthiones eſt differentia, verumtamen ſi naturalem horum animalium inſtinctum conſideraveritis, quod ſcilicet ſtomachum adeò calidum habeant, ut omnia, etiam chalybem & ferrum digerere valeant, ac proinde non immerito homines carnales ad vivum repræſentant, qui ſtomachum animæ, id eſt, conſcientiam habent ad quemvis exceſſum digerendum aptiſſimam; *illi quibus voluptas &c.* Enimvero magnam hoc peccatum in ſe malitiam habet; unde Abimelech, quantumvis gentilis adulterium, ad quod committendum ſe, licet ignoranter, accingebat, vocabat *Peccatum grande.* In Propheta Oſea vocatur peccatum *profundum*, *profunde peccaverunt*; In Hebræo legitur: *Corrupti ſunt.*

Iſa. 13. v. 12.
Gen. 20. v. 9.
Oſe. 9. v. 9.

16. Tertullianus modum conſiderat, quo æterna ſapientia præceptum non fornicandi inter alia Decalogi præcepta inſeruit: *Non occides; Non mæchaberis; Non furtum facies; Inter duos apices, facinorum eminentiſſimos digna conſedit, Mæchia. Quæ erit talibus lateribus incluſa, talibus coſtis circumfulta,* Sanct. Thomas de Villa Nova nullum inter omnes ſceleratos, ad quodvis exceſſuum genus committendum promptiorem eſſe exiſtimat, quam ſit homo carnalis: *Nullus ad Dei contemptum promptior, nullus ad malum perpetrandum audacior, nullus ad perſiſtendum in peccato tenacior.* Tametſi enim verum ſit, quod in cunctis Dei inimicis ad illum offendendum animoſis ad literam adimpleatur quod *non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*, attamen de hominibus carnalibus magis *ad literam* verificatur, quia continuo, & ſine ulla intermiſſione nulli alteri operam & cogitationes ſuas impendunt, quam ut Deum offendant: *Cuncta cordis cogitatio intenta ad malum omni tempore*; præterquam quod Spiritus ſanctus hoc verbo *coinquinare* in ſcriptura ſacra tunc vel maxime utatur, quando de carnis peccato loquitur: *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.*

Tertull. l. de pudicitia.
Luc. 18. v. 20.
S. Thom. de Villa nova Conc. 2. de S. Ildephonſo.
Pſ. 10. v. 5.
Gen. 6. v. 5.
Apoc. 14. 4.

17. Oleaſter de populo Iſraëlico fornicante diſſerens ait: *Sunt vitia quædam ſic colligata, ut quamprimum unum admittas, aliud te invadere neceſſum ſit, trahit luxuria & libidinis ardor omnia, quæ vult, etiamſi maxima vitia ſint & peccata.* D. Chryſologus ad execrandum Herodis exceſſum ſe reflectens ait: *Auditis quanta ſit nata de voluptate crudelitas, de libidine impietas; allatum eſt caput ejus in diſco, in arenam vertitur domus, menſa migrat in caveam, fiunt de pranſoribus ſpectatores, furore mutatur convivium, fit cibus cædes, finis tranſit in ſanguinem, in ortu exhibetur occaſus, intrat beſtia, non puella.* Petr. Bleſenſis multa ab hoc vitio originaria delicta recenſet, dicens: *Quid eſt ardor ille concupiſcentiæ, qui aurum veſtrum vertit in ſcoriam, niſi mors animæ, tranſgreſſionis mater, magiſtra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, ſicaria virtutum, ſeditionis origo, & fovea ſcandalorum?* Hanc Petri Bleſenſis orationem comprobant omnes hiſtoriæ tum ſacræ, tum profanæ, tam Græcæ quam Latinæ. Quæ cauſa fuit belli Trojani, quæ cauſa exturbationis Tarquiniorum: quæ cauſa excidij Sodomitici, quæ cauſa Benjamiticæ Tribus exterminij, niſi hæc unica ſcortatoria impuritas: Quæ reliqua mala ab auctore recenſita ſecum traxerunt, ſicut & nos in diſcurſu ſequenti & 12. mala & damna à venerea iſta concupiſcentia derivata explicabimus, iſtamque Bleſenſis ſententiam ſtabiliemus. Omnia quidem peccata *tenebræ* appellantur: *Abjiciamus opera tenebrarum*, nullum vero peccatum magis tenebras quærit, & diligit, quam vitium carnis. Audite Sanct. Bernardinum, qui allegans Sanct. Bernardum de luxuria dicit: *Eſt ſitis ebria, delectatio momentanea, amaritudo æterna, lucem odit, tenebras appetit, velamen quærit, ſenſus hebetat.* D. Chryſoſtomus ſimiliter ait: *Voluptas fornax ſcelerum, fodina nequitiæ, alveus vitiorum, philtrum improbitatis.* Et Hugo de S. Victore dicit: *Omnis ſocietas mulierum gluten eſt delictorum.*

Oleaſter. in Numer. c. 25. v. 1.
D. Chryſ. ſer. 127.
Petrus Bleſ. in Opuſc.
Luxuria omnium malorum cauſa.
Rom. 13. v. 12.
S. Bern. T. 1. ſer. 18. A. 2. ſer. 2.
D. Chryſoſt. Hom. 15. ad pop. Hugo de S. Vict. lib. 1. Miſcel. tit. 198.





# DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Conſiderantur alia mala & damna, quæ à carnali concupiſcentia derivantur, peſſimique illius effectus & indicia,

## THEMA.

*Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum.* Jacob. 1. verſ. 15.

1. VIde quam indignus & peſtilentialis ſit concupiſcentiæ carnalis partus: *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum.* Sanct. Zeno de laudibus pudicitiæ, & luxuriæ deteſtabili fructu diſſerens, de hac inquit: *Hæc per momenta etiam parit omne, quod malum eſt, & peperit omne quod pejus.* Sanct. Bonaventura luxuriam hoc modo definit: *Luxuria eſt libidinoſæ voluptatis appetitus; Luxuria eſt concupiſcentia nimia experiendæ voluptatis.* Sanct. Thomas de Luxurioſo tractans, eumdem ex authoritate Sancti Iſidori hiſce delineamentis deſcribit: *Dicendum eſt, quod ſicut Iſidorus dicit in libro Etymologiarum: Luxurioſus aliquis dicitur, quaſi ſolutus in voluptates, maxime autem, voluptates venereæ animum hominis ſolvunt, & ideò circa voluptates venereas maxime luxuria conſideratur.* Sanct. Bonaventura authoritatem citat Sanct. Gregorij Moralis qui hujus peſſimæ novercæ partus enumerat dicens: *Filiæ luxuriæ ſunt octo, ſcilicet cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror ſive deſperatio futuri,* malas quoque & pernitioſas harum filiarum qualitates declarat, dum ait: *Cæcitas mentis eſt, voluntas faſtidiens & deſpiciens ſuperiora & ſpiritualia,* prout ſuo loco infra videbimus, unde in luxurioſo divinum illud impletur Oraculum: *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt. Inconſideratio eſt voluntas prævidere renuens agenda inferiora*; Carnis enim vitium mentem & intellectum hominis adeò abſorbet, ut nihil aliud cogitet, aut curet, quam appetitus concupiſcibilis plenam ſatisfactionem. *Inconſtantia eſt voluntas libidine carnis confracta, ſtatum ſuum tenere non valens,* unde luxurioſus alio nomine *Lubricus* appellatur, quia luxurioſi ſunt inſtabiles. *Præcipitatio eſt voluntas aggrediens quælibet impetuoſe*; experientia namque nos docet, quod paſſio hæc adeo vehemens ſit, ut oculum ad inde emergentia præcipitia minime deflectat, dummodo exſatiari & expleri poſſit. *Amor ſui eſt voluntas affectione carnis imbuta, ſibi propter ſe ſuper omnia adhærens. Odium Dei eſt voluntas, Deum tamquam impedimentum propriæ voluntatis carnalis, vel voluptatis deteſtans. Affectus præſentis ſæculi eſt voluntas, præſens ſeculum ſemper manere deſiderans, propter fruitionem voluptatis carnis. Deſperatio ſive horror futuri ſæculi eſt voluntas voluptate præſenti cæcata, de æterna jucunditate deſperans.*

S. Zeno l. 1. ſer. 7.
S. Bonav. Cent. p. 1. ſect. 24.
S. Tho. 2. 2. Q. 153. A. 1.
S. Iſid. lib. Etymolog.
S. Greg. l. 31. Mor. c. 17. At à S. Bonav. l. d.
Luxuriæ octo filiæ deſcribuntur.
Gen. 6. v. 3.

2. Idem Sanct. Bonaventura alibi haſce filias recenſens, aliam diverſam quoad illas adfert expoſitionem. *Eſt enim prima*, inquit, *cæcitas mentis, quia ſecundùm Auguſtinum in opere luxuriæ tota ratio abſorbetur. Secunda inconſideratio, ſcilicet mortis, & inferni. Tertia inconſtantia ſcilicet ad cogitandum, deſiderandumque nunc iſtud, nunc illud. Quarta amor ſui, quo ſcilicet quis deſiderat longam vitam, ad hoc ut expleat voluptatem ſuam. Quinta præcipitatio, qua quis præcipitanter irruit ad peccandum, exponens ſe periculo mortis propter luxuriam. Sexta odium Dei, quia Deus abſtrahit ſe ab eis, & punit eos qui ſequuntur carnis delicias. Septima affectus præſentis ſæculi, ſcilicet appetitus honorum, divitiarum, ſanitatis, fortitudinis, & hujuſmodi, per quæ luxurioſus finem ſuum conſequitur. Octava eſt deſperatio futuri ſæculi, quæ eſt diffidentia gloriæ, ac veniæ conſequendæ.*

S. Bonav. in Comp. Theol. T. 7. l. 3. c. 21.
Alia deſcriptio.

3. S. Bernardinus optime conſiderat, quantum peccatum hoc rectitudini omnis legis, & bene regulatæ totius univerſi providentiæ adverſetur. Etenim de Creatore noſtro dicit: *Per creaturam ſpiritualem regit corporalem, per creaturam nobilem ignobilem, per Angelos movet cælos, per cælos movet inferiora, per principes & Reges regit populares: In luxurioſo pervertitur hoc dominium quia cum anima deberet carnem regere, totus homo pervertitur, & homo efficitur caro, juxta illud Geneſeos: Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.*

S. Bern. T. 3. ſerm 21.
Luxurioſus omnia pervertit.
Gen. 6. v. 3.

4. Job de adulterio diſſerens dicit, quod ſit *nefas & iniquitas maxima*; Ubi Titelmannus ait: *Merito quidem & execrandum & deteſtandum hoc eſt adulterij vitium, eſt enim nefas maximum, divinæ & naturali legi maximè adverſum, & maxima iniquitas adverſus proximum, quoniam nulla injuſtitia tam graviter nocet, aut tam grave damnum infert proximo ut iſta, quæ id quod in omnibus bonis externis reputatur, maximum bonum homini aufert & violat.* S. Bernardinus concupiſcentiam carnalem his verbis deſcribit: *Eſt luxuria ex immundis deſiderijs vehemens lubricæ mentis & carnis proſtitutio.* Ubi notandum venit ly illud, *vehemens*; quia nullus in homine eſt appetitus vehementior & impetuoſior iſto ſenſu, quia aliquam cum igne connexionem habet, quod elementum activum eſt, & in continuo motu exiſtens numquam quieſcit. Sanct. Zeno dicit: *Laſcivia non linguis, non auribus, non oculis parcens, jocatur, ſperat, ambit, obſequitur, zelatur, inſanit, armatur precibus, armatur & ira, Similiter nonnumquam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit.* Valde ingenioſa eſt illa ponderatio, quam ad propoſitum noſtrum adfert Thomas Cantipratenſis his verbis: *In libro de animalibus Ariſtoteles dicit, quod nullum ejicit ſemen extra niſi homo, & in hoc ordinationi naturæ contrarius eſt, plus quam pecus peccatum contra naturam tantum malum eſſe dixit Hieronymus, ut pro eo filius Dei multo tempore diſtulerit incarnari.*



Job. 31. v. 11.
Titelmannus ibid.
Adulterium maximum peccatum.
S. Bern. T. 3. ſer. de ſpir. malig. A. 3. c. 7.
S. Zeno ibid.
S. Tho. Cantipr. l. 2. Apom. c. 30. n. 7.

5. Sanct. Bonaventura damna conſiderat, quæ luxuria ſecum in conſequentiam trahit, dicit enim: *Damna luxuriæ ſunt ſex. Primo hominem ducit ad maximam paupertatem, aufert gratiam & gloriam & propriam ſubſtantiam. Secundo dejicit in peſſimam ſervitutem, facit quod vilior & turpior pars quæ eſt in homine dominetur ei. Tertio projicit hominem in maximam vilitatem, quia hominem qui ſimilis eſt Deo & Angelis, facit eſſe parem brutis. Quarto privat hominem omni ratione, ſicut animalia bruta turpiter infatuat. Quinto acriter mortificat, occidit morte culpæ infamiæ gehennæ. Sexto fortiter illaqueat.* Jacob Ruben filio ſuo dixit: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui;* at verò quænam eſt inter effuſionem inſipidi hujus elementi, & commiſſum à Ruben inceſtum proportio? Hæc nimirum, quia ſicut aqua dum è vaſe maxime vitreo effunditur, nihil in eo relinquit odoris, ſaporis, aut ſubſtantiæ, ita quoque hoc carnis vitium omnia bona ab homine tollit, judicium videlicet, rationem, prudentiam, ſpiritum, famam, facultates, ſanitatem, conſcientiam, imo etiam perſæpe vitam. Dicit enim Sapiens: *Qui nutrit ſcorta perdet ſubſtantiam*, & ideo Terentius laſcivam fœminam *Fundi calamitatem* appellat. Tribus Ruben non ſicut aliæ tribus in numero, divitijs, & gloria temporali profecit, quia hæc eſt laſcivorum hominum pœna, quod res eorum quotidie in pejus ruant.

Prout & vitium contra naturam.
S. Bonav. in Dieta ſalu. Tit. 1. c. 9.
Luxuriæ damna.
Gen. 49. v. 4.
Omnia tollit luxuria.
Prov. 29. v. 3.

6. Non eſt hoc loco prætereunda viſio illa, quam Pharao de ſeptem vaccis ad Nili ripam paſcentibus habuit, quæ *pulchræ nimis & obeſis carnibus erant; ... & ecce has ſequebantur aliæ ſeptem, in tantum deformes & macilentæ, ut numquam tales in terrâ Ægypti viderim, quæ devoratis & conſumptis prioribus, nullum ſaturitatis dedere veſtigium, ſed ſimili macie & ſqualore torpebant. Omnia in figura contingebant illis.* In Ægypto namque hujus mundi, vaccæ tenues & macilentæ devorant craſſas & obeſas, dum laſcivæ mulieres proficiunt & ditantur in pecunia, munuſculis, alijſque bonis terrenis, quæ de illorum manibus accipiunt, qui in illarum inhoneſta ſocietate turpes appetitus ſuos exſatiant & explent, quia *qui nutrit ſcorta perdet ſubſtantiam.* At vero putatisne quod mulieres iſtæ propter hoc impinguentur, incraſſentur, & diteſcant? Nequaquam, imò *nullum ſaturitatis dedere veſtigium*, ſed potius ut plurimum in ſtatu miſerabili egeſtatis moriantur. Mulier illa Samaritana, prout Chriſtus illi improperat, quinque viros habuerat, qui pudicitiæ ejus inſidiati fuerant, & tamen adeò erat miſerabilis & egena, ut in ipſo meridie ipſamet in propria perſona, è civitate ad hauriendam è puteo aquam exire, & hoc fine funem, ſitulam & hydriam ſecum deferre debuerit: & hydria quidem non ænea, ſed fictilis & vilis erat, ſiquidem Evangeliſta dicit: *Reliquit hydriam*, quod non feciſſet, ſi pretij alicujus hydria illa fuiſſet.

Subſtantiam aufert.
Gen. 41. v. 18.
Ibid. v. 19.
Ibid. v. 20.
Prov. 29. v. 3.
Joan. 4. v. 8.
Ibid. v. 28.

7. *Et ecce talentum plumbi portabatur*, inquit Zacharius, *& ecce mulier una ſedens in medio amphoræ*: Ecce tibi quale fuerit mulieris iſtius aurum,

Zach. 5. v. 7.

Theod.

argentum, & monilia; Plumbum videlicet erat theſaurus ipſius: *Ecce talentum plumbi*, quid vilius? *Quam etiam divinus Zacharias vidit peccatum ſpeciem mulieris referens, nam ex voluptate, ut ex muliere plura peccata naſcuntur.* Plumbum igitur ſolum theſauri loco habebat, quia per quotidianam experientiam videmus, quod non obſtante quocumque lucro, quod inhoneſtæ ejuſcemodi mulieres ex opere ſuo meretricio ſibi acquirunt, tandem nihilominus in extremam redigantur miſeriam. Enimvero quod mulieres impudicæ non ſolum cum omnibus ſuis divitijs, quas à laſcivis juvenibus lucrantur, depauperentur, verùm etiam tandem in ſummam redigantur miſeriam, exemplum filij prodigi manifeſte oſtendit; de quo ſcribitur: *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe.*

In extremam redigit miſeriam.

Luc. 15. v. 13.

8. Præter hæc verò adhuc alia damna à ſacris Doctoribus enumerantur. Hugo enim à S. Victore dicit: *Luxuria gratuita tollit, animam inficit, corpori morbum paralyſis ingerit, & cæcitatem oculis, corpus inquinat, famam deflorat, pecuniam tollit, inimica eſt proximo, fœtet Deo, placet Diabolo, odibilis Angelis, ejus ignis deſcendit in Infernum, fumus ejus vindictam petens aſcendit in cœlum.* Euſebius in quadam Epiſtola ad Damaſum Papam, de morte Sancti Hieronymi ſcribens, de hoc vitio ait: *Corpus debilitat, & quaſi ſemper ipſum morte deſtruit, famam denigrat, marſupia evacuat, furta inſtruit, homicidia cauſat, memoriam hebetat, cor aufert, oculos utriuſque hominis cæcat, & præ cæteris iram Dei provocat. Pro nullo alio reatu tam manifeſtam juſtitiam exercuit Deus ſine miſericordia, quam pro iſto.*

Hugo de S. Vict. de inſtit. mon. l. 4. c. 10.

Graviſſima damna luxuriæ.

Euſeb. Epiſt. ad Damaſ.

9. Quando Joab in obſidione *Rabba*, cum univerſo exercitu in pejorem quotidie fortunam laberetur, David hoc accepto nuntio, eidem ſuo Duci ſignificari præcepit dicens: *Hæc dices Joab, non te frangat iſta res: Varius enim eventus eſt belli; nunc hunc, & nunc illum conſumit gladius.* Circa quæ Davidi verba quærendum venit, qua ratione fieri potuerit, quod Rex ille in alijs quibuſcumque bellicis eventibus triumphare & hoſtem ſuum ſternere & vincere aſſuetus, in præſenti occaſione non ſolum perpeſſam militum ſuorum jacturam nihili fecerit, verum etiam honorem & reputationem ſuam & armorum ſuorum contempſerit? quin potius ac ſi res ludicra fuiſſet, reſponderit Joab: *Non te frangat res iſta?* Scitiſne cur id fecerit? Nimirum David illo tempore adulterio, & voluptatibus cum Betſabea habitis immerſus, poſtquam audivit à nuntio quod in eodem prælio, in quo hanc ſtragem perpeſſus fuerat, Urias quoque Bethſabeæ maritus occubuiſſet (*quin etiam ſervus tuus Urias Hethæus mortuus eſt, & dixit David ad nuntium &c.*) videretque quod illo mortuo ſine ullo impedimento, aut reſiſtentia Bethſabeæ amplexibus frui poterat, parum de hac ſtrage curavit, quia carnalibus hominibus proprium eſt, quod dummodò voluptatibus indulgere illis liceat, nihili faciant, ſi corruat mundus, ſi populi rebelles fiant, ſi bella ſuſcitentur, aut effuſi innoxij ſanguinis rivi copioſè fluant. Sic Herodes pro unico impudicæ mulierculæ tripudio, dimidium Regni ſui ſponte obtulit: *Quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.*

Luxurioſi non curant damna.

2. Reg. 11. v. 25.

2. Reg. 11. v. 24.

Marc. 6. v. 23.

10. Idem quoque David qui de ſemetipſo dixerat: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*, ut injuriam legatis ſuis ab Ammonitis illatam vindicaret, adverſus eos armatus ſumma cum ſeveritate & rigore extremo proceſſit, civitatem in acie gladij invaſit, *prædam civitatis aſportavit multam valde Populum quoque ejus adducens ſervavit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta: diviſitque cultris, & traduxit in typo laterum: ſic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon*; ſed qua ratione fieri potuit, ut Rex ille adeò mitis in tam aſperum, cunctiſque ſæculis inauditum ſupplicium prorumperet? Non eſt quod illud miremini, ſed potius ad tempus in quo furor ille accidit vos nonnihil reflectite; hoc enim tunc faciebat, quando illicitis cum Bethſabæa fruebatur amoribus & amplexibus, & adulterij voluptatibus immerſus erat. Quò non ſeduxit ille cum Herodiade continuatus inceſtus Herodem Regem ſacrilegum, adeò licet erga Joannem Baptiſtam devotum & venerabundum, ut S. Marcus de eo dicat: *Cuſtodiebat eum & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat:* Eouſque illum ferocitatis adegit, ut *præciperit amputari caput ejus, & afferri in diſco.* Ubi S. Ambroſius ait: *Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur.* David in detruncando limbo veſtimenti Saulis, quem ad propriam defenſionem tuta conſcientia trucidare poterat, ſcrupuloſus & anxius hærebat: *Percuſſit cor ſuum David eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul:* Et tamen poſtea ſine ullo remorſu conſcientiæ innocentem & fideliſſimum ſibi Uriam in acie prælij exponi & miſere trucidari juſſit. Scitiſne cauſam: *Factus eſt in morte Uriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit enormiter flexus, & qui prius ferire deprehenſum perſecutorem noluit, poſt devotum militem extinxit*, inquit S. Gregorius.

Pſ. 131. v. 1.

Luxuria feroces facit homines.

2. Reg. 12. v. 30. 31.

Marc. 6. v. 20.

Ibid. v. 27.

S. Ambr. l. 3. de Virg.

1. Reg. 24. v. 6.

S. Greg. l. 1. Paſt. c. 2.

11. S. Zeno in tractatu quodam, quem *de tribus virtutibus Theologicis* conſcripſit, inquit: *Eſt & alius amor ſane ſaluti noſtræ contrarius, cui rectè hominis forma tribuitur, quia temporalis ac fragilis eſſe cognoſcitur; ideò lineamento puerili depingitur, quod ejus laſciva lubricitas nec annis ſenilibus temperatur. Ideò nudus, quia voluntas ejus eſt turpitudo; Ideò pennatus, quia in omnia quæcumque conceperit, velociter ruit, ideo telis facibuſque inſtructus, quod illicitis ardoribus ſemper conjunctus eſt gladius, Ideo autem cæcus, quia cum exarſerit, non voluntatem conſiderat, non formam, non ſexum, non gradum, non ſacroſanctum illum ſaltem ſanæ pietatis affectum:* Idem quoque ſanctus varios effectus demonſtrare pergit, qui ab hac effreni luxuriæ concupiſcentia derivantur: *Hic ubique fertur inſanus, promittit, fallit, dat, tollit, nunc triſtis, nunc humilis, nunc elatus, nunc ebrius, nunc jejunus, nunc accuſator, nunc reus. Jocatur, ludit, tabet, ſuſpirat, celat, obſequitur aut imperat, aut decipit, pejuſque blanditur, quam furit.* Rabanus Tom. 3. lib. 2. in cap. cui titulus eſt: *Quibus poſſit indicijs cognoſci luxurioſus?* ex illis ſignis eum dignoſci poſſe ſcribit: *Quibus eſt vita luxurioſa & impudica, frequenter verba vana & falſa loquuntur, vagari oculos ſemper per formas ſpecioſas permittunt, pompatico & illecebroſo greſſu incedunt, laſciviam diligunt, verba multiplicant, gulæ concupiſcentias ſectantur, ebrietatem diligunt, lites & iras non devitant, avaritiam & philargyriam non refrænant, otioſitatem amant, inter eos qui de caſtitate & continentia loquuntur tacent.*

S. Zeno, ibid.

Luxuriæ effectus.

Raban. T. 3. l. 3. c. 47.

Luxuria indicia certa.

12. Ingenioſa eſt illa Ruperti Abbatis Tuitienſis conſideratio, dicentis, verba illa quæ Jacob de Joſeph filio ſuo dixerat, *Fera peſſima devoravit*, quodammodo, licet in diverſo ſenſu, verificata fuiſſe; Nam ſe ad Dominam Joſephi, quæ ad libidinem ſecum explendam illum provocabat, reflectens dicit: *Atque in hunc modum non longe à vero fuit, quod dixit Pater Iſraël: Fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph, revera namque beſtia vel fera peſſima fuit ei mulier illa libidine ſaucia.* B. Laurentius Juſtinianus de luxuria dicit: *Quid autem de proprio & pernicioſo carnis amore dicendum eſt, cum ipſa ex ſui natura ſpiritui inimica ſit? ſemper enim contraria ſuæ ſaluti concupiſcit. Si nutritur, impinguata & incraſſata recalcitrat, ſi inedia & laboribus atteritur, murmurat, ſi pretioſis induitur veſtibus extollitur; Blanditijs feræ manſueſcunt ſylveſtres, hæc autem protervior efficitur.* Merito igitur concupiſcentia noſtra carnalis quacumque fera ferocior & pernicioſior dici poteſt.

Rup. Abb. l. 8. in Gen. 35.

Caro fera peſſima.

Gen. 37. v. 20.

B. Laur. Juſt. de diſcipl. & perf. mon. Conu. c. 4.

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Sub alluſione ignis & proprietatum ipſius, varij vitij carnalis recenſentur effectus; quod inſtar flammæ omnes virtutes & bonorum operum merita devorat & conſumit.

### THEMA.

*Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*, Job. cap 31. verſ. 12.

1. S. Job de Carnis vitio differens, idipſum ignem vocat qui carnalem hominem conſumit & devorat: *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans*; Etenim inter hoc elementum & vitium iſtud multæ ſunt analogiæ & proportiones S. Hieronymus dicit: *Scintilla res parva eſt, & pene dum cernitur non videtur, ſed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta ſui, quamvis parvus ignis, mœnia, urbes, latiſſimos ſaltus regioneſque conſumit.*

Luxuria ignis conſumens.

S. Hieron. l. 3. ad Gal. c. 6.

2. P. Famianus Strada *in ſuis Proluſionibus Academicis lib. 2. Proluſ. 2.* refert, quod cum in urbe Nicoſienſi,

P. Fam. Strada l. 2. Prol. Acad. 2.



Unica ſcintilla accendit.

coſienſi, quæ totius Regni Cypri primaria & à Muſtafa expugnata civitas ſive Metropolis eſt, puella quædam unicam dumtaxat ignis ſcintillam in munitionem pulveris tormentarij immiſiſſet, univerſum quoque potentiſſimum illius exercitium igne conflagravit. Idem quoque de hoc carnalis concupiſcentiæ igne dici poteſt, unica tantum ſcintilla unicus obtutus impurus, unicum verbum, vel geſtus aliquis nonnumquam ad accedendum ignem quemdam inextinguibilem ſufficit, qui prodromus eſt ad infernum. Unica ſolum ſcintilla ad fomitem accendendum ſufficit, dum is ſatis fuerit diſpoſitus & ſiccus, *ita quoque*, inquit D. Chryſoſtomus, *voluptates ſi juventutem aggreſſæ fuerint, tum vere ignis cum igne miſcebitur, ſtipula cum fornace jungetur, colloquium mulieris*; ecce tibi favillam, *quaſi ignis exardeſcit*, ecce tibi flammam ſuccenſam; verba ſunt Eccleſiaſtici. Doctor Angelicus totum quaſi mundum ab hoc incendio ardere dicit, ſiquidem ubi vulgata noſtra in Epiſtola 1. Joannis legit: *Mundus totus in maligno poſitus eſt*; ipſe ad propoſitum noſtrum illa verba exponit dicens: *Id eſt, in malo igne poſitus eſt, ſcilicet libidinis & peccati, & maximè in igne triplici, ſcilicet luxuriæ, de qua Job 31. dicitur: Ignis eſt uſque ad conſummationem devorans.*

D. Chryſ. de S. Tecla.

Eccl. 9. v. 11.

S. Thom. ib.

1. Joan. 5. v. 19.

Job. 31. v. 12.

3. Etymologia vitij luxuriæ ſuam ab igne originem deducit, quia *luxuria* idem ſignificare videtur, quod *lux urens*. S. Auguſtinus rationem reddere volens, cur mundus in fine ſæculorum potius ab igne deſolandus & conſumendus ſit, quam ab aliqua alia creatura, ideo id futurum eſſe dicit, quia in carnalis concupiſcentiæ flammis continuò exarſit: *Mundus totus in igne poſitus eſt*, conveniens igitur erat ut ſuppliciũ huic igni correſponderet per ejuſdem elementi incendium: *Significatum eſt in fine ſæculi per ignem judicandos eſſe carnales.*

Luxurians mundus igne conſumetur.

S. Auguſt. l. 16. de civit. c. 24.

Juxta 1. Joan. 5. v. 19.

4. Thomas Cantipratenſis de carnali quodam & laſcivo viro refert, quod dum per viride pratum quoddam deambularet, omne gramen ſeu herba, quam pedibus ſuis attingebat, exiccata & arefacta mox fuerit. *Invenit veſtigia præeuntis in gramine quaſi igne contacta manifeſtiſſime palluiſſe.* Idem quoque in eodem capite ſibi à perſona quadam, quæ hujus rei oculatus & fidelis teſtis eſt, relatum fuiſſe ſubjungit, *ſe vidiſſe locum in gramine, ubi de veſpere quidam Clerici hoc vitio infecti conſederant, de mane omnibus circum locis abundantiſſimo rore infuſis, ſine ullo rore, quaſi ſceleris conſcium, ſicciſſimum remanſiſſe.*

Thom. Cantipr. l. 2. Apum. c. 30. n. 10. NB.

5. Ingenioſus eſt ille Clementis Romani conceptus, per quem rationem reddit, cur increata & incarnata Dei Sapientia, de qua verè dici debet: *Omnia in ſapientia feciſti* Sacroſanctum Baptiſmatis lavacrum potius in elemento aquæ inſtituerit, quam in alia quapiam materia; Dicit enim ideo id factum eſſe: *Ut in aqua regenerati, ignem vetuſtæ nativitatis extinguerent; Prima enim noſtra nativitas per ignem concupiſcentiæ deſcendit, & ideo diſpenſatione divina, ſecunda hæc per aquam introducitur, ut reſtinguat ignis naturam; porro de quolibet homine dici poteſt, Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*; Solus Dei Filius per naturam, & ſanctiſſima ejus mater per gratiam fuerunt ab hoc fomite immunes & exempti, cæterorum nullus eſt quin ab hoc igne aliquo modo vel non arſerit, vel non calefactus, vel ad minus fumigatus aut uſtulatus non fuerit. Seneca inquit: *Nullum ſine igne fulmen venit, ſed hoc propriè igneum dicimus, quod manifeſta ardoris veſtigia imprimit, quod aut urit, aut infuſcat.* Idem quoque huic carnalis concupiſcentiæ igni adaptare poſſumus; vel enim hic viſcera noſtra depaſcit & conſumit; vel inflammat, vel infuſcat.

Clem. Rom. l. 9. Recogn.

Baptiſmus ad extinguendum luxuriæ ignem à quo liber nemo niſi Jeſus per naturam, Maria per gratiam.

Pſ. 18. v. 7.

Senec. l. q. natur. c. 40.

6. S. Thomas de Villa nova laſcivum hominem per Salamandram præfigurari dicit, quam Scriptores in igne nutriri & vivere aſſerunt: *Totus à peſtifero illo igne devoratus eſt*, inquit de laſcivo, *nec ullum quidquam præter flammas cogitare permittit, in igne ſolum veluti Salamandra nutritur.* In libro Job ſcribitur: *Aſpergatur in tabernaculo ejus ſulphur*; Quænam verò, dicet aliquis, eſt hæc ceremonia, qua hominis carnalibus voluptatibus dediti habitatio ſulphure, quod fœtet, perfumari jubetur. Myſterium hujuſce juſſionis pulchrè nobis explicat S. Gregorius, dum ait: *Sulphur quid aliud, quam fomentum ignis eſt? quod tamen ſic ignem nutrit, ut fœtorem graviſſimum exhalet; quid itaque in ſulphure niſi peccatum carnis accipimus? quod dum perverſis cogitationibus, quaſi quibuſdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat.*

S. Thom. de Villa nova Conc. 2. de S. Ildeph.

Job. 18. v. 15.

S. Greg. l. 14. mor. c. 10.



7. Origenes ut quantam hæc flamma, hocque concupiſcentiæ incendium in corpora noſtra Tyrannidem exerceat, clarius demonſtret, conſiderationem quamdam valde efficacem adducit; ad id namque quod Loth accidiſſe legitur ſe reflectit, qui poſtquam ſulphureum Sodomæ ignem evaſiſſet, tandem in ſulphure longè fœtidiori, id eſt, in funeſto illo cum proprijs filiabus commiſſo inceſtu exarſit & conflagravit, unde dicit præfatus Origenes: *Uritur ille flammis mulierum, quem ſulphurea flamma non uſſit.* Sanct. Auguſtinus illum Sapientis textum adducit, in quo dicitur: *Numquid abſcondere poteſt homo ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? ... Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui*, quaſi dicere Sapiens vellet, quod ſicut veſtes illius, qui ignem in ſinu ſuo defert, irreparabiliter comburuntur, eodem modo is qui converſatur ſæpe cum muliere aliena, impudicitiæ & libidinis igne infallibiliter ardere incipiet. Idem quoque Sanctus Doctor urbem Carthaginenſem appellat *ſartaginem flagitioſorum amorum*, quaſi dicere vellet, ſicut in ſartagine igne mediante cibi coquuntur, ſic quoque civitas Carthaginenſis pro majori ſui parte igne luxuriæ velut in ſartagine poſita frigebatur. *In proprio adipe*, inquit S. Cyprianus; *frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur.*

Orig. l. 5. in Gen.

Loth Sulphurea non uſſit flamma, libidinis tamen.

S. Aug. ſer. 249. de temp.

Prov. 6. v. 27.

Ibid. v. 29.

S. Aug. l. 3. Conf. c. 1.

S. Cyprian. de Aſcenſ.

8. Salvianus de Africa, quæ uſque ad fauces luxuriæ cœno immerſa erat, differens, ita ſcribit: *Quis neſcit Africam totam obſcœnis libidinum tædis ſemper arſiſſe? non ut terram ac ſedem hominum, ſed ut Æthnam putes impudicarum fuiſſe flammarum.* Illis quoque ſæculis, in quibus *omnis caro corruperat viam ſuam*, totus mundus ampla quædam & immenſa factus eſt fornax hujus ignis; ſed quonam modo divina juſtitia ad hunc ignem extinguendum uſa fuit? Nimirum ad illum extinguendum opus fuit, ut apertis cælorum catharactis univerſale quoddam è cælis demitteretur diluvium aquarum, quæ ad tantam uſque altitudinem excreverunt, ut quadraginta cubitis altiſſimorum montium vertices excederent. S. Franciſcus ſe ab hac impudica flamma invitum licet incaleſcere ſentiens, ad illam ſupprimendam opportuno remedio uſus eſt nivium, in quibus ſe eo uſque volutavit, donec ignem iſtum in corpore ſuo deferbuiſſe & extinctum eſſe ſentiret. S. Bernardus quoque eo fine aquas gelidas ingreſſus fuit.

Salvian. l. 7. de Provid.

Gen. 6. v. 12.

Ad extinguendum hunc ignem diluvium miſſum.

SS. exempla.

9. Porrò ut quis hujus elementi calorem non ſentiat, nullum eſt certius remedium, quam ab eo procul recedere, cum impoſſibile ſit, ut quis non ardeat & comburatur qui ignem attrectat; Eodem modo ut quis ab hoc libidinis peccato ſe expediat, nullum eſt potentius aut ſecurius remedium, quam ſi quis à lubrico fœmineo ſexu procul recedat, eumque pro viribus evitet. Hugo Cardinalis ſuper præcitata proverbiorum verba: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem, &c.* ita ſcribit: *Ignem in ſinu abſcondit, qui mulieri libenter loquitur; ſuper prunas habitat, qui affectus ſuos in ſpeciem mulieris figit.*

Optimum remedium, fuga.

Prov. 6. v. 27.

Hug. Card.

10. S. Antiochus lucernæ ſimilitudinem adducit, dum ita ſcribit: *Quemadmodum ſplendorem lucernæ alit oleum, ſic & colloquium mulieris ignem reaccendit voluptatis. Utique ſcintilla diutius ſi immoretur adhærens paleis, erumpit in flammam, ſic memoria cujuſpiam mulierculæ, ſi vel tantillum duret, incendium excitat concupiſcentiæ.* S. Hieronymus ad Oceanum, quoad vitam clericalem honeſtè tranſigendam, & præcipue quoad huic ſtatui annexam continentiam ſalutaria monita tranſmiſit, inter cætera vero ita ſcribit: *Nocivum genus eſt fœmina, cum proximat, ſtipula incendit ignem, flammigero igne percutit fœmina conſcientiam pariter habitantis.* Ideo Eccleſiaſticus monet dicens: *In medio mulierum noli commorari.* Hugo Cardinalis rationem reddit, cur mulieres inſtar ignis fugiendæ ſint, dicens: *Noli commorari niſi velis comburi, ſpecies enim mulierum, & eloquium, & geſtus, & ornatus, & quidquid in ea, flamma eſt ignis.*

S. Antioch. Hom. 17.

S. Hieron. ad Ocean.

Eccl. 42. v. 12.

Hug. Card.

11. Didacus Stella hoc vitium haud ſecus ac ignem inferni deteſtatur, dum ait: *Eſt quidam ignis infernalis, cujus gula eſt materia, turpitudo flamma, immunditia cinis, infamia fumus, tormentum finis.* Salvianus de nefando Pentapolitano populo deſoluto, & igne & ſulphure cælitus delapſo incinerato differens ait: *Dia profectò flagitioſiſſimus ille populus Sodomæ ignem illum accenderat, quo periit, & ideo completis iniquitatibus ſuis arſit flammis criminum ſuorum, tam malè enim de Deo meruit, ut gehennam, quæ in futuro judicio datur, etiam in hoc ſæculo ſuſtineret.*

Did. Stella in c. 15. Luc.

Libido ignis infernalis.

Salvian. l. 4. de Provid.

S. Anton. de Padua Dom. 4. poſt Paſcha.
Laſcivus olla bulliens.
S. Nilus de octo vitæ affect.

12. S. Antonius de Padua hominem carnalem, laſcivijs immerſum ollæ bullienti ſimilem eſſe dicit: *Faciunt ſicut olla poſita ſuper ignem, quæ ſpumam emittit. Olla, eſt cor peccatoris, in quo eſt aqua concupiſcentiæ carnalis, cui ſupponitur ignis diabolicæ ſuggeſtionis, & ſic deſpumat luxuriam ſuæ confuſionis.* S. Nilus facilius eſſe dicit ab igne ſe ſubducere, quam à voluptatibus declinare, cujus in *Orat.* 2. *de luxuria* efficacem rationem adducit, dum ita ſcribit: *Ad ignem potius ardentem, quam ad mulierem appropinqua, nam ſi ad ignem acceſſeris, dolore affectus celeriter reſilies, at ſi fœminæ verbis incenſus fueris, haud ita facile recedes;* Fœmina enim ignis quidam eſt, à quo libenter incaleſcimus, tametſi anima inde conſumatur & ardeat. *Ad has prunas*, inquit Hugo Cardinalis, *multi ſe calefaciunt.*

NB. Hug. Card. ibid.
Iſai. 50. v. 11.

13. Apud Iſaiam dicitur: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis.* Quot ſunt qui inſtar puerorum per medias obſcænorum amorum ſuorum flammas deambulant, gaudent, & deliciantur? At vero Sanctum Ambroſium de luxuria differentem velim audiamus, qui dicit: *Tranſiliamus ergo eam, ne nobis dicatur: Ambulate in igne flammæ veſtræ, quam accendiſtis; quoniam ſicut ille qui alligat ignem in ſinu, veſtimenta comburet, ſic qui ambulat per ignem, pedes comburat neceſſe eſt, quoniam ſcriptum eſt: Ambulabit quis ſuper carbones ignis, pedes autem non comburet? Gravis ignis eſt, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ, paſcitur libido convivijs, nutritur divitijs, vino accenditur, ebrietate flammatur.*

S. Ambr. l. 1. de Pœnit.
Nutrimenta libidinis.

14. B. Petrus Damianus de nonnullis, quibus in venuſtiſſimo ætatis flore in venis bullierat ſanguis, differens, ita ſcribit: *Fervent, fervent in oſſibus bella, & tamquam vagus Veſuvius, vel Æthna, vaporati corporis veſtri caminus flammarum globos eructat.* Quæ verba unicuique carnali homini adaptare poſſumus, qui in medijs obſcœni amoris ſui flammis poſitus, ludit, jocatur, & gaudet. Veré de his dici poteſt illud Micheæ 1. v. 9. *Deſperata eſt plaga ejus.* Et Jerem. 30. v. 12. *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua.* Corporis vulnera propter effluentem ſaniem, propter putredinem, & contagionis pericula exhorreſcimus; at vero hic ignis qui animam noſtram devorat & conſumit, amatur; quæritur, ſuſpiratur, in ſinu adſtringitur, atque ideo ejus plaga incurabilis exiſtit.

B. Petr. Dam. opuſc. 13. de perf. Monic. 1.
Mich. 1. v. 9.
Jer. 30. v. 12.
Libidinis ignis amatur.

15. Sanctus Auguſtinus qui uſque ad trigeſimum tertium ætatis ſuæ annum inſtar Salamandræ in medio hujus pernitioſi ignis vixit, ſuper Pſal. 57. ita ſcribit: *Concupiſcentia mala quaſi ardor eſt ignis, ignis conſumit veſtem, libido adulterij non conſumit animam? De cogitatu adulterij cum loqueretur Scriptura, ait: Alligabit quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ſua non comburet? Geſtis in ſinu prunas, perforatur tunica, geſtas in corde adulterium, & integra eſt anima?*

S. Auguſt. in Pſalm. 57.
Hic ignis animam conſumit.
Et omnes virtutes.

16. Experientia docet, quod quiſquam ad ignem proximè accedit, ab illo conſumatur ac devoretur. Sanctus Thomas de Villa nova, verba illa: *Omnia eradicans genimina*, declarans ait; *Nihil in homine quem poſſidet; ignis hic relinquit inuſtum, etſi fuerit quiſpiam in juventute ſua omnium virtutum decore præfulgidus, & veluti Paradiſus Dei, vernantibus undique & fragrantibus gratiarum lilijs dealbetur, ſi ſemel intima ejus hic penetraverit rogus, totum funditus erit, totum abſumit, totum redigit in favillam, ex amœno Paradiſo in deſertum horridum, & ex Angelo reducit in belluam.* Sanct. Bernardus hic eſt audiendus, qui dicit: *Omnes animæ virtutes corrumpit.* Sanct. Gregorius in Jobum commentans, eamdem à S. Thoma à Villa nova adductam tradit expoſitionem: *Omnia eradicans genimina*, ita ſcribit: *Quia nimirum reatus hujus facinoris non ſolum uſque ad inquinationem maculat, ſed uſque ad perditionem vorat, & quia quamvis alia fuerint opera bona, ſi luxuriæ ſcelus non abluitur, immenſitate hujus criminis obruuntur.* Oblitusne es ejus, quod filio prodigo accidit: *Poſtquam omnia conſumpſiſſet, facta eſt fames &c.* id eſt, ut S. Ambroſius ait: *Fames non epularum, ſed bonorum operum atque virtutum.* S. Antonius de Padua de eodem inquit: *Dicitur quod iſte diſſipavit bona ſua. O quot cum iſtis mulieribus bona ſua diſſipant & conſumunt.*

Job. 31. v. 12.
S. Thom de Villa nova.
Ibid.
S. Bern. de interna Domo. c. 29.
S. Greg. l. 2. mor. c. 9.
Luc. 15. v. 14.
S. Ambr. l. 7. in Luc. c. 15.
S. Ant. de Pad. Sabb. poſt Dom. 2. Quadr.

17. Et quidem parum futurum eſſet, ſi bona tantum diſſiparentur temporalia, at vero quod peſſimum eſt, omnia bonorum operum merita dilapidantur, amittuntur dona, virtutes, & gratia, & quidquid in vita ſua boni fecerunt miſeré prodigitur. Hugo Cardinalis verba illa: *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe*, ita explicat, ut ſenſus ſit; *ratione, memoria & ingenio, cæteriſque naturæ dotibus ſibi traditis abuſus eſt. Quanto pernitioſior cæteris ſit luxuria*, inquit Villanovanus, *ex hoc poteris comprehendere, quia nullum ſecum commorari bonum, nullam ſecum compatitur adeſſe virtutem. Dedit ærugini fructus eorum*, inquit Pſalmiſta; Quænam veró eſt hæc ærugo, quæ totam meſſem & omnes ejus fructus devorat? Sanct. Hieronymus ait: *Ærugo libido eſt, hæc omnia bona diſperdit, omnia eradicans genimina: O luxuria peſſima virtutum deſtructio.* Lamentatur Sanctus Auguſtinus, *Charitatis diminutio! ſi luxuriari volueritis, numquam charitatem habere poteritis; charitas enim eſt virtus, quæ conſummatio & perfectio aliarum virtutum dicitur, ſic & luxuria deſtructio, nam nulla virtus, nulla bonitas, nulla ſapientia cum luxuria ſtare poteſt, nulla juſtitia; ſed omnis perverſitas in ea regnat.*

Cum luxuria nulla virtus.
Hug. ibid.
S. Thom. à Villa nov. Ibid.
Pſal. 77. v. 46.
S. Hieron. ib.
S. Aug. ſer. 47. ad Frat.

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Vitium carnis à Deo nos ſeparat, ejuſque notitia & lumine, nec non omni vero ſpiritu & devotione nos privat.

### THEMA.

*Dixit Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum quia caro eſt*, Gen. cap. 6. v. 3.

Gen. 1. v. 31.
Carnis vitio Deus amittitur.

1. CReator noſter, ut ſacer Chroniſta ſcribit: *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona;* Et quidem tametſi poſt productum ex nihilo univerſum, præcipue vero Microcoſmum, id eſt, parvum hominis mundum, cunctas quas à ſapientiſſima & potentiſſima illius dextera emanarant, creaturas approbarit, in ijſque miré ſibi complacuerit, nihilominus pauló poſt ipſum dixiſſe legimus: *Pœnitet me feciſſe, ... Non permanebit ſpiritus meus in homine*, cujus rationem mox reddit ſequentibus verbis, dum ſubjungit: *Quia caro eſt.* Jam enim homo ſe delicijs & voluptatibus carnalibus immerſerat, ac proinde ab eo qui puriſſimus ſpiritus eſt, derelinqui merebatur. Porro ſicut anima vitam corpori præſtat, ita quoque ſpiritus & gratia divina animam vivificat, & tamen hic ſpiritus per peccatum carnis amittitur. *Vita carnis tuæ anima eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus, *vita animæ tuæ Deus eſt; quomodo moritur caro amiſſa anima, ſic moritur anima amiſſo Deo, qui eſt vita ejus;* hæc autem vita & hic ſpiritus (*ſpiritus eſt qui vivificat*) amittitur per vitium carnis; *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Sanctus Ambroſius ait: *Non permanebit, inquit Deus, ſpiritus meus in hominibus, quia carnes ſunt; quo oſtendit Deus, quia carnali immunditia, graviora labe peccati, gratia ſpiritualis avertitur.* Optimè hæc veritas conſonat cum illa à Paſchaſio Tyranno Sanctæ Luciæ facta comminatione, quæ cum proteſtata fuiſſet dicendo: *Caſte viventes templum ſunt Spiritus Sancti*, reſpondit ſacrilegus: *Jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus Sanctus deſerat.* Tritum eſt illud axioma Apoſtoli dicentis: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem;* Et ideò ſi in hoc conflictu caro prævaleat, conſequens eſt, ut ſpiritus in fugam mittatur, utpote qui cum hoc carnis vitio omnino eſt incompatibilis. Unde idem Apoſtolus ad Galathas ita ſcribit: *Sed quomodo tunc is qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc.* Ubi per Iſmaël caro figurabatur, per Iſaac ſpiritus, per Saram virtus, quam illa ſecum compati nequit. S. Thomas de Villa nova inquit: *Si quis illecebroſis turpitudinibus ſordidatur, in hunc ſpiritus Dei non intrat, quoniam puritatis amator eſt.* Pſalmiſta inquit: *Ignis accenſus eſt in Jacob, ... quia non crediderunt in Deo;* hic autem ignis carnalitas eſt; unde Hugo Cardinalis inquit: *Ignis peccati ſcilicet luxuriæ, de quo Job 31. Ignis eſt uſque ad conſumptionem devorans & omnia eradicans, quia ut dicit S. Gregorius, cum luxuria ſemel mentem invaſerit, nullum bonum cogitare permittit.*

Gen. 6. v. 6.
Ibid. v. 3.
S. Aug. T. 47. in Joan.
Joan. 6. v. 64.
S. Ambr. l. de init. c. 3.
Gal. 5. v. 17.
Gal. 4. v. 29.
S. Thom. de Villa nov. ſer. de Pentec.
Pſalm. 77. v. 21. 22.
Hug. Card.
Job. 31. v. 12.

2. Porrò ut conſtat populus Dei electus *Iſraël* vocabatur, quod idem eſt quod *videns Deum*, ac proinde *Iſraëlitæ*, quaſi *videntes Deum*: *Notus in Judæa Deus in Iſraël magnum nomen ejus:* Et tamen quis eſt qui neſciat, quantum per hoc peccatum à lumine & notitia Dei declinarint; ac proinde Iſaias in principio Prophetiæ ſuæ ſtupefactus cælum pariter

Pſ. 75. v. 2.
Libido Dei notitiam aufert.



S. Zeno l. 3. ſerm. 35.

& terram in unam ſecum admirationem invitabat. *Deus Judaicum populum*, inquit S. Zeno, *luxuriæ æſtu exuberante corruptum, publica increpatione confutat. cælum terramque teſtes citat, ut exaggeret crimen; filios appellat, ut abdicatos, exaltatos, ut ruina timeatur, ſpretores ſui, ut impios monſtret.* S. Cyrillus Iſraelitas in Ægypto ad ollas carnium ſedentes conſiderans, inquit: *Cum per multa tempora inter Ægyptios verſati eſſent Iſraëlitæ, & nullum eſſet peccati genus in quod lapſi non eſſent, cumque voluptatibus illi regioni proprijs oblectarentur, non ignorabat Moyſes, ſegniores ea de cauſa factos eſſe.* S. Bernardinus qui, utpote doni virginitatis inſignis cultor, vitium huic virtuti contrarium ſummè deteſtabatur, ita ſcribit: *Per luxuriam homo impeditur redire ad Deum; quia anima non poteſt redire & amare ſine cognitione, juxta illud Auguſtini: Inviſa diligere poſſumus, incognita nequaquam, ſed luxuria carnalis deſtruit cognitionem.* Ad eum fere modum quo nebula in aëre impedit claritatem ſolis: Sanct. Thomas de Villa nova in ſermone de Sancta Dorothea inquit: *Quis conſenſus Spiritui Dei cum libidine? aut quæ convenientia ſapientiæ ad illecebram? non immittet Deus pretioſiſſimum puriſſimumque ſpiritus ſui liquorem in vas inquinatum: Atras nubes radius ſolaris non penetrat.*

S. Cyrill. Alex. l. 2. de adorat.
S. Bernard. T. 4. ſer. 41. de Luxur.
S. Thom. à Villa nova de S. Dorothea.

3. Obſervanda eſt hoc loco ad propoſitum noſtrum parabola illa nuptiarum, quibus illi aſſiſtere renuerunt, qui amore & affectu ſuo terrenarum rerum fruitione & gaudijs immerſi erant: *Illi autem neglexerunt*: Illi enim revera cæleſte manna nauſeant, qui ſtomachum ſuum farina Ægyptiaca plenum habent, quique recordantur jugiter ſe aliquando ſediſſe *ſuper ollas carnium.* Albertus Magnus ait: *Neglexerunt; non curantes epulas ſpirituales delicijs carnis reſoluti.*

Libidinoſi nauſeant Cæleſtia.
Matth. 22. v. 5.
Alb. Magn. ibid.

4. Ponderari quoque meretur, quod ſemini illius prati, quod inter ſpinas ſuffocatum interijt, accidiſſe in Evangelio refertur: *Semen eſt verbum Dei.* Devotio enim, ſpiritus, pietas, & timor Dei inter carnis voluptates & delectationes plane amittuntur: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui ... à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Porro ſimilitudo quæ ſpinas inter & carnis voluptates verſatur in hoc dici poteſt conſiſtere; ſpinæ enim meliorem, magiſq; ſubſtantioſum terræ humorem imbibunt, ſterilemque & infœcundum bono ſemini relinquunt; ita pariter voluptates carnis intellectum, affectum, aliaſque animæ potentias adeo abſorbent, ſibique attrahunt, ut pro applicatione ſui ad res divinas omnino ſteriles remaneant; naturam noſtram corruptam ad voluptates totaliter inclinant, ideoque à corporis maceratione, à jejunijs, diſciplinis, oratione, ſolitudine, alijſque pietatis exercitijs horrorem & averſationem concipiunt, omniaque bona propoſita deſerunt; unde ſequitur, quod ut S. Philippus Nerius dicebat, quantum amoris creaturæ quam amamus, tribuitur, tantumdem poſtea Creatori ſubtrahatur.

Luc. 8. v. 11.
Luc. 8. v. 14.

5. Sanctus Iſidorus ſtultitiam cujuſdam hominis redarguit, qui Deum rogabat dicendo: *Confige timore tuo carnes meas;* idque eo tempore quo ad indulgendum corpori ſuo omnem laſciviam eſt proclivis. *Quæ eſt hæc amentia, quod cùm carnem tuam crapula, & aſſidua ebrietate pinguefacias ac ſagines, ignemque igni addas, & nullam non voluptatis viam novam rimeris, & libidinem ſopitam quoque excites, & inſtiges ultro, tamen in precibus dicere auſis: Confige timore tuo carnes meas? Nam ei quidem qui jejunijs & humicubationibus, & per vigilias carnem ſuam tabefacit: & ſpiritus habenis obſequentem ipſam exhibet, aptiſſima convenientiſſimaque eſt hæc precatio; qui vero id, quod tu, facit, ita parat & aſſuefacit carnem, ut luxuria exultet, quique luxurioſas commeſſationes & temulentiam perpetuo affectatur, unde voluptates ebulliunt, ei non modo non convenit iſta precatio, verum etiam ludibrij, imo plena periculi eſt.*

S. Iſid. Peluſ. l. 4. Epiſt. 4.
Pſalm. 118. v. 120.

6. *Qui autem in carne ſunt*, inquit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos, *Deo placere non poſſunt:* ubi Theophylactus ait: *Affectus carnis mors; affectus ſpiritus vita; affectus carnis inimicitia eſt ad Deum.* Notandum vero Apoſtolum in hiſce verbis non loqui de corpore & de carne, qua ſumus veſtiti, ſed de vita carnali quam ducimus: *Non ſubſtantiam carnis, ſed craſſam & carnalem vitam; & quæ totum hominem carnem efficit, ſic nominat; Deus hoc ſenſu in Veteri Teſtamento inquit: Non permanebit Spiritus meus in his, quia caro ſunt.* S. Bernardinus de luxurioſo inquit, ipſum nequaquam dicere poſſe: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo*, idque per hoc quod quotidie practicatur oſtendit; *Elevetur corpus Chriſti in Eccleſia, & ſit ibi amaſia luxurioſi, potius reſpicit ibi amaſiam, quam Corpus Chriſti pretioſum; ſimiliter ſi prædicet Prædicator, & ſit ibi amans & amata, nihil boni quæ de Paradiſi delicijs dicuntur, audietur ab eis.*

Rom. 8. v. 8.
Theophylact.
Libidinoſi Deo placere non poſſunt.
S. Bern. T. 4. ſerm. 21.
Pſalm. 118. v. 103.
NB.

7. De Præcurſore Chriſtus loquens dicit, quod ſit *Vox clamantis in deſerto;* at vero cur hæc ſonora Spiritus Sancti tuba, quæ prædicatione ſua aſpides ſurdas in cæleſtes transmutabat Angelos, cur inquam non potius in ampliſſima Jeroſolymorum civitate reſonabat, ubi ingens erat populi verbo divino extreme indigentis multitudo? Scitiſne cur id factum fuerit. Si Jeroſolymis prædicaſſet, utique velut in deſerto quodam prædicaturus, laborque ejus inutilis & infructuoſus futurus fuiſſet, quia

*Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Rex autem Herodes inceſtuoſæ Herodiadi omninò deditus erat, & ideo vitium carnis in ea civitate adeo pervulgatum & ſolemne erat, ut etiam nobiliſſimæ mulieres hoc ſe vitio commaculare & famoſæ meretrices fieri non erubeſcerent, prout videre licet in nobiliſſima illa Magdalena, quæ licet diverſorum caſtellorum Domina eſſet, tamen erat publica & famoſa *in civitate peccatrix*, ubi autem hoc vitium invaluit omnis ibi affectus, omne deſiderium, omniſque animi applicatio ita abſorbetur, ut nec Dei, nec animæ, ſed ſolius libidinis explendæ habeatur ratio: *Quod autē in ſpinas cecidit: hi ſunt; qui ... nō referūt fructū.*

Matth. 3. v. 3.
Jeroſolymis commune carnis vitium.
Luc. 7. v. 37.
Luc. 8. v. 14.

8. Theophylactus ſuper illa verba Apoſtoli ad Epheſios: *In deſiderijs carnis noſtræ facientes voluntatem carnis & cogitationum*, ita ſcribit: *Porro quod carnem non accuſet plane oſtendit; cum enim dixiſſet: facientes voluntates carnis, ſubjungit: Et cogitationum, hoc eſt, nihil ſpirituale ſentientes.* Quiſquis enim carnis vitio deditus eſſe incipit, ſimul & ſemel ſpiritui renunciat: *Carnalis homo*, inquit Sanctus Joannes Damaſcenus, *mentem ad contemplationem minimè excitatam habens, vel potius etiam in carnis affectu tamquam in carne defoſſam gerens, ſpirituale veritatis lumen proſpicere nequit.* Sicut enim ſpinæ radios ſolis, aërem, rorem, aliaſque ſalutares & benignas cæli influentias impediunt, ne ſemen in agro fœcundetur, eodem modo voluptates & deliciæ carnales animam & cor hominis carnalis impediunt, ne gratiæ dona, conſolationes ſpirituales, devotio, tamquam ros quidam cæleſtis penetrare valeat. Unde Beatus Laurentius Juſtinianus dicit: *Ipſæ quoq; voluptates animæ impediunt ſalutem, oblivionem Dei inducunt, à ſapientia mentem retrahunt, ſterilitatem bonorum operum inferunt, auferunt animi virilitatem, hominem impatientem faciunt, & ſpiritualibus delicijs cor privant.*

Theophyl. Epheſ. 2. v. 3.
Omni devotione privat libido.
S. Joan. Damaſc. paral. l. 3. c. 66.
B. Laur. Juſtin. l. de lig. vit.

9. D. Chryſoſtomus ad illud Apoſtoli Theſſalonicenſibus transſcriptum monitum ſe reflectens, in quo dicit: *Spiritum nolite extinguere*, hæc verba habet: *Quoniam nox eſt, & in hac nocte ambulamus, dedit nobis Deus præclaram lampadem, ut qui Spiritus Sancti gratiam in animis noſtris accenderet, ſed hanc lucem alij quidem acceptam, ſplendidiorem fecerunt, lætam & hilarem, uti Petrus & Paulus, & omnes illi Sancti; alij etiam extinxerunt, ut ille qui Corinthi eſt ſcortatus. Propterea dicit Paulus: Spiritum nolite extinguere, hoc eſt, gratiam, ita enim mos eſt ei vocare gratiam ſpiritus, eam autem extinguit vita immunda.*

D. Chryſ. Hom. 11. in 1. ad Theſſ. c. 5.
1. Theſſ. 5. v. 19.
Spiritum S. extinguit.

10. S. Thomas de Villa nova Deum parcum & avarum eſſe obſervat in donis ſuis erogandis ijs, qui voluptati etiam licitæ vacant, quales ſunt conjugati; citatque authoritatem S. Hieronymi dicentis: *Prophetas Domini conjugatos tempore conjugalis amplexus Spiritus Domini non tangebant, non quia vitæ ibi aderat culpa, ſed quia ſpirituali non congruit ſplendori carnis obſcæna voluptas.* Quoties impudica illa mulier Dalila ex Samſonis ore elicere tentavit, in quonam præcipuè ejus fortitudo conſiſteret, verumtamen ſæpius repulſam paſſa nihil obtinuit: At vero quando *dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, vocavit tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cæpit abigere eum & à ſe repellere;* & mox Philiſtæi accurrerunt, ut eum ligarent, dumque ſe priſtina præditum fortitudine credidit, ea ſe deſtitutum eſſe animadvertit, *neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus.* Porro capilli bona denotant deſideria, (præcipue capilli Nazaræorum, qui ſpeciali quodam ritu Deo conſecrati erant) hos autem capillos Dalila, id eſt, affectio carnalis reſcindit, quia omnem bonam cogitationem, orationem, meditationem, devo-

S. Thom. de Villan. ſer. 2. de S. Ildeph.
Dona ejus aufert.
Jud. 16. v. 19.
Ibid. v. 20.

devotionem, omnemque ad exercitia ſpiritualia applicationem ab homine tollit: *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore*; Carnalis enim homo omnem ſuum amorem, omnemque mentis applicationem, objecto quod diligit, immobiliter affigit. Unde Sanctus Iſidorus Peluſ. ad Zoſimum ita ſcribit: *Cum libido & corporis robur, & animi vires dejiciat, & adimat, eumque qui hoc vitio captus eſt, omnibus illudendum & irridendum proponat, quemadmodum excæcatus Samſon docet, eo quod tu voluntariam captivitatem accerſis, nec naturale robur illæſum atque integram ſervas, verum vitioſis affectionibus conficiendum te ultro præbes, & Deum qui in vita tua, ubi caput reclinet, non habet, mærore afficis, & nos qui pro tua ſalute vota facimus, oppugnas & injuriam tibi ipſi infers, dum ſalutaria medicamenta repudias?* Samſon in primis vitæ ſuæ crepundijs Spiritum Dei in poteſtate ſua habuit: *Cæpit Spiritus Domini eſſe cum eo; Irruit Spiritus Domini in Samſon*; Idque Spiritus Sanctus in pluribus locis ſæpius repetit, & tamen una muliercula ipſum tanta cum ignominia & damno ſuo hoc Spiritu privavit: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum quia caro eſt*: Unde per ſeptem hoſce capillos ſeptem quoque Spiritus Sancti dona intelligere poſſumus, quia una cum hoc Sanctiſſimo Spiritu omnis quoque alia ejus communicatio pariter amittitur.

*Gen. 6. v. 5.* — *S. Iſid. Peluſ. l. 1. Ep. 135.* — *Judic. 13. v. 25.* — *Judic. 14. v. 6.* — *Gen. 6. v. 3.*

11. Richardus de Sancto Victore dictum illud Sapientiæ: *Spiritus Sanctus ... auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu*, ponderans, ita diſcurrit: *Quid ſiet de his cogitationibus, quas admittere non poſſumus ſine turpi & illecebroſo affectu, ſi ab his ſe aufert Spiritus Sanctus, quæ ſunt ſine intellectu?* Sanctus Auguſtinus *de divortio animæ à Deo* differens, hac loquendi phraſi utitur: *Fornicatur anima cum avertitur à te*; quaſi per hunc loquendi modum dicere vellet, nullum peccatum eſſe inter omnia alia, quod fortius animam à Deo ſeparet & divellat, quam hoc fornicationis peccatum. Daniel de duobus illis libidinoſis ſenioribus populi judicibus, qui ſe ab affectu carnali turpiter ſeduci permiſerunt differens, ait: *Exarſerunt in concupiſcentiam ejus, & everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.* Carnales enim qui in hac vita voluptatibus indulgent, de nulla alia re quam de his cogitant, & ne quidem oculorum ſuorum palpebras ad cælum attollunt, deque fine ſuo nec quidquam ſoliciti exiſtunt.

*Sap. 1. v. 5.* — *Rich. de S. Vict. in Pſ. 2.* — *S. Auguſt. l. 3. Conf. c. 6.* — *Dan. 13. v. 8. 9.* — Luxurioſi de ſolis voluptatibus cogitant.

12. In Cantico Deboræ Angelus Domini ſuper Meroz maledictionem imprecatus fuiſſe legitur: *Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini.* Rabanus hæc verba in ſenſu morali exponens, ad propoſitum noſtrum ita ſcribit: *Quid per terram Meroz intelligitur? Meroz enim aqua Sacramentorum interpretatur. Ipſi non venerant ad auxilium Domini, in adjutorium fortiſſimorum ejus, quando Apoſtolis prædicantibus in toto orbe Evangelium credere nolebant, nec verbum Dei recipere conſentiebant, & ideo in voluptatibus ſuis corrupti & abominabiles facti ſunt.*

*Judic. 5. v. 23.* — *Raban. l. 1. in lib. Judic.*

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

De connexione quam carnis vitium habet cum Idololatria, quia potens eſt medium ad procurandum in nobis Apoſtaſiam à Fide.

### THEMA.

*Quomodo facta eſt meretrix Civitas fidelis?* Iſa. cap. 1. v. 21.

1. PRopheta Evangelicus Jeroſolymam de Idololatria redarguere volens, eamdem meretricem appellat, uſitata namque in multis Scripturæ locis phraſis eſt quod infidelitatem & cultum Idolorum ſub hoc infami nomine deſcribat. In Apocal. c. 17. celebris eſt illa viſio, in qua inter cætera dicitur: *Oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*; per hanc vero meretricem Babyloniam intelligi paulo poſt declarat, dum ait: *Babylon magna mater fornicationum*; Per hanc autem Babyloniam Roma intelligebatur, quæ tunc totius mundi & omnis Idololatriæ caput erat, de qua S. Leo ait: *Cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.* At vero quodnam in eo latet myſterium, quod Idololatria infami hoc meretricis nomine indigitetur? Quænam inter falſorum numinum cultum & voluptates carnales reperitur proportio? Adæquatam ad hoc quæſitum reſponſionem eſſe exiſtimo, ſi ideo hoc ei turpe nomen inuri dicatur, quia vitium hoc nos ad dorſum Deo obvertendum, & ad creaturam loco Creatoris adorandam inducit.

*Apoc. 17. v. 1.* — *Ibid. v. 5.* — S. Leo ſer. 1. *in Nat. Apoſt. Petri & Pauli.*

2. S. Antonius de Padua dicit: *Debemus fugere fornicationem, quia dicit Dominus in Pſ. 80. Si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Deus alienus hominem à Deo alienans eſt luxuria* adducitque illud ex lib. Numer. c. 25. exemplum, quando ſcilicet populus Iſraëliticus cum mulieribus Moabiticis & Madianitis fornicatus, earum quoque Deos pariter adorare cœpit. Apud Oſeam Deus de populo ſuo propter ejus Idololatriam graviter conqueritur, hocque ejus lamentum his verbis deſcribitur: *Filij fornicationum ſunt quia fornicata eſt mater eorum ... dixit: Vadam poſt amatores meos*, Quæ verba Rupertus hac Gloſſa illuſtrat: *Amatores Dæmones, quos in idolis colit humani generis inimicos, ſtultiſſimo errore vocans amatores ſuos, me contemnens verum Deum.*

*S. Anton. de Padua in Dom. poſt Paſch.* — *Pſ. 80. v. 10.* — Libido Idololatriam cauſat. — *Oſe. 2. v. 4.* — *Ibid. v. 5.* — *Rupp. Abb. l. 1. in Oſe.*

3. S. Joannes Damaſcenus de Monacho quodam refert, quod dum à carnali concupiſcentia ſeductus die quodam per quemdam Ægypti vicum deambulando quamdam ſacrificuli cujuſdam Idololatræ filiam aſpexiſſet, ejus amore protinus captus, eam ſibi in ſponſam dari poſtulavit qui ſe hac de re prius Deum ſuum conſulere velle reſpondit; qui demum conſultus, an monachi hujus deſiderio conſentiendum eſſet, *Dæmon* è falſo ſimulachro *reſpondens dixit: Per me tibi licet, hac tamen lege, ut Deum ſuum ac Baptiſmum ac monaſticam profeſſionem abjuret*: cumq; ad infelicem hunc hominem reſponſo accepto rediret, reſponſi ſeriem eidem per ordinem recenſuit; Monachus autem propoſitis ſibi conditionibus acquieſcens à Deo, Religione & fide apoſtatavit, *& protinus columbam ex ipſius ore excedentem, atque in cælum evolantem vidit.*

*S. Joan. Damaſc. l. 3. paral. c. 28.* — Apoſtaſiam.

4. S. Macharius de Chriſtiano quodam refert, qui cum pro fidei orthodoxæ confeſſione in plurium atrociſſimorum ſuppliciorum carnificina conſtans permanſiſſet, tandem ad carcerem reductus, cum ei mulier quædam in cuſtodiam & vulnerum ſuorum curationem aſſignata fuiſſet, ejus blanditijs & verborum lenocinijs reſiſtere non valens, tandem in profundum fœdæ laſciviæ & idololatriæ barathrum infeliciter incidit. Audiamus, obſecro, quidnam S. Ambroſius in hujus vitij deteſtationem ſcribat: *Ut plurimos*, inquit, *à martyrij conſummatione ſæpe revocavit? Denique ſæpe cognovimus; quoniam quem formidoloſa carnificum pompa non terruit, nec diviſi lateris ſulcus infregit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis vigore abducere non potuerit, eum inter ſacra jam præmia conſtitutum, uxor teneræ ſobolis oblatione, miſerabilis unius lachrymæ miſeratione decepit.*

Hiſtoria. — *S. Ambr. in Pſ. 118.*

5. Antiochus populum Judaicum ad Paganiſmum ſeducere, atque ad apoſtatandum à veri Dei religione inclinare volens, hunc modum adinvenit: *Miſit ſenem quemdam Antiochenum, qui compelleret Judæos, ut ſe transferrent a patrijs & Dei legibus, contaminare etiam quod in Jeroſolymis erat templum, & cognominare Jovis Olympi*; at vero obſerveris velim, quid inſuper adjunxerit: *Templum luxuria & commeſſationibus gentium erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus, ſacratisque ædibus mulieres ſe ultro ingerebant.* Et ideo ſententia eſt S. Ambroſij dicentis: *Ubi cæperit quis luxuriari, incipit deviare à vera fide.* Jeremias de oblationibus, quas ſacrilegi homines falſis ſuis numinibus litare ſolebant, differens inquit: *Mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cæli & libent Dijs alienis, & me ad iracundiam provocent*; ecce tibi quam verum ſit, quod lubricus hic ſexus præcipuum ſit Idololatriæ introducendæ inſtrumentum. Unde S. Epiphanius ait: *Quamobrem hujus ſectæ mulieres illud demum offerendum fortunæ poculum inſtaurant, ac Dæmoni non Deo menſam inſtruunt, uti ſcriptum eſt, ac cibis impijs veſcuntur, id quod ſacræ literæ teſtantur Jerem. 7. v. 15. Mulieres ſubigunt farinam, & filij colligunt ligna, ut faciant placentas militiæ cæli.*

Incipientes luxuriari, à fide deviare incipiunt. — *2. Mach. 6. v. 1.* — *Ibid. v. 2.* — *Ibid. v. 4.* — *S. Ambr. Ep. 40. v. 2.* — *Jer. 7. v. 18.* — *Epiph. T. 2. l. 3. adv. Hær.*

6. S. Thomas de Villa nova de libidinoſo quodam differens inquit: *Libidinoſus utique abſorptus eſt in libidinem, neque Deum, neque Sanctos reveretur & diligit.* S. Bernard. de S. Chryſantho martyre Polemij Alexandrini nobiliſſimi viri filio, in hac alma urbe magnoperè æſtimato juvene, egregium quoddam facinus

*S. Thom. de Villa nova de S. Ildephonſo.* — *S. Bernard. T. 4. ſer. 21.* — Exemplum.



facinus refert; Hic enim Chriſtianus factus, fidem Chriſti publicè annuntiabat, quod cum in Patris ſui notitiam deveniſſet, hic timens ne ob id facultates ſuas pariter & filium ob tyrannorum perſecutionem amitteret, filium ſuum in obſcurum carcerem conjectum pane tantum & aqua nutriri juſſit, cum vero per hoc nihil proficeret, quin potius filius ejus conſtantior Chriſti confeſſor per hanc patris ſui ſævitiem evaderet, hoc Patri à certo quodam viro propoſitum eſt conſilium: *Si filium tuum ab hac uſurpatione conaris eripere magis eum delicijs & voluptatibus occupa, & cujuſcumque elegantiſſimæ atque prudentiſſimæ puellæ conjugio trade, & cum didicerit eſſe maritus obliviſcetur eſſe Chriſtianus. Audiens hoc Pater jubet ſericis veſtibus ſtrata parari ipſum quoque conferens de ſqualida habitatione, veſtibus fecit pretioſis indui, & ponere eum in triclinio, elegit quinq; pulcherrimas virgines ex ancillis ſuis & accuratis veſtibus & ornamentis compoſuit, & cum Chryſanto poſuit, & comminatus eſt eis, niſi vos veſtris jocis & amplexibus eum revocaveritis ab intentione Chriſtianitatis, faciam vos diverſis interimi ſupplicijs.* Quonam vero armaturæ genere ſanctum hunc juvenem in hoc pericloſe certamine uſum fuiſſe exiſtimatis? *Jacebat in oratione immobilis, & oſcula earum quaſi viperas ſpernens, clamabat ad Dominum dicens: Exurge Domine, adjuva me*; adverſus omnes hos ſibi intentatos muliercularum inſultus ſcutum ſibi aſſumpſit orationis, & omnes illarum conatus glorioſè devicit. Ex quo facto clarè videtur, in quod periculum deſerendæ fidei, oblectamenta carnis animam hominis inducant.

Libido potens medium ad Apoſtaſiam.

7. S. Cyrillus Alex. concluſionem hanc tamquam indubitatam firmiter ſtatuit, quod ſc. impudicitia ſola Idololatriam in hunc mundum invexit: *Nempe voluptatis libido*, inquit, *nec aliud quidquam Idololatriæ morbum effecit.* Cum ſanctiſſimus ille juvenis Joſaphat in religione Chriſtiana ſolide conſtans perſiſteret, Rex vero Pater ejus, ut eum Apoſtatam efficeret, & ad Idololatriam revocaret, omnis generis impedimenta & offendicula excogitare niteretur. Teuda hoc ei conſilium ſuggeſſit, ut ſcilicet pulcherrimarum virginum conſortium ei adjungeret, ſic enim futurum eſſe, ut animus ejus paulatim labefactatus emolleſceret: At vero Joſaphat in hoc prælio conſtitutus, ut Damaſcenus inquit, omnes illarum illecebroſos conatus generoſe elidere novit: *Nam Amorem amori, hoc eſt, impudico divinum opponit; ſibique pulchritudinem illam omni ſermone præſtantiorem, quam puræ animæ in Chriſti ſponſi nuptijs, ex quibus illi, qui nuptialem tunicam conſpurcarint, ejicientur, habituræ ſunt, in memoriam revocat.* Poſt multos eoſque omnes potentiſſimos inſultus ſuperatos, aſtutiſſimus ſerpens, qui ſe illum in Apoſtaſiam à fide deturbaturum eſſe ſperabat, cordi juvenis deſiderium quoddam ingeſſit, ut virginem quamdam, inter omnes quæ ad illum pervertendum introductæ fuerant, pulcherrimam, eamque Regis cujuſdam filiam, licet in ſervitutem à patre ejus ſubactam, Chriſto lucrifacere poſſet, (*quam Pater ut eximia pulchritudine præditam ad labefactandum & dejiciendum filij animum miſerat.*) Sanctus igitur juvenis erga hanc virginem compaſſione commotus, ad eam in fidei Chriſtianæ dogmatibus catechizandam accingebat, quia vero *rem hanc Diabolicum commentum eſſe minime advertebat, ſtatim improbus ſpiritus mulieri in mentem immittit, ut fraudis laqueos explicaret, ac Deo charam illam animam in libidinis foveam præcipitem traheret.* Quare ipſa ſe ſancti lavacri cupidam quidem eſſe dixit, cum hac tamen conditione, ut is ſe illi per nodum conjugalem indiſſolubiliter adſtringeret; Quod cum Joſaphat ſe facere haudquaquam poſſe diceret, ipſa efficaciſſimis ei rationibus gratiſſimum ab ipſo obſequium Deo præſtandum eſſe oſtendit, ſi ei ſe per matrimonij vinculum copularet, tum quod hac ratione eam ad fidem converſam Chriſto lucraretur, tum quod matrimonium à Chriſto inſtitutum ſacramentum eſſet, huncque diſcurſum per varias rationes & adducta plurima Scripturæ loca confirmabat: *His verbis utens eumque demulcens, ac retia ac laqueos ipſi, tum à dextris, tum à ſiniſtris, undique nectens, animi ipſius turrim labefactare incipiebat. Vitij autem ſator, atque proborum virorum hoſtis, labantem ipſius animum conſpiciens, ſtatim peſtiferos ſpiritus, qui una cum ipſo aderant, appellat: Cernite; inquit, quonam pacto puella illa ea perficere contendat, quæ à nobis perfici nequiverunt?* Jam igitur inexpugnabilis illa arx mentis Joſaphat nutabat, quando Deus quemdam illi ſupernæ lucis radium immiſit, eoque mediante illi antiqui adverſarij technas & fraudes detexit, eumque cunctis Diabolicis inſidijs ſuperiorem & glorioſum victorem effecit.

*S. Cyrill. Alex. Hom. 9. de Feſt. Paſch.* — Ad Idololatriam efficax. — *S. Joan. Damaſc. Hiſt. c. 30.*

8. Quod ſi quis, quantum carnis vitium animæ cuipiam quantumvis ſapienti & circumſpectæ prædominetur; ut eamdem in peccatum infidelitatis prolabi faciat, perſpicuè agnoſcere deſiderat, ſapientiſſimum omnium hominum, qui umquam in terris fuerunt, aut futuris ſæculis erunt, conſideret; Nam *Salomon immoderato uſu & aſſiduitate mulierum*; inquit S. Antonius de Padua, *ad hoc uſque perductus eſt, ut templum idolis fabricaret, qui prius templum Deo conſtruxerat.* Etenim nullum uſpiam reperietis hominem, qui majori cum induſtria & conatu, cultum veri Dei per ritus & ceremonias ſacras promoverit, aut qui majori cum magnificentia, ſumptuumque impendio templa in ejus honorem erexerit, & tamen per lubricitatem carnis ad idololatrandum permotus fuit; Idipſum S. Gregorius diu ante benè animadverterat, dum ait: *Qui prius templum Deo conſtruxerat, aſſiduitate libidinis, etiam perfidiæ ſubſtratus, idolis conſtruere templa non timuit.* Unde S. Ambroſius monet dicens: *Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortes maſculos, & eos à religione fecit deficere, & ideo tu vel amorem vel errorem cave.*

Salomon libidine ductus ad Idololatriam. — *S. Ant. de Pad. ſer. in Dom. 14. poſt. Trin.* — *S. Greg. l. 13. mor. c. 13.* — *S. Ambr. l. de Ant. c. 19.*

9. De quonam alio quam carnali homine S. Paulum loqui voluiſſe exiſtimatis, quando dixit: *Quorum Deus venter eſt?* Hic enim alium Deum non habet, quam ventris & corporis ſui voluptatem; ac proinde S. Gregorius Nyſſenus de virginitate differens ait: *Periculum non leve eſt, ne voluptatum uſu quaſi eſca deceptus, nihil aliud in bonis eſſe putat, quam illud, quod cum ſuavitate quadam carnis percipitur ſenſibus* S. Zeno de laudibus pudicitiæ, & impudicitiæ enormitate loquens, hæc dicit: *In Idolis Dea eſt, in cultoribus eorum miniſtra.* Idem quoque Sanctus de Venere, quæ idem eſt, quod impudicitia, & à Gentilibus tamquam Dea adoratur, inquit: *Diaboli eſt mancipium, ejus enim poſſidet regnum, nam Deos ipſa genuit, ipſa intulit mundo, per quos, aut in quibus Diabolus colitur. Ipſa Jovem innumerabilibus, varijs, magniſque criminibus maximum fecit. Ipſa Herculem novella deterior facibus libidinum turpiter vicit, quem terribilis turba monſtrorum ſuperare non potuit.* Adducit ejuſdem Veneris exemplum, de qua ſubjungens ait: *Ad exprimendam vim impudicitiæ viſa ſunt neceſſaria, ut ſciat unuſquiſque ad Idololatriam pertinere luxuriam.*

*Phil. 3. v. 19.* — Libidinoſis Deus venter eſt. — *S. Greg. Nyſſ. de virgin. c. 8.* — *S. Zeno l. 1. ſerm. 7.*

10. S. Auguſtinus circa Salomonem quæſtionem movet dicens: *Salomon vir tantæ ſapientiæ, numquidnam credendum eſt, quod in ſimulachrorum cultu crediderit aliquid utilitatis? ſed mulierum amori ad hoc malum trahenti reſiſtere non valuit, faciens, quod ſciebat non eſſe faciendum, ne ſuas quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delicias contriſtaret.* Idem S. Doctor idipſum alibi repetit, Aaronis adducens exemplum. *Sicut enim*, inquit, *Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit obſtrictus; nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe idolis eſſe ſerviendum, ſed blanditijs fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum*; Apud Gentiles namq; falſos Deos ſuos per aliquot obſcænitatis actus honorare in uſu poſitum erat.

*S. Auguſt. T. 3. l. 11. de Gen. ad lit. c. 42.* — Salomon à fœminis ad Idololatriam inductus.

11. Quando Deus Gedeonem ad Idololatriam, quæ in populo Iſraëlitico multum invaluerat, diſſipandam elegit, hoc illi præceptum impoſuit: *Destrues aram Baal, quæ eſt patris, & nemus, quod circa aram eſt ſuccide.* Circa quæ verba Abulenſis dicit, antiquos circa templa & altaria Deorum ſuorum, denſas ſolitos fuiſſe plantare arbores, ut ſub illas ſe poſt ſacrificia ſua oblata, ſe ſubducentes, ſub earumdem umbra in omnibus ſe turpiſſimæ libidinis actibus polluerunt: *Ut expletis ſacrificijs vacarent libini inter ipſas arbores, & hoc maxime in ſacrificio Priapi.* Et hæc cauſa eſt, cur Deus in Deuteron. præceperit, ne quis juxta altaria in ejus honorem erecta arbores plantare præſumeret, ut videlicet per hoc, quantum divinus ejus cultus vel minimam hujus vitij umbram deteſtetur, oſtenderet.

Libidinis umbram Deus deteſtatur. — *Judic. 6. v. 25.* — *Abul. ibid. Q. 34.*

12. Celebris eſt hiſtoria illa, quæ in Lib. Numer. c. 23. recenſetur; Etenim ſacrilegus Balaam, ad hoc ut populus Hebræorum à Deo vero abalienaretur, & relicto Deo ſuo tanto facilius diſſipari & ſuperari poſſet, hoc Moabitis & Madianitis conſilium ſuggeſſit, ut expoſitis in eorum libidinem mulieribus ſuis, eas ad fornicandum cum illis inducerent. At vero dicat aliquis, qua ratione illis perſuaderi potuit, ut ad mulieres ſuas publice in proſtibulo exponendas adeo prompti

Hiſtoria ſacra Num. 23. docet: ad Apoſtaſiam inducere luxuriam.

prompti efficerentur ? & hoc quidem indiſcretioni exercitus cujuſdam, qui ex Ægypto veniens vili ſervitutis & circumciſionis cauterio & ſignaculo notatus erat ? Ergone fieri potuit, ut non abhorrerent populum illum, qui manus ſuas etiamnum luto Ægyptiaco coinquinatas habebat, & paulo ante ſub Ægyptiorum virga & baculo educatus fuerat? Bella eo præcipue fine inchoari & excitari ſolent, ut honor & exiſtimatio publica conſervetur, non verò ut ultro citroque prodigatur; Et quidem quod maxime mirandum venit, hoc eſt quod mulieres illæ, quæ Hebræis proſtituendæ erant, non viles & plebeiæ, ſed nobiliſſimæ maximeque conſpicuæ erant, eæque non caſualiter, ſed ex deliberato Optimatum conſilio & regij præcepti authoritate proſtituebantur; Ergone facultates, vitam, & domicilium ſuum pluris faciebant, quam honorem ? Scitiſne quid ad hoc reſponderi poſſit ? Nimirum falſorum Deorum ſuorum cultum, propriæ exiſtimationi longe præferebant, credentes quod illos per hæc ſacrilega & abominanda impudicitiæ ſacrificia maximopere honoraturi eſſent, & ideo eminentiſſimam virtutum omnium, Religionem videlicet ſibi objecti loco ob oculos ſtatuentes, filiarum, uxorumque ſuarum honeſtatem & pudicitiam publicè proſtituebant. Verumtamen cum hac lege mulierum pudicitiam prodigebant, ut prius fornicarij & adulteri de cibis Dijs ſuis oblatis & conſecratis comederent, eorumque ſimulachra adorarent, ac demum veri Dei cultum & religionem abjurarent & renegarent. Probe namque Gentiles noverant, quantum hæc fræni ad omnem impuritatem committendam relaxatio falſis fictiſque numinibus ipſorum placeret, ſiquidem per hoc infantes Deorum ſuorum libidines imitabantur: quin ſi Jupiter; Saturnus, Neptunus, Venus, Vulcanus, & omnes alij Dij bene examinentur per conſcriptas de illis veterum hiſtorias, adulterijs, alijsque ſimilibus, imo pejoribus ſordibus ad gulam usque immerſi comperientur.

Apoc. 2. v. 14. 13. Eadem Madianitarum hiſtoria etiam in Apocalypſi his verbis inſinuatur: *Habentes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſraël, edere & fornicari*, id eſt, ut inquit Hugo Cardinalis, *edere de ſacrificijs idolorum, id eſt, de his quæ ſunt idolis immolata.* (Hugo Card.) Baſilius Seleucus filios Seth à mulieribus de progenie Cain deſcendentibus ſeductos, comparat cum populo Iſraëlitico fornicante cum Madianitis; unde ait: *Quod & Iſraëli poſtea contigit, nam cum Madianitas acies deviciſſent, capti ſunt amore muliebri, & in pretium intemperantiæ idolorum veneratio ab ijs repoſcebatur.* (Baſil. Seleuc. orat. 5.) S. Ephrem in hujus prævaricationis deteſtationem ita ſcribit: *Noſſe cupis quam gravis & periculoſa ſit fornicatio? Quos occidere nequiverunt in eremo morſus ſerpentum, hos Madianitarum fornicatio proſtravit, & per fornicationem etiam idolorum victimam comedere non recuſarunt.* (S. Ephrem Paran. 37. c. 9.) Oleaſter ex hac hiſtoria ſequentem elicit moralitatem: *Etſi*, inquit, *omni tempore ſervus Dei debet fornicationem & vitia alia, quantum poteſt, vitare, & ſibi proſpicere, tunc tamen maxime, cum ſibi offertur occaſio peccandi. Sunt enim multi viri religioſi, qui religioſiſſime agunt, dum ſeſe illis nulla offert peccandi occaſio, qui facile nacta occaſione cadunt.* (Oleaſt. ibid. Omnis occaſio vitanda, nam ſæpe præcipitat.)

# DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

Carnis vitium origo & cauſa eſt hæreſum, ſiquidem carnales homines ab hoc vitio ſeducti in multos labuntur errores.

## THEMA.

*Mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Eccl. 19. v. 2.

Libido cauſat hæreſes. S. Ambr. l. 4. Ep. 30.

1. CONcupiſcentia carnalis ipſamet æterna Veritate teſte, ut Eccleſiaſticus ait, certiſſimum cauſat fidei naufragium: *Mulieres apoſtatare faciunt.* S. Ambroſius in quadam Epiſtola ſua ſcribit, quod Hebræi ſe in pœnam peccatorum ſuorum à Deo derelictos, ac proinde ab inimicis ſuis ſe ſuperatos ſemper videntes, ad Ægyptios confugere tentarint, ut per eosdem ab Aſſyrijs defenderentur, nec intellexerint, quod longe ſalubriori conſilio ad Deum & divinum ejus cultum confugere potuiſſent, unde indignata ipſis divina juſtitia inſinuavit ijsdem *vanam ſpem gerere, qui offenſam Domini putaverunt majori peccato levandam, cum illi ipſi vincendi forent, in quorum auxilijs populus Judæorum conſideret. Hoc ſecundum hiſtoriam*, inquit S. Ambroſius. Id vero quod vel maxime propoſito noſtro deſervit, eſt moralis ad illam hiſtoriam alluſio, ſiquidem *omnia in figura contingebant illis; In Ægyptijs igitur confidit, qui luxurijs deditus eſt mancipatus laſciviæ, nemo autem ſe luxui committit, niſi qui recedit à præceptis veri Dei; ubi autem quis cœperit luxuriari, incipit deviare à fide vera, ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis & mentis ſacrilegia. Ergo qui non ſequitur Dominum Deum ſuum, ingurgitat ſe luxuriæ ac libidini, qui autem ſe ingurgitaverit atque immerſerit hujusmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit.* Hanc autem veritatem per ejusdem populi Hebræi prævaricationem probat, qui tametſi in Ægypto per tot annos in cultu veri Dei conſtans perſtiterit, in deſerto tamen coram vitulo aureo genua ſua ſacrilegè curvare non erubuit, & religioni antiquæ dorſum turpiter obvertit, idque, ut idem S. Doctor dicit, quia *ſedit populus manducare & bibere.* (Exod. 32. v. 6.) Idem hic glorioſus Eccleſiæ Magiſter, qui in virginitatis dono adeo inſignis fuit, omni quidem ſtudio S. Auguſtinum ad fidem Catholicam comparare conatus eſt, eumdem tamen ad Eccleſiæ gremium reducere numquam potuit, niſi poſtquam illum prius è carnalis laſciviæ luto efficacitèr extraxit. (S. Auguſtinus prius à libidine extractus, poſtea ad fidem converſus.)

2. Ubi ſacer textus dicit: *Surrexerunt ludere*, ſacri Expoſitores per hunc ludum impudicitiæ peccatum intelligendum eſſe cenſent, & ideo mirum non eſt, quod mox quoque in Idololatriam prolapſi fuerint. Obſervaſtiſne aliquando ex quanam materia Aaron Bovem illum ab Hebræis poſtea adorandum fabrefecerit ? utique ex auro factum eſſe dicetis; ſed qualenam erat aurum iſtud ? num forte illud erat, quod ex Ægyptiaca ſupellectile mutuata ſecum ſuſtulerant ? aut vero ex moneta aurea congregatum erat ? Neutrum profecto iſtorum in hunc bovem conflandum adhibitum fuerat, quin potius Aaronis audiatis præceptum, dicentis: *Tollite inaures aureas de uxorum & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me, ... Quas cum ille accepiſſet formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* (Exod. 32. v. 2. Ibid. v. 4.) Ecce igitur qualiter fœmineus hic ſexus ex inauribus & ornatibus ſuis fabricaverit Idololatriam, etenim veriſſimum eſt, quod *mulieres apoſtatare faciunt* non ſolum homines indoctos & plebejos, verum etiam ipſosmet *ſapientes.* (Mulieres apoſtatare faciunt etiam ſapientes.)

3. Sapiens circa cautelam hujus debilioris ſexus, & converſationem cum illo, præclara nobis monita ſubminiſtrat; Et quidem in Proverbijs dicit: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo ut veſtimenta illius non ardeant?* (Prov. 6. v. 27.) Quod vero propoſito noſtro vel maxime inſervit, eſt obſervatio Hugonis Cardinalis, qui per ignem intelligit *meretricis vel hæretici confabulationem*; (Hugo Card. ibid.) circa quæ verba ſpecialiter notandum, quod dictus Cardinalis non ſine myſterio, ſimul cum hæretico mulierem impudicam adjunxerit.

4. Porrò per filios Dei, de quibus Geneſeos cap. 6. fit mentio, illi qui ex progenie Seth progeniti erant, intelliguntur, utpote qui veri Dei cultui omnino de diti erant, qui tamen ab elegantia & ſpecioſitate mulierum ex ſtirpe Cain reprobi deſcendentium ſeducti fuerant. (Filij Dei à mulieribus ſeducti.) Unde Vatablus ait: *Per filios Dei, homines Deum agnoſcentes interpretantur, id eſt, filios Seth.* (In ſcholiis Vatabl.) Qui idem mox addit: *Non tantum hic notatur libido, ſed etiam impuritas & irreligio eorum, qui defecerant à moribus Patrum, qui præponebant pulchritudinem corporis pulchritudini animi, filias hominum id eſt, mulieres à Religione abhorrentes.* Audite obſecro, quanam loquendi phraſi Baſilius Seleucus de Herodiade inceſtuoſa, quæ caput Præcurſoris amputari procuravit, diſſerens, uſus fuerit, dicit enim: *Herodiadis tripudium nobis hodie invulgat Evangeliorum vox, & atheam mulierum illarum publicitus pandit inſaniam.* (Baſil. Seleuc. orat. 18.) Atheiſtæ enim ut plurimum carnales exiſtunt, nec Deum eſſe credunt, minus cogitant.

5. Sancta illa mulier, uxor Tobiæ, olim innocentiſſime gloriabatur dicens: *Tu ſcis Domine, quia numquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia, Numquam cum ludentibus miſcui me.* (Tob. 3. v. 16. Ibid. v. 17. Luxurioſi futura non credunt.) Et quidem quod ultima hujuſce ſanctæ gloriationis verba attinet, ſicut non defuere Authores, qui ludum, quem Iſmaël cum Iſaac habebat, de varijs luxuriæ ſpeciebus, in quibus Iſmaël Iſaacum erudire ſatagebat, interpretandum eſſe cenſuerunt, ita quoque ſancta hæc mulier in hiſce verbis per ludum hunc, à quo ſe ſemper abſtemiam fuiſſe gloriabatur, ad peccatum carnis alludere voluiſſe cenſenda eſt. S. Hieronymus



Hieronymus ſuper illa Jeremiæ verba: *Non ſedi cum Concilio ludentium*, (Jerem. 15. v. 17.) de hiſce ludentibus ita ſcribit: *Deus præſtet nobis non ſedere in Concilio ludentium, & eorum, qui futura non cogitant.* (S. Hieron. ib.) Etenim laſcivi & carnales homines ut plurimum non credunt, neque aliud cogitationibus ſuis verſant, quam carnis voluptates, prouti ex libri Sapientiæ cap. 2. colligitur, ubi dicunt: *Coronemus nos roſis &c.* (Sap. 2. v. 8.) quod ſi enim totum illud caput à principio ad finem usque legeritis, invenietis, quod juſtitiam divinam punitivam, Deum, aut vitam futuram dari minime credebant; unde Gloſſa ait: *Vox hæc perditorum eſt, qui tamquam bruta animalia, quæ præſentia ſunt, amant, & futura deſpiciunt; nec poſt hanc vitam requiem æternam ſperant, unde non ſecus, ac ipſi athei ſubdunt: Venite ergo & fruamur bonis;* (Gloſſa. Athei ſunt. Sap. 2. v. 6.) illos autem carnis voluptatibus pariter immerſos fuiſſe in dubium revocari nequit, quia inter alia expreſſe quoque dicebant: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* (Ibid. v. 8.)

6. Ipſimet Angeli, qui juſſu Dei in Sodomorum civitatem deſcenderunt à laſcivorum & carnalium hominum, urbem illam incolentium, inſultibus nequaquam fuerunt exempti, quia qui huic vitio dediti ſunt, nec Deum, nec cælites timent, nullique rei ſive in cælo illa ſit ſive in terris, aliquem deferunt reſpectum, ſed huic uni ſolum intenti ſunt, ut beſtialibus appetitibus ſuis ſatisfacere poſſint. Athei enim ſunt, fidesque illorum domus ſuæ tectum minime tranſcendit credendo. (Luxurioſi neminem timent.)

7. S. Auguſtinus in Homilia quadam ſuper Apocalypſin, de beſtia illa, cui ſanctus Joannes meretricem inſedere vidit, ita ſcribit: *Beſtia corpus eſt impiorum, & ſignificat perfidiam hæreticorum;* (S. Auguſt. T. 9. Hom. 13. in Apoc.) ecce tibi qualiter hæreſium perfidia cum muliere impudica ſemper conjuncta ſit.

8. Sanctus Paulus carnis partus enumerans dicit: *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus*; (Gal. 5. v. 19.) at vero quidnam idolorum cultui cum concupiſcentia carnali negotij intercedit ? Sanctus Anſelmus ait: *Idolorum quoque ſervitus inter opera carnis numeratur, quia nonnumquam ob amorem mulierum committitur, ſicut à Salomone propter alienigenas mulieres, vel à filijs Iſraël in Sethim per filias Madian.* (S. Anſelm.)

9. Eccleſiaſticus monet dicens: *Ne reſpicias mulierem alieni viri, & ne ſcruteris ancillam ejus*; (Eccl. 41. v. 27.) ſuper quæ verba Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus ita ſcribit: *Mulier quoque alieni viri eſt doctrina prava hæretici, qui alienus fide & religione eſt à conſortio Dei & ſocietate fidelium; hanc ergo prohibet Sapientia reſpicere, hoc eſt, ejus eloquentiam amare: Ancilla vero ejus cupiditas eſt carnalis, quæ ſubjici debuit ſpiritus imperio;* (Raban. T. 3. l. 9. in Eccl. c. 3. Hæretici & libidinoſi vitandi.) ecce qualiter caro in eamdem recenſitionis ſeriem cum doctrina hæretica collocetur. Et ideo ſanctus Epiphanius, qui hæreticorum malleus fuit, inter alia ita ſcribit: *Omnis hæreſis mala mulier eſt.* (S. Epiph. T. 2. l. 3. adv. hæreſ.) Habemus quoque in libro 3. Reg. cap. 11. infallibile illud: quia ab ore Dei pronuntiatum oraculum: *Non ingrediemini ad eas, ... certiſſime enim avertent corda veſtra.* (3. Reg. 11. 2.) Et S. Ephrem nos pariter monet dicens: *Devita frater chariſſime conſuetudinem hominum hæreticorum ac libidinoſorum, nihil fidele loquentium.* (S. Ephrem. T. 2. c. 8. de virt.)

10. Enimvero quod ſi ſpecimen aliquod habere vultis, ex quo quantum Tyrannis hujus vitij, religioni & fidei præjudicium adferat, agnoſcere valeatis, id quod juniori Sichimitarum Principi accidit, ſeria mente conſideretis, hic enim ardenti Dinæ amore captus fuit, *adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem, Et conglutinata eſt anima ejus cum ea*; (Libido quoque pertrahat. Gen. 34. v. 2. Ibid. v. 3.) Quia vero ad hoc ut ſe maritali vinculo cum ea copulare poſſet, patris fratrumque ipſius requirebatur conſenſus, ideo hunc ab eis poſtulatum hac ſub conditione obtinuit: *Circumcidatur in vobis omne maſculini ſexus, tunc dabimus, ... ſi autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam noſtram & recedemus. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio ejus.* (Gen. 34. v. 15. Ibid. v. 18.) Sed numquid Hemor & filius ejus ſuſpicari poterant, ne forte ſub hac tam ultronea oblatione dolus aliquis & fraus lateret, per quam ad ultimas usque extremitates & totalem gentis ſuæ ruinam adigerentur ? Prætérquam enim quod carnis ſuæ circumciſio cum ingenti non ſuo tantum, ſed & totius populi ſui tormento eoque acerbiſſimo conjuncta erat, inſuper per hanc circumciſionem vel religionem ſuam, quam profitebantur, & Deorum ſuorum cultum ſupplantabatur; & tamen ſacer textus inquit: *Nec diſtulit adoleſcens, quin ſtatim quod petebatur expleret;* (Ibid. v. 19.) Cur igitur in tanti ponderis reſolutionem tam ſubito conſenſit ? Nimirum: *amabat enim puellam valde.* Et ideo *abuti malebat fidei ſacramento*, inquit Author Catenæ, *quam carere ſua libidine.* (Lipom. in Cat.)

11. Quando Abraham una cum dilecta conjuge ſua in Geran in aula Abimelech Regis commorabatur, hoc ſibi judicium, & quidem minime temerarium formavit: *Cogitavi mecum dicens: Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto*; (Ubi luxuria ibi cultus Dei non eſt. Gen. 20. v. 11.) vel ut Septuaginta legunt: *Forſitan non eſt cultus Dei*; At vero undenam providens vir ille hoc ſuſpicari aut colligere poterat, quod ſcilicet in palatio iſto religio vel cultus veri Dei abeſſet ? Jam ex ſancti Ambroſij doctrina audivimus, quod *ubi cœperit quis luxuriari, incipit deviare à vera fide*; Et ideo quia Abraham ſciebat, quod Rex & Regni ſui Proceres viri eſſent carnis vitio & laſciviæ totaliter dediti, non ſine cauſa verebatur, ne, ſicut poſtea reipſa fecerunt, caſtiſſimæ conjugis ſuæ pudicitiæ inſidiarentur, ideoque minime errabat dicendo: *Non eſt cultus Dei in loco iſto.*

12. Optime ſanctus Hieronymus obſervat numquam inventum eſſe aliquem hæreticum ſine alicujus laſcivæ & impudicæ fœminæ conſortio & fomento. In Proverbijs enim dicitur: *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio*; (Prov. 7. v. 10. S. Hieron. ad Cteſiph. adv. Pelag.) Circa quæ verba Rabanus per mulierem hanc ornatu meretricio indutam, hæreſin præfiguratam fuiſſe dicit: *In quo hæretica pravitas denotatur*, (Raban. l. 2. in Eccl. c. 13.) quod clarius ex ſequentibus patebit exemplis: Sic enim Simon Magus ad peſſimam zizaniam ſuam diſſeminandam Helena meretrice uſus fuit. (Hæretici non ſine impudicis fœminis.) Nicolaus Antiochenus integrum circumducebat impudicarum mulierum exercitum. Marcion ut Romanorum animos ad falſam doctrinam ſuam recipiendam diſponeret, impudicam quamdam fœminam huc Romam præmiſit. Montanus Priſſam & Maximillam opulentas fœminas adhibuit. Apelles puellam quamdam Philomenam nomine à Dæmone obſeſſam, prius quidem Prophetiſſam, poſtea vero meretricem & concubinam in adjutorium ſibi aſſumpſit.

13. Cardinalis Baronius de Gnoſticis ſcribit, quod jejunia abhorreant, crapulæ & commeſſationibus vacent promiſcuum habeant mulierum uſum, obſcœniſſimasque congregationes inſtituant. (Baron. An. 464. n. 6.) S. Epiphanius quoque non ſine nauſea refert de ijsdem, quod ſi mulierem aliquam ſectæ ipſorum conſortem parere contingat, mox natum puſionem accipiant, & ſimul congregati eumdem in mortario minutim contundant, carnibuſque & ſanguini mel, piper, & alia ingredientia odorifera admiſceant; demum vero facta oratione perfectum ſe Paſcha celebraſſe exiſtiment. (Hiſtoriæ probantes hæreticorum libidinem.)

14. Notabile quoddam & obſervatione dignum facinus Annales Eccleſiaſtici de Zenone Primo Imperatore referunt, nimirum hunc poſita omni verecundia, ad quamvis enormiſſimam impudicitiam etiam in publico committendam fuiſſe proniſſimum; at vero quid de hoc turpi Sardanapalo, inquit Baronius, aliud expectari poterat, qui pariter hæreticorum ſibi protectionem vendicabat, ab exilio revocando Petrum Fullonem ? Arius ut Chriſtianiſmum univerſum ſeduceret, prius ſororem Imperatoris partibus ſuis adſciſcere conatus fuit. Donatus univerſam Africam ad errores ſuos pertractūrus, Lucillæ divitias auxiliares ſibi fecit. In Hiſpanijs Agape ſeduxit Elpidium, qui ſucceſſorem habuit Priſcillianum ex Mago ſacrilego Epiſcopum factum.

15. Henricus VIII. Rex Angliæ pro Religionis Catholicæ defenſione libros à ſe conſcriptos in lucem ediderat, eumque Fidei Zelum de ſe comprobarat, ut à Summis Pontificibus *Defenſoris Eccleſiæ* titulum ſortitus fuerit; & tamen poſtea ſimul cum univerſo Regno in profundum Hæreſeos barathrum lapſus fuit, idque, ut Annam Bolenam, quæ mulier obſcæna & deformis erat, repudiata Catharina Regina, qua cum viginti annis in matrimonio vivendo, honeſtas aliquot proles genuerat, in conjugium ducere poſſet, cumque hac in re Summi Pontificis conſenſum obtinere non poſſet, factus eſt Catholicorum omnium perſecutor truculentiſſimus.

16. In ijſdem Annalibus Eccleſiaſticis alia quædam à VVicleph in eodem regno excitata hæreſis refertur, quæ matrimonium Virginitati longe præferebat (Rayn. Ann. 1402. n. 3. & 4.)

ferebat, aſſerendo quod *Eccleſia nihil eſt aliud, quam Synagoga Sathanæ, Meretricios concubitus ut licitos laudare non perhorruere.* In eodem ſæculo alius quidam hæreticus nomine Guilielmus VVicleph vixit, qui inter alios, quos profitebatur, errores, caſtitatem è medio tollere & abrogare moliebatur, ſeque doctiſſimo Thomæ VValdenſi, illius temporis conſtantiſſimo hæreticorum malleo opponens, *contendebat, libertatem Chriſtianam indicto Sacerdotibus cælibatu labefactari.* Unde Thomas VValdenſis præfatus, *Jam*, inquit, *poteſtis videre, qualiter abutantur libertatis agnomine, & glorientur inſimul de actibus ſuis; Audiant Apoſtolum dicentem eis: Vos in libertatem vocati eſtis fratres: Non autem audiunt eum canentem: Tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis.* Merito igitur Rupertus Abbas lib. 4. in Eccl. ait: *Quot hæreſes notant, illos notat etiam nomen mulieris.*

Rayn. Ann. 1421. n. 3.

Bolland. 5. Febr. n. 32.

17. P. Bollandus in vita viginti ſex Martyrum in Japonia crucifixorum refert, Taycoſmam Imperatorem de ſe proteſtatum fuiſſe, facile ſe quoque collum ſuum fidei Chriſtianæ ſubmiſſurum, dummodo ſibi deinde conſuetis ſuis voluptatibus carnalibus uti & vacare liceret.

18. In vita S. Franciſci Saleſij legitur, quòd cum is Clemente VIII. Pontifice Maximo ſuadente Genevam ſe non ſine ingenti vitæ diſcrimine contuliſſet, ut Bedam ab hæreſi converſum Eccleſiæ Catholicæ denuo recuperaret, jamque illum habito cum eo diſcurſu ſatis prolixo convictum lucratus fuiſſet, numquam tamen ad hoc illum permovere potuerit, ut pedem ſuum è civitate Genevenſi efferret, cumque ſanctus Præſul hanc ejus pertinaciam vehementer miraretur, Beda in ſui excuſationem juvenculam quamdam, quæ uxor ejus erat, coram ſancto Epiſcopo prodire juſſit, dixitque ei: *Ecce obſtaculum, quo ego retineor!* Hic etenim eſt hæreticorum ſtylus ordinarius, quod carnalium voluptatum viſco inſeparabiliter innectant illos, quos erroribus ſuis illaqueant, prout in hoc Hæreſiarcha perſpicue videtur, cujus licet intellectus veritatibus fidei noſtræ illuſtratus & convictus fuiſſet, voluntas tamen ad fidem orthodoxam profitendam moveri non poterat, eò quod profunde nimis luto & viſco carnis infixus hæreret.

Quare multi non convertantur.

19. Jaſon ſuos ad ritum gentilem ſeducere, illoſque ad apoſtatandum à vero Deo permovere volens, ſecuriorem ad hoc modum invenire ſe non poſſe cenſuit, quam ſi tales erigeret ſcholas, in quibus juventus omnis generis ſpurcities carnales edoceretur, *conſtituit*, inquit ſacer textus, *Ephebiam ſibi conſtituere, id eſt lupanar*, ut Lyranus ait: Quamprimum enim quiſpiam vitijs carnalibus deditus eſſe incipit, ſubitò à Deo ſe ſubducit, eumque contemnit.

2. Mach. 4. v. 9.

20. Quis eſt qui ſuperſtitiones, Magias, incantationes, veneficia & alia ejuſdem generis diabolica præſtigia; quæ fidei noſtræ venenum ſunt, ſuam ab hoc vitio originem habere neſciat? Pro cujus tamen majori evidentia notandum, quod Apoſtolus poſtquam dixiſſet: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio &c.* inter alia quoque ejuſcemodi opera Idolorum recenſuiſſet ſervitutem, mox ſubjungat *veneficia*; ubi S. Anſelmus notat dicens: *Sed & veneficia, id eſt, inherbationes, & venenorum confectiones, ſæpe fieri ſolent ob fornicationem & libidinoſum amorem*; Multi enim qui intentum ſuum in voluptatibus conſectandis per media humana aſſequi nequeunt, ad ſuperſtitiones, ad veneficia, & ad Dæmonem confugiunt. Gentiles quidem Dæmonem adorant, eique neceſſitates ſuas commendant, illum tamen vere Dæmonem & inimicum ipſorum eſſe, minime agnoſcunt, Chriſtiani autem eum quoque ut talem probe agnoſcentes, ut ejus operâ & interventu deſideratis carnis oblectationibus tandem potiri queant, ad ipſum confugiunt, auxiliumque ejus implorant. In Apocalypſi quoque dicitur: *Foris canes, & venefici, & impudici*; Ecce tibi qualiter laſcivi & venefici inter ſe quodam quaſi neceſſitudinis vinculo conjuncti ſint.

Omnia vitia à libidine.

Gal. 5. v. 19.

S. Anſelm.

Error libidinoſorum tantus quod Dæmonis implorent auxilium.

Apoc. 22. v. 15.

21. In Annalibus Eccleſiaſticis ſequens Hiſtoria deſcribitur: *In Gallis Guilielmus Edelinus, inter Theologos emeritus, Prior S. Germani in Laya magicæ impietatis crimine à cenſoribus fidei damnatus eſt. Is ob laxatas libidini habenas, in tantum ſcelus lapſum ſe confeſſus eſt furentemq; impudicitiæ facibus ad ſatiandas cupiditates quoties luberet, à maligno ſpiritu ad magorum cœtum perduci ſolitum, & cacodæmonem arietis ſpecie indutum adoraſſè, ut illuſtris fœminæ amoribus Dæmonis ope potiretur.* Eodemque in loco hæreſis cujuſdam, Faſcinariorum condictæ, ſeqq. verbis fit mentio: *Non immerito creditur, quod Dæmones, qui hæreſin & ſectam abominabilem (Jaquerius in Flag. Faſcin. Delrio Diſquiſit Magic. lib. 5. ſect. 4.) Faſcinariorum erexerunt, induxerunt aſſertores ad credendum & pertinaciter aſſeverandum, quod ea quæ per maleficos faſcinarios fiunt in cultu Dæmonum, non ſunt niſi illuſiones dormientium:* Adductoque prædicto exemplo, ſubjungitur ibidem: *Dæmonem coluit apparentem quandoque in forma hominis, quandoque in forma hirci, ubi abnegavit Deum & fidem Catholicam, beatamque Virginem & Crucem.*

Rayn. Ann. 1453. n. 20.

Hiſtoria.

22. Optime S. Joannes Climacus notat, quod dum alij peccatores Deum offendunt, dici ſoleat: *Seducti ſunt, vel ſunt decepti*; at vero dum aliquis homo carnalis prævaricatur, dicere ſolemus: *Talis eſt lapſus in peccatum carnis. Non ſine gemitu & dolore exclamamus: Ille cecidit. Piſcis ſolerter declinat hamum, & anima voluptatibus dedita religioſam quietem. Quando Diabolus duos aliquos inter ſe turpis amoris vinculo vult colligare, explorata utriuſque natura inde ſubjicere faces incipit. Solent ij, qui voluptatibus capiuntur, erga alios affectu duci, aliorum mala miſereri, miſericordia tangi, collachrymari, alijs blandiri; quibus vero caſtimonia cordi eſt, nullis hujuſmodi ſenſibus afficiuntur. Fuit è ſapientibus & eruditis, qui mihi hanc ancipitem & ſane gravem ac difficilem quæſtionem poſuit, Quod*, inquit, *genus peccati, excepta cæde & negatione Dei eſt reliquis omnibus gravius? Meque eum, qui in hæreſin prolapſus eſt reſpondente; quomodo ergo, inquit, Eccleſia Catholica hæreticos, poſteaquam hæreſin ſuam ipſorum ſincera confeſſione damnarunt, ſtatim ad myſteriorum participationem admittit, illum autem, qui ſe fornicatum confitetur, & à peccato deſiſtit, poſtquam veniam impertivit, ad tempus & annos tamen à ſacroſanctis & immaculatis Euchariſtiæ myſterijs, uti Apoſtolorum decreta præſcribunt, arcet? Hic me ad dubietatem hanc horrente & attonito, quæſtio quoque in medio hæſit, nec ſoluta eſt.*

S. Joan. Climac. gr. 15. n. 24.

Quæſtio quodnam ſit graviſſimum peccatum.

23. Porro quantum hoc carnis vitium in Eccleſiaſticis deteſtabile ſit, ex quodam Armenorum errore perſpicue colligitur; Hi namque in ea opinione firmiter perſiſtebant, quod Eccleſiaſticus publicam & privatam fornicationem committens, conſecrandi amiſſa poteſtate, deinceps ad ſacramenta conficienda aptus non ſit: Econtra vero ſi idem fieret Apoſtata hæreticus, Judæus vel Mahometanus, ſufficere credebant, ſi talis ageret pœnitentiam, nec quidquam aliud requiri, ut talis ad gremium redeat Eccleſiæ.

Rayn. Ann. 1341. n. 60.

In Eccleſiaſticis quam deteſtabilis libido.

24. S. Ambroſius ſuper illa verba: *Peregre profectus eſt in regionem longinquam*, ita ſcribit: *Quid longinquius quam à ſe recedere, nec regionibus, ſed moribus ſeparari, ſtudijs diſcretum eſſe, non terris, & quaſi interfuſo luxuriæ ſæcularis æſtu, divortia habere Sanctorum.*

Luc. c. 15. v. 13.

S. Ambr. l. 7. ibid.

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Carnales homines nidus & centrum ſunt Dæmonis, qui immunditia gaudet, noſque ad ſe præcipue per voluptates carnis attrahere ſtudet.

### THEMA.

*Dæmones autem rogabant eum dicentes: ſi ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite.* Matth. 8. v. 31. & 32.

1. EX hac non prophana, ſed Evangelica hiſtoria clare deducitur, quod anima impura, carnales & immunda, verus ſit Dæmonis nidus: ſicut enim lineæ ad centrum ſuum tendunt, ita tartarei ſpiritus ad cor aliquod obſcænum & laſcivum, velut ad proprium centrum aſpirant & inclinant: *Dæmones autem rogabant &c.* Verumtamen notandum, quod Salvator noſter in eorum ſupplicationem conſentire dignatus fuerit: *Et ait illis: Ite*, Idque præcipue ad noſtram eruditionem & utilitatem; ut intelligamus relationem, quæ intercedit inter Dæmonem & carnale peccatum. *Ingrediuntur autem Dæmones porcos*, inquit Euthymius; *eos videlicet, qui irrationabiliter converſantur, & in cœno voluptatum volutantur, ac illos in perditionem præcipitant.*

Luxurioſos Dæmones ingrediuntur.

Euthym. ibid.

2. S. Bernardus obſervat, quod Dæmon, qui ſpiritus eſt fornicationis, carnali homini adeo inviſceratur, ut parum abſit, quin Dæmoniacus efficiatur: *Sicut caro porcina cum comeditur, noſtræ adhæret carni, ut jam ſit una caro, ſic transgreſſor præcepti Dominici ſpurcos ſibi ſociat ſpiritus, & adhærendo eis, unus cum eis efficitur dæmon*; quod quidem ſi in omnibus univerſim transgreſſoribus adimpleatur, quanto magis in homine immundo & libidinoſo? De hoc enim idem mellifluus Doctor dicit: *Libidinoſis plus dominatur.* Huic conſonat, quod S. Iſidorus ſcribit: *Magis per carnis luxuriam humanum genus ſubditur diabolo, quam per cætera vitia; cum enim ille varijs tentamentis illectos homines conetur pervertere, magis tamen mœchandi deſiderium ſuggerit, quia utrumque ſexum in hoc vitio amplius ægrotare intendit.* S. Ambroſius conſiderat, quod porci, poſtquam dæmones eorum ingreſſi ſunt corpora, ſemetipſos ſubmerſerint, indeque hanc elicit doctrinam moralem: *Videmus*, inquit, *quia homo ipſe ſibi eſt auctor ærumnæ, nam niſi quis porci more vixiſſet, numquam accepiſſet in eum diabolus poteſtatem.*

S. Bern. ſer. de S. Benedicto.

Libidinoſis dominatur Dæmon.

S. Iſid. l. 2. ſent. c. 39.

S. Ambr. l. 6. in Luc. c. 8.

3. Adoleſcens ille non minus diſſolutus quam libidinoſus, qui è domo paterna diſceſſit, *profectus in regionem longinquam, ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè ... adhæſit uni civium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.* Quiſnam obſecro, vel qualis fuit ille civis regionis illius? Chryſologus dæmonem fuiſſe dicit. At vero quamobrem immunda hæc animalia ipſi paſcenda commiſit? cur non potius jumenta, pecora, vel boves? Secundùm allegoriam per hunc prodigum idem Doctor Gentiliſmum præfiguratum fuiſſe dicit: *Hinc eſt, quod adhærebat primario regionis illius, à quo mittebatur in iſtud ſæculum, hoc eſt, in unam multarum ſuperſtitionum villam, ut paſceret porcos, id eſt, dæmones, qui dicunt Domino: ſi ejicis nos, mitte nos in porcos: ut paſceret dæmones thure, victimis, ſanguine, falſarum reſponſionum, mercedem pro tali labore inde relaturus.* Homo ille immundus, qualis prodigus erat, non ſine myſterio porcos paſcebat, quia dæmones in his figurati (ſiquidem ſpiritus appellantur immundi: *Cum immundus ſpiritus exierit de homine*) tunc paſcuntur & ſaginantur, quando in nobis quoad ſuggeſtiones & tentationes carnis fidelem correſpondentiam & promptum conſenſum inveniunt.

Luca 15. v. 13.

Ibid. v. 15.

Dæmones paſcuntur à libidinoſis.

D. Chryſol. ſerm. 5.

Luc. 11. v. 24.

4. Revocanda hic in memoriam eſt hiſtoria illa ſacrilegi Antiochi, quando pro viribus ſanctæ matris Machabææ filios ad carnes porcinas manducandas inducere contendit. Rupertus Abbas Tuitienſis ipſorum in perferendis ſuppliciis & martyriis admiratur conſtantiam, & dicit: *Illæ carnes non ſolum porcinæ, verum etiam immolatitiæ erant, id eſt, dæmonibus oblatæ fuerant.* Ex quibus verbis clare colligitur, quod dæmones ſpecialem in eo complacentiam habeant, ſi videlicet immundorum ipſis animalium carnes offerantur, quia laſcivi & libidinoſi plurimum illis arrident; Et ideo Antiochus, id eſt, Lucifer cunctorum dæmonum caput omnibus nos modis inducere conatur, ut veſcamur carnibus porcinis, id eſt, vitam ducamus luxurioſam.

Lib. grata victima diabolo.

Rup. Abb. l. 9. de vict. verb. c. 30.

5. Habacuc Propheta de rete dæmonis, quo cum in hujus mundi mari piſcatur, diſſerens ait: *Totum in hamo ſublevavit, traxit illud in ſagena ſua, & congregavit in rete ſuum.* Sanctus Bonaventura in quodam ſermone inquit: *Hamus diaboli eſt reatus æternæ mortis, quem abſcondit ſub eſca momentaneæ voluptatis*; Quod quidem veriſſimum eſt, revera enim ipſe nos carnali delectatione ineſcat, verumtamen nos quoque eodem tempore ipſi pabulum præbemus, ſiquidem ipſe ſaginatur luxuriis noſtris.

Habac. 1. v. 15.

S. Bonav. ſerm. 2. in fer. 4. Pent.

6. B. Petrus Damianus vulpem expreſſam dæmonis figuram eſſe dicit, cujus proinde hanc tradit eſſe proprietatem: *Dum ſe mortuam ſingit, mortem volucribus veraciter ingerit, nam dum eſurit, & anxie requirenti quod comedat, non occurrit, quærit, ubi ſit rubra terra, & dum reperit, toto corpore in ea provolvitur, ut quaſi caro nuda & cruenta videatur; mox ſeſe in terram quaſi mortuam projicit, flatum intra ſe reprimit, ut non reſpiret, dumque hoc modo cruenta videtur & turgida ab incautis volucribus non dubitatur extincta; deſcendunt itaque ut eam comedant, ſed illa repente proſiliens, arripit, eaſque veraciter devorat, quas ad ſe devorandum fallaciter invitabat.* Hancque vulpis aſtutiam tartareo ſerpenti invido pariter & aſtuto egregie adaptat, dicens: *Hujus deceptor antiquus ſpecimen exprimit, qui carnalia lucra quærentibus ſe quaſi mortuum ſingit, illiſque opera ſua tamquam membra ſua, quibus veſcantur, exponit; Manifeſta enim ſunt opera carnis, quæ ſunt, dicit Apoſtolus, fornicatio, immunditia, luxuria &c. Hæc plane ſunt iniqui ſpiritus viſcera, hæc reproborum & carnaliter viventium quotidiana ſunt alimenta, ad hæc dum perditi quique velut eſurientes inhiant, eos malignus ſpiritus, tamquam volucres vulpes doloſa deglutit, eoſque in ſui corporis viſcera trajicit.*

B. Petr. Damian. c. 2. Ep. 18.

Dæmon vulpi ſimilis.

7. Nota eſt illa vulgaris & famoſa Syrenarum fabula, de quibus Poëtæ fingunt, quod cum venuſtiſſimum & fœminilem præ ſe vultum ferant viatores cantibus & harmoniis ſuis adeo rapiant & incantent, ut velut immobiles maneant, nec navim ſuam ulterius progredi ſinant, at vero ijs, qui in navigio ſunt, ſuavi ſopore præ nimia harmoniæ dulcedine ſopitis, ipſis in prædam fiunt, devoranturque ab illis. Ad hoc forſitan Iſaias hiſce verbis alludit, dum ait: *Syrenes in delubris voluptatis.* Juxta D. Hieronymi verſionem, *Syrenes* idem ſignificat, quod *dæmones.* En tibi haſce Syrenes inter medias carnis delectationes & voluptates conſtitutas, in delubris voluptatis. S. Hieronymus namque dicit: *Has dæmones aut monſtra quædam, vel certe dracones magnos interpretati ſumus.* Hæ Syrenes per delitias & voluptates carnis incantant, ut animas noſtras voluptati carnali immerſas devorare queant.

Libido incantat.

Iſaia 13. v. 22.

S. Hieron.

8. Siſara qui ſe contra populum Dei armis accinxit, dum illum ore poculo lacteo immerſum conſidero, mihi inimicum noſtrum infernalem ad vivum repræſentare videtur, hic enim adinſtar ſerpentis, ſub prato viridi & jucundo gramine ſe abſcondit; Et ideo Rupertus Abbas dicit: *Siſara hoſtem humani generis nomine ipſo ſignificat.* S. Thomas D. Angelicus utiliſſimam quamdam ex S. Iſidoro propoſitionem adducit; ſic enim ſcribit: *Iſidorus dicit in libro de ſummo bono, quod magis per carnis luxuriam humanum genus ſubdatur diabolo, quam per aliquid aliud, quia ſcilicet difficilius eſt vehementiam hujuſmodi paſſionis.*

Vehementior paſſio hominis.

Rup. Abb. in Iud. c. 6.

S. Thom. 2. 2. Q. 154. A. 3.

9. S. Ambroſius hominem carnalem cum diabolo arcto cognationis aut parentelæ vinculo, tamquam ejus filium adſtrictum eſſe dicit; nam ſuper illa Pauli verba: *Fugite fornicationem*, cauſam ejus reddere volens, dicit: *Recte fugiendum monet fornicationem per quam filij Dei fiunt filij diaboli.* Etenim parentibus proprium eſt filiis abblandiri, eoſque alere: Idem diabolus quoque cum illis, qui concupiſcentiæ carnali immerſi exiſtunt, facit, his namque de illecebris allicientibus & delectationibus abunde proſpicit, ipſorum amoribus correſpondere ſatagit, in continuis gaudijs, quoad fieri poteſt, ipſos vivere procurat, licet alia ex parte verum ſit, quod *quantum in delitijs fuit, tantum dabitur illi tormentum & luctus.*

1. Cor. 6. v. 18.

S. Ambr. l. 2. de Abr. c. 4.

Libidinoſi fiunt filij diaboli.

Apoc. 18. v. 7.

10. Ezechiel Propheta de pulchritudine Luciferi loquens dicit: *Omne lignum Paradiſi Dei, non eſt aſſimilatum illi & pulchritudini ejus*, & paulo poſt ſubjungit: *Et æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiſo Dei*; Ecce quam verum ſit, quod voluptas & delectatio carnalis centrum ſit dæmonis, quodque ſequaces illius eum in hoc imitentur & æmulentur; Nam dicit: *ligna voluptatis*, non vero, *ligna regionis*, quia voluptas eſt attractitia ipſius.

Ezech. 31. v. 8.

Ibid. v. 9.

Centrum.

11. Job ſub titulo Bohemot de dæmone loquitur, oſtenditque quiſnam lectus quietis ejus exiſtat: *Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus.* Enimvero ſcire hoc loco percuperem, qualis hujus loci, in quo dæmon quieſcit, & dulciter dormit, ſit jucunditas & amœnitas? Sed ecce ſanctus Antonius de Padua omne nobis quoad hoc dubium eximit; dicit enim: *In locis humentibus, id eſt, in conſcientia, quæ prius fuerit humida per immunditiam, ſuaviter obdormiſcit, & dulciter quieſcit.* Idem quoque ſanctus Antonius ſuper illa Salvatoris noſtri verba apud S. Lucam: *Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi*, ita ſcribit: *Sed nota, quod in aridis non invenit requiem, quia ibi non poteſt figere pedem ſuum.* Quando columba, quæ ſymbolum eſt caſtitatis, à Noë poſt diluvium, ut in Geneſi ſcribitur, emiſſa fuit, non invenit ubi pedunculos ſuos figeret, ideoque ad arcam reverſa eſt, ut per hoc ſignificetur, quod illi, qui honeſtatis & pudicitiæ cultores & zelatores ſunt, omnem fugiant immunditiæ contrahendæ occaſionem & periculum; non verò ſic corvus, per quem dæmon & homo carnalis figuratur; hic enim ad nihil aliud intentus eſt, quam ad quærendas & devorandas carnes, quas inveniens ijs affixus hæret, & in luto quoque ipſo quieſcit. Albertus Magnus quoque in Lucam ſuper illa verba: *Loca inaquoſa*, dicit: *Hoc eſt, à concupiſcentiæ humore arida.*

Job. 40. v. 16.

Lectus.

S. Anton. de Pad. ſerm. in Dom. 2. Quadr.

Luc. 11. v. 24.

Alb. Mag. in Luc.

Zach. 5. v. 7.
Mulier inſtrumentum diaboli.
S. Hier. in c. 7. Eccl.

12. Zacharias viſionem quamdam ſibi à Deo factam recenſens dicit : *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una ſedens in medio amphoræ.* Quænam verò hæc mulier erat, quæ tanta cum commoditate ſedebat & portabatur ? *Portabatur, & ecce mulier una ſedens.* S. Hieronymus dicit : *Diabolum mulierem accipimus.* Sed quid dæmoni, qui deformis & impurus eſt ſpiritus, cum muliere, quæ pulchra quædam eſca eſt, & ad carnem proclivis, ſpiritus vero inimica exiſtit, intercedit negotij ? Ecce tibi myſterium ; Dæmon enim velut in ſuo centro quieſcit, quando huic ſexui, qui luxuriæ fomentum eſt, dominatur, & pro ſuo arbitrio imperat. Audite quonam titulo D. Chryſoſtomus mulierem indigitet : Appellat eam *antiquum diaboli organum.* Quando inexpugnabilem illam primi hominis arcem (de quo ſcribitur : *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*) demoliri voluit, non adhibuit, ad hoc facinus perpetrandum furias infernales, non armavit tenebrarum exercitus, una tantum mulier ad hoc opus abſolvendum ipſi videbatur ſufficere : *fæmineis magis illecebris, quam ſuis commiſit venenum* ; Verum quidem eſt, quod ad hoc opus ſerpentem ſeu potius quamdam larvam ſerpentis adhibuerit, verumtamen is, qui munitiſſimam hanc arcem demolitus eſt, & terræ æquavit, non ſerpens, non diabolus, ſed mulier ſola fuit.

D. Chryſ. Hom. 3. de patient. Iob. Pſ. 8. v. 6.
Probatur.

S. Ioan. Damaſc. Parat. c. 76.
Confirmatur.

13. S. Damaſcenus quærit : *Quid eſt mulier :* Et reſpondet : *Cauſa diaboli*, quaſi dicere vellet, mulier ſola in cauſa fuit, quod omnium primo in terris compareret ; poſtquam enim de cælo in abyſſum præcipitatus fuit, ibi arctè recluſus permanſit ; Ad hæc idem Sanctus mulierem lectum quemdam eſſe dicit, in quo diabolus ſuaviter quieſcit : *Requies ſerpentis, diaboli conſolatio.*

Dæmon allicit ad libid.
Iſa. 36. v. 16.

14. Magnanimus ille Aſſyriorum Dux Rabſaces, prope mœnia urbis Hieroſolymitanæ conſiſtens ad populum Dei alta voce clamavit : *Comedite unusquisque vineam ſuam, & unusquisque ficum ſuam.* Quæ verba Hugo Cardinalis in ſenſu myſtico exponens dicit : *Suadet diabolus unicuique comedere vineam ſuam, id eſt, inebriationem temporalis jucunditatis, & ficum, id eſt, delectationem carnalis voluptatis.* Idem purpuratus Doctor ſuper prædicta Chriſti verba apud ſanctum Lucam : *Perambulans per loca inaquoſa, quærens requiem & non inveniens dicit : Revertar in domum meam, unde exivi*, ita ſcribit : *Diabolus dicitur habitare in locis humidis, quod ad myſticum ſenſum referendum eſt, ut per hoc ſignificetur, quod habitat in mollibus, id eſt, per humorem luxuriæ defluentibus.* In cujus expoſitionis confirmationem illum ſuperius à nobis allegatum Jobi textum cap. 40. & Ezechielis cap. 29. adducit, ubi dicitur : *Draco magne, qui cubas in medio fluminum.*

Hug. Card. Levit. 11. v. 24.
Luca. 11. v. 24.
Hugo Card.
Ezech. 29. v. 3.

15. Deus noſter per Pſalmiſtam de populo ſuo graviter lamentatur, quod in offerendis dæmoni in ſacrificium filiis ſuis adeo facilis fuerit, cum tamen ex altera parte erga ipſum adeo fuerit parcus : *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs, id eſt*, ut Sanctus Hieronymus exponit : *ſenſus & animas ſuas.* Verum aliam quamdam ſacri cujusdam expoſitoris interpretationem audite : *Merito ei in nonnullis Aphricæ partibus à parentibus immolantur infantes, blanditijs & oſculo comprimente vagitum, ne flebilis hoſtia immolaretur.* Hoc enim eſt mirum dæmonis artificium, quod animas & corda noſtra ſibi in ſacrificium offerri faciat, ut in inextinguibili inferni igne perpetuo ardeant, *ubi erit fletus & ſtridor dentium*, verum omne id præſtet *blanditijs, & oſculo comprimente vagitum*, id eſt, abſcondendo & occultando pœnas, quas una cum delectationibus, voluptatibus & gaudiis, quibus caro fruitur, tandem aliquando ſunt toleraturi.

Pſalm. 105. v. 37.
S. Hieron.
Cor dæmoni offertur lib.
Minut. Felix.
Matth. 8. v. 12.

Mulieres arma ſunt dæmoni.

16. Salomon, qui ab experientia voluptatum carnalium de ijs ſecure loquitur capite ſeptimo Proverbiorum, blandimentorum illecebras, quibus dæmon victimas, quas ſibi proferri procurat, afficere ſolet, his verbis deſcribit : *Apprehenſum deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur dicens :... Intexui funibus lectulum meum, ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto, Aſperſi cubile meum myrrha ;... Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus... Irretivit eum ... & blanditijs labiorum protraxit illum, Statim eum ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur, Donec transfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur.* Sanctus Bonaventura vehementer miratus, quod omnes tantopere baliſtas metuant, quæ corpus feriant, nec tamen ulla ratione illas formident, quibus diabolus animas vulnerat, & ſæpe etiam animam : *Arma diaboli ſunt mulieres, ſunt baliſtæ diaboli de longe infigentes, fatuus eſt luxurioſus qui non curat hoſtem ſuum fugere, ſed attendit pulchritudinem baliſtæ.*

Prov. 7. v. 13.
Ibid. v. 16.
Ibid. v. 17.
Ibid. v. 18.
Ibid. v. 21.
Ibid. v. 22.
Ibid. v. 23.
S. Bonav. in Diæta Salut. c. 9.

Dæmon inſidiatur.
S. Baſil. Homil. 37.

17. Sanctus Baſilius ſub alluſione ab aſſaſſinis deſumpta de inimici infernalis inſultibus optime diſcurrit ; Nam in Homilia, cui titulus eſt : *Non adhærendum rebus ſæcularibus*, ita ſcribit : *Quemadmodum perverſi quidam & ſubdoli homines, quorum ſtudium eſt & propoſitum ex aliorum bonis diteſcere, eam tamen potentiam non habent, ut aperta violentia utantur, vias inſidioſè obſidere ſolent, & ſi locum aliquem circa illas, aut convallibus profundis interruptum, aut dumorum denſitate obſcurum viderint, in illum ſeſe abdunt, & hujusmodi velamento viarum circumquaque conſpectum, ne prævideantur amoliti, ex inopinato illos adoriantur, ne quisquam eorum laqueos periculoſos videre prius queat, quam in illos incidat : ita & Sathan inſenſus nobis & antiquus hoſtis, mundanarum oblectationum umbris ſeſe inſinuans, quo periculoſe circa vitæ hujus viam latronem occulere ſolent, & latibula præbere inſidiarum, inde improviſos nobis perditionis laqueos obſternit.* D. Chryſoſtomus pariter nos hortatur, ut laqueos, quos ſerpens aſtutus ad quemvis greſſum noſtrum tendit, & in quibus voluptatum eſcam caute adaptat, diligenter proſpiciamus, &, quoad poſſumus, declinemus : *Multa ibi opus eſt*, inquit, *conſideratione, & diligenti ſcrutatione, ſicut enim pueri terræ laqueos*, ſic diabolus vitæ voluptatibus peccatis circumtexit.

D. Chryſ. Homil. 15. ad pop.

## *DISCURSUS IX.*

## ARGUMENTUM.

Homines carnales inter alios peccatores maxime à dæmone poſſidentur, & ab eo male tractantur.

## THEMA.

*Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens, dicit : Revertar in domum meam, unde exivi*, Luc. 11. ℣. 24.

In carnales revertitur Dæmon.

1. TAmetſi ſpiritus fornicationis, qui vulgari nomine *ſpiritus immundus* appellatur, eo quod nobis cogitationes immundas immittat, & ad obſcæna opera perpetranda inſtiget, nonnumquam ob veram peccatricis animæ pœnitentiam, ab eadem fugiat, non tamen ob id quieſcit, & ab ea perſequenda deſiſtit, quin potius ad eamdem infeſtandam revertitur, ut tanto ſe tenacius eidem inſinuet. Unde Lyranus prædicta verba ita exponit : *Cum immundus ſpiritus, id eſt, peccati carnalis appetitus exierit per virtutem pœnitentiæ, tunc ſi in ipſam regredi poſſit, aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.*

Lyran. Ibid.

Tenacius poſſidet.

2. Enimvero ſi univerſam peccatorum turbam diligenter examinemus, inveniemus utique, quod dæmon hominem carnis vitio deditum præ cunctis aliis peccatoribus tenacius poſſideat, graviori ſervitute premat, majoremque tyrannidem in eum exerceat. Sanctus Gregorius ſuper illum textum 1. Reg. cap. 7. *Auferte Deos alienos de medio veſtri*, ita ſcribit : *Sunt nonnulli operatione mundi, ſed infirmitate cordis, uſu fœdantur pravæ cogitationis. Bona quidem inceſſanter faciunt, ſed cogitare reproba numquam prætermittunt ; quia vero tot in eorum cordibus dæmonia requieſcunt, quot deſideria immunda, auferre de medio ſui alienos Deos inſtanter admonentur.* Ex qua tanti Doctoris ſententia tale licet formare argumentum ; ſi quot cogitationes immundæ in animam irrepunt, totidem diaboli mentem noſtram occupant, quanto magis maligni hi ſpiritus animam ſerviliter ſupplantabunt, ſi deſideria operibus quoque immundis & ſenſualibus fuerint conjuncta ? Sanctus Bernardinus dicit : *Non eſt aliquod vitium, per quod mundus tantum ſubjiciatur diabolo ; hoc peccatum lætificat infernum, & quaſi totum mundum trahit ad ſupplicium. Hic cadit exemplum de conſilio Luciferi, in quo dæmones per totum mundum diſperſi referebant mala, quæ commiſerant, & omnes percutiebantur, ſolum dæmon, qui per quadraginta annos monachum ad luxuriam provocaverat, fuit à Lucifero coronatus.*

1. Reg. 7. v. 3.
S. Greg. in l. 3. in 1. Reg. c. 7.
S. Bernard. T. 4. ſerm. 21. de Luxur.



N. B.

Tob. 6. v. 14.
In Luxurioſos dæmon habet Dominium.
Ibid. v. 15.
Ibid. v. 16.
Ibid. v. 17.

3. In hiſtoria Tobiæ cap. 6. refertur, quod Sara filia Raguelis à parentibus ſeptem ſucceſſive ſponſis nuptui fuerit tradita : *Tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt :* inquit Tobias junior ad Raphaëlem Archangelum : *ſed hoc audivi, quia dæmonium occidit eos, timeo ergo ne forte & mihi hæc eveniant* ; at vero ex reſponſo, quod dictus Archangelus ſubjunxit, clare deducitur, quod diabolus illis dumtaxat prævaleat, qui luxuriam ſibi prædominari permittunt : *Tunc Angelus Raphael dixit ei : Audi me & oſtendam tibi qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium : Hi namque qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos* ; Unde ſic licet arguere : quod ſi diabolus prævalet illis, qui ſibi mutuo vinculo matrimoniali adſtringuntur, licito quidem, ſed tamen eo præcipue fine contracto, ut carnali ſuo appetitui ſatisfaciant, abſque eo quod ſuam in Deum mentem extollant : quanto igitur magis dæmoni ſubjicientur illi, qui amoribus furtivis, fornicationibus, adulteriis, inceſtibus, ſacrilegijs, alijsque contra naturam committendis peccatis vacant. *Qui ſe voluptatibus mancipat*, inquit D. Chryſoſtomus, *is revera dæmonibus familiariter utitur, eorum inſaniam æmulatur.* De dæmone Job ait : *Leo ſicut bos comedet paleas* ; & S. Petrus de Satana dicit : *Tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* ; At verò quænam eſt hæc palea quam ſicut bos comedere dicitur. S. Gregorius ſuper illa verba : *Leo ſicut bos comedet paleas*, dicit : *Quid autem fœni & palearum nomine niſi carnalium vita ſignatur, de qua per Prophetam dicitur : Omnis caro fœnum.* Optimè dæmon novit, quam ſit nobis inviſceratus ille carnalis voluptatis pruritus, ac proinde huic carni noſtræ, tamquam parti debiliori omnes ſuas tentationum machinas admovet : *Scit adverſarius ille noſter quanta ſit vis hujus cupiditatis, quam quidam neceſſitatem dicere maluerunt, eamque à recto & bono ad malum & pravum transfert ; illicita enim deſideria immittit, ut aliena contaminent, quibus habere propria ſine delicto licet. Oculis objicit irritabiles formas, ſuggerit fomenta.*

D. Chryſoſt. Hom. 68. de peccatis. To. 1.
Job 40. v. 10.
1. Petri 5. v. 8.
S. Greg. l. 32. mor. c. 10.
Lact. Firm. l. 3. c. 23.

S. Greg. l. 2. mor. c. 25.
Permittit Deus tentationes.

4. S. Gregorius locum illum Jobi, in quo ignis è cælo delapſus greges ſuos conſumpſiſſe dicitur, in ſenſu morali exponens dicit : *Quia ergo ab aëreis poteſtatibus contra cogitationum noſtrarum munditiam flamma livoris irruit, de cælo ignis ad oves venit ; ſæpe enim mundas mentis noſtræ cogitationes ardore libidinis accendunt ; & quaſi igne oves concremant, dum caſtos motus animi luxuriæ tentatione perturbant, qui ignis Dei dicitur, quia etſi non faciente Deo, tamen permittente generatur.*

Superbis & luxurioſis dæmon magis famulatur.
S. Iſid. l. 2. ſent. c. 39.

5. S. Iſidorus in Sententiis ſuis unam habet, in qua ingentem, quo dæmon libidinoſos & ſuperbos proſequitur, amorem inſinuat : dicit enim : *Luxurioſis atque ſuperbis dæmones plus fautores exiſtunt, dumque in cæteris vitijs ſpiritus maligni deſerviant, his tamen majori familiaritate junguntur, eisque amplius juxta deſiderium famulantur* ; adducitque illum S. Jobi textum, in quo Propheta in Perſona Dei de diabolo ſub titulo Behemot loquens, de eo dicit : *Sub umbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus.* Ubi *per calamum*, inquit, *inanis ſuperbia, per loca vero humentia carnis demonſtratur luxuria : Per hæc enim duo vitia diabolus humanum poſſidet genus, vel dum mentem in ſuperbiam erigit, vel dum per luxuriam carnem corrumpit.*

Job 40. v. 16.

Drexel. l. 1. c. 9. §. 1.
Hiſtoria. 1.

6. Refert P. Hieremias Drexelius virum quemdam carnis turpi vitio totaliter deditum in Auſtriæ metropoli urbe Viennenſi nocturno tempore à dæmone è lecto & camera ſubreptum in viri cujusdam præcipui ſtabulum fuiſſe projectum ; Cumque ſervi ejuſdem viri equos in eodem ſtabulo conſtituto inſolito quodam more perſtrepentes & recalcitrantes audiſſent, eoque velociſſimè, ut ſtrepitum & tumultum è quorum compeſcerent, accurrerent, dæmon conatum ſuum detectum & manifeſtum eſſe videns, una cum præda ſua ſubito avolavit, eumque in vas quoddam atramento plenum, dignum videlicet adeo deformis peſſimique hominis illius balneum injecit, ac demum ab hoc quoque loco exemptum, ad hoſpitale, ut ibi curaretur, transportatus fuit.

Rayn. Ann. 1452. n. 38.
Hiſtoria. 2.

7. In Annalibus Eccleſiaſticis viſionem quamdam Dionyſio Carthuſiano pro defuncto quodam Epiſcopo orationi incumbenti factam legimus *Cum enim pro eo in cella vigilans oraret, à duobus deterritus gyganteæ formæ ſpiritibus vidit ante ſe adductum ſqualidum, tetrum, ardentibus flammis circumſeptum, fumoque oppletum ; Cui dixerunt : Ecce pro quo oras ; intuens autem illum Dionyſius diligenter, vidit circa ventrem & genitalia ejus immenſam agmen ſerpentum & bufonum, qui miſerum corrodebant* ; ei quoque cauſa mox declarata fuit, ob quam ſerpentes illam corporis partem præcipue occupabant, ipſeque dæmonibus miſere in prædam ceſſerat ; nimirum, *quia fuerat in vita in concupiſcentijs fæminarum monialium virginumque ſtuprator.*

S. Bern. 4. ſ. de luxur.
Eccleſ. 42. v. 12.
Fæminæ ſunt viſcus diaboli.
S. Greg. l. 6. in Iob. c. 1.

8. S. Bernardinus authoritati S. Hieronymi innixus hoc carnis vitium *Dæmonis viſcum* appellat ; Poſtquam enim dixiſſet : *Converſatio viri cum muliere maxime fugienda, nam Eccleſ. 42. dicitur : In medio mulierum noli commorari, de veſtimentis enim procedit tinea, & de muliere iniquitas viri* ; Poſtea ſubdit : *Et Hieronymus ait : Ego judico, ſi cum viris fæminæ habitant, non deerit viſcarium diaboli.* S. Gregorius de Jobi peſſima conjuge, quam aſtutus ſerpens ideo in vivis conſervavit, ut ea tamquam potentiſſima ad eum infeſtandum & impugnandum machina uti poſſet, differens, ita de ipſa ſcribit : *Cui ſuadere uxor ad maledicendum nititur, quia carnales quique intra ſanctam Eccleſiam adjutores callidi tentatoris exiſtunt, quæ enim eum ad maledicendum provocat, vitam carnalium deſignat.* S. Antonius de Padua ad mulieres Moabitides & Madianitides, quæ populum Deo induxerunt ad fornicandum, ſe reflectens, inquit : *Filiæ Moab ſunt gula & luxuria, quæ ſunt ex patre diabolo, cum quibus fornicatus eſt populus, & comedunt & adorant Deos alienos ſuos, quia luxuriæ ſunt dediti.*

S. Ant. de Pad. in Dom. 4. poſt Paſchā.

Rayn. Ann. 1343. n. 88.
Hiſtoria. 3.

9. In Annalibus Eccleſiaſticis de Petro Diaz Civitatenſi in Hiſpania Epiſcopo, carnis vitio quoadusque vixerat deditiſſimo, ſcribitur, quod cum morbo lethali eſſet implicitus, quamquam à cubiculario ob ſpectra dæmonum ipſius animæ inſidiantium viſa, ut ſacra confeſſione crimina expiaret, conſilia deriſerit. Demum ut convinceretur non inania fuiſſe ſomnia, cum cubicularius à quodam Religioſo Franciſcano per objectam ſibi ſpeciem ſolicitare juberetur Epiſcopum ad pœnitentiam, illeque ſignum poſceret, *juſſus digitum in ardentis picis cacabum Epiſcopo morituro paratum immittere, mox aduſtum extraxit eoque in pœnitentiam convicit, uſque ut Sacerdotem vocaret : ſed extorta Confeſſio parum valebat*, eo quod ex ſervili quodam timore facta fuiſſet. Cum vero ſic mortuus delatus eſſet ad templum, quarto poſt die ſepulchro mandandus, e feretro caput erexit, ſeque ob improbe actam vitam ad divinum tribunal raptum defixis horrore ſpectatoribus enarrat, & cruciatibus æternis damnatum ; ob ſuum tamen ſingulare in S. Franciſcum ſtudium illius precibus Deum flexum ad miſericordiam, ut ad vitam revocaretur, peracta diebus viginti ſcelerum pœnitentia iterum moriturus. Sunt quidem hæc exempla admodum rara, verumtamen clare ſatis nobis, quam inextricabilibus dæmonis retibus anima voluptatibus carnis dedita, per hoc vitium innectatur, demonſtrat.

S. Ambroſ. in Pſalm. 118. Oct. 16.
1. Cor. 7. v. 5.
Tentatio major circa libidinem.

10. S. Ambroſius inquit : *Auctorem incontinentiæ diabolum eſſe, Apoſtolus docet : Ne tentet*, inquit, *vos Sathanas per incontinentiam veſtram.* Tametſi enim diabolus nos quoque in omnibus alijs peccatorum generibus tentet, in hoc tamen peccatum ſolicitandum plus operæ & induſtriæ impendit, quam ad omnia alia peccata ſua committenda, quia ad hoc peccatum perſuadendum faciliorem in nobis invenit facilitatem & correſpondentiam, inimicum enim noſtrum domi habemus, ſcilicet corpus noſtrum, ſive qui in eo latet, ſtimulum & fomitem carnis, qui cum dæmone perpetuo colludit & conſpirat. *Adulterium qui facit*, inquit idem Sanctus, *diaboli portio eſt.*

Iob 40. v. 11.
Fortitudo dæmonis ex concupiſcentia carnali.

11. De hoc infernali monſtro S. Job ait : *Fortitudo eſſe in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventris ejus.* Enimvero ſi immenſæ hujus beſtiæ fortitudinem in pedibus, vel unguibus, vel in dentibus oris, aut in vultus ferocitate, ſive in ſtatura conſiſtere dixiſſet, facilius intelligi potuiſſet, nunc vero quæ fortitudo umbilico, vel lumbis ineſſe poterit ? Verumtamen facilis eſt myſterij hujus intelligentia, ſi ad ſenſum moralem recurramus ; Per has enim corpo-

ris partes, ſcilicet lumbos & ventris umbilicum concupiſcentia carnalis intelligitur, & per hanc dæmon fortis evadit, & ad hanc promovendam omnes vires ſuas impendit. Unde S. Gregorius ait: *Fortitudo ejus in lumbis ſuis, & virtus illius in umbilico ventris ſui, quia nimirum ejus propriè corpus fiunt, qui ſuggeſtionum turpium blandimentis decepti ei per luxuriæ fluxa ſuccumbunt.*

S. Greg. l. 32. mor. c. 12.

Rayn. Ann. 1382. n. 27. Hiſtoria.

12. In Annalibus Eccleſiaſticis de Zavíſſa Cracovienſi Epiſcopo legitur, quod dum in quadam villa ſeu prædio ſuo, cuidam virgini loci illius vim inferre conaretur, ut ejus pudicitiam contemeraret, confeſtim ceciderit mortuus, cumque cadaver illius cum ſolemni pompa ad Eccleſiam Cathedralem ſub noctem ſepeliendum deferretur, funeſtus eventus ſequens ibidem accidit: *Ferunt enim auditos ſtrepitus & hinnitus equorum diſcurrentium, dæmonumque voces vociferantium; Proficiſcamur meretricatum.*

Euſeb. Ep. ad Damaſ. Pharao typus dæmonis.

13. Euſebius in Epiſtola quadam ad S. Damaſum de morte S. Hieronymi ita ſcribit: *Enſis diaboli luxuria. Heu quot illa interfecit romphæa? non eſt aliud peccatum, quo toties diabolus victor exiſtat.* Porro Pharao verus inimici infernalis typus fuit; hic autem miniſtris ſuis ſolum ſexum fæmineum, maribus omnibus in aquis ſubmerſis reſervare præcepit: *Quidquid fæminei ſexus reſervate*; ſolus etenim hic ſexus ad diſperdendum populum Dei electum ſufficit. Fuit quoque idem adverſarius noſter à Chriſto Domino in volucribus illis bonum ſemen devorantibus præfiguratus: *Aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Demum verò idem Salvator noſter declarare volens, quinam per volucres illas voraces & capaces intelligantur, inquit: *Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.* Ubi S. Antonius de Padua ita ſcribit: *Dæmones dicuntur volucres, propter ſuperbiam; Cæli, id eſt, aëris in quo habitant, hi comedunt & rapiunt ſemen de corde luxurioſi, ne fructificet. Unde Oſe. 7. Alieni comederunt robur ejus, id eſt, dæmones comederunt verbi Dei virtutem.*

Exod. 1. v. 22. Lucæ 8. v. 5. In luxurioſo nil fructificat. Ibid. v. 12. S. Ant. de Pad. in Dom. ſexag. Oſe. 7. v. 9.

14. D. Chryſoſtomus ſubtiliter obſervat differentiam, quæ eſt inter Cananæam & Magdalenam, illa namque ſolum micas panis, quæ cadebant ſub menſam Chriſti pro filia ſua à dæmonio vexata petebat, adeoque illi ſufficiebat vel unica mica panis illius, qui de ſe ipſo dixit: *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi*, ut dæmonem filiam ſuam peſſime vexantem (*Filia mea male à dæmonio vexatur*) pellere & in fugam agere poſſet: At vero Magdalena ſe Chriſto, menſæ Phariſæi accumbenti, adjunxit; non ſufficiebat illi panis mica, quia à ſeptem dæmonijs vexabatur; Qualis vero Magdalena, *de qua ſeptem dæmonia ejecerat*, aut cujus conditionis erat? *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*; ad hanc ergo ad bonam frugem perducendam Chriſti omnipotentia opus erat, quia cum mulier peccatrix ſive meretrix eſſet, nimium erat à dæmonio illaqueata: *Cernens in menſa Dominum, non quæſivit, ſicut Cananæa micas, ſed ipſum panem vitæ amplexata eſt. Cananæa pro filiâ à dæmone vexata interpellabat, & dum ſeipſam canis nomine interpellari audiret, micas de menſa cadentes petijt, hæc vero non filiam à dæmonio vexatam habebat, ſed totum corpus laſcivæ dæmoniacæ deditum.*

D. Chryſ. ſerm. in peccat. & Phariſ. Ad reſipiſcendum gratia ſpeciali opus. Joan. 6. v. 41. Matth. 15. v. 22. Marc. 16. v. 9. Luc. 7. v. 37.

15. S. Hieronymus ad Oceanum de vita clericali diſſerens ait: *Janua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nocivumque genus eſt fæmina, cum proximat ſtipula incendit ignem.* Eccleſiaſticus ait: *Quaſi à facie colubri fuge peccata*; Sed cur potius illa fugere ſuadet, quaſi à facie ſerpentis, quam ſicut à facie urſi, vel tygridis, vel leonis? S. Antonius de Padua dicit: *In colubro luxuria deſignatur; Coluber enim dictus eſt eo quod colat umbras, vel quod ſit lubricoſus; Cervum fugit, leonem interficit, & ſignificat luxuriam, quæ colit umbras, id eſt, habitat in illis, qui ſunt umbroſi, id eſt, tepidi & otioſi.* Ecce tibi ſerpentis infernalis cum hoc vitio indiſſolubilem conjunctionem, neque enim unus ab alio ſeparatur.

S. Hieron. ad Ocean. Fæminæ quid ſint. Eccl. 21. v. 2. S. Anton. de Pad. in Dom. 12. poſt Trinit.

16. Hugo Cardinalis ſuper illum Sapientis textum ſcribens, in quo hominem concupiſcentiæ carnalis igne ſuccenſum, ei qui prunas ardentes in ſuo ſinu defert, comparat, dicens: *Ignem in ſinu abſcondit, qui mulieri libenter loquitur: Super prunas ambulat, qui affectus ſuos in ſpeciem mulieris figit, ad has prunas multi ſe calefaciunt, cum Petro Chriſtum negantes.* Quiſnam vero ille eſt qui hos carbones accendit: Audite: *Has prunas accendit diabolus ſuggeſtionibus pravis. Job 41. Halitus ejus prunas ardere facit.* Idem quoque Sapiens c. 7. illum qui inſano laſcivæ mulieris amore captus eſt, ſimilem eſſe dicit bovi qui ad victimam ducitur: *Quaſi bos ductus ad victimam*, ſed in cujus honorem hæc hoſtia immolatur? num forte Dei? minimè gentium; Igitur victima hæc ad dæmonis honorem dirigitur: Unde Tertullianus ait: *Ipſa etiam proſtibula publicæ libidinis hoſtia.*

Converſatio nociva. Hugo Card. in Prov. 7, v. 27. Job 41. v. 12. Prov. 7. v. 22. Tertull. l. de ſpect. c. 19.

17. Audiatis velim quonam titulo Hugo de S. Victore illam Chriſto præſentatam adulteram appellet? *Venit ergo Jeſus, & ita ſe omni manſuetudine exhibuit, ut peccatricem animam ſeptem dæmonijs adulteram de manibus lapidantium eriperet.* Ubi notandum eſt Ly illud: *ſeptem dæmonijs*, quia anima laſciva magis quam quævis alia anima impia à dæmonijs poſſidetur.

Hug. de S. Vict. l. 1. Miſcel. 2. T. 19.

18. B. Laurentius Juſtinianus optimè notat, Luciferum pro omnibus magis arduis facinoribus feliciter exequendis, muliere uſum fuiſſe veluti inſtrumento; ſicut quando Pilatum conjuge ejus mediante à morte communis omnium Redemptoris decernenda dimovere tentavit: *Proinde ut illius poſſet impedire agonem, ad conſueta cucurrit muliebria arma, cum quibus olim ſtrenuiſſimos debellaverat Duces. Adam quippe de Paradiſi amœnitate dejecit. Loth in filiarum compulit ſtuprum; Samſon in manu Philiſthym dedit; David in adulterij atque homicidij crimen induxit; Salomonem etiam ſapientia perdita alienigenarum Deos thurificare coegit; Apoſtolorum noviſſime Principem in Magiſtri negatione proſtravit; hominum quoque redemptio mediante Pilati uxore, ne fieret, laboravit.*

Per mulieres dæmon vicit multos. B. Laur. Juſt. de triumph. Chri. agon. c. 13.

19. S. Ephrem optime nos monet, ut dum diabolus per carnis voluptates nobis abblanditur, minimè id ex aliquo erga nos amoris affectu fieri exiſtimemus, ſiquidem ſemper & indeſinenter implacabili nos odio proſequitur: *Doloſè quippe ad breve tempus diligit, & mox deſerit, meretricique immundæ ſimilis, quæ cum ſubſtantiam & vires alicujus abſumpſerit, averſari atque odiſſe incipit. Quis igitur non deploret? nam & inimicus noſter, ubi vires noſtras & tempus in ſuis immunditijs fœdiſque concupiſcentijs prodegerit atque conſumpſerit, tunc à nobis recedit propter odium, quod in nos habet, numquam enim impuriſſimus ille ac fraudulentiſſimus nos dilexit.*

S. Ephrem. ſerm. Paræn. in illud. Attende tibi. Dæmon odit omnes.

20. S. Bernardus delectationum nobis à diabolo procuratarum fugam inſinuat, dum ait: *Voluptatibus irretire laborat, & in his includit multitudinem copioſam eorum, quæ in terra repunt, aut volitans juxta eum.* Modum vero quo ejus laquei à nobis fugiendi, ibidem quoque nobis indicat dicens: *Sit ergo gaudium in tribulatione, & jam non habet malignus unde alliciat, non habet unde deficiat. Nihil proficiet inimicus in eo, quem Crux Chriſti delectat, ſi carnalem ſuggeſſerit delectationem.*

S. Bern. ſer. de S. Andr. Crux fuga tentationis.

## *DISCURSUS IX.* ARGUMENTUM.

Vitium carnis in Scriptura ſacra inferni nomine appellatur, quia ſectatores ſuos irreparabiliter ad æternam perditionem perducit.

### THEMA.

*Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.* Prov. c. 7. ℣. 27.

1. SPiritus Sanctus, qui peccatum carnis ſuper alia quævis peccata abominatur & exhorreſcit, laſcivæ mulieris domum in pluribus Scripturæ locis inferni nomine compellat: *Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis*, Prov. c. 7. Et in eodem libro c. 2. de impudica fæmina jam dixerat: *Pacti Dei ſui oblita eſt, inclinata eſt enim ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ipſius.* S. Auguſtinus quoque in ſermone quodam hanc ignis infernalis, & fæminæ impudicæ miram connexionem obſervat, dum ait: *Infernum & amorem mulieris recte conjungit Scriptura.*

Deteſtatur Spir. S. infernalem luxuriam. Prov. c. 2. v. 18. S. Aug. ſer. 107. de temp.

2. Deus apud Oſeam dicit: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* S. Hieronymus ex verſione ſeptuaginta Interpretum legit: *De manu inferni liberabo eos.* Verum enim verò quis umquam aliquem inferni flammas evaſiſſe audivit? imo certum eſt, quod in *inferno nulla redemptio.* Sciendum eſt igitur quod ſanctus hic Doctor poſtquam Deum hiſce verbis redemptionem, qua Filius ejus unigenitus nos à mortis & inferni reatu liberaturus erat, prædicere voluiſſe demonſtraſſet, ſtatim immediatè ſubjungit dicens: *Sive Propheta intelligens fragilitatem ſuam & conditionem carnis humanæ, Conſolatio, ait, abſcondita eſt oculis meis; ut ſit ſenſus: Non valeo conſolari; quidquid mente concepero, dolorem meum non poteſt mitigare: cernitis chariſſima inter ſe nomina morte ſejungi; ipſe inquit infernus inter fratres dividit; quidquid igitur ſeparat fratres, infernus eſt appellandus, & maximè mulier meretrix.*

Oſe. 13. v. 14. S. Hieron. Laſciva mulier inferno ſimilis. Oſe. 13. v. 14.



3. Regius Propheta David Deo ſæpius in Pſalmis ob animæ ſuæ ab inferno liberationem à Deo factam, gratias agit: *Domine eduxiſti ab inferno animam meam*; Et alibi dicit: *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me. Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* At verò quiſnam hic inferior infernus, à quo ſe liberatum eſſe cum tam exaggerata gratiarum actione memorat? certè nullus alius, quam adulterium cum Bethſabea commiſſum, cui eo uſque cum ſcandalo publico immerſus fuerat, donec juſſu Dei à Nathan reprehenderetur. *Mens libidinis igne ſuccenſa*, inquit B. Petrus Damianus, *nonne tibi videtur infernus, in quo videlicet & diabolus habitat, & concupiſcentiarum ignis æſtuare non ceſſat?* Demum vero inordinatarum paſſionum, & appetituum carnalium tyrannidem proſequendo dicit: *Hæc itaque flebilis anima gehenna facta eſt, tartarus, & infernus.*

Probat hoc David. Pſ. 29. v. 4. Pſal. 85. v. 12. Ibid. v. 13. B. Petr. Damaſc. l. 2. Epiſt. 5.

4. Enimvero quia hic gehennæ mentionem facere cœpimus, ſciendum eſt, quod Salvator noſter inferno novum titulum attribuendo, eumdem infernum appellaverit, prouti ex multis Evangelij locis clarè liquet; verumtamen neſcio an alias umquam obſervaveritis undenam hoc nomen Gehenna originem ſuam trahat? Paulus de Palatio vallem quamdam valde delitioſam & amœnam fuiſſe ſcribit, Ninon appellatam; in qua gentiles filios & filias ſuas in Idoli Moloch honorem vivos concremabant; ne autem parentes ex lamentis & vociferationibus ardentium puerorum affligerentur, in uſu poſitum erat, ut actualis hujus tyrannidis tempore inſtrumenta muſicalia inſonarent, ipſaque aëra implerentur cantibus: *Dum puer ardebat, ſaltabant adſtantes & percutiebant tympana.* Jure igitur merito increata illa Sapientia nomen hujus vallis abyſſo infernali impoſuit, non ſolum propter ignem ibi ardentem, verum etiam quia ibi, ſicut in potiori parte hominum voluptatibus carnalibus deditorum, illud Jobi adimpletur oraculum: *Tenent tympanum & cytharam gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Luxurioſi in puncto damnantur. Paul. de Palat. in Matth. 5. v. 22. Job. 21. v. 12. Ibid. v. 13.

5. Præterea ſciendum eſt, hoc idolum Moloch, cui filios ſuos ſacrificabant, obſcœnum quoddam fuiſſe ſimulachrum, quod ſpectantes non ad devotionem, ſed ad libidinem provocabat, prouti Corn. à Lapide optime probat. Unde colligitur quod Deus ille, de quo cum veritate dicitur: *Omnia in ſapientia feciſti*, meritò infernum hujus loci nomine appellarit, qui libidinis fomentum & incentivum erat, quia anima carnis vitio dedita *gehenna facta eſt, tartarus, & infernus.*

Inferno ſimiles. Cornel. à Lap. in c. 18. Levit. n. 21.

6. Guerricus Abbas in ſermone quodam de impudicitiæ peccato ita ſcribit: *Hæc eſt illa peſtis, quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit; De his duobus ignibus gehennæ & luxuriæ habemus authoritatem Scripturæ:* quaſi diceret; vitium iſtud ignem quemdam eſſe, & quidem ignem infernalem, non eſt aliqua ingenij ſubtilitate confictum; vel tantum per Sanctorum Patrum atteſtationes nobis traditum, ſed veridica id aſſerit Spiritus Sancti ſententia. Etenim de igne luxuriæ ait Scriptura: *Adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente*; de igne gehennæ dicit: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui, hoc eſt, judicij, ut intus ardeant; Dominus in ira conturbabit eos dicens: Diſcedite à me operarij iniquitatis, & devorabit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuria fœda opera.*

Guerric. Abb. in die Purificat. Libido eſt ignis infernalis. Oſeæ 7. v. 4. Pſal. 20. v. 10. Pſal. 6. v. 9.

7. In vita inſignis ſervi Dei Camilli de Lellis horrendus quidam caſus refertur; Dum enim mulier quædam in domo concubinarij agonizaret, alta voce clamare cœpit: Ardeo, ardeo, oculiſque & vultu ſe horrenda quædam objecta conſpicere monſtrabat, dumque ſolutis & veluti totidem ſerpentes erigentibus ſe comæ ſuæ capillis, horrendos ederet ululatus clamaretque identidem: Ardeo, ardeo! infeliciter mortua eſt, moxque de ventre ejus globus quidam carneus ſpiſſus ad inſtar ignis egredi viſus fuit; nec mirum, nam ut S. Zeno ait: *Sator iſte carnalis deſiderij, furorque libidinis temporalis, æternum gehennæ ignem & ultricium flammarum promulgavit incendia.*

L. 3. c. 9. vitæ Camilli de Lellis. Hiſtoria. S. Zeno ſer. 30.



8. S. Auguſtinus carnalem valdeque laſcivum quemdam hominem alloquens ait: *Amplexaris peccata tua & delitias carnis tuæ? ſtipulas ad te congeris, veniet ad te ignis in conſpectu ejus exardeſcet.* Idem quoque ſanctus Doctor verba illa Davidis: *Eduxiſti ab inferno animam meam*, de peccato carnali exponit dicens: *Reduxiſti ab inferis animam meam, ſalvum me feciſti à conditione profundæ cæcitatis, atque infimi limi corruptibilis carnis.* Sanctus Bernardus in ſermone, in quo ordinem & modum tradit bene vivendi, dicit: *Audi Beati Iſidori verba: Fornicatione coinquinari deterius eſt omni peccato; Fornicatio major eſt omnibus peccatis; Luxuria perducit homines ad pœnas inferni; Luxuria mergit hominem in infernum; Luxuria mittit hominem ad tartarum.* Unde Origines mulieri hunc titulum attribuit: *Mulier caput peccati, arma diaboli, expulſio Paradiſi.* S. Joannes Damaſcenus autem quid amplius dicit, dum mulierem eſſe dicit *ſceptrum inferni concupiſcentiæ præceps.* Etenim nullum eſt peccatum, quod majus habeat in hominem dominium, ſceptrumque imperij in abyſſo perditionis potentius gubernet, quam hoc carnalis concupiſcentiæ peccatum.

S. Auguſt. Pſal. 44. poſt princ. Pſalm. 49. v. 3. S. Aug. in Pſal. 29. v. 4. S. Bernard. ſer. 23. de modo bene vivendi. Orig. Hom. 7. in Matth. S. Joan. Damaſc. Paral. c. 76.

9. S. Bonaventura de luxuria diſſerens, nonnullas adducit analogias, ob quas luxuria inferno comparanda venit: *Comparatur gehennæ*, inquit, *nam in gehenna ſunt ſpecialiter tria; Ignis ardens, vermis rodens, & ſulphur fœtens; ſic in peccato luxuriæ eſt ignis concupiſcentiæ; vermis, ſcilicet remorſus conſcientiæ; & ſulphur, ſcilicet fumus, & ideo qui eſt in peccato luxuriæ, jam quodammodo eſt in ſupplicio gehennæ:* adducitque illum S. Matthæi textum, in quo Salvator noſter melius eſſe dicit, unam corporis partem amittere, quam cum integro corpore & anima intrare in infernum, ac proinde carnalem hominem his verbis alloquitur: *Expedit tibi ô luxurioſe, ut pereat unum membrum, ſcilicet illud viliſſimum & innominandum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.*

S. Bonav. in Diet. ſalut. Tit. 1. c. 9. Tria ſunt in luxuria.

10. Nullum eſt peccatum, quod majorem ſecum remorſum ſubinferat, quam delectatio carnalis, unde de illa dici poteſt: *Dulcedo illius vermes.* Peccatum carnis eſt velut roſa quædam, quæ undique cingitur ſpinis, ut ſuo loco dicemus, quod vero remorſum malæ conſcientiæ attinet, de hoc trita eſt illa S. Bern. propoſitio, dicentis: *Infernus quidam rea conſcientia eſt.* Qui ſemel infernum ingreſſus eſt, numquam deinceps egreditur, quia *in inferno nulla eſt redemptio, non eſt agnitus, qui ſit reverſus ab inferis.* Idem vero laſcivam aliquam fæminam impuro amore depereuntibus evenire, Salomon atteſtatur dicens: *Ad inferos ſemitæ ipſius, omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.* Idem quoque Salomon meretricem profundæ cuidam foſſæ vel puteo ſimilem eſſe dicit: *Fovea profunda os alienæ, cui iratus eſt Dominus, incidet in eam.* Et in capite ſequenti pariter inquit: *Fovea profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus*; ſicut enim is qui in profundum & anguſtum quemdam puteum lapſus eſt, ſumma cum difficultate & labore inde extrahitur, ita quoque par, imo major eſt difficultas, in liberanda anima aliqua, quæ in barathrum corruit luxuriæ.

Job 24. v. 20. Luxurioſus difficulter reſurgit. Sap. 2. v. 1. Prov. 2. v. 18. & 19. Prov. 22. v. 14. Prov. 23. v. 27.

11. S. Epiphanius docere nos volens, quàm unuſquiſque vir à fragili ac lubrico fæmineo ſexu alienus eſſe debeat, ita ſcribit: *Noli ô Iſraël mulieri fidem adhibere, revoca te à pravæ mulieris conſilio, ſiquidem mulier pretioſas virorum animas captat, quibus pedes eorum quibuſcum conſueſcit, poſt mortem ad inferos deducunt.*

S. Epiph. T. 2. l. 3. adv. hæreſ. Adhortatio.

12. Numquid aliquando obſervaſtis, quo titulo ſupremus Judex reprobos compellaturus ſit, quando eoſdem in perditionis barathrum præcipitando, eiſdem dicet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*; nimirum hædos vocabit illos: *Statuet hædos à ſiniſtris:* cur non potius eos lupos, leones, tygrides, aſpides aut dracones appellabit? cur præciſe hædos? Ad dubium iſtud optime Sanctus Thomas reſpondet; *Quia hædus eſt animal ſemper fervens ad coitum luxurioſum.* Lucas Burgenſis pariter in ſenſu literali verſatiſſimus dicit: *Hædos vocat propter laſciviam, præſertim vero vitæ immunditiam, nec malè additur, quod hircus præcipitijs gaudet.* Homo carnalis pariter præcipitio carnali ſemper imminet.

Inter hædos luxurioſi. Matth. 25. v. 41. Ibid. v. 33. S. Thom. in c. 25. Matth. Lucas Burg.

13. S. Propheta Jeremias laſcivum hominem effræni equo aſſimilat, qui excuſſo fræno per prærupta ad præcipitium ſponte properat: En verba ipſiſſima Prophetæ dicentis: *Mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur, equi amatores facti ſunt.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus verba illa Exodi:

Equis ſimiles. Jer. 5. v. 7. & 8.

*Exod.* 15. *v.* 1. S. *Cyrill. Alex. in Exod.*

*Equum & aſcenſorem projecit in mare*, ponderans, ad propoſitum noſtrum dicit: *Glorioſe magnificatus eſt, equum & aſcenſorem projecit in mare, multiplex & belluinum eſt, quod appetitionis impetu fertur, vitam una cum auriga qui aſcenderat, & habenas laxarat voluptatibus, in mare projecit.*

*Luc.* 8. *v.* 27. Luxurioſos Dæmon præcipitat.

14. Apud Sanctum Lucam de dæmoniaco illo dicitur: *Habebat dæmonium jam temporibus multis*; Et tamen nuſquam reperitur, quod toto illo tempore quo miſer hic homo à dæmone poſſeſſus fuerat, umquam illum præcipitare tentaverit; quodnam igitur in eo latet myſterium, quod mox ut hi ſpiritus ab hoc miſero homine juſſu Chriſti expulſi, & immunda porcorum corpora ex ejuſdem Chriſti permiſſione ingreſſi fuerant, eoſdem porcos protinus in profundum aquarum ſubmerſerint? Nimirum hi porci carnalium hominum figura erant, hi autem, ut ſupra probavimus, nidus & centrum ſunt dæmonum, qui aliud non deſiderant, aut moliuntur, quam ut luxurioſos in abyſſum præcipitent. *Ingrediuntur dæmones porcos*, inquit Euthymius, *eos videlicet, qui in cæno voluptatum volutantur.* Sed quo fine id faciunt? *Ut illos in perditionem præcipitent.* Hugo Cardinalis ſuper illum Iſaiæ textum: *Sicut impetus aquarum multarum inundantium*, dicit: *Contra luxuriam hoc dicit, quæ plures ſubmergit, quam aliud peccatum.*

*Euthym. Ibid.* — *Iſa.* 28. *v.* 2. Hugo Card.

S. *Remig. in cap.* 1. *ad Rom.* Plurima pars hominum damnatur propter lib.

15. Terribilis admodum eſt illa Sancti Remigij propoſitio, & mirum non eſſet, ſi illa bene ponderata ſanguinem in venis illorum congelari faceret, qui carnis vitio dediti ſunt; dicit enim: *Demptis parvulis, ex adultis pauci propter hoc vitium ſalvantur*; qui idem hujus dicti ſui protinus ſubjungit rationem: *nam alia vitia forinſecus ſunt, hæc autem peſtis connaturalis eſt.* Ideo Apoſtoli monitum eſt dicentis: *Debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus, ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Ubi de morte animæ, non vero corporis loquitur, quia hanc etiam illi incurrunt, qui ſecundùm ſpiritum, non vero ſecundùm carnem vivunt; *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*, & ideo certum eſt, quod carnales perniciſſimo curſu ad mortem properent æternam.

*Rom.* 8. *v.* 12. — *Ibid. v.* 13.

Prodigium ſi laſcivus ſalvetur.

16. Idem Sanctus Paulus Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, poſtquam longum contexuiſſet multorum catalogum, qui in Vet. Teſtamento fidei merito ſalutem conſecuti ſunt; tandem veluti divinæ Omnipotentiæ prodigium commemorat, quod *fide Rahab meretrix non periert cum incredulis*; & oſtendere volens hoc vere inauditum eſſe portentum, ſubjungit: *Et quid adhuc dicam?* quaſi dicere vellet, quando laſcivam hanc mulierem etiam ſalutem conſecutam eſſe aſſerui, nihil amplius aut portentoſius dicere poſſum; *Et quid adhuc dicam?* etenim pietas & miſericordia ſublimius magnificari nequit.

*Heb.* 11. *v.* 31. — *Ibid. v.* 32.

S. *Aug ſer.* 249. *de temp.* Caſtos ignis non lædet.

17. Sanctus Auguſtinus in laudem caſtitatis ita ſcribit: *Ipſa ſola eſt, quæ mundas mentes hominum præſtat videre Deum; unde ipſa veritas ait: Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt; ac ſi è contrario diceret: Illi vero miſeri ſunt, quorum corda ſunt carnali concupiſcentia polluta, quia æternas merguntur in pænas.* Adhæc illos qui puri ſunt & continentes, ignis ne quidem fumo aliquo obfuſcare, multo minus lædere audet, prouti in S. Joanne in ferventis olei dolium ingreſſo perſpicuè videtur, quem nec ignis, nec oleum bulliens quidquam lædere potuit, quin potius vegetior & pulchrior exinde egreſſus eſt, quam illuc intraverat, idque quia *virgo ab ipſo electus, virgo in ævum permanſit.*

*Euſeb. Emiſſ. Hom* 3. *de Epiph.* Probatur.

18. Euſebius Emiſſenus de fornace Babylonica ita ſcribit: *In illos ſævis æſtibus nil nocebit, quos ante libidinum flamma non attigit; & quibus puritas contulit reverentiam, inferre neſciret rationabilis ardor injuriam alioquin iram fugiens vaporibus viam faciet, & quia non inveniet, ubi neceſſe habeat exercere judicium, ſponte præbebit obſequium.* Demum vero poſtquam tres illos juvenes ex eo commendaſſet, quod ſcilicet caſtitati & munditiæ carnis ſemper ſtuduerint, tandem deſcendit ad referendum, quod illis in flammis Babylonicis evenit miraculum; *Ecce*, inquit, *horrendum neſcio quid anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes, extrinſecus ſæviunt, intrinſecus parcunt, extra fornacem ſapiens ignis iraſcitur, & intus in fornace famulatur.* Idemmet elementum foris furibundum, omnes comburit quos invenit ſacrilegi Regis miniſtros, intus vero tribus pueris devotum ſe exhibet & obſequioſum, in frigidum ipſis & delicioſum rorem tranſmutando ardorem; Et quodnam huju fuiſſe exiſtimatis myſterium? Nimirum *quanta caſtis corporibus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoſcit.* Non vero ſic agit, cum ſibi cum libidinoſis intercedit negotium, imo verò illos ignis etiam in hac vita anticipate apprehendit, & conſumit. S. Iſidorus Peluſiota dicit: *Libidinoſum hujus vitæ incendium ad fornacem illam tendit*, prout videre licuit factum circa infames illas Sodomæ & Gomorrhæ civitates, quas cælitus dilapſus ignis devoravit. Hugo Cardinalis de muliere quæ fomentum & incentivum eſt libidinis, differens ait: *Quidquid in ea, flamma eſt ignis, ſpeciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt.*

S. *Iſid. Peluſ. l.* 1. *Ep.* 433. — *Hug. Card. in c.* 42. *Eccl.*

## *DISCURSUS X.*

## ARGUMENTUM.

Vitium carnis venenum æternæ mortis ſub dulcedine abſcondit voluptatis, quæ omnem nobis ad beatam vitam aditum intercludit.

### THEMA.

*Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut Regulus venena diffundet.* Prov. 23. ℣. 31. & 32.

Libidinis eſt conſiderandus finis. *Prov.* 23. *v.* 27. & 28.

1. SAlomon in præcitato in verbis Thematis capite de muliere laſciva & meretrice differens ait: *Fovea profunda eſt meretrix... inſidiatur in via quaſi latro*: quia verò per experientiam vidit, quod id ipſum à majori hominum parte non credatur nec timeatur, imo plerique inter voluptatum blanditias & lenocinia gaudeant, ijsque ſtudioſe oblectentur, ad hoc illos errore per propoſitam ſimilitudinem eximere voluit, dicendo: *Ne intuearis &c.* Voluptas quidem in ſuis principijs mirè placet, quia per illam cordis deſideria complentur, & homo carnalibus ſuis propenſionibus ſatisfacit; at vero non initium, ſed finis voluptatis conſiderandus eſt oculo mentis; quia *in noviſſimo mordebit ut coluber.*

Animæ infert mortem.

2. In libro Judicum Jaelem Siſaræ ſitienti lac loco aquæ ſuppoſuiſſe legimus; ſed conſidera quo fine id ipſum fecerit? Certè non alio, quam ut ei ſoporem conciliaret, ac tandem dormientis tempora crudeliter clavo transfigeret: *Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum, ſiniſtram manum miſit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Seſaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans.* Idem quoque majori hominum parti à lenocinante mulierum ſexu accidit; Dicit enim quævis laſciva mulier lenoni eam concupiſcenti: *Intra ad me Domine mi, intra, ne timeas*; quot verò ſunt, qui non cum timore, ſed cum lætitia & jubilo ingrediuntur, ſeque ob inventam hanc & ſponte oblatam carnalis peccati committendi occaſionem felices exiſtimant, at verò dum ſe lactis ſuavitatem, id eſt, carnis delectationem guſtaturos eſſe ſperant, clavum ab adverſaria ſibi infixum eſſe experiuntur, non ſolum in corde per remorſum & vermem malæ conſcientiæ, verum etiam frequenter in corpore & anima ſimul, per conciliatam ſibi mortem temporalem pariter & æternam.

*Jud.* 5. *v.* 25. *Ibid. v.* 26. — *Jud.* 4. *v.* 18.

Febris eſt lidido.

3. Experientia quotidiana nos docet, quod dum febricitans aliquis in vehementiſſimis caniculæ ardoribus, intrinſecus in corpore ardet, is pro hujus intranei ardoris aliquantula mitigatione, aquæ vel vini ex circumpoſita nive vel glacie frigefacti hauſtulum aliquem ſibi porrigi deſideret, poſtulet & identidem rogando extorqueat; qui ſi ipſi ex indiſcreta charitate indulgeatur, ipſe quidem eumdem ſumma cum voluptate admotis aridis labris exhaurit, & avide abſorbet; at verò paulo poſt febrim, qua ardet, tanto ſe vehementius, accendit, adeo ut per hunc frigidæ aquæ potum mortem confeſtim acceleret, & ſepulchrum inveniat. *Febris noſtra*, inquit S. Ambroſius, *libido eſt*, quæ quidem continuo nos exſtimulando urget, ut febricitanti palato, carni amores igne exæſtuanti libidinoſis & impuris appetitibus & deſiderijs per amati objecti correſpondentiam & frequentationem ſatisfiat; at verò quis tandem indultæ voluptatis eſt finis? Audite S. Baſilium hac de re egregiè his verbis diſcurrentem: *Voluptas nutrix eſt æterni vermis; quæ ad tempus delinit quidem ipſa fruentem, verum poſtea felle amariores retributiones facit.* Euſebius Emiſſenus idipſum ſimilitudine melleæ dulcedinis explicat, qua labra phialæ illius imbui ſolent, in qua potio aliqua medicinalis & amara valdeque faſtidioſa propinatur, ut prælibata hac dulcedine potio illa tanto avidius epotetur: *Ita & diabolus per rerum carnalium concupiſcentias & illicitas voluptates extrinſecus blanditur, intrinſecus inſidiatur, interficit ſpiritum, dum oblectat affectum, modo delectat peccare, ſed poſtmodum non delectabit ardere.*

S. *Ambr. l.* 4. *in Luc. c.* 4. — S. *Baſil. Hom. in exhort. ad Bapt.* — S. *Euſeb. Emiſſ. Hom.* 3. *de Epiph.*



Mortem inferens.

4. S. Iſaias Propheta diſſolutos quoſdam cum gaudio ſe voluptatibus carnis oblectantes, pœnas vero quas ex illis ſibi conciliant, minimè conſiderantes ob oculos nobis ponit contemplandos, dum ait: *Ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum*; at vero quid inde conſequitur? *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Quid ſtultius?

*Iſaiæ* 22. *v.* 13. — *Ibid.*

Æternam.

S. *Ant. de Pad. in Dom.* 10. *poſt Trin.*

5. In dubium revocari nequit quin Syrenes verum ſint voluptatum ſymbolum; de his autem S. Antonius de Padua ita ſcribit: *Syrenes, ut fertur, ſunt animalia mortifera in mari, quæ à capite uſque ad umbilicum figuras humanas habent, partes uſque ad pedes volatiles, dulciſſimum melodiæ cantum vel carmen canunt, ita ut per ſuavitatem vocis homines à longè navigantes ad ſe trahant, & gravi ſomno ſopitos dilanient: Secundùm veritatem meretrices ſunt; quæ tranſeuntes ad ſe ad egeſtatem deducunt. Alas & ungulas habuiſſe feruntur, quia amor luxuriæ volat & vulnerat.* Cantus lenocinantes ſunt incantationes, quæ tamen æternam nobis mortem adſciſcunt.

*Apoc.* 10. *v.* 10. Libidinis breve gaudium.

6. S. Joannes Apoſtolus dicit librum ſibi ab Angelo datum eſſe, ut illum manducaret: *Accepi librum de manu Angeli & devoravi illum.* Sed quis inde natus eſt effectus? *Et erat in ore meo tamquam mel dulce, & cum devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.* Sic quoque carnalis quidem homo delectationibus carnis cum gaudio fruitur, appetitum & deſideria ſua adimplet; ſed gaudium breve eſt, paulò enim poſt ubi momentanea voluptatis dulcedo tranſierit, ſentiet amariſſimum conſcientiæ remorſum, quia *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat*; paulo poſt offenſæ Dei apprehendit gravitatem, periculum vitæ & famæ jacturam amariſſima mente recogitat: *O quam acerbus fructus luxuriæ*, inquit S. Ambroſius, *amarior felle, crudelior gladio, acutior & penetrabilior eſt quovis ferro, hoc enim vitam homini eripere corporalem, non verò æternaliter ferire & ſauciare poteſt animam, prouti voluptas facit.*

S. *Ambroſ. de exhort. ad virg.*

Libido Tarantolæ venenum.

7. Per quotidianam videmus experientiam, quod qui à Tarantola ſauciatus eſt, à ſaltando & tripudiando numquam ceſſet; quod quidem alij videntes lætitiæ incredibilis ſignum eſſe credere poſſent; cum tamen actiones illas veneni vehementiſſimi in illorum membris proſerpentis ſignum eſſe, certiſſimum ſit, quod demum cordis regionem invadens imminentis mortis eſt prognoſticum. Idem quoque carnalis peccati venenum paſſim operatur. Unde S. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium virginem ita ſcribit: *Quid mihi & voluptati quæ brevi perit? quid cum hoc dulci & mortifero carmine ſcripturarum?* Quibus verbis cantus, dulcedinem & Syrenas in uno eodemque cum morte vinculo conſtringit.

S. *Hieron. Ep.* 22. *v.* 27.

*Pſal.* 43. *v.* 20. — S. *Ambroſ. Syrenum*

8. Ubi vulgata noſtra legit: *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis.* S. Ambroſius ex verſione Aquilæ traducit hoc modo: *Quoniam humiliaſti nos in loco Syrenum*; dicit enim: *Pulchrè Aquilæ interpretatio, quemadmodum intelligere debeamus locum afflictionis, expreſſit, dicendo: Quoniam humiliaſti nos in loco Syrenum.* Hiſtoria ſeu potius fabula paſſim omnibus nota eſt, & à nobis ex mente & verbis S. Antonij de Padua paulò ante relata. Pergit ulterius idem S. Archiepiſcopus Mediolanenſis, & dicit: *Cum gratiam vocis ſequerentur, ſcopuloſo in loco naufragium facere ſolitos vetuſtas poſteris tradit; eorum autem interpretatio hæc eſt, ut vocis voluptas, ita ſæculi voluptas nos quadem carnali adulatione delectat, ut decipiat.* Denique in præfatione libri 4. ſuper Lucam idem S. Doctor ſe ad hujus fabulæ myſteria moralia fuſius explicanda accingens dicit: *Quid ſibi vult puellarum figura, niſi eviratæ voluptatis illecebræ, quæ conſtantiam captæ mentis effæminat? Quæ autem illa vada, niſi noſtræ ſcopuli ſunt ſalutis? Nihil enim tam cæcum, quam ſæcularis ſuavitatis periculum, qua dum mulcet animum, vitam obruit.*

S. *Ambr. Præfat. l.* 4. *in Luc.*

Jonathæ mel.

9. Poëtæ de certo quodam viro, nomine Glauco, fabulantur, quod muſculum perſequens in amplum vas melle plenum inciderit, ibidemque ſuffocatus interierit. Verum quidem eſt, quod ut D. Chryſoſtomus inquit, veritatem Evangelicam per fabulas & figmenta Poëtarum probare minimè conveniat, ne videamur velle *de mendacio adſtruere veritatem*, attamen de Jonatha legimus, quod dixerit: *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior.* Quot ſunt hodie huic Jonathæ ſimiles, qui ob modicam delectationem carnalem, mortem temporalem pariter & ſempiternam incurrunt? Unde B. Laurentius Juſtinianus ait: *Omnes blanditiæ, venena; cuncta delectationis pocula, mortalia, vitæque illius ſempiterna mors.* S. Nilus de formoſo & florido quodam vultu, qui venuſtate ſua rapit & allicit, ita ſcribit: *Florida facies telum venenatum eſt, animam ſauciat, ac in ipſa venenum inficit, quoque diutius immoratur, eo majorem ſaniem efficit.*

D. *Chryſoſt. Hom.* 1. *in Matth.* — 2. *Reg.* 14. *v.* 43. — B. *Laur. Juſtin. de ligno vitæ. c.* 1. — S. *Nilus de octo vitioſ. cogit.*

10. Ingenioſa eſt ſimilitudo illa quam S. Auguſtinus affert à ſcorpione deducta, hic enim ſuaviter intoxicat, & dum amplectitur mordet, & venenum infundit: *Quod autem dixit cruciatus earum, ſicut cruciatus ſcorpij, cum percutit hominem, hoc tunc fit, quando diabolus luxurioſis hominibus per vitia & peccata in modum ſcorpij venena propinat*; per blanditiarum carnalium illecebras, & ſuaves amplexus igitur æternæ perditionis venenum imbibitur. S. Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum de muliere ita ſcribit: *Flammigero igne percutit fœmina conſcientiam pariter habitantis, exurit fundamenta montium.* Hugo de S. Victore mulierem vermis inſtar eſſe dicit, qui delicate ſe inſinuat, ac tandem rodit & mordet: *Vermis carnis eſt luxuria, qui ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando.*

S. *Aug. T.* 9. *in Apoc. Hom.* 7. Scorpioni & vermi ſimilis. — S. *Hier. in Ep. ad Oceanum.* — *Hug. de S. Vict. Miſcell.* 11. *l.* 1. *Tr.* 39.

Libidinoſi mortui dicendi.

11. S. Paulus mulierem quamdam in ſtatu viduali poſitam monet, ut ſi caſtè & continenter vivere velit, delectationes diligentiſſime fugiat, illiusque rationem hanc adfert, quia ſecus faciendo conciliabit ſibi mortem: *Quæ in delicijs eſt, vivens mortua eſt*; qui certe loquendi modus valde peregrinus eſt, potius enim videbatur dicendum quod deliciæ & voluptates hujus vitæ, annos viæ noſtræ prolongent: Notandum tamen eſt Apoſtolus hic non de morte temporali, ſed de æterna loqui, quia *vita in delicijs mors*, inquit S. Bernardus.

1. *Tim.* 5. *v.* 6. — S. *Bern. ſ.* 48

Theophylact. *Ibid.* Hanc ſolam credunt vitam.

12. Apud S. Lucam avari illius divitis, qui in lacu butyro & lacte redundante natabat, miſerabilis legitur exitus; Circa quam hiſtoriam Theophylactus occupatus his eumdem divitem verbis alloquitur: *Euge quales animæ tuæ affectiones, nam comedere & bibere, irrationalis animæ bonum eſt. Igitur cum etiam ipſe talem animam ſortitus ſis, merito illi hæc tribuis; Rationalis vero animæ bonum eſt intelligere, ratiocinari, lætari in lege Dei, & bonis cogitationibus; non ſufficit autem tibi comedere & bibere ô ſtulte, ſed & abominabilem voluptatem, & turpiſſimam quæ hanc conſequitur voluptatem animo imperas? Clare enim Dominus per hoc quod dicit: Lætare, affectiones declaravit libidinoſas, quæ ſatietatem ciborum & potuum comitantur.* Libidinoſi enim de præſenti ſolum vita cogitant, aliam poſt hanc ſupereſſe vitam minimè credentes, dumque hoc faciunt, æternæ damnationi viciniſſimi exiſtunt: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te.* S. Bernardus verba illa S. Pauli: *Non eſt regnum Dei eſca & potus*, conſiderans, dicit: *O delicate qui delitijs & divitijs circumfuſus, confuſionem exſpectas & mortem.* Et ideo S. Auguſtinus cauſam perditionis æternæ non animæ, ſed corpori & carni noſtræ attribuit, dum ait: *Caro noſtra eſt, quæ nos demergit in foveam, caro data eſt nobis quaſi animæ bellum, quæ ſi mortificetur perducit ad vitam, ſi nutriatur, præparat ad bellum. O caro beſtia crudelis quid habes quod gravas animam, quæ nihil deſideraſſet, niſi Deo ſervire, ſi tibi juncta non fuiſſet? Tu autem miſera non ſolum teipſam occidis, ſed & animam necas.* Unde anima noſtra idem corpori noſtro exprobrare poſſe videtur, quod Eſther Aman improperaſſe legitur: *Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman*; Sapientis namque ſententia eſt: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.*

*Luc.* 12. *v.* 20. — *Rom.* 14. *v.* 17. — S. *Bernard. de div. ſer.* 19. — *Rom.* 14. *v.* 17. — S. *Auguſt. l. de ſir. doc.* 63. Carnis bellum. — *Eſther* 7. *v.* 6. — *Sap.* 9. *v.* 15.

Non delicatè nutrienda caro.

13. Scribitur quod mulier quædam Ægyptia eo quòd parvulum quemdam crocodilum penes ſe educabat, à vulgo felix & beata exiſtimata fuerit, eo quod domi ſuæ educaret numen divinum: (tale enim Ægyptij eſſe credebant crocodilum, utpote quem veluti Deum adorabant) filius quoque hujus mulieris cum hoc crocodilo quotidie familiariter jocaretur & luderet; accidit autem quod bellua hæc creſcentibus annis adultior facta, ad congenitam ſibi ſævitiem rediens, eumdem filium conſuetis ludis cum eodem jocantem tandem immaniter occiderit & dilaniarit; hæc fuit gratitudo quam benefactrici & nutrici ſuæ exhibuit; Idem quoque nobis accidit, qui infeſtiſſimum

Galat. 5. v. 17. Prov. 29. v. 21.

mum animæ noſtræ inimicum ( quia *caro concupiſcit adverſus ſpiritum* ) delicatè nutrimus, eique abblandimur; verumtamen cavete vobis, quia *qui delicate à pueritia nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem*. Nec eſt quod perſuadeatis vobis, quod corpus animam diligat, ſiquidem flocci facit ſi ipſam ad mortem æternam condemnet, dummodo ipſum voluptatibus & delectationibus ſuis perfrui poſſit.

Epheſ. 5. v. 5. Ibid. v. 6. Apoc. 22. v. 15.

*Hoc autem ſcitote intelligentes*, inquit Apoſtolus, *quod omnis fornicator aut immundus ... non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei; Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei*. S. Joannes quoque in Apocalypſi foras pelli vidit: *Foris canes, & venefici, & impudici*.

Libido à cælo excludit. 1. Reg. 2. v. 22.

14. Sacer textus filiorum Heli cum mulieribus cultui tabernaculi conſecratis ſcortantium execranda ſacrilegia recenſens, inquit: *Dormiebant cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi*; ex quibus verbis S. Gregorius ſequentem adducit moralitatem:

S. Greg. l. 2. c. 3. in Reg.

*Mulieres quippe meretrices ſunt concupiſcentiæ ſæculares, quæ bene ad tabernaculi oſtium obſervare perhibentur, quia ad introitum Regis cæleſtis tendentibus inſidiantur*.

2. Petr. 2. v. 2. Hæretici perditionis Sectæ quò properant.

15. S. Petrus de hæreticis quibusdam, quos ſimul carnales futuros, multosque habituros eſſe Sectatores prædicebat: *Multi ſequentur eorum luxurias*; differens, ſectam illorum ſectam perditionis appellat: *Introducent ſectas perditionis*, carnales enim magis quam quilibet alij peccatores ad æternam perditionem properant, unde Cornelius à Lapide pro Ly *luxurias* eo loco, ex Græco legit *perditiones*. Complutenſes vero vertunt, *petulantias*, neque id mirum eſt, quia vitium iſtud ignis eſt, uſque ad perditionem devorans.

S. Iſid. Peluſ. l. 5. Ep. 384. Similitudo.

16. S. Iſidorus Peluſiota, ut carnalium hominum præcipitium indicaret, hac utitur ſimilitudine: *Qui carnis illiberali mancipatus eſt vitio*, inquit, (*ut craſſiore utar exemplo*) *non abſimilis eſt aurigæ, qui curru excidit raptatus à jumentis, nec ab illo ſolutus, ſed jugo implicatus, ſocordiæ dans juſtas pœnas*.

S. Anton. de Pad. in Fer. 2. Paſſion. Libido animam deformat. Apocal. 12. v. 15.

17. S. Antonius de Padua voluptates carnis aquis aſſimilat nos ſubmergentibus: *Delectationes*, inquit, *mundanæ ſunt aquæ periculoſæ, quæ demergere habent animam, & ideo delectatio dicit: Si quis fuit in mari, id eſt, in amaritudine culpæ, tandem habebit amaritudinem pœnæ; hæc autem eſt aqua, quam diabolus miſit poſt mulierem*, *Apocal.* 12. *vide figuram*; *Hic nempe fluvius eſt delectationis mundanæ memoria, & ideo bene poſt mulierem mittitur*. Aſſignat inſuper idem Sanctus rationem, cur hoc vitium fornicatio appelletur: *Dicitur*, inquit, *fornicatio, quaſi formæ necatio, id eſt, animæ ad ſimilitudinem Dei formatæ mortificatio*.

S. Ant. de Pad. in Dom. 4. poſt Paſcha. 1. Cor. 15. v. 50. Perſeverantes in libid. damnabuntur.

18. Venerabilis Beda ſuper illa verba Apoſtoli ad Corinthios: *Caro & ſanguis regnũ Dei poſſidere non poſſunt*, inquit: *in carne & ſanguine venirẽ & libidinem, id eſt, opera carnis ſignificat*. Inſuper explicat qualiter prædicta Apoſtoli verba non ſic intelligi debeant, ac ſi caro vel ſanguis nullum ſint habitura beatitudinis participium, ſed potius de illis intelligenda ſint, qui in hac vita peccata carnalibus totaliter dediti exiſtunt. *Non ſic accipiendum eſt, quaſi carnis non ſit futura ſubſtantia, ſed carnis & ſanguinis nomine ipſam corruptionem carnis & ſanguinis intelligendum eſt Apoſtolum nuncupaſſe, quæ utique in regno illo non erit, ubi caro incorruptibilis erit; quamvis & aliter poſſit intelligi, ut carnem & ſanguinem opera carnis dixiſſe, accipiamus Apoſtolum, & eos regnum Dei non poſſeſſuros, qui perſeveranter iſta dilexerint*.

Libido qualis mater. Scholiaſt. Ibid.

19. S. Joannes Climachus in gradibus ſcalæ ad Paradiſum nos perducentis dicit: *Procreatrix omnium malorum eſt luxuria & malitia, quibus obnoxius numquam videbit Dominum*. In annotationibus ad eumdem gradum in eodem loco hæc verba leguntur: *Concupiſcentia ratione deſtituta voluptatem parit, nec ſinit animam aut ſalvari, aut cum Deo conjungi*.

S. Ioan. Climac. ib. grad. 15.

In gradu 15. ejusdem ſcalæ mortem quamdam nobis inviſceratam eſſe oſtendit, carnalem videlicet concupiſcentiam: *Eſt quædam mors in nobis, & ruinæ exitialis cauſa, quam habemus in nobis & nobiſcum in corpore ſemper circumferimus, præſertim in juventutis ardore. Hanc carnem meam inimicam & amicam Beatus Paulus mortem appellat. Quis*, inquit, *liberabit me de corpore mortis hujus*? Hoc autem nomine concupiſcentiam appellat, quæ niſi dometur, aut refrænetur, in æternam nos mortem præcipitat.

Rom. 7. v. 24. Schol. 24. Ibid.

In Commentario ſuper eumdem authorem dicitur: *Luxuria propriè ruina, ſeu caſus appellatur*.

S. Bern. T. 3. ſer. de regn. cæl. c. 5. Rationes cur à cælo excludat lib.

20. S. Bernardinus cauſam reddit, cur hoc peccatum nos regni cæleſtis adeundi incapaces efficiat. *Eſt triplex ratio*, inquit, *Prima quia regnum Dei eſt mundiſſimum, carnalis autem immundus. Secunda quia regnum Dei eſt incorruptibile, carnalis autem corruptibilis, quia amans corruptiones corruptibilis eſt, ſed corruptio non poſſidet incorruptionem. Tertia quia illud eſt ordinatiſſimum, carnalis inordinatiſſimus*.

Gen. 6. v. 12. S. Ambr. de Noë & arca, c. 5.

S. Ambroſius verba illa Dei in Geneſi relata: *Omnis caro corruperat viam ſuam*, conſiderans ita ſcribit; *Pulcrè ait; quia homo viam naturæ ſuæ corrupit, nam via ſua in Paradiſo erat in illo beatitudinum tramite*.

S. Ephr. T. 3. de timore Dei.

S. Ephrem ad propoſitum noſtrum ſtringens & forte format argumentum: *Fugis chariſſime eos*, inquit, *qui jaculis petunt corpus? At fuge potius illos, qui in animam ſagittas jaculant. Fugis ſerpentem mordentem corpus? At fuge magis mulierem quæ animam mordet*.

Eccl. c. 7. v. 27. S. Bonav. ibi. Eccl. 9. v. 9. Prov. 22. v. 14. V. Beda Ibid.

S. Bonaventura ſuper illum textum Eccleſiaſtis: *Inveni amariorem morte mulierem*, ad idem probandum aliam quamdam adducit authoritatem Eccleſiaſtici cap. 9. ubi dicitur: *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt*. *Fovea profunda eſt os alienæ*, inquit Sapiens, *cui iratus eſt Dominus incidet in eam*; Quæ verba venerabilis Beda exponens dicit: *Qui verba vel oſcula meretricis libenter amplectitur, quaſi januam jam gehennalem pulſat abyſſi, citoquè mergitur, ſi pedem cautius non retrahit*.

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

De ſeveritate Divini judicij contra homines carnales, & de ſuppliciis & pœnis, quas à Deo implacabili ipſorum Judice reportabunt.

## THEMA.

*Fornicatores & adulteros judicabit Deus*, Ad Hebr. 13. ℣. 4.

Deus judex ſeverus in libidinoſos.

1. TAmetſi unigenitus Dei Filius in noviſſimo judicij die, quando tamquam ſeveriſſimus & inappellabilis Judex in tremendo & formidabili throno ſuo ſedebit, rigidiſſimum de cunctis impijs ſumpturus ſit ſupplicium, attamen S. Paulus Apoſtolus in præcitati thematis verbis clarè & perſpicuè nobis indicat, quod divinæ juſtitiæ ſuæ enſem ſpecialiſſime vibraturus ſit adverſus fornicatores & adulteros, omnesque illos qui impudicam & impuram vitam egerunt.

S. Thom. à Villanova. Fer. 4. poſt Dom. 1. Quadr. Probatur. 1. Theſſ. 4. v. 3. & 4. Ibid. v. 5. Ibid. 6. Ibid. v. 7.

2. S. Thomas de Villanova ingenioſe & ſubtiliter obſervat, quod Sanctus Apoſtolus ut plurimum quando de hoc vitio loquitur, ſimul quoque indignantis Dei iram & vindictam ſubjungat: *Apoſtolus*, inquit, *hujus ſecreti conſcius, quoties fere hujus piaculi mentionem facit, ultimam quoque commemorat iram, ut timore vindictæ ab hoc crimine homines arceantur*. Sic enim in Epiſtola prima ad Theſſalonicenſes dicit: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, ut ſciat unusquiſque veſtrũm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore; non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deum*; Et paulo poſt ſubjungit: *Quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus ... non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem*.

Coloſſ. 3. v. 5. Ibid. v. 6. Epheſ. 5. v. 5. Ibid. v. 6.

Ad Coloſſenſes pariter ſcribit: *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam ... propter quæ venit ira Dei*. Ad Epheſios quoque dicit: *Scitote, intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei .. propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*. Unde idem Sanctus Archiepiſcopus poſt citatos hosce textus exclamat: *Quid terribilius? ſequitur: Nemo vos ſeducat inanibus verbis, ſcilicet, quod peccata hæc facilia ſint & levia, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ, id eſt, perditionis*.

Iſa. 65. v. 3. Luxurioſus Dei iram provocat. Ibid.

3. Deus noſter apud Iſaiam ſe graviſſime ad iram provocatum & irritatum eſſe declarat dicens: *Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam ſemper*: hujuſque iracundiæ motivum mox ſubjungit, dum ait: *Qui immolat in hortis*; At vero quodnam in eo peccatum ſubeſt, quod in horto ſua immolaverit ſacrificia?

S. Hieron. Ibid.

S. Hieronymus Deum de illa idololatria conqueſtum eſſe dicit, quæ luxuriam pariter conjunctam habuerit: *Ne quid verò deeſſet ſacrilegio, immolabant in hortis, jungentes idololatriæ luxuriam*.

Libidinoſis denegatur miſericordia. Epheſ. 2. v. 4. Rom. 2. v. 4.

4. Certum quidem eſt, quod Deus inter omnia ſua divina attributa maximo in pretio habeat miſericordiam: *Deus qui dives eſt in miſericordia. An divitias bonitatis ejus contemnis?* hanc tamen miſericordiam quam erga omnes, etiam peccatores exercet, ſolis denegat laſcivis & luxurioſis.



Oſe. 1. v. 2. Ibid. v. 4. Ibid. v. 6. Ibid.

Oportunè ad hoc propoſitum ſervit præceptum illud, quod Deus impoſuit, dum ait: *Sume tibi uxorem fornicationum*; quia etenim *omnia in figura contingebant illis*, præcepti hujus allegoria ad gentilitatem alludit, quæ Eccleſiæ jungenda & deſponſanda erat. Habuit autem Oſeas ex matrimonio filium quemdam, cui nomen *Jecrahel* impoſuit; huic verò cum ſucceſſiſſet filia, Deum ſpecialiter; quo nomine hæc appellanda eſſet interrogavit; cui Deus reſpondit: *Voca nomen ejus abſque miſericordia*; Sed quonam hic Dei furor reſpicit? quodnam in hoc Dei reſponſo latet myſterium? *Quia non addam ultra miſereri Domui Iſraël*.

D. Chryſoſt. Hom. 77. T. 1. de Pœnit. Matth. 5. v. 25.

Divus Chryſoſtomus in Homilia quadam de pœnitentia nos monet dicens: *Vide ne te tradat adverſarius judicij, & judex ultricibus poteſtatibus, & conjiciaris in carcerem, in tenebras exteriores, donec reddas ultimum quadrantem, non tantum de actionibus, verum & de cogitationibus judicandus; tunc cognoſcemus quam ſit amara voluptas, cum re ipſa experiemur, quantæ nobis ſit amaritudinis miniſtra*.

Iſa. 5. v. 14. & 16. Infernus ipſis apertus. Ibid. v. 16. S. Cyrillus Alex. T. 2. in Iſai. l. 1. Orat. 3.

5. Apud Iſaiam infernus apertus eſſe, & Deus in magnifico throno conſedere dicitur: *Dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino, & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes; ... Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio*. S. Cyrillus Alexandrinus legit: *Extolletur Dominus Sabaoth in judicio*; *Extolletur*, inquit S. Doctor, *in judicio & juſtitia, cum recto ſuo & ſacroſancto calculo, in populum ſuperbum & voluptuarium animadvertit*; *Proinde averſari laſciviam, carniſque libidines inutiles, vel potius impuriſſimas quam longiſſime profligare ſtudeamus, ne contra inſultet nobis infernus inexplebilis*.

Eccl. 11. v. 8. Dehortatio. Ibid. v. 9. Ibid. v. 10.

6. Eccleſiaſtis cap. 11. Salomon poſtquam carnis voluptatibus ſupra modum deditus fuiſſet, tandem reſipiſcens ait: *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſè debet tenebroſi temporis*; Demum vero per ironiam ſubjungit: *Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua ... ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum*; At vero quid tandem inde fiet? Nimirum ſeveriſſimum ſubſequitur Dei judicium; idemque illum exhortatur ut concupiſcentiam carnalem reprimendo & coërcendo iram indeque manantia ſupplicia & caſtigationes Dei à ſemetipſo divertat: *Aufer iram à corde tuo, & amove malitiam à carne tua*.

Deus libidinoſos ſevere punit. Amos 2. v. 13.

7. Notatu digna eſt ſimilitudo illa, qua Spiritus Sanctus ad oſtendendam hujus contra carnales inſtituendi judicij divini ſeveritatem utitur; In Amos etenim hæc comminatio legitur: *Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fæno*; Circa hæc enim verba quærendum venit, quænam ſit ratio, quod Deus comminetur ſe ſimilem editurum ſtridorem, qualem edere ſolet plauſtrum vel quadriga aliqua fœno graviter onuſta? cur non potius plauſtrum hoc alia materia onuſtum eſſe dicit? Cur non dicit onuſtum ferro, marmore, ligno? Cur præciſe fœno plauſtrum hoc onuſtum eſſe dicit? Ratio illius hæc eſt quia exprimere vult Deus ſuum adverſus carnales homines conceptum furorem, qui in fœno figuratur: *Omnis caro fænum*.

Iſaie 40. v. 6. S. Greg. l. 32. mor. c. 6.

Ubi S. Gregorius ait: *Quia enim fænum eſt vita carnalium, ſicut ſcriptum eſt: Omnis caro fænum. In eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plauſtri fænum ſe portare teſtatur, cujus ſub fæni onere ſtridere, eſt pondera & iniquitates peccantium cum querela tolerare*. Perſæpe quidem Dei miſericordia alios peccatores diſſimulat, eorumque peccata ſe parum quaſi curare oſtendit; at vero hoc carnis peccatum numquam ſine gravi contra nos concepta indignatione in nobis eſſe conſpicit, ideo illud ſemper etiam hic in præſenti vita punit.

1. Reg. 15. v. 2. Odit Deus libidinoſos. S. Greg. l. 6. in l. 4. Reg. 14.

8. Deus 1. Reg. c. 15. dicit: *Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraëli*. Enimvero cum certum ſit Deum noſtrum multas alias in opprobrium populi ſui ab alijs quoque nationibus recepiſſe injurias, cur tantum adverſus ſolos Amalecitas maxime poſt tot elapſa ſæcula furorem exhibet, deque illis ſpeciatim tam ſeveram ſumit vindictam? Reſpondet S. Gregorius Deum ſpecialiter ſe Amalecitis iratum exhibuiſſe, ad denotandum quam vehementer ſe ab hominibus carnalibus irritatum eſſe cenſeat; *Quid eſt quod Amalecitarum opera recenſentur, niſi quia luxuriæ inquinamenta valde Deo odibilia ſunt?*

Libidinoſi Deo puniente vincuntur.

9. Omnibus paſſim nota eſt hiſtoria illa quæ in libro Num. c. 24. recenſetur. Etenim Rex Balac inſtanter apud Balaam Pſeudo prophetam precibus contendit, ut ad maledicendum populum Iſraëliticum, quem multis victorijs inclytum invido oculo conſpexerat, ſeſe accingeret; At vero quia ſacrilegus ille idipſum, Deo rem Iſraëlitarum aliter diſponente, exequi non poterat, aliud molitus eſt conſilium, illud videlicet, quod in ejuſdem libri c. 31. & in Apoc. c. 2. exprimitur, nimirum Regi ſuaſit, ut magis illecebroſas quas invenire uſpiam poterat publicè exponeret mulieres, ut earum lenocinijs ſeducti Iſraëlitæ ad fornicationem ac demum ad idololatriam inducerentur, ut hac ratione Deus Iſraëlem in tanti ſceleris commiſſi vindictam tandem prorſus deſereret, ſuoque patrocinio deſtitueret:

Num. 25. v. 5. Pſal. 105. v. 28.

*Et initiati ſunt Beelphegor*, inquit Pſalmiſta, *& comederunt ſacrificia mortuorum*. Hoc igitur peſſimo conſilio in executionem protinus deducto major Iſraelitici exercitus pars in tantum fornicationis ardorem exarſit, ut tandem Deus in eosdem divinæ vindictæ ſuæ enſem acriter ſtrinxerit, prout legitur Num. cap. 25. & Mich. c. 6. Origenes circa hanc hiſtoriam, finem, quo Balaam ad conſilium iſtud Balac Regi ſuggerendum motus fuit, hanc fuiſſe dicit;

Orig. Hom. 20. in Num.

*Populus hic non proprijs viribus, ſed Deum colendo vincit, & pudicitiam conſervando; ſi vis eum vincere, primo eorum pudicitiam dejice, & ſponte vincetur*; Ac proinde ut ſuper hunc exercitum cæteroquin victorioſum iram & furorem Dei deſcendere faceret, meliori ſe medio Balaam uti non poſſe cenſuit, quam ſi illum luxuriæ peccatis immergeret.

Laſcivæ Jezabel ſupplicium. 4. Reg. 9. v. 30.

10. Jezabel improba illa mulier non ſolum idololatriæ, ſed etiam impudicitiæ & carnis laſciviæ dedita erat, ſiquidem, ut ſacer textus de ipſa teſtatur: *Depinxit oculos ſuos ſtybio, & ornavit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram*: nimirum hiſce ornatibus, & ad faciem venuſtandam adhibitis pigmentis Jehu in obſcœnos pellicere amores nitebatur: At ſubito ſuper eum divinum irruit ſupplicium, ſiquidem idem ſtybio & ceruſſa fucatus vultus ejus à canibus in agro devoratus & dilaniatus fuit: *Præcipitate eam deorſum*; ſicque adimpletum fuit magni illius Eliæ Prophetæ miraculum: *Erunt carnes Jezabel ſicut ſtercus ſuper faciem terræ*; Nam ut Eccleſiaſticus de laſciva muliere prædixerat: *Quaſi ſtercus in via conculcabitur*, & 4. Reg. 9. *Adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ & veneficia ejus multa vigent*.

Ibid. v. 33. 4. Reg. 21. v. 37. Ecclef. 9. v. 10. 4. Reg. 9. v. 22.

Sodomitarum. Gen. 19. v. 24. Sap. 5. v. 18.

11. Huc quoque ſpectat illud de infamibus Sodomæ & Gomorrhæ civitatibus à Deo ſumptum ſupplicium: *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo*. Quiſnam vero eſt hic loquendi modus, quo Deus ipſe ſulphur iſtud ſuper generationem hanc peſſimam depluere dicitur? *Dominus pluit*; cum tamen in libro Sapientiæ dicatur: *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum*.

Innoc. 3. l. de con. ſac. c. 25. Deut. 32. v. 35. Gen. 19. v. 24.

Audite Innocentium III. egregie id exponentem: *Noluit Dominus cuiquam Angelorum vel hominum executionem hujus pœnæ committere, ſed ſibimetipſi vindictam hujus ſceleris reſervavit, ſecundum illud: Mea eſt ultio, & ego retribuam; ac proinde Moyſes dicit: Pluit Dominus à Domino, videlicet à ſeipſo ſulphur & ignem: ſulphur ſuper fœtorem luxuriæ; ignem ſuper ardorem libidinis, quatenus pœna ſimilis eſſet culpæ; Nec miſiſſè dicitur, ſed pluiſſè, quatenus ipſo verbo magnitudinem & abundantiam pœnæ notaret*.

Supplicia plurima propter libidinem.

12. Duo atrociſſima ſupplicia, quæ furens Dei juſtitia huic mundo umquam intulit, aut in finem uſque ſæculorum immiſſura eſt, ob ſolum hoc peccatum carnis partim immiſit, partim vero in fine mundi immittet. Primum namque fuit univerſale totius mundi diluvium, quo Deus mundum hunc punivit, eò quod *omnis caro corruperat viam ſuam*: ſimiliter in finali judicio totus mundus ex igneo quodam diluvio miſere conflagrabit pariter in pœnam luxurioſorum.

Gen. 6. v. 12. S. Bern. T. 1. ſerm. 11. A. 1.

Et quidem circa diluvium, quod Noë Patriarchæ tempore accidit, conſiderari poteſt cum S. Bernardino, quod poſt peccatum ſuperbiæ & rebellionem ab Angelicis ſpiritibus factam, duæ adhuc tertiæ partes, id eſt, infinita Angelorum multitudo Deo conjuncta & extra lapſus periculum conſervata in cœlis permanſerit: at verò per peccatum luxuriæ genus humanum univerſum, ſi unicam dumtaxat familiam ex octo & non pluribus animabus conſtantem exceperis totaliter deperiit. *De nullo peccato*, inquit S. Hieronymus, *legitur dixiſſè Deum, quod pænituit ſe feciſſè hominem, niſi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio delevit*. Porro licet Noë una cum domeſticis ſuis evaſerit,

ſerit, illos tamen diluvij tempore continenter & caſte vivere voluit; ac proinde ſpeciatim eis præcepit:

Gen.6.v.18.

*Ingredieris arcam tu & filij tui*; quibus Arcam ingreſſis mulieribus quoque ut ſeorſim ingrederentur præcepit; unde ſubditur: *uxor tua & uxores filiorum tuorum.* Unde S. Joannes Damaſcenus inquit: *ſeparavit eos ab uxoribus, ut cum caſtitate pelagus, & illud commune naufragium evitarent*: quaſi dicere vellet, quod hi octo, ſi in arca conſtituti diluvium evadere vellent, neceſſariò toto eo tempore conjugalem conſervare caſtitatem debuerint. Alterum vero diluvium igneum Deus pariter ad caſtigandos carnis vitio deditos, qui voluptates pluſquam Deum amant, adhibebit: *Hoc ſcitote*, inquit Sanctus Paulus ad Timotheum, *quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines ſeipſos amantes, incontinentes ... voluptatum amatores magis quam Dei.* Salvator noſter quoque apud S. Lucam ait: *Sicut factum eſt in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis*: Unde Theophylactus inquit: *Inſinuatur per exempla diluvij, & Sodomitici incendij quod cum venerit Antichriſtus, illicitæ voluptates in hominibus increſcent, & diſſoluti erunt delitijs vacantes.*

S. Ioan. Damaſc. l. 4. de Fide. c. 25.
In Arca caſtitas ſervari debuit.
2. Tim. 3. v. 1.
Ibid. v. 2.
Ibid. v. 4.
Luca 17. v. 26.

Corn. à Lap. in c. 28. Gen.
Notatu digna.

13. Cornelius à Lapide quondam à ſancta Chriſtiana habitam viſionem refert, in qua ipſi totum hoc univerſum peccato mollitiei infectum oſtendebatur, videbatque quod Deus in pœnam peccatorum iſtorum atrociſſima humano generi immitteret ſupplicia, propter quæ ipſa varijs ſe cruciatibus conficiebat, ut ea mitigaret, vel omnino revocari faceret. Alius quidam Author refert *ex Conrado Clingio ſive relatione ſive experientia acceptum, quod ij, qui tot annis quot Chriſtus vixit in hoc pollutionis peccato perſeverant, ſint incurabiles, & quaſi deſperatæ ſalutis, niſi mira, rara, & extraordinaria Dei gratia ei ſuccurrat.* S. Bonaventura oſtendere volens quantum ſibi carnales homines in Chriſti judicis tremendo judicio timere habeant, ita ſcribit: *Inter omnes peccatores luxurioſus veniet ad judicium pauperrimus, nam ipſe vendidit & deſtruxit quidquid habebat, ſcilicet Deum & Sanctos, animam, famam, gloriam, ſubſtantiam, & gratiam.*

Ioan. Ben. in Sum. Caſuum ad 6. Dec. princ.
S. Bonav. in Diata ſalut. 1. c. 9.

Dei major ira ſi non punit.

14. Et porro quando Deus nonnumquam peccatores carnales non immediate punit, æſtimandum hoc eſt majoris ſeveritatis futuræ indicium. Sic enim Deus apud Ezechielem populo ſuo improperat dicens: *Ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis, ad omne caput viæ, ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ.* Et quis hic Deum in peſſimos hoſce transgreſſores iræ ſuæ fulmina ſubito evibraturum eſſe non crederet? & tamen Deus poſtquam in hujus capitis progreſſu, innumerabilium peccatorum recenſuiſſet catalogum, dicit: *Requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius*; At vero num vos idipſum forte placatæ divinæ juſtitiæ ſignum fuiſſe exiſtimatis? Audite S. Hieronymum dicentem: *Grandis offenſa eſt hominem permitti ſceleribus, & peccatis ſuis, magnæ iræ Dei eſt; non iraſci.*

Ezech. 16. v. 24.
Ibid. v. 25.
Ibid. v. 42.
S. Hieron. Ibid.

Inexorabiles pœnas mittit.
S. Bernard. T. 2. ſerm. 18. A. 3. c. 1.

15. Verumtamen pœna carnalibus hominibus debita velox eſſe, & minime tardare ſolet: ad cujus probationem S. Bernardinus textum illum Jer. c. 7. adducit, in quo Deus dilectiſſimis ſervis ſuis manus quaſi ligat, ne ad ipſum pro his & ſimilibus peccatis placandum in orationibus illas levare poſſint. Dicit enim: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te*; quibus verbis, ut S. Bernardus præfatus ait, Deus ſe pro peccato nefando implacabilem & inexorabilem eſſe oſtendit, ac proinde notat, quod Propheta ulterius progrediatur dicendo: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce furor meus & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum, ſuper viros & ſuper jumenta, & ſuper lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccendetur, & non extinguetur.* Unde ſatis videtur, unde flagella, quæ civitates & populos percutiunt, deriventur.

Jer. 7. v. 16.
Ibid. v. 20.

Libidinoſus Cham maledictus.
D. Chryſoſt. Hom. 29. in Gen.
Gen. 9. v. 22.

16. Maledictum Noë filium petulantem & laſcivum fuiſſe, negari nequit, quippe qui etiam uſque ad detectam nuditatem patrem ſuum deriſit; De hoc autem Divus Chryſoſtomus ita ſcribit: *Et vidit Cham pater ille Chanaan nuditatem patris ſui. Propterea enim ut diſcas jam pridem & ab initio eam corruptæ mentis fuiſſe, non ſimpliciter dicit Scriptura: Vidit nuditatem patris ſui; ſed quid? Et vidit Cham pater Chanaan. Quare, dic mihi, & hoc loco filij vocabulum aſſignat? ut diſcas illum fuiſſe intemperantem, & incontinentem, & mente qua in tanta turbatione procreandæ proli vacavit, eadem etiam nunc in contumeliam patris prorumpit*: Ipſe igitur pater Chananæorum, populi à Deo maledicti & reprobati, qui divinæ juſtitiæ fulmina ſuper ſe provocavit, à Noë, ad hoc ut fratrum ſuorum ſervus fieret, condemnari meruit, & ut uno verbo dicam, æternam ſecum maledictionem ſubintulit.

Luxurioſi hic & ibi puniuntur.
Sap. 5. v. 18.

17. Neſcio an ſubinde obſervaveritis hanc inter homines carnales & alios transgreſſores differentiam, quod Deus aliis legem Dei prævaricantibus pro futuro tempore comminetur ſupplicium: *Accipiet armaturam zelus illius; armabit creaturam ad ultionem*, at vero carnales etiam in hac præſenti vita & tempore ſevere caſtiget. Sic in Apocalypſi dicitur: *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque parte acutam*; habet, dicit, non vero habebit; *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Sathanæ*; In præſenti tempore dicit, quod gladius ex utraque parte acutus vibretur, quia ibi de gente luxurioſa & laſciva ſermo eſt, prout patet ex verbis: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum, coram filiis Iſraël edere, & fornicari, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.*

Apoc. 2. v. 12.
Ibid. v. 13.
Ibid. v. 14.
Ibid. v. 15.

Laert. l. 1. c. 6.

18. Refert Laërtius, quod cum Biantes cum magno ſui damno in hominum laſcivorum ſocietate navigaret, navis impetuoſa maris tempeſtate agitata eos in manifeſtum conjecerit naufragij & ſubmerſionis periculum, dumque hi viri in tanto diſcrimine poſiti altis vocibus & clamoribus falſos Deos ſuos in ſubſidium ſibi depoſcerent; Philoſophus his eos verbis fuerit affatus: *Silete, ne Dij vos homines inverecundos hic navigare ſentiant.* Tametſi enim falſa gentilium numina Jupiter, ſcilicet, Mercurius, Vulcanus, & Venus impudicitiæ operam & ipſi dederint, attamen Philoſophus iſte illos adverſus pudicitiæ temeratores ſeveros vindices futuros eſſe exiſtimabat. Quisnam tandem prodigi illius filij, qui *omnem ſubſtantiam ſuam cum meretricibus conſumpſerat*, finis fuit? *Ego autem hic fame pereo*: ad eam namque fuerat redactus penuriam, ut ne glandibus quidem una cum porcis famem pellere poſſet.

Luc. 15. v. 17.

Rayn. Ann. 1402. n. 2. Hiſtoria.

19. In Annalibus Eccleſiaſticis de Davide Roberti Scotiæ Regis filio ſcribitur, quod cum is in omne genus effrænis libidinis ſe demerſiſſet, à Patre ſuo in poteſtatem Patrui ſui traditus fuerit, ut ab eo hæc ejus vivendi licentia & laſcivia reprimeretur, qui eum adeo durè tractavit, *ut miſerando mortis genere in vinculis perierit; nam patruus nepotis non emendandi, ſed perdendi cupidus, ut ſolium regium tandem occuparet, fame illum enecare conſtituit, cujus ſortis miſertæ duæ mulieres, cum illius famem levare niterentur, à Tyranno morte affectæ ſunt. Earum altera, ut ingenioſa miſericordia eſt, clam fruſtula panis per anguſtum foramen immittebat in carcerem: altera expreſſum mammillis lac per canalem in moribundi adoleſcentis regij os fundebat. Denique omni ſolatio deſtitutus, cum fœdiſſima quæque abſumpſiſſet, digitos arroſit*; Demum verò Hiſtoricus concludit: *Triſte poſteris plexæ, permittente Deo, laſciviæ documentum daturus.*

## *DISCURSUS XII.*
## ARGUMENTUM.

Hoc carnis vitium cauſa eſt exterminij populorum, & calamitatum publicarum origo; ubi adducuntur nonnulla ſuppliciorum exempla, quæ Deus perſonis particularibus immiſit.

### THEMA.

*Pete à me quod vis, & dabo tibi, & juravit ille, quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Marci 6. ℣. 22. & 23.

Deſolatio Regnorum ex libid.

1. HErodes inceſtui cum Herodiade adeo implicitus, adeoque à tripudijs & ſaltibus filiæ ejus ineſcatus erat, ut eidem ſub juramento quidquid à ſe poſtularet, daturum ſe eſſe promiſerit, licet etiam Regni ſui dimidium petitura eſſet: *Quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Ecce tibi clarum argumentum, unde perſpicuè colligere licet, qualiter ex ſola hujus vitij culpa, potentiſſima regna & dominia in totalem redigantur deſolationem & ruinam. Deus olim per Amos Prophetam comminatus fuit dicens: *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem pſalterij ... juravit Dominus Deus, in anima ſua dicit Dominus Deus exercituum ... tradam civitatem cum habitatoribus ſuis.* Ecce tibi cauſam, cur Deus ſæpe civitatibus & populis atrocia flagella immittat: *quod ſi reliqui fuerint decem viri in domo una & ipſi morientur.*

Marc. 6. v. 23.
Amos 6. v. 4.



Ibid. v. 5.
Ibid. v. 8.
Ibid. v. 9.

Supplicium Davidis.

2. Poſtquam David in profundum adulterij barathrum turpiter & ſcandaloſe lapſus fuiſſet, Deus illum ob id caſtigare volens, miſit ad eum Nathan, ut reprehenderet eum, eique juſſu & nomine Dei juſtum, quod promeritus fuerat, ſupplicium intimaret; ſed quodnam illud fuit? *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua*, nimirum Abſolonis filij ſui rebellionem, in qua concitata in populo ſeditione, cum tanta Regni & Davidis ſtrage, adverſus patrem ſuum arma induit: *Non recedet gladius de domo tua, uſque in ſempiternum, eò quod tuleris uxorem Uriæ Hethæi.*

2. Reg. 12. v. 11.
Ibid. v. 10.

Pulchritudo luxuriæ incendium.

3. Ingenioſa pariter & utilis eſt illa Authoris cujusdam circa commiſſionem Samuëli impoſitam obſervatio, ex hac namque commiſſione domum Iſai ingredi juſſus fuit, ut unum filiorum ejus in Regem conſecraret: *Mittam te ad Iſai Bethlehemitem, providi enim in filijs ejus mihi Regem.* Porro multi Iſai filij erant, nec tamen uter ex omnibus illis ungendus eſſet, ei ſpecificaverat; *Sanctificavit ergo Iſai & filios ejus, & vocavit eos ad ſacrificium; cumque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus ejus? & dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abjeci eum.* Quando quis aliquem altæ & bene proportionatæ ſtaturæ hominem videt, dicere communiter ſolent: *Facies digna imperio*; ideoque merito hic quæri poteſt, inquit præfatus Author, cur Deus hunc Eliab à Sceptro & dominio Iſraëlis repudiarit, qui vir erat tam procera & pulchra ſtatura & facie conſpicuus? Et reſpondet, quod ſicut experientia quotidiana demonſtrat, pulchritudo carnalis concupiſcentiæ incendium eſſe ſoleat, ideoque in eo, qui in Regem ungendus erat, periculoſa fuerit, quia quando pulchritudo in Rege concurrit, facile in illicitos amores puellas etiam honeſtas pellicere valebit, dumque carnis illecebris deditus eſſe incipit, etiam ſubditum ſibi populum exinde ſcandalizatum in ſimile exemplum pravum imitandum pertrahit, unde poſtea Reipublicæ ruina & deſolatio conſequitur, dum pravum ejusmodi Regis exemplum à Deo per immiſſa flagella punitum, ſubditorum cauſat deſolationem & exterminium.

1. Reg. 16. v. 1.
Ibid. v. 5.
Ibid. 6.
Ibid. v. 7.

Salvian. l. 7. de Provid.
Hiſpani ob lib. ſubjugati.

4. Salvianus de infallibili Dei providentia, divinoque ejus judicio diſſerens, idem refert, quod etiam à Baronio ſub annum 409. n. 29. his verbis deſcribitur: *Dupliciter in illa Hiſpanorum captivitate Deus voluit, quantum & odiſſet libidinem, & diligeret caſtitatem, cum & Wandalos ob ſolam vel maxime pudicitiam illis ſupponeret: Hiſpanos ob ſolam vel maxime impudicitiā ſubjugaret. Infirmiſſimis hoſtibus cuncta tradidit, ut oſtenderet, ſcilicet non vires valere, ſed cauſam, neque tunc ignaviſſimorum quorumdam hoſtium fortitudine obrui, ſed ſola vitiorum impuritate ſuperari.*

Iſraëlitæ.

5. Populus Iſraëliticus, qui victorioſis armis ſuis vaſtiſſimæ terræ Chanaan populos debellaverat, ſe poſtea ſub eorumdem jugo velut ſervum & mancipium ingemiſcentem conſpexit: Audiatis velim hujus miſeriæ cauſam: *Duxerunt uxores filias eorum, ipſique filias ſuas filijs eorum tradiderunt*; paulo poſt vero ſacer textus ait: *Iratus contra Iſraël Dominus tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ, ſervieruntque ei octo annis.*

Jud. 3. v. 6.
Ibid. v. 8.

Num. 1. v. 22.
Num. 26. v. 14.
Plurima pars De tribu Simeon occiſa.
Joſue 19. v. 1.
Abul. ibid. Q. 1.
Num. 1. v. 26.

6. Contribulium tribus Simeon numerus, prout in libri Num. cap. 1. legitur, aſcendebat ad 59300. & tamen iidem, prout videre eſt in eodem libro c. 26. v. 14. quoad numerum poſtea ſupra modum fuere diminuti, ſiquidem ibi illorum tantum recenſentur 22000. At vero ſcitiſne hujuſce diminutionis aſſignare cauſam? Ad hæc modica illis aſſignata fuit hæreditatis portio: *Fuit enim hæreditas eorum in medio poſſeſſionis filiorum Judæ.* Imo Abulenſis ſcribit: *Erant filij Simeon pauci, nec fuit aliqua tribus tam paucæ multitudinis, imo nulla fere fuit, quæ non eſſet quaſi dupla in multitudine ad tribum Simeon, quia in ea fuerunt ſolum viginti duo millia virorum & ducenti: aliæ autem tribus erant magnæ multitudinis, ſicut tribus Juda, quæ habuit ſeptuaginta millia virorum & quingentos, ut patet Num. 1.* Quid ad hæc omnia reſponderi poterit? Num forte tribus hæc Simeon præ cæteris tribubus linguam ſuam in deſerto ad detrahendum divinæ providentiæ magis laxavit, ideoque à ſerpentum linguis plurimi illorum intoxicati & accenſi perierunt? Aut forſitan ex tribu Simeon plures fuere, qui ſua coram vitulo aureo genua flexerant, ut proinde in eadem tribu major à Levitis ſtrages facta fuerit? *Hoc autem dicunt fuiſſe, quia in Belſethim, quando fornicatus eſt Iſraël cum filiabus Moabitarum & Madianitarum, occiſa ſunt viginti quatuor millia virorum*, nam ut ex Numerorum cap. 25. colligitur major pars occiſorum ex hac tribu fuiſſe creditur: *ſatis eſt probabile, quia Princeps tribus iſtius fuit, quem transfodit Phinees.* Idem quoque Doctor obſervat, quod in Deut. cap. 33. mentio fiat totidem benedictionum, quot ibi tribus præſentes aderant, id eſt, undecim, *quia non benedicitur tribus Simeon*, inquit, Benedictio autem in Veteri Teſtamento fœcunditatis indicium erat. Ratio autem hujus eſſe poteſt, quia Simeon, à quo hæc tribus propriam ſuam habuit originem, fuit ille, qui de vendendo Joſeph fratre ſuo potiſſimum tractavit, aſperioremque ſe contra eum exhibuit; à quo proinde in Ægypto in carcere inter catenas detentus fuit, cæteris fratribus cum annona ſibi comparata in Chanaan remiſſis, prout Geneſeos cap. 42. legitur. Verumtamen Abulenſis aliam & propoſitio magis congruam rationem adducit, dicens: *Sed alia ratio eſt fortior, ſcilicet paulo ante, quia in eadem manſione, ubi tunc erat Iſraël, tribus Simeon fornicata fuerat cum Madianitis & Moabitis, & Princeps illius coram toto populo hoc fecit ad injuriam Moyſi.*

Abulenſ.

Baſil. Seleuc. orat. 18.
Civitates in deſerta rediguntur.

7. Baſilius Seleucus obſervat, quod dum ſanctiſſimus Præcurſor Domini honeſtatis & pudicitiæ zelotes in Eremo habitans inceſtum audiſſet ab Herode perpetim continuatum, Jeroſolymam acceſſerit, & tametſi in medio populoſiſſimæ illius civitatis conſtitutus eſſet, nihilominus haud ſecus ac ſi adhuc in ſua Eremo fuiſſet, clamaverit: *Ego vox clamantis in deſerto*: Quam olim vocem in Eremo emiſerat, repetebat: *vox clamantis in deſerto.* At vero numquid in loco ab infinita hominum multitudine habitato, imo in aula & palatio regio ſe conſtitutum eſſe ſciebat, cur igitur phraſim & modum loquendi non mutavit? Ratio illius hæc eſt, quia impudicitiæ & luxuriæ peccatum reprehenſurus in civitatem illam venerat, hujus autem vitij proprium eſt, quod civitates populoſas & ex civium numero frequentiſſimas in deſertum redigere ſoleat; id quod ſpecialiter & nominatim in Babylonia accidit, quæ ut in Apocalypſi legitur, inſignem quamdam valdeque formoſam meretricem præfigurabat: *Babylon magna, mater fornicationum*; quando enim Balthaſar in concubinarum ſuarum contubernio crapulabatur, prout in Danielis prophetia habemus, ea ipſa hora Babylon ab exercitu hoſtili in ultimum exterminium & deſolationem redacta fuit.

Joan. 1. v. 23.

Luxurioſi ſuppliciorum origo.

8. Nec eſt quod dicas, per hujus peccati exercitium magis augeri & multiplicari populum, ſiquidem experientia in cunctis retro ſæculis potius demonſtravit contrarium; præterquam quod Deus hoc peccato exaſperatus, in illius pœnam populis per peſtem, famem, bellum, & alia flagella totalem immittere deſolationem, & radicitus gentes extirpare ſoleat. Unde Theodoretus ſuper illum Oſeæ textum: *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus*, dicit: *quaſi clibanus ardens in devaſtationem flammæ, id eſt, libidinum ignis hoſtilem flammam in eas refert.*

Oſe. 7. v. 4.
Theodor. Ibid.

S. Zeno l. 1. ſer. 7.
Regnorum exterminium.

9. S. Zeno *de pudicitiæ laudibus, & impudicitiæ deteſtabili fructu*, diſſerens, inter alia mala, quæ ab hac peſte inferuntur, hoc quoque recenſet, quod *hæc ſæpe indicat quietis gentibus bellum, hæc aliquoties robuſta regna ſubvertit*; Et quidem memorabilius hujus rei exemplum deſiderare non poſſumus, quam quod de Principe Sichem legitur, qui per ſtuprum Dinæ cauſa fuit exterminij & deſolationis omnium Sichemitarum. Legatis Geneſeos caput 34. & invenietis, quod Sichem princeps junior Dinæ amore captus, *rapuit, & dormivit cum illa*; nec tamen ſe erga Dinam eo modo habuit, quo Amnon erga Thamar ſororem ſuam, hic enim poſt expletam cum dicta ſorore ſua libidinem, *exoſam habuit odio magno nimis, ita ut majus eſſet odium, quo oderat eam, amore quo ante dilexerat*; De hoc autem Principe dicitur, quod poſtquam corpore Dinæ fruitus fuiſſet, *conglutinata eſt anima ejus cum ea*, unde eam ſibi à fratribus ejus in ſponſam dari, & pro ea habenda omnibus ſe conditionibus ſubmiſit, quæ ab illo poſtulatæ fuerant, quantumvis duris admodum & aſperis, nimirum ut ſe cum univerſo populo circumcidi faceret, atque inſuper religionem mutaret;

Hiſtoria ſacra.
Gen. 34. v. 2.
2. Reg. 13. v. 15.
Gen. 34. v. 3.

quo

quo tamen non obſtante Deus per ſuam providentiam & juſtitiam ipſum cum univerſa illa civitate in ore gladij necari voluit: *Hemor & Sichem pariter necaverunt, & interfectis omnibus depopulati ſunt urbem.* Certum porro eſt filios Jacob, utpote qui paſtores ovium erant, excellentius pro ſorore ipſorum ſponſalitium & connubium adoptare nequiviſſe, quam ſi eam Principi tali in conjugem darent, in cujus ſtatu & dominio ipſi advenæ erant, maxime quando idem Princeps cum omnibus ſubditis in gratiam ſponſæ ſuæ in eorum religionem & veri Dei cultum circumciſione mediante concedebat, & tamen hanc de eo ſumpſerunt vindictam & aſperrimum ſupplicium, quia Deus inde ejus adverſus carnales homines furorem & indignationem agnoſci volebat. *Hæc robuſta regna ſubvertit. Vidiſti quomodo filius Hemor*, inquit D. Chryſoſtomus, *ſuam concupiſcentiam opere complens, ſit patri & toti civitati perditionis author?*

Gen. 34. v. 26.

D. Chryſoſt. Hom. 15.

Omnia mala ex luxurioſis.

10\. Rex Gerari Abimelech mox ut Saram marito junctam eſſe intellexit, eamdem intactam reliquit, & circa mediam noctem Abrahæ reſtituit, imo eumdem quod ſororem ſuam eſſe dixiſſet, conjugium verò diſſimulaſſet, graviter reprehendit; ſpecialiter vero improperij hujus verba notanda ſunt, utpote haud parum huic propoſito noſtro conſentanea: *Quid feciſti nobis? quid peccavimus in te, quia induxiſti ſuper me & ſuper regnum meum peccatum grande.* Quantumvis enim idololatra eſſet, ſolo tamen naturali lumine illuſtratus probe ſatis cognoſcebat, quod flagella & calamitates publicæ propter hoc carnis peccatum regnis & populis immitti ſoleant. Ex hac quoque hiſtoria claro ſatis liquet populum Amalech huic vitio ſupra modum fuiſſe addictum, ſiquidem vix mulier aliqua extranea in ipſorum regionem pedem intulerat, cum ecce ſubito ejus pudicitiæ & honeſtati inſidias ſtruere parabant; Et ideo quid mirum ſi populus ille famis & ſterilitatis flagello à Deo percuſſus fuerit. Merito igitur S. Auguſtinus in ſermone quodam exclamat: *O luxuria per te pax deſtructa eſt, per te homicidium factum eſt, per te civitates combuſtæ ſunt, per te omnia fere mala facta ſunt.*

Gen. 20. v. 9.

S. Aug. ſer. 47. ad Frat.

11\. Annales Eccleſiaſtici circa annum 1272. ſub Gregorio X. referunt, quod dictus Pontifex præterquam quod Thomam ex Conſentina Archiepiſcopali ſede ad Patriarchalem Hieroſolymitanam tranſlatum tranſmiſſo ad ipſum Patriarchali pallio honorarit, inſuper etiam hæc ei ſalutis monita tranſcripſerit: *Religioſiſſimè imperavit, ut Chriſtianos Syros à vitijs abducerent, ne in ſe divinas iras, extremumque exitium verterent, cum familiare ob oculos exciſæ Antiochiæ exemplum verſaretur, quam non hoſtium potentia, ſed effuſa libido evertat.* Eidem quoque dictus Pontifex ſequentia ſcripſit: *Nec te latet, qualiter per voluptuoſos vitiorum ſervos, & ſervituti carnis expoſitos, motus ſequentes ipſius, ſic inibi divinæ majeſtatis oculi offenduntur, quod variæ terræ partium illarum, ſicut Antiochiæ ac aliorum plurium locorum teſtatur deſtructio, manibus inimicorum expoſitæ in everſionem, & ipſarum incolæ in excidium devenerunt.*

Rayn. Ann. 1272. n. 17. Everſio civitatum.

12\. Sanctus Bernardinus ad hoc propoſitum illum Nahum Prophetæ textum citat, in quo dicitur: *Væ civitati ſanguinum*, id eſt, carnalium delectationum; Et ſequitur: *Corruent in corporibus ſuis propter multitudinem fornicationum.* Idem quoque Propheta poſt haſce comminationes adductas, multa recenſet infortunia & calamitates publicas, quæ ex hoc carnis vitio dimanant; dicit enim: *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & micantis gladij, & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ, nec eſt finis cadaverum.*

S. Bern. T. 2. ſerm. 18. A. 2. c. 2. Nah. 3. v. 1. Ibid. v. 4. Deus calamitates immittit propter luxurioſis. Ibid. v. 2. Ibid. v. 3.

13\. S. Thomas à Villanova in hujus vitij deteſtationem ita ſcribit: *Inquiramus quidnam divinæ erga populum indignationis cauſa extiterit, ut civitatem opulentiſſimam, & omnium illuſtriſſimam & maximam ſubvertere cogitaret; de hoc ſcriptura nihil fere commemorat, ſolum autem, quia aſcendit malitia ejus coram me: ſed quænam fuerit iſta, non declarat; Exiſtimo autem fuiſſe virulentam carnis laſciviam, hoc luxuriæ facinus à Deo atrociori vindicta adeo punitum legimus.*

S. Th. à Villanova. Fer. 4. poſt Dom. 1. Quadr.

14\. Verum enimverò præter calamitates publicas & univerſales à Deo propter hoc peccatum immiſſas multas quoque allegare poſſumus particulares & privatas. Quod attinet ruinas, quæ in pœnam impudicitiæ ad omnes extenſæ fuerunt, ſufficit ſi id ad nos reflectamus, quod Didacus Stella dicit: *Cauſa*, inquit, *hujus inviſi peccati demolitus eſt Deus orbem univerſum aquis diluvij*; Et paulò poſt ſubjungit: *Omnia majora ſupplicia, quæ legimus Deum hominibus inflixiſſe, in hoc extiterunt peccatum. Tantum Deus odit hoc vitium, ut Chriſtus Salvator noſter omnia fere peccata in ſuo collegio permiſerit, uno excepto videlicet luxuriæ.* Nunc igitur ad ſupplicia & pœnas particularibus in hoc vitio tranſgreſſoribus inflictas deſcendamus.

Solum carnis vitium in ſuo Collegio non permiſit Chriſtus.

Did. Stella in 6. 6. Luc.

15\. Equidem primo loco caſus quidam occurrit funeſtus, qui in Hiſpania celebri cuidam Prædicatori accidit, qui cum illuſtris cujuſdam valdeque conſpicui equitis domeſticus eſſet, conjugis ejus amore accenſus, illam ſæpius ad illicitos ſolicitare concubitus non erubuit, quem licet illa conſtanter à ſe repelleret, ille tamen ad ſolicitationum ſuarum violentia ob id minime deſtitit. Illa laſcivum hunc Prædicatorem decipere volens, omnia quæ hactenus ipſum & illam interceſſerant, marito aperuit, de cujus conſenſu pariter & conſilio, certam huic lubrico viro horam & locum deſignavit, in quo nocturno tempore diu concupitis illius frui amplexibus poſſet; dumque circa illud tempus & locum maritus, cum bono numero armatorum ſervorum ſuorum ſcortatorem hunc in cubiculo vicino præſtolaretur, tandem ſacrilegus ille veſte ſæculari indutus, enſeque & pugione accinctus & armatus advenit, & deſignatum locum ingreſſum uxor equitis in eamdem Cameram ſecuta fuit, dumque vim illi inferre vellet, ipſa quidem pactis inter ſe & maritum nutibus & ſigno maritum & armatos, ut accelerarent ingredi, advocavit, ſed nemine illorum accurrente ipſa unguibus, dentibus & calcibus omnem ei violentiam intulit, ut ab ejus ſe manibus proripere poſſet; at vero cum reſiſtere non valens, ad fæmur ejus pugionem ſuſpenſum vidiſſet, eumdem è vagina clam extractum lateri ejus infixit & occidit. Cumque hoc pacto ab ejus ſe violentia feliciter expediviſſet, ad cameram, in qua juxta condictum maritus cum ſervis ſuis armatis ſacrilegum expectare debebant, accurrens, ipſos immobiliter ſtantes, & mortuo potius quam vivo ſimilis invenit, cumque eorum auribus alta voce inclamaſſet, eorumque corpora hinc inde moveret, truderet, convelleret, nec tamen minimum vitæ ſignum in illis adverteret, magiam in hac re intercedere ſuſpicata eſt, nec fruſtra; Ad mortui igitur cadaver reverſa, illud per nonnullos in forum publicum relicto in vulnere ferro, deportari fecit. Viſo autem à Curia & agnito corpore, Gubernator loci illius, Priorem Conventus illius, ad cujus familiam peſſimus hic religioſus ſpectabat, conveniens, totum ei geſtæ eventum à capite ad calcem uſque diſtincte recenſuit; Ingredientes igitur cellam ejus, faculam quamdam ſub obſcuro & quaſi mortuo lumine juxta caminum ardentem repererunt; eaque extincta mox maritus & ſervi ejus velut è profundo quodam lethargo evigilarunt: ambo conjuges coram Judice, qui cadaver ſacrilegi in prophanum quemdam locum ſepeliri juſſit, totam rei geſtæ hiſtoriam ſeriatim expoſuerunt.

Delrio de Magia l. 3. p. 1. Hiſtoriæ horribiles. 1.

16\. In vita S. Gallæ refert P. Bollandus, à dicta Sancta lubricum quemdam Diaconum graviter reprehenſum fuiſſe, eò quod cujusdam ancillæ ſuæ honeſtati & pudicitiæ continuo inſidiaretur, quod tamen ille obſtinate negavit; At vero *cum multa excuſatione Diaconus id denegaſſet, etiam & Sacramenta præbuiſſet, egreſſus foras ſuadente immundo ſpiritu, in loco quo ſolebat ſancta ac beatiſſima Galla requieſcere, poſt orationem adulterium cum ipſa puella exercuit, unde egreſſus cum quaſi lætus pergeret, flamma deſcendente de cælo in modum lamiæ exuſtus eſt.*

Hiſtoria. 2. Bolland. in vita S. Gallæ n. 5.

17\. Abſalon quia paulo ante in conſpectu totius Hieroſolymæ cum uxore Patris ſui carnale habuerat commercium, non obſtante edicto, quo David Abſalonem ſervari in vivis juſſerat: *Servate mihi puerum Abſalon*, divina tamen diſponente juſtitia, quæ tantum peccatum digne caſtigari, & nequaquam inultum relinqui volebat, à Joab tribus lanceis transfixus fuit, cadavere ejus ad quercum per capillos adhæreſcente in exemplum & terrorem publicum relicto; Et bene ad quercum ſuſpenſus remanſit, quæ immundis animalibus, carnales homines præfigurantibus alimenta miniſtrat.

Hiſtoria. 3. 2. Reg. 18. v. 5.

18\. Joannes Manlius Norimbergenſis ſequentem caſum refert prorſus horribilem. Cum enim Scholaris quidam ex habito cum vidua quadam carnali commercio ſuſcepiſſet filium, iſque Baptiſmi ſuſcipiendi cauſa delatus eſſet ad Eccleſiam, Parocho parentum nomina exquirente, nutrice vero ea edere detrectante, ſine Baptiſmo ſuſcepto, non ſine ingenti

Hiſtoria. 4. Joan. Manlius T. 2. Collect.



utriuſque Parentis ignominia relatus eſt matri; quæ contremiſcens, ſuumque delictum in famam publicam abiturum eſſe formidans, ſine Baptiſmi lavacro accepto ſtrangulavit infantulum, injectaque collo ſuo reſti ſemetipſum ſuſpendio enecavit; ſcholaris autem utriusque mortis ſe reum eſſe agnoſcens infixo in pectus ſuum ferro vitam ſibi propria manu ademit. Quæ funeſta fama cum ad Parochi aures perveniſſet, hic ſe infantem ſine Baptiſmo domum remittendo, funeſtis his eventibus cauſam dediſſe conſiderans, laqueumque collo ſuo inſerens deſperabundus vitam finivit. Tandem Author hujus hiſtoriæ ita concludit: *Ergo oremus & vigilemus; Sathan non dormit; mille talia committuntur, ſed tecta, ſub tempore ſuo tamen in lucem eruenda.*

19\. P. Hieremias Drexelius ſcribit, quod Lubecæ, quæ primaria eſt civitas Saxoniæ, Matrona quædam, quæ Conſulis ejuſdem conjunxerat, tres pepererit filios, eosque omnes infeliciſſima tandem morte extinctos: Primus namque ex lepra mortuus eſt: Secundus in aquis fuit ſubmerſus: Tertius vero violentas ſibimetipſi manus inferens miſere occubuit: Hujus vero deſperationis occaſio fuit, quæ ſequitur; Erat enim juvenis ille aſpectu & facie pulcherrimus, ingenioſus, dives, & elegantibus ſemper veſtimentis indutus, ſed laſcivus valde & lubricus. Poſt varios impudicitiæ exceſſus in cujuſdam fœminæ manus incidit, quæ omnium illius civitatis mulierum pulcherrima eſſe credebatur, quæ tam inſano juvenem hunc amore ſibi adſtrinxit, ut quocumque ad eum divertendum adhibito remedio ab illa divelli neutiquam potuerit, adeoque cum ad hoc nec facultatum ſuarum juvaret diſpendium, nec ſanitatis jactura, nec enormis famæ & exiſtimationis læſio, nec animæ manifeſta periclitatio, tandem in extremam redactus eſt paupertatem; Cumque mater ejus eum per maternam benignitatem ab hoc præcipitio revocare poſſe ſperans, eidem pecunias largiendo perſæpe ſubveniret, nec tamen quidquam hoc medio ab ipſo obtinere poſſet, tandem manus ſuas arcte claudens, eumdem prorſus deſeruit. Unde laſcivus hic juvenis exaſperatus, matrem pugnis & calcibus aggrediens & indigne tractans mortem ei comminatus eſt, niſi more ſolito largiretur pecunias, quæ proinde cum exceſſum hunc impietatis filij ſui neque parentibus, multo minus Magiſtratui manifeſtare auderet, timens ne filius extremo afficeretur ſupplicio: ex altera vero ſe continuo ſub filij cultro vel enſe conſtitutam cerneret, pecunias ei dare continuavit: at vero quia *juſtus Dominus juſtitias dilexit*, ideo Deus totam hanc rem toti Civitati notam ac manifeſtam fieri voluit; Eaque notitia habita parentes infelici huic juveni interdixerunt ne ad domum matris ſuæ umquam accedere præſumeret, ipſe vero poſt divulgatum delictum ſuum præ verecundia confuſus, una cum peſſimo illo ſcorto publicum proſtibulum inhabitare cœpit, ubi conſumptis veſtibus, pecuniis, ſanitateque deperdita ſe lacerum, nudum, fame pereuntem, omnibusque exoſum & abominabilem factum eſſe cernens, præ deſperatione cor ſibi infixo ferro transfigens miſerrime occubuit.

Hiſtoria. 5. Drexel. Nicet. l. 2. 6. 12. §. 12.

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

Sub alluſione Contagionis & peſtilentiæ variæ in hujus vitij deteſtationem fiunt conſiderationes.

### THEMA.

*Beatus vir qui in Cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Pſalm. 1. ℣. 1.

1\. Regius Propheta David felicem & beatum cenſuit virum illum, qui carnalis concupiſcentiæ peſtilentiam declinare & fugere novit; ſiquidem vitium iſtud prouti in præſenti diſcurſu examinabimus, magnam habet cum hoc vitio cognationem & ſimilitudinem. Cajetanus expoſitionem S. Hieronymi ſequens, legit: *in Cathedra deriſorum*; Et quinam illi ſint declarat dicens: *Sunt illi qui poſt hanc vitam dicent de ſanctis*, ut habetur Sapient. 5. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum &c. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Si autem vitam & mores illorum ſcire deſideratis, illos ad gulam uſque cœno voluptatum & obſcænorum amorum immerſos eſſe reperietis, prouti ex ejuſdem libri cap. 2. perſpicue videtur, ubi dicunt: *Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra, Nemo noſtrum exors ſit Luxuriæ.* David igitur beatum illum eſſe cenſet, qui non ſolum non converſatur cum illis, ſed qui eosdem etiam pro viribus declinat & fugit.

Beatus qui fugit luxurioſ. peſtem.

Cajet. Ibid.

Sap. 5. v. 3. 8. & 4.

Sap. 2. v. 8. & 9.



2\. S. Cyprianus, vel quisquis eſt libri illius author, impudicitiam ſub nomine peſtis deſcribit; cum ait: *De Carbonibus ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo naſcitur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam.* S. Petrus Chryſologus, de ſaltibus & tripudiis quæ hujus vitij eſca & fomentum ſint, diſſerens, illa quoque peſtem appellare non dubitat, dum ait: *Fugetur ſaltatricum peſtis.* Baſilius Seleucienſis eumdem quoque titulum illi attribuit, verumtamen myſticum quoddam adjectivum illi ſuperadjungit, dum tripudia *Peſtem vivacem* cognominat; nec immerito, quia licet peſtis vulgaris, eos quos invadit, communiter occidat, hoc tamen peccatum licet quidem animæ mortem conciliet, non tamen corpori, licet illud ipſum plurimum debilitet: vel etiam idem Baſilius per hoc adjectivum, *Vivacem*, inſinuare vult, quod ſit viva quædam peſtis, quia ſuum à nobis vigorem accipit, qui vires illi ſubminiſtramus, dum illud non ſolum libenter admittimus ſed omni ſtudio & magno noſtro diſpendio ſectamur & quærimus. S. Ambroſius quoque ait: *Qui non ſequitur Dominum Deum ſuum, ingurgitat ſe luxuriæ ac libidini, peſtiferis corporis paſſionibus.*

S. Cypr. de ſingular. Clericor.

D. Chryſol. ſer. 127.

Luxurioſis vivax peſtis.

Baſil. Seleut. orat. 5.

S. Ambr. l. 6. Epiſt. 26.

3\. P. Bollandus in vita S. Antonini Abbatis Surrentini de Archipresbytero quodam refert, quod in pœnam laſcivæ vitæ ſuæ à Deo contagioſa quadam & peſtilentiali peſte percuſſus fuerit; *Horridiſſimam Elephantiæ lepram contraxit, adeo ut in totius corporis ſuperficie, ne unum quidem naturalis coloris ſignum notare potuiſſet, omnes eum fugiebant, cuncti præ contagij timore vitabant.* Cumque omnia humanorum remediorum genera fruſtra tentaſſet, tandem ad hunc ſanctum Abbatem confugit, qui eum nocte quadam in ſomnis curavit, at vero notate diligenter quid ei dixerit: *Sanus factus es jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: Cohibe vagam mentem, adſtringe lubricam juventutem, abjice voluptatem prævaricatricem, & averte oculos tuos, ne videant vanitatem.*

Bolland. 14. Febr. c. 6. n. 29. Hiſtoria.

4\. Quisquis modum quo contagio in locis frequentiori incolarum numero habitatis proſerpere & dilatari ſolet; penitius examinaverit, id ut plurimum non tam ex hæreditatis adeundæ cupiditate, quam ex vitio carnis fieri comperiet. Sic enim hic Romæ, ut omnibus manifeſtum eſt, peſtis à ligula quadam ſericea, juveni cuidam Neapolitano ab amaſia ſua, quæ Neapoli ex peſtilentia mortua fuerit, una cum annulo transmiſſa, originem ſuam habuit, quaſi divina juſtitia indicare voluiſſet, quod iræ ſuæ flagella, & præcipuè illud quo per peſtilentiam ferimur, ſupplicium quoddam ſit ſeu pœna qua contagio Luxuriæ caſtigatur.

Peſtis eſt ſupplicium luxurioſis.

5\. Hieronymus Fracaſtorius Medicus inſignis, contagioſorum morborum naturam explicans, febrim malignam nihil aliud eſſe dicit, quam malum quoddam ex profunda ſordidaque putrefactione oriundum, quæ quoddam in ſe continet acutiſſimæ contagionis ſeminarium, indeque peſtiferum eſſe dicit. Qua certe definitione Concupiſcentia carnalis ad vivum depingitur, utpote quæ ſordida quædam & ex putrefactione oriunda febris eſt, teſte S. Ambroſio, qui dicit: *Febris noſtra libido eſt*: eſtque omnium origo ſcelerum, prouti in diſcurſu primo hujus Tractatus prolixius probavimus, tantoque amplius formidanda, quanto magis placet, quia maligna febris omni arte & induſtria poſſibili curatur & pellitur; De qua proinde Sanctus Bernardus ait: *Hæc peſtis, quo præ cæteris vitijs eſt mihi familiarior, eo ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior, nam cum eam repellere volo, volenti mihi ſe ingerit.* Modum quoque quo venenum iſtud venas ingreditur, hancque peſtilentialem febrim accendit, obſervat, dum ait: *Subtiliter intrat & mentem occupat, & niſi ſubito repellatur, allicit & incendit, & quaſi virus peſtilentiæ per totum corpus paulatim ſe diffundit.*

Libido eſt febris maligna.

S. Ambroſ. l. 4. in Luc. c. 4.

S. Bern. de interdom. c. 29.

6\. Serpentem aliquem vel viperam propter evidentem veneni in ipſo præſentiam, abhorremus, amicum verò contagione laborantem non fugimus ſed blande, benevoleque amplectimur & oſculamur, idque faciendo venenum inadvertenter ob periculi ignorantiam contrahimus: eadem quoque eſt faci-

Libido veneno ſimilis.

litatis ratio, quia peccati carnalis venenum contrahimus, dum enim intellectus, affectus, & cor noſtrum objecto amato tenaciter adhæreſcit, de periculo aut culpa quæ contrahitur minime cogitamus aut de iis cavendis ſoliciti ſumus, ſed gaudendo & ridendo venenum imbibimus.

*S. Nilus orat. 2. de Luxur. S. Bernard. Ibid.* Peſti.

7. S. Nilus poſtquam nobis fœminei ſexus delineaſſet lenocinia atque illecebras, ſubjungit: *His veluti hamis atque eſca ad mortem raperis imprudens.* S. Bernardus quoque in præcitato capite dicit: *Hac peſte cum adſtrictus teneor, divelli ab ea vix poſſum, quoniam ſtimulos ejus confiteri aut neſcio, aut erubeſco, tam ſubtiles, & turpes ſunt. Adde, tam ſunt difficulter declinabiles;* quia carnaliter peſtis quædam eſt, cujus malignitas & damna non apprehenduntur; peſtis quædam eſt quam ſtudioſe quærimus, quam habitam dulciter fovemus, ſolicite nutrimus, imo inter homines carnales ille felicior æſtimatur, qui plus illius particeps eſſe poteſt. Seneca quoque moralis ille Philoſophus luxuriam circumſcribit dicens: *In venerem ac libidinem projectorum inhoneſta labes eſt.*

*Seneca de brevit. vitæ cap. 6.*

*Nazianz. adv. mulier.*

8. In Commentario Nazianzeni legimus ſequentia: *Pandora puellæ nomen eſt, apud Heſiodum in libro, qui inſcribitur: Opera & dies, ſic dicta, quod Dij omnes donum aliquod in eam contuliſſent. Hanc ob cæleſtem ignem à Prometheo ſuſceptum, è cœlo in terram demiſſam fuiſſe Poëta ille fingit, ut homines philtris ſuis ac fucis in exitium impelleret, de ea enim hæc Jovis, ad Prometheum verba ſunt:*

*At tibi pro flamma dabitur, vir ſubdole, peſtis*
*Grata tamen miſeris, proprium qui pectore cæco*
*Exitium, & mortem male ſana mente fovebunt.*

Aſpectus fugiendi & colloquia formarum allicientium.

*Tom. 2. opuſc. S. Franciſci Collat. 6.*

9. S. Franciſcus ſuis proſpicere volens, ne in hujus illecebroſi ſexus periculis conſtituti ſuccumberent, hæc eis verba ſalutaris moniti & doctrinæ loco poſt ſe ſcripta reliquit: *Multorum familiaritates, colloquia, & aſpectus, quæ multis occaſio ſunt ruinæ, eo ſolicitius evitare debemus, quo ſæpius per hujuſmodi videmus debilem frangi & fortem ſpiritum infirmari. Harum contagionem evadere converſantem cum eis, niſi probatiſſimum virum, tam facile judico, quam juxta ſcripturam in igne ambulare, & non comburere plantas: Non enim ſecurum puto earum formarum introrſus haurire imagines, quæ poſſunt aut indomitæ carnis reſuſcitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem.* S. Anſelmus poſtquam fidem in hoc vitio valde periclitari oſtendiſſet, eò quod ſenſualis & carnalis homo ſuperſtitionibus quoque magijs & veneficijs deditus eſſe ſoleat, tandem his verbis concludit: *In his omnibus apparet, quam magnum & principale vitium ſit fornicatio, de qua tot mortiferæ peſtes prodeunt.* S. Gregorius textum illum Jobi exponens, in quo luxuria igni comparatur, qui carnalem hominem totaliter conſumit: *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans,* inquit, *Nulli ante omnipotentis Dei oculos juſtitiæ pietatisque ſunt opera, quæ corruptionis contagio monſtrantur immundæ.* S. Thomas de Villanova de carnali homine differens, hoc epitheto contagionis utitur; dum ait: *Effugit omnem iniquitatem ſpiritus Dei, & ſicut ſcriptum eſt: à ſupervenıente iniquitate corripitur, ſed ab hoc fœdo turpique contagio amplius elongantur propterea, quod præter ipſam criminis deformitatem annexam habeat turpitudinem.*

*S. Anſelm. ad Gal. 5.*

*S. Greg. l. 21. cap. 9. Job 31. v. 12.*

*S. Thom. à Villanova ſer. 2. de S. Ildephonſo.*

Fuga ſuadetur.

10. Porro ſicut ad evitandum contagium, nullum eſt certius probatiusve medium, quam ut quis ſe à perſonarum vel rerum hujus contagij veneno infectarum commercio ſubducat, ita quoque qui concupiſcentiæ carnalis, contagio non vult contaminari, omnem cum periculoſo hoc ſexu converſandi occaſionem & periculum etiam remotum ſtudioſe declinet & fugiat; Et ideo S. Bonaventura familiaritatem mulierum etiam ſpiritualium vocat *periculoſam peſtem, quæ non melius quam fugiendo vitatur.*

*S. Bonav. de modo confit. c. 14.*

Occaſio & perſona fugienda.

11. Peſtis nullum habet perſonarum reſpectum, quantumcumque etiam illæ ſint Sanctæ; ita quoque carnalis peccati viſcus viris quoque perfectiſſimis facile adhæreſcit, niſi à converſatione cum mulieribus ſe contineant aſſiduè. Per quotidianam experientiam videmus, quod tametſi aliquis nonnumquam robuſtæ ſit complexionis, ſit etiam ab omnibus malignis & ad putredinem tendentibus humoribus perfectè purgatus, ſi tamen cum peſtiferis propinquius ore ad os converſando eorum halitum concipiat, paulatim ſibi quoque adſciſcat venenum eodem modo, inquit S. Bonaventura: *ſatis poſſet quis hac ſagitta percuſſus ſe jejunijs, vigilijs ac diſciplinis affligere & orare, quod ſi non fugiat perſonam & omnem occaſionem, numquam curabitur ab illo morbo, ſed magis augebitur illud vulnus;* Unde conſilium nobis proponit S. Hieronymi ad Occanum ita ſcribentis: *fœminam quam vides bene converſantem, mente dilige, non frequentia corporali, quia initium libidinis eſt in viſitatione mulierum, & mundus cum mulieribus non melius vincitur, quam fugiendo, quia cæteris vitijs & morbis quis poteſt reſiſtere, huic tamen non poteſt niſi per fugam.*

*S. Bonav. ib.*

*S. Hieron. ad Ocean.*

*Bolland. 3. Febr. n. 2. Hiſtoriæ.*

12. P. Bollandus refert de S. Gilberto, quod dum poſt ſuſceptam à ſe curam animarum die quodam una cum ſuo Capellano in domo cujusdam Parochiani ſui hoſpitaretur, *cumque forma filiæ hoſpitis, quæ ei ſedulo miniſtravit, occulta utrique ſubreperet contagio, viſum eſt Gilberto in ſomnis, quod manum ſuam in ſinum prædictæ puellæ injeciſſet, nec inde eam extrahere poſſet: vir igitur caſtiſſimus vehementer expaveſcens à loco illo velociter ſe tranſtulit.*

*Rho. var. virt. l. 7. de temp. c. 1. §. 4.*

13. Aliud quoddam magnæ virtutis viri, qui tot annis tantaque cum laude Societatem Jeſu univerſam gubernavit, occurrit exemplum, ex quo quid illis, qui nullum hanc peſtem fugiendi modum invenire valent; ut hanc contagionem non contrahant, ſeque ab illis, qui eos miris modis & technis inficere parant, eximere poſſint, agendum ſit, ediſcere poſſumus. Etenim P. Rho de Claudio Aquaviva Religionis ſuæ Præpoſito Generali refert, quod dum ab illuſtri quadam valdeque præcipua fœmina, quæ ſe febricitantem ſimulavit, vocatus, ad eam acceſſiſſet, hæc omnibus pediſſequis & ancillis ſuis è cubili in quo jacebat, dimiſſis, ut ſanctum hunc virum ad libidinem incitaret, corpus ſuum inverecunde nudavit, tum verò *ardentibus verbis Claudium aggreſſa preces, blanditias, minas Satana erudiente miſcuit; validis machinis petebatur, & grandis erat tentatio homini, cui aut libidinis aut calumniæ flammis eſſet conflagrandum. Sed utroque ex periculo emerſit, conſilio tam in ſpeciem fœdo, quam exitu ſalutari, ſcaphiam conſpicatus, invadit, hauſtisque manu alvi purgamentis os inungit, atque attonitæ ad oſcula, ad amplexus, ſi teterrimi odoris gravitas, & ſordium inquinamenta arriderent contemptum increpitans, objectavit*, hacque adinventione adhibita glorioſam reportavit victoriam.

Libido inficit.

*S. Thom. à Villanova. Conc. 2. de S. Ildephonſo.*

14. S. Thomas de Villanova in ſupra citato ſermone pariter Luxuriam peſtem appellat, & alias de carnali homine ſenſibus & affectibus carnis illecebris totaliter immerſo differens ita loquitur: *Totus à peſtifero illo igne devoratus eſt.* Ehem quanta cum facilitate peſtilentiæ contrahitur contagium? unica veſtis lacinia, unicus halitus vel contactus, imo unicum filum ad infectionem hominis abunde ſufficit: Quamnam putas eſſe cauſam quæ Joſephum movit, ut intra manus Dominæ ſuæ pallium ab eadem apprehenſum relinqueret, cum tamen ipſa per hoc ſuam tanto ſpecioſius colorare calumniam potuerit? *relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Sanctus Ambroſius dicit: *Reliquit tamquam non ſua, quæ adultera ſuis manibus detinebat, & aliena judicavit, quæ tactu impudicæ potuerant comprehendi; contagium judicavit ſi diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva tranſirent.* Sed quid eſt quod cum Joſeph Dominæ ſuæ tam heroicè reſtiterit, Deus nihilominus permiſit, ut tanta cum facilitate excogitata in Joſephum calumnia ab Eunucho crederetur? Scitiſne cauſam? Nimirum quia Domina ejus pallium Eunucho monſtravit: ubi enim de carnis laſcivia agitur, etiam mendaciis facillima fides adhibetur, quia *ut plurimum nemo mundus à ſorde;* & ideo ſolæ ſuſpiciones evidentium probationum loco habentur, dum enim juvenis aliquis ſolus cum ſola deprehenditur, præter laſciviam vix aliud poteſt præſumi. Sanctus Bernardus de detractione ait: *unus eſt qui loquitur, & unum tantum verbum profert, & tamen illud unum verbum in momento multitudinis audientium aures inficit, animas interficit.* Unum dumtaxat filum peſtilentiæ veneno imbutum, ad integræ alicujus Provinciæ, vel Regni crudelem contagionem ſufficit: Eodem quoque modo unus tantum laſcivus geſtus, unicum obſcænum verbum, vel unicus laſcivus obtutus, ad inficiendam contagione laſciviæ integram multitudinem affatim ſatis eſſe videmus.

*Gen. 39. v. 12.*

*S. Ambr. l. de Joſeph. cap. 5.*

Mendaciis creditur ubi de laſcivia agitur.

*S. Bern. ſer. 20. in Cant.*

Libido quam contagioſa.

*Gen. 14. v. 23.*

15. In libro Geneſeos legimus, quod cum poſt obtentam ab Abrahamo inſignem illam victoriam, per quam Loth cognatum ſuum liberavit, omnia illi in eo prælio obtenta ſpolia oblata fuiſſent, reſponderit: *A filo ſubtegminis, uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt;* Circa quæ verba quæri merito poteſt; cur tam liberalem



prædam offerentibus, adeo rigoroſè reſponderit? Numquid enim expendientius fuiſſet, ſi ad reſpondendum munificentiæ & urbanitati, honeſtatis cauſa vel modicum aliquid ſaltem ex oblatis ſibi ſpoliis acceptaſſet? Minime; quin potius phraſis loquendi ipſius, *A filo ſubtegminis,* myſtica erat: ex quo enim ſpolia illa à Rege Sodomorum, ejuſque ſubditis carnali turpitudini deditiſſimis oblata contagioſa erant, jure merito & non ſine cauſa, ne minimum quidem rerum illarum filum accipere voluit. Unde Sanctus Ambroſius ait: *Quaſi contagium declinat intemperantiæ, quaſi labem refugit corporalium ſenſuum.*

*S. Ambroſ. l. 2. de Abr. c. 8.*

Quis verè continens dicendus.

*S. Greg. l. 6. in 1. Reg. cap. 15.*

16. Optime Sanctus Gregorius rigidum illud à Deo Sauli impoſitum præceptum conſiderat, quo ipſum contra Amalech ſe armare, omneſque etiam lactentes in ore gladij interimere, nec quidquam ex devicti hoſtis ſpoliis ſibi retinere, ſed igne cuncta conflagrare juſſit; Dicit enim ſanctiſſimus hic Pontifex: *Quis eſt hic qui parcit Amalech, niſi qui aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne Laſciviæ aliquid retinet? Nam plerique turpitudinis opera non exercent, ſed linguam à turpi locutione non prohibent, Plerique per opus luxuriam vitant, per cogitationem non vitant. Quidam nihil turpe agunt, ſed quod actu refugiunt, corde concupiſcunt. Parcit ergo Amalech, qui blandimenta laſciviæ aut in locutione, aut per intentionem, aut per cogitationem retinet. Dicit itaque: Non parcas ei, quia de tam nequiſſimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere opere; Dicat ergo: Non parcas ei, ut omnes libidinoſi motus, omnes obſcænæ locutiones prorſus perimantur in corpore; Dicit ergo: Non concupiſces ipſius aliquid ut penitus eradicetur à cogitatione. Quid enim eſt libido, niſi ignis? Et quid de carne & mente exortæ virtutes, niſi flores? quid item turpes cogitationes niſi paleæ. Quis etiam neſciat, quia ſi in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parva ſcintilla quæ remanet, omnes paleæ accenduntur? Qui ergo virtutum flores in mente non vult exurere, ita debet Libidinis ignem extinguere, ut per tenuem ſcintillam numquam poſſit ardere.*

Libido peſtis eſt nemini parcens.

17. Peſtilentialis contagio nemini parcit; nec pauperibus, nec divitibus, nec Principibus, nec ſubditis, nec impiis, nec ſanctis, nec ſenibus nec juvenibus, ſed indifferenter omnes aggreditur. Idem quoque facit peccati carnalis contagium, nullus quamdiu hic eſt indutus morali corpore, ab illius contagione eximitur. Unde Sanctus Bernardus ait: *Non aſpernatur tuguria, non reveretur palatia, utinam ſola cænobia fugiat. Adjuva me Domine Deus meus, ut huic tam peſtifero & mortifero vitio reſiſtere poſſim.* Sanctus Zeno vitium hoc toti mundo dominari aſſerit dicens: *Venenis ejus quotidie totus exæſtuat mundus, peſtiferiſque voluptatibus ita corrupta ſunt omnia, ut quidquid in eo geritur, non debere diligi à nobis ſacris vocibus dum jubetur, recte Sapientibus execrabilis eſſe videatur.* Sanctus Thomas à Villanova ad veritatem magnæ hujus propoſitionis probandam, authoritatem adducit Sancti Remigij in præcedentibus diſcurſibus à nobis allegatam dicentis: *Demptis parvulis ex adultis propter hoc vitium pauci ſalvantur;* Eſt enim peſtis quædam, quæ majorem humani generis partem devorat & conſumit, unde ſubdit: *adeo hæc peſtis graſſatur in genus humanum.* Audiamus Salomonem hac de re in libro Eccleſiaſtis ita loquentem: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni; Hyberbole eſt,* inquit circa illa verba Sanctus Bonaventura, *& vult dicere quod pauciſſimos invenit viros, in quibus concupiſcentia non regnaret, ſed ipſe mulieres nullas invenit, nec mirum, quia brevis omnis malitia ſuper malitiam mulierum.* In libro Joſue quemdam habemus ſcripturæ textum, præſenti propoſito noſtro valde accommodum: Ibi etenim dicitur: *Eduxerunt Rahab & parentes ejus, fratres quoque & cunctam ſuppellectilem ac cognationem illius, & extra caſtra Iſraël manere, fecerunt.* Circa quæ verba quæſtio exurgit, quamobrem Iſraëlitæ Rahab adeo procul à populo Iſrael ſeparaverint, cum tamen ipſa viam tot obtinendis victoriis, & poſſeſſioni terræ promiſſæ aperuerit. Pro hujus difficultatis enodatione revocandum eſt hic in memoriam, quod Joſue de ipſa militibus ſuis dixerit: *Ingredimini domum mulieris meretricis & producite eam;* In Deuteronomio quoque Deus præceperat dicens; *Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator;* Ac proinde peſtem hanc procul extra caſtra Iſraël ablegavit, ne exercitum ſuum inficeret; ſiquidem caſtra à dictione caſta appellationem ſuam habens. At verò dicet fortaſſe aliquis; Numquid ipſa jam diſpoſita erat ut proxime ad cultum veri Dei & religionem Hebraicam tranſiret? Cui id quidem verum eſſe reſpondeo; Verumtamen prudentiſſime Joſue diſpoſuit, ut priusquam meretrix illa ad Hebræorum tranſiret commercium, prius aliquam, ut ita dicam, faceret ratione contagionis ſuæ quarantenam, id eſt, prius ab omni ſe purificaret hujus contagionis ſuſpicione. Saluberrimum namque valdeque notandum eſt illud Sancti Cypriani monitum, dicentis: *Separamini, obſecro, ſeparamini à contagione peſtifera; minus enim voluptatibus ſtimulatus, qui non eſt, ubi eſt frequentia voluptatum.*

*S. Bern. de inter. domo c. 29.*

*S. Zeno l. 1. de fide, ſpe. & Charit. ſer. 2.*

*S. Thom. à Villanova. Ibid.*

*Eccl. 7. v. 29.*

*S. Bonav. Ibid.*

*Joſue 6. v. 23.*

*Joſue 6. v. 22.*

*Deut. 23. v. 17.*

*S. Cyprian. de ſing. Cleric. n. 14.*



## *DISCURSUS XIV.*

## ARGUMENTUM.

**Voluptates carnales hominem debilitant, eique vitam abbreviant, ſæpeque infirmitates & pericula mortalia cauſant.**

### THEMA.

*Inclinata eſt ad mortem domus ejus.* Proverb. 2. ℣. 18.

Luxuria vitam abbreviat.

1. QUotidiana nos experientia docet, nullum affectum cordibus humanis fortius per naturam impreſſum eſſe, quam longævæ vitæ deſiderium, & tamen delectatio carnalis adeo hominem voluptates & delicias ſectantem, excæcat, ut vitam ſibi abbreviare, & præcipitanter ad mortem currere non timeat, dummodo appetitus ſui rabiem exſatiare & explere poſſit. Salomon, qui, utpote illecebroſo ſexui fœmineo ſupra modum deditus, ſeptingentas ſibi Reginas & trecentas concubinas induſtriè elegit, de laſciva fœmina dicit: *Inclinata eſt ad mortem domus ejus;* Ubi Gloſſa addit: *Omnis converſatio adulteræ ad interitum ducit:* Chaldaica legit: *Quoniam in fovea mortis eſt domus ejus;* infames etenim meretrices plurimos ante tempus in ſepulchri foveam proturbant. *Viæ inferorum domus ejus,* inquit Sanctus Ambroſius, *deducentes in ſeceſſum mortis;* Nimirum ſacer textus ad uſura antiquum alludit, juxta quem proſtibula ſolum in locis ſubterraneis, in cavernis & latibulis erigi ſolebant; *Fovea profunda eſt meretrix,* ipſarum namque domus mortuorum monumentis & ſepulchris vicinæ ſunt, prouti idipſum Cornelius à Lapide ex multis doctrinarum authoritatibus, & præcipue ex textu quodam Jeremiæ cap. 2. latius declarat; Ibi namque Septuaginta verba illa de muliere impudica intelligunt: *Vide vias tuas in ſepulchris multitudinis.* Cajetanus legit: *Quia inclinavit ad mortem ſuam, & ad mortuos vias ſuas.* Et ſubjungit: *Quam magnum ſit malum, quod evadit filius, evadendo ab hujusmodi mulieribus, deſcribitur à domo & vijs mortiferis, & nomine domus intelligitur delectatio.*

*3. Reg. 11. v. 3.*

*Gloſſa. in Prov.*

*S. Ambr. l. 1. de Cain. c. 5.*

*Prov. 23. v. 27.*

*Cajet. ibid. Cornel. à Lap.*

*Plutar. in Probl.*

2. Plutarchus Libitinam, id eſt Venerem olim veluti rerum funeralium Deam omnibus in veneratione fuiſſe ſcribit: *A libendo libentina dicta,* inquit Varro. Divus Chryſoſtomus mulierem ſepulchrum dealbatum appellat, dum ait: *Quid eſt mulier ſpecioſa? eſt ſepulchrum dealbatum.* Idemmet Salomon qui majori Sapientia, ſublimiorique intellectu, quam ullus umquam hominum qui fuerunt, ſunt, vel erunt à Deo dotatus fuit, dicit: *Luſtravi univerſa animo meo, ut ſcirem & conſiderarem:* & poſtquam omnia accurato mentis oculo perluſtraſſet, inquit, *Inveni amariorem morte mulierem,* adeoque ex mente ipſius non ſolum verum eſt mortis inſtrumentum, verum etiam ipſa morte longe eſt deterior & abominabilior, quia vitam homini eripit temporalem pariter & æternam: *Corpus, & animam perdit.*

*D. Chryſ. Hom. in Pſal. 59.*

*Eccleſ. 7. v. 26.*

*Ibid. v. 27.*

Corpus & anima per mulieres perditur.

3. Legatur ejuſdem libri Proverbiorum caput 5. ubi ſapiens ſalutaria valde pro meretricem declinando proſtibulo tradit documenta, *Pedes ejus,* ſcilicet meretricis, *deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant, Per ſemitam vitæ non ambulant... Et ne appropinques foribus domus ejus; Ne des... annos tuos crudeli, Ne forte impleantur extranei viribus tuis ... Et gemas in noviſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas & corpus tuum;* Qui enim huic vitio dediti ſunt, vires ſuas corporales debilitant, extenuando ſpiritus vitales, multarum corporis partium uſu ſe privant, quæ alias per dictos ſpiritus reſtaurantur; Similiter, ut naturales Philoſophi aſſerunt, cerebrum,

*Prov. 5. v. 5. Ibid. v. 6. Ibid. v. 8. Ibid. v. 9. Ibid. v. 10. Ibid. v. 11.*

Vires debilitantur.

brum, cor, hepar, ſtomachus per hoc peccatum enervantur, cum tamen omnes hæ partes eæ ſint, quæ reliquis corporis membris vigorem ſubminiſtrant & nutrimentum.

Corn. à Lap. c. 5. Luxurioſis diverſos cauſat morbos.

4. Cornelius à Lapide ex inſigniorum Medicorum authoritate de libidinoſis aſſerit, quod *laborant cerebro, puta morbo comitiali, fiuntque epileptici, uti experientia conſtat; Quare libidinem non aliud eſſe, quam parvam Epilepſiam dixit ſophiſta Abderites apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Pædag. cap.* 10. Celebris eſt illa D. Gregorij Magni ſententia dicentis: *Plerumque accepta ſalus per vitia carnis expenditur.* Paralyticus ille qui in lecto decumbens Chriſto præſentatus fuit, ut ſanitate ab eo donaretur, primo à Salvatore noſtro ſibi dici audivit: *Remittuntur tibi peccata tua:* & poſtea: *Surge tolle lectum tuum;* Bono etenim Medico ſolemne eſt ſemper prius cauſam & radicem morbi ſupplantare, & poſtea illa ſublata ſanitati reſtituendæ operam ſuam impendere. At vero quænam fuerunt illa hujus langueſcentis hominis peccata? Exiſtimo præcipuum fuiſſe luxuriæ peccatum. Nam venerabilis Beda dicit: *Curatio paralyſis hujus ſalvationem deſignat animæ poſt diuturnam illecebræ carnalis inertiam.* Interlinearis per hunc paralyticum *animam illecebris carnis reſolutam* intelligit. Sanctus Iſidorus *de continentia* tractans hanc inter alias ſcriptam reliquit ſententiam: *Caſtitas eſt ſecuritas mentis, ſanitas corporis: Unde & aliquos Gentilium Gymnicos legimus perpetuam Veneris abſtinentiam exercuiſſe, ne virtutem libidine frangerent; luxurioſa namque vita cito carnem debilitat, fractamque celeriter ducit ad ſenectutem.*

D. Greg. 3. p. Paſſ. ad mon. 3. Matth. 9. v. 2. Ibid. v. 5. V. Beda Hom. in Dom. 19. poſt Trinit. S. Iſidorus l. 2. ſent. cap. 40.

Luca 8. v. 15. Dolores infert. Sap. 2. v. 8. D. Chryſoſt. Hom. 45. in Matth.

5. In parabola de ſemine & ſeminatore voluptates per ſpinas ſignificatæ fuere; *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui à voluptatibus vitæ ſuffocantur;* Sed poteſtne ſimilitudo aliqua excogitari magis diſparata aut impropria, quam ſit iſta? Mundani quidem illi homines tempora ſua coronare volebant, ſed corona ex roſis confecta, non vero ex ſpinis; *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant*, & tamen D. Chryſoſtomus inquit: *Ne mireris ſi nomine ſpinarum delicias appellavit, acerbiſſimos dolores tam animæ quam corpori inferentes.* Quis eſt qui non videat, quod illi qui corpus ſuum delicate nutriunt, voluptatibuſque carnalibus ſe totaliter mancipant, morbis incurrabilibus, continuis infirmitatibus, ſpaſmis, aliiſque id generis cruciatibus plusquam alii ſubjaceant? *Quemadmodum acuti vepres, undecumque capiuntur atque conſtringuntur, manus cruentant, eodem modo deliciæ, pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus ſimiliter membris officiunt.*

S. Ambroſ. l. 6. Ep. 47. ad Sabin. Eviſcerat.

6. Sanctus Ambroſius voluptatem ſerpenti ſimilem eſſe dicit: *Venenum in dentibus habet, quibus unusquisque ſe eviſcerat luxurioſus.* Laſcivus eodem tempore, quo carnalibus ſuis appetitibus exſatiandis dat operam eviſceratur totaliter, ſed non apprehendit, quod per ejusmodi voluptates mortales ſibi infirmitates adſciſcat, quod roſa efflorescente & emarcida, ſola ſibi ſpina futura ſit reliqua, quæ corpus ſimul & animam ejus transfigat & ſauciet. Sanctus Hieronymus in Epiſtola quadam adverſus Sabinianum ſcribit: *Servis libidini, & quaſi pinguis hoſtia in mortem propriam ſaginaris.* Sanctus Cyrillus carnales homines viperis aſſimilans, ingenioſum quemdam adducit apologum, dicens: *Furibundæ viperæ ad coitum properanti, Elephas obvius quæſivit ab ea, & dixit: Quo ſic effrænato paſſu properas? at illa: Anhelo Venereæ ſuavitatis ad gaudium; quo audito caſtus & prudens Elephas, ejus non minus deceptioni quam lethiferæ furioſitati compaſſus, illico ſic locutus eſt dicens: ſcio certe, quod furibunda luxuria oculos non habet, & ob hoc nequit videre, quo ruat, nimirum ad occaſum amariſſimæ vitæ tendis, ad baſium mortis amariſſimæ proficiſceris. Quid enim eſt coitus, niſi delicioſa pernities, mors latens, venenoſitas blandiens?* Et quidem hæc viperæ ſimilitudo magis propria & aptior eſſe nequit, quia tametſi aliquam in concipiendo voluptatem percipiat, nimis tamen magno pretio illi partus ejus conſtat, ſiquidem fœtus ejus ſui in lucem exitus impatientes ventrem ejus corrodendo eamdem occidunt. Unde non nemo viperam pro corpore Emblematis aſſumpſit, illudque hoc ſubjecto ſymbolo animavit: *Et perit, & parit.* Sanctus Thomas de Villanova in Domin. 4. poſt Paſcha, de luxuria ita ſcribit: *Vipera venenoſa eſt, prona ſemper ad malum.* Idem quoque mulieres quotidie experiuntur, dum gaudia quæ concipiendo perceperunt acerbiſſimis partus doloribus compenſare coguntur. Pulpo piſcis, ut Pierius refert, peccati carnis ſymbolum eſt; Hic enim, ut Ælianus ſcribit, coëundo non deſiſtit donec moriatur, & ab iis piſcibus devoretur, quos antea ipſe devoraverat; hocque idem erat myſterium ejus, quod veteres ſub veneris ſtatuam inſculpi faciebant: nimirum: *unusquisque ſe eviſcerat luxurioſus.*

S. Hieron. l. 1. Ep. 48. S. Cyril. l. 4. Apol. mor. c. 9.

Pierius l. 27. Ælian. l. 6. c. 28.

Eccl. 7. v. 27. Pineda in Eccleſ. c. 7. n. 27. Infirmitates luxurioſi recenſentur.

7. Pineda ſuper textum illum paulo ante allegatum, ſcilicet illa verba: *Inveni amariorem morte mulierem*, citat Ætij authoritatem, in qua multa recenſentur mala, quibus ſubjacet luxurioſus; qualia ſunt: *Exſolutio virium, cruditates ſtomachi, ſenſuum hebetudo; tremor & dolor articulorum, dolor renum, cerebri, capitis; dolor laterum, ilium, cordis, hepatis, pulmonis, dentium; oris graveolentia: alopecia, id eſt, capillorum defluxio, palpebrarum demiſſio, cæcitas, ſputum ſanguinis, ulcera, febris hectica, phtyſis, apoplexia, paralyſis, epilepſia, fœda ſcabies, atque omnia mala.*

Iſaiæ 22. v. 13. Finis luxurioſis mors. Ibid.

8. Apud Iſajam multi laſcivi & impij homines inter ſe convenientes conſpirabant, ſeque mutuo ad laxanda carnalibus voluptatibus fræna hortabantur dicentes: *Ecce gaudium & lætitiam, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum, comedamus & bibamus;* conſtat verò quod ad gulam & ebrietatem carnalis ſemper conſequi ſoleat concupiſcentia; atqui quinam tandem harum voluptatum pro libitu admiſſarum exitus fuit? *Cras enim moriemur;* Ecce tibi infelices qui ab ejusmodi delectationibus carnalibus conſequi ſolent fructus. Unde Sanctus Ambroſius ait: *Luxurioſi quid ſibi ſperent, audiamus; inducit eos Iſaias Propheta dicentes: manducemus, & bibamus, cras enim moriemur, meritoque exclamat? Ululate navis Carthaginis, quia perierunt, & amplius non erunt: quod eſt dictum de viſione Tyri, quam luxurioſam urbem fuiſſe cognovimus.* Sic Samſon qui invincibili quadam fortitudine præditus erat, ſiquidem in maxilla aſini, nulliſque aliis adhibitis armis integros ipſe ſolus fundebat & diſſipabat exercitus, in ſinu Dalilæ totaliter emarcuit & elanguit; audite quid de eo ſacer textus ſcribat: *Defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt.* Divus Chryſoſtomus quoque ad prædicta Iſaiæ verba: *Comedamus &c.* hanc habet reflectionem: *Hæc* inquit, *verba ſunt deliciarum, libidinoſæ intemperantiæ; Comedamus & bibamus, cras enim moriemur; non cras, ſed quando hæc dicitis, jam eſtis mortui.*

S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 19. Jud. 16. v. 16. D. Chryſ. Hom. 2. ad Coloſſ.

Lib. ſepulturam accelerat.

9. Romani ante templum Deæ Libitinæ id eſt Veneris, res ad mortuorum funeralia ſpectantes vendere ſolebant, hæc enim, ut diximus, illis pariter & ut Dea voluptatum, & ut Dea rerum ad exequias pertinentium in honore & veneratione eſſe ſolebat: quo ritu manifeſte illam ſimul cum voluptatibus acceleratam quoque illis adſciſcere ſepulturam, indicabant. Unde Sanctus Bernardus libidinem faci ardenti comparat, quæ eodem tempore quo illuminat, pariter conſumitur: *Ipſe ignis*, inquit, *propria fomenta conſumit, nec niſi ipſa conſumptione fovetur.* Quam igitur ſtultus eſt qui felicem ſe arbitratur quod libidini pro libitu vacare, & tanto tempore ſuſpiratam tandem nanciſci poſſit voluptatem, & mortalia quibus ſe exponit pericula, incurabileſque quas inde ſibi adſciſcit infirmitates minime advertit.

S. Bern. ſerm. de fallacia vitæ.

S. Aug. in Pſ. 91. Similitudo.

10. Sanctus Auguſtinus ad præſens propoſitum piſcem conſiderat, qui licet una cum eſca deglutierit hamum, certiſſimum imminentis ſibi mortis inſtrumentum, ſaltat nihilominus & in aquis totus, alacer, jucundus & feſtivus ſumma cum vicinorum piſcium invidia circumnatare pergit; at vero idem ſanctus Doctor monet: *Noli gaudere ad piſcem, qui in eſca ſua adhuc exultat, nondum traxit hamum piſcator, nam ille jam habet hamum in faucibus.* Multi ſunt qui laſcivo alicui juveni, illicitis amoribus indulgenti invident, cumque felicem eſſe arbitrantur, quod tandem ad concupitos diu pervenerit amaſiæ ſuæ amplexus, nec tamen vident quod vel alius ejuſdem amaſiæ cultor & amator, vel maritus illius, aut frater, vel cognatus ex zelo honoris, aut ex Zelotypiæ ſtimulo adacti, paulo poſt adulteri illius cor & viſcera pugione vel enſe ſit transfixus; aut vero non attendunt, quod carnalis illa voluptas paulo poſt in viſceribus ejus febrim quamdam accenſura ſit malignam ex cujus vehementia



& incurabilitate mox deferendus ſit ad tumulum, Piſcis vix ſuam cum hamo deglutivit eſcam, cum ecce à piſcatore foras protractus, confeſtim palpitans cernitur, & agonizans, ac demum in Carbonibus ignitis aſſus. Quot videntur quotidie laſcivorum exempla, qui quos venabantur furtivos amores, indeque conſequentes delectationes aſſecuti, & detecti, è laſcivæ mulieris domo confeſtim & ſine dilatione tranſeunt ad Infernum? *Inclinata eſt ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ipſius:* quaſi dicere vellet Spiritus Sanctus; Omnes meretriciæ domus muri & parietes ruinam meditantur, ut illam frequentanti inferant mortem, laſcivumque juvenem ſub ruderibus ſuis quaſi vivum ſepeliant. Unde Sanctus Hieronymus ſuper illa verba Ezechielis: *Ædificaſti tibi lupanar*, advertit, quod Symmachus ſicut & Aquila ab ipſo citati, loco illius dictionis *Lupanar*, legant *foveam, vel defoſſam ſpecum & tenebricoſam;* perque hanc lectionis diverſitatem haud obſcure ſignificetur, quod qui illa loca frequentat, vadat ad foſſam, ſeu ſepulchrum, ſibique abbreviet vitam.

Prov. 2. v. 18. Ezech. 16. v. 24. S. Hieron. Ibid.

S. Bonav. in Dieta ſalut. T. 1. c. 9. Jud. 9. v. 52. & 53. Figura.

11. Sanctus Bonaventura per Abimelech, hominem luxurioſum intelligens dicit: *Veniens ad oppidum appropinquavit ad turrim, & ecce una mulier fragmen molæ deſuper caput ejus jaciens, confregit caput ejus, cerebrumque effudit: Abimelech ille nimis appropinquans ad turrim, eſt homo luxurioſus, incaute appropinquans ad mulierem: fragmen molæ, quod mulier jecit, & Abimelech interfecit, eſt tentatio, quæ à muliere procedit, & luxurioſum interfecit.*

Vires debilitat. Exod. 1. v. 9.

12. Veritas eſt certiſſima, quam ipſa quoque experientia quotidiana confirmat, quod expletio libidinis, enervet & debilitet corpus. *Populus filiorum Iſraël*, inquit Pharao, *fortior nobis eſt;* Enimvero certum eſt, populum Hebræum in armorum uſu minime fuiſſe exercitatum, nec cibis delicatis enutritum, quin potius fornacum laboribus continuo fuiſſe ſubjectum: *In operibus duris luti & lateris*, quibus utique ſumme exhauriendi, extenuandi, & debilitandi erant? at verò audite Lyranum dicentem: *Ægypti luxurioſi erant, & inordinate viventes, & ex hoc fiebant debiliores in corporibus, & manus apti ad productionem prolis: filij autem Iſraël contrario modo viventes, erant fortiores in corporibus.* S. Bernardinus ait: *Luxuria exhaurit & enervat omnes corporis & animæ vires;* adducitque filij prodigi exemplum, de quo S. Lucas ait: *diſſipavit omnem ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe*, id eſt, rationem, tempus, facultatem, materiam & corpus.

Exod. 1. v. 14. Lyran. Ibid. S. Bern. T. 1. ſer. 24. A. 1. c. 2. Luca. 15. v. 13.

Exod. 1. v. 11 Hugo Card. in c. 1. v. 11. Libido tineæ ſimilis.

13. Hugo Cardinalis ſuper illa verba Exodi: *Ædificaverunt urbes tabernaculorum Pharaoni Phiton & Rammeſſès*, inquit, quod ly: *Rammeſſes* interpretatur *commotio tineæ, vel malitiæ diſcurrens*, & ſignificat Luxuriam: mox hujus ſimilitudinis aſſignans rationem dicit: *Sicut tinea de carne exorta, carnem conſumit.* Tinea enim eumdem pannum è quo naſcitur devorat & conſumit, ita pariter voluptas carnalis è carne noſtra naſcitur, eamque deſtruit & diſperdit: nam *Luxuria carnem debilitat*, inquit Sanctus Bernardus, *fractamque celeriter ducit ad ſenectutem.* S. Bernardinus eumdem Exodi textum adducens ait: *Rammeſſès interpretatur commotio tineæ, per tineam enim quæ de veſte naſcitur & illam conſumit, deſignatur illecebra carnis, quæ de carne naſcitur & illam conſumit, non tantum in futuro per gehennam, ſed etiam in præſenti per multiplicem culpam & pœnam.*

S. Bern. ſer. 22. de modo bene viv. S. Bern. T. 2. ſer. 52. A. 3. cap. 2. Infirmitatem & mortem cauſat. 2. Reg. 13. v. 2. Dion. Cart. Ibid. S. Iſid. Peluſ. l. 1. Ep. 135. S. Anton. de Pad. in die Ciner.

14. Amor carnalis vehemens amantem extenuat, prout videre eſt in Amnon, qui furtivo amore Thamar ſororem ſuam deperibat: *ita ut deperiret illam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret.* Unde Carthuſianus ibidem ſcribit: *corporalem inducit languorem, imo aliquando mortem*, prout liquet in præfecti Romani filio, qui S. Agnetis virginis amore exæſtuabat. Et ideo S. Iſidorus Peluſiota inquit: *Corporis robur & animi virtutem aufert petulantia ſeu libido, eumque qui hac irretitus eſt & captus, omnium ludibrio & irriſioni facit obnoxium.* Sanctus Antonius de Padua in ſerm. quodam de cineribus ait: *Secundo tangit tineam, hoc eſt, laſciviam, quæ ſicut divitias, perſonam & animas conſumit, ſic laſcivia gratiam.* Notandum vero eſt, quod Eccleſia ad coërcendam luxuriam, quæ Bacchanaliorum tempore vel maxime viget & invaleſcit, cineres adhibere ſoleat, eaque libidinoſi faciem tingendo; mortem ei proponat, dicens: *Memento homo quia pulvis es;* quia carnales homines præ cunctis aliis peccatoribus velocius rediguntur in pulverem, citiusque properant ad mortem, unde S. Iſidorus Peluſiota in eadem citata Epiſtola ad Zoſimum ait: *Nec naturale robur illæſum, atque integrum ſervas, verum vitioſis affectionibus conficiendum te ultro præbes.* Sanctus Petrus in Epiſtola ſecunda de nonnullis hæreticis diſſerens, quos naviculam cujus temoni ipſe præſidebat, turbaturos eſſe prævidebat; inquit: *Introducent ſectas perditionis:* quod autem iis verbis de Luxurioſis loquatur, ſequentibus verbis ſubindicat, dum ait: *& multi ſequentur eorum luxurias;* maxime vero ad propoſitum notanda ſunt verba ſtatim ſequentia, videlicet: *Superducentes ſibi celerem perditionem*, quia Deus in pœnam hujus peccati juſto ſuo judicio permittit, ut ſubito transgreſſores iſti ſalutem corporalem amittant, abbreviando eorum vitam, quæ communiter in optimo ætatis flore ab illis abſolvitur. Et ideo Didacus Stella de hoc vitio ait: *Illud eſt corporis perditio, vitæ coarctatio.*

S. Iſid. Peluſ. l. 1. Ep. 135. 2. Petri 2. v. 1. Ibid. v. 2. Ibid. v. 1. Did. Stella in c. 15. Luc.

## *DISCURSUS XV.*
## ARGUMENTUM.

De injuria graviſſima quæ Deo per fornicationem infertur, dum ipſe Deus laſcivæ alicui fœminæ poſthabetur, cui membra Chriſti, id eſt, corpora noſtra in prædam miſerè cedunt.

### THEMA.

*Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis?* 1. Cor. 6. ℣. 15.

S. Bern. ſer. 23. de modo bene vivendi. Fornicatio ſummum vitium Dei templum violans.

1. S. Bernardus in carnalis concupiſcentiæ deteſtationem, ſequentem habet valde conſiderabilem ſententiam; dicit enim; *Inter cætera ſeptem vitia fornicatio maximum ſcelus eſt, quia per carnis immunditiam templum Dei violat, & tollens membrum Chriſti, facit membrum meretricis; Luxuria inimica eſt Deo.* Quam doctrinam mellifluus hic Doctor ab Apoſtolo in propoſiti thematis verbis didicit; ex quibus infinita quædam deducitur injuria, quam homo viliſſimus ille terræ vermiculus Deo ſupremæ Majeſtatis irrogare non erubeſcit.

Probatur.

2. Verum enimvero, ut gravitatem peccati fornicationis, quo Salvator noſter tantopere offenditur, diſtinctius intelligamus, neceſſum ut primò hoc jaciamus fundamentum, quod ſcilicet *Membra noſtra ſint membra Chriſti;* Etenim in controverſiam vocari neque, quin omnes fideles corpus quoddam Eccleſiæ myſticum conſtituant cujus caput eſt Chriſtus; Nam ut Venerabilis Beda ait: *corpora noſtra membra eſſe Chriſti dixit, quoniam Chriſtus caput noſtrum eſt, eo quod homo factus eſt, propter nos, corpus autem ejus Eccleſia eſt.* Pergit idem Venerabilis Author ulterius & dicit, quod ſi Chriſtus ſolam ſibi aſſumpſiſſet animam humanam, ſolæ animæ futuræ fuiſſent ejus membra; *Quia vero corpus ſuſcepit, per quod etiam caput eſt nobis; qui ex corpore & anima conſtamus, profecto illius membra ſunt & corpora noſtra;* nimirum probare vult Beda, quod ad Deum non ſolum quoad animam ſpectemus, verum etiam quantum ad corpus, quod animæ organum exiſtit.

V. Beda, ibid.

S. Thom. ib. Inculcat veritatem iſtam.

3. Angelicus Doctor hujus nobis veritatis intelligentiam quoque fortiter inculcat, dum id nobis ſolicite perſuadere nititur, ne corpus noſtrum temere prophanemus, firmiter credentes, quod illud non noſtrum, ſed Dei ſit proprium. *Neſcitis*, inquit S. Paulus, *quoniam &c. quaſi dicat: Non debetis neſcire, quia quicumque eſtis regenerati in Chriſto, membra Chriſti eſtis effecti;* Neque enim Deus ſolam ſpiraculo oris ſui nobis animam infudit: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ;* verum etiam hoc corpus noſtrum propriis manibus plaſmavit, & Sacroſancti baptiſmatis ſanctificavit Lavacro, utpote pretioſiſſimi Sanguinis ſui pretio; Et ideo S. Paulus ait: *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Idem quoque Sanctus Doctor in ſumma ſua, ejuſdem S. Apoſtoli textum illum adducit, in quo inæſtimabilis, quo nos ſibi comparavit, pretij mentionem facit: *Contra Luxuriam Apoſtolus loquens dicit: Empti eſtis pretio magno*, ſed quam inde Apoſtolus deducit conſequentiam? *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Ex eo ergo quod aliquis inordinate ſuo corpore abutitur per Luxuriam, inju-

Gen. 2. v. 7. 1. Cor. 12. v. 27. S. Thom. 2. 2. q. 153. A. 3. 1. Cor. 6. v. 20.

riam facit Deo, qui eſt principalis Dominus corporis noſtri; ubi bene nobis advertenda & conſideranda ſunt verba illa poſtrema, quibus ad depellendam à nobis omnem ignorantiam, Deum corporis noſtri proprietarium Dominum eſſe dicit. Theodoretus verba illa: *Neſcitis quoniam &c.* exponens dicit: *Scelus valde auxit, membra noſtra membra Chriſti appellans, non amplius, inquit, tua ſunt, ſed Chriſti.* D. Chryſoſtomus ad veritatis hujus majorem elucidationem ſequentem adhibet ſimilitudinem: ſicut enim, inquit, ſi Pater aliquis filiam ſuam ſub pacto pretio conſtuprandam exponeret; Filius autem Regis filiæ illius amore captus, eamdem non ſolum ſoluto pretio à proſtibulo redimeret, verum etiam illam ſibi in ſponſam & conjugem ſibi adoptaret, pater talis hanc filiam non jam amplius ſub ſua jurisdictione poſitam haberet, ſed filius ille regius, utpote cujus jam facta eſt ſponſa conjux: *ita quoque res noſtra ſe habet* (ſunt ipſiſſima Sancti Doctoris verba) *carnem noſtram mercede locavimus diabolo, ſævo Lenoni; videns Chriſtus eam liberavit & eripuit, non eſt ergo amplius ſui juris, ſed illius qui liberavit.* Unde idem Sanctus utiliſſimam quamdam ſubinfert doctrinam, nimirum quod nos corpus noſtrum turpi & fœtido libidinis luto conſpurcantes, non tam nobis quam Chriſto injuriam adſciſcamus, cujus egregiam quamdam rationem ſubnectit dicens: *Membra eſtis Chriſti, templum eſtis Spiritus S. ne ſitis ergo membra meretricis, non enim corpus veſtrum probro afficitur, non eſt enim corpus veſtrum, ſed Chriſti.* Et ideo efficaciſſimum eſt illud venerabilis Bedæ motivum dicentis: *Si ergo unusquisque cupiens fornicari vileſcat ſibi, & in ſe ipſo contemnat ſeipſum, ſaltem in ſe non contemnat Chriſtum.* Impius aliquis Chriſtianus, qui voluptatibus vacans corpus ſuum turpiter coinquinat, dicere quidem poteſt: *Nihil ſum; omnis caro fœnum*; at vero ego tibi reſpondeo, inquit idem S. Doctor: *ſed corpus tuum membrum eſt Chriſti. Quo ibas, redi; quo te tamquam præcipitare cupiebas, abi; Parce in te Chriſto, agnoſce in te Chriſtum.* Similem quamdam ponderationem adducit D. Chryſoſtomus, dum ait: *Reverere eum qui te inhabitat, is eſt enim paracletus; formida eum qui eſt tibi conglutinatus, eſt enim Chriſtus.* Dato enim & non conceſſo, quod proprietarius corporis tui Dominus eſſes, nihilominus ex quo noſti quod velut hoſpes in te inhabitet Dei filius & Spiritus Sanctus, reverentiam illis debitam & reſpectum deferre deberes. Revera autem caro iſta qua amictus es, tui juris non eſt, ſed Dei, hoc enim verba aſſumpti thematis adeò perſpicuè indicant, ut nulla prorſus gloſſa indigeant: *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Ac proinde Sanctus Doctor illo ſuppoſito ita arguit: *ſi eſt alienum corpus, non eſt in veſtra poteſtate probro illud & injuria afficere, maxime cum ſit Dominicum, neque polluere & inquinare templum Spiritus S. Si quis enim privatam domum ingreſſus, cum eam ſit ludificatus, & probro & injuria affecerit, extremum luet ſupplicium; qui Regis templum latronis fecerit receptaculum, cogita quot mala ſit paſſurus.*

1. Cor. 6. v. 15.
Theodor. ibid.
Membra non noſtra ſed Chriſti.
D. Chryſoſt. Hom. 18. in 1. ad Cor.
Corpus Chriſti probro afficitur.
V. Bed. Ibid.
D. Chryſ. Ibid.
1. Cor. 6. v. 15.

4. S. Anſelmus hæc eadem Apoſtoli verba exponens, per hujus reſpectus & reverentiæ Chriſto debitæ conſiderationem, continentiæ virtutem nobis perſuadere nititur, dum ait: *Propter Chriſti reverentiam, cujus membrum eſt corpus ejus, contineat ſe ab hac turpitudine, magnam enim injuriam, magnumque contemptum Chriſto faciet, ſi ei meretricem prætulerit, ſeparans ſe à Deo, & adhærens ſcorto.* Mittatis velim in bilancem & in pondere ſanctuarij trutinetis ex una quidem parte Dei Filium & Spiritum Sanctum, qui hujus noſtri corporis hoſpites, imo Domini exiſtunt, ex alia verò parte laſcivum aliquod ponatis ſcortum, quod *tamquam ſtercus conculcatur*, & invenietis utique quam gravis Filio Dei & Spiritui Sancto inferatur injuria, dum hi tam vili ſcorto poſthabeantur: *Magnum contemptum Chriſto faciet &c. Hæc corpora veſtra dicit idem Apoſtolus* (verba ſunt Venerabilis Bedæ) *templum eſſe in nobis Spiritus Sancti, quem habemus à Deo; Propter corpus Chriſti, corpora noſtra membra ſunt Chriſti.*

S. Anſelm. ibid. 3.
Injuria infertur filio & Spirit. S.
V. Beda Ibid.

5. Imo ad hoc ut inter ipſum & corpora noſtra tanto arctior & intimior exurgeret unio. Sanctiſſimi Corporis ſui ſub ſpecie cibi & potus inſtituit Sacramentum, ut hac ratione caro noſtra una eademque res cum ipſo fieret: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* Inde derivata eſt dictio illa, *Communio*, quæ idem ſignificat, quod *communis quædam unio*: ut indicetur quod per ſacratiſſimi corporis ſui ſumptionem, quædam inter corpus Chriſti & corpora noſtra arctiſſima unio exurgat. *Manducat & bibit corpus & ſanguinem Redemptoris ſui*, inquit S. Bernardus *& transformatus in naturam cibi, quem manducavit; Corpus enim Chriſti manducare, nihil eſt aliud, quam Corpus Chriſti effici.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus ad hanc unionem explicandam ſequentem adducit ſimilitudinem: *Sicuti enim ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiſceat, neceſſum eſt; ſic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur.* Cum igitur filius Dei, qui *ſpeculum eſt ſine macula, candor Lucis æternæ. Et vinum germinans virgines*, ſanctiſſimum corporis ſui Sacramentum eo potiſſimum fine inſtituerit, ut ſe tanto indiſſolubiliori nexu corpori noſtro adſtringeret, quænam illi major inferri contumelia poterit, quam ſi illud per carnalem cum meretrice factam copulam turpiter prophanemus?

Euchariſtia unit hominem cum Chriſto.
Joan. 6. v. 57.
S. Bern. de Nat. & dign. nit. divin. amoris. c. 13.
S. Cyrill. Alex. l. 4. in Ioan. c. 17.
Sap. 7. v. 26.
Zach. 9. v. 17.

6. Quod ſi Regina aliqua viliſſimum quemdam ſervum & mancipium ſuum ſibi adoptaſſet in ſponſum, ille verò propter turpem quamdam & infamem meretricem illum repudiaret, & è thoro ſuo expelleret, quod non talis ingratus nequam mereretur ſupplicium: hic autem caſus in præſenti propoſito noſtro reipſa contingit, nam ut Theodoretus aſſumpti thematis verba explicando dicit: *Neſcitis quod tamquam Sponſa Sponſo Chriſto conjuncti eſtis?* Quinam vero nos ſumus, ſi cum Deo noſtro qui infinitæ Majeſtatis Dominus eſt, comparemur? Utique viliſſimi vermes, nedum mancipia & ſervi; & tamen hic Deus nobiscum ſponſalitium inire non verecundatur; *Sponſabo te mihi in fide; Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?* Numquid ſcimus veriſſimam eſſe illam S. Pauli doctrinam, quod ſcilicet conjuges *ſui corporis poteſtatem non habeant?*

Ingratitudo hominum.
Theodor. Ibid.
Oſe. 2. v. 20.
1. Cor. 6. v. 15.
1. Cor. 7. v. 4.

7. Hugo Cardinalis ex verbis aſſumpti thematis noſtri hanc deducit conſequentiam: *Membra ſunt Chriſti, ideo in maximo ſunt honore habenda:* adducitque verba illa Apoſtoli ad Theſſalonicenſes; quibus, quænam ſit in ordine ad corporum noſtrorum ſanctificationem Dei voluntas, his verbis declarat: *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra ... ut ſciat unusquisque vas ſuum poſſidere in honore*; ejusque hanc efficacem adducit rationem: Quia *ſi prophanum eſſet, reliquias Sanctorum inquinare, multo magis & membra Chriſti, & corpora noſtra ſunt membra Chriſti.* Quod ſi enim ſuſpenſam deferres in collo tuo quamdam ſacratiſſimo Chriſti ſanguine refertam ampullam, quam non adhibiturus eſſes induſtriam, ne eumdem in proſtibulo aliquo contumelia vel minima afficeres? Jam vero numquid Catholica veritas eſt, quod immaculati agni pretioſiſſimo ſanguine ablutus ſis & irrigatus? Numquid membra tua, vera Chriſti membra ſunt? *Qualis ille Dominus*, inquit Venerabilis Beda, *qui ſervos ſuos fecit fratres ſuos, niſi faceret membra ſua?* Ac tandem hanc ex dictis deducit Concluſionem: *Itane tanta dignitas viluit, quia tam benigne præſtita eſt? Honor ei tribuatur; Propter inhabitantem ſpiritum Chriſti corpora noſtra templum ſunt Spiritus Sancti. Quid horum in te contemnit? Chriſtum, cujus membrum es? an Spiritum Sanctum cujus templum es?*

Hugo Card. Ibidem.
Pulchra conſideratio.
1. Theſſ. 4. v. 3. & 4.
V. Beda Ibid.

8. S. Auguſtinus auditores ſuos in quodam ſermone ad virtutem exhortans continentiæ, hæc eis motiva proponit: *Illicitum*, inquit, *amorem cavete; Membra Chriſti eſtis, & corpus Chriſti eſtis; Audite Apoſtolum & terreamini; non potuit enim gravius dicere, non potuit vehementius, non potuit acrius deterrere Chriſtianos ab amore fornicationum, niſi ubi dicit: Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? ut autem hoc diceret, ſuperius ait: Neſcitis, quia qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Et alibi temerariis illis qui ſe excuſare nituntur dicendo, dum Carnalibus voluptatibus vacamus, dum per amores laſcivos, meretricibus adhæremus; nemini injuriam facimus: *Cum ad meretricem eo, cui facio quod pati nolo?* reſpondet S. Auguſtinus: *Imo quod gravius eſt, ipſi Deo injuriam & contumeliam infert; intelligat Sanctitas veſtra; etenim quod fieri tibi non vis, alteri ne feceris, ad duo præcepta pertinet: quomodo pertinet, ad duo præcepta? ſi homini non feceris, quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi; ſi autem quod non vis pati ab homine, ipſi Deo vis facere, quid eſt hoc? non facis alteri, quod pati non vis? Charior tibi factus eſt homo, quam Deus? Ergo quomodo injuriam facio, inquis, ipſi Deo? Corrumpis teipſum; & unde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipſum? unde facit tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula, tua imago eſt, in domo tua inaniter poſita ad vanum honorem tuum, nec ſentiens nec loquens, nec videns? ſi quis illam lapidet, nonne in te eſſe contumeliam factam attendis? Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per diffluentias libidinis; attendis quia ad nullius uxorem acceſſiſti, & non attendis per libidines & illicitas fornicationes, cujus imaginem violaſti.*

S. Auguſt. ſer. 52. de temp.
Exhortatio.
1. Cor. 6. v. 15.
Ibid. v. 16.
S. Aug. l. de dec. chord. c. 10.



9. Valde conſiderabilis eſt illa S. Pauli inductio, qua dicit: *Membra Chriſti faciam membra meretricis?* Neque enim diſparata magis diſtantia dari poſſe videtur. Salmeron hæc verba exponens, ſenſum Apoſtoli eſſe aſſerit: ac ſi diceret: *ſi te commiſcens meretrici, membratim, quantum in te eſt, diſcerpis Chriſtum.* Enimvero corpora ex pluribus motivis Dei ſervitio deputata ſunt: *Non ergo regnet peccatum*, inquit, S. Paulus ad Romanos, *in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus, ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo*; Quæ verba cum illo argumento coincidunt; quod Dionyſius Carthuſianus format, dum ait: *Tollens ergo, id eſt, aſſumens, ſeu divino cultui auferens membra Chriſti, id eſt, corpus meum, & alterius quem ad voluptatem induco? Abſit ut rem adeo impiam agam*; Quam ſententiam ipſum à S. Thoma Aquinate hauſiſſe exiſtimo, qui diu ante ipſum ita ſcripſerat: *Tollens ergo membra &c. ſubtrahens ſervitio Chriſti, cui debent deputari, faciam eadem membra meretricis eſſe fornicando? Abſit, hoc enim horrendam eſt ſacrilegium.* Quidnam juris, aut quod motivum habemus, ut id quod ad Chriſtum pertinet, cum ſumma ejusdem contumelia, ignominia, & offenſa eidem auferamus? S. Anſelmus ait: *Neque enim tollere membra ſua Chriſto debeo, & dare meretrici.* Porro corpus hoc noſtrum propter animam plaſmatum fuit, hæc autem non ſolum à Deo creata, ſed & ſanguine filij Dei redempta eſt: *Empti eſtis pretio magno*: Corporis plaſma ab ipſo Deo factum eſt: *Manus tuæ Domine fecerunt me*, illiusque dominium ſibi reſervare voluit: *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti* At vero ut S. Anſelmus ait: *Non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti, & membra meretricis, ſed deſinunt eſſe membra Chriſti, ubi adhærent meretrici. An neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim*, inquit, *duo in carne una:* Cujus S. Auguſtinus ſequentem aſſignat rationem: *Sicut una fit caro in permixtione licita viri & uxoris, ſic una fit caro in permixtione illicita meretricis & amatoris.* Et S. Anſelmus ait: *Fornicatio enim ambos unum facit, ut quomodo in natura, ſic in macula unum ſint, dum per illam nequiſſimæ voluntatis adhæſionem duo unum corpus efficiuntur, id eſt, in eodem ſcelere uniuntur.*

1. Cor. 6. v. 15.
Salmeron. T. 14. Diſp. 9.
Rom. 6. v. 12. & 13.
Dion. Cart. in 1. Cor. 6. v. 15.
S. Thom. Ibid.
S. Anſelm.
1. Cor. 6. v. 10.
Job 10. v. 8.
1. Cor. 16. v. 15.
S. Anſelm.
1. Cor. 6. v. 16.
Gen. 2. v. 24.
S. Auguſt.
S. Anſelm.

10. Verum enimvero auſcultemus obſecro, quam terribilem S. Auguſtinus ex Apoſtoli præmiſſis deducat conſequentiam: *Cum ergo una ſit caro*, inquit, *illud te terreat, illud exhorreat, quod addidit: Tollens ergo membra Chriſti: Membra Chriſti in te Chriſtiane attende noli in altero, in te attendo membra Chriſti, qui emptus es ſanguine Chriſti; Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? Hoc qui non horret, Deo horret.*

Sententia terribilis.
1. Cor. 6. v. 15.

11. S. Bernardinus de hac luxuriæ materia diſcurrens, textum adducit S. Pauli 1. Cor. 3. *Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos:* citatque teſtimonium Gloſſæ dicentis: *Quilibet fidelis templum eſt Spiritus Sancti in Baptiſmo dicatum; unde plus diligit Deus unum tale templum ſpirituale, quam omnia temporalia templa mundi; cum pro omnibus mundi templis reparandis incarnatus peregrinus, & paſſus non fuiſſet Chriſtus.* Citat item Pſal. 73. ubi Pſalmiſta his verbis lamentatur; *Incenderunt igni ſanctuarium tuum*; Et ſubjungit: *In ſpiritu Pſalmiſta contemplans præſens tempus, in quo carnales mulieres cum meretricis ornamentis accedunt ad ſacratiſſima loca, & incendunt ſpiritualia templa Dei & animas, atque materialia templa prophanant; clamore ſpirituali has apud Deum accuſabat dicens: Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, id eſt, animas juvenum illas in Eccleſiis inſpicientium; polluerunt tabernaculum nominis tui, id eſt, Eccleſiam conſecratam.*

1. Cor. 3. v. 17.
S. Bern. T. 2. ſer. 47. A. 3. cap. 1.
Propter templa ſpiritualia Chriſtus paſſus.
Pſal. 73. v. 7.
Mulierum impudicus taxatur habitus.

12. Theophylactus quoque pulchre, quanto cum horrore quilibet Chriſtianus fornicationem exhorreſcere debeat, oſtendit: Dum enim verba illa: *Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit*; exponit, ſubjungit: *Non dixit: copulabo ſcorto, utrum quod eſt multo horribilius; faciam membra ſcorti? quis enim non exterreatur? quis non horreat, ſi audiat membra Chriſti avelli, fierique ſcorti membra?*

Theophyl.
1. Cor. 6. v. 15.

13. S. Hieronymus ad Euſtochium virginem ita ſcribit: *cave obſecro, ne poſt Trinitatis hoſpitium ibi dæmones ſaltent, & ſyrenes nidificent:* quibus verbis de periclitante quadam virgine ſcribit: Notandum vero quod animam, & corpus illius virginis vocet *Trinitatis hoſpitium*, quod tamen in domum convertitur meretricis, quæ ut diſcurſu nono oſtendimus, idem eſt, quod infernus.

S. Hieron. Ep. 22. n. 9.
Anima hoſpitium SS. Trinitatis.

14. S. Bernardinus de luxurioſis, verba illa Pſalmi exponit; *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum*, id eſt, corpus noſtrum, quod ejus eſt templum; ac proinde præfatus Sanctus dicit: *ſi non parcis tibi propter te, vel propter te tibi, propter Deum qui ſe fecit Dominum parce.* Tertullianus quoque dicit: *Effæminatione violatur Majeſtas, & Divinitas conſtupratur.*

Pſalm. 78. 1.
S. Bern. T. ſeq. 21. de Luxur.
Tertull. Apol. cap. 15.

## *DISCURSUS XVI.*
## ARGUMENTUM.

Circa deformitatem & immunditiam carnalis concupiſcentiæ variæ conſiderationes inſtituuntur.

### THEMA.

*Qui adulter eſt ... turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur*, Prov. 6. ꝟ. 32. & 33.

1. INter alia argumenta ob quæ carnale vitium præ cunctis alijs peccatis abominari debemus non eſt infimum, quod ab ignominia & infamia, quam inſeparabiliter annexam habet, peti ſolet. Unde Salomon qui ad fauces usque ſe hujus carnalitatis barathro immerſit, dicit: *Qui adulter eſt, turpitudinem &c.* Audite quid Sanctus Hieronymus de hoc Rege, qui cæteroquin ſapiens, hac tamen ſe immunditia turpiter coinquinavit, ſcribere non dubitet: *Sol hominum*, inquit, *Salomon, theſaurus deliciarum Dei, ſapientiæ ſingulare domicilium, craſſò tenebrarum fuſcatus atramento, lucem animæ ſuæ, gloriam domus ſuæ, odorem famæ ſuæ amiſit amore mulierum, & poſtremo curvatus coram Baalim, ex Eccleſiaſte Domini, mutatus eſt in membrum Zabuli.* Cæteri quoque Sancti Doctores in attribuendis huic vitio vituperij, infamiæ, & abominabilis deformitatis & immunditiei Epithetis unanimiter conveniunt.

Libido annexam habet infamiam.
S. Hieron. Ep. Val. ad Ruffin.

2. Sanctus Cyprianus *de bono pudicitiæ* differens, de hoc peccato quod dictæ virtuti è diametro opponitur, dicit: *Impudicitia ſemper deteſtanda, obſcænum ludibrium reddens miniſtris ſuis nec corporibus parcens, nec animis.* Sanctus Ephrem modum nos docet, quo ſpiritum fornicationis ſuis nos ſuggeſtionibus moleſtantem fugare valeamus: dicit enim: *Dic ſuggerenti tibi concupiſcentias ſordidas & immundas: O veritatis inimice, ut tu deſiderio tuo ſatisfacias, ego dedecore & ignominia afficiar? Vade ad tui ſimiles, impudicos, & laſcivos.* Idem quoque Sanctus Pater mentionem faciens petitionis dæmonis illius, qui è corpore humano cum ſocijs Spiritibus ejiciendus, in gregem quemdam porcorum ingrediendi licentiam à Chriſto poſtulavit, ita inquit: *Porcorum gregem depopoſciſti tibi; Demergere in mare cum ipſis, non me amplius tibi ſervum habebis.*

S. Cypr. de bono pudicit.
S. Ephr. Paran. 37. c. 9. in illud. Attende tibi
Forma præſcribitur fugandi libid.

3. Sanctus Bernardinus hominem laſcivum porco animali immundiſſimo ſimilem eſſe dicit, ob ſequentem rationem: *Luxurioſus*, inquit, *comparatur porco, ſi enim ex una parte videret luti volutabrum, & ex alia parte lectum roſarum poſitum, eligeret in volutabro luti revolvi, quam in roſarum lecto; ſic tales immunditiam luxuriæ delicijs paradiſi præponunt.* Eccleſiaſticus de meretrice differens perſpicuis verbis ait: *Omnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur*; Unusquisque enim licitum ſibi eſſe putat, eamdem verbis & geſtibus ludibrioſis & infamibus deridere, contumeliari, atque contemnere.

S. Bern. T. 4. ſer. 21.
Laſcivus porco ſimilis.
Eccleſ. 9. v. 10.

4. Sanctus Antonius de Padua in ſermone quodam illa Pſalmiſtæ verba: *Diſperierunt in Endor, facti ſunt ut ſtercus terræ*, exponens ait: *In Endor, qui interpretatur ignis generationis, in ardore Luxuriæ, facti ſunt ut ſtercus*, quia fornicarij ab omnibus digito in plateis demonſtrantur. Unde unica mulier laſciva & inhoneſta, ad domum aliquam cæteroquin honora-

Pſal. 82. v. 11.
S. Ant. de Pad. in Dom. ſept.
Ab omnibus indigitatur.

tam & nobilem per multa ſæcula infamandam abunde ſufficit, ideoque Sanctus Cyprianus de impudicitia tractans, merito talem mulierem aut juvenem laſcivum vocat *Contumeliam generis*.

S. Cyp. ibid. Indecentia facere non erubeſcit.

5. Sanctus Gregorius Nyſſenus de Laudibus virginitatis ſcribens, illos qui ab honeſtate vitæ deviantes, carnis vitio ſe dedunt, per omnes affectus ſuos in vituperium & ignominiam degenerare dicit: *Qui animi firmitate deſeritur, voluptatiſque affectu facile vincitur, in ignominioſas affectiones ac lapſus incidit.* Sanctus Zeno de pudicitia & impudicitia loquens idemmet punctum tangit; Imo de carnali homine dicit quod quantumvis indignum quid facere aut pati non erubeſcat, dummodo carnalibus appetitibus ſuis ſatisfacere poſſit: *Nihil prorſus exiſtimat turpe nec pati; nec facere, dummodo in affectu conata ſuccedant.* Unde memorabilis eſt illa Ciceronis ſententia: *Graves Domine cogitationum libidines infinita quædam cogunt atque imperant, quæ expleri atque exſaturari nullo modo poſſunt*; Sic Sardanapalus licet regia dignitate præfulgidus eſſet, ut ſuas cum mulieribus libidines explere poſſet, inter muliercularum filantium turba ſimul & ipſe filare non erubeſcebat, quod idem Herculem feciſſe fabulantur Poëtæ.

S. Greg. Nyſſ. de Virg. c. 8.

S. Zeno l. 1. ſerm. 7.

6. Sanctus Thomas à Villanova abominabilem & infamem hujus Vitij deformitatem hiſce verbis deſcribit: *Nihil libidine perículoſius, nihil obſcænius, nihil abjectius, nihil turpius, neque vilius; quantumcumque enim ſplendide, prudenter, & juſte in cæteris omnibus te geras, ſi carneis his, momentaneis & immundis voluptatibus demerſus ſordidaris, parva tibi gloria erit, nec ſolum inglorius, ſed & ſtultus, ignavus, immundus, imprudens, & inanis inter probos reputaberis viros.*

S. Thom. à Villanova Conc. 2. de S. Ildeph. Deſpectus.

7. In Joële Propheta dicitur: *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* Quæ verba Sanctus Bernardinus Gloſſæ authoritatem citans de Luxurioſis intelligenda eſſe dicit, qui adinſtar jumentorum in propriæ immunditiei ſterquilinio jacent, ibique vitam ſuam ignominioſe claudunt, quia ſicut vixerunt, ita & moriuntur: *Gloſſa eſt, Homines in fætore Luxuriæ vitam finire.*

Joël. 1. v. 17. S. Bernard. Ibid. Ignominioſe moritur.

8. Sanctus Hieronymus varia diſtinguit lepræ genera, ac tandem ad carnalis concupiſcentiæ lepram deſcendens dicit: *Eſt hoc vitium lepra florens, hoc eſt toto corpore decurrens, & mundanæ vitæ voluptas, quæ quaſi candida & florens exiſtimatur.* Hæc autem Lepra hoc ſibi peculiare habet, quod tametſi fœtida & abominabilis exiſtat, nihilominus is qui ea eſt obnoxius, illam gratam & acceptam habet, imo ſi illam non habeat, omni cum ſtudio & induſtria eamdem habere contendit, minime conſiderans, quod illum lepra hæc & in anima & in corpore irreparabiliter contaminet.

S. Hier. T. 9. ſerm. de div. gen. lepr. Libido lepra grata.

9. Petrus Bleſenſis objectum hujus vitij, nec non metallum unde voluptates & delectationes fabrefiunt, his verbis conſiderat: *Noviſſima carnis noſtræ ſunt quinque: Materia vilis, actus humilis, ingreſſus flebilis, ſtatus difficilis, egreſſus horribilis. De vilitate materiæ audi Philoſophum, qui Tyranno interroganti, quid fui? quia ſum? quid ero? ſufficienter ſingulis reſpondet: Vile ſperma, vas ſtercorum, eſca Vermium.*

Pet. Bleſ. ſer. 12. in Quadr. Deſcriptio vilitatis humanæ.

10. Sanctus Hieronymus illud quondam populo in Deuteronomio à Deo datum præceptum conſiderat, quo dicitur: *Non offeres mercedem proſtibuli, aut pretium carnis in domo Domini Dei tui*; Enimvero, quænam eſt inter Canem & meretricem proportio, ut ſapiens hanc cum illo combinare non dubitet? Reſpondet idem Sanctus: *Pulcher canis & meretrix comparantur, quia utrumque animal pronum eſt ad libidinem?* Viliſſimum itaque animal, canis ſcilicet, meretrici velut comes adjungitur, cujus nomine ſe Abner ab Isboſeth contumelioſe appellatum fuiſſe lamentatur, dum, ut ſcriptura dicit; iratus nimis propter verba Isboſeth, ait: *Numquid caput canis ego ſum?*

S. Hieron. in c. 65. Iſa. Deut. 23. v. 18. Canis & mulier ad libid. proni.

2. Reg. 3. v. 8.

11. Idem Sanctus Hieronymus Pſalmiſtam de flagellis Ægypti differentem, & præcipuè verba illa: *Venit Cænomyia & Cinifes*; exponens, per hæc tam vilia animalia quæ puteolentibus morticinis, ſive mortuorum animalium cadaveribus, haud ſecus ac odoriferis roſis & floribus tantum inſidere ſolent, libidinoſos intelligendos eſſe dicit: *Cynomyia canina muſca, quæ in cæno volutatur, luxuriam indicat.*

S. Hieron. Pſalm. 104. v. 31. Comparatio 1.

12. Ingenioſa quoque eſt illa hominis laſcivi cum ebrio inſtituta comparatio; Sicut enim ebri hominis intellectus & ratio totaliter abſorpta eſt, adeo ut quantumvis indignum & probroſum actum committere non erubeſcat, ſiquidem inter illud quod convenit vel diſconvenit, diſcernere nequit, ita & luxurioſus. Unde Iſaac presbyter ait: *Sicut nobilis homo cum in ebrietate obliviſcitur ſuæ nobilitatis, ſtatus ejus exhonoratur, & irridetur pretioſitas ejus propter alienas cogitationes, quæ ſupervenerunt eidem vini virtute: ita caſtitas ſacri viri turbatur ab incauta mulierculæ locutione, & eradicatur ab illa omne ſuſtentaculum laudabilis ſtatus ſui.*

Comparatio. 2.

Iſaac Presb. de conc. mundi.

13. Sanctus Bernardinus in ſermone quodam contra Luxuriam ad imprimendum nobis de deformitate hujus vitij, ejuſque turpitudine condignum conceptum multa præclara dicit: illum namque Geneſeos adducit textum, in quo dicitur: *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*, ſimulque ſuper illum textum Sancti Pauli 1. ad Corinth. 6. *Qui fornicatur in corpus ſuum peccat*, Gloſſam citat dicentem: *Fornicationis in opere totus homo abſorbetur à carne, ut jam dici non poſſit animus ſuus eſſe, ſed ſimul totus homo poſſit dici caro; Et ideo dicunt alij Doctores, quod ſunt aliqui dæmones, qui memores ſuæ antiquæ nobilitatis tentare de luxuria dedignantur; Et eſt ſignum ad hoc, quod Lucifer tentans Dominum non dicitur eum tentaſſe de vitio carnis.*

Gen. 6. v. 3. 1. Cor. 6. v. 18. S. Bern. T. 4. ſerm. 21. Dæmones aliqui de luxurioſis tentare dedignantur.

14. In Exodo dicitur: *Percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris &c.* Rupertus Abbas autem flagellum hoc peccato immunditiei correſpondere exiſtimat; Unde dicit: *Quæ ſit ira Dei, quæ de cælo ſuper impietatem revelatur, quæque hic per grandinem & ignem deſignatur, terribiliter exprimit, cum protinus ſubditur: Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immmunditiam &c. Grando hæc & ignis iſte cunctam herbam agri percuſſit, & omne lignum regionis contrivit, quia videlicet hæc prædicta eſt ignominia ſecundùm Apoſtolum, cunctam humanam ſubſtantiæ pulchritudinem cæleſti ira in vaſis iræ injectam polluit, univerſam rationalis Creaturæ dignitatem omnino deſtruit.* Et ideo Sanctus Ephrem monet dicens: *Fuge carnalem voluptatem, quippe cujus fructus pudoris atque infamiæ fructus.* Quod ſi quis oculis omnes fines terræ etiam ſecretiora laſcivorum & carnalium hominum latibula pervidere & penetrare poſſet, quot viſurus eſſet horrendas turpitudines non ſolum executione, ſed & imaginatione omnino indignas. Audiamus Sanctum Cyprianum qui dicit: *O ſi poſſis in illa ſublimi ſpecula conſtitutus oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & Conſcientiæ hominum penetralia occulta reſerare, aſpicies ab impudicis geri, quod nec poſſit aſpicere frons pudica; videns quod crimen ſit & videre.*

Exod. 9. v. 25

Rup. Abb. l. 1. in Exod. c. 37. Libido omnia deſtruit.

S. Ephr. Paran. 42. N. B.

S. Cypr. Ep. 2. ad Dion.

15. Neſcio an vos aliquando reflexeritis ad illa Sancti Pauli verba 1. ad Corinth. 6. *Qui fornicatur in corpus ſuum peccat*; Enimvero certum eſt, quod corpus & caro culpam non contrahat, imo nec contrahere poſſit, ſed anima ſola peccet; quomodo igitur Apoſtolus fornicarium in corpus ſuum peccare dicit? *In corpus ſuum peccat*; quod omnino ipſimet Apoſtolo adverſatur, qui paulo ante dixerat: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus ſuum eſt.* Reſponderi poteſt, hominem laſcivum & carnalem meram carnem & merum corpus eſſe & nihil amplius, quia vivit haut ſecus, ac ſi non haberet animam. Unde Spiritus Sanctus de illa hominum generatione differens, quæ tempore diluvij carnalitati & luxuriæ penitus immerſa erat, illam non immerito carnem appellavit: *Non permanebit ſpiritus meus in homine quia caro eſt.* Sanctus Bruno Carthuſianæ ſolitudinis Patriarcha, verba illa ita explicat: *Intra corpus ſuum peccat, quia ipſa anima tranſit eo actu in ipſam carnalitatem*; Unde in illis verbis anima nomine carnis appellatur, eo quod tota facta ſit carnalis.

1. Cor. 6. v. 18. Anima fit tota carnalis.

1. Cor. 6. v. 18.

Gen. 6. v. 3.

S. Brun. ibid.

16. Sanctus Marcus Eremita ſtrictiſſimam quamdam & inſeparabilem unionem, quam ſenſualitas cum corpore habet, his verbis inſinuat: *Si pulchritudinem mulieris conſpexerit carnali cupiditate mox vulneratus eſt, & ita poſtmodum ſuſceptiva memoria per formationem conceptuum, pronamque meditationem depingit interius imagines eorum, quæ cum affectu & libenter conſpecta ſunt, eaque ratione ſpiritibus malignis operam dantibus, miſerum & affectibus adhuc deditum animum inquinat. Quod ſupereſt caro ſi pinguis, ſi juvenilis, ſi humidior fuerit, hujusmodi memorijs ab affectu quam primum excitata, mota pro libidine, verſatur circa ea quæ reperit, in eis exercens immunditias, interdum in ſomnijs, quandoque inter vigilandum.*

Marcus Erem. Libidinis & corporis unio deſcribitur.

17. David



17. David poſt adulterium commiſſum lamentabatur dicens: *Peccatum meum contra me eſt ſemper*, quod alij quidem interpretantur de tormentis conſcientiæ cauteriatæ, quibus animus Davidis miris modis vexatus torquebatur, eique ſine intermiſſione ob oculos verſabatur tum Urias occiſus, cum Bethſabea, in cujus impuros ac adulterinos amores ipſe deſcenderat, qui aliquando ipſum delectabant, aliquando cruciabant, cum ipſius animum divinus aliquis afflatus excitabat, aut legis maledictio premebat, diabolusque miris cogitationibus dilacerabat, adeo ut inveteraverint oſſa tacentis, & die ac nocte gravata fuerit ſuper eum manus Domini, & converſus ſit in ærumna ſua, dum configitur ſpina, donec tandem delictum ſuum cognitum fecit Domino, & injuſtitiam ſuam non abſcondit, dixitque, *confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino.* Sed præterea & dicti ejus hæc poteſt dari ratio, quia alibi dixerat: *quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus.* Sanctus Baſilius in Tractatu quem *de vera virginitate* compoſuit, de voluptatibus carnalibus tractans, eaſdem per omnes corporis ſenſus dilatari oſtendit: *Voluptas cum una generaliter ſit, veluti fons quidam à carne profluit, atque in quinos ſenſus veluti in rivos quinque diſtributa, per hoc ad ſenſibilia ab intimis fluit, quorum quilibet per propriam Organi ſui feneſtram, fluentum ſuum ſenſibile quod offenderit, vehementer immittens, quidquid propinquum fuerit correptum ad ſe pertrahit, carnalique ſimo adimplens, ac torrentis inſtar.* In aliis peccatis ſola commaculatur anima: At in hoc ipſum quoque corpus cum ſenſibus ſuis corporalibus, nec non potentiis interioribus conſpurcatur, quia voluptas carnalis abſorbet intellectum, affectum, voluntatem, & memoriam per præteritarum voluptatum reminiſcentiam ad ſe trahit, ipſaque anima pariter in illis delectationibus præteritis immergitur, fingitque illas ſibi eſſe præſentes: *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore.* Unde Sanctus Joannes Climachus ait: *peccatum quod peccare ſolet homo extra corpus eſt, ſolus autem luxurioſus in ſuum corpus peccat, inde accidit, quod per obſcæni humoris fluxionem caro ipſa inquinetur, quod alijs in peccatis fieri non poteſt*; Coinquinat inquam peccatum hoc corpus illud, quod per ſacroſanctum Lavacrum in ſpirituali generatione per ſanguinem Redemptoris purificatum, perque ſanctiſſimum altaris Sacramentum nutritum, ac demum inæſtimabili paſſionis filij Dei pretio redemptum fuit.

Pſal. 50. v. 5. Pſ. 37. v. 8. Libido corpus & animam maculat.

Pſal. 31. v. 5.

Pſal. 37. v. 8. S. Baſil. de vera virginit.

Gen. 6. v. 5. S. Joan. Clim. gr. 15. num. 23.

18. Sanctus Ambroſius verba illa: *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*, exponens inquit: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus eſt, quia cætera peccata etſi per corpus generantur, non tamen animam ita carnali concupiſcentia faciunt obſtrictam & obnoxiam, quemadmodum commiſceri facit animam cum ipſo corpore uſus libidinis, agens in opere carnalis fornicationis, quia in tantum agglutinatur anima corpori, ut in ipſo momento nihil aliud cogitare homini liceat.* Similiter dici poteſt quod homo carnalis in corpus ſuum peccet, quia per hujus vitij exercitium ad motus & ſtimulos carnis, ad ſomnia & illuſiones obſcænas, ad phantaſmata laſciva movetur, fitque ſervus & mancipium ſpiritus fornicationis. Unde ulterius colligitur; quod laſcivus nec ſeipſum, nec objectum cujus illicitis amoribus exæſtuat; vere diligat; Non quidem hoc, quia eo ipſo quo hoc in peccatum inducit, illius vituperium & animæ ejus perditionem velle convincitur; qualis autem hic affectus vel amor eſt? potius odium dici meretur; ob eamdem rationem convincitur non diligere ſemetipſum, utpote qui *corpus & animam propriam perdit in gehennam.*

S. Ambr. in 1. Cor. 6. v. 18. Qualiter libidinoſus in corpus ſuum peccet.

19. Conſideratione digna eſt illa S. Pauli doctrina, dicentis. *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Tametſi enim omnia peccata coram Deo abominanda ſint, eique placere non poſſint, attamen ſuper quævis alia peccata, Deus vitium illud ſupra modum deteſtatur, quia deformitate ſua ei directe opponitur, qui de eo titulo maxime gloriatur quod videlicet ſit, *Candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.* De nullo alio peccatore Deus umquam dixiſſe legitur, quod ipſum de carnali homine dixiſſe conſtat; De his enim ait: *Pœnitet me feciſſe eos.* Erubeſcit enim Deus quodammodo ſe hominem creaſſe, dum cum turpi huic vitio adeo vehementer deditum eſſe conſpicit.

Rom. 8. v. 8. Libido ſumme Deo diſplicet.

Sap. 7. v. 26.

Gen. 6. v. 7.

20. Verumtamen advertendum, quod vitium hoc in iis præcipuè ſpecialiter diſpliceat, qui divino ejus ſervitio dedicati ſunt. Quodnam in eo putatis latere myſterium, quod Deus mel, liquorem adeo ſuavem & ſalutiferum, atque à virginibus fabrefactum in ſacrificium ſibi offerri prohibuerit? maxime cum cera quæ ex melle naſcitur, & mellis pars quædam eſt, in Dei honorem licite & laudabiliter ardeat: Variæ quidem hujus prohibitionis aſſignari poſſunt cauſæ, verumtamen illam quæ noſtro propoſito quam maxime adaptatur, tangit S. Petrus Damianus, qui in melle voluptatum carnalem ſymbolizari aſſerit: *Per quod intelligitur, quod his, qui Deo vitæ ſuæ ſacrificium offerunt, nullam Deus carnalem vult ineſſe dulcedinem, nihil in eis vivere, quod ad carnalem pertineat voluptatem.* Oleaſter pariter ſuper idem Levitici Caput obſervat, quod cum oblatio ſacrificij concremari debuerit, huic autem liquori proprium ſit, quod in ignem effuſum gravem excitare fœtorem ſoleat, ideo ab altari liquor ille mellis proſcriptus fuerit: *Forte ideo quia combuſtum nullum emittit odorem, ſed fætorem potius.* His qui Deo vicinius ſeu propinquius ſerviendo approximare debent, ſtudioſe cavendum eſt, ne malum ſui odorem de ſe ſpargant, quia Deus valde hunc abominatur: Unde diſpoſuit ut Apoſtolus in miniſtrorum ſuorum perſona ſcriberet: *Chriſti bonus odor ſumus.*

In conſecratis divino ſervitio lib. deteſtabilis.

B. Petr. Damian. ſer. 64.

Oleaſter. in c. 2. levit.

2. Cor. 2. v. 15.

21. Refert ſcriptor quidam, in ſuis in librum ſapientiæ conſcriptis lectionibus de quodam Necromantico, quod cum more ſuo ſolito dæmonem invocaſſet, videretque quod poſt toties iteratas incantationes minime compareret, de dæmonis perfidia graviter fuerit conqueſtus: Cumque dæmon tandem quidem apparuiſſet, ita tamen ut procul ab eo remotus ſubſiſteret; Necromanticus cauſam moræ, nec non cur non propinquius ad illum accederet, ſciſcitatus fuit, cui dæmon reſpondit: *Fætor luxuriæ tuæ non permittit accedere:* magus namque ille paulo ante cum meretrice quadam turpe habuerat carnis commercium; Nam ut paulo ante ex ſententia Sancti Bernardini diximus, ſunt aliqui ſpirituum rebellium, qui ob naturæ ſuæ congenitam nobilitatem hujus vitij ſordibus ſe immiſcere dedignantur.

Roberti Holcot. in Sap. lect. 102. Hujusmodi fœtorem nec dæmon ferre poteſt.

22. De multis Sanctis, ſpeciatim vero de Sancto Philippo Nerio legimus; quod quando obvium aliquem habebat hoc turpi peccato obnoxium, nares ſuas peradmotum ſtrophiolum obturare ſolitus fuerit: *virginitatem perpetuo illibatam ſervavit, idque aſſecutus eſt, ut eos qui puritatem colerent, ex odore, qui vero ſecus, ex fætore dignoſceret.*

In lect. S. Phil. Nerij. Exemplum.

23. Ideo etiam Spiritus Sanctus, qui eſt columba illa quæ omnia in terræ facie ſpurca & ſordidata videns *non invenit, ubi requieſceret pes ejus*, vitium hoc in ſacra ſcriptura nominare erubeſcit; de quo etiam Apoſtolus monet: *Nec nominetur in vobis:* Ecce etenim quam cautè & circumſpecte de ſordido hoc peccato loquatur: *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt; cuncta cogitatio hominis intenta erat ad malum.* Et apud Jeremiam: *Equi amatores unusquiſque ad uxorem proximi hinniebat?* Nimirum candidiſſimas alas ſuas in hoc luto coinquinare & defœdare timebat, in Daniele quoque ſcribitur: *quia non eſſet inventa in ea res turpis.* Ad Epheſ. cap. 5. verſ. 4. peccatum hoc *turpitudo* appellatur: Et ad Romanos: *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* Cum igitur tam turpis, obſcœna & nefanda res ſit hoc carnis vitium in mollitie, execranda delectatione, venerea titillatione, ſcortatione, adulterio, aliiſque hujus peccati ſpeciebus, quas nec nominare libuit Spiritui Sancto, ut paulo ante audivimus, nullum non lapidem animus Chriſtianus moveat ut omnibus mentis & animæ viribus contra hoc vitium belligeret, ecquid dicam belligeret, corrigo meam ſententiam, & dico, fugiat ab hoc ſecundum illud Pauli gentium Doctoris, cum inquit, *Reſiſtite peccatis, ſed à ſcortatione fugite.* Fuga optimum contra id remedium, & cum fugiatur, non facile te deprehendet, licet te inſequatur. Sicut in exemplo Joſephi videre eſt, qui non diu luctatus eſt & in arena decertavit, ſed fugit etiam cum damno ſui pallij, quod uxori adulteræ Domini ſui reliquit, ſicut ſacer Chroniſta ſcribit: *Accidit autem quadam die, ut intraret Joſeph domum & operis quidpiam abſque arbitris faceret, & illa apprehenſa lacinia veſtimenti ejus diceret, dormi mecum, qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus eſt foras.*

Vitij turpitudo magis deſcribitur. Gen. 8. v. 9. Eph. 5. v. 3.

Gen. 6. v. 5.

Jer. 5. v. 8.

Dan. 13. v. 63. Ad Epheſ. 5. v. 4. Rom. 6. v. 21.

Gen. 39. v. 11. & 12.

DISCUR-

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

Carnis vitium excœcat intellectum, omneque judicium & diſcurſum nobis eripiendo beſtiis ſimiles efficit.

### THEMA.

*Percuſſerunt cæcitate à minimo uſque ad maximum.* Gen.19. ℣.11.

Libidinoſi ſunt cæci.

1. Circa hæc aſſumpti thematis verba non inopportunum nobis naſcitur dubium, cur ſcilicet divina juſtitia ſcelerum ultrix, quæ nihil ſine myſterio & cauſa operatur, ut cives Sodomiticos, qui ut Angelis à Loth hoſpitio receptis violentiam inferrent, in procinctu erant, debito ſupplicio caſtigaret, eos potius cæcitate percutere, quam alteri alicui ſeveriori ſupplicio ſubjicere diſpoſuerit? cur non potius iræ ſuæ fulmina in eos de cœlo vibravit? cur terræ ut eos aperto ſub pedibus ore, ſicut Dathan & Abyron, dehiſcens, in infernum vivos deglutiendos præcipitaret, non imperavit? Reſpondet Sanctus Ambroſius: *Illud hic oſtenditur, quod cæca eſt omnis libido, & ante ſe non videt,* cum enim veriſſimum ſemper ſit illud Apoſtoli axioma: *Omnia in figura contingebant,* divina ſapientia ad noſtram eruditionem indicare nobis voluit, quod peccatum carnis cæcitatem in animam inducat, in corporali illa Sodomitarum cæcitate præfiguratam. Sanctus Auguſtinus dicit, quod Græci ſignificantius & cum majori emphaſi legant: *Evidentia quæ faciat non videri, non omnia, ſed quod non eſt opus.*

S. Ambr. in Cat. Ly pom. — S. Aug. ibid. q. in Gen. Lypom. ibid.

Amentes.

2. Author Catenæ Græcæ dicit: *Cæcitas mentis & corporis ſequela eſt immoderatæ libidinis, obtuſitas & inſania, contemptus Dei, jactura animæ, famæ, & rerum omnium.* Vere oculis orbatus, & multo magis intellectu deſtitutus cenſendus eſt, quiſquis tot irreparabilia mala luxuriam conſequentia vel non videt, vel certe non curat. Ariſtoteles veteres Venerem amentiæ præfectam appellaſſe, ſcribit. Ideo Cupidinem oculotenus velatum depingebant, Minervam vero & Muſas, quas ſumma ſapientia dotatas eſſe fingebant, antiquitas velut virgines venerari conſueverat.

Ariſt. l. 2. Rhet. c. 24.

Dæmon primo eruit oculos.

3. Quotidiana nos experientia docet, quod dum corvus in morticinum aliquod, ſeu mortuæ beſtiæ cadaver incidit, primo omnium oculos ei eruere & devorare incipiat. Unde Hugo de Sancto Victore per adductam Sancti Iſidori authoritatem ita ſcribit: *Corvus primum in cadaveribus oculos petit; Corvus autem eſt diabolus, qui in cadaveribus primo oculum petit, quia in hominibus carnalibus intellectum diſcretionis extinguit, & ſic per oculum cerebrum extrahit; quia extincto diſcretionis intellectu ſenſum mentis evertit.*

Hug. de S. Vict. inſtit. mon. l. de beſt. c. 35.

Exod. 10. v. 22. & 23. — Libido mentem excæcat.

4. Inter alia flagella, quibus Deus Ægyptum caſtigavit, etiam tenebræ connumerantur: *Factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti, tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum.* Hæc autem plaga, juxta quorumdam ſacrorum interpretum expoſitionem; nono Decalogi præcepto reſpondebat, quo uxorem alterius concupiſcere prohibemur: Sed quænam eſt inter hanc tenebrarum obſcuritatem & jam dictum præceptum proportio? S. Proſper ait: *Quid ergo deterius concupiſcentia mala, quæ ita totam excæcat mentem, ut non tantum timorem Dei, quantum etiam ipſas pœnas legum, infamemque mortem oblivioni dans, nihil in mœcho remaneat luminis, quam non totum occupent ferales tenebræ.* Quam veritatem D. Chryſoſtomus in eo quod Sodomitis accidit, exemplificat, hi enim, ut diximus, fuere excæcati: *Mentis eorum oculus excæcatus erat, propter hoc & viſu privati ſunt, ut diſcant, quod nihil ſibi proſunt corporales oculi, ſi oculi mentis fuerint excæcati.* Enimvero in hac cæcitate poſiti cæcos ſe eſſe non animadvertebant, quia proprium carnalium hominum ſupplicium & pœna eſt, quod diſcurſum, inſtinctum rationis & judicium imperceptibiliter perdant, ideoque ſe illis deſtitutos eſſe minime advertant. Unde Sanctus Ambroſius ait: *Dum in quadam ſumus delinquendi libidine, nebulis quibuſdam inſipientiæ mens obducitur, & fumo quodam iniquitatis oculi ejus caligant, ne videat eorum, quæ concupiſcit, deformitatem.*

S. Proſp. p. 1. c. 32. — D. Chryſ. Hom. 43. in Gen. — Oculi corporis non proſunt ſine oculis mentis. — S. Ambro. l. 2. de Mer. cap. 5.

S. Bern. T. 4. ſer. 21. — Similitudines.

5. Sanctus Bernardinus ex Sancto Auguſtino ſimilitudinem quamdam adfert à præcedenti parum diverſam: *Luxuria carnalis,* inquit, *deſtruit cognitionem, ſicut nebula in vere impedit claritatem ſolis.* Ignis quoque adfert exemplum, dicens: *Sicut fumus reſolvitur ab igne & totam domum obtenebrat & denigrat, ita ab igne concupiſcentiæ reſolvitur fumus, qui obnubilat rationem.*

Clem. Alex. l. 2. Strom.

6. Clemens Alexandrinus dicit, quod ſicut vapores & exhalationes terreſtres cœli ſerenitatem obumbrant, dieique claritatem offuſcant, ita quoque inordinati appetitus noſtri, qui ab hac carne & corpore noſtro inſurgunt, mentem, intellectum, & judicium in nobis adeo obtenebrant, ut veritatem, rationem & convenientiam diſcernere non poſſint; *Quemadmodum exhalationes, quæ à terra, & ex lacunis & voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem & umbroſam vertiginem, ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animæ inurunt habitudinem.* Unde veriſſima eſt illa S. Gregorij Magni ſententia dicentis: *Cæcitas ſpecialiter libidinoſis adſcribitur, quia nulla ſunt vitia, quæ ſpiſſiores tenebras menti ingerant, quam libido.*

Cæcitas adſcribitur Libidinoſis ſpecialiter. — S. Greg. l. 6. in l. 1. Reg. cap. 15.

7. Sanctus Nilus de corvo infernali ſimiliter ſcribit, quod ante omnia in carnali homine oculos impetat: *Cum omnes dæmones, tum is potiſſimum qui libidini præeſt, primum id ſtudet, ut menti, hoc eſt principi animæ parti tenebras offundat.* Rupertus Abbas Tuitienſis ad Ægyptiacas ſe tenebras reflectens, moralitatem quamdam præcedenti perſimilem inde elicit: *Quid magis quam concupiſcentiæ oculus totum hominem obſcurat: Lucerna corporis tui,* inquit Dominus, *eſt oculus tuus; ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit, ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebricoſum erit; Vide ergo, ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint; quid tenebroſius oculo nequam? cum videt mulierem ad concupiſcendum eam.*

S. Nilus de 8. vitioſ. Cogitat. Rup. in Exod. l. 1. cap. 49. — Matth. 6. v. 22. — Luc. 11. v. 34. — Ibid. v. 35.

8. Sanctus Antonius de Padua ſcribit: *Luxurioſus eſt cæcus, qui viſu gratiæ caret, ſcilicet utroque oculo, id eſt, ratione & intellectu.* Idem quoque in alio quodam ſermone Tobiæ ex hirundinum ſtercore in ejus oculos illapſo excæcati hiſtoriam adducit: *Contigit autem ut jactaſſet ſe juxta parietem, & obdormiſſet, & ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretque cæcus.* Paries eſt carnis voluptas, nam ut inquit ſapiens, *ſicut enim in pariete lapis lapidi ſuperponitur, & cæmento conglutinatur, ſic in carnis voluptate peccatum viſus, peccato auditus, & peccatum auditus peccato guſtus, & ſic de ſingulis conjungitur, & cæmento malæ conſuetudinis tenaciter colligatur, & ſic obdormit negligentiæ torpore diſſolutus, & fit ſtercorizatio hirundinum ſuper oculos dormientis.*

S. Ant. de Pad. in Dom. 2. poſt Trinit. — S. Anton. de Pad. in Quinq. — Tob. 2. v. 10. — Ibid. v. 11.

9. Eccleſiaſticus de impudica fœmina dicit: *Quaſi ſtercus in via conculcabitur;* hoc autem ſtercus innumerabiles animas excæcat, ut eaſdem in exteriores tenebras præcipitet. D. Chryſoſtomus quoque ait: *Quando ab impudica libidine capta fuerit anima, ſicut nubes & caligo corporis oculis, ita cum illa eripuerit mentem & perſpiciendi facultatem, nihil ſinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem.* Et ideo reprobi illi qui in Inferno ingenue tandem de ſe fatebuntur dicentes: *Ergo erravimus à via veritatis:* ſimul quoque libere eodem tempore addent: *& juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis;* Quod ſi autem ſcire deſideretis, quinam aut quales illi fuerint, legatis libri ejuſdem cap. 2. ubi dixiſſe feruntur: *Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ.*

Eccl. 9. v. 10. — Libidinoſi nil vident amplius. — D. Chryſoſt. Hom. 11. in 1. ad Cor. — Sap. 2. v. 8. — Sap. 5. v. 6. — Ibid. v. 9.

10. David quondam lamentabatur dicens: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum:* ſed dicat aliquis; Quis umquam Davidem oculis laboraſſe legit vel audivit? Reſpondeo igitur: David de oculo animæ loquebatur, id eſt, de intellectu per adulterium offuſcato. Quando Samſon à Philiſtæis in vinculis tenebatur, prima pœna quam ei intulerunt, hæc fuit, quia *ſtatim eruerunt oculos ejus,* per quod innuebatur, quod poſtquam inimicus infernalis nos laſcivis Dalilæ illaqueavit amoribus, primum quod deinde facit, eſt quod laſcivo tali homini diſcurſum & rationis judicium auferat; Ecce tibi oraculi Prophetici comminationem: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva:* Ubi Hugo Cardinalis ait: *Primum excæcat diabolus, ne cognoſcant viam veritatis, vel lucem quod ſignificatum eſt hoc, quod Philiſtiim excæcaverunt Samſonem.*

Pſal. 37. v. 11. — Intellectus excæcatur libidinoſis. — Jud. 16. v. 21. — Pſalm. 68. v. 24. — Hugo Card. Ibid.

Brutalis homo efficitur. — Oſe. 4. v. 11.

11. Ab hac intellectus cæcitate ſequitur id, quod Oſeas ait: *Fornicatio & Vinum, & ebrietas, auferunt eos;* Fornicarius enim judicium, rationem & diſcurſum amittit; nam ut S. Hieronymus ſuper citatum textum ait: *Fornicatio & voluptas pervertit ſenſum, animumque debilitat, & de rationali homine brutum efficit animal.* Sanctus Thomas de Villanova hoc vitium deteſtando, in ejus vituperium ait: *Reddit hominem penitus brutalem, rationem alienat, intellectum obnubilat, ſenſus hebetat, brutum facit ex homine.* In eodem Oſea cap. 3. legimus: *Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade & dilige mulierem dilectam amico & adulteram:* Et ſubdit: *Et fodi eam mihi quindecim argenteis & coro hordei, & dimidio coro hordei.* Sed quærendum hic venit, quidnam in eo lateat myſterij quod adultera cum hordeo aſſocietur? Cur non cum tritico, vel alia frugum annona? Nimirum pabulum hoc jumentorum eſt proprium. Et ideo Philo ait: *Plus adhibetur hordeacea, quo ſigno ſubnuitur, adulteram nihil differre à beſtijs.*

S. Hieron. Ibid. — S. Thom. à Villanov. de S. Ildephon. — Oſe. 3. v. 1. — Ibid. v. 2. — Philo l. de ſpir. leg. 1. 5. v. 15.

Equus & jumentum.

12. Deus ob idem myſterium innuendum præcepit, ut mulier poſt commiſſum adulterium, hanc pro criminis ſui expiatione faceret oblationem: *offeret oblationem pro illa decimam partem ſati farinæ hordeaceæ:* ut nimirum intelligeremus, adulteras & carnales homines equis & jumentis ſimiles eſſe: *Sicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.*

Num. 5. v. 12. — Pſal. 31. v. 9.

Venter libidinoſorum Deus.

13. Poſtquam ſtygius ille ſerpens protoparentes noſtros ad eſum pomi vetiti extimulaſſet, ad hanc fuit pœnam condemnatus, ut ſuper ventrem ſuum graderetur: *Super pectus tuum gradieris;* At vero ſi hoc illi in pœnam impoſitum fuit, videtur utique pœnam hanc nimis exilem fuiſſe, potius enim condemnandus videri poterat in hanc ſententiæ formam: *Super caput tuum gradieris:* Cur igitur ſuper ventrem repetere jubetur? Septuaginta legunt: *Super pectus & ventrem.* Quia enim ſerpens carnalis hominis ſymbolum eſt, ad gradiendum ſuper pectus condemnatus fuit, quia *de corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes:* Item condemnatus fuit, ut ſuper ventrem graderetur, quia hic verum Luxuriæ centrum eſt; Unde Philo ait: *Super pectus & ventrem tuum gradieris, circa has enim partes ſtabulatur affectus hic;* Ecce tibi rationem cur Deus in hac condemnationis ſententia ventris mentionem fecerit, quia hic eſt hominum carnalium Deus: *Quorum Deus venter eſt:* carnales enim homines hujus appetitus, non vero rationem, diſcurſum aut rationem ſequuntur, hæc enim ſuam in capite ſedem habent: Unde idem Philo ait: *Quando quæres ô anima, quam regionem voluptas ſortita ſit, ne ſpectes capitis locum, qui rationis eſt, ibi non invenies eam, reſiſtit enim huic affectui ratio, nec poteſt cohabitare.* Et ideo S. Paulinus libidinem *intemperantiæ cæcitatem* appellat.

Gen. 3. v. 14. — Matth. 15. v. 19. — Philo l. 2. Alleg. — Philip. 3. v. 19. — Philo ibid. — S. Paulin. Epiſt. 12.

14. Drogo Hoſtienſis Salvatorem noſtrum tanto erga naturam humanam amore exæſtuantem in Samſone præfiguratum fuiſſe agnoſcens ait: *Amaſti mulierem non amantem te, ſed perſequentem, ut propter amorem ejus ſapientia tua ſtulteſceret.* S. Auguſtinus inquit: *Non poteſt ſtare voluptas corporis cum cognitione, quæ mentibus pudicis ſeſe maxime accommodat.* Clemens Alexandrinus adducta ſimilitudine cadaveris cujuſdam quod expers eſt animæ, dicit: *Qui fornicatur Deo eſt omnino mortuus, & à ratione tamquam à ſpiritu ut cadaver relictus eſt.*

Drogo de ſacr. Dom. Paſſ. N.B. — S. Aug. l. 4. cont. Julian. — Clem. Alex. l. 2. Pædag. cap. 10.

15. Sanctus Bernardinus rationem aſſignans cur carnales homines ab æterna ſint beatitudine excludendi, dicit: *Illa curia cæleſtis ne diminuta remaneat, debet repleri per creaturas rationabiles, luxuria autem inter alia peccata, maxime deſtruit rationem, & per peccatum luxuriæ maxime adoptio patriæ cæleſtis impeditur, quia per luxuriam homo efficitur beſtia, & beſtiæ non ſunt factæ ad habendam vitam æternam.* Sanctus Antonius de Padua textum illum Iſaiæ cap. 24. *Ideoque inſanient cultores ejus, & relinquentur homines pauci,* de luxurioſis explicans ait: *Inſanient peccato luxuriæ, quæ eſt inſania, & mentis amentia:*

S. Bern. T. 1. ſer. de luxur. — Libidin. ut beſtiæ non ſalvantur. — S. Anton. de Pad. in ſept.

16. Caſſiodorus textum illum Pſalmi: *Supercecidit ignis & non viderunt ſolem,* explicans, dicit: *Ignem dicit malæ mentis ardorem, quem in hoc ſæculo cæcatis mentibus hauſerunt:* Pergit idem Caſſiodorus oſtendere, qualiter hic carnalis concupiſcentiæ ignis, omnis luminis & notitiæ ingens ſit obſtaculum; Sic enim, inquit, Herodes propter unicum ab inceſtuoſæ Herodiadis filia exhibitum tripudium & ſaltatiunculam adeo faſcinatus, & mentis inops factus fuit, ut eidem dimidium regni ſui offerre non dubitaverit: *Tanti principatum ſuum faciebat,* inquit Divus Chryſoſtomus, *adeo voluptate captus erat, ut tripudij regna concederet.* Suetonius de viliſſimo quodam gladiatore refert, quod cum Fauſtina Imperatrix illius amore capta fuiſſet, hancque ob cauſam ab Imperatricis cognatis miles ille ſeu gladiator occiſus occubuiſſet: Imperatrix intellecto mortis ejus nuntio, pediſſequas ſuas hiſce precibus adjuraverit: *Propinate mihi paululum ſanguinis ejus.*

Pſal. 57. v. 9. — Caſſiod. ib. — Libidinoſis judicium excæcat. — D. Chryſ. Hom. 49. in Matth.



Beſtialem facit hominem.

17. Apud Sanctum Lucam coram Salvatore hydropicus quidam præſentatus fuit, de quo Venerabilis Beda ait: *Recte comparatur ei, quem luxus carnalium voluptatum exuberans aggravat.* Obſervandum eſt autem quod incarnata ſapientia Chriſtus in eadem hiſtoria non ſine cauſa adduxerit quamdam à bove & aſino in puteum lapſo petitam ſimilitudinem: *Cujus veſtrûm aſinus aut bos,* quaſi per hoc indicare voluiſſet, quod ſtoliditas, ſive beſtialitas, & luxuria correlative ſe habeant ad invicem: *Comparatus eſt jumentis inſipientibus.*

V. Beda Hom. in Dom. 17. poſt Trinit. — Luc. 14. v. 5. — Pſal. 48. v. 21.

18. Euſebius in Epiſtola quadam ad Sanctum Damaſum de morte Sancti Hieronymi ſcribens, inter cætera ait: *Fugite luxuriam, nam ſicut virginitas hominem æquat Angelis, imo plus cum facit quam Angelum, ita Luxuria hominem quaſi beſtificat, & ut ita dicam, multo pejorem beſtia ipſum facit. De nullo alio peccato legitur dixiſſe Deum, ſe pœnitere feciſſe hominem.*

Euſeb. Ep. ad Dam. — Virginitatis laus & Libidinis vituperium.

19. Quando divina juſtitia in procinctu erat ut ad puniendum hoc carnis peccatum iræ ſuæ fulmina per univerſale quoddam diluvium in terram evibraret: Moyſes Deum dixiſſe refert: *Adducam aquas diluvij ſuper terram, ut interficiam omnem carnem;* At verò ex quo bruta animantia quæ erant ſuper terram, nullam in hoc peccato culpam habebant, cur igitur & illa ſubmergi jubentur? hoc enim verbum illud: *Omnem carnem,* innuere videtur. Reſpondet Sanctus Chryſoſtomus omnes illius temporis in bruta animantia fuiſſe transmutatos, *quia cum in ſua dignitate, qua brutis præfuerunt, excidere, dignum eſt, ut inter illos & iſta nulla ſit pœnarum differentia.*

Cur tempore diluvii omnis caro demerſa. — Gen. 6. v. 17. — D. Chryſ. Ibid.

20. Sanctus Cyrillus Alexandrinus dicit: *Voluptas affulgens præſtigijs ſuis faſcinat mentem, eoque paulatim deducit, ut arbitremur jam nullius momenti eſſe divinæ legis violationem;* Videmus enim quotidie, nullum inter omnes peccatores de peccato ſuo ita ſe jactare, aut poſt commiſſum peccatum hilariorem & magis contentum eſſe quam ſit laſcivus, poſtquam appetitus ſuos cum impudica aliqua muliere, explevit: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Sanctus Bernardinus rationem reddit, cur hoc vitium ſpecialius omni nos privet diſcurſu & judicio: *Ratio maxime propter luxuriam aufertur, quia in actibus venereis ſecundum Auguſtinum, ratio à delectatione carnali ita abſorbetur, quod impoſſibile eſt aliquid intelligere,* prout videre eſt, inquit, Danielis cap. 13. in duobus illis ſenioribus Suſannam depereuntibus, qui ſe impudicis amoribus ſuis faſcinatos judicium & rationem amiſiſſe nimis evidenter demonſtrarunt. *De hoc patet exemplum,* inquit, *Danielis 13. de inveteratis ſenibus, qui in Suſannæ concupiſcentiam exarſerunt;* & ſic ablata ratione remanet in homine tantum, quod eſt beſtiale; Unde Pſalmiſta loco paulo ante citato bene dicit: *Supercecidit ignis & non viderunt ſolem,* id eſt, intellectus offuſcatur & obtenebratur per hoc vitium: *Sapientia per luxuriam diſſipatur; quia concupiſcentiæ Venereorum hominem faciunt inſanire, proinde Propheta inquit: Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Titus Boſtrenſis ſuper illa verba de filio prodigo à Chriſto dicta: *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam,* dicit: *id eſt, intellectum rectum, veritatis notitiam, genitoris memoriam.* Libidinoſus ad nihil aliud oculos ſuos dirigit, niſi ad voluptates, cæterum jacturam famæ & reputationis, facultatum, ſanitatis, denique animæ ſuæ minimè conſiderat: Flocci facit monita majorum, amicorum conſilia, pœnam legum, comminationes ſuperiorum, excutit jugum obedientiæ paternæ, & quorumcumque Principum, ut inſtar effrænis equi fræna ſibi laxare poſſit; Et ideo Sanctus Bernardinus ait: *Naturale eſt quia luxurioſa & laſciva vita obtenebrans intellectum, ſapientia & providis conſilijs privet; raro vel numquam reperitur, ut homo carnalis laſcivus aut luxurioſus ſani conſilij ſit.*

S. Cyr. Alex. l. de Adorat. — Libido omni judicio privat. — Prov. 2. v. 14. — S. Bern. T. 3. ſer. de deſid. ver. A. 3. cap. 2. — Dan. 13. v. 8. — Pſalm. 57. v. 9. — Titus Boſtr. Ibid. — S. Bern. T. 2. ſer. 18. A. 2. c. 3.

DISCUR-

## *DISCURSUS XVIII.*

## ARGUMENTUM.

De concupiſcentia carnali ſub analogia laqueorum & retium diſſeritur, illamque hominem carnalem ſervum & mancipium efficere oſtenditur.

### THEMA.

*Irretivit eum… eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur.* Proverb. cap. 7. ✝. 21. & 22.

Libidinoſi retibus & laqueis capti ſunt.
*Lyran. Ibid.*
*Dion. Cart. Ibid.*
*Eccl. 7. v. 27.*

1. LAſcivus præda eſt retium & laqueorum à laſciva fœmina ad eum capiendum protenſorum, fitque carnalium appetituum ſuorum ſervus & mancipium: *Irretivit eum*, ſequitur *quaſi bos. Irretivit, id eſt*, ut Lyranus exponit, *concupiſcentiæ paſſioni quaſi reti involvit.* Dionyſius Carthuſianus mulierem laſcivam *laqueum* appellat: *Illaqueavit juvenem libidinoſum.* Eccleſiaſtes, qui pariter Proverbiorum author eſt, id eſt, Salomon de meretrice inquit: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus Venatorum eſt, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus illius*; Quibus verbis confirmat id ipſum quod in Proverbiis dixerat. Sanctus Nilus poſtquam mulierum blandimenta delineaſſet, tandem ait: *His veluti hamis atque eſca ad mortem raperis imprudens, his retibus & variis plagis captus, traheris ad interitum, cave ne te blandis ſermonibus irretiant.* Theodorus Studita ſimiliter voluptates carnis *retia dæmonis* vocat, dum ait: *Quid voluptatem jucundam arbitramur, qui dolor ſit revera mortifer? nam quidem voluptas hamus eſt diaboli, inextincti ignis ſuſcitabulum, & tamen rapimur ad eam quaſi dedititij ſervi.* Sanctus Bonaventura Eccleſiaſten exponens dicit: *Laqueus eſt venatorum, id eſt, dæmonum, qui venantur animas hominum, illaqueat verbis & aſpectibus, illaqueat pulchritudine faciei.* Abſalon Abbas voluptatem flori comparat, cujus foliis venenum inſidet: *Quod ſi ſub flore iſto quandoque venenum expertus es, cave tibi & ſollicitus eſto, ne quid deterius contingat*; Adfert quoque in medium ſimilitudinem retis, in quo capiuntur piſces: *Quia & piſculi curioſius eſcas declinant in quibus quandoque fallacis hami cauterium comprehenderunt.* Sanctus Hieronymus de voluptatibus carnalibus diſſerens ait: *Circumdati retibus voluptatum, eſſe nos liberos arbitramur?* Alibi quoque idem Sanctus eadem loquendi phraſi utitur, dum ait: *Cum inciderunt in laqueos feralium voluptatum, ſicut aves aucupis fraude captivæ, quæ quo magis conantur evadere, eo ſe in profundiores ſinus retis immergunt.*

*S. Nilus orat. 2. de Luxur.*
*Theod. ſtud. ſer. 26.*
*S. Bonav. in Eccleſ.*
*Abſalon Abb. ſer. 38. in feſt. S. Aug.*
*S. Hieron. l. 2. cont. Julian. c. 7.*
*S. Hieron. T. 9. Ep. ad am. ægro.*

Avibus ſimiles viſco captis.

2. Quando avis quæ in viſcum incidit, captam ſe eſſe ſentit, evadere quidem hinc inde millies nititur, nec tamen videt, quod per illas alarum concuſſiones, & agitationes plumarum ſe viſco tanto tenacius innectat; Idem quoque ei accidit, poſtquam rete ingreſſa fuit, tunc enim inde ſe quidem proripere nititur, ſed quanto id impenſius facere conatur, tanto pluribus ipſa vinculis & funibus implicatur; Idem quoque circa hominem carnalem contingit, quia tametſi nonnumquam bonam habeat voluntatem, qua vellet deinceps non amplius per hoc peccatum offendere Deum & ſeipſum, nihilominus *quo magis conatur evadere &c.* Sanctus Joannes Damaſcenus quærit: *Quid eſt mulier?* & reſpondet: *Laqueus comptus, & homines in voluptatem illiciens.*

*S. Joan. Damaſc. l. Parall. c. 76.*

*S. Baſil. l. Regul. Interrog. 17.*
Libido hamus eſt.

3. Sanctus Baſilius in Regulis ſuis de voluptatibus tractans ita ſcribit: *Voluptas nihil aliud eſt, quam eſca illa maligni, per quam nos homines ad peccatum valde proclives ſumus; ab ea omnis anima non ſecus atque ab hamo quodam ad exitium protrahitur.* In hamo quidem eſca videtur, quæ irritat appetitum, ſed latens ſub ea ferrum non apparet: eodem modo ſub voluptate quæ ſenſibilis & illecebroſa eſt, mors æterna occultatur, imo nonnumquam etiam corporalis, ratione periculorum, quæ in furtivis amoribus quam maxime & facillime occurrunt. Sanctus Ambroſius mulierum illecebroſarum eſcam deſcribens inquit: *Sermonibus adoritur gratioſis, faciens juvenum volare corda, domi inquieta, in plateis vaga, oſculis prodiga, pudore vilis, amictu dives, genis picta; hæc eſt ab hamo pendens eſca.*

*S. Ambr. l. 1. de Abel & Cain c. 4.*
Mulier hami eſca.

*Eccleſ. 7. v. 27.*
Mulieres ſunt inſtrumenta Venatoria.
N. B.

4. Ubi vulgata noſtra legit: *Laqueus Venatorum eſt*: Chaldæus legit; *Retia & offendicula ſunt in corde ejus.* Pineda dicit quod hoc verbum in Originali ſignificet *omnia Venatoria inſtrumenta, quibus vel feræ capiuntur, vel piſces, vel aves, vel homines?* Et ſubjungit: *Quid enim vel mari vel terra, aut æthere tutum à fœmineis Venabulis, illecebris, & tendiculis? aut quid in illo umquam elemento Viventibus noxius & inimicitius?*

*Raban. T. 6. l. 3. de pœnis ſatis. facien. c. 48.*
Evadendi præſcribitur modus.

5. Rabanus Maurus Archiepiſcupus Moguntinus modum hoſce laqueos & hamos evadendi inſinuans, dicit: *Qui plene vult ſuggeſtionem hujus diabolicæ calliditatis extinguere, primum recordationem omnium fœminarum de corde ſuo expellere feſtinet, earumque conſortium quibuſcumque congruis poteſt modis effugiat*; Adducitque authoritatem Sancti Ambroſij dicentis: *Si intraveris in Caſtellum, ne appropinques mulieribus, & ne demoreris in ſermonibus apud illas, quomodo enim ſi quis deglutiat hamum, ſic attrahitur anima tua.*

*Rup. Abb. l. 4. in Eccleſiaſten.*
Homo facile capitur, difficulter ſolvitur.
*Pſal. 123. v. 7.*
*Euſeb. ad Dam.*

6. Poſtquam Rupertus Abbas Tuitienſis difficile admodum eſſe oſtendiſſet, ſe ab hiſce laqueis ſubducere, in quibus Samſon & Salomon corruerunt, tandem de Davide ſubjungit: *Et David qui fuit ſecundum cor Dei laqueo muliebri captus eſt, ſed liberatus canit: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: mollitie ſexus* (inquit de muliere) *muliebris abuſa in nos, laqueos, rete, & vincula nectit.* Euſebius in Epiſtola illa, quam ad Sanctum Damaſum de morte Sancti Hieronymi ſcripſit, ita loquitur: *In hoc rete diaboli, ſi quis capiatur, non cito ſolvitur.*

Omnia membra mulierum laquei ſunt.
*Hug. Card. in Eccl. c. 7. v. 27.*

7. Hugo Cardinalis per hoſce Venatores laqueos tendentes, ut nos capiant, Spiritus infernales intelligit: *Hunc Laqueum tendunt dæmones ad capiendas animas inſipientium, ubicumque mulierem præparant, & exornari, & præparari, & oſtentari procurant. Nec eſt una mulier unus laqueus, imo quot membra membrorum ornamenta habent, tot laqueos habent, ita ut à planta pedis uſque ad verticem non ſit in ea videre, niſi laqueos.* Demum illa verba: *Sagena cor ejus*, exponens, in quonam ſimilitudo conſiſtat, declarat dicens: *Quia ſicut ſagena totum fluvium occupat, & nullus piſcis effugit, ſic cor mulieris totum vicum, vel civitatem, vel regionem, in qua habitat, occupat, & omnes capit voluntate & deſiderio, licet multi effugiant ipſam, nullus tamen effugit cor ejus.*

Mulieres & bonos & malos capere cupiunt.

8. Notandum vero eſt, quod non ſolum dicat, quod mulier laqueus ſit: *Laqueus Venatorum*, qui tenditur in terra; verum inſuper addit, quod ſit rete, quod ad piſces capiendo per mare extenditur: *Sagena cor ejus.* Enimvero ex iis creaturis quæ ex aquis productæ fuerunt una pars in eiſdem aquis remanſit, piſces videlicet, in quibus reprobi figurantur, quia piſces Deus à ſacrificiis excluſit: alia vero pars ſunt aves, per quas boni denotantur, qui affectibus ſuis ad bona cœleſtia ſe ſubvehunt. Salomon igitur dicere vult, quod hic ſexus omnibus tam bonis, quam malis inſidietur, qui etiam bonos nonnumquam retibus ſuis involvit.

Libidinoſi fiunt ſervi.
*Eccl. 7. v. 27.*
*S. Iſid. Peluſ. l. 1. Ep. 135.*
*S. Hieron. Ibid.*
*S. Cypr. de bono pudicit.*

9. *Ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur*; Luxurioſus enim ſervitutem, imo vilem mancipiorum conditionem ſibi adſciſcit, Eccleſiaſtes poſtquam de laſciva muliere dixiſſet: *Laqueus Venatorum eſt, ſagena cor ejus*, ſubjungit protinus: *Vincula ſunt manus illius.* Sanctus Iſidorus Peluſiota ait: *Eum qui hoc vitio captus eſt, omnibus illudendum & irridendum propinat, quemadmodum excæcatus Samſon docet, ecquid tu voluntariam captivitatem accerſis?* Sanctus Hieronymus libidinoſos ſervos & mancipia vocat: *liberos tu judicas, quos voluptates barbaræ devinxerunt? non habent catenam, ſed eos luxuria feroci mordacitate vinculis tenet.* Sanctus Cyprianus *de bonis pudicitiæ* diſſerens vitiumque ei contrarium deteſtans, inquit: *Debellatis proprijs moribus totum hominem ſub triumphum libidinis mittit, blanda prius, ut plus noceat.* Herodes in tantum inceſtuoſorum appetituum ſuorum ſervus factus fuerat, ut pluris unicum laſcivæ puellæ ſaltantis tripudium, quam regni ſui dimidium æſtimarit: At vero impudica ſaltatrix non ambiebat ſceptra, ſed caput illius qui impuros matris ſuæ nitebatur impedire amores. *Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.* Quibus in verbis præcipue obſervandus eſt illius importunus petendi modus, tanta enim cum imperioſitate præcipit, ac ſi non Regem ſed viliſſimum ſervum, imo mancipium alloqueretur: *Volo, ut protinus.* Etenim verbum hoc *volo* eſt perſonæ alicujus cum authoritate præcipientis. Experientia etenim docet quod mulier impudica in virum carnalem imperium obtineat, ſiquidem hic libenter facit omnia quæ illi vel maxime placere novit. Sanctus Gregorius Nazianzenus inter alios infames titulos quibuſcum peccatum iſtud deteſtatur, unus eſt, quo illud *limoſam catenam* appellat.

*Marc. 6. v. 25.*



*Nazian. adv. carnem.*
Et ſubditi ſunt etiam nolentes.
*4. Reg. 18. v. 31.*

10. Rabſaces quo tempore Jeroſolyma validiſſimo centum octoginta quinque millium bellatorum exercitu arctiſſima cingebatur obſidione, advocato ad ſe ſuper mænia civitatis Hebræorum populo perſuadere nitebatur, ut omni metu depoſito, *comederet unusquisque de vinea ſua & de ficu ſua*, nec enſem in defenſionem Ezechiæ Regis apprehendendo vitæ periculo ſe exponerent, eisdemque ex parte Regis ſui futurum promittebat, ut in terram fructiferam & fertilem vini, terram panis & vinearum, terram olivarum, & olei, & mellis &c. abducendi eſſent: at vero ut Sanctus Cyrillus Alexandrinus advertit: *Rabſaces quidem indulgere illis præſentem voluptatem, eique ſe adjecturum pollicebatur, ſi ad Babylonios defeciſſent; at illi cum ſaperent, minime id ſibi perſuaderi paſſi ſunt.* Ratio vero hujus, cur ſcilicet hoc Rabſacis conſilium non admiſerint, quam S. Cyrillus adfert, præſenti propoſito noſtro optime deſervit: *Qui enim mundanas voluptates volens ſectatur*, inquit, *eum vel nolentem oportet in ſervitutem incidere, & in captivorum numero cenſeri.*

*S. Cyrill. Alex. l. de adorat.*

*S. Nilus de 8. vitioſ. Cogit. Vinct.*
*Rup. Abb. l. 4. in Eccleſiaſten.*

11. Sanctus Nilus de libidine ita ſcribit: *Libido tum animam emollit & inficit, ipſiusque principatum in turpem ſervitutem transfert, tum corporis vigorem labefactat.* Rupertus Abbas eidem vitio vinculorum nomen attribuit: *Non eſt vinculum ſeu gluten ullum tenacius, quam amor mulieris.* Vinculi hujus arctitudo ex parabola illa Evangelica quam Sanctus Lucas deſcribit, optime colligitur: Omnes enim alij quotquot ad cœnam invitati, ad eam tamen accedere renuebant, ſub honeſto ſaltem prætextu ſe, quo minus ad illam accederent, excuſarunt: at verò is qui uxorem duxerat, impoſſibilitatem allegavit: *uxorem duxi & ideo non poſſum venire*; Homo enim carnalis pedes ſuos intra arctos indiſſolubilis cujusdam ſervitutis compedes vinctos habet, & ideo nequit venire. Ideo de Samſone Rupertus Abbas ait: *Samſon quem laqueo Dalila conſtrinxit & vinculis.*

*Luca. 14. v. 20.*
*Rup. Abb. Ibid.*

*S. Auguſt. ſer. 243. de temp.*
Hiſtoria.

12. Sanctus Auguſtinus valde compatitur certo cuidam viro, qui cum nuper fuiſſet plurimorum in aliquo exercitu victor, tandem illicitis amoribus vacans, à muliere victus, & ab eadem in turpem erat ſervitutem redactus: *Vere dolendum eſt & lugendum, ut ille qui decem adverſarios vicit, ab una muliere ſuperetur, & qui tot inimicos occidit in corpore, ab una puella juguletur in corde, vere nimis grave malum eſt, ut vir fortis, qui ferro non vincitur, libidine ſuperetur; & eum mollia aut blanda ſubvertant, quem dura non ſuperant, & qui eſſe captivus vel ſervus hominibus dedignatur, ſervus eſſe peccati mereatur; cum indignius ſit mente ſervire quam corpore.*

Laſciviens dominium perdit.
*Gen. 39. v. 8.*
*Ibid. v. 9.*
*Ibid. v. 9.*

13. Utique aliquando obſervaveritis id, quod Sacer Chroniſta Moyſes de Joſepho à Domina ſua ad turpia ſolicitato ſcribit. S. Zeno Lib. 1, ſerm. 7. *de Pudicitia*, de ipſo ait: *Quem Domini ſui uxor pejus amare cœperat, quam oderant fratres.* Cum vero turpibus Dominæ ſuæ deſideriis acquieſcere nollet, hanc ſuæ in pudicitia cuſtodienda obſtinatæ voluntatis edidit rationem: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, præter te, quæ uxor ejus es.* Circa quæ verba quærendum venit, quidnam in eo lateat myſterij, quod cum maritum Dominum & patronum ſuum appellaverit: Ecce Dominus meus; ad uxorem ejus tamen quæ pariter Joſephi domina erat, deſcendens, ipſam non dominam ſuam vocet, ſed illam à ſe repellendo ei dicat: *Quæ uxor ejus es?* Verumtamen facilis ad hoc & perſpicua in promptu eſt reſponſio; Huic namque quantumvis illuſtri mulieri Dominæ titulus minime conveniebat tunc, quando magis quam umquam alias turpium appetituum ſuorum ſerva & mancipium erat, maxime quando parata erat ſe illi ſubſternere turpiter, qui ejus mancipium & ſervus erat, licet ob generoſam hanc repulſam qua Dominam à ſe coërcebat, Domini nomen vere meritus fuerit, utpote qui ſibimetipſi imperare & dominari ſciebat; de quo proinde S. Auguſtinus ait: *Magnus plane vir, qui venditus tunc ſervire neſcivit.*

*S. Aug. ſer. 83. de temp.*

*Sabellicus apud Majol. T. 3. coll. 2.*
Hiſtoria.

14. De Nino Babyloniorum Rege ſcribitur, quod Semiramis concubina ejus (quæ ingens in ipſum obtinebat dominium, adeo ut Rex promptiſſime facere ſolitus fuerit, quidquid huic concubinæ liberet) ſæpius ab illo unam rem ſpecialiſſime ab ea deſideratam inſtantiſſime poſtularit, nimirum ut loco Nini imperium Babyloniæ unico dumtaxat die pro ſuo libitu modo ſuo gubernare ſibi liceret; Rex igitur qui Semiramide nihil charius habebat, omnibus ejus parere imperiis ſub pœna mortis præcepit; Quo regis juſſu paſſim divulgato, ipſa ſatellitibus & Juſtitiæ miniſtris undique ſtipata thronum regium conſcendere cœpit, & primis quidem diebus, multa, ſed exigui momenti negotia ſtatuit, paulatim vero majora & magis ardua præcipiens promptam confeſtim ab omnibus habuit obedientiam. Tandem vero Regem vinctum coram ſe adduci, & necari juſſit, quod pariter executioni protinus demandatum eſt, hacque via ipſa nemine contradicente totius Regni poſſeſſionem accepit. Ecce tibi qualiter laſcivus hic Rex non ſolum concubinæ ſuæ ſervus & mancipium, ſed & victima carnificis manu ſacrificata factus fuerit. Similiter Samſon qui prius maxilla aſini dumtaxat armatus, multa Philiſtæorum millia diſſipavit, poſtea per Dalilam ad inſtar jumenti ad vertendam molam adhibitus fuit.

*Eccleſ. 7. v. 27.*
*Hug. Card.*
Cur manus fœminæ vincula.
*S. Ambr. l. de Pœnit. c. 15.*
*S. Nilus in Inſtit. Monaſt.*
*Eccl. 18. v. 30.*

15. Hugo Cardinalis rationem aſſignat cur Salomon manus fœminæ vincula appellet: *Vincula ſunt manus illius:* Quemcumque enim mulier amplectitur, non amplexatus, ſed captivus & vinculatus potius debet dici. S. Ambroſius de verbis mulieris dicit: *Verba petulantis mulieris cupiditatum ſunt retia, manus ejus amoris nodus eſt.* S. Nilus pariter dicit: *Pravæ cupiditates catenæ ſunt inſolubiles.* Eccleſiaſticus quoque monet: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere, ſi præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Inimici autem noſtri ſunt ſenſus & appetitus noſtri carnales, qui niſi refrænentur, ſervos & mancipia nos faciunt.

Quando Adam dominium perdiderit.

16. Protoparentes noſtri à Deo per verbum illud *Dominamini* univerſæ naturæ creatæ inveſtituram & dominium acceperant, unde cuncta illis animantia obediebant & ſubjecta erant; at vero ſubito ſcena hæc inverſa fuit, ſiquidem dominium iſtud paulo poſt adeo miſere amiſerunt, ut ipſi una cum tota illorum poſterorum progenie feris ſubjecti fuerint ab eiſdem devorandi. Vultis autem cauſam ſcire propter quam jus iſtud amiſerunt? Hildebertus ait: *Omnia enim ſubjecta quamdiu Adam mulieri ſubjectus non fuit, cui poſtquam male morigeratus fuit, cæpit eſſe non ſuus, & tot Dominis ſervire quot vitijs.* Porro Eva Adæ ſubjecta eſſe debebat, at vero poſtquam hic inordinato erga Evam amore ſeductus, huic ſe ſubjecit dominio quod in animalia obtinuerat, amiſſo, ex Domino factus eſt ſervus.

*Hildebert. Ep. 56.*

*Hugo de S. Vict. l. 2. c. 14. Alleg. in Matth.*
Laſcivia conſtringit.
*S. Joan. Clim. in ſcal. Par. gr. 15.*
*Rom. 7. v. 24.*
*S. Aug. l. 8. Conf. c. 5.*
*cor. 7.*
Libidinis catena deſcribitur.

17. Hugo de S. Victore ad illa verba orationis Dominicæ ſe reflectens, dicit: *Ecce ad te clamamus captivi, qui te contempſimus liberi; Ecce qualem Dominum contempſimus: Ecce quali Tyranno ſervivimus. Turpitudo captivos nos tenet, ut confundatur præſumptio noſtra.* S. Joannes Climachus S. Pauli de hoc corpore noſtro rationi & ſpiritui recalcitrante loquentis mentionem faciens dicit: *Hanc carnem meam inimicam & amicam B. Paulus mortem appellavit; Quis, inquit, liberabit me de corpore mortis hujus? Alius porro Theologus* (de Nazianzeno loquitur) *eamdem vitioſam & ancillam nocturnam vocat.* Sanctus Auguſtinus de catena illa qua ligatus & fortiter conſtrictus hærebat, loquens dicit: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me*; Hanc autem catenam libidinis peccatum fuiſſe, ex verbis mox ſequentibus ſatis clare deducitur; ſubjungit enim: *Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*

## *DISCURSUS XIX.*

## ARGUMENTUM.

Vitium carnis intellectum, mentem, & animam noſtram adeo abſorbet, ut illam de nulla re alia, quam de voluptate & libidine ſua explenda cogitare permittat.

THEMA.

*Videns autem Deus, quod ... & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra.* Gen.cap.6.℣.5.& 6.

Creatus eſt homo ut Deum diligat.
S.Aug.l.de Spir.& anima.

1. S. Auguſtinus finem inveſtigando ob quem Creator noſter nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam formarit, tandem id factum eſſe dixit, ut eum agnoſceremus & amaremus; *ut factorem ſuum pro imagine cognoſcat, & pro ſimilitudine diligat*; ac proinde nequaquam mirandum eſt, quod dum divinus ille artifex Deus, videt quam parum hunc à ſe intentum finem aſſequatur, dum ingratus homo toto affectu & amore, non ad ſuum creatorem, ſed ad viliſſimam creaturam convertitur; quod inquam hoc videns pœniteat ſe hominem feciſſe. *Videns autem Deus, quod cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore*; Ubi Ly *malum*, ad verba illa alludit: *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi*; Ubi Dionyſius Carthuſianus ait: *Intelliguntur filiæ natæ ex ſemine Cain, quæ erant laſcivæ & pulchræ*; Et hæ tales mulieres intelliguntur per malum ad quod cogitatio cordis humani omni tempore intenta eſſe dicitur, nam ut in Diſcurſu primo probavimus, mulier quoddam eſt omnis malitiæ breve compendium. Unde de Thoma Moro magno Regni Anglicani Cancellario, qui pro defenſione Eccleſiæ & fidei Catholicæ ſub impio Rege Henrico VIII. martyrium generoſe ſuſtinuit, refertur, quod interrogatus à quodam cur tam parvæ ſtaturæ mulierem ſibi in uxorem ſumpſiſſet, per jocum facetè reſponderit: *ſe è malis libere & prudenter elegiſſe minimum.*

Gen.6. v.2. Sed heu ad malum cogitatio cuncta.
Dion. Cart.
Cornel. à Lap.

Luxurioſi ex propoſito peccant.
Theodor. Q. 47. in Gen.

2. Enimvero verba illa: *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum*, non nihil maturius & exactius ponderemus. Theodoretus inquit: *Hoc animadvertendum eſt, quod divinus ſermo non ſimpliciter eorum peccatum damnat, ſed cura & ſtudio quæſitam iniquitatem reprehendit*; *Hoc enim ſignificat quod ait: Unuſquiſque meditatur in corde ſuo ſtudioſe ad mala peragenda univerſos dies.* Notandum verò eſt verbum illud: *Cuncta cogitatio*, hoc enim ut Dionyſius Carthuſianus exponit, idem ſignificat; quod *indeſinenter, excogitabant ſtudioſe, qualiter poſſent ad libitum delectari, ex propoſito, ex certa malitia, non ex ignorantia & infirmitate, ſeu paſſione ſolummodo peccaverunt, quemadmodum ſcriptum eſt de quibuſdam: Scrutati ſunt iniquitates.* Similem conſiderationem D. Chryſoſtomus diu ante ſuper eadem verba: *Cuncta cogitatio &c.* habuit, dum ait: *Magna hujus verbi emphaſis & vis eſt: Verbum, cogitans, multam habet momenti, non enim ex ſubreptione hoc illis accidit, ſed in corde cogitant, & hæc per ſingulas horas volvunt; In his ſtudium ſuum collocant, & neque ſemel & iterum vel fortuito ſupplantati à peccato à malitia ſibi temperant, ſed diligenter eam exercent.* Etenim per experientiam quotidianam videmus, eos qui delectationibus carnalibus immerſi ſunt, ſenſibus & potentiis ſuis adeò eſſe abſorptos, ut nihil cogitent, nulli rei ſtudeant, nihil operentur, quod ad ejuſmodi voluptates captandas & explendas non dirigatur; ſi pedes ſuos ad ambulandum moveant, ad dilectæ domum eorum diriguntur greſſus: Cum oculos levant, objectum amatum quærunt & deſiderant aſpicere, ſi dormiant, de illo ſolo ſomniant: *Cuncta cogitatio intenta &c.* *Qui ægre ferunt*, inquit Theodoretus, *oblatam ſibi eſſe peccandi occaſionem, à nequitia tamen victi per mentis ignaviam poſtea dolent & lugent, mediocrem quamdam aliquatenus habent excuſationem. Qui verò declinant prorſus ad intemperantiam & malitiam, ſubſervire facientes affectibus rationem, ut etiam excogitent alias nequitiæ ideas, & hoc non ſemel aut bis, ſed per totam vitam, qua venia digni ſunt?*

Dion. Carth. Ibid.
Pſal.63. v.7.
D.Chryſ. Hom.22.in Gen.
Carnales ſunt ſenſibus privati.
Theodor.ibid.

Concupiſcentiæ fomes nobis connaturalis.

3. Equidem *tantum abeſt* quod homo carnalis de peccato ſuo doleat, aut illud deploret, ut potius dum illud committendi proximam eſt occaſionem aſſecutus, vel maximè lætetur & gaudeat, modoſque illud continuandi & in eo perſeverandi ſtudioſe excogitet. Enimvero hanc in vitiis carnis infelicitatem habemus, quam in aliis vitiis non reperimus, videlicet quod vitium iſtud valde nobis ſit connaturale, quod non eſt in aliis vitiis. Unde S. Gregorius in Catena dicit: *In iniquitate concepti, & in delicto editi, per inſitæ corruptionis moleſtias pugnam nobiſcum huc deferimus, quam cum labore vincamus.* Naturaliter nobis hic pruritus carnis, & hoc incentivum, quod fomes concupiſcentiæ paſſim appellatur, inſitum eſt; *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. Unde per Moyſen Dominus dicit*, inquit S. Gregorius, *ſenſus & cogitatio humani cordis prona eſt in malum ab adoleſcentia ſua; Corruptionis namque malum, quod unuſquiſque noſtrum ab ortu deſideriorum carnalium ſumpſit, in provectu ætatis exercet, & niſi hoc citius divinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum, repente culpa in profundum vorat.*

S.Greg. l.28. mor.c.18.
Pſal.18.v.7.

Luxurioſi deliberate peccant.
Gen.6.v.5.

4. Myſterio non vacat modus ille quo Moyſes utitur ut carnalium hominum malitiam, illis verbis inſinuatam: *Videns quod cuncta cogitatio &c.* ad vivum nobis ob oculos ponat, neque enim ſolum vult dicere quod omnes actiones & operationes externæ ad explendum voluptates carnales tendant; verum etiam omnes operationes animæ interiores; Dicitur ergo in primis, *videns*, id eſt, ut S. Thomas ait; *non tantum exteriora mala opera, ſed interiores cogitationes & internos motus animarum; unde ſequitur: quod cuncta cogitatio hominis intenta eſſet ad malum*; ubi Abulenſis dicit: *Hic demonſtratur eorum perfecta malitia, quia non ſolum mala iſta faciebant ex aliqua cauſa extrinſeca alliciente, vel fortiter inducente, ſed etiam ex intentione judicante, & voluntate deliberante.*

S.Thom.ib.
Abulenſ. Ibid.

Idiota c. 34. de amore Divin.
Luxuriæ effectus.

5. Idiota in libro quem *de amore Dei* compoſuit, caput quoddam habet, cui titulus eſt, *de amore perverſo mulierum*, in quo dicit: *Amor carnalis inſatiabilis eſt, extinctus reaccenditur, & poſt copiam rurſus inops fit, animumque virilem effœminat, & præter paſſionem quam ſuſtinet, nihil ſinit aliud cogitare, quia rationis oblivio eſt.*

Luxuriæ filiæ.
S.Thom.2.2. Q.153.A.5.

6. S. Thomas in quodam articulo deordinationem oſtendit potentiarum interiorem, quam ex hoc peccato contraxerunt: *Per vitium luxuriæ*, inquit, *maximè appetitus inferior, ſcilicet concupiſcibilis vehementer intendit ſuo objecto, ſcilicet delectabili, propter vehementiam paſſionis & delectationis, & ideo conſequens eſt, quod per luxuriam maxime ſuperiores vires deordinentur, ſcilicet ratio & voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis; Primo ſimplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum, & hic actus impeditur per luxuriam*; Et ideò Daniel duobus illis Judicibus ſenibus libidinoſis dixit: *Species decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum*, utpote quæ cæcitatem in mente & intellectu inducit, prouti in Diſcurſ. 17. probavimus. *Secundus actus eſt conſilium de his, quæ ſunt agenda propter finem, & hic etiam impeditur per concupiſcentiam luxuriæ.* Nam ut Terentius author gentilis de luxuria inquit: *Quæ res in ſe neque conſilium, neque modum ullum habet, eam conſilio regere non potes*: & hinc naſcitur præcipitatio, quæ conſilij ſubtractionem importat. *Tertius actus eſt judicium de agendis, & hic etiam impeditur per luxuriam*; unde Daniel de prædictis laſcivis ſenibus loquens dicit: *everterunt ſenſum ſuum ... ut non recordarentur judiciorum juſtorum*; Et hinc derivatur inconſideratio. *Quartus autem actus eſt præceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam, in quantum ſcilicet homo impeditur ex impetu concupiſcentiæ ne exequatur id quod decrevit eſſe faciendum* Citatque eumdem Terentium in Eunucho, qui cuidam, qui amaſiæ ſuæ renuntiare ſtatuerat, reſpondit: *Hæc verba una falſa lachrymula reſtinguet.*

Dan.13. v.56.
Dan.13. v.9.

Carnales nil aliud cogitant quam de concupiſcentiis ſuis.

7. Ratio autem efficaciſſime & quaſi palpabiliter probans quod homo carnalis, neque de Deo, neque de ſalute æterna, neque de quavis alia re cogitet, præterquam de reperiendis & explendis voluptatibus carnis, hæc eſt, quia anima talis hominis in carnem quodammodo degeneravit. *Quia in tantum*, ut S. Ambroſius ait, *agglutinatur anima corpori, ut in ipſo momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere, quia ipſam mentem captivam ſubdit ipſa ſubmerſio & abſorbitio libidinis & concupiſcentiæ carnalis.* Atque ideò Spiritus S. de homine pro eo tempore & ſtatu in quo totus libidini deditus erat, locuturus, non ſine myſterio hominem carnem appellat, dicens: *Omnis caro corruperat viam ſuam*, non dicit: *Omnis homo*; *Non permanebit ſpiritus meus in homine quia caro eſt*, quibus ultimis verbis diſtinctius de carnali homine ſe loqui indicat; Et quidem certum eſt quod ibi non de ſolo corpore loquatur, hoc enim in dubium revocari nequit, ſed ſpecialiter de anima loquitur, quia hæc omnes potentias ſuas ad concupiſcentiam carnalem converterat: *Cuncta cogitatio &c.* Ideo S. Epiphanius ſcribit: *Qui ſcortationem operatur caro factus eſt, non ſolum ipſa caro, ſed omnia, & anima & alia caro ſiunt; adhærens enim ſcorto, caro factus eſt & cum ſit carnalis caro omnino vocatur.* Ubi

S.Ambr. in 1.Cor.6.
Gen.6. v.12.
Gen.6.v.3.
S.Epiph. Hæreſ.66.





Gen.6.v.3.
D.Chryſoſt. Hom.22. in Gen.

Vulgata noſtra legit: *Quia caro eſt*, D. Chryſoſtomus vertit: *Eo quod ipſi carnes ſint; hoc eſt, quod carnalibus operibus ſeipſos totos dedunt, & anima ſubſtantia abutuntur, & quaſi ſola carne circumdati anima careret ſic vitam ſuam abſumunt. Perpetuus enim ſcripturæ mos eſt, carnem vocare carnales, ſicut & virtute præſtantes carnis expertes nominat, quemadmodum Paulus dicit:* [*Vos autem non eſtis in carne,*] *non quod non carne circumdati eſſent, ſed quia carne circumdati ſuperiores erant carnalibus affectionibus & ſenſibus: nam ſicut iſtis dicebat:* [*Vos autem non eſtis in carne,*] *eò quod carnalia deſpiciebant ita & de illis dicitur, quod ſint carnes, eò quod carnalibus rebus continuo ſint occupati.*

Rom.8.v.9.

Apud luxurioſos inſpirationes infructuoſæ.
Luc.8.v.7.
Ibid.v.11.
Ibid.v.15.

8. Memores eſtote parabolæ quam Chriſtus de ſeminatore & ſemine propoſuit, cujus una pars in ſpinas cecidit; *Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.* Per hoc ſemen Dominus noſter, qui hanc parabolam compoſuit, verbum Dei intelligit, ſive devotionem & pietatem Chriſtianam: *Semen eſt verbum Dei*; per ſpinas gaudia & voluptates intelliguntur: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum*; dato enim caſu, quod bona aliqua inſpiratio, vel ſenſus aliquis devotionis homini alicui carnali aſpiretur, nunc tamen in eodem inefficacem eſſe, & ſine ullo effectu aut fructu manere ſemper videbitis, *quia ſimul exortæ ſpinæ ſuffocabant*, cujus ratio eſt quia hoc vitium rationem, intellectum, memoriam, & voluntatis ad meliora propenſionem totaliter abſorbet: *Cuncta cogitatio illius intenta ad malum omni tempore*, non ſolum quando in lecto molli & plumeo jacet, nec ſolum dum lautis accumbit conviviis, aut dum choreis, ludis, jocis aliiſque ſimilibus recreationibus præſens aſſiſtit, verum etiam in Eccleſia, dum Miſſam aut verbum Dei auſcultat, dum orationi incumbit, vel libros devotos pervolvit, ab hiſce cogitationibus laſcivis, deſideriis turpibus, & objecti amati memoria continuo ſe infeſtari & agitari ſentit: *Cuncta cogitatio hominis intenta ad malum omni tempore.* Unde *notandum eſt*, inquit D. Chryſoſtomus, *quod exponens Dominus dicit, quia voluptates ſuffocant verbum; ſuffocant enim quia importunis cogitationibus ſuis guttur mentis ſtrangulant, & dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinunt, quaſi aditum flatus vitalis necant.*

D.Chryſ. Hom.15.

Luc.15. v.13.
Did.Stella Ibid.
Luxurioſis omnia bona aufert.

9. Didacus Stella in Lucam verba illa Salvatoris de filio prodigo dicta ponderans, ſcilicet, *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe*: eadem in ſenſu morali ad præſens propoſitum noſtrum aptiſſime explicat dicens: *Omnia bona diſſipavit in luxuria, quod quidem vitium conſumit omnia bona gratiæ & naturæ, quia naturales vires corporis enervat, rationem turbat, & ingenium hebetat, pecunia, honore, bonis temporalibus, & quod plus eſt, ſeipſo ſpoliat; Ideo Salomon ait: Qui nutrit ſcorta perdet ſubſtantiam.* Homo enim laſcivus tanta tenacitate & vehementia objecto amato adhæreſcit, ut nihil cogitet, quam hoc, non operatur, niſi ut illi per omnia placeat, omnia ejus conſilia, omnes labores, ſudores & actiones eo dumtaxat diriguntur, ut objecti amat affectum lucrari poſſit, & ad nihil aliud.

Prov.29. v.3.

Et deſideria cæleſtia.
Gen.34. v.3.
Abulenſ. Ibid.

10. Porrò hanc amoris carnalis paſſionem Spiritus Sanctus vivacius exprimere non poterat, quam in Sichem pro eo tempore quando Dinæ pudicitiam violaverat; poſt hoc namque peccatum cum Dina commiſſum, dicit de eo Spiritus Sanctus: *Conglutinata eſt anima ejus cum ea*; *Id eſt*, inquit Abulenſis, *totaliter adhæſit anima ejus animæ Dinæ, eam ardentiſſimo amore & inordinato amando; taliter enim incidit forma Dinæ in apprehenſionem Sichem, quod incurrit amorem fortiſſimum, qui dicitur amor hereos, eſt enim paſſio fortis, de qua multa medici, in qua etiam, ſi amans careat amato, ad inſaniam verti poteſt.* Celeberrimum eſt axioma illud quo dicitur: *Anima magis eſt ubi amat, quam ubi animat*; ac proinde cum laſcivi amantis anima per potentiarum ſuarum exercitium tranſmiſſa & transfuſa ſit in perſonam amatam, conſequens eſt, ut nullum nobis pro Deo & bonis æternis ſectandis reliquum ſit deſiderium: *Cuncta cogitatio intenta &c.*

Luxurioſus ebrio ſimilis & ſine corde eſt.
Prov.23. v.31.
Ibid.v.33.

11. Non caret myſterio illa à Salomone amoris carnalis cum ebrietate facta combinatio, dum ait: *Ne intuearis vinum quando flaveſcit*, & protinus ſubdit: *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perverſa*; ſicut enim vinum nimis copioſe potatum ſenſus turbat, offuſcat rationem, intellectum ſopit, totumque hominem ſui ipſius impotentem efficit, ita quoque amor carnalis vehemens idem prorſus præſtat officium: *Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor*; Notanter non dicit quod auferant memoriam, vel intellectum obtenebrent, vel rapiant voluntatem, ſed clare dicit, quod cor auferant, quod primum mobile eſt omnium operationum noſtrarum tam intellectualium, quam corporalium.



Oſe.4.v.11.

Laſcivia animum obruit.
Iſid.Clar.T. 2 Hom. 103.
Luc. 16.v.8.

12. *Cuncta cogitatio hominis intenta ad malum*; ubi bene notandum eſt Ly *cuncta*: Nam ut Iſidorus clarius ſcribit: *Nihil ita obruit animum, ut laſcivia carnis*; Non enim id avaritia facit; quia *tantum abeſt*, ut hæc intellectum abſorbeat, avarumque efficiat, ut potius de avaris dicat Chriſtus: *Filij hujus ſæculi ſunt prudentiores filijs lucis*: avari namque ad ſua lucra captanda, ſagaces fiunt & aſtuti; idem quoque in ambitioſis fieri videmus, ut enim deſideratos ſibi honores acquirant, omni torpore depoſito lynceos ſibi oculos aſſumunt: *At quiſquis laſcivijs ſe & carnis vitijs dedit, & illud naturæ acumen quo ſceleſti etiam homines uti conſueverunt, etiam amittit.* Unde Sanctus Franciſcus ait: *Maximus hominis inimicus eſt caro, nihil recogitare novit malorum, ut doleat, nihil, ut timeat, prævidere.* Et S. Joannes Climachus ait: *Luxuria omnes ſenſus & facultates corporis & animæ à via abducit & immutat.*

S.Franc. opuſc. Orat.
S.Joan.Clim. gr.15. Schol. 26.

Gen.6.v.6.
Bern.in Alleg.Gotfred. Tilm.
Matth.26. v.42.

13. *Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra.* Ingenioſa non minus quam utilis eſt illa Authoris cujuſdam horum verborum expoſitio; Dicit enim Creatorem noſtrum dicere voluiſſe: *Pœna me tenet, mihi incumbit ſuſtinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine, quem creavi; Non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum:* quaſi ab illa hora in principio quaſi mundi prædicere voluiſſet, ſe aliquando amariſſimum mortis & paſſionis ſuæ calicem eo præcipue fine biburum eſſe, ut nos ab hoc carnali peccato expiaret, haud ſecus ac ſi hoc præ cunctis aliis crucifixionis & mortis ſuæ cauſa futurum eſſet; Et ideò non abſimilis elegantiæ ingenium quiddam notavit, non ſine myſterio Salvatorem noſtrum in die Veneris pati voluiſſe, eo quod hic Veneri ſpecialiter dedicatus eſſet, ut per hoc inſinuaret, quod patiatur ad abolenda peccata, quorum patrandorum unica Venus eſt inſtrumentum.

Pati voluit Chriſtus in die Veneris ne Venus regnaret.

Iſa.3.v.12.
Rup.Abb. l.1. in Iſa. c.12.
Venus cruci affixit Chriſtum.

4. Apud Iſaiam Deus lamentatur dicens: *Populum meum exactores ſui ſpoliaverunt, & mulieres dominatæ ſunt eis.* Super quæ verba Rupertus Abbas quærit: *Qui exactores iſti & mulieres. Exactores propter rapacitatem, mulieres propter paſſivam & Sodomiticam libidinem. Exactores iſti, mulieres iſtæ, Scribæ & Phariſæi fuerunt, qui turpis lucri gratia, ut acciperent decimas & primitias, unde libidines ſuas explerent, populo perſuaſerunt, ut crucifigerent Dei filium*; Ecce igitur quam verum ſit, quod vitium hoc filium Dei in cruce ſuſpenderit.

Dæmon per mulierem impedire voluit redemptionem.
Clem. Alex. l.3. Strom.

15. Ad hæc dici poteſt, quod ſicut dæmon per mulierem effecit, ut Petrus negaret Chriſtum, ita quoque mundum univerſum per uxorem Pilati privare voluerit ſummo illo bono reſtaurationis & redemptionis generis humani, & conſequenter morte ipſius Redemptoris Clemens Alexandrinus dum illos qui ſpiritui fornicationis ſtrenue reſiſtunt, laudare nititur, dicit: *Qui autem Dei Creaturæ reſiſtunt per ſpecioſam illam continentiam, illa quoque dicunt, quæ ad Salomonem dicta ſunt, quorum prius meminimus; Habentur autem ut exiſtimo in Evangelio ſecundùm Ægyptios, dicunt enim ipſum dixiſſe ſervatorem: veni ad diſſolvendum opera fœminæ, fœminæ quidem cupiditatis.*

## DISCURSUS XX.

## ARGUMENTUM.

Multæ conſiderantur difficultates, quæ in hominibus carnalibus ad pœnitentiam inducendis occurrunt, unde pœnitentia quæ in illis ſæpe reperitur, inſtabilis eſt & infirma.

THEMA.

*Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum.* Oſe.5. ℣.4.

Luxurioſi difficile convertuntur.
S.Hieron. Ibid.

1. HOc Oſeæ Prophetæ oraculum clare nobis difficultatem, ne dicam impoſſibilitatem indicat, reducendi carnales homines ad pœnitentiam, & ut illi in vitæ emendatione perſiſtere & perſeverare valeant: *Non dabunt cogitationes ſuas ut*

*revertantur ad Deum ſuum, id eſt ut agant pœnitentiam*; ut S. Hieronymus interpretatur; redditque Propheta hujusce obſtinationis ipſorum rationem dicens: *Quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, qui eos excæcat*, inquit Interlinearis. Etenim inter omnia peccata nullum eſt, quod pœnitentiæ magis contrarietur, aut opponatur, quam vitium carnis. Unde in Apocalypſi dicitur: *Et dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua*; Unde quando *omnis caro corruperat viam ſuam*; divina juſtitia univerſo generi humano comminata fuit dicens: *Non permanebit ſpiritus meus in homine ... quia caro eſt*, quod utique acerbiſſimum ſupplicij genus erat, quod divina juſtitia ultrix infligere poterat; nam ut S. Baſilius ait: *Nulla atrocior pœna, cæteras omnes vincit calamitas hæc, deſeri à Deo*; & tamen quingenti adhuc anni poſt hæc effluxerunt, quibus illi profuſam & inverecundam libidinem ſuam etiamnum continuarunt, licet illis in pœnam illius univerſale intimaverit diluvium, & centum annorum ſpatio arca à Noë fabricata fuerit, quo tempore Noë utique illos continuo & ſine intermiſſione reprehendit, & ut in viam ſalutis perduceret, atrociora comminatus fuit, ſed nihil prorſus à pertinaci hoc peccatorum genere obtinere potuit.

Interlin. — Apoc. 2. v. 21. — Gen. 6. v. 3. — S. Baſil. in c. 2. Iſa.

2. S. Ambroſius ſuper illa verba: *Corrupit omnis caro viam ſuam*, notat, quod ante diluvium aquarum præceſſit aliud carnalitatis & libidinis inundans diluvium: *Itaque caro cauſa fuit corrumpendæ etiam animæ, quæ velut origo & locus eſt quidam voluptatis, ex qua velut à fonte prorumpunt concupiſcentiarum malarumque paſſionum flumina lateque exundant?* Vultisne igitur cauſam ſcire cur Noë nullum ex prædicatione ſuâ fructum reportarit? Audite Eccleſiaſticum qui ingenuam hujus reddit rationem, dum ait: *Verbum ſapiens audivit luxurioſus, diſplicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.* Una pars ſeminis illius ab Agricola parabolico in agrum diſperſi inter ſpinas cecidit, *Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud ... Semen eſt verbum Dei*; per ſpinas autem quæ verbum Dei ſuffocant, id eſt, illud infructuoſum & inutile reddunt, voluptates & delectationes carnales intelliguntur: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Sonora illa Spiritus Sancti tuba (de præcurſore, qui æterni verbi vox erat, loquor) ab Herode libenter & cum non modico profectu auſcultabatur; *Sciens eum virum juſtum & ſanctum & cuſtodiebat eum & audito eo multa faciebat, libenter eum audiebat*; at verò poſtquam turpi illo inceſtus probro inquinare ſe cœpit, tametſi ſanctiſſimus Baptiſta, ad eum ex hoc barathro eripiendum, deſerta eremo ſua Hieroſolymam ingreſſus fuiſſet, ibidemque ipſas quoque viperas, *Genimina viperarum*, convertiſſet ad pœnitentiam, nihilominus velut in deſerto prædicare viſus eſt; nam vox ejus, qua auribus Herodis continuo inſonabat dicendo: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, non ſolum ad aures ejus aditum habere nequivit, verum etiam ob illam caput ſuum amiſit.

S. Ambr. l. de Noë & arca c. 5. — Prædicationes non audiunt. — Eccl. 21. v. 18. — Luc. 8. v. 7. — Ibid. v. 11. — Ibid. v. 15. — Marc. 6. v. 20. — Luc. 3. v. 7. — Marc. 6. v. 18.

3. S. Paulus Apoſtolus, cui ſancta mater Eccleſia converſionem totius mundi ad fidem attribuit, poſtquam coram Felice Præſide, mirabili cum energia prædicando, multa eſſentialia puncta tetigiſſet, quæ adamantina & chalybæa pectora emollire potuiſſent, ſcilicet extremum judicij diem, divinam juſtitiam, malorum vindicem, caſtitatis virtutem &c. dictus quidem Præſes toto corpore contremuit; *Tremefactus Felix*, verumtamen nullum ab eo fructum aut à mala & turpi vita reſipiſcentiam obtinere potuit, licet in Sergio Paulo Proconſule copioſum fructum produxerit, utpote qui non obſtante quod totus adverſus eum infernus ab Elyma Mago commotus pro viribus conjuraſſet, ab infidelitate, impiaque vita ſua converſus fuit; undenam vero hæc in duobus hiſce naſcebatur differentia fructus? numquid idem Gentium Doctor erat qui utrique prædicabat; numquid ambo Gentiles erant, eidemque converſionis difficultati ſubjacebant? Nimirum *verbum ſapiens audivit luxurioſus, & diſplicebit illi.* Felix namque turpibus Druſillæ amoribus implicabatur, quæ ad eum in hoc laſcivo ac turpi amore conſtanter coercendum plus facere prævaluit, quam totus infernus adverſus Paulum Sergium efficere potuerit.

Paulus ſergium convertit, non vero Felicem laſcivum. — Act. 24. v. 25. — Eccl. 21. v. 18.

4. Imo ipſemet Salvator noſter expreſſe teſtatur, homines illis ſæculis in quibus voluptates carnales paſſim apud omnes omni ſoluto fræno prævalebant, viventes, numquam ad pœnitentiam revocandos eſſe, ſed ad ultimum uſque diem interitus ſui in carnalium voluptatum ſuarum turpi cœno eſſe perſeveraturos, licet etiam ipſemet Noë ipſius prædicaret, horrendaſque intentaret comminationes: *Sicut factum eſt in diebus Noë, edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, uſque in diem qua intravit Noë in arcam, & venit diluvium.* Unde D. Chryſoſtomus ait: *Vidiſti ſtupidas & ſenſu carentes animas? nihil eorum capiunt, quæ ſpiritus ſunt, nullis moventur monitis, perinde ac ſi rationis experies ſint.*

Laſcivi impœnitentes. — Luc. 17. v. 27. — D. Chryſ. Hom. 2. in Gen.

5. Pater Hieremias Drexelius refert, quod Sacerdos quidam omnem poſſibilem adhibuerit conatum, ut libidinoſum quemdam ad ſeriam induceret pœnitudinem ac reſipiſcentiam; & primo quidem blandis illum ac Charitatem ſpirantibus aggreſſus ſit admonitionibus, cumque ſe per haſce nihil ab hoc laſcivo homine obtinere poſſe cerneret, divinam illi propoſuerit juſtitiam peccati illius rigidiſſimam ultricem, demum vero illi proteſtatus ſic ſe illi è cœlo peccatorum veniam nequaquam promittere, aut ſacramentalem ei abſolutionem dare poſſe; unde infelix homo obmuteſcens, plangere, & poſt ſingultus reſpondere cœpit, dicens: Pater mi, licet inferni portas aperias, & dæmones ad me rapiendum in procinctu ſtantes viderem, attamen in prompta & proxima peccati illius committendi occaſione conſtitutus ab hocce peccato me continere nequaquam poſſem, licet certò & evidenter me ſubitò poſt commiſſum peccatum in ignem æternum præcipitandum eſſe ſcirem.

Drexel. in Salom. Hiſtoria.

6. Obſervaſtisne aliquando quidnam circa degenerem illum filium prodigum acciderit? De illo namque Evangeliſta Lucas quidem refert, quod auſu temerario ad Patrem ſuum dicere non erubuerit: *Pater da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit*: Verumtamen patrem ejus huic illius petitioni reluctatum fuiſſe, aut eum corripuiſſe, nuſquam invenietis, cum tamen paternus amor ab eo omnino poſcere debuiſſet, ut vel fundatam aliquam id petendi cauſam ab eo ſciſcitaretur, vel eum, ut ab hac temeritate deſiſteret, hortaretur, vel eum reprehenderet, vel denique paternis conatibus reſiſtentem penitus a ſe repelleret; ſed nihil horum feciſſe legitur; Cur ita? Verum quidem eſt & domus ſuæ & filij bono expediens fuiſſet, ſi Pater eum ab hac petitione continuanda deterruiſſet, verumtamen ex alia parte prudentiſſimus Pater filium ſuum turpibus amoribus deditum eſſe & conſequenter monitionibus, conſiliis, minis, & pœnis paternis nullum ab eo locum dandum eſſe prævidens, patris circa eum officium exercere noluit, ſciens ſe oleum & operam omnem in illo perditurum eſſe.

In laſcivis omnis admonitio infructuoſa. — Luc. 15. v. 12.

7. S. Cyprianus *de impudicitia* differens, eam vocat *Matrem impœnitentiæ, ruinam melioris ætatis.* Unum ex majoribus obſtaculis, unde S. Auguſtini impediebatur converſio, licet ad eam multos in ſe experiretur ſtimulos & calcaria, erat, quia ſe continenter vivere poſſe diffidebat: *Deſcendentem quaſi furtim vellicantes* (voluptates nimirum præteritæ) *ut reſpicerem retardabant, tamen me cunctantem abripere, atque excutere ab eis, cum diceret mihi conſuetudo violenta, putasne ſine iſtis poteris?*

S. Cypr. de bono Pudicit. — S. Aug. l. 8. Conf. c. 15. — De reſipiſcentia deſperans.

8. S. Ambroſius id quod experientia quotidiana veriſſimum eſſe docet, his verbis confirmat: *Plerique luxuriam corporis nec albenti erubuere canitie, & uſque ad ſenectutis ætatem vitam produxere maculoſam.* Unde S. Bonaventura luxurioſum corvo ſimilem eſſe dicit, qui hanc proprietatem habet quod fœtentibus beſtiarum cadaveribus & morticinis libenter inſideat; iiſque cum voluptate paſcatur: *Comparatur luxurioſus corvo, qui cadaveribus adhæſit; ſic facit luxurioſus, quia dimiſſa arca continentiæ & caſtitatis, adhæret cadaveribus, id eſt, delectationibus immundis.* Ad hæc quænam corvi vox eſt ſeu cantus? *Cras, cras*; Idem quoque eſt carnalium hominum loquendi modus, præcipue dum ad pœnitentiam invitantur, quam de die in diem differre ſolent: *Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* In quem textum Hugo Cardinalis inquit: *Ecce quot mala facit luxuria, ex quo enim ſpiritus fornicationis poſſedit cor, ſtatim recedit cogitatio Dei.* Qua igitur ratione poſſibile erit, ut cor hominis carnalis ad pœnitentiam reducatur, ſeque ad Deum convertat, quando eumdem minime cognoſcit? *Voluntas enim non fertur in incognitum.* Quisnam vero carnalis viri Deus eſt? Apoſtolus dicit: *Quorum Deus venter eſt.*

S. Ambroſ. in Pſal. 1. — Corvis ſimiles. — S. Bonav. in Dict. ſal. c. 9. — Oſeæ 5. v. 4. — Hugo Card. Ibid. — Dei obliviſcuntur. — Philip. 3. v. 19.



*eſt.* Sanctus Thomas de Villanova ait: *Avaros, ſuperbos, invidos, iracundos plures devotos invenies, & licet peccatores, tamen pij, & qui in Deum & ſanctos ejus piam & devotam habeant affectionem: Libidinoſus utique abſorptus eſt in libidinem, neque Deum, neque ſanctos reveretur & diligit, nulla in eo devotionis ſcintilla, nullum ſpiritualis amoris veſtigium.*

S. Thom. à Villanova. Conc. 1. de S. Ildephonſo. — Nec SS. diligunt.

9. Petrus Berchorius memorabile in ſuo Reductorio refert Curati cujusdam exemplum, qui licet animarum cura onuſtus eſſet, longo tamen tempore domi ſuæ laſcivam quamdam foverat & detinuerat mulierem; cumque morti vicinus exiſtens à quodam, ut ſcortum hoc è domo ſua dimitteret, moneretur, ſiquidem Medicorum judicio ultra triduum vivere non poſſet, is tale ab eo reſponſum retulit: Mulierem hanc toto vitæ meæ decurſu domi meæ habui, eamque mihi ſemper fidelem eſſe comperi, ac proinde Deum mihi maledicturum eſſe vereor, ſi eamdem hiſce mihi reſiduis ſolius tridui diebus ingratus dimiſero; vere igitur S. Joannes Damaſcenus ait: *Nonnullos novi, qui cum in juvenili ætate ad libidinem prolapſi eſſent, ad ipſam uſque canitiem mali conſuetudine deliniti in peccato perſtiterunt.* Sic de Eduardo III. Angliæ Rege ſcribitur, quod ne quidem in decrepita ſenectute & ultima infirmitate concubinam ſuam à ſe demittere voluerit: *Illa infanda meretrix Alicia Peeres, quæ cuncta quæ chariora ſunt medio tempore ſemper ſuggeſſit eidem, nihil omnino tractans aut tractari permittens de animæ ſuæ ſalute, ſed ei jugiter ſanitatem corporis promittens.*

Berchor. in Reduct. mor. Hiſtoriæ. — S. Joan. Damaſc. l. 3. Parall. c. 28. — Rayn. An. 1377.

10. Conſiderabilis eſt illa reſponſio, quam is qui ad cœnam magnam invitatus fuerat, ſubintulit: *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Per hanc namque cœnam haud immerito bonam quamdam & innocuam conſcientiam intelligere poſſumus, de qua Sapiens ait: *Secura mens quaſi juge convivium.* Per eum vero qui uxorem duxerat vir quilibet carnalis intelligendus venit. Unde Sanctus Bonaventura ait: *Hæc eſt concupiſcentia carnis, de qua Eccleſiaſtes: Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, dicitur uxor, propter vehementem libidinis adhæſionem.* Notandum verò, quod alij duo, qui pariter invitati fuerant, civiliter reſponderint: *Rogo te habe me excuſatum*: hic autem uxoratus aperto ore & inverecunda fronte dixit. *Non poſſum venire. Per quem*, ut Janſenius ait, *accipiuntur qui voluntati carnis operam dant*; Et merito quidem hoc modo reſpondit, ut huic myſticæ cœnæ accumbendi non tam difficultatem, quam impoſſibilitatem hoc ſuo reſponſo innueret: *Ut intelligamus nihil ita obruere animam, ut laſciviam carnis, quæ faſtidium, imo oblivionem parit rerum divinarum.*

Laſcivi contemnunt Divina. — Luc. 14. v. 20. — Prov. 15. v. 15. — S. Bonav. in Luc. — Luca. 14. v. 18. — Janſen. Conc. Evangel. c. 91.

11. Cardinalis Cajetanus circa hunc incivilem hominem aliam quamdam habet utiliſſimam conſiderationem, videlicet, quod invitatus iſte matrimonij vinculo adſtrictus fuerit, & conſequenter voluptates quibus potiebatur licitæ extiterint: *Carnalibus delectationibus, licitis tamen ſubjectus, non rogat iſte, ſed impotentiam veniendi pro ratione adfert, quia animus carnalibus delectationibus deditus, tam eſt à ratione alienus, ut non roget rationem ſui haberi, omnino elongatur à ſpiritualibus, hoc enim ſonat: Et ideo non poſſum venire.* Ut Oſeas inquit: *Spiritus fornicationum in medio eorum, & ideo Dominum non cognoverunt.* Unde mellifluus Bernardus ad Deum ſe vertens ait: *Scio, quoniam ſi mentem meam cogitatione immunda polluero, tibi qui munditiæ author es, placere non poſſum.* Quod ſi verò cœleſtibus accumbere nuptiis, aut cœleſti ſponſo placere non poteſt, quisquis cor ſuum cogitatione aut deſiderio immundo contaminaverit, quanto magis abinde repelletur & exterminabitur, qui cogitatione ſua una cum mente carnem quoque vel corpus ſuum prophanaverit. Unde Sanctus Bonaventura hanc parabolam exponens dicit: *Inter alios qui vocati fuerunt ad magnam cœnam, nec iverunt, ille qui uxorem duxit, non petijt ſe excuſatum haberi, per quod patere poteſt, quam longe ſint à cœna Dei luxurioſi homines, ut immundi, ſi ducere uxorem ita hominem implicat & involvit, quod quaſi nihil aliud cogitare poſſunt.* Sanctus Antonius de Padua quoque in quodam ſermone ſuper hoc Evangelium quærit: *Quare duo primi rogaverunt excuſationem, tertius verò non? Ad quod dicitur, quod voluptas carnis ita detinet hominem in delicijs, quod nec ad delicias æternas venire deſiderat, nec excuſari curat, & per hoc patet, quod Deum non diligat.*

Libido retinet ab æternis deliciis. — Cajet. ibid. — Oſe. 5. v. 4. — S. Bern. de inter. dom. c. 19. — S. Bonav. T. 7. in Bibl. paup. c. 9. — S. Anton. de Pad. in Dom. 2. poſt Trin.

12. David Rex ſequentem à Deo poſtulavit gratiam dicens: *De neceſſitatibus meis erue me*: quibus verbis, niſi fallor, de mala conſuetudine liberari poſtulabat, quam per adulterij peccatum aliquamdiu continuatum infeliciter contraxerat; Hanc enim in hoc peccati genere delinquendi conſuetudinem neceſſitatem appellabat.

Pſal. 24. v. 17. — Conſuetudo mala neceſſitat hominem.

13. Obſervat Laërtius, quod omnes Philoſophorum ſectæ ita ſe ad invicem habebant, quod ſectarij unius illa relicta facile ad aliam tranſire ſoliti fuerint, ſola excepta ſecta Epicuræorum, qui in carnis voluptatibus finem ſuum ultimum repoſitum habebant, hi enim ſectæ ſuæ adeo tenaciter adhærebant, ut vix eorum aliquis ad aliam ſectam tranſire conſueverit, idque ex ea præcipue ratione, quia carnis delectationes adeo tenaci viſco & compedibus pedes eorum irretiebant, ut illis ad aliam ſectam tranſitus quaſi impoſſibilis eſſe videretur. Unde Hugo Cardinalis hoc vitium *quaſi gluten* quoddam eſſe dicebat, pro cujus confirmatione verba illa Geneſ. 34. adducit quibus de Principe Sichem dicitur: *Conglutinata eſt anima ejus cum ea*, ac proinde dicit idem Hugo, carnalis homo cum Davide dicere poteſt: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia, id eſt, virtus exeundi.*

A libidine ad continentiam vix unus tranſit. — Hugo Card. Ibid. — Gen. 34. v. 3. — Pſal. 68. v. 3.

14. Et ideo ut innumerabilis quidam populus à Pharaonis compedibus efficaciter eximeretur, Deo ſufficere videbatur, ſi duo fratres Moyſes videlicet & Aaron mitterentur: at vero ut unicus Loth cum familia ſua, cæteroquin innocentes, ſed in Sodoma commorantes ab incendio Sodomæ ſalvarentur, duo Angeli plus nimium habebant quod ſuaderent, aut ad abeundum compellerent. Moyſes & Aaron ſufficiebant, ut obſtinatum illum & pertinacem Regem illum ad dandam Hebræorum populo abeundi licentiam permoverent: at vero ut Loth è Sodoma egrederetur, quavis etiam coactione adhibita vix ſufficiebant: *Diſſimulante illo, apprehenderunt manum ejus.*

Angeli Loth ad egreſſum Sodomæ coëgerunt. — Gen. 19. v. 16.

15. Ingenioſa eſt illa S. Hieronymi ponderatio, qua ſe ad pernitiem & damnum quod hoc vitium præ cunctis aliis homini conciliat, reflectens, dicit: *Cætera peccata poſt factum pœnitudinem habent, & licet invitent, tamen mordet conſcientia: voluptas ſola & libido, etiam in ipſo tempore pœnitendi, præteritos ſtimulos patitur, titillationem carnis & incentiva peccandi, ut per hæc quæ corrigi cupimus cogitando, rurſus ſit materia delinquendi.* Unde David lamentabatur dicens: *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* Eas namque voluptates quas ante triginta annos habitas memoria recolit, vis imaginativa vehemens animo repreſentat veluti præſentes, in iiſque appetitus ſenſitivus mire complacet. Cui accedit quod dæmon obſcæna phantaſmata ſubminiſtrare nitatur, adeo ut vel ipſe ſanctus David magnam in ſe expertus fuerit eadem abigendi & fugandi difficultatem, unde dicebat: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo*; Alia autem peccata cum tanta vehementia memoriæ, cordi, affectui, & amori noſtro adhæreſcunt.

Libidinis vehementia. — S. Hieron. l. 3. Ep. 147. ad Amand. — Pſal. 10. v. 5. — Pſ. 6. v. 7.

16. Quod ſi vero nonnumquam contingat, quod homo carnalis pœnitentiam agere incipiat, illa tamen ut plurimum inſtabilis eſſe conſpicitur, nec diu duratura. Audite quanam loquendi phraſi nobis Sanctus Petrus Apoſtolus adulteros deſcribere ſatagat: *Oculos*, inquit, *habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti, pellicientes animas inſtabiles*: In qua Apoſtoli ſententia ſpecialiter notanda ſunt ultima verba, quibus laſcivos in ſuis adulterijs fixos, ſtabiles & perſeverantes, in bonis propoſitis autem inſtabiles eſſe dicit, quia magna cum facilitate ad peccata ſemel deteſtata, redeunt; ſicut enim *cum immundus ſpiritus exierit de homine &c.* nullam immundus hic ſpiritus invenit requiem, donec revertatur unde digreſſus fuerat; ita quoque multis accidit, qui tametſi peccatum iſtud nonnumquam confeſſi fuerint, à voluptatum præteritarum memoria de novo ſtimulati non requieſcunt, donec in infamem domum denuo ingrediantur, quam antea propter pœnitentiam dimiſerant.

Hominem facit inſtabilem. — 2 Petr. 2. v. 14. — Luc. 11. v. 24.

17. Quando Salvator noſter adulteram illam, quam Phariſæi ab eo condemnari deſiderabant, coram ſe poſitam vidit: *ſe inclinans ſcribebat in terra.* Quidnam vero Dominus noſter ſcripſerit Evangeliſta non exprimit. Porro Deum olim ſupradictam non adulterandi legem digito ſuo in monte Sinai ſcripſiſſe, ex fide jam novimus quidem, ſed in tabulis lapideis ſcriptura iſta efformata fuit; nunc igitur

Libidinoſorum inconſtantiam Chriſtus monſtravit in terra ſcribens. — Joan. 8. v. 8.

iterata vice Characteres pulveri impreſſit; qui mierum eſt venti ludibrium. Hugo Cardinalis inquit: *Dicunt alij quod ſecundo ſcripſit pœnitentiam mulieris*: at vero dicite ſodes, quam ob rem Chriſtus ſcripturam hanc ſuam pulveri impreſſit? ad inſinuandum nimirum quam ſit labilis, inconſtans, & inſtabilis pœnitentia quæ fit ab hominibus carnalibus.

*Hugo Card. Ibid.*

*Ezech.16. v.3.*

18. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan*, inquit Ezechiel. Ubi Hugo Cardinalis ait: *Chanaan interpretatur commutatus, vel commutatio, & ſignificat inſtabiles*; radix autem quæ facit homines eſſe de terra Chanaan eſt luxuria, quæ facit hominem inſtabilem; De iſtis inſtabilibus dicitur Proverb.31. *Syndonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo, id eſt, mortificationem carnis & continentiam verbo & exemplo exhibuit homini inſtabili & luxurioſo.*

*Prov.31. v.24.*

19. In lib. 3. Reg. cap.21. legitur quod ſacrilegus ille Achab pœnitens *ſcidit veſtimenta ſua, operuit cilicio carnem ſuam, jejunavit, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite*; imo Deus ipſe tunc Eliæ dixit: *Nonne vidiſti coram me humiliatum Achab?* Et tamen in Capite ſequenti Achabum unicum dumtaxat in aula ſua Dei prophetam, eumque ipſi Achab exoſum & ab eo perſecutionibus infeſtatum, habuiſſe legimus; unde ad Joſaphat Regem ait: *Remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum ſed ego odi eum*; Eratque hic Michæas Propheta; At vero inquies fortaſſe, undenam hæc orta fuit mutatio? qua ratione adeo ſubito tergum Deo obvertere potuit? Verumtamen facilis & prompta eſt ad hoc quæſitum reſponſio, ſi conſideretis Achabum proximam ſibi habuiſſe Jezabelem laſcivam illam mulierem, hæc enim eſt quæ ſuis ipſum verborum lenociniis & illecebris totaliter pervertit.

*3.Reg.21. v.27.*

*Ibid.v.29.*

*3.Reg.22. v.8.*

Hiſtoria.

20. Sanctus Dominicus, ut in ejus vita legitur, famoſam quamdam convertit meretricem in urbe Florentina, *Benedictam* nomine, quæ poſtquam à viro Dei ſancto ad pœnitentiam perducta eſſet, ab eodem ſuppliciter petiit, ut ſuas pro ſalute animæ ipſius ad Deum ejuſque ſanctiſſimam matrem preces effunderet, ab iiſque id ei concedi peteret, quod ei futurum eſſe expedientius noſſet. Fuſa autem pro ipſa ad Deum oratione, multi in ejus corpus ſubito ingreſſi ſunt dæmones, qui acerbiſſimis eam doloribus cruciarunt, adeoque de illa dici potuit, quod de Magdalena: *De qua ſeptem dæmonia ejecerat*: At vero cur hi ſpiritus corpus illius ingreſſi fuere? nimirum eamdem ob cauſam, ob quam Sanctus Paulus de fornicatio illo ait: *Judicavi tradere hujuſmodi Satanæ, in interitum carnis*, ob majus illius bonum & efficacem illius emendationem, *ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri*: Interea vero S. Dominicus in Hiſpaniam abiit, indeque poſt annum Florentiam reverſus, cum ingentes quos tempore abſentis S. Dominici perpeſſa fuerat dolores intellexiſſet, compaſſione erga ipſam commotus, impoſita ei Roſarij quotidie per quadringenta quinquaginta Ave Maria recitandi obligatione, per Crucis ſignum ei impreſſum eam confeſtim à quadringentis quinquaginta ſpiritibus immundis liberavit; quam quidem obligationem ipſa aliquanto tempore adimplevit, paulo poſt tamen in vitam ſuam priſtinam denuo turpiter relapſa fuit; Qua de re ſanctus Patriarcha hic Romæ conſtitutus certior factus, Florentinam repetiit, poſtque ferventiſſimas ad Deum fuſas orationes, vitæ ejus efficacem emendationem & veram reſipiſcentiam ei obtinuit; verumtamen à dæmonibus denuo obſeſſa permanſit, ita tamen ut per ſancti hujus viri Dei viſiones, revelationes & interceſſiones, nec non ſpeciale beatiſſimæ Virginis patrocinium peccatorum ei remiſſionem impetrarit; Verumtamen rara admodum ſunt ejuſcemodi exempla.

*Marc.16. v.9.*

*1. Cor.5. v.5.*

## DISCURSUS XXI.

## ARGUMENTUM.

Incauta cum mulieribus converſatio mortifera eſt, & multorum malorum cauſa; Eſtque ſpeciale dæmonis inſtrumentum; ubi etiam quantum hic ſexus facere & obtinere prævaleat oſtenditur.

### THEMA.

*Mulier præparata ad capiendas animas.* Proverb. 7. Verſ. 10.

1. S. Antonius de Padua in ſermone quodam hujus textus Proverbiorum mentionem faciens, per mulierem hanc illaqueandis animabus intentam, luxuriam in genere intelligit: *Mulier, id eſt ſenſualitas, pretioſam animam viri rapit.* S. Nilus mulierem cum ſerpente comparat, ſicut enim hic cum poteſt, veneno ſuo nos inficit, ita quoque hic ſexus cum occaſionem habet, mortis venenum nobis inſtillat; *Par eſt ſerpentis & libidinis indulgentia, nam ut occaſionem invenerint, mortem ſtatim adferunt.* S. Auguſtinus laſcivum hominem generoſo cuidam athletæ aſſimilat, qui poſt illatam inimicis ſuis capitalem ſtragem & internecionem, poſtea captivæ mulieris amoribus inescatus ſemetipſum mortis condemnat. *Et illud quale eſt, quod aliquoties vir fortiſſimus procedens ad prælium, forte non minus decem inimicos occiderit, & ex ipſa victoria aliquam puellam de præda accipiens; dum cum illa per adulterium jungitur, anima ſua peccati gladio interficitur; Et videte quantum malum ſit, ut aliquis crudelior exiſtat in ſe, ſuam animam occidendo per luxuriam, magis quam per carnalem victoriam adverſariorum corpora trucidando.*

*S. Ant. de Pad. Fer.2. poſt Dom.4. Quadr.*

*S. Nilus de octo vitiiſ. cogit.*

Mulieres ſerpentibus ſimiles.

*S. Auguſt. ſer.143. de temp.*

2. Idem quoque ſanctus Doctor eidem vulnerum & mortis Analogiæ inſiſtens, in alio quodam ſermone eorum deſcribit ſtultitiam qui ætati ac tempori nimium confidentes, ita ſecum ſtatuunt, volo in hac ætate & occaſione indulgere libidini, poſtea vero oportunam facere pœnitentiam: *Sed dicet aliquis, inquit, Homo juvenis ſum, facio quod me delectat, & poſtea pœnitentiam ago; Hoc eſt dicere: percutio me gladio crudeli, & poſtea ad medicum vado, & neſcit quod in unius horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tempore ad ſanitatem priſtinam revocatur; qui enim adulterans dicit ſe poſtea pœnitentiam acturum, quare non timet, ne eum ſubitum periculum ſuperveniens rapiat, & pereat illi delectatio, & ſuccedat illi damnatio? Et de infelici libidine credendum eſt illud, quod Propheta dixit: Quomodo confractus eſt malleus univerſæ terræ?*

Stulta Libidinoſis imaginatio.

*S. Aug. ſer. 250. de temp.*

*Jer. 50. v.23.*

3. In Amos Propheta æternæ mortis ſententia carnalibus hominibus decernitur: *Qui ſeparati eſtis in diem malum... Qui dormitis in lectis eburneis*; Ubi S. Hieronymus ait: *Qui delicijs & luxuriæ vacant dormiunt in lectis eburneis, hoc eſt mortui animalis, & immundis adhærent oſſibus, & quia pulchra videntur vitia, & præſenti nitore delectant, ibi requieſcunt.*

*Amos 6. v.3.*

*S. Hieron.*

4. S. Joannes Damaſcenus de converſatione cum mulieribus dicit, quod ſit *Mortifera converſatio atque confabulatio.* S. Fulgentius decollationem Baptiſtæ ab Herode imperatam deteſtans, ita ſcribit: *Producitur laſciva carnifex fœmina, quæ Prophetam non gladio, ſed ſaltatione proſternat. Molli puella greſſu procedit in medium, homicidium petitura, & adultero placitura.*

*S. Ioan. Damaſc. L. Parall. c.76.*

*S. Fulg. ſer. in Decoll. S. Joann. Bapt.*

5. Labanus Maurus de S. Petro in nocte Paſſionis Chriſti in atrio Caiphæ commorante diſcurrens, quærens; Numquid in numeroſa illa ſummi ſacerdotis aula viri deerant, qui S. Petrum Redemptoris diſcipulum & ſequacem eſſe agnoſcerent, ut proinde ad hunc effectum ancilla quædam oſtiaria in medium prodire debuerit: *acceſſit ad eum una ancilla. Quid ſibi vult, quod prima eum prodit ancilla, cum viri utique eum magis potuerint cognoſcere?* Et ad propoſitum noſtrum ideo id factum eſſe reſpondet: *Ut iſte ſexus peccaſſe in necem Domini videretur, & iſte ſexus redimeretur per paſſionem Domini.*

*Raban. l.7. in Matth.*

Cur Petrum ancilla prodit.

*Matth.26. v.64.*

6. S. Hieronymus ad Oceanum *de vita Clericorum* ſcribens, eidem quantum mulieres Clericis cavendæ ſint, his verbis oſtendit: *Præcipue illud reor attentius tibi eſſe providendum, quia prima tentamenta ſunt Clericorum, mulierum frequentes exceſſus; iſte ſexus reprehenſibiles exhibet Clericos. Quid tibi revera cum fœminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro ruſtici, aratores, ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, ſi contra diſpoſitum ſidei cum fœminis habitare contendis, & quia, ut arbitror, concupiſces irreprehenſibilis inveniri, teſtimonio bono utere; Numquid in Choro Apoſtolorum fœminæ aſſuerunt? Prohibe tecum virgines morari etiam quæ de genere tuo ſunt.*

*S. Hieron. T.9. ad Oceanum.*

Clerici vitent mulieres.

7. Periculoſum eſt hujuſce ſexus conſortium: *Mulieris mortifera converſatio*; neque enim illius conſortium periculoſum eſt tantum quoad animam, verum etiam quoad corpus non caret periculo, ſiquidem quotidiana videmus experientia, quod à peccato carnis multæ infirmitates ſuam trahunt originem præterquam quod major inimicitiarum, rixarum, duellorum, homicidiorum, ſtragum pars ab amoribus derivetur furtivis.

Ob periculoſum conſortium.

8. S. Anaſtaſius Nicenus de muliere ita ſcribit: *Quid eſt mulier? cordis lancea. Sanctorum calumnia, quies ſerpentis, fornax ſuccenſa, os effrænatum, dux tenebrarum, magiſtra delictorum, veſtita vipera, domus tempeſtas, viri naufragium, immitis fera.* Origenes pariter in ejuſdem ſexus deteſtationem ita ſcribit: *Et ecce mulier, caput peccati, arma diaboli, expulſio Paradiſi, delicti mater, corruptio legis antiquæ.* Sanctus Macarius hæc omnia monachis ſuis, per ſimilitudinem ignis in medio ſtraminis poſiti demonſtrat, qui illud confeſtim ſuccendendo conſumit; *Ut enim ſi paleis immorcetur ignis excitat flammam, ſic memoria mulieris permanens ſuccendit concupiſcentiam.*

Mulierum definitio.





*S. Anaſtaſ. Nic. T.6. Bibl. vet. Part. l.9. c.62.*

*& omnis Orig. Hom.7. in Matth.*

*S. Macar. Ep. ad Monac.*

9. Unde inimicus noſter tartareus inter omnes has machinas, nullam habet ad expugnandum quodcumque quantumvis inexpugnabile fortalitium, fortiore aut ſecuriorem, quam ſit mulier. Et ideo S. Bonaventura mulieres *caſtra dæmonis* appellat, in quibus ſua ab eo vexilla figuntur: *Mulieres ſunt caſtra in quibus diabolus ponit vexilla; luxurioſus nimis appropinquat ad caſtra, ubi videt arma diaboli, quia non cavet.* Ad hæc vexillorum irritamenta unuſquiſque ultro citroque accurrit, licet ſe inde vulnerandum eſſe ſciat, eo quod inde conſequens mors multum ab unoquoque amatur: *Percutitur & jaculatur, tantum tactus eſt pulchritudine vexillorum.* Quemnam Creator noſter finem ſibi propoſitum habuit, quando mulierem produxit? Deus ipſe ad hoc reſpondet dum ait: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*: ut vero invidus ſerpens ſtygius inter virum & mulierem ſe medium poſuit, & amoris ac inordinatæ concupiſcentiæ venenum in ambos diſperſit. Unde Sanctus Cyprianus ait: *Fecit quidem viro Dominus mulierem adjutricem, ſed ſerpentis invidia perſonam aſſumpſit hoſtilem*, mox ſequens valde efficax ſubnectit argumentum: *Quod ſi illa, inquit, de viro ſuo nata, uſque hodie ipſum cui jungitur tentat, quanto magis illa quæ copulatur nulla lege conjuncta? Si illi qui duo ſunt in carne una concreti, tentationibus mutuis invicem pugnant, quid facient hi, qui in una carne nec juncti, nec nati ſunt?*

Mulieres caſtra ſunt dæmonis.

*S. Bonav. in Diat. ſal. T.1. c.9.*

*Gen.2. v.18.*

*S. Cypr. de diſciplina Cler.*

10. Quærit Sanctus Joannes Damaſcenus: *Quid eſt mulier?* moxque ſibi ipſi reſpondet: *cauſa diaboli*, quaſi diceret: Mulieres in cauſa ſunt cur mundus diaboli aliquam habeat notitiam, & cur diabolus nos tentare præſumat: *Requies ſerpentis, diaboli conſolatio*: Quæ ultima verba ſuo non vacant myſterio, vult enim Damaſcenus per illa nobis inſinuare, quod dæmon ſpecialem ex hoc ſexu capiat conſolationem; cum enim omne dæmonis gaudium in animabus hominum deprædandis & ſeducendis conſiſtat, mulieres ei velut retia & laquei ipſius oportunè inſerviunt: *Mulier præparata ad capiendas animas*: at vero haud ſecus ac ſi Damaſceno viſum fuiſſet, ſe parum nimis de mulieris malitia elocutum fuiſſe, de eadem muliere ulterius dicit, quod ſit *officina dæmonum*; Imo Tertullianus mulieri quoad malitiam ſupra dæmonem primatum attribuere velle videtur, dæmon enim Adamum ad prævaricandum tentare aut allicere non præſumpſit, quod tamen mulier efficaciſſime præſtitit; ac proinde his eam verbis alloquitur: *Tu es diaboli janua, tu es divinæ legis prima deſertrix, tu es quæ eum ſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit.*

*S. Ioan. Damaſc. Ibid.*

Diaboli retia ſunt mulieres.

*Prov.7. v.10.*

Officina.

*Tertull. de Hab. mul. c.21.*

Audaciores dæmone.

11. S. Joannes Damaſcenus in hiſtoria S. Joſaphat Regis refert, quod cum pater ejus omnia media ad filium ſuum à ſancta & orthodoxa fide avertendum in vanum adhibuiſſet, tandem Teudæ præceperit, ut ad conſequendum in Joſaphat filio ſuo deſideratum intentum, illecebroſas magno ſtudio quæreret mulieres ſpecioſiſſimis vultibus, moribuſque elegantiſſimis ornatas, filiumque in medium illarum collocaret, futurum fore ſibi promittens, ut per illarum converſationem & blanditias juvenis animus facile occuparetur; Et quidem ad faciendam huic conſilio majorem fidem, regius Pater ſequentem de Rege quodam recenſuit hiſtoriam; Cum enim Rex ille multis votis & ſuſpiriis deſideratum nactus eſſet filium; Medicique ex unanimi ſententia eidem prædixiſſent, filium hunc infallibiliter excæcandum fore, ſi intra duodecim annorum decurſum ſolem vel ignem conſpecturus eſſet, in ſpecu quadam ſubterranea conclave nitidum fabricari fecit, in eoque filium ſuum una cum nutricibus incluſit, effecitque ut toto illo annorum ſpatio ab omni eſſet lucis acceſſu bene cuſtoditus. Completis autem duodecim annis ipſum foras in apertam lucem prodire juſſit, quia in tota vita ſua nihil umquam ex omnibus rebus mundi hujus viderat, in vaſtam quamdam aulam ipſum introduci, *eique omnia juxta ſuum quodque genus exhiberi ac demonſtrari jubet, viros nimirum in uno loco, in alio fœminas, aliunde aurum, alia ex parte argentum, uniones, & lapides, exquiſiti pretij, veſtes opulentas & elegantes, currus inſigni pulchritudine cum regijs equis aureo fræno inſtructis, aulæiſque purpureis ac ſeſſoribus armatis; boum item armenta, & pecudum greges, atque ut ſummatim dicam, omnia certo ordine puero demonſtrabat. Percontanti autem ei quonam ſingulæ res nomine appellarentur, Regis ſatellites ac ſtipatores uniuſcujuſque rei nomen exponebant. Cum autem mulierum nomen ſcire cuperet, tum Regis armiger, lepide ac feſtive dæmones eas appellari, dixit, à quibus hominum mentes in errorem traherentur; Pueri autem pectus earum amore atque cupiditate vehementius, quam ullius alius rei deſiderio illectus, ac delinitus eſt. Cum igitur omnibus rebus peragratis ad Regem eum adduxiſſent, ac Rex ex ipſo, quidnam ex omnibus rebus, quas vidiſſet, ipſi magis arrideret, quæſiviſſet; Quid, inquit, aliud, quam dæmones illi qui homines in fraudem inducunt? Neque enim ullius rei ex his omnibus quas hodierno die vidi, perinde atque eorum amore animus meus incenſus eſt. Atque hunc pueri ſermonem Rex ille admiratus eſt, quamque violenta atque tyrannica res fœminarum eſſet, hinc indicavit.* Quia hiſtoria complete enarrata Teuda Regi patri Joſaphat, dixit: *Quocirca tu quo non ulla alia ratione quam iſta te filium tuum in poteſtatem redacturum putes*; Quare conſilium iſtud executus eſt, parumque abfuit, quin ſanctus juvenis mulieribus iſtis in prædam infeliciter ceſſiſſet, niſi Deus illi cælitus potens valdeque admirandum ſubmiſiſſet ſubſidium.

*S. Ioan Damaſcen. in Hiſt. Joſaphat. c.30.*

Hiſtoriæ probant.

12. *Mulier compta & pulchra*, inquit Sanctus Bonaventura, *cum ſuis ornamentis eſt gladius diaboli bene ſcindens & bene limatus, luxurioſus eſt tantum infatuatus & attentus circa pulchritudinem iſtius gladij, quod non curat fugere ictum inimici ſui.* B. Laurentius Juſtinianus de Sancto Petro Divinum magiſtrum ſuum negante ita ſcribit: *Nam ſenſualitas rationi, & caro ſpiritui dominata eſt, propterea negavit eum coram omnibus dicens: Mulier, non ſum: quo dicto exit foras ante atrium, & ſubito gallus cantavit; Et mulier quæ male ſuadendo Adam de Paradiſo expulit, Apoſtolorum Principem tentando de atrio ejecit. Sexus hic muliebris ſemper ſuſpectus eſt, illo frequentiſſime abutitur diabolus. Quantos robuſtiſſimos talis fœmineis proſtravit viros? quos ab initio ſæculi damnavit fraudibus mulierum? Non armatos advocavit milites, ut debellaret Apoſtolum: Unus muliérculæ lingua Chriſtianæ militiæ devicit ducem. Quid de membris inferioribus ſperare poterat Belial, quando Eccleſiæ principem ſic leviter ſuperavit?* Quod ſi igitur mulier lingua ſua tantum facere prævalet in rebus indifferentibus, quanto plus facere poterit, quando ad impudicitiam provocativa eſt non ſolum verbis, ſed etiam factorum blanditiis & illecebris?

*S. Bonav. Ibid.*

Mulier eſt gladius diaboli.

*B. Laur. Juſtin. de triumph. Chri. agone c.8.*

Quo multi corruerunt.

13. Conſiderabilia ſunt verba illa quibus Moyſes Deum introducit ob ruinas orbi condito per ſexum muliebrem illatas lamentantem, dum enim Divina ejus juſtitia vindictæ fulminibus ob armata univerſale quoddam diluvium toti humano generi immittere decreviſſet, dicit Sacer textus: *Tactus dolore cordis intrinſecus*; Sed numquid ſuffeciſſet dicere *dolore cordis* ut proinde addat, *intrinſecus*? Pagninus legit: *Doluit in corde ſuo*; Lipomanus vertit: *contriſtatus eſt in corde ſuo*; In Hebræo dictio quædam eſt, idem ſignificans, quod *contriſtari, anguſtiari, angi*; Et hoc quidem de Deo illo dicitur, qui vocatur: *Deus totius conſolationis*; de illo inquam qui eſt & in quo conſiſtit unicum Beatitudinis noſtræ gaudium: *Intra in gaudium Domini tui.*

Propter mulieres diluvium Deus miſit intrinſecè dolens.

*Gen.6. v.6.*

*2.Cor.1. v.3.*

*Matth.25. v.21.*

14. Sancta mater Eccleſia in Litaniis, poſtquam primo à Deo ab omni peccato & offenſa Dei in genere ſe liberari poſtulavit dicendo: *Ab omni malo, ab omni peccato libera nos Domine*, tandem à duobus præcipue peccatis in ſpecie liberari poſcit, utpote quæ majorem in humano corde tyrannidem exercent, Deoque, de quo ſcribitur: *Deus charitas eſt*, ſumme abominabilia exiſtunt, videlicet a peccato odij, & à peccato amoris inordinati: *Ab ira, & odio, & omni mala voluntate*; & poſtea immediate ſubjungit: *A ſpiritu fornicationis libera nos Domine.*

Ira Odium & laſcivia graviora ſunt peccata.

*1.Ioan.4. v.8.*

15. In prælio illo quod Hebræorum populum & Amalech interceſſit, præterquam quod milites Hebræi ſtrictis in hoſtem enſibus irruentes, eum pro viribus delere contenderent, Moyſes inſuper ſuas

Contra luxurioſis dupliciter pugnandum.

ad cœlum manus protendiſſe legitur; cum tamen in aliis præliis nuſquam arma ſpiritualia ſimul cum temporalibus adhibita fuiſſe conſtet; quonam igitur ſpectat hæc illius prælij ab aliis alibi habitis conflictibus hic relucens differentia? Cur ſpecialiter pugnantibus contra Amalech opus eſt armis non minus ſpiritualibus, quam temporalibus? S. Gregorius id optime explicat dicens: *Quid eſt autem, quod contra alios ſolis armis pugnabit Moyſes, contra Amalech vero non ſolis armis, ſed etiam virtute orationis? Profecto magnum certamen fornicationis oſtenditur, quod tanta virtute, tanta difficultate ſuperatur. Arma igitur exercitus, oratio intentiſſima neceſſaria eſt; arma quidem neceſſaria ſunt, quia qui contra fornicationem pugnare volunt, vincere nequeunt, ſi non cæteris virtutibus muniantur*; Quia ut bene D. Chryſoſtomus ponderat, caro implacabile, continuum, & ſine intermiſſione, quavis hora, imo quovis momento nobis bellum movet: *Virgo quocumque abierit, inimicum portat ad bellum, neque veſperi permittit reſpirare, non nocte, non diluculo, non meridie, ſed bellatur ſemper.*

*S. Greg. l. 6. c. 1. in 1. Reg. cap. 15.*
*D. Chryſ. Hom. 9. de Pœnit.*

16. S. Hieronymus ſuper illa verba Eccleſiaſtis: *Inveni amariorem morte mulierem*, ita de hoc fœmineo ſexu ſcribit: *Sed & hoc ait: Requiſivit anima mea an recta mulier inveniatur, & cum vix paucos de viris bonis invenerim, (ita de mille unum potuerim invenire) mulierem bonam omnino invenire non potui, omnes enim me ad luxuriam, & non ad virtutem deduxerunt, & quia appoſitum eſt cor hominum diligenter ad malitiam ab adoleſcentia ſua, & pene omnes offenderunt Deum, in hac ruina generis humani facilior ad caſum eſt mulier.*

Bona mulier Phœnice rarior. *Eccleſ. 7. v. 27. S. Hieron.*

17. Enimvero ſi quis eam quam ſexus fœmineus in cor humanum & virile exercet tyrannidem exactius ponderare voluerit, illam Exodi cap. 30. conſideret hiſtoriam; Cum enim Deus populum Hebræum ad diſcendum ex Ægypto paratum, argento & auro aliaque ſuppellectile Ægyptiorum pretioſiſſima locupletare decreviſſet, dixit eis: *Cum egrediemini non exhibitis vacui, ſed poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua vaſa argentea & aurea, ac veſtes, ponetisque ea ſuper filios, & filias veſtras & ſpoliabitis Ægyptum*; Id quod protinus, ut in cap. 11. legitur, executioni demandatum fuit; Sed quæro hic qua ratione poſſibile fuerit, quod Ægyptij ad exuendum ſe divitiis pretioſiſſimis, adeo faciles fuerint, ut eaſdem quoque populo in ſervitutem ipſorum redacto, iisque quam maxime inviſo, variisque hactenus perſecutionibus ab iiſdem & moleſtiis divexato, extradere non dubitarint, maxime quando communis de iis fama, nedum ſuſpicio circumvolitabat, eos in procinctu eſſe ut abirent, numquam denuo in Ægyptum reverſuri? Reſponſio in promptu eſt, & facilis, nimirum quia pretioſa quæque Ægyptiorum à mulieribus poſtulata fuere, quarum ſexus potens admodum eſt, ut obtinere & extorquere poſſit, quidquid eidem placuerit: *Poſtulabit mulier*; *Quod per mulieres perfectum eſt*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus: *Suſſurationi enim is ſexus eſt, & loquacitati aptiſſimus, & ad ſtruendas fraudes fallaciſſimus.*

Mulieres ſuis blanditiis omnia obtinent.
*Exod. 3. v. 21. Ibid. v. 22.*
*S. Cyrill. Alex. l. 2. de adorat.*

18. S. Iſidorus Peluſiota in Epiſtola ad Paulum presbyterum ſupra dicit: *Lectione didici Regem quemdam cum Epheſiam ſacerdotem, cujus incredibilis quædam ac ſingularis pulchritudo erat, conſpexiſſet, ſtatim ex Epheſina urbe digreſſum eſſe, illud videlicet metuentem, ne præter voluntatem nefarij aliquid admittere cogeretur; atque ita Perſarum Regem Cyrum, Pantheam, quæ admiranda quadam & incomparabili formæ elegantia eſſe ferebatur, ne videre quidem ſuſtinuiſſe*: Imo timenda nobis mulier eſt, non ſolum quando ſpecioſa eſt, verum etiam quando deformis eſt, omniſque pulchritudinis expers, nam ut Sanctus Cyprianus, vel quiſquis illius libri author eſt, ait: *Cupidini nulla deformitas, nulla deſpectio faſtidita, vel vilis exiſtit, ſed diabolus pingens ſpecioſum efficit, quidquid fœdum & horridum fuerit.*

*S. Iſid. Peluſ. l. 2. Ep. 62.* Omnes mulieres timendæ.
*S. Cypr. de Sing. Cler.*

## *DISCURSUS XXII.*

### ARGUMENTUM.

Quam debilior hic ſexus illecebroſus & periculoſus ſit oſtenditur, ſiquidem in ipſius conſortio etiam viri conſtantiſſimi periclitantur.

### THEMA.

*Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? ſic qui ingreditur ad mulierem.* Prov. 6. ℣. 27. & 28.

1. Enimvero quantum ex lubrico cum muliere habito conſortio tum animæ, tum corpori periculum immineat Sapiens Rex Salomon aptiori ſimilitudine indicare non poterat, quam ea quæ ab igne deſumitur: *Numquid poteſt homo, &c.* ubi S. Ambroſius ita ſcribit: *In ſtipulam ignis exiliens inhæret ac permanet, donec omne quod corripuit, abſumat: ita vel exigua ſcintilla peccati, ſi quo vitiorum fomite fuerit excitata incendium grande excitat.* Porro peccatum carnis, prouti in Diſcurſu 3. probavimus, ſimillimum eſt elemento ignis, ideoque in quocumque peccatum iſtud, imo vel unica tantum mali hujus ignis ſcintilla excitata fuerit, ad ingens non ſolum in anima, ſed etiam in corpore excitandum concupiſcentiæ incendium ſufficit.

Ex mulierum conſortio animæ periculum.
*S. Ambr. in Pſ. 1.*

2. Hugo Cardinalis per veſtes quæ flammam concipiunt, corporis noſtri membra intelligenda eſſe dicit: *Veſtimenta, id eſt, corpus quod eſt veſtis animæ*: ſicut igitur naturaliter impoſſibile eſt, quod ignis in veſtimenta incidens, eadem non accendat & comburat, eodem quoque modo corpus noſtrum, ipſamet experientia teſte, adeo eſt ad hunc appetitum concupiſcibilem & ſenſualem proclive, ut difficillimum ſit efficere, ut illud in præſentia objecti amati & concupiti non ardeat: quod ſi vero in certo aliquo caſu ſecus fiat, inquit Dionyſius Carthuſianus, miraculum eſt Hiſtoriis merito inſerendum.

Igni comparatur.
*Hug. Card. Ibid.*
*Dion. Carth.*

3. Igni marmora, ferrum, Chalybs & metalla quævis duriſſima facillime cedunt: ſic quoque huic vitio etiam illi perſæpe victas manus præbent, qui aliis temporibus in Dei amore, & divinæ legis obſervantia tenaciſſimi & conſtantiſſimi fuiſſe noſcuntur, Geneſ. c. 19. Sodoma ab ingenti ignis & ſulphuris incendio conflagraſſe legitur, poſtquam prius à pejore quodam & voraciori igne ſuccenſa fuiſſet, de quo Salvianus ita ſcribit: *flagitioſiſſimus ille populus Sodomæ illum ignem accenderat, quo peribat*; Neque ulla ratione mihi admirationem mereri videtur, quod Loth incendium iſtud evaſerit, hujus enim rei cauſa iidem Angeli ad illum deſcenderant, cum expreſſo juſſu Divino ne Sodomam accenderent, donec ille prius inde migraſſet; unde unus Angelorum illorum qui illum per manum ducebat ait: *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc*: hoc potius ſummopere mirandum venit, quomodo Loth tot annis ab igne concupiſcentiæ illæſus manere potuerit; cum Pſalmiſta dicat: *Cum perverſo perverteris*: & ſapiens: *Numquid poteſt homo abſcondere &c.* Facilis tamen & prompta ad hoc eſt reſponſio, ſi reflectere velimus ad cautelam, ad ſequeſtrationem, curam & circumſpectionem quacum in loco iſto dimorabatur; Etenim ubinam illum Angelos inveniſſe putas, cum Sodomam venerunt? *Venerunt duo Angeli*, inquit ſacer textus, *Sodomam veſpere, & ſedente Loth in foribus civitatis, qui cum vidiſſet eos, ſurrexit, & ivit obviam eis*; procul à pice ſe elongarat, ne contaminaretur ab eo: *ſedente Loth in foribus civitatis.* Manifeſtum quoque illibatæ continentiæ ejus indicium fuit, quod Angeli caſtitatem ſumme zelantes amici ejus fuerint, ſuamque in ejus domo præ cunctis aliis hoſpitium accipere voluerint. *Eſſe in urbe nolebat*, dicitur in Catena Græca, ideoque quamdiu ab horum carnalium hominum conſortio procul aberat, procul quoque ab eo periculum uſtionis erat, at vero ut ad domus ſuæ domeſticum ignem propinquius acceſſit, mox ab eodem faſcinatus (nam ut Eccleſiaſticus ait: *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt*) cum propriis filiabus ſuis inceſtum commiſit. Et quidem licet filias haſce in Sodoma ne vel minimo ignis illius fumo offuſcatas fuiſſe, multo minus illo Sodomæ luculento incendio exarſiſſe ſciamus, nihilominus poſtquam matre mortua ſolæ cum ſolo patre dimoratæ fuere, turpiter prævaricari non dubitarunt. Imo inceſtui temerariam quamdam junxerit jactantiam; id quod ſcriptor quidam ſuper illa verba Iſaiæ cap. 3. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt*, optime notat dicens: *Hauſit procul dubio major filia à Sodomitanis moribus pluſculum, ut quibus per quam familiare erat ſcelus adeo non obtegere, ut etiam jactantius prædicarent.* Tametſi enim nonnumquam contingat,

Facile hominem accendit libido.
*Salvian. l. 4. de Provident.*
*Gen. 19. v. 22.*
*Pſal. 17. v. 27.*
*Gen. 19. v.*
*Euſeb. in Cat.*
*Eccleſ. 19. v. 2.*
*Hamer. in Iſa. c. 3. Iſa. v. 9.*



quod quis dum libidinoſis converſando ad tempus aliquod continenter vivat, illa tamen mala viſu exempla imbibuntur, malumque illud ſemen adeo tenaciter imprimitur, ut poſtea ſuo tempore progerminare in malorum operum fructus conſpiciantur.

4. Quiſnam adeo futurus eſſet temerarius, qui ſibi, ſe prope viperam quamdam illæſum dormire poſſe, promittere auderet? Hac ſimilitudine S. Hieronymus de utiliſſima hac materia differens utitur, dum *De vitando ſuſpecto contubernio* ait: *Cur in ea verſaris domo in qua neceſſe habes aut perire, aut vincere? quis juxta viperam ſecurus dormit? quæ etſi non percutiat, certe ſollicitat.* P. Bollandus de ſancto quodam Eremita cui Sorus nomen erat, refert, quod certa quædam mulier quæ ante cellæ ipſius oſtiolum ſcopare ſolebat, frequentem ab eo Eleëmoſynam accipere conſueverit, quam tamen ipſe numquam conſpexerat, aut minimo verbo allocutus fuerat, verumtamen quia verebatur ne forte Cellam ingrediens aut ex eadem egrediens eidem obviaret ejuſque videndæ occaſionem acciperet, ſerio illi, ne deinceps ad cellæ ſuæ oſtium appropinquare præſumeret, præcepit; Quo audito mulier, ademptam ſibi conſuetam Eleëmoſynam eſſe videns, exaſperata obedire noluit; ſed importuno ante cellam Eremitæ excitato frequenti ſtrepitu conſuetum ab eo exegit Eleëmoſynæ ſtipendium; Sanctus vero Dei ſervus ingenti cum zelo omne fœminei ſexus periculum à ſe abigere & arcere, illiuſque mulieris petulantiam corrigere & caſtigare volens, ſputum è ſancto ore egerens oculo mulieris injecit: Quam Eremitæ generoſam actionem Deus approbare volens, effecit ut *ſtatim divino nutu cæca effecta ſit, domumque regreſſa cunctos ſuæ domus municipes ex una parte capitis, qua & ipſa erat, reperit cæcos, & ut fertur tam beſtiæ quam volucres in illa domo manentes hujuſmodi cautione uſque in hodiernum diem mulctatæ ſunt.*

Prope mulierem nemo ſecurus.
*S. Hieron. l. 4. Ep. 47.*
*Bolland. in vita S. Sori Eremit. 1. Febr. c. 4. n. 17.* Hiſtoria.

5. S. Apoſtolus ad Corinthios ait: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*; at vero quiſnam eſt ille theſaurus, qui in fragili iſto & fictili vaſe recluditur? Is certe alius eſſe nequit quam continentia quæ in corpore iſto, ſeu fragili carnis noſtræ luto & creta illæſa conſervatur, de quo theſauro Eccleſiaſticus teſtatur dicens: *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Quodnam vero nobis ad hunc theſaurum cuſtodiendum adhiberi debet remedium? Sanctus Gregorius inquit: *Maligni ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſident; Deprædari ergo deſiderat, qui theſaurum publice portat in via*: ac proinde opus eſt ut caute & circumſpecte procedamus. Quot enim ſunt qui ut carnem ſuam vincant, motuſque ſenſuales reprimant, ſeque à ſpiritus fornicationis ſuggeſtionibus eximant, cilicio ſe veſtiunt, diſciplinis ad ſanguinem uſque ſe cruentant, ab omni ſe humano commercio ſequeſtrant, corpus per jejunia, & abſtinentias macerant, & tamen intentum à ſe finem non niſi ſumma cum difficultate, imo ne vel ſic quidem aſſequuntur, qua igitur fronte is qui quotidie aſſiſtit conviviis, ludis, choreis, aliiſque ſimilibus ſe recreat oblectationibus promittere ſibi audebit, quod inter hæc omnia caſtus manſurus ſit & continens?

*2. Cor. 4. v. 7.* Continentia theſaurus eſt in vaſo fictili.
*Eccleſ. 26. v. 20.*
*S. Greg. Hom. 12. in Evang.* Inter convivia periclitatur.

6. D. Chryſoſtomus proinde ait: *Admirande vir, is affectus eſt his, qui lapidibus cohabitant, non hominibus, & tu quidem forte non credis ob magnam tuam continentiam; ego autem audivi multos dicentes, quod etiam multi apud lapides & ſtatuas aliquid paſſi ſunt. Quod ſi tantum valuit dura effigies, quantam operabitur inſaniam in effigie pulchra tenerum corpus?*

*D. Chryſ. ſer. cont. Concub.* Si ſtatuæ alliciant quomodo non ipſum corpus.

7. In prato ſpirituali ſententioſum quoddam legimus ſenioris cujuſdam Anachoretæ dictum, quo diſcipulos ſuos hunc in modum alloquitur: *Filioli, ſal ex aqua eſt, & ſi appropinquaverit aquæ continuo ſolvitur & deficit, ita vir ex muliere eſt, unde ſi familiari nimis converſatione ſe miſcuerint, facile in alterius laqueos trahuntur.* Metaphraſtes in vita S. Onuphrij & Paphnutij de Timotheo quodam refert, quòd dum in quodam Thebaidis monaſterio habitaret, ibidemque ad habendum in oratione arctiorem cum Deo unionem, auſteriſſimam & ſolitariam duceret vitam, inter cætera corporis exercitia effigiebus formandis dederit operam, ut ex conflata inde pecunia eleëmoſynam erogare poſſet; quem ut tortuoſus coluber deciperet, hunc adinvenit ei inſidiandi modum, quem ipſemet Monachus his verbis refert: *Cum ſubiiſſet mentem cujuſdam Monachæ memoria, quæ apud me fuerat, jubens parvum aliquod opus, effeci ut ea ad me rediret, quo facto eſt, ut libere inter nos locuti ſimus, ſimul quoque habitaverimus, & poſtremo quod graviſſimum eſt, iniquitatem pepererimus, & ſex menſes in peccato manſerimus.*

*Prat. ſpirit. c. 119.*
*Metaphr. in vit. S. Onuphrij.* Hiſtoria.

8. Poſtquam S. Anna Samuëlis mater hunc à Deo filium obtinuit, eumque tabernaculi cultui dedicavit, puer ille nuſquam pedem ſuum matris domui intuliſſe legitur; at vero, inquit S. Hieronymus, ſcitiſne cauſam cur ſanctus hic Propheta adeo à frequentanda matris domo abſtinens fuerit? nimirum ex quo hic filius à Deo deſtinatus fuerat ut Propheta fieret, nolebat ipſa ut in domo illa is commercium aliquod haberet, in qua ipſa aliam à Deo ſobolem ſuſpirabat: *Anna filium quem Deo voverat, poſtquam obtulit in tabernaculo, numquam amplius recepit, indecens arbitrata, ut futurus Propheta in ejus domo creſceret, quæ adhuc alios habere filios cupiebat.*

Deo oblatus Samuël numquam domum matris ingreſſus.
*S. Hieron. ad Latam Ep. 7.*

9. Audite quale B. Laurentius Juſtinianus præſcripſerit cuſtodiendæ pudicitiæ remedium; Dicit enim ad laſciviam evitandam nullum eſſe medium potentius, quam *Evitatio opportunitatis peccandi, ſcilicet perſonæ, loci, & temporis; ante ignem namque conſiſtens (etiam ſi frigidus ſit) aliquando diſſolvitur, ſæpe familiaritas implicavit, ſæpe occaſionem peccandi dedit, & quos voluptas non potuit in primordio, aſſiduitas poſtea ſuperavit.*

*B. Laur. Juſtin. in lig. vit. c. 5.* Remedium.

10. D. Chryſoſtomus ut nobis hanc muliebris conſortij fugam tanto efficacius perſuadeat, mentibuſque noſtris tenaciter imprimat, optima quædam noſtroque propoſito valdè conſentanea utitur ſimilitudine dum ait: *Nihil adeo contendendum & curandum eſt, quam ut juvenes caſti ſint & pudici, hæc enim maxime perturbatio illi ætati moleſtiam exhibet, & quod in lucernis agimus, hoc & erga liberos obſervemus. Certe ſæpènumero ancillam admonemus, quæ lucernam accendit, ne ſe in eum locum transferat, in quo ſtipula aut fœnum fuerit, aut aliquid ejuſmodi, ne forte nobis inſciis excidat ſcintilla, quæ materiam illam corripiens totam domum incendat: eamdem quoque ſolicitudinem erga liberos impendamus, ne vultus eorum illuc traducamus ubi laſcivæ ſunt famulæ, ubi luxurioſæ puellæ, ubi petulantes ancillæ, ſed jubeamus illis ac denuntiemus, ut neque in conſpectum, neque in ſermonis congreſſum cum juvenibus veniat, ne qua inde ſcintilla excidens totam pueruli animam incendat, & irreparabilem illi calamitatem importet.*

Mulieres fugere.
*D. Chryſ. T. 2. Hom. 2. de Anna.*

11. S. Joannes Damaſcenus de ſpiritu fornicationis differens per adductam infirmi alicujus ſimilitudinem oſtendere nobis nititur, neceſſarium nobis eſſe ad continentiæ cuſtodiam, ut quam procul fieri poteſt, omnem hujus vitij occaſionem & incentivum fugiamus; Dicit enim: *Sicut plerumque certa ægritudine laborantibus utile eſt, ut cibi noxij ne oculorum quidem ipſorum obtutibus offerantur, ne quod aſpectus occaſione deſiderium eis lethale gignatur: ita plurimum confert ad depellendum hunc ſpecialiter morbum quies ac ſolitudo, ut mens ægra minime diverſis figuris concupiſcentiæ fomitem radicitus poſſit eruere.*

Allicientem ſexum non aſpicere.
*S. Joan. Damaſc. l. 6. c. 2.*

12. Saluberrimum quoque eſt illud Eccleſiaſtici monitum dicentis: *In medio mulierum noli commorari de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Ubi Paulus de Palatio ait: *Ut naturale eſt oriri ex veſte tineam, ita ex fœmina viri concupiſcentiam, tibi nihil tale volenti naſcitur ex fœmina deſiderium.* Unde multi hac in re graviter errant, dum de voluntate ſua nimiam ſibi ſecuritatem promittunt & præſumunt; Dicunt enim tametſi in hoc vel illo periculo, in hac vel illa occaſione poſitus eſſem, certus ſum quod minime conſenſurus ſim: nec tamen conſiderant quod concupiſcentia carnalis naturaliter delectationem & complacentiam etiam cum violentia quadam ad ſe trahat, quodque impoſſibile ſit eſcam igni approximantem aliquod non concipere incendium; *Nihil tale volenti, imo repugnanti &c.* S. Gregorius ſuper illum textum: *Conſumentur velut à tinea*, ita ſcribit: *Tinea de veſte naſcitur & eamdem veſtem de qua oritur oriendo corrumpit. Quaſi quædam vero veſtis animæ caro eſt, ſed hæc nimirum veſtis habet tineam ſuam, quia ab ipſa carnalis tentatio oritur, ex qua lacerat, quaſi enim quadam ſua tinea veſtis noſtra conſumitur, cum caro corruptibilis tentationem gignit & per hanc ad interitum pervenit.*

*Eccleſ. 42. v. 12. & 13.*
*Paul. de Palat. Ibid.*
Præſumptio aliquorum.
*Job 4. v. 19.*
*S. Greg. l. 5. mor. c. 28.*

13. Poſtquam Eccleſiaſticus nos ad fugiendam mulierum converſationem hortatus fuiſſet, immediate ſubjungit: *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier bene faciens*, id eſt, ut Hugo Cardinalis exponit, ait:

Cohabitatio periculoſa.
*Eccleſ. 42. v. 14.*

Hugo Card. Ibid.

*ad cohabitandum, quaſi dicat: Melius eſt habitare cum viro iniquo, quam cum muliere bona & pulchra.* Alius quidam interpres hanc illius reddidit rationem: *Melius eſt*, inquit, *verſari cum homine iniquo, quam cum fœmina blanda, illius enim iniquitas te ejicit, & avocat à ſe: at hujus blandimenta trahunt & provocant ad ſe; iniquum virum omnes oderunt, blandam fœminam vix eſt qui non amet.*

Paul. de Palat. Ibid.

Non cognoſcere familiarem nimis miraculum. S. Bern. ſer. 65. in Cant.

14. S. Bernardus hanc propoſitionem confirmans majus miraculum eſſe dicit, cum muliere aliqua familiariter & ſemper convivere, nec tamen illam umquam carnaliter cognoſcere, quam ſit mortuum ad vitam revocare: *Cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare?* Unde ſubdit; *Quod minus eſt non potes, & quod majus eſt, vis credam tibi; quotidie latus tuum ad latus juvenculæ eſt in menſa, lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus illius in opere, & continens vis putari?*

Ælian. l. 2. var. c. 45. Mulierum robur.

15. Ælianus Milonem Crotoniatam invictæ fortitudinis fuiſſe refert: *Nemo adverſariorum malum, quod in manu tenebat, erigere potuit, amaſia ejus nullo negotio eximebat.* Samſon quoque robuſtus & inſuperabilis erat, ſed quamdiu intra Dalilæ manus & ſinum non quieſcebat.

Gen. 6. v. 2. Si Angeli eſſent corporei periclitarentur. Haya ibid.

16. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores.* Vatablus legit: *Conſideraverunt:* Aquila vertit: *Filij Deorum filias hominum.* Verſio quædam antiqua à moderno quodam interprete citata legit: *Videntes Angeli Dei.* Verus autem textus hujus ſenſus eſt, quod filij Seth, Deum cæteroquin timentes & vitam in carne humana ducentes angelicam, poſtquam in mulieres ex progenie Caini deſcendentes ſuos defixiſſent oculos, cum iiſque familiariter converſati fuiſſent, tametſi ab earum matrimoniis lege prohiberentur, illas tamen amarunt, ſibique in uxores acceperunt. Verumtamen idem Haye authoritatem quamdam citat S. Juſtini Martyris in priori Apologia pro Chriſtianis, qui de Angelis ex Dei providentia ad mundi gubernationem deſtinatis ita ſcribit: *Victi fœminarum amore ſuſceperunt progeniem;* citat inſuper authoritatem quamdam Clementis Alexandrini, lib. 3. ſtromatum dicentis: *Cum vero Angeli quoque fuiſſent incontinentes, victi cupidite huc è cœlo deſcenderunt.* Enimvero tametſi hæ opiniones cum veriori & ſaniori doctrina minime conſentiant, eò quod Angeli incorporei hujus culpæ incapaces eſſe nemo dubitet; attamen nobis inſinuant quantam delectationes carnales, & illecebroſus ille ſexus tyrannidem in ſe contineat, quando viri ſanctiſſimi & doctiſſimi in ea fuerunt opinione, quod etiam Angeli inter libidinis incentiva poſiti, tetro hoc libidinis igne adurendi eſſent, deque continentia periclitarentur.

## *DISCURSUS XXIII.*

### ARGUMENTUM.

Quam periculoſa ſit viri cum mulieribus frequens converſatio, per exemplum Adæ ab Eva ad prævaricandam pomi vetiti legem inducti oſtenditur.

### THEMA.

*Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo qui comedit.* Geneſ. cap. 3. ℣. 6.

Eva Adamum ſeduxit. Timoth. 2. v. 14.

1. S. Apoſtolus in Epiſtola prima ad Timotheum dicit: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit:* Etenim cum à ſerpente ſe ſeduci permiſit, fallacibus ejus credendo promiſſionibus, ſeque per pomi vetiti manducationem ſcientiam & ſimilitudinem divinam ſibi comparaturam eſſe ſperans: Adam vero talo ſibi mendacium perſuaderi non permiſit: *Adam non eſt ſeductus*; at vero cur igitur interdictum altiſſimi tanta cum facilitate prævaricatus fuit, quando ſe indignationem Dei incurſurum, amiſſurum omnes Cœli ineſtimabiles theſauros, atque à Paradiſo terreſtri pariter & cœleſti exulem ſe futurum eſſe non ignorabat? Celebris eſt illa S. Auguſtini reſponſio, ſcilicet idipſum feciſſe ut Evam ſuam non contriſtaret; Ecce igitur quam ſit ſexus iſte ad proſternendas quoque ſolidiſſimas firmamenti columnas omnipotens & validus: *Deditque viro ſuo, qui comedit.* Unde S. Bonaventura ex authoritate S. Hieronymi dicit: *Si mulier potuit vincere eum, qui jam erat in Paradiſo, non eſt mirum, ſi eos impediat, qui nondum ad Paradiſum pervenerunt.*

Gen. 3. v. 6.

S. Bonav. de mod. Conſit. c. 14.

Conſortium periculoſum. Gen. 2. v. 2.

2. Porro ſupremus ille artifex poſtquam mulierem ex coſta viri formavit, *in locum coſtæ*, ut ſacer textus inquit, *replevit carnem pro ea*; ſed cur non potius locum hunc coſtæ in corpore viri vacuum reliquit? aut vero numquid in locum exceptæ coſtæ aliam ſimilem de novo producere poterat? cur ſitum illum igitur carne tenera & molli adimplere voluit? *Omnia in figura contingebant*; Voluit igitur Deus ut per hoc quilibet homo ab ipſis naturæ humanæ primis crepundiis certum eſſe intelligeret, quod per hujus debilis ſexus conſortium, omnes ad reſiſtendum illecebris ejus vires, omnis vigor & virtus in homine protinus amittatur.

Unde hominis fragilitas.

3. Pſalmiſta in Pſal. 138. humanam fragilitatem ad transgreſſiones nimis labilem & facilem deplorans, ad Adamum protoparentem noſtrum alludit, qui poſt commiſſum peccatum ſe ab oculis Dei fruſtraneo licet conatu abſcondere contendit ideoque dicit: *Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto*; at vero quodnam in hiſce verbis ad divinam juſtitiam mitigandam continetur motivum? S. Iſidorus Peluſiota in Epiſtola quadam ad Dydimum, hæc verba conſiderans ait: *Trangreſſionis primi parentis cauſam magnus ille David in Pſalterio canens, atque ad eam condonandam facilem ac placidum Dominum reddens, & inevitabilem Dei cognitionem eſſe ſignificavit, & Adami poſt lapſum candorem animique probitatem declaravit, his verbis utens: Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, perinde ac ſi diceret: Non te fugit uxoris meæ lapſus, quam ex oſſe meo, cum me ſomno gravi oppreſſiſſes, occulte condidiſti?* quaſi Adamum excuſando dicere vellet: Lubricitas mulieres illius, quam lateri meo junxiſti, omnem mihi enervavit vigorem, atque ideo compaſſione dignus ſum: *Imperfectum meum viderunt, oculi tui;* Etenim coſtam ſolidam & fortem eripuiſti mihi, & in locum ejus carnem mollem, teneram, fragilem, & lubricam collocaſti, & ideo latere te non poteſt imbecillitas & fragilitas mea. *Tu ſcis figmentum meum. Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.*

Pſal 138. v. 15.

S. Iſid. Peluſ. l. 1. Ep. 330.

Pſal. 102. v. 14.

Pſal. 102. v. 14.

Gen. 3. v. 12.

Cur Adam non tentatus à ſerpente.

4. Quod ſi curioſius inquiras, cur aſtutiſſimus Lucifer non Adamum, ſed Evam tentando aggreſſus fuerit, maxime cum totius humani generis ruina, non ab hac, ſed ab illo dependeret. Reſpondeo id illum feciſſe, quia ſciebat quod Adamum difficillime ſeducere poſſet, tametſi etiam totius Inferni vires contra ipſum laxaſſet, ſubito tamen ut mulierem ex ejus coſta formatam, eidem in ſociam à Deo datam fuiſſe vidit, ſecuram ſibi promiſit victoriam, quia vulnus minime caſſum ei ſe infligere poſſe conſpexit: at vero ſi pari cum curioſitate inquiras qua ratione fieri potuerit, quod mulier illa ſe ab horrido quodam animali, quale ſerpens eſt ſeduci permiſerit? Sciendum tibi eſſe dico, ſerpentem illum ex probatorum expoſitorum ſententia fœminei ſeu virginalis vultus ſibi aſſumpſiſſe ſpeciem: Etenim Abulenſis dicit: *quia ſciebat virum prudentiorem & conſtantiorem eſſe, timens ne ejus primus conatus incaſſum eſſet, fœminam primo aggreſſus eſt*, citatque Authorem Hiſtoriæ ſcholaſticæ, qui aſſerit, *quod ille ſerpens habuit vultum virgineum, ut magis Evæ complaceret*: adeoque hujus aſſerti veritate ſuppoſita, mulier de primo ad ultimum, omnis mali etiam apud Evam perpetrari inſtrumentum fuit, licet ſub fictæ mulieris larva perſonata. Cæteroquin S. Auguſtinus de Adamo ſcribit: *Hoc mirum, ſi homo ſpirituali mente præditus credere potuiſſet.* Impoſſibile enim erat, quod Adamus per intelligentiam perfectiſſimam, quâ præditus erat, perſuaderi potuiſſet, ut ſe pomum aliquod dentibus maſticando, Deo ſimilem, ſeu parem fieri poſſe crederet; ſed quid accidit? *An quia hoc credere ipſe non poſſet, propterea mulier addita eſt, quæ parvi intellectus eſſet, & adhuc fortaſſè ſecundùm ſenſum carnis, non ſecundùm ſpiritum mentis viveret.*

Abulenſis.

S. Aug. T. 3. l. 11. de Gen ad lit. c. 42.

5. S. Ambroſius dum illa Pſalmi verba explicans: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*, declarare vult qua ratione præceptum illud Evangelicum intelligendum ſit, quo Chriſtum ſequi volentes Patrem & matrem odio habere jubentur, ita in perſona Chriſti ſcribit: *Non neceſſitudinum inteſtina bella mandavi, ſed illecebram ſuſpectam habui. An non jure ſuſpectam, cum ſerpens ille callidus & aſtutus ad conſtruendas nequitiæ ſuæ artes, quo incorruptæ ac rudis naturæ dote fundatum primogeniti Adæ labefactaret affectum, fœmineis magis illecebris, quam ſuis commiſit venenum? Itaque fœmina virum, quem ſerpens tentare non eſt auſus, cibo oris & vi amoris inflexum, molli quadam conciliatricula uxoriæ ſedulitatis affectione traduxit.* Imo idem ſanctus Præſul his aliam quamdam ingenioſam obſervationem adjungit, conſiderans quod Adam tunc cum ab Eva tentabatur, minus habuerit ei complacendi motivum, quia *adhuc Eva liberos non habebat, quorum gratia uti dulcis ad amorem, ita eſſet facilis ad lapſum.*

Pſal. 118. v. 113. S. Ambr. in Pſalm. 118. oct. 15. Vis amoris in Evam Adamum proſtravit.



Rup. Abb. l. 4. in Eccl. In periculis & nos verſamur.

6. Rupertus Abbas Tuitienſis hanc ponit interrogationem: *Quis amaritudinem non guſtavit mulieris? Evam diabolus ſeduxit in Paradiſo, atque per eam protoplaſtus expulſus eſt.* Quod ſi protoparentes noſtri hoc in Paradiſo non ſuſtinuerunt periculum, ubi tot ſuſtentabantur aſſiſtentiæ Dei ſpecialis, gratiæque & amicitiæ ejus auxiliis, quis noſtrûm huic ſexui fidere poterit, qui illis tam præclaris ſubſidiis caremus, & in mediis periculis illius poſiti ſumus, qui *circuit quærens quem devoret*, qui concupiſcentiæ carnalis flammas tentationum ſuarum flabello in nobis continuo adauget?

1 Petr. 5. v. 8.

Voluptas de paradiſo ejecit. S. Ambro. l. 3. Ep. 25.

7. S. Ambroſius voluptatum deteſtationem nobis imprimere volens, primorum parentum noſtrorum Exemplo oſtendit quod voluptates nos expellant ex Paradiſo: *Serpentis inſidijs atque illecebris infuſam Adæ atque Evæ voluptatem docet ſcriptura, ſiquidem ipſe ſerpens voluptas ſit, & ideo variæ ac lubricæ & velut veneno quodam corruptelarum infectæ paſſiones voluptates ſint. Appetentia voluptatis conſtat deceptum Adam excidiſſè mandato Dei & fructu gratiæ, quomodo igitur voluptas ad Paradiſum revocare nos poteſt, quæ ſola nos Paradiſo exuit.*

S. Bern. ſer. 26. in parvis. Mulierum amor major quam Dei. Gen. 3. v. 17.

8. S. Bernardus nobis indicat, quale fuerit Adæ in illo eidem per pomum intentato certamine periculum: Peccavit nimis inquit, diligendo uxorem, non quia ejus voluntatem fecit, ſed quia eam voluntati prætulit divinæ; unde & à Domino ei dictum eſt; *Quia obediſti voci uxoris tuæ plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo &c.* Tantum igitur amor carnalis in pectore humano facere prævalet, ut ad complacendum mulieri, quæ amatur, ut amori Dei, & omni legi ipſius renuntiet, adeoque voluntatem objecti amati adimplendo in Idololatriam corruat; Unde S. Ambroſius ait: *Per virum & mulierem caro ejecta eſt de Paradiſo*, quæ eadem propoſitio de pluribus verificatur, nimirum quod per mulieres de Paradiſo eliminentur.

S. Ambroſ. l. 3. Ep. 25.

Cur Eva inſtrumentum præcipitij. Gen. 2. v. 18. S. Anaſtaſ. Sinait. l. 9. in Hexam.

9. Conſiderari hoc loco meretur varia illa & diverſimoda ſacrorum interpretum verborum illorum Geneſeos expoſitio, quæ Deus mulierem producturus dixiſſe legitur, nimirum: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Anaſtaſius Sinaita enim exiſtimat, Deum in hiſce verbis alludere ad figuratum, id eſt, ad unionem, quæ inter Chriſtum & Eccleſiam facienda erat. S. Auguſtinus inquit: *Si quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, ſicut adjutorium ſemini terra eſt.* S. Ambroſius verò ſe intelligere aut capere non poſſe profitetur, qua ratione epithetum iſtud mulieri dari poſſit, ut dicatur *adjutorium*, ſiquidem ipſa hominem potius juvat & promovet ad lapſum: *Si viro culpæ eſt authrix mulier, quemadmodum pro bono videtur adjecta?* Quis enim non videt mulierem viro ut plurimum inſtrumentum eſſe ad præcipitium? Verumtamen auſcultetis velim qualiter Cajetanus hunc textum ex Hebræo vertat: *Faciam ei auxilium contra ipſum*; cui conſonat Aquila, qui ita legit: *Faciamus ei adjutorium ex adverſo ejus.* Verum dicat hic non immerito quiſpiam: Ex quo Creator noſter homini adeo bene affectus erat, ut illum propriis manibus plaſmare, ſuoque ſpiritu & flatu oris ſui vivificare dignatus fuerit, quomodo eſt poſſibile, quod ejus lateri Evam jungere voluerit, tamquam offendiculum ad lapſum. Pro cujus difficultatis enodatione notandum quod quando Deus dixit: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* locutus fuerit in ſtatu innocentiæ, quando homo juſtitiæ originalis pretioſa chlamyde etiamnum indutus erat: at vero quando idem homo affectum ſuum ex propria culpa diſordinavit, Creaturam plus amando quam creatorem, ex tunc in hujus culpæ pœnam & ſupplicium ei impoſuit, ut mulier non ſolum ipſi ſed & univerſæ progeniei ipſius inſtrumentum eſſet præcipitij: *Quomodo illa adjutrix* inquit etiam D. Chryſoſtomus: *quæ tanta virum tranquillitate privavit? quæ de admirabili illo Paradiſi ſtatu deturbavit, & in hujus vitæ perturbationem impulit? quomodo adjutrix quæ virum morti ſubjecit?*

S. Aug. in Cat. Lipom.

S. Ambroſ. ibid. cit.

Gen 2. v. 18.

Cajet. ibid.

Gen. 2. v. 18.

D. Chryſ. l. de Virg. n. 46.

Dæmon uxorem Job reliquit ut vinceret.

10. Lucifer poſtquam obtenta à Deo Jobum impugnandi licentia; univerſum Infernum in ejus excitaſſet, laxaſſetque pernitiem; vidiſſetque omnes ſuos conatus, caſſos eſſe & irritos pro ultimo in ipſum vibrando telo ſibi reſervavit mulierem ſive uxorem ejus; ſiquidem frequenti experientia hunc ſexum propoſito ſuo efficaciſſime deſerviviſſe didicerat; & certe parum abfuit, quin Jobo blaſphemiam ejus audienti ſuam diripuiſſet & proſtraſſet patientiam, qua ſola hactenus contra diabolum victor evaſerat: At vero noteris velim quid Sanctus Bonaventura citans S. Auguſtinum *lib. de patientia cap. 16.* hac de re ſcribat; *Non diabolus*, inquit, *uxorem Job, cum etiam filios abſtuliſſet, tamquam nocendi imperitus reliquerat, quæ tantum eſſet neceſſaria tentatori, jam in Eva didicerat, ſed modo alterum Adam, quem per mulierem caperet, non invenerat, cautior fuit Job in doloribus, quam Adam in nemoribus.*

S. Bonav. l. 6. Phar. c. 8.

Ubi mulier ibi dæmon victor. S. Ambr. ſer. 39.

11. Notat S. Ambroſius eumdem quidem Luciferum cum utroque Adamo, primo ſcilicet & ſecundo, ſingulari certamine fuiſſe congreſſum, verumtamen cum hoc ſequenti diſcrimine: *Videte*, inquit, *rem miram; In Paradiſo cum Adam diabolus decertat: in deſerto cum Chriſto diabolus dimicat; ubicumque inſidiatur homini, ubique congreditur, ſed ubi mulierem invenit, vincit.* Quod ſi illum per Jobi mulierem nihil contra eumdem profeciſſe dixeris; reſpondeo id mirum non eſſe, quia hæc Jobum oſtendit ſedentem in ſterquilinio *à planta pedis uſque ad verticem, non erat in eo ſanitas*; Contra ipſum per mulierem exploſa baliſta patientiæ ipſius vallum rumpere aut diſſipare non potuit quia carnem ſuam vermibus plenam eſſe agnovit: *Putredini dixi Pater meus es, & mater mea, & ſoror mea vermibus.*

Job in ſterquilinio vicit.

Job 2. v. 7.

Job 17. v. 14.

Eva ſerpens interpretatur.

12. S. Epiphanius hanc circa Evam habet obſervationem: *Eva citra aſpirationem Hebræis mulierem, cum aſpiratione ſerpentem ſignificat*, quia ſi Evæ nomen ſine aſpiratione, id eſt ſine H. exprimamus, nomen ejus idem ſonat quod *mulier*, ſi autem literam H. adjungamus ſignificat *ſerpentem*; Nec immerito, hujus namque diverſæ ſignificationis myſterium in eo, ni fallor, conſiſtit, ut per hanc innuatur nobis mulierem velut ſerpentem fugiendam eſſe, hoc enim nomine mulier à pluribus graviſſimis authoribus appellatur, uti in Diſcurſu XXI. diximus, ac proinde cum eodem horrore quo cum ſerpente familiariter agere exhorreſcimus, nobis quoque converſandum eſt cum mulieribus. Porro hoſtis noſter tartareus in ſerpentem ſe transformavit, non tam ut terreret, ſed ut Evæ lenocinaretur, ſiquidem ſerpens venenoſus non erat; cum pari quoque cautela nobis ab hoc ſexu cavere debemus, cogitantes quod hic per ſuas illecebras bellum nobis intentet, mortiferumque peccati venenum nobis infundat.

Rup. Abb. l. 3. in Gen. c. 19. Libido venenum occultat.

13. Rupertus Abbas Tuit. ait: *Conſtat autem quod ſubdolus diabolus in ſerpente mulieri non tamquam armatus adverſarius occurrit, ſed tamquam ſidus conſiliarius lateri ejus in via ſeſe adjunxit.* Serpens namque ſe Evæ in bonum ejus cooperari velle ſimulans eamdem ſeduxit, ipſa verò ut conjugem ſuum bonorum à ſerpente ſibi per hujus pomi eſum promiſſorum participem faceret, pomum illi porrexit, quod Adam, *ne contriſtaret delicias ſuas*, accepit & comedit, adeoque ambo per eſcam boni apparentis, iram & indignationem Dei tum ſibi tum poſteris ſuis graviſſimam conciliarunt, ita quoque in carnis voluptatibus accidere ſolet, ſub eſca namque delectationis quæ placet & arridet, venenum occultatur quod mortem infert.

S. Ephr. T. 2. c. 2. in paran. Parabola.

14. S. Ephrem hiſtoriam quamdam refert de duobus, qui ad civitatem quamdam triginta ſtadiis diſtantem properantes, poſtquam trium ſtadiorum iter confeciſſent, ad delicioſum quemdam & amænum pervenere locum, ubi limpidiſſimos aquæ naturaliter ſcaturientis latices aliaſque ſimiles invenerunt delicias, nec tamen inter hæc oblectamenta ambo ejuſdem erant ſententiæ, unus enim iter ſuum ulterius proſequi, alter vero ibidem ſubſiſtere decreverat; cumque primus poſt aliquantulam moram ibi habitam inde diſcedere pararet, ex ſuavi fagorum nemoris illius umbra egreſſus, ſolis vehementem ardorem metuens, retrorſum reverti cum ſtatuiſſet, ex oppoſito ſui feram quamdam egredientem ſibique occurrentem conſpexit, quæ ipſum quantumvis obnitentem & reluctantem in ſpeluncam ſuam violenter protraxit: alter verò ſanus & incolumis ad præfixum & deſideratum à ſe terminum

feliciter

feliciter pervenit. Tandem S. Ephrem, ut parabolæ hujus explicationem ederet, rogatus, reſpondit: Per duos hoſce viatores illos præfigurari, qui ſe ſpiritualis vitæ devotioni addicere volentes, bonis quidem principiis propoſitum ſuum exequuntur, quos tamen antiqui ſerpentis aſtutia à bene cœptis divertere nititur; at vero quonam ſpeciali modo id facere conſuevit? *Inſtar ſævientis feræ peccatum egrediens apprehendit eum, ſicut ſcriptum eſt*; Quodnam vero eſt peccatum iſtud, ſeu fera illa? voluptas carnalis, *Nam concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero, cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Et S. Baſilius pariter dicit: *Voluptas eſt veluti quidam hamus diaboli, ad pernitiem nos trahens; Voluptas mater eſt, peccatum autem ſtimulus mortis eſt.* S. Cyrillus Alexandrinus de dæmone ita ſcribit: *Cum invidiæ & peccati eſſet inventor, non ſibi ceſſandum putavit, quo minus circa terrenum animal, id eſt, hominem, aliquid experiretur, tum dolo & artibus eum aggreſſus ad inobedientiam eum protraxit.* Dum vero huic prædæ capiendæ inſidias pararet, in hamum vel laqueum ſuum varia eſcarum genera immittere poterat; ſed quanam ſpecialiſſime tamquam ad intentum ſuum aſſequendum efficaciori uſus eſt, ad hominem deprædandum? *Muliere*, inquit præfatus S. Cyrillus, *pro inſtrumento ſuæ calliditatis uſus eſt.* S. Auguſtinus pariter ait: *Tamquam inſtrumentum abutens fallaciæ, ſermocinatus eſt fœminæ.*

*Jacob. 1. v. 15.*
*S. Baſil. Orat. 4. de Pœnit.*
*S. Cyrill. Alex. l. de Adorat.*
*S. Aug. l. 14. de Civ. c. 11.*
*B. Franc. Saleſ. prax. ſpirit. p. 1. c. 7.*

15. B. Franciſcus Saleſius ut nos faciat apprehendere periculum, in quod incidimus, quando cum hoc mulierum ſexu familiariter converſamur, id quod Evæ accidiſſe ſcriptura refert, in medium adducit, adhibita tamen ſimilitudine infirmi cujuſdam, cui medicus v. g. melonem vel alios fructus expreſſe prohibuit; verumtamen tantus eſt erga melonem illud deſiderij pruritus, ut ſi illum non manducare liceat, ſaltem licitum ſibi eſſe perſuadeat, illum in conſpectu ſuo ſemper habere, item ad oblectamentum odoris ejus percipiendum naribus illum frequenter admovere, & tractare ac verſare manibus, donec tandem appetitus illum eo uſque extimulet, ut parum quoque ex eo guſtet, ex eoque morſu vel bolo mortem ſibi conciliet. Ita protoparentibus noſtris accidit, quibus Deus pomum prohibuit: Eva autem licet in principio ex eo non guſtaret, ob complacentiam tamen illius adeo vehemens pomi illius appetitus eam inceſſit, ut numquam ab illius aſpectu oculos ſuos averterit, & quia ſaporem pomi illius colori & pulchritudini exteriori conformem eſſe credebat, appetitus erga illud eouſque excrevit, ut illud decerptum & ori admotum guſtaverit, maritoque pariter guſtandum tradiderit: ſic quoque multi ſunt qui firmum ſibi faciunt peccati hujus vel illius, pro viribus deinceps declinandi propoſitum, at verò licere ſibi putant, ut à tali v.g. amaſia literas amatorias recipiant, & viciſſim ſimiles ad eamdem mittant, munera à tam bona & amica manu miſſa retineant, & continuo contemplanda ſibi ob oculos ponant, eamdem amaſiam licet de longinquo, blando tamen & ad amorem provocandum compoſito vultu ſalutent, hæcque quotidie exercent, donec tandem *qui amat periculum pereat in illo.*

*Guilielm. Peraldus.*
Objecta movent ſenſus.

16. Guilielmus Peraldus laſcivos qui inter virum & fœminam miſcentur diſcurſus, *ſputa diaboli* appellat, & tamen hi non diſplicent laſcivis, quin potius ſumme illos oblectant; Quod enim diligimus objectum nos contriſtare nequit; imò licet nonnumquam bonam habeas intentionem & propoſitum talia colloquia & conſortia declinandi, attamen ubi fueris in præſentanea occaſione poſitum objectum tibi dilectum à te repellere non valebis. S. Auguſtinus de Adamo dicit: *Poſtea quam de ligno probibito ſeducta mulier manducavit, eique, id eſt, Adamo dedit, ut ſimul ederet, noluit eam contriſtare*; Et paulò poſt inquit: *Nondum carnis victus concupiſcentia, quam nondum ſenſerit in reſiſtente lege membrorum legi mentis ſuæ, ſed amicabili quadam benevolentia qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.* Nec eſt quod quis in excuſationem Evæ dicat, illam non quæſiviſſe data opera tentatorem, ſed hunc ſectatum fuiſſe illam, quia ut Lipomannus prudenter ponderat, ſerpentis diſcurſum audiens *tacere debebat mulier, & protinus indicare marito.*

*S. Aug. l. 11. de Gen. ad lit. c. 42. T. 3.*
*Lypom. ibid.*
Quando cœperit Venus.

17. Obſervaſtisne aliquando quonam præcipue tempore uſus conjugalis ſuum habuerit exordium? *Poſt Paradiſi amiſſionem, tunc primum ejus rei venereæ cæpit*, Adam verò tunc Paradiſum amiſit quando mulierem Deo prætulit; *Adam autem cognovit Evam; Ab initio virginitatis palmam principatus accepit.*

*D. Chryſ. Hom. 18. in Gen.*
*Gen. 4. v. 1.*
*S. Aug. in 1. Ioan. Tr. 4. c. 2.*

18. S. Auguſtinus quoque conſiderationem quamdam habet ei, quam paulo ante ex S. Ambroſio adduximus, valde ſimilem, ſiquidem Jobum & Adamum ad ſe invicem comparans dicit de Jobo: *Cum ſederat in ſtercore patris vermibus, diabolum vicit*; non verò ſic Adamus, ſed hic *lapſus eſt ab illa immortalitate, ab illa beatitudine.* Verumtamen Jobum ab Adam deſcendiſſe notat, unde ait: *Ipſe Adam & in Job ipſe, quia de genere ipſius Job: Ergo Adam victus in Paradiſo, vicit in ſtercore*; quænam vero eſt hujuſce differentiæ cauſa? *In Paradiſo cum eſſet audivit perſuaſionem mulieris, quam illi immiſerat diabolus: In ſtercore autem cum eſſet ait Evæ: Tamquam una ex inſipientibus mulieribus locuta es.*

## *DISCURSUS XXIV.*

## ARGUMENTUM.

Viri etiam ſanctiſſimi in carnis vitium prolapſi ſunt, qui proinde hoc certamen aggredi ſemper timent, & ideo quoad hoc fugiendum eſt omne periculum, cumque omni circumſpectione vivendum.

### THEMA.

*Miſſis itaque David nuntijs tulit eam, quæ cum ingreſſa eſſet ad illum dormivit cum ea.* 2. Reg. 11. Verſ. 4.

De ſanctitate nemo præſumat.
*S. Aug. in Pſal. 50.*

1. S. Auguſtinus Davidem in adulterium prolabentem conſiderans priusquam in Commentario Pſalmi 50. ad factum ipſum enarrandum procederet multas easque notabiliſſimas conſiderat circumſtantias. Dicit enim: *Bethſabea erat mulier, uxor aliena; cum dolore quidem dicemus, & tremore, ſed tamen Deus noluit taceri, quod voluit ſcribi; Dicam ergo, non quod volo, ſed quod cogor; dicam, non exhortans ad imitationem, ſed inſtruens ad timorem. Hujus mulieris uxoris alienæ pulchritudine captus Rex & Propheta David, ex cujus ſemine ſecundùm carnem Dominus venturus erat, adulteravit.* Unde ni fallor, efficaciter inferre poſſumus arguendo illos qui nimium ſibi de ſua virtute & probitate confidunt: quod ſi David *vir ſecundùm cor Dei* in profundum adeò barathrum prolapſus eſt, non eſt quod ſibi quiſpiam, quantumcumque is ſanctus ſit nimium de ſanctitate ſua confidat. D. Chryſoſtomus quoque eum qui nimium de ſe confiſus, in quævis obvia etiam lubrica objecta oculos ſuos defigere non formidat, qui proinde de eorum ſe numero cenſet, qui dicunt; *Spectantes quidem ſumus, ſed ſine detrimento*, ſequenti indiſſolubili argumento fortiter ſtringit; dicit enim: *Quid audio? David læſus eſt, & tu non læderis? ille læſus eſt, & ego tuæ virtuti confidere queam?* E contra verò S. Auguſtinus poſtquam lapſum Davidis recenſuiſſet, eos qui non ſunt ad erigendos in objecta obvia oculos nimium faciles, ſequentibus verbis commendat: *Reprimunt*, inquit, *oculos à petulantia non ſe facile adjungunt, non ſe miſcent mulieribus alienis, non levant oculos facile ad aliena mœnia, ad aliena ſolaria; de longe enim vidit David illam in qua captus eſt; mulier longè, libido prope.* Idem quoque alibi in quodam ſermone illorum reprehendit temeritatem, qui in propria virtute confiſi liberè nimis cum mulieribus converſantur, & dicit: *Inhoneſta familiaritas fugienda eſt, quia ſine ulla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare ſuſpectam, cito labitur in ruinam.*

Lapſus eſt David.
*D. Chryſ. in Pſ. 5.*
*S. Aug ibid.*
*S. Aug. ſer. 250. de temp.*

*Eccl. 47. v. 21. & 22.*
*Pigna ibid.*
*Vatablus.*
*Salomon.*
*S. Hieron. in Epiſt. Valterij ad Ruffinum.*

2. Eccleſiaſticus de Salomone diſſerens, illum per impudicitiæ maculam gloriam ſuam denigraſſe his verbis notat: *Inclinaſti fœmora tua mulieribus... Dediſti maculam in gloria tua.* Ubi Vatablus legit: *Vinci te corpore tuo paſſus es*; Alij vertunt: *Acclinaſti tua ilia mulieribus, & redactum eſt in alienam poteſtatem corpus tuum.* S. Hieronymus poſtquam hujus tam prodigioſe ſapientis viri in ſacrificando in gratiam concubinarum ſuarum idolis, templiſque iiſdem erectis commiſſum exceſſum graviter ponderaſſet, hæc verba notatu digna ſubjungit: *Ex Eccleſiaſte Domini, mutatus eſt in membrum zabuli, ut adhuc graviori videretur detrudi præcipitio, quam Phœbus in caſu Phaëtontis, qui de Apolline Jovis, factus eſt paſtor Admeti. Amice, ſi non es ſapientior Salomone (quod nemo eſt) non es major, quam qui poteſt faſcinari à fœmina; oculos tuos aperi & vide*: quaſi diceret, aperi oculos non tantum corporis, ſed & animæ & mentis, id eſt, cum multa circumſpectione & cautela procede.





Reprehenſio.
*S. Aug. ibid.*

3. S. Auguſtinus aliquorum reprehendit præſumptionem, qui hoc monitum nihil curantes, nimium de ſe confiſi in quaſvis obvias occaſiones libere nimis ſe exponunt; Dicit enim: *Sed forte negligens quiſque, & minus de anima ſua ſolicitus reſpondet, & dicit: Ecce ego, & familiaritatem habeo mulierum extranearum, & tamen caſtitatis ornamenta cuſtodio.* Hanc autem præſumptionem, quam talis de ſeipſo habet S. Auguſtinus minime approbans dicit: *Infelix eſt & nimium periculoſa iſta præſumptio, multi enim dum ſe putabant vincere, victi ſunt.*

*Rom. 7. v. 15.*
*Ibid. v. 18. & 19.*
*B. Laur. Juſt. de inter. conflictu c. 3.*
Pugnare debuit Paulus adverſus concupiſcentias.
*1. Cor. 9. v. 27.*

4. B. Laurentius Juſtinianus illud Apoſtoli lamentum adducit, quo in Epiſtola ad Romanos dolenter ita loquitur: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum illud facio, ſcio enim quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum, nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio, non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago*, Unde B. Juſtinianus ſequens valde ſtringens format argumentum: *Si conflictum hunc patiebatur in ſe Apoſtolus, qui uſque ad tertium cælum raptus, arcana, quæ homini loqui minime licebat, fuerat contemplatus, quid nos miſeri de nobis exiſtimare debemus, quos ira ſuperat, livor occidit, inflat ſuperbia, captivat ambitio, inflammat libido, vincit gula, cupiditas excæcat, & principandi deſideria premunt? Si certabat electionis vas carnem ſuam diverſimode affligens, ne ſpiritui noceret, quid nos acturi ſumus? qualiter in ſtadio adverſus carnis concupiſcentias dimicaverit audi; Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Quod ſi S. Paulus hoc carnis certamen cum tremore formidans carnem ſuam macerat & caſtigat, quanto magis trepitandum eſt ei, qui ſpiritu Apoſtolico caret, imò inter delicias & voluptates verſatur & quotidie in medias ſeſe ultro ac temerè ingerit libidinis exercendæ occaſiones & incentiva concupiſcentiæ?

Lubricitatem ſciverunt ſancti.
*S. Franciſci Apopht. 33. t. 3.*
*Thom. Cantipr. l. 2. Apum. c. 30. n. 46.*

5. S. Franciſcus à ſodali ſuo cur virginem quamdam devotam ipſum in ejus infirmitate viſitantem non reſpexiſſet, interrogatus: *Percontanti ſocio cur non reſpexerit virginem quamdam nobilem ægrotum charitative viſitantem, & humiliter in infirmitate miniſtrantem, reſpondit: Quis non debet timere ſponſam Chriſti? quæ ſi oculis pudicis prædicatur, magis in ſua caſtitate confirmatur; Me in facie illa viderit, non ego illam.* Thomas Cantipratenſis poſtquam periculum oſtendiſſet, quod etiam viris ſumma virtute & perfectione conſpicuis à mulieribus imminet, tandem ſubjungit: *Ecce quid eſt quod audiſti; ſi in viridi ligno hæc facta ſunt, in arido quid fiet? Ignis eſt mulier, & ignis uſque ad conſumptionem devorans, quid autem de ſe juvenes ſentiant, neſcio, ego autem jam ſexaginta annorum ſum, uno minus, & undique perſtrepentibus malis caſum, adhuc lubricitatis perhorreſco.*

*Amos 7. v. 7.*
*S. Hieron. Ibidem.*
Sancti adamantibus ſimiles.

6. Amos c. 7. hæc verba leguntur: *Hæc oſtendit mihi Dominus, & ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu ejus trulla cæmentarij.* S. Hieronymus cum Septuaginta legit: *Et ecce vir ſtabat ſuper murum adamantinum, & in manu ejus adamas.* Idemque S. Doctor eodem loco pariter quiſnam ille ſit qui huic muro inſiſtit, & quinam hi adamantes ſint his verbis declarat. *Qui ſtat ſuper murum adamantinum, id eſt, ſuper ſanctos ſuos quibus donavit, ut adamantes vocentur, & à nullo ſuperati dicerent: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Et iterum: Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Petrus quoque, qui erat fortiſſimus adamas, portæ inferorum non prævaluerunt adverſum eum.* At verò undenam fortitudo iſta & tranſcendens virtus derivatur? *Hic vir & Dominus, qui ſtat ſuper murum adamantinum, habet in manu ſua adamantem, qui niſi Dei teneatur manu, & illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in Evangelio: Nemo poteſt rapere de manu patris mei*: & in tantum robuſtus eſt, *ut dicatur ad eum: Si tranſieris per ignem flamma non comburet te, quantoque magis tentationibus cæditur, tanto fortior fit.* Hic autem adamas cum omni invicto robore ſuo, tametſi in manu Dei ſit, nihilominus, ut S. Hieronymus ait, rumpi & frangi poteſt; ſed quonam modo id fiet? Audiamus & toto corpore contremiſcamus: *Cumque à nullo ſuperari queat, ſolo mortiferæ libidinis calore diſſolvitur: hæc enim ſanguinis hircorum & ipſius hirci dicitur eſſe natura, ut ſit ad libidinem calidiſſimus, & quod ignis edomare nequeat, ſolus illius diſſolvat cruor.* Unde B. Laurentius Juſtinianus plures ejuſmodi ſolidiſſimos adamantes hujus ſanguinis calore fractos & comminutos fuiſſe teſtatur, dum ait: *O quanti poſt laudabilem converſationem, frequentes orationes, arcta jejunia, diutiſſimam eremi habitationem, cibi potusque parcitatem, ducti ſpiritu fornicationis deſerta & cænobia relinquentes, atque rejecto ſanctæ religionis habitu laxantes fræna intemperantiæ, gulæ, obſcænis & impudicis luxuriæ actibus ſe immergentes, duplici interitu perierunt? Iſtam igitur animæ mortem illi rationabiliter evadere poterunt, qui ipſius occaſiones fugiunt, principijs tentationis reſiſtunt, carnis deſideria frangunt, corporis abhorrent otium, corporis reſolutionem recogitant, & præcipue cordis humilitatem poſſidere conantur.*

*Ioan. 10. v. 29.*
Libidine ut hirci ſanguine domari poſſunt.
*B. Laur. Juſtin. de Spirit. animæ interitu.*
Remedia.

Fortiſſimus à muliere victus.
*S. Ambr. Apol. de David.*

7. Memoranda ſunt illa S. Ambroſij verba quibus de Samſone loquitur, qui ſolus ſeſe formidandis exercitibus oppoſuit, eosque fugavit & ſtravit, Leonum quoque fauces diſrupit & laniavit, & tamen poſtea uni mulierculæ turpiter in prædam ceſſit; ſic enim ait: *Samſon validus & fortis Leonem ſuffocavit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit, vincula ſolvit hoſtium, ſed ſuarum non ſolvit nexus cupiditatum, meſſes incendit alienas, & unius ipſe mulieris accenſus igniculo, meſſes ſuæ virtutis amiſit.* Unicus capillus virtutis & fortitudinis ipſius baſis erat, quo præciſo omne robur ſuum amiſit, inimicorumque ſuorum præda factus eſt. In hac namque carnis pugna ſpiritui fornicationis ſufficit, ſi à nobis unicum pilum, id eſt, unicum actum, vel geſtum, vel verbum, vel impurum carnis deſiderium obtinere poſſit. *Ex nimia ſecuritate*, inquit S. Franciſcus, *minus cavetur hoſtis, & diabolus ſi de ſuo capillum poteſt habere in homine, cito excreſcere facit in trabem.*

*T. 3. opuſc. S. Franc. collat. 6.*
Cuilibet certandum.
*Rup. Abb. l. 4. in Eccleſiaſt.*
*Pſal. 123. v. 7.*
*Rup. Abb. l. 2. de vict. verb. c. 21.*

8. Rupertus Abbas Tuitienſis audacter aſſerit neminem umquam fuiſſe ex hominibus, quantumvis is ſanctus & ſapiens fuerit, qui hujus ſexus laqueos à ſe avertere & arcere potuerit, & ideo cuilibet homini, quamdiu hac carne mortali veſtitus eſt, per conſequentiam neceſſariam cum fomite concupiſcentiæ decertandum eſſe dicit. *Quis ſapiens, quis ſanctus, quis fortis laqueos mulieris evaſit? Sapiens fuit Salomon, fortiſſimus Samſon, neque tamen retia mulieris evaſerunt? Et David, qui fuit ſecundùm cor Dei, laqueo muliebri captus eſt, ſed liberatus canit: Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Quis populus erga Deum devotior, magis erga divinum cultum conſervatus fuit populo Hebræorum, & tamen ſervierunt Diis alienis, cujus idem Author rationem aſſignat dicens: *Contra præceptum duxerunt uxores filias Chananæorum, ipſique filias ſuas eorum filijs tradiderunt, unde & accidit, ut per mulieres ſubverſi facerent malum in conſpectu Domini, ſerviendo Dijs alienis.*

Per libidinem multi ceciderе.
*2. Reg. 1. v. 21.*
*S. Greg. Ibid.*

9. Neſcio an aliquando reflexeritis ad maledictionem illam quam David montibus Gelboë imprecatus fuit dicens: *Montes Gelboë nec ros, nec pluvia veniant ſuper vos, ubi ceciderunt fortes Iſraël.* Ubi S. Gregorius dicit: *Eheu quam verum, quid ſibi vult Gelboë? Fluxus devorans, hic eſt luxuria uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. O quot fortes Iſraël hic ceciderunt.*

Prælia carnis continua.
*S. Hieron. Epiſt. 22.*

10. S. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium virginem prælia recenſet carnis, quæ ipſe in ætate etiam decrepita ſuſtinuiſſe & de quibus triumphaſſe ſe dicit: *Horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat, mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua jam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant*; Indeque conſequentiam deducit adverſus illas virgines, quæ etiam inter delicias ſe continentiam ſervare poſſe confidunt. Dicit enim: *Si autem hoc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella quæ delicijs fruitur.*

*Baron. An. 389. n. 13.*
Exemplum.

11. De S. Gregorio Nazianzeno referunt Annales Eccleſiaſtici, quod etiam in ſua ſenectute ſe turpibus tentationibus frequenter infeſtari conqueſtus fuerit, adeò ut coactus fuerit ſuſtinere vel invitus, quod generoſe ſuperaverat in ætatis ſuæ annis floridioribus. Ad ardentes verò hoſce ſtimulos reprimendos, copioſiſſimas quotidie fundebat lachrymas, vigiliiſque, orationibus, jejuniis, aliiſque auſteritatibus continuo ſe exercebat, fœminarum aſpectum interea pro viribus fugiendo, & ſæpe ſæpius quadraginta dierum continuum obſervando ſilentium.

*1. Cor. 10. v. 27.*

12. S. Paulus ad Corinthios ſcribens, hanc illis indulget licentiam: *Si quis vocat vos infidelium, &*

*1. Cor. 5. v. 11.* Mulieri facies procellis periculoſior.

*vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam :* Econtra verò in ejusdem Epiſtolæ cap. 5. dicit : *Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri, ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator ... cum hujuscemodi nec cibum ſumere.* Ergone S. Paulus magis timet, majorique cum zelo prohibet converſationem cum fornicariis, quam cum idololatris, faciliusque pudicitiam quam fidei puritatem contaminari poſſe cenſet ? Ingenioſa eſt ſimilitudo illa, quam S. Nilus adducit dicens : *Navis tempeſtate jactata portum quærit, & viri pudici anima expetit ſolitudinem; ut enim illa fluctus maris naufragium minitantes fugit, ita hæc mulierum aſpectus, pernitiem afferentes vitat.* Viſorum namque objectorum phantaſmata & ſpecies impreſſæ, ſunt veluti tempeſtuoſi maris fluctuantes undæ, quæ mentem noſtram continuo agitant, continuumque cogitationum, delectationum, imaginationum, & ſomniorum fluxum & refluxum cauſantes navim animæ inter continuas procellas jactatam tenent, æternæque damnationis naufragio, vel ſaltem metui illius ſubjiciunt; nam ut idem S. Nilus dicit : *Facies mulieris exornata quavis procella pernicioſior eſt.*

*S. Nilus Orat. 2.*

*Hugo de S. Vict. l. 1. Miſc. c. 98.*

13. Hugo de S. Victore mulierum converſationem nobis diſſuadens, dicit : *Noli ire ad colloquium mulieris, ne ſis ſeparatus à regno Dei, & ne velis dicere : Loquor cum muliere & mundus ſum.* Quam ſolicite monitum hoc antiqui Eremitæ obſervarint, ſequens docebit hiſtoria : Refert enim P. Bollandus de Piore Eremita, quem S. Antonius à juvenilibus annis in Monachiſmi propoſito proſequendo ſtabiliverat, quamvis dum vigeſimum quintum ætatis attigiſſet annum, relicto S. Antonio in ſecretiorem de illius licentia, & ſub ejus directione conceſſerit eremum ; refert inquam, quod ſoror ipſius vidua effecta, duos filios ſuos juvenes ad Piorem avunculum ſuum ſalutandum dimiſerit : Qui ad ipſum accedentes matris ei indicarunt deſiderium, quo illum priusquam ipſa moreretur, videre cupiebat ; Qui cum petitionis ſuæ ab illo paſſi eſſent repulſam, ad S. Antonium confugerunt, eique cauſam ſui ad avunculum ſuum adventus expoſuerunt; Sanctus igitur Abbas Pior Abbati ad ſe accerſito præcepit dicens : *Vade ut videat te ſoror tua. Tunc aſſumpſit ſecum alium monachum, & perrexit ad locum & domum ſororis ſuæ ; & ſtans foris prope januam atrij, clauſis oculis, ne videret ſororem ſuam, ſtetit. Illa autem veniens projecit ſe ad pedes ejus ; Dicit ei Pior : Ecce ego ſum frater tuus, vide ergo me quantum volueris, & poſt hoc ſtatim reverſus eſt ad eremum in cellulam ſuam.*

*Bolland. in vita S. Anton. n. 41. c. 6.* Exemplum 1.

*In Apopht. PP. l. 4. de cont.*

Exemplum 2.

14. In vitis Patrum de alio quodam monacho pariter ſcribitur, quod dum cum matre ſua, quæ decrepita vetula erat, pariter iter faceret, & ad flumen quoddam perveniſſent, mater quæ ſine ope filij illud tranſire non valebat, manum ſibi à filio porrigi petiit, quam cum ille pallio coopertam matri dediſſet, mater factum hoc admirans, cauſam illius ab eo ſciſcitata eſt, cui ille ideò ſe manum obvolviſſe reſpondit, *quia corpus mulieris ignis eſt.* Optimè igitur S. Nilus ad noſtram eruditionem hac de re ita ſcribit : *Ut rubus in ſolitudine ab ignis flamma non eſt combuſtus, ſic homo caſtus à mulierum convictu recedens, ardore libidinis non exuritur.*

*S. Nilus Orat. 2. de Luxur.*

## *DISCURSUS XXV.*

## ARGUMENTUM.

Sub metaphora ſpinarum, quibus carnis voluptates à Salvatore aſſimilantur, Roſam delectationis carnalis multis anxietatum, periculorum, aliorumque faſtidiorum ſpinis circumdatam eſſe oſtenditur.

### THEMA.

*Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui à voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur.* Luc. 8. ℣. 15.

Libido ſpina cruentans.

1. DElectationes & voluptates carnis ſpinis ſimiles eſſe, ipſamet ſapientia incarnata, quæ nec errare, nec mentiri, nec falli aut fallere poteſt, ore ſuo manifeſtè declarat, dum ait : *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt &c.* Unde Tertullianus ait : *Delicatus es Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis, imo nimirum ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem &c.* Enimverò ſi quis ſpinarum reſpiciat radices, illas quidem delicatas, molles & glabras eſſe deprehendet, & tamen ab his pungentes & aculeati progerminantur

*Tertull. de ſpectat. c. 28.*

frutices; eodem modo convivia, choreæ, ludi, recreationes, ſuſpectæ converſationes carnalem hominem quidem oblectant, at verò ex his omnibus mortales tam in corpus, quam in animam derivantur puncturæ, ut proinde D. Chryſoſtomus dicat : *Ne mireris ſi nomine ſpinarum delicias appellavit, acerbiſſimos dolores tam animæ quam corpori inferentes,*

*D. Chryſ. Hom. 45. in Matth.*

*Plato in Phædro.* *Apologus.*

2. Ingenioſus eſt ille à Platone conſcriptus apologus quo voluptatem & dolorem inter ſe quondam coram Jove contendiſſe aſſerit; qui utrosque inter ſe per mutuam concordiam conjungere omni quidem ſtudio & authoritate interpoſita conatus fuit, quia tamen omne ejus molimen quoad hoc caſſum & irritum fuit, utraque per catenam adamantinam adeò inter ſe arctè ad invicem copulavit, ut numquam ab invicem ſejungi aut ſequeſtrari queant; id quod Sapiens aptiſſimè confirmat, dum ait : *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

*Prov. 14. v. 13.* Voluptatum fallacia.

3. Pulchra quoque eſt illa inſignis cujusdam authoris obſervatio, videlicet quod dictio *lætum*, quæ *gaudium* ſignificat, & dictio *lethum*, quæ *mortem* denotat, nullam aliam inter ſe differentiam habeant, quam unicam dumtaxat aſpirationis literam H. *Putas lætum, & eſt lethum.* Unde Boëtius Severinus de voluptatum fallacitate diſſerens, ita ſcribit : *Quid autem de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena eſt anxietatis, ſatietas verò pœnitentiæ ? quantos illæ morbos, quam intolerabiles labores, quaſi quemdam fructum nequitiæ, fruentium ſolent referre corporibus ? quarum motus quid habeat jucunditatis ignoro. Triſtes vero eſſe voluptatum exitus, quisquis reminiſci libidinum ſuarum volet, intelliget.*

*Boëtius Severinus l. 3. de Conſol Philoſ. proſ. 7.*

3. S. Ephrem non quidem ſicut Plato inſeparabilem illam doloris cum voluptate unionem poſuit; ſed dolorem voluptatis partum eſſe conſiderat ; Dicit enim : *Ante voluptatem quippe concupiſcentia, poſt voluptatem autem dolor; perpende animo, quod voluptatem dolor conſequatur.*

*S. Ephr. T. 2. Par. 42.*

Brevitas. *Sap. 2. v. 8.* *Ibid. v. 9.* *Ibid. v. 8.*

4. Hi qui apud Sapientem his ſeſe mutuo verbis alloquebantur : *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, nemo noſtrûm exors ſit luxuriæ noſtræ ;* iidemque quoque eodem momento, roſis tempora ſua redimibant : *Coronemus nos roſis.* Quæro igitur, quodnam in eo lateat myſterium quod roſis potius quam aliis floribus ſeſe coronare decreverint ? Multa hujus aſſignari poſſunt myſteria. Forſitan enim ideò idipſum fecerunt, quia nullus eſt flos, qui citius langueſcat, quam roſa, ideo notant illi qui roſis ſe coronare volebant, acceleraſſe inſinuantur, *antequam marceſcant*, vix enim illuceſcente aurora, frigidiuſculo rore aſperſa roſa ſinum ſuum naſcenti ſoli aperit, cum ecce in meridie ab ejusdem ſolis ardentibus radiis percuſſa impalleſcit, & circa veſperam foliis ſuis paulatim dilabentibus exuitur ; *Omnia in figura contingebant ;* Infallibilis igitur Dei providentia ſapienter diſpoſuit, ut roſis ſe potius quam aliis floribus coronarent, ut exinde fugacitas denotetur carnalium voluptatum. Unde vetuſtus quidam author dicit : *Convenienter dicunt, quod volunt coronari roſis, ad ſciendum quod omnis mundi laſcivia brevis eſt & tranſitoria.* Lorinus verò obſervat, quod in Græco non legatur : *Roſis*, ſed *roſarum caliculis aut baccis*, id eſt, non roſis apertis, ſed etiamnum clauſis ; hiſce enim celeriter ſe coronare moliebantur, ob metum quem habebant, ne deficerent. Sanctus Baſilius ait : *Florida quidem eſt roſa, ſed mihi triſtitiam infligit, nam quotiescumque florem hunc videro, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut ſpinas ac tribulos proferret, condemnata eſt ;* Demum vero ad propoſitum noſtrum ſubjungit ; *Et hic quidem tranſitoria ac brevis momenti vernorum florum gratia, adhuc deſideranter deſtituit, nondum enim ab illorum collectione domum reverſi ſumus, & ecce in ipſis adhuc manibus noſtris conſtituti marceſcunt ;* Et ideò voluptatum carnalium brevitatem ad vivum repræſentant, ſiquidem *momentaneum quod delectat.*

*Ibid.*

*Rob. Holcot. in Sapient.*

*Lorin ibid.*

*S. Baſil. Hom. de Parad.*

Libido anxietatibus circumdata.

5. Latet & aliud ſub roſis myſterium, ſiquidem licet roſa in unius diei decurſu citiſſime defloreſcat, ſpinæ tamen quæ illam cingunt continuo remanent. Unde Poëta ille cecinit :

*Eſt Roſa flos veneris, venerisque ſimillima flori.*
*Quod cruciat longum eſt, quod placet exiguum.*

Et S. Gregorius ait : *Roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina quæ pungit;* tametſi enim voluptates carnales prima facie roſæ eſſe videantur, innumeris tamen ſunt pungentiſſimis ſpinis circumdatæ. *Quæ poteſt illic eſſe*

*S. Greg.*



*D. Chryſ. Hom. 3. de verb. Iſa.*

*eſſe voluptas*, inquit D. Chryſoſtomus, *ubi metus, ubi diſcrimen, ubi periculum, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi accuſationes, ubi judicis ira ?* Leges etenim tam humanæ quam divinæ ſeſe per pœnas & ſupplicia amoribus illicitis & furtivis, adulteriis & inceſtibus, aliisque impudicitiæ ſpeciebus opponunt. Idem quoque Robertus Holcot citatus ſuper librum Sapientiæ dicit : *Roſa inter ſpinas creſcit, ſic & laſcivia mundi non eſt ſine punctura conſcientiæ.* Neque enim homo carnalis ſuas poteſt explere libidines, quin præterquam quod conſcientiam ſibi interius à puncturis mortalibus transadigi ſentiat, inſuper mortis anxietates, ſuſpiciones, zelotypias, pericula, diſpendia, denique imminentis ſibi infamiæ, infirmitatis, inimicorum aliorumque ſimilium in ſe metum non experiatur. Apud S. Joannem Damaſcenum, de voluptatibus carnis diſſerentem hæc verba leguntur : *Mendaces, ſubdoli merito dicuntur, nam voluptatum præ ſe ferunt ſpeciem, & ſuis titillant animum illecebris, ſed demum pœnitudinem & amaritudinem graviſſimam inducunt.* Unde voluptates apibus ſimiles eſſe dicit, quæ dum mel fabricant, feriunt aculeo : *More apum, quæ primo mel diffundunt, & protinus aculeo pungunt.*

*Rob. Holcot. ibid.*

*S. Joan. Damaſc. l. 2. orth. fidei c. 13. in Comm.*

*Gen. 3. v. 17. & 18.*

6. Deus olim poſt peccatum primorum parentum terræ maledicens ait : *Maledicta terra in opere tuo ... Spinas & tribulos germinabit tibi.* Sed quænam eſt hæc terra, aut quales ſunt ſpinæ iſtæ, quæ ex ſolo iſto producendæ erant ? Rupertus Abbas Tuitienſis inquit : *Cui terræ ? ſcilicet mulieri ; multiplicabo, inquit, ærumnas tuas, & conceptus tuos. Multiplices itaque conceptus de terra carnis, quæ propter ſuperbiam, qua Divinitatem appetivit, luxuriæ ſubjecta eſt, tamquam tribulorum & ſpinarum denſitas excreverunt ſuper numerum.*

*Ibid. v. 16.* *Rup. Abb. l. 6. de Div. offic. c. 36.*

*Iob 30. v. 4.*

*S. Ant. de Pad. in Dom. Quinq.* Libidinis ſpinoſa ſunt gaudia.

7. *Radix juniperorum*, inquit Sanctus Job, *erat cibus eorum :* quæ verba ex mente Sanctus Anton. de Padua, luxurioſis adaptare poſſumus; Dicit enim hic Sanctus : *Nota quod radix juniperi eſt dulcis & comeſtibilis, ſed habet ſpinas pro folijs : ſic luxuriæ delectatio, quæ eſt cibus carnalis, in præſenti videtur dulcis, ſed in fine parturiunt punctiones æternæ mortis.* Neque laſcivus haſce puncturas ſolum in altera vita experitur, ſed etiam in vita præſenti ; Quot enim labores ab illis devorandi ſunt, priusquam ad voluptatem deſideratam pertingere poſſint ? quot annis illa inveſtigatur ? cum quantis faſtidiis ? cum quot periculis illam ſectantur ? chalybeis & ferreis loricis induti carnales ejusmodi homines noctes integras ducunt inſomnes ; in viis publicis variis aëris injuriis expoſiti, in continuo ſunt metu ne prodantur, & ſummo cum vituperio & honoris diſpendio ducantur ad carceres, vel etiam vulnerentur, aut occidantur à corrivalibus ſuis eidem ſcorto inhiantibus, vel ab illis quorum uxoribus, & thori conjugalis honeſtati clam inſidiantur ; quot funeſti caſus in hac materia quotidie audiuntur. Albertus Magnus ad juniperum illum, ſub quo Elias à perſecutione Jezabelis fugiens dulciter quievit, alludens, hanc inde elicit moralitatem : *Per juniperum, quæ ſpinas habet pro folijs, & tamen projicit umbram, intelligitur pungitivi ſæculi delectatio. Ille igitur dormit ſub umbra juniperi, qui putat quietem & delectationem invenire in ſpinoſis gaudijs hujus ſæculi.*

*Alb. Mag. ſer. in Dom. 4. Quadr.*

Libidinoſi ſtomachum habere debent Struthionis. *Iſaiæ 13. v. 21.*

8. Iſaias exterminium à Medis Babyloniæ inferendum prædicere volens, talem civitati illi comminatur deſolationem, ut paulatim futura ſit Struthionum receptaculum : *Habitabunt ibi Struthiones ... & Sirenes in delubris voluptatis*, ubi Chaldæus legit : *Dracones in palatijs deliciarum ;* Septuaginta vertunt : *Ericium ;* At verò quænam eſt dæmonibus, ericiis, & Struthionibus, cum Sirenibus intra delubra vel templa voluptatum & deliciarum commorantibus proportio ? Pro reſolutione ſciendum eſt, quod Babylonia luxuriæ ſpecialiter dedita fuerit, prouti in discurſibus præcedentibus fuſius oſtendimus ; ibi igitur verum eſt, quod Sirenum ibi audientur cantus, id eſt, carnales homines voluptatibus potientur laſcivis, ſed in ſocietate draconum, qui mortiferum ſpirant venenum; in conſortio Struthionum, qui ſtomachum habent digerentem ferrum; in contubernio ericiorum, qui plumarum loco, ſpinas acutas toto corpore habent ; vel hinc intelligamus, quod ad hoc ut carnales homines laſcivis delectationibus ſuis potiri poſſint, opus ſit ut bolos ſæpe numero digerant amariſſimos & duriſſimos, quòd nulla reperiatur roſa, quæ innumeris non ſit cincta ſpinis.

9. Antiqui vitium carnis velut Chymæram quamdam depingere ſolebant, quæ caput habebat leonis, qui totus eſt igneus, ad denotandum vehementem laſcivi impetum ; corpus verò capræ, quæ animal eſt valde luxurioſum; denique caudam Draconis, quia in venenum mortiferum deſinit omnis exitus voluptatum. Ericius viſus eſt in templis ſive delubris Sirenarum & voluptatum. *Ericium in delubris voluptatis;* quia inter omnes qui in offenſam Dei armantur, vir laſcivus plures quam omnes alij ſentit acerbiſſimorum remorſuum puncturas. David poſt adulterium hanc puncturam ſentiens, & remorſus amplius tolerare nequiens, ad veram & ſalutarem perductus eſt pœnitentiam : *Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina;* ubi Theodoret. ait : *Spinam peccatum nominavit, tamquam inutile germen, & ad pungendum natum.*

Laſcivorum conſcientiæ remorſus eſt.

*Pſal. 31. v. 4.* Judicium temerarium.

10. S. Ambroſius voluptates carnis *Clavos* appellat, quæ per malæ conſcientiæ remorſus, cor transfigunt hominis carnalis : *Quaſi clavis quibusdam ſuffigitur anima corporis voluptatibus.* Ubi notandum eſt, quod libidinoſi & diſſoluti illi juvenes, de quibus in libro Sapientiæ ſit mentio, poſtquam inter ſeſe invicem hoc conſilium decreviſſent, dicentes : *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra,* pariter inter ſe concluſerint : *opprimamus ... circumveniamus juſtum ;* Sed quam ob cauſam ita ſtatuebant, quid illis hi boni & juſti homines mali fecerant ? *Quia contrarius eſt operibus noſtris.* Quinimo potius omnino contrarium dicere debuiſſent ; juſti enim licet omnino contrariam haberent vivendi rationem, malos tamen in vita ſua impia minime impediebant ; Ex quo enim juſti caſtè & continenter vivunt, adeoque procul ab illis objectis quæ laſcivi inſano amore deperibant, recedunt, impudici illi homines nullam pati poterant ab illis zelotypiam, cum juſti illos, quo minus deſideriis ſuis plene frui poſſint, minime impediant : At vero nequaquam ita ſe res habet, replicabant laſcivi, quin potius illa juſti honeſtas, pudicitia, ſolitudo, cuſtodia ſenſuum & continentia nobis eſt velut ſpina in oculis, & velut clavus quidam cor noſtrum tranſadigens, ſiquidem virtuoſa hæc illorum vita impudicitiam nobis noſtram continuo exprobrare non ceſſat : *Improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* Laſcivi igitur inter medias voluptatum ſuarum roſas, correctionum & cenſurarum vitæ ſuæ, quas à vita juſtorum fieri apprehendunt, interius in animo ſentiunt puncturas vel ſaltem ne vitæ illorum impuritas coram honeſto mundo innoteſcat, formidant.

*S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4.*

*Sap. 2. v 8.* *Ibid. v. 10.* *Ibid. v. 12.*

*Ibid.*

11. Hugo de S. Victore de muliere diſſerens ait : *Aculeus peccati facta eſt fæmina, omnis ſocietas mulierum tamquam viſco nectit cantu ſuo, de quo diabolus ſatiatur.* Nimirum mulierem appellat aculeum & viſcum, cui proprium eſt aves capere & innectere ad mortem, Cardanus Fenellam Reginam Nemetho Regi Scotiæ pomum quoddam aureum porrexiſſe ſcribit, ea ratione intus elaboratum, ut quicumque illud contingeret, pluribus ſagittis ab eo evibratis configeretur, unde protinus ut Rex præfatus illud tetigit, variis confectis lethalibus vulneribus, occubuit mortuus : utique pomum iſtud vera quædam eſt voluptatum figura, hæ enim ſunt veluti pomum quoddam *pulchrum oculis, aſpectuque delectabile :* at vero quot cor illius, qui illud contrectat configitur jaculis ? Hac de re in Diſcurſu X. fuſius egimus.

*Hugo de S. Vict. l. 1. Miſcell. 198.* Mulier dæmonis viſcus. *Cardan. l. 3. de rerum var. n. 56.*

Libidinis figura.

*Gen. 3. v. 6.*

12. Sanctus Baſilius anxietates & bellum animi inteſtinum, puncturasque harum ſpinarum, optime notat, pariterque pulchrum illas evadendi modum nobis præſcribens ait : *Non in eo tantum laborandum nobis eſt, ut motus animi in cogitando moderemur, ſed quoad fieri poſſit, ab earum etiam rerum congreſſu longiſſimè fugiendum eſt cum primis, quæcumque in conſpectu nobis adductæ refricata libidinum memoria, conſilium, rationisque vim nobis perturbant, bellaque & ſolicitos in animo angores cient ; etenim bellum, quod præter voluntatem noſtram incidat, nobis excipere fortaſſè neceſſarium ſit, ipſum verò aliquem ſibi voluntarie creare, ſummæ ſtultitiæ eſt.*

Evadendi modus.

*S. Baſil. in Conſtit. Monaſt. c. 6.*

13. Spinæ, ut omnibus conſtat, non ſicut aliæ arbores ſerviunt, ut ex illis ligna fabrilia, oſtia, verbi gratia, tabulæ, trabes &c. fiant, ſed dumeta, in quibus ſpinæ naſcuntur, in ignem conjiciuntur, idem quoque laſcivis & carnalibus accidit, utpote lignis ad infernum deſtinatis : Bene tamen ad ſepes faciendas conducunt ; Et ideo ſciendum eſt, quod Deus carnalis hominis lubricitati compatiens, eò quod tam propero greſſu ad profundum æternæ damnatio-

Cur Deus Laſcivorum viam ſpinis ſepiat.

nationis barathrum acceleret, per Oſeam Prophetam eidem dicat: *Sepiam viam tuam ſpinis*, quaſi diceret: Ex quo te præcipiti curſu ſenſibus tuis omnem libertatem genialiter indulgendo ad infernum properare video, ego ut te coërcere & in curſu ſiſtere poſſim, *ſepiam viam tuam ſpinis.* At verò dicet aliquis, quid faciendo viam lubrici Deus ſpinis ſepire dicitur? Eſtne fortaſſe ſenſus ille, quod laſcivum à perditionis barathro per indultas voluptates, quæ, ut diximus, ſpinæ ſunt, avertere conetur? Abſit; ſed hoc tantum vult dicere; Menti & cordi tuo puncturas, anxietates, pericula, & damna firmiter imprimam & inculcabo, quæ voluptati inſeparabiliter conjuncta eſſe ſolent, ut te illas abhorrere & deteſtari faciam; unde Sanctus Auguſtinus ait: *Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miſcet, ut illa quæratur felicitas, cujus dulcedo non eſt fallax.* Imo in illum Pſalmi verſiculum: *Cor meum conturbatum eſt in me*, adhuc melius dicit: *Mundus te turbat & amatur, quid faceres, ſi tranquillus eſſet?* Modo carnalium voluptatum roſas tot ſpinis ſeptas tanta cum aviditate carpimus, quanto igitur avidius illas inquireremus, ſi ſpinis nequaquam ſeptæ eſſent.

*Oſea 2. v. 6. — S. Aug. ſer. 29. — Pſ. 37. v. 11. — S. Aug. ibid.*

14. Areſius de Sancti Benedicti generoſo facinore diſſerens, qui ſe carnis tentationibus infeſtatum inter ſpinas quaquaverſum volvit & revolvit, hunc in modum diſcurrit: Tarpeja à Sabinis, ad tradendum illis urbis Romæ Capitolium ſolicitata, ſub hoc pacto eorum deſiderio ſatisfacturam ſe eſſe promiſit, ut omnes viri uxorum & filiarum ſuarum ſibi darent armillas, dum autem haſce facta & completa jam Capitolij traditione acceptura coram illis ſtaret, eaſdem tanto cum impetu & copia in illam conjecerunt, ut ſub illis extincta & ſepulta fuerit: Eodem quoque modo caro Sancti Benedicti hanc cum ſpiritu fornicationis capitulationem pepigerat, quod ſcilicet ipſum & animæ ipſius arcem ejus poteſtati ſubjicere vellet, dummodo ei mercedis loco ſpinas, id eſt, delicias & voluptates, quot & quantas deſiderare poſſet, indulgere vellet; Quod ſanctus hic Patriarcha traditionis conſilium in ſemetipſo animadvertens, nudum corpus ſuum in ſpinas conjecit, illudque hinc inde volvendo & circumvolvendo mille puncturis confectum miſere cruentavit, quaſi dicere voluiſſet: Ex quo ſpinas deſideraſti, inter illas ad libitum tuum volvaris & revolvaris, hacque ratione caro una cum rebellibus & inordinatis appetitibus ſuis ſuffocata fuit, animus verò ejus glorioſe victor evaſit.

*Divus P. Benedictus per ſpinas Victor.*

## DISCURSUS XXVI.

## ARGUMENTUM.

Delectationes carnales dulcedini ſuæ magnam conjunctam habent amaritudinem, ſiquidem carnalibus hominibus remorſum & triſtitiam magnam conciliant.

### THEMA.

*Aſperſi cubile meum myrrha & Aloë.* Prov. 7. ℣. 17.

*Libidinoſorum dulcedo amaritudine plena. — Vatablus. — 2. Paral. 16. — Eccl. 9. v. 10. — Eccl. 7. v. 27. — Prov. 5. v. 2. 3. & 4. — Hugo Card. in Eccl.*

1. INter alia amoris philtra, quibus laſciva illa mulier adoleſcentes in ſuum amorem pellicere conabatur, Salomon Rex odores quoque recenſet, dum in ejus perſona dicit: *Aſperſi cubile meum &c.* Ubi Vatablus legit: *Cubile meum odoratum reddidi*: ſic quoque in 2. libro Paralipomenon de Aſa defuncto legimus: *Poſuerunt eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus & unguentis meretricijs.* Et tamen cum omni hac unguentorum ſuorum fragrantia difficulter bonum odorem edere aut fragrare de ſe poterit illa, de qua veridicus Spiritus Sancti calamus ſcribit: *Quaſi ſtercus in via conculcabitur.* Id vero quod in hoc aſſumpto themate vel maxime propoſito noſtro deſervit, hoc eſt, quod videlicet non ſine myſterio ad procurandos hoſce odores myrrham adhibuerit & aloë, ex utraque parte amariſſima; ut vel hinc veriſſimum eſſe intelligeremus, quod Salomon experientia edoctus teſtatur, dum ait: *Inveni amariorem morte mulierem.* Et Proverb. cap. 5. idipſum confirmat, dum ita nos monet: *Ne attendas fallaciæ mulieris; favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus, noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium.* Hugo Cardinalis autem ſuper illa verba: *Amariorem morte mulierem*, inquit: *Mulier morte amarior eſt carnalis voluptas.*

*Libidinis ſuavitas conjunctam habet amaritudinem. — Plin. l. 11. c. 6.*

2. Mel quidem faucibus ob ſuavitatis ſaporem mire placet, ſed accipienti permagni conſtat, quot enim puncturis ſauciatur, priusquam illud ex alveäribus eruere poſſit? Plinius de apibus refert, quod hæ circum alvearia ſua amariſſimarum herbarum ſuccos aſpergere ſoleant, ne animal quodcumque in illa penetrare, & mel ab iis laborioſe præparatum devorare auſit; Unde ſatis manifeſte colligitur, ipſaſmet apes, quæ mel componunt, fellis quoque nonnumquam guſtare debere amaritudinem: *Omnia in figura*; ſiquidem per hoc nobis inſinuatur, quod voluptatum ſuavitas miſeriarum & ærumnarum amaritudinem ſemper conjunctam habeat; Imo S. Baſilius ait: *Oblectatio corporeæ voluptatis, plus doloris habet, quam jucunditatis.*

*S. Baſil. Homil. in Pſal. 33. — Jud. 14. v. 4. — Luxuria amara fit patrimonio exhauſto. — S. Ephr. T. 2. c. 3. de pugna carnis. — Pſal. 65. v. 8. — S. Ambr. ibid. Pſal. 118. v. 65. — Eccl. 7. v. 27.*

3. Priusquam Samſon mel deguſtare poſſet, prius cum leone luctari, vitamque ſuam evidenti periculo exponere debuit; Et tamen ſacer textus inquit: *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Ubi notandum eſt Ly illud: *Egreſſa*; neque enim voluptas in eo, à quo percipitur, remanet, ſed in momento tranſit, prouti ſequenti diſcurſu latius probabimus. S. Ephrem illud paulo ante ex Proverb. cap. 5. citatum Sapientis conſilium ex Septuaginta alio modo legit; dicit enim. Audi eum, qui ait Proverb. 5. juxta 70.: *Mel diſtillat à labiis fornicariæ, quæ ad tempus impinguat fauces tuas, poſtea verò felle amariorem invenies, & acutam magis gladio ancipiti.* Sanctus Ambroſius ſuper illa verba Pſalmiſtæ: *Bonitatem feciſti cum ſervo tuo Domine*, ita ſcribit: *Luxuries videtur eſſe jucunda, ſed exhauſto fit amara patrimonio; Dulcis libido cum fervet, ſed eadem horrida & execranda dum proditur: ſuaves epulæ cum ſumuntur, ſed fætidæ dum egeruntur.* Ubi noſtra vulgata legit: *Inveni amariorem morte mulierem*; Chaldæus verò vertit: *Inveni ego rem, quæ amara eſt ſuper hominem magis quam amaritudo diei mortis.*

*Libidinis ſymbolum. — Alex. ab Alex. l. 3. c. 2. — Euſeb. Emiſ. Hom. 3. de Epiph.*

4. Referunt Scriptores, apud nonnullas gentes in more poſitum eſſe, quod defunctorum cadavera melle condire & imbalſimare ſoleant. Ita enim teſte Homero lib. 10. Iliad. Hercules fecit in Patroli exequiis. Alexander ab Alexandro Aſſyrios mortuos ſuos in melle ſepelire conſueviſſe refert; Quis vero eſt, qui id non miretur, cum aliunde omnibus paſſim gentibus uſitatum eſſe conſtet, quod defunctorum corpora myrrha condire ſoleant, utpote cui proprium eſt, quod cadavera ab omni putrefactione conſervet; quæ autem inter mel dulce, & myrrham amaram poteſt eſſe proportio? Ecce tibi hic vivaciter expreſſum voluptatis verum ſymbolum, quæ animabus pariter & corporibus mortem adfert; Et ſapit quidem ac placet in ſuis principiis, ſed paulo poſt amaritudo ejus protinus ſe prodit. In faucibus & palato mellis quidem ſuavitas percipitur, ſed mox ut ad ſtomachum pertingit, in bilem & fel convertitur. Euſebius Emiſſenus ad id melius declarandum ſimilitudinem adducit eorum, qui labra vaſis, in quo epotandum venenum clauditur, ſaccari aut mellis dulcedine imbuunt, ut tanto facilius abſorbeatur venenum: *Virus amaritudinis obſcurant fraude dulcedinis, mel eſt quod aſcendit in labia; fel eſt quod deſcendit in viſcera.*

*Libidinis dulcedo qualis. — S. Auguſt. Hom. 47. ad Frat.*

5. Vultisne evidenter videre, quam verum ſit, quod voluptas fel ſit & venenum mortiferum: audite Sanctum Auguſtinum hac de re ab experientia diſcurrentem, qui idipſum triginta tribus annis pro experimento comprobavit; Dicit enim hic S. Doctor: *O luxuria peſſima virtutum deſtructio, vitiorum augmentatio, charitatis diminutio, burſarum evacuatio, dulcis es, ſed ecce omnis dulcedo in amaritudinem mox grandem convertitur.*

*S. Ant. de Padua in Quinq.*

6. S. Antonius de Padua hiſtoriam adducit Tobiæ de felle piſcis illuminati; *Caro*, inquit, *piſcis eſt dulcis, fel eſt amarum, quo ſi caro piſcis reſpergitur, tota in amaritudinem convertitur. Caro piſcis eſt delectatio luxuriæ, ſed intus latens amaritudo mortis æternæ.*

*Ambr. Calepin. — Aliud luxuriæ ſymbolum. — Tullius pro Cælio.*

7. Ambroſius Calepinus de certo quodam flumine ita ſcribit: *Hypanis fluvius Scythiæ ex magna palude profluens ſapore dulciſſimo, donec ad quadrageſimum milliare miſcetur ei exiguus fonticulus, qui ſua amaritudine totum corrumpit Hypanim.* Quodnam excogitari poteſt voluptatis carnalis aptius ſymbolum? Ut enim illa turbetur & amareſcat, vel unica ſufficit ſuſpicio, unicus vanus timor, unicum verbum vel inexpectatus geſtus. Veriſſima proinde eſt illa Tullij ſententia: *In omnibus voluptatibus faſtidium finitimum.*

8. Apud



*Oſe. 1. v. 3. — S. Hieron. Ibid. — Alb. Picus Mirand. — Boëtius l. 3. de conſol. Phil. Proſ. 7. — Luxurioſis cauſat triſtitiam. — Seneca l. 9. nat. c. 4. n. 13. — Nauſeam. — Lyran. Ibid. — Odium.*

8. Apud Oſeam dicitur: *Accepit Gomer filiam Debelaim*; ubi Sanctus Hieronymus inquit: *Debelaim alij amaritudinem interpretantur, filia voluptatis eſt Gomer.* Picus Mirandulanus citat ex Boëtio Severino lib. 3. de Conſolat. Philoſoph. Proſa 7. hæc verba: *Quid enim optabile in voluptatibus, quæ dum quæruntur fatigant, cum acquiruntur infatuant, cum amittuntur excruciant?* Idem quoque ex Sancto Hieronymo hanc citat propoſitionem: *Libido tranſacta ſemper ſui relinquit pœnitudinem*; Græcorum proverbium eſt: *voluptati ſoror eſt triſtitia.* Conſiderabiles quoque ſunt illæ Senecæ ponderationes, qui hoc vitium febrim quamdam eſſe aſſerit: *Febris eſt, & quidem eo acrior, quod non tactu venarum, nec in cute effuſo colore deprehenditur, ſed cor ipſum excoquit luxuria, invictum malum, & ex molli fluidoque durum ac patiens.* Quot ſubeuntur labores, quot curæ, quot laborioſæ vigiliæ ſuſtinentur, priusquam laſcivus deſideratam voluptatem aſſequatur? poſtquam verò illam deguſtavit, confeſtim ſui pœnitudinem & nauſeam ſecum ſubinfert; Id quod in Amnon poſt Thamar ſororem ſuam defloratam clare videtur; unde Lyranus de illo ſic ſcribit: *Si quæratur quare David non coëgit Amnon ad accipiendam uxorem Thamar? patet reſponſio, quia propter odium contra eam conceptum probabile erat, quod interfeciſſet eam.*

*Clem. Alex. l. 1. Pedag. c. 50. — S. Zeno l. 1. de Fide, Spe, & Charitate ſer. 2. — Prov. 24. v. 31. — Hug. Card. Ibid. — Mœrorem.*

9. Clementis Alexandrini ſententia eſt: *Amantium corda volatilia ſunt, amoriſque irritamenta extinguuntur ſæpe pœnitentia, amorque ſæpe vertitur in odium, quando reprehenſionem ſenſerit ſatietas.* S. Zeno quoque de pudicitia diſſerens ait: *Vultis ſcire quod malum ſit? In ipſo fructu ſuo etiam ipſe ſe odit.* Hugo Cardinalis in ipſa verba Sapientis: *Et ecce totum repleverant urticæ*, voluptates carnales urticis ſimiles eſſe dicit, unde prædicta verba ſic gloſſat: *id eſt, incentiva libidinis.* Incentiva enim hujus vitij delectabilia, gaudioſa, placentia & ſuavia ſunt, & ideo cum ſudoribus, diſpendiis & periculis ſtudioſe quæruntur: at verò in ſua ſubſtantia revera nil niſi lappæ, ſpinæ, urticæ ſunt. Has urticas B. Benedictus urticis evulſit, recolens in eremo formam mulieris, quam Romæ viderat.

*Boëtius ib. — Ariſtoteles Val. Max.*

10. Commentator Boëtij in hujus vitij deteſtationem ita ſcribit: *Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ? Voluptati mœrorem ſuccedere, cum norunt omnes, tum maxime libidinoſi, nam teſte Philoſopho: Omne animal à coitu triſte eſt.* Citatque teſtimonium Senecæ ad Lucilium ita ſcribentis: *Voluptates præcipue extirpa, inter res viliſſimas habe, quæ latronum more in hoc nos amplectuntur, ut ſtrangulent.* Ariſtotelis quoque authoritatem allegat: *Ariſtotelis teſte Valerio Maximo, utiliſſimum eſt præceptum, ut voluptates abeuntes conſideremus, quas quidem ſic oſtendendo minuit, feſſas enim pœnitentiæque plenas animis noſtris ſubjicit, quo minus cupide repetantur.*

*Inquietudinem. — S. Ambr. l. 5. de Abel & Cain c. 5. — S. Anton. Hom. 18. — S. Cypr. de bono pudic.*

11. Deus homini carnali majus ſupplicium irrogare nequit, quam ſi illum laxatis frænis libidini ſuæ ſatisfacere & ſervire permittit: *Sævus criminum ſtimulus libido eſt*, inquit Sanctus Ambroſius, *quæ numquam manere quietum patitur affectum, nocte fervet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert conſilium, amantes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, patiendo inflammat, uſuque accenditur.* Sanctus Antonius in Homilia quadam dicit: *Apprehenſio vultus fœminei initio ſtatim neſcio quam ingerit cordi hominis turbulentam intemperiem.* Sanctus Cyprianus dum de bonis pudicitiæ diſſerit, pariter ad vitium huic contrarium deſcendit; unde de libidine dicit, quod ſit *blanda prius, ut plus noceat, dum placet, exhauriens rem cum pudore, hoſtis continentiæ, frequenter perveniens ad ſanguinem, cupiditatum infeſta rabies.* Cor etenim hominis carnalis eſt veluti turbulentum mare quoddam continuo fluxui & refluxui inordinatorum appetituum ſubjectum, qui ipſum quieſcere non ſinunt.

*Pſalm. 80. v. 12. — Libidinis ſupplicium. — Ibid. v. 13. — Rom. 1. v. 24. — Dom. Sot. Ibid.*

12. Deus olim de populo ſuo conquerebatur, quod inobediens ei ſit & rebellis: *Non audivit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi*; at verò quonam deinceps rebellionem hanc ſupplicio caſtigavit? *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis*: Quæ verba S. Paulus de cogitationibus immundis explicare velle videtur, ſiquidem ad Romanos ſcribens dicit: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*; Equidem ut ſciamus qualia ſint illa deſideria, ſubjungit: *in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis*: Dominicus Soto inquit: *Nullum potuit acerbius patibulum decerni, quam quod in propria traderentur deſideria, atque ea immunda.* Homo enim laſcivus eſt velut equus quidam indomitus, qui in præcipitia velociter proripitur. Unde S. Ambroſius ait: *Qui dominari neſcit cupiditatibus, is quaſi equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Et S. Antonius de Padua dicit: *Fluctus feri maris ſunt luxurioſi, fluctus dicti, eo quod flatibus ventorum agitati diverſis cogitationibus fluctuant, & in ſuæ animæ confuſionem luxuriam deſpumant.*

*S. Ambr. l. 3. de virg. — S. Anton. de Pad. in Dom. 4. poſt Paſch. — B. Laur. Juſtin. de inter. conflictu c. 3.*

13. B. Laurentius Juſtinianus *De interiori conflictu* hunc fluxum & refluxum in corde luxurioſi his verbis deſcribit: *Laborioſa prorſus*, inquit, *& ad ſuperandum difficilis eſt carnalis illecebra, quæ die noctuque ſpiritui infeſta ſentitur, foris habet cui adhæreat, & contra quem ſæviat intus, propagatur in carne, coaleſcit in tempore, enutritur in vitijs, neglecta roboratur, & dum dominatur interimit, numquam rationis legibus cedit, numquam ſuperata quieſcit, ſemper floret, ſemper viget, ſerpit continuo ut cancer, ſævit ut ignis, rapit ut leo, tumet ut coluber, inſidiatur ut latro, cœno volutatur ut aper, ſat numquam dicit ut infernus; inflammat totum corpus nativitatis inflammata à gehenna, libidinum pruritus excitat, concupiſcentias movet, fugat prudentiam, caſtitatem impugnat.*

*Conſcientiæ remorſus. — D. Chryſ. in Pſ. 84.*

14. Verumtamen quod hominem carnalem ex omnibus ſuppliciis, quæ patitur, magis excruciat, eſt internus conſcientiæ remorſus, de quo D. Chryſoſtomus ait: *Poſtquam libidinis voluptas parum ceſſerit, conſcientiæ accuſatio invadit, nudam rationem flagellans.* Ubi notandum eſt illud Ly *nudam*, quia poſt conſummatam voluptatem ſola remanet verecundia, & confuſio; voluptas præteriit, & cor interius delictum ſuum cogitans, illud à ſe minime commiſſum fuiſſe vellet, vellet abolere illud, & non poteſt, timetque ne aliis manifeſtetur, & publicum fiat. Unde ſicut major dari nequit contumelia & erubeſcendi cauſa, quam quod cogatur in præſentia uniuſcujuſque videri nudus, talis quoque eſt, inquit D. Chryſoſtomus, ignominia & ſupplicium hominis carnalis.

*B. Laur. Juſt. de lig. vita c. 4. — Voluptas quid damni adferat. — S. Ioan. Damaſc. l. 3 Parall. 3. p. c. 28. — S. Bern. de fallac. vitæ.*

15. B. Laurentius de laſcivis ait: *Serviunt voluptatibus, non fruuntur, flagellantur ab ijs, non oblectantur, & mala ſua (quod malorum eſt ultimum) amant.* Ubi notandum eſt verbum illud, *flagellantur*: ſicut enim flagella non ſolum inferunt livorem & pœnam, verum etiam dedecus & ignominiam: ita luxuria non ſolum corpus & animam damnificat, mentemque perturbat & inquietat, verum etiam dedecus & infamiam ut plurimum conciliat. Sanctus Joannes Damaſcenus citans Sanctum Baſilium *in exhort. Baptiſ.* inquit: *Voluptas diaboli hamus eſt ad exitium trahens; voluptas peccati mater eſt; voluptas ſempiterni vermis nutrix, quæ eum, qui ſe fruitur, ad aliquod tempus delinit, poſt autem felle amarius digeritur.* Sanctus Bernardus in ſermone quodam faculæ ſimilitudinem adducit, quæ ardet quidem & ſplendet, ſed in fumum reſolvitur: *Sicut ergo flammæ illius noviſſima fumus occupat & caligo, ſic lætitia in triſtitiam commutatur.*

*Conſcientia redarguit ſemper. — D. Chryſ. Hom. 3 de ver. Iſai.*

16. Divus Chryſoſtomus conſiderat, quod licet nonnumquam caſus dari poſſit, in quo ab homine carnali omnis excludatur jam ſtatim dictorum malorum timor & periculum temporale; ideoque poſſit in talibus circumſtantiis voluptate ſine omni turbatione frui, nec metuere, quod furtivi illius amores aliis innoteſcant, non tamen propter hoc ab omni remorſu futurus ſit liber: *Quin potius ſi tollantur hæc omnia, ponamus nulli notum eſſe flagitium, præterquam ipſi viro & mulieri, quam adulteravit, quomodo feret conſcientiam redarguentem, acerbam & amarulentam accuſationem ubique ſecum ferens.*

*Voluptas crudelis eſt carnifex. — D. Chryſ. de S. Thecla.*

17. Idem D. Chryſoſtomus de ſancta Thecla diſſerens, voluptates carnales carnificibus ſimiles eſſe dicit: *Sunt*, inquit, *crudeliores quidam carnifices corporis voluptates, imo vero carnificibus crudeliores, nam vinculis torquent non manufactis, per oculos animum vulnerant, aſpero flagello intellectum flagellant.*

*Job. 15. v. 16.*

18. De impiis apud Jobum dicitur: *Bibunt quaſi aquam iniquitatem*; quaſi diceret, eadem facilitate qua cyathus aquæ epotatur, eadem impij ad omne genus iniquitatis proclives exiſtunt; Magis tamen proprie in hiſce verbis, ni fallor, ad hominem carnalem alluditur; ſiquidem de illo verum eſt dicere, quod ſicut aqua inſulſa eſt & totaliter inſipida: eodem modo carnales homines ſæpe fornicationis peccata committunt, non tam propter delectationem, quam ut torren-

torrentem ſequantur; & malum exemplum aliorum, vel à malo habitu per iteratos actus acquiſito ſeducti; vel quia ſe ab impudicarum mulierum conſortio divellere non poſſunt.

Vulnerat ſemper.

S. Bern ſer. 59. in Cant.

19. S. Bernardus animam caſtam turturi ſimilem eſſe dicit, quia hæc quando à compare ſuo viduata eſt, numquam in ramo vireſcentis arboris quieſcit: *Quem tempore viduitatis ſuæ numquam in viride ramo reſidentem proſpicies, ut ab eo diſcas, voluptatum virentia velut virulenta vitare*; ubi, ut vides, voluptates virulentas appellat, ſiquidem etiam mundani homines fateri coguntur, quod etiam voluptatibus ſuæ non deſint ærumnæ, ſiquidem Cupido tenſum ſemper arcum habet & paratas ſagittas, quibus non ſolum animas, ſed & corpora laſcivorum cruentat; Unde Spiritus Sanctus duorum illorum Senum Suſannam depereuntium laſcivum amorem deſcribere volens, dicit: *Erant ambo vulnerati amore ejus.*

Dan. 13. v. 10.

Gen. 2. v. 8. Septuaginta.

Voluptas carnis numquam ſine ſpinis.

20. Ubi Vulgata noſtra legit: *Plantaverat Dominus Paradiſum voluptatis*; Septuaginta legunt *in Eden*; nec ſine myſterio, quia ut Anaſtaſius Sinaita inquit: *Eden idem ſignificat, quod ſanguinolentæ deliciæ*: ſed quamnam deliciæ cum ſanguine relationem habent? Eamdem videlicet, quam roſæ cum ſpinis; ſicut enim roſa non decerpitur, quin manus decerpentis pungatur, ita quoque voluptates carnis ſine ærumnarum ſumptu non guſtantur; Et ideo Sanctus Gregorius ſuper illa verba: *Veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem*, dicit: *Sanguine veſtimentum miſcere, eſt deſiderijs carnalibus corpus coinquinare.*

Iſa. 9. v. 5. S. Greg. l. 9. Mor. c. 19.

Eccl. 7. v. 26. Rup. Tuit. l. 4. in Eccl.

Mulier herba eſt Sardonia.

21. Rupertus Abbas Tuitienſis conſiderat, quod Eccleſiaſtes prius dixerit: *Luſtravi univerſa animo meo, ut ſcirem, & conſiderarem, & quærerem, & non inveni amariorem morte mulierem*, unde obſervat, quod Sapiens ille *ſcit, conſiderat, inquirit, ſenſu, arte, ſive labore*; Et tamen poſtea concludat: *Nihil eſſe in omnibus rebus gravius morte, & tamen morte eſt gravior amaritudo mulieris.* Herba Sardonica valde eſt noxia & venenoſa, adeo ut qui illam manducat, moriatur, ita tamen ut ſpeciem ridentis habeat; unde natum eſt proverbium iſtud: *Riſus Sardonicus*: idem vero Rupertus ait: *Fæmina mala vivit amarior Sardonijs herbis; comedens Sardonias herbas moritur ridens, quis ridendo moritur, niſi qui amat, ſive amatur? Sardonia herba occidit ſolum corpus comedentis, mulier amara corpus & animam venenat amantis.*

Rup. Abb. Ibid.

22. S. Baſilius cæpas & allia, quibus Hebræi avide inhiabant, etiam quando cæleſti manna paſcebantur, deteſtans ait: *Revera voluptates corporeæ ſimiles ſunt cæpis & alliis, multum enim pungitivæ acrimoniæ & irritamenti ſuggerunt, inamænam vero graveolentiam, & vix eluibilem immittunt ijs, quorum voragini ſe ſemel ingeſſerint, plurimum lachrymarum conciliant ſuis affectatoribus.* Adultera, ut Divus Chryſoſtomus ait, quemlibet timet: *Omnia pavet adultera, metuit umbras, parietes, famulos, vicinos, hoſtes, amicos.*

S. Baſil. in c. 1. Iſa.

D. Chryſ. Hom. 2. de ver. Iſa.

## DISCURSUS XXVII.

## ARGUMENTUM.

Concupiſcentiam carnalem inſatiabilem, brevemque & momentaneam ejus delectationem eſſe, ideoque pœnarum æternarum pretio minime comparari debere oſtenditur.

## THEMA.

*Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Sapient. 2. ℣. 8.

Luxurioſi inſatiabilitas.

Dion. Cart. Ibidem.

1. LIbidinoſi illi, qui apud Sapientem accelerabant, ut roſis tempora ſua cingerent, priuſquam marceſcant; *Coronemus nos roſis, ut ſic ornati mulieribus magis complaceamus*; iidem, ut Dionyſius Carthuſianus ait, inquiunt: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*; ac proinde in duobus hiſce Scripturæ locis combinatis ad invicem duæ nobis carnalium hominum miſeriæ inſinuantur, ſcilicet carnales ſuos appetitus adimplendi inſatiabilitas, unde dicunt: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*: ad omnem namque impudicitiam anhelant & ſuſpirant, nec tamen umquam ſatiantur, omnia prata pererrare volunt: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*, ideoque omnigenas voluptates tentare & experiri conantur: altera voluptuoſorum miſeria eſt, quod illorum voluptates inſtabiles ſint, tranſitoriæ & momentaneæ, ſintque velut pratum quoddam floridum & vireſcens, mane arrident, & veſperi in fœnum aridum degenerant. Primo igitur loco inſatiabilitatem hujus vitij ponderemus, & poſtea voluptatum ſuarum inſtabilitatem.

Oſe. 4. v. 10.

S. Hieron. Ibid.

2. Apud Oſeam prædicitur: *Et comedent, & non ſaturabuntur, fornicati ſunt, & non ceſſaverunt*; ſuper quæ verba S. Hieronymus ita ſcribit: *Voluptas inſatiabilis eſt, & quanto magis capitur, tanto plus utentibus ſe famem creat; fornicati ſunt, & non ceſſaverunt*: cujus rationem idem S. Doctor aſſignat dicens: *Vires in fornicatione deficiunt, & fornicandi deſiderium non quieſcit*: Eodem modo, ut Albertus Magnus inquit: *Libido inexplebilis eſt etiam viribus deficientibus.* Rupertus Abbas ſuper hunc textum ita ſcribit: *Luxuria cum hominem imbuerit, numquam dicit, ſufficit: & licet ad horam extinguatur ſitis ejus, ſtatim exardeſcit*; ait ergo: *Fornicati ſunt, & non ceſſaverunt, nam & uſque ad decrepitam ſenectutem in cœno libidinis computruerunt.*

Alb. Mag. Ibid.

Rup. Abb. l. 2. in Oſe. ibid.

Hydropiſi ſimilis.

Luc. 14. v. 2. Gloſſa.

3. Unde mortalis hæc impudicitiæ infirmitas hydropiſi aſſimilatur: *Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum*; ubi Gloſſa ait: *Eſt proprium hydropici, quanto plus bibit, tanto plus ſitit, & ideo comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat.* Hugo Cardinalis ſuper illa verba Geneſeos: *Biennium eſt enim, quod cæpit eſſe*, in ſenſu morali famem hanc à manducato in Paradiſo pomo vetito ſuam originem derivare dicit; Hæc autem fames non ſatiatur, ſed in omnibus Adæ poſteris ſenſim creſcente ætate magis magiſque augetur: *Quia ſæculi voluptates non ſatiant, ſed eſuriem provocant.* Tritiſſima enim ſunt illa Poëtæ verba: *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* Ubi per aquas ſenſualitas, ſive luxuria intelligitur; Porro hydropiſis à nimio humore aqueo cauſatur, ac proinde idem Hugo verba illa: *Forſitan aqua abſorbuiſſet nos*, exponens dicit: *per aquam poteſt intelligi carnalis voluptas, quæ multos abſorbet.* Quod ſi vero febricitans aliquis in ſummo febris æſtu poculum aqua nivibus infrigidata plenum exhauſerit, per hoc ſitim ſuam non extinguet, ſed magis accendet ad eum modum, quo faber ferrarius aquam in caminum ſuum conſpergens, flammam augeſcere facit. Dicit autem S. Ambroſius: *Febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra libido eſt.* Deus quidem nonnumquam permittit, ut libidinem quis ſuam expleat, cum hac tamen pœna, ut numquam illam ad ſaturitatem uſque repleat, & exſatiet appetitum, ut amplius ſitire aut deſiderare deſinat, unde apud Jeremiam comminatur: *In calore eorum ponam potus eorum.* Cui veritati S. Gaudentius teſtimonium perhibet dicens: *Stupri aſſiduitas luxuriam carnis non prohibet, ſed accendit, dicente Propheta: Omnes fornicantes, velut ardens clybanus corda eorum.* Audiamus hac de re Auguſtinum, qui libidinem ſuam ſibi quidem prævalere permiſit, ita tamen ut eamdem numquam ſatiarit: *Velle meum*, inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat; quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, at dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*

Gen. 46. v. 6. Hugo Card. Ibid.

Sæculi voluptates non ſatiant.

Pſal. 123. v. 4. Hug. Card. Ibid.

S. Ambr. l. 4. in Luc. 4.

Nec libido.

Jer. 51. v. 39.

S. Gaud. Tr. 13. ad Neoph. in Bibl. T. 2.

Oſeæ 7. v. 4.

Sed magis accendit.

4. Multa à ſacris interpretibus adducuntur myſteria, ob quæ divina Sapientia uxorem Loth punire volens, in ſalis potius quam alterius materiæ ſtatuam eam transformavit? Pro præſenti vero propoſito ſequens ſufficiat reſponſio: Quia enim mulier iſta è Sodoma egrediebatur, dici poteſt, quod eum qui carnis vitio immerſus eſt, præfigurarit, hic enim aquam ſalſam bibere cenſendus eſt, ac proinde ſicut talis quo plus bibit, tanto magis ſitim ſuam accendit, ad eumdem quoque modum homo carnalis quanto magis carnalibus appetitibus obſequitur, tanto vehementius ad novas delectationes carnis appetendas accenditur: *Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ*; atque ideo mulier iſta potius in ſalis quam in alterius materiæ ſtatuam transformata fuit. Salomon quantumvis tanta ſapientia à Deo dotatus, divinoque cultui toto animi conatu deditus fuerit, nihilominus poſtquam ſemel in hoc laſciviæ barathrum præcipitatus fuiſſet, numquam ſaturari potuit, neque ad inſatiabilem ejus appetitum compeſcendum populi ſui mulieres ei ſufficiebant, ſed contra legem Dei, id expreſſe prohibentem mulieres quoque alienigenas ſuperinduxit, quia aquam ſalſam bibebat. Aſſuerus quoque qui centum viginti ſeptem ſceptro ſuo moderabatur Provincias, quadringentas nutriviſſe legitur concubinas. Darius verò trecentas ſexaginta quinque ad libidinem ſuam explendam promptas habebat. Imo quis umquam ex Turcarum Imperatoribus ad illum Gynæcæi ſui numerum pertigit, quem à Salomone ad libidinem ſuam explendam delectum fuiſſe Spiritus Sanctus viridico calamo ſuo nobis deſcribit, ſiquidem is eum ſeptingentas refert habuiſſe Reginas & trecentas concubinas, nec tamen adhuc ſatiari potuit, ſiquidem ipſemet fatetur dicens: *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: Affer, Affer: tria ſunt inſaturabilia... infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non ſatiatur aqua.* Arabicus verò vertit, *amor mulieris.*

Salomonis Concubinæ.

Aſſueri.

Prov. 30. v. 15. & 16.

Euſeb. Emiſſ. Hom. 3. de Epiph.

Luxuria non ſatiat.

S. Zeno l. 1. ſerm. 7.

5. Euſebius Emiſſenus in quadam Homilia dicit: *De luxuria creſcit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat, quia voluptas tranſacta non ſatiat, ſed ſuo uſu magis exercetur vitiorum cupiditas, quam finitur, ac ſolum ſectatorem ſuum numquam conſumit.* Sanctus Zeno de *laudibus pudicitiæ* differens, in deteſtationem luxuriæ inquit: *Libidinum commutatione varia gaudet ſemper, & pœnitet, ad ſatietatem numquam lubrica utilitate perveniens*; Experientia quoque quotidiana nobis clare demonſtrat, quod multi ad turpem ſuam explendam libidinem, per plateas vagentur, variaſque perſcrutentur proſtibulorum domos, & poſtquam ſuam quoad potuerunt expleverint libidinem, non tamen ob id caro eorum ſatiata dicat ſufficit, ſed quotidie nova ſibi ſcorta perquirant, de quibus dici poteſt illud Pſalm: *Famem patientur ut canes & circuibunt civitatem.*

Pſal. 58. v. 7. & 15.

2. Petri 2. v. 14.

Inexplebilis ſitis.

S. Bern. T. 2. ſerm. 52. A. 3. c. 2.

S. Ambr. l. 1. de Abel & Cain c. 15.

6. Sanctus Petrus de laſcivis hominibus loquens dicit: *Quod ſint luxuriantes oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti*; quia carnalis homo numquam deſiſtit, niſi forte caro & corpus ejus ei deficiant. *Numquam ſatiatur, & extincta reaccenditur*, inquit de libidine Sanctus Bernardinus; *Uſu creſcit & deficit, nec rationi paret, quæ impetu ducitur.* Idem quoque in Sancto Ambroſio legimus, qui ait: *Uſu accenditur, nullus peccandi modus, & inexplebilis ſcelerum ſitis ſine morte amantis extingui non poteſt.* Verumtamen nimis parum dixit, quia etiam poſt mortem ſitis illa non deſinit, ſemper enim carnalis homo deſiderat objectum amatum, etiam mortuum, ſemper de illo cogitat, ſibique illud præſens eſſe fingit per imaginationem, complacetque ſibi laſcivus in ſomniis illius & illuſionibus nocturnis. *Inexplebilis ſitis.* Idem quoque Sanctus Præſul ſuper Lucam de filio prodigo fameſcente, *Cæpit egere*, ſcribens, hanc ad propoſitum noſtrum inde eruit moralitatem: *Egere ideo cœpit, & famem pati, quia nihil prodigæ ſatis eſt voluptati.* Sanctus Ephrem exhortans nos ut adverſus turpes ſpiritus fornicationis inſultus viriliter decertemus, hac phraſi loquendi utitur: *Reſiſte menti concupiſcentiæ, ut flammam quæ numquam extinguitur, effugere queas*; Quæ ultima verba licet de igne infernali intelligi queant, alium tamen ſenſum quoque habere poſſunt, intelligendo illa de inextinguibili hujus vitij igne, qui numquam ſaturatur.

S. Ambr. l. 7. in Luc. c. 15.

Luc. 15. v. 14.

S. Ephr. T. 1. de pug. carn. c. 3.

Luxuriæ brevitas.

Sap. 2. v. 8.

7. Alia conditio, quam concupiſcentiam & voluptatem carnalem habere diximus, eſt momentanea illius brevitas: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*; ubi notandum eſt, quod Sapiens de voluptate carnali loquens, utatur hoc verbo: *Pertranſeat*; quod ſonat per modum tranſeuntis hanc voluptatem ſe habere, non verò *permanentis*: *Coronemus nos roſis antequam marceſcant, utamur creatura tamquam in juventute celeriter, non prætereat nos flos temporis.* Ad idem quoque propoſitum valde myſtica ſunt illa Tertulliani verba dicentis: *Qui cogitabant interdum unde cecidiſſent, & poſt libidinum vaporata momenta cælum ſuſpirabant. Mundus tranſit*, inquit S. Joannes, *& concupiſcentia ejus.* Et Boëtius in Poëmatibus ſuis dicit:

Ibid. v. 6. & 7.

Tertull. de habit. mul. c. 1.

1. Joan. 2. v. 17.

Boët. de conſ. Phil. Metr. 7.

*Habet hoc omnis voluptas*
*Stimulis agit furentes,*
*Apiumque par volantum*
*Ubi grata mella fudit*
*Fugit, & nimis tenaci*
*Ferit icta corda morſu.*

Fugacitas.

S. Aug. ſer. 3. de Nat. Dom. T. 10.

Iſa. 40. v. 6.

Luc. 12. v. 28.

8. Nihil eſt voluptate carnis fugacius; Unde digna ſunt illa Sancti Auguſtini verba quæ conſiderentur: *Delectatio occidit, & præterijt, vulneravit, & tranſijt, miſerum fecit, & abijt, infelicem reddidit, & reliquit.* Et vero quamobrem carnem fœno comparari exiſtimas? *Omnis caro fœnum*; Ratio eſt, quia *hodie eſt, & cras in clibanum mittitur.* Quod ſi matutino tempore prata perambulans contempleris, illa omni ex parte germinantia & florida eſſe conſpicies, quæ tamen eadem ſi veſperi repetas in fœnile quoddam converſa eſſe reperies. Unde D. Chryſoſtomus Hom. 45. in Joannem inquit: *Quænam quæſo voluptatum utilitas? hodie ſunt, & cras elabuntur, hodie flos pulcherrimus, cras aridus pulvis.*

Ioan. 2. v. 1.

Inſtabilitas.

9. In Evangelio Joannis dicitur: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ*; Sed cur potius eo in loco, & non alibi? Nimirum ad denotandum, quod nuptiæ & voluptates carnis fugaces exiſtant; *Galilæa enim Transmigratio interpretatur*, inquit Lyranus. Sanctus Leo quoque voluptates veloces & breves appellat: *Brevia & caduca ſunt terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos à ſemitis vitæ conantur avertere.* Sanctus Auguſtinus voluptati velut alas affigens, eamdem ſignificanter *volaticam* appellat, dum quemvis Chriſtianum hiſce verbis alloquitur: *Non vocatus es ad felicitatem terrenam, ſed cæleſtem; non ad temporales ſucceſſus, & proſperitatem volaticam & tranſitoriam, ſed ad æternam cum Angelis vitam.* Quibus in verbis ſpecialiter notandum, quod felicitatem mundanam *volaticam* vocet, cum tamen divitiæ, dignitates, & deliciæ ſæpe per multorum annorum decurſum ſtabiles eſſe videantur; quanto igitur majori cum jure voluptates carnis hoc nomine merebuntur inſigniri, quæ in momento tranſeunt, & roſæ ſimiles exiſtunt, de qua ſuperius ex mente S. Baſilij diximus: *Nondum ab illarum collectione domum reverſi ſumus, & ecce in ipſis adhuc manibus noſtris marceſcunt.*

Lyranus Ibid.

S. Leo ſer. 2. in anniv. die Aſſumpt.

S. Aug. ſer. 106. de diverſ.

S. Baſil. Hom. de Parad.

D. Chryſol. ſerm. 8.

Spumis aſſimilatur.

10. Ingenioſum eſt illud epithetum, quo Sanctus Chryſologus ad noſtrum propoſitum utitur, dum ait: *Devictis voluptatum ſpumis.* Videbis nonnumquam in quodam aquarum gurgite candidas & tumidas aquæ ſpumas, ſed ſubito diſparent & evaneſcunt. Addit inſuper: *Superatis vitiorum fluctibus.* Undæ autem vix extolluntur in altum, cum ecce ſubito ſubſidere conſpiciuntur, nec ullam habent ſoliditatem & ſubſiſtentiam. S. Gregorius ait: *Quiſquis carnalibus deſiderijs anhelat, quid aliud quam vermem amat?* Cujus ſententiæ occaſione incidit mihi hædera illa, quæ Jonam ab ardentiſſimis ſolis radiis per umbram defendit; Quæ quidem ſicut ſubito excrevit, ita quoque pari cum velocitate exaruit; ſed qua ratione id contigit: *Paravit Deus vermem aſcenſu diluculi, & percuſſit hæderam & exaruit.* Hugo Cardinalis ſuper illa verba Pſalmiſtæ: *Lætabitur juſtus in Domino*, ſubjungit: *Non in via præſentis jucunditatis, non in Jonæ hædera, quæ ſub una nocte nata ſub una nocte perijt.* Porro ſiccitatis hujus artifex vermis fuit, qui partus eſt corporis, quia ex carne naſcitur, dum putreſcit & corrumpitur, ac proinde voluptatem carnis repreſentat, quæ omnem quam inde habemus fruitionem inturbitat & deſinere facit, nam ut Sanctus Bernardus *de interiori domo* dicit: *Mala conſcientia voluptatum aſſiduus vermis eſt.* Chryſoſtomus ad hanc fugacitatem ſe reflectens dicit: *Deliciarum voluptates nondum recte advenerunt, & dicto citius avolarunt.* Seneca ad Polybium ſcribit: *Cito nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & tranſit, & pene antequam veniat aufertur.* Sanctus Bernardus quoque alibi dicit: *Quam fallax & deluſoria ſit illa pernitioſa felicitas, quam plerique in carnis voluptate conſtituunt in libro ſapientiæ legitur inceſſanter, dum cito præterit, quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat, ſed de talibus lugendum potius cenſeo quam loquendum.* Sanctus Propheta Job dicit: *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, vel ut Cajetanus ex Hebræo vertit: *Gaudium impiorum*; Ubi Dionyſius Carthuſianus ait: *Omnis delectatio carnalium velut imperceptibile punctum, celerrimumque momentum eſt, reſpectu infernalium æternalium acerbiſſimorum ſuppliciorum, momentaneum quod delectat in mundo, æternum quod cruciat in inferno.* Imo & Tullius author gentilis ait: *Amores celeriter deflorеſcunt.*

S. Greg. l. 16. mor. c. 19.

Jonæ hædera.

Jona 4. v. 7.

in Pſal. 63. v. 11. Hugo Card.

S. Bern. de inter Dom.

D. Chryſoſt. Hom. 1. in Geneſ.

Seneca ad Polyb.

S. Bern. de charit. c. 15.

Job 20. v. 5.

Dion. Cart. Ibid.

Tullius pro Cælio.

Apoſtrophe.

11. Audiamus hac de re quæ ſancti Patres carnalibus hominibus objiciunt improperia; Hi enim capere non poſſunt, quod homo à voluptatibus ita faſcinetur, ut pro breviſſima delectatione ſeſe pœnis ſempiternis addicere non formidet. Sanctus Bernardus inquit: *Quid vilius ô nobilis creatura, imago Dei, Creatoris ſimilitudo, quam carnem tuam illecebris carnalibus deturpare, & pro brevi voluptate, torrentem perdere voluptatum.* Sanctus Auguſtinus pariter hiſce verbis eoſdem exagitat: *Quanta iniquitas, quanta perverſitas eſt, ut animam quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, luxurioſus quiſque propter unius momenti delectationem libidinis, diabolo peſſimo inimico*

S. Bern. de 7. grad. Confeſſ.

S. Aug. de honeſt. mulier. c. 3.

S.Bern.in ſent.

*mico ſuo vendat?* Sanctus Bernardus delectationes hujusmodi dulcedines *horarias & momentaneas* appellat: *Poſt dulcedines horarias & momentaneas ſuavitates ad ſempiternas amaritudines deferuntur. Tranſit jucunditas numquam reditura, remanet anxietas non relictura.* Sanctus Auguſtinus quoque in eodem ſermone dicit: *Quod putatur dulce modo ſatis eſſe in brevitate temporum, quam amaram erit in ignem æternum? quam gravi & perpetua pœna punienda erit brevitas delectationis?* Sanctus Epiphanius nos monere volens ne ab hujus illecebroſi ſexus dulcedine nos decipi ſinamus, hanc aſſignat rationem: *Mel enim è labijs meretricis deſtillat, quod breviſſimo tempore guttur tuum leniens, poſtea felle amarius invenies.* Hugo Cardinalis ſuper illa verba: *Inveni amariorem morte mulierem*, hanc illius dicti adducit rationem: *Cum mors tantum ſeparet animam à corpore; mulier ſeparat Deum ab anima, & ita aufert ab anima dulcedinem vitæ ſpiritualis. Amaritudo mortis momentanea eſt, amaritudo mulieris æterna, & ideo major.* Plutarchus hanc Lyſimachi recenſet lamentationem: *Cum inter Getbas ſiti conſtrictus ſeſe pariter atque exercitum hoſtibus dediſſet, ac deinde frigidam bibiſſet aquam; Dij boni, inquit, quam brevis voluptatis cauſa magnam depoſui felicitatem?* Sanctus Auguſtinus laſcivum alloquens dicit: Tibine amarum videtur dulcedinem dimittere voluptatis; & bibere calicem mortificationis, & macerationis corporalis? *Potio iſta ſi amara eſt, accipiatur, quia in periculo ſunt viſcera; amara eſt, bibatur, melior eſt modica amaritudo in faucibus, quam æternum tormentum in viſceribus.* Idem quoque Sanctus Doctor in Tractatu quodam, cui titulus eſt: *De conflictu vitiorum & virtutum*, ita ſcribit: *O quam parva eſt concubitus hora, qua perditur vita æterna, quod ergo emolumentum affert corpori, quodque tribuit lucrum, quod tam cito duxit animam ad tartarum?*

S.Aug.ſer. 7.de temp.
S.Epiph.l.3. adv. hæreſ.
Sap.2.v.8. Hug.Card.
Plutarch.l. de tuenda valet.
S.Aug. de 7. Charidis c.9. t.9.
S. Aug. T.9. Tr.19.

## DISCURSUS XXVIII.

### ARGUMENTUM.

**Ad reſtinguendum luxuriæ ignem ſingulare remedium eſt, ignem cogitare & infernum.**

### THEMA.

*Vindicta carnis impij ignis & vermis.* Eccl.7.℣.19.

Luxuriæ remedium. Marc.9. v.46.& 47.

1. SAlvator noſter, ut in Sancto Marco legitur, laſcivo homini hoc unicum præſcripſit antidotum, ut ſcilicet inter medios libidinis ardores pœnas memoraretur æternas: *Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum, bonum tibi eſt luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*: quibus verbis carnalem hominem Dominum noſtrum erudire voluiſſe manifeſtum eſt, quia oculi ſunt duces ad committendas fornicationes, adulteria, & ad quasvis alias carnis voluptates conſectandas, unde Sanctus Petrus laſcivos dicit habere *oculos plenos adulterij*. Quibus proinde, ut ab hoc vitio deterreantur, unicum hoc ſufficit remedium, ſi videlicet monitum hoc Eccleſiaſtici conſiderent: *Vindicta carnis impij ignis & vermis.* Unde Sanctus Ephrem ait: *Quando efformare tentationem dæmon incœperit, & in mente tua & cogitatione depingere pulchritudinem mulieris, quam aliquando conſpexiſti, vel quid ſimilium, tibi adducito in medium timorem Dei, & memineris illorum qui in ſepulchro dormiunt, cogita diem tui hinc exitus, conſidera formidandam & tremendam vocem: Diſcedite à me maledicti, conſidera vermem non quieſcentem.* Ideo etiam Sanctus Job de pœnis infernalibus diſſerens ait: *Uſque ad inferos peccatum illius ... dulcedo illius vermes*: quia voluptates & delectationes carnales vermem parient inextinguibilem, qui vulturis inſtar cor & conſcientiam malam voluptuoſi hominis corrodet; Cujus vermis Chriſtus in præfato capite Marci trinam facit mentionem, illumque ſemper igni & flammæ infernali aſſociat: *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

S.Ephr. Paran.37.t.2.
Job 24.v.19. & 20.
Marc. 9. v.43.

Recordatio gehennæ.

2. In vita S. Antonij à S. Athanaſio deſcripta legitur, quod ſpiritus fornicationis cum omnibus aſſeclis ſuis in immaculato Antonij corde concupiſcentiæ carnalis flammam pro viribus excitare conatus fuerit, ſed fruſtra: *Per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta laſciviæ.* Sed quonam Sanctus hic Abbas ad turpia illa à ſe depellenda phantaſmata utebatur remedio? *Hic ultrices gehennæ flammas & dolorem vermium recordans ingeſtæ ſibi libidini opponebat.*

S.Athan.c.4. vitæ S. Antonij.

P.Rho.var. virt.hiſt.l.7. c.1.§.11. Exemplum 1.

3. P. Rho in ſuis variarum virtutum hiſtoriis de Capucino quodam, cui nomen erat Laurentius Fucci, refert, quod quia is Forolivij gravibus invectiuris contra peccatum carnis detonarat, hinc quædam impiorum & laſcivorum hominum fæx, quæ inter ſe contra ipſum conjurarat, nocte quadam in conclave, in quo ipſe concionum ſtudio incumbebat, conductam quamdam introduxerint meretricem, quæ cum ad carnis peccatum ſolicitaret, ſed quibusnam armis defenſivis ipſum in periculoſo illo certamine uſum fuiſſe exiſtimatis? *Ubi flammam circa ſe animadvertit, libris intentus immotusque ac ſi nihil acturus eſſet, ſcorto ne quidem appellato, digitum lucernæ flammæ admovet, conſtanterque in illa habet, donec caro difflueret, incredibili animi pariterque corporis patientia;* Nimirum illo medicorum aphoriſmo uti voluit, quo dicitur: *Ignis igni remedio eſt*; Cui conſonat illud S. Bernardi effatum quod in *libro de modo bene vivendi* his verbis tradit: *Ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ, major ardor minorem ardorem ſuperet, ſtridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis.*

S.Bernard. ſerm.25. de modo bene vivendi.
Ribad.in vita S.Martiniani. Exemplum 2.

4. Similis huic hiſtoria de S. Martiniano Martyre legitur, qui poſtquam viginti quinque annis in deſerto commoratus fuerat; ibidemque pluribus patratis miraculis, & obtentis adverſus communem humani generis inimicum, qui ſæpius cum ipſo viritim decertaverat, glorioſis victoriis inſigniter effulſerat, cum in urbe Cæſarienſi die quodam de eminenti ipſius, tamquam divini potius quam humani viri ſanctitate ſermo haberetur; publica quædam meretrix Zoe nomine, ſe illum laqueis ſuis irretituram eſſe, coram omnibus jactabat, dicens: Nequaquam in ipſo caſtitatem ejus illibatam mirandam eſſe, utpote qui nullas in deſerto mulieres umquam conſpexerat, cæterum verò infallibiliter ad carnis lapſum flectendum, ſi ipſa ſe coram oculis ejus ſpectandam ſiſteret. Domum itaque abiens, omni ſe veſtimentorum ornatu pretioſo exuit, eumdemque concinne complicans, in ſarcinulam compegit; aſſumptaque rudi quadam virili veſte, ſuccinctisque craſſo fune renibus, ad ſolitudinem illam, in qua Martinianus demorabatur ſe recepit, ubi cum ſub noctis crepuſculum appuliſſet, flebili voce, ut ſibi comparteretur, rogavit, utpote quæ peregrina exiſtens, à rectæ viæ tramite aberraſſet, nunc verò ob continuum pluviarum imbrem, & denſas noctis tenebras à feris ſe devorandam eſſe metueret; Quibus verbis Martinianus commotus eam in tugurioli ſui hoſpitium benigne excepit, Deo interea ſe efficaciter commendans, ut ſibi aſſiſtere, ſeque ab omni fraudulenta tortuoſi ſerpentis aſtutia protegere non dedignaretur: Accenſoque igne illam aſſidere juſſit, & appoſitis reſiduis ſibi dactilis quibusdam refecit, juſſitque ut alterius diei ſummo diluculo ad reliquum itineris conficiendum ſe accingeret, ipſe vero in aliud quoddam tugurij ſui cubile concedens, totam noctem in oratione & Pſalmis inſomnem tranſegit, licet non ſine variis ei à dæmone, quoad ſuſceptam hoſpitem, ſuggeſtis impuris cogitationibus; Exurgente vero aurora Sanctus Eremita è cella ſua egreſſus, ut eam dimitteret, ipſam pretioſis veſtibus & mundo muliebri eleganter ornatam, ſibique læto & blando vultu arridentem conſpiciens, ipſam phantaſma quoddam eſſe ſuſpicari & metuere cœpit: ideo quænam eſſet percunctabatur, quæ ſe eamdem eſſe, quæ heri in veſte vili & abjecta ab eo hoſpitio excepta fuerat, ipſique gratias actura pariter eas verborum, obtutuum, & geſtuum illecebras adhibuit, ut Sanctus ad eam propinquius conſiderandam accedens, manus ejus non ſine ſenſualitatis titillatione & pruritu contrectarit, interiusque in peccatum cum ea committendum conſenſerit, prius tamen eremitorium egreſſus, ut videret, ſi forſitan viatorem conſpiceret, per quem flagitium detegeretur, interius confeſtim cæleſtem quemdam ſenſit impulſum, qui ei evidens oſtendebat præcipitium, quod ei imminebat, quo agnito periculo, pœnitens cellam ſuam reingreſſus eſt, & quia *ignis igni remedium eſt*, accenſum ex ſarmentis ſubitaneum ignem nudis pedibus ingreſſus eſt, in eoque permanſit, donec bona pars corporis ab igne ambuſta eſſet, ac demum poſt aliquod temporis ſpatium his verbis ſe allocutus eſt: Quid tibi videtur Martiniane? tibine hic ignis commodus & tolerabilis eſſe videtur? etiam cum modico illum tempore paſſus fueris. Quod ſi igitur te ignem inferni

in



in ſempiternum æquanimiter ſuſtinere putes, accede ad mulierem hanc, quæ via eſt, ut ad illum pervenias. Recordare ſupplicij æterni, & vermis qui numquam moritur, nec non ſtridoris dentium & ululatuum, qui ibi ſine fine audientur; Denique dæmoniorum, qui in ibi animabus cruciandis numquam fatigabuntur; Quibus dictis in ignem denuo inſilivit, ut vehementius arderet, rogans Deum, ut peccaminoſum illius peccati committendi à ſe admiſſum conſenſum ei miſericorditer ignoſceret. Quo viſo ſpectaculo, Zoë detractas ſibi pretioſas veſtes in eumdem ignem projecit comburendas, veſtibusque priſtinis peregrinæ pœnitentis induta, cum ſingultibus & largo lachrymarum imbre ſibi ad illam laſcivam vitam numquam quoad viveret, reverti propoſuit; Unde ex Sancti illius Eremitæ conſilio, in Bethlehem profecta eſt, ibique in Monaſterio quodam benigne ſuſcepta vitam auſteriſſimam & ſanctiſſimam duxit, multisque patratis miraculis vitam clauſit: *Ecce* igitur *vos omnes*, inquit Iſaias, *accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis*; Quotiescumque enim ab igne carnalis concupiſcentiæ nos ſuccenſos eſſe ſentimus, ex conſiderato igne infernali animabus noſtris lucem quamdam accendere poſſumus, quo concupiſcentiæ ignem evadere valeamus, & ideo ſi culpam adeo illecebroſam & lenocinatricem evitare velimus, ad pœnam ignis æterni animum noſtrum dirigamus; *Gehennæ ignem*, inquit Divus Chryſoſtomus, *flammis libidinis oppone, ut ignis igne extinguatur.*

Iſa.50. v.11.
D.Chryſ. de reparat. lapſi.

Thomas Cantipr.l.2. c.40.n.45. Exemplum 3.

5. Thomas Cantipratenſis de inſigni quodam Prædicatore Hiſpano Ordinis Prædicatorum, qui Sancti Dominici in propaganda ejus nomine Religione magnus coadjutor exiſtens, *Opinione Sanctitatis & gratia acceptiſſimus erat Regi Caſtellæ, & nobilibus univerſis*, refert, quod meretrix quædam Regi & regni proceribus de hoc pientiſſimo viro dixerit, illum revera tanta ſanctitate nequaquam eſſe conſpicuum, quantam ipſi de eo, & alij paſſim præſumerent; Quot ut re ipſa verum eſſe oſtenderet, in ipſorum præſentia ſe illum intra illecebrarum ſuarum laqueos irretituram, & lapſum ejus certo procuraturam eſſe promiſit. Cumque Rex illam acriter reprehenderet, ipſa tanto ardentius ſe ſub reatu mortis obeundæ ſi falleret, verborum ſuorum fidem & experientiam præſtituram eſſe promiſit. Ac tandem technarum ſuarum fraudes hunc in modum machinata fuit; Die quodam cum vir Dei in maximis prædicationis ſuæ conſiſteret ardoribus, ipſa in conſpectu totius populi ad ejus ſe pedes, velut altera Magdalena pœnitens proſtravit, lachrymisque madeſcens ſingultibus & ejulatibus replevit templum: Quod Sanctus Prædicator ille ſummo cum gaudio videns ex compaſſione animique teneritudine amarè flevit & ipſe, auditaque per multos dies ejus confeſſione, veſtes & mores laſcivos eam deponere fecit: *Simulata in omnibus humilitate & obedientia per multos circuitus flexuoſos, quos antiquo ſerpente docente tentaverat, ad illud tandem inauditi doli tendiculum convertit ingenium. Flevit diebus multis, nec ullam lacbrymarum cauſam extorquere potuit vir beatus, donec ille promitteret, ut erat innocentiſſime ſimplex, in ſubventionem ſalutis illius totaliter ſe daturum. Ad hanc itaque vocem meretrix cum clamore valido & lacbrymis: O Deus, inquit, Omnipotens, ubi hæc miſerrima meruit, utpote voto tantum ſervum tuum in ſalutem meam ad omnem libitum obtinerem. Et ille: Audacter, inquit, pete quod vis, & fiet. Et illa: Verè, inquit, nunc ſcio, quia mei miſertus eſt Deus. Unum reſtat, quo peracto, parata ſum & in mortem & in pœnam ire, & quæcumque præceperis experiri. Cui ille: Quid eſt hoc? inquit; Et illa inclinato vultu ſuſpirans, quo nihil minus quam meretrix viliſſima putaretur: Verecundor, inquit, dicere, quod tamen vita comite vitare non poſſum; Niſi enim vice ſola tuo fruar concubitu, meæ ſalutis aut vitæ ſpes eſſe non poteſt. Mox ille dolum vipereæ mentis intelligens: Nec hoc, inquit, fruſtraberis, eſto erecta. Et his dictis aſſignavit ei locum, quo ſummo mane cum ſolum poſt dies quatuor inveniret. Intermedijs igitur his diebus Vir beatus in oratione continuus pernoctabat, mulier verò Regi & ſuis, quid actum ſit, occultè indicat, jubens eos ſuum introitum obſervare. Quid plura? Stupefacto Rege cum ſuis, quid futurum ſit præſtolatur. Sanctus vir Dei à media nocte ad inſtar lecti ex carbonibus ignem in cella paraverat. Mane ergo pulſante ad oſtium muliere, intromiſit eam, baculoque confricans ignem, ut magis igneſceret, mox ſuper vivos carbones ſe depoſuit dicens: Ecce lectus tali opere dignus, hic cuba mecum, alium non habebis. Hoc ut vidit mulier quaſi mortua cecidit; milites verò Regis ex inſidiis irruentes, beatum Virum ſine aduſtione aliqua corporis, aut veſtis, in medijs ignibus, mulierem autem irrigidatam ad parietem quaſi mortuam invenerunt. Horrore igitur & admiratione confuſi, flexis genibus rogant ab igne ſurgere ſanctum Virum, & ſtultis ſuis præſumptionibus indulgere. Quo facto extrahunt cum furore miſerrimam, & niſi beatus ille inſtantiſſime fuiſſet ei in præſidio, illam ſtatim, jubente Rege, ignibus concremaſſent.* Bene igitur Sanctus Iſidorus luxurioſis inculcat dicens: *Propone tibi adverſus præſentes carnis ardores futuri ſupplicii ignes, ſuperet æſtum libidinis recordatio æterni judicij, memoria ardoris gehennæ ardorem excludat luxuriæ; fornicationis pœnam metus gravioris ſupplicij vincat, fortior dolor dolorem minorem exceperit.*

S.Iſid.l.1. Synonym.

6. Dæmon inſigni innumerabilium animarum lucro, quas Seraphicus Franciſcus Deo lucrabatur, invidens, laſcivam quamdam fæminam extimulavit, ut Sanctum Franciſcum ad carnis lubricitatem pelliceret; Cui Sanctus ſe illi conſenſum ſuum daturum eſſe ſpopondit, cum hoc tamen pacto, ut penes ipſum ſtaret lecti locum & qualitatem eligendi poteſtas; ac proinde ſuper pavimentum accenſos fecit ſpargi carbones, ſeque illis ſine ulla corporis, imo nec veſtium læſione ſuperimpoſuit, invitando fæminam tentatricem, ut ſi luberet, in eodem ſecum concumberet; quo miraculo mulier illa compuncta & converſa eſt ad pœnitentiam. Unde conſilium Rabani eſt: *Cum cœperit anima ad delectationem carnis inclinari, oportet timorem judicij ad mentem reducere, pœnasque infernalium, ubi nemo niſi obnoxij retruduntur.*

Raban.l.6. c.3.pœn. ſat. l.17.

P.Rho.ib. c.2.§.13. Exemplum 5.

7. P. Rho de Antonio Caraffa, qui poſtea factus eſt Cardinalis, refert, quod in ſua juventute ſe in hoc moleſto laſcivientis carnis bello generoſe geſſerit, cum enim nonnulli in ejus cameram pulcherrimam quamdam in ejus abſentia introduxiſſent mulierem, eique ingens decreviſſent præmium, ſi juvenem in ſuam pelliceret libidinem: Ille autem mox ut cameram ingreſſus ſcortum hoc vidiſſet, ſervos advocavit, qui tamen etiam à facinoris illius authoribus juſſi fuerunt Domino vocanti nec quidquam reſpondere; Quare caſtus adoleſcens ſe intra cameram cum impudica hac fæmina recluſum videns, peſſimum caſtitati ſuæ inſidiantium ſubodoratus conſilium, recordatusque pridie in eadem camera ignem extructum fuiſſe, nil dubitans ex præcedentis diei igne aliquas adhuc ſuperfuturas reliquias, *ad illum accurrit, batilloque uſus ingenti cineris nube, atque ardentium adhuc prunarum grandine petulantis ac caput inſtantis mulieris, os, crines, ſinum implet, ac ſemi-uſtulatam egregiè fugat. Meruit caſtiſſimus adoleſcens divinorum librorum ſcientia poſtea inclareſcere.*

Exemplum 6.

8. In vita Sanctæ Birgittæ de quadam ejus pediſſequa legitur, quod cum impudico erga juvenem quemdam amore exarſiſſet, cum eodem de conventu quodam certa noctis hora inſtituendo pepigerit, cumque illa ad prædictam horam in loco condicto venire non potuiſſet, eo quod ſe è camera Sanctæ Birgittæ, non niſi eadem dormiente, proripere non auderet, contigit quod in illa dilationis mora, qua amaſius illam expectabat, ipſa à Deo in mente ſua ab appetitibus ſuis turbata, per cæleſtis gratiæ radium illuminata fuerit, atque ad ingens infernalis ignis ſibi accerſendi periculum, in quod ſe exponebat, ſerio reflexerit, cumque ad probandum, an ignis infernalis ardorem toleraro poſſet, pedem ſuum lumini ardentis candelæ proximè admoviſſet, magnum & intolerabilem illum dolorem ſufferre nequaquam ſuſtinens, ſenſit fornicationis tentationem paulatim à ſua vehementia deſiſtere, ac tandem perfectè reſipuit. Sancta Birgitta, quæ hæc omnia in ſpiritu prævideret, diluculo ſequenti pediſſequæ ſuæ ad ſe accerſitæ cuncta ſeriatim recenſuit, dixitque, Deum in generoſæ hujus actionis mercedem hanc illi deinceps perennem indulſiſſe gratiam, ut reliquo totius vitæ ſuæ tempore nullos umquam carnis ſtimulos pateretur, eamque inſuper à pœnis inferni exemptam declaraſſe; moxque illa pedem ſuum ab ardentis candelæ lumine vehementer læſum adeo perfectè deprehendit ſanatum, ut ne ullum quidem in eo præcedentis læſionis ſupereſſet veſtigium.

Did. Stella in Luc.c.15.

6. Didacus Stella proinde aptè ad propoſitum noſtrum loquitur, dum ait; *Durum fortaſſè tibi videbitur*

*tentationi*

*tentationi reſiſtere; durius tamen mitti in ignem ſempiternum videri debet: Qui non caverit ab igne luxuriæ, ignem inferni cavere non poterit.*

2. Cor. 12. v. 7. Ibid. v. 8. Ibid. v. 9.

10. Sanctus Paulus in Epiſtola ad Corinthios conquerebatur dicens: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ*; Et ut ideo ab his ſtimulis & motibus carnis, quos invitus ſufferebat, liberari poſſet, inceſſanter Deum rogavit: *Propter quod ter Dominum rogavi*, nec tamen eum quidpiam à Deo obtinuiſſe conſtat, ſed Deus illi reſpondit: *Sufficit tibi gratia mea.* Scitiſne hujus rei myſterium? nimirum antidotum quoddam habebat, & antidotum potentiſſimum; Quodnam illud? Nimirum Sanctus Paulus continuo ſibi è latere aſſiſtentem videbat Angelum Satanæ, adeoque oculos ſuos in ignem gehennæ ſemper defixos habebat: *Angelus Satanæ colaphizat me*; idque ad eum in pudicitia conſtantem obſervandum, & ne laſciviæ ullum conſenſum præberet, abunde ſufficiebat.

Contra luxuriam antidotum gehennæ meditatio. Ibid. v. 7.

11. Chriſtus inquit: *Sint lumbi veſtri præcincti*; Ubi Sanctus Gregorius ait: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*, verumtamen ad virtutem hanc continentiæ illibatè in nobis conſervandam, immediatè adjungit: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris*; Ecce tibi unionem ignis ardentis. Sanctus Ephrem in quodam ſermone cui titulus eſt: *Attende tibi*, hoc nobis tradit conſilium: *Dum flamma concupiſcentiæ ureris, revoca tibi in mentem ignem inextinguibilem, ac vermem numquam ceſſaturum, & è veſtigio membrorum extinguetur incendium.*

Luc. 12. v. 35. S. Greg. Hom. 13. in Evang. Luca. 12. v. 35. S. Ephrem ſer. Paran.

12. Sanctus Gregorius textum illum Deuteronomij: *De vinea Sodomorum uva fellis &c.* adducens, per vineam hanc delectationem carnis intelligit, quæ ad ignem nos pertrahit: *Unde apte nimis ejusdem vineæ fructus exponens, uvam fellis & botrum amariſſimum dixit: Uva quippe in viſu eſt, fel in ſapore, viſum oblectans, guſtum amaricans, quia nimirum reprobæ menti valdè placet quod concupiſcit, ſed in æterna pœna, quod ſibi modo eſt dulce amareſcit.*

Deut. 32. v. 32. S. Greg. l. 4. c. 4. in 1. Reg. c. 9.

13. In Annalibus Eccleſiaſticis de Rege quodam Navarræ, qui Carolus Malus vocabatur, hæc verba leguntur: *Ferunt dum fractas nimiis libidinibus corporis vires vini ſtillatitij perfuſione recreare nitebatur, correpto linteo caſu rapido flamma tortum fuiſſe, atque inter magnos cruciatus æterna incendia prægustaſſe.*

Rayn. Ann. 1587. n. 10. Hiſtoria tragica.

14. In Exodo ſequens præceptum à Deo duobus fratribus datum fuiſſe traditur: *Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cælum coram Pharaone: ſitque pulvis ſuper omnem terram Ægypti; erunt enim in hominibus & jumentis ulcera & veſicæ turgentes.* Rupertus Abbas in ea eſt opinione, quod plaga iſta ſeptimo præcepto correſponderit: *Non mœchaberis*: quisquis enim illud transgreditur ignem ſecum portat: *Tollitur & ſpargitur in cælum cinis de camino, ſiuntque ulcera veſicarum turgentium de jumentis & hominibus, quia rapitur mœchus de perpetrati adulterii incendio ad cæleſte judicium, & æterna pœna turgens, totuſque ulceroſus, ſempiternum in anima & corpore portat incendium.*

Exod. 9. v. 8. & 9. Luxurioſi incendium habent in corpore & anima. Ibid. v. 9. Rup. Abb. l. 1. in Exod. c. 36.

15. In libro ſecundo Paralipomenon de ſimulachro Priapi dicitur; quod *omne contrivit, & in fruſta comminuens, combuſſit in torrente Cedron.* At verò numquid illud in pulverem redegiſſe ſufficiebat? Cur igitur illud inſuper igne combuſtum fuit? Nimirum quia tale ſimulachrum erat, quod peccatum carnale repræſentabat, ad quod exſcindendum & abolendum, nullum eſt potentius medium quam ignis. Sciendum verò eſt, quod ut ſcribit S. Hieronymus: *Ajunt comminutum clam voluiſſe projicere, quod Dominus ut patefaceret, in torrente Cedron ex aqua ignis proceſſit*; Hoc etenim vitium ignis quidam eſt, cujus pabulum & alimentum eſt gula & ebrietas, flamma turpitudo, cinis immunditia, ſcintillæ obtutus & verba laſciva, fumus denique infamia.

2. Paral. 15. v. 16. Luxuria ignis eſt. S. Hieron. c. 3. extr. in Par.

16. Beatus Petrus Damianus de Beato Dominico Loricato differens, poſtquam auſteritates illius corporales in Epiſtola quadam recenſuiſſet, ſubjungit: *Eant nunc qui carnis ſuæ delectantur illecebris, medullas abſorbeant voluptatum, & occiſionis victimæ ad æternum nutriantur incendium.*

B. Petr. Damian. l. 1. Ep. 19.

## *DISCURSUS XXIX.*

## ARGUMENTUM.

Meditatio ſepulchri, quod carnem noſtram in putredinem, vermes, & cinerem redigit, ad deteſtandam omnem delectationem carnalem omnipotens eſt remedium.

### THEMA.

*Vocatuſque eſt ille locus, ſepulchra concupiſcentiæ.* Num. c. 11. ℣. 34.

Luxuriæ remedium meditatio ſepulchri. Num. 11. v. 33. Lyran. in lib.

1. CUm populus ille guloſus recordatus qualiter in Ægypto *ſedebat ſuper ollas carnium*, manna faſtidiens carnes appetiviſſet; Deus quidem has illis in abundantia ſubminiſtravit, at vero caro illis hæ carnes pretio ſteterunt, quia *ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis*; Lyranus inquit: *Percutiebantur igne gehennali*; unde formare licet argumentum à minori ad majus; ſi hi qui carnes animalium ad ſui nutrimentum appetunt, igne infernali ſunt caſtigati, quanto magis homines carnales rei erunt gehennæ ignis, qui contra omnem legem, divinam & humanam carnalibus & impudicis voluptatibus ſaturari appetunt? Quod vero nobis in præſenti diſcurſu vel maximè ponderandum venit, hoc ſolum eſt, quod ad carnalem concupiſcentiam reprimendam, tumulos, ſepulchra, & mortuorum feretra aſpicere ſufficiat, noſtriſque non tam corporis quam animæ oculis putredinem illam objiciamus, in quam corporis noſtri metallum convertitur, ſic enim perfectè cognoſcemus, quodnam vel quale ſit laſcivi amoris noſtri objectum.

S. Ephrem T. 3. Defunctorum recordatio.

2. Sanctus Ephrem in ſermone quodam, cujus titulus eſt: *In eos qui in Chriſto obdormierunt*, ſuadet ut mente noſtra homines recolamus defunctos, qui noſtri fuerunt in voluptatibus laſcivis practicandis complices & ſodales: *Hic qui veſtros ante oculos in ſepulchro cernitur pulvis, iſte quem conſpicitis cinis, hic fœtor, illa putrefacta oſſa, immundi hi vermes, corpora quæ concupiſcebatis olim, hic cinis, illa eſt caro, quam complectebamini.* Non eſt nobis reſpicienda Jezabel, quando mundo ſuo muliebri ad ſtuporem exornata, fucata facie, ut Regem Jehu ad illicitos ſeducat amores, proſpicit per feneſtram: *Jezabel introitu ejus audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram*, quia ab hac apparentia exteriori nimis facile nos decipi & ſeduci permittimus, ſed conſideranda nobis eſt eadem, quando in agro Jezrahelis, ſive ut vult Abulenſis, in eodem loco, in quem alias communiter deliciandi cauſa divertere ſolebat, velut quoddam graviter olens morticinium jacet à canibus dilaniata: *In agro Jezrabel comedent canes carnes Jezabel, & erunt carnes Jezabel ſicut ſtercus ſuper faciem terræ, ita ut prætereuntes dicant: Hæccine eſt illa Jezabel.* Quando enim Jehu illam præcipitari juſſerat, eamdem ſepulturæ mandare volebat, inquit ſacer textus: *Cum iſſent ut ſepelirent eam, non invenerunt niſi calvariam, & pedes, & ſummas manus.* Inſpiciatis obſecro ſepulchrum amaſiæ veſtræ, & conſiderate illud bene, quod ex dilectæ veſtræ cadavere reliquum reperietis; Certus enim ſum quod attoniti dicetis: *Hæccine eſt illa Jezabel &c.*

4. Reg. 9. v. 30. Ibid. v. 36. & 37. Ibid. v. 35. Ibid. v. 37.

Oſſium ex cadaveribus conſideratio.

3. Speculum aliquod faciei applicatum ſimpliciter, ſyncere & ſine fuco videre vos facit vultus veſtri deformitatem, ſi quæ illi ineſt; Si enim illud inſpiciatis, non adulabitur, nec mentietur. Quando objectum aliquod amatum aſpicitis, ſenſus lenocinator & fraudulentus vos decipit; Si autem ſincerum & veridicum deſideretis ſpeculum, ſepulchrum inſpicite, ibi enim clare & ſecundùm veritatem videbitis, quale ſit objectum illud, quod dum viveret, adorabatis. Hoc eſt quod Sanctus Ephrem nos monet, dum ait: *Inclinemus nos ad ſepulchra, & conditionis noſtræ occulta perſpiciamus, ex cadaveribus permixtos oſſium acervos, craniaque carnibus exuta cum reliquis oſſibus cernemus, & hæc conſiderantes, nosmetipſos in illis velut in ſpeculo contemplabimur; Ubi juventutis flos & pulchritudo? Ubi venuſtus ille genarum color? Hæc nobiſcum cogitantes, carnis deſideria fugiamus.*

S. Ephr. n. 40 de vit. ſpirit.

Et mortalitatis.

4. Sancta Mater Eccleſia, præcipitem in nobis luxuriæ curſum (qui tempore Bacchanalium, quod *Carnevale* appellatur, quia caro in eo tempore prævalet, quam maximè inundat,) reprimere volens in die Cinerum fidelibus ſepulchra aperta cineribus plena ob oculos ponit, ut curſum illum ſiſtere poſſit, dicitque: *Memento homo quia pulvis es.* Hæc eſt prima prædicatio, in qua nobis mortis vicinæ, putredinis & vermium fortem apprehenſionem imprimere nititur, ut ad reliquas conciones Quadrageſimales cum fructu & devotione auſcultandas tanto magis diſponamur.

Summa Præd. in v. Mors c. 11. n. 105.

Exemplum.

5. De quodam Adoleſcente Bononiæ literis operam dante, voluptatibusque & amoribus laſcivis totaliter



taliter dedito ſcribitur, quod cum Religioſorum quemdam patriotam ſuum ad ſe viſitandi cauſa venturum fore intellexiſſet, eum quidem perhumaniter magnaque cum benevolentia exceperit, ſimul tamen, ut in diſcurſu ſuo ab omni ſpirituali materia abſtineret obnixè rogarit; à qua proinde religioſus ille, ut patriotæ morem gereret, pro tunc quidem abſtinuit, verumtamen poſtquam viſo omni deliciarum ejus apparatu, maximè verò molli lecto, ſuperbisque lectiſterniis conſpectis, jam in procinctu eſſet ut abiret, pauca quidem, ſed magnam in ſe energiam habentia verba protulit dicens: Obſecro ut lecti illius ſemper memor eſſe velis, quem tibi Deus per Iſaiam infallibiliter promittit dicens: *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*; quæ ſententia huic laſcivo juveni adeo tenaciter impreſſa remanſit, ut protinus carnalibus voluptatibus abdicatis, paupertatem & auſteritatem amplexus fuerit religioſam.

Iſa. 14. v. 11.

6. Apud Ezechielem de luxurioſis quibusdam dicitur: *Ecce mulieres ſedebant plangentes Adonidem*; prope has autem viſi fuerunt viginti quinque qui dorſa ſuo templo obvertebant: *Dorſa habentes contra templum Domini?* Vultisne cauſam ſcire cur hi templo dorſum verterint? *Facies* habebant *ad Orientem*: quod ſi ſibi propoſitum habuiſſent Occidentem, id eſt, finem in quo omnes voluptates terminantur, utique Deo hoc modo rebelles nequaquam fuiſſent.

Ezech. 8. v. 14. Ibid. v. 16. Ibid. v. 16.

7. In Canticis Sponſus Sponſam ſuam peramanter rogat ut ei aperiat: *Aperi mihi ſoror mea*; quæ animam præfigurabat deſtinatam & invitatam ad divinum cum ipſo contrahendum ſponſalitium. Hæc autem ſe excuſare cœpit dicendo: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Nimirum ignava in molli voluptatum lecto cubabat, ideoque cæleſtibus ejus vocationibus & invitamentis reſpondere aut locum dare neglexit; & tamen paulo poſt hoc non obſtante dicitur: *Surrexi ut aperirem dilecto meo*; at verò undenam ortum ſuum in illa habuit hæc tam repentina mutatio? Obſervandum quod ſacer textus de ipſa dicit: *Manus meæ ſtillaverunt myrrham*; Myrrha enim condimentum eſt mortuorum; Enimvero quando anima aliqua in mollibus & delicatis voluptatum plumis ſe volvens, Dei oblita vivit, ut ab hoc lethargo evigilare poſſit, neceſſum eſt ut in feretro cadaver illius, quem vel quam carnaliter deperibat, ſerio aſpiciat, conſideret horridum ejus vultum, & carnes, quæ ipſum antea rapiebant, nunc rigeſcentes & frigidas, hoc enim faciendo indubitatè à præcipiti inordinatorum appetituum ſuorum curſu deſiſtit.

Cant. 5. v. 2. Cadaver aſpicere luxurioſis remedium. Ibid. v. 3. Ibid. v. 5. Ibid. v. 5.

8. B. Petrus Damianus rationem aſſignat, cur ſepulchrum quoddam, in quo ſpectabilis quædam Domina, quæ ingenti cum luxu vixerat, depoſita erat, multo tempore intolerabilem de ſe fætorem ſpiraverit; Dicit enim: *Enimvero fratres cum me, cur id fieret, inquiſiſſent, quid mihi videbatur expoſui. Hoc inquam, ut opinor, ad ſalutem veſtram divinitus agitur, ut in uno illo corpore, quod tam pulchrum venuſtumque vidiſtis, quid etiam de cæteris mulieribus in tentatione luxuriæ ſentiri debeat, liquido colligatis, quia caro illa & tunc putredo veraciter erat, cum ad ſe ſpectandum lubricos intuentium oculos provocabat, quid enim tunc fuerit, nunc evidenter oſtendit. Et quælibet hominis caro, quæ nunc vivere conſpicitur, nequaquam de ſe poſt obitum putredinem generat, ſed quæ ſemper fuerat tunc, ſe tantummodo putredinem manifeſtè declarat.*

B. Petr. Dam. l. 7. ad ſac. princip.

9. P. Rho factum quoddam refert, quod tempore Philippi II. Hiſpaniarum Regis accidit; Cum enim Rex ille plateam quamdam tranſiret, mulierem quamdam quæ ſinum diſcoopertum habebat, conſpexit, & quantum ſecundùm exteriorem apparentiam conjici poterat, ex eo aſpectu complacentiam aliquam habere videbatur; quod non nemo ex aulicis ſuis advertens, mulierem illam convenit, camque ſecum in palatium regium introduxit. Cumque mulier illa interrogaſſet, in quanam corporis ſui parte Princeps ſibi complacuiſſet? In pectore, reſpondit ille: *Ubi nives pectoris & mammarum ebur audivit arriſiſſe*; *Hic ego*, inquit, *compta mox adeo, & hæc ipſa pars mundo atque arte muliebri creſcet ad pulchritudinem, & ſimul ſe in cubiculum abdit. Ibi ferventi latice pectus & mammas perfundens, quidquid Regis animum corrupiſſè indignabatur, generoſa corrumpit, ac præclarè victrix in aulam progrediens, nudato pectore, cujus jam formam decoxerat, lenonem increpuit: Hæccine tam fœda corporis ſpecies Regis oculos icit? Nec plura opus fuit dicere; perierant nives, quibus frigidior abijt ſtupri conciliator, ſe, artemque ſuam victam eſſè confeſſus.*

P. Rho. var. virt. hiſt. l. 7. c. 1. §. 4. Exemplum 1.

S. Iſid. Peluſ. l. 2. Ep. 53. Exemplum 2.

10. Simile facinus diu ante S. Iſidorus Peluſiota de juvene quodam laſciviæ nimis dedito recenſuit, qui cum venuſtiſſimam quamdam virginem curioſius aſpexiſſet, mox tanto ejus amore ardere cœpit, ut nullam ad ejus amore fruendum omiſerit induſtriam vel artem: *Quo cupiditate frueretur, nullam non machinam movit*; Verum honeſtiſſima puella nullum ei aditum aut occaſionem indulſit: *Illa principio quidem ejus poſtulatum repudiavit, nam & nobilis & caſta erat, ſeque & animam & corpus ab omni libidine intactum ſervaturam eſſè Chriſto promiſerat; ut autem certior facta eſt, eum propterea furore ac rabie præcipitem agi, rationem excogitavit, per quam & pudicitiam ſuam retineret, & ipſius ignem extingueret. Attonſo enim, vel, ut melius loquar, abraſo omni crinium ſuorum ornatu & elegantia, facieque ſua cinere aqua permixto delibuto, eum ad ſe accivit, cique cum ingreſſus eſſet, dixit: Tune hanc deformitatem amas? Ille vero tamquam ex furore revocatus, non modo libidinis ignem extinxit, verum etiam ingenti poſtea caſtitatis amore flagravit*; Quod ſi igitur duæ hæ mulieres unam dumtaxat corporis ſui partem deformando, carnalem in aliis concupiſcentiam extinguere potuerunt, quanto magis ejusdem carnis fætidæ & in ſepulchro à vermibus devoratæ putredo eumdem operabitur effectum.

Exemplum 3.

11. B. Petrus Damianus in Epiſtola quam ad Marinum Monachum ſcripſit, de cautela qua ſpiritum fornicationis inimicum noſtrum fugere debemus differens, ita ſcribit: *Abigendis cogitationibus ſolicitus ſemper invigila, quia non enixius expedit carnem ab illecebræ tentatione reprimere, quam mentem quoque à turpium cogitationum phantaſmate cuſtodiri. Novi fratrem in Chriſto, qui diſtrictam hanc mentis ſuæ regulam jugi ac pervigili ſervat intuitu, ut quotiescumque libidinis ſuggeſtio ſurrepit, mox cogitationi ſuæ velut expeditus ad proficiſcendum dicat: Eamus inquit ad aream illico, omnia cæmeteria ac ſepulturas imaginando perluſtrans, putreſcentium viras, ſaniemque cadaverum, ſcatentes quoque vermes, & fætentium pus carnium curioſo rimatur intuitu; cumque conſiderat, quia olim carnes illæ in ſua viriditate florentes his ſubjacuere moleſtijs, corpus etiam ſuum paulo poſt futurum eſſè non ambigit, quod illas eſſè jam cernit. Compendium dat luxuriæ, qui præbet oculum corruptelæ, nec eſt libidini diverſorium, in qua verſatur mente ſepulchrum.*

B. Petr. Damian. l. 6. Ep. 26.

Exemplum 4.

12. Celebre eſt exemplum illud, quod in vitis SS. Patrum Eremitarum legitur. Etenim Monachus quidam cum erga mulierem quamdam, quam in ſæculo ardenter dilexerat, gravibus infeſtaretur tentationibus & motibus carnis, ut eosdem in ſe reprimere & efficaciter compeſcere poſſet, præter arctiſſimam ſolitudinem, continuas adhibuit orationes, jejunia, cilicia, diſciplinas, & alias corporis macerationes, quia vero hiſce omnibus adverſus ſpiritum fornicationis nec quidquam ſe proficere experiebatur, aliunde vero mulierem hanc mortuam & ſepultam eſſe intellexerat, clam omnibus ad illius ſeſe contulit ſepulchrum, indeque vermes, pulverem & cadaveris exceſi ſaniem ad cellam ſuam deferens, in illis mulierem, de qua fortiter adeo tentabatur, attentè conſiderabat, hacque ratione omnem in ſe repreſſit concupiſcentiam, victoque per illud medium dæmone, veriſſimum eſſe cognovit, quod *compendium det luxuriæ, qui præbet oculum corruptelæ, nec ſit libidini diverſorium, in qua verſatur mente ſepulchrum.*

Luxuriæ remedium Meditatio mortis & Judicij.

13. S. Auguſtinus ſolidos triginta tres annos in impudicitiæ turpi luto immerſus fuit, eratque hoc unicus & inſuperabilis difficilioris & tardioris converſionis ſuæ obex, quia videlicet ſe continenter vivere poſſe quaſi deſperabat; ſed quænam aut qualis ancora illa fuit, quæ navem hanc in omnibus hiſce carnalium tentationum procelloſis tempeſtatibus immobilem conſervabat? Ipſemet idipſum in libris Confeſſionum declarat, dum inquit: *Nec me revocabat, à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis & futuri judicij tui.* Optimè igitur Sanctus Gregorius nos monet dicens: *Caro cum concupiſcitur, penſetur quid ſit examinis, & intelligetur quid amatur.*

S. Aug. l. 6. Conf. cap. ult. S. Greg. l. 16. mor. c. ult.

Mortis meditatio proficua.

14. Sanctus Tobias junior quando ex Raphaëlis Archangeli conſilio ſe per vinculum conjugale Saræ filiæ Raguelis (cui ſeptem mariti ſucceſſivè, priusquam cum illis copulata fuiſſet, mortui fuerant) adſtrinxerat, audita hac prædeceſſorum ſuorum ſtrage, ab omni voluptate & actu conjugali ſibi temperans, totam noctem in oratione conſumpſit, parentes

tes autem ſponſæ, priusquam camera neo-ſponſorum aperiretur, certam arbitrantes Tobiæ mortem jam ſepulchrum aperuerant : *Cumque paraſſent foſſam, reverſus Raguel ad uxorem ſuam dixit ei : Mitte unam ex ancillis tuis, & videat ſi mortuus eſt, ut ſepeliam eum.* Ex qua hiſtoria clarè colligitur, quantum piis timoratisque hominibus conferat meditatio mortis; Veriſimile namque eſt, quod Tobias junior ad ſeptem ſponſorum ipſum in eodem matrimonio antecedentium funeſtam mortem ſe reflexerit, eo quod prope ipſum ſepulti & jam in cineres redacti eſſent, quodque idipſum ei loco fræni deſervierit, ad moderandum juvenilis laſciviæ impetum, ordinandumque in bonum finem contractum à ſe matrimonium. *Oportune itaque* inquit S. Ambroſius, *quem memoria mortis à carnali copula retraxerat, vivus invenitur, ut diſcamus nullo ſalubriori remedio carnalia coërceri, quam ſepulchro.*

*Tob. 8. v. 13. & 14.* — *S. Ambr.*

15. S. Gregorius illa Jobi verba : *Dulcedo illius vermes*, exponens, ita ſcribit : *Poteſt quoque apertius carnis nomine caro deſignari; unde & ſuperius dicitur : Homo putredo, & filius hominis vermis, Luxurioſi igitur cujuſlibet, atque carnis voluptatibus dediti quanta ſit cæcitas, demonſtratur, cum dicitur : Dulcedo illius vermes; quid namque caro, niſi putredo & vermis eſt? Et quisquis carnalibus deſiderijs anhelat, quid aliud quam vermem amat? quæ enim ſit carnis ſubſtantia teſtantur ſepulchra. Quis parentum, quis amicorum fidelium quamlibet dilecti ſui tangere carnem ſcaturientem vermibus poteſt?* Concludit tandem præfatus ſanctiſſimus Pontifex, ſeriam horum vermium conſiderationem, infallibile & ſecurum eſſe ad cavendæ & reprimendæ carnalis concupiſcentiæ noſtræ antidotum : *Nil quippe ſic ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale ſit mortuum penſet.*

*Job 24. v. 20. S. Greg. l. 16. mor. c. ult. Job 25. v. 6.*

16. Berchorius ſcribit, in nonnullis Liciæ montibus, qui Epheſtij dicuntur, certum quoddam ignis genus reperiri, qui omnia devorat & conſumit, etiam lapides, neque aquâ extingui valet, ſed tunc ſolum extinguitur, quando terra aut fœnum ipſi ſuper injicitur, teſte Plinio libro 2. hiſtoriæ naturalis in fine. Qualenam deſiderare poteſtis ignis libidinis aptius ſymbolum, utpote cui proprium eſt, omnes virtutes, omnem gratiam, omne meritum, cuncta denique naturæ & fortunæ bona conſumere? *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, omnia eradicans genimina;* Imo ipſos quoque conſumit lapides, & duriſſimas petras, id eſt, viros in perfectione conſtantiſſimos & ſolidiſſimos, quales fuerunt Samſom, David, Salomon, nec quidquam hunc ignem extinguere prævalet, quia divitiæ, dominia, ſanitas, & fortunæ proſperitas illum potius magis magisque accendit, ſæpe etiam ſapientia, pietas, timor Dei, ſpiritualis vita ad hunc effectum extinguendi illius ignis pertingere nequeunt : At verò ſi homo ad conſiderandam terram ſepulchri, aut cinerem & pulverem, in quem hæc caro, quæ tantopere armatur, tandem reducatur, ſerio ſe applicaverit, ſi firmiter recogitet, quod *omnis caro ſit fœnum*, jam facili negotio extinguetur : *Nil quippe ſic ad edomandum &c.*

*Berchorius v. luxuria.* Luxuriæ ſymbolum. — *Job 31. v. 12.*

17. Albertus Magnus illam Sancti Eliæ Prophetæ hiſtoriam conſiderans, quando à facie Jezabelis fugiens, & ſub junipero requieſcens ad caput ſuum ſubcineritium panem conſpexit; hanc inde deducit moralitatem : *Ille dormit ſub umbra juniperi, qui putat quietem invenire in ſpinoſis gaudijs hujus ſæculi;* Demum vero etiam ſequentia verba explicans dicit : *Ad caput, in quo eſt memoria, id eſt, ut recogitet, ſe ſubito in cinerem reverſurum.* Hæc meditatio ad fugiendam Jezabelem, id eſt, delectationem carnalem abunde ſufficit. Notandum vero eſt, quod poſtquam ſacer textus hanc Eliæ fugam à facie Jezabel, ex pane hoc ſubcineritio ei ſubminiſtratam refectionem recenſuiſſet, ipſum ſpeluncam quamdam ingreſſum fuiſſe referat (quæ tunc idem erat, quod ſepultura, prouti ex pluribus Geneſeos locis clare deducitur) *Manſit in ſpelunca*, ibidemque ventum quemdam impetuoſum perſenſit : *Spiritus grandis & fortis;* Poſtea verò ingentem terræ commotionem, terræ motui non multum abſimilem; *Et poſt ſpiritum commotio;* Tandem vero in fine ignem conſpexit : *Et poſt commotionem ignis;* Quæ *omnia utique in figura contingebant.* Ut ſcilicet per hoc inſtrueremur, quod actualia ſepulchri conſideratio tres fortiſſimos hoſtes noſtros, quibus cum nobis confligendum eſt, glorioſe devincat, ſuperbiam videlicet in vento denotatam; Guloſitatem & ingluviem, quæ terram ſusque deque invertens, in commotione deſignatur; & carnalem concupiſcentiam, in igne ſignificatam.

Sepulchri conſideratio tres vincit fortiſſimos noſtros hoſtes — *Alb. Mag. ſerm. 4. Quadr. 3. Reg. 19. v. 4. 5. Ibid. v. 9. Ibid. v. 11. Ibid. v. 11. Ibid. v. 12.*

## *DISCURSUS XXX.*
## ARGUMENTUM.

Carnalem concupiſcentiam fugere non ſufficit, niſi ſimul etiam fugiantur occaſiones & pericula, quæ illius ſunt incentivum & fomentum.

### THEMA.

*Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus, ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Ad Rom. 6. ℣. 12. & 13.

1. EOdem in loco ubi S. Paulus nos ad fugiendam pro viribus carnalem concupiſcentiam hortatur dicens : *Non ergo regnet peccatum in veſtro corpore ut obediatis concupiſcentijs ejus :* nos pariter modum edocet, quo id à nobis fieri poſſit, ut contenti maneamus, dum nobis ſenſuum noſtrorum cuſtodiam, occaſionumque & periculorum fugam nobis ſuadere : *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Porro arma quibus ſpiritus fornicationis adverſum nos fortis efficitur, ſunt ſenſus noſtri corporales fræno mortificationis deſtituti, oculus vagus in reſpiciendis objectis maximè concupiſcibilibus, lingua ad verba obſcæna proferenda lubrica, pedes ad frequentandum domos ſuſpectas veloces; aures ad auſcultandos diſcurſus laſcivos patulæ, corpus delicate nutritum, & inter plumarum & veſtium mollitiem ſuaviter habitum. Verſio Syriaca legit : *Nec etiam paraveritis membra veſtra arma iniquitatis peccati.* S. Ambroſius *de pœnitentia* tractans dicit : *Paſcitur libido convivijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur;* Et ſuper aſſumpti thematis textum ait : *Oſtendit diabolum noſtris nos jaculis impugnare, occaſio enim datur illi per noſtra peccata.* Etenim tunc nos diabolus tentat, quando nos hanc vel illam plateam ſæpius obambulare videt, aut dum in hac vel in illa converſatione ſuſpecta poſitos conſpicit, vel quando nos potiori diei parte feneſtræ affixos eſſe animadvertit : *Non exhibeatis membra veſtra arma peccato, id eſt,* ut S. Thomas ait, *fomiti peccati;* Fomes autem peccati eſt occaſio & commoditas peccandi.

Luxuriæ occaſiones fugiendæ. — *S. Ambr. l. 1. de Pœnit. c. 14. S. Ambr. ad Rom.* — *S. Thom. Ibid.*

2. S. Propheta David ſanctè gloriabatur : *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ :* & tamen ipſum in adulterium cum Bethſabea turpiſſime lapſum eſſe novimus; Scitisne hujus lapſus ſui cauſam? Præbuerat *arma iniquitatis peccato*; ſed quænam hæc arma fuerunt? Nimirum oculus non bene cuſtoditus : *Viditque mulierem ſe lavantem* : otioſus ſitus & proſpectus per conclavis ſui feneſtram, oculi ſui retrahendi & mortificandi neglectus; unde deinceps cautior factus hanc à Deo gratiam popoſcit : *Viam iniquitatis amove à me;* Quibus verbis non ſolum à peccato liberari, ſed etiam à via quæ eum ad peccandum inducere poterat dimoveri poſtulabat. In hisce autem adductis Pſalmiſtæ verbis ſpecialiter notanda eſt phraſis in qua loquitur; dicit enim : *Viam iniquitatis amove à me;* Circa quæ verba citatus ab Agellio Origenes obſervat, quod *non ait : Me amove à via iniquitatis, ſed illam à me;* quod ſi dixiſſet : *Amove me à via iniquitatis*, facile mens ejus intelligi potuiſſet; at verò dicendo, *viam amove*, rem valde difficilem poſtulare videtur, ad eum fere modum, quo ſi is qui in domo aliqua peccatum grave commiſit, à Deo domum illam dirui, murosque ejus à fundamentis ſubverti poſtularet, rem profectò arduam petere videretur, & tamen David à Deo tanto lumine illuſtratus non ſine myſterio petitionem ſuam ſub hisce terminis Deo propoſuit, quia probe ſciebat, quantam in nobis fomes & occaſio peccati violentiam exerceat, quamdiu enim domus illa ſalva ſubſiſtit, memoria nobis delectationem, quam in eadem ſæpius habuit, in mentem revocat, ſenſus & caro ad eam denuo repetendam nos extimulat; unde ad hoc ut talis à peccato revocetur, expediens foret, ſi domus illa à fundamentis deſolaretur & ſubverteretur, adeo ut ne minimum illius veſtigium ſupereſſet, ſiquidem naturam habemus nimis pronam & facilem ad patrandum malum; de qua proinde Divus Chryſoſtomus haud immerito dicit, quod ſit *ad peccatum lubrica, & ad malitiam prona;* Unde idem David alibi Deo proteſtatur dicens : *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut cuſtodiam verba tua;* Lorinus legit : *Ab omni via declivi & præcipiti.* Aquila vertit : *Conſtrinxi pedes meos.* Quod idem punctum Sanctus Carolus Borromæus ſuis pro viribus inculcabat, ſolitus ſæpe dicere : In tantum nos homines boni ſumus, in quantum nulla ſe nobis offert occaſio, ut mali fiamus, & quidem ſi nec tunc ob fragilitatem nobis innatam, non niſi ſumma cum difficultate nos continere poſſumus, quin ſæpius labamur, quid facturi eſſemus, ſi vel mala ſocietas vel converſatio ſuſpecta & periculoſa, vel perverſa & lubrica vicinia aut familiaritas, vel tempus aliquod ad peccandum commodum, vel locus opportunus, ſæpe etiam multæ ex his ſimul conjunctæ circumſtantiæ ad vim nobis inferendam, nosque extimulandos occurrerent?

*Pſalm. 100. v. 2.* Lapſus eſt David ob oculos non cuſtoditos. *2. Reg. 11. v. 2.* — *Pſal. 118. v. 29.* — *D. Chryſ. Hom. 3. de Ozia. Pſal. 118. v. 101.* Lorinus ibid.



3. Primum peccatum, quod omnibus aliis barathrum aperuit, pro incentivo & fomite occaſionem habuit; Dæmon enim forma ſerpentis indutus, interrogavit Evam : *Cur præcepit &c.* Cui illa reſpondit : Ex omnibus fructibus Paradiſi comedendi illis datam eſſe facultatem, ſolo excepto pomo arboris ſcientiæ, &c. Ubi notandum quod tametſi illis ſolum prohibitum fuerit de pomo illo edere aut guſtare, illa tamen ad obediendum Deo adeo prompta & reſoluta fuit, ut dixerit : *Ne comederemus, & ne tangeremus &c.* Hanc enim non tangendi circumſtantiam ipſa adjecit, quia non ſolum de fructu illo non manducare, ſed ne quidem illud tangere volebat. Aſtutus verò ſerpens nequaquam verum eſſe aſſeruit, quod comedendo de pomo accerſuri ſibi eſſent mortem, quin potius eo ſolum fine hanc illis prohibitionem intimatam fuiſſe, ne forte ex illo comedendo ſapientiæ & Divinitatis ſupremi Numinis efficerentur participes; Quo certo ſtimulo nullus ad perſuadendam præcepti transgreſſionem excogitari poterat potentior alius, & tamen Evam ad pomum manum ſuam uſque ad illud tempus extendiſſe nuſquam legimus; videns igitur Lucifer hactenus irritos fuiſſe omnes ſuos conatus, ultimum & potentiſſimum ictum ei imprimere voluit; quisnam verò ille fuit? Pomum ei ſapidiſſimum & colore delectabile & pulchrum ob oculos ſtatuit : *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Experientia nos per omnia ſæcula ſuperiora docuit, quod multi dæmonis ſuggeſtionibus, perſuaſionibus parentum, amicorum blandimentis, laſcivæ carnis amoribus diuturno quidem tempore debitè reſtiterint, qui tamen mox ut in occaſionem poſiti fuere, promptamque habuere commoditatem, ſine ulla facta reſiſtentia fuere prolapſi.

Labuntur multi quia ſe offert occaſio. *Gen. 3. v. 1.* — *Ibid. v. 3.* — *Ibid. v. 6.*

4. Sacer textus regulas quas Deus Nazaræis, reformatiſſimos horum temporum religioſos præfigurantibus præſcripſit, recenſens, illis inter alia præceptum fuiſſe dicit : *Acetum ex vino, … & quidquid de uva exprimitur, non bibent, uvas recentes ſiccasque non comedent … Quidquid ex vinea eſſe poteſt ab uva paſſa uſque ad acinum.* Prohibitum illis erat bibere vinum, *vinum in quo eſt luxuria*, ad hoc verò ut ab illo tanto arctius abſtinerent, totum hoc illis pariter prohibitum eſſe voluit, quod illis vinum in memoriam revocare poterat, ideoque illis prohibitum fuit acetum, muſtum, uvæ recentes, imo & uva paſſa & acini; idque *quia*, ut Dionyſius Carthuſianus inquit, *in talibus eſt aliquid de vini vigore, & ad vini potum alliciuntur;* quia enim Deus illos in hac vini abſtinentia exactos eſſe voluit, ideo omnem illis etiam minimam & remotiſſimam vini appetendi occaſionem adimere voluit, ne vini aliqua memoria aut appetentia ipſorum animis occurreret.

Nazaræis prohibita cur fuerint expreſſa de uva. *Num 6. v. 3. Ibid. v. 4.* — *Dion. Cart.*

5. Verum quidem eſt, quod Deus prohibuit : *Non concupiſces, non mœchaberis*, nos pariter appetituum noſtrorum Dominos eſſe voluerit, ideoque ſenſuum uſum nobis non prohibuerit : verumtamen ſi hic vel ille oculorum curioſus obtutus, vel verbum inconſiderate prolatum, tibi incentivum præbere poteſt ad libidinem, *Quidquid ex uva exprimitur non bibas*, auferenda & amovenda à nobis eſt omnis quantumvis etiam diſtans occaſio. *Lubrica eſt illa ſpes*, inquit Sanctus Cyprianus, vel quisquis eſt author Tractatus illius, *quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat.* Sexus fœmineus debilis eſt, ideoque facillime inclinatur, unde Author imperfecti ait : *Sexus mulierum incautus & mollis eſt; incautus quidem, quia non omnia, quæ videt, aut audit, cum ſapientia & ratione conſiderat : mollis autem, quia facile flectitur, de bono ad malum. Hæc præmiſimus, ut oſtendamus mulieres incautas & faciles;* Et hinc fit, quod vir aliquis in occaſione proxima conſtitutus, facilem in illis inveniat conſenſum & reſiſtentiam modicam.

Occaſio omnis amovenda. — *S. Cyprian. de ſing. Cler. c. 9. Auth. Imp. Hom. 41.*

6. Sanctus Hilarius ad verba illa Pſalmiſtæ ſuperius citata, ſcilicet : *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut cuſtodiam verba tua*, ſe reflectens, dicit : *Perfecta hæc & Evangelici viri vox eſt, ab omni ſe malitiæ via abſtinere, ut tot ubique concurrentibus erroris ſemitis, nulla earum teneatur, per quam nequitia videatur incedere.* Ubi notandum Ly illud, *Nulla*, quia omni concupiſcentiæ incentivo via præſcindenda eſt, ſive illud ſint verba obſcæna, ſive aſpectus curioſi, ſive literæ amatoriæ, ſive munuſcula, ſive miſſa nuntia, ſive faciei penes ſe conſervatæ effigies, ſive quæcumque alia ſimilia. Unde graviter errant multi, qui ſufficere putant, quod quis fortiſſimum habeat propoſitum tentationi nequaquam conſentiendi, quæcumque illa, aut quantumvis vehemens ſit, hoc enim nequaquam ſufficit, niſi etiam propoſitum iſtud ſe extendat ad fugiendas omnes peccandi occaſiones & pericula.

*Pſalm. 118. v. 101. S. Hilar. ibid.* Incentiva & pericula.

7. Stephanus Cantuarienſis prudentes duos inter ſe textus confert & combinat, quorum unus eſt ille Eccleſiaſtici 17. ℣. 23. *Avertere ab injuſtitia tua, & nimis odito execrationem :* alter verò eſt hic Geneſeos cap. 19. ℣. 17. *Nec ſtes in omni circa regione*, & dicit : *Quidam peccatum odiunt, ſed non nimis, quia peccata fiunt, ſed occaſiones ſequuntur. Avertere ab injuſtitia tua;* quem finem aſſequemur deteſtando peccata præterita mediante confeſſione; ad hoc vero ut ad idipſum denuo non revertamur, *nimis odito execrationem;* quodnam verò eſt ſignum, unde perfectum peccati odium conjicere poſſumus? nimirum ſi deteſtemur converſationem illam, quæ nobis lapſus noſtri occaſio fuit, ſimiliter ſi domum, in qua peccavimus, & plateam, quę ad eamdem nos ducit abominemur; unde David ad hoc ut ab omni peccato ſe caute cuſtodiret, dicit : *quod odivit omnem viam iniquitatis.*

*Steph. Cant. in Alleg. Goif. Eccl. 17. v. 23. Gen. 19. v. 17.* Fugienda item converſatio. *Eccl. 17. v. 23.* — *Pſalm. 118. v. 104.*

8. In antiqua lege circa ſacrificia, quæ pro peccatis offerenda erant, præſcriptum fuit : *Pellem vero & omnes carnes, cum capite & pedibus, & inteſtinis, & fimo, & reliquo corpore efferet extra caſtra in locum mundum; Omnia hæc in figura ordinabantur;* Per hæc enim omnia indicabatur, quod quisquis perfecte pro peccatis commiſſis placare intendit divinam juſtitiam, neceſſariò non ſolum à peccati, ſed & ab omnibus illorum recommittendorum periculis recedere debeat; unde Lyranus in ſenſu morali dicit : Quia peccator debet eſſe elongatus de cætero non ſolum à peccato, ſed etiam ab occaſionibus ejus.

*Lev. 4. v. 11. & 12.* Imò omnis occaſio.

9. Nonnulli etiam ingenioſe potius quam ſolide cauſam aſſignant differentiæ illius, quæ interceſſit inter duos illos Pharaonis miniſtros aulicos, quos in eodem carcere cum Joſepho captivos habebat, quorum uni gratiæ regiæ redintegrationem, alteri vero patibulum prædixit, cum tamen unius ejusdemque Principis ſervi, & ab eodem ſententiati fuerint, ut merito mirum ſit, cur adeo diſſimile utrique augurium pronuntiarit? Verumtamen pro reſolutione notandum, quod pincerna regius priusquam in gratiam reſtitueretur, dixerit : *Videbam coram me vitem :* magiſter vero piſtorum, priusquam ad patibulum raptaretur, dixerit : *Videbam quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum :* Ille vitem procul à ſe poſitam viderat, hic vero farinam capiti ſuo ſuperimpoſitam conſpexerat; Farina enim ei, quem tangit, tenaciter adhæreſcit, adeo ut ſemper aliquid illius in veſtibus reliquum remaneat; qui proinde figuram referebat eorum, qui peccatum deteſtantur, non tamen ita quin ſemper aliquis ad illud affectus ſuperſit, qui ſolus ut ad inferni patibulum condemnentur, nec umquam in gratiam Regis gloriæ readmittantur, abunde ſufficit.

Et affectus. — *Gen. 40. v. 9. Ibid. v. 16.*

10. Advertendum eſt enim, quod Eccleſiaſticus, poſtquam periculorum nobis fugam ſuaſiſſet, dicendo : *Qui amat periculum, peribit in illo*, confeſtim ſubjungat : *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus :* quibus verbis ad illos utique alludit, qui ſimul & ſpiritus & carnis partes ſequi & tueri ſatagunt, ex una namque parte confitentur quidem, ſeque fornicationis peccatum numquam recommiſſuros eſſe firmiter ſtatuerunt, nectamen interea illam plateam, in qua amaſia fomes peccati habitat, vitant, feneſtræ in perpetuo otio & curioſitate affixi eſſe, ſuſpectam illam continuare converſationem, numquam deſinunt, hacque ratione pericula peccatorum, in quæ alias turpiter lapſi fuerant, minimè fugiunt; Et ideo quotquot tales ſunt, certo ſibi perſuadeant, quod numquam

Periculum. — *Eccl. 3. v. 27. Ibid. v. 28.*

numquam in æternum optatos ſint habituri ſucceſſus: *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus.*

Occaſio.

11. Per experientiam quotidianam multos eſſe videmus, qui largas quidem tribuunt eleëmoſynas, Conciones quoque, confeſſiones, communiones & orationes ſæpe frequentant, & tamen his non obſtantibus à carnis ſtimulis quotidie fere exagitantur; Scitiſne hujus rei cauſam? Nulla profectò hujus mali alia cauſa eſt, quam quia peccati occaſionem non ſatis declinarunt, ſiquidem dum hæc bona opera faciunt, ſuam pariter curioſitatem feneſtris continuò otioſè affixi paſcere, & oculorum & cordis ſui delicias blande ſalutare non deſinunt, nec turpibus ſuggeſtionibus fortiter ſatis & generoſè reſiſtunt.

*Gen. 31. v. 19.* Affectus inordinatus.

12. Quando Jacob olim è domo Laban ſoceri ſui receſſerat, hic protinus illum ingenti cum rabie & furore inſecutus fuit; ſed quo motivo id illum feciſſe exiſtimatis? Numquid Jacobo licebat ire quo volebat? Utique, quia Labani ſoceri ſui gener quidem erat, non tamen illius erat mancipium; verumtamen memorandum eſt, quod quia Rachel uxor ejus, omnia patris ſui idola aurea & argentea ſecum abſtulerat, latrocinium hoc paterno huic furori & rabiei, qua Jacobum perſequebatur, cauſam dederit: Sic quoque multi ſunt, qui ſe per viam ſacramentalis confeſſionis ſemetipſos à dæmonis laqueis & catenis expediviſſe exiſtimant, cum tamen plus ſolito ab eodem moleſtentur; Cur ita? Nimirum idola ſecum deferunt, etiam poſt confeſſionem, inordinatum affectum, cui olim impliciti fuerant, etiamnum continuant, eamdem domum, in qua antea lapſi fuere, frequentare non deſinunt: *Nolite locum dare diabolo*; Ideoque hæc ſola cauſa ſpiritui fornicationis, ut ad turpia illas ſolicitet, abunde ſufficit.

*Epheſ. 4. v. 27.*

Voluntarium periculum peccati cauſa.

13. Quænam cauſa eſt, quod licet columbæ alarum velocitate omnibus aliis volucribus rapacibus, & falconibus præſertim longe præſtent, ab illis tamen rapiantur & devorentur? Nimirum quia vanitate ſua excitatæ per aëra gyrando & regyrando, ſuperbe oberrant, cum ecce vultures & falcones volatum earum conſiderantes, eaſque invadendi commoditatem explorantes, ſagittæ inſtar eaſdem invadunt & dilaniant. Eodem modo quot hodie ſunt animæ cæteroquin ſimplices & candidæ, quæ ſolum à reſpectibus humanis permotæ, ut idem facere videantur, quod alij ejuſdem ætatis & conditionis faciunt, & ne velut ſingulares digito monſtrentur, velut columbæ plateas etiam de incolarum impudicitia notatas & infames oberrant, eaque ſolum de cauſa, quia ſe periculo laſciviæ voluntariæ exponunt, ſpiritui fornicationis tandem miſerabiliter in prædam cedunt.

*Exod. 12. v. 15.* Occaſio proxima removeri debet.

14. In Exodo Deus populo Iſraëlitico hoc præceptum impoſuit: *Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus veſtris, quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Iſraël.* Sed dicet aliquis: Numquid ſufficiebat dicere: *Fermentum non comedetis*; vel ſaltem intimare pœnam transgredienti ſtatutam, dicendo: *peribit anima illa*, abſque eo quod adderetur inſuper: *Non erit in domibus veſtris.* Jam antea ſub pœna mortis prohibitum fuerat, ne fermentum comederetur, cur igitur nunc iterum ſub eadem pœna prohibetur, ne illud in domibus ſuis Iſraëlitæ aſſervent? Audiamus ad id reſpondentem Rupertum Abbatem Tuitienſem:

*Rup. Abb. l. 2. in Exod. c. 15.*

*In die primo non erit fermentum in domibus veſtris, ne dum præſens eſt, facilius quis poſſit in prævaricationem labi.* Sic quoque videbis nonnumquam quod carnalis quidam homo, qui turpem hactenus vitam duxit, ad pedes Confeſſarij ſe proſternens, ſuam cum ſingultibus, lachrymis, & ſignis contritionis faciat confeſſionem, firma quoque ſibi faciat propoſita, numquam amplius redeundi ad vomitum, & tamen à Sacerdote non recipiat abſolutionem; Cur autem ei, qui valide confeſſus eſt, abſolutio denegatur? Scitiſne cauſam? cauſa hujus unica eſt, quia in domo ejus propria vel aliena occaſio proxima peccandi ſublata non eſt, id eſt, ſcortum vel concubina non dimittitur; firmum quidem habet propoſitum illam non ſolicitandi amplius, ſed hoc minime ſufficit: *Lubrica eſt illa ſpes, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat.* Deo nequaquam ſufficit decretam eſſe transgreſſori pœnam, aut conditum eſſe rigoroſum de fermento non comedendo præceptum, ſed ut de præcepti obſervantia infallibili ſecurus ſit, vult ut nullum in domibus fermentum ſuperſit. Cæteroquin etiam viri perfectiſſimi in mediis occaſionibus proximis poſiti, ſæpe labuntur: *Nemo diu tutus eſt periculo proximus*, inquit S. Cyprianus, *nemo*, inquit, *tutus eſt*, quiſquis etiam ille ſit.

Quamdiu concubinis abſolutio neganda.

*S. Cypr. Ep. 62.*

15. Paulo ante quid in prævaricatione vetiti pomi acciderit tetigimus, nimirum quod Eva à Deo ſibi & marito præceptum fuiſſe dixit, de fructu ſcientiæ boni & mali nec comedendi, nec tangendi illum; & quidem licet Sacra Scriptura hanc ultimam de non tangendo pomo circumſtantiam non habeat, nihilominus tamen ut Hugo Cardinalis bene advertit: *Forte Adam exponens mandatum Domini mulieri dixit: Ne tangeret illud lignum, quia ex tactu facilis ſit caſus in guſtum*; nimirum Protoparens noſter Evæ & omnibus nobis ex ea deſcendentibus indicare voluit, quod non ſolum culpam, ſed & omne illius incentivum ſolicite cavere debeamus, quamvis ipſemet hoc documentum in ſemetipſo exercere & practicare neglexerit, idque ſolum ideo, quia ut ex mente Sancti Auguſtini ſuperius diximus, Adam lenocinatricem conſortem ſuam contriſtare non præſumpſit.

Incentiva cavere debemus.

*Hug. Card. Ibid. Gen. 3. v. 3.*

16. Romani, qui in peritia militari & regimine politico expertiſſimi erant, olim cum nullo inimicorum pacem inire ſolebant, quamdiu hoſtis armatus erat, unde qui cum Romanis de pace tractare volebat, huic neceſſario omnia armorum genera deponenda erant: Eodem modo ad propoſitum noſtrum dicere poſſumus, qui Deum ſibi reconciliare, & ſtabilem cum eo pacem inire cupit, prius omnibus armis renuntiare & cedere debet, id eſt, prius omnes occaſiones & incentiva peccandi à ſe arcere debet: *Deponat arma iniquitatis peccati*, nuntium ſuſpectæ illi converſationi remittat, feneſtram claudat, comburat amatorias literas, abjiciat amaſiorum effigies: *Incerta victoria eſt*, inquit S. Cyprianus, *inter hoſtilia arma pugnare.*

*S. Cypr. de ſing. Cler.*

17. Deus olim Saüli præceperat, ut omnes Amalecitas deleret, adeo ut neque fœminis, etiam lactentibus, & brutis animalibus parceret, imo veſtes eorum, & quæcumque alia pretioſa igne conſumeret: At verò dicet aliquis, ex quo Deus Amalecitis iratus erat, quidnam bruta culpæ commiſerant, ut hæc una cum illis occidi & diſperdi juberentur? Et quidem per præceptum adeo rigidum, ut quia Saül huic divino præcepto non obedivit, terreno pariter & cæleſti regno exutus fuerit? Reſponderi poteſt, quod licèt prædicta Amalecitarum ſupellex & irrationabiles beſtiæ nullum apud Deum demeritum habuerint, attamen quia hæ iis, qui Deo rebelles fuerant, ab obſequiis erant, ideo ipſas iiſdem cum rebellibus ſubjectas eſſe voluerit ſuppliciis. Vel etiam dici poteſt, quod Amalec typus fuerit vitij carnalis, *Agag pinguiſſimus* autem Rex hominum carnalium dici poſſit, quem Deus cum omnibus ſubditis ſuis ſeveriſſimo præcepto interimi juſſit, ut exinde pro nobis hanc colligere poſſemus doctrinam & inſtructionem, quod licet cum his illiſve perſonis converſari ex ſe indifferens ſit, attamen ſi talis converſatio ſtimulus ſit ad committendam Dei offenſam, omnino nobis fugienda ſit; Ideo enim Divina juſtitia Amalec cum toto grege ſuo occidi præcipit, ut inde diſcamus, quod non ſolum curandum nobis ſit, ut pereat peccatum, verum etiam omne id, quod peccato ſervivit, ſive illud fecerit peccatum fovendo, ſive peccati memoriam aut præteritam delectationem nobis in mentem revocando. Et quidem niſi id præſtiterimus, periclitabimur omnino, ne à Dei Regno penitus aliquando excludamur.

*1. Reg. 15. v. 32.*

## *DISCURSUS XXXI.*

## ARGUMENTUM.

Hoc diſcurſu Author pergit probando impoſſibile eſſe, ut quis ſe in ignem occaſionis ingerat, & ab igne eodem non corripiatur, variæ etiam adducuntur rationes, ob quas fugienda ſunt omnia pericula.

### THEMA.

*Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant.* Prov. 6. ℣. 27.

1. QUi Hiſtorias aut geſta Martyrum legit, ſciet utique, quod Deus in multis ſervorum ſuorum illud inter cætera frequenter, ediderit miraculum, ut ardentes in veſtibus prunas ſine earumdem veſtium minima læſione portarint, vel nudis plantis ſuper vivis carbonibus ſine ulla corporis læſione inceſſerint. De tribus quoque pueris in fornace Babylonica

Concupiſcentia ignis eſt animam conſumens.



*Dan. 3. v. 50.*

bylonica dicit ſacer textus: *Non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit:* ſed quis eſt qui uſpiam in hiſtoriis invenerit, quod is, qui ſine ulla neceſſitate ignem carnalis concupiſcentiæ, id eſt, occaſionem illius, & præcipue periculoſam cum laſcivis mulieribus converſationem ingreſſus eſt, exinde illæſus exierit: *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant?* quærit Sapiens, *aut ambulare ſuper prunas, & non comburantur plantæ ejus? ſic qui ingreditur ad mulierem.* Circa quæ verba Sanctus Auguſtinus ait: *Concupiſcentia mala quaſi ardor eſt ignis, conſumit veſtem libido adulterij, & non conſumit animam? De cogitatu adulterij dum loqueretur Scriptura, ait: Alligabit quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ſua non comburet? Geſtas in ſinu prunas, perforatur tunica, geſtas in corde adulterium, & non integra eſt anima?* Habet porro ignis ille concupiſcentiæ majorem vim & potentiam in animam, quam habeat in corpus ignis noſter elementaris: De hoc enim conſtat ex hiſtoriis, quod membris & veſtimentis noſtris nonnumquam pepercerit; at vero de illo S. Cyprianus inquit: *Impoſſibilis liberatio eſt, flammis circumdari, nec ardere, quod Salomon non negat dicens: Quis alligabit in ſinu ſuo ignem, & non comburet.* Et ideo ſi contrarium eveniat, prodigium hoc adeo rarum eſt, ut Deus illud, quotieſcumque accidit, ad perpetuam rei memoriam annalibus æternitatis inſcribi voluerit.

*S. Aug. in Pſ. 57.*

*S. Cypr. de ſing. Cler. n. 9.*

*Ant. Sen. in Chronico FF. Præd.* Exemplum rarum.

2. Etenim in Chronicis ſancti Dominici de Joanne Salernitano ſcribitur, quod dum Florentiæ moraretur, mulier quædam ejus amore ſuccenſa, infirmam ſe eſſe ſimulans, illum ad ſe accerſiri fecerit ſub ſimulato confeſſionis ei faciendæ prætextu; Quo in certamine optimus hic religioſus, minime ſuccubuit, ſed glorioſam victoriam reportavit; Verumtamen victor ad monaſterium reverſus, in corde ſuo dicens: *Secretum meum mihi*, de eo quod ipſi acciderat, ne verbo quidem minimo mentionem fecit: Verumtamen quia ut in libro Tobiæ ſcribitur: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum eſt*; divina diſponente Sapientia accidit, quod ipſemet inimicus infernalis, qui in laſciva illa fœmina ad illum tentandum unicum inſtrumentum fuerat, actionem hanc adeo eximiam atque præclaram toti mundo manifeſtarit, quia dum in prædicta civitate certus quidam vir exorcizaretur; Dæmon ſe numquam ab ejus viri corpore egreſſurum eſſe proteſtatus eſt, niſi vir ille eò veniret, ipſumque foras eliminaret, qui in medio ardentium flammarum poſitus minime exarſit: *Niſi ille adveniret, qui in igne fuerat, nec tamen erat combuſtus.*

*Iſa. 24. v. 16.*

*Tob. 12. v. 7.*

*B. Petr. Damian. l. 2. Ep. 18.* Similitudo docet occaſiones fugere.

3. Enimvero quomodo ignis ille incentivum præſtet illi, qui ad eum propinquius accedit, Beatus Petrus Damianus nobili quadam eruditione ſignificat, dum rem hanc ponderando ita ſcribit: *In quodam monte Orientis lapides ſunt igniferi, qui maſculus & fœmina nuncupantur, & dicuntur Pyroboli, qui nimirum cum à ſe invicem procul ſunt, non accenduntur, ſi verò fœmina appropinquaverit maſculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita ut omnia quæ circa montem ſunt, flammis vaporantibus exurantur: Ab ipſis ergo lapidibus edocemur, ut ſi conſumi libidinis incendio nolumus, muliebris aſpectus ſpeciem declinemus, ne de conſpecta forma flamma proſiliat, quæ in nobis non montis, ſed mentis fruteta pervadat.* Quando ſtramen ſiccum eſt, facillime ignis eidem proximior factus adhæreſcit; Quam ſimilitudinem Chryſologus adducit, ut quam pernitioſa hæc flamma iis ſit, qui ad carnis incentiva propinquius temere nimis accedit, exponat; Dicit enim: *Quod ignis aridæ ſegeti, hoc vitia corpori ſunt humano, quæ ſola ſecurius ſeparatione vincuntur, necantur ignorantia, & neſcita feliciter evaneſcunt.*

*D. Chryſol. ſer. 10.*

Et periculum quantumvis remotum.

4. In Deuteronomio Hebræorum populo præceptum fuit, ut à Gentilium ſimulachris, eorumque cultu adeo exactè abſtinerent, ut illa ubicumque locorum invenirentur, non ſolum igne diſperderent, verum etiam metalla, ex quibus fuſa erant, nequaquam concupiſcerent. *Sculptilia eorum igne combures; non concupiſces argentum & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio eſt Domini Dei tui.* Sed quænam ratio eſt, quod Deus aurum & argentum, ex quibus ſimulachra illa conflata fuerant, ab Hebræis nequaquam uſurpari voluerit, ſed potius illa diſperdi & projici juſſerit. Conſtat enim ex Scriptura ſacra licitum fuiſſe Hebræis, ut Gentilium uterentur facultatibus, agris videlicet, vineis, domibus & victualibus eorum, cur igitur non etiam pretioſo hoc metallo ex idolorum ſuorum deſtructione comparato uti poterant? Scitiſne quidnam ad hanc quæſtionem reſponderi poſſit? In Diſcurſibus præcedentibus fuſè monſtratum fuit, quod magna pars numinum, quæ à Gentilibus adorabantur, quibuſque præ cunctis aliis religioſum cultum exhibebant, talibus ſimulachris repræſentabantur, quæ ad libidinem invitabant, eamque in eorumdem cultoribus mire fovebant, prouti ex pluribus Sacræ Scripturæ locis clare ſatis deducitur; at vero ubicumque de hoc vitio agitur, Divina providentia, quæ *in ſua diſpoſitione non fallitur*, ſapientiſſime præcipit, ut omnis occaſio, omne periculum quantumvis remotum, omnis memoria, omneque vel minimum illius veſtigium è medio tollatur, ac proinde eadem intentione materia horum ſimulachrorum, quantumvis pretioſa ſit totaliter diſperdi & abjici jubetur.

*Deut. 7. v. 25.*



Radicem quoque ex qua pullulat libido.

5. In Exodo legitur, quod Moyſes ſancto quodam zelo armatus minime contentus fuerit, quod apprehenſum vitulum aureum in minutiſſimas particulas comminuerit, verum inſuper in ignem conjectum, & in minutiſſimum pulverem redactum, in aquis diſperſerit, ut omnis illius deperiret ſubſtantia & memoria: *Arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam.* Ubi Oleaſter ait: *Adverte prudentiam, prius in peccatum, quam in peccatores ſævit, ut peccati radicem prius extirparet.* Etenim radix mali è medio tollenda eſt, ad eum modum, quo malæ alicujus herbæ radix penitus evellitur ab eo, qui ne ulterius progerminet, efficere nititur; atque ideo Moyſi vitulum ſe confregiſſe minime ſufficiebat, niſi etiam materiam, è qua conflatus erat, in pulverem redigeret, ejuſque naturam adeo mutaret, ne metallum iſtud novo vitulo fundendo ſervire, illiuſque idololatriam Hebræis in memoriam revocare poſſet.

*Exod. 32. v. 20. Oleaſter.*

*Exod. 32. v. 6.* Omnia denique incentiva deſtruere debemus.

6. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*, inquit Scriptura Sacra; Per hunc vero ludum, juxta communem opinionem intelliguntur ſaltus, choreæ, & aliæ id genus impudicitiæ, quæ pro ſui incentivo crapulam habent. Adhæc aurum illud, ut alibi ſuo loco ponderavimus, ex quo vitulus ille conflatus fuerat, ex ornamentis mulierum deſumptum fuerat: *Tollite inaures aureas de uxorum veſtrarum auribus*; ac proinde Moyſes ſano cum conſilio idolum hoc deſtruere, & velut ad nihilum redigere voluit, ut hinc diſceremus, quod ad tentationes carnalis concupiſcentiæ, illiuſque occaſiones è medio tollendas, omnia perdenda & deſtruenda ſint, quæ etiam remote præteritarum voluptatum & delectationum olim habitarum memoriam renovare poſſunt. *Moyſes comminuit vituli caput*, inquit Sanctus Ambroſius, *illudque in pulverem redegit, ut omnia impietatis aboleret veſtigia*; vel potius ad propoſitum noſtrum, *ut omnia laſciviæ aboleret veſtigia*; vel ut interpres quidam modernus ait: *ut ſignificaret ne pulverem quidem peccati in homine remanere debere, ſed omnia conſumi oportere; quod quando homo non facit, ſed aliquas occaſiones relinquit, arbitrans illas parum nocere poſſe, quia minima ſunt, ex illis occaſionem & audaciam accipit diabolus, ut redeat.* Comburendæ igitur ſunt tum illæ amaſij vel amaſiæ icunculæ & pictæ effigies, quas amoris illiciti continuandi cauſa tecum portas, abjicienda ſunt munuſcula, quibus amor ille fovetur, abolendæ ſunt illæ hinc inde conſcriptæ amatoriæ literæ, quia quodlibet horum ſufficit ad retinendum penes nos ſpiritum fornicationis vigilem & ſolicitum ad ſuſcitandam in nobis ſive vigilantibus, ſive dormientibus præteritarum voluptatum memoriam.

*Ibid. v. 2.*

*S. Ambr. ad Romul.*

7. Quiſnam obſecro ſenſus eſt verborum illorum Pſalmiſtæ: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem?* Quanam ratione finem hunc conſequi poterat? *Quomodo unus interficere poterat*, quærit Sanctus Ambroſius, *omnes peccatores terræ?* Et reſpondet per hoſce peccatores terræ vitia intelligenda eſſe, quibus mane, ſummo diluculo, id eſt, in ipſorum primis principiis omnem viam præſcindebat, ſubmovendo omnia peccatorum incentiva & occaſiones: *ſed ſi conſideres juſtum*, inquit, *cui nox præceſſit, dies autem appropinquavit, potes videre quomodo*

*Pſal. 100. v. 8.* Principiis obſtare. *S. Ambr. Ibid.*

*exoriente Sole juſtitiæ de luce vigilans interficiat omnia fomenta delictorum.*

Propinqua fugere.

8. Præcepit olim Deus in Exodo, ne in montem Sinai aſcendere præſumerent; ut autem idipſum tanto efficacius aſſequeretur, inſuper ne ad fines, vel ad radices montis illius propius accederent, diſtricte præcipit: *Cavete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Unde Oleaſter hanc elicit moralitatem: *Pulchram ſic habent admonitionem Prælati, ut cum velint præcepta ſua à ſubditis ſervari, probibeant initia transgreſſionum.* In ſenſu quoque accommodatitio dici poteſt, quod ſicut Deus, ut ſecurus eſſet, quod populus montem minime aſcenderet, propinquiorem inſuper ad radices montis acceſſum prohibuit; ad eumdem quoque modum ad cavendum ne amplius in peccatum carnis ſemel à te commiſſum relabaris, non ſolum Deus non vult, ut domum illam, in qua peccaſti, non amplius ingrediaris, verum etiam, ſi poſſibile ſit, ut ne quidem plateam, in qua ſituata eſt domus, deinceps pertranſeas.

*Exod. 19. v. 12.*

*Oleaſter. Ibid.*

*Matth. 5. v. 29.*

Et occaſionum radices.

9. Apud S. Matthæum Chriſtus ſuadet dicens: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Quod præceptum ſive conſilium Chriſti utique in ſenſu literali nequaquam intelligendum eſt, ſed recurrendum eſt ad myſterium. Gloſſa autem ait: *Quia non ſolum peccata vitanda ſunt, ſed & occaſiones peccatorum tollendæ.*

*Gloſſa ibid.*

10. In Deuteronomio Deus Hebræis præcepit, ut ſi egreſſi ad prælium ſuum ſtraviſſent inimicum, & inter alia ſpolia mulierem aliquam eximia pulchritudine conſpicuam accepiſſent, priusquam illam ſibi in uxorem adoptarent, & matrimonio jungerent, eidem in domum ſuam conductæ omnes raderent capillos, unguiculos præciderent, veſteſque, quibus captivitatis tempore induta erat, eidem detraherent; Quæ *omnia in figura contingebant*; nam, ut Gloſſa dicit, per hanc mulierem animam peccatricem intelligendam eſſe, quæ *pulchra eſt ratione imaginis, ſed captiva ratione criminis*; Hanc Deus in ſponſam ſuam deſiderat: *Sponſabo te mihi*; Verumtamen veſtes, quibuſcum capta eſt, deponat neceſſum eſt: *Oportet ut deponat veſtes, in quibus capta eſt, id eſt, vitia & peccata præterita*; Neque hoc etiamnum ſufficit, quin etiam ungues & capilli ei præſcindi debent, id eſt, peccatorum circumſtantias aggravantes deponat, & peccati occaſiones caveat, quod faciet ſi huic vel illi converſationi ſuſpectæ nuntium remittat, ſi cum peccati complice non amplius commercium habeat, ſi feneſtris affixa deinceps non fuerit.

*Oſe. 2. v. 19.*

Similitudo.

11. Sanctus Bernardus id explicat per ſimilitudinem arboris, quam qui ſublatam vult, ferrum admovere ſolet ad radices: *Periculum ſi volumus declinare, ſecurim ponamus, neceſſè eſt ad radices arborum, non ad ramos.* Quiſquis enim peccatum carnale ſibi per diuturnam quamdam conſuetudinem quaſi inviſceratum extirpare ſatagit, ei nequaquam ſufficit, quod illud confiteatur, de illo doleat, & pro illo pœnitentiam agat, verum inſuper ſi in vitæ emendatione ſtabilis eſſe cupit, opus eſt ut omnes ſibi adimat occaſiones, quæ anſam ei præbere poſſunt, ut ad priſtinam denuo cum laſciva muliere familiaritatem redeat, tunc enim vere radix exſcinditur, quando omnis per literas, nuntios, nutus, vel proſpectus correſpondentia tollitur: nam ut S. Nilus ait: *Florent olera prope aquam ſata, & libidinis ſemina familiaritate mulierum excitantur.*

*S. Bern. ſer. 2. de Aſſumpt.*

*S. Nilus Orat. 2.*

David periculo cautior factus.

12. In ultimo prælio, quod David cum Philiſthæis inivit, Gygantem quemdam adverſarium habuit, qui plus ipſi faceſſivit negotij, quam Goliath olim fecerat, eo quod jam juvenilium annorum & virilitatis robur in ipſo defeciſſet, unde parum aberat, quin infeliciter eo in prælio occubuiſſet; Quod Conſiliarij ſtatus videntes, conſiderantesque periculum, in quo fuerat, ſuppliciter eum rogaverunt, ne deinceps in propria perſona in prælium deſcenderet; Cumque David precibus eorum obſiſteret, illi verò econtra varia motiva & rationes ad eum permovendum adducentes, Regem in ſuo propoſito obſtinate perſeverantem conſpicerent: *Tunc*, inquit ſacer textus, *juraverunt viri David dicentes, jam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſraël.* At verò dicite ſodes; Quidnam Davidem permovere poterat, ut fidorum Conſiliariorum ſuorum precibus & efficacibus adductis rationibus minime acquieſcens, vitam ſuam invito omni populo ſuo manifeſto periculo exponeret. Pro hujus dubij reſolutione neceſſum eſt revocare in memoriam, in quibus circumſtantiis David poſitus fuerit, quando in funeſtum illud adulterij lapſus eſt barathrum: Nimirum *Eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere ... remanſit in Jeruſalem*; In hoc igitur periculum, factus jam cautior ſe deinceps immittere noluit, quin potius omnem occaſionem fugiendo vitam ſuam potius periclitari, quam honeſtatem & pudicitiam contaminare maluit.

*2. Reg. 21. v. 17.*

*2. Reg. 11. v. 1.*

13. Audiamus quid Author libri *de ſingularitate Clericorum* hac de re ad propoſitum noſtrum dicat; poſtquam enim difficillimum eſſe dixiſſet in conſortio mulierum caſtitatem ſervare illibatam, ſubjungit: *Difficile quis venenum bibet & vivet. Verendum eſt dormienti in ripa ne cadat.* Quis eſt, qui non videat in manifeſto eum poſitum eſſe in fluminis gurgites incidendi periculo, qui in ripa fluminis dormiens in lecto ſuo ſuaviter ſe quieſcere credit? Divus Chryſoſtomus quoque aliam parum ab hac diverſam ſimilitudinem adducit ejus qui in extremis præcipitij oris ambulare geſtit: *Juxta præcipitium vadens, quamvis non decidat, tremit tamen, & ſæpenumero ab ipſo ſubverſus tremore decidit: ita & non procul peccata fugiens, ſed ſecus ipſa vadens cum timore vivit, & in ipſa labitur ſæpius.* Tertullianus *de Pudicitia* diſſerens, ludum illum noſtris quoque diebus uſitatum in aëre ſuper fune ſaltantium conſiderat, quorum vulgaris finis præcipitium eſſe ſolet; ac demum ad eos qui in virtute ſeu potius in propria præſumptione & arrogantia ſua confiſi, pudicitiam ſuam gravi periculo proſtituunt, diſcurſum ſuum dirigens inquit: *Age tu funambule pudicitiæ & caſtitatis, qui tenuiſſimum filum pendenti veſtigio ingrederis, carnem ſpiritu librans, animam fide moderans.*

*S. Cypr. de ſingul. Cler. n. 16.*

Præſumptuoſi multi ſe periculo exponunt.

*D. Chryſoſt. Hom. 15. ad pop.*

*Tertull. de pudicitia c. 10.*

14. Moralis Philoſophus Seneca dicit: *Ne in ſicco quidem ſatis firmiter ſtas, quid in lubrico?* Sancti viri dum ex neceſſitate auxiliandi & ſublevandi animas cum mulieribus converſari coguntur, timent & contremiſcunt, ac proinde ciliciis, jejuniis, & orationibus ſe obarmantes ſolum hujus vitij nomen abhorrent: qua igitur fronte nos qui mentem laſcivia contaminatam habemus, qui ad carnis ſtimulos & motus habendos adeo faciles ſumus, qui auxiliis gratiæ caremus, nos voluntarie, imo & temerarie in medias lubrici hujus peccati occaſiones proſtituere præſumemus? Optime ſane Sanctus Cyprianus nos monet, dum in quadam Epiſtola ita ſcribit: *Liberanda & violenter eripienda eſt de periculoſis locis navis, ne inter ſcopulos & ſaxa frangatur; extrahenda eſt velociter de incendio ſarcina, priusquam à flammis ſupervenientibus cremetur. Nec evadere diabolum ſervus Dei poterit, qui ſe diaboli laqueis implicaverit.* Laquei autem aſtuti hujus ſerpentis ſunt laſcivi obtutus, verba obſcæna, lubricæ converſationes, literæ amatoriæ &c. quæ omnia & alia ſimilia incentiva quiſquis non fugit, in eadem retia de novo incidat neceſſum eſt.

*Sen. Ep. 117.*

Devoti lubricitatem conſiderant.

*S. Cypr. Ep. 62.*

15. Quando Moyſes à Pharaone, qui dæmonis typum gerit, populo ſuo dari petiit, ad ſacrificium Deo offerendum egrediendi licentiam, ſignanter, & cum inſigni myſterio dixit: *Ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro*; Sed cur integri tridui ſpatium ad ſacrificium offerendum ſibi indulgeri poſtulant? Cauſam hujus Oleaſter innuit dicens: *Neque ſat eſt ei qui Deo vult ſacrificare, recedere à malis, niſi ab eis ſe curet elongari via trium dierum.* Non ſufficit quod quis Deo & Confeſſario vicem Dei obtinenti promittat ſe hanc vel illam familiaritatem peccaminoſam deſerere velle, verum inſuper requiritur, ut ad aſſecurandam promiſſionis adimpletionem ab eadem, ſi fieri poteſt, itinere trium dierum recedat, tunc enim carnalis homo ſperare poterit, quod à ſervitute Pharaonis tartarei, & à contrectandi concupiſcentiæ luti neceſſitate paulatim ſit eximendus: *In operibus luti &c.*

Pharao dæmonis typus.

*Exod. 5. v. 3.*

*Oleaſt. ibid.*

*Exod. 1. v. 14.*

## *DISCURSUS XXXII.*

## ARGUMENTUM.

In certamine contra vitium carnis fugere debemus, ſi de victoria obtinenda & de Dei aſſiſtentia ſecuri eſſe velimus. Referuntur etiam quorumdam cautelæ, qui etiam poſt mortem occaſionibus ſe exponere detrectarunt.

THEMA.



## THEMA.

*Fugite fornicationem.* 1. Cor. 6. ℣. 18.

Fugâ vincitur libido.

1. SAnctus Anſelmus hoc Sancti Pauli conſilium, ſive præceptum fornicationem fugiendi Chriſtianis impoſitum conſiderans ad noſtram inſtructionem ita ſcribit: *Cum alijs vitijs poteſt expectari conflictus, hæc fugienda eſt, quia aliter melius vinci non poteſt.* Sanctus Cyprianus de hac materia tractans, noſque ad timendum potius, quam ad confidendum de nobis animare volens, ait: *Expedit plus bene timere, quam male de ſe fidere; & utilius eſt, ut infirmum ſe homo cognoſcat, ut fortis exiſtat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat.* Et paulo poſt ſubdit: *Inæſtimabilis pietas, ut timendo fœminarum blandimenta vincamus.*

*S. Anſel. ibid.*

*S. Cypr. de ſing. Cler. n. 10.*

2. Refert Sanctus Bernardinus, quod cum die quodam ſimul congregati eſſent Frater Ægidius Aſſiſinas, Frater Simon, Frat. Ruffinus, & F. Juniperus, interque ſe collationem facerent ſpiritualem, Frater Ægidius illos interrogarit? *Quid feciſtis vos cum tentationibus carnis?* Cui Fr. Simon ſe hujus peccati turpitudinem & deformitatem conſideraſſe, ex eaque meditatione ſe ad illud efficaciter deteſtandum motum fuiſſe reſpondet: Frater Ruffinus dixit: Ego me in terram proſterno, Deique & ſanctiſſimæ matris ejus auxilium & clementiam per ferventem quamdam orationem eo uſque imploro, donec ab iis liberatum me eſſe ſentiam: Frater Juniperus reſpondit: quando ſuggeſtiones diabolicas appropinquare experior, portas cordis mei per ſanctas meditationes claudere, animæque fortalitio bonam adhibere cuſtodiam ſatago, ne inimicus illud uſpiam ſubingredi, aut contra illud prævalere poſſit: *Cum illæ ſuggeſtiones oſtium cordis quaſi pulſando percutiunt; ego reſpondeo ad intus: pro te nullatenus reſerata erit: Extra, extra, quia hoſpitium captum eſt, & ideo hic recipi non poteſtis; & ſic numquam intrare permitto.* Tandem Frater Ægidius ſuum quoque conſilium ſubjunxit dicens: *Tecum Frater Junipere teneo, quia cum illo peccato tutius & diſtinctius pugnatur fugiendo, ubi ab intus eſt provocatio carnis, appetitus ab extra, per ſenſus ſentitur tantus & tam fortis hoſtium exercitus, nam aliter eſt tibi fortis pugna & rara victoria.*

*S. Bern. T. 4. ſer. 20. de Luxur.*

*Eccl. 3. v. 27.*

Sic Joſeph vicit.

3. Eccleſiaſticus dicit: *Qui amat periculum, in illo peribit*; Et revera ita eſt; Quiſquis enim inimicum ſuum fugere valens, & tamen in viribus ſuis confiſus eumdem cum ſummo ſuo diſcrimine aggreditur, ſecure peribit. Unde Dionyſius Carthuſianus ait: *Qui amat periculi occaſionem, incurret damnationem, nec poteſt peccata evadere, qui non curat vitiorum occaſiones effugere.* Quando Putipharis uxor Joſephum aggrediebatur pro committendo adulterio, videns ipſe pallium ſuum ab ea apprehendi, is eo in manibus adulteræ relicto, in fugam ſe recepit: ſed numquid Joſeph muliere iſta robuſtior erat, cur igitur non potius cum illa luctatus eſt, ut pallium ſuum è manibus illius eriperet, ſed potius relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus eſt foras? Reſpondeo, optime feciſſe Joſephum, quod etiam relicto pallio fuga ſe ſalvarit; quia in hoc caſtitatis prælio nequaquam facienda ex experientia virium noſtrarum invadendo hoſtem, ſed omnis hoc in prælio fortitudo noſtra in fuga conſiſtit, ſiquidem fugiendo reparatur victoria: Unde interpres quidam ait: *Joſeph reliquit in manu mulieris pallium & egreditur foras, quoniam [illegible] non præbet carnali concupiſcentiæ conſenſum, [illegible] fugit omnes occaſiones peccati.*

*Dion. Carth. Ibid.*

*Gen. 39. v. 12.*

*Vitalis ibid.*

Honorifica eſt hæc fuga

4. Nec eſt quod quis hanc fugam ignaviæ aut effœminato & imbelli animo attribuat; quia ſola hæc fuga honorifica eſt & glorioſa, ſiquidem per hanc homo infernum vincit, & ſemetipſum. Unde Pſalmiſta ait: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus*; Ubi Flaminius Nobilis & alij legunt: *Dediſti metuentibus te ſignum, vexillum ad extollendum*, quaſi Pſalmiſta diceret: tunc in hoc carnis prælio victorioſa eriguntur vexilla, quando quis in periculis laſciviæ poſitus, prælium declinando fugit, & ideo ubi vulgata noſtra legit; *ut fugiant à facie arcus*, legunt alij: *à facie dæmonum, mundi & carnis &c.*

*Pſal. 59. v. 6.*

5. Idem quoque Pſalmiſta alibi Deum his verbis alloquitur: *Deus vitam meam annuntiavi tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo, ſicut & in promiſſione tua, tunc convertentur inimici mei retrorſum.* Ubi de illis loquitur perſecutionibus, quas ſibi ab inimicis ſuis illatas Deo auxiliante evaſerat. Sciendum vero eſt, quod verſio Flaminij Nobilis legat: *Poſuiſti fugas meas in conſpectu tuo*, quaſi dicere vellet Pſalmiſta: Per fugam meam inimicos meos in fugam converti; ſubdit enim: *Tunc convertentur inimici retrorſum*; Sic fugiendo Saülem, quem per modum inculpatæ tutelæ occidere poterat, regium ſibi diadema acquiſivit, perque manſuetudinem ſuam ſemetipſum pariter & inimicos ſuos ſuperavit. Longè tamen aptius hæc verba propoſito noſtro adaptare poſſumus, quia vitium carnis cunctaſque illius occaſiones & pericula fugiendo, idipſum infallibiliter glorioſe ſuperamus, animæque & corporis noſtri ſecuritati optime conſulimus. Siquidem *Qui ſeminat in carne ſua, de carne metet & corruptionem.*

*Pſal. 55. v. 9. & 10.*

Carnem ſuperamus fugiendo.

*Gal. 6. v. 8.*

Vincere qui velit fugiat.

6. Nota eſt illa Curiatiorum & Horatiorum, adverſus ſe invicem præliantium hiſtoria; Cum enim duo Romani occiſi fuiſſent, alius qui ſolus ſuperſtes remanſerat, treſque amicos viventes habebat, ut tres illos vinceret, hoc uſus eſt ſtratagemate, quod ſe fugam capeſſere ſimularit: *Unus ſolummodo ſuperſtes erat, qui fugam capeſſens, non pugna, ſed curſu reſtituit rem, & fortunam Romæ dignam, quam dimicando pene perdiderat, fecit fugiendo.* Quoties experimur, quod dum in hoc tentationis certamine poſiti nimium de nobis confidendo tentationibus illis nequaquam conſenſuros nos eſſe credimus, contrarium nihilominus nobis eveniat? Et ideo nolite deinceps nimium præſumere de vobiſmetipſis, ſed fuga ſaluti veſtræ conſulite, ſi vincere vultis.

*Tit. Livius Decad. l. 1. c. 1.*

7. *Deus Dominus fortitudo mea*, inquit Habacuc cap. 3. Verſ. 19. *& ponet pedes meos quaſi cervorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor*; quaſi diceret: Quidquid roboris in hoc prælio carnis in me cernitur, hoc totum in me à Deo derivatur: *Deus fortitudo mea*: Verumtamen hoc ſub tali nobis pacto & conditione præſtat, ut non alio modo quam fugiendo contra hoſtem certemus; *Et ponet pedes meos quaſi cervorum*; Alibi quoque dicit: *Deus noſter refugium & virtus*, pariter junguntur & aſſociantur, virtus ſcilicet, ſive aſſiſtentia Dei, & refugium noſtrum quo ad illum fugientes recurrimus, quia tunc nos in ipſo refugium habituros, & virtutibus neceſſariis obarmandos eſſe ſperare poſſumus, quando fugiemus. Sic populo Hebræo tunc in columna nubea & ignea aſtitit, & pro eodem adverſus Pharaonem & univerſum Ægyptum pugnavit, quando à facie Pharaonis ex Ægypto fuga ſe proripuit: *Nuntiatum eſt Regi Ægyptiorum, quod fugiſſet populus.*

*Abac. 3. v. 19.*

Deus fortitudinem tribuit per fugam.

*Pſal. 45. v. 1.*

*Exod. 14. v. 5.*

8. Sanctus Ambroſius ad illa Pſalmiſtæ verba: *Ab omni via mala probibui pedes meos*, ſe reflectens: illiſque contra opponens alia hæc verba: *Qui eripuit pedes meos à lapſu*, dicit ideo Davidem meruiſſe, ut omnes à dæmone illi præparatos laqueos evaderet, quia non ſolum peccata, ſed omnes illorum committendorum occaſiones & pericula ſtrenuè fugerat, unde nos quoque ad idipſum faciendum his verbis hortatur: *Probibe ergo pedes tuos, ne cadas, ſunt enim non ſolum criminum, ſed etiam infirmitatis pedes, & videndum ne cadas, & videris tibi forſitan bene ſtare; ſed dicit tibi Paulus; Et tu, qui ſtas, vide ne cadas.* Quonam vero modo Dominus nobis aſſiſtat, declarat, dum ait: *Sed ita eruit Dominus pedes tuos ab omni lapſu, ſi cognoverit, quod tu probibeas pedes tuos à lapſu*; adducitque ipſiuſmet Davidis exemplum dicens: *Ideo hoc meruit David, ut Deus à lapſu pedes ejus erueret, quoniam pedes ſuos ipſe probibebat, ne præcipiti atque incauto peccatorum laberentur veſtigio.*

*Pſalm. 118. v. 101.*

*S. Ambr. in Pſal. 118. octon. 15.*

*Pſalm. 55. v. 13.*

Vitium carnis fugientem & Deus præſervat.

9. In vita Beati Fratris Rutgeri de Provincia refertur, quod cum ipſe puriſſimus eſſet per carnis integritatem, neque in vultum etiam matris ſuæ licet decrepitæ conſpicere auderet, interrogatus, cur hoc faceret, reſponderit: Quando homo ex ſe facit quidquid poteſt, & peccatorum fugit occaſiones, tunc quoque Deus ex parte ſua facit, ut ipſum à peccato præſervet: at vero quando homo ſe peccati occaſioni ultro citroque exponit, & maximè illius, ad quod ſe vel maxime inclinatum eſſe novit, juſtum eſt, ut Deus quoque ipſum aſſiſtentia ſua deſtituat, & viribus ſuis illum relinquat, quibus ne per unicum ſolum momentum illis reſiſtere valet.

*Hiſt. FF. Min. p. 2. l. 4. c. 52.*

Hiſtoria.

Non ſolum delictum ſed & occaſio fugienda.

10. Conſiderabile eſt, quod in Lazari reſuſcitatione accidiſſe legitur, quia incarnata Sapientia illum reſuſcitare noluit, niſi protinus poſt reſuſci-





tationem

*S.Thom. in Ioan. S.Th. à Villan. Conc. in Fer.6. poſt Dom 4. Quadr.*

tationem è ſepulchro egrederetur, & egredienti omnia vincula, quibus ligatus fuerat, ei confeſtim ſolverentur; Audiamus quidnam hac de re uterque ſanctiſſimus Thomas, Aquinas ſcilicet & Villanovanus ſcribant; Etenim primus dicit: *Datur per hoc intelligi, quod Chriſtus vocat peccatores foras exire de converſatione peccati:* Alter pariter dicit, quod Chriſtus peccatorem docere voluit, quod quando Lazaro dixit: *Exi foras*, id intelligendum ſit, *ut exeat non ſolummodo à delicto, ſed etiam ab occaſione.* Multi quidem ſunt qui peccatum ad tempus aliquod deſerunt, non tamen propoſitum habent illud numquam denuo reiterandi: *Quidam cum peccatis etiam propoſitum peccandi reliquiſſe ſibi videntur, ſed occaſiones delinquendi non fugiunt, hi non ſuſcitantur, quia non omnino foras exeunt;* Adducitque illam Loth hiſtoriam, quem ſanctum virum Angeli non ſolum è Sodoma, ſed & ex omnibus finibus ejus eduxerunt, eique ne in aliqua ad civitatem illam ſpectante regione deinceps moraretur, præceperunt: *Eduxerunt eum, & poſuerunt extra civitatem; Locuti ſunt ad eum dicentes: ſalva animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas*, Unde Villanovanus hoc ad propoſitum noſtrum deducit documentum: *Typice per hoc deſignantes*, (Angeli videlicet) *ut qui divinam ultionem evadere procurat, exeat è peccato, exeat è peccati ſuburbio, id eſt, propoſito, exeat à peccati regione, id eſt, occaſione.* Idem quoque Sanctus Archipræſul Confeſſariis inculcat, ne hoſce fœtentes, id eſt, carnales in peccatis ſuis habituatos peccatores abſolvant, niſi prius è monumento perfecte egreſſi fuerint, id eſt, omnem peccati reiterandi occaſionem proximam totaliter ſubmoverint: *Cavete ne eum in ſepulchro ſolvatis, prius exeat, ut ſolvatur; Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?*

*Gen.19. v.17.* — *S. Th. à Vil.* — *S.Th. à Vill.* — *Pſ.87. v.12.* — *Ibid. v.11.*

Conceptus concionatorius.

11. Verum enimvero ex quo ſepulchri & defunctorum mentionem aliquam facere cœpimus, extra orbitam me abiturum non eſſe confido, ſi oſtendero quod in hac lubrica carnalitatis materia viri ſanctiſſimi & illuminatiſſimi poſt ipſam quoque mortem ſibi metuiſſe videantur. Et quidem in primis, ut in Geneſi legitur, cum Sara in ætate 127. annorum in Arbea Hebronis diem ſuum obiiſſet, Abraham maritus ejus, utpote in regione illa advena & peregrinus locum ſibi à filiis Heth concedi petiit, in quo dilectæ conjugis ſuæ corpuſculum condere & ſepelire poſſet, qui cum ſepulchra ſua eidem perbenigne & humaniter obtuliſſent, ut de illis velut abſolutus eorumdem Dominus pro libitu ſuo diſponeret; Abraham ad illos dixit: *Si placet animæ veſtræ, ut ſepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor, Ut det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri ſui.* Circa quam hiſtoriam quærendum venit, cur ſanctus Patriarcha monumentum aliquod in duo velut conclavia diſtinctum ab hiſce hominibus poſtulaverit? Lyranus ait: *Duplex vocatum, quod unum in ſummitate cavernæ, alterum verò in fundo eſſet.* Gloſſa rationem duplicis hujus in uno monumento diſtincti cubilis hanc aſſignat: *ut ſcorſim in altero viri, in altero vero conderentur mulieres.* Unde clarè deducitur quod ſanctus Patriarcha Abraham etiam in ipſis frigidis Cæmiterij cineribus aliquam concupiſcentiæ ſcintillam ſuſcitari poſſe timuerit, quamdiu utriusque ſexus cadavera in uno loco ſine loculorum diviſione ſimul conjuncta jacerent.

*Gen.23. v.8. Ibid. v.9.* — *Lyranus Ibid. Gloſſa.*

*Baeza l.6. c.2. in Evang.* Hiſtoria 1.

12. Legimus; in Hiſpania palatium regium, in quo Sancia Regina, virgo dum viveret devotiſſima, demorabatur, Eccleſiæ Sancti Iſidori devotiſſimæ conjunctum erat, ac proinde præfata Sancia è quadam regij conclavis ſui feneſtra verſus illam Eccleſiæ partem, in qua ſacer cinerum & oſſium Sancti illius theſaurus publicæ venerationi expoſitus detinebatur, proſpiciendo frequentes orationes ad Sanctum fundebat; Qui tandem die quadam totus luminoſus dictæ virgini apparuit, eique ut habitationis ſuæ conclavia ad alium quemdam palatij locum à templo prædicto magis remotum transferret, præcepit: dicens: *Quamvis enim virginitatis voto te Deo ſacraveris, & ego Deo devotas ſemper dilexerim fœminas, tamen numquam acceptam habui earum mecum diuturnam reſidentiam corporalem.* Ex qua hiſtoria ſequens à minori ad majus deductum formare licet argumentum; Etenim Sanctus Iſidorus, tamquam verus in cælis comprehenſor in eo erat ſtatu, in quo peccare nequaquam poterat, vitam quoque hic in terris duxerat innocentiſſimam, & continuato ſemper conſcientiæ candore valde conſpicuam, corpus quoque ejus jam de facto in cineres redactum erat, & tamen innocentem quamdam, Deo conſecratam altiſſimisque orationis perfectionisque donis egregie & ſublimiter dotatam virginem, in tanta etiam ab ipſo diſtantia remotam ſe timere clare demonſtrat; quo igitur timore percellendi ſunt homines mundani, qui turpitudini appetituum ſuorum omnem præſtare ſatisfactionem conſueverunt, quando ſe in mediis concupiſcentiæ carnalis occaſionibus incentivis illecebroſis poſitos eſſe, ſuæque carni omne ſe frænum laxare conſiderant? *Si hæc in arido, quid in viridi?*

Hiſtoria 2.

13. In vita magni illius ſervi Dei Joannis Baptiſtæ de Fulginio ſcribitur, quod mulier quædam ætate matura & probatiſſima exemplaritate celebris, parvam quamdam crucem argenteam, ſacris reliquiis refertam, quam ſervus Dei ad collum ſuum ſuſpenſam geſtare conſueverat, ab ipſo poſtulaverit & acceperit; Quam ille poſt aliquod tempus ſibi à præfata fœmina reſtitutam ad parietem ex clavo ſuſpenſam ſemper reliquit; Cumque ab aliquo amicorum ſuorum cur illam deinceps non amplius ex collo, ut conſueverat, ſuſpenſam portaret, interrogaretur, ideo ſe id omittere reſpondit, quod crux illa aliquamdiu in fœminæ alicujus manibus hæſiſſet; Quod tametſi verum eſſet, verum tamen inſuper erat, quod mulier illa maturæ ætatis, inſignisque exempli & devotionis fuerit, Materia quoque parvulæ hujus crucis, quæ argentum erat, ab illa macula & labe, quam is metuebat, contaminari non poterat: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum:* quod proinde proprium quoddam eſt pudicitiæ ſymbolum. Cineres quoque & oſſa, quæ in hac cruce claudebantur, arida & ſanctorum hominum oſſa erant, à quibus non ſolum mali nihil metuendum, verum potius plurima erant ſperanda bona; ipſemet denique ſervus Dei octogenarius erat, & virginitatis dono à Deo præclare dotatus, quid igitur in ejus excuſationem reſponderi poterit, quo minus crucem hanc ad pectus deinceps geſtare voluerit? Certum porro eſt, quod idem Dei ſervus, etiamnum vivens, paſſim ab omnibus Beatus appellari meruerit, fuerit item vir ſapiens, circumſpectus, & honeſtatis zelantiſſimus, ac proinde ſine myſterio idipſum eum feciſſe nequaquam credi aut exiſtimari poſſit; Timebat igitur, ne ſi crucem hanc ad collum deferret ſuſpenſam, ſpiritus fornicationis aliquam in eo ad minus ſuſcitaret fœminei ſexus memoriam; unde videtur mihi ipſum per hoc dicere voluiſſe: *Domum meam non modo crimine, ſed etiam criminis ſuſpicione carere oportet.*

*Pſal.11. v.7.*

*S. Ambr.*

Joſeph quidem pallium ſuum in manibus Dominæ ſuæ, quæ adultera erat, reliquit, *ne per manus adulteræ libidinis incentiva tranſirent*, ut inquit S. Ambroſius: mulier autem illa Fulginas honeſtiſſima erat, & tamen crucem, quam illius manus tetigerant, hic ſervus Dei juxta corpus ſuum deferre renuebat. Ecce cum quanta cautela & circumſpectione ſervi Dei in hac materia proceſſerint, etiam ij, qui illuminatiſſimi ſanctiſſimique fuere.

*S. Ioan. Damaſc. collat. 19. de fin. Canob. c.16.*

14. Sanctus Joannes Damaſcenus in operibus ſuis, maxime ubi de religioſorum inſtructione tractat, ita ſcribit: *Nam quemadmodum corpori uſus libidinis carnisque vicinitas, ita etiam menti memoria ejus penitus ſubtrahendo, ſatis enim pernicioſum eſt adhuc infirmis ægrisque pectoribus vel tenuiſſimam recordationem hujus paſſionis admittere, ita ut nonnumquam eis etiam ſub recordatione ſanctarum fœminarum, velut ſub ſacræ lectionis hiſtoria noxia titillationis ſtimulus excitetur.*

Etiam ſancti tentati ſunt.

*S. Franciſc. T.3. Opuſt. Apopht. 11.*

15. Quis umquam purior, ſanctior, & in amore Dei, *Qui candor eſt lucis æternæ*, ardentior Sancto Franciſco fuit? Et tamen ſpiritus fornicationis illum quoque ſubinde infeſtabat, maxime in primis converſionis ſuæ annis; In ejus namque opuſculis ſequentia leguntur: *Circa converſionis ſuæ primordia tempore hyemali in foveam plenam glacie ſeipſum plerumque mergebat, ut domeſticum ſibi hoſtem perfecte ſubjiceret, & candidum veſtimentum pudoris à voluptatis incendio præſervaret, cujus veluti rationem reddens ſociis dixit: Tolerabilius viro ſpirituali eſt, incomparabiliter magnum ſuſtinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis, vel modicum ſentire in mente;* quod idem eſt cum eo, quod in ejus vita à Sancto Bonaventura conſcripta legitur.

*S. Bonav. c.5.*



## DISCURSUS XXXIII.

## ARGUMENTUM.

Ad hoc ut quis ſe à vitio carnis præſervet, neceſſum eſt, ut ad ea loca, in quibus lapſus eſt alias, numquam redeat, eo quod in iis facilis ſit relapſus.

## THEMA.

*Halitus ejus prunas ardere facit*, Job 41. ℣. 12.

*Lyran. Ibid.*

1. SAnctus Job de dæmone ſub nomine Balænæ vel ceti loquens dicit: *Halitus ejus prunas ardere facit*, id eſt, ut Lyranus explicat, *ita magnus eſt & calidus, quod poſſit accendere prunas, & loquitur hic de ceto ad modum ſufflatorij magni, quo ſuccenditur ignis in magna fornace.* Jam verò ut Sanctus Joannes inquit: *Totus mundus in maligno poſitus eſt*; quæ verba Hugo Cardinalis, Dionyſius Carthuſianus & Gloſſa de dæmone interpretantur, ut ſenſus ſit, totus mundus in manu dæmonis poſitus eſt, de quo in eadem Epiſtola dicitur: *Et malignus non tangit eum:* D. Thomas autem Ly *in maligno* ita exponit, ut idem ſit, quod *in malo igne*, totus enim mundus quaſi igne infernali ardet, & ſpecialiter maligno hoc concupiſcentiæ igne; unde gloſſa ait: *Quid prunas niſi ſuccenſas in concupiſcentiis reproborum mentes appellat?*

*1. Ioan.5. v.19. Hug. Card. Dion. Cart. Gloſſa. v.17. 1. Ioan.5. v.18. D. Thomae. Gloſſa ibid.*

Relapſus facilis.

2. Sciendum verò eſt, quod Septuaginta legant: *Carbones*; At vero quænam ligna inter & carbones differentia? Hæc nimirum quia ligna non ita facile accenduntur, & flammam concipiunt, ſicut carbones; Hi enim alias ignem experti ſunt, quia in igne fuerunt ac proinde hoc loquendi modo, niſi fallor: Spiritus Sanctus facilitatem ingentem explicare voluit, qua ſpiritus fornicationis in nobis concupiſcentiam carnalem denuo reaccendit: *Halitus ejus ardere facit*, id eſt, quilibet minimus ejus flatus, vel quævis minima occaſio ad ignem hunc accendendum ſufficit, & quidem in iis præcipuè, qui antea hoc igne aliquando exarſerunt, vel uſtulati fuere; Et hæc eadem forte fuit Cardinalis Cajetani opinio, qui inquit: *Juxta Hebræos habetur: Flatus ejus carbones, hoc eſt, diſpoſitos ad ignem cujusvis concupiſcentiæ accendere*; ubi bene notandum eſt Ly illud, *Diſpoſitos*; Quia dæmon ignem hunc concupiſcentiæ non pari cum facilitate accendit in illis animabus, in quibus ignis iſte numquam hactenus exarſit, quam in carbonibus, id eſt, in illis, qui per longum temporis ſpatium in hoc carnis peccato habituati fuere, vel alias illi fuere dediti; Et ratio eſt, quia licet totus ille ignis poſtea mediante confeſſione, contritione & pœnitentia fuerit extinctus, attamen remanent in illis certæ quædam malæ inclinationes, vel habitus pravi, vel ſuggeſtiones impuræ, vel præteritarum voluptatum memoria; Et ideo ad hanc flammam de novo accendendam, vel unicus halitus ſeu flatus, id eſt, quævis minima occaſio, v.g. litera aliqua amatoria, laſcivus obtutus, vel ſalutatiuncula amaſiæ nutu facta, vel aliud quid ſimile ſufficit: *Halitus ejus carbones ardere facit, diſpoſitos ſcilicet ad ignem concupiſcentiæ concipiendam.*

*Cajetan.*

Similitudo.

*D. Chryſol. ſerm. 116.*

3. Enimvero ſignificantior aut aptior ſimilitudo ad id explicandum adduci nequit; quam ſit illa, quam Divus Chryſologus de occaſionibus differens adducit, dum illas *fumantes occaſiones* appellat: *Fumantes occaſiones incendere*; At vero dices fortaſſe, quænam eſt fumum inter & luxuriam proportio? Potius epithetum iſtud ſuperbiæ attribuendum eſſe videbatur; Verumtamen Sanctus hic Pater optimè *occaſiones fumantes* vocavit; Hujus enim appellationis energiam facile apprehenderis, ſi conſideretis candelam aliquam; cujus lumen jam extinctum fuit, ita tamen ut ignis lychno adhærens non totaliter extinctus ſit, ſed fumum aliquem etiamnum edat, ſi enim ſuper hunc fumum ardens alterius candelæ lumen tenueris, videbis quod lumen candelæ extinctæ ſubito etiamſi nonnihil diſtet, de novo iterum reaccendatur: Idem quoque in hoc concupiſcentiæ igne contingit, tametſi enim hic nonnumquam ad tempus extinctus ſit, attamen in homine, qui tali igne nuper arſerat, fumus malæ conſuetudinis, reminiſcentiæ voluptatum præteritarum, amicitiæ ſeu amoris, vel etiam propenſionis ab objectum amatum, etiamnum perſeverat, & ideo quævis minima occaſio ad ignem hunc in illo reaccendendum ſufficit.

*Eccli. 21. v.2.* Hoc peccatum fugiendum quaſi ſerpens.

4. *Quaſi à facie colubri fuge peccata*, inquit Eccleſiaſticus, *& ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te.* Videri non nemini poſſet, quod Sapiens ad deterrendam ab hoc monſtro animam aptius ad propoſitum locuturus fuiſſet, ſi peccatum ad inſtar tygridis, vel leonis, aut draconis cujuſdam deſcripſiſſet, videmus enim quod licet colubri homines facile mordeant, facile quoque ab iiſdem pedibus proterantur & occidantur; ac proinde idem Eccleſiaſticus in ſequentibus verbis de malitia peccati diſſerens ait: *Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.* Verumtamen Sapiens optime & non ſine magno myſterio peccatum fugiendum eſſe dicit potius quaſi ſerpentem, quam ſicut quodvis aliud animal noxium & truculentum; & ratio eſt, quia inter ſerpentem & alias feras hæc intercedit differentia, quod hæ quando lactentes ſunt, cicurari & domeſticari poſſint, non item ſerpentes, qui quantumvis parvuli ſint, ſemper tamen ſuum habent venenum: ita quoque dicere poſſumus, quod peccatum quodcumque quantumvis modicum ſit, ſuum tamen venenum ſemper conjunctum habeat, maxime carnis peccatum, unicum namque deſiderium, unicus tactus vel oſculum inhoneſtum ſufficiens eſt materia ad conſtituendum mortale peccatum; nam ut D. Gregorius Nazianzenus ait: *Scintilla parva magnas flammas excitat, ac viperinum ſemen haud raro necat, ob idque noxam quamlibet parvam fuge, nam parva primum ſit licet, creſcit tamen*; Non ſolum ignis, ſed & fumus cavendus eſt, nam *flamma fumo eſt proxima*, ut inquit Plautus; Ex fumo quoque devenitur in notitiam ignis; ex unico incauto aſpectu, ex uno turpi geſtu, aut verbo obſcæno inextinguibilis accenditur libidinis ardor. Sed ad ſerpentem denuo revertamur; Cujus hæc eſt proprietas, quod quo caput ſuum immittere poteſt, eo quoque reſiduum corporis facile ingrediatur: Sic quoque quando ſpiritus fornicationis efficere poteſt, quod ejus ſuggeſtio aditum aliquem quantumvis modicum ad cor noſtrum habere poſſit, ſive per cogitationem, ſive per actum aliquem complacentiæ, ſive per incautum obtutum oculorum, vel per aliud quid ſimile, mox in illud ſe paulatim univerſa illius ſeſe inſinuat malitia.

*Ibid. v.3.*

*Nazianz. in Tetraſt.*

Imo omnis ejus occaſio.

*Galfred. in Alleg. ſuper Eccleſ.*

5. Verum enimvero Galfridus optime notat, quod nobis nequaquam ſufficere debeat, quod morſum fugerimus ſerpentis, verum etiam cavendum nobis eſt, ne illum tangamus, aut familiariter nimis cum illo agamus: *imo etiam non ſufficiat tactum evadere, ſed etiam acceſſum; parum eſt ſerpentis non ſentire contagium, periculoſum eſt vel habere vicinum.* Non ſufficit, quod is, qui ad peccatum proclivis eſt, peccatum fornicationis opere ipſo committere nollet, verum inſuper opus eſt, ut ſi ſe ab illo velit conſervare illæſum, nullam prorſus in domo aliqua ſuſpecta familiaritatem habeat, neque eadem domui habitatione vicinum exiſtere. Unde idem Author hac de re ita diſcurrit; *Non dicas: Quid mihi nocet, ſi proximus eſt coluber, tantum & me non mordeat, & occidat; imo verò quod de colubro non diceres, non dixeris de peccato, ne accidentis lenocinia feras, ſed ut fugeres à facie colubri etiam longe poſiti, ſic multo magis à peccato, & faceres hoc ſi tibi charior foret animæ vita quam corporis.*

Semper enim malæ inclinationes vivunt.

6. Eſt inſuper alia ratio, cur Sapiens peccatum inſtar ſerpentis fugiendum eſſe ſuadeat. Sciendum eſt enim, quod ſerpens dum occiditur tale nihilominus in ſe temperamentum habeat, ut membra à capite reſciſſa per aliquod temporis ſpatium etiamnum ſaltitent, ſeque agitent haud ſecus ac ſi adhuc viverent, quia talis in membris illis remanet calor, qui ad ejusmodi motus ſufficiat: Eodem igitur modo Eccleſiaſticus peccatum haud ſecus ac ſerpentem fugiendum eſſe monet, maxime peccatum carnis, quod uti in diſcurſibus præcedentibus fuſe oſtendimus, in ſerpente præſiguratur, quia licet nonnumquam per Confeſſionem Sacramentalem mortificetur, vivæ tamen remanent etiamnum malæ inclinationes, appetitus inordinati, affectus item & propenſiones in idem vitium, ac proinde facile denuò in illud reincidemus, niſi occaſiones & incentiva ſtudioſiſſimè caveamus. Unde advertendum eſt, quod Sapiens antequam hanc ſerpentis ſimilitudinem adducat

*Eccl.21.v.1.*

ducat, prius in principio Capitis nos moneat dicens: *Fili peccaſti? non adjicias iterum*; quaſi dicat: Cave ne ad eadem te ingeras pericula, aut ad eoſdem ſcopulos denuo allidaris.

*Matth. 24. v. 16. 17. & 18.*

*Gloſſa interlin. ibid.*

Noli redire ad locum ubi lapſus es.

7. Chriſtus Dominus de finalis judicij horrore differens, conſulit nobis dicens: *Qui in Judea ſunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua; & qui in agro non revertatur tollere tunicam ſuam*; Ubi Gloſſa interlinearis ad propoſitum noſtrum dicit: *Qui excedit carnem animo, non redeat ad aliquos actus priſtinæ converſationis*; Non redeat amplius ad domum illam, in qua lapſus eſt, tametſi ibi theſauros reliquerit; Ne iterum converſetur cum perſona illa, quæ ei offendiculi occaſio fuit: *Fugiant ad montes*; elongetur quantum potuerit; *Non revertatur tollere tunicam ſuam*; hoc eſt, ut Gloſſa ibi ait: *Iterum involvi quibus exutus eſt.*

*Gloſſa ord. Ibid.*

Voluptatum memoriam ac complacentiam locus excitat.

8. Neſcio an aliquando conſideraveritis id, quod in Samaritanæ & Magdalenæ (quæ ambæ peccato carnis turpiter immerſæ fuerunt) converſione contigiſſe legitur. Etenim verum quidem eſt quod Samaritana ad Chriſtum acceſſerit, ſed in loco aperto in agro, quo multi ad hauriendam aquam convenire ſolebant; Et tamen Apoſtoli *mirabantur quia cum muliere loquebatur*: Chriſtus vero non convenit illam in Samaria in domo propria, neque ibi illam convertit ad pœnitentiam. Idem quoque circa Magdalenam factum eſt; Chriſtus enim in Phariſæi domum ſe contulit, ubi illam in prandio expectare volebat; Sed cur non potius in ipſiuſmet Magdalenæ domum conceſſit? Num forte ſe ibi contaminandum eſſe metuebat? At verò ſolis radij nullam contrahunt labem, licet in plateæ ſtercora & ſordes ſeſe extendant; Utique proſtibulum Magdalenæ multo facilius & efficacius commutari potuiſſet in ſanctuarium per Chriſti præſentiam, quam per Agnetis alicujus vel Luciæ aſpectum. Cur igitur Magdalenam in domo ejus propria non convenit? Non deſunt qui dicant, Chriſtum Magdalenam in domo Phariſæi non vero in domo propria alloqui voluiſſe, ut per hoc omnem malignis Phariſæis occaſionem tolleret, ſiniſtræ circa ipſum concipiendæ ſuſpicionis, aut effutiendæ in ipſum calumniæ, quia jam alias ad hoc faciendum proni nimis & faciles erant, dicendo: *Cum Publicanis & peccatoribus manducat.* Quæ ratio licet ſatis ſit ſolida, multo tamen ſolidior & efficacior eſt ſequens ratio, nimirum volebat Chriſtus in perſona Magdalenæ nobis ſpeculum & normam veræ pœnitentiæ & reſipiſcentiæ à peccato carnali ob oculos ponere; Merito igitur divina & incarnata Sapientia diſpoſuit, ut illa à vita laſciva ſe ad Chriſtum convertere volens è domo ſua egrederetur, nec umquam eo denuo rediret, ut exinde diſceremus, quod dum ab hoc peccato convertimur, omne incentivum omnemque ſtimulum tam lubrici peccati deſerere debeamus; Quod ſi porro Chriſtus hanc peccatricem in domo ejus propria convertiſſet, ipſaque in eadem domo permanſiſſet, non nemo forſitan ipſam Benefactorem & Redemptorem ſuum numquam ſecutam fuiſſe, & conſequenter in peccatis ſuis perſeveraſſe credere potuiſſet, utpote quæ etiamnum inter medias flammas, id eſt, in medio innumerabilium concupiſcentiæ ſuæ incentivorum permanſiſſet, quot enim in ejus domo conſpiciebantur laſcivorum nobilium juvenum vivæ effigies, monilium diverſa genera, veſtium ornamenta, munuſculorum pretioſi apparatus, literarum ab amaſiis ejus ſcriptarum faſciculi, tot erant laſciviæ inceſſanter continuandæ proritamenta: Præterquam quod ipſemet locus continuam in illa præteritarum voluptatum memoriam & complacentiam excitare potuiſſet. *Lubrica autem eſt illa ſpes, quæ inter tormenta peccati ſalvari ſe ſperat.*

*Matth.9. v.11.*

*Joan. 4. v.27.*

Petrus egreſſus eſt ac flevit ne iterum caderet. *Luca.22. v.62.*

9. Celebris eſt illa Sancti Petri Apoſtoli hiſtoria, in qua dicitur, quod poſtquam cæleſtem magiſtrum ſuum ob metum ſibi ab ancilla quadam oſtiaria incuſſum abnegaſſet, *Egreſſus foras flevit amarè.* Porro videri non nemini poſſet, Sanctum Petrum convenientius facturum fuiſſe, ſi peccatum ſuum in præſentia eorumdem, quos per hoc ſcandalizaverat deploraſſet & deteſtatus fuiſſet, cur igitur ab eorum ſocietate egreſſus fuiſſe dicitur, ut fleret peccatum ſuum? Sanctus Leo Sanctum Petrum ad deteſtandum peccatum ſuum in atrium Pontificis regredi noluiſſe dicit, propter metum quem habebat, ne forte iteratè caderet, nimirum ſcopulum illum evitare voluit, ad quem fragilis navicula ejus alliſa tantopere periclitata fuerat: *Propter cadendi periculum*; inquit Sanctus Pontifex; Etenim cunctis fidelibus tamquam caput univerſalis Eccleſiæ hoc poſt ſe relinquere voluit documentum, ne ad eadem loca, in quibus ſemel miserè lapſi fuerunt, iterata vice redire præſumant, etiam ex intentione faciendæ ibidem pro peccatis ibi commiſſis pœnitentiæ.

*S.Leo ſer.9. de Paſſ.*

Relinquendo & ipſum ſuum Magiſtrum. *Luc.22. v.61.*

10. Verum enimverò in hac egreſſione Petri nova ſeſe prodit difficultas; Eo ipſo enim quo Petrus egreſſus eſt atrium Pontificis Caiphæ, ſimul etiam ab oculo & præſentia Chriſti recedebat: *Converſus Dominus reſpexit Petrum, & flevit*, ubi Beda ait: *Reſpicere ejus miſereri eſt*; Melius igitur Petrus in atrio Pontificis etiam flens remanſiſſet, quam quod inde fuerit egreſſus. Reſpondeo, argumentum hoc efficaciſſimum eſſe, ad demonſtrandum, quantum illa fugere debeamus pericula in quibus antea infeliciter lapſi ſumus: Verum quidem eſt, quod in atrio Caiphæ mala aderat lictorum & ſatellitum ſocietas, verumtamen aderat ibidem quoque optatiſſima ſocietas & præſentia Salvatoris, qui Petrum tam benigno oculo reſpiciebat, & tamen hanc libenter dimiſit: *Exivit foras*, ut peccandi occaſionem & periculum declinaret; Noluit omnino malum hoc nobis relinquere exemplum incaute ad ea loca redeundi vel in iis commorandi, ubi prius peccavimus, licet etiam nos in illis locis ſpecialibus Chriſti auxiliis corroborandos eſſe crederemus; Noluit in pravo illo perverſorum hominum conſortio permanere, ubi alias Divinum ſuum Magiſtrum ejuſque fidem, quam de eo profitebatur tueri & defendere poterat, ardentemque pœnitentiam in reparationem ſcandali à ſe dati coram omnibus agere poterat, quia relapſum ſuum timebat, *cadendi periculum.*

Contraria ineunda eſt via ne relabamur.

11. Ad hæc obſervandum eſt, quod dum egrederetur, ne verbum quidem locutus fuerit, ſed *egreſſus foras flevit*, cum tamen verbis & perjuriis contra Chriſtum delictum ſuum commiſerit; Poterat enim videri conveniens, ut ſaltem ſe excuſaret dicendo: Quidquid Chriſtum negando dixi, ex mortis metu à me dictum fuit, non verò quaſi de Chriſti Divinitate dubitaverim, quem Dei Filium eſſe jam dudum cæleſti revelatione didici. Sanctus Ambroſius *de Pœnitentia* differens, ad hoc dubium reſpondet dicens: *Et ideo Petrus jam non utitur ſermone, quo fefellerat, quo peccaverat.* Enimvero quando Chriſtus Petro, quod illum abnegaturus eſſet, prædicebat, ipſe protinus reſpondit: Nequaquam id à me fiet, *quin potius paratus ſum tecum & in mortem ire*; Cumque Chriſtus iterata vice illi diceret: *Priusquam Gallus cantet*, tu non ſemel tantum, ſed *ter me negabis*; Ipſe denuo obſtinatè reſpondit: Nequaquam id faciam: *At ille amplius loquebatur.* Quando cum miniſtris Pontificis & ancilla oſtiaria loqui cœpit, ſtatim in deteſtabile illud negationis Chriſti peccatum incidit: Merito igitur nunc ad emendandam prævaricationem ſuam, ne verbum minimum proferre, ſed amaris lachrymis eamdem abſtergere & abluere voluit, ut nos hoc ſuo facto doceret, quod in ſtatu pœnitentiæ omnino contrariam viam ingredi debeamus illi, in qua antea lapſi ſumus.

*S.Ambr. ſer.47. de Pœnit.*

*Luc.22. v.33.*

*Marc.14. v.30. & 31.*

Imo & ipſa civitas deſerenda.

12. Ex quo de Sancto Petro jam loqui cœpimus, incidit mihi ad præſens propoſitum valde opportune, quod quando Sanctus Petrus in ſqualido carcere vinculis & catenis ponderoſiſſimis onuſtus jacebat, Angelus Domini, qui ad eum è catenis & carceris cuſtodia liberandum venerat, ei præceperit dicens: *Calcea te caligas tuas*; Sed inquies, quid opus erat, ut Sanctus Petrus in tam urgenti neceſſitate, ubi ſumma celeritate opus erat, tempus calceando perderet? Nimirum per hoc ille *magni conſilij Angelus* nobis in Petro (qui ut prius jacebat vinculis conſtrictus figura erat peccatoris, ſicut poſtea à vinculis ſolutus typum referebat veri pœnitentis) utile hoc tradere voluit documentum, quod ſcilicet ad hoc ut in carcerem peccati non amplius redeamus ſubmovenda ſit omnis quantumvis etiam minima peccandi occaſio. Et quidem ſpecialiter notandus eſt modus, quem Sanctus Lucas in hac hiſtoria conſcribenda obſervavit: *Tranſeuntes autem*, inquit, *primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta eſt eis; & exeuntes proceſſerunt vicum unum, & continuo diſceſſit Angelus ab eo*;

*Actor.12. v.8.*

*Ibid. v.10.*



*ab eo*; Cum ecce Sanctus Petrus intrepide dixit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum & eripuit me.* Tunc videlicet & non antea ſe à Tyranni furore liberum eſſe agnovit, quando pertranſita prima & ſecunda cuſtodia egreſſus fuit per portam ferream, quæ ducit ad civitatem, ac denium vicum unum proceſſerat; ut exinde intelligamus ſæpe nequaquam ſufficere, quod in Confeſſionali ad pedes Confeſſarij confractæ fuerint peccatorum catenæ, niſi etiam ſimul perverſa illa conſuetudo & habitus malus peccandi eradicetur, aut niſi à domo illa, in qua eſt proxima peccandi occaſio prompta ſemper & parata recedat, & forte hoc quoque nonnumquam non ſufficit, niſi plane etiam ipſam deſerat civitatem; Moxque ut ab omnis peccandi periculis ſe expediverit, tunc verè cum Petro dicere poterit: *Nunc ſcio verè, quia miſit &c.*

*Ibid.v.11.*

13. Sapiens in Proverbiis monet dicens: *Fili mi ne ambules cum eis, probibe pedem tuum à ſemitis eorum.* Ubi ut recentior quidam interpres bene obſervat, dictio Hebræa, quæ dictioni, *ſemitis*, in Latino reſpondet, talem viam præciſe denotat, quæ in ſylvis alias à feris calcata & trita fuit, prout ex earumdem veſtigiis agnoſcitur, ex quorum aſpectu venatores in feræ notitiam venientes eamdem poſtea facile retibus ſuis irretire poſſunt: Eodem modo dæmon tamquam expertus & prudens venator loca, perſonas, tempus & omnia alia quæ ad peccatum carnale incentiva miniſtrarunt, diligenter explorat, ibique ſuos tendit laqueos, ut nos in illa converſatione, in illo ludo, vel in illo convivio aut in domo illa nos relàbi faciat, ubi nos alias voluptati indulſiſſe novit.

*Prov.1.v.15. Salazar ibid.*

Ibi enim dæmon laqueos tendit.

14. In Geneſi dicitur: *Egreſſus eſt Abraham, ſicut præceperat ei Dominus*; Enimvero Deum illi, ne rediret, præcepiſſe ex nullo Scripturæ veteris loco conſtat, ſolum ei exitum à Deo præceptum fuiſſe ex jam dictis verbis clare liquet, quia unicuique innatus eſt amor patriæ, parentum, amicorum, divitiarumque propriarum, & ideo ad illa deſerenda ſpeciali præcepto opus fuit; Verumtamen licet Abrahæ reditus ad illum locum minimè prohibitus fuerit; ipſe tamen eo unde receſſerat, pedem ſuum numquam amplius reintulit, nam ut Beatus Petrus Damianus de ipſo teſtatur: *Poſtmodum nequaquam rediit ad certamina Chaldæorum*; Nimirum tamquam futurus pater credentium exemplum nobis & documentum tradere voluit, ut cognoſceremus, quod quando Deus nos ſemel è Chaldæa egredi fecit, ubi ignis veluti verus Deus adorabatur, id eſt, quando ſemel ab incendio ignis amoris carnalis, quem carnales homines veluti Deum adorant, erepti ſumus, numquam amplius in idem periculum nos ingerere, ſed potius pro viribus fugere debeamus.

*Gen. 12. v.4.*

Exemplum accipe in Abraham.

*B.Petr. Damian. ſer. de S. Alex.*

15. Huc quoque ſpectat illa Lothi hiſtoria, qui poſtquam ex Dei præcepto è Sodoma & omnibus finibus ejus exire juſſus eſſet: *Ne ſtes in omni circa regione*, à Deo licentiam in Segor abeundi petiit, & ut civitas illa ab incendio Sodomæ illæſa maneret obtinuit, reſpondente ei Domino: *Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, ut non ſubvertam urbem pro qua locutus es*, Poſtquam verò eo abiiſſet, vix pedem ſuum in eam civitatem intulerat, cum ecce protinus ab eadem diſceſſit; Cur autem adeo velociter inde fugit? Num forte de promiſſione Dei adimplenda dubitabat? Nequaquam: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non ... præteribunt*; Cur igitur fugiendo in monte ſalvare ſe voluit? Nimirum Loth de divinæ promiſſionis futura adimpletione minimè dubitavit, ſciebat enim quod ſecurè ab igne illo, qui de cælo mittendus erat, ſalvandus eſſet in civitate illa, timebat verò carnalis concupiſcentiæ flammas, quibus civitatis illius incolæ ardebant; timebat ignem illum Sodomiticis flammis longe perículoſiorem, de quo in ſuo è Sodoma egreſſu monitus fuerat: *Ne & tu pariter pereas in ſcelere civitatis.*

Et Loth.

*Gen.19. v.17.*

*Ibid.v.21.*

*Matth.24. v.35.*

*Gen.19.v.15.*

## *DISCURSUS XXXIV.*

## ARGUMENTUM.

De circumſpectione, qua viri etiam illuminatiſſimi uſi ſunt in evitandis periculis & occaſionibus ſenſualitatis, quorum nonnulla adferuntur exempla.

### THEMA.

*Sapiens timet & declinat à malo, ſtultus tranſilit & confidit.* Prov.14. ℣.16.

1. Continua nos omnium ſæculorum edocet experientia, quod omnes, quotquot à Deo ſpecialiter illuſtrati fuere, turpe hoc carnis vitium adeo ſemper fuerint abominati, ut vel ad minimam ejus umbram cohorruerint, omnemque pro viribus declinarint ſcopulum, in quem allidentes in illud infeliciter corruerent, unde Salomon ait: *Sapiens timet & declinat à malo.* S.Cyprianus quoque de fæminei ſexus conſortio vitando differens ita loquitur: *Ille autem tutius ſibi conſulit, qui circa malos ſemper infidus ſpecie quaſcumque noxias extimeſcit, quorum diſtantiam Salomon diſcrevit dicens: Sapiens timendo declinavit ab omni malo.* Quo eodem omnis mali nomine nos ſupra in diſcurſu primo vitium iſtud compellavimus. Ac proinde S. Auguſtinus ſalubriter unumquemque monet, ne dum in hujus vitij committendi conſtitutus eſt occaſione vel periculo, virtuti & perfectioni ſuæ nimium fidat; ait enim: *David ſanctiſſimus in mille paſſibus mulierem vidit, & ſtatim homicidium fecit & adulterium, & aliqui in aliena domo cum extraneis mulieribus putant ſe caſtitatis poſſe obtinere triumphum?* Tertullianus in libro quem de cultu fæminarum conſcripſit; ut ab illarum blanditiis nobis caveamus, ſolicitè nos quoque admonet, dum ait: *Qui præſumit, minus præcavet, plus periclitatur; Timor fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris; Utilius ergo ſi ſperemus nos poſſe delinquere, ſperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus.*

*S.Cyprian. de ſingul. Cleric.*

*S.Aug.ſer. 250.de temp.*

*Tertull. de cultu fæm. c.2.*

Etiam inter conſanguineos nulla ſecuritas.

2. Imo ne quidem in proximarum conſanguinearum mulierum conſortio conſtituti, tutos & ſecuros nos arbitrari debemus; Nam ut S. Bernardinus ait: *Si generis gratia nullo modo judicas mulieres dimittere, memento quod Thamar à fratre ſuo ſit corrupta*, 2. Reg. 13. ℣.14. *fuit ratio, quod fuerit ſolus cum ſola.* Ideo tametſi univerſa Familia Noë, id eſt, filij ejus, & conjux ſua cum uxoribus filiorum ſuorum ex uno eodemque fuerint ſanguine prognati, divina attamen Sapientia non ſine myſterio illos arcam ingreſſuros ſeparatim ingredi voluit, hoc enim ſacer textus haud obſcure innuit, dum ait: *Ingreſſus eſt Noë & filij ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus.*

*S.Bernard. T.4.ſer.20. de luxuria.*

*2.Reg.13. v.14.*

*Gen.7.v.7.*

Hiſtoria.

3. De S. Soro Eremita refert P. Bollandus, quod dum mater ejus illum in Eremo degentem viſitatura adveniſſet, ipſe qui firma ſibi lege nullam deinceps intueri mulierem ſtatuerat, matrem coram ſe nequaquam admiſerit: *Actum eſt pia ſolicitudine matrem beati viri eum inviſere cupientem totis viribus repugnare, ſicque videndi ſe gratiam omnibus denegare, cui mater jam jamque diſceſſura mœrens nimis & ejulans, quaſi Propheticum uſurpans verbum, ait: Hic te fili videre non potui, videbo te procul dubio in illa miſeratione, quando tecum receptura ſum pro juſtis ſtudiis præmia repromiſſa.*

*Bolland. 1. Febr.c.4. n.17.*

Qui à peccato recedere vult omnia ſecum portet.

4. Quando populus Dei electus Deo in deſerto ſacrificaturus in procinctu erat, ut ſervitutem Pharaonis declinaret, olliſque carnium extremum vale diceret, Tyrannus verò greges illius in ſua remanere poteſtate volebat; Moyſes cum generoſa animi imperterriti reſolutione reſpondit: *Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis ungula*; nimirum illuminatiſſimus Propheta omnia ad myſterium quoddam indicandum ordinari intelligebat, illud videlicet, quod ab Oleaſtro his verbis inſinuatur: *Adumbrat locus iſte, qualiter qui à peccato recedere vult, nihil apud peccatum relinquere debet, neque ſe ſolum, ſed omnia ſua ab ejus poteſtate debet auferre, omnia ſua ſecum portare, ita ut neque ungulam apud eum relinquat, volunt enim peccata, ut ſemper pignus apud ea relinquas, cujus ſemper recorderis.*

*Exod.10. v.26.*

*Oleaſt. ibid.*

5. Quando Eliſæus Propheta in actuali agriculturæ exercitio occupatus ab Elia patre ſuo in ejus invitatus fuit ſequelam, facultatem ſibi ab eo concedi petiit, ut ad valedicendum parentibus ſuis domum paternam poſſet repetere, ſubitoque ſe ad eum reverſurum eſſe promiſit; ut autem parentibus & amicis valedictionis convivium appararet, mactatos duos boves ſuos ad ignem, ex aratri ſui diſrupti lignis excitatum coquendo in varia fercula diviſit. Circa quam hiſtoriam merito quæri poteſt, cur Eliſæus in hoc convivium boves ſuos adhibuerit? Num forte fercula meliora habere non potuit? Item an eo tempore tanta erat lignorum penuria, ut ad carnes haſce coquen-

*3.Reg.19. v.21.*

Sæculo aut peccato renuntians, faciat quod Eliſæus fecit.

ce coquendas, aratrum ſuum deſtruere, ejuſque diſrupti lignis uti debuerit? Denique cur ad duos vel ad ſummum tres homines cibandos (non enim plures huic convivio accubuiſſe leguntur præter Eliſæum, quam pater ejus & mater) duo boves, qui dimidio exercitui cibando ſufficere poterant, mactavit? Abulenſis dubium hoc ſolvit, dicendo, quod ex quo Eliſæus Deo vocanti obedire geſtiens, ſe totum diſciplinæ & ſequelæ Eliæ mancipare voluit, omne illud diſperdendum eſſe cenſuerit, quod illud in ſequela ſæculi occupatum tenere poterat: *In aratio boum coxit carnes, hoc fecit, non quia non haberet alia ligna, ſed quia tranſire volebat ad Dominum, omnino volebat renuntiare ſæculo, ita ut nihil relinqueret in illo, quod ad ſe pertineret.* Prorſus hæc eadem eſt cautela, quam ſibi veri ſervi Dei, poſtquam relicta vita carnali veram pœnitentiam ſuperioris vitæ agentes ſtrictiorem caſtitatis ſemitam ingrediuntur, præfugere ſolent; In eo namque caſu omnia illa deſtruere, diſperdere & abolere ſatagunt, quæ in ipſis quantumvis remotè ſtimulum aut motum aliquem concupiſcentiæ ſuſcitare valent, literas proinde amatorias, dilectæ charas effigies, libros turpes Rhythmos ſeu hiſtorias continentes, munuſcula, & ſi quæ ſunt ejuſdem generis alia igne comburunt, plateam quæ ad proſtibulum ducit, declinant, imo civitatem, in qua proxima peccandi adeſt occaſio, & ſi opus eſt integram Provinciam aut Regnum deſerentes in regionem proficiſcuntur alienam & remotiſſimam.

*Abulenſis Q. 26. in 3. Reg.*

*Zizania ſive incentiva comburat.*

*Matth. 13. v. 30.*

6. Conſideratione digniſſimum eſt præceptum ſeu juſſio illa Patrisfamilias, quam in parabola de zizaniis ſervis ſuis impoſuit, dum illos omnium primo zizania omnemque herbam pravam & noxiam in faſciculum colligere præcepit: *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Quibus in verbis advertenda eſt dictio, illa *primum*; Cur enim hanc induſtriam prius circa zizania, quam circa frumentum fieri præcepit? *Omnia in figura contingebant*; Et ideo per illam dictionem prudentiſſime innuere voluit, quod priusquam de meſſe grani colligenda ſoliciti ſimus, id eſt, priusquam vitæ ſpiritualis, caſtæ, & immaculatæ propoſitum exequamur, neceſſum ſit, ut omnia zizania alligemus in faſciculum ad comburendum, id eſt, omnes literas Venereas, & ad amorem impurum & illicitum provocantes, omnes cantiunculas & Poëſes laſcivas, cunctas picturas turpia repræſentantes, & univerſa quæ ad voluptates præteritas nobis incentivum præbere poſſunt in faſciculum collecta Vulcano conſecremus, & in cineres redacta aboleamus; nam ut Origenes ait: *Eradicatum eſt quidpiam? invenit etiam adverſarius inter ea, quæ eradicata ſunt, aliquam ſementem, quam iterum ſeminet; Propter hoc jubet Dominus: Colligite primum zizania, & comburite ea, igni ſcilicet, ut eradicatio quoque & ipſa ſubverſio conſumatur.*

*Orig. ibid.*

*Vitulum in cineres redigat.*

*Exod. 32. v. 20.*

7. In cujus confirmationem conſiderandum venit, quod Moyſes circa vitulum aureum feciſſe legitur; Etenim dum Moyſes vituli illius cultum abolere decreverat, illum utique ſubter terram ſepelire, vel comburendo in cineres redigere poterat; cur igitur id ipſi minime ſufficere videbatur, niſi etiam cineres illius in aquam diſperſiſſet, ipſiſque idololatris eamdem potandam præbuiſſet: *Arripiensque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex ea potum filijs Iſraël.* Scitiſne quidnam ad id reſponderi poſſit? Nimirum quemadmodum Moyſes de populi ſui gregibus Pharaoni dixerat: *Non remanebit ex eis ungula*; ita quoque pari cautela in hac occaſione uti voluit, præcipiendo ut vitulus ille in nihilum plane redigeretur, quia ſi vitulum hunc aureum in minutiſſimas quasque partes comminui juſſiſſet, forſitan ex collectis hinc inde illius partibus conflare potuiſſent vitulum novum; vel etiam ſi illum ſolum redigi feciſſet in cineres, hos quoque pulveres veluti cujusdam ab ipſis fabricati Dei reliquias venerari potuiſſent, maxime quia in vituli hujus facturam uxorum ſuarum inaures adhibitæ fuerant; unde Moyſes, nequaquam, inquit, ita fiet; ſed potius cineres diſpergantur in aquas, iisdemque permixtæ bibantur, ut dum demum ex illorum corporibus velut puteolentia excrementa egreſſi fuerint, nemo adeò cæcæ mentis reperiatur, qui fœtidam quamdam ſtercoris humani maſſam Deum quemdam eſſe ſibi perſuadeat. Ecce tibi igitur quouſque non pertingat, aut quas inventiones non excogitet, qui ne in peccata præterita denuo turpiter recidat, quamcumque minimam ſcintillam, unde peccata nupera reſuſcitari aut foveri poſſint, diſperdere aut extinguere ſolicitè ſatagit. Unde S. Gregorius Nyſſenus ait: *Docet nos exemplo ſuo Moyſes, radicitus tollenda eſſe vitia.* Qui idem S. Doctor paulo poſt facti hujus hanc reddit rationem, nempe: *Ut tolleretur penitus occaſio peccandi.*

*S. Greg. Nyſſ. ibid.*

*Jer. 1. v. 10.*

Peccata radicitus evellenda.

8. Deus Jeremiæ olim præcepit dicens: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes:* At verò numquid ſuffeciſſet Deo, ſi Jeremiæ præcepiſſet, ut ſuccideret & dejiceret: *ut evellas & deſtruas?* Cur igitur inſuper adjungit: *& diſperdas & diſſipes?* Pro reſolutione notandum, quod dum arbor aliqua ad radices uſque exſcinditur, tametſi una cum trunco omnes quoque frondes illius diſperdantur, attamen ſi radix arboris illius terræ infixa permaneat, & non ſimul radicitus extirpetur, iterum germinare incipiet. Similiter ſi poſt demolitionem domus ruderum cæmentum in terra relinquas, facile reædificari denuo poterit. Myſterium igitur quod Jeremias his verbis nos docere intendit, eſt, quod peccata radicitus evelli debeant, præſcindendaque ſit omnis illius recommittendi occaſio, origo & cauſa; nam ut Origenes ait: *Si eradicatur aliquid, & eradicatio ipſa non diſpergitur, adhuc permanet quod evulſum eſt: Si ſubruitur domus, & lapides in ruina ſunt integri, diſſipata eſt domus, non tamen perdita, opus eſt igitur benignitate Dei, ut eradicatio ipſa & ſubverſio tota diſpereat.*

*Orig. ibid.*

*Eccl. 7. v. 27.*

*S. Bonav. Ibid.*

Abolenda.

9. S. Bonaventura ſuper verba illa Eccleſiaſtis: *Vincula ſunt manus illius*, mulieris videlicet fornicariæ, ita inquit: *Ab hac pronitate nullus eripitur, niſi qui à Domino juvatur, tanta eſt, ideo dicit: Qui placet Deo effugiet eam*; At proinde viro cuipiam timorato, qui vitam deinceps vere puram & honeſtam agere firmiter ſtatuit, minime ſufficere debet, quod ferrum ramis & trunco reſcindendo appoſuerit, id eſt, quod vivas amaſiarum vel amatorum ſuorum effigies, cantiones & poëmata prophana & amatoria, vel alia ſimilia abſconderit & occultarit, ſed mittenda eſt manus ad radicem, id eſt, omnia quæ illius generis in ſua poteſtate habet, comburenda, dilaceranda, & in nihilum diſperdenda ſunt, imo ſi poſſibile foret, è memoria totaliter ſunt abolenda.

*Gen. 20. v. 8.*

Irritamentum libidinis ſtatim removendum.

10. Quando Abimelech Saram marito copulatam eſſe intellexit, *ſtatim*, ut ſacer textus ait, *de nocte conſurgens vocavit omnes ſervos ſuos &c.* In media intempeſta nocte in pedes ſe extulit, diluculum minimè præſtolatus matutinum, totamque per regiam tumultus & lamenta edidit, id quod de Sara intellexerat, ſingulis ſervis ſuis notificando. Scitiſne ſubitæ hujuſce commotionis cauſam, inquit quidam Interpres à Novarino citatus? Nimirum: *Ne peccandi occaſio domi ad lucem uſque maneret*; Ecce tibi igitur, quanta cum circumſpectione Deus in hac materia nos procedere velit. Adhæc poſtquam ſuam Abrahæ Saram reſtituiſſet, dixit ei: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo; hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris, mementoque te deprehenſam*; nimirum Abrahæ ad velum quoddam quo eximia Saræ pulchritudo obregeretur, emendum pecuniam ſufficientem ſubminiſtrare voluit, ne pudicitia illius periclitaretur in oculis alienis. Unde Hamerus à Cornel. à Lapide citatus ſic explicat: *Dedi tibi mille argenteos, ut emas tibi tuisque ancillis velamen vultus ad operiendam pulchritudinem, ne ſit ea aliis, uti mihi fuit, illecebra & irritamentum libidinis.*

*Novarinus Ibid.*

*Gen. 20. v. 16.*

*Hamerus ibid. cit. à Cornelio.*

*Prov. 14. v. 16.*

Occaſio ad peccata inducit.

11. Salomon in proverbiis ait: *Sapiens timet & declinat à malo ſtultus tranſilit & confidit.* Eſt enim vulgaris ſtultorum & laſcivorum juvenum excuſatio, qua dicere ſolent: Ita penes me firmiter ſtatui, quod licet proximam mihi videam peccati committendi occaſionem, in eamdem tamen conſentire nolim. Porro Judæi in magno illo concilio, quod *Sinedrin* appellabant firmiter quidem concluſerant, quod Chriſto in ſolemni illo Paſchatis die mortem inferre nollent: *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo*: Et tamen ut S. Joannes ait: *Erat magnus dies ille Sabbati*, quando Chriſtum crucifixerunt. Cur igitur hujus tam firmiter decretæ reſolutionis tam ſubito immemores erant? Vultiſne hujus ſcire cauſam? Inopinata ſe illis obtulit Chriſti per Judam in manus ipſorum tradendi occaſio: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Ac proinde promptam adeo Chriſtum perimendi occaſionem noluerunt negligere aut prætere-

*Matth. 26. v. 5.*

*Ioan. 19. v. 31.*

*Matth. 26. v. 15.*



rire. Quot reperiuntur hodie, qui dum confitentur ſacramentaliter, vel orant, vel funeſtos, qui adulteris quotidie accidunt, eventus vident, vel audiunt, numquam ſe deinceps legem Dei prævaricari velle inviolabiliter proponunt, qui tamen in evidenti peccandi occaſione poſiti, promptamque habentes commoditatem ambabus illam manibus mox apprehendunt?

Hiſtoria ſacra.

12. Nazaræis olim vinum bibere, aut uvas quantumvis ſiccas comedere diſtrictè vetitum fuiſſe conſtat; Accidit autem quod Samſon, qui hunc Nazaræorum ritum profitebatur, juxta vineam quamdam quæ uvis maturis referta erat, conſtitutus, truculentum quemdam leonem haberet obvium, qui quomodo beſtiæ hujus evaderet ferociam ambiguus animo hærebat; ſi enim vineam prædictam ingreſſus fuiſſet, manifeſto ſeſe præceptum de non guſtandis uvis prævaricandi expoſuiſſet periculo; cœptum verò iter imperterrite, proſequendo certus erat, ſe prædam futurum leonis, quonam igitur illum in hiſce anguſtiis poſitum conſilio uſum fuiſſe exiſtimatis? *irruit autem ſpiritus Domini in Samſon, & dilaceravit leonem, quaſi hædum in fruſta diſcerpens, nihil omnino habens in manu.* Porro leo iſte peccati carnalis ſymbolum eſt: *Mater tua leæna*: Tunc verò ſpiritus Domini in nos irruit, nobisque perplexis aſſiſtit, quando impudicitiæ pericula evitare nobis in cordibus firmiter proponimus; nec tamen hoc ſufficit, ſed dilacerandus eſt leo iſte in fruſta quaſi hædus minutim diſcerpendus. Unde S. Hieronymus ſuper illa Pſalmiſtæ verba: Vox Domini intercidentis flammam ignis, dicit: Quotidie in nobis flammam libidinis per gratiam Sancti Spiritus intercidit. Enimverò quid ſi Samſon vineam fuiſſet ingreſſus, illumne ſibi ab uvis manducandis temperaturum fuiſſe exiſtimatis? Audite S. Baſilium dicentem: Scio Samſonem victorem fuiſſe leonis, ſed ſi in vineam aſcendiſſet, neſcio quid eveniſſet. Etenim David quidem leones diſcerpſit, dilaceravit urſos, gigantes proſtravit, at verò quanta cum facilitate per unicum Betſabeæ aſpectum factus eſt viliſſimum Veneris mancipium?

*Jud. 14. v. 6.*

*Ezech. 19. v. 2.*

*Pſal. 28. v. 7.*

*S. Hieron. Ibidem.*

Exempla.

*S. Greg. l. 3. Dial. c. 16.*

13. De Machario monacho, qui in ſpelunca quadam horrida recluſus cum oculis fœdus pepigerat perpetuum, ne fœminam quamcumque aſpicerent, S. Gregorius Magnus in Dialogis ſuis ideo idipſum feciſſe ſcribit, *non quia aſpernabatur ſexum, ſed ex contemplatione ſpeciei tentationis metuebat incurrere vitium; quod quædam mulier audiens, audacter aſcendit montem atque ad ejus ſpecum impudenter prorupit; at ille paulo longius intuens, & venientis ad ſe muliebria indumenta conſpiciens, ſeſe in orationem dedit, in terram faciem depreſſit, & eo uſque proſtratus jacuit, quo impudens mulier à feneſtra cellulæ illius fatigata retrocederet.* Eadem verò mulier, ut idem Gregorius ſcribit, mox ut de monte deſcendit, ſubito mortua concidit, *ut ex mortis ejus ſententia daretur intelligi, quia valde omnipotenti Deo diſplicuit, quod ejus famulum auſu improbo contriſtavit.*

*In actis S. Vulmari Abb.*

14. S. Vulmarus Abbas, qui ex ingenti pudicitiæ conſervandæ zelo, quo in tota vita ſua præfulſit, nullam umquam mulierem facietenus aſpicere decreverat, camdem quoque gratiam poſt mortem à Deo obtinuit, ſiquidem cum cadaver illius more ſolito publico omnium concurrentium hominum aſpectui expoſitum fuiſſet, religioſæ quædam cadaver illius videndi & honorandi cupidæ, utpote quem in vita numquam videre potuerant, quidquid conarentur, intentum tamen ſuum aſſequi minime valebant, nam denſa quædam nebula corpus ejus adeo obtegebat, ut à nulla umquam muliere videri poſſet; unde adimpletum in eo fuit, quod diu ante vivens prædixerat, futurum ſcilicet ut corpus ejus mortuum à nulla muliere conſpici poſſet.

*Moſchus Cap. 88.*

15. Longe autem prodigioſius eſt quod circa corpus Thomæ Abbatis, qui monaſterij cujusdam Apameæ Apocriſarius erat accidiſſe legitur: Cum enim hic ſervus Dei in Daphne in templo S. Euphemiæ mortuus fuiſſet, Clerici ejusdem Eccleſiæ corpus illius tamquam peregrini in communi cœmeterio inhumarant, cumque ſequenti die in idem illud ſepulchrum mulierem quamdam mortuam ſepeliſſent, cadaver illud vix quatuor horis in dicti Abbatis ſepulchro ſubſtitit, cum ecce protinus ex eodem inviſibiliter ejectum fuit, quod omnes non ſine ingenti admiratione videntes, idem cadaver eidem ſepulchro denuo immiſerunt, ſed ſequenti diluculo illud iterata vice è ſepulchro eodem ejectum repererunt; quo viſo Dei diſpoſitionem in hoc prodigio agnoſcentes, aliam muliebri huic cadaveri ſepulturam aſſignarunt. Demum verò prodigij hujus immemores poſt aliquot dierum ſpatium alterius cujusdam mortuæ fœminæ corpus ejusdem ſancti Abbatis corpori ſuperimpoſuerunt, & idem de novo omnibus conſpectum eſt, miraculum. *Tunc agnoverunt, quia non permittit ſenex mulierem ſuper ſe humari, abeuntesque nunciaverunt Patriarchæ Domino, qui ſimul omnem civitatem cum cæteris aſcendere fecit in Daphnem, & cum Pſalmodia ſancti viri reliquias diſpoſuerunt in urbem ferre; depoſuerunt Sancti corpus in cæmeterio, ubi multa martyrum corpora condita ſunt, feceruntque ſupra ipſum breve oratorium.*

*In actis B. Idæ cap. 9.*

16. In vita B. Idæ pariter ſcribitur, quod innocens quidam infantulus maſculus in ejus ſepulchro inhumatus, ab ipſius cadavere non tantum ſemel, ſed bis terve ejectus fuerit, eo quod Deus ſegniorem cum illa ſexum ſepeliri noluerit permittere, *noluit enim*, ut ejus narrat hiſtoria, *ſepulchrum ejus ullo carnalis corruptelæ fœtore in terris maculari.* At verò inquies fortaſſe, quanam corpus hujus Sanctæ carnali corruptela ab hoc innocente & puriſſimo infantulo contaminari poterat, ut proinde puerile hujus innocentiſſimi corpuſculum à ſe eliminaret? Reſpondeo ergo, quod licet infantem hunc innocentiſſimum fuiſſe inficiari nemo poſſit, certum tamen ſit, quod infans ille non ejusdem cum ſancta hac virgine ſexus fuerit; Sancti autem & in vita & poſt mortem non ſolum vitium iſtud, ſed & minimam ejus umbram aut veſtigium ſemper formidaverint, & abhorruerint.

*Bollandus 1. Febr. c. 12. n. 71.*

17. P. Bollandus de Eremita quodam, qui nullam toto vitæ ſuæ tempore fœminam aſpicere ſtatuerat, refert, quod cum ſe die quadam in inſulam quamdam recipere vellet, in via autem Birgittam ſanctiſſimam virginem habuiſſet obviam, *comites illius Anachoretæ dixerint: Eamus ad ſanctam Birgittam, ut nos benedicat, reſponderit autem Anachoreta: Scitis votum meum, quod nullam volo videre fœminam.* Nam ut S. Hieronymus ad Euſtochium virginem de cuſtodia virginitatis optime notat, libidinis peſtilentiale contagium homines ſpirituali vitæ addictos ſub prætextu & ſpecie devotionis communiter ingreditur. *Unde*, inquit S. Doctor, *in Eccleſiam Agapetarum peſtis introijt? Unde ſine nuptijs nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus? Plus inferam? Unde meretrices univiræ? eadem domo, uno cubiculo, ſæpe uno tenentur & lectulo, & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid extimemus.*

*S. Hieron. Ep. 2. ad Euſtoch.*

*Ad Eph. 4. v. 27.*

*S. Anſel. ibid.*

18. S. Paulus Neophytos Epheſios monet dicens: *Nolite locum dare diabolo &c.* ubi S. Anſelmus ait: *Claudendum eſt oſtium cordis, ne tentator ingrediatur, tentator enim non ceſſat pulſare, ut irrumpat, ſi clauſum inveniret tranſit, quia ergo in veſtra eſt poteſtate hoc oſtium claudere, nolite locum dare diabolo; etenim ſi intravit, & poſſedit, aut tu claudere neglexiſti, aut negligenter clauſiſti.* Tunc autem dæmoni fores cordis tui aperis, quando te in evidens peccati committendi periculum & occaſionem ultro citroque committis: *Ignitum eſt telum fornicationis*, inquit de Joſepho (cujus pudicitiæ adultera nocere non potuit) S. Gregorius Nyſſenus, *ſed quæ cremaretur non invenit materiam, imo vero in veſte fractum fuit & diſſolutum.* Globus quidam è ſclopeto vel baliſta in terram mollem, vel in ſaccum lana fartum evibratus, omnem vim ſuam amittit, nec quidquam penetrat: ſic quoque quantumvis ſpiritus fornicationis nos per ſuggeſtiones, phantaſmata obſcæna, aut prava conſilia graviter infeſtet, nihil tamen tibi timendum erit, ſi mulierum facies lubricas non fixis oculis aſpexeris, ſi vias in quibus laſcivæ mulieres habitant declinaveris, ſi ab infami illarum converſatione, aliiſque periculis & incentivis abſtinueris.

*Job 4. v. 11.*

*S. Greg. l. 5. mor. c. 16.*

Dæmon inſidiatur ubique caſtis.

19. S. Propheta Job ait: *Tigris perijt eo quod non haberet prædam.* Ubi S. Gregorius notat, quod ſecundum expoſitionem Septuaginta, *Tigris* idem ſignificet, quod *myrmicoleos*; *parvum eſt animal formicis adverſum, quod ſe ſub pulvere abſcondit, & formicas frumenta geſtantes interficit, interfectasque conſumit.* Ideoque verum eſt dæmonis ſymbolum, qui juſtis & animabus electis inſidias tendit. Sanctius hunc myrmicoleon ſive formicam leonem animal quoddam parvulum ad inſtar araneæ eſſe dicit, quod formicis ſequenti modo inſidiatur; foveam enim anguſtam & in fine acutam excavat, in quam ſi formica incidat, inde egredi nequit, nec formicaleo pedem in ea firmiter figere, nec in altum exilire valet,

valet, ſed in eadem velut in ſepulchro ſubſiſtere cogitur, adeoque niſi formica à ſemetipſa & ultro in ſcrobem illam incidat, formica-leo ipſam capere non valet, ſed fame inibi mori cogitur; Audite ipſiſſima præfati expoſitoris verba: *Quare niſi ultroneè ſe dimittat incauta formica, neceſſe eſt fame pereat illa beſtiola, quæ in foveæ centro prædam expectat:* ſic quoque ſpiritus fornicationis omnem quidem lapidem movet ut homines caſtiſſimos & immaculatos turpiter labi faciat, eoque fine laqueos illis innumeros tendit, at verò fruſtra & in vanum laborat, niſi ipſimet ſe in ejus fauces ſponte propria præcipitent, quod tunc ab illis fit, quando ſe periculis & occaſionibus peccandi ultro citroque exponunt.

*Sancius.*

## *DISCURSUS XXXV.*

## ARGUMENTUM.

Judith amplè defenditur, oſtendendo quod in heroico illo facinore quo Holoferni necem intulit, impudicitiæ periculo aut occaſioni ſe non expoſuerit.

## THEMA.

*Porro Judith univerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema oblivionis.* Judith. c.16. ỷ.23.

Defenſio Judithæ.

1. HEroicum à Juditha generoſe patratum facinus, ejuſcemodi in multis ignorantibus ſcandalum cauſavit, ut librum quo ejus hiſtoria deſcribitur, apocryphum, fictum, & fabulam potius, quam veridicam hiſtoriam, ideoque inter dictatos à Spiritu Sancto libros Canonicos minime connumerandum eſſe cenſuerint, eo quod intelligere aut capere nequeant, qua ratione temeritas heroinæ illius ſalvari à crimine poſſit, qua ſe manifeſto pudicitiæ & honeſtatis vitiandæ periculo exponere non dubitavit, ac proinde pravum hoc à Juditha editum exemplum in ſacræ Scripturæ ſeriem inſeri, indecens prorſus eſſe dicunt; *Quæcumque enim ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Juſtum igitur eſt ut ejus defenſionem aggredientes evidentibus demonſtremus argumentis, Juditham non ſolum nulli ſe caſtitatis temerandæ expoſuiſſe periculo, verum nec ullam laſciviæ committendæ dediſſe occaſionem, ut proinde iniquum ſit, ſi quis ejus prætexendo exemplum & imitationem in hunc ſcopulum volens allidere ſtatuat; *Tantum enim abeſt* ut hoc Judithæ facinus allegari ab aliquo poſſit, ad hoc ut quis ſub cujuſvis boni prætextu, incontinentiæ periculo ſe exponat, ut potius infallibilis omniſque erroris neſcia Dei providentia & ſapientia facinus hoc à Juditha patrari diſpoſuerit, ut per hoc nobis in ipſa eximium exhibeat perfectæ pudicitiæ & honeſtatis ſectandæ exemplum & prototypum. Unde Sanctus Fulgentius: *Teſtimonio tam præclari operis apparuit, quantum Deo dilecta ſit continentia.*

*Rom. 15. v.4.*

*S. Fulgent. Ep.2. ad Stat. vid.*

Ex Judithæ epitaphio.

2. Salianus inſigne quoddam recenſet, quo fortiſſimæ hujus mulieris ſepulchrum egregie illuſtratum fuit, epitaphium, in quo inter cætera huic noſtro propoſito quam maximè deſerviunt verba ſequentia. *Hæc eſt illa Judith, quæ cum eſſet formæ prodigium, extitit nihilominus miraculum caſtitatis, quam jejunijs, precibus, omnique corporis afflictione ita coluit, ita adamavit, ut cum ætate floreret, careret liberis, divitijs abundaret & gloria, ipſos ſeptuaginta quinque annos cælebs atque incontaminata fulgeret.* Nec eſt quod hoc loco dicat fortaſſe aliquis, illam ſe ſuamque pudicitiam graviſſimo expoſuiſſe diſcrimini, quia tanto pudicitiæ zelo flagrabat, ut certo quodam modo dicere auſim illam intra oratorij ſui ſacros parietes incluſam, nobiliſque gynæcei ſui cinctam cuſtodia, non ſic fuiſſe de continentia ſua ſalvanda ſecuram, ſicut inter milites Aſſyrios & in Holofernis cubili permanſit, licet hi omnes carnis laſciviæ deditiſſimi fuerint. Unde S. Auguſtinus de illa ait: *Prodiit ſecura, intra muros enim ſolicita quidem fuit, ſed ſecura ſit, dum ad timenda pervenit.*

*Salian. An. 3418. n.11.*

S. Aug. *ſer. 66. de Diverſis.*

*Joſ. 2.*

Judith à ſpiritu ducta fuit Divino.

3. In libro Joſue duos ex Hebræorum populo milites in cujuſdam meretricis Jerichuntinæ domo reperio, circa quos ſimilis fere inſtitui poſſet quæſtio, ſcilicet qua ratione in hac infami domo conſtituti pudicitiam ſuam ſalvam & illibatam ſervare, ſeque ab omni impudicitiæ periculo aut ſuſpicione ſalvare potuerint? Erat enim Rahab meretrix, & ſcriptura dicit: *Qui amat periculum peribit in illo*; ac proinde notandum quod Sapiens notanter dicat: *Qui amat periculum:* hiſce enim verbis inſinuat, quod is qui ex propria inclinatione, ſine ulla neceſſitate, aut ſuperiorum non interveniente imperio, denique ſine ullo ad bonum publicum, aut Dei ſervitium adimplendum reſpectu, ſe incontinentiæ aut cujuſvis alterius mali committendi periculo exponit, ut plurimum ſit periturus; hæc omnia in hiſce à Joſue emiſſis militibus minimè aderant. Et ideò Origenes ſuper illa verba: *Fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ,* ad propoſitum noſtrum dicit: *Nemo qui à Jeſu mittitur, invenitur deorſum & humi jacens, ſed in ſuperioribus permanet.* Cum igitur præfati milites à Joſue in totius populi Dei beneficium miſſi fuerint, non erat cur in proſtibulo poſiti pudicitiæ ſuæ quidquam timerent: multo minus de illius conſervatione Juditha formidare debebat, de qua S. Auguſtinus ait: *Spes omnium populorum procedit*; Et quidem à quonam illam ad generoſum hoc facinus patrandum emiſſam fuiſſe exiſtimatis? num forte à Bethulienſi populo? an verò ab Ozia ſummo ſacerdote? Minime gentium. A quo ergo? Audite eumdem Auguſtinum dicentem: *Pergit divino ſpiritu ducta*; Spiritus Sanctus igitur, à quo donum caſtitatis procedit, dux & director ejus fuit, qui ſuo eam impulſu & præcepto interius ad hoc facinus promovit & inſtigavit. Ac proinde non eſt quod continentiæ ſuæ quidquam timeat, imò ut S. Fulgentius ait: *Egreditur caſtitas oppugnatura laſciviam.*

*Eccl. 3. v.27.*

*Joſ. 2. v. 6.* Orig. *ibid.*

S. Aug. *ſer. 66.*

S. Auguſt. *ſer. 67. de diverſis.*

S. Fulgent. *Ibid.*

4. Porrò Holofernes carnalis vitij typus erat, cujus gula & ebrietas ſpeciale eſt fomentum; ac proinde Juditha Bethulia egrediebatur, ut tumido huic monſtro caput detruncaret, id eſt ut pudicitiæ ſuæ ſecuritati magis conſuleret, non verò ut illam coinquinaret; Informidabilem Holofernis exercitum animoſe penetravit, ut illum diſſiparet, at verò dum inter milites hæreret, pro qua re ipſam magis formidaſſe exiſtimatis? an ne vitam amitteret, an verò ne pudicitiam coinquinaret? Audite S. Ambroſium hac de re claris verbis loquentem: *Non expavit mortis periculum, ſed nec pudoris*; Imò avidior & ſtudioſior fuit conſervandæ honeſtatis, quam vitæ tuendæ, utpote *cujus detrimentum bonis fæminis gravius eſſe videtur*, ut idem S. Archiepiſcopus ſenſatè loquitur. Quod ſi enim in hoc facinore corporis pudicitiam periclitaturam eſſe ulla ſibi ratione perſuadere potuiſſet, utique patriæ ſuæ exterminium & deſolationem potius diſſimulaſſet, quam ut illam ſalvando honoris ſui ſubiret tam notabile detrimentum, jam verò de caſtitatis conſervatione omninò ſecura erat; unde Ambroſius, *de honeſtate ſecura eſt Judith*, inquit.

*Judith 10. v.10.*

De caſtitate ſecura.

*S. Ambr. l.3. de offic. c. 13.*

S. Ambr. *Ibid.*

Non tanti fecit ſalutem Bethuliæ quanti pudicitiam incolarum.

5. Imo verò non tanti faciebat Bethuliæ ſalutem deperditam, aut diruta mænia, aut domos demolitas, aut civium deprædationes, quanti non ſuam tantum, ſed & omnium aliarum honeſtarum matronarum periclitantem pudicitiam & honeſtatem. Nam ut idem ſanctus Archipræſul conſiderat: *Honeſtatis fuit prohibere, ne ſacras virgines viduas graves, pudicas matronas barbaricæ ſubjiceret impuritati*, ac proinde concludit dicens: *Quanta honeſtatis authoritas, ut Deum adjutorem præſumeret, quanta gratia ut inveniret?* Porrò hæc ab ipſa ardenter implorata ac tandem benignè conceſſa Dei & Spiritus Sancti pro hujus facinoris conſummatione aſſiſtentia, non tam Judithæ jejuniis, orationibus, ciliciis, & Eleëmoſynis, quam vivaciſſimo zelo qui in ea ardenter flagrabat conſervandæ tam ſuæ quam alienæ concivium ſuarum honeſtatis; Hujus enim amore adeò flagrabat, ut Sanctus Hieronymus digniſſimum illud S. Romanæ Eccleſiæ oraculum, in ſua libri Judith præfatione, hanc ei meritiſſimam laudem attribuat, ut illam cæteris mulieribus velut nitidiſſimum caſtimoniæ ſpeculum ob oculos ponendam eſſe judicet, dum ait: *Accipite Judith viduam caſtitatis exemplum.*

S. Ambr. *Ibid.*

S. Hieron. *in Præf. in lib. Judith.*

Ob caſtitatem ſuam victrix evaſit.

6. Ingens utique illa fortitudo fuit, qua Judith illam ex tot obtentis victoriis, ex tot debellatis populis, ex tot Provinciis & regnis ſubjugatis inclytum & invictum exercitum aggredi & diſſipare non dubitavit, at verò quodnam eſt illud in virtute cujus Deus exercituum huic fæminæ adeò virilem & generoſum animum ſuggeſſit? num forte Deus ad hoc commotus fuit per rigoroſam univerſæ Bethuliæ intimatam pœnitentiam? aut verò amaros innocentium planctus & gemitus? Audite S. Hieronymum



ronymum ea de re ſic loquentem: *Caſtitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictam omnibus hominibus vinceret, & inſuperabilem ſuperaret.*

Concupiſcentiæ numquam ſenſit ſcintillam.

7. Objici mihi ab aliquo veſtrum poſſet, quod exitioſus concupiſcentiæ ignis ipſas quoque Cedros Libani, quales David, Samſon & Salomon fuere, perſæpe corripiat, qui homines erant ſecundùm cor Dei, & quos ſpiritus ipſiuſmet Dei poſſidebat & gubernabat; Cui proinde hiſce Jobi verbis reſpondeo, qui dicit: *Halitus ejus prunas ardere facit*; Pro cujus loci intelligentia, in ſanctæ hujus viduæ juſtam defenſionem, aptiſſima quædam obſervanda eſt ſimilitudo. Etenim nemo eſt qui neſciat, quod folles quibus faber ferrarius ad ferrum igniendum in officina ſua utitur, ad accendendum ignem præcipuè ſint deſtinati; ſed quid ſi hi folles vel carbones omninò extinctos, vel ligna viridia ad ignem concipiendum inepta etiam per horam, imò diem integrum inſufflarent, putatiſne exinde ignem aliquem excitandum fore? Minimè: imò ne quidem vel ignis ſcintilla inde excitaretur; at verò ſi ligna ignem conceperint, aut carbones igne ſuccenſi ſint, vel unica favilla, & minimus flatus etiam ore factus ad magnum exinde ignem accendendum abunde ſufficit. Idem quoque in præſenti caſu noſtro dicere poſſumus, quod ſi ſpiritus fornicationis vel minimam ignis ſui, id eſt, carnalis concupiſcentiæ ſcintillam invenire potuiſſet, utique eam in ore lupi, ſive in faucibus carnalis Holofernis, vel in laſcivorum militum medio conſtitutam videns, adeò vehementer inſufflaſſet, ſuiſque tentationibus ita illam exagitaſſet, ut inde ingens in ea infallibiliter naſciturum fuiſſet incendium: at verò hujuſce ardoris carnalis ne vel minimam in ea favillam invenit, tametſi in pulcherrimo ætatis flore & vigore conſtituta, interque delicias & varias vitæ commoditates enutrita fuiſſet. Hoc eſt quod S. Iſidorus dicere voluit, dum ait: *Neque alibi concupiſcentiæ fomenta ſuccendit, niſi ubi prius pravæ cogitationis delectationes aſpexerit.*

*Job. 41. v. 12.*

S. *Iſid. l.3. ſent. c.5.*

8. S. Leo de S. Laurentio diſſerens ad Valerianum converſus ita loquitur: *Nam quid non ad Victoris tui gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicij.* Quòd idem, ni fallor, de Judith dici poſſe videtur, nimirum quod omne id quod in imbelli mulierum ſexu, ut plurimum luxuriæ ſolet eſſe incentivum, ipſa ad honeſtatis & pudicitiæ ſuæ adhibuerit incrementum; Etenim quod pulchritudo corporalis magnus ſit ad laſciviam ſtimulus, probatione, ut opinor, non indiget; De Judith verò ſacra narrat hiſtoria dicens: *Erat autem eleganti aſpectu nimis, & erat hæc in omnibus famoſiſſima:* & tamen eadem hoc de ea teſtimonium perhibet, quod ſcilicet *nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Verum quidem eſt, quod ipſa ad caput Holoferni amputandum plus in vultus ſui elegantiam & pulchritudinem, quam in ferrum confiderit: at verò audite qualiter de facie ejus ſupra modum pulchra & ſpecioſa loquatur S. Auguſtinus, dum ait: *Caſto vultu prius dimicatura quam ferro*; Qui idem S. Doctor de eodem in alio quodam ſermone ita ſcribit: *Fefellit caſta pollutum, pudica peremit adulterum.*

S. *Leo in Natali S. Laurent.*

Caſto vultu plus dimicans quam ferro.

*Jud. 8. v.7. & 8.*

*Ibid. v.8.*

S. Aug *ſer. 67. de diver. Idem ſer. 66. de div.*

9. Solent in aliis mulieribus gemmæ, capillorum cincinni veſtimentorum ſyrmata, genarum fuci, corporis ſuffitus gratique odores, cunctaque alia mundi muliebris ornamenta eſſe velut totidem ſcintillæ, ne dicam flammæ, ad accendendum in aliis carnalis concupiſcentiæ pernitioſum incendium: & tamen licet de ea ſcriptum ſit: *Lavit corpus ſuum, & unxit ſe myrto optimo, & diſcriminavit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextrariola & lilia, & inaures & annulos & omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe*; quis umquam crediturus eſſet, quod hi ornatus tam varij atque magnifici honeſtatis & immaculatæ pudicitiæ futuri eſſent myſteria atque auguria. Audite hac de re ſacrorum interpretum clara teſtimonia: S. Ambroſius ait: *Veſtem jucunditatis qua vivente viro veſtiri ſolebat, ſe induit*; Quo id eam fine feciſſe exiſtimatis? num forte ut per hanc veſtem præteritas licet licitas voluptates cum Manaſſe marito ſuo habitas, in cor & memoriam ſuam revocaret? Nequaquam id fecit, *quaſi placitura viro ſi patriam liberaret, ſed virum alium videbat, cui placere quærebat, illum, de quo dictum eſt: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt.* Interlinearis ſuper illa verba: *Lavit corpus ſuum*, dicit: *Lachrymis pænitentiæ lavit opera carnis.* De unguento odorifero corporis ſui, idem Interlinearis, per illud *carnis mortificationem* intelligendam eſſe dicit: Nonnulli ut Hugo Cardinalis notat, loco *myrto optimo*, legunt *Myrrho optimo*, quaſi unguentum hoc compoſitum fuerit ex prælibatioris myrrhæ medulla atque ſubſtantia, hanc autem mortificationis carnis ſymbolum eſſe nemo neſcit. Eadem Gloſſa interlinearis ſuper illa verba: *Diſcriminavit crinem capitis ſui*, eadem de cogitationum, deſideriorum & ſuggeſtionum carnalium cuſtodia & repreſſione exponit: *Diſtinxit, ſolerti diſcretione ſingulas cogitationes mentis.* Porrò carnalis concupiſcentiæ ignis ex eo potiſſimum capite in tantam flammam prorumpit, quia cogitationes & deſideria carnis in nobis non reprimimus; ideò enim Scriptura ſacra ad denotandam primorum ſæculorum irregulatam & effrænem laſciviam atque libidinem hac loquendi phraſi utitur dicens: *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore.*

Ornamenta Judithæ.

*Judith 10. v.3.*

S. Ambr. *in Gloſſa cit. L. de vidu.*

*Interlinearis.*

*Interlinearis.*

*Hug. Card. Ibid.*

*Interlin.*

*Gen. 6. v. 5.*



Alius Judithæ ornatus.

10. Sequitur: *Impoſuit mitram ſuper caput ſuum.* In textu Hebraico dictio quædam eſt, idem ſignificans, quod *galeam ſalutis*; Quidam verò ex Interpretibus modernis dicit dictionem illam idem ſignificare, quod *tremorem*, quia *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus*; Et Tertullianus ait: *Timor eſt fundamentum ſalutis. Induitque ſandalia pedibus ſuis, affectiones ſuas*, ut Lyranus inquit, *ſacris meditationibus muniendo*; Interlinearis inquit: *Congreſſus operum Evangelicis munit præceptis.* Eadem Gloſſa ſuper Ly *Dextrariola*, dicit: *Spem futurorum bonorum, quæ dabuntur Sanctis in dextera collocandis. Et lilia*, ſcilicet *caſtitatis*, ut Interlinearis declarat; Licet Lyranus ſignificantius & ad noſtrum propoſitum aptius dicat illam portaſſe lilia, *geſtus & motus caſtiſſimos obſervando*; De inauribus aureis idem dicit: has illam geſtaſſe, *Dei verba devote audiendo*: Per annulos Interlinearis exponit *ſignaculum fidei*, de quo Sancta Agnes ait: *Annulo ſuo ſubarrhavit me*; Numquid igitur ex his clarè videtis Sanctum Auguſtinum non ſine fundamento aſſeruiſſe, quod hic Judithæ corporalis ornatus non ad vanitatem, ſed ad myſterium fuerit ab ipſa ordinatus? *Nec fuit levis ornatus*, inquit, *qui ad homicidium tanti capitis aptabatur?* totus enim Judithæ ornatus ad caput Holofernis, id eſt, peccatum carnis amputandum atque abolendum ordinatum erat.

Celada.

*Prov. 28. v.14.*

*Tertull.*

*Lyranus.*

*Interlin.*

*Interlin.*

*Lyranus.*

*Interlin.*

*S. Aug. ſer. 67. de div.*

Exornavit ſe Judith non ex carnali concupiſcentia.

11. Verum enimverò ut omnibus deinceps futuris ſæculis mundus (qui ſemper in omnibus rebus geſtis judicat, vel ad minus ſuſpicatur id, quod peſſimum eſt) certo ſibi perſuadeat, quod totus ille mundus muliebris, quo Juditha ſe elegantiſſime exornaverat, ſolam pro fine ſuo honeſtatem, non verò carnalis concupiſcentiæ proritamentum habuerit, Spiritui veritatis nobile hoc & infallibile de illa teſtimonium perhibere placuit, dum ait: *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio, non ex libidine, ſed ex virtute pendebat, & ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.* At verò quiſnam eſt Dominus ille qui pulchritudini & ornatui hujuſce mulieris tantopere cooperatus fuit? Nullus profecto alius, quam is, de quo ſcriptum legitur: *Candor eſt lucis æternæ & ſpeculum ſine macula*; qui proinde manus ſuas non niſi ad ſummæ puritatis, continentiæ & honeſtatis actus extendere potuit. Adhæc bene obſervandum eſt, quod non ſola, ſed ab honeſta quadam matrona aſſociata è Bethulia egredi & in caſtra Holofernis penetrare voluerit, ut nimirum hæc ipſa oculata continentiæ ſuæ teſtis eſſe poſſet.

*Judith 10. v.4.*

*Sap. 7. v. 26.*

Judithæ pulchritudini Deus ſplendorem addidit.

12. Neſcio an aliquando mente veſtra ad id reflexeritis, quod S. Lucas de Protomartyre ſcribit: *Viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli*: at verò quibuſnam ſupernaturalem hanc & cœleſtem in S. Stephano lucem videre conceſſum fuit? illis nimirum ipſiſmet qui illum lapidarunt, & velut excommunicatum è Synagoga turpiter ejecerunt; at verò quonam merito hi favorem iſtum adeò eximium & præcellentem ſibi compararunt? Aut qua ratione hæ talpæ ſuos in cœleſtem illam lucem defigere potuerunt irretortos oculos? Reſpondeo verum quidem eſſe quod impij illi homines hunc à Deo favorem recipere minimè meruerint, verumtamen infallibilis Dei providentia illorum malignitatem minimè ignorans, ſcienſque quod impietas adeo

*Actor. 6. v.15.*

ſit lyncea, ut impreſſa ibi cernant veſtigia, ubi nudus umquam pes poſitus fuit, ſervi ſui indemnitati perfectè proſpicere voluit, ne forte ejus qui in miniſterio ſuperintendendi viduis aliiſque mulieribus egenis exercitatus fuerat, calumniarentur pudicitiam & vitæ continentis honeſtatem; unde S. Auguſtinus ait: *Præpoſitus fœminis teſtimonium meruit ſinceriſſimæ caſtitatis.* Ob eamdem igitur cauſam dicere poſſumus, quod quia Deus Juditham in laſcivi exercitus medium, inque facies leonis tantæ libidinis œſtro furentis immittere voluit, ideo ne quis mali quidpiam de ejus pudicitia loqui aut ſuſpicari poſſet *contulit ei ſplendorem*, eamque luce quadam Angelica è vultu ejus emicante decorare voluit.

S.Aug. ſer. 5. de S. Stephano.

Qualia ſecum acceperit victualia.

13. Verum enimverò ex quo Judithæ inimicum diſſipare & profligare exercitum animus erat, inermis utique eſſe minime debebat, quænam igitur munitio bellica erat illa, quam ſecum in caſtra ferebat? Reſpondet ſacer textus: *Impoſuit Abræ ſuæ aſcoperam vini, & vas olei & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt.* Quæ omnia in figura contingebant, nam ut ſacri expoſitores declarant, varia iſthæc victualium annona, diverſos variarum virtutum actus, multaque exprimebant ſubſidia ſpiritualia. Unde Hugo Cardinalis ait: *Myſtice per aſcoperam vini intellige mordacem prædicationis reprehenſionem;* Quis enim Pſalm. 11. ſcriptum eſſe neſcit: *Eloquia Domini eloquia caſta? Per vas olei opera miſericordiæ, vel compaſſionis; per polentam paſſionis Dominicæ recordationem; per palathas, quæ eſt cibus, qui fit de herbis viridibus, virorem fidei; per panes, ſpem, quæ confirmat cor hominis, ſicut anchora navim; per caſeum pinguedinem charitatis. Hæc omnia debet portare ſecum, qui exit ad diabolum occidendum.*

Judith 10. v. 5.

Hugo Card. Ibid.

14. At verò longe ad propoſitum noſtrum aptius Gloſſa dicit: *Portat Abra aſcoperam vini, cum Sacramento, id eſt, corpus Domini, & ſanguinem, & chriſmatis unctionem venerabiliter ſervat.* Tota igitur annonæ congeries quam Abræ ſuæ impoſuit, quoad myſterium, ad defenſionem ordinabatur ſuæ caſtitatis, quia Eccleſiæ figurabat Sacramenta, quæ ſunt *vinum germinans virgines.* Verumtamen ex quo Judith ſecundùm ſpeciem exteriorem comptiſſima & elegantiſſima prodire voluit, exiſtimabitis utique illam ad minus ſub hiſce ornamentis armatam fuiſſe Bethuliæ, ut fortiorem quamque armaturam ſibi deligeret; Audite igitur quid Spiritus Sanctus quoad hoc de illa referat; *Ingreſſa eſt oratorium ſuum, & induens ſe cilicio, poſuit cinerem ſuper caput ſuum, & proſternens ſe Domino, clamabat ad Dominum;* In hoc igitur oratorij ſui armamentario ad facinus patrandum congruis ſe armis accinxit, ideoque ut Petrus Damianus ait: *Continentiæ vidualis exemplum, fortioribus armis in mente præcincta caput ebrium audenter impreſſo pugione truncavit.* In hac igitur oratorij ſui officina arma ſibi fabricavit, quibus Aſſyrios glorioſè configeret, ut proinde benè dixerit S. Auguſtinus, dum ait: *Judith ſanctiſſima cujus precibus patuit cœlum, orationis arte arma victricia fabricavit.* Idem quoque integerrimæ pudicitiæ ipſius cuſtodiam orationis ſuæ fructum fuiſſe agnovit, dum ait: *Glorioſa fœminæ caſtitatem ſervavit oratio;* De hac enim S. Gregorius Nyſſenus ita ſcribit: *Oratio pudicitiæ præſidium, atque tutamen eſt, oratio virginitatis ſigillum eſt.* Sic Suſanna mulier caſtiſſima per orationem libidinoſorum ſenum laſciviam evaſit, per hanc quoque tot aliæ tenellæ virgines omnem a ſe propulſarunt impuritatem. Imò præter ardentes preces longo tempore in oratorio ſuo, & maximè in hac imminenti occaſione ad Deum fuſas, nec non præter orationes & jejunia univerſo Bethulienſi populo indicta, ſpecialem quoque ab Holoferne ſibi indulgeri poſtulavit licentiam, *ut daretur ei copia noctè & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum*, hacque ratione, ut S. Auguſtinus ſcribit: *Orationis favore caſtitas pudorem proprium ſervavit intactum & quietum.*

Gloſſa ordin.

Armatura erat Oratio.

Zachar. 9. v. 17.

Judith. 9. v. 1.

B. Petr. Damian. l. 7. Epiſt. 16.

S. Aug. ſer. 66. de div.

S. Gregor. Nyſſ. de Orat. Dom.

Judith. 12. v. 5.

S. Aug ſer. 66.

15. Porrò validiſſima, qua ſe ſub mundo muliebri, quo exterius præfulgebat, accinxit lorica, hiſpidum quoddam fuit cilicium: *Induens ſe cilicio.* Enimvero de S. Cæcilia virgine honeſtiſſima legimus, quod virginalis candoris ſui lilium hac corporali auſteritate mediante ſemper conſervarit illibatum: *Cilicio Cæcilia membra domabat;* ac proinde cum certa victoriam adverſus carnem impetrandi fiducia audacter à Deo poſtulabat dicens: *Fiat cor & corpus meum immaculatum.* At verò quænam fuit galea, quam invicta hæc Amazonum primiceria capiti ſuo impoſuit? *Poſuit cinerem ſuper caput ſuum:* nam ut ſupra Diſcurſu 29. probavimus, ſeria vermium è corporibus mortuorum ſcaturientium, cinerum item & ſepulchri meditatio, unicum & potentiſſimum eſt ad reprimendas carnis voluptates remedium.

Lorica, Cilicium. Judith. 9. v. 1.

Galea, mortis meditatio. Judith. 9. v. 1.

16. Adhæc S. Fulgentius de Holoferne diſſerens ait: *Ille pugnabat armis, iſta jejunijs;* Ecce tibi novum validiſſimæ armaturæ genus, ſobrietatem nimirum & abſtinentiam, ipſa namque exceptis Sabbatis & feſtis ſolemnioribus, continuo jejunabat; Unde S. Ambroſius de illa inquit, quod fuerit *Quotidianis roborata jejunijs;* Cujus autem efficaciæ hoc armorum genus exiſtat, S. Cyprianus exponit; dum ait: *Jejunium omnem carnis rebellionem edomat.*

S. Fulg. Ep. 2. de ſtat. vid. Arma, jejunium.

S. Ambr. l. de viduis.

S. Cypr. de jejun. & tent. Chriſt.

17. S. Ambroſius in invincibilem hanc bellatricem hoſtilibus exercitibus ſeſe immiſcentem oculos conjiciens, unicam honeſtatem fuiſſe dicit, quæ illam ad facinus hoc adeundum provocavit: *Honeſtatis fuit, ſe malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo.* Quodnam verò primum trophæum fuiſſe exiſtimatis, quod illa ex ejuſdem ſancti Doctoris mente reportavit? num forte præciſum tyranni caput? Nequaquam, nam *Primus triumphus ejus fuit, quod integrum pudorem de tabernaculo hoſtili revexit: Secundus quod fœmina de viro reportavit victoriam.* Quod igitur univerſus Hebræorum populus obtinere non potuit, videlicet ut ſe ab exercitu quodam & potentia adeo formidabili, cui vix totus mundus reſiſtere poterat, hoc inquam, ut S. Fulgentius ait, ſolius merito honeſtatis Judithæ obtentum fuit, nam dicti Sancti Patris hæc ſunt formalia verba: *Quod omnis Iſraëlitarum populus facere non potuit, ſanctæ viduæ caſtitatis virtute perfecit;* Unde ipſa reportatum ab inimicis triumphum non tanti fecit, quanti pudicitiæ ſuæ æſtimavit trophæum: *Non minus ſervatæ caſtitatis*, inquit S. Ambroſius, *ex hoſtibus revexit trophæum, quam patriæ liberatæ.*

S. Ambr. l. 3. de offic. c. 13.

S. Ambroſ. Ibid.

Primus Judithæ triumphus.

S. Fulgent. Ibid.

S. Ambr. l. de viduis.

18. S. Auguſtinus ſanctam hanc Amazonem cum præciſo tyranni capite in Bethuliam revertentem conſiderans, his utitur verbis: *Cum palmifera caſtitate Judith ad cives ſolicite feſtinat;* Prima enim & maxima ejus cura fuit, non ut populum de ſtatu informaret, in quo Holofernis reliquerat exercitum, neque ut cum illis de modo tractaret, quo ſuam poſſet proſequi victoriam, ſed ut eodem tempore, quo amputatum illis monſtrabat belli ducis caput, ſuam coram illis juſtificaret pudicitiæ honeſtatem. Etenim ſacer textus ait: *Concurrerunt ad eam omnes à minimo uſque ad maximum;* nemo enim ex omnibus erat, cui non eſſet intime perſpectum quod venuſtiſſima eſſet vultus pulchritudine prædita, quod in pulcherrimo eſſet annorum flore conſtituta, quod egreſſa fuiſſet ornatiſſimis veſtimentis, gemmis alioque opulentiſſimo mundo muliebri amicta, quod ante diei diluculum è civitate fuiſſet egreſſa, denique quod in hòſtili exercitu atque in ipſomet Holofernis tentorio, inque ſecretis ejuſdem penetralibus per noctem fuiſſet demorata, atque ideo vel maximè neceſſarium eſſe exiſtimabat, ut omnes de conſervata pudicitia certiores faceret, maxime quia reſectum Holofernis caput, cuidam conopæi laciniæ prope lectum ejus præciſæ involutum ſecumque portatum eis oſtendebat, dicens: *Ecce caput Holofernis ... & ecce conopæum illius, in quo recumbebat in ebrietate ſua, ubi per manum fœminæ percuſſit illum Dominus Deus noſter;* quibus in verbis notandum quod hunc Holofernis cervici illatum ictum non ſibi, ſed ipſimet altiſſimi dexteræ immediate adſcribebat: *Percuſſit illum Dominus;* Demum vero pudicitiam ſuam illæſam permanſiſſe non ſimpliciter, ſed medio juramento affirmavit dicens: *Vivit autem ipſe Dominus;* Quis enim alias ipſam non ſolum nullam luculenti ignis flammam, ſed nec minimum ignis illius carnalis qui in Holoferne cunctiſque aliis exercitus ſui militibus vehementer ardebat, ſcintillam perſenſiſſe credere potuiſſet? Ne forte ſuſpicio oriatur aliqua quod ab Holoferne, aut alio quopiam damnum ſuæ caſtitatis paſſa eſſet, inquit Rabanus, juramento id nunc coram omni populo confirmat. Imo ſe prorſus intactam permanſiſſe irrefragabili teſtimonio convincit, dicens: Quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, quaſi diceret, quod à carnalium & laſcivorum virorum conſortio ad vos revertens incontaminata & intacta permanſerim, angelico tribuen-

Alter triumphus.

S. Auguſt. ſer. 66. de div.

Judith. 13. v. 15.

Ibid. v. 19.

Pudicitiam ſuam illæſam juramento affirmat.

Ibid. v. 20.

Quæ cuſtodita ab Angelo fuit.



dum eſt præſidio, nam in mea ſocietate Angelum Domini habui, qui datus eſt mihi, ut viſibiliter mecum gradiens me dirigeret, qui ad omnes, quos eundo, commorando, & ad vos redeundo feci greſſus mihi aſſiduo aſſiſteret, qui proinde inſtar vigilantiſſimi cuſtodis pudicitiæ meæ tutatus eſt honeſtatem. Et quidem quis eſt qui Angelum Domini in unica nocte centum & octoginta quinque millium militum pariter Aſſyriorum ſtragem feciſſe neſciat? S. Cæcilia Valeriano, cui contra voluntatem & plane invita in ſponſam data fuerat, ne corpus ſuum inhoneſte contrectare præſumeret, vel maxime per unicum hoc motivum perſuaſit, quia nimirum ei dixit: *Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo cuſtodit corpus meum; In Angeli tutela ſum, qui virginitatem meam cuſtodit.* S. Agnes quoque in publicum proſtibulum perducta, ab Angelo defenſa fuit: *Ingreſſa Agnes turpitudinis locum Angelum Domini præparatum invenit.*

Sicut poſtea cuſtodiæ fuère Cæcilia & Agnes.

19. Verumtamen ex dictis dubium quoddam ſubnaſcitur, videlicet qua ratione Juditha, quæ ex dono orationis & unionis cum Deo magnam ſibi perfectionem acquiſierat, ſpiritualis illius dogmatis: *Secretum meum mihi*, ignara eſſe potuerit, cum omnibus conſtet, quod dona & favores occulti, quos Deus animabus ſibi dilectis ſecreto communicat, nequaquam ſint divulgandi; Quapropter reſpondeo, id quidem verum eſſe ſecundùm regulas communes; Quia vero, ut S. Bernardus ait: *Majus miraculum eſt inter vehementes occaſiones non cadere, quam mortuos ſuſcitare;* ideo ipſa quæ famam hanc, ſcilicet ſe ſolam cum ſolo Holoferne per noctem fuiſſe commoratam, quia *concluſit Vagao oſtia cubiculi*, in omnium ſæculorum notitiam divulgandam eſſe noverat, ab omni ſe impudicitiæ commiſſæ umbra & ſuſpicione purgare voluit, aſſerendo & juramentis conteſtando ſe euntem ex Bethulia cum Holoferne commorantem, & ad ſuos Bethulienſes denuo revertentem, jugi ac perpetuo fuiſſe Angeli conſortio & tutelari præſidio.

Proſecutio quod ab Angelo cuſtodita.

Iſaia 24. v. 16.

S. Bern. ſer. 66. in Cant.

Jud. 13. v. 1.

20. Imo inſuper notandum eſt, quod Judithæ ad ſuam defenſionem viſum fuerit, nequaquam ſufficere quod Angelus Domini diu noctuque in pudicitiæ ſuæ cuſtodiam advigilaverit, ac proinde ulterius ſubdit: *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati, revocavit me vobis gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, & in liberatione veſtra.* Quibus ex verbis evidenter deducitur, quod Deus ipſemet comes ejus extiterit, ſuaque potenti dextera protexerit adeo, ut ad inſtar trium puerorum nullum fornacis carnalis ardorem in ſe perſenſerit, qui alias in Holofernis tabernaculo mire flagrabat, ac proinde ſui præſervationem & carnis victoriam, non ſibi, ſed ei cui jure debebatur, ſcilicet manifeſto Dei miraculo, ejuſque potentiſſimæ dexteræ attribuebat, quæ eam tutata fuerat *gaudentem in victoria ſua*, quia ut quis in medio periculorum & proximarum occaſionum intactus & mundus perſeveret, ſpecialibus opus eſt Dei auxiliis, imo miraculis.

Imo & ab ipſo Deo.

Ibid. v. 20.

21. Verum enimverò, ad hoc ut videamus, quantopere ſancta hæc mulier omnem hujus contagij umbram exhorruerit & formidaverit, quamque circumſpectè in omnibus proceſſerit, ultimum quæſo hiſtoriæ & libri ſui caput attente legamus. Dicit igitur ſacer textus: *Porro Judith univerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus & conopæum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema oblivionis.* Quibus in verbis maxime conſiderari meretur dictio illa: univerſa; Neque enim vel minimum quid domi ſuæ, & multo minus in Civitate Bethuliæ in qua degebat, remanere voluit ſpoliorum, quæ illi à populo in perpetuam rei geſtæ memoriam data fuerant, ſed omnia deſeruit, ipſique Deo in ſacroſancto templo Hieroſolymitano dedicavit. At verò quiſnam umquam propriæ gloriæ ita oblitus fuit, ut poſt tam glorioſam à ſe reportatam victoriam atque triumphum non aliquid ſpoliorum in perpetuum fortunæ ſuæ monumentum retineret, vel ad addendum poſteris ſuis ſimilium facinorum patrandorum ſtimulum, vel ad propriæ ſuæ generoſitatis immortale teſtimonium? Adhæc ſpolia hæc in domo Judith aſſervata ſæpius in ipſa egregios gratitudinis erga Deum victoriæ per imbellem mulierem obtentæ authorem affectus excitare poterant; Et tamen certiſſimum eſt, quod ne minimum quidem ſpoliorum filum penes ſe reſervaverit, quia *univerſa obtulit.*

Victrix Deo univerſa obtulit.

Judith 16. v. 23.

22. Eſt inſuper obſervandum quod ſacer textus dicat, quod *univerſa obtulit in anathema oblivionis.* Non eſt quidem mihi ignota controverſia illa quæ inter ſacros expoſitores diſceptatur, an legendum ſit *oblationis*, an verò *oblivionis?* Verumtamen vulgatam conſectando, juxta quam legitur, oblivionis, conſiderandum eſt, quod Judithæ non ſuffecerit, quod univerſa ſpolia templo dedicaſſet, ſed inſuper illa ſub perpetuæ oblivionis lapide recondita eſſe voluit; non ſufficiebat illi quod omnis ſupellectilis inimicæ poſſeſſionem & præſentiam è domo ſua eliminaſſet, verum etiam omnem illius memoriam è mente ſua in perpetuum abolere voluit, ne umquam deinceps amoris inordinati, quo tyrannus erga ipſam accenſus fuerat, illecebras, & manifeſtum, cui, niſi divinam habuiſſet aſſiſtentiam, expoſita fuerat pudicitiæ contemnendæ periculum, in imaginatione ſua revolvere poſſet.

Omnia oblivioni tradidit,

23. At verò inquies fortaſſe, quid Juditha timebat, quando de Angelico & quidem Angeli magni conſilij præſidio certa atque ſecura erat? Unde reſpondeo: verum quidem eſſe quod hoc illi præſidium tunc præſto fuerit, quando facti neceſſitas & arduitas illud requirebat: de hoc tamen auxilio habendo ſe minime ſecuram fore æſtimabat, ſi ſpolia prædicta, quæ pericula præterita in memoriam ei revocare continuo poterant, ſine ulla neceſſitate, & ad ſolam vanitatem domi ſuæ retinere & conſervare voluiſſet; nam ut S. Cyprianus ait: *Lubrica eſt illa ſpes, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe poſſe ſperat.* Unde ſacer textus Juditham ſe pro recepto more ſuo in oratorium ſuum & domeſticam ſolitudinem ſubduxiſſe dicit, & ſubdit: Erat etiam virtuti caſtitas adjuncta; ſcitiſne quamobrem ſcriptura id dicat? Audite S. Ambroſium id exponentem his verbis: "Veſtem „jucunditatis depoſuit, viduitatis reſumpſit, nec trium„phorum ſuorum amavit ornatus, illos exiſtimans eſſe „meliores, quibus vitia corporis, quam quibus ho„ſtium arma vincuntur."

Veſtes viduitat. reſumpſit.

S. Cypr. de ſing. Cler.

S. Ambr. l. de viduis.

24. Theophylactus illa S. Marci de Chriſto loquentis verba: *Spiritus expulit eum in deſertum*, ponderans dicit: *Ducitur à Spiritu Sancto, demonſtrans, nobis non temere nos in tentationem projicere debere, ſed ferre ſi imperamur;* Ita quoque Judith, quamdiu Spiritus Sanctus, ut diximus, dux ejus fuit, quamdiu ſecum habet Angelicam, imo & ipſiuſmet altiſſimi aſſiſtentiam, integrum carnalium hominum exercitum minime formidabat, multo minus tunc Holofernes illam timore aliquo percellere poterat: at vero hac neceſſitate ceſſante, ne quidem filum ex inimicorum ſpoliis domi ſuæ aſſervare auſa fuit, ſciebat enim quod *lubrica eſt illa ſpes &c.*

Marc. 1. v. 12. Theophylactus.

25. Porro ex iis quæ hactenus diximus, hanc à vobis concluſionem deduci optarem, ſcilicet nequaquam expedire ut quis ſe exemplo Judithæ in manifeſtas peccandi occaſiones & pericula exponere præſumat, quia impoſſibile eſt, quod omnes hæ jam recenſitæ conditiones in aliquo ſimul concurrant, ut quis ex earum ſuppoſitione Judithæ exemplo inter peccandi pericula ſecurum eſſe credere poſſit. Præterea tale à vobis argumentum formari deſiderarem: Quod ſi mulier aliqua ſanctiſſima, & honeſtatis ac pudicitiæ conſervandæ ſtudioſiſſima, mulier inquam talis cur totus Hebraiſmus unanimi corde acclamavit dicens: *Mulier ſancta es*, & timens Deum, poſt tot inſignes pudicitiæ ſuæ reportatas Victorias libere vivere timuit, ſed ad domeſticam ſuam ſolitudinem, ad jejunia, ad cilicia, ad orationes & alias auſteritates ſe denuo recepit, ſeque vivam inter quatuor muros ſepelivit, neque intra domus ſuæ ſepta ne vel minimum admittere aut retinere voluit, quod pericula præterita & peccandi occaſiones ei in memoriam vivaciter revocare poſſet; quanto magis timendum & trepidandum eſt illi, qui in peccato carnis habituatus eſt & inſenuit, ſi poſtquam converſus eſt ad pœnitentiam inter delicias vitæ prioris vivere, & præteritarum voluptatum memorialia, fomenta & incentiva retinere velit? Quin potius minime talis contentus eſſe debet, quod caput Holofernis detruncaverit; id eſt, quod peccatum carnale deteſtatus fuerit, ſed ut de ſolida quadam converſione ſecurus eſſe poſſit, omnia illa quæ antehac impuris ſuis ſervierunt amoribus, Deo in holocauſtum offerat & concremat *in anathema oblivionis.*

Documenta.

# TRACTATUS XIV.
# DE CASTITATE SEU VIRGINITATE,
## CONTINENS
## *DISCURSUS XXXV.*

DISCURSUS I. Virginitas deſponſatur Chriſto; ubi quorumdam ſponſorum adducuntur exempla, qui in Conjugio Virginitatem conſervarunt; agitur quoque de eximia animæ caſtæ pulchritudine, cui adaugendæ verecundia plurimum cooperatur; hujus verò ſponſalitij ornatum & dotem ipſammet virginitatem eſſe oſtenditur.

II. Acceptiſſimæ Agni immaculati ſodales ſunt Virgines, utpote quæ ipſi præ cunctis aliis placentes, ab ipſo in ſponſas adoptantur & ſpecialiſſime diliguntur.

III. Virgines magnam cum Deo ſimilitudinem habent, ſiquidem in hac vita incorruptibilitate gaudent, & quaſi à morte eximuntur; ubi etiam nonnulli virginitati exhibiti honores conſiderantur.

IV. Hanc virtutem Virginitatis ſuos in Cœlo natales habere oſtenditur, ideoque velut divinum quidpiam in ſe continens, tota natura humana ſuperior exiſtit.

V. Virgines Angelis ſunt ſimiles, qui proinde eaſdem ſuo dignantur amore, obſequio, & conſortio, imo multis in rebus Angelis ſunt ſuperiores.

VI. Virginitas & caſtitas in multis Sacræ Scripturæ locis, nec non à ſanctis Patribus ſanctitatis titulo frequenter condecorantur, ſiquidem in virtutis & perfectionis operibus ſeſe aſſidue exercent.

VII. Hæc virtus præ cunctis aliis Beatitudinis arrham & pignus nobis confert, eſtque via ſecuriſſima per quam velociter properamus ad cœlum.

VIII. Homines caſti omne bonum poſſident, ſuntque ab hominibus pariter & à Deo plurimum dilecti, utpote à quo multos favores & dona ſpecialia recipiunt, facile etiam in ſuis orationibus exaudiuntur & proſperantur, magnoque ſunt vigore præditi ut inimico infernali fortiter reſiſtere poſſint.

IX. Honeſtas velut verum Dei templum corpus purificat & mundat, quod tamen non præſtat niſi fuerit cum puritate interna intime conjuncta, hanc verò etiam poſt illatam corpori violentiam minime perdi multis rationibus & exemplis convincitur.

X. Caſtitas ad ſcientiam & ſapientiam comparandam plurimum confert, quia continentes plus de divino lumine participant, ſuntque ad ſacrarum literarum intelligentiam, cœleſteſque illuſtrationes & revelationes capiendas magis diſpoſiti.

XI. Excellens Virginitatis & Caſtitatis pretium conſideratur, utpote quarum defenſione multæ animæ fideles opulentiſſima quæque contempſerunt regna, aſperrimaque libenter ſubierunt ſuppliciorum & diræ mortis genera.

XII. Sub ſymbolo lilij & floris variæ continentium & virginum exponuntur conditiones & elogia.

XIII. Status Virginalis & Cælibatus longe melior & excellentior eſt ſtatu conjugali, eſtque ad cogitandum de Deo & rebus divinis expeditior & pronior, ad hoc tamen caſtitas tam carnis quam ſpiritus ſimul conjuncta deſideratur.

XIV. Caſtitas & continentia virtutes ſunt difficiles & arduæ, quia carnis laſcivia quæ nobis innata eſt, & connaturalis, eſt inimicus quidam, qui nos ſemper & ubique comitatur, quemque nutrire cogimur; eſtque malum quoddam, quod licet magnam nobis pernitiem afferat, à nobis tamen naturaliter diligitur & deſideratur.

XV. Omnes continuum in nobis carnis prælium & luctam experimur, quam tamen omnes diligimus; ſuntque huic certamini omnes ſubjecti etiam viri perfectiſſimi, magnumque virtutis ſpecimen edit, qui in eodem conſtans eſt, & victor evadit.

XVI. Caſtitas eſt ſpecies quædam martyrij, in quo voluptates quas ſuperamus, Carnificis munus exercent; ubi etiam de hac virtute ſub titulo prælij differitur, in quo caſti præ cæteris ad reſiſtendum majores vires habere noſcuntur.

XVII. Continentia ſpeciale Dei donum eſt, quod proinde non per induſtriam noſtram acquiritur, ſed à Deo liberaliter nobis conceditur; Et ideo propter illud alij eo carentes à nobis minime ſunt contemnendi.

XVIII. Caſti ſolicite incumbere debent cuſtodiæ internæ cogitationum, eaſque refrænare, ubi etiam recenſentur mala quæ ab his derivantur, niſi ſtatim ab initio ſuffocentur.

XIX. De honeſtate ſermonis quam Sacra Scriptura iis præcipue inculcat, qui de rebus turpibus, & de malis à verbis obſcænis, & diſcurſibus carnalibus provenientibus, nec non de motivis ad illa cavenda coram aliis differere debent.

XX. De periculis oculi vagi & curioſi, qui carnalem in nobis concupiſcentiam accendit, ubi etiam quanto cum periculo conjunctum ſit videri à mulieribus, aut illas curioſius intueri.

XXI. Ad caſtitatem conſervandam ſolitudo plurimum conducit, cui vel maxime ſexus fæmineus deditus eſſe debet.

XXII. Ad acquirendam & conſervandam continentiam, multum confert maceratio & caſtigatio carnis.

XXIII. Caſtitas inter delicias & voluptates multum periclitatur, per corporales verò auſteritates tuto cuſtoditur.

XXIV. Gula continentiæ naufragium adſciſcit, econtra verò ſobrietas & parſimonia in victu magnum illi præbet ſubſidium.

XXV. Oratio Caſtitatem promovet, pro cujus cuſtodia magna opus eſt circumſpectione, maxime in mulieribus, ut ſcilicet modeſte ſe veſtiant, oblata ſibi munuſcula reſpuant, & ſilentium ſimul cum ſancta quadam ruſticitate aſſidue obſervent.

XXVI. Ad reprimendas carnis occurrentes tentationes, & continentiam ſartam tectam conſervandam plurimum confert honeſtæ occupationis aſſiduitas & ſolicita otij fuga, nec non & auſteritates corporales.

XXVII. Virginitas & continentia humilitatem, verecundiam & ſenſuum cuſtodiam conjunctam habere debet.

XXVIII. Qui caſtitatem intactam conſervare deſiderat contra carnem ſuam aſſidue dimicare debet, non reſiſtendo, ſed fugiendo.

XXIX. In ejuſdem argumenti confirmationem plura alia motiva in medium adducuntur.

XXX. Viri etiam ſanctiſſimi & perfectiſſimi caſtitatem coinquinant, niſi occaſiones pro viribus fugiant; & ideo fugiendum eſt mulierum etiam ſpiritualiter & devote viventium conſortium eo quod majus circa illas ſit periculum.

XXXI. Mulier ſcopulus quidam eſt, ad quem allidentes viri etiam conſtantiſſimi facile corruunt, quod variis comprobatur exemplis.

XXXII. Idem quoque aliis exemplis & rationibus confirmatur.

XXXIII. Conſideratur admirabilis Chriſti circumſpectio, & cautela, qua ad noſtram inſtructionem cum mulieribus converſando uſus fuit.

XXXIV. Cum quanto reſpectu virtuoſi & perfecti homines cum iiſdem mulieribus converſati fuerint, variis ex antiquo teſtamento deductis exemplis demonſtratur.

XXXV. Author idem Argumentum, varia ſanctorum novi teſtamenti exempla allegando, proſequitur.

## *DISCURSUS I.*
### ARGUMENTUM.

Virginitas deſponſatur Chriſto; ubi quorumdam ſponſorum adducuntur exempla, qui ſuam in conjugio virginitatem illibatam conſervarunt; agitur quoque de eximiâ animæ caſtæ pulchritudine, cui adaugendæ verecundia plurimum cooperatur; dos verò hujus ſponſalitij ipſamet eſt virginitatis honeſtas.

### THEMA.

*Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, 2. Cor. 11. ℣. 2.

Chriſtus eſt Virginum ſponſus.

1. PRæclariſſimum & eximium eſt animæ caſtæ elogium, quod videlicet Chriſtus Dei filius il-



lam ſibi dignetur adoptare in ſponſam; ut proinde Apoſtolus de animabus puris & immaculatis dicere non dubitet. *Deſpondi vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto*; Et quidem tametſi prima quidem facie ſponſalitium & nuptiæ cum virginitate eſſe videantur incompatibiles; attamen in parabola de decem virginibus, expreſſe dicitur: *Exierunt obviam ſponſo ... intraverunt cum eo ad nuptias*; & tamen omnes ab ipſomet Chriſti virginum titulo condecorantur; Neque id cuipiam mirum videri debet, quia in hiſce nuptijs, quæ inter animam virginitate puram & Chriſtum celebrantur, ipſemet Dei filius ſponſus eſt, & ideo per haſce nuptias virginitas non amittitur, ſed augetur, ut proinde S. Agnes, Virgo & Martyr merito gloriata fuerit dicens: *Amo Chriſtum, in cujus thalamum introibo, cujus mater Virgo eſt, cujus pater fœminam neſcit, quem cum amavero caſta ſum, cum tetigero munda ſum, cum accepero virgo ſum*; hic etenim ſponſus ab ipſomet Spiritu Sancto appellatur *candor lucis æternæ*, à cujus candore omnis alia derivatur puritas & honeſtas, adeo ut illæ dumtaxat animæ veræ virgines eſſe cenſeantur, quæ huic ſponſo vinculo ſunt connubiali adſtrictæ, juxta illud Pſalmi: *Adducentur Regi virgines*. Unde Sanctus Bernardus ait: *Virgines dico illas, quæ ante Chriſto fœderatæ, quam fœdatæ mundi complexibus, ipſi firmiter perſeverant, cui ſe tanto felicius, quanto maturius devoverunt.*

2. Cor. 11. v. 2. & 10.

Matth. 25. v. 1. & 10.

Sap. 7. v. 26.

Pſal. 44. v. 15.

S. Bernard. ſer. 14. ſup. Cant.

Confirmatur.

2. Neſcio an umquam alias obſervaveritis, quod videlicet Chriſtus Salvator noſter in alijs multis parabolis ſe vel Patremfamilias, vel Paſtorem, vel agricolam, vel ſeminatorem, vel denique negotiatorem appellaverit, in hac vero decem Virginum parabola, Sponſi nomen ſibi vendicaverit; quod eo præcipue myſterio factum eſt, ut nobis per hoc inſinuet, quod quotieſcumque de virginibus, aut virginitate agitur, ipſe ejuſcemodi animabus puris & caſtis veluti caſtiſſimus earum ſponſus arctiſſimo ſponſalitij vinculo ſit conjunctus; unde apud Oſeam dicit: *Sponſabo te mihi in fide.*

Oſe. 2. v. 20.

Virginitas conſervari poteſt in ſtatu conjugali.

3. Adhæc quis eſt qui candidum virginitatis lilium in ſtatu quoque conjugali ex mutuo utriuſque conſortis conſenſu floridum conſervari poſſe neſciat? ſic, enim quando Beatiſſima Virgo S. Joſepho deſponſata fuit, ex divina quoque revelatione ambos illibatam in eo ſtatu virginitatem conſervaturos eſſe didicit, & tamen quod ſubiere conjugium, verum matrimonium fuit, juxta tritam illam & vulgarem regulam, qua dicitur: *Conſenſus, non concubitus matrimonium facit.* Unde S. & Angelicus Doctor in ſumma ſua hunc proponens articulum: *Utrum inter Mariam & Joſeph fuerit verum matrimonium?* idipſum confirmat affirmando, dicit; *Fuit verum & legitimum, non quidem quod conſenſerint in copulam carnalem, ſed quantum ad conſenſum mutuæ fidelitatis.*

S. Th. 3. p. Q. 29. A. 2.

Baron. An. 665. n. 12.

Exempla.

4. Sic quoque Annales Eccleſiaſtici de Wandregiſilo eximiæ ſanctitatis presbytero, cujus felici morti S. Audoenus præſens adſtitit, referunt, quod cum in Dagoberti Regis aula Comitis Palatini munere & dignitate fungeretur, perpetuam una cum conjuge ſua caſtitatem conſtanter coluerit, ac tandem in ſanctorum relatus catalogum die 22. Julij publico officio in Eccleſia colatur: Quod idem de S. Elzeario Arriani comite legitur in ejus vita. Similiter de S. Henrico Imperatore (cujus feſtivitas 14. ejuſdem menſis Julij in Eccleſia recolitur) in lectionibus officij Eccleſiaſtici legitur, quod *virginitatem raro exemplo matrimonio junxerit.* Qui proinde ut Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis de ipſo refert, hoc de S. Cunegunda conjuge ſua, coram varijs Principibus agnatis illius, teſtimonium luculentum perhibuit: *Qualem mihi eam aſſignaſtis, talem vobis reſigno, virginem eam mihi dediſtis, & virginem reddo.* Cumque ex inimici tartarei maligna ſuggeſtione in certa quadam occaſione gravis circa prædictæ Cunegundæ Imperatricis pudicitiam oborta fuiſſet ſuſpicio, ipſa ut ab hac ſe expurgaret calumnia, ſuper ignitos vomeres nudis plantis inceſſit & proceſſit illæſa.

Rayn. An. 1200. n. 44.

An. 1230. n. 68.

5. In iiſdem Annalibus de Boleſlao Cracoviæ Duce, qui ob inſignem pudicitiam vulgari nomine agnominabatur *Pudicus*, ſcribitur, quod poſtquam Zingam & Zunegundem Beli Hungarorum Regis filiam, inclytam ſanctitate, & vultus morumque elegantia valde conſpicuam ſibi per matrimonij nexum adſtrinxerit, hæc virum ſuum ad colendam pudicitiam exemplo ſuo pellexerit, unde pudici glorioſum nomen ſibi peperit.

6. S. Gregorius Turonenſis de quodam juvene in hac alma urbe ſenatoria nobilitate inclyto, refert, quod dum virgini cuidam à parentibus ſuis ad ejus conjugium ſubeundum coactæ & invitæ nupſiſſet, virguncula hæc ſub nuptiali convivio inter continua ſuſpiria, S. Cæciliæ exemplum æmulando aliud nihil effata fuerit, quam iſthæc verba: *Fiat cor meum & corpus meum immaculatum*: ſub noctem verò ob imminentem virginitatis ſuæ jacturam amariſſime plangens & ejulans, atque à ſponſo ſuo de cauſa fletus tam immodici interrogata reſponderit: *Ideo lachrymor quoniam theſauro virginitatis pretioſiſſimo, quem voto fideli ſoli Deo dedicaveram, nunc invita privabor*; Cumque juvenis, Matrimonium quoddam à Chriſto inſtitutum Sacramentum, ideoque gratiſſimum Deo ſtatum eſſe ſubintuliſſet, ipſa ſubjunxit: Virginalem ſtatum Deo acceptiſſimum, cujus quidem principium in cœleſtibus ſpiritibus dedicaſſet, atque poſt hæc in terras veniens virgo manſurus de ſola virgine naſci voluiſſet. Quæ parænesis quantumvis brevis, tantæ tamen apud juvenem hunc ſponſum efficaciæ fuit, ut virgini Sponſæ conſentiens in perpetua ſemper Virginitate cum ipſa deinceps vivere firmiter decreverit.

S. Greg. Turon. l. de glor. Conf. c. 32.

7. Idem quoque heroicæ virtutis ſpecimen de S. Catharina, S. Birgittæ filia legimus, ſiquidem & ipſa una cum ſponſo ſuo virginitatis flore illibato conjugium ſuum perpetuo decoraverunt; Cumque poſt ſponſi ſui mortem Comes quidam multas ejus pudicitiæ ſtrueret inſidias, eamque, ut ad ineundas cum eo nuptias cogeret, rapere decreviſſet, accidit quod cum S. Catharina una cum ſanctiſſima matre ſua Birgitta ad promerendas ſtationum indulgentias ad S. Sebaſtiani Baſilicam extra urbis muros poſitam properaret, & Comes præfatus retro ſepem quamdam cum pluribus aliis ſociis ad eam rapiendam inſidioſe deliteſceret, cœleſtis ſponſus ejus ad tuendam ejus virginitatem pulcherrimum quemdam cervum è dumetis excitatum trans locum ubi Comes latitabat, concitato curſu properare fecerit, quem dum Comes ejus capiendi cupiditate motus una cum ſociis ſtrenue inſequeretur, Catharina ſtructas ſibi ab amatore ſuo inſidias feliciter evaſit.

Sylv. Hiſt. l. 9. Tom. 6. Exemp. 7.

8. De Ammone in vitis Patrum ſcribitur, quod poſtquam is ad connubium cum virgine quadam ineundum à Parentibus ſuis adſtrictus fuiſſet, is admirabilis eloquentiæ ſuæ efficacia ſponſam ſuam permoverit, ut una cum ipſo virginitatem perpetuam colere & conſervare ſtatuerit; Unde ſancti hujus viri vita his verbis concluditur: *Vidit Antonius* (magnus) *ejus animam in cœlis aſſumptam ab Angelis.*

Vit. Patr. l. 8. c. 8.

9. Denique de S. Edelfrida venerabilis Beda teſtatur, quod non obſtantibus delicijs regijs, quibuscum enutrita fuerat, una cum duobus conjugibus ſuis, quibus ſucceſſive matrimonio juncta fuerat, virginitatis perpetuæ florem conſtantiſſime conſervarit; unde factum, quod corpus ejus poſt multos annos incorruptum inventum fuerit, haud ſecus ac ſi ea die recenter mortua fuiſſet.

V. Beda l. 4. c. 18. De Angl.

Chriſtum eſſe virginum ſponſum probatur auth. SS. PP.

10. Verum enimvero ut ad noſtrum, quem de Chriſti cum virginis anima feliciſſimo ſponſalitio cæperamus, diſcurſum redeamus, multos invenio ſacros Doctores ſanctiſſimi hujus connubij teſtes & aſſertores. Et quidem S. Gregorius Nazianzenus poſtquam in ſacris Poëmatibus ſuis prius Deum nullius connubij cupidum eſſe his verbis affirmaſſet: *Nam magnus conjugis expers eſt Deus, atque Dei rutilans Chorus omnipotentis*, mox tamen virginalem pudicitiam eum ad ſponſalitium cum virginibus ineundum pellicere & attrahere aſſerit, dicens: *Caſtaque virginitas decoretur conjuge Chriſto.* S. Zeno haſce caſtas & puras animas alloquens, dicit eis: *Per hanc* (ſcilicet virginitatem) *attingitis Chriſtum, imo illa per vos vobiſcum complectitur Chriſtum.* S. Ambroſius de virginibus differens, ait: *Chriſtus virgo virginis ſponſus, & ſi dici poteſt, Chriſtus virgineæ caſtitatis, virginitas enim Chriſti, non virginitatis eſt Chriſtus.*

Nazianz. de virgin.

S. Zeno l. 1. de pudicit. ſer. 7.

S. Ambr. de virg. l. 1.

Proſecutio.

11. Major certe Convictus neceſſitudo, aut intimior familiaritas dari nequit, quam ſit illa quæ inter conjuges intercedit, ut qui ſunt duo in carne, & tamen longe major eſt illa quæ inter Chriſtum reperitur & virgines, ſiquidem hæ adhærent Deo: *Sequuntur agnum quocumque ierit*; nam ut Apoſtolus ait:

Apocal. 14. v. 4.

1.Cor.6. v.17. Exod.20. v.19.

ait : *Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt.* In veteri quidem teſtamento populus electus tanto Dei percellebatur terrore, ut Moyſi dixerint : *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*; at vero in lege nova Deus nobis in virtute virginitatis adeo factus eſt familiaris, ut ſe animæ caſtæ ſponſum declarare non dedignetur. Unde Sanctus Gregorius Nyſſenus in lib. de virginitate ait : *Quia Dei adventum demonſtraret, ſola caſtitas idonea eſt, tanta eſt enim virginitatis vis, ut Deum ipſum ſua vi ad humanæ vitæ communionem ducat, & hominum cum Deo familiaritatis vinculum ſit.*

S. Gregor. Nyſſen. l. de virgin. c. 2.

Morum venuſtas virginitati conjuncta hanc exornat.

12. Id porro quod in virginibus quam maxime diligitur eſt Vultus morumque pulchritudo & elegantia, quæ profecto in anima caſta eximia eſt & ſingularis; Unde Pſaltes regius ait : *Concupivit Rex decorem tuum.* Et S. Auguſtinus, inquit : *Pulchra eſt caſta juvenum pudicitia, & Deo amabilis, & ad omne bonum diriguntur.* Sponſus in ſacro ſui Epithalamio ſponſæ pulchritudinem depingere aut deſcribere volens, inquit : *Venter ejus eburneus, diſtinctus ſapphiris.* Pro cujus loci intelligentia ſciendum, quod ebur ex dentibus Elephantis confici ſoleat, hic autem animal eſt caſtiſſimum, ſiquidem generationis cauſa ſemel tantum in vita cum ſua commiſcetur conſorte; præterquam quod ebur eximio candore ſuo hanc repræſentet virtutem : Sapphirus autem inſtar cœli ſtellati colorem habet cæruleum auri punctis hic inde venuſtiſſime diſtinctus; & ideo hæc quoque gemma honeſtatis & pudicitiæ virginiæ egregium eſt ſymbolum. Idem quoque ſponſus ſeu Spiritus Sanctus alia ſponſæ virginea membra deſcribens talibus ſemper utitur ſymbolis, quæ ad virgineam puritatem exprimendam ſpecialiter diriguntur; Unde oculos ejus eſſe dicit ſicut Columbæ, caput vero ejus aurum optimum, labia ejus per lilij candorem exprimit, manus denique hyacinthis plenas, Capillos vero elatis palmarum ramis ſimiles eſſe aſſerit.

Pſal. 44. v. 12. S. Aug. in Dom. 25. poſt Trinit. Ser. 1. Cant. 5. v. 14.

Virginitas in ſexu fæmineo magis germinans Eccleſiam exornat.

13. Verum quidem eſt, quod ultimus capillos ſponſæ inter & palmarum ramos adductus parallelus prima facie ab omni videatur proportione eſſe alienus, ſiquidem capilli ſubtiles, graciles ſunt & debiles, palmarum vero rami groſſi & robuſti; attamen ſi quis parallelum hunc intimius conſideraverit, inveniet utique, quod debilior ſexus fæmineus, in quo virginitas quam maxime germinat, & effloreſcit, longe ſit victorioſior pluresque triumphorum erexerit palmas, quam robuſtus ſexus virilis; Adhæc ſicut capilli ſpecialem capiti venuſtatem adferunt, & ornamentum, ita quoque caſti & virgines Chriſto, qui Eccleſiæ caput eſt, magnam conciliant ſpeciem & venuſtatem. Unde Sanctus Cyprianus ait : *Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, Dei imago, reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti.* Et ideo Spiritus Sanctus de puræ cujuſdam animæ pulchritudine diſſerens, cum admiratione dicit : *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Capilli porro ex carne naſcuntur, nec tamen ullam cum ea neceſſariam habent connectionem, unde ſine dolore aut ullo damno ſuo à carne raduntur : pari quoque modo caſti in carne præter carnem vivunt, & tametſi hac carne circumcingantur, vivunt tamen ac ſi carnis prorſus eſſent expertes. In illo tamen mox adducto virginitatis elogio notanda ſunt verba illa : *Cum claritate*; Etenim objectum aliquod à pulchritudine laudare volentes dicere, ſolemus, *Solis inſtar pulchrum eſt.* Sanctus Auguſtinus illum Geneſeos textum conſiderans, quod dicitur : *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti*; in duobus illis luminaribus ſtatum quidem conjugalem & virginalem adumbrari notat, ita tamen quod virginitas ſolis nomine intelligatur; Unde dicit : *Virginitas Sol eſt*; & ſane ſicut Sol lumen & lucem tribuit aliis, & ſplendore incomparabiliter excedit, ita virginitas præeminet aliis virtutibus. Unde Eccleſia de virginibus canit : *Iſta eſt ſpecioſa inter filios Jeruſalem*; de quo tamen puncto videatur circa verbum : *Anima* Diſcurſus nonus, cujus hic eſt titulus ſive argumentum : *De exceſſiva animæ pulchritudine, utpote quæ Deum in ſuum ſponſalitium rapit.*

S. Cypr. de diſcipl. & hab. Virg.

Sap. 4. v. 1.

Gen. 1. v. 1.

S. Aug. de virg.

Verecundia virginitati eſt annexa.

14. Enimverò ſponſus cæleſtis de modeſta quadam verecundia mire gaudet; Et ideo olim in ſacris Canticis animæ amanti dixit : *ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Ubi Aponius ait : *In genarum pulchritudine Virginitatis vel caſtimoniæ verecundia intelligitur demonſtrari; verecundia enim annexa quædam pudicitiæ dos eſt*, ac proinde cum genæ ad vultus ſpecioſitatem plurimum conferant, hinc cæleſtis ſponſus hiſce verbis ſibi animæ cujuſdam pudicæ & honeſtæ verecundiam inter alias ejus dotes plurimum placere, vult innuere, Unde Sanctus Bernardus : *Primam nunc adverte ſponſæ verecundiam, quæ neſcio an quidquam gratius adverti in moribus hominum queat. Rubor ipſe genarum, quam forte invexerit pudor, quantum gratiæ & decoris ſuffuſo afferre vultui ſolet?* B. Laurentius Juſtinianus hanc quoque verecundiæ prærogativam, utpote ad decus honeſtatis plurimum concurrentem conſiderans ait : *Eſt & lampas pudicitiæ ita jugiter lucens in mente, ut nihil in ea turpe vel indecorum reſidere permittat, nam ipſa ſpiritualis & commendabilis verecundia eſt gloria conſcientiæ, famæ cuſtos vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & cauſa totius honeſti.*

Cant. 4. v. 3.

Apon. ibid.

S. Bern. ſer. 86. in Cant.

Synagoga gloriam habebat in fæcunditate, Eccleſia in virginitate.

15. In ſponſalitiis quidquid ad ſponſam venuſtandam & debite exornandam ſervire poteſt, ingenti cum induſtria & copioſe accerſiri ſolet. Unde ſponſus cæleſtis ſolos ſponſæ ſuæ pedes conſiderans in ſacris Canticis exclamat dicens : *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis*; quibus verbis ſponſus ſe animæ puræ ſandaliis & calceamentis raptum fuiſſe declarat; Dicit autem ibidem S. Ambroſius : *Bonum calceamentum animæ pudicitia, bonus greſſus veſtigium eſt caſtitatis*; ait autem ſponſus : *In calceamentis*, quoniam caſtitatem multæ virtutes ſociant, quæ ejus decorem augent, nimirum temperantia, ſobrietas, modeſtia, humilitas, & aliæ hujuſmodi. Propheta regius poſtquam ſponſi pulchritudinem multis laudibus extuliſſet, dicendo : *Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis*, paulo poſt ſubjungit : *Delectaverunt te filiæ regum in honore : aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*; ubi per hanc reginam animam quamdam virginitate decoram Dei ſponſam intelligit, unde paulo poſt idem David ait : *Et concupiſcet Rex decorem tuum; Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbris aureis circum amicta varietatibus, adducentur Regi virgines poſt eam.* Porro regiæ hujus ſponſæ quæ Eccleſiam repræſentat, ornatus ſunt virgines; Etenim Synagoga maximam ſuam gloriam in fæcunditate habebat repoſitam : cum Eccleſia illam in virginitate poſitam habeat; Et ideo D. Chryſoſtomus ſuper illa verba : *Proximæ ejus afferentur tibi, adducentur in templum Regis*, dicit : *vidiſti veſtes, fimbrias? Vidiſti amictum aureum florem virginitatis? is eſt veſtis Eccleſiæ*; valde autem conſiderabilia ſunt verba quæ antecedens, videlicet : *Aſtitit regina : Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ Regum.*

Cant. 7. v. 1.

S. Ambr. ſer. 17. in Pſal. 118.

Pſal. 44. v. 3. Ibid. v. 9. & 10.

Ibid. v. 12. 14. & 15.

Pſalm. 44. v. 15. & 16. D. Chryſ. ibid.

Ibid. v. 9.

16. S. Bruno Carthuſianæ ſolitudinis Patriarcha in lib. *de ornatu Eccleſiæ*, poſtquam per ebur caſtitatem, ob ſtatim adductas rationes demonſtrari docuiſſet, ventrem quoque ſponſi in ſacris Canticis per ebur adumbrari ſubjungit, dicens : *Venter Chriſti eburneus dicitur, venter in medio corporis eſt, in medio eſſe ſpectat ad dignitatem, quid enim Pſalmiſta de gradibus eburneis dicat audiamus; Myrrha & gutta &c. iſtæ quidem filiæ Regum, quæ Regem delectaverunt per gradus eburneos, id eſt, per gradus continentiæ & caſtitatis ad Deum aſcendebant.*

S. Bruno l. de ornat. Eccl. c. 9.

Virgines ambulabunt cum Chriſto in albis.

17. S. Joanni Evangeliſtæ, qui in hac virginalis pudicitiæ honeſtate eximius fuit, in Apocalypſi mandatum fuit, ut certo cuidam Epiſcopo ex parte Dei ſignificaret ſequentia : *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt, qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis :* Quibus verbis virgines multifariam deprædicantur. Hæ enim magni in Cœlis æſtimantur : *Confitebor nomen ejus coram Patre meo*; id quod iis præcipue promittitur qui carnem ſuam vicerint atque domaverint, ſunt etiam ob pulchritudinem ſuam, valde admirabiles, *in Sardis* enim idem eſt quod *principium pulchritudinis*; *Non inquinaverunt veſtimenta ſua.* Mentio quoque fit de earum progreſſibus : *Ambulabunt*; *ambula coram me & eſto perfectus.* Ad hæc individui ſemper ſunt Agni immaculati comites : *ambulabunt mecum*; Denique à merito & dignitate ſua commendantur; *quia digni ſunt :* at verò quænam obſecro ratio eſt, quod poſt reportatam de carne glorioſam victoriam, obtentoque in ſummo Cœli Capitolio honorificentiſſimo

Apocal. 3. v. 4.

Ibid. v. 5.



mo triumpho, *Qui vicerit?* quando jam veſtibus pretioſiſſimis, & inæſtimabilibus gemmis circumdandi erant, illis minime induantur, ſed tantum dicatur : *Sic veſtietur veſtimentis albis?* Porro difficultatis hujus reſolutio ex prædictis verbis deſumenda erit; nimirum : *Ambulabunt mecum in albis*, his enim verbis innuitur, quod ipſiſſima Agni immaculati veſte ſint amiciendi : *Mecum in albis.* Præterquam quod certum ſit quod virgines in cœlo nequaquam habituræ ſint veſtem pretioſiorem aut nobiliorem, vel etiam elegantiorem, quam fuerit illa qua cum hic in terris pugnarunt, quia pretioſiſſima, nobiliſſima, & pulcherrima veſtis, quæ omnium Angelorum, totiusque Paradiſi ad ſe oculos trahit, eſt veſtis alba & candidiſſima immaculatæ virginitatis & puritatis, quam hic in terris conſervarunt illæſam & incontaminatam. Unde Rupertus Abbas Tuitienſis dicit : *Quia non inquinaverunt veſtimenta ſua, id eſt, incorrupta ſervaverunt corpora ſua, ambulabunt mecum in albis, mecum, inquit, filio virginis, mecum, cujus caro virginea continentiæ dedicavit templum, qui ſum virgineus flos, virginitatis lilium, mecum ambulabunt in albis, id eſt, in corporibus immaculatis cum quibus reſurgent nitidi velut agni novelli.*

Rup. Abb. Ibid.

Virginitatis pretium.

18. Quod ſi inſuper præter ornamenta & veſtes pretioſas, ipſas quoque gemmas atque monilia conſiderare velimus, quibus hæ Chriſti ſponſæ adornatæ eſſe noſcuntur, inveniemus in Annalibus Eccleſiaſticis, quod S. Ignatius Martyr ſacras, Deoque per votum perpetuæ virginitatis conſecratas virgines tanto in pretio habuerit, ut ad Heronem, cui, dum huc Romam duceretur ad Martyrium, Antiochenam ſuam recommendabat Eccleſiam, ſcripſerit, *Virgines ſerva ut pretioſa Chriſti monilia*; Qui idem in Epiſtola ad Tharſenſes eoſdem monuit dicens : *Eas quæ in virginitate degunt, in pretio habete.*

Virginitatis theſaurus incomparabilis.

19. Si denique de dote loqui velimus, ex ipſius met ſpiritus veritatis ſententia & teſtimonio certum eſt nullam reperiri poſſe ipſamet honeſtate & pudicitia opulentiorem; hic enim claris verbis dicit : *Non eſt digna ponderatio continentis animæ &c.* Unde ponatis licet in ſtateræ cujuſdam una lance totum univerſum, & quidquid in eo Deus pulchri, boni, & pretioſi creavit, imo & totum illi adjiciatis Cœlum Empyræum, in alia verò lance animam quamdam ponatis puram, immaculatam & virginem, adhuc libere licebit dicere : *Non eſt digna &c.* *id eſt*, ut Hugo Cardinalis exponit, *omnis autem ponderatio cujuſcumque rei temporalis, id eſt, omnis res temporalis, quanticumque ponderis, id eſt, valoris ſit, non eſt digna continentis animæ, id eſt, ad comparationem animæ continentis*; Et ideo S. Apoſtolus de hac heroica virtute loquens, eamdem pretioſi theſauri nomine appellat dum ait : *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*, tametſi verum ſit quod propter illum virgines nequaquam extolli, ſed illum potius grato animo agnoſcere debeant, veluti ex illo provenientem ærario in quo ſunt opulentiſſimi ſapientiæ & ſcientiæ divinæ theſauri abſconditi, *ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.* S. Hieronymus pariter ad Demetriadem ita ſcribit : *Divitiæ tuæ virginitas tua, theſaurus tuus eſt theſaurus irrecuperabilis poſtquam amiſſus eſt.*

Eccleſ. 26. v. 20.

Hug. Card. Ibid.

2. Cor. 4. v. 7.

S. Hieron. ad Demetr.

Symbolum eſt Virginitatis Margarita

20. Indubitatum eſt quin inter pretioſiores & venuſtiores gemmas, quæ virgineam ſymbolice referunt puritatem, *Margarita* primum omnium locum teneat; hæc autem tametſi ſuam in aquis marinis originem habeat, quantum tamen ab illis differens eſt & diverſa? Mare enim colorem refert viridem aut cæruleum, Margarita verò album & candidum; Mare ſalſum eſt & amarum, Margarita verò colliquefacta dulceſcit, Mare terrorem & pavorem incutit, juxta illud; *Mare vidit & fugit* innata verò Margaritæ proprietas eſt quod cor hominis dilatet & lætificet : Mare inſtabile eſt & procelloſum, Margarita verò ſolida eſt & firma; Margarita tametſi in medio hujus maritimi elementi naſcatur, Concha tamen in qua generatur, rorem cœli, alioſque concipit influxus cœleſtes : quæ eadem prodigia in anima cernuntur pura & virginea, tametſi enim in hujus noſtræ mortalitatis luto naſcatur, fragilis quoque & ipſa, lapſibus frequentibus ſubjecta, à carnis deſideriis ſtimulata & inſtigata à ſpiritu fornicationis, vivit tamen pura & immaculata haud ſecus ac ſi nullum haberet cum terra commercium, & veluti ſi purus ſpiritus eſſet; unde fit quod immortalis animæ ſponſus, qui *ſpirituum ponderator* eſt, tanti talem quamdam animam faciat, ut ad inſtar prudentis negotiatoris, *inventa una pretioſa Margarita, abijt & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam*; ac proinde, *Non eſt digna ponderatio &c.*

Pſal. 113. v. 3.

Matth. 13. v. 46.

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Acceptiſſimæ agni immaculati ſodales ſunt virgines, utpote quæ ipſi præ cunctis aliorum ſtatuum hominibus placentes ab ipſo adoptantur in ſponſas, & tenerrimè diliguntur.

### THEMA.

*Virgines ſunt, hi ſequuntur agnum quocumque ierit, hi empti ſunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno.* Apocal. 14. ℣. 4.

Virginitas agnum comitatur.

1. NObiliſſimum acceptiſſimumque Dei conſortium, quo Majeſtas ejus vel maximè honoratur, caſtæ ſunt & puræ animæ : *Virgines ſunt, hi ſequuntur agnum quocumque ierit*; quia ab agni immaculati latere numquam ſeparantur; Unde S. Mater Eccleſia in earum honorem ita canit : *Septus Choreis virginum Sponſus decorus gloria : Quocumque pergis, virgines ſequuntur, atque laudibus poſt te canentes curſitant.* Porro quotidiana videmus experientiâ, quod tametſi Principes omnes bene meritos aulicos ſuos diligant, inter illos tamen aliqui communiter inveniuntur qui ipſorum ſe majori gratia dignos efficientes, iiſdem præ cæteris chariores ſunt, ſive id fiat quia ipſorum ſe genio aptius componunt, ſive ob aliam quamdam prærogativam & virtutem ſingularem, per quam ſe clementiæ Domini ſui majori inſinuarunt; Quibus proinde ad penetrandum ad Principis ſui ſecretiora penetralia, nulla opus eſt janitoris aut Ephebi camerarij inſinuatione, ſed liberum habentes aditum familiariſſime cum eo converſantur, & ut plurimum quocumque ſe ejuſmodi Principes recipiunt, invidui eorum ſocij & grati comites exiſtunt : Eodem quoque modo tametſi Salvator noſter omnes Servos ſuos honoret, diligat, ſuamque illis gratiam & paternam benevolentiam exhibeat, in illi tamen quam maxime ſibi complacet, qui virginitatis ſuæ florem illibatè cuſtodiunt. *Hi ſequuntur agnum quocumque ierit*; *Nullus eis locus*, inquit S. Hieronymus, *in illa cæleſti aula clauditur, ſed cuncta eis divinarum manſionum habitacula reſerantur.* S. Iſidorus ſuper præcitata Apocalypſeos verba ſcribens dicit : *Tantum autem eſt in virginibus caſtitatis donum, ut etiam Joannes tantum eos agni veſtigijs inhærere præſcribat, qui contaminati à mulierum coitibus non fuerint, ipſi enim ſunt centum quadraginta quatuor millia ſanctorum Cythariſtarum illibatæ virginitatis, inviolatæ caſtitatis in corde, qui ſequuntur agnum, quocumque ierit, quem nemo ſequi vel auditu valet, niſi tantum virginitas.*

S. Hieron. ad Euſt. Ep. 22.

S. Iſid. l. de offic. Eccleſ. 2. c. 17.

Virginitatis agilitas.

2. Verum enim vero ut virgines ubique Chriſtum ſequi poſſint magna profecto opus habent agilitate; Cum enim de Chriſto Pſalmiſta dicat, quod *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, alis opus erit, & ſpeciatim quidem alis & plumis puræ & candidæ columbæ, ut proinde illis opus fuerit dicere : *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ & volabo.* Unde D. Auguſtinus ait, *Qui in Eccleſia Catholica caſti ſunt, dicere poſſunt cum Pſalmiſta : Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ & volabo & requieſcam?* & quando carnales gravibus vitiorum compedibus premuntur in mundo, ſpirituales elevantur in altum, & dicere poſſunt cum Apoſtolo, *Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Venerabilis Beda ad animas puras & virgineas diſcurſum ſuum convertens, his illas verbis alloquitur : *Sequimini agnum, quia & agni caro utique virgo.*

Pſal. 18. v. 6.

S. Aug ſer. de Quinq. Pſalm. 54. v. 7.

Philip. 3. v. 20.

V. Beda.

3. Hugo Cardinalis in hæc Thematis verba ſcribens, dubium quoddam movet, cur ſcilicet Joannes illos Chriſtum ſequi viderit, qui virginitatis laureola inſigniti erant? aut cur non potius ſacros Doctores & Martyres in agri contubernio & comitatu conſpexerit? Et reſpondet : *Quia nec martyrium, nec prædicatio ſignum eſt generalis innocentiæ generaliter, ſed integritas virginitatis ſignum eſt generale innocentiæ generalis, quia probabile eſt, quod qui ſeipſum propter Deum contempſerit, contempſit & mundum & ea quæ in eo ſunt; unde ſignanter dicitur, quod ſequuntur non Chriſtum, ſed agnum, in quo innocentia exprimitur & ſignatur.*

Hug. Card. in Apocal.

4. S. Thomas Aquinas, vel quiſquis Commen-

Virginitas Deo grata ac familiaris.
S. Thom. ibid.

tarij illius author eſt, ſuper ſæpe dicta Apocalypſeos verba, virgines filium Dei ſibi valde familiarem efficere ſcribit; *acquirit*, inquit, *de virtute caſtitatis, divinam familiaritatem in ſtatu viæ; unde B. Joannem familiarius diligebat Jeſus, in cujus ſinu recubuit.* Hinc etiam quiſquis ſanctarum virginum vitas legerit, frequentiſſimas illis à Chriſto ipſarum ſponſo viſiones, revelationes aliaque familiariſſimæ benevolentiæ ſigna conceſſa fuiſſe reperiet, hæ enim præ cunctis aliis ſanctis animabus viſitationibus, raptibus, extaſibus, & admiranda ſpiritus ſuavitate & conſolatione à Chriſto demulceri ſolent. *Virgines virginem ſequuntur*, inquit Hugo Cardinalis, *magis delectabiles & jucundi Deo, quam cæteri ſancti; ac proinde primitiarum nomine à Spiritu Sancto appellantur, eò quod ſicut primitiæ fructuum delectabiliores ſunt, & gratantius recipiuntur.* B. Albertus Magnus quoque ſuper illa verba: *Empti ſunt ex hominibus* dicit: *id eſt, quadam prærogativa ab alijs ſeparati ſunt; ſicut primitiæ eliguntur ex fructibus.* Et quidem obſervandum eſt, quod dicantur empti, non redempti; nam illi propriè dicuntur empti, qui baptiſmalem innocentiam ſervaverunt, redempti vero qui à peccatis per pœnitentiam redierunt. Sanctus Thomas de Aquino eamdem quoque habet reflectionem, nimirum quod hoc virginibus attributo primitiarum nomine, partialitas inſinuetur amoris Chriſti erga continentes & caſtos: *Ex hoc*, inquit, *oſtenditur, quod virgines ſunt magis jucundi & grati Deo, quam alij, ſicut primitiæ ſanctorum*, adducitque illam S. Auguſtini ex libro *de doctrina Chriſtiana* ſententiam, qua dicit: *Nunc vobis virgines ſermo eſt, Eccleſiaſtici generis decus, & ornamentum gratiæ ſpecialis, honoris opus integrum atque incorruptum, imago Dei, illuſtrior portio gregis Chriſti.* Quæ Auguſtini verba optime conſentiunt cum illa exhortatione, qua S. Zeno utitur, ut nos ad hanc virtutem ſtudioſè zelandam excitet; Etenim Eccleſiam Chriſti ſponſam ideo factam eſſe notans, quia immaculata ſemper virgo permanſit, hanc inde deducit conſequentiam, quod ſcilicet ſi veri Eccleſiæ filij dici & eſſe velimus, hanc quoque Eccleſiaſticæ virginitatis conſtantiam æmulari debeamus: *Nam*, inquit, *ſi Eccleſia ideo Chriſti ſponſa eſt, quod pudica, ideo jugo thalami cœleſtis honorata, quod etiam poſt nuptias manet poſtmodum virgo perpetua, nos qui naſcimur de tanto conjugio, omnifariè adniti debemus, quemadmodum proſapiæ noſtræ nobilitatem, non revelatione tantum, ſed etiam fide ſimilitudinis approbemus.*

Hugo Card. Ibid.
Alb. Mag. Ibid.
S. Thom. ibid.
Adhortatio.
S. Zeno l. 2. ſerm. 7. de Pudicit. laud.

Chriſtus inter lilia Virginitatis paſcitur.
Cantic. 2. v. 16.
Apon. l. 4. in Cant.

5. Enimvero nihil eſt quod natura noſtra vehementius appetat quam cibum, qui in ſubſtantiam noſtram convertitur; at verò pari quoque appetitus vehementia virgines à Dei filio velut ſpiritualis quidam ejus cibus eique gratiſſimus deſiderantur; ſiquidem ſpiritus veritatis ipſemet, qui virtutis continentiæ author & largitor exiſtit, ipſum inter illa paſci & nutriri teſtatur: *Qui paſcitur inter lilia*, quod idem eſt, ac ſi diceret: Qui virgines plus amat & deſiderat, quam quoſlibet alios ſanctos; unde Eccleſia in Hymno canit: *Qui paſcis inter lilia, ſeptus Choreis virginum*; Et ſacer quidam Interpres ait: *Sicut diabolus cruenta iracundia, & execrando cœno libidinis ſaginatur, ita Chriſtus Dei filius miſericordiæ, manſuetudinis vel caſtimoniæ liliis paſcitur.*

Rup. Abb. Ibid.

6. Rupertus Abbas Tuitienſis per duo hæc lilia S. Joſephum & ſanctiſſimam virginem intelligit, qui in hac virtute adeo eximij fuere, ut proinde per tot annorum curricula cum eis converſari, ab iiſque paſci & nutriri voluerit. Imo quando æternum Patris verbum noſtra ſe mortalitate veſtire decrevit, quamnam ſibi matrem elegiſſe exiſtimetis? inquit S. Ambroſius: *Conſiderate quam ſibi veniens in has terras Dominus Jeſus matrem elegerit; ſalutem mundo daturus per virginem venit, & mulieris lapſus partu virginis ſolvit.* S. Franciſcus quoque in ſuis opuſculis in laudem virginitatis ita ſcribit: *Ut filius Dei oſtenderet ſe diligere caſtitatem, de virgine naſci voluit; virgines milites innocentes præmiſit, virginitatem conſuluit & ſervavit, inter virgines ex hac vita migravit.*

S. Ambr. T. 4. in Exhort. ad Virg.
Opuſc. S. Franciſc. T. 3. coll. 25.
1. Corint. 7. v. 25.
S. Anſelm.
Cur Virginitas Deo tam grata.

7. S. Anſelmus illa Apoſtoli ad Corinthios verba: *De virginibus præceptum Domini non habeo conſilium autem do*; ponderans, rationemque aſſignare volens, cur virtus iſthæc adeo Chriſto grata ſit & accepta, dicit: *Quia ubi præceptum, ibi neceſſitas eſt ſervitutis, ubi verò conſilium datur, ibi eſt arbitrium offerentis; ibi aliud facere non licet, hic autem licet, & ideo plus amat virgines Chriſtus, quia ſponte tribuunt, quod ſibi non fuerat imperatum; majoris autem gratiæ eſt offerre quod non debes, quam reddere quod exegeris.* Unde Albertus Magnus ſuper illa verba: *Hi ſequuntur agnum quocumque ierit*, dicit: *Sequuntur in quamcumque viam, ſive ad viam præceptorum, ſive ad viam conſiliorum.* Enimvero virginitatis lilium illibatum ſervare actus eſt perfectionis & heroicæ virtutis; ac proinde S. Joannes ex mero inſtinctu divino dicit: *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ*, non quaſi alij homines agni in monte Calvariæ occiſi pretioſo ſanguine empti aut redempti non fuerint, ſed ut inde diſcamus virgines ab eo primo loco fuiſſe privilegiatos; Et ideo dicit: *Empti ſunt ex hominibus primitiæ*, quaſi diceret, virgines in præmium ſequelæ ſuæ primi fuerunt, qui ex ditiſſimo & pretioſo agni theſauro participarunt: *Hi ſequuntur agnum quocumque ierit.*

Apoc. 14. v. 4.
Alb. Mag. ib.

Cur ſola hæc Chriſti ſponſa.
S. Ant. de Pad. ſer. 2. de virt.

8. Hujus quoque ſpecialis Chriſti erga virgines benevolentiæ alia aſſignari poteſt ratio, quam S. Antonius de Padua adducit, dum ait: *Cum omnes animæ ſponſæ ſint Chriſti, ſpecialius tamen virgines, quia ſicut ſponſus & ſponſa ſunt una caro. 1. Cor. 7. ita caro virginum carni Chriſti verius ſe conformat, quam aliorum, quia ſicut caro Chriſti non vidit corruptionem, ſic nec caro virginum.*

SS. Altaris ſacram. ſpecialiter pro caſtis inſtitutum.
Zachar. 9. v. 17.
Joan. 6. v. 9.

9. Sic quoque licet Chriſtus univerſum pro omnibus fidelium animabus nutriendis ſanctiſſimum altaris Sacramentum inſtituerit, ſpecialiter tamen ab eodem pro puris & caſtis animabus inſtitutum fuit, unde in ſcriptura nominatur: *Frumentum electorum & vinum germinans virgines*, Præterea quonam genere panis Chriſtus turbas in deſerto pavit? *Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos*, & tamen diſcipulis ſuis, ut videre eſt Joan. cap. 6. Angelorum panem promiſit; Quonam verò myſterio id à Domino factum fuiſſe exiſtimas? Pandet hoc nobis S. Hieronymus, qui S. Ambroſium contra Jovinianum ſcribentem citans dicit: *Didicerat & ipſe Ambroſius, quia Dominus Jeſus alijs panem hordeaceum, ne in via deficerent, alijs virginibus corpus ſuum, ut ad regnum tenderent demonſtravit*; Conjugium ergo hordeo, virginitatem corpori Chriſti comparat. Unde & S. Paſchaſius illum Zachariæ textum *vinum germinans virgines*, ponderans dicit: *Quoniam hic ſanguis nihil magis diligit, quam in Chriſto virgines.*

S. Hieron. contr. Jov.
S. Paſchaſ. in Cap. 9. Zachar.
Chriſtus in nuptiis virginitatis ſemper eſt.

10. Chriſtus Salvator noſter, prout S. Bernardinus in dono virginitatis valde inſignis optime advertit, ad nuptias in Cana Galileæ una cum ſanctiſſima matre ſua vocatus acceſſit quidem, verumtamen id intra triginta tres vitæ ſuæ annos ſemel tantum feciſſe legitur: *Chriſtus*, inquit idem ſanctus, *fuit in mundi nuptijs ſemel, ſcilicet ut matrimonium approbaret præſentia ſua, & ſuæ ſanctiſſimæ matris; unde Joan. 2. ſcriptum eſt: Nuptiæ factæ ſunt &c. In nuptijs vero virginitatis eſt ſemper, quaſi caſtiſſimus virginum ſponſus.*

Joan. 2. v. 1.
S. Bernard. Senen. T. 2. ſer. 47. A. 1. c. 3.

11. Idem quoque Salvator noſter in Incarnatione ſua humanæ naturæ noſtræ deſponſare ſe volens, virginem quamdam elegit, in qua magnum hoc Divino-humanum conſummaretur conjugium; nec eſt quod mireris virginis hujus partum, ſiquidem D. Chryſologus ait: *Non te conceptus turbet, quando virginitas, quidquid eſt humani pudoris excuſat, aut quæ ibi verecundiæ læſio, ubi init Deitas cum amica ſibi ſemper integritate conſortium.* Quam eamdem Chriſti cum virginitate connexionem Sanctus Fulgentius præ alijs acutiſſime his verbis conſiderat: *Hic eſt autem unigenitus Dei filius, unigenitus etiam virginis filius, unus omnium ſacrarum virginum ſponſus, ſanctæ virginitatis fructus, decus & munus, quem temporaliter ſancta virginitas peperit, cui ſpiritualiter ſancta virginitas nubit, à quo ſancta virginitas fœcundatur, ut perſeveret intacta, à quo decoratur ut pulchra, à quo coronatur, ut regnet perenniter glorioſa.* Unde Sanctus Ignatius Martyr in Epiſt. ad Antiochenos de virginibus differens, hoc eis monitum ſcriptum relinquit: *Virgines agnoſcant, cui ſeipſas conſecrarunt, ſponſo nimirum ſpecioſiſſimo, nobiliſſimo, opulentiſſimo, quoque amabiliorem nec in Cælo, nec in terris invenire umquam poterunt.* Sanctus Ambroſius poſtquam ceruſſam, ſtibium, aliaque faciei pigmenta, & corporis ornatus quibus mulieres virorum ſibi benevolentiam & amorem comparare nituntur graviter perſtrinxiſſet, diſcurſum ſuum ad virgines Chriſto deſponſatas convertens, ita eas alloquitur: *Vos vero beatæ Virgines, quæ talia tormenta potius quam ornamenta neſcitis, quibus pudor ſanctus verecunda ſuffuſus ora, & bona caſtitas eſt decori. Habetis ſane & vos veſtræ militiam pulchritudinis, cui virtutis militat forma, non corporis, quam nulla extinguet ætas, nulla eripere mors poteſt, nulla ægritudo corrumpere; ſolus for-*

D. Chryſol. ſer. 148.
S. Fulg. ad Gall. Ep. 3. c. 4.
Virginitas cum Chriſto magnam habet connexionem.
S. Ign. Martyr Ep. 12. ad Antioch.
S. Ambr. l. 1. de Virg.



*mæ arbiter petitur Deus, qui etiam in corpore minus pulchro animas diligit pulchriores. Pulchritudo enim quam cæleſtis ſponſus in nobis diligit, non in corpore, ſed in anima conſiſtit.*

Exemplum.

12. De ſanctiſſima quadam virgine, quæ theſauri hujus quem in fragili corporis ſui vaſculo incluſum circumferebat, cuſtodiendi zeloſiſſima erat, Andregeſina nomine, legimus, quod cum ipſa invita à Patre ſuo terreno cuidam Sponſo promiſſa fuiſſet, acciderit, quod & ipſe ſponſus virginitatis corporalis in ſe conſervandæ cupidiſſimus fuerit. Ambo caſtitatem mentis & corporis caſte ſervare cupientes, omnipotentem deprecabantur Dominum, ut voluptatum venena à cordibus eorum dignaretur expellere; Et quidem tametſi S. Joannes hujus virtutis conſervandæ zeloſiſſimus Apoſtolus dicat: *ſine macula enim ſunt ante thronum Dei*, attamen ſancta hæc virgo à cœleſti ſponſo ſuo, ut eam deformem & abominabilem redderet, ardenter expetiit: *Orante B. Andregeſina virgine, ut ſpecioſitas illius in deformitatem verteretur, illico Dominus preces ejus exaudivit, nam facies illius ita exulcerata, ac immundiſſima lepra cooperta mox apparuit, ut à conſortijs hominum, quicumque eam vidiſſet extemplò ſegregandam decerneret*; Verumtamen numquam in cœleſtis ſponſi oculis tanta fuit pulchritudine conſpicua, quam dum turpi hac lepra forinſecus abominabilis erat, imo quanta foris ſordidior, tanto intus purior erat atque nitidior. Sed ecce quum verè dici poſſit cœleſtis ſponſi dilectio ingenioſus amor: *Notas facite in populis adinventiones ejus*; Etenim omnes qui inveniri poterant, peritiſſimi Medici juſſu patris ad eam curandam fuere accerſiti, at verò quanto magis augebatur remediorum numerus, tanto major a deformitas capiebat incrementa; Cumque Pater infauſtiſſimum conjugij hujus ſucceſſum maturius perpendiſſet, filiam an virginitatem ſuam in perpetuum conſervare deſideraret, interrogavit, quæ nihil adeo ſe in votis habere reſpondit, moxque ſubjunxit: *Chriſtus, quem concupivi ſponſum, ipſe mihi hanc corporis infert moleſtiam, ut animæ tribuat nitorem*; Quare ex conſenſu ſponſi ſui S. Anſberti, qui etiam pudicitiæ amantiſſimus, ſanctitateque inſignis erat, jamque in ſanctorum Catalogum eſt relatus, ſponſalia diſrupta fuerunt: *Quo patrato priſtinæ pulchritudini, & ſpeciei eleganti extemplo eſt reddita.*

Apoc. 14. v. 5.
Bollandus 9. Febr.
Iſa. 12. v. 4.

Deus virginitatem præ aliis æſtimat virtutibus.
S. Cyrill. Alex. T. 1. l. 7. de adorat.

13. Indubitatum quidem eſt omnes virtutum quarumque actus Deo ſumme gratos eſſe & acceptos, ab eoque in æternæ retributionis meritum nobis adſcribi; inter omnes tamen ſpecialiter placent honeſtatis & pudicitiæ fructus. Unde S. Cyrillus lib. 7. *de adoratione in ſpiritu & veritate*: *Corporum caſtitatem ante omnia alia veluti primitias quaſdam ſanctæ converſationis à nobis exigit noſter conditor.* Venerabilis Beda hanc amoris divini erga virgines, qui primitiæ appellantur, & tamquam tales gratiſſimi ſunt, partialitatem & teneritudinem conſiderans dicit: *De illo ſancto & immaculato Eccleſiæ grege, quaſi ſanctiores, purioresque hoſtiæ, pro voluntatis ſuæ meritis à Spiritu ſancto eliguntur, quos Apoſtolus de eis præceptum Domini non habens, obſecrat, ut exhibeant corpora ſua hoſtiam viventem ſanctam, Deo placentem.*

Ven. Beda in c. 14. Apoc.
S. Nilus de octo vit. cog.

14. Eſt etenim virginitas ſpecies quædam Martyrij, de qua proinde S. Nilus in lib. *De octo vitioſis cogitationibus*, operibus S. Joannis Damaſceni inſerto, ita ſcribit: *Corpus pudicum ampliſſimo ſacrificio apud Deum eſt charius.* S. Auguſtinus canticum novum quod in proceſſione agnum immaculatum turmatim ſequentes virgines modulaturæ ſunt conſiderans, amabilibus hiſce verbis eas invitat dicens: *Perſeverantes, laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius, ſperate felicius, cui ſervitis inſtantius; amate ardentius, cui placetis attentius: lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptijs: vos afferetis ad nuptias agni canticum novum, quod cantabitis cytharis veſtris, non utique tale, quale cantat univerſa terra, cui dicitur: Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra: ſed tale, quale nemo poterit dicere niſi vos*; ita enim teſtatur quidam Agno inter omnes alios quam maximè dilectus, inquit S. Auguſtinus: *Nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Quo ire putamus hunc agnum, quo nemo eum ſequi vel audeat, vel valeat, niſi vos? quo putamus eum ire? in quos ſaltus & prata? gaudia virginum Chriſti de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum propter Chriſtum. Gaudia propria virginum Chriſti, non ſunt eadem non virginum quamvis Chriſti, nam ſunt alijs alia ſed nullis talia, merito cum ſequimini virginitate cordis & carnis, quocumque ierit; quid eſt eum ſequi, niſi imitari.* Porrò qua ratione intelligendum ſit, quod canticum illud à nullis aliis quam à virginibus, cani poſſit, Venerabilis Beda declarat dicens: *Singulariter canticum agno cantare, eſt cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere, quod tamen electi cæteri canticum audire poſſunt, licet dicere nequeant. Laudes enim gratiæ, voces & cantus à virginibus modulati ſuaviorem agno harmoniam efficiunt, quam ſi omnes alij ſancti ad modulos canere contenderent.*

S. Aug. T. 6. l. de S. Virg. c. 27.
Specialis erit virginum cantus.
Ven. Beda Ibid.

## *DISCURSUS III.*
## ARGUMENTUM.

Virgines magnam cum Deo ſimilitudinem habent, ſiquidem in hac vita incorruptibilitate gaudent, & quaſi à morte eximuntur; ubi etiam nonnulli virginitati exhibiti honores conſiderantur.

### THEMA.

*Ecce tu pulchra es amica mea ... ecce tu pulcher es dilecte mi.* Cant. 1. ℣. 14. & 15.

Virginitas paritatem habet cum Deo.
Cant. 1. v. 14. & 15.

1. EX amabiliſſimis hiſce à ſponſo cœleſti ad ſponſam, & viciſſim à ſponſa ad divinum ſuum amatorem pronuntiatis verbis, ſimillimam inter utrumque intercedere conformitatem evidenter deducitur, ſicut enim ipſe ſponſæ dicit: *Ecce tu pulchra es amica mea*; ita viciſſim illa reſpondit: *Ecce tu pulcher es dilecte mi*; Eſt enim trita ad bene nubendum regula, qua dicitur: *Si vis nubere, nube pari*; Et quidem tametſi anima noſtra nullam cum Deo paritatem & æqualitatem prætendere poſſit, attamen quando Deus illam ob virginitatis & pudicitiæ ipſius merita ad ſponſalitij ſui dignitatem evehit, ſimul etiam ipſam ſibi ſimillimam eſſe facit. Unde S. Bernardus de virginibus loquens, dum earum admiratur præconia, dicit: *Solæ ſequuntur ſolem juſtitiæ Chriſtum agnum quocumque ierit, unde & ſolæ illi ſimiles ſunt atque ſimillimæ; honorabuntur præ cæteris in eodem regno exiſtentibus.*

S. Bern. de Paſſ. Dom. c. 31.
Quamdiu Adam virgo erat, Deo fuit ſimilis.

2. Quod ut evidentius verum eſſe probemus, ad ſacram ſcripturam recurramus, cum enim certum ſit plura in ea myſteria contineri quam verba: *Tot Sacramenta quot apices*, ad hoc velim ut reflectatis mecum, quod tametſi Moyſes, cujus calamus à Spiritus S. afflatu ſine dubio motus & directus fuit, dum de protoparente noſtro primitus loqueretur, Deum dixiſſe referat: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: attamen dum paulo poſt eadem fere verba repetiit, nullam fecerit ſimilitudinis mentionem, ſed ſolum dixerit: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum*; cur obſecro in hac ſecunda vice ſimilitudinis nequaquam meminit, ſed ſolius imaginis fecit mentionem? utique id ipſum Moyſes ex oblivione non fecit, *omnia etenim fecit in ſapientia*, ac proinde obſervandum pro reſponſione, quod immediatè poſtquam dixiſſet; *ad imaginem Dei creavit illum*, ſubjunxit: *Maſculum & fœminam creavit eos; Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini*; quamdiu igitur Adam virgo erat, atque Evæ per nexum maritalem necdum adſtrictus fuerat, tamdiu Moyſes illum Deo ſimilem eſſe advertit, de quo dicitur: *Candor eſt lucis æternæ* S. Bernardinus T. 2. ſer. 47. A. 1. c. 1. proinde ait: *Virginitas in ſtatu innocentiæ à Deo ordinata eſt, nempe virgo Adam de terra virgine pronuntiatur creatus.* S. Baſilius *de vera virginitate* ſcribens ad propoſitum noſtrum ſimiliter inquit: *Sic fidelis anima virginitatem ſuam ab omni ſordidæ cogitationis labe puram, immaculatamque cuſtodiens, ad id provehitur, ut ſimilitudinem incorruptibilis Dei in ſe velut in ſpeculo mundiſſimo, ipſo jam gratijs ſuis ſuaviſſimi radij in morem illi influente ſpeciem & laudem ſuam conſequatur.*

Gen. 1. v. 26.
Ibid. v. 27.
Ibid.
Ibid. v. 28.
Sap. 7. v. 26.
S. Bern. in T. 2. ſer. 47. A. 1. c. 1.
S. Baſil. de vera virg.

Virgines incorruptibiles ſunt.
Dan. 3. v. 91.

3. Daniel famoſam illam trium puerorum recenſet hiſtoriam qualiter ſcilicet dum hi in illa flammarum vehementia, haud ſecus ac in rorulento quodam ac ſpirante aëre feſtivi geſtiebant, Rex ſacrilegus obſtupefactus propiuſque accedens dixerit: *Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? Qui reſpondentes Regi dixerunt: Vere Rex; Reſpondit & ait: Ecce ego video quatuor viros ſolutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies*

quarti

*quarti ſimilis filio Dei.* Circa quam hiſtoriam merito quærendum venit, cur filius Dei hiſce pueris ſe jungere illisque in habitu, vultu, moribus, cunctisque actionibus ſimilis videri voluerit? *video quatuor viros.* Sed ecce tibi rationem in promptu: Nihil corruptionis in eis erat; hi namque pueri vitam agebant incorruptam, immaculatam, virgineam; Et ideo Aponius ſuper illa Canticorum verba: *Qui paſcitur inter lilia,* dicit: *Tres pueri Hebræi virginitatis dilectione miſſi ſunt inter Babylonicas flammas, in eisque medijs ardente fornace, quaſi inter lilia Dominus paſcitur, eo quod ſemper requieſcat in cordibus diligentibus virginitatem.* Sixtus hujus nomine III. Pontifex, *de caſtitate* ſcribens, pariter dicit: *Vide quanta beatitudo ſit, ita ſe in præſenti aliquem exhibere, ut & Deo & Dei miniſtris poſſit ſimilis inveniri, & normam jam futuri temporis poſſidere; parvum ergo bonum putas hominem ſicut à primordio factus eſt, Dei ſimilitudinem etiam in corporis integritate ſervare, & tantæ majeſtatis ſimile aliquid habere?* Qui idem Pontifex mox progreditur ad oſtendendum quod tetigimus à principio, nimirum quod ſtatus innocentiæ & juſtitiæ originalis, in quo cœlum in primum hominem theſauros ſuos larga manu effudit, ſtatus fuerit virginei candoris & integritatis: *Primus,* inquit, *virginitatis & incorruptionis ſtatus in ipſo humani generis Principe dedicatus eſt, in quo jam figuraliter oſtenſum eſt majorem de virginitate, quam de matrimonio Deo curam eſſe.*

*Cant. 2. 16. Aponius in Cant.*

*Sixtus III. Papa lib. de Caſt.*

*P. Bolland. cap. 10.*
Virgines imaginem Dei præ ſe ferunt.

4. P. Bollandus in vita S. Auxentij exhortationem quamdam adducit quam dictus ſanctus, ut virgines quasdam Deo conſecratas in ſancto Virginitatis propoſito conſtanter perſeverarent, coram iisdem habuit, in qua eos, qui illas à pudicitiæ cuſtodia divertere præſumebant, efficaciter perſtringendo aggreditur, & inter cætera ita loquitur: *Non eſt par peccatum tunicam frangere & purpuram; Imperatoris imaginem rumpere & privati; Dei enim,* inquit, *imagines ſunt virgines, ipſum deſcriptum habentes in cogitationibus, in quas audere aliquid admittere, eſt facinus tyrannicæ dementiæ, non eſt par libido in eam, quæ proſtat, & in eam quæ Chriſto eſt conjuncta.* Sanctus Ambroſius quoque ſerm. 8. in Pſal. 118. inquit: *In eo ad imaginem Dei es, ſi ſis caſtus, & immaculata in te figura præfulgeat.* Sanctus Cyprianus *de habitu virginum* ita ſcribit: *Dei imago eſt, reſpondens ad ſanctimoniam Domini, imago eſt, quia per illam & in ea Deus melius, quam in mundo ipſo agnoſcitur;* Haymo Halberſtadienſis verba illa Apocalypſeos: *Hi ſequuntur agnum, quocumque ierit,* eumdem ſenſum habere dicit, ac ſi diceret: *Hi imitantur illum ſequi enim Chriſtum, imitari eſt; ſequuntur Chriſtum, quia ſicut ille virgo, ita & iſti virginitatem cuſtodiunt, & ſicut ille agnus eſt immaculatus, candor lucis æternæ; & ſpeculum ſine macula, ita pariter S. Joannes de virginibus hoc perhibet teſtimonium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.*

*S. Ambr. ſer. 8. in Pſal. 118.*
*S. Cyprian. de hab. virg.*
*Apocal. 14. v. 4.*
*Haym. ibid.*
*Sap. 7. v. 20.*

Virgines incorruptibilitate gaudent.
*Sap. 6. v. 20.*

5. Porrò inter cætera Dei attributa, unum eſt incorruptibilitas, quin verò etiam virgines in hac incorruptibilitate plurimum communicent, extra omnem eſt controverſiam, ac proinde Deo ſimiles exiſtunt, nam ut Sapiens ait: *Incorruptio facit eſſe proximum Deo.* S. Bonaventura de caſtitate diſſerens, ejusque definitionem adferens, ita loquitur: *Caſtitas eſt abſtinentia ab omni coitu illicito, quæ eſt triplex, conjugalis, virginalis, vidualis;* quid verò de virginitate dicat, audiamus: *Virginitas,* inquit, *eſt ſecundùm Auguſtinum, in carne corruptibili, perpetuæ incorruptionis meditatio.*

*S. Bonav. in Centiloq. 3. p. ſect. 42.*

*Lev. 21. v. 11.*

6. Deus olim in Levitico populo Iſraëlitico inter cætera hoc præceptum legale impoſuit: *Ad omnem mortuum non ingredietur omnino;* & tamen idem Moyſes qui hoc præceptum Dei juſſu promulgavit, ante ſe & populum ſuum non armatos exercitus, ſed cadaveris cujusdam licet ſancti nuda oſſa & cineres portari diſpoſuit: *Tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum.* Quidnam obſecro ad hoc reſpondere quis poterit? Num forte tamquam Iſraëlitarum Dux generalis & ſupremus ab hac lege exemptum ſe eſſe cenſuit? Abſit hoc dicere, quinimò tamquam talis in obſervantia legis primus eſſe, cæterisque bono exemplo prælucere debebat. Melius igitur S. Iſidorus difficultatem hanc ſolvit, dum in perſona Moyſis reſpondet dicens: *Non violo, non ſolvo legem, ſed oſtendo rem ipſam, quæ per ſcripturam ac verba legis ſignificatur, diligenter eſſe attendenda, ego enim eum, qui caſtitatem colit, pro mortuo non habeo.* Etenim quantumvis S. Paulus dicat: *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem,* non tamen id iis continget, qui carnem vincentes, ſpiritu ſuo carne ſe ſuperiores eſſe probant, nam *qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.*

Virgines pro mortuis non habentur licet moriantur.
*Exod. 13. v. 19.*
*S. Iſid. Peluſ. l. 4. Ep. 157.*
*Gal. 6. v. 8.*
*Ibid.*

Vita in Virginitate conſiſtit.

7. Caſtiſſima Suſanna mulier virtuoſiſſima à duobus illis ſenioribus populi judicibus in ſummas erat anguſtias redacta, quando hanc ei optionem proponebant: vel tu tuam nobis proſtitues pudicitiam, ſicque vitæ & honori tuo pariter conſules: aut verò ſi id facere renuas, præterquam quod morti adjudicaberis, ſimul quoque famæ tuæ jacturam totalem patieris: at verò ipſa vitam ſe ſalvare poſſe audiens, ſi ſuam proſtitueret pudicitiam, libere reſpondit: *Si hoc egero mors mihi eſt.* Sed quid dicis ô Suſanna? quid loqueris? imò verò contrarium prorſus tibi continget; honoraberis enim, & in omnibus bene tibi erit, dummodo in ipſorum libidinem ultro conſenſeris. Nequaquam, inquit ipſa, ita fiet, ut dicitis; cum enim à Deo illuminata eſſet, veram vitam in modo quodam pure, caſte, & pudice vivendi conſiſtere probè intelligebat, unde ait: ſi deſideriis veſtris carnalibus acquievero, mortem mihi certiſſimam conciliabo; ſi vero caſta permanſero, & caſtitatem conſervabo, & pariter à morte immunis ero; Et vere hic accidit. Unde ingenioſus eſt ille S. Greg. Nyſſeni diſcurſus, qui dum modum inveſtigat, quo à tributo univerſali morti reddendo liberi eſſe valeamus, ita ſcribit: *Et quoniam viventium quidem domicilium eſt, ac ſedes Paradiſus, neque eos recipit, qui ob peccatum morti addicti ſunt, & nos è carne ſumus mortalesque peccato venumdati, quomodo in viventium loco eſſe is poteſt, qui mortis vi & poteſtate tenetur. Quem modum, quodve conſilium hic invenies, ut hac ipſa poteſtate ſolutus & liber fiat?* Tandem verò doctrinam Evangelicam modum hunc finem aſſequendi docere reſpondet; maximè ſi ad illum quis ſe diſcurſum reflectat; quem Salvator noſter cum Nicodemo habuit, in eo namque Salvator inter cætera dicit: *Quod de carne natum eſt, caro eſt, quod de ſpiritu natum eſt, ſpiritus eſt, & nos vimus carnem propter peccatum morti ſubjectam. Dei vero ſpiritum, & incorruptum, & vivificum, & immortalem eſſe. Atqui ut quod è carne genitum eſt, inhæret ei omnino novis quædam quæ id diſſolvit, quod eſt carne concretum, ſic ſpiritus vim quamdam, vitalem ſcilicet ijs rebus attribuit, quæ à ſe gignuntur. Quo ſpectant hæc quæ diximus? ut ſane ab hac nos mortali vita abalienati, cui omnino comes adjuncta mors eſt, illud vitæ genus quæramus, quæ nullam moriendi neceſſitatem ſecum trahat, vita autem ejusmodi in virginitate conſiſtit.*

*Dan. 13. 22.*
*S. Greg. Nyſſ. de virg. c. 13.*

*S. Bern. Epiſt. de Henricum.*
Virginum prærogativa.

8. S. Bernardus inſuper huic virtuti ſpecialiſſimam quamdam prærogativam attribuit, vitam nimirum in terris immortalem & beatam agendi. *Sola eſt caſtitas,* inquit, *quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore ſtatum quemdam immortalis gloriæ repræſentat.* Ideò Pſalmus 144. apud Septuaginta hanc habet tituli inſcriptionem: *Pro ijs qui commutabuntur;* In Hebræo autem hic eſt Titulus: *Super lilia pro lilijs;* ubi per lilia iſta S. Hieron. virgines intelligit, qui in Angelos transmutabuntur, ac proinde item S. Bern. ait: *Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum de homine facit.*

9. S. Petrus Damianus continuum illud mannæ miraculum quod more omnino contrario aliis ſepulchris, quæ putredinem, fætorem & vermes ſcaturire ſolent, è ſepulchro S. Joannis Apoſtoli perpetuo ſuccreſcere ſolet, conſiderans ait: *In ſepulchro ejus manna reperitur, & in terræ ſpecu panis non ſemel, ſed quotidie naſcitur, unde quod de cælo naſcitur in ſepulchro eſt, è quo ſcatere deberent vermes, reperitur, cui hoc tam inſigne miraculum eſt tribuendum? ſane puritati virginali, quod in loco fætoris germinare facit panem cæleſtem.* Quisnam obſecro eſt qui neſciat, quod *exijt ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur?* Cur autem privilegium iſtud S. Petro non obtigit, qui claves tenebat vitæ æternæ, id eſt, cœli? aut verò cur non potius Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis totque aliis viris vitæ ſanctitate præſtantibus gratia iſthæc collata fuit? S. Hieronymus reſpondet: *Ex hoc oſtenditur virginitatem non mori, ſed manere cum Chriſto, & dormitionem ejus tranſitum eſſe, non mortem:* multi enim authores graves etiamnum an Joannes verè mortuus ſit, dubitant, maximè cum à Salvatore audierit: *Sic eum volo manere.*

*B. Petr. Dam. de S. Ioan. ſer. 64.*
*Joan. 21. v. 23.*
*S. Hieron. l. 1. cont. Jovin.*

Virgines non lædit ignis.
*Euſeb. Emiſ. Hom. 3. de Epiphan.*

10. Euſebius Emiſſenus de tribus pueris diſſerens, quos paulo ante in fornace ab ignis flamma intactos manſiſſe diximus, ita ſcribit: *Ecce horrendum neſcio quid, anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes extrinſecus ſæviunt, intrinſecus parcunt, extra*



*fornacem ſapiens ignis iraſcitur, & intus in fornace famulatur;* & tametſi unus idemque ignis ſit, foris tamen extra caminum Babylonicum regios miniſtros conſumit & comburit, cum tamen intus tres illos pueros ne quidem vel minimum uſtulare præſumpſerit; ſcitisne cauſam, inquit Euſebius Emiſſenus, ob quam id factum fuerit; maximè reſpondet: *Quanta caſtis viſceribus reverentia debeatur, arbiter, ignis agnoſcit, & ingeſta ſibi pabula circumfuſus allambit.*

Nec leones.

11. Imò ne Babyloniam præpropere nimis egrediamur, Daniel in lacu leonum fame extenuatorum, non ſemel, ſed binis iteratis vicibus illæſus permanſit, ſiquidem tantum abeſt, ut ab illis adverſi quid paſſus fuerit, ut etiam ſuis illum obſequiis venerati ſint, nec minimum quidem capitis pilum convellere auſi fuerint; unde S. Joannes Damaſcenus ait: *Quid de Daniele dicam, cujus corpus virginitate ita obduratum eſt, ut ferarum dentes ei infigere nequiverint.* Quam eamdem virtutem in aliis quoque ſanctiſſimis viris proſequitur; De Elia etenim ſcribit: *Quis cælos clauſit? quis mortuos ad vitam revocavit? quis Jordanem ſcidit? imo quia virgo hic erat, curru igneo in cælum rapi meruit.*

*S. Ioan. Damaſc. L. 4. de Fide c. 23.*

Virgines Deo ſimiles.
*S. Baſil. de vera virg. princ.*

12. S. Baſilius modum pariter & cauſam inſinuat, cur virgines Deo efficiantur ſimiles, ejusque incorruptibilitatem in carne ſua circumferant mortali; Dicit enim: *Magnum revera quoddam, ac præclarum virginitas eſt, quæ ut totum ſimul explicem, hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit, hæc autem profecto non à corporibus ad animas manat, ſed cum incorporalis animæ propria & præcipua ſit, ejus pretioſiſſima integritate corpora quoque incorrupta ſervantur, anima enim veri boni deſiderio, imagineque ſuſcepta ad ipſum velut penna pudicitiæ ſanctitate ſubvehitur, ac ſimili ſimile, hoc eſt, incorruptibilem Deum inviolabili puritate colere omni ſtudio intenta, corporis virginitate ad ejus, quod per ſe bonum eſt, obſequium veluti ancilla ducit.*

Virginitatis encomium.
*Dion. Cart. Apoc. 14.*

13. Virgines in Apocalypſi agni primitias appellari, ſuperius ſæpe diximus; Dicuntur autem *primitiæ,* ut Dionyſius Carthuſianus, ad hoc, *ut ſint ad gloriam Dei Patris, & Chriſti, nec minus ad honorem Spiritus Sancti.* Ad magnam verò virginitatis gloriam cedit, quod ad ſanctiſſimam Triadem glorificandam aptiſſimum ſint inſtrumentum; hinc enim honorificentiſſima illa originem ducunt epitheta, quibus à ſanctis Patribus deprædicantur, nec non honores illi eminentiſſimi, quibus quovis fuere tempore condecorati. Porrò S. Ambroſius his illam honorificis elogiis extollit, dum *virginitatem* appellat *venerabilem, integritatem reverendam, caſtitatem honorabilem;* Alibi quoque de caſtitate ita ſcribit: *Non ita majores noſtri deſpicabilem habebant caſtimoniam, cui tantum deferebant, ut bellum adverſus temeratores pudicitiæ ſuſcipiendum putarent. Denique tantum fuit ultionis ſtudium, ut omnes tribules de Benjamin tribu extinguerentur, niſi ſexcentos qui bello reliqui forent, natura editioris loci defendiſſet.* Truculentæ itidem feræ, prouti in ſacris hiſtoriis legitur, ſuam mutando naturalem indolem & propenſionem, erga virgines non ſemel, ſed innumeris vicibus reverentes extiterunt & venerabundæ, dum virgines à Tyrannis ad crudelitatis & truculentiæ macellum condemnatas, quas dilaniaturæ credebantur, variis obſequiorum & inſolitæ pietatis generibus afficiebant. Porrò de S. Thecla apud S. Ambroſium legimus: quod *naturam beſtiarum virginitatis veneratione mutavit; tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur; docuerunt religionem, dum adorant martyrem; docuerunt etiam caſtitatem, dum virgini nihil aliud niſi plantas exoſculantur.* S. Epiph. in virginitatis laude in hæc verba prorumpit: *Fundamentum ac veluti crepido quædam in Eccleſia virginitas eſt, quæ à pleriſque colitur & obſervatur, & in illuſtri quadam gloria ac prædicatione verſatur.* Imò Barbari quoque & gentiles, qui nullum veri Dei lumen aut notitiam habebant, quique quanti apud Deum in cœlis meriti eſſet, quantaque remuneratione præmiaretur, penitus ignorabant, virgines in magna veneratione habebant. S. Hieronymus cum multis alijs ſcriptoribus antiquis honores à Romanis virginibus veſtalibus exhibitos obſervans ait: *Quanto honore virgines ſemper habuerint, hinc apparet, quod Conſules & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de ſuperatis gentibus trophæa referebant, & omnis dignitatis gradus eis de via credere ſolitus ſit.*

*S. Ambr. L. de virg.*
*S. Ambr. L. 6. Ep. 47.*
Veneratio.
*S. Ambr. L. de virg. c. 2.*
*S. Epiph. T. 2. l. 3. adv. hæreſ. n. 31.*
Etiam ab ipſis Barbaris.
*S. Hieron. cont. Jovin.*

*P. Jacobus Alvarez de*
*Caſt. l. 5. p. 11. c. 12.*
Exempla.

14. Refert P. Jacobus Alvarez de Paz è Societate Jeſu celeberrimus ſcriptor, quod cum in America Hiſpani adverſus gentiles dimicantes in prælio ſuccubuiſſent, ideoque omnes urbis Oſorno incolæ tam indigenæ, quam Hiſpani advenæ majoris ſecuritatis cauſa è civitate ad fortalitium quoddam confugiſſent, ad idem quoque aſylum Moniales quædam ex inſtituto S. Claræ ut vitæ ac pudicitiæ ſuæ conſulerent, confugerint. Quia verò ob diuturnitatem quam in illa munitione trahere cogebantur, omnes inibi degentes magna famis cruciabantur inedia; una è monialibus, quæ pro herbis colligendis egreſſa fuerat, à milite quodam capta, in cujusdam belli ducis poteſtatem conſignata remanſit, quam is tandem in uxorem ſibi adſciſcere decreverat, quod illa animadvertens his illum verbis allocuta fuit: Celare te nequeo quod virgo ſim, & quidem Chriſto Jeſu per votum deſponſata ac in Monaſterio conſecrata, prouti ex eo quem defero habitu monaſtico videre tibi licet, ac proinde carnalibus voluptatibus operam dare, aut alium mihi ſponſum adoptare mihi non licet, ne Deo & ſponſo meo pro obſequio injuriam inferam; Cave igitur ne violentiam mihi inferas, ne iram Dei atque vindictam protinus incurras, tibique me in uxorem adoptando concilies mortem: Quam virginis in loquendo animoſitatem Barbarus obſtupeſcens, ab omni deinceps violentia abſtinuit, eamque more ſuo vivere permiſit.

*Baron. An. 57. n. 90.*

15. Etenim Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis refert, quod olim in nonnullis Eccleſijs maximè in Soria & in Ægypto in more poſitum fuerit, quod virginibus ſacris; præterquam quod capita earum velo obnuberentur, capitis capilli inſuper præſcinderentur, prout teſtatur S. Hieronymus Epiſt. 48. idque fecerint, non ut per hoc virgines imitarentur veſtales, quæ præſciſſos ſibi capillos in ramis arboris cujusdam quæ Lothos appellabatur, ſuſpendere ſolebant, ſed ob certam quamdam rationem myſterij; cum enim mulieres in ſignum ſubjectionis prolixam geſtent capitis comam, ut ſe ſub viri poteſtate conſtitutas eſſe meminerint, ideo virginibus ſacris quæ Chriſti ſponſæ ſunt, coma præſcinditur, ut earum denotetur ab omni ſubjectione humana libertas; Hac igitur libertate ſibi gaudendum eſſe cenſuit hæc Chriſto conſecrata virguncula, licet barbari illius facta fuiſſet captiva; qui proinde audito generoſo ſanctimonialis hujus reſponſo, non ſolum nullam ei vim intulit; verum inſuper talem erga illam venerationem concepit, ut illam haud ſecus ac divinum quoddam numen deinceps veneratus fuerit, omnem illi relinquendo libertatem, qua ad cœleſti ſponſo ſuo inſerviendum opus habebat, quæ proinde ut religionis ſuæ cultum & inſtitutum proſequi poſſet, Breviarium ſibi ab eo dari petiit, & monaſticam veſtem, quæ utraque inter ſpolia Chriſtianis erepta, & penes militem quemdam aſſervata, ſingulari Dei providentia reperta eique ſubminiſtrata fuere; adeo inſuper ſanctimonialem hanc honorabat, ut quotiescumque eam ſe cum alijs captivis mulieribus miniſterio alicui domeſtico ingerentem videbat, ab eisdem illam removerit; dicendo, quod minimè illam deceret alijs quàm ſponſo ſuo, cui ſe conſecrarat, inſervire; rogandoque ut ſuam eidem cœleſti ſponſo ſalutem inſtanter commendaret. Poſtquam verò hæc virgo per anni ſpatium in domo dicti belli Ducis fuiſſet commorata, tandem in fine anni Deus huic Duci indignum eſſe inſpiravit, ut ſponſa Chriſti ejus ulterius ſubjiceretur imperio domeſtico, illam proinde in manus conſignaret Chriſtianorum; Quia verò ſi id patenter exequeretur, pœnis atrocibus ſe ſubjiciendum eſſe formidabat, hunc pro divinæ voluntatis executione modum excogitavit; ad Chriſtianorum nempe vigiles, quantum ſibi ſecure licebat, appropinquans, eosdem ut ad illam excipiendam tantisper egrederentur inſtanter rogavit, utpote quam fugam ſimulando, eo in loco hoc fine relicturus eſſet. Dictum, factum; Vigiles enim egredientes eam exceperunt cum gaudio, adeoque ipſa de pudicitia conſervata triumphans, & victrix ad Catholicos rediijt, ſuoque benefactori ad ſanctam fidem noſtram amplexandam, ferventibus precibus ſuis lumen a Deo impetravit; unde tandem pius hic barbarus è patria ſua fugiens omnibusque facultatibus ſuis pro Chriſto relictis in Peruanum regnum conceſſit, ubi hæc omnia Chriſtianis, quibus in fide erudiendus traditus fuerat, ex ordine recenſuit, quæ demum fideli-

ter

ter expoſita fuere Authori, qui præſentem hiſtoriam conſcripſit. Denique Plutarchus in vita Scipionis Africani refert, homines perditiſſimæ etiam vitæ proſcriptos & barbaros magni hujus Scipionis ſepulchrum certatim adire, ejusquè cineres devote venerari fuiſſe ſolitos, cujus hanc ad propoſitum noſtrum aptiſſimam reddit rationem. *Tanta eſt enim vis virtutis, inquit, ut non ſolum probos, ſed etiam improbos ad ſe amandum alliciat.*

*Vinc. Bellov. in ſpec. morali p. 3. diſt. 66.*

16. Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo morali p. 3. diſt. 66. refert quod Sigismundus Rex è Sereniſſimo Ducum Lotharingiæ ſanguine oriundus, dum in pulcherrimo vitæ flore conſtitutus, virginisque cujusdam nobilis quidem, ſuis tamen regiis natalibus longe inferioris amore captus fuiſſet, ſuum in Germaniam ad prædictæ virginis genitores, & cognatos legatum miſerit qui copioſiſſimis ampliſſimisque muneribus & donariis inſtructus, dictam ab iis virginem ſolemniter in uxorem ſibi depoſceret; Qua ex legatione parentes quidem ob tam auguſti matrimonij filiæ ſuæ oblatam occaſionem miro fuerunt perfuſi gaudio, verumtamen quia filiam ſuam virginitatis conſervandæ cupidiſſimam eſſe noverant, de oblatis ei nuptiis Regis nihil inſinuarunt, ad indictum tamen nuptiarum diem & locum eam ſecum adduxerunt, omnium quæ circa ipſam futura erant, penitus neſciam; quò cum perveniſſet, mox ut ſe cum Rege connubiali vinculo jungendam eſſe cognovit *flere cæpit & gemere, dicens ſe virginitatem ſuam Reginæ & Dominæ cæli devoviſſe*; Parentes verò rationibus ejus quereliſque ſpretis, eam, ut præparatis jam ſponſalium celebrandorum ſolemniis interveniret, coëgerunt. Cumque hæc in Eccleſia quadam peragerentur, ipſa ad Beatæ virginis altare confugiens, reſumpta animi fortitudine ſe numquam ab hoc altari ſeparandam eſſe dixit, niſi eam de virginitate perpetua conſervanda aſſecurarent; quod Rex ſponſus percipiens, *caſtitatisque atque conſtantiæ propoſitum miratus & eidem promiſit, quod ſi ab altari ſe pateretur abduci, non violator, ſed protector & cuſtos caſtitatis ejus futurus eſſet, omnia tamen, inquit, ſolemniter præparentur in veſtibus, epulis atque cæteris nuptialibus, tamquam mihi deſponſanda ſit, neque enim dignum eſt cam minori ſolemnitate eam, cælorum Regi deſponſari, quam mihi.* Eam igitur regijs veſtibus indutam corona & diademate regio tamquam Reginam coronari præcepit, fuitque dies ille cum eadem prorſus pompa, jubilo & magnificentia tranſactus ac ſi verè ejus ſponſa facta fuiſſet, demum verò ut ſuum virginitatis propoſitum tanto commodius proſequi poſſet, facultatem ei dedit, ut in Monaſterio S. Petri vitam profiteretur parthenicam & religioſam, completumque fuit in illa quod Pſaltes ait: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate:* nimirum quia pro virginitate ſua conſervanda regiam dignitatem contempſit, cæleſtis ejus ſponſus eam tamquam Reginam diademate regio inſigniri & honorari voluit, ſicque adimpletum eſt ad literam, quod ſequitur: *Audi filia, & vide &c.*

*Pſal. 44. v. 10.*

*Ibid. v. 11.*

## *DISCURSUS IV.*

## ARGUMENTUM.

Hanc virginitatis virtutem ſuos in cœlo natales habere oſtenditur, ideoque velut divinum quidpiam in ſe continens tota natura humana ſuperior exiſtit.

### THEMA.

*De virginibus præceptum Domini non habeo.* 1. Cor. 7. ℣. 25.

De Virginitate conſilium eſt non præceptum.

1. TAmetſi S. Paulus Apoſtolus virgo eſſet, corporisque pudicitiam ſupra modum zelaret, prouti ex multis Epiſtolarum ſuarum locis facilè deducitur, attamen ſe in ordine ad virginitatem nullum a Domino præceptum promulgandum accepiſſe, aperte proteſtatur dicens: *De virginibus præceptum Domini non habeo*, ubi S. Iſidorus inquit: *Virginitas admonita tantum non juſſa, ſed ideo tantum admonita, quia nimis excelſa.* Et S. Baſilius *de vera virginitate* diſſerens ait: *Conjugium naturale eſt, ubi etiam lex convenientia naturæ diſponit, virginitas verò ſupergreſſa naturam legis vinculis non tenetur adſtricta, quæ incorruptionis excellentem virtutem creatori & authori legis jure pretioſi muneris offert.* Quia enim virtus eſt heroica, adeò quoque infrequens eſt & rara; Unde S. Ambroſius pariter ait: *Sola eſt virginitas quæ ſuaderi poteſt, imperari non poteſt, res magis voti quam præcepti quod enim gratiæ eſt, non jubetur, ſed deſideratur.*

*S. Iſid. 2. ſent. c. 40.*

*S. Baſil. de vera virg.*

*S. Ambr. in exhort. ad g.*

Caſtitatis Patria cælum eſt.

2. Verum enimvero ſi in ſublimis eminentiæ virtutis hujus cognitionem devenire volumus, opus eſt ut primo ejus originem & progeniem penitius conſideremus; De qua S. Ambroſius ſcribit: *Ad rem pertinet, arbitror, ut quæ ſit, & patria, & quis author appareat; prius ubi ſit patria definiamus; ſi enim ibi eſt patria ubi genitale ſolum, in cælo profecto eſt patria caſtitatis, itaque hic advena eſt, ibi incola. Quis enim neget hanc vitam fluxiſſe de cælo quam non facile invenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit.* S. Bonaventura pariter virginitatem è cœlo derivari, ibique ſuos natales habere affirmat, dum ait: *Caſtitas eſt virtus origine cæleſti, hanc ipſi Angeli ſancti ab ipſo Domino omnium virtutum fontali principio primitus didicerunt, & indeclinabiliter ſervaverunt. Hanc ſummus & unus Magiſter noſter, qui in cælis Angelorum Magiſter eſt, Chriſtus Dominus noſter de cæleſti ſchola ad terras publice docendo attulit, & matrem ſuam glorioſam virginem perfectam & primam poſt ſe hujus diſciplinæ magiſtram in cathedra virginalis munditiæ cæteris mirandam & imitandam præfecit.* Et vere Deiparam virginem virginitatis matrem & genitricem extitiſſe dubium non eſt, id namque verba illa indicant: *Adducentur regi virgines poſt eam:* de qua proinde Damaſcenus ait: *Tu virginitatis feraciſſima planta, per te virginitatis pulchritudo latiſſimè ſe diffudit.*

*S. Ambr. l. 1. de virg.*

*S. Bonav. de prof. Relig. l. 2. c. 52.*

*Pſal. 44. v. 15.*

*S. Ioan. Damaſc. orat. 3. de nat. Mar.*

*S. Amb. l. 1. de Virg.*

Virginitas Mariæ Dei filium in terras attraxit quæ imitari debet.

3. In hujus nobiliſſimæ proſapiæ laudem S. Ambroſius ita ſcribit: *E cælo accerſivit, quod imitaretur in terris; nec immerito vivendi ſibi uſum quæſivit è cælo, quæ ſponſum ſibi invenit in cælo; Hæc nubes, aëra, Angelos, ſyderaque tranſgrediens, verbum Dei in ipſo ſinu Patris invenit, & toto hauſit pectore.* Imo ipſamet Beatiſſima Virgo Maria clare ſatis indicat quænam fuerit vis illa attractiva, quæ filium Dei ſponſum & amatorem virginum de cœlo in terras attraxit; dicit enim: *dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuavitatis*, id eſt, virginitas mea ipſum è ſinu Patris in ſinum virgineum deſcendere fecit; nam ut S. Bern. ait: *Accubitus Regis ſinus eſt Patris*; Et alibi dicit; *Virginitate placuit.* S. Aug. verò in ſermone quodam de Natali Salvatoris ait: *Dominus noſter ideo per caſta virginis membra venit ad terras, ut oſtenderet Deum caſtitatis eſſe authorem.* Et ideo idem S. Doctor per motiva efficacia ad hanc virtutem proſequendam nos exhortans ait: *Ergo ſicut Deus noſter nos ſuſcepit in ſe, ita Deum nos ſuſcipiamus in nobis; portemus ergo & nos Deum in caſto corpore, quem virginis caſta membra portaverunt, Chriſtus enim magiſter eſt caſtitatis, & ideo qui caſtitatem non habet, portare Chriſtum non poteſt.* S. Iſidorus inquit: *nunc autem quæ ſit ſacræ Virginitatis integritas, vel à quo tam Sancti propoſiti ſumpſit exordium, breviter intimabo. Quantum enim pertinet ad vetus teſtamentum, Elias, & Jeremias, & Daniel caſtitatis & continentiæ bonum primi conſtituiſſe dignoſcantur: Quantum verò ad novum, virorum virginum caput eſt Chriſtus, fæminarum Maria. Inde agmina virorum & puellarum ſanctarum.*

*Cantic. 1. v. 11.*

*S. Bern. ſer. 42. in cant.*

*S. Aug. ſer. 13. in Nat. Dom.*

*S. Iſid. l. 2. de offic. Eccl. c. 17.*

Virgines, patris loco, Deum habent.

4. Et quidem ex quo Deus ab initio creaturæ in Cœlo ſemper puriſſimis ſpirituum beatorum agminibus ſtipatus fuit, juſtum erat ut in terram deſcendens æque nobili corporum non careret famulatu, ideoque mox ut factus eſt homo integram ſibi delegit ex caſtis, puris, & immaculatis animabus familiam, *Hi ſequuntur agnum quocumque ierit*; Et ideo S. Ambr. ait. *Immaculatus Dominus immaculatam ſibi familiam etiam in hoc pleno colluvionum fragilitatis humanæ corpore conſecravit.* S. Zeno ſerm. *de pudicitia* ad animas virginitatis ſtudioſas diſcurſum ſuum dirigens his illas verbis alloquitur: *Deum Patrem vos habere & poſſidere monſtratis, cum pudicitiam, in qua Deus habitat, non dicam diligitis, ſed luculentis moribus adornatis*; Ex qua ſententia colligitur virgines Patris loco non ſolum Chriſtum ſed & Patrem æternum habere; *Deum Patrem vos & habere &c.* Altius verò Nazianzenus aſcendit, dum ſanctiſſimam Trinitatem primam virginem fuiſſe dicit: *Prima Trias virgo eſt &c.*

*S. Ambr. l. 3. de Virg.*

*S. Zeno l. 1. ſerm. 7. de pudic. laud.*

*S. Greg. Nazianz. in Carm. de Virg.*

Virginitatis ſublimitas.

5. Obſervandum eſt inſuper, quod S. Joannes illum virginei exercitus comitatum Agnum ſemper & ubique conſequentem ſupra montem Syon conſpexerit: *Vidi ſupra montem Syon agnum ſtantem*; Quodnam obſecro in hac montis eminentia myſterij protenditur? S. Gregorius ait: *Bene in ſublimi virgines eſſe dicuntur, quia quod naturam humanam ſupergreditur, in altiſſimo virtutis culmine ſitum eſt, unde & virgo ille dilectus Jeſu locum virginum inſinuans ait: Vidi ſupra montem Syon Agnum ſtantem, & cum eo centum quadraginta &c.*

*Apocal. 14. v. 1.*

*S. Greg. ib. in lib. 1. Reg. ad c. 3.*



*ta &c. In monte quidem cum agno eſſe dicuntur, quia per meritum incorruptionis, quo à terrenis & carnalibus delectationibus ſe dividunt, in ſuprema Redemptoris gloria ſublimantur*; Id verò quod propoſito noſtro vel maximè deſervit, eſt quod S. Joannes ſubjungit dicendo: *Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus, ſcriptum in frontibus ſuis.* Cur etenim virgines ſpecialiter inter tot animarum beatarum millionum milliones, nomen æterni Patris, & filij ejus in frontibus portare dicuntur? Ratio clara eſt, ſiquidem hoc fronti impreſſo nomine, ſeſe à ſanctiſſima Triade originem ducere profitebantur.

*Apocal. 14. v. 1.*

A SS. Trinitate originem habet.

6. Neque id cuipiam mirum videri debet, ſiquidem virginitatis excellentia tanta eſt, ut humanæ mortalitatis ſphæram longe tranſcendens, divinum quidpiam in ſe habere videatur; utpote quæ ut Sixtus III. Papa advertit ſolum Deum primum ſui authorem atque originem eſſe agnoſcit; *Quod potiſſimum proferamus exemplum aliud*, inquit Pontifex citatus, *non invenio, quam ipſius Domini, qui caſtitatis decus in utroque ſexu dignationis ſuæ dedicavit adventum in matre virgine, & in ſemetipſo, qui tam permanere virgo voluit, quam de virgine procreari.* Quibus verbis quanta cum complacentia honeſtas & corporis pudicitia amplectenda ſit, oſtendit, utpote quæ a proſapia adeo præclara & auguſta propagatur: *Incipiat ſibi placere caſtitas, quæ talibus commendatur exemplis*; Primæva etenim illius origo tribus attribuenda eſt perſonis divinis, quam demum verbum in terris incarnatum ſanctiſſimæ matri ſuæ communicavit: ac proinde optime Sanctus idem Pontifex concludit dicens: Incipiat vobis placere caſtitas, magnique à vobis fieri, utpote quæ Dei filio nos ſimiles efficit; cum enim hic virginitatem primo omnium loco elegerit, illam utique eminentiſſimam virtutem eſſe, divinitatisque quam maxime participem eſſe neceſſum eſt: *Quale enim bonum eſt, quod elegit divina Majeſtas, vel quanta illius hominis & quam magna felicitas, qui illam habere voluerit gloriam, qua Deo & Dei filio poſſit æquari.*

*Sixtus Papa III. de Caſtitate.*

De Virginitate nullum præceptum, naturā enim excedit.

7. D. Chryſoſt. optime conſiderat, quod tametſi Salvator noſter Chriſtianæ Religionis ſuæ profeſſoribus multa ardua impoſuerit legis præcepta, qualia ſunt de remittendis injurijs, de amicis diligendis, de morte pro fidei defenſione ſubeunda & aliæ ejuſdem generis, quæ ſenſualitati noſtræ vehementer repugnant, attamen nullam circa virginitatis cuſtodiam præſcripſerit legem: *tanta res eſt Virginitas*, inquit, *tantoque labore indiget, ut Chriſtus cum è cælo deſcendiſſet, ut homines Angelos efficeret, ac cæleſtem vitæ rationem hic ſereret, ne tum quidem id imperare, & lege lata præſcribere auſus ſit, verum emori quidem (quo quid gravius excogitari queat?) ac perpetua Cruce affici, hoſteſque beneficijs proſequi juſſerit, virginitatem autem edicto minime ſanxerit.* Cujus cauſam adducit Theodoretus dicens: *Dominus Deus non tulit leges de virginitate, intellexit enim eſſe rem ſupra naturam.*

*D. Chryſoſt. T. 4. Ep. ad Olymp.*

*Theod. l. 5. Divin. Inſtit. de Virg.*

*S. Ambr.*

8. S. Ambr. ſuper illa Thematis noſtri verba: *De virginibus præceptum Domini non habeo*, inquit: *De virginibus, inquit Apoſtolus præceptum Domini non habeo; ſi Doctor gentium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, ſed habuit exemplum, non enim imperari poteſt virginitas, ſed optari, nam quæ ſupra nos ſunt, in voto magis, quam in Magiſterio ſunt.* Imo omnes ſacri Doctores in eo communiter conſentiunt, quod virginitatis virtutem adeo deprædicent, ut illam quodammodo cum Divinitate æquiparent. Unde S. Iſid. ait: *Continentia hominem Deo proximum facit, & ubi iſta manet, ibi & Deus manet.* Sapientes antiqui pariter, tametſi vero Dei lumine orbati fuerint, virginitatem tamen tanto in pretio habebant, ut eam neſcio quid divini in ſe continere exiſtimarint. Unde S. Hieron. *contra Jovinianum* ita ſcribit: *Nec mirum hoc de hominibus, cum Minervam quoque & Dianam virgines Deas finxerit error gentilium, & inter duodecim ſigna cæli, quibus mundum volvi putant, virginem collocarunt.*

Deo facit proximum.

*S. Iſid. l. 2. ſyn. c. 1.*

*S. Hieron. l. 1. contra Jovin.*

9. S. Iſid. Peluſiota l. 4. Ep. 78. virginitatem virtutem imperatoriam, ſceptroque & imperio dignam eſſe probat, de qua proinde intelligendus eſt Pſalmiſta dum ait: *Aſtitit regina à dextris tuis &c.* In alia verò Epiſtola illam Deo parem eſſe dicit: *Divina res virginitas eſt, naturamque excedens*, nec tamen per hoc matrimonium contemnit, ſed dicit: *Honorandum legitimum eſt conjugium, quamobrem illa cælo digna eſt, alterum terra.* Idem quoque Sanctus Pater in alia quadam Epiſtola utrumque ſtatum ad invicem conferens ita ſcribit: *Quanto cælum terra præſtantius eſt, & anima corpore, tanto etiam virginitas conjugio antecellit, illa enim primas partes in acie tenet, ac phalangis frontem exornat, illuſtriaque trophæa ſtatuit.* S. Ambr. dictum illud Pſalmiſtæ toties à nobis in diſcurſibus præcedentibus allegatum, videlicet *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, declarans dicit: *Aurum voco, pulchritudinem, & regnum, vel quia eſt Regis æterni, vel quia invictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiva haberis, ſed quaſi regina dominaris: aurum, quia ſicut illa materies examinata igne pretioſior eſt, ita corporis ſpecies virginalis ſpiritu conſecrata divino, formæ ſuæ acquirit augmentum*; Ubi notanda ſunt verba illa; *ſpiritu conſecrata divino*; veritas namque eſt, quam ipſa experientia commonſtrat, quod Regina pari cum Rege greſſu gradiatur; quoad pulchritudinem verò ſubjungit: *Pulchritudinem verò quis poteſt majorem exiſtimare decore ejus, quæ amatur à Rege, probatur à Judice, dicatur Domino, conſecratur Deo, ſemper ſponſa, ut nec amor finem habeat, nec damnum pudor.* S. Ephrem de continentia & virginitate ad longum diſcurrit, illiſque qui alterutram zelant, titulum Divinitatis attribuit, dum ait: *O caſtitas quæ homines divinos efficis.* Unde ſicut immortalitas & æternitas inter Dei attributa recenſentur, ita quoque continentes & caſtos eamdem participare per Prophetam ſuum Evangelicum declarat, dum de ijs dicit: *Nomen æternum dabo eis.* Quem textum S. Aug. de caſtorum remuneratione diſſerens, adducit eumque non de remuneratione temporali intelligendum eſſe oſtendit, dicens: *quid ab omni concubitu immunes, & eo quoque ipſo, quo hinc ſeſe abſtinent, ea quæ Domini ſunt cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris? nomen æternum dabo eis; Et ſi forte hic ipſum æternum, pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, nec umquam decrit; quid quæris amplius? quid dicis amplius, æternum hoc nomen eſt.* Virgines, utpote qui Deo adeo familiares ſunt & vicini, in terra pariter & in cœlo glorioſi, immortales, & æterni efficiuntur, ſuntque in admiratione & veneratione apud omnes.

*S. Iſid. Peluſ. l. 4. Ep. 78.*

*Pſ. 44. v. 10.*

*S. Iſid. Peluſ. l. 3. Ep. 351.*

Illius præſtantia.

*S. Ambr. l. 1. de Virg.*

*S. Ephr. T. 1. de virg. & Cont.*

*S. Auguſt. T. 6. l. de S. Virg. c. 25.*

Virginitas vera non maculatur tentationibus.

10. Joſeph, quem Deus prodigioſo illo dignatus eſt ſomnio, in quo Solem, Lunam & undecim ſtellas vidit, omnes ipſum pariter adorantes, in uxorem ſibi junxit *Aſceneth filiam Putipharis ſacerdotis Heliopoleos*, quæ ſolis cultui dedita erat, utpote quem veluti verum Deum adorabant, nec tamen ideo Joſephi fides aut probitas labefactata fuit; Unde colligitur quod caſti in obſequium ſuum lucem habeant, cujus hæc eſt innata proprietas, quod nullas contrahat maculas, tametſi radijs ſuis lutum & alias ſordes contingat; eodem quoque modo licet caſti ſimiliter impuris ſuggeſtionibus, inordinatisque motibus carnis ſubjecti ſint, nullam tamen exinde culpam aut nævum contrahunt, utpote qui agnum immaculatum pro viribus imitantur. qui *candor eſt lucis æternæ.*

*Gen. 41. v. 45.*

De Virginitate ſatis quod Dei filiū attraxerit.

11. Equidem ſi nullum eſſet aliud virginitatis præconium, hoc ſolum ſumme in ea admirandum eſſet, quod ſcilicet filium Dei ad nos deſcendere fecerit, ejusque cognata & indiſſolubiliter ei adſtricta fuerit. *Per virum & mulierem*, inquit S. Ambroſius, *caro ejecta de Paradiſo, per virginem juncta eſt Deo:* tunc enim vel maxime virginitas in terra videri potuit, quando ſe verbo æterna conjunxit, & in Mariæ ſinum pertraxit, teſte eodem S. Ambroſio qui ait: *Poſtquam Dominus in corpus hoc veniens, contubernium Divinitatis & corporis, ſine ulla concretæ confuſionis labe ſociavit, tunc toto orbe diffuſus corporibus humanis vitæ cæleſtis uſus inolevit*, ubi de virginitate loquitur, quę tunc in terris comparuit, quando ſe verbo incarnato indiſſolubili nexu adſtrinxit.

*S. Ambr. l. 3. Epiſt. 25.*

*S. Ambr. l. 1. de Virg.*

12. S. Ildephonſus laudum magnæ matris Dei ſpecialiſſimus & eximius encomiaſtes ait: *Dominus Jeſus Chriſtus, qui ſine matre fuit in cælis, & abſque patre in terris, totam à virgine humanitatem recepit*, quaſi dicere vellet, quidquid de noſtro accepit, hoc totum ad virginitatem pertinet. S. Maximus autem de Salvatore noſtro ait: *Natus ſane ab intacta eſt fæmina, ut eum parere hominem teſtaretur partus humanus, ut Deum pareret æterna virginitas.* Quæ propoſitio priori videtur eſſe contraria, ſiquidem virginitatem eam fuiſſe dicit, quæ nobis Chriſtum Deum eſſe monſtravit, ſed facile ad invicem conciliantur, quia virginitas, ut diximus, neſcio quid divini in ſe comprehendit.

*S. Ildeph. T. 3.*

Ab ea humanitatem recepit Chriſtus.

*S. Maxim. Hom. 3. de Nat.*

13. Pater æternus per os Pſalmiſtæ dicit: *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te:* alludendo nimirum ad æternam filij generationem; Verumtamen eadem verba applicare quoque poſſumus, ad denotandum ejuſdem verbi incarnati partum

*Pſ. 109. v. 3.*

Virginitas à Dei matre ſupra omnia æſtimata fuit.

*Tertull. l. 5. contra Marc.*

tum virginalem, unde Tertullianus ait : *Quinam ſunt Sanctorum ſplendores ? Nonne virginitatis radij , quibus ſancti viri mirum in modum rutilant ? In his ergo virginitatis ſplendoribus, ex utero virginis genitus eſt Dominus.* Maria etenim idem ſignificat , quod illuminatrix vel illuminans, quia niſi hæc lux virginitatis Mariæ comparuiſſet , numquam in mundo coruſcare cæpiſſet lux incarnatæ Divinitatis. Unde in Ezechiele ſcribitur : *Porta hæc clauſa erit , non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam :* Quorum verborum ſenſus eſt ; Chriſtus Meſſias numquam venturus fuiſſet niſi per portam hanc clauſam ; quænam autem eſt clauſa hæc porta ? per hanc virginitas intelligitur ; ac proinde prophetico oraculo prædictum fuit : *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel ,* quod idem eſt , quod *Nobiſcum Deus.* In S. Ambr. ſequentia legimus: *Virgo Maria non ſolum virginitatis incentivum nobis attulit , ſed etiam Deum intulit.* S. Bern. Hom. 2. ſuper *Miſſus eſt* inquit : *Porro Deum hujuſmodi decebat nativitas, qua non niſi de virgine naſceretur, talis & congruebat virgini partus, ut non pareret niſi Deum,* quaſi vellet dicere , Dignior à virginitate partus expectari non poterat , quam Dei alicujus, quia tametſi ampliſſimæ cœlorum ſphæræ incapaces ſint ad immenſitatem & Majeſtatem quamdam infinitam complectendam , huic tamen capiendæ non eſt anguſta nimis virginitas. Unde S. Ambr. ait : *Virgo genuit mundi ſalutem, virgo peperit vitam univerſorum, virgo portavit , quem mundus iſte capere aut ſuſtinere non poteſt.* Dicite ſodes quidnam vobis potius eſſe aut dignius videtur, Divinitaſne, an verò virginitas ? Enimvero ex S. Scriptura conſtat, Beatiſſimam virginem , quæ ſedes eſt ſapientiæ , aperte renuntiaſſe Divinitati , potius quam ut virginitatem ſuam perderet ; Dignitatem genitricis Dei accipere detrectabat , ſi id futurum fuiſſet cum jactura inæſtimabilis theſauri virginitatis. Etenim in ſolemni illa Patris æterni ad virginem facta legatione , Beatiſſima virgo turbata eſt , utique non ob ſpeciem apparentis coram ipſa Archangeli , utpote quæ admodum ipſi familiaris erat , ſed ob inſolitum nuntium : *turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.* Siquidem Angelus ipſam altiſſimi Filium conceptura & partu edituram eſſe nuntiaverat. Richardus à S. Laurentio dicit: *Audito hoc verbo: Benedicta tu in mulieribus, turbata eſt, quia in virginibus benedici ſemper optabat.* Verum inquies fortaſſe, numquid glorioſius & utilius illi erat filium Dei, verbum increatum, Meſſiam tot ſæculis deſideratum , denique totius mundi ſalvatorem parere , quam ipſam perpetuam virginem manere ? Id ſibi minime perſuadere poterat , ideoque ſe illi oppoſuit dicens : *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco ?* quia ut idem Richardus ait: *ubi in promiſſione filij manifeſtum patuit virginitatis periculum, ultra non potuit diſſimulare, quin diceret: Quomodo fiet iſtud ?* unde per hanc occaſionem S. Thomas de villa nova exclamat dicens : *Mater Dei ab Angelo pronuntiabatur, & pro ſua virginitate ſolicitabatur ; Deum habitura eſt filium, & de ſuo pudore quæſtionem facit , neque tanto pignore puritatis damna compenſat, tanta erat in ea puritatis, ſanctimoniæque dilectio.* S. Greg. Nyſſenus ab Angelico Doctore in Catena ſua citatus, ſuper illa verba : *quomodo fiet iſtud ?* ita ſcribit : *attende etiam mundæ virginis vocem, partum annuntiat Angelus, ipſa vero virginitati innititur, præſtantiorem incorruptibilitatem Angelica viſione dijudicans ;* quaſi diceret : Virginitatem puriſſima virgo faciebat pluris , quam quidquid ſibi à cœleſti paranympho promiſſum fuerat.

*Ezech. 44. v. 2.* — *Iſa. 7. v. 14.* — *S. Ambr. de inſtit. virg. cap. 5.* — *S. Bern. Hom. 2. ſuper Miſſus eſt.* — *S. Ambr. l. 3. Epiſt. 25.* — *Rich. à S. Laur. l. 1. cap. 6.* — *S. Thom. de Villa. conc. 2. de Annunt.* — *S. Greg. Nyſſ. in Cat.*

Virginum preces exaudit Deus.

14. Demum verò licet hæc ad virginitatis excellentiam comprobandam magnam in ſe energiam habeant, quid dicetis conſiderantes quod Chriſtus eo tempore , quo *proficiebat ſapientia apud Deum & homines* virginitatis ſubjicere ſe voluerit imperio? *Sciebat Jeſus , quoniam dedit ei omnia Pater in manus ,* & tamen, ut S. Lucas inquit: *Erat ſubditus illis ?* Quibuſnam illis ? duobus virginibus, Mariæ & Joſeph, idque per tot annorum prolixum decurſum. Unde Simon de Caſſia ſuper illa præcitata verba : *Et erat ſubditus illis,* inquit : *Magna virginibus eſt dignitas prærogata , quod Chriſtus duobus virginibus factus eſt ſubditus, ut noverint hoc ſacramentum homines, quod illorum Chriſtus complet vota, deſideria perficit, qui ſe puritati & munditiei tradiderunt.*

*Luc. 2. v. 52.* — *Joan. 13. v. 3.* — *Sim. de Caſſia l. 2. cap. 24.*

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Virgines Angelis ſunt ſimiles, qui proinde eaſdem ſuo dignantur amore ; obſequio , & conſortio, imo multis in rebus Angelis ſunt ſuperiores.

### THEMA.

*Erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Matth. 22. ℣. 30.

Virginitas eſt ſtatus Angelicus.

1. AD magnam profecto virginitatis laudem confert ſtatus Angelicus, utpote quem virginitas etiam in hac fragili carne noſtra conſtricta magnopere participat, qua in re omnes Doctores ſacri unanimiter conſentiunt , dum illam ab iiſdem laudibus & dotibus , quæ beatis illis ſpiritibus propriæ ſunt, peregregie commendant ; id quod ex multorum ſanctorum Patrum authoritatibus & teſtimonijs haud difficulter probare licet. S. Cyprian. in Tractatu de pudicitia, vel quiſquis alius ejuſdem Tractatus author eſt, ſtatum virgineum vocat *ſtatum qualitatis Angelicæ.* S. Greg. Nazianzenus in oratione funebri de S. Baſilio Magno, inquit: *Magna eſt virginitas, per quam licet Angelis aggregari.* S. Baſil. virtutem hanc diu ante in Orat. *De vera virginitate* digniſſimis hiſce verbis egregie commendarat dicens : *Cum inter cætera magnum quiddam atque ſplendidiſſimum virginitas intelligatur , regenerationis etiam atque incorruptibilis vitæ ſemen eſſe quoddam puriſſimum cernitur , ſi enim in reſurrectione neque nubent , neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli, efficiuntur filij Dei, & hi profecto, qui virginitatem ſervant , Angeli ſunt non obſcuri, ſed illuſtres & nobiliſſimi.*

*S. Cypr. de ſingul. Cleric. cor.* — *Nazianz. in laud. S. Baſilij.* — *S. Baſil. de vera Virg.*

2. S. Ambroſius inter alia virgineæ honeſtatis & pudicitiæ encomia etiam iſtud recenſet dicens : *Ecquid pluribus exequar laudem caſtitatis ? Caſtitas Angelos facit, qui eam ſervavit Angelus eſt , qui perdidit, Diabolus.* Tandem verò ad eos qui virtutem hanc zelant , diſcurſum ſuum dirigens, ita illos alloquitur: *de hoc mundo eſtis, & non eſtis in hoc mundo, ſæculum vos habere meruit, tenere non potuit. Quam præclarum autem Angelos propter intemperantiam ſuam in ſæculum cecidiſſe è cælo , virgines propter caſtimoniam in cælum tranſmiſiſſe de ſæculo.* D. Chryſoſt. æqualitatem & ſimilitudinem virginum cum Angelis , qua Chriſtus caſtos per illa verba : *erunt ſicut Angeli Dei in cælo* , honoravit, ponderans , cum admiratione dicit : *Vidiſti quomodo in terra ambulantes, & corpore circumdati Angelicam vitam imitantur, qui Chriſti amore virginitatis ſortem acceperunt ?* S. Iſid. de vita quam caſti in continua puritate hic in terris tranſigunt diſſerens , eamdem vocat vitam cœleſtem dicens : *Cæleſtem vitam Angelicamque in terrena mortalitate meditantes , atque in carne corruptibili incorruptionem perpetuam retinentes.* Vener. Beda ſimiliter de hac virtute tractans dicit : *Filij ſæculi hujus nubunt, & traduntur ad nuptias, illi vero qui digni habentur ſæculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubunt , neque ducunt uxores, neque enim ultra mori poterunt, æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei.*

*S. Ambr. l. 1. de offic.* — Virgines Angeli ſunt. — *D. Chryſoſt. Hom. 18. in Gen.* — *S. Iſid. l. 2. de off. Eccl. c. 17.* — *V. Beda T. 7. ſcintil. c. 13. de Virg.*

Proſecutio.

3. S. Antonius de Padua dum Angelum illum , qui ut in Actibus Apoſtolorum cap. 12. legimus S. Petro in carcere conſtituto apparuit ; conſiderans, per cæleſtem illum nuntium caſtitatem intelligit , dicens : *In Angelo qui natura virgo eſt gratia caſtitatis ſignificatur , cujus lumen illuſtrat habitaculum carceris, id eſt , cor peccatoris tenebris luxuriæ excæcati.* S. Auguſt. in ſermone quodam ad animas virgineas ſe convertens inquit : *Mementote in quocumque ſexu ſitis; ſive mares, ſive fæminæ Angelorum vitam ducere vos in terra; quanto vos meliores, qui id quod erunt homines poſt reſurrectionem, hoc vos eſſe incipitis ante mortem.* S. Ambr. lib. 2. de virginibus ita ſcribit: *quæ pompa illa, quanta Angelorum lætitia plaudentium, quod habitare mereatur virgo in cælo , quæ cæleſtem vitam vixit in ſæculo.* S. Auguſtinus alibi , ubi de virginitate fuſe tractat, ita ſcribit : *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt.*

*S. Anton. de Pad. in Dom. 18. poſt Trin.* — *S. Aug. ſerm. 46. de verb. Dom.* — *S. Ambr. l. 2. de Virg.* — *S. Aug. l. de S. Virgin.*

Proſecutio.

4. S. Paulus quidem omnes cœlites & electos cives ſanctorum & domeſticos Dei appellat , verumtamen certum eſt quod inter omnes ſanctos , familiariores Agni domeſtici & cives ſint virgines , utpote qui in ſocietate Angelicorum exercituum Agnum continuo ſequuntur , quocumque ierit. Unde S. Bern. de legatione Gabriëlis Archangeli ad Deiparam miſſi tractans ait: *Quidni viſitet Angelus vitæ ſociam ? quidni ſalutet civem ſanctorum & domeſticam Dei ? Angelica plane vita virginitas.* Sixtus hujus nominis III. in libro quem de laudibus caſtitatis conſcripſit , unamquamque animam fidelem ad hanc virtutem conſectandam exhortatur ſequentibus verbis : *ſi in virginitatis integritate permanſeris, eris apud Deum ut Angelus, apud homines ut Deus.* S. Thomas de Villa nova ad Colloquium quod inter Archangelum & virginem interceſſit, ſeſe reflectens exclamat dicens : *O dulce colloquium ! O ſuavem dialogum ! O gratam nimis confabulationem virginis & Angeli! O qualis ſocietas Angelus & virgo, ſemper eſt Angelis amica virginitas.* S. Bern. qui candidum virginitatis ſuæ lilium in tota vita ſua perpetuo conſervavit illæſum, ita ejus laudem deprædicat: *Deus virginitatem fecit in cælo in ordine Angelorum, quia omnes Angeli virgines.* S. Juliana filios ſuos ad hanc adeo raram dotem zelandam ut S. Ambr. à Bollando in ejus vita 7. Febr. relatus teſtatur , his verbis exhortata fuit : *Audiſtis filij quantum ſit præmium integritatis, vitam Angelorum exhibet : hoc vobis ſuadeo quo nihil pulchrius ut inter homines Angeli ſitis.* S. Greg. Nazianz. in ſacris Poëmatibus ſuis virginitatem hiſce verſibus deprædicat: *Mater inoffenſæ vitæ, bona maxima fundens, Chriſti pars & ſpiritibus ſociata æternis.*

*Ad Eph. 2. v. 19.* — *S. Bern. ſup. Miſſus eſt.* — *Sixtus III. Pap. de Caſtit.* — *S. Thom. de Villa nova Conc. 1. de Annunt.* — *S. Bern. T. 2. ſerm. 47.* — *A. 1. cap. 1.* — *S. Ambr. T. 4. de Exhort. ad virg.* — *Nazianz. in laud. virg.*

Virgines Angelorum ſunt collegæ.

5. S. Joannes, ut in Apocalypſi legimus , Angelum adorare volens ab Angelo eodem paſſus eſt repulſam : *Cecidi ut adorarem ante pedes Angeli , ... Et dixit mihi : vide ne feceris :* ubi merito quærendum venit, quonam motivo hic Angelus voluntarium hoc ſancti Apoſtoli obſequium admittere renuerit ? *Conſervus enim tuus ſum.* Sed quo pacto Angelus qui humanam naturam adeo ſua natura præcellit , Joannem verè conſervum & collegam dicere poterat, quando hic etiamnum in terra conſtitutus mortali carne præcinctus erat ? Reſpondeo , verum quidem eſt Angelum natura ſua Joanne præcellentiorem fuiſſe , verumtamen virgo erat, & ideo verus Angeli collega erat , nam ut Rupertus Abbas Tuitienſis ait : *Altioris honoris & gratiæ eſt ſacra virginitas quam pia commendat humilitatis venuſtas.* B. Petrus Damianus ſerm. 1. de hoc ſancto Apoſtolo ait : *noluit adoratorem, quem decernebat æqualem, ſociam judicavit ; quamvis enim in omnibus ſanctis ſemper ſit Angelicæ munditiæ contubernalis & cognata virginitas, Beatus tamen Joannes tanto reliquos virgines ſuperat quanto Virginitati B. Mariæ, per ſedulitatis ac perpetuæ cuſtodiæ meritum appropinquat.*

*Apoc. 22. v. 8 & 9. ibid. v. 9.* — *Rup. Abb. l. 2. in Joan.* — *S. Petr. Dam. ſerm. 1. de S. Joan.*

Caſtitas res eſt Angelica.

6. S. Matth. quæſtionem quamdam Salvatori noſtro propoſitam recenſet, quam etiam S. Lucas commemorat , cujus occaſione incarnata illa ſapientia ad deprædicandam virginum gloriam his verbis apte digreditur , dicit enim : *Filij hujus ſæculi nubunt & tradunt ad nuptias, illi vero qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent , neque ducent uxores, neque enim ultra mori poterunt ; æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei.* Circa quæ verba benè notandum eſt , quod non dicat illos beatis illis ſpiritibus in altera tantum vita futuros eſſe æquales , ſed etiam in tempore præſenti ; dicit enim : *Æquales Angelis ſunt,* non verò dicit *erunt* ſcilicet in futuro. Ubi Author imperfecti ait : *Omnes virtutes ſpirituales, res ſunt Angelicæ , præcipuè tamen caſtitas res eſt Angelica, per hoc enim ſolum ſingulariter homines Angelis aſſimilantur , & vincitur natura virtutibus.*

*Matth. 22. v. 30. Luc. 20. v. 34. 35. & 36.* — *Auth. Imperf. Hom. 43.*

7. In Actibus Apoſtolorum Hebræi pertinaces & increduli , ſuos in ſanctum Protomartyrem defigentes oculos, *viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli,* cum tamen illum mortali carne cinctum eſſe cernerent , talemque ex vulneribus per conjectos in illum lapides inflictis & ſanguine manantibus agnoſcere poſſent. Verumtamen mirum non eſt , quod his non obſtantibus S. Stephanus illis Angelus quidam eſſe videretur , ſiquidem ut S. Aug. ait : *In amico Angelorum angelica ſimilitudo apparuit ;* Quia igitur purus & immaculatus virgo erat, vultum præ ſe ferebat Angelicum.

*Act. Ap. 6. v. 15.* — Hinc Stephanus ut Angelus apparuit. — *S. Aug. ſerm. 199. de diverſ.*

Angeli caſtos diligunt.

8. S. Bonaventura multas continenter viventium excellentias & prærogativas recenſet , ex quibus hæc potiſſimum præſenti propoſito noſtro deſervit , quod ſcilicet *Angelis amabiles faciat* , cujus hanc adducit rationem , quia *cum naturaliter omne animal diligat ſimile ſibi, etiam Angeli caſti homines caſtos familiarius diligunt;* Ideo quoque S. Apoſtolus dicebat : *Noſtra converſatio in cælis eſt;* at verò ex quo Sanctus hic Apoſtolus cum hominibus commorabatur in terra , quomodo ſe in Paradiſo converſari veraciter dicere poterat ſciendum eſt igitur Paulum purum & caſtum virginem fuiſſe , virgines autem etiam dum hic in terris nobiſcum degunt conſortio gaudent Angelorum. Unde S. Ambroſius ait: *Dicit Apoſtolus, noſtra autem converſatio in cælis eſt , & cæleſtium converſatio poteſt eſſe nobiſcum, hoc eſt, ut qui vita vivimus Angelorum , recte conſortium mereamur.* Legatis velim S. Aug. in quodam ſermone in Dominicam 25. poſt Trin. ibi namque hoc de virginibus invenietis teſtimonium : *Qui in caſtitate vivunt Angelicam habent in terris converſationem: Caſtitas homines cælo conjungit, Angelis facit civem.*

*S. Bonav. l. 2. de prof. Relig. c. 53.* — *Phil. 3. v. 20.* — *S. Ambroſ. ſerm. 87.* — *S. Aug. Dom. 25. poſt Trin. ſerm. 1.*

Abraham cōtinens Angelos hoſpitio excepit.

9. Abrahæ Patriarchæ ejuſque dilectæ conjugis Saræ merita haud dubie apud Deum per Veridicum Spiritus Sancti calamum ad perpetuam eorumdem memoriam relata ſunt in Annales æternitatis: at vero ſcire à vobis velim an aliquando tempus illud obſervaveritis; quo ſanctis hiſce conjugibus feliciſſima illa ſors obtigit , quod Angelos in domo ſua hoſpicio excipere , eorumque familiari converſatione frui potuerint ? ſi id ſcire vultis, breviter edicam; tunc enim Deus illos hoc favore dignatus eſt, quando continentes & à thoro conjugali alieni erant : *Poſtquam conſenui . . . voluptati operam dabo ?* inquit Sara. Abulenſis etenim in ea eſt opinione, quod diu ante inter ſe quoad thalamum conjugalem ſeparati vixerint.

*Gen. c. 18. v. 13. Abulenſis ibid.*

10. S. Propheta Elias pariter Angelum in ſuo miniſterio occupatum habuit , qui de victus annona diu ipſi proſpexit, quod utique ei accidit , velut ſpecialiſſimum virginitatis ſuæ privilegium; *Primo ex hominibus ,* inquit S. Ambr. *unam Angelorum & hominum vitam oſtendit, inſtar ſpiritus cum Angelis in cælis agit.*

*3. Reg. 19. v. 7.* — *S. Ambr. ſer. 2. de S. Eliſeo.*

Virginitas Mariæ domeſticum fecit Gabrielem.

11. Sic quoque familiaritas illa quæ inter magnam Dei matrem & Archangelum intercedebat , ſoli ejus attribuenda eſt virginitati , ut proinde Arnoldus Carnotenſis dicat : *Per virginitatem fuerat Gabriel Archangelus Mariæ domeſticus , imo tota militiæ cæleſtis multitudo , & naturæ gloria admirans quod ſic integram in terris reperiſſet.* Omnes etenim Angelici ſpiritus ſua illi obſequia certatim deferre cupiebant , omneſque hærebant attoniti , videntes quod etiam in terris ſimiles illis reperirent Angelos. Verum quidem eſt quod B. Virgo Angelo ei apparente turbata fuerit , ſed obſervandum eſt hoc ei accidiſſe quia coram ea comparebat non in ſpecie propria , ſed vultum præ ſe ferens humanum & virilem , quod ex eo colligitur , quod Evangeliſta dicat : *Ingreſſus Angelus ad eam,* S. Lucas dicit : *Turbata eſt in ſermone ejus , & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Et ex eodem virginitatis merito per omnium ſæculorum experientiam videmus , quod accurrant in obſequium , auxilium & defenſionem illarum præcipuè animarum , quæ honeſtatis & pudicitiæ conſervandæ ſolicitam curam gerunt. *Neque mirum,* inquit S. Ambr. *ſi pro vobis Angeli militant , qui Angelorum moribus militatis , meretur eorum præſidium caſtitas virginalis , quorum vitam meretur.*

*Arnold. Carnot. de ſept. verbis.* — *Luc. 1. v. 28.* — *Ibid. v. 29.* — *S. Ambr. l. 1. de Virg.*

Exempla.

12. In Annalibus Eccleſiaſticis legitur quod in morte S. Vincentij Ferrerij *Viſa eſt per feneſtram ejus loci, in quo decumbebat , involare ingens multitudo papilionum miri candoris , qui paſſim circumvolitantes, tum demum receſſerunt, cum ille ſpiritum exhalavit, nec amplius viſi jam apparuerunt; putantur fuiſſe ſpiritus Angelici ; eadem hora ex ejus corpore manavit odor longe ſuaviſſimus , quem aqua ipſa quæ illud abluit diu accurateq; conſervavit, nec ea unquam corrumpi potuit, nec inde aut vermes aut aliquid fæditatis enatum eſt imo vero tamdiu gratiſſimi fuit odoris , donec in eo vaſe, in quo aſſervabatur penitus conſumpta eſt.*

*Rayn. Ann. 1419. n. 12.*

13. In iiſdem Annalibus Cardinalis Baronius de quadam virguncula Georgia nomine refert , quod in hora mortis ſuæ innumerabilis quædam columbarum multitudo ſuper ipſius corpore volans conſpecta fuerit ; Cumque cadaver ejus in Eccleſiam delatum fuiſſet , omnes illæ columbæ ſuper tectum convolantes in eo ſe tecti loco collocarunt , qui feretro ipſius diametraliter reſpondebat , ibique uſque dum ſepulturæ corpus traditum eſſet , perſeverarunt ; eaque abſoluta omnes cœlum verſus viſæ ſunt avolare donec videri amplius non poſſent.

*Baron. Ann. 480. n. 23. in Comp.*

14. De nobili quadam virgine , cui nomen Euphemia erat, *in ſpeculum Exemplorum* refertur, quod tametſi ipſa à primis annis pudicitiam ſuam Deo per votum virginitatis conſecraſſet , Pater ejus tamen illam Comiti cuidam nuptui tradere promiſerit; quia verò Euphemia Comitem hunc ſolius vultus ſui pulchritudine captum nuptias haſce ardenter ſolicitare intellexerat , ipſa adverſus propriam venuſtatem indignata cultro arrepto , ex impulſu utique ſuperiori commota, dixit : *amplius vana pulchritudo occaſio peccati non eris, & hoc dicto naſum ſibi præſcidit & labia.* Unde pater ejus gravi ira accenſus , ad eam caſtigandam ruſtici cujuſdam barbari crudelis tyrannidis jugo

*Spec. Exempl. in V. virginitas Exemp. 19.*

jugo ſubjecit, apud quem licet ſub continuis laboribus & opprobrijs ingemiſceret, omnes tamen illatas ſibi plagas & convitia, quæ innumera erant, patienter toleravit. Poſt integrum vero elapſum ſeptennium, ipſa nocte quadam in Vigilia Natalis Domini noſtri, dum univerſa familia menſæ accumberet; ut in tanti myſterij memoriam debitas Deo laudes exolveret, in Ruſtici ſtabulum ſe recepit; qui Euphemiæ in domo ſua advertens præſentiam, correpto ad illam delumbandam valido fuſte, per omnes domus ſuæ angulos eamdem perquiſivit, ac tandem *directis oculis in ſtabulum fulgor ibidem coruſcus apparuit; & putans ignem eſſe, propius acceſſit; Et ecce virgo Maria cum multitudine virginum & Angelorum eam confortabat dicens: conſtans eſto filia, quia pro hoc ſervitio dabitur tibi corona Regni cælorum.* Qua ex viſione perterritus omnes protinus advocavit familiæ ſuæ domeſticos; qui virgini Euphemiæ labia & præſciſſum à ſeipſa naſum admirandæ pulchritudinis reſtitutum videntes; Patri illius omnia confeſtim per ordinem annuntiarant qui poſtquam delicti ſui veniam popoſciſſet à filia, in eodem loco ubi hæc filiæ ſuæ à Deipara virgine præſtita fuerat gratia, ſumptuoſum erexit & dotavit ſacrarum virginum Monaſterium, in quo Euphemia deinceps ad finem uſque vitæ ſuæ ſimul cum alijs Divino ſervitio conſecratis virginibus commorata fuit. Similem favorem virginitas S. Agnetis experta fuit; de qua prout ad proſtibulum condemnata S. Max. ita ſcribit: *Nudata ab hominibus malis, veſtitur ab Angelis bonis, & damnata in proſtibulo turpitudinis, in gremio apparuit caſtitatis; efficitur Oratorium Angelorum, locus, qui perditarum fuerat animarum, & ubi ſemper naufragaverat caſtitas, illic eſt coronata virginitas.* Videatur de hac materia Tomus I. in Verbo: *De Angelis* Diſcurſu 15.

*S. Max. Hom. de S. Agnete.*

Virginitas in hominibus excellentior quã in Ang.

*S. Cypr. de bono pudicit.*

15. Imo S. Cypr. hanc virginitatis virtutem in hominibus longe excellentiorem eſſe opinatur, quam ſit vel fuerit in Angelis; dicit enim: *Virginitas æquat ſe Angelis, ſi vero exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli.* Quam eamdem opinionem etiam confirmat S. Bern. dum ait: *Caſta eſt quomodo Angeli, idque in carne peccati, & fragili corpore, quod non Angeli; quod evidentius cæleſtis inſigne originis, quam ingenitam & in regione diſſimilitudinis retinere ſimilitudinem, gloriam vitæ cæleſtis in terra & ab exule uſurpari, in corpore denique pene beſtiali, vivere Angelum?*

*S. Bern. ſerm. 27. in Cant.*

Proſecutio.

*S. Baſil. de vera Virg.*

16. S. Baſil. hanc in nobis valde notabilem virginitatis conſiderat excellentiam videlicet quod *Illi*, id eſt, ſpiritus Angelici, *carneis nexibus liberi integritatem ſuam in cælis ſervant, & loco & natura inviolabilos apud ſummum Regem omnium Deum conſtituti; at vero iſti in terra, carnis illecebris & voluptatibus diu reluctantes, ac Diaboli tentamenta perpetua exercitatione vincentes, incorruptionem Angelicæ puritati parem virtute præcipua ante creatoris oculos cuſtodierunt.* In cujus veritatis confirmationem clarum atque perſpicuum habemus D. Chryſol. teſtimonium, dicentis: *In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt; ſed cæleſtis, & ſi vultis ſcire, angelicam gloriam acquirere majus quid eſt, quam habere; Eſſè Angelum felicitatis eſt, virginem eſſè virtutis.*

*D. Chryſol. ſerm. 143.*

17 Et quidem virginitatem fragilitatis humanæ, Angelicæ virginitati multis ex capitibus præferre poſſumus; videlicet Primo in extenſione, quia quæ in nobis eſt puritas, non ſolum ad animæ, verum etiam ad corporis decorem diſtenditur; non verò ita ſe res habet in natura Angelica, cui hoc meritum minime competit, eo quod Angeli, utpote puri ſpiritus corpore careant. Enimverò quod nix ſuum candorem in aëre conſtanter conſervet, nequaquam mirandum eſt, quia nihil habet quod illi adverſetur, aut eamdem infeſtet, prodigioſum vero cenſetur eſſe ſi nix candorem ſuum, etiam dum luto alijsque ſordibus permixta eſt, conſervare videatur.

Prodigium.

18. Mons Ætna hanc habet naturam quod licet intus ardeat & flammas ardentes evomat, nihilominus latera ſua nivibus contegi patiatur; Unde Claudianus Poëta canit: *Scit nivibus ſervare fidem*; Quod Angeli, qui puri ſunt ſpiritus, & coram Dei throno continuo aſſiſtunt, congenitam ſuam puritatem conſervent, quid mirum in eo? ſtupenda autem res eſt, quod homo in hoc corruptibili corpore, dum in eo fornax concupiſcentiæ ardentiſſime exæſtuat, nives & rorem puritatis & candorem virginalem incontaminatum penes ſe retineat, *Tuta habitatio Paradiſus*, inquit S. Bern. ibi enim ſerpenti ejuſque ſuggeſtionibus nullus patet acceſſus; at verò non ita ſe res nobiſcum habet hic in terris, ubi Eva plus quam alias umquam inceſſanter nobis lenocinatur, & illecebrarum tendit inſidias, ubi inſuper in continuo nec umquam interrupto certamine vivimus: Ubi *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, ubi *corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Optime igitur Ambr. inquit: *Major eſt victoria virginum quam Angelorum, Angeli enim ſine carne vivunt, virgines verò in carne triumphant.* Præterea conſiderandum eſt, quod Angelos virgines eſſe dos eſt propria naturæ Angelorum, in hominibus verò virginitas divinæ gratiæ opus eſt, & omnipotentiæ divinæ ſingulare donum. *Scivi*, inquit ſapiens, *quoniam aliter non poſſum eſſè continens, niſi Deus det. Habemus*, inquit Apoſtolus, *theſaurum iſtum in Vaſis fictilibus; ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.* Ad hæc virginitas hominum digna eſt quæ præferatur in merito; eo quod inde fructum colligamus centeſimum. S. Cyrill. autem ſuper illa verba: *Ortum fecit fructum centuplum*, optime quænam & qualis ſit iſta terra tantorum fructuum copioſè ferax his verbis declarat, dum ait: *Sunt autem terra pinguis & ferax animæ honeſtæ.* Angeli enim non ſunt in ſtatu meriti, & ideo aureola virginitatis in cœlo minime coronantur, ſicut virgines. Denique conſiderari meretur Angelos eſſe incorruptibiles, ſubſtantias ſpirituales, omniſque peccati incapaces: nos autem quoaduſque viatores ſumus, cum ſimus fragiles, ſpirituumque rebellium machinis undique cincti, ad quodvis momentum Lapſui ſumus ſubjecti.

*Gal. 5. v. 17. Sap. 9. v. 15. Ambr. l. de vid.*

*Sap. 8. v. 21.*

*2. Cor. 4. v. 7.*

*Luc.*

*S. Cyrill. in Cat. ad c. 8.*

19. Baſil. Seleucus in vita S. Theclæ ita ſcribit: *Rurſus ex æquo Beatitudinis participes eſſè quis dixerit, qui divini muneris reverentia ac metu cum animarũ corporumque puritate, tum inviolabili præſtantiſſimæque virginitati navant, Angelorum in terra vitam æmulati, eumdem plane cum ipſis ſtatum nullis perturbationibus obnoxium participaturi.* S. Chryſoſt. autem Angelos inter & virgines pulcherrimos quoſdam parallelos & analogias his verbis adducit: *Nec ducunt uxores Angeli, nec ducuntur? at nec virgo; aſſiſtunt perpetuo & miniſtrant Deo? Itidem & virgo; quare etiam Paulus eas ab omni ſolicitudine arcet, ut aſſiduæ ſint & indiviſæ; quod ſi ut illi in cælum hic aſcendere non poſſunt, corpore eas deprimente, at hic quoque inſignem habent compenſationem, quæ ipſum cæli Dominum excipiant, ſiquidem ſint animo atque corpore ſanctæ. Vident virginitatis decus? eorũ qui in terris degant cum cælitibus, vitæ ſimilitudinem molitur, corpore veſtitos vinci ab incorporeis copijs non permittit mortales, Angelorum amicos reddit.*

*S. Baſil. Seleuc. in Virg. S. Thecl. l. 1.*

*D. Chryſoſt. Tom. 4 de Virg. n. 11.*

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

Virginitas & caſtitas in multis ſcripturæ locis, nec non à Sanctis Patribus ſanctitatis titulo frequenter condecorantur, ſiquidem in virtutis & perfectionis operibus ſeſe aſſiduè exercent.

### THEMA.

*Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra* 1. Theſ. 4. ℣. 3.

1. S. Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens voluntatem Dei in eo potiſſimum verſari dicit, ut ſanctificationi noſtræ omni cum induſtria & ſtudio operam demus, id eſt ut nos continentes & caſtos aſſidue exhibeamus. *Et ne forte dubium relinqueret*, inquit S. Joan. Damaſcenus, *vel obſcurum quidnam ſanctificationem voluerit appellare, utrum juſtitiam, an charitatem, an humilitatem, an patientiam (in omnibus enim his virtutibus creditur acquiri ſanctificatio) infert, & manifeſte deſignat quid proprie ſanctificationem voluerit appellare; Hæc eſt inquit voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore non in paſſione deſiderij.*

Caſtitas baſis eſt ſanctitatis.

*S. Joan. Damaſc. l. 6. de ſpir. fornicat. c. 15.*

2. Tertullianus qui celebrem illum *de Pudicitia* librum conſcripſit, eumdem verbis hiſce exorditur emphaſi & energia plenis: *Pudicitia flos morum, fundamentum ſanctitatis*: etenim certum eſt quod ſanctitas in bonis moribus & virtutibus fundetur Chriſtianis: Honeſtas autem & pudicitia virtutum bonorumque morum flos eſt, nec non columna, fulcrum & baſis omnis ſanctitatis. Sola divinæ legis obſervantia eſt quæ animas ſanctificat, ſine hujus enim adimpletione ſanctitas dari nequit: *Lex Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Advertendum verò eſt, quod quando

*Tertull. l. de Pudicit. in princ.*

*Pſal. 18. v. 8. Exod. 19. v. 14.*



do Deus divinæ legis ſuæ præcepta homini per Moyſen in monte Synai promulgare voluit, nequaquam jejunia, orationes, corporis auſteritates, Eleemoſynas aliaque id genus opera præmitti præceperit, bene tamen ut continenter & caſte viverent, ut innueret hanc caſtitatis virtutem eſſe omnium legum & præceptorum ſubſtantiam & breve compendium; Unde experientia nos quotidiana docet, quod qui caſtitati eſt deditus, ab omnibus vitijs ut plurimum ſit alienus. Unde Sixtus III. ſuper illa verba: *Et deſcendit Moyſes ad populum, & ſanctificavit eum, & dixit eis: eſtote parati tribus diebus, & ne acceſſeritis ad mulieres*; dicit: *Quo oſtenditur inter cæteras ſanctificationum ſpecies, caſtitatem fuiſſè neceſſariam, & datur intelligi, quod abſque ipſa perfecta ſanctitas eſſè non poteſt.*

*Juxta Exod. 19. v. 14. 15.*

*Sixtus III. Pap. l. de Caſtit.*

3. Fundamentum veræ ſapientiæ aliud non eſt, quam timor Dei, juxta illud: *Initium ſapientiæ timor Domini*; vultiſne autem ſcire, in quemnam ſcopum & objectum timor Dei præcipuè contendat & collimet? In caſtitatem. Unde uti Vulgata noſtra apud Pſalmiſtam legit: *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*, S. Aug. legit: *Timor Domini caſtus &c.*

Fundamentũ ſanctitatis caſtitas.

*Pſalm. 110. v. 10. Pſ. 18. v. 10. S. Aug. ibid.*

4. S. Nilus circa Joſephum Patriarcham, relicta in adulteræ manibus propria veſte, ne coinquinaretur, fugientem, ſequentem habet ingenioſum conceptum; Dicit enim: *Relicto in manu ejus pallio*, inquit ſcriptura, *fugit, & egreſſus eſt foras; tamquam in virtute Paradiſo nudus obambulans, primum illum parentem noſtrum imitatus.* Etenim his verbis dicere velle videtur; ſicut Adam quamdiu nudus erat, juſtitia & innocentia gaudebat originali & virgo erat: Ità quoque Joſeph ad conſervandam corporis ſui pudicitiam: pallium reliquit ut protoparentem noſtrum in ſtatu innocentiæ ab omni veſte nudum imitaretur, ſciebat enim quod continentiæ virtus ſanctitatem operetur.

*S. Nilus in Aſcet.*

5. S. Fulgentius ad hujus nominis, *Virgo*, etymologiam ſe reflectens ait: *Ex nominis ipſius ſignificatione perpende; tam magnum quippe Deus voluit eſſè bonum virginitatis, ut illud non aliunde, ſed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaque ſi quis diligenter velit conſiderare vocabulum, ex virtutis inveniet nomine derivatum; Virgo enim dicitur, quaſi virago; Virginem vero ſcriptura ſancta non ob aliud vocatam dicit, niſi quia de viro ſumpta eſt.* S. Hieronymus quoque juxta textum Hebræum mulierem *viraginem* vocari dicit, quia *de viro ſumpta eſt*, indeque cap. 5. hanc deducit Concluſionem: *Itaque cum virginis nomen ex nomine viri deſcenderit, quis dubitet, quod vir à virtute vocatus ſit?*

*S. Fulg. ad Gallam Ep. 3. cap. 4.*

*S. Hieron.*

6. Obſervandum quoque eſt quod coſta è qua prima virgo formanda erat ex viri latere pro eo tempore deſumpta fuerit, quo ſtatus innocentiæ ac puriſſimæ & immaculatæ virginitatis in eo etiamnum perſeverabat; ſimiliter Eva quamdiu è Paradiſo nondum ejecta fuerat, virgo permanſit; Et quonam id myſterio factum fuiſſe exiſtimatis, niſi ut Deus, qui *omnia in ſapientia fecit*, per hoc nobis inſinuaret virginitatem ſemper conjunctam eſſe cum opere virtutis, & innocentis ſtatu conſcientiæ, caſtitas enim & virginitas correlativa ſunt virtutis & ſanctitatis. Unde idem Pontifex Sixtus III. ſæpe citatus ait: *Totum fundamentum ſanctitatis atque juſtitiæ caſtitatem eſſè dubitare non poterit, quiſquis divinæ legis exempla tota intentus mente perſpexerit, quod ſi in aliquibus vacillare cœperit, omnem ejus fabricam nutare metuendum eſt*; Per quotidianam quippe experientiam videmus, quod ſubſidentia fabricæ alicujus fundamenta, totum poſt ſe ædificium in totalem ruinam & exterminium trahant; atque ideo dicit præfatus Pontifex, ſpeciale eſt inimici tartarei artificium, quo caſtitatem in fidelibus contemerari ſatagit; *Eſt enim malevolo artifici ſimilis*, inquit Sixtus Papa, *qui univerſam fabricam domus exigua fundamenti imbecillitate diſturbat, totum ædificatorem nonnumquam perdere faciens, dum minus diligenter attendit, quod maxime continet.* Hoc autem fundamentum, inquit, eſt pudicitia & honeſtas, de qua S. Hieron. digniſſimum hoc pronuntiatum poſt ſe ſcriptum reliquit: *Doctiſſimi viri vox eſt, pudicitiam in primis eſſè retinendam, qua amiſſa omnis virtus ruit.* Similem quoque propoſitionem S. Ephrem habet, Dicit enim: *Noli virtutem negligere, ſed totis viribus ſanctificationem procura*, ubi caſtitatem ſanctificationis nomine appellat; mox enim ſubjungit: *acquire tibi caſtitatem, ut inhabitet in te Spiritus Sanctus.* Idem quoque alibi in eodem libro ad idem propoſitum ſcribit: *Serva frater caſtitatem corporis tui, quam ſi in Charitate Chriſti cuſtodieris, omnem facile virtutem perfecte exercere & aſſequi poteris.*

Caſtitas virtutum eſt fundamentũ.

*Sixtus III. Papa ibid.*

*S. Hieron. l. 1. cont. Jov.*

*S. Ephr. T. 2. de virt cap. 9.*

*Idem ibid. de animi compar. cap. 87.*



7. E contra verò quænam ex impudicitia malorum & ſcelerum colluvies ſequatur ab Apoſtolo id ipſum ad Galatas exponente velim excipite: *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia*; Ecce tibi quanta criminum ſeges ex unica derivetur impudicitia. Quia verò *contrariorum eadem eſt ratio*, apud eumdem Apoſtolum pudicitiam eſſe deprehendetis matrem omnium virtutum; ſiquidem fructus ſpiritus enumerans dicit: *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Circa quæ verba ad propoſitum noſtrum obſervandũ, quod ſicut fornicatio omnibus & quibuſcumque vitijs præfert vexillum, utpote quæ inter vitia primum locum obtinet, ita quoque caſtitas inter omnes fructus ſpiritus agmen claudit, ad denotandum quod omnes alias virtutes in conſequentiam poſt ſe trahat. Unde S. Ennodius dicit: *Matrem bonorum operum amate verecundiam, quæ ita ex ſe ſpecies virtutum fæcundat, & virgo parturit, ut impudentia procax & corrupta vitiorum ac proinde ſapiens exclamat: O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Verum inquies, qua ratione virginitas generare poterit? Audi Berchorium explicantem in quonam virginitatis fœcunditas conſiſtat: *Iſta eſt*, inquit, *virtus fructuoſa, prægnans virtutibus, quod oſtenditur, cum dicitur Generatio, iſta enim virtutes generat.*

Econtra luxuria vitiorũ congeries. *Gal. 5. v. 19. 20. & 21.*

*S. Ennod. in Paran. Didaſc.*

*Sap. 4. v. 1.*

*Berchor. in V. Caſtitas.*

8. Hildebertus virginitatem in quadam Epiſtola hoc decorat elogio dicens: *Virginitas eſt vitiorum redemptio, virtutum principatus.* S. Apoſt. quoque ad Hebræos ſcribens ait: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*; quidnam verò Apoſtolus per hunc ſanctimoniæ titulum indicare velit, S. Joan. Damaſc. declarat dicens: *Hic evidenter ſine ſanctimonia quam ſolet integritatem mentis, vel puritatem corporis appellare, pronuntiavit, Deum penitus videri non poſſè.* S. Hieron. pariter ubi vulgata legit *ſanctimoniam*, interpretatur *caſtitatem.* Alij quoque Sancti Patres quoties de hac virtute loquuntur, eidem *ſanctitatis* nomen attribuunt. S. Iſid. de ritu veli, quo Eccleſia virgines cœleſti ſponſo per votum conſecratas obnubere ſolet, differens, ita ſcribit: *virgo eſt, & carnem ſuam ſanctificare propoſuit, idcirco velaminis venia ſit illi, ut in Eccleſiam notabilis vel inſignis introeat, & honorem ſanctificati corporis in libertate capitis oſtendat.* S. Cypr. vel quiſquis libri *de ſingularitate Clericorum* author, de pudicitia ait: *Munimen eſt ſanctimoniæ expugnatio infamiæ, probitatis præſidium, improbitatis excidium, pronuba ſanctitatis, & repudium turpitudinis.* Idem quoq; ſanctus alibi de virginitate tractans, ita in ejus laudem digreditur: *Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atq; ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti*: Quo in loco S. Cypriani calamus ad encomium pudicitiæ altius & ſublimius evehi non poterat, quam dicendo quod anima virginea ſit *imago Dei reſpondens ad ſanctimoniam Domini.* S. Ephrem Tomo primo operum ſuorum ubi de continentia & virginitate *ex profeſſò* tractat, diſcurſum ſuum ad ſpiritum fornicationis dirigit, & ad verba Apoſtoli in Epiſtola ad Hebræos alludens, ita hunc ſpiritum alloquitur: *Suggeris mihi ut membra Chriſti faciam membra meretricis, unicoque temporis momento divitias perdam immortales, quaſi etiam res nihil eſſet ſanctificationem adjicere, ſine qua nemo Dominum videbit.* Idem quoque in alio quodam ſermone de virginitate, eamdem eodem ſanctificationis epitheto honorat, dum ait: *Quis non triſtetur, & quis non deploret? In momento & ictu oculi mens hominis ad peccatum conſummandum flectitur, & mox ſponte Deum peccando offendit, cæleſteque à ſe donum, ſanctificationem ſcilicet ac Virginitatem repellit.* S. Bernardus in ſermone, cui titulus eſt: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum*, fidelibus ad caſte continenterque vivendum animum ſuggerit his verbis: *Amplectimini pretioſiſſimam margaritam, amplectimini ſanctimoniam vitæ, quæ vos efficit ſanctorum ſimiles, & domeſticos Dei.* S. Baſilius *de vera virginitate* etiam hoc eodem epitheto utitur dum ait: *Virginitas vitam noſtram de corruptione ad ſanctitatis gloriam colligit.* S. Maximus S. Agnetem ob perpetuæ virginitatis votum emiſſum deprædicans, eadem phraſi loquitur dum ait: *Ut in puellis trophæum ſanctitatis arriperet.* Enimverò neſcio an S. Aug. cæteroquin in ſuis propoſitionibus

*Hildebertus Ep. 36.*

Caſtitatis plurima elogia. *Hebr. 12. v. 14.*

*S. Joan. Damaſc. l. de ſpir. forn. c. 16.*

*S. Iſid. l. 2. de Eccl. offic. cap. 8.*

*S. Cypr. l. de ſing. Cler.*

*S. Cypr. l. de hab. virg.*

*S. Ephr. T. 1. de virg. & Contin.*

*S. Ephr. ſerm. de Virg.*

*S. Bern. ſer. 2. in illud:* Hæc eſt generatio quærentium Dominum.

*S. Baſil. de vera virg.*

*S. Maxim. de S. Agnete.*

*S. Auguſt. ad fratres ſer. 16*

*N B:*

tionibus adeo circumſpectus & cautus in ſermone quodam *ad fratres in Eremo* per exaggerationem an verò ſecundùm veritatem loquatur dum ita inquit: *Sed etſi habuerimus obedientiam cum Abraham, patientiam cum Iſaac, diligentiam cum Jacob, & caſtitatem non ſervaverimus cum Joſeph, quid hæc omnia nobis proderunt? Amare ergo debemus ſummè caſtitatem, ſine qua opera noſtra nihil valent.*

Hominis perfectio ex caſtitate.

*S. Fulg. ad Gallam Ep. 3. c. 7.*

9. Audite cuinam fundamento S. Fulgentius, ſolidiſſimas virtutes, veramque vitæ immaculatæ perfectionem inniti aſſerat, nimirum totam perfectionis machinam uni pudicitiæ & honeſtati virginali inniti his verbis affirmat: *Integritas carnis Deo fideliter conſecrata, & in cordis virginitate Deo juvante & protegente ſervata, idcirco propriè virginitas dicitur, ut ibi perfectio veræ virtutis ineſſe monſtretur.* Vetuſtiſſimus quoque ſcriptorum Tertullianus quamdam habet ſententiam, ex qua virginitas ſuos in protoparentum innocentia & juſtitia originali primos natales habere deducitur; Dicit enim: *Prima felicitas prima virginitas eſt.* Fateor quidem facile quis ſibi virginitatem ſterilem eſſe in animum inducere poſſet, niſi Leander in Regula vivendi, quam Florentiæ ſorori ſuæ præſcripſit, hanc à nobis opinionem claris verbis depelleret, dicens: *Ne reputes te eſſe ſterilem, tot filios habebis, quot virtutes protuleris.* Eſt enim hic ſtatus virginalis longe fertiliſſimus, non quidem prolium, ſed virtuoſorum & ſanctorum operum. Unde S. Cyprianus de pudicitia ita ſcribit: *Illa vobis diſciplinam bonorum ſuggerit morum, vos illi miniſterium præſtatis operum Sanctorum.*

*Tertull. l. de exhort. ad Caſt. cap. 1.*

*S. Leander Hiſpal. in Reg. vivendi.*

*S. Cypr. de bono pudic.*

Caſti homines ſunt virtuoſi.

*Tit. 2. v. 7.*

10. S. Paulus in perſona Titi quamdam veræ perfectionis Ideam & ſpeculum formare volens, pudicitiam ei & continentiam quam maximè inculcavit dicens: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum*, quonam verò modo hunc finem facillime aſſequi poſſit, mox declarat, dum ſubjungit: *in doctrina, in integritate, in gravitate*; In Græco habetur: *In caſtitate, ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*; alij legunt: *revereatur, nihil habens malum dicere de nobis*; ut plurimum enim ij qui continenter & caſte vivunt, vitijs non ſunt contaminati, vitamque ducere ſolent per omnia exemplarem & irreprehenſibilem, quia caſtitas in homine Chriſtiano communiter lapis quidam Lydius eſſe ſolet in ordine ad mores.

*Apoc. 4. v. 3.*

Ubi Virginitas ibi innocentia.

*Corn. à Lap. ibid.*

11. S. Joannes in Apocalypſi dicit: *Iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Sed quodnam in eo latet myſterium, quod Iris hæc ex Smaragdo potius quam ex alia quapiam gemma conſtructa fuerit? Claſſicus quidam interpres ait: *Iris inſtar Smaragdi ſymbolum eſt virginitatis, quæ ſemper viret, & ſuo virore ſplendeſcit inſtar Smaragdi.* Unde Poloni in Canonizatione S. Caſimiri, qui potius mori, quam candorem ſuum virgineum vel minimum contaminare voluit, eumdem hoc ſymbolo honorarunt: *Caſimirus ſum quaſi Iris*, ad hanc videlicet Iridem ſmaragdinam alludendo, quam S. Joannes in circuitu throni Agni immaculati conſpexerat. Memorandum verò eſt, quod Iſaias in circuitu ejuſdem Throni Angelos audierit continuo acclamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, cujus ratio eſſe poteſt, quia ubicumque hic ſmaragdus, id eſt, virginitas conſpicitur, ibi quoque ſanctitas & innocentia adeſſe ſupponitur; ſicut enim Poëta de Iride canit: *Mille trahit varios adverſo ſole colores:* Ita quoque Lactantius Firmianus de virginitate hoc perhibet teſtimonium: *Quaſi faſtigium eſt, omniumque conſummatio virtutum, ad quam ſi quis eniti & eluctari potuerit, hic erit conſimilis Deo qui virtutem Dei cepit.* D. Chryſol. de unione virginitatis cum Chriſto ita ſcribit: *Deus & integritas eſt cœleſte conſortium, virginitas juncta Chriſto copula eſt perfectæ virtutis.* S. Cyprian. quoque de bonis pudicitiæ tractans, his ei laudibus applaudit: *Pudicitia eſt ornamentum morum, Sanctitas ſexuum.* Et alibi in ſpecie de virginitate dicit; quod ſit *Regina virtutum.*

*Lactant. Firm. l. 6. Divin. Inſtit. c. 23.*

*D. Chryſol. ſerm. 146.*

*S. Cypr. de bono pudic.*

*S. Cypr. de virg.*

*Act. Apoſt. c. 24. v. 25.*

Virginitas multum deprædicatur.

12. Ubi Vulgata noſtra in Actibus Apoſtolicis de S. Paulo dicit: *Diſputante autem illo de juſtitia & caſtitate*, Syriaca legit: *de juſtitia & ſanctimonia*, ubi expreſſe videtur, qualiter caſtitas & ſanctitas eodem prorſus nomine gaudeant; Et ideo eodem elogio quo magna Dei mater deprædicatur, virginitas pariter ab Eccleſia extollitur; De illa enim ſancta mater Eccleſia canit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* Huic verò pari laude acclamat, cum dicit: *Sancta & immaculata virginitas*; notandum verò eſt in magnum virginitatis encomium cedere, quod Eccleſia profiteatur, quod dignas & meritis pares virginitatis laudes invenire nequeat, quibus illam deprædicet, dum immediate ſubjungit: *Quibus te laudibus efferam neſcio.*

*S. Juſtin. q. 136. de fide &c.*

13. Magna Virginitatis laus in illa Juſtini Martyris de fide orthodoxa conſcripta propoſitione continetur: Ibi namque de B. V. Maria diſſerens dicit: *Beata virgo beatior prædicanda eſt ob virtutem quam habuit, propter quam meruit eſſe Mater Dei, quam ob ipſam Matris dignitatem*; quaſi diceret, ponatis licet cum virginitate Maternitatem Dei, ſive illum inæſtimabilis honoris titulum quo B. V. Maria *Deipara* appellatur, ac tum demum libere dicatis, quod pluris apud ipſam præponderet & æſtimetur virginitas & pudicitia ejus, quam Maternitas Dei; ideo etiam quando eidem Beatiſſimæ Virgini in ejus infantia rationis, quoad ſpiritualia, acceleratus eſt uſus primus actus virtutis & ſanctitatis, à magna illa anima in prima ſua conceptione à culpa originali præſervata & ſanctificata elicitus, fuit votum perpetuæ virginitatis, prout P. Hieremias Drexelius *de caſtitate part. 1. cap. 10. §. 1.* fuſe probat, ubi pro hac opinione multos graves citat authores, adeoque primus lapis hujus tam eminentis ædificij, quod in ſtuporem ipſummet rapuit Paradiſum, id eſt, primus actus ſanctitatis adeo tranſcendentis, qualis illa magnæ Dei matris eſſe noſcitur, fuit amor & Zelus virginitatis, optime igitur S. Zeno in lib. *de pudicitia* monet dicens: *Illa vobis exhibet ſanctitatem, vos ei amorem.*

*S. Zeno l. 1. ſerm. 7. de pudicit.*

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Hæc virtus præ cunctis alijs arrham nobis & pignus confert beatitudinis, eſtque via ſecuriſſima per quam velociſſime properamus ad cœlum.

### THEMA.

*Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 5. ℣. 8.

*Joan. 10. v. 9.*

Caſti Deum videbunt.

1. IDem ille qui de ſemetipſo dixit: *Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit, ſalvabitur*, caſtos & continentes beatos, viſioniſque claræ Dei participes futuros eſſe declarat, dum ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Unde S. Auguſtinus ait: *Glorioſum & inſignem inter cæteras virtutes caſtitas & munditia locum tenet, quia ipſa ſola eſt, quæ mundas mentes hominum præſtat videre Deum; Unde ipſa veritas ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Porro oculus aliquis corporalis, quanto mundior eſt & purior, tanto ad lucem conſpiciendam eſt aptior; oculus autem animæ cor eſt & intellectus, qui per immaculatæ pudicitiæ virtutem mirum in modum purificatur; Et ideo optimè S. Thomas à Villa nova monet dicens: *Vere beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt; quid enim proderit inſpiciendis cæleſtibus oculum intendere, ſi ſanguine rubet, aut ſi pulvere plenus eſt? O anima purifica oculum, & videbis, abjice ſordes, & omnia perſpicies, acies polluta lucem puram videre non poteſt, & ſentina carnis obſcœnæ atram nebulam ſemper exhalat.*

*S. Auguſt. in Dom. 25. poſt Trin. ſerm. 1.*

*S. Thom. à Villanov. ſer. de S. Doroth.*

Proſecutio.

2. Pro meliori autem aſſumpti thematis intelligentia obſervanda eſt phraſis, qua ſapientia incarnata in recenſendis octo beatitudinibus, utitur: Etenim paupertati promittit Regnum cœlorum: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum*, manſuetis terræ hujus poſſeſſionem, conſolationem afflictis, & ſic deinceps: caſtis verò illud prorſus objectum directe & immediate promittit, in quo formalis & plena noſtra beatitudo conſiſtit, claram videlicet veri Dei viſionem. Theophylactus ad hanc Chriſti promiſſionem mundis cordibus factam explicandam, ſpeculi adducit ſimilitudinem, dicens: *Sicut ſpeculum ſi fuerit mundum accipit imagines, ita & anima pura faciem Dei.*

*Matth. 5. v. 3.*

*Theoph. ibid.*

Exemplum.

*Thomas Cantipr. l. 2. c. 30. n. 33.*

3. De Sancto quodam Galliarum Epiſcopo, cui Ludovicus nomen erat, refert Thomas Cantipratenſis, quod cum elegantem vultum beneque formatam præ ſe ferret corporis ſtaturam, impuros Reginæ oculos & cordis affectum ſibi attraxerit: cumque ſanctum Prælatum ad exatiandam cum ipſo laſciviam ſuam ad ſecretiora palatij duxiſſet penetralia, Caſtitatis ſtudioſiſſimus Paſtor inſidias puritati ſuæ parari animadvertens, corrugata fronte & ad auſteritatem & iracundiam compoſito vultu graviter ipſam reprehendit, & per adjectas minas generoſam ac heroicam ei dedit repulſam; In cujus præclari facinoris præmium Deus poſt mortem diſpoſuit, ut oculi ejus, quibuſcum Reginam torve aſpexerat, in ſignum quod ſuo tempore viſione beatifica glorificandi eſſent, poſt mortem illius limpidi, lucidi, & Cryſtallini permanſerint, etiam poſtquam totum ejus corpus in cineres & oſſa reſolutum fuit.



*1. Joan. 3. v. 2.*

Qui Deum videre volunt caſti fiant.

4. S. Joannes Apoſtolus qui *Virgo in ævum permanſit*, de Paradiſi gloria in prima ſua Epiſtola diſſerens, ait: *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus; Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt*; mox quoque modum nos docet, qui obſervari à nobis debet, ut Deum videre valeamus, ſubjungit enim ſtatim; *& omnis qui hanc ſpem in eo ſanctificat ſe*, ubi S. Auguſtinus legit: *Caſtificat ſe*, quia ut præcedenti diſcurſu diximus, ſub ſanctitatis nomine in ſcriptura ſacra caſtitas frequenter intelligitur.

*Ibid. v. 3.*

Cõfirmatur.

5. Ad idem propoſitum obſervandum quod S. Jacob Patriarcha tunc præcipuè glorioſo Iſraëlis nomine, quod idem, quod videns Deum, ſignificat, decoratus fuerit, quando Angelus, ut Moyſes refert, *tetigit nervum femoris ejus & ſtatim emarcuit*, tunc enim confeſtim ſubjunxit: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël:* Cur autem Jacob in femore ab Angelo percuſſus fuerit, illius myſterium Gennadius optime exponit: dicens, *Velat continentem luctationis illius memoriam teneret; Omnia autem hæc in figura contingebant?* Siquidem per hoc nobis inſinuare Deus voluit, tunc nos Dei viſione dignos eſſe futuros, ſi ſenſus & motus noſtros carnales reprimendo mortificaverimus.

*Gen. 32. v. 25*

*Ibid. v. 28.*

*Gennad. ibid. in Cat. Lipom.*

6. Salvator noſter apud S. Matthæum electos tritico comparat, dum ait: *Triticum autem congregate in horreum meum*; Ad propoſitum verò noſtrum optimè facit, quod Spiritus Sanctus apud Zachariam uno eodemque tempore quo electos in grano denotatos nominat, ſimul etiam virginum mentionem faciat: *Frumentum electorum & vinum germinans virgines*; tunc enim granum electorum vel maxime in horrea cœleſtia reponi convenit, quando mundum fuerit & ab omni palea depuratum.

*Matth. 13. v. 30.*

*Zach. 9. v. 17*

7. S. Baſilius Salvatorem noſtrum de caſtis hominibus loquutum fuiſſe exiſtimat, quando dixit: *Levate oculos veſtros, videte regiones, quia jam albæ ſunt ad meſſem*; Per hanc namque albedinem pudicitiæ & caſtitatis intelligit candorem: *Ad futuram vitam hinc jam vitæ noſtræ ſemina oportet per caſtitatis munditiam ſerere, ipſa per ſe pura ſanctæ integritatis ſemina ad incorruptibilem vitam agricolæ præparant.*

*S. Baſil. de vera Virg.*

*Joan. 4. v. 35*

Caſti maxime ſecuri de beatitudine.

*Matth. 19. v. 12.*

8. Chriſtus Dominus in Evangelio de virtute continentiæ loquens, eos, qui huic virtuti dediti ſunt, inter ſe diſtinguit, ſecundùm quod hujus virtutis merito plus minusve vicini exiſtunt; Dicit enim: *Sunt Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus? Et ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere capiat*; poſt quæ verba S. Matthæus immediatè ſubjungit: *Tunc oblati ſunt ei parvuli.* Ex prædictis namque Chriſti verbis occaſionem ceperunt, ut aliquos ad Chriſtum parvulos adducerent. Ubi merito quærendum venit, quænam ſit inter hanc parvulorum oblationem & Chriſti de diverſis Eunuchorum generibus habitum diſcurſum connexio? Pro reſolutione igitur hujus dubij obſervandum eſt, quod puritas corporis dos ſit propria parvulorum, quos diſcipuli, myſterium verborum Chriſti minime intelligentes, à Domino repellebant. *Diſcipuli autem increpabant eos, Jeſus vero ait eis: ſinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium eſt enim regnum cælorum*; Ubi ſpecialem obſervationem meretur dictio illa: *Talium*; Tametſi multi alij fideles virtuoſi cœleſti gloria ſe dignos efficiant, attamen Chriſtus per *Talium* inſinuare vult caſtos, virgines, & continentes præ cunctis alijs de poſſeſſione cœleſtis gloriæ vel maxime ſecuros eſſe, haud ſecus ac ſi Cœlum in manu ſua concluſum teneant. Porro hæc Chriſti verba S. Ambroſ. lib. 3. de virginibus exacte examinat, dum ait: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt, hoc eſt, non eſt communis plurimis, & vulgaris integritas, nec pro infirmitate promittitur, ſed pro virtute conceditur; denique cum dixiſſet: Et ſunt ſpadones, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorũ, ut oſtenderet hoc non mediocris eſſe virtutis; qui poteſt, inquit, capere capiat; Et ideo poſt hoc verbum, offeruntur pueri ad benedicendum, qui corruptelæ expertes, integritatis munus immaculata ætate ſervarent, talium enim eſt regnum cælorum, qui in puerilem caſtimoniam tamquam in naturam infantium corruptelæ ignoratione remeaverint.*

*Ibid. v. 13.*

*Ibid. v. 14.*

*S. Ambr. l. 3. de Virg.*

*S. Bern in T. 3. ſerm. de regno Cæl.*

9. S. Bernardinus Senenſis in quodam ſermone *de regno cælorum*, cum de ijs quæ ad ingrediendum in cœlorum regnum neceſſaria ſunt, diſquireret, primum & præcipuum locum caſtitati aſſignat dicens: *Integerrima autem caſtitas eſt nobis neceſſaria ad intrandum regnum Dei, contra carnales delicias, quæ non permittunt intrare, & hoc eſt quod dicit Apoſtolus* 1. Corinth. 15. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*; Cujus doctrinæ idem Sanctus tres aſſignat rationes, quarum prima eſt: *Regnum Dei eſt mundiſſimum, carnalis autem immundus.* Secunda: *Regnum Dei eſt incorruptibile, carnalis autem corruptibilis, quia amat corruptionem.* Tertia denique ratio hæc eſt: *Regnum Dei eſt ordinatiſſimum, carnalis autem inordinatiſſimus:* Et ideo hujus dictionis *Cælebs* Etymologia, à verbo *Cælum* derivatur, eo quod ij qui cælibem vitam agunt, ſecuriſſimam teneant regni cælorum arrham.

Caſtitas diſponit ad Dei arcana penetranda.

*Luc. 2. v. 36.*

10. Sanctiſſima illa Matrona Anna Phanuelis poſt Sanctiſſimam Virginem Deiparam Salvatori noſtro in templo præſentato occurrere meruit; Hæc autem, ut S. Lucas ait: *Proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua*; Tametſi enim virginitas in Veteri Teſtamento incognita eſſet, hæc tamen Sancta mulier poſt mariti ſui mortem vidualem pudicitiam ſuam diuturno tempore intactam conſervavit, imo ut S. Bonaventura in ejus laudem ſcribit: *Habuit continentiam virginalem, vidualem, & conjugalem pro loco & tempore.* Didacus Stella inſuper notat, quod Deus illam quoad verbi incarnati in templo præſentiam dignatus fuerit revelatione Spiritus Sancti, Prophetici quoque ſpiritus dono illam cumulaverit, effeceritque dignam, ut ſuos in illum vultum defigere poſſet oculos, *in quem deſiderant Angeli proſpicere*; nimirum *caſtitas & pudicitia*, inquit idem author, *maxima diſpoſitio eſt ad ſcrutanda & penetranda arcana.* Optime igitur S. Auguſtinus in quadam Epiſtola ſua ita ſcribit: *Hæc eſt uberior fæcundiorque felicitas, non ventre graveſcere, ſed mente grandeſcere, non lacteſcere pectore, ſed corde candeſcere, non viſceribus terram, ſed cælum orationibus parturire.*

*S. Bonav. ib.*

*Didac. Stella ibid.*

*S. Aug. Epiſt. 179. ad Prob. & Juliam.*

Viam oſtendit ad cælum.

*S. Ephr. T. 2. Hyp. ad fratrem.*

11. Veriſſimum eſt, quod ſi cœleſtis Sponſi thalamum ſubingredi cupimus, terreni Sponſi nuptias nauſeare debeamus, ita enim nos S. Ephrem opportune monet, dum ait: *In honore ac pretio virginitatem habe, & te in cæleſtem thalamum introducet:* Idcirco dixit Apoſtolus: *Deſpondi vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* Unde S. Gregorius Nazianzenus in ſacris Poëmatibus ſuis ita canit; *Invenies vitam thalami conſorte carentem, totam cæleſti vice muneris eſſe parenti, appenſam*; Et paulò poſt ſubjungit: *Non terræ fixam immerſamque profundo, æthereа ſed in urbe, proculque à carne in carne manentem, dextra amplexantem cælum.*

*Nazianz. carm. de laud. virg.*

12. S. Ambroſius Filium Dei ſe hac noſtra mortali carne induiſſe dicit, non ſolum ut nos redimeret, verum etiam ut viam ad cœlum nobis oſtenderet: *Ideo carnem ſuſcepit, ut ad cælum nobis ſterneret iter:* quia verò ut Chriſtus ipſe ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt:* ideo inter multas illas vias prima & præcipua quam nobis indicavit, eſt caſtitas, *Vias tuas Domine notas fac mihi, via caſtitas, via fides, via eſt abſtinentia*, primo tamen loco & præcipua ad cœlum via eſt caſtitas, nam ut S. Iſidorus ait: *Caſtitas hominem cælo jungit, caſtitas hominem pertrahit ad regnum, caſtis regnum cæli promittitur, caſti hæreditatem cæli expetunt.*

*S. Ambroſ. T. 4. l. 3. de fide cap. 4.*

*S. Iſidorus.*

Proſecutio.

13. Porro inter alia Zodiaci ſigna virgo ſpecialiter coruſcare noſcitur, nec ſine myſterio, ſed ad denotandum, quod virginitas ſuam in firmamento ſedem poſſideat. Et ideo Nazianzenus in præceptis quæ virginibus præſcripſit, de hac virginum turba loquens, hoc illis nomen attribuit, quod ſcilicet ſint *Cælipetæ claſſis.* Vix præcurſor in hiſce terris comparuit, quando incarnata Sapientia dicere cœpit: *A diebus Joannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cælorum vim patitur*, Imo ipſemet Baptiſta in prædicatione ſua hæc univerſæ Judeæ verba inculcabat: *Appropinquavit regnum cælorum*; Scitiſne quonam id myſterio factum fuerit? Nimirum quia ipſe qui Angelus, qui virgo erat, in terra natus fuerat, & ideo ipſe erat qui cœlo, ut panderetur, vim inferebat. D. Chryſologus modum quem Deus in ejus conceptione ſervavit, his verbis exponit dicens: *In Zacharia & Eliſabeth ſtupet ſexus,*

*Nazianz in præcept. ad Virg.*

*Matth. 11. v. 12.*

*Matth. 3. v. 2.*

*D. Chryſol. ſerm. 89.*

*xus, frigeſcit caro, membra ſopiuntur, tempus præterit, ætas tranſit, aboleſcit totum quidquid eſt humani ordinis & negotij conjugalis, ut divino munere non partu ex hominibus Angelus naſceretur.* S. Julianus, afferente S. Ambroſio, filias ſuas ad virginitatem hortatur hiſce verbis: *Audiſtis filiæ quantum ſit præmium virginitatis regnum acquirit, & regnum cæleſte, vitam Angelorum exhibet.*

*S. Ambr. T. 4. de exhort. ad virg.*

Chriſtus caſtis duobus ſubditus fuit. *Simon. Caſſia. l. 2. cap 24.*

14. Simon Caſſianus Chriſtum per totum vitæ ſuæ decurſum duabus virginibus, ſcilicet Mariæ & Joſeph ſemper ſubjici voluiſſe optime advertit his verbis: *Spes magna facta eſt amantibus Cælibem vitam, quanta eis ſit Chriſtus in illa patria familiaritate donandus, qui duobus caſtis in hac vita factus eſt ſubditus.*

Virginibus de Jure competit paradiſus.

15. S. Ambroſius ſapienter notat; quod licet rebelles Angeli è cœlo dilapſi fuerint, non tamen ideo ſuperna illa Jeruſalem deſerta & exinanita remanſerit, quia in illorum locum confeſtim aſcenderunt alij Angelij, virgines nimirum, quibus de jure debetur Paradiſus: *Quam præclarum Angelos propter intemperantiam ſuam in ſæculum cecidiſſe de cælo: Virgines propter caſtimoniam in cœlum tranſiſſe de ſæculo.* Tertullianus de prima matre noſtra Eva dicit: *Adhuc digna Paradiſo*, ſed quando Paradiſo adhuc digna erat? *quando adhuc virgo*; Quamdiu virgo permanſit, tamdiu in Paradiſo deliciari meruit, at verò quando hujus virtutis paſſa jacturam fecit, inde mox fuit proſcripta.

*S. Ambr. l. 1. de Virg.*

*Tertull. de veland. virg. cap. 5.*

*Cant. 4. v. 12*

Virginitas animam præparat ad videndum Deum.

16. De anima caſta Chriſti ſponſa in ſacris Canticis hæc verba leguntur: *Hortus concluſus fons ſignatus*; quæ videntur ad virginem quamdam ſolitariam & Chriſto deſponſatam alludere; Et ideo quid mirum eſt quod de eadem confeſtim ſubjungatur: *Emiſſiones tuæ Paradiſus.* S. Bernardinus nuptias in Paradiſo quidem inſtitutas, extra illum tamen conſummatas fuiſſe conſiderans, hæc in virginitatis laudem verba ſubjungit, dicens: *Virginitas in Paradiſo ſpirituali & myſtico, ſcilicet in Eccleſia Sancta, imo ipſa virginitas paradiſus merito dici poteſt*; Et quidem ſermonem illum in quo Sanct. Bernardinus præfata verba habet, hiſce verbis ex Joannis cap. 12. deſumptis exordiens: *Volumus Jeſum videre*, Mox ſubjungit: *Multitudinis devotarum virginum charitate ardentium, & Sponſum ſuum deſiderantium, atque poſtulantium Chriſtum verba ſunt iſta.* Præcipue autem in illis verbis, *volumus Jeſum videre*, conſiderari meretur dictio illa *volumus*, nam virginitas velut Regina quædam imperat & præcipit: *Aſtitit Regina à dextris tuis &c.* Nullus illam ad cœlum ingrediendum moratur aut impedit portarius, ſed ad conſpiciendum & contuendum cœleſtem Sponſum ſuum aditum ſemper habet liberum & apertum. *Virginitas præparat animam*, inquit S. Bernardinus, *ad videndum in præſenti Jeſum ſponſum per fidem, & in futuro per gloriam ſempiternam.*

*S. Bern. T. 2. ſer. 47. A. 1. cap. 1.*

*Joan. 12. v. 21. Art. 1. ibid.*

*Pſ. 44. v. 10.*

*S. Bernard. ibid.*

17. Chriſtus Dominus noſter apud S. Matthæum regnum cœlorum comparat quidem virginibus; *Simile erit regnum cælorum decem virginibus*; ita tamen ut ſapientibus & prudentibus illud ſimile eſſe dicat, non verò ſtultis; Illæ cum Chriſto Sponſo ad æternalium deliciarum ingrediuntur convivium: *Intraverunt cum eo ad Nuptias, quia in illis reſplendet imago gloriæ cæleſtis* teſte S. Thoma in quodam opuſculo de Salvatore, ubi ait: *Continentiæ & integritatis doctrinam introduxit, ut in fidelium vita reſplendeat gloriæ cæleſtis imago.*

*Matth. 25. v. 1.*

*Ibid. v. 10.*

*S. Thom. opuſc. 221.*

*Eccl. 24. v. 23.*

Virginitas viti comparatur.

18. Divina Sapientia ſe inſtar vitis fructificaſſe dicit: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Ubi utique de pudicitiæ honeſtate loquitur, quæ fragrantiſſimum de ſe ſpargit odorem, ac proinde lilio comparatur. Sed cur is qui hanc honeſtatem progerminat, vitem ſe appellat? Certe aptior magisque propria ſimilitudo adferri non poterat, quia inter omnes alias plantas ſeu arbores, nulla eſt quæ altius cœlum verſus ſe erigit, quam vitis, quia dummodo fulcrum cui innitatur inveniat, in altiſſimas uſque turres aſcendit: ita quoque inter cunctas alias virtutes, nulla eſt quæ animam propinquius ad cœleſtem uſque Paradiſum extollit. Unde Tertullianus ait: *Nobis continentia ad inſtrumentum æternitatis demonſtrata eſt à Domino ſalutis Deo ad teſtimonium fidei, ad commendationem carnis exhibendæ ſuperventuro indumento immortalitatis.* Et Nazianzenus ait: *Virginitas in cælum reptat.*

*Tertull. ad uxor. l. 1. c. 7.*

*Nazianz. in præcept. ad virg.*

19. Deus ijs qui ſenſus carnis ſuæ per continentiam frænant & vinciunt amplam apud Iſaiam promittit remunerationem, dicit enim Propheta: *Hæc dicit Dominus Eunuchis: ... Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quem eumdem textum S. Antonius de Padua in laudem caſtitatis adducens, ita exponit: *Eunuchis, id eſt, ei qui ſe propter regnum cælorum caſtravit, id eſt, continentiam promiſit: Dabo eis in domo mea, in qua manſiones multæ ſunt; & in muris meis. Unde* Joannes in Apocal. cap. 21. ait: *Erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide, qui viridis coloris eſt, in qua æternæ viriditatis jucunditas deſignatur, locum de quo* Joan. 14. *Vado parare vobis locum.*

*Iſa. 56. v. 4.*
*Ibid. v. 5.*

*S. Ant. de Padua in Dom. 2. Adv.*

*Apocal. 21. v. 18.*

*Joan. 14. 2.*

20. De Matrona quadam Anglicana, Cæcilia nomine Annales Eccleſiaſtici referunt, quod poſt mariti ſui mortem coram Archiepiſcopo Cantuarienſi votum emiſerit perpetuæ caſtitatis; Cum autem in propinquo eſſet, ut ex hac vita in alteram commigraret, Confeſſarium ſuum, qui ex ordine S. Dominici Religioſus, erat ad ſe accerſiri fecit, qui in digito ejus annulum conſpiciens aureum, ancillis ejus præcepit, ut eum è digito tollerent, ne in eo momento, quo vel maximè humilitas ei profitenda erat, hoc eſſet ornamento conſpicua; *Quod illa inaudiens, licet ſemiviva, reſumpto ſpiritu; ſic loqui conata eſt: Abſit, abſit hoc Pater à me, ut umquam recedat à me viva vel mortua hic annulus, quem ante tribunal Dei Sponſi mei proferam, in teſtimonium inviolatæ, quam et per hunc annulum promiſi continentiæ, ut recipiam quam pepigimus, retributionem. Scio, cui credidi quoniam nobilium amplexus pro ipſo cum optimis dotibus recuſavi.* Ecce tibi quanta cum libertate & fiducia æternam ſperabat retributionem; atque hæc dicens expiravit animam, in Paradiſum, ut pie creditur, transferendam.

*Rayn. An. 1251. n. 13.*
Virgines magna cum ſpe moriuntur.

21. Sixtus Papa III. ad idem propoſitum noſtrum exemplum adducit Iſraëlitarum, quibus Deus, ut per integrum triduum à mulieribus ſe continerent olim præcepit, ut illum in Sinai montis vertice poſſent conſpiçere: *Et ſi tantum illis tunc exigui temporis continentia profuit, ut divinæ claritatis viſione gauderent, vide quanta illi remuneratione ſunt digni, qui eam, ut naturaliter acceperunt, perpetua voluerint integritate ſervare.*

*Sixtus III. Papa L. de Caſtit.*
Iſraëlitis parva profuit continentia.

22. Verum enimverò non ſolum caſtitas hanc ſibi vendicat prærogativam, quod videlicet hominem futuræ gloriæ ſecurum efficiat, verum etiam de eadem aſſerere poſſumus, quod animas puras facillime & velociſſime in cœlum tranſmittat. Unde Tertullianus ait: *Solida & tota ſanctitas de proximo viſura eſt faciem Dei.* S. Thomas de Villanova quoque ſacras virgines ſequentibus verbis ad æternam retributionem conſectandam invitat, dicens: *Volate virgines Dei aſſiduè in florigerum Paradiſum.* S. Ambroſius ſimiliter dicit: *Caro ſi conſentiens Dei legi, & exuens ſe lege peccati in naturam ſpiritus ſenſuum puritate tranſierit, alis ad cælum ſpiritualibus elevatur.* Adhæc quiſnam inter omnes ſanctos Patriarchas & Prophetas in curru ad cœlum evectus & delatus fuit? Certe nemini id accidiſſe reperies, niſi ſoli Eliæ, de quo S. Hieronymus ait: *Si in Elia virginitatem dixerint demonſtrari, breviter audiant, igneo curru raptum ante immortalem eſſe cæpiſſe quam mortuum.* Quam eamdem obſervationem etiam apud S. Ambroſium reperio, qui ait: *Elias nullius corporei coitus fuiſſe cupiditatibus invenitur, ideo ergo curru raptus ad cælum, ideo cum Domino apparet in gloria, ideo Dominici venturus eſt præcurſor adventus.* Idem quoque Sanctus Doctor in ſerm. 2. de Eliſæo, pariter de Elia dicit: *Hic Elias primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cælos ſubminiſtravit.* De eodem S. Doroth. ait: *Hic Elias primus ex hominibus eſt, qui hominibus curſum ad cælum ſubminiſtravit.* Elias enim ex toto genere humano primus omnium fuit, qui viam monſtravit ducentem ad cœlum, eamdemque pedibus ſuis ingreſſus eſt & calcavit; quam utique prærogativam à virginitate ſibi comparavit, utpote quæ rara & inſolita Veteri Teſtamento erat. S. Ambroſius in lib. 3. de virginibus ſuper illa verba S. Pauli: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*, ita ſcribit: *His loquitur, qui mira devotione obſequi deſiderant cæleſtibus præceptis, oſtendens & docens, quo compendio citius itur ad Deum.* S. Gregorius Nazianzenus in ſuis verſibus ita in virginitatis laudem canit: *Hujus virginitatis claſſibus promptiſſima cæli ſemita, conſilijsque Dei ſapientibus hærent.* S. Ephrem Syrus in Tractatu illo, quem de virginitate & continentia fuſe conſcripſit, ſæpius continentiam breviſſimam eſſe aſſerit, per quam ſumma cum celeritate conniti poſſumus ad cœleſtem Paradiſum. Dicit enim inter

Virginitas viam in cœlum Eliæ monſtravit.

*Tertull. l. 1. ad uxor. c. 5.*

*S. Thom. de Villan. ſer. de S. Doroth.*
*S. Ambr. l. 7. in Luc.*

*S. Hieron. l. 2 cont. Jovin.*

*S. Ambr. l. 1. de Virg.*

*S. Ambroſ. ſerm. 2. de S. Eliſæo.*
*Doroth. in Synopſi.*

*1. Cor. 7. 25.*

*S. Ambr. l. 3. de Virg.*

*Nazianz. in laud. virg.*



cætera multa: *O caſtitas quæ carnem caſtigas, & in ſervitutem redigis, ac cæleſtia velociſſime penetras! O caſtitas donum Dei! O caſtitas quæ cor poſſidentis te lætificas, & animæ ad cæleſtia alas adjungis! O caſtitas quæ celeri curſu ad bravium ſupernæ vocationis in Chriſto contendis! O caſtitas currus ſpiritualis, poſſeſſorem ſuum in ſublime evehens!*

*S. Ephrem T. 1 de virg. & contin.*

2. Idem Sanctus Pater Tom. 2. in diſcurſu quodam ad illos directo qui ſtudium ingreſſi ſunt Religionis, inquit: *Donum optimum Monachi eſt virginitas; curru ipſum ad cælum cum Elia evehens, hanc excolens igneo aſcende curru.* Petrus Bleſenſis ſimiliter de hac virtute diſſerens, atque ad hunc Eliæ currum alludens, ita ſcribit: *Virginitas currus igneus eſt, ſurſum ferens, quem vehit.*

*S. Ehrem T. 2 Paræn. 1.*

*Petr Bleſ ſer. in feſt. omn. SS.*

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Homines caſti omne bonum poſſident, ſuntque ab hominibus pariter & à Deo dilecti, utpote à quo multos favores & dona ſpecialia recipiunt; facile etiam in ſuis orationibus exaudiuntur & proſperantur, magnoque ſunt vigore præditi, ut inimico tartareo reſiſtere poſſint.

## THEMA.

*Alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum*, Matth. 13. ℣. 8.

Caſtitas ſemē eſt omnium virtutum.

1. COpioſiſſimus utique & abundantiſſimus fructus, quem ſemen à cœleſti agricola in fidelium animarum fertilem terram diſperſum attulit, non eſt alius, quam is qui à virtute paritur virginitatis, teſte Gloſſa, dum ait: *Triginta refertur ad nuptias, ſexaginta ad viduas, centum, qui numerus jam eſt in dextera, ad virginitatem*; Quapropter operæ pretium futurum exiſtimo, ſi aliquos hujus fertiliſſimæ meſſis fructus in apricum expoſuero. Doctrina eſt Sixti Papæ III. in libro quem *de Caſtitate* compoſuit, dicentis: *Cuſtodi diligenter unum, ut facilius poſſideas totum, pudicitia enim omnium bonorum mater eſt.* S. Urbanus Papa, prouti in vita S. Cæciliæ legitur, ſuas ad eum orationes dirigens, qui dixit: *Pater meus agricola eſt*, ita cum precatur: *Domine Jeſu Chriſte, ſeminator caſti conſilij, ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Cæcilia ſeminaſti*: Unicum tantum ſemen ab ipſo in virgineam S. Cæciliæ animam ſeminatum fuerat, amor ſcilicet perpetuæ caſtitatis, & tamen proh quot ſanctorum operum, virtutumque heroiçarum fructus ab illo prodierunt in lucem! Tertullianus in lib. *de Pudicitia* cap. 1. hiſce eamdem encomijs extollit: *Pudicitia flos morum, honor corporum, decor ſexuum, fundamentum Sanctitatis.* S. Cyprianus ſimiliter *de Pudicitia* inquit: *Diſciplinam bonorum ſuggerit morum.* S. Auguſtinus quoque multa eidem epitheta, eaque digniſſima attribuit, dum ait: *O caſtitas ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, ſolamen mœrentium, augmentum pulchritudinis, decus ſanctæ noſtræ religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, Dei amica, Angelorum cognata, Patriarcharum vita, Prophetarum corona, Apoſtolorum cingulum, martyrum auxilium, Confeſſorum vehiculum; virginum ſpeculum, viduarum refugium, & cunctorum bonorum gaudium & ſolamen.* Sanct. Cyprianus in alio loco virginum excellentias commendans, in earumdem laudem dicit: *Virginitas eſt ſoror Angelorum, victoria libidinum, Regina virtutum, poſſeſſio bonorum omnium.*

*Gloſſa ordin. ibid.*

*Sixtus III. Papa.*

*Tertull. l. de pudicit. c. 1.*
*S. Cyprian. l. de bono pudicitiæ.*
*S. Aug. ad fratres in Eremo ſerm.*

*S. Cypr. de virg.*

2. S. Ephrem in Tractatu quem *de virginitate & continentia* inſcribit, huic virtuti hominum attribuit benevolentiam, quam ij qui huic virtuti ſtudioſe incumbunt, ut plurimum ſibi acquirere ſolent. *O caſtitas*, inquit, *quæ apud quoſcumque homines gratiam invenis*; Cujus egregium omnibusque notiſſimum habemus in Patriarcha Joſeph exemplum, ſiquidem ſacer Textus de illo ait: *Invenit Joſeph gratiam coram Domino*; Imo quocumque oculos & animum noſtrum convertamus, ſemper ipſum omnium ſibi corda rapuiſſe & attraxiſſe comperiemus; Etenim vix à fratribus ſuis, eo quod Patri ſuo ſpecialiter diligeretur in ſervum venumdatus, & in Putipharis poteſtatem traditus fuit, cum ecce ejus ſibi affectum ſubito mirabiliter comparavit, adeo ut tametſi ſervus ejus emptitius eſſet, omnium tamen bonorum ſuorum ipſum dominum & gubernatorem eſſe voluerit: *Omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod in mea non ſit poteſtate.* Poterat utique Putiphar ob impoſitam Joſepho calumniam, apprehenſum ipſum condemnare ſententia mortis; & tamen tolerabili ipſum carceri tantum adjudicavit. Et in carcere quid ei benevolentiæ accidiſſe dicam? In eo pariter ab omnibus amabatur: *Dedit ei Dominus gratiam in conſpectu Principis carceris, qui tradidit in manu illius omnes vinctos.* Et non obſtante quod ſervus eſſet emptitius, & carceris compedibus vinctus, Religionique Hebrææ Ægyptijs exoſæ deditus, in amicitiam ſe inſinuavit pincernæ Pharaonis; Imo ipſiuſmet Regis gratiam adeo ſibi devinxit, ut à compedibus brevi tranſierit ad regios currus, à manicis ferreis ad ſceptra, ad torques aureas à vinculis, è carcere ad regiam, à ſago ſervili ad purpuram regiam, & ut uno verbo edicam, à Rege audivit: *Uno tantum regni ſolio te præcedam.* Et quod majori admiratione dignum eſt, in hoc tam lubrico felicitatis ſtatu poſitus, dignitatem ſuam in conſpectu tot Satraparum & Principum regni illius, qui ſe uni Hebræo, & paulo ante ſervili mancipio cernebant eſſe ſubditos, adeo ſtabilire & munire novit, ut ne unus quidem, illorum ei obmutire aut contradicere præſumeret. Adhæc conſiderare poſſumus, quod dum in extrema illa totius Ægypti penuria & annonæ caritate, unusquisque procurandæ alimoniæ cauſa ad ipſum confugeret, ille pactos pro frumento denarios tanto cum rigore exigebat, ut hiſce deficientibus greges & armenta, ac tandem omnes ad ſe raperet poſſeſſiones, adeo ut Scriptura dicat: *Emit igitur Joſeph omnem terram Ægypti*: & tamen nuſquam conſtat, quod ex tanto populo vel unus hominum adverſus ipſum aliquod protulerit querimoniæ lamentum, adeo ſemper ex æquo Regis pariter & omnium ſubditorum ſibi conſervavit affectum. Cujus optimam Sanctus Zeno rationem aſſignat dum ait: *Rex jure ſecundus factus eſt regni, qui inſignis Rex erat ante pudoris.*

*S. Ephr. T. 1. de virg. & contin.*
Caſti ut Joſeph omnes ſibi habent affectos.
*Gen. 39. v. 4*

*Ibid. v. 8.*
*Ibid. v. 9.*

*Ibid. v. 21.*
*Ibid. v. 22.*

*Gen. 41. v. 41.*

*Gen. 47. v. 20.*

*S. Zeno de pudicit.*

3. Præterea homo caſtus ipſius quoque Dei ſibi comparat gratiam & benevolentiam teſte Sapiente qui in Eccleſiaſtici libro ait: *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata.* In peſſimo illo ſæculo in quo ipſomet Spiritu Sancto teſte, *Omnis caro corruperat viam ſuam*, nullus in univerſo genere humano reperiebatur, qui gratiam & amicitiam Dei non amiſiſſet, niſi ſolus Noë; unde in univerſali illo diluvio ſolus ipſe cum ſua familia commune evaſit naufragium. *Noë vero invenit gratiam coram Domino.* Sed quænam de ipſo ad poſteriorum memoriam in ſacra hiſtoria conſcribuntur opera aut facta heroica, unde hanc ſibi gratiam promeritus fuit? Num forte quod exemplo Abrahæ patriam & parentes dereliquit? Aut verò quia ad imitationem Iſaaci vitam ſuam propriam Deo in Sacrificium obtulit? Nihil horum in Scriptura Sacra de ipſo legitur, ſed hoc ſolum de illo dicitur: *Juſtus atque perfectus fuit ... ambulavit cum Deo*: & hoc totum eſt quod de ipſo quoad merita hujus ſibi comparatæ benevolentiæ in Scriptura Sacra legitur: Verumtamen doctiſſimus Oleaſter verba illa Scripturæ: *Noë vero cum quingentorum eſſet annorum genuit Sem*, maturè ponderans; ipſiſſimam attigiſſe videtur rationem, cur Noë tantam ſibi apud Deum compararit gratiam & benevolentiam, dicit enim: *Commendat valde caſtitatem & continentiam Noë qui quingentis annis cælibem vitam duxit, & ideo forte tam gratus Deo eſſe meruit, ut in toto terrarum orbe ſolus in oculis Dei juſtus videretur; de nullo etiam alio legimus tamdiu generationem diſtuliſſe.* Quod verò poſtea matrimonio ſe junxerit, id eum ex ſpeciali Divina inſpiratione credibile eſt, ea præcipuè de cauſa feciſſe, quia nimirum Deus ex toto genere humano, parvam quamdam ſcintillam, ejus videlicet familiam reſervare decreverat, ac proinde volebat, ut ipſe & familia ejus homines eſſent caſtiſſimi & continentiſſimè viventes, ut hac ratione ſicut reliquos totius generis humani homines propter incontinentiam diſperdebat, ita humanæ ſtirpis jacturas per viri alicujus caſtitatis virtuti addictiſſimi progeniem reſtauraret.

*Eccl. 26. v. 19*

*Gen. 6. v. 12.*
Caſti ut Noë gratiā apud Deum inveniunt.
*Gen. 6. v. 8.*

*Ibid. v. 9.*

*Gen. 5. v. 31.*
*Oleaſt.*

4. Nec eſt quod vobis perſuadeatis Joſephum ſolam ſibi hominum captivaſſe gratiam & benevolentiam, ſiquidem nec Deus ipſum umquam deſeruit, ſed individuam ei in ipſis quoque vinculis præ-

Caſtum Joſeph Deus nullibi deſeruit.

ſtitit

*Sap.10.v.13* ſtitit ſocietatem : *Deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum*; Et quidem tametſi veriſſimum ſit, quod *juxta eſt Dominus ijs, qui tribulato ſunt corde*, nihilominus in hiſce jam citatis Scripturæ verbis ſpecialiſſima quædam à Deo Joſepho exhibita aſſiſtentia exprimitur, quem licet ſemper intime dilexerit, pro illo tamen tempore, quo recenter glorioſam illam caſtitatis reportaverat victoriam, ſpecialiter ſe illi in auxilium & ſolatium præſto eſſe velle declarat. Unde Sanctus Ambroſius ait : *Quam beatum ego dixerim eum, cum in carcerem mitteretur, quia ſubibat pro caſtitate martyrium.*

*Pſ.33.v.19.*

*S.Ambr. l.de Joſeph.*

*Baron. in Appar. n.18.*

Propter Virginitatem ſybillis donum prophetiæ datum.

5. Cardinalis Baronius in Apparatu ad hiſtoriam Eccleſiaſticam, Sybillas Prophetiæ dono à Deo dotatas fuiſſe oſtendit, utpote quæ de Meſſiæ adventu multas tradiderunt prædictiones & vaticinia; Sanctus Hieronymus ab eodem Cardinali citatus addit, quod licet veri Dei lumen aut notitiam non habuerint, hoc tamen donum à Deo ſortitæ fuerint in præmium & retributionem virginitatis quam profitebantur.

*Jud.4.v.4.*

6. In libro Judicum legimus : *Erat autem Debbora Prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore*; Ubi in Hebræo pro Ly *uxor Lapidoth* legitur, *mulier lampadum*, quia *Lapidoth* ſignificat idem quod *fulgor*; atque ideo nonnulli interpretes multum dubitant, an maritata fuerit, ex quo videlicet Scriptura ipſius nomini apponit lampades quibuscum virgines cœleſti Sponſo occurriſſe noſcuntur; Quod ſi verum eſt, claret iterum qualiter mulier hæc Prophetiæ domo cumulata, & tamquam mulier & virago ſapiens in virginitatis præmium imperio adhibita fuerit populorum. Sic quoque in Actis Apoſtolorum legimus : *Intrantes domum Philippi Evangeliſtæ, ... huic erant quatuor filiæ virgines & prophetantes*, de quibus Oecumenius dicit : *Propter pudorem magis hoc aſſequebantur, ut etiam Prophetia dignæ haberentur.*

*Act.Ap.21. v.8. & 9.*

*Oecumen. ibid.*

Caſtis prophetiæ ſpiritus datur.

*Dan. 13. v.45.*

7. Quando Deus caſtiſſimæ Suſannæ innocentiam manifeſtare voluit, quonam ipſum medio uſum fuiſſe exiſtimatis? *Suſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel*, cui ob eximiam pudicitiam ſpiritum prophetiæ, donumque ſcientiæ & ſapientiæ protinus infudit. Ubi S.Ambroſius ait : *Secura eſt devicta caſtitas, ubi eſt judicatura virginitas, pudicitiæ autem cauſam niſi vir pudicus audire non meruit, talem arbitrum meretur caſtimonia, apud quem non periclitetur verecundia.* Denique quisquis Sanctorum vitas ſtudioſe legerit, illis utique, maxime ſi virginitatis laude præfulſerint certa quædam dona ſpecialia ad penetranda cordium arcana, ad prædicendum futura & patranda miracula, certosque viſionum, apparitionum, revelationum favores extraordinarios communicatos fuiſſe reperiet.

*S.Ambroſ. ibid.*

Caſti miracula faciunt.

8. Nemo eſt qui neſciat, quantopere S. Joannes Evangeliſta præ cunctis alijs Apoſtolis à Chriſto fuerit privilegiatus. Qua de re plenius à nobis dictum fuit in Promptuario ſacro Diſcurſu ſexto de ejus feſto. Porro de S. Joanne Baptiſta B. Petrus Damianus ait : *Tibi ô Joannes datum eſt, quod omnibus eſt negatum, baptizare eum, virginemque virginis filium virgineis manibus irrorare.* Adhæc quamdiu Eccleſia virgines habet, numquam in illa ceſſant miracula. De S. Stephano, cujus facies in teſtimonium virginitatis, ſicut vultus Angeli reſplenduit, S. Lucas dicit : *Faciebat prodigia & ſigna magna in populo.* S. Petrus in prima Epiſtola ſua ita ſcribit : *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confuſionem, ut qui non credunt Evangelio, per converſationem mulierum ſalvi fiant*; quaſi diceret : Tametſi Evangelium ad infideles convertendos plurimum valeat, nihilominus ſæpe efficacior eſt ad hunc finem aſſequendum continentia & virginitas, unde inſigniora miracula quibus Pagani fuere converſi, patrata fuere à virginibus, maxime in martyriorum ſuorum carnificina, in quibus pari cura & ſolicitudine fidei & virginitatis conſervationem zelarunt. Unde Sanctus Gregorius Nazianzenus in ſacris Poematibus ſuis ita inquit :

*S.Petr. Damian. ſerm. de S.Joan. Bapt.*

*Act.Ap. c.6. v.8.*

*1.Petr.4.v.4*

Infideles facilius convertunt.

*Nazianz.in precept. ad Virg.*

*Quis Theclam necis eripuit, flammæque periculo?*
*Quis validos ungues vinxit, rabiemque ferarum?*
*Virginitas (ô res omni memorabilis ævo)*
*Virginitas fulvos potuit ſopire leones,*
*Dente nec impuro generoſos virginis artus,*
*Auſi ſunt premere, & rigido diſcerpere morſu.*

Caſti omnia à Deo impetrant.

9. Habet inſuper caſtitas aliam quoque prærogativam, quod videlicet ad ſignaturam gratiæ liberrimum habeat aditum; quia virgines præ cunctis alijs Sanctis ſupplicationum ſuarum obtinent favorabilia reſcripta. Unde S.Zeno *de pudicitia* ait : *Per hanc à Deo Patre quod petitis, impetratis, imo illa per vos impetrat, pro qua ſolicitè laboratis.* Et Sixtus Papa hujus nominis III. inquit : *Serva integritatem, ſerva pudicitiam, habeto intra te caſtimoniam, cujus orationum ſuffragio tibi, ſi quid forte deliqueris, remittatur.* In vitis Patrum de quodam qui ante famoſiſſimus latro fuerat, legitur, quod tandem ſub diſciplina Paphnutij ad pœnitentiam reductus, in eaque per tres annos perſeverarit, ijsque evolutis anima ejus à corpore per mortem ſoluta in medio Angelorum ad cœlos viſa fuerit deferri. Sciendum verò eſt hanc ejus mutationem & converſionem ex merito alicujus eximij operis boni, quod latro etiamnum exiſtens pro ſalvanda virginis cujusdam pudicitia patrarat, ſuam habuiſſe originem, dicitur enim quod cum ſocij ejus huic virgini ad eam violandam vim inferre pararent, hic ſe illis fortiter oppoſuit, eamque è periculo ereptam ad parentum ſuorum ædes illæſam & intactam perduxit.

*S.Zeno l.1. ſerm.7. de laud. pudic.*

*Sixtus III. Papa ibid.*

Hiſtoria.

N. B.

10. Quinam obſecro ſunt, qui in Eccleſia per choros diſtincti Pſalmis in Dei laudem decantandis ſpecialiſſime vacant, orationique aſſiduè aſſiſtunt? numquid ij qui ſe perpetuæ caſtitatis voto Deo obſtrinxerunt? Eccleſiaſtici nimirum, ſive Clerus ſecularis, regularis & ſacrarum virginum monaſteria. Unde apud Iſaiam prædicetur : *Lauda ſterilis quæ non paris, decanta laudem & hymnum, quæ non pariebas quoniam multi filij deſertæ magis, quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus, dilata locum tentorij tui.*

*Iſa.54.v.1. & 2.*

Caſti iram Dei placant.

11. Caſti quoque per ſuas interceſſiones divinæ iræ flagella à nobis abarcent. Unde Spiritus Sanctus victoriam adverſus Holofernem obtentam caſtitati Judithæ potiſſimum attribuit, dum ait : *Feciſti viriliter, ... eo quod caſtitatem amaveris.* Sic quoque Deus in Apocalypſi jam quidem Epiſcopum Epheſinum eo quod in charitate refriguiſſet, atrociter caſtigare decreverat, verumtamen quia continenter vivebat, ſingularique caſtitatis tuendæ zelo ardebat, odio proſequendo Nicolaitas, qui impudicitiæ inverecunde nimis dediti erant, flagellum, quod paraverat retraxit. Sicut enim turpe carnis vitium iram Dei vehementer provocat, ita pudicitia & virginitas viciſſim facile eum placant & reconciliant. Denique S. Ephrem caſtos quoque in præmium continentiæ multis proſperitatibus cumulari notat : *Eos*, inquit, *Dominus diligit, qui in ſanctitate ipſi ſerviunt; poſſeſſio pretioſa eſt puritas in cogitatione recta, hanc ſi amaveris, à Domino glorificaberis, & in omnibus proſperaberis.*

*Judith 15. v.11.*

*S. Ephr. T.2. de virtute cap.9.*

Caſti hoſtes viſibiles & inviſibiles vincunt.

12. Eſt & alius hujus ſeminis valde utilis fructus, nimirum ingens facilitas quam habent caſti ad vincendas inimici tartarei tentationes, utpote quibus ab eadem caſtitatis virtute mirus vigor communicatur. Unde virgines præ cunctis alijs Martyribus majorem in ſupplicijs fortitudinem exhibuerunt, adeo ut Imperatores ſæpius exclamarint : *Unane nos virgo ſuperabit.* S. Auguſtinus ictum lethalem quem Holofernes à Judith accepit, non tam ejus pulchritudini, quam pudicitiæ attribuit, dum ait : *Nec fuit levitas ornatus, qui ad homicidium tanti capitis aptabatur, ſed viriliter egiſti, eo quod caſtitatem amaveris.*

*S. Aug. ſerm. 76. in Appendice.*

*Epheſ.6.v.10*

13. S. Apoſtolus ad Epheſios ita ſcribit : *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus : Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli, Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus; Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo & in omnibus perfecti ſtare.* Sed quærendum hic nobis eſt, quænam ſit hæc armatura, qua omnes inimici ictus hebetantur, quæ omnia adverſus nos à Dæmone evibrata tela inutilia reddit & obtundit? Audite quid idem Apoſtolus immediate ſubjungat : *State ergo ſuccincti lumbos veſtros*, quod idem eſt, ac ſi diceret : caſti eſtote & continentes, & nolite timere, quia per hoc ſcutum toti inferno reſiſtere prævalebitis. Circa eadem verò verba D. Chryſologus ait : *Sed dixiſſe ſuffecerat : Eſtote præcincti, cur lumbos potiſſimum nominat? quæris quare? quia in lumbis eſt tota corporis cauſa, ex lumbis tota carnis negotia ſuſcitantur, in lumbis tota eſt humani lapſus & humanæ fragilitatis occaſio.* Quæ ſententia optime cum alia ſimili Auguſtini doctrina conſonat, hic enim Sancti Ambroſij authoritatem citans ait : *Audi in libro de Philoſophia: bona continentia quædam velut crepido pietatis,*

*Ibid. v.11.*

*Ibid. v.12.*

*Ibid.v.13.*

*Ibid. v.14.*

*D.Chryſol. ſerm.24.*

*S. Aug. T.7. cont. Julian. l.2.c.7.*



*tis, namque in præcipitijs vitæ hujus labentium ſtatuit veſtigia ſpeculatrix ſedula, ne quid obrepat illicitum; mater autem vitiorum omnium incontinentia, quæ etiam licita vertat in vitium.*

Caſti Dæmonem ligant.

14. Sanctus Propheta Job Tyrannum infernalem nobis ſub immanis illius beſtiæ Behemoth figura depingit dicens : *fortitudo ejus in lumbis ejus... oſſa ejus veluti fiſtulæ æris, cartilago illius quaſi laminæ ferreæ... ecce abſorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus*: & tamen hoc non obſtante, eum ſæpe factum vidimus puellarum fragilium virtute in deriſum & ludibrium : *Numquid illudes ei quaſi avi? aut ligabis eum ancillis tuis?* Ita profecto ſe res habet, nam virgines quovis tempore ſe illum facillimo negotio vincere poſſe monſtrarunt. Lyranus prædictis verbis hanc gloſſam ſubnectit : *Sicut ego qui ligavi eum cum ancillis meis, virtutem ejus ſubjiciendo virginibus ſacris*; Sic enim Sanctam Margaritam & Sanctam Martham depingi videmus quaſi draconem pedibus earum ſubſtratum conculcantes. Dionyſius Carthuſianus eadem verba illa illuſtrat : *Ancillis ſuis Chriſtus eum ligavit, dum tot perſonis fœminei ſexus poteſtatem & gratiam prævalendi Dæmonibus contulit.*

*Job.40.v.11*

*Ibid. v. 12.*

*Ibid. v.13.*

*Ibid. v.18.*

*Ibid. v.24.*

*Lyran. ibid.*

*Dion. Carthuſ. ibid.*

15. Magi quidem Pharaonis ad æmulationem Moyſis Thaumaturgi, per incantationes ſuas fecerunt ſimiliter, ut ait Scriptura, nam aquas mutarunt in ſanguinem, virgas in dracones, terramque ranis impleverunt : at verò poſtquam Moyſes ex cineribus cinipbes ſeu muſcas produxit, ipſi quidem eum æmulari conati ſunt, ſed fruſtra & incaſſum, unde Moyſi cedere coacti dixerunt : *Digitus Dei eſt hic.* Ubi Rupertus Abbas ait; *Ex hujuſmodi cohortibus contra fortes Ægyptios compoſuit acies.* Sic quoque Deus formidabiles & crudeles fidei & Eccleſiæ ſuæ Tyrannos confundere volens, tenellarum virginum adhibuit conſtantiam, effecitque ut hæ per fortitudinem ſuam confunderent Imperatorum potentiam : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, virgines enim ad vincendum & proſternendum quemvis eas infeſtantem inimicum, viribus armatæ ſunt humana fragilitate longe ſuperioribus, *ut ſublimitas ſit virtutis Dei.* Non igitur fruſtra de muliere dicitur : *Mulierem fortem &c. confidit in ea cor viri ſui*; quia ſponſus cæleſtis, ut ſuam adverſus Tyrannos & perſecutores fidem ſuſtentaret, omnem ſuam in hoc debili puellarum ſexu collocaſſe videtur fiduciam, quia amor & zelus, quo virginitatem ſuam tuentur, ad heroica opera & invincibilem quamdam excitat conſtantiam.

*Exod.8.v.18*

*Ibid. v.19.*

*Rup.Abb.l.2. in Exod.*

*1.Cor.1. v. 27.*

*Prov.31. v.10.*

*Ibid.v.11.*

## DISCURSUS IX.

### ARGUMENTUM.

Honeſtas velut verum Dei templum corpus purificat & mundat, quod tamen non præſtat, niſi fuerit cum puritate interna intime conjuncta; hanc vero etiam poſt illatam corpori violentiam minime perdi multis rationibus & exemplis convincitur.

### THEMA.

*Caſte viventes templum ſunt Spiritus Sancti.*

Corpus Caſtum Dei fit templum.

1. HÆc propoſitio ab ore S. Luciæ prolata majorem fidem obtinuit, poſtquam ipſa utpote virgo puriſſima cœleſti ſponſo ſuo per virginitatis votum perpetuo conſecrata à S. Agatha ſibi ad ſepulchrum ejus in Catania oranti è Paradiſo ſplendide apparente, tamquam cælitus dictatam veritatem dici audivit : *Jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparaſti.* Ubi notanda eſt dictio illa : *Jucundum*; quale enim Creator gaudium habere poterat in creatura aliqua adeo vili, qualis homo eſt, de quo dicitur, quod ſit *putredo & vermis?* Et tamen idem Creator Deus, hoc non obſtante, de ſe proteſtatur dicens : *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum*, maximè ob virginitatem, ex qua paſcitur & reficitur, *Qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies.* Porro V. Beda ſuper præcitatum ex Proverbijs textum dicit : *Chriſtus ſumme deſiderat in animis noſtris quieſcere; in iisque quaſi in templo & ſacrario ſuo habitare*; quod quidem templum caſtitas conſecrat, ipſique Deo gratiſſimum habitaculum & domicilium delicioſiſſimum efficit : *Caſtè viventes templum ſunt*; ac proinde S. Ambroſius in Epiſtola quadam ad virgines dicit : *Quid loquar, quanta ſit virginitatis gloria, ut eſſet etiam corporale Dei templum, in qua habitavit plenitudo Divinitatis*; Et alibi idem S.Doctor ait : *Quanta eſt virginitatis gratia, quæ meruit à Chriſto eligi, ut eſſet etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo virginitatis? Virgo genuit mundi ſalutem.* Etenim primus Dei in mundum adventus attribuendus potiſſimum eſt virginitati; Ac proinde ſi Cælum templum denominatur : *In templo ejus omnes dicent gloriam*; Chriſtum de uno ad aliud templum Beatiſſimum ſcilicet virginis uterum tranſiiſſe dicere poſſumus, non enim ſancta mater Eccleſia virginem hoc epitheto ſine myſterio honorat dicens : *Beata Dei Genitrix Maria templum Domini.*

*Job 15. v.6.*

*Prov.8. v.31*

*Cant.6. v.2.*

*V. Beda, ibid.*

*S.Ambr. l.3. Epiſt.25.*

*S. Ambr. l.1. de offic.*

*Pſ.28. v.9.*

B.V. Mariæ ob puritatem ſuam varij attribuuntur tituli.

2. S. Ambroſius de virgineo Mariæ utero, in quo Verbum caro factum eſt, diſſerens, de eodem haud ſecus ac de loco quodam in Dei honorem conſecrato loquitur dicens : *Immaculatus Dominus immaculatam ſibi famulam, etiam in hoc pleno colluvionum fragilitatis humanæ corpore conſecravit*; Neque ſolum Deipara ob infinitam ejus puritatem Dei templum vocari meretur, verum etiam ſanctuarium Spiritus Sanctis *Sacrarium Spiritus Sancti*, de quo S.Bernardus ita ſcribit : *Quæ vel Angelica puritas dignitati illi audeat comparari; quæ digna fuit Spiritus Sancti ſacrarium fieri, & habitaculum filij Dei*; Ecce qualiter propter eximiæ virginitatis merita ſpecialiſſimè digna facta fuerit; ut habitaculum fieret Spirit. S. & templum Altiſſimi; advertendum eſt autem quod Eccleſia, poſtquam illam intimat, ut ſacrarium Spiritus Sancti, immediate ſubjungat : *ſine exemplo placuiſſe Domino*, per virginitatem videlicet, nam ut idem præ cæteris omnibus Beatiſſimæ Virgini devotiſſimus inquit : *Virginitate placuit.*

*S. Ambr. l.1. de Virg.*

*S.Bern. ſer.4. de Aſſumpt.*

3. Enimvero Tertullian. tametſi omnes fidelium animas myſtica Dei templa appellat, nihilominus qualiter deinceps diſcurſum ſuum proſequatur, audite; dicit igitur : *Nam cum omnes templum ſimus Dei, illato in nos & conſecrato Spir. S. ejus templi æditua & antiſtes pudicitia eſt, quæ nihil immundum & profanum inferri ſinat, ne Deus ille, qui habitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* In alio quoque loco, ubi de pudicitia diffuſe diſſerit, hoc nobis documentum, ſcilicet quod pudicitia corpus noſtrum purificet, ut ita loquar, Deo conſecret, ut dignum Spiritus Sanct. habitaculum fiat; mentibus noſtris firmiter imprimere conatur, dicens : *Diſciplina igitur Apoſtolorum proprie quidem inſtruit ac determinat principaliter ſanctitatis omnis erga templi Dei Antiſtitem, & ubique de Eccleſia eradicantem omne ſacrilegium impudicitiæ*; Et quidem licet omnes virtutes Chriſtianæ ad recipiendum Deum animarum noſtrarum habitaculo magni ornamenti loco deſerviant, attamen pudicitia & caſtitas ſpecialiter animas in templum Dei conſecrant, utpote quæ in Diſcurſu ſexto ſupra vidimus, nomen & effectus ſortita eſt ſanctificationis, ac proinde per hanc *ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Unde S.Cyprianus diſcipulos ſuos digniſſimis hiſce verbis exhortari conſueverat : *Quamvis ad multa vos negotia, ad divinæ monitionis præcepta, ſemper, ut ſcitis, exhorter, tamen ut præcipue pudicitiæ clauſtra teneatis admoneo, ſcientes templum eſſe vos Domini, membra Chriſti, habitationem Spiritus Sancti, electos ad ſpem, conſecratos ad fidem, deſtinatos ad ſalutem, filios Dei, fratres Chriſti, conſortes Spiritus Sancti, nihil jam carni debentes, quaſi renatos ex aqua & pudicitia.*

*Tertull. l.de cultu fœm. cap.1.*

*Tertull.de pudic. c.20.*

*S.Cypr.de bono pudicit.1.*

Conſtantinus multum honorabat Virgines.

4. Euſebius de Conſtantino refert, eum virgines tali ſemper proſecutum eſſe veneratione, ut quaſi divinis illas honoraret obſequijs : *Virginum chorum tantum non adorabat*: quaſi dicere vellet : ſolo excepto cultu latriæ, in reliquo tanto eas venerabatur honore, haud ſecus ac ſi viva templa Dei eſſent; nec mirum, nam ubi nos cum vulgata legimus : *Apprehendite diſciplinam*, ex Hebræo ita vertitur : *Adorate puritatem.* S. Ignatius Martyr in Epiſtola quadam ad Tharſenſes, eosdem virgines impenſe ut honorent, monens inquit : *Quæ in virginitate degunt, in pretio habete, velut Chriſtus Sacerdotes.*

*Pſ.2. v.12.*

*Euſeb.l.4.de vit. Conſt.*

*Baron. An. 57. n.55.*

Grata Deo victima corpus caſtum.

*Cant.1.v.9.*

5. Sponſus cœleſtis genas ſponſæ commendare volens, hoc illas in ſacris Canticis encomio depingit : *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Ubi quærendum venit, quamnam turtures cum caſtitate & verecundia virginali proportionem habeant; ſed reſponſio in promptu eſt, ſcilicet ideo ipſum hac comparatione uti, quia genæ ſunt, quæ propter verecundiam purpura velut obteguntur. Idem verò Martyr opinatur, Sapientem, dum hæc verba ſcriberet, ad victimas reſpexiſſe, quæ in templo ſacrificabantur, neque enim ibi ſola offerebantur animalia quadrupedia, ſed & volatilia inter quæ tamen turtures non infimum locum

*S. Ignat. Mart. in Ep. ad Tharſ.*

cum obtinebant; vult igitur Sponſus ex mente hujus Martyris dicere, quod gratiſſimum, quod Deo offerre poſſumus ſacrificium, caſtitas & verecundia virginalis erant: *In pudicitia permanentes ſunt velut altare Dei, in quo quotidie ſacrificatur turtur, id eſt, caro ipſarum;* Id quod optime cum eo conſonat, quod S. Iſidorus ſuper illa verba Pauli: *Hoſtiam viventem, ſanctam Deo placentem,* ſcribit: dicit enim: *Pulcherrima victima eſt, piam mentem & carnem caſtam habere.*

S. Iſid. Peluſ. l. 3. & Ep. 25

Dei templũ.

S. Ephrem. T. 1. ſer. de virgin.

6. S. Ephrem in pluribus locis de hac virtute ſcribens, eamdem templi divini nomine honorat: *Contende,* inquit, *aſſidue, ut templum fias Dei ſanctum & immaculatum, quod ſi templum tuum ſic Deo præparaveris, ipſe pro mercedis retributione delicias ac jucunditatem Paradiſi tibi largietur.* Porro in templis ſacris imaginibus cultus & veneratio exhibetur, atque ideo eumdem S. Ephrem ad hunc cultum alludentem auſcultemus; Dicit enim: *Cupis eſſe caſtum & immaculatum templum Dei? Imaginem Dei in corde tuo ſemper habeto, imaginem inquam, non colorum varietate in ligno aliaque materia efformatam, verum illam, quæ per bona opera, uti jejunia, vigilias, honeſtas actiones, continentiam, & orationes mirabili quodam modo pure jugiterque depingitur in anima.* Ubi bene obſervandum, quinam ſint hujus imaginis colores: *Colores imaginis, recte facta ſunt, & cogitationes mundæ.* In tertio Tomo, ubi de timore Dei tractat, munditiem & puritatem corporum nobis commendare volens, ita ſcribit: *Qui ſancte ac caſte conſervat membra Chriſti, ſanctificatur, at qui corrumpit templum Dei, deſtruet illum Deus, ait Scriptura divina.* Paulo poſt ad puras & caſtas cogitationes alludens, noſque ad arcendas à nobis turpes cogitationes exhortans, ita monet: *Excute memoriam earum magis, quam pravum odorem cœni atque cloacæ, quemadmodum incenſum oblectat odoratum, ſic & in caſtitate lætatur Spiritus Sanctus & in homine demoratur.* Certũ namq; eſt, quod tunc cor & pectus noſtrum, veluti templum Dei & Spiritus Sancti gratum Deo futurum ſit, quando modo prædicto perfecte fuerit emendatum.

S. Ephrem T. 3. de Tim.

Caſtitas mundificat.

S. Bonav. l. 2. de prof. Rel. c. 53.

7. S. Bonaventura inter alios caſtitatis effectus hunc quoque recenſet, ſcilicet: *Corpus mundificat;* ſi non eſſet alia merces caſtitatis, quam præſens munditia, caſtitatis honeſtas eſſet amplectenda. Hæc autem mundities, ut idem Sanctus & Seraphicus Doctor in ſermone quodam, qui eſt primus de S. Ambroſio, ſcribit, in omnibus pene rebus exigitur, *anima eſt caſta,* inquit, *quando caſta ſunt corda, caſta ſunt verba, & caſta ſunt opera;* ubi SS. veterum Patrum adducit teſtimonia, qui de illa hunc in mundum ſcripſerunt: *Illi non ſunt dicendi caſti, qui ab opere carnis abſtinent, niſi voluntate caſtus ſit animus, caſtus affectus, & caſti ſint omnes ſenſus.* Porro ad hoc templum myſticum expoliendum non requiritur ornatus & elegantia externa, ſed ſola interna. Unde S. Auguſtinus *de virginitate* ita ſcribit: *Interiorem veſtram pulchritudinem quærit, ubi vobis dedit poteſtatem filios Dei fieri; non quærit à vobis pulchram carnem, ſed pulchros mores, quibus frænetis & carnem.* Et ideo hic virginitatis theſaurus in corde recludendus eſt quia honeſtas corporalis & exterior ſine ſpirituali & interiori nequaquam ſufficit. Petr. Bleſenſis proinde ad Anſelmum inquit: *Serva cor tuum omni cuſtodia, ut poſſideas vas tuum in ſanctificatione, theſaurus namque pudicitiæ incorporalis eſt.*

S. Bonav. ſerm. 1. de S. Ambroſ.

Hi veri caſti qui mente & corpore caſti.

S. Aug. T. 6. l. de S. Virg. c. 55.

Petr. Bleſ. Epiſt. 35.

Proſecutio.

Iſa. 56. v. 4.

Ibid. v. 5.

8. Apud Iſaiam continentibus hæc à Deo præſtatur promiſſio: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbata mea,... dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius, &c.* Quem textum S. Antonius de Padua hoc modo interpretatur: *Qui cuſtodierint ſabbata mea, id eſt, cordis munditiam, quæ eſt pectoris, & elegerint quæ volui, id eſt, continentiam cordis, de qua dicit Apoſtolus* 1. ad Theſſ. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut ſciat unusquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderij, id eſt, corpus ſuum;* quibus verbis ſanctus hic Prædicator nos monet, ut magna cum ſolicitudine corpus, cor, & mentem puram ſervare ſtudeamus, nam ut S. Iſidorus inquit: *Nihil prodeſt incorruptio carnis, ubi non eſt integritas mentis, nihilque valet mundum eſſe corpore, qui pollutus eſt mente.* Eamdem quoque doctrinam S. Baſilius in lib. *de vera virginitate* nobis inculcat dicens: *Nulla ex parte mœchari convenit virginem, non lingua, non aure, non oculis, non tactu, non ullo denique ſenſu,* ac tandem in fine concludens dicit: *Multoque minus animo.* S. Auguſtinus autem ante omnes alios hanc eamdem doctrinam tradidit, nam in lib. *de vera virginitate* & ipſe præſcribit: *Neque enim & ipſa quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur, quæ licet in carne ſervetur, ſpiritus tamen religione ac devotione ſervatur, ac per hoc ſpiritualis eſt etiam virginitas corporis, quam fovet & ſervat continentia pietatis; ſicut enim impudice nemo utitur corpore, niſi ſpiritu prius concepta nequitia, ita nemo pudicitiam ſervat in corpore, niſi ſpiritu prius inſita caſtitate.*

S. Ant. de Pad in Domin. 2. Adv.

S. Iſid. l. 2. ſent. c. 40.

S. Baſil. de vera Virg.

S. Aug. ibid. cap. 8.

9. Eſtque hæc doctrina adeo vera, ut tametſi violenter violaretur corpus virginis, dummodo voluntas reſiſtat, & ſervetur interius illæſus amor & propoſitum virginitatis, non propter hoc animæ caſtæ templum profanatum eſſe cenſeatur. D. Chryſoſtomus ſuper illa verba ad Theſſalonicenſes: *Spiritum nolite extinguere* dicit: *Hoc eſt, gratiam, ita mos eſt ei, vocare & gratiam ſpiritus, eam autem extinguit vita immunda.* Ex hoc motivo Paſchaſij Tyrannus S. Luciam ad proſtibulum duci præcepit, quia videlicet ſancta hæc virgo dixerat: *Caſte viventes templum ſunt Spiritus Sancti;* cui proinde ſacrilegus Tyrannus ſubjunxit: *Jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus Sanctus deſerat:* Qua occaſione ſancta Martyr veritatem hanc toti mundo teſtatam fecit, quod videlicet templum corporis virginei per illatam ei violentiam violari non poſſit: Sic enim affabatur Tyrannũ: *Si me invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Unde Sanct. Ambroſius ait: *Ubicumque virgo eſt, Dei templum eſt, nec lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas etiam loci abolet infamiam.* Unde poſtquam S. Agnes in infamem turpitudinis locum perducta fuiſſet, ipſa in virginitatis propoſito conſtantiſſime perſeverante, proſtibulum protinus converſum eſt in venerabile Sanctuarium, in quod etiam ipſimet Angeli ingredi non dubitarunt; unde canit Eccleſia: *Ingreſſa Agnes turpitudinis locum, Angelum Domini præparatum invenit.*

Virginitas violari non poteſt etiam cum violentia niſi adſit conſenſus.

1. Theſſ. 5. v. 19.

D. Chryſ. Hom. 11. ib.

S. Ambr. l. 2. de Virg.

10. Qua de re S. Auguſtinus in capite quodam l. 1. *De civitate Dei* eximie diſcurrit dicens: *Sed cum pudicitia virtus ſit animi comitemque habeat fortitudinem, quæ potius quælibet mala tolerare, quam malo conſentire decernat, nullus autem magnanimus & pudicus in poteſtate habeat, quid de carne ſua fiat, ſed tantum quid annuat mente vel renuat; quis tandem ſana mente putaverit ſe perdere pudicitiam, ſi forte in reprehenſa & oppreſſa carne ſua exerceatur, & expleatur libido non ſua? ſi enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit.* Paulo poſt tandem hanc virtutem in firmo & ſtabili ſe illæſam & intactam conſervandi propoſito conſiſtere, his verbis ſubjungit: *Quocirca propoſito animi permanente per quod etiam corpus ſanctificari meruit, nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ.* Quam authoritatem S. Thom. Aquinas ad idipſum probandum adducit, ubi & ipſe huic opinioni ſubſcribit; ac proinde fruſtra & incaſſum Tyranni laborabant, quando ſanctas ejusmodi virgines laſcivorum hominum libidini proſtituebant, qui pudicitiam earum contemerarent, quia potius ad augendum ipſarum meritum cooperabantur, quam aliquod pudicitiæ præjudicium inferrent, juxta jam allegatam S. Luciæ ſententiam. Unde S. Thom. Doct. Angelicus eamdem S. Auguſt. doctrinam conſectando, Virginitatem ita definit: *Virginitas & continentia, qua integritas carnis ipſi Creatori animæ & carnis vovetur, conſecratur & ſervatur;* quod v. corporis attinet integritatem, hæc tunc intelligitur ſervari, quando idipſum in potentia & facultate arbitrij noſtri conſiſtit.

S. Aug. l. 1. de Civ. Dei cap. 18.

S. Tho. 2. 2. Q. 152. A. 1.

S. Tho. Aqu. ibid.

S. Auguſt.

11. Celeberrimum eſt facinus illud, quod in ſæviſſima Decij & Valeriani perſecutione contigiſſe his verbis narrat S. Hieronymus. *Hoſtis callidus tarda ad mortem ſupplicia exquirens, animas jugulare cupiebat, non corpora,* nam Decius *adoleſcentem juvenili ætate florentem in amœniſſimos hortulos adduci præcepit, ibique inter candentia lilia & rubentes roſas cum leni juxta murmure ſerperet rivus, & molli ſibilo arborum folia ventus ſtringeret, ſuper ſtratum plumis lectulum ſupinari, & ne inde ſe excutere poſſit, blandis ſcortorum nexibus irretitum relinqui, quò cum recedentibus cæteris meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis ſtringere colla complexibus, & (quod dictu nefas eſt) manibus attrectare virilia. Quid ageret miles Chriſti quo ſe converteret, neſciebat, & quem tormenta non vicerant, ſuperabat voluptas; tandem cœlitus inſpiratus præciſam mordicus linguam in oſculantis ſe faciem expuit, ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperavit.* Qua in hiſtoria valde conſiderabilis eſt circumſtantia illa, quam S. Hieron. notat, ſcilicet quod cælitus inſpiratus hoc fecerit, per hoc namque dicere velle videtur, quod quidquid ea intentione fecit,

Exemplum.

S. Hier in vit. S. Pauli Primi Erem.

1.



cit, ex ſpeciali Chriſti inſtinctu ab eo factum fuerit, abſque ullo præjudicio caſtitatis, quamdiu in propoſito non conſentiendi perſeveravit; juxta irrefragabile axioma illud: *Non nocet ſenſus, ubi non adeſt conſenſus.*

2.

In vita S. Franciſci de Sales.

12. In vita S. Franciſci de Sales legitur, quod dum Paduæ ſtudijs operam daret, nonnulli qui ejuſdem cum ipſo ſtudij collegæ & condiſcipuli erant, Franciſcum *non ita caſtum, ut ſuis ſe moribus & verbis faciebat, autumantes, vel ſi revera eſſet, oblata forſan peccandi conſuetudine caſurum à propoſito meditantes, virtutem ejus decreverint experiri;* ac proinde in illam civitatem novum quemdam ſcientiarum doctiſſimum Profeſſorem adveniſſe finxerunt, non dubitantes, quin Franciſcus, ut erat litteratorum amantiſſimus, eum protinus inviſurus eſſet; interea quamdam pulcherrimam aſpectu mulierculam ſubornarunt, quæ ſe dicti Doctoris conjugem eſſe ſimulans ei occurreret, & Doctoris illius ficti adventum operientem lenocinijs verborum ſuorum ſolicitaret, & in laqueos pelliceret; Cum igitur ſolus cum ſola in cubiculo moraretur, licet nullam in Franciſco notaret illiciti amoris correſpondentiam, laſciva mulier à verbis ad facta illecebroſa progredi volens, in ejus amplexus corruit: *at Franciſcus principijs obſtandum gnarus, inclementer eam repulit, & credebam me, inquit, cum honoris fœmina converſari, & virtutis hoſpitium intraſſe, ſed, ut video, lupanar eſt, & tu proſtibulum; riſit ad hæc verba meretrix, & non fieri poteſt, dixit, ut tu cum nobilis ſis & formoſiſſimus, non ames, nec ex oculorum tuorum radijs crudelitatem conjicerem? erupit mox in amplexus, ſed caſtigatum denuo acri objurgatione ſcortum abegit à ſe Franciſcus, nec non collectam ubertim ſalivam, indignationis ſuæ teſtimonium in effrontem vultum exoneravit; exclamavit ſpreta & deformata fœmina, velut ad incendium, fugerunt huc & illuc ſocij, qui per foris rimulas ſtrophæ exitum expectabant.* Ecce tibi qualiter ambo hi juvenes in ſimili prorſus voluptatis experiendæ certamine poſiti, purum & mundum conſervarint pudicitiæ ſuæ templum; Et fortaſſis apud Deum, *qui ſcrutatur renes & corda;* Franciſci copioſam ſalivam in ſcorti faciem expuentis meritum nequaquam minus fuit merito illius, qui in ſimilis proſtibuli vultum præciſam dentibus linguam ſuam exploſerat.

3.

S. Ambr. l. 2. de Virg.

13. S. Ambroſius de pulcherrima quadam virgine Antiochena refert, quod cum eidem à Judice præciperetur, ut vel ſacrificium immolaret Idolis, aut vero in lupanar ad laſcivorum libidinem proſtitueretur: *puella fugere neſcia, pavida ne incideret inſidiatores pudoris, animum ad virtutem paravit, tam religioſa; ut mortem non timeret, tam pudica, ut expectaret. Venit coronæ dies, maxima omnium expectatio, producitur puella, duplex profeſſa certamen, & caſtitatis & religionis; ſed ubi viderunt conſtantiam profeſſionis, metum pudoris paratam ad cruciatus, erubeſcentem ad aſpectus, excogitare cœperunt, quemadmodum ſpecie caſtitatis religionem tollerent, ut cum id abſtuliſſent, quod erat amplius, etiam id eriperent, quod reliquerant, aut ſacrificare virginem, aut lupanari proſtitui jubent; flevit & tacuit, ne eam vel loquentem adulter audiret; Exiſtimate utrum adulterare potuerit corpus, quæ nec vocem adulteravit? Claudite aures virgines Dei, ducitur puella Dei ad lupanar; ſed aperite aures virgines Dei, virgo proſtitui poteſt, adulterari non poteſt;* Subjungitque Sanctus Præſul hac occaſione ſupradictam ſententiam: *Ubicumque virgo eſt, Dei templum eſt, nec lupanaria &c.* Denique S. Doctor orationes virginis annectit, quas coram cæleſti Sponſo ſuo expoſuit, rogando ut qui olim Danielem à leonibus præſervaverat, Suſannam quoque ab adulteris, & tres pueros à fornace ignis tutatus fuerat, ſuam quoque tueri & defendere pudicitiam dignaretur, moxque ad propoſitum noſtrum inquit: *aruit dextera, quæ templi tui dona violabat, nunc templum ipſum attrectatur tuum, nec patiaris inceſtum ſacrilegij, qui non paſſus es furtum; benedicatur & nunc nomen tuum, ut quæ ad adulterium veni, virgo diſcedam.* Dictum, factum; nam mox miles quidam in eodem loco comparuit, qui virginem militari chlamide induit, ut ſic evaderet, ipſe verò virginis veſte indutus ibi remanſit, factus virginis liberator & cuſtos.

14. Simili quoque ſtratagemate omnibus notiſſimo S. Lucia carnis ſpurcitias evaſit, cum enim hæc ad proſtibulum duci juſſa fuiſſet, omnibus ad hoc adhibitis machinis nihil efficere potuerunt adverſus eam, quæ loco immobiliter affixa permanſit: *Tanto pondere fixit eam Spiritus Sanctus, ut virgo Chriſti immobilis permaneret.* Quodnam obſecro pondus hoc fuit? Undenam hæc omnibus humanis viribus ſuperior virginis immobilitas? Sapiens inquit: *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata, omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ;* Ecce tibi pondus, ſcilicet quo erga pudicitiam ſuam conſervandam ferebatur amor & zelus; unde cæleſti Sponſo ſuo dicere poterat: *Amor meus,* quo te proſequor, *pondus meum eſt;* nimirum Chriſtus animam S. Luciæ puriſſimum & mundiſſimum Dei templum manere, illudque nec in mente, nec in carne ulla ratione profanari voluit. Bene igitur S. Nilus monet dicens: *Exerce puritatem in corde & caſtitatem in corpore, ea enim utraque templum Dei te efficiunt.* Et S. Bernardinus *de pudicitia* ait: *Eſt virtus animi, quæ violentiam non ſentit, corpori namque vis infertur, non animo, quamvis corpus violenter corrumpatur, ſi pudicitia mentis conſervatur illæſa, tamen caſtitas duplicatur, non inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis.*

Eccle. 26. v. 19. & 20.

S. Nilus in cit. par.

S. Bern. T. 2. ſer. 47. A. 1.

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

Caſtitas ad ſcientiam & ſapientiam comparandam plurimum confert, quia continentes plus de divino lumine participant, ſuntque ad ſacrarum litterarum intelligentiam, cæleſteſque illuſtrationes & revelationes capiendas magis diſpoſiti.

## THEMA.

*Quæ autem deſurſum eſt ſapientia primum quidem pudica eſt,* Jacob 3. ℣. 17.

Caſtitas ad ſapientiam comparandam multum confert.

Corn. à Lap. ibid.

1. SAnctus Jacobus Apoſtolus inter effectus qui à pudicitia & caſtitate dimanant, unum recenſet magnopere æſtimandum, videlicet cæleſtium myſteriorum claram ſcientiam & cognitionem, ſiquidem juxta Cornelij à Lapide expoſitionem, per hanc ſapientiam de qua loquitur, fidei noſtræ myſteria, doctrina & dogmata Theologica, Scriptura Sacra, & omnia quæ ad Chriſtiani hominis intelligentiam pertinent, intelliguntur S. Thom. D. Angelicus, qui, ut omnibus notum eſt, puritate virginali mirificè condecoratus, pariterque in materiarum Theologicarum & Sacræ Scripturæ intelligentia ſupra modum illuminatus fuit, ſuper præcitata S. Jacobi verba ita ſcribit: *Hic eſt primus color in pictura ſapientiæ qua reformat imaginem Dei in anima per peccatum deformata, ſcilicet candor pudicitiæ.* Sanctus item Thomas de Villa nova Valentinus quondam Archiepiſcopus obſervat, quod S. Paulus gentium Doctor primo nobis virginitatem perſuadere nitatur, ut demum ſcientiam nobis inſinuat: *Ob id præcipuè Apoſtolus virginitatem hominibus perſuadere conatur, ut ſic melius ſpiritui & contemplationi vacetur, ſciens quia ſine pudicitia fruſtra quis conabitur ad ſapientiam.* Clemens Alexandrinus in Pædagogo ſuo, ſapientiæ velut nutritium pudicitiam aſſignat: *Domi, foris,* inquit, *ſemper comes eſt ſapientis pudicitia.*

S. Thom. ibid.

S. Thomas Villa nova ſerm. de S. Doroth.

Clem. Alex. l. 3. Pædagog. c. 5.

2. In vita B. Laurentij Juſtiniani legitur, quod dum in ætate eſſet novemdecim annorum, Divina Sapientia ipſi in viſione quadam exhibita fuerit in ſpecie pulcherrimæ virginis, quæ ſplendore ſuo ſolem longe ſuperabat, quæ ſe illi in Sponſam obtulit; interrogata autem ab eo quænam eſſet, reſpondit: *Ego Dei Sapientia;* quod Laurentius audiens, ſe illi arctiſſimè jungere non diſtulit, illæſum conſervando candorem virginalem, ſeque in ſtatu Religioſo per perpetuæ caſtitatis votum adſtringendo; unde demum adeo factus eſt eruditus & ſcientiſſimus, prout doctiſſimi & devotiſſimi ejus libri clarè ſatis demonſtrant, quibus Dei Eccleſiam plurimum illuſtravit.

In vita B. Laur. Juſt.

3. Conſiderabilia ſunt illa S. Pauli verba, in quibus ad Corinthios ſcribens poſt enumeratos multos virtutum actus, immediate poſt caſtitatem ſcientiam & ſapientiam protinus ſubjungit, dum ait: *In laboribus, in vigilijs, in jejunijs, in caſtitate, in ſcientia;* quaſi individuas comites eſſe agnoſcat caſtitatem & ſcientiam. Unde Caſſianus in quadam collatione ſua ait: *In qua virtutum conjugatione evidentiſſime nos voluit erudire de caſtitate ad ſcientiam perveniri.*

Caſtitas & ſapientia ſociæ individuæ.

2. Cor. 6. v. 5.

Caſſian. Collat. 14. n. 16.

4. S. Auguſtinus in libro *de ſancta virginitate* verbis S. Jacobi nos hortatur dicens: *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Domino qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei;* Protinus autem ſubjungit: *Sapientes autem eſſe virgines decet, ne lampades earum extinguantur;* Per lucem verò Chriſtum ſcientiæ

S. Aug. de S. Virg. c. 42.

tiæ & ſapientiæ myſteriorum ſacrorum Magiſtrum intelligit, ac proinde ſancta Mater Eccleſia Doctoribus verba illa adaptat: *Vos eſtis lux mundi*; Aptiſſimè igitur lampades ſapientum & prudentum virginum manibus inſeruntur; Ad quas Clemens Alexandrinus alludens, ita ſcribit: *Prudentes animæ, & mundæ ut virgines, cum intelligant ſitas ſe eſſe in humana inſcitia, lumen accendunt, & mentem excitant, tenebras illuminant, & ignorationem expellunt.*

*Clem. Alex. l. 5. Strom. c. 2.*

Exemplum. *Petrus de Natal. l. 2. c. 69.*

5. De S. Gregorio Nazianzeno, qui jure per antonomaſiam Theologus appellatur, Petrus de Natalibus refert, duas die quadam coram ipſo puellas apparuiſſe venuſtiſſimas, quas ille caſtitatis inſtinctu oculo torviore reſpiciens, quænam eſſent, & quid ſibi vellent, percunctaretur: At illæ familiarius eum amplectentes ajunt: Ne moleſtè capias juvenis, altera ex nobis ſapientia, altera caſtitas dicitur, miſſæ ſumus tecum habitare, quia jucundum ſatis & mundum in corde tuo habitaculum præparaſti.

6. In vita B. Henrici Suſonis legitur, quod ſummo erga divinam & æternam Sapientiam amore exarſerit, ac proinde ſpeciale de ipſa compoſuerit officium, quod ijs qui eidem Sapientiæ devotione addicti erant, ſæpius legendum præbuit, unde communi nomine *Miniſter æternæ Sapientiæ* appellari ſolebat; Quis autem eſt qui neſciat ipſum pariter magnum & zeloſum amatorem fuiſſe pudicitiæ & caſtitatis?

*In vit. B. Henrici Suſonis c. 4.*

7. Omnes olim in Ægypto ſcientiæ mirifice vigebant; unde S. Scriptura de Moyſe teſtatur dicens; *Eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum*; & tamen ſcimus quod, tametſi Joſeph Patriarcha litterarum ſtudio nullam umquam operam dederit, quia quamdiu ſub diſciplina Patris ſui fuit, pecorum cuſtos & paſtor fuit; ſub Putipharis autem poteſtate conſtitutus continuo ad labores adſtrictus fuit, quia *manus ejus in cophino ſervierunt*; Rex Pharao ei hoc teſtimonium perhibuit, quod inter omnes Statuum ſuorum Conſiliarios, omneſque Regni ſui ſapientes, nullus ipſo ſapientior eſſet: *Numquid ſapientiorem & conſimilem tui invenire potero*; Hujus autem miræ ſapientiæ Philo cauſam aſſignans, de increata Sapientia dicit: *Quia delectabatur honeſtate pueri, accendebat ejus ingenium.*

*Act. Ap. c. 7. v. 22.*
Caſtitas Joſeph ſapientem fecit.
*Pſ. 80. v. 7.*
*Gen. 41. v. 39.*
*Philo l. de Joſeph.*

Ob caſtitatē SS. Joannes Evang. & Paulus ſapientiores alijs.

8. Quam putatis cauſam eſſe, quod inter Apoſtolos duo præ cunctis alijs in ſcientia & ſapientia fuerint illuſtriores magiſque inſignes, nimirum S. Joannes Evangeliſta & Paulus, qui non in Athenarum Areopago, ſed in ſublimiſſima cælorum Academia eruditus, & Gentium Doctor promotus fuit, ubi *audivit arcana verba*. Audite hac de re loquentem S. Joannem Damaſcenum, dicit enim: *Cum in omnibus Apoſtolis ſanctis virtus integritatis perfecta fuiſſe credatur, abundantius tamē ſcientiæ donum exuberavit in Paulo, quia ſe ad hanc aptum ſolerti ſtudio, atque induſtria præparavit*, utpote qui, ut in præcedentibus Diſcurſibus diximus, virgo ſemper permanſit, ac proinde tot divinæ ſcientiæ theſauris locupletari meruit. S. Joannes Apoſtolus autem cum ſanctiſſima Maria virgine, quæ *ſedes ſapientiæ* eſt, multis annis familiariter converſatus fuit, per quod conſortium, eminens ejus ſcientia & ſapientia ad proportionem caſtitatis, qua præfulgebat, adaucta quoque fuit.

*S. Joan. Damaſc. l. 6. de ſpir. Fornic. 1. 8.*

Confirmatur de S. Joanne.

9. Samſon in Dalilæ ſinu dormiendo ſpiritum Dei amiſit: Joannes autem in divino increatæ Sapientiæ pectore dormiendo, *fluenta Evangelij de ſacro Dominici pectoris fonte potavit.* Notandus quoque eſt ſpecialis ille loquendi modus, quo Beatus Petrus Damianus, de hoc ſancto Apoſtolo loquens utitur, dum ait: *Mentem ejus omnipotens Deus ad tantum puritatis ac myſticæ revelationis culmen evexit, ut ei non modo ſtatum præſentis Eccleſiæ oſtenderet, ſed etiam quod deinceps futurum erat, uſque in perpetuum tempus revelaret*; ubi, ut videtis, puritatem ſimul cum cæleſtium myſteriorum revelatione conjungit; ac proinde Sanctus Joannes Damaſcenus rationem, cur Salvator illum in ſui Transfiguratione præſentem eſſe voluerit, his verbis aſſignat: *Ut virginem, & puriſſimum Theologiæ organum, quo Dei gloriam omni tempore ſublimiorem conſpicatus; illud poſtea in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum inſonaret.* Unde idem Damianus ait: *Non immerito tam profunda, tam ſupereminens revelatio Deitatis virgini Joanni debebatur.* Et Albertus Magnus Prologo Sancti Hieronymi Evangelio Joannis præfixo explicando calamum admovens ait: *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis; in virgineam mentem Joannis ſapientia ingreſſa eſt, cujus theca mundiſſima fuit virgineum ejus corpus.*

*B. Pet. Dam. ſerm. 2.*
*S. Joan. Damaſc. de Transfig.*
*S. Petr. Dam. ſerm. 1.*
*Alb. Magn. in Prolog. S. Hieron. in Joan.*

Proſecutio.

10. Ex quatuor myſticis Ezechielis animalibus, per quæ quatuor ſignificantur Evangeliſtæ, Sancto Joanni Aquila attribuitur, eo quod illa præ cunctis alijs animalibus acuto & perſpicaci oculorum acie polleat: Et ideo Aquilam ex altiſſimo quodam maris ſcopulo, in fundum maris proſpicientem nonnulli pro corpore Emblematis Sanct. Joannem repræſentantis acceperunt, ſubjuncta eidem hac epigraphe: *Profundiſſima quæque*; Et merito, certiſſima namque veritas eſt, quod virgines ad magnum illum increatæ Sapientiæ librum pervolvendum, illiuſque divina ſecreta penetranda acutiores, puriores & perſpicaciores habeant oculos.

11. Porro in Epiſtola prima Sancti Joannis dicitur: *Videbimus eam ſicuti eſt*; Sed quemnam putas eſſe modum, qui ad hunc finem aſſequendum requiritur? Hinc idem Sanctus Joannes clarè ſubjungit dicens: *Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe*; ſive ut eſt in Græco, *ſanctificat ſeipſum*; Nam ut Rupertus Abbas Tuitienſis in Prologo in Evangelium Joannis ait: *Omnes carnalium ſordes affectuum è cordis oculis abſtergendæ ſunt in ijs, qui in Chriſti ſchola venerabilibus ſtudent literis, ut hanc aliquatenus Aquilam proſequi valeant, quam cordis juvit munditia, ut claritatem Solis æterni plus cæteris divinæ viſionis animalibus irreverberata poſſet mentis acie contemplari.*

*1. Joan. 3. v. 2.*
Chriſti ſcholaribus neceſſaria caſtitas.
*Rup. Abb. in Prol. ad Evangel. Joan.*

12. Sic enim videmus ſemper, quod animæ illæ, quæ pudicitia & caſtitate maxime præfulgent, majora quoque ad ejus participanda divina ſecreta, cæleſtis luminis ſortiantur ſubſidia, altiſſimaque ijs & imperſcrutabilia revelentur myſteria. Sic enim Anna Phanuëlis de ſumma caſtitate in Sacra Scriptura commendata, ſpiritu quoque Prophetico à Deo dotari, tantoque ab eodem lumine illuſtrari meruit, de qua Didacus Stella proinde ait: *Vocat Evangeliſta illam caſtiſſimam, quia caſtitas & corporis pudicitia, maxima diſpoſitio eſt ad ſcrutanda & penetranda cæleſtia arcana; hæc ſiquidem virtus nimis animam diſponit ad receptionem divinarum revelationum, ſicuti econtrario luxuria hebetat intellectum*; adducitque Ezechielis Prophetæ exemplum à Sancto Hieronymo libro primo *contra Jovinianum* adductum, hunc enim Deus non prius viſionibus & revelationibus divinis dignatus eſt, quam uxor ejus mortua fuiſſet. *Quæ enim convementia*, inquit Sanctus Thomas de Villa nova, *ſapientiæ ad illecebram? ſancta virginitas ad contuenda cæleſtia oculum mundat, intellectum clarificat, mentem elevat, affectionem purificat.*

Caſtitas diſponit ad penetranda cæleſtia.
*Did. Stella in c. 2. Luc.*
*S. Thom. à Villa nov. ſerm. de S. Doroth.*

13. Sanctus Gregorius Nyſſenus explicare volens qualiter animus carnalis ad ſapientiam capiendam ſit inidoneus, ſimilitudinem adhibet oculorum immundorum animalium, qui in terram continuo converſi, ad cælum conſpiciendum numquam eriguntur in altum: *Ut porcorum oculi natura in terram converſi, mirificarum rerum cæleſtium aſpectum non habent; ſic animus corporis luxu perditus, cum ad ea, quæ ſunt pecudum, inclinatus ſit, non cælum amplius cernere poteſt.* Porro Adami protoparentis noſtri anima multis erat ſapientiæ & ſcientiæ divinæ locupletata theſauris; ſed quid tandem de eo factum fuit? *Cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Idque tunc præcipuè ei accidit, quando ſe Evæ lenocinijs ad pomum vetitum manducandum ſeduci permiſit, *ne contriſtaret delicias ſuas.* Quis umquam in mundo ſapientior Salomone fuit, & tamen quando laſciviam & ſenſualitatem ſibi prædominari permiſit, audite quid de eo Eccleſiaſticus dicat: *Dediſti maculam in gloria tua* ſtultitiam tuam.

Ad hæc libidinoſus non idoneus.
*S. Greg. Nyſſ. de virg. c. 5.*
*Pſ. 48. v. 13.*
*Eccle. 47. v. 22.*

14. Pſalmiſta ait: *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem*, ſed quiſnam eſt ignis ille, qui ſolis aſpectum impedit? utique id non facit ignis elementaris, quia hic in ſupernis in ſua Regione conſtitutus oculos noſtros, uti quotidiana experientia docet, nequaquam impedit; Et ideo Sanct. Auguſtinus per hanc flammam carnis vitium ſeu concupiſcentiam carnis intelligit, hic enim pernitioſus ignis nos impedit, quo minus in ſolem illum, qui tribus luminibus in una luce reſplendet, oculos mentis noſtræ defigere Deumque intelligere aut cognoſcere valeamus; Qua de re, licet ſero nimis lamentabantur impij illi dicentes: *Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.*

*Pſ. 57. v. 9.*
Libidinis ignis mentis oculos obfuſcat.
*Sap. 5. v. 6.*

15. *Sapientia quæ de ſurſum eſt, primum quidem pudica eſt*; id eſt, ut Oecumenius ait; *pura & ſine*

*Oecum. in Jacobi 3.*



*ſorde, nulli rei carnali adhærens.* Unde Cicero ſoli lumini naturali innixus, de ſcientiarum comparatione differens ait: *Luxuriæ motus ſicut maximus eſt, ita inimiciſſimus Philoſophiæ & Sapientiæ, proindeque non poteſt ſtare voluptas corporis, cum cognitione & ſapientia, quæ mentibus pudicis ſeſe maxime accommodat*; unde antiqui ſpiritualis vitæ Magiſtri ex divinorum myſteriorum & Scripturarum ſacrarum intelligentia, cordis arguebant puritatem; nam ut Sanctus Joannes Damaſcenus refert: *Ad fontem veræ ſcientiæ perveniri non poſſe definiunt, donec penetralibus animæ noſtræ radix vitij hujus inſederit*; Et poſſibile quidem eſſe integritatem ſine ſcientiæ gratia reperiri, impoſſibile verò ſcientiam ſpiritualem ſine integritatis caſtimonia poſſideri; unde digniſſima notatu eſt illa Sancti Auguſtini ſententia dicentis: *Aſſueſcat juvenis ad caſtitatem, ut ſit dignus ſapientia Dei.* Hæc enim ſapientia limpido comparatur fonti: *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis*; ac proinde impoſſibile eſt, ut quis in hoc fonte ſpeculetur, ſi illum carnalis vitæ impuritate inturbidemus. Sanctus Thomas de Villa nova aliam adducit ſimilitudinem, à priori tamen non multum diverſam: *Atras*, inquit, *nubes radius ſolaris non penetrat, inter denſiſſimas nebulas Solis claritas non renitet, virginitas argento ſplendidior, cryſtallo clarior, vitro purior, vas mundum divinis impreſſionibus aptum.*

*Cic. in Hortenſ.*
Caſtitas neceſſaria ad Dei ſapientiam acquirendam.
*S. Joann. Damaſc. l. 6. de ſpir. fornicat. c. 12.*
*S. Auguſt. Dom. 25. poſt Trin. ſerm. 1.*
*Eccle. 1. v. 5.*
*S. Thom. à Villa nov. de S. Doroth.*

16. Deus olim Moyſi in libro Exodi capite 25. verſu 31 præcepit dicens: *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo ... ac lilia ex ipſo procedentia.* Quodnam verò in eo putas latere myſterium, quod ex aureo iſthoc candelabro candida illa lilia proceſſerint? *Omnia in figura contingebant illis*; Sacri enim Doctores ſunt candelabra templi Dei: *Vos eſtis Lux mundi*; lilia verò indicant virginitatem, prout inferius in alio quodam Diſcurſu videbimus. Vult enim Sapientia increata dicere, Doctores tunc præcipue in ſcientijs Theologicis illuminatos, & in divinorum myſteriorum cognitione conſpicuos futuros eſſe, ſi in ipſis floruerit virtus continentiæ & caſtitatis; quod ſi enim hanc rem bene conſideremus, inveniemus utique inſigniores Eccleſiæ Doctores in hoc caſtitatis dono quoque eximios fuiſſe atque illuſtres. Sic enim Sanctus Auguſtinus poſt ſacroſanctum lavacrum vitam ſemper egit puram & immaculatam, ad ultimum uſque vitæ ſuæ ſpiritum; Quis eſt qui Sanctum Gregorium, Sanctum Ambroſium virginem fuiſſe ignoret? Sanctus Hieronymus quanto zelo caſtitatem coluerit, ex libro ejus, quem *contra Jovinianum* ſcripſit, & ex tot alijs Epiſtolis ejus evidenter ſatis deducitur. Sanctum Gregorium Nazianzenum, Sanctum Baſilium, Sanctum Bonaventuram, Sanctum Thomam Aquinatem, Sanctum Bernardum, Sanctum Vincentium Ferrerium, & Sanctum Dominicum aliosque plurimos, qui Eccleſiam doctrina, prædicatione & ſapientia ſua magnifice illuſtrarunt, quis ſtrenuos pudicitiæ cultores fuiſſe neſciat?

*Exod. 25. v. 31.*
Aliquot ſancti & caſti Doctores.
*Matth. 5. v. 14.*

17. Regius Pſaltes ait: *Eloquia Domini, eloquia caſta*; ſed quodnam in eo eſt myſterium, quod divini verbi eloquentia & facundia caſta appelletur? Certe non aliud, quam ut per hoc nobis caſtitatem plurimùm ad ſapientiam verbi Dei comparandam ſervire & cooperari ſignificetur. De Sancta Cæcilia virgine & Martyre dicitur: *Evangelium Chriſti gerebat in pectore*; Et ideo illud tanta cum efficacia & ſpiritu prædicabat, ut Valerianum ſponſum ſuum à nuptijs ſuis diverterit, efficiendo ut à voluptatum matrimonialium illecebris, una cum Tiburtio fratre ſuo, multiſque alijs ad atrociſſimi tranſierint martyrij ſupplicia, qui proinde à Sancto Urbano Papa fructus appellantur Cæcilianæ Virginitatis, dum ita orat: *Domine Jeſu Chriſte ſeminator caſti conſilij, ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Cæcilia ſeminaſti.*

*Pſal. 11. v. 7.*
Caſtitas ad eloquentiam comparandam utilis.

18. Bene igitur Eccleſia Virginibus in officio divino, quod de illis canit, ſapientiæ titulum attribuit, dum ait: *Hæc eſt virgo ſapiens.* Et quidem titulus iſte bis in duabus antiphonis repetitur, cujus ratio eſt, quia divina ſapientia ibi libenter & ſuaviter infunditur, ubi anima pura, munda, & immaculata reperitur: nam *quæ de ſurſum eſt ſapientia; primum quidem pudica eſt.* Quod & ipſi Gentiles agnoverunt, dum Palladem virginem Sapientiæ Deam ſtatuerunt, ipſaſque Muſas virgines eſſe crediderunt; ipſæ quoque Sybillæ, quæ ſapientiſſimæ fuiſſe memorantur, hoc quoque caſtitatis dono, ut Sanct. Hieronymus teſtatur, fuere conſpicuæ.

Hinc Virgines ſapientes prædicantur.



19. Philo Hebræus ad noſtram eruditionem ita ſcribit: *Dicit impollutam, intactam, puramque animam, ut verè virginem cum Deo colloqui.* Sancta Agnes virgo tredecim tantum numerabat ætatis annos, Theologiam numquam didicerat, ſacrarumque litterarum ſtudio numquam incubuerat, & tamen quàm ſe in ijſdem doctam & eruditam eſſe probavit? Legite ſapientiſſima ejus reſponſa, quibus Tyranno obviavit, & colloquia, quæ cum cæleſti Sponſo ſuo habuit, illamque mira ſapientia decoratam fuiſſe libenter fatebimini: *Infantia quidem computabatur in annis; ſed erat ſenectus mentis immenſa*: Verum quidem eſt, quod Sancta Catharina Virgo & Martyr Alexandrina litterarum ſtudijs operam ſedulam dederit, & verò per ſcientiam in Scholis acquiſitam ad confundendos Chriſtoque lucrandos quinquaginta Philoſophos totius mundi doctiſſimos ſine infuſo cæleſtis ſapientiæ dono pertingere numquam potuiſſet; unde ipſamet fatetur dicens: *Habeo ſapientiam ſicut Dei mei donum, qui eſt ſapientia & vita.*

*Philo l. de Cherubinis Sapientia.*
*SS. Agnetis & Catharina.*
*Surius.*

20. Quærit Iſaias Propheta: *Quem docebit ſapientiam?* moxque reſpondet: *Ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus*; at verò quinam ſunt illi in myſterijs eruditi, qui à lacte ablactati, & uberibus avulſi? Hugo Cardinalis hos eſſe dicit *Avulſos ab uberibus mundi, quæ ſunt vanitas & voluptas.* Sanctus Thomas de Villa nova de Virginibus inquit: *Quid enim aliud virgines ſanctas, niſi Dei ſecretarias dixerim; His ſua Deus pandit arcana, his ſecreta ſui cordis communicat, his abſcondita myſteria revelat, has viſitant Angeli, has perficiunt, has exornant theſauris cæleſtibus.* Quæramus aliquem Hiſtoriarum peritum, hic ſtatim myſteriorum occultiſſimorum revelationes, viſiones, extaſes, ſpecialia ſacrarum virginum dona eſſe fatebitur. Legamus libros à Sancta Thereſia à Jeſu, vel à Sancta Catharina Senenſi, pluribuſque alijs compoſitos, earumque ſapientiam exinde non ſine ſtupore colligemus. De hac Sancta Catharina refert vitæ ejus Hiſtoria, quod ſacram Scripturam adeo ſublimiter & clare expoſuerit, & interpretata fuerit, difficillimiſque ei circa Divinitatem propoſitis Quæſtionibus tam expedite reſponderit, ut viros etiam doctiſſimos in ſtuporem adegerit. Eadem quoque ſuperhumana ſapientia mire in amplo litterarum ſuarum, quas ad diverſorum ſtatuum & conditionum homines direxit, volumine, nec non in ſuis de divina Providentia conſcriptis Dialogis mire eluxit. F. Raymundus Confeſſarius ejus refert, quod nonnumquam duobus, tribus, vel quatuor uſa fuerit ſcriptoribus, quibus omnibus uno eodemque tempore diverſas diverſarum materiarum dictabat litteras, idque tanta cum celeritate & memoriæ promptitudine, ut ne quidem ad momentum dictaturam ejus expectare opus fuerit.

*Iſa. 28. v. 9.*
Virginibus ſpecialia dona divina dantur.
*Hugo Card. ibid.*
*S. Th. à Villan. ibid.*
*Lib. 3. c. 6.*

21. Divina ſapientia die quadam ſolemne inſtaurare decrevit convivium: *Sapientia ædificavit ſibi domum, excedit columnas ſeptem, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Sed quoſnam ad hoc ſapientiæ convivium invitatos fuiſſe exiſtimatis? num forte invitavit Ariſtotelem, Platonem, vel Demoſthenem, vel alios ab eximia ſapientia famoſos Philoſophos? Minime gentium, quin potius homines idiotas, humiles & ſimplices; at verò quod vel maxime ad propoſitum noſtrum deſervit, eſt, ut quæramus quibuſnam ad invitandum convivas uſa fuerit increata ſapientia? certe non alijs quam mulieribus: *Miſit ancillas ſuas, ut vocarent.*

*Prov. 9. v. 1. & 2.*
Virgines invitantur & invitant ad cæleſte convivium.
*Ibid. v. 3.*

22. Sanctus Gregorius Nyſſenus de Elia & Joanne Baptiſta, quorum neuter umquam litteras didicit, & tamen quia caſtiſſimi fuerunt, in myſterijs imperſcrutabilibus adeo fuere à Deo illuminati, dicit: *Hæc his duobus contigerunt, quoniam puram, omniſque materialis expertem affectionis, ſuam in Domino cupiditatem poſuerunt, neque conjugum curis intenti.*

*S. Greg. Nyſſ. c. 6. de Virgin.*

## DISCURSUS XI.

### ARGUMENTUM.

Excellens virginitatis & caſtitatis pretiū conſideratur, utpote pro quarum virtutum defenſione, multæ animæ fideles opulentiſſima quæque regna contempſerunt, aſperrimaque libenter ſubierunt ſuppliciorum & diræ mortis genera.

Aaa 2 THEMA

## THEMA.

*Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ*, Eccleſ. 26. ℣. 20.

Caſtitas inæſtimabilis eſt theſaurus ſi ſit charitati conjuncta. *S. Bonav in Dieta ſalut. T. 4. de conſ. Evangel. c. 4. de caſtitate.*

1. SAnctus Bonaventura, qui omnium virtutum, ſpecialiter verò caſtitatis & pudicitiæ peritiſſimus ab omnibus habetur, nullum in bonis hiſce viſibilibus, caſtitatis æquum reperiri pretium affirmat his verbis: *Caſtitas habet ingens pretium ſuper omnes gemmas, quia dicitur: Non eſt digna ponderatio continentis animæ*; addit tamen hunc theſaurum ut tanto ſit pretio æſtimabilis, omnino requirere, ut ſemper ſit cum amore Dei conjunctus: *Et nota, quod caſtitas eſt theſaurus cum valore charitatis.* In tantum enim virtus aliqua apud Deum meritoria & digna eſſe cenſetur, in quantum ob Dei amorem, & ad ei placendum conſervatur. Idem quoque Seraphicus Doctor virginitati ob immenſum ejus pretium, theſauri parabolam adaptat, dum ait: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, eſt theſaurus in vaſe fragiliſſimo, ideo ſummè conſervandus, nam Apoſtolus dicit: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*; Porro prudens ille expertusque negotiator, qui margaritas quæſiturus abibat, inventa una bona margarita, vendidit omnia quæ habebat, ut illam ſibi compararet; per quem proinde negotiatorem Chriſtus intelligitur, & quia in *eo ſunt omnes theſauri*, prudens eſt & ſapiens negotiator, omniumque rerum creatarum viſibilium & inviſibilium pretium & valorem optimè æſtimare novit, *quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*; per margaritam verò puritas & caſtitas deſignatur, utpote quæ ex rore de cælo ſtillante in concha producitur, nec tamen ex materia putrida aut per viam generationis, ut multa animalia, gignitur, ut conſtet verum eſſe quod de margarita Plinius ait, ſcilicet: *Cælique ei majorem eſſe ſocietatem quam maris.*

*Matth. 13. v. 44.* — *2. Cor. 4. v. 7.* — *Joan. 1. v. 3.*

Chriſtus egenus eſt factus ut ſibi Virginem compararet. *Matth. 13. v. 45.* *Juxta Phil. 2. v. 7. 2. Cor. 8. v. 9.*

2. Advertendum verò eſt, quod cæleſtis Magiſter noſter Chriſtus in bilance adverſus ſe invicem collocet, ex una quidem parte hanc margaritam, id eſt, caſtitatem & puritatem virginalem, ex altera verò Regnum cælorum: *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa autem una pretioſa margarita, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam:* quia poſtquam hic in terris virginem quamdam invenit; tanti eam æſtimavit, *Ut exinaniverit ſemetipſum, Egenus factus cum eſſet dives:* & virginitatis amore captus pro illa ſibi vendicanda dedit omnia quæ habebat, adeo ut in ſtabulo nudus & præ frigore tremulus natus fuerit, relinquendo, ut ita dicam, Paradiſum, ut hanc ſibi margaritam comparare poſſet: *Omnis enim ponderatio non eſt digna continentis animæ*; quæ verba Rabanus ponderans ita ſcribit: *Cunctæ videlicet opes mundi, & divitiæ ſapientiæ ſæcularis, non poſſunt ejus devotioni, quam habet in ſervitio Chriſti, & in ſcientia ſpirituali adæquari; ipſa negotiatrix eſt illa, quæ in Evangelio margaritam pretioſiſſimam, ſpretis temporalibus bonis comparavit, ut ipſam poſſideret.*

*Raban. l. 6. in Eccle. c. 15.*

B. V. Maria pluris æſtimavit Virginitatē quam Dei fieri matrem abſque Virginitate. *Luc. 1. v. 34.*

3. Conſiderandum quoque eſt inſuper quod ſicut Sapientia increata dum incarnari decreviſſet in terris, virginitatem in magna matre ſua tanti æſtimavit, ut ad eam ſibi vendicandam, exinaniverit ſemetipſum: ita quoque ex altera parte ſanctiſſima virgo candorem ſuum virginalem tanti fecerit, ut ſublimem Maternitatis Dei dignitatem illi poſthabuerit, ſi hæc cum virginitatis jactura ſibi conferenda fuiſſet; unde interrogavit Angelum dicens: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* quaſi dicere vellet: Me virginem eſſe pluris facio, quam ſi ab alijs Cæli Imperatrix, Sponſa Spiritus Sancti & Genetrix Verbi ſaluter: *Omnis enim ponderatio non eſt digna continentis animæ*; ſeu ut ex Græco legitur: *Omnis æſtimationis pretium.* Et ideo in conſummandam in utero ſuo Verbi incarnationem conſentire noluit, donec prius certificaretur, quod per conceptum & partum Verbi, pudicitia & candor virginalis augendus potius, quam diminuendus eſſet.

*Cant. 8. v. 8.* Symbolum Virginitatis eſt argentum. *Hug. Card. ibid.*

4. Verba illa Canticorum: *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt*; de fortunatiſſimo Annuntiationis Dominicæ die intelligi poſſunt, ut ſint veluti prolata ab ore Archangeli Gabriëlis, ut ait Hugo Cardinalis: *Scilicet quando ingreſſus ad eam dixit: Ave gratia plena. Si murus eſt, ædificemus ſuper eam propugnacula argentea*; jam enim fortem, validum, & impenetrabilem virginitatis murum erexerat, cujus munimenta eumdem ex omni parte defendentia ſunt ejuſdem caſtitatis firmitas & ſtabilitas, quæ in argento ſymbolizatur: *Eloquia caſta, argentum igne examinatum purgatum ſeptuplum.* Verumtamen virtus hæc non ſolum in argento, verum etiam in auro denotatur, quod valore & æſtimatione omnia alia metalla longe tranſcendit. *Pſ. 11. v. 7.*

*Dan. 2. v. 32.* Virginitas aurum eſt omnia præcellens. *S. Hieron. cont. Jov.*

5. Daniel immenſam illam ſtatuam, quæ Nabuchodonoſori in ſomno repræſentata fuit, delineans, caput ejus ex auro puriſſimo, brachia ex argento, ventrem ex ære, pedes denique ex ferro factos fuiſſe affirmat. Sanctus Hieronymus autem *contra Jovinianum* ſcribens per æs & ferrum ſtatum conjugalem, per argentum honeſtatem & pudicitiam vidualem, per aurum vero, quod omnia alia metalla tantum præcellit, ſtatum virginalem intelligendum eſſe dicit. Etenim quiſquis aurum habet, omnia quæ vult, virtualiter poſſidet, ſiquidem illo mediante comparantur dominia, principatus, & cuncta alia, quæ mundus in pretio habere ſolet, & tamen virginitas adeo omni auro & quocumque opulentiſſimo theſauro dignior eſt & pretioſior, ut Sapiens dicere non dubitet: *Non eſt digna ponderatio continentis animæ. Inde eſt quod votum continentiæ non habet diſpenſationem*; inquit Hugo Cardinalis, *quia non habet compenſationem.* In hujus namque laudem Sanctus Zeno ita ſcribit: *Tu in pauperibus dives, in divitibus ditior, tu theſaurus animarum*, adeo ut anima caſta verè dicere poſſit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, id eſt, cum caſtitate, Et ideo Gloſſa illa verba: *Omnis autem ponderatio &c.* ita exponit: *Opes ſcilicet mundi in unum cumulum congregatæ caſtitati & continentiæ in pretio comparari non poſſunt.*

*Hug. Card. in Eccle. ibid. S. Zeno de pudicit. Sap. 7. v. 11. Gloſſa ibid.*

Exempla. 1.

6. Dionyſius Carthuſianus Sanctum Matthæum nequaquam permittere voluiſſe dicit, ut Sancta Iphigenia, quæ Chriſto conſecrata virgo erat, ad Regis illam ardenter adamantis nuptias tranſiret, tametſi illi præter regnum etiam ad Chriſtianam fidem ſe tranſiturum eſſe promitteret; *non enim eſt digna ponderatio continentis animæ.* Quam etiam ob cauſam, varia quovis ſæculo ſapientiſſimarum Virginum habemus exempla, quæ ne hunc inæſtimabilem theſaurum, quem ſuper omnia hujus mundi bona pretioſiorem æſtimabant, amitterent, nobilitatem, divitias, gaudia, mundi delicias, principatus; imo & regna velut ſtercus terræ aſpernabantur & negligebant.

*S. Auguſt. Ep. 179.*

7. Veteres quidem Romani olim conſulatum, omneſque alios præcellentiores magiſtratus permagni æſtimabant; At verò Sanctus Auguſtinus *de converſatione neptis Demetrialis* ad Probam & Julianum de caſtis virginibus ita ſcribit: *Quis verbis explicet, quis digno præconio proſequatur, quam incomparabiliter glorioſas atque fructuoſas habeat ex noſtro ſanguine fœminas virgines Chriſtus, quam viros conſules mundus? Nam volumina temporum, ſi magnum atque præclarum eſt nominis dignitate ſignare, quanto eſt majus atque præclarius cordis & corporis integritate tranſcendere?* Ubi conſiderationem merentur ultima hæc verba: *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ*, notat, *non dicit Sapiens: Non eſt digna corporis continentis, ſed animæ continentis; continentia enim, corporis ſine continentia mentis, eſt quaſi lampas ornata ſine oleo, ſicut habuerunt virgines fatuæ.* Pergit autem idem Sanctus Auguſtinus, & ulterius ad gloriam virginitatis dicit: *Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilior ſanctitate, quod ſit per divinum conſortium præcipuam in cælis conſecutura ſublimitatem, quam ſi eſſet per humanum connubium prolem propagatura ſublimem, generoſius quippe elegit Anciana poſteritas tam illuſtrem familiam beare nuptias neſciendo, & in carne jam imitari vitam Angelorum, quam ex carne numerum adhuc augere mortalium.* Et quidem innumera ſunt virginum exempla, quæ virorum nobilitate, divitijs & authoritate inſignium nuptias generoſe contempſerunt.

*Hug. Card. in Eccle. 1. ibid.*

*Thom. Cantipr. l. 1. c. 29. p. 3.*

8. Thomas Cantipratenſis libro primo, capite vigeſimo nono pagina tertia refert, quod dum in hac alma urbe Romana nobiliſſima quædam & opulentiſſima filia, quæ Comitis Apuliæ germana ſoror erat, renitente voluntate nuptui tradita fuiſſet, ut pudicitiæ ſuæ virginali conſuleret, habitu virili induta fugam ceperit; Cumque frater ejus germanus eam fugientem anxie inſequens eam tandem 2.



tandem aſſecutus fuiſſet, ipſa omnis conſilij expers exiſtens, verſusque mare ſibi vicinum converſa, ſuper illud crucis ſigno formato, extenſiſque in cælum manibus & oculis non minus quam corde in Deum elevatis, ex altiſſima quadam rupe in idem mare ſeſe fortiſſimo & heroico animo præcipitem egit, in quo haud ſecus ac in firmo ac ſolido quodam elemento commode gradiens, in aliqua Græciæ deſerta loca pervenit, ibidem ſanctum quemdam ſenem & decrepitum Eremitam inveniens, ut in via perfectionis proficeret, ſub ejus diſciplina & ſervitio integro triennio permanſit; advertens autem Senem hunc plura ſolito ſibi exhibere benevolentiæ ſigna, inimici tartarei declinare aſtutias volens, ſuumque ab eo ſexum palam manifeſtari metuens, inde iterato ad mare confugit, eo trajecto in vaſtas quaſdam Siciliæ ſylvas & ſolitudines ſe abſcondit, ibique ſuper arborem adjutorio cujuſdam fidelis viri arcto valde conſtructo tugurio per novennium latitavit. Ex quo exemplo perſpicue liquet, quanti ſancta hæc & nobiliſſima puella caſtitatem ſuam & puritatem virginalem fecerit; tanti nimirum, ut non ſolum nuptiarum voluptates, delicias, & theſauros ſpreverit, verum etiam quæ caſtitatis conſervandæ cauſa ſubierat pericula, ærumnas, ſolitudines, maris tempeſtates, naufragia, jejunia perpetua, omneſque alias laborioſæ & auſteræ vitæ rigores optime collocatos eſſe cenſuerit: *Omnis enim ponderatio non eſt digna continentis animæ.*

*Rayn. Ann. 1270.* 3.

9. Margarita filia Beli Hungariæ Regis, ut in Annalibus Eccleſiaſticis legimus, cum à parentibus Deo, ut Tartarorum furorem ab Ungaris averteret, devota fuiſſet, tantis virtutibus emicuit, ut victimam oblatam gratiſſimam numini extitiſſe, maniſeſte conſtaret. Oblatas enim Ducis Poloniæ, nec non Regis Bohemiæ & Siciliæ reſpuit nuptias; Cumque ei diceretur Papam ab emiſſo virginitatis conſervandæ voto ipſam decreviſſe ob tam urgentes boni publici promovendi cauſas, abſolvere, reſpondit, virginitatis meæ tuendæ modus mihi utique non deerit, *nares enim mihi abſcindam, ut hominum amores meo ſanguine præfocare poſſim.* Quia verò nonnulli metuendum ſibi eſſe dixiſſent, ne ubi Tartarorum arma contra Ungaros prævalerent, vim pudicitiæ ejus turpiter inferrent, reſpondit: *Certa ſum deformato meo vultu, ac naribus labijsque præciſis, me non amorem, ſed horrorem videntibus incuſſuram, animæque pulchritudinem fœditate corporis redempturam.* Tandem ab hujus virginis mortuæ corpore, velut eximius quidam virginalis floris tam illibate conſervati effectus, odor quidam ſuaviſſimus, qui omnem pretioſiſſimam & odoriferam aromatum unguentorumque fragrantiam longe ſuperabat, emanare cæpit.

*Baron. Ann. 614. in Comp.* 4.

10. Eminentiſſimus Cardinalis Baronius Fridburgam virginem Sigiberto Regi, Theodorici filio à parentibus promiſſam fuiſſe ſcribit, unde prædictus Rex paucis poſtea elapſis diebus ſe huic puellæ matrimoniali vinculo adſtringere volens, edicto publico in certum diem omnes congregavit Regni ſui Epiſcopos & Principes, cumque in Eccleſiam ingreſſus eam blande invitaret ad nuptiarum ſive connubij inſtituendi ſubeundas cæremonias, jamque Epiſcopi & Sacerdotes ad conſuetas huic matrimonio impertiendas benedictiones prompti aſtarent, ipſa ad ejus proſtrata pedes his cum verbis eſt allocuta: Obſecro te optime Domine, ut quia ab hac infirmitate mea, quacum hactenus conflictata ſum, nondum perfectè convalui, ad minus ſeptem dierum mihi indulgeas inducias, ut amiſſas ex morbo vires denuo recuperare poſſim. Cumque hæc ei temporis mora indulta fuiſſet, jamque ineundi matrimonij tempus immineret, Eccleſiam Sancti Stephani ingreſſa, veſtimentis regijs depoſitis, veſtes induit Religioſas, Deoque in perpetuum conſecrata permanſit; Ecce tibi quam verum ſit, quod quiſquis virginitatis gemmam perfecte cognoſcit, cuivis illam potentiſſimo regno ſemper præhabeat: *Non enim eſt digna ponderatio continentis animæ.*

*Rayn. Ann. 1404. n. 9.* 5.

11. De Bonifacio Papa IX. legimus apud Sanctum Antoninum, quod cum ex acerbiſſimis calculorum doloribus diu perpeſſis tandem ei moriendum eſſet, eique à Medicis deſiderata promitteretur corporis ſalus & convaleſcentia, dummodo in carnalem cum fœmina copulam conſentire vellet, *minime acquieſcere voluerit tanto contra legem divinam ſacrilegio, eligens potius pudice mori, quam impudice vivere.*

*Rayn. Ann. 1456. n. 71.* 6.

12. Annales quoque Eccleſiaſtici de Jacobo Cardinali Luſitano titulo Sancti Euſtachij referunt, quod *cum omnis libidinis expers eſſet, & in graviſſimum morbum incidiſſet, à quo liberari poſſe Medici dicebant, ſi fœminæ accederet, magno animo & majori puritate reſponderit: Malle ſe mori, quam pollui.*

7. *In Lect. S. Caſimiri.*

13. Sancto Caſimiro Regi Poloniæ ſimile quid accidit, cum enim in gravem morbum collapſo Medici ſuaderent, ut ſi ætatem floridam, theſauros, regnum & vitam conſervare vellet, virginitatis, quam eximie amabat colebatque, jacturam faceret, *mori potius, quam caſtitatis & pudicitiæ jacturam de Medicorum conſilio ſubire, conſtantiſſime elegit.*

14. Quot fuere generoſiſſimæ virgines, quæ acerbiſſimorum tormentorum pretio pudicitiæ & caſtitatis margaritam ſibi compararunt, ſeu potius conſervarunt, adeo ut non ſolum voluptates, delicias, honores, dominia, theſauros, omniaque alia, quæ larga manu mundus offerebat contempſerint, & pedibus conculcarint, verum etiam crudeliſſimorum ſuppliciorum carnificinæ pro Chriſti amore & virginitatis defenſione libenter ſubjecerint. Unde quod magnum illud vas electionis Paulus Apoſtolus, qui *raptus fuit uſque ad tertium cælum*, de cæleſti gloria dixit, nimirum: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Idem quoque tales virgines dicere voluiſſe videntur: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus vitæ ad virginitatem*; Tertullianus aliquas illarum Tyrannos hiſce verbis affatas fuiſſe ſcribit: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra; Ideo nos hæc pati Deus patitur, nam & proxime ad leonem damnando Chriſtianam potius quam ad Lenonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte revocari.* Pudicitiam namque tanti æſtimabant, ut in comparatione illius omnia tormenta nihili prorſus facerent; imo majorem cenſebant eſſe prærogativam à leonibus dilaniari, quam laſcivorum lenocinijs demulceri.

*Rom. 8. v. 18.* — *Tertull. l. Apol. c. 50.*

*P. Bolland. 29. Jan.* 8.

15. P. Bollandus de Sancta Euphraſia virgine Nicomedienſi refert, quod cum falſis Deorum ſimulacris ſacrificare renuiſſet, Barbaro cuidam tradita fuerit defloranda, ipſa vero pro conſervanda virginitate ingenioſe ſe illum certum quoddam naturæ arcanum docturam eſſe finxit, dummodo illam ex imminenti impudicitiæ periculo eriperet; Nimirum unguentum quoddam ſe habere ait, quo ſi ferrum ſeu enſis inungeretur, acies ejus mox ita hebeſceret & obtunderetur, ut illam nequaquam læderet, hujuſque arcani in ſe experientiam Barbarus ut faceret inſtanter rogavit, qui verbis ejus fidem adhibens, ferrum in cervicem ejus valide impegit, eamque utriusque aureolæ, martyrij ſcilicet & virginitatis compotem reddidit.

*S. Ambr. in exhort. ad Virg.* 9.

16. De ſancta Sathere refert Sanctus Ambroſius, quod quia vultus ejus ſolis inſtar coruſcabat, à tyranno tentata primo omnium faciem ſuam ei cædendam & vulneribus defœdandam obtulerit: *Vultum offerens, ut ibi martyrij fieret ſacrificium, ubi ſolet tentamentum eſſe pudoris, gaudebat enim diſpendio pulchritudinis periculum integritatis auferri.*

*Baron. Ann. 670. n. 39.* 10.

17. Baronius de Ebba Monaſterij Collingamenſis Abbatiſſa narrat, quod cum Danorum cum valido exercitu univerſam Regionem devaſtantium timeret violentiam, utpote quorum barbaries ne quidem virginum Deo conſecratarum pudicitiæ parcebat, ipſa convocatis coram ſe ad Capitulum ſubditis Religioſis ſuis dixit, quod ſi ſuo acquieturæ eſſent conſilio, futurum omnino foret, ut ab imminenti paganorum liberarentur periculo; Quæ cum in quacumque re maternis ejus præceptis obedientiam exhibere promiſiſſent, Ebba Abbatiſſa apprehenſa novacula naſum una cum labio ſuperiori uſque ad dentes animoſe ſibi præſcidit; Quod generoſum facinus reliquæ omnes non ſine admiratione videntes, confeſtim ſingulæ imitatæ ſunt; Cum ſequenti diluculo barbari milites haud ſecus ac vultures rapaces non minus laſcive quam truculenter candidum hunc ſpiritualium columbarum gregem aggredi pararent, ſubito viſo funeſto hoc ſpectaculo exterriti, iraque in vindictam armati &

ti & inflammati, univerſum Monaſterium una cum Sanctimonialibus univerſis igne ſuppoſito conflagrarunt, & quia, inquit Baronius, idipſum ex ſpeciali Spiritus Sancti impulſu feciſſe creduntur, omnes hæ Moniales ab Eccleſia in Martyrum numerum relatæ, tamquam tales religioſo pietatis cultu quotannis honorantur.

*Spec. exempl. vide. Virginitas Exempl. 20.*

18. In Speculo exemplorum ex Jacobo de Vitriaco refertur quod cum Princeps quidam religioſæ cujusdam fœminæ pulchritudine captus varijs adhibitis blanditiarum illecebris, fulminatisque in eam horrendis comminationibus eamdem in ſuam pellicere libi-
11. dinem conatus, nihil ab ea obtinere potuiſſet, quin potius majorem ſemper in ipſa renitentiam adverteret, tandem Monaſterium totum igne ſuccendere decrevit: *Cumque religioſa hæc virgo cauſam inſani hujus ac fatui amoris ab eo ſuſcitata, amorem hunc ex pulchritudine oculorum ejus proficiſci intelligeret, hilariter ſe à cæteris ſubducens, ambos ſibi oculos pia crudelitate evulſit, eosque in diſco miniſtro Principis obtulit, dicens: En Principi tuo hæc præſenta ex me, dicens: Ecce ſagittæ quæ cor tuum tam importuno ardore confoderunt, habes quod deſideraſti, nunc eis utere pro libitu, atque oculos cordis mei intactos relinque.*

*Rayn. An. 1291. n. 13.*

19. Simile quoddam facinus in Annalibus Eccleſiaſticis circa ſæculum decimum tertium de Sancta Ebba ex Sancto Antonino recenſetur. Simili-
12. ter cum civitas Accon à Saracenis intercepta fuiſſet, ibidemque ex civibus partim mortuis partim in miſeram ſervitutem abductis ſupra triginta, vel ut alij ſcribunt ſexaginta periiſſent Chriſtianorum millia, Abbatiſſa præcipui cujusdam Monaſterij ex inſtituto Sanctæ Claræ civitatem à Barbaris occupatam eſſe intelligens, *naſum ſibi detruncavit; quo facto aliæ ſorores ad ſimilia animatæ facies ſuas diverſimodè vulnerarunt, adeo ut cruentas ipſarum facies nemo ſine horrore aſpicere poſſet.*

*Bayon. An. 309. n. 10.*

20. Huic ſimile eſt, quod eo ſæculo, quo Maxentius Romæ tyrannicè dominabatur, contigiſſe legitur, cum enim omnes honeſtæ virgines
13. & Matronæ etiam nobiles, ad tyranni hujus libidinem explendam accerſerentur, contigit ut Sophronia Matrona nobiliſſima Chriſtiana ab eodem tyranno peremptorie advocaretur, quam cum Præfectus urbis maritus ejus non ſine dolore abire permitteret, ipſa in conſpectum tyranni prodiens, laſciva ejus ſolicitatione audita, hanc ſibi gratiam fieri poſtulavit, ut ſcilicet ad breve tempus ei permitteretur in cameram quamdam ſe recipere, ut majori ornatu & mundo muliebri ſe expoliret, ut in oculis ejus magis placere poſſet; Qua facultate obtenta cum ſolam ſe in penetralibus conſtitutam eſſe cerneret, arreptum pugionem cordi infixit; Quod factum Cardinalis Baronius ex divino quodam impulſu contigiſſe exiſtimat, ad eum modum quo Samſon ſuperiori quodam inſtinctu motus ſibimetipſi mortem intulit.

*Ibid. n. 21.*

21. In eodem quoque loco idem Baronius obſervat, quod Sancta Pelagia virgo Antiochena, duo-
14. decim annorum puella, & duæ ejus ſorores, quæ ut ab immundorum lictorum libidine & inſultibus ſalvare ſe poſſent, Pelagia quidem à tecto domus deorſum ſe præcipitem egerit, duæ verò ejus ſorores in flumine quodam vicino ſeipſas ſubmerſerint, quæ à Sancto Ambroſio & Chryſoſtomo magnis laudum extolluntur encomijs, earumque feſtum Antiochiæ quotannis magna cum ſolemnitate celebratur: *Aſt ubi*, inquit Sanctus Ambroſius, *deteſtandi perſecutores ereptam ſibi viderunt prædam pudoris, matrem & ſorores cœperunt quærere; Verum illæ ſpiritus volatu jam campum caſtitatis tenebant, cum ſubito hinc perſecutoribus imminentibus, inde torrentis fluvio excluſæ à fuga, incluſæ ad coronam, Quid veremur? inquiunt, ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? & hoc baptiſma eſt, quo peccata donantur, regna quæruntur, excipiat nos aqua quæ virgines facit.* Ecce tibi in bilance poſitam virginitatem & regna, ſed his ſpretis per virginitatem regna acquiruntur non terrena, ſed immortalia, quia *Non eſt digna ponderatio &c.*

*S. Ambr. l. 3. de Virg.*

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

Sub ſymbolo lilij & floris variæ continentium & virginum exponuntur conditiones & elogia.

## THEMA.

*Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*, Cant. 2. v. 2.

*Caſtitas ſicut lilium floret.*

1. Dilectus ille qui delicias, lautumque & delicatum paſtum ſuum inter lilia reperit, de anima virginali & caſta lilij inſtar florente dicit: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Sanctus Bonaventura de caſtitate diſſerens ait: *Caſtitas eſt florens ſicut lilium, nam dicitur in Canticis: Sicut lilium &c.* Petrus Bleſenſis porro hanc inter continentiam & virginitatem indicat differentiam: *Comparat*, inquit, *virginitatem lilio, cujus candor nativus eſt manens: Continentiam verò comparat byſſo, byſſus enim de terra viridis & graminei coloris oritur, ſed eruta ſiccatur, tunditur, coquitur, torquetur, & magno longoque exercitio ad candidum colorem perducitur.*

*S. Bonav. in Diat. ſalutis Tit. 4. c. 4.*
*Petr. Bleſ. in Aſſumpt. virg. ſerm. 18*

2. Enimverò advertendum eſt, quod Apoſtolus inter ultimos Spiritus Sancti fructus caſtitatem recenſeat & continentiam; At verò dicet aliquis, numquid alterutram harum nominaſſe ſufficere poterat, cum ſynonyma eſſe videantur? Dionyſius Carthuſianus ait: *Continentia eſt refrænatio voluptatis laborioſa, ideoque in byſſò denotatur, ſive in lini candore & pulchritudine.* Pergit demum ulterius & diſtinctionem aſſignat quæ eſt inter continentiam & virtutem caſtitatis: *Continens*, inquit, *patitur concupiſcentias fortes, ſed non vincitur, caſtus vero non vincitur, nec patitur*; Cui conſonat quod Sanctus Anſelmus aſſerit, dum ait: *Continentia in luctamine eſt, caſtitas in pace.* Porro candor & fragrantia hujus floris præ cunctis alijs floribus ſpecialis eſt, prorſusque admirabilis. Unde Thomas Cantipratenſis ait: *Beata virginitas lilio comparatur propter candorem niveum*; Et ideo velut ſpeciale quoddam inſigne virginum manibus inſeritur. Gabriel quoque Archangelus cum lilio communiter depingitur, dum in ſolemni illa ad magnam Dei Matrem cælitus facta legatione exhibetur, quaſi per hoc illam de perpetua virginitate ſua illibatè conſervanda aſſecuraturus.

*Gal. 5. v. 23.*
*Diſtinctio inter caſtitatem & continentiam.*
*Dion. Carthuſ. ibid.*
*S. Anſelm. ibid.*
*Tho. Cantipr. l. 2. c. 29. n 4.*

3. Sponſa in Canticis ſuum erga dilectum Sponſum amorem manifeſtatura dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Verumtamen teneri hujus amoris reciprocæque in dilectione correſpondentiæ, quæ inter Deum eſt & animam, propriam ſcire cauſam percuperem; Cur enim adeo ardenter ſe viciſſim amant? Num forte is inde oritur, quia anima in ſancta contemplatione abſorpta à Deo cernitur? Aut verò quia prompta eſt, ut in fidelitatis ſuæ teſtimonium, ſanguinem & vitam ſuam prodigat? Aut verò id ex alio quodam heroico virtutis actu proficiſcitur? Nequaquam, quin potius ipſamet veram cauſam innuit, dum ſubjungit: *Qui paſcitur inter lilia*; Quia gaudet inter lilia paſci, id eſt, in virginum contubernio converſari; Et idem Eccleſia in Hymno de ſanctis virginibus canit: *Qui paſcis inter lilia, ſeptus choreis virginum.*

*Cant. 2. v. 16.*
*Deus delectatur Virginum contubernio.*
*Hymn. Eccl.*

4. Rupertus Abbas Tuitienſis ſuper illa verba Apocalypſeos: *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua*, ita gloſſat, *id eſt, incorrupta ſervaverunt corpora ſua; Ambulabant mecum in albis, quia digni ſunt, mecum, inquit, ſcilicet cum filio virginis; mecum, cujus caro virginea continentiæ dedicavit exemplum, qui ſum virgineus flos, virginitatis lilium, corona virginum, mecum ambulabunt in albis, id eſt, in corporibus immaculatis.* Philo Carpathius verba illa: *Qui paſcitur inter lilia*, ita exponit, *hoc eſt, qui verſaris inter caſtos, horum enim odore delectatur Dominus, cum his converſatur aſſidue.*

*Inter Virgines verſatur.*
*Apoc. 3. 4.*
*Rup. Abb. l. 2. c. 2. Apocal.*
*Philo Carpath. ibid. in Cant.*

5. In vita Sanctæ Gertrudis refertur, Sanctiſſimam Deiparam Virginem ei die quadam apparuiſſe, quaſi in forma candidiſſimi lilij coram Sanctiſſima Triade collocatam, ſeque ante illius Thronum inſtar lilij explicantem, ſuaque folia dilatantem, in qua viſione illam docuit, gratum ſibi fore ſi hac illam honorifica ſalutatione honoraret, dicendo: *Ave candidum lilium, fulgidæ, ſemperque tranquillæ Trinitatis, Roſa præfulgida cælicæ amœnitatis, de qua naſci, & de cujus lacte paſci Rex cælorum voluit.* Lac enim illius, quo Filius Dei nutritur ros eſt hujus lilij.

*Viſio S. Gertrudis.*
*L. 3. Inſtit. divin. c. 19.*

6. Imo ipſemet Sponſus in ſacris Canticis de ſe ipſo dicit: *Ego flos campi*; Et quidem ut ipſum in hiſce verbis ad candorem & puritatem virginalem alludere intelligeremus, ſubjungit protinus: *Et lilium*; Et tamquam lilium myſticum in Nazareth concipi voluit,

*Cant. 2. v. 1.*
*Chriſtus lilium myſticum.*





non verò in Bethlehem civitate David, ex qua mater ejus ſuam trahebat propaginem, neque in Jeroſolyma civitate ſancta, in qua Templum Domini conditum fuerat; unde & Propheticum de ipſo prædixit Oraculum *Nazaræus vocabitur*; *Nazaræus* autem idem eſt quod *floridus.* Similiter Sanctum Joſephum Patrem ſuum putatitium, & verum Matris ſuæ Mariæ Sponſum, virginem eſſe, & tempore adoleſcentiæ ſuæ inter cognatos ſuos virgines, ſcilicet in conſortio Sancti Joannis Evangeliſtæ, & Sancti Jacobi Apoſtoli ſuorum ex parte Sanctiſſimæ Genetricis ſuæ ſecundùm carnem nepotum educari, ac tandem ſanctiſſimum Præcurſorem ſuum, qui ex proximo item ſanguine ipſi conjunctus erat, ad mortem uſque virginem manere, & à virginea ejus manu baptizari voluit. Unde Sanctus Gregorius Nazianzenus ait: *Chriſtus ex virgine gignitur, virginitatem velut lata lege ſanciens.* Et Theodoretus inquit: *Ex quo Chriſtus Dominus honoravit virginitatem, ut qui natus ſit ex virginitate, prata virginitatis natura germinavit, & hos ſuaveolentes, & qui non marceſcunt flores offert Creatori.*

*Matth. 2. v. 23.*
*Nazianz. orat. 2. de laud. Baſil.*
*Theod. in fin. hiſt. Relig.*

7. Spiritus Sanctus qui animarum purarum & caſtarum eſt ſingularis promotor, virgines in libro Eccleſiaſtici his verbis invitat dicens: *Florete flores.* Sed de quo florum genere ſpeciatim ibi loquitur? Idipſum paulo poſt ſignificantius exprimit, dum ſubjungit: *Quaſi lilium.* Lilium enim acutam & vehementem ſpargit odoris fragrantiam, ac proinde caſtis congruentiſſime adaptatur; Unde Sanctus Paulus qui puriſſimus ſemper virgo permanſit, dicebat: *Chriſti bonus odor ſumus.*

*Caſti lilijs comparantur.*
*Eccl. 39. v. 10*
*Ob odoris fragrantiam.*
*2. Cor. 2. v. 15.*

8. Neſcio an aliquando ad hoc reflexeritis, quod quando filij Jacob Joſephum fratrem ſuum Iſmaëlitis vendiderunt, Moyſes non ſine myſterio eosdem Iſmaëlitas aromata in Ægyptum in Camelis ſuis devexiſſe ſignificet: *Viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad, & Camelos eorum portantes aromata in Ægyptum.* Quid enim opus erat merces indicare, quas in illa venditionis Joſephi occaſione in Ægyptum devehebant? Procopius ait: *Joſeph ex ciſterna protractus venditur Iſmaelitis, quorum negotiatio verſabatur circa aromata, & in Ægyptum profectus eſt; Oportebat enim inter cætera aromata, temperantiæ unguentum in illam regionem deportari.* Nos autem ad propoſitum noſtrum aptius dicere poſſumus, quod ex quo Iſmaelitæ illi aromata in alienis regionibus ſibi comparabant, Joſephum ſingulari caſtitate & continentia præditum juvenem ſibi emendo, aromata ſibi comparaverint & lucrati fuerint fragrantiſſimi odoris, quo plurimum ſeſe locupletes facere poſſent, quia caſti ſpecialiter & continentes *Chriſti bonus odor ſunt in omni loco.* Unde Sanctus Ephrem ait: *O caſtitas quæ roſæ inſtar in medio animæ & corporis flores, univerſamque domum odoris fragrantia reples.*

*Gen. 37. v. 25.*
*Procop. ibid.*
*S. Ephr. T. 1. de virg. & contin l. 2. c. 13. n. 9.*

9. In vita Sancti Philippi Nerij libro 2. capite 13. in quo de ejus agitur eximia virginitate, hæc verba leguntur: Inſuper integerrimum Philippi corpus talem ac tantam odoris fragrantiam ſpirabat, ut ad eum propius accedentes & cum eo familiarius agentes mirificè recrearentur; imo permulti ex odoris ſuavitate, quem ipſe è pectore manibusque afflabat, pietatis ac devotionis plurimum hauſiſſe teſtantur; Et inter cæteros Fabritius Aragonius Nobilis Mantuanus cum olim Philippum, ſe peccatis expiaturus adiiſſet, eumque quod morbo laboraret inveniſſet lectulo decumbentem, veritus ne forte præ ſenectute gravius oleret, ad illum ægre admodum accedebat: Propior tamen factus, cum ſanctus vir hominis caput ſuo pectori humaniter admoviſſet, tanto ille odore afflabatur, ut ſuaviſſimi odoris ſtupore defixus, cui potiſſimum aromati illam fragrantiam tribueret, ignoraret. Sed poſtea intelligens beatum virum virginitatis munere divinitus inſignitum, jam, inquit, rem totam bene comperi, ſuaviſſimus odor ex ſuaviſſimo ejus virginitatis flore erumpebat. Idem quoque Sanctus hoc dono præditus erat, ut caſtorum ſentiret fragrantiam, ſicut è

contra puteolentiam & fætorem eorum qui laſcivi & carnales erant; Unde ſæpius dum in plateis, laſcivis occurrebat mulieribus, ſtrophiolum viſus eſt admovere naribus, ne tetro earum offenderetur odore. Poſt mortem quoque viri ſancti juxta ejus ſepulchrum à multis odor perceptus eſt ſuaviſſimus, quem inter alios Julia Urſina Rangonia, quam propter charitatem in pauperes, & propter magnos, quos fecerat in via Dei progreſſus Gallonius novam quamdam Paulam appellat, dum in loco ubi corpus viri ſancti ſub arcu Eccleſiæ poſitum erat, orationi vacaret, ſe frequenter percepiſſe teſtatur, eumque odorem florum ac roſarum odori perſimilem fuiſſe aſſerebat, cum tamen eo tempore ex hibernis frigoribus rigido nulli prorſus flores aut roſæ præſto eſſe poſſent.

*Prout legitur de S. Nerio.*
*Lib. 4. vitæ c. 7. n. 4.*

10. De Sancto Stephano Ordinis Geraldimontenſis Fundatore P. Bollandus hæc verba ſcribit: *Miri odoris fragrantia, quam cum eo loquentes & aſtantes circa eum ex ipſo procedere ſentiebant, totius ſuavitatis authorem in eo requieſcere teſtabatur: verumtamen quantum nobis datur intelligi, meritum erat integerrimæ virginitatis*; virginitate enim adeo immaculata dotatus erat, ut de ſeipſo teſtari non dubitarit: *Profectò nullo tempore meam carnem aut ſpiritum motus libidinis concuſſit.*

*P. Bolland. 8. Febr. c. 4. de S. Stephan.*

11. Metaphraſtes in vita Sancti Juliani & Baſiliſſæ narrat, quod cum Sanctus Julianus à parentibus matrimoniali ſe vinculo adſtringere cogeretur, primo Deum in oratione conſuleret, qui ei, ut parentibus obediret, conſuluit, eique ſe hanc illi daturum eſſe gratiam promiſit, ut etiam in ſtatu matrimoniali conſtitutus integerrimam ſemper virginitatem ſuam conſervaret. Porrò in ſponſam accepit nobilem, opulentam, & raræ pulchritudinis puellam; Cumque poſt celebratas ſumptuoſiſſimas nuptias eadem nocte cameram in qua thalamus præparatus aderat, ingreſſi fuiſſent, facta ab utroque ſponſo oratione, *Tali odore cella repleta eſt, ut videretur ſibi virgo in tali loco conſtituta eſſe, ubi vernant lilia & roſæ.* Quamobrem cum tempus roſarum liliorumque germinandorum inopportunum eſſe ſciret, obſtupeſcens dixit ad ſponſum: *Ita mihi omnium roſarum & liliorum odor famulatur, ut his ſatiata jam horream thori conjunctionem; Cui Julianus: Odor, qui tibi apparet, Dominus eſt, amator caſtitatis, qui integritatem corporis ſervantibus vitam promiſit æternam.* Unde mutua ſe fide ad virginitatem perpetuo conſervandam obſtrinxerunt; quo tempore lux exceſſiva in eadem camera coruſcare cœpit, moxque Rex quidam ſummæ Majeſtatis innumeris animabus candidis & virginalibus, & ſpeciatim ſocietate Beatæ Virginis Mariæ ſtipatus ibidem apparuit; *A parte Regis clamabatur: Viciſti Juliane, viciſti: à parte virginis clamabatur: Beata es Baſiliſſa, quæ ſalutaribus monitis conſenſiſti.*

*Metaphr. apud Lipom. cap. 7. de Juliano & Baſiliſſa.*

12. In Annalibus Eccleſiaſticis de Salomea virgine & Regina, Boleslai pudici Ducis Cracovienſis Sorore ſcribitur: *Nupſerat Calomanno Halicienſi Regi, ſed obtritis delicijs, conſentiente ſponſò virginitatis florem integrum ſervarat*; Nam Rege mortuo, inſtitutum profeſſa eſt monaſticum, neque cilicium aſperrimum, quod aſſidue portabat, umquam depoſuit, adeo ut etiam poſt mortem nudum corpus ejus eo obtectum fuerit inventum: *Et licet diebus ſeptem jacuiſſet inſepulta, pro fætore, qui cadaveribus ineſſe conſuevit, ſuavis odor Sanctimonialibus corpus ejus frequentantibus afflabat; etiam ex corpore ſuo ſuavitatem & fragrantiam odoris, & ſtillicidium olei manaſſe, quo multi ægrorum peruncti, integram ſe ſanitatem recepiſſe teſtati ſunt.*

*Rayn. Ann. 1268. n. 55. de Salomea.*

13. De Sancto Petro Nolaſco haud procul à Barcelona in lucem edito vitæ ejus hiſtoria à P. Bolando conſcripta teſtatur, quod dum in perpetua deinceps caſtitate vivere decreviſſet, *totum ipſius ſacellum boni odoris fragrantia repletum eſt.* In vita Sanctæ Cæciliæ pariter ſcribitur, quod SS. Valerianus & Tiburtius fratres, in camera ejusdem Sanctæ ſuaviſſimam liliorum & roſarum perſenſerint fragrantiam, non obſtante quod tempus hybernum eſſet, quo roſæ haberi nequeunt; Ac proinde *Beata virginitas aptiſſime lilio comparatur*, quo Deus animarum pudicarum & caſtarum amabiliſſimus Sponſus, *qui paſcitur inter lilia*, libenter perfruitur.

*Petro Nolaſco. Bollandus 19. Januar.*
*Cæcilia.*

14. Solum in unico memorabili, quod à Cardinali Baronio in ſuis Annalibus conſcribitur in medio duarum puriſſimarum virginum, caſtitatis zelo ardentium, nil niſi fætorem & intolerabilem ſentio graveolentiam. Audite pariter & obſtupeſcite hiſtoriam. Duæ Sorores Longobardæ, ne aliquam à Barbaris laſcivis in pudicitia ſua paterentur ignominiam, carnes pullorum crudas inter ubera

*Baron. An. 600. n. 2.*
*Mirum ſtratagema duarum ſororum pro conſervanda caſtitate.*

ſua circa pectus deferebant, ad hoc ut hæ carnes pectoris calore incaleſcentes & putrefactæ intolerabilem accedentibus ad ſe odorem afflarent, unde contingit quod accedentes ad illas Barbari horrendum hunc fœtorem olfacientes, illas morbo quodam abominabili laborare crediderint, hacque ratione illas penitus reliquerint intactas: *Notas facite in populis adinventiones earum*, Numquam enim cœleſti Sponſo bonum adeo & ſuavem afflarunt odorem, quam dum hanc ſibi ſtudioſe compararunt graveolentiam, eoque medio odoriferam reddiderunt pudicitiæ ſuæ fragrantiam. Optime Sanctus Hieronymus inquit: *Illa bene olet quæ non bene olet*; De illis loquitur mulieribus, quæ ſolitariæ vivunt, quarumque nulla eſt cum viris familiaritas aut notitia; Nos autem ad literam verba illa intelligentes ad harum ſororum gloriam dicimus: *Bene olebant, quia malè olebant.* Quod verò in hoc ſtratagemate vel maxime conſiderari meretur, eſt, quod Barbari illi omnes alias illius regionis mulieres hoc putrido morbo infectas eſſe credentes, ab omnibus ſe continuerint, cunctaſque intactas & impollutas dimiſerint.

1. Paral. 16. v. 8.
S. Hieron. Epiſt. ad Salvianum.

15. Thomas Cantipratenſis poſtquam dixiſſet: *Virginitas lilio comparatur propter candorem niveum*, ſubjungit: *Tum quia ex ſex folijs repandis conſtat, ut cordi primo, deinde quinque corporis ſenſibus ab omni contagio illibatiſſime caveatur*, Magna enim nobis cura opus eſt, ut hanc virtutem æque per cuſtodiam cordis, quam ſenſuum exteriorum corporis tueamur. Sanctus Hieronymus ad Euſtochium virginem Sanctæ Paulæ ſanctiſſimam filiam ita ſcribit: *Timeamus illam Prophetiam, ne in nobis etiam compleatur: Virgines bonæ deficient. Obſerva quid dicat Amos* Capite 8. *Et virgines bonæ deficient, quia ſunt & virgines malæ; Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo; Periit ergo in mente virginitas; Iſtæ ſunt virgines malæ, virgines carne, non ſpiritu, virgines ſtultæ, quæ oleum non habentes excluduntur à ſponſo.*

Mentis virginitas cuſtodiri debet.
Thom Cantypr. ibid.
S. Hier. ad Euſtoch. de caſt. Virg.

16. De ſenſibus exterioribus Sanctus Gregorius Nazianzenus in ſuis Poematibus ita canit

*Virgo ſis oculis, ſis ore, atque auribus ipſis*
*Virgo, nam tribus his facile eſt decidere tecto.*

Nazianz. in præcept. ad Virg.

Sanctus Antonius de Padua ad idem propoſitum ita ſcribit: *Poderis dicitur tunica talaris, qua induebatur Aaron, quæ ſignificat corporis caſtitatem, cui debet adjungi cordis munditia; Unde ſequitur: Præcinctum ad mamillas zona aurea, id eſt, Dei dilectione, mamillæ, id eſt, fluxus malarum cogitationum reſtinguantur.*

S. Anton. de Pad. Dom. 2. poſt Paſcha.

17. Sanctus Bonaventura in lilio ſex grana quaſi aurea, & ſex folia nivis inſtar candida conſiderans dicit: *Et nota quod in lilio ſex ſunt folia nivei coloris, & ſex grana aurei coloris; ſex folia nivea ſignificant carnis pudicitiam, & ſex grana aurea ſignificant mentis munditiam. Primo ergo in lilio ſunt ſex folia, in quibus figurantur ſex ad pudicitiam neceſſaria; Primum folium eſt cibi & potus ſobrietas*, juxta illud Sancti Hieronymi in Epiſtola vigeſima ſecunda ad virginem Euſtochium ita ſcribit: *Virgo fugiat vinum ut venenum, nam vinum & adoleſcentia eſt duplex incendium voluptatis.* Nam Pierius Valerianus in ſuis Hieroglyphicis huic flori proprium eſſe dicit, quod ſi vino humectetur, candorem ſuum plurimum deperdat. *Secundum folium*, inquit Seraphicus Doctor, *eſt habitus aſperitas; Unde dicit Bernardus: Memento quod aſperior carduus pannum facit leniorem, ſicut aſper habitus carnem facit caſtiorem. Tertium folium eſt laboris ſtrenuitas, & per contrarium ignavia & otium ſunt ſummum luxuriæ nutrimentum*; Juxta illud Ezechielis: *Hæc fuit Sodomæ iniquitas ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas, abundantia panis, & otium; David in domo otians commiſit adulterium. Quartum folium eſt cuſtodia ſenſuum; & maxime quoad viſum & auditum, quia curioſitas videndi & audiendi, via eſt ad peccatum, cujus exemplum patet in Dina. Quintum folium eſt modeſtia verborum & maxime immundorum, quia maxime excitatur luxuria per verba diſſoluta & inhoneſta, nam dicit Apoſtolus* 1. Corinth. 15. *Nolite corrumpi inanibus verbis, corrumpunt enim bonos mores colloquia prava*; Et ideo Sanctus Hieronymus, Epiſtola prima ad Demetriadem poſt medium Tomi noni inquit: *Sermo virginis prudens, modeſtus, tardus, vel rarus, nec tam eloquentia pretioſus, quam pudore: Sextum folium eſt fuga occaſionum*; idque confirmat authoritate Sancti Bernardi Homilia tertia ſuper Miſſus eſt, ita monentis: *Virgines, quæ veræ virgines ſunt, ſemper debent eſſe pavidæ & numquam ſecuræ, ut & non timenda ſecure etiam perhorreſcant.*

Sex ſunt ad pudicitiam neceſſaria.
S. Bonav. ibid.
Ezech. 16. v. 49.
S. Hieron. Epiſt. 1. ad Demetr.
S. Bernard.
Hom. 3. ſuper Miſſus eſt.

18. Salomon Regum ſapientiſſimus & Rex ſapientum validas quaſdam & admirabili architectura fabricatas erexerat columnas, quas egregie exornare volens lilia iiſdem ſuperimpoſuit: *Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant*, de quibus capitellis paulo ante dixerat: *In modum retis... retiacula in capitello, ... & ſtatuit columnas in porticu templi*; quæ omnia myſterijs gravida erant, ſiquidem *omnia in figura contingebant illis*; per haſce columnas enim in porticu domus Dei ſituatas, animæ intelliguntur perfectæ & ſanctæ, quæ ſunt veluti Eccleſiam fulcientes & ſtabilientes columnæ; poſita autem in harum columnarum capitellis lilia, zelum denotant puritatis & pudicitiæ: hæc autem in ſublimi collocata fuere, quia *virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*; verumtamen in horum liliorum circuitu poſita ſunt retia; quod non propterea caſti nimiam ſibi ſecuritatem promittere debeant, quia quantumcumque caſti ſint, & in virtute habituati, cadere nihilominus poſſint; & niſi ſibi bene proſpiciant, jam & ipſi, in communis inimici retia cadere poſſunt; *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula*: at verò ſi murus fortis eſt, & impenetrabilis, id eſt, ſi propoſitum virginitatis lilium illibatum conſervandi firmiter jam ſtabilitum eſt, numquid hoc abunde ſufficit? Neutiquam, ſed potius adhuc *ædificemus ſuper eum propugnacula*: continua enim opus eſt & numquam intermiſſa diligentia & vigilantia, & cuſtodia indefeſſa, ſi quis retia præparata evadere velit. Unde S. Benedictus à tentationibus carnis infeſtatus, tametſi firmiſſimum haberet numquam ijs conſentiendi propoſitum, nihilominus veſtibus ſuis ſe exuens inter ſpinas ſe nudum volutavit; Ecce quam ſit verum quod lilium quidem floridum & candidum perſeveret, ſed inter ſpinas; *ſicut lilium*, ſed *inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Ubi Hugo Cardinalis inquit: *Lilium ſuum candorem retinet inter ſpinas, & quanto magis ab ipſis pungitur, majorem reddit odorem*, ſic animæ pudicæ & caſtæ, quanto magis proprium corpus macerant & caſtigant, tanto amplius in hac virtute venuſtantur, tantoque gratiorem cœleſti ſponſo ſpirant fragrantiam.

Caſti facile cadere poſſunt.
3. Reg. 7. v. 19.
Ibid. v. 20.
1. Cor. 10. v. 11.
1. Cor. 7. v. 34.
Cant. 8. v. 9.
Hug. Card. ibid.

19. Eſt & alia hujus floris proprietas quam obſervat S. Bernardus, dum ait: *Nec enim vel leviſſimam ſpinæ ſuſtinet ullatenus punctionem floris teneritudo, ſed mox ut modice præmitur, perforatur.* Ita pariter candor hujus virtutis, per quamvis puncturam, aut per quodvis verbum minus honeſtum, per obtutum minus pudicum, vel denique per cogitationem, aut contactum turpem facile nimis offenditur; nam ut S. Hieronymus ait: *Tenera res in fœminis fama pudicitiæ, quaſi flos pulcherrimus cito ad levem marceſcit auram, leniquc flatu corrumpitur, maxime ubi ætas conſentit ad vitium.*

S. Bern. ſerm. 48. in Cant.
Verbo aut aſpectu modico læditur caſtitas.
Imo & tactu modico.
S. Hieron. Epiſt. 9. ad Salvin.

20. S. Bonaventura *De conſilijs Evangelicis* differens tres diſtinguit aureolas; ſcilicet virginum, Martyrum & Doctorum: *Virginum florea, Martyrum gemmea. Doctorum aurea*: at verò quænam eſt ratio quod cum virginitas alijs virtutibus ſuperior exiſtat, non tamen ipſa honoretur aut remuneretur corona aliqua ſive aureola gemmea, ſed ex floribus contexta: *Quia in ſcriptura caſtitas flos dicitur, merito caſtis corona de floribus datur; Et nota quod caſtitas inſtar floris ſolo tactu marceſcit, quia tactus impudicæ delectationis, caſtitatem omnino corrumpit.*

S. Bonav. in Diata ſalut. Tit. 4. c. 4.

21. Verum enimverò ſi textum quemdam è ſacris Canticis mox referendum penitius conſideremus, lilia in eodem fortalitia, munitiones & propugnacula vocari deprehendemus; De Eccleſia quidem ſcriptura dicit, quod ſuos habeat in defenſionem ſui præparatos exercitus armatos, eoſque formidabiles, unde vocatur *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*; Et Deus per Zachariam illi promittit, dicens: *Ego ero ei, ait Dominus murus ignis:* verùmtamen quænam ſunt illius munimenta, valla, & propugnacula? Nulla alia quam lilia; virgines caſtiſſimæ namque ſemper fuerunt quæ fidem Chriſtianam & Eccleſiam ob virginitatis amorem quam maximè defenderunt: *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilijs*, ubi notanda eſt etymologia hujus dictionis: *vallatus* S. Ambroſius inquit: *Non ideo laudabilis virginitas, quia & in Martyribus reperitur, ſed quia ipſa Martyres faciat.* Vegetius de re militari lib. 1. rationem aſſignat, ob quam Romani exercitus invincibiles tantique roboris extiterint, quia inquit, *nullis voluptatibus, nullis delicijs frangebantur*. Thomas Bozius *de ſignis Eccleſiæ Dei*, oſtendit, nullam hactenus hæreſim extitiſſe, quæ magna ex parte Eccleſiam Dei devaſtarit, quæ ſuam ab impudicitia non duxerit orginem & fomentum acceperit: à contrario verò ſenſu ij qui zeloſi caſtitatis & pudicitiæ cultores & defenſores fuerunt, eamdem ſtrenue defenderunt & propugnarunt. Unde S. Cyprianus virgines hoc condecorat præclaro elogio, vocando illas *florem Eccleſiaſtici germinis, illuſtriorem portionem gregis Chriſti.*

Virginitatis amatores Eccleſiam Dei defendunt.
Cant. 6. v. 3.
Zach. 2. v. 5.
Cant. 7. v. 2.
S. Ambr. l. de Virg.



Thom. Bozius ſig. 51.
S. Cypr. de diſciplin. & hab virg.

22. In iiſdem quoque Canticis, in quibus, ut nemo neſcit, per ſponſam Eccleſia denotatur, ſequentia verba leguntur: *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus; Cypri cum nardo, nardus & crocus*: quin hic hortus amœniſſimus varijs ornatus eſt florum areolis, ſcilicet virginibus, Confeſſoribus, Martyribus &c. inter quos virginum lilium primatum obtinet.

Primarius Eccleſiæ ornatus Virginitas.
Cant. 4. v. 12
Ibid. v. 13.

23. S. Ambroſius ſuper illa Evangelij verba: *Conſiderate lilia agri*; ad propoſitum noſtrum ita ſcribit: *Sunt enim horti quidam diverſarum pomiferi virtutum, juxta quod ſcriptum eſt; hortus concluſus, fons ſignatus*; cujus hanc propoſito noſtro accommodatiſſimam aſſignat rationem; dum ait: *eo quod ubi integritas, ubi caſtitas, ubi religio, ubi fida Sacrorum ſilentia, ubi claritas Angelorum eſt, illic confeſſorum violæ, lilia virginum, roſæ martyrum ſunt.* Quibus in verbis notandum, quod S. Ambroſius inter omnes virtutum flores primum locum caſtitatis lilio attribuat, quaſi per hoc inſinuaturus, quod omnes alij fragrantiores flores, qui hactenus hujus horti ornamentum & decus, & totius Eccleſiæ fulcrum & fundamentum extitere, ab hiſce lilijs progerminent.

S. Ambr. in c. 12. Luc.

24. Habet quoque lilium hoc ſibi proprium; quod pes ſive truncus ejus cœlum verſus ſemper dirigatur, & ad inſtar crateris cujuſdam ex puriſſimo argento fuſi, labia ſua rori cœleſti capiendo continuo pandat: ita pariter virgines, prouti in ſequenti diſcurſu videbimus, *cogitant quæ Domini ſunt*, Deoque ſemper corde & animo intendunt.

## DISCURSUS XIII.

### ARGUMENTUM.

Status virginalis & cœlibatus longè eſt ſtatu conjugali melior & excellentior, eſtque ad cogitandum de Deo & rebus divinis expeditior & promptior; ad hoc tamen caſtitas tam carnis quam ſpiritus ſimul conjuncta deſideratur.

### THEMA.

*Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* 1. Cor. 7. ℣. 34.

Caſti impenſius Deo ſerviunt.

1. INter alias ſtatus virginalis & cælibis prorogativas illa valde eſt notabilis, quam S. Paulus indicat his verbis: *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt*, quia continentes & caſti animum ſuum impenſius quam conjugati Dei ſervitio applicant, vivuntque expeditius ut ſpiritui; contemplationi, animæque ſaluti, prout decet, vacare poſſint. *Continens*, inquit Doctor Angelicus, *ſtudet ſanctitati, & divinitati, & amori Dei.* S. Cyptianus de cælibatu ait: *Cælebs cogitat ea quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo, id unum quærit, ac ſatagit, ut ſe Deo probet, ejuſque gratiam ineat.* Audiamus quid Quintilianus quoque, licet gentilis, de eiſdem ſentiat: *Cajus cælibes dixit quaſi cælites & cæleſtes, quod ab onere graviſſimo vacent nuptiarum: per continentiam quippe colligimur, & redigimur in unum à quo in multa defluximus.*

S. Thom. ib.
S. Cypr. de hab. virg.
Quintil. l. 1. cap. 10.

2. S. Bonaventura de religioſorum profectu differens multas ab hac virtute derivantes obſervat utilitates, atque inter alias hanc unam eſſe dicit: *Mentem liberam facit, & expeditam*, quia *nec pro uxoris proviſione, ne pro filiorum educatione ſolicitum reddit, nec affectus dilectionis ad conjugem & ad filios ligat, nec ſpiritus zelotypiæ caſtum exagitat, nec ſolicitus eſt quomodo uxori placeat, vel qualiter hæredes divites faciat.* Imò Cicero vir Ethnicus interrogatus cur poſt Terentiæ conjugis ſuæ repudium, alteri ſe uxori non jungeret reſpondit: *Non poſſe ſe uxori & Philoſophiæ ſimul operam dare.* Et ideò S. Apoſtolus ijs qui Dei miniſterio dicati ſunt, ſuadet, ut ab omnibus negotijs ſæcularibus abſtineant: *Nemo militans Deo implicat, ſe negotijs ſæcularibus*; Imò interpres quidam haud ignobilis ſuper textum S. Pauli ad Corinthios, qui eſt in aſſumpto themate hujus diſcurſus ideo Eccleſiam miniſtros altaris voto caſtitatis obſtrictos eſſe voluiſſe dicit, *ut cogitent quæ Domini ſunt; Hæc*, inquit, *primaria cauſa eſt, quod ſanctiſſimum altaris ſacrificium tractaturis, conjugium lege ſit ab Eccleſia catholica interdictum.* Dicit tamen S. Anſelmus S. Paulum ſtatum matrimonialem à perfectione & ſanctitate nequaquam excludere, quaſi in ſtatu matrimoniali nemo perfectus aut ſanctus eſſe poſſit, ſed tantum voluiſſe ſtatum virginalem & cælibem ſtatui conjugali præferre, utpote qui tamquam ab impedimentis quibuſvis expeditior, aptior quoque eſt ad Dei bonorumque cœleſtium habendam notitiam; in ſtatu enim conjugali *minor eſt divina ſanctitas ex ea parte curarum, qua mundana cogitatur voluptas:* Unde dicit Apoſtolus illis verbis, *his loquitur qui mira devotione obſequij deſiderant cæleſtibus vacare præceptis, oſtendens quo compendio citius curritur ad Deum, ſcilicet, ſi cælibem vitam quis ducat, & ſolis divinis ſtudeat.*

Virginalis ſtatus utilitates.
S. Bonav. l. 2 de profect. relig. c. 53.
Stevartius ibid.
2. Tim. 2. v. 4
S. Anſelm. ibid.

3. Sciendum eſt enim quod hic ſtatus cælebs & virginalis nobis hic in terra conſtitutis ſit veluti præludium quoddam & pignus illius beatitudinis, quæ nos manet in cœlis. Unde S. Cyprianus de *bonis pudicitiæ*, diffuſe tractans: *Virginitas*, inquit, *quid eſt aliud, quam futuræ vitæ glorioſa meditatio?* Et S. Leander ad Florentinam ſororem ſuam in regula ita ſcribit: *Vitæ cæleſtis beatitudinem hic incipiunt, quæ generare in doloribus filios neſciverunt, & quæ contagia libidinis, & fæda conjugum ſigmenta reſpuunt, recte Chriſti nuptias impetrarunt.* Deus enim apud Iſaiam continentibus promittit dicens: *Hæc dicit Dominus Eunuchis... dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit*; ad quam promiſſionem ſe Rupertus Abbas reflectens dicit: *Hæc dicenda Eccleſiaſticæ pulchritudinem caſtitatis mira allicit elegantia, ut delectet nos eſſe continentes.*

Præludium eſt beatitudinis.
S. Cypr. de bono pudicit.
S. Leander Hiſpalen.
Iſa. 56. v. 4.
Ibid. v. 5.
Rup. Abb. in Iſa. l. 2. cap. 20.

4. Sed ut ſine diverticulo ad diſcurſus hujus thema revertamur, S. Anſelmus verba illa Apoſtoli in eodem c. 7. ſcilicet: *Quoniam bonum eſt homini ſic eſſe*, exponens inquit: *ſenſus eſt: Bonum eſt in virginitate permanere, quia non ſolum in futuro ſæculo gloriam, ſed & in præſenti requiem & libertatem habet virginitas.* S. Bonav. eminentem quemdam notat caſtitatis gradum, ad quem qui pertingit, tali in hac vita quiete & tranquillitate fruitur, ut de eo dici poſſit: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis:* En ipſiſſima ejus verba: *Tertius gradus caſtitatis eſt, ita domitas habere carnis concupiſcentias, quod vix, & rariſſime ac tenuiſſime ſentiantur, & ex affectu talem induiſſe caſtitatis amorem, ut horreat; & ita deteſtetur omnes carnales motus, quod quaſi nauſeam inde patiatur, nec poſſit audire tractari de operibus carnis, niſi cum horrore & execratione.* Unde de ijs virginibus S. Iſidorus l. 2. *de officijs* Eccleſ. c. 17. dicit: *Angelicam vitam & cœli mores exhibent in terris*: Imò S. Anſelmus ait: *Si nihil aliud eſſet, & nulla merces amplior virginem ſequeretur, ſufficeret ei hæc ſola prælatio: Cogitat quæ Domini ſunt.*

Caſti magna vivunt in quiete.
S. Anſel. ibid.
S. Bonav. ibid. n. 56.
S. Iſid. l. 2. de offic. Eccleſ. cap. 17.
S. Anſel. ibid.

5. S. Apoſt. ait: *Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem: qui autem in ſpiritu ſeminat, de ſpiritu metet vitam æternam*; quod idem in præſenti propoſito nobis dicere licet: Qui Deum aſſidue cogitat, omneque ſtudium & induſtriam ſuam eo dirigit, ut ei placere poſſit, aliud deſiderare aut ſperare nequit, quam ut ei indiſſolubiliter uniatur; quod virgines expeditius faciunt, nam ut S. Thomas ait: *Virgo cogitat, id eſt, majorem habet facultatem cogitandi quæ Domini ſunt, id eſt, ſpiritualia & æterna.* Econtra is qui uxorem duxerat, ut eſt in Evangelio, ſe ad cœnam, quæ gloriæ ſymbolum erat, venire non poſſe expreſſe aſſeruit: *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire*, ac proinde S Paulus ait: *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt*; Et ideò *felix*, ut Angel. Doctor ait, *cujus votum eſt uxorem fugere, cujus ſolicitudo eſt Domino ſervire, cujus intentio eſt Deo placere.* Theod. verba illa: *Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe*, exponens ait: *Aperte oſtendit quis ſit ſcopus & inſtitutum virginitatis; qui enim virgo eſt, à ſupervacaneis & inutilibus cogitationibus liberam habet animam, & vitam futuram, quantum licet, imitatur.* Per experientiam namque quotidie videmus, quod dum virgines cœleſti ſponſo ſe conſecrantes, intra clauſtri ſepta ſe recludunt, omnes Deo intentæ imperturbabili mentis quiete, & tranquillæ conſcientiæ ſerenitate fruantur, & hic in terris ad imitationem ſpirituum cœleſtium Dei laudes inceſſanter canant, nec alia ſint occupatione diſtractæ, quam ut vel pſallant in choris, vel in ſancta contemplatione commercia ſua habeant in cœleſtibus myſterijs: *Cogitant quæ Domini ſunt, ſine ſolicitudine ſunt, ſanctæ ſunt*

De cœleſtibus aſſidue cogitant.
S. Thom. ibid.
Luc. 14. v. 20
1. Cor. 7. v. 32.
ibid.
Theod. ibid.

*ſunt corpore & ſpiritu.* Sic de quatuor Theodoſij Imper. ſororibus, inter quas Pulcheria inſignior fuit, quæ ſpretis nuptijs regijs ſuam Domino conſecrarūnt virginitatem, *ut cogitarent quæ Domini ſunt*; de his inquam Niceph. præſcribit: *Die noctuque hymnis, laudibusque celebrabant Deum; inſtitutum namque propter quod virginitatem erant complexæ, nec ignaviam, nec otium dicere exiſtimabant.*

*Niceph. T. 1. l. 14. c. 2.*

6. S.Bonav. verba illa Pſalmi: *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus*, ad propoſitum noſtrum de animabus caſtis exponit, quæ Dei laudibus intentæ cœleſti quadam quiete fruuntur; *Vacatio*, inquit, *notat quietem, viſio intentionem, quia bellis vitiorum ſopitis, & hoſtibus ſubjugatis, mens jam valet in ſe quieſcere, & Deo intendere, & intelligere quoniam ipſe eſt Deus, qui tam patenter potuit, & tam pie voluit impetus tentationum & vitiorum opprimere, & pacem quam per ſcripturam ſæpe promittit hominibus bonæ voluntatis donare.*

*S. Bonav. ibid. c. 56. Pſ. 45. v. 11.* In pace vixerit.

7. Qui aquam turbidam inſpicit, ſuam in ea imaginem videre nequaquam poterit, ſed ut faciem ſuam in ea contemplari valeat, neceſſum eſt, ut aqua ſit limpida, pura, & clara; cui ſimilitudini parum diſſimilis eſt illa quam S. Ambr. inſinuat, ut doceat quantum ad cogitandum de Deo & cœleſtia contemplanda caſtitas & continentia conferat: *Fons*, inquit, *ſignatus es virgo, nemo aquam tuam polluat, nemo conturbet, & imaginem tuam in fonte tuo ſemper attendas.* Quiſquis enim terram & bona temporalia cogitat, aquas turbidas inſpicit. Ideoque S. Paulus ſuadebat conjugatis, ut à bonorum terrenorum affectu alieni eſſe ſtudeant: *Reliquum eſt*, inquit, *ut & qui habent uxores tamquam non habentes ſint,... & qui emunt, tamquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur.... Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe*; at verò dicet fortaſſe aliquis, qua ratione finem hunc aſſequi potero? Id S. Apoſt. exponit, dum immediate ſubjungit: *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo*; Circa quæ verba S. Ambr. ait: *Diminutus enim ſolicitudine ſæculi, in Dei rebus propenſius vigilatur, quomodo autem ſine ſolicitudine eſſe poſſimus, oſtendit dicens: Qui ſine uxore eſt, cogitat quæ Domini ſunt*: At verò objicere quis poſſet, qua ratione Apoſtolus virginibus omnem ſolicitudinem præcipit abjicere, dicens: *Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſè*, cum tamen eodem contextu & tempore ſolicitudinem laudet & admittat, dicens: *Qui ſine uxore eſt ſolicitus eſt?* Reſpondet Theoph. *Domini curæ ſalutares ſunt, oblectabilesque mundi curæ noxiæ ſunt, afflictionibus & anguſtia plenæ*, quaſi diceret: Verum quidem eſt quod Apoſtolus dicat, *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt*, ſed non de alijs rebus, quam de ijs, quæ Domini ſunt. Unde S. Iſid. ſæcularem ſolicitudinem ſolum condemnabilem eſſe dicit, dum ait: *Geminum eſt bonum virginitatis, quia & in hoc mundo ſæculi ſolicitudinem amittit, & in futuro æternum caſtitatis præmium percipit.*

Solici ti ſunt quomodo placeant Deo. *S. Ambr. de Inſt. virg. c. 9. 1. Cor. 7. v. 29. Ibid. v. 30. Ibid. v. 31. Ibid. v. 32. Ibid. v. 32. S. Ambr. ibid. Ibidem. Theophyl. ibid. S. Iſid. l. 2. ſent. c. 40.*

8. Valde autem conſiderabilia ſunt verba illa quæ Apoſtolus eodem in loco ad declarandum id quodde cœlibatu & caſtitate dixerat, nimirū: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt*, ſubjungit; dicit enim: *Porrò hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi*; nimirum S. Paulus confirmare voluit, quod alias proteſtatus fuerat, nimirum quod virginitas ſub præceptum non cadat, quodque ſtatus etiam conjugalis virtutis & perfectionis capax exiſtat; verumtamen, inquit S. Paulus ad beneficium & utilitatem veſtram dico vobis, quia in ſtatu cælibatus continenter vivendo, minus ad Deo inſerviendum habituri ſitis obſtaculum, majoremque facilitatem. *Porrò ad utilitatem veſtram &c.* ubi Beda ait: *ampliorem innuptarum & in corpore & in ſpiritu ſanctificationem intelligi voluit, non corpus nuptiarum omni ſanctificatione privavit.* S. Anſel. ſimiliter dicit: *qui ne forſan putaretur onus caſtitatis imponere nolentibus ſtatim ſubjungit cauſas ſuadendi, & ait: Porrò hic dico, id eſt, continentiam ſuadeo ad utilitatem veſtram, id eſt, ut majorem apud Deum mercedem acquiratis, & levius in hoc ſæculo vivatis*; Hæc autem utilitas evidentiſſima eſt, ut his verbis probat Sanct. Ambr. *Quæ nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro, & præter has moleſtias, quamvis nubendo non peccet, contritionem tamen carnis habebit hujuſmodi, gravis enim labor partus eſt, gravis curandorum & erudiendorum liberorum moleſtia; multa matrimonij onera non ferentes, alieno ab uxore avertuntur affectu, bonum conjugium, ſed tamen à jugo tractum & jugo mundi, ut viro potius cupiat placere quam Deo.*

Conjugalis ſtatus non tam aptus ad cœleſtia. *1. Cor. 7. v. 34. Ibid. v. 35. V. Beda ibid.*

9. S. Aldelmus Saxonum occidentalium Epiſcopus, qui vixit A. 680. à Cornel. à Lapide circa hunc S. Pauli textum ad Corinth. n. 235. citatus, in virginalis ſtatus laudem inquit: *Cum tres ſint ſtatus in Eccleſia, virginitas, cælibatus & conjugium, ex revelatione Angelica didicimus, ſi meritorum ratio habenda eſt, eum has inter virtutes conſtituendum eſſè ordinem, ut virginitas aurum, cælibatus argentum, conjugium æramentum; virginitas divitiæ, cælibatus mediocritas, conjugium paupertas; virginitas pax, cælibatus redemptio, conjugium captivitas; virginitas ſol, cælibatus lucerna, conjugium tenebræ; virginitas Regina, cælibatus Dominus, jugalitas ancilla.* Ratio autem cur hanc potius quantumvis ſtrictam & anguſtam cælibatus viam potius ſuadeat, eſt, quia nulli in hac via ſcopuli aut offendicula occurrunt, eo *quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi*, ubi Salm. ait: *Oſtendit non ſolum utilem cælibatum, ſed honeſtum & facilem, eſt enim utilius quod facit, ut expeditius mortificata carne Deo ſerviamus; ſicut enim inimicus occiſus non facit tibi injuriam*, inquit S. Auguſt. *ſic caro mortificata non turbat animam.* Cajet. loco illorum verborum: *ſine impedimento Dominum obſecrandi*; legit: *ad aſſidendum Domino ſine diſtractione, ut ſignificetur, quod abſtinere à conjugio nullum eſt indecens, ſed decorum, & præter hoc utile eſt ad continuam aſſiduitatem ſui ipſius coram Domino ſine diſtractione.* Plantiniana & aliæ verſiones, ut refert Corn. à Lapide, legunt: *Dominum obſervandi.* S. Gregor. legit: *Domino obſerviendi.* S. Hieron. *contra Jovinianum* ab eodem Cornelio citatus dicit: *quod intente facit ſervire Domino abſque ulla diſtractione. Ad utilitatem veſtram dico, id eſt*, ut Dionyſ. Carthuſ. exponit, *ad majorem veſtrum profectum conſulo, non ſolum quia virginitas & cælibatus majoris eſt meriti majorque virtus, quam ſit matrimonium, verum etiam quia homo in hoc ſtatu majori cum facilitate applicare ſe poteſt ad Dei ſervitium & propriam ſalutem*, cum econtra in ſtatu matrimoniali, varia ad id faciendum impedimenta occurrant; nam *quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi. Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt*; unde ſequitur, quod ut V. Beda advertit, *tanto eſt beatior, quanto ei plus placet, quanto magis cogitat ea quæ ſunt mundi, tanto minus placet.*

Virginalis ſtatus præcedit alios. *Bibliot. S. PP. T. 3. de laud. Virg. cap. 3. 1. Cor. 7. 35. Salmeron ibid. S. Aug. T. 10. ſerm. 44. 1 Cor 7. 35. Cajetanus. S. Greg. 3. p. cur paſt. admon. 38. Dion. Carthuſ. ibid. 1. Cor. 7. 34. Ibid. v. 33. V. Beda ibid.*

10. S. Ambr. virgines apibus ſimiles eſſe dicit, tum quia hæ continuo in mellis compoſitione ſunt occupatæ, tum etiam quia & hæ virgines exiſtunt: *Digna virginitas quæ apibus comparatur, ſic laborioſa, ſic pudica, ſic continens, rore paſcitur apis, neſcit concubitus, mella componit; ros quoque virginis eſt ſermo divinus, quia ſicut ros Dei verba deſcendunt.* Et ideò S. mater Eccleſia de S. Cæcilia canit: *Quaſi apis argumentoſa tibi deſervit famula tua*; Animæ etenim virginales prout in regulariſſime viventium ſanctimonialium monaſterijs, quotidie videtur, in lege Dei meditantur die ac nocte. Unde S. Cypr. *de bono pudicitiæ* ita ſcribit: *Pudicitiæ competunt, & cogniti ſunt in primis divinus pudor, & præceptorum ſancta meditatio, & animus propenſus ad fidem & mens attonita ad ſacram Religionem.*

Virginitas apibus comparatur. *S. Ambr. l. 1. de Virg. S. Cypr. de bono pudic.*

11. In ſacrarum virginum caſta pectora conſolationum cœleſtium extaſum, raptuum, viſionum & revelationum divinarum manna ut plurimum diſtillare conſuevit, prouti ex hiſtorijs S. Thereſiæ, S. Gertrudis, utriusque S. Catharinæ Alexandrinæ videlicet & Senenſis aliarumque plurimarum perſpicuè videre licet, ac proinde S. Iſidorus aptiſſimè inquit: *Amanda eſt pulchritudo caſtitatis, cujus deguſtata delectatio dulcior invenitur, quam carnis, caſtitas enim fructus ſuavitatis eſt, & pulchritudo inviolata ſanctorum.* S. Bonaventura in virginibus non ſine admiratione ſerenitatem quamdam conſiderat & lætitiam interiorem quæ conſcientias ipſarum mirificè tranquillat: *Conſcientiam lætificat*, inquit de caſtitate, *quia gratum Deo præſtat obſequium, qui carnis dulcedinem reſpuit, quam mundus pro magno concupiſcit; lætificat, quia Deo placet, Deum placat, & Deo proximare facit, & Dei offenſam cavet in delectatione carnali, & præmium cœleſte meretur, & Deum authorem munditiæ per caſtitatem imitando ſequitur, cum ſit gloria magna ſequi Dominum, qui nos præceſſit in munditia caſtitatis, virgo virginis filius, virginum ſponſus.*

Virginibus cœleſtia revelantur. *S. Iſid. ibid. S. Bonav. l. 2. de prof. relig. c. 53.*

12. S. Bern. qui eximio hoc virginitatis dono à Deo præclare dotatus fuit, S. Paulum caſtitatem inter duodecim Spiritus Sancti fructus connumeraſſe notat, adducitque textum illum ejusdem Apoſt. ex Epiſt. 1. ad Tim. cap. 2. ubi dicit: *Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate, hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro.*

*S. Bern. in T. 3. Fer. 6. poſt Pent. ſer. 5. A. 3. 1. Tim. 2. v. 2.*

13. Ad-



13. Advertendum porrò eſt, quod poſtquam S. Paulus dixiſſet; *Virgo cogitat quæ Domini ſunt*, ſtatim ſubjunxerit: *Ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*; ex hac enim continua caſtorum & continentium ad ſervitium Dei applicatione; neceſſariò conſequitur, quod in virtute & ſanctitate proficiant. Eſt tamen obſervandum quod Apoſtolus in dicto loco corporis & Spiritus ſanctitatem pariter conjungat, quia ut S. Ambroſius ait: *dum ſpe cæleſtium mariti & filiorum ſolicitudinem ſuſcipit, de Domino cogitat, quomodo propoſitum Deo devotum cuſtodiat, ſi tamen in corpore mundo animus terrena abjiciens cæleſtibus ſtudeat, anima enim eſt quæ aut ſanctificat, aut polluit corpus, quid enim prodeſt corpus mundum habere, & animam pollutam, cum merito animæ aut honoratur corpus aut damnatur.*

*1. Cor. 7. v. 34. ibid.* Anima munda eſſè debet cum corpore. *S. Ambr. ibid.*

14. S. Anſelmus ad idem propoſitum exponit modum quo anima pura & caſta acceptabile Deo ſacrificiū effici poſſit; dicit enim: *Illa virginitas hoſtia Chriſti eſt, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculaverit.* Theophyl. quoque ad idem ſe reflectens dicit: *Non ſatis eſt corpore eſſè virginem ſanctam, verum ſpiritus etiam caſtimonia ſequitur, hæc enim eſt vera virginitas, animæ puritas, quandoquidem multæ quidem corpore caſtæ ſunt, anima vero contaminatæ.* S. Thomas verba Apoſtoli aliter exponit, dum ait: *Ut ſit ſancta corpore, id eſt, corporalibus actionibus; & ſpiritu, id eſt, ſpiritualibus actionibus.* Oecumenius dicit: *Virgo corpore ſancta eſt propter caſtitatem, ſpiritu autem ſancta eſt propter familiaritatem cum Deo & Spiritus S. inhabitationem.*

*S. Anſel. ibid. Theophyl. ibid. S. Thom. ib. Oecumen. ibid.*

## DISCURSUS XIV.

### ARGUMENTUM.

Caſtitas & continentia virtutes ſunt difficiles & arduæ, quia carnis laſcivia quæ nobis ingenita & connaturalis eſt, eſt inimicus qui nos ſemper & ubique concomitatur quemque nutrire cogitur, eſtque malum quoddam, quod licet magnam nobis pernitiem afferat, à nobis tamen naturaliter diligitur & deſideratur.

### THEMA.

*Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Rom. 7. ℣. 24.

1. TAmetſi animi generoſitas & fortitudo in S. Apoſtolo tanta fuerit, ut totum adverſus ſe infernum provocare non dubitaverit, tametſi etiam ad cœlum uſque evectus & raptus fuerit, mortique pariter & vitæ pro libitu ſuo dominaretur, prouti ex tot per illum patratis miraculis manifeſtè liquet, attamen dum carnis in ſe rebellionem ſenſit, *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ*, præ ardenti conſervandæ virginitatis deſiderio exclamavit dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Porrò S. Joan. Climacus, Apoſtolum hoc loco mortis nomine carnem intellexiſſe exiſtimat, quia ſicut mors homini connaturalis eſt, omnibusque inevitabiliter accidit: ita quoque omnes homines etiam perfectiſſimi & ſanctiſſimi, quamdiu hac fragili carne induti ſunt, concupiſcentiæ & tentationibus carnalibus ſubjiciuntur; ac proinde verba illa: *Quis eſt homo qui vivet & non videbit mortem*, de carnali concupiſcentia exponit, ut ſenſus ſit, *& non videbit contaminationem carnis.*

Tentatio carnalis connaturalis eſt homini. *1. Cor. 12. v. 7. S. Joan. Climac grad. 15. Pſ. 88. v. 49.*

2. S. Hieron. verba illa Pſalm. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini*, de illis exponit, qui à ſtimulis carnis immunes exiſtunt, haud ſecus ac ſi in hac vita æternæ compotes beatitudinis eſſent effecti; unde iisdem verbis hanc ſubnectit paraphraſim: *Carnis concupiſcentijs edomitis.* Idem quoque S. Doctor in Epiſt. quadam ad Principiam ait: *Immaculatos in via hujus ſæculi appellat, quos nulla obſcæni amoris aura maculavit.* Enimvero quantopere carnalis hæc concupiſcentia nobis impreſſa, congenita, & connaturalis exiſtat S. Cyrillus Alex. nobis emphaticis hiſce verbis ſubindicat dicens: *Inſita eſt, & in nobis ipſis infixa & hærens concupiſcentia carnis, eamque peccati legem beatus quoque Paulus appellat, habitantem in membris carnis.* Alia quidem vitia, in nobis ut plurimum locum habent per modum tranſeuntis: Carnis vitium autem ſuum in corporibus noſtris domicilium fixit: *Habitantem in membris carnis.*

*Pſalm. 118. 1. S. Hier. ibid. S. Hier. in Epiſt. 16. ad Principiam. S. Cypr. Alex. l. de adorat.*

3. S. Bonaventura ad propoſitum præſens notabilem quamdam excitat quæſtionem, videlicet cur ſapientia increata inter decem decalogi præcepta, peccatū carnis duplici præcepto prohibuerit; ſiquidem in ſexto præcepto dicitur: *Non mœchaberis.* In nono vero præcepto iterum ſubjungit: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Et reſpondet: *Nota quod triplex eſt ratio, quare ſpecialis iſta concupiſcentia carnis duplex prohibetur, tum quia eſt quædam animæ labes, quæ cito maculat, & vix poteſt tergi: tum quia eſt quidam animæ ignis, qui cito inflammat, & vix poteſt extingui tum quia eſt quædam animæ ſitis, quæ ſemper cruciat, & vix poteſt ſatiari.* Neque enim ulla in nobis eſt paſſio vehementior & inordinatior, aut quæ majori cum tyrannide carni noſtræ prædominetur quam concupiſcentia carnis, ac proinde ad continenter vivendum efficaciter illam refrænare, opus vere arduum eſt, valdeque difficile, ideoque Deus operæ pretium eſſe cenſuit, ut hujus torrentis impetus duplicis præcepti aggere coërceretur.

*S. Bonav. in Diat. ſalut. Tit. 3. cap. 8. Exod. 20. v. 14.*

4. Regius Propheta David, qui *vir ſecundùm cor Dei* erat, multisque annis in puritate cordis vitam ſuam tranſegerat, poſtquam tandem in adulterium miſere prolapſus in Pſalm. ſuis Pœnitentialibus divinam implorare cœpit miſericordiam, hoc præcipue allegat motivum dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*; Circa quæ S. Greg. ait: *Opus eſt Domine ut miſerearis, quia ab ineunte vitæ primordio in peccati foveam incidi, & concupiſcentiæ carnalis ſordibus inquinatæ nativitatis meæ initia contraxi.* S. Baſilius quoque qui adverſus carnem ſuam implacabile bellum exercuit, adeò ut non niſi oſſibus & pelle conſtans totus & merus ſpiritus eſſe videretur, ad noſtram eruditionem ita ſcribit: *Neque vehementior ulla violentiorve hominum corporibus inſita reperiri libido poteſt, quam maris cum fœmina, & fœminæ viciſſim cum mare conjunctionis appetitus*; Cujus ratio eſſe poteſt, quia mulier ex coſta & veluti ex viſceribus viri fabricata fuit, ac proinde mirum non eſt, quod vir illam utpote portionem & partem corporis ſui appetat; imò infallibilis providentiæ Dei mirum quoddam artificium fuit, inquit S. Bruno quod mulierem ex viro formaverit, ut hac ratione major inter utrumque & indiſſolubilior intercederet correſpondentia amoris: *ut major inter hominem & mulierem dilectio foret, non aliunde, ſed de viri coſta facta eſt, unde fit, ut naturali quodam amore viri inſectantes coſtam ſuam, mulieri adhærere cupiant, quaſi carni ſuæ, cujus amoris appetitum, qui divinitus in ſe adjuti vincere queunt, quaſi propriam naturam dimicando vicerunt, & merito cæteris hominibus præferuntur.*

Proſecutio. *Pſ. 50. v. 7. S. Greg. ibid. S. Baſil. in Conſt. Monaſt. c. 1. S. Bruno in allegat. Titelm. in c. 2. Geneſ.*

5. S. Cyrillus calumnias Juliani confutare volens, quibus Moyſen falſum ſcripſiſſe mentiebatur, dum is mulierem viri adjutorium creatam fuiſſe aſſerit, hac occaſione vehementem, innatam, nobisque naturaliter quaſi inviſceratam viri erga mulierem propenſionem demonſtrat dicens: *Hic vide obſecro ſapienter & induſtrie productam mulierem ſecundùm quod Deo placebat, nam quamvis potuiſſet innovare aliquid, & iterum accipere pulverem de terra, vel formare ſimili modo, ſicut formatus fuerat Adam, hoc quidem non faciebat*; Pergit deinde idem S. Pater oſtendendo quiſnam quoad affectum viri erga mulierem, ex hac productione natus fuerit effectus; ſubdit enim: *At ille acceſſit quidem blande, & raptus in amorem inſitis affectibus, & quaſi agnatus*, inquit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, iſta vocabitur mulier, quia ex viro ſuo ſumpta eſt, unde propriiſſime in maſculorum natura affectionem genuinam erga fœminas inſeruit.*

*S. Cyrill. l. 3. ad text. 1. cont. Julian.*

6. Obſervandum inſuper eſt, quod Deus ſublata ab Adamo coſta quæ durum os quoddam erat, carnem ejus in locum ſubſtituerit: *Replevit carnem pro ea*, cujus hanc S. Bruno aſſignat rationem: *ut ex eo etiam nos infirmiores & molliores eſſè ſciamus, quod mulieribus adhæremus.* Neque enim ad reſiſtendum tentationibus circa fragilem hunc ſexum nobis occurrentibus vires habemus, eo quod mulieres partem ſubſtantiæ noſtræ eſſe agnoſcamus, utpote ex coſta viri factas, in cujus locum Deus non os durum, quod ſcilicet reſiſtere valeat, ſed carnem fragilem, quæ ictui tentationis illato facile cedit, ſuppoſuit. Adhæc quia cor noſtrum vitæ humanæ centrum eſt, omniumque ſenſuum & operationum velut primum mobile, ideo illud ab initio creationis primi hominis multarum coſtarum duris oſſibus communivit, & velut oſſeo muro fortificavit: jam verò quia viro unam coſtarum ad mulierem exinde formandam ſuſtulit, hac ſublata cor viri uno ex neceſſarijs munimentis & fortalitijs nudatum remanſit, ac proinde inimicus, id eſt, ſpiritus fornicationis illud aggrediens, facilius ſuperat, & victor illius evadit. Unde S. Cyrillus ait: *Mulier figura eſt voluptatis, voluptas verò*

Innata propenſio virorum erga mulieres. *S. Bruno in allegat. Titelm. S. Cyrill. de adorat.*

ubi

*ubi animum delinivit, vallum, ita dicam, coſtarum, quæ in morem mœnium cor præcingunt, prærumpit, atque murum labefactat.*

Proſecutio.

Lactantius Firm. l. 6. c. 23.

7. Eſt & alia hujus innatæ, vehementiſque virorum erga mulieres propenſionis ratio, nimirum ut ea mediante per viam generationis, progenies propagaretur humana. Unde Lactant. ait: *Dum excogitaſſet Deus duorum ſexuum rationem, attribuit eis, ut ſe invicem appeterent, & conjunctione gauderent, itaque ardentiſſimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiſcuit, ut in hos affectus avidiſſime ruerent eaque ratione propagari & multiplicari genera poſſent, quæ cupiditas & appetentia in homine vehementior & acrior invenitur, vel quia hominum multitudinem voluit eſſe majorem, vel quia virtutem ſoli dedit, ut eſſet ei laus & gloria in coërcendis voluptatibus.*

Differentia inter carnis & alia vitia. S. Hieron. l. 3 Ep. 147.

S. Hier. in Reg. Mon.

8. S. Hieron. eam quæ inter hoc vitium carnis, & alia vitia intercedit differentiam his verbis optime obſervat: *Cætera peccata*, inquit, *forinſecus ſunt, quidquid enim egerimus, in alijs agimus, at fornicatio non ſolum conſcientiam, ſed & corpus maculat.* In alio quodam loco, ſcilicet in regulis monaſticis hanc nobis tradit doctrinam dicens: *Omnia alia peccata extrinſecus ſunt, & quidquid foris eſt, facile abjicitur, ſola libido inſita eſt, & quadam lege naturæ in coitum geſtit erumpere.*

Carnalis appetitus quam connaturalis ſit homini. Gen. 8. v. 21.

9. Poſtquam Deus totum quaſi genus humanum horrendo univerſalis diluvij ſupplicio deleviſſet, mox proteſtatus eſt dicens: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* Ubi merito quærendum venit, cur Deus ita aperte proteſtatus fuerit, numquam ſe deinceps ob hoc peccatum deleturum hominem, huncque mundum in vaſtam quamdam redacturum eſſe ſolitudinem? utique non ob aliam rationem id feciſſe credendus eſt, quam quia malum hoc ejus naturæ in hominibus eſſe intelligat, ut illud quocumque etiam adhibito ſuppliciorum genere irremediabile ſemper remaneat, eo quod appetitus carnalis nimium eſt hominis naturæ irradicatus & connaturalis, cujus Deus ipſe efficaciſſimam hanc reddit rationem: *ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Et ideo teſte Lactantio, graves non deſunt authores, qui carnis deſiderium neceſſitatis nomine appellare non dubitant: *ſcit adverſarius ille noſter*, inquit, *quanta ſit vis hujus cupiditatis, quam quidem neceſſitatem dicere maluerunt*; quo ſenſu fortaſſis intelligenda eſt illa Davidis à Deo ſolicitata petitio, qua ait: *De neceſſitatibus meis erue me.*

Lactantius Firm. ibid.

Pſ. 24. v. 17.

Hoſtem noſtrum corpus fovere debemus.

S. Aug. T. 9. Meditat. c. 13

10. Enimverò vitium carnis inimicus noſter eſt, & quidem mortalis, quia ſæpe corpori, animæ verò ſemper & infallibiliter mortem machinatur corporalem & æternam, & tamen hunc inimicum blande fovemus & nutrimus ſolicite. Audite quid de hoc inimico ſcribat S. Auguſt. *Primus hoſtis continentiæ noſtræ caro eſt noſtra, dum concupiſcit adverſus ſpiritum. Quam domeſticus hoſtis, quam periculoſa lucta, quam inteſtinum bellum! Hoſtem hunc crudeliſſimum non fugere poſſumus, ô anima mea, non fugare, ſed circumferre illum neceſſe eſt, quoniam alligatus eſt nobis. Quid autem periculoſius & miſerabilius eſt, quam quod hoſtem noſtrum cogimur ſuſtentare, perimere eum non licet?* Quid hoc eſt (lamentabatur olim Nazianz.) eum qui mortem mihi certiſſimam infert, ego nutrio, adblandior & foveo inimicum quem timeo, extimeſco illum quem diligo, quem ſequor fugio, mihique proximum retineo quem proſequor odio: *Nec tecum vivere poſſum, nec ſine te.*

Nazianz. Orat. 16.

Hug. de S. Victor. l. 3. Allegor. in Matth. 6. v. 14.

Præ alijs pernitioſior hoſtis eſt corpus.

11. Hugo de S. Vict. ait: *Malum eſt hoc Domine, & non eſt ſicut cætera mala*; Imo ultimam orationis Dominicæ petitionem, in qua dicimus: *ſed libera nos à malo*, de hoc vitio concupiſcentiæ carnalis exponit, ac proinde ſubjungit: *Crudelius perſequitur, profundius nocet, efficacius lædit*; ac demum eumdem hunc hoſtem noſtrum nobis præ cunctis alijs pernitioſiorem eſſe declarat dicens: *Blanditur, ut fallat; lenocinatur ut perimat; mentitur dulcedinem, ut amaritudinem infundat. Ideo Domine difficilius vincitur, tardius extirpatur, quia noſtris deſiderijs adverſus nos pugnat, & ad mortem blandiente dulcedine, ipſam etiam voluntatem penetrat, & ut poſtmodum toti naturæ dominetur, ipſam (quæ totum regit) rationem violenta quadam peſtiferæ delectationis perſuaſione inclinat.*

Ad vitium carnis audaciores ſunt viri.

12. Hiſce quoque aliud non modicum malum ſuperaccedit, nimirum quod cum ſexus muliebris à verecundia, quam Deus huic ſexui ſpecialiter ſua divina providentia ad bonum generis humani impreſſit, refrænetur: Econtra viri, uti per experientiam quotidie videmus, tanto ſint ad hoc vitium ſine ullo rubore committendum audaciores; & potius *lætentur cum malè fecerint, & exultent in rebus peſſimis*, quam quod aliquo inde rubore ſuffundantur. Unde dicere poſſumus, quod S. Auguſtinus in Pſal. 57. ſcribens ait: *Tanta eſt perverſitas generis humani, ut aliquando metuendum ſit, ne caſtus erubeſcat inter impudicos ideo non ceſſo tangere iſtam quintam Chordam, propter ipſam perverſam conſuetudinem, & labem totius generis humani.* Quod ſi quis forte, inquit idem Præſul Hipponenſis, homicidium aliquod commiſit, hunc ſtatim in exilium mittitis; ſi quis fur eſt, odio habetur ab omnibus; reputatur iniquus: At vero *ſi quis volutatur cum ancillis ſuis, amatur, blande accipitur, convertuntur vulnera in jocos, ſi quis autem dicat ſe caſtum, non facere adulterium, notum autem ſit, quod non faciat, erubeſcit accedere ad illos non ſui ſimiles, ne inſultent, ne irrideant, ne dicant non eſſe virum.*

Proverb. 2. v. 14.

S. Aug. in Pſal. 57.

Exemplum.

13. S. Bernardus adhuc juvenis exiſtens, cum in hoſpitium cum ſodalibus ſuis ingreſſus nocturno tempore à quadam laſciva puella ad ejus lectum propius accedente ad illicita ſolicitaretur, mox alta voce clamare cœpit: *Latrones, Latrones:* ad quem clamorem ipſa quidem protinus fugit, verumtamen ab effræni amore quo Bernardi juvenis ſpecioſiſſimi pulchritudinem deperibat, impulſa ad caſtiſſimum juvenem iiſdem quibus antea lenocinijs ſolicitandum de novo acceſſit, qui identidem inclamans: *Latrones, Latrones*, eamdem denuo turpi repulſa à ſe fugavit; Quapropter ſequenti diluculo à ſocijs eum irridentibus, quinam hi latrones fuiſſent, qui nocte præterita ipſum infeſtaverant interrogatus, latronem hunc ſibi virginitatis theſaurum eripere voluiſſe, reſpondit. Unde S. Auguſtinus ubi ſupra his verbis concludit: *Ad hoc elapſa eſt humana perverſitas, ut vir habeatur à libidine victus, & vir non habeatur victor libidinis. Triumphantes exultant & non ſunt viri: jacent proſtrati, & viri ſunt. Si ſpectares ille tibi videretur fortior, qui jam jaceret ſub beſtia, quam qui interimeret beſtiam.*

14. Laſciviens Caro noſtra talis inimicus noſter eſt, cui non ſolum adblandimur, ſed ab eo nos victos eſſe gloriamur, omnique cum induſtria, ut ab illo vincamur contendimus, adeoque non ſolum de acceptis ab illo vulneribus non ſolum non dolemus, ut etiam de effuſo ſanguine noſtro gaudeamus. S. Nilus proinde ait: *Niſi Dominus providentia fœminæ impetum pudoris fræno compreſſiſſet, verum ipſa ad maſculum proficiſceretur, profecto non ſalva facta fuiſſet omnis caro.* Adeo hic inimicus nobis amicus eſt & familiaris, ut homo in pluribus Scripturæ ſacræ locis carnis nomine appellatur, & tamen caro illa eſt quæ ſævam nobis mortem conciliat: *Omnis caro fœnum; videbit omnis caro ſalutare Dei.* Hæc caro ſemper adverſus ſpiritum exurgit & pugnat: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.*

S. Nilus de octo vitioſ. affect.

S. Joann. Climac. ſchol. ad ſcalam Parad. c. 18.

15. Joannes Climacus de hoc inimico noſtro dicit: *Hæc caro inimica mea, tamquam natura animæ conſors, & quæ diligitur ab illa*; Neque enim anima ab hoc corpore diſſociare aut eximere ſe poteſt, niſi Cœlum perdere velit; nec poteſt ulla ſibi ad gloriam conſequendam comparare merita, niſi quoadusque cum fragili hac maſſa conjuncta eſſe cernitur; nec poteſt vinculum quod cum hoc inimico corpore ipſi intercedit, diſrumpere, & tamen infeſtiſſimus eſt animæ hoſtis, & ideo idem S. Climacus de Carne ſua dicit: *Non mea eſt, utpote contra quam pugnat anima velut hoſtem ſuum.*

Impuri amoris mala.

Idiota de amore Div. cap. 34.

16. Doctiſſimus Idiota Divinum amorem, cum amore hoc carnali, inimico noſtro, de quo in præſenti agimus, comparans, hiſce pernitioſum hunc amorem phraſibus deſcribit: *Talis amor eſt laqueus animæ, diſcrimen vitæ, mors ſuavis, blanda percuſſio, interfectio leniens, mel felleum, pernities delicata, dulce venenum, malum ſpontaneum*; Denique quanta cum difficultate ab hoc infeſto hoſte homo ſe expedire poſſit, exponit dicens: *Talis amor eſt veræ amicitiæ inimicus, ineffugabilis pœna, noxium malum, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, continua ſolicitudo, indeſinens pugna, quotidianum damnum*; Et tamen inter omnia hæc mala, & infinitas clades quas ab hoc inimico patimur, illum diligimus, fovemus, amamus & amplexamur. Unde Nazianzenus in ſacris poematibus ſuis ait: *Exitioſa caro qua fluit omne ſcelus, hoſtis amica caro, blandiſſima pugna.* A S. Bernardino per adductam S. Bernardi authoritatem appellatur *malus vermis luxuria, quo nullus alius nocentior, ingreditur enim blandiendo, mordet ridendo, transformat delectando, perimit conſentiendo.* Unde Prov. 23. *Ingreditur blandè, Sed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet.*

Nazianz. adv. Carn. S. Bern. T. 2. ſer. 52. A. 3. cap. 2.



Prov. 23. Ibid. v. 32

Caro hoſtis Domeſticus nutiri debet. D. Chryſoſt. Hom. 77. T. 1. de Pœnit.

18. D. Chryſoſtomus neceſſitatem qua cum hoc inimico continuo & ſine intermiſſione converſari cogimur, his verbis exponit. *Quotidie cum adverſario iter agis, cujus comitatum effugere non potes; Paulus te inſtruit dicens: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, hæc autem*, inquit, *ſibi invicem adverſantur.* De hoc adverſario B. Laurentius Juſtinianus de interiori conflictu ita ſcribit: *Videſne quam inſuperabilis ſit carnis illecebra? Latitat in carne, accendit carnem, & carnis miniſterio utitur.* Petrus Bleſenſis ſimiliter in ſermone quodam inquit: *Caro eſt hoſtis domeſticus, & ideo magis timendus, ſuadet ſuavia; tela & ſagittæ quas in animam vibrat ſaccaro oblinitæ ſunt*; & vel maxime ex hoc capite *carnis ſuggeſtio valde eſt timenda, ipſa enim ligat nos, quam interficere non audemus, ſed ei neceſſaria alimenta miniſtrare tenemur*: quod autem hic domi noſtræ familiariter & blande nutritus inimicus mortem nobis machinetur, Apoſtoli teſtimonio comprobat dicentis de carne: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus.*

B. Laurent. Juſt. de inter confl. c. 8. Petr. Bleſ. ſerm. 8. de S. Vincentio.

Rom 7. 24.

Libidinem pauci ſuperant. S. Joan. Damaſc.

S. Thom. de Vill. no. Conc. de S. Idelph.

18. Verum enimverò ad naturalem & vehementem viri erga ſexum muliebrem propenſionem plenius demonſtrandam, ſufficiet celebrem quamdam ex S. Joanne Damaſceno hiſtoriam adducere, quam priuſquam recenſere incipiam operæ pretium eſſe judico, ut prius egregiam quamdam S. Thomæ de Villa nova doctrinam præmittamus; dicit igitur ſanctus hic Archiepiſcopus: *Univerſalis naturæ noſtræ pernities libido eſt, quam omnes faciliter accuſare, pauci vitare, pauciores autem ſuperare poſſunt; Eſt enim vitium naturæ inſertum, & naturali quadam inclinatione firmatum, repugnare autem naturæ difficillimum eſt, quis namque ſine divino adjutorio ſuam poterit in hoc caſu ſuperare naturam? unde Caſſianus: Cætera, inquit, vitia forinſeca ſunt, & levi pelluntur impulſu, quia eorum pugnam ab extra nobis inferri ſentimus, ut autem libidinem ferociſſimam & indomitam belluam ſuperare poſſimus, non extra nos, ſed intra nos auxilia quærenda, magnam nobiſmetipſis vim inferre debemus, & intra nos ſunt tela quibus ipſam fugare valeamus.* Hac doctrina ſuppoſita nunc ad promiſſam ex S. Joanne Damaſceno hiſtoriam recenſendam tranſeamus. Hic igitur S. Pater narrat Regem quemdam eò quod ſine liberis eſſet, mæſtum valde & afflictum, tandem diu deſiderata prole à Deo fuiſſe potitum, de qua tamen hoc futurum accepit præſagium, nimirum hunc ſibi natum filium, mox ut infra duodecimum ætatis annum perveniret excæcandum fore, ſi vel ſolem vel ignem fortuito inſpiceret, quam proinde Rex ab hac miſeria præſervare volens, in abditiſſimam quamdam ac tenebricoſam ſpecum abdidit, in qua nullus ad eum ſolis radius penetrare poſſet; tranſacto verò periculi tempore, ſcilicet poſt elapſos duodecim annos, ex hac eum ſpecu ſanum & ſalvum eductum in magnam quamdam aulam educi, ibique varia ei, hactenus ab eo minimè viſa exhiberi præcepit: *Tum ſibi omnia juxta ſuum quodque genus, exhiberi ac monſtrari jubet, viros nimirum in uno loco in alio fœminas, aliunde aurum, alia ex parte argentum, uniones & lapides exquiſiti pretij, veſtes elegantes, currus inſigni pulchritudine, boum armenta*; Cumque filius uniuſcujuſque rei nomen ſibi dici depoſceret, tandem *cum mulierum nomen ſcire cuperet, tum Regis armiger lepide ac feſtive, Dæmones eas appellari dixit, à quibus hominum mentes in errorem traherentur. Pueri autem pectus earum amore, atque cupiditate vehementius, quam ullius rei deſiderio illectum ac delinitum eſt. Cum autem omnibus rebus peragratis ad Regem eum adduxiſſent, ac Rex ipſe, quidnam ex omnibus rebus quas vidiſſet, ipſi magis arrideret, quæſiviſſet: quid, inquit, aliud quam Dæmones illi, qui homines in fraudem inducunt? neque enim ullius rei ex his omnibus quas hodierno die vidi, perinde atque eorum amore animus meus incenſus eſt, atque hunc pueri ſermonem Rex admiratus eſt, quamque violenta ac tyrannica res fœminarum amor eſſet, hinc judicavit.* Ex qua hiſtoria ita licet arguere, quod ſi adoleſcentulus hic duodennis erga hunc ſexum tam vehementi propenſione urgeri cœpit, quanto vehementius flamma iſthæc adaugebitur in ætate adulta? *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.*

S. Joan. Damaſc. Hiſt. c. 30.

Pſ. 18. v. 7.



## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Omnes continuum in nobis carnis prælium & luctam experimur, quam tamen etiam diligimus omnes; ſuntque huic certamini omnes ſubjecti etiam viri perfectiſſimi, magnumque virtutis ſpecimen edit, qui in eodem conſtans eſt, & victor evadit.

## THEMA.

*Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum.* Rom. 7. ℣. 18.

Carnis prælium in nobis eſt continuū. D. Chryſoſt. ſerm. cont. Conc.

S. Joannes Chryſoſtomus S. Paulum Apoſtolum carnalibus tentationibus agitatum eſſe conſiderans, præ nimia admirationis magnitudine dicit: *Cogita prædicatorem veritatis, qui totum orbem circuit, & dicere potuit, quod jam non ipſe ſit vivens, ſed Chriſtus in ipſo, & quod crucifixus ſit mundo, & mundus ipſi, & quod quotidie moriatur: poſt tantam ſpiritus gratiam, poſt tot innumera pericula, declarat nobis & demonſtrat, quod donec ſpiraverimus, & hac carne fuerimus circumdati, certaminibus nobis opus eſt*; Unde & ipſe corpori ſuo bellum implacabile indixiſſe dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*, declarans, ut inquit D. Chryſoſt. *ſeditionem carnis, concupiſcentiæ rabiem præliumque continuum.* Ideo etiam vita humana continuum quoddam nec umquam intermiſſum eſt bellum: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*; duratura videlicet donec caro & ſpiritus ab invicem ſeparentur, ut iterum in noviſſimo judicij die reuniantur. Unde D. Chryſoſt. de indefeſſo hoc inimico dicit: *Licet millies eum propellas, millies impetum facit, numquam inducias belli hujus obtinemus.*

1. Cor. 9. 27.

D. Chryſoſt. Hom. in S. Bar.

Job 7. v. 1.

D. Chryſoſt.

Proſecutio. 2. Cor. 10. v. 3.

Jac. 4. v. 1.

2. Quotieſcumque S. Paulus de carne loquitur hoc verbo, *militare*, communiter utitur: *In carne ambulantes non ſecundùm carnem militemus.* S. Jacobus Apoſtolus pariter inquit: *Unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris.* S. Petrus quoque de carnalibus loquens appetitibus, eadem pene phraſi utitur, dum ait: *Obſecro vos tamquam advenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant adverſus animam*, at vero quo uſque prælium iſtud duraturum erit? quamdiu ſcilicet vita durat, ſiquidem *militia eſt vita hominis. Uſque ad noctem*, dicebat lamentans David, *increpuerunt me renes mei.* Quo textu S. Bernardinus quoque ad propoſitum noſtrum utitur dum ait: *Hæc contrarietas contra ſpiritum uſque ad mortem ſemper durat in nobis:* Hinc Propheta ait Pſalm. 15. *uſque ad noctem, id eſt, uſque ad mortem, increpuerunt me renes mei, hoc eſt, reprehenſibilem me oſtenderunt meæ concupiſcentiæ naturales*; Et Hieronymus ait: *Quocumque pergo, mecum meum hoſtem porto.* S. Bernard. ſimiliter ait: *Hæc peſtis quæ præ cæteris vitijs eſt mihi familiarior, eo ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior, nam cum eam repellere volo, nolenti mihi ſe ingerit, blande operoſa, diſplicendo placens, & placendo diſplicens*; pergit ulterius & dicit, quod numquam nos deſerat, ſed indefeſſe inſectetur & nos perſequatur: *Carnis libidinem numquam fugere potui, ſed ſemper me perſequitur, & cum aliqua delectationis cogitatione, vel viſus intentione me comprehendere poteſt, non diebus neque noctibus requieſcere ſinit.*

1. Petr. 2. v. 11.

Pſ. 15. v. 7.

S. Bernard. T. 3. ſer. 5. de eſurie inſtit.

S. Bern. de inter. dom. c. 29.

Cum hoſte carnis numquā eſt pax. D. Chryſoſt. T. 6. Orat. Pent.

3. D. Chryſoſtomus in quadam orat. de feſto Pentecoſtes, quæ eſt ſecunda in ordine, demonſtrare volens, quanto cum labore virginitas acquiratur, & conſervetur virginitas, dicit: *Virginitate laborioſius nihil eſt, cum natura luctatur; hoc bellum miſſionem non habet: pugna eſt, quæ pacem numquam ſortitur niſi forte per Chriſti miſericordiam; Stat virgo fornacem in ſeipſam conflans, nec tamen uritur, ſuper prunam conſiſtens, nec tamen ſuccenditur.* Cum hoc inimico pugnare quidem, eumque vincere poſſumus, ſed eum debellare, & triumphum ultimum reportare non poſſumus, quia quoadusque vivimus, ſemper in nobis perſeverat vivus; ac proinde optime nos monet S. Auguſtinus dicens: *Quam domeſticus hoſtis, quam periculoſa lucta, quam inteſtinum bellum! Hunc hoſtem crudeliſſimum fugere non poſſumus, ô anima mea, non fugare, ſed circumferre illum neceſſe eſt, quia alligatus eſt nobis: quid autem periculoſius & miſerabilius eſt, quam quod hoſtem noſtrum cogimur ſuſtentare, perimere eum non licet. Vides ergo quam ſolicite te cuſtodire neceſſium ſit ab ea, quæ dormit in ſinu tuo.* S. Joannes Damaſc. ex allegata

S. Aug. l. 3. de dilig. Deo c. 6.

S. Joan. Damaſc. l. 1. Paral. c. 8.

gata Nazianz. Orat. *de pauperum amore*, authoritate ita ſcribit: *Corpori huic quonam modo conjunctus ſim, haud equidem ſcio, quoque pacto & imago Dei ſim, & cum cœno volutor, quod & cum incolumi valetudine eſt, bello me inſectatur, & cum bello premitur, excruciat, mœroreque afficit, quod & ut conſervum amo, & ut inimicum infeſtum deteſtor, quod & ut vinculum fugio, & ut ejuſdem hæreditatis particeps revereor.*

Hoſtis eſt ſed tamen neceſſarius.

4. Conſiderat idem ſanctus Pater, quod tametſi proprium corpus inimicum & ſpiritui contrarium eſſe cognoſcat, ea tamen ſit neceſſitate conſtrictus; ut ad faciendum in ſpiritu progreſſum, eodem velut inſtrumento utendum ſit, ac proinde cum moderatione affligi debeat: *Si macerare*, inquit, *& debilitare contendam, jam non habeo quo ſocio & adminiſtro ad res præclariſſimas obeundas utar; nimirum haud ignorans cujuſnam rei cauſa procreatus ſim, quidque mihi faciendum ſit: ſin contra, ut cum adminiſtro & adjutore mitius indulgentiusque agere mediter, nulla jam ratio occurrit, qua rebellantis impetum fugiam, omnimoque à Deo excidam neceſſe eſt, corporis compedibus degravatus in terram detrahentibus vel detinentibus. Hoſtis eſt blandus & facilis inſidioſus amicus. Proh Deum immortalem, quæ iſthæc conjunctio eſt?* Eodem modo S. Joan. Climacus perplexum ſe eſſe fatetur, eo quod corpus noſtrum ſit inimicus domeſticus:

S. Joan. Climac. grad. 15. ad fin.

*Quonam modo & more*, inquit, *meum hunc amicum vinciam neſcio, prius enim quam illum vinciam, ſolvitur, & antequam dijudicem, cum illo in gratiam redeo, & antequam puniam flector. Quo illum vinciam, quem ut amicum à natura ſuſcepi. Eſt cooperator & hoſtis, adjutor atque adverſarius, auxiliator ſimul & inſidiator; ſi foveatur oppugnat; ſi affligatur, debilior fit, laſcivit per quietem rurſus, flagella & verbera non ſuſtinet.* Nec eſt quod nos vel per unicum momentum ab ejus conſortio ſequeſtrandos eſſe ſperare liceat, ſiquidem in quovis tempore, in omni loco, in quavis ætate, velut individuus noſter & inſeparabilis amicus pariter & inimicus nos comitatur & ſequitur, abſque eo quod illum uſquequaque à nobis coërcere aut pellere valeamus. S. Zeno de impudicitia ſcribit:

S. Zeno l. 1. cap. 7.

*Venerandam ſe oſtendere procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuſcumque ſecretis.* Nos ſemper indiviſibiliter ſequitur, ſemper aſſiſtit, nobiſcum manducat, dormit, vigilat, ambulat, nobiſcum ſomniat, meditatur, diſcurrit, nobisque in omnibus geſtibus, motibus, conſilijs, meditationibus & operationibus noſtris præſens adeſt.

Gen. 6. v. 13.
Libido ferme omnes inficit.

5. Quodque vel maxime deplorandum venit, eſt, quod ut ſcriptura dicit: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*; Eſt enim contagium quoddam, quod in omnes omnino homines, ſine ullo diſcrimine aut reſpectu ætatis, ſexus, conditionis vel profeſſionis diffunditur, dominaturque in omni loco & quovis tempore; Notanda eſt enim illa à Spiritu Sancto dictata propoſitio, qua dicitur: *Omnis caro corrupit viam ſuam. Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.*

Pſal. 11. v. 7.
S. Thom. à Vill. nov. Conc. 2. de S. Idelph.

*Avarus*, inquit S. Thomas à Villa nova, *ſine arrogantia multoties reperitur, multi ſine invidia vivunt, multi ſine ambitione, multi ſine furore, ſed non ita ſine libidine. Hoc virus univerſum fere genus humanum ſic infecit, ut vix ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.* Ipſemet quoque Seneca licet Paganus, ubi de incontinentia & de malis ab ipſa procedentibus tractat, idipſum confirmat dum ait:

Senecæ de brev. vit. c. 6.
1. Joan. 5. v. 19.

*Iſta vitia nullum non ſæculum devorarunt*; Unde ſatis credibile eſt, quod dum S. Joannes ait: *Totus mundus in maligno poſitus eſt*, hanc eamdem veritatem nobis inſinuare ſatagat, ſiquidem per pium, utilem, & fructuoſum quaſi jocum haud immerito legunt, *in malo igne*; quippe totus mundus pernitioſo hoc igne conflagrat; vel ſaltem ad minus ardorem ejus experitur & ſentit, nec eſt qui non ex aliqua ſaltem parte ab ejus fumo obſcuretur & nigreſcat. Unde S. Auguſtinus de luxuria loquens dicit:

S. Aug. T. 9. l. de decem Chor. c. 9.

*In illa video jacere pene totum genus humanum.*

Propter hoc vitium Deus ſanguinem fudit.

7. Habet Tertullianus in libro de Reſurrectione Carnis propoſitionem quamdam, ex qua certo quodam modo deducitur, quod humani generis redemptio eo potiſſimum fine inſtituta & facta ſit, ut maculæ hujus vitij per Agni immaculati ſanguinem abſtergantur; Unde quaſi propter alia hominum peccata incarnatio verbi parum neceſſaria fuerit, theſauros pietatis & miſericordiæ Dei pro animabus hoc vitio conſpurcatis redimendis liberaliter effuſos eſſe dicit. En ipſiſſima Tertulliani verba:

Tertull. l. de reſurr. Carn. c. 9.

*Auſim dicere, ſi hæc carni non accidiſſent, benignitas, gratia & miſericordia, & omnis Dei vis benefica vacaſſet.*

Libido blandum eſt malum.

7. Et vero potentiſſimam rationem, cur vitium hoc univerſim ſe ad omnes extendat hanc eſſe exiſtimo, quam S. Ambroſius tangit, quia ſcilicet venenum ejus difficulter dignoſcitur, cum ſub delectationis dulcedine utplurimum abſcondatur:

S. Ambr. de Abel. & Cain. c. 5.

*Mala ſunt*, inquit, *voluptatis vincula, oculos delectat, demulcet aures, ſed mentem inquinat; unde verè dicebat ille: voluptas contaminat animam, fœdat ignaram ſui mali.* S. Auguſtinus veteris Romæ ruinas voluptatibus, quibus plurimum dediti erant attribuens dicit:

S. Aug de Civit. Dei l. 3. c. 21.

*Tunc demum per Cneium Manlium Proconſulem de Gallogræcis triumphantem; Aſiatica luxuria Romam omni hoſte pejor irrepſit.* Ubi notanda ſunt verba illa: *Omni hoſte pejor*; Inimicos enim, quos verè tales eſſe exiſtimamus expugnamus, fugamus, formidamus & fugimus: at verò laſcivia carnis inimicus quidam eſt, cui unuſquiſque velut amico blanditur. Valde miranda & ad propoſitum noſtrum notanda ſunt verba illa Valerij Maximi, dicentis:

Val. Max. l. 9. c. 1.

*Blandum malum luxuria; quam accuſare facilius eſt quam vincere.* Si ſapientiſſimum Salomonem attente legeritis, varias in eo in hujus vitij deteſtationem deprehenderis ſententias; & tamen ipſemet in hoc vitium tam turpiter fuit prolapſus, ac proinde idem Valerius ingenioſe ſubjungit dicens, *vitium hoc eoſdem habere vituperatores quos ſectatores.*

Similitudo.
S. Bonav. opuſc. de tribus ternarijs c. 3.

8. S. Bonaventura aliam quamdam rationem aſſignat dicens: *Concupiſcentia eſt quaſi vulnus inſanabile, unde miro modo inimicatur animæ; ideo aſſimilatur cuidam animali, quod vocatur Enhydrus, quod mirabiliter inimicatur Crocodilo*; ubi idem S. Doctor modum quoque refert, quo animal iſtud uti ſolet ut huic tam ſævo & formidabili monſtro necem inferat; etiam ſubtus herbam quam Crocodilus depaſcere ſolet, abſconditur, eamque veneno ſuo totaliter imbuit, quam tandem malignitate ejus contaminatam Crocodilus depaſcens, mori cogitur: *ſic concupiſcentia involvit ſe delectationibus, & homo deglutiens mundi delectabilia, deglutit concupiſcentiam, qua anima venenatur, & privatur vita gratiæ; hæc eſt plaga inſanabilis, quæ quanto magis deguſtatur, tanto magis deguſtans famelicus redditur.* Id quod S. Iſidor. pariter obſervat, dum ait:

S. Iſid. Hiſpal. l. 2. ſent. c. 39.

*Non ita ſuavis eſt amantium, imo amentium inexperta carnis libido, ſicut experta, nec ita delectat fornicatio dum primum committitur, nam repetita majorem delectationem ingerit: jam vero ſi in uſum venerit, tanto perditis dulcior ſit, ut ſuperare difficile ſit.*

S. Bern. ſer. 29. de inter. domo.
Libido ſagena eſt omnis generis homines capiens.

9. S. Bernardus in uno ſermonum illorum quos *de interiori domo* conſcripſit, quantum concupiſcentia carnalis in omni hominum ſtatu & vocatione propagetur, his verbis apte inſinuat: *Revera*, inquit, *difficile eſt libidinis incendia extinguere, impuberes ſtimulat, juvenes inflammat, viros enervat, ſenes decrepitos fatigat, non aſpernatur tuguria, non reveretur palatia, utinam ſola cœnobia fugiat.* Et verò quamnam exiſtimatis fuiſſe cauſam quod incarnata ſapientia ad convincendam Phariſæorum malignitatem eamdem ob Hydropicum in die Sabbati reſtitutum calumniantium dixerit:

Luc. 14. v. 5.

*Cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati?* Cur obſecro horum duorum animalium exempla adduxit, quando de miſerabili in foveam lapſu ſermo illi erat? Enimvero quoad ſenſum moralem conſtat ex ſcriptura ſacra, quod velut *fovea profunda eſt meretrix*, atque ideo David ab adulterio reſurgens Deum precabatur dicens:

Prov. 23. v. 27.
Pſ. 68. v. 16.

*Neque urgeat ſuper me puteus os ſuum*; atque ideo Chriſtus utriuſque hujus animalis lapſum in exemplum adducens, dicere voluit, quod in turpe hoc carnis peccatum tam aſini, id eſt, ignorantes & ſtolidi homines, quam ſapientes (quia bos typus eſt ſapientiæ) æque faciliter corruunt: Cum enim mulier impudica veluti ſagena quædam ſit, teſte Eccleſiaſte qui de laſciva muliere loquens dicit:

Eccleſ. 7. v. 27.
Matth. 13. v. 47.
Hug. Card. ibid.

*Sagena cor ejus*; omnes tam ignaros quam ſapientes ſibi attrahit, quia ſagena omnis generis piſces capit: *Sagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium congreganti*; Ubi Hugo Cardinalis inquit: *Sagena omnes piſces magnos & parvos capit.*

Daniel. 6. v. 4.
Multi admirantur omni ex parte caſtos ut Joſeph.

10. Magnates & Satrapæ Regis Babyloniæ Danielem, utpote Regi gratiſſimum & unice charum ſtudioſe obſervabant, an aliquid in ejus vita & moribus notare poſſent, unde ipſum è gratia Regis proturbare & dejicere poſſent: tandem verò poſt multas ipſi ſtructas inſidiarum machinas ita inter ipſos conventum fuit, ut quibuſcumque adhibitis modis ipſi quoad pudicitiæ integritatem calumniam aliquam ſtruere conarentur; *Principes & Satrapæ quæ-*

rebant



*rebant occaſionem, ut invenirent Danieli ex latere Regis*; ſcio quidem hunc loquendi modum Sacræ Scripturæ expoſitoribus viſum ſemper fuiſſe admodum difficilem, hoc tamen nulli mirum videbitur; qui ſcit quanta circumſpectione & cautela Scriptura Sacra de vitio carnis loquendi uti ſoleat, utpote quæ hoc non niſi è longinquo deſcribit; Hugo Cardinalis igitur circa hunc textum dicit:

Hug. Card. ibid.

*Secundùm Hebræos quærebant occaſionem in ſermone, tactu, & nutu, & internuntio ad Reginam, vel aliquam concubinarum Regis, quæ latus Regis dicuntur, quia ex latere dormiunt*; at verò numquid Danielem honeſtiſſimum & pudiciſſimum eſſe ſciebant? quæ ratio multorum claſſicorum authorum animos admodum tenuit ſuſpenſos, ut dubitarent an non forte Daniel Eunuchus fuiſſet; ſed an non ipſum moribus integerrimum Deumque magnopere timentem eſſe omnibus notum erat? Reſpondeo igitur, verum quidem hoc eſſe, nihilominus hi Satrapæ difficile, imo impoſſibile eſſe credebant, quod homo aliquis, quantumvis circumſpectus, prudens & cautus ne minimum quidem proferret verbum, vel jocum, aut geſtum qui non ſaltem aliquam præ ſe ferret impudicitiæ umbram vel ſuſpicionem.

Nemo liber eſt à prælio libidinis.

11. Hieronymus punctum quoddam adducit utiliſſimum & notatu dignum, quod haud dubiè, quotieſcumque nunc aut deinceps in præjudicium caſtitatis virtuoſiſſimi alicujus viri lapſus audietur, omnem admirationis & ſcandali occaſionem avertere poterit: dicit enim:

S. Hier. Ep. 9. ad Salvinam.

*De eodem cuncti facti ſumus luto, iiſdem compacti exordijs, in ſerico & in pannis eadem libido dominatur, nec Regum purpuras timet, nec mendicantium ſpernit ſqualorem*; Etenim viri virtuoſiſſimi prælio & tentationibus carnis æque ſunt ſubjecti, quam omnes alij, utpote ex eadem prorſus, qua illi maſſa plaſmati: *In Evam adhuc virginem*, inquit Tertullianus de ſerpente;

Tertull. l. de expell. carn. c. 17.
S. Cypr. de ſingular. Cler. n. 17.

*irrepſit, nam ſanctimoniæ adverſarius aſſidue aſtat, iiſque in primis inſidiatur, devorare paratus ſicubi virgo cadat.* Et idem S. Cyprianus, vel quiſque libri *de ſingularitate Clericorum* author eſt, à ſuggeſtionibus & motibus carnis exemptum eſſe tanti æſtimat, ut eum cœleſtis Paradiſi civem appellare non dubitet: *Si modo putamus nos intentabiles eſſe muliebribus jaculis, quid ergo reſtat*, inquit, *cœleſtibus Regnis?*

Rari ſunt qui in occaſionibus perſiſtunt
1. Reg. 25. v. 44.

12. In lib. 1. Reg. c. 25. Saül infeſto odió contra Davidem inſtigatus, Michol filiam ſuam Davidis veram conjugem, alteri in uxorem tradidiſſe legitur: *Saul autem dedit Michol filiam ſuam uxorem David Phalti filio Lais*: at verò lib. 2. c. 3. David ad Regnum aſſumptus uxorem ſuam recuperare voluiſſe dicitur; Etenim obſervandum eſt, quod ſacer textus dicit:

2. Reg. 3. v. 14. 15.

*Miſit autem David nuntios ad Isboſeth filium Saul dicens: Redde uxorem meam Michol; . . . Miſit ergo Isboſeth, & tulit eam à viro ſuo Phaltiel filio Lais.* Circa cujus utriuſque textus collationem dubium non ſpernendum occurrit, cur ſcilicet infallibilis Spiritus Sancti calamus in primo loco virum hunc appellet *Phalti*, in ſecundo verò loco eumdem *Phaltiel* vocet? utique id ipſum caſualiter factum eſſe minime credendum eſt.

Cajet. ibid.

Cajetanus hic notat *adjunctam eſſe nomini ejus nomen Dei, El, ea ratione, quia numquam cognovit Michol intuitu Dei, eo quod ſciebat eſſe uxorem David, nec repudiatam.* Ex qua Cajetani obſervatione colligitur, ſuperhumanum quid & divinum eſſe, quod aliquis in proximis occaſionibus, & veluti in medio ignis poſitus, nullum tamen inde perſentiſcat ardorem libidinis: At verò cum ſcriptura divina dicat: *Sequebaturque eam vir ſuus plorans*: cur plorabat, qui eam ultro libentique animo reſtituebat? Cajetanus id eum feciſſe dicit *teneritudine amiſſæ tam dulcis ſocietatis.* Interlinearis vero inquit:

Interlin.
Lyranus.

*Amittebat eam quam non cognoverat.* Lyranus inquit: *Ex gaudio plorabat, eo quod ad virum ſuum reducebatur, abſque hoc quod eam tetigiſſet, ſed ſicut ſororem ſervaſſet.* Rabbi Salomon hac de re ita ſcribit: *Flebat dolens eo quod perfectionis exercitium ab eo recedebat, reputans enim exercitium magnæ perfectionis, talem Dominam ſic pulchram & nobilem ſervare ſicut ſororem abſque copula carnali*; At verò rari ſunt qui in ſimilibus heroicæ virtutis ſpeciminibus conſpicuos ſe exhibent, ac proinde humana conditione ſuperiores æſtimari merentur.

Baron. Ann. 450. n. 19.
Hiſtoria.

12. In Annalibus Eccleſiaſticis Cardinalis Baronius refert, quod in Eccleſia Arvernenſi duo Conjuges poſtquam diuturnam in matrimonio virginitatem conſervaſſent, tandem ex mutuo conſenſu unus illorum factus ſit Clericus, alia vero in Monialium ſe clauſtra abdiderit; cumque maritus mortuam ſuam conjugem Chriſtiana ſepultura tumulaturus eſſet, elevatis in cœlum manibus dixerit: Deus gratias ago tibi, nam ſicut tu mihi illam in depoſitum commendare dignatus es, ita quoque tibi ab omni voluptate immunem & puram viciſſim reddo; ad quæ verba conjugis mortuæ cadaver ſubridens dixit: Quieſce & ſile ò homo Dei, neque enim noſtrum publicè confiteri arcanum neceſſum eſt, cum nullus hac de re te interroget; paulo poſt verò mortuus quoque maritus in eamdem quidem Baſilicam, at in diverſam ſepulturam muriſque fortiſſimis ab invicem ſeparatam tumulatus fuit; adeo ut unus illorum verſus meridiem alter verò verſus aquilonem poſitus fuerit; & tamen die ſequenti amborum ſepulchra ſimul ad invicem conjuncta reperta fuerunt, ac proinde ſepultura hæc teſte Gregorio Turonenſi *de gloria confeſſorum* cap. 32. ipſius ſæculo vocabatur ſepulchrum duorum amatorum, ſive amantium, omnibusque in magno honore & veneratione erat.



## DISCURSUS XVI.

## ARGUMENTUM.

Caſtitas eſt ſpecies quædam Martyrij, in quo voluptates quas ſuperamus Carnificis munus exercent; ubi etiam de hac virtute ſub titulo prælij diſſeritur, in quo caſti præ cæteris in majores ad reſiſtendum vires habere noſcuntur.

### THEMA.

*Feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaveris.* Judith. 15. ỹ. 11.

1. ILla Amazonum invictiſſima Judith facinus aggreſſa eſt adeo heroicum, ut nullum ſimile legatur in Hiſtorijs tam ſacris, quam profanis, ſiquidem conſilio ſuo & invicti animi generoſitate Holoferni caput amputavit; numeroſiſſimum & formidabilem ejus exercitum totaliter profligavit, patriam arctiſſima obſidione liberavit, labentemque Religionem ac Dei veri cultum reſtituit; & tamen inter omnia ejus encomia nullum eſt, quo ex inſtinctu Spiritus Sancti in ſcriptura ſacra magis extollitur, quam quod caſte & continenter ſemper vixerit, atque marito ſuo mortuo ad ſecundas nuptias numquam tranſierit:

Judith. 15. v. 11.

*Feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum eo quod caſtitatem amaveris, & poſt virum tuum alterum neſcieris; ideo & manus Domini confortavit te*: quaſi Spiritus Sanctus dicere vellet; hoc quod eſt, Juditham de ſemetipſa reportaſſe victoriam; viciſſeque implacabilem propriæ concupiſcentiæ inimicum, virtus & facinus quoddam eſt inter omnes ab ea patratos actus heroicos præſtantiſſimum.

2. Reg. 23. v. 20.

2. Scriptura ſacra valde induſtriæ quemdam belli ducem, Banajam nomine deprædicat, eo quod tempore nivium leonem quemdam in ſpelunca ſive ciſterna ſua trucidarit: *Percuſſit leonem in media ciſterna in diebus nivis.* Tametſi enim David in juvenili ætate ſua leonem dilaniarit, Samſon quoque idipſum præſtiterit, ſcriptura tamen ſacra eorum facta non tantum extollit, ut in præſenti occaſione circa Banajam fecit, ubi multas facinoris ſui circumſtantias minutim & ſigillatim exponit, & merito, quia eorum recenſitione in majorem incomparabilis Banajæ generoſitatis notitiam nos perducit. In primis enim leo tempore hyberno fortior eſt & generoſior eſt, eo quod eo tempore calor per antiperiſtaſim magis concentricetur; Deinde ciſterna locus eſt anguſtus, in quo ictus tam valide infligi nequeunt; Denique hyberno & gelido tempore arma non æque faciliter & commodè tractari queunt. Porro leo verus eſt concupiſcentiæ noſtræ typus:

Ezech. 19. v. 2.
S. Ambroſ. l. 4. in Luc. c. 4.

*Mater tua leana*, ardentem ſiquidem continuamque febrim patitur: *Febris noſtra libido eſt, febris noſtra luxuria eſt*, inquit S. Ambroſius. Dum igitur vir aliquis juvenis & robuſtus, in ætate ſua florida, quando ſanguis humanus magis exæſtuat & ebullit, inter proximas occaſiones poſitus, atque à lubricis perſuaſionibus, maliſque aliorum exemplis ſtimulatus, ſuos nihilominus inordinatos appetitus refrænat, ſævumque hunc voluptatum & concupiſcentiæ carnalis leonem proſternens & contrucidans purus ſemper & caſtus permanet, magnam utique caſtitatis laudem



mere-

meretur, omniſque debitus & conveniens ei debetur applauſus, quia profectò opus & ſpecimen edidit magnæ virtutis: *Viriliter egiſti, eo quod caſtitatem amaveris.*

3. Imo ſi Doctoribus ſacris fidem adhibere volumus, virginitati & continentiæ martyrij meritum nequaquam deeſt; Hoc enim S. Bernardus clare & perſpicuis verbis aſſerit, dum ait: [*S. Bern. ſer. 30. in Cant.*] *Genus martyrij eſt ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* B. Laurentius Juſtinianus in ſermone quodam de S. Hieronymo ſanctum hunc Doctorem ex hoc capite Martyrem fuiſſe probare nititur: [*B. Laur. Juſtin. ſerm. de S. Hieron.*] *Nempe ſine ſanguinis effuſione glorioſi martyrij triumphum obtinuit, quod enim carnificis mucrone non pertulit, hoc in ſeipſo caſtitatis amore complevit.* In cujus aſſerti confirmationem id quod ſanctus hic Doctor ad Euſtochium virginem de tentationibus vehementibus quibuſcum in Eremo à ſpiritu fornicationis puellarum tripudia à ſe juventutis ſuæ tempore hic Romæ ſpectata in mentem ei ſuggerente exagitatus fuit, ſcripſit, ipſiſſimis S. Hieronymi verbis adducit: *O quoties ego*, inquit, *in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ horridum monachis præſtat habitaculum, Romanis putabam me intereſſe delicijs; ſedebam ſolus, qui amaritudine plenus eram, horrebant ſacco membra, deformis & ſqualida cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus; videſne quanta animi ſoliditate viriliter pugnaverit contra ſe? Dum enim contra ſe factus eſt crudelis & rigidus, ſuimet factus eſt triumphator*, quem proinde Dionyſius Carthuſianus virginitatis conſpicuum fuiſſe exiſtimat. [*Dion. Cart. ſer. 2. de S. Hieron.*]

4. Idem quoque S. Hieronymus in vita S. Paulæ, illos qui cum ſævo hoc carnis tyranno fortiter dimicant, illiuſque victores evadunt inter Martyres quaſi numerandos eſſe dicit: [*S. Hieron. in vit. S. Paulæ.*] *Non enim ſolum effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur, ſed devotæ quoque mentis ſervitus immaculata quotidianum martyrium eſt; illa corona de roſis & violis plectitur, hæc de lilijs.* De S. Thecla D. Chryſoſtomus ait: [*D. Chryſoſt. T. 1. de S. Thecla.*] *Erat igitur in ipſa etiam virginitas, quæ illis, qui rem accurate perpendunt, magnum quoddam martyrium ante martyrium videtur*, cujus convincentem hanc aſſignat rationem: *ſunt enim crudeles quidam carnifices corporis, imo carnificibus crudeliores.* S. Iſidorus Peluſiota in quadam Epiſtola ſua idem punctum his verbis tangit, dicens: [*S. Iſid Pel. l. 3. Ep. 351.*] *Virginitatis certamen magnum quidem & præclarum & divinum eſt, nam adverſus corporis voluptatem ipſi bellum eſt, quod in alijs certaminibus labores minuit*; voluptates enim & delectationes maxime carnales nimis ſunt homini connaturales, & ideo eximia virtute opus eſt, ut debellentur.

5. D. Chryſoſtomus quoque voluptates honeſtatis & pudicitiæ amore aſpernatas ſupplicijs à martyribus toleratis æquales eſſe oſtendens dicit: [*D. Chryſoſt.*] *Vinculis torquent non manufactis, per oculos animam vulnerant, per aures mentis vigori atque conſtantiæ luxuriæ faces admovent, aſpero flagello intellectum flagellant, & nimijs ſubinde prælijs nos laceſſunt.* Moxque modum oſtendere pergit, quo continentes ad imitationem martyrum operantur: *Quando*, inquit, *quis oculis cæcitatem indixerit, ne formas ſpectent, tum id quod clauſum eſt, reſerant voluptates & laſcivis per aures cantilenis reſolvunt; quando in aures cantibus meretricis occluſas inciderint, cum libidinoſis cogitationibus ornate alludunt, quando illas per omnia vigilantes ſuperaverimus, dormientes umbratili pugna divexant, ita nos perpetuis & in orbem redeuntibus prælijs urgent, quæ neque cum Sole excitantur, neque cum nocte ſopiuntur. Porrò ſi juventutes etiam aggreſſæ fuerint, tum vero ignis cum igne miſcebitur, ſtipula cum fornace jungetur, facile namque voluptatibus juventus incenditur.* Tandem poſt demonſtratam à ſe voluptatum & delectationum vehementiam, de Sanct. Thecla differens concludit: *Cum voluptatibus ut cum beſtijs martyr pugnabat, cum libidinum imaginationibus, quaſi cum tormentis carnificum congrediebatur.* Quod idem omnibus quoque animabus illis adaptare poſſumus, quæ per totum annorum ſuorum decurſum viriliter decertant, omni ſe carnali voluptate privantes, ut pure & caſte vivere poſſint: *Sed ab illo tamen multiplici & domeſtico bello*, inquit idem de S. Thecla, *victoriam reportabat, ſiquidem igne naturali ardentior illi erat ignis animi & ſanctus.*

6. Et ideo advertendum eſt quod ſancti Patres dum de hac virtute in libris ſuis tractant, de eadem ſub phraſi & alluſione militaris cujuſdam prælij communiter diſcurrant. Audite eumdem D. Chryſoſtomum alio in loco de Joſepho loquentem: [*D. Chryſoſt. T. 1. Hom. 57. de Joſ. vendito.*] *Lætabatur*, inquit, *interea Joſeph, pudicitiæ perfeciſſe bella, peregiſſe caſtitatis prælium, pugnam innocentiæ ſuperaſſe, in qua pugna laſcivia vincitur, calcatur petulantia, omnis impudicitia detruncatur, triumphat caſtitas, integritas gaudet, victrix innocentia collætatur.* S. Hieronymus ad Principiam ſcribens verba illa Pſalmi ponderat, in quo dicitur: [*Pſ. 44. v. 4.*] *Accingere gladio tuo ſuper fæmur tuum potentiſſime*; quem textum de illa explicat pugna quam anima caſtitati addicta aggreditur, & dicit: [*S. Hier. ad Principiam.*] *Iſtum arbitror te locum optime intelligere & accinctam Chriſti gladio militare. Ut autem ſcias ſemper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & ſuperat voluptates, gentilis quoque error Deas virgines finxit armatas*; ubi ad Palladem alludit, quam ut virginitatis Deam venerabantur, quam in ſpecie armatæ Amazonis depingere ſolebant. D. Chryſoſtomus alibi de pugna quam Joſeph cum Domina ſua habuit, hoc modo eamdem deſcribit: [*D. Chryſoſt. T. 5. l. 2. ad eos qui ſcandalizati ſunt.*] *Cum laſciviæ retia undique tetendiſſet, quotidie obſervabat, ut poſſet intra ſagenam ſuam adoleſcentem comprehendere, exibat quotidie ad hanc venationem ab hoc morbo ſtimulata, & ab hoc amore laſcivo armata, cumque ſolum illum aliquando deprehendiſſet, greſſum violenter trahebat. At nihil tamen mali inde paſſus eſt, ſed & libidinis tyrannidem, & juvenilis ætatis ſtimulos, & laſcivæ mulieris inſidias, inſultus Dominæ, juventutis motus, & omnes incurſus, quos ab illo contactu ſentire potuit exortos, & à conſpectu & inſania illa, quàm facillime ſuperavit, ac tamquam aquila ſublimes tendens alas, ipſaſque veſtes exuens, & impudicis manibus derelinquens, greſſus eſt, veſtibus quidem nudatus, ſed ſplendido caſtitatis amictu circumdatus, atque ipſa purpura illuſtriori.* Idem quoque ſanctus Doctor in Tractatu primo Homilia 57. quæ eſt nona in ordine de Pœnitentia, incipit de virginitate ſub titulo pugnæ & ſævi certaminis ita diſcurrere: [*D. Chryſoſt. T. 1. Hom. 57. de Pœnit. 9.*] *Pinge mihi ſermone virginitatis ſpecimen atque virtutis magnitudinem diſce, quod bellum habet quotidie nullatenus ſedandum, ipſo barbarico bello deterius*; ſimul quoque idem Chryſoſtomus rationem reddit, cur truculenta & implacabilis illa pugna, quam adverſus carnem gerimus, quovis alio bello crudelior ſit, quod adverſus ſævas & barbaras gentes gerimus: *Nam barbarorum bellum*, inquit, *vel temporis quietem habet, quo aut paciſcuntur aut ordinant, & quandoque quidem pugnant, quandoque non, & ordines & tempora ſunt; belli verò cum virginitate geſti, nulla datur quies*; Nemo enim eſt qui non in ſemetipſo experiatur quotidie, neceſſarium ſemper eſſe ut armis accincti ſimus, quia non jam dico quotidie, ſed quavis hora & omni momento vel à cogitationibus & imaginationibus turpibus, vel amoribus carnalibus, vel ab illecebroſi objecti aſpectu, vel à verbis & diſcurſibus obſcænis qui ex omni parte paſſim audiuntur, ſine intermiſſione impugnamur. Paulo poſt idem Chryſoſtomus de virgine ſubjungit: *Hoſtem ſecum portat, neque veſperi permittit reſpirare, non nocte, non diluculo, non meridie, ſed bellum gerit ſemper, voluptatemque ſubmittit, nuptias in memoriam adducens, quo virtutem excludat, malitiamque in ea generet, pudorem pellat, fornicationem inſerat.* Verum inquies fortaſſe ubinam ſunt quæ in hac militia uſurpantur arma? ubi ferrum? ubi Bombardæ? ubi catapultæ & aliæ militares machinæ? Audite Chryſoſtomum dicentem: *Incenditur ſingulis horis voluptatis fornax ſuaviter accenſa.*

7. Inimicus tartareus nulli rei adeo ſolicite invigilat, quam ut animas immaculatas, puras, honeſtatiſque & pudicitiæ amantes impugnet, ſcit enim quod hac ſemel devicta & proſtrata, illas in cujuſvis alterius vitij barathrum facile præcipet. S. Joannes in Apocalypſi ſequentem habuit viſionem: [*Apocal. 16. v. 13.*] *Vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ... ſpiritus tres immundos in modum ranarum*; Ranæ autem figura ſunt laſcivorum, quia in fœtentibus ſtagnis, in aquis corruptis & putridis vivunt; Quid autem hi immundi ſpiritus tandem fecerunt? [*Ibid. v. 14.*] *Procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium: Beatus qui vigilat & cuſtodit* [*Ibid. v. 15.*] *veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videat turpitudinem ejus*, id eſt, beati qui ne ab hoc immundo luto conſpurcentur ſtudioſiſſime cavent.

8. Porro Dæmon in pluribus Sacræ Scripturæ locis *immundus* appellatur: [*Marci 5. v. 2.*] *In ſpiritu immundo*, inquit S. Marcus: Apud S. Matthæum dicitur: [*Matth. 12. v. 43.*] *Cum autem ſpiritus immundus*; Et S. Lucas ait: [*Luc. 6. v. 18.*] *Qui vexabantur à ſpiritibus immundis*; ſicque in pluribus alijs



alijs locis ſemper appellatur immundus, licet ſpiritus ſit & ab omni humana carne omnino expeditus, ut ſcilicet per hoc nobis inſinuetur; quod is ſit, qui ſpecialiſſime ad peccatum immunditiæ potius quam ad quodvis aliud vitium nos indefeſſe extimulet; nimirum expertum aliquem & rei militaris peritum imitatur belli ducem, qui partem civitatis debiliorem, minuſque munitam aggredi ſolet, quia igitur caro pars hominis infirmior: [*Marc. 14. 36.*] *Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma*; ideo carnem noſtram, ut plurimum impugnat. Lactantius Firmianus ſcribit: [*Lactantius Firm. l. 6. Div. Inſtit. c. 23.*] *Scit adverſarius ille noſter, quanta ſit vis hujus cupiditatis, illicita deſideria immittit, objicit oculis irritabiles formas ſuggeritque fomenta, & vitijs pabulum ſubminiſtrat, tum in imis viſceribus ſtimulos omnes conturbat & commovet, donec irretitum hominem implicatum decipiat, itaque obſcænitatibus animas ad ſanctitatem genitas, velut in cæni gurgite demerſit, pudorem extinxit, pudicitiam fugavit*; Quas ejus technas & ſtratagemata per quamdam S. Bonaventuræ doctrinam magis detegere placet; dicit igitur Seraphicus hic Doctor: [*S. Bonav. l. 2. de prof. relig. c. 65.*] *Sciendum tamen quod adverſarius, quando fortiter vincitur, aliquando diu expectat, quod de eodem vitio morum pugnet, donec interim diſſueſcat homo pugnare, & tunc iterum ſubito improviſus ruit, ut improvidos tanto ſecurius proſternat, quando ad repugnandum invenit imparatos*, ad eum fere modum quo in libro ſecundo Machabæorum factum fuiſſe legitur, quando Judæi ab hoſtibus in die Sabbati fuere obruti, ac proinde hoc nobis tradit ſalutare documentum: *Semper ſimus parati hoſtibus viriliter reſiſtere, quia ipſi non quieſcunt nos impugnare, etiamſi videantur quieſcere, quia hoc ipſum ceſſare ab impugnatione, impugnare eſt, quia ipſum ceſſare, non eorum clementiæ eſt, vel laſſitudinis, ſed aſtutiæ & fraudis.* Unde Neëmiæ 2. Eſdræ 4. dicitur: [*2. Eſdræ 4. v. 11.*] *Neſciant hoſtes & ignorent, donec veniamus in medio eorum; & interficiamus eos. Inimicus cum in corde tractaverit dolos* Prov. 26. [*Proverb. 26. v. 25.*] *ſi ſubmiſerit vocem ſuam ceſſando à ſuggeſtione, ne credas ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde ipſius.* Sed nec tamdiu cunctandum eſt, ut hoſtis cunctantes omnibus deſpoliet armis. In 1. Regum legimus; quod Iſraëlitæ ſua ſocordia Philiſtiim adeo invaleſcere ſciverint, ut ſe omnibus armis privarint, fabris ferrarijs abductis, ne Iſraëlitis gladios fabricandi copia foret, ſic enim ſacer textus habet: [*1. Reg. 13. 19.*] *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſraël, caverant enim Philiſtiim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam... Cumque veniſſet dies prælij, non eſt inventus enſis, &* [*Ibid. v. 22.*] *lancea in manu totius populi, qui erat cum Saüle & Jonatha, excepto Saül & Jonatha filio ejus.* Si tantum hoſti concedis, & in tempore diligenti meditatione verbi Divini & beneficiorum Dei, ardentibuſque precibus contra eum te non armas, actum eſt de te. Nam id unicum intendit, ut armis te ſpoliet.

9. Sciendum vero eſt, bellum iſtud quod hoc noſter inimicus nobis movet, tanto eſt crudelius nobiſque periculoſius, quanto delectabiliora magis & illecebroſa ſunt arma illius quibuſcum nos aggreditur. Nam ut S. Leo Papa advertit, tametſi inimicus noſter tartareus gladium ſuum in nos ſtringat per ſuppliciorum nos cruciantium carnificinam, prouti alias in primis Eccleſiæ temporibus facere ſolebat, attamen non [*S. Leo ſer. 6. de Epiph.*] *depoſuit odium, ſed vertit ingenium*, non jam amplius fornaces accendit, non olei aut picis lebetes bullire facit, ut in illos fideles immergat. Quid ergo? *Inflammat concupiſcentias eorum, quos non poteſt vexare tormentis*, bellum nobis movet per propoſitas illecebras, pugnat quidem, ſed ita ut alliciat & placeat, unde fit quod omni cum ſtudio illius partes conſectemur. Conſtantius Imperator Catholicos ſuæ ſectæ partibus comparare & conquirere volens, non utebatur comminationibus, carceribus, catenarum ponderibus, aut æquuleis, ſed honores illis decernebat, promittebat theſauros, blandimentis verborum alliciebat, ac proinde illo tempore zelo fidei ardentes illius temporis fideles per os S. Hilarij lamentabantur dicentes: [*S. Hilar. lib. Conſtit.*] *Pugnamus contra perſecutorem faventem, contra hoſtem blandientem, non dorſa cædit, ſed ventrem palpat.*

10. Salubriter vero Tertullianus quonam in iſto atroci bello confugiendum nobis ſit, his verbis nos monet, dicens: [*Tertull. l. de pudicit. cap. 17.*] *Provoca ad Apoſtolicam aciem, aſpice epiſtolas ejus, omnes pro pudicitia, pro caſtitate, pro ſanctitate prætendunt, omnes in luxuriæ & laſciviæ & libidinis negotia jaculantur.* Et S. Hieronymus ad Ruſticum ita ſcribit: [*S. Hier. ad Ruſtic.*] *Ama ſcientiam ſcripturarum & carnis vitia non amabis.* Epiſtolæ item S. Pauli inſtructiſſimum nobis armamentarium pandunt, ut in eo contra hanc carnis luctam convenientibus nos armis communire poſſimus, ſiquidem hic Apoſtolus magno pudicitiæ zelo flagrabat: Adhæc ipſemet zelus & ardens affectus quo caſtitati ſervandi ſtudebimus ad fortiter præliandum & glorioſe vincendum vigorem nobis & vires ſubminiſtrabit.

11. Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus ad præſens propoſitum noſtrum ad illud ſe bellum reflectit, quod Abraham adverſus quinque illos Reges Pentapolitanos glorioſe geſſit; in quo [*Gen. 14. v. 14.*] Abraham cum exiguo bellantium numero victor evaſit, cum tamen cum quinque Regibus; totidemque validis exercitibus ſibi pugnandum eſſet, ipſe vero ſolum numeraret expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo; ſed quiſnam prælij hujus exitus fuit: [*Ibid. v. 15. & 16.*] *Percuſſit eos & perſecutus eſt eos,... Reduxitque omnem ſubſtantiam & Loth fratrem ſuum.* At vero cauſamne ſcitis cur tantam potentiam tanta cum facilitate ſubjugarit? Nimirum Reges illi carnis laſciviæ plurimum dediti erant, ſervi vero Abrahæ minime; ſiquidem Rabanus de illis dicit: *Vernaculos dixit juvenes ad bellum promptos, qui non fuerant uxorati.* S. Ambroſius illum adducens ex Matth. c. 19. textum: [*Matth. 19. 12.*] *Sunt Eunuchi; qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum cælorum*, dicit: [*S. Ambr. l. 3. de Virg.*] *Eſt ergo præclara militia, quæ Regnum Cælorum militat*; Militia videlicet ſelecta & generoſa eſt eorum, qui continentiam & caſtitatem conſervant. Job quærit: [*Job 38. v. 22.*] *Numquid ingreſſus es theſauros nivis?*... ſed ad quid hi nivium theſauri potiſſimum ſerviunt? [*Ibid. v. 23.*] *quæ præparavi in diem pugnæ & belli*; at vero quænam eſt inter pugnam & nives proportio? Nimirum per nivem candidam caſtitas intelligitur, hæc autem à Deo eum vigorem & tale robur nanciſcitur, ut ad totum infernum debellandum ſufficere poſſit.

12. Quod ſi vero theſaurum hunc quem in hoc vaſe fictili corporis noſtri circumferimus ab inimico latrone ſtygio ſalvum & immunem conſervare velimus: [*2. Cor. 4. v. 7.*] *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*; ait Apoſtolus, ecce tibi modum opportuniſſimum: *Præparate theſauros nivis in diem pugnæ & belli*, conſervate in vobis ad caſtitatem perfectè tuendam animum reſolutum. Opportunè ad præſens propoſitum emblema illud occurrit, in quo Herminius candidus & pulcher depictus videtur, qui à venatoribus inſectatus ad cavernam ſuam ſe recipere volens, eamdem luto & ſtercore circumquaque cinctam reperit, unde potius mortem à venatoribus expectare, quam cavernam ſuam ingrediendo fædo hoc ſtercore conſpurcari maluit, id quod per ſubjectam aptè ſignificabatur epigraphen: *Potius mori, quam fædari.* Simili propoſito ſe quælibet anima obarmare debet: *Potius mori, quam fædari*; & tantum abeſt, quod inde colligi à quopiam poſſit animus quidam vilis, timidus & abjectus, ut potius ob propoſitum ſimile ad ſuam ingentem gloriam ab omnibus audire mereatur: *Viriliter egiſti eo quod caſtitatem amaveris.* Petrus Bleſenſis de Valentiniano Imperatore ſcribit: [*Petr. Bleſ. Epiſt. 79.*] *Eminentiorem eligens vitam, pudicitiam novit, nec umquam carnem ſuam ad illicitos motus laxavit; unde cum jam octogenarius moreretur, audiret ſuorum recoli memoriam triumphorum, quibus celeberrimus erat, dixit: ſe in una ſola victoria gloriari; Requiſitus autem de illa victoria: Hoſtem, inquit, meum peſſimum, carnem meam ſemper oppreſſi & vici.* Etenim facile eſt imperare alijs, ſibi autem ipſi leges præſcribere, ſuoſque appetitus ſpiritui & rectæ rationi ſubjicere arduum eſt & valde difficile, & ideo ad hoc, ut ſequenti diſcurſu dicemus, divino nobis opus eſt ſpeciali adjutorio.

## DISCURSUS XVII.

### ARGUMENTUM.

Continentia ſpeciale Dei donum eſt, quod proinde non per induſtriam noſtram acquiritur, ſed à Deo liberaliter nobis conceditur, Nec tamen ideo alij eo carentes nobis ſunt contemnendi.

### THEMA.

*Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* Sap. 8. ℣. 21.

1. Continentia ingens Dei donum eſt, quod ab induſtria & arbitrio noſtro minime dependet;

det, & ideo pro hoc impetrando cœleſti munere ardentibus precibus à nobis imploranda eſt Bonitas divina, illudque de facto poſſidentes illud ſolius altiſſimi omnipotenti dexteræ attribuere debemus. Unde ſapiens de ſemetipſo fatetur dicens.

*Sap.8. v.19. v.20.& 21.*

*Puer eram ingenioſus & ſortitus ſum animam bonam, & cum eſſem cogitatione magis bonus veni ad corpus incoinquinatum, & ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire, cujus eſſet hoc donum, adij Dominum & deprecatus ſum illum.*

2. S. Greg. Nazianz. in ſacris Poematibus ſuis de virginitate diſſerens; hiſce eam verbis ſalutat:

*Nazianz. de laud. Virgin. Nazianz. in præcep. ad virgin.*

*Salve virginitas divino tradita dono*; Et in præceptis ad virgines in ijſdem Poematibus iterum replicat: *Nec tamen æterni venit hoc ſine nomine Patris; ut quiſquam veneris fœdæque libidinis expers vivat, & hoc fragilis maneat tranquillus in ævo.* Unde D. Chryſoſtomus ex eo quod virtus hæc caſtitatis Dei donum ſit, excellentem arguit prærogativam hujus virtutis, utpote quæ progeniem ſuam trahit ab illo, qui eſt *Candor lucis æternæ*,

*D.Chryſoſt. Hom.18. in Gen.*

*Cogita*, inquit, *quanta virginitatis dignitas, quam ſublimis & magna poſſeſſio, & quæ ſupra humanam naturam, & quæ opus habet manu ſuperna.* S. Auguſtinus uſque ad trigeſimum tertium ætatis annum in hujus immunditiæ ſordibus ad fauces uſque immerſus hærebat, ac proinde ex hoc ſe luto & ſordibus eruere & vitam continentem deinceps agere non ſolum difficile ſed impoſſibile eſſe cenſebat; eo quod hoc nequaquam humanæ induſtriæ opus eſſe crederet, unde in ſuis Confeſſionibus ita Deum alloquitur:

*S.Auguſt.6. Confeſ.c.11.*

*Medicinam miſericordiæ ſuæ ad eamdem infirmitatem ſanandum, non cogitabam, quia expertus non eram, & propriarum virium credebam eſſe abſtinentiam*; verumtamen poſtea in ſacris Eccleſiæ & fidei dogmatibus eruditus & in ſacroſancto baptiſmi lavacro regeneratus ad ultimam uſque decrepitam ſenectutem immaculatam quamdam ſervavit continentiam; unde in quadam Epiſtola, ad propoſita in themate Sapientiæ verba ſe reflectens ita ſcribit,

*S.Aug.Ep. 89. Q.2.*

*Jubet ergo Deus continentiam & dat continentiam; jubet per legem, dat per gratiam, jubet per litteram, dat per ſpiritum.*

3. Quis umquam ad conſervandam virginitatem ſuam majorem Apoſtolo induſtriam adhibuit? qui ait:

*1.Corinth.9. v.27. Gal.6.v.17.*

*Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo... Ego ſtigmata Domini mei in corpore meo porto*; Et tamen licet pro hac virtute aſſequenda ad ſanguinem uſque laborarit; illam tamen ſemper eximium Dei donum eſſe agnovit. Unde D. Chryſoſt. de virginitate diſſerens ita ſcribit:

*D.Chryſoſt. T.4. de virg. n.36.*

*Sed habet*, inquit, *proprium quiſque donum, alius quidem ſic, alius vero ſic, video hic mihi Apoſtolicæ humilitatis ſignum, nuſquam deperditum, ſed ubique ſerio elucens, Dei donum appellat ſuam virtutem, & in quo multum deſudavit, id omne tribuit Domino.* Caſſian. de gradibus humilitatis ſcribens, tandem ad caſtitatem humilem deſcendit,

*Caſſ.Coll.2. Abb. Cher. c.4.*

dicitque inter expertiſſimos ſpiritualis vitæ magiſtros in quadam collatione mutua, ubi de ea varia hinc inde inter ſe contulerant, reſolutum fuiſſe, quod ad hanc caſtitatem acquirendam nulla humana diligentia aut labor ſufficiat, ſed primo omnium loco illa Deo attribui, & ab illo tamquam ſpeciale Dei donum poſtulari debeat S. Auguſtinus quoque in libro, quem *de bono viduitatis* compoſuit, hoc nobis ſalutare monitum ſcriptum reliquit, dicens:

*S.Aug.T.2. l.de bono viduit.*

*Qua in re illud prius moneo ut quantumcumque tibi ineſſe ſentis piæ continentiæ dilectionem, beneficio Dei tribuas, eique gratias agas, qui de ſpiritu ſuo tibi tantum largitus eſt, ut ejus in corde tuo Charitate diffuſa, licitæ rei licentiam tibi amor melioris boni auferret*; nimirum matronam quamdam alloquitur quæ pudicitiam in ſe vidualem conſervare decreverat S. Joannes Climacus valde efficacem reddit rationem, per quam continentiam nequaquam humanæ induſtriæ opus eſſe oſtendit, eo quod naturam vincere ad eum pertinet, qui natura ſuperior exiſtit.

*Clim gr.13. in ſcala Parad.*

*Nemo eorum qui in palæſtra caſtimoniæ deſudarunt, ſuis eam ſe laboribus adeptum ſibi perſuadeat, vincere enim naturam non eſt naturæ noſtræ, victa autem natura certum eſt adeſſe authorem naturæ.*

4. Palladius de Pachone Abbate refert, quod non obſtante quod hic Archimandrita ſeptuageſimum ætatis ſuæ annum ageret, à carnalibus tamen tentationibus ſemper infeſtatus fuerit, quodque poſtquam ad quinquageſimum vitæ ſuæ annum perveniſſet, duodecim ſequentibus annis continuis tam aſperam facere luctam debuerit adverſus carnem ſuam, ut toto ſpatio nullus umquam dies vel nox tranſierit, quin à ſpiritu fornicationis vehementiſſime impeteretur. Ad quam vincendam ſemper quidem fecit, quod potuit, ſed abſque ulla inde conſecuta utilitate. Quadam vero die dum ſe à Deo derelictum eſſe credens lamentaretur vocem quamdam audivit interius ſibi dicentem. Sciendum tibi Deum ideo hanc in te pugnam continuam permiſiſſe, ut debilitatem tuam, & exiguam ſeu potius nullam potentiam & vires tuas, quæ ex tuo ſolum parte ſe tenent, agnoſceres; ac proinde deinceps eſto humilis, omnemque fiduciam in Deum collocato, Qua ex voce monente adeo confortatus eſt, ut nullam deinceps in ſe carnis perſenſerit tentationem.

5. S. Bonaventura de Religioſorum profectu diſſerens, hoc illis tradit documentum:

*S.Bonav.l. 2. de prof. Rel. c.5.*

*Mentis caſtitas cum carnis puritate, ex ſola virtute cum Dei gratia poſſidetur; unde & propheta hoc quaſi prodigium miratur.* Idemque Seraphicus Doctor ad propoſitum noſtrum explicat hunc Pſalmi locum:

*Pſalm.45. v.9.10.*

*Venite & videte opera Domini, ... auferens bella uſque ad finem terræ*; dum ait: *auferens bella tentationum carnalium, uſque ad fines terræ, id eſt, ad terminos motus.* Caſſianus aſſignat rationem ob quam continentia à natura fragili & ad voluptates multum proclivi exercita, maximi meriti opus dici meretur; Dicit enim:

*Caſſian.in inſtit.Monaſt.*

*Quomodo enim exire de carne, eſt in corpore commorantem, & ultra naturam ex fragili carne circumdatum carnis aculeos non ſentire; & idcirco impoſſibile eſt hominem, ut ita dicam, ſuis ad tam excelſum cæleſte præmium ſubvolare, niſi cum gratia Domini de terræ cæna munere evexerit caſtitatis.*

6. Idem Palladius de Moyſe Abbate refert, quod quoad corpus miri roboris, validiſſimus, quoad animam vero vitioſiſſimus exiſtens, mirificè converſus fuerit; Etenim licet in principio vehementi carnis impugnatione exagitatus permanſerit, Patrum tamen Eremitarum conſilio multis adhibitis remedijs victor tandem evaſit, ſiquidem aſſiduis orationibus tanto cum fervore vacabat, ut per ſe annos continuos pro majori noctis parte in pedes erectus orabat, & licet indefeſſe laboraret, vix tamen panem ad famem ſe dandam, niſi modiciſſimum ſibi uſurpabat, aquam ſingulis adferendo cellas Patrum continuo circuibat, cunctiſque ſe vitæ rigoribus & auſteritatibus quantum pro viribus naturæ ferre poterat, conficiebat, & tamen magis quam alias umquam à ſpiritu fornicationis vehementiſſimo tentationum carnalium impetu infeſtabatur, adeo ut tandem vitam eremiticam deſerere, & ad vitam priſtinam diſſolutam redire decreverit; cumque hiſce cogitationibus inſiſteret, ſanctus Iſidorus eum conſolaturus & in vocatione ſua roboraturus convenit, qui ex parte Dei hunc in modum illum affatus eſt; ab hac hora deinceps in nomine Jeſu Chriſti tentationes tuæ ceſſabunt; & revera, ut prædixerat, evenit; ſimulque cauſam ei ob quam hactenus ad perfectam pugnæ ſuæ victoriam pertingere haud potuerat, clare expoſuit, ideò nimirum id à Deo permiſſum fuiſſe dicens, ne de victoria gloriatus in ſuperbiam laberetur, ſuam videlicet conſervatam caſtitatem diligentiæ & induſtriæ ſuæ adſcribendo, abſque eo quod Deum doni hujus principalem authorem agnoſceret; unde S.Clemens Papa ait:

*S. Clem.in 1. ad Cor.*

*Qui carne caſtus eſt, non inſoleſcat, cum ſciat alium eſſe, qui continentiæ donum ipſi tribuit.*

7. S. Paulus Apoſtolus nos pretioſum hunc pudicitiæ theſaurum in vaſe fragili & quaſi vitreo portare aſſerit, ac proinde cum huic theſauro nobis eripiendo multi validi, indefeſſi & implacabiles, nobiſque continuo aſſidentes hoſtes inſidientur, pro illius ſecura cuſtodia & conſervatione ſpecialiſſima neceſſaria nobis eſt Dei aſſiſtentia:

*2.Cor.4. v.7.*

*Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit virtutis Dei & non ex nobis.* Quem textum S. Auguſtinus in Epiſtola quadam contra Pelagianos ita legit:

*S.Aug.Ep. 143.*

*Ut eminentia ſit Dei, & non ex nobis*; ubi etiam alium quemdam textum ejuſdem Apoſtoli ex 1. ad Corinth. c.7.v.7. adducens, ſcilicet:

*1.Cor.7.v.7.*

*Volo enim omnes eſſe ſicut meipſum, ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic*; ita inquit: *Audiat etiam ipſum non tantum ſuum, ſed univerſæ Eccleſiæ unicum ſponſum, de tali caſtitate atque integritate dicentem: Non omnes capiunt verbum hoc; ſed quibus datum eſt.* In eodem quoque capite S. Paulus paulò poſt ſubjungit:

*Ibid. v.25.*

*de virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino ut ſim fidelis*; Ecce tibi S.Paulum clare & manifeſtè atteſtantem & profitentem, quod virginitas miſericordiæ



cordiæ Dei attribuenda ſit, ac proinde quod quis in hujus virtutis cuſtodia fidelis ſit, benigniſſimæ pietati ipſius tribuendum ſit, *tamquam miſericordiam conſecutus à Domino.*

8. S. Auguſtinus crudele quod inter fornicationis ſpiritus & carnem ac corpus noſtrum intercedit certamen meditatur dicens:

*S.Aug.T.9. Medit.6.13.*

*Hic hoſtis nunc quidem aperte & violenter, ſemper autem malitioſè & crudeliter nos impugnat & perſequitur, & ad hæc toleranda, ne dicam ſuperanda quis idoneus? Hæc ideò dixi, ut innoteſcere continentiæ difficultas, ut ſciamus quæ à Deo data ſunt nobis, ac per hoc amplius diligamus eum, qui hanc virtutem nobis tribuit, omnino enim in Domino facimus hanc virtutem, ipſe eſt qui non modo carnem noſtram cum concupiſcentijs ſuis, ſed & præſens ſæculum nequam cum curioſitatibus & vanitatibus ſuis, etiam & ipſum cum tentationibus ſuis Satan conterit ſub pedibus ſuis.* Et ideò ſanctus quidam Eremicola plenus dierum & ſapientiæ, animam cujuſdam ſolitarij euſque à tentationibus carnis infeſtandam eſſe dixit, donec caſtitatem donum Dei, non vero opus virium ſuarum eſſe agnoſceret & confiteretur. S. Joan. Damaſcenus de ſpiritu fornicationis diſſerens hanc nobis doctrinam ſcriptam reliquit:

*S.Joan.Damaſc. lib.6. cap.5.*

*Hunc immundiſſimum ſpiritum ſuperare omni mentis intentione, non noſtris viribus conſidentes (hoc enim induſtria humana facere non prævalet) ſed opitulatione Domini feſtinemus, tamdiu enim neceſſe eſt hoc vitio animam impugnari, donec ſe bellum gerere ſupra vires ſuas agnoſcat, nec labore vel ſtudio proprio victoriam obtinere ſe poſſe, niſi Domini fuerit auxilio & poteſtate ſuffulta.*

9. S. Anſelmus prudenter obſervat, quod cœleſtis magiſter noſter Chriſtus, dum de virginitate diſſerit, dixerit:

*S.Anſel.in c.19. Matth.*

*Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*; cauſamque cur Deus non omnes virgines eſſe & permanere decrevit, hanc eſſe dicit, quia caſtitas donum eſt Dei, qui proinde illud dat, cui vult, non verò induſtriæ noſtræ opus eſt: *Id eſt*, inquit præfatus Archiepiſcopus, *non omnes ſervant verbum iſtud, quoad bonum ſit continere. Non dixit: non poſſunt capere, id eſt, ſervare, quia bene poſſent, ſi vellent, vincere carnis infirmitatem, ſed dixit: Non omnes capiunt, id eſt, non omnes continent, ſed quibus datum eſt divina gratia; in his verbis oſtendit, quia niſi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus.* Frequens enim experientia per omnia ſæcula nos docet, quod homines cæteroquin virtuoſi, in proprio corpore caſtigando habituati, & vitæ illibatæ aſſueti ex eo tamen quia nimis de ſua virtute ſecuri, & in proximis poſiti occaſionibus de proprijs viribus nimium confiſi, tandem turpiter fuerint lapſi, unde idipſum quod S. Hieronymus de virginitate ſcripſit, nos in communi de pudicitia & continentia aſſerere poſſumus, videlicet:

*S.Hier. l.1. cont. Jovin.*

*Difficilis res eſt virginitas, & ideò rara; Multi vocati, pauci electi, incipere plurimorum eſt, perſeverare paucorum.*

*Jac.1. v.17.*

10. S. Jacobus ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum... ſi quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus:*

*Ibid. v.5.*

Eodem quoque modo nos dicere poſſumus; quod cum continentia donum ſit cœleſte, ſi illud aſſequi deſideramus à Deo illud à nobis poſtulandum ſit. Sanctus Auguſtinus proinde Deum ſic alloquitur: *Da quod jubes, & jube quod vis. Imperas nobis continentiam, & cum ſcirem, ait quidam, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet donum.* Rupertus Abbas Tuitienſis ſuper illa verba Zachariæ:

*Zachar.10. 1.& 9.17.*

*Petite à Domino pluviam in tempore ſerotino, & Dominus faciet nives; Quid bonum ejus, & quid pulchrũ ejus eſt, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, ita ſcribit:

*Rupert. Abb. l.1.in Zach. c.10.*

*Bonum inquam & pulchrum hoc ſolius Dei donum eſt, & propter hoc ab ipſo petendum eſt, nam de germine virginitatis, de frumento verbi Dei quicumque ſtudioſus fuit, non ignorat, ſed experimento didicit, quod de terra carnis noſtræ reſurgere non poſſit, quamvis plantet, aut riget aliquis, niſi Deus incrementum dederit; qui ergo bonum hoc vel pulchrum oſtendit, recte & conſilium ſuggerit petendi illinc, unde poteſt acquiri: Petite, inquit, à Domino pluviam in tempore ſerotino, & Dominus faciet nives, & pluviam imbris, ac ſi dicatur: Ubi deſideratur frumentum Domini, & vinum germinis virginei, ubi conſilium eſt caſtitatis, vel propoſitum virginitatis, ibi ſentitur magis incendium carnis adverſus ſpiritum concupiſcentis, ſed nolite deficere, nolite deſperare, petite à Domino, & Dominus dabit nives, quibus æſtum carnis refrigeret, ac tempore.*

11. In libro Judicum cap. 1. factum quoddam à ſpiritu ſancto deſcribitur, quod prima facie, niſi myſticum eſſet, videri poſſet inutile, & ſanctiſſimo Spiritus ſancti calamo, qui ad ſolos æternitatis annales conſcribendos adhibetur prorſus ſupervacaneum & indignum; Refert enim quod cum Caleb quamdam ex filiabus ſuis, nomine Azam Othonieli deſponſaſſet, & à ſponſo ſuo inſtigata fuerit ad petendam à patre ſuo terram aquis irriguam:

*Jud.1.v.14.*

*Quam pergentem in itinere monuit vir ſuus, ut peteret à Patre ſuo agrum; quæ cum ſuſpiraſſet, ſedens in aſino, dixit ei Caleb: Quid habes? At illa reſpondit: Da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi, da & irriguam aquis; Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius.*

*Ibid. v.2.*

Veriſſimum eſt utique quod hæc *omnia in figura contingebant illi*; ac proinde jumentum cui Aza inſidebat, corpus humanum præfigurabat; Unde Sanct. Hilarion corpori ſuo dicebat:

*S.Hilarion.*

*Ego te Aſelle faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, ſed paleis*; Et eheu! quot ſunt quos jumentum hoc ſuſpirare facit? Terra autem arida hæc caro noſtra eſt, qua veſtimur, quæ igne concupiſcentiæ carnalis æſtuat & ardet: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*; Sponſus verò animæ noſtræ, id eſt, Spiritus ſanctus nobis inſinuat, ut ad extinguendum ignem, iſtũ & ut corpore perſeveremus immaculati, pluviam, aquã & rorem poſtulemus cœleſtem, *Da & irriguam aquis.* Porrò Tertullianus illos, qui ſe ob fragilitatem carnis à continentia profitenda excuſant, timentque ne venia prorſus indigni ſint, ſi labantur, ſequentibus verbis more ſuo graviter perſtringit, dicens:

*Tertull. ad uxor.c.4.*

*Sed carnem legimus infirmam, & hinc nobis adulamur impenſius; Legimus tamen & ſpiritum fortem, nam in uno ſenſu utrumque poſitum eſt. Caro terrena materia eſt ſpiritus verò cæleſtis, cur ergo ad excuſationes proniores, quæ in nobis infirma ſunt, opponimus, quæ verò fortiora non tuemur? Cur cæleſtibus terrena non cedant? Si ſpiritus carne fortior, quia & generoſior, noſtra culpa inferiora ſectamur.* Tametſi etenim verum ſit continentiam donum Dei eſſe, divinæque gratiæ effectum, attamen veriſſimum quoque eſt, quod *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*; Quapropter ex parte noſtra operemur, & cooperemur huic dono, quod Deus unicuique animæ offert, nec erit quod ſpiritum fornicationis formidemus, quia ad illum debellandum & abigendum vigorem & vires ſufficientes habemus.

12. Sanctus Auguſtinus ad aliud nobis non minus ſalutare monitum ſuggerit, videlicet quod ex quo continentia & caſtitas ſpecialiſſimum quoddam Dei donum eſt, cavendum nobis ſit, ne in eo vane nobis complaceamus:

*S.Aug. de ſ. virg.c.41.*

*Quapropter*, inquit, *hæc prima ſit induenda humilitatis cogitatio, ne à ſe ſibi putet eſſe Dei virgo, quod talis ſit, ac non potius hoc donum optimum deſuper deſcendere à Patre Luminum*; Paulò poſt cap.43. idipſum monet dicens:

*Ibid. cap.43.*

*Sciens homo gratia Dei ſe eſſe, quod eſt, non incidat in alium ſuperbiæ laqueum, ut de ipſa Dei gratia ſe extollendo ſpernat cæteros.* In cap. verò 18. ejuſdem Tractatus jam ante ſcripſerat in hunc modum:

*ibid Cap.18.*

*Sectatores & ſectatrices perpetuæ continentiæ & ſacræ virginitatis admoneo, ut bonum ſuum ita præferant nuptijs, ne malum judicent nuptias, neque fallaciter, ſed ſane veraciter ab Apoſtolo dictum noverint: Qui dat ad nuptum, bene facit, qui non dat ad nuptum melius facit; Et ſi acceperis uxorem non peccaſti, & ſi nupſerit virgo non peccat: Et paulo poſt: Beatior erit ſi ſic permanſerit, ſecundùm meam ſententiam; & ne humana ſententia putaretur, ſubjungit, puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam. Hæc Dominica, hæc Apoſtolica verba, hæc ſana doctrina eſt, ſic eligere bona majora, ne minora damnentur.* Verum enim vero, cum ex parte noſtra neceſſario nobis huic dono cooperandum ſit, ſiquidem veriſſima eſt illa propoſitio: *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*, ideo operæ pretium erit, ut varias examinemus cautelas & circumſpectiones, quibuſcum hanc nobis poſſidere virtutem, eamque ad ultimum uſque ſpiritum conſervare facillimum erit.

## DISCURSUS XVIII.

## ARGUMENTUM.

Caſti ſolicite incumbere debent cuſtodiæ internæ cogitationum, eoſque refrænare ubi etiam recenſentur mala, quæ ab his derivantur, niſi ſtatim ab initio ſuffocentur.

THEMA.

*Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Job. 31. ℣. 1.

*Matth.* 5. 28.
*Ibid* 9. 12.
*D. Chryſoſt. Hom.* 56. *de Pœnit. T.* I.

1. QUemadmodum boni & experti Medici ſpecimen eſt, ſi mali illius quod infirmum languere facit, radicem tollere & abigere novit; ita quoque ad infirmitates ſpirituales curandas, unice neceſſum eſt, originem, unde ſcaturiunt, amputare, ne ulterius pedem figere poſſit. D. Chryſoſtomus ſuper illa verba Salvatoris: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, de illo Medico qui ad ſemetipſum alludens dicit: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus*, ita ſcribit: *Non modo morbum, ſed & morbi radicem evellit; radix enim adulterij concupiſcentia impudica: quare non modo plectit adulterium, ſed & concupiſcentiam adulterij matrem: ſic & medici faciunt, non ad morbos inſtant ſolum, ſed ad cauſas etiam tollendas.* Eodem pariter modo S. Job diſcurrere voluiſſe videtur, dum ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*, ac ſi dicere vellet: Non ſolum in objecti illecebroſi faciem nolo fixis oculis reſpicere, ſed ne quidem de illo cogitare decrevi. Cujus textus occaſione S. Gregorius, differentiam quæ eſt inter legem antiquam & novam obſervat. In Illa namque cogitationes & deſideria cordis illicita non ita aperte prohibebantur, ſicut in hac; unde Job prophetico illuſtratus ſpiritu idipſum, quod Salvator noſter in lege nova præcepturus erat, intelligens, opere adimplevit, & executioni mandavit: *Sciebat nimirum luxuriam eſſe in corde refrænandam; ſciebat per Spiritus ſancti donum, quod Redemptor noſter veniens legis præcepta tranſcenderet, & ab electis ſuis non ſolum luxuriam carnis ſed etiam cordis aboleret: per Moyſen luxuria perpetrata, per authorem mundi luxuria cogitata damnatur*; Incarnata namque Sapientia in hunc mundum veniens proteſtata fuerat dicens: *audiſtis quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis; ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

*S. Greg. l.* 21. *Moral. c.* 21.
*Matth.* 5. *v.* 27.
*Ibid. v.* 28.

2. Idem quoque ſanctiſſimus Pontifex optime notat, quod primus Eccleſiæ Paſtor & Pontifex, ut gregem ſuum in hoc gravi puncto bene erudiret, eidem quidquid ad intentum à Chriſto finem complendum facere incumbebat, ad perpetuam doctrinæ ſuæ memoriam in Epiſtolis ſuis expreſſerit dum ita ſcribit: *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, &c.* Circa quæ verba ita diſſerit: *Lumbos carnis ſuccingere, eſt luxuriam ab effectu refrænare; lumbos vero mentis ſuccingere, eſt, hanc etiam à cogitatione reſtringere.* S. Iſidorus de hac materia ad caſtitatis conſervationem apprimè utili tractans ita diſcurrit: *Antequam perficiatur adulterium in opere, jam adulterium extat in cogitatione: ex corde enim primò fornicationes ſunt auferendæ, & non prorumpent in opere*; Hinc eſt, inquit idem ſanctus Pater, quod Iſaias (qui per antonomaſiam Propheta vocatur Evangelicus) poſtquam Evangelicæ legis prædixit ſucceſſus, ita moneat: *Accingite lumbos veſtros, Super ubera, &c. hoc eſt, in corde libidines reſecate, quæ ad lumbos pertinent, nam cor ſuper ubera eſt, non in lumbis.* Peſſima enim & pernitioſiſſima delectationum, fornicationum, adulteriorumque, & cujuſcumque ſimilis peſtiferæ zizaniæ radix & origo, ab effrænibus cogitationibus ortum ſuum ducit: *Ex quo hic immundiſſimus ſpiritus luxuriæ*, inquit Rabanus, *atque fornicationis oriatur, voce Dominica declaratur: Ex corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes*; atque ideò ſi hæ cogitationes illecebroſæ, in ſuis extinguantur & detruncentur primis natalibus, morbus utique ulterius creſcendo minimè augebitur. Idem quoque ſupracitatus S. Iſidorus ait: *Qui delectationem libidinoſæ refrænat voluptatis ſuggeſtionis, non tranſit ad conſenſum libidinis, citò enim reſiſtit operi, qui titillanti ſe non accommodat delectationi.*

*I. Petr.* I. *v.* 13.
*S. Iſid. l.* 2. *ſent. c.* 30.
*Iſa.* 32. *v.* 11
*Ibid. v.* 12.
*Raban. l.* 3. *de Pœnit. ſatisf. c.* 44.
*Matth.* 15. *v.* 19.
*S. Iſid. ibid.*

3. In Apocalypſi ſua S. Joannes hanc ſibi factam fuiſſe refert viſionem; *Vidi ... ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea, Caput autem ejus, & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix.* In qua viſione per capillos albos tamquam lana, & nivis inſtar candidos cogitationes & deſideria pura, caſta, & honeſta intelliguntur; at verò undenam hæ cogitationes procedunt? Certè non ſine myſterio ibidem præmittitur: *Præcinctum ad mammillas zona aurea*; circa illa namque verba S. Gregorius ait: *Zona aurea ſuper mammillas ſuccinctus; quia teſtamenti novi munditia etiam cordis luxuriam frænat.*

*Apoc.* I. *v.* 12. & 13.
*Ibid. v.* 14.
*S. Greg. l.* 21. *cap.* 2.

4. Ac proinde S. Joannes Damaſcenus primam caſti hominis curam ad hoc intentam eſſe debere dicit, ut cor ab immundis & ſordidis cogitationibus mundetur & purificetur: *Principaliter*, inquit, *vitij hujus* (ſcilicet peccati carnis) *correctio de cordis perfectione deſcendit, ex quo etiam hujus morbi virus Domini voce prodire ſignatur; De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, adulteria, &c. Illud ergo eſt primitus expiandum, unde fons vitæ & mortis mature agnoſcitur*; unde Salomon monet: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum.* Enimverò experientia quotidiana commonſtrat, quod in locum, in quem caput ſerpentis ingreditur, totum ejus corpus pariter ingrediatur, ibidemque venena ſua diffundat, & mortem inferat; Quidnam verò caput ſerpentis aliud indicat, quam cogitationem & deſiderium inhoneſtum; ubi enim hoc locum obtinet, & ſine ulla repulſa aut reſiſtentia nidificat, ibi quoque peccati venenum ſubintrat, quia à cogitatione fit tranſitus ad complacentiam, inde ad conſenſum, quem tandem appetitus carnalis conſummatio & ſatisfactio infallibiliter ſubſequitur.

*S. Joan. Damaſc. l.* 5. *de ſpir. forn. c.* 2.

5. Porro inter alia remedia, quæ Sanct. Bonaventura ad victoriam contra vitium carnis obtinendam nobis præſcribit, haud minimum eſt *cuſtodia interiorum cogitationum & affectionum cordis, per quas coluber primo caput venenatum ingerit.* Ad hæc in prima matre noſtra animam quamvis fidelem ſignificari dicere poſſumus, illi namque quod caput ſerpentis obtritura eſſet, prædictum fuit: *Ipſa conteret caput tuum*; Quibus verbis utique utile nobis documentum ſuggeritur, ſcilicet quod ſi ſerpentem, id eſt, ſpiritum fornicationis vincere deſideramus, neceſſum ſit, ut primitus ſuggeſtionibus, cogitationibus, deſiderijs & imaginationibus turpibus reſiſtamus; quod utique S. Joannes Damaſcenus docere nos voluit, quando dixit: *Quia illud quoque mandatum, quod primus homo à Deo datum accepit, ſerpentis caput, hoc eſt, pernitioſæ cogitationis initium, per quod ad animam noſtram irrepere conatur, obſervari jubet, ne alioqui admiſſò capite, reliquum quoque corpus una illabatur.* Simulque ad illum Pſalmiſtæ locum alludit, in quo David ait: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram; operæ pretium eſt itaque Babylonis parvulos, hoc eſt turpes cogitationes, quæ nos primum adoriuntur, ad petram, hoc eſt, ad Chriſtum allidere atque obterere.* Id quod cum illo monito conſonat, quod Sanctus Hieronymus Euſtochio virgini tradidit, dicens: *Non ſinas cogitationes creſcere, nihil in te Babylonium adoleſcat, dum parvus eſt hoſtis interfice.*

*S. Bonav. l.* 2. *de prof. rel. c.* 54.
*S. Joan. Damaſc. Paral. l.* 3. *c.* 66.
*Pſ.* 136. *v.* 9.
*S. Hieron. Epiſt.* 22. *ad Euſtoch.*

6. Conſiderabilis eſt inſtructio ab Eccleſiaſtico nobis præſcripta, in qua nos hortatur, ut peccatum æquè ac ſerpentem fugiamus: *Quaſi à facie colubri*, inquit, *fuge peccata.* Cur enim non potius urſi, vel leonis, aut tygridis nobis metum incuſſit? At verò ratio hujus hæc aſſignari poteſt, quia ſerpens quantumvis parvulus ſit, ſuo tamen veneno non caret, ac proinde is nobis cavendus eſt, tametſi jam jam genitus, è nidulo ſuo proſerpat; Leonem vero vel quamcumque aliam feram, quamdiu lactens eſt, non eſt quod timeamus. Eſt igitur hæc ſerpentis ſeu ſpiritus fornicationis malignitas, ut etiam dum parvulus è nido ſuo egreditur, id eſt, dum in primis ſuis principijs, ſive in prima ſua imaginatione aut apprehenſione conſiſtit, à nobis interimi & ſuffocari debeat: *Dum hoſtis eſt parvus interfice.* Pergit Sanctus Hieronymus ulterius & dicit: *Impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus.*

*Eccli.* 12. 2.

7. S. Joannes Damaſcenus *de ſpiritu fornicationis* ad longum tractans, ita nos monet: *Quapropter illius præcepti jugiter meminiſſe debemus: Omni cuſtodia ſerva cor tuum, & ſecundùm Dei principale mandatum, ſolicite ſerpentis obſervare noxium caput, id eſt, malarum cogitationum principia, quibus ſerpere in animam noſtram Diabolus tentat, nec ſinamus per negligentiam intrare in cor noſtrum reliquum ejus corpus, id eſt, oblectationis aſſenſum.* Illum quoque Pſalmi locum adducit, in quo David ſe in matutino tempore omnes peccatores terræ ſtraviſſe dicit: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: Emergentes peccatores terræ noſtræ, id eſt, ſenſus carnales in matutinis ſui ortus nos oportet extinguere, & dum adhuc parvuli ſunt, allidere filios Babylonis ad petram.*

*S. Joan. Damaſc. l.* 3. *de ſpir. forn. c.* 13.
*Pſ.* 100. *v.* 8.

8. In



8. In eodem quoque loco ſupracitatus Sanctus Gregorius ſub alluſione ſerpentis in hac materia ulterius ſe extendit, docendo qualiter in nobis continuus ille & inquietus cogitationum & imaginationum inhoneſtarum fluxus & refluxus coërceri debeat: *Malum luxuriæ*, inquit, *aut cogitatione perpetratur, aut opere, callidus namque adverſarius, cum ab effectu operis expellitur, ſecreta polluere cogitationis molitur; unde & ſerpenti à Domino dicitur: Pectore & ventre repes; ſerpens videlicet ventre repit, quando hoſtis lubricus per humana membra ſibimet ſubdita uſque ad expletionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos quos in opere luxuriæ non valet, polluit in cogitatione.* Demum verò hoc repere hujus ſerpentis, quod ventre & pectore perficit, in ſenſu morali diſtinguit dicens: *Quia per cogitationem ad explenda opera pervenitur, rectè ſerpens prius pectore, & poſtmodum repere ventre deſcribitur.*

*S. Greg. l.* 21. *Moral. c.* 2.

9. S. Ephrem ſcintillarum adducit ſimilitudinem, quæ integrè nondum extinctæ ſunt, harum enim una ad ingentem flammam accendendam ſufficit, niſi ad evitandum inextinguibile aliquod incendium penitus extinguatur, quem eumdem effectum unica tantum obſcæna cogitatio non extincta, ſed nutrita parturire valet: *Spiritui fornicationis reſiſte*, inquit, *& plane non patiaris te abripi cogitatione ejuſmodi, nam à ſcintilla ignis augetur pruna, & à cogitatione improba multiplicabuntur concupiſcentiæ pravæ, excute memoriam earum, magis quam gravem odorem cœni atque cloacæ.* Similem quamdam comparationem in S. Auguſtino invenio, cujus hæc ſunt propria verba: *Quomodo enim ſi aliquis carbones ignis apprehendat, ſi eos cito projecerit, nihil nocebunt, ſi autem diutius tenere voluerit, ſine vulnere eos jactare non poterit, ita & ille qui ad concupiſcendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde ſuſcipiens, magnas moras in ſuis cogitationibus habere permiſerit*, excutere eas à ſe, ſine animæ occiſione vel plaga non poterit. Quod ſi verò in malis cogitationibus eliminandis ſoliciti ſimus, ab inde oriunda pugna nos eximendos eſſe ſperare licebit, quam alias nobis adſciſcunt, ſi in memoria & mente noſtra radices agere permittantur, adeò ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, continuam in nobis inquietudinem ſentiamus, quam Dæmon ſuggeſtis nobis in ſomno phantaſmatibus magnopere promovet, ut tanto magis nos conturbet.

*S. Ephr. T.* 3. *de timore Dei.*
*S. Aug. T.* 10. *in Dom.* 25. *poſt Trin. ſerm.* 21.

10. Pſalmiſta ait: *Nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*; ſed quænam hujus prodigij cauſa exiſtit? *Quia tu poſſediſti renes meos.* Etenim quando per diem de rebus bonis atque honeſtis cogitamus, illuſiones, nocturnas ut plurimum non experimur, eo quod Deus cor noſtrum poſſideat: econtra verò ſi diurno tempore phantaſmata & cogitationes laſcivas in mente noſtra volvamus, vere dicere poſſumus: *Hæc nox illuſio mea in cogitationibus meis.*

*Pſ.* 138. *v.* 12
*Ibid. v.* 13.

11. S. Bonaventura cogitationes obſcænas inimicos domeſticos appellans ad illas cum omni ſolicitudine repellandas his verbis hortatur: *Interius debet reprimere cogitationes pravas & affectiones carnales, quia iſti ſunt domeſtici hominis inimici quorum fraude urbs mentis inimicis traditur, ſi non bene caveatur, nulla exterior munitio ſufficit ad cuſtodiendum urbis clauſtra, ubi domeſtici perfidi fuerint, ita nulla cuſtodia forinſeca caſtitatem conſervat, ſine cuſtodia interna cogitationum & affectionum.*

*S. Bonav. t.* 7 *l.* 1. *de prof. relig. c.* 39.

12. S. Ephrem cogitationes impudicas piratas vocat, quia ſicut hi per mare oberrantes ditiſſimis mercibus onuſtas deprædantur naves; eodem modo cogitationes & deſideria inhoneſta minimè refrænata, ſed libertati ſuæ relicta auferunt ab hominibus inæſtimabilem pudicitiæ theſaurum, talis enim à Sapiente cenſetur eſſe, de quo proinde dicit: *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ. Attende tibi ipſi*, inquit Sanctus, *ne per negligentiam piratas illius maligni intromittas; Intelligitis qui ſint illi piratæ maligni iſtius & homicidæ? Cogitationes ſordidæ atque moroſæ, concupiſcentiæ pravæ.*

*Eccl.* 26. *v.* 20.
*S. Ephrem ſer. de virg.*

13. Quando arborem aliquam conſpicitis, cujus frondes languent aut exareſcunt, fructuſque corrupti ſunt aut cito putreſcunt, nequaquam temere judicabitis ſi totum hocce damnum à defectuoſa arboris medulla derivari cenſueritis. Homo autem à Pſalmiſta arbori aſſimilatur: *Lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*: ſed quænam eſt myſticæ hujus arboris medulla? Audite eumdem Davidem dicentem: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*; ac proinde penetrate interiora mentis & cordis, examinate quales ſint cogitationes & deſideria animi veſtri, quidnam in imaginatione veſtra revolvatis diſquirite, ſi hæ fœdidæ & verminoſæ ſunt, opera quoque veſtra omnia defectuoſa erunt; unde ubi Vulgata noſtra legit: *Ab intus*, alij legunt: *A cogitationibus.* S. Hieronymus enim dicit, quod ubi Septuaginta legunt *Ab intus, vel intrinſecus*, ſibi videatur legendum eſſe: *à cogitationibus.* Quænam obſecro cauſa fuit, quod incorruptis & depravatis illis ſæculis, quibus Noë ante diluvium vixit, in toto genere humano, nullus præter ipſum inventus fuerit, in quo Dei timor ineſſet? *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*; Ecce tibi cauſam illius à ſacra ſcriptura perſpicuis verbis indigitatam: *Cuncta cogitatio cordis intenta erat ad malum omni tempore*; Cogitationes enim laſcivæ, niſi refrænentur, ſemper magis creſcunt; Mens hominis laſciviæ dedita, eſt velut mare quoddam à continua nec umquam intermiſſa cogitationum & imaginationum turpium tempeſtate agitatum, hæc enim diu noctuque nos perturbant & infeſtant, animæque naufragium comminantur. Similiter ſicut magni principes iter agentes, inquit egregius quidam contemplativus, ad hoſpitia illis præparanda prodromos emittere ſolent: Ita Dæmon animam ad inhabitandum ingredi volens, antecedenter in eamdem cogitationes obſcænas & laſcivas immittere ſolet, qui per ſenſuum noſtrorum portas ingrediuntur, foreſque penetralium animæ eidem aperiunt: quod ſi verò ad fores animæ fideles poſuerimus vigiles & cuſtodes, qui cogitationum malitiam vel bonitatem priuſquam intromittantur, diſcernant, ſecuri eſſe poſſumus quod Dæmon numquam ſit animam ingreſſurus: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum in pace ſunt ea quæ poſſidet.*

*Pſalm.* I. *v.* 3
*Pſ.* 44. *v.* 14.
*Gen.* 6. *v.* 13.
*Gen.* 6. *v.* 8.
*Luc.* 11. *v.* 21.

14. S. Bernardus adverſus cogitationes laſcivas pulchra quædam & efficacia ſuggerit remedia, dum ait: *Quoties te ſentis turpibus cogitationibus pulſari, & ad illicitam delectationem affici, toties pone ante mentis oculos, quomodo Chriſtus in cruce crucifixus eſt pro te*: Singulaque paſſionis Domini noſtri ſupplicia ſigillatim enumerans, ad illa ſerio meditanda hortatur, huncque fructum exinde ſecuturum promittit: *Sufficere poſſet hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas cogitationes.* Aliud remedium ab eodem mellifluo Doctore inſinuatum eſt, recogitatio mortis, & judicij uniuſcujuſque particularis, quando nimirum ante ſupremi Judicis inexorabile & inappellabile tribunal præſentandi erimus; In capite verò ſequenti ſubjungit: *Si vis omnes malas cogitationes à corde tuo expellere, hæc ſæpe cogita; ibi namque eſt cogitatio tua, ubi eſt affectio tua; ibi cor tuum, ubi eſt deſiderium tuum, quoniam illud ſæpius in cogitatione volvimus, cujus amore plus affecti ſumus.*

*S. Bern. c.* 38. *de inter. domo.*
*S. Bern. c.* 39. *ibid.*

15. Idem quoque S. Doctor ulterius exponit, qualiter Dæmon ſit ille qui cogitationes turpes menti noſtræ ingerit: *Spiritus Sanctus ſuggerit bona & dulcia, ſpiritus malus mala & amara, vana, inutilia, & immunda; & ideo quacumque hora mala cogitatio cor tuum tangit, non conſentias illi, nec ſinas eam in corde tuo manere, ſed illico repelle, in initio cogitationis iniquæ reſiſte, & fugiet à te*; Et paulò poſt ſubdit: *Cogitatio prava delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem, neceſſitas mortem, ſicut vipera à filijs ſuis in utero poſitis lacerata perimitur, ita nos cogitationes noſtræ intra nos nutritæ occidunt.* Stultus utique futurus eſſet, qui inimico ſuo lethaliter eum vulnerare volenti arma porrigeret: eodem quoque modo, ſi S. Ephrem fidem adhibere voluerimus, ſtulti & inſipientes ſumus, dum ſpiritui fornicationis vires ſubminiſtremus, id quod tunc facimus, quando cogitationes & imaginationes immundas ſine ulla reſiſtentia in nobis fovemus & nutrimus: *Si carnis pugna in te inſurrexerit ne verearis, neque ſuccumbas turpibus cogitationibus, ne tuum adverſus te inimicum inſolentiorem reddas.*

*S. Ephrem. t.* 2. *c.* 3. *de pugna carnis.*

16. Sed dicet fortaſſe aliquis, qua ratione me à cogitationum ſimilium continuo fluxu & refluxu defendere potero, quando illæ in manu & poteſtate mea nequaquam ſunt poſitæ? Audite quid S. Nilus moneat: *Quoties libidinis illecebra ſeorſim in te impetum fecerit, confeſtim ſurge, ac coram Deo te projice, clamans: Fili Dei adjuva me! neque ob eam rem minus excrucieris, non enim id à nobis exigitur, ut affectus ex animis noſtris evellamus, ſed ut adverſus eos pugnemus;*

*S. Nilus de octo vitioſ. cogit.*

*mus*; Difficile admodum eſt poſſe impedire illos, ne quavis hora & omni momento nos aggrediantur, nec hoc à nobis exigitur, ſed hoc tantum à nobis deſideratur, ut illis reluctemur, ut viriliter adverſus eos pugnemus, ut illos omni cum ſolicitudine repellamus, ne in mente & imaginatione noſtra radices agant. S. Ephrem T. 2. cap. 3. *De pugna carnis*: *Expecta*, inquit, *Dominum, preceſque tuas cum lachrymis coram bonitate ipſius effunde, & ipſe te exaudiet, elevabitque ex lacu miſeriæ ſordidarum cogitationum, & à volutabro luti turpiſſimorum phantaſmatum*; Quod enim S. Bonaventura dicit de divitijs, idem quoque nos de impuris cogitationibus aſſerere poſſumus: *Si hoſtibus vitiorum fideliter reſiſteremus, quando nos impugnare incipiunt, non ſolum non vinceremur ab illis ulla vice, ſed etiam ita debilitarentur, quod poſtea rarius auderent nos impetere, & ſi impeterent, facile vincerentur, donec penitus deleantur, quod vix auderent reſurgere, ſed tepide reluctando damus eis vires & auſum ſæpius & acrius nos deinceps impugnandi.*

*S. Ephrem.*
*S. Bonav. l. 2. de prof. relig. c. 36.*

## DISCURSUS XIX.
## ARGUMENTUM.

De honeſtate ſermonis, quam ſacra ſcriptura ijs præcipuè inculcat, qui de rebus turpibus & de malis à verbis obſcænis & diſcurſibus carnalibus provenientibus, nec non de modis ad illa cavenda coram alijs diſſerere debent.

### THEMA.

*Fornicatio autem & omni immunditia ... nec nominetur in vobis.* Ad Epheſ. 5. ℣. 3.

De impudicis caute diſſerendum.

1. S. Paulus Apoſtolus Epheſijs neophytis, paritérque cunctis fidelibus pudicitiam ſectantibus ſumma cum ſolicitudine commendat, ut in loquendo cauti ſint & circumſpecti, adeò ut ne minimum quidem verbum ab ore eorum egrediatur, quod vel umbram aliquam impudicitiæ in ſe contineat: *Nec nominetur in vobis*, quaſi dicat non ſolum cavendum vobis eſt, ut aures honeſtæ non offendantur, ſed etiam ne conſcientia maculetur: *Nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpido, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas.* Et quidem obſervatione dignum, quanta cum cautela Spiritus Sanctus, qui Sacræ Scripturæ author fuit, quotieſcumque ad loquendum de hoc vitio adſtrictus erat, de eodem locutus fuerit. In Iſaia legimus: *Denuda turpitudinem tuam.* Symmachus legit: *Taciturnitatem tuam*; ſed quid taciturnitas & vitium carnis inter ſe commune habent, quod unum illorum alterius nomine appelletur, ac ſi ſynonyma eſſent? Ecce tibi myſterium: *Fornicatio autem & omnis immunditia, nec nominetur in vobis.* Unde S. Hieronymus ait: *In eo ubi nos interpretati ſumus: Denuda turpitudinem tuam, Septuaginta tranſtulerant: Revela opertimentum; Symmachus, taciturnitatem tuam quod tacere debeat præ verecundia.*

*Epheſ. 5. v. 3.*
*Ibid. v. 4.*
*Iſa. 47. v. 2.*
*Symmachus.*
*S. Hieron.*

Quam modeſte ſcriptura utatur verbis.

2. Moyſes actum conjugalem protoparentum noſtrorum exprimere volens, mirum quanta cum modeſtia eumdem deſcripſerit; dicit enim: *Adam verò cognovit uxorem ſuam Evam*; ubi Oleaſter ait: *In verbo, cognovit, docemur quanta cum honeſtate in turpibus rebus nominandis uti debeamus.* Filiæ Loth quæ patrem ſuum inebriaverant, ut vino ſopitus abominabilem cum illis inceſtum inadvertenter committeret, tametſi revera ad impudicitiam valde proclives, attamen quando illis hac de re in ſcriptura loquendum erat, audite quam ſapienter ſermonem ſuum ne aures honeſtæ offenderentur, inſtituerint: *Nullus virorum remanſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos juxta morem univerſæ terræ.* Uxor Putipharis adultera diu varijs Joſephum illecebris ad ſecum turpiter peccandum incitarat, quam tamen impudicitiam ſacer Chroniſta enarraturus brevibus hiſce verbis ſe expedivit, dum ait: *Per ſingulos dies & mulier moleſta erat adoleſcenti.* In hiſtoria Suſannæ mulieris caſtiſſimæ, quam Daniel conſcripſit, ſpecialiter quoque obſervandum eſt, quam diverſo loquendi modo uſi fuerint perverſi illi & laſcivi ſenes, & caſtiſſimus Daniel; Illi namque ſuam colorare volentes calumniam dixerunt: *Venit ad eam adoleſcens, ... & concubuit cum ea, vidimus eos pariter commiſceri*: at verò audite quanta cum honeſtate caſtiſſimus Daniel illos coram ſe examinarit: *Dic ſub qua arbore videris eos colloquentes ſibi*; certe conceptum ſuum modeſtiori phraſi exprimere nequaquam poterat; In Græco autem eſt *converſantes*, quod æquè honeſtum verbum eſt; Hanc autem utriuſque modi loquendi differentiam Lyranus indicat, dicens: *Curialiter loquitur, ſicut homo caſtus & verecundus; non ſicut ſenes impudici*; idque quia Spiritus Sanctus in virgineam ipſius animam infuſus erat: *Suſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris cujus nomen Daniel.* S. Patriarcha Jacob Ruben filio ſuo quem commiſerat inceſtum exprobrare volens, dum ab illo morituro una cum alijs fratribus ſuis benedicendus erat, hoc loquendi modo honeſtiſſimo uſus fuit: *Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui*; ubi Abulenſis inquit: *Rhetoricè loquitur colorando turpe factum.* S. Paulus Corinthios quoad obligationem mutuam quoad actum conjugalem edocturus, eumdem ſub titulo debiti expreſſit: *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro*; cumque eamdem inſtructionem repetere cogeretur, adeoque idem actus conjugalis iterata vice ab eo exprimendus eſſet, dixit: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum*; ubi Sanctus Hieronymus Apoſtolum ſapienter hunc actum nominare noluiſſe dicit, ob verecundiam; *Quod erubeſcit vocare ſuo nomine.* Hugo de S. Victore orationis Dominicæ ab ipſamet ſapientia incarnata compoſitæ petitionem ultimam, ſcilicet: *Sed libera nos à malo*, exponere volens, ait: *Hæc eſt ſeptima petitio, quæ contra vitium luxuriæ opponetur*: at verò cur malum hoc expreſſe non nominavit, ſed ſub generico nomine mali nominare voluit? nimirum quia nequaquam hujus orationis ſanctitatem, tam inhoneſto nomine profanare voluit, ſed potius ſubticere juxta illud: *Omnis autem fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* S. Matthæus Chriſti genealogiam texens, cum ad propaginem Salomonis exponendam perveniſſet, Bethſabeæ nomen non expreſſit, ſed tantum dixit: *David autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ*: idque ex eo ſolum capite fecit, quia Bethſabæa adultera fuerat; juxta illud Pſalmi: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Sara Abrahamum conjugem ſuum rogavit, ut Iſmaelem una cum matre ejus è domo ſua ejiceret, quam petitionem Deus ipſe adeò probavit, ut illius executionem quantocius faciendam eſſe præceperit, ſed audite quibus verbis id fecerit: *Ejice ancillam hanc & filium ejus*; nimirum quia Iſmael laſcivus erat juvenis, de quo proinde ſcriptura ſacra dicit: *cumque vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac*, ubi Vatablus legit: *Laſcivientem*, ac proinde non merebatur nominari.

*Gen. 4. v. 1.*
*Oleaſter ibid.*
*Gen. 19. v. 31*
*Gen. 39. v. 10*
*Dan. 13. v. 37.*
*Ibid. v. 38.*
*Ibid. v. 54.*
*Lyran. ibid.*
*Dan. 13. v. 45.*
*Gen. 49. v. 4.*
*Abul. ibid.*
*1. Cor. 7. v. 3.*
*S. Hieron. l. 1. cont. Jovin.*
*Hug. de S. Vict. l. 2. c. 14. Alleg. in Matth.*
*Epheſ. 5. v. 3.*
*Matt. 1. v. 6.*
*Pſ. 15. v. 4.*
*Geneſ. 21. v. 10.*
*Ibid. v. 9.*

Proſecutio.

3. Geneſ. cap. 16. ℣. 2. Sara ſterilis Abrahæ marito ſuo dixit: *Ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipias filios*; Ecce quanta cum modeſtia de actu thorali & duorum ſexuum commixtione locuta fuerit; unde Vatablus ibi notat dicens: *Rem turpem honeſte exprimit.* Eccleſiaſtici 26. Sapiens dicit: *Contra omnem ſagittam aperiet pharetram donec deficiat*; Quæ verba de actibus libidinoſis intelliguntur, ut Hugo Cardinalis obſervat, dum ait: *Author hic turpitudinem rerum verborum venuſtate palliat*; In hac enim tam lubrica materia enuncianda Spiritus Sanctus ſumma cum circumſpectione & cautela procedit, quia cum puritas niveum quemdam candorem præ ſe ferat, quodvis verbum, vel cogitatio inhoneſta, imò vel umbra illius ad eum denigrandum ſufficit.

*Gen. 16. v. 2.*
*Vatablus*
*Eccl. 26. v. 15.*
*Hug. Card. ibid.*

Hiſtoriæ ſacræ quædam erant prohibitæ.

4. Imò antiqui honeſtatis adeò fuerunt ſoliciti cuſtodes, ut ad caſtas aures ab omni impuro verbo præſervandas immunes, juvenibus etiam hiſtorias ſacras mulierum ſanctarum auſcultare interdixerint: *Quemadmodum enim corpori uſus libidinis, carniſque vicinitas, ita etiam menti memoria ejus eſt penitus ſubtrahenda*, inquit Caſſianus, *res enim pernitioſa eſt adhuc infirmis ægriſque pectoribus, vel tenuiſſimam recordationem hujus paſſionis admittere, ita ut nonnumquam eis ſub recordatione ſanctarum fæminarum, vel ſub ſacræ lectionis hiſtoria noxiæ titillationis ſtimulus excitetur, cujus cauſa ſeniores noſtri, hujuſcemodi lectiones ſub præſentia juniorum ſolent conſultiſſime præterire.* Similiter Sanct. Proſper, vel quisquis librorum *de vita contemplativa* author eſt lib. 3. cap. 6. apud antiquos decretum fuiſſe ſcribit, ne juvenes legerent librum Geneſeos, Prophetiam Ezechielis, Cantica Canticorum, & cætera talia, in quibus generationes, & actus, & nomina quarumdam ſcripta ſunt mulierum.

*Caſſian. Collat. 19. c. 16.*
*S. Proſper. l. 3. de vita cont. cap 6.*

5. Eccle-



Obſcæna verba animam vulnerant.

5. Eccleſiaſtes, qui, ut nemo neſcit, carnis peccato adeo immerſus fuit, ut concubinarum & reginarum ſuarum numerus ad millenarium fere aſcenderit, adeoque per amorem impurum eiſdem adhæſit, ut per inordinatum affectum quo hunc ſexum proſequebatur couſque ſeductus fuerit, ut ad placendum ipſis, relicto veri Dei cultu, idola eorum adoraverit, attamen vitæ ſuperioris pœnitentia ductus, officium prædicatoris exercere cœpit, & quidem inter alia ſalutaria documenta, hoc quoque nobis pro cuſtodia caſtitatis ſcriptum reliquit: *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam*; Cujus ſententiæ ſenſum Salonicus ſuper hunc textum ſcribens, ita declarat: *Quomodo dat homo os ſuum, ut peccare faciat carnem ſuam? quando loquitur verba libidinoſa, quibus caro incitatur ad peccandum.* Neſcio quidem an verum ſit, quod de canibus dicitur, quod ſcilicet vulnera ſua propria lingua frequenter lingendo, perfectè ſanent; ſi tamen hoc verum eſt, quænam ſtultitia vel odium ad hoc nos movet, ut noſmetipſos adeò pernitiosè perſequamur, ut per linguam noſtram, id eſt, per verba obſcœna ore noſtro prolata conſcientiæ noſtræ vulnera infligamus lethifera & pene incurabilia.

*Eccl. 5. v. 5.*
*Salon. ibid.*

6. S. Auguſtinus inquit: *Quod bonum eſt & honeſtum loqui ſtudeant, ne fortè turpia proferendo, de lingua ſua unde debuerant Deum laudare, inde ſibi vulnera videantur infligere.* At verò quod vel maximè deplorandum, eſt, quod vulnera per ejuſcemodi linguam inflicta ſint mortalia, nam ubi Vulgata habet: *Ante faciem ejus ibit mors*; Septuaginta legunt: *Ibit ſermo.* In Jeremia dicitur: *Aſcendit mors per feneſtras*; Et quidem hæ feneſtræ non ſolum ſunt oculi, ſed etiam verba quæ ab ore impudico proferuntur. Unde Sanct. Ambroſius ait: *Introivit mors per feneſtram, hoc eſt per Evæ oſtium; ingreditur mors per oſtium tuum, ſi falſum loquaris, ſi turpiter.*

*S. Aug. ſerm. 115. de temp.*
*Abacuc. 3. v. 5.*
*Jer. 9. v. 21.*
*S. Ambr. l. 2. de virg.*

7. B. Laurentius Juſtinianus honeſtatem nobis his verbis commendat: *Sit*, inquit, *raritas ſermonis cum honeſtate; alliga, ô homo, qui continentiam cuſtodire moliris, ſermonem tuum ne laſciviat, ne luxurietur, & in turpiloquio peccata ſibi colligat; cito lutum colligit animus ſuperfluitate verborum*; & paulò poſt inquit: *Ingreditur mors impudicitiæ per oſtium tuum, ſi turpiter loquaris.* Unde D. Chryſoſtomus ad hoc propoſitum ſcribit: *Non aberravit quiſpiam, ſi etiam eorum, qui obſcæna verba loquuntur, ora ſepulchra appellaverit*; Etenim ſicut è ſepulchris intolerabiles exhalantur fœtores, ita pariter in faucibus eorum, qui verba proferunt obſcæna, morbus fœtens eſt obſcænitatis; Et ſicut fumus oculis nocivus eſt, ita diſcurſus impudici damnum inferunt honeſtati: quam ſimilitudinem S. Ephrem adducit, cum ait: *Sicut oculis obeſt fumus, ita turpis ſermo nocet animæ*; Et nervoſius S. Ambroſius inquit: *Grave malum, ut aliquis ore ſuo condemnetur, etenim ſi pro otioſo verbo unuſquiſque rationem reddere debet, quanto magis pro verbo impuritatis & turpitudinis.*

*B. Laur. Juſtin. l. de ligno vitæ c. 5.*
*D. Chryſ. in Pſalm. 15.*
*S. Ephr. ad imit. pro.*
*S. Ambr. l. 1. de offic. c. 42.*

8. Quod ſi quis ex ore ſuo fætidum pus ejiceret, utique id nobis indicio foret, quod talis interius infectus eſſet, & conſequenter de morte ſibi vicina periclitaretur: at verò evomere per linguam verba obſcæna & laſciva, eſt evomere pus longe pernitioſius & fœtidius, quia ſignum eſt animæ lethaliter infirmantis, cujus mors longe eſt formidabilior quam corporis. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Præſtat ſaniem ex ore emittere quam verbum obſcænum; Expendamus eum, non dico qui turpia perpetrat, ſed qui turpia loquitur, conſideremus quam ſcilicet ridiculus ſit, quamque ſe primum contumelia afficiat, atque ut qui cœnum aliquod ex ore emittit, ſeſe ipſe contaminet.* Idemmet os aureum verba in principio pro themate ex S. Paulo ad Epheſios aſſumpta explicans, verba obſcæna non ſolum condemnat pro ea occaſione in qua de cuſtodia virginitatis aut continentiæ, & ad eam neceſſaria cautela agitur, verum etiam verba & diſcurſus facetos & ad urbanitatem prolatos, vult enim ut in verbis omne id tollatur è medio, quod periculo aliquo videtur eſſe obnoxium, quia in materia ad ignem concipiendum diſpoſita, quævis minima ſcintilla ad ingens excitandum incendium ſufficit, En ipſiſſima S. Doctoris verba, quibus *turpiloquium & facetiarum urbanitatem appellat fornicationis vehiculum.* Ratio verò quam aſſignat hæc eſt, quia verba laſciva loquendo, homini carnali via aperitur adimplendi effrænes appetitus ſuos, quia *ſermones vix ſunt rerum.*

*D. Chryſoſt. Hom. 6. in 2. ad Cor.*
*D. Chryſoſt. Hom. 17. ad Epheſ.*

Turpia verba ad turpes incitant actus.

9. Sanctus Bernardus in ſermone quodam *ſuper Cantica*, de quadam Chriſti ſponſa honeſtatis ſtudioſa diſſerens ait: *Quid ita turpiloquij, & omnis deinceps turpitudinis fugitans? ſoror continentiæ eſt*, quaſi diceret: Illa anima quæ pro viribus quodvis fugit & odit verbum obſcænum, ſoror eſt continentiæ & honeſtatis; Imò ipſemet Ariſtoteles quantumvis gentilis hanc nobis eamdem tradit doctrinam, dum inter alia ſua documenta hoc quoque nobis ſcripto reliquit: *Ex turpiter loquendi licentia ſequitur & turpiter facere.*

*S. Bern. ſer. 86. in Cant.*
*Ariſtot. l. 7. Polit. c. ult.*

Sunt velut Gangræna.

10. Sanctus Paulus ad Timotheum ſcribens dicit; quod unumquodque verbum malitioſum & profanum ſit veluti ſerpens quidam cancer: *Profana autem & vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit.* Cancer enim ſive Gangræna morbus eſt pernitioſiſſimus, quia paulatim & pedetentim carnem & corpus noſtrum rodendo eouſque ſerpit, ut tandem ad partes uſque vitales penetret; iiſque mortem adſciſcat: pari quoque modo diſcurſus & verba inhoneſta, verecundiam & pudorem inſenſibiliter extinguunt, qui alias continentiæ eſt frænum; bona item deſtruunt propoſita, adeò ut quæ anima paulò ante ſe puram & immaculatam conſervare firmiter ſtatuerat, poſtea omnem ſpernat cuſtodiam atque cautelam, impudenſque & effrons evadat, adeoque devicta Dæmoni in prædam cedat.

*2. Tim. 2. v. 16.*
*Ibid. v. 17.*

Movent ad actum turpem.

11. Quamobrem advertendum eſt, quod poſtquam idem S. Apoſtolus ad Coloſſenſes primo in hæc verba ſcripſiſſet: *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam*, paulò poſtmodum hoc faciendi docere velle videatur, dum ſubjungit: *Nunc autem deponite ... turpem ſermonem de ore veſtro*, quaſi dicere vellet: Hoc faciendo omnem fornicationi aditum præcludetis, ut plurimum enim per verba obſcæna tentari ſolet aditus ad objectum, quod malo fine deſideratur.

*Col. 3. v. 5.*
*Ibid. v. 8.*

Ex verbis cor judicatur.

12. In Eſdra Hebræos quoſdam mulieres extraneas, præter legem in uxores duxiſſe legimus: *In diebus illis*, inquit ſacer textus, *vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, Et filij eorum ex media parte loquebantur Azotice, & neſciebant loqui Judaicè, & loquebantur juxta linguam populi, & populi, Et objurgavi eos & maledixi, & cecidi ex eis viros & decalvavi eos, & adjuravi in Deo.* Ecce tibi abuſum, qui pariter cum ſcandalo publico etiamnum inter Chriſtianos viget, ex quorum ore quovis tempore, & in omni loco verba & diſcurſus audiuntur obſcæni: *Loquuntur Azoticè*, & ſermo eorum qualis interni eorum affectus & deſideria ſint haud obſcure ſubindicat, quia *ex abundantia cordis os loquitur.*

*2. Eſdræ 13. v. 23.*
*Ibid. v. 24.*
*Ibid. v. 25.*

De his gravis reddenda ratio.

13. Enim verò ſermo obſcænus homine Chriſtiano prorſus indignus eſt, utpote qui Dei maledictiones ſuper eumdem inducit: *Bonus homo*, inquit Salvator noſter, *De bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala*; & immediate ſubjungit: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij, Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Porrò verba non otioſa, ſed obſcæna, ut plurimum cum ſcandalo proferuntur auſcultantium, & fine perverſo, quem loquens per illa intendit, quanto igitur hæc magis obſcæne loquentem ante tribunal illius Judicis ut ſumme reum condemnabunt, qui *Candor eſt lucis æternæ & ſpeculum ſine macula.*

*Matth. 12. v. 35.*
*Ibid. v. 36.*
*Ibid. v. 37.*
*Sap. 7. 26.*

Verecundiâ depoſita caſtitas proſternitur.

14. Symmachus in Epiſtola quadam dicit: *Scio virtuti cognatum pudorem, qui in factis fruſtra quæritur, ſi exulet in verbis*; pudore enim & verecundia depoſita, pudicitia quoque facile proſternitur; ac inde ſermonis laſcivi & obſcæni fructus hic eſt, quod per illum manifeſtè indicetur, quod penes illum qui talia colloquia miſcet, verecundia exulet, & conſequenter omnis virtutis expers exiſtat. Optimè igitur S. Bernardus monet dicens: *In noſtræ religionis propoſito nullum verbum incutiat verecundiam quod inhoneſte cadat, & non ſolum nihil ipſi indecorum loqui, ſed nec aurem quidem debemus hujuſmodi præbere dictis, quia quem delectat audire alterum loqui provocat, audire quoque quod turpe ſit, pudori maximo eſt.* Unde poſtquam aliquis eouſque pervenit, ut ſine rubore inhoneſte loquatur & audiatur libenter, manifeſtum hoc eſt indicium, quod laxatis

*Symmach. l. 1. Ep. 10. Troc.*
*S. Bern. l. de ordine vitæ.*

fræ-

frænis uterque infelici curſu ad carnis properet præcipitium.

*B. Laur. Juſtin. l. 1. de ſpirit. animæ interitu.*

15. B. Laurentius Juſtinianus in libro *de morte ſpirituali animæ* inquit: *Vitium hoc adeò eſt deteſtabile, ut nedum illud perpetrare, verum etiam de ipſo particulariter loqui verecundum ſit atque deforme. Quis non erubeſcat propalare obſcænas contrectationes, colloquia impudiciſſima inſatiabilem voluptatem, & cætera delicta luxuriæ, per quæ polluitur tellus, elementa contremiſcunt, denigrantur ſydera, cælum clamoribus repletur, & in ipſa humana ſpecie ſubvertitur quidquid decoris eſt, quidquid honeſtatis, quidquid rationis, quidquid meriti, quidquid religionis inſervit gratia, acquiſivitque virtus.*

Verba obſcæna ſputa Diaboli.

16. Memini me Authorem quemdam legiſſe, cujus nomen mihi non occurrit, qui de hac impudici & obſcæni ſermonis & converſationis peſte tractans, myſticum quoddam & ingenioſum eidem epithetum attribuit; vocat enim diſcurſus obſcænos *ſputa Diaboli*, id eſt fæces, ſalivas, mucores, & excrementa quæ ex ore evomuntur Diaboli; Atque hinc eſt quod Sanctus Auguſtinus ut nobis adverſus hoc contagium præſervativum quoddam ſubminiſtret antidotum, dicat: *Videte fratres chariſſimi, ſi juſtum eſt, ut ex ore Chriſtianorum, ubi corpus Chriſti ingreditur, luxurioſum canticum, quaſi venenum Diaboli proferatur*; Et quidem quod in hac ſententia Sanctus Auguſtinus de laſcivis cantilenis dicit, de obſcænis quoque ſermonibus dicere merito poſſumus.

*S. Aug. ſer. 215. de temp.*

*S. Ephr. de ling. malo.*

17. Sanctus Ephrem ad præſens propoſitum hanc habet obſervationem, dicit enim: *Cur Apoſtoli Dæmonem, à quo laudabantur, audire renuerunt, nonne ideò, ne caſtæ eorum aures impuris vocibus contaminarentur*; at verò objiciat forte aliquis dicendo: Si verba Dæmonis, verba laudis erant, qua ratione Apoſtolorum aures lædere poterant; ſed objectio iſta nihil obſtat, conſtat enim, quod ſordeat quælibet laus in ore ſordenti; ac proinde ad obſcæna verba aſſuetos etiam tunc declinare debemus, cum modeſte loquuntur, ſemper enim quoad illos metuendum, ne pro inolita ipſorum & prava conſuetudine verbum aliquod ex ore eorum elabatur minus honeſtum. Unde S. Ambroſius ait: *Joſeph ne incongrua ſuæ audiret verecundiæ, veſte fugit relicta, quoniam quem delectat audire, alium loqui provocat.*

Hujuſmodi loquentes declinare debemus.

*S. Ambr. l. 1. de offic. c. 18.*

18. Denique ad linguam ab obſcæno ſermone refrenandam aliud quoque ſupereſt motivum, quod ex eadem ad Epheſios ſcripta Epiſtola cap. 4. eruere licet: ubi poſtquam dixiſſet Apoſtolus: *Nolite locum dare Diabolo*, primò dicit abſtinendum eſſe à furto, utpote quod Dæmoni aditum pandit, demum verò de lingua loquitur lubrica & obſcæna, dicens: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat*; ac demum quod ad præſens propoſitum potiſſimum ſpectat, ſubdit: *Et nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei in quo ſignati eſtis in diem Redemptionis.* Spiritus enim ſanctus, qui zelantiſſimus eſt pudicitiæ & continentiæ amator (quem proinde hac oratione invocare ſolemus: *Ure igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus*) hic inquam ſi triſtitiæ alicujus capax eſſet, ob verba obſcæna, quæ ab ore ejus, qui in Sacroſancto Baptiſmatis lavacro ſanctificatus fuit, egrediuntur, utique contriſtaretur, & offenderetur; ac proinde optime nos monet D. Chryſoſtomus, dum ait: *Os habet ſpiritale obſignatum Spiritu Sancto, cogita quæ ſit oris tui dignitas, cogita qua menſa ſignatum ſit os tuum, quæ contingat, quæ deguſtet.* Quanta obſecro cum ſeveritate caſtigari mereretur, qui auguſtiſſimum altaris ſacramentum in vas aliquod ſordidum, immundum, & profanum collocare præſumeret, & tamen minimè conſideramus, quod filium Dei toties in lingua eadem recipimus, quacum eumdem tot verbis impudicis & inhoneſtis profanavimus: *Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua reſpondebunt tibi*; *Judicium ſibi manducat & bibit.* Numquid ſcimus, quod *nil coinquinatum intrabit in regnum cælorum.*

*Epheſ. 4. v. 27*

*Ibid. v. 29.*

*Ibid. v. 30.*

*D. Chryſ. Hom. 14. ad Epheſ.*

*Job 15. v. 6.*
*1. Cor. 11. 29*
*juxta Apoc. 21. v. 27.*

*Matth. 10. v. 19.*
*Ibid. v. 20.*
*S. Bonav ſer. 15. de Penth.*

19. S. Bonaventura in expoſitione verborum illorum Chriſti dicentis: *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*; *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*, hanc ex illis verbis deducit conſequentiam: *Quoties ergo utilia & ædificatoria loquimur, ſpiritus Patris cæleſtis eſt in nobis, in ijs autem qui ſcurrilia ac carnalia verba loquuntur, Pater infernalis ſpiritus loquitur.*

## DISCURSUS XX.

## ARGUMENTUM.

De periculis oculi vagi & curioſi, qui carnalem in nobis concupiſcentiam accendit; ubi etiam quanto cum periculo conjunctum ſit videri à mulieribus, aut illas curioſius intueri.

### THEMA.

*Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mæchaberis; Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Matth. 5. ℣. 27. & 28.

Oculorum cuſtodia ad caſtitatem neceſſaria.

1. SAlvator noſter viam quæ ad profundum carnalitatis barathrum perducit, præſcindere, fidelibusque in lege gratiæ viventibus pro conſervatione caſtitatis ſalutare præſcribere volens præſervativum, iiſdem oculorum cuſtodiam ſingularem prorſus neceſſariam indixit, ſiquidem *oculi ſunt in amore duces*, & viſus oculorum incautus unica radix eſt, unde concupiſcentia carnalis in nos derivatur: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem, &c.* D. Chryſoſtomus ſuper hunc textum ita ſcribit: *Qui enim ſtudet elegantes facies inſpicere, ipſe præcipue fornacem ſibi iſtius paſſionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit; propterea non dixit: qui concupivit ad adulterandum, ſed qui viderit ad concupiſcendum.* Difficile enim eſt, ut quis objectum illud non deſideret, aut ſibi in eo non complaceat, quod libenter & cum deſiderio videt. Unde ubi Vulgata noſtra in Proverbijs habet: *Non concupiſcat pulchritudinem ejus cor tuum*, Septuaginta legunt: *Non te vincat forma concupiſcentiæ.*

*D. Chryſoſt. Hom. 17. in Matth.*

*Prov. 6. v. 25*

*S. Hier. in c. 23. Ezech.*

2. Sanctus Hieronymus oculos laqueos & retia appellat; qui autem retibus irretitur, non voluntate propria ab eis capitur, ſed quia cum exigua circumſpectione, & nimia cum ſecuritate ambulando procedit; id quod multis accidit, qui per viſum oculorum periclitari non timent, ideoque laqueo faciliter nimis comprehenduntur; ac proinde idem ſanctus Doctor monet dicens: *Non te decipiat pulchritudinis deſiderium, ne capiaris oculis tuis.* D. Chryſoſtomus quoque hanc eamdem cautelam his verbis inculcat; *Ne cognoſcas pulchritudinem alienam, ne ſtudio animadvertas, ne curioſe intuearis, ne vitioſæ contemplationi immoreris, quæ ab animo corrupto & concupiſcentia proficiſcitur.* Difficile quidem eſt viſum in primis motibus coërcere, at verò quod præcipuè damnatur & reprehenditur eſt ex induſtria & data opera oculis circuire per varias mulierum ſpecies vagando. Quando aſpectus fit per modum tranſeuntis & non permanentis, minus eſt periculoſum, ſemper tamen opus eſt conari, ne ſpecies illæ nobis imprimantur: *Proinde* (monet D. Chryſoſtomus) *ne ſpectes temporaneam illam quæ ex aſpectu proficiſcitur, voluptatem, nam illa inflicto vulnere plerumque celeriter avolat, at vulnus non avolat, ſed plerumque manet & interficit*; adhibetque illam cervi à ſagitta vulnerati ſimilitudinem, qui tametſi fugiat, & à venatore procul recedat, ſagittam tamen aut vulnus inflictum ſecum deferens effundit ſanguinem, & extinctus occumbit: *Sic & anima etſi concepto concupiſcentiæ jaculo permittatur abire, tamen ipſa per ſe corrumpitur, ubique videns hoſtem.*

Sunt enim velut rete.

*D. Chryſoſt. Hom. 3. de verb. Iſaiæ.*

Expertus eſt David.

3. David quidem ſuum amaris lachrymis deploraverat adulterium, ſuam quoque adultera peregerat pœnitentiam auſteram, & tamen continuo lamentabatur dicens: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: Peccatum meum contra me eſt ſemper*; ſcilicet incauti aſpectus ſpecies & phantaſmata: *Viditque mulierem lavantem ſe*; hæc enim ſpecies adeò tenaciter memoriæ & imaginationi ejus impreſſa hærebat, ut continuum ei bellum moveret diu noctuque. S. Gregorius oculi effrænis & nimium curioſi violentiam optimè demonſtrat, utpote qui hominem nonnumquam etiam contra voluntatem ſuam inducit ad peccatum: *Reſtringere*, inquit, *voluptatum fluxum deliberat, & reſultare conſuetudini, quaſi totis ſe viribus parat ſed vel objecta oculis ſpecie, vel ad memoriam reducta, cum ſubjecta tentatione concutitur protinus à priſtina præparatione diſſipatur.* David nullam umquam habuit præcedentem pulchritudinis aut ſpecioſitatis Bethſabeæ notitiam,

*Pſ. 37. v. 8.*
*Pſ. 50. v. 5.*
*2. Reg. 11. v. 2.*

*S. Greg. l. 7. Mor. c. 12.*



tiam, nec umquam voluptatibus & delectationibus carnis cum ea vacare cogitarat, ſed caſualiter oculis ſuis extra feneſtram circumvagando, *vidit mulierem &c.* vel ut D. Chryſoſtomus ait: *aperuit in vano oculos, & ſuſcepit ſagittæ telum. David læſus eſt talis ac tantus, & tu te putas non poſſe lædi?* At verò, videtur dicere velle D. Chryſoſtomus, ſcitiſne quid ultima hujus ſententiæ verba dicere velint? hoc nimirum: ſi vir ille adeò in virtutibus habituatus, adeò divinæ legis ſtudioſus obſervator, tot retro annis continentiſſimus, per unicum oculorum ſuorum obtutum tantopere periclitatus eſt, qua ratione tu de viribus tuis tibi fidere poteris? Optime S. Ephrem dicit: *In oculo vago atque diſtracto adulterium conſiſtit, quod & Dominus teſtificabatur dicens: Amen dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo; hanc fornicationem eradicat, atque evellit, qui oculos deorſum deprimit.*

*2. Reg. 11. 2.*
*D. Chryſoſt. in Pſal. 50.*

*S. Ephr. Paran. 37.*

Obſervatio.

4. Variæ à ſacris Doctoribus cautelæ & circumſpectionis modi præſcribuntur, ſpecialiter à virginibus obſervandi, in eo quod eſt videre alios, & ab alijs videri, quia non minus in primo, quam in ſecundo caſu ſubeſt periculum. S. Baſilius in lib. *de vera virginitate* ita ſcribit: *Eadem illi aſpectus quoque ratio habenda eſt, ut videlicet non ſit ejus mollis obtutus, ne intuentibus voluptatis contra ſe emittat indicia, neque emiſſum forinſecus oculi jactum ſe patiatur attingere, ne hoc veluti ignito jaculo in corde percuſſa ad voluptatis inflammetur imagines; eris enim quaſi cervus jaculo percuſſus in jecore. Cæterum concurrentem aſpectui ſuo alienum obtutum oportet ab animæ arcere liminibus, intuitumque ſuum pudicitiæ indicem exhiberi cernentibus.*

*S. Baſil. de vera Virg.*

Ne relapſus præbeatur cauſa.

5. Caſtiſſima Suſanna, quæ innocens erat, exporrectam utique frontem poſt ſui accuſationem, in conſpectu totius populi exhibere ſeque defendere & videndam præbere potuiſſet, facile quoque illi fuiſſet ut impoſturæ ſuæ falſitatem luce clarius oſtenderet, & tamen tacuit, nam uti Sanct. Ambroſius ait: *Accuſabatur & tacebat; ducebatur ad mortem, & ſilentio ſe regebat, ne nudaret pudorem*, at verò inquies ex quo de propria vita, de honore, de pudicitia ſua defendenda agebatur, cur ſe non defendit? Nimirum quia judices illi coram quibus aſtabat, pulchritudine ejus capti, illius inſano amore æſtuabant, ideo metuebat ne forte loquendo, videndo alios, atque ab alijs ſe videri permittendo, alterius cujuſpiam pudicitiam periclitari faceret; maluit igitur ſalutem ſpiritualem, honori & vitæ propriæ præferre; nam ut Tertullianus de Virgine quadam ſcribit: *Omnis publicatio Virginis bonæ ſtupri paſſio eſt, denudaſti puellam à capite, & tota jam ſibi virgo non eſt, alia eſt.* Etenim licet mulier nihil in anima de virginitate ſua perdat videndo, multum tamen perdere poteſt permittendo ab alijs ſe videri, ſi enim placeat, jam deſideratur, & inſidias patitur. De eadem Suſanna ſacer textus dicit: *Erat enim cooperta.* Sed quare coram Judicibus cooperta conſiſtit? videor mihi audire Suſannam hunc fere in modum reſpondentem: ſi duo illi ſeniores me aſpiciendo ſine ulla culpa mea paſſi ſunt naufragium, nolo tamen ut mea culpa ad eumdem quoque ſcopulum alij allidant. Illuſtriſſ. Marchio Virgilius Maluezzi in Romulo ſuo occaſione Sabinarum puellarum, quæ quod ad feſta & ludos ſpectandos Romam acceſſerant, à Romanis raptæ fuerunt, de hoc fœminarum ſexu ita ſcribit: Tametſi mulieres pudicæ deſiderando nihil amittant, eo quo neminem concupiſcant, multum tamen amittunt, dum cauſam præbent ut ab alijs deſiderentur ac proinde ſi converſationem illius fugitis, qui vos deſiderat infelices cur eorum quæritis converſationem aut aſpectum, qui vos impudicas eſſe aut fieri deſiderat? Honeſtas & pudicitia delicatus quidam color eſt, qui aërem non patitur; Eſt cryſtallus lucidiſſimus, qui eorum qui mente à laſcivia agitata laborant, impuro offuſcatur obtutu.

*S. Ambr. ſerm. 39.*

*Tertull. de velan. virg. c. 3.*

*Dan. 13. v. 32.*

Marchio Virgilius Maluezzi in Romulo.

Documenta pro caſtitate.
*S. Ambr. T. 4. l. 1. de offic. c. 18.*

6. S. Ambroſius in alio quodam loco de Suſanna tractans, ad idem propoſitum ſic ait: *Tacebat in periculis Suſanna & gravius verecundiæ quam vitæ damnum eſſe putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam ſalutem; Deo ſoli loquebatur, cui poterat caſta verecundia eloqui, refugiebat ora intueri virorum, eſt enim & in oculis verecundia, & nec videre viros fæmina, nec videri velit.* Tertullianus periculum cui virgo ſe videndam exhibens ſe exponit conſiderans inquit: *Quantum velis bona mente conetur, neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonſtrantium titillatur.* S. Ambroſius pariter in hanc curioſitatis condemnationem conſentit, dum ait: *Nec pudor ille eſt, qui intemperantium oculorum quotidiano expoſitus convitio flagitioſis aſpectibus verberatur.* S. Hieronymus ad Euſtochium virginem ſcribens, nullum oculorum obtutum ſecurum eſſe inquit: *Nullus*, inquit, *tutus aſpectus.* Clemens Alexandrinus in ſuo Pædagogo dicit: *Dum laſciviunt oculi, coaleſcunt appetitiones.* At mirabilius in eodem libro quo ſupra *de velandis virginibus* loquitur Tertullianus, dicens: *Tales oculi volent virginem viſam, quales habet virgo dum videri volet, invicem ſe eadem oculorum genera deſiderant, ejuſdem libidinis eſt videri & videre.* S. Ambroſius qui inter omnes alios Eccleſiæ Doctores, ut Baronius obſervat, optimus fuit virginum Magiſter & director, & pro caſtitate & virginitate acquirenda & conſervanda multa egregia documenta & doctrinas utiliſſimas poſt ſe ſcriptas reliquit, ait: *Nec videre viros fæmina, nec videri velit.*

*Tertull. l. de veland. virg. c. 14.*

*S. Ambr. l. 1. de virg.*

*S. Hieron. ad Euſt.*

*Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 11.*

*Tertull. de veland. virg. c. 2.*

*S. Ambr. l. 1. de offic. c. 18.*

7. Idem Tertullianus virgines illas, quæ amant videri, virgines hominum appellat; virgines Dei autem vocat illas, quæ ab aliorum oculis ſeſe abſcondunt, alludens enim ad illum Geneſeos textum, ubi dicitur. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ*, dicit: *Ambiunt virgines hominum adverſus virgines Dei nuda plane fronte in temerariam audaciam excitatæ*; Ubi impudentes, effrontes & temerarias dicit eſſe virgines illas, quæ videri ab alijs deſiderant; paulo poſt vero ad mercatus ſive nundinas alludens, in quibus merces ad meliorem earumdem diſtractionem publice exponuntur, capita earum vocat *Capita nundinatitia.*

*Gen. 6. v. 2.*
*Tertull. ibid. c. 3.*

8. Clemens Alexandrinus in ſuo Pædagogo, quantam utilitatem cautela & circumſpectio in hoc puncto adferat, his verbis demonſtrat: *Ipſa*, inquit, *numquam labetur, ſi & verecundiam & veſtes ante oculos poſuerit, nec ad peccati lapſum provocarit alium, denudans vultum ſuum.* Tertullianus, ut malis innumeris quæ ex hujus tam lubrici & illecebroſi ſexus curioſo aſpectu derivantur, viam omnem occluderet, data opera librum *de velandis virginibus*, compoſuit, in quo inter cætera ait: *Oro te, ſive mater, ſoror, ſive filia virgo, ſecundùm annorum nomina dixerim, vela caput, ſi mater propter filios; ſi ſoror, propter fratres; ſi filia, propter patres; omnes in te ætates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.*

*Clem. Alex. l. 3. pædag. c. 11.*

*Tertull. de veland. virg. c. 16.*

9. Nazianzenus virginem quamdam hortatur, ut ſit velut cadaver aliquod mortuum, imo non tantum mortuum, ſed & ſepultum: *Mortua ſis cunctis alijs velutique ſepulta*; At vero numquid ſufficiebat huic ſancto Doctori dixiſſe, ut talis virgo ſit veluti mortua, cur igitur addit *velutique ſepulta?* Etenim cadaver omne inſenſibile eſt, non loquitur, non audit, non videt, caret omni motu, omnis eſt reſpirationis & caloris expers, quid igitur in eo latet myſterij, quod virginem non ſolum velut mortuam, ſed & tamquam ſi ſepulta ſit, eſſe velit? obſervetis velim, in quonam hujus conceptus vivacitas & energia conſiſtat; Etenim differentia quæ eſt inter corpus mortuum & ſepultum in eo conſiſtit, quod quoaduſque tumbæ incluſum & ſubtus terram collocatum non eſt, tametſi oculos aperire aut loqui non poſſit, ab alijs tamen videri & pro libitu conſpici valeat, non vero item quando ſub terra inhumatum eſt; ac proinde ecce tibi cautelam, quam ſanctus ab hoc ſexu obſervari deſiderat; Neque enim illi ſufficit, quod virgo aliqua inſtar cadaveris mortui ſit ſine ulla ſenſuum exteriorum operatione, verum inſuper ab eadem requirit, ut tali ſit dedita ſolitudini, ut à nullo viro videri poſſit. *Sed enim*, inquit Tertullianus, *vera, & tota & pura virginitas nihil magis timet, quam ſemetipſam.* Tertullianus *etiam fæminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet, confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat adverſus ictus tentationum, adverſus jacula ſcandalorum, adverſus ſuſpiciones & ſuſurros, & æmulationem ipſum quoque livorem.*

*Nazianz. ad virg.*
Caſtus ſit quaſi ſepultus.

*Tertull. ibid. c. 15.*

Caſtitas aſſimilatur ſpeculo.

10. Porro puritas caſtitatis ſpeculo ſimilis exiſtit, quod per unicum dumtaxat halitum offuſcatur: *Culpa omni caſtitati officit, eſt enim caſtitas ceu mundum quoddam ſpeculum, quod tamen anhelitu obſcuratur*, ut inquit Ægidius. De S. Thecla legitur quod leones, in quorum

*Ægid. de mundi contemp.*

quorum medium conjecta fuerat, non ſolum ſe erga ipſam obſequioſos & venerabundos exhibuerint, verum etiam ipſam intueri minime præſumpſerint. Unde S. Ambr. de illa ita ſcribit : *Quo munere*, ſcilicet virginitatis, *venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, ut ad pedes prædæ ſuæ ſtratæ, impaſtæ beſtiæ ſacro deferrent jejunio, nec procaci oculo virginem nec ungue violarent aſperos quoniam & ipſo aſpectu virginitatis violatur ſanctitas*; Qui idem Ambroſius alibi, ſcilicet *in exhortatione ad virgines* oculos virorum virginem curioſe aſpicientes appellat *irreverentis hominis oculos*. Tertullianus de Arabiæ virginibus idololatris & infidelibus refert illas velo obnuptas eſſe, ne ab alijs videri poſſint : *Judicabunt nos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput tantum, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo librato, contentæ ſint dimidia frui luce potius, quam totam faciem proſtituere*; ubi notandum eſt proprium hujus verbi, *proſtituere*, ſignificatum, quaſi hic ſexus eo ipſo quo ab aliorum oculis inſpicitur & ſpectatur in proſtibulo, vel in nundinarum foro cenſeatur expoſitus. Unde S. Bernardus Dinæ curioſitatem cum ſancta quadam indignatione his verbis perſtringit : *O Dina*, inquit, *quid neceſſè eſt videre mulieres alienigenas? qua neceſſitate, qua utilitate? an ſola curioſitate? Etſi tu otioſè vides, ſed non otioſè videris, incurioſè ſpectas? ſed curioſius ſpectaris; Quis crederet tunc illam tuam otioſam curioſitatem, vel curioſam otioſitatem, fore poſt ſic non otioſam, ſed tibi, tuis, hoſtibusque tam pernicioſam.*

S. Ambr. l. 3. Ep. 25.
S. Ambr. in exhort. ad virg.
Tertull. de veland. virg. c. 17.
S. Bern. de gradibus humil.

11. S. Baſilius adeo in hac materia zeloſus fuit, ut virgines exhortetur ad claudendum oculos omnibus quæ in hac vita oculis corporeis cerni poſſunt, illosque ad ſola bona immortalia contemplanda aperiendos : Nam in libro *de vera virginitate*, ita ſcribit : *Deſpiciat ergo prudens Virgo quidquid oculis carnis aſpicitur, quantum libet id apud pleroſque præclarum eſſè judicetur, imo ne in initio quidem dignetur aſpicere, ſed exceſſu quodam divino, qualem ille paſſus eſt, qui in extaſi dixit : Omnis homo mendax, à ſenſibus atque conſervis excedens, nudo & expedito animo amoris ſui beatiſſima ſatietate fruatur.*

S. Baſil. de vera virg.

B. V. adventu Gabrielis mota.

12. Porro tametſi beatiſſima Virgo Maria continuis Angelorum, & præcipue Gabrielis Archangeli cuſtodis ſui viſitationibus aſſuefacta fuiſſet, attamen illo in Annuntiatione ſua coram ipſa apparente, eamque alloquente *turbata fuit*, & metu vehementi perculſa; utique illum ex voce quidem, quiſnam eſſet, agnovit, verum quia in illa legatione ſpeciem ſibi humanam aſſumpſerat, juſtum & rationabile ſibi habere videbatur turbationis motivum, eo quod vultum humanum virilem licet ab Angelo aſſumptum videre debebat. Unde S. Ambroſius ait : *Denique ut Gabriel eam, ubi reviſere ſolebat, invenit, & Angelum Maria quaſi viri ſpecie mota, trepida, quaſi non incognitum, audito nomine recognovit, ita peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo, ut agnoſcat aures Religioſas, oculos verecundos.*

S. Ambr. l. 2. de virg.

13. Sed quærat fortaſſe non nemo, qua igitur ratione me continere debeo ſi neceſſitas vel urbanitas virginis converſatione frui poſtulaverit : Cui interrogationi S. Iſidorus *ad Palladium Epiſcopum* ſcribens reſpondet : *Mulierum*, inquit, *congreſſus, quantum fieri poteſt fuge; quod ſi etiam, ut cum ipſis congrediaris neceſſitas aliqua te obſtringat, oculos humi dejectos habe, atque ipſas quoque quonam pacto ſpectandum ſit doce; non enim dumtaxat docendum eſt, quonam modo cernere oporteat, ſed etiam, ut oportet, cernere, cumque pauca quæ ipſarum animos adſtringere, atque illuſtrare queant locutus fueris, ſtatim avola, ne forte diuturna conſuetudo, vires tuas emolliat & infringat.* De hac oculorum cuſtodia, nec non de malis quæ ab effræni & curioſo oculo derivantur fuſe ſuo loco ſub littera O per multos diſcurſus tractabitur.

S. Iſid. Peluſ. l. 2. Ep. 184.

## DISCURSUS XXI.

## ARGUMENTUM.

Ad caſtitatem conſervandam ſolitudo plurimum conducit, cui vel maxime ſexus fæmineus deditus eſſe debet.

### THEMA.

*Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus.*
Cant. c. 4. ℣. 12.

Solitudo neceſſaria pro caſtitate.

1. Sponſus cæleſtis ſponſam ſuam, id eſt, animam puram & immaculatam non ſemel, ſed iteratis vicibus Hortum & hortum quidem concluſum appellavit, ut ex hoc nomine intelligeremus; quanta cum ſolicitudine, pro firma caſtitatis cuſtodia, ſolitudini vacandum ſit animabus caſtis. In cujus confirmationem S. Bonaventura inquit : *Caſtitas debet habere clauſuram ſtudioſam, nam dicitur : Hortus concluſus ſoror mea ſponſa*, ſimulque idem Seraphicus Doctor obſervat quod ſicut in hortum concluſum nemo poteſt ingredi niſi ab alto : *Sic in homine caſto, qui habet clauſuram continentis, nullum deſiderium debet intrare, niſi cæleſte tantum.*

2. Exactiſſimus quidam terræ ſanctæ deſcriptor, de horto illo de quo Salomon loquitur, tractans, ita ſcribit : *Hortus erat in ſuburbanis Hieruſalem muris undique ſeptus & obfirmatus, atque ſicut Paradiſus arborum, fruticum, herbarum, aromatum, florum, fructuumque ubertate amœnus* : Eodem modo quotieſcumque ſponſam aliquam Chriſti puritatis ſtudio deditam, quæ ſolitaria & ab hominibus recluſa degit, cujusque omnes conatus eo ſolum tendunt, ut Divino ſuo amatori placere poſſit, aſpicietis, illam utique delicioſum quemdam hortum omnibus fœcundam virtutibus, omnigeniſque donis & gratijs abundantem eſſe deprehendetis; Ejuſmodi enim animæ, multis è cælo decorantur viſionibus, raptibus, extaſibus, revelationibus & apparitionibus : multiſque locupletantur Spiritus Sancti donis & gratijs; Neque enim Deus fruſtra dicit : *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*. De hoc horto S. Gregorius dicit : *Hortus quidem, quia eximiæ virtute caſtitatis floridus : concluſus autem, quia per continentiam munitus.*

Andrichom. pag. 110. n. 189.
Oſ. 2. v. 14.
S. Greg. in lib. 3. Reg. c. 4.

Præcipue mulieribus.

3. Obſervetis velim, quanam phraſi ſeu modo loquendi myſticus ille Moyſis calamus utatur, quando de muliere è coſta viri formata diſſerit : *Ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Qua enim ratione verbum illud, *ædificare*, mulieri adaptari poterit. Sed notandum, quod ly, *ædificare*, vocabulum quoddam ſit, quo domus extructio exprimitur, quam mulier incolit ad habitandum, ad ſequeſtrandum ſe ab alijs ad domus ſuæ familiam non pertinentibus, ad recludendum ſe inter ejuſdem ædificatæ domus ſuæ muros; ut exinde mulier diſcat, quod tametſi ipſa in viri formata ſit auxilium, ita tamen ut auxilium iſtud domi ſuæ præſtet, & ſolitudinem diligat. Unde S. Ambroſius ait : *Bene ædificavit, dixit, ubi de mulieris creatione loquebatur; ſicut enim vir publicis officijs, ita mulier domeſticis miniſterijs habilior exiſtimatur.*

Geneſ. 2. v. 22.
S. Ambr. l. de Patr. c. 11.

4. In authore quodam legiſſe me memini; decens eſſe ut mulier non niſi trina vice per totum vitæ ſuæ decurſum extra domum ſuam videre ſe ſinat, videlicet primo quando ad ſacroſanctum Baptiſmi lavacrum defertur ad Eccleſiam; Secundo quando ſe ad nubendum ſponſo ſuo in Eccleſia ſe ſiſtit. Tertio denique quando effertur ad ſepulchrum. Etenim quænam ruinæ totius generis humani cauſa fuit? certe nulla alia quam curioſitas Evæ quæ per Paradiſum hinc inde oberrando, colloquium miſcere cœpit cum ſerpente, hoc autem animal non intra Paradiſi diſtrictum, ſed foris morabatur. Unde S. Cypriani monitum eſt ad virgines directum, in quo dicit : *Dum liberius evagari virgines volunt, eſſè virgines deſierunt, furtivo dedecore corruptæ*; Ante quem Tertullianus jam dudum dixerat : *Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt*; Eva quidem in ſtatu virgineo à Deo creata fuit, at vero quando vagabunda hinc inde circuire voluit, ſibi ipſi, pariter & Adæ, & univerſo generi humano facta eſt inſtrumentum præcipitij; ut proinde S. Ambroſius dicere non dubitet : *Potuerat Adam inter illas Paradiſi inconcuſſus ſtare delicias, ſi Eva ibi cum illecebris Diabolicis non fuiſſet*; Moxque quam utilis & proficua ſolitudo ſit ſubjungit dicens : *Conveniens ergo eſt deſertum ſaluti, ubi non eſt Eva quæ prævalet, non eſt mulier quæ blanditur.*

S. Cypr. de hab. virg.
Tertull. de veland. virg. c. 3.
S. Ambroſ. ſer. 39. Fer. 2 poſt Dom. 2. Quadrag.

Proſecutio.

5. Et quidem tametſi hoc univerſaliter de utroque ſexu verum ſit, attamen mulieribus ſpecialiſſime convenit ſolitudinem incolere, ſeque ab oculis & converſatione aliorum ſolicite ſequeſtrare. S. Gregorius Nazianzenus plurimum laudat S. Juſtinam virginem, à S. Cypriano priuſquam ad Chriſtianæ Religionis perveniſſet notitiam vehementer tentatam & ſolicitatam; inter alia verò de ipſa dicit : *quod erat honeſtis moribus prædita*; Et addit: *Virgo hæc forma erat perquam liberali & egregia, ſyncera Chriſti ſponſa*; at verò undenam Nazianzenus Juſtinam ſynceram & incorruptam virginis filij ſponſam fuiſſe arguere poterat? ex eo nimirum quod ſequitur : *Erat ejus pulchritudo recondita, erat enim viva ſtatua, fænum inacceſſum, hortus concluſus, fons ſignatus, ſoli Deo ſervatus.*

Nazianz. orat. 18.



6. Albertus Magnus ad intimam ſanctiſſimæ virginis Deiparæ ſolitudinem ſe reflectens, utpote quæ converſata & locuta fuit cum admodum paucis, dicit : *Loquuta tantum fuit Angelo & filio, materteræ vetulæ & miniſtris nuptiarum, docens puellam Dei cum Angelo in contemplatione, cum Deo in oratione; non cum qualibet muliere, ſed cum cognata vetula, quæ Deo plena ſit, ut Elizabeth, in converſatione & congratulatione; & cùm his qui neceſſariorum temporalium miniſtri ſunt, in neceſſarijs eſſè loquendum.* Unde Eccleſia illam cantico illo quod à verbis illis incipit : *Alma Redemptoris mater*, venerari ſolet, quia *Alma* in Hebræo idem ſignificat, quod *abſcondita*; Ideo namque ubi vulgata noſtra vaticinium illud Iſaiæ cap. 7. his verbis legit : *Ecce virgo concipiet*, in Hebræo *Alma* habetur. Richardus à S. Laurentio obſervat quod *Eſther*, quæ propriiſſima fuit B. Virginis figura, quoad nominis Etymologiam idem ſignificet quod *abſcondita*.

Alb. Magn. in c. 1. Luc.
B. V. imitanda.
Rich. à S. Laur. l. 5.

7. Sponſus cæleſtis in ſacris Canticis interrogabat olim : *Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* qui textus de Annuntiatione B. Virginis communiter interpretatur. Reſpondet autem idem Sponſus : *Si murus eſt ædificemus ſuper eum propugnacula argentea*, ubi Hugo Cardinalis ait : *Muri & propugnacula quibus ipſa cuſtodiebatur talem indicant virginis ſolitudinis receſſum, quo major dari nequit.* S. Bernardus notat, quod dum ab Angelo in annuntiatione ſua viſitata fuit, *clauſerat illa hora ſuper ſe habitaculum ſuum Virgo prudentiſſima, ſed hominibus, non Angelis*, & tamen *turbata eſt in ſermone ejus*; cauſa autem turbationis hujus fuit, quia Archangelus Gabriel in aſſumpta ſpecie humana ad illam ingrediebatur; unde S. Ambroſius ait : *Ipſa autem ut vidit eum, mota eſt in introitu ejus, ſola in penetralibus, quam nemo virorum videret, Angelus reperiret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo ſalutatur.* Maria etiam ſalutationem Angeli verebatur. De eadem quoque Deipara idem ſanctus Doctor lib. 2. *de virginibus* ita ſcribit : *Prodire è domo neſcia, niſi cum ad Eccleſiam conveniret, domeſtico operoſa ſecreto.*

Cantic. 8. v. 8.
Ibid. v. 9.
S. Bernard. Hom. 3. ſuper Miſſus eſt.
S. Ambr. l. 2. in Luc. c. 1.
S. Ambr. l. 2. de Virg.

8. Completa Annuntiatione à Deo mota fuit, ut S. Eliſabetham cognatam ſuam præcurſore filio ſuo gravidam miniſterij cauſa viſitaret : at verò non ſine myſterio S. Lucas de hoc itinere ſcripſit : *Abijt in montana cum feſtinatione*; Ubi Dionyſius Carthuſianus ait : *Per hoc quod cum feſtinatione perrexit, docentur puellæ ac fæminæ, non diu extra domum manere, nec fabulari in publico; pertinet namque ad ſexum fæmineum pudor, timor, cuſtodia, taciturnitas & eſſè in domo.* Qua de re mirum quid apud probatum Hiſtoricum de Sinenſibus ſcriptum reperio; Hi enim mulieres omni ſtudio intra domos ſuas coërcere conantur, hocque fine faciunt quidquid ſciunt, aut excogitare poſſunt, ne ſcilicet extra domum vagando per platearum compita oberrent; Unde ab ipſis faſcijs, quidquid eſt fæminei ſexus ad impeditos greſſus formantur, curantque ut pedes inæqualiter longos, diſtortos, contractos & claudos habeant, ut hac ratione domi manere cogantur.

Luc. 1. v. 39.
Dion. Carthuſ. ibid.
P. Trigaut. de exped. apud Sinas l. 1. c. 6.

Mulieres domi maneant.

9. Incarnata ſapientia in parabolis ſuis, quas ut ſe uniuſcujuſque hominis ſtatui, capacitati & vocationi adaptaret, compoſuit, Regnum cœlorum nunc Agricolæ, alias negotiatori, mox mulieri fermentum præparanti &c. aſſimilat; Sed quodnam exiſtimatis harum tam diverſarum parabolarum fuiſſe myſterium? inquit Chryſologus; nimirum ut per hanc parabolarum varietatem ſignificet, quod ſalus æterna ab omni ſtatu hominum comparari poſſit, ac proinde licet debilior hic ſexus fæmineus proceſſiones, ſtationes aliaque devotionis exercitia, quæ illas à domibus longe aut diu abeſſe cogunt, frequentare non poſſint, nec debeant, non tamen ob id, dum alijs ejuſmodi exercitia facientibus, illæ domi ſuæ latent, à poſſeſſione regni cæleſtis excluduntur. *Simile eſt Regnum Cælorum grano ſinapis &c. ſimile eſt Regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier &c.* Ubi D. Chryſologus ait : *Res de uſu geritur, vir in agro ſinapis arborem ſerit, domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ, quia nimirum foris expectat labor, intus mulierem domeſtica cura conſtringit*, quaſi dicere vellet, Mulieribus domus commiſſa eſt cuſtodia, & ideo domi illis ſemper ſtandum & morandum eſt, non in agro aut in plateis.

Luc. 13. v. 19. & 20.
D. Chryſol. ſerm. 99.

10. Columella in præfatione libri 12. *de re ruſtica* hanc habet conſiderationem : *Jure à natura compertum eſt, opera mulieris ad domeſticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forenſem & extraneam; itaque viro calores & frigora perpetienda, tum etiam itinera, ac labores pacis & belli, id eſt, ruſticationis, ac militarium ſtipendium diſtribuit, mulieri deinceps quod omnibus eam fecerit inhabilem domeſtica negotia curanda tradidit, & quoniam hunc ſexum cuſtodiæ & diligentiæ aſſignaverat, idcirco timidiorem reddidit, quam virilem, nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi.*

Columella de re ruſtica l. 12.

Proſecutio.

11. In Scriptura Sacra inter mulieres virilis animi robore & ſapientia præditas, duæ præcipuè ſunt memorabiliores, videlicet Debbora Prophetiſſa & Judith; E quibus Debbora adeo ſapiens, prudens, & rerum agendarum experta fuit, ut præter donum Prophetiæ etiam Politicam perfecte exercere noverit, adeò ut licet quoad ſexum imbellis eſſe videretur, raro tamen exemplo ad populi univerſale regimen unanimiter fuerit electa; unde *Judicabat populum*, Tribunalia ſuſtinebat, quia *ſedebat ſub palma... aſcendebantque ad eam filij Iſraël in omne judicium*; vultiſne verò ſcire, quanti hæc inter alias dotes & virtutes ſuas, ſe à vitio alienam eſſe, ſeque mulierem per vias & plateas diſcurrere amantium vanitatem abhorrere æſtimaverit? Cum de Samuele judice pariter populi & Propheta ſacer textus dicat : *Ibat per ſingulos annos circuiens*, de hac tamen ſacer idem textus econtra aſſerit, dicens : *ſedebat ſub palma aſcendebantque ad eam filij Iſraël*; adeoque à domo ſua non procul recedebat; per hoc omnes ejuſdem ſexus conſortes edocere volens, ne ſub quocumque prætextu, etiam licito, è domo ſua procul abeant, aut per diverſa loca vagentur : De Judith verò ex ſcriptura habemus, quod licet mulier eſſet rara pulchritudine prædita, à primo ſuo marito relicta vidua, in ætatis & annorum flore conſtituta, dives, nobilis, ſapiens, eloquens, & à multis in ſponſam deſideraretur, poſt mortem tamen conjugis ſui per ſeptuaginta annos & ultra vidua permanſerit, & tamen quis eſt qui neſciat, quanta Holofernes adverſus ejus pudicitiam detriumphandam ſuſcitaverit certamina & pericuſa prælia? Quis ignorat, qualiter ipſa deinceps tot opima prædarum & ſpoliorum theſauris, adeo honorata, tantaque cum gloria toti mundo venerabilis facta, à primis & potentiſſimis ſæculi iſtius Principibus in ſponſam & uxorem ſolicitata fuerit? undenam hoc illi evenit? *Feciſti viriliter*, inquit ad eam ſummus Pontifex; *& confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaveris, & poſt virum tuum alterum neſcieris*; at verò ſcitiſne cur in caſtitate inſinuanda adeo conſtans permanſerit? nimirum quia ſolitudinis amantiſſima fuit, nam ſcriptura dicit : *In ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur.* Unde de ea S. Petrus Damianus ait : *Porro vidualis officij limite non contenta, ad hoc uſque in ſancta Religione proceſſerat, ut jam non ſola, ſed & cum ancillis ſuis fieret eremita, de domo communi recluſorium fecit, & in populoſa urbe amor artifex, ſolitudinem reperit.*

Jud. 4. v. 4.
Jud. 4. v. 5.
1. Regum 7. 16.
Jud. 4. v. 5.
Judith 15. v. 11.
Judith 8. v. 5.
S. Petr Damian. l. 8. Ep. 14.

12. In ſacris Canticis divinus amator ad animam immaculatam & caſtam inquit : *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Genæ autem tunc præcipue ſpecioſæ ſunt & pulchræ, quando pudoris purpura tinctæ conſpiciuntur; atque ideo Deus tunc animæ virginalis amore præcipue capitur, quando pudor in ea reſplendet & verecundia. Unde Sanct. Ambroſius ait : *Eſt verecundia pudicitiæ comes, cujus ſocietate caſtitas ipſa tutior eſt, bonus regendæ caſtitatis pudor eſt comes*; Idem quoque Ambroſius de B. Virgine ad comparitionem Angeli perturbata, ait : circa illa verba : *Quæ cum audiſſet, turbata eſt*, inquit : *Hic primus, id eſt, pudor, in ipſo cognitionis ingreſſu, Domini matrem commendat legentibus, & tamquam teſtis locuples dignam, quæ ad tale munus eligeretur adſtruit, quod in cubiculo, quod ſola, quod ſalutata ab Angelo, & mota eſt introitu ejus, quod ad virilis ſexus peregrinam ſpeciem, turbatur aſpectus virginis.* Origenes citatum Canticorum textum exponens dicit : *Faciem illius laudat, quæ genarum pudore ſuffunditur.* At verò cur potius ſponſæ genas ſicut turturis eſſe dicit? S. Bernardus ait : *Turtur pudica avis eſt, & converſatio ejus non cum multis, ſed ſolo degere fertur contenta compare.*

Cant. 1. v. 9.
Caſti ſocietates fugiant.
S. Ambr. l. 1. de off. c. 18.
Luca 1. 29.
Orig. Hom. 2. ibid.
S. Bern. ſer. 40. in Cant.

Pierius Valerianus de turture refert, quod poſtquam conſorte ſuo viduata eſt, nequaquam ſe alijs jungat aut commiſceat, ſed in locis deſertis ſolitaria vivat, & loco cantus planctum edat, nonniſi in ramum ſiccum ſe collocet, ex torrente aquæ limpidæ numquam in eo ſtatu bibat, ſed potius illam turbet priuſquam libet, atque ideo ſymbolum eſt animæ illius, quæ caſtam ſe conſervare laborat, hæc enim omnes occaſiones & converſationes, omnes ſocietates, omnia convivia & alias blandimentorum illecebras, quæ ejus poſſunt denigrare candorem pro viribus fugit & declinat; de quibus S. Hieronymus ad Paulinum ita ſcribit: *Multitudines hominum & officia, & ſalutationes & convivia, velut quaſdam catenas fugias voluptatum.*

*S. Hieron. l. 2. Ep. 14.*

Mulierum vanus ornatus.

*Tertull. l. de cultu fœm. c. 11.*

13. Tertullianus optime fines exponit, qui ab illis intenduntur mulieribus vaniſſimis, quæ ſe adornant, comunt, & expoliunt, dum illis procedendum eſt in publicum: *Vobis*, inquit, *nulla procedendi cauſa non tetrica, aut imbecillis aliquis ex fratribus viſitandus*: & paulo poſt ſubdit: *propter ipſum enim conventum, & mutuum videre & videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat.* S. Cyprianus quoque fœminarum ornamenta, ad hoc ſolum ut in publico videantur, directa his verbis condemnat: *Cæterum*, inquiens, *ſi te ſumptuoſius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis allicias, ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpiranti fomenta ſuccendas, & ſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & venenum videntibus præbeas, excuſari non potes quaſi mente caſta ſis & pudica.*

*S. Cypr. de diſcipl. & hab. virg.*

Sequeſtratæ ab hominum conſortio Deo magis gratæ.

14. Fructus qui in campo extra muros aut ſepes viatoribus aut feris patent, vel non matureſcunt, vel ante tempus decutiuntur & viatoribus cedunt, non verò item fructus qui in hortis naſcuntur muro vel ſepe benè cuſtoditis. Et ideo S. Ambroſius de anima caſta, velut horto myſtico ita ſcribit: *ſicut hortus furibus inacceſſus vitem redolet, fragrat oleam, roſam renidet, ut in vita Religio, in olea pax, in roſa pudor ſacratæ virginitatis inoleſcat.* Et ubinam, dic ſodes, Deus noſter animæ dilectæ vocem audire dicitur? Certe non in alio loco quam in hortis: *Quæ habitas in hortis ... fac me audire vocem tuam*; tunc Deus ſibi de puritate animæ cujuſpiam complacet, quando illam videt ſolitudini ſtudioſe deditam, quando illam videt ſeorſim ab hominibus ſequeſtratam, denique quando illam hortum concluſum eſſe cernit, & ideo cæleſtis ſponſus non ſemel, ſed tricies appellatur à ſponſo: *Hortus concluſus.* Magna etenim eſt inter hortum & agrum undique patulum differentia; hic enim ſemel tantum in anno fructum adfert, non verò ſic hortus, in quo per anni decurſum varia herbarum, florum, arborum, fructuum, aromatum genera ſæpius excoluntur, fructuſque copioſos adferunt; Pari quoque modo per experientiam videmus, quod ſacræ virgines intra quatuor muros recluſæ abundantiorem cæleſti agricolæ fructum adferant, quam aliæ quæ in ſæculo libertate ſua gaudent.

*S. Ambr. l. 1. de Virg.*

*Cantic. 8. v. 13.*

*Cantic. 4. v. 12.*

15. Rubus quem Moyſes in Oreb conſpexit; virginitatis Mariæ ſpecialis quidam typus fuit: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, ſancta Dei genitrix.* Hæc enim virginitas non ſolum in medio ſpinarum poſita fuit, id eſt, cilicijs alijſque auſteritatibus corporalibus firmiter cuſtodita: Verum etiam in ſolitudine, in deſerto inacceſſo, in loco ab hominum conſortio plane ſequeſtrato collocata conſpicitur. Ideo etiam ſapiens de forti illa muliere dicit: *Manum ſuam miſit ad fortia.* At vero quodnam eſt heroicum illud opus, cui conſummando intenta fuit? Sapiens idipſum in verbis immediate ſequentibus exprimit, dum ait: *Digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Legatis velim totum illud caput, illamque mulierem prudentem, magnanimam, generoſis operibus adimplendis aptiſſimam, & invictam quamdam Amazonem fuiſſe deprehendetis, & tamen de illa Spiritus Sanctus dicit, quod apprehenſo colo, fuſo tractando & gyrando tota intenta fuerit, quod domi ſuæ recluſa & ab hominum conſortio ſequeſtrata permanſerit: *Manum ſuam miſit ad fortia.* Unde etiam S. Philippus Nerius aliquando interrogatus, quamnam pœnitentium ſuarum pluris æſtimaret? Mariam à Spoleto, reſpondit, quia ſemper filat, numquam otioſa vagatur.

*Prov. 31. 19.*

*Ibid.*

*Prov. 31. 19.*

*l. 3. c. 9. n. 27.*

16. Phidias ſculptorum celeberrimus mulieris cujuſdam ſtatuam ex auro formavit & ebore, quæ teſtudinem pede conculcabat; quonam verò myſterio id eum feciſſe exiſtimatis? Nimirum per hanc teſtudinem, quæ lento ſemper greſſu incedit, & hujus mulieris pede premebatur, intendebat ſignificare, quod mulieribus divitibus præcipue & pulchris conandum ſit ita firmiter domi ſuæ conſiſtere, ut inde niſi greſſu teſtudineo recedant, ſeu potius ut velut podagra laborantes ambulare non poſſe videantur. Contrarium facientes, ut S. Auguſt. in libro ſæpius à nobis allegato, *De ſancta virginitate* advertit, ſcilicet *Curioſas & verboſas, malas, innuptas, Paulus Apoſtolus* 1. Tim. 5. v. 13. notat, *& hoc vitium dicit venire ex otio, ſimul autem inquit: & otioſæ diſcunt circumire domos, non ſolum autem otioſæ, verum etiam curioſæ, loquentes quæ non oportet*, de quibus Eccleſiaſt. nos monet dicens: *Ne reſpicias mulierem multivolam*; Per mulierem etenim multivolam intelligere poſſumus mulierem curioſam, & vagabundam, quia per omnia volat, in omni loco reperitur, id quod lænæ & meretricis ſignum eſt peſſimum, de qua ſapiens loquebatur dicens: *Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant ... vagi ſunt greſſus ejus & inveſtigabiles.* Item ut idem Salomon Proverb. c. 7. ait. *Eſt & vaga quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus; nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidians.* Porro de Nazaræorum ſecta apud Jeremiam dicitur: *Candidiores nive, nitidiores lacte*; & tamen paulo poſt hæc verba ſubjunguntur: *Denigrata eſt facies eorum ſuper carbones*; Undenam obſecro hæc tam ſubito facta eſt mutatio? Certe non aliunde quam per otioſam in plateis divagationem: *Non ſunt cogniti in plateis.* Similiter virgines illæ, quarum in parabola fit mentio, non omnes ad cœleſtis ſponſi nuptias ingreſſæ fuerunt, & tamen omnes in parabolæ principio virginum nomine appellabantur, etenim quinque earum ab ijſdem nuptijs fuere excluſæ; Scitiſne cauſam? Nimirum per vicos & plateas oberrabant: *Dum autem irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ &c.*

*Pauſan in Eliac l. poſt p. 203.*

Mulieres non vagentur in plateis.

*S. Aug. de S. Virg. c. 35.*

*1. Tim. 5. v. 13.*

*Eccle. 9. v. 3.*

*Prov. 5. v. 5.*

*Prov. 7. v. 11.*

*Ibid. v. 12.*

*Thren. 4. v. 7.*

*Ibid. v. 8.*

*Ibid.*

*Matth. 25. v. 10.*

## DISCURSUS XXII.

## ARGUMENTUM.

**Ad acquirendam & conſervandam continentiam, multum confert maceratio & caſtigatio carnis.**

### THEMA.

*Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus ... afflictus ſum, & humiliatus ſum*, Pſalm. 37. verſ. 8. & 9.

1. PRopheta regius ad appetitus carnales tyrannice nobis prædominantes debite coërcendos, optimum nobis exemplo ſuo præſcribit remedium, dum ait: *Afflictus ſum*, id eſt, carnis & corporis noſtri macerationem & caſtigationem: *Caſtigatio mea in matutinis, Induebar cilicio.* Unde S. Petrus ut fideles ad continenter vivendum animaret, ſuadet ijſdem dicens: *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ*; Et ideo Doctor Angelicus Sanct. Thomas hoc nomen *Caſtitas* unde derivetur his verbis docet: *Nomen caſtitatis ſumitur ex hoc, quod per rationem concupiſcentia caſtigatur, quæ ad modum pueri eſt refrænanda.* Divino quoque animarum Zelotypo amatori non ſufficiebat, quod de ſponſa ſua dixiſſet, quod ſit *Hortus concluſus*, niſi inſuper protinus ſubjungeret, quod ſit quoque *fons ſignatus.* Circa quæ verba Sanct. Bonaventura optime advertit, quod horto alicui feris undique referto minime ſufficiat quod muris clauſis, aut ſepibus validiſſimis cinctus ſit; ut non ſolum *parum proficeret, quia plus noceret, quam prodeſſet; ita quando beſtiales motus libidinis ſtrepunt in mente, parum aut nihil valet clauſura caſtitatis in carne: & ideo ſponſa dicitur non ſolum hortus concluſus, ſed fons ſignatus, hortus concluſus propter caſtitatem carnis, fons ſignatus propter puritatem mentis* Unde Paulus Apoſtolus qui ſemper in virginitate permanſit, poſtquam dixiſſet: *Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum*, ſequenti capite inſuper dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.*

Neceſſaria caſtigatio.

*Pſ. 72. v. 14.*

*Pſ. 34. v. 13.*

*1. Petr. 1. v. 13.*

*S. Thom. 2. 2. q. 151. A. 1.*

*Cant. 4. 12.*

*Ibid.*

*S. Bonav in diæt ſal. Tit. 4. de Conſil. Evang. c. 4.*

*1. Cor. 7. v. 7.*

*1. Cor. 9. v. 27.*

2. Celebre eſt factum illud, quod Abdias Babylonicus S. Andreæ Apoſtolo in Corintho accidiſſe refert: Cum enim ibidem vir quidam fuiſſet, nomine Nicolaus, qui ſeptuaginta quatuor annis velut carnis & Veneris mancipium voluptatibus carnalibus deditus fuerat, S. Apoſtolus, ut ipſum ex turpi hoc cæno erueret, continuis ſe jejunijs, orationibus,

Hiſtoria.



bus, alijſque corporis rigoribus conficiebat, ſed fruſtra; Unde Deus illi dixit: *Volo, ut quemadmodum tu pro illo jejunaſti, ſic etiam ipſe jejunet, ſuumque corpus affligat, ſi fieri ſalvus deſiderat.*

3. Deus quondam Iſraëlitis in Exodo hunc ſacrificandi modum præſcripſit: *ſeparate apud vos primitias Domino, omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino, aurum & argentum, æs & Hyacinthum*, tandem in fine *linum & byſſum*, quod candidiſſimum lini genus eſt, ſimul cum *pilis* jungit *caprarum*, qui rudes ſunt & aſperi: *Byſſum & pilos caprarum.* Ubi quærendum venit, quodnam ſit hujuſce connexionis myſterium, nimirum *omnia in figura eis contingebant*, byſſus enim quæ linum eſt valde candidum & ſubtile caſtitatem ſignificat, quæ jungenda eſt cum pilis caprarum, id eſt, cum cilicijs & auſteritatibus. Unde Eccleſia de S. Cæcilia canit: *Cilicio Cæcilia membra domabat*; ac proinde optimo cum effectu Deum precabatur dicens: *Fiat cor & corpus meum immaculatum.*

*Exod. 35. v. 5.*

4. In eodem Exodi libro Deus ſummo ſacerdoti veſtem qua ornandus erat, ut in publicum prodiret, præſcribens ait: *Tunicam & lineam ſtrictam.* Alibi in eodem capite iterum replicans dicit: *ſtringeſque tunicam byſſò*; In Hebræo autem loco illius verbi: *ſtringes*, habetur: *Oculabis*; quaſi dicere vellet; ad conſervandum hujus lini; id eſt, continentiæ candorem, magna inſuper cautela & circumſpectione opus eſt; Neceſſum enim eſt virginem Argum quemdam eſſe, id eſt, centenis oculis inſtructum. Notandum verò inſuper eſt verbum illud *ſtringes*, cui conforme eſt illud ab incarnata ſapientia traditum documentum, quo dicit: *ſint lumbi veſtri præcincti: lumbos autem præcingimus*, ut Sanct. Gregorius in Homilia quadam dicit, *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Sanct. Hieronymus quoque ſuper illa Ezechielis verba: *Calceavi te Janthino, & cinxi te byſſò*; dicit: *Hac byſſò accinguntur renes, quoties pinguia libidinis incentiva tenuanda ſunt.* Et paulò poſt ſubdit: *Dominus ad Apoſtolos loquitur: ſint lumbi veſtri præcincti, & Lucernæ ardentes in manibus veſtris, niſi enim adſtrinxeritis fluentia lumborum reumata, lucernas in manibus habere non poſſumus.* Hoc ſtricto & arcto Cingulo, ſubdit idem S. Hieronymus præcincti erant Joannes præcurſor Domini, & Elias futurus ſecundus Domini præcurſor: *Qua Zona* inquit, *mortificante lumbos, Elias quoque & Joannes Baptiſta accinguntur, de quibus & pœnitens flebiliter ingemiſcit, dicens: Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus.*

*Exod. 28. v. 4.*

*Ibid. v. 39.*

*Luc. 12. v. 35.*

*S. Greg. ibid.*

*S. Hier. T. 4. l. 4. in Ezech. c. 16. v. 10.*

5. S. Bruno Carthuſianæ ſolitudinis celeberrimus Patriarcha, ut caſtitatem in ſuis Religioſis vivaciter conſervaret, *in Conſtitutionibus ſuis* illos Cilicium ſuper nuda carne deferre præcepit; Et in ſermone quodam ſuper illa verba: *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*, ita ſcribit: *Non poſſunt alij eſſe lucernæ ardentes, niſi illi qui lumbos præcinctos habent, niſi enim ignis inferior extinguatur, ſuperior lucere non poteſt. Inferior ignis luxuria eſt, ſuperior verò quis alius, niſi gratia Spiritus Sancti? Lucernæ autem Chriſti ſunt, qui niſi continentiam & caſtitatem habuerint, non lumen & claritatem, ſed tenebras miniſtrant & cæcitatem*; ad hunc autem finem conſequendum, extreme neceſſarium eſt corporis auſteritatis cingulum.

Neceſſarium Cilicium.

*S. Bruno ſer. 5. de Confeſſ.*

6. In Annalibus Eccleſiaſticis de Sanct. Richardo Epiſcopo Ciceſtrenſi refertur, quod corpus ejus poſt mortem cum admiratione & ſtupore ſingulorum, ſpectantium viſum fuerit ſplendidiſſimum: at verò quidnam Hiſtoria ejus de rigoribus quibus corpus ſuum macerabat, præmittat, attenta aure auſcultemus: *Corpus ipſius*, inquit, *anteà gravatum vigilijs, terræ duritia, in qua ſolebat frequenter decubare, confractum, jejunijs maceratum, macerationibus multis afflictum, præter humanum morem nitidiſſimum apparuit, ut probaretur preſſuris talibus non oppreſſum, ſed potius expolitum.*

*Rayn. Ann. 1262. n. 26.*

7. Sponſus cœleſtis in ſacris Canticis animam puram & immaculatam his verbis alloquitur: *Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capræ gemelli, qui paſcuntur in lilijs.* Sicut enim hinnuli etiamnum teneri & lactentes in fertilibus paſcuis jucundantur, & ſaliunt, ita quoque vult dicere deſideria ſponſæ inter lilia, quæ caſtitatis ſymbola ſunt feſtivè jucundantur & exultant; Quis autem cœleſtem hunc ſponſum, *qui paſcitur inter lilia* puritate & caſtitate hujus ſponſæ captum & ineſcatum, diuturniores & jucundiores cum ſponſa ſua motus enixurum eſſe hic ſibi firmiter non perſuaderet, & tamen ſacer textus illum ſubinfert dicentem: *Vadam ad montem myrrhæ.* Circa quæ proinde verba Gillibertus Abbas continere ſe nequit, quin exclamet dicens: *Quid eſt bone Jeſu, quod dum ſponſa tua, dilecta tua, alibi te expectat, tu alio vadis? Illa paſcitur & expectat in lilijs, & tu vadis ad montem myrrhæ, quare non magis ad lilia vadis, ubi ſponſa moratur, donec aſpiret dies? An forte lilia hæc non ſunt aliena, nec longe poſita monte myrrhæ, ſed magis oriuntur in illo? Ita quidem eſt; nuſquam lætius naſcuntur lilia, quam in monte myrrhæ, nuſquam magis illæſa ſervantur. In monte myrrhæ, nec corruptioni nec corruptibilitati locus ullus relinquitur; Ibi in monte myrrhæ, ubi carnis univerſi mortificantur affectus, ibi lilia caſtimoniæ; lilia gratiarum & pure naſcuntur, & perpetuo florent, ergo in lilijs & in monte myrrhæ, ſponſam ſatis delicate locutam advertis; Quonam alio iterum ſe diceret, quam ubi dilectam eſſe cognovit? Sicut enim illa avide expectat, ſic ille ardenter properat.* Porro myrrhæ proprium eſt, quod amara ſit & guſtui faſtidioſa, ipſaque corpora à putredine præſervet, & ideo proprium eſt mortificationis & auſteritatis corporalis Symbolum, quæ tametſi corpori noſtro parum arrideat, ſummam tamen eidem utilitatem adfert, quia ad caſtitatem illæſam conſervandam opportuniſſimum eſt remedium.

*Cant. 4. v. 5.*

Myrrha mortificationis utilis.

*Gillib. Abb. ſer. 27. in Cant.*

8. In Pſalmo 44. inter cætera hæc verba leguntur: *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum.* Ubi Guerricus Abbas ſerm. 1. dicit: *Inlutamus domos luteas, ſed qua materiæ qualitate ſunt lateæ; continentiæ virtute ſunt eburneæ, ex quibus ſi myrrha prima ſpirare cœperit mortificationem voluptatum; conſequenter & aliæ ſpecies multiformem virtutum gratiam ſpirabunt.*

*Pſ. 44. v. 9.*

*Guerricus Abb.*

9. In ijſdem quoque Canticis lectulus Salomonis delineatus reperitur: *En lectulum Salomonis*, inquit Spiritus Sanctus; *ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Vatablus legit: *omnes habentes gladium apprehenſum: Gladius autem eſt verbum Dei: nam perpetua lucta eſt Chriſtianis cum carne & ſanguine.* Philo Carpathius per hoſce enſes divinam legem intelligens dicit: *Gladius legem ſignificat & Dei verbum; quo per temperantiæ & prudentiæ officia carnis opera, & terrenæ cupiditates omnes præcidantur: hi ſunt qui diligenti obſervatione mandatorum ſeſe ab impietatis operibus abducunt; carnemque ſuam cum vitijs & concupiſcentijs vincunt ac mactant; Ob idque enſem ſuper femur ſuum tenere dicuntur, nam femur carnis illecebras & voluptates ſignificat, ne cupiditatibus victi ſervi Dei præcipites ruant.* Hugo Cardinalis pariter gladium femori accinctum obſervans ita ſcribit: *Super femur reſecans quæ ex femore naſcuntur, id eſt, carnales motus, propter timores nocturnos, tentationes carnis; quæ in nocte maxime impugnant, & noctem in nobis faciunt.* Et paulò poſt ſubdit: *Vel timores nocturnos vocat Dæmones & ſatellites ejus*; Ad deprimendas autem ſpiritus fornicationis vires, ad amputandam nocturnis illuſionibus viam, nullum eſt præſentius remedium quam maceratio corporis. Unde Eccleſia ordinavit; ut priuſquam in Hymno nos Deo commendantes dicamus: *Procul recedant ſomnia, & noctium phantaſmata, Hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora*, prius ſinguli verbis S. Petri ad Vigilias & ſobrietatem exercendam commoneantur: *Fratres ſobrij eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus &c.* & ante ſomnum lectum noſtrum gladijs cingendo muniamus.

*Cant. 3. v. 7. & 8.*

Maceratio forte remedium contra tentationes.

*Philo Carpath. ibid.*

*Hug. Card. ibid.*

*1. Petr. 5. v. 8.*

10. Regius Propheta inquit: *In terra deſerta, & invia, & inaquoſa; ſic in ſancto apparui*; quia animæ, quæ Deum amantes corporis puritatem diligentiſſime cuſtodiunt, proque illius conſervatione jejunijs, vigilijs, & alijs vitæ rigoribus corpus ſuum emaciant & conficiunt, viſionum, apparitionum & revelationum cæleſtium participes fiunt: nec ejuſcemodi animæ à Dæmonibus illuſiones patiuntur nocturnas, ut lamentari cogantur: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus.* Melius tamen Sanct. Ambroſius verba hæc ad propoſitum noſtrum explicat dicens: *Deſertum plane quoddam ipſum corpus eſt Chriſtiani; cum non repletur cibis, non poculis irrigatur, ſed arentis inediæ ſqualore negligitur; Deſertum eſt corpus noſtrum, cum abſtinentia marceſcit caro, tunc Chriſtus deſertum habitat pectoris noſtri, aliter enim ſicut in ſancto ei apparere non poſſumus, niſi terra corporis noſtri fuerit deſerta à mundanis delicijs invia Diabolicis concupiſcentijs, & inaquoſa libidinoſis illecebris. Tunc habitans Salvator hoc deſertum corporis noſtri, omnes ibi Diaboli*

*Pſ. 62. v. 3.*

Præcipue nocturnas.

*Pſ. 37. v. 8.*

*S. Ambr. ſer. in Fer. 2. poſt. Dom. 2. Quadr.*

*factiones exuperat, & ſecretum ac ſecurum à cogitationibus ſæculi eſſe ſuum facit habitaculum, ut deinceps nos intra noſmetipſos, veluti in ſolitudine conſtituti, non niſi cælum reſpiciamus & terram, hoc eſt, non cogitemus alium, niſi cæleſtis regni Dominum, & terrenæ reſurrectionis authorem.*

11. Sanct. Apoſtolus de virgine caſtitati dedita dicit, loquens illam Deo totaliter intentam, de Deo ſemper cogitare, & ſomniare, totumque cor & amorem ſuum in Deum defixum habere, ideoque corpore pariter & anima ſanctam eſſe, nec ullam in ſe carnis rebellionem experiri dicit: *Virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* B. Laurentius Juſtinianus mala quæ ex voluptatibus & delicijs corporis proveniunt conſiderans ait: *Multa ex voluptatibus proveniunt mala, ſi Concupiſcentiæ cæperint habere irritamenta, eiſque parumper conſentiatur ad votum, fiunt duo contra unum, & periclitatur conſcientia, quæ ſicut continentia carnem ſpiritui reddit ſubditam, ſic qui amore voluptatum delicate nutrit corpus ſuum, poſtea inveniet ipſum contumax, nam & ſpiritus deficit, ubi corpus in voluptatibus requieſcit; ut enim caro mollibus, ſic anima duris nutritur, illam blanda fovent, & contumacem faciunt, hanc autem aſpera exercent, & cælibem efficiunt.*

*1. Cor. 7. v. 34.* Concupiſcentiæ mala. *B. Laur. Juſtin. de ligno vitæ cap. 4.*

12. S. Bonaventura poſtquam illam adduxiſſet ex S. Bernardo de *Converſat. ad Clericos* cap. 30. authoritatem, in qua dicit: *Periclitatur caſtitas in delicijs*, id ipſum quoque in Jeremia hiſce verbis: *Lumbare ſuum computruit in aquis*, inſinuatum fuiſſe dicens ſubjungit: *Per lumbare enim quod eſt circa lumbos caſtitas deſignatur, quæ bene computreſcit in aquis deliciarum carnalium: Hæc eſt illa aqua peſſima, per quam multos hodie Diabolus trahit à bono propoſito.* Recteque figuratur per aquam illam, de qua Apocal. 12. v. 15. dicitur: *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tamquam flumen . . . quod miſit draco de ore ſuo*; Cujus viſionis myſterium à præfato Doctore Seraphico explicatur his verbis. *Quando enim anima peperit aliquod bonum opus, id eſt, ſancte & bene vivere inchoavit, tunc ſerpens immittit tentationes carnis, aquam ſcilicet deliciarum carnalium, reducendo ad memoriam præteritas delicias, ut retrahatur à bono.*

*S. Bern. de Converſat. ad Cler. cap. 30. Jer. 13. v. 7. S. Bonav.* A bono retrahit. *Apocal. 12. v. 15. & 16. S. Bonav.*

13. Sanct. Auguſtinus in memoriam nobis revocat, id quod Tarpeia Romana feciſſe legitur; ſic enim ſcribit; *Mementote frequenter & nolite obliviſci, quid fecerit illa fæmina Romana Tarpeja, quid enim fecit? Nam luxuria magna regnabat in ea, tamen ipſa Pagana caſte vivere volebat; quid igitur fecit? oculos ſibi erui voluit & præcepit, & delicijs cunctis depoſitis panem tantum cum aqua ſumere voluit ad menſuram.* Unde Sanct. Auguſtinus ad Chriſtianorum confuſionem exclamat dicens: *O fratres, mirabilis conditio mulieris, mirabilis bonitas, mirabilis fortitudo, quia per hoc non Paradiſum expectat, nec per hoc laudari deſiderat, nec beata prædicari affectat, nam propter quid hoc fecerit ignoramus, quia Paganam eam fuiſſe prædicamus. Unum tamen ſcio, quod ſi conſilium ab Auguſtino petiſſet, ego tamquam fidelis nihil aliud dicere potuiſſem niſi quod tantum panem & aquam ſumpſiſſet determinato pondere & menſura.* Tandem verò caſtitatem cum deliciarum & ciborum abundantia & ſuperfluitate conſiſtere ſimul non poſſe, hiſce verbis ad noſtram eruditionem concludit: *Nos ergo fratres ſcire debemus, & nullatenus dubitare, quod caſtitas cum abundantia ſtare non poteſt.*

Exemplum. *S. Aug. ſerm. 47. ad fratres.*

14. Magna ponderatione dignum eſt factum illud Abrahæ in Geneſi relatum, quando Agar uxorem ſuam ſecundariam, una cum Iſmaële qui ex eadem Agar ei genitus fuerat, è domo dimiſit: *Surrexit itaque Abraham mane*, inquit ſacer textus, *& tollens panem & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus tradiditque puerum, & dimiſit eam.* Circa quæ verba hic nobis quærendum, cur Abraham Agar ancillæ ſuæ & Iſmaëli filio ejus alimoniam dare volens, quo per viam ſuſtentaretur, non niſi panem, & hunc quidem ſatis frugaliter, quia non niſi unicum, dicit enim ſcriptura *panem*, & deinde aquam, *utrem aquæ*, erogarit; Cur non liberaliorem ſe erga illam exhibuit? Numquid domus ejus omni annonæ genere ſuperabundabat? Hoc enim ex convivio tribus illis Angelicis hoſpitibus præparato ſatis colligitur: vultis ſcire cauſam cur id fecerit? Nimirum pudicitiæ Agaris procul ab eo peregrinaturæ conſulere voluit; Pro qua conſervanda ſciebat nullum eſſe medium potentius & ſecurius, quam ſit fames & corporalis inedia, cui Agar & Iſmaëlem laſcivum ad compeſcendam ejus effrænem libidinem voluit eſſe ſubjectos, utique enim audiverat Iſmaëlem viſum fuiſſe *Ludentem cum Iſaaco*, ſeu ut alij exponunt *Laſcivientem cum illo*; ac proinde tamquam providus & circumſpectus pater pane tantum & aqua nutriendum, longi itineris ærumnis illum fatigare, & deſerti aſperitate exercere voluit.

Inedia utilis ad continentiam. *Geneſ. 21. v. 14. Gen. 21. 9.*

15. Verum enimverò ex quo ſolitudinis mentionem facere cæpimus, revocanda vobis quoque eſt in memoriam illa Orebi montis vaſta ſolitudo, in qua Moyſes Dei vocem ex ſpinoſo illo Rubo prodeuntem audire meruit, quia ut Eccleſia canit: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem Dei Genitrix*; Ecce tibi ubinam hujus nobis virtutis continentiæ ſpecimen edatur, nimirum in medio ſpinarum, & urticarum &c. Ut per hoc nobis inſinuetur, quod inter cilicia, diſciplinas, alioſque vitæ virtuoſæ rigores conſervetur, illæſa & illibata corporis puritas; Unde ubi Pſalmiſta juxta Vulgatam dicit: *Apprehendite diſciplinam*, S. Hieronymus legit; *Adorate puritatem.* Notandum verò eſt, quod Moyſes ex prædicto rubo vocem quamdam audierit, dicentem ſibi: *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Quidnam enim in hoc latet myſterij, quod Moyſes calceos exuere jubeatur? Pro hujus myſterij declaratione ſciendum eſt, fuiſſe in antiqua lege ritum quemdam Iſraëlitis à Deo præſcriptum ut ſi quando frater uxorem fratris ſine liberis defuncti ducere renuebat, in ſignum quod juri, quod ex lege habebat, ultro citroque cederet, unum è calceis ſuis è pede detraheret, hoc enim faciendo ab hoc ſe onere & jure exuere poterat. Quo ritu ſuppoſito Deus Moyſi ad rubum hunc ſine ulla ſui conſumptione aut læſione ardentem propius accedere paranti, dicere voluiſſe videtur: Quiſquis caſtitatem ſuam illæſam ſervare cupit, voluptatibus & delectationibus carnis neceſſario nuntium remittere debet; *Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*, quia caſtitas animam pariter, & corpus ſanctificat. Unde S. Bernardus ad idem propoſitum ait: *Merito quidem admiraris Moyſes ſancte, & curioſius deſideras intueri: Veruntamen ſolve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium delectationum, ſi accedere concupiſcis.*

Item cilicia & diſciplinæ. *Exod. 3. v. 2. Pſ. 2. v. 12. Exod. 3. v. 5. Deut. 25. v. 9. Exod. 3. v. 5. S. Bern. ſer. 11. in Apoc.*

16. Sanct. Bernardinus dicit, quod inter alia vitio carnis ſupprimendo efficacia remedia, unum & quidem efficaciſſimum ſit *Carnis maceratio*; cujus illam omnibus paſſim notam aſſignat rationem, quia *Equus multum famelicus non recalcitrat.* Idem quoque refert, F. Ægidium dum aliquando interrogaretur, an etiam ijs qui in vitæ perfectione provecti ſunt, quique carnem ſuam habent edomitam & ſpiritui perfecte ſubjectam adhuc dum nihilominus jejunandum, corporiſque macerationi incumbendum ſit? Reſpondiſſe: *Quare carnes recentes ſaliuntur?* Cumque ei diceretur ab alio, id eo fine fieri: *Ne putreſcant*; ſubjecit dictus Sanctus: Ob eamdem quoque cauſam, ut videmus per experientiam viros etiam ſanctiſſimos & in virtutibus firmiter habituatos, nequaquam carnis macerationem negligere, ſed jejunijs, cilicijs, diſciplinis, alijſque ſimilibus vitæ rigoribus continuam dare operam; nam ut Sanct. Auguſtinus ait: *ſi quæris, invenies non aliter in nobis regnare Jeſum, niſi per aſperitates.* Et Sanct. Thomas Cantuarienſis illuſtriſſimus Epiſcopus & Martyr in tantum ſe corpus ſuum moderari, eique imperare poſſe æſtimabat, in quantum illud per auſteritates & aſperitates corporales ſpiritui tenebat ſubjectum, ac proinde ad genua uſque rude & aſperum portans cilicium, ſolebat dicere: *ſi corpori meo præeſſe nequeo, quomodo populo meo præeſſe potero?*

Carnis maceratio. *S. Bernard. Tom. 4. ſer. 20. de luxur. S. Aug. l. 3. de conc. Evang. cap. 20.*

## DISCURSUS XXIII.

### ARGUMENTUM.

Caſtitas inter delicias & voluptates multum periclitatur, per corporales verò auſteritates tuto cuſtoditur.

### THEMA.

*Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cant. 2. ℣. 2.

1. QUemadmodum lilij candor & fragrantia etiam in horridarum ſpinarum medio glorioſè progerminare & odorem ſuum ſpargere non deſinit, ita quoque Spiritum Sanctum in adducto hoc è ſacris Canticis loco dicere velle exiſtimo, Caſtimoniæ puritatem inter acutas rigorum & auſteritatum

Caſtitas augetur inter mortificationes.



puncturas tutiſſime conſervari. Imò Hugo Cardinalis ſcribit, florem hunc tanto fragrantiorem ſpirare, quanto fuerit à ſpinis magis perforatus: *Candorem retinet inter ſpinas, & quanto magis ab ipſis pungitur, majorem reddit odorem*; Ac proinde pari quoque modo dicere poſſumus, animam virginalem, quæ in lilio typice præfiguratur, tanto in hac pudicitiæ virtute magis purificari & augeri, quanto corpus illius majoribus fuerit macerationibus extenuatum. Unde S. Ambroſius ad virgines ita ſcribit: *Nonne inter aſperitates laborum, contritioneſque animorum boni flos odoris aſſurgit?*

*Hug. Card. ibid. S. Ambr. l. 3. de Virg.*

2. Deus olim in veteri lege veſtem illam ſacerdotalem, quæ Ephod appellabatur, non ex lana, aut ſerico, ſed ex lino fieri juſſit; idque non ſolum propter ejus candorem, ſed potius, ut per candorem illum indicaret, neceſſariam ſacerdoti & alijs cælibem vitam profitentibus voluntariam carnis & corporis noſtri caſtigationem, utpote à quo omnis puritatis & continentiæ incorruptio conſurgit & derivatur, quia ut Venerab. Beda ſuper illa verba: *Puer accinctus Ephod lineo*, ſcribit: *Lineum Ephod quod de terra procreatum, longo jam exercitio ſuum pervenit ad decorem, candidiſſimam caſtæ carnis mortificationem deſignat.* Porro linum non ex carne generatur, ut lana: ita quoque caſtitas cum carne ejuſque appetitibus nihil commune habet, ideoque caſtitas optime deſignatur in lino. Præterea ſciendum eſt, quod linum candorem ſuum nec non & delicatam mollitiem & ſubtilitatem ſuam non niſi poſt longam ſui macerationem obtineat: ita quoque pudicitiæ & caſtitatis virtus per multas auſteritates, vigilias, diſciplinas, cilicia, aliaſque aſperitates ad ſuam perfectionem attingit; Eſt & alia linum inter & caſtitatem analogia, quam Gloſſa ibidem his verbis inſinuat: *In lino igitur caſtitas intelligitur*; inquit, *quia caro noſtra de immundo concepta ſemine, ſine multa corporis & ſpiritus afflictione ad munditiæ honeſtatem nequaquam perducitur.* Linum etenim poſtquam aliquanto tempore ſub terra reconditum latuit, dum naſcitur, diu iterum varijs temporis & aëris injurijs expoſitum hæret evulſum & eradicatum, ſtagnantibus aquis injicitur, ut marceſcat atque ut denuo exſiccetur & areſcat ex aquis ſublatum ardentiſſimis ſolis radijs objicitur; deinde ut quidquid in eo rigoris eſt minutim confringatur, inter duo dentata lignea convellitur & iteratis percuſſionibus frangitur; demum verò per acutos ferreos aut chalybeos prælongos dentes ſeu cuſpides carminatur, tum filatur, tandem texitur, & ex eo confecta tela varias in partes etiam minutas ſæpe diſcinditur, poſſetiſne aptiorem rei alicujus cum caſtitate deſiderare comparationem? Utpote pro cujus etiam aſſecutione & conſervatione tot tantiſque aſperis modis laborare & fatigari oportet, per frequentes videlicet vigilias, orationes, jejunia, diſciplinas, mortificationes externas & internas, ſolitudinem, exactam ſenſuum cuſtodiam, humilitatem, deque ſemetipſo diffidentiam & timorem perpetuum, Adeoque non ſine multa corporis & ſpiritus afflictione &c. ut proinde S. Ephrem haud injuſte exclamet. *O caſtitas cui abominationi ſunt deliciæ, venuſtas corporis & ornatus veſtium*; Atque ideo S. Apoſtolus de vidua quadam in delicijs vivente dicere non dubitabat: *Quæ in delicijs eſt, vivens mortua eſt.*

Mortificationes neceſſariæ. *1. Reg. 2. v. 18. V. Beda ibid. Gloſſa ibid. S. Ephr. T. 1. ad Caſtit. 1. Tim. 5. v. 6*

3. Nulli ignotum eſt illud Hannibalis ex Capuanis delicijs effœminati exemplum, de quo Seneca in quadam Epiſtola ſua ait: *Indomitum illum nivibus atque alpibus virum, enervaverunt fomenta Campaniæ; armis vicit, vitijs captus eſt. Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus; nobis militandum eſt, & quidem militiæ genere quo numquam quies, numquam otium datur; Debellandæ ſunt in primis voluptates, quæ ut vides, ſæva quoque ad ſe ingenia rapuerunt.*

Voluptates debellandæ. *Seneca Epiſt. 51.*

4. Sanct. Bonaventura de S. Franciſco in ejus vita inquit: *Experientia certa didicerat, Dæmones aſperitate terreri, delicioſis autem & mollibus veſtibus ad tentationem fortius animari; Unde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis præter ſolitum cervical de pluma poſitum haberet, Dæmon in illud impreſſus, ipſum uſque ad tertiam matutinam infeſtavit*; Cumque die quadam à fornicationis ſpiritu de uxore ſibi ducenda tentaretur; media & intempeſta nocte è lecto ſurgens in hortum ingreſſus eſt, factiſque ex nive, qua hortus ille copioſiſſime tectus erat, ſeptem prægrandibus coloſſis, his ſeipſum verbis affatus fuit: Ecce tibi Franciſce, major ille Coloſſus conjux tua eſt, ſex verò partim filij tui ſunt, partim ſervi, feſtina ut hyberno hoc tempore veſtem illis quantocius procures, quia præ frigore alias & rigido gelu interibunt: aut ſi hanc in te curam ſumere abnuas, fac ut deinceps Deo tuo ferventius inſervias.

Exemplum. *S. Bonav. c. 5. vitæ S. Franciſci.*

5. Verum quidem eſt quod deliciæ & voluptates in ſeipſis indifferentes ſint verumtamen quiſquis illis per affectum immergitur, omnino ab ijs effœminatus efficitur. Unde S. Hieronymus ait: *Si quis exiſtimat poſſe ſe verſari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, ſeipſum decipit.* Quoaduſque David veſte paſtoritia & ſimplici indutus in cuſtodia gregis ruri degebat, diu noctuque aëris temporiſque injurijs expoſitus, conſcientiam adeo teneram ac delicatam penes ſe conſervavit, ut *percuſſerit cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram Chlamydis* Saulis, cui ad vitæ propriæ defenſionem tamquam jurato hoſti ſuo, vitæque inſidiatori caput amputare licite potuiſſet: at verò quando poſtea inter regij palatij ſui delicias vitæque commoditates poſt lauta convivia in ſolario domus ſuæ obambulans, velut in lacu quodam butyro & melle ſtagnante natare videbatur, ſine ullo ſcrupulo alienam ſibi uxorem rapere, innocentique Uriæ marito ejus vitam eripere pro nihilo duxit. Difficulter enim quis inter peccati incentiva, & voluptates poſitus ſine peccato evadere, aut in medio ignis conſtitutus cavere poterit, ne amburantur plumæ ejus.

Caſtitas periclitatur inter delicias. *S. Hieron. l. 1. cont. Jovian. 1. Reg. 24. v. 6. 2. Reg. 11. v. 15.*

6. In Secundo libro Paralipomenon Salomon ducentas haſtas aureas, ſcutaque trecenta fabricari curaſſe legitur, *poſuitque ea in armamentario, quod erat conſitum in nemore.* At verò quo fine armamentarium regium, & in eo poſitæ haſtæ, ſcuta, aliaque armorum genera, inter Lilia, Roſas, Narciſſos, Violas, & juxta limpidos aquarum manantes torrentes in medio horti ſeu nemoris collocata fuere? Nimirum ut per hoc denotaretur, quod ubi deliciæ ſunt, prælia, pugnæ & luctæ procul abeſſe non poſſint; ſed ſemper quiſquis armis accinctus eſſe debeat, niſi à lenocinantibus voluptatum illecebris vinci & decipi velit; id quod Salomon ipſemet probe expertus eſt; qui tametſi ſumma eſſet ſapientia & excellenti virtute à Deo decoratus, adeo tamen ſe vinci, ſibique illudi permiſit; ut nullus umquam turpius hoc carnalis voluptatis luto conſpurcatus fuerit ipſo, unde Guerricus Abbas dignus S. Bernardi diſcipulus verba illa Salvatoris de S. Joanne Baptiſta pronunciata; *Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt*, conſiderans ait: *Volens nimirum intelligi quia qui ſectantur delicias carnis, regno hujus ſæculi militant, non regno Dei. Heu quam terribilem ſententiam cælitus audivi contra mollitiem illius magnæ & purpuratæ meretricis: Quantum glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Proſecutio. *2. Paral. 9. v. 16. Matth. 11. 8. Guerricus Abb. de S. Joan. Bap.*

7. Salvator noſter apud S. Matthæum ait: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; Sed ex quo Regnum cœlorum eſt veluti arx quædam inexpugnabilis fortiterque munita, cur non potius dixit: *Et fortes rapiunt illud?* Quidnam dictio illa, *violenti*, in ſe myſterij continet? Quæ connexio violentiæ cum cœlo? Pro hujus dubij reſolutione recurrendum nobis eſt ad propoſitionem quamdam philoſophicam, qua dicitur: *Violentia eſt paſſio quæ fit nullam paſſo conferente vim*; Ideo motus lapidis ſurſum projecti dicitur eſſe violentus, ſicut etiam deſcenſus ſeu motus ignis deorſum, quia ſunt motus utriuſque naturæ contrarij & repugnantes; jam igitur, ut ad caſum noſtrum progrediamur, ſciendum eſt, illos ſibi-ipſis ſpecialiter vim inferre qui caſte & continenter in hoc mundo decreverunt perpetuo vivere, *nemo enim umquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, ac proinde qui carnem ſuam ciliciorum veſtiumque hiſpidarum puncturis male tractat, catenis cruentat, affligit jejunijs, fame, ſiti, frigore, & laſſitudine, ac quoad poteſt omnibus illam delicijs, voluptatibus, commoditatibus, fomentis, cunctiſque ei placentibus privare ſatagit, ut corpus & animam puram & caſtam aſſiduè conſervet, is veram Cœlo violentiam infert, ut illud ſibi rapiat, nam ut D. Chryſoſtomus ſuper illa verba: *Quid exiſtis in deſertum videre? . . . Hominem mollibus veſtitum?* inquit, *Mollis veſtis diſſolvit rigidam animam, facto corpore molliore, neceſſe eſt & animam percipere læſionem.*

*Matth. 11. v. 12.* Sibi vim inferant qui caſti eſſe volunt. *Epheſ. 5. v. 29. Lucæ 7. 25. & 24. D. Chryſoſt. in Cat. in c. 7. Luc.*

8. Primum peccatum ab Adamo protoparente noſtro commiſſum, ut Auguſtinus docet, ex

Aſperitas veſtitus ne-

ceſſaria ad caſt.

hoc præcipuè motivo patratum fuit, ut Evæ ſatisfaceret, ejuſque ſibi amorem conciliaret; Siquidem pomum vetitum manducavit, non quia per illius eſum divinam ſibi ſcientiam comparare intendebat, ſed *ne contriſtaret delicias ſuas*. Quando verò reſipiſcentes confugerunt ad pœnitentiam, quid fecerunt? *Conſuerunt folia ficus.* Numquid alia pulchriorum arborum folia habere poterant? utique, erant enim in Paradiſo, Cedri, Cypreſſi, palmæ, platani, ulmi, vites & millenæ aliæ ficu longe nobiliores: Cur igitur folia ficus adhibere ad pœnitentiam voluerunt? Nimirum quia ab ipſo uſque mundi primordio probe ſciebant, quod ad reprimendos motus Carnis in ipſis rebellare incipientes, nullum erat aptius & convenientius remedium, quam aſperitas veſtitus, folia autem ficus ad inſtar ſetarum cilicij alicujus aſpera, rudia, & pungentia eſſe noſcuntur, ut proinde haud immerito S. Irenæus macerationem nihilo peccato minus antiquiorem eſſe dixerit.

*Gen. 3. v. 7.* — *S. Iren. l. 3. contr. hæreſ. cap. 37.*

Caſtigatio. — *1. Cor. 9. v. 27.*

9. Myſterio non caret ille loquendi modus, quo S. Paulus ad corporis ſui macerationem exprimendam utitur, dum ait: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo*: quaſi diceret, eodem prorſus loco carnem meam habeo, quo Dominus ſuum mancipium aut ſervum emptitium, qui ſi imperio Domini ſui obedire detrectet, plagis & verberibus ad obedientiam cogitur: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo*, quia enim corpus ſpiritui ad caſtimoniam prono obedire renuit, flagris & diſciplinis ad debitam ſubjectionem illud adigo. Sicut enim ſi in ea arce aut fortalitio, quod Turcæ Chriſtianis eripere, ſuique juris facere ſatagunt aliqua detineantur captiva Mahumetanorum mancipia, illa catenis vinciri & alligari ſolent, ne nullum aggreſſoribus adferre poſſint ſubſidium, ita quoque nobis faciendum eſt, dum arx animæ noſtræ à Dæmonibus impugnatur, ligandi ſunt ſenſus noſtri, per jejuniorum, diſciplinarum, ciliciorum, vigiliarum, & mortificationum rigores, refrænandi ſunt noſtri appetitus carnales, ne rationi & ſpiritui rebellare, aut præjudicare poſſint.

*Surius in vita S. Edmundi c. 3.*

10. In vita Sanct. Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis legimus, quod hic ſanctus etiamnum juvenis exiſtens voluptates carnales abhorruerit, & pro viribus ſemper declinarit, eo quod caſtitati totaliter deditus eſſet, verumtamen à ſpiritu fornicationis implacabile ei bellum ſuſcitante certa quædam juvencula hoſpitis ſui, quo cùm morabatur, filia laſcivo erga ſanctum juvenem amore inflammata fuerit, quæ multas ei tendens inſidias, varijs caſtitatem ejus inſultibus aggreſſa, & licet ille per heroicam reſiſtentiam illam ſemper à ſe repelleret, ipſa tamen in ſua malitia obſtinate perſeverante, Sanctus opportunum quoddam illam ab hac tentatione, ſeque ipſum ab illius importunitate liberandi excogitavit remedium; Nimirum tempus quo ipſam in ſecreto cubili præſtolaturus eſſet, eidem deſignavit, cumque illa circa hoc præfixum tempus cum ſpe concupitis & deſideratis ejus fruendi amplexibus ad condictum ſibi locum tota læta & exultans accurreret, ſanctus juvenis ad ſe ingredientem forti & acerbo flagello ad livorem uſque percuſſit, *ut ſtultitiam quæ erat colligata in corde ejus, virga diſciplinæ fugaret*; quæ hiſce verberibus deluſa & confuſa, pariter & emendata fuit, quia ab eo tempore ab omni tentatione libera permanens, impuri hujus amoris ſtimulum deinceps numquam perſenſit. Unde ſic licet arguere, quod ſi hæc alienis manibus illata caſtigatio in hac laſcivijs licet dedita anima tantum bonum cauſare prævaluit, quanto plus facere valebit in anima illius, in quo voluntas perpetuo caſte vivendi ſimul concurrit?

*Prov. 22. v. 15.*

*Judic. c. 6. v. 12.* — Hiſtoria ſacra.

11. Paſſim nota eſt hiſtoria illa quæ Gedeoni accidit, quando glorioſam illam de Madianitis Iſraëliticum populum ſolido ſeptennio obſidentibus & infeſtantibus reportavit victoriam: Dum enim inclytus hic belli dux pro populo ſuo à miſera hac ſervitute liberando Deum rogaret, miſſus eſt ad eum de cœlo Angelus ſub quercu, quæ eſt in Ephra, ubi erat Gedeon purgans frumentum, qui eum ſalutans dixit illi: *Dominus tecum virorum fortiſſime.* Cui vir ſanctus dixit: *Si Dominus eſt nobiſcum, & ſi vera ſunt* omnia, quæ Deus pro liberatione populi ſui nobis præſtitit, cur nos modo in manu Madianitarum poſitos ſuo auxilio deſtituit: Cui Angelus ait; *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian, ſcito quod miſerim te.* Qui reſpondens ait: *Da mihi ſignum, quod tu ſis qui loqueris ad me: Nec recedas hinc donec revertar ad te portans ſacrificium & offerens tibi.* Abiit igitur Gedeon & coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes carneſque ponens in caniſtro, & ejus carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu ubi apparuerat Angelus Domini: qui ait ad eum: *Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & jus deſuper funde*; Cumque feciſſet ita, extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos, aſcenditque ignis de petra; & carnes azymoſque panes conſumpſit; Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus. Cum igitur veriſſimum ſit axioma illud Apoſtoli: *Omnia in figura contingebant illis*, merito quærendum eſt, qualenam fuerit ſignum iſtud, quod Gedeoni quoad certo obtinendam à Madianitis victoriam datum fuit? Pro cujus reſolutione ſciendum, quod bellum illud diuturnum, quod populum Iſraël inter & Madianitas verſabatur, continuam illam denotet pugnam, quam homo caſtus adverſus appetitus ſuos carnales gerere debet, ſive quæ intercedit inter carnem & ſpiritum, ſeu inter rationem & hominis ſenſualitatem; Madianitæ enim fuerunt, qui populum Iſraël in turpe fornicationis peccatum præcipitem egerunt, prout in libro Numerorum fuſius recenſetur; fundaturque hic diſcurſus pro majori ſui parte in eo quod S. Gregorius à Gloſſa citatus docet. Gedeon igitur hædum occidens ſignificat mortificandum in nobis eſſe ſenſum & appetitum carnis: Hæcque victima offerenda eſt Angelo, id eſt, conſecranda eſt puritati & continentiæ, quæ virtus quædam eſt Angelica: Præcepit item Angelus ille ut carnes illæ, quæ macerata & mortificata membra noſtra repræſentant, ponantur ſuper petram, id eſt, ut ad imitationem Chriſti (*petra autem erat Chriſtus*) affligantur. *Carnes ſupra petram ponimus*, inquit, S. Gregorius ubi ſupra, *cum corpus noſtrum Chriſti imitatione cruciamus.* Inſuper idem Angelus jus in quo coctus fuerat hædus, ſuper eamdem petram & ſuperpoſitas illi carnes effundi juſſit, & quonam id myſterio factum fuiſſe exiſtimatis? *Jus ex carne liquatum in petra funditur*, inquit Gregorius, *quando mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur.* Virga denique qua Angelus carnes tetigit, flagellum denotabat, ſeu virgas, quibuſcum corpora noſtra flagellamus, quod verò carnes illæ ſuper petram impoſitæ fuerint, indicat, ut diximus, quod corpus noſtrum caſtigare debeamus, imitationem Chriſti, ac tunc demum purificata mente & corde noſtro à carnalibus deſiderijs, deſcendit ignis Spiritus Sancti qui *urit renes noſtros & cor noſtrum, ut Deo caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus*, conſumptoque finaliter omni noſtro affectu ſenſuali & inordinato, glorioſa adverſus carnem reportatur victoria: *De petra ignis exit*, inquit idem S. Gregorius, *& jus carneſque conſumit, quia afflatus à Redemptore ſpiritus, tanta cor noſtrum flamma compunctionis cremat, ut omne quod in eo eſt illicitum operis & cogitationis exuratur.*

*Ibid. v. 14.* — *Ibid. v. 17.* — *Ibid. v. 18.* — *Ibid. v. 20.* — *Ibid. v. 21.* — *Num. 25. v. 1.* — *S. Greg. l. 3. mor. c. 17.* — *1. Cor. 10. v. 4.* — *S. Gregor.*

Caſtigatio & oratio ad victoriam neceſſaria.

12. Inſuper conſiderandum eſt, Gedeonem, quando ſe prælio accinxit, aliud quoddam à Deo ſecuturæ victoriæ ſignum poſtulaſſe, quod evidentiſſimum eſt virginitatis ſymbolum, vellus nimirum occiſæ ovis in aërem apertum extenſum, ut cœleſti rore humectaretur; Unde Sancta mater Eccleſia ad hoc factum alludens, per vellus hoc Deiparæ virginis puriſſimam intelligit virginitatem, dum ita canit: *Sicut pluvia in vellus deſcendiſti*; Et S. Bernardus de eadem ſanctiſſima virgine pariter ſcribit: *Nempe vellus eſt medium inter rorem & aream.* Sed quonam modo Gedeon contra Madianitas pugnans reportavit promiſſam victoriam? Nota eſt ut opinor hiſtoria; pro hac namque obtinenda victoria uſus eſt vaſis teſteis ſive fictilibus, quibus fractis ſubito intus latens lumen conſpicuè apparuit, ſicque cunctis inter tubarum ſtrepitus altum voci-ſonantibus, fugatus eſt hoſtis & obtenta eſt victoria: Hæc autem vaſa teſtea noſtra præfigurabant mortalia corpora, utpote quæ verè ſunt vaſa fictilia; *Habitamus domos luteas*; Hæc autem vaſa confringenda ſunt, id eſt, per auſteritates pœnitentiæ maceranda & caſtiganda ſunt corpora noſtra, ut lumen ſpiritus, ſive agnitionis Dei, vel etiam ignis Spiritus Sancti nobis illuceſcat; Per tubarum denique clangorem fervens intelligi poteſt oratio

*S. Bern. ſerm. 11. in Apoc.* — *Job 4. v. 19.*



oratio, qua potiſſimum contra Madianitas, id eſt, ſenſus carnis noſtræ pugnaturi, uti debemus; vel etiam ſincera verbi Dei prædicatio; cujus verba, appellantur *Eloquia caſta.* Unde S. Hieronymus ad Ruſticum inquit: *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis*; Quod ſi igitur cunctæ conditiones prædictæ ſimul concurrant, victoriam de Madianitis, id eſt, ſenſibus & appetitibus noſtris carnalibus ſecure ſperare licebit.

*Pſ. 11. v. 7.*

Jejunium item & cilicium. — *Judith 10. v. 4.* — *Judith 8. v. 6* — *Lyran. ibid.* — *Pſ. 29. v. 12.*

13. Inter omnia præclara facinora quæ in ſacris literis deſcribuntur, ſumme admirandum eſt quod illa Amazonum invictiſſima, Juditham intelligo, patraſſe, legitur quæ illius detruncavit caput, qui medietati totius mundi filum detruncaverat vitæ; Quod verò vel maximè conſiderandum venit, eſt, quod licet in optimo ætatis flore conſtituta, raraque pulchritudine decorata eſſet, *cui etiam Dominus contulit ſplendorem*, præterquam quod elegantiſſimis veſtimentis amicta, mundo muliebri pretioſiſſimo fulgida, atque ex varijs odorum pigmentis perfumata fuerit, attamen per aliquot dies noctesque in medio talis exercitus hærens, qui non minus crudelis quam laſcivus & carnalis erat, illæſam tamen ſuam conſervarit pudicitiam & caſtitatem; Sed quonam id merito eam obtinuiſſe exiſtimatis? *Habens ſuper lumbos ſuos cilicium*, inquit ſacer textus, *jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ*; *ad repreſſionem concupiſcentiæ carnalis*, inquit Lyranus, *parcitas enim victus, & aſperitas veſtitus ſunt cuſtodes caſtitatis.* Propheta quoque regius ad tuendam poſt lapſum cordis puritatem ſubtus purpuram ſemper induebatur cilicio, quod indicat, dum ait: *Conſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia.* Optime igitur D. Chryſoſtomus in duobus diverſis locis omnes nos monet ut ad conſulendum pudicitiæ & puritati corporis, auſteritatibus & rigoribus vitæ libenti animo nos ſubjiciamus, ut ſtolis candidis in vita futura indui, & Agnum ſequi poſſimus immaculatum quocumque ierit: In primo etenim loco dicit: *Quid adhuc murmuras caro miſera, quid adhuc recalcitras, & adverſus ſpiritum concupiſcis.* In alio verò inquit: *Ad tuam animam loquere: Triſtaris quia te corporis voluptate defraudo? Sed lætare potius, quia cælorum tibi regna providebo.*

*D. Chryſ. ſer. 2. de verb. Iſai.* — *D. Chryſ. Hom. 6. in Matth.*

## DISCURSUS XXIV.

### ARGUMENTUM.

Gula continentiæ naufragium adſciſcit, e contra verò ſobrietas & parſimonia in victu magnum illi præbet ſubſidium.

### THEMA.

*Jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ.* Judith. 8. ℣. 6.

Sobrietas caſtitatis mater. — *Judith 13. v. 20.* — *S. Ambr. in Gloſſa.* — *S. Bonav. de profectu relig. l. 2. c. 52.*

1. SCriptura ſacra heroicum Judith facinus, cui ſe cum tam evidentibus pudicitiæ & honeſtatis ſuæ perdendæ periculis accinxit, referre volens, dicit: *Jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ*, quaſi dicere vellet, non eſt quod miremini, quod generoſa hæc mulier pudicitiam ſuam intactam & illæſam permanſiſſe declaret: *Non permiſit me Dominus coinquinari*; ſiquidem invincibilem ſemper pudicitiæ ſuæ defenſorem ſecum habebat, non ſolum Angelum, ſed & jejunium ac ſobrietatem. Unde Sanctus Ambroſius à Gloſſa citatus de illa dicit, *quod fuerit quotidianis roborata jejunijs*; Ac proinde ſi virtutem hanc continentiæ apud nos ſecuram eſſe volumus ſobrietas nobis neceſſaria eſt & temperantia; *Caſtitas enim eſt ſobrietatis filia*, inquit Sanctus Bonaventura, *& nutritur ab ea, ſicut econtrario luxuria nutritur à Ventris ingluvie.*

Bacchus & Venus individui. — *2. Reg. 11. v. 8* — *Ibid. v. 13* — *Theodoret. q. 25. ibid.* — *Tertull. l. 1. de ſpect. c. 18* — *Epheſ. 5. v. 18*

2. David adulterium cum Bethſabea commiſſum occultare volens. Uriam maritum ejus ab exercitu ad ſe accerſiri fecit, ut cum uxore ſua dormiens maritalibus vacaret amplexibus; ſed obſervetis velim, quonam medio eum ad id inſtigare ſit conatus; ſcriptura enim dicit. *Secutuſque eſt eum cibus regius*; Sed quorſum adhibetur hæc regij affectus erga privatum & gregarium hunc militem, cum totius aulæ regiæ vehementi admiratione exhibita demonſtratio? Numquid ſatius fuiſſet ſi Bethſabeæ perſuaſiſſet, ut inſtanter ab Uria conjugale depoſceret debitum? Nequaquam, inquit David, ſed ſequatur eum cibus regius, ad ſatietatem non ſolum, ſed ad ſuperfluitatem uſque epuletur & bibat, nullus enim eſt ad incontinentiam promovendam potentior ſtimulus: *Vocavit eum David, ut comederet coram ſe, & biberet, & inebriavit eum*; id eſt, inquit Theodoretus, *frequenti & liberali invitatione coegit, ut biberet, ut irrigata cupiditate vino, eum incitaret ad conjunctionem.* Ideo Tertullianus Venerem & Bacchum indiſſolubilem inter ſe nexum habere aſſerit: *Duo iſta dæmonia conjurata & conſpirata inter ſe ſunt, ebrietatis & libidinis.* Unde & Apoſtolus Epheſios monet dicens; *Nolite inebriari vino, in quo eſt Luxuria.*

Vinum concupiſcentiam parit. — *Rom. 13. v. 13.* — *Ibid.* — *1. Tim. 5. v. 23.* — *Ibid. v. 22.* — *S. Ephr. T. 1. de virg. & Contin.* — *S. Ephr. ſer. de virginitate.*

3. Philoſophi naturales de lilio aſſerunt, quod vino rigatum candorem ſuum ſubitò amittat: Eodem modo candor pudicitiæ, naufragatur in convivijs & ebrietate; Ideo Sanctus Paulus poſtquam dixiſſet: *Sicut in die honeſte ambulemus*, protinus modum tradere voluit, quo caſti & pudici perſeverare valeamus dum ſubjungit: *Non in commeſſationibus & ebrietatibus.* Ac proinde ſolicite curare volens ut S. Timotheus, qui Epiſcopus erat, puritatem & caſtitatem corporis ſacerdoti & Prælato Eccleſiaſtico adeo neceſſariam, illibatam ſervaret, ob ſtomachi quidem debilitatem ei permittebat, ut vinum biberet, attamen in exigua quantitate: *Modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*; hanc inquam licentiam ei indulget, licet prius caſtitatem ei commendaſſet dicens: *Teipſum caſtum cuſtodi.* Quem textum D. Chryſoſtomus ponderans dicit: *Viro uſquequaque jejunijs dedito, & in tantum aquæ aſſueto, ut infirmaretur, & crebras morborum moleſtias pateretur, pudicitiam præcipit*; quaſi diceret: Apoſtolus melius eſſe judicabat ut periclitaretur ſanitas quam honeſtas ad hanc enim vel maxime oculus noſter dirigendus eſt, quæ per ciborum etiam licitorum abſtinentiam conſervatur. Unde S. Ephrem exclamans dicit: *O caſtitas dapibus atque epulis, ebrietatique inimica.* Qui idem ſanctus in alio quodam loco contra vinum ita declamat: *Noſtine potentiam vini? ſi minus noſti, audi, ego indicabo. Noë vir juſtus ſanctus atque perfectus in generatione illa, quæ ſibiipſi pernities extitit, qui & à Deo meruit de pietate ſua commendari, dum ad eum dixit: Te ſolum vidi juſtum in generatione hac corrupta; juſtus igitur hic, qui inundationem aquarum tempore univerſalis diluvij vicerat, à modico vilique vino victus eſt dormiens; aquæ infinitæ non potuerunt vincere illum, vinum autem vile inter dormiendum juſti viri corpus nudavit.* Exemplum quoque Lothi adducit in medium, qui vino plenus cum proprijs filiabus ſuis eodem tempore commiſit inceſtum, & qui antea ab incendio elementari Sodomæ illæſus remanſerat, poſtea ab igne concupiſcentiæ, qui omnes alios Pentapolitanos conſumpſerat, graviter læſus fuit.

Mulier guloſa laſciva eſt. — *Auth. imperfecti Hom. 1.* — *Gal. 5. v. 17.* — *Albert. Mag. ſer. in 1. Dom. Quadrag.*

4. Author imperfecti mulieres vino deditas in pudicitia periclitari aſſerit, dicens: *Omnis mulier quæ vinolenta eſt & commeſſatrix, etiam meretrix eſt, nam ſive in cibis, ſive in libidinibus delectatio carnis, eſt quæ præcipitat hominem, mulier quoque quæ ſuavitatibus gulæ ſuæ non contradicit, multo magis neque libidini ſuæ reſiſtere acquieſcit, ſicuti etiam Apoſtolus dicit: Quoniam vidua quæ in delicijs eſt, vivens mortua eſt.* Fortalitium vel arx, quamdiu victualibus abundat, de ſui deditione non cogitat, at verò annona deficiente, de bonis deditionis ſuæ paciſcitur conditionibus: ita pariter in hoc bello, quod ſpiritum inter & carnem geritur, quia *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, caro numquam ſe devictam ſpiritui ſubjicit, quamdiu ſe impinguandi facultatem habet & alimonia ei ſufficiens ſuppetit, gulæ autem cupedijs deficientibus, ſpiritui facile ſe devictam ſubjicit, nam ut S. Nilus ſcribit: *Libido gulam Sociam ſibi aſſumit in bello, ut ejus auxilio atque inſidijs tandem expugnet adverſarios.* Albertus Magnus eamdem belli ducis ſimilitudinem adducit, qui facile una cum exercitu ſuo victas manus cedit, dum ei victus alimonia deficit: *Caſtellanus fame ſubactus, caſtrum tradit ad libitum expugnantis, ſic luxuria per famem domita corpus ad libitum hominis, & rationis tradit.*

Hiſtoria. — *Sylva Hiſt. l. 9 Tit. 6. Ex. 1.*

5. In ſylva hiſtoriarum de juvene quodam narratur, qui omnes juvenculæ cuidam pro viribus parabat inſidias, ut eam in ſuam libidinem conſentire faceret, tandem poſt multas & iteratas ſolicitationes, & à puella acceptas repulſas, puella ſe libenter in ejus libidinem conſenſuram eſſe dixit, dummodo ſe facturum eſſe polliceretur, quidquid ab illo peteret; Qui cum ſe omnibus ejus juſſibus promptè parere velle promiſiſſet, eumdem conclavi cuidam domus ſuæ integro triduo ſine cibo & potu incluſit,

quo

quo elapſo poſtquam menſam opiparis inſtruxiſſet edulijs, eidem foras educto dixit : Ecce tibi lautam præparatam menſam, & ecce lectum jam tibi quod placitum fuerit, eligere licet ; juvenis autem qui ſe fame moriturum credebat, nullos jam amplius carnis ſentiens ſtimulos, prandio potius famem ſedare, quam in lecto cum puella laſcivire maluit, cui proinde prudens virgo dixit : quotieſcumque te mala carnis concupiſcentia infeſtat, deſine manducare, & bibere deſine, hiſque dictis, juvenem confuſum & emendatum relinquens, ab eo diſceſſit.

*S. Bonav. ib.*

Optime igitur S. Bonaventura monet dicens : *Qui caſtus eſſe deſiderat, ſtudeat ſobrietati ; quia ſine ea non diu caſtitas eſt ſecura, & cum proficiente proficit, & cum decreſcente decreſcit.* Tertullianus de luctatoribus

*Tertull. l. ad Mart.*

inquit : *Athletæ ſegregantur in ſtrictiorem diſciplinam ut robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lectioribus ; à potu jucundiore ; coguntur, cruciantur, fatigantur ; quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoria ſperant :* adhibetque idem argumentum, quo S. Paulus utitur ad improperandum nobis, quod ſegnes ſimus ad imitandum luctatores, ut Victoriam reportemus longe glorioſiorem, noſtræque ſaluti neceſſariam : *at illi*, inquit Apoſtolus, *ut coronam corruptibilem conſequantur :* Quiſquis igitur tempora ſua caſtitatis diademate coronari deſiderat, huic neceſſarium eſt ut contra gulam vincendam ſtrenuè contendat.

*Juxta 1. Cor 9. 25.*

Virgines gulam fugiant.

6. S. Hieronymus miraculum eſſe exiſtimat, quod Nebridius in medio aulæ regiæ caſtum ſe & purum conſervare potuerit, virgoque manere inter continuas epulas : *Quorum menſæ miniſtrat orbis terræ, ac maria ſerviunt, inter rerum abundantiam, in primo ætatis flore, tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret.* S. Baſilius quoque hoc documentum virginibus præſcribit : *Ante omnia adverſus guſtum virgo tota intentione pugnabit, fontes voluptatum, ventris & impudicitiæ fomitum inde manantium à principio caſtitatis ſtudio & amore ſiccabit, ne dum virginitatem ſervare proponit, guſtus ſe immoderate proſtituens, caſtitatem ſuam alia fruendi voluptate ſenſim, dum neſcit, amittat.*

*S. Hieron. ad Salvin.*

*S. Baſil. de vera virg.*

Proſecutio.

*B. Laur. Juſtin. de ſobriet. c. 1.*

7. Aptius gulæ epithetum dari nequit, quam quo B. Laurentius Juſtinianus illam in ejus deteſtationem vocat *Procellam corporis, naufragium caſtitatis.* Etenim S. Paulus virtutem hanc continentiæ theſauri nomine honorat, dum ait : *habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus :* theſauri autem in naufragijs amittuntur, ac proinde in naufragio gulæ foras continentia ejicitur. Et ideo S. Nilus in eadem oratione dicit : *Pudicitiam parit temperantia, gula autem mater eſt impudicitiæ ;* Adducitque ad hoc dilucidandum facilem quamdam familiaremque ſimilitudinem : Quis enim grave & enorme videns ardere incendium, illudque affuſo oleo, vel ſtuppa appoſito extinguere volens, ſtultus eſſe non videbitur & inſipiens ? Sic quoque fatuus eſt, inquit idem Sanctus, qui caſtum ſe conſervare volens, laute ſe nutrire non deſinit, quia cibi, gula, & victus lautities, carnalis ignis unicum eſt nutrimentum : *Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, qui ſe ignis impetum ſtuppa compreſſurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur.* Sanctus Hieronymus incredulum ſe profitetur eſſe erga illos, qui caſtos ſe & continentes eſſe gloriantur, nec tamen ſobrij ſunt, & continentes : *quid neceſſè eſt nos jactare pudicitiam, quæ ſine comitibus & appendicibus ſuis continentia & parcitate fidem ſui facere non poteſt ?*

*2. Cor. 4. v. 7.*

*S. Nilus ibid.*

*S. Hieron. ad Furiam.*

Conceptus.

8. Quodnam in eo myſterium latere exiſtimatis, quod ſignum virginis in cœli Zodiaco in medio Leonis & Libræ poſitum eſſe cernatur ? Porro leo animal eſt vigilantiſſimum, quia *apertis oculis dormit ;* Libra autem ſymbolum eſt temperantiæ, atque ideo ſitus ille virginis in Zodiaco deſignat, virginitatem duarum comitum indigere obſequijs, vigilantiæ nimirum ſeu circumſpectionis, & temperantiæ ſeu abſtinentiæ, ſi in cœlis ſedem aliquam habere velit. Unde Sanctus Baſilius in eodem loco, ubi *de vera virginitate* diffusè differit, virginem his verbis hortatur : *Guſtum ad ſuavia & dulcia ſemper inhiantem ratione frænabit, & ad ea quæ ſunt neceſſariò ſumenda moderabitur.*

*S. Baſil. de vera virg.*

Gula laſcivũ facit corpus.

*S. Joan. Climac. in ſcal. ſpirit. gr. 14.*

9. S. Joannes Climacus dicit, quod tametſi gula mater ſit omnium vitiorum, ejus tamen primogenitus ſit fornicatio, quam proinde hunc in modum introducit loquentem : *Stirpium verò mearum nomina quomodo quæritis addiſcere ? Dinumerabo eos & ſuper arenam multiplicabuntur : Primogenitorum tamen meorum, eorum qui hujuſmodi ſunt, appellationem audite : Filius primogenitus meus fornicationis incenſor eſt.* Unde obſervandum eſt, quod eodem in contextu quo Paulus ad Hebræos ſcribens, Eſau fornicarium vocat, ſimul etiam eſcæ mentionem facit ; ob cujus immoderatam gulam vendidit primogenituram : *Ne quis fornicator aut profanus ut Eſau, qui propter unam eſcam vendidit primogenita ſua.* Sanctus Iſidorus Peluſiota, dum ab eo textus illius poſceretur expoſitio, connexionem quæ eſt inter gulam & libidinem ex hoc textu deducens inquit : *Nihil neceſſè quamobrem ex me ſciſcitareris, quænam horum verborum explanatio ſit, ne quis fornicator aut profanus ut Eſau : cum ſcriptura ſacra eum primogenitorum juris proditorem, ob ventris ingluviem & voracitatem fuiſſè convincat ; nam cum eum gulæ deditum fuiſſè oſtendiſſet ; una quoque fornicatorem & profanum fuiſſè ſatis habuit demonſtraſſe.* Et quidem S. Bernardinus, ut hanc quæ eſt inter duo illa vitia, gulam ſcilicet & luxuriam arctam familiaritatem & indiviſibile conſortium demonſtret, aptas quaſdam adducit ſimilitudines dicens : *ſubtractis lignis ceſſat ollæ fervor ; remota cauſa removetur effectus ; non poteſt ſine anima moveri corpus, non ſine ſole radius, non ſine mari fluvius, non ſine fonte rivulus, non ſine radice ramuſculus, ſic nec ſine gula rebelle eſt corpus.*

*Pſalm. 138. v. 18.*

*Hebr. 12. v. 16.*

*S. Iſid. Peluſ. l. 1. Ep. 320.*

*S. Bernardin. ſer. 7. in die Cin. A. 1.*

Luxurioſorum cura.

10. Dic ſodes, quandonam filius prodigus poſt conſumptam & prodige dilapidatam cum meretricibus ſubſtantiam in ſe reverſus pœnitere cœperit : *ſurgam & ibo ad patrem meum & dicam illi &c.* Tunc nimirum quando ad glandes & ſiliquas porcorum redactus famem pati cœpit : *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo ;* tunc inquam caſtus eſt factus, *ſurgam &c.* Verumtamen quia malum ſibi gulæ & crapulæ habitum contraxerat, *cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porcì manducabant, & nemo illi dabat.* Unde S. Auguſtinus ſuper hunc textum ait : *Neque enim alia cura eſt luxurioſis, niſi ut ventrem impleant ; quorum Deus venter eſt.*

*Luc. 15. v. 18.*

*Ibid. v. 17.*

*Ibid. v. 16.*

11. In Jeremia hæc verba leguntur : *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt, unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* In lingua Hebræa autem legitur : *Equi ſaginati*, vel *bene paſti.* Pagninus verò legit : *Equi ſaturati ſingulo mane erant.* Porro hic ſaginatorum equorum hinnitus, ad carnales eorum appetitus alludit, qui uxoribus inhiant & inſidiantur alienis. Eccleſiaſticus ad idem propoſitum dicit : *Anima calida quaſi ignis ardens, non extinguetur ... donec incendat ignem.* Quæ verba de alio igne quam carnali intelligi nequeunt, quia immediate ſubjungit : *Homini fornicario omnis panis dulcis ;* Et ideo Lyranus ad propoſitum noſtrum ait : *Homo nequam, id eſt, guloſus non deſinet, donec accendat ignem luxuriæ.* Et Sanct. Hieronymus ad Euſtochium virginem ita ſcribit : *Hoc moneo, hoc obteſtor, ut ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno, hæc adverſus adoleſcentiam prima ſunt arma Dæmonum, Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis.* Ubi notanda eſt dictio illa, *Venenum*, vinum enim tale venenum eſt quod placet, & in dulcedine mellis abſconditum, ac proinde ſapiens optime monet dicens : *Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus ; ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus Venena diffundet.* Quæ ultima verba de carnali intelliguntur concupiſcentia, quia ſtatim ſapiens ſubjungit : *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perverſa.* Ubi Beda ait : *Conſuetum & pene naturale eſt vitium poſt ebrietatis venena diffuſa in corde, muliebrem ſequi concupiſcentiam, comitante etiam procacitate & turpitudine verborum :* Propter hoc B. Laurentius Juſtinianus monet dicens : *Nunquam poterit ad decorem attingere pudicitiæ, quicumque voracitati gulæ fræna laxaverit, neque ardentes poterit concupiſcentiæ ſtimulos inhibere, quiſquis deſideria gulæ arctare nequiverit.* Sanct. Joannes Chryſoſtomus eum qui pudicitiæ amator eſt, non ſolum gulam, ſed & quodvis obſcænum verbum ſtudioſiſſime fugere debere aſſerit : *Qui temperans, modeſtus & caſtus eſt*, inquit, *is nec commeſſationem admittet, nec temulentiam, nec dictis fœdum aliquod verbum proferet, nec alteri cuiquam id genus fœditatibus inſervienti aures ſuas accommodabit.*

*Jerem. 5. v. 8 & 9.*

Vinum caſtitati venenũ.

*Eccli. 23. v. 22.*

*Ibid. v. 24.*

*Lyran. ibid.*

*S. Hieron. ad Euſt. l. 2. Epiſt. 17.*

*Prov. 23. v. 31.*

*Ibid. v. 33.*

*V. Beda ibid.*

*B. Laur. Juſtin. de ligno vitæ c. 5.*

*D. Chryſoſt. l. cont. gentes T. 1.*

Abſtinentia ſuadetur.

*S. Ambr. l. 2. de Virg.*

12. De ſanctiſſima virgine Deipara unico honeſtatis ſpeculo S. Ambroſius inquit : *Quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret.* In libro verò præcedenti ad eaſdem virgines dixerat : *Cibus parſimoniæ,*



*moniæ, potus abſtinentiæ, docet vitia neſcire :* Et verò licet caſus dari nonnumquam poſſit, quod is qui laute nutritur, ſimul etiam caſtus & pudicus ſit, & honeſtè vivat, illa tamen caſtitas conſtans non erit nec diu durabilis, nam ut D. Chryſoſtomus ait : *Caſtitas ſine comitibus ſuis jejunio videlicet & temperantia cito flacceſcit, quod ſi his quaſi adminiculis roborata fuerit, perfacile coronabitur.* Sanctus Elias Propheta virgo fuit, quis autem illum ſobrium fuiſſe neget, qui de modico pane ſubcinericio comedens, & paululum aquæ bibens, ſine ullo alio cibo quadraginta diebus jejunus permanſit. S. Joannes Baptiſta pariter virginitatis dono egregie à Deo decoratus fuit ; ſed & Salvator noſter ipſemet in ejus laudem dixit : *Venit enim Joannes non manducans, neque bibens.* S. Joannes Climacus eamdem adducit ſimilitudinem, quam ſupra ex Sancto Nilo tetigimus ; dicit enim ; *Qui ſatur ventre bene ſaginato vult ſpiritum luxuriæ vincere, prorſus facit quod is, qui incendium conatur oleo extinguere.* S. Bernardinus poſtquam carnem noſtram delicate nutritam aſino benè ſaginato & paſto ſimilem eſſe dixiſſet, qui Dominum ſuum calcibus impetit, & luto conſpurcat, hac inſuper utitur ad intentum noſtrum ſimilitudine : *Sicut quanto plus de ſimo ponitur in terra, tanto amplius herbæ inutiles creſcunt, niſi ſarculo extirpentur ; ſic quanto magis homo delicate nutriverit & impinguaverit carnem ſuam, tanto magis inſurgunt inordinati concupiſcentiæ motus, niſi ſancta diſciplina diligentius excolatur ;* adducitque ſequentem S. Auguſtini authoritatem dicentis : *Spiritus deficit, ubi caro pingueſcit, ut enim caro mollibus, ſic anima duris nutritur ; illam blanda refovent, hanc aſpera exercent.* S. Bonaventura ſpiritualis vitæ eximius Magiſter idem quoque pro cuſtodia virginitatis remedium, & vitij contrarij velut frænum aſſignat, monens, *Corpus non delicate nutrire ;* cujus propoſitionis hanc reddit rationem : *Terra enim corporis noſtri, quæ ex prima maledictione ſpinas & tribulos ultro ſatis germinat, ſi ſuper hoc fuerit impinguata delicijs, tanta erit ſpinarum denſitas, quod ſemen verbi veritatis in nobis penitus ſuffocabitur ;* juxta illud Prov. cap. 29. *Qui delicate nutrit ſervum in juventute ſua, poſtea ſentiet illum contumacem, hoſtem ſuum armat, qui carnem ſuam fovet delicijs, ultra neceſſitatem debitæ ſuſtentationis, quod autem hoſti præſtas, inde tibi noces.* Denique Eccleſiaſticus ventris ingluviem cum carnali concupiſcentia ſimul conjungit ; unde hunc in modum Deum rogabat : *Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me.*

*D. Chryſoſt. Hom. 1. in Pſal. 50.*

*Matth. 11. v. 18.*

*S. Joan. Climac. grad. 15 n. 21.*

*S. Bern. ſer. 5. de eſurie juſtit. T. 5.*

*S. Bonav. T. 2. de prof. relig. l. 1. c. 39.*

*Eccli. 23. v. 6.*

De hac materia fuſius tractatur ſupra Tom. I. hujus Bibliothecæ, verbo Abſtinentia, Diſcurſu IX. & X.

## DISCURSUS XXV.

## ARGUMENTUM.

Oratio caſtitatem promovet, pro cujus cuſtodia magna opus eſt circumſpectione, maxime in mulieribus, ut ſcilicet modeſte ſe veſtiant, oblata ſibi munuſcula ſpernant, & ſilentium inſuper cum ſancta quadam ruſticitate, ut ita dicam, obſervent.

## THEMA.

*Ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens niſi Deus det, . . . adij Dominum & deprecatus ſum illum*, Sap. 8. ℣. 21.

Oratio eſt libidinis frænum.

1. IN ſuperioribus Diſcurſu XVII. virginitatem & caſtitatem ſpeciale Dei donum eſſe, ipſique in acceptis grata mente referri debere, minime vero noſtræ adſcribendum eſſe diligentiæ fuſius oſtendimus, in præſenti vero Diſcurſu id ſolum demonſtrare ſatago, quod pro illius conſervatione ad orationem & nonnulla alia remedia nobis recurrendum ſit, quæ in præſenti & ſequentibus Diſcurſibus Deo dante fuſius examinabimus. In primis igitur certum eſt quod anima Deum ſeria mente recogitans, ſeduci nequeat, ut facile in voluptates carnis conſentiat ; Unde Sanctus Bernardinus dicit : *Contemplatio divina proxime valet ad expulſionem hujus vitij.* Ubi etiam ſuper illa Iſaiæ verba : *Laude mea infrenabo te ne intereas*, dicit : *Eſt quoddam frænum animam ab interitu peccati retrahens laus divina ;* Cujus valde efficacem aſſignat rationem, cur oratio vocalis & laus Dei frænum forte ſit ad reſtringendam ſenſualitatem, quia *Dum intendit divinis, non poteſt ſimul temporalia deguſtare ; nam guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro.* Rabbanus ſimiliter ad ſuperandas carnis tentationes orationem & meditationem, ſeriamque ad ſacras literas applicationem valde utilem eſſe fatetur, dum ait : *Nec enim ſufficit ei, qui ab hoc immundiſſimo vitio vult ſanari ſolum corporale jejunium, niſi præcedat contritio ſpiritus & oratio, & continua ſanctarum Scripturarum meditatio.* Et quidem in S. Paulo caſum, ut dici ſolet, *in terminis* habemus, qui licet caſtitati virginali addictiſſimus eſſet, ſuum tamen & ipſe in ſemetipſo ſpiritum inter & carnem ſuam expertus eſt luctam : *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Quonam vero conſilio aut medio uſus eſt, ut in hoc prælio victor evaderet ? Nimirum ad orationem recurrit ; ac proinde cum Sapiente dicere potuit : *Adij Dominum & deprecatus ſum illum ;* Ipſemet namque ad Corinthios ſcribit : *Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet à me.*

*S. Bernard. T. 4. ſerm. 20 de luxur.*

*Iſaiæ 48. 9. Bernard.*

*Rabban. T. 6. l. 3. de pœnit. ſatisf. c. 48.*

*2. Cor. 12. v. 7.*

*Sap. 8. v. 21.*

*2. Cor. 12. v. 8.*

Hiſtoria.

*Lib. 2. vitæ c. 13. n. 5.*

2. In vita S. Philippi Nerij refertur, quod cum multi de eo adhuc in annis juvenilibus poſito, illum talem eſſe, qualem illum communis fama deprædicabat, ſibi perſuadere non poſſent, eum die quadam ſub honeſto prætextu in domum ſuam invitatum, in cameram quamdam introduxerint, ejuſque fores poſt intromiſſas duas mulieres infames, forinſecus obſerarint. Sanctus autem vir Dei in hiſce anguſtijs ſe ne quidem per fugam caſtitati ſuæ conſulere poſſe videns, ad orationem confugit, tantoque cum fervore oravit, ut miſeræ illæ mulieres illum non ſolum propius accedere, aut ad illicita ſolicitare, ſed ne verbum quidem cum eo loqui præſumentes, ambæ confuſæ protinus inde receſſerint.

3. Fratres item S. Thomæ de Aquino, ipſum à ſancto propoſito dimovere volentes, mulierem quamdam recens nuptui traditam juvenem, ſpecioſam, & laſcivam dato pretio conductam ad ſanctum fratrem ſuum in carcerem ab eis conjectum per verborum lenocinia ad laſciviam inſtigandum, in eumdem carcerem intromiſerunt ; quæ tum ut promiſſum ſibi lucrum non amitteret, tum ut cum illo effræni libidini ſuæ ſatisfaceret, omnes quas excogitare poterat diabolicas artes & muliebres illecebras adhibuit ; Deus autem qui S. Thomam elegerat, ut velut puriſſimum virginitatis ſpeculum ſuper candelabrum Eccleſiæ in ſublimi collocaret, ipſum pariter cœleſti ſpiritu ſuo obarmavit ; ſiquidem poſtquam in ferventi oratione ſuam ad Deum mentem elevaſſet, ejuſque cœleſte invocaſſet auxilium, Deus menti ejus inſpiravit, ut ad ſalvandam pudicitiam ſuam ardenti quodam titione arrepto, ipſam in fugam ageret : hacque ratione pro caſtitate ſua tuenda glorioſam ſibi comparavit victoriam ; ac proinde S. Gregorius Nyſſenus merito inquit : *Oratio pudicitiæ præſidium atque tutamen eſt, oratio virginitatis ſigillum eſt.*

*S. Greg. Nyſſ. orat. 1. de Orat Dom.*

Hiſtoria ſacra.

4. Judith aliquot dierum ſpatio in poteſtate Holofernis conſtituta, primis obtutibus Holofernem exceſſiva pulchritudine ſua in deſiderium ſui accendit : *Statim captus eſt in oculis ſuis Holofernes ;* Cuncti ejus aulici, & innumerabilis exercitus ſui milites, adeo eam ſuſpirabant, ut dicerent : *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras habent mulieres, ut non pro his contra eos merito pugnare debeamus ?* Et tamen inter tot illi ad lapſum protenſos laqueos, inter tot ab Holoferne ei intentatas illecebras & lenocinia blandimentorum, illius pudicitia illæſa & intacta, ipſamet idipſum per os Spiritus veritatis conteſtante, permanſit. Undenam hoc ? Vultiſne ſcire cauſam ? Nimirum ab initio dum ad illum ingrederetur, licentiam ſibi dari petijt, ut nocturno tempore ſtatis horis ad orationem ſurgere poſſet : *Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te, & exiet ancilla tua, & orabo Deum.* Ubi S. Auguſtinus ait : *Judith ſanctiſſima cujus precibus patuit cœlum, orationis arte arma victricia fabricavit.* Lyranus ſuper illa verba : *Induitque ſandalia pedibus ſuis ;* In ſenſu morali ita inquit : *Affectiones ſuas ſacris meditationibus muniendo.* Enimvero quando ipſa diverſa ſubſidiorum genera mente ſua ruminabat, quibuſcum labenti & ad extrema redactæ patriæ ſuæ ſuccurrere poſſet, quando ei profligandus erat exercitus non minus formidabilis, quam numero copioſiſſimus, in quam partem tandem ſeſe reſolvit ? Num forte armamentarium ingreſſa fuit Bethuliæ, ſeque forti armatura accinxit ? Audite : Cum Ozias ſacerdos ei dixiſſet : *Dominus ſit tecum in ultionem inimicorum noſtrorum, Judith ingreſſa eſt oratorium ſuum.* Porro in ſenſu morali

*Judith 10. v. 17.*

*Ibid. v. 18.*

*Judith 11. v. 14.*

*S. Auguſt. ſerm. 66.*

*Judith 10. v. 3.*

*Lyran. ibid.*

*Judith 8. v. 34.*

*Judith 9. v. 1*

lari Holofernes ebrius & laſcivus, vitium præfigurabat laſciviæ carnalis, pro quo vincendo nullum eſt armamentarium reperibile, quod fortiora ad bellum contra illud gerendum arma ſubminiſtret, quam Oratorium: ... *Et proſternens ſe Domino clamabat ad Dominum.* Etenim virginitas, ut ſuperius diximus, in lilio præfiguratur; ac proinde obſervandum, quod lilium truncum ſive pedem ſuum cœlum verſus erectum habeat, & in ſuperiori parte flos ejus ad eum modum formatus ſit, ac ſi crater vel ſcyphus quidam eſſet, ad rorem cœleſtem deciduum imbibendum patulus, ad denotandum quod anima caſta & pudica ad conſervandum candorem ſuum virgineum, opus habeat, ut mens ejus per contemplationem & meditationem ſæpius elevetur ad Deum.

*Judith. 9. v. 1.*

Tentationis tempore ad Deum confugiendum.

5. In vita S. Joſaphat à S. Joanne Damaſceno conſcripta legitur, quod Rex pater ejus, ut eum à fidei Chriſtianæ propoſito dimoveret, eum in chorum quemdam puellarum pulcherrimi aſpectus collocarit, ut ab earum ſeduceretur illecebris & puellaribus blandimentis. At vero quonam ſanctus hic juvenis ea in occaſione poſitus confugit? ubinam auxilium quæſivit? Nimirum ad Deum & æternam cœleſtis paradiſi pulchritudinem mentem ſuam convertit: *Confeſtim itaque amori amorem, hoc eſt, impudico divinum opponit, ſibique pulchritudinem illam ac gloriam, omni ſermone præſtantiorem, quam puræ animæ in Chriſti, Sponſi nuptijs, & quibus illi, qui nuptialem tunicam conſpurcarint, ejicientur, vinctiſque manibus ac pedibus in exteriores tenebras protrudentur, habituræ ſunt, in memoriam revocavit;* Cum enim virtus hæc eximium quoddam Dei donum ſit, ideo S. Iſidorus in cap. quod *de continentia* intitulatur, Deum orationibus noſtris interpellandum eſſe dicit, ut hujus nos doni faciat participes: *A Deo datur continentia: ſed petite, inquit, & accipietis, tunc autem tribuitur, quando Deus gemitu interno pulſatur.*

*S. Joan. Damaſc. in vita S. Joſaphat.*

*S. Iſid. l. 2. ſent. c. 20.*

Cautela eſt opus.

6. Verum enimvero præter orationem in hujuſce virtutis ſubſidium aliud inſuper requiritur remedium, videlicet diligentiſſima quavis in re adhibenda cautela & circumſpectio. Etenim ſignum virginis in cœleſti Zodiaco, ut diximus, in medio Leonis & Libræ conſiſtit, ad denotandum, quod virgo ad inſtar leonis, qui apertis oculis dormit, vigilare debeat, atque inſuper diſcat quodvis verbum, unumquemque obtutum, omnem motum &c. librandum ſibi & ponderandum eſſe exacte, omniaque & ſingula eidem ſuſpecta eſſe debere. Deus olim veſtem ſummi Sacerdotis, quæ alba & candida exiſtens, caſtitatem præfigurabat, byſſo corpori adſtringi præcepit, quæ ſpecies quædam eſt lini ſubtilis, delicati, & candidi: *Stringeſque tunicam byſſo;* Vatablus legit: *Opere ocellato;* At vero quidnam in eo latet myſterij, quod veſtis illa ad inſtar oculi formari juberetur? *Omnia in figura contingebant;* Et ideo per hoc denotabatur, quod ut caſtitas intacta & illæſa permaneat, Argum quemdam exigat centoculum, quia ut ſtructas ſibi inſidias & laqueos evadat, ex omni parte cauta & circumſpecta eſſe debet. Unde S. Baſilius animam virginitatis conſervandæ ſtudioſam ita hortatur: *Caveat ne aut aſpectum, aut motum, aut ſermonem ſuum affectu nimis pudico in quempiam ferat, motuſque omnes & animi & corporis in Sponſi ſui ſervitium redigat, ubique enim ille ejus intuetur cor, & motus omnes diligenter explorat.*

*Exod. 28. v. 39.*

*S. Baſil. de vera virg.*

Et circumſpectione.

7. Poſtquam Abraham tres illos Angelicos in domum ſuam ſuſcepiſſet hoſpites, tam ipſe quam Sara uxor ejus menſæ miniſterio, præparandiſque cibis & alijs obſequijs ferventer intenti erant; At vero diligenter obſervandum, quanta cum cautela & reſpectu idipſum præſtiterint: *Feſtinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes ... ipſe vero ad armentum cucurrit.* Ubi S. Ambroſius ait: *Bonus maritus exortem religioſi muneris eſſe non patitur uxorem, nec avare ſibi totum munus uſurpat: Recte igitur & pietatis & verecundiæ cauſa ſervatur, quod pietatis eſt, vult eſſe commune, quod pudoris eſt, integrum manet Saræ. Ante tabernaculum vir hoſpitum explorat adventum, intra tabernaculum Sara tuetur fœminæ verecundiam, & opera muliebria toto exercet pudore.* At vero numquid tres illi hoſpites Angeli erant, tres divinæ Triados perſonas repræſentantes? *Tres vidit, & unum adoravit.* Id quidem veriſſimum eſt, verumtamen etiam cum ipſiſmet Angelis in humana ſpecie apparentibus caute & circumſpecte procedendum eſt. De ſanctiſſima virgine ſcribit Ambroſius: *Inceſſu affectuque venerabilis, ut non tam veſtigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret.* In Virgine omnis geſtus, motus, ſermo, obtutus, cogitatio, veſtis, inceſſus, & reſpiratio ædificationem ſecum adferre, & modeſtiam ſpirare debet. Omne id ei dimittendum eſt, quod aut voluptatem ei adferre poteſt aut delectationem. Unde Sixtus Papa II. de caſtitate diſſerens verba illa: *Abneget ſemetipſum*, homini continenti dicta, ad propoſitum noſtrum declarat dicens: *Ut ſibi non vivat, & ut omne hominis deſiderium abdicet, ut univerſam carnis & corporis reſpuat voluptatem, hoc eſt abnegare ſibi, nullius jam humanæ cupiditatis voluptatibus ſubjacere.*

*Gen. 18. v. 6. Ibid. v. 7.*

*S. Ambr. l. 1. de Abrah. c. 5*

*S. Ambr. l. 2. de virg.*

*Matth. 16. v. 24.*

*Sixtus III. Papa de caſtit.*

Mulieres munera reſpuant.

8. Reſpuenda quoque ſunt mulieri ſexui præcipue omnia & ſingula oblata dona & munera. Refert Plutarchus quod cum Dionyſius Siciliæ Tyrannus filiabus Archidami veſtes dono miſiſſet opulentas valde & pretioſiſſimas, eaſdem hic generoſo animo repudiarit, dicendo: *Vereor ne hoc amictu puellæ turpes mihi eſſe videantur. Intellexit vir prudens, virgines nullo cultu melius ornari, quam ſimplici; Porro ſericis, gemmis, & auro dehoneſtari magis quam ornari, propterea quod veſtium luxus arguit animum parum ſobrium, & intuentium animos ad libidinem incitat citius, quam ad honeſtam opinionem. Decet autem ut virgo tota & undique virgo ſit, nec ulla ex parte det corruptæ mentis ſignificationem.* S. Agnes pariter tranſmiſſa ſibi à Præfecti Romani filio præclara & opulenta munera generoſa repulſa recuſavit accipere. Unde S. Maximus factum hoc cunctis puellis imitandum proponit dicens: *Diſcite virgines Chriſti normam puellaris exempli, & oblata ſub ſpecie pietatis virorum munuſcula tota intentione reſpuite, & quaſi rabidi canis morſus omni cum gaudio recuſate.* Nazianzenus quoque Orat. 18. S. Juſtinam laudans inquit: *Donarium ſacrilegas manus non metuens.*

*Plutarch. in Laconicis.*

*S. Max. de S. Agnete.*

*Nazianz. Orat. 18.*

Raro loquatur.

9. Eſt & aliud virginibus valde neceſſarium monitum, ad caſtitatem tuendam non minus proficuum, quod S. Hieronymus Demetriadi virgini his verbis præſcripſit: *Sit ſermo virginis prudens, modeſtus, & rarus, nec tam eloquentia pretioſus, quam pudore, mirantur te tacente tuam verecundiam.* S. Apoſtolus ad Epheſios ſcribens cavendum eſſe monuit, ne verbum aliquod proferatur, quod vel umbram in ſe obſcænitatis referat: *Omnis immunditia ... nec nominetur in vobis, ... aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Verba non ſolum laſciva, ſed etiam æquivoca in hac materia primæ ſcintillæ ſunt, quæ concupiſcentiæ ignem etiam in lignis viridibus adeo accendunt, ſicut verba pungentia & injurioſa ignem in nobis ardere faciunt iræ & vindictæ. *Neque dicas humanas facetias*, inquit D. Chryſoſtomus, *Et turpia neque facias, & flammam extinguas, nec nominetur inter vos, ſermones enim rerum ſunt viæ.*

*S. Hieron. ad Demetriadem.*

*Epheſ. 5. v. 3.*

*D. Chryſoſt. Hom. 17. ad Epheſ.*

10. Navis in alto mari ob aquarum in cœlum ſe erigentium impetum demergitur, & in abyſſum profundatur, quam ſimilitudinem S. Nilus obſcænorum ſermonum damna recenſens his verbis adducit: *Undarum impetu navis male inſtructa periclitatur, & verborum impudicorum mens imparata pervertitur.* Philoſophus ille moralis olim adoleſcentis genium exploraturus dicebat: *Loquere ut te videam.* Eodem modo inquit S. Antiochus: *Ab exitu ſermonis cognoſcitur vir, utrum ſcilicet pudicus an incontinens ſit.* Imo S. Joannes Chryſoſtomus virginem adeo vult eſſe taciturnam, ut quodvis illius verbum abhorreat, eamque non minus ſilentij quam pudicitiæ ſtudioſam eſſe deſiderat; Unde in Homilia quadam ait: *Pupilla appellatur oculus, & ſicut illa ſub duabus palpebris, veluti in quodam conclavi eſt, ita & virgo permaneat; ſicut & linguam ſub duobus ſeptis, dentibus ſcilicet & labijs Deus concluſit, ut tamquam indiſcreta virgo nihil inverecundum loquatur.*

*S. Nilus Orat. 2. de luxur.*

*Antiochus Hom. 2.*

*D. Chryſoſt. Hom. 22. ad pop.*

Proſecutio.

11. Deipara Virgo humillima quidem erat, ut S. Bernardus de illa dicat: *Humilitate concepit;* Et tamen Angelum eam tam ſpecioſis titulis ſalutantem non reſalutavit. *Quamvis eſſet humilis*, inquit Sanctus Ambroſius, *præ verecundia tamen non reſalutavit, nec ullum reſponſum retulit, niſi ubi de ſuſcipienda Domini generatione cognovit.* De Joſepho Patriarcha, qui dum à Domina ſua tentaretur, tam eximium ſe pudicitiæ zelotem exhibuit, idem Sanctus Ambroſius ait: *Ne ipſa quidem verba diu paſſus eſt*, neque enim umquam, quantum ſaltem ex ſacræ Scripturæ contextu conſtat, in liberalem ſe cum illa diſcurſum intromiſit, niſi quando generoſa repulſa ſolicitationes ejus à ſe repulit, imo quot verba laſciva ab ea ſibi dici audivit,

*S. Ambr. in Luc. cap. 1. v. 28.*

*S. Ambr. l. de Joſeph c. 5.*





veluti totidem vulnera in ſuo corde perſenſit: *Per ſingulos dies moleſta erat adoleſcenti.* Unde Baſilius Seleucus caſtum Joſephum his fere verbis introducit loquentem: *Hac voce haud aliter aures mihi vulnerantur, quam gladio, quomodo verborum tuorum abſtergam inquinamenta?* Sanctus Ambroſius qui præ cunctis alijs ſanctis Patribus in præſcribendis virginum ſtatui ſalutaribus documentis rarus & profuſiſſimus fuit inquit: *Deeſſe ſermonem virgini, quam ſupereſſe malo;* adducitque rationem cumprimis efficacem, nam illam à S. Paulo mulieribus factam prohibitionem ponderans, qua Apoſtolus mulieribus ne quidem in Eccleſia ad tradendum fidei Chriſtianæ Catechiſmum loqui permittit, ita ſcribit: *Nam ſi mulieres etiam de rebus divinis in Eccleſia jubentur tacere, domi viros ſuos interrogare*, 1. Corinth. 14. *de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem?* Idem quoque Sanctus Doctor in libro præcedenti ad eaſdem virgines, de Deipara Virgine inquit: *Corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior.*

*Geneſ. 39. v. 10.*

*Baſil. Seleuc. Orat. 8.*

*S. Ambr. l. 3. de virg.*

*S. Ambr. l. 2. de virg.*

12. Sanctus Baſilius *de vera virginitate* ſcribens virgini caſtæ non ſolum ſuadet, ut loquendi, verum etiam ut audiendi parcior exiſtat: *Et ne auditum quidem temere & indiſcuſſe verbis omnibus accommodabit.* Alcuinus Caroli Magni Imperatoris Præceptor in Geneſin ſcribens quærit: *Cur mulier ad interrogationem ſerpenti reſponderit?* Et ſubdit reſpondendo: *Ut prævaricatio ejus eſſet inexcuſabilis, cum nullo modo dicere potuit ſe oblitam eſſe mandati, quod ſerpenti prodidit.* Aptius verò ad præſens propoſitum dicere poſſumus, quod eo ipſo quo ſerpentem allocuta eſt, eique reſpondit, ſe deceptam fuiſſe dicere aut conqueri non poſſe, cum enim virgo eſſet, hæc autem ſolitudini & ſilentio merito dedita eſſe deberet, hinc eſt quod poſtea per paradiſum vagabunde oberrans, & cum ſerpente etiam diſcurſus inutiles miſcens nulla prorſus excuſatione digna fuerit, ſemper enim mulieres illæ tandem labuntur turpiter, quæ inutilium colloquiorum occaſionem non fugiunt, ſed potius vel talia ipſæ proſequuntur, vel ſimilia auſcultant. Nec eſt quod ruſticitatem vel inurbanitatem magnam futuram fuiſſe dicas, ſi loquentis diſcurſus ſaltem non auſcultaſſet, quia Sanctus Hieronymus ad Euſtochium virginem ait: *Ubi in pectore virginali ſæcularium negotiorum cura æſtuat, ſtatim velum templi ſcinditur, Sponſus conſurgit iratus & dicit: Relinquetur vobis domus veſtra deſerta;* Quod idem nos quoque de ijs aſſerere virginibus poſſumus, quæ profanis ſe mundi immiſcent negotijs aut otioſis confabulationibus.

*S. Baſil. de vera virg.*

*Alcuinus interrog. 62. in Gen.*

*S. Hieron. ad Euſtoch.*

13. In vita Sanctæ Franciſcæ Romanæ legitur, quod Angelus ejus Cuſtos validum ei colaphum impegerit, eo quod ſancta Dei famula ob certos humanos reſpectus, in ceremonijs & complementis tempus perdendo ſolito diutius ſe detinuiſſet. S. Hieronymus qui inter cæteros vel maxime huic ſexui ad pudicitiam conſervandam ſaluberrima monita præſcripſit, ruſticitatem hanc laudat & approbat, eamque potius urbanam quamdam civilitatem eſſe oſtendit, nam de vitando ſuſpecto contubernio diſſerens, ita ſcribit: *Si quis te carpit, quod ſis Chriſtiana, quod ſis virgo, non cures, quod ideo dimiſeris matrem, ut in monaſterio inter virgines viveres, talis detractio laus tua eſt. Ubi non luxuria in puella Dei, ſed duritia carnis, crudelitas iſta pietas eſt.* Quod virgo honeſtatis & pudicitiæ ſtudioſa circumſpecta ſit, & aliorum diſcurſibus præſens non loquendo, non reſpondendo, non auſcultando, vel ſalutantes non reſalutando, incivilis & inurbana ab alijs cenſeatur, curandum non eſt, quin potius inurbanitas hæc à prudentibus & apud Deum civilitas potius cenſetur: *Ruſticitas iſta honeſtas eſt.*

*In vita S. Franciſcæ Romanæ.*

*S. Hieron. l. 2. Epiſt. 9.*

Tactus non admittant.

14. Supereſt nunc ut pro majori hujus virtutis cautela aliud quoddam punctum tangamus in ordine ad tactum. Sanctus Cyprianus *de bono pudicitiæ* ait: *Contactus recedat etiam honeſtus; Nihil corpori liceat, ubi vitandum eſt corporis vitium.* Imo Sanctus Hieronymus audacius hac de re loquitur, dum ait: *Tactum & jocos eſſe morituræ virginis principia.*

*S. Cypr. de bono pudic.*

*S. Hieron. in vit. S. Hilar.*

15. Sanctus Baſilius quoque *de vera virginitate* dicit: *Tactum vero ut ſenſuum omnium pernitioſiſſimum, & ſæviſſime blandientem, ſenſuſque reliquos in ſua ad voluptatis illecebras pellicientem commaculatum, & perturbationis minime pervium ſemper quam maxima poterit cura ſervabit.*

*S. Baſilius de vera virg.*

# DISCURSUS XXVI.

## ARGUMENTUM.

Ad reprimendas occurrentes carnis tentationes, & continentiam ſartam tectam conſervandam plurimum confert honeſtæ converſationis aſſiduitas & ſolicita otij fuga, nec non auſteritates corporales.

## THEMA.

*Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum*, Prov. 31. ℣. 17.

Conſervandæ caſtitatis ſex conditiones.

1. PORRO concupiſcentiam carnalem in lumbis præcipue reſidere, probatione non indiget, ac proinde fortis illa mulier, quam Sapiens deſcribit, lumbos ſuos fortiter præcinxiſſe legitur: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos; lumbos autem præcingimus*, ut habet ſolemne illud tritum Sancti Gregorij dogma, *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*, Obſervandus verò eſt modus, quem fortis hæc mulier hac in re adhibuit: *Roboravit brachium ſuum*, id eſt, otioſa numquam ſtetit, ſed aſſidue laboravit. Sanct. Bernardinus de Senis citat D. Chryſoſtomum ita ſcribentem: *Sex ſunt quæ incorruptam ſervant caſtitatem; ſcilicet: Sobrietas, operatio, aſperitas cultus, inhibitio ſenſuum, raritas ſermonis cum honeſtate, evitatio opportunitatis & perſonæ, & loci & temporis.* Idem quoque in Hugone Cardinali ſuper illa verba Canticorum: *Sicut lilium inter ſpinas*, ſcriptum reperio; ſiquidem ibi per comparationem ad ſex folia lilij, ſex eaſdem caſtitatis conſervandæ aſſignat conditiones.

*S. Bernard. Tom. 3. Fer. 6. poſt. Pent. ſerm. 5. A. 3.*

*Cant. 2. v. 2.*

2. De hac cinctura Sanctus Bonaventura ait: *Caſtitas debet habere cincturam pretioſam, quia dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris; Et nota quod Daniel vidit virum accinctum renibus auro obryzo, quod eſt aurum pretioſum valde; Et Joannes vidit Filium hominis præcinctum ad mammillas; Zona autem ea,* ut dicitur Apocalypſis 1. *quod ſcilicet ad duplicem caſtitatem refertur, nam zona aurea, vel cinctura renum ſignificat corpus caſtum; Zona vero aurea inter mammillas ſignificat cor mundum,* quia ut dicit Philoſophus lib. de anim. cap. 17. *Cor hominis eſt inter mammillas aliquantulum declinans ad partem ſiniſtram.* Porro præcinctum eſſe habitus quidam eſt operantis & laborantis, non verò ejus qui otium amat. Sanctus Fulgentius ſuper illa verba Sancti Lucæ: *Sint lumbi veſtri præcincti*, inquit: *Omnis Chriſtianus præcinctos habeat lumbos, & fugiat libidinem.* Beatus Laurentius Juſtinianus ait: *Otioſitas mater eſt concupiſcentiarum, ipſa eſt quæ virum pudicum fortiſſime præcipitat in omnem reatum laſciviæ, facit ſuffocari virtutem, nutriri libidinem.*

*S. Bonav. in Diat. Sal. T. 4. de Conſil. Evang. c. 4.*

Otium fugiendum.

*Luc. 12. 35.*

*B. Laur. Juſtin. de ligno vitæ c. 5.*

3. Enimvero inter multa huic virtuti conſervandæ opportuna remedia à Sancto Bonaventura Opuſc. *de Pugna ſpirituali* allata, unum eſt; *Opus manuum inſtabiles cordis pervagationes coërcens.* Idem quoque Seraphicus Doctor in libro *de profectu Religioſorum* ſuadet, ut qui tentationes carnis efficaciter vult reprimere, & caſtitatem tueri, ſemper occupatus eſſe ſtudeat, otiumque pro viribus ſemper declinet, quia *Occupatus ab uno Dæmone impugnatur, otioſus autem ab innumeris Dæmonibus vaſtatur, quia quot cogitationes & deſideria mala in corde verſat, tot inimicorum jaculis patet;* citatque authoritatem Sancti Bernardi in ſermone quodam *ad Fratres de monte Dei* dicentis: *Omnium tentationum & malarum cogitationum ſentina eſt otium; Sicut per rimam ſentinæ aqua latenter intrat, & creſcit, donec navis mergatur, ita ex otio cogitationes & concupiſcentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis ſuccumbens in peccata periclitetur.*

*S. Bonav. Opuſc. de pugn. ſpir. c. 2.*

*S. Bonav. l. 1. de prof. relig. c. 39.*

Proſecutio.

4. In Sancto Matthæo hujuſce nobis à Chriſto dictatæ veritatis liquidum habemus teſtimonium: Ibi namque Salvator ait: *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit*, donec ſcilicet revertatur, ubi de otioſo ſermo eſt, prouti ex verbis ſequentibus manifeſte deducitur, ait enim: *Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi;* Sed quamobrem tunc ibi quieſcere poſſunt? Cur illis ibi aditum liberum habere contingit? Propter otium, invenit enim homines inertes, & ab omni occupatione & labore vacuos: *Revertar in domum meam unde exivi, & veniens invenit eam vacantem;* Et ecce tunc multos alios Dæmones ſecum conducit: *Tunc*

*Matth. 12. v. 43.*

*Ibid. v. 45.*

*Ibid. v. 44.*

*Ibid. v. 45.*

*vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Nullum vero dubium eſt, quin ibi ſermo ſit de ſpiritu fornicationis, quia dicit de illo ſpiritu: *Cum immundus ſpiritus, id eſt*, ut Lyranus ait, *peccati carnalis appetitus.* Venerabilis Beda pariter hic de cordibus à cogitationibus carnalibus purificatis & mundis ſermonem eſſe dicit: *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, id eſt, corda fidelium, quæ à mollitie fluxæ cogitationis expurgata ſunt.* Hic autem immundus ſpiritus, tunc maxime ad animam poſſidendam majori cum vigore revertitur, quando otioſa eſt; nam ubi vulgata noſtra legit: *Scopis mundatam*, S. Hieronymus ex Græco legit: *Vacuam.* Hugo Cardinalis idipſum monet dicens: *Nolite ſtare otioſi, quia ad domum vacantem, unde exivit, Diabolus revertitur.* Didacus Stella ſuper eumdem textum ad noſtrum propoſitum ita ſcribit: *Et propter otium & parvam curam, quam adhibet erga ſalutem animæ Dæmon ſtatim revertitur*; Ideo Apoſtolus monet: *Nolite locum dare Diabolo.* In illa vero quæ ſemper ſtat exercitijs implicata, Dæmon nullum habet locum.

*Lyranus in c. 24. Luc. — V. Beda ibid. — Matth. 12. v. 44. — S. Hier. ibid. — Hug. Card. in Luc. 12. — Didac. Stella in Luc. — Epheſ. 4. 27.*

5. Refert Surius in vita S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, quod die quadam per plateam quamdam tranſiens, dum oculos in cælum attolleret, in vertice domus Angelos quoſdam viderit ſedentes, myſteriique hujus penetrandi cupidus, domum explorandi cauſa ingreſſus, viduam quamdam in ea invenerit pauperculam & inopem cum tribus filiabus nudipedes omnes & miſerrime veſtitas, atque ad comparandam victus ſui annonam aſſidue laborantes; Unde ſanctus Archipræſul viſa earum paupertate ad compaſſionem commotus, copioſam poſt ſe illis reliquit eleëmoſynam; Contigit autem quod ſanctus Paſtor poſt annum dum eadem via gradiens ad ejuſdem domus tectum ſive verticem reſpiceret, jam non amplius in eo Angelos, ſed Dæmones conſpexerit tripudiantes, unde cum de rei viſæ mutatione vehementer demiratus, de familiæ illius moderno ſtatu informationem expoſciſſet, mulieres illas poſt acceptam eleëmoſynæ liberalitatem otio plane ſe dediſſe, domumque ſuam peſſimo famæ odore aſperſiſſe intellexit: *Invenit eam vacantem, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus &c.*

*Surius T. 3. die 2. Maij c. 27.*

Similitudo.

6. Quotidiana nos docet experientia; mentem & imaginationem noſtram ſemper inquietam eſſe, ſemperque agitari & moveri, numquam verò quieſcere, & ſicut lapis molaris in molendo, niſi frumentum ad molendum habeat, molit ſemper aliquid quod deterius eſt: Ita quoque in animam quæ de rebus ſerijs non cogitat, nec occupatur & applicatur rebus arduis, cogitationes laſcivæ & obſcænæ facile ingrediuntur, in eaque nidificant. S. Greg. ſuper illa verba: *Nec voluerunt diſperdere ea*, de præda Amalecitarum, quam Deus totaliter diſperdi & annihilari præceperat, in ſenſu morali tractans, inquit: *Quaſi dicat; poſſent diſperdere ſi voluiſſent, nam nil facilius quam libido vincitur, ſi omnis immunda cogitatio devitetur; tanto igitur facilius diſperdi poteſt, quanto unuſquiſque cogitare alta, quam carnis oblectamenta poteſt, quia enim duas ſimul res imaginari non poſſumus, dum quidquid eſt aliud cogitamus, cogitare immunda non poſſumus; Celer ergo & facilis victoria libidinis eſt circumſpectio cogitationis.* Hæc eſt ratio, quam S. Bernardinus in ſerm. de luxuria adducit, ubi etiam aliqua adverſus hoc venenum remedia & antidota in medium adducens, ſequens adducit S. Hieronymi conſilium *ad Ruſticum* ſcribentis, ut ſequitur: *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.* Unde Apoſtolus cum dixiſſet ad Tim. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*, ſtatim ſubdit: *Dum venio* ergo *attende lectioni.* Illam quoque refert hiſtoriam, ab eodem Hieronymo ad Ruſticum tranſcriptam de Monacho quodam, qui majores & vehementiores quotidie in ſe experiebatur concupiſcentiæ carnalis ardores, licet illos ſuperare quotidie etiam ſatageret: *Cum eum periclitantem Pater monaſterij videret, hanc artem ſervari imperavit cuidam viro, ut virgis atque convitijs cum inſectaretur, & poſt irrogatam injuriam primus veniret ad querimoniam, & vocati teſtes pro eo loquerentur, qui fecerat injuriam*; Tandem poſtquam multo tempore hunc in modum cum eo decertatum fuiſſet, ab eoque quæreretur, an tot tamque vehementibus deinceps cogitationibus agitaretur inhoneſtis, reſpondit: *Mihi vivere non libet, quomodo fornicari liberet?*

*1. Reg. 15. 9. — S. Greg. l. 6. in l. 1. Reg. 15.* — Remedium. — *S. Bernard. T. 4. ſerm. 20. de lux. — 1. ad Tim. 4. v. 12. — Ibid. v. 13.*

Labor caſtũ ſervavit Joſeph.

7. Quis eſt qui quantas ſolicitationum frequentium moleſtias Joſephus Patriarcha ab impudica & laſciva Domina ſua perferre debuerit, ignoret? *Per ſingulos dies moleſta erat adoleſcenti*; Etenim mancipium & ſervus emptitius Domini ſui exiſtens, in priſtinam plenamque reſtitui poterat libertatem, dummodo in libidinem Dominæ ſuæ ſecum conſummandæ conſentire voluiſſet; Raræ item erat pulchritudinis, quæ haud mediocre eſſe ſolet concupiſcentiæ incentivum; In flore denique annorum conſtitutus erat, & peccatum ſemper manſiſſet occultum, & tamen in harum flammarum medio poſitus, non ſolum nullum contraxit incendium, ſed nec minimo ignis hujus fumo fuit offuſcatus. Scitiſne cauſam? nimirum ſemper occupatus erat, continuis erat applicatus laboribus: *Manus ejus in cophino ſervierunt*; adhæc notandum, quod omnium facultatum Domini ſui cura ipſi incumbebat: *Dominus meus omnibus mihi traditis &c.* Denique Moyſes ipſe magno cum myſterio rationem inſinuare voluiſſe videtur, ob quam S. Joſeph in repellendis à ſe impudicis Dominæ ſuæ ſolicitationibus adeo conſtans ſemper permanſerit, nimirum quia indefeſſe & aſſiduè operabatur & laborabat. Dicit enim ſacer textus: *Accidit quadam die, ut intraret Joſeph domum, & operis quippiam ... faceret.* Facito ſemper aliquid operis, ut te ſemper Diabolus inveniat occupatum.

*Gen. 39. v. 10. — Pſ. 80. v. 7. — Gen. 39. v. 8. — Ibid. v. 11.*

Otium David laſcivum.

8. David Rex annis ſuperioribus una cum exercitu ſuo & Belli ducibus ipſemet in propria perſona in campum procedere conſueverat; tandem anno quodam operæ pretium futurum eſſe cenſuit, ſi emiſſis in aciem belli ducibus ipſe Jeroſolymis quietus remaneret, bellique præſtolaretur eventum: *Eo tempore quo ſolent Reges ad bella procedere, miſit David Joab, & ſervos ſuos cum eo, David autem remanſit in Jeruſalem*; ubi Lyranus addidit: *otioſus.* Agedum igitur vultiſne ſcire undenam acciderit, quod vir ille, qui alias *ſecundùm cor Dei fuerat*, qui hactenus tanto pudicitiæ zelo & exemplo alijs præfulſerat, in adulterij horrendum barathrum miſere prolapſus fuerit? Ecce tibi ipſiſſima ſacri textus verba cauſam illius perſpicue indicantia: *Dum hæc agerentur* (id eſt poſtquam Joab cum exercitu ſuo Rabba obſidione cingeret) *accidit ut ſurgeret David de ſtrato ſuo poſt meridiem* (porro quies hæc vel ſomnus ille, cui tunc indulſerat, ex diurnis laboribus ei minime cauſatus fuerat, nec ſomnus nocturnus erat, ſed ex otio poſt meridiem ſtudioſe quæſitus, dum nil occurreret, quod ageret) *& deambularet in ſolario domus regiæ, viditque mulierem ſe lavantem ex adverſo ſuper ſolarium ſuum.* Ubi idem Lyranus, poſtquam adjeciſſet Ly *otioſus*, protinus ſubjungit: *propter quod incidit in adulterium*; ac tandem concludit: *Dæmones quos otioſos inveniunt, in peccatum inducunt.*

*2. Reg. 11. 1. — Ibid. v. 2. — 2. Reg. 11. v. 2. — Lyran. ibid.*

Otium laſcivas gignit cogitationes.

9. Tinea quæ pannos ex delicatiſſima etiam lana contextos devorat & conſumit, undenam naſcitur? Ex ipſiſmet pannis, quos deinceps rodendo diſperditat; at vero tempus adverte, quo id faciunt, non utique quando juxta corpus deferuntur & uſurpantur ab hominibus, ſed quando in veſtimentorum repoſitorijs ſeu armarijs otiantur & quieſcunt, dum non vertuntur, moventur, aut excutiuntur: eodem modo carnalis concupiſcentiæ tinea, quæ animam noſtram tot mortalium culparum, cogitationum & imaginationum laſcivarum morſibus corrodit, in nobis nullo alio tempore oboritur, niſi dum otio indulgemus; econtra vero, ut Poëta ille cecinit: *Otia ſi tollas periere Cupidinis arcus.* Quidnam Pſalmiſtam inſinuare voluiſſe cenſetis, quando ait: *In labore hominum non ſunt*; de illis utique ibi loqui intendit, qui ſine ulla animi occupatione, aut labore corporis otioſi & inertes vivunt; at vero quidnam illis tandem accidiſſe refert: *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis, cogitaverunt & locuti ſunt nequitiam.* Tales enim ſemper deprehendetis laſcivis cogitationibus & phantaſmatibus involutos, vix umquam os ſuum aperiunt, quin ſtatim in verba turpia & obſcœna prorumpant. Nullæ umquam auditæ ſunt iniquitates abominabiliores, quam quæ ab infamibus civitatibus Pentapolitanis patratæ fuere, ſiquidem de illis verificatur, quod dicitur in Pſalm. 13. *Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* At verò quanam ex cauſa proceſſit, quod in cunctis illis civitatibus ne minimum quidem continentiæ veſtigium permanſerit, quodque ipſum quoque aërem impudicitiarum ſuarum horrendis ſpurcitiebus infecerint? Cauſam hanc Ezechiel propterea claris & perſpicuis verbis exprimit, dum ait: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus.*

*Pſ. 72. v. 5. — Pſ. 72. v. 7. — Ibid. v. 8. — Pſ. 13. v. 3. — Ezech. 16. 4[9]. — Ezech. 16. v. 49.*



*Proverb. 3. v. 17.* — Caſtigatio corporis pellit libidinem.

10. *Roboravit brachium ſuum.* Quæ verba etiam de propriæ carnis caſtigatione intelligere poſſumus, quia ad macerandum corpus noſtrum animi requiritur generoſitas, brachium forte requiritur, ut nos ipſos percutiamus & caſtigemus, & tamen ad caſtitatem conſervandam ſimili caſtigatione multum indigemus: unde ubi noſtra vulgata legit in Pſal. *Apprehendite diſciplinam*; S. Hieron. ut jam diximus, legit: *Adorate puritatem*, quia vibrando in corpus noſtrum ferulam, virgam, flagellum & diſciplinam inſignis venerationis & adorationis cultus caſtitati exhibetur, & proinde ad id robore & fortitudine opus eſt, quia *nemo carnem ſuam odio habuit.* S. Bonav. in ſerm. quodam de auſteritatibus corporalibus diſſerens ait: *ut exemplis utar Hieronymi* (*c. 2. Mich. l. 1.*) *putridæ carnes cauterio curantur & ferro.* Quis umquam crederet, quod jejunia & auſteritates corporales, quæ corpus debilitant, ex alia tamen parte ſpiritũ fortificent, & tamen revera ita eſt, ideo enim Sapiens poſtquam dixiſſet: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos*, immediate ſubjungit: *& roboravit brachium ſuum.* Apoſtolus quoque inquit: *Cum infirmor, tunc potens ſum*, non ſe volebat fortem dicere fortitudine corporali, ſed inſinuare volebat, quod infirmante carne, ad vincendam illam plus vigoris in ſe experiretur, quia caro à rigoribus & auſteritatibus corporalibus attrita debilis remanet.

*Pſal. 2. v. 12. — Epheſ. 5. 29. — Prov. 31. 17. — 2. Cor. 12. v. 10.*

11. S. Gregorius ſcribit, quod eo ipſo, quo ſpiritui per labores exercendo vacamus, macerando & caſtigando corpus contra carnis inſultus fortes reddamur & robuſti: econtra vero ſi ab ijſdem carnis mortificationibus remiſerimus, idem nobis quod Moyſi accidit, eveniet, qui quoaduſque manus in cælum elevatas tenebat, populus ſibi commiſſus adverſus Amalecitas victor evadebat, qui idem mox ab ijſdem vincebatur, ut Moyſes manus ſubmiſiſſet deorſum; quamdiu enim manus habuerimus in altum erectas, id eſt quamdiu in corpus noſtrum per diſciplinam & mortificationem deſævierimus, Amalec, id eſt concupiſcentia carnalis omne robur & vigorem ſuum amittet: at vero ſi manus ad cingulum poſitas remittamus, id eſt ſi otioſi fuerimus, mox Amalec, reſurget, & caro prævalebit: *ſed ſi quaſi feſſi*, inquit S. Gregorius, *à ſolutæ converſationis rigore torpeſcimus, aculei carnis inſurgunt, qui quaſi depoſitis Moyſis manibus Iſraëlem vincunt.*

*S. Greg. l. 1. Reg. l. 6. c. 1.*

12. In Annalibus Eccleſiaſticis de Conradino Dominico, inſignis ſanctitatis viro legitur, quod dum in cella ſua orationi incumbens, vehementiſſime tentaretur, *pudicitiæ decore allectus*, ut Hiſtoria inquit, arrepto flagello ad ingentem uſque ſanguinis effuſionem ſeipſum cruentavit: *Cum itaque petulantis corporis illecebras magnanime repreſſiſſet, piiſſima cæleſtis patriæ Regina, duabus comitata virginibus, mira odoris ſuavitate illi extemplò apparuit, dicens: Conradine fili chariſſime, jam dudum ſuſpiria, gemitus, ſingultus, tuumque caſtiſſimum corpus optime novi, ea profecto virtutis fundamenta jeciſti, ut minus laude dignum videatur, ob vigilias & orationes tuas te gratia aliqua non donari, quamobrem ſcito, quaſcumque ad filium meum preces emiſeris, illas exauditas eſſè, teque omnia, quæ efflagitaveris, conſecuturum, & quo privilegij hujus fidem faciam, nunc tibi amatæ caſtitatis integritatem enixe poſtulanti renes petulos ita cohibebo, quod nullo exinde turpitudinis infeſtaberis telo. Illa ſic demum fata, propius accedens, illius renes ſuaveolenti cereomate inungere viſa eſt.*

*Rayn. Ann. 1429. n. 22.*

13. S. Thomas de Villa nova de laſcivia carnis diſſerens, viperæ eamdem ſimilem eſſe dicit: *Vipera venenoſa eſt, prona ſemper ad malum, ab adoleſcentia ſua non poteſt bene inclinari*: quodnam verò adverſus hanc viperam nobis inſinuas remedium? *Fræno, cenſura, flagello opus eſt ad illam*; Unde Apoſtolus: [*Caſtigo corpus meum: & in ſervitutem redigo,*] *nam ſcio quod non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum, caro enim legi Dei non eſt ſubjecta, neque enim poteſt, ſemper enim parata concupiſcere adverſus ſpiritum, profundit venenum, & repugnat legi mentis noſtræ.* Sed audite qua ratione illam ſervi Dei caſtitatis amatores devicerint & ſubjugarint: B. Guilielmus de Oliva Presbyter Eremita, dum à Dæmonibus in ſpecie ſpecioſiſſimarum mulierum ipſi apparentibus, perque geſtus, verba, actus, aliaſque repræſentationes obſcænas ad concupiſcentiam inſtigare conantibus infeſtaretur, ad orationem confugiebat, ut autem ſe de victoria obtinenda tanto magis aſſecuraret, ſequenti uſus eſt conſilio: *Alveum cujuſdam rivuli ibidem defluentis ſubintrans, projiciebat ſe in eumdem, ut ita caſtigatione carnis aſſumpta motus illicitos reſtringere poſſèt; hyemali tempore hoc ipſum pluries fecit, ita ut frigoris aſperitate & pondere glaciei preſſus frigidus & rigidus rediret ad templum.*

*S. Th. à Villa nov. in Dom. 4. poſt Paſcha. — 1. Cor. 9. 27. — Bolland. die 10. Febr. c. 4.*



14. Verum enimverò dubitare nonnemo poteſt, qua ratione nobis præcipiatur caſtigatio corporis, cum tamen Apoſtolus expreſſe dicat: *Nemo enim umquam carnem ſuam odio habet?* ſed facilis ad id eſt reſponſio, Neque enim ob id homo carnem ſuam amare deſinit, quod illud caſtiget; quia dicitur: *Quos amo, arguo, & caſtigo*; Certe dum ex præſcripto Medici patienti per novaculam vulnera inciduntur, aut cucurbitis igneis caro illius affligitur, vel rigoroſis diætis illius caro extenuatur, non per hoc innuitur, quod patiens à Medico minus ametur, quinimo cum per illa media ſalutem illi corporalem reſtituere deſiderat, ſignum eſt, quod utique illum amet. D. Angelicus tamen dicit, quod homo Deum timens corpus ſuum non qualicumque amore diligat, ſed amore perfecto, & ſyncera charitatis dilectione. S. Auguſt. non ideo hominem convinci inquit, quod alium non diligat, quia videlicet alium majori dilectione amet; nam avarus, v. g. licet pecuniam ſuam amet, illamque quotidie accumulare & augere ſtudeat, illam tamen ad ſui nutrimentum libenter deſerit, & expendit, quia videlicet propriæ vitæ ſuſtentationem plus diligit, quam argentum & aurum, ita quoque ille corpus ſuum diligere non deſinit, qui illud quotidie affligit, quia idipſum ex amore ſalutis animæ ſuæ facit, quæ corpori vitam præſtat, quam alias negligendo pariter & corpus ſuum perdere aut deſtruere neceſſum eſſet, ſicque *corpus & animam perderet in gehennam*: at verò dum animam ſalvat, corpus quoque ſuo tempore in animæ ſocietate glorificatum cernet. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo*, id eſt qui illud in hac vita caſtigat, & flagellis cruentat *in vitam æternam cuſtodit eam.* Et ideo S. Anſelmus ait: *Felices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.*

*Epheſ. 5. v. 29. — Apoc. 3. v. 19.* — Qui corpus caſtigat amat. — *S. Thom. 3. p. Q. 24. A. 4. — Joann. 12. v. 25. — Ibid.*

Caſtigatio caſtitatis ſocia.

15. In ſuperioribus Diſcurſibus per hanc virtutem caſtitatis Deum nos imitari diximus, utpote per quam ut Nazianzenus aſſerit: *Imago Sanctiſſimæ Trinitatis efficimur*: per mortificationem verò corporalem Chriſtum Redemptorem noſtrum imitamur: *Mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes*; & ideo hæc virtus ad Deum glorificandum ordinatur, utpote qui principalis illius author exiſtit: *Scivi quoniam aliter non poſſèm eſſè continens, niſi Deus det*; Et ideo ubi nos legimus *Glorificate*, S. Ambroſ. legit: *Clarificate & portate Deum in corpore veſtro.* Etenim quando corpus noſtrum purum eſt & mundum, ad Deum, qui *candor eſt lucis æternæ*, recipiendum magis eſt diſpoſitum: Mortificatio autem individua caſtitatis ſocia eſt, de qua S. Paulus ad Philippenſes ſcribit: *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo*, id eſt, ut S. Thomas ait, *in auſteritatibus meis corporalibus.*

*2. Cor. 4. v. 10. — Sap. 8. v. 21. — 1. Cor. 6. v. 20. — Sap. 7. 26. — Phil. 1. v. 20.*

16. Sed quæret forte aliquis, an ſufficiat tunc ſolum caſtigare corpus noſtrum, dum actualiter recalcitrat, an verò etiam macerandum ſit, dum ſpiritus non contradicit: Reſponſio autem patet in exemplo militum, qui pacis tempore ad arma tractanda, ad formandam aciem, ad faciendum vel avertendum inſultus, & ad omnia alia ſtratagemata militaria aſſidue exercentur, ut adveniente prælij ineundi occaſione, ad omnia militaria exercitia tunc neceſſaria habiliores exiſtant; ſicut igitur miles profanus pacis tempore ea præſtat, quæ bello urgente facere debet: ita quoque ſi miles Chriſtianus ſperatam de ſpiritu fornicationis vult reportare victoriam, cavere debet, ne ſit imparatus, quin potius in armis ſpiritualibus portandis, tractandis, & gubernandis ſe exerceat, id eſt diſciplinæ, abſtinentiæ, ſolitudini, orationi, aſſiduæ ſenſuum cuſtodiæ, alijſque omnibus, quæ ad caſtitatem conſervandam ei utilia eſſe poſſunt, paulatim aſſueſcat, ut ſuperveniens tentationis vehementia, illum ſemper bene armatum inveniat, ipſique intentatos ictus avertere poſſit.

Notandum eſt Lectori, quod de hac materia Auſteritatis corporalis, fuſe per multos Diſcurſus ſuo loco ſub littera M. videlicet Mortificatio tractatum fuiſſe reperiet.

## DISCURSUS XXVII.

### ARGUMENTUM.

Virginitas & continentia humilitatem, verecundiam, & ſenſuum cuſtodiam conjunctam habere debet.

## THEMA.

*Ego flos campi & lilium convallium.* Cant.2. ℣.1.

Caſtitas ſit humilitati juncta.

1. SPonſa in ſacris Canticis non ſine myſterio flori, ſed campi,& lilio, ſed vallium aſſimilatur,per ipſam namque anima quævis pura & virginalis, quæ divino ſponſo & amatori ſuo deſponſata eſt, denotatur, in hac enim inſignia virginitatis cum humilitatis encomio conjuncta eſſe ſponſus deſiderat; non enim dicitur: Flos horti,nec viridarij; ſed flos aperti campi & lilium in humilibus convallibus progerminans: *Eſt vero & lilium convallium*,inquit S.Ambr. *id eſt,humilium animarum; eſto humilis,ut in te ſicut lilium germinet Chriſtus.* Rup.Abbas Tuitienſis eximia caſtitatis encomia humilitati attribuit, dum ait: *Altioris autem honoris & gratiæ eſt ſacra virginitas, quam pia commendat humilitatis venuſtas.* S.Apoſtolus poſtquam de caſtitate ſub ſymbolo theſauri alicujus in vaſe teſteo reconditi diſſeruiſſet: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*, mox pro hujus theſauri tutiori cuſtodia, utiliſſimum nobis documentum pariter ſuggerit, nimirum ut illam non humanæ induſtriæ opus, ſed purum & merum Dei donum eſſe humiliter agnoſcamus;Dicit enim: *ut ſublimitas ſit virtutis Dei,& non ex nobis*; ac proinde ex hac virtute nequaquam ſuperbire debemus alios deſpiciendo, ſed potius cum Sapiente humiliter agnoſcere & dicere: *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens,niſi Deus det*; unde reprobandus merito venit Phariſæus ille, qui gloriabatur inſtabatque ſe non eſſe adulterum, velut publicanus ille, quem & in conſpectu totius populi digito demonſtrabat. S.Auguſt. quoque in libro, quem *de ſancta virginitate* compoſuit, dicit: *Deinde jam ſciens homo gratia Dei ſe eſſe quod eſt, non incidat in alium ſuperbiæ laqueum,ut de ipſa Dei gratia ſe extollendi ſpernat cæteros*: ubi prædicti quoque Phariſæi exemplum adducit.

*S.Ambr l.de inſtit. virg. c.15.*
*Rup. Abb. c.2. in Joan.*
*2.Cor.4.v.7*
*2. Cor.4. v.7.*
*Sap.8.v.24.*
*S.Aug.T.6. l. de virg. c.43.*

2. Porro ſponſa, id eſt anima pura & caſta in flore ſymbolizatur:*ego flos campi*; Etenim flores qui in campis enaſcentes publice proſtant, parvi æſtimantur: non vero item flores hortorum, in quem animi cauſa divertere ſolent divites & nobiles,eorumdem venuſtate & fragrantia fruendi cupidi: at verò flores, qui in campis unicuique viatori publice expoſiti conſiſtunt, in parva ſunt æſtimatione: eodem quoque modo anima, quæ pudicitiæ & virginitatis dono gaudet, non ob id aliquem de ſe excellentiæ alicujus aut æſtimationis conceptum formare debet, ſed potius in deſiderio habere debet, ut propter donum iſtud à nemine aliorum æſtimetur aut habeatur in pretio.

3. S.Bonav.ad propoſitum noſtrum aliam quamdam floris proprietatem conſiderat dicens: *Sicut flos ſole præſente decorem ſuum oſtendit,nam flos,ut videmus,de nocte clauditur, & oriente ſole rurſum expanditur,ſic homo verè caſtus, de caſtitate ſua coram Deo,non coram hominibus gloriatur,dicente Apoſtolo; Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Imo ſi foret poſſibile utique ad caſtitatis conſervationem plurimum conduceret, ſi neque nos ipſi hujus nobis collati doni eſſemus conſcij, ſolique Deo notum eſſet, ne propter illud in ſuperbiam ſeduceremur. Tertullian. in libro, quem *de velandis virginibus* compoſuit, dicens: *Utique ea deligenda quæ virgines includit ſoli Deo notas,quibus præter quod à Deo, non ab hominibus captanda gloria eſt, etiam ipſum bonum ſuum erubeſcendam eſt.* Quibus verbis ad ſolitudinem alludere voluiſſe videtur ſexus muliebris, utpote qui pulchritudinis aliarumque qualitatum ſuarum oſtentationem nequaquam in publico edere velit; quamvis etiam dici poſſit Tertullianum hiſce verbis alluſiſſe ad virgines, quæ in humilitate, ſuique ipſius contemptu adeo ſolide fundatæ eſſe debent, ut ſolum Deum theſauri hujus, quem opulenter poſſident, conſcium eſſe velint, ab eoque duntaxat laudem ex hac virtute ipſis debitam expectent; cæterum vero de laudibus ſuis & æſtimatione, quam alij de ipſis habent, erubeſcant.

*S.Bonav. in Dieta ſal. T.4.de Conſil. Evang. c.4.*
*2.Cor.1. 12.*
*Tertull. l.2. de veland. virg.*

4. Navigia enim, quæ opulentioribus ſunt mercibus onuſta, majori ventorum pyratarumque percelluntur timore, quia plus alijs habent,quod amittant: Eodem modo videtur dicere velle S.Auguſtinus, quia perpetua continentia, maximeque virginitas magnum bonum eſt in Sanctis Dei, vigilantiſſime cavendum eſt, ne ſuperbia corrumpatur, cæteroquin quilibet quantumvis modicus ventus vanitatis, vanæ gloriæ, aut complacentiæ propriæ, ad hanc naviculam ex ſemetipſa fragilem ſubmergendam abunde ſufficit, quia *habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.*

5. P. Bollandus de S. Stephano Ordinis Grandimontenſis fundatore refert, hunc dicere ſolitum fuiſſe: *Profecto nullo tempore meam carnem aut ſpiritum motus libidinis concuſſit, ſed hoc mihi ſine dubio majoris timoris ratio*; utique Sanctus ille menti ſuæ illam S. Hieronymi propoſitionem impreſſerat, in qua dicit: *Tunc maxime impugnaris, ſi te impugnari neſcis.* Idem quoque S. Patriarcha inſuper dixit: *Virginitas in quolibet affectu ſuperbiæ citius perit,quam fornicatione.* Imo S. Auguſtinus adeo humilitatem virginibus neceſſariam eſſe cenſuit, ut niſi hæc adſit, pluris æſtimandum eſſe dixerit ſtatum matrimonialem humilem,quam virginalem ſuperbiam tumeſcentem: *Et ſi virgines ſunt*,inquit, *quid prodeſt integra caro mente corrupta? melius eſt humile conjugium, quam ſuperba virginitas.* Alibi quoque idem S. Doctor ſuper illa Apoſtoli verba 2.Cor.11.*Deſpondi vos uni viro,virginem caſtam exhibere Chriſto*,inquit: *Timeo autem,ne ſicut ſerpens Evam decepit aſtutia ſua &c. ſerpens ille numquid corporaliter concubuit cum Eva? Et tamen virginitatem cordis ejus extinxit,hoc timeo dicit, ne corrumpantur mentes veſtræ à caſtitate, quæ eſt in Chriſto.* Tametſi enim ſerpens ille aſtutiſſimus omnibus invideat virtutibus, attamen ſpecialiter invidet pudicitiæ & caſtitati, ſatagit ut illam inutilem reddat, ut illam vitiet, ut illam corrumpat, non quidem virgines ad corpus maculandum extimulat, bene tamen ut coinquinent mentem, per ſui ipſius complacentiam & vanam gloriam; Et ideo in principio libri *de ſancta virginitate* dicit:*Non ſolum prædicanda eſt virginitas ut ametur, verum etiam monenda ne infletur.* S. Iſidorus ſimiliter pro cuſtodia & conſervatione hujus virtutis ſequens documentum virginibus inculcat: *Pergant*, inquit, *viam ſublimitatis virgines,ſed quo pede, quibus greſſibus? pede humilitatis ſequantur Chriſtum, tenendo perſeveranter,quod voverunt ardenter*; In quibus verbis ſpecialiter notanda ſunt verba illa: *Pede humilitatis*; Neque enim virgines volare debent, ſed per terram ambulare, imo repere,id eſt, humiliter eſſe debent.

*P Bolland. 8.Febr.c.4.*
*S.Aug.ibid. in Pſalm.99.*
*S.Aug. Fer. 2.poſt Dom. Pal.cap.7.*
*S.Aug l. de S.Virg. c.2.*
*S.Iſid.l.2. de Offic. Eccle. c.17.*

6. Optimum hujus doctrinæ exemplum illis ſereniſſima virginum Regina Maria præſtat, quæ poſtquam ab Angelo felix futuræ maternitatis Dei nuntium accepit: *Turbata eſt.* Cur autem turbabatur? Num forte ex comparitione Angeli? Minime, quia hic illi familiaris & domeſticus erat, ſicut alij Angeli omnes; unde S.Ambroſius ait: *Denique & Gabriel eam,ubi reviſere ſolebat,invenit.Turbata eſt*,inquit S.Lucas, *in ſermone ejus,& cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*: nam ut Tertullianus ait:*Virginem magis laudando,quam vituperando confundas.* Unde omnes ſacri interpretes hanc turbationem, profundæ ipſius humilitatis effectum fuiſſe aſſerunt; S.Thomas de Villa nova inquit: *Turbabat illam nimia ejus humilitas, videns ad humilis puellæ pedes proſtratum Angelum ſalutantem.* B.Laurentius Juſtinianus quoque de ipſa dicit: *Nihil tanti oraculi dignum ſibi eſſe cernebat.* Cum igitur adeo ſtabiliter in humilitate fundata fuerit, quid mirum ſi ipſam quoque virginitatem inviolabilem & intemeratam ſervaverit. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, non dicit: *virginitatem; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Et ideo S.Bernardus virginem ſuperbam his verbis perſtringit, dicens: *Quid dicis virgo ſuperba? Maria ſe virginem oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? reſpexit, ait illa, humilitatem ancillæ ſuæ; quæ illa? virgo utique ſancta, virgo ſobria,virgo devota. Numquid tu caſtior illa? numquid devotior? Numquid tua, forte pudicitia gratior caſtitate Mariæ? ut ſcilicet ſine humilitate placere ſufficias ex tua, quod illa non potuit ex ſua.*

*Luca 1. 29.*
*S.Ambr.l.2. de virg.*
*S.Th.de Villa.n. conc.1. de Annun.*
*S.Bern. Homil.1. ſuper Miſſus eſt.*

Sit etiam juncta Verecundia Caſtitati.

7. Sanctus Ambroſius inter pudicitiæ & caſtitatis ſocias, non ſolum ſuiipſius contemptum & humilem de ſeipſo ſenſum, verum etiam verecundiam enumerat, dum ait: *Pediſſequas quibus colligata incedit,& ſtipata advenit, ſobrietatem,modeſtiam, ac verecundiam,parſimoniam cibi, fugam laſciviæ,procacitatis, petulantiæ, cautionem ſeriam, ſolicitam cuſtodiam.* Et quidem quod eamdem verecundiam attinet, pulchrum penes Eccleſiaſticum legitur animæ caſtæ encomium; dicit enim ibi Sapiens: *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata; omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Super quæ verba Paulus de Palatio ſcribens, per hanc gratiam animæ pudicæ à Deo communicatam, verecundiam intelligendam eſſe dicit: *Gratia Dei eſt pudor,quo caſtitas cuſtoditur.* Lyranus inquit: *Gratia ſuper gratiam, id eſt, verecundia decorat ſanctitatem.* Denique S. Bernardus primum & præcipuum virginum elogium caſtitati attribuit: *Primam nunc adverte ſponſæ verecundiam,qua neſcio an quidquam gratius in moribus hominum inveniri queat.* Verum enimvero tametſi hæc virtus in omni hominum ætate deſideretur, ſpecialiter tamen in annis juvenilibus neceſſaria eſſe noſcitur: *Non quia non ſit*, inquit idem Doctor mellifluus, *& in provectionis ætate omni ſtudio retinenda, quæ eſt certe omnium ornatus ætatum, ſed quod teneræ gratia verecundiæ, in teneriori ætate amplius, pulchriuſque eniteat.* Etenim dum adoleſcentis vel puellæ alicujus vultus ad quodvis minus honeſtum aut modeſtum verbum,ad quemvis curioſum obtutum, ad quemcumque geſtum vel motum impudicum verecundiæ purpura obnubitur optimum eſt ſignum prognoſticum; *Quid enim amabilius verecundo adoleſcente? Quam pulchra eſt & quam ſplendida gemma morum in vultu & vita adoleſcentis? Quam vera & minime dubia bonæ nuntia ſpei, bonæ indolis index? virga diſciplinæ eſt illis, quæ pudendis affectibus imminens lubricæ ætatis motus actuſque leves coërceat,comprimat inſolentes*, inquit idem ſanctus & melliſluus Doctor Bernardus. Et paulo poſt in ejuſdem verecundiæ laudem ſubjungit; *Lampas eſt pudicæ mentis jugiter lucis, ut nil in ea turpe vel indecorum reſidere attinet, quod non illa illico prodat, ita expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ, & famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & inſigne totius honeſti.* Imo ipſemet moralis Philoſophus Seneca quantumvis gentilis, quoad hunc verecundiæ ruborem ſalutaria nobis documenta reliquit, dum illum certum eſſe cenſet puritatis, honeſtatis & pudicitiæ, indicium. Et quidem in epiſtola quadam ad juvenilis ætatis eruditionem ita ſcribit: *Bonum in adoleſcente ſignum eſt, quando illi ex albo rubor ſuffunditur, magis in juvenibus apparet, quibus & plus caloris eſt,& tenera frons.* Etenim optimum hominis pudicitiam interius zelantis indicium eſt, quando in laſcivorum hominum præſentia,verba obſcæna audiens erubeſcit, hoc enim ut idem Philoſophus probat, ſignum quoddam naturale eſt, neque enim genæ hominis quavis arte vel induſtria adhibita verecundia tingi poſſunt, adeo ut licet Comædi & Mimi omnes alios affectus exprimant,hunc tamen exprimere nullatenus valeant: *Ruborem exprimere non poſſunt, nec prohibetur hic, nec allicitur,nihil adverſus hunc ſapientia proficit, ſui juris eſt, injuſſus venit, injuſſus recedit.*

*S.Ambr. l.2. de Abr.c.4.*
*Eccli.26. v.19.*
*Paul.de Palat. ibid.*
*Lyran.ibid.*



*S.Bern. ſer. 86.in Cant.*
*Seneca Ep. 11.*

Verecundiæ laus.

9. Hujus ejuſdem laudabilis & ſanctæ erubeſcentiæ plura encomia in pluribus locis quoque apud S.Ambroſium legimus: *Eſt verecundia*,inquit, *pudicitiæ comes, cujus ſocietate caſtitas ipſa tutior eſt. Bonus regendæ caſtitatis pudor ipſe eſt comes, qui ſe prætendat ad ea, quæ prima pericula ſunt,pudicitiam temerari non ſinat*; ubi & Deiparæ virginis egregium adducit exemplum, quæ ſalutata ab Angelo licet, eumdem tamen non reſalutavit. Idem quoque ſanctus Doctor in alio quodam loco ſeſe ad caſtiſſimam Suſannam reflectit, quæ licet ſe in conſpectu totius populi conſtituta facili negotio ab injuſta ſibi calumnia defendere potuiſſet, & forte etiam debuiſſet, ut vitæ ſuæ conſuleret, ſeque & familiam ſuam à tam infami impoſtura eximeret, tamen optime ſe facturam eſſe cenſuit, ſi verecundiam conſervaret; unde famam & vitam ſuam potius periclitari maluit, eo quod minime convenire arbitraretur, ut mulier in publico & in conſpectu innumeræ cujuſdam multitudinis procaciter loqueretur, ac proinde demiſſo in terram vultu & oculis, coram omnibus taciturna ſtabat: *Illa*,inquit,*quæ maluit ſibi caſta eſſe quam populo, illa quæ maluit innocentiæ ſubire periculum, quam pudoris, quæ cum accuſaretur, tacebat, cum damnaretur,ſilebat, conſcientiæ ſuæ contenta judicio, quæ reverentiam pudoris etiam in periculis reſervabat,ne extorſiſſe petulantiam videretur,qui extorquere non poterant caſtitatem;ubi Dominum invocavit,ſpiritum meruit, qui latentem presbyterorum conſcientiam revelavit; Diſcant pudicæ calumniam non timere.* In eodem ſancto Doctore lib.1. *ad virgines* ſequens legitur ſententia: *Ubique in virgine comes ſingularum virtutum eſt pudor.* Clemens Alexandrinus in Pædagogio ſuo optima ſponſæ alicujus Deum amantis monilia, gemmam & torquem pretioſiſſimam verecundiam eſſe arbitratur: *Torques & catenæ ſunt modeſtia & pudor, talia Deus fundit monilia.* Tertullianus verecundiæ ruborem murum pudicitiæ appellat: *Statuendum eſſe*, inquit, *ſacris virginibus pudoris murum*; ſicut enim pudicitia tuta & ſecura eſt intra quatuor muros, ita quoque illa minime periclitari poſſe videtur,dum quis non ſolum ob contrarium pudicitiæ vitium, ſed & quamvis ejus umbram & ſuſpicionem verecundatur & erubeſcit.

*S.Ambr.T.4. de offic. l.1. c.18.*
*S.Ambr.l.3. de Sacram. c.7.*
*S.Ambr. l.1. de virgin.*
*Clem Alex. l.2. Pædag. c.2.*
*Tertull. l.de veland. virgin.c.6.*

10. Tres illi pueri Hebræi olim in fornace Babylonica ab incendio manſerunt prorſus intacti, adeo ut licet funes, quibus conſtricti ad invicem fuerant, conſumpti eſſent, ignis tamen ne veſtes quidem illorum lædere præſumpſerit; at vero quæret aliquis, ex quo funes,quibus vincti erant, combuſti fuerint, cur non etiam & veſtes fuere conſumptæ, quæ utique ſive ex lana, ſive lino, ſive ſerico factæ fuerint, ad flammam concipiendam proxime diſpoſitæ erant? D.Chryſoſtomus ait:*Ob honeſtatem ignis pepercit veſtibus*; nam ſi veſtes illorum illæſis corporibus igne conſumptæ fuiſſent, adoleſcentes illi caſtiſſimi valde fuiſſent confuſi, dum ſe in conſpectu totius populi toto corpore nudos eſſe conſpexiſſent, ac proinde veriſimile eſt,quod Deum ſpecialiter rogarint,ne confuſionem hanc illis in præjudicium caſtitatis immitteret. Unde Euſebius Emiſſenus ait: *Quanta caſtis viſceribus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoſcit.*

*D.Chryſoſt. Hom.13. de tribus pueris.*
*Dan.3. v.94.*
*Euſ.Emiſſ. de tribus pueris.*

Exempla.

11. Facile ſibi perſuadere quis forte poſſet Sanctam Gallam licet caſtitatis amantiſſima fuerit, omnem tamen à ſe depoſuiſſe verecundiam; Quia ſi mulier aliqua barba etiam ficta ad mentum ſuſpenſa in publicum prodire vellet, numquid eam quis impudentiæ & inverecundiæ merito argueret; Et tamen ſancta hæc mulier barbam ſibi accreſcere permiſit, ut pudicitiam conſervaret, nec tamen per ſubnatam ſibi barbam verecundiam amiſit, quin potius eamdem per hoc in ſe plurimum adauxit. Refert enim de illa Cardinalis Baronius, quod cum ex præclariſſima eſſet familia oriunda, & Conſulum Romanorum neptis, filia, conjux & nurus fuiſſet, mortuoque primo marito (quocum anno integro in matrimonio vixerat) in ſtatu viduali vivere decreviſſet, Medici ut hunc ei ſtatum diſſuaderent, eidem prædixerint, futurum infallibiliter,ut cum calidiſſimæ eſſet complexionis, niſi ad ſecundum tranſiret matrimonium, ex nimio caloris exceſſu prolixa ei, ad inſtar viri alicujus, barba ſubnaſceretur in mento & ſuperiori labio: Et quidem licet revera quod Medici ei augurati fuerant, ipſo facto eidem acciderit, ipſa nihilominus hanc monſtroſitatem indeque natam erubeſcentiam vidualis pudicitiæ conſervandæ deſiderio & amore libenter ſuſtinuit. P. Bollandus ſimiliter de S.Ulſia refert, quod cum multo tempore à procis, amicis & parentibus, ut ad nuptias tranſiret, rogata multumque infeſtata fuiſſet, ipſa nihilominus à Deo per inſpirationes edocta, ſtultam ſe & deliram eſſe finxit, hancque ignominiam minime erubuit, ut virginitatis theſaurum conſervaret intactum: *Fingit mentis amentiam, cordis velamina, capitis inſaniam, fugit hinc & inde pallida jejunio facie, capite nudo & per humeros diſſolutiſque ſparſiſque crinibus, ut hoc ludo contemptibili ſuam poſſet deformare pulchritudinem.*

*Baron. Ann. 504. n.60. Comp.*
*P.Bolland. 31.Januar.*

Senſuum cuſtodia pro Caſt.

12. Beatus Laurentius Juſtinianus de hac virtute tractans, aliam illius conſervandæ præſcribit cautelam, videlicet accuratam ſenſuum cuſtodiam: *Incentivum*, inquit, *libidinis,violatio caſtitatis eſt ſenſuum curioſitas, quoniam diſcedente mente à fonte vitæ, à lumine veritatis, à delectatione ſpirituali,quam in ſe invenire poterat, fornicatur in pulchritudine & amore creaturarum.* P. Bollandus in capite decimo vitæ Sancti Auxentij verba aliqua refert, quibus ſanctus vir Dei ad caſtitatis cuſtodiam ſe inſtigabat;Dicebat enim: *Eſt magnum certamen temperantiæ, quoniam magna quoque eſt ejus corona, ſed quo eſt major labor, eo eſt etiam major merces: ſi ergo eam non tradideritis torpori & ſegnitiæ, in veſtris membris, fruſtra laboravit voluptas fores obſidens, ſtatuite rationes veſtras cuſtodes hujus theſauri in ſenſibus, mandata Chriſti ſemper ferentes, ad virginitatis & temperantiæ ſanctificationem, ne forte ejus latrones aſcendant per feneſtram oculorum,ingrediantur per auditum,ne forte perſuadeant animo tamquam janitori,& aperta virginitate clanculum nobis veſtram eripiant lætitiam.*

*B Laur.Juſtin.*
*P.Bolland. 14. Febr.*

Sacramentorum uſus.

13. Eſt & aliud pro caſtitatis conſervatione opportunum remedium frequens videlicet uſus Sacramenti Altaris, de quo in Zacharia dicitur, quod ſit *frumentum electorum & vinum germinans virgines*; de quo vino Sanctus Paſchaſius ita dicit: *Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur, nam in hoc noſtri germinis vino caſtitas corrumpitur, ab iſto vero virgines procreantur,hic ſanguis nihil magis diligit, quam in Chriſto virgines.* Et quidem quantum hic ſanguis virginitati conferat, Chriſtus in cruce pretioſiſſimum hunc ſanguinem effundens, oſtendit, ſiqui-

*Zach.9. v.13.*
*S.Paſch.l de Corp. & Sang.Chr. c.21.*

ſiquidem dum ſanguis ab ejus corpore manavit, tunc præcipuè *virginem virgini commendavit.* Porro Rupertus ſuper prædictum Zachariæ textum ita ſcribit: *Optime ſciendum eſt, etenim ſcire ſapientis eſt, quia hoc bonum & pulchrum de quo dixerim: Quid bonum ejus, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines? Bonum inquam pulchrum, hoc ſolius Dei donum eſt, & propter hoc ab ipſo petendum eſt.*

*Rup. Abb. l. 4. in Zach.*

De hoc puncto ſub litera E. in verbo Euchariſtia fuſius tractabitur.

## DISCURSUS XXVIII.

## ARGUMENTUM.

Qui caſtitatem intactam conſervare deſiderat, contra carnem ſuam aſſidue dimicare debet, non reſiſtendo, ſed fugiendo.

### THEMA.

*Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem.* Habacuc. 3. ℣. 19.

Fugâ conſervatur caſtitas.

1. HAbacuc Propheta magnam in Deo fiduciam habebat poſitam, qua futurum ſperabat, ut Deus illi in fortitudine magna ſemper aſſiſteret, & ideo dicebat: *Deus Dominus fortitudo mea:* quia ut Diſcurſu 17. probavimus, ex quo continentia Dei ſpeciale donum eſt, non in noſtris viribus, ſed in Dei ſolius adjutorio confidendum eſſe conſtat: *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* Verumtamen obſervandus eſt modus loquendi Prophetæ, qui indicare nobis volens, qua in re vigor ille animi & fortitudo à Deo communicata conſiſteret, cervorum pedes à Deo ſibi datos eſſe dicit: *Et ponet pedes meos quaſi cervorum;* Etenim cervi ſicut natura ſua timidi ſunt, & facile expaveſcunt, ita quoque in fuga celerrimi ſunt, & velociſſime currunt; ac proinde virtus & fortitudo animæ puræ & caſtæ in eo præcipue conſiſtit, quod ad caſtitatis amittendæ pericula ſubito expaveſcat, fugiat occaſiones, omneque illud ſtudioſiſſime declinet, quod ſcopulus eſſe poteſt ad patiendum pudicitiæ naufragium. Porro animalibus pavidis & meticuloſis, quæ feras internumerari non poſſunt, naturalis quædam velocitas in pedibus ineſt, ut patet in leporibus, cervis, alijſque ſimilibus, ut vitæ ſuæ per fugam celerrimam conſulere poſſint; Et ideo cum ſupremus ille artifex, de quo merito dicitur: *Omnia in ſapientia feciſti,* duas nobis partes indiderit, quarum una fortis eſt & robuſta, & eſt ſpiritus: *Spiritus quidem promptus eſt:* altera vero infirma & debilis, corpus ſcilicet & caro noſtra, *caro verò infirma;* ex parte corporis ſaltem timidi & meticuloſi eſſe debemus, & ad fugam promptiſſimi pariter & velociſſimi.

*Sap. 8. v. 21.* *Pſalm. 103. v. 24.* *Marc. 14. v. 38.* *ibid.*

Proſecutio.

2. Enimvero dum ſpiritus noſter à vitijs ſpiritualibus, odio videlicet, invidia, ſuperbia, alijſque ſimilibus infeſtatur, illis fortiter reſiſtere, cum illis pugnare & luctari debemus, neque illis per fugam facile cedendum eſt: at vero quando cum carne nobis pugnandum eſt, cavenda eſt laborioſa lucta, ſed potius fugam meditari debemus, quia ut in Diſcurſu 14. vidimus, concupiſcentia carnalis adeo eſt in nobis vehemens & valida paſſio, ut quanto ad eam profligandam propius accedimus, tanto illa in nobis reviviſcens, majoreſque vires & vigorem reacquirens, validiores ſpiritui dejiciendo impetus inferat; ac proinde S. Philippus Nerius dicere ſolebat, quod cum aliæ tentationes ſuperentur pugnando contra illas, hoc vitium ejuſque tentationes contra fugiendo vincatur, ideoque ad debellandas omnis carnis illecebras ante omnia Chriſtianos milites ad fugam præcipue hortabatur, dicens: *In caſtitatis certamine terga vertere eſt reportare victoriam.* Adhortabatur præterea multarum rerum experientia præditus, ne quiſpiam vel propter experientiam, vel propter ſenium, vel diuturnum exercitæ caſtitatis habitum, vel propter infirmitatem, de puritate confideret; neque ſe in hoc imitandum proponeret: *Mihi enim,* ajebat, *nonnulla conceſſit Deus, quæ omnibus concedere non conſuevit.* Et tamen hoc non obſtante de ipſo legimus, quod tametſi à Deo eximio virginitatis dono decoratus eſſet, adeo ut ad quemvis carnis motum velut inſenſibilis columna quædam eſſe videretur, attamen cum famoſa quædam meretrix in alma urbe, nomine Cæſarea, in vultus ſui elegantiam & ſpecioſitatem confiſa, ſe illum formæ ſuæ elegantia ad ſua illum vota perducturum eſſe impudentiſſime jactitaſſet, callide gravi ſimulato morbo quaſi culpas confeſſura, vitamque mutatura in meliorem, Philippum acceſſit, verum is, ne pudicitiam in diſcrimen adduceret, ipſam utpote malæ famæ mulierem adire primo quidem renuit, nam fœminas adire ſemper reſpuit, quia tamen nihil æque ardenter, quam ſalutem deſiderabat animarum, inſtantius interpellatus, ad Cæſareæ domum ſe tandem contulit, ubi ergo illuc ingreditur, ecce tibi impudentiſſima fœmina, tenuiſſimum ſuper nudo induta velum ei obviam prodit, qui doloſos Dæmonis fraudes præſentiens, crucis ſigno ſe muniens terga dat, atque iter per ſcalas arripiens, quam citiſſime ſe inde proripuit. Illa deluſam ſe animadvertens, ſcabellum correptum toto impetu jacit, ut feriat, ſed in caſſum. Atque ita Chriſti famulus, & animæ & corporis, Dei ope, omne periculum evaſit.

*L. 2. c. 13. 19.* *Ibid. n. 6.*

3. Repeto igitur & dico, quod tametſi adverſum nos in alijs vitijs nobis ingerendis totus infernus armetur, omnibus ejus conatibus pro viribus quidem reſiſtendum ſit, ſic enim Dæmon infallibiliter fugiet à nobis, interea tamen cavendum, ne vel latum, ut ajunt, unguem à cœptæ virtutis ſtatione recedamus, Ita enim nobis ſuadet S. Jacobus Apoſtolus, dum ait: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* Et S. Petrus pariter inquit: *Cui reſiſtite fortes in fide:* at vero quando carnis tentationibus impetimur, Dæmoni nequaquam violenter, niſi victoriam illi cedere velimus, reſiſtendum eſt, ſed fugiendum eſt ocyus, ita enim nos monet S. Paulus Apoſtolus dicens: *Fugite fornicationem,* nam ut Euſebius in Epiſtola quadam ad S. Damaſum *de morte S. Hieronymi* dicit: *In iſto tam gravi prælio* (carnis nimirum) *nullus poteſt vincere, niſi fugiat.* S. Cyprianus pariter dicit, quod pugnando cum vitijs ſpiritualibus, facilius victoria ſperari poſſit, quam dum cum carnalibus confligimus, quia *honeſtius cum ſpiritu quam carne luctamur.* S. Thomas, qui Angelica puritate præfulſit, inquit: *Peccatum ſemper eſt fugiendum, ſed impugnatio peccati quandoque eſt vincenda fugiendo, quandoque reſiſtendo, fugiendo quidem, quandoquidem continua cogitatio auget peccati incentivum, ut eſt luxuria.* Didacus Stella efficaciſſimam aſſignat rationem, quare cum hoc inimico aperto Marte pugnandum non ſit, ſi volumus caſtitati eſſe conſultum, *quia non eſt bonum cominus pugnare cum illo hoſte, qui ex propinquitate ſumit vires, talis enim eſt luxuria, corpus enim noſtrum, quod prius erat pro nobis, contra nos hoſtis efficitur.* Quando enim ſe delectatio aut voluptas nobis offert, quæ eſt ipſiſſimus noſter inimicus, tametſi ſpiritus quidem promptus ſit ad reſiſtendum, caro tamen & corpus noſtrum ejus partibus toto conatu ſe junget, quia voluptatem diligit & conſectatur, & magna cum violentia ipſam quoque voluntatem ſeu illius conſenſum ſibi conciliabit; ac proinde ſi ſpiritus in hac lucta victor fieri deſiderat, objecti illecebroſi præſentiam fugere debet, quia hac ratione corpus & ejus titillatio vires ſuas paulatim amittet Prædictus Didacus Stella ad idem propoſitum clarius convincendum ſequentem adducit ſimilitudinem: *Sicut,* inquit, *princeps alicujus eminus pugnat cum hoſtibus ſuis, quando credit, quod in exercitu ſuo ſunt multi proditores, qui commiſſo prælio partem contrariam adjuvabunt: ſic debet homo contra luxuriam eminus pugnare, ne corpus noſtrum tam tetri vitij propinquitate infectum, proditor contra nos efficiatur.* S. Auguſtinus quoque non tam ex proprio ſenſu, quam ex adducto S. Apoſtoli teſtimonio in hoc carnis prælio fugam nobis ſuadet his verbis: *Quod autem libidinem fugiendam eſſe ſuggerimus, Apoſtolus Paulus evidenter oſtendit, qui cum omnibus vitijs prædicaverit reſiſtendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit: Reſiſtite, ſed fugite fornicationem, ac ſic contra reliqua vitia Deo adjuvante debemus in præſenti reſiſtere, libidinem vero fugiendo ſuperare: contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam, nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.*

Proſecutio. *Jac. 4. v. 7.* *1. Pet. 5. v. 8.* *1. Cor. 6. v. 18.* *Euſeb. Ep. ad Damaſum.* *S. Cyprian. de jejun.* *S. Thom. 2. 2. Q. 5. A. 1. ad 4.* *Did. Stella in c. 15. Luc.* *Did. Stella.* *S. Aug. ſer. 250. de temp.*

4. Lucas Waddingus in Annalibus Franciſcanis refert, quod cum Religioſus quidam F. Ægidium conveniens coram eo gloriatus de obtenta adverſus carnis vitium glorioſa victoria modum quoque recenſiſſet, quo carnis præparatos ſibi evaſiſſet laqueos, inter cætera *ſequentis à tergo fœminæ dixerit ſibi immiſſam concupiſcentiam, eoque validiorem, quo propius illa accedebat, ſtetiſſe vero parumper, atque prætereuntem ſerius aſpexiſſe, mox omnem evanuiſſe tentationem.* Quem F. Ægidius mox interrogavit, an mulier illa ſpecioſa,

*Luc. Wadding. Ann. 1262. n. 37.* Hiſtoria.



ſpecioſa, an vero deformis, juvencula aut vetula fuerit; cui cum religioſus vetulam & turpem fuiſſe reſpondiſſet, mox vir Dei in hæc verba ſubjunxit: *Quid ergo mirum ſi præterijt tentatio appoſito antidoto? Scias fili mi potius te ſuccubuiſſe, quam viciſſe. In eo conſiſtebat victoria, quod prætereuntem non aſpiceres, ſed demiſſis vel clauſis oculis te tentantem omnino negligeres?* Hiſque utiliſſimum quoddam, noſtro propoſito admodum opportunum ſubjunxit documentum dicens: *Victoria tentationis carnalis, non in congreſſu, ſed in fuga ſecurior & firmior; Cave iterum ne moleſtas tibi fœminas, neque in univerſum ullas in faciem reſpexeris, nam pro vetula adoleſcentula, & pro fœda ſpecioſa ſe tibi objiciet, quæ tentationem non remittet ſed augebit, non tollet, ſed immittet, quo fiet, ut facile pro victoria turpem lapſum, & pro gloria perpetuam reportes infamiam.*

5. S. Bernardinus, qui virgo jugiter permanſit, qui ex habitis frequentibus contra hunc inimicum in varijs occaſionibus prælijs hujus doctrinæ, quod ſcilicet carnis peccatum vincendi nullum fuga ſit aptius remedium, veritatem ex frequenti experientia didicit, ita hac de re ſcribit: *Generaliter tene, quod hoc vitium non vincitur, niſi fugiendo, & hoc triplici ratione: Primo quod luxuria ignis eſt, homo vero fœnum & ſtuppa; nulla ſecuritas eſt fœno, vel ſtuppæ juxta ignem eſſe;* adducitque illum Eccleſiaſtici textum, in quo peccatorem ſtuppam eſſe dicit: *Stuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis.* Secunda ratio eſt, *quia peccatum luxuriæ eſt valde immundum, unde ſicut non eſt bonum luctari cum homine involuto in cœno, quia licet non vinceret, tamen inquinaret; ſic non eſt ſecurum luctari cum peccato iſto, nam vix poteſt eſſe quod homo non coinquinetur, juxta illud Eccleſiaſtici: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Tertia denique ratio, ex qua ſolam fugam in hoc peccati genere victoriam reportare convincit, eadem eſt cum illa, quam paulò ante ex Didaco Stella adduximus, qui utique illam ex S. Bernardino deſumpſit, dicente: *Quia non eſt bonum luctari cum hoſte, qui ſumit vires de prope, tale eſt corpus noſtrum, quod prius erat nobis pacificum, convertitur in hoſtem.*

*S. Bernardin. T. 4. ſer. 20. de luxur.* *Eccli. 21. v. 10.* *Eccli. 13. v. 1.*

De prælio caſtitatis nemo ſecurus.

6. Peſſima illa adultera, quæ Joſephum caſtiſſimum adoleſcentem tot tentationibus fatigavit: *Per ſingulos dies moleſta erat adoleſcenti;* dum eum ſe per fugam è manibus ſuis eripere conantem videret, pallium ipſius fortiter apprehendit; quod Joſeph in ejus poteſtate relinquens ab ejus ſe conſpectu celerrime ſubduxit; ſed, dices, numquid & pallium ex manibus ejus rapere, & ſimul cum illo fugere potuiſſet? Audi proinde quid S. Ambroſius ea de re ſcribat: *Fugit peccati labem, & quaſi culpæ contagium juſtus horreſcit;* quaſi diceret: Quia adultera pallium illud manu ſua tetigit, merito formidavit, ne forte & pallium carnali ſuo concupiſcentiæ imbuiſſet aut intoxicaſſet contagio, ac proinde & lanam illam peſtifera hac lue infectam fugiendo reliquit: nam ſicut ad peſtem declinandam nullum eſt fuga potentius remedium, ita quoque ne hoc vitio imbueretur, quidquid ipſa manu ſua tetigerat, abominari & fugere voluit. Quapropter ne ab hoc vitio contamineris, neceſſum eſt, omnes amaſij vel amaſiæ abs te projicere iconculas aut effigies: munuſcula, litteras amatorias & Veneris lenocinijs plenas, imo omnes perſonas & loca, in quibus ad hujuſmodi lapſum occaſionem habuiſti. Quid enim Joſephum in hoc pericoloſo prælio adeo ad reſiſtendum & vincendum fortem & vigoroſum effeciſſe exiſtimas? Profecto nihil aliud, quam quia omnem occaſionem & incentivum, quod non ſolum ipſum, verum etiam adulteram & pravam concupiſcentiam incitare potuit, pro viribus fugere, & è medio tollere conatus fuit, hoc enim ex ipſo ſacræ Scripturæ loquendi modo ſatis evidenter colligitur; dicit enim ſacer textus: *Poſt multos itaque dies injecit Domina ſua oculos in Joſeph, & ait, dormi mecum:* quo loquendi modo ſacer Chroniſta dicere voluiſſe videtur, ipſum, licet ſervus ejus empritius & mancipium eſſet, ſpeciali cura caviſſe, ne umquam ſolus cum ipſa ſola moraretur; quia vero die quadam idipſum quacumque etiam alias adhibita induſtria cavere non potuit, dicente Scriptura: *Accidit autem quadam die, ut intraret Joſeph domum, & operis quidquam abſque arbitris faceret:* ideo inquam caſualiter & contranitente ejus voluntate accidit, quod illa apprehenſa lacinia veſtimenti ejus, diceret, *dormi mecum.* Verum enimvero non convenit, ut verba illa: *injecit oculos* (ipſa videlicet, non vero caſtus hic juvenis) ſine debita ponderatione prætereamus; nam S. Ambroſius ait: *Non erat in poteſtate ſervuli, ut non videretur,* ipſe namque toto miniſterij ſui tempore oculos ſuos adeo in terram demiſſos habuerat, ut ab illa numquam, excepta ſola illa unica vice, in facie libera fronte conſpici potuerit. Unde idem S. Ambroſius ad immortalem ejus gloriam ſcribit, dicens: *Venuſtatem ſui vultus, non ad alienam derivavit injuriam, ſed ad ſuam reſervavit gratiam, hoc ſe pulchriorem ratus, ſi non diſpendio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur. Injecit oculos ſuos in Joſeph, hoc eſt, non ipſe ſe oſtentavit, illa retia miſit, in indagine ſua capta eſt.* Cum igitur ipſe omnem ſibi oblatam ſtudioſiſſime fugerit occaſionem, eamdemque & ipſi adulteræ omni conatu adimere ſtuduerit, quid mirum, ſi inſultui adeo vehementi tanta cum virtute potuerit reſiſtere? Deus enim ſolis aſſiſtit illis, qui quantum eſt ex parte ſua omnia pericula fugiunt, nulliſque ſe occaſionibus data opera & ſponte propria, niſi forte ex ſola honeſtatis aut neceſſitatis motivo, rariſſime intromittunt: *Excuſatur quod ingreſſus eſt,* inquit idem S. Ambroſius, *prædicatur quod elapſus eſt.* Qui proinde tandem viris omnibus, ſalutare hoc documentum ſubjungit: *Diſcant tamen viri cavere etiam oculos fœminarum, adamantur enim & qui nolunt adamari;* quaſi diceret: Nullus vir, quantumcumque ſanctus ſit, in hoc caſtitatis pericoloſo prælio ſecurus eſſe poteſt, quia etiam ſancti fragili hac carne veſtiuntur, quæ licet ab eis continuo maceretur & caſtigationibus ſupprimatur, attamen in hoc lubrico certamine *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.*

*Gen. 39. 10.* *S. Ambroſ. l. de Joſeph. cap. 5.* *Gen. 39. v. 7.* *Ibid. 39. v. 11.* *S. Ambr. l. de Joſeph. c. 5.* *S. Ambr. ibid.*

Ab objectis oculi ſubducendi.

7. D. Chryſoſtomus in Homilia quadam de hoc S. Joſepho, ſuper illa Jobi verba: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine,* ita ſcribit: *Quis non admiretur videns virum hunc cum Diabolo viriliter certare, & omnes maligni machinas vincere, virginis autem faciem fugere, & à puellæ aſpectu oculos ſubducere? Diabolum accedentem non fugit, ſed quaſi leo viribus fidit: virgine autem viſa non ſtetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, ſed ſtatim ſeceſſit, cenſebat nimirum in prælio contra Dæmones viribus & audaci animo opus, in continentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginis conſuetudine, ſed ſeceſſu.*

*Job 31. 1.* *D. Chryſoſt. Hom. de Joſeph.*

Omnes occaſiones fugiendæ.

8. Bollandus in vita ſancti Fulcranni Epiſcopi virginalem ejus puritatem, per omnis periculi & occaſionis ſolicitam fugam intactam & illæſam deſcribens ait: *In tantum virginitatis & caſtitatis amor animo ejus inſederat, ut eam ſuper ſalutem & omnem pulchritudinem adamaret, aſpernareturque atque fugeret, ut quamdam peſtem, quidquid ejus contrarium foret;* Etenim peſtilentiæ tempore omnia accuratiſſime fugiuntur, quia vel minimum chartæ foliolum hoc contagio infectum, ad malum hoc homini inferendum ſufficit; Et ideo in materia hujus vitij, quod pernitioſiſſimam hominibus afflat peſtilentiam, idem fieri debet, id eſt, ad illæſam conſervandam pudicitiam, omnia quamvis minima fugienda ſunt, videlicet omnis geſtus, verbum blandum, obtutus gratioſus, ſubridens & ad benevolentiam compoſita facies, litera vel nuntium ſuſpectum, munus denique quodcumque etiam minimum, utpote quæ ſingula ad hominem mortifero hoc carnalis vitij veneno imbuendum & intoxicandum ſufficiunt. Ac proinde quia ſancti hujus viri pro virginitate tuenda audiſtis egregium ſtudium, præmium quoque velim auſcultetis, quo Deus virgineum viri illius corpus, qui omnem quantumvis minimum hujus ſpurcitiei nævum declinaverat, etiam poſt mortem honorare decreverit; dicit igitur idem præcitatus hiſtoricus: *Virginalem pudicitiam mentis & cordis, uſque ad finem vitæ ſervavit illæſam, atteſtatur virginalis corporis ejus examinata integritas, quod poſt longa tempora contentum intra ſe foſſa humus reddidit mirabiliter integrum & illæſum, ſicut à corruptione carnis receperat alienum.*

*Bolland. 13. Febr.*

9. Hoc eodem incorruptionis honore Deus quoque hoc noſtro ſæculo in conſpectu totius urbis Romanæ virgineum S. Philippi Nerij corpus decorare voluit, utpote quod poſt mortem ſine ulla putrefactione integrum illæſumque permanſit, præterquam quod Deus etiam in hac vita virginitatem ejus pluribus modis glorificare non omiſerit, ſiquidem in primis eximiæ illius pudicitiæ ſplendor ex oculis elucebat, quos à prima ætate uſque in ultimam ſenectutem claros adeo fulgenteſque retinuit, ut vix vel aliquis fixis cum luminibus intueri, vel umquam pictor,

*Lib. 2. cap. 13. n. 8.*

pictor, licet egregius, vividam eorum aciem exprimere potuerit; vix etiam quiſquam dum jam octogenarius eſſet, aciem in ejus faciem defigere poterat, qui ab emanante ex oculis ejus luce, aſpicientis oculi hebetarentur, aut obtunderentur. Corpus quoque ejus in vita ipſius ſuaviſſimum exhalabat odorem, prout ex plurium fuit experientia comprobatum, quibus tamen utpote eximium virginitatis ejus donum probe cognoſcentibus, nequaquam id ipſum mirum eſſe videbatur. Idem quoque vir ſanctus ex ſolo odore vitium agnoſcebat contrarium, ſiquidem ijs, qui peſſima hac pice coinquinati propinquius ad eum accedentibus adeo intolerabilem perſentiſcebat fœtorem, ut dicere ſolitus fuerit, nullum in toto mundo adeo faſtidioſum eſſe fœtorem, qui ei, qui ex laſcivorum corporibus emanat, ſimilis exiſtat. Multi eorum, quorum capitibus imponebat manus, ab omnibus efficiebantur carnalibus tentationibus liberi, alij ſola cum ipſo habita brevi licet converſatione ad honeſtatem & pudicitiam ſe incitari ſentiebant; Alij quoque ex approximato vel adſtricto illis pectore ejus, eumdem experiebantur effectum; varij denique res ab eo tactus ſecum deferendo ejuſdem fiebant gratiæ participes, adeo ut etiam ipſimet Dæmones per exorciſmos adjurati, *propter honeſtatem Philippi* corpora deſeruerint energumenorum. Quæ omnia eo præcipue fine recenſere volui, ut cum Deus illum in hac puritatis virtute tot eximijs condecorarit prærogativis, tanto majorem ei fidem adhibeamus dicenti, hoc vitium per ſolam fugam vinci, nec alios ab eo ſuperari poſſe, quam qui vitium iſtud inertes diſſimulant, ſibique familiare efficiunt.

## DISCURSUS XXVIII.
### ARGUMENTUM.

In præcedentis Argumenti confirmationem plura alia motiva in medium adducuntur.

### THEMA.

*Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam, Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum.* Pſal. 17. ℣. 33. & 34.

Fugiendo vincitur.

1. SAnctus quidem Propheta David ſe inſuperabili quadam virtute & fortitudine obarmatum eſſe dicit: *Deus qui præcinxit me virtute:* imo ſe in arte militari à Deo egregie eruditum eſſe fatetur, dum ſtatim ſubjungit: *Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æreum, brachia mea*; Verumtamen de quonam prælij genere, an ſpirituali, an vero corporali Rex David in illis verbis loquatur, ſcire percuperem; Et quidem certum videtur, quod David ibi non de corporali, ſed de ſpirituali ſermonem inſtituat, ſiquidem aſſignat effectum, qui non ex corporali, ſed ex ſpirituali certamine promanare conſuevit, qualis eſt vita quædam pura & immaculata; *Et poſuit immaculatam viam meam*; Sed quonam modo hunc effectum ipſum aſſecutum fuiſſe exiſtimatis? num forte cominus cum hoſte manus conferendo? Minime, ſed fugiendo. Sed numquid David olim in juventute ſua urſos occiderat, & dilacerarat leones, & evibrato ex funda lapillo gygantes proſtraverat? Cur igitur nunc adeo ſe pavidum & meticuloſum exhibet, ut hoſtem fugiendo declinet? numquid ipſe de ſpeciali ſibi ad hoc prælium perficiendum à Deo conceſſa fortitudine gloriabatur dicens: *Deus qui præcinxit me virtute, qui docet manus meas ad prælium, poſuiſti ut arcum æreum, brachia mea:* ubi igitur nunc eſt, vel in quo fortitudo illa conſiſtit? nimirum *quia perfecit pedes meos tamquam cervorum*; Ecce quanam in re præcipue ſpem & generoſitatem ſuam repoſitam habeat, nimirum in veloci & accelerata fuga. Scitiſne cauſam? Sanctus Cyprianus de prælio carnis diſſerens ſcribit: *Eſtote timidi, ut ſitis intrepidi. Et licet timor in certamine infirmitas eſſe videatur, tamen virtus in infirmitate perficitur.*

*Ibid. v. 33.*

*S. Cypr. de ſingul. Cler.*

2. Refert Author quidam militem quemdam Piccininum nomine dicere ſolitum fuiſſe: *Minus malum eſt dici: Piccininus hic à bello ſe ſubtraxit, quam hic victus jacuit*; Et recte ita eſt, quanto enim melius eſt, Chriſtianum in hac cum carne ineundo certamine timidum fuiſſe & meticuloſum, quam fortem & animoſum victum nihilominus ſuccubuiſſe? *Hujuſmodi hoſtis*, inquit Hildebertus, *melius fuga quam certamine ſuperatur.*

*Hildebert. Epiſt. 27.*

3. Ubi vulgata noſtra dicit: *Deus qui præcinxit me virtute.* Pagninus legit: *fortitudine*: Et tamen Pſalmiſta paulo poſt fortitudinem hanc in pedum velocitate, quæ cervorum in currendo agilitatem adæquet, conſiſtere dicit, dum ſubdit: *Qui perficit pedes meos tamquam cervorum.* Sed quo fine velocitas hæc illi deſervitura erat? nimirum ut viam puram & immaculatam decurrere poſſet: *Et poſuit immaculatam viam meam.* Cui optime conſonat; quod S. Anſelmus ſuper illa verba S. Pauli: *Fugite fornicationem*, prudenter advertit, ſcilicet Apoſtolum non dixiſſe quod nobiſcum tentatione audaci marte cominus pugnandum ſit, ſed potius nos hortari ad fugam, quaſi diceret: *Non dico: pugnate adverſus eam, ſed fugite illam, quia cum alijs vitijs poteſt expectari conflictus, hæc fugienda eſt, quia non aliter melius vinci poteſt.* Sed numquid ad vincendam carnem opportunius & efficacius remedium præſtare poterant cilicia, jejunia, diſciplinæ, oratio, vigiliæ, ſolitudo, attenta librorum ſpiritualium aſſidua lectio, vel accurata ſenſuum noſtrorum cuſtodia? veriſſimum quidem hoc eſt, hæc enim omnia ſalutaria ſunt, & plurimum in hoc certamine ad victoriam conferre poſſunt, verumtamen ex nullo iſtorum omnium tam ſecurum & infallibile ſperari poteſt remedium, quale ex fuga percipitur; Et ideo fugienda eſt, *Quia non aliter melius vinci poteſt.* Origenes ſuper illa Chriſti verba apud Matthæum: *Orate, ut non fiat fuga veſtra in hyeme vel ſabbato*, aliquam nihilominus fugam laudabilem dari oſtendit; ad quod probandum prædicta Apoſtoli verba adducit, nimirum: *Fugite fornicationem*; Et ſubjungit: *Fugit autem fornicationem, qui omnem occaſionem irritantem & provocantem ad fornicandum evitat.* Hugo Cardinalis ſuper eadem verba hanc habet conſiderationem: *Quia*, inquit, *cum omnia peccata fugienda ſint, cum non maculent niſi animam, multo, magis fornicatio, quæ maculat corpus & animam, ecce fugiendo cavenda eſt fornicatio*, juxta illud Eccleſiaſtici: *Quaſi à facie colubri fuge peccata*; ubi per colubrum carnis peccatum intelligitur, quia ſicut ille lubricus eſt & tortuoſus, ita quoque dum hominem laſcivum modeſte deſcribere volumus, illum lubricum eſſe dicere ſolemus; ad quod probandum alius quoque Eccleſiaſtici textus nobis deſervit, in quo dicit: *Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam* ad hoc ſignificandum, inquit Hugo præfatus, *Filij Iſrael* Num. 21. *fugiunt Og Regem Baſan, nec aliquos nuntios miſerunt*; Allegatur quoque ab eodem Cardinali authoritas S. Hieronymi dicentis: *Quid tibi neceſſè eſt in ea verſari domo, in qua neceſſè eſt quotidie aut perire, aut vincere? quis umquam mortalium juxta viperam ſecurus ſomnum capit*; ubi clare videtur, quod S. hic Doctor mulierem impudicam viperæ ſimilem eſſe dicat; Et ideo ſicut is, qui viperam ſibi vicinam eſſe videt, protinus fugit: ita quoque fugiendum eſt, quando in propinquo eſt periculum caſtitatis: *Non eſt ergo melius remedium*, concludit idem Hugo, *contra fornicationem, quam quod fugiatur.*

*Pſ. 17. v. 33.*
*Pagnin. ibid.*
Proſecutio.
*1. Cor. 6. v. 18.*
*S. Anſel. ibid.*
*Matth 24. v. 20.*
*Orig. Hom. 29. in Matt.*
*Hug. Card. ibid.*
*Eccli. 21. v. 2.*
*Eccli. 25. v. 23.*
*Hugo Card. in Num. 21. v. 21.*

4. Origenes ad ludum Iſaac cum Iſmaele alludit, quem Apoſtolus ad Galat. 4. ℣. 21. *perſecutionem* appellat; ubi per Iſmaelem ſenſum vel carnem, per Saram virtutem, per Iſaacum ſpiritum, per ludum vero illecebras carnis, delectationes & voluptates intelligens ſubjungit Origenes: *Et tu ergo non illam ſolum perſecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogeris, ſed ſi forte te voluptas carnis alliciat, ſi tibi libidinis alludat illecebra, hæc ſi virtutis es filius, tamquam perſecutionem maximam fuge.* Porro in tyrannorum perſecutionibus expreſſum habemus Chriſti præceptum dicentis: *Cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*; quis autem truculentior & implicabilior Tyrannus dari umquam poterit, quam ſit ſenſualitas carnis; hanc igitur te perſequentem velociſſime fuge; Mundus quidem delicias & voluptates carnis pro ludo habet, ſed magis credendum eſt Apoſtolo, qui illas ex inſtinctu divino *perſecutionem* veriori nomine appellat, quam proinde pro viribus fugere debemus.

*Orig. Hom. 7. in Gen. 9.*
*Matth. 10. v. 23.*
*Gal. 4. 21.*

5. P. Bollandus de S. Abbate Joanne refert, quod dum ab Eccleſia & factis ibidem orationibus in ſuum reverſus fuiſſet tugurium, jamque noctis ingruerent tenebræ, mulier quædam illum convenit, *internis ſenſibus & pudoris ornamento captiva, imo decepta ſuadens, atque ambiens, ut ſecum ſecretius ruris abdita*

Exemplum.
*Bolland. 28. Januar. c. 2.*

pene-



*penetraret, quo facilius eum illecebris, ſceleribusque Diabolus & mulier inclinaret*; Sanctus autem vir Dei divinitus illuminatus diabolicas technas ſibi ſtructas advertens, quonam putas remedio easdem evaſit? *Qua vir Deo plenus Diabolica arte comperta, reſpuens atque renitens, curſim aufugiſſè refertur.*

6. In vita S. Caroli Borromæi legimus, quod dum à ſtudio Papienſi, in quo velut Angelus quidam immaculatam prorſus ac innocentem vitam duxerat, recens reverſus, vir quidam ei familiaris, & magna authoritate conſpicuus, cujus nomen ſubticeo, tantam in hoc caſto juvene modeſtiam & ſolitudinem perferre nequiens, clam in ejus cameram puellam quamdam ſpecioeiſſimam ſub noctis crepuſculum conduxit, ad cujus conſpectum Carolus exhorreſcens, ut imminens ſibi evaderet periculum, fuga præceleri ſibi conſuluit. Idem quoque ſanctiſſimus Cardinalis, dum Pij Papæ IV. Romæ regnantis ſecundum carnem Nepos eſſet, à Principe quodam ad villam quamdam rurali otio deſignatam invitatus, cum ſub nocturnæ quietis horam in præparatum ſibi cubile ingreſſus, venuſtiſſimam quamdam ab eodem Principe conductam adoleſcentulam repeppiſſet, ex ea re graviſſime ſcandalizatus, ſubito eadem hora, licet admodum inopportuna Rhedam ſuam expedire jubens, inſalutato hoſpite ſub mediam noctem inde diſceſſit.

*Giuſſani l. 1. cap. 3.*
*Lib. 1. c. 4. ibid.*

7. S. Gregorius Nyſſenus ad illa Apoſtoli verba: *Fugite fornicationem* alludens, inquit: *Tantæ malorum multitudinis matrem videns Paulus fornicationem, victricem nobis modo fugam clamabat: Fugite fornicationem:* adductoque caſti Joſephi exemplo ſubjungit: *Vox Pauli nunc nobis revocavit in memoriam pudicum adoleſcentem qui ſe fortiter geſſit adverſus Ægyptiacam fornicationem.* At vero qua in re hic adoleſcens ſuam probavit fortitudinem, inquies, qui à mulieris Ægyptiæ illecebris infeſtatus inerti ſe fuga ab eadem proripuit, & ut fuga expeditior ei eſſet, pallium ſuum in ejus manibus reliquit? Baſilius Seleucus ad hoc reſpondet dicens: *Tenacibus manibus retentam dimittens veſtem, libidinis effugit anſas, fuga uſus pro armis, & hoc fortitudinis. Tradit veſtem, ut temperantiam teneat, ſtrenuusque miles virtutis ſtadium nudus decurrit.* De eodem Joſepho S. Ambroſius inquit: *Itaque veſtem exuit, crimen excuſſit*; ſi enim veſtem hanc retinuiſſet, hæc ei progreſſu temporis, laſcivum hunc inſultum in memoriam reducere potuiſſet, ac proinde hanc deſerere maluit, ut omnem à ſe tentationis amoveret occaſionem: *Relictis quidem tenebatur exuvijs, ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris*, inquit S. Ambroſius.

*1. Cor. 6. 18.*
*S. Greg. Nyſſ.*
*Joſeph fugiendo vicit.*
*Baſil. Sel. orat. 8.*
*S. Ambroſ. de Joſeph.*

8. De ſanctiſſimo Chriſti præcurſore canit S. Mater Eccleſia: *Antra deſerti teneris ſub annis, civium turmas fugiens, petiſti.* At vero quo fine tenellus hic puerulus futurus Chriſti Baptiſta in ſpeluncas confugit? num forte ut ibi in tutiori eſſet caſtitatis cuſtodia? Numquid ipſum utpote in gratia confirmatum impeccabilem fuiſſe conſtat, de quo proinde S. Eccleſia canit: *O nimis fœlix meritique celſi, neſciens labem nivei pudoris:* Cur igitur arduam hanc tuendæ caſtitati in annis puerilibus adhibet cautelam? Hac de re S. Hieronymum velim auſcultare libeat, qui ideo infantem è domo paterna fugiſſe dicit, ut puritatem & virginitatem ſuam in primæva ſua conſervaret innocentia, utpote de qua intra paternæ domus parietes conſtitutus plurimum diffidebat; unde idem S. Doctor Ruſtico Monacho hoc præſcribit vitæ ſuæ inſtruendæ documentum: *Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum vivat ſub pectore vulnus. Joannes Baptiſta S. Matrem habuit, Pontificiſque filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum, cum periculo viveret caſtitatis.* Ex mente igitur S. Hieronymi ſanctus hic puer non ideo in deſertum ſe ſubduxit, quaſi ex Herodiana perſecutione inſtigatus, ſed potius illam timuit, quæ ei, ut paulo ante ex ſententia Origenis diximus, in fine vitæ ſuæ ex reprehenſo Herodis inceſtu imminebat; ſe quidem invincibili & inſuperabili conſtantia communitum eſſe ſciebat: verumtamen quando ſe in domo paterna ſine aliqua virginalis puritatis ſuæ læſione commorari non poſſe apprehendit, fortitudini ſuæ minimè confidens in fugam ſe recepit: *Antra deſerti teneris ſub annis, civium turmas fugiens, petiſti, ne levi ſaltem maculare vitam famine poſſes.*

S. Joannes ad ſervandam pudicitiam in deſertum fugit.
*S. Hieron. Ep. 4. ad Ruſtic.*

9. Obſervaſtiſne aliquando, quod Agar bina vice ab Abrahæ domo receſſerit, & utraque vice ab Angelo conſolata fuerit, ita tamen, quod prima tantum vice eam domum Abrahæ repetere juſſerit, non vero ſecunda vice; Vultiſne ſcire utriusque differentiam? Myſterium hujus rei in eo, ut arbitror, conſiſtebat; Nam prima vice diſceſſit ob diſſenſionem, quæ ipſam inter & Saram primariam Abrahæ conjugem intercedebat, qua placata & demum reconciliata, facilis illi ad domum Abrahæ reditus erat: At vero quia ſecunda vice propter Iſmaelem ejecta fuerat, qui cum Iſaaco luſerat, per quem luſum ut in Diſcurſibus præcedentibus diximus, multi ſacri Doctores vitium carnis, ad quod Iſaacum inducere voluit, intelligunt, quemque Apoſtolus, ut paulo ante diximus, perſecutionem appellat, nam Gloſſa interlineari teſte, *Lubricum & laſcivum eſſe docebat, ſicut ipſe erat*; Ideo, quia de hoc vitio è domo ſua eliminando Abrahæ cura erat, Agar in exilium mittitur, & Iſmael cum matre in deſerta fugitivus abigitur, adeo ut nulla ei amplius ſpes reliqua fuerit in domum illam, in qua immaculata vigebat caſtitas, deinceps amplius redeundi.

*Gen. 16. v. 6.*
Laſcivus Iſmael cum matre ejicitur.
*Gen. 21. v. 14.*
*Interlin. ibid.*

10. Elias Propheta adeo intrepido & generoſo animo erat, ut furibundo & ſacrilego Regi, qualis Achab erat, ſine ulla formidine ſe oppoſuerit, & quadringentos contra ipſum præ rabie inſanientes Pſeudo-Prophetas occiderit: Et tamen quando ei cum Jezabele decertandum erat, in fugam ſe recipiens, quadraginta diebus & noctibus per denſas ſylvas vagabundus oberravit: *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Scitiſne quamobrem id fecerit, inquit S. Ambroſius? *Nimirum fugiebat ſæcularem illecebram, & converſationis maculoſæ contagionem*; Ubi S. Doctor fœminei ſexus illecebras *contagionem* appellat, quæ ſecurius quam per fugam nuſquam præteritur.

*Elias fugit Jezabel &c.*
*3. Reg. 19. v. 8.*
*S. Ambroſ. de fuga ſæc. c. 6.*

11. In libro Judicum hiſtoria quædam recenſetur, quæ hoc loco ſine ponderatione opportuna præteriri nequit; dum enim omnes aliæ tribus Iſrael tribum Benjamin ſolam impugnarent, licet illæ numero majores in cauſa juſtiſſima, & de divina voluntate aſſecuratæ, contra hanc bellum gererent, attamen bina vice infeliciter illis prælium ceſſit, ac demum tertia vice non niſi interveniente fugæ fictæ ſtratagemate victores evaſerunt; ſcilicet *fugam arte ſimulantes*; Hæc autem *omnia in figura contingebant illis*; Cum enim omnes aliæ tribus eo præcipue fine inter ſe ad delendos Benjamitas conjunctæ eſſent, ut juſtam ſumerent vindictam de Benjamitis, carnis infami vitio magnopere deditis, prout ex ſcelere circa Levitæ illius conjugem patrato, & ab eo illis comprobato clare ſatis colligitur, ad illos vincendos meliori quam fugæ ſtratagemate uti non poterant.

Hiſtoriæ ſacræ.
*Judic. 20. v. 32.*

12. In libro Joſuæ cap. 8. pariter legitur, quod magnus Iſraelitici exercitus Archiſtrategus, ut civitatem Hai in poteſtatem ſuam redigeret, ſimili uſus fuerit techna militari, dum enim cum univerſo exercitu fugam ſimularet, urbis Hai incolæ, illum perſequentes, alios vero, qui in inſidijs latebant, minime metuentes, ab his & alijs faciem ſuam hoſti denuo obvertentibus intercepti & internecioni dati fuerunt; Ubi Origenes ait: *Quid putas eſt, quod Jeſus fugiens deſignabat? Videamus ne forte ſit aliquid, quod fugiendo vincamus, quia eſt aliqua perfecta fuga in hyeme, quam Paulus indicat dicens: Fugite fornicationem.* Et paulo poſt ad noſtram conſolationem ſubdit: *Jeſus enim eſt cum his qui fugiunt, magis, quam cum his qui perſequuntur, diligit enim eos, qui fugiunt perſecutionem.* Cœleſtis Magiſter noſter Diſcipulis ſuis lumbos præcingere præcipit, dicens: *Sint lumbi veſtri præcincti*; quod idem erat, ac ſi eis dixiſſet: Caſtitatem vobis ſpecialiter commendatam habete. At inquies, quænam hanc inter virtutem, & habitum hominis accincti, & quidem ad aliquod faciendum præparati eſſe poteſt proportio? S. Fulgentius ait: *Omnis Chriſtianus præcinctos habeat lumbos, & fugiat libidinem.*

*Joſue 8. v. 4.*
*Origen. ibid.*
*Luc. 12. v. 35.*

13. De S. Andrea Corſini Feſularum Epiſcopo, & Carmelitani Ordinis præclariſſimo jubare P. Bollandus refert, ipſum adeo in juventute ſua quoad hanc pudicitiæ virtutem cautum fuiſſe & circumſpectum, ut ipſam quoque matrem ejuſque converſationem fugerit: *In ſua juventute ita verecundabatur loqui cum propria matre, & ſororibus ſuis, tamquam ſi extraneæ eſſent, conſortia fugiebat atque colloquia mulierum, & ſi ex neceſſitate loquebatur; ſemper oculos fixos tenebat ad terram. Tanta fuit ejus pudicitia, ut dum Pariſijs erat in ſtudio, ab alijs ſtudentibus vocabatur Andreas*

Mulierum converſatio fugienda.
*Bolland. 30. Januar. c. 5.*

cæcus,

*cæcus, mutus & ſurdus, & hoc, quia omnes ſenſus ab impudicitijs refrænabat.* Fortaſſe ſanctiſſimus hic Præſul hanc cautelam ab Auguſtino Eccleſiæ Doctore didicerat, qui in hac materia adeo cautus & circumſpectus fuit, ut ſicut in ejus lectionibus Breviarij legitur: *Fœminarum & in eis ſororis & fratris filiæ contubernium familiaritatemque vitavit, quippe qui diceret: Etſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas ventitarent, poſſe ſuſpicionem efficere.* Idem quoque S. Doctor in quodam ſermone ita ſcribit: *Non ſolum ab extranearum mulierum familiaritate, ſed etiam ancillarum noſtrarum, vel quarumcumque vicinarum aut filiæ, aut alumnæ, aut ancillæ uniuscujusque familiaritatem, vel ſecretam collocutionem vitare contendet, quia quanto earum vilior conditio, tanto facilior ruina eſt. De familiaritate enim talium Salomon nos admonet dicens: Numquid alligabit quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ejus non ardebunt? Aut ambulabit quis ſuper prunas, & non comburentur plantæ ejus?* In eodem quoque loco mentionem facit verborum illorum S. Pauli: *Fugite fornicationem*, optimisque rationibus vitium hoc non aperto Marte cominus impugnandum, ſed fuga potius celerrima declinandum eſſe convincit; *contra reliqua vitia*, inquit, *Deo auxiliante debemus in præſenti reſiſtere, libidinem vero fugiendo ſuperare. Beatus Joſeph ut impudicam Dominam poſſet evadere pallium, quo apprehenſus fuerat, reliquit, & fugit, ergo contra libidinis impetum apprehende fugam.*

*In Lect. S. Auguſtin.* — *S. Aug. T. 10. ſerm. 2. in Dom. 25 poſt Pent.* — *1. Cor. 6. 18.*

14. Sanctus Bonaventura in libro *de gradibus virtutum*, omnium illecebrarum & incentivorum per quæ caſtitas periclitari poteſt, fugam his verbis ſuadet: *Maxime adjuvatur caſtitas, ſi homo vitat locum ſuſpectum, magis ſi vitat homines ſuſpectos, multo amplius, ſi vitat familiaritates ſuſpectas, & ea quæ provocant familiaritates ſuſpectas, ut ſunt dulces literæ, dulces ſalutationes, dulces reſpectus, dulcia verba & blanda, & crebra munuſcula.*

*S. Bonav. de grad. virt. cap. 4.*

15. Imo Sanctus Auguſtinus in alio quodam loco eas quoque mulieres, quæ in virtute & perfectione habituatæ ſunt, ſumme fugiendas eſſe docet: *Gravem*, inquit, *inimicum ſortita eſt caſtitas, cui non ſolum reſiſtendum, ſed dimiſſo fræno longius fugiendum; nec eo minus fœminæ fugiendæ ſunt, quæ religioſæ videntur, quia quanto religioſiores, tanto citius alliciunt, & ſub prætextu pietatis latet viſcus libidinis.* S. Bonaventura in ſerm. *de laudibus S. Andreæ Apoſtoli* dicit: *Illi ſuccurrit Epiſcopo, quem Diabolus ſub ſpecie mulieris laboravit ſubvertere.* Ubi Seraphicus Doctor ſequentem innuit hiſtoriam, quæ inſigni cuidam accidit Epiſcopo, qui vitam agens innocentem & puram, magna S. Andream Apoſtolum devotione colebat, quem ut ſpiritus fornicationis turpiter labi faceret, in ſpecie puellæ ſpecioſiſſimæ eumdem convenit, ut ſacramentalem ei Confeſſionem faceret, cumque Epiſcopus puellam hanc perſonatam abs ſe dimiſſam ad pœnitentiarium ſuum remiſiſſet, ipſa identidem ad Epiſcopum reverſa importunis eum precibus fatigavit, ut conſcientiæ ſuæ ſinus ei explicare geſtientem non aſpernaretur, ſed benignus auſcultaret, cui tandem Epiſcopus cum acquieſceret, hæc ſe regia ſtirpe progenitam eſſe dicebat, inſcioque patre clam fugiſſe, eo quod is eam voto virginitatis licet obnoxiam cum inſigni quodam Principe deſponſare decreviſſet, hancque unicam eſſe fugæ ſuæ cauſam, ut ſe è paternis ſibi ſtructis laqueis ereptam, ejus ſe diſciplinæ & directioni ſubjiceret, utpote quem vitam ſumma integritate conſpicuam agere intellexiſſet. Quapropter Epiſcopus, virtutem, habilitatem, pulchritudinem, prudentiam & devotionem in æquali gradu in ea ſimul conjunctas ſumme admiratus, operæ pretium futurum eſſe duxit, ſi ad cuſtodiendum pretioſum virginitatis ejus theſaurum eamdem in domum ſuam admitteret. Ipſam igitur ad prandium ſequentis diei invitavit quidem, illa vero ad illud accedere renuit, ſub prætextu quod vereretur, ne ab alijs agnoſceretur; quia vero Prælatus hunc ei metum exemit, oblatum convivium promptè acceptavit. Interea vero in corde Epiſcopi ardere cœpit ignis concupiſcentiæ carnalis, jamque in corde ſuo de modo deliberarat, quo carnalibus ſuis erga illam conceptis deſiderijs ſatisfacere valeret, cum ecce ad fores domus Epiſcopalis accedens quidam peregrinus, qui ingentem excitans ſtrepitum magna cum authoritate & inſtantia in palatium Epiſcopi intromitti, & cum Epiſcopo loqui poſtulavit; Epiſcopus autem metuens, ne forte puellam hanc in facie palam aſpiciens, eamdem quænam eſſet agnoſceret, eumdem non niſi de conſenſu puellæ admittere voluit; Cumque puellam an peregrino huic indulgendus eſſet aditus interrogaſſet, ipſa ſubintulit, quod ſi ad dubium à me illi proponendum adæquate reſponderit, fores ei aperiri libere poterunt; ac proinde in primis peregrinum interrogari juſſit: *Quod majus mirabile ſit, quod Deus umquam in magna re fecerit?* reſpondit Peregrinus: *Diverſitas facierum humanarum.* Iterum ab eo peti fecit alterius difficultatis reſolutionem: *Quæratur ab eo*, inquit, *ubi terra ſit altior cælo? In cælo Empyreo*, reſpondit peregrinus, *ubi Chriſti Humanitas ſedet ad dexteram Patris ſuperior omnibus cælis.* Cumque circumſtantes tam propoſitis quæſtionibus, quam redditis ad easdem congruis reſponſis omnes applauderent, ſubjunxit perſonata puella: *Quæratur ab illo quantum ſpatium ſit à cælo in terram?* mox peregrinus dixit: *Vade ad eum, qui te miſit ad me, de hoc eum percunctare, ipſe enim melius me hoc novit, nam ipſe hoc ſpatium menſuravit, quando è cælo in abyſſum cecidit, non enim eſt mulier, ſed Diabolus, qui ſe transformavit in ſimilitudinem mulieris.* Servo autem hoc peregrini reſponſum deferente ad Epiſcopum, mulier Epiſcopo præſens eo audito confuſa ſubito diſparuit. Epiſcopus vero peregrinum coram ſe adduci præcepit, qui quaquaverſum curioſe quæſitus nuſquam amplius apparuit. Sequenti vero nocte Epiſcopus in viſione, peregrinum hunc Sanctum Andream Apoſtolum fuiſſe intellexit, qui eo præcipue ad ædes Epiſcopales importune admitti poſtulaverat, ut Epiſcopum eidem Apoſtolo devotum clientem ab imminenti caſtitatem ſuam contaminandi periculo eximeret. Ex quo facto clare ſatis cognoſcitur, verum eſſe dictum illud divi Auguſtini: *Sub prætextu pietatis latet viſcus libidinis.* *S. Auguſt.*

*S. Auguſt. de ſingul. Clericorum.* — *S. Bonav. de S. Andrea Apoſt.* — *Rudolph. Clutius.* Hiſtoria.

## DISCURSUS XXX.

## ARGUMENTUM.

Viri etiam ſanctiſſimi & perfectiſſimi caſtitatem coinquinant, niſi occaſiones pro viribus fugiant; Et ideo fugiendum eſt mulierum etiam ſpiritualiter & devote viventium conſortium, eò, quod majus circa illas ſit periculum.

### THEMA.

*Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant,* Gen. 6. ℣. 2.

1. LUcifer humanam progeniem eo præcipue fine à communi rerum omnium Creatore conditam eſſe ſciebat, ut per hanc ruinæ illæ, quarum ille in cœlis per ſuperbiam & arrogantiam ſuam author fuerat, inſtaurarentur, ac proinde videns quod omnes è ſtirpe Seth prognati magnis greſſibus omnique ſtudio ad hoc conniterentur, ut vacuæ rebellium Angelorum ſedes adimplere, murosque ſupernæ Jeroſolymæ quaſi collapſos reſtaurare poſſent, ſancti hujus operis adimpletionem impedire, omnisque generis obices illis ſtruere decrevit; & tametſi illos vel per viam odij, vel invidiæ, vel ambitionis & ſuperbiæ aggredi potuiſſet, illis tamen vitijs omnibus poſthabitis, nullam adverſus illas potentiorem machinam ordiri ſe poſſe cenſuit, quam ſi illos à pudicitia & honeſtate alienatos carnalis concupiſcentiæ ignibus ſuccenderet. At inquies, hi filij Seth viri ſpirituales ſummaque perfectione conſpicui erant? Qua igitur ratione illos ſe vincere poſſe ſperare poterat? Dico igitur certum omnino eſſe, quod filij Seth viri fuerint religioſiſſimi, unde & Spiritus Sanctus ipſemet illos honorificentiſſimo filiorum Dei titulo inſignivit; Verumtamen non latebat Luciferum, quod etiam viri ſanctiſſimi & innocentiſſimi per carnis illecebras facile ſe decipi & ſeduci permittant; Et ideo tametſi filijs Seth à Deo expreſſe vetitum fuiſſet, ne cum reprobi Caini maledicta progenie ſeſe commiſcerent, nihilominus *videntes... filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus.*

Facile decipiunt illecebræ.

2. S. Bruno Carthuſianæ ſolitudinis Patriarcha exemplum adducit Adamantis, cujus hanc dicunt eſſe proprietatem, quod ne ferro nec igne, nec qualibet alia re quantumvis validiſſima dividi, frangi aut comminui poſſit, *Solo tamen ſanguine hirci*

Probatur. *S. Bruno de ornat. Eccl. cap. 9.*

*calido*



*calido ſolvitur & frangitur*; Quam proprietatem idem ſanctus Patriarcha propoſito noſtro adaptat dicens: *Hircus fœtidiſſimum animal & luxurioſum eſt, ſanguis igitur ejus luxuria eſt: Per adamantem vero viri fortes intelliguntur, qui quamvis circa alia fortiſſimi ſint, multoties tamen luxuria ſuperantur:* ad quod demonſtrandum Davidis, & Salomonis Filij ejus adducit exempla, dum ſubdit: *Quam fortis erat David, qui viſa Bethſabæa luxuria reſolutus eſt? Quam fortis & ſapiens Salomon, qui quamvis in ſolio eburneo, & inter leones ſecurus ſedebat, aliquando tamen inter mulieres inventus, in tantum à luxuria emollitus eſt, ut cervicem miſerabiliter idolis inclinaret?*

3. Sacer Chroniſta Moyſes, ijs qui ex Sethi generatione progeniti erant, glorioſum hoc nomen filiorum Dei attribuit, ut exemplo illorum diſcamus, quod non niſi magna vitæ & morum habeatur circumſpectio & cautela, ij qui antea puriſſime & innocentiſſime vivebant, facilius hac turpi pice contaminentur & inficiantur, quam alij diſſolute viventes. Unde S. Hieronymus ait: *Multos ſæculi repertes homines facilius carere experta corporis voluptate, quam eos quia à pueritia libidinem neſciant.* Inter omnes illuſtriores Eccleſiæ Sanctos nullus utique eſt, qui Sanctum Joannem in Sanctitate antecellat, utpote qui ab ipſomet Salvatore infallibile hoc habet teſtimonium: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*; Et tamen ut Diſcurſu præcedenti tetigimus, in vaſtam ſe eremum ſubduxit, ne in domo paterna, in qua tamen nulli erant præterquam ſanctiſſimi ejus genitores S. Eliſabeth & S. Zacharias, honeſtatis & pudicitiæ ſuæ candorem aliqua labe contaminare aut denigrare poſſet, nam ut S. Fulgentius ipſum mediantibus duabus mulierculis è vita ſublatum eſſe conſiderans ait: *Neſcio quid habet ſemper muliebre nomen cum ſanctis.* Et S. Hieronymus ad Oceanum ait: *Prima tentamenta Clericorum, ſunt fœminarum frequentes acceſſus.*

Mulieres tentationum cauſæ. — *S. Hieron. de ſuſp. contub.* — *Matth. 11. v. 11.* — *S. Fulgen. ſerm. de Herodiade.* — *S. Hieron. Epiſt. ad Ocean.*

4. S. Cyprianus, vel quisquis libri illius Author eſt, inquit: *Tempus luctaminis adhuc geritur, & mors per fœminam adhuc uſque graſſatur, mentior ſi non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Epiſcopi & Cleri ſimul & Laici, poſt confeſſionum victoriarumque calcata certamina, poſt magnalia ſigna & mirabilia uſquequaque monſtrata noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, cum volunt in nave fragili navigare? Quantos leones domuit una infirmitas delicata, quæ cum ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædam? quod Salomon loquitur dicens: Pretium meretricis tantum eſt unius panis, mulier autem pretioſas animas rapit.*

*S. Cypr. de ſingular. Cleric.* — Propter has multi ceciderunt.

5. S. Richardus Pampolitanus in opuſculo quodam, quod *de emendatione peccatoris* intitulatur, de certo quodam viro ſcribit, quod cum per 15. annorum decurſum in exceſſivis corporis vixiſſet rigoribus, carnemque ſuam pro viribus affligendo & macerando ſpiritui ſervire docuiſſet, tandem nihilominus turpiter lapſus fuerit, cum conjuge alicujus, cui hactenus in adulterio ſerviverat, à qua numquam dimoveri potuit, quoad uſque vixit, & finaliter in morte ſacerdotibus maledixit, pariter & Sacramentis, quæ etiam obſtinate ſuſcipere recuſavit.

Hiſtoriæ. *Richardus Pampolit. opuſc. de emend. peccator.*

6. De Roberto de Licio legimus, quod licet in ſuo ſæculo omnium Prædicatorum Evangelicorum norma fuerit & ſpeculum, innumerorum quoque peccatorum procurarit converſiones, trecentosque ex ijs ad Religionem induxerit S. Franciſci: Attamen *Obſcuratum doleo eſſe aurum*, inquit Hiſtoricus, *mutatum eſſe colorem optimum, emarcuiſſe florem nitidiſſimum, matronarum eum certatim adeuntium concurſu, atque libidine paulatim illectus, væſanus cœpit eſſe. Præſul poſtremo factus in patria, imo Aquini, ſenex inter concubinas deceſſit.*

*Vola terran. in Antr. l. 21. de Minor.*

7. Thomas Cantipratenſis de quodam Clerico haud procul ab urbe Cameracenſi habitante refert, quod in primis quidem juventutis ſuæ annis vitam decrevit ducere cælibem, abſolutisque ſtudijs in Cathedrali Eccleſia Cameracenſi factus Canonicus, Canonicalem præbendam, animarum Deo lucrandarum Zelo permotus, cum Eccleſia quadam Parochiali permutarit, in qua integro ſeptennio verbum Dei cum ingenti animarum fructu prædicavit, adeo ut vitæ ſuæ exemplaritate alijsque bonis operibus, quibus paſſim reſplendebat, magnam ſibi Sanctitatis famam paſſim apud omnes compararit. Acciderit autem, quod dum ſexageſimum ageret ætatis annum, puella quædam devota, quæ cilicium illius lavare conſueverat, neſcio quam nacta fuerit cameram ejus ingrediendi occaſionem: *Quid plura? Ad tam nefandum infortunium res devenit, ut ambo & Sacerdos & mulier, antequam ſepararentur, diu ſervato virginitatis & caſtitatis lilio privarentur, ex qua re mulier in tantum doluit, ut præ nimia amaritudine mortem acceleraret in planctu, Sacerdos vero expertus incognitum, in luxuria adhuc (ut credimus) viliſſimus perſeverat.*

*Thom. Cantiprat. l. 2. Apum. c. 30. n. 47.*

8. Conſideratione digniſſima eſt doctrina quædam, quam S. Bonaventura tradit in hac materia, dicens: *Quoniam ſpiritualibus loquor, propter quos iſta ſcribo, noverint ipſi, quod licet carnalis affectio ſit omnibus periculoſa & damnoſa, ipſis tamen magis pernitioſa, quando converſantur cum perſona quæ ſpiritualis videtur; Nam quamvis horum principium videatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum & malum occultum, bono colore depictum, quæ quidem familiaritas quanto plus creſcit, tanto plus infirmatur principale motivum, & utriusque puritas maculatur, non tamen de hoc ſtatim perpendunt, quia ſagittarius ille à principio non mittit ſagittas venenatas, ſed ſolum aliqualiter vulnerantes, & amorem argumentantes. Ad tantum tamen brevi perveniunt, ut jam non velut Angeli, ſicut inceperant, ſeipſos alloquantur & videant, ſed tamquam carne veſtitos ſe mutuo intueantur, & ſaucient mentem quibuſdam commendationibus, ac verbis blanditorijs & adulatorijs, quæ videntur ex prima devotione procedere, deinde unus incipit alterius appetere præſentiam corporalem &c.* Iſaac Monachus proinde libro *de contemptu mundi* monet, ut à Monialium converſatione nobis caveamus, haud ſecus quàm ab igne & laqueo Diaboli. Unde in Annalibus Ordinis Sancti Franciſci hæc verba inter cætera ſcripta reperio: *Aliam adjecit Bonaventura petitionem, ut probaretur decretum Capituli Generalis, de rejicienda Monialium cura, liberarenturque fratres à tam moleſtis & pericoloſis ſororum obſequijs.* Nimirum Seraphicus Doctor probe cognoſcebat pericula huic ſexui, quantumvis religioſo & perfecto annexa.

Adhortatio. — *S. Bonav. de modo confit. cap. 14.* — *Iſaac. Monach. lib. de mundi contempt. in fin.* — *Luc. Wadding. Ann. 1263. n. 17.*

9. Nam ut Thomas Cantipratenſis ex Sancto Auguſtino in Regul. cap. 18. dicit: *Appetit & appetitur concupiſcentia fœminarum*; Ac demum ſubjungit: *Vide quam exitiabilis dolus eſt, quod quidam magis tentantur de his perſonis, quæ ſpeciem in habitu & religione prætendunt, quam de his quæ ſæculo ſe dederunt; & mulieres ſimiliter, quæ numquam de viris ſæcularibus tentabantur, eas Diabolus & mens perverſa in ſanctos & religioſos, vel viros Eccleſiaſticos ſtimulat.* Idem quoq; authoritatem adducit Plinij, qui de naturæ ſecretis diſſerens in ſue animali ſpurciſſimo, & vivo luxuriæ ſymbolo obſervat, quod in illos præcipue ſordibus ſuis furere ſoleat, qui majori ſunt candore conſpicui: *Sus quando luxuriæ furijs agitatur, in virum irruit candida maxime veſte indutum.*

Cavere debemus converſationē Monialium. — *Thom. Cantiprat l. 2. c. 30 n. 44.*

10. Beatus Humbertus Regulam Sancti Auguſtini capite 18. exponens rationem reddit, cur mulieres ſpirituali vitæ deditæ, quales ſunt Sanctimoniales, ſpeciali erga viros exemplares & perfectos affectione propendeant; dicit enim: *Inter continentes vero ſunt quædam ſub habitu & ſpecie ſanctitatis, & ideo cum non debeant habere familiaritatem cum hominibus mundanis, facilius effundunt ſuas tentationes in viros ſanctos, cum quibus frequentius converſatur.* Sanctus Hieronymus *ad Nepotianum* ſcribens eumdem monet, ne in occaſione infirmitatis mulierum utatur miniſterio, etiam earum, quas alias cum magno pudicitiæ tuendæ zelo vixiſſe conſtat: *Ægrotanti tibi quilibet frater ſanctus aſſiſtat, ſcio quoſdam convaluiſſe, corpore & anima ægrotaſſe; periculoſe tibi miniſtrat, cujus vultum frequenter attendis*; Cui etiam in memoriam revocat illum textum Eccleſiaſtici dicentis: *In medio mulierum noli commorari; De veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri, melior eſt enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Hugo Cardinalis prædicta S. Hieronymi verba uſurpans, ſubjungit: *Nam impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem conſiderare, ſed corporum*, Quaſi dicere vellet: Eſto quod mulier illa, cujus miniſterio in infirmitate uteris pudica & virtuoſa ſit, & conſcientiam immaculatam habeat, quodque iiſdem quoque pietatis ſenſibus feratur ille, qui cum ipſa familiariter converſatur, oculi tamen, qui corporales ſunt, non conſiderant aut vident animam, ſed corpus: *Non norunt animæ pulchritudinem, ſed corporis.*

*D. Humb in Reg. D. Auguſt.* — *S. Hieron. Epiſt. ad Nepotian.* — *Eccli. 42. v. 12.* — *Hug. Cardin. ibid.*

11. In vita B. Jordani primi poſt S. Dominicum Generalis Ordinis Prædicatorum refertur, quod *In vita B. Jordani c. 43*

cum

*Alia ratio cur mulierũ converſatio vitanda.*

cum coram eo Frater quidam accuſaretur, quod cuidam mulieri manum ſuam porrexiſſet cauſa amicitiæ, is vero mulierem iſtam ſancte vivere, ideoque minus in hoc facto periculi ſubeſſe reſpondiſſet, ſanctus vir Dei eidem reſponderit dicendo: *Pluvia bona eſt, & terra bona, & tamen ex earum commixtione fit lutum, quo fœdantur cæteræ res; ſic & manus viri licet bona fuerit, ſimiliter & mulieris, ex commixtione tamen illarum nonnumquam cogitatio vel affectio mala conſurgit.* Quidnam obſecro Eccleſiaſticum dicere voluiſſe exiſtimas, dum ait: *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens?*

*Eccli. 42. 14.*

Hoc nimirum, ut arbitror, quod melius & tutius ſit cum viro malo & perverſo converſari, quam cum muliere ſpirituali & devota, eo enim ipſo quo virum aliquem perverſum pice coinquinatum eſſe conſtat, circumſpecte & caute cum ipſo converſamur, eique plane non fidimus, at vero dum cum muliere aliqua devota & ſpirituali converſamur, de ipſius ſanctitate & integritate bene præſumentes viribus noſtris confidimus & facile ſeducimur. Thomas Cantipratenſis, quamdam S. Auguſtini lib. de cohabitatione clericorum & mulierum authoritatem adducens ait: *Si forte in longo tuo ætatis uſu, & retroacta caſtitate confidis, audias quid dicat Sanctiſſimus & veridicus Auguſtinus: Cum mulieribus inquit, ſermo brevis, aſper, & rigidus ſemper habendus eſt, nec ideo minus vitandæ, quia bonæ indolis & honeſtæ videntur, ſed quanto religioſiores, tanto magis alliciunt, & ſub ſpecie religionis viget plurimum viſcus libidinis. Crede mihi, ut Epiſcopus loquor, Cædros Libani, greges arietum reperi ſub hac peſte corruiſſe, de quorum vita non magis ſuſpicabar, quam de Hieronymi vel Ambroſij turpitudine impudica.* S. Bonaventura quoque hunc S. Auguſtini locum refert in opuſculo *de puritate conſcientiæ* cap. 14. ubi per cedros Libani intelligit contemplationis altiſſimæ homines, per gregum arietes magnos Eccleſiæ Prælatos.

*Thom. Cantipr. l. 2. Apum. c. 39. n. 46.*

*S. Bonav. Ibid. c. 14.*

*Waddingh ad Ann. 1216.* Exemplum.

12. In Annalibus S. Franciſci legitur de D. Sancia magnæ pietatis & honeſtatis muliere principe, quod ei pediſſequa quædam fuerit ob *pietatem chara, nomine Maria Garcia, quæ religioſum, vere quæ religioſi erant curantem ſæpius inviſebat, quo nihil ei moleſtius, nec quod magis horreret aut fugeret. Dum ergo ſemel orantem per nuntium interpellaret, rogaretque ut ſe allocuturum in Eccleſiam prodiret, illeque renueret; illa demum pro mulierum conditione magis inſtaret cum lachrymis, ſuamque cauſaretur mæſtitiam ex denegato ſancti viri alloquio, & pia exhortatione tandem importune rogatus acceſſit, ignem una, paleas, altera manu ferens, quas ut igni admovit, & ſubito accenderentur ſubjunxit: Domina, ideo tuum quantumvis pium recuſo conſortium & familiare colloquium, quia idipſum quod paleæ ex approximatione ad ignem lucratæ ſunt, lucrantur etiam Religioſi, qui fœminis familiarius aut ſæpius colloquuntur, ingentemque illum perdunt fructum, quem ex divino alloquio & ſancta oratione poſſent acquirere. Quo facto, quibuſque verbis cum rubore pia pediſſequa diſceſſit.*

Fuga ſuadetur. *Cant. 8. v. 14*

13. Mirum profecto eſt, quod ſponſa, quæ ſponſi ſui ſemper deſiderare deberet præſentiam, eidem nihilominus in ſacris Canticis dicat: *Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnuloque cervorum ſuper montes.* Ac proinde pro hujus loci intelligentia ſciendum, quod in hoc ſacro Epithalamio in ſenſu ſpirituali explicato animæ inſtruantur fidelium ad declinandas inimici infernalis inſidias, ut tanto arctius Deo conjungi & uniri poſſint. Quodnam igitur in eo myſterium latet, quod hæ omnes fugere jubeantur: *Fuge dilecte mi.* Nimirum paulo ante filiarum Jeruſalem mentionem fecerat, hic autem ſexus cum induſtria & ſine mora fugiendus eſt; at vero dices, numquid hæ filiæ Jeruſalem animas puras & caſtas ſymbolice præfigurant? Si filiæ Babyloniæ eſſent, merito diceretur, fugiendum eſſe illarum conſortium; nunc vero cum filiæ ſint Jeruſalem, quid opus eſt fuga? Nihil refert, inquit Deus, nam & ipſæ filiæ Jeruſalem non carent omni periculo, ſunt enim & ipſæ perſæpe ſcopuli valde pernitioſi, ad quos multi allidentes labuntur turpiter: *Nec ideo minus vitandæ, quia bonæ indolis & honeſtæ videntur.* Loth cum magno illo Dei amico, quo majorem illo tempore Deus non habebat in mundo, arcto ſanguinis & parentelæ nexu conjunctus erat, Angelos paradiſi in domo ſua hoſpitio exceperat, ipſeque ſolus erat, qui arcto inter omnes alios concives ſuos à communi Sodomæ incendio juſſu Dei reſervabatur immunis; & tamen filiæ ejus, quæ hactenus honeſtiſſime cum illo vixerant; dum ſolæ cum ſolo patre eſſent, ipſum ad abominabilem illum inceſtum committendum induxerunt, de quo proinde S. Ambroſius loquens ait: *Venerabilis ignorantiæ, pudendæ tamen commixtionis non evaſit incendium; uritur ille flammis mulierum, quem ſulphurea flamma non uſſit.* S. Joſeph Patriarcha quantamcumque adhibuerit circumſpectionem atque cautelam, attamen ſatis habebat, quod ageret, ut ſe conſervaret incontaminatum & caſtum, nam ut D. Chryſoſtomus ait: *Ingentem in ea re ſudorem ſubit;* Sancti enim ſudare & laborare debent, ut ſe ab impudicitia omnino immunes & illæſos conſervent.

*S. Ambr. in Pſalm. 118. Octon. 11.*

*D. Chryſoſt. Epiſt. 3.*

*Cornel. à Lap. in c. 6. Prov. 5. v. 25.* Confeſſarij in Colloquijs & aſpectu ſint circumſpecti.

14. Cornelius à Lapide de prudente quadam & honeſta Matrona Flandra refert, illam Confeſſarios quoſdam & viros religioſos monuiſſe, ut in aſpectu & colloquio cum mulieribus circumſpecti ſint & ſoliciti, tametſi illarum ſint pœnitentes, quia oculos earum occultam in ſe vim corda virorum ad ſe trahendi & illaqueandi habere dicebat; addebatque: *Certa ſum non eſſe virum adeo gravem & conſtantem, cui, ſi fixe eum reciproce per quadrantem intuita fuero; non perſuaſerim quidquid voluero.* Legatis obſecro mirabilem illam Samſonis viri fortiſſimi, ſi ullus fuit, hiſtoriam, & invenietis, quod non obſtante expreſſa Dei prohibitione, qua populo Hebræorum ſe cum mulieribus alienigenis & extraneis deſponſandi adimebatur poteſtas, nihilominus cum Dalilæ Philiſteæ amore captus, & velut laqueo irretitus eſſet, illam ſibi invitis etiam parentibus in conjugem dari poſtulaverit: *Hanc mihi accipe quia placuit oculis meis.* Quis eſt qui neſciat quam effœminatus per impudentem hanc mulierem factus fuerit, & tamen is erat, de quo Spiritus Sanctus toties teſtimonium perhibet, quod *Spiritus Domini irruerit in Samſon.* Audite obſecro quid S. Paulinus hac de re dicat: *Utinam tam prudens ad cavendam mulierem, quam fortis ad ſtrangulandum leonem, ſed carnali victus illecebra, qui gratia ſpirituali vicerat, cum prævaluiſſet forti, ab infirmitate ſuperatus eſt.* In nobis enim carnem inter & ſpiritum continuum habemus conflictum & luctam, quia *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem,* & ideo tametſi Spiritus Samſonis à Dei ſpiritu fortificatus eſſet: *Irruit Spiritus Domini in Samſon;* caro tamen tandem in ipſo prævaluit, ſeu potius ſuperata fuit, quia *caro infirma.* Unde Sanctus Ambroſius ad noſtram inſtructionem optime monet, dicens: *Samſon captus eſt per uxorem; numquid tu fortior? Salomon captus eſt in uxore; numquid tu ſapientior? Ille cujus ſapientia totis celebratur ſæculis, factus eſt inſipiens, quia nimium amavit uxorem.*

*Judic. 14. v. 3.*

*S. Paulin. Epiſt. 4.*

*Gal. 5. v. 17.*

*Judic. 14. 6.*

*S. Ambr. in Pſalm. 118. Octon. 15.*

## DISCURSUS XXXI.

## ARGUMENTUM.

Mulier ſcopulus quidam eſt, ad quem allidentes viri etiam conſtantiſſimi facile corruunt, quod varijs comprobatur exemplis.

### THEMA.

*Mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*, Eccli. cap. 19. verſ. 2.

Homo facilè cadit.

1. Eccleſiaſticus ut pro tutiori caſtitatis cuſtodia majorem nobis imprimeret ſolicitudinem, anxie nos præmonet, tantum nobis ex carne imminere periculum, ut illecebroſus mulierum ſexus ipſos quoque apoſtatare faciat ſapientes; neque enim ſufficit, quod in virtutibus habituati ſimus, vel quod irrefragabilia nobis carnis tentationibus minimè conſentiendi ſtabiliverimus propoſita, quia infallibilis veritatis ſemper manet illa propoſitio: *Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma;* Quovis enim tempore continuata nos docet experientia, quod qui in viribus ſuis præſumptuoſe nimis confidunt, ſibique ipſis plurima hac in re promittunt, poſtquam in proxima ſunt occaſione poſiti, præ cæteris facilius cadant. Unde S. Hieronymus qui tam eximius caſtitatis ſuæ cuſtos fuit, ſuiſque viribus plus omnibus fidere potuiſſet, in prælium cum carne ejuſque concupiſcentia cominus ineundũ ſe immittere minime præſumpſit, quin potius de ſemetipſo dixit: *Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam;* Imo S. Auguſtinus (cujus verba, utpote ſine ulla hæſitatione loquentis verba ſeria & attenta reflexione digniſſima ſunt,) dicit: *Sine ulla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare ſuſpectam cito labitur in ruinam.*

*Marci 14. v. 38.*

*S. Hieron. cont. vigilant.*

2. Verum-



*Rara victoria in prælio Caſtitatis.*

2. Verumtamen, inquit Sanctus Eccleſiæ Doctor, forte ex præſumptuoſis nonnemo reſpondebit mihi: Nihil ego timeo, neque alienigenarum mulierum converſationem, nec quidquam formido, & licet nonnumquam tentationes aut ſtimulos carnis in me experiar, illas tamen nonnumquam experiri deſidero, ut habeam quod vincam, qui alias iners & otioſus eſſem: *Inter mulieres extraneas habitans continentiam teneo, & volo habere quod vincam;* Sed huic ſapientiſſime S. Auguſtinus reſpondet, dicens: *Quid eſt dicere, Volo habere quod vincam, niſi vivere deſidero ſub ruina? ſed ego, inquis, libidinis impetum, tamquam adverſarium volo captivum jugiter retinere; vide ne contra te incipiat ipſa captivitas prævalere, & ubi te putabas obtinere triumphum, inde in æternum incurras opprobrium; Inter omnia Chriſtianorum certamina, ſola duriora ſunt prælia caſtitatis; ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria;* Adducitque Davidis exemplum, viri nimirum alias adeo continentis & caſti, divinæque legis tam zeloſi obſervatoris, qui è longinquo, unico dumtaxat incauti oculi obtutu tantum contraxit concupiſcentiæ carnalis incendium: *David ille ſanctiſſimus*, inquit, *in mille paſſibus mulierem nudatam vidit, & ſtatim homicidium fecit & adulterium, & aliqui in aliena domo, cum extraneis mulieribus putant ſe caſtitatis obtinere triumphum, ignorantes dupliciter ſe apud Deum reos exiſtere, dum & ſeipſos in periculum mittunt, & alijs exemplum perverſæ familiaritatis oſtendunt?*

*S. Aug. T. 10. in Dom. 25. poſt Trin. ſerm. 2.*

Hiſtoria.

3. D. Chryſoſtomus de certo quodam Nobili Antiocheno, cui nomen erat Thomas Mopſueſtenus refert; quod paternis delicijs atque divitijs, quibus plurimum abundabat; relictis, magno cum ſpiritus fervore vitæ ſe monaſticæ ſubjecerit, in qua per diem devotis libris legendis; noctu vero orationibus ad Deum fundendis aſſidue intentus erat, adeo ut omnium honorum & divitiarum, quibus in hoc ſæculo frui licebat, penitus fuerit oblitus, quem proinde D. Chryſoſtomus his verbis alloquebatur: *Sanctorum pedibus advolvi, omni nobilitate ſublimius judicabas.* At vero audire quemnam auſtera & pœnitens hæc vita exitum tandem habuerit; Amoribus mulieris cujuſdam, cui nomen Hermion erat, miſere ac ſtulte captus, paulatim à cœpto Monachiſmo apoſtata factus, in ſenſum reprobum datus eſt, prout ex duabus à D. Chryſoſtomo ad illum licet fruſtra & in caſſum directis exhortationibus; quibus illum ex turpi hoc luto conabatur eripere, perſpicue ſatis colligitur.

*D. Chryſoſt. Paræn. 2.*

Unicus geſtus ad vincandũ Caſtũ ſufficiens. *Dan. 2. v. 32.*

4. Ex cujus miſerabilis eventus occaſione immenſam illam ſtatuam recolere juvabit, quæ Nabuchodonoſori Regi in ſomno repræſentata fuit, cujus caput quidem aureum fuit: *Caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter & fæmora ex ære, tibiæ autem ferreæ:* adeoque omnia ingentis hujus machinæ metalla pretioſiſſima pariter & ſolidiſſima erant; & tamen mox in minutiſſimum uſque pulverem contrita & redacta fuere, dicente Scriptura: *Contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in favillam;* Sed quænam terribilis hujuſce ruinæ cauſa extitit? *Abſciſſus eſt lapis, ... & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Quæ *omnia* utique *in figura contingebant.* Sed quid præfigurabant? Porro ad intentum propoſitum nemo Richardo à S. Victore melius & congruentius reſpondere poteſt; Dicit enim: *Quid eſt fulgor capitis aurei, niſi fervor cæleſtis deſiderij? Claritas pectoris argentei, & brachij argentei, certitudo recti conſilij, & rectitudo operis certi.* Adeoque omnia hæc metalla varias præfigurabant virtutes, quæ in anima magnis paſſibus ad ſanctitatem gradientes reſplendere cernuntur; Sed undenam ſtatuæ hujus tam proceræ & pretioſæ lapſus cauſatus fuit? Audite eumdem excellentiſſimum Scriptorem id breviter exponentem, dum ait: *Planta teſtea deſignat voluptuoſam ſuperfluitatem;* Quaſi dicere vellet: Unicus quantumvis modicus lapillus, unicum verbum obſcœnum, vel obtutus, geſtus, aut cogitatus laſcivus, unica proxima occaſio à nobis non repudiata, ad hominem virtute & ſanctitate quantumvis eminenti conſpicuum, turpiter dejiciendum ſufficiunt, dum plantæ teſteæ, quæ *voluptuoſam ſuperfluitatem*, indicat, innititur, quia tametſi caput aureum ſit, tametſi in propoſitis noſtris ad non conſentiendum chalybis inſtar ſtabiles & reſoluti ſimus, pedes tamen, cui hæc omnia innituntur teſtei ſunt & fictiles: *Habemus theſaurum iſtum*, inquit Apoſtolus, *in vaſis fictilibus; Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma.*

*Ibid. v. 35.*

*Ibid. v. 34.*

*Richard. de S. Vict. l. 1. par. 1. c. 25.* De erudit. inter hominis.

*2. Cor. 4. v. 7. Matth. 26. v. 41. & Marc. 14. 38.*

5. Nos quidem Samſonis in ſuffocandis & enecandis leonibus; in ſtratis unica aſini maxilla millenis Philiſthæis; in Gazeæ civitatis foribus levi brachio in humeris deportatis admiramur fortitudinem & generoſitatem; At vero potius in illum pro eo tempore noſtros conjiciamus oculos; quando omni ſua fortitudine exutus in puerorum verſus eſt deriſum & ludibrium. Jure igitur merito S. Fulgentius de Herodiade, quæ Præcurſorem Domini decollari fecit, diſſerens, ait: *Fallor, ſi eſt fera peſſima crudelior laſcivia;* Etenim Samſon, qui Leones dilaniavit, tandem à muliere Philiſthæa, Dalila nimirum, victus & internecioni traditus fuit. Eodem modo cui ignota eſſe poteſt generoſitas Davidis; qui dicere non dubitavit: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum;* Et tamen poſtea lamentatus fuit dicens: *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus;* Cajetanus legit: *Et fui territus;* Ac demum ſubjungit: *Contrariatur fortitudini timor, & multo magis terror; fatetur ergo ſe perdidiſſe fortitudinem, dum confitetur ſe fuiſſe territum;* ubinam vero animi ſui fortitudinem amiſerit, protinus inſinuat dicens: *Et vere perdidit fortitudinem animi ad aſpectum mulieris;* nam ut Thomas Cantipratenſis ex Prov. cap. 7. dicit: *Multos vulneratos dejecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea,* citatque alium textum, nimirum ex Jobi cap. 41. ubi dicitur: *Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur;* ac tandem concludit: *Quid tibi igitur ſerve Dei, quid tibi cum fœminis?*

Mulieres multos dejecerunt.

*Judic. 15. v. 15.*

*S. Fulg. de decollat. S. Joannis Bapt.*

*Pſ. 26. v. 3.*

*Pſ. 29. v. 8.*

*Cajet. ibid.*

*Thom. Cantipr. l. 2. Apum c. 30. n. 46.*

*P. Ribadenira 18. Jan.* Cum tremore lege caſum.

6. S. Jacob. Eremita, ut de illo P. Ribadenira refert, in primis juventutis ſuæ annis in cavernam quamdam ſe incluſit, in qua magna cum auſteritate vivens, præclaris à Deo miraculis illuſtratus fuit; ſiquidem multos ſubito ſanavit infirmos; ex energumenorum corporibus Dæmones ejecit, plurimaſque procuravit infidelium converſiones. Accidit autem quod Dæmon ſanctitati hujus viri Dei invidens Samaritanum quemdam induxerit, ut ad lapſum ejus procurandum doloſos ei pararet laqueos; qui una cum alijs quibuſdam viris impijs mulierculam quamdam 20. ducatis conduxit; totidem alios eidem promittens, ſi Eremitam ad prævaricationem actualem inſtigare potuiſſet. Quæ proinde ſub intempeſta nocte operi ſe accingens, ad cellam ejus venit; ſeque cujuſdam Monaſterij haud procul ab eo diſtantis Sanctimonialem à Superiore ſua ad eleëmoſynas conquirendas emiſſam eſſe finxit, atque propter ingruentes noctis tenebras, ne à feris devoraretur, ab eo ſub tugurij ſui tectum ſuſcipi poſtulavit. Sanctus autem Eremita in principio quidem Dæmonis illuſionem eſſe timens, eam à ſe repulit, & hoſpitium denegavit. Quia tamen ſub intempeſta nocte, lamentis, ſuſpirijs, & inconditis clamoribus aures ejus indeſinenter fatigabat, tandem ne leonibus aliiſque feris ſolitudinem illam ſub noctem pervagantibus in prædam cederet; illius miſertus in cellæ primum atrium admiſit, appoſitoque modico pane & aqua illam quæ ſe itineris laboribus feſſam eſſe ſimulabat, reſtaurari tantiſper curavit, ipſaque comedente ſe in cellæ penetralia firmiter poſt ſe clauſa ſubduxit. Cumque mulier omnem technis ſuis aditum præcluſum eſſe videret; paulo poſt ante fores S. Jacobi prono corpore proſtrata magnis ab eo clamoribus auxilium popoſcit, qui feneſtrellam cellæ ſuæ aperiens, indeque proſpiciens, eam in terra prono corpore jacentem, ſeque hinc inde miſerabiliter circumgyrantem conſpexit. At vero quia conſilij inops auxilium ferre tardabat, mulier miſerandum in modum ejulans & plorans clamavit: Pater ſancte per ſanguinem Jeſu Chriſti te rogo & adjuro, ut ad minus egrediens ſigno crucis me munias, quia ecce præ ſubitanea cordis oppreſſione morior. Sanctus igitur Eremita, ne Chriſtiana ei charitate deeſſet, compaſſione erga eam motus, è cubili ſuo egreditur, luculentum ei ignem confeſtim accendit, ne tamen caſtitas ejus periclitaretur, in dextera quidem manu oleum benedictum ad eam inungendam accepit, ſiniſtram vero flammæ ignis uſtulandam immiſit, ut hac ratione per ignis elementaris ardorem, omnis in illo carnalis concupiſcentiæ ſcintilla extingueretur. Mulier autem ut deſiderij ſui compos fieret precabatur eum, ut cordis regionem nudato pectore bene inungeret, donec ſpaſmi vehementia evaneſceret, quam fingebat. Erat igitur Eremita ſimpliciter, & ſine ulla ſublatentis doli ſuſpicione, afflictæ huic conſolandæ & pectori ejus inungendo omnino intentus, ita tamen, ut toto illo temporis ſpatio, quo huic unctioni immorabatur, manum ſuam ſiniſtram ignis ardoribus uſtulando affligeret. Porro dum impudica ad hunc Eremitæ

mitæ rigorem, & continentiæ conſervandæ ſtudium ſe reflecteret, à Deo in corde ſuo intrinſecus tacta & compuncta errorem ſuum pariter & technas, quibus S. Eremitam circumvenire parabat, ingenue confeſſa eſt. Sanctus autem vir Dei perſoluta Deo debita gratiarum actione, quod per Dei miſericordiam præparatos ſibi laqueos evaſiſſet, mulierem hanc peccatricem ſerio de peccatis ſuis compunctam ad S. Alexandrum Epiſcopum perduxit, qui pœnitentem benigne ſuſceptam, monaſticæ vitæ aſſeruit, quam Eremita de obtenta victoria exultans ſæpius deinceps viſitavit. At vero alium longe prodigioſiorem caſum, qui huic viro ſancto accidit, velim auſcultetis. Tametſi enim S. Eremita cum tanta ſua gloria victoriam obtinuit, non propter hoc Dæmon ab eo ulterius infeſtando deſtitit; quin potius aliam ei terribilis præcipitij machinam præparavit; ſiquidem puellæ cujuſdam præcipui Senatoris filiæ corpus potenter obſedit, quæ tandem ad S. Eremitam adducta fuit, ut per ferventes viri Dei orationes à Dæmone eam obſidente liberaretur, prout demum factum eſt. Parentes autem pro hac filiæ ipſorum à Deo obtenta gratia trecentos ei ducatus obtulerunt, quos Eremita non ſolum reſpuit, ſed nec intueri voluit, dicens illis ſibi nequaquam opus eſſe. Cumque ob varia per ipſum patrata miracula ab omnibus in honore haberetur vir Dei ſanctus, gloriæ humanæ infenſiſſimus hoſtis, S. Hilarionis æmulatus exemplum interiora deſerti profundius penetrando ab omni ſe hominum conſortio ſubduxit, inventaque ſpecu quadam ſatis capaci flumini vicina, in ea triginta annis ſolitarius, ſolique Deo cognitus permanſit, Deique laudibus diu noctuque vacavit, & ſolis herbis corpuſculum ſuum tenuiſſime nutriens victitavit. Et tamen vir iſte adeo in ſanctitate celebris, dæmonibusque adeo formidabilis tandem factus eſt miſerabile Veneris & carnis ſuæ mancipium, nimirum *mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Is namque qui in annis juvenilibus, de carne, ut diximus, glorioſe triumpharat, qui potius manus ſuas Vulcano tradere, quam ab ardoribus concupiſcentiæ uſtulari maluit, qui non tantum gravi annorum ætate, verum etiam in auſteritate & ſanctitate vitæ conſueverat, tandem ſe ignominioſe vinci permiſit, & turpiſſime cecidit. Cum enim Dæmon puellam quamdam ditiſſimi viri filiam ingreſſus eſſet, isque ſub iteratis Exorciſmis identidem & conſtanter ac palam ſe è corpore iſto numquam egreſſurum eſſe aſſereret, donec inde à Jacobo Eremita pelleretur, parentes qui filiæ ſalutem anxie deſiderabant, ſpecum in quo degebat ignorantes, per omnia ſolitudinis antra ipſum ſtudioſe perquiſierunt, at tandem invento ſupplicarunt, ut filiam ab hoc maligno hoſte liberaret. Sanctus igitur Eremita ad orationem more ſolito confugiens malignum ſpiritum corpus illud deſerere coëgit. Fugit itaque Dæmon è corpore puellæ ea tamen ſpe fretus, ut paulo poſt ſibi animam ejuſdem Eremitæ ingrediendi aditus facilis pateret, quod & revera in hunc, quem narraturi ſumus, modum accidit. Etenim parentes metuentes, ne Dæmon tandem viciſſim in filiæ corpus poſſidendum reverteretur, Eremitam rogarunt, ut eam ſibi per biduum tantum commorari pateretur, quorum precibus Eremita de malo quod exinde ei obvenire poterat, nec quidquam cogitans, tandem poſt multas reluctationes conſenſit. Quid fit? Tametſi infelix hæc filia exiguo tempore cum ipſo moraretur, ipſe tamen Eremita tam vehementi incendio in pectore ſuo erga puellam ardere cœpit, ut tandem eouſque adactus fuerit, ut puellæ pudicitiam violarit, & quia *abyſſus abyſſum invocat*, ne peccatum ſuum per eam detegeretur, eamdem occidit, & cadaver in vicinum flumen conjecit, jamque ad ſæculum repetendum ſe accinxerat, niſi Divina miſericordia eum ad ſe redire concedens, illum retinuiſſet, & ad rigidiſſimam aſperrimamque pœnitentiam pro hiſce delictis ſuis faciendam revocaſſet. Cui proinde Sancto adaptare poſſumus, quod Petrus Bleſenſis de alio quodam dixit, qui cum in annis juvenilibus mulierum conſortia ſemper fuiſſet deteſtatus, tandem cum in annis maturioribus Diaconus miniſtraret, ſacrilegis fuit amoribus turpiter irretitus. De hoc enim ait: *Is qui muliebrem ſexum à pueritia deteſtatus eſt, qui in ejus ignominiam ſemper detractionis linguam armavit, nunc in foveam, quam ſemper vitarat, cecidit.* Optime igitur Sanctus Hieronymus ad Nepotianum monet dicens: *Ne in præterita caſtitate confidas, neque enim tu Davide es ſanctior, neque Salomone poteris ſapientior eſſe; Memento ſemper quod paradiſi colonum de poſſeſſione ſua ejecit mulier; Solus cum ſola abſque arbitro & teſte non ſedeas, tametſi ſecretum aliquod interſit, & quidquid probabiliter fingi poteſt.* Porro de præfato Sancto Jacobo Eremita dici quoque potuit, quod Olympiodorus in Catena græca de Sancto Job dicit. Nam licet totus infernus adverſus hunc inſurrexerit, de ſola tamen Jobi conjuge ait: *Ad munitiſſimum murum exturbandum, tamquam poſtrema machina eſt à Diabolo reſervata.* Tametſi enim Dæmon per tot annorum curricula Sanctum hunc Eremitam impugnaſſet, hanc tamen puellam velut ultimam prælij ſui machinam tandem adhibuit ad munitiſſimum murum exturbandum &c.

*Petr. Bleſ. Ep. 79.*

*S. Hier. ad Nepotian.*

7. Sanctus Maximus obſervat, quod Sanctus Petrus, qui adeo in fide & virtute ſtabilis erat, ut ei ab ipſomet Chriſto dictum fuerit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, tandem ab una muliere miſere proſtratus fuerit: *Uſitatus*, inquit, *ad decipiendum ſexus eſt, fraudis ſuæ vaſculum in oſtiaria Diabolus recognovit; quia fideles viros non niſi per mulierem oppugnare conſuevit.* Valde quoque emphatica ſunt verba, quæ Sanctus Ambroſius de Syrenis, illecebroſas delectationes præfigurantibus effatur, dum ait: *Syrenarum quædam ſuavis figura eſt nobis concupiſcentia voluptatis, quæ novis blandimentis conſtantiam captæ mentis effœminat.* Quanto enim puriores & candidiores ſunt animæ, quæ in turpe hoc lutum incidunt, tanto magis & turpius conſpurcantur: *Videntes filij Dei filias hominum*, inquit ſacer textus, *acceperunt ſibi uxores ex omnibus*; Sed quales exinde derivarunt poſtea partus? *Gigantes autem*, inquit Sacra Scriptura, *erant ſuper terram in diebus illis; Poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo, viri famoſi.* Quemadmodum enim juxta vulgatum illud axioma Philoſophicum: *Corruptio optimi peſſima eſt:* ita quando viri ſanctiſſimi in hoc uſque lutum degenerant, in exceſſus utique turpiſſimos & monſtroſiſſimos prolabuntur.

*S. Maximus Hom. 3. de Latr. Petr. & ancill.*

Sanctiores animæ lapſæ conſpurcantur magis. *S. Ambr. ſerm. 55.*

*Gen. 6. v. 2.*

*Ibid. v. 4.*

8. De Sancto Martiniano P. Ribadeneira refert, quod in primis adoleſcentiæ annis, ad agendam vitam pœnitentem priuſquam graviter peccaverat, in vaſtam ſe eremum receperit, ubi Deus illum per viginti quinque annorum decurſum multis magniſque miraculis illuſtravit. Accidit autem quadam die, ut quando omnes in urbe Cæſarienſi vitam ejus divinam potius quam humanam ſummis laudibus certatim extollebant, meretrix quædam Zoë nomine ex induſtria ad illum decipiendum ſe offerret, dicendo, nil mirum eſſe, quod homo ab humano conſortio plane ſequeſtratus continenter viveret, magna vero in veneratione ſe iſtum tunc habituram, ſi illecebris ab illa eidem proponendis nec quidquam moveretur. Quapropter varij impij homines hæc illam impudenter garrientem auſcultantes de egregia illi ſolvenda mercede pacti ſunt, ſi ad illum tentandum in ſolitudinem, in qua morabatur, ſe reciperet, & ad impudicitiam cum ipſa committendam effectivè allicere poſſet. Poſt pactam mercedem diabolica hæc furia in domum ſuam abijt, ibique depoſitis pretioſis comptiſque veſtibus, quibus quotidie indui ſolebat, vilem hiſpidumque habitum fune groſſiſſimo cinctum induit, veſtes autem elegantes & ſuperbas in ſarcinam complicatas in dorſo accinxit, acceptoque in manus baculo peregrinam ſe eſſe finxit, ſicque ad noctis crepuſculum tempore ventis & pluvijs admodum turbido ex urbe egrediens, ad Eremitæ tugurium intempeſta nocte acceſſit, eumque miſerabili & flebili voce inclamare cœpit dicens: Serve Dei compatere mihi pauperculæ fœminæ, quæ à via aberrans in vaſta hac ſolitudine circumvagor, & ad ſingula momenta me à feris ſylvæ hujus devorari metuo. Quo clamore & ejulatu Eremita ad compaſſionem excitatus, cellulæ ſuæ feneſtrellam aperuit, viditque mulierem pluvijs undique madidam, & quamvis Diaboli dolum hac in re ſublatere metueret, charitas tamen in eo prævaluit, quia timebat ne ſylveſtrium animalium in ſylvis delitеſcentium præda fieret. Unde Deo ſe ſuppliciter commendans anxieque petens, ut ſibi aſſiſteret, atque ab omni eum imminenti periculo clementer eriperet, tandem apertis tugurij foribus eam benigne exceptam ad luculentum extructum ignem ſedere juſſit, atque pauculis appoſitis dactilis frugaliter refecit; cum hac tamen conditione, ut illuceſcente diei diluculo ſubito inde denuo migraret, ipſe vero in aliam ſe cellam recluſit, totamque noctem in oratione conſumpſit, tametſi Dæmon illum continuo turpibus circa receptam hanc hoſtem conceptis cogitationibus infeſtaret. Cum vero ſequenti die ſub auroram è cella egrederetur, ut ſuſceptam hoſpitem & advenam ad abeundum ſolicitaret, mulier ſub noctem recepta ſe illi ſpectandam exhibet veſtibus elegantibus pretioſiſque indutam, vultuque ad lætitiam compoſito ei arridentem. Unde quia hanc eamdem eſſe, quam paulò ante hoſpitio exceperat, ſibi perſuadere minime poterat, illam phantaſma quoddam eſſe exiſtimans, quærere ex ea cœpit quænam eſſet, unde veniſſet, quoque fine, aut qua fronte in ejus cellam ingredi præſumpſiſſet. Poſtquam vero eam illam ipſam, quam ſub noctem in cellam ſuam ex commiſeratione admiſerat, eſſe intellexiſſet, miratus eſt vehementius, eamque de cauſa mutati habitus curioſus ſciſcitari cœpit. Qua accepta occaſione impudens mulier mentem ſuam ei manifeſtare cœpit; & quia Dæmon, qui illuc eam conduxerat, per os illius loquebatur, tantas tamque ſpecioſas rationes flagitium ſuadentes ſciebat adducere, ut junctis alijs blandimentorum lenocinijs & manuum contrectationibus cor pauperculi Martiniani, quod antea ad obſcœnitates admittendas quovis ſilice aut adamante durius erat, adeo fuerit ad laſciviam emollitum atque diſpoſitum, ut tandem in peccandi deſiderium conſenſerit; licet illud miſericordia divina interveniente executus numquam fuerit, quia dum egrederetur ex cella, ut videret ſi quiſpiam foret in propinquo, qui eum viſitaturus eſſet, ne forte is eum cum muliere peccantem cernens ſcandalizaretur, Deus affuſo illi cælitus lumine oculos ejus aperuit, ut peccati, quod commiſſurus erat, gravitatem, & abyſſum in quam præcipitandus erat clare videret. Unde pœnitens propoſiti & totaliter compunctus in cellam ſuam rediens, ignem accendit, pedibusque nudis ſuper ignem ingreſſus tamdiu in eo hæſit, donec bona pars corporis igne abſumpta eſſet, moxque inde egrediens his fere verbis alloquebatur ſeipſum: Quid tibi videtur? num ignem hunc in quo tam exiguo tempore moratus es, commodum tibi fuiſſe cenſes? Si putas te ignem tolerare poſſe gehennæ æternum, ad mulierem hanc audacter accede, & flatigium, in quod conſenſiſti, committe, ſin vero minus, abſtine; ignemque iterato ingreſſus Deum enixe rogavit, ut tantum ei crimen clementer ignoſceret, minimeque permitteret, ut tot ſudores & rigidæ pœnitentiæ, quibus ſalutem ſuam à primis pueritiæ annis in illam uſque horam promovere ſtuduerat, per momentaneam ab eo voluptatem perderentur, & infructuoſe evaneſcerent. Cui ſpectaculo mulier illa impudica aſſiſtens adeo & ipſa compuncta fuit, ut detractas è corpore ſuo nitidas pretioſaſque veſtes in eumdem ignem ſubito conjecerit, indutiſque prioribus hiſpidis & aſperis veſtimentis, funeque præcincta vitam ſuam in meliorem commutaret, ac rigidam deinceps pœnitentiam omnibus diebus vitæ ſuæ agere decreverit, atque de Sancti Eremitæ conſilio in Bethlehemiticum ſe monaſterium receperit, ubi duodecim annos in extrema vitæ aſperitate aquam ſolùm & mucidum panem ſemel tantum in die ſumens tranſegit, adeo ut in Dei amicitia perſeverans multis in vita & poſt mortem claruerit miraculis. Martinianus autem ne deinceps amplius à mulierum tentationibus & lenocinijs circumveniri & decipi poſſet, ex illa ſolitudine ſeceſſit; cumque ad mare veniens à nauclero in medio mari vaſtam quamdam rupem, in qua Deo ſervire poſſet, reperiri intellexit, ad eam ſe navigio perduci rogavit; Sperabat enim quod in illo loco aquis undique circumdato, ab hoc ſexu ſequeſtratus ſecure vivere, & Deo ſervire poſſet; Verumtamen poſt ſeptennium in ea rupe in rigida pœnitentia tranſactum, ſpe ſua ſe fruſtratum invenit, viditque quod nec in mari, nec in terra, nec in igne, nec in aquis ullibi eſſet ſecuritas, ſiquidem dum navis aliqua mare illud trajiceret, accidit, quod Dæmon, Deo ita permittente, navim illam ad rupem, in qua Sanctus anguſta ſpecu degebat, adeo fortiter allideret, ut in aliquot partes ſubito confracta una cum omnibus, qui in ea vehebantur ſubmergeretur, ſola venuſtiſſima quadam juvencula excepta, quæ arrepta poſt naufragium tabula emerſit, & ad littus appellens valide Sanctum Eremitam inclamare cœpit dicens: Adjuva me ſerve Dei, tuamque mihi manum porrige, ne in hoc profundo & procelloſo mari mori cogar. S. Eremita illam videns turbatus eſt valde, ejuſque vocem audiens, Dæmonisque illuſionem eſſe ſuſpicatus, ad orationis arma protinus confugit; quia tamen ſe illam tuta conſcientia deſerere nequaquam poſſe judicavit, exporrectam illi dexteram auxiliatricem præbuit, & de profundo aquarum fortiter extraxit: mox vero ut illam adeo ſpecioſam & pulchram eſſe vidit, dixit illi: Filia mea, non bene ad invicem conveniunt ſtupa & ignis, ac proinde eo in loco maneto, aquamque & panem, quem hic tibi relinquo, comedito, ego enim abibo; Eſt autem non procul hinc nauta quidam, qui ſingulis bimeſtribus me viſitare ſolet, huic miſeriam & infortunium tuum narrato, & promptum ab eo habebis auxilium. Quibus dictis, factoque ſuper mare crucis ſigno, elevatis in cælum oculis hunc in modum Deum eſt allocutus: O Domine de tua pietate confiſus, in mare me præcipitem ago, potius enim ab aquis ſubmerſus mori volo, quam ut me committam periculo maculandæ caſtitatis; Puellamque ad timorem Dei, & ad perfectionem in divino ejus ſervitio exhortatus, ex alta rupe in mare ſe præcipitem egit; & ecce ſubitò duo adproperarunt Delphini, qui eum dorſo excipientes, ſalvum & incolumem produxerunt in terram, unde ſanctus ille vir Dei experimento didicit, quam verum ſit dictum illud S. Auguſtini à S. Thoma de Aquina citatum, dicentis: *Nihil eſſe ſentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminæ, corporumque illi contactus, ac proinde hæc fuge.*

*Ribadeneira in vita.*

Hiſtoria.

*S. Aug in ſoliloquijs.*





## DISCURSUS XXXII.

### ARGUMENTUM.

Idem quoque alijs exemplis & rationibus confirmatur.

### THEMA.

*Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* 2. Cor. 12. ℣. 7.

1. EOdem prorſus in loco, in quo S. Paulus ſe à ſpiritu fornicationis infeſtatum, vehementibusque carnis ſtimulis agitatum eſſe lamentatur, ſimul etiam mentionem facit revelationum, viſionum, extaſum, raptuumque quibus ad cælum evectus eſt empyreum: *Veniam autem ad viſiones & revelationes Domini. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit, Quoniam raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba*; In quo eodem capite inſuper dicit: *Datus eſt mihi ſtimulus &c.* Unde quærendum, quænam inter tentationes carnales, & revelationes ac favores divinos & cæleſtes ſit proportio? Nimirum duo hæc ideo ſine dubio ſimul in eodem capite conjunguntur, ut inde cognoſcamus, quod etiam viri ſanctiſſimi, maximique Dei amici, à ſtimulis & ſuggeſtionibus carnis minime ſint exempti. Euſebius ad S. Damaſum de morte S. Hieronymi diſſerens, ait: *Nullus in hoc confidat vivens, ſi ſanctus es, non tamen ſecurus es. Plurimi ſanctiſſimi jam ceciderunt hoc vitio propter ſuam ſecuritatem. Hæc & alia multa moribundus jamjam dixit Hieronymus diſcipulis ſuis, ut viriliter agerent contra immaniſſimum hoſtem.*

Diſcurſus per ſe notus.

*2. Cor. 12. 1.*

*Ibid. v. 2.*

*Ibid. v. 4.*

*Ibid. v. 7.*

*Euſebius ad Dam.*

2. S. Bonaventura optimam rationem aſſignat, cur nequaquam ſecuri eſſe debeamus, quod numquam lapſuri ſimus in vitium carnis, quantumcumque etiam ſancti ſimus, fundatam in authoritate S. Greg. l. 3. Dial. c. 7. dicentis: *Qui corpus ſuum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præſumant, nam quamdiu vitalis calor vivit in corpore, nemo præſumat ignem concupiſcentiæ in ſe penitus extinctum eſſè, & ſæpe carbo videtur extinctus modica favilla coopertus, ſed ſi tangitur comburit. Diabolus vero cum ſuos carbones coadunaverit, afflat, donec eos incendat*, juxta illud Job 41. *Halitus ejus prunas ardere facit, Septuaginta legunt: Carbones; Ignitus eſt enim igne gehennali; carbo ſi ſolus relinquitur, extinguitur; ſi componitur alteri, ex mutuo calore incenduntur ambo:* nam ut S. Bernardus ſerm. 63. ſuper Cantica ait: *Cum fœmina ſemper eſſè & fœminam non cognoſcere, hoc ego majus puto, quam mortuos ſuſcitare, qui ergo quod minus eſt non potes, quod majus eſt, quomodo credam tibi? Aſtutus Diabolus in principio incautæ familiaritatis, occultat laqueos tentationis carnalis, reputans quod deſiſterent à mutua dilectione, ſi ſentirent inde laqueos peccati, donec per longam*

*S. Bonav. T. 7. de prof. relig. l. 1. c. 39.*

*S. Gregor. l. 3. Dial. c. 7.*

*Job 41. 12.*

*longam familiaritatem , & incautam ſecuritatem affectus amborum ita conflati & conglutinati fuerint in amore, quod etiamſi inde ſentiant ſibi imminere tentationis periculum, neſciant reſilire , vel ab invicem ſeparari, viribus ſpiritualibus ita debilitatis in eis, quod neuter eorum valeat ſibimet vim facere tantam, ut evellat ſe de laqueo.*

3. Nemo utique uſpiam inveniri poterit , qui de hac materia majori cum fundamento tractet , quam S.Hieronymus , utpote qui tot tamque conſpicuas Matronas Romanas , innumeraſque alias circa cuſtodiam virginitatis & pudicitiæ inſtruxit ; Hic igitur in Epiſtola quadam ad Euſtochium virginem S. Paulæ filiam ita ſcribit : *Pudet dicere , quot quotidie virgines ruant, quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia ; Super quæ ſydera inimicus ſuperbus ponat thronum ſuum , quot petras excavet , ut habitet coluber in foraminibus earum :* Imo iſtæ ipſæ quæ ſe quoad caſtitatem ſuam illæſam ſervandam tam reſolutas exhibent , in occaſionibus proximis conſtitutæ , aut à tentationibus vehementibus infeſtatæ , turpiſſime ſæpe cadunt. Unde S. Hieronymus *de vitando ſuſpecto contubernio* differens inquit : *Inter tantas illecebras voluptatum , etiam ferreas mentes libido domat, quæ majorem in virginibus patitur famem , dum dulcius putat omne, quod neſcit ; aiunt cantibus Syrenarum nautas eſſe præcipites, & ad Orphei cytharas, arbores , beſtias & ipſa ſilicum dura eſſe mollita. Legimus aliquem oſſibus vix hærentem illicitis arſiſſe amoribus, & ante vita caruiſſe, quam peſte.*

*S.Hieron. Epiſt.22. ad Euſt. n.21.*

*S.Hier. l.1. Ep.47.*

4. In Amos ſequens viſio his verbis deſcribitur: *Hæc oſtendit mihi Dominus & ecce Dominus , ſtans ſuper murum litum, & in manu ejus trulla cæmentarij.* LXX. vero loco Ly (*trulla*) legunt *cæmentarij adamas*; at vero quænam inter adamantem pretioſum , rarum, fortem, & impenetrabilem , & inter trullam cæmentarij poteſt eſſe proportio? Nimirum ex hoc conſiderare poſſumus hominem terram & calcem eſſe , ſi ejus conſideretur debilitas & fragilitas ; in manibus Dei autem poſitus, id eſt divina ejus gratia adjutus conſtans & fortis adamas eſt ; unde S.Paulus ait: *Non ego, ſed gratia Dei mecum ; ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens niſi Deus det*; interea tamen etiam in manu Dei poſiti ſemper cauti & circumſpecti eſſe debemus , neque ulla ratione propter hoc ſecuros nos eſſe arbitrandum eſt nobis , quia etiam adamantes franguntur. Unde idem S. Hieronymus ait : *Habet autem Dominus in manu ſua adamantem, qui niſi Dei teneatur manu, omnem perdit fortitudinem ; in tantum autem roboſtus eſt, ut dicatur ad eum : Si tranſieris per ignem, flamma non nocebit tibi , quantoque magis cæditur , tanto fortior eſt, cumque à nullo ſuperari queat, ſolo libidinis calore diſſolvitur, hæc enim hircini ſanguinis , & ipſius hirci dicitur eſſe natura , ut ſit ad libidinem calidiſſimus.* Quot ſunt adamantes ſive Deum amantes hodie, qui ſolo creaturarum amore bona continentiæ ſuæ propoſita facillime rumpunt ? De Samſone in Sacra Scriptura ſæpius dicitur : *Spiritus Domini irruit in Samſon* ; & tamen S.Hieronymus de eo ſcribit : *Samſon Leone fortior, & ſaxo durior , qui unus & nudus mille perſecutus eſt armatos, in Dalilæ molleſcit amplexibus.* Unica dumtaxat hircini ſanguinis ſtillula ad quemvis fortem & impenetrabilem adamantem frangendum ſeu reſolvendum ſufficit, unicus quoque tantum obtutus, unicus geſtus , unica literula amatoria ſæpe eſt offendiculum , quod multos conſtantes & fortes viros cadere facit.

*Amos 7.v.7.*

*1. Cor.15. v.10.*

*Sap.8. v.21.*

*S. Hieron. ibid.*

*S Hieron.ib. ad Euſt.n.18.*

5. S. Bernardinus caſum refert ſequentem ; Poſtquam enim præmiſiſſet hæc verba : *Cautela adhibenda in auditu, nam ex auditu Cedrus Libani corruit*; mox ſubdit: *vidi virginem unam jam triginta & octo annis in virginitate permanſiſſe propter Chriſtum, & ex uno verbo inhoneſto audito corruiſſe ita terribiliter, quo ſi Diabolus carnem haberet , non taliter corruiſſet.* Antiqui Gentiles olim voluptates & delectationes carnales tantam in ſe virtutem attractivam habere credebant , ut tametſi Deos illorum hiſce turpitudinibus ad gulam uſque immerſos fuiſſe ſcirent , illos tamen veluti Deos ſuos adorarint. Caput enim totius Deitatis ipſorum Jupiter erat, cum tamen de illo conſtet ex Poëtis , quod ſe nonnumquam in pluviam auream, vel in cygnum , vel in taurum transformarit , ut ſuis frui poſſet libidinibus. *In humanis corporibus* , inquit Arnobius , *quidnam quæſo inerat pulchritudinis, quid decoris, quod irritare, quod flectere oculos poſſet inde Jovis? Cutes, viſcera, pituitæ, atque omnis illa proluvies inteſtinorum ſub involucris conſtituta , quam non modo Lynceus ille penetrabili acie poſſet horreſcere, verum etiam quivis alter ſola vel cogitatione vitare. O egregia merces culpæ ! O digna & pretioſa dulcedo , per quam Jupiter maximus cygnus fieret , & taurus , & candidorum procreator ovorum.* De Hercule quoque fabulantur Gentiles antiqui , quod poſtquam tot domuiſſet monſtra , tandem muliérculæ cujuſdam pulchritudine dementatus & effœminatus , loco clavæ fuſum tractare, & cum puellis fila ducere , non erubuerit. Gyraldus quoque de ejuſdem Herculis ſtatua ſcribit , quod ad eam loco movendam nulla quantacumque fortitudo aut induſtria humana prævalere potuerit , & tamen unicus tantum capillus à mulieris capite deciduus aut præciſus , ad illam pro libitu quaquaverſum movendam & gyrandam ſuffecerit.

*S.Bernardin. T 4 ſerm.20. de luxuria.*

*Arnob. l.6. c. 4.*

6. S. Fulgentius in hac materia ad noſtram eruditionem ita ſcribit : *Parcite quæſo judices humanis ardoribus, quid enim puerilis aut muliebris ſexus in amore efficiat, ex quo in libidinis pugna Herculea deſudavit virtus ? mulieris enim illecebra major eſt mundo, quia quem mundi magnitudo vincere non potuit , libido compreſſit Herculem Omphalen, quæ eum perſuaſit , & coli delicatos enervare contactus , & laſcivienti pollice fuſi teretem rotare vertiginem.* De Samſone , quem Sacra Scriptura non fingit , ſed veridico calamo teſtatur à muliere devictum, D. Chryſoſtomus ita ſcribit : *Ut quem multa millium hoſtium arma non vicerant , & ab inermi proſtrata corruerant , hunc una muliercula ſine armis , dolo malitiæ armata convicerit.* Quis alius proſternere & evertere potuiſſet ſolidiſſimam illam Eccleſiæ columnam & immobile fulcrum , quam muliercula quædam , quæ Petrum non una , ſed trina vice tanta cum contumacia ad Chriſtum abnegandum induxit ? unde S.Maximus ait : *Tantam trepidationem intulit paſſio Salvatoris , ut quod Apoſtolo Chriſtus ante prædixerat , ancilla deſtrueret , & magis prævaleret oſtiaria ad perfidiam , quam Apoſtolus ad cautelam. Non bona oſtiaria, quæ Petrum ideo in domum Sacerdotis includit, ut à fide Salvatoris excludat ; malè Adam induxit Eva, male Petrum introduxit ancilla ; illa excluſit à Paradiſo , hæc excluſit à Chriſto. Illa ad prævaricandum Adam impulit, hæc Petrum impulit ad negandum, & idem ſexus in utraque oſtiariæ officium gerens , aut excludit à vita , aut includit ad mortem.* Quot non proteſtationes generoſus Apoſtolus coram Chriſto præmiſerat : *Etiamſi oportuerit me mori tecum , non te negabo. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam* ; Et tamen S.Lucas non ſine myſterio inquit : *Quem cum vidiſſet ancilla quædam, . . . & eum fuiſſet intuita* ; Et quidem binis vicibus illam eum aſpexiſſe dixit, ut inde diſcamus , quod oculus mulieris vacillare fecerit hoc nobile fundamentum , cui Chriſtus ſublime Eccleſiæ ædificium inniti voluit ; ac proinde ſi ſexus hic muliebris tantum circa Petrum efficere potuit , ut illum in graviſſimo perjurij & abnegationis Chriſti crimina præcipitare potuerit , quanto magis timendum erit, ſi idem ille ſexus hominem aggrediatur longe debiliorem.

*S. Fulg. l.2. Mythol.*

*D.Chryſ.T. 2. ex var. in Matth.locis.*

*S.Max. Homil. 2. de Latr.Petro & ancilla.*

*Matth. 26. v.35.*

*Ibid.v.33.*

*Luc.12.v.56*

7. Verum inquies fortaſſe , Chriſtum , quantum ſaltem nobis conſtat , numquam permiſiſſe ut Apoſtoli à ſpiritu fornicationis cum proximo cadendi periculo infeſtarentur. Et ideo reſpondeo , tametſi hoc quidem verum ſit , nihilominus ut S.Ambroſius ait : *Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortes maſculos, & eos à Religione fecit deficere* ; ac proinde firmum adhuc manet , quod ſcil. ex quo ſolidiſſimæ quævis columnæ vacillationi ab hoc ſexu procuratæ ſubjectæ ſint , nullus umquam de firmitudine ſua blandiri ſibi debeat, ſed quovis tempore in timore perſiſtere, ac proinde in *vitis Patrum* his verbis monemur : *Numquam aſſumatis audaciam , quaſi omnia jam certamina ſuperaſſetis, etiamſi millies victores evadatis, & mille reportetis triumphos, nec ſic tamen ſecuros vos eſſe, vel præſumere oportet ; quouſque enim caro & anima cohærent, nullus in terris ſecuritatem ſibi promittere debet.* Quanto enim is, qui in ſublimi loco eſt poſitus , ſe firmiorem & ſtabiliorem eſſe credit , tanto magis tunc ipſi timendum eſt. Unde Rabanus Maurus inquit : *Admonendi ſunt peccata carnis ignorantes , ut tanto ſolicitius præcipitem ruinam metuant, quanto altius ſtant.*

*S.Ambr.l. de Abr. c.9.*

*In vitis Patrum c. 16.*

*Raban.T.6. l.3. de Pœnit. Satisf.c.17.*

8. In *vitis Patrum* de S.Machario Romano legitur, quod nuptias ſibi præparatas fugiens , Archangelo Raphaële duce in horridum ſe deſertum receperit, rigoroſiſſimam in eo facturus pœnitentiam , in quo licet multis claris miraculis , innumeros eoſque omnes atroces ſuperaverit furiarum infernalium inſultus , attamen tandem in carnis lucta miſerabiliter deluſus & victus fuit. Audite hiſtoriam. Dæmon enim in aſſumpta pulcherrimæ & elegantiſſimè ornatæ puellæ ſpecie ei in deſerto exiſtenti apparuit ; quem cum Eremita ſciſcitaretur , unde & à quo in horrendum illud deſertum perducta fuiſſet, perſonata juvencula in amariſſimum fletum prorupit, adeo ut & ipſe Sanctus ex ejus planctu in corde commotus amare flere cœperit ; tandem vero reſumpto pauliſper poſt fletum animo puella reſpondit: *Ego miſerrima, O Pater ſanctiſſime, filia ſum viri Romani, qui cum me invitam ac nolentem deſponſaſſet juveni cuidam nobiliſſimo Romano ; ac dies nuptiarum venirent , & thalamum ac convivium ordinarent, inter nuptias ipſas ſponſus meus diſparuit, cumque turbati omnes huc illucque eum inquirendo turbarentur, ego gaviſa clam exij, & nocte eadem iter arripiens, nec itineris ducem aliquo modo habens , per anguſta montium & vallium errando huc uſque perveni.* Tunc S.Vir Dei puellam hanc illam ipſam eſſe eredens, cui deſponſandus erat , quamque prima nuptiarum die deſeruerat , per manus apprehenſam benigne excepit, & in ſpecum ſuam introduxit , ubi eidem ſibi proxime aſſidenti , dactilis ad manducandum appoſitis ( hic enim vulgaris ejus cibus erat ) prandium eremiticum apparavit, multoſque cum ea ſermones miſcuit. *Tunc vero cœpi quaſi de labore nimio ſomno gravari , at illa manibus ſuis mea omnia membra mulcendo palpavit, & eo amplius ſomno gravatus ſum ; Quid morer ? Miſer ego, qui antea numquam cum fœmina peccare conſenſi, in ſomnis me peccatum perpetraſſe cognovi , nam ſubito expergefactus è ſomno, quaſi cum fœmina diſcoopertum, me in terra jacentem inveni, ipſa jam vero non apparuit.*

*In vit. Patrum l. 1. c.20. in vit. S. Macar. Rom.*



9. Apud Romanos, ut Macrobius ſcribit , *Dea Bona* Fauni filia , tanta cum honeſtate & pudicitia vivebat , *ut extra gynecæum numquam ſit egreſſa , nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum umquam viderit, vel à viro viſa ſit, propter quod nec vir in templum ejus ſolus ingreditur.* Quæ omnia ſi vera ſunt , merito quæri poteſt , cur hæc Dea , quæ bonitatem vitæ & converſationis ipſo ſuo nomine referebat, quæque præterquam quod pudicitiam impenſe coleret , divinum quoddam numen erat, cur, inquam, ipſa tanta cum cautela proceſſerit , ut nullus virorum ſolus ejus ingredi templum permiſſus fuerit ? Ad quod nihil aliud reſponderi poſſe videtur , quam quod ipſimet quoque Gentiles difficile & quaſi impoſſibile eſſe crediderint , quod ſolus vir cum muliere ſola inter ſe mutuo ſine pudicitiæ læſione converſari poſſent , & ideo tametſi illam velut divinum quoddam numen ac Deam colerent, & aliunde honeſtiſſime ſemper vixiſſet , nequaquam in templo ejus ſoli eſſe volebant, quia etiam inter nos fideles illi , qui ſuperhumanam & quaſi divinam quamdam vitam agunt, in occaſionibus proximis conſtituti ſæpiſſime cadunt.

*Macrob.l.1. c.12.*

10. S. Epiphanius Paulum Epiſcopum Samoſatenum ejuſque lapſum merito deplorandum eſſe ſcribit, quia ex alto decidit , adeoque in illo adimpletam fuiſſe, inquit, illam ſententiam Sapientis : *Invidia improbitatis deſtruit bona , & cogitatio concupiſcentiæ eruit mentem innocentem.* Hic enim vir magnus ad eam uſque carnalis concupiſcentiæ fœditatem devenit , ut in ipſamet ſolemnitate Paſchali hymnos laſcivos à ſe compoſitos ab impudicis mulieribus concubinis ſuis in Eccleſia decantari fecerit , & ut uni illarum ſpecialiter ſibi dilectæ placeret, ad diabolicam hanc hæreſim ſuſtinendam inductus fuerit, *ut ſolum Patrem judaico ſenſu Deum agnoſceret , & Chriſtum purum fuiſſe hominem diceret.*

*S.Epiphan.*

11. Pandulphus Ricaſoli nobilis Florentinus hiſce diebus noſtris , poſtquam è ſtatu Religioſo Novitiatus tempore egreſſus fuiſſet , Cathedralis Eccleſiæ factus Canonicus , maximum habuit pœnitentium ſibi confitentium concurſum , adeoque tamquam vir ſanctiſſimæ vitæ in ſummo erat honore ac veneratione apud omnes ; inter cæteros vero pœnitentes illius, mulier quædam fuit Fauſtina nomine, cui tamquam mulieri eximiæ probitatis & pudicitiæ probatæ Florentini nobiles filias ſuas certatim committebant, quam Pandulphus perdito amore proſequens eidem coitum carnalem licitum eſſe perſuaſit , dummodo in illa actione mens hominis elevaretur in Deum , qui ambo Anno 1641. publice combuſti ſunt.

12. Joſephus à Coſta de viro quodam Peruano in ſpirituali vita celeberrimo refert , quod cum eſſet *pene hujus orbis miraculum, familiaritate muliérculæ , quæ ſe edoceri ab Angelo magna quædam myſteria jactabat, quæq; extra ſe interdum rapiebatur, aut rapi ſimulabat, velut altera olim Philomena aut Maximilla Montani, ita devinctus eſt, ut illam de ſummis Philoſophiæ Quæſtionibus ſæpe conſuleret, in omnibus pro oraculo haberet , magnis revelationibus plenam, & Deo valde charam prædicaret , ſatis alioqui ſordidam.* Hujus diſciplinæ ſe ſubjecit tamquam diſcipulum , eo quod illam miracula patrare opinaretur; quæ proinde multas eum hæreſes docuit , dicebat enim continuum ſe habere ſibi aſſiſtentem Angelum , à quo doceretur, quæcumque ſcire deſiderabat ; dicebat inſuper ; quod circa tempus illud, quo Sedes Apoſtolica in Regnum Peruanum transferenda eſſet, Rex pariter & Papa creandus ; tantaque Sanctitate decorandus foret, ut omnibus Angelorum Choris & Apoſtolis futurus ſit ſuperior. Denique quod futurus ſit mundi hujus Redemptor *quoad efficaciam*, eo quod Chriſtus ſolum talis fuerit *per ſufficientiam* ; quodque à Clericis ablaturus ſit cælibatum, liberaque ijs cum mulieribus conjugia indulturus , aliaſque centum & decem propoſitiones hæreticas docuit, & defendit; ſed finis illius miſerabilis fuit, ut qui vivus combuſtus & in cineres reſolutus vitam finivit.

*Joſeph. à Coſta.*



13. De Goffredo Piloſo Comite loci cujuſdam Monti Serario vicini , ſcribit Vigliegas , quod filiam quamdam habuerit à maligno ſpiritu graviter obſeſſam, & quia per hujus linguam Dæmon per Exorciſmos ſæpius agitatus, ſe inde non diſceſſurum dixit, niſi puella in montem Serarium duceretur , eò quod locus ille ex præſentia Garini celeberrimi illius temporis Eremitæ ſanctificatus eſſet , puella ad virum hunc ſanctum accedens ſubito liberata fuit. Cumque Comes pater Energumenæ virum Dei inſtanter rogaret , ut per dies novem filiam ſuam in ſuo retineret conſortio, ne forte iteratas pateretur Dæmonis infeſtationes , Eremita ſæpius rogatus tandem conſenſit. Primiſque diebus carnis quidem ſtimulos ſentiens , eoſdem protinus à ſe abjecit ; accidit autem , quod eodem tempore Dæmon in ſpecie cujuſdam Eremitæ ad ſpecum ſuam accederet , qui ſe virum in zelo ſpiritualis vitæ expertiſſimum eſſe ſimulabat; quem proinde Garinus in cauſa hujus puellæ conſilij cauſa acceſſit, dicendo quod pluries patri illius , ut filiam ſuam à ſe avocaret, ſupplicaſſet ; nec tamen hactenus ex parte ejus quempiam vidiſſet : quod audiens in perſonato Eremita Dæmon , vilitatem abjectionemque animi ſapere dicebat , dum quis occurrenti tentationi tam facile cedit : *Itaque implicatus perverſo conſilio Garinus, hæſit in ſpecu cum puella, & impetu vehementiſſimæ tentationis dejectus , puellæ vim intulit ; mox autem à patrato ſcelere, pudore nimio obrutus , ad veteratorem, quem pro ſodali habebat, regreſſus, & caſum faſſus immanem , retulit ab immani conſulto conſilium trucidandæ puellæ, ut ſcelus lateret, id quod in cellam regreſſus perfecit , cultro in puellæ dormientis jugulum adacto.* Verumtamen Eremita per divinam miſericordiam ad ſeriam reductus eſt pœnitentiam, infelix autem filia , ob devotionem , qua erga Beatiſſ. Virginem ferebatur, denuo redijt, ad vitam, quæ eodem in loco in honorem Beatiſſ. Mariæ Virginis, inſigne virginum monaſterium erexit.

*Vigliegas 1. par. Flor. SS. cap.23.*

## DISCURSUS XXXIII.

### ARGUMENTUM.

Conſideratur admirabilis Chriſti circumſpectio & cautela , qua ad noſtram inſtructionem cum mulieribus converſando uſus fuit.

### THEMA.

*Quis tetigit veſtimenta mea ? . . . quis me tetigit ?*
Marci c.5. ℣. 30. 31.

*Quam circumſpecte Chriſtus converſatus fuerit cum mulieribus, docet integer Diſcurſus.*

1. QUod ſi omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio, ut SS.Patres innuunt , utique diſplicentia illa , quam circa mulierem oſtendit , quæ veſtes ejus tetigerat, ſpeciale nobis myſterium indicat, nimirum , quanta nobis ad cuſtodiam illæſæ ſervandæ caſtitatis circumſpectione opus ſit , dum aliquod nobis cum mulieribus intercedit negotium. Enimvero haud congrue hoc loco quæri poſſet , cur mulier illa ſanguinis fluxum patiens poſt perpeſſam 12. annis cum facultatum ſuarum in Medicos ſine ullo effectu meliorationis expenſarum diſpendio , infirmitatem , non citius ad Chriſtum auxilij petendi cauſa acceſſerit ? Item cur tam furtive Chriſtum convenerit, quaſi ſanctitatem ſuam ipſo minime advertente ab ipſo furari volens , cum tamen Chriſtum verum corporis & animæ medicum eſſe ſciret , qui *pertranſibat benefaciendo & ſanando omnes* ? ad quod reſponderi quidem poteſt, quod tametſi Chriſti erga omnes infirmos ſanandos beneficentiam probe haberet perſpectam , nihilominus

*Act. Ap. c. 10. n. 38.*

lominus ſexus ſui conſcia, ſciensque cum qua cautela & circumſpectione Redemptor noſter cum mulieribus ſolitus eſſet procedere, erubeſcebat tamquam immunda coram illo ſe ſiſtere, eique ſupplicare dicendo:

*Pſ. 50. v. 16.* *Libera me de ſanguinibus, Deus Deus ſalutis meæ.* Sed quandonam hæc mulier ad Chriſtum vicinius accedendi fiduciam concepit? D. Chryſoſt. ait:

*D. Chryſoſt. Hom. 23. in Matth.* *Pia ergo hæc mulier publice accedere auſa eſt; quoniam fœminas quoque ipſum curare jam audivit, & quoniam ad filiam Archiſynagogi mortuam jam proſpiciebat acceſſurum, & ad domum quidem ſuam, quamvis opulenta eſſet, non eſt auſa vocare, neque aperte acceſſit, ſed occulte, cum fide veſtem ejus tetigit:* Chriſtus autem in conſpectu totius illius multitudinis admirari ſe oſtendit, quod mulier aliqua ipſum licet in extremitate & fimbrijs veſtimenti ſui tangere præſumpſerit, velut rem quampiam inſolitam, licet ex cauſa adeo rationabili factam.

2. Verumtamen præter hanc rationem conſiderari inſuper poteſt, quod licet Chriſtus hoc miraculum circa infirmam hanc mulierem ſe minime manifeſtantem extraque omnem hominum notitiam poſitam operatus fuerit, humillimus tamen Salvator noſter ipſam propalare voluerit, idque, ni fallor, ex hac præcipue cauſa, quia ex quo multi ipſam Chriſtum licet ſolum in extremitate veſtis tangere viderant, ideo ut quoad lubricum hunc ſexum quamvis umbram vel minimam ſuſpicionẽ à ſe alienam eſſe oſtenderet, in conſpectu totius populi finem manifeſtari voluit, ob quem ipſa eum tetigerat, nimirum ad priſtinam denuo recuperandam ſanitatem. Nam Lucas ait:

*Luc. 8. v. 47.* *Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus, & ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit;* nimirum honeſtiſſima mulier ſe pariter & Chriſtum in conſpectu totius multitudinis juſtificare voluit, ne vel minima mali umbra de ipſis in ſuſpicionẽ vocari poſſet.

3. Sed ecce tibi aliam reflexionem, quam Hugo Cardinal. facit circa illam à Salvatore factam interrogationem, dum ait:

*Marc. 5. v. 3.* *Quis me tetigit?* Sciebat enim haud dubie Hemorrhoiſſam fuiſſe, quæ illum tetigerat, nam

*Pſ. 137. v. 6.* *excelſus Dominus & humilia reſpicit: & alta à longe cognoſcit;* cur igitur

*Hugo Card. in c. 23. Gen.* *in genere maſculino interrogat dicendo: Quis, & non in fœminino; Quæ?* ob nullam aliam cauſam id feciſſe cenſetur, inquit idemmet Hugo, quam quia à mulieribus ob quamcumque etiam cauſam tangi adeo horreſcebat, ut ne nominare quidem illam implicite voluerit. *Nec nominetur in vobis:* non obſtante quod non corpus ipſius, ſed extremitatem tantum veſtis tetigerit, idque non alio fine, quam ut miraculoſe ſuæ reſtitueretur ſanitati. Ad eumdem quoque modum idem Hugo verba illa Abrahæ Gen. 23. conſiderat, dicentis: *Date mihi jus ſepulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum,* quibus verbis conjugi ſuæ Saræ mortuæ ſepulturæ locum aſſignari deſiderabat, & tamen inquit præfatus Cardinalis, *maſculum pro fœmina ponit; ſimile eſt illud Chriſti Marci 5. Quis me tetigit? quis dicit Dominus, ſciens tamen quod mulier tetigerit eum.*

4. Doctiſſimus Salmeron hanc mulierem ne quidem Chriſti veſtimentum tetigiſſe notat, ſiquidem ait:

*Salmer. T. 6. Tr. 15.* *Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti ejus, id eſt, id, quod in veſtimento minimum erat.* Unde hic ad propoſitum præſens arguere poſſumus: Si quando mulier aliqua ad compeſcendum gravem & humanitus quaſi incurabilem ſanguinis fluxum extremitatem veſtimenti Chriſti abſque ejus licentia & prius facta inſinuatione tangit, ab eo reprehenditur, adeòque fert indigne, ut neceſſum fuerit ſe publice excuſare, & cauſam talis contactus publice edicere; cuinam igitur ſe periculo exponet ille, qui non filium Dei, qui

*Sap. 7. 26.* *Candor eſt lucis æternæ,* tangit, ſed mulierem aliquam ſine ulla neceſſitate vicinius accedit? numquid jure merito talis timere debet, quod ſanguinis fluxum non ſolum non compeſcet, ſed potius magis contrahet, & adaugebit.

5. Verum enimvero ex quo Evangeliſta poſt hanc hiſtoriam Chriſtum ad reſuſcitandam Archiſynagogi filiam abiviſſe dicit, (ſiquidem interea dum Salvator ad Archiſynagogi domum abiret, Hemorrhoiſſa ſanata fuit,) ad noſtram inſtructionem alia cautelæ & circumſpectionis Chriſti in hoc facto velim conſideremus argumenta. Porro Archiſynagogi Jairi filia

*Matth. 9. v. 23.* in flore optimo ætatis mortua, Salvator noſter illam reſuſcitaturus, conclave, in quo cadaver defunctæ depoſitum erat, ingredi volens, licet turbam tumultuantem & tibicines ejeciſſet, nihilominus tres Apoſtolorum ſuorum, Petrum ſcil. Jacobum, & Joannem, nec non & puellæ genitores ſecum in eodem conclavi manere voluit. Dicit enim S. Marcus:

*Marc. 5. v. 40.* *Ejectis omnibus aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur, ubi puella erat jacens;* ſed quonam fine idipſum feciſſe exiſtimatis? Num forte ideo, ut hi miraculoſæ illius reſuſcitationis oculati teſtes eſſent? Nequaquam inquit Theophylactus, quia multitudinem illam, quæ numerum teſtium egregie adaugere potuiſſet, data opera ejecit, & diſcipulos prædictos ſecum retinuit,

*Theophyl. in c. 12. Luc.* *ut taciturnos, nolebat enim hoc miraculum ante tempus revelari multis:* quin potius Salmeron punctum ad noſtrum propoſitum optime & vere tetigit, dum ait:

*Salmer. T. 6. Tr. 16.* *Ut inſtrueret miniſtros Evangelicos, ne ad fœminas, præſertim adoleſcentes, intrent, niſi adſint eorum propinqui, ne ulla ſcandali occaſio cuipiam data eſſe videatur.* At vero dicet fortaſſe nonnemo; numquid puella hæc jam defuncta erat? quid igitur ibi ſubeſſe poterat periculi, maximè in eo, cui æternus ejus Pater ad miracula patranda, imo vita defunctos ad vitam revocandos divinam delegaverat omnipotentiam? nihil refert, maxime cum ut ex S. Bernardo in præcedentibus diſcurſibus diximus; *Majus miraculum ſit inter vehementes occaſiones non cadere, quam mortuos ſuſcitare;* illa quæ reſuſcitari debebat, puella erat, & ideo ſolus cum ipſa ſola manere nolebat.

6. De S. Maria Magdalena, quæ Corpus Chriſti mortuum cum tot ſuſpirijs & gemitibus, tantaque cum ſolicitudine anxie requiſierat, legimus, quod dum illa Chriſtum ſibi poſt reſurrectionem ſuam in ſpecie hortulani occurrentem tangere voluit, id ei ſerio à Chriſto interdictum fuerit, dicente:

*Joan. 20. v. 17.* *Noli me tangere;* & tamen ex ſacro textu clare conſtat, quod ab eadem, dum adhuc peccatrix eſſet, in domo Phariſæi menſæ accumbens pedes ſuos lachrymis rigari & ablui, capillis ejus tergi, & oris oſculo demulceri libenter permiſerit, præterquam quod æque clare conſtet, ipſam cum alijs Marijs Chriſtum inſecutam fuiſſe, quocumque ibat? ſed facilis eſt ad hæc reſponſio, ſi conſideretur, quod quando illum in itineribus aſſociabat, quando pretioſiſſimum unguentum capiti ejus infundendo, egregium & laudabile exhibebat obſequium, quando in domo Phariſæi aliquanto tempore proſtrata jacuit, denique quando poſt ejus reſurrectionem cum alijs Marijs, quæ

*Matth. 28. v. 9.* *tenuerunt pedes ejus,* eum adorabat, hæc omnia in publico à multis videri & ſpectari potuerint; at vero hic in horto ipſa ſola cum Chriſto ſolo, ſine teſte, ſine arbitro conſtituta erat; ac proinde Paulus de Palatio merito dicit:

*Paul. de Palat. in Matth.* *Noluit Chriſtus ſolus à ſola Maria tangi, admonens, quam ſint parum tuta virorum cum fœminis privata colloquia, nam & ideo Samaritanam ad virum vocandum provocat.* Unde Chriſtus non ſine myſterio ei dixit, ut reſurrectionem ſuam Apoſtolis annuntiaret: *Vade ad fratres meos, & dic eis:* quia tametſi gratum fuiſſet ſe ab illa gratioſe recipi, & Religioſe tangi, id tamen in aliorum ſocietate fieri deſiderabat, non vero quod illi exhibere volebat amoris obſequium, ſolus à ſola recipere volebat.

7. Nulli ignotum eſſe potuit factum illud, quod à S. Joanne in c. 8. Evangelij ſui deſcribitur; Phariſæi namque ibi mulierem quamdam deprehenſam in flagranti adulterio, ad Chriſtum adducebant, ut ab eo ediſcerent, quonam pœnæ genere in hoc delictum animadvertendum eſſet:

*Joan. 8. v. 6.* *Jeſus autem inclinans ſe deorſum digito ſcribebat in terra;* Cauſa autem ob quam Chriſtus ſacratiſſimum vultum ſuum in terram dimiſit, nequaquam carebat myſterio, per hoc namque inſtruere nos voluit, quod quantumcumque ſancti & perfecti ſimus, mulieres tamen fixis oculis in faciem curioſe reſpicere & firmiter intueri nequaquam debeamus. Et quidem quod in hac hiſtoria vel maxime conſiderari meretur, eſt, quod poſtquam omnia malignantium Phariſæorum peccata in terram ſcripſiſſet, ijsque cum confuſione lectis unus poſt alterum ſe ſubducentes Chriſtum ſolum cum ſola adultera reliquiſſent:

*Joan. 8. 9.* *Remanſit ſolus Jeſus, & mulier in medio ſtans:* is illam ſine ulla dilatione dimittens ab illa ſubito ſe expediverit, dicens:

*Ibid. v. 11.* *Vade, & jam amplius noli peccare.* Ad hæc S. Auguſtinus Chriſtum adductam ad ſe adulteram neutiquam condemnaſſe, ſed ſine ullo commiſſi erroris reprehenſione aut improperio à ſe liberam dimiſiſſe conſiderans, Salvatorem interrogat dicens:

*S. Aug. Tr. 33. in Joan.* *Faves ergo peccatis? Non ita; attende quod ſequitur: vade, & jam amplius noli peccare;* at vero cur ipſam non ſecum aliquamdiu detinuit, ad ſubminiſtrandum illi aliqua ſalutaria monita, quæ ipſi deinceps ad concipiendam de culpa commiſſa cordis compunctionem, vel ad ipſam à relapſu & recidivatione in idem peccatum præſervandum utiliter deſervire potuiſſent?

Noluit



Noluit hoc facere, quia majorem habebat ſolicitudinem, ne ſolus cum ſola aliqua laſciva muliere aliquamdiu commorando malum nobis relinquat exemplum, licet tamquam verus Dei filius inpeccabilis eſſet, quam ut animam aliquam à via Dei & ſalutis aberrantem inſtrueret, & in viam mandatorum Dei dirigeret, licet hoc unum ſit ex ſublimioribus myſterijs, ad quæ homo evehi poteſt, teſte D. Dionyſ. Areopagita, qui ait:

*D. Dionyſ. Areopag.* *Omnium divinarum diviniſſima extat perfectio, Dei cooperatores eſſe in ſalute animarum.* Unde D. Chryſologus ait:

*D. Chryſol. ſerm. 115.* *Cum iſta accuſaretur adultera, avertit faciem ſuam Dominus, & declinavit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret, & maluit in pulvere ſcribere veniam, quam dare in carne ſententiam.*

8. Et ideo licet malignantes Phariſæi & Scribæ linguam ſuam in cœlum calumniandum temere extendere non formidarint,

*Pſ. 72. v. 9.* *Poſuerunt in cœlum os ſuum,* Salvatorem videlicet multis in rebus calumniando & auſcultando, attamen de hoc libidinis vitio ipſum nequaquam calumniari vel accuſare, ne per imaginationem quidem præſumpſerunt, non obſtante quod de hoc vitio Tertullianus dicat:

*Tertull. l. de Vel.* *Tam periculoſa eſt, quæ uſque ad cœlum ſcandala jaculata eſt;* quod eo ſine hic memoro, quia licet, ſi ita ei placuiſſet, cum hac muliere adultera ſine ulla formidine ſcandali Phariſæis aut alijs dandi, vel metu ſuſpicionis pravæ commorari & colloqui facile potuiſſet, id tamen facere noluit, ut per hoc nobis inſinuaret, quod quantumcumque quis ſanctus ſit, cum hoc tamen ſexu ſolus ſine teſte, & ſine arbitro diu hærere nemo debeat.

9. Quod ſi dicas Beatiſs. Deiparam ſuam ſemper virginitatem conſervaſſe illæſam, non obſtante perpetuo convictu & converſatione, quam tot annis cum S. Joſepho ſponſo ſuo continuo habuit; ad hoc ego reſpondeo: Spiritus S. non ſine cauſa & ſpeciali myſterio B. Virginem ſponſam ſuam D. Joanni Evangeliſtæ, cui tot annis in depoſitum cuſtodiendum conſignanda erat, in viſione exhibitam fuiſſe, amictam ſole, ſtellis redimitam, & luna calceatam:

*Apoc. 12. v. 1* *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole, &c.* quod utique ingens in cœlo prodigium & miraculum fuit: *Signum magnum apparuit.* Notandum vero eſt, quod eadem mulier paulo poſt parturiiſſe dicatur: Cur autem prius præmittitur, quod luce amicta fuerit, *amicta ſole, luna & ſtellis &c.* ad propoſitum noſtrum præſens reſponderi poteſt, quod licet concepiſſet de Spiritu S. quia tamen S. Joſephum in ſponſum acceperat, cumque illo ſola cum ſolo multis annis in una eademque domo cohabitare debebat, ideo Spiritus S. illam in virgineæ puritatis ſuæ teſtem lucem habere volebat, ſolem videlicet lunam, & ſtellas, ut omnibus ubique conſpicua eſſet; unde Deus per Pſalmiſtam dicit:

*Pſ. 88. v. 38.* *Thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta & teſtis in cœlo fidelis.*

10. Sed quid de Salvatore noſtro dicturi ſumus, quando ſolus longo temporis ſpatio cum ſola Samaritana muliere laſciva & adultera converſatus fuit; quam converſationem diſcipuli tamquam rem inſolitam nec umquam hactenus in eo notatam valde obſtupeſcebant:

*Joan 4 v. 27* *Mirabantur quia cum muliere loquebatur;* idque ut Dionyſ. Carthuſianus ait:

*Dion. Carth. ibid.* *quia conſuetudinem loquendi cum mulieribus ſeorſim ac privatim non habebat,* quod etiam Lucas Burgenſ. ponderat his verbis:

*Luc. Burg. ibid.* *Quod,* inquit, *cum muliere extranea, ignota, ſola, ſolus loqueretur præter ſuum morem, nec enim conſueverat Jeſus mulieribus etiam in publico, & omnibus patente loco, niſi in turba loqui.* Toletus eamdem quoque reflexionem habet; dicit enim:

*Tolet. ibid.* *Nec hactenus Chriſtum ignotis cum mulieribus, maxime remotis arbitris loquentem viderant, proptereaque mirati ſunt, tamquam novum quiddam, inſolitum, & inſperatum.* S. Cyprianus, vel quiſquis libri illius author eſt, parum abfuiſſe oſtendit, quin Apoſtoli ab admiratione tandem tranſiiſſent ad ſcandalum ea de re concipiendum:

*S. Cypr. l. de ſingul. Cleric.* *Et ut de Apoſtolis breviter probem, quantum eis fluxa familiaritas potuerit diſplicere, qui compulſi ſunt & de ipſo Domino loquente cum fœmina dubitare, niſi eos majeſtatis notitia probata compeſceret.* Porro S. Bernardinus ad multiplicem reflectit cautelam & circumſpectionem, qua divinus Magiſter in hac tam lubrica materia ad ſe defendendum & ab omni ſuſpicione purgandum uti voluit, ne malum aliquod nobis poſt ſe relinqueret exemplum. Etenim locus confabulationis hujus publicus erat, in aperto videlicet campo, & in omnium conſpectu poſitus, ad quem multi continuo ad aquam hauriendam concurrebant; Hora quoque colloquij erat meridiei, non vero in obſcuritate noctis:

*S. Bernard. T. 4. ſer. 24. in Fer. 6. poſt Dom. 3. Quadrag.* *Item quia ſtomacho jejuno, nam corpus eſt magis refrænatum, quam quando eſt bene paſtum; Item loquebatur cum illa, quæ jam erat ſenex, non cum juvencula, quæ eſt magis ſuſpecta; Item quia erat neceſſe, ut loqueretur ſecum, & venaretur illam animam; Item Chriſtus erat ſapientia divina, quæ errare non poterat.* Imo quia S. Bernardinus in hac materia Chriſtum tueri & excuſare operæ pretium eſſe duxit, ne ejus exemplum cum animarum præjudicio tranſiret ad fideles poſteros, ideo in alio quodam ſermone haſce cautelas & circumſpectiones ſigillatim repetit dicens: *Sed numquid indecens fuit Chriſtum cum muliere ſola hic ſtare & loqui?* Et reſpondet, quod non, maximè conſideratis ſimulque concurrentibus ſeqq. circumſtantijs, nimirum: *conſiderato loco, qui erat publicus; conſiderato tempore, hora clara meridiei, & ante cibum ſumptum, conſiderata cauſa adventus mulieris, ſcilicet pro haurienda aqua; conſiderata ejus ætate, quæ poſt quinque viros jam habitos, præſumitur fuiſſe grandæva, conſiderata perſona Chriſti, & adventu ejus ad puteum, celeris reditus, expectatione diſcipulorum, materia verborum Chriſti cum muliere.*

11. Cantipratenſis Epiſcopus, de periculoſo mulierum conſortio differens, hoc quoque Chriſti factum adducit, dicens:

Converſatio cum mulieribus periculoſa omni ætati.

*Th. Cantipr. l. 2. Apum. c. 30. n. 46.* *Quid tibi ſerve Dei, quid tibi cum fœminis confabulatio tam aſſidua? Mirabantur de Chriſto qui Deus erat & homo ſimul, & ideo ab omni ſuſpicione remotus, mirabantur inquam diſcipuli, quod cum muliere loqueretur. Quid ergo tibi faciendum eſt, peccator homo, qui carnem infirmam geſtas & naturam infectam? ſi juvenis es, nulla ſecuritas; ſi ſenex, experire in te cum illo, qui dixit: adhuc igniculus vivit; ſed reſpondet: Zelus me trahit, & ſalus proximi; & reſpondes, ſed numquid & animas viri habent? quare non cum illis aſſiduas colloquia? & utique viri pluribus, & majoribus patent periculis.*

12. De benigniſſimis Salvatoris noſtri oculis hoc in Ruperto Abbate Tuitienſi lego encomium, quo appellantur ab eo

Docet Chriſtus oculorũ cuſtodiam.

*Rup. Abb. l. 6 in Joan.* *Feneſtræ ſalutis, patentes miſericordiæ januæ;* unde David dicebat: *Reſpice in me & miſerere mei:* ac proinde cum tales ſint ipſius oculi, quis non crediſiſſet, quod dum

*Pſ. 24. v. 16. Actor. 10. v. 38.* *pertranſibat benefaciendo, & ſanando omnes,* oculos ſuos libere in omnes vicos, plateas, & domos directurus fuiſſet, haſque portas & feneſtras habiturus fuiſſet in omnia obvia patulas & apertas? & tamen S. Joannes velut de re quadam inſolita dicit:

*Joan. 6. v. 5.* *Cum ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum.* Circa quæ verba Angelicus Doctor ſapienter obſervat, ubinam, & coram quibus Redemptor noſter ſuos cœperit ſublevare oculos; nimirum in primis

*S. Tho. in Joan.* *exiſtens in monte,* id eſt, in loco quodam ſolitario, inhabitato, inacceſſo, deſerto, non vero in foro, vel in theatro; Deinde *cum diſcipulis ſuis,* erant ibi ſoli Apoſtoli & diſcipuli ejus congregati; Et quodnam putas per hoc nobis dare voluit documentum? Hoc videlicet: *Ut diſcamus Chriſti maturitatem, oculos non erigentis huc atque illac, ſed pudice ſedentis & attente cum Diſcipulis ſuis;* Quod perfecte cum eo conſonat, quod obſervat Cajetanus dum ait: *Oculis vagus non fuit, ſed ſumme compoſitus, nec ſine ingenti cauſa circumſpexit.*

13. Verum enimvero ex quo Apoſtolorum Chriſti mentionem facere cœpimus utiliter meminiſſe juvabit, quod idem Dominus noſter immediate poſtquam in deſerto, uti cap. 6. S. Marci legitur, paverat turbas, ſubitò ſine ulla dilatione Apoſtolos ſuos ex loco, in quo prodigioſum illud convivium celebratum fuerat abs ſe dimiſerit:

Chriſtus transfretare coëgit Apoſtolos propter mulieres.

*Marc. 6. v. 45.* *Statim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut præcederent eum trans fretum.* Circa quam Apoſtolorum dimiſſionem quærendum eſt merito, cur eos ad tam celeriter ex illo loco abeundum coegerit; quorum omnium nomine S. Petrus aliquando Divino Magiſtro ſuo dixerat:

*Joan. 6. v. 69.* *Quo ibimus? verba vitæ æternæ habes;* vix enim ab ipſius latere ſeparari aut dividi poterant, ut proinde mirum non ſit, quod illis ad recedendum à ſe vim aliquam intulerit: *Statim coëgit eos.* Sed inquies, quid referre poterat, ſi etiam in eodem loco diuturniori tempore fuiſſent commorati? Ac proinde pro reſolutione obſervandum, quod eo tempore quo turbæ jam prodigioſè paſtæ fuerant, ſol jam ad occaſum declinabat: *Dies autem cœperat declinare?* Quo præſuppoſito Cajetanus ad propoſitum noſtrum dubium hoc opportune reſolvit, dicens, factum id eſſe, quia

*Luc. 9. v. 12. Cajetanus.* *timebat illis à conſortio nocturno tot mulierum;* multæ enim mulieres, quæ ad domos proprias redire non poterant in pratis illis remanere cogebantur; Et hæc vera cauſa erat cur Chriſtus Redemptor



noſter

noſter Apoſtolos ſuos inde præpropere diſcedere jubebat. Sed inquies denuo, numquid mulieres illæ ſuos ſecum maritos præſentes habebant? Item, numquid mulieres illæ honeſtiſſimæ, & devotioni profſus deditæ erant? Denique numquid Apoſtoli in ſchola Chriſti eruditi diſcipuli, ſummaque ſanctitate & perfectione præcellentes erant? Vera ſunt hæc omnia, & ideo aliud, quod reſponderi poſſit, non invenio, quam quod hoc imperium Apoſtolis ab eo impoſitum fuerat, de quo vere dicere poſſumus: *Omnia in ſapientia feciſti*; *Bene omnia fecit*; Denique ab eo qui *ſcrutabatur renes & corda eorum*, quibus cavit à conſortio nocturno tot mulierum. Sciebat inſuper Dominus noſter, quod viri etiam ſanctiſſimi, in occaſionibus illecebrarum & tentationum carnalium proximis, facillimè & turpiſſime cadere ſoleant. S. Ambroſius in quodam ſuo ſermone differentiam quæ primum inter & ſecundum Adamum intercedit, adducit: ille enim à Lucifero victus eſt, non vero hic, cujus hanc aſſignat rationem, dicens: *Videte rem miram; In Paradiſo cum Adam Diabolus decertat; in deſerto cum Chriſto dimicat; ubique inſidiatur homini, ubique congreditur, ſed ubi mulierem invenit, vincit.* Ac proinde cum in hoc deſerto, inter obſcuras noctis tenebras mulieres præſto eſſent, mirum non eſt, quod Chriſtus ne in ſuis quidem Apoſtolis fiduciam non habuerit. *Conveniens eſt deſertum ſaluti*, inquit S. Ambroſius; ſed quando? & quo modo? *Ubi non eſt Eva quæ perſuadet, ubi non eſt mulier quæ blanditur.*

*Pſal. 103. v. 24. Marc. 7. v. 37. Pſ. 7. v. 10.*

Diabolus victor ubi mulieres.

*S. Ambroſ. Fer. 2. poſt Dom. 2. Quad. ſer. 39.*

14. S. Lucas modum nobis recenſet, quem Salvator noſter in miraculis patrandis ſervare ſolebat; Dicit enim: *Singulis manus imponens curabat eos.* S. Matthæus autem qui idem enarrat, dicit, quod poſtquam ſocrum Petri ſanaſſet, *ejiciebat ſpiritus verbo.* Ubi merito inquirenda venit, hujus in ſanandis hominibus, & ejiciendis ſpiritibus differentis modi cauſa; cur enim homines ſanaturus manus ſuas eorum imponit capitibus, quando vero Dæmones è corporibus obſeſſorum ejiciendi erant, ad hoc operandum miraculum non manu, ſed ſolius uſus eſt divini verbi ſui imperio. Scitiſne quidnam opinione mea ad hoc reſpondendum ſit: Nimirum, quando de ſpiritu immundo, id eſt, ſpiritu fornicationis ejiciendo res agitur, Chriſtus voce, non vero manu ſua utitur. Sed dices: numquid Chriſtus de ſemetipſo dicit: *Ego ſum lux mundi?* erat enim *verus ſol Juſtitiæ*: lux autem licet radios ſuos in ipſas quoque ſordes extendat, ipſaſque penetret, nullam tamen inde ſibi maculam conciliat; Cum igitur Chriſtus *Candor ſit lucis æternæ*, cur non æque obſeſſorum quam aliorum hominum capitibus manum imponit? Reſpondeo, totum quidem diſcurſum hunc verum eſſe, verumtamen Chriſtus per hoc factum inſinuare nobis voluit, quod quantumvis ſancti & & immaculati ſimus, nobis tamen nec quidquam fidere debeamus, nam Eccleſiaſticus ait: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*; Et ſapiens ait: *Qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cum tetigerit eam.*

*Luc. 4. v. 40.*

*Matth. 2. v. 16.*

Diſcant à Chriſto etiã innocentiſſimi.

*Eccli. 13. v. 1. Proverb. 6. v. 29.*

Mulieres vitandas eſſe docet Chriſtus.

15. Aliam quoque hac in re Chriſti quoad mulieres vitandas cautelam ex textu quodam S. Matthæi elicere poſſumus, quia quotieſcumque devotæ quædam ac virtuoſæ mulieres Chriſtum in itinere ſequebantur, anxie ſemper illas à viris ſeparatas & diviſas incedere curabat, ſic enim quando Mater ſanctorum Apoſtolorum Jacobi & Joannis proxima Chriſti cognata hanc eidem ſupplicationem porrigere decreverat: *Dic ut ſedeant hi duo filij mei &c.* prout ex Authore operis imperfecti colligitur, a via digreſſus eſt non modicum: *Declinavit ſeorſum ab itinere, forſan ſciens, quod ventura eſſet mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, nec enim credibile eſt*, inquit idem Author, *mixtas cum ipſo ambulaſſe mulieres, ſed longo intervallo de longè mulieres ſequentes, & longo intervallo ſeparati inter ſe ambulabant.* At vero, inquies, quodnam hic periculum ſubeſſe poterat, quando agnum ſequebantur immaculatum, à quo omnis puritas & continentia dimanat? Dicit enim ſapiens: *Scivi quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det*; Et poſtquam in Apocalypſi dictum eſſet: *Hi ſequuntur Agnum* ſine macula, mox quoque ſequelæ hujus fructus ſubjungitur; dicendo: *ſine macula enim ſunt.* Numquid enim Dæmon aliquem in ipſiuſmet Chriſti præſentia de impuritate tentare auſus fuiſſet? Reſpondeo tamen, hæc quidem omnia certa eſſe, verumtamen ſapientia incarnata hanc inter utrumque ſexum diviſionem fieri volebat, ut omnem peccandi tolleret occaſionem; Et ideo idem Author imperfecti dicit: *Chriſtus & diſcipuli ſui primi, ſequentes autem de longè mulieres.* Optimum igitur valdeque ſalutare eſt illud S. Baſilij monitum dicentis: *Fugiendæ in primis cum mulieribus nobis congreſſiones ſunt, collocutioneſque, neque ad eas umquam accedendum, niſi cum graviſſima nos aliqua ad eas neceſſitas impellat, & aliter facere non poſſimus; atque ipſa etiam ubi nos neceſſitas adegerit, ab ipſis non ſecus atque igne cavendum eſt, adeo ut quam ocyſſime, nulla mora ab iſtis nos extricemus. Animadvertite quid hac de re Sapientia dicat: Abſcondet quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ſua non comburet? aut ambulabit quis ſuper carbones ignis, & pedes non comburet? Quid ſi quis dicat: Ex aſſiduo ſe cum mulieribus colloquio, congreſſuque & convictu non admodum lædi, hic ſine dubio aut maris naturæ particeps non eſt, & portentum quoddam eſt inſolentiſſimum, & præter omnium opinionem admirabile.*

*Matth. 20. v. 21. Auth. imperf. homil. 31.*

*Sap. 8. v. 21.*

*Apocal. 14. v. 4.*

*S. Baſil. de Conſt. Monaſt. c. 4.*

## DISCURSUS XXXIV.

## ARGUMENTUM.

Cum quanto reſpectu virtuoſi & perfecti homines cum iiſdem mulieribus converſati fuerint, varijs ex antiquo teſtamento deductis exemplis demonſtratur.

### THEMA.

*Relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Geneſ. 39. ℣. 12.

1. EX hoc tam heroico S. Joſephi facinore clare ſatis colligitur, quanta cum circumſpectione illi qui caſtitatem ſuam zelant cum mulieribus converſari conſueverint; *Etenim reliquit tamquam non ſua*, inquit S. Ambroſius, *quæ adultera ſuis manibus detinebat, & aliena judicavit, quæ tactu impudicæ poterant comprehendi.* S. Auguſtinus hujus Patriarchæ virtutem admiratur his verbis: *Magnus plane vir, qui venditus ſervire tunc neſcivit, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, apprehenſus aufugit.* Imo in arduo illo prælio, quod ea in occaſione adverſus fornicationis ſpiritum geſſit, adeo ſe conſtantem exhibuit, ut ſacer Chroniſta averſionem, qua delectationes & voluptates carnis execrabatur, expreſſurus ſatis clare indicet, carceres, catenas, manicas, & compedes nullam ei attuliſſe moleſtiam, bene tamen moleſtas fuiſſe Dominæ ſuæ tentationes, & illecebras: *Per ſingulos dies moleſta erat adoleſcenti.* S. Zeno exiſtimat Joſephum majorem ſibi injuriam per hoc illatam eſſe cenſuiſſe, quod à Domina ſua ſolicitatus fuerit ad conſentiendum ei in materia vitij carnis, quàm per odium fratrum ſuorum, quo venditus fuerat ad ſubeundum perpetuum jugum ſervitutis; Unde dicit, quod *illam Domini ſui uxor pejus amare cœperat, quam oderant fratres.*

Joſeph minoris fecit carceres quã Dominæ tentationes.

*S. Ambr. l. de Joſeph c. 5.*

*S. Aug. ſer. 81. de temp.*

*Geneſ. 39. v. 10.*

*S. Zeno de Continent. & Caſtit.*

2. S. Baſilius de vehementia qua cum oculus vagus, & in objectis illecebroſis reſpiciendis curioſus in cordibus noſtris ardorem accendit concupiſcentiæ carnalis, diſſerens ita ſcribit: *Jactis luminum radijs, veluti quibusdam incorporeis manibus, quæcumque voluerit, eminus tangit, & quæ corporeis manibus attingere in poteſtate non habet, ea oculorum jactibus paſſim complectens, per eas quas impreſſit animo formas, corpus omne ad invectas imagines, voluptatis æſtibus jactat.* Jam uxor Putipharis Joſephum ſibi in libidinis ſuæ prædam ceſſurum eſſe promiſerat, idque licet ſine ulla pudiciſſimi juvenis culpa, per ſolum laſcivorum oculorum ſuorum in ipſum blandè conjectorum obtutum. Unde S. Auguſtinus ait: *Crimen Dominæ ſuæ fuit, quæ male vidit, non Beati Joſeph, qui male videri non voluit, nec in eo qui viſus eſt, culpa eſt, quia non erat in poteſtate ſervili, ut non videretur à Domina, maritus debuit cavere uxoris oculos. Diſcant tunc & viri cavere oculos fæminarum, cum amantur, & qui nolunt amari, denique adamatus eſt Joſeph, qui amantem contempſerat.*

Oculi cuſtodiendi.

*S. Baſil. l. de vita Virg.*

*S. Aug. ſer. 8. de Tempore.*

3. Oleaſter acute obſervat id quod Moyſes non ſine myſterio in hac materia ſcripſit; Dicit enim: *Duo dicit textus, quod ſcilicet Joſeph noluit cum ea accumbere, & quod noluit cum ea eſſe; Vitabat enim quantum poterat eſſe in loco, in quo illa erat, ut illi auferret peccandi occaſionem. Aut noluit acquieſcere, ut eſſet cum ea aut in lecto aut in eadem domo.* Quibus ex verbis clare deducitur, quod Joſeph non ſolum

Occaſiones fugiendæ & ſubducendæ.

*Oleaſt. in cap. 4. Gen. v. 39.*

ab



ab omni ſemetipſum occaſione ſubduxerit, verum etiam quod quantum in ipſo erat omnem quoque à Domina ſua tollere tentationem conatus fuerit, ſe ſcilicet, quantum ſaltem in ſua erat poteſtate, ab ejus ſubducendo præſentia; unde ſacer textus clare ſatis innuit, quod quando Domina ejus ipſum per pallium apprehendit, neceſſitatem aliquam habuerit faciendi aliquid quod omittere non potuit; Dicit enim: *Accidit, ut intraret domum, & operis quidpiam abſque arbitris faceret*; ubi Oleaſter ait: *Intellige opus quod illi erat faciendum, quodque tamquam ſervus illius abſque culpæ nota negligere non volebat.*

*Geneſ. 39. v. 11. Oleaſt. ibid.*

4. D. Chryſoſtomus ad illa ſe verba reflectit: *Injecit uxor Domini oculos ſuos in Joſeph, à formoſitate capta, & diabolico incendio ſuſcepto in juvenem inſilire tentat*; Et paulo poſt ſubjungit: *quoniam enim illa ſolitudinem obſervabat, & tempus expectabat, quo latere poſſet virum, & omnes qui in domo erant, dicit: Quomodo potero facere malum hoc, & peccare coram Deo? Cogitemus quantum certamen ſuſtinuerit*; Ideoque illum cum tribus Babylonicæ fornacis pueris comparans, illum illis longe ſuperiorem fuiſſe cenſuit, ob ſequentem rationem: *Non erat tam admirabile in fornace Babylonis verſari tres pueros, & illæſos permanere, & nihil ab igne pati; at admirabile hoc & rarum, quod admirabilis ille juvenis retinetur veſtimentis à ſceleſta illa, & illa laſciva nec tamen illi cedit. Licebat videre admirabilem illum, nudum quidem veſtibus exire, indutum continentiæ veſtimentis; & quaſi ab incendio & fornace illæſum aufugere, & non ſolum non aduſtum, ſed multo fulgidiorem, & clariorem factum.* Idem quoque conſiderat, quod ſi tres illi pueri ſua ante ſtatuam Idoli flexiſſent genua, utique in omnibus ſæculis, & in conſpectu Cœli & terræ tamquam idololatræ, & veluti hujus potius temporalis, quam beatæ & æternæ vitæ cupidi & avidi omnibus contemptui futuri fuiſſent: at vero ſi Joſeph Dominæ ſuæ adhæſiſſet libidini, ejus utique & ſuum adulterium omni adhibito ſtudio celatura fuiſſet, ideo enim illa ſolitudinem obſervabat.

*D. Chryſoſt. Hom. 6. in Gen.*

Joſeph mirabilior quam tres in fornace pueri.

5. Non deſunt alia veteris Teſtamenti egregia facinora, ex quibus, quam exactam ſancti Patres illorum temporum pro caſtitate tuenda cautelam & circumſpectionem adhibuerint, clare deducitur. Idem namque D. Chryſoſtomus Jobi viri ſanctiſſimi adducit exemplum, quem licet *adamantinum* appellet, quantacumque fuerit virtute fulgidus, quantumvis totum debellaverit & vicerit infernum, attamen quando de lubrico hoc ſexu agebatur, ſibimetipſi numquam fidit: *Nec Job quidem*, inquit, *auſus fuit tantam virtutem & ſapientiam ſibi adſcribere, ſed qui omnem tranſcenderet virtutem, ex omnibus diaboli retibus extractus, & primus, & ſolus, tantam fortitudinem demonſtravit, & omne ferrum & adamantem ſua continentia prætergreſſus, ſubnervavit Diaboli poteſtatem: ſic veritus erat talem pugnam, & putavit impoſſibile eſſe cohabitare virgini ſine damno, & purum, adeo ut non ſolum à cohabitatione tali procul & longe ſeipſum, ſed & aſpectu prorſus & occurſu ſubduxerit, legemque poſuerit oculis ſuis in virginem omnino, ſed ne reſpicere quidem.*

Sit caſtis exemplum Job.

*D. Chryſoſt. ſerm. cont. Concub.*

6. Geneſeos cap. 19. hiſtoria illa deſcribitur, in qua Angeli in Sodomam ingreſſi, atque in domo Lothi hoſpitio recepti, ſanctum hunc virum cum univerſa familia ad Sodomam deſerendam coëgiſſe perhibentur; Cum enim peſſimi Sodomitæ illos Sodomam ingredientes vidiſſent, eoſque juvenes in optimo ætatis flore conſtitutos eſſe credentes, violenter ſuæ conati fuiſſent mancipare libidini; Angeli in hujus ardore prælij Loth per manus apprehenſum è lubrici hujus prælij periculo abduxerunt: *Et ecce*, inquit ſacer textus, *miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Loth, clauſeruntque oſtium.* De iiſdem quoque Angelis Moyſes paulo poſt mentionem faciens, inquit: *Cumque eſſet mane, cogebant eum Angeli dicentes: ſurge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere civitatis; Diſſimulante illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus.* Ubi obſervandum quod Oleaſter ex Hebræo dicit, verbum hoc, *apprehenderunt*, in Hebræo idem eſſe, quod *roborare, firmare*; *fortiter tenuerunt viri manum ejus, aut fortificaverunt ſe viri in manu ejus, & in manu uxoris ſuæ*, quaſi diceret: Angeli illi, licet ſubſtantiæ eſſent ſpirituales omnis carnalitatis expertes; nihilominus quia corpore aſſumpto circumdati erant, ne mulieris ejuſdem manus tangendo ulla ratione coinquinarentur, ſingulari & non vulgari aliqua virtute & fortitudine opus ſibi eſſe autumabant. Nec eſt quod hoc aliquis admiretur, quia nonnulli opinati ſunt, quod, ubi in ſacra Scriptura dicitur, *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores*; per filios Dei Angeli intelliguntur, ſi teſte Auguſtino, qui dicit: *Ubi dicti ſunt adamaſſe filias hominum filij Dei, iidem dicti ſunt etiam Angeli Dei; Unde illos multi putant, non homines, ſed Angelos fuiſſe*; quem tamen errorem in ſequenti capite his verbis confutat: *Dei Angelos ſanctos nullo modo illo tempore ſic labi potuiſſe crediderim; Angelos autem fuiſſe etiam Dei homines nuncupatos, eadem ſcriptura ſacra locupletiſſima teſtis eſt; nam de Joanne ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum.* Unde etiam illos, qui Angelorum inſtar puri ſunt; ab illecebris tamen & voluptatibus carnis ſe turpiter ſeduci permittere, perſpicue deducitur.

*Geneſ. 19. v. 10.*

Homines puri ut Angeli ſeduci poſſunt.

*Ibid. v. 10.*

*Ibid. v. 15.*

*Ibid. v. 16.*

*Oleaſt. ibid.*

*Gen. 6. v. 2. S. Auguſt. l. 15. de civit. Dei. c. 22.*

7. Verum enimvero, ut ad Lothum, unde paulisper digreſſi ſumus, denuo revertamur, ſciendum eſt, quod ex quo Angeli huic viro Dei apparuerunt, in ſpecie & figura corporis humani, Spiritus Sanctus per hunc loquendi modum inſinuare nobis voluerit, quanta cum cautela cum hoc muliebri ſexu unicuique procedendum ſit, quando etiam ex ſuadente & urgente neceſſitate aliquis circa ipſas fieri debet contactus, nimirum quod rogandus ab illis ſit Deus, ut virtutem & fortitudinem ſubminiſtret, qua omni inde emergenti ſtimulo & tentationi carnis reſiſtere poſſint: Quodnam enim in eo latere putatis myſterium, quod Moyſes Angelos antea *viros* nominaverit: *Miſerunt manum viri*: hic autem illos appellaverit *Angelos*? Porro pro hujus myſterij dilucidatione obſervandum, quod quando Angeli manum Lothi tetigiſſe ſeu apprehendiſſe dicuntur, Moyſes dicat: *Miſerunt manum viri*: at vero quando illos manum uxoris & filiarum Loth apprehendiſſe deſcribit, eosdem ſumma cum prudentia non viros, ſed Angelos appellet, ad inſinuandum, quod quando ab illis mulierum manus etiam urgente neceſſitate tangi debebant, minime decuerit illos appellare viros, eò quod à viris, per tactum corporis mulieris facile alius quidam concipiatur ignis, qui igne elementari Sodomam conſumente longe deterior ſit & pernitioſior; præterquam quod non parum honeſtiſſimarum mulierum lædenda fuiſſet pudicitia & honeſtas, ſi eos qui apprehenderunt manum earum appellaſſet viros; nam ut S. Hieronymus l. 1. Epiſt. 47. *De vitando ſuſpecto contubernio*, inquit: *Etiamſi conſcientia criminis non habeat vulnus, habet tamen fama ignominiam.* Non enim ſufficit, quod is qui mulierem tangit, Angelicam quoad ſe habeat Conſcientiæ puritatem, quia quotieſcumque tactus ille exterius videtur ab alijs, prava in ijs ſuſcitetur ſuſpicio impuri interius latentis affectus: intentio enim hominis non inſpicitur, aut penetratur, niſi ab eo *qui ſcrutatur renes & corda.* Unde S. Bonaventura opportune authoritatem quamdam adducit S. Bernardi dicentis: *Quotidie converſari vis cum muliere, & continens putari? eſto, quod ſis, maculam tamen ſuſpicionis portas.*

Caute cum mulieribus agendum.

*Geneſ. 19. v. 10.*

*S. Hier. l. 1. Epiſt. 47.*

Etiam ſine culpa converſatio, cauſat ſuſpicionem.

*S. Bonav. de purit. Conſc. c. 14.*

8. Hugo de S. Victore contra hactenus dicta objectionem quamdam inſinuans dicit: *Et tu forſitan dicturus es mihi: Quomodo Elias commoratus eſt cum vidua?* Optimeque reſpondit: *Ipſe qui diſcipulum te dicis Eliæ, fac quod ipſe Elias fecit, accipe tibi tantorum dierum ſpatium jejuniorum*; Quaſi dicere vellet, quod ſi in hoc facto Eliam imitari volueris, non eſt quod timeas viduæ alicujus conſortium & familiaritatem; arma igitur te Eliæ jejunio, qui quadraginta dies & noctes ſine ullo cibo & potu tranſegit, ac tandem ſe pane ſubcinericio reficiens modicum aquæ potavit. Ad inſtar Eliæ aſpero & rudi cilicio præcingere, facque, ut, ſicut ipſe, manifeſtum & expreſſum à Deo mandatum cum vidua commorandi habeas: Elias enim non ex propriæ voluntaris arbitrio, ſed ex ſpeciali Dei juſſione, ad viduam illam ſe recepiſſe legitur. Operare miracula ſicut Elias fecit, ſuſcita mortuos, impera cœlo ut pro tuo libitu imbrem coërceat, vel in terram largiter depluat; rapere in extaſim ſicut ille; in curru igneo ſicut ipſe in Cœlum conſcende; hæc enim omnia ſi imitatus fueris, exemplo ejus cum viduis alijſque mulieribus ſine periculo converſandi ſpem ſecuram concipere poteris. Tametſi aliunde ſatis conſtet, quod licet Eliæ caſtitas in viduæ hujus conſortio ſecura ſatis fuerit, ipſe tamen Jezabelis illecebras non minus quam atroces minas magnopere formidarit. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Timuit mulierem, qui totius mundi ſtatum, & cæli placiam, agri ſpe-*

*Hugo de S. Vict. l. 1. Miſc. Tit. 198.*

*Reg. 19. v. 9.*

Elias eſto, ſi cum muliere habitare ſine culpa velis.

*D. Chryſoſt. Hom. 10.*

ciem

ex var. in Matth. loc.

*ciem in linguæ poteſtate portaverat , qui ignem cælo edaxerat , & per virtutem orationis mortuos ſuſcitaverat ; hic timuit mulierem.* Gloſſa ulterius conſiderat Eliam metu quidem Jezabelis perculſum fuiſſe , Achab vero nequaquam formidaſſe conſiderat , tametſi ultra omnem modum adverſus eum ferocierit : *Timuit verbum mulieris , qui tamen non timuerat offenſam Regis* ; cujus rationem S. Ambroſius aſſignat , dicens : *Namque aſperiores tentationes his eſſe cognovimus , quæ fiunt per mulieres ; Quid dicam quod etiam Jezabel cruenta perſecuta eſt ? virtus infirmior , ſed plus periculi.* B. Petrus Damianus quoque ſcribit : *Jezabelem quamvis Reginam tamen mulierculam fugit , perpendo quippe hunc miræ virtutis virum ignes de cœlo trahere , & ſecundo quinquagenarios viros , cum ſuis ſequacibus petitione ſubita concremare , verbo cælos ad pluvias aperire , mortuos ſuſcitantem , ventura quoque prophetiæ ſpiritu prævidentem , ſed rurſus animo occurrit , quia poſtquam hæc omnia mirabiliter fecit , muliebri pavore perterritus ante unam mulierculam fugit* , imo inquit idem ſanctus Cardinalis , non minor fuit pavor, quo hæc mulier illum terreſecit, quam quo à quavis alia truculenta perſecutione percelli potuiſſet : *ingreſſus ſermo mulieris in cor ejus , quaſi quidam gladius fuerat , & amiſſo rationis conſilio , quid ageret neſcierat.* Lenocinantes enim ſermones mulierum velut gladius anceps jugulant animi ſenſa integri , & ſimiles ſunt potioni ſoporiferæ , quæ ſtrenuum alias hominem in ſomnum adigentes delaſſant , ne functionibus ſuis dextre vacare queat , ſed in ſoporoſo ſomnia mira à phantaſia generentur. Iſti inquam potioni ſimiles ſunt luxuriantes mulierum ſermocinationes , quæ tamquam veneno integros animos inficiunt, & de incolumi virtutis ſtatu deturbant , ut de frivolis rebus cogitationes foveant , & in luxuria obdormiſcentes ſpiritualium rerum obliti carnalia & obſcœna ſomnient, donec tandem in peccati cœnum prolabantur. Summa igitur adhibenda cura eſt, ne aures illis commodentur, ne ad ſcopulos naufragarum Sirenum allidentes virginitatis & pudicitiæ jacturam patiantur. Sic enim fabulæ Poëtarum de Ulyſſe fingunt ( ut Ethnica Chriſtianis immiſcere liceat rebus ad majorem declarationem ) eum , ne Sirenum cantu allectus cum ſocijs periret , ſociorum aures cera obturaſſe , ſe vero malo navis alligatum ne navim ad Sirenas deflecteret, earum cantus ſuaviſonos audiſſe.

3. Reg. 19. v. 3.

S. Ambr. 1. 2. Epiſt. 13.

S. Petr. Damian. ſer. 2. de S. Vitali.

Sermones mulierum potio ſoporifera & venenum.

9. S. Propheta Eliſeus quoque , qui S. Eliæ Prophetæ diſcipulus fuit , multis nobis quoad hanc circa mulieres neceſſariam cautelam exemplis præluxit ; In primis enim , tametſi apud mulierem Sunamitidem ſæpius hoſpes permanſerit , diuturnaque & familiari ejusdem converſatione uſus fuerit , certum tamen eſt mulierem hanc ingenti ſpiritu , virtutumque ſplendore fuiſſe illuſtratam , nam ubi vulgata noſtra de illa dicit : *Mulier magna* ; Chaldæus legit : *Mulier timens peccata* ; Præterea familiaritate adeo circumſpecta & honeſta cum illa tractavit , ut quemadmodum Dionyſius Carthuſianus obſervat , quo nomine ipſa vocaretur , Propheta ignoraverit , ſiquidem illam Sunamitidem dumtaxat appellabat ; dum Giezi dixit : *Voca Sunamitidem iſtam* : unde præfatus Doctor extaticus ait : *Cum illa ſeorſim nulla videtur habuiſſe colloquia , & per intermedium miniſtrum* ( Giezi nimirum ) *verba direxiſſe ad illam , nec ipſam admiſiſſe ad cœnaculi ſui ingreſſum.* Ex quo idem Carthuſianus prudenter deducit , quam circumſpecte & caute , etiam illi qui maxime ſpirituales ſunt , cum mulieribus , quantumvis timoratæ conſcientiæ , & vitæ ſint irreprehenſibilis , converſari debeant. Docemur enim ex hoc facto , *omnem incautum vitare intuitum , ſuſpectum colloquium , ſeparatam præſentiam , familiaritatem nocivam , & cuncta quæ ad vitioſam poſſunt concupiſcentiam excitare.* Deinde poſtquam ſanctus Propheta mulieris illius reſuſcitaſſet filium , tunc quidem ei Cœnaculum ſuum ingredi permiſit , ſed diſcipulo ſuo Giezi præſente & utrique adſtante. Unde Abulenſis ait : *Tunc ingreſſa fuit iſta mulier in cœnaculum Eliſei* ; Imò vix præſente Giezi ingreſſa fuerat , cum ecce ſubito filio ſuo à Propheta reſuſcitato inter ulnas recepto , inde egreſſa fuit : *Adoravit ſuper terram , tulitque filium ſuum & egreſſa eſt.* Ubi Cajetanus ait : *Corruit ad pedes ; læta ob reſuſcitatum filium , non tangit pedes Eliſei , ſed juxta pedes ſupra terram ſe proſternit , ſolitam ſervans modeſtiam : ( qua non audebat tangere Eliſeum ) tulitque filium ſuum , & egreſſa eſt ; nihil moræ traxit in aula Eliſei , ſed ſuſcepto filio egreſſa ſtatim eſt ; ad exemplum virorum converſantium cum mulieribus ſpiritualibus.* Abulenſis hoc loco quærit , cur Propheta huic mulieri per Giezi miniſtrum ſuum , non vero directe & immediatè locutus fuerit ? Et reſpondet : *Iſta mulier vocata eſt , ſed non ſtetit prope Eliſeum , ſed diſtans , ita ut non videret eam , ideo loquebatur Eliſeus Giezi , & Giezi ibat , & loquebatur ei.* Adhæc cum ſanctus Propheta aliquod hoſpitæ ſuæ gratitudinis ſignum exhibiturus, aliquo illam decreviſſet beneficio afficere , eique inſinuari feciſſet quod nulla indigeret mediatoris interceſſione , mox , ut à Giezi illam ſterilem eſſe, intellexiſſet : *præcepit ut vocaret eam* ; *Et dicitur* , inquit idem Abulenſis , *quod cum vocata fuiſſet , & ſtetiſſet ad oſtium , dixit ad eam* ; non igitur cubile vel cœnaculum ejus ingreſſa fuit , ſed *fecit eam vocari , & tamen non ſtetit coram Eliſeo , ſed in aliquo loco extra cœnaculum ſuum , & ad illum locum ibat Giezi , & loquebatur ad eam , & deinde redibat ad Eliſeum perferens reſponſum ejus.* Refertque idem Antiſtes cauſam , cur illam directe alloqui noluerit, ſed per Giezi velut mentis ſuæ interpretem , dicens : *Cauſa quare Eliſeus non fecit eam ſtare coram ſe , ut loqueretur ipſe ad illam , erat , quia ipſe erat vir valde ſanctus , & abſtractus à communicatione mulierum , rariſſime enim loquebatur alicui mulieri , & potiſſimè non permittebat ſe tangi* ; idque ex eo efficaciter probat ; quod cum in montem Carmelum aſcendiſſet pro filij ſui reſuſcitatione, eidem ſancto Prophetæ ſupplicatum, dum ejus vellet oſculari pedes, à Giezi ab ejus pedibus remota fuit: *quando procidens tetigit pedes ejus , amovit eam Giezi, prohibens tangere Eliſeum : ſi tamen Eliſeus permitteret ſe tangi ab alijs mulieribus , à fortiori permiſiſſet ſe tangi ab iſta, quæ miniſtrabat ei tam ſolicite in omnibus.*

Etiam cum S. mulieribus caute converſandū Eliſei exemplo.

4. Reg. 4. v. 8.

Dion. Carth. ibid.

Ibid. v. 12.

Abulenſ. ibid.

4. Reg. 4. v. 37.

Ibid. v. 15.

10. Ex veteri pariter teſtamento clare ſatis colligitur , quam fuerint in eo ſoliciti , ut ſexus fœmineus cautus eſſet ac circumſpectus ne ſe ab alijs extra neceſſitatis caſum videri permitteret , ne vel ſe ullis exponeret impudicitiæ periculis , vel ſtimularet alios, dando illis occaſionem ut ex earum aſpectu in illicita forſitan raperentur deſideria. Etenim quando tres illi hoſpites Angeli , qui tres referebant Perſonas divinas , Abrahamum interrogarunt dicentes : *Ubi eſt Sara uxor tua ? Et ille reſpondit : Ecce in tabernaculo eſt ; ac ſi aperte dicat* , inquit Interlinearis, *non eſt mulieris in publicum prodire* ; Et tamen provectæ & maturæ ætatis mulier tunc erat : *Erant ambo ſenes, provectæque ætatis.* At vero dicet fortaſſe aliquis : Numquid Abraham Saram uxorem ſuam in Cap. 12. Geneſ. in regiones exteras longinque peregrinando ſecum conduxiſſe legitur ? Igitur non ſemper domi recluſa & ſolitaria permanſit , ac proinde reſpondeo primo , ideo quoque eam in ea incidiſſe pudicitiæ ſuæ perdendæ pericula , quæ huic ſexui aliorum ſe oculis publicè ſpectandum præbenti accidere ſolent. Reſpondeo ſecundò , illam à marito ſuo ex ſpeciali Dei juſſione ad eamdem peregrinationem adhibitam fuiſſe , ideoque ſpeciali Dei providentia à ſiniſtris illis ei imminentibus caſtitatis perdendæ eventibus & periculis fuiſſe ſubtractam , quæ ſcriptura innuit , dum ait : *Tulit Sarai uxorem ſuam &c.* Cui accedit , quod ſatis veriſimile ſit ipſam omnino exiſtimaſſe , commiſſionem illam ſeu præceptum à Deo Abrahæ his verbis : *Egredere &c.* impoſitum, ſibi quoque imperatum fuiſſe , ſecundum illud : *Erunt duo in carne una.*

Non prodeant mulieres.

Gen. 18. v. 9.

Gloſſ. Interlin.

Gen. 18. v. 11

11. De Rachele quidem in ſcriptura legimus, illam non ſemper domi delituiſſe , ſed ſæpe etiam in agris oberraſſe , verumtamen quo fine id ab ea factum fuerit conſiderare oportet ; Dicit enim ſcriptura : *Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris ſui* ; Ex quibus verbis ſatis colligitur , ipſam non ex curioſitate aliqua , ut Dina fecerat, per campos circumvagatam fuiſſe ſed potius ex obedientia & præcepto Patris ſui , ut gregem ejus paſceret, vel ut Lipomannus notat : *Probitas hominum priſcorum notatur, ut tam ſpecioſæ virgines oves tutè paſcere, & non ſolum parentum domos , ſed & civitates ſolæ egredi auſæ fuerint , & cum paſtorum multitudine curam pecorum agere eis ſine periculo caſtitatis & famæ licuerit.*

Rachel gregem paſcebat ex obedientia.

Gen. 29. v. 9.

12. Verumtamen ab omni conſuetudine , neceſſitate vel convenientia honeſtatis præſcindendo , quantam Deus in mulieribus olim deſiderarit à virorum ſe conſortio ſubducendi cautelam , ex textu quodam Exodi perſpicuè colligitur. Deus enim populo ſuo ex

Deus volait ut ſexus à ſexu pretioſa peteret.

Exod. 11. v. 2



ex Ægypto abiturienti ; ab Ægyptijs pretioſiſſimam quamque ſupellectilem ut mutuarent precepit ; Verumtamen obſervanda eſt phraſis loquendi qua Deus in hoc præcepto eis intimando uſus fuit ; dixit enim viris : *Poſtulet vir ab amico ſuo* : at verò mox de Hebræis mulieribus loqui volens, non loquitur indefinitè , ſed modum certum ab eis obſervandum limitat dicens : *Et mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea* ; Non enim Deus volebat , ut mulieres ab aliquo virorum quidvis quantumlibet minimum , etiam ſub ratione mutui poſtularent , ſed tantum à ſui ſexus conſortibus mulieribus , ne periculum eſſet ut ſub hoc prætextu circumvagando civitates & oppida oberrarent, *Et mulier à vicina ſua* ; nam ut S. Hieronymus ait : *Foris vagantur virgines ſtultæ ; tu intrinſecus eſto cum ſponſo.*

Ibid. v. 2.

S. Hieron. Ep. 22. ad Euſtoch.

13. In pluribus Pentateuchi locis ſequens à Deo Iſraëlitis quoad divinum ejus cultum adaugendum, datum fuiſſe legitur præceptum : *Ter in anno apparebit omne maſculum in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus.* Sed cur Deus ſolum maſculinum ſexum ad hanc ſolemnitatem frequentandam excitare voluit , cum tamen ſexus fœmineus ad devotionem & pietatem obeundam magis ſit diſpoſitus & inclinatus : *Pro devoto fœmineo ſexu* ; Quam eamdem interrogationem Oleaſter Deo noſtro his verbis proponit : *Sed quare pater noſter ſolos maſculos vis tam frequenter videre , fœminas vero neque in anno ſemel dignaris aſpicere ? Nonne & fœminæ tibi curæ ſunt , ſicut & maſculi ? Nonne opus tuum , quas ex viri coſta produxiſti ? Sed tamquam pius & miſericors hoc fieri voluiſti , ne ſcilicet ſexus infirmior longo itinere gravaretur : aut quia non ignorabat devotum ſexum hoc ſine præcepto facturum* ; Ubi & aliud quoddam noſtro præſenti propoſito haud incongruum præceptum ſubjungit dicens : *Quæ etiam in re fœminarum genus docet , non hinc inde diſcurrere , etiam pietatis & religionis prætextu. Amat hoc genus exire , amat hinc inde diſcurrere , & quia à viris ſuis ſæpius arcentur , cauſam religionis & pietatis mentiuntur : ut ergo licentioſum genus teneret officio , occaſiones vagandi præcluſit.*

Dei præceptum ut mulieres domi contineantur.

Exod. 23. v. 17.

Deut. 16. v. 16.

Oleaſter.

N B.

## DISCURSUS XXXV.

## ARGUMENTUM.

Author idem Argumentum varia ſanctorum Novi Teſtamenti exempla allegando proſequitur.

## THEMA.

*Debet mulier poteſtatem habere ſupra caput ; propter Angelos.* 1. Cor. 11. ℣. 10.

Mulieres ſint velatæ.

1. APoſtolus Corinthios monet , ut mulieres ſuas velatas in publico incedere curent, ne offendiculi alicujus occaſionem Angelis præbeant ; & ideò dicit : *Debet mulier &c.* ubi S. Thomas & multi alij ſacri Expoſitores loco ejus quod in Vulgata dicitur : *Debet mulier poteſtatem habere ſupra Caput* , legunt : *Velamen.* Sed quinam ſunt Angeli illi , quos ex mulierum nudata facie ſcandalizandos eſſe metuit ? S. Clemens per Angelos viros ſanctos intelligendos eſſe dicit ; *Nam etiam viri ſanctiſſimi concupiſcentiæ ſtimulis ex illecebroſo hujus ſexus aſpectu enaſcentibus ſubjiciuntur.* Unde Pſalmiſta ait : *Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra polluerunt tabernaculum nominis tui* , id eſt, mulieres in locis etiam ſanctiſſimis pulchritudinem ſuam vane oſtentantes in circumſtantibus carnalis amoris ignem accendunt. Unde S. Bernardinus ait : *Pſalmiſta in ſpiritu contemplans præſens tempus, in quibus carnales & vanæ mulieres cum meretricijs ornamentis accedunt ad ſanctiſſima loca, & incendunt ſpiritualia templa Dei , id eſt, animas.*

S. Clem. cit. à Corn. à Lap. ibid.

Pſ. 73. v. 7.

S. Bernard. T. 2. ſer. 47. Tit. 3. c. 1.

2. Ob ejusdem cauſæ reſpectum idem Apoſtolus Corinthios monet dicens : *Mulieres in Eccleſijs taceant . . . ſi quid autem volunt diſcere , domi viros ſuos interrogent* : Etenim in Eccleſia primitiva fideles , & maximè mulieres, quæ ad addiſcendas diſciplinas maximè verò ad fidei noſtræ myſteria capienda viris longè tardiores & ineptiores ſunt , catechizatione ſeu doctrina fidei Chriſtianæ magnopere indigebant, utpote quæ tunc in primis ſuis principijs hærebat , & conſequenter captu difficilior erat : & tamen Apoſtolus in æquilibrio ſtatuens ex una parte damnum quod ex mulierum locutione publica reſultare poterat ; ex altera verò parte illarum in doctrina Chriſtiana ignorantiam ; illas potius in hac mavult deſicere ; donec domi maritos ſuos interrogent , quam ut ſacerdotes & miniſtros Evangelicos de hac doctrina directè & immediate interrogent. At verò dicet fortaſſe aliquis , quidnam Sacerdotibus ex eo imminere periculi poterat ; quod mulieres de ſacræ Religionis myſterijs interrogantes docerent , cum hoc opus ſit magnæ perfectionis ? Sanctus Petrus Damianus Guiſlam juvenculam Raynerij Marchionis conjugem in fidei myſterijs inſtructurus , idipſum calamo potius quam lingua exequi voluit , illiusque hanc aſſignat rationem : *Quoniam rei ex qua conflictus oritur , melius eſt gratuitam ignorantiam poſſidere , quam de comparanda ſemper oblivione confligere , juvenculis mulieribus quarum formidamus aſpectus tuto literarum præbemus alloquium. Ego certe qui jam ſenex ſum , unus quidem faciem rugis exaratam , ac fluentium oculorum fluoribus madidam ſecurus intueor, licenter attendo , à venuſtioribus autem atque fucatis ſic oculos , tamquam pueros ab igne cuſtodio. Infelix quippe cor meum , quod Evangelica tenere myſteria centies perlecta non ſufficit , ſemel aſpectæ formæ memoriam non amittit , & ibi vanitatis imaginem oblivio non intercipit , ubi lex divino deſcripta digito non permanſit.*

1. Cor. 14. v. 34.

Ibid. v. 35.

Mulieres inſtruendæ in neceſſarijs à maritis, vel per literas ab alijs.

S. Pet. Dam. l. 1. Epiſt. 90.

3. Author operis imperfecti illud Chriſti præceptum : *Si oculus tuus ſcandalizat te , erue eum , & projice abs te* ; examinans dicit : *Reſpectus vel conſideratio mentis oculus eſt animæ , videlicet voluntas alicujus operis faciendi , & movens malum ad aliquod opus* : adducitque majoris claritatis gratia exemplum mulieris alicujus , ſive virgo illa , ſive vidua , ſive religioſa ſit , quæ viſitatione bono fine facta , nimirum ut in ſpiritu & virtutibus Chriſtianis inſtruatur, opus habet : *Bonus reſpectus eſt iſte , & dexter oculus , ſed dum aſſiduè viſito eam , decidi in laqueum deſiderij ejus , & ille bonus reſpectus meus & dexter , factus eſt mihi in ſcandalum, quid ergo oportet fieri ? ejicere talem illum reſpectum bonum , qui generaturus eſt mihi malum.*

Auth. imperf. Hom. 12.

Matth. 18. v. 9.

4. S. Iſidorus Peluſiota cauſam refert , cur non mulieres æque ac viri ex ſolemni Eccleſiæ conſuetudine ad pſallendum , vel divinas laudes decantandas adhiberi ſoleant ; & dicit : *Quam plurimis in diſſolutionem & peccati occaſionem ceſſit , ſiquidem ex divinis hymnis non ingenti compunctione afficiuntur , verum cantus ſuavitate ad irritandas & ſtimulandas carnis libidines abutentes , nihilo eam ſcenicis cantilenis præſtantiorem eſſe exiſtimant.* Verum enimverò , ut hæc de mulierum conſortio occaſionibusque ad illud inclinantibus fugiendis utiliſſima doctrina tantò altius cordibus noſtris imprimatur, operæ pretium erit , ſi quam in hac tam utili & ardua materia viri ſanctiſſimi & illuminatiſſimi adhibuerant circumſpectionem & cautelam , accuratius nonnihil examinaverimus.

S. Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 90.

5. Primo igitur loco S. Joannes Baptiſta in medium prodeat , quem ipſamet æterna veritas Angelum in carne mortali fuiſſe teſtata eſt , dum ait : *Hic eſt de quo ſcriptum eſt : Ecce ego mitto Angelum meum* ; cui etiam Author imperfecti hoc laudis encomium attribuit : *Nihil carnis erat in eo niſi viſio tota* ; qui ſpiritu Sancto in utero matris repletus , indeque ſanctificatus & in gratia confirmatus fuit ; & tamen hic idem , ut S. Hieronymus ad Ruſticum ſcribit , dum etiamnum infans eſſet , in deſertum fugit , ne in domo parentum cum periculo viveret caſtitatis, in ejusdemque deſerti horridis antris corpus ſuum hiſpidis cilicijs , perpetuisque jejunijs indeſinenter macerando afflixit , quia ut ſcriptura ait : *Venit Joannes neque manducans , neque bibens* : nam ut Sapiens ſapientiſſime pronunciat : *Qui delicate à pueritia nutrit ſervum ſuum , poſtea ſentiet eum contumacem* : Tandemque in honorem ac defenſionem pudicitiæ velut victima ſacrificatus fuit , dum ob reprehenſum Herodis execrabilem inceſtum, ejusdem Herodis juſſu in carcere decollari meruit. In qua tamen à Joanne facta Herodis redargutione reflectionem quamdam valde conſiderabilem facere poſſumus , nimirum : Ex quo ſola Herodias illa erat , quæ Regem in impuriſſimis amoribus ſuis vovebat , ſiquidem de Herode conſtat, quod magno Baptiſtam affectu & veneratione fuerit perſecutus , quia *ſciens eum virum juſtum & ſanctum & cuſtodiebat eum* ( ab inſidijs nimirum , quas impudicam Herodiadem ei continuo machinari ſciebat ) *& audito eo multa faciebat , & libenter eum audiebat* , cur non potius impudicum & inverecundum hoc ſcortum , & laſcivam ejus filiam directè

In deſertum ivit Joannes ad caſtitatem ſervandam.

Marc. 1. v. 2.

Auth. imperf.

S. Hieron. ad Ruſt.

Matth. 11. v. 18.

Prov. 29. v. 21.

Marc. 6. v. 20.

Ibid.

directè & immediate reprehendebat, ſuiſque ardentibus exhortationibus ad meliorem nitebatur reducere frugem? Neque enim ex ullo ſcripturæ loco nobis conſtat ipſum in harum mulierum prodiiſſe conſpectum. Vultiſne cauſam ſcire cur id fecerit? Hanc Dionyſius Carthuſianus brevibus verbis ſubindicat, dum ait: *Occaſiones peccati perfectiſſimè evitavit.* Tametſi enim ipſe, utpote in gratia confirmatus, ſine ullo caſtitatis ſuæ periculo Herodiadem convenire, acriter reprehendere, divinæque juſtitiæ fulmina ei libere intimare potuiſſet, quia tamen Herodias mulier, eaque impudica, adultera, inceſtuoſa, & illecebris plena erat, ſecuritati ſuæ nimium fidere noluit. Imò & poſt mortem ſuam, ut S. Ambroſius inquit, dum præciſum ejus caput petulantis puellæ manibus, diſco impoſitum inferretur ad menſam, *Clauſit lumina non tam mortis neceſſitate, quam horrore luxuriæ.* Et tam licet tanta ſibi circumſpectione & cautela à mulierum conſortio, indeque natis periculis ſibi proſpexiſſet, atque ab eo momento quo ab utero materno ſanctificatus egreſſus eſt, procul ab hoc ſexu ſequeſtratus vixiſſet, attamen poſt omnes hujuſmodi à ſe adhibitas cautelas impedire nequivit, quin tandem in earumdem manus incideret; Unde D. Chryſologus ait: *Si Joannes tantus, Joannes talis, tanta eremo ſeparatus à fœminis, fœminarum pericula non evaſit*, (intellige quoad pœnam, non vero quantum ad culpam) *quis eſt qui inter fœminas vivens evaſurum ſe ſine labore maximo, maxima ſine cautione confidit, niſi is qui ſancto alitur Spiritu? Quid agimus Joannes?* interrogat S. Baptiſtam S. Fulgentius, *quem non terrait vaſta eremi ſolitudo, terrebit muliebris iſta ſaltatio, Neſcio quid habet ſemper muliebre nomen cum ſanctis: Et Elias, in cujus ſpiritu veniſſe Joannem teſtatus eſt Dominus, Jezabel Reginam paſſus eſt inimicam, quam dum fugit, totam vitam ſuam in fuga contrivit, cujus tantum timuit gladium, ut vivus fugiſſet in cœlum. Quocumque pacto perſequitur mulier, ſi placeat, jugulat: ſi diſpliceat, pejus excruciat.*

*Dion. Carthuſ. de S. Joann. Bapt.* — *S. Ambroſ.* — *D. Chryſol. ſerm. 174.* — *S. Fulg. ſerm. de S. Joann. Bapt.*

S. Joannes imaginariæ videndo meretricem Spiritu S. opus habuit.

6. In Apocalypſi admirabilis illa viſio deſcribitur, quæ facta fuit illi Apoſtolo, de quo ſcribitur: *Specialis prærogativa caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum*; In hac porrò viſione Deus Apoſtolo huic meretricem quamdam exhibuit, quæ ingentem quemdam animarum numerum per apoſtaſiam ſeducebat: *Oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ*; De qua viſione Lyranus ait: *Hæc viſio non fuit corporalis, ſed imaginaria & intellectualis*; ac proinde mulier illa non vera & realis, ſed imaginaria erat, eaque Apoſtolo velut in extaſi vel in ſomno, non vultum blandum & gratum, ſed horribilem præ ſe ferentem oſtendit, nec aliud huic mulieri nomen erat, quam turpe & nefandum: *Damnationem meretricis*; Et tamen licet viſio hujus mulieris imaginaria tantum eſſet, Deus tamen S. Joanni tamquam virgini, *Virgo electus ab ipſo virgo in ævum permanſit*, majoris ſecuritatis gratia (nam S. Paulus de carnis voluptate dicit: *Nec nominetur in vobis*) videndam exhibere noluit, niſi ſtipato ſocietate Spiritus ſancti, unde ipſemet Apoſtolus ait: *Abſtulit me in Spiritu, ſcilicet ſancto*, inquit Hugo Cardinalis, *& abſtraxit in deſertum, id eſt, cognitionem pœnæ malorum.* Et tamen hic Apoſtolus, cui viſio hæc oſtendebatur talis ac tantus fuit, ut Chriſtus ſanctiſſimam virginem & matrem ſuam ejus cuſtodiæ confidenter conſignarit: *Virginem virgini commendavit:* Imò tantæ fuit innocentiæ & puritatis, ut Euthymius digniſſimum hoc de illo perhibeat teſtimonium, nimirum eum *tantam à puero curam habuiſſe puritatis, ut ne turpem quidem cogitationem umquam in cor ſuum aſcendere permiſerit.*

*Apoc. 17. v. 1* — *Lyran. ibid.* — *Epheſ. 5. v. 3.* — *Apoc. 17. v. 3* — *Hug. Card. ibid.* — *Euthym. in c. 23. Joan.*

Gabriel non ſolus ad Mariam ingreſſus.

7. Verum enim verò ex quo Deiparæ virginis mentionem facere cœpimus, opportunum fore cenſeo ſi qua ratione Gabriel Archangelus ad Mariam virginem ingreſſus fuerit, diſquiramus. Doctiſſimus Salmeron dicit, quod Gabriel Archangelus verbi incarnationem in ea complendam annunciaturus: *Per oſtium ingreſſus eſt, & motu progrediendi uſus, in forma hominis, atque eleganti habitu juvenis, cum alijs duobus comitibus.* Albertus Magnus quoque alios cum ipſo Angelos virginum cubile ingreſſos fuiſſe aſſerit. Sed quorſum hæc à Gabriele Archangelo aſſumpta ſocietas ſpectat? Quod ſi ad eum ſolum finem dirigebatur, ut hæc tam glorioſa legatio tanto majori ſplendore illuſtraretur, utique univerſus Angelorum exercitus è cœlis evocari aut emitti debebat, ut tanto nobiliori cum pompa & gloria ingrederetur legatus ille cœleſtis. Vultiſne ſcire quonam id myſterio factum fuerit? Nimirum Archang. utpote beatiſſimæ virgini intimis & familiaris, probè ſciens quam ipſa zelans eſſet pudicitiæ & honeſtatis, in aſſumpta illa juvenilis & ſpecioſiſſimi corporis ſpecie, qua adoleſcentem vegetum & elegantem referebat, in illa hora in tenebris intempeſtæ noctis, in ſolitudinem inacceſſi cubilis virginei ſolus ingredi nefas eſſe duxit, ideoque negotij de quo tractaturus erat, nec non verborum quibus ipſam erat allocuturus plures adhibuit teſtes, notumque nobis eſſe voluit, quod cœlitus miſſus eſſet, & à quo: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*, ut per hoc nobis inſinuaret, quod omnes illi quibus, ut cum hoc fœmineo ſexu agant incumbit, quantumvis etiam ſancti ſint & innocentes, imò licet angeli exiſtant, adeò caute, prudenter, & circumſpectè cum illis agere debeant, ut non ſolum de verbis quæ proferuntur, ſed etiam de ipſis, ut ita dicam cogitationibus & imaginationibus quas in mente ſua volvunt, rationem reddere valeant. Utique Deo plures alij modi ſuppetebant, quibus ſuam virgini voluntatem circa imminentem filij ſui incarnationem indicare potuiſſet, poterat enim Prophetarum aliquem vel plures mittere, prouti in pluribus alijs occaſionibus arduis fecerat, cur igitur id facere omittens, Angelum ad virginem legatum expedivit? S. Ambroſius ait: *Propterea Angelo legatio commiſſa eſt ad virginem, ut ingreſſus ille hominibus ſignificaretur impervius*; in beatiſſimæ namque virginis ſecretiſſimam cellam ſoli immaculati & puriſſimi ſpiritus Angelici aditum habere poterant, qui & ipſimet cum ipſa converſaturi valde prudenter & circumſpectè ſe habuerunt, ac proinde in plurium ſocietate & comitatu Archangelus ad ipſam fuit ingreſſus, tantus erat beatiſſimæ virginis zelus, quo cuſtodiæ virginitatis ſuæ invigilabat. Tametſi enim beata virgo ne minimi quidem peccati venialis nævo in ordine ad pudicitiam contrahendo, ſubjecta fuerit, ſemper tamen ingenti cum cautela & conſideratione ad noſtram inſtructionem in cunctis operibus ſuis proceſſit.

*Salmer. T. 3. Tr. 5.* — *Alb. Magn. in Luc.* — *Luc. 1. v. 26.* — Etiam ſancti cum fœminis caute agant. — *S. Ambr. in Luc. ibid.*

Mulieres verecundæ ſint ut Maria & aliæ.

8. S. Anſelmus eamdem beatiſſimam Deiparam virginem, an filio ſuo in horto Gethſemani præſens adfuerit interrogans, eamdem negative reſpondentem introducit; cumque idem Sanctus ulterius ex ipſa quæreret: *Quare, dum eum tantum diligeres?* reſpondet ipſa: *Nox inſtabat, & non expediebat, ut mulieres tunc foris invenirentur.* Idem quoque devotæ illæ Mariæ ab ea didiciſſe videntur, cum enim mortuum Chriſti corpus ſtudioſè & ſolicite perquirerent, ad monumentum propius appropinquantes, mox perterrefactæ, in fugam ſe receperunt: *Illæ ... fugerunt, ... invaſerat enim eas tremor*; ſed quænam terroris hujus adeo ſubitanei cauſa extitit? num forte terræ motus, vel armati milites perterruerunt? Minimè, ſed *viderunt juvenem, cum timerent*, inquit S. Lucas; ſed quis inde timor illas invadere potuit? *Ecce duo viri ſteterunt ſecus illas*; Et tamen harum mulierum devotarum non una ſola, ſed multæ ſimul congregatæ erant, nec erant juvenculæ, ſed ætate provectæ, & quod potiſſimum eſt, non vanitatis aut curioſitatis cauſa egreſſæ fuerant, ſed ut Chriſtum quærerent. Cajetanus ait: *Cum territæ eſſent ex præſentia Angelorum, & declinarent vultum in terram, modeſtia ſolitæ verecundiæ.* Idem quoque purpuratus Doctor ſuper S. Marcum ſcribens, obſervat devotas haſce mulieres ex ſolo honeſtatis motivo præſentes eſſe noluiſſe, quando Joſeph & Nicodemus corpore Chriſti aromatibus condiendo intenti erant: *Verecundia ſiquidem muliebri, & optimo more aſſuetæ procul eſſe à conſortio virorum, non ſunt auſæ appropinquare ad videndum, quid facerent circa corpus Joſeph & Nicodemus cum ſuis miniſtris.*

*S. Anſelm. Dial. de Paſſion.* — *Marc. 16. 8.* — *Marc. 16. v. 5* — *Luc. 24. v. 4.* — *Cajet. ibid. in Luc.* — *Cajet. in Marc.*

Exemplum virginis quæ nulli ſe videndam præbuit.

9. Hæc exempla in progreſſu ſæculorum multi viri ſancti egregiè ſunt imitati, prout acta vitæ ipſorum copioſum deſuper fidem faciunt. Et quidem celebre in primis eſt factum illud, quod in vita S. Martini Severus Sulpitius hunc fere in modum enarrat: Puella quædam tempore S. Martini Epiſcopi Turonenſis erat natalibus quidem illuſtris, at ſanctitate longè illuſtrior, adeoque exactiſſimæ virginitatis ſuæ cuſtodiæ dedita, ut in quadam villæ ſuæ domo recluſa nulli virorum in vita ſua loqui, aut faciei ſuæ aſpectum exhibere decreverit, ſequens nimirum illam S. Ambroſij virgini pudicæ præſcriptam Regulam, in qua lib. 3. de virginibus dicat: *Ea quæ Chriſtum requirit, non debet eſſe vulgaris, non debet eſſe in foro, non in plateis, greſſu lubrico, facilis auditu,*

*In vita S. Martini.* — *S. Ambr. l. 3. de virg.*



*vilis aſpectu.* Quia verò S. Martinus iter faciens, domui huic, in qua hæc Chriſti ancilla ſolitaria latebat, vicinus erat, eamdem ut in ſancto ſuo propoſito illam animaret, videre, & colloquio ſuo confortare & conſolari deſiderabat, quæ gratia, ut prædictus Author notat, valde notabilis erat, utpote quam S. Martinus nulli hactenus mulierum umquam indulſerat, ſiquidem ſanctus hic Epiſcopus nullam umquam mulierem tempore Epiſcopatus ſui viſitaverat, multo minus aliquam umquam allocutus fuerat. Cumque hoc S. Epiſcopi deſiderium ei ad fores domus ſuæ inſinuaretur, animi ambigua & fluctuabunda hæſit, dum una ex parte ſpecialem, quem Deus ei per hujus ſancti viri alloquium conferre nitebatur, favorem conſideraret, ſiquidem per ſanctiſſimi hujus Epiſcopi ad ipſam à Deo ſpecialiter directi viſitationem & colloquium arctiſſima ejus ſolitudo apud Deum pariter & homines approbari & authenticari poterat; ex altera verò parte propoſiti ſui memor aliquantiſper ſecum deliberans, tandem quemdam ex familiaribus ad virum Dei amandavit, qui eum enixè rogaret; ut hoc ipſam cominus videndi & cum ipſa loquendi deſiderium dimitteret, ut hac ratione fores domus ſuæ cuivis virorum conditioni tanto arctius clauſæ remanerent, quanto etiam ei qui plus quam homo eſſet, obſeratæ & minimè perviæ fuiſſent, nam ut Tertullianus ait: *Tam ſancti viri eſt ſuffundi ſi virginem viderit, quam ſanctæ virginis ſi à viro viſa ſit.* Quo ex facto egregium & generoſum in hac virgine pudicitiæ conſervandæ ſtudium relucet, quandoquidem oſtium cellæ ejuſne quidem S. Martino, qui plus quam homo erat, quique fortaſſe non tam ipſam videre, ſed audire & ab ea audiri cupiebat, patere nequaquam permiſit, veriſſimum ſciens illud à S. Hieronymo Euſtochio virgini tranſcriptum monitum, ſcilicet: *Nullus tutus aſpectus.* S. Ambroſius de Beatiſſima Virgine Maria ad comparitionem Angeli turbata, & cogitante qualis eſſet iſta ſalutatio inquit: *Trepidare virginum eſt, & omnes viri affatus vereri; Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari.* Quod enim ſanctiſſima Deipara adeo circumſpecta & anxia fuit, dum loquebatur cum Angelo, quanto circumſpectior quævis alia virgo eſſe debet, quæ donum impeccabilitatis Mariæ minimè poſſidet, quæque dum virum etiam Angelica puritate nitentem alloquitur, non ſpiritum aliquem Angelicum, ſed merum hominem affatur. S. Martinus igitur hanc virginis illius excuſationem ratam habuit, paſſamque ab ipſa repulſam tanto impenſius laudavit, quanto familiariorem hanc ei. Maximam fuiſſe legimus, qua dicere ſolebat: *Mulier intra murorum munimenta ſe contineat, hujus hæc prima virtus, & conſummatio victoriæ eſt, non videri.*

*Tertull. de veland. virg. c. 2.* — *S. Hieron. Ep. ad Euſt.* — *S. Ambr. l. 2. in Luc.* — *Sulpit. Dial. 2.*

S. Benedicti & ſororis ſuæ caſtitas mire poſt mortem, luxit.

10. In vita S. Scholaſticæ ſororis S. Benedicti legitur, quod cum S. Benedictus ei jam provectæ ætatis exiſtenti Religioſæ in Parthenonis collocutorio loqueretur, ibique licet monaſterio ſuo vicinus eſſet, declinante die pernoctare nollet, ipſa fuſis ad Deum orationibus impetraverit, ut oborta tempeſtate ſubita copioſus de cœlo imber laberetur, qui eum cum ſorore ſua divinis colloquijs continuandis perſeverare cogebat; Et tamen ambo in ſenili ætate conſtituti erant, & S. Benedictus ut vitam virginalem & mundam, quam tot annis illibate traduxerat, deinceps conſervare poſſet, in ſpinis ſe volutando totum corpus ſuum miſere cruentarat. Petrus de Natalibus de tranſlatione ſacrarum reliquiarum Benedicti & Scholaſticæ ſcribens hæc quoque refert: *Corpus defuncti viri ſuper oſſa quæ putabantur eſſe Scholaſticæ, corpus autem defunctæ fœminæ, ſuper oſſa quæ putabantur eſſe S. Benedicti poſuerunt, & neutrum eorum vitam accepit. Cum autem è converſo corpus viri ſuper oſſa maris, corpuſque fœminæ ſuper oſſa mulieris collocaſſent, & orationem præmiſiſſent, uterque mortuorum continuo vivus ſurrexit.* Ecce quouſque ſanctorum virginitatem zelantium honeſtas pertigerit, ut etiam frigidi ipſorum cineres ab omni ſexus ab ipſis diverſi umbra abhorruerint.

*Petr. de Natal. l. 6. c. 18. in Catal. SS.*

Caſtorũ SS. exempla.

11. De Seraphico Patriarcha Franciſco legitur, quod *percunctanti ſocio cur non reſpexerit virginem quamdam nobilem, ægrotum charitative viſitantem, reſponderit: Quis non debet timere ſponſam Chriſti? quæ ſi oculis pudicis prædicatur, magis in ſua caſtitate confirmatur? Me in facie illa viderit, non ego illam.* De S. Philippo Nerio in ejus vita ſcribitur, quod virginitatis donum, quo à Deo eximie donatus fuit pro viribus ſemper cuſtodierit; unde contigit, quod licet mulierem quamdam, qua illo tempore Roma vix elegantiorem videre potuit, per triginta annos continuos Sacramentaliter confitentem auſcultaſſet, de illa tamen dixerit, recordari ſe minimè poſſe quod vel ſemel illam in facie aſpexiſſet. In vita S. Dominici refertur, quod dum in poſtremis vitæ ſuæ diebus in multorum Religioſorum præſentia de peccatis ſuis culpam diceret, his eos verbis affatus fuerit: *En uſque in hanc horam carne incorruptum me Dei miſericordia ſervavit, illibatamque mihi virginitatis munditiam cuſtodivit.* Qui idem hanc caſtitatis hæreditatem ſuis magno verborum pondere, veluti per teſtamentum poſt ſe reliquit dicens: *Quæ ut etiam in vobis inviolata permaneat, fœminarum omnium ſuſpecta vitate conſortia.*

*Apopht. 33. S. Franciſci T. 3.* — *L. 2. c. 13. n. 3.* — *Theodor. l. 3. c. 1.*

12. In actis S. Bernardi legitur, quod dum vir Dei adhuc juvenis in ſæculo vivens magnos capitis pateretur dolores, ſuaviter cantillans quædam mulier ad eum introducta fuerit, ut ejus cantu dolores ejus nonnihil mitigarentur, quam ipſe acerbis verbis à ſe repulit, priſtinamque à Deo ſanitatem protinus impetravit. Alia quoque vice cum jam monaſticam vitam ageret, & in oratione abſorptus hæreret, Monaſterij portarius mulierem quamdam opulenta quadam eleëmoſyna onuſtam eum ad fores monaſterij præſtolari dixit, rogareque ut pro marito ſuo graviter infirmante Deum rogaret: *Quam breviter allocutus vir ſanctus, dimiſit à ſe dicens: Vade bona mulier, ſanum invenies virum tuum.* Enimverò quod mulierem cantatricem ocius à ſe repulerit, bene quidem hoc habet, at vero cur devotam hanc & beneficam mulierem non aliquo charitativo aut benigno verbo dignatus fuit? Erat enim vir ſanctus in decrepita ætate conſtitutus, jejunijs extenuatus & macilentus, atque ab omni tentationis periculo procul remotus, imò vir ſanctus, idque non vulgariter, ſed eximia ſanctitate præfulgidus, & tamen his omnibus necquidquam obſtantibus ad ſuorum, noſtramque inſtructionem breviter eam allocutus dimiſit à ſe. In Chronicis S. Franciſci, ſicut & in Annalibus Eccleſiaſticis de S. Ludovico Epiſcopo Tholoſano Religioſo Franciſcano legitur, quod dum Regina mater ejus, quæ eum multo tempore non viderat, in ſignum maternæ benevolentiæ propius ipſum accedere vellet, ipſe confeſtim ab illa retroceſſerit; Cui cum illa diceret: Fili mi, numquid ego mater tua ſum? ille reſpondit: Hoc quidem verum eſſe ſcio, verumtamen te quoque mulierem eſſe non ignoro. Dum Aragonum Regina die quadam ſororem ſuam viſitatum acceſſiſſet, hæc eam in vultu aſpicere renuit, cui proinde in morte flos quidam ad inſtar vernantis roſæ ab ore egredi viſus fuit. In vita S. Philippi Nerij legitur, quod juvenis quidam cum ſua ſorore jocari ſolitus, cum idipſum apud P. Angelum Velli Sacramentaliter confitendo inter cætera peccata explicans ab eodem reprehenderetur, & objurgationem ab eo factam ægrius ferret, idem Pater ut ipſum correctionis capacem redderet, juvenem illum ad S. Philippum perduxit, qui ipſum cui rei ſtuderet interrogavit, cumque juvenis ſe Logicæ operam dare reſpondiſſet, S. Philippus protinus ſubjunxit: Scito fili mi, Dæmonem, utpote peritiſſimum Logicum noxias hominem docere abſtractiones facere, dicendo: Mulier, & non ſoror eſt.

*Guiliel. Abb. in vit. S. Bern.* — Item alia exempla. — *Rayn. Ann. 1297. n. 68.* — *L. 2. c. 7. n. 12.*

Cautela in materia Caſtitatis numquam exceſſiva.

13. Filij Job inter ſe per ætatis ordinem una cum ſororibus ſuis convivia hebdomadatim inſtituere conſueverant: *Ibant filij ejus, & faciebant convivium per domos, unuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, ut comederent & biberent cum eis.* Sanctus verò Job pater eorum, utpote vir à Deo magnopere illuminatus, ut omnia in ijs convivijs in timore Dei procederent: *Cum in orbem tranſiſſent dies convivij, mittebat ad eos Job, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis; Dicebat enim: ne forte peccaverint filij mei ... Sic faciebat Job cunctis diebus.* Magna profecto erat hæc Patris in filios ſuos pietas, & prudens cautela, qua vix alia major uſpiam legitur, nec tamen mirum eſt Jobum pro filijs ſuis adeò fuiſſe ſolicitum, ſiquidem ſancti ex inſtinctu quodam ſuperiori operantes probe ſciunt, quod in hac materia vel maxime abundans ſeu exceſſiva nimis cautela dari non poſſit.

*Job 1. v. 4.* — *Ibid. v. 5.*

Caſtorum Abrahæ & Noë facta.

14. D. Chryſoſtomus periculum quoddam infinitum in hoc ſexu latens oſtendere nititur, ſiquidem etiam in ipſis cineribus ſub lapide ſepulchrali frigeſcentibus & extinctis hunc concupiſcentiæ ignem adhuc

huc remanere exiſtimat. Geneſeos cap. 23. de Abraha ſcribitur, quod pro ſepelienda conjuge ſua, ſepulchrum quoddam ſibi aſſignari poſtularit, dicendo. *Date mihi jus ſepulchri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum*, ubi Hugo Cardinalis argute obſervat, quod *maſculum pro fœmina ponat*; Idque quia Abraham vinculum conjugale poſt mortem diſſolvi conſiderans verecundabatur dicere, quod etiam poſt mortem proxime ad latus mulieris alicujus poni vellet; ideò mulieris mortuæ non meminit, ſed dixit *mortuum* in genere maſculino. Quis eſt qui, quam ſapiens & à Deo illuſtratus Noë fuerit, ignoret? Hic igitur tantus fuit pudicitiæ amicus, ut quingentis annis in vita cælibe perſeverarit; jamque una cum familia ſua arcam ingreſſurus hunc ſervavit ordinem miram ejus caſtitatem redolentem: *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë, & Sem, & Cham, & Japhet filij ejus*, poſtea verò ſeorſim ingreſſæ ſunt *uxor illius, & tres uxores filiorum ejus.* Ubi S. Ambroſius ait: *Aperte igitur velut ordine ingreſſionis, vocem quamdam juſtus emittit, tempus illud non eſſe concubitus.* S. Damaſcenus vero ait: *Ut caſtitatis adminiculo pelagus atque univerſum illud mundi naufragium effugerent*; Ecce tibi quantum vir ille juſtus etiam inter proximè conjunctos continentiam zelaverit.

*Gen. 23. v. 4.*
*Gen. 7. v. 13.*
*S. Ambr. de Arca & Noë c. 21.*
*S. Joan. Damaſc. l. 4. de fid. orth. c. 25*

15. Habemus in Novo Teſtamento adhuc alia in ſanctis caſtitatis & pudicitiæ conſervatæ notabilia exempla. Hugo Cardinalis de Arſenio Abbate refert, quod cum matrona quædam nobiliſſima, bonitate, ſapientia, virtutibus, alijsque eximijs qualitatibus conſpicua, Roma Alexandriam contendiſſet, ut ſanctum hunc Abbatem oculis ſuis cerneret, Sanctus illam ad pedes ſuos proſtratam interrogarit dicendo: *Cur tantum pelagus enavigaſti, & tot terras tranſiſti, ut videres me?* eamque his dictis vultu & verbis auſteris à ſe repulerit. Cui illa: *Precor ut pro me ores, & in memoria tua me habeas.* Sanctus vero protinus reſpondit: *Oro Deum ut deleat memoriam tuam de corde meo.* Cumque Romam denuo afflicta prorſus, & de eventu qui ipſi acciderat quaſi ſcandalizata reverſa fuiſſet, ſummo Pontifici totam rei geſtæ ſeriem enarraſſet, hic ad illam conſolandam hunc in modum affatus eam fuiſſe legitur: *Ille ſanctus vir bene ſcit, quod cogitationes & imaginationes mulierum invitant ad luxuriam, propter hoc locutus eſt tibi: Oro Deum &c.*

*Hugo Card. in 1. Cor. 6.*
Exemplum Arſenij qui devotiſſimam repulit fœminam.

16. De S. Carolo Borromæo habemus, quod licet continuo veſtiretur cilicio, adhibitaque aqua in potum & lupinis in cibum, ſuper nudam terram cubaret, ſuamque carnem quotidie adeo dimaceraret, ut ſola pelle & Oſſibus conſtare videretur, adeo tamen quoad ſexum fœmineum circumſpectus fuerit, ut nulli mulieri quantumvis etiam proximo ſanguine junctæ loqui voluerit, præterquam in loco publico, & in duarum ad minus gravium perſonarum præſentia; Unde ſoror ejus Anna Columna, Conneſtabilis uxor ut illum alloqueretur, in Eccleſia quadam ejus præſtolari debebat adventum. Similiter de S. Thoma Aquinate legitur, quod cum proximi ejus cognati de nimia ejus ab ijs alienatione coram eo lamentantes ei dixiſſent: *Memento te ex muliere fuiſſe natum*, ac proinde non tanta cum animi contentione mulierũ fugias conſortium; Reſpondit ille; *Et hæc conſideratio unica eſt timoris mei cauſa.* De Dominico Capronica Epiſcopo Firmano & ſummo Pœnitentiario in Annalibus Eccleſiaſticis ſcribitur: *Fuit vitæ mundiſſimæ, fœminam nullam ingredi domum paſſus eſt, ſive ex alienæ, ſive conjunctæ aliqua cognatione eſſent.* Celebre quoque eſt illud à S. Gregorio conſcriptum facinus, ſæpius quidem ab unoquoque noſtrûm lectum, numquam tamen ſatis pro merito ponderatum. Orſinus namque Presbyter, qui priuſquam ad ſacros ordines aſcenderet, uxori per matrimonij vinculum junctus fuerat: *Hic ex tempore ordinationis ſuæ presbyteram ſuam, ut uxorem diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propius accedere numquam ſinebat, ab eaque ſibi communionem funditus familiaritatis abſciderat; atque in hac vivendi methodo per quadraginta annos continuo perſeveravit*; Cumque jam morti proximus eſſet, ejuſque uxor exploratura an etiamnum ſpiritum duceret, ei vicinius appropinquaret, ipſe voce & viribus quantum potuit recollectis, eidem dixit: *Diſcede à me mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.* Denique de B. Antonio de Storicone Ordinis Minorum Religioſo, Bolandus his verbis teſtatur, quod *uſque ad obitum illibatam cuſtodivit virginitatem quadraginta annorum ſpatio, nullius umquam fœminæ vultum aſpexit, quod ſane mirum fuit in eo præſertim homine, qui amplius annis vicenis oſtiatim ſtipem pro fratrum cœtu emendicavit.*

*Giuſtani l. 8. c. 22.*
S. Car. nõ niſi publice loquebatur cũ fœminis.
Aliorumque SS. facta.
*Rayn. Ann. 1458. n. 44.*
*S. Greg. l. 4. Dial. c. 11.*
*Bolland. 7. Febr. c. 2. num. 15.*

---

# T R A C T A T U S XV.

# DE CONFESSIONE, CONTRITIONE ET CONSCIENTIA.

## C O N T I N E N S
## D I S C U R S U S XXVII.

DIſcurſus I. De confeſſionis Sacramentalis, tamquã ſummi nobis à Chriſto collati beneficij, origine & neceſſitate in ordine ad ſalutem conſequendam.

II. Variæ conſiderantur prærogativæ & facilitates, relucentes in confeſſione Sacramentali, & econverſo difficultates recenſentur, quibus, in lege veteri, peccatorum confeſſio & expiatio innodata fuit.

III. Salvator noſter, conceſſam ſibi à patre peccata remittendi poteſtatem, hominibus delegavit, ut indulgentiam ediſcerent & clementiam.

IV. Excellentes edocentur conditiones, quibus illud, quod circa delicta noſtra in confeſſionis tribunali inſtituitur, eminet judicium præ alio, in judicum ſæcularium tribunalibus, circa reos formari ſolito.

V. De animæ pœnitentis venuſtate, quæ per confeſſionem emundata, decora comparet in conſpectu Dei.

VI. De lætitia, tranquillitate & quiete, quam ſibi bona cujuſcumque confitentis acquirit conſcientia.

VII. Raritas confeſſionis peccatum inveterat in anima, quæ proinde debilis poſtea efficitur in virtutum exercitio, minuſque potens ad tentationibus reſiſtendum & vitijs.

VIII. Varia conſiderantur bona, quæ in nos confeſſionis transfundit frequentia, vi cujus faciliter à peccatorum lepra emundamur, & de criminum venia certificamur.

IX. Confeſſio ſpecies eſt ſacrificij, Deum placat, nos à temporalibus quandoque eripit ſupplicijs, novis ditat gratijs, ſecura ad cœlum ſemita.

X. Confeſſio vires debilitat dæmoniacas, quales mirum prævalent adverſum nos, ubi à confeſſionis frequentia recedimus.

XI. Molitur diabolus, quantum poteſt, ut nos mutos efficiat & à confeſſione abſtrahat peccatorum; quem tamen media confeſſione ſternimus, vitam conſequentes ex peccato in confeſſione manifeſtato, quod nobis prius mortem inferebat.

XII. Variæ adducuntur bonæ confeſſionis circumſtantiæ & conditiones, tam in univerſali, quàm in particulari.

XIII. De dolore & compunctione peccatorum, deque motivis ad eam excitandam diſponentibus.

XIV. De bono peccata non reiterandi propoſito, confitentibus neceſſario, cujus aliqua, an adſit, ſtatuuntur indicia.

XV. Contra illos, qui in confeſſione ſtatum nituntur occultare conſcientiæ propriæ, & abſcondere vel negare peccata ſua.

XVI. De damnis eorum, qui peccata ſua accuſaturi, ea potius defendunt, excuſant & mentiuntur.

XVII. De examinis conſcientiæ inſtituendi utilitate, convenientia & methodo exacta.

XVIII. Deteſtabiles ſunt, quotquot à confeſſione abhorrent, in eoque frequenter applicando ſibi remedio vivunt negligentes.

XIX. Quan-



XIX. Quantæ ſit violentiæ verecundia, nos à graviorum abſtrahens peccatorum confeſſione, cujus inſuper aliquot conſiderantur diſpendia; docetur tandem, erubeſcentiam hujuſmodi eſſe penitus irrationabilem, quandoquidem in ſummum Dei ac noſtri honorem & gloriam cedit confeſſio.

XX. Contra eos, qui impudenter prævaricantes, peccata verecundantur confiteri; evincitur, totum hoc nil niſi illuſionem eſſe dæmoniacam; adducuntur denique motiva aliquot, propter quæ nequaquam erubeſcere docemur in præſentia Confeſſarij.

XXI. Exprobrantur illi, qui ſine ea, quæ Deo ſummè placita, pœnitenti maximè utilis, & non minima ſatisfactionis pars eſt, verecundia confitentur. Alia attinguntur motiva ad ſuperandum pudorem, qui nos in peccatorum ſilentium inducit.

XXII. De valore contritionis, media qua omne aboletur peccatum; ejuſdem ſiſtitur quoque etymologia & definitio

XXIII. Dolor ponderatur contritionis, qui ut validus ſit, non ex timore ſervili aut alio quocumque, ſed ex amore Dei procedat; oportet; fundatus in ſpe remiſſionis & propoſito devitandi peccata & confitendi: ubi etiam tractatur de facilitate & difficultate contritionis.

XXIV. De conſcientia naturaliter nobis impreſſa, cujus notitia ne ipſos quidem latuit Gentiles; ea manifeſtos in Adamo, Eva & Cain edidit effectus; exaudita bonos parit fœtus, aſt neglecta & contempta præſagium eſt peſſimum.

XXV Etiam inter proſperitates maximas mala cruciat & inevitabiliter remordet conſcientia; culpam prodit, nec deliteſcere ſinit; omni loco ſtatu & tempore clamitat inceſſanter.

XXVI De perturbatione, inquietudine & cruciatu conſcientiæ malæ; eſt judex contrà ſe incorruptus, centrum diaboli, tormentum ipſo inferno atrocius.

XXVII. Eligendus eſt Confeſſarius bonus, compaſſione, prudentia, dexteritate, vitæ integritate, ſcientia, alijsque multis præditus eximijs qualitatibus.

## DISCURSUS I.

## ARGUMENTUM.

De Confeſſionis Sacramentalis, tamquam ſummi nobis à Chriſto collati beneficij, origine & neceſſitate in ordine ad ſalutem conſequendam.

## T H E M A.

*Inſufflavit & dixit eis; accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joan. 20. ℣. 22. & 23.

1. DIſcurrens Apoſtolus de Salvatore noſtro, *traditus eſt*, inquit, *propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Videri equidem poſſet, juſtificationem noſtram non tam glorioſæ effectum eſſe reſurrectionis, quam meritorum illius, qualem in crucis ligno pretioſiſſimus Redemptoris ſanguis præſtitit ſolutionem, dicente eodem Apoſtolo: *Convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, Delens, quod adverſus nos erat, chirographum decreti: . . . affigens illud cruci.* Inæſtimabile nihilominus ſalutis noſtræ pretium, ſupra montem Calvariæ, in ſacræ paſſionis die oblatum, nobis in debitorum noſtrorum relaxationem, in ipſo Reſurrectionis die applicatum fuiſſe, nemo non facile dignoſcet, qui rei geſtæ ſeriem fixo fuerit contemplatus obtutu, quando ſcilicet Apoſtolis Sacramentum contulit pœnitentiæ & confeſſionis per adducta verba: *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Quapropter ſacrum definivit Concilium Tridentinum, inquiens: *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris (accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt:) non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium, anathema ſit.* Ex quo evidenti adeo teſtimonio clare deducitur, Chriſtum in præcitato loco, Eccleſiam ſuam opulento hocce locupletaſſe theſauro. Aſt notandum occurrit, quod curioſior obſervavit Lucas Burgenſis, Chriſtum ſcilicet, priuſquam Apoſtolos ſuos dicta felicitaret eminentia, præmiſiſſe: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos:* quaſi dicere voluiſſet: ſicut Pater æternus me in mundum miſit ad humani generis ſalutem, ita & modo vos ego per terrarum orbem diſperſurus, vobis authoritatem confero & poteſtatem dimittendi peccata: *Perſpectum eſt mihi, fore in Eccleſia mea multos infirmos, qui juſtitiam per baptiſmum acceptam non ſint conſervaturi, miſertus illorum, ut poſſitis eis ſuccurrere, eam vobis inſpiro ac do, gratiam & facultatem, ut requirentibus queatis peccata, vice mea, valide remittere.*

*Rom. 4. v. 25*
Gratia remittendi peccata ſumma.
*Coloſſ. 2. v. 13, 14.*
*Trid. ſeſſ. 14. Can. 3.*
*Joan. 20. v. 21.*
*Luc. Burg.*

2. Idem porro Concilium Tridentinum in primo citatæ ſeſſionis capite, conſiderat, nobis, ſi baptiſmalem innocentiam conſervaſſemus illibatam, aliud nequaquam neceſſarium fuiſſe Sacramentum; aſt, prò dolor, humanæ fragilitatis experientia teſte, *in multis offendimus omnes.* Ecce vobis ipſa Concilij verba: *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo, ipſius beneficio & gratia, ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus dives in miſericordia, cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem & dæmonis poteſtatem tradidiſſent; Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur.*

*Jac. 3. v. 2.*
*Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 1.*

3. Hoc itaque fidei myſterio ſuppoſito & probato, Lucas Burgenſis cuidam reſpondet, quam aliqui in præſenti ingerere amant objectionem, quare ſcilicet in hujus Sacramenti pœnitentiæ inſtitutione, ſolius mentio fiat authoritatis remittendi peccata, Apoſtolis & toti ſucceſſive Eccleſiæ delegatæ, nulla habita memoria de obligatione vocalis peccatorum confeſſionis, ad aures miniſtrorum, hunc in finem deputatorum, inſtituendæ: cui ipſe argumento, docta hac reſolutione ſatisfacit abunde, dum ait: *Porro ex eo, quod Jeſus hic ſacerdotes Vicarios ſuos conſtituit, qui tamquam præſides & judices, ſententiam de fidelibus in peccata relapſis ferant, ſemper intellexit Eccleſia Catholica, quod fidelibus quoque ſuis præcipiat Jeſus, ut, ſi peccatorum veniam conſequi velint, declarent ea ſacerdotibus; cum enim judicium hoc, incognita cauſa, non valeant exercere, ſequitur, in ſpecie peccata omnia mortalia humili confeſſione declaranda.*

Confeſſio auricularis neceſſaria.
*Luc. Burg.*

4. Aſt inquiſierit forte quiſpiam, qualenam in flatu, medio quo Chriſtus Sacramentum hoc conferre voluit, lateat myſterium: *Inſufflavit eos?* Theophylactus legit: *Flavit*; S. Cyprianus: *Inſpiravit in eos.* Aſt doctiſſime omnium, exactus litteralis veritatis indagator, Lucas Burgenſis, ita diſcurrit: *Flatum ſeu anhelitum, ex imo pectore attractum in eos geſtu oris jecit*; volens per hoc demonſtrare Salvator, Spiritum Sanctum adinſtar flatus eſſe; cujus adventum in cœnaculo Sion obtigiſſe didicimus, *tamquam advenientis Spiritus*; circa quod factum ita Auctor prædictus diſcurrit: *Eſt veluti flatus quidam patris & filij, nam & hinc Spiritus vocatur*; cui aſſerto non abſimile correſpondet illud Alberti Magni dogma, inquientis: *Spiritum à ſe procedere ſignificavit per flatum, quem in diſcipulos direxit.* Doctiſſimus verò Salmeron altius repetens principium, ad eam ſe convertit, quæ in mundi exordio contigit hominis formatio, quem flatu animavit Deus, cui vitam corporis mediante flatu ſeu reſpiratione infudit omnipotens; ita quoque in præſenti Salvator vitam animæ, id eſt, gratiam, quam interemerat culpa, ſuis impertiri voluit, eumdem ſanctiſſimum ijs communicando Spiritum, per modum flatus: *Ut olim Deus inſufflavit ſpiraculum vitæ, ut fieret homo in animam viventem, ita idem inſufflat animam, peccato mortuam, ut vivat per Spiritum Sanctum.*

Vita animæ flatus ſpiritus
*Theophyl.*
*S. Cypr.*
*Luc. Burg.*
*Act. 2. v. 2.*
*Alb. M. ibid.*
*Salmer. tom. 11. tr. 18.*

5. Sancti Cyrillus Alexandrinus, Baſilius & alij ad novum nos conceptum invitant, docentes; quod, ſicuti quondam Creator medio flatu, non modo corporalem, ſed & ſpiritualem (divinam ſcilicet gratiam) vitam infudit Adamo; ita Chriſtus hanc, peccato deperditam, reſtituturus, antiquum hodie voluerit obſervare modum. *Ut ipſum eſſe ſciamus* (inquit S. Cyrillus) *qui ab initio naturam noſtram creavit & Spiritu Sancto ſignavit, rurſus in ipſo initio renovandæ naturæ, ſufflatione Spiritum diſcipulis largitur, ut, quemadmodum creati ab initio ſumus, ſic etiam renovemur.*

Sicut creatio ita renovatio.
*S. Cyrill. Al. l. 12. in Joa. c. 56.*
*S. Baſil. l. de Spec. 8. c. 16.*

6. Quibus omnibus ſequens hæc aſſociari poteſt conſideratio; quod ſcilicet, quantam vita humana neceſſitatem habet reſpirationis, tanta pariter vita & ſalus animæ exigentia laboret confeſſionis & Sacramenti Pœnitentiæ; unde Concilium Tridentinum,

Anima confeſſione indiget ut corpus reſpiratione.

num, dum ad neceſſitatis ſacramenti hujus punctum ſe convertit, ita reſolvit: *Fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria.*

Trid. c.1. cit.

Quam Sacramentalis confeſſionis neceſſitatem ſanctus quoque Auguſtinus fuſius nobis demonſtrare nititur, quia nimirum *ſepties in die cadit juſtus; quis eſt homo, qui non peccet: nemo mundus à ſorde*; ob quas, ſimileſque rationes alias, hoc nobis Sacramentum, ſanctus Eccleſiæ Doctor exhibet, inter omnia quaſi ſalutis noſtræ remedia, certius, infallibilius, ſecurius; etiam ad remiſſionem peccatorum venialium; qua de materia dum latius diſcurrit Sanctus, hæc tradit inter cætera: *Hortatur nos ſæpius Sacra Scriptura, ad medicamenta fugere confeſſionis, non quod Deus indigeat confeſſione noſtra, cui omnia præſto ſunt, quæ cogitamus, loquimur aut agimus; ſed nos aliter ſalvi fieri non poſſumus, niſi confiteamur.* Nec obſtat, quod vel unicus veræ contritionis actus ad aſſecurationem ſufficiat ſalutis æternæ, talis namque propoſitum numquam non includit confeſſionis.

S. Aug. ſerm. 66. de temp.

Innocens nō indiget, ſed quis ille?

7. Nolim tamen per hæc neceſſitatem evincere confeſſionis ſimpliciter abſolutam, ſi etenim anima aliqua illibatam conſervaret innocentiam baptiſmalem, poſt lavacrum ſalutare, inoffenſo pede tramitem percurrens divinorum præceptorum, confeſſione utique non indigeret; aſt quoniam, teſte Sancto Joanne, *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: ideo, ut cum Sancto Bernardo loquar, *poſt Baptiſmum, nullum aliud nobis conſtitutum eſt remedium quam confeſſionis refugium.* Sanctus equidem Evangeliſta in jamjam citata epiſtola, dum peccati meminit, remiſſionem ejus pretioſo adſcribit Chriſti ſanguini, inquiens: *Sanguis Jeſu Chriſti filij ejus emundat nos ab omni peccato.* Aſt hoc ipſum nihilominus incomparabile ſanguinis Redemptoris pretium in hocce pœnitentiæ Sacramento recluſum eſſe docet per verba ſequentia: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate.*

1. Joan. 1. v.8.
S. Bern. l. med. c.37.
Ibid. v.7.

Confeſſio ſalutaris.

8. Fuit Sacramentum pœnitentiæ, ſalutiferum illud, quod plurimis à ſæculis prævidit, ſcriptiſque conſignavit lavacrum Zacharias Propheta, de futuris temporibus ita prophetice loquens: *In die illa erit fons patens domui David.* Hæc domus Davidica Eccleſiam denotat, unde & Archangelus Mariam ſalutans, dicebat, *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus & regnabit.* Ut autem Propheta finem aſſignaret, ob quem, viſus à ſe, fons inſtitutus aut potius inſtituendus ſeu emanaturus eſſet, protinus ſubdit: *In ablutionem peccatoris.* Certiſſimum eſt, nos quotidie plurimis ſubjacere cum divina juſtitia contrahendis peccatorum debitis, unde & à Salvatore noſtro edocti ſumus, ut in oratione quotidiana æterno Patri hunc in modum ſupplicaremus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Aſt quis ſuppetit modus, hæc abolendi ſolvendique debita? Reſpondeat Apoſtolus: *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Zach. 13. v.1.
Luc. 1. v.32.
Zach. 13. 11.
Rom. 10. v.10.

Conf. didrachma eſt.

9. Teſte ſancto Matthæo, tributorum exactores vice quadam à S. Petro cauſam popoſcere, cur magiſter ejus obligationi non ſatisfaceret univerſali, querimoniam hanc dum ad aures Chriſti deferre pararet Apoſtolus, diſcipulum prævenit magiſter, inquiens: Simon, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filijs ſuis an ab alienis?* Cui Petrus; Domine, ab extraneis; ita quidem ſe res habet, ſubjunxit Salvator, nihilominus ut omnem ſcandali petram amoveamus, vade protinus ad mare, mitte hamum tuum in aquas, & quemcumque piſcem primo ceperis, attrahe eum, comprehende ipſum, tene fortiter, os aperi, moxque monetam reperies in eo, quæ ad utriuſque noſtrum tribui ſufficiat ſolutionem; obedijt, abijt atque omnia feliciter expedijt Petrus. Hæc rei geſtæ ſeries eſt litteralis, aſt à ſenſu litterali ad moralem ſanctus digrediens Ambroſius, hiſtoriam hanc noſtro perquam ſubtiliſſime accommodat propoſito, inquiens: piſcis elinguis, fundumque incolens marinum, peccatoris gerit figuram, ſuum reticentis peccatum, non obſtante, quod *ſecundum præſentem juſtitiam*, damnatus ſit ad infernum: moneta, juxta divinum aſſertum, non è viſceribus, ſed ex ore piſcis extrahenda erat, quantumvis naturali piſcis feratur inſtinctu, ut devoret immediate, quidquid apprehenderit faucibus. Ecce vobis myſterium; S. Petrus paulo ante Chriſti Paſſionem in terris erat declaratus Vicarius, cum promiſſione clavium, id eſt, poteſtatis abſolvendi peccata, atque ideo neceſſum erat, ut modum addiſceret Apoſtolus, in hujuſmodi debitorum ſatisfactione obſervandum, noſque omnes edoceremur, monetam in ore fidelium inveniendam eſſe, juxta quod ſcriptum eſt: *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis. Non otioſe*, inquit S. Doctor, *didrachma in ore piſcis inventum eſt, ex ore enim tuo juſtificaberis; etenim pretium noſtræ immortalitatis eſt noſtra confeſſio.*

Matth. 17. v.24.
Pſ. 50. v.6.

Peccatorum aqua extrahenda.

10. Verum enimvero dum maris incidit mentio, ut cœpto tramiti inſiſtamus, quis neſcit vitam hanc & ſæculum præſens in mari deſignari? *Hoc mare magnum & ſpatioſum*; ipſum autem mare pœnitentiæ aſſimilavit ille, qui dicebat: *velut mare contritio tua.* Profecto niſi ars nautica tot tantiſque, falſo huic elemento innatantibus ratibus, quarum occultiſſimas quoque rimas aqua penetrare nata eſt, locum commodum atque inſtrumentum proportionatum aſſignaſſet, medio quo aqua attracta exantletur, ipſæque naves ab onere eximantur, quis non videt, ad unam omnes in abyſſi profundum ſenſim ſine ſenſu prolapſuras? ita pariter ad intentum noſtrum; quandoquidem totum genus humanum fragile eſt, ſubjectum multa natum contrahere peccata, & conſequenter abyſſi infernalis diſcrimini proximum; niſi Deus in miſericordia dives, remedium illi ſubminiſtraſſet confeſſionis, væ foret æternum omnibus nobis. Non meus hic de ſentina ſpirituali, ſed S. Bernardi conceptus eſt, inquientis: *In illud ſiquidem repoſitorium, velut in ſentinam aliquam tota decurrit abominatio, & immunditia tota defluit.* Quam pariter ſimilitudinem in medium adducit S. Auguſtinus, dum impoſſibile eſſe aſtruit, ut navis aliqua caute adeo & circumſpecte undique reperiatur occluſa, quin non aliquæ gradatim aquarum guttulæ illabantur, quas ſi non exhauſeris, totum manifeſto naufragij periculo expoſuiſti navigium. Audite ipſamet ſancti Doctoris verba, circa citatum Dominicæ orationis textum (*Dimitte nobis debita noſtra*) ita diſcurrentis: *Si non exhauriatur* (peccatorum aqua) *navem opprimit; arripiamus tamquam ſitulam, iſtam ſentinam; & ſentinemus, ne demergamur*; per ſentinam autem, Sacramentalem intelligit confeſſionem. Quantus eſt eorum numerus, qui *bibunt ſicut aquam, iniquitatem?* quot de ſeipſis merito lamentari poſſunt, *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam, Infixus ſum in limo profundi?* Ad inferni profundum deſcenderunt, nihilominus quamdiu aqua non prohibet reſpirare, ſpes ſupereſt vitæ; demus quemcumque, iniquitatum & abominationum omnium immerſum abyſſo, nihilominus quamdiu os habet patulum, ſpe non excidit ſalutis: *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Qui amabo! bonus experientiſſimuſque medicus miſero ægroto optatam ſanitatem ſecundum Deum comparare poſſet, ni juxta ſeriem ipſi exponeret dolorem vel capitis, vel ſtomachi, vel pedum, vel manuum, vel cujuſcumque demum membri, ex quibus Medicus anſam arripere poſſet in cauſas infirmitatis inquirendi, & de medijs eam diſcutientibus & depellentibus deſpiciendi. Medens certe non mederi poſſet infirmum, inanemque operam inſumeret, ſi ægrotus doloribus hypochondriacis laboraret, quos tamen fideli Medico non aperiret, hic potione cephalica aut cardiaca præcepta cerebrum purgare aut cor corroborare conaretur. Ea certe culpa non Medici, ſed ipſius foret ægrotantis, qui de Symptomatibus ſe infeſtantibus eum non certiorem faceret. In vita communi ita comparatum eſt cum hominibus, ut quis, ſi calamitate aliqua ipſum urente premitur, & quo ſe vertat neſcit, lupumque, ut ajunt, auribus tenet, ſe multum ab onere ſuo ſublevari putet, quando fido cuidam amico calamitatem & miſeriam expoſuerit ſuam, & is paululum afflictum viciſſim conſolatus fuerit. Quanto magis id apud Chriſtum ejuſque miniſtrum verbo divino & mandato inſtructum, ut laborantibus medeatur & afflictos erigat, locum habet. Hic confitens conſcientiæ vulneribus ſaucius, medicamenta ex paſſione & merito Chriſti Domini infinito percipit. Hinc ſanus fit, ut functionibus Chriſtianis impoſterum expedite ſine offendiculo vacare queat. Hic invenit arma contra inſultus diaboli, ut ejus tentationibus reſiſtere valeat. Sic ore confeſſio fit ad ſalutem. Sed poſtmodum etiam ſummo ſtudio cavendum, ne, diætam à Docto Medico præſcriptam prævaricando, iterum in recidivam, ut vocant,

Pſal. 103. v.25.
Thren. 2. v.13.
S. Bern. ad mil. templ. de perſ. ſuſtin.
S. Aug ſer. 34. de div. c.13.
Per confeſſionem.
Pſ. 68. v.2.
Ibid. v.3.
Rom. 10. v.10.
Medico ægri exponit dolores.
Recidiva cavenda.



cant, relabatur, & ſic poſteriora pejora fiant atque priora, ſecundum illud Divi Petri Apoſtoli in poſteriori ſua Epiſtola ita dicentis: *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ* (qui poſtquam Chriſtum cognoverant, rurſum pelliciunt in deſiderijs carnis luxuriæ) *quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbij: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota, in volutabro luti.* Quam diviniſſimam ſententiam beatus Apoſtolus convenienter illi ad Hebræos (*impoſſibile eſt enim, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti*) per abſolutionem per miniſtrum à Chriſto factam & accepta ſacramenta, (*Guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, Et prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei & oſtentui habentes:*) à Magiſtro ſuo perdidicit, qui homini triginta annos in infirmitate habenti à ſe curato & poſtmodum in templo invento dixit: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

1. Pet. 2. 21.
Ibid. v.22.
Hebr. 6. v.4.
Ibid. 5.
Ibid. v.6.
Jo. 5. v.14.

Confeſſio ab Adam petita.

11. Vix abominabile in terris apparuerat pecccati monſtrum, in noſtrorum ſcilicet protoparentum tranſgreſſione; cum ecce nobis, indilate in ejus antidotum, ſalutarem (ni fallor) Deus aſſignavit confeſſionem; Paradiſum ingreſſus, Adamum provocavit ad ſuæ confeſſionem prævaricationis, vi cujus veniam aſſequeretur & indulgentiam. *Et cum audiſſet vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem. Non reus & prævaricator Adam*, inquit Rupertus Abbas, *Deum prior invocat, ſed Deus judex prævaricatorem prior vocavit, cum hoc illi magis expediret, ut præoccuparet faciem ejus in confeſſione, & dignam ſatageret ſaltem poſt peccatum ſatisfactionem offerre.*

Gen. 3. v.8.
Rup. Abb. l. 3. in c.14. Gen.

Confeſſ. impetrat miſericordiam.

12. Salvatorem, in die Reſurrectionis, cœnaculum Sionicum ſubingredientem, interrogare potuiſſent Apoſtoli, ſicuti olim Samuëlem, dum Regem David conſecraturus, urbem intraret, ſolicitarunt Bethlehemitæ: *Pacificuſne eſt ingreſſus tuus?* Alij namque Apoſtolorum eum negarant, alius tradiderat, obſtinato alij animo fidem adhibere veritati reſurrectionis detrectarant, præterquam quod *omnes relicto eo fugerunt.* Juſto itaque timore percelli poterant, ne dignam de flagitijs expoſtulaturus eſſet vindictam; nihilominus *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*; ideoque Sacramentum ijs impertitus eſt pœnitentiæ, pretioſiſſimum totius Eccleſiæ theſaurum; infinito ſanguinis & meritorum paſſionis ejus ditatum valore. Ita pariter & in Paradiſo terreſtri, ſi ultricis ſententiam juſtitiæ exequi voluiſſet, vibrante ferro manus armaſſet adverſum prævaricatores, aſt furorem prævenit confeſſio pœnitentium; unde ſanctus merito exclamat Auguſtinus: *O grandis Dei miſericordia! O infinita clementia! O admirabilis dilectio circa nos! quotidie peccamus, & tunicas pelliceas contritionis & veniæ nobis quotidie donat.* Sed quando? idem Sanctus reſpondet, in pœnitentia; paulo namque ante, Adamum, dum tunica indueretur pellicea, pœnitentis figuram docuerat præ ſe tuliſſe: *Cum abſcondit ſe, fuit hoc ſignum doloris & erubeſcentiæ.*

1. Reg. 16. v.4.
Matth. 26. v.56.
Roman. 5. v.20.
S. Aug. ſerm. 26. de mur. & infer.

Conceptus pulcher.

13. Tandem adhuc una ſupereſt, quæ immenſum confeſſionis beneficium, nimiamque ejuſdem neceſſitatem evincere poteſt conſideratio; quia ſcilicet peccatum nos cœli proſcripſit exules, Dei conſtituit inimicos, atque omne Deum inter & hominem deſtruxit commercium. Tradunt hiſtoriæ de Xerxe, Perſarum Rege, quod duas Orbis partes, quas natura diviſerat, artis beneficio ſtatuerit unire, Europam ſcilicet atque Aſiam; quem ut conceptum executioni mandaret, opus aggreſſus difficillimum, in maris fundo, longum vaſtumque erexit pontem, Helleſpontum denominatum, qui facilem utrique parti ac liberum indulgeret tranſitum, mutua augeret commercia, communes omnium mores efficeret ac leges. A littera ad ſpiritum pertranſeamus; negari utique nequit, infinitam eſſe cœlū ac terram inter diſtantiam, Deum inter & hominem, peccatum inter ac gratiam, *Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris; Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Peccatum nos à Deo ſeparabat, è Paradiſo ejectos in exilium deturbabat; noſter autem Redemptor, qui merito dicere poterat: *Veni in altitudinem maris*, ſiquidem paulo ante cruentum intrarat paſſionis ſuæ oceanum, miſericorditer pœnitentiæ & confeſſionis Sacramentalis erexit pontem: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus*; unde & hoc Sacramentum paſſim *ſecunda poſt naufragium tabula* nuncupatur. Pontem conſtruxit Dominus confeſſionis, qui liberum atque ſecurum omnibus ad cœlos præberet tranſitum: unde S. Thomas de Villa nova hoc confeſſionem exornat præconio, dicens: *Æternæ vitæ aliqualis ſaltem certitudo, conjecturalis, nam major citra miraculum in hac vita haberi non poteſt.*

Iſa. 55. v.9.
2. Cor. 6. v.14.
Ibid. v.15.
Pſ. 68. v.3.
1. Pet. 2. v.24.
S. Thom. Vill. conc. in Dom. 4. Quadr.

Conf. multa confert beneficia.

14. Omnes hucuſque promulgatæ, & uſque ad ſæculorum finem, à divino Legiſlatore ſtatuendæ ſanctiones & præcepta, in duobus hiſce polis vertuntur: *Declina à malo, & fac bonum*: toti autem huic obligationi, ſi Seraphico credimus Doctori, Sacramentalis ſatisfacit confeſſio: *Per confeſſionem à malo liberamur, in bonum adjuvamur*; qui idem S. Doctor alibi quoque ita diſcurrit: *Fundamentum & janua virtutum, omnis gratiæ principium, conſcientiæ puritas; ad quam præcipue per puram & veram confeſſionem peccatorum acceditur.* Imò & ipſe moralis Seneca in ſuæ gentilitatis tenebris hanc agnovit veritatem, teſte Thoma Cantipratenſi, in Epiſtola 54. inquiens: *Proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſſio.* Hæc enim eſt aſylum illud quo peccator contritus per malleum legis divinæ confugere debet, ut ſe rurſum colligat, & ne ejus maledictis & damnationis vinculis irretitus plane deſperet. Nullum enim contritum ſpiritu Chriſtus à ſe repellit, ſed amicabiliter ad ſe accerſit & invitat, ſicut in Evangeliſtæ Matthæi capite undecimo legimus: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Item, *qui accedit me, non ejiciam ipſum.* Quibus verbis utique amantiſſimus Salvator non ſolum generalem converſionem hominis ad Chriſtum, ſed ſpecialem in Confeſſione reſpicit, ubi timorata conſcientia & ſaucia ſolatium quærit, & vulnera ſua vinciri, & ligari deſiderat. Laborantes ergo, qui diu noctuque à diabolo ob commiſſa delicta vexantur, intuſque lethale vulnus alunt, lethalique peccatorum morbo decumbunt, malumque ſuum ſentiunt; & onerati, qui multis animam ſuam peccatis cumularunt & obruerunt, ut cum regio Pſalte ex pœnitentiali Pſalmo conqueri neceſſe habeant, *Quoniā iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me; Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ, Miſer factus ſum & curvatus ſum uſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.* Hi inquam laborantes & onerati à Chriſto ad ſe amiciſſimè invitantur, qui *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet*; & qui *reſpicit ad pauperculam, & contritum ſpiritu & trementem ſermones ſuos.* Apud Iſaiam enim ita loquitur: *Spiritus Domini ſuper me, eò quod unxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem. Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro, ut conſolarer omnes lugentes. Ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Hæc omnia pœnitentibus (qui ſunt calamus quaſſatus, linum fumigans, pauperculi, contriti ſpiritu, trementes ſermones Domini, manſueti facti per prædicationem legis & ejus maledictionem, contriti corde, captivi peccatis & diabolo, clauſi & incarcerati, ne videant conſolationem, & lugentes:) Chriſtus in Tribunali confeſſionali per miniſtrum ſuum confert, ut deinde tranquilla conſcientia fruantur, cordis humilitatem ab eo diſcant, & quotidie jugum Chriſti in ſe ſuſceptum ferant, quod in continua mortificatione carnis, & patientia conſtanti quarumvis adverſitatum & calamitoſarum ærumnarum conſiſtit. Sic enim poſtmodum à malo declinare diſcunt peccatores, & facere bonum omnibus viribus nituntur.

Pſ. 36. v.27.
S. Bon. ſer. 5. in dieb. rogat.
Opuſc. de modo confitendi, in præfat.
Th. Cantip. l.2. c.30. n.14.
Matth. 11. 28.
Ibid. 29.
Ibid. 30.
Pſ. 37. v.5.
Ibid. v.6.
Ibid. v.7.
Iſa. 42. v.3.
Iſa. 61. v.1.
Ibid. v.2.
Ibid. v.3.

## DISCURSUS II.

### ARGUMENTUM.

Variæ conſiderantur prærogativæ & mira facilitas, relucentes in confeſſione ſacramentali; & è converſo, difficultates recenſentur, quibus, in lege veteri, peccatorum confeſſio & expiatio innodata fuit.

### THEMA.

*Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem.* Oſeæ 14. ℣. 3.

Confeſſio cauſat remiſſionem.

1. CONfeſſionem ſacramentalem in his verbis quondam prophetico ſpiritu delineavit Oſeas, quia dum nos debitis cum diſpoſitionibus, coram ſacerdotibus, vocalem ſcelerum noſtrorum inſtituimus accuſationem, abſolutionem conſequimur & remiſſionem; unde Hugo Cardinalis citata verba ita interpretatur: *Proferte verba confeſſionis*; cui & illud conſonat Alberti Magni: *Proferte verba veræ confeſſionis coram ſacerdotibus.* Aſt majori authoritate Interlinearis inquit: *Proferte delictorum veram confeſſionem.*

*Hug. Card. ibid.*
*Alb. M. ibid.*
*Gloſſ. Interl.*

Pro ſalute ſufficit.

2. Debitum, nos inter & divinam contractum juſtitiam, debitum infinitum, ad æternas inferni pœnas nos condemnans, ſolvitur atque caſſatur per verba: *Tollite vobiſcum verba & dicite ei; omnem aufer iniquitatem*; Hugo Cardinalis ſubjungit. *Aufer funditus, radicitus.* Rupertus Abbas à Gloſſa citatus, fuſius hanc in dicto indulgentiæ conſequendæ modo facilitatem diſcutit, inquiens: *Non dico; tollite aurum, tollite vobiſcum argentum, ſeu multitudinem hircorum aut vitulorum, ſed verba; quæ conſequi poteſtis ſine diſpendio rerum; verba confeſſionis Deo pro ſalute veſtra ſufficiunt, pro iniquitatibus veſtris ſatisfaciunt.* Lex vetus in expiationem criminum, victimas offerri jubebat animalium; aſt verò in lege Evangelica, *reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Carnalibus hoſtijs reprobatis*, dicit Interlinearis, *placabilis hoſtia eſt Deo pura confeſſio, ſacrificium Deo Spiritus contribulatus.*

*Rup. Ab. in Gloſſa.*

Placabilis hoſtia.
*Gloſſ. Interl.*
*Pſ. 50. v. 19.*

In lege gratiæ auricularis neceſſaria.

3. Porro ſi pondere ſanctuarij immenſum, quod Deus in ſacramenti hujus, facilis admodum, collatione, nobis impertitus eſt beneficium, accurate examinare voluerimus; antiqua, legem gratiæ præcedentia, ſæcula perluſtremus oportet. Videtur equidem, confeſſionem vel in ipſo naturæ ſtatu viguiſſe, quoniam ſicuti præcedens docuit diſcurſus, Deus Adamum poſt transgreſſionem citavit ad judicium, ut ſuam confiteretur prævaricationem. *Adam ubi es? ut per confeſſionem peccati*, inquit S. Chryſoſtomus, *peccatum ablueretur.* Cain pariter, poſtquam innocuum fratris effuderat ſanguinem, interrogavit: *Ubi eſt Abel frater tuus? Interrogat*, ait ſanctus Ambroſius, *ut moveret eum ad confeſſionem.* Sanctus nihilominus Bonaventura duas diſtinxit confeſſionum ſpecies, dicens: *Quædam mentalis eſt, quæ fit Deo, & hæc eſt de jure naturali, quædam eſt vocalis, quæ fit homini, & hæc non eſt de jure naturali. Ante incarnationem Chriſti, ſufficiebat confeſſio mentalis*; quæ ut efficax foret, actum requirebat veræ perfectæque contritionis, cujus porro difficultatem demonſtrabimus inferius; hodie autem in ſtatu gratiæ, ad juſtificationem actus ſufficit attritionis, unitus cum efficacia ſacramenti.

*Gen. 3. v. 9.*
*Chryſ. ho. 17. in Gen.*
*Gen. 4. v. 9.*
*S. Ambr.*
*S. Bon. l. 6. de ſacr. virt. c. 25.*

In lege gratiæ Confeſſionis lex mitior.

4. Aſt cujus remedij beneficio ſuas expiarunt culpas, qui per tot ſeculorum curricula, legis ſcriptæ vixere profeſſores? In conſpectu omnium, peccata publicabat victimarum & ſacrificiorum qualitas, in ſcelerum expiationem, juxta criminum diverſitatem præſcripta diverſimode, prout diverſa teſtantur ſacræ ſcripturæ loca. Imo peccatum ſuum, pro quo victimam offerebant, ſacerdoti in individuo ſpecificare tenebantur, teſte Joſepho Hebræo, dum ait: *Sciens peccavit nemine conſcio, arietem offert lege ita jubente; & is, qui peccat, jubetur adire ſacerdotem, & peccatum illi detegere, ut pro ejus arbitrio aries deligatur, & ipſe pro peccatore oret.* Unde Tertullianus ſacramentalis confeſſionis prærogativas examinans, reſolvit in hunc modum: *Nobis gratulandum eſt, ſi non publice confiteamur iniquitates aut turpitudines noſtras.* Tenebantur Hebræi non modo coram Deo, ſed & in ſacerdotum conſpectu ſua manifeſtare flagitia, voce verbiſque intelligibilibus; cumque inſuper in doloris interni teſtimonium, victimam poſtea ſeu ſacrificium, juxta criminum qualitatem ſemper diverſum, offerre juberentur; verba pariter & victimæ claram ſiſtebant ſceleris admiſſi notitiam: aſt ut contritionis atque accuſationis verbalis incommoda pertranſeamus, quot tædijs, quot moleſtijs, quot difficultatibus, dicta ſcatebat non ſacramentalis, ſed legalis confeſſio? Reo quandoque milliaria multa conficienda erant, priusquam ad locum, victimis immolandis deſtinatum, pertingeret, requirebantur ſumptus, ad victimas comparandas neceſſarij, ſive arietes illi, ſive capræ, ſive columbæ aut aliæ forent beſtiæ, nihilominus non defuit qui hæc omnia nil niſi ritum, ceremoniam atque extrinſecum doloris interni ſignum eſſe crederet; ad remiſſionem culpæ omnino inſufficientia, ita ut nec offerenti conferretur gratia, quæ non niſi propter internos veræ contritionis actus communicabatur. *Quid dignum offeram Domino? ... numquid offeram ei holocauſtomata? ... numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* Debet equidem in lege evangelica pœnitens, non modo quid perpetrarit, ſed & quid deſiderarit mali, manifeſtare: *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*; aſt hoc ipſum ſtatutum, ut Origenes ingenioſe obſervat, ſapientiſſimus Salvator in majorem noſtri edidit utilitatem: *Cogitationes erant multæ in hominibus*, verba ſunt Origenis, *quæ propterea revelatæ ſunt, ut prolatæ in medium, perderentur, & interfectæ atque mortuæ eſſe deſinerent, & occideret eas ille, qui pro nobis mortuus eſt: quamdiu enim abſconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impoſſibile erat, eas penitus interfici.*

*Levit. c. 4. 5. 6.*
*Joſeph. Heb. l. 3 ant. c. 10.*
*Tertull. de Bapt. c. 10.*
*Mich. 6. v. 6.*
*Ibid. v. 7.*
*Orig. hom. 17 in Luc.*

Cur homini Confeſſio facienda.

5. Cauſam inquirit S. Thomas de Villa nova, cur ſapientia divina modum immutarit confeſſionis, quandoquidem David, ſoli confitens Deo, obtinuit abſolutionem: *Tibi ſoli peccavi? Ad quid opus fuit, peccatum contra Deum commiſſum, homini revelari; maxime cum hoc ſit nimis oneroſum & verendum?* Cui objectioni Sanctus breviter reſpondet in hæc verba: *Quamdiu Deus non fuit homo, non opus fuit peccatum homini verbo confiteri; ſed poſtquam filius Dei factus eſt homo jam Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio, & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt, ex tunc ergo peccator, hominis Chriſti, à Deo Patre foro commiſſus eſt, & in illo reddere rationem peccatorum ſuorum tenetur.* Aſt quia filius Dei incarnatus cœlos conſcendit, neque omnem præſentia ſua corporali & viſibili incolit locum, ita ut homo peccata ſua apud eum accuſare non valeat; ideo ante ſuum ad cœlos aſcenſum, dictam Apoſtolis atque omnibus ſucceſſive ſacerdotibus, ad ſublime hoc miniſterium à Vicario ſuo deputatis, contulit poteſtatem in terris.

*Pſ. 50. v. 6.*
*S. Tho. de Vill. nov. conc. in Domin. 3. Quadrag.*

Confeſſionis prærogativæ.

6. Ad prærogativas modo, quibus Salvator nos Chriſtianos per ſacramentalis confeſſionis inſtitutionem, exornavit, contemplandas digrediamur, quas ut attingamus diſtinctius, infeliciſſimum cujuſpiam animæ, quæ in mortalis culpæ corruit abyſſum, ſtatum accuratæ trutinæ committamus. Dei amicitiæ ac gratiæ divinæ fecit jacturam; regnum amiſit cœlorum, atque omnia bonorum operum merita, inferni portis appropinquavit, à quibus non niſi ad ſpatium unius diſtat reſpirij; ſubtiliſſimo vitæ filo affixa, ſuper inextinguibilem pendet fornacem, deſuper imminente ſibi ultore divinæ juſtitiæ gladio, nunc igitur vos interrogo, ut infelix hujuſmodi creatura, ſe ab hoc deploratiſſimo eximat ſtatu; ut pœnarum evadat, ut bonorum acquirat æternitatem, numquid non convenientiſſime auſteriſſimas multorum ſæculorum ſubibit pœnitentias? utique; & nihilominus modum edocemur facillimum, omnia hæc evadendi diſcrimina: *Tollite vobiſcum verba &c. Ore confeſſio fit ad ſalutem. Num opes aliquæ hic ſunt expendendæ*, S. interrogat Chryſoſtomus, *num via prolixa eunda eſt, num dolorem & cruciatum affert hæc medicina? abſque ſumptu & cruciatu eſt præſens pharmacum, & quam celerrime curat.* Maximi facimus ea, quæ in corporeæ ſalutis noſtræ aut conſervandæ aut recuperandæ beneficium, divina providentia plantis, herbis, lapidibus, arboribus, aquiſve indidit remedia: *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Corpus noſtrum nil niſi corruptionem ſpirat, putredinis & vermium ſaccus; & nihilominus ſalutem ejus tanta fovemus induſtria, ut ultro citroque medicinarum tædio, buccellarum amarulentiæ, diætæ rigoribus, ignis ardoribus, ferri ſævitiæ, plurimiſque alijs ſubjiciamur cruciatibus, de quibus merito aſſerit ſanctus Auguſtinus: *Non ſunt medicamenta ſed tormenta.* Quis econverſo benigniſſimam non obſtupeſcat Dei noſtri liberalitatem? ſalutem perdidimus animæ, flagitioſe, impie, cum injuria & offenſa divina; ipſe nihilominus ſuavem, facilem atque infallibilem ejuſdem recuperandæ nobis præſcripſit modum, ſacramentalem ſcilicet confeſſionem: *Tollite vobiſcum verba.*

*Chryſ. hom. 20. in Gen.*
*Eccl. 38. v. 4.*



Pharmacum Conf.

7. Quanta foret agonizantis felicitas, qui ſpe vitæ propemodum deſtitutus, non niſi violentis curandus remedijs, perfectam nihilominus ſubito aſſequeretur ſanitatem, ſi medico ſuum confiteretur morbum, dolens ſua ſe culpa eumdem contraxiſſe, firmumque eliciens propoſitum devitandi eum impoſterum? Hæc ipſa ſacramenti confeſſionis eſt prærogativa: ſi Chriſtianus peccati mortalis reatum contraxit, irreparabiliter ad mortem condemnatus æternam; malum abolevit pœnitens confeſſio: *Tollite vobiſcum verba & dicite ei, omnem aufer iniquitatem. Abſque ſumptu & cruciatu eſt præſens pharmacum.*

Immediate curans.
*Chryſoſt. ho. cit.*

8. Rationem pariter S. aſſignat Chryſoſtomus, cur Deus compunctionem à nobis exigat & pœnitentiam; ſcilicet ob majus bonum noſtrum; *Num grave aliquod & moleſtum à nobis requirit? contritionem vult cordis, compunctionem mentis, confeſſionem ruinæ; non ſolum largitur vulnerum curam & à peccatis mundos oſtendit; ſed & eum, qui antea innumeris peccatorum ſarcinis gravabatur, juſtum efficit; quam celerrime curat.* Quantumcumque expertus medicus, magnæ infirmitatis malum curaturus, diebus pluribus ægrum lecto detinet affixum, diætas præſcribit, varijs patientem expurgat medicamentis; quibus omnibus tranſactis, ſi optatum res ſortitur exitum, longa nihilominus atque pœnoſa opus eſt convaleſcentia: longe efficacior medici noſtri ſpiritualis (id eſt, confeſſarij) favet operatio; *quam celerrime curat*, duobus dumtaxat verbis, *Abſolvo te.* Veſtris imprimite cordibus ſequentia Alcuini verba: *Homo ægrotus à medico quærit medicinam, qui ſæpe incerto labore ſudat in ægroto, Deus verò; ſine labore ſanat, ſine traditate medicamenta veniæ præſtat.*

*Alcuin. in ep. de conf. pec.*

Omni tempore & loco.

9. Aſt quod immenſam tanti ſacramenti gratiam atque favorem amplificat punctum, conſiſtit in eo, quod Chriſtus beneficium hoc omni fecerit loco ac tempori commune, abſque ulla limitatione. *Eſt autem Jeroſolymis*, inquit S. Joannes, *probatica piſcina,... quinque porticus habens; In his jacebat multitudo magna languentium.* Sed quo effectu? miſeris ſubitanea forſan obtigebat ſanitas? nequaquam? *Expectantium aquæ motum. Angelus Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua; & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ ſanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate.* Semel quolibet anno cœleſtis deſcendebat Genius, unum ex univerſa multitudine, reliquis diligentiorem, ſanaturus toties quoties: ecce vobis incredibilem ſacroſancti confeſſionis lavacri prærogativam, in quo omnes languidæ ſanantur mundanturq; animæ. Probaticam hanc piſcinam non ſola Jeroſolyma, ſed omnes continent Chriſtiani orbis regiones, provinciæ, civitates; non unus Angelus, non ſacerdos dumtaxat unicus, ſed innumerabiles poteſtatem habent noſtrorum ſolvendi vincula peccatorum; non unus, ſed quotquot volunt, priſtinæ reſtituuntur ſanitati; non aquarum expectandus eſt motus, ſed ad libitum noſtrum ſemper præſtò eſt confeſſio, nec umquam internis Deus noſtra ceſſat movere corda inſpirationibus: *Sto ad oſtium & pulſo.* Neque ullus excuſationi ſupereſt locus, ut dicamus: *Hominem non habeo, qui mittat me in piſcinam:* homini namque authoritatem Deus contulit remittendi peccata, in majus generis humani bonum. Salutaris hæc piſcina ſanguine abundat Agni illius, qui in debitorum noſtrorum ſolutionem eviſceratus eſt ſuper Calvarium; unde S. Auguſtinus in horum verborum commentario (*unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua*) ita diſcurrit: *ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde ſacramenta Eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera eſt vita, non intratur.*

*Joan. 5. v. 2.*
*Ibid. v. 3.*
*Ibid.*
*Ibid. v. 4.*
*Apoc. 3. v. 20*
*Joan. 19. v. 34.*
*S. Aug. ibid.*

Mundat à lepra.

10. Naaman Syrus lepra infectus, juſſu regio in Samariam ſeceſſit, ſuam inibi ſanitatem recuperaturus; hic conſtanti ſuorum aſſuetus ſervitio atque obſequio, dum Eliſæum Prophetam, quem ſibi delegerat medicum, non haberet obvium, imò præceptum dumtaxat intimari audiret de ſepties in Jordanis flumine inſtituenda lotione, indignabundus reditum meditari cœpit: *Iratus Naaman recedebat, dicens; putabam quod egrederetur ad me, & ſtans invocaret nomen Domini ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me; numquid non meliores ſunt Abana & Parphar, fluvij Damaſci, omnibus aquis Iſrael, ut laver in iis & munder? Cum ergo vertiſſet ſe & abiret indignans, acceſſerunt ad eum ſervi ſui & locuti ſunt ei: Pater, etſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certe facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi, lavare & mundaberis.* Hocce Naamano à ſervis datum conſilium nos merito ad digne ponderandam incitaret prærogativam & facilitatem beneficio cujus à peccati lepra liberamur. Si ad ſalutem obtinendam, nudis pedibus ad S. Jacobum in Galitiam peregrinatio nobis inſtituenda foret, ſi Jeroſolymitanum inviſendum ſepulchrum, ſi nos ipſos opus foret ad centum imo ad mille annos, in eremis vivos ſepeliri, me hercule ſingula quam exactiſſime conſummanda eſſent; ne Dei, ne Paradiſi, ne animæ pateremur jacturam, vel ſaltem ut inferni declinaremus horrorem: ſed ecce favorem, inæſtimabilem obſtupeſcite gratiam; omnis locus ſacerdotes habet, ad peccatorum veniam concedendam deputatos, qui paucis nos verbis à peccati eluunt lepra; *Quanto magis, quia nunc dixit tibi; lavare, & mundaberis?* Non inquieta tranſmittenda maria, non naufragij tentanda pericula, non alienæ penetrandæ regiones, non alijs opus eſt diſpendijs, moleſtijs aut difficultatibus; *Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cælum,... Aut quis deſcendet in abyſſum?* Ne cruciemini, dicentes: quis cœlos conſcendet, ut coram tribunali Altiſſimi ſupplicam ſiſtat in peccatorum remiſſionem conſequendam, quis ad infernum tranſire poterit, ut nos ab infernalium compedum, quibus nos culpa implicavit, eripiat mancipatu? minimè equidem tantis opus eſt laboribus; ſed libere cum eodem Apoſtolo, imò cum ſpiritu veritatis, ſacræ ſcripturæ auctore; aſtruamus: *Sed quid dicit ſcriptura? prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo. In ore* ad confeſſionem, *in corde, ad* contritionis actum. *Tollite vobiſcum verba, &c.*

*4. Reg. 5. v. 11.*
*Ibid. v. 12.*
*Ibid. v. 13.*
Pulcher diſcurſus.
*4. Reg. 5. v. 13.*
*Rom. 10. v. 6.*
*Ibid. v. 7.*
*Ibid. v. 8.*
*Oſeæ 14. v. 3.*

Debita remittit.

11. Novimus equidem, quemcumque furem ſeu alienæ prædonem ſubſtantiæ duo contrahere debita; alterum, bona aut formaliter aut æquivalenter ſeu in valore reſtituendi; alterum, publicæ ſatisfaciendi juſtitiæ, quæ ad univerſale beneficium plectit reos. Quiſquis Deum offendit, duo pariter contrahit debita, ſcilicet culpæ & pœnæ; utrumque abolendum eſt, illud per contritionem, hoc per ſatisfactionem: nunc ego vos interrogo; quod ſi quis furi remitteret furtum, ſolius intuitu pœnitentiæ quam hic perhiberet de ſcelere perpetrato, an non ſingulariſſimum hunc reputaretis favorem? Hæc ipſa eſt confeſſionis proprietas, prout nulli non patet conſideranti.

Eximit à ſupplicijs.

12. Similem de fure, propoſito noſtro accommodam, S. olim Chryſoſtomus inſtituit comparationem dicens; ſi quis fur à patibulo abſolvendus eſſet, dumtaxat ob publicam criminis admiſſi confeſſionem, an non indilate expleret conditionem? *Salutis cupiditate pudorem contemneret.* Peccator ad furcam condemnatus eſt infernalem, reus eſt criminis læſæ Majeſtatis, ut autem ſeſe à ſupplicijs eximat, inque divinæ redeat gratiam Majeſtatis, ſola ab eo exigitur peccati confeſſio, hæcque ſecreta, non publica. Progrediamur ulterius, ſi judex reo enormi levem imponeret pœnam, ipſumque deinde diverſis afficeret beneficijs, ditaret theſauris, gratia honoraret principis, regni ſublimaret favoribus; an non Spiritus vobis deficeret præ ſtupore? Ecce vobis planum hunc in confeſſione expreſſum caſum, hæc enim virtute ſacramenti pœnam æternam mutat in temporalem, delicta tollit, amicitiam redintegrat Dei, novumque jus, peccato deperditum, ad cœleſtis regni hæreditatem impertit; ſiquidem, ut dicemus infra, majora per pœnitentiam bona gratiaſque acquirimus, quàm poſſederamus à principio.

*Chryſ. hom. 3 ad pop.*

## DISCURSUS III.

### ARGUMENTUM.

Salvator noſter, conceſſam ſibi à Patre peccata remittendi poteſtatem, hominibus delegavit, ut indulgentiam ediſcerent & clementiam.

### THEMA.

*Glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus*, Matth. 9. ℣. 8.

*Luca* 5. 20.

1. POſtquam Salvator noſter Paralytico indulgentiam impertitus eſſet peccatorum, (*remittuntur tibi peccata tua*) corda blaſphemantium ſe penetrans ſcribarum ac Phariſæorum, ſequentibus eos aggreſſus eſt verbis: dicite, reſpondete ô improbi calumniatores, *Quid eſt facilius; dicere dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: ſurge & ambula? Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam; Et ſurrexit & abijt.* Hoc ſpectaculo, hoc miraculo, prodigio hoc admodum evidenti ſuam Chriſtus declaravit omnipotentiam, tota circa circumſtupente atque applaudente turba: *Et glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.* Sublimis adeo peccata remittendi poteſtatis atque authoritatis delegatio, homini propter hominem facta, nos ad juges merito incitaret divinæ majeſtati tribuendas laudes, gloriam & gratias; de cujus favoris præeminentia jamjam diſcurremus liberius.

*Matth.* 9. *v.* 5
*Ibid, v.* 6.
*Ibid. v.* 7.
Poteſtas remittendi homini datur.
*Ibid. v.* 8.

Sacerdotes Dei loco.
*Marci.* 2. 7.

2. Solidum equidem argumentum formare videbantur, in legis antiquæ notitia fundati, ſcribæ, dicentes: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Diſcurſum interim auſcultare non pigeat, quem ad intentum præſens, ſequentem inſtituit Hugo Victorinus. *Sed dicis; ego dico peccatum meum, ſed Deo, non homini; ſcripturam ſequor, illa mihi dicit, ut Deo confitear peccatum meum, non me ad hominem mittit, in quo ſalus non eſt; ſed illuc trahit confeſſionem, unde promittit remiſſionem. Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti. Quid facit homo? Audi, quid facit. Nonne ille homo, qui dixit; fili, remittuntur tibi peccata tua? Et verum eſt, quod ille homo fuit, qui dixit hoc; propterea, qui illum hominem eſſe viderant, Deum autem non cognoverunt, murmuraverunt inter ſe, dicentes; quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? ſciebant enim quod peccata dimittere, Dei erat, ſed neſciebant, quia quod Dei erat, homo à Deo acceperat.* Sacerdos locum ſuſtinet Dei, homini ſuam Chriſtus delegavit poteſtatem, homini Salvator conſignavit claves. Audite, quo B. Petrus Damianus præconio exaltat Apoſtolum Petrum: *Judicat Petrus, & Petri judicia confirmat omnipotens, & eſt in manu Petri, manus Altiſſimi.*

*Hug. Vict. l.* 2. *p.* 24. *c.* 4
*Pſ.* 31. *v.* 5.
*S. Petr. Dam. ſerm. de S. Pet.*

Cõfirmatur.
*An.* 56. *n.* 37. *Baron.*
*Anaſt. Epiſt.*

3. Pro cujus porro infallibilis veritatis confirmatione, Cardinalis Baronius in annalibus Eccleſiaſticis teſtimonium citat Anaſtaſij Sinaitæ, Epiſcopi Antiocheni, in oratione de ſacra ſynaxi, ita aſſerentis: *Chriſto Domino per ſacerdotem tua confitere peccata.* Qui pariter eminentiſſimus Annaliſta ſequentia adducit Anaſtaſij Epiſcopi Niceni quæſt. in ſcript. q. 6. verba: *Etſi ſit homo, qui audit confeſſionem, Deus eſt tamen, qui per ſe convertit & donat.* Quibus aliam ſuperaddit S. Ambroſij authoritatem, inquiens: *Homines in remiſſionem peccatorum, miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent, neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filij, & Spiritus Sancti nomine, peccata dimittunt; iſti rogant, divinitas donat.*

*S. Ambr. de Spir. Sanct. L.* 3. *c.* 19.

4. Idem quoque S. Eccleſiæ Doctor, teſte Baronio, rationem aſſignat, cur ſacerdos abſolutioni ſacramentali hæc ſoleat præmittere verba: *Miſereatur tui Omnipotens Deus &c.* præterea etiam, cur in abſolutione mentio fiat trium divinarum perſonarum.

*Jac.* 5. *v.* 16.
*Hug. Vict. erot. Th. de ſacr. fid. l.* 2. *p.* 14. *c.* 1.
*Pſ.* 31. *v.* 5.
Finis confeſſionis, humilitas.

5. Hugo Victorinus illud S. Jacobi Apoſtoli præceptum (*confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*) penitus conſiderans, ſequenti illud gloſſa illuſtrat: *Quid eſt alterutrum? alter alteri, homo homini; non ſolum homo Deo, ſicut verus ille confeſſor ait: Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino; ſed homini propter Deum.* Videtur Dominus hoc ipſum homini aſſignaſſe tribunal, ut ad majoris humilitatis exercitium, homo adverſus hominem ferret ſententiam, homo hominis ſubjaceret judicio: *Plus enim facit, qui ſervo humiliatur*, idem ſubjungit auctor, juxta cujus opinionem, Chriſtus hoc confeſſionis inſtituendæ modo, eam longè magis meritoriam efficere voluit, pœnitenti occaſionem offerens, actus frequentandi humilitatis & ſubjectionis; ſiquidem coram Deo, graviter à nobis offenſo, multiſque injurijs affecto, cui ipſi Throni & Principatus reverenter genua flectunt, coram, inquam, ſupremo hoc Numine humiliari per quam facillimum eſt, repugnantia levis.

6. Nihilominus ſi in principalem finem, ob quem hanc Deus voluit hominibus delegari poteſtatem, oculos conjicere lubet, certè hic non ſe offert alius, niſi ut nos tanto majori cum facilitate ad judicium illud ſubeundum invitaremur, induceremur, accederemus. *Quid eſt quod dixerit; alterutrum* (interrogat Alcuinus) *niſi homo homini, ægrotus medico.* Compatitur infirmo medicus, utpote iiſdem ſubjectus morbis.

*Alcuin. epiſt.* 71.

Confeſſarius judex ſimilis tibi.

7. Si contra quempiam veſtrûm cauſa militaret capitalis, ad principis tribunal delata, cujus executio, propter ſcelus admiſſum vos vita exueret & bonis omnibus: hic autem clementer cauſæ deciſionem, uni conſanguineorum aut amicorum veſtrorum intimo committeret, quanto afficeremini favore, quam optatum vobis promitteretis ſucceſſum, quanta cum ſatisfactione hujuſmodi exciperetis judicem? Quam judicio politico gratiam negavit homo, ſacramentali indulſit Deus, quam S. Thomas de Villa nova hoc doctiſſimo nobis adumbravit in diſcurſu: *Quis enim tam mirandus favor, quæ major clementia, quam ut cauſa noſtra committatur fratri noſtro, qui eſt os de oſſibus noſtris, & caro de carne noſtra? quis in cœlo, vel in terra invenire potuit judicem favorabiliorem, quam hominem Chriſtum, qui propter hoc deſcendit de cœlis, propter hoc judicatus & crucifixus eſt, ne homines damnarentur.* Conſiderat porro Sanctus tanti ponderis & momenti negotium Filio Patrem commiſiſſe æternum; quia *omne judicium dedit filio*; commiſſio equidem hæc *nimis favorabilis & ſupra modum ſtupenda fuit*; Nihilominus quia Filius miſericordiam non ſine juſtitia, pietatem poſſidebat & clementiam non abſque rectitudine & zelo, offenſum vindicante æterni Patris honorem, ideo Chriſtus poteſtatem hanc in nos tranſtulit peccatores: *Sed quod Filius ſacerdoti peccatori tantum judicium committat, hoc vehementer mirandum & ſtupendum.* Potuiſſet Pater æternus quodammodo objicere: quid agis fili? ego tibi poteſtatem contuli, omnes remittendi illatas mihi injurias & offenſas, gratiam nulli indultam Angelo, omnibus denegatam Archangelis, certus de rectitudine & juſtitia tua; *Et tu illam homini peccatori commiſiſti? Tam facile meas injurias, & pro nihilo offenſas meas donas? Quid namque faciet ille ſacerdos peccator cum peccatore alio, niſi quod vellet ſecum fieri de peccatis ſuis? O mirabilem commiſerationem! O ineffabilem dignationem, quod veniat peccator peccatis onuſtus ad alium peccatorem ſibi ſimilem, & ille judicet eum & abſolvat, & deducat de inferno, & reſtituat Paradiſo; & quod iſte facit in terra, firmum & ratum habeatur in cœlo. Benedictus Dominus, qui talem poteſtatem hominibus dedit.* Et tandem concludit ſanctus, nullum in confeſſione, coram hominibus, deputatis Eccleſiæ miniſtris, inſtituenda, onus eſſe aut moleſtiam, quin potius ſummum in ea relucere Dei favorem & beneficium, ideoque mox ſubjungit, dicens: *Hoc eſt onus? ita eſt, onus eſt mirabile & onus eſt maximum, ſed immenſi beneficij, inenarrabilis clementiæ, ineffabilis obligationis.*

*S. Tho. Vill. nov. conc. in D.* 3. *Quadr.*
*Joan.* 5. *v.* 22

*Prov.* 19. *v.* 22.
Peccator ſicut tu.
*Chryſoſt. ho. in S. Pet. & Paul.*

8. Juxta ſapientis teſtimonium: *Homo indigens, miſericors eſt*, quiſquis gratia eget alterius; ipſemet eam alijs præſtat non difficilis; cui propoſito peraccommodum S. Chryſoſtomus ſequentem inſtituit diſcurſum: *An ignoras, etiam eos, qui altari aſſident, peccatis eſſe affixos? carne enim ſunt induti & ſanguine, atque oſſibus compoſiti. Nos etiam ipſi in cathedra ſedentes & alios docentes, peccatis quidem complicati ſumus.* Et paulò infra: *Nam & hoc divina quadam diſpenſatione factum eſt, ut ſacerdotes etiam ipſi peccatis ſubjecti ſint. Audi quæſo, quomodo res ſe habeat: ſi doctores & ſacerdotes ipſi non peccarent, neque vitæ hujus affectibus ſubjecti eſſent, certe inhumani, & à venia alijs danda eſſent abhorrentes, ſed propterea ſubjectos eſſe Deus voluit, ut eorum, quæ ipſi patiuntur, ſenſum habentes, alijs etiam veniam darent.*

9. S. Bonaventura illud Chriſti, quod malignis ſacerdotibus, adulteram ſibi ad judicandam in medium producentibus, dedit reſponſum (*qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in eam lapidem mittat*) penitus conſiderans, ipſum taliter applicat confeſſario: *Aut enim confeſſor fuit, vel erit, vel eſſe poteſt, in ſimilibus peccatis vel majoribus; unde præcipit Deus: Non abominaberis Idumæum, id eſt, peccatorem rubore confeſſionis dignum, quia frater tuus eſt.* Cui & illa Hugonis Victorini, dictum S. Jacobi præceptum (*confitemini alterutrum*) perpendentis, conſonat ſententia, dum inquit: *Hi, qui confeſſionem peccatorum accipiunt & confitentibus peccata ſua dimittunt, neceſſè habent, ut & ipſi peccata ſua confiteantur.*

*Joan.* 8. *v.* 7.
*S. Bon. t.* 7. *in confeſſ. part.* 4.
*Deut.* 23. *v.* 7.
*Jac.* 5. *v.* 16.
*Hug. Vict. ibid.*

*S. Aug. t.* 4. *de ver. & falſ. pœnit. c.* 20.
Ut ſciat compati.

10. Quam paulo ante, duce Doctore Seraphico, de adultera hiſtoriam attigimus, ſub eodem ſchemate longe prior nobis contemplandam exhibuit S. Auguſtinus, dum ait: *Animadvertas, quod dicitur; qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat; ideo enim liberavit peccatricem, quia non erat, qui juſte projiceret lapidem; quomodo lapidaret, qui ſe lapidandum cognoſceret?* quomodo durus ille, inque pœnitentes exiſtet immitis, qui alienam ipſe gratiam, manſuetudinem & benignitatem ſumme ſibi novit neceſſariam? Aſt quoniam petrarum ingeſſimus mentionem, non abs re fuerit, myſterium elucidare, cur Salvator claves, id eſt, abſolvendi poteſtatem, ſancto Petro potius, quam dilecto diſcipulo aut cuicumque alteri Apoſtolo commiſerit? S. Chryſoſtomus hanc aſſignat rationem, quia ſcilicet Chriſtus caſum præviderat Petri, qualem divina erat permiſſura providentia, ut poſtmodum manſuetudinem edoceretur, exercendam circa pœnitentes: *Erat Petrus non mitis, ſed admodum ſeverus & aliquanto durior; quod ſi ad ejus naturam illud etiam accidiſſet, ut nullis peccatis ſubjiceretur, quæſo, quam veniam habituri fuiſſent, qui ab illo, docendi erant? propterea hoc egit Dei gratia, ut paululum ab ipſo deſciſceret Petrus, & peccato alicui ſubjiceretur, quo ex his, quæ ipſe paſſus fuerat, diſceret humanior eſſe in alios.* S. Joannes illibatam conſervarat innocentiam puerilem, unde & Eccleſia ipſum, licet decrepitus & centenarius obierit, pueri titulo afficit: *Ecce puer meus, quem elegi. Qui non eſt tentatus, quid ſcit*; inquit ſapiens? Et Apoſtolus ſibi pariter ac nobis congratulans, ait: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris.* S. porro Chryſoſtomus ad tanti tamque eminentis hominis caſum ſe reflectens, ſtupefactus exclamat; *Petrum illum, tantum ac talem virum, Apoſtolorum verticem, fundamentum immobile, petram ſtabilem, & quæ frangi non poſſet, Eccleſiæ principem, portum inexpugnabilem, turrim firmam, & quæ non poſſet concuti.* Poſtquam autem idem Sanctus modum perpendit præcipitij, concludit tandem, quidquid præmiſerat confirmans in hæc verba: *Ob eam maxime cauſam ipſum peccare permiſit* Deus, *quod populorum multitudo illi credenda erat, ne ſeverus & innocens, à venia proprijs fratribus impertienda eſſet alienus: ſuccubuit igitur peccato, ut dictum ſuum & Domini veniam conſiderans condonaret & alijs benignitatis cauſa.*

*S. Chryſoſt. hom. cit.*
*Eccli.* 34. *v.* 9
*Hebr.* 4. *v.* 15
Ne ſit ſeverus.

Ideo non Angelis data poteſtas.
*Chryſ. h. cit.*

11. His præmiſſis, ſanctus Doctor intellectum ad ſublimiora erigens, cauſam pariter aſſignat, cur Deus ſacramenti hujus miniſterio noluerit præfici Angelum; *Propterea enim non Angelo neque Archangelo ſacerdotium commiſſum eſt (liberi enim ſunt à peccandi libidine) ne videlicet ob ſeveritatem, eos, qui ex populo peccarent, confeſtim fulguribus transfigerent; ſed homini à Deo cathedra hæc commiſſa eſt, qui & ipſe libidine & peccatis colligatus eſt; ut, ſi quem peccantem invenerit, ſuorum peccatorum conſcius, in eum, qui peccat, benignus efficiatur.*

Confeſſarij ſint ſuaves.
*S. Bon. op. Conf. c.* 1. *partic.* 5.

12. Omnes unanimiter Doctores ſacri Confeſſarijs clementiam & benignitatem commendant in confeſſionis tribunali, quod non magis juſtitiæ, quam gratiæ eſt ſignatura. S. Bonaventura inquit: *Exinde debet Confeſſor pie ac ſuavi alloquio, ipſum pœnitentem ad veram compunctionem, & ad nudam & expreſſam confeſſionem adducere.*

*Tit.* 2. *v.* 12.
*Ibid. v.* 11.

13. Quam ut in Confeſſarijs requiſitam conditionem, Apoſtolus dilecto ſuo diſcipulo Tito nobiſque in eo, commendaret, priuſquam Neophytum ad ſcelerum deteſtationem eradicationemque excitaret (*erudiens nos, ut abnegantes impietatem, … ſobrie & juſte & pie vivamus*) præmiſit dicens: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri.*



Mites.
*Hug. Vict. ibid.*

14. Eumdem nobis ſenſum diverſis licet verbis Hugo Victorinus expreſſit, dicens, ſacerdotibus, reliquis in humana natura ſimilibus hanc obtigiſſe facultatem, *ut diſpenſationis gratia largiùs multiplicaretur; Deus homo homines, qui puri homines erant, participes fecit poteſtatis ſuæ, ut officium ejus implerent, pœnitentium confeſſionem ſuſcipiendo; & poteſtatem ejus exercerent, pœnitentibus & confitentibus peccata remittendo.* Modum autem à Confeſſarijs ſervandum diſcamus à nobis ipſis, ea erga proximum pœnitentem manſuetudine utentes, qualem nobis in peccatorum noſtrorum remiſſione exhiberi optaremus. *Habeat autem* Confeſſarius *in voluntate compati* (admonet S. Petrus Damianus) *& eum liberare; & nitatur aliquid detrahere ſeveritati, imitans dulcedinem Dei mei, de quo dicit ſanctus; quoniam feciſti judicium meum & cauſam meam*; & alibi: *Confitemini Domino, quoniam bonus.*

*S. Pet. Dam. ſerm.* 2. *de S. And. Apoſt.*

Hiſtoria.

15. Celeberrimus ſæculi noſtri Eccleſiaſtes Nuza, qui laborioſa doctrina ſua typos nobilitavit, ſequens adducit, quod B. Ludovico Bertrando accidit prodigium, tunc temporis magiſtrum agenti novitiorum Valentiæ in conventu S. Dominici. Acceſſit eum flagitioſus quidam enormiſſima confeſſurus peccata, dum igitur confiteretur, ad uniuſcujuſque criminis pronunciationem, vultum intuebatur hominis ſancti, motus ejus obſervaturus & geſtus; videns autem, diuturna adeo maximorum ſcelerum recenſitione ne quidquam immutari Sanctum, imo eamdem vultus ſui conſervare jugiter lætitiam, frontiſque ſerenitatem, ſubjunxit tandem, adhuc unum ſibi supereſſe quod panderet peccatum, jamjam commiſſum, ſiniſtri nempe judicij, quod formaverat circa Sanctum, exiſtimans, ipſum eadem aliquando aut ſimilia perpetraſſe crimina, quandoquidem nullum ediderat indignationis ſignum aut motum, tam abominabilia audiens flagitia. Cui ſervus Dei reſpondit, confiteor equidem, malitiam meam tua longe ſuperiorem eſſe, agnoſco me maximum mundi peccatorem; nihilominus per Dei gratiam, nullum ex omnibus à te recenſitis ſceleribus admiſi umquam, attamen illa ſine alteratione omnia auſcultavi, qui mox ut te ad meos proſtraviſti pedes, tua audivi peccata, nõ quaſi eadem tibi placere crederem, ſed quia te eadem ſumme deteſtari præſumpſi; non quaſi in ijs perſeverare, ſed maxime ab illis te abhorrere exiſtimavi; dolui equidem te eadem commiſiſſe, aſt magis exultavi, dum audivi, te eadem confitentem.

Admonitio.
*S. Aug. ibid.*

16. Sanctus Auguſtinus ſedulo confeſſarium admonet, ut poſt acceptam in criminum tribunali notitiam, benignitati ſingulariter ſtudeat & manſuetudini; *Quibus cognitis adſit benevolus, paratus erigere & ſecum onus portare.*

*Baron. ibid.*

17. Teſte Baronio, ſanctus Ambroſius, dum confeſſionem exciperet, ſæpe ſæpius ex compaſſione, qua in pœnitentem ferebatur, ipſumque ad compunctionem permovebat, in uberrimas fuit reſolutus lacrymas. Utique longè alius infecerat humor ſacerdotes Hebræos, qui ad ſe confugientes præcipitabant in deſperationis abyſſum. Judas *pœnitentia ductus, retulit* 30. *argenteos*, ecce perfectam pecuniæ injuſtè acquiſitæ reſtitutionem. *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*, Ecce criminis confeſſionem: nihilominus periit deſperatus, ob nimiam Hebræorum ſævitiam; *Quid ad nos? Tu videris.* O crudeles, exclamat ſanctus Paſchaſius, *nec curant de reatu proximi.* Longè aliam frequentat praxim amantiſſimus filij prodigi pater, qui, ut procul vocem audijt filij (*pater, peccavi in cœlum & coram te*) indilate accurrit, filium amplexurus, oſculaturus, inveſtiturus, refecturus. *Oſculatur os*, inquit ſanctus Chryſoſtomus, *Per quod emiſſa de corde confeſſio pœnitentis exierat, quam pater latus excepit.*

Hebræorum crudelitas.
*Matth.* 27. 3.
*Ibid. v.* 4.
*Ibid.*
*Luca* 15. 18.
*Chryſoſt. ho. de prod.*

18. Miſerabilem quondam urbis Jeroſolymitanæ ſtatum, per Jeremiam deploravit Dominus, non quidem propter irreparabilia, quæ Chaldæi intulerant diſpendia; ſed quia ſacerdos omnis defecerat, qui pœnitentia ductos, emendationiſque cupidos exciperet benigne: *Cui comparabo te, aut cui aſſimilabo te filia Jeruſalem … magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tibi? Prophetæ tui … non aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Væ nobis, ſi directe ad ipſum nobis Deum confugiendum foret; quanto namque horrore concuteretur pugnus luteus, vermis terræ, plurium reus adverſus divinam Majeſtatem commiſſorum ſcelerum, *Quam adorant Dominationes, tremunt poteſtates*; Si, ut veniam conſequeretur ipſimet tremendo divinæ hujus Majeſtatis

*Thren.* 2. *v.* 13.
*Ibid. v.* 14.
Væ nobis ſi coram Deo ſiſtendum eſſet.

jeſtatis tribunali ſiſtendus eſſet ? Audite contremiſcentium Hebræorum, quam unanimiter Moyſi dederunt reſponſionem : *Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.*

Exod. 20. v. 19.

19. Alloquium illi recuſarunt divinum, nimio Domini zelotis timore perciti, aſt longe major, quæ nos pavore atque horrore percellat, reſpectu noſtri militat ratio ; utpote qui hinc judicem novimus incorruptibilem : *Juſtus Dominus & juſtitiam dilexit ; Deus judex juſtus* ; illinc innumeras ſcimus prævaricationes noſtras ; deorſum in noſtra ſqualemus vilitate, ſurſum tribunal ſuſpicimus, angelicis perpetim circumdatum turmis, zelantiſſimis divini honoris : quis hæc conſiderans, non expaveſcat ? *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit ?* Progrederer ulterius, verumtamen dum ad alias judicij ſacramentalis prærogativas depromendas feſtinat animus, diſcurſum hunc Apoſtolico terminabo dogmate, miræ pleno conſolationis : *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum filium Dei, teneamus confeſſionem ; Non enim habemus Pontificem ; qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris ; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato : Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur & gratiam inveniamus....* Licitum mihi utique fuerit aſſerere, majorem nos compaſſionis habere certitudinem, dum confeſſuri non immediate ad Chriſtum, ſed ad ſacerdotes ablegamur, deputatos ſacramenti pœnitentiæ miniſtros, utpote non ejusdem modo nobiſcum naturæ compotes, ſed & communibus ſubjectos tentationibus, de quibus aſſerere non poſſumus, quod ſint *abſque peccato*, quandoquidem *in multis offendimus omnes.* Unde majori cum confidentia ad hos, quam ad ipſum immediate Chriſtum confugere valemus.

Pſal. 10. v. 8. Rom. 11. v. 34. Hebr. 4. v. 14. Ibid. v. 15. Ibid. v. 16.

Sed ablegamur ad ſacerdotes.

## DISCURSUS IV.

### ARGUMENTUM.

Excellentes edocentur conditiones, quibus illud, quod circa delicta noſtra in confeſſionis tribunali inſtituitur, eminet judicium præ alio, in judicum ſæcularium tribunalibus, circa reos formari ſolito.

### THEMA.

*Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Pſalm. 31. verſ. 5.

Confeſſio per modum judicij. Pſ. 31. v. 1. Ibid. v. 5.

1. IN præſenti Pſalmo Regius Vates expatiatur liberius in dignoſcendis pœnitentium prærogativis ; hoc namque ei præfixit exordium : *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata* ; moxque ſubjungit : *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi ; Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino.* Ecce vobis, quanta cum veritate & fundamento aſtruatur, confeſſionem *per modum judicij* inſtitutam eſſe, delictum ſuum exaggerat, confitetur, culpat David ; atque ideo veniam obtinuit ejusdem.

Iſa. 43. v. 26. Chryſoſt. ho. 20. in Gen.

2. Sanctus Chryſoſtomus ſequentem Iſaias textum (*Dic tu prior iniquitates tuas, ut juſtificeris*) tali illuſtrat gloſſa, noſtro peraccommoda propoſito, inquiens : *Non ſimpliciter ait : dic tu iniquitates tuas : ſed adjecit ; prior. Hoc eſt, ne expectes te arguentem, ne præſtoleris actorem. Ipſe præveni & rape ſermonis principium, ut accuſatoris linguam obmuteſcere facias.* Ut tartarei inimici accuſationem, contra nos coram divini judicis tribunali inſtituendam ſubterfugiamus, ad hoc ſponte judicium accurramus, illud Davidicum fideliter exequentes conſilium : *Præoccupemus faciem ejus in confeſſione.* Idem porro ſanctus Doctor differentiam conſiderans, quæ forenſe inter & Sacramentale judicium intercedit, ſubnectit ſequentia : *In humanis quidem judicijs ſi quis hoc faceret, & ante accuſationem facinora confiteretur quamvis apud humanum forte, judicium, tormenta & ſibi ſuccedentes pœnas effugeret, tamen ſententiam capitalem omnino in ſuum caput accerſeret : at miſericordis Dei & animarum noſtrarum medici, tanta eſt tamque ineffabilis bonitas & clementia, ut omnem etiam ſermonem excedat.* Non modo confeſſio latam contra nos æternæ damnationis annihilat ſententiam, ſed inſuper gratiam judicis & Principis offenſi reconciliat amicitiam, innumera nobis apud eumdem comparans merita.

Differentia judiciorum. Pſ. 49. v. 2.

3. Doctor Seraphicus de hoc pœnitentiæ Sacramento tractans, ita diſcurrit : *Pœnitentia eſt quoddam ſpontaneum judicium, in quo contritio eſt quædam citatio, ubi ſequitur rei ſpontanea ante mortem confeſſio, deinde ſequitur per judicem impoſitæ emendæ ſolutio* ; quibus idem Sanctus differentiam immediate ſubnectit, quæ Sacramentale inter & ſæcularium Principum viget tribunal : *Sed in hoc differt judicium fori à judicio poli, quia ibi confeſſus à jure condemnatur, & hic abſolvitur.* Reus judicem ſæcularem aut donis aut favoribus, commendatitijs potentibus aut efficacibus alijs medijs demulcere ſatagit ; aſt qualiter in hoc ſpirituali judicio pœnitens nos edocet David, ut *præoccupemus faciem ejus ?* forſitan muneribus ? nequaquam : quia *Domini eſt terra & plenitudo ejus* Medijs fortaſſe dilectiſſimorum ſibi ſervorum interceſſionibus ? longe minus : *Quid ſum miſer tunc dicturus, quem patronum rogaturus, dum vix juſtus ſit ſecurus ?* Medium omnium certiſſimum atque efficaciſſimum eſt ſincera peccatorum noſtrorum confeſſio ? *Præoccupemus faciem ejus in confeſſione. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* ; aſt omnem hunc furorem ſedat enervatque confeſſio.

S. Bon. de ſacr. virt. l. 6. c. 23.

Judex demulcetur in confeſſione.

Pſ. 94. v. 2. Pſ. 33. v. 17.

4. Aſt ſi in judicio fori laici, confeſſio viam ſternit ad condemnationem, cur confiteri jubemur ? Reſponſum excipite à Sancto Auguſtino : *Quid eſt præveniamus eum in confeſſione ? nos confitendo damnemus, quod fecimus, ut ille quod coronet, inveniat ; non quod damnet : Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Qui S. Præſul idem nobis conſilium alio in loco exhibet in hæc verba : *Aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi judex ; torqueat te timor, erumpat confeſſio ; Dic Deo tuo : quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.*

S. Auguſt. 1. Cor. 11. v. 31. Aug. Lib. 50. ho. 2.

5. A Sancto Auguſtino ad Sanctum Chryſoſtomum digrediamur, cujus propoſito noſtro peridoneus, dum de Ninivitis ſcribit, favet conceptus, inquientis : *Timor ille ſalutem peperit, ſubverſionis ſententia ſubverſionem cohibuit. O novam rem & admirandam ? denunciatio mortem minans vitam peperit ; ſententia poſtquam lata fuit, invalida facta eſt, contra quam apud ſæculares judices : apud hos enim in medium prolata rata fit ſententia ; apud Deum contra proferri ſententiam, eam invalidam facit.* Quam porro veritatem Sanctus quoque Ambroſius nobis inculcare nititur, dum ait : *Si vis juſtificari ; fatere delictum tuum ; ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.* Si juſtificationem affectas, accuſationem ne omittas ; hæc enim omnem culpæ & pœnæ abolet reatum.

Accuſatio juſtificat. S. Chryſoſt. hom. 5. ad pop. Antioc. S. Ambr. de pœn. l. 2. c. 6.

6. Petrus Bleſenſis ad illum, quem diſcurſui huic præfiximus, pſalmi verſiculum (*confitebor adverſum me &c.*) ſeſe reflectens, ſequenti eum illuſtrat gloſſa : *Si peccatum tuum aperias, dicit Dominus, ego illud operio ; ſi agnoſcis, ignoſco ; ſi te accuſas, excuſo ; ſi te judicas & condemnas, te nec judico, nec condemno.* Quodcumque peccatum, qualecumque crimen judicio ſubjaceat, neceſſum eſt, tribunali ſiſtatur oportet. *Nihil opertum ; quod non reveletur* ; felices igitur nos, qui peccatum noſtrum ipſi accuſamus primi. *Puniendum eſt peccatum*, inquit Sanctus Auguſtinus, *Aut à te, aut à Deo ; tu agnoſce, ut ille ignoſcat.* Qui & alio in loco ſimile nobis conſilium dans, ait : *Peccata noſtra judices non ſentiant, non patronos, tu agnoſce, & Deus ignoſcit.* Quanto magis coram tribunalibus forenſibus, noſtra per confeſſionem aggravamus delicta, tanto plura capiti noſtro accerſimus tormenta ; aſt longe optabilior eſt tribunalis Sacramentalis executio : *In hoc mentis noſtræ judicio*, inquit Sanctus Gregorius, *tanto citius abſolvimur, quanto nos diſtrictius reos tenemus.* Quam utriuſque tribunalis differentiam Sanctus Thomas de Villa nova in ſequenti diſcurſu fuſius nobis delineavit, dum inquit : *Qui coram judice confitetur, furca ſuſpenditur ; qui coram Deo confitetur, inferni furca liberatur : apud ſæculi judicem confeſſio judicium perficit, apud æternum judicem, confeſſio judicium tollit.* Præclare equidem ; aſt longe ſubtilius Sanctus diſcurrit Chryſoſtomus in quodam ſermone, cui titulus : *Non eſſe ad gratiam concionandum*, qui tomo operum ejus quinto inſertus circumfertur ; ubi hæc habet verba : *Num idcirco jubet peccata confiteri, ut puniat ? imo ut dimittat : in externis quidem tribunalibus, poſt confeſſionem ſequitur pœna ; propterea pſalmus etiam hoc ipſum*

Ignoſcit judex ſi tua agnoſcas. Petr. Bleſ. in c. 1. Job. S. Auguſt. in Pſalm. 44. ſerm. 88. de temp. S. Greg. l. 25. mor. c. 7. S. Th. de Vill. nov. in Fer. 6. poſt Dom. 4. Quadr. Chryſoſt. t. 5. ſerm. 58.



*ipſum reformidans, ne quis metu pœnæ, quæ confeſſionem ſequatur, peccata denegaret, ait : Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.*

Lex gratiæ ſimilis ſcripti.

7. Rupertus Abbas pœnas diſcutiens in Levitico aſſignatas cæremoniarum ac rituum ſacrorum transgreſſoribus imponendas, divinam inter in ſacrificijs clementiam & in judicijs juſtitiam diſtinguit in hunc modum : dato caſu, inquit hic auctor, quod quis adulterium admiſiſſet nullo conſcio, ſed omnino occultam ; ſi hic ſpontaneam exhibebat confeſſionem ſeu accuſationem, ſi præſcriptum à lege offerebat ſacrificium, ſine pœna conſequebatur veniam. At ſi quis in flagranti crimine deprehenderetur, accuſatus lapidibus obruebatur ; *ſanguis ejus capiti imputatur.* Ex quibus citatus auctor talem deducit conſequentiam : *Itaque non ſibi contraria eſt lex ſancta, quam hodieque Chriſti tenet Eccleſia ; nam latentem peccati cauſam, ſecreta confeſſione proditam, gaudenter admittit intra veniæ januas ; deprehenſa vero & per alium cognita crimina, non ſolum forenſe tribunal, ſed & ſynodica irrecuperabiliter plectit ſeveritas.*

Rup. Abb. in Lev. lib. 1. c. 26.

Benigne agitur in tribunali confeſſionis.

8. Si finem reſpicimus juſtitiæ legalis, longe imperfectior eſt eo, in quem tribunal collimat juſtitiæ Sacramentalis, illa in bonum publicum, vinculis, compedibus, ferro, igne, alijsque ſupplicijs malas ſatagit ſupprimere atque extirpare herbas, morti dedere impios ; non ut reos emendet, ſed perimat ; non ut malos eorum corrigat mores atque errores, ſed ut de medio auferat flagitioſos : aſt longe benignius in tribunali agitur confeſſionis, ad quod, dum delicta noſtra confeſſuri properamus, merito dicere poſſumus : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur* : dum rei econtra in foro ſæculari procedunt cum metu & tremore, certi de patibulo, ſi ſua fuerint confeſſi peccata. Auſcultare libeat ; quæ paucis plurima Sanctus Chryſoſtomus conſtrinxit ad præſens propoſitum : *Judices cum latrones ceperint & ſacrilegos, non quomodo ipſos reddant meliores, conſiderant, ſed quomodo ab ipſis peccatorum pœnas exigant ; Deus autem contra, cum aliquem ceperit peccatorem, non conſiderat quomodo ſumat ſupplicium, ſed quomodo ipſum corrigat & meliorem faciat, & in futurum inexpugnabilem, itaque & judex pariter, & medicus, & magiſter eſt.* In hoc judicio ſeſe accuſat pœnitens, ut ad meliorem frugem reducatur, ut Deo reconcilietur, ut gratiam conſequatur, ut jus reacquirat, quod perdiderat ad regnum cœleſte.

Hebr. 4. v. 16.

Latro Diſmas ſit exemplum.

9. Bonus latro dum ſua in Pilati prætorio confitetur ſcelera, ad furcam condemnatur ; aſt idem poſtea dum coram ſacerdote æterno Chriſto ſuam media confeſſione expiat conſcientiam, veniam impetrat & Paradiſi promiſſionem : *Nos quidem juſte, nam digna factis recipimus. Vidiſti plenam confeſſionem ?* Sanctus interrogat Chryſoſtomus, *Vidiſti latronem in cruce, ſuis renunciaſſe peccatis ? dic namque tu iniquitates tuas prior, ut juſtificeris.* Judices ſæculares, quantumcumque ſeveriſſimi, ſi delictum inſufficienter probatur, rei extorquent confeſſionem : ſacerdotes autem, à ſancta Eccleſia ad hoc pœnitentiæ judicium deputati miniſtri, à pœnitente dumtaxat præſtolantur confeſſionem, ut eum abſolvant & ab æterna liberent morte. Unde nobiliſſimum hoc atque efficaciſſimum nobis proponit motivum ſanctus Auguſtinus inquiens : *Quid times confiteri ? time confiteri homini judici, qui confeſſum punit ; Deo noli : fac confitendo propitium, quem negando non facis neſcium ; vis non timere peccatorem ? ama donatorem.*

Lucæ 23. 41. Chryſ. ho. 1. de cruc. & lat. S. Aug. in Pſalm. 74.

Planctus reum non abſolvunt niſi in confeſſione. S. Chryſ. ho. 6 in Matth.

10. In tribunalibus crimïnoſis ſæculi, nequaquam ſufficit ſcelerum confeſſionem ſubſequens planctus aut ululatus aut propoſitum non reiterandi delictum. *In ſæcularibus judicijs*, verba ſunt ſancti Chryſoſtomi, *Quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris & lugeas ; non tamen effugies flendo ſupplicium ; hic vero ſi toto corde ingemueris ad Deum, ſolviſti repente ſententiam, veniamque conſecutus es.* Vel unica ſacerdotis vox, *Abſolvo te*, omnes diſſipat peccatorum catenas. Sanctus Baſilius in verſiculi hujus (*diligit miſericordiam & judicium*) commentario, ſequentem cuicumque noſtrûm tradit doctrinam : *Vult tui miſereri judex, teque miſerationibus ſuis complecti, modo poſt admiſſa humilem te factum & contractum, & malefacta plurimum deplorantem inveniat.*

Pſ. 32. v. 5. S. Baſil. ibid.

11. Circa delicta criminalia, experientia teſte, formantur teſtes ; perque publicorum Notariorum manus annotantur & in acta mittuntur reorum depoſitiones, quæ tandem ad perpetuam eorum infamiam divulgantur. O quam longe diverſa favet judicij Sacramentalis conſuetudo ! reus accedis innumerabilium ſcelerum, pandis omnia vel potius ſub rigoroſiſſimo ſingula ſigillo occultas, perpetuo tumulata ſilentio, æternæ data oblivioni : *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* In criminalibus judicijs, juxta malitiæ quantitatem correſpondet quantitas ſuppliciorum, digna prævaricatoris retributio : in confeſſione autem Sacramentali, nemo offenſam abolet, nemo Deum propitium reconciliat, niſi qui ſuum exaggerat, aggravatque peccatum.

Alia diverſitas. Pſ. 31. v. 1.

12. Populus Iſraëliticus graviſſime divinam læſerat juſtitiam, quando poſt immenſa divinæ bonitatis in ſe collata beneficia, tandem ad idololatriam converſus ; bovi ſeu vitulo genua curvavit : Moyſes igitur juſtiſſimum Dei furorem placaturus, quid fecit ? non excuſavit, ſed accuſavit, quantumque potuit impietatem aggravavit populi. *Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum.* Scitiſne quare Moyſes non imminuat, inquit Lyranus, ſed potius adaugeat noxam ? quia *confiteri culpam via eſt ad veniam.*

Peccata non ſunt excuſanda. Exod. 32. v. 31.

13. Ad decidendas malefactorum cauſas, Principes, bonum Reipublicæ gubernium tutaturi ; judices deputant ſeveros, inexorabiles, qui omni cum rigore partes adimpleant juſtitiæ ; aſt clementiſſimus Deus in hiſce cauſis, in hoc pœnitentiæ judicio ſacerdotes deputavit, humana nobiſcum imbutos natura, iisdemque ſubjectos peccatis : *Dedit poteſtatem talem hominibus* ; ut in noſtrum ſe diffundant favorem, ut nobis benigni exiſtant & miſericordes, prout latius in præcedenti probavimus diſcurſu.

Sacerdotes clementes judices.

14. Conſideratione inſuper dignum occurrit ; quod in difficilibus, magnique momenti cauſis ; cum ſumptibus multis, viarum periculis ; temporis jactura, alijsque innumeris incommodis, ad primarias opus ſit recurrere civitates, ſiquidem non in omni loco judicium patet aut tribunal ; quanta è converſo Chriſtianis omnibus in judicio Sacramentali favet vel commoditas, blanditur facilitas, dum omni tempore, nullo non in loco, ad libitum noſtrum, abundantiam nanciſci poſſumus promptiſſimorum judicum, ſcilicet confeſſariorum, qui nos abſolvant : quam eſſentialem confeſſionis prærogativam ſanctus Thomas de Villa nova in hocce nobis doctiſſimo repræſentat diſcurſu, inquiens ; *Si ſolus Papa hanc haberet poteſtatem in mundo, omnes ad ipſum quantumcumque ſeparatum & diſtantem, cum maximo fervore ac deſiderio pro tanto beneficio conſequendo, ſæpius in vita ire debuiſſemus, & pro maximo beneficio reputaremus : quanta ergo gratitudine proſequendum, quod ubique terrarum ſacerdotes abundant, qui non ſolum confeſſiones peccatorum libenter acceptant, ſed etiam peccatores ad hanc veniam ſuſcipiendam provocant & invitant.* Confeſſariorum abundantia, eosque obtinendi facilitas ; infiniti propemodum beneficij nobis oblivionem inducit ; ſed quemadmodum *ſalus corporis*, teſte ſancto Gregorio, *Quando ad bene operandum accepta deſpicitur, quanti ſit muneris, amiſſa ſentitur*, Ita confeſſariorum, ad noſtram nobis ſalutem deputatorum, frequentia dum hodie deſpicitur ; quanti ſit beneficij, perdita palparetur. Manum, pedem, oculos flocci pendimus, dum habemus ; aut ſaltem beneficium in membrorum integritate collatum vix memoratur, vix recogitatur, vix agnoſcitur, niſi cum deſtituimur eodem. Si penes ſolum Papam poteſtas conſiſteret abſolvendi, eamque hic in ſola ſeptimana ſancta quotannis exerceret, quot nihilominus Romam accurrerent, eam conſecuturi indulgentiam, ſine qua Dei & Paradiſi incurrimus jacturam, & perpetuam inferni damnationem ? Si Deus nobis non providiſſet de confeſſione in quantum creditis deſperationis labyrinthum præcipitandum fore genus humanum, adeo in ſcelera proclive ? Si Principes ſemel iterumque reo pœnam remiſerint capitalem, gratia reputatur ab omnibus, non expectanda ulterius tertia aut quarta vice ; aſt Deus noſter cuicumque à ſe præcipit deputato : *Non dico tibi uſque ſepties ; ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Abſolutio in manibus noſtris ſituata eſt toties quoties ; unde ſanctus exclamat Thomas de Villa nova : *Quanta miſericordia, quanta benignitas, quanta fiducia ? in manu rei venia poſita eſt.*

Utique inveniri poſſunt toties quoties. S. Th. de Vill. nov. in D. 3. Quadrag. S. Greg. p. 2. paſt. adm. 13. Non curantur. Matth. 18. v. 22. S. Th. de Vill. no. in paſſion.

15. Urbes quondam refugij, in gratiam delin-
Num 35. quentium, aſſignaturus Dominus, *tres erunt*, in-
v. 14. quit, *trans Jordanem, & tres in terra Chanan.* Ubi
Lyran. ibid. Lyranus: *Licet trans Jordanem habitarent tantum
duæ tribus cum dimidia, tamen tot erant ibi civita-
tes refugij, quot erant citra Jordanem, ubi habita-
bant novem tribus cum dimidia.* Quis tantam non ob-
Confeſſionalia civitates ſunt refugij. ſtupeſcat hac in diviſione inæqualitatem? myſterium
utique continet; novem namque tribubus plures ur-
bes aſſignari debuiſſe videtur, quam ſolis tribus. Ra-
tionem porro hujus partialitatis indaganti rex occur-
rit Salomon, dicens, terram Galaad, quæ trans Jor-
danem ſituata erat, & habitatores ejus, præ omni-
bus alijs ad rixas propenſos, humanique ſanguinis
Oſeæ 6. v. 8. profundendi avidos fuiſſe, unde & Oſeas inquit: *Ga-
laad civitas operantium idolum ſupplantata ſanguine*; vel
ut hebraica verſio habet: *torcular ſanguinis.* Voluit
igitur Deus, ut juxta criminum abundantiam, abun-
darent & remedia, faciliſque præſto foret modus de-
clinandi ſupplicia. Quin nobis cum figura, dum
fruimur figurato, maxima in locis populoſioribus,
ubi innumeræ frequentantur offenſæ & flagitia, Con-
feſſariorum abundante copia, ut nemo non ad indi-
latam extimuletur confeſſionem? profecto *ubi abun-
Rom. 5. v. 2. davit delictum, ſuperabundavit gratia; Nec eſt, qui ſe
Pſ. 18. v. 7. abſcondat à calore ejus.*
Aditus facilis. 16. Aliam hujus diſpoſitionis cauſam his verbis
aſſignat Lyranus: *Quia terra trans Jordanem erat
Lyran. ibid. longinqua à templo Domini adeo ibi multiplicabantur
civitates refugij.* Ob templi Dominici diſtantiam
Deus facilem ad dictas urbes aditum paravit; pla-
nam, commodam & largam *ſternens diligenter viam
in medio terræ*: eaſdemque civitates in manibus con-
ſignavit Levitarum, inſigni ſuper omnes charitate
& compaſſione præditorum; ita pariter hodie be-
nigniſſimus noluit Salvator noſter multo ac laborioſo
nos exhauriri itinere, ſed miſericordi uſus compen-
Pſ. 4. v. 5. dio, præcipit: *In cordibus veſtris, in cubilibus veſtris
compungimini*; porro ipſi ſcelerum confeſſioni inſti-
tuendæ, nullo non loco aperta patent confeſſionis
Pſ. 68. v. 36. tribunalia. *Quoniam Deus ſalvam faciet Sion*, id eſt,
Eccleſiam; ſed quare; quia *ædificabuntur civitates
Juda*; Juda confeſſionem ſonat; confeſſionalia ci-
vitates ſunt refugij in lege gratiæ, quò ſecurus confu-
git, quiſquis accurrit.

## DISCURSUS V.
## ARGUMENTUM.

De animæ pœnitentis venuſtate, quæ per confeſſionem emundata, decora comparet coram Deo.

### THEMA.

*Confeſſionem & decorem induiſti.* Pſal. 103. ℣. 2.

Confeſſione animæ fiunt Candidæ. 1. SUpremam atque infinitam Altiſſimi majeſtatem
conſpiciens obſtupeſcenſque Regius Vates in
eminentiſſimo gradu ſublimatam & magnificatam,
mox linguam in affectus reſolvere cœpit benedi-
Pſ. 103. v. 1. ctionum, laudum & gloriæ: *Benedic anima mea
Domino; Domine Deus meus magnificatus es vehe-
menter*; hujus autem magnificentiæ qualitatem im-
mediate declaraturus, mox ſubdidit: *Confeſſionem
& decorem induiſti amictus lumine ſicut veſtimento*,
volens inferre, quod locupletiſſimi & rutilantiſſimi
divinæ majeſtatis ornatus, animæ ſint pœnitentes,
quæ media confeſſione Sacramentali, candidæ, pul-
chræ atque immaculatæ evadunt. *Myſtice per hoc
vult intelligere*, inquit in hoc loco quondam Incogni-
tus, hodie cognitus, doctiſſimus Michael de Bononia
Incogn. ibid. Carmelitanus, *quod confeſſione Sacramentali Deus in-
duitur decore luminoſo, quia confeſſio ſuos facit decoros
& luminoſos.* Quam pariter veritatem ab Iſaia præ-
Iſa. 49. v. 18 dictam diſcimus in hæc verba: *Omnibus his velut
ornamento veſtieris, & circumdabis eos, quaſi ſponſa.*
Rutilantia hæc veſtimenta animæ ſunt pœnitentes,
quæ ante confeſſionem, tenebris immerſæ ſquale-
bant culparum, juxta illud ſancti Auguſtini aſſer-
S. Aug. ibid. tum: *Ipſa eſt veſtis ejus, de qua jam dixi, non ha-
in Pſal. 123. bens maculam, neque rugam; fuiſtis autem tenebræ, nunc
autem lux in Domino.*
Decoræ. 2. Idem deinde S. Doctor, illum conſiderans
Pſ. 44. v. 3. ſilio Dei impoſitum titulum: *Specioſus forma præ fi-
Cant. 1. v. 2. lijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, ideò
adoleſcentulæ dilexerunt te nimis*: quomodo, ſub-
jungit, anima ei placere poterit, per peccatum de-
formis? *Huic placere vis? non potes, quamdiu es
deformis. Quid facies, ut pulchra ſis? prius tibi
diſpliceat deformitas tua; & tunc ab illo, cui vis
placere pulchra, mereberis pulchritudinem*; mox mo-
dum ſubjungit, omnem abolendi, quam pecca-
tum conciliavit deformitatem: *Accuſando fœdita-
tem tuam, incipit confiteri, à confeſſione incipit de-
corari.* Imo & ſubtiliter obſervat, Davidem confeſ-
ſionis mentionem præmittere pulchritudini; *Ante
decorem, confeſſionem poſuit, decus in pulchritudine;
anima decora eſſè non poteſt, niſi confeſſà fuerit.*
Quam eamdem Hugo Cardinalis fecit obſervatio-
nem, inquiens: *Judith erat inæſtimabilis pulchritudi- Hug. Card.
nis Judith interpretatur confeſſio: Confeſſio & pulchri- Ibid.
tudo in conſpectu ejus.*
3. Jeremias deformitatem deflens Sion, *egreſſus Pſ. 95. v. 6.
eſt*, inquit, *à filia Sion omnis decor ejus* q. d. juxta Dei imagines reclarantur.
S. Bonaventuræ commentarium habitatores Jeru-
ſalem: pœnitentiam abominati ſunt & peccatorum
confeſſionem: *Decor egreditur, quando homo non S. Bon. ibid.
confitetur; confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus*, Pſ. 95. v. 6.
Divinus ſponſus à cœleſtis ſuæ ſponſæ pulchritudine
& venuſtate in tantum rapitur, in quantum hæc vul-
tum ſuum conſervat ſpecioſum, purum, immacula-
tum: *Oſtende mihi faciem tuam... facies tua decora*; Cant. 2. v. 14
anima quæ non caret macula & ruga, multorum
ſordibus criminum maculata, per confeſſionem
mundatur, purificatur, tantamque acquirit pulchri-
tudinem, *Ut concupiſcat Rex decorem ejus. Cum Pſ. 44. v. 12.
accedente & accendente gratia Dei cor noſtrum, S. Petr. Dam.
recogitamus omnes annos noſtros in amaritudine ani- ſerm. de S.
mæ noſtræ: obſcuratam reclaramus imaginem, & in Mich. Arc.
noſtrum principium reformamur.* Anima quippe hu-
mana primitus homini à ſumme bono Deo, qui
eſt mens puriſſima, ſanctiſſima, juſtiſſima, intel-
ligentiſſima, ſapientiſſima, benigniſſima, potentiſſima,
omni numero abſolutiſſime perfecta, infuſa fuit
pura, ſancta, juſta, verax, intelligens, ſapiens, benigna,
potens, perfecta, ut eſſet ſpeculum mundiſſimum,
in quo Deus ſuam imaginem reſplendeſcentem
conſpicere poſſet. Sed proh dolor! aſtutiæ &
lividæ Satanæ ſuggeſtioni protoplaſti plus quam
Dei verbo credentes, Satanæque voluntatem volun-
tati divinæ præponentes, miſerrime & horrendum
hanc ſpecularem imaginem in ſe deperdiderunt, cor-
ruperunt, & commacularunt, ut ne veſtigium fere
remanſerit priſtini decoris & pulchritudinis, ſed in
larvam diaboli converſum ſit, æternum cum ipſo in
ſtagno pice & ſulphure pleno arſuram. In locum
puritatis ſucceſſit omnis immunditia & ſpurcities
tam moralis, quam phyſica: Pro ſanctitate homi-
nem invaſit profanitas; ex juſto factus eſt injuſtus
tam erga Deum quam hominem cogitatis, dictis, fa-
ctis; verax immutatus eſt in mendacem, intelligens in
ſtupidum; ſapiens in fatuum; benignus in crudelem;
potens factus impotens; Dominus factus ſervus &
captivus Diaboli; perfectus omnem perfectionem
amiſit. Hæc infelix Cataſtrophe per Converſionem,
quæ conſtat vera pœnitentia & bono propoſito emen-
dandi vitam, immutatur, obſcurata reclaratur imago
Divina in homine per ſinceram confeſſionem, & ſic
in noſtrum principium, quod ab exordio creaturæ
nobis collatum eſt, reformamur. Chriſtus enim, qui
eſt ſplendor Patris & Candor Lucis æternæ & ſpecu-
lum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis
illius, factus nobis ſapientia, & juſtitia, & ſanctifi-
catio & redemptio, in hoc apparuit, ut deſtrueret
opera Diaboli, ejuſque ſanguis emundat nos ab omni
peccato. Hic noſtra luit peccata per ſuam paſſionem,
nobiſque veram Dei puritatem, ſanctitatem, intelligen-
tiam, ſapientiam, juſtitiam, manſuetudinem & per-
fectionem promeruit, ut ſimus juſtitia Dei in ipſo.
Hæc omnia in ſincera confeſſione per abſolutionem
conferuntur, ut deperdita & obſcurata imago Dei in
nobis reſtauretur.
4. Nimio peccatorum ſuorum pudore ductus Confeſſio eluit maculas animæ.
nobilis quidam Romanus, S. Philippo Nerio gene-
ralem detrectans vitæ ſuæ facere confeſſionem, eam-
dem apud alium ſacerdotem rite cœpit & perfecit; L. 2. c. 4. n. 2. vitæ S. Phil. Nerij.
quo facto ad S. Philippum reverſus hoc ab eo rece-
pit reſponſum: etiamſi tua mihi peccata confeſſus
non fueris, ſingula nihilominus Deo revelante di-
dici; moxque idem Sanctus ſubjunxit: faciem tuam
mutaſti, optimam indutus formam; id quod San-
ctus peccatoribus dicere ſolebat, à peccati ad gratiæ
ſtatum reverſis. Hæc autem interna animæ venu-
ſtas in exterioribus quandoque relucere ſolet, id
quod ſerena nimiumque jucunda multoties evincit
ſervo-



Iſa. 1. v. 16. ſervorum Dei facies & figura. *Lavamini, mundi
eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, inquit
Dominus. Non corporis ablutionem*, ait B. Lauren-
B. Laur. Juſt. tius Juſtinianus, *ſed animæ Dominus commendat,
l. de obed. præcipitque munditiam; aqua namque corporales abo-
c. 15. let maculas, ſpirituales verò delictorum confeſſio ſa-
lutaris.* Experientia quotidiana teſte, eò facies no-
ſtra mundior eſt atque venuſtior, quo abluitur fre-
B. Laur. Juſt. quentius: *Eò quoque facies corporis*, ſubdit idem
de caſt. con. Sanctus, *fit mundior, quo magis abluitur*: Ideoque
c. 13. præ cæteris Deo dilectæ atque immaculatæ animæ
Pſ. 95. v. 6. confeſſionem maximè frequentare aſſolent: *Confeſſio
& pulchritudo in conſpectu ejus ſanctimonia & mag-
nificentia in ſanctificatione ejus.* Necdum tamen à lo-
tæ faciei alluſione digreſſus beatus, ita proſequitur
diſcurſum: *Sordes quippe corporis aqua, cordis autem,
contritio diluit & confeſſio.*
5. Sanctus Antonius Patavianus dictum Pſalmi
S. Ant. de Pad. verſiculum (*confeſſio & pulchritudo &c.*) de pœni-
in D. inf. 8. tentia interpretatur & pœnitente, *cujus confeſſio ipſius
oct. Nat. eſt pulchritudo.*
6. Legimus in Deuteronomio ſtatutum Hebræis
Mundat. à Deo præceptum, quod temporibus futuris circa
mulieris in prælio captas, obſervaturi eſſent, ſi has
Deut. 21. v. ſibi optarent deſponſari. *Si videris in numero cap-
11. 12. & tivorum mulierem pulchram & adamaveris eam,
13. voluerisque habere uxorem; introduces eam in do-
mum tuam, quæ radet cæſariem & circumcidet un-
gues, & deponet veſtem, in qua capta eſt, ſedenſque
in domo tua, flebit patrem & matrem ſuam uno men-
ſe, & poſtea intrabis ad eam; dormieſque cum illa,
& erit uxor tua.* Scire percuperem, cur divina illa
Sapientia minutiſſimas in exilis adeo momenti ma-
teria, circumſtantias & conditiones ita exacte præ-
ceperit? Quid enim refert ungues ſuccidere, an
non; radere cæſariem, an colere; plangere, an ridere?
Infallibile mihi manet Apoſtoli axioma: *Omnia in
figura contingebant illis*; ne autem ad peregrinas re-
cedam gloſſas, unica ex omnibus, eaque clariſſima
ſuffecerit Lyrani, omnium horum rituum ac cere-
Lyran. ibid. moniarum myſterium explanantis: *Per hanc mulie-
rem*, inquit, *ſignificatur peccatrix anima, quæ pul-
chra dicitur ratione imaginis, ſed captiva ratione cri-
Joan. 8. v. 34. minis*; juxta illud Sancti Joannis teſtimonium, (*Qui
facit peccatum, ſervus eſt peccati*) *hanc mulierem
adamat Chriſtus aliquando*; moxque peccatricis
Magdalenæ ſubjungit exemplum, quam Chriſtus
tenerrime dilexit pœnitentem: *Vult eam ſponſam
habere per fidem formatam charitate; ſed oportet,
quod deponat veſtes, in quibus capta fuit, id eſt, om-
nia vitia, peccata præterita, per veram contritio-
nem & confeſſionem; & quod radat cæſariem &
circumcidat ungues; per quod deſignatur, quod de-
bet peccatorum circumſtantias aggravantes per con-
feſſionem deponere & occaſiones peccandi cavere.* Fa-
cies divinum rapiens ſponſum, cor eſt atque anima
Cant. 4. v. 7. tota pura & immaculata: *Tota pulchra es amica
mea, & macula non eſt in te*; pauciſſimæ igitur
animæ divina poterunt ſibi promittere ſponſalia cum
Chriſto, ſiquidem *in multis offendimus omnes*: Hanc
ipſam nihilominus puritatem ac venuſtatem, media
confeſſione, ſi volumus, nobis comparare poſſumus.
Votum audite & deſiderium ardens homicidæ &
Pſalm. 118. adulteri cujuſdam: *Fiat cor meum immaculatum in
v. 80. juſtificationibus tuis*: Fuitque hæc ipſa deformis ani-
ma, media peccatorum pœnitentia, tantam conſe-
cuta munditiem & puritatem, ut cœleſtis ſponſus
Act. 13. v. 22. gloriari non dubitarit & dicere: *Inveni David filium, eſſè
virum ſecundùm cor meum.* Sanctus autem Ambroſius
citatum Pſalmi verſiculum diſcutiens, ſequentem ex
S. Ambr. ſer. eo elicit doctrinam: *De corde exeunt cogitationes ma-
10. in læ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa te-
Pſ. 118. ſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt, quæ coinquinant homi-
nem; ſi intus coinquinaris, prius munda, quod intus eſt;
didiciſti, cor eſſè mundandum; diſce, quomodo mundes.*
Qualiter autem tot tantæque poſſunt elui ſordes?
*Mundat confeſſio peccatorum.*
Dealbat. 7. Attento animo quinquageſimum pervolven-
tes Pſalmum, reperietis, Davidem paucis multoties
Pſ. 50. v. 3. verbis veniam efflagitare criminum ſuorum: *Mi-
ſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam
Ibid. v. 4. tuam; ... dele iniquitatem meam; Amplius lava me
Ibid. v. 5. ab iniquitate mea; & à peccato meo munda me, Quo-
niam iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum
Ibid. v. 6. contra me eſt ſemper; Tibi ſoli peccavi & malum co-
Ibid. v. 11. ram te feci ... Averte faciem tuam à peccatis meis; & om-
nes iniquitates meas dele.* Cur obſecro brevibus adeo
periodis toties confeſſionem reiterat criminum ſuo-
rum? cauſamne noſtis? Percipiebat David, illius
maxime cor animamque purificari & mundari, qui
ſua maxime aggravat accuſatque delicta; unde mox
ſubdit: *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis Ibid. v. 4.
me, & ſuper nivem dealbabor. Delicta ſæpe repe-
tendo*, inquit S. Ambroſius, *merito magnam miſeri- S. Ambr. id.
cordiam poſcit: Nec ſolum magnam miſericordiam, lib. 1. de
ſed etiam multitudinem miſerationum.* Per hyſſopum, Dav. c. 8.
qua in veteri lege, vaccæ rubræ in holocauſtum
oblatæ cineres aqua aſpergebantur: ſacramentum
denotatur confeſſionis, vi cujus anima pœnitens
ab omni eluitur immunditia, inſtarque nivis can-
dida efficitur & venuſta. Dum autem Pſalmiſta ni-
vis adducit comparationem; immenſam, judicio
meo, docere atque oſtendere voluit animæ confiten-
tis munditiem & venuſtatem; juxta illud Iſaiæ aſ-
ſertum: *Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum; quaſi Iſa. 1. v. 18.
nix dealbabuntur.*
8. Sanctus Bernardus citatum pariter diſcutiens
Pſalmi verſiculum (*Confeſſio & pulchritudo in con- Pſ. 95. v. 6.
ſpectu ejus*) qualitatem fuſius meditatur majeſtatis S. Bern. ep.
illius, coram qua venuſtatem ſpirat anima pœnitens: 113.
*In conſpectu ejus, cujus ſpecioſa erat forma præ filijs Animam facit pulchram.
hominum; ejus inquam, in quem deſiderant An-
geli proſpicere.* Quis non obſtupeſcat? ſtellæ equi-
dem & luna per noctem ſcintillant in tenebris, ſuos
ſpargentes igniculos, at vix oriente ſole, omne per-
dunt lumen; animam quampiam in creaturarum in-
feriorum comparatione venuſtam comparare, omni
caret ſtupore; aſt in conſpectu Creatoris, creaturæ
rutilare pulchritudinem, res eſt omni pleniſſima
admiratione, nihilominus & certiſſima, ſiquidem
æternæ veritatis teſtimonium audivimus: *Confeſſio
& pulchritudo in conſpectu ejus.* Audis, cui places,
mellifluus ſubjungit Doctor, animam alloquens
confitentem; *ama unde placeas, ama confeſſio-
nem, ob quam amaris: Ama confeſſionem, ſi af-
fectas decorem: Revera ubi confeſſio, ibi pulchri-
tudo, ibi decor.* Ecce facilem vobis & peraccom-
modam ſimilitudinem: Annulus v. g. aureus rum-
pitur, ruptuſque reparatur, aſt locus rupturæ,
ne appareat defectus, adamante inſternitur va-
loris inæſtimabilis; nonne annulus iſte maxi-
mum conſecutus eſt decorem, pretium, venuſta-
tem? ita pariter in præſenti; animam equidem
maculavit culpa, aſt pœnitentem poſtea confeſſio
& ſacramenti virtus inappretiabili ditat theſauro:
*Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus, ſanctimo-
nia, &c. Fit perſæpe*, inquit Beatus Laurentius
Juſtinianus, *Redemptoris noſtri ſe infundente atque B. Lau. Juſt.
cooperante miſericordia; at poſt lapſum vero pœni- l. de ob.
tenti augeatur gratia major, quam habuerat, addatur c. 15.
ſpes gloriæ; atque præclarior, largiatur eidem de Dei
bonitate cognitio; ita ut impleatur, quod Apoſto-
lus ait: Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit Rom. 5. v. 20.
& gratia.*
9. Sanctus Auguſtinus in præcitati verſiculi (*con- S. Aug. T. 4.
feſſio & pulchritudo* &c.) commentario, fuſius di- de ver. &
grediens, ad animam ſe cujuſque peccatoris conver- falſ. pœn.
tit, ipſumque ſequentibus extimulat verbis: *Pul- c. 20.
chritudinem amas, vis eſſè pulcher? confitere. Non Formoſam.
dicit; pulchritudo & confeſſio, ſed, confeſſio & pul-
chritudo: Turpis eras, confitere ut ſis pulcher; fœdare
te potuiſti, formoſum te facere non potes: qualis eſt
autem ſponſus, qui fœdam amavit, ut pulchram face-
ret? Amamus pulchritudinem? Prius eligamus confeſſionem.*
10. Idem porro pœnitentium ſpeculum vates Puram.
Regius corda noſtra Confeſſario, quem Deus, quoad
interiorum noſtrorum diſpoſitionem, ſuum conſti-
tuit vicarium, aperienda penituſque manifeſtanda
eſſe docet, inquiens: *Revela Domino viam tuam.* Pſ. 36. v. 5.
Aſt quo fructu? *Et educet quaſi lumen juſtitiam* Ibid. v. 6.
*tuam, & judicium tuum tamquam meridiem.* Circa
quæ verba ita S. diſcurrit Hieronymus: *Numquid* S. Hieron. ibid.
*aliquid neſcit Deus? Non; ſed tu quod habes in corde,
patefacere debes Deo in ſermone per confeſſionem
tuam*; quod ſi feceris, *educet* ille *quaſi lumen juſti-
tiam tuam, hoc eſt, in charitate opera tua erant, &
judicium tuum tamquam meridiem, hoc in ſplendore
gratiæ ſuæ, cum revelat coram Angelis ſuis.* Quod
ex confeſſione oriens, inque animam redundans lu-
men, hanc longe reddit exactiorem in culpis etiam
leviſſimis diſcutiendis, qualium ſingulariſſimam cu-
ram & cautelam, dum præſcribit novitijs, omnibus
eamdem nobis, ad perfectionis culmen tendere obli-
gatis, inculcare nititur S. Bonaventura, inquiens:
Non

S. Bonav. p. 11. Spec. ad Nov. c. 9.

*Non contemnant modica, ne paulatim defluant ad majora*; hancque radij ſolaris adducit ſimilitudinem, qui dum feneſtras penetrat; minimos etiam atomos exhibet oculis. *In domo namque, quam ſubintrans radius ſolis illuminat, quantumcumque fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentius intuenti apparent: Sic & cor radijs gratiæ illuſtratum, etiam minima videt ac vitiorum laqueos ſubtili examinatione diſcernit; quanto quis fuerit mente purgatior, tanto ſe ſordidiorem videbit.* Qui idem Seraphicus Doctor ſequentem Pſalmi verſiculum, (*Confitebor tibi in directione cordis*) tali illuſtrat gloſſa: *Quia confeſſio eſt conſcientiæ mundificatio, ad hoc enim pœnitens confitetur, ut ejus conſcientia mundificetur & ipſe purior inveniatur.* Quo majorem anima acquirat puritatem, Deique lumen; eo ſtudioſius quantumque leviſſimas declinat offenſas.

Pſ. 118. v. 7. S. Bonav. ib.

Oppoſitum.

11. Denique ut aliqualem de animæ confitentis venuſtate conceptum formare valeamus, ſuffecerit, oppoſitam ejusdem peccato mortali coinquinatæ, deformitatem ob oculos ponere: Vel unica mortalis culpa pulcherrimum Paradiſi Angelum in titionem convertit infernalem, in monſtrum horribiliſſimum, cujus nulla poteſt humana imaginatio aſſequi abominationem; anima ergo talis diabolicam circumferens deformationem, dæmonis mancipium, (*unus ex vobis diabolus eſt*) media confeſſione in ſponſam aſſumitur Dei.

Joan. 6. v. 71.

Confeſſio Deo parat hoſpitium. Gen 46. v. 28.

12. Diſcurrenti curioſum obviat dubium, cur ſcilicet Patriarcha Jacob in Ægyptum ad filium ſuum Joſeph, regio ſolio ſublimem, ſeſe transferens, unicum ex omnibus, qui paternum inſinuaret adventum, præmiſerit Judam? *Miſit autem Judam ante ſe ad Joſeph, ut nunciaret ei.* Diverſas diverſi rationes aſſignant & motiva; alijs autumantibus id factum eſſe, quia Judas omnium fratrum erat eloquentiſſimus; alij merito adſcribunt Judæ, quod ſibi comparavit apud Joſeph, dum eum crudelibus inque mortem Joſeph paratis fratrum eripuit manibus: *Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum?* Aſt dum ad ſenſum me ſpiritualem converto, invenio quod *Judas confeſſio* interpretetur; ecce igitur vobis myſterium: Ad præparandum adornandumque Iſraëli hoſpitium, ad mundandum Deoque diſponendum, nullus curſus, nuncius nullus ſervit accommodatius, quam bona confeſſio; ad quod alludere voluiſſe videtur Sanctus Ambroſius, dum ait *Poſt tanta peccata haberentur indigni, niſi donaretur his remiſſio peccatorum; occurrit illi Judas, hoc eſt, confeſſor erroris: Ideo Joſeph verus, id eſt; arbiter & interpres divinitatis occurrit, quia præcedit jam confeſſio.*

Gen. 37. v. 26.

S. Ambr. l. de Joſ. c. 14.

13. Si ſapientis credimus aſſerto: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum regem.* Hæc cordis noſtri mundities noſtris connexa labijs, confeſſio eſt ſacramentalis, quæ nobis Dei conciliat amicitiam, gratiamque conſervat Regis gloriæ.

Prov. 22. v. 11.

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

De lætitia, tranquilitate & quiete, quam ſibi bona cujuſcumque confitentis acquirit conſcientia?

### THEMA.

*Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.* Pſalm. 41. v. 6. & 7.

S. Bonav. ſer. 5. de rogat.

Lætitia exonerata anima.

1. SEraphicus Doctor confeſſionis probaturus efficaciam, ad omnem cordium noſtrorum mœrorem abolendum potentiſſimæ, citatum adducit Pſalmiſtæ textum, in quo regius vates ſuam alloquitur animam, dicens: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* cujus mali immediate aſſignat remedium, dum ait: *Spera in Deo.* Aſt cui hæc innitebatur ſpes? ſoli peccatorum conſcientiæ exonerationi: *Quoniam confitebor illi.* Ad quod ut nos remedium alliciat Sanctus Thomas de Villa nova, triſtitiam nobis ob oculos ponit interiorem conſcientiæ læſæ: *Probate obſecro, & videbitis, quanta ſit animæ conſolatio, quanta conſcientiæ ſecuritas & tranquillitas.*

S. Thom. de Villa nov. conc. in 4. D. Quadr.

2. Apoſtolus bonæ rectæque conſcientiæ deſcripturus excellentiam, eam gloriæ titulo condecorat, inquiens: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Nec immerito; quemadmodum enim æternæ beatitudinis poſſeſſio imperturbabilem continet quietem & lætitiam, ita & conſcientia bona divinam gratiam, gloriæ gaudijque ſempiterni pignus & ſementem, cujus (ſcilicet bonæ conſcientiæ) prærogativas effectusque præſtantiſſimos Thomas Cantipratenſis pauculis hiſce concluſit verbis, dum ait: *Teſtimonio conſcientiæ bonæ nihil lætius credo, nihil gaudioſius in hac vita; teſtimonio vero conſcientiæ malæ nihil credo triſtius, nihil horribilius in terrenis, de hoc gaudio non ſolum ſpiritus, verum etiam participat & caro, juxta illud Pſalmiſtæ: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum, hoc idem credimus & vidimus de triſtitia conſcientiæ gehennalis, & quod animo interius mœrore turbato, corpus exterius contabeſcat*; quam aſſertionem dictus auctor ſequenti confirmat caſu, quem quondam vidit Burgundia. Nobilis quidam Burgundias primos ætatis ſuæ annos in maxima traduxerat pietate, & modeſtia Chriſtiana, at laxatis tandem habenis, viam agreſſus eſt licentioſam, quam dum calcat infrenis, improviſo percellitur horrore, contabeſcit pallore, melancholiæ obruitur mœrore: *Squalenti mente tabeſcens incidit in languorem, nec tamen Dei manum caſtigantis agnovit, ſed mala malis accumulans, pallore vultus & macie quaſi homo ignis æterni miſerabiliter habilitabatur ad pœnam, cumque nulla medicorum cura proficeret, nec ſaltem ei languentis vitæ cauſam aliquis aperiret; tandem in ſe reverſus, ſolam miſeriæ corporalis cauſam languorem animæ, divina miſeratione præventus, pœnitens intellexit*; ut primum per benigniſſimi Salvatoris gratiam, triſtitiæ ſuæ originem à mala conſcientia procedere intellexit, lacrymoſam indilate inſtituit confeſſionem: *Statim ubi beneficium abſolutionis accepit, ſimilitudinem fere bubonum habentium in facie, ſed diverſificata poſterius ſeptem animalia, cute teterrima & parva, quaſi vitiorum ſeptem dæmonia, de ſe ſimul ejecit. Mira res*, exclamat mox idem auctor, *vix modico temporis ſpatio interjecto, in tabem animalibus reſolutis, reflorere cœpit caro & facies pœnitentis, menteque & corpore integerrime ſoſpitatus, multis poſtea profuit ad exemplum.* Hæc fuſius ille, quæ pauculis hiſce verbis ſolidiſſime Seraphicus confirmat Doctor, dum ait: *Fundamentum & janua virtutum, omniſque gratiæ ac ſpiritualis conſolationis principium eſt conſcientiæ puritas & cordis munditia.*

2. Cor. 1. v. 12.

Bonæ conſcientiæ gloria.

Exemplum.

S. Bonav. opuſc. de modo confitendi.

3. Ut ex vita S. Philippi Nerij diſcimus, nobilis quidam Romanus ad S. Gregorij monaſterium ſe receperat, ubi dum mortui cadaver Eccleſiaſticæ ſepulturæ inferendum deportaretur, tumulumque ſequeretur energumenus, nobilis ille energumenum alloquendi occaſionem nactus eumdem de varijs curioſe interrogare cœpit; qua tandem moleſtia victus arreptitius, tu quoque, ait, obſeſſus es; quæ verba imbellem animum tanto impleverunt pavore, ut, veritus ſe veraciter à dæmone obſideri, a ſacerdote quantocius ſacros ſibi mandarit adhiberi exorciſmos; atque ab exorciſta ſubinde de nomine adjuratus, varia recenſebat nomina dæmonum, ita ut multi verè eum obſeſſum arbitrarentur. Aſt dum continua exorciſmorum repetitione vis morbi invaleſceret crudelius, quatuor primarijs urbis medicis ſe curandum commiſit, cui quo plura propinabant medicamina, eo magis augebatur infirmitas; inque eam demum corruit macilentiam, ut vix oſſibus hæreret pellis. Tandem igitur admonitus fuit, ut Sanctum Philippum conveniret, tunc adhuc viventem; aſt ſanum Coſmophilo detractante conſilium, de rei veritate certificatus Sanctus, infirmum inviſit, edixitque, eum ab immundo ſpiritu non obſideri, quem varijs deinde modis demulcens, tandem de generali confeſſione inſtituenda admonuit, audijt ille & obedijt, moxque priſtinam perfectè recuperavit lætitiam ac ſanitatem. In ejusdem Sancti vita, alio in loco legimus, multos pœnitentium, qui ſuam apud ipſum conſcientiam exonerabant, in actuali confeſſione, extraordinarium ſenſiſſe refrigerium ſpirituale, conſolationem & dulcedinem inexpugnabilem; donum namque poſſidebat Sanctus, aliorum penetrandi conſcientias & dignoſcendi, utrum validam ſinceramque inſtituiſſent confeſſionem.

L. 2. c. 10. n. 1. vit. S. Phil. Ner.

Hiſtoriæ duæ quantâ confeſſio lætitiam conferat.

L. 2. n. 5. n. 6.

4. Sanctus Bernardus eamdem animæ confitentis lætitiam conſolationemque nobis exhibet, dum ait: *Omnia in confeſſione mundantur, conſcientia mun-*

Confeſſionis effectus.



*dantur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur, tranquillitas redit, ſpes reviviſcit, animus hilareſcit.*

5. Teſte Bollando, B. Henricum Suſonem per decem ſolidos annos continuæ exagitarant ad deſperationem impellentes tentationes, ſuggerente Diabolo, eum de numero eſſe præſcitorum, nec ſalvandum umquam: *Poſtquam ergo annis decem, teterrimam hanc afflictionem toleraret, atque toto illo tempore, non niſi damnatum ſe reſpexerat, venit tandem ad virum ſanctiſſimum D. Eckardum, Theologiæ Doctorem; cui cum ſuam explicaſſet moleſtiam, illius conſilijs* per confeſſionem *liberatus eſt.*

Bolland. 25. Januar. c. 23.

Liberat à tentationibus.

6. Alios autem bonos inter confeſſionis ſacramentalis effectus, hunc quoque principalem ſanctus aſſignat Bonaventura, ſcilicet quod per eam *Paradiſus Dei aperitur.* Ad quod intentum illa filij prodigi, ab incarnata ſapientia compoſita, deſervit hiſtoria, quæ nullum non peccatorem ad pœnitentiam invitat, & peccatorum confeſſionem, cum certa ſpe, omnes divinæ miſericordiæ amplexibus excipiendos; eam verò enarraturus Evangeliſta, ita capituli exorditur principium: *Erant autem appropinquantes ei Publicani & peccatores*; moxque primo loco parabolam adducit de paſtore, qui oviculæ ſuæ jacturam paſſus, poſt diligentem inquiſitionem tandem errabundæ iterum compos factus, omnes invitavit ad ſolemnitatem; quibus præmiſſis mox ſubjungit: *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente.* Deinde parabolam proſecutus de drachma, eamdem ſeu ſimilem memorat conſurrexiſſe lætitiam atque exultationem: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Quas duas parabolas Evangeliſta tertiæ tandem connectit prodigum exprimenti, quam Sanctus Bonaventura ad noſtrum mirabiliter intentum explanans, omnes in ea bonæ confeſſionis conditiones his verbis aſſignat: *Deſcribit ejus pœnitentiam valde ſufficientem, ſcilicet quantum ad humilitatem contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis.* Compunctio namque & contritio in ijs denotatur verbis: *In ſe autem reverſus, ſcilicet per agnitionem propriæ iniquitatis, quia dolor compunctionis facit circumſpicere internam conſcientiam; propter quod dicit: In ſe autem reverſus.* Humilitatem docet confeſſionis, dum ait: *Peccavi in cælum & coram te*; quibus verbis maximam ſuam indicat offenſam, quam ſupremæ intulit Majeſtati omnibusque cœli incolis & beatis: *Et quia offenſa tantæ majeſtatis privat nos dignatione divinæ filiationis, ideo confitetur ſuam indignitatem, dicens: Non ſum dignus vocari filius tuus.* Quia vero, ut Sanct. bene docet Bonaventura, vera confeſſio non ſoli acquieſcit iniquitatis & peccati malitiæ remiſſioni, ſed & divinam inſuper jubet exorari clementiam, ideo mox ſubdit: *Fac me ſicut unum de mercenarijs tuis.* Quod denique humilitatem concernit ſatisfactionis, in eo illuceſcit ſenſu: *Surgam & ibo ad patrem meum. Per ſurrectionem iſtam intelligitur peccati deſertio & quædam elongatio ab illo, quæ eſt ſatisfactionis initium; nam ſatisfacere, eſt cauſas peccatorum exſcindere, & eis peccandi aditum non indulgere.* In figura cujus Chriſtus alteri cuidam juveni, peccatoris deſignativo, præcipiebat: *Tibi dico, ſurge; ut ſic deſeratur culpa*; quod idem etiam mandatum in hæc verba dedit paralytico: *Surge, tolle lectum tuum.* Deinde ſanctus concludit Seraphicus Doctor hiſce verbis: *Et quia minus eſt, mala non agere, niſi etiam quiſque ſtudeat bonis operibus inſudare, protinus ſubditur: Venit ad patrem ſuum per ipſius imitationem.* Sed ad jubilum interim & gaudium, huic correſpondens confeſſioni, non abs re fuerit, noſtros tantiſper divertere ſenſus: *Dixit pater ad ſervos ſuos; cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus & calceamenta in pedes ejus, & adducite vitulum ſaginatum; & occidite, manducemus & epulemur*; quod convivium & gaudium variæ inſuper ſymphoniæ, cantus & muſicæ exhilararunt; quia *cum appropinquaret domui* frater natu major; *audivit Symphoniam & chorum*; qui ad tantam vehementer indignabundus exultationem, à patre retulit reſponſum: *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt.* Magnam utique gaudiorum fomentum eſt à faucibus ereptum eſſe inferni, inque Paradiſum tranſ-

Paradiſum aperit. S. Bonav. de ſacr. virt. l. 6. c. 22.

Luc. 15. v. 1.

Ibid. v. 10.

Luc. 15. v. 9.

S. Bonav. in Luc. ibid.

Ibid. v. 17.

Ibid. v. 19. & 21.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 19. & 21.

Ibid. v. 19.

Ibid. v. 18.

Luc. 7. v. 14.

Luc. 5. v. 24.

Luc. 15. v. 22.

Ibid. v. 23.

Ibid. v. 25.

Ibid. v. 32.



latum; id autem ſacramentum operum per unicum *abſolvo te.* In lætitiæ ſegetem, quam abſolutionis fœcundat ubertas, me diffunderem latius; niſi B. Laurentium Juſtinianum hac in parte glorioſam mihi palmam præripuiſſe didiciſſem; dum ait: *Confeſſio placat Deum, lætificat Angelos, ſerenat conſcientiam, criminum exſolvit debitum, veniæ ſpem nutrit, ſervilis metus coercet ſtimulos, præſtat gratiam, præbet auxilium, immundorum ſpirituum propulſat fraudes, cælum reſerat, revelat myſteria, elevat de terrenis & provehit in excelſa*; id quod idem Sanctus alio in loco ſimilibus confirmat verbis, inquiens: *O beata confeſſio, quæ Deum placat, reconciliat pœnitentem, cælum aperit, mundat cor, onus aufert, mentem lætificat.*

B. Laur. Juſt. ob. c. 15. NB.

De caſt. con. c. 13.

7. Citra omne dubium, ipſa in multis experientia teſte, magnus ſe opponit repugnantis verecundiæ conatus, confeſſionem inhibentis ſcelerum noſtrorum; aſt ſicuti parturiens, intolerabilibus primo ſubjecta ſpaſmis, dum fœtum in lucem edidit, *jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum*; ita & anima fidelis, enormibus onerata flagitijs, timet, tremit, expalleſcit, ſecum ipſa confligit, ſpemque metumque inter; aſt ut primum in hoc judicio, coram confeſſionis tribunali, ſuam exorneravit conſcientiam, maximam ſubito experitur intrinſecus quietem. Ultronea huic diſcurſui noſtro ſententia applaudit Sancti Antonij Patavini, illa Michææ verba (*Dole & ſatage filia Sion, quaſi parturiens*) ſequenti illuſtrantis commentario: *O filia, O anima, quæ debes eſſe filia Sion, id eſt, cæleſtis Jeruſalem; dole in contritione & ſatage, id eſt, ſatis age; quaſi parturiens in confeſſione. Et bene dicitur; quaſi parturiens: Sicut enim parturiens laborat & dolet, ſic peccator laborare & dolere debet in confeſſione.*

Conf. gaudium affert.

Joan. 16. v. 21.

Mich. 4. v. 10.

S. Anton. de Padua con. 2. in D. 3. Q.

8. Sanctus Thomas de Villa nova malæ conſcientiæ vermem anatomizans & remorſum, nullum aſſerit ad eum ſuffocandum, remedium dari potentius atque efficacius confeſſione, quam omnibus alijs anteponit virtutum exercitijs, inquiens: *Secundus fructus* bonæ confeſſionis, *eſt quies animæ, nam confeſſio maxime pacat & extinguit illum remorſum & vermem; intus rodentem conſcientiam; nihil mortificat ſicut confeſſio peccatorum: Etiamſi doleas & pœniteas & jejunes, & innumeras eleemoſynas facias, non ſic quietatur conſcientia & peccatorum onere ſublevatur, ſicut ſi ad hoc ſacramentum contritus accedas.*

S. Thom de Villa nova conc. 4. in D. 4. Q. Quietem.

9. Si quis impacatis alti maris inerrans fluctibus, centies milliesque abyſſi faucibus abſorbendus, forte fortuito in quieti portus ſinum devehitur, quanto repletur gaudio; quanto exultat jubilo? ſeipſum capere neſcit præ lætitia, dum ſe à morte conſpicit rediſſe ad vitam. Eamdem penitus anima confitentis ſibi comparat tranquillitatem, teſte B. Laurentio Juſtiniano, dum inquit: *Confeſſionis ſacramentum veluti ſinus pacatiſſimus eſt, in quo hominum conſcientiæ religantur, ne à procellis abſorbeantur delictorum: Dejecta eriguntur, amiſſa reparantur; & quidquid immunditiæ inundantibus tentationum tempeſtatibus aut operante malitia, in navim conſcientiæ perfuſum eſt, rejicitur & purgatur.*

Conf. portus.

B. Laur. Juſt. de diſc. & perfect. mon. c. 19.

10. Juſſi à Deo Moyſes & Aaron pulverem terræ per aërem diſpergere, ad generandos ciniphes, hominibus infeſtos & jumentis, obedierunt prompte: *Et facti ſunt ciniphes in hominibus & jumentis*; quod & Magi Pharaonis ſubito imitari attentarunt; ſed conatu irrito: *Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, ut educerent ciniphes, & non potuerunt.* Cur obſecro in alijs omnibus efficax præſtigijs, in hocce unico exarmatur incantatio? proteſtantibus omnibus: *Digitus Dei eſt hic.* Reſpondere poteſt, alijs in prodigijs oculos intuentium deluſos fuiſſe, aqua ſanguineum perhibente colorem, licet in ſubſtantia vere talis non eſſet; virgis item formas exprimentibus ſerpentinas, ſed apparenter dumtaxat: Ciniphes autem fingere nequibant, quia quos formaverat Moyſes, aculeum circumferebant pungentem crudeliter. Sanctus Auguſtinus ab hac hiſtoria ad ſenſum digreditur moralem, noſtro peraccommodum propoſito, inquiens; ſupplicia, quibus Deus per ſervorum ſuorum manus caſtigavit Ægyptum, pœnas figurabant impiorum, quas inter perquam crudelis eſt malæ conſcientiæ vermis: & remorſus; homines improbi & flagitioſi omnibus alijs tormentis ſervos Dei affligere ac diſcruciare poſſunt, ſolam

Conſcientiæ remorſus tormentum ſummum.

Exod. 8. v. 17.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 19.

S. Auguſt. q. 26. in Exod.

*Prov. 12. v. 21.*

ſi exceperis malæ conſcientiæ torturam ; quia *non contriſtabit juſtum, quidquid acciderit ei, impij autem replebuntur malo.* Hujus ſynderesis & remorſus auctor immediatus eſt ipſe Deus : *Digitus Dei eſt hic.* Omnes vires atque potentias ſuas conglomeret impius, numquam tamen hunc poterit declinare aut perimere inquietem vermem. Aſt animæ timoratæ, ſi aliquem ſubinde cadant in defectum, moræ impatientes, hac extimulata puncturâ, ad infallibile confeſſionis confugiunt remedium.

*Exod. 8. v. 22.* Bona pax ſumma. *Pſal. 118. v. 165.*

11. In eodem quoque capitulo, Deus tribulatorum conſolatio, proteſtatur dicens : *Faciamque mirabilem in die illa terram Geſſen, in qua populus meus eſt ; ut non ſint ibi muſcæ, & ſcias, quoniam ego Dominus in medio terræ* ; ut diſcamus, conſolationem hanc internæ pacis & tranquillitatis, quam bona rectaque parit conſcientia, ſolis divinitus reſervatam ſervis Dei : *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum* ; neque ulla eos inquietat ſynderesis.

## DISCURSUS VII.

### ARGUMENTUM.

Raritas confeſſionis peccatum inveterat in anima, quæ proinde poſtea debilitatur in virtutum exercitio, minuſque redditur potens ad tentationibus reſiſtendum & vitijs.

### THEMA.

*Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea.* Pſ. 31. v. 3.

*Peccata inveterat dilata confeſſio.*

1. VOlens David ſcelus occultare illius, quod cum Betſabæa perpetrarat adulterium, Uriam revocavit ab exercitu, ut hic dormiret cum uxore ſua, quod dum non aſſequitur Rex, morti dedit Uriam, multo exinde tempore adhuc in culpa perſeverans, donec tandem ex Dei juſſu à Nathan correptus fuit, tunc ſiquidem internum aſſecutus lumen, pœnitens irreparabilia ſilentij & taciturnitatis ſuæ diſpendia meditari cœpit & ingemiſcere : Heu me miſerum ! *quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea. Vultis ſcire,* verba ſunt Hugonis Victorini, *periculum taciturnitatis & utilitatem confeſſionis ? Quoniam tacui,* inquit *Pſalmiſta, inveteraverunt oſſa mea. Et iterum : Delictum meum, cognitum tibi feci & injuſtitiam meam non abſcondi ; dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Vide ergo & conſidera ; ſi taces, peccata tua inveterantur ; ſi confiteris, condonantur.*

*Hug. Vict. l. 2. p. 14. c. 1.*

*Mors & vita in lingua.*

2. Corporis humani oſſa ſubingrediens malignitas, febrim accendit peſtilentialem, non niſi noſtris ſopiendam cineribus ; anima econverſo hanc poſſidet prærogativam, ut numquam vel culpæ tangat venenum, aut mortis æternæ paveat diſpendium, quamdiu os habemus apertum, peccatorum confeſſioni patulum. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea. Mors & vita in manu linguæ,* inquit ſapiens ; & Eccleſiaſticus hocce pariter nobis dat conſilium : *Ne retineas verbum in tempore ſalutis.* Cui & illud ſervit Apoſtoli aſſertum : *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

*Prov. 18. v. 21. Eccli. 4. v. 28. Rom. 10. 10.*

3. Porro varias citati verſiculi apud Sanctos patres reperio interpretationes. *Quoniam tacui,* inquit S. Hieronymus, id eſt, *non protuli confeſſionem ad ſalutem.* S. Auguſtinus ait : *Quoniam tacui confeſſionem.* Interlinearis habet, *Quoniam tacui confeſſionem de peccatis.* Præſentiſſimum deſperatæ ſalutis eſt indicium, ſi quis infirmus aut vulneratus, ſuum Doctori aut Chirurgo abſcondit malum. Albertus Magnus ex dicti verſiculi verbis ſtatum colligit infortunatum muti peccatoris : *Exprimit ſtatum non confitentis infelicem.*

*S. Hier. in Pſ. 31. S. Aug. Interl. Alb. Magn. ib.*

4. David in tribulationibus ſuis ad aſylum confugiens miſericordiæ divinæ, *Non me demergat,* ait, *tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Ubi Sanctus Auguſtinus profundiſſimum puteum docet eſſe peccatum ; quiſquis in ipſum corruit, os ſi non clauſerit, id eſt, confeſſus fuerit, facile effugiet ſubmerſionis diſcrimen ; unde alibi idem aſſerit David : *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Quia autem *impius cum in profundum venerit, contemnit,* ideo ſubdit idem Sanctus *clauſit ſuper eum puteus os ſuum ; quia clauſit os illius, perdidit confeſſionem.*

*Pſ. 68. v. 16. Pſ. 129. v. 1. Prov. 18. v. 3. S. Aug.*

5. Rationem, cur Deus Salomoni diviſionem regni minabundus intentavit, tertius in hæc verba exprimit liber Regum : *Dixit itaque Dominus Salomoni, quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, . . . dirumpens ſcindam regnum tuum & dabo illud ſervo tuo.* Quem Davidis latet adulterium, homicidium & ſuperba populi numeratio ? cur itaque non eidem, cui filius, ſubjacuit pœnæ & ille ? Rupertus Abbas hanc Salomoni factam diſcutiens reprehenſionem, ita diſcurrit : *Qui habuiſti hoc apud te ; cui ſic dicitur, palam eſt, quod peccatum ſuum necdum confiteatur ; nam apud ſe habet, cui quod fecit, non diſplicet ; cæterum cui diſplicet, non apud ſe, ſed contra ſe habere dicendus eſt, non enim abſcondit, ſed annunciat ; non defendit, ſed accuſat.*

*3. Reg. 11. v. 11. Rup. Abb. l. 5. in l. Reg. c. 1.*

*Confeſſio veniam promeretur.*

6. Pſalmos percurrite pœnitentiales, reperietiſque, quoties ſe David culpabilem, criminumque ſuorum reum propalarit ; ſemper ipſa tamquam compunctionis materiam ſibi ob oculos ponebat: *Peccatum meum contra me eſt ſemper, tibi ſoli peccavi & malum coram te feci* ; atque ideo veniam promeruit : Unde Rupertus de Davide loquens, ait : *Iniquitatem ſuam annunciavit, & cogitavit pro peccato ſuo.* Diverſos patiebatur adverſarios, diademati regio inhiantes ; nihilominus *regnum illi neque auferre Abſalom, neque ſcindere potuit Syba ; quia videlicet quod habuiſti apud te, hoc ille apud ſe non habebat. Minus peccaverat, & ipſum peccatum à ſe excutiebat, accuſabat, annunciabat.* Atque ideo ſalutem conſecutus eſt, quæ reſpectu Salomonis admodum incerta eſt ; quantumvis enim in vitæ ſuæ termino, prout Eccleſiaſtes teſtatur, mundi fuerit vanitatem abominatus, non tamen manifeſtam adeo ſicuti pater ejus, criminum ſuorum edidit confeſſionem.

*Pſ. 50. v. 5. & 6.*

*Confeſſionem abhorrentes Diabolo præda. Jerem. 5. 6.*

7. Divina juſtitia impijs quibuſdam per Jeremiam graves aliquas intentavit pœnas, quas & executioni demandavit ob eorum contumaciam : *Idcirco percuſſit eos leo de ſylva, lupus ad veſperam vaſtavit eos, . . . quia multiplicatæ ſunt prævaricationes eorum, confortatæ ſunt averſiones eorum.* Multi equidem à confeſſione abhorrent in vita, plurima interim peccatis accumulantes peccata, qui in vitæ tandem epilogo, lupis & leonibus infernalibus in prædam cedunt *Lupus ad veſperam vaſtavit eos* ; ſi enim contingat, hujuſmodi quandoque confeſſarium petere, juſto Dei judicio aut prompte deficiunt ſacerdotes, aut ſerius accedunt, aut certe confeſſio inſtituitur invalida.

*An. Rayn. an. 1387. num. 19.*

8. In annalibus Eccleſiaſticis de quodam hæretico traditur, cum per totum vitæ curſum, ſummopere ſemper impugnaſſe confeſſionem, qui *in extremo vitæ actu, ſacra exomologeſi, quam antea impugnaverat, cum expiare crimina vellet, non potuit.*

*Confeſſio iratum placat. Matth. 22. v. 12.*

9. Infelix ille ad nuptias invitatus, dum interrogaretur ; *quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* ne verbulum reſpondit : *At ille obmutuit.* Se utique excuſare potuiſſet, dicendo ; neſcivi qualiter hoc ad convivium accedere oporteret, ex improviſo ad epulas invitatus ſum in platea publica, neque temporis anguſtia & invitantis juſſio ſinebat me domum ante abire. Aſt quandoquidem veſtis nuptialis dabatur omnibus in introitu ad convivium, quid ultra reſpondere poteris in tui defenſionem ? Domine, ego illam reliqui non ex contemptu, ſed ex inadvertentia. Ita ſane ſuffeciſſet utique, ſi temerarius ille ſuum verbulo fuiſſet confeſſus crimen, ſi Regis gratiam, longe benigniſſimi in feſtivi apparatus congreſſu minimo ſaltem reſponſo implorare voluiſſet, at temerarius totaliter *obmutuit.* An non ſeveriſſimum promerebatur ſupplicium ? Impius iſte animam figurabat, quæ ſæpe ſæpius ſuum offendit Creatorem & Redemptorem, quem cum placare : ſibique reconciliare poſſet per confeſſionem, aſpernatur remedium. Unde appoſite ad intentum noſtrum Galfridus ad Evangeliſtæ ſe verba reflectit inquiens : *Tunc dixit Rex miniſtris ; ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. Tunc videlicet non ubi ille ſine nuptiali veſte introivit ; ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit & noluit confiteri.*

*Galfr. in alleg. Tit. in c. 22. Matth. v. 13.*

10. Vix noſter protoparens peccarat Adam moxque adverſus eum proceſſum formavit & ſententiam pronunciavit Deus : *Maledicta terra in opere tuo.* Peccarat & filius ejus Cain per fratricidium, nec diſtulit Dominus, quin eum indilate ad ſuum citaret tribunal : Cain, *ubi eſt Abel frater tuus ?* Nec mora, ad ſententiam proceſſit judex, maledictionem imprecans non terræ, ſed ipſi immediate reo: *Maledictus eris ſuper terram.* Quæ tantæ ratio differentiæ ? An non unicum Adæ peccatum incomparabiliter extenſive gravius fuit, quam Caini, utpote ad totius humani generis transfuſum poſteritatem ? Ecce reſponſum facile : Pater ſuum candide agnovit crimen : *Mulier quam dediſti mihi ſociam &c.* Aſt Cain pœnitentiæ contemptor, in abyſſum corruit, quia ſuum noluit confiteri ſcelus, quia ſuum tacuit flagitium : *Neſcio, num cuſtos fratris mei ſum ego ?* Audite Tertullianum : *Ideoque nec maledixit ipſum Adam, nec Evam, ut confeſſione revelatos ; Cain verò maledixit.*

*Gen. 3. v. 17. Gen. 4. v. 9. Ibid. v. 11. Gen. 3. v. 12. Gen. 4. v. 9. Tert. l. 2. in Marc.*

*Dion. Carth. Peccata inſtar cancri.*

11. *Inveteraverunt oſſa mea ; id eſt,* inquit Dionyſius Carthuſianus, *vetuſtate pravæ conſuetudinis & diuturnitate peccati conſumptæ ſunt virtutes animæ meæ, peccata enim non confeſſa, neque contrita, charitatem & gratiam, omneſque virtutes mortificant & expellunt.* Peccatum non modo gratia atque amicitia Dei exuit animam, aſt dum admittitur, neque per confeſſionem expiatur, inveteraſcit, & cancri inſtar viſcera corrodit conſcientiæ, ita ut de die in diem magis magiſque averſio creſcat ac pœnitentiæ horror. Memineritis eximij circa paralyticum, per 38. annos in lecto languentem, à Chriſto patrati miraculi ; peccatorem ille deſignabat habituatum, inque vitiis inveteratum, cui dum animæ ac corporis confertur ſanitas, præcipitur ſedulitas : *Tolle grabatum tuum. Id eſt,* inquit S. Bernardinus, *onus iniquitatum tuarum per veram confeſſionem.*

*Joan. 5. v. 8. S. Bern. T. 1. ſer. 15.*

*S. Thom. de Villa nova ſerm. in D. 4. Conf. Q. Procraſtinantes multorum obliviſcuntur commiſſorum.*

12. S. Thomas de Villa Nova alios inter frequentis confeſſionis fructus, annumerat ſequentem : *Quintus fructus eſt examinatio conſcientiæ, quomodo enim poteſt bene examinari ad annum ? Ecce quod hodie facimus, cras obliviſcimur ; & eorum, quæ geſſi anno præterito, nunc recordabor ?* Qui ſuas procraſtinant confeſſiones, vix decimam ſcelerum partem confitentur, ſubdit idem Sanctus : *Quod ſi dixeris, peccata quæ in memoriam non veniunt, Deus ignoſcit ; fateor, ita eſt, ſi debitam in peccatis rememorandis diligentiam adhibueris ; alias peccatum per negligentiam & incuriam oblitum, per ſacramentum pœnitentiæ non deletur.* Moxque utilitatem docet maximam, ex indilata peccati extirpatione provenientem ; *Tertius fructus eſt facilitas veniæ ; tanto enim graviora ſunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam.* Cui & illud placet Gregorij addere aſſertum : *Pœnitentiæ acceleratio nobis à Deo reputabitur ad juſtitiam.*

*Difficulter convertuntur.*

13. Difficilem reputabant fratris Lazari reſuſcitationem Maria & Martha, non neſcientes miraculum circa filium viduæ : & filiam Archiſynagogi à Chriſto faciliter perpetratum ; aſt ecce adductam ab eis rationem: *Quatriduanus eſt, jam fœtet.* Lazarus iſte animam denotabat, peccato inveteratam : *Inveteraverunt oſſa mea* ; unde & reſuſcitatio Lazari inter admirabiliora Salvatoris opera connumeratur, ſtudioſe ad vitæ terminum dilata, in evidentius divinitatis argumentum. Aſt circumſtantias obſecro contemplamini ; quanta ore, quanta opere, quanta Chriſtus præſtitit geſtibus, antequam mortuum hunc ad vitam revocaret, Sanctus Auguſtinus circa illa Pſalmi verba [ *gemitus compeditorum* ] ita diſcurrit : *Solvite inquit eum, ipſe Dominus de ſepulchro ſuſcitavit, ipſe clamando, animam reddidit ; cum audis hominem pœnitere peccatorum, jam revixit, cum audis, confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulchro eductus eſt.* Qui idem S. Doctor citatum Pſalmi verſiculum [ *inveteraverunt oſſa mea* ] ſequenti, ad propoſitum noſtrum peraccommoda illuſtrat gloſſa : *Remanſit in vetuſtate, qui noluit confitendo amare novitatem ; qui enim fiunt novi, noſtis fratres, qui beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

*Joan. 11. v. 39. Pſal. 31. v. 5. Pſ. 101. v. 21. S. Auguſt. ib. Pſal. 31. v. 3. S. Aug. ibid.*

*Pſ. 31. v. 5. S. Thom. ib. Ad virtutes debiles.*

14. *Inveteraverunt oſſa mea* Sanctus Thomas inquit : *Oſſa mea, id eſt, interior fortitudo defecit ; per oſſa, in quibus eſt fortitudo,* ſignatur *interior virtus.* Cui gloſſæ & illa conſonat Sancti Hieronymi, dum ait : *Oſſa, id eſt, virtutes inveteraverunt per peccatum.* A qua nec commentarium S. diſcrepat Remigij, inquientis : *Oſſa mea, id eſt, robur meum, ſcilicet virtutes & jeſtunia inveteraverunt, id eſt ; infirmata ſunt, & non potui vitijs reſiſtere.* Ecce vobis graviſſimum neglectæ aut nimium dilatæ confeſſionis diſpendium ; ita namque vigor & virtus, ad vitijs reſiſtendum neceſſaria, diminuitur, unde & Nazianzenus ait : *Ipſimet in nos inquiramus, magna vitij medicina eſt confeſſio & peccati fuga.* Id quod & S. Hilarius, dum illum Pſalmi verſiculum explanat [ *confitebor tibi Domine in toto corde meo* ] clare edocet, inquiens : *Maxima autem & utiliſſima eſt ſeibalium vitiorum morbis, in eorum confeſſione medicina.*

*S. Hieron. ib. S. Remig. ib. Naz. or. 15. Pſ. 137. v. 1. S. Hilar. ibi.*

*Frequens confeſſio fructuoſa.*

15. Quorſum Chriſtianis immoror, ijſque ſanctis auctoribus ; dum vel ſolum naturæ lumen gentilem docuit Senecam, ſeveram ſuiipſius reprehenſionem atque accuſationem, infallibilem eſſe proprium defectuum vindicem: *Hoc mihi ſatis eſt,* inquit ille ; *quotidie aliquid ex vitijs meis demere & errores meos objurgare.*

*S. Thom de Villa nova ibid.*

16. Quem eumdem frequentis confeſſionis fructum, tentationum ſcilicet victoriam, Sanctus quoque Thomas hiſce verbis nobis expreſſit, dum ait : *Probate obſecro, & videbitis, quanta ſit reformatio vitæ, quanta veniæ apud Deum fiducia, quod levamen cordis, quæ perſonæ mutatio, quanta denique utilitas in reſiſtentia peccatorum, in facilitate bonorum operum, in correctione morum, in devotionis augmento, in teneritudine Spiritus, in vivacitate intellectus, in puritate conſcientiæ, in lætitia animæ, in Spiritus pinguedine.*

*Hug. Card. ib. in Pſ. 31. v. 3.*

17. Hugo Cardinalis per inveterata à Davide adducta oſſa, virtutes intelligit animæ, per peccatum debilitatas : *Oſſa, id eſt, virtutes animæ per peccatum fractæ.* In tantum anima dæmoniacis valet reſiſtere aſſultibus, in quantum robore pollet virtutum, quod ſicuti peccatum flaveſcere, ita confeſſio reviveſcere facit ; ideoque citatus auctor ſimilitudinem adhibens vulneris, ſubjungit : *Quaſi dicat ; quoniam vulnera & fracturam oſſium non oſtendi medico, non ſum ſanatus, ſed eo periculoſior, quo eſt vetuſtior fractura :* Quoniam *quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Quibus dictus Eminentiſſimus auctor novum ſuperaddit taciturnitatis damnum, ſcilicet quod diabolicæ contra nos vires accreſcant mirabiliter, dum ſpirituales noſtras detegere negligimus plagas : *Hanc taciturnitatem procurat lupus ſpiritualis, id eſt, diabolus ; ne, ſi clamarent poſt eum, effugetur de cordibus eorum.* Verba Hugonis Cardinalis [ *per peccatum fractæ animæ* ] menti meæ ſuggerunt ſimilitudinem deſumptam à domeſtico regimine inter herum & ſervum, uſurpatam à Divo Apoſtolo Paulo in Epiſtola ſua ad Romanos. Cum enim ſervus non ſit ſui juris ; ſed in omnibus nutibus heri ſui ſe accommodare debeat, atque ita ambuſtæ & præciſæ ſint ipſi alæ libertatis, ut nuſquam quidquam ſine permiſſione Domini ſui patrare audeat, niſi aut ab ipſo fugiat, aut alius eum liberet ; ita quoque homini peccatis ſubjecto non liberum eſt facere quod libet, & virtutum requirit decus ac officium. Verba Apoſtoli ſic habent : *An neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum ; ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam, . . . Liberati autem à peccato,* per confeſſionem, *ſervi facti eſtis juſtitiæ. Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ, ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem : Ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* His verbis elegantiſſime à Dei viro & Doctore gentium deſcribitur triplex hominis ſtatus, Peccati, Medij quo à peccato liberatur, & fructus gratiæ. Homo namque peccator antequam regeneratur & per confeſſionem ſinceram ad Deum convertitur ; *ſervit immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, fructum autem habet in illis in quibus erubeſcit* in confeſſione. *Nam finis illorum mors eſt.* Peccata autem ita vinctum & ligatum illum detinent, ut ſine liberatore æternum captivus eorum manere debeat, nec proprijs viribus eorum vinculis ſe expedire poſſit. Ex enim adeo ipſi ſunt fractæ alæque ſucciſæ ut ſine aliena ope non avolare valeat. Venit ergo Chriſtus & Confeſſionem pœnitentialem Apoſtolos zeloſoſque ipſorum ſucceſſores docere & prædicare juſſit, mediante qua homo peccatorum vinculis liberatur, ipſique gratia Dei donatur, & beneficia per Chriſti Paſſionem comparata offeruntur ac applicantur. Hæc eſt via per quam à peccato fugimus, antiquo Domino noſtro, qui nos diu ſub tyrannica ſua poteſtate captivos tenuit, nec aliam mercedem pro ſedulo ſervitio dedit, quam mortem. Confeſſio vero ad alium Dominum nos transfert, cujus *jugum ſuave eſt, & onus ejus leve.* Fructus ſervitij & mancipatus ejus nobiliſſimus eſt, hereditas vitæ æternæ in altero, virtutum operatio in hoc ſæculo. *Nunc vero liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem . . . exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ, . . . finem vero vitam æternam.*

*Hebr. 8. v. 13. Damna non confitentium. Rom. 6. v. 16. Ibid. v. 18. Ibid. v. 19. Ibid. v. 19. Ibid. v. 21. Matth. 11. v. 30. Conf. fructus. Rom. 6. v. 22. Ibid. v. 19. Ibid. v. 22.*

Peccatorum evitatio.

18. Imo S. Thomas de Villa nova alium nobis frequentis contritionis fructum ob oculos ponit, dum evidentibus probat rationibus, beneficio ejus multa interimi peccata: *Quartus fructus eſt evitatio culpæ, nam ut ait Gregorius, peccatum, quod per pœnitentiam cito non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit. Evenire ſolet, ut, qui peccata commiſſa curare negligunt, quaſi rupto rationis & timoris muro, malitia & nequitia repleantur usque ad ſummum. Virtus noſtra ad reſiſtendum peccatis per ſe fragilis eſt; ſicut Propheta ait: Erit fortitudo veſtra ſicut favilla, & niſi juvetur à gratia, diu vitiorum impulſum ſuſtinere non valet.*

Vepres paſſionum extirpat.
Rom. 7. v. 19.

19. Corporis noſtri terra ad urticas, vepres & ſpinas paſſionum, motuum atque inordinatorum appetituum producendas condemnata fuit; ideoque conquerebatur Apoſtolus; *quod nolo malum, hoc ago* In harum peſſimarum herbarum extirpationem, Deus contritionis & confeſſionis ferrum ligonemque providit; ad quod intentum Beatus Petrus Damianus alludens, ita ſcribit: *Quapropter ſi inter uberes bonorum operum ſegetes, quas excolere non ceſſatis, quædam compungentium vepres ex illa fortaſſè preſſurarum radice naſcuntur; ſarculum protinus ſalutiferæ confeſſionis ac propriæ correptionis arripite, & viroſum germen de rure cordis veſtri radicitus extirpate.* Qua de re bene per Prophetam divina vox præcepit, dicens: *Novate vobis novale & nolite ſerere ſuper ſpinas. Quid autem ſit, quod præmiſit, mox aperit, cum ſubjungit: Circumcidimini, inquit, Domino & auferte præputia cordium veſtrorum viri Juda & habitatores Jeruſalem. Novale igitur novant, qui cordis agrum, licet jam ante proſciſſum, crebris adhuc piæ confeſſionis vomeribus ſulcant, & male læta paſſionum carnalium germina, quia ſemel exciſa renaſci ac pullulare non deſinunt, acuto ſemper propriæ correptionis & pœnitentiæ ligone recidunt.*

B. Petr. Dam. l. 8. Epiſ. 14.
Jerem. 4. v. 3.
Ibid. v. 4.

Pſ. 31. v. 3.
S. Brun. ib.

20. Diverſis usque modo in medium adductis, unicum adhuc dicti verſiculi: *Inveteraverunt oſſa mea:* Commentatorem auſcultare Sanctum Brunonem, non abs re fuerit; taliter diſcurrentem: *Inveteraverunt oſſa mea, id eſt, debilitata ſunt, ratio, liberum arbitrium, virtuteſque meæ, quæ oſſa pro ſui ſimilitudine dicuntur. Inveteraverunt, ponit à ſimilitudine veſtis, quæ quanto veterior, tanto debilior eſt.*

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Varia conſiderantur bona frequentis confeſſionis, vi cujus faciliter à peccatorum lepra emundamur, deque criminum venia certificamur.

## THEMA.

*Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus, ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione ejus.* Pſ. 95. v. 6.

B. Laur. Juſt. li. de ob. c. 15.
De diſc. & perf. mon. conv. c. 19.

1. CONfeſſioni Regius vates ſanctitatem conjungit & perfectionem: *Sanctimonia & magnificentia in ſanctificatione.* Omnes Doctores ſacri honoratiſſima certatim ſacramenti hujus conglomerant depromuntque epitheta & præconia. Beatus Laurentius Juſtinianus omnem quantumvis Neſtoris eloquentiam, hujus ſacramenti glorijs atque encomijs depromendis longe ſtatuit imparem eſſe: *Nemo valet ſacramenti hujus propalare præconia, & quantam homini conferat edicere gratiam.* Qui idem Sanctus alio in loco ad particulariora deſcendens, ſequentibus confeſſionem exornat titulis: *Delicti confeſſio veniam impetrat, gratiam promeretur, humilitatem nutrit, cælum aperit, iram Dei coercet, pacem reddit & offenſam majeſtatem cito propitiat, dummodo debito modo fiat.*

S. Bern. ſ. t. 2. ſer. 27. a. 3. Fructus. 12.

2. Sanctus Bernardinus Senenſis largas pariter confeſſionis diffuſus in laudes, duodecim ejuſdem aſſignat fructus, inquiens: *Primus fructus, eſt mentis illuminatio; ſecundus, miſericordiæ impetratio. 3. à morte ſuſcitatio. 4. à diabolo liberatio. 5. animæ purgatio. 6. cum Deo animæ pacificatio. 7. Conſcientiæ alteratio. 8. diaboli confuſio. 9. peccatorum remiſſio. 10. Pro peccatis ſatisfactio. 11. gratiæ augmentatio. 12. Dei glorificatio.*

Oſe. 10. v. 11.
S. Bonav. ſer. 5. in rogat.

3. Sanctus Bonaventura illum Oſeæ textum (*Arabit Judas, confringet ſibi ſulcos Jacob*) elucidans, maximũ aſſerit ex hujuſmodi cultura proventurũ fructũ: *Seminate vobis in juſtitia & metite in ore miſericordiæ. Judas interpretatur confitens; arare ergo eſt confeſſionis, confringere contritionis, ſeminare ſatisfactionis, & metere operationis. Si ergo fructum vitæ æternæ multiplicare vis ſemine bonis operis, oportet quod terra cordis aperiatur in principio vomere confeſſionis.* Pro quo dogmate ſtabiliendo teſtimonium adducit Sancti Auguſtini, inquientis: *Initium operum bonorum eſt confeſſio malorum operum.* Exilia protulimus; quid equidem diceretis, ſi humilem criminum confeſſionem integræ bonorum operum copiæ à Deo præferri aſſeverarem? *Charitas operit multitudinem peccatorum*; eadem eſt confeſſionis efficacia; cujus ut Aſſerti veritatem inſpiciamus, Phariſæum & Publicanum adeamus. Vitam degebat ille à mundana alienam vanitate: *Non ſum ſicut cæteri hominum.* Curſus annorum ejus binis hiſce polis innitebatur: *Declina à malo & fac bonum*: Nulla namque committebat latrocinia, nulla adulteria, exceſſum nullum, virtutum exercitijs vacabat, Eccleſiam frequentando, orando, jejunando, eleemoſynas largiendo; nihilominus impœnitentem reprobavit Deus. Publicanus autem, peccatorum ſordibus uſque ad aures immerſus, vix peracta ſincera confeſſione, *deſcendit hic in domum ſuam juſtificatus ab illo.* Nec immerito, quia teſte ſancto Auguſtino, *enumerationi meritorum præfertur confeſſio peccatorum.* Non modo autem confeſſio malas abolet operationes, ſed & merita recuperat omnium præteritorum bonorum operum, peccato deperdita, eaque conſervat, unde Sanctus Thomas de Villa Nova: *Sextus fructus eſt conſervatio meritorum, nam dum homo eſt in peccato, bona opera ei nihil conferunt ad gloriam, ſed vitam cum operibus perdit; cum enim ipſe ſit abominabilis, ejus opera Deo non placent, & quanta perditio hæc? Si autem ſtatim confiteatur & exeat à peccato, totum quod vivit, lucratur & Dei amicus efficitur.*

S. Auguſt.
Confeſſio & charitas eadem operantur.
Luc. 18. v. 11.
1. Petr. 4. 8.
Pſ. 36. v. 27.
Luca. 18. 14.
S. Aug. l. de ſan. vir. c. 32.
S. Thom. de Villa nov.

Confeſſionis bona Norimbergenſes di dicerunt.
Dom. Soto in 4. diſt. 18. q. 1. a. 1.
Oſ. 10. v. 13.

4. Poſſumus etiam à poſteriori in manifeſtam devenire immenſorum ſacramenti hujus bonorum notitiam, innumerabilia conſiderando mala, certo certius eventura, niſi Deus ſacramentum hoc provide inſtituiſſet. Tempora loquantur Lutheri, quæ peſtiferis errorum ſcelerumque herbis infecit rariſſimus, qui tunc inter Chriſtianos languebat confeſſionis uſus; cui malo ut mederetur Concilium Tridentinum, univerſale, ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ, pro omnibus edidit confeſſionis annuæ decretum. Et quidem ne ad particularia deſcendam, qualiter univerſim, omni abſque rubore, quibuſcumque vitijs laxarentur habenæ, ſi confeſſionis deficeret neceſſitas. Famæ atque bonorum reſtitutio, tot converſiones, tot morum vitæque converſiones, votorum ac juramentorum executio, tot bonorum propoſitorum executiones, injuriarum remiſſiones, inveteratorum odiorum extinctiones, illicitorum contractuum reſciſſiones, tot malorum operum extirpationes, tot bonorum executiones cui adſcribi debent, niſi ſacræ confeſſioni? Veritatem hanc, ut Dominicus Soto atteſtatur, quondam diſpendio ſuo dedicere Norimbergenſes hæretici, qui ut irreparabilia Reipublicæ damna, à tempore hæreſis, ob confeſſionis defectum ingruentia, præpedirent, ne gliſcerent ulterius, Carolo Quinto ſupplicarunt, ut ad coercendum innumerabilium ſcandalorum exceſſuumque impetum, omnibus confeſſionis reimponeret præceptum. Merito ijs exprobari poteſt illud Oſeæ: *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis.*

S. Ludovici conſilium circa confeſſ.
An. Rayn. an. 1274. num. 14.
B. Laur. Juſt. de ob. c. 15.

5. Aureum cordibus noſtris imprimendum foret illud Sancti Ludovici, filio, ſucceſſori in regno, datum conſilium: *Moneo te, frequenter confiteri, & quod diſcretos & honeſtos tibi eligas confeſſores, qui te ſciant docere, à quibus ſit tibi cavendum, & quæ te facere ſit neceſſè, & tu ad confeſſores tuos te habeas tam modeſte, ut ipſi & amice & ſecure reprehendere audeant.* Cognoſcebat utique Rex ſanctiſſimus, quantam communi bono utilitatem, quamque egregium populis exemplum præſtaret frequens Regis confeſſio. *Oris autem pia confeſſio*, inquit Beatus Laurentius Juſtinianus, *eſt perficienda, quam procul dubio quanto quis exercuerit frequentius, tanto erit Deo propinquior, ſui interioris hominis perſcrutator clarior, ad virtutum exercitia alacrior, ad reſiſtendum peccato robuſtior, ad miſericordiam promerendam aptior, atque ad percipienda chariſmata meliora habilior.*

Sufficiens materia invenitur ſemper.
S. Aug. in Pſ. 99.

6. Cum quantacumque accurata diligentia atque examine noſtram diſcuſſerimus conſcientiam ſemper nihilominus nova ſe offeret clavibus ſubjicienda materia, dicente Auguſtino ſancto: *Semper confitere, quia ſemper habes, quod confitearis; difficile enim eſt*



*eſt in hac vita, ut ſic homo mundetur, ut nihil inveniat in ſe, quod confiteatur.* Nemo namque dubitat, quin examinis frequentia memoriam acuat peccatorum, majus ingerat ſcelerum noſtrorum gravitatis lumen & cognitionem, perfectiorem criminum deteſtationem; ſalutaria multiplicet patrum ſpiritualium conſilia, curſum aſſecuret ſalutis æternæ, inoffenſo nobis pede viam terentibus legum divinarum: præterquam quod bona Confeſſariorum directio inſidias detegat aſtuti ſerpentis, qui dum technas ſuas innotuiſſe fremit, omni exuitur vigore. Hoc itidem medio, bona irrevocabiliter ſtabiliuntur propoſita, donum comparatur perſeverantiæ in bono, pœnæ minuuntur temporales tam in vita præſenti, quam poſt mortem in purgatorio, ita etiam ut quis bonam & frequentem inſtituens confeſſionem, integram valeat hac in vita præſtare ſatisfactionem; ideoque S. Bernardinus ait: *Commiſſio clavium data eſt ſacerdoti; cum clavi purgat te & a multis pœnis peccatorum, quas pati deberes in hoc vel in alio mundo*: Moxque ſubjungit Sanctus: *Potes habere tantam verecundiam in confeſſione, quòd Deus remittat peccata & pœnam ſicut fecit in Magdalena.* Inſuper conſcientiam confeſſio frequens pacat, quietat, tranquillam atque ab omni immunem efficit remorſu, ejus neglectu contrarios penitus operante effectus. Deinde quis neſcit recentes maculas facilius elui, quàm inveteratas.

S. Bern. T. 4. ſerm. 20. parte principali.

7. Alios inter quos in Auctoribus reperi, ſingulariter mihi arriſère illi, quos confeſſioni à B. Laurentio Juſtiniano vidi attribui titulos, dum ait: *Peccatorum aſſidua confeſſio, charitatis eſt index, humilitatis germen, gratiæ radius, electionis præſagium, conſcientiæ decus, compunctionis filia, ſpei mater, orationis præcurſor, & reſolutionis corporis expectator intrepidus.* Thomas Cantip. teſtimonium adducit Senecæ Moralis, inquiens: *Quid autem & Philoſophus de confeſſione peccatorum videatur dicere, in medium proferamus.* Moxque quamdam citat ejusdem in hæc verba epiſtolam: *Proximum, inquit, ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſſio. Somnium narrare vigilantis eſt; & vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt.* Certiſſimum eſt, nullam penitus mundi medicinam, etiamſi omnium haberemus herbarum, lapidum, metallorum, animaliumq; virtutis notitiam; etiamſi perfectiſſimâ polleremus Adami ac Salomonis ſcientia, tantâ cum celeritate & certitudine morbos ſanare corporeos, quemadmodum cœleſte hoc confeſſionis antidotum ſpiritualibus medetur, quantumcumque mortiferis animarum infirmitatibus. *Id ſolum quæro, id ſolum ſcire, volo*, Inquit Sanctus Iſidorus, *id noſſe tantum modo cupio, ſi eſt ſpes in confeſſione, ſi eſt fiducia, ſi eſt remiſſio, ſi eſt venia?* moxque ſibi reſpondens, ſubdit: *Eſt planè, eſt prorſus, eſt utique, eſt profecto, eſt proculdubio; confeſſio ſanat, confeſſio juſtificat, confeſſio peccati veniam dat. Omnis ſpes in confeſſione conſiſtit, in confeſſione miſericordia eſt. Certiſſimè igitur crede, nullo modo hæſites, nullo modo dubites, nullatenus de miſericordia deſperes; habeto ſpem in confeſſione, habeto fiduciam, non deſperes remedium ſanitatis; qui enim veniam de peccato deſperat, plus ſe deſperatione, quàm de commiſſo ſcelere damnat.*

Th. Cant. l. 2. c. 20. n. 14.
Epiſt. 45.
S. Iſid. l. 1. Synon.

Luc. c. 15. 18.
S. Ambr. l. 7. ibid.

8. S. Ambroſius illam filij prodigi (*peccavi in cælum & coram te*) confeſſionem perpendens, *hæc eſt prima confeſſio*, inquit, *apud authorem naturæ, præſulem miſericordiæ, arbitrum culpæ. Sed etſi Deus novit omnia, vocem tamen tuæ confeſſionis expectat, ore enim confeſſio fit ad ſalutem; quia allevat pondus erroris, quisquis ipſe ſe onerat, & accuſationis, excludit invidiam, qui accuſatorem prævenit confitendo.*

Lepram ſanat.
S. Bonav. ſer. 5. in die Rog.
1. Joan. 1. v. 9.

9. Tantò deformior atque execrabilior eſt ſpiritualis animæ lepra præ corporali, quantò magis Deus animæ quàm carnis abominatur corruptionem & putrefactionem; quanta autem hæc prærogativa eſt, nos à deterrimo hoc morbo per unicum verbum liberari poſſe: *Dic tantum verbo?* vel unicum *abſolvo te*, animam ob omni hujusmodi eximit infectione. *Per confeſſionem*, inquit S. Bonaventura, *liberamur à malo culpæ, miſeriæ & gehennæ. 1. Joan. 1. Si confiteamur peccata noſtra fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate, O quam ſtultus eſſet leproſus, qui ſe proprijs verbis curare poſſet, & non faceret? Et certe peccator leproſus eſt coram Deo & Angelis, qui propria confeſſione curatur, & quandoque deſiderio confitendi. Ite & oſtendite vos ſacerdotibus; & factum eſt, dum irent, mundati ſunt.* Porro quam infallibilem lepræ hujus curam præſtet confeſſio, à S. Chryſoſtomo audire non diſpliceat: *Confeſſio peccatorum*, inquit ille, *abolitio etiam eſt delictorum. Quod ſi Lamech ille ſuis mulieribus cædes à ſe commiſſas detegere & confiteri non refugit; quali erimus venia digni, ſi ei, qui omnia noſtra accuratè novit delicta, confiteri peccata nolumus?* Suam Conſtantinus curaturus lepram, de medicorum conſilio balneum ſibi ex occiſorum infantium ſanguine parare jubebatur: aſt quanto majori cum facilitate, fœda culpæ eluitur lepra? *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Non humani nobis ſanguinis opus eſt balneo, ſed ſuperficiali dumtaxat vultus rubore.

D. Chryſ. ho. 20. in Gen.
Pſal. 50. v. 9.

10. S. porro Gregorius celeritatem facilitatemque conſiderans, quâ mortales conſcientiarum noſtrarum plagas curat confeſſio, in illo ſpalmi commentario (*dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei*) ſequentem format diſcurſum: *Qui autem impietatem cordis ſui ſubdidit, quia cogitationum injuſtitias pronunciare vellet, indicavit. Dumque ait: Dixi: pronunciabo, atque illico adjunxit, & tu remiſiſti; quam ſit ſuper hæc facilis venia, oſtendit: Et dum ſe adhuc petere promittit, hoc quod petere ſe promittebat, obtinuit.* Naaman Syrus ſepties in Jordane lotus, non modo lepræ abſterſit ſorditiem, ſed carnem inſuper induit mundiſſimam, inſtar infantis: *Omnia in figura contingebant illis*: Eos namque deſignabat leproſus iſte, qui iterum iterumque ſalutaribus ſe abluunt pœnitentiæ aquis ad exemplum illius, qui dicebat: *Amplius lava me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me. Quaſi diceret*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *jam quidem per Nathan Prophetam, remiſſionem mihi dediſti, verum abſolutionibus adhuc opus habeo, rurſus me ablue, ut omnes peccati ſordes abradas: Homicidium fecit & adulterium, lachrymas autem præbuit & confeſſionem:* tanta autem confeſſionis ejus fuit efficacia, ut Deus ipſe de Davide loquens, proteſtatus fuerit: *Inveni hominem ſecundùm cor meum*; tantam ille munditiam & puritatem media confeſſione acquiſierat, ut formoſiſſimus appareret coram illo, qui eſt *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula.*

Pſ. 31. v. 5.
S. Greg. p. 3. admon. 30.
Veniam impetrat.
4. Reg. 5. v. 14.
Pſ. 50. v. 4.
D. Chryſ. T. 3. h. 2. in Pſ. 50.
Actor. 13. v. 22.

Quotidie manus lavas, cur non animam.
Pſ. 50. v. 4.

11. Ingenioſum mihi occurrit reſponſum, certo homini datum, qui ſe à frequenti confeſſione abhorrere aſtruebat, ob quotidianam in eoſdem defectus recidivam; qui prudentiſſimum hoc tulit reſponſum: Si quotidie manus commaculans, quotidie eas abluis; quâ tu ratione aut fundamento, minorem circa abſtergendas animæ ſordes curam impendendam concludes? Quin potius vel propterea omnibus incumbit, ut ſupplicemus: *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Heu pudor! horremus illotum Eccleſiæ inferre vultum, & de conſcientiæ maculis cura nulla eſt. Vos ego interrogo, quotquot confeſſionem procraſtinare volupe eſt; ſi intra unius anni curſum, mille ſcuta exolvere teneremini, annon facilius omni à debito vos eximereris, aliquam pecuniæ partem ſingulis menſibus ſolvendo? utique, ſi igitur hæc rei veritas eſt, concluſionem veſtræ relinquo ſtatuendam prudentiæ.

Gen. 18. v. 20.
D. Chryſ. t. 1. ho. de Sod.
Citò & ſæpe confitendum.
Pſ. 76. v. 7.

12. Sanctus Chryſoſtomus illum ſacræ ſcripturæ textum (*peccatum eorum aggravatum eſt nimis*) de nefando populorum pentapolim incolentium flagitio tractantem, ponderans, *tale eſt*, inquit, *peccatorum debitum, ut, ſi ſoliciti ſimus ad ſolvendum, leve ſit; ſin negligentes, erit graviſſimum.* Cui vel ipſa ſuffragatur naturalis ratio: nullo ignorante vulgare illud medicinæ axioma: *Serò medicina paratur; cum mala per longas invaluere moras.* Neutiquam expectandum eſt, usque dum vulnus inveteratum, medicaminum illudit præſidia, ſola ſanandum morte. Accommodatiſſimam regius Vates nobis exhibet ſimilitudinem, inquiens: *Exercitabar & ſcopebam Spiritum meum.* Sicuti enim domus, per 6. 7. menſes aut annum, ſcopis non expurgata, impletur pulvere, telis inſternitur aranearum, vermes producit & alias beſtiolas, corruptionem generat & putredinem, ita pariter & anima, quæ rariſſimum conſcientiæ ſuæ inſtituit examen multoque tempore confeſſionem differt peccatorum.

Conf. efficacia.
Job. 42. v. 5.

13. Job die quadam è miſeriarum ſuarum luto caput protendens, ad Dominum converſus, dicebat: *Nunc autem oculus meus videt te.* Undenam hæc cognitio, unde tantum Dei lumen? à conſcientiæ examine, ab errorum confeſſione. *Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.*

Ggg 4 14. Exi-

S. Bonav. l. 6. c. 21.

14. Eximijs hucuſque agglomeratis ſacramenti pœnitentiæ præconijs, paucula hæc veluti pro coronide, adjicienda duxi, quæ Seraphicus Doctor de ſacramentorum virtute tractans, efficaciæ confeſſionis attribuit encomia, dum ait: *Hæc eſt, quæ Angelos lætificat, impium juſtificat, amiſſa bona revocat, vitam æternam donat, pœnam æternam vitat.*

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Confeſſio ſpecies eſt ſacrificij, Deum placat, nos à temporalibus quandoque eripit ſupplicijs, novis ditat gratijs, ſecura ad cœlos ſemita.

### THEMA.

*Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus.* Pſalm. 50. verſ. 19.

Confeſſio Deo gratum ſacrificium.
S. Aug. in Pſ. 4.
Pſ. 4. v. 6.
Pſ. 50. v. 19.
B. Petr. Dam. ſer. de S. Mich.

1. REgius Vates pœnitentiæ & peccatorum confeſſionis, quæ Deo, ejuſque in terris vicario ſacerdoti cum vera compunctione exhibetur, laudes deſcripturus, reliquos inter titulos, egregium ei attribuit Sacrificij, dicens: *Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Deus confitentem non modo non rejicit atque aſpernatur, ſed etiam ſacrificij atque gratiſſimi holocauſti loco ipſum ſuſcipit & amplexatur. *Nihil Deo gratius eſt*, inquit B. Petrus Damianus, *quam confiteri & accuſare, quod feciſti.* Neque in hoc dumtaxat loco Pſalmiſta, quemadmodum Sanctus Auguſtinus advertit; ſed & in alijs, pœnitentiam ſacrificij titulo honorat, dum ait: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ. Idem dicit in alio Pſalmo: Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus; quare non abſurde hic accipitur ipſum eſſe ſacrificium juſtitiæ; quod fit per pœnitentiam*; cujus hanc immediate ſubdit rationem: *Quid enim juſtius, quam ut ſeipſum puniens, mactet Deo?*

Alc. ep. 71.
Hoc obtulit David.

2. Alcuinus non aliud Davidem, in adulterij & homicidij ſui expiationem, notat obtuliſſe ſacrificium, quam confeſſionem; proindeque ait: *Homini patefecit vulnus ſuum, & à Deo mox accepit remedium; nam & in Levitico ſæpiſſime Domino mandante peccator ad ſacerdotem mittitur cum victima, quam offerens Deo oret pro eo, & dimittatur ei.* Moxque victimarum & ſacrificiorum pro peccatis noſtris offerendorum exhibet qualitatem, inquiens: *Quæ ſunt noſtræ victimæ pro peccatis noſtris commiſſis, niſi confeſſio peccatorum noſtrorum? Quam purè Deo per ſacerdotem offerre debemus: Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum.* Victimæ ante ſacrificium jugulantur, qualiter autem unaquæque anima Chriſtiana ſuas ſpiritualiter ante ſacrificium debeat enecare victimas, clare eamdem hic edocet verbis Origenes:

Orig. in c. 9. Exod.
NB.

*Habeat in ſe defixum altare, in quo continentiæ cultro, ſuperbiam quaſi taurum immolet; iracundiam quaſi arietem jugulet, luxuriam & omnem libidinem, tamquam hircos & hædos litet.*

Efficacia Confeſſion.
B. Laur. Juſt. de Ob. c. 15.

3. Parabolam de filio prodigo benigniſſimus noſter compoſuit Salvator, ut peccatores omnes medium edoceret pertingendi ad pœnitentiam. *Cujus oro* (inquit B. Laurentius Juſtinianus) *peccatoris ferreum pectus ad compunctionem non emolliant narrationis iſtius eloquia ſancta, in quibus affluentiſſime elucet, quantæ apud Deum ſit efficaciæ ſacrificium hominis, culpam propriam agnoſcentis, facinora confitentis & indulgentiam ex animo ſincero à Domino ſupplicantis.* Quo ſacrificij epitheto Doctores plurimi S. Magdalenæ converſionem honorant & pœnitentiam; *Novum & inauditum genus oblationis & ſacrificij*, inquit Cajetanus; *pro peccatorum venia adinvenit hæc mulier, procul dubio à Spiritu Sancto inſpirata.* Lex equidem vetus ſacrificia & victimas deputat in variarum tranſgreſſionum expiationem; aſt ipſa in gratiæ ſtatu novam reperit methodum delicta abolendi, dum ſe illius advolvit pedibus, cui dicitur, *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus*, ſuorum cum lachrymis inſtitutura peccatorum confeſſionem.

Cajetan. in Luc.

Item. S. Greg.
Pſ. 49. v. 14.

4. Inſigne quoque eidem pœnitenti hocce tribuit encomium Sanctus Gregorius: *Quot de ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta.* Porro ubi nos legimus: *Immola Deo ſacrificium laudis.* Hebraica habet verſio: *Confeſſionis.* Sicut & in Oſea, ubi ut ſupra diximus, ſacramentalis prædicitur confeſſio, ubi noſtra vulgaris vertit: *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, Interlinearis legit: *Placabilis hoſtia eſt Deo pura confeſſio.* Cui propoſito ſtabiliendo illa Sancti Auguſtini deſervit contemplatio, quam circa ſubitaneam Davidi, ſuum homini Nathan peccatum confitenti, conceſſam indulgentiam inſtituit, qui vix confeſſionem emiſerat, moxque audire meruit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Quapropter S. hic Præſul ſtupore plenus, exclamat: *Tres ſunt ſyllabæ, peccavi: Sed in tribus ſyllabis, flamma ſacrificij coram Domino aſcendit in cœlum.*

Oſ. 14. v. 3. Interl.
2. Reg. 12. v. 13.
S. Auguſt. h. 41.

Deum reddit propitium.

5. Sacrificium virtute pollet divinam propitiandi clementiam, eadem & confeſſioni ineſt efficacia. Quot equidem modis degener ſeu prodigus filius paternum in ſe exacuerat furorem? ſubſtantiæ, honoris & paterni jactura reſpectus, dum vitam duxit carnalem cum meretricibus, dum ad indelebile ſtemmatis ſui probrum, inſtar mancipij, infamem egit ſubulcum: Nihilominus vix ſcelerum ſuorum aggreſſus confeſſionem, taliter ſibi patrem conciliavit atque placabilem reddidit, ut *ceciderit ſuper collum ejus. Confeſſionis meditatio*, inquit S. Gregorius Nyſſenus, *placavit patrem, ut obviam iret ei, & oſcula oris conferret.*

Luc. 15. v. 20.
S. Greg. Nyſſ. in cat.

S. Bonav. de ſacr. virt. l. 6. c. 21.
Conf. potentia.
S. Bonav. ſer. 5. de Rogat.

6. S. Bonaventura quamdam Sancti Bernardi adducit ſententiam, inquiens: *O bona ſpes confitentium, quam potens es apud Omnipotentem, quam facile vincis invincibilem, quam cito tremendum judicem convertis in piiſſimum patrem?* Qui idem Seraphicus Doctor alio in loco in confeſſionis laudem ita diſcurrit: *Per confeſſionem, inveniemus faciem Chriſti placatam, portam cœli reſeratam, coronam regni magnificatam.* Neſcio, ſi reflectionem umquam feceritis ad eos, quibus David filium ſuum Abſalonem, ab exilio reducem, conſtrinxit humaniſſimis amplexibus: *Oſculatusque eſt Rex Abſalon*; neque defuit filius in diverſis obſequij & ſubmiſſionis actibus erga patrem; non tamen vel unicum delicti ſui excuſationis aut confeſſionis legitur protuliſſe verbum; peſſimum profecto ſignum. Ex alia parte effrenis ille filius, cujus paulo ante meminimus, videns ſe egeſtate conſumptum, ad patrem recurrere ſtatuit; delicti veniam poſtulaturus; neque ſpem fefellit exitus, ſiquidem pater ipſum ingenti cum jubilo excipiens, *oſculatus eſt eum.* Aſt differentiam notate; hunc namque peſſimæ ſuæ pœnituit vitæ; *in ſe autem reverſus*; hic ſua confeſſus eſt flagitia: *Ibo ad patrem meum & dicam ei; Pater, peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Indicium præclariſſimum. Uter autem in bono perſeveravit, an Abſalon an filius ille prodigus? Nihil de hoc attinet dicere, quandoquidem Spiritus Sanctus maximam Abſalonis in patrem ingratitudinem atque impietatem, uſque ad mortem continuatam, ediſſerit abunde; qui dignam obſtinato confeſſioniſque inimico animo, obtinuit in agone mercedem.

2. Reg. 14. v. 33.
Luca. 15. 20.
Ibid. v. 17.
Ibid. v. 18.
Ibid. v. 19.

S. Bonav. ib.
Dei vindictam avertit.

7. Sanctus Bonaventura de ſacramentalis pœnitentiæ diſcurrens emolumentis, *confiteantur ſincere* inquit, *qui pœnam æternam & quandoque temporalem volunt evadere*, ſanctumque citans Auguſtinum, hanc ejuſdem adducit ſententiam: *Peccata tua, ſive magna, ſive parva ſint, impunita eſſe non poſſunt: quia vel homine pœnitente, vel Deo vindicante plectuntur; ceſſat autem divina vindicta, ſi confeſſio præcurrat humana.*

Supplicia arcet.
Joel. 2. v. 17.
Ibid. v. 12. 13.
Ibid. v. 19.
Ibid. v. 24.
Ibid. v. 25.

8. Plurima autem ſupplicia temporalia abolet, Deo oblatum confeſſionis ſacrificium. Teſte Joele amariſſimis quondam lacrymis altaria humectarunt, ut imminentem averterent pœnam, cum populis ſacerdotes: *Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes: ... convertimini ad me in toto corde veſtro, in fletu & in planctu, & ſcindite corda veſtra.* Quis autem fuit hujus pœnitentiæ fructus? *Reſpondit Dominus & dixit populo ſuo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum; & replebimini eis, & non dabo vos ultra opprobrium in gentibus.* Quam ob cauſam in publicis annonæ, peſtis, belli, aliarumque ſimilium calamitatum neceſſitatibus, ad peccatorum confeſſionem atque ad orationem invitamur: *Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo; Et reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus & rubigo.* Neque ſolum ad pœnarum abolitionem, ſed etiam ad meritorum, quæ peccatum deſtruxerat recuperationem, vis atque efficacia ſeſe extendit confeſſionis, in hujus namque ſacramenti virtute *reviviſcunt* omnia. In mentem vobis veniat miſeranda illa tragedia, quando vindex divinæ



divinæ juſtitiæ gladius Jeruſalem devaſtans, breviſſimo temporis ſpatio, ſtragem edidit hominum ſexaginta millium. Furebat vindicta; aſt ſuam vix inchoarat David confeſſionem (*ego ſum, qui peccavi; ego inique egi.*) Et furentem Angelus recluſit mucronem; quia nimirum tunc Dei adverſum nos ceſſant ſupplicia, dum noſtrorum, Deum irritantium, incipit delictorum confeſſio.

2. Reg. 24. v. 17.

Ann. Rayn. 1254. n. 18.

9. Zelantiſſimus Rex Sanctus Ludovicus non neſcius vel ab unius peccatoris malitia, navis dependere interitum, nihil urgebat inſtantius, quam ſinceram nautarum cum Deo reconciliationem, crebramque confeſſionem: *Inter cætera dixit eis verbum notabile & memoria dignum; videlicet, quod ſi interim, dum unus nautarum confiteretur peccata ſua, navis officio ſuo forſitan indigeret; ego, inquit rex, libenter manum meam apponam, ſive ad cordam trahendam, ſive ad aliquid aliud faciendum.*

Levit. 26. v. 39. & 40.
Infirmitates pellit.
L. 5. c. 5. n. 1. & 2.

10. Sanctus Bonaventura ex illo Levitici textu (*propter peccata patrum ſuorum & ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas*:) ſequentem elicit doctrinam: *Unde afflictis per infirmitates & quaſcumque alias adverſitates, ſemper conſulendum eſt in principio, ut ſincere confiteantur peccata ſua, ſæpe enim propter peccata affliguntur. Confeſſio autem non ſolum contra infirmitates corporis, ſed etiam animæ valet.* Neque exempla deficiunt, ſed extant propemodum innumera è quibus, brevitatis amore, unum alterumve proferre ſuffecerit. In vita Sancti Philippi Nerij traditur, Torquatum de Comitibus, gravi preſſum morbo, Cardinalis Tauruſij rogatu, peccata ſua Sancto Philippo Nerio confiteri voluiſſe, ſpe ſanitatis recuperandæ. Accerſito itaque viro Dei, vix Torquatus mediam attigerat peccatorum confeſſionem, moxque ſe priſtinæ reperit ſanitati reſtitutum. Ex oppido Palumbariæ, non procul ab Urbe diſſito, ruſticus Romam ſe contulit, graviſſimo afflictatus morbo, Sanctum Philippum rogaturus, ut ſibi ſanitatem impetret, cui vir ſanctus unicum præſcripſit confeſſionis remedium, cui ut paruit infirmus, mox ſurrexit ſanus.

S. Bonav. d. ſac. virt. c. 22.
Deo reconciliat.
Theod.

11. Sacrificia meritorum nobis gratiæque divinæ conciliant poſſeſſionem, eamdem impetrat & confeſſio, dicente Bonaventura ſancto: *Per pœnitentiam abſolvitur homo à peccato, reſtituitur Eccleſiæ, reconciliatur Deo, donis ſpiritualibus ditatur.* Celebris circumfertur Sancti Ambroſij ſententia, nullum non peccatorem ad culparum confeſſionem extimulandum perquam efficax, dum ait: *Plus acquiſivimus, qui plus peccavimus; quia beatiores facit tua gratia, quam noſtra innocentia.* In lege veteri holocauſta offerre conſueverant homines reliquis innocentiores, perfectiores, ſanctiores; nihilominus in uno eodemque loco omnes illæ conſecrabantur victimæ, cujus myſterij hanc nobis rationem aſſignat Theodoretus: *Ad demulcendos peccatores, ut cognoſcant ſe non eſſe alienos à ſanctis; cum per pœnitentiam ſanantur.* Nullum diminuitur, ſed maximum potius nobis per confeſſionem affertur lucrum.

S. Hier. l. 2. ep. 10.
Perdita reſtituit.

12. Accomode ad propoſitum noſtrum Sanctus inquit Hieronymus: *Juſtitia juſti non liberabit eum, in quacumque die peccaverit, & iniquitas iniqui non nocebit ei, quacumque die converſus fuerit*; moxque huic Sanctus reſpondens propoſitioni, ſubjungit: *Septies cadet juſtus & reſurget; ſi cadit quomodo juſtus, ſi juſtus, quomodo cadit? Sed juſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit.* Duas porro idem S. Doctor adducit ſimilitudines, quibus evincit, per pœnitentiam omnia culpæ damna reſarciri. Primam deſumit à campo, qui cum antehac vepres produxit & urticas, hodie induſtria agricolæ excultus, abundantem profert fructum, tantaque repletur fertilitate, ut maximo apud Dominum in pretio habeatur; flocci æſtimatus temporibus præteritis. Secundam fundat in milite, qui primitus timore perculſus, terga vertit hoſti, aſt ignominioſæ poſtmodum puſillanimitatis impetu conſtrictus, hoſtem reaggreditur, caſtra repetit, intrepidus confligit, victorijs clarus: Ita pariter plurimos reperire fuerit, quos ſpiritualis præteritus caſus ad majorem extimulat divini ſervitij ardorem & curſum indefatigabilem, in via ſpiritus & perfectionis cum emolumento maximo. Ecce vobis ſimilitudinem peraccommodam. Legatus v. g. quiſpiam duos ab urbe Neapolim mittit curſores propter negotium urgens, ordine utrique dato, ut tali & tali appellant hora: Diſcedit uterque, aſt unus illorum per viam ſomno opprimitur, qui poſtea erroris pœnitens, tanta cum celeritate reſiduum conſummat itineris, ut diu præveniat alium, qui in continuo fuerat motu: Male equidem ille fecit obdormiendo, aſt uter accuratius Domino meliuſque præſtitit ſervitium? Utique, qui appulit primus: Anima innocens, nullius umquam rea delicti, dicere valens: *Viam mandatorum tuorum cucurri*; maximi equidem æſtimanda eſt; nihilominus anima pœnitens, quæ ſuo adacta fervore, in via perfectionis, palmam eripit primæ, non minus, imò magis accepta ſit Deo: *Ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.* Dicta ſtabiliat S. Ambroſius per eum, quem de Davidis caſu tractans, in hæc verba format diſcurſum: *Sancti autem Domini, qui conſummare pium certamen geſtiunt, & currere curſum ſalutis; ſicuti fortè, ut homines, corruerint, naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine; acriores ad currendum reſurgunt pudoris ſtimulo, majora reparantes certamina; ut non ſolum nullum attuliſſe æſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulaſſe.*

Pſ. 118. v. 32.
Luc. 15. v. 7.
S. Ambr. Apol. 1. c. 2. de David.

Pſ. 4. v. 6.
Spem facit.

13. Pſalmiſta nos ad confeſſionem exhortaturus, *ſacrificate*, inquit, *ſacrificium juſtitiæ*, ſed non quomodocumque, quoniam immediatè ſubjungit: *Et ſperate in Domino*; confeſſio namque ſpem noſtram vivificat, utpote Paradiſi porta, via regia & recta ad cœlos ſemita.

Cœlum aperit.
S. Thom. de Villa nova in D. 4. Q.
B. Laur. Juſt. de caſt. con. c. 13.

14. S. Thomas de Villanova diverſos enumerans frequentis confeſſionis fructus, reliquos inter ſtatuit & ſequentem: Alius fructus eſt *augmentatio gratiæ hic, & poſtmodum gloriæ, nam cum ſacramentum ex opere operato gratiam conferat; quoties dignè ſuſcipitur, toties gratia augetur, & ex conſequenti gloria.* S. quoque Laur. Juſtin. inquit: *Cœlum aperit.*

Confeſſio cœlum aperuit latroni.
B. Laur. Juſt. l. de ob. c. 15.
Matth. 27. v. 44.

15. Obſervaſtiſne umquam, quis omnium primus puros inter homines pedem intulerit Paradiſo: Non Adam, non Abraham, non David, non claviger Petrus, non maximus inter natos mulierum Joannes Baptiſta; quis igitur? Sceleratiſſimus quidam latro, qui à Redemptore audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Aſt unde omnes inter electos ſingulariſſimum hoc meruit privilegium? Reſponſum accipite à Laurentio Juſtiniano: *Facinora ſua in cruce confeſſus eſt latro, & poſt paululum, cœlorum adeptus eſt regnum.* Chriſto Calvariæ montem conſcendenti inimicus erat, *idipſum & improperabant ei duo latrones.* Aſt ut primum confeſſus fuit, ſuum Chriſtus ſibi aſſumpſit ſocium in cœleſtis regni introitum; nec immeritò, quia ut Juſtinianus jam citatus ſcribit, confeſſio *purgat ſordes, relaxat facinora, infundit lumen & efficit de inimico cariſſimum.* Cui & illa B. Petri Damiani ſententia: *Hæc* (ſcilicet confeſſio) *eſt via communis ad Deum, primam reddit innocentiæ ſtolam. In hoc felix ille volutatus eſt latro, qui brevi ponte crucis, de patibulo in regnum, de ſupplicio ad Paradiſum tranſlatus eſt.* Quam eamdem conſiderationem, multo ante tempore formatam, hiſce verbis Sanctus expreſſit Auguſtinus: *Vidiſti confeſſionem perfectam? vidiſti, quomodo ſe in cruce exuat à peccatis? Non eſt auſus ante dicere, memento mei Deus, quam per confeſſionem iniquitatis præteritæ, ſarcinam peccatorum deponeret*; quibus præmiſſis, confeſſionem poſtea deprædicat, dicens: *Vide, quanta res ſit confeſſio: Confeſſus eſt, & Paradiſum aperuit, confeſſus eſt, & tantæ fiduciæ robur accepit, ut de latrocinio regnum depoſceret.* Idem quoque Sanctus in quodam ſermone ad fratres in eremo, exclamat: *O ſancta atque admirabilis confeſſio! tu obſtruis os inferni & aperis Paradiſi portas.*

B. Petr. Dam. er. 1. in dedic. Eccl.
Ejus utilitas.
S. Auguſt. ſer. in Paraſc.
Ser. 30. ad frat.

Pſ. 99. v. 4.
S. Bonav. ſer. 5. de Rogat.
Nil ſervat pro judicio.

16. S. Bonaventura illa Pſalmiſtæ verba, *introite portas ejus in confeſſione*, diſcutiens, in ſequentem ſeſe diffundit diſcurſum: *Portam cœli apertam invenies ad introeundum in evolatione; ſi porta cordis tui os tuum nunc plenè apertum fuerit in confeſſione; nihil remanebit, in judicio, quod fuerit per confeſſionem purgatum.* Moxque boni adducens exemplum latronis, ſubjungit: *O confeſſio illibata! tanto pondere appenſum eſt, tantumque valuit apud Deum, quod homo novit appendere latroni, qui in cruce confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantum ſi pro Domino fuiſſet crucifixus. Ecce quantum profuit brevis confeſſio peccatoris.*

Hiſtoria prodigioſa.

17. Quam porrò difficilis abſque hoc ſacramento ad cœlum pateat aditus, ſequens prodigioſus in Annalibus Eccleſiaſticis relatus, edocebit caſus. Quidam

dam obierat in exercitu miles, dumque poſt trium annorum ſpatium, aliqui locum, ubi ingens contigerat ſtrages, pertranſirent, tantiſper ſubſiſtentes, *cum editiſſimum cadaverum acervum ſpectarent emiſſam inter oſſa ſubinde vocem exaudivere, fauſtiſſima Jeſu Chriſti Salvatoris & B. Mariæ virginis nomina reſonantem; admiratio ſimul & pavor hos inceſſit; cum ad verba ſubticuiſſent, eadem paulo poſt quaſi difficulter expreſſa accepere. Dum vocis locum inter oſſa diſquirerent, portenti deſiderio ſuccenſi loquax inter cadavera caput inveniunt, quod ubi homines ſibi adeſſe novit, quid tam, inquit, ſtupidi quid hic ſtatis viri? Chriſtianus ego ſum, & magnæ D. Mariæ ſemper addictus, inexpiatus inconfeſſusque in hoc bello, occubui; magna Diva, in cujus tutela vitam degi, me æterni ſupplicij reum eſſe non patitur, hæc me adhuc linguæ compotem ſervavit, ut & delicta fateri, & animam ſacris rite Apoſtolicis luſtrare queam: Proinde ſacerdotem, qui confeſſionem exaudiat & me expiatum reddat, accerſite quæſo. Accerſito, è pago proximo, ſacerdote, confeſſionem rite peregit; & impetrata omnium errorum remiſſione, acceptaque noviſſima luſtratione, id defuncti caput repente conticuit, perpetuoque quievit.* Mox hiſtoricus in ſacramenti hujus laudem ſubjungit: *Tam ingenti prodigio, divina providentia, hæreticorum, qui hoc tempore ſacram exomologeſin, ut inanem oppugnabant, confudit errorem, pioſque homines in orthodoxa religione confirmavit.*

Rayn. an. 1415. n. 54.

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

Confeſſio vires debilitat dæmoniacas, quales mirum prævalent adverſum nos, ubi à confeſſionis frequentia recedimus.

### THEMA.

*Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei; ... quoniam iniquitatem meam annunciabo & cogitabo pro peccato meo.* Pſ. 37. v. 17 & 19.

Confeſſio & lachrymæ vires debilitant Dæmonis.

1. HOc in Pſalmo à pœnitentialibus uno, vivam David ſpem concipit, ſe media confeſſione & diligentiſſimo conſcientiæ examine, infernalium inimicorum, ſibi inſidiantium, vires debilitaturum: *Quia dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei, quoniam &c.* Nec immeritò, ſiquidem ad conterendos dæmoniacos aſſultus atque impetus, potentiſſima omnium machina, eſt hoc confeſſionis ſacramentum. *Confeſſio eſt terribilis immundis ſpiritibus,* inquit S. Antonius Patavinus; cujus hæc poteſt eſſe ratio; quia Diabolus animam Chriſtianam medio peccati mortali in ſuum redigens mancipatum, dum eam ſibi perſuadet ſemper fore ſuam; illico deluſus, duobus verbis *Abſolvo te*, omnes rumpi diſſolvique dolet catenas, quibus ipſam fortiter conſtrinxerat. Idem quoque Sanctus illam Jobi ſententiam (*tamquam inundantes aquæ ſic rugitus mei*) ſequenti ad intentum noſtrum peraccommodo illuſtrat commentario, inquiens: *Ad rugitum leonis beſtiæ ſiſtunt gradum, inundantes aquæ ſubvertunt obſtaculum. Rugitus leonis eſt confeſſio pœnitentis, de quo Pſalmo 71. Rugiebam à gemitu cordis, mei; quia à gemitu cordis debet exire rugitus: confeſſionis, quo audito maligni ſpiritus territi, ad tentationes procedere non præſumunt: Inundantes aquæ ſunt lachrymæ contritorum, quæ totum diſſolvunt & ſubvertunt, quidquid maligni ſpiritus contra lachrymas pœnitentis machinantur.*

S. Ant. de Pad. ſer. 2. in D. I. Q.
Job. 3. v. 24.
Pſ. 37. v. 9.

2. S. Joannes ſe viſione quadam fruitum fuiſſe atteſtatur, in qua conſpiciebantur aliquot, victam circumducentes beſtiam, quam tamen viſionem alia preceſſit maris, veluti vitrei: *Et vidi tamquam mare vitreum miſtum igne; & eos, qui vicerunt beſtiam & imaginem ejus.* Mare contritionem denotat peccatorum, juxta illud: *Velut mare contritio tua.* Aſt quorſum mare hoc concomitatur ignis; quia ſcilicet Spiritus ſancti, qui ignis eſt, requiritur auxilium ad excitandam contritionem & ad veniam peccatorum obtinendam: *Quia ipſe eſt remiſſio peccatorum,* ſicuti in quadam collecta, infra octavam Pentecoſtes, Sancta canit Eccleſia. Sed quod in elemento falſo, limpidi inſtar & cryſtallini vitri repræſentato, deliteſcit myſterium? Reſpondet Rupertus Abbas: *Idcirco mare vitreum dictum eſſe intelligitur, ut cognoſcas, quia omnes, qui accedunt, debent eſſe vitrei, id eſt, ſimplices per veritatem puræ confeſſionis.* Ecce igitur nunc vobis rationem, cur S. Joannes multos viderit beſtiæ victores, quiſquis enim confeſſioni vacat, glorioſus evadit tentationum, fraudum, atque omnium inimici infernalis aſſultuum victor. Unde S. Bonaventura inquit: *Per confeſſionem adjuvamur in bono; adjuvamur in tentatione ad triumphandum.* Moxque quamdam S. Auguſtini citat ſententiam, qui poſtquam aliquot aſſignaſſet modos & vias, quibus nos maligni ſpiritus impetunt ſternuntque machinæ; optimum ac præſentiſſimum omnes devincendi & atterendi aſſignat confeſſionis remedium, inquiens: *Neque facilius ab inimico devincimur, quam cum ſuperbiendo ipſum imitamur; neque vehementius eum proſternimus, quam cum humilitate Deum conſequimur; neque ei dolores acriores infligimus, quam cum plagas peccatorum noſtrorum confitendo & pœnitendo ſanamus.*

Apoc. 15. v. 2.
Spiritus S. auxilio confitens pure enervat Dæmonem.
Thren. 2. v. 13.
Rup. Abb. l. 9. in Apoc.
S. Bonav. ſer. 5. in rogat.
Superbiendo vincimur.

3. Myſteriumne mihi aſſignare poteritis, cur S. Joannes Baptiſta potius ad Jordanis flumen, quam in Jeroſolymitanæ aut alterius cujuſcumque civitatis medio, prædicarit, populumque ad pœnitentiam & peccatorum ſuorum deteſtationem invitarit? Rationem hujus mihi attigiſſe videtur S. Antonius de Padua, dum per Jordanem, confeſſionem intelligens, ait: *Congruè per Jordanem accipitur confeſſio; eſt enim Jordanis fluvius, qui dividit terram promiſſionis & populum Dei ab Arabia, quæ occidentalis & inſidiatrix interpretatur, & ſunt dæmones.* Ad diſcooperiendas inimici fraudes & inſidias, ad debilitandas ejus vires & aſſultus, ad ripam Jordanis demorari, id eſt, frequenti vacare oportet confeſſioni. Non abſimilem idem Sanctus diſcurſum format, dum filios Iſraël per mare rubrum, hinc inde ſuſpenſis tenaciter aquis, gradientes contemplans, ait: *Item præbuit iter filijs Iſraël; unde aquæ ſuperiores ſteterunt & inferiores non fluxerunt; quia peccata præterita, rapientia hominem, confeſſio fugat & futura ſiſtit.*

Per confeſſ. vires inimici debilitantur.
S. Ant. de Pad. ſer. 1. in D. 1. Q.

4. Nequaquam hic reticendum occurrit, quod in vita S. Rabani, in hæc verba memorat Bollandus: *Fæmina quædam ab immundo ſpiritu poſſeſſa, Baſilicam introivit; cumque à Presbytero juxta morem Eccleſiaſticum exorcizaretur, per os illius dæmon reſpondit; ſi ab ea fuiſſet ejectus, ſtatim in aliud vas, quod ſibi in eadem regione conceſſum eſſet, ingredi deberet*, in hominem ſcilicet, cui, ut ajebat, nomen erat Otmarus. Sacerdos charitatis ſtimulis excitatur, dicto Otmaro totam rei geſtæ tranſcripſit ſeriem, ſimul ei antidotum aſſignans contra imminens diſcrimen: *Mox nuntium mittens, juſſit, confeſſione facta, peccatorum pœnitentiam ageret, ne fortè merito facinorum ſuorum, fieret inimici: Qui præceptis obediens, ad pœnitentiam, quam Diabolus ſemper averſatur, tota mente confugiens, inſidias evaſit inimici.*

Boll. 4. Febr. cap. 4. car. 513.
Hiſtoria 1.

5. S. Petrus Damianus de ſalutari pœnitentiæ fonte tractans; inquit: *Ex hoc fonte felices Apoſtoli lachrymæ profluxerunt, in hoc peccatricis fæminæ dæmonia ſunt ſubmerſa.*

S. Pet. Dam. ſerm. 1. in dedic. Eccle.

6. Neque prætereundum eſt, quod de nobili quodam Romano: vita tradit S. Philippi Nerij, qui ſe dæmone correptum exiſtimans, facta confeſſione generali & doloroſa: dum ſacros erga ſe exorciſmos à viro Sancto adhiberi peteret, hoc accepit reſponſum: Ne dubites, tecum ego exorciſmis agam. Nocte igitur quadam dormiens juvenis, ſibi viſus eſt ingentem dæmonum catervam ex ore ejicere, atque deinceps vitam ab hujuſcemodi moleſtiſſimis animi perturbationibus liberrimam traduxit. Hæc cum ille die ſequenti S. Philippo narraret, vir Sanctus manu caput ejus pulſans, ſubjunxit: *Vade, & noli amplius peccare.* Utinam confitentis linguæ emolumenta, ejuſdemque metæ deplorabilem ſtatum dignè in memoriam revocaremus, mentiſque oculis objiceremus!

Vit. S. Phil. Ner. L. 2. c. 10. num. 2.

7. Bajazeth Turcarum Imperator, obtentis inſolens victorijs, Tartarorum Regem Tamerlanem oppugnaturus, dum inimicum jam tum ſpe devoraſſet, ferream ſecum duxit in prælium caveam, cui victum in Triumphorum ſuorum oſtentationem includeret, incluſumque, quoquo gradi contingeret, ſecum conduceret: Aſt qui triumphum cecinerat ante victoriam, ipſe victus captuſque, opprobrium fit caveæ. Ecce vobis caſum in terminis. Dum nos peccato implicamur mortali, mancipatui ſubjacemus dæmonis, qui colla noſtra ſeveriſſimis tyrannidis ſuæ humiliavit in vinculis; (*quos delictorum catena conſtringit*) ut primum autem noſtras culpas confitemur, eaſque clavibus ſubjicimus, omnia diſſipamus vincula, dæmonem noſtræ ſubſternimus potentiæ, omni eum vigore deſtituentes. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet; ſi autem fortior eo ſuperveniens, vicerit eum; univerſa arma ejus aufert, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.* Quis eſt ille, qui armati inſtar militis, ſuas tutatur ſtationes, niſi dæmon, cor poſſidens peccatoris, qui omni abſque contradictione quietus, infamis mancipatus conſtringitur compedibus? Quis porrò ille qui fortior eo, ipſum vincit, ex poſſeſſione exturbat, omneſque diripit prædas, niſi confeſſionis ſacramentum? *Spolia ſunt animæ ab eo deceptæ*, inquit Gloſſa. His exuvijs, his prædis ſacerdos privat dæmonem. *Has Chriſtus per gratiam ſuam redemit & dæmonibus abſtulit*, ait Carthuſianus.

3. Pulchre applicatur.
Luc. 11. v. 21. & 22.
Gloſſ. ibid.
Dion. Carth. ibid.



8. Quis furias, quis inſultus ignorat, quibus totus unanimiter infernus oppugnavit Jobum? *Egreſſus Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo.* In patientiſſimi caput, amicos, conſanguineos, ſubditos, quin & propriam exarmavit conjugem; aſt quibus medijs, quibus aggeribus, quibus propugnaculis crudelem adeo ſuſtinuit contrivitque impetum? *Qui teſta ſaniem radebat.* Aſt quod hocce fuit inſtrumentum, quæ machina, qua ſeſe tutabatur? tantillum terræ coctæ. Haccine miſer aggeres & mœnia extruere parabat, quibus contra dæmones, atque omnes tam viſibiles quam inviſibiles inimicos ſuam tutaretur immunitatem? per ulcera peſſima non modò externæ corporis, ſed & internæ animæ plagæ intelliguntur; & majori quidem cum fundamento hæ, quam illæ; ſiquidem vehementiſſimis interius tentationibus appetitus fuit: deſolationibus & ſpiritus ariditate, impatientiæ & deſperationis aſſultibus exagitatus fuit; aſt omnia incaſſum, quia *teſta ſaniem radebat*; penetralia cordis ſui ingreſſus, exactum inſtituebat conſcientiæ examen, ferventes excitabat actus contritionis, minimos etiam confitebatur defectus, ideò perſtitit immobilis, ideò toti victor ſe oppoſuit inferno, glorioſiſſimumque retulit triumphum. Ne cuipiam diſcurſus iſte minus appareat fundatus, non abs re futurum dixi, ſi ipſa S. Gregorij verba in medium adducerem, dicentis: *Quid per teſtam niſi vigor diſtrictionis? Quid per ſaniem niſi fluctus illicitæ cogitationis accipitur? percuſſi ergo ſaniem radimus, cum noſmetipſos aſperè dijudicando, mundamur.*

Job victor per conf.
Job. 2. v. 7.
Ibid. v. 8.
S. Greg. l. 3. mor. c. 17.

9. Sanctè gloriabatur Pſalmiſta, dicens: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Quam David oriente aurora exercebat ſtragem? Pro hujus intelligentia verſus, neceſſum eſt, ut ad præcedentia ejuſdem Pſalmi verba animum intendamus, in quibus examinis conſcientiæ fit mentio: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ; non proponebam ante oculos meos rem injuſtam, ... non adhæſit mihi cor pravum &c.* Aſt quare examen hoc in diei inſtituebat exordio? Reſpondet S. Auguſtinus, hanc principis tenebrarum eſſe fraudem, ut nos per noctem in peccata præcipitet, unde & culpæ *opera tenebrarum* nuncupantur; dum Deus offenditur, lumen & notitia ejuſdem amittitur, intellectus excæcatur, omnis interit acies oculi ſpiritualis. Accommodatior nihilominus propoſito noſtro illa favet Hugonis Cardinalis gloſſa: *Interficiebam omnes peccatores terræ, id eſt, dæmones, quorum procuratione fiunt peccata in terra.* Dum quis matutino tempore à quiete reſurgit, neceſſitas urget inſtituendi examinis conſcientiæ, ut virtute ejus per diem totum contra inviſibilem armetur inimicorum inſultus. *Omnes peccatores terræ*, inquit idem auctor, *id eſt, omnes malos motus, qui pariunt iniquitatem.* Eorumdem porrò inimicorum David demonſtraturus ruinam, immediatè ſubdit: *Ut diſperderem de civitate Domini, omnes operantes iniquitatem; id eſt*, ait citatus Eminentiſſimus auctor, *de anima & conſcientia mea.* Id quod veraciter reluxit in eo, cujus in hæc fere verba meminit S. Joannes Climacus. Latro quidam monaſticam fuerat amplexus vitam, qui dum vice quadam conſcientiam ſuam per confeſſionem expiaret, alius Dei ſervus hominem vidit ſtatura procerum & formidabilem, ſcriptura & calamo inſtructum, qui tot delebat, quot latro confiteretur peccata, donec tandem abolerentur omnia. Ecce vobis hominem, qui omnes de anima & conſcientia per confeſſionem noverat diſperdere operantes iniquitatem.

Mane examen inſtituendum.
Pſ. 100. v. 8.
Ibid. v. 2.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 4.
Hug. Card. ib.
S. Joan. Climac. gr. 4.

10. In Apocalypſi Deus quemdam Aſiæ Epiſcopum reprehendendum ſtatuens, ait: *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe; hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque parte acutam: Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ.* Vbinam dæmonis ſedes eſt, & centrum? utique in animabus omnibus, peccato mortali inquinatis; nihilominus ſi ſtrictius concludere volumus, Diabolus in ijs ſingulariter animabus, tamquam in centro ſuo requieſcit, quæ non modò divina deſtitutæ ſunt gratia atque amicitia, ſed & peccatorum ſuorum adverſantur confeſſioni. Ideoque incarnata ſapientia ad obſtinatiſſimum, ſuique ſceleris: quod moliebatur, confeſſioni inimiciſſimum Judam dicebat: *Unus ex vobis diabolus eſt.* Et S. Joannes intentam Judæ traditionem memorans, ait: *Cum diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas.*

Apoc. 2. v. 12. 13.
Diaboli ſedes in anima peccatrice.
Ioan. 6. v. 71.
Ioan. 13. v. 2.

11. Hugo Cardinalis ad citatum, quem jamjam citavimus, Apocalypſeos textum ſe reflectens, inquit: *Ubi ſedes eſt Satanæ, id eſt, manſio non tranſitus; in illis enim manſionem facit Diabolus, qui peccata nolunt confiteri, ſed cælant ea in gutture ſuo: Sed in illis tranſit, qui etſi peccant aliquando ex fragilitate, tamen ſtatim confitentur.* Sanctus quoque Bonaventura, de ſacramentorum, & in ſpecie quidem de confeſſionis virtute tractans, alios inter ſalutares hujus ſacramenti effectus, annumerat & ſequentem: *De filio diaboli, filium Dei effecit.*

Hugo Card. in. Apoc.
Confiteri nolente.
S. Bonav. de ſac. vir. l. 6. c. 22.

12. Omnibus à confeſſione abhorrentibus meritò exprobrari poteſt, quod malignis quondam Scribis & Phariſæis objecit Salvator: *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Peccavit in Paradiſo cœleſti Angelus, irremiſſibiliter cum ſequacibus ſuis in barathrum præcipitatus infernale; in terreſtri deliquit homo: uterque divinitatem ambivit, & nihilominus hic veniam obtinuit; quæ tantæ differentiæ origo? circumſtantias notate; citatus ad judicium Adamus, ſuam illico faſſus eſt culpam: *Mulier; quam dediſti mihi ſociam &c.* Numquam autem Diabolus aut ſequaces ejus ſuum voluêre confiteri, accuſare aut excuſare delictum, numquam ſe coram Deo humiliare, ſed potius infinitam in ſempiternum ab eo habituri ſunt averſionem: Atque ideo qui tranſgreſſionis cujuſquam rei ſeſe defendant, & in ſcelere obſtinati, confeſſionem odêre, filij & defendentes dæmonis appellari poſſunt.

Adam obtinuit veniam non Lucifer.
Ioan. 8. v. 44.
Gen. 3. v. 12.

14. Quotieſcumque anima aliqua, criminibus gravata, à confeſſione abhorret, certò ſciat, hanc dæmonis tentationem & machinam eſſe, qui omnem adhibet conatum, ne præda capta ſuis elabatur manibus. Ipſa ſanè experientia teſte ediſcimus, inimicum noſtrum diverſa nobis plerumque cauſare obſtacula, novis implicare negotijs, ut aut confeſſio intermittatur, aut de die in diem differatur, ſed tu contra audentior ito, hocque aureum Sancti Auguſtini dogma tuis imprimito medullis: *Deprecor te ô homo; ut confiteri non paveas, frequenter enim Diabolus cor tuum aſtringit, ne confitearis; quandocumque hoc perſenſeris, Diaboli tentationem eſſe non dubites; qui cupit te aſtringere nequiter, ut in peccato poſitus, ſine magna tentatione ſemper agas, quæ placita ſunt ei.*

Diabolus tentat ne conf. fiat.
S. Auguſt. ſer. 30. ad fr. in erem.

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Molitur Diabolus, quantum poteſt, ut nos mutos efficiat, & à confeſſione abſtrahat peccatorem; quem tamen media confeſſione ſternimus, vitam conſequentes ex peccato in confeſſione manifeſtato, quod nobis prius mortem inferebat.

### THEMA.

*Erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11. verſ. 14.

Dæmon lingua privat.

1. MUltoties Salvator noſter mutis beneficium impertijt loquelæ, qui ſimul etiam dæmoniaci erant; ita nobis Sanctus Lucas atteſtatur, inquiens: *Erat ejiciens &c.* Et Sanctus Marcus: *Adducunt ei ſurdum & mutum*, quem Albertus Magnus etiam à Diabolo obſeſſum fuiſſe arbitratur. Cur obſecro malignus ſpiritus linguæ potius, quam alterius membri beneficio miſeros privat? Reſponſum accipite à Didaco Stella: *Efficit mutum hominem dæmon, ut nequeat ſacerdoti confiteri ſua peccata. Adhærere* (inquit per Ezechielem) *faciam linguam tuam palato tuo*

Marc. 7. v. 32.
Ezech. 3. v. 26.

*tuo & eris mutus. In palato reſidet guſtus, linguam adhærere palato, eſt voluptatem capere, & in peccato gaudere.*

Dion. Carth. ſer. 1. in D. poſt Pentec. Salm. T. 6. tr. 30.

2. Dionyſius Carthuſianus hoc in muto & ſurdo eos exiſtimat deſignatos fuiſſe, *qui ſua peccata ſinceriter confiteri non curant.* Clarius autem, noſtrum ad intentum, doctiſſimus inquit Salmeron: *Mutus eſt peccator, qui non confitetur ob dæmonem, qui ut fortis armatus poſſidet caſtrum cordis, & portam, per quam eſt expellendus, claudit.* Ubi & idem auctor modum perpendit fraudulenti ſerpentis, quo nos mutos reddere conſuevit, ideoque ſubdit: *Pudore infandorum criminum & impunitatis pollicitatione, & ipſo longioris vitæ & confeſſionis ſuo tempore faciendæ, tamquam peſſulo quodam claudit oſtium.*

Conf. ſuperat Dæmonem.

3. In primis hic notanda occurrit illa Sancti Auguſtini doctrina, qui de confeſſione tractans, perhibet, averſionem à peccatorum manifeſtatione, quamdam magiæ ſpeciem eſſe, atque efficaciſſimam dæmonis incantationem, ſola annihilabilem confeſſione: *Adverſus incantationes Diaboli*, inquit, *qui vult impedire confeſſionem peccatorum, ſuſcipiamus ſaluberrimum præceptum, confitendi alterutrum peccata noſtra.*

S. Auguſt. T. 10. l. h. ex h. 12.

Hiſtoria.

4. In ordine Seraphico, prout in vita legitur Sancti Franciſci, per Sanctum Bonaventuram conſcripta, quidam legitur vixiſſe Religioſus, cujus externa converſatio in vulgo opinionem Sanctitatis, & apud patres magnam ſibi compararat venerationem; principaliter autem in eo eminebat tenaciſſimi virtus ſilentij, ita etiam ut confeſſionem non niſi per ſigna & nutus inſtitueret; quod ut ad Seraphici patris, tunc adhuc ſuperſtitis, aures pervenit, in principio nonnihil ſuſpenſus at mox veritatem cognoſcens, ait: *In veritate ſciatis, quia diabolica tentatio eſt & deceptio fraudulenta.* Veritatem paucos intra dies ſecuta docuit ſilentiarij iſtius apoſtaſia.

L. 5. c. 54. rev. S. Birg.

Conf. à Dæmone liberat.

5. In quadam Sanctæ Birgittæ revelatione ſequentia legimus verba: *Quid autem faciet ille, cum quo plenus eſt Diabolus?* Commentator aſſerit, manuſcriptum in bibliotheca Pharneſiana repertum habere: *Quid autem faciet ille, qui plenus eſt diabolo? non enim in eum ingredi poteſt bonus ſpiritus, quia plenus eſt malo.* Moxque Sancta ipſa miſero illi de aliquot providet remedijs, quorum primum aſſignat confeſſionem, dicens: *Habeat puram & integram peccatorum confeſſionem*; nihil namque inimicus nititur inſtantius, quam ut nos mutos reddat & à ſalutari abſtrahat confeſſionis ſacramento. Sanctus porrò Thomas de Villa Nova, ut abominationem confeſſionis horrori aut averſioni intimam nobis ob oculos ponat, animam dicto laborantem vitio, fœtidum dæmonis nuncupat ſtabulum, inquiens: *Denique ut uno verbo omnia concludam; quantum diſtat inter templum Dei purum & ſanctum, & ſtabulum diaboli fœtidum & ſordidum; tantum intereſt inter illum, qui aſſiduè animam ſuam purificat & renovat ſacramentis, ut Dei munda habitatio fiat; & illum, qui toto anno in ſordibus peccatorum ſordeſcit.*

S. Thom. de Villa nova ſer. in D. 4. Q.

Differentia animarum.

Dæmon expellitur per oſtium oris.

6. Sanctus Antonius de Padua in Evangelio, quod in Dominica 3. Quadrageſimæ prælegitur de muto obſeſſo, notat eumdem juxta Sancti Marci relationem, etiam cœcum fuiſſe; imo & ſurdum, juxta Sancti Chryſoſtomi opinionem: Unde hanc infert conſequentiam: *Hæc igitur ſunt incommoda, quæ facit dæmon in anima noſtra; & ſi quæras, cur Evangeliſta non nominavit niſi unum incommodum, ſcilicet mutitatem? Reſpondeo; quod ſolum ad principale incommodum ſe tranſtulit: Unde advertendum quod multis Cameris dæmon habet ingreſſum, vel habere poteſt ad domum conſcientiæ noſtræ, ſcilicet animæ; ſed tamen numquam niſi per unum oſtium poteſt ejici & expelli, ſcilicet oris ſeu confeſſionis:* Unde immediate poſtea Sanctus idem oſtendit, poſſe diabolum per quinque ſenſuum portas, intrare ad animas noſtras, non tamen niſi per unicam regredi viam: *Cum tot poſſit habere ingreſſus, non niſi per unum ſolum oſtium poteſt expelli, ſcilicet per loquelam & oſtium confeſſionis.* Quæ licet verba tenacem mereantur notam, longè tamen notabiliora ſunt ſequentia, quibus idemmet Sanctus infallibilem quamdam veritatem, in irreparabile, idque quotidianum, Chriſtianarum animarum diſpendium cedentem, nos edocere allaborat; ſcilicet quod diabolus, dum medio peccato poſſeſſionem animæ cujuſquam obtinuit, unicè in id incumbat, ut eidem os præcludat, id eſt, averſionem ingerat à confeſſione; *Quando tale caſtrum expugnaverit*, verba ſunt Sancti, *& ipſum ingreſſus fuerit; primum quod facit, eſt obturare viam, per quam ejici poſſit; & hoc eſt facere hominem mutum; illo namque oſtio obturato, ſecurus eſt de hoc caſtro.* Quicumque Capitaneus ſagacitate pollens, urbem invaſurus, omnes ſedulò inveſtigat inimicorum reſolutiones, conſilia, conatus; dæmon, dum noſtræ, medio peccato, cœpit poſſeſſionem animæ, omnes ejuſdem cognoſcit conceptus, omnia ipſius luſtrat penetralia, unde facillimo negotio quacumque ad libitum eam exagitat Tyrannide, ſuæque conſtanter ſubjugat ſervitio. Iterum facillimè hoſtibus in prædam cedit civitas, infirmis inſtructa mœnibus, debilibus defenſa vigilijs, quam hoſtis novit nullis munitam aggeribus, defectu laborare munitionum, pulveris, alimoniæ; ita pariter & Diabolus, juratus noſter inimicus, dum novit in anima aliqua, inveterata eſſe proximi odia, habituatam concupiſcentiam, aut quodcumque aliud vitium radicatum atque inviſceratum, facillimo negotio ſuam tutatur poſſeſſionem.

S. Anton. de Padua in D. 3. Q.

Sed hoc præcludit.

7. Sanctus Auguſtinus inſtinctum perſequens lupi, *Ecce* inquit, *lupus guttur ovis apprehendit.* Hæc eſt primæ lupi infernalis adverſus animam operatio, ſcilicet os ſeu guttur occludere; cujus lupinæ proprietatis hanc Salmeron dat rationem: *Ne clamet*, ſcilicet ovis, *& clamore ſuo canes excitet; ita dæmon hoc molitur, & in hoc inſidias ſtruit, ut peccator nec per orationem ad Deum fuſam, nec per detectionem delicti apud ſacerdotem, neque per petitionem conſilij crimina ſua ad ſalutem conſequendam declaret.* Id quod & Ambroſius in hæc nobis verba proponit. *Lupi ovium guttur invadunt, ut cito ſtrangulent;* hoc ſi obtinuerit dæmon; prædam certò intercepit quia *ore confeſſio fit ad ſalutem.* Optimum igitur contra hoſtiles aſſultus atque inſidias eſt frequens oris apertio: *Locutus eſt mutus*; frequens conſcientiæ examen. *Cum diſpoſitione initur bellum*, inquit ſapiens, *& erit ſalus, ubi multa conſilia.* Sine pavore luditur hoſtis, cujus innotuere ſtratagemata, cujus manifeſtatæ ſunt inſidiæ.

Confirmatur. S. Aug. tr. 46. in Joan.

Salm. ibid.

S. Ambr. in c. 10. Luc.

Prov. 24. v. 6.

8. Rex Syriæ innumerabilem recenſens militaris roboris copiam, ſpe devorârat Samariam, aſt omnis ejus in vanum cedebat conatus, dum S. Eliſæus cuncta illius diſcooperiebat molimina & intentiones: Ad annihilandas totius inferni furias, vel unicus ſufficit pater ſpiritualis, qui fraudes, dolos & technas revelet inimici. Horret aranea Principum Regias, Magnatumque conclavia, quotidianis agitata ſcopis, continuis obvia periculis; ea amans frequentare loca, in quæ raræ ſubintrant ſcopæ: Ita & diabolus eas non appetit animas, penes quas examen conſcientiæ viget, ſed illas, quæ nullam aut rariſſimam hujus curam habent. Gloriabatur equidem de ſua innocentia David, dicens: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*; Cauſamne noſtis munditiæ? *Exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum*: ſuæ ſæpius iterabat conſcientiæ examen.

Innocentia ex confeſſ. frequenti.

Pſ. 100. v. 2.

Pſ. 76. v. 7.

9. Quo autem fine, dixerit forte quiſpiam, confeſſionem inſtituit omniſcius, qui omnia noſtra perfectiſſime novit delicta, etiam ante confeſſionem? Reſponſum accipite à Sancto Auguſtino: *Vult Deus, quod confiteamur; non quod ignoret peccata noſtra, ſed ut diabolus audiat, quoniam confitemur & pœnitet nos peccaſſe.* Aſt quem fructum ſeu effectum ſacramenti hujus generat uſus & frequentia? *Ut peccatis confeſſis cum dolore & lachrymis*, inquit idem Sanctus, *non habeat amplius, unde nos accuſet. Ecce enim fratres, diabolus vult, ut taceamus; Deus vult ut confiteamur: Et cui magis obediendum ſit, certe conſtat; quod Deo, qui ſalutaria præcepit.* Et alio in loco idem Sanctus ſcribit: *Non ideo vult nos confiteri peccata noſtra, quaſi ipſe neſciat; ſed diabolus vult, ut magis defendamus peccatum, quam ut accuſemus.* Vult igitur Salvator, ut media confeſſione inimicum confundamus infernalem.

Quare conf. ſit inſtituta.

S. Aug. ſer. 30. ad frat.

Idem S. l. h. ex h. 12.

10. Regius vates nos ad futurum ſupremi judicis adventum diſpoſiturus, ſpontaneam nobis præſcribit occaſionem & confeſſionem, dicens: *Præoccupemus faciem ejus in confeſſione*: Id eſt, inquit S. Bonaventura, *in conſpectu futuri judicis; id bene dicit: Præoccupemus faciem ejus.* Cujus hanc ex Gloſſa aſſignat rationem: *Ne inimicus accuſando præveniat nos, & ne id tunc ſit diſcutiendum*; quo fine & hoc citat Sancti Chryſoſtomi monitum: *Habes accuſatorem acerbiſſimum, propera, ſponte confitendo delicta.* Quam pariter & Alcuinus nobis exhibet doctrinam, dum ait: *Qui ſeipſum accuſat in peccatis ſuis, hunc diabolus non habet iterum accuſare in die judicij, ſi tamen confitens pœnitendo diluit, quæ fecit, nec iterum renovat, quæ egit.* Qui idem dogma alio in loco replicat, dicens: *Quæcumque humiliter confitemur in noſtris peccatis, nihil horum diabolus habet poteſtatem nobis objicere in illo tremendo judicio noſtræ vitæ.*

Ne in judicio accuſemur.

Pſ. 94. v. 2.

S. Bonav. ſer. 5. in rogat.

Alc. l. de virt. & vit. c. 12.

Ep. de conf. ad puer. S. Martini.



11. Muto huic & dæmoniaco tria Salvatorem impertiiſſe beneficia conſiderat Beda, inquiens: *Tria ſigna in uno homine perpetrata ſunt; cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur*; quia nimirum anima à Dæmone obſeſſa, ſuum numquam os aperit in peccati confeſſionem, ideoque divino lumine perfunditur, ut inimici fraudes cognoſcat & inſidias; cujus radij neceſſitatem optime cognoſcebat ille, qui ſupplicabat: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adverſus eum.*

Bed. in Marc.

Obſeſſi non confitentur.

Pſ. 12. v. 5.

12. B. Laurentius Juſtinianus duobus in locis ſingulares quoque frequentis confeſſionis aſſignat effectus, inquiens: *Immundorum ſpirituum propulſat fraudes*; & alibi: *Nihil ſic cordis amiſſam reparat gratiam, ſicut jugis oris confeſſio; ſi delictorum maculis fœdatur, ſi hebetudine gravatur, ſi deſperatione tangitur, ſi agitatur tentatione; currat ad confeſſionem, & liberabitur.* Quamvis autem nulla non ætas hujus ſacramenti capax, eodem maxime opus habeat; juventuti nihilominus, utpote graviorious ſuper omnes tentationibus ſubjectæ, ſingulariter ipſum neceſſarium eſſe, Alcuinus docet, dum ait; *Exhortamini illos ſobrie, caſte, pudice, cum omni humilitate & obedientia Deo ſervire in bonis moribus & ſancta converſatione, & religioſa caſtitate, & maximè de confeſſione peccatorum ſuorum*, cujus ultimi dogmatis hanc reddit rationem: *Quia multæ ſunt contra adoleſcentulos diabolicæ fraudis inſidiæ, in deſiderio carnali & cæteris adoleſcentiæ vitijs; ſed nihil, Dei donante, proficit in ſua diabolus malitia, ſi puram juvenes volunt facere confeſſionem & fructus dignos pœnitentiæ agere.* Sanct. porro Auguſtinus indifferenter ad totius humanæ fragilitatis miſeriam oculum intendens, omnes nos hiſce ad confeſſionem verbis invitat: *Ad ſacram meſſem confeſſionis accedere feſtinate; hæc eſt enim ſalus animarum, diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, pavor inferni, obſtaculum diaboli, Angelorum tunica, Eccleſiarum fiducia, ſalus, dux, baculus, lumen & ſpes omnium fidelium.*

B. Lau. Juſt. l. de ob. c. 15. de caſt. con. c. 13.

Conf. effectus.

Juvenibus neceſſaria Conf.

Alc. ep. de conf.

S. Aug. ſer. 30. ad frat.

Elogia.

13. Aſt ante omnia, maxime ſcitu nobiſque unice neceſſaria occurrit Sancti Ambroſij admonitio, hanc ſingulariter nobis inculcare volentis doctrinam, ſcilicet: *Debemus cavere, ne remedium noſtrum fiat diaboli triumphus.* Solicite curandum, ne inutiles inſtituamus confeſſiones, hæ namque non tam inimicum ſternunt, quam novas potius illi ſubminiſtrant vires, confuſionem generant, & ſacramentum in ſacrilegium commutant. Ecce vobis ſingularem aſtuti ſerpentis fraudulentiam; non equidem propalam nobis prohibet confeſſionem, certus ſe veluti noſtri inimicum boni ſubito repellendum, ſed ut ſacramentum invalidemus, impigre molitur.

S. Ambr. l. 1. de pœn. c. 17.

Non fiat invalida.

14. Primitivæ Eccleſiæ fideles, quorum in cordibus adhuc recens occiſi bulliebat Agni ſanguis, catervatim & certatim viæ perfectionis inſiſtentes; Apoſtolicis pedibus ſuas ſubſternebant ſubſtantias, pauperibus erogandis: Hos inter & duo erant conjuges, Ananias & Zaphyra, qui dimidiam ex agro vendito redactæ pecuniæ partem ad Sanctum Petrum deferentes, aliam ſibi partem reſervarunt. Vicarius igitur Chriſti, qui totam rei geſtæ ſeriem dignoverat in ſpiritu, Ananiam interrogat, quanti vendiderit agrum, reſpondit hic: Tanti, pretium aſſignans vero minus. Ad hæc indignatus Apoſtolus; *cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? ... non es mentitus hominibus, ſed Deo, audiens autem hæc verba Ananias cecidit & expiravit.* Idem ſucceſſit & mendaci ejuſdem uxori Zaphyræ. Quis hic tantum non obſtupeſcet Petri rigorem, quem paulo ante Deus in infame negationis & perjurij ſcelus cadere permiſerat, ut obtentis clavibus manſuetudinem noſſet exercere in alios? Nonne ipſe vel ſola umbra ſua ſanabat infirmos? numquid hic reſuſcitabat mortuos? Cur itaque hoſce duos propter unicum peccatum mendacij, ſine ullo pœnitentiæ tempore intermedio, proſternit? quod admiſerant ſcelus, tanto dignum ſupplicio? ſpiritualia forte commercia cum Simone Mago agitare volebant? Aliquem forſitan fidei articulum negarunt cum hæreticis? fortaſſe de ſuis poterant diſponere pecunijs? varij varie reſpondent; aſt propoſito noſtro accommodatiſſima reſolutio eorum eſt, qui aſſerunt eos ideo tam horrenda fuiſſe mulctatos pœna, quia S. Petro, claves & abſolvendi poteſtatem habenti, legitimeque interroganti, in faciem mentiti fuere; hujuſmodi mendacia non hominibus, ſed Deo, non ſacerdoti ſed ſancto Spiritui fiunt, quæ quiſquis committit, pro vita æterna irreparabile perpetuæ mortis incurrit diſcrimen, millenos meretur infernos, medicinam transmutat in venenum, & pretioſum Chriſti conculcat ſanguinem. Unde hæc præ omnibus diaboli notanda eſt machina, qui id unice molitur, ut fraudulenter hoc ad ſacramentum accedamus: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto &c.*

Invectiva in ſacrilege confitentes.

Act. 5. v. 3. & 5.



15. *Quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem*, verba ſunt Salvatoris, *non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe?* Dæmon omnia noſtra diſtincte novit peccata, quibus implacabile adverſum nos coram Deo judice movebit prælium; aſt nobis incumbit, ut primò eum per confeſſionem in aciem provocemus, modo jam inſinuato: *Sedens prius cogitat &c.* diligens conſcientiæ inſtituendo examen, cui ſincera ſuccedat confeſſio, debitis veſtita circumſtantijs, inſtituta cum peccatorum diſtincta ſpecificatione, contritione & alijs convenientibus diſpoſitionibus; ſi ſecus enim fecerimus, ſalutis remedium in damnationis venenum convertemus.

Luc. 14. v. 31.

Integra ſuadetur.

16. Venenatis morſibus dum ſerpentes interimerent Hebræos, Moyſes ex divino juſſu ſerpentem fudit æneum, in quem ſi quiſpiam, præmiſſa confeſſione, ſuos conjecit oculos, mox à malo liberandus foret. Extravagans utique remedium, numquid enim ſimulachrum hoc in mille potius fruſta diſſipandum fuiſſet; tum quia ſerpentes ijs extiterant mortiferi, tum quia diabolus ſub ſerpentina frequenter forma noſtræ inſidiatur ruinæ? Cur itaque infallibilis cœli providentia illud Hebræis, in vita aſſignavit antidotum, quod mortis extiterat inſtrumentum? Quid figuris immoramur; ipſa docti experientia, quod vipera theriacam efficiat, præſentiſſimum veneni antidotum? ſi talia in naturæ, quidni etiam in gratiæ operibus præſtabit Deus; dum certò novimus, animas per confeſſionem & peccatorum, prius lethalium, accuſationem vivificari? *Quantumcumque à ſerpentibus peccatorum ſit morſus, ſi poſtmodum ea quadam animi pœnitudine conſideres*, inquit Oleaſter, *facillime ſanaberis. Recogitabo*, ait *quidam, omnes annos in amaritudine animæ, tu autem dic: Conſiderabo omnes ſerpentes meos ad ſanitatem animæ meæ.* Ad infernalis dumtaxat ſerpentis aſtutias & fraudes, ſi quis ſe reflexit, ab ejuſdem ſe veneno facillime eximet. *Etiam mundo*, verba ſunt Cæſarij Arelatenſis, *medela, ſi volumus, nobis contra morſum ſerpentis, viſo ſerpente confertur; quod tunc evidenter completur, quando peccatum peccati cognitione curatur, & crimen ipſius criminis abolitione aboletur*; quo fine Davidis adducit Exemplum, qui fixis in ſerpentem hunc oculis, dicebat: *Iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt ſemper*; unde ſubjungit citatus auctor: *Quando reſpicit peccatum ſuum, ſanat morſum ſerpentis per ſerpentis aſpectum.*

Numer. 21. v. 8. & 9.

Ut ſerpentis ſanatur morſus.

Oleaſter in Num. c. 21.

Cæſ. Ar. h. 4. de paſc.

## DISCURSUS XII.
## ARGUMENTUM.

Variæ adducuntur bonæ confeſſionis circumſtantiæ & conditiones, tam in univerſali, quam in particulari.

### THEMA.

*Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Pſalm. 31 v. 5.

1. EX hoc Pſalmiſtæ diſcurſu, B. Petrus Damianus veri pœnitentis colligit conditiones, inquiens: *Oſtendam tibi unum juſtorum juſtiſſime confitentem; quæris quiſnam ſit? Pſaltes Domini eſt. Dixi, inquit,*

S. Pet. Dam. ſer. 2. de S. And.

Speculum veri pœnitentis David.

*inquit , confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino. Dixi , hoc eſt , in corde meo propoſui , non coactus , neque compulſus , ſed ſpontaneus. Injuſtitiam meam , ait , non alienam ; adverſum me , me arguens & accuſans. Vides , quia non timore alicujus , vel ad alium accuſandum vel excuſandum ſeipſum Sanctus Domini confitetur ? Pro hujuſmodi confeſſione remittes tu Domine , impietatem cordis mei , peccati ſcilicet.* Plurimas equidem bona confeſſio requirit circumſtantias , quas omnes multi ſacri Interpretes in pondere ſanctuarij nobis exhibent accurate ; quarum neceſſitatem vel ipſe probat naturalis curſus , non enim ſufficit medicinam materialem infirmo præparatam eſſe , ſed ad circumſtantias inſuper attendatur oportet ponderis , temporis , complexionis & ſimilium , quibus neglectis , infirmus ipſum ebibet mortis poculum , vel ad minus incrementa multiplicabit majoris mali. *Talis ordo*

S. Auguſt. ſer. 30. ad frat.

*tenendus eſt* , inquit S. Auguſtinus , *ut peccata præmeditentur , ut proferantur taliter , modo & circumſtantiam peccatorum Deo & ſacerdotibus confiteamur , ut à pedibus ſuis , non onerati , ſed alleviati diſcedere valeamus.*

Peccatorum diſplicentia neceſſaria.

2. Alias bonæ confeſſionis conditiones nobis exhibet ille , qui in cinere & favilla ingemiſcebat , dicens : *Tædet animam meam vitæ meæ ; dimittam*

Job. 10. v. 1.

*adverſum me eloquium meum ; loquar in amaritudine animæ meæ , dicam Deo : Noli me condemnare.*

Conditio. 1.

In verbo *tædet* , peccati odium & deteſtatio conſiderari poteſt ; ſcelerum enim nos tædere debet , execrari & deteſtari oportet cum eo , qui ſuas deplorans iniquitates , dicebat : *Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

Pſ. 37. v. 5.

Optimum utique indicium eſt , ſi poſtmodum tantumdem nobis culpa diſpliceat , quantum placuerat & oblectaverat primitus. Juſta utique in ſtatera ; gravitatem delictorum ponderaverat ille , qui plorabat : *Laboravi ſuſtinens.* Et alter : *Miſer factus ſum & curvatus ſum uſque in finem , tota die contriſtatus ingrediebar.*

Jer. 6. v. 11. Pſal. 37. v. 7.

In ly *animam meam* , indignitas ſeu turpitudo exhibetur peccati , noſtræ , ad Dei imaginem & ſimilitudinem creatæ animæ dedecens venuſtatem , pretium & dignitatem ; per peccata namque , divinorum theſaurorum gazophylacium , fœtidum efficitur dæmonis ſtabulum. Per ly *vitæ meæ* , ſibi diſplicere proteſtatur male tranſactum tempus , dum unionem animæ is peccati potius , quam in Dei convertit ſervitium , ad exemplum quodammodo Ezechiæ , promittentis : *Recogitabo tibi omnes annos meos , in amaritudine animæ meæ* ; ideoque ad peccati mei abolitionem , *dimittam adverſum me eloquium meum.*

Iſa. 38. v. 15. Job. 10. v. 1.

2.

Verbum *dimittam* docet , confeſſionem non ob reſpectum aut timorem humanum , ſed libere , ſpontaneo motu , totoque ex corde inſtituendam eſſe ; juxta illam Pſalmiſtæ ſupplicam : *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine ; Voluntariè ſacrificabo tibi & confitebor.*

Pſalm. 118. v. 108. Pſ. 53. v. 8. S. Petr. Dam.

Sententiam audite P. Damiani & obſtupeſcite : *A veſtibulo* inquit , *hujus ſacratiſſimæ virtutis omnes illos excludimus , quos ad confeſſionem vel timor cogit ; quia extorta confeſſio ; non eſt confeſſio : Vel aliorum accuſatio trahit ; quæ non eſt confeſſio , ſed offenſio :* Cui & illa conſonat Eccleſiaſtici aſſertio : *A mortuo quaſi nihil , perit confeſſio , confiteberis vivens , vivus & ſanus confiteberis.*

Eccli. 17. v. 26. & 27.

3.

3. Proſequitur Job : *Dimittam adverſum me* ; non dicit : Exacuam linguam meam in excuſationes , in meorum defenſionem errorum , in proximi accuſationem , fortunæ , fato , dæmoni , exemplis malis meos non imputo defectus , ſed malitiæ propriæ. O verum pœnitentiæ exemplum ! quum genuine tibi aſſimilabatur ille , qui dicebat : *Ego dixi , Domine miſerere mei , ſana animam meam , quia peccavi tibi ; Ego ſum , qui peccavi ; ego inique egi.*

Pſ. 40. v. 5. 2. Reg. 24. v. 17.

Ubi culpantur unice illi , qui proximi dumtaxat norunt reprehendere imperfectiones , quibus & S. Bonaventura ſeſe opponit , dum ait : *Debet eſſe confeſſio propria , quod dicitur contra multos , qui aliorum verecundias in confeſſione recitant & peccata ſua alijs imponunt ; ſicut Adam Evæ , & Eva ſerpenti.*

S. Bonav. ſer. 2. in D. inf. oct. ep.

Id quod idem Sanctus alio in loco his verbis repetit : *Confeſſio debet eſſe propria ; tua , non alterius peccata confitearis* ; pro cujus confirmatione , citatum modo adducit Pſalmiſtæ aſſertum ; *Dixi , confitebor adverſum me ; non confitebor adverſum alium ; injuſtitiam meam , non alterius. Noli confiteri ſicut Adam & Eva in Paradiſo : Adam enim peccatum Evæ , Eva vero ſerpentis cauſam confeſſa ; ita adhuc ſæpe fit , quod homo in hominem vel in diabolum ſerpentem antiquum refundit cauſam ſuam ; quando dicit Confeſſori : Diabolus induxit me ad hoc malum.*

Serm. 2. in dieb. rog.

Quibus idem Seraphicus Doctor ſequentem Sanct. Auguſtini ſubjungit admonitionem : *Dimitte Satanam accuſa , ut accuſatione tua Dei miſericordiam merearis ; parcas illum accuſare , qui non habet veniam ; te accuſa , & accipis indulgentiam.*

S. Auguſt. ibid. cit.

Unde etiam S. Petrus Damianus inquit : *Aliorum accuſatio non eſt confeſſio , ſed offenſio.*

S. Petr. Dam. ſer. cit.

Quam pariter perverſam confitendi methodum hiſce verbis S. Thomas de Villa Nova redarguit : *Quidam dum ſe juſtificare prætendunt , fiunt proximi detractores ; & ubi quærebant remedium peccatorum , peccata accumulant & diſcedunt à confeſſione deteriores.*

S. Thom. de Vill. Nov. conc. in 4. D. Qu.

4. Particula , *eloquium meum* , aliam notabilem deſignat conditionem , ſcilicet , ut taliter peccata noſtra exprimamus , ut confeſſarius debitum poſſit formare judicium quoad neceſſarias circumſtantias , juxta illud : *Delictum meum cognitum tibi feci , nec injuſtitiam meam abſcondi.*

Pſ. 31. v. 5.

Ideoque Sanctus Bonaventura docet , debere confeſſionem ſinceram eſſe & *nudam* ; quoniam *qui abſcondit ſcelera ſua , non dirigetur. Unde Auguſtinus* idem proſequitur Seraphicus Doctor , *os tuum , oſtium aperiatur & claudatur ; aperiatur ad peccati accuſationem nudam , claudatur ad peccati excuſationem.*

S. Bonav. ſer. 2. in dieb. rog. Prov. 28. v. 13.

Pœnitentiam victimæ titulo honoravimus in diſcurſu XI. conformiter illi : *Tollite hoſtias & introite in atria ejus ; taurosne illaturi , an hircos* , Sanct. interrogat Auguſtinus ? *Videte , ne illud ſit hoſtia , de quo dixit : confeſſio & pulchritudo ; confeſſio hoſtia eſt Deo , nam dicitur : Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.*

Pſ. 95. v. 8. S. Auguſt. T. 4. de ver. & falſ. pœnit. c. 20.

Modumne quandoque obſervaſtis victimæ immolandæ ? excorticatur , pelle exuitur , denudatur , ita ut omnia viſcera atque interiora conſpiciantur. Ita pariter & in hoc myſtico ſacrificio , cor & conſcientia noſtra Confeſſario penitus revelanda ſunt , uſque ad infimum etiam cogitatum , aut deſiderium. Ad propoſitum deſervit verſio græca ubi enim vulgaris habet , *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus , ad quem eſt nobis ſermo* ; illa legit : *Excoriata.*

Hebr. 4. v. 13.

Idem porro Sanctus Auguſtinus citatum Pſalmiſtæ textum (*Delictum meum cognitum tibi feci*) ſequenti novo perque accommodo illuſtrat commentario , inquiens : *Si ille cognoſcit , & ille ignoſcit , ideo injuſtitiam meam non operui.*

Pſ. 31. v. 5. S. Aug. ib.

5.

5. Verbum *loquar* , internum denotat conſcientiæ examen , quod , ut ſuo loco dicetur , una cum dolore & attritione interna ad bonam requiritur confeſſionem. *Qui culpas ſuas deteſtando loquitur* , inquit Sanctus Gregorius , *reſtat ut eas in amaritudine animæ loquatur , ut hæc ipſa amaritudo puniat , quidquid lingua per mentis judicium accuſat* ; juxta illud : quod ſcriptum eſt : *Loquar in amaritudine animæ meæ.*

6. Pſ. 118. v. 7. S. Bonav. ib.

6. Sanctus Bonaventura illam Pſalmiſtæ reſolutionem ( *confitebor tibi in directione cordis* ) diſcutiens , ſequentem pro omni pœnitente elicit doctrinam : *Debet confiteri tripliciter ; videlicet patenter , ferventer , feſtinanter ; patenter , ut ſit confeſſio nuda ſine excuſatione , feſtinanter , ut ſit confeſſio prompta , ſine dilatione.* Hiſce pœnitens ſpem & fiduciam aſſociare debet , cujus in hæc verba S. meminit Iſidorus : *Habeo ſpem in confeſſione , in qua conſtantiſſime ſolidatus , non deſperavi nec deſperabo , ſed perfecta utor fiducia , qua , eraſa & abolita de corde nequitia , poſſim , poſtulatione præmiſſa , ab omni morte criminum per te reviviſcere , & ab omni colluvione peccatorum , interjecta confeſſione purificari.*

S. Iſidor. in exhib. adpœn.

Cujus circumſtantiæ neceſſitas in confeſſione quanta ſit , vel ex hoc unico , quod jamjam dicturus ſum , conjectari licebit. Pœnitentia ductus Judas , ſacerdotibus *retulit triginta argenteos* , dicendo ad eos , *peccavi tradens ſanguinem juſtum* ; retracto quidquid adverſus meum commiſi magiſtrum , omnino innocentiſſimum ; & nihilominus tota hæc confeſſio ob ſpei defectum invalidata fuit , quem ut defectum Seraphicus Doctor extirpet , præcipit , ut ſit confeſſio *pia , ut cum ſpe veniæ confitearis ; confeſſio enim multis remiſſionem obtinuit peccatorum : Noli miſer confiteri , ſicut Judas , qui , ſicut dicitur , pænitentia ductus retulit triginta argenteos , dicens : Peccavi , tradens ſanguinem juſtum. Vera fuit hæc confeſſio , ſed impia propter deſperationem.*

Matth. 27. v. 3. S. Bonav. ſer. 2. in dieb. rog.

7. Porro quas varijs in auctoribus diſperſas reperi bonæ



confeſſionis circumſtantias , doctiſſimo in compendio B. Laurentius Juſtinianus nobis exhibet , dum ait : *Præclarum cœleſtis gratiæ indicium atque juſtificati hominis medicamentum quam maximum , eſt delictorum humilis & devota confeſſio ; illa videlicet , quæ pro offenſi conditoris dilectione perficitur ; hoc ideo dixerim , quia non omnis eſt fructuoſa confeſſio ; quæ enim ex ſolo imminentis mortis timore geritur , inutilis eſſe probatur ; ſit itaque voluntaria , ſit recta , ſit humilis , ſit integra , ſit manifeſta , ſit lachrymoſa.*

B. Lau. Juſt. de ob. c. 15. Conditionum compendium.

Quæ licet doctrina ad bonam confeſſionem inſtituendam ſufficere poſſet , in lectoris nihilominus gratiam , aliam ſuperaddere placuit Hugonis eruditionem , inquiens : *Septem ſunt gradus confeſſionis , cognitio peccati , pænitentia , cordis dolor , oris confeſſio , carnis maceratio , operis correctio , & bonitatis perſeverantia ; tres intus & tres foris ; [illegible] intus & foris proſpicit.*

Hug. à S. Vict. 2. p. l. 4. Theol. t. 100.

Bona Conf. 6. debet habere.

8. S. Bonaventura illum Pſalmiſtæ textum , *Dixi confitebor &c.* diſcurſui huic præfixum , ſequenti , ad intentum noſtrum utiliſſima , illuſtrat gloſſa : *In hoc verbo tanguntur ſex , quæ debet vera confeſſio habere ; primum eſt præmeditatio , quæ notatur cum dicitur ; dixi. Secunda eſt compunctio cordis & oris , ut ore ſimul & corde fiat , quæ notatur per : Confitebor. Tertium eſt , quod ſit accuſans , non excuſans ; quod notatur per : Adverſum me. Quartum , quod de malis , non de bonis ; quod notatur per : injuſtitiam. Quintum , quod ſit propria , id eſt , de peccatis proprijs , non alienis , quod notatur per : Meam. Sextum quod ſit ad honorem Dei & honeſtatem ſui ; quod notatur per : Domino ; & talis confeſſio eſt utilis , unde ſequitur : Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Pſ. 31. v. 5. S. Bonav. t. 6. in diat. ſal. t. 2. c. 3.

Multorum abuſus.

9. Hanc doctrinam ponderanti ſolicite , abuſus faciliter innoteſcit ; quem in Sacramento hoc admittunt non pauci , qui , ut cum S. Bernardo loquar , *confitendo , ſicut fabulam , peccatorum ſuorum narrant hiſtoriam , & ægritudines animæ ſuæ verecundia & confuſione dinumerant , & pene ſine pænitentia & affectu doloris ; & ideo nihil de conſolatione reportant* ;

S. Bern. ep. de vit. ſolit.

quam melliflui Doctoris ſententiam , alter Seraphicus citans , ait : *Nec debent verba dici palliantia aut cooperantia vel minuentia peccatum , ſicut faciunt multi , magnas phylacterias & hiſtorias longas texentes , antequam peccatum explicent , ut ſic per illas oſtendant ſe minus culpabiles de peccato , quod quidem peccatum in fine illorum ſuperfluorum verborum excludant.*

S. Bonav. op. de mod. conf. t. 2.

S. Bernardus ſequentem quoque bonæ confeſſionis ſuperaddit conditionem : *Debet eſſe pura , quia cum pura intentione debes confiteri , & non ut reputeris bonus ; quia ſi vadis cum hac intentione , reverteris pejor ; nec vadas , ſicut aliqui , ex quadam conſuetudine.*

S. Bern. t. 4. ſer. 20. p. princ.

Integre confitendum.

10. Maxime etiam ad confeſſionem requiritur integritas , ab omnibus ſacris unice commendata Doctoribus. *Sit integra* , ait S. Bonaventura , *ut effundas in confeſſione , quidquid culparum habes in corde* ; juxta illum Iſaiæ textum : *Effunde ſicut aquam cor tuum ; non dicit : Effunde ſicut oleum , vel ſicut ſanguinem , vel ſicut lac , vel ſicut vinum ; in his enim aliquid remanet , vel de ſubſtantia , vel de colore , vel de ſapore , vel de odore , dum effunduntur. Effunde integraliter ſicut aquam.*

S. Bonav. ſer. 2. de rogat. Thren. 2. v. 19.

Quem ob defectum , graviſſimum mortis æternæ incurrere ſupplicium Ananias & Zaphyra : *Cur tentavit Satanas cor tuum Anania , mentiri te Spiritui ſancto ? non es mentitus hominibus ſed Deo.*

Act. 5. v. 3. Ibid. v. 4.

Maximam pecuniæ partem miſeri ad Apoſtolum detulerant , exilem ſibi reſervantes ; atque ideo æternæ mortis contraxerunt reatum. Ecce vobis typum eorum , qui omnia quodammodo confitentes peccata , unum alterumve , ob reſpectus humanos , tacent , diſſimulant aut abſcondunt. *Colligitur præterea* , inquit Concilium Tridentinum , *etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe , quæ ſpeciem peccati mutant ; quod ſine illis peccata ipſa neque à fidelibus integre exponantur , nec judicibus innoteſcant.*

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. Circumſtantiæ explicandæ.

Unde contemplantur aliqui , ideo Judæ confeſſionem mutilatam fuiſſe , quia ſcandalum ſubticuerat : quod omnibus condiſcipulis , imo toti dederat urbi Jeroſolymitanæ ; cui perverſæ confeſſionis generi & illa Hilarij adverſatur ſententia : *Confitendum eſt , ut Propheta docuit , corde toto , non ex parte : Confitebor tibi Domine in toto corde meo.*

S. Hilarius Pſ. 110. v. 1.

Quæ ſi minus permoveat , illa ad minus moveat S. Auguſtini , inquientis : *Sunt plures , quos pænitet peccaſſe , ſed non omnino , reſervantes ſibi quædam , in quibus delectentur , non animadvertentes , Dominum , ſimul ſurdum & mutum à Dæmonio liberaſſe , per hoc docens nos , nunquam niſi omnibus liberari ; Si enim vellet ex parte peccata reſervari , habenti ſeptem Dæmonia , manente uno , proficere potuerat ſex expulſis ; expulit autem ſeptem , ut omnia crimina ſimul ejicienda doceret.*

S. Aug. t. 4. de Ver. & falſ. pœnit. c. 9.



Unde etiam Salvator , quemadmodum idem conſiderat Sanctus , nulli umquam temporalem corporis contulit ſanitatem , ſine Spirituali animæ : *Totum hominem ſanavit in Sabbato* , inquit , *quia & corpus ab infirmitate , & animam ab omni contagione liberavit , indicans , pænitentem oportere ſimul dolere de omni crimine , orto in anima & corpore.*

11. Pro hac neceſſaria confeſſionis circumſtantia , ſequens pariter militat S. Bonaventura dogma , inquientis : *Debet eſſe confeſſio integra , non dimidia ; parum enim valeret , ſi infirmus medico febrem revelaret , & peſtem febris celaret : & ſi nauta aliqua navis foramina obſtrueret , & aliqua non.*

S. Bonav. t. 6. in diat. ſal. t. 2. c. 3.

Quam ut veritatem plenius nobis inculcaret S. Bernardinus , mutilatæ confeſſionis damna perhibiturus , alias inter ſimilitudines , unam de civitate adducit inquiens : *Confeſſio debet eſſe integra , quia ſi unum ſolum peccatum taces ſcienter , nullum eſt tibi remiſſum ; ad inſtar civitatis , cujus portæ eſſent clauſæ : Si murus eſſet ruptus in aliqua ſui parte , inimici intrarent per illam rupturam & caperent civitatem. Ita inimicus diabolus animarum , retento unico peccato , intrandi aditum per illud peccatum habet in animam.*

S. Bern. ſen. t. 4. ſer. 20. part princ. Scienter reticenti peccatum , nullum dimittitur.

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

De dolore & compunctione peccatorum , deque motivis ad eam excitandam diſponentibus.

### THEMA.

*Dolor meus in conſpectu meo ſemper , quoniam iniquitatem meam annunciabo , & cogitabo pro peccato meo.* Pſalm. 37. v. 18. & 19.

Compunctio præcedat Confeſſ.

1. PSalmus iſte , è pœnitentialibus unus , docet , Regem pœnitentem oculos ſuos à dolore & pœnitentia minimè avertiſſe , dum ſuorum memor peccatorum , ait : *Dolor meus in conſpectu meo ſemper* , cujus hanc immediate ſubdit rationem : *Quoniam iniquitatem &c. Prius flendum eſt* , inquit Hugo Victorinus , *poſtea confitendum ; hoc ſiquidem ad veritatem confeſſionis ſpectat , ut prius compungaris , poſtea confitearis.*

Hug. Vict. Theo. de ſacr. fid. l. 2. part. c. 1.

*Anticipaverunt vigilias oculi mei* , dicit alio in loco idem Pſalmiſta , ſuam in diſcutienda conſcientia oſtenſurus ſolicitudinem ; *cogitavi dies antiquos , ... Et meditatus ſum nocte cum corde meo , & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.*

Pſ. 76. v. 5. Ibid. v. 6. Ibid. v. 7.

Scopæ pulverem auferunt è cubilibus , qui ne motus ſurſum ſublevetur : pavimentum conſpergitur aqua ; ita pariter & regius Vates conſcientiæ ſuæ cellulam ſe mundaſſe teſtatur , dum ait : *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum , lacrymis meis ſtratum meum rigabo.*

Pſ. 6. v. 7.

Ad abſtergendum igitur peccatorum noſtrorum pulverem , non modo exacti examinis requiruntur ſcopæ , ſed & aqua neceſſaria eſt compunctionis , *Prius compungaris.*

Job docet 7. Job. 7. v. 11.

2. *Quapropter & ego non parcam ori meo , loquar in tribulatione ſpiritus mei , confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* Ecce vobis inſignem à contriti & humiliati cordis Propheta Jobo depromptam , ſinceræ confeſſionis methodum , quam S. contemplans Gregorius , per dolorem & compunctionem , facilitari adſtruit confeſſionem : *Tribulatio ſpiritus linguam commovet , ut reatum pravi operis vox confeſſionis impugnet* ; nam *qui mala equidem quæ perpetravit , inſinuat ; ſed flere , quæ inſinuaverit , recuſat , quaſi ſubducta veſte vulnus detegit , ſed torpenti mente medicamentum vulneri non apponit.*

S. Greg. l. 8. mor. c. 11.

3. Subtilis eſt illa , quam circa Abſalonis , à ſacro textu adductam hiſtoriam , S. Antonius Patavianus inſtituit ſpeculationem , conſiderans , qualiter Abſalon ſingulis annis ſuam ſolitus fuit divendere comam pro ſiclis ducentis : *Ponderabat capillos capitis ſui , ducentis ſiclis de pondere publico* ; ex quo hanc Sanctus elicit moralitatem , inquiens : *Cum tamen deberet ponderare trecentis ſiclis , id eſt , triplici pænitentia , ſed ponderabat ducentis ; quia plurimi ſunt , qui in tertio ſiclo ſatisfactione deficiunt , nec ponderant peccata ſua pondere ſanctuarij ; id eſt , ſicut Deus & Sancti ea gravia judicant ; ſed pondere publico , id eſt , ſicut vulgi opinio parvi pendit.* Nullum de peccatis

2. Reg. 14. v. 26. S. Ant. de Patav. in Dom. 4. poſt Trin. Confeſſ. tres partes.

peccatis eliciunt dolorem ; quia ob luminis defectum, ſcelerum non agnoſcunt gravitatem ; imo etiam ſæpius *lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis* ; ideoque & infelicem cum Abſalone ſortiuntur exitum : Quem ut diſcurſum ſolidius ſtabiliret Sanctus, eam, præcurſoris ſententiam (*genimina viperarum*) adverſum hujuſmodi confitentes, fulminat, inquiens : *Genimina viperarum, id eſt, venenati venenatorum filij, quis vobis demonſtravit fugere à ventura ira ? Quaſi dicat: Non bene didiciſtis fugere, quia non fugitur ira, ſatisfactione contempta ; Unde & ſubdit : Facite fructus dignos pœnitentiæ* ; quorum non ſine myſterio mentionem ingerit, dum per eos, tres vult deſignare bonæ confeſſionis partes ; unde idemmet proſequitur Sanctus ; *Nota, dicit fructus ; tria ſunt germen, flos & fructus, in germine contritio, in flore confeſſio, in fructu ſatisfactio ; quam qui non habet, perfectione pœnitentiæ caret.*

Prov. 2. v. 14. — Luc. 3. v. 7.

4. S. Bernardinus Senenſis Sancti Gregorij, culpam mortalem lethale animæ vulnus nuncupantis, ut ſupra diximus, authoritati inſiſtens, ſequentem, propoſito noſtro in primis accommodum, format diſcurſum : *Contritio apoſtema pungit, confeſſio aperit & ſaniem emittit, ſatisfactio cataplaſmata opponit ; per hanc igitur punctionem conteritur cor humanum, & tunc peccata delectatio totaliter effunditur.* Multi equidem pœnitentiam ſæpe reiterant, aſt ſine fructu, in eadem ſemper reincidentes peccata, omni abſque emendatione ; quem defectum Sanctus Thomas de Villa Nova doloris defectui adſcribens, ait : *Ejus fructum non percipiunt, quia indigne & tepide, ſine dolore & compunctione accedunt ; hi ſacerdoti peccatorum ſuorum hiſtoriam, quaſi per otium narrant ; nullos gemitus.* Ideoque utiliſſimum hoc nobis conſilium dedit Hugo Victorinus : *Si ſacramentum ſuſcipis, opera pœnitentiæ facias ; habe rem ſacramenti in vera contritione, ne fruſtra ſpeciem ſine veritate oſtendas:* Quam ut doloris neceſſariam elicientiam cordibus noſtris imprimeret ſolidius, mox ſubdit : *Tanta eſt pœnitentia tua, quanta eſt contritio tua, quanta eſt devotio tua ; contritio pro malo, quod feciſti; devotio pro bono recuperando, quod amiſiſti.*

S. Bern. t. 1. ſer. 12. a. 1. c. 2. — Cauſa relapſus contritionis defectus. — S. Thom. de Villa nova in D. 4. Qu. — Hug. Vict. erud. th. ex miſc. l. 1. t. 103.

5. Nemo neſcit graviſſimum peccatorum onus, ſub quo gemebat Evangelicus Publicanus, fex quodammodo abominabilis peccatorum omnium ; nihilominus breviſſimo temporis ſpatio Sanctitatem aſſecutus, Phariſæo integram jejuniorum ; eleemoſynarum, orationum, aliorumque bonorum operum ſeriem texenti, præpoſitus fuit ; *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo* ; cujus proinde in laudes ſeſe diffundens Sanctus Chryſoſtomus, ait : *Criminum accuſatio, facta eſt illi criminum remiſſio ; quot labores erant Publicano ſubeundi ; jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona ſua egenis impertiendo, longo tempore in ſacco & cinere ſedendo, ut illa tam multa peccata poſſet deponere ?* nihilominus per cordis ictus, id eſt, per interni doloris & pœnitentiæ actus, toto hoc onere indilate ſeſe exoneravit : *Deſcendit juſtificatus &c.* Auſcultemus Sancti Auguſtini reſolutionem : *Pœnitentia vera*, inquit ille, *non annorum numero cenſetur, ſed amaritudine animæ ; quamvis ſit exigui temporis ; ſi intima cordis amaritudine agitur, non deſpicitur apud judicem juſtum Deum, qui cordis ſecreta conſiderat.*

Contritio vera delet peccata. — D. Chryſ. t. 5. h. de David & Saul. — S. Aug. de temp. ſer. 66.

6. *Percutiebat* Publicanus *pectus ſuum*, qua actione, ut idem exiſtimat Sanctus, cor ſuum, veluti infamem traditorem caſtigare & affligere intendebat ; ideoque mox ſubdit : *Tundere autem pectus, quid eſt, niſi arguere, quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum ?* Diverſum nihilominus ab eo hujus percuſſionis myſterium S. Zeno aſſignat, arbitrans Publicanum ſuum pugnis præciſe cædidiſſe pectus, *à quo procedunt univerſa genera peccatorum* ; conformiter illi veritatis Aſſerto: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia blaſphemiæ*, omne peccatum influxum participat cordis & voluntatis. *Pectoris percuſſio*, inquit Cornelius Janſenius : *interioris pravitatis ſeria eſt redargutio.*

Cor caſtigandum. — S. Auguſt. ſer. 8. de v. Dom. — S. Zen. in Pſ. 127. — Matth. 15. v. 19. — Corn. Janſ. con. Ev. c. 99.

7. Percuſſit pœnitens pectus ſuum, illi obtemperaturus mandato, quod peccatoribus omnibus, ad veram pœnitentiam aſpirantibus, in hæc verba per Joelem præſcripſit Dominus : *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*, ideoque ut Theophylactus advertit, *percutit* Publicanus *pectus ſuum, cor quodammodo pangens.* Omnium nihilominus ingenioſiſſime Albertus Magnus hujus nobis myſterium indigitavit percuſſionis, quam fideles ad illa confeſſionis verba, *mea Culpa* exercere ſolent. *In pectoris tunſione*, inquit hic auctor, *& afflictio eſt, & ſonus & manus appoſitio* ; tria ad confeſſionem ſacramentalem requiſita puncta : *per afflictionem ſignificatur compunctio ; quæ eſt cordis afflictio ; in tunſione aut ſonus ; qui ſignificat confeſſionem ; & in manus appoſitione, ſignificatur ſatisfactio.* Et alio in loco idem ait : *Neceſſarius eſt nobis dolor admiſſæ iniquitatis, qui notatur ibi, ubi dicitur : Percutiebat pectus ſuum, dolor enim ſuſcitatur ex vehementi cordis tunſione* ; ideoque nequaquam admiranda eſt ſubitanea ejus de peccatore in juſtum transmutatio. Ne autem nos ullum inſcitiæ prætextum, circa doloris hujus eliciendi methodum, afferre valeamus, hanc unusquisque amplexetur, jugiterque memoriæ mandet doctrinam, quam S. Thomas de Villa Nova hiſce poſt ſe reliquit expreſſam verbis : *Recluſus in oratorio ſolus conſidera Dei bonitatem, clementiam & amorem erga te, & multiplicem ejus beneficentiam, & dona, quæ tibi tradidit.*

Pectus tundendum. — Joel. 2. v. 15. — Theophyl ib. — Alb. Magn. ib. — Albert. Mag. ſer. in D. 10. poſt Pent. — S. Thom. de Villa nova in D. Paſſ.

8. Hugo Victorinus tria aſſignat doloris genera, nulli non pœnitenti animæ neceſſaria : *Dolor cordis triplex, acer, acrior, acerrimus*, quorum unusquisque requiritur : *Acer, quia Creatorem offendiſti, cujus legem cum cæleſtia & terreſtria conſervent, in tanta republica Dei, tu ſolus peregrinus es, imperatoriæ majeſtatis dexteram contemnens. Acrior, quia cum Creatore patrem etiam ad iram provocaſti, qui tibi miniſtrat ſiderum curſus & fructuum ubertatem. Acerrimus, qui pertranſeat animam, quod beneficium contempſeris ejus, qui dolorem crucis ſuſtinuit, ne dolorem amplius ſuſtineres inferni.* Moyſes rebellem populum ad emendationem & pœnitentiam inclinaturus, immenſa eidem ob oculos poſuit ſingulariſſimi benefactoris Dei beneficia & gratias, ita ſermonis ſui auſpicatus exordium : *Audite cæli, quæ loquor ; Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens ? Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creavit te ?* Si crimen eſt, proprium offendere patrem, quidni flagitium fuerit ipſum provocare Deum, Creatorem, Redemptorem & beneficentiſſimum patrem noſtrum ? qui, ut cum Sancto Auguſtino loquar, *ſic curat unumquemque noſtrum, tamquam noſtrum, tamquam ſolum curet. Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Si grave meretur ſupplicium patricida, quo multabitur ille, qui Deum offendit mortaliter, quem cœleſtem invocamus patrem dicentes : *Pater noſter, qui es in cælis ?* qui ut prudentiſſima virago, Sancta Machabæorum mater, ad ſuos converſa filios, ajebat, omnium eſt principium & origo noſtrûm : *Neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi ; ſed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.*

Hug. Vict. 2. p. l. 4. erud. th. tit. 1000. — Dolor triplex habendus. — Deuter. 32. v. 1. & 6. — S. Auguſt. l. 3. conf. c. 11. — 2. Machab. 7. v. 22. & 23.

9. Si præter creationis beneficium, alia in mentem adduxerimus, continuæ conſervationis, tantorumque naturæ, fortunæ & gratiæ favorum, quibus divina nos bonitas locupletavit, quomodo fieri poterit : quin non in uberrimas lachrymas & planctus reſolvamur, ob tanti benefactoris offenſam ? quia tamen ò inveterate peccator, cor ego tuum obſtinatum, & necdum emollitum novi, cum Sanct. Thoma de Villa Nova te ad ulteriora provoco & dico : *Conſidera, quomodo te ſuſtinuit & expectavit cum multa patientia, quomodo pro offenſis multa bona dedit ; offenſus rogat, ut redeas ad illum ; & conſidera tuam duritiam, pertinaciam, ingratitudinem & pravitatem ; quam male reſpondiſti tam bono patri, quomodo contemnis monentem, deſpicis vocantem ; & ſine timore, verecundia pro nihilo habes illum offendere & mille injurias facere* ; Quot in abyſſali ardent fornace, quibus Deus vitæ filium, juſto judicio ſuo, poſt primam eamque unicam dumtaxat culpam mortalem, abſcidit, in nos, poſt tot annorum prævaricationes, in hanc usque horam & momentum, adeo beneficus & miſericors ? *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri* ; expectat, non ut ulterius in peccatorum cœno inſordeſcatis, ſed ut ad ſinceram & ſeriam pœnitentiam vos convertatis.

Beneficia Dei recenſentur. — S. Thom. de Villa Nova. — Iſ. 30. v. 18.

10. Sanctus Bernardinus Senenſis confeſſurum inſtruens, cum ſingulare humilitatis edocet motivum, ſimulque obligationem oſtendit, qua divinæ in ſe exercitæ patientiæ obſtrictus vivit : *Peccator, quando eſt ante Confeſſorem*, inquit Sanctus, *debet conſiderare, ſe fore in conſpectu Dei, & vadit petere vitam æternam ; & debet ire cum humilitate, quemadmodum ſi mereretur mori, & iret ad petendum veniam vitæ & vitam ab illo, qui poſſet ei donare vitam : Multo magis cum majori humilitate coram Confeſſore pro obtinendo gratiam vitæ æternæ, penſando offenſiones factas Deo, & quantas ingratitudines commiſſas verſus Deum, de beneficijs nobis donatis.*

Quomodo confitendum. — S. Bern. Sen. t. 4. ſer. 20. t. p. princ.



11. Idem citatus modo Sanctus Thomas indictum peccatoribus prælium feliciter proſequens, nova aſſumit arma, quibus inſtructus, unumquemque ſic aggreditur : *Qua audacia, quo vilipendio, forma erigis caput de terra, contra tantam majeſtatem ; & rebellas contra eum, quem trepidant cæleſtes principatus ; ſub quo curvantur, qui portant orbem ?* Erubeſce *putredo & vermis* ; quæ tanta tua temeritas, quæ tanta arrogantia & impudentia tua, ò pulvis terræ, ò lutee pugne, ut contra Deum tuas non verearis erigere criſtas, qui in latere ſuo ſcriptum hunc circumfert titulum : *Rex regum & Dominus dominantium; qui reſpicit terram, & facit eam tremere.*

S. Thom. de Villa nov. — Temeritas peccatorum. — Job. 25. v. 6. — Apocal. 19. v. 16.

12. Sanctus Polycarpus ad Dei abnegationem à tyranno provocatus ; quomodo, reſpondit, tanto cum ſcelere potero irritare, qui nullum mihi umquam malum, ſed innumerabilia cauſavit bona. Hæc audi & confundere infelix peccator ; te creavit hominem, ad imaginem & ſimilitudinem efformavit: *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum : Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum* ; & nihilominus ei bellum ciere audes, *quem adorant dominationes, tremunt poteſtates*, à quo *omne datum, optimum ?* Verecundare ò impudens peccator : *Legem ejus, quam Angeli & cæli & omnes creaturæ cuſtodiunt, ſolus cum diabolo præterire & prævaricari audes ſtultus & cæcus ? Et relicto parente conditore, qui te proprio ſanguine redemit, cum diabolo, inimico ſuo & tuo conſpiras, & ſolus rebellas contra illum, qui tanta pro te ſuſtinuit, & tantam gloriam tibi paravit ? Hæc & ſimilia profunde conſidera, attente & moroſe, &, ſi lapis non es, movebitur certe cor tuum ; in meditatione tua exardeſcet ignis amoris, & doloris calore ſuccenderis.* Impoſſibile erit, quin peccator fidei oculo Chriſtum intuens crucifixum, ſuas reſolventem venas, ſuoque ex ſanguine, mortalium ejus plagarum ſanativa conficientem balſama, vel unicam ſaltem ex pœnitentiæ motivo profundat lachrymam, ut pretioſiſſimi illius ſanguinis torrenti correſpondeat, in quo diluta eſt anima ejus.

Conſiderando Jeſum conteri debes. — Pſ. 8. v. 6. 7. — S. Thom. de Villa Nova.

13. Sanctum audiant Bonaventuram, qui Chriſtum potius crucifixum, quam propria deplorant peccata : *Potius flere debet peccator vulnera animæ ſuæ, pro quibus Chriſtus patitur ; quam vulnera quæ corpus Chriſti patitur.* Nec ſpinæ, nec flagra, nec clavi, nec ulla alia paſſionis inſtrumenta, ſe ſolis, abſque peccatis noſtris, divinas potuiſſent aperire venas: *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra* ; aſt omnium dolorum, qui Chriſto in cœlis hodie impaſſibili per impoſſibile infligi poſſent, maximus hic foret, videre Salvatorem, quod anima Chriſtiana propter unam aliquam voluptatulam, divinum conculcet ſanguinem; ſanctam aſpernetur redemptionem; quale hominum genus indigitabat ille, qui dicebat : *Pretium meum cogitaverunt repellere.*

S. Bonæv. ſer. 2. in D. 9. Pent. — Sed heu ! conculcatur. — Iſa. 53. v. 5. — Pſ. 61. v. 5.

14. Quid inſuper dicere attinet de incomparabili Dei, Paradiſi, Angelorum & Sanctorum conſortij jactura æternoque barathri horrore ? quis ſapiens locum potius elegerit, *ubi erit fletus & ſtridor dentium* in omnem æternitatem, quam unicam lachrymam, aut unicum compunctionis ſinceræ actum ? Heu pudor, heu probrum ! temporalium jactura bonorum, quæ nullam cum æternis comparationem habent, tenerrime deploratur ; & amiſſio Dei pro nihilo ducitur. Dum exilem lenticulæ refectiunculam perdidit Eſau, cumque ea primogenituram ſuam, *irrugijt clamore magno* ; de alijs per Ezechielem lamentatur Dominus : *Violabant me ... propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas.* Ita propter unius damnum oboli in inconſolabiles reſolvimur planctus, cœleſtium diſpendia bonorum flocci-pendentes. Vere equidem ſevera illa nos reſpicit divini judicis ſententia, dum per Jeremiam Prophetam minatur : *Arguet te malitia tua, & averſio tua, increpabit te ; ſcito & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum.*

Amiſſio temporalium plus cruciat quam Dei. — Geneſ. 27. v. 34. — Ezech. 13. v. 19. — Jerem. 2. v. 19.

15. Si porro aliud affectatis planctus, ſincerique ob culpæ gravitatem, doloris motivum, ad inferni atrium mecum deſcendite pœnam proprijs contemplaturi oculis correſpondentem culpæ. Heu heu ! quo vergitis ? ſiſtite gradum ; *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ?* Quos in aridis Judææ deſertis præcurſor Domini in peccatorum cordibus temporaliter ſuccendere moliebatur, inquiens : *Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum ; paleas autem comburet igne inextinguibili.* Tantos quisquis horrores moroſo fuerit contemplatus obtutu, non poterit non totus in lachrymas transformari & planctus, ob peccatorum ſuorum malitiam, hujuſmodi millies exigentium pœnas, quas certo certius incurret poſtmodum, niſi hodie culpam, omnis originem pœnæ aboleverit lacrymis, quas dictæ facile accumulabunt contemplationes, quia juxta Sanct. Bernardinum : *Attritio oritur ex timore Pœnæ.*

Æternas flammas lachrymis extingue. — Iſa. 33. v. 14. — Matth. 3. v. 12. — S. Bern. t. 1. ſer. 12. ar. 1. c. 3.



## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

De bono peccata non reiterandi propoſito, confitentibns neceſſario ; cujus aliqua, an adſit, ſtatuuntur indicia.

## THEMA.

*Fili peccaſti ? non adjicias iterum ; ſed de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Eccleſiaſtici 21. verſ. 1.

1. MAximi nobis hodie ob oculos ponitur momenti conſilium, quo omnes ſerio admonemur peccata devitare, divinamque implorare miſericordiam, ut præterita nobis delicta ignoſcat : *Non adjicias iterum ; ſed &c.* S. Auguſtinus in Pſalmi & verſiculi iſtius (*quia cinerem tamquam panem manducabam*) commentario, ad aliquas Paganorum, quas hi contra Chriſtianos frequentabant querelas ſeſe convertit, inquiens *Hodie paganorum opprobrium quale in nos eſt ? Quid putatis fratres ? quid eos putatis dicere nobis ? vos corrumpitis diſciplinam, moresque generis humani pervertitis.* Profecto utcumque rationabilis hæcce apparebat calumnia, impunitas namque & criminum indulgentia ſumme pernitioſa exiſtit Reipublicæ: Si enim Rex v. g. in regno ſuo toties reis delicta ignoſceret, quoties ipſi ſua confiterentur ſcelera, utique innumeri inceſſanter multiplicarentur exceſſus, niſi pœna capitali animadverteret in impios, in immenſum accreſceret ſceleſtorum colluvies. Hoc ipſum cæca gentilitas improperabat Chriſtianiſmo, cui ad confeſſionis ſacramentalis tribunal accedenti, ſemper patebat venia & cujuscumque remiſſio flagitij : *Dando hominibus pœnitentiæ locum, promittendo impunitatem omnium delictorum ; ideo homines mala faciunt, ſecuri, quod eis, cum converſi fuerint, omnia dimittuntur. Hinc ergo opprobrium*, S. proſequitur Auguſtinus, *quoniam cinerem ſicut panem manducavi, & potum meum cum fletu miſcebam.*

Calumnia paganorum ob veniam peccatorum. — Pſ. 101. v. 10. — S. Aug. in Pſ. 101.

2. Juſtæ utique fuiſſent querimoniæ, ſi indulgentia abſque omni alia conditione & circumſtantia obtigiſſet ; aſt fidei Chriſtianæ & Catholicæ conformiter dogmati, nullus omnino in hoc judicio, in hac (neſcio, ſi juſtitiæ dicam, an gratiæ) ſignatura, abſolutionis eſt capax, niſi firmum & ſtabile peccata omnia in poſterum declinandi præmiſerit propoſitum ; ideoque Spiritus Sanctus, cujus eſt remiſſionem & veniam impertiri ſacramentalem, (*quia ipſe eſt remiſſio peccatorum*) nos per Eccleſiaſticum admonet ? *Fili peccaſti ? non adjicias iterum &c.*

Sed non ſine propoſito efficaci. — Actor. 13. v. 38.

3. Vereor equidem, ne ſit vera nimis illa Sancti Thomæ ſententia : *Ad pedes confeſſoris rarus eſt, qui pœniteat prout debet.* Multos enim præteritorum pœnitebit ſcelerum, aſt ſine firmo emendationis propoſito, præſertim in ordine ad peccata mortalia. *Oportet ante confeſſionem*, inquit Sanctus hic Archiepiſcopus, *firmum & verum continendi à peccatis propoſitum perquirere, &, an vere illud habeas, diſcutere, quo naufragio multæ animæ ſubmerguntur.* Singulariter autem emendationis propoſitum adjuvat & ſtabilit ſincerus de præteritis peccatis dolor & compunctio : *Alioquin illuſor, & non pœnitens cenſendus eſt*, juxta S. Iſidorum, *quid id facit aut cogitat, cujus dolorem præ ſe fert.*

Rari tales pœnitentes. — S. Thom. de Villa nova ſer. in D. 4. Qu. — S. Iſidor. de ſum. bon. c. 16.



4. Alias

S. Bonav. ſer. 2. in dieb. Rogat.
Contritionis notitia.

4. Alias inter bonæ confeſſionis circumſtantias, vult S. Bonaventura, ut *ſit pura*; hæc autem juxta ipſum in eo conſiſtit: *Ut in confeſſione tua intendas dimittere & emendare peccata tua, & facere de cætero, quod Deo placet. Si ergo ante paſcha confiteris, quod tamen poſt intendas facere ſicut ante, vel ſi infirmitate flagellatus à Domino, non intendis, ſi evaſeris, Dei placitum facere, ſed tuum; tunc tua confeſſio impura eſt.* Porro propoſitorum noſtrorum valor & perfectio varijs ex indicijs dignoſci poteſt; & primum quidem ſignum eſſe poterit operatio. Jehu, divinæ inſtrumentum juſtitiæ, ad regnum Iſraëlitarum promotus, ut impiam & ſacrilegam Achabi extirparet

4. Reg. 10. v. 15. 16.

progeniem, die quodam, Jonadabo obvius, *numquid eſt cor tuum rectum*, ait, *ſicut cor meum cum corde tuo? & ait Jonadab, eſt; ſi eſt*, inquit, *da manum tuam; qui dedit ei manum ſuam: At ille levavit eum ad ſe in currum, dixitque ad eum: Veni mecum & vide Zelum meum pro Domino.* Noſſe cupis ò confeſſarie, an cor pœnitentis divino conformetur, an cum ſacramentalis confeſſionis concordet legibus? Dic, *da manum tuam* dilecte pœnitens, ab operibus argumentare confitentis.

S. Bonav. in diæ. ſal. t. 2. c. 3.

5. *Debet eſſe confeſſio vera, & non ficta*, inquit Sanctus Bonaventura; aſt unde dignoſcemus, ſi vera ſit, an ſimulata? Ecce reſponſum: *Dicitur vera confeſſio, quæ eſt cum propoſito emendandi, non ſolum oris, ſed etiam cordis; de qua dicit David: Confitebor tibi Domine in toto corde meo.*

Pſ. 110. v. 1.
Simulatam fabula docet & hiſtoria.

Ut autem Sanctus multorum oſtendat fraudem, qui ſtante actuali ad peccata affectu, remiſſionem ſe obtinere autumant, hanc de lupo fabulam adducens, ait: *Semel lupus confitebatur iniquitates ſuas, & interim erat multum ſolicitus, quia videbat oves recedentes, unde dixit Confeſſori ſuo, quod cito eum abſolveret, ut ſcilicet poſſet ſequi oves. Sic confitentur aliqui in Quadrageſima, proponentes ad peccatum redire poſt Paſcha.* Certò contigiſſe ſcio, quod jamjam narraturus ſum. Ruſticus quidam ovem furatus proximo, in confeſſione obſtrictus ad reſtitutionem, promittit ſe obtemperaturum: requiſitus poſtea à Confeſſario: Qualiter autem & quomodo ſatisfacies? cui incunctanter: Aliam furabor, hancque in primæ ſatisfactionem dabo.

6. Quod nobis Sanctus Bernardinus Senenſis bonæ conſcientiæ aſſignavit indicium, nos pariter in qualitatis propoſiti notitiam deducere poteſt.

S. Bern. T. 4. ſer. 45.
Indicium veræ Contr.

*Si vis cognoſcere*, inquit Sanctus, *quando tu es bene confeſſus, conſidera, ſi te pœnitet de omni peccato commiſſo, tam verbo quam opere, tam in omittendo, quam in committendo; & in quinque corporis ſenſibus, & in omni mala cogitatione & conſenſu.* Juxta menſuram pœnitentiæ & doloris de quocumque peccato confeſſo, cogitationis, verbi aut operis, intenſius remiſſiusve erit propoſitum bonum. Idem quoque

Thren. 2. 19.

Sanctus illa Jeremiæ verba explicans: *Effunde ſicut aquam cor tuum*; nota, inquit, ſingulare hac in ſimilitudine, quam Spiritus Sanctus de confeſſione & pœnitentia tractans, adducit, latitare myſterium: Si namque vas vini, olei, lactis, mellis aut ſimilis cujuſquam materiæ effuderis, ſemper odorem, ſaporem, aut colorem aliquem poſt ſe relinquet, niſi ſtudioſiſſime per aquam iterum iterumque eluatur.

S. Bern. t. 4. ſer. 23. 3. p.

Dicit igitur Jeremias: *Effunde ſicut aquam cor tuum; ita oportet, quod effundas cor tuum, bene ablutum aqua, quia adhuc remanebit appendicia peccatorum, lactis ſcilicet cogitationum malarum in mente: Et delectatio mellis, ſcilicet de peccatis præteritis; & color, ſcilicet vanitates &c.* Vas igitur cordis firma debet eluere divinam numquam amplius legem violandi reſolutio: *Unde ut tibi proſit confeſſio, oportet, ut bene laves cum aqua vas tuæ conſcientiæ, cum propoſito amplius non peccandi, nec in mente tua retinendi colorem, ſaporem, neque odorem de peccatis præteritis, nec aliqua appendicia & dependicia ab eiſdem.*

7. In tantum pœnitens ſolidum credendus eſt feciſſe propoſitum emendationis, in quantum non modo peccatum, ſed & quamcumque peccati deteſtabitur occaſionem. Unde S. Thomas illa elucidans

Occaſio fugienda.
Matt. 3. v. 8.
S. Thom. in Matth. c. 3.

Præcurſoris, pœnitentiam inculcantis verba (*facite fructus dignos pœnitentiæ*) ita diſcurrit: *Eſt autem fructus triplex dignus pœnitentiæ; primus eſt, ut puniat in ſe, quod commiſit; & hoc judicio ſacerdotis: ſecundus eſt, ut fugiat peccata & occaſiones peccati; tertius, ut tunc ſtudeat ad bene agendum, quantum ſtuduit ad peccandum*; juxta illud Apoſtoli præcep-

Rom. 6. 19.

tum: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ; ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Etiam remota.

8. Probe cognoſcens David, ad ſtabiliendum gratiæ ſtatum, quem jam tum media pœnitentia conſecutus erat, non ſufficere à culpa remotum degere, niſi quis etiam ſedulò devitet omnem tramitem & ſemitam, ad peccatum conducentem, Dominum ſupplex rogabit: *Viam iniquitatis amove à me.* Non ſufficiebat eidem fronti Goliathis inflixiſſe vulnus, eumque proſtraviſſe: Sed ſine ulla temporis mora, victum aggreditur, proprioque ejus gladio caput amputat jacenti. Infernalis Goliathis fronti petram infligimus per intenſum dolorem & pectoris tunſionem: eumdem proſternimus per ſolidum melioris vitæ propoſitum; aſt caput dæmonio amputamus, de victoria porro ſecuri, ſi omnem peccati præſcindimus & intercludimus viam, occaſionem & periculum, quamtumvis remotum.

Pſ. 118. v. 29.
2. Reg. 17. v. 51.

Probatur.

9. Lazarus defunctus, fœtens, quatriduanus, reſuſcitatus, quin peccatoris inveterati ſignificarit converſionem, nemo eſt, qui dubitet: ſed eum advertite, quem in ipſius reſuſcitatione modum ſervavit incarnata ſapientia: Non ei ſufficiebat animam uniſſe corpori, ſed inſuper, ut tumulum deſerat jubet: *Lazare veni foras*; circa quæ verba Sanctus Thomas de Villa Nova ita diſcurrit: *Exi foras, non ſolum à delicto, ſed etiam ab occaſione & delinquendi propoſito. Quidam cum peccatis etiam propoſitum peccandi ſibi reliquiſſe videntur, ſed occaſiones delinquendi non fugiunt; hi non ſuſcitantur, quia non omnino foras exeunt.* Cui & illa Richardi Victorini conſonat gloſſa: *Quid eſt autem reſuſcitatum inde, ubi mortuus jacuerat; exire, niſi peccatum ſuum penitus & in perpetuum deſerere?* Neque minus obſcure eamdem hoc è textu veritatem Doctor elicit Angelicus, inquiens: *Datur per hoc intelligi, quod Chriſtus vocat peccatorem foras exire, de converſatione peccati.*

Ioan. 11. v. 43.
S. Thom. de Villa nova conc. in fer. 6. poſt. D. 5. Quadr.
Rich. a S. Vict. l. de pot. lig. & ſolv. c. 7.
S. Thom. in Ioan.

Petrus exemplum dedit.

10. Sanctus Petrus iterum iterumque cum omnium ſcandalo, divinum ſuum negaverat magiſtrum perjurus; nonne igitur & pœnitens, eodem in loco, & coram ijſdem perſonis, ubi deliquerat, quaſque gravi offenderat ſcandalo, ſuum debuiſſet deteſtari errorem; ita equidem videri poſſet, & nihilominus ſubitò *egreſſus foras, flevit amare*; quam Apoſtoli circumſpectionem & cautelam S. Thomas Aquinas laudibus extollens, inter alia dicit: *Quia declinavit à conſortio eorum, qui induxerant eum ad peccandum.* Unde & S. Paulus pollicetur plenariam omnibus pœnitentibus indulgentiam; aſt non quomodocumque: qua igitur cum exceptione? *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus; & immundum ne tetigeritis.* Quam pariter doctrinam hiſce nobis verbis expreſſit Lyranus: *Quia peccator debet eſſe elongatus non ſolum à peccato, ſed etiam ab occaſionibus ejus.* Si hanc ſimilemve ſubterfugeris viam, declinaveris converſationem, occluſeris feneſtram, firmum ſolidumque ſcias te concepiſſe emendationis propoſitum.

Matth. 26. v. 75.
S. Thom. in Matth.
2. Corinth. 6. v. 17.
Lyranus.

Contritionis indicia.

11. Aliud conſtantis propoſiti indicium eſt, ſi anima diverſam penitus à priori ingrediatur viam, trium imitatrix Magorum, qui ubi ſua Salvatori præſtiterant obſequia, *Per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Alio tramite in ſuam patriam revertuntur*, inquit Sanctus Cyprianus; *quia neceſſè eſt, ut, qui credunt ad juſtitiam, ore etiam confeſſi ſint ad ſalutem; deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent*; moxque declarans, quæ ſint arctæ hujuſmodi viæ, ſubdit: *Arcta via eſt caſtitas, trames ſtrictus humilitas; jejunio affligi & carnem in ſervitutem redigere, ſcopuloſæ ſunt ſemitæ.* Vel ut Euſebius Emiſſenus compendioſe reſolvit: *Viæ immutatio, vitæ intelligitur emendatio.* Omnibus nihilominus aut præferendam, aut certe nulla inferiorem judico, ſeria dignam eſſe diſcuſſione Sancti Iſidori ſententiam, affirmantis, quod ad confeſſionis ſacramentum accedere, idem ſit, ac firma cum reſolutione properare ad detruncandum peccato caput: *Confeſſio erroris, profeſſio eſt deſinendi*, inquit Sanctus: *deſinendum ergo à peccatis, dum confeſſio eſt. Perſequar inimicos meos*, ajebat David, *& comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant; confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubter pedes meos; comminuam eos ut pulverem, ante faciem venti.*

Matth. 2. v. 12.
S. Cypr. de St. & Mag.
Euſ. Em. de Epip.
S. Iſid. L. 6. orig. c. 19.
Pſ. 17. v. 38.



Forſitan inimicorum vindicem urgebat ſtragem mitiſſimus David, qui nulla magis quam clementiæ gloriabatur virtute: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus?* Minime equidem, reſpondet Sanctus Auguſtinus, ſed ſuorum moliebatur David inordinatorum appetituum extirpationem: *Perſequar affectus meos carnales, nec ab eis comprehendar; ſed apprehendam illos, ut abſumantur.*

Pſ. 131. v. 1.
S. Auguſt. ib.

Hiſtoria.

12. Canonicus quidam Pariſienſis poſt traductam diu vitam in voluptatibus & delicijs, tandem agoni proximus, cum indicijs diſceſſit ſalutis æternæ; aſt poſt mortem cuidam amicorum ſuorum apparens, ſum, inquit, damnatus; qua ille voce perculſus, ſubjunxit: *Nonne ſalutis remedia ante mortem recepiſti? Recepi*, reſpondit miſer, *ſed mero mortis metu, ſine emendationis propoſito; & ſi ſupervixiſſem, iterum ad priſtinas delicias reverſus fuiſſem.*

Luc. Pin. l. 1. de alt. vit. c. 5.

13. Ideoque B. Laurentius Juſtinianus, ob hunc præſertim eſſentialem defectum confeſſionem irritari, penituſque in nihilum corruere exiſtimat, dicens: *Multi ſunt, qui propterea ad confeſſionem accedunt, quia confitendi inſtat tempus, vel quia Eccleſiaſtica ſtatuta compellunt, aut quia patrum decreta ſic ordinant. O quam libentius hi tales ſine confeſſione præterirent; ò quam jucundius (quia ipſorum cor eſt rectum cum Domino) ſua peccata celarent! ſed ne calumnientur in publico, ne redarguantur, id faciunt.* Quam eamdem reprobam agendi methodum ſequenti nobis exhibet mulctatque in diſcurſu Abſalon Abbas, inquiens: *Fruſtratoria eſt illorum pœnitentia, qui quadam conſuetudine temporis tracti, ad horam dicunt; ſed non deſient peccata ſua, quippe ſtatim deponunt onus ſatisfactionis, revertuntur ad vitia, bibunt calicem confuſionis uſque ad fecem; & fiunt noviſſima talium pejora prioribus.*

B. Laur. Juſt. de diſc. & perf. mon. conſ. c. 19.
Abſal. Abb. ſer. 17. de Quad.

14. Ut denique pœnitens noverit, quid ſibi, peracta confeſſione, faciendum incumbat, hanc audiat atque executioni demandet Seraphici Doctoris eruditionem: *Ad ſatisfactionem requiritur abſtinentia à peccatis; ſicut enim prima lex, quam medicus infirmo ponit, eſt abſtinentia à cibo; ita primum, quod eſt neceſſarium pœnitenti, eſt diæta, ſcilicet abſtinentia à peccatis. Hanc legem imponebat Hippocrates noſter Chriſtus ægrotis ſuis, quos habebat in cura, ſicut patebat in adultera, cui Chriſtus dixit: Vade & jam amplius noli peccare.*

S. Bonav. in diæ. ſal. t. 2. c. 4.
Peccata ſunt vitanda.
Ioan. 8. 11.

15. S. Hilarius illa Pſalmiſtæ verba: *Exitus aquarum &c.* ſequenti ad intentum noſtrum illuſtrat Gloſſa: *Vera peccati confeſſio eſt ſine intermiſſione temporis pœnitere; peccati verò pœnitentia eſt, ab eo, quod pœnitendum intellexeris, deſtitiſſe.* Et S. Auguſtinus ait: *Magnum eſt ſalutis medicamentum, non iterare, quæ impie geſſimus, nec priores vulnerum cicatrices reſauciare.*

Pſal. 118. v. 136.
S. Hil. ibid.
S. Aug. ſer. 66. de tem.

Multi mutant confeſſarios cum diſpendio.

16. Peſſimum omnium eſt, multos ſua lætari in infirmitate, qui propterea medicum declinant, doctum, expertum, ſcientificum; alij Confeſſarios mutant, ut male conſcientiæ occultent ſtatum. O inſipientes corde! numquid in periculo mortis corporeæ, vitam veſtram rudi committeretis medico? numquid fortunam veſtram inexperto crederetis nauclero? numquid litem gravem & pretioſam in ignarum transfunderetis Advocatum? Et nihilominus æternæ ſalutis negotium vobis à Confeſſarijs rudibus expediri vultis: meritò vos aſſimilaverim ijs, qui omni in poſtea variant equos, ut in præcipitia corruant: Sic namque vos veſtros identidem mutatis Confeſſarios; ut veſtra abſcondatis peccata, quorum non poſtulatis remedium.

## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Contra illos, qui in confeſſione ſtatum nituntur occultare conſcientiæ ſuæ, & celare vel negare peccata ſua.

### THEMA.

*Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.* Pſalm. 31. v. 5.

Pſ. 7. v. 10.
Conſcientia aperienda.

1. SI Deus reconditiſſimas penetrat cordium venas, *ſcrutans corda & renes*, quomodo David aſſerit: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi?* Grave hoc dubium, quondam Incognitus, aſt hodie cognitus movet Michael de Bononia, Carmelita, inquiens: *Cum Deus omnia cognoſcat æternaliter, antequam fiant, dicente ſcriptura: Deus æterne qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia, antequam fiant; quomodo ergo illi poſſumus facere aliquid notum, vel aliquid abſcondere ab illo?* Reſpondet Cardinalis Bellarminus, non voluiſſe David divinæ Majeſtati ſuum confiteri peccatum, quaſi ignoranti id ipſum, ſed more humano locutum fuiſſe, pro quo hanc Eminentiſſimus adducit ſimilitudinem Judex, quantumvis rei noverit delictum: Imò fortè etiam viderit, necdum tamen ſcientiam habet juridicam, uſque dum reus convincitur à teſtibus, aut ſuam ipſe culpam confitetur. Ita quoque David, licet probe ſciret, ſuum Deo notiſſimum eſſe exceſſum, eumdem nihilominus, per confeſſionem propriam, tam coram Propheta Nathan factam, quam in Pſalterio coram toto divulgatam mundo, ipſemet manifeſtare voluit. *Delictum meum cognitum tibi feci &c.* Cajetanus conformiter verſioni Hebraicæ legit: *Peccatum meum notificabo tibi, & culpam meam non cooperui.*

Inc. ibid.
Card. Bell. in Pſ.
Cajetan. ibid.

2. Albertus Magn. Pſalmiſtam hic de confeſſione verbali locutum fuiſſe aſtruit, qui poſtquam de ea tractaſſet, quæ internam cordis contritionem ſpectat materia, eamdem movet quam diſcurſus hujus initio præfiximus difficultatem: *Numquid non erat ei cognitum*, inquit, *antequam loquereris?* moxque ipſe reſpondet: *Cognitum tibi feci, tibi, id eſt, Vicario tuo, Sacerdoti.* Noſter intelligit Deus, quod conſcientiam noſtram Confeſſario aperimus, eique omnes patefacimus cordis noſtri receſſus.

Alb. Magn. ib.
Confeſſario.

Conpuncto corde.

3. Pſalmus quartus, cujus pleniorem fecimus mentionem in diſcurſu 9. hujus tractatus, exigit à nobis actus doloris & compunctionis de peccatis, tempore & loco quietis excitandos: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*; aſt ſubtilitatem advertite, quam ex Pſalterio Græco circa hæc verba Sanctus adducit Auguſtinus, dum ait: *Compungimini autem, ad pœnitentiæ dolorem refertur, ut ſeipſam anima puniens compungat, ne in Deo judicio damnata torqueatur: Nonnulli autem, non compungimini, ſed aperimini, dicunt melius legi, quoniam in Græco Pſalterio eſt &c.*

Pſal. 4. v. 5.
S. Auguſt. ib.

Peccata celare ingenitum nobis.

4. Vitium eſt antiquiſſimum à noſtris originatum proptoparentibus, ille celandi, culpamque abſcondendi pruritus. *Si abſcondi quaſi homo*, inquit Job, *peccatum meum.* Hebræus habet: *Si abſcondi, quaſi Adam.* Si quiſquam alius, opportuniſſimè profecto ad intentum diſcurrit S. Gregorius, dum ait: *Uſitatum humani generis vitium eſt, & latendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & convictum defendendo multiplicare:* Cujus abuſus hanc aſſignat originem: *Ex illo quippe lapſu primi hominis, hæc augmenta ducimus nequitiæ, ex quo ipſam radicem traximus culpæ.* Idem porro Sanctus citatum Jobi textum ponderans in eodem capitulo, reſuſcitati immiſcet hiſtoriam Lazari, cui Chriſtus reſuſcitando non dixit; *Tibi dixi: ſurge*, prout alteri imperabat filio viduæ; ſed: *Veni foras. Mortuo Lazaro*, inquit, *qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur; reviviſce, ſed, veni foras. Ex qua ſcilicet reſurrectione, quæ geſta in illius eſt corpore, ſignatur, qualiter nos reſuſcitemur in corde; cum videlicet mortuo dicitur: Veni foras; ut ab excuſatione atque occultatione peccati ad accuſationem ſuam ore proprio exire provocetur; quia igitur hæc occultationis culpa in humano genere vehementer excrevit, bene B. Job cum diceret (ſi abſcondi peccatum meum) interpoſuit, quaſi homo; hominis quippe eſſe proprium conſpicit, quod ex parentis veteris imitatione deſcendit.*

Job. 31. v. 33.
S. Greg. l. 22. mor. c. 9.
Ioan. 11. 43.

5. Similem & S. Ambroſius, circa Lazarum reſuſcitatum, inſtituit conſiderationem, inquiens: *Veni foras, hoc eſt, qui jaces in tenebris conſcientiæ & delictorum tuorum ſordibus, exi foras, delictum proprium prode.* Quin & Thomas de Villa nova ex eadem hiſtoria ſimile eruens documentum, ait: *Qualis intus in conſcientia es, talis foras confeſſione prodito; non vulnera tua pallies.* Similitudo utique accommodatior dari nequit ad intentum, quam ſuas medico plagas occultantis, qui proinde nullum poteſt expectare remedium, ſed ſui potius capit augmenta mali; unde S. Remigius ait: *Quod tegit infirmus, nutrit vulnus.* Quò magis vulnus tuum chirurgo abſconderis, eò amplius putredo & plagæ diſcrimen invaleſcet. *Vulnera clauſa* (inquit S. Gregorius) *plus cruciant, quia cum putredo, quæ intrinſecus fervet, ejicitur, ad ſalutem dolor impeditur.* Confeſſio autem

S. Ambr. l. de pœn. c. 7.
Vulnerum medicina confeſſio.
S. Thom. de Villa nov. conc. in fer. 6. poſt D. 4. Quadr.
S. Remig. ib. in Pſ. 31.
S. Greg. l. 3. paſt. adm. c. 3.

tem tuum pandit apoſtema, ſaniemque educit; unde mox S. ſubjungit: *Quid eſt peccatorum confeſſio, niſi vulnerum ruptio.*

Oſ. 10. v. 13. Septuag. Non ſacrilega.

6. Dominus ingrato populo impietatem nimiam exprobraturus, *araſtis*, inquit *iniquitatem.* Septuaginta legunt: *Reticuiſtis impietatem.* Magna utique differentia eſt, inter tacere & arare ſeu terram ſcindere; qualiter ambo igitur extremo adeo diſparata uniuntur in præſenti? Myſterium notate: Quia tacere peccatum aliquod in confeſſione, idem eſt ac ingentem erigere iniquitatum cumulum; hæc namque taciturnitas exceſſibus jam commiſſis novum ſuperaddit ſacrilegium, novam impietatem, obſtinationem, contemptum & contumaciam. Ideoque Hugo Cardinalis illum Pſalmi verſiculum (*delictum meum cognitum tibi feci*) alio Jobi textu (*ſi abſcondi quaſi homo peccatum meum*) ſuffulciens, ut ſilentij hujusmodi edoceat diſpendia, immediatè ſubjungit: ſi hoc feci, ſi crimen meum celavi, *ſupple, male mihi accidit.*

in Pſ. 31. v. 5. Job. 31. v. 33. Hugo Card.

Heliod. l. 4. Hiſtor. Æthiop. Peccata non celanda. Pſ. 31. v. 3. S. Iſidor. l. 2. c. 54. Job. 10. v. 1. Rup. Abb. in Eccl. l. 5.

7. Audiant & diſcant ſilentiarij ejuſcemodi, qui ſpirituales ſuas infirmitates occulunt coram Confeſſarijs, eam, quam Hiſtoricus quidam affert doctrinam, inquiens: *Morborum alimentum, ſilentium eſt*; quam veritatem ſuo utique damno didicit ille, qui dicebat: *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea*, id eſt, ut S. explicat Iſidorus: *Quoniam non ſum confeſſus*: Ideoque Propheta Job proteſtabatur; *Dimittam adverſum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ*: Quæ verba Rupertus Abbas ſequenti illuſtrat commentario: *Id eſt, quod erravi, accuſare incipiam; & non ſicut multi, qui lugenda gaudentes dicunt, ſed loquar in amaritudine animæ meæ, id eſt, confitebor peccata mea in triſtitia pœnitentiæ.*

Prov. 28. v. 13. Alc. ep. 71. Alcuin. l. de vir. & vit. c. 12. Revelata curantur. Naz. diſt.

8. Celebris illa circumfertur Sapientis aſſertio: *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Id eſt*, inquit Alcuinus, *non dirigetur in viam ſalutis qui peccata ſua celare ſtudet.* Qui idem auctor alio pariter in loco, de eadem tractans materia, dicit: *Magnum eſt ſalutis medicamentum, non iterare, quæ pravè geſſimus*; quæ ut medicina applicetur, plaga priùs detegatur, oportet. Eadem quoque ſimilitudine, ſuis ſacris in poëmatibus, Nazianzenus utitur, dum canit:

*Cum medicum poſcant tua vulnera, ſi tegis illa,*
*Peſtiferam ſaniem nil prohibere queat.*

Naz. or. 10.

Qui idem Sanctus alio in loco, hanc nobis veritatem penitius inculcaturus, ita diſcurrit: *Quantum ſtudium à nobis adhiberi conveniebat, ut morbum medicis detegeremus; tantum ad medicinam fugiendam adhibemus, atque in noſtram perniciem fortes ſumus, & adverſum ſanitatem noſtram periti.* Plaga recenter inflicta, facile curatur; at ſi occultatur, invaleſcit, difficilius ſananda; eadem eſt ratio circa peccatum: *Si patet vitium*, inquit S. Iſidorus, *ex magno fit puſillum, ſi latet peccatum, ex minimo fit maximum.* Unde mox ſequens ſtatuit conſilium: *Vitia cordis tui revela, pravas cogitationes illico manifeſta, quia occidunt animam; peccatum enim proditum citò curatur, crimen autem tacendo ampliatur, ſilentio culpa creſcit.*

S. Iſid. Hiſp. de modo viv. S. Iſidor. de cont. mund.

Alc. ep. 71. Deum numquam latent.

9. Alcuinus ut magis magiſque nos à deteſtabili hoc avocet ſilentio, abſolutionem per illud penitus invalidari aſſerit; cum enim *per modum judicij*, ſacramentum pœnitentæ inſtitutum ſit, *quid ſolvit ſacerdotalis poteſtas*, inquit, *ſi vincula non conſiderat ligati? Ceſſabunt opera medici, ſi vulnera non oſtendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus expectant, quanto magis vulnera animæ, ſpiritualis medici ſolatia depoſcunt? Deo vis ô homo confiteri, quem volens nolens latere non poteris.* Qui idem auctor ex illo Chriſti leproſis mundatis impoſito præcepto (*ite, oſtendite vos ſacerdotibus*) myſterium eruit ſacramenti confeſſionis, in quo ſacerdotibus nos exhibere tenemur, ut diſſutis veſtibus, id eſt, reſerato corde & conſcientia noſtra, judicium formare poſſint & diſcernere *inter lepram & lepram.* Singularem autem meretur notam verbum *oſtendite vos*; non dicitur: *Ite ad ſacerdotes*, ſed: *Ite & oſtendite vos*; quia ſcilicet *curari non poteſt*, inquit Albertus Magnus, *qui medico non oſtendit vulnera.*

Luc. 17. v. 14. Alb. Mag. ib. Confeſſa remittuntur.

10. Aſt quæ, dicet quiſpiam, ex ſincera peccatorum revelatione in nos tandem reſultat utilitas? Reſponſum accipite à S. Auguſtino: *Hoc jam dudum dicebam*, inquit S. Præſul, *noli operire tu, & operit Deus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata; qui tegunt peccata, nudantur; iſte autem nudavit, ut cooperirentur*: Moliebatur equidem David ſuum occultare adulterium & homicidium, ſed deluſus; cœlo terræque eadem innotuiſſe didicit cum confuſione: *Tu feciſti abſcondite, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël & in conſpectu ſolis. Et dixit David ad Nathan, peccavi Domino: Dixitque Nathan ad David; Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Ecce vobis, vix confeſſus eſt ſuum reus peccatum, moxque ejuſdem obtinuit indulgentiam; unde Petrus Bleſenſis ait: *Si peccator reatum ſuum confitendo aperit, Deus illum operit; ſe accuſantem excuſat, & peccatum ſuum agnoſcenti ignoſcit.* Cui & illud Agelli conſonat aſſertum, inquientis: *Præterea ſciendum, non tegi à Domino peccatum, niſi ejus, qui illud detegit.* Omnium tamen clariſſima eſt illa Michaelis Bononienſis Carmelitæ, quondam incogniti, ſententia, dum ait: *Peccatum quod homo tegit, Deus revelat; ſed peccatum, quod homo per confeſſionem revelat, Deus tegit.* Eamdem ſinceræ nudæque confeſſionis integritatem, Dæmoni mirè inviſam infeſtamque eſſe his nos verbis edocet Dionyſius Carthuſianus; *Delictum meum cognitum tibi feci; in quo innuit, quod illorum peccata Deus tegit & Dæmon accuſare non valet, qui ſua peccata integrè confitentur, nec abſcondunt.*

2. Reg. 12. v. 12. Petr. Bleſ. ep. de conf. Agell. in Pſ. 31. Incogn. ibid. Dion. Carth. in Pſ. 31. ib.

Celare nitimur.

11. Efficacem utique ad confeſſionis integritatem fovendam ſtimulum nobis addit Catholica fides, qua edocemur, omnia crimina noſtra cœlo, terræ atque inferno, ad perpetuam confuſionem noſtram, manifeſtanda fore, niſi nos ipſi eadem in occulto ante revelaverimus confeſſario. Noſtri equidem protoparentes, vix divinam fuerant prævaricati legem, cum ecce ſubitò voluere ſuum Deo delictum abſcondere; cæcutientes, in quem ſeſe angulum receperunt? *Abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini Dei, in medio ligni Paradiſi, id eſt*, inquit Cardinalis Hugo, *ſub ligno ſcientiæ boni & mali*; ſub eadem nimirum arbore, ubi deliquerant, quæ prævaricationis teſtis foret, ne ſuum poſſent occultare delictum.

Gen. 3. v. 8. Hug. Card. ibid.

Marc. 1. v. 44. Non confeſſa judicabuntur in die judicij. Sim. de Caſ. l. 5. c. 11.

12. Salvator, teſte Marco, dum vice quadam leproſum ab omni lepræ ſorditie emundaſſet, mox eidem præcepit indixitque ſtrictiſſimum ſilentium, inquiens: *Vide nemini dixeris, ſed vade, oſtende te principi ſacerdotum.* Quomodo ſi ſacerdoti ſe ſiſtere debebat, an non tacitè ſeu implicitè ſuam publicabat lepram? Nodum difficultatis ſubtiliter ſolvit Simon de Caſſia, dum ait: *Nemini dixeris, dixeris ſacerdoti.* Dum enim noſtra ſacerdoti patefacimus peccata, dum noſtram ei monſtramus lepram, ſecretiſſimo ipſam committimus Sacramentalis confeſſionis ſigillo, quod qualecumque quantumvis ſtrictiſſimum juxtaque rigoroſiſſimum exuperat ſilentium; optimus peccata noſtra oblivioni perpetuæ litandi modus eſt, eadem ad aures deponere ſacerdotis: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata; beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Quis renuat aſtare ſacerdoti*, inquit S. Thomas à Villa Nova, *judicandus in ſecreto, ne ad Chriſti tribunal, ſevero & terribili examine judicetur in publico?* Alcuinus quoque in citati Pſalmi commentario, Ly *tecta ſunt*: Ita interpretatur: *Tecta ſunt* peccata, *ut hic per pœnitentiam revelentur, ne in judicio revelentur: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum; quod tegitur, non videbitur, quod non imputatur; nec punietur.*

Pſ. 31. v. 1. Ibid. v. 2. S. Thom. de Villa nova in D. 4. Q. Pſ. 31. v. 2. Alc. in Pſ. 31.

Conſcientia ſit Chryſtallo ſimilis. Apoc. 4. v. 6. Thren. 2. 13. Dion. Carth. ibid.

13. Quiſquis divini judicij geſtit declinare tribunal, cum ſinceritate & candore, hocce adeat pœnitentiæ tribunal, cujus S. Joannes in hæc verba meminit: *In conſpectu ſedis, tamquam mare vitreum, ſimile cryſtallo.* Mare hoc confeſſio eſt, conformiter illi, quod gemebundæ quondam atque afflictiſſimæ dictum eſt animæ: *Velut mare contritio tua*; Unde Dionyſius Carthuſianus dicit: *Quidam per hoc mare intelligunt pœnitentiæ ſacramentum.* Aſt quod in vitrea & cryſtallina figura latet myſterium? Cryſtallus omnino transparens eſt, totumque videtur, quidquid ei opponitur, nihil occultat; ita quoque in hoc confeſſionis tribunali, conſcientia noſtra tota debet eſſe transparens, ut ejuſdem ſtatum perfectè attingat confeſſarius: *Poteſt explicari*, inquit ſacer quidam interpres, *ut pœnitentiæ mare ſit vitreum, propter confeſſionis perſpicuitatem.* Confeſſio clara & ingenua nos ad Dei ſedem & tribunal conducit.

Viegas ib.

14. Agel-



Pſ. 55. v. 9. Agell. Specificanda ſunt peccata.

14. Agellius loco verſiculi, *Deus vitam meam annunciavi tibi*, vertit, *lucernam meam annunciavi tibi* doctrina noſtro peridonea diſcurſui: Quia ſicuti lucerna in tenebris exiles etiam perhibet atomos, ita etiam conſcientia recta & bona, minimos levium culparum atomos Confeſſario manifeſtare tenetur. Aliqui in genere magnos ſe confitentur peccatores, nullius peccati facta ſpecificatione; hoc convenienter aſſimilaverim infirmo, qui medicum vocat, eique dicit: Male habeo; aſt, quid mali aut morbi ſubſit, non aperit. Certè non ſufficit reum ſiſtere judici, ſed inſuper docendum, quam fuerit prævaricatus legem, ſi tumultum excitarit in populo, ſi in Principis mortem conjurarit, ſi carceres perruperit &c. Proindeque ſaluberrimam hanc, divino inſpirante lumine, doctrinam ſtatuit Concilium Tridentinum: *Conſtat, ſacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe; neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe; ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie ac ſingulatim ſua ipſi peccata declaraſſent.*

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

S. Bern. Sen. t. 1. ſer. 15. a. 3. c. 1. Non celanda ne mala proveniant. S. Thom. de Vill. Nov. in fer. 6. poſt. D. 4. Qua. Matth. 10. v. 26. Nah. 3. v. 5.

15. Terret me equidem S. Bernardini, hanc materiam diſcutientis reſolutio: Dum ait: *Quid eſt aliud, peccatum celare; quam ignem in ſinu portare? retinere in conſcientia aliquod mortale crimen, nihil aliud eſt, quam proditorem proprium in domo ſua retinere, ut inſperatò eum tradat in manibus inimicorum ſuorum?* S. Thomas autem de Villa Nova quemcumque ſalutis cupidum inſtruere volens, *ſi operam medicantis expectas*, inquit *neceſſè eſt, ut vulnera tua detegas. Sicut ad Dei juſtitiam pertinet, ut nullum malum maneat impunitum, ita ad Dei veritatem, ut nullum peccatum maneat occultum*; juxta illum Evangelij textum: *Nihil occultum, quod non reveletur; neque abſconditum, quod non ſciatur*; moxque ſubjungit: *Si tu non revelaveris peccatum tuum, revelabitur à Deo; ſi abſconderis, quaſi homo; manifeſtabit ipſè, ut Deus; unde per Prophetam: Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in gentibus nuditatem tuam, & in regnis ignominiam tuam.* Quibus S. Præſul minimè contentus aliud adhuc à Petro Bleſenſi inſinuatum, ſuperaddit damnum, inquiens: *Ex occultatione quidem & oppreſſione peccati, naſcitur quædam lapidei cordis obſtinatio, ſitque talibus in orationibus ſuis, cælum æneum & terra ferrea*; moxque transgreſſores hujusmodi montibus aſſimilat Gelboe, quibus David roris & pluviæ imprecatus eſt penuriam; ita namque & tales animæ ariditatem atque inopiam incurrunt divinarum gratiarum: *Dimittit eas* Dominus, *ut eant in adinventionibus ſuis, ſibique iram theſaurizent in die tremendi judicij.*

Petrus Bleſ. ep. de conf. 2. Reg. 1. v. 21. Pſ. 80. v. 13.

Eccl. 10. v. 11. Caſſ. col. 2. de diſ. c. 11. Occulto ſerpentis morſui mederi non poteſt. Olym. ibid. S. Gregor. Thaum.

16. Caſſianus, propoſito noſtro ſubſerviens, illa Eccleſiaſtis verba (*ſi mordeat ſerpens in ſilentio*) in noſtrum taliter favorem interpretatur: *Taciti ſerpentis morſum pernicioſum eſſè deſignans; id eſt, ſi per confeſſionem, ſuggeſtio ſeu cogitatio diabolicæ incantatori cuiquam, ſpirituali ſcilicet viro, qui carminibus ſcripturarum mederi protinus vulneri & extrahere de corde conſuevit noxia venena ſerpentis, patefacta non fuerint, ſuccurrere periclitanti, periturove non poterit.* Longè tamen manifeſtius eumdem textum, ad noſtrum explanat intentum Olympiodorus, inquiens: *Si peccati ſerpens mordeat in ſilentio, hoc eſt, ita ut peccator admiſſum ſcelus nolit confiteri, nullam ſalutem ei poterit præſtare; qui ſancta incantatione eum ſuſceperit, donec ſua peccata confiteri voluerit*, Ad eumdem prorſus modum S. Gregorius Thaumaturgus diſcurrit, dum ait: *Occultum ſerpens morſum incantatores non medicabuntur; occultus enim morſus ſerpentis eſt peccatum à peccatore celatum qui morſus ab incantatoribus quantumvis prudentibus, id eſt, viris ſpiritualibus & ſacerdotibus non poterit curari, donec per confeſſionem in palam veniat.*

## DISCURSUS XVI.

## ARGUMENTUM.

De damnis eorum, qui peccata ſua accuſaturi, ea potius defendunt, excuſant & mentiuntur.

### THEMA.

*Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Pſalm. 140. v. 4.

Peccator non ſe excuſet.

1. REgius Vates divinæ ſupplicaturus majeſtati, ne peſſimo excuſationis ſuique delicti defenſionis vitio contaminetur, ante omnia, ori ſuo, petit, ut obtingat cuſtodia: *Pone Domine cuſtodiam ori meo; & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* Portam, oſtium ſeu januam poſtulat, non firmum ſolidumque clauſtrum; cujus myſterij ſi cauſam ignoratis, rationem accipite à S. Auguſtino; inquiente: *Non dixit clauſtrum continentiæ, ſed oſtium; oſtium & aperitur & clauditur*; in confeſſione namque verbali portam hanc quandoque aperire; quandoque claudere debemus: *Ergo ſi oſtium eſt, & aperiatur & claudatur, aperiatur ad Confeſſionem peccati; claudatur ad excuſationem peccati: Ita enim erit oſtium continentiæ, non ruinæ. Ad hoc pone oſtium*, inquit Gloſſa, *ut non excuſetur, quod*, prò dolor: *Summum vitium dominatur hominibus.*

Pſ. 140. v. 3. S. Auguſt. ib. Gloſſ. ib.

S. Th. de Vill. conc. in D. 4. Qu.

2. S. Thomas de Villa Nova hujus aliquorum pœnitentium impatiens inſipientiæ, *numquid non accuſaturus veniſti*, inquit? *Ut quid excuſas, quid pallias?* moxque alias inter bonæ confeſſionis circumſtantias, hanc aſſignat facilè principalem: *Sit clara, nuda & aperta, non palliata, non velata, non aliquo fuco colorata intentio pœnitentis, ſic ut nudum, ſi poſſet, cor ſuum ſacerdoti monſtraret, ut animæ ſuæ ſicut ipſe novit, agnoſcat.*

Euth. in Pſ. Excuſatio hæreditaria eſt. D. Chryſoſt. in Pſ. 140. S. Bern. ſer. 82. in Cant.

3. Euthymius in citati Pſalmi commentario, dum ad dictum accedit verſiculum, exemplum adhibet protoparentum noſtrorum, à quibus peſſima hæc ad nos tranſijt hæreditas: *Adam in Evam, & Evam ſerpentem peccati cauſam prætexendo rejicere.* Id quod & S. Chryſoſtomus hiſce expreſſit verbis: *Cum oporteret Adam peccata confiteri, illam in Evam confert culpam, & illa rurſum in Diabolum. Cum oporteret dicere: Peccavimus, iniquitatem fecimus; illi non ſolum non confitentur, ſed etiam defenſionem comparant.* S. Bernardinus inſuper conſiderat, Adam & Evam ſuam folijs velaſſe nuditatem in ipſo excuſationis tempore, quando ſcilicet ad ineptas & vaniſſimas convolabant inobedientiæ & transgreſſionis ſuæ excuſationes: *Frondium ſuccinctorijs & verbis excuſatorijs ſuam cooperiunt turpitudinem; quam latè ex tunc & deinceps, omnem poſteritatem hæreditarium hypocryſis virus infecit?* Cauſamne noſtis, cur ad excuſandum nos adeò inveniamur faciles? quia boni apparere & haberi volumus, omnemque culpæ notam & ſpeciem à nobis removere.

Card. Bell. ibid. Pecc. excuſatio mors animæ. S. Bernard. S. Auguſt. in Pſ.

6. Cardinalis Bellarminus eadem Pſalmi verba interpretans, inquit: *Deus auxilio ſuo nobis concedat, ut peccata liberè confiteamur; ne, dum excuſando ſani videri volumus, à cæleſti medico non ſanemur.* Stultitia equidem ſumma eſt, ultro citroque medicinæ immiſcere venenum. S. Bernardus ibidem circa prædicta verba talem format diſcurſum: *Verba malitiæ appellat excuſationes in peccatis; meritò quidem: in animam enim ſuam peccat, qui ſe excuſat, repellens proinde à ſe indulgentiæ medicinam, & ſic vitam ſibi proprio ore intercludens:* Febris maligna venenum eſt, interiores occupans venas mortemque inferens, quia ſcilicet malignitas ejus non innoteſcit forinſecus. S. Auguſtinus loco *verba malitiæ, verba maligna* legendum autumat, nec immeritò; quia ſcilicet peccatum mortale animæ vulnus intra conſcientiam occulit excuſatio, in certiſſimum animæ interitum.

Dion. Carth. in Pſ. Damna alia.

5. Dionyſius Carthuſianus ſummè miſerabilium eos titulo afficit, qui ſuos in confeſſione excuſant defectus: *Hoc eſt miſerandiſſimum genus pravorum, qui propria delicta excuſant; hi enim obicem ponunt remedio; vulnus ſuum abſcondunt, manus divini judicij incidunt, inſanabileſque conſiſtunt.* S. Gregorius ſimilitudine utitur plagæ curandæ, ſed occultatæ, inquiens: *Si celare vulnus cœperit, latius extenſum introrſus putreſcit*; ipſamque ſanam inficit & corrumpit carnem: Ita & peccatum, per excuſationem defenſionemve occultatum, animam perimit, bonorumque operum meritum per ſacrilegium deſtruit, quod in ſimilibus caſibus perquam ſæpiſſime committitur; *Sicut vulnus non oſtenſum etiam ſanam carnem putredine inficit, ita peccatum, niſi confitendo reveletur, etiam quæ ibi ſunt bona, corrumpit*; idem inquit S. Gregorius,

Apophthegma.

6. Ingenioſum in præſenti ſeſe offert Diogenis dictum ad juvenem quemdam, qui erubeſcens ſe à Diogene in caupone deprehenſum, oculos ejus ſubterfugere cœpit, ſeſe ad interiora domus penetralia recipiendo; cui mox ille: *Quantò fugis interius, tantò magis eris intra cauponam.* Idem cuicumque alteri, ſuum aut defendenti aut excuſanti peccatum objici poteſt; quantò te magis excuſas, tantò te magis reum

conſtituis

conſtituis & culpabilem coram, ejuſque contra te ſuſcitas furorem. *Culpa cum defenditur*, inquit idem S. Gregorius, *geminatur*. Ideoque David poſtquam divinum imploraſſet ſubſidium, contra excuſationis vitium (*non declines cor meum &c.*) ſubjungit immediatè: *Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum*; quotquot enim hoc laborant vitio, peſſimæ ſunt conditionis homines. *In hoc pone oſtium*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *ut non excuſes peccatum tuum cum hominibus operantibus iniquitatem, id eſt, ſicut faciunt homines.*

S. Greg. l. 5. mor. c. 23. Pſ. 140. v. 4. Ibid. Dion. Carth. ibid.

7. S. Petrus Damianus ut ab hujuſmodi excuſationum ineptijs revocaret efficacius, damna earumdem maxima ob oculos ponit inquiens: *In veritate dico vobis, quia nihil ſic exaſperat iram divinam, quam iniquitatis defenſio; æquo enim certamine nos decertamus cum Domino, cum defendimus, quod odit; cum nobis placet, quod diſplicet illi.* Qua & S. Gregorius ſimilitudine uſus fuit, dum ait: *Quando ſanari poterit, qui medicum ſpernit, medicinam conculcat?*

S. Pet. Dam. in virg. nat. Dom. Nocumenta excuſ.

8. Regula trita eſt: *Excuſatio non petita, accuſatio manifeſta*; ſe reum profitetur, qui ultrò ſe purgat; diſce, quiſquis hujuſmodi es, ſaluberrimam illam Sapientis doctrinam: *Initium viæ bonæ, facere juſtitiam*, id eſt inquit Beda, *initium bonorum, eſt confeſſio malorum.* Hæc ipſa timoratæ conſcientiæ eſt proprietas, ſcilicet ſeipſam accuſare inculpabilem, vel ſi certè culpa adeſt, eamdem potius exaggerare. Judex bonum formaturus judicium, format proceſſus, examinat teſtes & reum, edicit ſententiam, nihil non agens *ſecundùm acta & probata*; ita etiam quæcumq; anima in hoc judicio, in hoc confeſſionis tribunali procedat oportet. *Variè quidem peccamus*, inquit S. Bernardus, *ſed ſæpe pejus, quam peccaverimus, excuſamus. Jureconſultis excuſatio non petita, accuſatio manifeſta.*

Prov. 16. v. 5. Beda ibid. S. Bern. de præc. & diſ. c. 14.

9. Quantò pluribus protoparentes noſtri utebantur excuſationibus, tantò magis ſe conſtituebant inexcuſabiles, gravioribusq; ſe innodabant ſupplicijs; ideoq; S. Ambroſius inquit: *Quicumque prævaricatur mandatum Dei, ſpoliatur atque nudatur, & fit ipſe ſibi turpis; vult ſe operire quibuſdam ficus folijs, fortaſſe quidem inanibus vel umbratilibus, quos compoſitis mendacijs aſſuens, & verbum de verbo ſtruens, ad operiendam conſcientiam ſuæ mentis, factique velamen peccator intexit, ut pudenda ſua contegat. Facit enim ſuper ſe folia, qui culpam velare deſiderans, aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam ſuaſorem prodit erroris.*

S. Ambr. l. de par. c. 13.

10. *Verba malitiæ, id eſt*, inquit S. Bruno; *verba illa quæ malitioſi homines loquantur, excuſando ſe de peccatis*, ubi ſingulariter notandus eſt terminus ille: *Malitioſi homines*. Cajetanus autem in Hebræo legit: *Non declina cor meum in rem malam, ad operandum operationes cum impietate, cum viris operantibus iniquitatem.* Maxima humanæ impietatis flagitia excuſationes habuere annexas: primum quod omnibus barathrum patefecit, fuit protoparentum noſtrorum, qui qualiter ſe excuſarint, jam diximus; execrabiliſſimum poſt illud fuit Filij Dei crucifixio, excuſationi pariter aſſociata: *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus*; dicebat Judææ Præſes. Et traditor: *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*; neque minus Principes ſynagogæ & ſacerdotes proteſtabantur: *Nobis non licet interficere quemquam*: & nihilominus generalis omnium in Chriſtum ardebat conjuratio. O ſcelerati, an neſcitis quod *non tantum nocuit*, ut cum S. Bernardo loquar, *ſimplicis actionis tranſgreſſio; quantum adjunctæ excuſationis cum præmeditatione obſtinatio?*

S. Brun. ib. Excuſationes ubique ſunt. Cajetan. ib. Matth. 27. v. 24. Joan. 18. 31. Ibid. v. 4. S. Bern. ibid.

11. S. Hieronymus citati Pſalmi verſum interpretans, ſe continere nequit, quin exclamet: *O infeliciſſimum humanum genus, qui peccata excuſamus!* moxque varios aſſignat caſus, in quibus noſtros ſoleamus excuſare errores; & primo quidem, quod hæc & alia fecerimus ex vehementi nimium corruptæ naturæ inclinatione; cui reſolutioni Sanctus in hæc verba reſpondet; *In poteſtate noſtra eſt, & peccare, & Deo adjuvante non peccare*; moxque idem S. hanc ſecundam ſubjicit excuſationem, quam aliqui aſportant, dicentes; *Ego nolebam peccare, caro me vicit, illa mulier venit ad me, ipſa miſit, ipſa me tetigit, ipſa mihi illud dixit, ipſa me vocavit; & pro quo debueramus pœnitentiam agere & dicere; Domine! excuſamus & jungimus peccata peccatis.*

S. Hier. in Pſ. 140. Sed frivolæ.

12. Gloſſa ſimiles excuſationum fabros nuncupat impudentes, inquiens: *Conſuetudo impudentium, ut deprehenſi, primum per aliqua falſa excuſent; & inde convicti, aliqua quærunt, tempori vel neceſſitati vitia imputantes.*

13. Citati Pſalmi verba *ad excuſandas excuſationes*, S. Hilarius ſequenti illuſtrat commentario perquam ingenioſo: *Non ut peccata noſtra excuſemus; omne enim peccatum inexcuſabile eſt, ſed ut excuſationes excuſemus*; cujus hanc reddit rationem, quia peccatum v. g. homicidij, adulterij, ſimiliumve aliorum exceſſuum, natura ſua, obque actionis indignitatem, inexcuſabile eſt; neque enim ullus, qui aliquod horum admiſit, illud excuſat; *Sed dices: mulier importuna, incontinens, abblandiens pellexit & in voluntatem coegit; vel alius, ille dicet, convitijs movit iras, caſus litis dolore cædem peregit.* Euthymius loco *ad excuſandas excuſationes*, legit, *ut prætextum prætextus in peccatis, v. g. homicida iræ tyrannidem prætexit; adulter concupiſcentiæ vires; fur inopiam, alius aliud quid.* Quos ut excuſationis gradus plenius ob oculos ſtatuam, ſequentem placuit S. Bernardi ſubnectere doctrinam, inquientis: *Multis modis fiunt excuſationes in peccatis, aut enim dicit, qui ſe excuſat, non feci, aut: Feci quidem, ſed bene feci; aut ſi male, non multum male, non mala intentione; ita ferè quadruplicis vafritiæ excuſationes teximus, negando, excuſando, accuſando, imitando.* Modum autem in excuſationibus ſervari ſolitum hiſce abundè verbis S. expreſſit Auguſtinus: *Cum cœperint accuſari, currunt ſe excuſare: Excuſare, eſt cauſas quærere, quare ad ſe non videatur pertinere peccatum.* Rationes allegant, quibus non modo defendunt, ſed & ſuum ſanctificant peccatum.

Pſ. 140. 4. S. Hil. ibid. Peccata excuſari non poſſunt. Euth. ibid. S. Bern. de 12. grad. 4. modi excuſandi peccata. S. Aug. ſer. 3. de diverſ.

14. Optimum indicium eſt, ſua non abſcondere neque excuſare delicta, unde Seneca moralis inquit: *Omnia vitia in aperto leviora ſunt, morbi quoque ad ſanitatem tunc inclinant, cum ex abdito erumpunt ac vim ſuam proferunt.* Divinam imò miſericordiam magis magiſque ſincera nobis conciliat accuſatio, teſte Ruperto Abbate, dum ait: *Eſt autem hæc regula divinæ æquitatis, ut homo, ſi juſtificari velit, id eſt, ſi ſeipſum accuſet, tunc mitius ac manſuetius agat cum illo miſericordia Dei.* Neque in eo S. ſiſtit Ambroſius, dum ulteriùs aſſerit, per ſinceram hoc in tribunali accuſationem, Chriſti nos patrocinium nobis conciliare: *Fruſtra velis occultare*, inquit, *quem nihil fallas; & ſine periculo prodas, quod ſcias eſſe jam cognitum; confitere magis, ut interveniat pro te Chriſtus; quem advocatum habemus apud patrem.*

Sen. ep. 57. Confitens miſericordiam conſequitur. Rup. Abb. l. 3. in Gen. c. 15. S. Ambr. in Luc. l. 7. c. 15.

15. S. Chryſoſtomus ſinceram Davidis coram Nathan inſtitutam omni abſque excuſatione perpendens confeſſionem, *At tu ô dilecte*, inquit, *quando peccaveris, dic, peccavi; nihil eſt hac defenſione juſtius. Ita Deum reddis propitium, ita etiam facis, ut tardius in ea rurſum incidas*, ad exemplum pœnitentis David, *qui potuiſſet dicere: Cur nudabatur mulier? cur lavabatur ante meos oculos? Sed ſciebat has eſſe frivolas excuſationes, & quæ nihil haberent rationis; & ideò venit ad apertam confeſſionem, nempe ut diceret, peccavi.* In confuſionem Saulis, inquit Sanctus, qui correptus reſpondere non erubuit: *Coarctor, & alienigenæ pugnant contra me; ideo autem grave dedit ſupplicium, cum enim deberet dicere: Peccavi & me iniquè geſſi, ille quidem hoc non dixit, ſed abibat, à ratione alienas quærens excuſationes.*

D. Chryſoſt. in Pſ. 140. David perfecte confeſſus eſt. 1. Reg. 12. v. 13.

16. Motivum porrò efficax, ne noſtra excuſemus peccata, S. nobis Auguſtinus tradit, dum ait: *Cum vis eſſe excuſator tuus, triumphat de te accuſator tuus*: Maxima Dæmonis ſatisfactio, propria eſt per nos facta delicti excuſatio. *Cum ſciret diabolus*, inquit S. Chryſoſtomus, *peccati confeſſionem eſſe peccati ſolutionem, perſuadet animæ, ut ſit egregiè impudens.* De Aſtionis Martyris ſinu, ut traditur, æthiops parvus egreſſus eſt, dicens: *Confeſſio tua ô Aſtion, magnas meas vires hodie contrivit.* Idem penitus ſacramentali poteſt confeſſioni applicari.

S. Aug. ſer. 3. de div. c. 5. Confitens triumphat. D. Chryſ. ib.

17. Salvator verum genuini Apoſtolatus & diſcipulatus ſui indicium daturus, *linguis*, ait, *loquentur novis, ſerpentes tollent.* Qui ſunt hi, novorum idiomatum notitiam, ſuperque ſerpentes poteſtatem habentes? Reſponſum accipite à S. Bernardo: *Primum opus fidei*, inquit Sanctus, *per dilectionem operantis, cordis compunctio eſt, in qua ſine dubio ejiciuntur dæmonia, cum eradicantur è corde peccata; exinde qui in Chriſtum credunt, linguis loquuntur novis, cum jam recedant vetera de corde eorum.* Quod autem hoc eſt fermentum vetus? defenſio; peccatorum excuſatio, à primis hæreditata parentibus: *Nec de cætero vetuſta protoparentum lingua loquantur, declinantium in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Quæ Pſalmiſtæ verba Cardinalis Bellarminus ita exponit: *Non permittas, ut quando peccavimus, cor noſtrum declinet in verba mendacij & ſimulationis.* Quæ dum commemoro, inſignem hanc offendo Senecæ doctrinam: *Rara eſt excuſatio, quæ aliquid falſitatis non habeat, aut certè impudentiæ. Primarium innocentiæ elogium eſt, non peccare, proximum, peccata non excuſare.*

Marc. 16. v. 17. 18. Conf. alium reddit hominem & innocentem. S. Bernard. Card. Bell. in Pſ. Sen. l. 2. de ir. c. 33.



18. Juſto judicio ſuo Deus puniturus Achabum, per proprios eum decipi fecit Prophetas; confidente namque Domino in throno ſublimi, dum varij varias propoſuiſſent Achab ſupplantandi methodos, tandem unus reliquis animoſior ſpiritus, vultis, ait, ut Achab vadat in Ramoth Galaad, ibique pereat? tota mihi committatur expeditio; *ego decipiam illum*... *In quo*, ſubſumpſit Deus? cui ille: *Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus; & dixit Dominus: Decipies & prævalebis*; fecit ille, ut dixerat, fefellitque Achabum. *Omnia in figura contingebant.* Anima quæpiam Chriſtiana ad bellum ſe præparat, media confeſſione, contra appetitus proprios, in ſe deſævientes; ſed quis rei ſucceſſus? Mox humani reſpectus, timoris aut pudoris prodit ſpiritus, linguamque occupat, ut loco confeſſionis, excuſationes, defenſiones & mendacia multiplicet, ſacramento in ſacrilegium degenerante, mortemque æternam incurrente anima, quæ vitam gratiæ expectarat. Audite Gloſſam: *Sciens Diabolus, quod confeſſione Deus placatur, & negatione magis irritatur, perſuadet peccatoribus prætexere, quod ipſi non peccarint, ſed quod aliquid peccati cauſa eis extiterit.*

In Confeſſione non mentiendum. 3. Reg. 22. v. 21. Ibid. v. 22. Gloſſ. in Pſ. 104.

19. *Verè in confeſſione non mentiaris*, inquit S. Bonaventura, *valde ineruditus eſt, qui in confeſſione mentitur, de mendacio ineruditionis confunderè, non confundaris confiteri peccata mea. Eruditus utique homo magis de mendacio, quam de veritate deberet confundi*: Moxque exemplum adducit Caini, qui à divina pietate ad fratricidij confeſſionem extimulatus, frater ubi degeret, ſe noſſe negavit. An neſcis ô homo, te in confeſſione, non ſacerdoti, ſed Deo mentiri, qui ſupplantari nequit? *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Cui tuum recitas *confiteor*? homini forſitan? minimè equidem: *Confiteor Deo.* Si Deo, infert S. Bernardinus, ergo *confitebor ſimul corde & ore*; probè conſcius, quod *os, quod mentitur, occidit animam*, id quod curatur à paucis, dum *plurimi mentiuntur in confeſſione.*

S. Bonav. ſer. 2. in dieb. rog. Non homini ſed Deo mentitur. Act. 5. v. 4. S. Bern. t. 3. ſer. de conf. art. 1. præc. 3.

20. Dignè & ſincerè hoc uſi fuere ſacramento, ſanguinis Chriſti depoſitorio, qui poſt ſuas in agni ſanguine lotas ſtolas, ante thronum Dei, hoc notanter præ reliquis accepère elogium: *In ore eorum non eſt inventum mendacium*; ideoque digni fuère, qui cœleſtem intrarent Jeruſalem, quæ eſt *aurum mundum ſimile vitro mundo*, cujus lapides animæ ſunt fidelium: *Conſtruitur in cælis vivis ex lapidibus.* Cujus textus myſterium, ad noſtrum favorabiliter intentum enodat Rupertus Abbas, dum ait: *Aurum mundum, ſimile vitro mundo, quia verò ſanctam confeſſionem frequentant, & peccata ſua non defendunt, ſed confitendo aperiunt, rectè vitro mundo ſimile dicitur hoc aurum.*

Apoc. 14. v. 5. Apoc. 21. v. 18. Rup. Abb. l. 11. in Apoc. c. 21.

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

### De examinis conſcientiæ inſtituendi utilitate. convenientia & methodo exacta.

### THEMA.

*Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Iſa. 38. v. 15.

1. SAnctus Rex Ezechias divinam nobis demerendi clementiam optimum aſſignaturus medium examen nobis ob oculos ponit exactum conſcientiæ, quo præmiſſo, ipſe maxima cum confidentia dicebat: *Domine ſalvum me fac, eruiſti animam meam, ut non periret; projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.* Ecce vobis inſignem, accuratæ diligentiſque confeſſionis fructum. *Recogitabo tibi annos*, inquit S. Thomas, *in quibus tibi peccavi*, vel ut S. Bernardus commentatur: *Recogitabo* id eſt, *iterum cogitabo; ne aliquid fortè oblitus ſim, ne aliquid invindicatum & indiſcuſſum remaneat.* Aſt Hugo Cardinalis ex ijs verbis, bonæ confeſſionis eruit conditiones, inquiens: *Recogitabo ad confitendum*, in Ly *tibi* notatur humilitas confeſſionis, in Ly *omnes* integritas, in *annos*, peccatorum circumſtantiæ; *in amaritudine animæ; ecce contritio cordis.* Aſt qui ad præſens ſingulariter intentum ſpectat terminus, eſt ille *recogitabo*, examen denotans conſcientiæ, quod, ut Albertus Magnus hoc in loco advertit, Manaſſen ad ſaniorem mentem reduxit: *Hoc modo emendatus eſt Manaſſes*, inquit, *peccatorum maximus, eſt maximus pœnitens, quando dixit: peccavi &c.*

Examen utile ad emendationem vitæ. S. Thom. ib. S. Bern. ſer. de virg. Albert. Mag. de mul. for. c. 12. §. 1. 2. Par. ult.

2. S. Bernardinus citatum Iſaiæ textum interpretans, *recogitabo*, inquit, *id eſt, iterum atque iterum cogitabo, contra multos inſenſatos, qui ad confeſſionem impræmeditati accedunt, & de peccatis ſuis nullam, vel tenuiſſimam ſolertiam & recogitationem videntur habere; cum tamen in veritate illuminatæ animæ conſtet, hæc majora negotia & debita eſſe, quam quæcumque alia poſſit habere homo in præſenti vita.* Qui idem Sanctus mox hanc, cur multi exilem *ut plurimum* ex confeſſione hauriant fructum, rationem ſubjungit, dicens: *Plerique minimum ſeu nullum fructum de confeſſione reportant, quia imprœparati ad illam vadunt; cumque ad confeſſionem tota vis ſacramenti pœnitentiæ reducatur, valde neceſſarium eſt, ut tota mentis præparatione, conſcientia diſcutiatur.* Unde & magnus ille ſpiritualis Doctor Caſſianus ſtatuit: *Omnes igitur cordis noſtri receſſus jugiter perſcrutandi ſunt, & aſcendentium in eos veſtigia; indagatione ſagaciſſima retractanda*; cui obligationi dum fideliſſimè regius pareret Vates, intrepidè gloriabatur: *Tunc non confundar*; ſed quando; *cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*, q. d. quia ſolicitò continuòque vacavi conſcientiæ meæ, quia *exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum*; ideo nullam timeo confuſionem. Qui *tulit ſe intro*, ait S. Auguſtinus, quia *in ſecretario ſuæ mentis egit*, liber triumphat. Pro hujus autem ultimi verſiculi abundantiori gloſſa, Sanctum placuit citare Hieronymum, qui ad noſtrum mirabiliter propoſitum, ſi quiſquam alius, ita diſcurrit: *Symmachus tranſtulit; perſcrutabar. In Græco habetur: Annos æternos memineram, & meditatus ſum, nocte cum corde meo argutabar & rimabatur ſpiritus meus*; imò juxta Græcam verſionem, probat idem Sanctus, verbum aliquod exprimi, quod inſtrumentum denotat ferreum ſeu ſarculum, ad malas herbas eradicandas præparatum: *Propriè in agricultura dicitur in ſarriendo, id eſt, in ſarculando; & quomodo ibi quæruntur herbæ, quæ ſecentur, ſit & iſte &c.* Quæ licet ſimilitudo ſit peraccommoda, non tamen longè impar ei eſt alia iſta de ſcopis, quæ omnem pulverem atque omnes auferunt arancarum telas, ſordes eluunt & emundant; ita namque & ſolidum operatur conſcientiæ examen.

S. Bernard. t. 1. ſer. 15. a. 1. c. 1. Neceſſarium ante confeſſionem. Caſſ. coll. 1. c. 12. Pſ. 118. v. 6. Pſ. 76. v. 7. S. Auguſt. ib. S. Hier. ib.

3 Ruth *collegit in agro uſque ad veſperam, & quæ collegerat, virga cædens & excutiens, invenit hordei tres modios*; ita pariter qui ſua vult in memoriam revocare delicta, ſolitarius, oportet, ut ſuam à mane uſque ad ſeram noctem, diſcutiat conſcientiam, omnes examinet operationes, diſcutiat cogitationes, deſideria, oculos, aures, omiſſiones; moxque ſeveræ reprehenſionis adhibita virga, ſeipſum caſtigando atque accuſando, dolorem concipiat cum confitendi propoſito; multa equidem inibi ſe offerent zizania, ignis pabulum infernalis, aſt virgæ diſcretio, id eſt, ſinceri ſoliditas examinis, omnia ſecernet, bonamque ſiſtet ſementem; quo ſine audire non gravemini Hugonem Victorinum, qui taliter unumquemque noſtrum exhortatur: *Redi ad cor tuum & ſubtiliter diſcute teipſum; conſidera, unde venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis vel deficis, quibus cogitationibus magis incurſaris, quibus affectibus tangeris, quibus tentationum machinis à maligno ſpiritu acrius impugnaris; & cum totum interioris & exterioris hominis ſtatum plene cognoveris, non ſolum qualis ſis, ſed etiam qualis eſſe debeas, de cognitione tui poteris ſublevari ad contemplationem Dei.*

Ruth. 2. v. 17. Adhortatur figura ad examen. Hug. Vict. l. 3. de an.

4. Ut autem plenius ſalutaris hujus exercitij fructum, ejuſdemque deficientis diſpendia cognoſcamus, Sanctorum placeat expectare reſolutiones. *Veruntamen*, inquit Job, *vias meas in conſpectu ejus arguam?* aſt quis ejuſdem ſpondetur fructus? Salus æterna, gratia Chriſti non Salvatoris; ſed judicis: *Et ipſe erit Salvator meus.* Quid Sanctorum ſolicito doctrinas? vel unica Senecæ moralis nos confundit epiſtola, dum inquit: *Hoc nos peſſimos facit, quod nemo vitam ſuam reſpicit;*

Examinis fructus. Job. 13. v. 15. Ibid. v. 16.

*reſpicit*; nullus utique Doctor ſacer aptiorem potuiſſet promere ſententiam. Qui ſua rariſſimè conſiderant peccata, plerumque homines mali ſunt & vitioſi.

*Luc. 16. v. 1. Dion. Carth. ibid.*
*Deum placat.*

5. Villicus Evangelicus magno obſtrictus debito, diffamatus eſt apud Dominum ſuum; à quo aut per quem? Reſpondet Dionyſius Chartuſianus: *Per remorſum conſcientiæ*; dilapidator iſte, quemcumque malæ reum vitæ præfigurabat, unde & *villicus iniquitatis* denominatus eſt; ſed modum obſecro reſpiciamus, quem in reparandis ruinis continuavit: *Ait autem villicus intra ſe.* Itane, inquit S. Chryſologus? Ecce verum pœnitentis ſpeculum: *Pungit cor ſuum, omnia vexat interna, ut à ſe pœnitentiam, quam pro ſe dare poſſit, extorqueat*; quo ex facto Didacus Stella hanc eruit doctrinam: Et tu igitur *ſcrutare conſcientiam tuam intra te.* Hæc autem villici cura tam eximium ſortita eſt terminum, ut à Domino ſuo deprædicari meruerit: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quod prudenter feciſſet.* Etiamſi enim quandoque coram divina juſtitia debitum contraxerimus infinitum, quantumvis multis Deum affecerimus injurijs; nihilominus dum nos ſpiritualibus animæ & conſcientiæ calculis, nec non eliciendis doloris actibus intentos videt, indilatè nobis propitiatus, placatur.

*D. Chryſ. ſer. 125. Did. Stell. ib. Luca. 16. 8.*

*2. Reg. 4. v. 7.*
*Inſidias arcet.*
*S. Greg. l. 1. mor. c. 18.*

6. Isboſeth in lecto ſuo à Recab & Baana occiſus fuit, dum altum ipſe ſterteret in meridie; cauſamne noſtis funeſti adeò accidentis? Mulier, triticum purgans, cuſtodiæ domeſticæ deputata, ipſamet obdormierat; unde S. Gregorius inquit: *Oſtiaria triticum purgat, cum mentis cuſtodia, diſcernendo, virtutes à vitijs ſeparat; quæ ſi obdormierit, in mortem proprij Domini ſui inſidiatores admittit.* Ceſſante conſcientiæ examine, inſidiæ contra nos invaleſcunt Diaboli, animæque noſtræ ager zizanijs repletur: *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus & ſuperſeminavit zizania.* S. Gregorius fuſius ad prius factum alludens, *ingreſſi*, inquit, *ſpicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum ſemina auferunt.*

*Matth. 13. v. 25.*

*Inſtitue Judicium.*
*Prov. 4. v. 23.*
*Luc. 11. v. 21.*

7. Sapiens certum ſpiritualis ſanitatis pharmacum nobis præſcripturus, *omni cuſtodia*, inquit, *ſerva cor tuum.* Aſt qualiter noſtrum nos cor tuebimur? Ecce vobis medicinam præſentem, diligens inquam conſcientiæ examen: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.* Frequens conſcientiæ examen & peccati accuſatio vires enervat inimici: *In pace ſunt ea quæ poſſidet.* Diabolus accuratiſſimè quamcumque noſtram dinumerat culpam, nævum, imò & atomum imperfectionis; ſed quo fine? ut noſtra nobis delicta exprobret in judicio; prout impoſtor fecit agonizanti Monacho illi, qui in extrema lucta conſtitutus, ut vita refert S. Odonis, in hæc prorupit verba: *Raptus ſum ad judicium, ibique protulit accuſator humani generis contra me, de micis ſacculum plenum, quas colligere ſecundùm conſuetudinem nolui, & de menſa ceciderant.* In panno mundo & candido minima etiam apparet macula, radij ſolis minutiſſimos etiam patefaciunt atomos; ita quoque ſolicitum conſcientiæ examen lucem acquirit nobis & notitiam, ut exiles etiam cognoſcamus emendemusque culpas; cui exercitio unicè nobis incumbendum eſt, ut Diaboli atteramus conatus, in hoc improbè collimantis, ut accuratam concervet defectuum noſtrorum congeriem; profectò *ſi nosmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Diſcute conſcientiam*, inquit S. Auguſtinus, *aſcende tribunal mentis tuæ, noli tibi parcere, examina te, loquatur tibi medulla cordis.* Ad quod judicium ut nos fortius pelliceret S. Chryſoſtomus, ejusdem nobis prærogativam ob oculos ponit, inquiens: *Hic judicium ſit ſine teſtibus, tu ipſe in te judicium exerces, qui peccaſti.* Imò S. Auguſtinus ſimilibus ductus rationibus, alio nos in loco, hujus admonet officij, dum ait: *Conſideret ſe unusquisque veſtrûm, intret in ſemetipſum, aſcendat tribunal mentis ſuæ, conſtituat ſe ante conſcientiam ſuam, cogat ſe confiteri.*

*Ne confundaris in Judicio.*
*1. Cor. 11. v. 31. S. Aug. in Pſ. 100.*
*D. Chryſoſt. t. 5. ſer. 56.*
*S. Aug. tr. 33. in Ioan.*

*Et Deus ſit propitius.*
*Prov. 18. v. 17.*
*Pſ. 94. v. 2.*
*Luc. 7. v. 37.*

8. Sapiens animam conſiderans, perfectionis & gratiæ cupidam, in eo ſingulariter ipſam dignoſci poſſe aſtruit, ſi ſuam improbet vitam, ſi ſeipſam reprehendat, ab aliena non præventa correptione; *Juſtus prior eſt accuſator ſui*; ſi non expectet, usque dum ad ſupremi judicis tribunal citetur, ſed potius *præoccupet faciem ejus in confeſſione.* Præmiſſo dicto examine & proceſſu, favorabilem nobis in confeſſionis tribunali expectare licet ſententiam; prout accepit illa, quæ ad Chriſtum pœnitens acceſſit, *ut cognovit*; quemadmodum conſecutus eſt filius prodigus, qui ad Patrem accurrit, poſtquam fuerat *in ſe reverſus*; & tu igitur tuos diſcute defectus, eosque ruminans, intimè confundere, compungere, eos reprehende, accuſa, caſtiga, ut tuam exoneres, illuſtresque animam. *Judicium excitemus*, verba ſunt Chryſoſtomi, *ut Deum nobis propitium, ejusmodi habita quæſtione reddamus.*

*Luc. 15. v. 17.*
*S. Chryſ. t. 5. ſerm. 56.*

*Tu autem proficias.*
*Eph. 5. v. 15. Col. 10.*
*S. Aug. ſer. 15. de v. Dom.*

9. Apoſtolus, amantiſſimus ſalutis noſtræ præceptor, *videte*, inquit, *fratres, quomodo caute ambuletis: Ut ambuletis digne. Deo per omnia placentes.* Quæ dum verba S. Auguſtinus diſcutit, perfectionem hanc in privato judicio ſeu conſcientiæ examine conſiſtere docet inquiens: *Quid eſt ambulare? breviter dico, proficere; ne forte non intelligatis & pigrius ambuletis; proficite fratres mei*; Sed quomodo, dicetis, proficiemus? ecce modum: *Diſcutite vos ſine dolo, ſine adulatione, ſine palpitatione; non eſt enim aliquis intus tecum, cui erubeſcas.*

*Arduum quidem opus.*
*S. Thom. de Villa Nova, in conc. D. 4. Qu.*
*S. Bern. ibid. ar. 1. c. 1.*

10. Porrò examen hoc, non quomodocumque, ſed quaſi de re ardua inſtitui debet: *Hoc peccatorum ſcrutinium*, inquit S. Thomas de Villa Nova, *ſecundùm tempus, quo dilata eſt confeſſio, & perſonæ qualitatem adhibendum eſt, ſicut in negotio arduo*; nec immeritò, quia juxta S. Bernardinum, omnium vitæ hujus negotiorum difficillimum dictum eſt examinis conſcientiæ opus: *Iſta ſunt tam ardua opera & negotia magna, quod pro eis Dei filius paſſus eſt opprobrium mortis*, inquit Sanctus, *& diræ crucis. Sunt enim tanto examine digna, quod pro illis diſcutiendis veniet Dominus ad judicium cum ſenatoribus terræ; univerſam rationalem creaturam ad illa dijudicanda convocabit: De cælo Angelos & Sanctos, de mundo bonos & malos, & de inferno dæmones & damnatos.* Quam juſtè igitur ejus à nobis requiritur frequentia examinis, in ſecretiſſimis conſcientiæ noſtræ penetralibus inſtituendi, quod quandoque in totius cœli, terræ atque inferni conſpectu propalabitur? Advertite fratres: *Si nosmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

*Sed proficuum.*
*1. Cor. 11. 31.*

*S. Ephrem t. 3. ſer. Aſc. de vit. rel.*
*Adhortatio ad quotidianum examen.*

11. Circa temporalium rerum computum Argos nos profitemur & agimus; erubeſcite infelices: *Negotiatores ſpirituales ſumus dilectiſſimi mei*, inquit S. Ephrem, *negotiatoribus ſæcularibus ſimiles*; ad quos hic Sanctus nos erudiendos remittit, dum ait: *Perpendite, quæ dico, fratres. Negotiator ſæcularis damna & lucra quotidie computat; & ſiquidem damna perpeſſus fuerat, ea reſarcire ſolicitè ſtudet. Sic etiam tu chariſſime ſeriò facias ac cures, diebus ſingulis, veſpere & mane diligenter conſidera, quo pacto ſeſe habet negotiatio tua, & veſpere quidem ingreſſus cubiculum cordis tui, examina temetipſum ac dicito: Putasne, hodie in aliquo Deum exacerbavi? Numquid verba otioſa protuli? num per contemptum, negligentiamque peccavi? num in re aliqua fratrem irritavi? num alicujus famam detractionibus laceravi?* moxque ſubdit: *Quod ſi in iſtis compereris, te detrimenta perpeſſum, futuris lucris præterita damna ſedulo reſarcire ſtude.* Sed eheu, *filij hujus ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis.* Vel unicæ cujusdam momenti liti, aut exili ſperato lucro quantum invigilamus, omnis impatientes moræ, nulli ſuperſedentes labori, ad omnia oculatiſſimi? & in negotio maximo animæ, in æternæ ſalutis difficultatibus torpemus? Chryſoſtomum audi & obedi, quisquis talis es: *An non codicem domi habes*, inquit Sanctus, *in quo quotidianas rationes ſcribas? habe item codicem in conſcientia, & quotidiana peccata ſcribe. Cum in lecto tuo jaces, nec quisquam eſt, qui tibi quid negotij faceſſat, antequam ſomnus irrepat, libellum in medium produc, & peccata tua tecum reputa, dicens apud temetipſum: numquid hodierno die, vel ſermone vel opere peccavi?* Et alibi: *Quando eſtis decubituri, & nullo præſente, multa quies & ſilentium, excita judicium tuæ conſcientiæ, ab ipſa rationem exige*; cumque in notitiam veneris omnium inordinatorum affectuum & appetituum tuorum, omnium malorum verborum, cogitationum &c. *De eis pœnam ſume, torque cogitationem, quæ peccavit; id ſibi vult illud: Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini; compungite, pro eo, quod eſt, pungite, ſtimulate, quæ in cordibus veſtris dixiſtis interdiu.*

*Luc. 16. 8.*
*D. Chryſ. in Pſ. 50.*
*D. Chryſ. in Pſ. 4.*

*Peccata ſunt prædones.*
*1. Cor. 15. v. 56.*

12. Numquid, ſi domi veſtræ ſciretis latere fures, prædones aut latrones, ad quietem vos componeretis, niſi diligentiſſimo præhabito ſcrutinio? fures & latrones peccata ſunt mortalia, quæ in veſtra delitent conſcientia; hæc veſtræ moliuntur æternæ ſalutis deſtructionem, illa veſtræ inſidiantur vitæ, quia *ſtimulus mortis, peccatum eſt.* Et tu ſine prævio diligenti conſcientiæ



ſcientiæ examine, abſque contritione & bonis propoſitis, te ad quietem recipere audes?

*A Conſcientia ratio petenda.*
*D. Chryſ. t. 5. ſer. 58.*

13. S. Chryſoſtomus in ſermone, cui titulus: *Non eſſe ad gratiam concionandum*; poſt quotidianam ſæcularium ſolicitudinem demonſtratam, qui temporalibus commodis inhiantes, ſummo mane adeunt tribunalia, deſudant, computant, ponderant &c. ſubitò ad ſpiritualem converſus proventum, ita nos exhortatur: *Hoc igitur & in actionibus noſtris faciamus; advocata conſcientia noſtra, rationes exigamus ab ea, diſquiramus, quid commode utiliterque ſit inſumptum, quid in noſtrum damnum; quis ſermo perperam fuerit impenſus in detractiones, in turpiloquia, in contumelias; quænam cogitatio ad laſciviam oculum concitarit, quod conſilium in damnum noſtrorum in opus exierit?*

*Quæ liber noſter eſt.*
*S. Bern. l. de conſ.*

14. Digniſſimam in præſenti nefas fuerit præterire S. Bernardi ſententiam, inquientis: *Unicuique liber eſt ſua conſcientia, & ad hunc librum diſcutiendum & emendandum, omnes alij libri inventi ſunt. Anima verò, cum de corpore egreditur, nullus alium librum, præter librum conſcientiæ ſecum poterit portare; atque in illo cognoſcet, quò debeat ire, vel quid debeat recipere.* Sed deplorabilis, prò dolor, inquit idem S. multorum eſt confuſio; ſcientiæ potius, quàm conſcientiæ vacantium; qui vel unius in articuli aut quæſtionis ſolutionem, integros impendunt dies ac noctes, conſcientiæ interim examen flocci pendentes: *Quam multi quærunt ſcientiam, & pauci conſcientiam?*

*S. Bern. c. 71. de inter. do.*
*Judici præſentabitur liber conſcientiæ.*
*Dan. 7. v. 10. Apoc. 20. v. 12.*
*S. Ephr. l. de ver. pœn. c. 4.*

15. Quos arbitramini libros æternitati litandos fore? Origenis forſitan, Tertulliani, S. Cypriani, S. Auguſtini, Platonis? *Judicium ſedit, & libri aperti ſunt*; qui ſunt libri iſti, quis typus, qui characteres eorum? S. Joannes myſterium penetraſſe videtur, dum ait: *Libri aperti ſunt, & judicati ſunt mortui*; at circa quid & ex quo formabitur proceſſus? ex conſcientiarum examinibus: *Ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera eorum.* Unde & Eccleſia canit: *Liber ſcriptus proferetur, in quo totum continetur*; quorum librorum contentum nobis fuſius S. Ephrem enarrat, dum ait: *Formidabiles libri, in quibus ſunt ſcripta opera noſtra, & actus, & verba, & quæcumque egimus in hac vita, non ſolum actus, ſed & cogitationes & intentiones cordium.* In hujus igitur libri examine & ſtudio unusquisque ſuam hodie debet operam atque induſtriam collocare.

## DISCURSUS XVIII.
## ARGUMENTUM.

Contra illos, qui à confeſſione abhorrent, in eoque frequenter ſibi applicando remedio, vivunt negligentes.

### THEMA.

*Numquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat.*
Pſalm. 40. verſ. 9.

*Reſurgendum per confeſſ.*

1. NEgat David, ſe cogitatu quantumcumque indefeſſo aſſequi poſſe, qualiter homo, non in rupem, ſed in peccati barathrum, id eſt, in infernum prolapſus, adeo ſit mentis futurus inops, ut reclinatis in ſinu manibus, nihil curet de exitu: *Numquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?* Quæ verba S. Thomas de Villa Nova moroſius ruminans, ſequentem format diſcurſum: *Si quando, prout eſt humana fragilitas, in peccatum cecideritis, illico ſurgite, ſtatim ad confeſſionem properate. Hoc Dominus per prophetam peccatoribus ſuadet, dicens: Numquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?*

*S. Thom. de Villa Nova. in D. 3. Qu.*

*Pſ. 117. v. 1.*
*D. Chryſ. ib.*
*Illam reſpuens dupliciter reus.*

2. Chryſoſtomus illam Pſalmiſtæ paternam ponderans invitationem: *Confitemini Domino, quoniam bonus*, ad peccatorem converſus, probat, nullam ab eo excuſationem ſufficientem afferri poſſe, cur reſpuat confeſſionem, præſertim cum propria nullus quærat damna: *Nec peccator jam poterit excuſari, qui confeſſionem, per quam venia naſcitur, non præparavit amplecti*; duplici reus delicti, *dum primo legem contempſit, ut delinqueret; & confeſſionis remedia amplecti noluit, ut periret*; moxque brevem quidem, aſt utilem hanc ſubdit exhortationem: *Confeſſio afferat ſalutem, cui contemptus attulerat mortem; vive remedijs, qui moriturus fueras aliquando peccatis.*

*Mol. de ſacr. tr. 5. c. 2. & 3.*
*Conf. arca theſaurorum.*

3. Solidam atque indelebilem meretur notam digniſſimus, quem in hac confeſſionis materia magnus quidam ſpiritualis magiſter format conceptum. Pœnitentia, inquit ille, eſt quædam arca depoſiti, in qua repoſiti ſunt Chriſti Salvatoris noſtri theſauri, omnes meritorum ejus divitiæ, inæſtimabile redemptionis noſtræ pretium. Hæc aperitur omnibus, ejuſdem fruitionis cupidis, tantum ex ipſa pretium extrahere valentibus, quantum ad totius ſui debiti abundat ſolutionem: Quam inſanabili ille inſaniæ malo laboraret, qui multis obſtrictus debitis, ditiſſimum offenderet theſaurum, ex quo juxta debiti qualitatem, tot ſibi licitè tollere poſſet pecunias, quot ſufficeret ad omnimodam ſatisfactionem, ille verò manibus otioſis, ſperneret favorem? ita & in præſenti &c.

Manſi Bibliothecæ Moralis tom. I.

*Hominum torpor & audacia.*
*S. Thom de Villa nova ibid.*

4. S. Thomas de Villa Nova deplorabilem contemplans animæ conditionem, ſed ſacramenti hujus extrema neceſſitate laborat; ſed torpida beneficium negligit, ſequenti eam perſtringit invectiva: *O qualis audacia, quæ oblivio, quod mentis gelicidium, quis ſtupor? ecce ardet infernus, ſub pedibus inhians, atque ad devorandam miſeram animam apertus; & jam peccator ipſe deputatus eſt ad illum, & ſolum pendet ex tenui filo vitæ præſentis, quod tam facilè rumpitur; & miſer ridet, comedit ſecurus & gaudet, neque eſt ſibi cura de remedio.* Imò majorem aſtruit S. audaciam eſſe, in peccati mortalis ſtatu confeſſionem negligere, quam centum armatis ſe unum opponere viris; cujus hanc reddit rationem: *In hoc, vita ſolum mortalis exponitur, quæ aliquando perdenda eſt; ibi autem anima perpetuæ damnationi & ardoribus ſempiternis objicitur, & perpetua ibi gloria ponitur in diſcrimine.*

*Similitudine declaratur.*
*Pſ. 117. v. 1.*

5. Ut autem infinitam, remedium hoc aſpernantium inſaniam cognoſcatis evidentius, ſequentem accipite ſimilitudinem. Quidam criminis læſæ majeſtatis reus per juſtitiam ad furcam condemnatus fuit; at Rex miſericordia motus, indulſit ut reus ſuum ſecretiſſimè crimen confiteretur alicui miniſtrorum, ex tota gratiæ ſignatura ad placitum eligendo, qui ejus confeſſionem ſub ſtrictiſſimo & inviolabili ſecreto exciperet, nulli umquam mortali manifeſtandam; ſi feceris, ait Rex, totum tibi remittam, omnia tua bono fiſco addicta tibi reſtituam; imò & maximos tibi conferam honores, teque mei declarabo participem regni. Nonne vos ſtultiſſimum hunc eſſe, uno omnes ore clamaretis, ſi rariſſimam miſer contemneret gratiam? ecce vobis caſum in terminis: Singulariſſimo nos confeſſionis ſacramentalis beneficio divina cumulavit providentia: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Nullum umquam terrenum tribunal pietatem & beneficentiam exercuit, ſimilem illi quam Deus hoc in judicio frequentat & continuat. Homo, peccato obnoxius mortali, reus ille eſt, ad inferni furcam condemnatus, omnibus bonorum operum deſtitutus meritis; divina illi permittit clementia, ut pro beneplacito ſuo, Confeſſarium eligat, cui ſub inviolabili ſigillo ſua pandat peccata, poſtmodum omnibus iterum exornandus donis, gratijs & meritis, per peccatum amiſſis, imò majoribus quam umquam cœleſtibus locupletandus theſauris, (*plus acquiſivimus, qui plus perdidimus:*) inſuper filius & hæres cœleſtis declarandus regni; & nihilominus quantus eorum numerus eſt, qui ab hoc ſaluberrimo abhorrent remedio. *Officium ſuum diſcipulis ſuis peragendum injunxit*, inquit Hugo Victorinus, *ut medicorum more ægros ad ſe venientes exciperent & ſanarent. Medicis dixit, ut curarent; ſed infirmis non dixit, ut ad medicos ſanandi venirent.* Ingenioſiſſima hæc eſt reflexio, ſcilicet ſpirituales ſolicitè à Salvatore proviſos eſſe medicos, at nullam ſingulariter circa infirmos, ut ad medicos recurrerent extimulandos adhibitam fuiſſe induſtriam; cauſamne noſtis? *Hoc quaſi certum eſſe voluit, quod ægri libenter ſanitatem quærerent*, ſubdit idem auctor, *& ſe curandos offerrent, ſi medicos invenirent; propterea ſolos medicos admonuit.* Incarnata equidem divina ſapientia vix debitorum noſtrorum pretium in crucis ligno obtulerat, quin ſubitò hoc inſtituerit & Apoſtolis commiſerit ſacramentum; aſt non legitur fideles extimulaſſe ad ejuſdem uſum, cujus hanc idem auctor aſſignat rationem: *Infirmum enim ipſe morbus ſuus ſufficienter admonet, neque opus præcepto habet, ſi dolet. Tamen ipſi medici poſtea, quia negligentes in curatione ſua ægrotos invenerunt, eos ad ſalutem quærendam, & admonitione ſua excitaverunt, & præcepto attraxerunt.*

*Hug Vict. erud. Theol. de ſacr. fid. l. 1. p. 14. c. 1.*

*Sæpius in Anno confitendum.*

6. Eccleſia ſub cenſura omnibus annuam præcepit confeſſionem & communionem; non tamen inde concludere licet; ergo non teneor amplius; prout patet in ſimili. Si namque medicus ob nimium in

infirmo deprehenſum orexis defectum, ei diceret: niſi ſemel in die comederis, actum eſt de vita tua; inde non ſequitur, non licere infirmo frequentius adhibere nutrimentum; Ita quoque Sancta mater Eccleſia maximam in infirmis filijs ſuis obſervans nauſeam ab hoc ſalutari antidoto, utpote qui per vitia & malos peccatorum habitus, omnem depravarunt guſtum, ſtomachumque corruperunt, ijs præſcribit, ſubque æternæ damnationis pœna imponit annuæ ad minus confeſſionis, & communionis præceptum, cui nequaquam acquieſcere debet, quisque ſuæ eſt ſalutis amans; ne cum Abſalone, qui ſemel dumtaxat in anno ſuam radebat cæſariem, non jam ad arborem, ſed ad patibulum ſuſpendatur infernale. *Semel in anno tondebatur* Abſalon, inquit S. Antonius Patavinus; *capillorum tonſio eſt peccatorum in confeſſione depoſitio, quam multi ſemel in anno faciunt, cum ſingulis diebus confeſſio eſſet neceſſaria.*

S. Ant. Patav. Dom. 4. poſt. Trin.

7. S. Thomas de Villa Nova hoc annuæ confeſſionis præceptum conſiderans, fortiter exclamare non dubitat: *O confuſionem & verecundiam noſtram! ad tantum bonum & tantam ſalutem, opus fuit præcepto. Væ miſeris, & cæcis, & induratis, qui præcepto indigent ad fugiendum infernum, & veniam obtinendam & præcepto ad annum. Quis hoc poteſt audire pius & verus Chriſtianus? ad annum ego expectabo veniam? ad annum differam vitam meam?* Si veſtem maculaſti, incunctanter & indilate eluis; ſi vulnus incurris in corpore, è veſtigio medicus citatur & chirurgus; *& maculas animæ & vulnera cordis mei lethalia, ad annum purificanda & curanda differam? ubi ſenſus; ubi judicium, ubi fides talium? ubi timor Dei? ubi ſpes regnandi cum Deo? hoc eſt, quod miſeros inficit & replet peccatis, & vitijs; & criminibus; ſicut ſcriptum eſt: Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo, & indurantur in peccatis ſuis, & veniunt ad ultimum malorum, quia non ſtatim adhibent remedium plagis ſuis, ſicut fit in plagoſo corpore.*

S. Thom. de Villa nova conc. in D. 3. Quad.
Invectiva in annuè tantum confitentes.
Joel. 1. v. 17.

8. Citatus modo S. Antonius de Padua, Chriſtiani impatiens algoris, eos, qui ſemel dumtaxat in anno confitentur, hac caſtigat invectiva: *Quare infelix differt in annum? imo cur differt in craſtinum, cum neſciat, quid dies craſtina paritura ſit? hodie es, & cras non eris; ſic ergo vive hodie, quaſi hodie ſis moriturus. Qui quotidie venenum peccati bibit, quotidie debet accipere theriacam confeſſionem:* Audite Sanctum Chryſ.: *Petrus poſt illam nefariam abjurationem quoniam celeriter nullo accuſante dixit peccatum, adeo abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apoſtolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis fuerit commiſſus.*

Altera invectiva.
D. Chryſ. h. 39. adv. Jud.

9. S. Gregor. pariter confeſſionis accelerationem nobis perſuadere volens, *infructuoſe* inquit, *ad ultimum quæritur, quæ congruo conceſſa tempore utiliter habebatur*, de medicina loquitur Sanctus, quæ niſi in tempore convenienti detur, damnoſa exiſtit. *Si quis veneno diaboli perfuſus eſt*, inquit B. Laurentius Juſtinianus *ſi quis peccati morbo percuſſus, incunctanter ad refugium confeſſionis accedat, & ibi ſuarum recipiet medelam plagarum.* Eamdem ab infirmitate ſpirituali deſumptam ſimilitudinem his nobis verbis exhibet Alcuinus: *Quis, rogo, cadens non quærit ſurgere? quis infirmatur, & non deſiderat convaleſcere? quis periclitatur, & non optat evadere? pænitebit te poſtmodum tarditatis, ſi non cognoveris quid animæ tuæ proficiat ad ſalutem? Clemens pater paratus eſt te accipere, ſi tu non tardaveris reverti*; moxque filium prodigum ſtatuit in exemplum, quem tanta cum ſolicitudine & affectu pater amplexatus eſt reducem: *Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius & miſericordia motus eſt, & accurrens, cecidit ſuper collum ejus*; quorſum genitor ad tantum ab ædibus ſpatium filio properabat obvius? Reſpondet Guerricus Abbas: *Sic feſtinabat abſolvere reum à tormento conſcientiæ ſuæ, quaſi plus cruciaret miſericordem compaſſio miſeri, quam ipſum paſſio ſui*; quinimo voluit inſuper per hanc accelerationem edocere, non modo indilate adminiſtrandum, ſed & incunctanter hoc eſſe recipiendum ſacramentum: *In ſe reverſus, dixit; ſurgam & ibo ad patrem meum*; vix in ſe introgreſſus fuerat, cum ecce ſubito ad amplexus properat paternos.

S. Greg. p. 2. paſt. adm. c. 13.
Perſuaſio.
B. Laur. Juſt. de diſc. & perf. mon. conv. c. 19.
Alc. ep. de conf.
Luc. 15. v. 20.
Guer. Abb. ſer. in ſab. 2. hebd. quad.
Ibid. v. 18.

10. Juxta ejuſdem capituli hiſtoriam, immediate præcedentem, mulier, parabolice repræſentata, ut primum unam è denis drachmis perdidit, *accendit lucernam & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat eam.* Anima namque prudens, ſagax & timorata, ſi quandoque divinam amittit gratiam, in ipſis etiam mediæ noctis umbris, lucernam accendit, eam requiſitura, ſuam examinat conſcientiam, elicit compunctionis actus, divinam implorat pietatem, quieſcere neſcia, donec amiſſam recuperarit gratiæ drachmam. Ad intentum docta deſerviunt, illum ſapientis textum (*mandatum lucerna eſt, & lex lux*) interpretantis Alberti Magni verba dum ait: *Eſt domus conſcientiæ interioris, quam totam oportet everrere in compunctione & confeſſione 1. Corinth. 4. illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.*

Poſt caſum reſipiſcendū.
Luc. 15. v. 8.
Prov. 6. v. 23.
Albert. Mag. ibid.
1. Cor 4. v. 5.

11. B. Laurentius Juſtinianus, ut nos in acceleratæ confeſſionis frequentiam inducat, diverſos ejuſdem omneſque egregios adducit effectus, inquiens: *Quicumque deliquiſſe ſe meminit, ad confeſſionis remedia, quanto poteſt citius recurrat; nam delicti confeſſio veniam impetrat; gratiam promeretur, humilitatem nutrit, cœlum aperit.* Neque minus efficaciter S. Bernard. diſcurrit, dum ait: *Subito, cum peccaſti vadas ad confitendum; quia quemadmodum in domo cum accenditur ignis, ſubito exclamas; ita cum peccaſti, ſubito vadas ad clamorem confeſſionis; ad extinguendum peccatum.* Niſi ignis mox in principio, ſopiatur, proficit & incrementa capit; ita etiam peccatum, ſi tantiſper in anima toleretur, & non extirpetur protinus augmentatur; unde Gregorius Magnus inquit: *Peccatum, quod pænitentia non diluit, mox ſuo pondere ad aliud trahit.*

B. Laur. Juſt. ibid.
Confeſſionis effectus.
S. Bern. T. 4. ſer. 20. 1. p. princ.
Poſt peccatum facienda.

12. Nemo non hiſtoriam novit Achani, cujus unius avaritia glorioſis populi Hebræi ſupplantavit victorijs & triumphis, qui tandem ad inſtantiam Joſuæ, ſuum ingenue profeſſus eſt crimen: *Et ait Joſuè ad Achan; fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas. Reſponditque Achan Joſuè ... & ſic & ſic feci*; hac tamen ſinceriſſima nequidquam obſtante confeſſione, *lapidavit eum omnis Iſraël.* Quis hic obſecro tam ingenuæ confeſſionis fructus, dum etiam adultera, quam lex lapidari jubebat, omni abſque verbali confeſſione abſoluta fuit à Salvatore? Reſponſum accipiamus à Ruperto Abbate: *Quamvis confitendo reſponderit*, inquit ille, *vere ego peccavi Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci, non tamen ullam mereri veniam debuit, quia videlicet confeſſio nimium tarda fuit, ante enim turbatus eſt Iſraël, quam ille peccatum agnoſceret; & ante ſors veridica, Deo auctore, prodidit perſonam quam ipſe culpam.* Licet autem adultera non confiteretur ſenſibiliter circumſtantibus, ſuum tamen peccatum pandebat ei, qui *ſcrutatur renes & corda*; verecundo & demiſſo vultu, pœnitentique habitu, manifeſta edebat confeſſionis & doloris indicia.

Tarda nimis veniam non meretur.
Joſ. 7. v. 19.
Ibid. v. 20.
Ibid. v. 25.
Rup. Abb. in Joſ. c. 21.

13. Tandem Alcuinus novum accelerandæ confeſſionis motivum haurit è notabili, ex confeſſionis dilatione oriri ſolito damno: *Si quis*, inquit *propter fragilitatem carnis, vel propter negligentiam circumſpectionis vulneratur, citius ad confeſſionis medicinam recurrat, ne per illecebram malæ conſuetudinis vix eradicari valeat peccatum.* Moxque tria diſtinguit mortuorum, à Chriſto ſuſcitatorum genera; filium viduæ, filiam Archiſynagogi, & Lazarum, quorum primus revixit extra urbem, ſecundus in domo, tertius in ſepulchro. Unde ſubjungit: *Qui ſunt hi tres mortui, niſi tria peccantium genera? filiam ſuſcitat in domo, dum conſentientem in corde peccare, revocat à peccati perpetratione. Filium viduæ extra portas civitatis ſuſcitat, dum peccantem foris in opere, ad pænitentiæ medicamenta confugere facit. Fætentem vero in mala conſuetudine peccati, cum lachrymas pænitentiæ elicit ex corde, ſuſcitat.*

Alc. ep. 71.
Peccata ne in anima radices figant confitenda.

## DISCURSUS XIX.

## ARGUMENTUM.

Quanta ſit violentia verecundiæ, nos à graviorum abſtrahens peccatorum confeſſione, cujus inſuper aliquot conſiderantur diſpendia: Docetur tandem erubeſcentiam hujuſmodi eſſe penitus irrationabilem, quandoquidem in ſummum Dei ac noſtri honorem & gloriam cedit confeſſio.



## THEMA.

*Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gratiam & gloriam* Eccli. 4. v. 25.

Verecundia deponenda.
S. Petr. Dam. ſer. 2. de S. Andr.

1. Per hanc Eccleſiaſticus ſententiam eos erudire & à gravi liberare ſatagit errore, qui verecundia præventi, ſuos ſubticent defectus in confeſſione; cujus vitij enormitatem hoc in diſcurſu nobis ob oculos ponit S. Petrus Damianus inquiens: *Nihil fortius ad expugnandam gratiam Dei, quam timor humanus; quia dum erubeſcimus confiteri, quæ commiſimus; Deum minus, quam homines reveremur. Hæc eſt confuſio, adducens peccatum.*

Hug. Vict. erud. th. de ſacr. fid. l. 2. p. 14. c. 1.
S. Bern. t. 4. ſer. 20. 1. p. princ.
exemplum.

2. Tyrannicæ hujus verecundiæ, noſtram nobis linguam, ne peccata noſtra confiteamur, vincientis ſævitiam, nulla poteſt oris humani exprimere facundia. *Pudenda ſunt facta noſtra*, inquit Hugo Victorinus, *non nos permittit verecundia eloqui, erubeſcimus confiteri, quod fecimus.* Diſplicet nobis delictum, id ipſum deteſtamur, internos excitavimus doloroſæ contritionis actus, at vox ligata manet, confeſſionis inimica. Tragœdiam ab experientia narrat Sanctus Bernardinus, de verecundia ſexui fæmineo circa confeſſionem familiari tractans. Mulier quædam, ait Sanctus, poſtquam per duos dies integros multis cum lacrymis, magnæque compunctionis indicijs, mihi confeſſa fuiſſet, tandem in proceſſu eam titubare adverti, nam *aliqua non audebat dicere; quod perpendens, cum diſcretione dixi: Ego video, quod tu vis dicere, ſed præ verecundia diabolus non te dimittit; quia nihil feciſti tam grave & horrendum peccatum, quin alias etiam factum fuerit per ſanctos viros. Petrus negavit Chriſtum, Paulus fuit perſecutor fidei, & interficere fecit millia Chriſtianorum; Julianus interfecit patrem & matrem; latro in cruce fecerat tot mala; & Deus miſericors miſertus eſt eorum. Quid ergo, pejora facere potuiſti? Dic ergo in bono omine; & ſic capiens vigorem, omnia dixit aperte.*

Alc. in ep. de conf. pecc.
Ne fiat confeſſio ſacrilega.

3. Alcuinus ijs ſatisfacere conatur objectionibus, quas conſcientiæ peccatorum pondere graves formare, & à criminum enormitate deſumere ſolent: *Sed dicis*, inquit, *me terret meorum magnitudo peccatorum; quinimo tanto magis inſiſtendum eſt tibi, ô peccator, in medicina confeſſionis, ne pereas in putredine vulnerum, ſi medico erubeſcis aperire multiplices ulcerum dolores*; hæcque eſt, de qua dicitur: *Eſt confuſio, adducens peccatum.* Hæc confuſio & verecundia; quæ animarum veſtrarum plagas medico occultat, veſtrum inveterat pejoratque malum, putredinem auget, & ſacramenti virtutem in ſacrilegij commutat venenum. *Quomodo poteſt medicus*, ait Sanctus Auguſtinus, *vulnus ſanare, quod ægrotus oſtendere erubeſcit?*

S. Aug. ſer. 66. de tem.
Verecundia accenda.

4. Quantus parturientem opprimit dolor? ſpiritualiter loquor: Honorata quæpiam & nobilis perſona in ſecreto peccatum admiſerit, aſt inſtante partus, id eſt, confeſſionis tempore, quanta ſecundùm faciem & cor ſuffunditur verecundia? Accommodam auſcultate S. Antonij Patavini reſolutionem: *Venerunt filij uſque ad partum; & non eſt virtus pariendi; quod fit, cum peccatum eſt in ore, ſed præ confuſione non aperitur in confeſſione.*

Iſ. 37. v. 3.
S. Ant. Patav. ſer. 2. in D.
Eccle. 10. 11.

5. Rupertus Abbas illum ſcripturæ textum (*Si mordeat ſerpens in ſilentio*) ad noſtrum ſubtiliter traducit intentum, illis applicans, qui ſinceram enormium criminum verecundantur confeſſionem. *Si quem ſerpens diabolus occulte momorderit*, inquit, *& nullo conſcio, eum peccati veneno infecerit; ſi tacuerit, qui percuſſus eſt, nec vulnus ſuum magiſtro voluerit confiteri; magiſter qui linguam habet ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus confiteri medico, quod ignorat medicina, non curat.*

Vulnus monſtrandum.

6. S. Bonaventura alium reprehendit pœnitentium abuſum, qui prius conſcientiam ſuam exonerant apud ignotos à gravioribus delictis, & poſtea patri ſuo ſpirituali ſolos confitentur defectus leves. *Hoc faciunt*, inquit Sanctus, *qui timent deſpici à Confeſſore, vel reputari minus boni, plus timentes humanam verecundiam, quam divinam offenſam; & plus amantes laudem extrinſecam, quam intrinſecam pacem mentis & conſcientiæ puritatem.*

S. Bonav. op. de mod. conf.
Ordinariò tam grave quam leve.
Th. Cant. l. 2. c. 30. n. 13.
Figura moraliter expoſita.

7. Thomas Cantip. in eos, qui enormiora verecundantur ſcelera confiteri, hunc retorquet Pſalmi verſiculum: *Erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa, quia vix perfecte & integre tales confitentur.* Cui ſtabiliendo hiſtoriam ſubjungit de invincibili Duce Juda, qui innumeris clariſſimis victorijs, tandem in ſiniſtro hoſtilis phalangis cornu ſuccubuit victima: *A ſiniſtro cornu* (poſtquam dextrum devicerat) *cui Bacchides præerat, contritus eſt & occiſus.* Quem caſum ita noſtro moraliter adaptat propoſito: *Sic multi confiteri volentes, peccatis communibus & aſſuetis, audacter ſe expediunt confitendo; at cum ad inuſitata peccata, ſicut ſunt innaturalia, venerint, pudore erubeſcentiæ pravio ſegniter obruuntur; unde bene Sodoma interpretatur, muta: Quamdiu tales muti ſunt, Spiritus ſanctus ad eos intrare non poteſt.*

8. *Eſt confuſio, adducens gratiam & gloriam*; illa ſcilicet erubeſcentia, quæ malas conſequitur operationes, quam Deus naturaliter veluti frænum aſſignavit culpæ; unde experientia teſte diſcimus, quemcumque etiam ſceleratiſſimum hominem, præ rubore enormiores in publico declinare exceſſus; ecce vobis deceptionem, qua maxima fidelium animarum copia ſupplantatur. Rubore & confuſione perfunduntur uſque ad aures, dum ſe per confeſſionem expiare debent, non intelligentes, quantæ virtutis, laudis & meriti ſit actus, peccatum ſubjicere clavibus. Nil tamen ea obſtat, quam ſubinde in patefaciendo peccato experimur verecundiam, imo hæc ipſa ſumme placet Deo, ſummaque nos gloria & divina locupletat gratia, juxta illud: *Eſt confuſio adducens gratiam & gloriam.*

Confuſio cedit in honorem.

9. Scitisne; qua phraſi uſus fuerit Joſue, dum Achan prævaricatori ſinceram conaretur perſuadere confeſſionem? *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.* Confeſſionem furti, denominat gloriam; quem eumdem titulum ſacramento huic, ab Evangelico Propheta attributum eſſe reperio, dum per eum Dominus promittit civitati Sion & incolis ejus: *Dabo in Sion ſalutem, & in Iſraël gloriam meam.* Quæ ſalus, quæ gloria iſta? Advertite: In die Reſurrectionis Redemptor cœnaculum Sionicum portis occluſis ingreſſus, ad æternam animarum ſalutem & ad majorem gloriam ſuam, Apoſtolis ſacramentum impertijt pœnitentiæ. Ad quam veritatem his in verbis alluſiſſe videtur Apoſtolus: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Quis diſparatam adeo umquam approbabit conſequentiam? peccatum namque potius nos excludit à gloria. Quid ergo ſtatuemus? dico Apoſtolum hoc in loco neceſſitatem inſinuare voluiſſe ſacramenti pœnitentiæ, quod gloriæ titulo honorat, utpote divinæ manifeſtativum & cauſativum gratiæ & gloriæ.

Confeſſio gloriam.
Joſ. 7. v. 20.
Iſa. 46. v. 13.
Ioan. 20. v. 22.
Rom. 3. v. 23.

10. Salvator noſter crucis patibulo, regale veluti vexillum & imperialium diadematum inſigne, ſpecioſum hunc voluit præfigi titulum: *Rex Judæorum*: Maligni obſtrepebant Hebræi, conantes ejuſdem demolitionem; ſed intrepidus reſpondebat Judææ Præſes: *Quod ſcripſi, ſcripſi*; id quod dudum ante in Salvatoris perſona obteſtatus fuerat David, cum diceret; *Ne diſperdas tituli inſcriptionem.* S. Marcus habet: *Erat titulus cauſæ ejus inſcriptus, Rex Judæorum.* q. d. tota paſſionis, crucifixionis & mortis Chriſti cauſa ad hunc reducebatur titulum, ſcilicet quod Rex eſſet Judæorum. Sed numquid Chriſtus pro omnibus mortuus eſt? utique nihilominus quis neſcit, redemptionem ejus nobis longe præ alijs extitiſſe efficaciorem. Sanctus Hieronymus difficultatis nodum ſolvit, dum in Sancto Marco; juxta verſionem græcam, *Rex confitentium* legi aſſerit; quia nimirum crucifixio ad hoc principaliter pœnitentiæ ſacramentum ordinata erat, ideoque diſpoſuit; ut dictus titulus tribus glorioſe idiomatibus exprimeretur in cruce, ut inappretiabilem nos edoceret confitentium, ſubque hujus Regis, qui *Rex Regum & Dominus dominantium* eſt, labaro militantium gloriam & magnitudinem. Quam eamdem doctrinam idemmet Sanctus, illa Pſalmi verba (*Juda Rex meus*) interpretans, hiſce confirmat verbis: *Videte, in quanta gloria ſit, qui agit pœnitentiam; Judas enim interpretatur confeſſio*, pœnitens regium ſibi comparat titulum.

Regis titulo honorantur confit.
Ioan. 19. v. 19.
Ibid. v. 22.
Pſ. 57. v. 1.
Marc. 15. v. 26.
S. Hieron. ib.
Pſ. 59. v. 9.
S. Hier. ibid.

11. Imo juxta ingenioſam S. Iſidori Peluſiotæ ſpeculationem, omnes inter Patriarchæ Jacob filios, unicus Judas ſingulariſſimum obtinuit poſteritatis ſuæ totius ad regale ſolium promotæ privilegium, quin etiam ut Dei filius ex eadem ſtirpe humanitatem aſſumpſerit, in premium ſcilicet ſinceriſſimæ confeſſionis, prout dictus Sanctus fuſius probat. Vix eum

S. Iſid. Pel. l. 2. ep. 48.
Cur Chriſtus in tribu Juda natus.

eum convicerat nurus, quin ipſemet ſubito omni cum ſinceritate ſuum confiteretur peccatum; unde ubi vulgata legit: *Juda te laudabunt fratres tui*; Chaldæa habet: *Juda tu confeſſus es, & non erubuiſti, in te confitebuntur fratres tui*. Breviter equidem, at nervoſe S. Auguſtinus ad noſtrum inquit propoſitum: *Cum peccata noſtra cognoſcimus, Dei gloriam commendamus:*

*Gen. 49. v. 8.*

Conſcientia pura Reginæ ſimilis.

*Pſ. 44. v. 14.*

12. Conſcientiam media confeſſione emundatam atque purificatam, David nobis ſub ſpecioſiſſimæ ornatiſſimæque Reginæ habitu repræſentat, dum ait: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, hoc eſt*, inquit S. Hieronymus, *in conſcientia*.

Confeſſione Petrus præſes factus.

*Luc. 5. v. 10.*

13. Cur factum eſſe creditis, ut duodecim inter Apoſtolos, triplicatum ſoli obtigerit Sancto Petro diadema? *Ex hoc jam eris homines capiens?* Sanctus Antonius circumſtantias obſervans, diverſos notat ſimul fuiſſe Apoſtolos, & inter alios quidem Andream, fratrem Petri natu majorem, dilectum à Chriſto diſcipulum, Sanctum Joannem; & nihilominus ſoli Petro dictum fuiſſe: *Ex hoc jam eris homines capiens. Hoc ſpecialiter ad ipſum Petrum pertinet.* Quod autem tanti privilegij extitit meritum? *Ex hoc, quia fuiſti hu..lis, vitæ tuæ maculas erubeſcens, confeſſionem verecundia non reprimens, ſed potius detecto vulnere remedium quærens, eris homines capiens.* Sanct. itaque Petrus omnibus prælatus Apoſtolis, cœleſtis regni claves accepit; nihilominus latro eum prævenit in Paradiſum, innumeris obnoxius latrocinijs Regem gloriæ comitatur in cœleſtis Jeruſalem palatia: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quis umquam Regum, inquit Sanctus Auguſtinus, in ſuo ad regnum introitu, in comitem adhibuit infamem aſſaſſinum? Chriſtus nihilominus hoc ſtipatus ſodalitio, glorioſum cælo intulit triumphum: *Non conculcans Paradiſum iſtius pietatis opere, ſed honorans; neque confundens latronis introitu, ſed illuſtrans: honor namque Paradiſi eſt, talem habere Dominum, qui etiam latronem dignum facere poſſit Paradiſi deliciarium.* Cauſamne noſtis tantæ in latrone prærogativæ? ſua coram innumerabili hominum turba, Chriſto Sacerdoti confeſſus eſt peccata. *Non eſt auſus dicere; memento mei* (inquit Sanctus Chryſoſtomus) *niſi confeſſione peccati ſarcinam remiſiſſet.*

*S. Anton. Pat. in Dom. 5. Trin.*

*Luc. 23. v. 43.*

*S. Chryſ. l. de cruce & latr.*

*Pſ. 86. v. 3.*

Confeſſio in Dei gloriam redundat.

*Ibid. v. 4.*

14. David Paradiſi quondam celebraturus encomia, *glorioſa* inquit, *dicta ſunt de te civitas Dei.* In quo hæc conſiſtit gloria? In tribus forſitan cœleſtium ſpirituum hierarchijs, in tres diſtinctis choros, qui *inceſſabili voce proclamant; Sanctus, Sanctus, Sanctus*? in adorando forſitan ſacratiſſimæ Triados throno? non: *Memor ero Rahab & Babylonis; ſcientium me.* Deus ſuam in peccatorum venia collocat gloriam, in eorum ſcilicet, qui per confeſſionem & pœnitentiam ſuam honorant glorificantque Deum: *Ecce alienigenæ, Tyrus & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*; omnium impijſſimi & maxime ſacrilegi, divinam ſplendoribus illuſtrant civitatem; unde & Concilium Tridentinum aſſerit: *Juſtificationis cauſa finalis, eſt gloria Dei.* Nonne Publicanorum caput & uſurarius erat Zachæus? & nihilominus vix ſuas fuerat confeſſus iniquitates & reſtitutionem promiſerat; cum ecce ſubito domum ſuam in ſanctuarium commutavit: *Hodie in domo tua oportet me manere*; honorem conſecutus, vel ipſi denegatum Cæſari Auguſto, mundi Monarchæ: *Hodie ſalus domui huic facta eſt.*

*Ibid. v. 4.*

*Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7.*

*Luca. 19. 5.*

*Ibid. v. 9.*

*Iſa. 6. v. 5.*

Angelorumque lætitiam.

15. Iſaias ſui pœnitens ſilentij, *væ mihi*, inquit, *quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum*; vixque ad erroris ſui confeſſionem ſeſe accinxerat, cum ecce è veſtigio Seraphini ab Empyreo deſcendentes, labia ejus purificarunt: *Auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur.* Certatim Angeli obſequijs demulcere geſtiunt eos, qui confitentur: *Gaudium eſt coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente.* Ratio, cur in enormium ſcelerum confeſſione verecundemur, hæc eſt, quia ſcilicet eadem, clavibus ſubjecta, non conſideramus, ſub quibus longe aliam à priori induunt faciem; in cujus probationem aptiſſime deſerviet id, quod jamjam ſubjecturus ſum.

*Luc. 15. v. 10.*

*Ibid. v. 7.*

Et Dei ornamentum.

*1. Reg. 6. v. 4*

16. Philiſtæi nimis ob arcæ præſentiam attriti ſtragibus, tandem eamdem reſtituturi, inter ſe conſultare cœperunt: *Quid eſt quod pro delicto reddere debeamus ei?* Concluſumque fuit omnibus votis: *Juxta numerum Provinciarum Philiſtinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos*; paruere præſcripto, dictaſque beſtias pretioſiſſimo adjunxere theſauro in curru; id quod in præſenti admirationem rapit; eſt, quod ſacer textus, dum horum animalium meminit, eadem appellet, vaſa aurea: *Ponetis in plauſtro vaſa aurea; quæ exolviſtis ei pro delicto* Quomodo? deformes vileſque erant mures, & pretioſa nuncupantur vaſa? Sanctus Gregorius ſenſum ſecutus moralem, per hæc viliſſima inſecta, noſtra aſſerit intelligi peccata, quæ dum confitemur, in pretioſiſſimum transmutantur aurum. Neminem vel unius peccati mortalis latet turpitudo, nihilominus hæc ipſa flagitia per confeſſionem expiata, in venuſtiſſimum deſerviunt Regis gloriæ amictum: *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento; id eſt, pœnitentes, qui in confeſſione mundantur*, inquit Sanctus Antonius Patavianus, *& gratia decorantur, induiſti.*

*Ibid. v. 8.*

*S. Greg. l. 3. in l. Reg. c. 6.*

*Pſ. 103. v. 2.*

*S. Ant. Pat. in D. inf. oct. nat.*

17. Eamdem confeſſionis prærogativam dudum ante Sanctus his verbis expreſſerat Auguſtinus: *Confitentur & cum accuſant ſe, nihil dignius fecit lingua; numquid autem & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Imò vero maxime pertinet ad laudem Dei; quia tanto amplius laudatur medicus; quantò plus deſperabatur ægrotus; tantò major laus eſt ignoſcentis, quanto major exaggeratio eſt peccata confitentis.* Cum itaque peccatorum confeſſio Deo gloriam & honorem, nobis autem pœnitentibus divinam conciliet gratiam & amicitiam, ſitque ſummæ virtutis, honoris & gloriæ actus; quis eam erubeſcet deinceps? Audite paternam Chryſoſtomi reſolutionem: *Non ignominioſum eſt incuſare peccata, ſed juſtitia & virtus; niſi juſtitia eſſet & virtus non propoſuiſſet illi mercedem obtinere. Audi quibus verbis ſcriptura teſtetur: Dic tu iniquitates tuas primus, ut juſtificeris. Quem tandem pudebit illius operis, qui ſit juſtus? quem confiteri peccata pudeat, ut peccata ſolvat?*

*S. Auguſt. in Pſ. 94.*

Atque laudem.

*D. Chryſ. t. 5. ſerm. 51.*

## DISCURSUS XX.

## ARGUMENTUM.

Contra eos, qui impudenter prævaricantes, peccata verecundantur confiteri, evincitur, totum hoc nil niſi illuſionem eſſe dæmoniacam. Adducuntur denique motiva aliquot, ob quæ neutiquam erubeſcere docemur in confeſſione.

### THEMA.

*Non confundaris confiteri peccata tua.* Eccleſiaſtici. 4. verſ. 31.

Non erubeſcas confiteri ſed delinquere.

1. ADmonemur in præſenti per Eccleſiaſticum integram nequaquam erubeſcere peccatorum confeſſionem, cui non obſtat, quod humili modeſtaque cum verecundia coram Dei Vicario noſtros teneamur pandere exceſſus: *Non confundaris confiteri &c.* Confundi equidem debemus, quia delinquimus; aſt pudor iſte nequaquam nos à confeſſionis integritate amovere debet. *Confunderis & erubeſcis*, inquit S. Chryſoſtomus, *confiteri peccata? confuſio eſt peccare, non vero peccata confiteri.*

*D. Chryſ. de pœn. & conf.*

Pudor retrahit præcipue fæminas.

*Matth. 9. v. 20.*

*Paul. de Pal. ibid.*

2. Paulus de Palatio hiſtoriam ruminans mulieris illius: quæ per duodecim annos, fluxum ſanguinis paſſa, *dicebat intra ſe; ſi tetigero tantum ſimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero*; in ſenſu morali eamdem de anima exponit, quæ peccatis immerſa, per accuratum conſcientiæ examen, ad bonam ſe diſponit confeſſionem; pro quo ſtabiliendo, illa Marci adducit verba: *Procidit ante eum & dixit omnem veritatem; Cum peccator ſanandus eſt, prius tremat intra ſe; mox procidat coram ſacerdote, qui perſonam gerit Chriſti, illique confiteatur omnem veritatem.* Aſt ea nequaquam prætereunda eſt circumſtantia: *Acceſſit retro.* Ubi Lucas Burgenſis ita diſcurrit: *Accedens à tergo. Ut enim non accederet palam, rogaretque quemadmodum Archiſynagogus, obſtabat pudor ob morbi fœditatem.* Hic reſpectus multos, & ſexum quidem principaliter fœmineum retrahit, ne ſacramento huic appropient.

*L. Burg. ib.*

*Boll. 23. Jan. c. 15. vit. S. Joan. Eleem.*

Hiſtoria memorabilis.

3. In vita S. Joannis Eleemoſynarij de muliere tradit Bollandus, quæ *peccatum graviſſimum in ſe recognoſcens, quod nec auditus hominum poſſe intrare aſſirmabat, fidem inambiguam ſumens, ad Sanctum curſim pervenit, & pedes ejus comprehendens, cum lachrymis*



*lachrymis multis clamabat, dicens ſecretò Sancto: peccatum, ò ter beate, habeo miſera, quod ad aures hominum venire non poteſt; & ſcio, quod ſi vis, potes mihi indulgere.* Ad hæc Sanctus Joannes, ut ſuum confiteretur peccatum; cui illa: *Non poſſum Domine, dicere id, neque poteſt auditus hominum portare illud, dicit ad eam iterum Sanctus: & ſi erubeſcis, vade & ſcribe illud, ſi noſti literas & fer mihi. Illa iterum reſpondit; vere Domine, non poſſum.* Ratum itaque judicavit Sanctus, ut ipſamet ſuum in charta peccatum ſcriberet, eamque ſigillo proprio munitam, ſibi extraderet, à nullo umquam mortalium legendam aut aperiendam; cui paruit mulier conſilio. Interim poſt 5. dies Sanctus vitam hanc cum meliori commutans, diſceſſit, muliere extra urbem degente, quæ ut mortem ejus inaudijt, ſolicita de charta, deque criminis ſui manifeſtatione extreme anxia, ad ſepulchrum ejus accurrit, dicens intra ſe: *Utinam non tibi rem meam manifeſtaſſem. Heu, heu mihi, putans confuſionis abſolutionem invenire, confuſio omnibus facta ſum*; ſtatuitque, non inde recedere, priuſquam cœleſte Sancti experta fuiſſet ſolatium. Poſtquam igitur tres inibi plangens & jejunans conſumpſiſſet dies ac noctes, tandem in tertia nocte, *ecce egreditur famulus Dei de tumulo, oculatim apparens cum duobus Epiſcopis*, dixitque deſolatæ: *Infuderunt ſtolas noſtras lachrymæ tuæ; & hæc dicens, dat ei proprium pittacium bullatum, dicens; ſuſcipe, cognoſcis hoc? ſolve, aſpice. Solvens, invenit literas ſuas deletas, & ſubſcriptionem ſub eis, habentem ſic: Propter Joannem ſervum meum, deletum eſt peccatum tuum.* Quis hoc ex facto ſufficienter non deducit truculentiſſimam verecundiæ tyrannidem, quæ ſexum ſingulariter exagitat fœmineum, ne ſua integre confiteatur peccata.

*D. Chryſ. ſerm. 54.*

Confitenda committere non erubeſcimus.

4. S. Chryſologus prædictam de fæmina ſanguinis fluxui ſubjecta, hiſtoriam diſcutiens, hunc in modum, ſuum ad nos dirigit Sermonem: *Eſt nobis dura & deflenda conditio, peccare nos cogit fragilitas innata, & confiteri prohibet confuſio, cognata peccati; mala enim facere, pudor non eſt, & pudor eſt, confiteri? Timemus dicere, quod committere non timemus; ſed hodie mulier cum quæreret medicinam tacita, vulneri verecundo invenit ſilentium, per quod poſſit peccatum ad veniam pervenire. Prima eſt felicitas, in peccatorum turpitudinem non veniſſe; ſed felicitas eſt ſecunda, peccatorum veniam peccatis latentibus inveniſſe.* Cui & illa perutiliſſime conſonat Sancti Patriarchæ Joannis Chryſoſtomi ſententia: *Erubeſcis peccata confiteri? Erubeſce peccata committere. Nos vero dum illa committimus, temere & impudenter ea aggredimur; cum ea fuerint confitenda, tum pudet pigetque, cum id alacriter à nobis fieri oporteret.*

Nec Dei Vicario aperire erubeſcamus.

5. Quod eſt confuſionis & pudoris noſtri motivum? bonæ famæ ſumus, ideoque noſtram volumus abſconditam impietatem. O inſipientes! numquid Deum latet iniquitas noſtra? nonne ipſe præſens aderat, dum eam committeremus? utique, dicetis; ſed ignorat eam Sacerdos. Quomodo? an igitur neſcitis, confeſſario veſtra revelari peccata, non ut homini, ſed ut Vicario Dei? *Peccata tua ipſe commemora, ut ea deleas*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *at pudet te peccata confiteri? neque enim ſi non dixeris, ignorat ea Deus; neque ex te ea ſcire vult, nam cum ea perpetrares, aderat; cum ea admitteres, aſtabat, ſciebat. Perpetrabas ea nec pudore commovebaris. Ob ea, quæ tibi probrum & dedecus afferebant, non erubeſcebas; & nunc ob verba ea, quibus juſtitia tibi comparatur, erubeſcis?* Sanctus Bernardus ex illo Sapientis aſſerto (*lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimus*) ſequens eruit argumentum: *Dicatur ergo illi, quem afficit pudor; cur te puduit peccatum tuum dicere, quod facere non puduit? aut cur erubeſcis Deo confiteri, cujus oculis non potes abſcondi?* Tertullianus hoc debile hominum genus confortaturus, ſequentem ei offert potionem ebibendam: *Hæ tu verecundiâ bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò* (dicamus nos, *ad confitendum*) *ſubducens.* Non verecundatur homo, in Dei præſentia divinam prævaricari legem, & veniam ab eo poſtulare erubeſcet? O probrum! Audi, quiſquis talis es, & reſponde, ſi potes, Chryſoſtomo Sancto. *Cur confunderis dicere, quod non confuſus es perpetrare? cur vereris Domino indicare, quod non veritus es ipſo præſente committere?*

*D. Chryſoſt. T. 4. H. 2. in Pſ. 50.*

*Prov. 2. 14.*

*S. Bernard. in ſententijs.*

*Tertul. l. de pœn. c. 10.*

*D. Chryſ. de confeſſ.*

Verecundiam furatam reddit Dæmon.

6. Fortiſſima, quam inimicus infernalis ad innumeras ab hoc ſacramento avellendas animas adhibet, machina; eſt dicta confuſio & verecundia, cordibus fortiter impreſſa; ne publicentur delicta, teſte Sancto Bernardino, T. 3. ſerm. de conf. qui à quodam Dei ſervo Diabolum in Eccleſia viſum fuiſſe aſtruit, induſtrie circumgyrantem; qui interrogatus; quid ſolicitè admodum operaretur, reſpondit: *Reddo, quod abſtulit. Cui Dei ſervus, quid eſt, quod reddis? inquit, verecundiam. At ille; cui? ait, confitentibus; nam verecundiam, quam eis abſtuli, dum peccabant, ut multiplicius in peccatis involverentur; nunc ſatisfacio ablatum, ne umquam propter verecundiam à ſuis ſceleribus exterreantur.* Quâ narratione completa, ſubdit Sanctus, illum Lucæ textum (*erat Jeſus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum*) hoc modo intelligendum eſſe: *Mutum utique ab effectu, quia peccatorem propter verecundiam, mutum facit.*

*S. Bern. t. 3. ſer. de conf. a. 2. modo 2.*

*Luc. 11. v. 14.*

7. Gradum promoventi viſio occurrit, quâ Zacharias Propheta ſe fruitum atteſtatur in hæc verba: *Leva oculos tuos & vide, quid eſt hoc, quod egreditur? & dixi, quidnam eſt? & dixit: Hæc eſt amphora egrediens; ... & ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una ſedens in medio amphoræ; ... & miſit maſſam plumbeam in os ejus.* Dum peccator ſuum vult os aperire in confeſſionem, Diabolus ſubito in os ejus pondus injicit plumbeum, per verecundiam eum retrahit, longeque ipſum efficit pejorem, quam fuerat umquam, novi reum ſacrilegij: animæ hujuſmodi tritum poteſt objici proverbium: Diabolum in ampulla geris.

*Zach. 5. v. 5.*

*Ibid. v. 6.*

*Ibid. v. 7.*

*Ibid. v. 8.*

Dæmon os obſtruit.

8. Dignam ne gravemini Chryſoſtomi auſcultate ſententiam, acutè obſervantis, quod Deus in peccatorum frænum, aſſignarit pudorem, confeſſioni autem fiduciam promiſerit & confidentiam indulgentiæ; aſt ſubdolus ſerpens totum invertit ordinem, hic namque peccatum munivit fiduciâ, & confeſſionem percelluit verecundiâ, in id unicè collimans, ut anima, mortalis etiam culpæ veneno infecta, omnem ſibi ſecuritatem promittat, occulta interim erubeſcens manifeſtare flagitia. *Pudorem & verecundiam Deus peccato dedit*, verba ſunt Sancti Doctoris, *confeſſioni vero fiduciam; invertit rem Diabolus, & peccato fiduciam præbet, confeſſioni vero verecundiam.*

*D. Chryſ. Hom. 3. ad pœnit.*

Peccatum munit fiduciâ.

Deus ſcire diſſimulat peccata confeſſione delenda.

9. Citra omne dubium, nullus foret rubori locus, ſi ſoli Deo, & non Confeſſario, noſtra forent manifeſtanda delicta; aſt difficultatem diluent, jamjam ſubjiciendæ rationes. In lege veteri, quemadmodum ad primum Levitici caput advertit Genebrardus, noſque in ſecundo tractatus hujus Diſcurſu docuimus, externæ in peccatorum expiationem oblatæ victimæ qualitatem prodebant delicti coram univerſis; an non maxima hæc erat transgreſſorum confuſio. In ſacramento autem pœnitentiæ, nullus omnino in noſtri poteſt devenire criminis notitiam; Imò efficaciſſimum, ad ipſi Sacerdoti os occludendum, remedium ſola eſt confeſſio. Verè equidem nimium felices in lege nova, millieſque *beati, quorum* per facillimam hanc methodum, *remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata; Si texit*, inquit Sanctus Auguſtinus, *peccata Deus, noluit advertere, ſi noluit advertere, noluit animadvertere, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere.* Perfectiſſimè noſtra Deus novit peccata, eaque, nobis tacitè, dum in ijſdem perſiſtimus, per conſcientiæ remorſum & ſynderesin improperat: *Vultus autem Domini ſuper facientes mala*; Nullum penitus ejus ſubterfugit notitiam: *Nihil opertum, quod non reveletur.* Aſt dum eadem confiteri proponimus, ne à ſanctiſſimo hoc opere abhorreamus, ſe ſcire diſſimulat, ſe eorum quaſi oblitum fingit, illa cooperit & abſcondit. *Nec ſic intelligatis, quod dixit; peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant. Tecta verò peccata quare dixit? ut non viderentur*, ſubjungit idem S. Doctor.

*Pſ. 31. v. 1.*

*S. Auguſt. ibid.*

*Pſ. 33. v. 17.*

*Luca. 12. 2.*

Auricularem extirpare voluit Dæmon.

*Bar. an. 459. num. 20.*

10. Subtile audite Dæmonis artificium, quod inimicus quondam, ut ſecretam atque auricularem confeſſionem extirparet, tempore Leonis Papæ, in Annalibus Eccleſiaſticis legitur adinveniſſe. Aliquot tunc temporis Chriſtianos Luceferi ſuſcitavit aſtutia, qui maximo cum profectu, ſub majoris mortificationis & meriti prætextu, publicam edere cœperant peccatorum confeſſionem, qui inſolitus zelus ut plurimum ad ſupremi in terris paſtoris aures pervenit, illicò ſecretæ confeſſioni inſiſtendum declaravit: *Removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur; dum aut erubeſcant*

Mansi Bibliothecæ Moralis tom I.

Iii 3 aut

*aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſint legum conſtitutione percelli.*

Strictum confeſſ. Sigillum.

11. Tam ſtrictum atque inviolabile diſpoſuit infallibilis Dei Providentia ſigillum confeſſionis, ut juxta moralium Theologorum doctrinam, nullis aut verbis aut geſtibus, nullo oculorum obtutu, nullâ vultus ſeveritate; imò ne minima quidem cum apparentia, ullo umquam tempore & loco, Confeſſarius pœnitenti poſſit exprobrare peccatum. *Audacter dico*, inquit Sanctus Antonius Paduanus, *quicumque diſcooperuit confeſſionem, gravius peccat proditore Judâ, qui Dei filium Judæis vendidit.* Ruboris noſtri rationem Sanctus attigit Bernardinus, ſimulque ejuſdem adhibuit medicinam, dum ad quamdam ſuam pœnitentem ait: *Iſta cauſa, quod propterea teneat te* (ſcilicet Confeſſarius) *pro mala & pejori fœmina mundi, non te moveat ad tacendum reatum, quia tu non vis uxorari ſecum, nec es ſibi ſubjecta.* Aſt efficacius eſt, ſupra inſinuatum, Sancti Antonij motivum, dum inquit: *Confiteor homini, non tamquam homini, ſed tamquam Deo, ut dicit Dominus: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, & homo natus de humo, confeſſionis ſecretum in cordis ſui ſecretario non ſigillabit?* Similem nobis conſiderationem Sanctus exhibet Chryſoſtomus, dum ait: *Verecundaris & erubeſcis enunciare peccata? Sanè quidem, ſi coram hominibus ea enuncianda eſſent & evulganda; non tamen ita pudere te oportuit, pudor enim eſt & ignorantia peccare, non quæ peccaveris, confiteri.* Si cuipiam criminis veſtri conſcio, veſtras deberetis manifeſtare culpas, homini manſueto, omniumque immemori injuriarum, modò vos ad ejus veſtigia humiles proſterneretis, confuſioni forſitan locus ſupereſſet? minimè equidem; ecce caſum in terminis, breviſſimo hoc diſcurſu expreſſum, per Doctorem Seraphicum. *Suadeat ei* (pœnitenti Confeſſarius) *quod non verecundetur confiteri; ſed nudè & expreſsè omnia confiteatur, quia non homini confitetur, ſed Deo, ſcienti omnia, qui ſi nude confiteatur, pro abſoluto habetur.*

S. Anton. de Padua ſer. 2. in D. 2. Qu.

S. Bernard. T. 4. ſer. 20. 1. p. princ.

NB.

S. Chryſ. ſer. 58. cit.

S. Bonav. op. Conf. c. 1. partic. 5.

Abſit erubeſcentia.

12. Dei potius quàm Confeſſarij reſpectus rubore nos ſuffundere deberet, ſiquidem homini confitemur, qui eadem aut admiſit, aut admittere potuit delicta; verumtamen neque ex parte hujus, ulla ſubeſt in confeſſione erubeſcendi ratio, ſiquidem certiſſimi ſumus, nullum omnino peccatum divinam ſubterfugere notitiam. *Cùm confeſſio fit*, inquit S. Thomas de Villa Nova, *pœnitens non cum homine, ſed cum Deo ſe loqui putat, nam confeſſor ibi loco Dei. Caveat, ne ex hominis verecundia aliquod peccatum occultet; Domino confiteris, non homini; & ſi homini, non quaſi homini, ſed quaſi Deo, & qui audit, non quaſi homo.*

S. Thom. de Villa nova conc. in D. 4. Qu.

13. De Sacerdotibus quondam Oſeæ prædixit Dominus: *Peccata populi mei comedent*; cibus iſte Apoſtolorum vertici S. Petro cælitus ſubmiſſus fuit, dum linteo immundis animalibus pleno, ad ſe deſcendente, vocem audivit: *Occide & manduca*, factâ ad Gentiliſmi converſionem alluſione. Aſt quid obſecro moralitatis prima nobis afferent Oſeæ verba? intelligentiam à Phyſicis hauriamus. Quod comeditur, conſumitur & deperditur, aliâ cibi parte in ſanguinem & carnem, alia tranſeunte in excrementa, ita ut nihil reſidui maneat panis, pomi, piſcis aut cujuſcumque alterius materiæ comeſtibilis, ita quoque peccata clavibus ſubjecta, devorant. Sacerdotes adeo perfectè, ut ne minima eorum maneat memoria aut reminiſcentia; ſi nihilominus aliqua ipſorum ſupereſt recordatio, (qui caſus eſt rariſſimus) ad aliud non deſervit, niſi ut peccata profundiori recludantur ſub ſecreto; quâ de re quamvis tutiſſimus poſſet inſtitui diſcurſus, nihilominus dum brevitati inſiſto, unicum arbitror nobis ſufficere poſſe S. Bernardini dogma, inquientis: *Ponamus, quod Sacerdos indiſcretus ſiniſtram opinionem habeat de pœnitente; quid mihi? numquid propter hoc pœnitens minus valebit? numquid habet ſe defendere Sacerdoti, quare tantùm deſideret appretiari à Confeſſore? Videtur nempe in Sacerdote ſuam beatitudinem repoſuiſſe, cum eum felicitati præponat æternæ.*

Oſeæ. 4. v. 8.

Act. 10. v. 13.

Conf. peccata annihilat.

# DISCURSUS XXI.

## ARGUMENTUM.

Exprobrantur illi, qui ſine ea, quæ Deo ſummè placita, nobis maxime utilis, & non minima ſatisfactionis pars eſt, verecundiâ confitentur. Alia item attinguntur motiva, ad ſuperandum pudorem, qui nos in peccatorum ſilentium inducit.

## THEMA.

*Pro anima tua ne confundaris dicere verum.*
Eccli. 4. verſ. 24.

1. QUantò execrabilior atque damnoſior eſt confuſio & pudor ille, qui nos à confeſſionis integritate abſtrahit & avellit, tantò laudabilior, nobiſque utilior eſt verecundia illa, quæ noſtras in confeſſionis tribunali ita perfundit genas, ut debita cum contritione atque humilitate noſtras patefaciamus transgreſſiones; ut proinde non immeritò idem aſſeruerit Eccleſiaſticus: *Eſt confuſio, adducens gratiam & gloriam.* Non ignoro equidem generoſos, quos Sanctus Bernardinus ad intrepidæ confeſſionis frequentationem addit ſtimulos, dum ait: *Itaque dicite audacter*; ſed neque notitiam meam ſubterfugit ea, quam immediatè ſubdit coarctatio; *ſed cum pudore dicite peccata veſtra.* Quos dum conſcientiæ & modeſtiæ limites, aliqui etiam illius temporis pœnitentes impudenter tranſilirent, *neſcientes erubeſcere*, in ipſos idem Sanctus ſequentem Sapientis detorquet atteſtationem: *Lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis;* contra quos increpatio eſt Pſalmi: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Quos & Hugo Victorinus acriter perſtrigendos cenſuit, dum ait: *Sunt quidam ſicut impudentes ad faciendum, ſic inverecundi ad dicendum, qui quoniam turpitudinem ſuam in faciendo non vident, verecundiam in dicendo non habent; quibus utique per Prophetam dicitur: Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, neſciviſti erubeſcere. Iſti nonnumquam ſine aliquo compunctionis motu, ſine aliquo timore vel amoris Dei attactu, pro ſola conſuetudine explenda, ad dicenda peccata ſua ſe ingerunt, exiſtimantes ſe propter ſolam verborum prolationem, à debito peccatorum ſuorum abſolvi; quibus rectè dicitur: Prius flendum eſt, poſtea confitendum.*

Cum pudore confitendum.

Eccli. 4. v. 2.

S. Bern. t. 4. ſer. 20. 1. p. princ. T. 3. ſer. de conf. a. 2. mod. 3.

Prov. 2. v. 14.

Pſ. 51. v. 3.

Hugo Vict. erud. th. de ſacr. fid. l. 2. p. 14. c. 1.

Sola enarrat non ſufficit.

2. Quo igitur cum pudore ad hoc Sacramentum nos accedere competat, Sanctus nos inſtruit Bonaventura, dum ſermone ſecundo in Dom. inf. oct. Epip. inquit: *Debet in confeſſione eſſe verecundia ſumma, non occultando peccata, ſed deteſtando & plangendo*; in cujus confirmationem illam Sancti Auguſtini ſubjicit ſententiam: *Qui per vos peccatis, per vos erubeſcatis, erubeſcentia enim, ut quidam ait, magnam partem habet remiſſionis*; qui Sanctus Præſul immediatè ſubjungit, de pœnitente loquens: *In hoc, quod per ſeipſam dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis; multum ſatiſfactionis obtulit, erubeſcentiæ dominans: Laborat mens patiendo erubeſcentiam; & quoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordia.*

Doctrina.

S. Bonav. ſer. 2. in Dom. inf. oct. Epip.

S. Auguſt. T. 4. l. de vera & falſa pœn. c. 10.

3. Quam porro rationabiliter ac juſtè dicta à nobis exigatur verecundia, ex ſequenti licet dignoſcere Sancti Bernardini diſcurſu, inquientis: *Juſtum utique eſt, ut, qui in verecunda facie mentis & corporis, Deum peccando deſpexit, ſic per confuſivam ſui verecundiam Deum placet; eſt enim verecundia magna pars pœnitentiæ ſecundùm Sanctum Auguſtinum de pœnitent. diſtinct. 1. c. quem pœnit. circa med. Et hæc eſt una cauſa, quare confeſſio inſtituta eſt; ut ſcilicet, dum de culpa peccator erubeſceret, à Deo miſericordiam impetraret.* Quibus omnibus Sanctus cauſam ſubnectit, cur duo inſignes peccatores, Publicanus & Magdalena, ſubito ad ſanctitatem pertigerint, nimirum: Quia quilibet eorum, ut Lucæ 7. & 18. habetur, de peccato ſuo erubuit.

S. Bern. ib. a. 2. modo 3.

Erubeſcentia de culpa miſericordiam impetrat.

Luc. 7. 38.

Luc. 18. v. 13.

4. Noſtis omnes parabolam de vinicolis, quos impietas proprij Domini ſui filij fecit homicidas; poſt denegatum ſiquidem fructum; poſt peſſimè habitos, & partim plagis, partim morte affectos, quos Dominus miſerat ſervos, tandem Dominus convenientiſſime ſeſe facturum autumavit, ſi ſuum ad eos ablegaret filium, dicens intra ſe: *Reverebuntur filium meum.* Auctor operis imperfecti hac in parabola ad eam aſtruit alludi pietatem divinam, quam Deus poſt multiplicata etiam delicta exhibet quotidie peccatoribus: *Miſit confundere illos, non punire; nam pro tantis injurijs benigno Domino ſufficiebat ſola vindicta pudoris.* Conſidera ô anima Chriſtiana, inæſtimabile redemptionis tuæ pretium, tuam in tantum benefactorem perpende ingratitudinem, animam diſcute Dei in te expectando patientiam, tuam pondera in delinquendo pertinaciam; quanta hæc eſſe putas? debitum eſt infinitum, cui ſatisfaciendo exilis ſufficit verecundia. Audi benignam Petri Cellenſis (de panan. capite primo) adhortationem: *Sanguinem pro ſanguine repone; ſcilicet pro fuſo in ara crucis, effuſum in rubore confeſſionis.*

Peccata delet.

Matth. 21. v. 37.

Auct. Imp. ibid.

Petr. Cell. de pan. c. 1.

5. *Ante grandinem præibit coruſcatio*, inquit Eccleſiaſticus capite trigeſimo ſecundo, verſu decimo quarto, *& ante verecundiam præibit gratia*; quem textum interpretans Janſenius, ita in noſtrum reſolvit favorem: *Quia verecundia ſtatim de ſe effundit gratiam*; facilis certè gratiam aucupandi methodus, quam penitius Sancto Paciano (in parænef. ad pœnitentiam) cognitam fuiſſe invenio, dum ſuos ita vice quâdam interrogavit pœnitentes: *Peccator erubeſcet perpetuam vitam præſenti pudore mercari?* Quo fine & Concilium Tridentinum ſeſſione decima quarta canone quinto & octavo, difficultatem conſiderans, quam in propriorum delictorum ſincera confeſſione importunus multiplicat rubor & verecundia, taliter reſolvit: *Ipſa vero hujuſmodi confeſſionis difficultas ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis & conſolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſimè conferuntur.*

Gratiam præbet.

Eccli. 32. v. 14.

Janſ. ibid.

S. Pacian. in paræn. ad pœn.

Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. & 8.

Conſolationem.

6. Divinus amor, ſibi deſponſandæ cupidus animæ, dum mutui adhuc negarentur amplexus, ad minus amicabilem ſibi dilectæ ſuæ efflagitabat exhiberi vultum: *Oſtende mihi faciem tuam*; quem affectum Sanctus ponderans Antonius de Padua in Dominica 14. Pentec. ita diſcurrit: *Facies dicta, eo quod notitiam faciat hominis; & ideo bene deſignatur in ipſa confeſſio, quæ hominem notum facit Deo: Oſtende ergo faciem tuam, ſi vis, ut oſtendam tibi faciem meam*; moxque, in quo ſibi vultu cœleſtis complaceat Sponſus, declarat, inquiens: *Facies tua decora, quæ eſt confeſſio verecunda. Pulchra eſt permixtio confeſſionis & ruboris; unde Eſther roſeo colore vultum perfuſa, gratis ac nitentibus oculis, ingreſſa cuncta per ordinem oſtia, ſtetit contra Regem. Eſther eſt anima pœnitens, cujus vultus in confeſſione debet perfundi roſeo colore verecundiæ.* Quantumvis juxta Sancti Lucæ atteſtationem, leproſus quidam, animæ peccati leprâ infectæ figura, *procideret in faciem ſuam*; nihilominus in eadem illa actione, Sanctus Ambroſius libro quinto in Lucam pœnitentem & verecundam contemplatur animam inquiens: *In faciem procidit, quod humilitatis eſt & pudoris, ut unuſquiſque de vitæ ſuæ maculis erubeſcat; ſed confeſſionem verecundia non repreſſit; oſtendit vulnus, remedium poſtulavit, & ipſa religionis & fidei plena confeſſio eſt.*

Decoram reddit animam.

Cant. 2. v. 14

S. Ant. de Pad. in D. 14. Pent.

Eſth. 15. v. 9.

Luc. 5. v. 12.

S. Ambr. l. 5. in Luc.

7. Sanctus Gregorius libro vigeſimo ſecundo moralium, capite decimo, heroicas & ſupernaturales Jobi contemplans actiones, omnes omnino unicæ poſtponit, quam inſtituit, humillimæ peccatorum ſuorum confeſſioni. Ecce ipſa vobis Sancti Doctoris verba: *Videatur vir iſte cuilibet magnus in virtutibus ſuis, mihi certè ſublimis apparet etiam in peccatis ſuis. Mirentur in eo, qui volunt caſtitatis continentiam, mirentur integritatem, mirentur viſcera pietatis; ego in eo non minus admiror confeſſionem humillimam peccatorum, quam tot ſublimia geſta virtutum; Scio enim, quod per infirmitatis verecundiam, plerumque gravioris eſt certaminis commiſſa peccata prodere, quam non admiſſa vitare.*

S. Greg l. 22. mor. c. 10.

Maxima virtus Jobi confeſſio.

8. Alcuinus (epiſtola de confeſſione) ſanctæ verecundiæ præcellentiam demonſtraturus, hinc enormiſſimorum criminum numerum & pondus, illinc vel unicam ejus ſtillam imponit trutinæ, reque diligenter exploratâ concludit; minimam etiam laudabilis ruboris ſtillam, id eſt, vel unicum dictæ erubeſcentiæ actum, majus habere pondus. *Crede mihi*, inquit, *totum veniale erit, ſi, quod peccaſti, confiteri non erubeſces, & per pœnitentiam purgare curabis.* Cui & illa conſonat Sancti Ambroſij reſolutio: *Plurimum ſuffragatur verecunda confeſſio ad pœnam; quam defenſione vitare non poſſumus, pudore confeſſionis extinguimus.*

Alc. ep. de conf.

Verecundiæ excellentia.

S. Ambr. l. de Joſ. c. 36.

9. Innocentius Tertius iratam Davidis adverſum inimicos imprecationem (*Erubeſcant … omnes inimici mei, convertantur & erubeſcant valde velociter:*) ſequenti ad intentum noſtrum illuſtrat commentario: *Repetit iterum, erubeſcant; quoniam & in recordatione facinorum debet intus erubeſcere Deum; & in confeſſione peccatorum, debet foris erubeſcere hominem; quoniam erubeſcentia confitentis pœna eſt non modica ſatisfactionis.* Numquid ſi debitum contraxiſſem decem millium ſcutorum, & creditor meus totum mihi remittere polliceretur, ſi eamdem ſummum humiliter agnoſcere vellem, cum ſignis diſplicentiæ &c. nonne indulgentia hujuſmodi, inæſtimabilis beneficij loco habenda foret? Hic ipſe eſt caſus præſens; in pœnitentia, per exiguum ruborem, humili conjunctum confeſſioni, totum caſſamus peccatorum noſtrorum debitum, ſummam longè maximam. Tanta erat Publicani impietas, ut oculos in cœlum, ne forſan divinæ contra ſe iræ fulmina provocaret, attollere minimè præſumeret; nihilominus dum ſuam publicè in templo, verecundus manifeſtavit iniquitatem, domum repetijt ſanctificatus: *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam.* Audite Sanctum Ambroſium: (libro ſecundo de offic. capite decimo octavo) *Multum verecundia placet*, inquit ille, *multum conciliat gratiæ apud Deum; nonne hæc protulit Publicanum, & commendavit eum, qui nec oculos audebat ad cælum levare.*

Pſ. 6. v. 11.

Innoc. III. ibid.

Erubeſcentia Conf. pars debitum remittit.

Luc. 18. v. 14.

S Ambr. l. 2. de off. c. 18.

10. Alias inter rationes, quibus nos Sanctus Bernardinus ad Sacramenti hujus extimulat frequentiam, hanc pariter aſſignat: *Quia plus ſtat in pudore; quia tu potes tantam verecundiam habere in confeſſione, quod dicendo tua peccata cum illa verecundia, Deus remittet tibi peccata & pœnam, ſicut fecit in Magdalena peccatrice, cui remiſſæ fuerunt culpæ & pœnæ, cum dixit: Remittuntur tibi peccata tua. Diſcite, quo dolore ardeat* (inquit Sanctus Gregorius homilia trigeſima tertia in Evang. de eadem loquens viragine) *quæ flere & inter epulas non erubeſcit.* Innocentius Tertius in quodam de eadem Sancta habito ſermone, ipſam licentioſiſſimæ & coram univerſa Jeruſalem ſcandaloſæ admodum vitæ, per ruborem & verecundiam, ſatisfeciſſe aſtruit, inquiens: *Notabili ſatisfecit pudore*: Id quod Sanctus Auguſtinus in illa, quæ in ejus feſto legitur homilia, pluribus expreſſit, dum ait: *Vidiſtis mulierem in civitate famoſam, malâ utique famâ, quia erat peccatrix, non invitatam, irruiſſe convivio, ubi ſuis medicus recumbebat, & quæſiviſſe piâ impudentia ſanitatem; irruens, quaſi importuna convivio, opportuna beneficio.* Neque id cuipiam videatur mirum, quia ut Sanctus Gregorius homilia trigeſima quarta in Evang. reſolvit: *Quæ ſemetipſam graviter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit, quod verecundaretur foris.* Unico in momento ad ſanctitatis pertigit faſtigium, quæ prima veritate teſte, *dilexit multum*: Ideoque Sanctus Chryſologus ſermone nonageſimo quarto ait: *Conſpicimus non ſolùm caruiſſe peccatis, ſed ad totum ſanctitatis verticem perveniſſe.*

S. Bern. T. 4. ſer 1. p. princ.

Verec. quandoque pœnam remittit & culpam.

S. Greg. Homil. 31. in Evang.

Innoc. III. in ſer. 3. de S. M. Magd.

S. Auguſt. l. 50. Hom. 23.

S. Greg. H. 34. in Evan.

Luc 7. v. 47.

S. Chryſ. ſer. 49.

11. Attamen ne remiſſum nimis verecundiæ frænum indulſiſſe videat, ſequentem accipite Hugonis Victorini doctrinam. *In confeſſione peccatorum*, inquit, *hominem & verecundari oportet, ut humiliter, quod fecit, cognoſcat; & tamen non ſic verecundari, ut taceat.* Noſtrum reſpergat verecundia vultum, ut aliquam debito nos & Deum inter contracto præſtemus ſatisfactionem; aſt noſtram minimè alliget linguam in damnabile ſilentium. Qui idem auctor alio in loco ait: *Confeſſionem quatuor impediunt; pudor quo, quæ commiſimus, erubeſcimus confiteri*; quam verecundiam variè docet extirpari poſſe, ſcilicet *conſideratione rationis, quæ confiteri monet; reverentia intuentis Dei, quem nihil latet; majoris confuſionis comparatione, quoniam in futuro cuncta crimina omnibus patebunt.* Quæ pariter tria motiva Sanctus Petrus Damianus ſermone ſecundo de Sancto Andrea his verbis inſinuat: *Opponamus ei rationem conſiderationis, reverentiam intuentis Dei, comparationem majoris confuſionis.*

Hug. Vict. ib.

Verecunda tamen debet eſſe confeſſio.

Hug. Vict. 2. p. l. 4. eru. th. t. 100.

Nihilque reticendum.

S. Petr. Dam. ſer. 2. de S. Andrea.

*S. Aug. l. 2. de viſ. infir. c. 5.*
*L. de dec. chord.*

*fuſionis.* Quam ultimam rationem diverſi moroſè Sancti ponderarunt. *Melius eſt* inquit Sanctus Auguſtinus, *coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die judicij coram tot millibus hominum, repulsâ denotatum tabeſcere.* Et alibi: *Melior eſt modica amaritudo in faucibus, quàm æternus cruciatus in viſceribus.* Quam ut veritatem noſtris profundius cordibus imprimeret Sanctus Thomas de Villa Nova, ubi de ſupremo judicio, in quo cœlum, terra & infernus omnia noſtra cognoſcent peccata, tractat, in hanc ſtupefactus prorumpit exclamationem: *O intolerabilem malorum pudorem, quo etiam ipſa gehenna mitior eſt, latere enim impoſſibile, apparere autem difficile erit*; in quo tremendo tribunali ne confundamur unquam, ſequens implexemur, quod idem nobis Sanctus præſcribit remedium: *Verè illi beati erunt, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata; quorum autem tecta erunt, niſi quorum hic fuerint Deo & Confeſſori revelata? noli homo, noli celare peccatum tuum; revela uni prudenti, ne revelentur univerſo.* Cui doctrinæ immediatè ſubnectit ſequentem, inquiens: *Pudet hic referre quorumdam, in ſuorum confeſſione peccatorum, temerariam, frivolam, pernicioſamque palliationem, quæ æternum illis eſt paritura pudorem.*

*S. Thom. de Villa Nova. jud. ext.*
*Pſ. 31. v. 1.*

12. Iratus quondam Dominus populo ſuo, graves eidem per Iſaiam intimavit minas, inquiens: *Pro eo, quod adjecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio; & aſſumpſit magis Raſin & filium Romeliæ, propter hoc, ecce, Dominus adducit ſuper eos aquas fluminis fortes & multas, Regem Aſſyriorum.* Juxta ſenſum literalem, minatur Hebræis Dominus, ſe eos jugo ſubjecturum Aſſyrio, qui legitimum fuerant aſpernati Regem; aſt juxta moralis ſenſus intelligentiam, peccatoribus pœna intentatur confeſſionis æternæ, quia privatam ſacrilegi declinarunt penes Confeſſarium. Peccata deſignantur per aquam, juxta illud: *Bibunt ſicut aquam iniquitatem*; dum autem illa noſtro detegimus Confeſſario, *fiunt cum ſilentio*, id eſt, quam ſecretiſſimè; unde Sanctus Auguſtinus ſermone trigeſimo ad Fratres, nos admonet, dicens? *Noli timere peccata confiteri; nam illud, quod per confeſſionem ſcio, minus ſcio, quam illud, quod neſcio*; ubi idem Sanctus & alia adducit contra verecundiam motiva, inquiens? *Cur confiteri times peccata? peccator eſt, qui audit; peccat, ſicut & tu, & forſitan major; homo eſt, nihil differt à me, nihil alienum habet à me: Cur ego times peccator, homini peccatori confiteri?*

*Iſa. 8. v. 6. 7.*
Motiva contra. verec.
*Job. 15. v. 16.*
*S. Aug. ſer. 30. ad Frat.*

13. Sanctus Bernardinus in eos, qui ob verecundiam ſua ſubticent peccata, ſequentem detorquet Jeremiæ textum, inquiens: *Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt; quinpotius confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt. Habet hæc nimia verecundia ſeptem malas conditiones*; primam nominat ſtultam, *quia peccator erubeſcit dicere, quod non erubuit facere*; citatque in favorem ſuum hæc Sancti Bernardi verba: *O inſane, non pudet inquinari, & pudet ablui?* Secundam appellat fatuam: *Tales timent, quod Sacerdos peccata ſua abhorreat, minimè attendentes quod alias aſſuetus talia audire & forte majora; ea non reputet ex quo videt voluntatem pœnitentis bene diſpoſitam*; ad Balaam exemplum, qui monſtris aſſuetus, ad humanam aſinæ non exhorruit vocem. Tertiam nuncupat indiſcretam, quia nimirum timent, ne Confeſſarius enormibus auditis ſceleribus, exceſſus ijs exprobret, cum tamen potius econtra optimum de ipſis formet conceptum, pœnitentiam eorum atque emendationem videns. Quartam dicit cæcam: *Cæcus nimis eſt, qui plus timet erubeſcere in confeſſione coram uno, quam timeat erubeſcere in judicio, coram toto mundo.* Quintam intitulat inſanam: *Si enim timent hi confuſionem adducentem gloriam, quare non potius timent confuſionem adducentem ignominiam?* Sextam inſenſatam deſcribit, quia nimirum talis privatum apud Confeſſarios conceptum æternæ præfert ſaluti Deo, ut & cœlo. Septimam vocat ſuperbam: *Ideo cum quisquis peccatum ſuum celare deſiderat, ne iniquitas ſua alijs manifeſta fiat; ne talis reputetur apud homines foris, qualem ſe dudum exhibuit divino conſpectui, quod ex fonte ſuperbiæ naſci, nulli dubium eſt.*

*Jerem. 6. 15.*
*S. Bern. t. 3. ſer. de conf. a. 2. modo 3.*
Verecundiæ 7. malæ conditiones.
*Num. 22. v. 28. & 30.*

14. Fortiſſimum aliud in favorem noſtrum, argumentum formans Hugo Victorinus, ita diſcurrit: *Si ita erubeſcimus coram homine, quid faciemus ante eum, cujus Majeſtatem declinare non poſſumus, neque judicium effugere?* Sed prò dolor, multi ne quidem in præſentia hominum erubeſcere norunt, quin potius *lætantur, cùm malè fecerint*, omni absque rubore de ſuis etiam flagitijs gloriantes. Quot reperire fuerit, qui ſua ſcelera ſocijs pandunt & amicis, coram confeſſarijs autem toti perfunduntur rubore? ne complicibus loquar & ſimilibus. Itane cum faſtu & gloria, impietates noſtras ad aliorum ſuſpendimus aures in æternam damnationem; & eas Confeſſario non manifeſtabimus in veniam & ſalutem? Accuratè perverſiſſimum hunc orbis ſtylum in hoc diſcurſu adumbravit Alcuinus, dum ait: *Erubeſcis homini in ſalutem tuam oſtendere, quod non erubeſcis cum homine in perditionem tuam perpetrare. Ancillam tuam iniquitatis tuæ conſciam vis habere, & Sacerdotem Chriſti reconciliationis tuæ non vis habere adjutorem.* Noſtro nos amico peccatum aut transgreſſionem noſtram manifeſtamus, cum famæ periculo, ſine ulla ſpe veniæ, omni absque fructu; & delictum Confeſſario pandere erubeſcimus, certi de inviolabili ſigillo & remiſſione. Numquid amicus dari poterit melior eo, qui in tanta nobis neceſſitate ſuccurrit, ideoque cum ſecretiſſima confidentia?

*Hug. Vict. eru. th. l. 2. p. 4. c. 1.*
Socijs panduntur ſcelera, Confeſſario celantur.
*Alc. ep. 71.*

## DISCURSUS XXII.

## ARGUMENTUM.

De valore contritionis, mediâ quâ omne aboletur peccatum: Ejuſdem quoque ſiſtitur etymologia & definitio.

### THEMA.

*Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*
Pſalm. 50. verſ. 10.

1. TAnto apud ſupremam Sacroſanctæ Triados Majeſtatem in pretio atque valore habetur cor veraciter pœnitens, ut vel ad unius actus contritionis comparationem omnes flocci æſtimet terræ theſauros. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*; Contritio eſt ferventiſſimus charitatis & amoris actus Faciat anima quidquid poterit & noverit in debitorum ſuorum ſatisfactionem; inſtituat & multiplicet jejunia, eleemoſynas, peregrinationes, exſtaſes, animarum converſiones, opera omnia miſericordiæ &c. *Quaſi nihil deſpiciet*, in comparatione vel unius contritionis actus. Sicut minimus gratiæ ſanctificantis gradus abundè ſufficit ad integram etiam abolendam peccatorum infinitatem, ita & ſolus veræ contritionis gradus vel unicus ſufficiens eſt ad eumdem præſtandum effectum. Audite Sanctum Gregorium: *Tantò amplius peccati rubigo conſumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.*

Contritionis actus excellentior alijs.
*S. Greg. h. 35.*

2. Virtutem hanc Sanctus Thomas à Villa Nova in probatica piſcina contemplans, ſequenti ad ejus praxin nos animat Diſcurſu: *Hæc eſt illa aquæ vivæ piſcina, quam movet Angelus in corde per dolorem; in quam qui intrat per hujuſmodi aquæ motum ſanatur & mundatur ab omnibus infirmitatibus ſuis. Hæc eſt illa virga Moyſis, quâ percuſſum mare concupiſcentiarum exæſtuans; dividitur in diviſiones, ut electi Dei ſicco pede promiſſionis in terram pertranſeant*, Dominoque appropinquent, quandoquidem anima pœnitens, media contritione, juxta Divi Auguſtini teſtimonium, Deo fit proxima: *Prope eſt Dominus his, qui obtriverunt cor*, inquit, *tritura cordis pietas eſt; qui ſe conterit, ſibi iraſcitur, ſe habet iratum, ut habeat propitium Deum.* Ne totum quidem mare ſufficit vel ad minimam animæ eluendam maculam, ſed minima compunctionis, inque Deum charitatis aqua, ſufficientiſſima eſt ad quaſcumque etiam poſſibiles; abolendas immunditias, ipſamque animam in Dei oculis ſpecioſiſſimam exhibendam. *Contritio expellit peccatum de anima* inquit S. Bonaventura, *in peccato autem tria ſunt mala, macula, offenſa, reatus. Per peccatum enim anima ſorditatur, Deus irritatur, debitum æternæ mortis meretur. In contritione autem contra maculam eſt expiatio, contra offenſam eſt propitiatio, contra reatum afflictio.*

*S. Thom de Villa nova conc. 4. in D. Q.*
Figurata deſcriptio.
*S. Aug. in Pſ. 74.*
*S. Bonav. ſer. 2. D. inf. oct. Ep.*

3. S. Antonius de Padua illum Pſalmi verſum (*In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*) hoc modo in noſtrum interpretatur favorem: *Contritio dicitur ſpiritus; in ſpiritu contritionis Dominus naves Tharſis, id eſt, ſæcularium mentes; duabus* autem *de cauſis dicitur vehemens; eò quod vehit ſurſum mentem, & væ æternum adimit.* Imo tam intenſus dari poteſt contritionis actus, ut non modo æternam, ſed & temporalem omnem aboleat pœnam: *Tantus poteſt eſſe dolor, ut etiam omnem pœnam purgatorij tollat.* Vere utique actus hujus cognovit efficaciam, qui exclamabat: *O magnam & potentiſſimam medicinam, & quæ ad manum ſit; neque opus ſit eam exterius perquirere, ſed in pectoris officina redundet, ſi eam quæramus ibi; & ratio hujus eſt, quia peccatum in ratione ſuperiore eſt, & in conſenſu voluntatis conſiſtit: Nam non conſentiente voluntate, non poteſt eſſe peccatum; Oportet ergo, ut ibi quæratur peccati ſatisfactio, ubi fuit culpa; Voluntas quæ peccavit, ipſa ſatisfaciat. In quo autem alio poteſt ita voluntas ſatisfacere Deo, niſi ut doleat dè illo, in quo malè delectata eſt; & bene deteſtetur, quod malè complacuit.*



*Pſ. 47. v. 8.*
*S. Anton. de Padua ſerm. 2. in D. 1. Q.*
Cont. efficacia.
*S. Thom. de Villa nova in D. Paſſ.*

4. Admirabilem divinæ miſerationis methodum nobis exhibet Michæas Propheta, dum inquit: *Miſerebitur noſtri, deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundam maris omnia peccata noſtra.* Quis iſte loquendi modus? Noſtras divina Miſericordia iniquitates ſubmerget in mari? Salſum intelligitur contritionis mare, de quo dicitur: *Velut mare contritio tua*; Hoc in mari omnia ſubmerguntur delicta noſtra, prout latius docuimus ſupra in §. 2. Porro ad intentum Paragraphi tertij deſerviet illud, quod modò ex Sancti Vincentij Ferrerij vita adducam exemplum. Ad Sancti hujus, in Francia prædicantis pedes quidam ſe advolvit impijſſimus multorum temporum homicida, qui divino aſpirante lumine pœnitens, dum poſt confeſſionem à Sancto pœnitentiam accepiſſet ſeptennij, petijt, utrum in exilis adeo pœnitentiæ virtute ſalvari poſſet. Sanctus intentionem advertens compunctionis, totam pœnitentiam ad tres, in pane & aqua, jejunij dies reſtrinxit; tunc equidem pœnitens præ cordis anguſtia in amariſſimos ſeſe diffundere ſingultus, quod ut Sanctus obſervavit, unicum dumtaxat *Pater noſter & Ave Maria*, ei in pœnitentiam injunxit, vix debito ſatisfecerat pœnitens, cum ecce ſubito ad Sancti pedes, quaſi intenſiſſimæ contritionis ferro confoſſus, corruit victima; *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, verè utique *cor contritum Deus non deſpexit*) atque indilatè rectiſſimâ ad Paradiſi tranſijt gloriam, prout ipſemet nocte ſequenti Sancto Vincentio apparens, revelavit cum dicto: *Tantus poteſt eſſe dolor, ut etiam omnem pœnam Purgatorij tollat.*

*Mich. 7. v. 19.*
Exemplum.
*Thren. 2. v. 13.*
*Pſ. 50. v. 19.*

5. Alias inter Ægypto inflictas pœnas & flagella, fuit & Locuſtarum, dicente textu ſacro: *Flare fecit ventum ab Occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam projecit in mare rubrum, non remanſit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti.* Diverſa hoc in textu ad intentum noſtrum recluduntur myſteria. Ventus qui locuſtas abſtulit, ab Occidente ſpiravit, ſuam in mari beſtiolæ offenderunt ſepulturam; nulla ſuperſtite; Ecce vobis delineatos contritionis effectus. Culpa illi aſſimilatur animali, ſicut enim hoc naſcitur ex terra, ita & illa ex carnis noſtræ humo derivatur: *Manifeſta ſunt opera carnis quæ ſunt immunditia, fornicatio &c.* Ex ſuperabundanti calore naſcitur locuſta: (*Concupiſcentia parit peccatum*) beſtiola hæc totum camporum deſtruit virorem, culpa quoque omnia tollit bonorum operum merita. Sed quod remedium hujusmodi poterit extirpare locuſtas? Flatus venti ab Occidente; Non modo vitæ noſtræ conſideremus terminum nullo non momento nobis imminentem, ſed & finem creationis noſtræ, inque veritatis hujus agnitione, internæ compunctionis & divini amoris actus excitemus; Ita namque omnia peccata noſtra in rubrum demergentur ſanguinis Chriſti mare, vel in doloroſæ contritionis pelagus: *Velut mare contritio tua*; omnia penitus ſuffocabuntur delicta: *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Ecce vobis eximium hujus virtutis effectum.

Contritionem.
*Exod. 10. v. 19.*
Excitabit finis meditatio.
*Gal. 5. v. 19.*
*Thren. 2. 13.*
*Michea. 7. v. 19.*

6. Annales Eccleſiaſtici ex Cæſario Monacho Ciſtercienſi lib. 1. cap. 10. de juvene tradunt Pariſienſi, qui graviſſima admiſerat ſcelera, *quæ, obſtante erubeſcentia nemini hominum confiteri potuit; Intus torquebatur morſu conſcientiæ, & foris tabeſcebat in corpore? Quid plura? Tandem miſerante Deo timor ille ſervilis verecundiam vicit, qui ſicut ſeta filum; charitatem inducere conſuevit.* Vocato itaque ad Sanctum Victorem, Monaſterij Priore, ſua ei peccata confiteri cœpit, *tantamque Deus cordi ejus contulit contritionem, ut, quoties confeſſionem exciperet, toties ſingultibus intercepta vox deficeret; in oculis lachrymæ, ſuſpiria in pectore, ſingultus erant in gutture.* Quo viſo diſcretus Sacerdos pœnitenti jubet, ut peccata ſibi deferat ſcripta; Paret hic, dieque ſequenti redux, iterum iterumque tentavit, utrum quid linguâ exprimere poſſet; ſed mutus ſubſtitit ut pridie præ nimijs ſingultibus. Confeſſario itaque chartam conſignavit, qui viſo criminum horrore atque enormitate, dum proprijs diffidit viribus, cum pœnitentis licentia Abbatem adijt conſulturus. *Quid deinde*, proſequitur Hiſtoricus, *geſtum ſit, audiant peccatores; & conſolentur deſperati & recreentur. Mox enim ut Abbas chartulam ad legendum aperuit totam ejus continentiam delatam invenit; impletumque eſt in eo, quod Dominus per Iſaiam: Delevi ut nubem iniquitates tuas; & quaſi nebulam peccata tua.* Vix hoc inaudijt pœnitens, tantumque mentem ejus erexit gaudium, quantus ante depreſſerat mœror; dimiſſusque fuit ſine ulteriori ſatisfactione & pœnitentia; quoniam *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus &c.*

*Rayn. Ann. t. 99. n. 45.*
Hiſtoria.
*Pſ. 50. v. 19.*

7. Accommoda propoſito deſervit illa Apoſtoli ſententia: *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſæculi autem triſtitia mortem operatur.* Mortuum plangis Patrem tuum, neque eum ad vitam revocas; bonorum te affligit jactura, nec recuperas; injuria tibi illata te conturbat, non tamen eam excutis, aſt qui gravis contra Deum offenſæ, qui peccati mortalis reus; in corde ſuo veræ excitat contritionis actus; omnem abolet non modo reatum, ſed memoriam culpæ: *Omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt, non recordabor.* Audite Chryſoſtomum Sanctum: *Peccavit quis? triſtatus eſt, peccatum doluit? diſſolvit debitum.* Similitudinem capite in verme, qui lignum, ex quo naſcitur, conſumit, Ita nimirum & dolor, ex peccato ortus, ipſum in cineres redigit & annihilat.

*2. Cor. 7. v. 10.*
Cont. etiam memoriam culpæ aufert.
*Ezech. 18. v. 22.*
*S. Chryſ. H. 5. ad pop.*

8. Singularis autem hujus Divinæ Majeſtati acceptiſſimi holocauſti prærogativa conſiſtit in eo, quod nullo non loco & tempore à nobis offerri poſſit. Tres in ardentem Babyloniæ fornacem conjecti pueri, nec Sacerdotem inibi, nec templum nec altare, nec victimas, nec incenſum reperientes, quale adorſi ſunt ſacrificium, quo & Deum verum, quem adorabant, colerent, & erectam Nabuchodonoſoris illuderent ſtatuam? *In animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur.* Quoties infelices nos medias inter Babyloniæ flammas, id eſt, inter concupiſcentiarum carnalium ardores, aut cujuſcumque alterius peccati mortalis incendium contabeſcimus? Has inter anguſtias, ſi Sacramenti pœnitentiæ copiam, temporis aut loci nobis negavit invidia, ad gratiſſimum Deo confugiamus contritionis Sacrificium: *Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies; In animo contrito & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur; à te Domine.*

Holocauſtum Deo gratum.
*Dan. 3. v. 39.*
*Pſ. 50. v. 19.*
*Dan. 3. v. 19.*

9. Quandoquidem ſacrilegi hujus regis mentionem ingeſſimus, non abs re fuerit, aliam eidem dormienti exhibitam ſtatuam tantis per contemplari. Habebat caput ex auro puriſſimo, brachia & pectus ex argento, ventrem & latera ex ære, pedes partim ex ferro, partim ex materia fictili; motu autem proprio deſcendens è monte parvum aliquod ſaxum, quod in debiliores immenſi hujus coloſſi partes impingens, ipſum minutiſſima in fruſta diſſipavit: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos; Tunc contrita ſunt pariter, ferrum, teſta, æs, argentum & aurum; & redacta quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nullusque locus inventus eſt eis.* Ecce vobis ſpiritualem hiſtoriæ illius ſenſum, noſtro accommodum propoſito. Peccator in corde ſuo erexit Babyloniæ Idolum, illud adorans, illi obſequia præſtans; In auro divitijs, in argento honoribus, in ære voluptatibus, in ferro cultum & venerationem præſtat odijs, rancoribus, vindictis; exile ſaxum, unica inſpiratio cæleſtis, unicum Prædicatoris verbum ad pœnitentiam cor inducit, infirmiores percutit Babylonicæ ſtatuæ partes, ipſum conſideratione fæcundando

Dei timor & contritio Idola noſtra diſſipant.
*Dan. 2. v. 34.*
*Ibid. v. 35.*

do fragilitatis mortalis naturæ, identidem ſubjectæ morti; Motiva timoris in corde, actus diverſos excitant amoris & doloris; conteritur idolum, omnia perimuntur peccata. *Lapis itaque ſine manibus abſciſſus*, inquit Richardus à Sancto Victore, *timor Domini divinitus inſpiratus, in ictu hujus lapidis ſtatua dejicitur; Et quid eſt hujuſmodi percuſſio, niſi interna compunctio cordis, contritio & humiliatio.* Unicus divini amoris actus profanum conterit altaris cordis noſtri idolum: Et quemadmodum parvus iſte lapis in ingentem excrevit montem, ita vel unicus contritionis actus titionem inferni, in momento in Paradiſi Seraphinum transmutare poteſt.

Rich. Vic. l. 1. de inter. hom. c. 27.

10. Contritionis etymologiam Sanctus Bernardinus hiſce explicat verbis: *Sicut in naturalibus aliquid conteri dicitur, quando totaliter in minimas partes reducitur; ita cor hominis conteri dicitur, quando affectus peccati ſecundùm omnem ſui partem in eo totaliter confringitur, & perfectè à peccato reſilit.* Moxque in capitulo ſequenti ſubjungit: *Duo conteri debent, cor & culpæ; Conteri debet cor quod ad literam, in vera contritione totum teritur præ nimia anguſtia, & dolore, & indignatione, quam contra peccata ſua concepit*, juxta illud Joelis conſilium: *Scindite corda veſtra. Conteri debent culpæ; hoc perfectè fit, cum peccata totaliter abjiciuntur à corde; Unde Pſalmus: Effundite coram illo corda veſtra.*

S. Bern. t. 1. ſerm. 12. a. 1. c. 1. Quando ſit cor contritum. Ibid. v. 2. Joel. 2. v. 13. Pſ. 61. v. 9.

11. Sanctus Thomas de Villa Nova tandem ita definit virtutem: *Contritio eſt juxta Theologorum ſententiam, dolor voluntariè aſſumptus pro peccato, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi; Poteſt addi: Et iterum non peccandi.* Alij addunt, eſſe actum voluntarium, conjunctum cum ſummo dolore de peccatis admiſſis, elicito ob amorem Dei ſuper omnia dilecti, cum ſpe veniæ & firmo propoſito confitendi peccata commiſſa, nova non perpetrandi, pœnitentiam adimplendi. Si vas aliquod fregeris, diſſipaveris, ruperis, formam ejus deſtruxiſti & annihilaſti, totum oppoſitum operatur contritio; unde Sanctus Bernardinus ait; *Dominus adveniente contritione ſanat in anima vulnera peccatorum; unde in Pſalmo: Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.*

S. Thom. de Villa nova conc. in D. Paſſ. Cont. Definitio. S. Bern. T. 1. ſerm. 2. a. 3. Pſ. 140. v. 3.

12. Sanctus Ambroſius Samaritani venerabundus ſuſpiciens charitatem, ei, qui in latrones inciderat, exhibitam, *Dominus Jeſus ipſe eſt Medicus*, inquit, *qui vulnera noſtra curavit, infundens vinum & oleum, & alligans vulnera Adæ illius, qui deſcendens à Jeruſalem, à latronibus vulneratus eſt.* Contritio ſpecialiſſimum eſt Dei donum, noſtras excedens vires; Cœleſti itaque nos Samaritano jugiter ſupplicemus, oportet, certi, quod *bona*, imo optima; *alligatura, quæ fracta animæ noſtræ oſſa connectat, & ſoliditate reparata, in priſtinas vires reformet.*

S. Ambr. oct. 21. in Pſ. 118. Pro dono. Cont. ſupplicandum.

## DISCURSUS XXIII.

### ARGUMENTUM.

Dolor ponderatur contritionis, qui ut validus ſit, non ex timore ſervili aut alio quocumque, ſed ex amore Dei procedat, oportet: Fundatus in ſpe veniæ & propoſito devitandi peccata & confitendi. Ubi etiam agitur de facilitate & difficultate contritionis.

### THEMA.

*Sanabo contritiones eorum; Diligam eos ſpontaneè, quia averſus eſt furor meus ab eis*, Oſeæ. 14. v. 5.

Qualis eſſe debeat contritio.

1. ACceptiſſimum nobis Deus noſter obtentæ reconciliationis, amoti flagelli & reſtabiliti amoris intimat nuntium per Oſeam, dicens: *Diligam, averſus eſt furor meus.* Optatiſſimum equidem nuncium; Aſt cui in acceptis referemus beneficium adeo immenſum: Solis utique, poſt Deum, veræ contritionis actibus; Unde & eodem ſimul tempore nobis promittit: *Sanabo contritiones eorum.* Varias autem conditiones vera exigit contritio, & prima quidem verſatur circa ſubſtantiam & qualitatem doloris, qui eſt quaſi principale virtuoſi & meritorij actus hujus fundamentum. Intensè igitur dolere debemus, quia Deum offendimus; omni digniſſimum amore, omnibus præferendum creaturis; Tantus quidem debet hic eſſe dolor, ut eum ſuperet, quem ob bonorum, honoris aut vitæ jacturam formare poſſes; Doctrinæ huic Sanctus ſubſcribit Bernardinus, dum & ipſe inter omnes virtutis hujus conditiones primam aſſignat dolorem. *Richardus de media villa quinque dicit omnino neceſſaria eſſe ad ſalutem. Primum, eſt efficax dolor de præteritis culpis; Secundùm, propoſitum cavendi à mortalibus in futuro. Tertium, ſi poſſibile ſit, confeſſio vera. Quartum, pro poſſè, ſatisfactio noſtra. Quintum autem, quod cætera grata reddit, hæc omnia principaliter moveantur amore Dei, non propter timorem inferni.* Eodemque in ſermone idem Sanctus ad nomen *Contritio*, quod ſuam à re trita denominationem habet, alludens, ita de corde contrito diſcurrit: *Conteritur duplici mola, Prima divinæ ſpei, ſecunda timoris Dei. Hæ duæ molæ, duo ſunt pedes, quos poſuit Angelus ſuper mare & ſuper terram, ſicut Apocal. 10. ſcriptum eſt: Et poſuit pedem dexterum ſuper mare, & ſiniſtrum ſuper terram. Quid per Angelum niſi Angelica contritionis gratia à Deo per Angelum miſſa, qui pedem providentiæ ſeu voluntatis Dei, ponit ſuper mare mentis amaricatæ, ne de juſtitia Dei deſperet; & ſiniſtrum ſuper terram mundialis & criminoſæ mentis, ne de miſericordia Dei præſumat, quaſi calcando mare mentis contritæ dextro pede, illud Pſalmi dicat: Spera in Deo. Et ſiniſtro calcando terram, ne præſumat, addat; & fac bonitatem: Horum enim duorum alterum ſine altero; ad ruinam, non ad ſalutem eſt.*

S. Bern. t. 1. ſerm. 2. a. 2. c. 2. Rich. de med. Vill. in 4. diſt. 20. q. 1. Art. 1. c. 2. Apoc. 10. v. 2. Pſ. 36. v. 3.

2. Sanctus Thomas de Villa Nova, adducta contritionis definitione, de qua vide Diſcurſu 22. §. 11. Poſtea qualis debeat eſſe dolor, oſtendens, inquit: *Notandum quod duplex eſt dolor, quidam, qui eſt actus voluntatis, & ille eſt odium & diſplicentia, & deteſtatio & abominatio peccati, nolle peccaſſe; & iſte actus eſt liber & in noſtra poteſtate; Alius eſt dolor ſenſitivus; qui eſt paſſio & triſtitia quædam in ſenſualitate, quæ aliquando prorumpit in lacbrymas: Primus dolor eſt contritio, non ſecundus, ſed eſt effectus contritionis; Nam ex diſplicentia & odio peccati commiſſi, naſcitur in ſenſualitate illa triſtitia, & hæc non eſt ſic in noſtra poteſtate; Nam quidam ſunt duriores ad lacbrymas, alij teneriores, ut mulieres.* Rationem autem cur Deus dolori huic non in ſenſu, ſed in voluntate locum aſſignavit, dat ſequentem; Quia nimirum *tantum bonum & tam magnum commodum peccatorum debuit eſſe liberum & in noſtra poteſtate, cum Dei gratia.* Dolor iſte cor affligere debet, neque requiritur, ut prodatur per linguam, dicente David: *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*; Etenim non dicit, ſe ſuam eſſe confeſſum noxam, ſed firmum ſe habere eamdem confitendi propoſitum; Nihilominus teſte Sancto Auguſtino, *Hoc ipſum dicere: Pronunciabo, pronunciare eſt: Ideo & tu remiſiſti impietatem cordis mei, confeſſio verò mea ad os nondum venerat. Dixeram enim: Pronunciabo adverſum me; verumtamen Deus exaudivit vocem cordis mei; Vox mea in ore nondum erat, ſed auris Dei jam in corde erat.* In contritione lingua conticeſcit faucium, ſed ſola Deo loquitur lingua cordis.

Dolor deſcribitur. Pſ. 31. v. 5.

3. Hugo Victorinus differentiam aſſignat, quæ inter animæ & corporis viget pœnitentiam, ſimulque utriuſque inſinuat effectus, inquiens: *Per pœnitentiam exteriorem caſtigatur culpa pravi operis; Per pœnitentiam interiorem emendatur culpa pravæ voluntatis.* Hæc autem ſecunda longe eſt utilior, ſiquidem cujuſcumque culpæ noſtræ origo, eſt inordinata & perverſa voluntas noſtra.

Hugo Vict. erud. th. de ſac. fid. l. 2. p. 14. c. 1. Interior pœnitenti utilior.

4. Hic autem dolor non ex timore ſervili oriri debet; Quo fine Sanctus Auguſtinus ſequens nobis tradit dogma: *Sunt, quos peccaſſè pœnitet propter præſentia ſupplicia; Diſplicent enim latroni peccata, quando operantur pœnam; Deſit vindicta, revertitur ad crimina: Iſta eſt pœnitentia, non ex fide procedens, nec eſt charitate munita, ſed ſterilis & ſine miſericordia; Hæc non purgat conſcientiam, nec lavat crimina, in hac nulla eſt ſpes veniæ, dicente Apoſtolo: Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſæculi autem triſtitia mortem operatur.* Veritatem hauriamus ex Sacræ Scripturæ abyſſo.

Non ex timore ſervili dolendum.

5. Ad idem ſucceſſivè regnum duos Deus promovit humilis conditionis viros; alterum agaſonem, opilionem alterum, Saul & David; utrumque con-

David obtinuit veniam, Saul reprobatus ob ſervilem dolorem.



ſecravit Samuel, quietem uterque ſceptri Iſraëlitici cepit, poſſeſſionem, ſucceſſuque temporis ambo divinum prævaricati ſunt mandatum; Ille in pugna Amalecitica, hic per adulterium & homicidium. Ad primum Samuel, ſuam ei transgreſſionem exprobraturus, ad ſecundùm, Nathan: Uterque ſuam agnovit noxam: *Peccavi*; nihilominus Saul terreno & cœleſti fuit exutus regno; cum David è contra audire meruit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Deus forſitan acceptor eſt perſonarum? ſecundùm hominem loquendo, Saul potius aliquam meruiſſe videtur excuſationem, ſiquidem, ut proteſtabatur, inimicas ſervaverat exuvias & regem vivum, ex motivo pietatis & compaſſionis. David autem in propriæ etiam virtute profeſſionis, nullam penitus merebatur excuſationem: *Filius mortis eſt vir, qui fecit hoc.* Differentiam quæritis? Dicebat equidem reprobus ille: *Peccavi*; ſed non ob illatam Deo offenſam, non ex divini motivo amoris, ſed propter damnum & infamiam publicam, ex metu amittendi regni, ideoque cum vix pronunciaſſet *peccavi*, mox ſubjunxit; *Sed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, ... porta quæſo peccatum meum.* David autem, prout Pſalmi ejus pœnitentiales atteſtantur, ferventiſſimos in corde ſuo elicuit divini amoris actus ex ſolo & puro ſupremæ Majeſtatis offenſæ motivo. *Utique Reges David & Saul dixerunt: Peccavi*, inquit Hugo Victorinus, *ſed Saul audivit: Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te; David autem: Tranſtulit Dominus peccatum tuum, & non morieris; quia confeſſio Saulis, quæ in ore fuit, non fuit in corde; & humilitas quæ in corde David extitit, in corde radicavit.* Cui & Sanctus Petrus Damianus ſubſcribens, ait: *Planè ſi ſcripturæ ſeries utrobique diſcutiatur, copioſior Saul quam David in pœnitentiæ verbis reperitur; Iſte ſiquidem duntaxat dixit: Peccavi Domino*, ſcilicet David; *Ille autem peccavi, inquit, quia prævaricatus ſum ſermones Domini & verba tua, timens populum & obediens voci eorum; atque idipſum poſtmodum repetens, ait: Peccavi.* Hac igitur confeſſione, ſubdit Sanctus, commotus Samuel, inſtantiſſimè pro Saule *clamavit ad Dominum tota nocte*; ſed irritæ ceciderunt preces. *Quid eſt ergo, quod alterius pœnitentia piè ſuſcepta, alterius autem ſub diſtrictæ ſeveritatis eſt examine reprobata; niſi quod ille ſcelus inobedientiæ, ſpiritu ſuperbiæ parvi pendens, nequaquam pleno corde pœnituit; hic autem pauca quidem protulit; ſed ejus viſcera divini timoris gladio transfixa, veri luctus amaritudo replevit.*

2. Reg. 12. 13. 2. Reg. 12. v. 5. 1. Reg. 15. v. 30. Ibid. v. 25. Hugo Vict. erud. th. ex miſc. 2. l. 4. tit. 100. S. Petr. Dam. L. ep. 26.

6. *Nonne vidiſti humilitatem Achab*, quondam dicebat Deus ad Eliam? Sancti hujus Prophetæ & Patriarchæ minus perterritus ſacrilegus, cilicium & alias aſſumpſerat macerationes, & nihilominus exili cum fructu, quia nimirum ſolo ducebatur timore, aliæ poſſeſſor ſubſtantiæ & proximi impius violator honoris & famæ. Hæc ipſa attritionem inter & contritionem eſt differentia: *Attritio oritur ex timore pœnæ*, inquit Sanctus Bernardinus, *contritio ex conſideratione divinæ offenſæ.* Prima ſine Sacramento nequit abolere peccatum, ſecunda autem poteſt: modo confeſſionis habeat annexum propoſitum. *Qui conteritur principaliter propter timorem inferni*, inquit idem Sanctus, *& non propter amorem Dei, non eſt in ſtatu ſalutis, quia non dolet amore Dei, ſed amore ſui; ut ſi ceſſaret damnatio ex perpetrata culpa, ceſſaret & contritio illa.* Hocque ipſo inter alia utitur motivo Sanctus Thomas de Villa Nova, ad demonſtrandum, quod pœnitentia ad vitæ finem delata plerumque nulla ſit. *Contritio*, inquit, *eſt dolor voluntariè aſſumptus pro peccato, propter quod dolor & pœnitentia in morte ſuſcepta, aliquo modo ſuſpecta eſt, quæ non voluntate liberâ, ſed magis timore fit, & quaſi quâdam violentia inſtantis periculi; ſi tamen liberè doleat, proderit. Dicitur dolor aſſumptus pro peccato, non de damno, vel de pœna, vel de turpitudine & vilitate peccati; ſed dolendum eſt de peccato, prout offenſa Dei, ſicut, etiamſi nullum incommodum de peccato proveniret, neque eſſet infernus aut judicium, nec aliquis ſciret; etiam diſpliceret peccatum, quia Deus eſt offenſus. Abſolvi vis*, inquit S. Chryſologus, *ama; charitas cooperit multitudinem peccatorum; negationis crimine quid pejus? Et tamen Petrus amore ſolo valuit hoc delere; probante Domino cum dicit: Petre amas me?* Et tandem paulò poſt concludit, inquiens: *Ama ergo homo Deum, & ama totus, ut poſſis omnia ſine labore vincere peccata. Teneræ militiæ, delicati conflictus eſt, amore ſolo de cunctis criminibus reportare victoriam.*

Contrit. & attrition. differentia. S. Bern. t. 1. ſer. 12. a. 1. c. 3. Judic. a. 2. c. 2. S. Thom. de Villa Nova. conc. in D. Paſſ. Pœnitentia ſera ſuſpecta. S. Chryſol. ſerm. 94. Amor Dei peccata delet.

7. Teſte Sancto Luca, poſt Chriſti in Simonis Phariſæi ædes ingreſſum, infamis ſubintravit peccatrix, non tam ſeptem obſeſſa dæmonijs, quam ſeptem ad collum uſque immerſa capitalibus vitijs; Peſſima intravit, ſanctiſſima exivit, quia nimirum *dilexit multum.* Unde Venerabilis Beda inquit: *Quid eſſe credimus dilectionem, niſi ignem? & quid culpas, niſi rubiginem? Unde nunc dicitur? Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Cui illud Sancti Auguſtini conſonat aſſertum: *Charitas eſt mors criminum.*

Probatur. Luc. 7. v. 47. Beda.

8. *Manus meæ ſtillaverunt myrrham*, inquit ſacra in Canticis Sponſa, *& digiti mei pleni myrrhâ probatiſſima.* Quæ conventio amaræ myrrhæ ad ſponſaliorum delicias? Reſpondet Lyranus, dilectam Sponſam ſignificare velle, ſe rigoribus pœnitentiæ totaliter applicuiſſe: *Id eſt, applicavi me ad opera pœnitentiæ, quæ deſignantur per amaritudinem myrrhæ.* Myſterium quod ego in præſenti indago, in eo latet, cur myrrha appelletur perfectiſſima; pro cujus notitia ſciendum; illam eſſe myrrham perfectiorem, quæ ultroneè egreditur ex arbore, abſque inſciſione; ſicuti è contra illa eſt imperfectior, quam cum ferro & violentia ex arbore educere oportet. Ecce nobis differentiam inter attritionem & contritionem; illa non ex amore, ſed ex timore oritur; hæc autem è contra, utpote immediatus charitatis divinæque amoris affectus; ideoque Poëta cecinit.

*Oderunt peccare boni, virtutis amore;*
*Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

Cant. 5. v. 5. Lyran. ibid. Contritio ex amore, attritio ex timore.

9. Sanctus Gregorius illum Jobi textum (*Non enim poſſum metuens reſpondere*) ſequenti amplificat Commentario, in favorem noſtrum dicens: *Quia vera obſequia Deo non reddimus, ſi ex timore mandatis illius, & non potius ex amore ſervimus.* Unde certiſſima eſt Sancti Thomæ de Villa Nova omnibuſque in ſcholis receptiſſima doctrina: *Vera contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore aut amore ſui*; Quo & fine Sanctus hunc Divi Auguſtini citat textum: *Oportet pœnitentem non ſolum Deum timere judicem, ſed & juſtum diligere; & hoc valde advertere debet peccator; nam Deus magis reſpicit de quo doles, quam quantum doles; & plus curandum eſt, ut dolor ſit perfectus, quam ut ſit intenſus.* Ad cujus probationem exemplum adducit damnatorum, qui de ſuis quidem dolent peccatis, juxta illud ſapientiæ: *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes; ſed pro tormento, non pro peccato. Solus dolor ille contritio eſt, qui eſt propter Deum; unde attritio & contritio non tam differunt, quia contritio eſt intenſus dolor, & attritio eſt dolor remiſſus; ſed magis, quia contritio eſt dolor perfectus propter Deum; & attritio eſt dolor imperfectus, mixtus cum alijs reſpectibus.*

Job. 9. v. 35. S. Greg. l. 9. mor. c. 22. Doctrina de dolore peccatorum. S. Thom. de Villa nov. conc. in D. Paſſ. Sap. 5. v. 3.

10. Neceſſaria inſuper contritionis eſt conditio, ſpes infallibilis veniæ; ſine qua pœnitentia foret omnino invalida, vixque à damnatorum differret dolore, qui etiam de divina dolent offenſa, ſed deſperando. Judas & pecuniam & ſuo famam reſtituit Magiſtro: *Retulit triginta argenteos ... Dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum*; Suam agnovit culpam, ſed deſperabundus. Idem in principio reprobus præſtitit Cain, cum diceret: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Alia eſt conditio, firmum emendationis propoſitum, quantum cum divinæ gratiæ auxilio & aſſiſtentia poſſibile erit. Porro Sanctus Thomas de Villa Nova de dolore contritionis tractans, hoc nobis tradit documentum: *Sit maximus, appretiativè ſcilicet, non intenſivè; ut plus doleas de peccato, quam de quolibet infortunio; non intenſivè, quia inſenſibilia mala magis movent nos; ſed appretiativè, & in æſtimatione; quia ſi daretur optio, plus eligeres pati quodcumque infortunium, & mortem filiorum & tuam, imo & infernum, quam eligere peccatum.* Requiritur inſuper auricularis propoſitum confeſſionis. *Ne mihi dicatis*, inquit Sanctus Thomas de Villa Nova, *ſufficit mihi ad veniam contritio cum propoſito confitendi; ſufficit, fateor; ſed unde ſcis, quod plenè & ad ſufficientiam doleas?* Ideoque ne remedium hoc differamus, nos exhortatur, dicens: *Cur efficaciorem medelam morbo tuæ animæ non appones? Numquid in morbo corporali & periculoſo non tutius & ſecurius remedium non quæris?*

Contritio infallibilem habet ſpem. Matth. 27. v. 3. 4. Gen. 4. v. 13. S. Th. de Vill. conc. in D. Paſſ. Quæ plus debet eſſe de peccato. S. Th. de Vill. in D. 3. Q. Cum confeſſione auriculari.

11. Et hucuſque facilitas & difficultas dignoſci-

tur

Contritio facilis.
S. Bern. t. 1. ſer. 12. art. 2. c. 1.
2. Cor. 3. v. 5.

tur actus contritionis perfectæ, Unde Sanctus Bernardinus ait: *Facile eſt ex parte noſtra contritionem habere, quia ex libera voluntate procedit, qua voluntate quilibet liberè uti poteſt*; Certum nihilominus eſt, actum hunc eſſe donum Dei, & à divina manu dependere, teſte Apoſtolo, dum ait: *Non quod ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; quin potius: *Perditio tua Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* Porro idem Sanctus in citati ſermonis capite ſecundo, cui titulus: *Magna atque difficilis res eſt, habere contritionem*, ſubnectit ſequentia ad intentum noſtrum: *Licet in voluntatis libertate & rationis, electio contritionis conſiſtat; tamen ex altera parte difficillimum eſt habere veracem contritionem; Nam ſecundùm Bonaventuram in 4. diſt. 16. art. 2. Dolor, in quantum eſt diſplicentia rationis, in vera contritione menſuratur ſecundùm qualitatem charitatis. Ad hoc, quod habeat charitatem, neceſſe eſt, quod ſuper omnia diligat Deum, etiam ſupra ſeipſum; Hoc autem fit, cum pro nullo commodo vel incommodo Deum offendere velit; & hoc intelligendum eſt de diſplicentia rationis; unde tantum debet peccatum diſplicere rationi, quod nullo pacto, nullo commodo vel incommodo velit conſenſiſſe, vel etiam conſenſiſſe in ipſum.*

Oſeæ. 13. v. 9.
S. Bern. ibid. c. 2.
Etiam difficilis.

Contritionem invalidat dolor de pœnis.
S. Bernard. Ibid. c. 3.

12. Certum eſt, quod vel minimus judicij, mortis aut inferni timor contritionem invalidet, inque attritionem convertat, ſine Sacramento inefficacem; cui puncto nos ſedulo invigilare docet Sanctus Bernardinus, dum ait: *Ex parte ſpiritus, facile eſt contritionem habere; ex parte verò carnis, difficile, dicente Domino: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*; & Apoſtolo: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcumque vultis, faciatis. Quanto igitur caro magis ſpiritui dominatur, ſicut in hominibus carnalibus, laſcivis atque mundanis, tantò contritio difficilior eſt.* Hominem novi in primis ſpiritualem mirèque illuminatum, qui dicere ſolebat: Centum in dies & plures elicio contritionis actus, ſi forte tandem vel unicus ſaltem producatur verus. Nunc igitur vos reſolvite, quam difficulter actum elicere poſſit contritionis quicumque coſmophilus, quia nimirum *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus.*

Contrit. difficilis laſcivis.

# DISCURSUS XXIV.

## ARGUMENTUM.

De conſcientia naturaliter nobis impreſſa, cujus notitia ne ipſos quidem latuit gentiles; Ea manifeſtos in Adamo, Eva & Cain edidit effectus; Exaudita bonos parit fœtus, aſt neglecta & contempta præſagium eſt peſſimum.

## THEMA.

*Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* 2. Corinth. 1. verſ. 12.

Conſcientia bona cœleſtes recipit gratias.
Pſ. 4. v. 7.

1. ALia inter beneficia, quibus ſumma nos prævenit ornavitque Altiſſimi liberalitas, principale propemodum erit hoc Conſcientiæ, cujus proinde mentionem feciſſe videtur Pſalmiſta, dum ait: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Quantò autem purior, magiſque immaculata eſt conſcientia noſtra, tantò ad divinum lumen & cæleſtes illuſtrationes recipiendas eſt accommodatior, dicente Origene: *Deus ijs, qui purgato ſunt corde, lumen eſt.*

Orig. in Gloſſa.
Gen. 1. v. 16.
Lex & conſcientia homini data.

2. *Fecit Deus duo luminaria magna*, in mundi principio, *luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti.* In ſenſu ſpirituali per luminare majus lex intelligi poteſt divina homini data, ut ſuas bene ordinet diſponatque operationes exteriores; juxta illud Sapientis: *Lex lux*, luminare minus, noctis præſes, eſt conſcientia; in tenebris namque, id eſt; dominantibus exterioribus motibus & appetitibus noſtris, illa ad inſtar lucernæ deſervit, bonum ſecernens à malo, tenebras culpæ à luce innocentiæ, veritatem à falſitate; Unde Apoſtolus inquit: *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ mea.* Aſt longe officioſior illa propoſito noſtro ſuffragatur Sancti Bernardini ſimilitudo, *Eſt conſcientia quaſi candela accenſa, quam poſuit Dominus in medio cordis noſtri, ut pateant ea, quæ in eo ſunt contenta, unde Pſalmus ait: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Prov. 6. v. 23.
Rom. 9. v. 10.
S. Bern. t. 2. ſer. 52. a. 1. c. 2.
Pſ. 4. v. 7.

3. Sanctus Chryſoſtomus ejuſdem nobis luminis utilitatem demonſtrans, conſcientiam noſtram impigrum appellat accuſatorem: *Benignus Deus*, inquit, *ejuſcemodi nobis accuſatorem aſſiſtere voluit, ut numquam ſoli relinquamur; ſed indeſinenter ille congrediens clamet & pœnam exigat delictorum.* Væ nobis, ſi iſte nobis non foret impreſſus remorſus & ſynderesis; quemadmodum enim bullienti juvenilis ætatis fervori temperando quidam præficitur magiſter ſeu educator, ita pariter corruptæ depravatæque naturæ noſtræ, naturaliter adeo ad malum inclinatæ divina Providentia hunc diſpoſuit magiſtrum & directorem, Unde Origenes inquit: *Velut Pædagogus animæ quidam ſociatus eſt rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis caſtiget & arguat.*

D. Chryſoſt. H. 20. in Gen.
Conſc. corruptæ naturæ Magiſtra.
Orig. l. 2. in c. 2. ad Rom.

4. Argutè Juſtus Lipſius inquit: *Conſcientia ante peccatum, eſt frænum, poſt peccatum, eſt flagrum.* Quinimo & ipſos Gentiles, cæleſti deſtitutos lumine & judicij, infernique notitiâ privatos, naturale rectæ rationis dictaminis & conſcientiæ lumen nequaquam latuiſſe manifeſta probat Plutarchi antiqui Auctoris doctrina, dum ait: *Facinoroſa conſcientia inſtar eſt in anima ulceris in corpore, utpote quæ pœnitentiam relinquat lancinantem jugiter, pervellentemque animam; Nam cum omnes alias triſtitias tollere ratio ſolita ſit, ſola hæc eadem pœnitentia facit incitabilem præ pudore, quaſique mordicus impetentem ſe atque excarnificantem.* Audiamus & Senecam: *Quid prodeſt recondere ſe, & aures hominum oculoſque vitare*, inquit? *Bona conſcientia turbam advocat; mala, etiam in ſolitudine, anxia atque ſolicita eſt. Si honeſta ſunt, quæ facis, omnes ſciant; ſi turpia, quid refert neminem ſcire, cum tu ſcias.*

Juſt. Lipſ. pol. mon. c. 5. l. 1.
Conſc. notitiam habuere Gentiles.
Plut. l. 1. de tranq. animi.
Sen. ep. 43.

5. Imò vel ab ipſis primis natalibus noſtris in ſtatu naturæ, manifeſti ſeſe prodiderunt conſcientiæ læſæ effectus in protoparentibus noſtris, eorumdemque filio fratricida. Vix Adam divinum fuerat prævaricatus decretum, moxque divinis ſe oculis ſubducere attentavit, exiſtimans, Dei ſe poſſe ſubterfugere præſentiam. Unde Sanctus Ambroſius inquit: *Habet Adam abſcondentem ſe, ubi Deum cognovit eſſe præſentem, & quæſitum latere potuiſſe.* Qualenam hoc indicium erat, ait Sanctus, niſi læſæ per transgreſſionem conſcientiæ? *Ita gravis culpa eſt conſcientiæ, ut ſine judice ipſa ſe puniat, & velare ſe cupiat, & tamen apud Deum nuda ſit.* Aſt unde, quærit Sanctus Chryſoſtomus, cognovit Adam, hunc ipſum eſſe Deum, qui in Paradiſo terreſtri obambulabat? *Cum audiſſet vocem Domini deambulantis in paradiſo. Unde cogitavit, quod Deus deambularet; Talis eſt peccantium conſuetudo; omnia ſuſpecta habent, umbras tremunt, omnem ſtrepitum timent, quemque putant contra ſe venire; talis enim res peccatum eſt, nullo prodit arguente, nullo condemnat accuſante, pavidum facit & timidum.* De quibus protoparentibus Sanctus Ambroſius diſcurrens, eumdem fere his verbis exprimit ſenſum: *Magna vis obnoxiæ conſcientiæ; magna ſupplicia timebant Adam & Eva, & cum Domini vocem in Paradiſo ambulantis audirent, cupiebant ſe abſcondere, quos nemo quærebat.* Chryſoſtomus porro alio in loco hac de materia fuſius tractans, myſterium dictæ indagat occultationis? *Quare dic oro? quoniam videbat ſibi trucem aſtare accuſatorem, conſcientiam dico, neque enim aliam objurgatorem habebat & teſtem peccatorum, ſed unicum illum, quem intrinſecus circumferebat.* Sanctus maximus inſuper cauſam inquirit, cur Deus Adam interrogarit, ubinam degeret: *Adam ubi es?* Illum forte neſciebat Deus, cujus paulo ante ex campi Damaſceni terra formaverat corpus, cuique animam infuderat per flatum? Nonne illius lateri coſtam extraxerat ad formandam Evam? Unicum fortaſſe Adam ignorare poterat ille, *in quo omnes vivimus, movemur & ſumus*? Reſpondetque ipſe Sanctus: *Adæ dicitur, ubi es? non quod Adam Domini conſpectum latere potuerit; ſed quod peccatrici conſcientiæ nullus locus tutus vel tectus ſit, dum metuit deprehendi.*

Conſc. culpa ſe ipſam judicat.
Gen. 3. v. 8.
S. Ambr. de pœn. l. 2. c. 11.
D. Chryſ. H. 8. ad pop.
S. Ambr. in apol. David c. 9.
S. Chryſ. h. 17. in Gen.
Objurgat.
S. Max h. 3. de pœnit. Pet. Gen.
Act. 17. v. 28.
Patefacit.

6. Infallibilis eſt toti generationi humanæ in primo flagitioſiſſimo fratricida per æternam ſapientiam denunciata propoſitio: *Nonne ſi bene egeris, recipies? ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit.* Notate particulam, *in foribus*; myſterium advertite. Nulla pars domus magis oculis expoſita eſt omnium, quam porta; hanc protegunt cinguntque canes, ut latratu ſuo fures prodant & latrones; Ita & de conſcientia diſcurrit Lippomanus, inquiens: *Excruciamur à conſcientia, quæ ad noſtri cordis fores excubat.* Timebat equidem & tremebat Cain, dicens: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Aſt quem horrebat ſolus in terra exiſtens? Reſponſum accipite à Sancto Ambroſio: *Cain quoque metuebat, ne quicumque eum inveniret, occideret. Ita in ſe ferebat ſententiam, quod dignus eſſet, cui nullus ignoſceret; Unde & bene ait: Et delictum meum contra me eſt ſemper; hoc eſt, ſine intervallo aliquo recordatio & ſpecies ipſa mei me erroris impugnant.* Verè utique in perverſo hoc adimpletum fuit; quod Dominus poſtmodum rebelli ſuo minatus eſt populo dicens: *Dabo pavorem in cordibus eorum, ... terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium*; Quodlibet enim contra ſe vibratum pertimeſcebat eſſe fulmen, quod caderet folium. Ordinavit autem Dominus, ne ulla creaturarum noceret ei, ideoque *poſuit ſignum in Cain.* Quomodo? Ergone homicida, fratricida, reprobus & ſacrilegus ſalvum à Deo conductum accipit contra quoſcumque hoſtiles incurſus? Nequaquam, inquit Sanctus Ambroſius, ſed vindicta fuit, ſupplicium fuit; Multi forſitan ſimiles optarent vindictas, ſed audito ſucceſſum: *Acceperat ſignum, ne eum aliquis occideret; non ut vitæ ſuavitate frueretur, ſed ne mors auferret ærumnam, ut percuſſorem ſuum quotidie timendo pateretur; ſine ulla intermiſſione ipſe ſuus ſibi carnifex erat, cum adhuc à Domino pœna ceſſaret; torquebat eum ſuorum conſcientia peccatorum.* Severiſſimam illi Dominus volens infligere pœnam, remorſum ei indidit conſcientiæ malæ. *Quæ pœna major, quam timere, quod vitare non poſſis; nec quod timueris, evadere.* Hugo Cardinalis citata quoque interpretans verba (*Statim in foribus peccatum aderit ſi malè egeris*) ſequentem adducit ſimilitudinem de cuſtodia, quæ ad portæ introitum omnes obſervat intrantes atque exeuntes: *Pœna peccati vicem janitoris obtinebit, quæ ſemper concomitabitur te, ſive introeas, ſive exeas.* Primus omnes inter homines civitatem erexit Cain, cujus facti hanc Alcuinus aſſignat rationem: *Fortaſſe civitatem condidit, in qua ſalvaretur.* Urbes in munitiones eriguntur & propugnacula contra hoſtiles impetus; aſt quem timebat Cain illo in ſæculo, in quo ne quidem per umbram, quid bellum eſſet, dignoſci poterat? *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Exhorreſcebat feras & quodcumque arboris folium; quisquis enim cœlo inimicus eſt, optimè in propria agnoſcit conſcientia quod Deus contra illum *armet creaturam ad ultionem.*

Prodit.
Gen. 4. v. 7.
Lipp. ibid.
Timorem affert.
Gen. 4. v. 14.
S. Ambr. ib.
Levit. 26. v. 36.
Gen. 4. v. 15.
S. Ambr. in Pſ. 35.
Excarnificat.
Gen. 4. v. 7.
Hugo Card. ibid.
Comitatur.
Alcuin. in Gen. 4. v. 17.

7. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Felices utique nos, ſi tanto beneficio divino, in noſtram nobis ſalutem conceſſo, debitè correſponderemus, conſtantem ad animæ noſtræ fores applicando cuſtodiam, ne tanti pateremur jacturam theſauri, in fragili adeo vaſe reconditi: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Quisquis voces audit & obedit conſcientiæ, errare nequit. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo*, quia *pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Conſcientia ſemper ſit armata & vigil oportet, in legis propugnationem, tam naturalis quam divinæ, tam humanæ quam poſitivæ; omnes illa defendit ſine diſcrepantia; aſt tota in eo cardine verſatur moles, ſcilicet ut ei pareamus: *Lex Dei ejus in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus*; Hac duce pedes noſtri nullum umquam incurrunt offendiculum.

Sap. 5. v. 18.
Conſc. bona felix.
2. Cor. 4. v. 7.
Pſ. 4. v. 4.
Pſalm. 118. v. 165.
Pſ. 36. v. 31.

8. Sanctus Bernardus illa conſiderans Iſaiæ verba (*vermis eorum non morietur*) ſequens ad inſtructionem noſtram ſubnectit dogma: *Nec ſentiri interim pigeat morſus vermis interni, aut periculoſa quædam animi amaritudo & pernicioſa mollities perſuadere queat, ut præſentem velimus diſſimulare moleſtiam; Optimum eſt, tunc ſentire vermem, cum poſſit etiam ſuffocari; Itaque mordeat nunc, ut paulatim deſinat mordere, mordendo rodat interim putredinem, ut rodendo conſumat & ipſe quoque pariter conſumatur, ne foveri incipiat in immortalitatem.* Imò ſi Sancti Chryſoſtomi verbis fidem, ut tenemur adhibemus, Divina Providentia & Beneficentia fragilitatem noſtram conſcientiæ remorſu veluti efficaciſſimo contra omnia vitia locupletavit remedio: *Hæc ſunt Divinæ Sapientiæ opera, hæc maxima illius providentiæ ſunt argumenta.* Inſaniente mari, naufragiumque minitantibus procellis, anchora jacitur in ſalutem, ut navis ludibria elidat Aquilonum: *Conſcientiæ increpatio ſacra eſt anchora, non ſinens nos tandem in peccatorum demergi profundum.* Ut primum culpa noſtræ appropiat animæ, remorſus ad inſtar vigilantiſſimi canis ſe opponit, latrat, ſceluſque prodit. Satisfacite, ſi poteſtis, Sancti Hieronymi propoſitioni: *Quid illud, obſecro, eſt*, interrogat Sanctus, *quod ad omne peccatum erubeſcimus aut timemus, aut delicti teſtes effugimus; in bono verò læti ſumus & intrepidi; niſi quod teſtimonio eſt ſibi ipſa natura, qua bonum ſolum eſſe, quod ſe deceat, oſtendit: Contra hinc eſt, quod ſæpe occulto carnifice, in auctorem ſceleris conſcientiæ tormenta deſæviunt, & latentem reum ſecreta mentis pœna perſequitur?*

Iſa. 66. v. 24.
S. Bern. de conv. ad cler. c. 6.
Conſc. remorſus contra vitia remedium.
D. Chryſoſt. t. 5. Conc. 4. de Laz.
Anchora.
Canis.
S. Hieron. ad Demetr.





9. Sanctus Chryſoſtomus evidentibus rationibus utilitatem convincit ab hac ſynderesi ſeu remorſu, ad æternæ ſalutis certitudinem in hominem derivatam. *Eam ob rem benignus Dominus principio cum formaret hominem, conſcientiam illi indidit accuſatricem perpetuam, quæ decipi & deceptionem ferre poſſet numquam.* David turpiſſimo contaminatus adulterio & homicidio, univerſalis inſuper ſcandali reus, multoque tempore in ſuis perſeverans delictis, quo tandem motu ad ſeriam emendationem, converſionem & pœnitentiam auſteriſſimam inductus fuit? Ipſemet reſpondeat: *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Quæ fuit pungens hæc ſpina: proſequitur: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.* Internum ſentiens malæ conſcientiæ remorſum, ad criminis ſui confugit confeſſionem. *Spina*, inquit Sanctus Hieronymus, *eſt ſtimulus conſcientiæ peccatricis.* Aliud quoddam convincens nobis ob oculos ponit argumentum Sanctus Chryſoſtomus, dum ita diſcurrit: Si non obſtante ſynderesi & malæ conſcientiæ tormento, nos identidem exagitante, multi in peccatorum cœno *inſordeſcunt* ſine ulla emendatione; quanta non foret impietas, ſi ab omni hujuſmodi cruciatu immunes penitus viveremus? *Hoc conſcientiæ opus eſt*, verba ſunt Sancti Doctoris, *ut jugiter memoriam ingerat, nec permittat umquam in peccatorum nos oblivionem venire; ſed ob oculos ponat, ut vel hac ratione tardiores nos faciat, ne in eadem peccata prolabamur. Porro ſi, cum hinc nobis tantum eſt ſubſidij & tantum adjutorij, & aſſidet nobis tam opportuna accuſatrix, quæ mentem flagellet, & cor lancinet, & quovis carnifice gravius apprehendat, plerique neque ſic peccata vincimus; Si hoc deſtitueremur ſubſidio, quo non tunc ſtatim excideremus?*

D. Chryſ. h. 17. in Gen.
Conſc. accuſatrix.
Pſ. 31. v. 4.
Ibid. v. 5.
S. Hier. ibid.
D. Chryſ. ib. h. 17.

10. Hunc autem remorſum vel non ſentire vel negligere, peſſimum eſt deſperatæ ſalutis indicium. Dum arteria, dum pulſus ſeu vena pulſatilis ſilet, clarum eſt ſignum, vitalem nos perdidiſſe virtutem: *Impius cum in profundum venerit, contemnit.* Deus equidem indeſinenter cæleſti animas noſtras fœcundat munitque lumine, notitiâ, & ſynderesi; aſt nos cordis occludimus feneſtras, ne lumen ſubintret; Nihilominus hinc inde vel invitis nobis, aliqui penetrant radij; Unde Sanctus Cyrillus ait: *Recuſat omnis, qui malè agit, lucis illuminationem; non quia malorum eum pudeat pigeatque (ſalvaretur enim, ſi id eſſet) ſed quia ignorare meliora mavult, ne quotidie ſtimulis, quotidiè peccans, exagitetur* (Quod hominum genus indigitaſſe videtur Job, dum ait *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus.* Quisquis hunc aſpernatur remorſum, noverit, ſe in profundum corruiſſe impietatis barathrum; de veritate forſan ambigitis? Certitudinem contemplamini in hac ſimilitudine. Portans quiſpiam vas aquæ ſuper humeros ſuos, pondere ſe ſentit gravari; Idem ſi lacum ingreſſus natare incipiat, mille forſitan aquarum cados humeris ſuis imminentes circumferet omni abſque labore; imò maxima inſuper cum facilitate atque agilitate ad inſtar piſcis, cum tota hac mole divagabitur expeditiſſimè; Unde hæc differentia? Solutionem accipite ab axiomate Philoſophico: *Elementa in propria ſphæra non gravitant.* Urna aquea humeros gravat portantis, quia eſt extra elementum proprium, extra centrum, lectum & locum ſuum naturalem. Similitudinem audiſtis, applicationem intelligite: Cur anima ad cælum electa; Deique timens, ſi mortalem incurrerit forte culpam, potius ex fragilitate, quam ex malitia, cur inquam illa remorſum illico ſentit, cur indilatè ad pedes ſe proſternit Confeſſarij ſui? Signum eſt,

Conſc. remorſum non ſentire reprobationis indicium.
Prov. 18. v. 3.
S. Cyrill. l. 2. c. 55.
Job. 24. v. 13.

eſt, peccatum extra ſuam degere ſphæram, animamque introijſſe bonâ dotatam conſcientiâ, quæ timori aſſueta divino, non ſinit inveteraſcere culpam; è contra verò ſi peccatum malam invaſerit conſcientiam, hominem ſubjugarit, divino deſtitutum timore & reverentiâ; multiplicabuntur ſcelera mille ad mille, confeſſio de menſibus differetur in annos ſine ullo remorſu; Quinimo hujuſmodi potius *lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*; Quia nimirum peccata inibi in ſuo degunt centro, in animâ exulante à Deo & à cœlo; Ideoque nullus eſt interno remorſui auditus & ſummum circa confeſſionem ſilentium.

*Prov. 2. v. 14.*

11. Salvator contra inſtantes nos volens præmunire tentationes, *Orate* inquit, *ut non fiat fuga veſtra in hyeme vel Sabbato*. Quæ hyemem inter & Sabbatum connexio? Hyems peccati, Sabbatum quietis eſt ſymbolum; Væ illis, qui in peccato requieſcunt ſeu degunt quieti, omni abſque remorſu. Non meus hic; ſed Sancti Athanaſij conceptus eſt, inquientis: *Hyemem peccata vocat, & Sabbatum ſecuritatem; dicit ergo: Væ animæ in peccati ſecuritate & ſocordia conſtitutæ.*

*Matth. 24. v. 20.* Væ qui remorſum Conſc. non habent. *S. Athan. q. 83.*

## DISCURSUS XXV.

## ARGUMENTUM.

Etiam maximas inter proſperitates mala cruciat & inevitabiliter remordet conſcientia; Culpam prodit, nec deliteſcere ſinit; Semper & ubique clamitat.

### THEMA.

*Dulcedo illius vermes*, Job. 24. v. 20.

Mundanos felices judicamus, ignorantes corrodentem conſc. vermem.

1. DElectabile multoties pomum, maturum, recens & amœno coopertum rore, appetitum ineſcat, manumque invitat ad decerpendum; Aſt ubi ipſum apprehenderis, verme infectum eſſe deprehendes, interiora corrodente & conſumente. Hunc ipſum affectum vermis, id eſt, remorſus operatur malæ conſcientiæ; Nobis equidem perſuademus, tantam eſſe coſmophilorum ſatisfactionem internam, quanta apparet intrinſecus; aſt fallimur nimium, puncturas namque malæ conſcientiæ ijs infert mortales importuna ſynderesis: *Multa flagella peccatoris*, dicebat Pſalmiſta; Si ita: quomodo igitur ò regie Vates de impiorum conquereris felicitate? *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei; ... Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns; ... Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo, obtinuerunt divitias.* Si omnibus impij abundant delicijs, quomodo igitur *multa flagella peccatoris*? Scitisne, quid inferre voluerit Pſalmiſta? Ad flagellum, ad malæ conſcientiæ perticam, ad remorſum alludit Vates, identidem reprobos exagitantem, de quibus alibi idem Pſalmiſta inquit: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur*; id eſt, ut interpretatur S. Bernardus: *Qui in labore hominum non ſunt, in labore dæmonum erunt.*

*Pſ. 31. v. 10.* *Pſ. 72. v. 2.* *Ibid. v. 3.* *Ibid. v. 12.* *Pſ. 31. v. 10.* *Pſ. 72. v. 5.* *S. Bernard. ſerm. 25. in Cant.*

2. Iſaias nos contra Syrenum dolos fallaciaſque præmoniturus, *Syrenes*, inquit, *in delubris voluptatis*, vel ut juxta Sancti Hieronymi teſtimonium, ſeptuaginta legunt interpretes: *Cubilia facient Ericij in domibus eorum.* Aſt quæ, obſecro, Syrenes inter muſicas templorum cultrices, & Ericios eſt proportio, ſpinarum accolas? Ita eſt, dilectiſſimi: *Dulcedo illius vermes*; non eſt ſine ſpinis roſa: *Roſa, quæ redolet, creſcit cum ſpina, quæ pungit*; Quantumvis ſubinde jubilent aliqui inter cantus, muſicas, choreas, luſus, dapes, & amores laſcivos, interius tamen ab hoc torquentur verme. Imaginamini vobis infirmum in lecto delicato, adamantibus & pretioſiſſimis alijs gemmis inſtructo ad delicioſos hortos deportatum, ubi ſuaviſſima undique perſonet muſica, numquid propterea internum cordis aut deſtruetur, aut mitigabitur venenum & malignitas? Minime equidem: Ita quoque mortali maculata crimine, inimica cœlo, *& ſecundùm præſentem juſtitiam* ad ignem infernalem condemnata anima remorſum inceſſanter perſentiſcit conſcientiæ pravæ; Conceptus hic eſt gentilis Senecæ, inquientis: *Quemadmodum nihil refert, utrum ægrum in lecto ligneo vel aureo colloces, quocumque illum transtuleris, morbum ſuum ſecum affert: Sic nihil refert utrum æger animus in divitijs vel in paupertate ſit; malum ſuum illum ſequitur*; Ad malam videtur alludere voluiſſe conſcientiam quandoquidem alibi dicit: *Nullum conſcium peccatorum tuorum magis timueris, quam teipſum; alienum fugere potes, te numquam.*

*Iſa. 13. v. 22.* *S. Hier. ibid.* Conſc. mala ſe ſecum portat. *Sen. l. de paup.* *Sen. l. de mor.*

3. Sacrilegus Rex Balthaſar ſuos quondam Principes convivio legitur excepiſſe, ubi dum in medio ſuarum concubinarum, perſtrepentes inter feſtivas, muſicaſque voces extremè jubilaret, ad majus exultationis univerſalis complementum, vaſa apportari fecit aurea & argentea, quæ pater ejus tranſtulerat ex urbe Jeroſolymitana; Vix ſervi impleverant mandatum, cum ecce vobis manus in aula apparuit ſcribens; Moxque *Regis facies commutata eſt, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur*; Impalluit, tremuit, omniaque cœperunt diſſolvi oſſa. Quid timebat Rex in medio ſuorum, quidam ait Prædicator Apoſtolicus? Mille cingebatur Satrapis, ſuam pro eo paratiſſimis profundere vitam; Utique ſi carnifex ejus incubuiſſet cervici, majori nequaquam concuti potuiſſet horrore; qui tamen nil niſi ſcribentem viderat manuum, & inſuper quid exaraſſet, ignorabat. Sed quid mirum? *Quando Deus Judex eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus, *alius teſtis quam conſcientia tua non erit; Inter juſtum judicem & conſcientiam tuam, noli timere cauſam tuam.* Non deficiebant utique adulatores, Regi ſuggerentes, characteres illos felicia eſſe Deorum auguria, ad aſſecurandam victoriam contra Cyrum & Darium. Veriſimile eſt, etiam adfuiſſe ſcurras alios & hiſtriones, qui ſuis ineptijs & facetijs Regem fuerint conati exhilarare; Sed omnis irritus cecidit conatus, ſiquidem *Dulcedo illius vermes*; Cruciabatur identidem ob impiam adeo ſacræ veri Dei ſupellectilis profanationem, quam pater ejus Nabuchodonoſor, quantumvis impius, pretioſioribus templorum Deorumque ſuorum intulerat, theſauris: *Quando Deus Judex eſt, &c.*

Summas inter Delicias cruciat. *Dan. 5. v. 6.* *S. Auguſt. in Pſ. 37.*

4. Intentum promovet illa Chryſoſtomi de divite Epulone differentis ſententia: *Nec enim mihi dixeris, illum menſâ ſumptuoſâ frui, veſtibus circumdari ſericis, mancipiorum greges circumferre; Sed explica mihi iſtius conſcientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempeſtatem, turbationem.* Aman pluribus erat à Rege Aſſuero præventus favoribus: *Expoſuit ... magnitudinem divitiarum ſuarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria ſuper omnes principes & ſervos ſuos Rex elevaſſet; Et poſt hæc ait: Regina quoque Eſther nullum alium vocavit ad convivium cum Rege, præter me, apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum*; Nihilominus ijdem illi domeſtici, prout in fine aſtruitur capituli ſequentis, qui æqualem cum eo videbantur experti fortunæ adblandientis faciem, ipſum, ut adiret convivium, coegerunt: Citò eum ad convivium, quod Regina paraverat pergere compulerunt. Quid miſer timebat? Nonne ad maximum pluriſque à ſe votis expetitum, citabatur favorem & honorem? Cur ergo moras nectebat? Cruciabat eum conſcientiæ nequitia, qui totius Hebraicæ ſtirpis moliebatur exitum; Ideoque aliquam forte ab Eſthere poterat timere vindictam: *Dulcedo illius vermes.* Plura deſideratis, evidentiora quæritis? Fratres Joſeph totum quod volebant impetrarunt frumentum, inſuper & frumenti pretium in ſummitate repererant ſaccorum, numquid igitur quieti degebant? Minime equidem; quin potius melancholia cor eorum replevit; Ad convivium equidem venere vocati, aſt læſa moroſè bolos digerebat conſcientia. *Igitur magis anxij facti ſunt*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *ſuſpicantes ne & hoc augmentum eis eſſet criminum, & à conſcientia accuſati, omnia tribuebant peccato, quod in Joſeph admiſerant*; Quia nimirum, ut Lippomanus ſcribit: *Sic ſemper præſumit ſæva perturbata conſcientia.* Demus, quod quis accuſetur de aliquo delicto à ſe non commiſſo, ſit tamen reus alterius occulti criminis, conſcientia utique talem percellet, caſtigabitque, cujus exemplum Sanctus Ambroſius in modo citatis Joſephi fratribus adducit, inquiens: *Qui invitabantur ad gratiam & ad ſalutaris menſæ convivium, & calumniam ſibi parari, & injuriam ſibi fieri ſuſpicabantur.* Cui & illud conſonat modo citati Lippomani: *Tales igitur impiorum conſcientiæ ſunt, ut etiam in proſperis expaveſcant; malorum enim cum ſibi conſcij ſunt, bona etiam mala ſuſpicantur; & quæ alijs ſecuritatem facerent & gaudium.*

*S. Chryſ. T. 5. conc. 1. de Laz.* Exempla ſacra. *Eſth. 5. v. 11.* *Ibid. v. 12.* *Eſth. 5. v. 5.* *Gen. 45. v. 34.* *D. Chryſ. ibi* *Lipp. ibid.* *S. Ambr. ib.*

5. Tradit



*Beda lib. 2. in Eſdr. c. 3.* Confeſſio ſordidam mundat conſcientiam.

5. Tradit V. Beda, cui & ſubſcribit Lyranus, multas Jeroſymæ olim fuiſſe ad varios uſus deſtinatas portas; Per aliam carnes, per aliam introferebantur merces, &c. Inter reliquas autem una erat nomine Sterquilinia, quia nimirum omnes per eam extrahebantur ſordes, maxima per urbem vigente mundiтia. Jeroſolyma noſtram myſticè deſignat animam, quibus inſtructam portis, potentijs ſcilicet ac ſenſibus; quibus patentibus variæ ad animas noſtras introducuntur peccatorum maculæ & ſpurcitiæ; aſt per quam iterum portam egeruntur? per confeſſionis ſacramentalis fores: *Introite portas ejus in confeſſione.* Quis autem myſticam hanc præſumit mundare civitatem, niſi conſcientia, quæ ſuo remorſu & ſyndereſi culpas accuſat, eaſque per humilem pœnitentiam & confeſſionem exturbat?

*Pſ. 99. v. 4.*

Conſcientiæ malæ nulla quies. *Matth. 6. v. 12.* *Marc. in Sat. l. 2. c. 4.*

6. Chriſtus peccata noſtra legitur intitulaſſe debita, dum nos orare docuit: *Dimitte nobis debita noſtra*; noſtis utique, quoniam multo ære alieno gravatus in continuo degit timore. Cæſar Auguſtus dum vice quadam multas inſomnes traducens noctes, audiret, certi cujuſdam nobilis Romani ſupellectilem venum exponi diſtrahique, qui vivens multa contraxerat debita, attamen in ſpecie exteriori nullum umquam dederat mæroris aut diſplicentiæ ſignum; comparari ſibi juſſit unum è cervicalibus ejus, multam ſiquidem ajebat ijs debere ineſſe virtutem conciliandi ſomnum. Prodigium utique non vulgare foret, ſi peccati mortalis reus quietem capere poſſet, licet exterius quandoque ſigna præ ſe ferat tranquillitatis; quia *dulcedo illius vermes.*

Adverſatur nobis conſc. prava. *Matth. 5. v. 25.* *Ibid. v. 26.* *S. Ath. q. 26* *S. Bern. t. 2. ſerm. 52. n. 3. c. 1.* *S. Iſid. l. de ſum. bono.* *S. Chryſ. H. 20. in Gen.*

7. Salutari admodum conſilio Redemptor viatores nos, ad patriam tendentes, inſtruxit, dicens: *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris; Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Sanctus Athanaſius, teſte Maldonato, per adverſarium hunc conſcientiam intelligit, quæ contaminanda, adverſarij inſtar indignatur, obſtrepit, repugnat, &; niſi palmam referat; nos in manus tradet judici, rigoroſiſſimum ſubituros tribunal usque ad minimum etiam defectum: quo fine & Sanctus Bernardus illam Socratis adducens ſententiam (*Fallere poteris famam, conſcientiam numquam*:) conformiter ad quamdam Sancti Iſidori doctrinam ita diſcurrit: *Omnia fugere poteſt præter cor ſuum, non enim poteſt à ſe quiſquam recedere; ubicumque ierit conſcientia, reatus ſui eum non derelinquit.* Poterit equidem homo occultam admittere fornicationem, aut quemcumque alium exceſſum; nihilominus, Sanctus ſubdit Chryſoſtomus (Homil. 20. in Gen.) *Etiamſi omnes latere queat, numquam tamen ſic in tranquillitate vivit, quin habens acrem illum accuſatorem, ſuſpicionis timeat, umbras tremiſcat, & eos, qui conſcij ſunt, & qui non ſunt; perpetuaque in animo ejus tempeſtas eſt, & reciprocantes ac contrarij fluctus. Inſuper neque ſomnus ei ſuavis, ſed terrore & formidine plenus; neque cibus voluptatem præbet, neque amicorum colloquia talem refocillare vel liberare ab urgente anxietate poſſunt; ſed quaſi carnificem circumgeſtaret ſe lancinantem & flagellantem continuò.*

*D. Chryſ. H. 1. in Pſ. 50.* Semper accuſat & pavere facit.

8. Occultiſſimum David verebatur adulterium ſuum, quia, ut Sanctus Chryſoſtomus ait, *quamvis Propheta eſſet, tamen libido tenebras ei prorſus offuderat*; nihilominus paulo poſt cum ſumma ſui confuſione & perturbatione, ſuum crimen proximæ omnium notitiæ ſubjacere intellexit; ideoque Sanctus Chryſoſtomus ad nos converſus, ita diſcurrit: *Conſideres velim, quantum malum ſit peccatum; Rex militem timet, non enim quiſquam ſervus eſt, niſi qui peccatum admiſit. Diadema gerebat, & probrum metuebat? Quid? an non enim Rex es? an non gladij penes te poteſtas eſt? eſt ita, inquit; verum grave peccatum perpetravi. O peccatum, quod formidinem procreas; O ignominia accuſatrix. Pertimeſco, tremo, quia me ignominia perfudiſti, atque habeo qui ſcelus meum prodat.* Straverat leones, peremerat urſos, everterat David Gigantes, per authoritatem ſupremam univerſo dominabatur Iſraëli, totum militare robur ab ejus dependebat nutu; nihilominus in præſenti pavet ac tremit, ſui impotens occultare adulterij noxam: *Rex militum timet.* Ipſi terrarum Monarchæ, dum eum offendunt, *quem tremunt poteſtates*, diro ſubjacent malæ conſcientiæ flagello, ſuoſque nequeunt, contra Dei voluntatem, abſcondere exceſſus. Sint ſubditi Reges immediate, illi, qui in fæmore ſuo ſcriptum circumfert: *Rex Regum, & Dominus dominantium*: quid refert? rigoroſiſſimum nihilominus conſcientiæ propriæ coguntur ſubire tribunal. *Quamvis nullus hominum viderit*, inquit Sanctus Chryſoſtomus; *numquam tamen accuſare te deſinet conſcientia; ſed quocumque perrexeris, te ſequetur accuſans; & magnâ voce te perſequens accuſator iſte.*



*D. Chryſoſt. T. 5. ſer. 19. de lib. repud.*

Conſcientia delicti conſcia.

9. Aſt reſponſum mihi audire videor aliquorum, dicentium: Nullum habeo ſceleris mei complicem; imbecille utique propugnaculum, quod hoc vel unico ſimplici ictu funditus deſtruit Lactantius Firmianus (l. de div. inſt. cap. 24.) *Quid tibi prodeſt non habere conſcium, habenti conſcientiam?* Hæc ipſa numquam nos deſerit, hanc circumferimus ubique inſeparabiliter, hanc decipere non valemus in ullo, ne vel minimum ei poſſumus occultare. *Scelere & vitijs polluti*, inquit Lippomanus in cap. 4. Gen. *excruciamur à conſcientia, quæ ad cordis noſtri fores ſemper excubat; quæ quidquid agimus aut molimur; illicò nobis præſto eſt.* Illa ipſa non modò actiones, ſed etiam cogitationes atque imaginationes ſecernit & caſtigat, juxta illud Sancti Ephræmi aſſertum: *An ignoras, ô miſer, quia illic omnes cogitationes tuæ atque ſermones conſcripti erunt; &, ſi mentiri volueris arguet, te conſcientia tua, adjutrix ac teſtis.* Quod nobis motivum, ut ad ſinceram nos peccatorum confeſſionem extimulet, ob oculos ponit Alcuinus, dum ait: *Age pænitens, propria ſcelera confitere, pande per confeſſionem tuæ iniquitatis ſecretum; nota ſunt Deo, quæ in occulto feciſti; quæ ſi non dixerit lingua non poteſt celare conſcientia. Fruſtra intra parietes tua æſtimas crimina abſcondi.*

*Lact. Firm. l. de div. inſt. c. 24.* *Lip. in c. 4. Gen.* *S. Ephr. ſer. aſc. de vita relig.* Ad pœnitentiam ſtimulat. *Alc. ep. de conf.*

10. Quod ſi mancipium (inquit Euſebius Emiſſenus Hom. 3. de Paſch. vel juxta alios, Hilarius Arelatenſis) à Domino aut tyranno ſuo nimios patiatur rigores, liberationem fugâ adipiſci poteſt; at *ſervus peccati quò fugiet, qui ſecum ſe trahit? quocumque fugiet, mala conſcientia ſequitur ſe, imò non recedit à ſe.* Aliqui debitores ſubinde tot gravantur inſidijs, moleſtijs, cenſuris, & ſimilibus, ut nullo non loco deprehendantur conſtricti, ut ubique medijs ſe videant retibus implicatos; ecce vobis peſſimam cujuſcumque, Deo per peccati debitum obligati conditionem; quoquò ierit; aſſociat & adhæret conſcientia, contra impietatem proteſtatur, reum condemnat, eum ſemper & ubique, in omni tempore & loco, in lecto, in prandio, in ludo excrucians: *Vix aliquid de foris poteſt eſſe remedium, quando intus eſt vulnus incluſum; quid prodeſt, quod homo ſonantem fugit arcum, qui jaculum ſecum portat infixum? Serpens ille etſi revocavit morſum; reliquit venenum; fecit quiſque peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem? Remanet, quod damnat, præterit, quod delectat.*

*Euſ. Em. H. 3. de paſcha* Comitatur ubique.

11. Digniſſima notatu occurrunt Sancti Bernardi verba, ad jugem cordibus noſtris imprimendam veneni hujus deteſtationem. *Hic eſt vermis, qui non moritur*, inquit Sanctus Doctor, *memoria præteritorum; ſemel injectus vel potius innatus per peccatum, hæſit firmiter, nequaquam deinceps avellendus*; ne ad minimum quidem momentum; unde & Sanctus Chryſoſtomus de eodem verme diſſerit in hunc modum *Licet ſemel, licet iterum, licet ter, licet millies admonuerit, tuque non obtemperes; monebit iterum, nec deſiſtet usque ad ſupremum halitum; ſive domi, ſive in bivijs, ſive in menſa, ſive in foro, ſive in itinere, frequenter & in ſomnis ipſis, nobis peccatorum ſimulacra ſpectraque repræſentat.* Eumdem nobis remorſum Sanctus Ambroſius velut improbum repræſentat exactorem, dum ait: *Itaque dum oramus, peccatum offunditur; ubi ſomno ſenſus ſe corporis relaxaverit, peccatum recurrit, ſemper nobis error noſter tamquam malus exactor occurrit, vel tamquam improbus fænerator, conveniens debitorem*; quod ut intolerabile tormentum declinetis, ſequens ex eodem auctore ſancto accipite & applicate remedium. *Sed juſtus novit, quemadmodum peccatorum ſuorum vincula diſſolvit; nec expectat accuſatorem, ſed prævenit; ut confitendo ſuum allevet omne delictum, ne habeat quod adverſarius criminetur.*

*S. Bern. l. 5. de conſ. ad Eug. c. 12.* Monet ſemper. *S. Ambr. in Pſ. 35. n. 8.* Remedium præſcribitur confeſſ.

## DISCURSUS XXVI.
## ARGUMENTUM.

De conſcientiæ reæ inquietudine & cruciatu, quæ eſt judex contra ſe incorruptus, centrum Diaboli, tormentum ipſo inferno atrocius.

### THEMA.

*Cum ſit timida conſcientia, dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia.* Sap. 17. v. 10.

Conſc. rea cruciat ſemper.
D. Chryſ. H. 17. in Gen.

1. Conſcientia læſa & æternæ rea damnationis, perturbationibus & continuis agitatur motibus; *dat teſtimonium condemnationis, ſemper perturbata. peccatum mentem flagellat*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *cor laniat & quovis terrore gravius apprehendit*; cui & illud conſonat Boetij aſſertum :

Boet. de conſ. Phil. 4. pr. 3.

*Sicut probis probitas ipſa ſit præmium, ita improbis nequitia ipſa ſupplicium eſt.* Imo tormentum hoc Sanctus Auguſtinus reputavit omnium graviſſimum, inquiens, *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla eſt major tribulatio, quàm conſcientia delictorum.* Nullus tantus eſt humanæ tribulationis furor, qui non aliquod quietis concedat intervallum; aſt conſcientiæ remorſus, vulturis inſtar, cor indeſinenter abrodit : *Semper ſæva & perturbata conſcientia.* Neminem periculum latet vitæ, honoris, omniumque temporalium rerum nobiliſſimæ famæ, in quod caſtiſſima quondam incidit Suſanna, quæ in medijs illis anguſtijs, vitam potius & famam, quàm corporis animæque puritatem proſtituere decrevit;

Dan. 13. v. 22.

ſed verba notate : *Si hoc egero, mors mihi erit.* Imò potius contrarium verificandum videbatur, ſiquidem per venereum conſenſum, mortem declinaſſet; ſed prudentiam diſcite caſtiſſimæ viraginis; mortem illam non corporalem deſignabat, ſed ſpiri-

Jacob. 1. 15.

tualem animæ, (*peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem*) hanc illa mortem fugere contendebat & vermem ſeu atrocem malæ ſemperque cruciantis conſcientiæ remorſum; quo fine Sanctus Bernardinus hanc Divi Ambroſij adducit ſententiam:

S. Bern. T. 2. ſer. 52. a. 3. c. 2.

*Nulla pœna gravior, quam interioris vulnus conſcientiæ malæ; hoc magis fugiendum, quam mors, quam ſuſpendium.* Pro millibus unum in teſtem vocemus Judam, qui vehementem nimis cruciantis conſcientiæ remorſum ſufficere impotens, vitam ſuccidit in patibulo.

2. Idem quoque Sanctus Ambroſius, à Sancto

S. Ambr. l. 3. de offic. c. 4.
Domeſticus Judex.
Pin. in Job.
NB.

Bernardino citatus, eodem in loco ſubjungit : *Quod ſeverius judicium, quàm domeſticum, quo unusquisque ſibi reus?* Imò ut ſacer quidam Interpres diſcurrit : *Quidquid audit, malignè & in perniciem ſuam interpretatur, & quæ ſunt veriſſima amicorum monita & ſalutaria conſilia, æſtimat eſſè machinamenta & dolos ad ſuum interitum comparata : Quod alijs concentus muſicus & murmur ſuaviſſimum eſſè ſolet, quod aures animumque demulceat, impijs tamen terror & formido eſt.*

Furia.
Cic. pro Roſcio.

3. Quid ſacris inhæremus? vel à gentilibus veritatem hanc ediſcamus, proque omnibus unus reſpondeat Cicero : *Nolite putare, quemadmodum in fabulis ſæpè videtis eos, qui aliquid impiè ſcelerateque commiſerunt, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus; ſua quemque fraus & ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat amentiaque afficit, ſuæ malæ cogitationes; conſcientiæ animi terrent. Hæ ſunt impijs aſſiduæ domeſticæque furiæ.*

Tormentum.
Ezech. 16. v. 5.

4. Eamdem nobis pœnam expreſſit in his verbis Ezechiel : *Et tu porta confuſionem tuam*; vel ut Septuaginta legunt : *Tormentum tuum*; minæ erant peccatoribus intentatæ, quorum conſcientiæ confuſionem multiplicant & tormentum. *Si juſtus ...*

Ezech. 3. v. 20.

*fecerit iniquitatem*, dicebat quondam per eumdem Prophetam Dominus, *ponam eo offendiculum coram.* Qualis hæc eſt offenſio? ſcelerum fortaſſe

Pſ. 41. v. 8.

permiſſa iteratio, juxta illud : *Abyſſus abyſſum invocat* : non improbo gloſſam hanc, ſed & aliam tranſeo Sancti Hieronymi, noſtro accommodatiorem propoſito, qui per dictum offendiculum, conſcientiæ intelligit remorſum, citatum textum ita interpretatus:

S. Hier. ibid.

*Dabo tormentum in faciem ejus.* Sicuti enim in foro civili capitalis reus delicti, identidem juſtitiam pertimeſcit vindicem; ita & anima mortali coinquinata peccato, *cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis.*

Pſ. 78. v. 12.
Toror.

5. Pſalmiſta vice quâdam contra inimicos ſuos juſtitiæ divinæ urgens executionem, *redde*, inquiebat, *vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum.* Quis hic obſecro loquendi modus? gladium vindictæ tuæ exere in ſinum inimicorum? *Septuplum in ſinu eorum?* Nodum difficultatis Sanctus ſolvit Auguſtinus, dum ait :

S. Aug. ſer. 110. de temp.

*Quid eſt, redde in ſinu eorum? torque conſcientiam eorum*; de remorſu conſcientiæ loquebatur David, eòque ſuos expetebat agitari adverſarios. Quem carnificem miles ille opprobrosè perpeſſus eſt, qui, teſte Sophronio, in furoris ſui ardore infantem perimens, pœnitentiâ ductus in denſiſſimam conceſſit eremum, dignos inibi acturus pœnitentiæ fructus; abijt miſer, ſed quotidiano conſcientiæ exagitatus remorſu, frequentique ſanguinolenti infantuli apparitione perterritus, tandem intolerabili hoc devictus tormento, ultro citroque ſe in manus juſtitiæ conſignat. Cui pariter torturæ regius ſubjacuit Vates, qui licet innumeros adhiberet rigores, pœnitentias, auſteritates, ut ſuum expiaret delictum, identidem nihilominus ingemiſcebat; dicens :

Pſ. 50. v. 5.
Ibid. v. 6.
Agell. ibid.

*Peccatum meum contra me eſt ſemper*; ideoque ad Dominum converſus, ſupplicabat : *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ*, id eſt, *de ſanguinibus Uriæ*, inquit Agellius.

Hiſtoria.

6. Intellexi ego à fide digniſſimis, fuiſſe quondam, tempore Clementis Octavi in hac urbe Romana ſepultum aliquem virum in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Monticelli, qui non tam mortem, quàm profundum paſſus deliquium, dum è ſepulchro regreſſus interrogaretur, quid interim cogitarit, quas imaginationes habuerit; reſpondit : inceſſanter mihi obſervari, crimenque mihi meum exprobrare quidam viſus eſt, quem occidi in juventute mea. Verè

Pſ. 13. v. 3.
Iſa. 48. v. 22.

utique dixit David : *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Et Iſaias : *Non eſt pax impijs, dicit Dominus.* Omnis peccator ſecum deportat patibulum, id eſt, conſcientiam

S. Hieron. in c. 16. Ezech.
D. Chryſ. in Pſ. 90.

ſuam; unde Sanctus Hieronymus ait : *Portat tormentum ſuum, qui propriâ torquetur conſcientiâ, & in iſto ſæculo ſuſtinet propriâ voluntate cruciatum*; imò juxta S. Chryſoſtomum : *Quicumque peccaverit, quaſi Ericius eſt plenus ſpinis.*

Matth. 14. v. 2.
Conſc. incorruptus Judex.

7. Audiens Herodes nomen famamque Chriſti, ad ſuos converſus, hic utique, dicebat, Joannes Baptiſta erit reſuſcitatus. Quæro ego, unde Herodes hanc intulerit aut inferre potuerit conſequentiam, ſiquidem præcurſor nulla fuerat operatus miracula, neque vitam duxerat communem, ſed eremiticam; Salvator autem per triennium integrum totam peragrarat Judæam & Galilæam benefaciendo omnibus. Sanctus Chryſoſtomus Hom. 28. in 2. ad Corinth. conjecturam hanc læſæ adſcribit Herodis conſcientiæ remorſui :

D. Chryſ. H. 28. in 2. ad Cor.

*Quia uſque adeo vigentem in ſe metum & perpetuam trepidationem habebat*; verba ſunt Sancti Doctoris, *nec quiſquam erat, qui conſcientiæ terrorem ab eo eximere poſſet; veruntamen incorruptus ille conſcientiæ judex continenter eum præfocabat, ſingulisque diebus perpetratæ cædis pœnas ab eo exigebat.* Hoc ipſum dudum ante docuerat Sapiens, quando hanc juſtum inter & injuſtum ſtatuit differentiam :

Prov. 28. v. 1.
Prov. 12. v. 21.
Levit. 26. v. 36.

*Fugit impius nemine perſequente, juſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit.* Leo venatorum aliarumque ferarum ridet & illudit ſtrepitum, ita pariter & homo juſtus : *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit* : Reum autem ſeu impium *terrebit ſonitus folij volantis.*

Sub alluſionibus repræſentatur.
Pſ. 9. v. 17.

8. Doctores ſacri plerumque malam nobis conſcientiam repræſentant ſub alluſionibus judicij, proceſſus, carceris, condemnationis : Unde & Pſalmiſta inquit : *Cognoſcetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.* Ad convincendum equidem peccatorem Deus nullis indiget proceſſibus, teſtibus aut defenſionibus nullis; ſed ut Sanctus Hieronymus ſubtili cum brevitate reſolvit :

S. Hier. ibid. cit. ab Hugo Card.

*Unusquiſque peccans ſecum portat funes, vincula, tormenta*; non literaliter, ſed ſpiritualiter intellige doctrinam; ſeu virtualiter, quia nimirum homo ad hujusmodi condemnatur ſupplicia : Conſiderate indomitam juventutem; graditur læta, licentioſa, libera ſine jugo; nihilominus certum eſt juxta Spiritum Sanctum, quod

Prov. 5. v. 22.

*iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum* unusquiſque *conſtringitur.* Porrò malæ conſcientiæ cruciatus eò eſt pœnoſior, quò nobiliorem hominis affligit partem, ſcilicet animam.

Pſ. 20. v. 9. 10.

*Inveniatur* (ſupplicat divinæ juſtitiæ David) *manus tua omnibus inimicis*

tuis,



Ibid. v. 10.

*tuis, dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt; Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* In præſenti David ſupplicia divina peccatoribus inflicta fornaci aſſimilat igneæ; an non ſuffeciſſet meminiſſe ſolius ignis abſque clibano?

S. Auguſt. ib.

Sanctus Auguſtinus differentiam notat, quæ eſt inter ignem fornaci incluſum, & alium, qui liberè ſine repagulis erumpit; hic videtur ab omnibus, univerſaliter patens, figura ſuppliciorum, publicè à Deo peccatoribus inflictorum : Ille autem ſymbolum eſt pœnæ & remorſus conſcientiæ malæ, animam cruciantis interius. *Pones eos ut clibanum ignis*, ait Sanctus Auguſtinus, *conſtituens eos ardentes intrinſecus, conſcientiâ impietatis ſuæ.* De cujus tormenti horrore diſcurrens inter alios Polybius,

Polyb. in fragmentis.

aſſerere non ambigit, quòd *nullus neque teſtis tam formidabilis, neque judex tam gravis, quam conſcientia, quæ mentibus cujuſcumque inſidet & inhabitat.*

Gen. 4. v. 7.
Conſcientia juſtus Judex.

9. *Si malè egeris, ſtatim in foribus peccatum aderit*, quondam Deus ad primum dicebat reprobum; Scitisne, cur Deus hac voluerit uti phraſi, dum ad internum læſæ conſcientiæ alluderet remorſum? Veteres ſub civitatum portis & tribunalia erigere, & judices ſolebant deputare. Conſcientia noſtra judex eſt incorruptus; *Sed quare*, inquit Sanctus

D. Chryſoſt. T. 5. de Laz. conc. 4.

Chryſoſtomus T. 5. de Lazar. conc. 4. *nobis judicem in animo ſic perpetuò vigilantem & attentum Deus conſtituit, conſcientiam loquor? Nec enim eſt ullus inter homines adeo vigilans, ut eſt noſtra conſcientia; nam externi judices, & pecunijs corrumpuntur, & aſſentationibus deliniuntur, & metu ſimulant; denique multa ſunt alia, quæ rectum illorum judicium depravant; at conſcientiæ tribunal nulli hominum novit cedere; ſed quamvis dederis pecunias, quamvis mineris, quamvis aliud quidlibet feceris, juſtam feret ſententiam adverſus peccatorum cogitationes; adeo ut ipſe quoque, qui peccatum admiſit, ipſe ſè condemnet, etiamſi alius nullus accuſet.* Quæ doctrina per aliam ſtabilitur Sancti

S. Bern. 16. a. 3. c. 1.
Quem ſubterfugere nemo poteſt.
Pſ. 41. v. 8.

Bernardini, inquientis : *Quamvis humana judicia ſubterfugiat, qui malè agit; judicium tamen conſcientiæ ſuæ effugere non poteſt; nam etſi alijs celat, quod agit, ſibiipſi celare non poteſt, qui novit, quod geſſit.* Moxque ſubdit, duplici ipſum ſubjacere judicio : *Quia & hic conſcientiæ ſuæ reatu punitur : Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum; abyſſum invocare abyſſum, eſt, de judicio conſcientiæ ire, ad judicium perpetuæ damnationis.* Sanctus Chryſoſtomus Hom. 64. in Gen. idem promovet intentum, dùm filios Jacob innocenter accuſatos & comprehenſos contemplans, ita diſ-

D. Chryſ. H. 4. in Gen.
Simul agens accuſatorem.

currit : *Sed vide nunc, quomodo conſcientia illorum incorruptus ille judex adverſus eos inſurgat, & nullo arguente, vel in medium quidpiam afferente, ipſi ſuiipſorum accuſatores fiant; dixit unusquisque ad fratrem ſuum : Meritò hæc patimur, quia &c.* Exemplum Sanctus aſſignat in eo, qui dum multo indulſit mero, nullum vini ſentit diſpendium : *Ita & peccatum donec conſummetur obtenebrat mentem, & quaſi denſa nubes ità mentem corrumpit; deinde conſcientia inurgit, & quovis accuſatore gravius mentem arrodit.* Quem conceptum idem Sanctus Chryſoſtomus alio in loco hiſce pariter expreſſit verbis:

S. Chryſ. H. 17. in Gen.

*Judex incorruptus, conſcientiam puta, cùm adverſùs hominem exurgit, clarâ voce clamat, & accuſat, & oſtendit, & quaſi ante oculos ſcribit peccatorum multitudinem.* Et iterum alibi : *Videbis velut in judicio mentem ad thronum conſcientiæ conſcendiſſè regalem, & tamquam judicem quempiam ſedentem, & caſtigationes loco carnificum adhibentem in equuleo ſuſpendentem, lateraque conſcientiæ radentem ungulis, pro commiſſis vehementer inclamantem, cum nemo ſciat, niſi quod ſolus Deus hæc videre noverit*; ad judi-

Incorruptibilem.
S. Chryſ. H. 3. ad Iſa.

cem dixerim, nullo umquam corruptibilem dono, nulla alterabilem pecuniâ : *Hoc tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquieſcit, eò quod divinum eſt, & à Deo noſtris impoſitum mentibus.*

Conſc. mala dilaniat animum.
Ezech. 5. v. 17.
S. Hieron. ib.

10. Alia adhuc diverſa aſſignant Sancti malæ conſcientiæ tormenta. Sanctus Hieronymus illa Ezechielis verba (*immittam in vos beſtias peſſimas*) de conſcientiæ intelligens remorſu; *etiam in noſtram Jeruſalem immittuntur beſtiæ peſſimæ*, inquit, *quando tradimur in paſſiones & conſcientiam peccatorum, quæ excruciant & dilaniant animum noſtrum.*



11. Sanctus Auguſtinus alias inter reprobo populo inflictas pœnas, & eam pariter de veſpis conſiderat, interrogans, quæ fuerint hæ veſpæ, de quibus dicitur :

S. Aug. l. 4. ex Q. in Exo. t. 4.
Graviſſime torquet.
Sap. 12. v. 8.

*Et mittam veſpas ante te; quæritur de iſtis beſtijs quid intelligendum ſit.* In libro quidem Sapientiæ aſtruitur : *Miſit anteceſſores exercitus ſui veſpas*; nihil tamen horum, tempore Moyſis, Joſuæ, Judicum aut Regum accidiſſe conſtat; quæ igitur ſunt veſpæ illæ? Audite reſolutionem Sancti : *At per hoc veſpæ iſtæ aculei timoris intelligendæ ſunt fortaſſè quibus agitabantur memoratæ Gentes, ut cederent filijs Iſraël, necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum*; quia nimirum innumerabilium ſibi conſcij erant delictorum, ideo acerbiſſimis corda eorum excruciabantur puncturis; cujus intolerabilis cruciatus meminère fuſius uterque Gregorius Magnus & Nazianzenus; quorum hic in juſtorum, ab impijs offenſorum, ſolatium ita diſcurrit :

Naz. or. 4.

*Satis magna pœna cenſeri debet hominibus utique probis ac moderatis, cum ij, qui moleſtiam intulerunt, metu concutiantur, meritasque pœnas expectant, propriæque conſcientiæ cruciatu afficiuntur. Nam quæ quisque ut jamjam perpeſſurus timet, hæc paſſus eſt, etiamſi non patiatur, graviusque à ſèipſo fortaſſè quam ab ijs, qui ſupplicium illaturi ſunt, torquetur.* Sanctus autem Gregorius Magnus illa

Job. 12. 14.
S. Greg. M.

Jobi (*ſi incluſerit hominem nullus eſt, qui aperiat,*) interpretans verba, ad eumdem fermè convertitur ſenſum, diſparibus licet verbis, inquiens : *Quia omnis homo per id, quod malè agit, quid ſibi aliud quam conſcientiæ ſuæ carcerem facit, ut hunc animi reatus premat, etiamſi nemo exterius accuſet.*

Bonos perverſos judicat.

12. Reliquis malæ conſcientiæ tormentis principaliter etiam annumeratur hoc, quod eſt, innocentiam bonorumque hominum virtutes in perverſorum oculis quaſi ſpinas & vepres digraſſari; ideoque alij illi impij cœtus conjurabant ad invicem :

Sap. 2. v. 12.

*Venite, opprimamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis.* Aſt ſtupendiora longè Sanctus aſtruit Bernardinus, dum conſcientiam læſam docet ſtrictiſſimam cum Dæmone unionem habere, his verbis :

S. Bern. ib. c. 2.
Dæmones lætificat.

*Eſt gaudium Dæmoniorum : Sicut gaudium eſt Angelis ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente; ſic gaudium eſt Dæmonibus ſuper una anima; per mortalem culpam, conſcientiam inquinante; de eorum letitia dicitur :*

Prov. 2. v. 14.

*Lætantur*, ſcilicet Dæmones, *cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*; in cujus confirmationem, ſequentem porro format, ſacræ Scripturæ innitentem diſcurſum : David ait;

2. Reg. 1. v. 20.
Ibid.

*nolite annunciare in Geth; ...* & ſequitur; *ne forte lætentur filiæ Philiſtijm*, id eſt, Dæmones; *quia non tantum Dæmon ille, qui peccatum ſuggerit alicui, gaudet, ſi conſcientia maculatur, ſed inſuper omnes alij Dæmones gaudent* : neque id cuiquam mirum eſſe videatur, quia ut idem Sanctus de mala conſcientia loquitur :

Ibid. c. 2. a. 3. t. 2. ſer. 52.

*Hæc eſt aula Satanæ; in hac enim aula omnia ſua impietatis officia exercere facit, atque per ſuos ſatellites frequentare.*

Durius inferno cruciat.

13. Non defuit, qui conſcientiam malam ipſi aſſimilarit inferno : Merebatur Cain, ut apertâ ſub pedibus terrâ, vivus deſcendiſſet in infernum, & nihilominus multo adhuc ſupervixit tempore; cauſamne noſtis? eam à Sancto Hieronymo accipite :

S. Hieron. l. 3. ep. 125. ad Dam.

*Noluit Deus compendio mortis finiri cruciatus.* At ſi urbes erexit, ſi multæ propaginis, longæque vitæ fruitus eſt felicitate, quod iniquitatis ſuæ paſſus eſt tormentum? Remorſum conſcientiæ, ipſo duriorem inferno : *Nolo mortem pro remedio accipias, ſed uſque ad ſeptem generationes conſcientiæ tuæ igne torqueberis.* Unde & Salvator noſter quoties inferni meminit, ſemper ei conſcientiæ vermem aſſociat & remorſum :

Marc. 9. v. 42. 43. 47.
Vermis æternus.

*In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur; in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur; in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur.* Abyſſi infernalis incendium tolerabile, imo minimè nocivum foret, ſi ab hoc foret liberum verme : unusquisque reprobus ſuiipſius carnifex erit in omnem æternitatem; ideoque Sanctus Chryſologus ſerm.

S. Chryſol. ſer. 125.
S. Bern. ſer. 4. de aſſumpt.

125. inquit : *Reus plus de conſcientia, quam de gehennæ erubeſcit incendio*; cui & illud probè conſonat Sancti Bernardini aſſertum, *Infernus quidam & carcer animæ, rea conſcientia eſt*; in cujus confirmationem Sanctus hanc Davidis adducit gratiarum actionem : *Eduxiſti ab inferno animam meam, ... cum anxiaretur cor meum*; id eſt, juxta Sancti Bernardi ſen-

Pſ.29. v.4. Pſ. 60. v. 3.

tentiam, *intuens* David *conſcientiæ propriæ faciem nimis abominandam*; à verme hoc tamquam ab inferno eximi petit.

S. Auguſt. t. 2. ep. 259. Tormentum inferno durius. Ser. 1. de temp. Joan. 6. 71. Matth. 27. 5.

14. Sanctus Auguſtinus, eamdem nobis veritatem declaraturus, dicere non ambigit: *Omnes non tantum carceres, ſed etiam inferos vincit ſcelerati hominis conſcientia.* Imò & de facto eamdem à furijs infernalibus poſſeſſam aſtruit: *Quam infelix illa eſt conſcientia, toto lacrymarum fonte lugenda, quæ ſe in malis operibus cruentavit, ut in ea non Chriſtus requieſcere, ſed Diabolus incipiat dominare?* Judas ſecum deferebat Diabolum (*ex vobis unus Diabolus eſt*) dignum peccati præmium, poſtque traditionem infamis *laqueo ſe ſuſpendit*; quis eum conduxit ad patibulum? ipſemet; dimiſerant eum Principes Synagogæ, Pontifices, Magiſtratus, Pilatus & alij omnes; Aſt miſerum excruciabat lethalis ſynderesis: *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis.* *Videns, quod damnatus eſſet*, ſcribit Sanctus Evangeliſta; *ſed à quo?* Reſpondet Sanctus Chryſoſtomus: *Nec enim potuit acerbos conſcientiæ ſtimulos & flagella perferre.* Videbat utique mortalium infeliciſſimus hianti ſe imminere inferno, aſt longè eo acerbiorem reputabat conſcientiæ remorſum. *Proditor quidem certè*, dicit alio in loco idem Sanctus, *qui in tantum ſcelus impegerat, cum non poſſet ferre conſcientiæ dolorem, adaptato ſibi laqueo vitam finivit.*

D. Chryſ. h. 86. in Matth. Ibid. v. 3. D. Chryſ. in Pſ. 7.

## DISCURSUS XXVII.
## ARGUMENTUM.

De varijs eligendi à nobis Confeſſarij qualitatibus.

### THEMA.

*Smite illos; cæci ſunt & duces cæcorum; cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*, Matth. 15. verſ. 14.

Confeſſarij docti ſunt eligendi.

1. Opportunum in primis hoc ſuis Chriſtus dedit conſilium, ut ſcilicet ſolicitè caverent in ignorantes, malignos & hypocritas, Phariſæos, Scribas & Sacerdotes incidere; ne hujusmodi in obſcuro ſequentes ducatum; cum ſuis ſimul ductoribus in plurium errorem abyſſum agantur præcipites. *Cæci* inquit Lyranus, *carentes vero intellectu legis; & duces cæcorum, quia alios excæcant ſuo errore, & ducunt eos in præcipitium.* Quin potius ad integritatis ſemitam calcandam dux requiritur, ſcientiâ & notitiâ pollens: Nam ut D. Carthuſianus diſcurrit: *Si ſubdito ignoranti ducatum præſtet* ſuperior ignarus; *inducendo eum ad ambulandum per vias non rectas, ſeu ad ſequendum opera & judicia ſua; ambo in foveam cadunt, id eſt, in vitia præcipitantur, & tandem in locum gehennæ labuntur*; quo fine hunc citat Jeremiæ textum: *Quia ſtultè egerunt paſtores, ideo omnis grex eorum diſſipatus eſt*; quibus ſequentem annectit Sancti Gregorij ſententiam: *Cum paſtor per abrupta graditur, neceſſè eſt, ut grex in præcipitium feratur.* Quis tantæ umquam erit dementiæ, qui ſe cum præſentiſſimo mortis periculo in viam dedat, nil niſi præcipitia identidem minitantem? Si hæc in ſalutem corporis impenditur induſtria, numquid Paradiſi viam, æternæque ſalutis negotium parvi adeo faciemus, ut cuicumque etiam rudi atque inexperto nos committamus? abſit; patrem ſpiritualem ſumma cum diſcretione nobis eligendum noverimus, *quoniam multo magis eſt periculoſum*; inquit Sanctus Bernardinus, *committere tuam animam in manibus Sacerdotis ignorantis, quam corpus infirmum medico imperito.* Cujus hanc reddit rationem: *Nam plagæ animæ non videntur; ideo gravius eſt, ipſas curare, quàm plagas corporis; & tanto etiam eſt periculoſius, quanto anima excellit corpore.* Deinde Confeſſarios rudes Dæmonis vocat negotiatores.

Lyr. ibid. Dion. Carth. ibid. Juxta Jer. 10. v. 21. S. Bern. T. 4. ſer. 20. p. 1. princ.

Bar. ann. 56. 23. Orig. H. 2. in Levit. Expertus eligi debet confeſſarius. H. 2. in Pſ. 38.

2. In Annalibus Eccleſiaſticis, ubi de pœnitentiæ tractant ſacramento, adductam reperio authoritatem Origenis, confeſſionem medicinam, & confeſſarium appellantis medicum: *Cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam.* Nunc igitur vos interrogo, quis ſuæ adeo negligens eſt ſalutis corporalis, ut in infirmitate conſtitutus, inexpertum rudemque velit adhibere medicum? unde & ipſemet hic auctor à Baronio citatus, hoc unicuique noſtrûm dat conſilium; *Tantummodo circumſpice diligenter, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere.* Cui illa Sancti Auguſtini, à Sancto Bonaventura citati, conſonat ſententia, dum inquit: *Qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam; quærat Sacerdotem, ſcientem ſolvere & ligare; ne, ſi negligens circa ſe extiterit, negligatur ab eo, qui miſericorditer monet & petit, ne ambo in foveam cadant.*

S. Bonav. ſer. in dieb. rog. S. Auguſt. l. de vera & falſ. pœn. c. 10. Notabilis ſententia.

3. Sanctus Bernardinus ut hunc totaliter abuſum extirpet damnum animarum tam in Confeſſarijs, quàm in pœnitentibus ex hujusmodi præpoſtero agendi modo oriri natum, per hanc nobis ſimilitudinem ob oculos ponit. In hoc quandoque miniſterio evenire amat, quod in tabernis accidit pannarijs; videmus inibi varios diſtrahi ejusdem bonitatis pannos, aſt qui meliori eos pretio divendit, omnes ad ſe attrahit emptores: *Ita hodie accidit in confeſſione* inquit Sanctus, *quia Confeſſores, qui dant pœnitentias minores, habent majorem concurſum, quàm dantes magnas, & ſic mercantes de pœnitentijs. Aſt quis rei exitus? Sic peccatores decipiuntur & mittuntur ad infernum; & iſti, qui vadunt ad tales, qui dant minores pœnitentias, causâ evitandi bonos Confeſſores, causâ non habendi congruas pœnitentias & magnas, non plus contritionis habent, quam Diabolus.*

S. Bern. ubi ſupra.

Conditio confeſſarij ut compatiatur. Hebr. 4. 15.

4. Diverſas autem boni Confeſſarij conditiones in varijs reperio auctoribus; in primis quidem debet pœnitenti compati: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato; adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* Debet autem compati confitenti, ut eò majorem ei ingerat confidentiam, magisque animet ad ſinceram peccatorum confeſſionem. Ideoque Rupertus Abbas ita ſingulos admonet Confeſſarios. *Peccata ſua confitentem, & ea relinquere volentem ne in deſperationem adigas, qualecumque crimen vel quantumcumque admiſerit, ne contriſtes eum, imò conſolare, juxta Apoſtolum, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur*; & conformiter antiquo illi Hebræis dato præcepto: *Non trades ſervum Domino ſuo, qui ad te confugerit; habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in una urbium tuarum requieſcet, ne contriſtes eum.* Animandus eſt peccator, ut eò majori cum ſinceritate & promptitudine virus evomat peccatorum ſuorum.

Rup. Abb. l. 1. in Deut. c. 3. Conſoletur. Deut. 23. v. 15.

5. Sanctus Antonius Patavinus eidem ſubſcribens ſententiæ, in verſiculi hujus commentario (*Immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis*) ſequentem, ad Intentum noſtrum, inſtituit diſcurſum: *Id eſt, in Eccleſia coram Sacerdote, hoſtiam* obtuli *confeſſionis; quæ bene dicitur vociferatio, quia peccator non debet ſemiplenè & mediocriter quaſi balbutiens, ſed aperto ore, quaſi vociferans, peccata ſua confiteri*; tunc enim Deus confeſſionem, veluti gratiſſimum acceptabit ſacrificium; in quo holocauſto & ſuam Confeſſarius debet habere partem, pœnitentem fiducialiter animando atque exhortando.

Pſ. 26. v. 6. S. Ant. Pat. ſer. 2. in D. 1. Qu. Pœnitens confiteatur ore aperto.

6. *Obſtetricante manu ejus*, inquit Job, *eductus eſt coluber tortuoſus*; ubi notanda occurrit particula iſta *obſtetricante*; alludit namque Propheta ad induſtriam, ſagacitatem & ſuavitatem, quâ parturienti aſſiſtens obſtetrix, multo abſque dolore & periculo, partum materno producit ex utero; ita pariter ad educendum tortuoſum peccati ſerpentem, quod corrupta natura noſtra plerumque vult excuſari, abſcondi, celari, multâ opus eſt Confeſſarij arte & charitate. *Obſtetrices dicuntur Confeſſores*, Sanctus inquit Antonius Patavinus ſermone tertio in Dominica tertia poſt Paſcha, *qui peccatoribus confitentibus debent ſervire & miniſtrare. Dicuntur enim obſtetrices ab obſtando; obſtetricante manu ejus: Manus Domini eſt Sacerdos, per quem educi debet coluber, id eſt, vetus homo à peccatore; ut poſtea pariat novum hominem.*

Job. 26. v. 13. Confeſſarius ſit ut obſtetrix. S. Anton. Pat. ſer. in D. 3. poſt Paſch.

7. Singulariter etiam quicumque Confeſſarius ad ſe noverit directum, ſeduloque obſervandum, hoc Sancti Bonaventuræ documentum: *non debet etiam Confeſſor pœnitentis horrere peccata, quantumcumque enormia turpia, magna, inaudita vel inuſitata ſint; quia ut dicitur in Joanne 8. v. 7. Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat; aut enim Confeſſor fuit, vel eſt, vel erit, aut eſſe poteſt in ſimilibus peccatis, vel majoribus. Unde præcepit Deus: Non abominaberis Idumæum, id eſt, peccatorem rubore confeſſionis dignum, quia frater tuus eſt; vel Ægyptium, id eſt, peccatorem peccatorum anguſtijs tribulatum.* Qui idem Sanctus pœnitentibus circa Confeſſariorum electionem ſequens in citato Tomo aſſignat dogma: *Confeſſorem eligas compaſſivum, probatum in tentationibus, & in via continentiæ ſe exercentem, cui ſæpe confitearis & aperias omnes defectus, clarè & lucidè. Sit ille diſcretus, charitativus, humilis & intelligens; ſic ut poſſis ad ipſum confidenter recurrere, & ſciat tibi remedium adhibere; aliter autem, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.*

Peccata non horreat. S. Bonav. t. 7. in conf. c. 1. par. 4. Joan. 8. v. 7. Deut. 23. v. 7.



S. Bonav. t. 7. de pur. conſ. c. 16. Qualis ſit eligendus confeſſarius.

Rigoroſus & clemens. Luc. 10. v. 34.

8. Prudens ille & ſagax Samaritanus, vulneratum in itinere Jerichontino offendens, peccatoris figuram, divina exuti gratiâ, *appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum. Bona alligatura*, inquit Sanctus Ambroſius, *quæ fractæ animæ tuæ oſſa connectat.* Hoc ipſum ſpiritualis animarum medici eſt officium, ut ſcilicet *ſanet contritos corde, & alliget contritiones eorum.* Sanctus Auguſtinus à Gloſſa citatus, ait: *Alligavit vulnera ejus, id eſt, peccata redarguendo cohibuit*; ſed quomodo alligavit? *Infundens oleum & vinum*; rigorem aſſocians clementiæ; quo facto Sanctus Gregorius inductus, Sacramenti hujus miniſtris hanc præſcribit doctrinam: *Per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur, miſcenda eſt lenitas cum ſeveritate; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæviens, ſit pietas, ſed non plusquam.*

S. Ambr. oct. 21. in Pſ. 118. Pſ. 146. v. 3. S. Auguſt. in Gloſſ. S. Greg. p. 2. paſt. c. 11.

9. Sanctus Auguſtinus tamquam ſolicitus præſul Sacerdotes ſtudioſè erudire ſatagit circa modum pœnitentiæ, inquiens: *Sed nos qui Sacerdotes ſumus, & utinam boni ſimus, cautè nobis vigilare neceſſè eſt & ſolicitè, quatenus ſic delinquentium cordibus; tanto moderamine verbum timoris & contritionis infigamus, ut eos nequaquam à verbo confeſſionis exterreamus; ut ſic corda aperiant, quod ora non obſtruamus.* Ita Confeſſarius ad peccata attendat pœnitentis, ut ſimul etiam ad ejuſdem ſe reflectat pœnitentiam; converſionem atque emendationem; ita ut per illius vitæ præſentem emendationem ædificetur tantum, quantum per impiæ vitæ peccata fuerat (ſi ita dicere licet) ſcandalizatus. *Caveat* Confeſſarius, inquit Beatus Petrus Damianus, *ne ſit ſuperbus; nec de præterita futuram vitam æſtimet peccatorum.* Qui Saulum vidiſſet perſecutorem Eccleſiæ, ſubitòque in Apoſtolum & electionis vas transformatum; aut Publicanum in momento juſtificatum; aut Magdalenam ex meretrice in ardentiſſimam Chriſti ſponſam illico converſam; quem formaſſet conceptum? Optimum eſt Sancti Ephræmi monitum, inquientis: *Si quis ſuas tibi enarraverit cogitationes, ſuaque detexerit peccata, ne mente eum contempſeris, tamquam qui talia peregerit, ſed potius de fratris mutatione admirare; nam quod quis ſponte ſua ſpiritualibus viris prodit, correctionis vitæ ſignum eſt.*

S. Aug. ſer. 30. ad frat. Doctrina pro Conf. S. Petr. Dam. ſer. de S. Andr. S. Ephrem c. 9. in illud attende tibi.

Ann. 1270. n. 14. Conſilium pro pœnit.

10. Saluberrimum præterire non licet, quod Sanctus Ludovicus moriens, Philippo filio & ſucceſſori ſuo dedit conſilium; *Diſcretos & honeſtos tibi eligas Confeſſores, qui te ſciant docere, à quibus tibi ſit cavendum; & quæ te facere ſit neceſſè; & tu ad Confeſſores tuos te habeas tam modeſtè, quod ipſi & amicè & securè reprehendere audeant.*

Levit. 8. v. 29. S. Brun. in ſylv. alleg.

11. Quærit Sanctus Bruno cur olim voluerit Dominus, victimæ pectus cedere Moyſi juxta Levit. 8. reſpondetque: *Ideo Moyſes ſibi pectuſculum vendicat, quia pectorati & ſapientes Pontifices eſſè debent, magnum enim pectus habere oportet, qui hæc tanta ſervare debet & reponere ſacramenta.* Pectus habeat Confeſſarius ad reprehendendos & puniendos contumaces Deoque rebelles. In annalibus legimus Eccleſiaſticis: *Wenceſlaum ob fœdam in adeundis lupanaribus conſuetudinem reprehenſum ab uxore, indecora verba protuliſſè, ac Sacerdotem, qui Reginæ exomologeſes excipiebat, cum ejus peccata patefacere detrectaret, flumine merſiſſè.* Moxque Confeſſarij conſtantiam Deus evidenti magnificavit miraculo: *Quam ſanctus & innocens Sacerdos ille fuerit, ipſe fluvius oſtendit, ita derepente areſactus, ut corpus nudet ſubmerſi, in ſtatuque illo triduum permanens, donec ſubmerſus ad Sanctum Vitum ſepeliretur.*

An. 1400. n. 14. Rayn. Hiſtoria.

11. Ijſdem in annalibus hæc Sozomeni adducit verba, in noſtrum accommoda propoſitum: *Preſbyterum igitur aliquem, vitæ integritate quàm maximè ſpectabilem, ſecretorum etiam tenacem ac ſapientem huic officio præfecerunt, cui accedentes, qui peccarant, acta vitæ ſuæ confitebantur.* Ex quibus deducitur, quantus olim ad Confeſſarij ſanctiſſimas qualitates fuerit reſpectus. Cujus in confirmationem, ſequens pariter Sancti Petri Damiani placeat auſcultare documentum, inquientis: *Audite, & breviter quem oporteat ordinari ad diſpenſationem miniſterij hujus; oportet enim non minùs literatum, quàm religioſum, ut zelum Dei habeat, at ſecundùm ſcientiam, cùm indiſcreta religio magis obeſſe ſoleat, quàm prodeſſe.* Cui & Sanctus ſubſcribit Bernardinus, dum ait: *Neceſſaria eſt Confeſſori vita, ſi quæ velit ſine ſui diſpendio, alijs ſalubria remedia providere; tantam nempe debet habere puritatem affectionis, ut ſit dignus miniſter Domini noſtri Jeſu Chriſti, & fidelis Diſpenſator miniſteriorum Dei; ut ait Apoſtolus: Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Moxque Sanctus diverſas ſubdit rationes, cur irreprehenſibilis in Confeſſario requiratur vita; nimirum quia *vicem Chriſti gerit, cùm perſonam ejus repræſentat in terris, qui arbiter & medicus exiſtit inter Deum & homines.*

Bar. a. 56. 23. Confeſſ. ſit irreprehenſibilis vitæ. B. Petr. Dam. ſer. 2. de S. Andr. S. Bern. t. 1. ſer. 15. n. 2. c. 1. 1. Cor. 4. v. 1. 1. Pet. 4. v. 10.

Doctrina.

12. Porro quòd immaculatam Confeſſarij attinet fuſius conſcientiam, unum ex innumeris auſcultare adhuc placuerit Sanctum Auguſtinum, dicentem: *Sacerdos itaque, cui omnis peccator offertur, ante quem ſtatuitur omnis languor, in nullo eorum judicandus eſt, quæ in alijs judicare eſt promptus; judicat tamen alium, qui judicandus eſt, ſeipſum condemnat. Inſuper debet non tantùm eſſe juſtus, ſed in juſtitia firmus & ſolidatus, nam ex auditis in confeſſione ſæpe excitantur concupiſcentiæ motus; nam ſecundùm Gregorium, difficile eſt, fontem non turbari, ubi abluuntur ſordes; ſed in bonis & fortibus Sacerdotibus ſecundùm Alexandrum de Hales, hæc ipſa turbatio meritoria eſt, dum viriliter contradicunt; in malis autem mortifera.* Quod idem dogma poſt ſe ſcriptum reliquit Seraphicus Doctor, dum ait: *Solicitus ſit Sacerdos, ne, dum confitentes foris à ſordibus purgat, ipſe ex his, quæ audit, per voluntariam delectationem interius ſordidetur; debet enim eſſe ut nobilis manus, quæ alium lavans lavatur, mundans mundatur, non ut lixivia vilis, quæ alia mundificans, inquinatur*, ideoque merito nos in quodam loco oramus Sacerdotes: *His ſacrificijs Domine concede placatus, ut qui proprijs oramus abſolvi delictis, non gravemur externis.* Quo fine Sanctus Bonaventura Confeſſarium ſedulò admonet, *ne vultum pœnitentis, maximè mulieris reſpiciat, ne pœnitens confundatur, & ne ipſa delectatione illicitâ capiatur.*

S. Aug. Argum. ad hoc de pœn. diſt. 6. c. 1. Alex. de Hales. S. Bonav. op. conf. c. 1. partic. 2. Sab. D. 2. Q. or. ſecr. in miſſa. S. Bonav. t. 7. in conf. c. 1. pa. 3.

13. Beatus Petrus Damianus primum ſcientiæ punctum attingens, ait: *Litteratum oportet eſſe, ut ſciat, quod injungat, cui parcat & quando; quam conſolationem proferat de Scripturis. Sed prô dolor, temporibus noſtris peſtilentialis morbus per univerſum mundum excrevit, ut præferantur Eccleſijs, quos nec ſcientia nec vita commendat, ſeu duces cæcorum, & præcipitati & in præcipitium ducentes.* Id quod & Sanctus Bernardinus his exprimit verbis: *Oportet, quòd ſciat cognoſcere, quod debet judicare, judiciaria namque poteſtas hoc diſcernat.* Sicuti in lege veteri inter lepram & lepram, ejusque ſpeciem, originem & circumſtantias diſcernendum erat: *Unusquisque leproſus vel immundus à lepra, judicabatur arbitrio Sacerdotis; ut dicitur Levit. 13. Sic Sacerdos Evangelicus judicare de lepra ſpirituali, id eſt, de peccatis & de differentijs peccatorum; Sacerdos enim ſine ſcientia, eſt ſicut ductor cæcus in via, quia Sacerdos habet officium præeundi & viam ſalutis alijs oſtendendi.* Quam Confeſſariorum obligationem etiam in Concilio quodam, in annalibus Eccleſiaſticis relato, expreſſam invenio his verbis: *Præcipimus, ut Sacerdotes in confeſſione diligenter attendant circumſtantias, qualitatem ſcilicet perſonæ, & quantitatem delicti, tempus, locum, cauſam, moram in peccato factam, devotionem animæ pœnitentis; & ut pœnitentia talis injungatur uxori, unde non reddatur marito ſuo ſuſpecta de aliquo occulto & enormi peccato; idem in marito conſervetur.*

S. Petr. Dam. ibid. Conf. diſcernere ſciat inter lepram. S. Bernard. T. 1. ſer. 15. n. 2. c. 1. Levit. 13. v. 3. An. 1200. n. 17. Inſtructio.

Adhortatio. 2. Paral. 19. v. 6. 7.

14. Idem quoque Sanctus Bernardinus in præſenti hunc citat ſacræ Scripturæ textum 2. Paralip. cap. 19. *Præcipiens Joſaphat judicibus, ait: Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit, ſit timor Domini vobiſcum.* Quibus ad intentum applicatis, Sanctus differentiam notat, quæ eſt inter artes, nam mechanicæ docentur & addiſcuntur ſine animæ aut corporis præjudicio; medica licet quandoque ſine animæ diſpendio doceatur, rarò

tamen ſine corporum periculo, ſi malè apprehendatur: *Sed regimen animarum in confeſſionibus audiendis, ab imperitis exerceri non valet ſine periculo animarum; tam confitentium, quam confeſſorum.* Atque hæc de Pœnitentia ſeu Confeſſione, ejus partibus & Conſcientia, dixiſſe ſuffecerit.

---

TRACTATUS XVI.

# DE CONSOLATIONIBUS SPIRITUALIBUS,

CONTINENS.

## DISCURSUS XVIII.

DISCURSUS I. In ſervitio & Eccleſia Dei deſudantes, ſpiritualibus Deus reſtaurare aſſolet conſolationibus.

II. De abundantia & multiplicitate dulcedinum & illecebrarum ſpiritualium, quibus Deus dilectas ſibi animas demulcet.

III. Deus ſingulariter titulo ſuavis gloriatur, qualem ſe exhibuit in ſuo in terras adventu; item de copioſa animæ ſuavitate, tamquam æternorum gaudiorum præludio, item de centuplo ſequacibus Dei in hac vita promiſſo.

IV. Lætitiæ ſpiritualis abundantia limites quandoque exſuperans animæ, in ipſum etiam corpus redundat, eique conſolationem & vigorem communicat.

V. Internum eſt animæ gaudium, noſtris ſæpe incognitum oculis; hòc non delectabilibus hujus vitæ bonis, ſed divinæ gratiæ, virtuti, bonæque innititur conſcientiæ.

VI. De ſpiritualibus bonæ conſcientiæ conſolationibus ſub alluſionibus ſumptuoſi cujuſdam convivij.

VII. De varijs bonæ conſcientiæ præconijs & effectibus.

VIII. Bonæ conſcientiæ gaudium eſt utile, continuum & ſtabile, utpote in Deo & non in tranſitorijs fundatum bonis. Conſcientia bona gaudet propter vivam æternorum gaudiorum ſpem, noſque conſolatur in tribulationibus.

IX. Omnis mundi conſolatio & lætitia, eſt ficta, apparens, inſtabilis, mœrore perfuſa & remorſu.

X. Docetur, legem gratiæ longè eſſe amabiliorem & ſuaviorem lege Moſaicâ, ubi & variæ exhibentur facilitatis & ſuavitatis jugi Chriſti prærogativæ.

XI. Dei ſervitium & legis ejus, quæ amor eſt, obſervantia, ingentem affert lætitiam, auxilium & conſolationem ad portandum jugum Evangelicum.

XII. In vitam ut ad ſpiritualium experientiam conſolationum, quæ reipſa viæ divinæ dulcedinem perhibent & ſuavitatem.

XIII. Deliciæ & conſolationes, quas Deus ſuis impertit ſequacibus, comparantur ad mundanas, fraude doloque plenas.

XIV. Deliciarum ſpiritualium Manna in animas depluit timoratas, innocentes & perfectas; cujus minime participes efficiuntur perverſi.

XV. Deliciæ mundanæ contrariantur, obſtantque divinis.

XVI. Pœnitentis vitæ rigor & auſteritas, ineffabiles cauſat ſpiritus dulcedines, licet diverſum oculus videatur attingere externus.

XVII. Conſolationes ſpirituales, quæ ſe etiam ad peccatorum pœnitentiam & voluntariam omnium aliarum contradictionum extendunt tolerantiam, relationem habent ad paſſiones, quas quis ſubit amore Dei, & non ob alios reſpectus.

XVIII. Juxta tribulationum pro Deo toleratarum menſuram, conſolationum ſpiritualium creſcit, imò & ſemper ſuperexcedit abundantia.

### DISCURSUS I.

### ARGUMENTUM.

In Dei ſervitio & Eccleſia deſudantes, ſpiritualibus Deus reſtaurare aſſolet conſolationibus.

### THEMA.

*Conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, Pſal. 93. verſ. 19.

In tribulationibus Deus ſolatur ſuos.

1. COr Davidis per totum vitæ tempus, innumerabilium transfixerunt puncturæ tribulationum, hinc inceſſanter perſequente Saule, illinc calumniantibus æmulis, imò & proprio filio in paternam conjurante cædem; nihilominus in omnibus iſtis anguſtijs, juxta tribulationum menſuram, interna ſe conſolatione recreatum profitetur divinitus inquiens: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Hunc ipſum infallibilis ſemper modum methodumque ſervavit providentia Dei, ut ſcilicet omnibus, amoris ſervitijque divini intuitu, labores, tribulationes aut perſecutiones ſufferentibus, opportunum impertiret ſolatium. Ita Abraham, dum vix domo, patriâ, amiciſque relictis, in aliena hoſpes cœpit degere terra, illico viſionibus, revelationibus, alijsque favoribus cæleſtibus delinitus fuit, filiumque obtinuit Iſaac, qui *riſus* interpretatur, ſpiritualis ſymbolum lætitiæ. *Poſtquam Abraham exivit de terra ſua ad mandatum Domini*, [inquit Seraphicus Doctor] *ipſe Dominus conſolatus eſt eum diverſis apparationibus & revelationibus.* Numquid & Moyſes, primum à Deo conſtitutus Synagogæ fundamentum per 40. annos in Pharaonis aula traductos, ubi tamquam filiæ Regis filius continuis gaviſus fuerat obſequijs, cæleſtes contemplari meruit viſiones: *Moyſes paſcebat oves Jethro, . . . apparuitque ei Dominus in flamma ignis.* Aſt quando dicta ei obtigit viſio? *Pharao quærebat occidere Moyſen, qui fugiens de conſpectu ejus, moratus eſt in terra Madian. Apparuit Moyſi exultanti & oves paſcenti*, inquit idem S. Bonaventura, *quod non accidit ei, quando nutriebatur in domo Pharaonis.* Quantis equidem ſanctiſſimus hic legiſlator ſubjacebat periculis, tam atheo illi aſſiſtens Regi, quàm poſtea per 40. ſolidos annos, inter contumacem Deoque rebellem demorans populum?

S. Bonav. t. 7. in bibl. pauper. c. 4.

Exod. 3. v. 1. & 2.

Exod. 2. v. 15.

S. Bonav. ib.

Conſolationes Dei qui guſtat mortifera non curat.

2. Suam Salvator in collegio Apoſtolico fundaverat Eccleſiam [*Iſti ſunt, qui viventes in carne, plantaverunt Eccleſiam ſanguine ſuo*:] aſt quia tyrannis ſe ſiſtere, millenaſque mortes in novæ religionis fideique confirmationem, ſubire parati eſſe debebant, ut ijs animum viresque adderet, voluit illorum aliquos, & inter eos Sanctum Petrum, ſuæ præſentes adeſſe transfigurationi, *ut ſic animarentur ad ſequendum Chriſtum*, inquit Lyranus. Hæcque viſio S. Petrum tantâ inebriavit ſpiritus ſuavitate & dulcedine, ut de monte Thaborio recedere detrectarit. *Hanc ut guſtavit Petrus*, inquit Sanctus Auguſtinus, *omnium inferiorum oblitus, clamavit quaſi ebrius, dicens; Domine, bonum eſt nos hic eſſe, ſufficit tantâ dulcedine ſatiari; unam enim ſtillam ille guſtavit, & omnem aliam faſtidivit dulcedinem. Quid putas, dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ guſtaſſet, quam abſcondiſti timentibus te?* Eamdemque ob cauſam idem Apoſtolus, poſtmodum animaturus fideles, ne in via Dei, quam in primo Eccleſiæ primitivæ ſæculo, tot ſpinarum, perſecutionum, paupertatis, exiliorum, carcerum, compedum, aliorumque plurimorum acerbiſſimorum ſuppliciorum inimicitiæ & rigores obſederant, fortes eos atque conſtantes athletas futuros promittit, modò conſolationes deguſtaverint ſpirituales, quibus ſuos refocillare amat Chriſtus: *Ut in eo creſ-*

Lyran. in Matth. c. 17.

S. Aug. t. 9. ſol. c. 22.



*catis in ſalutem, ſi tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus.* Cardinalis Hugo ſuperaddit; *& hæc poteſtis, ſi tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus; & hic oſtenditur, per quod poſſumus adipiſci hunc finem.*

1. Pet. 2. v. 3.

Hug. Card. ibid.

Mandatorum viam velociter currit interne conſolatus.

3. Rotæ, quibus curruum innititur moles, ut moveantur velociter inunguntur; ita & *ſpiritualis unctio* ſpiritus, internis ſuis conſolationibus, inter mortificationes, paſſiones, vitæque pœnitentis rigores: perfacilem efficit Chriſtiani hominis currum; unde dicebat David: *Viam mandatorum tuorum cucurri; cùm dilataſti cor meum.* Idem Eminentiſſimus Cardinalis præcitato S. Petri dogmati inſiſtens; ſuum noſtrumque ſimul proſequitur intentum, dicens: *Quaſi dicat; hoc poteritis facere, ſi quanta ſit dulcedo divina, ſapitis; nam qui nihil de ejus dulcedine guſtat, non eſt mirum, ſi hic terreſtribus deſiderijs ſordidari non evitat.*

Pſ. 118. v. 32.

Interna conſolatio dulcia facit omnia.

4. Protomatyr Stephanus, qui omnibus alijs per totum ſæculorum progreſſum, ſemitam patefacturus erat ad ſufferendum pro fide enſes, compedes, feras, patibula, plurimorumque aliorum immaniſſimorum ſuppliciorum carnificinam, voluit Deus, ut de petris mel ſugeret dulcedinum Paradiſi: *Ut ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Unde & in ejuſdem concinimus præconium: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*; vel ut Sanctus Auguſtinus Deum alloquens dicit: *Tua dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit.* Chriſtiani in primitiva Eccleſia, totius Hebraiſmi & Gentiliſmi riſus erant & ludibrium, quos qui benignior mitioribus affeciſſet tormentis, equuleos, catacaſtas, aliaque ſimilia inferebat ſupplicia; ideoque divina providentia interiori ſpiritus dulcedine eorum medullas replebat, quemadmodum expertus eſt ille; qui dicebat: *Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus.* Quia nimirum cæleſtes deguſtaverant conſolationes: *Si tamen guſtaſtis*; quæ ulterius verba elucidans Dionyſius Carthuſianus, inquit: *Tunc præfata documenta poteritis adimplere, ſi divinæ bonitatis ſuavitatem interiori guſtaſtis palato*; cujus hanc aſſignat rationem, quia nimirum *homo diu non poteſt eſſe ſine delectatione, delectationem naturaliter appetit*; quæ ſi in ſenſu & carne reſederit, væ nobis, quia talis ſpiritualem excludit, juxta illud: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*: Si verò animum occupavit, ſalus nobis eſt, omnes mundi faſtidientibus delicias: *Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia.* Ita Salvator, *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*; nos ad ſua pariter invitans veſtigia: *Qui vult venire poſt me, ... tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Sanctum contemplemur Andream, qui patibulo affixus, infinitæ impatiens & ſufferendæ impar lætitiæ, univerſo eam mundo communicare voluit, quia nimirum, ut Sanctus Bernardinus inquit: *Spiritus erat, qui adjuvabat infirmitatem ejus.* Moxque Sanctus Doctor ibidem adjungit, dicens: *Moleſtus eſt nobis pœnitentiæ labor, corporis afflictio gravis, abſtinentia oneroſa, in vigilijs dormitat anima noſtra præ tædio? non ob aliud ſanè quàm propter inopiam ſpiritus. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit eſſe ſuaviſſimam.*

Deut. 32. v. 13.

S. Auguſt. ib.

1. Cor. 4. v. 12. & 13.

1. Cor. 2. v. 14.

Pſ. 83. v. 11.

Hebr. 12. v. 2.

Luc. 9. v. 23.

S. Bernard. ſer. 2. de S. Andrea.

Furijs exagitandi Apoſtoli S. accepere Spiritum.

5. Ut diſcipuli Chriſti medias inter innumerabilium perſecutionum procellas; vitam conſtanter ducerent Apoſtolicam, Spiritum accepère Paraclitum; de quo Sancta canit Eccleſia: *Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium, in labore requies; in æſtu temperies, in fletu ſolatium*; in virtute hujus *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Pro tua dulcedine*, inquit Sanctus Auguſtinus, *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam &c.* Sanctus Barnabas modo ſpeciali, poſt Domini aſcenſionem, ad Apoſtolatum adſcitus fuit, *vir bonus*, teſte Evangeliſtâ, *& ſpiritu Sancto plenus*; Barnabas *filium* ſonat *conſolationis*, ut diſcamus, Deum ſequaces ſuos ſine hac ſpirituali unctione, contra poteſtatum infernalium tyrannorumque furias minimè ablegare. Sanctus Paulus, qui jure meritiſſimo gloriabatur: *Abundantius omnibus laboravi*; de quo item Eccleſia canit: *Univerſum mundum B. Pauli prædicatione docuiſti*; nonne ſpiritualium dulcedinum & ſuavitatum propemodum ſuffocatus fuit exuberantiâ *Superabundo gaudio in omni tribulatione.* Numquid Sanctus Joannes Evangeliſta, qui ad ultimos uſque canos, Eccleſiam Sanctam præſertim in Aſia, ſolicitè rexit, tot tantorumque perſecutorum ſcopus erat conſtituendus, & Domitiani Imperatoris furijs exagitandus, numquid non, inquam, hic ipſe medios inter bullientes olei ardores, hoc propheticum expertus eſt in ſe adimpletum oraculum: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis?* Nonne hic ipſe tamquam dilectiſſimus diſcipulus cæleſtibus variè fuit accumulatus favoribus? *Cum B. Joannes eſſet in Pathmos inſulam relegatus, divinâ revelatione fuit multipliciter conſolatus.*

Act. 5. v. 41.

S. Auguſt. ib.

Act. 11. v. 24.

1. Cor. 15. 10.

2. Cor. 7. 4.

Pſ. 44. v. 8.

S. Bonav. ib.

Suavitas levè facit jugum.

6. Æterna incarnata veritas nos equidem, ut humeros noſtros Sancto ejus jugo ſubdamus, invitat dicens: *Tollite jugum meum ſuper vos*, attamen cum hoc addito: *Suave eſt.* Jugum eſt durum ſenſui, aſt ſuavitas mirum ſpiritui; D. aſtruente Auguſtino: *Qui jugum Domini intrepidâ cervice ſubierunt, tam difficilia pericula patiuntur, ut non à laboribus ad quietem, ſed à quiete ad laborem vocari videantur.* Quomodo? igiturne nil niſi moleſtia, nil niſi afflictio & tribulatio? abſit, reſpondet idem S. Doctor: *Profecto adeſt Spiritus Sanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renovaret de die in diem, & guſtatâ requie ſpirituali, in affluentia deliciarum Dei, in ſpe futuræ beatitudinis omnia præſentia deliniret, aſpera & omnia gravia relevaret.*

Matth. 11. v. 29.

S. Auguſt. ſerm. 9. de ver. Domin.

Internæ conſolationes Religioſorum.

7. Ab univerſalibus ad particulariora deſcenſuri, Religioſos contemplamur, fulcra Eccleſiæ Sanctæ, in dilectiſſimis Eliſæi diſcipulis figuratos, quos, dum ſuos alloquitur, ſingulos his verbis Sanctus exhortatur Bernardus: *Si pœnitentia veſtra minuatur miſeratione crudeli, paulatim gemmis corona veſtra privatur. Quid tamen agimus, ubi Prophetæ farinula? Siquidem mors in olla eſt, & mortificamini totâ die in jejunijs veſtris, in laboribus frequenter, in vigilijs ſupra modum; præter ea, quæ intrinſecus ſunt; contritio cordium & multitudo tentationum; mortificamini, ſed propter eum, qui mortuus eſt pro nobis.* Quam amarulentam portionem hac protinus demulcet ſuavitate, inquiens: *Quod ſi abundat tribulatio veſtra pro eo, abundat conſolatio veſtra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit conſolari.* Citra omnem controverſiam eſt, Religioſos nullo non tempore Sanctam ſuſtentaſſe Eccleſiam; Innocentius Tertius vidit pauperem nudipedem, ſuis Eccleſiam Lateranenſem, ne corrueret, humeris ſuſtentantem Sanctum Franciſcum: Imo ut Apoſtolicus quidam advertit prædicator: Cuncti Religionum Fundatores per earum inſtitutionem, ſuos in Eccleſiæ tutelam ſuppoſuère humeros, alijs apud Antipodas Catholicam propagantibus fidem, alijs hæreſes oppugnantibus & expugnantibus, alijs animarum lucro & converſioni inſiſtentibus, alijs divinum cultum & gloriam promoventibus, calamo & ſanguine integritatem Chriſtianorum & Catholicorum dogmatum tutantibus alijs. Religioſi currus ſunt Ezechielis, velociſſimè de polo tranſcurrens in polum, in quo Altiſſimi reſplendet Majeſtas. *Hujuſmodi ſpirituales animæ*, inquit Sanctus Thomas de Villa Nova, *deſignatæ ſunt per illas rotas Ezechielis, quæ ubi erat impetus ſpiritus, illac rapiebantur.* Immenſam evolvite ſeriem quotidianarum paſſionum, intolerabilium humilitatis, paupertatis, famis, nuditatis, macerationis in carne propria, jejuniorum, ciliciorum, vigiliarum, quibus indeſinenter implicantur Religioſi; Ex alia verò parte in hujuſmodi rotarum unctionem veſtros pariter conjicite oculos: *Unctæ enim ſunt oleo devotionis ſancto, & ideo ad omnem virtutis motum faciles & mobiles ſunt.*

S. Bern. præfat. ſup. Pſ. qui habitat.

4. Reg. 4. v. 40.

Religioſi Eccleſiam ſuſtentant.

Ezech. 1. v. 12.

S. Thom. de Villa Nova. ſerm. de S. Doroth.

Auſteram vitam SS. ſuavem fecit conſolatio interna.

8. Sanctus Ignatius Societatis Jeſu Fundator (de quo Eccleſia canit: *Deus, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novo per Beatum Ignatium ſubſidio militantem Eccleſiam roboraſti*:) in converſionis ſuæ principio auſteriſſimam duxit vitam, *emendicato pane & aquâ victitans, aſperâ catenâ ciliciοque carnem domans, humi cubans, & ferreis ſe flagellis cruentans*; Nihilominus *ſecundùm multitudinem dolorum ſuorum in corde & corpore ſuo conſolationes Dei lætificaverunt animam ejus; claris adeò illuſtrationibus à Deo recreatus, ut poſtea dicere ſolitus ſit, ſi ſacræ literæ non extarent, ſe tamen pro fide paratum, ex ijs ſolum, quæ ſibi Minreſæ patefecerat Dominus.* Nonne & Sanctum Franciſcum Xaverium, Indiarum Apoſtolum innumerabilium paſſionum laborumque metam & ſcopum tanta tamque exceſſiva ſpiritualium conſolationum atque dulcedinum obruit exuberantia, ut exclamare coactus fuerit: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.* In clauſtris & eremis, ſuper homines, humanam in vivendo exuperantes conditionem, vitamque Apoſtolicam, nec non ad animarum

In Lect. S. Ign. Loyol.

marum converſionem à Deo deſtinatos, diſtillat, pluit, vel ut verius loquar, diluvij inſtar decidit dulcedinum paradiſiacarum manna, ut per deſerta in vitæ pœnitentis conſtantia tantò currant expeditius, ſanctius & perfectius ad terram promiſſionis.

Oriens Eccleſia conſolata fuit à SS. *Matth. 16. v. 18.* *Act. 9. v. 31.*

8. Eccleſia militans inviolabilem habens interminabilis conſtantiæ promiſſionem [ *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* ] ſuis in cunabulis per ferociſſimos agitata fuit infernalis Herodis aſſultus, prout fuſius in actibus Apoſtolorum atteſtatur Sanctus Lucas; Nihilominus ut idem quoque Evangeliſta adſtruit, eadem ſuavitatibus delinita innumeris ſimul etiam *ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione Sancti Spiritus replebatur.* Quàm veritatem Salvator, dum in Nazareth, loco Nativitatis ſuæ, templum ingreſſus, librum aperiret, quàm abundantiſſimè comprobavit, hæc legens Prophetæ Iſaiæ verba: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, Ut conſolarer omnes lugentes*; Aſt quando hæc Evangelici Vatis de Meſſia fuit adimpleta Prophetia? In medio turbinum & tribulationum: *Hodie completa eſt Scriptura hæc in auribus veſtris, ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Sequaces equidem Chriſti in ſtatu gratiæ, temporalibus neutiquam abundare bonis, neutiquam excellere honoribus, humanis minimè debent frui proſperitatibus, veluti eminuere Abraham, Joſue, David & alij; Sed præeligere debent eſſe *omnium Peripſêma*, nimiæ intuitu promiſſionis. Audire non pigeat Dionyſij hac in parte doctrinam, inquientis: *Coronam pro cinere, id eſt, exaltationem pro humiliatione; Oleum gaudij, id eſt, interioris hilaritatis perfuſionem; Pro luctu pallium laudis, id eſt, decorem gratiarum actionis; Pro ſpiritu mœroris, quatenus laude & gratiarum actione induantur tamquam veſtimento, & dicant: Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis, quibus vidimus mala: Hæc tribuit omnibus Chriſtus piè lugentibus.*

*Luc. 9. v. 18. Iſa. 61. v. 2.* NB. *1. Cor. 4. v. 13.* *Dion. Carth.*

Qui patitur conſolatur in multis. *Iſa. 66. v. 10. 11.* *Ibid. v. 11.* *Ibid. v. 12.* *Ibid. v. 13.* *Ibid. v. 14.* *S. Hieron. ib.* *Oleaſter. ib.* *Pſ. 68. v. 3.*

9. Jeruſalem Eccleſiam denotat, ideoque quotannis in ſacrorum templorum ſolemnitatibus cantare conſuevimus: *Cæleſtis urbs Jeruſalem*; & iterum: *Vidi Jeruſalem novam deſcendentem de cælo.* Aſt qualibus hæc ipſa divinarum conſolationum inebriatur affluentijs? Audite eumdemmet Evangelicum Prophetam: *Lætamini cum Jeruſalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam; gaudete cum ea gaudio univerſi, qui lugetis ſuper eam, Ut ſugatis & repleamini ab ubere conſolationis ejus, ... & delicijs affluatis ab omnimoda gloria ejus, Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis, ... ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis; Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Jeruſalem conſolabimini, Videbitis & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini ſervis ejus.* Hæc ipſa Prophetia in ſæculorum progreſſu, in ferventioribus Dei ſervis adimplenda, unde Sanctus Hieronymus inquit: *Apoſtolis præcipitur & Apoſtolicis viris, ut ſugant & repleantur uberibus conſolationis ejus.* Vel ut fuſius eumdem nobis textum Oleaſter explanat: *Æquum eſt, ut, qui doloris participes facti ſunt, fiant etiam conſortes gaudij: Audis hic, qualis ſit ſanctæ Eccleſiæ affectus circa filios, ut ſinat eos ſugere ad ſatietatem. Ecce declino ad eam tamquam fluvium pacem, reſpondet conſolatio afflictioni. In Pſalmo conqueritur Eccleſia, dicens: Veni in profundum aquarum, & flumen operuit me: Quæ ergo propter Deum bibit flumen afflictionum, æquum eſt, ut bibat tamquam fluvium pacem; Qui enim multa ſuſtinet, in multis conſolatur.*

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

De abundantia & multiplicitate dulcedinum & illecebrarum ſpiritualium, quibus Deus dilectas ſibi animas demulcet.

### THEMA.

*Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Pſal. 35. verſ. 9.

Torrente voluptatis potantur Animæ S.

1. INappretiabilem ſuavitatis, dulcedinis & conſolationum ſpiritualium multiplicitatis exuberantiam regius exhibiturus Vates, eam torrenti, mox ſacroſanctæ cuidam ebrietati aſſimilare non dubitat, inquiens: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Sanctus Hieronymus exponit: *A pinguitudine gratiæ Spiritus Sancti*, qui per domum intelligit Eccleſiam: *Domus tuæ ſanctæ Eccleſiæ*; Per deliciarum voluptatumque torrentem, affluentiam deſignans Spiritus Sancti; cujus fructus dum varios enumerat Apoſtolus, ſecundam inter eos ſedem gaudio tribuit & lætitiæ, inquiens: *Fructus autem Spiritus, eſt charitas; gaudium. Torrens voluptatis Dei Spiritus Sanctus eſt*; inquit Sanctus hic Doctor, *qui irrigat omnem animam ſpiritualibus fluentis; ut fructum exhibeant ſanctitatis.* Cui Gloſſæ & illa conſonat Præceptoris Angelici, dum ait: *Hic eſt amor Spiritus Sancti, qui facit impetum in anima ſicut torrens; Voluptatis, quia voluptatem & dulcedinem in anima facit.* Vel ut magiſter ejus Albertus Magnus explanat: *Torrente voluptatis*; id eſt, *amore tuo delectabili & voluptuoſo, & indeficienter abundanti.* Cajetanus legit: *Satiabuntur de pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos*, propter intimam cum Deo familiaritatem & converſationem; *Quia domeſtici Dei erunt, ſatiabuntur de pinguitudine domus tuæ.* An non multis ante ſæculis hanc conſolationum ſpiritualium abundantiam, in gratiæ & legis Evangelicæ ſtatu conferendam ſpoponderat Dominus, inquiens: *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis & quaſi torrentem inundantem.* Imo verò, quoniam *fluminis impetus lætificat civitatem Dei.*

*S. Hier. ibid.* *Gal. 5. v. 22.* *S. Thom. ib.* *Cajet.* *Iſa. 66. v. 12.*

Dulcedo inexplicabilis. *Apoc. 2. v. 17.*

2. Sanctus Joannes ab omnis gaudij fonte atque origine Spiritu Sancto vocem audijt, qua Eccleſiæ ſanæ omnibusque fidelibus divinus Spiritus intimare geſtiebat atque aſſecurare, imperceptibile atque inexplicabile eſſe divinarum dulcedinum, guſtuum, ſaporumque ſpiritualium manna: *Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſijs: Vincenti dabo manna abſconditum & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum; quod nemo ſcit, niſi qui accipit.*

*Pſ. 30. v. 20.* *Hug. Card. ib.* Inæſtimabilis. *1. Cor. 2. v. 9.* *Pſ. 67. v. 11.* *Hugo Card.* *Sap. 12. v. 1.* *S. Bonav. ib.* Excedens omnia. *Dion. Carth. in Pſ. 30.*

3. Hugo Cardinalis illum Pſalmi explanans textum (*Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*) reſpondet: *Inæſtimabilis eſt*, conformiter Apoſtolico huic teſtimonio: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Aſt idem proſequitur Hugo, *Ubi & cui paravit? dicit Pſalmus: Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. De hac dulcedine, quantum poteſt, exprimit Beatus Bernardus, dicens, quod Deus eſt mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.* Cujus gaudij immenſitatem dum penitus exprimere nequiret Sapiens, & nihilominus eloqui geſtiret, exclamare cœpit: *O quam ſuavis eſt Domine Spiritus tuus!* Ubi Seraphicus Doctor ad particulam *O quam* ſeſe reflectens, ait: *Exclamatio eſt, innuens inſufficientiam loquentis ad exprimendum, quaſi dicat: Non valeo dicere, quantum.* Dionyſius quoque Carthuſianus, qui in ſacroſanctis Carthuſiacæ ſolitudinis receſſibus hanc Paradiſi deguſtavit dulcedinem, hanc omnibus quantumvis maximis, ſenſus, carnis & mundi præfert delicijs, inquiens: *Multitudo dulcedinis Dei, quam ipſe chariſſimis ſuis in præſenti vita ſæpe infundit, magna eſt nimis, & omnem carnalem dulcedinem prorſus excedens.*

*1. Petr. 2. v. 3.* *S. Hier. in c. 18. Ezech.* *S. Juſtinus apol. 2.* *S. Aug. t. 9. ſoliloq. c. 21.*

4. Interpretes ſacri varijs certatim epithetis & commentarijs illa Apoſtoli Petri conantur elucidare atque illuminare verba: *Si tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus.* Sanctus Hieronymus pro *dulcis* legit *ſuavis*; Pagninus & Vatablus, *Benignus*; Clarius, *Bonus*; Sanctus Juſtinus: *Benignus, ſuavis, officioſus.* Sanctus Auguſtinus eumdem in Chriſti transfiguratione præſentem conſiderans Apoſtolum, inquit: *Hanc ut guſtavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quaſi ebrius, dicens: Domine bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula; Hic moremur, te contemplemur, ſufficit nobis Domine, videre te; ſufficit tanta dulcedine ſatiari. Unam enim ſtillam dulcedinis ille guſtavit, & omnem aliam faſtidivit dulcedinem.* Si vel unica mellis ſtilla ad indulcorandas ſalſas maris undas ſufficeret, nonne virtus hæc limites tranſcenderet naturæ? Hunc ipſum effectum gratia & ſpiritus operatur ſervorum Dei, ſiquidem in immenſo innumerabilium tribulationum Oceano fluctuantes, vel unicâ paradiſiaci roris ſtillâ influente, ſummum jubilum, maximum concipiunt gaudium &

Mare tribulationum dulcoratur unicâ ſtillâ cæli.



*2. Cor. 11. v. 23.* *Ibid. v. 25.* *Ibid. v. 26.* *Ibid. v. 27.*

& lætitiam; Veritatem à Doctore gentium edoceamur plenius; quid igitur? *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter; Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, In itineribus ſæpe periculis fluminum, periculis latronum ... periculis in mari, periculis in falſis fratribus; In labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in jejunijs multis, in frigore & nuditate.* Ecce vobis anguſtias & preſſuras, ecce vobis integrum amaritudinis pelagus, attamen vel unicâ cæleſtium gaudiorum ſtillâ indulcoratum, quoniam ut idem Apoſtolus atteſtatur, *Deus totius conſolationis qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra; Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.*

*2. Cor. 1. v. 3.* *Ibid. v. 4.* *Ibid. v. 5.*

Abundantia cœleſtium Conſolationum in SS. Xaverio & Philippo.

5. Sanctum Franciſcum Xaverium, novi mundi converſorem, medias inter perſecutiones, labores & ſudores tanta ſpiritualium illecebrarum obruit copia, ut vel invitus exclamare coactus fuerit: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.* Quidam temporum noſtrorum Orator in ſermone panegyrico, in Sancti hujus laudem compoſito, cur, inquit: clamas ô Seraphin: *Satis eſt Domine, ſatis eſt?* Ergone pectus illud, cujus amplitudo vaſtam mundi hujus tranſcendit immenſitatem, exilis ſubitò implet ſatiatque flamma? Cæleſtibus igitur gratijs cor illud occludis, quod ultro citroque gladijs patefeciſti barbarorum? Ergone tu qui medias inter graviſſimas tribulationes, diſpendia, mortes, numquam dixiſti: *Satis eſt?* Tu, inquam, vel unicæ victus cedis ſcintillæ? Igiturne ſinum illum ampliſſimum, qui incredibili cum charitate omnes concludere geſtiebat animas, divini favores incapacem adeo anguſtumque reddiderunt? Ita ſane; Animum humanum, ut ait quidam Sanctus, res mundanæ occupare poſſunt, non replere; Cum enim Divinitatis effectus ſit capax, ſolus eum Deus ſeipſo ſatiare poteſt. Hucuſque citatus auctor. Verè utique in Sancto noſtro Philippo Nerio: prout in vita ejus traditur fuſius, illud Apoſtoli legimus adimpletum aſſertum: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio*; Qui proindè meritò, ut alij aſtruunt, cum Ephraemo dicere poterat: *Contine Domine undas gratiæ tuæ, & recede à me, quia non poſſum ſuſtinere magnitudinem dulcedinis tuæ.*

*L. 2. c. 1. vit. S. Phil. Ner.*

Gaudia cæl. exprimi non poſſunt. *Mich. Bon.* *Euth.* *Dion. Carth.*

6. Incognitus quondam, hodie notiſſimus Michael de Bononia Carmelitanus, ſupra citatum Pſalmi textum *Inebriabuntur* ita diſcurrit: *Gaudia cæleſtia verbis humanis exprimi non poſſunt, & ideo oportet, quod per ſimilitudinem dicantur.* Ebrietatem nimium cauſat potatum vinum, cui exhilarare proprium eſt: *Lætificat cor hominis*; unde Pſalmiſta per hanc ſimilitudinem, immenſas deſignare voluit ſpiritualium ſuavitatum affluentias, quas Deus communicat animabus; cui illud conſonat Euthymij commentarium, dicentis: *Inebriabuntur, hoc eſt, lætabuntur, lætitiam hic ebrietatem appellat.* Dionyſius Carthuſianus inquit: *Ubertas militantis Eccleſiæ eſt affluentia gratiarum Spiritus Sancti; Inebriabuntur, id eſt, tam copioſè replebuntur affluentia gratiarum Spiritus Sancti, ut à ſeipſis abſtrahantur ac alienentur, & in Deum abſorbeantur per charitatis fervorem in via.* Sanctus Philippus ſæpe in ecſtaſin raptus, in tantum alienabatur à ſenſibus, ut circumſtantes mortale aliquod accidens ſubeſſe credentes, ignitas ei applicarent cucurbitas, in quo verè ad literam adimpletus fuit ſacer ille textus: *Spiritus Domini rapuit Philippum*; Una namque divini ignis lingua cor ejus ingreſſa binas illi rupit deſtruxitque coſtas, ut capacius in eo ampliaretur dilatareturque ſpatium; Unde in ejus officio legimus: *Charitate Dei vulneratus languebat jugiter, tantoque cor ejus æſtuabat ardore, ut cum intra fines ſuos contineri non poſſet, illius ſinum, confractis atque elatis duabus coſtis, mirabiliter Dominus ampliaverit.*

*Act. 8. v. 38.* Cor S. Phil. charitate æſtuans duas confregit coſtas.

*Pſ. 125. v. 5.* *Incogn. ibid.* Cœli unica ſtilla inebriat.

7. Citatus modo incognitus illum Pſalmi (*qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent,*) interpretans verſum, ſingulariter ad particulam *in exultatione* ſuos convertit oculos, dicens: *Nota quod dicit: Venient cum exultatione; & non dicit: Cum lætitia; quia exultatio dicitur quaſi extraſaltatio; Quando ſcilicet tanta eſt lætitia interius, quod etiam ſaltet exterius ad corpus, & per ſigna exteriora oſtenditur.* Quem cordis motum & palpitationem adeo experiebatur vehementem dictus Sanctus Philippus, ut foras erumpere, anguſtique pectoris limites tranſgredi velle videretur, quoties ſolito intenſius ad ſpiritualia ſe negotia atque exercitia accingebat. Viſus Calendis Auguſti, in platea Sancti Petri ad vincula, quæ inibi feſtivitas peragebatur, viſus inquam, fuit ſaltare inſtar ſtulti vel ebrij: Aſt veraciter de eo illud aſtrui poterat Sancti Petri dictum, quo ſuos contra Hebræorum contumelias in die Pentecoſtes defendit fratres, inquiens: *Non ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt. Quamvis irridebant*, ait Gloſſa, *myſticè tamen verum dicebant; Quia non vino veteri*, quod in nuptijs Eccleſiæ *defecit*, *ſed muſto gratiæ ſpiritualis erant impleti.* Idem vinum inebriavit Davidem, quando coram arca *totis viribus ſaltabat ante Dominum.* Ebrietatem corporalem nimius ut plurimum cauſat vini potus, ſpiritualem vel unica cœleſtem civitatem inundantium fluminum ſtilla, ſufficientiſſima ut integrum repleat cor animamque humanam; Ideoque per Eccleſiaſticum invitamur ſinguli: *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini, Spiritus enim meus ſuper mel dulcis.* Notate verbum: *Implemini.* Circa quæ verba ſacer quidam interpres ſequentem format diſcurſum: *Quid dabis tranſeuntibus ad te? à generationibus meis, id eſt donis & gratijs à me procedentibus, implemini; Quæ enim mundus dat, animum mundo majorem implere non poſſunt; At ego dabo vobis Spiritum meum ſuper mel dulcem, qui ita implebit vos, ut nihil præterea deſideretis in hoc mundo.* Qui idem auctor dictum quoque verbum *implebimini* obſervans, ait: *Quia minus capax Dei, niſi Deo impleri non poteſt.* Nullæ umquam mundanæ deliciæ, quæcumque etiam poſſibiles, nobis ſatisfacere poſſunt; Aſt unica cœleſtium gaudiorum ſtilla quamcumque plenè exſaturare poteſt animam.

*Actor. 2. v. 15.* *Gloſſa ibid.* *2. Reg. 6. v. 14.* *Eccli. 24. v. 26.* *Paul. de pal. ibid.* Exſaturat.

8. Sanctus Hieronymus in illius Pſalmi Commentario (*Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*) ad Deum converſus, *ait*: *Multifarie copioſa dulcedo tua eſt.* Sanctus Thomas pariter inquit: *Iſta dulcedo multa eſt numeroſitate*: Qui Angelicus Doctor de omnis origine ſuavitatis Deo noſtro tractans, conformiter ad illa Sancti Petri verba (*Si tamen guſtatis quoniam dulcis eſt Dominus*) ſequentem inſtituit diſcurſum: *Dulcis eſt primò in cogitatione ad meditandum, Canticorum 2. Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Secundò in aure, ſcilicet ſpiritualiter ad audiendum*, juxta illud: *Vox tua dulcis. Tertiò in ore ad loquendum & prædicandum; Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. Quartò, in aſpectu ad videndum: Dulce lumen & delectabile oculis. Quintò, ad exequendum; Nihil dulcius, quam reſpicere in mandata Dei.*

*Pſ. 30. v. 20.* *S. Hier. ib.* Dulcorat. *1. Petr. 2. v. 3.* *S. Thom. ib.* *Cant. 2. v. 3.* *Cant. 2. v. 4.* *Pſ. 118. v. 103.* *Eccl. 11. v. 7.* *Eccl. 23. v. 37.*

9. Nimiam, quâ Deus dilectas ſibi conſolatur animas, teneritudinem hiſce in Iſaia reperimus expreſſam verbis: *Ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos.* Ubi Gloſſa inquit: *Modò aquilæ, modo gallinæ, modo matri blandienti ſe comparat, ut vos ſaltem blanditijs alliciat.* Experientia teſte, nutrices infantium fletus cantu & officioſo mammillarum lacte demulcent & abſtergunt; Eamdem erga nos afflictos Deus ſervat methodum: Dicente Hugone Cardinali: *Conſolabuntur vos, blande vobis loquentur; Sicut nutrix parvulo ploranti blanditur, & frangit vocem ſuam, loquens & blandiens puero.* Animas propter Deum afflictas, propter Deum mortificationi propriæque voluntatis abdicationi vacantes interior multiplex delinire ſolet illuſtratio & ſpiritus ſuavitas. *Sonet vox tua in auribus meis*, dilectiſſima quondam ſponſo ſuo ſupplicabat; Aſt quare? *Vox enim tua dulcis.*

*Iſaia. 66. 12.* *Ibid. v. 13.* *Gloſſa ibid.* Multipliciter Deus ſuos conſolatur. *Hug. Card. ibid.* *Cant. 2. v. 14.*

10. Quid dubitatis? quid ambigitis? *Super genua blandientur vobis, ſuper genua quieſcere jubebimini*; Vel ut alij exponunt: *Riſu afficiemini, delectabiliter fovebimini.* Quibus in verbis phraſin illam prædominari avertit Oleaſter, quæ in cantibus & melodijs ſingulariter locum habet, quibus lactentes demulcentur infantes: *Intellige canticis quibus matres conſolantur parvulos ſuos.* Dionyſius autem Carthuſianus noſtro diſtinctè conſtanterque inſiſtens propoſito, inquit: *Super genua blandientur vobis, id eſt, familiariter ac benigne Deus ſe applicabit vobis, quomodo mater blanda filios ſuos proprio fovet in gremio*; juxta illum Pſalmi textum: *Propter nomen tuum deduces me & enutries me*; Quo fine & hunc ex Oſea adducit locum: *Ego quaſi*

*Iſa. 66. v. 12.* *Oleaſt. ib.* *Dion. Carth. ibid.* *Pſ. 30. v. 4.* *Oſe. 11. v. 3.*

[Deut. 33. v. 12.] *quaſi nutritius ephraim portavi eos in brachijs meis.* Et alium ex Deuteronomio, ubi dicitur: *Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo; totâ die.* Abunde nimium has deguſtavit illecebras Auguſtinus, quando ad divinum converſus amorem, maxima cum confidentia & familiaritate, his cœpit expoſtulare verbis: [Expertus eſt S. Aug.] [S. Aug. Sol. c. 1.] *Oſtende te mihi conſolator meus, veni gaudium ſpiritus mei, videam te lætitia cordis mei. Appare mihi delectatio mea magna, ſolatium meum dulce; Amplectar te Sponſe cœleſtis, exultatio mea ſumma, intus & extrà.* Et paulo poſt: *Guſtum ſana, qui ſapiat, & cognoſcat, & diſcernat, quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.*

11. Eoſdem teneriſſimos affectus B. Laurentius Juſtinianus de ſponſalitio animæ cum Deo tractans, nobis expreſſit diverſos, dum his mellifluis Deum affatur ſuſpirijs: [B. Laur. Juſt. l. de caſt. comm. c. 6. Suſpiria.] *Transfige ô dulciſſime Jeſu corda noſtra ſagittis ignitis amoris tui! Irrumpe O Domine penetralia mentium, illaque miſericorditer tuo illuſtra divino ſplendore, ut vulneratis de te, & illuminatis à te, in te ſit habitatio noſtra, pax noſtra, requies noſtra, deliciæ noſtræ, ſatietas noſtra, amor noſter, exultatio noſtra, tranquillitas noſtra, fiducia noſtra, & omne bonum noſtrum; Tuo enim amore quid dulcius? Tua charitate quid ſalubrius? Tua dulci memoria quid jucundius? Te, ô Sapientia, nihil meliùs quæritur, nihil arctius ſtringitur, nil ardentius amplectitur, nil ſuavius poſſidetur.*

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Deus ſingulariter titulo SUAVIS gloriatur, qualem ſe exhibuit in ſuo in terras adventu: Item de copioſa animæ ſuavitate, tamquam æternorum gaudiorum præludio: Item de centuplo, ſequacibus Dei in hac vita, promiſſo.

### THEMA.

*Ad te Domine animam meam levavi, quoniam tu Domine ſuavis.* Pſ. 85. v. 4. & 5.

[Dei titulus. Suavis.] 1. DIverſis ijsque omnibus glorioſiſſimis Heroes plurimos, quà ob imperium, quà ob magnificentiam, novimus præfulſiſſe titulis. Nabuchodonoſor, Rex Regum; Alexander Magnus, univerſi Monarcha; Demetrius, civitatum expugnator; Hannibal, coronarum domitor; Reges Hiſpaniarum, Catholici; Galliarum, Chriſtianiſſimi nuncupati fuere, hodieque nuncupantur: At Deus noſter, *Rex regum, Dominus dominantium*, ante cujus conſpectum ſublimiſſimæ tremunt Empyræi poteſtates, quonam gloriatur titulo? Audite Prophetam regium, virum ſecundùm cor Dei: [Pſ. 24. v. 8.] [Pſ. 33. v. 9.] [Pſ. 99. v. 4.] [Ibid. v. 5.] [Pſ. 134. v. 3.] [Pſ. 144. v. 9.] *Dulcis Dominus, ſuavis eſt Dominus; Laudate nomen ejus. Quoniam ſuavis eſt Dominus; Pſallite nomini ejus, quoniam Suave; Suavis Dominus univerſis.* Id quod & filius ejus Salomon atteſtatur, dum inquit: [Sap. 12. v. 1.] [Sap. 15. v. 1.] *O quam bonus & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus; Tu autem Deus noſter ſuavis es.* Ideoque poſtmodum incarnatus Deus, legem gratiæ inſinuaturus mundo, eam quidem jugum, aſt ſuave appellat, dicens: [Matth. 11. v. 13.] *Jugum meum ſuave eſt.*

[Deſcribitur Dei ſuavitas.] 2. Regius Vates nos, ut Deo gaudentes atque exultabundi famulemur (*Servite Domino in lætitia*) [Pſ. 99. v. 1.] invitaturus, ſequentem illius aſſignat rationem: [Ibid. v. 5.] *Quoniam ſuavis eſt Dominus*; Circa quæ verba Cardinalis Bellarminus hunc in modum diſcurrit: [Bellarm. ib.] *Mira proprietas Omnipotentis ac tremendæ Majeſtatis, quæ lucem habet inacceſſibilem, & quæ terribilis eſt ſuper omnes Deos, & aufert ſpiritum Principum, & de quo Apoſtolus dicit: Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis; & tamen veriſſime dictum eſt; quoniam ſuavis eſt Dominus.* Circa quæ eadem verba Hugo Cardinalis, & ipſe nimiam Dei noſtri ſuavitatem dulcedinemque admirans, ſequentem format diſcurſum: [Hug. Card. ib.] *Eſt Deus benedictus & ſanctus, eſſentialiter dulcis, & ejus infinita eſſentia nihil aliud eſt, niſi dulcedo prorſus immenſa; à cujus odore, ſuavitate, ac amœnitate in infinitum occubuit omnis dulcedo creata.* Albertus Magnus idem proſequens intentum, dum ſæpius Deum hoc *Suavis* titulo inſigniri advertit, hunc in modum ſermocinatur fuſius: [Alb. Mag. ib.] *Suavis in ſe; O quam ſuavis eſt Domine Spiritus tuus; Suavis Domine in nomine & recreatione; Pſalm. 134. Pſallite nomini ejus, quoniam ſuave. Suavis guſtui. 1. Petr. 2. v. 3, Si tamen guſtaſtis, quoniam ſuavis eſt Dominus Eccleſ. 49. Memoria Joſiæ ... in omni ore quaſi mel indulcabitur; Suavis auditui, quia ipſe eſt verbum bonum & ſuave. Eccleſ. 6. Verbum dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo? Suavis olfactui, quia Eccleſ. 49. Memoria Joſuæ, id eſt Jeſu in compoſitione odoris facta opus pigmentarij. Suavis viſui. 1. Petr. 1. v. 12. in quem deſiderant Angeli proſpicere.* [Sap. 12. v. 1.] [Pſ. 134. v. 3.] [1. Petr. 2. v. 3.] [Eccli. 49. v. 1. & 2.] [Eccli. 6. v. 5.] [Pſal. 118. v. 103.] [Eccl. 49. v. 1. & 2.] [1. Petr. 1. v. 12.] Jeruſalem cœleſtem impetuoſum continuò inundat flumen: de quo ſcribitur: [Pſ. 45. v. 5.] *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*: Atque ideo continuus ibi viget novorum & numquam interruptorum gaudiorum fluxus & refluxus; [Pſ. 35. v. 9.] *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Aſt quis tanti nectaris atque Ambroſiæ torrentis fons eſt & origo? Reſpondet Dionyſius Carthuſianus: [D. Carth. in Pſ. 38. v. 9.] *Verè ſuavis eſt Dominus & fons univerſæ dulcedinis, à quo omnia dulcia dulcedinem ſortiuntur.*

[Meſſiæ dulcedo.] 3. Modumne obſervaſtis, quem Eccleſia Sancta ſervat, dum in Adventu de myſterio tractat Incarnationis? Sæpe ſæpius eo tempore nobis futuri Meſſiæ exhibet ſuavitatem; modo ipſum, veluti cœleſtem exhibet rorem, de cœlo ſereno dimanantem, inquiens: [Iſai. 45. v. 8.] *Rorate cæli deſuper.* Et in Dominica prima ad laudes: [Joel. 3. v. 18.] *In illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Inque ipſis feſtis Natalitijs cantamus: *Hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cæli*; animæque ad lætitiam invitantur: [Zach. 2. v. 10.] *Jucundare filia Sion, & exulta ſatis filia Sion; Lætentur cæli & exultet terra, jubilate montes.* Uſitatiſſimus quoque divini infantis cibus, juxta Prophetæ Evangelici oraculum, nil niſi dulcedo fuit & ſuavitas [Zach. 9. v. 9.] [Pſ. 95. v. 11.] [Iſai. 7. v. 15.] *Butyrum & mel comedet.* In utero virginali Spiritus Sancti opera conceptus fuit; [Luc. 1. v. 35.] *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*; Nec abſque myſterio, ſiquidem teſte Doctore Seraphico, [S. Bonav. l. 7. diſt. 7.] *Spiritus Sanctus fons eſt infinitæ dulcedinis.* Unde & Doctor gentium hunc veluti proprium Deo attribuit titulum, inquiens: [2. Cor. 1. v. 3.] *Deus totius conſolationis*; In cujus textûs commentario notat Theophylactus, [Deo diverſa dantur nomina.] ſolitos fuiſſe Sanctos Deo nomen imponere diverſum, juxta diverſitatem beneficiorum, quæ à liberaliſſima ejus manu recipiebant. Ita V. G. propter victorias ab inimicis reportatas ceciniſſe novimus Davidem: [Pſ. 17. v. 2.] *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus ... protector meus.* [Ibid. v. 3.] Ita quoque propter mentis & intellectus ſui lumen atque illuſtrationem, conformibus ad hanc gratiam Deum invocavit affectibus, dicens: [Pſ. 2. 1.] *Dominus illuminatio mea.* Proindeque dictus in hæc verba concludit Theophylactus: *Haud diſſimili ratione nunc quoque Divus Paulus Patrem miſericordiarum ac Deum conſolationis ipſum nominat, ab eo, quod contigit*; Siquidem hic Sanctus Apoſtolus etiam medias inter innumerabiles preſſuras, conſolationes expertus eſt innumeras, inquiens: [2. Cor. 7. v. 4.] *Superabundo gaudio in omni tribulatione*; Quibus ſimiles eoſque diverſos, quibus nos Deus conſolari aſſolet, modos excogitat conſideratque Sanctus Anſelmus, dum ait: [S. Anſelm. ib.] [Modi quibus conſolatur nos.] *Conſolatur nos, vel per ſe nobis apparens, vel per Angelos admonens, vel per Scripturas, vel per alios Sanctos, vel per occultam inſpirationem, vel per tribulationis alleviationem.* Cajetanus citatis verbis Apoſtolum acute notat præmiſiſſe, [Cajet. ibid.] *Benedictus Deus*; Unde ſequentem hanc eruit doctrinam, inquiens: *Benedicitur Deus abſolutè, dicendo: Benedictus Deus. Benedicitur autem Deus relativè ad integram conſolationem, dicendo: Et Deus totius conſolationis, non ut auctor ſeu pater conſolationis, ſed Deus; ad ſignificandum, quod, ſicut Deo proprium eſt eſſe Patrem miſericordiarum, ita proprium eſt, Deum venerari, agnoſci ac coli, ut Deum totius ſeu omnis conſolationis;* [Solus Deus verè conſolatur nos.] *Quia revera ipſe eſt ratio totius, id eſt, integræ conſolationis; Nullus enim omni ex parte conſolationem accipere poteſt niſi in Deo:*

4. Intimè veritatem hanc penetravit Sanctus Auguſtinus, dum humiliter Deo ſupplicans, ait: Quidquid mihi volueris dare ô Deus meus, totum renuntio tibi, totum tibi accipe, tu mihi ſufficis unus, utpote omne bonum omneque gaudium meæ afferens animæ: [S. Aug. in Pſalm. 26. enar. 2.] *Quidquid mihi præter Deum non eſt, dulce non eſt; Quidquid mihi vult Dominus Deus meus dare, auferat totum, & ſe mihi det.* Auguſtus



[In adverſis Conſolatio SS.] guſtus mundi Monarcha ſumma perfruebatur pace, aſt citra ſatisfactionem, ſiquidem Deus illi & divina deficiebat gratia; multis èontra Dei ſervis in paupertate, fame, nuditate, inter reconditas ferarum cavernas, præ gaudio exultantibus & jubilantibus, quia ſcilicet divinarum conſolationum rore perfuſi madent; cujus exuberantiam Sanctus Bernardus, per Antonomaſiam mellifluus dictus, hiſce fuſius verbis repræſentat, inquiens: [S. Bern. in l. de conſ. c. 1.] *Anima pura felicitatem contemplatur, gloriæ decorem, Dei bonitatem, internæ ſuavitatis dulcedinem, & æternæ quietis tranquillitatem; Meditatur Patris potentiam, Filij ſapientiam, Spiritus Sancti benignitatem, & Angelicæ creaturæ beatitudinem. Delectatur de Deo in Deum, dum ejus pietatem miratur & decorem contemplatur. O quam jucundum, ſi non eſſet tam modicum, raptim rapitur, ſola cæleſtia contemplatur contemplando jucundatur; Sed cum ibi diutius ſtare conatur, ſubitò labitur, rediens ad ſe, nulli poteſt intimare quod vidit; Supra ſe agitatione ſuavitatis allecta, guſtat dulcedinis ſuavitatem, & illam cæleſtem infuſionem lætitiæ ſpiritualis intra ſemetipſum miratur.*

5. Salmeron contextum proſequens aſſerti Apoſtolici, ſuperius allegati, per particulam *totius* inſinuari aſtruit, omnes conſolationes immediatè à Deo derivari: [Salmer. in 2. Cor. 1.] [Conſol. immediate à Deo.] *Totius conſolationis, non unius vel alterius, ſed omnis, id eſt, perfectæ, tam naturalis, quam divinæ, & ſupernaturalis.* Si Coſmophilos deliciæ, convivia, theſauri; imperia, nuptiæ, cantus, muſica, aliæque maximæ hujus vitæ voluptates recreant atque oblectant, quid ni pias probaſque animas, fruitionem Dei poſſidentes, vera minimeque ficta eriget conſolatio? Præſertim quoniam eodem Salmerone teſte; *Quæ ab illo non procedit conſolatio, nec nomine quidem conſolationis gaudere debet; Ideo Propheta dicit: Conſolamini, conſolamini popule meus: propter præſentem ſcilicet & futuram in alia vita conſolationem.* Flos germinans in arbore ſpem ingerit fructus, ita pariter conſolationum ſpiritualium in hac vita communicatarum abundantia, pignus eſt atque arrha gaudiorum cæleſtium; Unde Sanctus Chryſoſtomus (in Homilia, cui titulus: [S. Chryſoſt.] [Juſtorum lætitia quale præſagium.] *Quod non datur pariter ſecundùm Deum & mundum gaudere*) ita diſcurrit: *Juſtorum lætitia vera eſt, animæ pariter ac corporis recreatio, & ſempiternæ fruitionis præſagium & flos.* Aſt longè aptius ad noſtrum intentum in illius Pſalmi Commentario (*Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo*:) [Pſ. 4. v. 5.] ſermocinatur Dionyſius Carthuſianus, inquiens: [D. Carth. ib.] *Ipſa divina conſolatio in præſenti experta, quid aliud eſt niſi pignus & arrha felicitatis futuræ, gaudijque cæleſtis prælibatio quædam.*

[Pſ. 35. v. 9.] [Spiritualis lætitia inebriat.] 6. Sanctus Remigius illa Pſalmi verba: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*; ſequenti illuſtrat peridoneo Commentario: *Bene inebriabuntur, quia ſicut vinum immodicè ſumptum mentem aufert, ita & magnitudo ſpiritualis lætitiæ mentem fidelibus aufert humanam, & transfert in divinam; Voluptuoſo potu ſpiritualis gratiæ potabis eos, qui venit ad eos quaſi torrens, omnia obſtacula terrenarum cogitationum amovens, & omne lutum terrenæ voluptatis diluens.* Nonne David, quantumvis baculum paſtoralem cum diademate regio permutaſſet, omnibus locupletatus bonis & felicitatibus humanis, tunc ſubitò ex corporis ſui ergaſtulo liberari petijt, quando ſpirituales deguſtavit dulcedines? [Pſ. 119. v. 5.] [Pſ. 83. v. 11.] *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia*; nec immeritò, quoniam (ut cum Sancto Auguſtino diſcurram) ſi omnes pulcherrimas, venuſtiſſimas, nobisque utiliſſimas mundi creaturas in ſolatium nobis adſciſcere voluerimus, quod tandem ex ijs gaudium, quam ſatisfactionem poterimus haurire? Exilem penitus, ſi quampiam; Nihilominus ab ipſomet Eccleſiæ Doctore reſponſum accipiamus. [S. Aug. l. 9. ſol. c. 21.] *Cum ſint hæc omnia valde bona & delectabilia*, inquit ille Deum alloquens, [NB.] *quæ bonis pariter maliſque communia tradidiſti, qualia futura ſunt illa, quæ ſolis bonis recondidiſti? Si tam innumera & varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis & inimicis, quam magna & innumerabilia, quam dulcia & delectabilia, quæ ſolis tuis es largiturus amicis?*

[Oppoſita inter mundi & cæli gaudia.] 7. Si quis veſtrum Principis cujuſdam palatium ingreſſus, menſas offenderet, tam delicatis ac raris epulis vinoque inſtructiſſimas; ut earum reliquiæ nectar forent & ambroſia, quæ jumentis & equis in ſtabulo cederent ad pabulum; qualem de epularum ipſimet Principi offerri ſolitarum pretio & raritate conceptum formaret? Ecce vobis caſum in terminis. Corpori noſtro, ſenſibus hiſce noſtris Deus maximam impertit bonorum delectabilium, florum, odorum, ſaporum, fructuum, cantuum, melodiarum, aliarumque innumerabilium, quibus trahimur, deliciarum copiam; Nunc itaque imaginemini vobis, quanta animæ in cælis intimè deſponſandæ præpararit bona, quanta diſpoſuerit gaudia, quorum hic vix umbram attingimus, ita tamen ut aliquatenus eadem anticipatè delibemus, dicente Pſalmiſta: [Pſ. 20. v. 4.] *Præveniſti eum in benedictionibus dulcedinis. Eſt alius convivij locus*, inquit Beatus Laurentius Juſtinianus, [B. Laur. Juſt. de obed. c. 14.] *in quo exuberant deliciæ ſpirituales multæ, reficiunt iſtæ ad tempus convivantium mentes, minimè verò ad ſatietatem. Satiabor, inquit Propheta, de æternis, cum apparuerit gloria tua.* [Pſ. 16. v. 15.] *De temporalibus autem & ſpiritualibus inquit Sapientia, qui me edunt, adhuc eſurient; & qui me bibunt, adhuc ſitient.* Ideoque de prioribus loquens David, admirabundus exclamat: [Pſ. 30. v. 20.] *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti!* In hac ſiquidem vita, nil niſi pignus dumtaxat & arrha cæleſtem Jeruſalem inundantium fluviorum communicatur animæ; Unde Dionyſius Carthuſianus inquit: [Dion. Carth.] *Iſta dulcedo eſt quoddam præambulum futuræ dulcedinis Beatorum*; Et paulò poſt: *Hanc divinæ dulcedinis multitudinem experiri, eſt edere de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum, ſcilicet Beatorum; Eſtque ad menſam Chriſti ſedere; ad quam Sapientia Dei Patris invitat electos ſuos, dum ait: Comedite amici & bibite, inebriamini chariſſimi.*

[Qui cæleſtia habet terrenis non indiget.] 8. Neutiquam in præſenti prætereundum duco quemdam Sancti Marci textum, ubi Salvator ſuos animaturus ſequaces, ait: [Marc. 10. v. 29.] *Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Evangelium,* [Ibid. v. 30.] *Qui non accipiat centies tantum nunc, in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in futuro ſæculo vitam æternam.* Si retributio in altera dumtaxat vita centuplicata fuiſſet, facilis foret intelligentia, aſt apertè dicitur: *Nunc in tempore hoc.* Circa cujus textus commentarium non abs re fuerit; quid Sanctus Gregorius ſtatuerit, auſcultare: [S. Greg. h. 18. in Ezech.] *Neque enim Sanctus quiſque, inquit ille, ideo terrena deſerit, ut hæc poſſidere in mundo multiplicius poſſit, quia quiſque terreno ſtudio terram relinquit, terram non relinquit, ſed appetit; Centies itaque recipit, quod dedit, qui perfectionis ſpiritum accipiens, terrenis non indiget.*

9. Sanctus Ambroſius ad illam à Deo factam Abrahæ certitudinem (*Ego Deus tuus ſum*) ſeſe reflectens, [S. Ambr. in Pſ. 118. Oct. 8.] *non dixit, Ero*, inquit, *ſed, jam ſum, jam inhabito) jam poſſideo.* Et paulò poſt: *Propoſuit tibi Dominus in portione poſſeſſiones, in portione aurum, in portione argentum, in portione honores, in portione nobilitatem; propoſuit etiam in portione ſeipſum; Habes quam plurimas portiones, elige quam putas.* [Minimum ſpirituale bonum excedit maximum temporale.] Si Deum elegerimus magno nos utique locupletabimus bono: *Deus meus & omnia; non centupli enumeratione, ſed perfectæ plenitudinis æſtimatione cenſetur.* [Matth. 19. v. 29.] Cajetanus ſenſui inſiſtens literali centupulum iſtud in ordine ad bona ſpiritualia explicat, dicens: [Cajetan. ib. in Matth.] *Centuplum accipiet, etiam in hac vita verificandum ſupplet Marcus; Et propterea bonum ſpirituale centuplum ad bonum temporale dimiſſum promittitur in hac vita; Centuplum autem ex parte rerum, quia minimum ſpirituale plus quam centuplum [utpote incomparabiliter excedens] eſt ad maximum bonum temporale.* Hanc autem Salvator promiſſionem fecit, omnibus amore ſui mundum deſerentibus, in Sancto Petro, nomine omnium aliorum Apoſtolorum, dicente: [Matth. 19. v. 27.] *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Quis porro innumerabiles ignorat, quas hac in vita Sanctus Petrus cum omnibus alijs condiſcipulis ſuis perpeſſus eſt anguſtias, perſecutiones, carceres, gladios, minas, & patibula? Ubi igitur centuplum in hac vita? Si maxima iſtorum temporalium pars in carne & ſanguine, in amicis conſiſtit & divitijs, ubi Apoſtolorum omnibus hiſce bonis exutorum, centuplum? Quomodo adimpletur promiſſio: *Nunc in tempore hoc accipiet centies domos, fratres, agros &c.* Audite Sanctum Hieronymum: [S. Hier. in Matth.] *Qui carnalia pro Salvatore dimiſerit, ſpiritualia recipiet, quæ comparatione & merito ſui ita* erunt,

*erunt , quaſi ſi parvo numero centenarius numerus comparetur. Unde dicit & Apoſtolus , qui unam tantum, domum & unius Provinciæ parvos agros dimiſerat ; quaſi nihil habentes & omnia poſſidentes.*

Religioſi centuplum accipiunt in hac vita.

10. Quis Sanctus neſcit Ignatius in medio faucium leoninarum ; Laurentios inter flammas, alios in alijs crudeliſſimorum tormentorum carnificinis, veluti ſi in paradiſo beati exiſterent, tripudiaſſe? Hoc ipſum dilectiſſimi centuplum erat vitæ præſentis ; de quo in hæc verba loquitur Lucas Burgenſis : *Non ſufficit Jeſu , ſuorum mentes ſurſum ad ſpem vitæ æternæ efferre , verum etiam præſentibus eos ſolatijs ſuſtentat , confirmatque ad crucem ferendam.* Imò conſolationum ſpiritualium abundantia pœnitentiam , auſteritatem , omniumque mundialium bonorum renunciationem abundè adeo reſtaurat , ut centies, imò millies conſolationes ſpirituales excedant vincantque delicias ſenſus. *Vehementiores ; dulcioreſque ſunt affectus ſpiritus , quam naturæ* , inquit idem auctor, *quod ſi verò nonnumquam ſinat Chriſtus hujuſmodi extorres inediâ affligi , aut etiam perire ; Tunc Chriſtus ipſe eſt ijs inſtar omnium, qui externa corporis bona relicta, internis animi bonis compenſat :* [ exemplo *Apoſtolus eſt Philip. 4. v. 12.*] *quæ comparatione & merito ſui ita ſunt , quod ait Hieronymus , ut , ſi parvo numero centenarius comparetur , quibus multò ſolidius hominis animus reficitur , quam fruitione quorumcumque temporalium , quæ potuit reliquiſſe , bonorum.* Quidni centuplum , inquit Hugo Cardinalis , quandoquidem [ ut in Religioſis patet ] unius vel alterius carnalis fratris deſerti loco, aliquot millia recipimus ſpiritualium ? *Pro uno fratre carnali aliquot centum ſpirituales , id eſt , omnes bonos ; Particeps ego ſum omnium timentium te.* Quapropter *egredere de terra tua & de cognatione tua , & creſcere te faciam in gentem magnam in præſenti, per gaudiorum cæleſtium prægustationem , quod excedit omnia temporalia bonitate.*

Luc. Burg. ibid.

Hug. Card. in Marc.

Pſ. 118. v. 63.

Ly centuplum explicatur.

11. Quibus dogmatibus aliorum interpretum ſubſcribunt commentaria , aſtruentium centuplicatam hujuſmodi remunerationem in interiori , divinitus impertita, conſiſtere animarum lætitia , abundanti admodum; & centies & amplius omnes excedere, quas quis deſeruit , totius mundi delicias & proſperitates; Unde Dionyſius Carthuſianus inquit : *Centuplum , id eſt , ſpiritualibus bonis in præſenti ditabitur, videlicet gratiâ gratum faciente , charitate divina , conſolatione interna , donis Spiritus Sancti , quæ omnia incomparabiliter præſtantiora ſunt cunctis bonis terrenis.* Item Albertus Magnus circa illa Sancti Marci verba ( *Nunc in tempore hoc* ) ait : *In gratiæ delectatione , menſuram bonam & confertam & coagulatam & ſuper effluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Et Sanctus Bernardus inquit : *An non centuplum habet homo , qui impletur Spiritu Sancto , qui Chriſtum habet in pectore ? Longè plus quam centuplum eſt , viſitatio Paracleti Spiritus , & præſentia Chriſti,* juxta illud Davidis teſtimonium : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine ! Hoc ergo centuplum adoptio filiorum eſt , libertas & primitiæ ſpiritus, deliciæ charitatis , gloria conſcientiæ , regnum Dei , quod intra nos eſt ; non utique eſca & potus , ſed juſtitia, & gaudium , & pax in Spiritu Sancto* ; Cujus jubili exuberantia Sanctum Andream cruci deſponſavit tenerrimè ; Cujus abundantia Sanctum adeo inebriavit Laurentium, ut graviſſimorum etiam tormentorum, ſibi intentatorum , inſtrumenta , reputarit delicias , inquiens : *Has epulas ego ſemper optavi.* Hujus lætitiæ copia ſanctiſſimo Protomartyri lapidum ſævitiam convertit in mel & ambroſiam. Quidni igitur cum Mellifluo concluſerim : *Hæc illa pax , quam Chriſtus reliquit ſuis , quæ exuperat omnem ſenſum.*

Dion. Carth. in Matth. 19.

Alb. Magn. in Marc.

Luc. 6. v. 38.

S. Bern. ecce nos reliq. omnia.

Pſ. 30. v. 20.

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

De lætitiæ ſpiritualis animæ exuberantia.

### THEMA.

*Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, Pſalm. 83. v. 3.

Anima & corpus voluptatum cœleſtium eſt particeps.

Pſ. 83. v. 2.

1. ÆTernorum gaudiorum contemplationi immerſus regius Propheta , quondam exclamaſſe fertur : *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum : concupiſcit & deficit anima mea*; Volens inſinuare , ſe à beatis victum deliquijs , ſenſuum pati alienationem , tamque immenſa paradiſiacarum dulcedinum obrui ſuperabundantia , ut deficiente animâ ; ipſum quoque corpus ineffabilibus fuerit perfuſum gaudijs , ideoque ſubjungit : *Cor meum id eſt anima* , inquit Dionyſius Carthuſianus , *& caro mea , ſcilicet corpus , exultaverunt.* Euthymius à Gloſſa citatus inquit : *Non hoc tantum , inquit , accidit animæ meæ, ſed & corpus meum in Chriſto lætatum eſt. Primò cor lætitia afficitur , deinde gaudium in univerſum corpus diffunditur.* Aſt juxta Sancti Hieronymi animadverſionem , difficile eſt , animam & corpus in ijsdem communicare voluptatibus, ſiquidem teſte Apoſtolo , *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum , & ſpiritus adverſus carnem.* Quomodo igitur aſtruit David , carnem ſpiritumque ejus in lætitijs atque exultationibus cæleſtibus ſimul tripudiaſſe ? Reſpondet ipſemet Sanctus Doctor : *Hoc non poteſt dicere , niſi ille , qui in amorem Dei tota mente defixus eſt* ; Prouti conſtitutus erat iſte , qui dicebat : *Sitivit in te anima mea , quam multipliciter tibi caro mea ; Iſta eſt caro , quæ deſiderat Dominum, de qua in alio loco dicitur ; Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Illa autem caro , de qua dicitur : Omnis caro fœnum , non deſiderat Dominum.* Id quod veriſſimum eſſe nemo dubitat , ſiquidem experientiâ teſte , caro per jejunia , cilicia , flagella, ſimileſque alias auſteritates ſpiritui ſubjecta, cæleſtis quoque mannæ particeps evadit : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine* ; ſed quibus ? *quam abſcondiſti timentibus te* ; ijs nimirum , qui Deum timentes & amantes , per ardentiſſimam charitatem ſe cum Sanctiſſimo Spiritu , qui conſolatio & Paraclitus eſt , uniunt.

D. Carth. ib.

Gal. 5. v. 17.

S. Hier. in Pſal.

Pſ. 62. v. 2.

Pſ. 30. v. 20.

Ibid.

Cor devotione plenum totum hominem lætificat.

2. Dionyſius Carthuſianus per cor , intellectivum exponit appetitum ; per carnem, ſenſitivum, hac utrumque inter aſſignata differentia : Non uniformiter convenit exultatio iſta appetitui *intellectivo ſeu voluntati , & appetitui quoque ſenſitivo ſecundùm redundantiam ; in carne vero ſecundùm aliqua ſigna interioris lætitiæ , ſicut eſt ſerenitas vultus , riſus & refloritio quædam ætatis.* Ne autem cuiquam dubitandi locus relinquatur , utrum ſpiritus ſuavitas ad carnem , animæ dulcedo ad corpus transfundi poſſit , naturalem quamdam Lyrani & Michaëlis de Bononia rationem auſcultare ne gravemini. Scribit itaque Lyranus : *Fortes motus animæ redundant ad corpus* ; Quemadmodum enim quis ob vehementem timorem aliquando congeleſcit , impalleſcit , imo & non raro canos inducit ; aut propter iram atque indignationem impetuoſam inflammatur , accenditur , pudore ſeu verecundia perfunditur ; ita , docent hi auctores, *cum anima fortis exultat in Deo , fit quædam redundantia in ſenſu corporeo.* Quibus omnino illa Michaëlis de Bononia, quondam incogniti dicti , conſonant verba : *Sic ergo quid mirum , ſi cordis exultatio vehemens , quæ eſt in contemplatione divinitatis, etiam ad carnem redundat, ut exultatione cordis exultet & caro.* Hugo præcitatum Pſalmi verſiculum ita interpretatur : *Exultaverunt cor per devotionem , caro per hilaritatem* ; quando namque cor devotione veroque ſpiritu plenum eſt , homo in ſumma vivit ſatisfactione & lætitia.

Lyran. in Pſal.

Mich. Bonon. in Pſal.

Hug. Card. ib.

L. 2. c. 20. n. 15.

S. Phil. habuit abundantiam Conſolationum.

3. Exemplo ſit vobis Sanctus Philippus Nerius, qui propter miraculoſam coſtarum dilatationem , ex nimijs Sancti Spiritus chariſmatibus , quibus cor ejus obruebatur ; exortam , meritò dicere poterat : *Dilataſti cor meum.* Semper vultu eum hilari; numquam quis intuitus eſt ſqualere mœrenti ; imo ſæpe ſæpius dicere ſolebat : Apage , apage melancholia , ne diverſorium tibi promiſeris ſub tecto meo ; Noverat namque optime , individuas eſſe comites; conſcientiam bonam & lætitiam , ſeu jubilum internum. In oratione , principaliter autem in ſubterraneis catacumbarum receſſibus, tanta perfundebatur conſolationum cæleſtium abundantia , ut nimio divini amoris incendio ſufferendo impar, non raro exclamarit : Abundè ſatis eſt Domine , ſatis eſt ; ſeque in terram dejiciens , per eam ſe volutare cœperit , minus habens virium, quam ut tantum poſſet ſuſtentare impetum. *Amor ardens & fervens cor penetrat , & affectum inflammat* , inquit Richardus à Sancto Victore , *animamque ipſam eo uſque medullitus transfigit , ut veraciter dicere poſſit : Vulnerata charitate ſum ego.* Hæcque ipſa charitas realiter ſeſe in Sancti noſtri corpus transfudit ; ſiquidem ut dicitur : *Tanto cor ejus æſtuabat ardore , ut cum intra fines ſuos contineri non poſſet , illius ſinum confractis atque elatis duabus coſtulis , mirabiliter Dominus ampliaverit.*

Individui Comites. Conſcientia bona & lætitia.

L. 1. c. 5. n. 6.

Rich. à S. Vict. de grad. viol. char.

In Lect. S. Phil.



*ampliaverit.* Exceſſiva adeo erat paradiſiacarum , hanc à Deo dilectam animam inundantium , dulcedinum affluentia , ut cor ejus , ad ſufficientem locum diſponendum , dilatari voluerit ; Unde Sanctus Auguſtinus inquit : *Anguſtiantur vaſa carnis , dilatentur ſpatia charitatis.* Inſigniſſimus quidam illius ſæculi Medicus , Angelus de Bagnarea , de frequenti cordis ſancti noſtri palpitatione, & miraculoſa duarum coſtarum ruptura tractans , *Ut ea* , inquit , *quæ Beatus vir ex amore proximi , divina gaudia amittebat longiora , ex Dei remuneratione acciperet frequentiora.*

S. Aug. ſer. 10. de verb. Dom.

Internæ Conſolationes torrenti ſimiles.

Pſ. 45. v. 5.

Iſa. 66. v. 12.

Pſ. 35. v. 9.

4. Spiritus Sanctus de gaudiorum ſpiritualium abundantia agens , hanc plerumque nobis ſub fluvij aut torrentis exhibet metaphoram. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei ; Declinabo ſuper eum quaſi fluvium pacis. Torrente voluptatis tuæ potabis eos* ; Nec abſque myſterio , quia ſicuti , experientia teſte ; torrentes quandoque adeo inundant, ſuoſque egrediuntur limites , terraque deſtructa, per vicinos ſpatiantur campos & agros ; ita quandoque & anima Sancta tantum dulcedinum & ſuavitatum ſpiritualium patitur diluvium , ut ſpirituales animæ egreſſum limites in ſenſus , corpus & carnem transfundatur : *Cor & caro exultant in Deum vivum.* Sponſæne inconſtantiam aliquando obſervaſtis in Canticis ? Modò , *fuge* , inquit, *dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnuloque cervorum ſuper montes aromatum.* Modò , & quidem paulò ante , eum ſumma ſolicitudine atque anxietate indagans , ait : *Num , quem diligit anima mea , vidiſtis : Surgam & circuibo civitatem , quæram quem diligit anima mea* ; Quem vix inventum ſtudioſiſſimè tueri ſtatuit : *Tenui eum, nec dimittam.* Quomodo igitur modo ait : *Fuge dilecte mi &c.* Reſponſio præſto eſt ; Tanta ſpiritualium ſuavitatum copia in dilectam ſponſam ſeu animam pluebat , ut exceſſivarum adeo voluptatum impetu obruta , ſuccumberet ; Unde Sanctus noſter Philippus dicere ſolebat, animam ſincero Dei amore abſorptam , quandoque compelli , ut divino amanti ſupplicet pro quiete.

Cant. 8. v. 14.

Cant. 3. v. 32.

Cant. 3. v. 4.

Exemplum.

Pſ. 118. 82.

5. Dum quadam vice , prout in vita traditur Sanctæ Thereſiæ , ille Pſalmi verſiculus recitaretur : *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum , dicentes , quando conſolaberis me* ; quædam Religioſa à communi cæterarum Sanctimonialium tono cantuque recedens , voce ſua totum perturbavit chorum ; Cujus facti cauſam à Sancta edicere juſſa , reſpondit : Hæc ego confeſtim profero verba , nullam enim hac in vita conſolationem quæro ; Et niſi ad divinum obligarer officium , numquam ego eadem proferrem. Credibile eſt , hanc Dei ſervam tam exceſſivas expertam fuiſſe ſpiritus conſolationes , ut his etiam in corpus redundantibus , tam in parte ſuperiori , quam inferiori, ad majus meritum optarit deſtitui.

6. Nequaquam in præſenti præterire licet myſterioſum in primis verbum *Exulto* , cui elucidando inſudat Albertus Magnus , in illo Commentario Habacuc : *Ego autem in Domino gaudebo , & exultabo in Deo. Gaudium eſt cordis* , inquit , *exultatio verò corporis , quia ſicut dicit Sanctus Auguſtinus : Gaudium eſt diffuſio animi in conceptu bono , & ideo refertur ad dotes animæ ; Exultatio verò componitur ab ex & ultra , quia id quod eſt in corde , in ſigno corporeo manifeſtatur , & ideo ad dotes corporis refertur.* Taliter David nimio devotionis jubilique interni ſtimulis agitatus , ante arcam *ſaltabat totis viribus* ; Unde peraccommodè Hugo Cardinalis citatum Habacuc textum ita interpretatur : *Gaudebo interius , & exultabo exterius.* Imò internus iſte animæ jubilus , ipſam quoque externam hominis faciem feſtivis lætiſque inſignit delineamentis , juxta illud Sapientis : *Cor gaudens exhilarat faciem.* Ubi Hebræus legit : *Cor lætum honorificabit faciem* , Septuaginta : *Cordis læti facies floret.* Complutenſis : *Cordis læti facies viret.* Quam a Salomone adductam ſimilitudinem quidam diſcutiens interpres , quemadmodum, ait , plantatæ arboris radix in vere ipſum truncum folijs veſtit & floribus ; *Sic etiam cor & animus , etiamſi tectus quodammodo & defoſſus ſit , cum lætitiam concepit, velut radix quædam virens , in vultum flores emittit ſuos , faciem ipſam floridam reddens* ; Illi conformiter fortaſſis Gloſſæ Origenis , pro *Exhilarant faciem* , legentis : *Florida eſt.* Doctè quidem ille, aſt longè vivacius hanc nobis ſimilitudinem Caſſiodorus expreſſit , dum ait : *Arborem , quam florere vides , quam ſumma conſpicis viriditate lætari , ſubterraneo ſucco viriditatis & fœcunditatis animatur , reddens in ſuperficie , quod continetur in radice. Hominis quoque vultus magna hilaritate decoratur , ſi viſceribus ſanis nullius gravamen ſentiet læſionis.* Spiritus Sanctus veluti arbor eſt fructifera , in animæ campo fructus inceſſanter producens diverſos , de quibus Apoſtolus ſcribit : *Fructus autem Spiritus , eſt charitas , gaudium, pax, patientia , benignitas, bonitas , longanimitas , manſuetudo , fides , modeſtia , continentia , caſtitas.* Fructus itaque hujus arboris primus eſt dilectio ſeu amor Dei , de quo alibi dicitur : *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris , & flores mei fructus honoris & honeſtatis; In me gratia omnis, ... ſpes vitæ & virtutis*; Et paulò poſt : *Spiritus enim meus ſuper mel dulcis , & hæreditas mea ſuper mel & favum* ; Ad quæ verba Interlinearis ſubdit ; *Quia charitas Dei , quæ per Spiritum infunditur cordibus electorum , incomparabiliter eſt dulcis.* Charitati ſuccedit gaudium , de quo in hæc verba Sanctus diſcurrit Antiochus : *Averte à te triſtitiam hanc , & ne contriſtes Spiritum Sanctum, qui in te habitat , ne fortè interpellet Deum , & recedat à te , Spiritus enim Dei , qui in hanc etiam carnem ſe affudit, triſtitiam non fert, neque animi anguſtiam.*

Alb. Magn. in Hab. 3. v. 18.

Cor lætum exhilarat faciem.

2. Reg. 6. v. 14.

Hug. Card. ibid.

Prov. 15. v. 13.

Salaz. ibid.

Orig. h. 4. in Cant.

Caſſiod. l. 2. ep.

Gal. 5. v. 22.

Eccli. 24. v. 23.

Ibid. v. 25.

Ibid. v. 27.

Interl. ibid.

Diſſuadetur triſtitia.

S. Antioch. h. 25. cit. à Cornel. à Lapide ib.

Prov. 15. v. 13.

Quia Spiritui S. contraria.

7. Poſtquam dixiſſet Sapiens : *Cor gaudens exhilarat faciem* , ſubjungit protinus : *In mœrore animi dejicitur Spiritus.* Proindeque citatus modo Sanctus fuſius de mœſtitia Spiritui Sancto contraria diſcurrens , ait : *Triſtitia Spiritum Sanctum mœſtificat , qui homini datus eſt hilaris ; Ut enim acetum , vino ſi immiſceatur , nihil affert jucundi guſtus , ſic etiam triſtitia Spiritui Sancto immixta, paracleſim ejus reddit inamœnam.* Syriaca pro *cor gaudens exhilarat faciem* , prout vulgata habet , legit : *Cor hilare pulchrum reddit corpus.* Non abs re fuerit in præſenti quemdam Sancti Auguſtini inſerere diſcurſum , quem de Patriarcha & Ægypti Salvatore Joſeph inſtituit , inquiens : *Pulcher erat intus in luce cordis Joſeph , qui foris in facie corporis, quò illius fœminæ oculi non penetrabant ; Intuens ergo pulchritudinem caſtitatis in ſpeculo conſcientiæ ſuæ , illam maculare noluit.*

S. Aug. ſer. de S. Joſeph Patr.

Cajet.

Facies ſpeculum eſt Conſcientiæ.

8. Cajetanus inquit : *Apparet in facie gaudium cordis , dilatante corde ſpiritus ſuos claros ad faciem, quo contra mœrente corde retrahuntur ſpiritus.* Bonæ poſſeſſor Conſcientiæ , tamquam in ſpeculo , imaginem repræſentat illius , de quo ſcriptum eſt : *Speciosus formâ præ filijs hominum* ; Unde Sanctus Antonius Paravinus inquit : *Conſcientia ſi munda fuerit , divinam imaginem repræſentat.* Speculum repræſentat imaginem , ſecundùm quod hanc ei oppoſueris ; ita pariter ſi cor veſtrum ſpiritualibus abundarit conſolationibus , hæ ipſæ in exterioribus quoque facie , geſtibus , verbis, affectibus, moribuſque ſeſe inſinuabunt. Sanctus Joannes Damaſcenus ait ; *Conſcientia exultans faciem quoque ipſam exornat , atque animæ valetudo ac firmitas genas irrigat ; Neque enim fruſtra dictum eſt à Sapiente : Cor gaudens exhilarat faciem.* Cur autem cordis lætitia ad vultum ſe principaliter diffundat , hanc Lyranus aſſignat rationem ; *Diſpoſitio cordis magis apparet in facie , quam in cæteris partibus corporis , eo quod ibi vigent omnes ſenſus.* Accommodatiſſimè propoſito deſervit illud cujusdam ſermonis , à Sancto Auguſtino habiti ( cui titulus, *de puritate conſcientiæ* ) exordium ; *Ad ſpirituale gaudium , fratres chariſſimi , hodierna die intendo vos invitare ; quod quidem gaudium non operatur divitiarum copia , non fallax mundi gloria , non prolis fœcunditas , non corporis ſanitas, ſed tantum conſcientiæ puritas.* Non charitas , ſed conſcientiæ integritas conſolationem affert & lætitiam , hæc nos recreat , hæc oblectat , hæc nos jucundos efficit & feſtivos ; hæc , quod longè conſiderabilius eſt , corporalem operatur promovetque ſalutem & vigorem.

Pſ. 44. v. 3.

S. Ant. Patav. ſer. in fer. 4. in c. jejun.

S. Joan. Damaſ. l. 2. c. 58.

Prov. 15. v. 13.

Lyranus.

S. Aug. ſer. 10. ad frat.

Vultu ſemper hilari SS. Joan. Anton. & Romualdus.

9. Sanctus Joannes Evangeliſta omnes ſupervivens Apoſtolos , dierumque plenus in ferventis quidem olei cacabum conjectus fuit, aſt per Divinam Providentiam non modo evaſit illæſus , ſed , ut hiſtoriæ perhibent ; Romæ , miſſus in ferventis olei dolium , *purior & vegetior exijt , quam intravit,* Oleum lætitiæ ſymbolum eſt , ideoque meritò dicere poterat hic Sanctus Apoſtolus : *Impinguaſti in oleo caput meum , & calix meus inebrians quam præclarus eſt.* Memoriamne veſtram ſubterfugit illud , quod de Sancto Antonio Magno , centum & quinque

Pſ. 22. v. 5.

annorum ſenecione teſtimonium dedit Sanctus Athanaſius? *Semper hilarem faciem gerens,* inquit ille, *liquido oſtendebat, ſe de cœleſtibus cogitare, ſicut Scriptura ait: Corde lætante vultus floret.* Idem de Sancto traditur Romualdo, qui centum & viginti annorum ſpatio, quorum centum in auſteriſſimis tranſegit pœnitentijs, *Rerum cœleſtium meditatione vim lacbrymarum infundens fruebatur. Vultu tamen adeo læto ſemper erat, ut intuentes exhilararet.*

*S. Athan. in vit. S. Ant. c. 4.*

*In Lect.*

Conſolationes ſunt animæ nutrimentum.

10. Longæ multarum animarum corporalis abſtinentiæ miraculum Sanctus Bernardinus conſolationum ſpiritualium refectioni adſcribere non dubitat, inquiens: *Cum delectatio mentis animam taliter diligentem impinguat, neceſſè eſt, ut talis pinguedo in carnem & corpus ex abundantia cordis redundet, ex quo fit, quod talis amor mirabiliter & ſupra naturam, quandoque etiam abſque neceſſarijs ad corporalem victum, nutrit humanum corpus. Sicut enim inter quinque ſenſus corporis, principaliter guſtus ad corporalem vitam neceſſarius eſt, & corpus humanum principaliter nutrit; ſic iſte inter quinque ſenſus ſpirituales principalius animam nutriens & cibans, in edomitam carnem redundat, etiam eam paſcit, atque ſupra naturam nutrit.* Hugo Cardinalis ait: *Cor gaudens exhilarat faciem exteriorem, id eſt, bona conſcientia etiam producit vitam. Unde Eccleſiaſt. 30. Jucunditas cordis hæc eſt vita hominis.*

*S. Bern. c. 3. in die Pent. ſerm. 5. n. 1. c. 7.*

*Hugo Card.*

*Eccli. 30. 23.*

Effectus Mannæ Conſolatio habet interna.

11. Tres Hebræorum de Ægypto exeuntium milliones, ſine carnibus, piſcibus, alijſque delicatis & ſolidis epulis, ſolum & unicum manna aluit, confortavit; longoque tempore ſanos planè & vigoroſos protexit unde Pſalmiſta ait: *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Hos ipſos effectus excellens operatur cœleſtium conſolationum manna, *habens omne delectamentum & omnis ſaporis ſuavitatem;* ſpiritum impinguans & corpus, vitam vegetans æternam & temporalem; prout latius, cui vacaverit, videre poterit in diverſorum Sanctorum Deique chariſſimorum ſervorum vitis, qui multos ſæpe dies omni abſque corporali cibo in ecſtaſibus & raptibus traduxerunt.

*Pſ. 104. 37.*

*Juxta Sap. 16. 20*

## DISCURSUS V.

### ARGUMENTUM.

Internum eſt animæ gaudium, noſtris ſæpe incognitum oculis; hoc non delectabilibus hujus vitæ bonis, ſed divinæ gratiæ, virtuti, bonæque innititur conſcientiæ.

### THEMA.

*Dediſti lætitiam in corde meo,* Pſ. 4. v. 8.

Conſolationes occultæ ſunt in Corde SS.

1. LIcet quandoque, prout in diſcurſu probavimus præcedenti, ſpirituale animæ gaudium in ipſum transfundatur corpus, nihilominus, inquit David, cordi plerumque, veluti centro ſuo & theatro, imminet; noſtris ſe ordinariè occulit conſpectibus; ideoque in alio quodam Pſalmo, dum vix exclamaſſet: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,* immediatè ſubjunxit: *Quam abſcondiſti.* Gloſſa interlinearis citatum Pſalmi verſiculum, *dediſti lætitiam &c. intus ſunt vera,* inquit, *& certa bona, quæ mali non vident.* Sanctus Auguſtinus ſubinfert: *Non ergo foris quærenda eſt lætitia.* Qui idem Sanctus illa Pſalmi (*exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*) interpretans verba, *Sancti,* ait, *in theatro, non in circo, ſed in cordibus ſuis lætantur;* juxta illud Apoſtoli teſtimonium: *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Eumdem hunc ultimum Pſalmiſtæ textum Sanctus quoque adducit Thomas de Villa Nova, dum conſolationum ſpiritualium theſauros in reconditiſſimis cordium ſervorum Dei penetralibus occultè deliteſcere probaturus, inquit: *Hi omnibus ſolatijs & gaudijs ſenſibilibus abdicatis, in ſolo intellectu & affectu omnes ſuas divitias & delicias collocarunt, ſicut ſcriptum eſt; lætabuntur in cubilibus ſuis. Invenerunt intra ſe reconditos quoſdam theſauros & pretioſas margaritas, quas mundus ignorat, pro quibus juxta Evangelicam parabolam, libenter omnia ſua dederunt, ut compararent eas. Neque enim dubium eſt, ampliores & meliores eſſe divitias in ſpiritu, quàm in carne; meliora & potiora eſſe ſolatia in intellectu, quàm in ſenſu.*

*Pſ. 30. v. 20.*

*Pſ. 4. v. 7. Ibid.*

*Interl. in 4. ibid.*

*Pſ. 149. v. 5.*

*S. Auguſt. ib.*

*2. Cor. 1. 12.*

*S. Th. de Vill. ſerm. de S. Doroth.*

Bona Conſcientiæ gaudium.

2. Pſalmiſta nos ad præſtandum omni cum jubilo divinæ Majeſtati ſervitium invitat, dum ait: *Servite Domino in lætitia, introite in conſpectu ejus in exultatione;* quæ verba Sanctus Bruno de conſcientiæ noſtræ ſecreto explicat, inquiens: *Exiſtentes in exultatione, id eſt, in lætitia, introite ſecretum conſcientiæ veſtræ; quod eſt dicere: Interius lætitiam illam habete. Unde Dominus in Evangelio; cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, ſcilicet in conſcientiam lætitia interior bene placebit Deo.* Interlinearis auctoritati Sancti Auguſtini inſiſtens eidem ſubſcribit interpretationi, *in conſpectu* pariter explicans, *in conſcientia.* Vel ut alius quidam interpres aſſerit: *Intrate in conſcientias veſtras, ubi Deus videt, non homo;* conſcientia namque recta & tranquilla oculo non attingitur corporeo, unde Sanctus Bernardus de eadem inquit: *Cùm tota ad internum gaudium colligitur, ad imaginem Dei reformatur, quam in ſe veneratur. Talem animam frequenter viſitant, & honorant Sancti Angeli & Archangeli, utpote Dei templum & Sancti Spiritus tabernaculum.*

*Pſ. 99. v. 2.*

*Matth. 6. 6.*

*Interlin.*

*Rich. Pam. it id.*

*S. Bern. l. de conſ. c. 1.*

Hoc agnoverunt etiam Gentiles.

3. Quid ſacris immoror auctoribus, dum ipſi etiam Gentiles, ſolo lumine & dictamine naturali ducti, nimium rectæ conſcientiæ gaudium jubilumque agnovêre? Unicum pro mille audiamus Senecam Moralem, in hæc verba ſcribentem Lucilio: *Nolo tibi umquam deeſſè lætitiam, volo illam tibi domi naſci; naſcitur, ſi modo intra teipſum ſit; cateræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, leves ſunt, niſi forte tu judicas illum gaudere, qui ridet.* Moxque difficile movet dubium, inſinuatum à pluribus, ſcilicet quomodo non raro aliqui rideant melancholiâ oppreſſi, alij autem vultum præ ſe ferant triſtem, ſerium & ſeverum, licet interius ſolatijs jubilisque abundent. *Animus debet eſſè,* inquit ille, *alacer & fidens, & ſuper omnia erectus. Mihi crede, res ſevera eſt verum gaudium. An tu exiſtimas, quemquam ſoluto vultu, & ut iſti delicati loquuntur, hilari oculo mortem contemnere? paupertati domum aperire: Voluptates tenere ſub fræno? meditari dolorum patientiam? Hæc qui apud ſe vertat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. In hujus gaudij poſſeſſione eſſe te volo, numquam deficiet, cum ſemel unde petatur, inveneris. Levium metallorum fructus in ſummo eſt; illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena. Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem, & quodcumque invectitium gaudium eſt, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere ſolidum eſt, & quod plus pateat introrſus. Fac oro te Lucili chariſſime, quod unum poteſt te præſtare felicem, disjice & conculca iſta, quæ extrinſecus ſplendent, quæ tibi promittuntur ab alio; ad verum bonum ſpecta, & de tuo gaude. Quid eſt autem hoc de tuo? teipſo & tui optimâ parte.* Plures inſuper alij Philoſophi Morales, non obſtante denſa, in qua ſqualebant, multorum errorum & Gentilis ſuperſtitionis caligine, veram felicitatem, beatitudinem & gaudium in operibus virtuoſis, inque conſcientia bene regulata & innocenti conſiſtere profeſſi ſunt. Unde & idem Seneca inquit: *Tunc beatum eſſè te judica, cum tibi ex te gaudium omne naſcetur.* Et clarius alibi: *Numquam credideris, felicem quemquam ex felicitate ſuſpenſum; fragilibus innititur, qui adventitio lætus eſt, exibit gaudium, quod intravit: At illud ex ſè ortum, fidele, firmumque eſt & creſcit, & ad extremum uſque proſequitur. Cætera, quorum admiratio eſt vulgo, in diem bona ſunt; quid ergo? non uſui aut voluptati eſſè poſſunt? quis negat? ſed ita, ſi illa ex nobis pendent, non ex illis nos.*

*Sen. ep. 23.*

*Sen. ep. 124.*

*Idem. in fin. ep. 98.*

Pulchra aſſimilatio.

4. Dixi; interno quandoque gaudio & conſolationi ſpirituali externam aſſociari ſeveritatem & mœrorem; quod hominum genus in Alcibiadis Silenis delineatum eſſe crediderim, quas veterum monumenta tradunt imagines fuiſſe, quæ clauſæ brutas, deformes, monſtroſas, ridiculaſque præ ſe ferebant figuras; ſed apertæ Deitatem præſentabant; ita non pauci continuis in jejunijs, cilicijs, inopia & opprobrijs coram mundo ſordeſcere videntur, quorum ſi corda patefierent. Deus inibi cum inæſtimabilibus lætitiæ & veræ conſolationis theſauris reperiretur abſconditus; cujus jubili incarnata meminit Sapientia, dum inquit: *Triſtitia veſtra vertetur, in gaudium, ... gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Et Sanctus Apoſtolus: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes;* circa quæ verba ita Cajetanus diſcurrit: *Dicit quaſi, quia non triſtabantur intus, ſed habentes cauſas mœroris & doloris, habebantur tamquam mœrentes, ſemper autem gaudentes, quod ſecundùm rem, non quandoque, ſed ſemper intus gaudium habebant Spiritus Sancti.* Idem nobis dogma Præceptor

*Joan. 16. v. 20. & 22.*

*2. Cor. 6. v. 10.*

*Cajetan. ib.*



Præceptor tradit Angelicus, ſolicitè quemlibet; ne ex ſpecie exteriori de interna proximi conſtitutione formet conceptum, in hæc admonens verba: *Quia licet in exterioribus & quæ ad carnem ſunt, patiamur triſtitiam & amaritudinem, interius tamen continuum gaudium habemus, quod creſcit in nobis ex conſolationibus Spiritus Sancti & ſpe remunerationis æternæ.*

*S. Thom. ib.*

*Pſ. 4. v. 7.*

Quærendum eſt gaudium in Conſcientia bona & gratia Dei.

5. Priusquàm Pſalmiſta diceret: *Dediſti lætitiam in corde meo;* præmiſit: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine;* ubi Hugo Cardinalis inquit: *Lumen hujus vultus eſt gratia.* Divina gratia, ſatians replenſque animam, oculi corporalis ſphæram excedit: *Dediſti lætitiam in corde meo, non extra in vanis; quia omnis gloria filiæ Regis ab intus; ſed illi multi, qui dicunt, quis oſtendit nobis bona; exterius gaudent in hoc, ſcilicet quòd à fructu frumenti, vini & olei multiplicati ſunt, ſcilicet numero poſſeſſionum, perſonarum, militiarum, curarum & ærumnarum.* Juxta illud Exodi capite quinto: *Diſperſus eſt populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas, id eſt, temporalia ponunt fructum finemque ſuum iſta temporalia.* Longè aliter illuminatiſſimus operatus eſt Propheta Regius: *Sed ego, dicit juſtus, alium finem intendo hunc ſcilicet; in pace in idipſum dormiam & requieſcam, in pace pectoris.* David omnes ſuos theſauros, triumphos, ſceptra, cunctaſque alias proſperitates humanas hunc unicè in ſcopum dirigebat, ut cordis ſui gauderet quiete & conſolatione, id eſt, conſcientia bona & gratia divina. Unde Dionyſius Carthuſianus inquit: *Pax & tranquillitas bonæ ordinationis, ſicut cum caro obedit ſpiritui, ſenſualitas rationi, & ratio Deo. Itaque in pace, id eſt, in vera mentis tranquillitate; in idipſum, id eſt, in Deum æternum, qui ſemper idem ipſè eſt, dormiam, id eſt, ab exteriori occupatione ceſſabo; & requieſcam, id eſt, in divinæ dulcedinis deguſtatione, in divini amoris ardore ſuaviter repauſabo.*

*Hug. Card. ib.*

*Exod. 5. v. 12.*

*Dion. Carth. ibid.*

*Pſ. 4. v. 7. Gloſſ. ibid.*

In externis nullum gaudium cordis.

6. Gloſſa pariter circa citatum Pſalmi quarti verſiculum ſeptimum (*dediſti lætitiam in corde meo*) advertit, hoc gaudium oculos latere corporeos, ideoque nos multoties decipi poſſe, dum non paucos afflictos reputamus & mœſtos, quos tamen interioris gaudij replevit abundantia. *Dediſti lætitiam in corde meo; non foris in vanis, ſed intus, ubi habitat Deus, quærenda eſt lætitia.* Acutè Sanctus Chryſoſtomus proinde obſervat, non dixiſſe Davidem ſolummodo: *Dediſti lætitiam,* ſed addidiſſe; *in corde meo; ut oſtenderet non eſſè in rebus externis lætitiam; nec in mancipijs, nec in auro, nec in argento, non in veſtibus, non in lauta & opipara menſa, nec in potentiæ magnitudine, nec in domus laxitate; hæc enim lætitia non eſt cordis, ſed oculorum.* Quanta ſæculi hujus Magnatum, divitum & principum, omnibus proſperitatibus humanis abundantium foret felicitas, ſi ipſis lætitia ſuffragaretur ad libitum? quin potius, hos præ omnibus alijs, experientia teſte, premit mœror, dejicit melancholia. Saul ex agaſone ad regium promotus thronum, lamentabatur: *Non eſt, qui vicem meam doleat.* Achabum Regem potentem, dum vineam, cui inhiabat, non adipiſcitur, melancholiæ ſeſe immolavit victimam. Dives Evangelicus tot inter theſauros fluctuabat inquietus & inſomnis; verè utique: *Hæc lætitia non eſt cordis, ſed oculorum.* Secundùm faciem judicamus externam, divites hujus mundi in lætitia & conſolatione vivere arbitramur, ſed fallimur enormiter, ſiquidem verum gaudium terrenis & externis hiſce bonis neutiquam innititur; ſed *dediſti lætitiam in corde meo;* lætitia vera in ſerena tranquillaque conſcientia, in gratia & amicitia Dei, in beatorum æternorumque gaudiorum ſpe, in virtutum Chriſtianarum exercitio & paſſione, in bonorum operum meritis fundatur; hæc ipſa verum Chriſtiano jubilum offerunt atque exultationem.. *Tantus ſplendor honeſtatis eſt,* inquit Sanctus Ambroſius, (lib. de offic. c. 1.) *ut vitam beatam efficiant tranquillitas conſcientiæ & ſecuritas innocentiæ.* Quos maximè deſolatos & afflictos nos reputamus in hoc mundo, multoties præſentem & in ſpe futuram æternæ beatitudinis abundè poſſident lætitiam. *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur;* oculos itaque non in corpus, ſed in animam conjiciamus oportet.

*D. Chryſ. ib.*

*1. Reg. 12. v. 8.*

*3. Reg. 21. v. 4.*

*Luc. 12. v. 17.*

*S. Ambr. l. 3. de offic. c. 1.*

*Matth. 5. v. 5.*

Bona Conſcientia

7. Subtiliter annotavit Auctor Operis imperfecti, Salvatorem, dum nos ad dulce & ſuave jugum invitaret; immediatè ſubjunxiſſe: *Invenietis requiem animabus veſtris. Non dixit,* ait ille, *invenietis requiem; & tacuit; ſed addidit: Animabus veſtris; quoniam mandata Chriſti in hoc ſæculo animarum requies ſunt, non corporum; quoniam etſi laborant & triſtantur in corpore; animæ eorum requieſcunt & gaudent in Spiritu & ſpe.* Tanta eſt montis Olympi ſublimitas, ut Poëta canere non ambigat:

*Nubes excedit Olympus.*

Latera ejuſdem convellunt venti, agitant turbines, madidant pluviæ, infrigidant nives, aſt in vertice inalterabilis ſemper viget ſerenitas; talis eſt verè exultantium conditio, qua ſuper veritate teſtimonium Senecæ auſcultare placeat, qui ait: *Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper lunam, ſemper illic ſerenum eſt; habes ergo, quare velis ſapiens eſſè, quia numquam ſine gaudio eſt; gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia.* Quis Salomone felicior? & nihilominus proteſtatur, dicens: *Qui pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium;* illius utique pacis, de qua dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam;* aſt cum Sapiente proſequamur diſcurſum: *Non contriſtabit juſtum,* inquit, *quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo.* Animæ lætæ gratiam atque amicitiam Dei poſſident perpetuò, & licet totus in eas irrueret caderetque mundus, nihilominus infallibilem æternæ veritatis habent promiſſionem: *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis;* utpote in cordibus hujuſcemodi radicatum tenaciſſimè, non temporalium, non caducorum, non fragilium aut inſtabilium bonorum innixum vanitatibus.

Olympo ſimilis.

*Matth. 11. v. 29.*

*Auct. Imp. h. 28.*

*Sen. ep. 19.*

*Prov. 12. v. 20.*

*Pſal. 118. v. 165.*

*Joan. 16. v. 22.*

Externa juſtum non turbant.

8. Hugo Cardinalis prædictum Pſalmi verſum ſequenti illuſtrat commentario: *Pax multa eſt interius in mente, licet non exterius in mundo;* hancque Sancti Ambroſij adducit ſententiam, inquientis: *Licet exterius tribulationes inſurgant, tamen vir juſtus interius non turbatur; non contriſtabit juſtum, quidquid acciderit ei, ad literam illi, qui libenter ſtudent in lege Dei, pacem habent à mundo, quia non curant de ipſo; & à carne, quia per ſtudium legis divinæ, & amor mundi & laſcivia carnis frangitur.* Cui doctrinæ Sanctus Ambroſius ſubſcribere non ambigit, dum illa Chriſti verba [*regnum Dei intra vos eſt*] de bonæ conſcientiæ; ſuarum paſſionum triumphatricis, lætitiâ gaudioque explanat, illa interpretans Sponſi verba: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos. Per greges,* inquit, *intelligimus regnum, eò quod poteſtatis ſit gregibus præſidere; præſidet autem unuſquiſque ſibi quadam poteſtate regali, ſi exerceat in ſe corporis luxus, & ſervituti redigat carnem ſuam, ideoque dictum eſt: regnum Dei intra vos eſt.* Anima bene compoſita, ſuarum domina paſſionum, bonæ conſcientiæ pacem poſſidens & quietem, Dei in ſe regnum habet, cujus in hæc verba meminit Sanctus Apoſtolus: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Præcipuus animæ cibus, maximeque ſatiativus, conſolatio & ſuavitas & Spiritus.

*Luc. 17. v. 21.*

*S. Ambr. l. de Iſaac & anima c. 4.*

*Cant. 1. v. 7.*

*Rom. 14. v. 17.*

9. Cajetanus Chriſti ponderans verba, quibus nos ad legis Evangelicæ jugum ſuſcipiendum invitat [*Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos:*] præclaram hanc, propoſito noſtro peraccommodam, ſubnectit Gloſſam: *Ego, non miniſtri mei; hoc eſt, per meipſum reficiam. Non dicit: Tollam laborem ſeu onus veſtrum, ſed, refocillabo vos. Non promittit* Chriſtus *tollere labores in hac vita ſed reficere interiori pabulo mentes, animosque hominum venientium ad eum.* Qui idem auctor citatum quoque ſuperius ex auctore Operis Imperfecti, adducit punctum circa illa verba: *Invenietis requiem animabus veſtris, animabus, dixit, non corporibus; nam multa mala corporis prædixit futura ſuis ſequacibus.* Animam conſolatur Deus, quando poſt exiles labores, æternorum ei gaudiorum libamen offert, ſemitamque illi ſternit ad gloriam per ſpem vivam.

*Matth. 11. v. 28.*

*Cajet. ibid.*

Afflictiones Deus permittit ſuis, ſed interne ſolatur.

*Ibid. v. 29.*

10. Hugo Cardinalis in illorum ultimi capitis Eccleſiaſtici, & Sapientiæ tertij verborum commentario [*Modicum laboravi & inveni mihi multam requiem. In paucis vexati, in multis bene diſponentur:*] hoc familiare admodum citat Sancti Bernardi dictum: *Multi vident noſtras punctiones, ſed non vident noſtras unctiones; leve ſit,* ſubjungit Eminentiſſimus Cardinalis, *quando bene fertur onus.*

*Eccli. 51. v. 35.*

*Sap. 3. v. 6.*

*Hugo Card. ibid.*

## DISCURSUS VI.
## ARGUMENTUM.

De ſpiritualibus bonæ conſcientiæ conſolationibus, ſub magnifici convivij alluſionibus.

### THEMA.

*Secura mens quaſi juge convivium.* Prov. 15. v. 15.

Mens virtuoſa juge convivium.
Lyran. ibid.
Cajetan. ib.
S. Greg. l. 1. mor. c. 3.
Job. 1. v. 4.
Pſ. 67. v. 4.
Hug. Card. ibid.

1. SApiens animæ juſtæ gaudium expreſſurus, lauto eam aſſimilat convivio; quem textum ita exponit Lyranus: *Delectabiliter vivit, ſicut homines in convivio.* Hebræus, teſte Cajetano, legit: *Bonus corde, convivium juge;* circa quem textum ita prædictus diſcurrit Cajetanus: *Virtus eſt, quæ reddit bonum, illam habentem; & propterea bonus corde intelligitur præditus virtute, & de eo dicitur, quod eſt quaſi in jugi convivio, eſt in jugi conſolatione, paſcendo continuè ſeipſum.* Sanctus Gregorius [ libro primo Moralium, capite trigeſimo tertio ] de convivio tractans, quod filij & filiæ Job per ordinem inſtituere aſſolebant inter ſe, ad moralem digreſſus ſenſum, inquit: *Filij per domos convivium faciunt, dum virtutes ſingulæ juxta modum ſuum mentem paſcunt; unde bene dicitur: Unusquisque in die ſuo; dies enim uniuſcujuſque filij, eſt illuminatio uniuſcujuſque virtutis.* Delicatiſſimæ utique animarum juſtarum dapes, exercitia ſunt virtutum Chriſtianarum, de quibus Pſalmiſta canit: *Et juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Convivæ hujus convivij,* inquit Sanctus Gregorius, *ſunt virtutes, quæ omnes proprijs ferculis reficiuntur.* Humilitatem contemptus nutrit & infamia, caſtitatem cuſtodia impinguat ſenſuum, occaſionum periculorumque fuga, ſolitudinis, cultus, victus veſtitusque auſteritas, maceratio carnis; & ſic de reliquis virtutibus. Sancto Gregorio ijsdem ferè verbis Hugo Cardinalis ſubſcribit, inquiens: *Convivæ hujus convivij ſunt virtutes, quæ omnes proprijs ferculis reficiuntur, ſicut in corporali convivio omnia membra corporis reficiuntur.*

Suavius nihil conſcientia bona.
Pſ. 33. v. 9.
Card. Bell. ib.
S. Chryſ. 14. in Matth.

2. Cardinalis Bellarminus, dum ſuper illa Pſalmi verba [ *guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus* ] diſcurrit, *& verè,* ſubnectit, *quid ſuavius fingi poteſt, quàm animum præditum charitate, conſcientia bona, corde puro, fide non ficta requieſcere in ſinu ſummi boni?* Eminentiſſimus Cardinalis forſitan ad veterem voluit alludere uſum, quo receptum erat convivas mollibus in lectis accumbere menſæ; id namque per hanc videtur innui phraſin; *requieſcere in ſinu ſummi boni.* Aſt Sanctum Chryſoſtomum [homilia quinquageſima quarta in Matthæum] interim auſcultare forſan præplacuerit, ita de anima virtutum exercitio dedita ſermocinantem: *Hæc ingenti animum replet voluptate, nam etſi laborioſa virtutis operatio videtur, facilè tamen efficit, ut cum nullis ſtimulis conſcientiæ animus pungatur: magno ſemper fruatur gaudio. Quid enim tibi videtur in præſenti vita jucundum atque ſuave? menſane delicioſa? bona valetudo corporis? ingens gloria? divitiarum copia? Sed hæc illi voluptati, quæ virtutem conſequitur, collata, amara & mæſtitiæ plena videbuntur; nihil enim jucundius eſt, quam conſcientia proba.*

Quæ omnem pellit triſtitiam.
Cant. 2. v. 1.
S. Bern. ſer. 47. in Cant.
Cant. 1. v. 15.
Plut. in mor.

3. Eamdem nobis veritatem, Sancto Bernardo teſte, ijs in verbis ſponſa indigitare voluit: *Ego flos campi;* mox enim ibidem mellifluus Doctor flores, quibus lectus quietis inſtratus eſt, nobis odorandos exhibet, inquiens: *Lectulus reſperſus floribus, conſcientia eſt bonis referta operibus.* Homerus herbæ cujusdam meminit, à Græcis dictæ *Nepenthes*, tantâ pollentis efficaciâ, ut quodcumque mœſtiſſimum etiam pectus valeat oblectare, quæ herba juxta Plutarchi ſententiam, virtuoſæ, ſanæ & immaculatæ mentis lætitiam denotat & tranquillitatem. *Ut Nepenthes herba ab Homero prædicata,* inquit, *addita poculis omnem convivij triſtitiam diſcutit, ita bona mens indita nobis, omnem vitæ ſolicitudinem abolet.*

Bonæ Conſc. cedunt omnia.
Eſth. 1. v. 7.
Petr. Cell. l. de conſc.
Cant. 2. v. 4.
Pſ. 35. v. 9.
Cant. 5. v. 1.
S. Bern. de dil. Deo
S. Ambr. ſer. 21. in Pſ. 118.
Rub. Abb. l. 4. in Zach.

4. Pretioſiſſima ſuccumbat ſumptuoſiſſimi Regis Aſſueri convivij ſupellex, cedant aurei ejuſdem cratéres, de quibus dicitur: *Bibebant autem, qui invitati erant, aureis poculis.* Ecce vobis genuinos, probatiſſimo auro gemmiſque fulgentes, convivij noſtri cratéres, quos nobis Petrus Cellenſis exhibet, dum ait: *Conſcientia bona eſt ſcyphus Joſeph, in quo augurari & inebriari ſolet animus;* ex quo pura illa divinoque amore flagrans anima ſe bibiſſe gloriabatur, cum diceret: *Introduxit me in cellam vinariam;* neque mirum, quia juxta divini amoris menſuram, ſervi Dei ſpirituali ſuavitate & dulcedine inebriantur, juxta illud Pſalmiſtæ aſſertum: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et alibi: *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo; comedite amici, & bibite & inebriamini chariſſimi.* Attamen non qualiſcumque, ſed innocens hæc eſt ebrietas, dicente Sancto Bernardo: *Sobria illa ebrietas, vero non mero ingurgitans, non madens vino, ſed ardens Deo.* Cui & illa conſonant Sancti Ambroſi verba: *Bona ebrietas ſpiritualis, quæ turbare neſcit corporis inceſſum, levare mentis novit veſtigium, quæ mæſtitiam peccatricis abolet conſcientiæ, jucunditatem vitæ infundit æternæ.* Pariter & Rupertus Abbas in Zachariam ſcribens, ait: *Vinum Domini, ſpiritus eſt Domini; ſicut vino non ſolùm extinguitur ſitis, ſed & vegetatur caro naturalis; ita dulcedine provocatur mens ad amorem Dei.*

S. Thom. de Villa Nova, in conc. 1. de Pent.
Spiritualis viri præſtantia.

5. Sanctus Thomas de Villa Nova vini hujus præſtantiæ atque virtuti, atrociſſimas inter carnificinas & tormenta, conſtantiam ac jubilum adſcribere non dubitans, exclamat: *O vini potentiam inæſtimabilem! inter candentes prunas & micantes gladios, inter ſtridentes feras & rugientes leones, inter laniantes ungulas & diſcerpentes, lætabundi laudes & gloriam Chriſto Domino decantabant.*

Ebria anima nullo movetur caſu.
S. Bernard. l. de conſc. c. 3.
Cant. 2. v. 4.
Phil. Carp. in c. 2. Cant.
Pſ. 118. v. 120.
S. Bonav. in Pſ. 35.
Pſ. 22. v. 5.
S. Auguſt. in Pſ. 35.
Alb. Magn. ib.
Jerem. 31. v. 14.
Iſa. 65. v. 13.
Ibid. v. 14.
S. Ambr. in Pſ. 45.
Luc. 5. v. 29.
Gloſſa ibid.

6. Ebrietas experientiâ teſte, alienat à ſenſibus, rationis impedit diſcretionem & diſcurſum; Ebrius nullo movetur caſu, diſcrimine nullo: Eoſdem ſanctæ ebrietatis nobis effectus exhibet Sanctus Bernardus lib. de conſcient. capite tertio, inquiens: *Nihil eſt jucundius, nihil eſt ſecurius bonâ conſcientiâ, premat mundus, trahat mundus, frendeat Diabolus, illa erit ſecura, cùm corpus morietur; ſecura, cùm anima coram Deo præſentabitur.* Philo Carpatius in c. 2. Cant. ejuſdem ſpiritualis vini præcellentiam indigitaturus, ad illa ſe convertit ſponſæ verba ( *introduxit me Rex in cellam vinariam* ) inquiens: *Ordinatur charitas in anima fideli ex diligenti obſervatione mandatorum, dum legit & meditatur Scripturas ſanctas, ex quibus fructu ſuaviſſimo paſcitur & internâ animi ſuavitate repletur; adeò ut in cellam vinariam, hoc eſt, in arcana divinitatis contemplando ſæpe rapiatur, indeque ſic edocta, voluptates omnes rerum omnium humanarum facillimè abominatur ac fugit.* Sanctus Bonaventura in Pſal. 35. illum ponderans verſiculum, *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, eam & ipſe, quam exorſi ſumus, continuat metam, inquiens: *Ebrietas corporalis aufert officium membrorum, uſum ſenſuum; ſic ebrietas ſpiritualis, unde Confige timore tuo carnes meas, ut ſenſus mei non habeant poteſtatem, niſi ad Deum.* Hunc calicem & craterem, præſtanti hujusmodi redundantem vino, ille nobis exhibet, qui ſæpius ex eodem bibit, Pſalmiſta, inquiens: *Calix meus inebrians quam præclarus eſt: Hoc jam calice,* ſubnectit Sanctus Auguſtinus in Pſalm. trigeſim. quintum, *inebriati erant martyres, quando ad paſſionem euntes, ſuos non agnoſcebant.* Albertus Magnus pariter ait: *Inebriantur gratiâ & devotione, ſecundùm illud Jeremiæ cap. 31. verſ. 14. Inebriabo animas Sacerdotum in pinguedine, ut tamquam ebrij carnalem perdant affectionem.* Vinum hoc, Iſaiâ teſte, recreabit convivas: *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis; Ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis;* moxque ſubjungitur: *Ecce ſervi mei lætabuntur, & vos confundemini.* Porro ſi convivij bonæ rectæque conſcientiæ ſapores & condimenta dignoſcere cupitis, Sanctum audite Ambroſium: *Quis puritate & ſimplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibus ſuavior, quàm quem animus bene ſibi conſcij & mens innocentis epulatur?* An non hiſce dapibus Salvator Matthæum, qui *fecit ei convivium magnum*, abundantiſſimè pavit, dum ipſum ad Apoſtolatum vocavit? Veritatem diſcamus à Gloſſa; quid miramini, inquit, tantum in eo diſcipulo obſequium? *qui enim Chriſtum intus recipit, paſcitur multis delectationibus.*

Eſth. 1. v. 5.
Pulcher ſcripturæ locus bonam conſc. figurans.
Hugo Card. in c. 15. Prov.
Iſai. 51. v. 3.
Joel. 2. v. 3.
S. Auguſt. ſer. ad frat.
S. Bern. T. 2. ſer. 52. a. 2. c. 1.
B. Lau. Juſt. de perf. grad. c. 6.

7. Scriptura ſacra ſolicitè locum conſiderat, in quo ſuperbiſſimum Aſſuerus inſtituit convivium: *Juſſit ſeptem diebus convivium præparari in veſtibulo horti & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat.* Per ſeptenarium dierum numerum, ſeptem Sancti Spiritus dona intelligi poſſunt, ipſe namque convivij hujus architriclinus eſt, de quo dicitur: *Tu*



*ſeptiformis munere;* epulum hoc in amœniſſimo inſtruitur ſerenæ tranquillæque conſcientiæ horto; Unde Hugo Cardinalis in eorum verborum Commentario: *Secura mens quaſi convivium;* aſtruit ſervos Dei amœnum in ſe exprimere Paradiſum: *Viri ſancti ſunt quaſi Paradiſus, locus ſcilicet amœnitatis; imò amœniſſimus locus ad Dei inhabitationem propriè deputatus;* ſuoque accommodat intento hunc Iſaiæ textum: *Ponet deſertum ejus quaſi delicias, ... gaudium & lætitia invenietur in ea;* & alterum Joelis: *Quaſi hortus voluptatis terra coram eo. In hoc horto invenies gramina virentia ſanctarum meditationum, flores piorum deſideriorum, folia utilium locutionum, fructus bonorum operum.* Eaſdem & longè excellentiores conſcientiæ immaculatæ attribuit laudes Sanctus Auguſtinus in ſermone decimo ad Fratres, cui titulus *de puritate conſcientiæ*, inquiens: *O felix ſanctæ conſcientiæ jucunditas, ô mens ſancta, Paradiſus deliciarum, varijs bonorum operum virgultis conſitus, varijsque virtutum floribus purpuratus, & ſuaviter cœleſti gratiâ irrigatus. Hæc eſt, fratres mei, Paradiſus, in quo plantatur lignum vitæ & cœleſtis ſapientia.* Eidem dogmati Sanctus Bernardus Tomo ſecundo ſermone 52. a. 2. c. 1. ait: *Conſcientia munda eſt hortus deliciarum;* moxque nominis illius *Paradiſus* originem contemplans, ſubnectit: *Paradiſus quaſi parans Dei viſum, vel quaſi pacis dans viſum; hic Paradiſus ſignificat conſcientiam mundam, quæ pollet affluentia gratiarum, & fluit in delicijs ſuaviſſimis ſupernorum, in quibus delectatur ſicut in omnibus delicijs.* Et Beatus Laurentius Juſtinianus de perfect. grad. cap. 6. pariter ſcribit: *Eſt cordis munditia juge convivium, deliciarum internarum janua hortus concluſus, diverſarum virtutum arboribus conſitus.*

Convivium lautum Conſc. bona.
Iſa. 25. v. 6.
Rich. Vict. p. 1. de ſacrif. David.

8. Convivia lauta & ſumptuoſa exquiſitiſſimis cariſſimiſque dapibus exornari ſolent, ita ut nihil in ijs quoad condimentorum varietatem & ſuavitatis, dulcediniſque abundantiam deſiderari poſſit; noſtrum pariter convivium lacte, nectare & Ambroſia redundat, omnium conſummatio rariſſimorum ſaporum & condimentorum, utpote *convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum.* Audite Richardum Victorinum: *Hæc eſt hæreditas illa, quæ fluit lacte & melle, quia ſecuritas conſcientiæ ſolet mentem humanam lætitia & exultatione replere; lactis & mellis dulcedine nos refici voluit, qui dixit; lætamini in Domino & exultate juſti. O quale quantumque gaudium habere conſcientiæ teſtimonium.* Quibus in liquoribus, lacte nimirum & melle, diverſas comparative ad ſpiritualem animæ ſuavitatem, adducit conditiones inquiens: *In lacte & melle intellige duplex gaudium conſcientiæ ſecuræ & bonæ. Geminum ſane gaudium integra conſcientia parit, gaudium de beatitudine corporis, gaudium de beatitudine mentis. Lac eſt illa dulcedo, quam haurimus in contemplandis creaturis; mel autem eſt illa, quæ mentem inebriat ex contemplatione Creatoris.*

Ejus ſapor inexplicabilis.
Sap. 16. v. 20.
Apoc. 2. v. 17.
Hug. Card. in pro. 15. v. 15.
Fel mutat in nectar.
Aquam in vinum.
Joan. 2. v. 7.
Judic. 14. v. 14.
Joan. 16. v. 20.
Convivam habet Spir. S.
S. Bern. ibid. c. 3.
Joan. 14. v. 23.
Cujus Regia eſt Domus.
Luc. 17. v. 21.
Prov. 14. v. 14.

9. Manna conſolationes denotat, hac in vita devotis vincentibus conferri ſolitas, juxta illud: *Dabo manna abſconditum,* Manna omnes in ſe poſſibiles atque imaginarios guſtus ſaporesque concludebat; *omne delectamentum in ſe habentem & omnis ſaporis ſuavitatem;* nihilominus Dionyſius Carthuſianus autumat virtutem hanc cibo illi minime extitiſſe naturalem, ſed ſupernaturale fuiſſe Dei donum. Aſt immenſas haſce delicias, quas Judæi obſtupefacti nullo mentis ſuæ acumine aſſequi poterant, nimia ſpiritualium illecebrarum ſuavitas, dulcedo, exuberantia ( quibus Deus dilectam ſibi animam demulcere ſolet ) infinities propemodum exuperat, nullo perceptibilis intellectu, nulla explicabilis lingua; non immerito eam nuncupaverim ſupernorum cœleſtem Jeruſalem inundantium fluviorum ſtillam, aut de æternalium gloriæ deliciarum menſa deciduam micam, ſuffragante Hugone Cardinali, dum ait: *Conſcientia bona ſemper eſt in gaudio, & æterni convivij jam præſentit odorem.* Quis epulum umquam præparavit, tanta præpollens Excellentia, in quo abſynthium atque ipſum fel in nectar & ambroſiam fuerit transmutatum? Eumdem auſcultare ne gravemini auctorem: *In hoc convivio,* inquit, *aqua tribulationis mutatur in vinum jucunditatis, & ideo & quanto plus ibi fuit de aqua, tanto plus ibi erit de vino; unde & Dominus, qui dare vult hujusmodi vinum, præcipit implere hydrias aqua.* Iuxta paſſionum & mortificationum menſuram ipſæ quoque conſolationes abundant; præterquam quod charitatis & divini amoris ſal, quaſcumque etiam inſipidiſſimas condiat ſaporiferaſque efficiat dapes; *Ubi amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor. De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo;* Græcus legit: *De triſti.* Promiſſionem namque habemus ab eo, qui *Deus totius conſolationis, conſolatur nos in omni tribulatione noſtra,* quod *triſtitia noſtra vertetur in gaudium.* Convivia perſonarum præcipue illuſtrium honorat præſentia; epulum noſtrum nulli penitus cedit in nobilitate, dicente S. Bernardino: *Nec tantum ſpiritum ſanctum manſurum in bonæ conſcientiæ habitaculo repromiſit; verum etiam & totam Trinitatem apud illam manſuram ſpopondit* Salvator, dicens; *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Imo idem conſcientiam puram, regiam appellare non dubitat: *Conſcientia munda eſt domus regia; regnum Dei illam Dominus appellavit, dicens: Regnum Dei, id eſt, conſcientia bona, per quam Deus per gratiam regnat, intra vos eſt. In hac aula magna ſpiritualia convivia fiunt, ſicut dicitur? Omnes dies pauperis mali, quia qui pauper eſt virtutibus & habet conſcientiam læſam, ſemper in amaritudine eſt & ſubditur. Secura mens quaſi juge convivium; id eſt, aſſiduum, continuum & perſeverans convivium experitur; quia ſemper in continua conſolatione & lætitia eſt.*

Luc. 22. v. 29.

10. Salvator noſter Apoſtolis æternæ promittens beatitudinis regnum, *ego diſpono vobis*, inquit, *ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum; ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Convivium hoc anima frequentat immaculata in regno, id eſt, in conſcientia bona, ut diximus, ſiquidem *regnum Dei intra vos eſt.*

## DISCURSUS VII.
## ARGUMENTUM.

De varijs bonæ conſcientiæ præconijs & effectibus.

### THEMA.

*Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* Pſ. 44. v. 14.

Beata eſt anima cujus Conſc. immaculata.
S. Hier. ib.
S. Ioan. Dam. l. Par. 2. c. 78.
D. Carth. in Pſ. 33. v. 9.
De illa Rex Ezech. gloriatur.
S. Chryſ. h. 24. in Matth.

1. ANima, quæ teſte Pſalmiſta, gloriæ regis filia eſt & partus, totam ſuam in interiori conſtituit felicitatem: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus; hoc eſt, in conſcientia,* inquit S. Hieronymus. Inter beatitudinem regnumque cœleſte, & rectam conſcientiam ſola mediat reſpirij & flatus diſtantia; quanto namque tempore præcordia noſtra aërem attrahunt ſpiritumque ducunt, integerrima viget animæ ſalus, in puritate eminet immaculata, inque cœlo immediate ſeipſam contemplatur admirabunda, ſuaviſſimos inter cœleſtis ſponſi amplexus; ideoque Sanctus Joannes Damaſcenus, ad cordis munditiam & puritatem nos invitaturus, hanc aſſignat rationem, quia ſcilicet integritas cordis animam efficit beatam: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, ex ipſo enim vita procedit; pretioſa poſſeſſio, vir purus. Beatus, quem non reprehendit anima ſua.* Et Dionyſius Carthuſianus illa Pſalmi ( *guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus* ) interpretans verba ait: *Hæc deguſtatio eſt futuræ beatitudinis certa ac ſupernaturalis prælibatio.* S. Rex Ezechias morti vicinus, non ſuas coram Deo victorias, non theſauros; non magnificentiam, non à ſe propugnatum ampliatumque divinum cultum, ſed bonæ conſcientiæ commemorare cœpit rectitudinem; unde Chryſoſtomus inquit: *Cum ægrotaret, non menſæ deliciarum plenæ recordabatur, non eximiæ gloriæ, non regni aut imperij, ſed juſtitiæ ac rectæ conſcientiæ; memento enim,* inquit, *Domine, quomodo ambulaverim in conſpectu tuo in via recta.*

Conſc. bona ſalutis anchora.
S. Chryſ. T. 5. de Laz. conc. 4.

2. Mundus hic impetuoſum mare eſt, in quo magna pars navium naufraga perit: *Hoc mare magnum; multi vocati, pauci vero electi.* Ventorum turbinibus occulte ſecundant rupes, & ipſæ in navigantium perniciem armatæ; alijs per aſſultus publicos, alijs per latentes inimici infernalis inſidias ſuccumbentibus. Quis tot inter rerum diſcrimina ſalutem ſperarit? unicus ille, qui bonæ rectæque jecerit conſcientiæ anchoram. *Quid eo beatius* inquit S. Chryſoſtomus, *qui cum virtute vivit; qui cum laudantur alij, ipſe gaudet lætitiaque diſſluit, ex aliorum laudibus ſuorum recte factorum memoriam recipiens? Hæc ſunt di-*



*vinæ*

*vinæ ſapientiæ opera, hæc maxima illius providentiæ ſunt argumenta; conſcientiæ increpatio, ſacra eſt anchora, non ſinens nos tandem in peccatorum demergi profundum.* Qui remorſum non ſentit conſcientiæ aut cordis motum, non judicium; non mortem, ipſum

Iſa. 3. v. 10. Ibid. v. 11.

non pertimeſcit infernum: *Dicite juſto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet; væ impio in malum.*

Hug. Card. in Pſ. 44. Alia præconia.

3. Hugo Cardinalis citata in capite diſcurſus verba (*omnis gloria &c.*) interpretans ait: *Gloriam appellat gaudium de hoc, quod non mordebit eum conſcientia de aliquo.* His ſublimiora longe conſcientiæ integræ præconia recenſet S. Chryſoſtomus, dum nimiam ſtupet Apoſtoli inter adverſa conſolationem, aſſerentis:

2. Cor. 1. v. 12. S. Chryſoſt. h. 3.

*Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Quamvis enim innumeris calamitatibus afficiamur*, ſubjungit ille, *atque undique impetamur; nobis tamen ad conſolationem, neque ad conſolationem tantum, ſed etiam ad coronam ſufficit conſcientia, quæ pura eſt*; veriſſime equidem: Nam S. Ambroſio teſte:

S. Ambr. ep. 17.

*Hoc eſt eſſe divitem æternitati, cum pace animi, cum tranquillitate quietis nihil concupiſcere, nullis exagitari cupiditatum procellis.* Navigationis noſtræ portus bona eſt conſcientia, ad cœli nos pervehens littus omni abſque diſcrimine; juxta illud S. Bernardi teſtimonium:

S. Bern. l. de conſc. c. 4.

*Futuræ beatitudinis non eſt utilius remedium, nec certius teſtimonium, quam bona conſcientia; mundus enim volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, tranſeat, numquam marceſcit conſcientia.* Imo ipſemet Seneca, ſolo naturali ductus lumine, eam moralis ædificij non fundamentum dumtaxat, ſed & verticem appellare non dubitavit, dum in hæc verba ad Lucillum ſcribit:

Sen. ep. 23.

*Aliquid, quod & mihi & tibi prodeſſe poſſit, ſcribam. Quid autem id erit, niſi ut te exhorter ad bonam mentem? hujus fundamentum quod ſit, quæris? ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc eſſe dixi, etiam culmen eſt.*

Conſc. elogia. S. Aug. ſer. 10. ad frat.

4. Varijs porro conſcientiam integram epithetis exornarunt interpretes & Doctores Sacr. S. Auguſt. inquit: *Hæc eſt thalamus Dei, & palatium Chriſti, habitaculum ſancti Spiritus, hæc eſt thronus Salomonis:* & paulò poſt exclamans, ſubdit: *O conſcientia ſancta! in terra adhuc es & in cælis habitas.* Et S. Bernardus eamdem nuncupat

S. Bern. l. de conſc. 3.

*hortum deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum*; nec immerito, quoniam *nihil inquinatum in eam incurrit*, teſte Sapiente,

Sap. 7. v. 26.

*candor eſt enim lucis æternæ & ſpeculum ſine macula.* Conſcientia pura atque immaculata in luce deſignatur, ſiquidem *abjecit opera tenebrarum & induit arma lucis.* B. Laurent. Juſtin. eam vocitat purum, limpidum & *præclarum ſpeculum*: Cui conſonat illud Bernardi:

B. Laur. Juſt. de perfect. grad. c. 6. S. Bern. ib. c. 4.

*In ſpeculo conſcientiæ ſtatus interioris hominis exterioris cognoſcitur. Speculum mundum, clarum & purum totius religionis eſt conſcientia.* Quod nitidum ſpeculum innumerabilia repræſentat bona: *Nemo prorſus explicare poteſt quanta bona, quanta chariſmata ſpiritualia & quot gaudia ex munditia ipſa proveniant; dat quidem pacem, ſecuritatem tribuit, fiduciam coram Deo præſtat, pacatam reddit conſcientiam, elevat de terrenis, provehit in cæleſtia.*

Conſc. eſt Dei domus.

5. Prælibata interioris gloriæ in anima reſidentis memoria, id eſt, facta ſerenitatis conſcientiæ mentione, Pſalmiſta immediate ſubjungit: *Et concupiſcet rex decorum tuum.* Circa quæ verba S. Auguſtin. ait:

S. Auguſt. ib.

*Intus pulchram novit, qui ſpeciem ejus amavit; quæ ſunt interiora pulchritudinis? conſcientia; ibi videt Chriſtus, ibi amat Chriſtus, ibi alloquitur Chriſtus.* S. Bernardin. quoque ſcribit:

S. Bern. t. 2. ſer. 52. ar. 2. Pſ. 25. v. 8.

*Oſtendit Propheta conſcientiæ formoſitatem, dum ait; Domine, dilexi decorem domus tuæ. Unde domum Dei vocat conſcientiam propriam; unde alibi idem in perſona Domini, ait:*

Pſ. 100. v. 2.

*Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ, ſcilicet per gratiam, in medio domus meæ, id eſt, conſcientiæ meæ.*

Gen. 3. v. 18. Benedictionis ager.

6. Non elementaris dumtaxat terra ad ſpinas tribuloſque proferendos, ſed & natura corpuſque noſtrum mortale ad ſenſuum rebellionem, nec non ad tentationum atque appetituum inordinatorum puncturas ſentiendas condemnata fuit; de innocenti nihilominus conſcientia veraciter dici poteſt:

Pſ. 84. v. 2.

*Benedixiſti Domine terram tuam*; unde idem Sanctus eam campum ſeu agrum nuncupat benedictionis, inquiens:

S. Bern. ibid. c. 1.

*Conſcientia munda eſt ager benedictionis, ipſa enim eſt terra, cui benedixit Deus. De hac terra & agro Propheta ait: Benedixiſti Domine terram tuam. Unde terra Domini, quam ipſe colit, eſt conſcientia munda, quam, cum affert fructum bonum, benedixit Deus*; in cujus confirmationem, illum adducit Apoſtoli textum: *Terra enim ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo talis benedictio*, ſubjungit Sanctus, *eſt gratiæ multiplicatio in præſenti, aut gloriæ in futuro; ſeu talis benedictio eſt illa gratia, per quam conſcientiæ bonæ omnia cooperantur in fructum.* In hoc benedictionum agro abſconditus reperitur, eodem Sancto teſte, theſaurus Evangelicus:

Ibid. c. 2. Theſaurus.

*Eſt theſaurus regis*, inquit, *tam qua nihil in mundo pretioſius eſt Deo, quam conſcientia munda; tum quia ea nihil charius æſtimare debemus*; moxque illud Chriſti

Matth. 13. v. 44.

(*ſimile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo &c.*) aſſertum ſubnectens, ait: *Theſaurus hic eſt conſcientia munda, quæ quidem per multas inſidias & pericula abſcondenda eſt. Appretiatio autem tanti theſauri infertur, cum dicitur; quia omnia ſua vendidit & emit agrum illum, quia comparatione conſcientiæ bonæ cuncta tranſitoria pro nihilo ſunt habenda.* Celebris illa ſapientiæ incarnatæ doctrina ad noſtræ apprimè deſervit ſententiæ confirmationem:

Matth. 16. v. 26.

*Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Hujus theſauri moneta regnum comparat, cœlorum, ejus inops poſſeſſione excidit ſuperna. Fuit inſuper beatum illud regnum denis aſſimilatum virginibus, quarum quinque pedem intulere beatitudini æternæ, cæleſtis aſſiſtentes ſponſi nuptijs, reliquis quinque ignominioſe excluſis; cujus differentiæ ratio

Oleum.

defectus fuit olei, quo fatuarum lampades laborarunt, dum è contra prudentes

Matth. 25. v. 4.

*acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.* Quod hocce oleum, S. interrogat Auguſt. ſubſidio cujus virgines intrarunt ad gloriam; moxque ipſemet ſibi reſpondet:

2. Cor. 1. 12.

*Apoſtolus dicit, gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Qui idem Sanctus illa Pſalmiſtæ verba

Pſ. 140. v. 5.

(*oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*) ſequenti illuſtrat commentario, dum ait:

S. Aug. ſer. 22. de ver. Dom.

*Probet, inquit, ſeipſum homo, & tunc in ſeipſo habebit gloriam, & non in altero; nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sapientes illæ virgines ſumpſerunt ſecum oleum in vaſis ſuis, id eſt conſcientia illis teſtimonium perhibebat.* Oleum gaudij ſymbolum eſt, juxta illud:

Pſ. 44. v. 8.

*Unxit te Deus oleo lætitiæ.* Jure autem meritiſſimo conſcientia bona huic aſſimilatur liquori, puræ namque & immaculatæ conſcientiæ tranquillitas ac ſerenitas omnia exuperat ſolatia & gaudia; ideoque Alb. Magn. ait:

Alb. Magn. in Pſ. 4. v. 7.

*Dediſti lætitiam in corde meo, quaſi non tantum illuſtres lumine gratiæ, ſed etiam dediſti lætitiam ſpiritualem de puritate conſcientiæ & ſerenitate.*

7. Hugo Cardinalis conſcientiæ ſtatum aſſimilat rivo, qui juxta fontis ſui conſtitutionem limpidus eſt aut turbidus; ita etiam, inquit ille, jubilus atque exultatio externa exultabundi cordis ſerenatæq; mentis eſt indicium; & è contra mœror anxij ſignum eſt animi.

Hug. Card. in Pſ. 125. Conſcientiæ indicia.

*In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati, tunc repletum eſt gaudio os noſtrum & lingua noſtra exultatione*; moxque S. Gregorij ſubdit authoritatem, dicentis:

Pſ. 125. v. 1. Ibid. v. 2.

*Sicut ex gaudio cordis ſequitur gaudium oris; ſic ex triſtitia cordis ſequitur triſtita oris; nam ex fonte ſereno rivulus clarus, & ex fonte turbato rivulus turbidus emanat.* Adhæc 3. riſus ſpiritualis ſuperaddit ſpecies, inquiens: triplex eſt riſus, *verus, occultus, manifeſtus. Verus eſt, qui procedit de conſcientia bona;*

2. Cor. 1. v. 12. Iſa. 58. v. 11.

*gloria noſtra hæc eſt &c. Occultus, qui corde tenetur; replebit Dominus ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. Manifeſtus non debet haberi hic vel modo, ſed in futuro.*

Conſc. evertenda ut drachma inveniatur.

8. Mulier Evangelica paſſa jacturam margaritæ, moræ quietiſque impatiens, ſuam cœpit ſuſque deque evertere Domum, lucernam accendere, nullum non expurgare angulum, nulli parcere labori, uſque dum amiſſam reciperet gemmam; qua recuperata, præ nimio exultans jubilo, vicinos omnes ad exultationis invitavit participium;

Luc. 15. v. 9.

circa quod factum Origenes ſequentem adhibet animadverſionem, inquiens:

Orig. to. 1. hom. 13. in Gen.

*Non illam invenit extrinſecus, ſed in domo ſua; intra te eſt drachma, quia cum Deus ab initio conderet hominem, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit illam.* S. Gregorius advertit, fæminam hanc, ut domum expurgaret, lucernam accendiſſe:

S. Greg. h. 34. in Evang.

*Accenſa lucerna evertit domum; quia mox ut ejus divinitas per carnem claruit, omnis ſe noſtra conſcientia concuſſit; domus namque evertitur, cum conſideratione reatus ſui, humana conſcientia perturbatur;*



*qui everſionis ſermo non diſcrepat ab eo, quod in alijs codicibus legitur, emundat; quia nimirum pravamens ſi non prius per timorem evertitur, ab aſſuetis vitijs non emundatur. Everſa ergo domo, invenitur drachma, quia dum perturbatur conſcientia hominis, reparatur in homine ſimilitudo Conditoris.* Et Albertus Magnus ait:

Alb. Magn. ib.

*Eſt domus conſcientiæ interioris, quam totam oportet evertere, in compunctione & confeſſione.* Reinventa gemma ſolemnitas inſtituitur: animæ namque purificatio & reſtituta bonæ conſcientiæ tranquillitas incredibile affert jubilum: Ideoque S. exclamat Auguſtinus:

S. Auguſt. ſer. 10. ad frat.

*Gaude ò anima, anima ſancta, ſancta conſcientia decorata, gaude cæleſti & æterna gloria. Ibi Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: Eja ergo fratres, ſi ad hanc gloriam cupimus pervenire, noſtram conſcientiam diligenter nunc diſcutiamus.*

Gerſ. t. 2. in feſt. omn. S. Conſc. lecto comparatur.

9. Gerſon ejuſdem decernens præconia, *nihil plane lætus*, inquit, *bona conſcientia, vel jucundius atque ſerenius; cum ex adverſo nihil horridius mala conſcientia, nihil confuſius & inquietius invenitur.* Cæteris autem palmam facile præripuerit Hugo Cardinalis, dum eam lecto aſſimilat, inquiens:

Hug. Card. in Pſ. 44. v. 14.

*Conſcientia lecto comparatur, in quo qui eſt, in ægritudine peccati mortalis quieſcere non poteſt, ſed mutat ſe de hoc loco in alium; modo habet conſcientiam de uno, modo de alio.*

Cant. 3. v. 1.

*In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea; quæſivi, & non inveni, quia immunda erat conſcientia, ideo non invenit eum ut conſolaretur in eo; ſed quando eſt ibi?*

Pſ. 147. v. 14. S. Aug. ibid.

*Poſuit fines tuos pacem, quod eſt, quando non eſt aliqua in conſcientia remorſio, tunc adipe frumenti ſatiat te.* Dum nullus conſcientiæ pungit remorſus, in placidiſſimum ſervit quietis thorum. *Hæc eſt thalamus Dei*, inquit S. Auguſtinus, *lectus ſponſi cæleſtis, in quo ipſa conſcientia bona optime delectatur & requieſcit cum ſponſo ſuo.* Et alibi:

S. Aug. ſer. 2. de decal. ad pop.

*In tertio iſto præcepto inſinuatur quædam vocationis indictio, quæ eſt cordis tranquillitas ac mentis, quam facit bona conſcientia, ibi ſanctificatio, quia ibi ſpiritus Dei.* S. Petrus, non obſtante craſtinæ ſeu alterius diei mortis horrore, pacatiſſimè dormiebat, non tam in medio ſatellitum pavidus, quam in conſcientiæ ſuæ lecto ſecurus:

Act. 12. v. 6.

*In ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites.* Econtra univerſi Monarcha Nabuchodonoſor tot inter Theſauros, imperia & ſupremas mundi felicitates, nullam quietis partem capere poterat, mala eum inceſſanter cruciante conſcientia:

Dan. 4. v. 2.

*Cogitationes meæ in ſtrato meo & viſiones capitis mei conturbaverunt me.* Pagninus legit: *Terrebant me.* Quis non obſtupeſcat? Ille medias inter catenas dormit, hic inter media inſanit ſceptra? quid mirum:

Pſ. 149. v. 5.

*Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Sanctis equidem in patria quies competit & ſatisfactio ſolida, nihilominus per dictam gloriam poſſumus bonam intelligere conſcientiam, teſte Apoſtolo, dum ait:

2. Cor. 1. 12.

*Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Quotquot in gratia & amicitia Dei vivunt, optatiſſima exultabundi fruentur lætitia & quiete:

Pſ. 14. v. 5. S. Auguſt.

*Lætabuntur in cubilibus ſuis. In cordibus ſuis lætantur*, inquit S. Auguſtinus, *audi Paulum exultantem in cubiculi ſuo; gloria noſtra, inquit, eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Bonæ conſcientiæ gaudium eſt utile, continuum & ſtabile; & quare. Conſcientia bona jubilat ob vivam æternorum gaudiorum ſpem, noſque conſolatur in tribulationibus.

## THEMA.

*Jubila Iſraël, lætare & exulta in omni corde filia Jeruſalem.* Sophon. c. 3. v. 14

Deo ſervire lætitia ſumma.

1. NOn Babylonica, ſed Jeroſolymitana filia, id eſt, anima juſta; ad ſolemnitatem peragendam invitatur; ab omni namque gaudio alienus eſt, quiſquis Deo & conſcientiæ puritate deſtitutus vivit; cum è converſo ſincerus Dei ſervus multifariam ad gaudia provocetur: *Jubila, lætare, exulta*; ut ſcilicet diſcamus, non unum dumtaxat, ſed plurima Dei ſervis ſuppetere exultandi motiva. Pſalmiſta pariter nos ad divinum exhortatur ſervitium, cum jubilo continuandum:

Pſ. 99. v. 2.

*Servite Domino in lætitia*; nec immerito, hæc ſiquidem ſervitus veram nobis confert filiorum Dei libertatem, nos regni beatifici dominos conſtituit & patronos. Quondam Incognitus, notiſſimus hodie Michael de Bononia illum Geneſis textum noſtro accommodat propoſito:

Gen. 47. v. 25. Incog. ibid. Pſ. 99. v. 2.

*Reſpiciat nos … Dominus noſter, & læti ſerviemus regi. Et hoc eſt*, inquit, *quod nunc nobis impetrat Pſalmiſta dicens: Servite Domino in lætitia? talis autem ſervitus multum eſt affectanda, quia liberat à vitijs & lætificat in præmijs.* Et Cardinalis Bellarminus in ejuſdem Pſalmi commentario ſcribit: *Cauſa potiſſima, cur Deo cum lætitia ſerviendum ſit, ea eſt, quia ſumma præceptorum ejus dilectio eſt, & dilectione nihil dulcius. Accedit, quod ſervitus Dei nobis utilis eſt, non Deo; ut vere dictum ſit: ſervire Deo, regnare eſt.* Simile etiam Sanct. Remigius motivum ponderans, ait:

S. Rem. ibid.

*Merito ei ſerviendum eſt in lætitia, quia ſervitus Dei eſt libera, cui non ſervit neceſſitas ſed charitas.* Non ad labores aut ſudores, ſed ad gaudia atque exultationes invitamur, dum ad Dei famulatum provocamur:

Matth. 11. v. 28. S. Chryſ. h. 39. in Matth.

*Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Non hic aut ille*, inquit S. Chryſoſtomus, *ſed omnes, qui curis, qui doloribus, qui peccatis laboratis; venite ad me, non ut pœnas luatis, verum ut dolores, peccataque veſtra diſſolvantur.*

Conſolatio indeficiens. Joan. 16. v. 22.

2. Omnis extra Deum conſolatio & lætitia labilis eſt; in Deo autem fundata, continua eſt, permanens atque indeficiens: *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Ideoque quidam celeberrimus olim Eremita, prout *in vitis Patrum* legitur, interrogatus, cur ſingularem ſemper præ ſe ferret lætitiam, reſpondit: *Chriſtum à me tollere non poteſt.* Sola Deum, per propriam voluntatem admiſſa, tollere noxa poteſt.

Matth. 9. v. 15. Hab. 3. v. 18. Haym. ibid. In ſolo Deo gaudendum.

*Numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis ſponſus eſt:* Haymon illa Habacuc conſiderans verba (*ego autem in Domino gaudebo*) ſequentem inſtituit diſcurſum: *Non in divitijs, non in gloria mundi, ſed exultabo in Deo ſalutari meo; Jeſus enim Salvator ſive ſalutaris interpretatur. Dulce & plenum gaudij nomen Jeſu audire.* David à pedo paſtorali ad regium promotus ſceptrum ut ſuum ſenſit præ nimijs conſolationibus ſpiritualibus exultare animum, propter quod dicebat:

Pſ. 4. v. 7.

*Dediſti lætitiam in corde meo*, ſubito concluſit, omnem ſuam felicitatem & gaudium ſeſe eo fundaſſe:

Ibid. v. 9.

*In pace in idipſum dormiam & requieſcam*; aſt præceptor Angelicus Pſalmiſtam præmiſiſſe advertit:

Ibid. v. 7. S. Thom. ib.

*Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo*; moxque in perſona Pſalmiſtæ ſubdit: *Verum eſt, quod omnes habent vultus lumen deſuper ſe; ſed ò Domine, ſanctis & mihi dediſti lætitiam ſpiritualem in corde meo, ut ſcilicet de te gaudeam.* Lumine notitiaque divina præditus quodcumque aliud aſpernatur gaudium; aſt *mali habent abundantiam temporalium, & ideo dicit; à fructu frumenti, vini & olei multiplicati ſunt.* Fructus hi terreni, in quorum ubertate & copia Coſmophili ſuas collocarunt conſolationes, ſubito marceſcunt; atque ideo David, qui meliorem longe elegerat partem, merito exultans, ait: *Mihi dediſti lætitiam ſpiritualem.*

Ubi Deus ibi lætitia vera. Pſ. 67. v. 18.

3. S. Auguſtinus illum admirabundus contemplatur, quem triumphalem nobis Pſalmiſta currum exhibet, inquiens: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis.* Inter cætera autem, illud ſingulariter notat verbum

S. Aug. ibid.

*Dominus in eis*, dicens: *Mirifice cum dixit, millia lætantium, continuo ſubjecit; Dominus in illis. Ne miremur quod lætentur, Dominus in illis.* Mundi hujus lætitia eſt fugax, brevis & inſtabilis;

Job. 20. v. 5.

*gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*; de gaudio autem ſpirituali Pſalmiſta aſſerere non dubitat:

Pſ. 29. v. 7. Æterna.

*Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*: Cujus ſpiritualis exultationis dulcedinem B. Petrus Damianus copioſe nobis propinat, dum ait:

S. Petr. Dam. ſer. de S. M. Magd.

*Gaudium continua ſui jucunditate firmiſſimum, quod perfectus animus de ſecura ſibi conſcientia pollicetur; mens enim à mundi hujus aſpergine pure preſſeque deterſa, & in divinæ contemplationis acumen, totum deſiderij ſui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima ſua in Deo ſuo.* Beatiſſimum hocce objectum, animæ ſatiativum, indefectibile perſeverat, continuumque viget; exhortante nos Apoſtolo:

Phil. 4. v. 4. S. Thom. ib.

*Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete. Quod fit*, inquit S. Thomas, *quando non interrumpitur peccato, tunc enim eſt continuum*; moxque ſubdit:

Quando non interrumpitur peccato.

*Aliquando interrumpitur per triſtitiam temporalem, quod ſignificat imperfectionem gaudij; cum enim quis perfecte gaudet, non interrumpitur ejus gaudium, quia parum curat de re, parum durante,*

*durante*; qualis eſt omnis triſtitia præſens, utpote breviſſimo tranſiens temporis ſpatio: *Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Circa quæ verba Agellius ſpeciatim Spiritus Sancti phraſin conſiderans, ait: *Demorabitur, hoc eſt, diverſabitur, tamquam ad hoſpitium divertet; quo verbo non permanſurum diutius fletum ſignificavit, ſed tamquam iter facientem, noctem unam tantummodo diverſaturum.* Veſpera vitam denotat præſentem, matutinum beatam; hæc perpetuo durat, illa occaſui parentat. *Advertenda eſt præterea emphaſis verborum, per quæ celeritatem hujus pernoctatoris oſtendit. Non enim dixit, ſequenti die, poſtridie, ſed ad matutinum; bene mane abibit moleſtus hic viator, qui dum nobiſcum pernoctat, quieſcere non ſinit.*

Pſ. 29. v. 6.
Agell. ibid.

Hanc lætitiam nemo tollere poteſt.
2. Cor. 6. v. 10.
S. Chryſ. h. 12. ibid.
S. Auguſt. in ſent. n. 90.

4. S. Chryſoſt. illud Apoſtoli aſſertum (*quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*) conſiderans, doctè ſubnectit: *Nec vero gaudentes ſolum dixit, ſed addidit, ſemper. Ecquis igitur huic vitæ par eſſe queat, in qua tot calamitatibus incurſantibus, auctior atque cumulatior voluptas efficitur?* Sanctuarij pondus, judicio meo, illa merentur S. Auguſtini verba: *Non poteſt quiſquam fraudari delectationibus ſuis, cui Chriſtus eſt gaudium, æterna enim exultatio eſt, quæ bono lætatur æterno.* S. autem Chryſoſtomus ad citatam ſe reflectens Chriſti promiſſionem (*gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*) *breve verbum*, inquit, *ſed multam habet conſolationem, quidnam tandem eſt, nemo gaudium veſtrum tollet?* Pecuniæ veſtræ aut vobis auferri, aut fiſco addici poſſunt, imperia & dominia ſuis ſunt implicata laboribus & defectui ſubjacent, venuſtas atque vigoroſa complexio per unicam atteritur infirmitatem; reliqua omnia, à cœcis mortalibus æſtimata & dilecta bona, quotidianum fragilitati, inconſtantiæ & fugacitati lytrum ſolvunt; aſt conſolationem, in amicitia & gratia Dei fundatam, *nemo tollet à vobis*: De qua proinde & S. Thomas ſcribit: *Longa eſt duratione, quia ſine fine*, juxta illud Pſalmiſtæ teſtimonium: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dexterea tua usque in finem.*

Joan. 16. v. 22.
S. Chryſ. h. 16. ad Ant.
S. Thom. ib.
Pſ. 15 v. 10.

Oleum Dei eſt indeficiens.
Pſ. 103. v. 15.
Pſ. 44. v. 8.
Iſa. 61. v. 3.
Matth. 25. v. 8.
3. Reg. 17. v. 12.
3. Reg. 17. v. 14.
4. Reg. 4. v. 2.

5. In pluribus ſacræ ſcripturæ locis lætitia deſignatur per oleum: *Ut exhilaret faciem in oleo; Unxit te Deus ... oleo lætitiæ; Oleum gaudij.* Ecce igitur vobis differentiam, quæ ſpiritualis inter & mundanæ lætitiæ oleum intercedit. Virginibus ſtultis defecit oleum, tempore nuptiarum, quando vel maxime ejuſdem habendi urgebat neceſſitas; viduæ quoque Sareptanæ ſupererat *paululum olei in lecytho.* Econtra autem divinæ oleum lætitiæ, quod Deus ſuis impertit ſervis, omnino indefectibile eſt, dicente magno Patriarcha Elia: *Nec lecythus olei minuetur.* Alteri pariter fæminæ, quæ dixerat; *non habeo ... niſi parum olei*, idipſum abunde adeo multiplicavit Eliſæus, ut etiam deficientibus vaſis exundaret. Audite Hugonem victorinum: *Habet oleum Deus, habet oleum & mundus; ad oleum Dei vaſa deficiunt, oleum mundi in vaſis deficit; oleum Dei, dulcedo æternorum; oleum mundi, delectatio præſentium; illa ſufficit, iſta deficit:* Fatuarum virginum oleum tempore maxime neceſſario deficit, hæc eſt mundanarum conſolationum & voluptatum ratio; comitantur nos usque ad lectum; ibique illis nos deſerentibus, exordium capiunt miſeriæ, usque ad catalectum ſeu tumulum, imo usque in æternitatem permanſuræ; aſt conſolatio conſcientiæ bonæ penitus inſeparabilis eſt, ſiquidem *gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Accommode huic loco inſerendum duxi id, quod de Religioſa quadam S. Bernardus in hæc verba ſcribit: *Magnum eſt mihi gaudium, quod te ad verum & perfectum gaudium velle tendere comperi, quod non eſt de terra, ſed de cælo. Et revera illud ſolum & verum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur; & quod cum poſſederis, nemo tollet à te: cui comparata omnis aliunde jucunditas mæror eſt, omnis ſuavitas dolor eſt, omne dulce amarum, omne decorum, fædum; omne poſtremo quodcumque aliud delectare poſſit, moleſtum.*

Joan. 16. 22.
Verum gaudium de Creatore eſt.

In ſolo hoc jucunditas omnis.
S. Aug. in Pſ. 85.
Sen. ep. 27.

6. S. Auguſtinus nullam in his delectabilibus mundi bonis, ſed omnem in ſolo Deo conſolationem lætitiamque ſituatam eſſe aſtruit manifeſte, dum ait: *Solus tu es jucunditas, amaritudine plenus eſt mundus, tu Domine ſuavis es.* Imo ipſemet Seneca, quantumvis ſpirituali, quo cœlum intuetur, careret oculo; in tantam nihilominus multifariæ, à bona conſcientia derivatæ, conſolationis devenit notitiam, ut dicere non dubitarit, quod corpus noſtrum *vanas ſuggerit voluptates, breves, pœnitendas; in præcipitieſt voluptas, ad dolorem vergit; veri boni aviditas tuta eſt. Quid ſit illud interrogas, aut unde ſubeat? dicam: ex bona conſcientia, ex honeſtis conſilijs, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum.* David tot auguſtus magnificentijs, tot famoſus victorijs, tot opulentus theſauris, tot tremendus regnis, in quo ſuam collocavit lætitiam? *Anima autem mea exultabit in Domino; tamquam in eo; à quo audierit.* S. ſubjungit Auguſtinus, *ſalus tua ego ſum, tamquam non quærens circumfluere voluptatibus, boniſque terrenis. Quid melius Deo dabitur mihi?* nihil utique; merito igitur, inquit Albertus Magnus, proteſtabatur David, dicens: *Anima autem mea exultabit in Domino, non in divitijs, vel honoribus, vel delicijs; quia nihil Deo dulcius;* qui ſuas abundantiſſime impertit voluptates, teſte Pſalte; dum ait: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, id eſt*, inquit magiſter ſententiarum, *torrente delectationis tuæ, quæ dicitur torrens, non ideo ut ſit tranſitoria, ſed copioſa.*

Pſ. 34. v. 9.
S. Aug. ibid.
Alb. Magn. ib.
Pſ. 35. v. 9.
Pert. Lomb.

Spes futurorum facit ſuave.
Pſ. 20. v. 4.
B. Laur. Juſt. l. de Ob. c. 14.

7. Aliud, propter quod anima divino amore flagrans, lætari atque exultare debeat, motivum ex ſpe viva deſumitur, quam de æternis habet ſuavitatibus: *Prævenit eam in benedictionibus dulcedinis.* Propoſito favere videtur id, quod B. Laurentius Juſtinianus his nobis ſcriptum reliquit verbis: *Spiritualis dulcedo, quæ à devotis mentibus prætereundo ſentitur, concupiſcitur quidem ut maneat, augeatur, perficiaturque; quoniam longe excellentiora, dulciora & præſtantiora eſſe noſcuntur illa; quæ eos latent, quam ea quæ patent; hoc utique revelante fide, quæ in cordibus electorum per dilectionem operatur.* Curioſe Sanctus interrogat Ambroſius, qualiter divinæ legis jugum uno eodemque tempore ſuave denominetur & grave; nam Salvator ait: *Jugum meum ſuave eſt*; ubi autem Vulgata legit: *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*, Sanctus Ambroſius addit; *Jugum grave.* Moxque ipſe ſibi reſpondens, ait: *Poteſt & grave jugum verbi videri præ pondere diſciplinæ, auſteritate correctionis, pondere abſtinentiæ, ſtrictioneque laſciviæ; ſuave tamen eſſe fructu gratiæ, ſpe remunerationis, purioris conſcientiæ ſuavitate.* Item ſuave eſt ſpiritui juſtorum, quibus lex non eſt poſita, ſed ſibimet ipſis lex ſunt, & ſponte currunt viam mandatorum Dei; Grave vero carnalitati & Adamo veteri; qui quotidie per ipſum opprimitur & mortificatur.

Matth. 11. 30.
Thren. 3. v. 27.
S. Ambr. or. de obit. Valent.

Pſ. 125. v. 5.
Spes præmij ſolatium eſt laboris.
Mich. Bon. ib.

8. Michael de Bononia ex illo Pſalmi verſiculo, *qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent*, concludit, quod etiamſi difficile admodum ſit, in hac lachrymarum valle in fletu ſeminere & planctu, nihilominus præmij intuitu, totus labor in dulcedinem convertatur, ideoque præmiſſa ſementis memoria, mox mentio ſubditur meſſis. *Quamvis laborioſum ſit hic in lachrymis ſeminare, tamen conſiderato præmio labor dulceſcit, & ideo præmium poſt laborem induxit, dicens: Qui ſeminant in lachrymis (ecce labor) in exultatione metent, (ecce præmium)* Sanctique immediate ſubjungit Auguſtini doctrinam, inquientis: *Quid enim fratres mei, ipſe agricola quando procedit cum aratro & portat ſemen, nonne aliquando frigidus eſt ventus & imber deterret? Attendit cælum, videt triſtem diem, tremit frigore, & tamen procedit & ſeminat. Nolite ergo & vos fratres differre ſeminare; ſeminate opera bona etiam cum ploratis.* Agricola meſſis ſolius intuitu ſemen terræ mandat ſuo quandoque neceſſarium alimento, laborat, ſudat, nullis non expoſitus temporum injurijs.

Pſ. 4. v 7.
S. Brun. ib.
Conſolatio in tribulationibus.
Joan. 16. v. 22.
D. Carth. ib.
Job 19 v. 26. & 27.

9. Sanctus Bruno illi Pſalmi verſiculo *dediſti lætitiam in corde meo*, ſubſcripturus, *dediſti*, inquit, *lætitiam mihi non terrenorum, ſed rerum exiſtentium in corde meo, id eſt, quæ ego ſpero in corde meo, æternorum ſcilicet bonorum; illi autem, qui dicunt: Quis oſtendit nobis bona, è contrario lætantur in terrenis:* Dionyſius Carthuſianus illi Salvatoris ad Apoſtolos factæ promiſſioni: *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*, ſequentem ſubdidit gloſſam: *Poſt hanc vitam perficitur, atque internam ſtabilitatem ſortitur.* Hæc unica conſolatio Jobum fovebat in ſterquilinio: *In carne mea videbo Deum* Salvatorem *meum, quem viſurus ſum ego ipſe ... & non alius, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Hanc eamdem ob cauſam perſpicaciores Dei ſervi acerbiſſimos inter cruciatus perpetim exultarunt. Differentia inter juſtitiæ miniſtros, ſcelerum vindices, & patresfamilias filiorum correctores in motivorum fundatur diverſitate; illi enim intuitu juſtitiæ publicæ, hi pietatis & amoris inſtinctu ad puniendum provocantur, illi ut communi



muni proſpiciant bono, hi ut prolium emendationi & debitæ conſulant educationi. Ita pariter aſtruere licet, quod Deus, dum amicos ſuos paupertate, infirmitate, perſecutionibus, alijsque infortunijs affligit, totum id operetur, ut eorumdem promoveat merita: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; quam probe veritatem attigit ille, qui ſe percutientis amantiſſimi patris exoſculabatur virgam dicens: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, ſiquidem *flagellat omnem filium, quem recipit*, ſecus vero diabolus, utpote noſtræ inhians perditioni.

Rom. 8. 28.
Pſ. 22. v. 4.
Hebr. 12. v. 6.

Conſcientia bona.
Act. 23. v. 1.
Sur. in vita S. Sebaſt.

10. Conſcientiæ integritas conſolatur electos; hæc Apoſtolum medios inter rabidiſſimos canes confortavit: *Ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum usque in hodiernum diem.* Hæc ſcilicet munivit Tiburtium, dum à tyranno aut ad Chriſtum abnegandum, aut omnium ſuppliciorum horrorem ſufferendum provocatus, reſponderet: *Decerne quod lubet, omnis vilis eſt pœna; ubi pura eſt conſcientia.* Diſcurſum ſuaviſſimis Sancti Bonaventuræ verbis terminare lubet, quibus Seraphicus hic Doctor à ſeipſo cauſam, cur amore Dei faciliter, imo & gaudenter, omnia & præſentis vitæ bona aſpernetur, inquirit, dicens: *Quid eſt, quod in Deo meo invenio, cum tam libenter & faciliter omnia propter ipſum contemno; cum dico intra meipſum cum gaudio, Deus cordis mei, Deus pars mea in æternum. Quid eſt, quod in illa breviſſima hora in dilecto meo deguſto, cum omnia dura, amara & aſpera, gaudenter & hilariter propter ipſum ſuſtinere, totis viribus concupiſco & dico: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt:* Moxque ſibi ipſi cum Sancto Bernardo reſpondet: *O anima, hæc conſolatio nihil aliud eſt, quam gratia quædam devotionis, procedens de ſpe veniæ & guſtus boni licet exiguus, & ſuaviſſima quædam delectatio, qua benignus Deus afflictam recreat animam, qua anima ad Deum requirendum invitatur, & ad divinum amorem accenditur vehementer.*

S. Bern. ſer. 1. feſt. omn. SS.

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

De mundanæ lætitiæ fuco, inconſtantia, triſtitia & remorſu.

### THEMA.

*Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Tob. 5. v. 12.

Peccator cordis lætitiam non habet.

1. ISTud à Tobia ſeniore datum Raphaëli Archangelo, cum ad lætitiam animanti, reſponſum ad eos dirigendum crediderim, qui in effrænatis appetitibus ſuis aliquam ſe lætitiam & ſatisfactionem reperire poſſe autumant; ſatius etenim dixerit anima quæcumque, peccatorum onere gravata; *Quale gaudium mihi erit, quæ in tenebris ſedeo & lumen cæli non video?* Qualiter namque is, qui in divina vivit inimicitia, qui cor ſuum ſentit laniari puncturis & mortalium culparum remorſibus, qui ſcit in unico ſe pendulum filo, barathro imminere infernali, quomodo, inquam, talis umquam adduci poterit, ut vel minimum interiori lætitiæ aut conſolationi indulgeat locum? Roſa equidem floreſcens placidiſſimos accedentibus impertit Zephyros, aſt medios inter vepres & pungentes ſpinas: *Roſa quæ redolet, creſcit cum ſpina quæ pungit. Quicumque peccaverit*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *quaſi Ericius eſt plenis ſpinis.* Non ſecundùm exteriorem ſpeciem & apparentiam lætitia dijudicanda eſt; ſed in conſcientiæ ſinum oculos conjiciamus oportet, inquirentes, utrum conſcientia mortalium criminum, appetituum inordinatorum & paſſionum puncturis vellicetur; qua de re idem Doctor alio in loco dicit: *Non modo poſt perpetratum ſcelus, ſed etiam in ipſo opere cruciatur, etiam ante ſupplicium improbitas in ſe ipſam pœnam habet.* Doctè Albertus Magnus noſtrum promovet intentum, dum illam, ſub qua famelicus defeſſusque requieviſſe ſcribitur Elias, contemplans arborem, hanc ſubnectit moralitatem: *Per juniperum, quæ ſpinas habet pro folijs, & tamen projicit umbram, intelligitur pungitivi ſæculi delectatio*; ô ſtulti, ô inſipientes, qui in tranſitorijs his illecebris aliquam vobis ſatisfactionem & guſtum ſpondetis; moxque proſequitur: *Ille igitur dormit ſub umbra juniperi, qui putat quietem & delectationem invenire in ſpinoſis gaudijs hujus ſæculi.* Quiſquis, deſerto Creatore, amorem affectumque ſuum ad creaturas convertit, ſuis infallibiliter victoriam cedit appetitibus; aſt omnis inordinatus affectus, Sancto Auguſtino teſte, (ne experientiam allegem) continuus unicuique cruciatus eſt & tormentum: *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut omnis ſibi pœna ſit inordinatus amor.* Omnis incapax eſt conſolationis, cui effrenatæ indomitæque imperant paſſiones: *Unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Hanc feliciſſimus quidam Orientis Princeps ſtatuit concluſionem, poſtquam divina permittente diſpoſitione, innumerabilibus miſeriarum tempeſtatibus fluctuare agitarique cœpiſſet: *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, Quod laus impiorum brevis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Septuaginta legunt: *Lætitiæ impiorum ruina ingens, gaudium autem iniquorum perditio.* Solidiſſimum quoddam argumentum format Chryſoſtomus inquiens; Conſiderate fratres, ſi peccatorum lætitia eos in perditionis adigit barathrum, quod ipſa mors præſtabit? *Quid dicemus eſſe ipſum interitum? dic, amabo te, quid dolorem? quid animi ægritudinem?*

D. Chryſ. in Pſ. 90.
Chry. ep. 7. ad Olymp.
3. Reg. 19. v. 5.
Alb. M. ſer. in D. 4. Quadr.
S. Auguſt. l. Conf. c. 12.
Jac. 4. v. 1.
Job. 20. v. 4.
Ibid. v. 5.
D. Chryſ. cit. in cat. græc.

2. Sanctus Chryſoſtomus illa Davidis verba, quibus interioris ſe gaudij participem factum Pſaltes gloriatur, myſterio neutiquam carere aſtruit, dicens: *Dediſti lætitiam in corde meo; non dixit ſimpliciter lætitiam, ſed in corde meo oſtendens in rebus externis non eſſe lætitiam; hæc enim lætitia non eſt cordis, ſed oculorum*, qui interiora non attingunt penetralia, ſed in exteriorem dumtaxat defiguntur ſpeciem. Pomum recenti perfuſum rore atque maturum, appetitum invitat, allicit, captivat; aſt ubi illud decerptum aperueris, ſpurcitiem corrodentium vermium, quæ latebat, pandiſti. Moraliter loquor: Quot etenim reperire eſt, qui exterius quidem jocantur, ludunt, rident, jubilant, mordente intrinſecus peccatorum mortalium conſcientia.

Pſ 4. v. 7.
S. Chryſ. ib.
In terrenis non eſt cordis lætitia.

3. Partus Iſaaci in primis miraculoſus extitit, unde & eumdem prænunciantibus Angelis ſubriſit Sara cum dicto: *Poſtquam conſenui & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Philo Hebræus in Iſaaco gaudium ſpirituale, quod gratiæ & non naturæ opus eſt, figuratum fuiſſe aſtruit, inquiens: *Opifex eſt Deus boni riſus & gaudij, itaque Iſaac non vulgariter editus, ſed operante Deo credendus eſt, nam ſi Iſaac riſus intelligitur; riſus factor eſt ſolus Deus.* Qui idem quoque auctor negativam illam perpendit Saræ, qua aſſeruit ſe non riſiſſe; Deo namque Abrahamum interrogante, *quare riſit Sara? negavit Sara, dicens: Non riſi.* Quomodo obſecro tantæ ſanctitatis mulier in mendacium prolabitur? Eam nihilominus juſtificare conatur dictus Philo, inquiens: *Propterea ſe riſiſſe negavit, verita, ne forte gaudium, quod nulli creaturæ convenit, ſed ſoli Deo, ſibi uſurpaſſe videretur.* Hæc Philo, aſt nos aliam hujusmodi riſus aſſignare poſſumus rationem, dicendo, eam negaſſe riſum, quia ſcilicet nullus in hac lachrymarum valle ridere, id eſt, nemo ex temporalibus illis bonis & felicitatibus veram poteſt conſolationem vel lætitiam haurire; exterior namque jubilus iſte, non paucis familiaris, fictus eſt, apparens & mendax; hanc nobis veritatem fortunatiſſimo omnium, quotquot umquam mundus vidit aut videbit impoſterum, hiſce verbis perhibente Monarcha: *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi; quid fruſtra deciperis?* Diſcite myſterium: Iſaac Saræ filius Deum, an ſibi in Ægyptum deſcendendum foret, conſuluit, reſponſumque tulit negativum; Jacob autem filius Iſaaci incolatum Ægypti exhorreſcens, à Deo ſibi dici audijt: *Noli timere, deſcende in Ægyptum.* Cur obſecro imperatur filio, quod patri negatur? *Omnia in figura contingebant.* Iſaac idem erat quod riſus; *riſum fecit mihi Deus*, parturiens dicebat mater; Ægyptum mundi ſymbolum eſſe neminem latet: Non igitur Deus permiſit Iſaaco regnum illud intrare, ut diſceremus, Iſaac, id eſt, verum gaudium & ſatisfactionem veram in mundo minime reperiri poſſe; Jacob autem, qui *ſupplantator* dicitur, ire jubetur, ut noverimus in mundo quidem delicias, voluptates, lætitiasque reperiri, aſt omnes ſupplantatrices, fictas, falſas: *Riſum reputavi errorem.* Dulces equidem Nilus iſte fovet aquas, ſed in mare exonerandus: *Riſus dolore miſcebitur, extrema gaudij luctus occupat.*

Gen. 18. v. 12.
Philo de Abr.
Sed apparens & ficta.
Eccle. 2. v. 2.
Gen. 46. v. 3.
Gen. 21. v. 6.
Mundus enim decipit.
Prov. 14. v. 13.

4. Iſraëli terram promiſſionis poſſeſſuro Deus ad noſtram inſtructionem dixiſſe ſcribitur: *Terra, ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti,*

Deut. 11. v. 10.

Differentia inter conſolationes.
Deut. 11. 10.
Ibid. v. 11.

*Ægypti, de qua exiſti.* Quæ igitur Palæſtinam inter & Ægyptiacum ſolum erat differentia? ecce vobis: *Ubi jacto ſemine*, dicitur de hoc, *in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ*, Ægyptum namque cœleſtes non recreabant pluviæ, ſed per artificiales aquæductus Nilus, paludes, aliæque foſſæ dirigebantur per agros; aſt terra Chanaan *de cælo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus ſemper inviſit; & oculi illius in ea ſunt à principio anni uſque ad finem ejus.* Ecce vobis differentiam inter veras conſolationes ſpiritus, quas Deus ſuis, & fictas falſaſque, quas ſuis mundus impertit ſequacibus; hi conſolationes guſtuſque ſuos in turbidis ſenſualium voluptatum undis, in vindictis, in avaritia, in crapula, in ebrietate, in pompa, in faſtu humano & ludis quærunt: *Foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas; & nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Servi autem Dei, quibus terra promiſſionis, paradiſiacarum dulcedinum lacte & melle fluens, promiſſa eſt, *de cælo exſpectant pluvias*, hi ſtabiles veraſque ſuas in Deo fundarunt lætitias, nullas niſi dependenter à Deo admittentes conſolationes, quemadmodum Philippenſes his verbis adhortabatur Apoſtolus: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico: Gaudete, Dominus enim prope eſt.* Sanctus Hieronymus ad Licinium ſcribens, citatæ quodammodo æqualem ſtatuit differentiam, dum Pentapolim Jeroſolymæ opponens, admonet: *Ne campeſtria cum Loth & amæna hortorum diligas, quæ non irrigantur de cælo, ut terra ſancta, ſed de lutuoſo flumine Jordanis. Quale gaudium*, dicebat S. Auguſtinus, *poteſt habere conſcientia illa; in cujus anima, multis vitijs occupata, potius Diabolus probatur habitare, quam Chriſtus?*

Jerem. 2. v. 13.
Ibid. v. 18.
Phil. 4. v. 4.
S. Hieron. ad Licin.

Job. 8. v. 21.
Vera lætitia eſt quæ de cœleſtibus eſt.
Pſ. 4. v. 7.
Gen. 17. v. 17.
Salv.

5. Volens Baldad mundanam Jobo perſuadere lætitiam, *donec impleatur*, inquit, *riſu os tuum & labia tua jubilo.* Non utique hic de corde, ſed de labijs & ore ſermo eſt; vera namque lætitia eſt, quæ cor occupat & implet, non quæ in vultus ſuperficie deliciatur, dicente Pſalmiſta: *Dediſti lætitiam in corde meo.* Ad Iſaac generationis prædictionem tam Abraham riſit, quam Sara; & nihilominus ſola hæc reprehenſa fuit: Cauſamne inquiritis differentiæ? magnus ille Patriarcha *riſit dicens in corde ſuo*: Vel ut aliqua Biblia legunt; *Riſit in corde ſuo dicens.* Riſus & gaudium Abrahæ ab interno impulſu, Deique ſpiritu derivabatur; aſt riſus Saræ humanus mundanuſque fuit, atque ideo reprehenſione dignus. Salvianus Marſilienſis Epiſcopus de populo Romano, feſtis & theatrorum jubilis frequentandis deditiſſimo, ſcribit: *Sardonicis herbis omnem Romanorum populum putes exſaturatum; moritur, & ridet.* Herba hæc, Sardonica appellata, venenoſa eſt, quam quiſquis comedit, moritur, aſt per modum ridentis ore aperto; unde in proverbium abijt, *Riſus Sardonicus.* Quod equidem ex toto corde arbitramur ridere, quos tamen mortifera interius oppreſſit melancholia, propria eos conſcientia ad mortem æternam condemnante?

S. Th. p. 1. q. 25. à 6.
Mundus eſt adverſitatibus plenus, ut futura ſapiant.

6. Dubium movet Doctor Angelicus, utrum Deus creare potuerit mundum alium pulchriorem eo, quem creavit, cujus articuli titulus eſt; *Utrum Deus poſſit meliora facere ea, quæ fecit.* Ratio dubitandi eſt: *Quidquid Deus facit, potentiſſimè facit; ſed tanto fit aliquid melius, quanto fit potentius & ſapientius.* Artifex ſuo ſe, quam poteſt & novit artificioſiſſimè, conformat ingenio; prout & moliebatur ille, qui dicebat: *Æternitati pingo.* Reſpondet autem S. Thomas cum Apoſtolo, *quod poteſt Deus omnia facere abundantius, quam petimus, aut intelligimus.* Potuiſſet namque Deus ordinaſſe, ut ſemper nos jucunditas Veris & Autumni fertilitas beaſſet, ut uno eodemque tempore, nos florum amœnitas, & fructuum recreaſſet fœcunditas; ut nos lactis, nectaris & butyri torrentes inundaſſent perpetim; ut continua ſine nubibus & turbinibus coruſcaſſet ſerenitas: Alpes in Adamantes, vias in aurum, terram potuiſſet convertere in Paradiſum; cur itaque mundum hunc, lachrymarum voluit eſſe vallem, cur eum tot inſtravit replevitque infirmitatum, afflictionum; planctuumque vepribus? non aliam ob cauſam, niſi ut diſceremus, veras eum conſolationes nobis reſervaſſe in cœlis. Veriſſimè proinde dixit Sanctus Auguſtinus in illius Pſalmi commentario (*cor meum conturbatum eſt in me:*) *mundus te turbat, & amatur, quid faceres, ſi tranquillus eſſet;* Optimè autem ad noſtrum diſcurrit intentum B. Laurentius Juſtinianus, dum ait: *Plorationis & lachrymarum vallis nuncupatur hic mundus, ut in illo degentes, nullum verum norint inveniri poſſe ſolatium.* Adulter David cor ſuum nimia Berſabææ venuſtate ſeſe exſaturaturum ſperabat, ſed turpiter deluſus ingemiſcere cœpit: *Miſer factus ſum & curvatus ſum uſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar*; cujus hanc aſſignat rationem: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus; id eſt*, inquit Hugo Cardinalis, *delectationibus carnalibus, quæ non vocandæ ſunt delectationes, ſed potius illuſiones.* Deliciæ ſenſuum, voluptates mundi apparentes, non veræ ſunt, meræ ſunt illuſiones; dicente Pſalmiſta: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*, vel ut alij legunt, *delectationes*; ex quibus patet, Spiritum Sanctum mundanas delicias fabulis, ſcenis, ſpectaculis, quæ meram continent fictionem, aſſimilare; quam qui veritatem penitius attingere deſiderat, vera gaudia prius deguſtet, oportet.

Pſ. 37. v. 11.
S. Aug. ibid.
B. Lau. Juſt.
Pſ. 37. v. 7.
Ibid. v. 8.
Hugo Card.
Pſ. 118. v. 85.

Quotidiè invitamur ad ſuperna.
Dom. 4. poſt Paſc.

7. Eccleſia quotidie ante præfationem fideles, ut ſua ad Deum corda ſublevent, exhortari conſuevit, dicens: *Surſum corda*; ne ſcilicet ſenſibilium rerum & deliciarum amore ſeſe permittant ineſcari, quo fine & in oratione quadam Deo ſupplicamus: *Da populis tuis id amare, quod præcipis; id deſiderare, quod promittis; ut inter mundanas varietates, ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia.*

Mundana inſtabilia ſunt.
Joan. 2. v. 3.
1. Cor. 7. v. 31.
Pſ. 103. 15.
S. Aug. ſer. 3. de nativ.
Joan. 16. v. 22.
Alb. Magn. ib.
Eph. 5. v. 18.
S. Bern. ſer. 4. ſup. Salve Reg.
Sim. de Caſſ. l. 6. c. 1.

8. Myſteriumne noſtis, cur in Cana Galilææ medias inter nuptiarum exultationes defecerit vinum? *Deficiente vino, dicit mater Jeſu ad eum; vinum non habent.* Locum contemplemini convivij, qui Galilæa dicebatur, quod nomen *transmigratio* interpretatur, per quam mundi denotatur inſtabilitas, nam mundus tranſit, *præterit figura hujus mundi*; vinum autem lætitiæ mundanæ ſymbolum eſt, de quo dicitur: *Vinum lætificat cor hominis*; hæc itaque fugax deficit lætitia, de qua Sanctus in hæc verba diſcurrit Auguſtinus: *Delectatio occidit & præterijt, vulneravit & tranſivit, miſerum fecit & abijt, infelicem reddidit & reliquit*; aſt deliciæ & voluptates ſpirituales, ut probavimus, perſiſtunt indefectibiliter; ſiquidem *gaudium noſtrum nemo tollet à nobis.* Albertus Magnus convenientiſſimè factum eſſe autumat, ut dictorum ſponſorum carnalium deficeret vinum, cæteroquin enim Apoſtoli, ad convivium vocati, illud minimè guſtaſſent: *Hoc enim vino ſancti non delectantur, quia inebriat ad Dei oblivionem, & incendit ad concupiſcentiam*; teſte Apoſtolo, dum monet: *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria, ſed implemini Spiritu Sancto.* Sanctus Bernardus eidem huic immerſus myſterio, ad Virginem ſe convertit, dicens: *Vocem tuam audivimus ô Domina rerum, ad filium: Vinum non habent. Deficit vinum in cadis noſtris, vinum ſcilicet lætificans cor hominis; vinum quærimus, quod germinat virgines.* Dum conſolationes deguſtantur ſpirituales, faſtidiuntur mundanæ & temporales: *Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro; tu autem ſervaſti bonum vinum.* Simon de Caſſia eidem ſubſcriptutus ſententiæ, inquit: *Vinum non habent nuptiæ vel convivæ, quia non habent unde lætentur; verè omnes in hac vita degentes non habent, unde gaudeant.*

Gaudia cum mœrore habet mundus.
Job. 24. v. 20.
S. Greg l. 16. mor. c. 19.
Euſ. Em h. 3. de Paſc.

9. Imaginemini vobis quamcumque maximam mundi voluptatem, ſemper certiſſimum eſt, quod *dulcedo illius vermes.* Deliciæ carnales & terrenæ ut plurimum offenſas inferunt Dei, & ad minus inquietudinem cauſant, dum inordinatos divitiarum; honorum, deliciarum, aliorumque ſimilium bonorum appetitus ſecum adducunt. *Perverſæ itaque mentis dulcedo; vermis eſt*, inquit S. Gregorius, *quia inde delectabiliter paſcitur, unde per inquietudines inceſſanter agitatur.* Accommodè ad noſtrum reſolvit propoſitum Euſebius Emiſſenus, dum mundi delicias roſis comparat, quas pungentes circumdant ſpinæ: *Fecit quiſque peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem?* quid inde? ſuæ neceſſum eſt pœnam ſubeat inſolentiæ, & tu eum lætum, tu eum contentum eſſe dixeris? falleris turpiſſime; roſa ſubitò marceſcet, ſpina ſemper ſuperſtite: *Remanet quod damnat, præterit quod delectat, conſummata iniquitas permanet, voluptas fugitiva pertranſit.* Mundus bonum non præparat prandium, ſine mala cœna. Non infrequenter dicere ſolebat illuminatiſſimus quidam Dei ſervus: *Nulla deeſt voluptas ubi adeſt tranquilla conſcientia; nulla deeſt miſeria, ubi cruciat infelix conſcientia.* Imò ut Innocentius III. atteſtatur, noſque jam fuſius probavimus: *Semper mundanæ lætitiæ triſtitia repentina ſuccedit, & quod incipit à gaudio; deſinit in mærorem.*

Innoc. III. l. 1. de contemp. mun. c. 21.



## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

De legis gratiæ amabilitate, ſuavitate & facilitate.

### THEMA:

*Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.*
Matth. 11. verſ. 30.

Suavis eſt lex gratiæ.
Act. 15. v. 10.
S. Aug. in ep. ad Rom. 9.
Alb. Magn. ib.
Pſ. 118. v. 6.
Luc. 1. v. 6.
S. Paſch. l. 6. in Matth.

1. SAlvator ſequaces ſuos ad legem Evangelicam invitaturus, dulciter eos ineſcare conatur, jugi ſui proponendo ſuavitatem; via, inquit, per quam greſſuri eſtis, admodum facilis & plana eſt; nullis indiga ſudoribus; imponenda vobis præceptorum meorum obſervantia pondus quidem erit, aſt leve. Lex autem Moſaica, tunc temporis terminanda, gravabat intolerabiliter, dicente S. Petro; *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus?* Juxta accuratiorem computum; præcepta judicialia, ceremonialia; legalia & moralia fuère 613. quæ proinde S. Auguſtin. intitulat *ſarcinam innumerabilium obſervationum*; qui idem S. Doctor alio in loco de ijſdem ſcribens, ait: *Remotis innumerabilibus & multiplicibus ſacramentis, quibus Judaicus populus premebatur.* Quam ob cauſam & à Chriſto, populum illum à lege ſcripta ad Evangelicæ tranſitum invitante, dictum arbitror: *Qui laboratis & onerati eſtis.* Quod enim pondus tot tamque gravium præceptorum mole poterat eſſe difficilius? *Onerati eſtis* inquit Albertus Magnus, *hoc eſt, oppreſſi à pondere peccatorum*; tot namque præceptorum transgreſſio eos magis magiſque culpabiles efficiebat; ita ut non immeritò Doctores ſacri dubium moverint, utrum quis in Teſtamento veteri omnia accuratè impleverit præcepta? David equidem de ſe proteſtatur: *Tunc non confundar; cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* De S. Joannis genitoribus S. Lucas quoque ſcribit, quod erant *incedentes in omnibus mandatis Domini*; aſt vix alij dicta præcepta accuratè adeo impleviſſe leguntur, utpote *oppreſſi à pondere carnalium legis*, ut inquit Albertus Magnus, *vel aliarum obſervationum.* S. Paſchaſius dictam Chriſti invitationem conſiderans, *graviter laboribus fatigatos*, inquit, *vel oneribus depreſſos benigniſſimus Salvator ad ſe vocat, ea omnia ablaturus, tantum ut jugum ejus ſuave & onus leve ſuſcipiant.*

Suavis Moſaica ob gratiæ defectum
Joan. 1. v. 16.
S. Aug. l. de ſpir. & an. c. 19.
Gal. 2. v. 16.
Auct. Imp. h. 28.

2. In lege antiqua Moſaica, non conferebatur gratia (quæ gloriæ arrha eſt ac pignus) adimplentibus eam, quam nihilominus legis Evangelicæ nobis impertit obſervantia; unde S. Joannes inquit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Lex antiqua Judæis; quid faciendum quid evitandum eſſet, præſcribebat, aſt ſine ulla, ad præceptorum adimpletionem neceſſariæ virtutis collatione. *Lex data eſt*, dicit S. Auguſtinus, *ut gratia quæreretur; gratia data eſt, ut lex impleretur*; unde & factum, ut nullus in virtute obſervantiæ Moſaicorum præceptorum, ſalutem aſſequeretur, ſicuti è contra omnes de ſalute certi vivunt, quotquot Chriſti, utpote Meſſiæ veri, obtemperant decretis; dicente Apoſtolo, *hominem non juſtificari ex operibus legis, ſed ex fide in Chriſtum.* Auctor operis imperfecti jugum Moſaicum grave atque difficile fuiſſe autumat propter defectum gratiæ, inquiens: *Sine gratia* lex vetus *inveniebatur gravis, ſine gratiæ enim auxilio omnis juſtitia hominibus gravis eſt. Gratia delectatio cordis eſt, dicente Domino per Salomonem: Tranſite ad me omnes; qui concupiſcitis me, ſpiritus meus ſuper mel dulcis; ergo lex non ſolum gravis eſt, quia gravia præcipit fieri & faciendi non præſtat auxilium. Nec ideo ſolum gratia levis eſt, quia levia ponit mandata, ſed quod fieri præcepit; & ipſe in nobis faciendi operatur virtutem.*

1. Cor. 4. v. 4.
2. Tim. 4. v. 7.
Gratia gravia facit levia.
Phil. 4. v. 13.
Iſ. 10. v. 27.
Hug. Card. in Matth.
S. Bonav. ſer. 1. in dedic.
S. Bern. ſer. 6. de Aſc.

3. Apoſtolus, qui inoffenſo pede viam cucurrerat legis Evangelicæ, qui ſanctè gloriabatur: *Nihil mihi conſcius ſum; Bonum certamen certavi*; qui laborarat præ omnibus, qui pœnoſiſſimam toleraràt innumerabilium tribulationum Iliadem; quo medio talia operatus, quo ſubſidio tanta perpeſſus fuit? audite: *Omnia poſſum in eo; qui me confortat; non ego, ſed gratia Dei mecum.* Hugo Cardinalis illum Iſaiæ (*Auferetur onus ejus de humero tuo, & computreſcet jugum à facie olei:*) textum explanans, inquit: *id eſt, à præſentia gratiæ.* Contemplamini loca, in quibus non modo præceptorum, ſed & conſiliorum viget obſervantia, in quibus continuo paſſu ad montem curritur perfectionis; clauſtra dico, monaſteria & congregationes religioſas, in quibus divinæ gratiæ emicat operatio atque efficacia, quæ animas illas in divino ſervitio ferventes & ſolicitas, omnibuſque in operibus efficit hilares, lætas, jucundas. Veritatem ex ipſo Seraphici Doctoris, S. Bernardum citantis, ore audiamus. *Advertere potes*, inquit ille, *in omnibus fere religioſis congregationibus viros repletos eſſe conſolatione, ſuperabundantes gaudio, jucundos ſemper & hilares; ferventes ſpiritu; quibus amabilis diſciplina, dulce jejunium, breves vigiliæ, labor delectabilis manuum, & univerſa denique hujus ſanctæ converſationis auſteritas refrigerium videatur.* Hic utique ſolius divinæ gratiæ, quæ omnes facilitat demulcetq; adverſitates, effectus & partus eſt.

Hugo Card. ibid.
Act. 15. v. 10.
Gal. 3. v. 10.
Deut. 27. v. 26.
Unicum eſt præceptum dilectionis quod gratia leviat.
Rom. 13. v. 10.
Gal. 4. v. 31.
Rom. 8. v. 15.
Ibid. v. 16.
Matth. 6. v. 9.
S. Bernard.
Deut. 6. v. 5.
Deut. 30. v. 11.
Ibid. v. 12.
Ibid. v. 13.
Ibid. v. 14.

4. Hugo Cardinalis ideò aſtruit Salvatoris *jugum ſuave & onus leve; quia dat gratiam.* Vel ut idem inquit: *Dicitur leve à facultate implendi, reſpectu multitudinis & oneris legalium; de quo Actor. 15. quid tentatis &c.* Et alibi: *Quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt; ſcriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus his, quæ ſunt ſcripta in libro legis, ut faciat ea.* In lege Evangelica unicum dumtaxat, idque facile & amabile, à nobis requiritur, quod obſervetur præceptum; ad quod totus reſtringitur decalogus; præceptum inquam amoris & dilectionis: *Plenitudo legis eſt dilectio.* Legis autem Moſaicæ ſtatus ſervilis erat, Deus populos iſtos in ſpiritu timoris ducebat, non amoris; ideoque Apoſtolus ait: *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit.* Et alio in loco: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* Erudiens nos Salvator, qualiter æterno nos Patri ſupplicare oportet quotidie; hoc orationis ſtatuit exordium: *Pater noſter: Sic ergo vos orabitis; Pater noſter, Oratio, quæ à Paterno dulceſcit nomine*, inquit mellifluus Bernardus; idem penitus nobis aſtruere licet de unico eo præcepto, quod Evangelicis ſuis ſectatoribus ſtatuit & promulgavit, ſcilicet: *Dulceſcit nomine*: in ſubſtantia namque nihil eſt; præterquam amor, charitas, dilectio: *Diliges Dominum Deum tuum*; quod præceptum ita declaratur in Deuteronomio: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum; Nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere; quis noſtrum valet ad cælum aſcendere; ut deferat illud ad nos? ... Neque trans mare poſitum, ... Sed juxta te eſt in corde tuo.* Non minorem autem præceptum hoc continet ſuavitatem, quam facilitatem; quid namque delectabilius quam amare; & quidem amare Deum, ejuſque amore diligere proximum; imaginem & ſimilitudinem Dei, proximum, inquam, qui vere *os noſtrum & caro noſtra eſt.* Præclariſſimam hic pertranſire nequeo S. Auguſtini ſententiam, aſtruentis, res qualeſcumque, natura quantumcumque difficiles, condimento amoris indulcorari: *Quæ dura ſunt laborantibus*, inquit, *eiſdem ipſis miteſcunt amantibus, omnia ſæva & immania, prope nulla facit amor.*

Spiritus S. veras ſecum vexit conſolationes in lege gratiæ.
Num. 21. 5.
Cant. 2. v. 4.
Act. 19. v. 2.

5. *Jugum ſuave*; ſiquidem cœleſtium conſolationum Manna longè abundantius Chriſtianorum hodie corda fœcundat, quam olim Hebræorum deſertum, qui id ipſum faſtidientes, conquerebantur ad invicem *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*; vere cibus erat leviſſimus ille, ſiquidem veras dulcedines uſque ad Spiritus Sancti deſcenſum ſuæ Deus reſervarat Eccleſiæ, quæ hodie in veritate gloriari poteſt: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Sanctiſſimi hujus ſpiritus munus erat, paradiſiacis cordis replere ſuavitatibus, qui proinde cum inexhauſta theſaurorum ſuorum plenitudine, in terras deſcendit tempore legis non Moſaicæ ſed gratiæ; imò tanta Spiritus Sancti ignorantia populus iſte laborabat, ut, ſi daretur, penitus neſcirent, interrogante namque Apoſtolo? *Illi dixerunt ad eum; ſed neque, ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus.* Qui Martyrum, qui Confeſſorum, qui omnium aliorum Novi Teſtamenti Sanctorum acta provolvit, vel invitus etiam profiteri compel-

compellitur ; tempore legis gratiæ , perfectiores Deique amantiores animas nectare inebriari longè copioſiſſimo conſolationum ſpiritualium. Unde B. Laurent. Juſtinianus unumquemque noſtrûm ſequentibus extimulat verbis ; *Spiritualibus exercitijs & occupationibus pijs aſſiduus eſto maximis namque exuberabis delicijs , ſi devotioni reverentiam , & humilitatem adhibueris pietati.*

B. Laur. Juſt. in feſt. Nat. Dom.

Matth. 11. 30.

Spiritus S. ſuave facit jugum.

Alb. Magn. ib.

6. *Jugum meum ſuave eſt & onus meum leve. Suavitas pertinet ad connaturalitatem virtutis* , inquit Albertus Magnus , *levitas ad allevationem amoris ; Spiritus enim ſuavis ſuave facit jugum , ne premat. O quam bonus & ſuavis eſt Domine, ſpiritus tuus in nobis; guttur ejus ſuaviſſimum ; Omne enim illud , quod connaturale eſt , ſuave eſt, ſicut eſt gratia & virtus Evangelij; leve autem facit amor.* Quot reperire fuerit, qui ſumma cum lætitia & jubilo , mortificationes , abſtinentias, jejunia , diſciplinas, cilicia ; plurimaſque alias auſteritates ultro citroque amplexantur atque inviolabili cum animi voluptate continuant , illud Apoſtoli monitum adimplentes : *Gaudete in Domino ſemper?* Circa quæ verba ita Dionyſius Carthuſianus diſcurrit : *Admonet Apoſtolus Philippenſes ad ſpiritualem & jugem lætitiam ; gaudete in Domino ſemper , id eſt, in Deo tamquam in objecto in contemplatione & dilectione Dei , beneficiorum ejus , imò in omni eo , quod Domino placeat , ſpiritualiter exultate divinæ perfectioni , majeſtati ac beatitudini cordialiter congaudendo : Signum virtutis eſt delectatio operis;* ſiquidem ut Clemens Alexandrinus de virtuoſa & Chriſtiana vita atteſtatur : *Univerſa vita juſti eſt quidam celebris & ſanctus dies feſtus.* S. Ambroſius illum Pſalmiſtæ ( *pax multa diligentibus legem tuam* ) diſcutiens verſiculum , ſequentem ex eo ad intentum noſtrum eruit doctrinam, inquiens : *Si non ſolum pax , ſed etiam multa pax ſit in animo tuo ; nulla te prælia diverſæ cupiditatis impugnent, non iracundia ſtimulet , non libido ; et ſi eſt pugna , tamen foris non intus ſit. Non te impugnet avaritia, non cupiditas exagitet , non triſtitia dejiciat , non inflammet libido , non reſupinet ſuperbia , non curvet ambitio , non formido conſternat. Pax multa abundet , quæ exuperat omnem mentem , quo nihil pulchrius dici poteſt.* Anima Chriſtiana , quæ perfectam legis Evangelicæ ſectatur obſervantiam , jugum Chriſti ſine moleſtia, imò cum lætitia & jubilo portat. Seneca moralis eum verè, quem tamen rarum autumat, conſolatione gaudioque frui aſtruit ; qui ita operatur , ut quidquid agit, nihil horum in præſentia & conſpectu omnium erubeſcat. *Tunc felicem te eſſe judica , cum poteris in publico vivere , cum te parietes tui tegent, non abſcondent , quos plerumque circumdatos nobis judicamus , non ut tutius vivamus , ſed ut peccemus occultius. Rem dicam , ex qua mores æſtimes noſtros ; vix quemquam invenies , qui poſſit aperto oſtio vivere.* In Religionibus autem reformatis & obſervatioribus laudabilis iſte viget , numquam cellularum oſtia clave occludendi uſus.

Sap. 12. v. 1.

Cant. 5. v. 16.

Phil. 4. v. 4.

Dion. Carth. ibid.

Clem. Al. l. 7. ſtrom.

Pſ. 118. v. 165.

S. Ambr. Off. 21.

Sen. op. 43.

Matth. 11. v. 30.

Matth. 21. v. 12.

7. *Jugum meum ſuave eſt.* Siquidem in legis Evangelicæ vinea laborantes, ſuam indilatè conſequuntur æternæ beatitudinis mercedem , Hebræis , qui *pondus diei & æſtus* portaverant , per multa non modo annorum , ſed & ſæculorum ſpatia in limbo præſtolantibus ; ad quod propoſitum ingenioſiſſimè ſi quisquam alius , S. Bonaventura illum explanat Geneſeos textum : *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos , vidit requiem , quod eſſet bona , & terram, quod eſſet optima , & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum. Iſſachar,* inquit , *interpretatur memoria Domini , vel vir mercedis , & ſignat virum , qui in omnibus operibus ſuis eſt memor Dei , & omnia facit intentione mercedis æternæ ; qui aſinus fortis dicitur propter paſſionum tolerantiam ; accubans inter terminos propter deſiderium cæleſtis patriæ ; dicit enim Gloſſa : Habitare in terminis , eſt , non de mundanis quærere , ſed ultimum deſiderare. Videt requiem , quod ſit bona , & terram , quod ſit optima ; quando de delectatione , quæ erit in patria ; datur ei modicum prægustare ; & tunc ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum , jugum Domini leve , & onus ſuave.*

Gen. 49. v. 14.

S. Bonav. ſer. in dedic. Eccl.

8. *Jugum ſuave. Sed quid eſt ?* Interrogat Chriſtum S. Thomas, *tu dicis , quod vis nos reficere & à nobis auferre laborem ; & ſtatim præcipis ferre jugum , & credebamus eſſe ſine jugo* : Moxque ipſemet reſpondet Sanctus , jugum Chriſti non eſſe jugum ijs, qui ſuos illi ſubmittunt humeros : *Dico , quod verum eſt* , inquit , *ſine jugo peccati* ; de quo dicitur : *Projiciamus à nobis jugum ipſorum.* Optimè S. advertit Paſchaſius , Salvatorem ad gratiæ legem, Gentiles invitaſſe & Hebræos , omnes graviſſimo oppreſſos jugo : *Alter eorum* ſcilicet Judaiſmus , *nimio labore legis ſine ulla profectione vexabatur ; alter verò* , nempe gentiliciſmus , *peccatorum oneribus prægravabatur , nec ſurſum ad Deum , idola colens , reſpicere valebat.* Dij illorum proprios parentibus jubebant ſacrificare filios : *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs.* Aſt Chriſtus , venite, inquit, ad me , *jugum meum ſuave eſt*; ego æterno Patri me obtuli ſacrificium pro vobis , & uſque ad ſæculorum finem, in incruento Miſſæ holocauſto me in ſalutem veſtram continuò offeram, *omnia ablaturus* onera , quibus opprimini , *tantum ut jugum meum ſuave & onus leve ſuſcipiatis.* Verba ſunt hæc ultima S. Paſchaſij.

S. Thom. in Matth.

Pſ. 2. v. 3.

S. Paſc. l. 6. in Matth.

Pſ. 105. 37.

Matth. 11. 30.

9. *Jugum ſuave.* Hugo Cardinalis palmam omnibus præripuiſſe videtur in diſcutiendis alijs novæ legis prærogativis. *In Evangelio* , inquit ille , *ſufficit voluntas , quæ non in lege , cum facultas non ſuppetebat ; ibi circumciduntur pueri, hic lavantur ſalvandi, ibi adulterium punitur per dilapidationem , hic purgatur per pœnitentiam; noſtra ſacramenta conferunt gratiam , illa non. Item explicatione doctrinæ Evangelij : Salus , ubi multa conſilia , item jucundus comes quaſi vehiculum in via. Item imitatione Dominicæ paſſionis : Aſpicientes in auctorem fidei &c. Item exemplo Sanctorum, qui prius portaverunt : Mementote operum patrum &c.* Citatque S. Gregorij authoritatem , dicentis : *Si facta præcedentia recolamus , difficilia non erunt , quæ toleramus. Item coadjutorum pluralitate ; plures nobiſcum ſunt , quam cum illis ; receſſit ab eis omne præſidium, Dominus nobiſcum eſt , nolite timere. Item adverſariorum debilitate , numero & potentia , quia Chriſtus delevit chirographum decreti : Devicit principatus & poteſtates ; multi in infernum ſunt detruſi victi , ut dicit Origenes. Item promiſſorum & præmiorum majoritate : Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam ; olim terrena , modo æterna ſunt in promiſſo.* Quod ultimum punctum S. quoque Bernardus attigit , dicens: *Grave jugum legis , quia vile præmium ejus , terra nimirum in promiſſione.*

Hug. Card. Jugum ſuave legis gratiæ.

Prov. 11. v. 14.

Hebr. 12. v. 2.

1. Mach. 2. v. 51.

4. Reg. 6. v. 16.

Col. 2. v. 14.

Rom. 8. v. 18.

NB.

S. Bern. ſer. 30. in Cant.

## DISCURSUS XI.

### ARGUMENTUM.

Dei ſervitium & legis ejus , quæ amor eſt , obſervantia , ingentem affert lætitiam , opem & ſolatium ad portandum jugum Evangelicum.

### THEMA.

*Servite Domino in lætitia.* Pſam. 99. v. 2.

1. PRopheta regius poſtquam univerſam terram ad feſtivam ſolemnitatem invitaſſet , *jubilate Deo omnis terra* , mox eamdem ad præſtanda hilariter Deo obſequia & ſervitia exhortatur , dicens : *Servite Domino in lætitia , introite in conſpectu ejus in exultatione* ; cujus hanc Albertus Magnus rationem aſſignat , inquiens : *Bene autem eſt in lætitia ſerviendum, quia ei ſervire , regnare eſt , & ſumma ingenuitas.* Servitus hujuſmodi catenas habet aureas, jugum placidum & ſuave ; ideoque S. nos exhortatur Ambroſius : *Suſcipite jugum Chriſti , nolite timere ; quia jugum eſt, feſtinate , quia leve eſt ; non conterit colla , ſed honeſtat. Quid dubitatis ? non alligat cervicem vinculis , ſed mentem gratiæ copulat.* Imò teſte S. Remigio , hæc ſervitus nos omni libero efficit liberiores : *Servite Domino* , inquit, *non in triſtitia, ſed in lætitia, id eſt , in mentis hilaritate. Et meritò ei ſerviendum eſt in lætitia , quia ſervitus Dei eſt libera* ; nam ut commune fert axioma , nulli non cognitum : *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Econverſo autem quæcumque alia ſervitus onera , difficultates & labores importat, ita ut S. Auguſtinus dicere non dubitarit : *Omnis ſervitus amaritudine plena eſt , omnes conditione ſervili obligati , & ſerviunt & murmurant.* Quid autem de ſervitijs Deo exhibitis ? *Nolite timere illius Domini ſervitutem, non erit ibi gemitus , non murmur , non indignatio. Magna felicitas eſt , fratres, eſſe in iſta domo magna ſervum, et ſi cum compedibus. Libera ſervitus eſt apud Dominum , libera ſervitus , ubi non neceſſitas, ſed charitas ſervit. Servum te charitas facit , quia liberum te veritas fecit.*

Dei ſervitium lætitiam affert.

Alb. Magn. ib.

S. Ambr. l. de Elia & jejun. c. 12.

S. Rem. ib.

2. Cor. 3. v. 17.

S. Auguſt. ib.

2. Reliqua inter , quæ nos in divino ſervitio conſolari & lætificare debent motiva , unum eſt certitudo , dum nobis infallibiliter conſtat , amorem noſtrum , quo Deum proſequitur , illi ſummoperè placere & liberaliſſimè à Deo remunerari , præcipuè cum nos ad ejus ſervitium & obſequium ſolius cogant

Dulcia amoris vincula ad obſequia trahunt.



gant atque conſtringant amoris vincula. Paulus de Palatio citatam ſupra Chriſti invitationem ( *tollite jugum meum &c.* conſiderans , *non adeo facile eſt noſſe,* inquit , *quodnam ſit hoc jugum, hoc ejus onus* Incarnata ſapientia , prima & æterna veritas, nec fallere nec falli poteſt , de hoc jugo, de pondere iſto inquit : *Jugum meum ſuave eſt , & onus meum leve.* Si pondus eſt , quomodo leve eſt ? ſi jugum , quomodo ſuave ? Reſpondetque ipſe auctor : *Neſcio, an dicere audeam, onus & jugum , eſſe amorem & dilectionem ; certè ſi jugum ſignificat legem, lex Chriſti eſt amor : Jugum & onus Chriſti , amor eſt teſte Auguſtino , qui dixit : Amor meus , pondus meum ; ex quo jam intelligitur , jugum eſſe ſuave, quid enim amore ſuavius? quid etiam levius ?*

Matth. 11. v. 29.

Paul. de Pal. ib.

Ibid. v. 30.

3. *Jubilate Deo omnis terra , ſervite Domino in lætitia.* Meritò inquit Dionyſius Carthuſianus, nos taliter regius invitat vates , ſiquidem legis Evangelicæ adimpletio & præceptorum divinorum obſervantia, in quibus nihil præter amorem nobis injungitur, ineffabilem cordibus conſolationem affert & lætitiam , *Quid enim eſt, Domino in lætitia deſervire, niſi divinis præceptis ex vera & fervida charitate parere? Nulla quippe forma tam facilè , promptè & delectabiliter operatur , ut charitas ; habetque charitas fervida in omni ſua operatione annexam cordialem lætitiam.* Quibus conformiter verbis, idem auctor in commentario ſuper Matthæum ait , *jugum* Domini eſſe *ſuave diligenti , quoniam nulla forma delectabilius agit , quam charitas* ; juxta illud Pſalmiſtæ teſtimonium : *Judicia Domini, id eſt ; præcepta; vera, juſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum , dulciora ſuper mel & favum , etenim ſervus tuus cuſtodit ea.* Anima hæc eadem divinum exardeſcens in amorem, inexplicabilibus quos ex divino ſervitio & divinorum præceptorum obſervantia hauriebat ; immerſa guſtibus , humilis ſuæ nauſeabunda conditionis , alas à Deo columbinas petijt , ut ſurſum volare poſſet : *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam ? Ecce elongavi fugiens , & manſi in ſolitudine.* Non conſtat , Davidem poſt obtentum ſceptrum , quietis & contemplationis amore in ſolitudinem receſſiſſe ; tempore quidem rebellionis Abſalonicæ , deſertum petijt , aſt tamquam refugij Petram , non ut quietis locum; aliud igitur his in verbis intendere videtur Pſalmiſta : Aſt quare columbæ potius , quam phœnicis , aquilæ , aut alterius ſimilis avis plumas poſtulat ? Reſpondet Sanctus Hieronymus ; *Columba ſimplex animal eſt , absque felle & à malitia fellis alienum , oſculum charitatis animæ ſignificat. Columba fugit à converſatione humana , & Sancti fugiunt à conſortio hominum ; non corporaliter , ſed ſpiritualiter, hoc eſt in conſcientia.* Aliam columbæ proprietatem his verbis S. exprimit Auguſt. *A moleſtijs quærit volationem , ſed non amittit dilectionem ; columba enim pro ſigno dilectionis ponitur.* Jure igitur meritiſſimo alas petit columbæ , id eſt affectus amoris , charitatis , dilectionis , ut in ſolitudine conſolationibus potiatur cœleſtibus : *Manſi in ſolitudine* ; in ſancto namque receſſu conſolationum paradiſiacarum rore pluit : *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem , & loquar ad cor ejus.* Sed auſcultemus porro S. Hieronymi contextum : *In quo deſerto ? ſi fortè in conſcientia , quo nullus hominum intrat , ubi nemo tecum eſt , ubi tu & Deus. Fortè fugerat in conſcientiam ſuam , ibi aliquantum deſertum invenerat ubi requieſceret , intus conſolabatur conſcientia.*

Pſ. 95. v. 1.

Charitas præceptorum affert obſervantiam, cordisque lætitiam.

D. Carth. ib.

Matth. 11. v. 30.

Pſ. 18. v. 10.

Pſ. 54. v. 7.

Ibid. 8.

2. Reg. 15. v. 28.

S. Hier. ibid.

S. Aug.

Pſ. 54. v. 8.

Oſe. 2. v. 14.

4. David vice quadam gloriatus fuiſſe legitur de ſervitute Dei , inquiens ; *Servus tuus ſum ego* ; ubi S. Ambroſius ſubnectit : *Servum ſe confitetur ; bene ait : Servus tuus ſum ; ſervus enim voluntatem Domini ſui facit* ; quam autem exactus ille fuerit divinarum legum cuſtos ; tum ex diverſis Pſalmorum textibus , tum ex ipſiusmet patet teſtimonio Dei, dicentis : *Inveni hominem ſecundùm cor meum, qui fecit omnes voluntates meas.* Quid igitur mirum, ſi ille ipſe poſt tot quas in divino ſervitio expertus fuerat , conſolationes jubiloſque immenſos , nos pariter exhortetur : *Servite Domino in lætitia ?* Dion. Carthuſianus illum ejuſdem Pſalmiſtæ verſiculum ( *pax multa diligentibus legem tuam* ) exponens , aſtruit S. Auguſtinum hic nomine pacis bonam intelligere conſcientiam; moxque ipſe ſubjungit : *Dilectio legis divinæ eſt cauſa pacis internæ ; & quanto legem Dei perfectius amamus & obſervamus, tanto pleniorem in nobis pacem ſortimur , quæ omni Chriſtiano maximè appetenda eſt.* Tantò igitur ardentiori amore omnis anima fidelis divinam debet proſequi legem , quantò magis hæc & amorem præcipit, & omni ſe adimplenti , ſuavitatem, pacem & conſolationem generat.

Pſ. 118. v. 125.

S. Ambr. ib. ſer. 6.

Gloriatur David ſe eſſe Dei ſervum.

Actor. 13. v. 22.

Pſ. 99. v. 2.

Pſal. 118. v. 165.



5. Sponſa dilecti ſui qualitatem quondam probè cognoſcens , *faſciculos myrrhæ* , inquiebat , *dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Myrrha amara eſt , guſtuique ingrata , ſymbolum mortificationum , laborum , paſſionum , guſtui ſenſus diſplicentium : *Myrrha amara res* , inquit S. Bernardus, *dura & aſpera ſignificat.* Eam nihilominus ſponſa ſuo impoſuit ſinui , ſuis applicuit uberibus , ſuo alligavit cordi, tamquam rem omnium pretioſiſſimam ; cauſamne noſtis ? *Dilectus meus mihi* ; maxima amantis conſolatio eſt pro objecto amato pati ; quam ſi virtutem naturalis quandoque , inordinatus & laſcivus ſibi vendicat amor , quidni longè eminentius cœleſtis & divinus eamdem poſſidebit? Auſcultate S. Bernardi hac de re judicium : *Ea ſibi dilecti cauſa imminere proſpiciens , gratulabunda id loquitur , confidens ſe omnia viriliter ſubituram. Non faſcem ſed faſciculum , dilectum dicit , quod leve præ amore ipſius ducat , quidquid laboris immineat & doloris.* Notat autem idem mellifluus Doctor in ejuſdem ſermonis principio, ſponſam ſuo amanti, ante regis & poſtea dilecti nomen impoſuiſſe : *Ante rex ; modo dilectus ; ante in accubitu regio , modo inter ſponſæ ubera.* Imò his minimè contenta, proſequitur: *Botrus Cypri ... in vineis Engaddi* , ubi delicatiſſimum exprimebatur vinum , ad abundantiſſimarum conſolationum dulcedinem denotandam. Porrò S. Bernardus ad Ly *faſciculus* attendens , ſubdit : *An non faſciculus , cujus jugum ſuave eſt , & onus leve ? non quia leve in ſe [ hec enim levis paſſionis aſperitas , mortis amaritudo ] ſed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantum, faſciculus myrrhæ dilectus meus ; ſed mihi inquit , quæ diligo, faſciculus eſt ; unde & dilectum nominat , monſtrans dilectionis vim , omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam.*

Cant. 1. v. 12.

Amanti omnia levia ſunt.

S. Bern. ſer. 43. in Cant.

Cant. 1. 13.

6. Paulus de Palàtio Chriſtum , quando fideles ad ſequelam ſuam & novæ legis Evangelicæ obſervantiam invitabat, ſimul oneris & levis meminiſſe advertit ; cujus intelligentiam hiſce mox ſubnectit verbis : *Quod ſi jugum libet ab onere ſecernere , auderem dicere , onus Chriſti eſſe Chriſtum , eſſe Deum ipſum* ; juxta illud Apoſtoli aſſertum : *Empti eſtis pretio magno , glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Chriſtus ergo eſt onus , quod Chriſtianus portat. Cum mali ſumus , onus Deo ſumus , & onus grave; ut ipſe dicat : Laborare me feciſtis in iniquitatibus veſtris ; laboravi ſuſtinens. Porro cum boni eſſe incipimus , Deus eſt nobis oneri* , teſte Jobo , dum ait : *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui. Cur ergo , ſi Deus noſtrum onus eſt , leve hoc onus aſſeritur ? certè quia amor facit ipſum leve , neque eſſe poteſt nimium grave pondus , quod vires præbet ferenti.* Notanter autem Salvator ait : *Jugum meum* , volens oſtendere, ſe ejuſdem eſſe participem ; ſuos ſe quoque humeros eidem ſubſternere ; impoſſibile namque foret , nos illud ſolos ſine ipſius adjutorio ſupportare. Accommodè propoſito favet , à Sancto Auguſtino, de plumis , quæ avium promovent volatum, adducta ſimilitudo, dum eam præceptis Evangelicis attribuens, ait : *Hæc ſarcina non eſt pondus onerati , ſed ala volaturi , habent enim & aves pennarum ſuarum ſarcinas , portant illas & portantur.* Ad præcedens autem punctum Sanctus Chryſoſtomus ſe reflectens, ait : *Alio etiam modo facilem Deus facit eſſe virtutem , videlicet cooperando nobis , noſque ſemper in bonis actibus adjuvando.* Porro quod ſoli jugum non portemus , hac clara convincit ratione Paulus de Palatio: *Non eſt natura jugi , ut uni ſoli apponatur ; ſi jugum eſt , duos gravare debet. Quis ergo eſt ille , qui jugum mecum portat ? Audeo & hoc dicere ; Chriſtus eſt jugalis noſter , qui jugum fert nobiſcum , & nobiſcum laborat* ; juxta illud Sapientis : *Mitte ſapientiam de cælis ſanctis tuis , ut mecum ſit , & mecum laboret* ; præterquam quod & Apoſtolus præ omnibus ſe laboraſſe glorietur : ſed quomodo ? *Non ego , ſed gratia Dei mecum.* Concludit itaque prædictus autor : *Jam ſi Chriſtus jugum nobiſcum portat , non poteſt non eſſe leve jugum , quod partim à tam robuſto bove portatur ; & ſi pondus grave eſt , non poteſt eſſe leve, quod à viribus tam giganteis ſuſtinetur.*

Paul. de Pal. ib.

Dei gratia jugum alleviat adjuvando.

1. Cor. 6. v. 20.

Job. 31. v. 23.

S. Aug. ſer. 24. de ver. Dom.

S. Chryſoſt. h. 16. in Matth.

Paul. de Pal. ibid.

Sap. 9. v. 10.

1. Cor. 15. v. 10.

7. Jugum ſuum Chriſtus ſuave appellat , quia *dulcis eſt Dominus* ; & iterum : *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Deinde etiam , quia in ipſo labore multiplex nobis communicatur ſuavitas & ſolatium , dicente Pſalmiſta : *Pax multa diligentibus*

Vires confortat.

Pſ. 24. v. 8.

Pſ 33. v. 9.

Pſ. 118. 165.

*tibus legem tuam*; nec immeritò, ſubnectit Sanctus Remigius, quoniam *anima eorum hic jam eſt in Paradiſo*; cui his verbis ſubſcribit Agellius: *Multa quies & ſecuritas, multa tranquillitas animi eſt ijs, qui legem tuam diligunt. Internam, non externam pacem hoc loco intelligendam putavimus, qua fruuntur, qui cogitationibus vitioſis non admodum oppugnantur.* Auctor operis imperfecti de ijsdem diſcurrens jugalibus, *qui ſuſcipiunt*, inquit, *jugum Chriſti, Chriſtus eos delectat in ſpiritu, ne fatigentur in bonis operibus*; deinde oneris hujus ſuavitatem his fuſius edocet verbis; *O gratiſſimum pondus, quod magis confortat portantes; nam pondus terreſtrium dominorum, atterit paulatim miniſtrantium vires, pondus autem Chriſtiani magis adjuvat bajulantem; quia non nos portamus gratiam, ſed gratia nos, nec nos ad auxilium gratiæ dati ſumus, gratia magis ad noſtrum.*

S. Rem. ib.
Agell. ib.
Auct. Imp. h. 24.

8. Paulus de Palatio liberaliſſimam ſingulariter ponderans illam Salvatoris promiſſionem: *Ego reficiam vos, planè nemo*, inquit, *niſi Deus verbum illud verum facere poteſt; nemo enim niſi Deus omnes reficere valet, ille enim reficere poteſt, qui & facere.* Præter citatas, novam jugi Chriſti prærogativam, eamque præſtantiſſimam, Sanctus aſſignat Paſchaſius, ſcilicet quod animas efficiat puras, immaculatas, purificatas, & ab omni mundas vitio, nullo contaminatas culpæ nævo, hocque effectu ineffabile cauſet jubilum & conſolationem, *quoniam nihil ſuavius eſt, quam velle bonum; nihilque levius, quam ſine crimine vivere, amare omnes, odiſſe nullum; æterna conſequi, præſentibus non teneri; nolle inferre alteri, quod ſibi quiſque non vult fieri.* Sanctus Petrus primis ex Paganiſmo ad fidem converſis Chriſtianis ſcribens; *ſi tamen guſtaſtis*, inquit, *quoniam dulcis eſt Dominus*, quaſi dicat, potuiſtis utique ſufficienter differentiam attingere, quæ eſt inter iniquas Gentiliſmi præteriti leges, & præſentem Evangelicam Chriſti. *Volens Deus* [verba ſunt cujuſdam interpretis circa præſentem textum] *ſponte currentibus primis illis Chriſtianis addere calcaria, ut ad majorem Dei cognitionem & amorem illos incitet, ſuperiori adhortationi ſubjicit: Jam bene ſentiſtis, jam cæpiſtis in cordibus veſtris magnam utilitatem, copioſumque fructum religionis Chriſtianæ. Jam guſtatis, quam facilis, quam benignus, quam clemens & miſericors, quam amator hominum ſit Deus & Dominus noſter Jeſus, qui per doctrinam Evangelicam ſe patefecit, & per ſacramenta ſeipſum & bona ſua communicat hominibus.*

Paul. de Pal. ib.
Deus reficere poteſt.
S. Paſc. l. 6. in Matth.
Jucundiſſimum eſt ſine crimine vivere.
1. Pet. 2. v. 3.
Franc. Feuardent. ib.

9. Paulus de Palatio ut nos ad conſtantiſſimum inducat ſervitium Dei, diverſa, eaque notatu digniſſima adducit motiva, dicens inter cætera, triplex eſſe vitæ Chriſtianæ tempus; primum, quando homo à ſervitute diaboli tranſit ad Chriſti, ſecundum fundatur in virtuoſæ progreſſu vitæ, in celeri curſu per divinorum præceptorum ſemitam; tertium in vitæ conſiſtit termino, quando merces expectatur gloriæ; in quibus omnibus & ſingulis Deus nos abundantiſſimè conſolatur. Ecce vobis ipſa auctoris verba, illum Habacuc textum interpretantis. *Ego in Domino gaudebo, Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum. Ergo Chriſtus eſt fortitudo noſtra*, inquit ille, *ut evocatus è peccato in ſuæ gratiæ vitam traducat; ipſe enim ponet pedes noſtros tamquam cervorum, ut viam mandatorum ejus curramus, & de virtute in virtutem, ut de monte in montem tranſiliamus; demum ipſe in fine vitæ noſtræ collocabit nos ſuper excelſa beatitudinis ſuæ.*

Motiva ad ſerviendum Deo.
Hab. 3 v. 18.
Ibid v. 19.
Paul. de Pal. in Matt.

10. *Servite Domino in lætitia, introite in conſpectu ejus, in exultatione.* Convenienter, inquit Sanctus Remigius, ſervitio ſuccedit introitus; *quod dictum eſt ad ſimilitudinem Principum, quia Principes ante conſpectum ſuum ponere illos ſolent, qui eis ſerviunt ad placitum ſuum.* Agellius verba moroſius diſcutiens, ſibi invicem contradicere inquit, ſaltem in prima fronte *jubilare & ſervire; jubilatio ac ſervitus contraria ſunt, ſed illud indicare voluit, tunc verè nos liberos eſſe, cum Deo ſervimus; itaque etiam adjunxit in lætitia; nam cum omnis ſervitus cum mœrore ſit, illa verè libertas eſt, cùm liberati peccatò, ſervimus Deo; ideoque ſolum hoc ſervitutis genus lætitiam habet.* Quam ut veritatem ſtabiliat Michael de Bononia, ſequenti utitur argumento: *Sicut Deus hilarem diligit datorem, qui ſcilicet hilariter ſua pro Deo donat; ſic fortius multo illum, qui hilariter ſuo ſe mancipat ſervitio. Ideo dicitur: Servus autem tuus lætabitur; ideo veri ſervi Dei ſemper debent eſſe læti. Servi mei laudabunt cum exultatione.*

Pſ. 99. v. 2.
Vera libertas cum Deo ſervitur.
S. Rem. ib.
Agell. ib.
2. Cor. 9. v. 7.
Incogn.
Pſ. 108. v. 28.
Iſ. 65. v. 14.

11. Non contentus David, inquit Agellius, dixiſſe: *Servite Domino in lætitia*, ſuperaddidit: *Introite in conſpectu ejus in exultatione*; quia *non idem eſt lætitia & exultatio; lætitia namque propriè in animo eſt, exultatio illius lætitiæ effectus; nam lætitia permotus animus facit, ut exterius exultemus.* Juxta innocentiæ, virtutis & perfectionis proportionem, dictum in anima ampliatur creſcitque gaudium: *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt*; pax & ſerenitas bonæ conſcientiæ; ſanctitatem, charitatem, gratiam & amicitiam Dei pro fulcro habet *Juſtitia*, inquit Incognitus, *mater eſt pacis*, Iſa. 32. *Opus juſtitiæ pax*; *propter quod ait Dominus; utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua.*

Agell. ib.
Juxta pietatem creſcit gaudium.
Pſ. 84. v. 11.
Iſ. 32. v. 17.
Iſ. 48. v. 18.

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

Invitamur ad ſpiritualium experientiam conſolationum, quæ reipſa viæ divinæ dulcedinem perhibent & ſuavitatem.

### THEMA.

*Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Pſalm. 33. verſ. 9.

1. NOn paucos à Chriſti ſequelâ & vita devota timor abſtrahit melancholiæ, mœſtitiæ atque auſteritatis, quas in ſchola Chriſti autumant prædominari: hanc igitur falſam opinionem ut deſtruat David, mendacemque convincat, *Guſtate & videte*, inquit; *quoniam ſuavis eſt Dominus; beatus vir, qui ſperat in eo.* Circa quam invitationem Albertus Magnus ſequens movet dubium: *Sed quid eſt, quod dicitur, guſtate & videte? numquid prius eſt videre cibum & poſtea ſumere? quis umquam comedit, quod prius non viderit?* Reſpondetque auctor per ſimilitudinem à cibo medicinali deſumptam, qui primitus oculos latet infirmi, aſt ſumptus ſuam exercet virtutem, hocque in ſenſu dici poteſt viſus; *ſic fit in medicinali cibo ſpirituali.*

In Dei ſervitio auſterum nihil.
Alb. Magn. ib.

2. Sanctus Bonaventura differentiam ſtatuens cibum inter corporalem & ſpiritualem, ille, inquit, abſens appetitur, placet, inque comeſtionis principio magna capitur cum aviditate, qui in fine faſtidium ſui ingerit & nauſeam; hic verò contrariæ omnino rationis, *cum non ſumitur, diſplicet, quia amarus eſt Deus malis, ſed ſumentibus placet, & quanto quis magis ſumit de illo cibo, tanto magis ei placet.* Sanctus quoque Gregorius delicias corporis ab animæ & ſpiritus ſecernens, *corporales deliciæ*, inquit, *cum non habentur, grave in ſe deſiderium accendunt, cum verò avidè eduntur, protinus comedentem in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpirituales deliciæ cum non habentur, in faſtidio ſunt, cum verò habentur, in deſiderio, tantoque à comedente amplius eſuriuntur, quanto & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet, in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet.* Mortificationes, exercitia humilitatis, diſciplinæ, cilicia, jejunia; vigiliæ tantò majorem animæ afferunt conſolationem, quantò majorem ſenſui diſplicentiam, juxta paſſionum menſuram accreſcente conſolationum internarum copia; quam veritatem maximo cum proventu reipſa experta illa, de qua dicitur: *Guſtavit & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus.*

S. Bonav. ib.
Divina appetitum, mundana nauſeam gignunt.
S. Greg. h. 36. in Evan.
Prov. 31. v. 18.

3. Maximi lucri atque utilitatis labor eſt, ſeminare in planctu, ſiquidem copioſa ſubſequitur hujuſmodi ſementem gaudiorum meſſis: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Quis umquam aquas ſemine fœcundari vidit? Et nihilominus quiſquis ſalſum tribulationum navigat mare, abundantem conſolationum, gaudiorum, guſtuumque percipit fructum. *Portantes manipulos ſuos*, inquit Hugo, *id eſt, fructus ſeminum ſuorum, ſcilicet coronam gaudij & exultationis*; ſed prô dolor, *non omnes capiunt verbum iſtud*, ideoque David nos invitat: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Quis umquam induci potuiſſet, ut crederet, Davidem majus ex ſacci & cilicij duritie, quam ex purpuræ & regiæ chlamydis pretio gaudium percepturum? & nihilominus liberrimè proteſtatur: *Conſcidiſti*

Pſ. 125. v. 6.
Gaudium in adverſis expertus eſt David.
Hug. Card. ib.
Pſ. 29. v. 12.



*ſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia.* Quis ſibi perſuaſerit, eumdem magis exultaſſe in atrio tabernaculi genuflexum, quam in regio Iſraëlis throno adoratum & famulitijs circumdatum? Et nihilominus ait: *Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia, elegi abjectus eſſe in domo Dei mei.* Verum enimvero ut Sanctus Bernardus, magnus ſpiritualis magiſter bene advertit, *in hujuſmodi non capit intelligentia, niſi quantum attingit experientia.* Si quis coram vobis vini generoſitatem & ſaporem in cratere, quem manu ſuſtinet, pluribus deprædicaret, non citius ſolidum de eodem conceptum formare poteritis, niſi poſtquam veſtris quoque labijs ipſum libaveritis; ita pariter quantumcumque de myſtici gaudiorum ſpiritualium vini præcellentia ſacræ loquantur ſcripturæ, ſanctorumque diſcurrant hiſtoriæ, nullus tamen niſi expertus, veritati aſſenſum præbebit; unde Lyranus inquit: *Loquitur David ad modum hominum, dulcedinem vini probantium; quia primo modicum deguſtant, & ex hoc, cognita ejus dulcedine alliciuntur ad amplius guſtandum. Sic homines devoti, primò percipientes aliquid de dulcedine Dei, amplius alliciuntur ad amplius ſentiendum.*

Pſ. 83. v. 11.
S. Bern. ſer. 32. in Cant.
Lyran. ib.

4. Sanctus Philippus Nerius nulli labori parcens ut animas lucrifaceret, eodem fine & motivo Franciſcum Mariam Tarugi, Julij tertij & Marcelli ſecundi cognatum, admirabilibus famoſum talentis, ſibi demereri ſtuduit; maximam prævidens Eccleſiæ inde obventuram utilitatem. Commodam itaque in Jubilæo, tunc temporis per Paulum quartum publicato, occaſionem nactus eumdem poſt confeſſionem in ſuam ſecum conduxit cameram, ibique præmiſſis aliquot diſcurſibus, eum ad unius horæ orationem in ſocietate ſua inſtituendam invitavit, obedijt Tarugi, tantamque in ea ſenſit ſpiritus dulcedinem, ut illi, qui numquam hujuſmodi exercitio vacarat temporibus præteritis, hora integra in pauca momenta tranſijſſe viſa fuerit; quare & ſæpius ad Sanctum redijt, donec tandem in illud captivus incidit rete, quod comprehenderat plurimos. Qui Chriſtum vidiſſet peregrinum, civitatem Jericho adeuntem in habitu vili, piſcatoribus ſtipatum, nil niſi *pænitentiam agite* inſonantem, continuos humilitatis, charitatis & mortificationis actus ambientem, numquid quiſpiam præſumere potuiſſet, domum divitis innumeris plenam illecebris & theſauris, ubi nullis non delicijs liber patebat aditus, aliquod in Chriſto reperturam ſolatium? & nihilominus *Princeps publicanorum & ipſe dives*, cum exceſſivo cordis jubilo, *excepit illum gaudens* in domum ſuam; etiam non obſtante maxima divitiarum ſuarum jactura; ſiquidem in facto veriſſimum eſt illud S. Ambroſij dictum: *Qui domicilio Chriſtum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium paſcitur voluptatum.* Nonne Salvator Matthæum reperit, auri argentique incubantem acervis, *ſedentem in telonio*, vel ut Gloſſa inquit: *Lucris pertinaciter inhiantem?* & nihilominus ubi vix ſtillam deguſtarat divinarum conſolationum (*ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*) pedibus indilate ſubſtravit theſauros, magnam inſtituit ſolemnitatem, lautum & ſumptuoſum præparavit convivium: *Fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua.* Vener. Beda ſuper illa verba *diſcumbente eo*, inquit: *Porro ſi altiore intellectu, quæ geſta ſunt, indagare cupimus; non tantum in domo ſua terreſtri corporale Domino convivium exhibuit; ſed multo gratius illi convivium, in domo pectoris ſui, per fidem ac dilectionem paravit.* Convivia teſte Abulenſi, in proſperæ alicujus & favorabilis fortunæ indicium apparari ſolent; *magnum convivium fecit*, inquit hic auctor de S. Matthæo, *ut oſtenderet ſe majori jucunditate, hujus ſæculi divitias deſerere, quam alius eas aſſequeretur.*

L. 1. c. 11. num. 4.
Cæleſtia ſentientes terrena reliquerunt.
Luc. 19. v. 2.
Ibid. v. 6.
S. Ambr. l. 5. in Luc. 5.
Matth. 9. v. 9.
Gloſſa ibid.
Cant. 2. v. 14.
Luc. 5. v. 29.
Beda.
Abul. q. 48. in Matth.

5. In principio, via Dei quandoque dura videtur & aſpera, aſt poſtmodum ſucceſſu temporis, facilis efficitur & ſuavis, dicente S. Bonaventura: *Quamvis in initio arcta ſit via, quæ ducit ad vitam; proceſſu tamen temporis, ineſtimabilis dilectionis dulcedine dilatatur.* Verumtamen hæc regula non eſt univerſalis, quandoquidem Deus multos in primis etiam diebus, abundantiſſimo conſolationum ſuarum nectare inebriat, exclamantes: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine?* Jonathas dum virgæ extremitatem favo intulit mellis, ſe illuminatum aſſeruit: *Apparuit fluens mel ... Jonathaſque extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & convertit manum ſuam ad os ſuum & illuminati ſunt oculi ejus.* Virga auſteritatum, caſtigationum, diſciplinæ & rigorum eſt ſymbolum; nihilominus ubi mediante ea vel unicam guſtaveris conſolationum ſpiritualium mellis ſtillam, magno te beaſti lumine cœleſti & robore ſupernaturali: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Vidiſtis*, inquit Hugo Cardinalis, *quia illuminati ſunt oculi mei, eo quod guſtaverim paululum de melle iſto: Hæc eſt dulcedo divinæ bonitatis, quam hic prægustare poſſumus; ſed ad plenum ſumere non poſſumus, donec ad cæleſtes nuptias fuerimus introducti.*

Via Dei dura videtur incipientibus.
S. Bonav. ſol. c. 2.
Pſ. 30. v. 20.
1. Reg. 14. v. 26.
Ibid. v. 27.
Pſ. 22. v. 4.
Hug. Card. in Pſ. 33.

6. Cajetanus ad noſtrum intentum illa explanat Pſalmi verba: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati, tunc repletum eſt gaudio os noſtrum & lingua noſtra exultatione.* Hunc igitur textum animæ applicat, à ſæculo ad Deum tranſeunti, inquiens: *Myſtice explanatur hic Pſalmus de unoquoque fideli, à vitij ſeu ſpirituali Babylone, id eſt, ſcelerum confuſione erepto. Erit ſenſus; In convertendo Dominus captivitatem Sion, id eſt, cum animam fidelem convertit à vita confuſa, à peccato mortali, à præſenti miſeria, ad gratiæ ſtatum, facti ſumus ſicut conſolati. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, gaudio Spiritus Sancti, ex conſideratione gratiæ beneficiorumque Dei; & lingua impleta eſt exultatione, id eſt, laude vocali & jubilo exuberanti. Similiter plenitudo interioris lætitiæ redundat atque apparet in ore & lingua corporis.* S. Franciſcus quemdam fertur ad pœnitentiam induxiſſe, ad fauces uſque mundanis immerſum illecebris, qui *ſæcularium cantionum* curioſus inventor, propter excellentem nimis poëſin ſuam, ab Imperatore *rex verſuum dictus* fuit; hic igitur ſub Sancti directione tantam paulatim acquiſivit pacem, quietem & internam conſcientiæ ſuavitatem, ut eum Seraphicus pater fratrem pacificum appellare non dubitarit: *Propter quod videns ipſum vir ſanctus ab inquietudine ſæculi ad Chriſti pacem perfecte converſum, fratrem Pacificum appellavit.*

Pſ. 125. v. 1.
Quies & pax ſervorum Dei.
Cajet.
S. Bonav. c. 4. vit. S. Fr.

7. S. Auguſtinus illa Chriſti verba *beati pacifici*, explanans, eos dicit eſſe hujuſmodi, qui *omnes animi ſui motus componentes, & ſubjicientes rationi, id eſt, menti & ſpiritui, carnaleſque concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*; ubi Agellius inquit: *Non tam illa externa pax, quæ non eſt in noſtra poteſtate ſita, quam illa ex vacuitate paſſionum ac perturbationum exiſtens, cum nulla cogitatione vitioſa atque perturbante quatimur, quam ſimul cum mutua inter ſe gratia illi conſecuti fuerant, ad quos dictum eſt: gratia vobis & pax, à Deo patre & Domino Jeſu Chriſto.* Sanctus Hieronymus illum verſiculum *dediſti lætitiam in corde meo*, ſequenti ad intentum noſtrum ampliat gloſſa. *Facta eſt pax lætificans in corde meo; lætitia pacis non datur impijs, quia viam pacis non cognoverunt*; quare? quoniam *non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Apoſtolus varios recenſens Spiritus Sancti fructus, pacem ſecunda collocat in ſede immediate poſt gaudium: *Fructus autem ſpiritus gaudium, pax*; quia nimirum lætitia ſpiritualis magnam animæ affert quietem. Quandoquidem Pauli mentionem ingeſſimus, recordemini illius quod operatus eſt Saulus, quando furebat *ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini.* Sagittas oculi, fulmina vibrabant impij fauces; Qui veluti rapax lupus univerſo Chriſti gregi interitum minitabatur, hic ipſe ad unicum dumtaxat tractum in manſuetiſſimum tranſijt agnum, dicens: *Domine, quid me vis facere?* Chriſto confeſtim omnes domus ſuæ claves conſignavit, ſuæ eum voluntatis Dominum conſtituit. Aſt cur obſecro nomen Sauli in Pauli commutatum fuit? Nulli alij Apoſtolo, ne quidem ipſi S. Matthiæ; quorſum igitur tanta in S. Paulo ſingularitas? Dubij ſolutionem, myſterij declarationem ex ore S. Ambroſij audiamus: *Poſtquam credidit, ex Saulo Paulum ſe dicit, hoc eſt, immutatum; Paulus ſervus Jeſu Chriſti. Et quia Saulus ſecundùm ſupradictum ſenſum inquietudo ſeu tentatio interpretatur, hic cum ad fidem Chriſti acceſſit, Paulum ſe dicit, id eſt, quaſi ex tentatore factum quietum, quia pax eſt fides noſtra.*

Matth. 5. 9.
S. Aug. l. 1. de ſer. Dom. in monte c. 1.
Pſ. 118. v. 165.
Agell. ibid.
Pacem non habent impij.
Pſ. 4. v. 7.
S. Hier. ibid.
Pſ. 13. v. 3.
Gal. 5. v. 22.
Act 9. v. 1.
Ibid. 6.
S. Ambr. in c. 1. ad Rom.

8. Multi jugum Chriſti contingere horrent & expaveſcunt, quia ejuſdem numquam experti ſunt ſuavitatem; *guſtate* itaque *& videte &c. Si tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus; nam qui nihil de ſuperna ſuavitate animo guſtat*, ſubjungit idem Vener. Beda, *non eſt mirum, ſi hunc terreſtribus illecebris ſordidare non evitat. Bene autem Pſalmiſta guſtare admonet, quam dulcis ſit Dominus, quia ſunt nonnulli,*

Jugum Chriſti horrent qui ſuavitatem non ſciunt.
1. Petr. 2. v. 3.

*nulli, qui de Deo ſentiunt, non quod dulce interius ſapiat, ſed quod excuſſum exterius ſonet.*

Titelm. ibid. Probatur.

9. *Guſtate & videte*, id eſt, inquit Titelmannus, *diſcite & cognoſcite, quod benignus, dulcis ſit & ſuavis Dominus omnibus, qui requirunt illum; nequaquam amarus, durus, auſterus, moroſus aut difficilis.* S. Auguſtinus, ne ſuis cogeretur ſupremum vale impertiri illecebris & voluptatibus mundanis, converſionem ad Deum ſinceram detrectabat: poſtmodum tamen ingenue profitetur, inquiens: *Suave mihi fuit carere ſuavitatibus nugarum; quasque amittere olim metus fuerat, jam dimittere gaudium erat.* Dionyſius Carthuſianus neminem, inquit, latet, Deum animæ pœnitenti ſeque ad ejus ſervitium applicanti magnum afferre ſolatium, aſt hæc fides in intellectu fundatur: *Deum eſſe ſuavem*, verba ſunt auctoris, *omnes ſciunt per intellectum, ſed non omnes ſapiunt per affectum. Vincenti dabo manna abſconditum & nomen novum*, attamen *nemo ſcit, niſi qui accipit. Suavitas Domini eſt*, inquit S. Bernardus, *niſi guſtaveris, non videbis; guſtate, inquit, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Manna abſconditum eſt, nomen novum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit; non illud eruditio, ſed unctio docet; nec ſcientia, ſed conſcientia comprehendit.* Qui idem ſanctus alio in loco, cur multi à ſequela Chriſti abſtrahantur, hanc aſſignat cauſam, dicens: *Ego autem dico, omnes ignorare Deum, qui nolunt ad ipſum converti; neque enim ob aliud procul dubio renuunt, niſi quia gravem & ſeverum imaginantur, qui pius eſt; ferum & terribilem, qui amabilis eſt.*

S. Auguſt. l. 9. conf. c. 9.
D. Carth. in Pſ. 33.
Apocal. 2. v. 17.
S. Bern. l. de conv. ad cler. c. 21.
Serm. 38. in Cant.

Pſ. 44. v. 8. Converſi odiunt ea quæ prius amabant.

10. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem*, dicit David ad quamdam à peccato ad Deum converſam animam, *propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Qui in virtutis ſtudium incumbit, qui operum bonorum ſe dedit exercitio, perfectiſſimum concipit præteritorum vitiorum & diſſolutionum odium; tuncque Paradiſiacas in ſe experitur conſolationes. *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo*; qua loquendi methodo & phraſi, abundantia exprimitur deliciarum & voluptatum ſpiritualium, quibus Deus recreat animam ad ſe converſam. *Fiunt inimica converſo*, inquit S. Iſidorus, *quæ peccatori proſpere blandiebantur, atque idem fiunt blanda converſo, quæ peccatori adverſa extiterant.*

Ibid. v. 9.
Ibid. v. 10.
S. Iſid. l. 2. de ſum. bon. c. 9.

Deuter. 1. v. 28. Pulcher ſcripturæ locus animans ad Dei ſervitium.

11. Populus Iſraël terram adiens promiſſionis, continuo quaſi exanimabatur præ timore, dum audiret, cum Gigantibus ſibi confligendum eſſe, civitates munitiſſimas & muros inexpugnabiles expugnandos, evertendos; ideoque animo deficientes ſæpe ſæpius gradum relegere conſtituerunt; aſt omnibus unus ſeſe opponens Joſue, animamini, inquit, fratres, pugnate; *ſicut panem, ita poſſumus eos devorare*; veritatem aſſerti felix docuit eventus, nam Iſraël glorioſiſſimus omnium iſtorum populorum triumphator effectus, omnes eorum provincias & regna in ſuam redegit poteſtatem. Eadem penitus ratio militat in noſtra ad Deum converſione, quanti namque timores quanti ſeſe ingerunt metus & pavores? quid conſilij, quid auxilij? *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus; beatus vir, qui ſperat in eo.* Auſcultate auream Origenis ſententiam: *Si dubia ſit fides noſtra, illi gigantes erunt, nos locuſtæ; ſi vero ſequimur Jeſum, & verbis illius credimus, tamquam nihil erunt in conſpectu noſtro*; noſque omni abſque difficultate terram obtinebimus, fluentem lacte & melle conſolationum cœleſtium. Equidem non diffiteor, multis evenire, quod pueris familiare eſt, qui in principio ſcholaſticis ſe nequeunt accommodare exercitijs, in primis apprehendendis deſudant elementis, gemunt ſub diſciplina, otio ante, libertati, luſibusque addicti; aſt ubi aliquem in ſtudijs hauſerint profectum, patriam, parentes, cognatos, amicos, omnesque alias deſerunt commoditates, in regionibus degunt longinquis, ut doctrinæ ſapientiæque conſequantur apicem. Ita pariter multis primordialiter aſpera & arcta videtur virtutum ſemita, abſtinentiæ, vigiliæ, orationes, mortificationes, propriæ carnis caſtigationes horrorem incutiunt; aſt ubi tantillum ſpiritualis dulcedinis guſtarunt, illi benedicunt temporis momento, in quo ſcholæ Chriſti primum intulere pedem; *Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro.* Tunc liberrime cum David confitentur: *Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia; elegi abjectus eſſe in Domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum; Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus; Non privabit bonis, qui ambulant in innocentia; Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.*

Numer 14. v. 9.
Pſ. 53. v. 9.
Orig. h. 7. in Num.
Pſ. 83. v. 11.
Ibid. v. 12.
Ibid. v. 13.

12. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Notentur verba, inquit Lyranus, his namque præmiſſis; immediate ſubjunxit Vates: *Beatus vir, qui ſperat in eo. Talis enim prægustatio divinæ dulcedinis auget ſpem futuræ beatitudinis; licet enim apud homines aliquando nimia familiaritas pariat contemptum, talis tamen familiaritas Dei ad hominem, qua ei communicat in præſenti vita ſuam dulcedinem, magis auget filialem reverentiam hominis ad Deum.*

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

De Chriſti & mundi deliciarum ac conſolationum differentia.

### THEMA.

*Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. v. 28.

Differentia Conſolationum Chriſti & mundi.

1. IN hac benigniſſimi Salvatoris ad cœleſtem ſequelam invitatione, differentia manifeſte innuitur mundanas inter & divinas lætitias; ijs namque nomen imponitur laborum, ſudorum, moleſtiarum, *laborati & onerati eſtis*: his autem refocillationis, refectionis, oblectamenti: *Et ego reficiam vos. Laborantes ad refectionem invitat*, inquit S. Bernardus, *ad requiem provocat oneratos.* Nihilominus novo humeros ſubjici mandat oneri, aſt levi & jucundo; *Non tamen interim onus ſubtrahit*, proſequitur ſanctus, *aut laborem; magis autem onere alio laborem commutat, ſed onere levi; ſuavi jugo, in quibus requies ac refectio, etſi minus appareat, tamen inveniatur.* Quo autem nos eximit à pondere, dum nos ad ſervitium ſuum & ad jugi ſui invitat ſuavitatem? *Grave onus iniquitas ſedens ſuper talentum plumbi. Gravia eſſe onera peccati*, inquit S. Hieronymus, *& Zacharias Propheta teſtatur, iniquitatem dicens ſedere ſuper talentum plumbi.* Peccatum nos labore conficit, laſſitudine exhaurit; *Labor in medio ejus & injuſtitia.* Mundanos contemplamini omnibus abundantes feſtiviſſimorum gaudiorum argumentis, numquid aliquis penes eos ſupereſt gemituum locus? Imo vero in medijs flebiles ſuſpirant delicijs; veritatem ex ipſorummet ore diſcite: *Fruamur bonis ... vino pretioſo nos impleamus, non prætereat nos flos temporis; coronemus nos roſis antequam marceſcant; nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra; ubique relinquamus ſigna lætitiæ*; ecce vobis delicatam gaudiorum ſementem, modo ad meſſem convertamur: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles.* Quid mirum? quoniam *via plana peccantium jugiter complanata lapidibus*: Aut, ſi mavultis, conſolationem mundanorum in bonorum, voluptatum, divitiarumque poſſeſſione ſituatam concludamus; quid ergo? hæccine pacem conciliabunt & jubilum? veritatem ab æternæ veritatis ore audijmus, ubi omnia illa bona ſpinis aſſimilavit.

S. Bern. ſer. 15. ſup. Pſ. Qui habitat.
Zach. 5. v. 7.
S. Hier. in cat. in Matth. 11.
Pſ. 54. v. 11.
Sap. 2. v. 6. & ſeq.
Sap. 5. v. 7.
Eccli. 21. v. 11.

2. Albertus Magnus citatum ſapientiæ textum (*laſſati ſumus*) & aliud S. Petri aſſertum (*per totam noctem laborantes nihil cepimus*) combinans, *temporalia*, inquit, *cum labore vix tamen acquiruntur, & raro abſque timore, & quaſi ſine fructu poſſidentur, cum dolore præter voluntatem quotidie pereuntur.* Imo Seneca ſolius luminis naturalis ductum ſecutus, hanc ipſam mortalium cæcitatem ſe agnoviſſe probat, dum ait: *Inter honores gaudium; ita eſt, inter ſolicitudines quæris: Iſta, quæ ſic petis tamquam datura lætitiam ac voluptatem, cauſæ dolorum ſunt. Omnes inquam illi tendunt ad gaudium, ſed unde ſtabile magnumque conſequantur, ignorant. Ille ex convivio & luxuria, ille ex ambitione & circumfuſa clientium turba; ille ex amica, alius ex ſtudiorum liberalium vana oſtentatione*; tandemque concludit, omnes graviſſimo deludi errore, ita ut ſinguli merito dicere valeant: *Ergo erravimus à via veritatis. Omnes iſtos*, ſubdit Seneca, *oblectamenta fallacia & brevia decipiunt; ſicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem inſaniem, longi temporis tædio penſat.* Confeſſiones pervolvite S. Auguſt. invenietiſque, quantas effrænato curſu usque ad 33. ætatis annum ſectatus fuerit illecebras; aſt quo ſucceſſu? ſpinas ſe negat collegiſſe abſque ſpinis ideoque ad Dominum grato animo converſus, ait; *Tu ſemper aderas miſericorditer ſæviens, & amariſſimis conſuſionibus aſpergens jucunditates meas.*

Luc. 8. v. 11.
Luc. 5. v. 5.
Alb. Magn. ib.
Mundana gaudium non afferunt.
Sen. ep. 59.
S. Aug. l. 8. confeſſ. c. 2.



Similitudo.

3. Prima equidem fronte impertinens apparet, aſt veraciter expreſſiva nimium ſimilitudo eſt, quam, ut gaudiorum ex ſenſualitatibus, guloſitatibus, alijsque ſimilibus mundi diſſolutionibus provenientium exprimat qualitatem, adducit Seneca, hujusmodi comparans ſcabioſis, qui ulceribus ſcatentes, ſuarum nihilominus plagarum apertione gaudent & conſperſione: *Ut ulcera quædam*, inquit, *nocituras manus appetunt & tactu gaudent; & fœdam corporum ſcabiem delectat, quidquid exaſperat; non aliter dixerim his mentibus iniquæ cupiditates, velut mala ulcera erumpunt, voluptati eſſe laborem, vexationemque.* Vere itaque de hoc hominum genere aſſeruit Pſalmiſta: *Contritio & infelicitas in vijs eorum.* Aſt diſcurſum cum S. Auguſt. proſequamur; *tamquam tædio affectus, amaritudine terrenorum indulcorari voluit & quæſivit fontem dulcedinis, & non invenit; in terra erat, & in terra amaritudinem ſentiebat, ſolum enim tu es jucunditas, de quo certum gaudium.* Ita S. hic Præſul de Propheta regio ſcribit, ad Dominum dicente: *Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine levavi animam meam, quoniam tu Domine ſuavis.*

Senec. l. de tranq. c. 1.
Pſ. 13. v. 3.
S. Auguſt. in Pſ. 85.
Pſ. 85. v. 4.

Pſ. 24. v. 8. Differentia viarum Dei & mundi. Hug. Card. ib.

4. Hugo Cardinalis alium huic perſimilem conſiderat ejusdem Pſalmiſtæ textum, inquientis: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via; diriget manſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas; univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Primo determinat*, inquit, *qualis eſt Dominus, ut ex hoc viarum ejus qualitas poſtmodum oſtendatur; qualis enim Dominus, tales & viæ ejus*; juxta illud. *Viæ ejus viæ pulchræ, & ſemitæ ejus pacificæ, quia ipſe pulcher & pacificus.* Quæ autem mundi, quæ peccati ſunt ſemitæ? *Via peccantium complanata lapidibus*; aſt hoc ipſum tolerabile forſitan foret, niſi etiam per eam gradientes in præcipitium corruerent infernale, ecce vobis terminum conſolationum cæci mundi: *In fine illorum, inferni, tenebræ & pœnæ.* Si vos mihi objeceritis, inquit Sapiens, *aquæ furtivæ dulciores ſunt; & panis abſconditus ſuavior*; ego reſpondeo vobis: *Et ignoravit, quod ibi ſint Gigantes, in profundis inferni, convivæ ejus.* Aſt longe diverſa eſt divinæ viæ ratio: *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Jeſu meo*, qui ait: *Ego ſum via, veritas & vita.* Præclariſſimam hoc loco neutiquam ſubticendam duxi S. Chryſoſt. ſententiam, inquientis: *Si quis pecuniæ, vel etiam alicujus maximi regni hæres futurus, non ſolum tempore perceptionis, ſed etiam antequam ea experiatur, erigitur expectatione, ex ſpe magnam voluptatem perpetuo capiens: Cogita, qualem eum eſſe conſentaneum eſt, qui expectat regnum vivens & immortale, & bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt; propterea inquit, dediſti lætitiam in corde meo.* Viva æternæ ſpes ſalutis nos excitat, ut cum hilaritate bonis inſudemus operibus, multis hac in vita nos afficit conſolationibus, præcipue autem in hora mortis: *Quid enim grande poteſt eſſe in præcepto*, ut cum Guerrico Abbate loquar, *ubi ſalus eſt in promiſſo?*

Prov. 3. v. 17.
Eccli. 21. v. 11.
Ibid. v. 11.
Prov. 9. v. 17.
Hab. 3. v. 18.
Joan. 14. v. 6.
D. Chryſ.
Pſ. 4. v. 7.
Guer. Abb. ſerm. 4. de Epip.

Bart. Piſan. conformat. fruct. 8. L. 1. p. 2. c. 11. Exempla.

5. Frater Bernardus de Quinta-valle, primus S. Franciſci comes, morti proximus dixiſſe fertur: *Invenio in anima mea, quod pro mille mundis æqualibus iſti, nollem non ſerviſſe Domino Jeſu Chriſto.* Granata pariter in duce peccatorum tradit, S. Bernard. vice quadam cum magno animarum lucro concionantem in Flendria, convertiſſe primarium quemdam Capitaneum, nomine Arnolphum, qui millenis indiſſolubilibus mundi ligatus catenis, perque ſancti hujus prædicationes ſolutus, habitum religioſum in conventu Clarevallenſi ſuſcepit; Sanctus autem viri iſtius converſionem tanti æſtimavit, ut publice dicere non dubitarit, tantam in hoc homine reluxiſſe Chriſti potentiam, quantam vidit reſuſcitatio Lazari. Hic itaque religioſus colicos quandoque experiebatur dolores cum tanta acerbitate & violentia, ut ſæpe ſæpius in agonem incideret; quadam itaque vice, ſenſibus, voce & omni ſpe vitæ deſtitutus, extremam ſuſcepit unctionem, poſtquam non nihil reſpirans, voce elata Deum laudare cœpit, in ſequentes prorumpens affectus: Verum eſt, quidquid dixiſti ò bone Jeſu, totum veriſſimum eſt, hasque eo multoties replicante voces, interrogarunt fratres, quid verum eſſet, ille autem iterum iterumque eadem inſonabat, ita ut apud aliquos circumſtantium notam incurreret delirij. Tunc ille: Nequaquam fratres, fallimini, imo mihi ego præſentiſſimus, ſanaque pollens mente, dico vobis, veriſſima eſſe Chriſti verba; dicit namque in Evangelio, quod qui omnibus mundi bonis renunciaverit, centuplum recepturus ſit in vita præſenti, & poſtea æternam; promiſſionem hanc in me adimpletam vobis ego denuncio, ſiquidem ingens iſte, quo crucior, dolor mihi omnino ſuavis & dulcis redditur, ob ſalutis meæ ſpem & ſpirituales mihi indultas conſolationes, ideoque hunc ſtatum meum nollem cum univerſis mutare mundi illecebris, tam præteritis quam poſſibilibus; cui veritati ſubſcribere voluiſſe videtur Alb. Magn. dum illa Davidis [ *anima autem mea exultabit in Domino* ] interpretans verba, inquit: *Non in divitijs, vel honoribus, vel delicijs; quia nihil Deo dulcius.* Michaël de Bononia in ejuſdem textus commentario, ait; *Ubi ſciendum, quod quis tanto perfectior eſt, quanto omnibus temporalibus ſpretis, in ſolo Deo lætatur & gaudet.* Tanto namque abundantiori anima perfundetur gaudio, quanto perfectius omnibus mundi bonis nuncium miſerit.

Pſ. 34. v. 9.
Alb. Magn. ib.
Incogn. ib.

6. *Venite &c.* advertit Chryſ. Salvatorem non dixiſſe, ſalvabo vel beabo vos, ſed *reficiam vos. Venite, non quoniam indigeo veſtra gloria, ſed quia volo veſtram ſalutem. Unde dicit: & ego reficiam vos. Non dixit; ſalvabo ſolum, ſed quod multo amplius eſt: Reficiam vos, id eſt, in omni quiete conſtituam.* Raban. inquit: *Non ſolum exonerabo, ſed interna refectione ſaturabo*; ideoque accurite, nam nullæ mundi, quantumvis maximæ, cor humanum ſaturant explentque voluptates, quin potius omnes Coſmophili *famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.* Numquam aliquis à mundo hoc internam obtinuit ſatisfactionem; è converſo autem teſte Euſeb. Emiſſ. *habet hanc vim dulcedo cœleſtium pulchritudinum; ut, quanto intentius quæritur*, tanto intentius deſideretur. *Ingerunt de cupiditate appetitum, & non faciunt de ſatietate faſtidium*; econtra vero voluptates & lætitiæ terreſtres, *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.* Rex quidam Bohemiæ in militia ab Arnulpho Imperatore victus, tandem pœnitentiæ cauſa in ſolitudinem confugit, ubi aliquo tranſacto temporis ſpatio, in vitæ termino in ſequentia prorupit verba: *Et regiam vitam & privatus expertus morior, nulla regni fortuna eſt tranquillitati eremi præferenda. Quod mihi vitæ Deus dedit apud vos, felix peregi; in regno quidquid tranſactum eſt, mors verius quam vita fuit.* Arundini fragiliſſimæ innititur; qui terrenis confidit in ſolatijs, ideoque exclamat S. Auguſt. *Heu ſpes caduca mortalium! ſperas in pecunia, ſperas in honore, ſperas in aliquo amico potente; in his omnibus cum ſperas, aut tu expiras; aut cum vivis, omnia pereunt, & in ſpe tua tum & ipſe deficis ac cadis.* Deo autem qui innititur, fulcro gaudet ſolidiſſimo, ſiquidem ipſe eſt *Deus totius conſolationis, Deus in æternum & ultra*; quo niſi volentes, deſtitui nequimus, ideoque Sanctus ille, de quo ſupra, totus feſtivus jubilabat: *Chriſtum à me tollere nemo poteſt.*

S. Chryſ. in cat.
Mundi gaudia cor non ſatiant.
Rab. ibid.
Pſ. 58. v. 7.
Euſ. Em. h. de S. Max.
Cornel. à Lapide in Exod. c. 3.
S. Aug. in Pſ. 36.

S. Joan. Damaſ. hiſt. de Joſeph. c. 12. Parabola fallaciam mundi proponens.

7. Sanctus ſenior Barlaam ut S. juveni & regi Joſaphato fallaciam mundialium gaudiorum probaret, hanc ei adduxit parabolam. Quidam homo ferociſſimum fugiens monocerotem, dum fugeret, in profundam corruit foſſam, inque ipſo caſu quamdam apprehendens arborem, extremum avertit præcipitium; hærens itaque in arbore de periculo ſecurior, dum circumſpicit curioſior, duos vidit mures, alterum nigrum, album alterum, radicem arboris certatim corrodentes; jamque ad meditullium ejuſdem pertigerant; hinc itaque miſer ſurſum elevans oculos, horrendũ vidit draconem, naribus ſpirantem flammas: inde in circuitu viſum terrefecerunt quatuor aſpides; verumtamen nil obſtantibus hiſce omnibus, conſpecto tantillo mellis, ex arboris, cui inſidebat, ramis emanantis, quaſi ſecurus de periculo, non inſequentem exhorreſcens beſtiam, non arborem rodentibus conterritus muribus, minas irridens draconis, floccipendens aſpidum virus, ad mellis dulcedinem deguſtandam ſe contulit quietus. *Hæc eorum*, ſubjungebat ſanctiſſimus ille, *qui præſentis vitæ ludibrijs intabeſcunt, figura eſt. Unicornis mortis typum gerit, quæ ſemper mortalium genus perſequitur atque arripere contendit. Scrobs autem mundus eſt, qui omnis generis malis ac mortiferis laqueis ſcatet. Arbor ea, quam compreſſis manibus tenemus, & quæ à duobus muribus indeſinenter arroditur, cujusque hominis vitæ curriculum eſt, quod quidem per diei ac noctis horas abſumitur & conficitur, ac paulatim ad exceſſionem accedit. Quatuor autem aſpides humani corporis ſuper 4. lubrica & inſtabilia elementa conſtitutionem deſignant,*

*ſignant, qui cum immoderate ſe habent ac perturbantur, corporis compages diſſolvitur. Ad hæc igneus ille ac truculentus draco horrendum inferni ventrem adumbrat, qui eos ſuſcipere geſtit, qui præſentes voluptates futuris bonis anteponunt, mellis vero guttula diſtillans, mundi jucunditatem & dulcedinem ſignificat, per quam ille amicos ſuos ludificans, eos ſaluti ſuæ proſpicere minime ſinit.* S. Auguſtinus aliam à piſce deprompſit ſimilitudinem, qui piſcatoris pabulum ore excipiens, natitat impavidus in liquido elemento: *Noli gaudere ad piſcem*, inquit, *ille, qui adhuc in eſca ſua exultat, nondum retraxit hamum piſcator*; neſcit piſcis ſe cum eſca deglutijſſe ferrum, ſeque ex aquis extrahendum, ardentibusque cremandum in carbonibus. Quot equidem ac quantis ſatisfactiones, delicias, voluptates, quibus vacant, invidemus, non agnoſcentes aut conſiderantes innumerabiles eorumdem tribulationes quibus ſubjacent in vita præſenti ac futura? Jonas ſolaribus fotus radijs exultavit, ut germinantem ſibique umbræ beneficium præſtantem vidit hederam: *Lætatus eſt ſuper hedera, lætitia magna*; aſt quis fuit rei exitus? *Paravit Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam & exaruit*: Ecce breviſſimam mundialium gaudiorum durationem, quæ vermibus, quæ conſcientiæ remorſibus, quæ afflictionibus ſcatent & contradictionibus: *Dulcedo illius vermes.* Materia dulcis facillime contrahit vermes, cum igitur ſuas offert mundus illecebras, nemo dubitet, quin ſecum ſubinferant ſynderesin, malæ conſcientiæ vermem.

S. Aug.
Joan. 4. v. 6.
Ibid. v. 7.
Job. 24. v. 20.

8. *Laboratis & onerati eſtis.* Quisquis mundi ſequitur leges, intolerabili premitur onere. *Contemnentibus jura Dei*, inquit S. Ambroſ. *jura hominum proponuntur.* Si injuriam huic remiſeris, apud Deum & homines meritum, tibique beneficium comparaſti; ſi autem mandato duelli obtemperaveris, vitam, ſubſtantiam, reputationem, animamque periculo exponis; cognatos, amicos, civitatem in ſcopulos allidis, in perniciem tuam exercitum armas. Atque ita de reliquis vitijs diſcurrere licet, vitium, peccatum, animæ Chriſtianæ pondus eſſe, vel ipſa docet in rebus naturalibus experientia; oſſa namque extra proprias ſituata juncturas, ſpaſmum cauſant; elementa extra ſuum degentia centrum, mundum concutiunt. Ita pariter in moralibus dum ſenſus non paret rationi, dum inordinati prædominantur appetitus & paſſiones imperium ducunt, impoſſibilis eſt quies aut conſolatio. *Impij quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Similiter S. Joan. teſte: *Non habebant requiem die ac nocte, qui adoraverunt beſtiam.* Quæ autem uniuscujusque juſti conditio? *Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens.* Ubi Gloſſa inquit: *Quanto magis Chriſtum ſequeris, tanto minus laboras.* Apud Iſaiam legimus, quod *computreſcet jugum à facie olei*; ita quoque aſſerere poſſumus, jugum Chriſti ponderoſiſſimo mundi jugo comparatum, indulcorari & ſuave effici, dicente S. Patriarcha Joanne Chryſoſtomo: *Si ardua difficilisque tibi virtus videtur, veniat in mentem tibi, quanto difficilior vitioſitas eſt, nullo pondere gravius premitur anima, nihil tam vehementer mentis reſtringit oculos, nihil magis dejicit atque proſternit, quam male actæ vitæ ac peccatorum conſcientia & recordatio.* Angelici quoque Doctoris hac ſuper re ſententiam audire pergratum fuerit: *Lex Chriſti jucundat*, inquit, *unde Apoſtolus; juſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto.* Ne autem mihi, idem proſequitur Sanctus; illud Apoſtoli aſſertum objeceritis: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*; reſpondeo namque vobis: *Iſtæ non ſunt graves, quia condiuntur condimento amoris; quia quando aliquis amat aliquem, non gravat eum, quidquid patitur pro illo; omnia gravia levia facit amor.*

S. Ambr. ib.
Quo magis Deo ſervimus eo magis requieſcimus.
Iſ. 57. v. 20.
Apoc. 14. v. 11.
Jerem. 17. v. 16.
Gloſſ. ibid.
Iſ. 10. v. 27.
S. Chryſ. h. 39. in Matth.
Difficilius eſt vitioſum, eſſe quam virtuoſum.
S. Thom. ib.
Rom. 14. 17.
2. Tim. 3. v. 12.

9. Efficaciſſime, ſi quæquam alia, jugi Chriſti ſuavitatem S. Gregorij probat doctrina, aſſerentis: *Quid grave mentis noſtræ cervicibus imponit, qui vitare omne deſiderium, quod perturbat, præcipit; qui declinare laborioſa hujus mundi itinera monet?* Cui ſecundat S. Hilarius inquiens: *Quid jugo ipſo ſuavius? quid onere levius? probatior fieri, ſcelere abſtinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odiſſe nullum, æterna conſequi, præſentibus non capi?* Ubi Vulgata noſtra legit: *Prohibe pedem tuum à nuditate*, Septuaginta legunt: *Converte pedem tuum à via aſpera*; circa quæ verba S. Hieronymus ait: *Via peccatorum aſpera eſt, quæ à Domino convertitur in viam planam.* Iterum ubi noſtra habet: *Ne pereatis de via juſta*, Genebrardus vertit, *de via plana.*

S. Greg. l. 4. mor. c. 39. in cat. cit.
S. Hil. in Matth. 11.
Jerem. 2. 25.
S. Hier.
Pſ. 2. v. 12.

10. Euſeb. Emiſſ. jugum Chriſti ſolis vitioſis difficile & grave eſſe, his aſtruit verbis: *Secundùm vel lenitatem vel duritiam morum noſtrorum, qualem animum habuerimus, tale ſuper nos jugum Domini ſentiemus; nemo Domini onus intolerabile eſſe conqueratur, qui duri animi, qui cordis eſt aſperi, ipſe ſibi facit durum atque aſperum Chriſti jugum; & vere gravi premitur ſarcina mens ſubjugata peccato; onus vero Domini ſcit relevare neſcit opprimere.* Si ita, quomodo igitur apud Iſaiam docemur. *Hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium?* An non opera bona labores & difficultates comites habent? infirmorum ſervitia, ſubſtantiæ noſtræ erogatio, jejunium, corporis maceratio forſitan moleſtijs carent? Audite Oleaſtrum: *Magna eſt dignatio tua Domine, quia te transfers in liberos nos, cum laſſus es; & quemadmodum egenus cum egenis & pauper cum pauperibus.* Deus operatur, Deus laborat nobiſcum, ideoque exilem experimur difficultatem. *Omnia poſſum*, gloriabatur Apoſtolus, aſt quomodo? *in eo, qui me confortat; non ego, ſed gratia Dei mecum*; immiſericors autem durusque mundus ſequaces ſuos ſub impio onere ſolos usque ad agonem deſudare & tandem ſuccumbere permittit: Laban mundi typus Jacob virum juſtum à ſe diſcedere indignatus, *cur ignorante me*, inquiebat; *fugere voluiſti, nec indicare mihi, ut proſequerer te cum gaudio & canticis, & tympanis & cytharis?* Cui illuminatiſſimus Jacob; occulte fugi, certus te nullam animo meo poſſe afferre lætitiam, conſolationem nullam; quid enim? *an cum lætitia tua*, conceptus eſt S. Ambroſij, *quæ plena mæſtitudinis eſt, cum tympanis ſcilicet atque organis immodulata modulantibus, & ſonis tibiarum ſuavibus, inſuavia reſultantibus, ſonis diſſonis, crepitibus diſcrepantibus, vocibus mutis, cymbalis animam ferientibus? His me delectari poſſe credidiſti? his revocari? Hæc ſunt, quæ ego fugi.* Nequit igitur mundus vero nos beare gaudio, utpote quo ipſe caret, ſi autem ſubinde quidquam jubili attulerit, nil niſi fictio eſt & apparentia: *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi; quid fruſtra deciperis? Vid. latius ſup. Diſc. IX.*

Euſ. Emiſſ. h. de Math.
Solis vitioſis grave eſt Chriſti jugum.
Iſ. 28. v. 12.
Deus nobiſ. cum laborat.
Oleaſt. ib.
Phil. 4. 13.
Mundus ſuos derelinquit.
Gen. 31. v. 27.
S. Ambr. in Joan. in Ex. ad Iren. c. 8.

## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

Soli innocentes, timorati & perfecti deliciarum ſpiritualium manna ad inſtar pluviæ fœcundantur.

### THEMA.

*Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te? perfeciſti eis, qui ſperant in te.* Pſ. 30. v. 20.

1. NOn Ægyptus, ſed animæ pœnitentis deſertum conſolationum guſtuumque ſpiritualium manna meruit repleri, quam ob cauſam David exclamat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine?* ſed quibus? audite limitationem: *Quam abſcondiſti timentibus te perfeciſti eos, qui ſperant in te. Ut timentes te habeant*, inquit D. Angelicus; & S. Hieronymus ait: *Multifarie copioſa dulcedo tua eſt, quam reſervaſti timentibus nomen tuum.* Porro inter eas, quas ſuis Deus, quasque ſuis impertit mundus ſequacibus delicias, hanc aſſignat differentiam Albertus Magn. *Temporales dulcedines omnibus ſunt communes, bonis & malis; ſed iſtæ reſervantur ſolis bonis.*

Devoti ſoli ſpirituales guſtant delicias.
S. Thom. ib.
S. Hieron. ib.
Alb. Magn. ib.

2. David, ut ſupra vidimus fuſius, animas fideles ad hilare feſtivumque Deo exhibendum ſervitium invitat, dicens: *Servite Domino in lætitia*, moxque ſubjungit: *Introite in conſpectu ejus, in exultatione*, ubi per ly *conſpectum* S. Remigius conſcientiam intelligit, inquiens: *In conſpectu ejus, id eſt, conſcientiam veſtram, ubi ipſe conſpicit, mundate.* Deus non niſi puram mundamque animam ſpirituali vult exhilarare lætitia. Melliſluus Doctor illum diſcutiens Apoſtoli textum: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto*; ad miraculoſum alludit nuptiarum vinum in Cana Galilææ, ſpiritualium ſymbolum conſolationum. *Bonum vinum non ex vinea impuritatis*, verba ſunt mellifluì Doctoris, *ſed ex hydria purificationis hauritur.* Vas, quod myſticum hoc vinum conſervaturum eſt, mundum purum eſſe debet, ideoque, ut idem Sanctus advertit, Apoſtolus ultimo loco aſſignavit gaudium; *juſtitia & pax*, deinde *& gaudium. Attendis & intendis, quia gaudium in fine eſt? ſic fatui filij Adam & præcipiti ſaltu juſtitiam tranſilientes & pacem, rem finalem*

Virtuoſi conſolantur.
Pſ. 99. v. 2.
S. Remig. ib.
Rom. 14. v. 17.
S. Bern. ſer. 1. de Verb. Apoſt.
Joan 2. v. 9.
Ibid. ſer. 2.
Rom. 14. v. 17.



*finalem in principium convertere vultis? nemo enim eſt, qui gaudere non velit. Non ſtabit & non erit iſtud; quia ſicut [non eſt pax impijs,] ſic nec gaudere impijs [dicit Dominus;] prius eſt juſtitiam facere, inquirere pacem & perſequi eam; & ſic demum apprehendere gaudium, imo à gaudio comprehendi.* Similem ex eodem textu moralitatem eruit S. Auguſtinus, inquiens: *Amicæ ſunt juſtitia & pax; nemo eſt, qui non velit pacem, ſed non omnes volunt juſtitiam.* Imò vel ipſe Gentilis Seneca, cujus naturalis intellectus perſpicacia coram Evangelicarum veritatum radijs caligavit, veræ conſolationis radices ex virtutum exercitio conſurgere docet, inquiens: *Ex virtute ſequitur hilaritas continua & lætitia alta, atque ex alto veniens*; deinde Coſmophilorum condemnans gaudia, ſubdit: *Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent & perfuſoriam voluptatem.*

Iſ. 48. v. 22.
S. Aug.
Sen. de vit. beat. c. 4.

3. Spiritualis quidam magiſter, quem Cardinalis Bellarminus Eccleſiaſticis annumerat Scriptoribus, quique quarto floruit ſæculo, illam interpretans Salvatoris proteſtationem: *Anguſta porta & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam*, hanc ſubnectit dictinctionem: *ijs quidem qui veritatem amare incipiunt, aſpera & moleſta apparet*; notate verba; non aſperam appellat aut duram, ſed talem aſtruit apparere: *Non quia talis ſit, ſed quia natura humana ſtatim ab ipſo ortu in voluptatum laxitate verſatur; ijs vero, qui medium ejus tranſire poſſunt, tota lenis & expedita oſtenditur.* Anima ſuarum domina paſſionum & appetituum, diſpoſitiſſima eſt ad hujus pacis fruitionem, ad hujus quietis, quæ cor intrinſece conſolatur & lætificat, poſſeſſionem. Audite invictiſſimum quemdam pugilem: *Factus eſt*, inquit, *in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* Qua via, quo medio hanc ſibi acquiſivit tanquillitatem? Auſcultate: *Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, bellum, illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Appetituum noſtrorum ſubjugatio ingenti nos beat divino lumine, animamque noſtram cœleſtibus locupletat illuſtrationibus: *Ubi quietus affectus*, inquit S. Ambroſius, *nullis diverſarum cupiditatum fluctibus exagitatur, nullis avaritiæ turbatur procellis, nullis quærendarum divitiarum igneſcit incendijs, ipſe eſt, qui ſpeculatur æterna & habitat in Sion, confringens omnia ſpiritualium inſtrumenta bellorum.* Egregie intentum promovet ſimilitudo illa, quam S. Chryſoſtomus, lætitiæ ſpiritualis gaudij in conſcientia quacumque infirma ſterilitatem atque inefficaciam probaturus, hiſce expreſſit verbis: *Quomodo ſalubria quidem corpora etiamſi pane ſolo alantur, firma quidem ſunt & luxuriant; morbida autem etiamſi lauta & varia fruantur menſa, ſunt imbecilliora; ita etiam ſolet evenire in anima: Qui ægro ſunt animo, ne in diademate quidem & honoribus, poſſunt bono & tranquillo corde eſſe; Philoſophi autem & in vinculis, & in catena, & in paupertate, pura fruuntur voluptate.*

Matth. 7. 14.
Diadochius de perfect. c. 93.
Appetituum refrænatio dura apparens cauſat cæleſtes conſolationes.
Pſ. 75. v. 3.
Ibid. v. 4.
S. Ambr. l. de Nabot. c. 4.
D. Chryſ. h. 28. ad Cor.
Similitudo.

4. Nemo dubitarit, quin manna, quo Deus per tot annorum curricula ſuum pavit recreavitque populum, ſpiritualium ſuavitatum, quibus Deus dilectos ſuos exhilarat, fuerit ſymbolum; aſt modum notate in collatione manna obſervatum; manna ſubſequebatur immediate rorem, qui eodem tempore ſurſum depluens, diſponebat terram, & veluti purum mundumque pani iſti Angelico præparabat thorum: *Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & man.* Docemur itaque in eo, quod conſolationes cæleſtes & ſuavitates ſpirituales puram, innocentem, ſanctique Spiritus rore plenam exigant conſcientiam. *Sancti Spiritus Domine corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fæcundet. Adſit nobis virtus Spiritus Sancti, quæ corda noſtra clementer expurgat.* Deinde non in Ægypto, ſed in deſerto dumtaxat manna ſubminiſtratum fuiſſe conſtat; unde Philo Hebræus ait: *Non ubique apparet, ſed ubi deſertum eſt.* Ita pariter experientia teſte, cæleſtes conſolationes in deſertis, id eſt, in ſolitudinis cultoribus abundant fœcundius. *Loquitur Deus ut amicus dulciſſimus*, inquit S. Bonaventura, *præbens ſolatium animæ quam conſolatur; ipſe enim dicit: Ducam eam in ſolitudinem & ibi loquar ad cor ejus. Quid eſt, animam in ſolitudinem ducere, niſi eam ab exterioribus omnibus & mundanis extrahere, eam ad ſeipſam reducere, ut divinam poſſit audire vocem dulciter alloquentem?* adducitque S. Auguſtini teſtimonium, qui ad Deum converſus, ait: *Introducis me Domine in ſolitudinem & dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me; ſi illa non eſt vita æterna, neſcio, quid aliud ſit vita beata.* Idem quoque Sanctus de ijs, qui ſolitudinem incolunt, tractans inquit: *Deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt.* Suaviſſimum hocce manna in reconditiſſimis eremi latebris S. deguſtabat Antonius, de quo S. Athanaſius aſtruit: *Illæſam animæ puritatem ſervabat.* Solitudo innocentiam atque immaculatæ promovet conſcientiæ puritatem; ideoque in ejuſdem Sancti lectionibus, in matutino dici ſolitis traditur: *Cæleſtis vitæ genus in terris colere inſtituit.*

Manna eſt ſymbolum interni ſolatij.
Num. 11. v. 9.
Phil. Hebr. l. 2. allegor.
S. Bonav. ſer. de SS. Ev.
S. Auguſt. l. 2. de morib. Eccl.
S. Athan. in vita S. Ant. c. 4.

5. Cibus iſte *Angelorum eſca* denominatur, quia ſpiritualium conſolationum dulcedo ad vitam & puritatem Angelicam, relationem dicit; ideoque Albert. Magn. hanc ſtatuit maximam: *Non dabatur manna niſi in deſerto, ubi aliud delectabile & reficiens ad eſum non erat; & ſic non ſentitur dulcedo gratiæ niſi ab his, qui ſe in deſertum corde transferunt, ut mundanas non ſentiant delectationes.* Neminem illa Apocalypſeos latet promiſſio: *Vincenti dabo manna abſconditum*; cui talis promittitur ſuavitas: *Vincenti paſſiones & vitia*, reſpondet Dionyſ. Carthuſ. *tentationes & cuncta adverſa.* Notate, inquit Hugo Card. dici, *Vincenti, non tantum pugnanti; quia non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit; legaliter certat, qui bene facere incboat, legalius qui proficit in virtutibus; ſed legitime qui perſeverat usque in finem; manna, id eſt, ſuavitatem dulcedinis internæ & æternæ.* Cujus etiam Sapiens meminiſſe videtur, dum ait: *Paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem*; moxque ad noſtrum ſubdit intentum: *Subſtantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat*; ex quibus ultimis verbis multi colligunt ſacri Interpretes, Deum ſuos ſolis filijs ſeu filialem ducentibus vitam, ſapores impertiri & ſuavitates; unde & alibi dicitur: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*; quibus? *quam abſcondiſti timentibus te.* Circa quæ verba Agellius hujusmodi format diſcurſum: *Prudenter non dixit, abſcondiſti à timentibus te; ſed abſcondiſti timentibus te; non enim à pijs & ſibi ſervientibus abſcondit; ſed illis eam in ſecreto quodam theſauro & quaſi promptuario ſervavit, ſuo tempore proferendam.*

Vincenti vitia dabitur ſuavitas.
Alb. Magn. de ſacr. Euc. diſt. 5. tr. 1. c. 1.
Apoc. 2. v. 17.
Dion. Carth. ibid.
Hug. Card. ib.
2. Timoth. 2. v. 5.
Sap. 16. v. 20.
Ibid. v. 21.
Pſ. 30. v. 20.

6. Manna, quemadmodum Dion. Carth. diſcurrit, omnes guſtus & ſapores naturaliter non continebat; alias namque cuncti indifferenter, tam boni quam mali eoſdem percepiſſent: cum tamen multi tædio affecti murmurarint: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo; videbatur manna iniquis inſipidum*, ſcribit ille, *juſtis & Deo gratis ſapiebat, quaſi omnium habens ſaporum ſuavitatem.* S. Gregor. ait: *In ore ſpiritualium, juxta voluntatem edentium, ſaporem dedit*, quam pariter obſervationem fecit S. Bonavent. inquiens: *Si habebat ſaporem à quolibet deſideratum, ergo non deſideraſſent carnes Ægypti, nec nauſeaſſet anima eorum ſuper cibo iſto leviſſimo*; aſt ipſemet juxta Gloſſ. ſenſum à nobis jam inſinuatum reſpondit: *Boni ſaporem optimum ibi inveniebant, ſed mali faſtidiebant.* Quorum ſtomachus farina Ægyptiaca plenus erat, qui cucumeres, qui carnes mente recolebant, nullam in eo dulcedinem, quin potius amaritudinem experiebantur; cui propoſito ille in primis ſuffragatur S. Aug. diſcurſus, quem in Pſalmi hujus [*quam magna multitudo dulcedinis tuæ*] commentario format, inquiens: *Hic homo impius ſi dicat; ubi eſt iſta multitudo dulcedinis? reſpondebo: Quomodo tibi oſtendam multitudinem hujus dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis perdidiſti? Mel ſi non noſſes, quam bene ſaperet, non clamares, niſi guſtaſſes, Palatum cordis non habes ad hæc bona guſtanda; quid tibi faciam: Quomodo oſtendam? Non eſt, cui dicam; guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Aliquorum ſtomachi pituita & malis abundant humoribus, quos cibus non tam ſubſtantialiter nutrit, quin potius magis magisque aggravat; ita & in animabus impuris, in conſcientijs maculatis tantum abeſt, ut ſpiritualium conſolationum manna aliquem delectabilem cauſet ſaporem, quin potius faſtidium, ut tandem cum malevolis Hebræis dicant: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto*, quia *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus.* Cui illud, de nuptijs in Cana Galilææ tractantis, S. Bernardi conſonat dogma: *Bonum vinum non ex uva Gomorrhæ conficitur, ſed ex aqua Judææ.*

D. Carth. in c. 16. Sap. n. 21. 5.
Vitioſis cæleſte non ſapit manna.
S. Greg. cit. à Gloſſ.
S. Bonav. in ſap.
Pſ. 30. v. 20.
S. Auguſt. ib.
S. Bern. ſer. 1. de Ver. Apoſt.

7. Pſalmiſta certum veram hanc conſolationem acquirendi modum nos edocturus, nos in gemitu ſeminare jubet: *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione*

Filialiter Deū amantes conſolationes guſtant.

Pſ. 125. v. 5. Alb. Magn. ib. Prov. 11. v. 18. Gal. 6. v. 8.

metent. *Homo juſtus*, inquit Alb. Magn. *opera miſericordiæ & juſtitiæ ſeminat*; felix, ſi talis fueris, quoniam *ſeminanti bonum merces fidelis*. Aſt, proſequitur auctor, *homo malus opera carnis ſeminat*. Quæ autem huic ſementi ſuccedet meſſis? audite Apoſtolum: *Qui ſeminat in carne ſua de carne & metet corruptionem*. Dion. Carthuſ. illa explicans verba *abſcondiſti timentibus te*, diſtinguit inter timorem ſervilem & filialem, juxtaque hanc diſtinctionem, his verbis mentem explanat Davidis: *Dupliciter poteſt explicari hic locus, primo ſic: Quam dulcedinis tuæ multitudinem abſcondiſti; id eſt, occultaſti, ignotam feciſti & inexpertam timentibus te timore ſervili; tales enim neque digni ſunt, neque capaces deguſtationis dulcedinis divinæ; quoniam operantur bona, non amore boni, ſed horrore ſupplicij. Secundo ſic; quam abſcondiſti, id eſt, occulte oſtendiſti, & per guſtum internum in cordis abſcondito declaraſti timentibus te timore filiali; hi enim quoniam omnem inordinatam lætitiam, omnem corporalem delectationem, omnemque ſuperfluam conſolationem contemnunt & ſemper ſoliciti ſunt, ne Deum, quem filialiter ſuper omnia diligunt aliquo modo offendant, propterea experiri merentur, quanta ſit multitudo dulcedinis Dei*. S. Thom. eorumdem verborum *abſcondiſti timentibus*? explanationi intentus, *quaſi dicat*, inquit, *in abſcondito repoſuiſti propter eos. Et quare? quia illa dulcedo non eſt in ſenſibilibus bonis quæ manifeſta ſunt nobis, ſed eſt in inviſibilibus*; juxta illud: *Vincenti dabo manna abſconditum*. Et: *Nec oculus vidit; nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit &c.*

S. Thom. ib. Apoc. 2. 17. 1. Cor. 2. v. 9.

Non luxui deditis. Pſ. 72. v. 1. Card. Bell. Sen. ep. 59.

8. Pſalmiſta divinæ bonitatis pelago immerſus, quadam vice exclamavit: *Quam bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde*. Circa quæ verba Card. Bellarmin. ait: *Deus ſuavis eſt rectis corde & timentibus eum, aſper autem & terribilis diſtortis corde & contemnentibus eum*. Seneca poſtquam docuiſſet lætitiam puræ conſcientiæ effectum eſſe: *Gaudium non naſcitur niſi ex virtutum conſcientia, non poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus, niſi temperans*, hanc immediate ſubnectit interrogationem: *Quid ergo iniquis? Stulti ac mali non gaudent?* Reſpondeo: *Non magis quam prædam nacti leones. Cum fatigaverunt ſe vino & libidinibus, cum illos nox inter vina defecit, cum voluptates anguſto corpori, ultra quam capiebat, ingeſtæ ſuppurare cœperunt, tunc exclamant miſeri Virgilianum illum verſum:*

*Namque ut ſupremam falſa inter gaudia noctem.*
*egerimus noſti.*

*Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidem tamquam ſupremam agunt. Illud gaudium; quod Deo Deorumque æmulos ſequitur, non interrumpitur, non deſinit; deſineret, ſi ſumptum eſſet aliunde.*

Prov. 25. v. 20. Cajetan. ib. Conſcientia mala conſolationis incapax.

9. *Acetum in nitro*, inquit Sapiens, *qui cantat carmina cordi peſſimo*. Hanc porro ſimilitudinem eo vergere autumat Cajetan. ut diſcamus ex ea mundialium lætitiarum in exhilarandis pacandisque reis cordibus impotentiam: *Quia quemadmodum pannis lineis ablutis ſapone ſeu ablutionis nitroſæ aut ſaponariæ ſuper infuſum acetum adverſatur, (utpote maculas ingerens, ut expertus ſum nuper in ſapone lotis) ita moleſtus eſt cordi afflicto cantans cantica*. Conſcientia læſa nullius capax eſt conſolationis, præſertim Spiritualis, quia *quæ ſocietas luci ad tenebras?* Simulat equidem Coſmophilus gaudium, aſt teſte ſapiente: *Riſus dolore miſcebitur*. Chaldæus legit: *Etiam in riſu dolet cor. Quamvis quandoque exterior adſit riſus*, inquit Cajetan. *intus tamen cor dolet, diſſimulans lætitiam riſu.*

2. Cor. 6. v. 15. Prov. 14. v. 13. Cajet. ib.

Peccator amittit conſolatorem Deum. Thr. 1. v. 8. Ibid. v. 9.

10. In amaros quondam planctus reſolutus Jeremias, flebilibus exclamavit vocibus: *Peccatum peccavit Jeruſalem*, quid inde? *non habens conſolatorem, longe factus eſt à me conſolator*. O ſaxea præcordia? ergone in tanti populi abundantia nullus anguſtiatam hanc conſolabitur animam? nullus omnino, quoniam anima Deo inimica nullius conſolationis veræ beneficio gaudere poteſt. *Longe factus eſt à me conſolator*, inquit Paſchaſius Sanctus, *quia conſolatorem amiſit Spiritum Sanctum.*

S. Paſchaſ. ibid.

## DISCURSUS XV.
## ARGUMENTUM.

Deliciæ mundanæ contrariantur obſtantque divinis.

### THEMA.

*Renuit conſolari anima mea. Memor fui Dei & delectatus ſum.* Pſal. 76. v. 3. & 4.

Conſolatio David in Divinis.

1. PRimo equidem intuitu hæc Davidis verba contradictionem continere videntur; dicit namque, Cor ſuum omnem excluſiſſe conſolationem: *Renuit conſolari anima mea*, & nihilominus eodem quoque tempore jubilum induiſſe aſtruit: *Delectatus ſum*. Quæ hæc terminorum connexio, quæ compoſſibilitas? nodum difficultatis ſubtiliter ſolvit S. Thomas de Villa Nova, inquiens: *Quam mirifice, quam pulchre, omnium ſpiritualium vitam; mores, officium & ſtatum in ſemetipſo expreſſit? Renuit in ſenſibilibus conſolari, qui delicijs ſpiritualibus abundabat; non in creaturæ uſu, ſed in Dei memoria, omnis conſolatio ejus*. David fallaces exterminarat mundi conſolationes & voluptates, ut tanto abundantius ſe locupletaret cœleſtibus. Accommode Rup. Abb. interrogat; ſi Spiritus Sanctus verorum in animabus gaudiorum fons eſt & origo [*fructus autem ſpiritus gaudium*] *illic ſpirare vult & illic ſpirat aſpiratione illa mirabili, ubi non eſt conſolatio præſentis ſæculi, ubi eſt, qui dicat: renuit conſolari anima mea*. Accurate advertit S. Bernardus, quod juxta Evangeliorum hiſtoriam, Angeli viſibiliter Chriſto apparuiſſe non deſcribantur, niſi poſt victoriam à lucifero reportatam in deſerto; unde hoc ad utilitatem noſtram eruit dogma: *Et tu ergo ſi vis habere miniſterium Angelorum, fuge conſolationes ſæculi; renuat conſolari anima tua in alijs, ſi vis in Dei memoria delectari.*

S. Thom. de Villa nova ſer de S. Dor. Rup. Abbas de gl. Trin. l. 2. c. 12. S. Bern. ſer. 4. ſup. Pſal. Qui habitat.

Mundani febricitantes Dei guſtum non habent.

2. *Renuit conſolari anima mea*. q. d. Nolim ego ſtomachum meum farina aggravare Ægyptiaca aut fructibus terræ Canaan, idque eo fine, ut ſuavitatem & conſolationum ſpiritualium manna merear deguſtare. Jeremias in lamentationibus ſuis quamdam nobis animam ſubſequentibus expreſſit delineamentis: *Sordes ejus in pedibus ejus … depoſita eſt vehementer non habens conſolatorem*. Quæ tantæ deſolationis origo? ecce vobis: *Sordes ejus in pedibus ejus*. Bonorum temporalium contractus, terræ mundique gaudia tantum creatunt mærorem. Si de veritate ambigitis, Rupertum audite Abbatem, dicentem: *Depoſita eſt vehementer, amando terram & oblivioni tradendo altitudinem cœli; non habens conſolatorem, imò non quærens, nec præ oculis habens virum, qui in cœlis eſt, conſolatorem, dum vanam in terris quærit conſolationem*. Minime prætereunda videtur in præſenti, illa S. Thomæ, citatum ſæpius S. Petri textum [*ſi tamen guſtaſtis: quam dulcis eſt Dominus*] interpretantis ſententia: *Dulcis eſt Dominus palato ſano quamvis amarus videatur palato febricitanti*. Stomachus febricitans malis redundat humoribus, unde S. Ambroſius ad ſpiritualem digreſſus intelligentiam, ait: *Nec minorem febrim eſſe dixerim amoris, quam caloris; itaque illa animum, hæc corpus inflammat, febris noſtra, avaritia eſt; febris noſtra, libido eſt; febris noſtra, luxuria eſt; febris noſtra, ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt*. Nullus horum febricitantium aliquem in Deo guſtum habere poteſt aut conſolationem.

Thr. 1. v. 9. Rup. Abb. l. 1. c. 21. in Jerem.

3. *Renuit &c.* quid miramini, quid obſtupeſcitis S. inquit Bernardus, generoſam reſolutionem? hæc animæ noſtræ conſtitutio, ut alterutram reſpuat mundi aut Chriſti reſpuat conſolationem, non compatiatur utramque ſimul: *Quomodo poteſt eſurire aut ſitire Chriſtum, plenus quotidie ſiliquis porcorum? Non potes bibere ſimul calicem Chriſti & calicem dæmoniorum*. Deſijt pluere manna, ut primum Hebræi ventres ſuos terræ promiſſæ fructibus impleverunt: *Defecitque manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ*. Senſuum, mundi, aliorumque omnium ſublunarium bonorum illecebræ, jucunditates & conſolationes delicatam exterminant ſpiritus ſuavitatem. Si meo diffiditis verbo, ei cavete fidem non præſtare, qui totus à terrenis ſequeſtratus, in cœleſtium dulcedinum exuberantia deliciabatur inter vivos S. Bernardus, inquiens: *Errat omnino, ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balſamum huic veneno, chariſmata illa ſpiritus miſceri poſſe hujuſmodi illecebris arbitratur*. Rupert. Abb. illam Chriſti ad Apoſtolos factam diſcutit promiſſionem: *Ego rogabo patrem & alium Paraclitum dabit vobis: ut maneat vobiſcum in æternum*. Quare, inquit, alium diſcipulis Salvator promiſit conſolatorem? reſpondetque: *Alium paraclitum dixit, videlicet idcirco; quia duo ſunt paracliti multum diſſimiles, imo & oppoſiti; hinc ſpiritus Dei, illinc ſpiritus hujus mundi; unde & cum dixiſſet; & alium Paraclitum dabit vobis, ſubjunxit: Quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum, videlicet ſua paracleſi conſolatum & incraſſatum habens cor ſuum*. Deinde paulo poſt duos proponit conſolatores, omnino contrarios; videlicet

S. Bern. p. 2. ad Fulcon. Deus & mundus contrariantur. Joſ. 5. v. 12. S. Bern ſer. 6. de Aſcenſ. Rub. Abb. l. 2. c. 12. de gl. Trin.



mundum & Deum: *Alium ſpiritum hujus mundi; qui conſolatur filios ſæculi in delicijs tranſitorijs; alium ſpiritum Dei, in quo ſolo conſolationem habent filij Dei.*

Phil. 4. v. 4. Contrariorum gaudia. S. Anſelm. ib.

4. Verum conſtansque eſt gaudium, cui Philippenſium corda immergere geſtiebat Apoſtolus, cum diceret: *Gaudete in Domino, iterum dico; gaudete. Id eſt*, *cor veſtrum exhilarate*, inquit S. Anſelmus, *& omne bonum, unde gaudendum eſt ſtatuite vobis in Domino non extra, gaudete, non in ſæculo, ſed in Domino; ſicut enim nemo poteſt duobus Dominis ſervire, ſic nemo poteſt, & in Domino & in ſæculo gaudere, contraria enim ſunt hæc duo gaudia, nam ſæculi gaudium eſt impunita nequitia*. Gloſſ. Interlin. inquit: *Gaudete in Domino, non in ſæculo, in quo gaudent, qui de impunitate nequitiarum lætantur*. Tremant & contremiſcant, qui hic ſuas ſectantur ſatisfactiones & conſolationes: *Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram; væ vobis, qui ridetis nunc*. Et merito *væ*, quoniam teſte Hugone, juxta S. Bernardi ſententiam: *delicata eſt divina conſolatio, nec conceditur admittentibus alienam*. Porro ipſe Hugo conſolationem mundanam in tribus fundari conſiderat, ſcilicet in divitijs, voluptatibus & honoribus; aſt hi ipſi tres erant moleſtiſſimi conſolatores Job: *Iſti ſunt tres conſolatores Job, de quibus dicit: Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis, quia onerant conſolatum onere graviſſimo, ſcilicet deſolatione æterna.*

Gl. Interl. Væ mundanis. Luc. 6. v. 24. Ibid. v. 25. Hug. Card. ib. Job. 16. v. 2.

Mundana & carnalia obſtant Divinis. Joan. 16. v. 7.

5. Sciens Chriſtus diſcipulos ſuos nimio ſacratiſſimæ humanitatis ejus amore ineſcatos, ad eoſdem converſus; ait: *Expedit vobis ut ego vadam, ſi enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos*; ſuum aſtruit in cœlos neceſſarium aſcenſum, ut Sanctus ad eos Spiritus ablegetur. Quale obſecro ſanctiſſimi illius Spiritus receptioni impedimentum afferre poterat corporalis incarnatæ majeſtatis præſentia? *Itane inviſa Paraclito præſentia Chriſti*, quærit S. Bernardus, *aut contubernium dominicæ carnis Spiritus Sanctus horrebat; quæ, ſicut Angelo pronunciante cognovimus, nec concipi quidem niſi à ſuperveniente potuerit? quid eſt ergo, niſi ego abiero, Paraclitus non veniet; niſi carnis præſentia veſtris ſubtrahatur aſpectibus, ſpiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit?* Ex quibus præmiſſis conſiderabilem admodum, ut quantum mundana gaudia divinis afferunt obſtaculum, edoceamur, hanc eruit Sanctus conſequentiam. *Qui huic ſterquilinio ſemper inhæret, qui carnem fovet, in carne ſeminat; carnem ſapit, quomodo audeat, illam nihilominus conſolationem ſupernæ viſitationis, illam ſperare gratiam ſpiritus vehementis, quam, ut veritas ipſa teſtatur, ne cum ipſa quidem Verbi carne percipere ullatenus Apoſtoli potuerunt?*

S. Bern. ſer. 6. de Aſcenſ.

Levit. 2. 11. Incompatibilitas monſtratur. S. Euch. ib.

6. Cur creditis factum, quod lex antiqua mel liquorem ſuaviſſimum à ſacrificijs amoverit? *Nec quidquam mellis adolebitur in ſacrificio Domino*. S. Eucher. noſtro ſubſerviens propoſito, ſequentem aſſignat rationem: *Quia reſoluti blandimentis deliciarum aut dulcedine voluptatum, non poſſunt myſteriorum Dei eſſe participes*. Quemadmodum incompatibiles ſunt aqua & ignis, ita gaudia terreſtria & ſpiritualia in corde humano. *Quomodo ignis & aqua ſimul eſſe non poſſunt*, verba ſunt S. Bernardi, *ſic ſpirituales & cardinales deliciæ in eodem ſe non patiuntur*. Iſaac lætitiæ extitit ſymbolum, dicente matre dum pareret: *Riſum fecit mihi Deus*; huic filio in lucem edito ſolemne Abraham apparavit convivium: *Fecit Abraham grande convivium*. Aſt quo fine? ut ablactaretur infans: *In die ablactationis ejus*; quando erat à maternis uberibus amovendus, quando duro cœpit veſci pane: *Omnia in figura contingebant illis*. Voluit namque hoc in facto nos edocere Deus, tunc animam noſtram ſpiritualibus abundè nutriendam conſolationibus, quando à ſenſuum lenocinijs & fallacijs ſequeſtrata fuerit, ubi amore Dei didicerit ſe mortificare. Auctor quidam cognomento Iſaac de mundi contemptu tractans, *ejus panis*, inquit, *poſt ablactationem datur infanti, & homo vult in divinis delectari, prius debet à ſæculo, velut infans uberibus maternis alienari*. S. Auguſtinus totalem ad Deum converſionem meditans, hac unica ſæcularium voluptatum; à quibus vix ſe avellendum credebat, remora præpediebatur, aſt Deus animam illius tam abundanti cœleſtium conſolationum rore humectavit, ut poſtmodum confeſſus fuerit: *Quas omittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim eas à me vera tu & ſumma ſuavitas, ejiciebas & intrabas pro eis, omni ſuavitate dulcior*. Primo neceſſum eſt vaſa deſtitui vino nuptiarum, ut poſtea adimpleantur miraculoſo. *Ubi crapulam ructantis*, inquit S. Bernardus, *inter pocula ſenſerit Chriſtus, vina ſua, dulciora ſuper mel & favum, menti propinare non dignatur*. Vel unica profani mundanique gaudij ſtilla ſufficit ad univerſam turpandam ſpiritualem & divinam lætitiam; ideoque B. Laurentius Juſtinianus inquit: *Numquam conſolationem quis poterit, ut decet, ſentire divinam, dum quantulacumque rei fuerit amore detentus*. Cui aſſerto illa omnimode conſonat Sancti Bernardi ſententia: *Certe quamdiu poſſum ex aliena quacumque re conſolationem vel jucunditatem concipere, nondum audeo dicere*: Notate verbum *quacumque re*; vel unica namque atramenti ſtilla limpidiſſimam offuſcat aquam, vitro incluſam. *Vere omnino digniſſimum eſt* verba ſunt Carthuſiani, *ut, qui hanc divinæ bonitatis dulcedinem guſtare deſiderat, omnem indignam & vilem ac tranſitoriam delectationem abhorreat; cum omni mentis cuſtodia, reverentia ac charitate, Deo miniſtret*. Ideoque S. Auguſt. Deo in hæc humillime verba ſupplicabat: *Juſtum eſt, ut amittat te quicumque in aliquo alio magis quam in te conſolari eligit; & obſecro ſumma veritas te per te, non permittas me in aliqua conſolatione vana conſolari quam in te; ſed peto, ut omnia mihi amareſcant, ut tu ſolus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæſtimabilis.*

S. Bern. ep. 2. ad Fulcon. Gen. 21. v. 6. Ibid. v. 8. Iſaac preſb. de contemp. mund. S. Augu. l. 9. conf. c. 1. S. Bern. loco cit. D. Carth. in Pſ. 33. v. 9.

7. S. Bonav. vilitatem deliciarum conſolationumque mundialium edocturus, illam dogmatibus ſuis intexit S. Bonav. ſententiam; *Vilis eſt & ad nihilum utilis mundi conſolatio; & quod magis eſt metuendum, etiam veræ & ſalubris conſolationis eſt impedimentum*. Porro hic idem mellifluus Doctor ſuperius citata Salvatoris verba: *Expedit vobis, ut ego vadam, ſi enim non abiero &c.* contemplans profundius, tale format argumentum: *Si enim adhuc Apoſtoli carni dominicæ adhærentes, quæ ſola ſancta; quia Sancti ſanctorum erat, Spiritu ſancto repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis: Tu carne tuæ, quæ ſordidiſſima eſt & diverſarum ſpurcitiarum phantaſijs repleta aſtrictus & conglutinatus; illum meraciſſimum ſpiritum te putas poſſe ſuſpicere, niſi carneis iſtis conſolationibus funditus renunciare tentaveris?* Non abs re fuerit amoroſos hoc loco recenſere S. Aug. ad Deum converſi affectus: *Tu conſolatio ſempiterna*, ait, *qui ſolis illis te tribuis, qui conſolationem hujus mundi pro tua perpetua conſolatione contemnunt. Nam qui hic conſolantur, indigni tua conſolatione habentur; ſed qui hic cruciantur, à te conſolantur, & qui participant paſſionibus, participant & conſolationibus*: De quo ultimo hominum genere Pſalmiſta loquitur, dum ait: *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus*; circa quæ verba Hugo Cardin. inquit: *Pauperi videlicet, qui hic ſitit & eſurit, & expectat illas nuptias, non diviti, qui hic ſe inebriat de calice Babylonis.*

S. Bonav. t. 6. Phar. c. 19. Mundi conſolatio vilis. Joan. 16. v. 7. S. Bern. ſer. 4. Vig. nat. S. Bern. ſer. 3. de Aſc. Carnalia impediunt ſpiritualia. S. Aug. ibid. NB. Pſ. 67. v. 11.

Quo vita pauperior eo conſolatio major.

8. In deſerto dumtaxat, & non in Ægypto, manna conſecuti ſunt Iſraëlitæ; forſitan quia *ſedebant ſuper ollas carnium* in Ægypto, quæ mundi ſymbolum eſt; ſicuti ſterile deſertum animam denotat à mundi lenocinijs ſequeſtratam; hujuſmodi igitur à terrenis gaudijs remotæ atque alienæ animæ, cœleſtium participant conſolationum manna; ad quod intentum Seneca inquit: *Tunc beatum eſſe te judica, ſi tibi ex te omne gaudium naſcetur, cum in his, quæ homines eripiunt, optant, cuſtodiunt, nihil inveneris, non dico quod malis, ſed quod velis*. Hugo Card. citata Chriſti examinans verba (*væ vobis divitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram*) inquit: *Illi ergo præcipue guſtare debent & videre, quoniam ſuavis eſt Dominus, quibus illa dulcedo præparatur, ſcilicet pauperes, qui hic nihil habent, in quo poſſint delectari*. Notatu digniſſimum occurrit, quod de cæcis gentilibus in hæc verba ſcriptum reliquit Plutarchus: *Aurum, in certa templa qui penetrant, relinquunt foris*; docentes veluti, favores cæleſtes non per abundantiam ſed potius penuriam comparari bonorum terreſtrium; verumtamen ne à gentiliſmo veritatem emendicaſſe videar, vos ad ſanctorum hiſtorias ablego; quæ vos certo certius edocebunt, eos, qui pauperiorem præ reliquis magiſque ſequeſtratam duxere vitam, maximis ſpiritualibus conſolationibus & ſuavitatibus repletos fuiſſe.

Sen. ep. 124. Luc. 6. v. 24. Hug. Card. in Pſ. 33. v. 9. Plut. in præc. polit.

Pſ. 146. v. 3. Naturale.

9. Singularem David obſtupeſcens Dei in alendis corvis providentiam, *dat eſcam*, inquit, *pullis corvorum invocantibus eum*. Cur potius, inquiro ego, *pullis corvorum*, quam *corvis*? Cur Deus teneris corvorum fœtibus, in nido hærentibus, potius providere dicitur, quam ipſis ſenioribus corvis? Notate corvorum proprietatem; recentes corvini fœtus in tenera ætate plumas induunt albas quod videntes genitores, eos reputant adulterinos & derelinquunt. Deficiente

Caſſiod. ib.

Morale.

ciente itaque neceſſario pabulo, in clamores & crocitationes ſe effundunt tenelli, ita quodammodo auctore naturæ ſe commendantes, qui eos rore paſcit, *quia adhuc paternas eſcas*, ut inquit Caſſ. *id eſt, fætores cadaverum, beneficio ætatis ignorant.* Tamdiu rorifero alimento reficiuntur; quamdiu innocentia atque ætatis teneritudo cadaverum & fætentium carnium eſum recuſat. Idem mihi de benigniſſima Dei noſtri liberalitate aſtruendum videtur, ſcilicet quod cœleſtis roris abundantia eas reficiat animas, quæ à delicijs & voluptatibus ſenſualibus remotiores degunt in innocentia. Infallibile ſignum, utrum anima palatum infectum circumferat, ſaporeſque ſpirituales diſcernere nequeat, ab intenſione vel remiſſione amoris, quo mundi illecebras proſequitur, deſumendum eſt. *Cui Chriſtus incipit dulceſcere*, inquit S. Bernardus, *profectò neceſſe eſt amareſcere mundum.*

S. Bern. ſer. de ver. ſapient.

Delicijs Divinis deſtituti ſectantur mundana.

10. Adam non niſi poſt ſuam è Paradiſo terreſtri ejectionem, ſuam cognovit uxorem, quia nimirum tunc mundi ſectamur illecebras, quando deſtituti ſumus divinis, unde Hugo Cardinalis ait: *In Paradiſo continuerant, egreſſi ſtatim ad carnales delicias tranſierunt; deficiente enim ſpirituali ſolatio, curritur ad temporale;* in cujus confirmationem, illum ſubnectit cum Gloſſa textum. *Unde cum diceret Sauli Samuël; abjecit te Dominus, ſtatim Saul dixit: Honora me coram populo; quaſi diceret: Ex quo amiſi ſolatium Domini, curram ad ſolatium mundi.* Econtra verò dum quis cœleſtes deguſtat dulcedines, qualeſcumque mundi, larga ſibi manu oblatas, faſtidit delicias; dicente eodem Eminentiſſimo: *Hæc eſt illa dulcedo, cujus fructus ſunt ſuaviſſimi, quam ficus non poteſt dimittere ut regnet inter ligna. Ficus eſt religioſus, qui guſtata dulcedine Spiritus Sancti, nullatenus vult eam dimittere pro prælationibus vel dignitatibus terrenis.* Idem quoque ad caput 14. ejuſdem libri, ubi Samſon favum mellis in via manducaſſe deſcribitur, alludens, ſequentibus nos exhortatur verbis: *Surgamus fratres cum labijs exultationis, quæ ſunt duo, ſcilicet contemptus gaudiorum præſentium, & certa ſpes futurorum, & cum lingua ſancti deſiderij mel de petra, & favum mellis de leonis cadavere ſumentes in manibus, comedamus in via.*

Gen. 4. v. 1. Hug. Card. ib. 1. Reg. 19. v. 23. Hug. Card. de S. Charo in Apoc. 2. v. 17. Judic. 9. v. 11. Judic. 14. v. 9.

Una omnium origo ſed vita diverſa.

11. Hucuſque dicta de cœleſtium terrenarumque conſolationum incompatibilitate facillimum fuerit ſtabilire, ſi utrarumque qualitatem conſideraverimus penitius. Familiare erat S. Philippi Nerij axioma, tantum nos Creatori demere, quantum creaturis tribuimus amorem. S. Thomas de Villa Nova advertit, aves piſceſque ijsdem gaudere elementi ſalſi natalibus, quemadmodum cantamus: *Ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim levas in aëra.* Ita pariter, inquit hic Sanctus, una eademque omnium noſtrûm eſt origo, aſt vita maximè diverſa: *Quidam ſuam naturalem inclinationem ſectantes, quæ ad malum prona eſt ab adoleſcentia ſua, in ſæculo vagantes, delicias carnis ſequuntur velut piſces maris; qui perambulant ſemitas maris. Alij autem ſupra ſuam conditionem volantes, ad cæleſtia & æterna rapiuntur.* Primi vitæ hujus delicijs, ſenſuum carniſque voluptatibus contenti, floccifaciunt conſolationes ſpirituales, imò & harum incapaces exiſtunt.

S. Thom. de Villa nova ſer. de S. Doroth.

12. Hugo Cardinalis illa Salvatoris verba [*Væ vobis, qui nunc ridetis*] interptetans, eorum Gloſſam noſtro accommodat propoſito, inquiens: *Meritò illis væ, qui rident de ſua ſuſpenſione, de maris ſubmerſione & de propria illuſione; omnis enim purpura, omne ſceptrum, omnis corona illuſio eſt & ludibrium, poſtquam in his Domino Jeſu fuit illuſum.* Sed prò dolor, mundanarum non capitur deliciarum pernicies, quia vitiatum circumferimus palatum, ideoque ſpirituales nobis non ſapiunt dulcedines. *Omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obſtupeſcent dentes ejus.* Veritatem proverbij ipſamet convincit experientia, aſt morale ex eo percipere optarem myſterium. Advertite: Uvæ acritudo dentibus ſolidiores cibos maſticandi aufert virtutem; voluit igitur nos edocere Propheta, quod uva, id eſt, voluptas; ante tempus, id eſt, in mundo præſenti participata, in hac lachrymarum valle comeſta, dentes vitiet, id eſt, conſolationibus ſpiritualibus deguſtandis, quas Deus ſervis ſuis in hac etiam præſenti veluti æternorum gaudiorum pignus confert, inhabiles conſtituat; id quod S. Hieronymus inſinuare voluiſſe videtur, dum ait: *Peccata ſunt uva acerba, qua dentes filiorum obſtupeſcunt; ut non poſſint ſuavitatem ejus ſentire, de quo dicitur: Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.*

Luc. 6. v. 24. Hug. Card. ib.

Terreno palatui cæleſtia non ſapiunt.

Jerem. 31. v. 30.

S. Hieron. ib.

13. Miraculoſum nuptiarum vinum, gaudiorum ſpiritualium ſymbolum, Chriſtus primo omnium ab architriclino probari voluit: *Ferte architriclino.* Præceptum hoc, myſterio caruiſſe arbitramini? nequaquam, S. reſpondet Chryſoſtomus; quia *propter ſuam ſobrietatem aptior erat alijs ad judicandum de valore vini;* ideoque Chriſtus voluit, *non convivas de miraculo tuliſſe ſententiam, ſed architriclinum, quia ſobrius nihil adhuc guſtaverat.* Qui in mundi hujus menſa, omnium vivunt temperantiſſimi, maximeque ſobrij, hi ipſi ad verarum conſolationum ſapores diſcernendos ſunt aptiſſimi.

Soli à terrenis ſobrij cæleſtia guſtant.

Joan. 2. v. 8. D. Chryſ. h. 21. in Joan.

# DISCURSUS XVI.

## ARGUMENTUM.

Vitæ pœnitentis rigor & auſteritas ſpirituales generat multiplicatque dulcedines, licet exterior oculus diverſum judicet.

## THEMA.

*Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Pſal. 29. v. 12.

1. Sacci laceri & cilicia auguſtum Iſraëlitarum Regem, ſolatio jubiloque replent in pœnitentiæ oceano: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Cilicia pilis contexuntur caprinis, pungentibus, aſperis, inimicis, & nihilominus hujuſmodi in delicias convertit Deus: *Circumdediſti me lætitia.* Caſſiodorus ab Albert. Magn. citatus, in præſenti modum & finem, ob quem ſacci intexuntur, contemplans, ait: *Saccus eſt res textrina, groſſiſſima atque aſperrima, in humanos ſcilicet uſus laboreſque deputata.* Qui frequentioribus exhauriuntur laboribus, qui in Dei vinea deſudant uberius, quos mundus maximè deſpicit & aſpernatur, ſingulariſſimas in ſe experiuntur conſolationes Dei. *Solviſti ſaccum meum*, inquit *Cajetanus, ecce ſimilitudo ad veſtitos ſacco, ut olim exiſtentes in luctu ſe induebant: Et cinxiſti me lætitia; contra ſaccum ponitur cingulum lætitiæ.* Dionyſius Carthuſianus textum hunc noſtri applicat macerationi corporis, quod dum nos caſtigamus, cœleſtibus Deus reſtaurat conſolationibus. *Conſcidiſti ſaccum meum, id eſt, laboribus pænitentiæ, ſcilicet abſtinentia, vigilijs, diſciplinis maceraſti & afflixiſti corpus meum, & circumdediſti me lætitia, id eſt, ſpirituali exultatione repleſti animam meam poſt prædictos labores. Qui enim ſeipſos in labore pænitentiali dignè affligunt, omni conſolatione divina refrigerari idonei fiunt*, juxta illud Apoſtolicum aſſertum: *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur eſſe non gaudij, ſed mæroris; poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam, reddit juſtitiæ.* Non nego equidem, jejuniorum, vigiliarum, diſciplinarum ciliciorum acerbitates corpori inimicas eſſe: aſt, quemadmodum Lyranus in illorum verborum (*quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*) commentario advertit: *Quamvis in his, quæ ad carnem pertinent, patiamur afflictionem; tamen per ſpiritum, majorem conſequimur mentis conſolationem.* Quæ eadem verba Hugo Cardinalis ſequenti illuſtrat Gloſſa, inquiens: *Lætitia ſempiterna in corde eorum verſatur, quorum Spiritus Sanctus habitator eſt.* An non de Cæcilia Eccleſiaſticæ tradunt paginæ: *Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat, expanſis manibus orabat, non diebus neque noctibus vacabat à colloquijs divinis & oratione.* Quem porro fructum corporales illæ conciliarunt auſteritates? *Cantantibus organis, Cæcilia in corde ſuo, ſoli Domino decantabat.* Cor ejus præ conſolationum divinarum abundantia tripudiabat. Præcurſorem Chriſti S. Matth. nobis in hiſpido pungentique depinxit habitu, dum ait: *Ipſe autem Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, eſca ejus erat locuſtæ & mel ſilveſtre.* Quo effectu? *prævenit eum in benedictionibus dulcedinis* Dominus; his innocentiſſimi corporis ſui rigoribus invictiſſimus athleta cœlorum ſibi regnum comparavit & appropriavit, ut incarnata ſapientia dicere non dubitarit: *A diebus Joannis Baptiſtæ, regnum cælorum vim patitur.* q. d. Ex quo incomparabilis Joannis Baptiſtæ in pœnitentijs violentia cœleſte regnum meis mihi manibus quodammodo extorſit, eique dominari cœpit, non niſi per ſimiles vitæ rigores à quoquam obtineri poteſt, quod Joannes jam ſibi incorporavit, ut meritò dixerim: *Regnum Dei intra* Joannem eſt.

Carnis maceratio cæleſtem confert dulcedinem.

S. Caſſiod. lib. Teſtes ſunt David. Cajet. Dion. Carth. Hebr. 12. v. 11. 2. Cor. 12. v. 10. Lyranus. ib. Cæcilia. Hug. Card. Præcurſor. Matth. 3. v. 4. Matth. 11. v. 12.

2. S. Ber-



2. S. Bernardus remunerationem edocturus, quam in præſenti etiam vita vigiliæ, jejunia & voluntariæ corporum noſtrorum caſtigationes conſequuntur, ad cruces, quæ in Eccleſiarum conſecrationibus chriſmate conſperguntur, ſe convertit, in ijsdem mortificationes venerans & vitæ pœnitentis rigores, quos lætitiæ ſpiritualis unctio demulcet. *Unde neceſſè eſt*, inquit, *ut unctio ſpiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem noſtram obſervantiarum & multimodæ pænitentiæ cruces devotionis ſuæ gratia liniens; quia nec ſine cruce ſequi Chriſtum, & ſine unctione crucis aſperitatem ferre quis poſſet.* Quis luteam hanc maſſam, quis naturam hanc adeo fragilem & ad malum inclinatam continua 30. 40. 50. annorum pœnitentia exercere atque agitare præſumeret, niſi humanam debilitatem fortificarent reſtaurarentque conſolationes, gratiæ & favores cœleſtes? *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.*

Luc. 17. v. 21. S. Bern. ſer. 1. in dedic.

Gratia Dei hominem confortat.

Philip. 4. v. 13.

3. Pſalmiſta nos ad feſtivitates in jubilis atque tripudijs peragendas invitaturus, *jubilate Deo*, inquit, *omnis terra, cantate & exultate & pſallite.* Aſt qualia hanc in melodiam adhibebimus inſtrumenta? *Pſallite Domino in cythara, in cythara & voce Pſalmi, in tubis ductilibus.* Cytharæ ſuavem tunc edunt harmoniam, quando chordas bene extenſas, extenuatas, adactaſque habent; ita pariter & corpora noſtra quo magis extenuata fuerint, eo ad ſonum, cantum, lætitiam, jubilumque ſpiritualem magis diſpoſita exiſtent Sed S. interrogat Auguſtinus, *quid ſibi volunt tubæ ductiles? ductiles tubæ areæ ſunt, tundendo producuntur, ſi tundendo, ergo vapulando eritis tubæ ductiles, ad laudem Dei productæ.* Tubæ reſonant mediante flatu; ita & tubæ ſpirituales, quibus Deus laudatur, noſtra inquam corda, ſonum edunt afflante Spiritu Sancto: *Spiritus eſt, qui vivificat.*

Pſ. 97. v. 4.

Mortificata corpora ad Divina ſunt apta.

Ibid. v. 5. S. Auguſt. ib. Joan. 6. 64.

Pulcher conceptus.

4. S. Joannes quondam oblatum ſibi ab Angelo volumen devorare juſſus fuiſſe ſcribitur: *Accipe librum & devora illum; & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tamquam mel.* Cui non abſimile, Ezechieli Prophetæ præceptum impoſitum legimus in hæc verba: *Ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me, qui erat ſcriptus intus & foris, & ſcriptæ erant in eo lamentationes & carmen & væ.* Paruit uterque, ſed ecce vobis digeſtionis effectum: *Comedi & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce. Lamentationes* equidem & *væ* continebat, aſt mediam obtinebat ſedem *carmen* & lætitiæ cantica. Ita quoque corpus noſtrum non vulgarem in abſtinentijs, diſciplinis, alijſque ſimilibus paſſionibus experitur amaritudinem, aſt in medio illarum, id eſt, in corde mel cœleſtium abundat conſolationum. Modumne loquendi admirabilem quemdam obſervaſtis in Canticis Canticorum? Dilecta Deo ſponſa in hortum nucum ſe vice quadam abijſſe aſtruit: *Deſcendi in hortum nucum*; quo fine? *ut viderem poma convallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea & germinaſſent mala punica.* Quis non obſtupeſcat connexionem? in hortum nucum concedit, ut ſapida & dulcia inibi reperiat poma? quæ deliciarum horti ad nuces proportio? diſcite myſterium; per hortum illum Sancta intelligitur Eccleſia, per arbores ſervi Dei; nuces codicem fovent amarum & inſipidum, fructum autem ſapidum & gratum; ecce vobis delineationem eorum, qui in divino ſervitio ardent ferventiores, forinſecus hiſpidum circumferunt ſaccum, fune præcinguntur; aſt in anima conſolationibus abundant divinis. Alij fructus manibus decerpuntur; aſt nuces lapidibus, perticis, fuſtibuſve decutiuntur; ecce vobis genuinam juſtorum figuram, de quibus dicitur *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati.* Has itaque inter arbores, ſuaves ſeſe offerunt fructus: *Poma convallium, mala punica, florens vinea*; quemadmodum enim vinea enititur uvam, ex qua vinum exprimitur; lætitiæ ſymbolum, ita etiam rigorum pœnitentiæ, diſciplinarum, ciliciorumque torcular verum educit gaudium & conſolationem, quæ animam quietet ac ſatiet. *Labia ejus Lilia diſtillantia myrrham primam*, dicitur de eadem anima Sancta, aſt promovete greſſum exploraturi, an ſolam fortè in labijs ſuis habeat myrrhæ amaritudinem; minimè equidem, ſed myrrham potentiſſimè temperat, quæ ſub lingua ejus latitabat, mellis & lactis dulcedo: *Mel & lac ſub lingua tua; favus diſtillans labia tua.* Objicietis utique; maxima linguam inter & labia eſt vicinitas, quomodo igitur hæc myrrhæ torquet amarulentia, illam verò ſuaviſſimi recreant lactis melliſque liquores: Ecce vobis ipſiſſimum, ni fallor, myſterium: In labijs, quæ exteriores ſunt corporis partes, mortificationum, abſtinentiarum vigiliarum, aliorumque ſenſui repugnantium ſeſe inſinuat myrrha, aſt ſub lingua, id eſt: in corda ſpiritualium pluvia decidit dulcedinum; nam ubi Vulgata legit, *ſub lingua*, Genebrardus vertit, *in corde, nam ſub lingua eſt cor.*

Apoc. 10. v. 9. Ezech. 2. v. 9. Ezech. 3. v. 3. Cant. 6. v. 10. Hebr. 11. v. 36. Ibid. v. 37. Cant. 5. v. 13. Cant. 4. v. 11. Geneb.

5. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*, exclamabat David, *quam abſcondiſti*; conſolatio hæc, lætitia iſta interna exteriorem latet oculum, ſed minimè occulta erat illi, qui dicebat: *Conſcidiſti ſaccum meum, circumdediſti me lætitia*; hoc autem mel à myrrha derivatur: *Humiliabam in jejunio animam meam; Genua mea infirmata ſunt a jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum, Induebar cilicio, Cinerem tamquam panem manducabam; fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Quid igitur mirum, ſi exultabundus proteſtetur: *Secundùm multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam?* Multos à vita ſpirituali timor avellit auſteritatum, diſciplinarum, vigiliarum, aliorumque mortificationis exercitiorum, quæ hæc melancholiam triſtitiamque comites haberent; aſt turpiter falluntur, dicente S. Bernardo: *Hinc eſt, quod multi abominantur & fugiant pænitentiam; crucem quidem videntes, ſed non etiam unctionem.* Moxque ad ſuos converſus Religioſos, abſtinentijs macilentos, vigilijs extenuatos, auſteritatum rigore pallidos, ſequentibus eos extimulat verbis; *Vos qui experti eſtis, ecce ſcitis, quia verè crux noſtra inuncta eſt, & per gratiam ſpiritus adjuvantis, ſuavis & delectabilis eſt pænitentia noſtra, & ut ita dicam, amaritudo noſtra dulciſſima* quam pariter multorum deceptionem S. Chryſoſtomus pandens, inquit: *Etenim exterorum quidem opinione in mærore ſumus, at nos; quid ipſi de nobis exiſtiment, haud attendimus, verum florentiſſima voluptate fruimur.* S. hic Doctor ab ineunte ætate uſque ad 53. vitæ ſuæ an. continuis vacavit Chriſtianarum virtutum & perfectionis exercitijs, pungenti corpus ſuum ſtrinxit cilicio, illudque diſciplinis, jejunijs, orationibus, omnibus alijs maceravit rigoribus, inſuper atrociſſimas ſuſtinuit perſecutionum tempeſtates; in exilium pulſus, Epiſcopali munere privatus, ad barbaras regiones ablegatus fuit ubi mortales devoravit infirmitates, ardores intolerabiles, frigora extrema, famem, ſitim, nuditatem, ignominias; unde & ad Innocentium ipſe ſcripſit: Hoc in exilio, peſti, annonæ caritati, bello, latrocinijs & morti continuæ ſubjacemus. Hac nihilominus acerbæ fortunæ alea nequidquam obſtante, tanta ſanctam hanc animam replevit cœleſtium dulcedinum & ſuavitatum abundantia, ut perſecutionem dictam inter præcipua Sanctus ipſe annumerarit Dei beneficia, mirabili tripudians in jubilo; de quo ad Olympiadem ſcribens, ait; Dum ea, quæ hac in relegatione perpeſſus ſum, maturius mecum ipſe diſcutio; lætificor ſummè & meum præ nimio ſolatio & gaudio cor exultat; ſimilem me reputo ei, qui theſaurum invenit pretij immenſi.

Pſ. 30. v. 20. Carnalis oculus falſe judicat pœnitentiam eſſe amaram. Pſ. 34. v. 13. Pſ. 108. v. 24. Pſ. 101. v. 10. Pſ. 72. v. 14. Pſ. 93. v. 19. S. Bernard. ſer. 1. de dedic. S. Chryſ. h. 12. in 2. Cor. Exemplum.

6. Illecebræ mundi oculos noſtros fallunt, juxta tritum proverbium, quo dicitur: Non eſt aurum omne quod rutilat; de quibus proinde Hugo Cardinalis diſceptans, ait: *Omnis conſolatio præſens reſperſa eſt multis amaritudinibus; unde Auguſt. in lib. Confeſſ. omnes meas jucunditates reſperſiſti Domine amaritudinibus, ut quærerem ſine offenſione lætari; & non invenirem, niſi in te Domine. Et Boëtius: Nullus adeo compoſitæ facilitatis eſt, qui non cum aliqua parte ſui ſtatus rixetur.* Aſt in delicijs ſpiritualibus totum accidit oppoſitum; exterius namque ſe inſinuant ſaccus, cilicium, vultus pallor, interius autem cor in nectare natitat conſolationum ſpiritualium; ideoque S. Chryſoſtomus inquit: *Qui conſcientiam puram habet, quamvis pannoſus ſit & cum fame aſſidua luctetur, tamen beatior & tranquillior eſt illis, qui inter delicias magnopere degunt.*

Gaudia mundi amaritudine mixta. Hug. Card. in Pſ. 125. S. Chryſ. h. 2. ad Rom.

7. S. Rex Joſaphat, prout in vita ejus legitur, à ſuo irridebatur fratre, ob nimiam in pauperes liberalitatem & conſequenter prodigam quaſi ærarij regij dilapidationem; Sanctus itaque duas juſſit apparari arcas, alteram forinſecus auro gemmiſque ſuperbam, quam oſſibus mortuorum juſſit impleri, auro alteram gemmiſque replevit ad intra, quam extrinſecus deformibus laceriſque pellibus cooperuit. Citato itaque fratre, elige, inquit, germane quod tibi diſpoſui Xenium; arcam tolle quæ tibi præplacet, nec mora,

Hiſtoria pulchrè applicata.

mora, divitem ille ſibi venuſtamque depoſcit. Tunc ad eum converſus Joſaphat, infelix es, inquit, in hoc mundo, minusque ſapiens, ſi ſolos oculos ſequeris duces; apertaque deinde arca, inſignem ei oſtendit deluſionem. Hiſtoriam hanc ad noſtrum coarctemus intentum: Si quem honoribus ſublimem, theſauris copioſum, proſperitatibus humanis abundantem cernitis; ô fortunatum, exclamatis; Sed fallimini, erratis: *Riſum reputavi errorem.* Econtra ſi quem Religioſum conſpicitis, lacerum, pauperem, macilentum, talem deſolatum reputans, qui toto corde & cum omnimoda gratiarum actione ad Deum dicit: *Conſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitia, convertiſti planctum meum in gaudium mihi.*

*Eccle. 2. v. 2.* — *Pſ. 29. v. 12.*

Quo major pœnitentia eo major conſolatio.

8. Unde ſuos lux diurna ducit trahitve natales? A denſiſſimis noctis tenebris: *Factum eſt veſpere & mane dies.* Quæcumque pulcherrima, venuſtiſſima & pretioſiſſima ſupremi artificis opera ſuam à chaos habent originem. Pretioſiorum metallorum venas loca fovent maximè præcipitia, infæcunda atque inacceſſibilia; gemmarum raritas in barbarioribus nutritur nationibus; cryſtalli in montibus editæ in ſecretiſſimis congelantur Alpium receſſibus; quo nullus umquam ſolaris pertingit radius. Ita pariter in deſertis, ſaccos, mancipatus inter & flagella, deliciæ abundant cœleſtes, donis pluit Spiritus Sancti atque innocentioribus animabus raptus, viſiones, ecſtaſes, revelationes, alijque omnes ſingulares communicantur divini favores: *Sed non omnes capiunt verbum iſtud.* Pannos delicatiores infeſtant tineæ, quot quantasque Dei offenſas comites habet humana potentia? vindictas, ſenſualitates, extorſiones, injuſtitias &c. Longè alia eſt reformatorum auſtereque viventium Religioſorum ratio. Quis crediſſet umquam, candidiſſimam chartam ex laceris, vilibus, abjectis, veteribusque ſcrutis ſeu pannorum particulis conflari? nihilominus humana induſtria ex adaquatis, minutimque divulſis particulis venuſtiſſimum facit conſurgere corpus, characteribus excipiendis peridoneum. Ita quotidie perſonas obſervamus religioſas, aliquos Dei ſervos, contemni, perſecutionibus agitari, morbis, inopia, alijſque adverſitatibus circumdari; voluntariæ inſuper egeſtati, pedem nuditati & fami ſubjici; & nihilominus *infirma mundi elegit Deus*, in horum cordibus adeo ſibi complacet Dominus, ut characteribus aureis ſuam in ijs voluntatem, gloriam, ſapientiam, aliaque divina attributa exarare, nec non prophetiam, revelationes, miraculorumque gratiam impertiri dignetur, quia ſcilicet *Dominus mortificat & vivificat*; id eſt, ut Gloſſa inquit; *mortificat per carnis afflictionem* [ecce vobis ſcruta, percuſſiones, plagas] *& vivificat per ſpiritus conſolationem*, ecce chartam albam; *pauperem facit & ditat; pauperem facit in temporalibus, & ditat in ſpiritualibus.*

Pulchra ſimilitudo. — *1. Cor. 1. v. 27.* — *1. Reg. 2. v. 6. Gloſſ. ibid.*

Figura. — *Lyr. in moral.*

9. Diſcipuli Eliſæi pulmentum coctum agreſtem collegerant herbam, quam ut guſtarunt, nimia ejus amaritudine perterriti, ab Eliſeo remedium poſtularunt; qui lebeti farinam immiſceri juſſit, quæ omnem ſuſtulit amarulentiam. Hiſtoriam recenſui ego, moralem ejus doctrinam à Lyrano expectemus. *Per quod ſignificatur*, inquit ille, *quod hominibus delicate enutritis in ſæculo, vita religioſa videtur amara in principio; ſed ſicut pulmentum per immiſſionem farinæ factum fuit ſapidum; ſic per Dei gratiam, vita religioſa, quæ prius dura videbatur, non ſolum portabilis, ſed etiam ſuavis efficitur.* Ipſæmet contradictiones religioſis gaudium afferunt & lætitiam

Anima exultat in mortificationibus.

10. Juxta Theologorum moraliumque Philoſophorum doctrinam, nulla non virtus, licet *circa ardua verſetur*, aliquam ſui in nobis cauſat complacentiam; non quaſi ejuſdem diligeretur arduitas, difficultas & labor, ſed quia ad intentum deſervit finem, Sculptor duro, quique ferrum retundat, lætatur in lapide, non ob inciſionis difficultatem, ſed quia in duritie ſtatuam ſe efformaturum ſperat; ita & anima in rigoribus exultat corporalibus, in mortificationibus & contradictionibus tripudiat; non quia ſecundùm ſe amabiles ſunt, ſed quia ex ijſdem materiam occaſionemque capit augmentandi amoris divini, ampliandi paſſiones propter Deum, virtutum exercitia frequentandi, cœlum merendi, actus heroicos excitandi; quia *non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Non optantur incommoda*, inquit Seneca, *ſicut nec miles expetit vulnera, ſed materia fortitudinis placet.*

*2. Tim. 2. v. 5. Senec. de vita beat. c. 25.*

# DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

Conſolationes ſpirituales, quæ ſe etiam ad peccatorum pœnitentiam & voluntariam omnium aliarum contradictionum extendunt tolerantiam, relationem habent ad paſſiones, quas quis ſubit amore Dei, & non ob alios reſpectus.

## THEMA.

*Spes noſtra firma ſit pro vobis ſcientes, quod ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.*
2. Cor. 1. v. 7.

Afflictiones comitatur conſolatio.

1. NE fides noſtra in medijs contradictionum tempeſtatibus titubaret, anchoram Apoſtolus nos jacere jubet indubitatæ ſpei, fore ut, ſi propter Deum patiamur, divinarum quoque conſolationum participes evadamus: *Spes noſtra firma ſit &c.* Circa quæ verba, Cajetanus, particulam *ſcientes* conſiderans, ait: *Certi ſumus, quod, quemadmodum in nobis abundantiam afflictionum comitatur abundantia conſolationis; ita in nobis participatio afflictionum comitatur participationem conſolationis.* Id quod Apoſtolus in ſeipſo expertus fuit, dum maximas inter anguſtias, cœleſtium abundabat conſolationum ſuavitate, prout ſæpe ſæpius ipſemet atteſtatur; quemadmodum & S. Lucas de Apoſtolis tractans, ſcribit: *Ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Jeſu contumeliam pati. Conſolantur in ipſo corde*, inquit Carthuſianus, *copioſam exultationem concitando ex contemplatione divinorum, ſic ut tribulationis acerbitas vix ſentiatur.* Ad eamdem nos fiduciam animaturus Apoſtolus Petrus, *communicantes*, inquit, *Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes*; circa quem textum Hugo Cardinalis diſcurrit: *Primo oportet, ut ſimus fratres Chriſti ex parte matris, ut tandem ſimus fratres ex parte patris; Mater Jeſu eſt Maria, quæ interpretatur amara, hæc eſt tribulatio vel pœnitentia, Pater ejus eſt Deus: Ego dixi dij eſtis, id eſt, Domini. Si vis habere ſecundum, ſcilicet ut ſis frater in gloria; neceſſe eſt, ut habeas primum, ſcilicet ut ſis frater in pœnitentia.*

*Cajet. ib.* — *Act. 5. v. 41.* — *Dion. Carth. ibid.* — *1. Petr. 4. v. 13.* — *Hug. Card.* — *Pſ. 51. v. 6.*

Propter Deum qui patitur conſolatur. — *S. Bonav. in bibl. paup. c. 4.*

2. S. Bonaventura circumſtantiam temporis accuratè perpendit, quando Deus Eliam miraculoſo panis carniumque pabulo per corvos ſuſtentare & apparitionibus divinis recreare ſtatuit. Tempusne ſcitis? *Cum fugeret Jezabel.* Dum propter Dei ſervitium anguſtiamur, dum ejus amore voluntarijs nos ſubjicimus tribulationibus; tunc de refocillatione & cœleſtium conſolationum refectione ſecuri vivimus; *fugienti Jacob à facie fratris ſui*, verba ſunt ſeraphici Doctoris, *& ſuper lapidem dormienti apparuit Dominus & ei magnam conſolationem infudit. Apparuit Moyſi exulanti & oves paſcenti; quod non accidit ei, quando nutriebatur in domo Pharaonis.* Tolerandæ autem & devorandæ ſunt tribulationes amore Dei, non ob alios fines, dicente Carthuſiano: *In omni tribulatione, quam propter juſtitiam patimur, à mundo, carne aut diabolo.* Imò Deus priusquam mortale noſtrum indueret corpus, ſe in mundum, per Evangelicum Prophetam; diu ante proteſtatus fuit venturum eo fine, ut omnes amore ſui paſſos, tribulatos, anguſtiatos reficeret atque oblectaret: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me; miſit me, ut conſolarer omnes lugentes; ut ponerem conſolationem lugentibus Sion; & darem eis coronam pro cinere & oleum gaudij pro luctu. Nota, quod dicit*, inquit Hugo Cardinalis, *lugentibus Sion, Non dicit; lugentibus Jericho vel Babylonis, qui lugent pro mundo vel mundi delectationibus, tales enim non conſolabuntur à Domino.* Deinde particulam *ut ponerem*, ſpeciatim elucidans ſubdit: *Ponere ſtabilitatem conſolationis ſignificat; Dominus ergo ponit conſolationem lugentibus, quando ſtabili promiſſione firmat, ſe in perpetuum conſolari in gloria; hic lugentes ad tempus. Matth. 5. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

*Dion. Carth.* — *Iſa. 61. v. 1.* — *Hug. Card. ibi.* — *Matth. 5. v. 5.* — *Pſ. 99. v. 5.* — *S. Aug. ib.*

In tribulationibus ſpes recreat & Deus.

3. S. Auguſtinus illa Pſalmi ponderans verba; *Jubilate Deo omnis terra*; interrogat: *Quid hic? nullumne gaudium? ſi nullum gaudium, nulla jubilatio; quomodo, jubilate Deo omnis terra?* ſibique reſpondens, ait: *Eſt plane & hic gaudium, de ſpe futuræ vitæ guſtatur hic, unde ibi ſatiemur. Sed* [verba notate ſequentia]



ſequentia] *neceſſe eſt, ut multum perferant frumenta inter zizania.* Qualiter autem conſolationes nobis communicentur, diverſis vijs modisque experimur, quales nobis aliquot Interpres quidam ſequenti exhibet in diſcurſu: *Conſolatio dici poteſt, vel auferentur afflictiones, vel quod inſperato à præſentibus liberarentur periculis, vel quod in medijs conſtituti periculis; viriliter magnoque animo ferrent, quæ inciderent; futurorum ſpe roborati.* Similiter Lyranus in illius loci (*Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*) commentario ſcribit: conſolatur, *aliquando eruendo, & aliquando præmium promittendo, & aliquando patientiam tribuendo, quod frequenter eſt melius & magis expediens, quam erui à tribulatione.* Gloſſa porro hanc ipſam conſolationem in pondere examinans ſanctuarij, inquit: *Totius conſolationis Deus dator eſt perfectæ, quantum decet dare Deum his, qui pro Chriſto patiuntur.* Ad verba vos Apoſtoli intentos velim, non enim aſtruit Deum nos conſolari, tribulationes aut adverſitates auferendo, ſed in ipſis nos recreare miſerijs, id quod Chryſoſtomus advertens, ait: *Non dixit, quod non dolebant, ſed quod dolentes gaudebant.*

*Photius in 2. Cor. 1.* — *2. Cor. 1. v. 3.* — *Lyranus. ib.* — *Gloſſ. ibid.* — *S. Chryſ. h. 14. in Act. Ap.*

*Pſ. 118. v. 195.* — *Hug. Card. ib.*

In tribulationibus non turbatur juſtus quia conſolator permittit.

4. Hugo Cardinalis iſtum Pſalmi exponens verſiculum (*pax multa diligentibus legem tuam*) ait: *Pax multa eſt interius in mente, licet non exterius in mundo, diligentibus legem tuam, id eſt, ex amore eam facientibus, & ex amore in ea ſtudentibus; quia ut dixit Ambroſius; Charitas pellit omnes tribulationes, non ut non eveniant, ſed ut non noceant; quia licet exterius tribulationes inſurgant, tamen vir juſtus interius non turbatur*; quia ſicuti ſequens edocebit diſcurſus, juxta tribulationum propter Deum toleratarum menſuram, magis minusve cœleſtes in anima abundant conſolationes. Non abs re fuerit, præſenti loco ſententiam inferre S. Chryſoſtomi, quam in illis Apoſtoli verbis, *qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*, explanandis pronunciat, inquiens: *Non dixit, qui non ſinit nos calamitate affici, ſed qui in calamitate nos conſolatur; nam hoc tum Dei potentiam declarat, tum eorum, qui calamitatibus premuntur, patientiam auget.* Unde & Pſalmiſta profitetur: *In tribulatione dilataſti me. Non dixit, non paſſus es, me in tribulationem labi, aut tribulationem confeſtim ſubmoviſti, ſed ea manente, dilataſti me; hoc eſt, ingentem cordis latitudinem & voluptatem mihi attuliſti.* Quæ ut S. Doctor confirmet uberius, trium puerorum adducit exemplum, qui fornacem minimè ſubterfugerunt, ſed in ardentes fuere conjecti flammas; at quo ſucceſſu in medio incendij conſtitutos Deus, ignis immutans naturam, recenti quaſi oblectavit rore. Idem porro Doctor in citata homilia magnitudinem demonſtrare pergit conſolationis, ab Apoſtolo inſinuatæ, ſcilicet quod paſſionum tolerantia Chriſti nos efficiat ſodales: *Quid ſuavius ac jucundius, quam me Chriſti ſocium effici atque ipſius cauſa perpeti?* Verum eſt cordis gaudium, quod à paſſionibus dimanat, pro Chriſto exantlatis.

*S. Chryſ. h. 1. in 2. Cor.* — *Pſ. 4. v. 2.*

Conſolatio de tribulatione ſcaturit. — *Joan. 2. v. 7.* — *Pſ. 125. v. 5.* — *S. Bern. ſer. 1. de ver. Apoſt.*

5. Poterat equidem Chriſtus miraculoſum in nuptijs producere vinum vel ex ſubſtantia aëris vel etiam ex nihilo; attamen aquis vaſa impleri juſſit, ut doceret, veram ſinceramque lætitiam, in vino deſignatam; ex lacrymarum & tribulationum, Dei amore toleratarum undis ſcaturire, juxta illud: *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* Accommodè S. Bernardus inquit: *Optimum quidam vinum ſervat etiam adhuc, quod videlicet non ex aqua conficiendum, ſed exprimendum magis ex botro illo magno terræ promiſſionis, qui interim in vecte portatur, dum ſecundùm carnem novimus Chriſtum, & hunc crucifixum. Numquid non illi vinum defecerat, qui dicebat: Renuit conſolari anima mea? ſed & vinum, aqua factum, guſtaſſe viſus eſt, cum ſubjunxit: Memor fui Dei; & delectatus ſum. Sic & Apoſtoli planè vinum ex aqua factum guſtaverant, quando ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu, contumeliam pati; quomodo non vinum ex aqua, gaudium de contumelia? nimirum implebatur jam promiſſio veritatis, quæ ad eos facta erat hoc modo: Triſtitia vertetur in vinum.*

*Pſ. 76. v. 4.* — *Act. 5. v. 41.*

Tribulatio conſolationem. — *Dion. Carth.*

6. Dionyſius Carthuſianus qualitatem ſementis conſiderans, quam à Pſalmiſta in fletu ſpargere jubemur, *id eſt*, inquit, *opera meritoria facientes; quæ opera dicta ſunt ſemina, quoniam ſicuti ex ſemine naſcitur fructus, ſic ex operibus bonis oritur fructus vitæ æternæ, infuſio conſolationis divinæ.* Jacob contemplemur Patriarcham, nonne hic Rachelem ſibi ſponſam, plurimamque ſubſtantiam improbo acquiſivit labore, quem in dura ſoceri ſui Laban, auſteri & indiſcreti hominis, ſervitute per annos plurimos continuavit? Numquid & Joſeph; priusquam thronum conſcenderet, in abjecto ſqualuit mancipatu? *Manus ejus in cophino ſervierunt. Ferrum pertranſijt animam ejus.* David Saulis citius ſuſtinuit perſecutiones, quam diadema regium. *Quanto majus periculum fert in prælio miles*, inquit S. Auguſtinus; *tanto majus eſt gaudium in triumpho; edendi & bibendi voluptas nulla, niſi præcedat eſuriendi moleſtia; & ibi majus gaudium, ubi major moleſtia procedit.* S. Paulus non modo voluntarijs ſubjacebat proprij corporis caſtigationibus: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo*; non continuis dumtaxat & indefeſſis exercebatur in mortificationibus: *Propter te mortificamur tota die*; ſed & inquietis inſuper propter Evangelij prædicationem, exponebatur perſecutionibus; ideoque ſæpe ſæpius proteſtatur, ſe ſociosque ſuos diverſis à Deo præventos fuiſſe conſolationibus, ſine quibus vix crediſſet quisquam Apoſtolum Iliadi quodammodo tribulationum reſiſtere potuiſſe; id quod fuſius S. Bruno proſequitur, dicens in perſona Apoſtoli & diſcipulorum ejus: *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in tribulatione noſtra; in quibuſcumque enim deſolamur; potens & præſto eſt conſolari nos Deus; quia conſolatio nunc eis fuerat opportunior, ideo circa bona conſolationis magis immoratur, dicens: Qui Deus conſolatur nos, me ſcilicet & condiſcipulos meos, in tribulatione noſtra quam patimur; non in quadam tantum, ſed in omni conſolatur; non ſolum ut nos liberet, ſed etiam ut poſſimus & ipſi, qui tribulamur, conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt.*



*Pſ. 80. v. 7.* — *Pſ. 104. v. 18.* — *S. Aug. l. 8. confeſſ. c. 3.* — *1. Cor. 9. v. 27.* — *Rom. 8. v. 36.* — *2. Cor. 1. v. 3.* — *S. Brun. ib.*

Ob peccata lugentes beati prædicantur. — *S. Chryſ. h. 14. ad Phil.*

7. Aliud magnæ in anima conſolationis motivum eſt planctus & pœnitentia de peccatis. *Lugentes beatos prædicavit; non quovis modo lugentes* inquit S. Chryſoſtomus, *ſed eos qui compunguntur; qui ſua luget mala & confitetur, eis gaudebit.* Non exilem Oecumenius difficultatem movet, inquiens: Salvator flentibus beatitudinem, ridentibus autem *væ* promittit (*beati; qui lugent, Væ vobis, qui ridetis nunc:*) quomodo igitur Apoſtolus ad continuam nos lætitiam exhortatur: *Gaudete in Domino ſemper?* Reſpondetque: *Neque Chriſtus luctum mundanum præcepit, hoc eſt, lugere in amiſſione cognatorum vel affinium, ſed ſpiritualem, quod eſt lugere peccata; neque Paulus mundanum dicit gaudium, ideo quoque ſubjungit: In Domino. Luctus igitur ille hujus gaudij occaſio eſt; nam qui propria luget peccata, habebit gaudium in Domino. Ubi hoc modo per luctum propria deleverit peccata, & cum Chriſto, qui una conſcius eſt, ſecundùm Deum gaudebit.* S. Bern. Serm. 46. *Ex parvis itaque tu ſi peccata luxiſti, bibiſti amaritudinem; ſi autem jam reſpiraſti in ſpem vitæ, vita ſanctiori, mutata eſt tibi vitæ amaritudo in vinum, quod lætificat cor hominis.* Celebris ad intentum hoc deſervit, à S. Auguſtino, poſt converſionem, pronunciata ſententia: *Dulciores ſunt lachrymæ pœnitentium, quam gaudia theatrorum.*

*Matth. 5. v. 5.* — *Luc. 6. v. 25.* — *Phil. 4. v. 4.* — *Oecumen. ad Phili.* — *S. Bernard. ſer. 46.*

*Pſ. 29. v. 12.* — Hinc gaudia cordis.

8. *Conſcidiſti ſaccum meum &c.* Cilicia ex pilis contexuntur caprarum, quæ ſymbolum ſunt peccatorum; Deus itaque ex ſcelerum noſtrorum voluntariè à nobis ſuſcepta pœna, caſtigatione & pœnitentia gaudium lætitiamque oriri facit in cordibus noſtris: *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt.* Hugo Cardinalis ad priora illa (*convertiſti planctum meum in gaudium mihi*) converſus Davidis verba, inquit: *Planctus erat ejus, qui timebat vinci à tentationibus, & ſic deſcendere in corruptionem; ſed planctus iſte convertitur à Domino in gaudium, quando in tentatione dat victoriam. Conſcidiſti ſaccum meum, id eſt, corpus meum diverſis pœnis afflixiſti*; juxta illud Jobi: *Hæc mihi ſit conſolatio ut affligens me dolore, non parcat; Ut cantet tibi gloria mea.* Proſequitur David, commentaturque Hugo: *Id eſt ut gloria, quam habeo ex iſtis in teſtimonio conſcientiæ meæ; cantet tibi, id eſt, te laudet & totum tibi adſcribat, quidquid boni habet. Unde Coloſſ. 3. In gratia cantantes in cordibus veſtris Deo; & non compungar ſpinis vitiorum vel gladio conſcientiæ.* Dionyſius Carthuſianus citata interpretans Pſalmiſtæ verba: *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent*, inquit: *Id eſt, qui modo in luctu pœnitentiæ ſeu lacrymas devotionis ſeipſos exercent, qui temporales delectationes contemnunt, iſti in exultatione metent bona gratiæ in præſenti, & fructum gloriæ in futuro.*

*Iſaia 35. 10.* — *Pſ. 29. v. 12.* — *Job. 6. v. 10.* — *Pſ. 29. v. 13.* — *Col. 3. v. 16.* — *Pſ. 125. v. 5.* — *D. Carth. ib.*



9. S. Fran-

Chron. Min. l. 2. c. 48.
In quo vera conſiſtat lætitia S. Franc. nos docet.

9. S. Franciſcus, prout hiſtoriæ referunt Franciſcanorum, in media hyeme, nives inter & gelu, Peruſia ad Mariam de Angelis cum fratre Leone proficiſcens; noſtine, inquiebat, Leo frater, in quo vera conſiſtat lætitia? ſi alteruter noſtrûm lumen cæcis, auditum ſurdis, vel mutis loquelam, vel mortuis vitam reſtitueret; ſcribe frater Leo, quoniam in his vera non conſiſtit lætitia. Si quis Prophetiæ dono, cordium penetrationis gratia, omnium ſcientia linguarum, imo & Angelica polleret lingua; ſcribe F. Leo, quoniam ſincera in ijs non ſituatur lætitia. Scribe quoniam nec in omnium barbarorum ad fidem converſione, verum invenitur gaudium. Tunc igitur moræ impatiens frater Leo, in quo igitur, obſecro, veram conſtituemus lætitiam? Cui S. Pater: Si madidi, ſi laſſi, ſi frigidi, ſi congelati, ſi luto conſperſi & famelici ad S. Mariam de Angelis pertingeremus; ſi nos ad oſtium pulſantes portarius ſeveriori contemplatus obtutu rejiceret, noſque vagabundos, errones & curſores appellaret, ſi nobis portam in faciem occluderet, noſque in nivibus pernoctare fineret: *Hanc repulſam; has injurias, ſi nos toleranter & æquo animo & ſine murmuratione feramus, idque Dei cauſa; & omnia pleniſſimè divinis nutibus tranſcribamus, & illum apud animum noſtrum ſerio cogitemus; en iſte janitor noſtris nos titulis affecit; ille nos ut digni ſumus, ſalutavit; Deus linguam ipſius in nos jure concitavit; Deo gratias, qui nos, ut meremur, recipi permiſit. Hæc eſt, mi Leo, perfecta lætitia; ſcribe.* Si nos porro oſtij pulſationem continuantes, portarius indignatione concitatus, nos non modo novis oneraret injurijs, ſed & cæderet alapis; noſque injuriam hanc amore Dei libenter devoraremus, in hoc vera ſolidaque conſiſtit lætitia, ſcribe frater Leo. Iterum ſi nos noctis obſcuritate, famiſque atrocitate ſtimulati, aures portarij clamoribus, ſtridoribus, gemitibuſque repleremus; ille autem adverſus nos proſiliret nodoſo inſtructus fuſte, noſque percutiens per lutum agitaret & nives; nos autem omnes has injurias, alapas, percuſſiones, famem, vigiliam, laſſitudinem, frigus, cæteraſque omnes tribulationes abſque dolore ſupportaremus; hujuſmodi tamquam maximum lucrum & beneficium æſtimantes, in eo veriſſima conſiſteret lætitia. Ecce vobis ſanctiſſimi illuminatiſſimique viri diſcurſum, omnium confirmativum prædictorum; ſcilicet quod juxta tribulationum menſuram, conſolationes etiam atque illecebræ multiplicentur ſpirituales.

Act. 5. v. 41.
D. Chryſ. h. 13. ibid.
Tribulationes propter Deum, cauſant gaudia.

10. S. Chryſoſtomus Apoſtolorum obſtupeſcens jubilum, dum è Synagogis projecti & flagellati, *ibant gaudentes &c.* eos fortunatiſſimis mundi hujus hominibus opponit, inquiens: *Si quis ex Principibus magnas poſſideat opes, civitatem inhabitet regiam, delicietur ſolum & huic rei ſolum vacet, ſedens in vertice bonorum, deliciarum ac divitiarum, opponat autem illi quis Petrum in vinculis, hunc inveniemus multò magis in delicijs; nam quando tanta gaudij abundantia erit ſicut oblectari in vinculis, cogita, quanta erit gaudij magnitudo:* Et alibi idem S. Doctor ait:

h. 23. in Gen.

*Tametſi flagella non gaudij ſint occaſiones, ſed triſtitiæ & mœroris; nihilominus flagella propter Deum, & cauſa propter quam flagellabantur, gaudium eis pariebant.* Imò ipſimet tortores & carnifices, cæſis præ gaudio exultantibus, titubabant, tremebant, palleſcebant. *At ij; qui flagellarant, in magna animi conſternatione & hæſitatione neſciebant, quid facerent; audi enim illos, quomodo poſt flagellationem animo fluctuent, & dicunt: Quid faciemus hominibus iſtis? quid dicitis? flagellaſtis & innumeris malis eos affèciſtis, & adhuc dubitatis? tam fortis invictaque res eſt virtus, & dum patitur affligentes vincit.*

## DISCURSUS XVIII.
## ARGUMENTUM.

Juxta tribulationum pro Deo toleratarum menſuram, conſolationum ſpiritualium creſcit, imò & ſemper ſuperexcedit abundantia.

### THEMA.

*Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Pſalm. 93. v. 19.

Conſolationes præcedit tribulatio.

1. MAgnam nulli non animæ, quaſcumque in divino ſervitio occurſantes moleſtias, difficultates & labores avidiſſimè devoranti, conſolationem neceſſariò affert præſens Pſalmiſtæ atteſtatio: *Secundùm multitudinem dolorum meorum &c.* Quam ob cauſam Theophylactus quemcumque in ſervitio Dei amplexando dubium & ancipitem alloquens, hocce eum exhortatur motivo: *Ne deſpondeas animum, quiſquis audis afflictiones & mala; quanto enim hæc exuberant, tanto exuberant conſolationes.* Flos præcedit fructum; florum, in ramis luxuriantium copia, ſperatorum prodroma indigitat fructuum fœcunditatem. *Fructus autem ſpiritus*, inquit Apoſtolus, *gaudium pax.* Qui autem prævij ſunt horum fructuum flores? Reſpondet Chryſoſtomus: *Sicut fructum flos antecedit, ſic pœnitentia & dolor lætitiam præit & dolori lætitia ſuccedit. Vos autem contriſtabimini*, ſuis Chriſtus prædicebat Apoſtolis; ecce flores, at qui eos ſubſequentur fructus? *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.*

Theoph. in 2. Cor. 1.
Gal. 5. v. 22.
D. Chryſ. ib.
Joan. 16. v. 10.

2. Oleaſter quemdam Iſaiæ interpretans textum, in quo manna cœleſtium dulcedinum promittebatur novæ legis cultoribus, *quomodo*, inquit, *Eccleſia tot anguſtijs afflicta, tot agitata procellis, tot mortibus expoſita, poſſet ſubſiſtere, niſi tam præclaris promiſſis, tam certa ſpe & tam eximia conſolatione eſſet ſublevata? & adverte diligentiam Dei tui, ut prius aut ſimul cum tribulationibus mittat conſolationem.* Interpres quidam rei veritatem ad amuſſim exploraturus; tribulationem & conſolationem diſcretionis ſtateræ commiſit, ſeque æquale in utraque pondus reperiſſe fatetur, inquiens: *Quanto magis egi pœnitentiam, tanto magis me conſolatus es: Unam fudi lachrymam, unam merui conſolationem; decem fudi lachrymas: decem merui conſolationes. Quantum fuit pœnitentiæ pondus, tantus fuit conſolationis numerus; magnitudo tribulationum; magnitudo præmiorum eſt: Quot patimur vulnera, tot meremur & coronas.* Myſterium inquiro, cur Abraham filio ſuo conjugem deputaturus, ſervum ſuum in Meſopotamiam ablegarit, in regionem longinquam, ut exinde Rebeccam traduceret, Iſaaco deſponſandam? Iſaac *riſus*, Rebecca interpretatur *patientia*; ſociantur convenientiſſimè tribulatio & conſolatio, paſſio & gaudium. *Iſaac & Rebecca conjungitur*, inquit Rabanus, *id eſt, riſus & patientia permiſcetur, quia fit in Sancta Eccleſia hoc, quod ſcriptum eſt; Spe autem gaudentes, in tribulatione patientes; ut hanc & proſpera de conſolatione lætificent, & adhuc adverſa de tribulatione perturbent.* Idem ſponſa in his verbis inſinuare voluiſſe videtur; *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Ubi namque amara hæc reperitur mortificationis myrrha? *Inter ubera mea*; inter mamillas, amabili dulcique redundantes lacte.

Oleaſt. in Iſa. 6.
Tribulationis & Conſ. pondus æquale.
Ludolphus Cart. in Pſ.
Myſterium.
Gen. 24. v. 3.
Rab. ibid.
Cant. 1. 12.
Ibid.

3. S. Auguſtinus idem promoturus intentum, nos illi 83. Pſalmi titulo: *In finem pro torcularibus filijs Core*; ſingulariter intentos eſſe jubet; legite, inquit, & relegite cum titulo Pſalmum, neque enim in toto hujus diſcurſu ullam torcularium mentionem fieri obſervabitis. *Nihil prorſus in omni verſu Pſalmi dixit de his torcularibus, notiſſimis oculis noſtris*, verba ſunt Sancti Præſulis, *non dubitatur, eſſè alia torcularia, quæ nos hic quærere & intelligere voluit Spiritus Dei; quapropter quid agatur in his viſibilibus torcularibus, recordemur, & hoc videatur, quemadmodum ſpiritualiter agatur in Eccleſia. Uva certè pendet in vitibus & oliva in arboribus, his enim duobus fructibus ſolent torcularia præparari; & quamdiu pendent in frutetis ſuis, libero aëre perfruuntur, & nec uva vinum eſt, nec oliva oleum ante preſſuram.* Uterque fructus exaltationis eſt Symbolum; de liquore namque ex oliva expreſſo dicitur: *Oleo lætitiæ*; de vino pariter uvæ fœtu aſtruitur: *Vinum lætificat cor hominis*; verumtamen ut oliva oleum & uva enitatur vinum, utraque torculari ſubjici, in eo premi, exprimique debere, ut ſcilicet veriſſimum eſſe diſcamus, quod *ſecundùm multitudinem dolorum &c.* In Pſalmo iſto David de conſolationibus tractat, quibus ſuos Deus diſcipulos aſſolet replere; aſt primò Scholaſticæ diſciplinæ & virgæ nos ſubſternamus oportet; quam veritatem S. Auguſtinus dictæ de torcularibus ſimilitudini inſiſtens, ſequentibus confirmat verbis: *In torculari omnes preſſuras; propterea & ipſe Apoſtolus cum dixiſſet; ſpe gaudentes, quaſi his loqueretur, qui jam in torculari ſunt, addidit ſtatim, in tribulatione patientes.*

Pſ. 83. v. 1.
Tribulatio exprimit lætitiæ vinum.
S. Auguſt. ib.
Pſ. 44. v. 8.
Pſ. 103. v. 15.

4. Spiritus Sanctus ſuavitatem animabus timoratis cœlitus communicari ſolitam, melli aſſimilans, ait: *Spiritus meus ſuper mel dulcis.* Cur non potius ambroſiæ, nectari aut ſaporifero manna æquiparavit? notate

Juxta tribulationes commenſurantur conſolationes.
Eccli. 24. 27.



myſterium. Mel fabricatur ab apibus pungenti armatis aculeo; dulcedinem ſpiritus amaritudo corporis comitetur oportet, non enim illa ſua nos dignatur præſentia, niſi hæc diſpoſitionem fecerit præviam. Promiſſionis recordamini, quam Elias Propheta viduæ fecit Sarepthanæ? *Lecythus olei non minuetur uſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.* q. d. Oleum tuis abundabit in ædibus quanto tempore fames & annonæ caritas prævaluerit; ut diſcamus, lætitias ſpirituales afflictionibus commenſurari temporalibus, juxtà alterius Prophetæ vaticinium, dicentis: *In diebus famis ſaturabuntur*; & econtra medias inter proſperitates, penuria prementur; quemadmodum Baſilius Seleucus advertit, inquiens: *Ut cecidit pluvia, avolarunt dona Eliæ, & finem habuit per eremum erratio, ac deinde conſuetum naturæ panem terra oculis ſubjecit, tunc manna profuſio contracta eſt & cæleſte promptuarium hominibus occluſum.*

3. Reg. 17. v. 14.
Pſ. 36. v. 19.
Baſil. Sel. or. 33.

5. Si ab Apoſtolo, veritatis teſtimonium requirimus, reſpondet: *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt ... quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* In cujus textus commentario aſtruit Salmeron, non paucos dubitaſſe Interpretes ſacros, qualiter paſſiones Chriſti in nobis abundent, ſuamque declarans mentem, ait: *Dicendum; paſſiones Chriſti vocari noſtras quas ut ejus membra propter ipſum patimur) & quas ipſe Chriſtus tamquam caput noſtrum, ſuas vocare dignatus eſt, de quibus: Saule, Saule quid me perſequeris? Et ad Col. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, ubi paſſiones Chriſti vocat illas, quas Paulus ipſemet in carne ſua pertulerat.* Deinde qualiter paſſiones, & conſequenter conſolationes Chriſti in nobis abundare dicantur, oſtendens, ait: *Dixit autem abundare conſolationes Dei, ſicut abundant tribulationes, ut æquitatem & favorem oſtenderet; ne plus accendere videatur dæmon ad inferendas injurias Chriſti membris, quam Chriſtus ſuccurrere ad illas ſuperandas.* Tantum reprobo intentatur ſupplicium, quantum ex illicitis voluptatibus cepit gaudium: *Quantum glorificavit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctus.* Ita pariter inquit Salmeron, *æquitati conſonum fuit, ut, quantum ſe juſtus humiliavit propter Chriſtum & plagas ſuſtinuit, tantum conſolationum acervum illi Deus impertiatur.* Myſterioſam quis non obſtupeſcet ſenioris Tobiæ illuminationem, quem cæcum infallibilis Dei providentia felle ſanavit? nullam ſe lætitiam admittere poſſe proteſtatus fuerat: *Quale gaudium mihi eſſe poteſt, qui lumen cæli non video?* Gaudium itaque & viſionem ei miraculoſam impertijt Dominus, ſed amariſſimo mediante felle, tribulationum ſymbolo, ad denotandum, quod afflictiones & preſſuræ veras ſolidaſque pariant ſpiritus dulcedines & conſolationes, dicente Archangelo Raphaële ad Tobiam juniorem: *Lini ſuper oculos ejus ex felle iſto piſcis ... ſcias, quoniam mox aperientur oculi ejus, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aſpectu tuo gaudebit.*

1. Cor. 1. v. 3.
Ibid. v. 4.
Confirmatur.
Salm. ibid.
Act. 9. v. 4.
Col. 1. v. 24.
Apocal. 18. v. 7.
Juxta Tob. 5. v. 12.
Tob. 11. v. 8.

6. Albertus Magnus paſſiones nuncupat animæ cibum, qui ſine ſalis condimento inſipidus, amarus, ingratuſque eſt, dicente Propheta: *Numquid poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? non, niſi ſalſa apponatur.* Hic igitur ſal eſt interna ſpiritus conſolatio & ſuavitas noſtrum cor & animam oblectans; cujus efficaciam S. Baſilius his nobis expreſſit in verbis: *Si amanti virtutes nonnihil acerbi caſus obortum fuerit, ejus tamen gaudium nulla poteſt interpolare triſtitiæ nubes, eo quod tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio ſpem. Spes ſanè eſt, quæ gaudium contubernalem efficit, cohabitantem animæ generoſæ & ad extollendam virtutem ſolicitæ.*

Alb. Magn. in Pſ. 93. v. 19.
Job. 6. v. 6.
S. Baſil. h. 4. de grat. agend.

Una non datur ſine altera.

7. Dilecta Dei ſponſa; exultabunda quondam gloriabatur: *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Aſt quale ei creditis propoſitum fuiſſe vinum? Illud, ni fallor, de quo dicitur: *Potaſti nos vino compunctionis. Id eſt*, inquit Hugo Cardinalis, *amaritudinibus & tribulationibus. In hoc quod dicit: Vino, notatur dulcedo; in hoc quod dicit: Compunctionis; notatur amaritudo & junguntur ſimul, quia Dominus hic non dat unum ſine altero.* Vinum dicit eſſe dulce ſimul & amarum; Deo maximis ſublevante conſolationibus animas illas dilectas, quæ amore ejus preſſæ fuerunt tribulationibus; quæ ut Eminentiſſimus confirmet, ſequentem ſubnectit ſcripturæ textum: *Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio illius non miſcebitur extraneus*; ſimulque quamdam adducit Sancti Gregorij ſententiam, inquientis: *Mirabili diſpenſatione dum exterius affligit, interius reficit, ſed multi nolunt bibere hoc vinum propter amaritudinem, quam inveniunt exterius; ſed niſi bibant de amaro, numquam bibent de dulci.* Item Boëtium citat ſcribentem: *In palatio Joviniani erant duo dolia, unum de optimo vino, & aliud de amariſſimo, & quicumque volebat de bono bibere, oportebat quod prius biberet de amaro.* Impoſſibile quodammodo videtur & incompatibile cum planctu gaudium & jubilum, & nihilominus ipſa nos veritatem experientia docet. Emblema vidi inciſa & plangente animatum vite, cum hac epigraphe: *Ut mero gaudeam.* Inciſa vitis lacrymoſum generat humorem, ut generoſum & amabile producat vinum; id quod Pſalmiſta indicare voluiſſe videtur, dum ait: *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* Ubi Sanctus Ambroſius ait: *Non ſolus dolor lacrymas habet, habet & lætitia lacrymas ſuas.* Per vinum à Davide nobis propinatum, flebilem & lacrymoſam intelligere poſſumus peccatorum contritionem, juxta cujus quantitatem quis neſcit, in anima noſtra jubilum abundare internum. Iſaias 40. Prophetiæ ſuæ caput ſequentibus exorditur verbis (*Conſolamini, conſolamini. Loquimini ad cor Jeruſalem.* Quæ tantæ exultationis cauſa? *Dimiſſa eſt iniquitas illius*; quia nimirum abſolutio ſacramentalis pacem, conſolationem & quietem conciliat: Idem Propheta alio quoque in loco ait: *Ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu.* Circa quæ verba verba Oleas. inquit: *Iſtæ ſunt mutationes dextræ excelſi; mutat cinerem in coronam, luctuum in oleum gaudij, quis non lugebit? quis cinerem ſuper caput non jactabit, poſtquam noverit tam præclaras Dei noſtri mutationes?*

Cant. 2. v. 2.
Pſ. 59. v. 5.
Hugo Card.
Prov. 14. v. 10.
Dulcia non meruit. &c.
Boet. lib. 2. conſol philoſ. proſ. 2.
Emblema.
Pſ. 125. v. 5.
S. Ambr. in obit. Satyri.
Iſ. 40 v. 1.
Ibid. v. 2.
Iſ. 61. v. 3.
Oleas. ibid.

8. Notandum autem ſingulariter, quod mortificationes, tribulationes & paſſiones hujuſmodi; quibus ſpirituales correſpondent conſolationes & dulcedines, amore Dei, & non ob alios quoſcumque fines humanos, ſuſcipiendæ ſint & amplexandæ. Diverſas invenio ſacrorum expoſitorum Gloſſas circa illa Apoſtoli verba: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Cajetanus poſt probatam à ſe paſſionum & conſolationum æqualitatem, ait: *Verum adverte, quod utrobique ponit Chriſtum; tum ut intelligamus quod conſolatio divina non comitatur afflictiones omnes, ſed eas, quas pro Chriſto patimur, tum ut intelligamus, Chriſtum eſſe medium in abundantia conſolationis, quemadmodum eſt ratio abundantis afflictionis.* Hugo Cardinalis eidem ſubſcribens, ait: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, quas pro Chriſto patimur vel quas ſuſtinemus ad imitationem ejus.* Theophylactus ait: *Non ſimpliciter dixit paſſiones, ſed Chriſti; ut animum inde Corinthijs addat; Chriſti enim, inquit, paſſiones ſunt, quas nos hic patimur, noſque efficimur participes afflictionis ipſius. Maxima verò ſit hæc Chriſti conſolatio, quod Chriſti afflictiones ſuſtineas.* Ita & Apoſtoli teſte S. Luca: *Ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Pro nomine Jeſu*, inquit Hugo Card. *non pro alio crimine.* Jubilabant Sancti in anguſtijs, quia propter Chriſtum ſe pati premique noverant, Gloſſa inquit: *Ubi Chriſtus in cauſa eſt, maledictio eſt optanda.* Inſignis hoc loco minimè ſubticendus ſeſe inſinuat Dionyſi Carth. diſcurſus, inquientis: *Omnis qui pro cauſa honeſta affligitur, dummodo afflictionem ſuam æquanimiter toleret, omnemque carnalem ac vilem delectationem deſpiciat, promeretur conſolari à Domino, tanto exuberantius, quanto abundantius dolet. Si igitur ad divinarum conſolationum, quæ veræ dulciſſimæque conſiſtunt, guſtum pertingere nitimur, multarum tribulationum afflictionem perpeti non dedignemur, ſed gratulemur; quoniam ſi ſocij fuerimus paſſionum, erimus & ſocij conſolationum.*

Tribulationes propter Deum ſuſcipiendæ.
1. Cor. 1. v. 5.
Cajetan. ib.
Hug. Card.
Theophil.
Act. 5. v. 41.
Hug. Card.
Gloſſ. ibid.
D. Carth. in Pſ. 93. v. 19.

9. Exilia diximus: Spiritus conſolationes & dulcedines non modo adæquant, ſed & excedunt preſſuras, Cajetanus pro *conſolationes tuæ lætificaverunt*, legit, *deliciabuntur; non ſolum delectationem, ſed & delicias facient animæ.* S. Gregorius ad idem intentum, illum applicat è libro Job deſumptum textum (*Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Job, duplicia*) inquiens: *Cuncta quæ amiſerat,*

Conſolationes excedunt tribulationes.
Cajet. in Pſ. 93. v. 19.
S. Greg. l. 35. mor. c. 8.



 *duplicia*

*duplicia recipit, quia per benigni pietatem judicis, tentationis noſtræ diſpendium vincunt ſuffragia conſolationum.* Annon ipſammet hanc veritatem proteſtatus eſt ille, qui maximè inter omnes paſſus fuerat Apoſtolus, inquiens: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione: Quia enim tribulationibus externis,* inquit Rupertus Abbas, *internæ conſolationes copulantur, ideo repletur conſolatione & ſuperabundat gaudio.* Notate Apoſtoli contextum, poſtquam enim dixit: *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in tribulatione noſtra,* immediatè ſubjungit: *Ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt. Id eſt tam copiosè:* inquit Dionyſius Carthuſianus, *conſolatur nos, ut ex plenitudine, guſtu & experientia conſolationis nobis infuſæ, valeamus & nos conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt.* Chryſoſtomus illa Apoſtoli (*abundat conſolatio &c.*) conſiderans verba inquit: *Non quanta calamitate, tanta quoque conſolatione afficimur, ſed multo majore. Neque enim dixit: Conſolatio calamitates æquat, ſed abundat conſolatio.* Deinde ſingulare Apoſtoli erga paſſiones deſiderium edocturus, ait: *Cum frequentes afflictiones quolibet die in ſe irruentes proſpiceret, haud ſecus ac ſi in medio Paradiſi degeret, exultabat; & jubilabat; qui hujuſmodi gaudio fruitur, à mærore arripi non poteſt.* Theophylactus eadem Apoſtoli (*ſuperabundo gaudio*) interpretans verba, inquit: *Lætitiæ copiam indicat, ſuperabundo, id eſt, ſuperexubero.* Alio quoque in loco ſuos Apoſtolus ſequenti exhortatur doctrina: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes;* circa quæ verba S. Ambroſius hujuſmodi format diſcurſum: *Verum eſt, quia triſtitia hæc gaudium operatur, & qui eos injurijs contriſtabant, gaudium eorum exaggerabant.*

1. Cor. 7. v. 4.
Rub. Abb.
2. Cor. 1. v. 4.
Ibid.
D. Carth. ib.
2. Cor. 1. 5.
S. Chryſ. h. 1. in 2. ad Cor.
2. Cor. 7. v. 4.
Theoph. ib.
2. Cor. 6. v. 10.
S. Ambr. ib.

10. *Secundùm multitudinem dolorum meorum &c.* Michaël de Bononia hunc Pſalmi interpretans verſum, *poſſunt eſſe,* inquit, *verba juſti hominis afflicti & adverſitatibus preſſi, quia quanto majora pro Chriſto ſuſtinet, tanto ei præmia majora debentur, imo etiam conſolationes dolores excedunt.* Sequentem in vita Sanctæ Catharinæ Senenſis non ſine ſtupore recolo me legiſſe tragœdiam. Virgo hæc infinitam experiebatur nauſeam & inſuperabile faſtidium in infirmæ cujusdam, cancro fœtido laborantis, ſervitio; ut igitur ſeipſam devinceret, omnem à fœtenti vulnere promanantem ſuxit ſaniem. Frater autem Raymundus Confeſſarius ejuſdem, teſtatur, eam ſibi dixiſſe, pater, à tempore nativitatis meæ numquam dulciorem me potum bibiſſe memini. Sequenti igitur nocte, eidem virgini oranti cœleſtis apparuit ſponſus, apertumque illi exhibens latus cum reliquis ſacratiſſimis plagis, ſic eam affatus fuit: Chariſſima filia, plurimos per gratiam meam ſuperaſti victrix conflictus, quapropter mihi etiam, gratiſſima ſemper acceptiſſimaque extitiſti; aſt heri ſpeciale mihi præſtitiſti beneficium, quando tuum deſpiciens illudensque corpus, ſingulari ſuccenſa charitatis fervore, ipſum fœtenti putridaque potione generoſiſſimè conculcaſti; quia autem in ſingularis hujus mortificationis actu, propter me, naturæ tranſilijſti confines, ideo & ego tibi potum impertiar, omni creato dulciorem liquore: quo dicto, cœleſtis ſponſus ſuam ad virginis collum extendens dexteram, eam ſuo admovit divino lateri, dixitque: Hic bibe & pota, filia mea, tanta namque inde in animam tuam redundabit ſuavitas, ut etiam in tuum ſeſe effundat corpus, tantæ propter me, ſubjectum mortificationi. Applicato igitur ore ad ſacratiſſimam plagam, dulcedinem exuxit & ſuavitatem paradiſiacam, adeo oblectativam & ſatiativam, ut deinceps omnem penitus recuſarit cibum & potum. Qualis equidem creditus, Abrahæ in cruento proprij filij ſacrificio adimplendo oborta fuerit pugna & conflictus; Sanctus Senecio proprijs manibus innocentem mactaturus, pupillam oculorum ſuorum, hæredem unicum & familiæ ſuæ propaginem; prolem, in qua juxta oraculum cœleſte ſtirps propaganda erat, ſtellis cœli & ipſis maris numeroſior arenis, immolaturus pater, quibus non fuerit agitatus difficultatum procellis? nihilominus ſeipſo major, montem conſcendit, lignis ferroque onuſtus, cumque deſtinatum attigiſſet locum, ſtrictum contra filium cœpit vibrare enſem, aſt ſubitò præſens ictum inhibuit Angelus, ita ut meritò dicere poſſet: *Secundùm multitudinem dolorum &c. Conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam;* audire namque meruit: *Nunc cognovi, quod times Deum; Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli & velut arenam, quæ eſt in littore maris; ... Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes;* neque tamen imperfectum manſit ſacrificium, ſiquidem Abraham *vidit ... arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Auſcultate myſterium: Iſaac interpretatur riſus; quando amore Dei, omnes noſtras delicias & ſatisfactiones Domino ſacrificare parati ſumus, Deus nequaquam ſeſe à nobis vinci permittit, imò noſtra corda & animas ſingularioribus replet conſolationibus; ideoque mellifluus, qui ipſemet frequenter in hujusmodi natitabat cœleſtium ſuavitatum Oceano, ſequenti unumquemque noſtrûm extimulat exhortatione: *Et tu ſi vocem Domini audieris & dicatur tibi, ut offeras Iſaac tuum; quodcumque gaudium fideliter & conſtanter offerre ne timeas; ſecurus eſto; non Iſaac ſed aries morietur; non peribit tibi lætitia.*

Pſ. 93. v. 19.
Incogn. in Pſ. 93.
Exemplum. L. 2. c. 8. Pauli Frig.
Gen. 22. v. 12.
Iſaac noſter conſecrandus Deo.
Pſ. 93. v. 19.
Gen. 22. 12.
Ibid. v. 16.
Ibid. v. 17.
Ibid. v. 18.
Ibid. v. 13.
S. Bern. ſer. ecce nos reliquimus.

# TRACTATUS XVII.

# DE BONIS ET MALIS CONSORTIIS, DEQUE UTILITATE ET DAMNIS EORUMDEM,

## CONTINENS. DISCURSUS XIV.

DISCURSUS I. Homini à prima origine innatus eſt ſocietatis amor, quæ propter mutuam indigentiam, eſt inter nos unice neceſſaria; aſt dum ſimiles nobis amamus, multa cum circumſpectione meliores ſeu bonos oportet ut ſodales eligamus.

II. Malæ ſocietatis efficacia perpenditur & violentia in ordine ad pervertendum nos.

III. Maxime etiam virtuoſos, magiſque in divino ſervitio ſtabiles converſatio pervertit malorum.

IV. Citra miraculum, & abſque ſpeciali Dei aſſiſtentia boni conſtantes non perſeverant inter perverſos, quibuscum converſari ſoli poterunt ij, qui in virtutibus ſtabiliti ſunt, in majus bonum animarum illorum.

V. Boni cum malis converſando, citius pervertuntur, quam convertant; ſiquidem natura noſtra potius in vitia, quam in virtutes propendet.

VI. De varijs malis & damnis, quæ juſtis eveniunt ex ſocietate impiorum.

VII. Proſecutio ejuſdem materiæ; hujuſmodi tamen diſcriminibus ſubjecti non ſunt, qui ex bono motivo aut fine, conſortijs malorum utuntur.

VIII. Societas mali peſti aſſimilatur & veneno.

IX. Vel unicus focius malus ſufficit ad corrumpendos multos bonos; qui nos diverſis multoties bonis privat & ſupplicijs implicat; quibus ipſe obruitur.

X. Malis ſodalibus diabolus utitur tamquam efficaciſſimis ad nos pervertendos inſtrumentis.

XI. Noſtrorum qualitas morum ex qualitate dignoſcitur ſociorum, quibus cum converſari gaudemus; unde virtuoſi ſint, oportet, qui cum malis converſantur ad meliorandum eos.

XII. Malos, utpote animæ pernicioſos, ad Chriſti multorumque ſervorum Dei exemplum, devitare oportet, etiam repugnante ſenſu, XIII. De



XIII. De bonorum ſocietatis utilitate, varijſque alijs conſortij malorum nocumentis.

XIV. De bonis, quæ mali ex proborum converſatione hauriunt; deque alijs malis, quæ juſtis infert ſocietas perverſa.

## DISCURSUS I.

## ARGUMENTUM.

Homini à prima origine innatus eſt ſocietatis amor, quæ ob mutuam indigentiam unice inter nos eſt neceſſaria; aſt dum ſimiles nobis amamus, oportet ut multa cum Circumſpectione bonos eligamus ſodales.

## THEMA.

*Omne animal diligit ſimile ſibi, ſic & omnis homo proximum ſibi.* Eccli. 13. v. 19.

Innatus ſocietatis amor.
Gen. 2. v. 17.

1. IN tantum propria eſt homini ſociabilitas, ut vix creatus obtinuerit ſodalem; aſſerente textu ſacro; *Dixit Dominus Deus; non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Creata equidem jam erant, Adæque ſubjecta dominio omnia bruta animantia, aſt conſortij incapacia erant humani; Unde & Moyſes, priusquam Evæ formationem aſtruat, notanter ait: *Adæ vero non inveniebatur adjutor ſimilis ejus.* Soli namque ejuſdem participes ſpeciei humanæ, mutuam apti erant inire ſocietatem. *Hominem quoque hominis cauſa generatum eſſe,* inquit Sanctus Ambroſius, *in libris Moyſi reperimus; dicente Domino: Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi ad adjumentum.* Ex quibus manifeſte deducitur, quam homini vel ab ipſis primis natalibus congenita ſit atque connaturalis reciproca hominum communicatio & ſocietas. Doctam in præſenti nobis ſpeculationem exhibet Sanctus Bernardinus, dum inquit: *Hoc docet nos Deus,* (ſcilicet ſociabiles eſſe) *per naturam, quam ipſe creavit; nam omnes quinque corporis ſenſus, videlicet oculos, aures, nares, & quaſi omnia ejus membra & venas & oſſa & nervos multiplicavit; ut, quod unum non poſſet, aliud ſuppleret, ac per hoc virtus ſingulorum fortior in omnibus redderentur, dum unum alteri unitum eſſet. Nullum profecto in humano corpore membrum eſt, quod non egeat altero; patet de corde, quod cum nobiliſſimum membrum ſit, minime vivere poſſet, niſi pulmo ae aëre ſubveniret; nec etiam ipſe pulmo aërem contrahere poſſet, niſi ei cor vitam & motum adminiſtraret; & ſic de cæteris membris conſiderandum eſt, nullum ſibi ſatis eſt, niſi altero adjuvetur;* hanc omnino ob cauſam, reciproca inter homines exigitur communicatio: *Sic profecto in hominibus manifeſte contingit, quia unus alteri neceſſarius eſt, ne deviet à via virtutum.*

Ibid. v. 20.
S. Ambr. l. 1. de offic. c. 28.
S. Bern. t. 3. ſer. in D. 3. Pent. a. 1. c. 1.
Membrum unum eget altero.

Peregrinationis iter alleviant comites.

2. In vita hac tamquam in peregrinatione degimus, ad patriam properantes, ad quam creati ſumus; quis autem neſcit, longo in itinere, maximum nobis ſolatium afferre conſortium mutuum? *Cum in itinere comes jungitur,* inquit Sanctus Gregorius à D. Bonaventura citatus, *via quidem non detrahitur, ſed tamen de ſocietate comitis labor itineris leviatur.* Multa offendicula in diverſa nos præcipitant rerum diſcrimina, ideoque juxta Eccleſiaſten, *melius eſt, duos eſſe ſimul, quam unum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ; ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur; væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe.* Quam pariter utilitatem probe cognovit perſpexitque ille, qui dicebat jubilans: *Quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum? Illic mandavit Dominus benedictionem & vitam.*

S. Greg. l. 5. mor. c. 5.
S. Bonav. l. 4. Phar. c. 22.
Eccle. 4. v. 6.
Pſ. 132. v. 1.
Ibid. v. 3.

Amicus fidelis quid ſit.

3. Eccleſiaſt. de bono fidelique ſocio tractans, dicere non ambigit: *Amicus fidelis, protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit theſaurum; Amico fideli nulla eſt comparatio; ... Amicus fidelis medicamentum vitæ.* Unde nec immerito Sanctum Ambroſium aſſeruiſſe concludo, dum ait: *Amicus fidelis ſolatium vitæ hujus eſt, ut habeat, cui pectus tuum aperias, qui tibi in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur. Facilis vox eſt & communis: Tuus ſum totus, ſed pauciorìs eſt effectus.* Imo ſapiens amicum ſodalemque bonum proprio docet anteponendum fratri, dum ait: *Vir amabilis ad ſocietatem magis amicus erit quam frater.* S. autem Bernardinus ad boni ſodalitij commoda intentus, *primum bonum,* inquit, *quod oritur ex bona ſocietate, eſt intellectus illuminatio.* Quo fine & Seneca moralis aſſerit: *Non magis utilitati eſt ager cum reditibus amplis, quam vicinus æqualis cum moribus bonis.*

Eccli. 6. v. 14.
Ibid. v. 10.
Ibid. v. 15.
S. Ambr. l. 3. de off.
Prov. 18. v. 24.
S. Bern. ibi.
Sen. ep. 11.

4. Naturalis fert hominis inclinatio, non modo ſocios, ſed & ſimiles ſibi habere: *Omne animal diligit ſimile ſibi &c. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur, volatilia ad ſibi ſimilia conveniant.* Unde & Ariſtoteles ait: *Amicitia in ſimilibus, ut videtur, ac dici ſolet; ſiquidem graculus graculo aſſidet,* Et alibi: *Quoniam quod ſecundùm naturam eſt, jucundum eſt, ut homo homini, equus equo; hinc proverbia celebrata ſunt, quod æqualis æqualem delectat, quodque ſemper à ſimili ſimile amatur.* Ut autem amicitiam ſolidam ab adulatoria ſecernere noverimus, hoc Plutarchus nobis aſſignat documentum: *Principium amicitiæ ac ſtabilitas in ſimilitudine ſtudiorum ac morum maxime conſiſtit, earumdemque rerum omnino appetitio aut averſatio, ob affectum animi ſimilitudinem, primo homines conjungit ac continet.* Quam etiam ſodalium amicorumque ſimilitudinem his verbis expreſſit Plato: *Amicum quidem vocamus ſimile ſibi quod ad virtutem, & æquale æquali.* Audite, quid ipſemet de ſe ſcribat Nazianzenus: *Cum caſtitatis amor in intimis animi receſſibus occultari non poſſet, primum cum his hominibus, vitæ conſuetudinem contraxi, qui matrimonij vincula fugerunt, ſeque à mundi contagione abruperant.* Quam pariter doctrinam, Sancti Gregorij teſtimonio inhærens adducit Sanctus Bonaventura, dum inquit: *Hoc unicuique eſſe proprium ſolet, ut, qualis ipſe fuerit, tales ſibi conjungi & alios velit, ut diverſitatem vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat, quod amat.* Nihilominus ab hac regula lubricam Sanctus Bernardinus excipit juventutem, ſevera diſciplina & magna indigam cuſtodia; proindeque ait: *Sequatur converſationis electio, ut adjungantur probatiſſimis quibusque ſenioribus.* In ijs, qui cum juvenibus converſaturi ſunt, eamdem minime requirit ætatem & profeſſionem, quin potius annos plures, authoritatem & prudentiam eminentiorem; cujus hanc aſſignat rationem: *Nam ut æqualium uſus dulcior, ita ſeniorum tutior eſt, qui magiſterio quodam edocti vitæ colorant mores adoleſcentium, & velut murice probitatis inficiunt.* Non nego equidem, juvenibus gravem quandoque eſſe maturiorum converſationem; aſt oculus in id, non quod oblectat, ſed quod utilitatem animarum affert, bonosque mores promovet, convertendus eſt.

Eccli. 13. v. 20.
Ariſtot. l. 2. mag. mor. c. 12.
Ariſtot. l. 1. Rhet. c. 11.
Documenta.
Plutarch.
Plat. l. 8. de leg.
Nazianz. in carm. de an. ſua calam.
S. Bonav. t. 6. l. 4. Pharet. c. 22.
S. Greg. l. 8. mor. c. 30.
S. Bern. de ord. vitæ ſeu de doctrin. puer.

5. Similium itaque conſortia affectare urgereque debemus, aſt unice curandum, ut maxima cum diſcretione, ſelectum ſociorum inſtituamus; namque ſi mali fuerint, & nos tales infallibiliter efficiemur, juxta illud Oſeæ: *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Societas quæcumque, ſive bona ſive mala, maximam habet bonos malosve mores nobis imprimendi efficaciam; Homo imaginem ſeu ſpeculum imitatur; (*in imagine pertranſit homo*) ad eorum naturaliter imitationem inclinamur, qui nobis præ reliquis ſunt magis familiares, magiſque amici; ipſe nobis naturalis præludit infantium ſeu puerorum inſtinctus, qui quidquid obſervant fieri in alijs, imitari geſtiunt & ipſi; hæc propenſio non interit, ſed potius accreſcit cum annis ideoque tantam in ſociorum ſodaliumque noſtrorum dictis factiſque imitandis experimur inclinationem.

Familiarium induimus mores.
Oſ. 9. v. 10.
Pſ. 38. v. 8.

6. Interrogatus quondam Ariſtoteles, cur cum bonis converſans, evadat quidem melior, at non ſanior aut pulchrior, reſpondet: *Quia bona corporis, animo imitari non poſſumus.* Oculus noſter ad interiorem pertingere nequit hominis conſtitutionem; unde Chriſtus ait: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Cujus perfectio ſanctitatem ſuperabat Evæ in innocentiæ ſtatu, juſtitiæ originalis chlamyde circumdatæ, & a communi Creatore in viri auxilium formatæ. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Hæc nihilominus ipſa conjugem ſuum in tantarum præcipitavit miſeriarum abyſſum; ideoque Sanctus Ambroſius conquerens, ait: *Ille, qui adjumentum corporis habiturum ſe credidit, lapſus eſt per uxorem, unde nemo debet ſe facile alteri credere, niſi cujus virtutem probarit.* Quis ſanctè oculatior illuminatiorque fuit Auguſtino? nihilominus ipſemet in hæc de ſe verba proteſtatur. *Quantumlibet vigilet diſciplina domus*

Ariſtot.
Magna circumſpectione opus, inter Apoſtolos enim Judas.
Matth. 7. v. 15.
Gen. 2. v. 18.
S. Ambr. l. de Par. c. 4.
S. Aug. ep. 137.

*meæ, homo ſum & inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior ſit quam arca Noë, ubi tamen inter octo homines unus reprobus inventus eſt; aut melior ſit quam domus Abrahæ, ubi dictum eſt: Ejice ancillam & filium ejus. Aut melior ſit, quam domus Iſaac, cui de duobus dictum eſt: Jacob dilexi, Eſau odio habui: Aut melior ſit, quam domus ipſius David, cujus filius cum ſorore concubuit; cujus alter filius contra Patris tam ſanctam manſuetudinem rebellavit.* Quibus Sanctus præſul exemplum ſubdit Apoſtoli, qui licet multæ virtutis inter ac perfectionis degeret cultores, nihilominus ſpinas dicit ſe reperiſſe inter roſas: *Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Moxque diſcurſum his verbis terminat in Juda: *Aut melior, quam cohabitatio ipſius Domini, in qua undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt; aut melior ſit poſtremo quam cælum, unde Angeli ceciderunt.* Ecce aptiſſimum vobis diſcurſum, qui nulli non mentis corporiſque oculos aperiat, ut zizania inter & frumentum induſtrie diſtinguat, certus, quod omni in loco & ſtatu quicumque etiam ſanctiſſimus malam hujuſmodi ſit offenſurus herbam, niſi maxima cum cautela & circumſpectione procedat.

Philip. 2, 21.

Diſtinguere difficile inter homines.
Matth. 13. v. 28. 29.

7. Zizaniorum mentionem ingerenti zeloſi illi occurrunt operarij, qui multa cum inſtantia patremfamilias inducere attentarunt, ut conſentiret in zizaniorum eradicationem: *Vis, imus & colligimus ea?* Quibus ille, *Et ait: non: Ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis ſimul & triticum.* Sed quomodo? Servis fortaſſe defecerant oculi, aut certe inter bonam malamque herbam diſcernere neſciebant? ita ſane, ſiquidem granum bonum, ſemenque malum, dum creſcere & pullulare, incipiunt, adeo ſibi invicem aſſimilantur, ut per quam difficile ſit ea diſcernere; aſt myſterium contemplaturi, per zizania malos intelligamus ſodales, qui externam multæ virtutis bonitatiſque ſpeciem præ ſe ferentes, difficulter dignoſcuntur, difficilius devitantur; id quod tamen facilius nobis factu fuerit, ſi Sancto Cypriano paruerimus, dicenti: *Profecto implantator animam ſuam decipit, qui non cavendo contraria, noxijs rebus ſemetipſum commiſerit; ille autem tutius ſibi conſulit, quia circa malos ſemper inſidus, ſpecies quaſcumque noxias extimeſcit.*

S. Cypr. de ſing. cleric.

In delectu familiaris conſiderate age.

8. Quanta cum induſtria atque indagine eos nobis comparamus ſervos, qui fideles bona domeſtica non dilapident, ſed ſine intereſſe proprio eadem conſervare & adaugere ſtudeant; quanto majori circa converſationes & ſocietates aliorum nos oportet uti delectu, ſiquidem conſortia mala multoties non bona dumtaxat & famam, ſed & æternam proſtituerunt ſalutem, teſte Spiritu Sancto, dum ait: *Cum perverſo perverteris.* Accommodum auſcultate Sancti Joannis Chryſoſtomi diſcurſum. *Tu autem ſi in civitate aliqua ſis habitaturus, de aëre carioſe inquiris, an ſit ſalubris, non temperatus, non ſiccus; de anima autem rationem initurus, non es ſolicitus de eorum conſuetudine, qui cum ea ſunt congreſſuri, ſed temere & inconſiderate eam omnibus permittis: Dic tu mihi, quomodo veniam aſſequeris, ſi eam ſic negligis?*

Pſ. 17. v. 27.
S. Chryſ. in Pſ. 4.

Cur ſcribam repudiarit Chriſtus.

9. Neminem latet quantum Salvator laborarit, ut noſtras ad ſe animas pertraheret, adque ſui notiam adduceret; laſſus atque exhauſtus ad puteum Jacob Samaritanam lucratus eſt, dictitans; lautiſſimas ſuas epulas peccatorum eſſe converſionem: *Cum publicanis & peccatoribus manducat; non veni vocare juſtos, ſed peccatores; venite ad me omnes;* nihilominus cujusdam ultro ſe offerentis ſodalitium legitur repudiaſſe: *Accedens unus Scriba, ait: Magiſter, ſequar te, quocumque jeris.* Moxque repulſam paſſus, reſponſum accepit: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Cauſamne repulſæ noſtis? Penetrabat Chriſtus fraudulentum & verſipillem ejus animum, inſtar vulpis ſubdolum, qui non ex bono fine Chriſtum ſequi & ei adhærere optabat, ideoque ſua ipſum è ſocietate excluſit; alteram huic primæ facti illius rationem aſſignat Sanct. Ambroſ. dicens: Id Chriſtum ad noſtram feciſſe eruditionem, ut ſcilicet diſcamus, nullam omnino perſonam in noſtram admittere ſocietatem, amicitiam aut familiaritatem, niſi prius maturam & diſcretam ejuſdem hauſerimus notitiam; unde & Senior Tobias filium ſuum in Rages ablegaturus, conſideratis viarum difficultatibus & periculis, quæ vel maxime ex parte malorum ſociorum incurruntur, ſolicite qualitatem ejus, quo cum filius erat iter aggreſſus, indagavit; *Sed perge nunc & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalva mercede ſua. ... Tunc egreſſus Tobias, invenit juvenem ſpendidum ſtantem præcinctum & quaſi paratum ad ambulandum; Et ignorans, quod Angelus Dei eſſet, ſalutavit eum & dixit: Unde te habemus bone juvenis? At ille reſpondit, ex filijs Iſraël.* Introductus itaque Angelus, novo fuit ſenioris ſubjectus examini: *Indica mihi, de qua domo aut de quâ tribu es tu.* Ut ſcilicet intelligamus, nullam omnio circumſpectionem in præſenti materia, quantumcumque ſagacem, ſuperfluam eſſe, ſed convenientem & maxime expedientem.

Matth. 9. v. 11.
Ibid. v. 13.
Matth. 11. v. 28.
Matth. 8. v. 19.
Ibid. v. 20.

Tob. 5. v. 4.
Ibid. v. 5.
Ibid. v. 6.
Ibid. v. 7.

10. Eamdem nobis veritatem inculcare nititur Seneca, dum ita conſulit omnibus: *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tamquam illo ſpectante vivamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus.* Imo, inquit idem auctor, ad ſociorum potius, quam ciborum qualitatem attendere neceſſum eſt: *Ante circumſpiciendum eſt, cum quibus edas & bibas, quam quid edas & bibas.* Ad idem forum ſpectat, quod Symmachus de quodam eximiæ virtutis, ſcientiæque Philoſopho, cui nomen Horus, refert; dicere namque ſolebat hic ſapiens, principalioribus fortunæ bonis annumerandos eſſe ſocios bonos: *Inter prima numerat bona fortunæ, ſi optimis quibusque jungatur.*

Sen. ep. 11. Apophthegmata.
Symm. l. 2. ep. 39.

11. Non ſolum autem bonorum nobis eſt converſatio quærenda, ſed & malorum ſolicite vitanda; ideoque Albertus Magnus in commentario ſuper illa Pſalmi verba (*Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum eſt illis in ſcandalum:*) ita ad noſtrum diſcurrit intentum: *Dicuntur duo; cum malis habitatio, & ipſorum malorum, & in malis imitatio. Nota hic diligenter, quod in omni operatione ſua, natura tendit ad hoc; ſicut vult Philoſophus, ut ſeparet nobile ab ignobili; ſimiliter & gratia ad hoc tendit, ut pretioſum à vili ſegregetur, & hoc oſtendit Dominus in principio ſcripturæ; vidit, inquit Deus lucem, quod eſſet bona, & ſeparavit lucem à tenebris.* Per lucem boni intelliguntur, juxta illud Apoſtoli aſſertum: *Ut filij lucis ambulate*, illa à tenebris, id eſt, à malis ſequeſtranda eſt, quia ut Sanctus Bernardinus ex Seneca probat: *Convictor delicatus paulatim enervat & emollit; neceſſe eſt; aut imiteris aut oderis, utrumque autem devitandum eſt; ne autem ſimilis malus ſias, cum his converſare, qui meliorem te facturi ſint, illos admitte, quos tu potes facere meliores.*

Pſ. 105. v. 35.
Malorum ſocietas vitanda.
Alb. Magn. ib.
Gen. 1. v. 4.
Eph. 5. v. 9.
S. Bern. ſer. 4. 2. c. 3.

## DISCURSUS II.

### ARGUMENTUM.

De malæ ſocietatis efficacia & violentia, ad pervertendum nos.

### THEMA.

*Commiſti ſunt inter gentes & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum; & factum eſt illis in ſcandalum.* Pſ. 105. v. 35. & 36.

Mala ſocietas pervertit Iſraelitas.

1. ALias inter hiſtorias ſacras Daniel unam recenſet de quadam altercatione, habita inter Angelos bonos. Poſtquam enim Propheta per quatuor ſeptimanas continuis jejunijs & precibus vacaſſet ad obtinendam Hebræorum à Babylonica ſervitute liberationem, apparuit ei Sanctus Michaël, tutelaris Angelus Synagogæ, dicens: Supplicationibus tuis jam ſubſcriptum erat in favorem tui, ſed oppoſuit ſe mihi Angelus, cui Perſiæ incumbit protectio: *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi, viginti & uno diebus.* In quo hæc conſiſtebat reſiſtentia & oppoſitio? varij varie reſpondent; aſt gloſſa, noſtro accommoda propoſito, eſt Hugonis Cardinalis, qui pro ſe citans Sanctum Gregorium, ſuſtinet, Angelum Perſiæ regno præpoſitum vetuiſſe maturam adeo Iſraëlis liberationem; ſiquidem illas inter anguſtias populus virtutum quotidie & amoris divini capiebat incrementa: tum etiam (& ſpecialiter quidem) ut per Hebræorum, verum Deum colentium, converſationem, idololatræ illuminati ad veram religionem converterentur. Si electi illius populi conſortium Angelus reputavit ſufficiens ad Babyloniorum converſionem ſalutemque operandam, quomodo igitur hodie aſtruit David, quod eidem Hebræi

Daniel 10. v. 13.
Hug. Card. in Dan.



bræi inter Gentiles degendo, horum addidicerint abuſus atque abominationes, perverſique fuerint? *Commiſti ſunt &c.* Reſponſio facilis eſt & ſolida; nimirum nullum fuiſſe perverſionis Iſraëlitarum periculum in Babylonia, ſiquidem à dura inibi opprimebantur ſervitute: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Aſt in terra Canaan, ubi pro batillis lauros, pro ligonibus deferebant ſceptra, practicando cum idololatris, ſuis licet ſervis & tributarijs, nihilominus *didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum &c.* Per impiorum conſortium & familiaritatem in tantam degenerarunt perverſitatem, ut Pſalmiſta ſubjungat: *Et immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs, Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan, & infecta eſt terra in ſanguinibus, Et contaminata eſt in operibus eorum, & fornicati ſunt in adinventionibus ſuis.* Hebræa verſio pro *didicerunt* legit *aſſuefecere.* Taliter impij illi ſuas populo electo impreſſerunt ſuperſtitiones, impietates, idololatrias, ut proprios etiam filios immolarit idolis.

Pſ. 82. v. 17.
Pſ. 105. v. 35. 36.
Ibid. v. 37.
Ibid. v. 38.
Ibid. v. 39.

Inobedientes Iſraelitæ perverſi ſunt facti.

2. Probe noverat Deus tyrannicam perverſæ converſationis violentiam, ideoque priusquam Iſraël poſſeſſionem caperet Palæſtinæ, ab impijs & ſacrilegis populis inhabitatæ, vetuit illum cum ijs habere commercium, quin etiam ut perderent omnes, parcerent nulli: *Ego ipſe ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum & Cananæum, & Hethæum & Jebuſæum; cave, ne umquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias; quæ ſunt tibi in ruinam. Diſcimus hoc in loco*, inquit Lippomanus, *cum impijs non contrahendas amicitias, ne quando ut facile ſit, eorum faſcino inficiamur & ſcandalo præcipitemur.* Unde etiam ſubtili eget nota textus ille (*commiſti ſunt inter gentes &c.* priusquam enim Pſalmiſta electi populi narrare inciperet perverſionem, ejuſdem præmiſit cauſam, dicens: *Non diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis. Præcipit ut diſperderent*, inquit Haymon, *ne eorum conſuetudinem addiſcerent, & per iſtam ad culturam idolorum moverentur.* Maluit Dominus, in humano Palæſtinam natare ſanguine, univerſalem circumquaque exerceri populorum carnificinam, omnes trucidari, enecari, membratim convelli, quam ut electus populus aliquam ex eorum ſocietate aut conſortio maculam contrahendi incurreret periculum. Exacte hoc nobis exprimit doctiſſimus Michaël de Bononia Carmelitanus, dum ait: *Sciens Deus pronitatem populi ſui Iſraël ad malum, ne malorum & idololatrarum ſocietate, ad idololatriam traherentur; præcepit eis, dicens: Cum intraveritis terram Canaan, diſperdite, interficite cunctos habitatores ejus, ne ſcilicet eorum ſocietas ſit vobis in ruinam; ipſi autem in hoc, Domino inobedientes fuerunt, quia cupiditate ducti, ut ab eis haberent tributum, ſub ſe illos permiſerunt vivere.*

Exod. 34. v. 11.
Ibid. v. 12.
Lipp. ibid.
Pſ. 105. v. 34.
Haym. ibid.
Mich. Bon. ib.
Num. 33. v. 25.

3. Juxta Hugonis Cardinalis obſervationem, quinque mala in dicto exprimuntur Pſalmi verſiculo. *Primo mala ſocietas, cum dicit; Commiſti ſunt inter gentes. Secundo mala doctrina, cum dicitur; Et didicerunt. Tertio malum opus, cum dicitur; opera eorum. Quarto mala ſervitus, cum dicitur; & ſervierunt ſculptilibus eorum. Quinto notetur ſcandalum.* Aſt numquid hic ipſe populus ille erat, de quo David cecinit: *Notus in Judæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus?* Nonne ipſe per quadraginta annorum ſpatium, in columna nubis & ignis, in manna, in aquam profundente petra, inque tot alijs mirabilibus continuum expertus fuerat veri Dei patrocinium & aſſiſtentiam? quomodo igitur modo ad falſorum Numinum convertitur cultum? Reſpondet Hugo Cardinalis: *Quia commiſti ſunt inter gentes, non tantum corpore, ſed opere; difficile eſt, tangere ſerpentem, & non invenenari; & picem, & non contaminari.*

Hug. Card. ib.
Societas ruinæ fuit cauſa.
Pſ. 75. v. 2.
Hug. Card.

Malæ ſocietatis efficacia.

4. Percurrite primum Eſdræ volumen, invenietisque nimium ſancti illius viri lamentum, intentiſſime dolentis, quod populus electus (non obſtante recenti ex Babylonico mancipatu liberatione, & poſt inviolabiles obedientiæ præſtandæ promiſſiones, divinæ majeſtati factas) iterum Gentilibus ceſſiſſet in prædam, cumque ijs connubia contraxiſſet: *Scidi pallium meum & tunicam, & evulſi capillos capitis mei & barbæ, & ſedi mærens.* Perquirite, quanto cum gemitu & pœnitentiæ rigore pro transgreſſoribus interceſſerit, iramque divinam placare allaborarit; nec ſine effectu, omnes namque tanto atterriti ſpectaculo, emendationem promiſere: *Sic ergo oranti Eſdra & implorante eo & flente, & jacente ante templum Dei; collectus eſt ad eum de Iſraël cœtus grandis nimis virorum & mulierum, & puerorum, & flevit populus, fletu multo;* omneſque ſuum deteſtantes errorem, dixerunt: *Si eſt pœnitentia in Iſraël ſuper hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro; ut projiciamus univerſas uxores & eos, qui de his nati ſunt, juxta voluntatem Domini. Surge, tuum eſt decernere, noſque erimus tecum.* Subito Eſdras non modo promiſſionem, ſed & ſolemne acceptavit juramentum: *Surrexit ergo Eſdras & adjuravit Principes Sacerdotum & Levitarum, & omnem Iſraël, ut facerent ſecundùm verbum hoc, & juraverunt.* Quanto tempore inviolatum perſtitit hoc juramentum? Audite & obſtupeſcite malæ ſocietatis efficaciam: Vix his tranſactis, nova idem Eſdras multiplicat lamenta, inquiens: *Sed & in diebus illis vidi Judæos, ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas & filij eorum ex media parte loquebantur azotice, & neſciebant loqui Judaice; & loquebantur juxta linguam populi & populi;* aſt parum referret didiciſſe linguam, niſi etiam commiſti inter gentes, didiciſſent opera eorum. Ideoque in citato loco proſequitur hiſtoricus: *Et objurgavi eos & maledixi, & cæcidi ex eis viros & decalcavi eos & adjuravi in Deo, ut non darent filias ſuas filijs eorum; & non acciperent de filiabus eorum filijs ſuis & ſibimetipſis, dicens: Numquid non hujuſcemodi re peccavit Salomon, rex Iſrael? & certe in gentibus multis non erat rex ſimilis ei, & dilectus Deo ſuo erat, & poſuit eum Deus regem ſuper omnem Iſrael, & ipſum ergo ad peccatum duxerunt mulieres alienigenæ.*

1. Eſd. 9. v. 3.
1. Eſd. 10. v. 1.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 4.
Ibid. v. 5.
2. Eſd. 13. v. 23.
Ibid. v. 24.
Ibid. v. 25.
Ibid. v. 26.

Frivola quorumdam excuſatio.

5. Neque ſufficit voluntatem habere animumque firmum, ſe non implicandi malorum ſociorum vitijs & appetitibus, quoniam, ut ex Sancto Iſidoro notat D. Bernardinus, *per aſſiduitatem cito peccat homo, ſæpe familiaritas implicavit, ſæpe occaſionem peccandi dedit; ſæpe quos voluntas non potuit, aſſiduitas ſuperavit.* Ægyptum diverſis conficiens Moyſes Pharaoni vice quadam minatus eſt: *Ponam diviſionem inter populum meum & populum tuum.* Chaldæus legit: *Ponam redemptionem.* Quomodo redemptionem? populus equidem Hebræus ab Ægyptijs ſeparatus, degebat in Geſſen, non tamen eo tempore ex Ægypto liberatus fuit. Reſpondeo: Moyſen, dum electum populum ab impijs & reprobis ſequeſtravit, ipſum à ſervitute conſequenter redemiſſe, quam conſortium ſubinfert malum; noſtis utique, quoniam ad libitum agitantur alienum ſervi & mancipia, nolint velint; ita pariter violentam converſatio mala hanc habet annexam tyrannidem, ut ad id ſæpe impellat, à quo noſter maxime abhorret genius; ita ut vere dicere poſſimus: *Non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.*

S. Bern. T. 3. ſer. in D. 3. Pent. a. 2. c. 3.
S. Iſidor. l. 1. ſolil.
Exod. 8. v. 23.
Rom. 7. v. 15.

Multi peccant in gratiam ſodalium.

6. Job de quodam improbo diſſerens, inquit: *Abominabilis & inutilis homo qui, bibit quaſi aquam iniquitatem.* Sicuti enim incogitanter quis & facile integrum deglutit aquæ cyathum; ita plerumque converſatio mala frenum laxat ad quoſcumque frequentandos exceſſus facillime: vel etiam dicere poſſumus; quod, ſicut aqua elementum eſt fluidum & inſipidum, ita pariter multi delinquant, non quia ad id à proprio incitantur genio aut guſtu, ſed ut torrentem ſequantur ſuorum ſodalium. Audite, quid de ſeipſo à perverſis ſeductus, Sanctus profiteatur Auguſtinus: *Solus non facerem furtum illud, in quo mihi non libebat id, quod furabar, ſed quia furabar; quod me ſolum facere prorſus non liberet, nec facerem.* Tandemque occultæ nimium indignatus perverſorum ſodalitiorum violentiæ, fortiter exclamat: *O nimis inimica amicitia, ſeductio mentis inveſtigabilis ex ludo & joco, nocendi aviditas & alieni damni appetitus; nulla lucri mei, nulla ulciſcendi libidine; Sed cum dicitur; eamus, faciamus; & pudet nos eſſe impudentem,* Nonne experientia teſte diſcimus, rubori nos & verecundiæ ſuccumbere, ſi quando in integra ſodalium corona, concentui accinere detrectamus; quam calamitatem extremamque miſeriam Sanctus Cyprianus, quamvis alio in propoſito, ſumme deflet, dum ait; *Deplorandus ille ſtatus eſt, ubi jam non vitijs excuſatio; ſed authoritas datur; nullum enim malum difficilius extinguitur, quam quod multitu-*

Job 14. v. 16.
S. Aug. l. 2. conf. c. 9.
S. Cypr. l. de ſp.
Pſ. 48. v. 15.

*multitudinis conſenſu aſſeritur & excuſatione blanditur.*

Peccante uno peccant omnes.

Pſ.48.v.15.

7. Improprijſſima equidem ad primum obtutum illa Pſalmiſtæ videtur comparatio, dum de reprobis ait: *Sicut oves in inferno poſiti ſunt.* Reprobi in hædis, in ovibus figurantur electi; cur itaque David in præſenti reprobos innocenti illi manſuetoque gregi aſſimilat? Reſponderi poſſet, quòd, ſicuti ad lanienam accedunt oves abſque ulla reſiſtentia (ſiquidem tauri, vaccæ, arietes, aliaque animalia conſtanter repugnant) ita & reprobi juſtam incurrant damnationem, non tam judice ſupremo, quam perverſitate propria ſententiam ferente: *Arguet te malitia tua.* At ſenſum noſtis magis literalem, aut noſſe quæritis? Voluit inferre David, ni fallor, majorem reproborum partem more ovium in infernum deſcendere, his namque proprium eſt imitari id, quod ab alijs fieri vident; una ſaltante omnes ſaliunt, errante una deviant omnes; ita & potiſſima pars animarum fidelium dictis & malis aliorum ſeducitur exemplis. Rabi Levi illud ſapientis conſilium (*fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum*) ſequenti, ad intentum noſtrum accommodo illuſtrat commentario: *Ne vel una vice tantum cum illis iter habeas, ne illorum ſcelerata exempla in animam demittas.* Vel unicum verbum, vel unicum exemplum malum ſufficit ad corruptionem & perverſionem.

Jerem.2.19.

Prov.1.v.15.

Rabi Levi.

Plin. l. 28. c. 19. Naturale.

8. Teſte Plinio veſtigia lupina ſemitæ impreſſa in ſtuporem & horrorem conjiciunt equos, dum ea terunt, ita ut reſides timidique efficiantur. Eodem pariter modo, verba & exempla mala, ſocietas impiorum, ſufficiunt ad quoſcumque etiam innocentiores & probiores pervertendos. Et licet quandoque tardius in præcipitium collabamur, ſemper nihilominus nobis tenaciſſimè impreſſa hærent malarum propoſitionum, peſſimorumque exemplorum ſemina. Unde Seneca moralis ait: *Sunt quidam, qui vitia geſtant; horum ſermo multum nocet, nam etiamſi non ſtatim officit, ſemina in animo relinquit, ſequiturque nos, etiam cum ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſtea malum.*

Sen.ep.123.

Eccli. 12. v. 13.

Pravæ ſocietatis venenum vix habet antidotum.

9. *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo*, inquit Eccleſiaſticus, *& omnibus qui appropiant beſtijs? & ſic qui comitatur cum viro iniquo.* Lyranus pro *miſerebitur*, legit *medebitur*, q. d. remedium omnino difficile eſſe; at quis neſcit; contra quaſcumque venenorum ſpecies efficacia de facto reperiri antidota; Nihilominus dum quis peſſimum hoc ſemel imbibit pernicioſæ amicitiæ & familiaritatis virus, impoſſibile quaſi eſt prævenire, ne eodem inficiatur toxico, *Quis medebitur? quaſi dicat? pauci aut nulli.* Ea noſtra eſt infelicitas, ut non modo hujuſmodi amicos diligamus & ſodales, ſed & inſuper nobis perſuadeamus, noſtrum ab ijs amare intereſſe & bonum, genius & noſtra in eos inclinatio non ſinit nos in mali & vitij ipſorum notitiam devenire; præterea omnibus modis & vijs ipſos felicitare geſtimus, & in nullo offendere. Malis eorum exemplis maxima ineſt ad nos movendos efficacia, ſiquidem continuò aut ſaltem frequenter noſtris obſervantur oculis; ſunt plerumque perſonæ, ejuſdem nobiſcum ætatis, profectionis aut conditionis. Hancque ob rationem, ſuum Seneca, ad malos ſocios devitandos, his verbis exhortatur Lucillum: *Neceſſè eſt, aut imiteris aut oderis: Utrumque autem devitandum, ne vel ſimilis malus fias, quia multi ſunt; neque inimicus multis, quia diſſimiles ſunt.*

Sen. ep. 7.

Matth. 7. v. 13. 14.

Fuga malorum regia ad cœlos via.

10. Salvator de cœleſtis ad beatitudinem, & infernalis ſemitæ ad damnationem, diverſitate tractans, *intrate*, inquit, *per anguſtam portam; quia lata porta & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam; Quam anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.* Ubi notandum, quod Salvator, modum nos edocturus, qualiter perditionis viam declinare valeamus, immediatè ſubdat: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* q. d. Recta ad cœlos via, malorum ſociorum fuga eſt, quos ut à bonis ſecernere poſſimus, mox ſubdit: *A fructibus eorum cognoſcetis eos: Numquid colligunt de ſpinis uvas aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona &c.* Audite Lyranum: *Quia ſupra Dominus demonſtraverat*, inquit, *legem Evangelicam eſſè obſervandam, & quia ad eam obſervandam facit evitatio mali conſortij, ideo dicit: Attendite à falſis Prophetis.*

Ibid.v.15.

Ibid.v.16.

Ibid.v.17.

Lyran. ibid.

11. Seriam meretur ponderationem quoddam S. Cyrilli Alexandrini aſſertum, inquientis: *Modus peccandi nondum apparuerat, cum homo unus tantummodo eſſet.* Quamdiu ſolus degebat Adam, neſciebatur in terris, quid eſſet peccatum; Sed ut primum ſociæ & conſortis ſuæ ſeu conjugis mentionem fecit; in eodem pariter tempore, ſeſe divinæ transgreſſionis confeſſus eſt reum & culpabilem: *Dixitque Adam; mulier, quàm dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Adeoque peccatum, quod innumerabilibus alijs; usque ad ſæculorum finem committendis, barathrum patefecit, à malæ ſocietatis culpa originem traxit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam.*

S.Cyrill. l. 1. in Gen.

Peccatum à ſocietate originem traxit.

Gen.3.v.12.

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Maximè etiam virtuoſos, magiſque in divino ſervitio ſtabiles, converſatio pervertit malorum.

### THEMA.

*Coinquinabar in medio eorum.* Ezechielis 22. v. 26.

Virtuoſi perverti poſſunt.

1. LAmentabatur in præſenti Deus noſter de ſacerdotum aliorumque divino cultui deputatorum miniſtrorum, transgreſſionibus, qui indifferenter improborum conſortijs fruebantur. *Polluerunt ſanctuaria mea, inter pollutum & mundum non intellexerunt, inter ſanctum & prophanum non habuerunt diſtantiam, & coinquinabar in medio eorum.* S. Bernardinus de malæ ſocietatis periculis tractans, citatum hunc adducit textum, dum exclamat: *Admirabile verbum & omni ſtupore dignum? coinquinabar, inquit.* Quis coinquinabatur? ille utique, de quo Spiritus ait veritatis *Candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula.* Deuſne igitur labis eſt capax? Reſponſum accipite à S. Bernardino: *Coinquinabar, inquit, non quod ulla inquinationis via ſit inquinamentis ad ipſum Deum, ſed quoniam ſe abſtulit ab eis & ſeparavit, & longe fecit, quemadmodum facere conſueverunt coinquinari timentes.* Ex quo prophetico oraculo practica hæc deducitur veritas, ſcilicet virtuoſiores & ſanctiores multoties etiam per converſationem malam corrumpi & perverti.

Ezech. 22. v. 26.

S. Bern. t. 3. ſer. in D. 3. pent. a.2.c.1.

Sap.7.v.26.

Cum perverſis pervertuntur.

2. Juxta aſtrologiam, Planeta beneficus & benignus maligno aſſociatus, peſſimam & ipſe operatur influentiam; idem eſt in rebus moralibus curſus: *Cum ſancto ſanctus eris, cum viro innocente innocens eris, cum perverſo perverteris.* Saul inter Prophetas evaſit & ipſe talis, non ſine admiratione omnium: unde proverbium invaluit: *Num eſt Saul inter Prophetas?* Cum vix ſanctam illam coronam deſerens, *cum perverſis perverſus fuit.* David vir erat ſecundùm cor Dei, ſummæ innocentiæ, vel ab ipſis incunabulis habituatus in virtutibus; nihilominus Deus vetuit eum diu morari inter malos, ideoque per Prophetam Gad ei præcepit, ut illico à rege Moab diſcederet: *Noli manere in præſidio, proficiſcere & vade in terram Judæ.* Ubi Gloſſa inquit *Ex ore Domini, Gad Propheta dixit ad David, ut non moraretur inter gentes in terra polluta; Sed in terram Judæ redeat, ubi juxta voluntatem Domini, perſecutionem ſuſtineat.* Satius judicavit Dominus, Davidem extremas ad mortem usque à Saule pati perſecutiones, quam ut malis imbueretur moribus Gentilium, cum quibus voluntarie potius, quàm ex neceſſitate diverſabatur. *Monuit recedere de loco*, inquit Lyranus, *ubi ſecurior erat, ſed corporaliter; inter idololatras tamen periculoſius ſpiritualiter, tamen aliqui de ſocietate David declinare poterant ad idololatriam, ſi ibi diu manſiſſent.* Aſt quale poterat periculum incurrere, tantæ heros conſtantiæ, tantus divini cultus & honoris zelator; ſicut & illi, qui ad nutum ejus vivebant promiſſimi; Audite Senecam moralem: *Sumuntur à converſationibus mores, impudicorum cœtus fortem & ſiliceum virum emollijt.* Quis veri Dei religionem cultumque magis promovit, quam filius ejus Salomon, qui immenſos adeo theſauros in ſumptuoſiſſimi templi contulit ædificium, ornatum & decorem? nihilominus uxorum & concubinarum gentilium contubernium ipſum permovit, ut & idolis, quæ reſpectivè colebant & venerabantur cunctæ illæ mulieres, templa conſtruxerit, ipſemet tandem etiam idololatra effectus.

Pſ.17.v.26.

1. Reg. 22. v. 5.

Gloſſ. ibid.

Lyran.

Sen. l. 3. de ira.

3. Iſaias de labiorum ſuorum immunditia quondam



Iſa. 6. v. 5.

Quam noxium cum peccatoribus vivere.

dam lamentans, dixiſſe fertur: *Væ mihi, ... vir pollutus labijs ego, ſum.* Totam pervolvite ſcripturam ſacram; aſt nullibi reperietis, maledicum aliquod, injurioſum, irreverens aut profanum verbum ex ore Prophetæ elapſum fuiſſe; & nihilominus ingemiſcit: *Vir pollutus labijs ego ſum.* Cauſamne noſtis? eam ipſemet his exprimit verbis: *In medio populi, polluta labia habentis, ego habito.* Circa quæ verba talem S. Hieronymus format diſcurſum: *Iſaias juxta ſeptuaginta interpretes compunctum ſe eſſè teſtatur, dicens: O miſèr, quoniam ego compunctus ſum: Non ob alia crimina, ſed quia labia haberet immunda. Felix conſcientia, quæ tantum in ſermone peccavit, non ſuo vitio, ſed ſocietate populi habentis polluta labia, cum quo loqui ſæpiſſime cogebatur: Ex quo oſtenditur; noxium eſſè vivere cum peccatoribus, qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea; propterea labia habebat immunda, qui cum peccatore populo verſabatur.*

Ibid.

Ibid.

S.Hieron. ib.

Levit. 16. v. 16.

Contagioſum.

Cajet. ibid.

4. Munditiæ auctor & fautor Deus hoc quondam in Levitico tulit præceptum: *Expiet ſanctuarium ab immunditijs filiorum Iſraël, & à prævaricationibus eorum, cunctiſque peccatis.* Si expurgationis hujus qualitatem quæritis, Cajetanum adijſſe ſuffecerit, qui eam hiſce explanat verbis: *Tamquam pollutum, non ſolum ab immunditijs legalibus, ſed à gravioribus peccatis reputat Deus ſanctuarium ſuum: ex hoc quod eſt in medio eorum, quam immunditiæ & peccata filiorum Iſraël redundaverint in domum Dei.* Adeo contagioſam reputabat Deus impiorum viciniam & acceſſum ad ſanctuarium ſuum, ut vel ex eo ſolo illud contaminari poſſe pertimeſceret, & conſequenter purificandum quantumvis parietes ejus ſacroſancti, inſenſibiles atque inanimati forent.

[P]rodigium eſt inter malos eſſe bonum.

5. Præcurſorem novimus omnes, impeccabilem fuiſſe, utpote materno ſanctificatum in utero, inque gratia confirmatum; nihilominus tantum ab humana converſatione concepit horrorem, ut ſuæ neutiquam confidens ſanctitati, potius elegerit vivus in antris ſepeliri ferarum; *Civium turmas fugiens petiſti, ne levi ſaltem maculare vitam famine poſſès.* Interrogatus quondam Ariſtippus *quid maximè in vita admirandum eſſèt*, reſpondit, *vir bonus inter improbos.* Sacram perſcrutantes ſcripturam, reperietis homines in primis ſeculis 600. imò & 900. quandoque annos attigiſſe; de Enoch nihilominus dicitur, *Facti omnes dies Enoch trecenti ſexaginta quinque anni, ambulavitque cum Deo, & non apparuit.* Cur ab humano ſeparatus conſortio, inque Paradiſum tranſlatus fuit? Cauſam aſſignat Spiritus Sanctus, dum ait: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum illius.* Aſt in ſanctitate & perfectione ſolidè radicatus, quod poterat incurrere periculum? Vivebat, dilectiſſimi, ſanctus iſte in ſeculo, in quo *omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Deus citra continuum miraculum, cum à communi contagio præſervare non potuiſſet. Equidem *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Sæpius equidem à leonibus Danielem; & ab ardentis fornacis incendio tres liberavit pueros; ita quoque & ſanctum Enoch tot inter reprobos protegere potuiſſet innocentem, aſt hujuſmodi noluit Mundo exemplum dare, ne ullus, quantumcumque ſanctus (citra neceſſitatem & convenientiam) cum malis converſari præſumat, ſub ſpe conſervandæ innocentiæ.

Stobæus ſer. 35.

Gen.5.v.23.

Ibid. v.24.

Sap.4.v.11.

Gen.6.v.12.

Luc.1.v.37.

Pſ.6.v.8.

Sanctiſſimi ceciderunt.

Pſ.131.v.1.

Pſ 6. v. 8.

Propter ſocios perverſos.

Pſ. 6. v. 9.

Pſ. 83.v.11.

6. *Turbatus eſt à furore oculus meus*, lamentatur quondam Pſalmiſta; quomodo? nonne ille ipſe eſt; qui gloriabatur, dicens: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus?* Qualiter igitur modò in tantam abripitur iracundiam? Eam notate, quam ſubjungit turbationis cauſam: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Ecce vobis, quàm certum eſt, ſanctiſſimos quoſque per malorum ſocietatem corrumpi; unde meritò idem dicebat David? *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Qui & alibi ait: *Elegi abjectus eſſè in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Quis virtutum ſoliditate, quis in fideli integritate, quis in Chriſti notitia Sanctum ſuperavit Petrum, cui dixerat Dominus: *Super Petram ædificaco Eccleſiam meam?* Nihilominus ſuccincta admodum cum impijs converſatio eum in ſcelus præcipitavit. Super exundantes maris fluctus victor graditur, & in Caiphæ palatio naufragium patitur; unde S. Ambroſius inquit: *Petrus in mari titubat, ſed non labitur, & confeſſus in fluctibus, negavit in terris.* Hiſtoria neminem latet; poſt multiplicata diverſa conſtantiſſima promiſſa, magiſtrum ſecutus usque ad Caiphæ palatium *ingreſſus intro ſedebat cum miniſtris*; ubi eum quædam aggreſſa eſt ancilla cum dicto: *Et tu cum Jeſu Galilæo erat; at ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio, quid dicis:* Vix hæc finierat verbum, & acceſſit alia; *& iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem;* Moxque clamore & tumultu omnium domeſticorum contra Apoſtolum exorto, ut ſe furentium manibus eriperet. *cæpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem.* Nonne hic ipſe Petrus erat, qui pauco ante præterlapſo tempore, à Patre æterno edoctus, Chriſtum Dei atque hominis filium fuerat conteſtatus? Interrogante namq; Salvatore: *Quem dicunt homines eſſè filium hominis?* varijs varie reſpondentibus, *reſpondit Simon Petrus: Tu es Chriſtus, filius Dei vivi.* Quæ igitur tanta hæc mutatio, unde inſcitia illa? ſi id poſtridie dixiſſet Apoſtolus poſt viſa flagella, citatrices, vulnera, cruentas ſpinas & alia tormenta, quæ humanam vix reliquerant ſpeciem; unde & Pilatus ut ejuſdem veritatem perhiberet: ad populum ajebat: *Ecce homo;* aliqua negationi Petri fuiſſet excuſatio, dicentis: *Non novi hominem.* Reſpondebitis utique timore mortis adactus, incidit in negationem; aſt ego dico vobis: Totum hoc præviderat Petrus, proteſtatusque fuerat ad omnia: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Veramne quæritis reſponſionem? Perſonas, quibuſcumque S. Petrus utroque in loco converſatus eſt, diſtinguamus oportet; quando glorioſiſſimam emiſit divinitatis Chriſti confeſſionem, quando ferventiſſimi amoris adactus incendijs, ad mortem & ad quæcumque alia pro Magiſtro toleranda ſeſe obtulit ſupplicia, in Chriſti & Apoſtolorum degebat ſocietate: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* At perjurus inter reprobos & ſacrilegos degebat Caiphæ miniſtros: *Sedebat cum miniſtris.* Ecce vobis vix fallibilem regulam: *Cum perverſo perveteris.* Fac, elice, repete, quæcumque volueris, propoſita bona; in virtutibus, profeceris; nequaquam ſufficit: Si namque temerarius malorum te conſortijs ingeſſeris, certus eſto, quòd *cum perverſo perverteris.* Ecce vobis expreſſum S. Bernardini conceptum inquientis: *Exemplum de Petro, qui exiſtens cum paſſionis Chriſti miniſtris Dominum denegavit, & in negando perſeveravit, ſed ut dicitur Lucæ 22. Egreſſus foras flevit amare;* vixque malam deſeruerat ſocietatem, cum ecce priſtinam ſubito recepit lucem & notitiam.

Matth. 16. v. 18.

S. Ambr. l. 5. exa. c. 11.

Matth. 26. v. 58.

Ibid. v. 69.

Ibid. v. 70.

Ibid. v. 72.

Ibid. v. 74.

Matth. 16. v. 13.

Ibid. v. 16.

Joan. 19. v. 5.

Matth. 26. v. 72.

Matth. 26. v. 35.

Pſ. 17. v. 26.

Matth. 26. v. 58.

S. Bern. T. 3. ſer. in D. 3. pent. à 2. c. 3.

Hiſtoria ſacra.

7. Ulteriorem vultis probationem ad evincendum, quanta conſortium pravum etiam ſanctioribus afferat diſpendia, tertium legite librum Regum. Miſſus à Deo ad Jeroboam Propheta, qui imminentia ei ſupplicia denunciaret, ad probandam miſſionis ſuæ veritatem, altare diviſit, brachium regis exiccavit, quod & poſtea rogatus priſtino reſtituit vigori; & tandem omnia regis Jeroboam quantumvis pretioſa, repudiavit munera: *Si dederis mihi mediam partem domus tuæ non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco iſto; ſic enim mandatum eſt mihi in ſermone Domini præcipientis.* Eumdem nihilominus thaumaturgum, tantæque ſanctitatis virum, ipſo eodem in die reperimus miſerabiliter interemptum. *Invenit eum leo in via & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere;* in pœnam ſcilicet transgreſſionis divinæ, dum contra Dei præceptum falſò ſe adjunxit Prophetæ, qui multo cum artificio & ſtratagemate miſerum pervertit inquiens: *Ego Propheta ſum ſimilis tui, & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini dicens: reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem & bibat aquam; fefellit eum & reduxit ſecum.* Ecce eum ſeductum, quantumvis ſanctum; ab antiquo ad novum tranſeamus ſacræ ſcripturæ textum.

3. Reg. 13. v. 8.

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 24.

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 19.

Chriſtus biduo in Samaria manens judicatus eſt Samaritanus, Joan. 8. v. 48.

8. Multo jam tempore Salvator noſter in omnibus Judææ angulis ſuum annunciarat Evangelium, ſeque indefeſſum ſemper & zeloſiſſimum perhibuerat veri cultus & religionis propugnatorem; Pharisæi nihilominus & Scribæ titulum ei impoſuere, hominis ſchiſmatici & hæretici ſeu Samaritani: (*Samaritanus es tu*) quod ſubeſſe poterat tantæ indicium impoſturæ? Ecce motivum: duobus dumtaxat diebus Chriſtus fuerat occupatus in Samaria circa miſeræ peccatricis converſionem, & prædicationis Evangelicæ illis in terris annunciationem; tantilla hæc cum Samaritanis converſatio ſufficiens dedit argumentum, ut Chriſtus, quantumvis ſanctiſſimus, dicatur

hæreſi

Rup. Abbas ibid.

hæreſi contaminatus Samaritana ; unde Rupertus Abbas inquit : *Niſi forte pro eo, quod apud Samaritanos biduo manſit.*

Thren. 4. v. 7. Mali pervertunt bonos. Ibid. v. 8. Ibid. Gil. in alleg. Titel.

9. *Candidiores Nazaræi ejus nive*, inquit Jeremias ; *nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphyro pulchriores* ; aſt vertite folium & mutationem perpendite : *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum* ; aſt quæ tantæ origo ſpurcitiæ ? *non ſunt cogniti in plateis* ; humanum, nolentes declinare ſodalitium, illam contraxerunt contaminationem : *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Gillibertus Abbas nodum reſolvit, dum ait : *Frequentia platearum decolorat Nazaræos & peregrinam ſpeciem inducit.* Parabolam contemplantes de ſemine, reperiemus, alteram ejuſdem partem jam radices egiſſe in terris, quia, ut textus aſſerit, ſupervenerunt poſtea ſpinæ, quæ viridem opprimentes ſementem, omnia ſimul deſtruunt : *Et ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.* Spina ſimul cum bono creſcit ſemine, ipſumque vireſcere & fructificare incipiens extinguit : Ita in mundi hujus campo dum boni conſortibus utuntur reprobis, illi horum pervertuntur converſatione. *Pervertunt ſuis blanditijs*, inquit S. Bernardinus, *quibus tripliciter inquinant eos. Primo blanditijs avaritiæ, ſecundo blanditijs luxuriæ, tertio blanditijs ſuperbiæ.* Nulla loci ſanctitas aut cuſtodia ab hoc eſt immunis contagio ; quam Scholam perfectior incolebat virtus & ſanctitas quam Apoſtolicam ? nihilominus unius impietas & malitia Judæ ad omnes quid transfudit Apoſtolos reliquos.

Luc. 8. v. 7. S. Bern. in c. 2. ib.

Judæ murmur omnibus exprobratur diſcipulis. Joan. 12. v. 7.

10. Equidem juxta S. Joannis teſtimonium, ſolus Judas contra pretioſi effuſionem unguenti, in Chriſti obſequium à B. M. Magdalena ſparſi murmuravit, nihilominus renum ſcrutator Deus detractionem hanc omnibus alijs exprobravit Apoſtolis : *Dixit ergo Jeſus ; ſinite illam, ut in die ſepulturæ meæ ſervet illud.* Solus de Magdalena ſiniſtre loquitur Judas, cur itaque omnibus exprobratur ? Judas fortaſſis nomine loquitur omnium ? minime equidem ? hæc enim ſolius Petri, tamquam omnium Apoſtolorum verticis, erat prærogativa: Reſpondendum eſt itaque, ſapientiſſimum prudentiſſimumque magiſtrum in reliquorum diſcipulorum mentibus & cordibus ſenſus & machinationes legiſſe traditoris, qui hujuſmodi per quotidianam ſtrictiſſimamque cum condiſcipulis practicam & ſocietatem, horum quoque nimis impreſſerat ; iterum illo verificato : *Cum perverſo perverteris. Judæ dictum eſt*, inquit S. Auguſtinus; aſt ſi ad ſolum Judam facta eſt reſponſio, *quare ergo non dixit ; habebis, ſed, habebitis* ? reſpondet, *quia non unus erat Judas*, ſiquidem ad eumdem indiſcretum zelum interne concurrerunt & alij.

S. Aug. tr. 50.

Lucifer in cœlo pervertit tertiam partem. S. Bern. a. 2. c. 1. ibid.

11. Quis fuit locus Paradiſo ſanctior, quis majorem Angelica poſſedit innocentiam ? & nihilominus ne ibi quidem ſecuritas ; ideoque S. Bernardinus ita diſcurrit : *Nec mirum eſt, ſi fragilis perverſi ſocius perverſus efficitur, cum in terra & in cælo perverſa ſocietas perverſi ſatanæ perverſam fecerit tertiam partem ſtellarum, id eſt, Angelorum cæli, & miſit eas in terram. Prima pars fuit, quæ divinæ voluntati adhæſit ; ſecunda quæ vacillavit, ſed tandem Deo conjuncta eſt ; tertia vero, quæ ex ſeductione Luciferi perverſi ſocij à Deo perverſa fuit, & miſit eas in terram.*

1. Cor. 15. 33. Tert. l. 2. ad uxor. c. 3.

12. Tertullianus ex illo Apoſtolico textu (*corrumpunt bonos mores colloquia prava*) hanc certiſſimam deducit conſequentiam : *Bonos corrumpunt mores confabulationes pravæ, quanto magis conjunctus & individuus uſus* ? Si verba & diſcurſus mali integros pervertunt deſtruuntque mores, quanto magis ſtricta cum malis familiaritas & domeſtica ſocietas ?

## DISCURSUS IV.

### ARGUMENTUM.

Citra miraculum & abſque ſpeciali Dei aſſiſtentia, boni non perſeverant innocui inter malos, quibuscum converſari ſoli poterunt illi, qui in virtutibus ſtabiliti ſunt, in majus bonum animarum illorum.

### THEMA.

*Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit.* Pſ. 1. v. 1.

Nemo tam pius qui coinquinari non poſſit à malorum conſortio.

1. ECce vobis egregium Pſalterij Davidici, quod per omnia annorum ſæcula, Eccleſiæ ſanctæ, in Eccleſiaſticæ & moralis diſciplinæ theſaurum, perpetuumque animarum fidelium magiſterium ſervire debebat, principium, inſtructiſſimam frontem, dum nobis in ejus ſtatim exordio pro primo & principali dogmate fugam aſſignat reproborum, dicens : *Beatus vir qui non abijt &c.* Chaldæus pro *in Cathedra peſtilentiæ* legit, *in ſocietate.* Tempore contagionis, nullus quantumcumque ſanctus, virtuoſus & perfectus, ſi ad peſtiferos acceſſerit, à malo eximitur peſtis ; ita pariter quicumque quantumvis ſpiritualis, pius & conſummatus in bono, ſi malitiæ ſeſe ingeſſerit impiorum, niſi maxima cum circumſpectione egerit, certo certius coinquinabitur ; unde & David conſtantiam & munditiem hujusmodi ſingulari adſcribens fortunæ, ait : *Beatus vir, qui &c.*

Abraham inter malos erat bonus. Joſ. 24. v. 2. Ab. q. 9.

2. Cur Deus primum credentium patrem & patriarcham ab æterno determinans, ſuos ſingulariter oculos in Abraham, eo præſertim tempore, quo in Hur Chaldæorum in populi idololatræ medio degebat, conjecit : *Trans flumen habitaverunt patres veſtri ab initio, Thare Pater Abraham & Nachor, ſervieruntque Dijs alienis ; tuli ergo Patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus.* Abulenſis progenitores Abrahæ ſuſtinet fuiſſe idololatras, quodque Abraham ſacrilegum hujusmodi primus fuerit deteſtatus cultum ; ideoque Dominus eum ſingulariter elegit conſtituitque ſanctæ religionis & cultus ſui promotorem & baſin ; eminentioris namque virtutis & ſanctitatis ſolidioris nemo edit ſpecimen præ illo, qui in reproborum medio bonus exiſtit. Hiſtoriam Jobi Spiritus Sanctus hiſce inchoat verbis : *Vir erat in terra Hus* ; quæ Sanctus Gregorius interpretans, ita diſcurrit : *Idcirco ſanctus vir ubi habitaverit, dicitur, ut ejus meritum virtutis exprimatur. Dicatur, ubi habitaverit ; ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit.* Tanta erat ſociorum ejus perverſitas, ut dicere non dubitarit : *Frater fui draconum & ſocius ſtruthionum.* Quapropter & Origenes hanc Jobo attribuit laudem : *Inter profanos ſanctus, inter obſcænos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tamquam ſmaragdus in luto, tamquam margarita in arena.*

Job. 1. v. 1. S. Greg. ibid. Job. 30. v. 29.

Eccli. 44. v. 17. Rarum eſt manſiſſe Noë juſtum tot inter perverſos.

3. Myſterio utique plena ſunt illa Eccleſiaſtici verba : *Noë inventus eſt perfectus.* Quorſum terminus ille, *inventus eſt* ? rem vult inſinuare magna cum difficultate repertam, rem perraram & pretij inappretiabilis ; ſapientiæ namque & omnipotentiæ divinæ fuit portentum, quod, *quando omnis caro corruperat viam ſuam*, vir ille ſuam noſſet per tot ſæcula irreprehenſibilem ſanctamque continuare vitam. Unicus ille ratio fuit, & motivum, ut exiles humani generis ſcintillæ in ſe, inque familia ſua conſervarentur accenſæ, juxta expreſſum hunc ſacræ Scripturæ textum : *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam ; te enim vidi juſtum coram me in generatione hac.* Numerus dumtaxat exprimitur ſingularis, quia in tota ſæculi iſtius generatione ſolus Noë coram Deo vir apparuerat juſtus. *Bene agere inter virtutis hoſtes*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *& inter eos, qui virtutem prohibent, majus ſemper virtutis pondus teſtatur.* Chroniſta ſacer, cujus calamum Sanctus direxit Spiritus, poſtquam dixiſſet : *Omnis quippe caro, corruperat viam ſuam*, mox ſubjungit : *Noë vero invenit gratiam coram Domino.* Aſt quoniam præſumi potuiſſet, eum ſublimioris & Angelicæ potius quam humanæ fuiſſe naturæ, utpote in media contagione penitus illæſum ; ad hujusmodi amovendam ſuſpicionem immediate ſubditur : *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit.* Quem nobis conceptum his dilucide verbis Sanctus expreſſit Chryſoſtomus, inquiens : *Vide ſcripturæ diligentiam, quomodo ne ſyllabam quidem unam inutilem contineat ; nam poſtquam nos docuit gravitatem peccati hominum & pœnæ magnitudinem malis inferendam ; docet nos de eo, qui in tanta multitudine ſinceram potuerit ſervare virtutem : Propterea divina ſcriptura quaſi admirando juſtum, dicit ; quod in medio illorum, qui indignationem Dei ſenſuri erant, Noë invenerit gratiam coram Domino.*

Gen. 7. v. 1. S. Chryſ. h. 26. in Gen. Gen. 6. v. 12. Ibid. v. 8. Gen. 6. v. 9. D. Chryſ. h. 23. in Gen.

4. S. Bernardus innocentiam inque bono perſeverantiam, inter malos & impios, divinæ nuncupat opus potentiæ, dum ait : *Verſari inter ſpinas & minime lædi, divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ.*

S. Bern. ſer. 48. in Cant.

Supra naturam humanam inter perverſos non labi.

5. Subtilem advertite de Nicodemo differentis Evangeliſtæ modum : *Erat autem homo ex Phariſæis Nicodemus nomine.* Numquid ſuffeciſſet Phariſæum aut Nicodemum appellaſſe ? quorſum igitur dicitur homo : *Erat autem homo* ? Vir iſte ſanctus de invidioſa, maligna, ſemperque in Chriſti perſecutionem & ruinam intenta ſecta Phariſaica erat ; & nihilominus inter impios illos, quotidie in Chriſti notitia, devotione, obſequio & vultu magis magiſque exardeſcere cœpit ; actus ille virtutis magnificentiſſimus erat, adeoque heroicus, ut ipſum ſuper humanam extolleret conditionem ; attamen ad conſervandum meritum, cum indigitavit hominem eſſe & Phariſaica ſuperiorem profeſſione, ut ita obſtupeſcenda illius virtus innoteſceret univerſalius. Quam pariter ob rationem, judicio meo, Spiritus ſanctus dixiſſe videtur de Jobo : *Vir erat in terra Hus.* Ne ſcilicet quiſquam crederet eum humana ſuperiorem eſſe natura, utpote qui etiam tanta cum innocentia in medio degebat impiorum.



Joan. 3. v. 1. Job 1. v. 1.

Num. 5. v. 2. Lev. 13. v. 2. Matth. 5. v. 17. Matth. 8. v. 3.

6. In variis antiquæ legis textibus Deus leproſos juſſit devitari, ne ſocietas lepræ malum transfunderet in alios, cur ergo ipſemet in terris viſibilis leproſos non ſubterfugit ? Nonne ipſemet atteſtabatur ? *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere* ? Cur dictum itaque præceptum non obſervavit. Voluit in eo demonſtrare Salvator, ſe omni ſuperiorem eſſe lege, ſe lepræ imperare poſſe, ſe divino ſuper eam dominio pollere. Ita ad intentum noſtrum aſſerere licet, quod, qui cum leproſis, id eſt, impiis & perverſis converſatur abſque infectione lepræ vitij, quid neſcio operetur divini. Unde Tertullianus infit : *Tetigit leproſum à quo homo etſi inquinari potuiſſet, Deus utique non contaminaretur ; incontaminabilis ſcilicet. Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit &c.* Certo quodammodo ad beatitudinis accedit participationem, qui in perverſorum corona non contaminatur. *Si converteris, convertam te & ante faciem meam ſtabis ; & ſi ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris ; convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos.* Quis eminentis adeo virtutis eſt cuſtos, ut inter ſceleratos & ſacrilegos ſe ad Deum convertat, & non potius pervertatur ab illis ? Audite : *Quaſi os meum eris.* Quiſquis cum malis converſans, maculam non contrahit, ſed eam potius eluit in iis, os Dei nuncupatur, dicente Chryſoſtomo ſancto : *Qui educit pretioſum à vili, quaſi os meum erit, id eſt, qui à peccato ad virtutem proximum adduxerit, & non potius convertatur ab illo in peccatorem, pro virili me imitabitur.*

Tertull. l. 4. con. Mar. c. 9. Pſal. 1. v. 1. Jerem. 15. v. 19. S. Chryſoſt. h. 3. in Gen.

Inter perverſos maculam non contrahere miraculum.

7. Nazianzenus de vana gloria tractans, difficillimum eſſe aſtruit, quin homo, quantumcumque ſanctus, aliquam ad minus ejusdem in ſe non experiatur ſcintillam, quin non aliquali, vel à primis natalibus, nobis congeniti appetitus fumo reſpergatur ; ita pariter & in præſenti ſtatuendum videtur, ſcilicet converſantem cum impiis certo certius contaminari, niſi miraculoſe protegatur à Deo. Vix Chriſtum ſacroſancto Jordanis lavacro tinxerat Joannes moxque repetiit eremum præcurſor, & deſertum adiit Salvator, quod factum S. obſtupeſcens Auguſtinus, ait : *Chriſtus poſtquam natus eſt hominibus, renaſcitur Sacramentis ; ut, quemadmodum tunc eum emiramur incorrupta matre progenitum, ita nunc ſuſcipiamus illum pura unda ſubmerſum : filium enim genuit mater & caſta eſt ; Chriſtum lavit unda, & ſancta eſt.* Experientia docet, aquam puram & claram, dum quid abluit immundum, turbari & ſordes contrahere illius, quod purificavit. Hoc ipſum aquæ, Chriſtum abſtergentis, extitit miraculum, ſcilicet quod *Chriſtum lavit unda & ſancta eſt.* Si quos videritis cum diſſolutis vitioſiſque perſonis diverſantes non perverti, picem quotidie contingentes non labefactari, eos ſimiles eſſe aſtruit aquæ Chriſtum baptizanti.

S. Aug. ſer. 36. de temp.

Dei donum.

8. Apoſtolus à Deo ad Idololatras, Evangelium iis annunciaturus, miſſus erat, eorumdem nihilominus converſationem ſumme exhorreſcens, nulli parcebat cautelæ, efficaciſſima contra infectionem præſervativa adhibebat & antidota : *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne forte cum alijs prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Quapropter Eccleſia ſancta inſtantiſſime ſupplicat : *His ſacrificijs Domine concede placatus, ut, qui proprijs oramus abſolvi delictis, non gravemur externis* ; ſiquidem ad hoc ſingulari nobis opus eſt aſſiſtentia atque adjutorio Dei : *Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* q. d. Divinæ gratiæ beneficium eſt, concors domus aut familiæ cujusquam vita & converſatio ; nihilominus juxta Cajetanum longe alius horum verborum ſenſus eſt, ſiquidem ipſe legit : *Deus faciens ſedere unicos domi.* Ac ſi diceret, quod ſi inter omnes integræ cujusdam congregationis & communitatis diſcolos, vitioſos & diſſolutos, unus ſolus in ſancto vixerit cultu & timore Dei, hoc ipſum nil niſi miraculum eſt, non induſtriæ aut intelligentiæ effectus humanæ. *Deus faciens ſedere unicos domi, quod eſt reddere ſecuros.* Cui alter hic Pſalmiſtæ textus conſonus videtur : *Perfeciſti eos, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum* ; ſed qualiter ? advertite : *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum*, ſeu ut alij legunt, *à congregationibus.* Cui & tertius ille accinit verſiculus : *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me* ; quem S. Chryſoſtomus ad intentum noſtrum ſequenti illuſtrat commentario : *Illud ſingulariter non eſt parvæ virtutis doctrinæ. Quid eſt autem ſingulariter ? ſeorſim ab impijs : Hanc enim pacem, inquit, apud te præclare habui, & ſeparatim habito, fugiens homines improbos ac corruptos.*

1. Cor. 9. v. 27. Or. ſecr. in ſab. D. 2. Q. Pſalm. 67. v. 6. Cajetan. Pſal. 30. v. 20. Ibid. v. 21. Pſ. 4. v. 10. D. Chryſ. Ibid.

Solus Chriſtus ſine periculo inter perverſos. Luc. 15. v. 1.

9. Scandalum cepiſſe leguntur malitioſi Phariſæi ex familiari Chriſti cum publicanis, imo & enormibus peccatoribus converſatione : *Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum, & murmurabant Phariſæi & ſcribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.* Objurgatio hæc ſuo neutiquam carebat fundamento, ſiquidem Chriſti divinitatem ignorantes, purum eum reputabant hominem, multa licet virtute dotatum, quam proinde inter ſceleratos manifeſto diſtinctionis periculo exponi concludebant ; ideoque Chriſtus diverſis viis modisque ſuam conatus eſt declarare innocentiam ; modo errabundæ ovis à paſtore inquiſitæ, modo drachmæ poſt diligentem inquiſitionem à muliere inter ſordes reinventæ, modo filij prodigi adducens Parabolam, ratus in tanti negotij momento, vel apparenter dumtaxat rationabilem præ ſe ferente prætextum, convenientiſſimum eſſe, tot in medium adducere juſtificationes. Nihilominus qui dictam reprehenſionem diligenti ſubjecerit examini, diverſis ex capitibus eam reperiet inſufficientem. *Erant appropinquantes ei Publicani & peccatores* ; illi igitur ad Chriſtum, non verò Chriſtus accedebat ad eos ; & demus, quod ipſemet etiam Salvator convenerit eos, prout alias feciſſe legitur, quid inde ? cætibus eorum ſeſe ingerebat, puro converſionis intuitu, certus ſe ex hujusmodi converſatione, minimum ne quidem poſſe contrahere culpæ nævum. Inſuper S. Lucas addit : *Appropinquantes, ut audirent illum.* Unde S. Chryſologus hanc ſubtiliter eruit doctrinam : *Recipit peccatores Deus, Deus peccatores eſſe non ſinit, quos recipit ; peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccata non recipit, dum recipit peccatorem, unde Phariſæus, non quales venerant, ſed quales redibant, videre debuit peccatores.* Ubi notanda ſunt verba illa : *Peccator Deum non violat appropinquans.* q. d. ſolo excepto Deo, ſolis inſtar radios ſuos ad lutum & ſordes dirigentis, quicumque alius, etiam ſanctiſſimus, ex malorum ſocietate maculas contrahit, periculumque incurrit.

Luca 15. v. 1. Luc. 15. v. 2. S. Chryſol. ſer. 168.

Mirum inter perverſos manere innocentes. D. Chryſ. in Pſ. 11.

10. S. Chryſoſtomus Abraham, Loth & Moyſen, eo quod perverſos inter, ſanctam ſemper illibatam conſervarint innocentiam, ſummopere obſtupeſcit, inquiens : *Propterea admiramur Abraham, propterea Loth, propterea Moyſen, quod veluti in profunda nocte ſtellæ apparebant, & tamquam oves inter lupos.* Tales utique, inquit ſanctus, qui inter malos, bonitatis ſemitæ jugiter inſiſtunt, iis merito aſſimilarim, qui contra torrentem aquarum & contra venti navigant impetum. Audiiſtis indubie alias quibus titulis atque encomiis Samuëlem exaltarit ſcriptura ſacra eò quod poſt longam cum ſceleratis atque perverſis Heli filiis converſationem, veluti *lilium inter ſpinas*, caſtus inter venereos, inter guloſos ſobrius, religioſus inter ſacrilegos ; ſanctus perſtiterit inter reprobos.

Cant. 2. v. 2.

Specialem hi merentur laudem. S. Greg. ho. 27. in Ev.

11. S. Gregorius cauſam, cur Deus Moyſis ſpecialiter & Samuëlis precibus ſeſe victum atteſtatur, indagat, quærens : *Quid eſt, quod Moyſes & Samuël cæteris paribus in poſtulatione proferuntur, niſi quod hi duo tantummodo in cuncta veteris teſtamenti ſerie etiam pro inimicis ſuis leguntur exoraſſe* ? Alij nihilominus id factum eſſe autumant, quia nimirum Moyſes licet cum Pharaone degeret non impio dumtaxat, ſed & atheo, imo cum tot Ægyptiis idololatris, ſemper nihilominus manu tenuit conſtantem Dei cultum & pietatem. Item Samuël præter intimam cum peſſimis Heli filiis tot annorum familiaritatem, præter invidi, ambitioſi & vindicativi Saülis conſortium, rebel-

lem Deo populum, medius inter eos, pluribus annis gubernavit, & nihilominus incorruptam ſemper conſervavit puritatem atque innocentiam; unde & jure meritiſſimo omnes inter alios antiqui teſtamenti ſanctos, partialitatem & ſingularitatem meretur in cultu.

12. S. Hieronymus Hebridium, S. Auguſtini ſocium, diu multumque in Imperatorum regiis educatum, laudare geſtiens, in ſequentia prorumpit verba: *Quorum menſæ miniſtrat orbis, & terræ ac Maria ſerviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, & ne levem quidem in ſe obſcœni rumoris fabulam daret.*

S. Hieron. c. 1. ep. 9. ad Saluſt.

13. Moyſes primus in orbe Thaumaturgus, quæ omnium prodigioſiſſima operatus eſt in mundo? reſolutionem accipite ab eodem, dum ait: *Factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte, filij illius non perirent.* Præſumi equidem potuiſſet, filios eadem cum patre fuiſſe infectos pice, eidem ſubjectos culpæ & pœnæ, nihilominus *factum eſt miraculum grande*; Maximum fuit prodigium, filios paternis non fuiſſe contaminatos murmurationibus. Majora auſcultate. Principale divinitatis Chriſti argumentum Synagogæ dedere feſtivi puerorum cantus & acclamationes, dum ſcilicet hi Chriſtum certatim profeſſi ſunt filium Altiſſimi, juxta propheticum illud oraculum: *Ex ore infantium & lactentium, perfeciſti laudem* Concludebant namque efficaciter, divinum hoc eſſe miraculum, quod filij contrariis evangelio Chriſtique ſequelæ documentis imbuti, in ejus laudem innocentes acuerent linguas, quem ipſi identidem proſequebantur; merito proinde Euthymius inquit: *In aliis miraculis ſuſpicati ſunt fortaſſe Judæi quod deciperet Chriſtus, & falleret eorum oculos; infantium vero laudatione, qui apud eos verſabantur, imo qui eorum erant filij, omnis aberat ſuſpicio.*

Num. 26. v. 10. & 11.
Matth. 21. v. 16.
Pſalm. 8. v. 3.
Euth.

14. In via nihilominus virtutum ac ſanctitatis ſolidatos cum impiis & perverſis converſari decet, in animarum convertendarum beneficium; juxta illud S. Bernardini aſſertum: *Ex quo patet, quod intelligit de jam ſolidis juſtis.* Moxque per ſimilitudines, intentum confirmans, proſequitur: *Ipſa quoque natura in elementis docet hoc, ut perfectiora perficiant minus perfecta; nam aqua perficit terram, aër aquam, ignis aërem; ſic neceſſe eſt, homines perfectiores perficere imperfectos; non enim pro ſe tantum largitur Deus juſtis gratiæ largitatem; ſed ut ſalva ſalute ſua, illam habeant alij impertiri. Proinde de talibus Dominus, ait: [Fulgebunt juſti ſicut Sol in regno patris eorum,] id eſt, in ſtatu perfectionis virtutum. Virum perfectum aſſimilat ſoli; & merito: nam ſicut ſol ſine pollutione effundit radios ſuos, ſuper loca & corpora non tantum munda, ſed etiam immunda ac fœtentia, ac ſordibus plena, ex quorum contactu & homines & plura alia inficiantur, & tamen radij ſolis, ea contingentes remanent impolluti; ſic profecto ſolaris homo & juſtus juxta gratiam à Domino ſibi datam, impartitur peccatoribus inquinatis, ſine pollutione ſui, radios ſolares vel ſalutares, ad gloriam ſummi Dei.* Quam nobis veritatem Salvator inſinuare voluit, dum de fermento loquens, ait: *Quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Per mulierem hanc ſancta intelligitur Eccleſia, quæ ut ſuos in bono, inque operibus piis uniat fideles, premitur anxie; fermentum hominem ſignificat, perfectum ac ſanctum; ſicuti enim illud non in farinæ tranſit ſubſtantiam, ſed hanc in ſuam potius ſubſtantiam tranſmutat; ita pariter, quemadmodum ad Jeremiam ait Dominus, *Convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos.*

Ob lucrum animarum converſandum cum perverſis.
S. Bernard. t. 3. ſer. in D. 3. Pent. a. 3. c. 1.
Matth. 13. v. 43.
Matth. 13. v. 33.
Jer. 15. v. 19.

15. Divus Bernardus inquit, *Non mediocris titulus profecto virtutis, inter pravos vivere bonum, ut inter malignantes innocentiæ tenere candorem, & morum lenitatem; magis autem his, qui oderunt pacem, pacificum, ut amicum ipſis te exhibere inimicis.* Quis in medio Sodomæ, ubi Deus non invenit niſi decem homines bonos in tanto numero, ſeſe potuiſſet conſervare illæſum, niſi Loth Abrahæ cognatus, Deo adeo charus & gratus, ut dignus fuerit, Angelos hoſpitio ſuſcipere. Vivebat inter illos, cum nauſea & dolore de diſſolutionibus, & abominationibus ipſorum, quare S. Gregorius de eo ſcripſit; *Hinc & Petrus magnis Loth laudibus extulit, quod bonum inter reprobos invenit, dicens, & juſtum Loth oppreſſum à nefandorum injuſta converſatione eripuit; aſpectu enim, & auditu juſtus erat habitans inter eos, qui de die in diem animam juſti iniquis operibus cruciabant, qui nimirum cruciari non poteſt, niſi prava propinquorum opera, aut audiret, cerneret.*

S. Bernard. flor. c. 59.
S. Greg. lib. 1. moral. cap. 1.

## *DISCURSUS V.*

## ARGUMENTUM.

Majus eſt bonis periculum, ne pervertantur à malis, quam malis ſpes ſit, ut emendentur à bonis, eò quod natura noſtra magis ad vitium quam ad virtutem prona ſit.

### THEMA.

*Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.* Pſal. 17. ℣. 26.

1. TAmetſi Propheta Regius, homines in ſocietate bonorum trinies repetat, dicens: *cum ſancto ſanctus eris, cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris*; Verumtamen mox ibidem infallibiliter futurum eſſe aſſerit, ut idem homo innocens electus & ſanctus, quamprimum in perverſi alicujus diuturnum conſortium inciderit, protinus ſit pervertendus. Statim enim ſubjungit, *cum perverſo perverteris.* Cauſa vero hujus tam acceleratæ perverſionis, à vitæ ſpiritualis Magiſtris, hæc communiter aſſignatur, quia licet firma & ſtabilia nobis faciamus propoſita cavendi, ne à malorum torrente, in illorum rapiamur ſequelam, vel mala ipſorum imitemur exempla, attamen quia natura noſtra ad vitium prona eſt, magna cum facilitate ab eodem attrahitur & imbuitur. Sanctus Bernardus ad Eugenium ſcribens ait: *ne te dixeris ſanum dolentem latera*: ubi per latera malos Eugenij indicabat Conſiliarios, utpote lateri ejus quotidie adhærentes, unde ſtatim ſubdit, *hoc eſt, ne te dixeris bonum, malis innitentem.* Idem quoque Mellifluus Doctor in quadam epiſtola ſua, ſalutare quidem eſſe ſcribit cum bonis aſſidue converſari, ſicut & ſumma laude dignum eſt in medio perverſorum in vitæ Bonitate perſeverare; cum hac tamen diſtinctione, quod illud tantæ virtutis, quantæ & difficultatis; hujus verò difficultatis rationem duabus ſimilitudinibus breviter exponit, quale nempe eſt, tangere picem & non inquinari ab ea, in igne ſine læſione verſari? etenim virtus in arduo & circa contraria verſatur, & ideo ut ſecure poſſideatur ab homine, vel acquiratur, neceſſum eſt, ut ſenſualitati ſuæ, nec non depravatæ & corruptæ naturæ violentiam inferat, quod non item verum eſt de vitio, quin potius contrarium, ſiquidem quilibet homo ad illud naturaliter propendet & inclinat. Quanti enim laboris eſt, ut quis continenter vivat, & ab omnibus voluptatibus carnalibus abſtineat, econtra verò quid facilius, quam appetitibus carnalibus indulgere. Ut quis humilis fiat, ſeque ipſum contemnat, cum hac mala natura noſtra confligere neceſſario debet, utpote quæ ad ſuperbiam, & arrogantiam continuo nos impellit; econtra vero, ad hoc ut quis per faſtum extollatur, & præſumptuoſus fiat, quilibet homo ſemetipſum naturaliter inclinatum experitur. Unde ſanctus Cyprianus ait: *Nihil facilius, quam ut ſuperbia ſuperbiam, iracundia iracundiam, omne denique vitium ſui generis vitium in aliorum animis pariat, non modo neſcientibus & non advertentibus, ſed ſæpe etiam invitis:* Difficile eſt imminentem quemcumque conſcendere & ſuperare montem, non item deſcendere; quod ad propoſitum vetus quidam Legiſlator ait: *Declivis ad pejora callis eſt, deſcenſum habens perquam facilem, quo factum, ut multi non exigua morum integritate præditi, occultis voluptatum blanditiis ineſcati, in deterrima ſæpe flagitia lapſi ſint.*

Naturaliter homo inclinat ad malum, ad bonum magno cum labore.
S. Bern. lib. 4. de conſid.
S. Cypr. L. de ſpec.
Diod. Sic. l. 12. bibl. c. 12.

2. Dominus per Ezechielem de civitate Jeroſolymitana loquens, finem aſſignat, cur in gentilium malorumque hominum medio eam collocarit: *Iſta eſt Jeruſalem, in medio gentium poſui eam.* Volebat ſiquidem Dominus, ut gentes per familiarem cum Iſraële, veri Dei veræque religionis notitiam habente ad eum converterentur; utque Hebræi per bona exempla & verba, cordibus eorum veri Dei cultum atque cognitionem imprimerent: ſed prô dolor in iis adimpletum fuit, quod Pſalmiſta aſtruit, ſcilicet *cum perverſo perverteris*; ſiquidem Deus immediate de Judaiſmo ſubjungens ait: *Contempſit judicia mea, ut plus eſſet impia, gens hebraica, quam gentes, judicia mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt.* Audite Hieronymum ſanctum: *Poſita eſt Jeruſalem in medio gentium, ut, quoniam notus erat in Judæa Deus, omnes in circuitu nationes illius*

Jeruſalem vicinarum gentium hauſit impietatem.
Ezech. 5. v. 5.
S. Hieron. Ibid.





*ſequerentur exemplum; at illa gentium circa ſe poſitarum impietatem ſecuta, vicit etiam ipſas in ſcelere ſuo.* Septuaginta interpretes pro eo quod dicitur: *Quia ſuperaſtis gentes, quæ in circuitu veſtro ſunt*, legunt; *quia occaſio veſtra de gentibus, quæ in circuitu veſtro.* Non modo bono gentilibus non præluxerunt exemplo, aut ad verum Dei cultum illos reducere conati fuere, ſed ipſimet perverſi ſunt effecti. *Commiſti ſunt inter gentes & didicerunt opera eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.*

Pſal. 105. v. 35.

3. Hæc eſt depravatæ corruptæque naturæ noſtræ proprietas, ut ad malum inclinetur, & alienos facillime imitetur defectus; unde S. Auguſtinus ait: *Facilius ſanctus, qui junctus fuerit genti huic peſſimæ, peſſimatur, quam gens iſta in melius commutetur; quia proclivius ad imitationem malorum curritur; quam ad virtutes bonorum, animus excitetur.* Quam veritatem his pariter verbis ſanctus expreſſit Bernardinus: *Rerum natura ſic eſt, ut, quoties bonus malo conjungitur; non ex bono malus melioretur, ſed ex malo bonus contaminetur.*

S. Aug. l. con. Ful. Don. c. 16.
S. Bern. t. 3. ſer. in t. 3. Pent. n. 2. c. 1.

4. Theodota meretrix coram præclariſſimo philoſopho Joſepho Socrate, quondam jactitaſſe legitur, ſe omnibus eum facili negotio deſtituturam diſcipulis, perverſuram cunctos, inque ſuum attracturam conſortium, ſine ulla ſpe à ſuis eos umquam avellendi amoribus; cui ſapienter philoſophus: *Bene quidem dicis, quia tu ad declivem tramitem omnes rapis; ego vero ad virtutem cogo, ad quam arduus & pleriſque inſolitus eſt aſcenſus.* Quam ut nobis veritatem ſolide imprimat Nazianzenus, hac utitur ſimilitudine: *Parvo lapide, ſummo moto, totum flumen in pronum trahitur; ejuſdem autem impetus firmiſſimo etiam aggere cohiberi vix poteſt.* Quiſquis picem tangit, coinquinatur ab illa, abſque labore eam contrahit; ſecus qui ſordes geſtit eluere manuum; non ei ſufficit attigiſſe ſmegma, ſed iterum iterumque illud ut applicet, neceſſe eſt. Idem penitus intentum aſſecutus eſt S. Hieronymus, dum ait: *Proclivis eſt malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeat, cito imitaris vitia.*

Ad virtutes ardua via, facilis ad vitia.
Ælian. l. 13. hiſt.
Nazianz. or. 1. Apoc.
S. Hier. ep. 7. ad Lætam.

5. Probe noſcens Dominus Deus noſter maximam hominis in malum propenſionem atque inclinationem, populo ſuo qualemcumque cum hoſtibus amicitiam & converſationem ſevere interdixit, ne & ipſe perverſus corrueret idololatriam: unde Lippomanus inquit: *Novit Dominus conditionem fragilitatis humanæ, quam proclive ſit ad deteriora inclinari, arripere exempla pejorum, facilius decipi juſtos ab impiis, quam improbos à melioribus emendari*; ita nos manifeſtè hiſtoria docet, quam exhibet caput ſecundùm libri Judicum, ubi dicitur Angelus de cœlis deſcendiſſe ad populum Iſraël, ex Ægypto in terram promiſſionis tranſlatum cum hac conditione: *Ita dumtaxat, ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ hujus*; qua tamen prohibitione minime obſtante, connubia contraxere cum mulieribus Chananæis, quæ ſuos poſtmodum maritos ad falſorum ſimulachrorum cultum ac venerationem induxere, quæ ratio S. Ambroſium permovit, ut exclamare non dubitavit: *Petrus inter Judæos negavit, Salomon contubernio gentili deceptus, erravit.* Salomon cecidit, & tu tibi præſumes? zelantiſſimum veri Dei cultus promotorem, turpiter ſtravit mulierum converſatio.

Exod. 34. v. 12.
Hebræis interdicta cum hoſtibus amicitia.
Lipp. ibid.
S. Ambr. l. 10. in Luc.

6. Nazianzenus eidem inſiſtens propoſito, inquit: *Res ad imitandum prona & expedita, improbitas eſt; nec quidquam tam facile eſt, quam malum fieri, etiamſi ſe nobis ducem nemo ad vitium præbeat.* In quanto gravius periculum incideremus, ſi malis exemplis, perſuaſionibus, & conſodalium impiorum calcaribus ad malum incitaremur?

Naz. or. Apol.

7. Incognitus Michael Agguanus Carmelita, ſuper illa Pſalmi verba: *Commiſti ſunt inter gentes &c.* eximiam huicque propoſito valde congruam tradit doctrinam inquiens: *Ubi ſciendum, quod contraria juxta ſe poſita, ſemper invicem agunt & patiuntur; & quodlibet eorum alterum conatur aſſimilare ſibi, ut patet de calido & frigido, de ſicco & humido, & ſic de bono & malo; & hinc eſt, quod ſi boni ſint mixti cum malis, ſicut boni conantur malos ad ſuam ſimilitudinem ducere, ſic & mali bonos.* Paulo poſt verò idem auctor ulterius oſtendit; converſationem bonorum cum malis & horum cum bonis, utriuſque ex æquo efficacem non eſſe; quia hi ut plurimum à malis pervertuntur, cum tamen hi à bonis raro emendentur: *Ratione fragilitatis humanæ, quæ prona eſt ad malum; ut in pluribus mali ad ſe trahant bonos, quam trahantur ab eis.* Albertus Magnus ſuper eumdem Pſalmiſtæ textum ita ſcribit: *Sic inter gentes ſunt commixti, & ſic didicerunt opera eorum mala & peſſima*, juxta illud Jeremiæ; *Sapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſciverunt.* Mala enim ſocietas talem ſecum affert violentiam, ut non ſolum per bonorum familiaritatem minime emendetur, verum inſuper bonos plerumque ſpiritum & virtutem, quam prius poſſidebant, penitus deſtruat; quia *didicerunt opera eorum... Et factum eſt illis in ſcandalum.* Sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione quadam, in Sancti Baſilij laudem habita hoc nobis inter alia poſt ſe ſcriptum reliquit documentum. *Cum ſodalium noſtrorum non petulantiſſimis & impudentiſſimis, ſed cum caſtiſſimis conſuetudinem habeamus; nec cum pugnaciſſimis, ſed cum pacatiſſimis, iiſque quorum conſuetudo maximos fructus afferebat, illud nimirum exploratum habentes, facilius eſſe vitium contrahere, quam virtutem impertiri; quemadmodum etiam facilius eſt, morbo alieno infici, quam ſanitatem largiri.*

Pſal. 105. v. 35.
Mich. de Bon.
Boni facilius pervertuntur quam &c.
Alb. Mag.
Jer. 4. v. 22.
Pſalm. 105. v. 35. & 36.
S. Greg. Nazianz.

8. S. Auguſtinus, cujus ſupra meminimus, poſtquam facilius eſſe oſtendiſſet, ut boni à malis pervertantur, quam ut hi per bona juſtorum exempla & communicationem, ad bonam frugem proficiant; hac demum utitur ſimilitudine: *Sicut mellis plurimo parum abſynthij injectum, velocem amaritudinem inducit; mellis verò etiamſi duplum injiciatur, non poterit ejus obtineri dulcedo.* Modicæ enim fellis ſtillæ ad integrum vas lacte plenum amaricandum ſufficiunt, cum tamen è contra ingens vas lactis ad tollendam modicæ fellis quantitati amaritudinem minime prævaleat; porro vitium fel eſt, virtus vero lactis inſtar ſe habet; unde Apoſtolus dicebat: *Tamquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi.* Et ideo mirum eſt, quantum viri ſanctiſſimi laborare ſemper & ſudare debeant, ut perverſum aliquem ad bonam reducant frugem; ſecus de perverſis, utpote qui eorum, quibuſcum converſantur, tametſi magna ſint innocentia & bonitate conſpicui, majorem poſt ſe partem trahunt: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: Et cum electo electus eris*: & tamen mox ut idem ſanctus innocens & electus perverſo jungitur, protinus & ipſe pervertitur, quia *cum perverſo perverteris.* Unde Gloſſa optime monet, dicens: *Infirmi declinare debent ſocietatem malorum, ni mala, quæ frequenter aſpiciunt, imitari velint.* Imo ex oraculo prophetico, quod majori dignum eſt fide, etiam eos, qui in virtute & perfectione ſolidiſſimi ſunt, à perverſis facile pervertendos eſſe colligitur, ſiquidem de ſanctis, innocentibus & electis loquitur: *Cum ſancto &c.*

S. Aug. l. cont. Fulg. Donat.
Similitudo.
1. Corint. 3. v. 2.
Pſal. 17. v. 26. & 27.
Gloſſa.

9. S. Cyprianus & ipſe notat, quam raro boni cum perditæ vitæ hominibus converſantes in virtute perſeverent, cum tritum & vulgatum proverbium ſit, quod, qui claudis familiaris eſt, & ipſe claudicare incipiat. Audiantur ipſiſſima ſancti hujus Doctoris verba dicentis: *Omnino rarum & difficile eſt fieri bonum, & facile admodum pronum eſſe ad malum, cum hæc ſine magiſtro & ſine exemplo & doctrina, ſtatim à pubeſcentibus annis imbuamur & doceamur.* Sicut enim terra à ſemetipſa & ſine ulla agricolæ induſtria, lolia, vepres, urticas, aliaſque inutiles ac noxias herbas, non vero triticum vel alia utilis frumenti genera, quæ aratrum, ligonem, hominumque laborem induſtriamque expoſcunt, progerminat, ita quoque natura noſtra ad vitium proclivis, malum facillime addiſcit & operatur, etiam deficientibus malis aliorum exemplis; bonum vero minime, utpote quod magiſtrum, regulam & diſciplinam requirit. Unde ſic arguere poſſumus: quod ſi à nobiſmetipſis abſque ullo impulſu alieno, ad malum adeo proclives ſumus, quanto ad id faciliores erimus, ſi aliorum imitatio, ſi ſtimulus, ſi exhortationes, ſi mala contubernalium noſtrorum exempla accedant, quibus pervertamur, inque communem perverſorum rapiamur torrentem.

Natura ad vitia proclivis calcaribus non indiget.
S. Cyprian.

10. Cornelius à Lapide Abbatem Livriadenſem citat, qui cauſam refert, cur multæ Religiones à primævo, & antiquo fundatorum ſuorum ſpiritu, degenerarint; id namque in Cluniacenſibus per otium, in Ciſterſienſibus per negotia, ſeu, ut melius dicam, in nimia agrorum colendorum occupatione, in Præmonſtratenſibus ex nimia officij divini prolixitate ſeu aſſiduitate; in Mendicantibus vero ex nimia cum ſæcularibus familiaritate & converſatione accidiſſe

Cornel. à Lap. in c. 2. Oſe.
Religionum obſervantia cur defecerit?

Pſ.105. 35.

aſſerit; juxta illud Pſalmiſtæ: *Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Soli Carthuſiani in antiqua ſua ſemper & conſtanter perſeverarunt obſervantia, ob ſolitudinem, adeoque rigidam & auſteram à ſecularibus ſequeſtrationem.

Iſaiæ 6. v. 5. — 1. Cor. 15. v. 33. — Iſa. 6. v. 5. — Ibid. — Pſ. 115. v. 17. — S. Aug. — Agg. 2. v. 12. — Ibid. v. 13. — Ibid. v. 14.

11. Iſaias tametſi, utpote ſilentio & ſolitudini deditus, de ſemetipſo dicat: *Tacui*; adeoque ne vel minimi culpæ nævi ſuſpicio de ipſo haberi potuerit. quia ut ait Apoſtolus: *corrumpunt mores bonos colloquia mala*; attamen neſcio, qualiter ſummum ejus ſilentium amaritudine imbutum fuerit: *Vir pollutus labijs ego ſum.* Cauſamne noſtis? ipſemet eam ſubdit Propheta, dum ait: *In medio populi polluta labia habentis, ego habito.* S. Ambroſius illa Pſalmiſtæ verba, *Retribue ſervo tuo, &c.* interpretans ita diſcurrit: *Pone parata ſemper, & vigili cuſtodia, quiſquam cor ſuum ſepſerit, tamen ſi in medio peccatorum verſatur, neceſſe habet etiam ipſe purificari.* Aggæum audiamus Prophetam, inquientem: *Hæc dicit Dominus exercituum, interroga Sacerdotes legem, dicens: Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate ejus panem aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid ſanctificabitur? Reſpondentes autem Sacerdotes dixerunt: non. Et dixit Aggæus: ſi tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur?* Ecce vobis quam difficile, quamque arduum ſit negotium, ſanctificare perverſos; quam vero facile, malum contrahere, ex malorum impiorumque conſortio & ſocietate infici; quod ut ſtabiliat ulterius S. Bernardinus Senenſis, ſequenti utitur ab aceto deducta ſimilitudine; ſi enim illud vino bono admiſcueris, ſubito ipſum in acetum convertit, aſt ſi bonum vinum tantillo aceti affuderis nihil effeciſti, ſemper nihilominus prævalente aceto. *Acetum mixtum cum bono vino*, verba ſunt S. Bernardini, *illud in acetum convertit. Secundùm Palladium, apes mellificare ſeu habitare non poſſunt, ubi generatur Echon. Sic nec homines virtuoſi vel virtutum congregantes, inter rixoſos converſari valent.* Qualenam in ſpinis, bonum ſuffocantibus ſemen, latet myſterium, de quibus dicitur: *ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt, illud?* Expoſitionem his verbis adducit Carthuſianus: *Id eſt, homines affectionis immoderatæ oppreſſerunt fructum bonorum, & germen virtutis viderunt & expulerunt.*

Lucæ 8. v. 7. — Dion. Cart. Ibid.

## *DISCURSUS VI.*

## ARGUMENTUM.

Probatur periculoſum eſſe bonorum cum malis conſortium, diverſa inſuper damna conſiderantur exinde oriri ſolita.

### THEMA.

*Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit; amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* PROV. 13. ℣. 20.

Boni non converſentur cum perverſis.

Clem. Alex. l. 3. c. 11. pædag.

1. Citra omne dubium, converſatio cum bonis ſtabilimentum eſt in virtutibus: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit.* Et econverſo ſocietas cum impiis, perverſio eſt vitæ: *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Clemens Alexandrinus hanc nobis propterea doctrinam tradit: *Cæterum ut eſt conſentaneum, ea demum vitæ prodeſt conſuetudo, quæ intercedit cum viris bonis.* Moxque ſocietatem condemnans cum malæ farinæ hominibus, quamdam in primis myſterioſam, populo Hebræo quondam factam, adducit prohibitionem in hæc verba: *Vitæ uſum cum improbis hominibus plane ſat illum agnoſcens ſapientiſſimus per Moyſen pædagogus, ſeniori populo porcis veſci prohibuit, ſignificans, non oportere eos, qui Deum invocant, cum impuris verſari hominibus.*

Prov. 13. v. 15. — Salaz. ibi.

2. In eodem capitulo Sapiens paulo ante præmiſerat, dicens: *In itinere contemptorum vorago.* Seu ut Syriaca legit: *Iter impiorum ad perditionem.* Ubi Salazar nomine viæ converſationem intelligendam eſſe aſtruit inquiens: *Via, id eſt, converſatio; contemnentium, id eſt, hominum protervorum & pervicacium, quorum mores difficiles & acerbi ſunt; eſt vorago, id eſt, in eorum converſatione ſubeſt magna & præceps labendi occaſio.* Unde Plutarchus non immerito dixiſſe refertur: *Si juxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.*

Plut. l. de liber. educ.

Vetat Paulus converſationem cum malis Chriſtianis. — 2. Theſſ. 3. v. 6.

3. S. Paulus indefeſſam Chriſtiani gregis curam gerens, ut omnes ſoliciti Paſtoris partes, qua præſens qua abſens adimpleret, unam Theſſalonicenſibus epiſtolam tranſmiſit cum edicto hujuſcemodi: *Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre, ambulante inordinate.* Ubi ſingulariter vis atque efficacia perpendenda occurrit præcepti apoſtolici, illis expreſſa verbis: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Efficit fide dignam, recordatione Domini*, inquit Theodoretus, *ipſe eſt enim, inquit, qui hæc per nos decernit.* Cajetanus in præſenti *denunciamus* pro *præcipimus* accipiendum eſſe aſtruit; porro quod particulam *ſubtrahatis* attinet, Theodoretus ait, quod Apoſtolus *ſe ſubtrahere* poſuit pro *ſeparare.* Dionyſius Carthuſianus verba illa *in nomine Domini &c.* perpendens, ait: *id eſt, authoritate Chriſti, qua fungimur, præcipimus*; moxque declarat, quid ſit inordinate ambulare, ſcilicet *indiſciplinate & irrationabiliter converſari.* Caute vero Cajetanus notat, communicationem vetuiſſe Apoſtolum non cum idololatris & infidelibus, ſed cum Chriſtianis malis: *Converſationem præcipit ſubtrahi, non infidelibus, ſed fratribus, hoc eſt, Chriſtianis.* Obſervat inſuper idem auctor, Apoſtolum non ſubſtantiæ aut bonorum, ſed perſonarum præcepiſſe ſeparationem; *Non dicit, ut ſubtrahatis veſtra, ſed vos; eſt enim quædam excommunicationis ſpecies, ſubtrahere converſationem.* Summe atque unice annitebatur Apoſtolus, ut bonos diſcipuli tutarentur illibatos mores, ut bona nutrirent prædicationis Evangelicæ ſemina, eorum inſerta cordibus; ideoque ipſos ab impiorum, tamquam ab excommunicatorum, conſortio & converſatione elongari volebat; quod documentum non modo Theſſalonicenſibus, ſed & Corinthiis præſcripſit, dum ait: *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit:* Et paulo poſt: *Expurgate vetus fermentum; ſcripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini fornicarijs.* Sanctus Thomas, Lyranus, Gloſſa & Cajetanus autumant, Apoſtolum iiſdem Corinthiis aliam ſeorſim hac de materia ſcripſiſſe Epiſtolam, unde facile eſt deducere, quam Apoſtolus tanti momenti negotium ſibi cordi duxerit. Notandum autem ſingulariter, id quod & Apoſtolus ipſemet inſinuat, noluiſſe eum loqui de Gentilibus Paganiſve, quibus tunc totus ſcatebat mundus: *Non utique fornicariis hujus mundi ... ſed ſi is, qui frater eſt.* A contrariæ religionis cultoribus abhorremus, aſt cum fidelibus, cum Chriſtianis, cum amicis, malis licet fuerint imbuti moribus, familiariter degere & converſari gaudemus. *Scripſiſſe ſe ſignificat prius* inquit S. Ambroſius, *ubi commonuit illos, ne jungerent ſe malæ vitæ hominibus; & quia non intellexiſſe forte ea, quæ ſcripſerat, videbantur; nunc in hac Epiſtola, quid ſcripſerit, interpretatur.* Porro idem Apoſtolus prædictam iiſdem Corinthiis doctrinam in ſecunda Epiſtola legitur repetiiſſe dum ait: *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras.*

Theod. — Cajet. — Dion. Cart. — Cajet. — 1. Cor. 5. v. 6. — Ibid. v. 7. — Ibid. v. 9. — Ibid. v. 10. — S. Ambroſ. Ibid. — 2. Corinth. 6. v. 14.

Ne inquinemur ab ipſis.

4. Eamdem vitandæ malorum ſocietatis neceſſitatem probe agnoviſſe videtur Eccleſiaſticus, dum eo fine diverſa nobis, eaque ſalutaria reliquit documenta inquiens: *Cum ſtulto ne multum loquaris, & cum inſenſato ne abieris; ſerva te ab illo.* Cujus diverſas aſſignat rationes, & in primis quidem, *ut non ad moleſtiam habeas*; mali namque aſſolent eſſe impertinentes, arrogantes, contentioſi, omnibuſque aliis infecti vitiis, atque ideo non niſi moleſtiam creare poſſunt conſodalibus ſuis. Secunda ratio eſt, quia nimirum impium fugiendo, *non coinquinaberis peccato illius*; ut enim vidimus in diſcurſu præcedenti, perquam faciles ſumus ad alienam contrahendam malitiam; præterquam quod noſtra cum reprobis converſatio bonum nobis imminuat nomen, famamque tollat. Proſequitur Eccleſiaſticus: *Deflecte ab illo, & invenies requiem, & non acediaberis in ſtultitia illius. Id eſt*, ut Hugo Cardinalis interpretatur, *non contrahes acediam ſive torporem, ex ſtultitia illius; multi enim contrahunt tædium bonæ vitæ ex convictu ſtultorum.* Lyranus inquit: *Ne acedieris, id eſt, remiſſus fias in bono.*

Eccli. 22. v. 14. — Ibid. v. 15. — Ibid. v. 16. — Hug. Card. Ibid.

Baron. An. 98. num. 15. — Et pervertamur ut hillaria docet.

5. Annales referunt Eccleſiaſtici, S. Joannem Apoſtolum, Spiritualem quemdam filium, floridæ ætatis adoleſcentem, ſibi lucratum fuiſſe, quem dum in Spiritus & perfectionis via diu multumque inſtruxiſſet, ejuſdem ſingulariter trahi cœpit & ineſcari virtutibus; interim propter negotia aliqua profecturus Apoſtolus, cum maxima cum ſolicitudine cuidam commendavit Epiſcopo, à quo neglectus juvenis diverſis ſeſe adjunxit amicis, tantumque in Spiritu relaxare cœpit, ut devius, malorumque præda ſodalium effectus, latro, imò graſſatorum famoſorum Dux evaſerit & anteſignanus; quod ut redux S. intellexit Apoſtolus, in eas decrepitus, ubi degebat impius, ſe contulit ſylvas, tantumque dictis & factis præſtitit, ut ad pœnitentiam reduxerit errabundum. Ecce vobis juvenem, tam miraculoſi, tam efficacis, tamque coram Deo potentis diſcipulum magiſtri, ſancta adeo imbutum diſciplina, & nihilominus malorum amicorum perverſum conſortio. An non igitur veriſſimum eſt, quod *Amicus ſtultorum, ſimilis efficietur.*



Et à Deo cum ipſis puniamur. — Eccli. 7. v. 2. — 2. Paralip. 19. v. 2. — 2. Paral. 20. v. 37.

6. Verſio Chaldaica pro *amicus ſtultorum, ſimilis efficietur*, legit: *Qui ſocietatem habet cum ſtultis, malum erit ei.* Syriaca habet: *Lædetur.* R. Salomon: *Effringetur.* Accidit namque perſæpe, eos, qui impiorum in flagitiis ſe comites præſtiterunt, eadem cum impiis incurrere ſupplicia: id ſane inferre voluiſſe videtur Eccleſiaſticus, dum ait: *Diſcede ab impio, & deficient mala abs te.* Rex Joſaphat periculum ſubiit mortis, dum impio regi Achab ſeſe adjunxit in prælio, unde & ſeveriſſimè his fuit reprehenſus verbis: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderant Dominum, amicitia jungeris; & idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te, eo quod abſtuleris lucos de terra Juda, & præparaveris cor tuum, ut requireres Dominum Deum patrum tuorum.* Aſt quia hoc non obſtante novum poſtea fœdus iniit amicitiæ cum peſſimo rege Ochozia, cumque eo navalem inſtruxit armaturam, in Tharſis ablegandam, ideo quemdam ei Dominus Prophetam miſit, qui ſuo ipſi nomine diceret: *Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naves, nec potuerunt ire in Tharſis.*

Hebræi propter ſocios perverſos contra Deum murmurarunt. — Num. 11. v. 4. & 5. — Oleaſter. Ibid. — Pſal. 77. v. 30.

7. Populus Hebræus tot viis ac modis divinam fuerat expertus aſſiſtentiam & providentiam, maxime autem in quotidiana ſuſtentatione, dum plueret de cœlis manna, & nihilominus inſolentiſſime poſtmodum murmurare, divinæque majeſtati, per arrogantem carnium ſolicitationem, detrahere non erubuit; cauſamne noſtis impietatis tantæ? malam frequentarunt ſocietatem, quoniam ut Chroniſta ſacer atteſtatur: *Vulgus promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagravit deſiderio, ſedens & flens junctis ſibi pariter filijs Iſraël, & ait: quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* Cum Iſraële diverſi ex Ægypto tranſierant extranei, forſitan & Ægyptij. Oleaſter legit: *Et collectio, quæ erat in medio ejus, concupierunt concupiſcentiam; difficile valde eſt, aſſuetum malis in officio continere, nam etſi ad horam diſſimulet, tandem inventa opportunitate prodit, quod animo occultaverat ad tempus. Similiter adverte, quam periculoſum, malos tecum habere.* Suum equidem impleverunt appetitum, aſt non ſine vindice pœna; ſiquidem *adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.*

Num. 20. v. 17. — Quam periculoſum conſortium malorum. — Abulenſis.

8. Juxta ejuſdem libri hiſtoriam, pertingens Iſraël ad Regis Edom confines, petivit liberum, per ejus ſtatus, tranſitum: *Obſecramus, ut nobis tranſire liceat per terram tuam; gradiemur via publica. Cui reſpondit Edom; non tranſibis per me, alioquin armatus occurram ibi.* Hanc igitur repulſam paſſus Moyſes, immenſum debuit conficere gyrum per deſertum Cades, circa montem Seir, cum innumerabilibus multorum annorum laboribus, in aquæ cibique penuria, in intolerabilibus deſerti adverſitatibus. Aſt, quandoquidem corda regum in manu Dei ſunt, eadem ad nutum ſuum gyrantis atque mutantis, cur Dominus regem hunc non diſpoſuit, ut Iſraëlitarum acquieſceret petitioni? Abulenſis notat, quod à populis iſtis gentilibus, diverſas in falſorum Deorum honorem, ſolitis celebrare ſolemnitates, Hebræi illecti moram inibi traxiſſent & domicilia fixiſſent, ſicque per eorum converſationem, ad idololatriam inducti fuiſſent; ideoque Deus tot tantorumque annorum iter & difficillimum in deſerto circuitum, minus reputavit malum, quam perverſionis periculum, in quod certo certius illi incidiſſent; ſiquidem *amicus ſtultorum ſimilis efficietur.*

S. Bern. t. 3. ſer. in D. 3. Pent. à 2. c. 1.

9. S. Bernardinus D. Iſidorum in ſoliloquiis citans, hanc ex eo digniſſimam notabiliſſimamque adducit propoſitionem: *Melius eſt habere malorum odium, quam conſortium; ſicut multa habet bona communis vita ſanctorum, ſic plurima mala ſocietas affert malorum; proinde ſequendum eſt conſilium Caſſiodori, qui exponens illud pſalmi; declinate à me maligni, ait: remedium enim eſt, quam converti velle non videris, vitare ſi poſſis.*



Pſal. 118. v. 115. — Actor. 7. v. 15. & 16. — Beda. — Lor. ibid. — Gen. 47. v. 30. — Oleaſter. — Gen. 50. v. 24. — Oleaſter. — Oleaſt. in c. 13. Exod. v. 19.

10. Protomartyr de ſanctis agens Patriarchis antiquis: *deſcendit*, ait, *Jacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe, & patres noſtri, & tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham &c.* Non modo corpus Joſeph, ſed & omnium aliorum præclariorum, in Ægypto mortuorum Patriarcharum oſſa per Moyſen tranſlata fuiſſe ſuſtinet Beda, inquiens: *De ſolo Joſeph ſcriptura teſtatur, quod oſſa ejus de Ægypto tranſlata, in Sichem tumulata ſunt; ſed ex verbis S. Stephani & ſcriptis Hieronymi, conſtat, cæteros etiam Patriarchas ibidem eſſe ſepultos; quamvis memoria Joſeph celebrior ſit, qui hoc de oſſibus ſuis mandavit.* Cujus tranſlationis cauſam ſi intelligere placet, multæ eruditionis atque authoritatis interpretem non diſpliceat audire Lorinum, dum ait; hoc factum fuiſſe, *ne cadavera ipſa, idololatrarum quodam quaſi commercio prophanarentur.* Unde & Patriarcha Jacob ad Joſeph dicebat: *Dormiam cum Patribus meis*, inſtanter urgens, ut oſſa ſua poſtmodum in terram Chanaan in Hebron tranſportarentur, ubi requieſcebant Abraham & Iſaac. Ex quibus Oleaſter hanc ad intentum noſtrum infert doctrinam: *Non ſolum in vita, ſed etiam in morte fugienda ſunt malorum conſortia.* Poteritne efficacius quid in malæ ſocietatis deteſtationem adduci? porro idem auctor ad ſimile Joſephi præceptum (*aſportate oſſa mea vobiſcum*) ſeſe reflectens, poſtea ſubdit: *Audis hic, quam mala ſit conjunctio malorum, ut non ſolum vivi, ſed etiam defuncti juſti, cum eis commorari nolint.* Neque his contentus idemmet auctor ad Exodum digreſſus, dum tranſlationem oſſium Joſeph à Moyſe factam (*tulit quoque Moyſes oſſa Joſeph ſecum*) conſiderat, ſequens exinde elicit documentum, inquiens: *Non æquo animo ferebant ſancti, inter impios requieſcere; neque cadavera ſua permittebant inter impios haberi.*

Gen. 31. v. 14. — S. Ambr. in Exod. ad Iren. c. 8. — Pſal. 17. v. 26.

11. Juſſus à Deo Jacob, deſerto Laban, patrios repetere lares, præceptum divinum uxoribus ſuis Racheli & Liæ intimavit, quæ illi reſponderunt: *Numquid habemus reſidui quidquam in facultatibus & hæreditate domus patris noſtri? nonne quaſi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum?* Utraque erat filia Laban, nata, nutrita & dotata ab eo, & nihilominus maxima cum reluctantia ſeſe obtulere ad deſerendam domum paternam, aliudque ſibi incognitum adeundum ſolum, maximè cum probe noſſent crudelem Eſau adverſus Jacob fratrem natu minorem perſecutionem. Reniſus hujuſcemodi cauſam aliqui aſſignarunt ſequentem, quia nimirum Rachel & Lia aliquam jam tum acceperunt à Jacob informationem circa religionem, verique Dei cultum; atque ideo difficillimum fore arbitrabantur à tantorum domeſticorum idololatrarum conſortio ſeparari. Optimè ad propoſitum S. diſcurrit Ambroſius inquiens: *Fugienda eſt talium ſocietas, etiamſi aliqua generis copulentur neceſſitudine; noxiæ ſunt enim converſationes cum inſipientibus, & inficiunt ſobriam mentem ac decolorant; quia ſicut adhærens Sancto, Sanctus eris; ita cum perverſo perverteris, ſicut ſcriptum eſt. Frequenter enim accidit, ut is contra propoſitum ſuum, intemperantem audiens, cum velit ipſe continentiæ diſciplinam tenere, fuco inſipientiæ coloretur.*

Matth. 10. v. 6. — Matth. 15. v. 24. — S. Chryſol. ſer. 100.

12. Electus Iſraëlitarum populus honorificis ſæpe titulis à Chriſto legitur affectus, ut cum diceret; *Ite potius ad oves, quæ perierunt domus Iſraël*; & alibi: *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël.* Quomodo electus igitur manſuetuſque Grex in rapacem degeneravit lupum? Reſpondet S. Chryſologus: *Oves luporum contagione jam rabidæ, & ipſis beſtijs propria feritate ſæviores, laniare & violare ſuum ſemper voluere paſtorem.* Cum gentilibus veri Dei inimicis converſantes, capitale contra eum conceperunt odium: *Commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.*

S. Cypr. de ſing. cler. — Vatab.

13. S. Cyprianus extremam perverſi ſodalitij perniciem conſiderans, diverſos ejuſdem aſſignat effectus, inquiens: *Mala ſocietas corruptionem ſeminat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fovet, confuſionem mercatur, criminationes exaggerat, & per infinita dedecora, ſimplices mortes invehit in perditionem.* Ubi vulgata noſtra legit: *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Vatablus exponit: *Qui cum ſtultis amicitiam jungit, malo afficietur.*

Eccli. 13. v. 21.

14. Idem nobis inter impios degentibus diſcrimen ob oculos ponit Eccleſiaſticus, dum ait: *Si communicabit*

Tigur.

*nicabit lupus agno, ſic peccator juſto.* Tigurina legit: *Quale eſt lupo cum agno commercium, talis eſt ad pium ſceleroſi ratio.* Quis neſcit, lupum naturaliter à tergore atque improviſo invadere & ſternere agnum? ita & peccator probo aſſociatus, peſſimo odore ſuo hominis juſti lacerat reputationem, bonos ejus depravat mores, animæque ſpiritualem infert mortem; prout ex illa impiorum, per Sapientem manifeſtata patet conjuratione: *opprimamus juſtum ... quia contrarius eſt operibus noſtris*; hunc pervertere, hunc ſecum in præcipitia adigere allaborant.

Sap. 2. v. 10. & 12.

Job 3. v. 12.

15. S. Gregorius illa Jobi verba, *cur lactatus uberibus &c.* exponens, ita ad noſtrum diſcurrit propoſitum: *Enervis animas ad quædam ſe ſolatia falſæ conſolationis inclinat; unde fit, ut inceſſanter creſcat culpa favoribus enutrita. Curari autem vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur.* Moxque Sanctus modum, quo mali ſuos ad ſe attrahunt conſodales, oſtendit, inquiens: *Unde bene per Salomonem dicitur; Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis; peccatores enim lactant, dum vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata favoribus extollunt. An non lactatur, de quo per Pſalmiſtam dicitur; quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur? difficile enim emendatur peccatum, quod linguis pravorum nutritur.*

S. Greg. l. 4. mor. c. 25.

## DISCURSUS VII.

### ARGUMENTUM.

Ejuſdém proſecutio materiæ; item de iis, qui ex bono motivo, conſortiis utuntur malorum.

### THEMA.

*Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Eccli. 13. ℣. 1.

1. AD declarandos perverſi ſodalatij effectus aptior dari non potuiſſet ſimilitudo, quam ea Eccleſiaſti inſinuata: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Verſio Syriaca legit: *Qui accedit ad picem, ipſa adhæret manui ejus; & qui communicat iniquo, induit mores ejus,* Qua picis ſimilitudine Eccleſiaſticus nos edocere voluit omnimodam cum malis converſationis fugam, juxta illa Dionyſij Carthuſiani verba: *Prava & periculoſa conſortia docet hic fugere.* Pix immunda eſt, conſpurcat, defœdatque manus iisque tenaciter adhæret. Ita pariter inquit Carthuſianus, *Qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam, conformando ſe ſuo conſorti, cujus verbis & exemplis inficitur; cum enim humana fragilitas ſit prona ad malum; faciliter ad ea allicitur, & familiares ad invicem libenter complacent ſibi; ſicque unus moribus ſe conformat alterius.*

Dion. Cart.

2. S. Athanaſius citato ſuperius & ipſe utens textu, pro *aſſimilabitur* legit, *ſimilis fiet ei*; nec immerito, ſiquidem experientia teſte, malos commilitonum mores facillimè imitamur. Manus vix picem tangit, ſubitoque inficitur & maculatur ab ea; ita & malorum ſocietas eadem nos contaminat pice, unde Hugo Cardinalis ait: *Sicut pix non eſt tangenda, ſic malorum ſocietas eſt fugienda, maxime infirmis, qui adhuc ſeducibiles ſunt; nimis enim difficile eſt, eſſe in medio ignis, & non comburi, imo miraculum.* Cui & alterius conſonat reflexio auctoris, inquientis: *Ut nigredo picis hæret eam contrectanti, ita ſuperbia ei, qui communicaverit ſuperbo.*

S. Ath. tr. de virg.

Hugo Card. Ibid.

Paul. de Pal. ibid.

3. Ex variis ſacræ Scripturæ locis colligimus, judicia olim ad urbium portas ſolita fuiſſe celebrari, cujus cæremoniæ diverſas Interpretes ſacri adduxere rationes. S. Gregorius ait: *Ut urbem, in qua concorditer oporteret vivere, diſcordes minime intrarent.* S. Hieronymus non diſſimilem his verbis cauſam adducit: *In porta fuiſſe legimus judicia, ne agricola ad cauſam veniens, frequentia civitatis & novitate terreretur aſpectus.* q. d. inconveniens erat, ut ruſtici in ſimplicitate gradientes, civium, plerumque malitioſe viventium, turmis ſe immiſcentes, ſinceritatis & naturalis ingenuitatis ſuæ incurrerent diſcrimen.

Deut. 17. v. 5.

S. Greg. l. 11. mor. c. 1.

S. Hieron. in c. 5. Amos.

4. S. Gregorius unam præ reliquis principaliſſimam conſortia prava devitandi rationem & motivum aſſignat dum ait: *Unum vero eſt, pro quo vitari ſocietas debet malorum, ne ſi forte corrigi non valent, ad imitationem trahant, & cum ipſi à ſua malitia non mutantur, eos, qui ſibi conjuncti fuerant, pervertant.* Vel ipſos virtuoſiſſimos etiam juxtaque perfectiſſimos hujus commaculat picis contactus. S. Petrum adeamus cum D. Auguſtino, in atrio Caiphæ & ad littora maris Tiberiadis demorantem; hic à cœleſti magiſtro, de dilectione, amoreque divino interrogatum; illic Dei filium cum perjurio abnegantem; quis tantæ nobis aſſignabit differentiæ rationem; à S. Doctore eam accipere placebit, dum ait: *Ante paſſionem ſervilis timor Petri, interrogatus eſt à fœmina ſervitutis; poſt reſurrectionem Domini liberalis ejus amor ab ipſo principe libertatis; & ideo ibi turbatur, ubi quem dilexerat, negaverat; hic autem quem negaverat, diligebat.* In Caiphæ atrio ſervilis eum invaſit timor, utpote à duabus interrogatum ancillis, cum pontificis ſervis degentem; ad littus autem marinum, amorem filij Dei proteſtatus eſt maximum, utpote ubi cum Chriſto & Apoſtolis ejus converſans vera fruebatur filiorum Dei libertate.

S. Greg. h. 9. in Ezech.

Joan. 21. v. 15.

Matth. 26. v. 70.

S. Aug. tr. 97. in Joan.

5. S. Marcus Apoſtolos ad magiſtri ſui obſequium totaliter innuit fuiſſe intentos: *Dicunt ei Diſcipuli; quo vis eamus & paremus tibi, ut manduces Paſcha?* Et nihilominus juxta S. Matthæi teſtimonium, eodem fere tempore, Judas venditionem moliebatur pretioſiſſimi ſanguinis immaculati Agni: *Abijt unus de duodecim qui dicebatur Judas Iſcariotes, ad principes ſacerdotum, & ait illis; quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Nonne omnes ejuſdem erant magiſtri, ejuſdemque Scholæ diſcipuli? nonne omnes iiſdem regulis, eademque imbuti doctrina? nonne omnes prophetiæ, miraculorum, aliorumque ad ſublimem illum Apoſtolatus gradum pertinentium favorum donis locupletati erant? utique; qualiter igitur omnibus aliis magiſtri ſervitia & obſequia promovere annitentibus, unicus ejusdem Præceptoris diſcipulus proſtituitur traditor & homicida Judas? Ratio plana eſt: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea; & qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Judas ſtrictam cum Phariſæis, juratis Chriſti inimicis, contraxerat amicitiam; quid igitur mirum, ſi diu ab ijs intentatam, ipſe tandem executioni dederit mortem.

Marc. 14. v. 12.

Matth. 26. v. 14.

6. Hugo Cardinalis illa Eccleſiaſtici verba (*filij abominationum, fiunt filij peccatorum, & qui converſantur ſecus domos impiorum*) ſequenti ad intentum noſtrum illuſtrat commentario; *Illi fiunt abominabiles, qui cum impijs converſantur, ut dicit Seneca, & ex convictu formantur mores.* Unde & S. Baſilius inquit: *Promiſcue vitam agere cum ijs, qui ſecuri perfectam illam præceptorum Domini obſervantiam contemnunt, pernitioſum eſſe; etiam Salomon docet: Neque habitaveris cum viro furioſo, ne forte diſcas vias ejus, & ſumas laqueos animæ tuæ.* Quod & documentum nobis Eccleſiaſticus tradidit, dum ait: *Non te reputes in multitudine in diſciplinatorum*; vel ut 70. legunt: *in multitudine peccatorum.* Rabanus per indiſciplinatos illos, divinorum præceptorum intelligit transgreſſores; illos ſcilicet, *qui præceptis Dei obedire nolunt, in quorum ſocietate converſari periculoſum eſt*; quoniam facillime inter ipſos deviamus, *ſequendo*, ut Lyranus inquit, *ſocietatem & mores eorum.*

Eccli. 41. v. 8.

Hug. Card. Ibid.

S. Baſil. in reg. brev. q. 6.

Prov. 22. v. 24.

Eccli. 7. v. 17.

Rab. ibid.

Lyranus. ibid.

7. Multo ante tempore cecinerat Pſalmiſta: *Tu vero odiſti diſciplinam & projeciſti ſermones meos retrorſum; ſi videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Theodoretus ait: *Tu tamen adulteraris, & eorum, qui talia committere audent, ſocius es & particeps.* Ubi ſingulariter notanda ſunt verba illa: *Odiſti diſciplinam & projeciſti ſermones meos retrorſum.* Qui enim ſocietates & conſortia frequentat amicorum, horum imitans luſus, recreationes, epulas, cæteraſque lætitias & diſſolutiones, nauſeam & horrorem concipit ſolitudinis, aliorumque piorum exercitiorum, quibus inſudaverat ante, bonas aſpernatur admonitiones & correctiones: *Odiſti diſciplinam; & projeciſti ſermones meos retrorſum.* Feliciſſimum rerum ſucceſſum præſtolari poterat ſancta prognatus ſtirpe Joram, & nihilominus *ambulavit in vijs regum Iſraël, ſicut ambulaverat domus Achab.* Cauſam vultis tantæ metamorphoſeos? Scripturam audite: *Filia enim Achab erat uxor ejus.* Vel unica impij Achab & Jezabel filia, in conjugem accepta, ſufficiebat ad ſeducendum & pervertendum Joram. Rex Joas multis annis zeloſe atque indefeſſe veri Dei promoverat cultum, dicente Scriptura ſacra: *Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada ſacerdos*; ſed hoc præceptore mortuo, *ingreſſi ſunt Principes Juda & adoraverunt Regem, qui delinitus obſequijs eorum, acquievit eis; Et dereliquerunt templum Domini Dei Patrum ſuorum, ſervieruntque lucis & ſculptilibus.* Notat Sanctius, Jojadam, dum viveret, numquam permiſiſſe, ut impij & ſacrilegi idololatræ, qui Athaliæ erant à conſiliis, aliquod cum Joa haberent commercium; aſt poſt ſummi illius ſacerdotis mortem, improbi illi Regis ſe inſinuarunt

Pſal. 49. v. 17. & 18.

Theodor.

4. Reg. 8. v. 18.

Ibid.

4. Reg. 12. v. 2.

2. Paral. 24. v. 17.

Ibid. v. 18.

Sanct.



nuarunt amicitiæ, ejusque ſibi animum demulcentes, ſuum illi venenum inſtillarunt, adeo quidem peſtiferum, ut Rex ipſe in idololatriam inciderit, ſummique Pontificis filium Zachariam, veri Dei honoris cultusque zelatorem interimi præceperit.

8. Saülem famelicus cum ſuis fugiens David, ut mortem evaderet, in Nobe conceſſit, ubi ab Achimelech multa cum inſtantia panes petiit propoſitionis. Ad quem ſummus ſacerdos converſus, potero, inquit, dare; *ſi mundi ſunt pueri.* S. Ambroſius exiſtimat, voluiſſe intelligere Achimelech, utrum ipſe David mundus eſſet; aſt reverentiæ intuitu, de ſodalibus interrogaſſe; verumtamen quæ impuritatis ſuſpicio circa eum oriri poterat, qui ne per umbram quidem, contrarium umquam ediderat ſignum? Ecce vobis reſponſum David, utpote iniqui incola palatij, impij Saülis aulicus, meritò ipſe cum omnibus ſuis ſiniſtram incurrerat ſuſpicionem; ſiquidem judicium minime temerarium eſt, credere, aut ad minus dubitare, utrum impiis familiaris eadem ſit conſperſus farina; id quod David per hanc forte inferre voluit reſponſionem: *Et quidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur,* q. d. quod honeſtatem concernit, de munditia ſpondere auſim non vero de aliis. De hac Davidis fuga ita S. diſcurrit Ambroſius: *Fugiebat David ſanctus à facie Saul, non utique ut terras relinqueret, ſed ut inobſervantis declinaret contagium, fugiebat adhærens Deo, ſicut ipſe ait; adhæſit anima mea poſt te.*

1. Reg. 21. v. 4.

S. Amb. l. de Iſa. c. 3.

S. Ambr.

Pſalm. 62. v. 9.

9. *Qui tetigerit picem &c.* Pix non modo ſpurcitie, ſed & malo odore afficit contingentem ſe; ita & malorum ſocietas ſordibus non modo implicat peccatorum, ſed & bonum deſtruit odorem, integramque famam, conſcientiam pungit, reputationem atque omnem tumulat fidem; ſiquidem ſodales & amici familiares mutua utentes conſuetudine, ejuſdem creduntur genij loquelæ, operationis, affectus inclinationis: *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Opinio fert communis, unum eſſe conformem alteri, neutiquam diſcrepare; exemplum capite in zizaniis & frumento, per hoc juſtus, per iſta intelligitur perverſus; & nihilominus Evangelicus paterfamilias ſervis vetuit, ne frumentum ſepararent à zizaniis, *ne forte colligentes zizania, eradicarent ſimul & triticum.* Quamdiu enim mali degunt cum bonis, difficilis eſt inter eos diſtinctio; idem ſecundùm exteriorem oculum de utriſque formatur conceptus; ideoque convenientiſſimum hoc Nepotiano conſilium dedit S. Hieronymus inquiens: *Tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris.*

Prov. 13. v. 20.

Matth. 13. v. 29.

10. *Qui tetigerit picem.* Pix quanto facilius attrahitur, tanto difficilius avellitur; ita & in præſenti de pravis conſortiis materia, cujus veritatis probationem ab Iſraëlitis haurire non gravemini, qui *commiſti inter gentes,* in tantum *didicerunt opera eorum,* ut ad abominabiles idololatrarum ritus converſi, proprios etiam filios Diis immolarint; dicente Pſalmiſta: *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs.* Quod à Pſalmiſta aſſeri tradit Haymon, *ut aggravet malitiam eorum, nam ſi illi ſunt idololatræ, qui* diabolis *hircos immolant, multo magis illi, qui filios.*

Pſalm. 105. v. 35.

Ibid. v. 37.

Haym. ibid.

11. S. Auguſtinus illa Salvatoris conſiderans verba: *ſi cæcus cæcum ducit &c.* caute advertit, Chriſtum non dicere: *Cadit in foveam ducens, & non cadit ſequens, Sed cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt.* Quia licet quis ante initam cum malis ſocietatem, aliquo polluerit rerum divinarum lumine, ſacramentorum & verbi Dei audiendi frequentia præfulſerit poſtea tamen mala imitans exempla, converſationeque illectus, omni deſtituitur lumine & abſque omni difficultate torrentem ſecutus malorum, præcipitia multiplicat. Noſtis omnes, quantum Pentapoleos amœnitas atque deliciæ ineſcaverint Loth, vix inde vel angelicis, etiam perſuaſionibus & inſtantiis poterat avelli: *Cogebant eum Angeli.* Septuaginta legunt: *Urgebant.* Arias: *vim faciebant.* Quam licet S. Patriarcha moram necteret ex charitate, inque ſuorum ſalutem, nihilominus de eadem S. aſtruit Ambroſius: *Adhuc morabatur Loth, ut perſuaderet generis ſuis; & pene non profectus non evaſiſſet, niſi urgentibus Angelis, egredi coactus fuiſſet.*

Juxta Matth. 14. v. 15.

S. Aug. t. 9. l. de poſt. f. 10.

Gen. 19. v. 15

S. Ambr. l. 2. de Abr. c. 6.

12. *Qui tetigeris picem.* Non dicit Eccleſiaſticus: *qui tactus fuerit,* ſed *qui tetigerit picem*; quiſquis enim voluntarie ut ſuo indulgeat genio, oblectationis & conſortij intuitu, amicitiam contrahit cum ſodalibus perverſis: evidenti ſe exponit periculo contaminationis & boni nominis jacturæ; ſecus namque foret, ſi quis ſimilium ſe immiſceret ſodalitiis, ita exigente aut ſtatus & vocationis noſtræ neceſſitate, aut miniſterio, aut utilitate & profectu noſtro ſpirituali. Dum Deo ſervitium & obedientiam præſtituri, ad majorem ejus gloriam cum perditæ ſalutis hominibus converſamur, Deus per ſpeciale auxilium & gratiam ſuam, ne cadamus, opitulatur. Cui illud ſubſervit Sapientis dictum: *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur*; vult namque per hoc inſinuare ſapiens, quod iſti malos imbibent ſodalium mores, qui eorum ſe amicitiæ addicunt non ex fine recto & ad divinum conformato ſervitium, vel ex neceſſario aut convenienti motivo. Multi equidem veſtrûm cum malæ vitæ hominibus, aut in ſcholis condiſcipuli, in negotiis cooperatores, in officina collaborantes, aulici in palatiis, ſervi in eadem familia degant oportet; ab omni vos contagione illæſos præſervare vultis? ecce vobis ſalutis remedium, ne ſinatis, ut illorum malorum ſocietas veſtram ſibi demulceat benevolentiam & inclinationem; non plus indulgere commercio mutuo, quam præſcribat convenientia. *Amicus ſtultorum,* inquit Hugo Cardinalis, *qui libenter eſt cum eis, & amat eorum conſortium, ſimilis efficietur eis.* Qui enim occaſionem acceptarit, ſine occaſione, id eſt, abſque neceſſitate & convenientia, præſumens ſe malorum conſortiis minime contaminandum, nullam meretur compaſſionem, ſi in muſcipulam inciderit, quoniam *quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus, qui appropiant beſtiis? Et ſic qui comitatur cum viro iniquo.* Quis compati, quis excuſare volet aut incantatorem à ſerpente læſum, aut eum, qui ſponte ad feras accedens ab iis dilaceratur? *Sic qui comitatur cum viro iniquo.* In hoc ſe periculum conjicit, qui proprii inſtinctu beneplaciti, hominibus ſe aſſociat perverſis. Syriaca legit: *Quis miſerebitur incantatori, quem mordet ſerpens; aut cuicumque qui appropiat beſtijs? ita omnis, qui communicat viro iniquo, non præteribit, donec accendatur ex eo ignis.* Eamdem de illis, qui citra omnem neceſſitatem accedentes ad feras, poſtmodum ab iis dilaniantur, ſimilitudinem exhibens Lyranus, ſubjungit: *Similiter & qui contrahit familiaritatem cum hominibus malis; quia ſicut Philoſophus dicit, homo malus, à lege & juſtitia deſtitutus, eſt peſſimum animalium; ideo ſubditur: & qui comitatur cum viro iniquo.* Cui & illa conſonat S. Bernardini ſententia dum ait: *Maxime cautio neceſſaria eſt, ut evitentur deceptiones hominum; unde & Chryſoſtomus ait: præ omnibus malis homo eſt peſſimum malum; beſtia habet unum proprium malum, homo autem omnia.*

Eccli. 13. v. 1.

Prov. 13. v. 20.

Hug. Card. Ibidem.

Eccli 12. v. 13.

Lyranus. ibid.

1. Politic.

S. Bernard. t. 3. ſer. in D. 3. Pent.

## DISCURSUS VIII.

### ARGUMENTUM.

Societas mala peſti aſſimilatur & veneno.

### THEMA.

*Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Num. 16. ℣. 26.

1. HÆc Moyſis verba conſortium impiorum, veluti contagioſum peſtiferumque malum nobis ob oculos ponunt; ſicuti enim peſtis mortem infert corpori, ita animæ ſocietas mala, quam dicto contagij epitheto plurimi unanimiter afficiunt auctores, prout diſcurſus præſens edocebit planius. S. Baſilius inquit: *Quemadmodum in morbificis regionibus aër, qui particulatim inſpiratur, latentem morbum his, qui in illis degunt, immittit, etiamſi præſens damnum non percipiamus.* Contagium in nobis non experimur ſubito, ſed venenum eſt inſenſibiliter attractum, ſenſim ſine ſenſu operans, perque viſcera ſerpens, uſque dum cor inficiat; ita & malæ ſocietatis contagium quam pernitioſum ſit, plerumque non advertitur in principio ſtatim, ſed poſt tantillum temporis ſpatium. Eamdem nobis doctrinam moralis exhibet Seneca, dum ait: *Serpunt vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Itaque ut in peſtilentia cavendum eſt, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipſo laborabimus; ita in amicorum legendis ingenijs dabimus operam, ut quam minime inquinatos aſſumamus; initium morbi eſt, ægris ſana miſcere.* Contagium per flatus, per mutua contrahitur colloquia & ſermones, niſi diſtantia fuerit notabilis; ita & peſtifera malorum morum infirmitas per reciprocam transfunditur communicationem, familiaritatem, ſermocinationem & praxim amicabilem; unde Apoſtolus ſuis legitur ſcripſiſſe Corinthiis:

S. Baſil. h. quod Deus, non ſit cau. malor.

Sen. l. de tranq. an. c. 7.

1.Cor. 15. v. 33.

*Nolite ſeduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala*; in Græco autem *colloquium* idem eſt quod *commercium*; per quam dictionem Apoſtolus *omnem converſationem ſignificat*, ut docet Cornelius à Lapide.

2. Non modo converſatio, ſed & colloquium cum malis, corrumpit inficitque bonorum morum aërem, quantumcumque ſalubrem. Ideoque S. Iſidorus Peluſiota quemdam contra alterius impij cujusdam hominis conſortium præmunire volens, hac eum armat inſtructione: *His, qui vitæ conſuetudinem cum Euſebio habent, duorum alterum neceſſe eſt, nimirum, ut vel in ipſius offenſionem odiumque incurrant*, aut intemperantiæ ipſius ſocij ac participes ſint; *ſiquidem graves & temperantes extrudit, eos autem, qui petulanter atque inhoneſte gerere ſe norunt, charos habet. Auctor tibi fuerim, ut ipſius conſuetudinem & contubernium fugias, ne peſtilentem morbum contrahas.* Longe tamen expreſſior hæc eſt S. Bernardini admonitio, dum conſulit: *Ne contaminemur ab illis, aut per malum participium, aut per colloquium, aut per damnoſum conſenſum, propter hanc triplicem contaminationem, Iſaias ait: Recedite, recedite, exite inde & pollutum nolite tangere; ter dicit, recedite vel exite; quia recedendum eſt vel exeundum, ne polluamur in corpore per conſenſum, in ore per colloquium, & in opere per malum participium.*

S.Iſid. Pel. l.3.ep.47.

S.Bern. t.3. ſer.in D.3. Pent. à 2.c.1. Iſa.52.v.11.

3. Rigoroſum quondam Deus, filiis Iſraël intimandum, Moyſi impoſuit mandatum, inquiens: *Præcipe filijs Iſraël & dic ad eos; quando tranſieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, diſperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos, & ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate, mundantes terram & habitantes in ea.* Quorſum obſecro crudele adeo omnium Palæſtinæ incolarum, omnium idolorum & quantumcumque etiam minimarum rerum exterminium? Acute obſervat Oleaſter, quod Deus *prius præcepit habitatores expellere, ſecundo perdere titulos, tertio imagines, quarto delubra. Prius homines, quoniam nihil citius hominem pervertit, quam alter homo.* Ut impiorum ſubterfugias vitia, quidquid eorum eſt, à te removeas oportet, omnemque præſcindas occaſionem, quantumvis remotam. Conſideratione digniſſimum in præſenti occurrit cujuſdam Legiſlatoris dicti Carondæ aſſertum, noſtro peraccommodum aſſumpto. Inquit enim, *improbitatis luem, non ſecus ac peſtem in hominum vitam graſſari, & vel integerrimorum ſæpe animos, veluti morbi aliqua contagione infici & corrumpi.* Vel unicus peſtifer ſufficit ad totius infectionem populi, imo vel unicum infectum filum; id quod Apoſtolus his verbis inſinuare voluiſſe videtur, dum ait: *neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Circa quæ Dionyſius Carthuſianus ita diſcurrit: *Sic unum peccatum, ſeu unus peſtilens & perverſus totam maſſam, id eſt, veſtram congregationem, contaminat, inficit & ſeducit, niſi auferatur.*

Num.33. v.52. Ibid.v.53.

Oleaſt. h.5.in Levit.

Diod.Sic. l.12.

1.Corint. 5. v.6. Dion. Carth.

4. Alia inter & hoc reperimus in Levitico præceptum: *Anima quæ tetigerit aliquid immundum, ſive quod occiſum à beſtia eſt, aut per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ ſuæ, rea eſt & deliquit.* Quomodo anima contrahere potuit maculam, dum non peccavit per malitiam: *Si oblita fuerit &c.* Diſcite myſterium; qui contagioſa inficiuntur peſte, non eam contrahunt voluntarie, ſed ex commercio & praxi cum perſonis infectis. Ita & plurimi, dum malorum frequentarunt conſortia, eorum imbiberunt culpas & vitia, longe licet invitiſſimi, eorumdem incurrerunt pariter pœnas & diſpendia. Audite Originem: *Tertia eſt immunditiæ ſpecies, qua is qui mundus eſt; ſi aliquid contigit immundum, non tam ſuo peccato, quam aliena contagione polluitur; ut puta, ſi quis ſocietur amicitijs & conſortio hominis lividi, vel iracundi vel adulteri, & ipſe tamen non inficiatur ſceleribus ſuis, videat tamen eum & intelligat, quomodo fratrem ſuum odit, & homicida eſt, & aliena immunditia ipſe pollutus eſt.* Sanctus quoque Chryſoſtomus hac de materia, ſub peſtis alluſione tractans, ait: *Quemadmodum enim corpora ſæpe à corrupti aëris lue infecta pereunt, ita etiam anima ſæpe damnum accepit ex malorum congreſſione; & quemadmodum ſanus oculus quando laborantem aſpexerit, afficitur; & qui eſt ſcabie refertus, ijs etiam qui ſani ſunt, eam impertit; ita etiam ſæpe contingit in conſuetudine improborum hominum, & ideo etiam ſuaſit Chriſtus, non ſolum eos qui ſunt tales, fugere, ſed etiam exſcindere, ſic dicens: ſi oculus tuus dexter te ſcandalizat, erue eum.*

Lev.5.v.2.

Orig. h.5.in Lev.

D. Chryſoſt. in pſ.4.

Matth.5. v.29.

5. Peſti ferrum medetur, & ignis, ita ut ſpiritualem malos inter ſocios declines mortem, quodcumque efficaciter adhibere debes remedium, quantumvis arduum & difficile. Celeberrima illa paſſim circumfertur, ab Abrahamo quondam contra quatuor reges reportata victoria, quando Loth cum omni ejus ſubſtantia, gentili eripuit ſervituti. Aſt munus advertite, quod victori reduci rex obtulit Sodomorum: *Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui reſpondit ei: levo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli & terræ, quod à filo ſubtegminis, uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt.* Spolia victoris erant, & nihilominus Abraham vel minimum etiam ex iis filum acceptare detrectavit. Cauſamne noſtis? *Dixit autem rex Sodomorum ad Abram.* Peſſimi, maximeque abominabiles erant Sodomitæ, ideoque ſapientiſſimus Patriarcha quodcumque ſibi cum iis interdicendum ſtatuit commercium, quia ſicuti vel unicum filum infectum poteſt transfundere peſtem, ita vel unicum verbum, geſtus vel malum exemplum unicum, quæcumque res mala, quantumvis minima, ſufficiens eſt, ut nos contaminet. Imo Nazianzenus eadem contagionis metaphora in præſenti uſus, dicere non veretur: *Neque enim vel pannus tincturam ita facile concipit; vel is, qui fœtido aut ſuavi odori propius ſe adjunxit, ejus particeps fit, vel vapor quidam morbidus & noxius pari facilitate in aërem diffunditur, ac per aërem animantibus impertitur, quam nos vero nomine peſtem dicimus, ut ſubditi præfectorum vitio celerrime imbui atque impleri ſolent, & quidem multo facilius, quam virtute.*

Gen.14. v.21.22. & 23.

Gen.14. v.21.

Nazianz. or.21.

6. Sanctus Anſelmus citata Apoſtoli verba (*corrumpunt mores bonos colloquia mala*) conſiderans, hanc ex iis elicit, nobiſque tradit eruditionem: *Nolite ſeduci, id eſt, nolite ſtultorum verbis & blandiloquentia à recto tramite abduci. Aſſiduitas pravi colloquij vitiat mentem, & idcirco vitanda eſt maxime ab infirmis. Sicut enim verba proximorum audiendo quotidie ſumimus in mente ſic reſpirando, aërem trahimus corpore; & ſicut malus aër aſſiduo flatu tractus inficit corpus, ſic perverſa locutio aſſidue audita, infirmantium inficit animum, ut tabeſcat delectatione pravi operis.*

1.Cor.15. v.33.

S.Anſelm.

7. Contagium juxta medicorum doctrinam, ſpecies eſt veneni. Fraudulentus inferni ſerpens, noſtrarum indefinenter inhians animarum perditioni, ut ſuo nos veneno inficiat, pernicioſam blandamque exhibet ſocietatem & amicitiam; ideoque Sanctus Hieronymus impios, noſtræ ſeſe aſſentatorie inſinuantes familiaritati, viperarum afficit titulo, inquiens: *At quis umquam juxta viperam ſecurus ſomnos capit? quæ ſi non percutiat, ſaltem ſolicitat. Quadrat in illud Jeremiæ; lamiæ nudaverunt mammas & lactaverunt catulos ſuos. Lacte nos alliciunt ut matres, veneno officiunt ut ſerpentes. Igitur fili mi, ait ſapiens, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.*

S.Hieron. in Thren. 4. v.8.

8. S. Bernardinus eum in præſenti ingenioſe adhibet ſacræ Scripturæ textum, ubi Chriſtus congregatis in unum diſcipulis poteſtatem legitur impertiiſſe malignos ejiciendi ſpiritus: *Dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos*, inquit ſanctus, *& non dedit eis poteſtatem ſuper homines malos. Per Evam quippe Adam à diabolo ſeductus eſt, merito ergo draconi & ſtruthioni tales perverſi aſſimilantur*, juxta illud Jobi: *Frater fui draconum & ſocius ſtruthionum. Dracones enim ſecundum Iſidorum cum flammivomi ſint, ex hoc aër concitatur, virus in caudis habent. Crura elephantium circumcingendo ſtringunt, oculos eorum impetunt, atque eos ſuffocando perimunt. In his notantur homines perverſi & perverſores, qui dracones ſunt igni vomi ſeu flammivomi; ideo ex eis concitatur aër, quia perverſi verbis peſtifera malitia plenis, corrumpunt illos, qui converſantur cum eis, nam draco occulte inſidiatur. Caudæ, in quibus habent virus, ſunt infernales & circumventivæ malitiæ, quibus homines circumveniendo perimunt, trahentes ad malam vitam, inter quos intereunt elephantes exoculati, id eſt, hi, qui quandoque videntur gratijs & virtutibus magnis illuminati.*

Matth.10. v.1. S.Bern. ibid.

Job 30.v.29.

9. Speculum quantumvis clarum & mundum vel unico obducitur flatu, ita & anima quantumcumque pura & immaculata per blanda amicorum colloquia & converſationes conſpurcatur: *Cum viro innocente innocens eris*; ecce vobis ſpeculum limpidum: *cum perverſo perverteris*; ecce vobis idem, vel unius perverſi communicatione & conſortio obtectum.

Pſalm.17. v.26. Ibid.v.27.



Eccli.13.v.18 Eccli.41. v.18.

ctum. *Qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam*; inquit Eccleſiaſticus & : *Filij abominationum fiunt filij peccatorum, & qui converſantur ſecus domus impiorum. Et qui converſantur cum vicinijs impiorum.* Tigurina legit. *Liberi execrabiles evadunt liberi ſceleratorum, & qui verſantur in impiorum vicinia.* Appropiatio venenum communicat, quiſquis contagioſa vult declinare venena, ſocietates & conſortia ſubterfugiat oportet.

Gen.21.v.9.

10. Sapiens & à Deo illuminata Sara *cum vidiſſet* die quodam *filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham, ejice ancillam hanc & filium ejus.* Quorſum obſecro tantus rigor? nonne pueris in teneriori ætate proprium eſt, luſibus ſe oblectare & indulgere? ita equidem; ſed ecce quid Apoſtolus de dicto ſenſerit ludo, dum eum perſecutionis titulo tractat, inquiens: *Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc; ſed quid dicit ſcriptura? ejice ancillam & filium ejus.* In catena antiquus quidam Expoſitor verbum *ludentem* explicat *pugnantem*, cui & illud congruit: *Surgant pueri & ludant coram nobis*; id eſt, confligant. Interlinearis inquit: *Lubricum & laſcivum docebat eſſe Iſaac, ſicut ipſe erat.* Chryſoſtomus Gloſſæ ſubſcribit, dum ait: *Vide obſecro Saram non ferentem Iſmaëlis licentiam, neque patienter ſuſtinere volentem ancillæ filium cum ſuo Iſaac converſantem.* Cajetanus pariter ait: *Ludentem, id eſt, facientem irridere.* Numquid perſecutio aliqua crudelior eſſe poteſt quam illa, quæ bonos ferit mores, puerumque à divini timoris ſemita in primis facit deviare annis: Hic ipſe malorum ſtylus eſt ſodalium, teneræ ſcilicet ætati per mala exempla, verba, adulationes, blanditias & ludos ſuum inſtillare venenum, bonoſque pervertere: quibus omnibus ſi nihil effecerint, tandem omnium potentiſſimam adhibituri machinam, riſus multiplicant & deluſiones: *Ludentem, id eſt, facientem irridere.* Ideoque Sara filium ſuum Iſaac huic ereptura periculo, voluit Iſmaëlem amoveri cum matre; ad vitandum namque hoc contagium, omni cum induſtria & ſtudio, non proximas dumtaxat, ſed & remotas præſcindere oportet occaſiones.

Acac. in cat. Lip. 2.Reg.2. v.14. Gloſſa. Interlin. D.Chryſ. Ibid. Cajet.

11. Iſaias propter quotidiana cum infecto populo commercia (*In medio populi polluta labia habentis ego habito*) hoc pariter contagio ſeſe laborare ſuſpicabatur, cum ingemiſceret: *Vir pollutus labijs ego ſum.* Ut res quæpiam contagio infecta expurgetur; ignem applicari neceſſum eſt; eamdem in mundando Propheta videntur ſervaſſe methodum Seraphini, dum & ipſi ardentes hunc in finem adhibuere carbones: *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, Et tetigit os meum & dicit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur.*

Iſa.6.v.5.

Ibid.

Ibid.v.6.

12. S. Chryſoſtomus fuſior in hac pertractanda materia, diverſa malæ ſocietatis vitandæ conatur adducere motiva, inquiens: *Jam vero, etiam proverbia multa de ea re verba faciunt, dicentia & ſuadentia omnibus, non ſolum declinare, ſed etiam reſilire ab ijs, qui mala conſulunt, & non cum illis verſari. Si enim quæ ſunt naturalia, ſæpe mutant naturam ex mala conſuetudine, quanto magis quæ ſunt arbitraria & noſtræ voluntatis? color enim & ſanitas ineſt nobis natura, ſed ea nonnumquam corrumpuntur ex alio habitu contrario; & rurſus appetitus ciborum, & eum ſæpe perdimus vitio ægritudinum; quod ſi ea, quæ ſunt naturalia, moventur; multo magis ea quæ ſunt voluntatis, quo facilius mutantur ad utrumlibet. Ne parum damni aſſerre exiſtimemus malorum conſuetudinem, ſed ante omnia eos, qui tales ſunt, vitemus, etiamſi ſint uxores, etiamſi ſint amici, etiamſi quilibet; nam hoc etiam malum illos perdidit, Salomonem inquam & Samſonem, quin etiam totum genus Judaicum ſic perijt. Neque enim feræ ita pungunt ut hominum improbitas, illæ enim venenum aperte præ ſe ferunt, hi autem inſenſibiliter & abſque ullo ſtrepitu virus quotidie immittunt, de animi robore quotidie paulatim detrahentes.*

S. Chryſ. in Pſ.4.

13. S. Bernardinus malæ ſocietatis damna, ſub alluſione veneni diſcutiens, juſtos & timoratos perverſorum conſortiis perverti, his edocet verbis: *Sicut naturales ajunt, venenum artificialiter factum, conficitur ex commixtione plurium frigidorum; & dum res frigida frigidis copulatur, frigiditas augetur, & ſic naturali calori fortius adverſatur, proinde contingit ſæpe quod, id, quod non eſt per ſe nocivum, fit venenum ex nocivorum commixtione: ſic contingit pleriſque non perverſis, quia cum impijs copulantur, perverſiſſimi fiunt.*

S.Bern.ibi. art.2.c.3.

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Vel unicus ſocius malus ſufficit ad corrumpendos multos bonos, qui nos diverſis multoties bonis privat & iisdem ſuppliciis implicat, quibus ipſe obruitur.

## THEMA.

*Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* 1.Cor.5.℣.6.

1. Apoſtolus in præſenti ut malorum conſortia declinandi convincat neceſſitatem, accommoda fermenti utitur ſimilitudine; ſicuti enim hoc farinæ immerſum totam corrumpit maſſam, ita vel unicus in aliquo cœtu aut congregatione ſodalis perverſus ſufficiens eſt, ad contaminandos univerſos. *Non immerito*, inquit Salvianus Marſilienſis Epiſcopus, *B. Apoſtolus ejici peſtilentem jubet, & cur jubeat, oſtendit, dicens; quia modicum fermenti totam maſſam corrumpit. Inde evidenter agnoſcimus, etiam unum ſæpiſſime malum hominem, perditionem eſſe multorum.* Primaſius textum hunc apoſtolicum ſequenti illuſtrat gloſſa: *Ignoratis, quia unius mali exemplo multi poſſunt perire.* De uno dumtaxat fornicario negotium agitabatur, & nihilominus Apoſtolus indefeſſe ipſius urſit eliminationem *oſtendens*, ut ſanctus Chryſoſtomus ait, *quod non de uno ſolo, ſed de tota Eccleſia agitur & periculum ſubitur.* Una ſola ſcintilla ſufficiens eſt ad integram ſuccendendam ſylvam, ita & *unius peccatum*, teſte S. Ambroſio, *multos contaminat, imo omnes qui norunt, & non devitant.* S. Athanaſius eamdem citans apoſtolicam doctrinam, ſequentem format diſcurſum: *Hoc propter malos & perverſos homines dicit, nam quemadmodum vetus fermentum exiguum quidem eſt, multam autem farinæ fermentari facit; ad eumdem modum malus homo, qui in ſe nutrit malitiam, impertit etiam alijs, & fit ſcandalum, multoſque lædit.* Atque ideo, ait Sanctus, Corinthiis Apoſtolus præcipit: *Expurgate vetus fermentum, ut novi ſitis, hoc eſt, expellite malum & pravum ex vobis, aut vos ab ipſo recedite, quandoquidem omnis malitia inquinat hominem.* Cujus pariter aſſerti hanc S. Thomas rationem aſſignat: *Sicut per modicum fermentum tota maſſa paſtæ corrumpitur, ita per unum peccatorem tota ſocietas inquinatur; unde ab una ſcintilla augetur ignis, & ab uno doloſo augetur ſanguis; & hoc quidem contingit, dum per peccatum unius, alij provocantur ad peccandum.*

Salv. l.8. de gub.Dei.

Primaſ.

D.Chryſ. ibid.

S.Athan. in h.ad Ant. q.32.

Eccl.11. v.34.

2. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit*; nobis Sanctus inſinuat Spiritus, qui mox etiam de malis ſociis tractans, ſubjungit: *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Ex quibus S. Ephrem elicit, unum ſufficere impium, ut nos in viam iniquitatis introducat, ſecus vero ubi de virtutibus eſt actio: *Unus in unum facile vertitur quia malitia ſuperat.* Plurimi boni impigre multoties deſudabunt, ut vel unicum virtutibus & bona imbuant diſciplina; unde & in numero plurali dicitur: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit.* Ut autem quis malus evadat, ſufficit unicum perverſus, ſiquidem ad malitiam inclinata eſt, eamque promovet corrupta natura noſtra.

Prov.13. v.20.

S.Ephr.tr. de char.

3. Notatu digniſſima mihi occurrunt quædam Iſaiæ Abbatis, hunc in modum de Juda loquentis verba: *Nec Dominus Jeſus prius aſcendit in crucem, quam Judam expuliſſet è medio diſcipulorum.* In collegio apoſtolico Chriſtus ſuam fundaverat Eccleſiam ſponſam, *quam acquiſivit ſanguine ſuo*; nolebat itaque Redemptor Judam poſt mortem ſuam reliquos inter demorari diſcipulos, prævidens illos ex hujuſmodi commercio, contaminationis incurſuros periculum, ſiquidem *modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Quamdiu Chriſtus ſuperſtes cum eo degebat, perque ſacratiſſimam humanitatem ſuam illi præſens aderat, arctiori impius fuiſſet conſtrictus fræno, caute obſervatus undique, omnibus innoteſcentibus fraudibus & machinationibus ejus. Aſt poſt ſuam in cœlos aſcenſionem, Eccleſiam ſuam Salvator ſtabiliendam ſecurius; unde & Chriſtus, vix ut Judas è cœnaculo egreſſus, ad magiſtri ſui traditionem, & exinde ad furcam properabat, dixiſſe ſcribitur: *Nunc clarificatus eſt filius hominis.* q. d. Eradicatis hodie ex Eccleſia mea zizaniis, frumentum electum ſolidiores aget radices, fructumque afferet uberiorem; ideoque S. Leo inquit: *Poſtquam igitur Judas perſuaſus à diabolo, diſceſſit à Chriſto,* ſeque

Iſa.Abb. or.22.

Iſa.13.v.31.

S.Leo ſer.7. de Paſſ.

*ſeque à corpore apoſtolicæ unitatis abſcidit, nullo Dominus pavore turbatus, ſed de ſola redimendorum ſalute ſolicitus, omne temporis ſpatium, quod à perſequentium vacabat incurſu; myſticis ſermonibus ſacratæque Doctrinæ, ſicut Joannis evangelio declaratur, impendit, elevans ad cœlum oculos, & pro univerſa Eccleſia ſupplicans patri.* Notat autem Sanctus, Chriſtum non ante pro ſua patrem exoraſſe Eccleſia, niſi ſeparato prius traditore; quia nimirum ſicuti juxta tritum proverbium, unicus peccator peſſumdat navigium, ita prævidebat Chriſtus, unico ſcelerato & traditore Juda inter Apoſtolos reliquos permanente, myſticam ſuam poſſe periclitari navim: Noverat perfectiſſime verbum incarnatum, quantum Eccleſiæ triumphanti damnum ſolus intulerat Lucifer, tertiam ex firmamento ſecum in abyſſum trahens ſtellarum partem; quo exterminato, inquit S. Joannes,

Apocal. 12. v. 10.

*audivi vocem magnam de cœlo, dicentem: nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus; quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum.* Paulo ante præmiſerat, dicens:

Ibid. v. 7. Ibid. v. 8. Ibid. v. 9.

*Angeli ejus præliabantur cum dracone & draco pugnabat & Angeli ejus, Et non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius...Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas.*

4. Quandoquidem Judæ mentionem ingeſſimus, optarem protinus, oculos noſtros ad eorum converti turbinum, ventorum, tempeſtatumque temeritatem, qui mari ſumme turbato, illam in præſentiſſimum diſcrimen conjecerunt navim, in qua ipſemet morabatur Dei filius, de quo canimus quotidie:

Pſ. 94. v. 5. Matth. 8. v. 24.

*Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud;* & nihilominus *motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* S. Ambroſius conſiderat, quod licet in navi illa tam apoſtolici collegij Sanctitas, quam ipſiuſmet Dei filij præponderaret præſentia, nihilominus propter unicum ſceleratum & impium, qui aderat, Judam, aquas marinas in interitum conſpiraſſe navigij. Ecce ipſius S. Doctoris verba:

S. Ambr. c. 11.

*Hæc erat periculi cauſa, erat quidem ibi Simon Petrus, ſed etiam erat ibi proditor Judas, & licet eſſet Petrus firmus ſuis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris.* Numquid Jonæ Prophetæ recens penes vos eſt memoria? rebellis, divinoque inobediens

Jon. 1. v. 5.

præcepto, navim conſcendit; moxque tanta exurrexit tempeſtas, ut nautæ navim exoneraturi, varias in mare præcipitarint merces; ſed irrito conatu, ſiquidem ut S. Baſilius ait, *onera in fluctus effundebant, cum tempeſtatis cauſam retinerent.*

S. Baſil.

Neque enim turbidum atque implacatum ullatenus voluit acquieſcere elementum, niſi ipſo è navi ejecto Jona. Ita & S. Joannes Apoſtolus, teſte D. Irenæo, domum

S. Iren. l. 3. adv. hær. c. 3.

quamdam ingreſſus, ubi ex improviſo Cerinthum reperit hæreticum, ſine mora inde proſiliit, clamans & vociferans; recedite, profugite, timeo namque loci hujus exterminium, vel ob unius impij iſtius præſentiam.

5. Moyſes maximum hanc ob cauſam reputavit prodigium, quod Core à terra abſorpto, indemnes evaſiſſent filij: *Factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte, filij ejus non perirent.*

Num. 26. v. 11. Eccl. 10. v. 1. S. Hieron.

6. S. Hieronymus illa Eccleſiaſtis verba (*muſcæ morientes perdunt ſuavitatem odoris*) interpretans, de impio exponit homine, cujus demerita multos perſæpe, quantumvis bonos, peremerunt: *Quod ſic malus mixtus bonis*, inquit, *contaminet plurimos, quomodo muſcæ ſi moriantur in unguento, perdunt odorem illius & ſaporem.* Cui non diſſimilem nobis doctrinam præceptor aſſignat angelicus, dum illa ſacræ ſcripturæ verba, quibus *vetus fermentum* expurgare jubemur, interpretans, ait:

S. Th. ibid.

*Id eſt, expurgate vos, abjiciendo à vobis vetus fermentum, id eſt, fornicarium; quod quidem dicit, quia per ſeparationem unius peccatoris tota ſocietas expurgatur; unde & egreſſo Juda, Dominus dicit: nunc clarificatus eſt filius hominis.* Salmeron antiquum He-

Joan. 13. v. 31. Exod. 12. v. 15. Salm.

bræorum uſum & præceptum Dei, ne tempore Paſchatis ſub graviſſima pœna, quidquam domeſticos inter parietes aſſervarent fermenti, conſiderans, talem inſtituit diſcurſum. *Expurgate vetus fermentum, purgate, id eſt, radicitus & funditus in univerſum purgate; quemadmodum diligentiſſima & magna cum curioſitate Hebræi & accenſo lumine obſervabant, ut ab omni domo illorum abeſſet vel fruſtulum ullum fermenti.* Antiquus quidam interpres ſuper eumdem Apoſtoli textum taliter ad noſtrum diſcurrit propoſitum:

Stevarius Ibid.

*Particulæ fermenti ad totam maſſam collatæ ſimilitudine comparato delinquente corripit omnes; quia ſicut maſſam, cui injicitur ea particula, totam corrumpit, ita unius perditi hominis morbus totam aliquam ſocietatem & proborum hominum congreſſum facile contaminat.*

7. Moroſo tantiſper oculo parabolam contemplari ne gravemini mecum, à Chriſti adductam de Rege quodam, qui poſt ſuo præparatas filio nuptias, nullum potuit habere convivam, omnibus ad citationem conſtanter ſe excuſantibus; quo facto rex ad indignationem provocatus, ſervos ſuos miſit, ut ſubito egreſſi quoſcumque obvios ad ſumptuoſam adeo menſam introducerent; accidit autem, ut reliquos inter quidam compareret infelix, nuptiali veſte deſtitutus, quem rex ſevero arbitratus obtutu, flammis devoveri juſſit. Plura equidem hac in parabola notatu digniſſima occurrunt, aſt hodie ſingulariter me in admirationem rapit miſeri hujus ſilentium, cum enim omnes vel à primis natalibus noſtris pruritu laboremus excuſationum multiplicandarum, cur ille diverſimode ſe defendere potens, penitus *obmutuit*, potuiſſet equidem dicere; domo mea digrediens, ſimilem honorem ne quidem per ſomnum mihi promittere præſumpſiſſem; poſtea autem invitatus, non habui tempus debitam mihi comparandi veſtem. Vel: non adverti hujuſmodi defectum; defuerunt ſufficientes ſumptus, &c. *At ille obmutuit* piſce taciturnior.

Matth. 22. v. 12.

Myſterium intelligite: pœna ei inflicta præclariſſimam nobis debebat indigitare doctrinam. Cœtui adeo numeroſo, ubi omnes comparebant nuptiali charitatis & ſanctitatis veſte induti, hicce unicus audacter ſeſe ingeſſit ſine illa. O arrogantiam deteſtabilem! Hominem reprobum, impium & perverſum in eam prorumpere audaciam, ut ſuis ſcandalis peſſimiſque exemplis non vereatur contaminare multos! Audite Ambroſium ſanctum:

S. Ambr. ſer. 14.

*Quanto plus ſimul accumbentium beatorum candebat ſanctitas, tanto magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus diſplicuiſſe forſitan, ſi in conſortio juſtorum minime ſediſſet.* Ad cujus intelligentiam ſciendum, ſolitum fuiſſe, ut intrantibus domum, priuſquam menſæ accumberent, veſtis offerretur nuptialis, ſi eam ipſi non contuliſſent; hic igitur eam neglexerat, ideoque quid reponeret excuſationis, non invenit, agnovit ſeſe tali dignum ſupplicio, dum omnibus aliis debite ornatis, ſolus ipſe lacerum ſe ſtitit. Ex quibus facile eruitur, quam ſeverum ille mereatur ſupplicium, qui contaminatus & vitioſus timoratis juſtiſque ſe aſſociat, animo eos ſeducendi.

8. Memineritis utique hiſtoriæ, quam de Achan recenſet caput 7. libri Joſue. Populus electus terram promiſſionis jam tum ingreſſus, batilla & ligones in triumphales cœperat convertere lauros, omnibus gentilibus timor & tremor effectus, propter glorioſiſſimas victorias; ſed ecce in unico momento, favorabilis firmata ſubſiſtere viſa eſt inchoatæ felicitatis rota. Emiſſis namque aliquot viris contra civitatem Hai, cum probro & interitu ſuorum non exili, ab inimico victus fugit Iſraël, ita ut de populo, cæteroquin ſemper victorioſiſſimo, ſacer textus atteſtetur formidinem incredibilem, dicens:

Joſ. 7. v. 5. & 6.

*Pertimuitque cor populi & inſtar aquæ liquefactum eſt. Joſue vero ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini, uſque ad veſperam, tam ipſe, quam omnes ſenes Iſraël.* Quis exercitum talem, qua numero, qua experientia, qua adjutorio atque aſſiſtentia divina maxime formidabilem, in tantas puſillanimitatis conjecit anguſtias? unicus ſceleratus, rebellis, avarus, cupidusque Achan: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Audite Dei ad Joſue datum reſponſum & obſtupeſcite:

Joſ. 7. v. 11.

*Peccavit Iſraël & prævaricatus eſt pactum meum, tuleruntque de anathemate, & furati ſunt atque mentiti.* Quomodo? nonne unus dumtaxat deliquerat, cur totus igitur populus denunciatur reus? non ob aliam certe cauſam, niſi quia *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*:

1. Cor. 5. v. 6.

Vel unius malum exemplum ſufficit ad inficiendos omnes ſocios, utpote aliqualiter in culpa communicantes. Unde Clemens Alexandrinus ait:

Clem. Al. l. 3. Strom.

*Si electo vicinus peccavit, peccavit electus, nam ſi ita ſe geſſiſſet, ut jubet verbum, vel ratio, ejus vitam ita vicinus eſſet reveritus, ut non peccaſſet.* Si quæ in numeroſo grege fuerit ovis ſcabioſa, indilate paſtor eam ſeparat à reliquis, ſiquidem unius ſcabies ſufficit ad inficiendas omnes: ita vel unicus ſolus diſcolus, niſi amoveatur, integram poteſt timoratorum proborumque hominum contaminare congre-



gationem. *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?*

Antiſt.

Hancque ob cauſam Antiſtenes malos ſodales corruptis aſſimilavit dentibus, quorum vel unus propter nimiam viciniam ſufficiens eſt ad corruptionem omnium aliorum, quantumvis ſanorum. Qui idem auctor ſimilitudinem etiam adducit de zizaniis, quæ frumento contigua ipſum deſtruunt & degenerare faciunt; item de pomo putrido & marcido, quod ſano appoſitum, ipſi putredinem cauſat.

9. Citra omne dubium filiis ſuis optimam dederat inſtructionem David, qui dicere non dubitabat:

Pſal. 100. v. 2. & 7.

*Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ; Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.* Et nihilominus quem Abſalon, quem Ammon, & Adonias ſortiti ſunt exitum? Doctrinam pro reſponſo à S. Iſidoro Peluſiota audiamus, qui poſt adducta illa Apoſtoli verba (*bonos corrumpunt mores congreſſus pravi*) hunc ſubnectit diſcurſum:

S. Iſid. Pel. l. 4. ep. 35.

*Ammon natu maximus, & Abſalon natu minimus filius pſalmographi, qui & turpiter vixerunt & miſerabiliter vitam finierunt. Ille enim ſororis ſuæ eodem patre genitæ amore captus, cum prohiberetur pudore, quo minus naturam adeo ſibi cognatam copularet, affectum amoris cum quodam eorum, quos ſibi amicos eſſe exiſtimabat, communicavit; at is hunc affectum non modo non extinxit, neque ipſum à flagitio avertit, neque deterrendi cauſa, dixit: noli nova in vitam humanam importare tragœdiarum argumenta; verum etiam viam ac rationem ipſi excogitavit, quo pacto conceptum animo nefas perpetraret.* Ipſa experientia in hiſtoriis tam ſacris quam profanis multiplicata docet, amicos ſocioſque malos bonorum morum eſſe corruptores, errorumque duces & anteſignanos. Laudatiſſimum à prima ſua erectione privilegium poſſedit, hodieque poſſidet, ſemper exterminandi diſcolos, abolendi zizania, ne noceant frumento. Nec immerito, niſi enim quis in bonorum profecerit ſodalitio, quamvis ipſe ſolus perverſe vixerit, ſufficit tamen ad contaminationem omnium: quam veritatem S. Auguſtinus, dum illa interpretatur S. Joannis verba (*exivit*) in Judas, *ut abiret locum ſuum*; (*cum ergo exiſſet, dixit Jeſus, nunc clarificatus eſt filius hominis*)

Ioan. 13. v. 31. S. Auguſt.

ſolido hoc ſuffulcit dogmate, inquiens: *Exeunte immundo, omnes mundi cum Jeſu manſerunt, velut triticum zizaniis ſeparatis.*

10. Porro ſupplicia improbis debita ad eos etiam transfundi, qui illorum utuntur ſocietate, manifeſte ex transgreſſione patet Oziæ regis, qui ob temerariam miniſterij ſacerdotalis uſurpationem, lepra percuſſus, inſuper juxta legem è civitate exulare debuiſſet, ſed tamquam rex huic ſe pœnæ ſubduxit, remanens in Jeruſalem. Sed quo effectu? mox Deus omnium illius urbis Prophetarum ora concluſit. Unde Procopius ait:

2. Paral. 26. v. 21. Proc. in Iſ. 6.

*Quamquam legis præcepto extra caſtra leproſus, tamquam impurus pelli juberetur, Jeroſolyma tamen recedere recuſans, totam urbem præſentia ſua pollutam impuramque reddidit. Inde eſt, quod Dominus tacuit. Prophetas ſuos alioquin minime dedignatus, ſed eorum doctrina indignos arbitratus, qui eamdem cum Domino impuro civitatem incolerent.* Quam veritatem in alio quodam Scripturæ loco confirmatam reperio, ubi dicitur Creator in quinto die volatilibus & piſcibus benedictionem ſuam impertiiſſe:

Gen. 1. v. 22.

*Benedixit dicens: creſcite & multiplicamini.* Cur obſecro animalia terreſtria, die ſexto producta, benedictione caruere? Doctus quidam reſpondet interpres:

Strabo Ibid.

*An ideo forte animalibus ſextæ diei non benedixit Deus, quia inter omnia erat & ſerpens, cui poſt paululum erat ipſe maledicturus?* Vere vere, itaque *modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Innumerabiles animalium erant productæ ſpecies & individua, & nihilominus unicus, paulo poſt maledicendus, qui cum reliquis animalibus degebat ſerpens, omnia benedictione deſtituit Creatoris.

Anaſt. Syn. l. 8. exam.

*Terrena privata ſunt benedictione*, inquit Anaſtaſius Synaita, *quoniam in eis erat ſerpens, Evæ hoſtis & contrarius, & futurus erat obnoxius execrationi.* Voluit namque Dominus vel ab ipſo mundi principio docere, quantum præjudicium & damnum integræ bonorum communitati afferat unicus impius & perverſus. Alcuinus ſuperaddit, animalia terreſtria plus de maledictione participare, quam aquatica, quia illa converſantur in terra, hujuſque utuntur fructibus, quæ

Alcuin.

poſt peccatum maledictioni ſubjecta fuit: *Quia plus de maledicta terra vivunt.*

11. Variæ à variis aſſignantur rationes, cur Salvator transfigurationi ſuæ in monte Thabor tres tantum voluerit adeſſe diſcipulorum ſuorum; cùm enim

Matth. 17. v. 1.

per glorioſum hoc ſpectaculum eos in divinitatis fide, fideique conſtantia inter cruciatus & tormenta confirmare voluerit, æquum omnino videri poſſet, omnes inibi debuiſſe eſſe præſentes. S. Joannes Damaſcenus ad noſtrum peraccommodè reſpondet intentum, inquiens:

S. Ioan. Damaſc. de transf.

*Omnes Chriſti amore præditi, ſed unus pecuniæ ſtudio flagrans Judas unus hic dumtaxat indignus erat, qui divinitatem ſpectaret.* Ne autem Chriſtus hanc Judæ publicaret improbitatem, ne eum coram omnibus diffamaret, expediens judicavit, tres tantummodo eligere ex omnibus, licet cum præjudicio aliquo cæterorum octo.

## *DISCURSUS X.*

## ARGUMENTUM.

Malis ſodalibus dæmon utitur, tamquam efficaciſſimis ad nos pervertendos inſtrumentis: ideoque ſummè ſunt vitandi.

### THEMA.

*Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus; qui dixit ad mulierem; cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Gen. 3. ℣. 1.

1. INvidia ardens Lucifer, ut primum vidit hominem ad imaginem & ſimilitudinem Creatoris ſui efformatum, qui Apoſtatarum Spirituum thronos ſedeſque occuparet ac reſtauraret, hujus illico cœpit inhiare ruinæ; aſt dum ſolum proſternere nequit, tempus patienter præſtolatus eſt, in quo Adæ obtigit ſocia Eva, quâ mediante lethale toti humani generi inflixit vulnus:

Gen. 3. v. 12.

*Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Non ipſe immediate per ſe diabolus aggreditur Evam, ſed medio ſerpente; an forte in Adami & Evæ perniciem & ſeductionem non poterat totum conjurare infernum? poterat utique: ſed medium omnium efficaciſſimum, maximeque infallibile ſociam ſeu conſortem fore judicavit. Sed quare hanc ipſam non immediate, aſt per ſerpentem tentavit atque ſeduxit? Aquila & Theodotius pro *callidior*, legunt *verſipellis*. Non defuere auctores, qui ſerpentem hunc pulcherrimæ adoleſcentulæ figuram aſſumpſiſſe exiſtimarunt; de cujus opinionis veritate quidquid ſit, certum eſt, ſerpentes naturali hoc pollere inſtinctu, ut ſe per tortuoſos artificioſoſque gyros inſinuent, per adulatorios blandoſque motus ſeſe ingerant ubique; hancque ob cauſam illecebras deſignant & lenocinia ſodalium & amicorum. Hac igitur de cauſa noluit dæmon ipſemet immediatè noſtrum aggredi & devincere protoparentem, ſed per Evam & ſerpentem, certus, ſociorum atque amicorum malorum vires prævalere ſuis. Aſſertum meum à mendacio liberat S. Gregorius, dum ait:

S. Gregor. l. 3. mor. c. 6.

*Callidus adverſarius cum à bonorum cordibus repelli ſe conſpicit, eos, qui ab illis valde diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandius loquitur, qui plus cæteris amantur.* Cujus efficacem hanc aſſignat rationem, dicens: *Ut dum vis amoris cor perforat, facile perſuaſionis ejus gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat.* Eva utique ante habitum cum ſerpente colloquium, vetitum non conſiderarat lignum, divini transgreſſio præcepti numquam ei in mentem venerat; unde S. Chryſoſtomus ait:

Chr. h. 16. in Gen.

*Vere corrumpunt bonos mores colloquia prava; quare enim non ante diabolicum conſilium illi tale quid venit in mentem, nec lignum hoc conſideravit, ejuſque pulchritudinem vidit? quia timebat mandatum Dei & ſecuturum ſupplicium; nunc autem poſtquam à mala hac beſtia decepta eſt, ita ut crederet, quod per hoc non ſolum non offendantur, ſed & Deo æquales ſint futuri, tunc illam ſpes promiſſionis ad ſumendum cibum impulit, inimico & hoſti ſalutis noſtræ majorem fidem habens, quam verbis Dei.* Deinde Sanctus & amicitiæ & perverſæ ſocietatis violentiam efficaciamque attendens, his Evam deviam & prævaricatricem perſtringit verbis: *Quare illo relicto, propter quem formata es, ad cujus auxilium producta es, cujus dignitatum particeps, & cum quo ejuſdem es ſubſtantiæ & vocis, in familiaritatem ſerpentis venire ſuſtinuiſti; ut à diabolo per hanc beſtiam acciperes conſilium, manifeſte contrarium his, quæ à Deo ſunt injuncta.*

2. Diverſæ docent experientiæ, diabolum generoſiora

ſiora conſtantioraque pectora non impetere directe per ſe, ſed per amicos, familiares & fautores; unde S. Gregorius nos admonet, dicens: *Vigilanter debemus aſpicere, quod antiquus adverſarius non ſolùm per ſemetipſum, ſed per eos etiam, qui nobis adhærent; ſtatim ſatagit noſtræ mentis inclinare; cur enim cor noſtrum ſua perſuaſione non ſubruit, ad hoc nimirùm per linguas adhærentium repit.*

S. Greg. Ibid.

3. Procopius in ſubdolo hoc animali fraudulentum dicit denotari amicum & ſodalem malitioſum, ſeductiones machinantem, qui *capiat opportunum colloquij tempus*; eo ſiquidem tempore doloſus ſuum exorſus eſt diſcurſum, dum maximè extimulare ſolet appetitus, ſcilicet circa meridiem: *Ubi eam famelicam ſenſit ad cibum capiendum, feſtinanter accurrit; utitur affectibus noſtris inſitis, inſtar mali conſiliarij.*

Proc. ibid.

4. S. Chryſoſtomus maledictionem examinans ſerpentis (*maledictus es &c.*) *Cum diabolus malum attulit conſilium*, inquit, *cur beſtiæ illi pœna infligitur?* Quandoquidem diabolus per ſerpentem locutus fuerat Evæ, cur ſerpens maledictione plectitur? Reſponſio facilis eſt, quia nimirum ſocietatem foverat cum dæmone.

Gen. 3. v. 14. D. Chryſ. h. 17. in Gen.

5. S. obſervat Gregorius, quod *antiquus hoſtis humanum genus duobus modis tentare conſuevit, ut videlicet corda ſtantium aut tribulationibus frangat aut perſuaſionibus molliat.* Utraque autem machina invictum aggreſſus pugilem Jobum; *in utraque contra B. Job ſe vehementer exercuit*; prima irrito corruit conatu, *quia putreſcentem foris, janum adhuc interius ſtare conſpexit callide cogitans penſat, quod contra ſe athleta Dei unde premitur, inde ſublevatur; victuſque ad ſubtilia tentandi argumenta convertitur, nam antiquæ artis inſidias repetit.* Hunc ei conflictum per Evam, id eſt, per propriam movit uxorem, hanc ei ſubmiſit in fimo innumeros inter ſpaſmos agonizanti: *Adhuc permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo & morere.* Vel chalybeum etiam pectus hujuſmodi potuiſſet concutere ictus, nihilominus invincibilis prævaluit herois fortitudo & conſtantia; licet aliqualis ſuborta fuiſſe videatur alteratio, dum injurioſis his conjugem verbis compellavit: *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es.*

S. Greg.

Job 2. v. 9.

Job 2. v. 10.

6. Accommodatiſſima nobis in præſenti favet S. Ephræmi ſimilitudo, inquientis: *Quamprimum capta à dæmone fuerit anima, ad alias decipiendas fit quaſi laqueus, ſicut perdix comprebenſa pro eſca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ ſunt.* S. Bernardinus eamdem fuſe tractans materiam, hunc Oſeæ adducit, ſuoque illuſtrat textum commentario: *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor, ſcilicet*, inquit Sanctus, *prudens ad vitandum conſortia. Facit enim diabolus ſicut auceps, qui ponit columbam, quæ conſuetos oculos habet in decipula ſua, ad quam aliæ accedentes non intelligunt eam captam, & quod mirum eſt, cum illa quæ non videt, capiuntur aliæ, quæ oculos habent, ſic diabolus per unum excæcatum, capit alios oculatos.* Imo S. Leo ſeductores nuncupare non dubitat dæmonis filios, crucisque Redemptoris inimicos, maximeque proinde vitandos tradit, inquiens: *Inimicis autem crucis Chriſti, nulla conſenſione jungamur; ne impiorum conſortio Sanctitas fidelium polluatur, lux ſeparetur à tenebris, & fugiant filios diaboli filij veritatis.* Lux eſt incomparabilis cum tenebris, quorſum igitur dicit Sanctus; *lux ſeparatur à tenebris?* lux enim naturaliter ſemper exterminat tenebras. Myſtice loquitur Sanctus, per tenebras intelligens perverſos, juxta illud, *Qui male agit, odit lucem.* Hos igitur penitus à bonis ſeparari oportet. S. Auguſtinus per tenebras angelos accipit rebelles, per lucem vero bonos. Hæ igitur tenebræ, ne lucem obſcurarent, ſeparatæ fuere; id eſt, inter Angelos bonos & malos diſtantia firmata fuit infinita, qualis eſt inter cœlum empyreum & infernum. *Magnum chaos firmatum fuit inter eos.* Poſſunt inſuper ſocij improbi appellari dæmonis filij, quia ſeductioni & condemnationi cooperantur animarum; quibus merito exprobratur: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.*

S. Ephr. de rect. viv. rat.

Oſe. 7. v. 11.

S. Bern. t. 3. ſer. in D. 3. Pent. art. 2. c. 1.

S. Leo ſer. 4. de quadr.

Joan. 3. v. 20.

S. Aug. l. 11. de Civ. Dei c. 7.

Juxta Luca. 16. v. 26.

Joan. 8. v. 44.

7. Chriſto quondam duo leguntur obviam facti dæmoniaci: *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia.* Aſt quid præſtabant hi duo miſeri, quid moliri aſſueti? *Sævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* Audite S. Chryſologum: *Videte*, inquit, *quia venientibus ad Chriſtum præcluſerunt viam, tranſitum denegarunt; etenim dæmonum iſta cura, ne ad Deum homines poſſint reditum invenire; non enim aliter poſſunt homines poſſidere, niſi eos ab auctoris ſui ſocietate ſubducant.* Idipſum ſequaces imitantur dæmonis, in eo totam ſuam collocantes induſtriam, ut nos à bonorum ſocietate avulſos, Chriſto deſtituant. Unde maximam ſibi laudem acquiſivit Epiſcopus ille, cujus in medio peſſimorum hominum habitantis in fidei Chriſtianæ profeſſione conſtantiſſimus animus ſingulariter extollitur in Apocalypſi: *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ.* Ibi namque ſuum dæmon erigit thronum, ibi reſidet pro tribunali, ibi ſuas promulgat iniquiſſimas leges, ſibique obedientiam expoſtulat ſine contradictione, ubi conſortium invenit perverſum. Differens Salvator de cœleſti gratia, favore & aſſiſtentia, iis omnibus impertienda, qui divini intuitu ſervitij, ſeſe ad invicem unituri eſſent, promiſit, dicens: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.* Idem de bonis & timoratis, in unum congregatis, aſſerere poſſumus; aſt oppoſitum de perverſis ſtatuendum, ſiquidem *in medio illorum diabolus*; in quos merito retorſerim illud Oſeæ: *Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Deum ſuum.* Aſt quare? Reſponſum accipite ab eodem Propheta: *Quia ſpiritus fornicationum in medio eorum.*

Matth. 8. v. 28. Ibid. D. Chryſ. ſer. 16.

Apoc. 2. v. 13.

Matth. 18. v. 20.

Oſe. 5. v. 4.

Ibid.

8. Numquid fidem adhibebitis, ſi amicum ſeu ſocium malum, à diabolo tamquam inſtrumentum adhibitum, ipſo dæmone efficaciorem eſſe affirmaverim? Quis pervertit Adam; quis ſeduxit Evam? Reſpondet Apoſtolus: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta*, per conſortium ſerpentinum; aſt quid de Adamo? peccavit, *ne contriſtaret delicias ſuas.* Ita plurimi ſeducuntur, non per inſtinctus aut aſſultus diabolicos, ſed ne hunc illumve contriſtent aut affligant amicum, ne ſocij videantur reſpuere ſolicitationem. Merito Tertullianus Evæ exprobrat, dicens: *Tu es diaboli janua, tu es quæ eum ſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit.* Clariſſime ad intentum noſtrum S. diſcurrit Auguſtinus, dum aſſerit, quod Adam prohibitum guſtaverit fructum, *non quidem victus concupiſcentia, quam nondum ſenſerat in reſiſtente lege membrorum, legi mentis ſuæ; ſed amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.* Imbecilliorem Lucifer totam ſuam reputabat aſtutiam & ſagacitatem, quam ut Adamum in divini decreti prævaricationem atque inobedientiam præcipitare valeret, ideoque illius adhibuit conjugem. Ita experientia quotidiana teſte, vel unius amici ſuggeſtio vel inſtantia longe efficacior eſt ipſo dæmone atque omnibus conatibus ejus. *Diabolus ad juſtum accedere non audet*, inquit S. Bernardinus, *ſed malus homo non timet, ſed contemnit, & ex hoc patet, quanti periculi ſit ſocietas perverſorum.*

1. Tim. 2. v. 14.

Tertull. de muli.

S. Aug. l. 11. de Gen. ad lit. c. 24.

S. Bern. ibi. ſer. in D. 3. Pent.

9. Tentavit Lucifer Salvatorem magnis promiſſis, inquiens: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*; ſed optato fruſtratus exitu, aliud adhibuit, ſibi efficacius viſum, adulationis medium, dicens: *Quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti perdere nos, ſcio qui ſis, ſanctus Dei.* Ubi Chryſologus ait: *Credidit infelix ut eum, quem tentatione vincere, quem muneribus inflectere nequivit, poſſet adulatione pulſare.* Sed neque hac vice ſuum aſſecutus intentum, intimum Chriſti amicum adhibendum cenſuit, S. Petrum, cui ſuggeſſit, ut Salvatori paſſionem & conſequenter humani generis redemptionem diſſuaderet: *Aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens; abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* At omniſcius dæmonis ſubito fraudes technaſque detegens, magna cum indignatione conſultorem peſſimum à ſe repulit: *Qui converſus, dixit Petro; vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt.* Aſt qualiter eum probroſo Satanæ afficit titulo, qui non modo à dæmone obſeſſus non erat, ſed & ſuper infernum poteſtatem acceperat? Reſpondeo, Chriſtum optime cognoviſſe inimici aſtutias, Petrum (quantumvis nihil hujuſmodi advertentem) veluti ſuum adhibentis inſtrumentum, ea ſpe pleni, fore ut per familiariſſimum Chriſti diſcipulum, tamquam per omnipotens medium, Chriſtus ab imminenti retraheretur morte. Eamdem verſipellis adhibuit machinam in ipſa nocte mortis Chriſti, *antiquæ artis inſidias repetens*, qui ut Chriſti mortem præpediret, Pilatum à ferenda mortis ſententia dimovere conatus eſt per uxorem: *Multa paſſa ſum per viſum hodie &c.* At differentiam notate in verbis Chriſti, dæmoni namque ipſi, ſe ad idololatriam provocanti in monte reſpondit: *Vade Satana.* Ad Petrum autem ait: *vade poſt me Satana*, moxq; ſubdit: *Scandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt*; incomparabiliter enim quocumque dæmone pejor eſt vel unicus ſocius malus. *Nulla peſtis eſt pernicioſior ad nocendum*, inquit Boëtius, *quam familiaris inimicus.*

Matth. 4. 9.

Marc. 1. v. 24. D. Chryſ.

Matth. 16. v. 22.

Ibid. v. 23.

Matth. 27. v. 19.

Matth. 4. 10. Matt. 16. 23.



Matth. 16. v. 23. Boët. l. 5. de conſol.

Poſt peractam deluſamque à Chriſto in templi pinnaculo tentationem, inimicus vires recolligens, ad Nazarenorum Chriſti popularium, cognatorum, amicorumque, cum quibus Chriſtus per 30. annos demoratus fuerat, auxiliatrices confugit manus; unde S. Bonaventura, Venerabilis Bedæ ſecutus doctrinam, ait: *Quod ille tantum dixit verbo, mitte te deorſum, hoc illi conati ſunt facto. Pejores ſunt Judæi diſcipuli diaboli (Beda) diabolo magiſtro.* Quod argumentum S. Bernardinus his latius proſequitur verbis: *Mira res; tanta eſt malitia, quam docente diabolo quidam perverſi diſcunt, ut multas nequitias per eos in mundo dæmones operentur, quas operari quodammodo nequirent per ſeipſos; majoremque poteſtatem habent ſancti viri ſuper dæmones, quam ſuper hos perverſos homines. In hujus myſterium, Dominus convocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos; & non dedit eis poteſtatem ſuper homines malos.*

Luc. 4. v. 29.

S. Bonav. ibi. Ven. Beda in cat. S. Bern. ib. a. 2. c. 1. mal. 3.

Matth. 10. v. 1.

10. Rupertus Abbas Geneſeos commentario intentus, dum ſerpentem conſiderat, hunc, poſtquam à diabolo in protoparentum noſtrorum ſeductionis inſtrumentum adhibitus fuit; deterioris aſtruit factum fuiſſe conditionis; in principio namque dicebatur *callidior cunctis animantibus terræ*, vel ut 70. legunt, *ſapientiſſimus*; id quod admodum credibile eſt, ſiquidem incarnata ſapientia, eumdem Apoſtolis ſuis ſub prudentiæ typo exhibuit, dicens: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes.* Aſt poſt ſocietatem cum dæmone habitam, doloſus, fraudulentus & verſipellis evaſit, & à Deo maledictus fuit. *Sciendum*, inquit ille, *quod ſerpens, antequam fieret organum diaboli ad perditionem hominis, ſapiens vel prudens poterat dici: poſtquam autem prudentia ejus malitiæ diaboli eſt conjuncta, callidus & nequam, ſive verſipellis poteſt appellari.* Incredibilis accreſcit malitia & impietas, dum tentationi & ſuggeſtioni dæmonis quiſquam cooperatur amicus, aut ſodalis, ad ſeductionem & perverſionem alterius amici.

Rup. Abb. in Gen. l. 3. c. 2.

Gen. 3 v. 1.

Matth. 10. v. 16.

11. Oleaſter ſeductores, hominum titulo indignos, ſerpentes vel certe homines dæmoniacos, nuncupandos eſſe docet, inquiens: *Admonet locus iſte, illos non homines, ſed ſerpentes eſſe dicendos, qui arte & alijs miris modis, proximos ad peccata pertrahere conantur.*

Oleaſter. in c. 3. Gen.

12. Dicuntur quondam ſimul iter inſtituiſſe fur quidam & dæmon, verſus eumdem locum; hic ad ſtrangulandum puerum, ſæpius à matre propter nimios planctus maledictum; ille ad auferendum aſinum? temporis itaque fallendi gratia per viam colloquentes, ſuos ſibi invicem communicarunt conceptus & intentiones. Inter cætera fur à diabolo petiit, an igitur mater nullum poſſet filio ferre ſubſidium; cui hic: poteſt utique, ſi maledictionem in benedictionem commutarit. Pertingentes itaque ſimul ad optatum terminum, ingreſſus eſt domum diabolus, qui ut filium plangentem matremque audiit maledicentem, feſtinus accurrit ad prædam; ſed nihilo tardior fur exclamat: *Benedicite.* Quo facto ſumme indignatus dæmon, heus ait, apprehendite furem, aſini prædonem. Auctor, qui hæc ſcribit, ex his infert, ſæpius accidere, ut ſocij mali, ſcelerum noſtrorum conſcij, ſi quando nobis indignentur, nos accuſent, diffament, crimina noſtra publicent, & conſequenter, ſaltem cauſaliter, ſeveris nos afficiant ſupplicijs.

In ſum. prædic. ver. ſoc. c. 3.

13. Neque refert, quod aliquando ab impiis ſodalibus non pervertamur, quod ſuum quandoque in nos non transfundant malum; ſemper nihilominus tamquam inimici Dei vitandi ſunt. Referunt acta Apoſtolorum, quod mulier quædam, S. Paulo & Sylæ quondam obvia, quæ ſpiritum circumferebat divinatorem cum ingenti Dominorum ſuorum lucro, exclamare cœperit in loco publico: *Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis; Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus & converſus, ſpiritui dixit: præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti, exire ab ea; & exiit eadem hora.* Cur obſecro indignabatur Apoſtolus vera dicenti, præſertim cum taliter populus ad Evangelij notitiam ad apoſtolicorum miniſtrorum venerationem, attentionemque attraheretur? Reſpondet noſtro conformiter propoſito, in hæc verba Origenes: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dignatur à dæmonio accipere teſtimonium. Sed ait: obmuteſce & exi ab eo. Apoſtolus ſuus Paulus imitatus, dolens convertit ſe, & ait ſpiritui Pythonis; Præcipio tibi in nomine Domini Jeſu Chriſti diſcede ab ea.* Sub nullo penitus prætextu, etiam bono pietatis, charitatis, aut cujuſcumque alterius finis recti, nos perverſis credere debemus, ſunt enim ſemper inimici Dei & inſtrumenta diaboli. Servi Dei, vero illuſtrati lumine, maxima hoc in puncto utuntur circumſpectione, eos declinant & a ſe proſcribunt, quamvis æternam præferant devotionis ſpeciem, quoniam ſemper *latet anguis in herba.*

Act. 16. v. 17.

Ibid. v. 18.

Orig. h. 16. in Num.



## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Noſtrorum qualitas morum ex qualitate noſcitur ſociorum, quibuſcum converſari ſolemus, unde virtuoſi ſint, oportet, qui cum malis degunt, ad emendandos eos.

### THEMA.

*Cum perverſo perverteris.* Pſal. 17. ℣. 27.

1. ORaculum docet propheticum, nos per malorum conſortia infallibiliter ſeducendos: *Cum perverſo perverteris.* S. Auguſt. à Gloſſa citatus, legit: *Cum perverſo perverſus videris.* Si enim per ſummum Dei beneficium, per ſocietatem malam non contaminaremur, numquam tamen maculam declinaremus ſuſpicionis communis, vi cujus habemur eadem cum ſociis noſtris conſpurcati pice; dicere namque ſolemus: ex ſocio dignoſcitur homo. Unde Plinius ſe ab Euripide didiciſſe aſtruit, hominum mores ex ſociorum qualitate, quibus libenter convivunt, conjecturandos eſſe. *Agnoſcens*, inquit, *talem unumquemque eſſe, quales ij ſunt, cum quibus libenter converſatur.* Si quem videritis cum hominibus diſſolutis & licentioſis amicitiam ineuntem, abſque temerarij judicij periculo, hunc pariter deviare, ſuiſque frænum appetitibus relaxaſſe creditote. Ideoque quidam auctor hoc nobis ſcriptum reliquit documentum: *De ſceleratorum familiaritate atque conſortio ſcriptum accepimus, quem ſocijs flagitioſis delectari conſpexerim, eum, qualis ſit, haud percunctari perexerim, cum eum ſodalibus eſſe ſimilem minime dubitarim.* Hugo pariter Victorinus ab omni nos perverſi judicij ſcrupulo abſolvit, ſi eum malæ vitæ reum exiſtimaverimus, qui continuo & abſque ulla neceſſitate aut convenientia, ſodalitiis utitur perverſorum, quoniam *qui cum pejoribus converſari appetit, ſatis ſe eſſe vita depravatum oſtendit.* Tunc enim & non alias, judicium formamus temerarium & malitioſum, quando ſine ſufficienti fundamento ſiniſtri quid de proximo ſuſpicamur; aſt hic omnis perplexitati præſcinditur locus, quoniam *qui cum pejoribus converſari appetit, ſatis ſe eſſe depravatum oſtendit.* Notate particulam *ſatis* id namque ſufficiens nobis eſt ratio, ut tuta cum conſcientia ſiniſtram de tali valeamus formare opinionem. Quia verò non pauci cum malis degere coguntur, vel invitiſſimi quandoque, ideo notanter additur: *Qui cum pejoribus converſari appetit*; cui illud ſapientis conſonat aſſertum: *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit; amicus ſtultorum ſimilis efficietur:* ubi ly *amicus* ſtrictam denotat familiaritatem atque amicitiam affectatam. Septuaginta legunt: *Qui ambulat cum inſipientibus, cognoſcetur.* q. d. Si cujuſquam, cæteroquin incogniti, qualitatem moreſque dignoſcere vultis, perſonas conſiderate, quibuſcum degit: *Amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Amicus amico, ſocius ſocio ſe aſſimulare ſatagit, Complutenſis pro *graditur*, habet *circumfertur.* Græcus legit: *Circumvertitur.* Alter alterius ſuffragatur inclinationibus; *ad omnes ejus nutus*, dicit quidam interpres, *affectus, motus, inclinationes, ſe flectere, accommodare & circumvertere ſtudet*; ita etiam ut vix ſocium diſtinxeris à ſocio, niſi forte penes lineamenta vultus.

S. Auguſt. in gloſſ. inter.

Plin. l. 4. ep. 27.

Diod. Sic. l. 12.

Hug. de S. Victor. de inſt. nov. c. 5.

Prov. 23. v. 20.

2. Claudius Imperator Neronem in ſuum adoptans filium, eum diſciplinæ atque inſtructioni commiſit Senecæ Moralis, in cujus virtuoſiſſimi Philoſophi directione per duos annos demorans, tantos in manſuetudine fecit progreſſus, ut non modo nullum proſequeretur Chriſtianum, ſed nec ulli, quantumvis juſtæ, præſumeret ſubſcribere mortis ſententiæ, aſt vix ut cum vitioſis converſari cœpit, ut primum adulatores ſe ejus potuerunt inſinuare amicitiæ, novimus; omnes, in quam execrabile ſeſe præcipitarit omnium iniquitatum barathrum. Merito proinde Plutarchus aſſeruit: *Talis eris, qualis converſatio, quam ſequeris.*

Plut. l. de amis.

Nazianz. or. de Epiſ.

*quæris.* Et Nazianzenus : *Nemo eſt, qui ſibi ſoli vivat, neque bonus neque malus; ſed quemadmodum hic aër ejus, quod forte attraxit, vel fragrantiam, vel fœtorem acquirit; ſic nos etiam quam celerrime tales evadimus, quales ſunt proximi noſtri.*

1. Reg. 19. v. 20.
Ibid. v. 21.
Ibid. v. 22.
Ibid. v. 24.

3. David ſciens capitale contra ſe odium Saulis, ad Samuëlis confugit patrocinium; quod ut Saul intellexit, iracundia excandeſcens, *miſit lictores, ut raperent David: qui cum vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuëlem ſtantem ſuper eos, factus eſt etiam ſpiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipſi;* ſubmiſit itaque Saül alios ſatellites: *Prophetaverunt autem & illi: & rurſum miſit Saul tertios nuncios, qui ... prophetaverunt; & iratus iracundia Saul, Abijt etiam ipſe in Ramatha,... & factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini ... Et prophetavit cum cæteris coram Samuele &c.* Hanc S. Bonaventura adhibet hiſtoriam ad probandum, quantam conſortium bonorum ad convertendos malos habeat efficaciam, ſiquidem cum omnibus ſatellitibus à rege miſſis, ipſe denique rex ſuperveniens, omni modo & ſtudio dictis ſe conatus eſt aſſimilare Prophetis; vere igitur, *qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit.* Confirmare mihi liceat aſſertum brevi hac S. Bern. D. Chryſ. pro ſe citantis ſententia: *Bonus malo ſi connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab invicem ſeparantur;* ita & in contrario ſenſu dicere poſſumus: *mali converſantes* cum bonis, aut evadunt ſimiles, quoniam *qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit,* aut certe brevi tempore moriabuntur ſimul.

S. Bonav. t. 6. c. 4. Pharet. l. 22.
S. Bern. t. 3. ſer. in D. 3. pent. a. 2. c. 1.

4. Providus ille ſapienſque evangelicus paterfamilias ſervis ſuis inhibuiſſe legitur zizaniorum extirpationem; *ne forte colligentes zizania, eradicarent ſimul cum eis triticum.* Neſciebant forſitan famuli frumentum ſecernere à zizaniis? ita ſane, oculus namque noſter, ipſa experientia teſte, ſecundùm exteriorem judicat cognitionem. Quiſquis agit cum impiis, quantumvis optimum habeat nullo ſe vitio contaminandi propoſitum, id tamen nullus in animum inducit ut credat, ſtante conceptu univerſali, talem unumquemque eſſe, quales ejus ſunt ſocij. Filius prodigus omni abſumpta ſubſtantia, amore vitæ, ſe ruſtici cujuſdam addixit ſervitio, qui *miſit illum in villam ut paſceret porcos.* Cur infelix ſuibus potius, quam ovibus aut alteri cuicumque armento præfectus fuit: quia ſcilicet iſti ſymbolum ſunt carnalium, hicque ipſe totum patrimonium ſuum dilapidarat cum meretricibus; unde S. Chryſologus inquit: *Pietatis refuga deputatur porcis, porcis addicitur.* Ideoque notanter Evangeliſta addit: *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant.* Similis evaſerat porcis non modo quoad converſationem, ſed etiam quoad glandium, proprij porcorum alimenti appetitum: *Pares cum paribus facillime congregantur.*

Matth. 13. v. 29.
Lucæ 15. v. 15.
S. Chryſ. ſer. 1.
Luc. 15. v. 16

5. Judæi Chriſtum crucis reum condemnantes & ut talem à Judææ præſide eum declarari volentes, quia ſe regem fecerat, hanc mortis cauſam, ut univerſus ſpectaret populus, in ſummitate crucis affigi curarunt. *Impoſuerunt cauſam ipſius ſcriptam: Jeſus, Nazarenus, Rex Judæorum.* Aſt nonne facillima hujus rei erat notitia, ſiquidem in ore verſabatur univerſi populi: minime equidem, quia mundus videns Chriſtum duos inter latrones ſuſpenſum, ſuſpicari potuiſſet Chriſtum etiam latrocinij, & non læſæ majeſtatis reum fuiſſe. Aſt hic percontari libet, cur in Salvatoris ſocietate voluerint duos adeſſe malefactores, accuſatos, convictoſque latrones; forſitan ut Propheticum adimpleretur Iſaiæ oraculum? Aliud hoc in facto ſpectaſſe videtur malitia phariſaica. Conſiderabant impiiſſimi, perdifficulter mundo perſuaſum iri, eum malefactorem eſſe, qui *pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes,* qui tot doctrinam ſuam ſtabiliverat miraculis, qui ſanctam adeo promulgaverat legem: *Lex Domini immaculata, convertens animas;* qui prædicatione ſua tot converterat animas; quem promiſſum Meſſiam, quem quatriduo ante pueri filium Dei proclamaverant, qui ſanctiſſimam ſemper traduxerat vitam. Quæſierunt itaque, in quo tantam Salvatoris gloriam obſcurarent optimumque generaliter de eo formatum abolerent conceptum, præſertim cum ipſe etiam Pilatus dixiſſet: *Nullam invenio in eo cauſam.* Hanc igitur ob cauſam Chriſtum duos inter latrones medium ſuſpenderunt, *ut par & de ipſo eſſet exiſtimatio,* inquit Chryſoſtomus. S. Lucas, pennam pariter ſeu calamum & penicillum ducere doctus, paucis finem delineare volens, propter quem flagitioſi illi Chriſtum in medio latronum collocarint, non dicit: *Cum iniquis confixus* aut *crucifixus eſt, ſed cum iniquis deputatus eſt.* Notate verbum *deputatus,* id quod ad Evangelici Prophetæ alludit oraculum, qui clare prædixerat: *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Cui S. Chryſoſtomus lubens volenſque ſubſcribit, dum ait: *Latrones Judæi ſociarunt Chriſto, ut macularent Domini paſſionem.*

Matth. 27. v. 37.
Actor. 10. v. 38.
Pſal. 18. v. 8.
Joan. 18. v. 38.
Chr. h. 7. ad Eph.
Luc. 22. v. 37.
Iſa. 53. v. 12.
S. Chryſ. h. de cruce.

6. *Talis quiſque cenſetur,* inquit S. Hieronymus, *qualis eſt, cum quo verſatur.* Imo juxta S. Auguſtini teſtimonium, ſi quis innocens cum malis degat, etiamſi nil mali perpetrarit aut patrare intendat, ſuis tamen ſociis vult ſimilis & conformis ad minus apparere. *Præceps ibam tanta cæcitate,* inquit S. Doctor, *ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quam audiebam eos jactantes flagitia ſua; & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes eſſent; libebat malum facere, non ſolum libidine facti, ſed etiam laudis.* In quem ne labyrinthum incidamus & nos, Eccleſiaſtici obediamus conſilio; dum ſuadet: *Cum audace non eas in via; ne forte gravet mala ſua in te.* Quibus verbis docemur, ni fallor, nos, dum conſortiis admiſcemur improborum, non modo eadem cum iis incurrere ſupplicia, in eoſdem cum illis impingere ſcopulos, verum etiam ipſorum contrahere vitia ſaltem ſecundùm externam hominum vitam noſtrum obſervantium, opinionem & conceptum, quam veritatem ſolidius nobis inculcare nititur, dum ait: *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Etiamſi enim quandoque bonis fuerimus inſtructi moribus & virtutibus, vulgus nihilominus, noſtra cum malis commercia videns, ſcandalizatur ad imitationem illorum, qui de Chriſto conquerebantur. Quod *cum Publicanis & peccatoribus manducaret.*

S. Hieron. ad Nepot.
S. Aug. 2. Conf. c. 3.
Eccli. 8. v. 18.
Prov. 22. v. 24.
Luc. 15. v. 2.
Matth. 9. v. 11.

7. Quia vero juxta doctrinam Chriſti, cujus omnis actio noſtra eſt inſtructio: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus;* quia inquam boni quandoque cum malis, propter horum ſalutem, converſari debent; id nemo attentet, niſi ſtatum fuerit aſſecutus perfectionis, ſolidæque virtutis, ne contagium & ipſe contrahat impietatis. Quo fine Origenes, dum illa Exodi verba (*filij autem Iſraël ambulaverunt per ſiccum in medio mari*) ſolita calami ſui ubertate fœcundat, hanc utiliſſimam nobis tradit doctrinam: *Et ut filius Iſraël es, potes ambulare per ſiccum in medio mari, ſi fueris in medio nationis pravæ atque perverſæ, ſicut lumen ſolis.* Non poterat accommodatior aſſignari ſimilitudo; nam ſicuti ſol ſine ulla maculæ contractione bonos illuminat & malos, lutum attingit & nives ſuis ſemper puriſſimis radiis, abſque ulla aut labe aut frigore; ita pariter homo Spiritualis perfectionis adeptus ſublimitatem, cum bonis æqualiter verſatur & malis, ſine ulla in contrarium alteratione. Ut autem talis ſit, ſolem imitetur oportet, id eſt, debet eſſe in virtute ſtabilis, ſicut dicitur: *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol.* Debet eſſe perſona ad publicum deputata beneficium, hujuſmodi cum malis communicationem, eorumque converſionem debet ejus exigere ſtatus & vocatio. Si talis fueris, *poteſt fieri,* inquit Origenes, *ut in medio peccatorum incedentem, te non infundat humor peccati.* Notate verba: *Poteſt fieri.* Ut ſcilicet nemo ſibi ſecuritatem promittat. *Qui Ægyptius eſt & ſequitur Pharaonem,* idem ſubdit auctor, *ille vitiorum fluctibus ſubmergitur; qui verò ſequitur Chriſtum, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulet.*

Ibid. v. 12.
Orig. in c. 14. v. 29. Exod. h. 6.
Eccli. 27. v. 12.
Origen.

8. Rabanus noſtro peraccommode ſerviens propoſito, ita bonos ad malorum conſortia, ſalutis intuitu, frequentanda invitat, ut in virtute languidis aditum penitus intercludat, inquiens: *Sicut perfecti viri perverſos proximos non debent fugere, quia illos ſæpe ad rectitudinem trahunt, & ipſi ad perverſitatem numquam trahuntur: ita infirmi quique ſocietatem debent declinare pravorum, ne mala, quæ frequenter aſpiciunt & corrigere non valent, etiam delectent imitari.* Murmurabant equidem contra Salvatorem Phariſæi, ob frequentem cum Publicanis praxim, aſt longe iniquiſſime; quia, ut S. Chryſologus diſcurrit: *Quo medicus, niſi ad ægrotum? ubi anhelus paſtor, niſi ad ovem perditam? qui pretioſam perdidit Margaritam, loca ſqualida non dedignatur intrare.* Ut autem intelligatis, quibus cum malis diverſari liceat, ſequentem accipite Salmeronis doctrinam: *Cum autem talis quis eſt, ut non polluatur macula aliena, ſed potius id agit, ut à macula contracta purget & ſine ſcandalo, profecto bene facit & charitatem Evangelicam profitetur.* Talis debet complexionis & cautelæ eſſe medicus, ne ipſemet infirmum contrectaturus, inficiatur.

Rab. l. 3. in Eccli. c. 8.
S. Chryſ. ſer. 54.
Salm. t. 7. tr. 35.

9. Hac



9. Hac pollebat conſtantia inviciſſimus Ezechiel, qui ad malitioſum ac pertinacem miſſus populum (*domus Iſraël attrita fronte eſt*) audire meruit: *Ecce dedi faciem tuam, valentiorem faciebus eorum.* Eamdem poſſedit alter ille prærogativam, cui dictum fuit: *Convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos.*

Ezech. 3. v. 7.
Ibid. v. 8.
Jer. 15. v. 19.

10. Dum aliqui olim Philoſophi ob nimiam ditiorum ædium viſitationem reprehenderentur, patrocinium omnium & defenſionem ſuſcipiens Ariſtippus, reſpondit: ibi neceſſum eſt, crebrius adeſſe medicos, ubi decumbunt infirmi; quamvis nullus eorum hos accedat obtinendæ infirmitatis deſiderio.

11. S. Philippus Nerius in juventute ſua à ſceleratis quibuſdam ad perditionis viam provocatus, tanta è contra cum efficacia, de virtutis pulchritudine, vitijque deformitate diſcurrere cœpit, ut ipſi in laqueum inciderint aucupes, facti virtutis præda. Qui S. pater in diverſis aliis occaſionibus, utpote ſingulariter à Deo ad animarum lucrum deſtinatus, indifferenter cum omnibus, omni in loco, in plateis, in officinis, in ſcholis & quandoque etiam in bancis ſeu telonijs tractabat, ſuaviter adeo de rebus ſpiritualibus diſcurrens, ut admirabili manſuetudine & dulcedine ſua nullum non demulceret, plurimoſque paulatim Deo lucraretur, ut proinde merito dicatur *innumeros pene filios Chriſto peperiſſe.* At tempus notate, quo imperterritus athleta in hunc ſe dedit campum; præceſſerat, juxta hiſtoriæ ſeriem, ſolidum perfectionis & ſupereminentis Sanctitatis fundamentum, multis ante annis jactum per ſtrictiſſimam ſolitudinem, per continuam Catacumbarum viſitationem, per orationem indefeſſam. Poſtquam ruptis coſtis, miraculoſam ſenſit, agitante Spiritu Sancto, cordis palpitationem, cum improbis converſari cœpit. Cum enim indefeſſus hic pugil Chriſti in aciem proceſſurus eſſet, conflictumque exorſurus periculoſum, qualis eſt quotidiana cum impiis, ad animarum lucrandarum ſalutem converſatio, ideo illum Dominus fortiſſima ante induere voluit armatura, ſcilicet donorum & gratiarum Spiritus Sancti infuſione, ne umquam *cum perverſis perverteretur.*

L. 1. c. 7. n. 5.
Ibid. c. 6.

## DISCURSUS XII.
## ARGUMENTUM.

Malos, utpote animæ pernicioſos, ad Chriſti multorumque Dei ſervorum exemplum, vitare oportet, etiam repugnante ſenſu.

### THEMA.

*Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te.* Matth. 18. ℣. 9.

1. DE ſcandalis atque offendiculis, in via Dei ad nos in perditionis barathrum præcipitandos occurſantibus, incarnata tractans Sapientia, difficile admodum & ingratum hoc in prima fronte exhibet documentum: *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum & projice abs te; bonum tibi eſt, ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te; bonum tibi eſt, cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quis umquam fidelium, quantumvis zelantiſſimus in divinorum præceptorum conſiliorumque obſervantia, propter qualemcumque demum læſionem, ſe pedibus, manibus aut oculis deſtituit? Non literam, ſed Spiritum ſpectant Salvatoris verba; volebat namque docere Chriſtus, omnium familiarium, conſanguineorum atque amicorum etiam intimorum, qui nobis veluti manus, oculi aut pedes deſerviunt, exterminanda eſſe conſortia, ſi aliquod nobis in via Dei offendiculum ponant, aut à vero tramite avellere conentur. *Non hæc de membris dicta ſunt,* inquit S. Chryſoſtomus; *ſed de amicis ac neceſſarijs, quos quaſi membra nobis conjunctos ducimus; nihil enim ita pernicioſum ac peſtiferum, ut conſuetudo pravorum hominum ac converſatio.* Ideoque *ſuaſit Chriſtus;* idem alio in loco proſequitur Sanctus, *non ſolum eos, qui ſunt tales fugere, ſed etiam exſcindere, dicens: Si oculus tuus dexter te ſcandalizat, erue eum & ejice abs te; non dicens de oculo, quid enim mali fecerit oculus, ſi ſit ſanus animus? ſed de amicis neceſſarijs, & qui ſunt nobis loco horum membrorum, & nos lædunt, hæc conſtituit, jubens eorum etiam amicitiam hæc contemnere, ut ſua ſalus efficiatur tutior. Quare ipſe etiam rurſus progrediens, dicit; non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non ingrediar.* Sicuti membrum putridum, omnia reliqua inficere potens, & manifeſto ſalutem corporalem periculo exponens, de medicorum conſilio, etiam graviſſimis cum doloribus & ſpaſmis abſcinditur, ut integritas conſervetur corporis totius; ita & circa amicos noſtros faciamus oportet; licet enim hi quandoque grati ſint ac utiles, beneque meriti de nobis; nihilominus ob id, quod afferunt æternæ ſalutis damnum, etiam cum diſpendio intereſſe temporalis, contraque voluntatem & inclinationem propriam, eos à nobis abigamus oportet; urgens namque nimis hoc Chriſti eſt motivum: *Bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam ingredi, quam duos, &c.*

Matth. 18. v. 8.
Ibid. v. 9.
Chryſ. h. 60. in Matth.
S. Chryſ. h. in Pſal. 4.



2. Videns Sara Iſmaëlem cum Iſaac ludentem, id eſt, ut ſupra diximus, ſeducentem, maliſque contaminantem moribus, mox inſtitit apud Abraham pro exterminio Iſmaëlis: *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Difficulter conſentire poterat Abraham; cum ecce vocem audiit cælitus: *Non tibi videatur aſperum ſuper puero & ſuper ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus; quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Recuſat equidem ſenſus ab objecto elongari amato, aſt oculos noſtros in eam, quam incurrimus Dei offenſam, æternæque ſalutis periculum conjiciamus: *Non tibi videatur aſperum:* ſiquidem perdendo amicum, lucraris Deum; exterminando ſodales, ad cœleſtis civitatis incolatum jus acquiris: *Eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei;* ſi nimirum Apoſtolo obedientes vetus expurgaveritis nocivorum amicorum fermentum; *niſi cum vos purgaveritis,* inquit S. Bruno, *eſtis membra veteris hominis;* vetus autem homo non eſt cur ſibi locum ſperet in cœlo.

Gen. 21. v. 10.
Ibid. v. 12.
Epheſ. 2. v. 19.
S. Brun.

3. Indignatus quondam Deus ſerpenti, *inimicitias,* ait, *ponam inter te & mulierem.* Quæ conventio inimicitiæ & diſcordiæ ad Deum pacis & unionis? myſterium notate; volebat inſinuare Deus, quod ſerpens dum converſando cum Eva, ſuum ei inſtillaſſet venenum, mutua pariter ſparſiſſet inimicitiæ venena; tunc ſiquidem divinis nos præceptis obtemperaturos confidere poſſumus, dum ſeducentium nos amicorum potius inimici ſumus quam familiares: *Inimici hominis, domeſtici ejus.* Sanctus Baſilius dictum Geneſeos textum interpretans, *revera,* inquit, *noxiæ ſunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur; nam ea eſt amicitiæ lex & vis, ut per ſimilitudinem malitiam conjunctis indat.* Ideoque ſervi Dei, oculatiſſimi Argi, maxima cum circumſpectione & cautela, ſocietates declinarunt malorum. Admirabile obſtupeſcit, rariſque effert laudibus Scriptura Sacra factum Tobiæ, dum in Babylonia, in medio impiorum, illæſus atque irreprehenſibilis perſiſtens, *in captivitate poſitus viam veritatis non deſeruit.* Rarum utique conſtantiæ exemplum; aſt quo uſus fuit medio invictus pugil? cordibus veſtris inſculpite reſponſum: *Dum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortia omnium.* Hoc modo & vitia declinavit, & perfectionis quotidiana cepit incrementa; illud diu ante citra diſciplinam executioni mandans, quod nos poſtmodum à S. Anſelmo, illa Apoſtoli verba (*expurgate vetus fermentum*) interpretante, accepturi (utinam & impleturi) eramus documentum, dum ait: *Extra vos ejicite, purgantes vos ab eo,* ſcilicet à fornicario ſeu idololatra, *ne corrumpat in vobis dulcedinem virtutum, per iniquitatis ſuæ conſenſum.*

Gen. 3. v. 15.
Matth. 10. v. 36.
S. Baſ. h. quod Deus non eſt auct. mal.
Tob. 1. v. 2.
Ibid. v. 5.
1. Cor. 5. v. 7.
S. Anſelm. ibid.

4. Janſenius illa ſapientis verba, *vade contra virum ſtultum,* ad noſtrum contorſurus propoſitum, ait: *Id eſt, diſcede à viro ſtulto & neſcito labia ſcientiæ.* q. d. Etiamſi ignorantiæ & puſillanimitatis notam incurſurus eſſes, hunc illumve devitando, nihil refert; præſtat hoc, quam per ſtrictam improbi ſodalis familiaritatem atque amicitiam defœdari. Unde alius quidam interpres hoc nobis conſilium dedit: *Si opus eſt, ſimula te nihil ſcire, & loquendi imperitum & imprudentem eſſe.* Vel, ut idem auctor interpretatur: *Vade per viam aliam à viro ſtulto, quia in labijs ſuis non eſt ſcientia.* Malæ ſocietatis contagium ordinarie contrahitur per colloquia & confabulationes, per imprudentes & temerarios ſermones noſtros; atque hæc, teſte Ariſtotele, pravas ſocietates declinandi cauſa non infima eſt, quia ſcilicet improbi effrenatas ſuas reſolvere amant linguas in maledicta, contumelias & obſcœnitates.

Prov. 14. v. 7. Janſ.
Salaz. ibid.
Ari. Ethic. l. 8. c. 6.



5. San-

5. Sanctiſſimus David non modo perverſorum ſocietatem, ſed etiam vel leviſſimam eorumdem conſortij umbram ſumme deteſtans, divinæ gratiæ aſſiſtentiæ innixus, cum debita gratiarum actione in has die quodam prorupit voces: [*Pſalm. 25. v. 3. 4. 5. 6. & 7.*] *Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua, non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo; odivi Eccleſiam malignantium & cum impijs non ſedebo.* At quis hujus ſeparationis fructus? *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, ut narrem vocem laudis & enarrem univerſa mirabilia tua Domine.*

6. Rarum nobis conſilium à Jeremia datum reperio, ſiquidem ſuadet: [*Jer. 9. v. 4.*] *Unusquisque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam.* Videtur namque hoc loquendi modo Prophetam reciprocum inhibuiſſe commercium, humano generi unice neceſſarium; verumtamen non de omnibus, ſed de iis dumtaxat loquitur Propheta, de quibus alibi dicitur: [*Matth. 10. v. 36.*] *Inimici hominis, domeſtici ejus.* Vult Propheta proximos illos, qui nos in viam iniquitatis abducere ſatagunt, in beneficium & ſalutem noſtram procul à nobis proſcribi atque exulare: [*Jerem. 9. v. 4*] *Quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* [*Ibid. v. 5.*] *Et vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium, ut inique agerent, laboraverunt.* Ecce vobis veluti in imagine depictos aſtus, technas, artes & machinationes, mediis quibus mali conantur illaqueare bonos. Abulenſis curioſam movet quæſtionem, cui titulus: *Quomodo refrigeſcebat charitas in quibusdam, propter aliorum iniquitatem?* Cui ipſemet his verbis ſatisfacit, dicens: [*Abulenſis T. 6. in Matth. c. 24. q. 83.*] *Aliqui erant à principio converſionis ſuæ ferventes in charitate, poſtea verò videntes iniquitatem aliorum, fiebant tepidi. Quidam quando converſi ſunt, videbant miracula fieri & bona opera Chriſtianorum, & ideo ferventer acceperant fidem; poſtea verò cum converſarentur cum alijs Chriſtianis, videbant eorum iniquam converſationem, & ſic refrigeſcebat in eis ardor charitatis, ut non eſſent tam prompti ad bona opera, ſicut prius.* Moxq; concludit, omnibus bonis, maxime autem parum in virtute fundatis, ſumme nocivam eſſe malorum ſocietatem, inquiens: *Valde nocet bonis, & maxime parum aut mediocriter bonis converſari inter malos vel eorum mala ſcire, & tunc quanto quis converſatur cum deterioribus; tanto fit tepidior & refrigeſcit charitas.*

7. Audiens Patriarcha Jacob filij ſui in Ægypto majeſtatē, ſubito cum numeroſa familia ſua ſe itineri Ægyptum verſus accinxit, ſed non absque pavore; quid expaveſcis, quid metuis ô ſancte Patriarcha? Ægyptiorum forte contra te inſultus & preſſuras? filius tuus toti regno dominatur & regi; familiæ tuæ penuriam? Joſeph ipſe eſt, qui omnia in ſua habet poteſtate. Et nihilominus ad mœroris nubem propulſandam, quæ Patriarchæ cor obumbrarat, Deus apparuit illi, dicens: [*Gen. 46. v. 3.*] *Ego ſum fortiſſimus Deus Patris tui, noli timere, deſcende in Ægyptum.* Quod poterat ſubeſſe formidinis fundamentum? perverſionis timor: *Cum perverſo perverteris.* Jacob ſuorum timebat filiorum ſeductionem, ne illi, ex quibus populus Dei propagandus erat, medios inter Ægyptios, non idololatriæ dumtaxat, ſed & aliis vitiis addictiſſimos perverterentur; quod pariter periculum Joſeph prævidens, eos ſeorſim ab Ægyptiis terram Geſſen inhabitare voluit. Quam ob cauſam Salvator quoque nobis conſuluit, dicens: [*Matth. 24. v. 16.*] *Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes.* q.d. Fideles mei, quandoquidem Antichriſtus innumerabili ſceleratorum perverſorumque Judæorum colluvie ſtipatus, miram venturus eſt, ut in mundo exerceat tyrannidem, cavete ei appropinquare, ſi ſalutem quæritis. Sanctus Hilarius inquit: *Ne admixtione plebis illius Antichriſto credituræ viſa, ut contagio eſſeratur, ſed omnibus, qui tunc fideles erunt, tutiora futuræ ſint deſerta loca montium, quam frequentata Judæa.* Quæ doctrina quamvis omnes concernat, ſingulariter tamen juventuti inculcatur, utpotè omnium maximè ad perverſionem paſſivam proclivi. Quod propoſitum ſi ullus, doctiſſime ſane promovet Rupertus Abbas, dum Eſau poſt reconciliationem, ad mutuam in itinere ſocietatem invitandi, comiter reſpondentem Jacob (*noſti Domine mi, quod parvulos habeam teneros*, [*Gen. 33. v. 13. Rup. Abb.*] conſiderat, dicens: *Hic magnæ diſcretionis exemplum eſt; parvulus enim eſt & tener, qui nondum in fide & ſapientia perfectus eſt, & quaſi fœta ovis, cujus inchoatio vel propoſitum nondum inchoatum eſt uſu operis, tales carnalium ſocietate facillime corrumpuntur.* Quo fine & Plutarchus hoc nobis conſilium dedit: [*Plut. l. de educ. puer.*] *Liberos noſtros à flagitioſorum hominum conſortio ſegregare docebit, eorum enim malignitatem reportant. Quemadmodum enim ſigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ, dum puerulus adhuc animus eſt, inſculpūntur.*

8. Teſte ſacro quodam interprete, Rabbi Aben Hezra illum ſapientis textum (*iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarum*) [*Prov. 15. v. 19. Salaz.*] de malis & reprobis interpretatur, dicens: *Pigrorum nomine improbos notari vult; converſatio horum ſpinoſa eſt, multos pungit & lacerat, via autem juſtorum absque offendiculo:* Multi equidem cum Davide reipſa dicere poſſent: [*Pſal. 118. v. 32.*] *Viam mandatorum tuorum cucurri;* aſt diabolus varia hoc in tramite objicit veprium ſpinarumque offendicula, perverſos inquam ſocios, à quibus ſeducimur. Semen bonum, teſte Salvatore, germinare cœperat, ſed *ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.* [*Luc. 8. v. 7.*] Multas namque bonas fidelium voluntates, præcipue in florida ætate formatas, conſortia ſopiunt perverſorum ſodalium; unde & Sanctus Chryſoſtomus ab Hugone Cardinali citatus, dum illa (*quod autem in ſpinas cecidit*) [*Ibid. v. 14. D. Chryſoſt.*] perpendit verba, *diſce*, inquit, *ſpina iniqui.* De ſpinis diſcurrenti memoria occurrit ſuppliciorum paſſionis Chriſti, quæ inter omnium graviſſimum fuit, quod intulerunt ſpinæ, utpote caput, partem corporis præ reliquis magis ſenſitivam lædentes; cum itaque juxta infallibilem veritatem, noſtra Chriſtum transfixerint peccata, ſiquidem [*Iſa. 53. v. 8.*] *propter ſcelus populi mei percuſſi eum;* concludere poſſumus, graviſſima omnium ſcelera eſſe, maximumque Salvatori inferre tormentum, illa, quæ in pravis ſocietatibus, ad perverſorum ſodalium impulſum admittuntur.

9. Ut Salvator, quanta perverſas ſocietates deteſtatione ſemper & ubique perſecutus fuerit, demonſtraret, vice quadam publice proteſtatus eſt, dicens: [*Matth. 17. v. 16.*] *O generatio incredula & perverſa, quouſque ero vobiſcum, uſque quo patiar vos? Quaſi dicat*, inquit Abulenſis, [*Abul. t. 4. in Matth. 17. q. 147.*] *magnus labor eſt, quod ego tolerem imperfectiones veſtras longo tempore, nam etiam parvo tempore eſt difficile tolerare adverſos mores, quanto magis longo tempore?* Ipſimet Dei filio, qui dicebat: [*Matth. 9. v. 13.*] *non veni vocare juſtos, ſed peccatores*, ſumme difficile & laborioſum erat cum malignis iſtis converſari Phariſæis: *Erat Chriſto difficile, tolerare eos, exprobravit vitia pravæ converſationis, dicens; O generatio incredula & perverſa; & propter hoc dixit, quod durum erat ei tolerare converſationem illorum, potiſſime ſi diuturna eſſet, quia in hoc patiebatur.*

10. Deus noſter ex omnibus terræ nationibus, unum ſeligens populum, quem ſui notitia verique cultus & religionis lumine illuſtraret, præceptum illi impoſuit religionis, dicens: [*Gen. 17. v. 10.*] *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te; circumcidetur, &c.* ubi Anaſtaſius ad noſtrum inquit propoſitum: [*Anaſt. q. 23.*] *Pietatis quamdam excogitat cuſtodiam, ne cum impijs commixti, corrumperent ſui generis nobilitatem.* Quo motivo Deus pariter Levitas & Sacerdotes, ſuo immediate ſervitio deputatos, voluit à mundo degere ſequeſtratos, & à malis hominum operationibus remotos. Eidem ſtabiliendæ doctrinæ inſudans Origenes hunc citat Levitici textum: [*Lev. 7. v. 34. Orig. h. 5. in Levit.*] *Pectuſculum elevationis & armum ſeparationis tuli à filijs Iſraël de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron ſacerdoti & filijs ejus lege perpetua in generationibus ſuis.* Quibus verbis, juxta Origenem deſignatur, eos qui ſpecialiter divino ſunt dedicati cultui, debere quamcumque coſmophilorum praxim & converſationem devitare, ſi propriæ dignè voluerint reſpondere vocationi, in quorum confirmationem, hoc immediatè ſubnectit Apoſtoli documentum: [*2. Theſſ. 3. v. 6.*] *Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratrè ambulante inordinate.* Quibus Tertullianum ſubſcripſiſſe planum eſt, dum ait: [*Tertull. l. 1. ad uxor. c. 8.*] *Convictum atque commercia Deo digna ſectare, memor illius verſiculi, ſanctificati per Apoſtolum: Bonos corrumpunt mores, congreſſus mali.*

11. Imo Sanctus Chryſoſtomus citata Chriſti conſiderans verba: *O generatio prava & perverſa, &c.* paſſionem & mortem ipſa perverſorum ſocietate longe tolerabiliorem Chriſto aſtruit accidiſſe, inquiens: [*S. Chryſoſt. h. 58. in Matth.*] *Non ad hunc hominem ſolum dirigit ſermonem, ne conturbaret eum, ſed ad univerſum hominum genus. Cum autem dicit; quouſque ero vobiſcum, quam mori ſitiat, quantumque ad patrem redire deſideret, & quia non ſit ſibi moleſta paſſio; ſed cum hujuſcemodi hominibus converſatio, oſtendit.*



## *DISCURSUS XIII.*
## ARGUMENTUM.

De bonorum ſocietatis utilitate, variiſque conſortij malorum damnis.

### THEMA.

*Cum viro ſancto aſſiduus eſto; quemcumque cognoveris obſervantem timorem Dei.* Eccli. 37. ℣. 15.

1. SAlutare hoc nobis Eccleſiaſticus tradit documentum, ut strictas cum hominibus ſanctis contrahamus amicitias: *Cum viro ſancto aſſiduus eſto;* aſt quia propter ſanctorum hac in vita penuriam, conſilium hoc difficulter in praxim redigendum noverat; dum pauci admodum in mundo hoc radiis ſanctitatis præfulgent; ideo propoſitionem ſuam mox amplians, ſubjunxit: *Quemcumque cognoveris obſervantem timorem Dei.* Syriaca legit: *Cum viris juſtis eſto habitans, quia ipſi timent peccare coram Deo, & cor eorum convenit cum corde tuo.* Sanctus Ambroſius prærogativam conſiderans Joſue, utpote qui numeroſiſſima Hebræorum ex Ægypto adventantium multitudine per mortem ſublata, ipſe non modo ſupervixit; ſed & Moyſi ſubſtitutus; Iſraëlem in promiſſionis terram introduxit; multiplices inquam has prærogativas perpendens Sanctus Doctor; eaſdem converſationi adſcribit, quam Joſue continuam fovit cum viro ſancto: *Ubique*, ait ille, [*S. Ambr. l. 2. offic. c. 20.*] *inter admiranda opera & reverenda ſecreta ſancto Moyſi individuus adhærebat Jeſus, unde factum eſt, ut qui fuerat ſocius converſationis, fieret ſucceſſor poteſtatis.* Unde paterne nobis ſanctus ſuadet Iſidorus, [*S. Iſid. in Synon. c. 9.*] dicens: *Bonorum ſocietatem require; ſi fueris ſocius converſationis, eris & virtutis eorum.* Cui hanc minime diſſonam tradit doctrinam Seneca: [*Sen. ep. 11.*] *Omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior eſt, quam cum viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti.*

2. Volens David modum nos edocere per accuratæ divinorum præceptorum obſervantiæ viam inoffenſo pede currendi, fugam proponit malorum, dicens: [*Pſalm. 118. v. 113.*] *Iniquos odio habui;* ſed quo effectu? *Et legem tuam dilexi.* Fieri numquam amat, ut optimæ educationis juvenes, ubi adoleſcentiæ annos attingunt, ruptis habenis, qualiacumque frequentent inordinatorum appetituum deſideria; unde tanti origo mali? à conſortio pravo; ideoque dicebat Jeremias: [*Thren. 3. 27.*] *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua.* Virilis namque ætas bonam fovet atque illibatam tuetur juniorum annorum, integræque educationis diſciplinam; ſed quomodo? [*Ibid. v. 28.*] *Sedebit ſolitarius.* Quando quis à ſtrepitu remotus, ſolus degit & malas devitat ſocietates; gaudenter divinæ legis portabit jugum, inque Dei timore vivet. S. Ambroſius dicit: [*S. Ambr. in obitu Valentin.*] *Poteſt etiam ſic intelligi, quoniam qui cito portaverit jugum Domini, hoc eſt, à juventute, non miſcebit ſe juvenibus;* ubi tamen converſationem affectarit, homines ſibi eliget ratæ virtutis & notæ bonitatis.

3. Idem regius Vates divinæ hunc in modum legitur ſupplicaſſe Majeſtati: [*Pſal. 25. v. 1. & 2.*] *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans non infirmabor; proba me Domine & tenta me, ure renes meos & cor meum.* Unde tantam ille ſibi acquiſierat virtutem atque innocentiam, de qua ſublimiter adeo gloriabatur vir ſecundùm cor Dei? Quia perverſos devitarat: [*Ibid. v. 4.*] *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.* Quem eminentiſſima latet ſanctiſſimæ Virginis ſponſi, Joſephi ſanctitas? numquam tamen legitur in remotas cum Baptiſta fugiſſe ſylvas, non animarum converſioni vacaſſe per prædicationem, non rigoroſam vel auſteram duxiſſe vitam, ſed fabri lignarij inſudans exercitiis, de die in diem in meritis & amicitia Dei mirum in modum proficiebat, propter continuam cum Dei genitrice, ſponſa ſua, converſationem Unde S. Bernardinus ſequentem ſtatuit conſequentiam: [*S. Bernard. ſer. de S. Joſeph.*] *Si nos miſeri ex cohabitatione ſanctorum virorum qui nihil ſunt reſpectu Virginis, ſæpe tamen proficimus, quantum* exiſtimandum eſt, Joſephum cum Virgine profeciſſe? Præſertim quoniam S. Gregorio teſte, [*S. Greg. h. 5. in Ezech.*] *qui ſancto viro adhæret, ex ejus aſſiduitate viſionis, uſu locutionis, exemplo operis, accipit ut accendatur in amorem veritatis, peccatorum ſuorum tenebras fugat, in deſiderio lucis exardeſcit.*



4. Experientia teſte; ab amicorum converſationibus ſequeſtratio, maximum confert ad unionem cum Deo & profectum ſpiritualem, ſubſidium. Ideoque Dominus Deus, ut primum S. Patriarcham Abrahamum in univerſalem omnium credentium elegerat patrem; priusquam ſui ipſum lumine notitiaque felicitaret; ſuorum in Ur, medios inter idololatras degentium commercia illi inhibuit, diſceſſumque præcepit, ut *ſederet ſolitarius, & levaret ſe ſuper ſe.* [*Thren. 3. v. 28.*] Eamdem ob cauſam Philo Hebræus, pluribus commendat factam à Deo tranſlationem Henoch; [*Phil. Hebr.*] *nam apud exteros præſto ſunt laquei; in quos neceſſe eſt incidere, ſi quis eſt improvidus & delectetur multorum conſuetudine.* Hunc unicum divinæ unionis finem; plurimi ſervi Dei in frequentandis ſolitudinibus atque eremis ſpectarunt, impedimenta & obſtacula pertimeſcentes, quæ humana ſubinfert converſatio. *Quia in terra Chaldæorum*, inquit Abulenſis, [*Abulenſ. Ibid.*] *omnes ad idololatriam declinaverunt; & ſic Abraham & ſemen ejus, ſi ibi maneret, periclitaretur, quia difficile inter tot malos, paucos eſſe bonos, præcipue cum ipſi mali bonos quotidie pungerent, ut ad ſuam malitiam eos inducerent.* Teſtatur ſacer textus, eumdem Abraham filiorum inſtituiſſe ſeparationem; dividendo eos; quos ex Cetura conceperat à filio ſuo Iſaac: [*Gen. 25. v. 6.*] *Separavit eos ab Iſaac filio ſuo.* At ſi ... *bonum & ... jucundum, habitare fratres in unum*, [*Pſal. 132. v. 1.*] cur filios ſuos ab invicem ſequeſtravit Abraham? Reſpondet idem Abulenſis, Abraham per divinam revelationem cognoviſſe, quod cultus verique Dei religio in poſteris Iſaac permanſura eſſet: [*Abul. ibid.*] *Ideo diviſit eos ab Iſaac, ne poſteritas illorum poſteritatem Iſaac à Dei latria diſturbaret.*

5. Obſervaſtisne, quandonam evangelicus ille à nativitate cæcus, Chriſto propter illuminationis beneficium gratias egerit, quando ſuum recognoverit benefactorem, quando in terram ſeſe proſternens, Salvatorem latriæ cultu honoraverit? Poſtquam è Synagoga exterminatus fuit: [*Joan. 9. v. 35.*] *Ejecerunt eum foras; & cum inveniſſet eum, dixit ei; tu credis in filium Dei?* cui indilate illuminatus cæcus: [*Ibid. v. 38.*] *Credo Domine, & procidens adoravit eum.* Ecce vobis expreſſum S. Cyrilli Alexandrini conceptum, inquientis: [*S. Cyr. Alex. l. 6. in Joan. c. 10.*] *Phariſæi quidem illum prius cæcum ejiciebant, ſed Chriſtus eum ſuſcipiebat. Tunc magis meruit cognoſcere Chriſtum, cum ejectus eſt de conſortio inimicorum Chriſti.* Tempus & locum in animos veſtros revocare, quo ſancti tres reges ab Oriente, ad Meſſiam recens natum adorandum, ſtella duce adventantes; cœleſtem perdidere ducem; ſimulque, Deum numquam inveniendi, præſentiſſimum incurrerunt periculum: in Jeruſalem, malignos inter ſcribas & Phariſæos, juratos divini infantis hoſtes; hanc novercantis fortunæ aleam ſubierunt; per quod incarnata nos voluit edocere ſapientia, quod mala ſocietas eos multoties in nobis ſplendores & lumina extinguat; quibus cæteroquin ab eadem ſeparati frueremur ad ſalutem.

6. Moyſes ad totius Iſraëlis gubernium evectus, virgæque tot innumeris portentis & prodigiis famoſiſſimæ ſceptro potitus, hoc à Domino accepit præceptum: [*Exod. 4. v. 6.*] *Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis.* Id quod à Domino factum autumant aliqui, ne Moyſes ob prodigioſas manus ſuæ operationes ſuperbiret, ſuæ ſemper memor quondam infectæ manus. Theodoretus ad noſtrum nihilominus propoſitum reſolvit, inquiens: [*Theodor. q. 10. in Exod.*] *Quid ſignificat, quod manus Moyſi reddita eſt leproſa? familia Jacob in poteſtate educta eſt, profecta eſt in Ægyptum, ſed illic impietatem Ægyptiorum didicit, & quaſi leproſa facta eſt; vix fieri poteſt, quod diu maneas apud impios, quin illorum inficiaris malitia.* Unde & Moyſes ad bonam directionem & commune populi Iſraëlitici bonum ſpectantibus divinis apparitionibus, viſionibus, revelationibus & colloquiis in ſolitudine gaviſus fuit; *Ducam eum in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.*

7. Cauſam ſi noſtis, edicite, cur non obſtantibus graviſſimis tentationibus, quas inimici infernalis furiæ in clauſtris conglomerare ſolent, in religionibus nihilominus major, quam in ſæculo vigeat timor Dei. Reſponſo ſubſerviet id, quod de Beato Ægidio ſancti Franciſci ſocio, in religionis iſtius chronicis aſtruitur: [*1. p. l. 7. c. 21.*] Interrogatus

rogatus ille; an quis in ſæculo Dei gratiam & ſalutem aſſequi poſſet; reſpondit; poteſt utique, ego tamen malo vel unicum gratiæ gradum in Religione, quam decem in mundo; illa namque gratia faciliter creſcit & conſervatur, ſiquidem Religio à malis divinæ gratiæ oppoſitis converſationibus & exemplis ſequeſtrat, plurimamque in ſpiritualibus ſubminiſtrat opem, ſæculum autem bene operantibus mille infert præjudicia. Obſervaſtiſne, quid S. Petro acciderit? In atrio Caiphæ, coram omnibus miniſtris & ſatellitibus divinum ſuum negaverat Magiſtrum, replicatis etiam juramentis & perjurijs. Aſt & divina miſericordia *reſpexit Petrum ... flevit amarè.* Ubinam planxit? ubi pœnitentiam egit? videbatur utique conveniens, ut ibi ſuum profeſſus & lachrymatus fuiſſet crimen, ubi deliquerat; nihilominus teſte Evangeliſtâ: *Egreſſus foras flevit amarè.* Noſtiſne rationem? ut ſcilicet nos inſtrueret, impoſſibilem eſſe pœnitentiam in medio malorum perverſorumque ſodalium, qui nos in peccatum induxerunt. Unde S. Remigius ait: *Qui in atrio Caiphæ ſedens non poterat agere pœnitentiam, egreditur foras de impiorum conſilio, ut pavidæ negationis ſordes amaris fletibus lavet.*

Luca 22.61. Ibid.v.62. S.Remig.

8. Rupertus Abbas Deum Moyſi imperaſſe judicat, ut Pharaoni diceret: *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, ut immolemus Domino Deo noſtro:* ad omnium inſtructionem Chriſtianorum, qui terram promiſſionis, id eſt, Paradiſi patriam ingredi geſtiunt; debere ſcilicet eos à ſæculi hujus Ægypto ſequeſtrari, deinde autem ad exhibendum divinæ majeſtati ſacrificium, impiorum pariter commercia & ſocietatem declinare. *Solitarius incedat*, inquit ille, *id eſt, remotus tam ab Ægyptijs quam à Philiſtiim, & talium utique ſocietas cavenda eſt ab eo, qui ad hæreditatem Dei pervenire, qui Domino Deo ſuo immolare cupit victimas juſtitiæ.* Sanctus Patriarcha Jacob Meſopotamiam petens, quadam vice nocturnis præventus tenebris, in nuda terra quietem cœpit. Quærunt interpretes ſacri, cur non intrarit Luzam, proximè ad eum locum ſituatam civitatem, ubi indubiè commodum reperiſſet hoſpitium, maximè cum opulenti patris eſſet filius, & veriſimile videatur, ipſum quoque ſufficientes ſecum pro itinere contuliſſe expenſas. Reſpondet Joſue Hebræus apud Lyranum: *Nocte hoſpitabatur in campis, ſuſpectos habens habitatores civitatum, propter eorum malitiam.* Ne igitur admiremini, quod cœlum ipſe fuerit contemplatus apertum, quod ſcalam cæleſtem, perque eam gradientes conſpexerit Angelos, quod cœleſtes habuerit apparitiones & revelationes; qui enim à conſortio creato alieni degunt, maxime inter omnes, divinorum participes facti ſunt favorum.

Exod.3. v.18 Rup.Abb. Ibid. Gen.28. v.11. Lyran.

9. Chriſtus cæcum illuminaturus, eum, teſte Sancto Marco, ſeorſim duxit: *Apprehensâ manu cæci, eduxit eum extra vicum.* Id eſt, *extra viciniatem malorum*, inquit S. Hieronymus; quam ſequeſtrationem diu ante ſuaſerat Regius Vates, dum diceret: *Declinate à me maligni.* Aſt quorſum ipſemet David inſtanter adeo hanc ab impiis urgebat elongationem? audite: *Et ſcrutabor mandata Dei mei, Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & vivam.*

Marc. 8. v.23. S.Hieron. Pſal.118. v.115. Ibid.v.116.

10. Non ſine myſterio, Levitis diſtincta à reliquis tribubus obtigit habitatio: *Nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, niſi urbes ad habitandum, & ſuburbana earum, ad alenda jumenta & pecora ſua.* Cur tribus hæc locum non eligit ſibi beneplacitum, cur ad unum ſpecialem reſtricta fuit? Sequentem pro intento noſtro quidam interpres rationem aſſignat, inquiens: *Expeditiſſima reſponſio eſt, ſic enim vitæ commoditatem facilè ſecuti, ſe omnes in amœniſſimas regiones contuliſſent; ad hoc, niſi ſeorſim habitaſſent, qui peculiariter divino cultui dicati erant, ut verendum fuiſſet, ne vulgi vitijs aſſueſcerent; eorum enim moribus facilè informantur, quorum aſſiduo utimur contubernio atque convictu.*

Joſ.14.v.4. Maſ.ibid.

11. Seneca tunc nos aſtruit ſani daturos ſpecimen intellectus, quando perverſorum renunciaverimus ſocietatibus atque commerciis. *Magna pars ſanitatis eſt, hortatores inſaniæ reliquiſſe, & ex iſto cœtu invicem noxio abiiſſe.*

Sen.ep.94.

12. Surdo ſimulque muto ſanitatem impertiturus Salvator, *apprehendens eum de turba ſeorſim, miſit digitos ſuos in auriculas ejus.* Digiti illi denotabant, quæ Chriſtus miſero huic infundebat, Spiritus S. dona: *Dextræ Dei tu digitus.* Notatè myſterium; quando Deus ſuas ab aliqua anima vult exaudiri inſpirationes, linguamque in divinas reſolvi laudes; ante omnia ipſam à turba, à converſione, à malorum ſeparat ſodalium commerciis. *Væ ſurditati illi*, inquit S. Auguſtinus, *quando non audiebam te.* Afflictum hunc Chriſtus ſequeſtravit, dum ſpiritualiter ſanavit; aureſque malæ praxis aperuit; *ſolitudo enim mihi ad negotium flendi aptior ſuggerebatur.* Simon de Caſſia de dicto diſcurrens evangelico ſurdo, inquit: *Primo ſanandum retrahit à prohibentibus ſanitatem.* S. Auguſtinus amicitiam nuncupare ſolebat inimicitiam: *O nimis inimica amicitia!* mali ſiquidem ab æterna nos abſtrahunt ſalute. Audite Jeremiam: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum; & plorabo die ac nocte?* Aſt ubi planctum inſtitues, ô Sancte Propheta? *Quis dabit me in ſolitudine diverſorium viatorum? & relinquam populum meum, & diſcedam ab eis.* Cur pœnitentiæ vacaturus, ſolitudinem quærit? *Quia omnes adulteri ſunt, cœtus prævaricatorum.* Ita nec S. Petrus, ut diximus, ſe gemitibus indulgere poſſe credebat, niſi à malis diviſum pontificiis ſervis. Aſt numquid Propheta mediis in ſylvis lethales merito reformidare poterat ferarum morſus? utique; aſt longè majus diſpendium inferre nati ſunt ſocij mali, hi ſiquidem ſpiritualem mortem cauſant, illæ corporalem; quid dico? ſodales perverſi interitum quandoque copulant ſpiritualem & corporalem, dum nos iiſdem ſecum ſubjiciunt pœnis, temporalibus & æternis; ut nihil de nominis, bonæque famæ aſtruam læſione.

Marc. 7. v.33. S.Aug.ſol. c.3. S.Auguſt.l.8. conf.c.11. Sim. de Caſſ. l.5.c.25. Jerem.9.v.1

13. S. Bernardinus, ut nos à malorum avellat ſocietate, ſequentia adducit motiva, inquiens: *Propter ſeptem à nobis vitandi ſunt mali; primò ne comprimamur ab eis. 2. Ne ab eis impediamur. 3. Ne demus eis malignandi occaſionem. 4. Ne irritemus eos. 5. Ne involvamur cum eis. 6. Ne bonorum authoritas minuatur. 7. Ut confundantur de malis.* Sed prô dolor! his plurimiſque aliis efficaciſſimis non obſtantibus rationibus, innumerabiles nihilominus ſe ab improbis decipi ſinunt amicis; unde Dionyſius Carthuſianus ait: *Idcirco Deus frequenter ac diſtrictè prohibuit filiis Iſraël conſortia Chananæorum, quæ quia non vitaverant in idololatriam inciderunt; ſic nunc innumerabiles ad diverſa peccata mortalia ex pravorum ſocietate labuntur.*

Dion. Cart. in c.13.Eccl.

## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

De bonis, quæ mali ex proborum converſatione hauriunt; idque ex aliis malis, quæ juſtis infert ſocietas perverſa.

## THEMA.

*Cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.* Pſalm.17.℣.27.

1. TAnto utilior eſt malorum cum bonis converſatio, quanto damnaſior horum cum illis ſocietas. *Nulla res magis animos honeſtate imbuit*, verba ſunt Senecæ, *& in pravis inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio, paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aſpici, frequenter videri.* Carbo extinctus ardentibus immixtus, & ipſe concipit ignem; ita in divino frigidus ſervitio, per bona ſodalium exempla, per eorum exhortationes & conſilia, infervеſcit, recaleſcit, ſpiritumque reſumit. Juxta Iſaiæ prophetiam, *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit.* Notate verba, inquit S. Hieronymus, non enim dicit, agno vel hædo inter lupos aut alias ſimiles beſtias, aliquem fore ſecuritatis locum; ſicuti enim agnus hujusmodi eſſet futurus victima lupina, ita & boni, circa neceſſitatem aut convenientiam cum malis diverſantes, periculum incurrunt perverſionis; aſt improbi bonis ſe aſſociantes, ſecuro gradiuntur tramite: *Sed lupus & pardus, agni & hædi imitentur innocentiam.* Cui & illud ejuſdem conſonat Prophetæ dictum: *Vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Ecce vobis, quem natura furore imbuit, innocens cum ovibus converſatio manſuetudine exornavit leonem, ut præſentiſſimum ex ſocietate cum electis oriri ſolitum diſcamus profectum. S. Cyrillus Alexandrinus illa interpretans ſacræ Scripturæ verba, *leo quaſi bos comedet paleas; obſerva*, inquit, *quod dicit, non mite animal in alimentum feris uſitatum, ſed in mitis nutritionem ferum demigrari.* Perverſi malorum mores non pravant hominem ſanctum, ſed impios ſancta quandoque convertit ſo-

Sen.ep.6. Iſaia.11.v.6. S.Hieron. Iſa.11.v.6. Iſa.11.v.7. S.Cyrill. Alex.



cietas; leo cibo veſcitur ovino, id eſt, homo malus aliquam juſti eſt imitatus virtutem. S. Hieronymus inquit: *Bos & leo comedent paleas, ut nequaquam bos diſcat veritatem, ſed leo doceatur manſuetudinem.*

S.Hieron. ad Dam.

2. Cur refugij urbes Levitis aſſignatas fuiſſe creditis? Audite Oleaſtri reſponſum, dum hunc Numerorum elucidat textum: *De ipſis oppidis, quæ Levitis dabitis, ſex erunt in fugitivorum refugium ſeparata*, *Crediderim*, ait ille, *hoc factum, ut hujusmodi homicidæ ex Levitarum converſatione meliores, ut ſciant Dei miniſtri tales eſſe debere, quibus facile credantur homines impij, ut eos ad meliorem convertant frugem.* Toſſotius, S. Paulæ filius, quæ ſanctitatem ex S. Hieronymi imbibit converſatione, conjugem duxit Letam, filiam pagani & antiquæ ſuperſtitionis Pontificis Albini, qui idololatra & implacabilis Chriſtiani nominis hoſtis, in ultimis vitæ ſuæ annis, hujus generi ſui ſocietatem frequentans, tota obſtupeſcente Româ in devotum mutatus eſt Catholicum. Obſtetrices vix ſatis admiror Ægyptiacas, quæ ſtante Pharaonis præcepto de perimendis Hebræorum infantibus, *timuerunt Deum.* Si namque Ægyptiæ, ſi idololatriæ deditæ erant, qualem in iis veri Dei timor potuit habere locum? Lyranus hunc piæ cum mulieribus Hebræis converſationi adſcribit effectum, inquiens: *Informatæ fuerunt per mulieres Hebræas, oſtendentes eis offenſam Dei.*

Num.35. v.6. Oleaſt. Baron. An. 482.n.40. Exod. 1. v.17. Lyran.

3. Seneca eam demonſtraturus, quam mali ex bonorum conſortio reportant utilitatem, inſigni hac utitur ſimilitudine, inquiens: *Eadem in diverſo ratio virtutum eſt, ut omne, quod ſecum habet, mitigent, nec tam valetudini proficit utilis regio & ſalubrius cœlum, quàm animis parum firmis in turba meliorum verſari; quæ res quantum poſſit, intelliges, ſi videris, feras quoque convictu noſtro manſueſcere, nullique immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernio diu paſta eſt.*

Sen.l.1. de ira.

4. Tempore Sancti Ignatij Loyolæ, prout in vita ejus traditur, Romam venit juvenis quidam Lutheranus, præclariſſimâ ex æquo præfulgens origine, ingenio atque indole, qui ſuæ ineffrænis per urbem diſſeminare hæreſis venenum, Eccleſiaſticos extremè calumniari, aliaque ſimilia impietatis adoriri molimina, nihil ſuppliciorum minis, nihil Theologicis (quantumvis convincentibus) obſtantibus diſputationibus; præhabito itaque maturo conſilio, expediens judicarunt omnes, ut Sancto Ignatio, conſignaretur, cujus ad aliquod tempus uſus, conſortio hæreticalia ſua deteſtatus eſt dogmata, omnimodam ſuam mutationem & converſationem, ſanctorum illorum Religioſorum exemplariſſimæ converſationi adſcribens. S. Martinus idololatrarum filius parentum, Mavortiæ vacabat profeſſioni, militari Apoſtatæ Juliani indutus cingulo; aſt quantum ex S. Hilarij conſortio fructum hauſerit ſpiritualem, nemo eſt, qui ignoret. Sanctus quoque Hilarion infideli erat prognatus thoro, aſt Alexandriam, ſtudiorum causâ ſecedens, jactis Chriſtianæ pietatis fundamentis, baptizatus fuit, ubi percrebeſcente S. Antonij M. fama, Sanctum hunc adiit, in ejusque degens conſortio, ſublimiſſimum erexit ſanctitatis ædificium.

Pet.Maff.l.2. c.13.

5. Infallibili divinâ permittente providentiâ, lis paſtores Abrahæ inter & Lothi exorta, diviſit utroſque; quo fine? ut nempe impij Pentapolis incolæ ex unius Loth ſocietate reſipiſcerent. *Ut diſcerent Sodomitæ virtutem Loth*, inquit S. Chryſoſtomus. Vel unicus Sichimitæ Principis filius, urbem populumque ſuum in ultimum conjecit exterminium. Unde Sanctus Chryſoſtomus ait: *Vidiſti quantam attulit perniciem omnibus civitatem habitantibus? vidiſti quantum malum operata ſit unius juvenis temeritas? Conſidera quomodo propter unius intemperantiam, univerſi civitatem habitantes pœnarum ſocij fiant.* Sic & unicus Loth ſuffeciſſet ad totam convertendam Pentapolim, ſi ſanctis hæc bonorum ejus exemplorum inſtituiſſet veſtigiis: imò & Angeli negarunt, eo præſente, ſe divinæ juſtitiæ poſſe vibrare flagellum, ecce vobis ſingulariſſimum ſanctæ ſocietatis emolumentum.

S. Chryſ. h. 33. in Gen. D.Chryſ.h. 59. in Gen.

6. Arcam conſcenſurus Noë, hoc à Deo præceptum accepit: *Ingredieris arcam tu & filij tui, uxor tua & uxores filiorum tuorum tecum.* Notate Ly *tecum*; ejus namque præſentia totam ſalvabat familiam; unde Chryſoſtomus ait: *In honorem juſti, conſuetudo enim miſericordiæ Dei eſt, honorem hunc dare ſervis ſuis, ut propter eos ſalventur & alij.* 276. navigabant cum Apoſtolo, omnes infallibiliter naufragaturi, niſi eos tam ſancti viri merita conſervaſſent: *Amiſſio nullius animæ erit ex vobis, aſtitit mihi hac nocte Angelus Dei, cujus ſum ego & cui deſervio, dicens: ne timeas Paule, ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.* Joſaphat Regi Juda, Joram Regi Iſrael & Regi Edom in deſerto cum ſuis exercitibus, penuria aquarum laborantibus cum vitæ periculo, Eliſæus de cœlo aquam, & glorioſam contra Moab impertiit victoriam; at ſolius Joſaphat, ut Propheta atteſtabatur; meritorum intuitu. Putipharem præſentia Joſephi quantumvis mancipij felicitavit: eamdem propter Jacob impius Laban ſortitus eſt fortunam. Econtra verò bonorum ſocietatis defectus omnia ſopit bona & multa conglomerat mala; ideoque dicebat David: *Salvum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus.* Ubi Chryſoſtomus ait: *Non dixit, quoniam non eſt, ſed quoniam deficit Sanctus.* Ingemiſcebat, quia viri ſancti exutus erat ſodalitio, ideoque ſupplicabat: *Salvum me fac.*

Gen.6.v.18. D.Chryſ.h. 44. in Gen. Act. 27. v.23. Pſ.11.v.2. D.Chryſ.

7. Cur S. Thomas in obſtinatæ adeo corruit barathrum incredulitatis? Ecce vobis rationem: *Thomas non erat cum eis, quando venit Jeſus.* Neque etiam dilectus hic Apoſtolus, poſtmodum divinitatis Chriſti lumine, & reſurrectionis ejus fide dotari meruit, niſi poſt reinchoatam cum cæteris Apoſtolis ſocietatem: *Iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis.* Siquidem Thomæ mentionem fecimus, illud pariter, quod Chriſtus, Juda ſe à cœnaculo & reliquis ſeparante, dixit, conſideremus: *Cum ergo exiſſet; dixit Jeſus; nunc clarificatus eſt filius hominis.* Ubi Hugo Cardinalis ait: *Clarificatur quis, quando macula aufertur ab eo; ideo ergo dixit, ſe clarificatum, quia Judas maculatus labe peccati, ab eo erat ſeparatus. Unde Auguſtinus: nunc clarificatus, quaſi abſente palea, jam triticum quodammodo eſt purgatum.* Hæc palea mihi in memoriam revocat parabolam zizaniorum, quæ prudens paterfamilias vetuit eradicari, licet admixta frumento, quia nimirum per hujus vicinitatem in bonam poterant converti ſementem. *Quod hodie eſt zizania*, inquit S. Chryſologus, *cras in triticum vertebatur.* Gloſſa ait: *Neceſſe eſt, ut mali permixti ſint bonis, quorum comparatione nitantur ad melius.* Arca feroces ſibique contrarias fovebat beſtias, alias dentibus alias unguibus, roſtris alias armatas; quædam vi naturæ, quædam vi uſus carnibus nutriebantur alienis, & nihilominus toto eo tempore, ſumma inter ipſas viguit unio & concordia. Verba Chroniſtæ ſacri (*Recordatus autem Dominus Noë, cunctorumque animantium, & omnium jumentorum*) ponderans S. Ambroſius ait: *Cur non animantia, quæ mitiora ſunt, poſt hominem nominavit, ſed ferociora? in quo videtur illa eſſe ratio, ut ea, quæ ferociora erant, utriuſque partis vicinitate manſueſcerent.* Feras in hominis & animalium manſuetorum medio collocavit, ut à vicinis manſuetudinem ediſcerent. Sicuti ergo omnis beſtiæ, quantumcumque crudelis, ferocia per humanum conſortium, ſaltem aliquatenus mitigatur; ita nullus non, quantumvis peſſimus, per piam ſanctamque converſationem, aliquo modo ad meliorem reducitur frugem.

Joan.20. v.24. Ibid.v.26. Joan.3.v.31. Hug.Card. Ibid. Matth.13. v.29. Chryſ ſerm. 96. Gloſſa. Gen.8. v.1. S.Ambr. de Noë & arca.c.16.

8. S. Chryſoſtomus de bonæ malæque ſocietatis qualitate & effectibus latè diſcurrens, tandem hanc ſubnectit quæſtionem: *Undenam exiſtimas eos, qui deſerta incoluerunt, admirabiles & claros evadere? nonne quod ſtrepitus & fora fugiant? nonne quod longè à fumo negotiorum, quæ ſunt in medio, ſe collocarint? eos ipſe quoque imitare, in media civitate ſolitudinem perſequens. Quomodo hoc autem erit? ſi fugias improbos, ſi bonos ſequaris; ita enim majorem percipies ſecuritatem, quam qui in deſertis habitant, non ſolum in iis fugiendis, quæ lædunt, ſed etiam in communicandis iis, qui proſunt; ſi enim malos quidem fugias, bonos autem ſequaris, utrimque & virtus augeſcet, & decreſcet vitium. Duplex affert lucrum*, inquit S. Bernardinus, *ſocietas bonorum; primum eſt cognitio malorum, ſecundùm cognitio bonorum; cognitio malorum ad evitandum, nam ubi plures virtuoſi ſimul congregati ſunt, habentes plures ſpirituales oculos, plura vident, perſpicacioreſque ſunt, atque amplius oculati ad evitandum mala; nam quod unus non cognoſcit alius intellexit, & cautius unus per alium incedere noſcit.* Virtuoſa utens ſocietate, diverſa ſibi poteſt promittere ſubſidia. *Juvatur*, inquit idem Sanctus, *à ſocijs contra inſurgentes tentationes, conſilijs & exhortationibus ſanctis.*

D.Chryſ in Pſ.4. S.Bern.ibi. art.1.c.1. Ibid.c.8.

9. Malorum econtra commercia bonis non poſſunt non eſſe nociva; ideoque humillimè ſupplica-

Pſal. 16. v. 8. bat David: *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me ut pupillam oculi.* Aſt in quo obſecro hujuſmodi conſiſtit ſimilitudo? pupilla oculi cæteris delicatior corporis partibus, ab unica palea, imo vel à minimo pulveris offuſcatur offenditurque atomo; ita & perverſorum ſocietas, vel per unicum geſtum, verbum, riſum, obtutum aut nutum nocet graviſſime. Zeloſus quidam, integræque vitæ adoleſcens, Chriſti ſequelæ cupidus, dum ante ſepelire vellet patrem, quàm ſequi Chriſtum, repulſam paſſus ſibi dici audiit: Matth. 8. v. 22. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Nonne juſtiſſimum eſt, filios exequias celebrare parentum? cur ergo Salvator id ei inhibuit? Reſpondet Paſchaſius: S. Paſch. l. 5. in Matth. *Non ut ab officio patris filium revocet, ſed ut à conſortio mortuorum eum ſecernat.*

10. Mutuo conſenſu ab invicem recedentibus Gen. 13. v. 11 Abrahami & Loth, huic delitioſus & amœnus, longè licet ſceleſtiſſimus, in habitationem obtigit Pentapoleos Gen. 14. v. 12. diſtrictus; aſt quo effectu? tandem captus ipſe, totaque ſuâ ſubſtantia exutus fuit; unde Chryſoſtomus ait: D. Chryſ. h. 35. in Gen. *Ecce, ut diviſus eſt à juſto, & putabat ſe in majore libertate vivere, & potiora ſe aſſecuturum & abundare, & repente factus eſt ſervus.* Non miror, alios in captivitatem abductos, ſed Loth innocentiſſimum, Deoque gratiſſimum. Audite Abulenſem; *Licet Loth juſtus eſſet, quia tamen inter impios habitabat, cum malis paſſus eſt; ideo Deus mandat bonis ut exeant de medio injuſtorum, ne puniantur cum eis. Sic dicitur:* Apocal. 18. v. 4. *Exite de illa popule meus, ne ſitis participes delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* Idem Loth, inſtante ſulphureæ pluviæ vindicta ſuper Sodomam, exire detrectabat; unde Angeli per vim, Gen. 19. v. 16. *diſſimulante illo, apprehenderunt manum ejus atque eduxere.* Ubi Gloſſa ait: Gloſſa. Interlin. *Hic datur nobis exemplum, quod, qui aliquo affectu carnali tenentur, malorum conſortium exire diſſimulant, crebra bonorum admonitione cogendi ſunt, ne mores bonos corrumpant exempla malorum.*

11. In Ægyptum profecti fratres Joſeph, ſæpe anguſtati, exploratores habiti, tandemque incarcerati fuere, profeſſi ultro: Gen. 42. v. 21. & 22. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum ... En ſanguis ejus exquiritur.* Aſt dum Ruben impigro conatu Joſephum invidis reliquorum fratrum manibus eximere laboravit; cur hic eidem cum reliquis pœnæ ſubjectus fuit? Reſpondet Lyranus & Abulenſis: Lyranus. Abulenſ. *Licet Ruben non peccaverit, quia laboravit eximere Joſeph de manibus fratrum, & tradere illum Patri ſuo; licet ergo in hoc non peccaverit, quia tamen erat in ſocietate omnium aliorum fratrum qui peccaverunt; punivit eum Joſeph, detinendo cum cæteris.* Quot equidem innocentes hodie, ob ſocietatem cum malis ad eadem condemnantur ſupplicia? Bene itaque conſulit Eccleſiaſticus, dum ſuaſit: Eccli. 7. v. 2. *Diſcede ab iniquo, & deficient mala.* Arabicus habet: *Ne commiſcearis iniquo, elongare ab eo.* Socij & amici mali ſcorpionem imitantur, qui quem Plin. l. 11. c. 25. veneno inficit, ſuis complectitur ſpiris, lactis inſtar, ut Plinius teſtatur, ſuum transfundens toxicum. Amici noſtro ſe accommodant genio & inclinationi, noſtris ſecundant appetitibus; aſt ſimul peſſimum nobis inſtillant vitiorum venenum: Prov. 1. v. 10. *Si te lactaverint peccatores* hujuſmodi inſtar ſcorpionum; *ne acquieſcas eis. Non communicando eis in vitijs*, inquit Dionyſius Carthuſianus; Dion. Cart. *& ab iniquo conſortio, ne per illos ſeducaris, & deficient mala abs te, id eſt, mala culpæ & pœnæ effugies.*

12. Vi cujus Sara Raguelis filia, conatus viresque deluſit & triumphavit infernales? vi cujus calumnias peſſundedit ſuæ oppoſitas innocentiæ? Audite: Tob. 3. v. 17. *Numquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.* Sigillum dictis apponat & concludat Hugo Cardinalis, dum Hug. Car. in c. 41. Eccli. v. 8. Senecam citat dicentem: *Sapiens videbit, ubi victurus ſit, & quibus, & quomodo.*

# TRACTATUS XVIII.

# DE CORRECTIONE FRATERNA

## CONTINET

## *DISCURSUS XVIII.*

DISCURSUS I. Correctio ſub præcepto tam divino quam naturali obligat omnes, maxime vero ſuperiores; Eſtque valde conveniens & neceſſaria, ideoque ſumma cum ſolicitudine & prudentia adhibenda.

II. Correctio neglecta fovet omne vitium & malum exemplum, prudenter autem adhibita multum fructum affert; eſt enim velut ferrum chirurgicum, quod feriendo medelam adfert, ubi etiam oſtenditur, quod in culpa aliena participet is, qui vitium, dum poteſt, non corrigit & emendat.

III. Conſiderantur ſupplicia & pœnæ, quæ illos manent, qui correctionem adhibere negligunt, maxime ſuperiores, qui proinde depoſito omni timore & reſpectu humano nihil curare debent, ſi ob factas correctiones perſecutiones & odia aliorum ſibi conciliare, ſed in hoc ſolum conniti, ut Deo obedientes ſalutem animarum procurent.

IV. Perditæ ſalutis homines ſunt, qui correctiones aſpernantur & rident, corrigentem vero calumniantur, & indigne tractant; ubi etiam pœnæ conſiderantur, quas exinde communiter reportant.

V. De differentia, quæ eſt inter juſtos & impios in recipiendis correctionibus, & fructu ex iis ferendo; ubi & de virtute juſtorum agitur, qua ex correctione ſe emendare fructumque referre ſatagunt.

VI. Cavendum eſt correcto ne ex correctione nimium ſevera turbetur, ſiquidem illa ad majus illius bonum ordinatur, ſuamque in charitate radicem habet.

VII. Correctio proximi ex motivo charitatis procedere debet, ideo enim correctio fraterna nominatur; idque ex quibuſdam Chriſti exemplis liquido oſtenditur.

VIII. Corrigens propriam ſuam conſiderare debet fragilitatem, & ut delinquentium benevolentiam ſibi conciliare valeat, illorum errores quantum poteſt excuſet, lachrymas potius quam verba corrigendo fundat, ſeque ex Chriſtiana compaſſione, non vero ex paſſione iracundiæ procedere probet.

IX. Correctio cum diſcretione & dexteritate inſtituenda eſt, diſtinguendo inter perſonas corrigendas, confuſionem illarum quoad fieri poteſt præcavendo, invehendo ſolum contra vitium, & ſi quid boni in corrigendo reperiatur, illud prius laudando, quam adhibeatur correctio.

X. De ſumma cura & diligentia ad correctionem requiſita, utpote quæ ad conſulendum verecundiæ corrigendi bonamque illius famam conſervandam in ſecreto fieri debet.

XI. Is qui incorrigibilis eſt, cujusque peccatum non ſolum illi, ſed & Reipublicæ eſt pernitioſum, publicè eſt reprehendendus, & apud ſuperiores accuſandus; ubi etiam oſtenditur, quod ſuperiores ſubditorum correctioni ſubjiciantur, qui tamen ſumma cum humilitate & reverentia cum illis procedere debent.

XII. De manſuetudine, qua cum correctio temperanda eſt, quod ipſiusmet Dei & nonnullorum Sanctorum exemplo oſtenditur.

XIII. In correctione affabilitas cum ſeveritate conjungenda eſt, ut una ab altera numquam ſeparetur; præſtat tamen, ut manſuetudo ſeveritati ſemper præponderet.

XIV. De lucro ſpirituali, quod per viam correctionis obtinetur, licet nonnumquam infructuoſa ſit, ubi etiam modus præſcribitur lucrandi eum, quem in communi, non vero particulari corrigere & reprehendere nitimur.

XV. Ad hoc ut corrector corrigendum non exaſperet, diligenter obſervanda eſt temporis opportunitas; acceleranda tamen eſt, ne occaſio prætereat.

XVI. Irreprehenſibilis in ſe, ſummaque innocentia præditus eſſe debet, qui alios corrigendi & reprehendendi munus utiliter vult exercere.

XVII. Qui



XVII. Qui in iiſdem defectibus, qui corrigendi ſunt, eſt reprehenſibilis, munus alios reprehendendi & corrigendi ſibi arrogare nequaquam debet.

XVIII. Multi adducuntur caſus, in quibus videtur, quando quis ad faciendam correctionem obligetur, vel non obligetur.

## *DISCURSUS I.*

## ARGUMENTUM.

Correctio ſub præcepto tam divino quàm naturali obligat omnes, maxime vero ſuperiores; Eſtque valde conveniens & neceſſaria, ideoque omni cum ſolicitudino & prudentia eſt facienda.

## THEMA.

*Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Matth. 18. ℣. 5.

1. CORrectio fraterna adeo eſt totius Reipublicæ bono promovendo utilis & neceſſaria, ut incarnatæ ſapientiæ minime videatur ſufficere, ſi illam tantum ſuadeat & conſulat, niſi etiam eamdem præcepto quodam particulari imperet. Unde Doctor Angelicus in quodam ſummæ ſuæ articulo quærens: S. Thom. 2. 2. Q. 33. A. 2. *Utrum correctio fraterna ſit in præcepto?* hanc ſtatuit concluſionem: *Cum fraterna correctio ad fratris emendationem ordinetur, tunc & eo caſu eſt in præcepto.* Ibid. Art. 3. Et Articulo ſequenti correctionem, quæ eſt actus charitatis, & ad proximi emendationem ordinatur, diſtinguit ab illa, quæ eſt actus juſtitiæ, & ad bonum publicum directa; dicitque primam, quæ ſalutari quadam admonitione mediante inſtituitur, ſpectare ad quemlibet hominem charitate præditum, ſive is privatus ſit, ſive ſuperior; aliam vero illis ſolum competere dicit, qui alios gubernant; ad hos enim pertinet non ſolum reprehendere & corrigere, verum etiam, quando opus eſt caſtigare delinquentes. In Artic. IV. autem idem S. Ibid. Art. 4. Doctor inquit: *Correctio, quæ eſt actus juſtitiæ, per correctionem pœnæ, non competit ſubditis reſpectu Prælati; ſed correctio fraterna, quæ eſt actus Charitatis pertinet ad unumquemque reſpectu cujuſlibet perſonæ, ad quam charitatem debet habere, ſi in eo aliquid corrigibile inveniatur.* Seraphicus Doctor ſimiliter correctionem non S. Bonav. T. 7. in ſpeculo Animæ, c. 13. conſilij, ſed præcepti eſſe dicit: *Correctio proximi eſt omnibus in præcepto:* quod tamen tunc vel maxime verum eſſe inquit, ſi fructus exinde ſperetur; *Cum tamen ſcitur vel creditur quod correctio peccatum impediat, quod alias fieret;* ac demum præceptum iſtud Prælatos ſpecialiſſime adſtringere declarat, utpote ad quos munus corrigendi ex officio pertinet. Quod vero correctio hoc non obſtante omnes univerſim obliget, ex authoritate S. Auguſtini *ſerm. de Verbo Domini*, probat, in qua dicitur: *Si negligit corrigere, pejor factus eſt eo, qui peccavit.*

2. Porro S. Iſidorus Eccleſiaſticos & Sacerdotes ſpecialiſſime huic miniſterio in praxi adſtrictos eſſe agnoſcit; Et quidem miniſterium hoc illis maximè proprium eſſe ipſa nos experientia docet, unde ait Sanctus: S. Iſid. l. 3. ſent. c. 46. *Sacerdotes ſtudio corrigendi facta perſcrutari debent ſubjectorum, ut emendatos lucrifacere poſſint.* Unde S. Paulus Titum diſcipulum ſuum de virtutibus, quibus conſpicuus eſſe debet Epiſcopus, inſtruere volens, inter cæteras ab eo hoc unice expoſcit, ut irreprehenſibilem ſe in omnibus præbeat, Tit. 1. v. 9. *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Porro Lev. 21. v. 6. quoad Sacerdotes Deus præcepit dicens: *Sancti erunt coram Deo, & non polluent nomen ejus:* Circa quæ verba Galfridus apud Titelmannum ait: Galfrid. apud Titelman. *Hoc de Sacerdotibus in lege mandatur, ut videlicet ſancti ſint coram Deo, & coram hominibus, non polluendo nomen ejus: ſancti opere & virtute, nec opinione polluent nomen Sanctitatis;* redditque hujus tam eminentis perfectionis, quam à Sacerdotibus requirebat rationem, dicens: *Ut ſancti ſint coram Deo, culpam coram hominibus arguendo declinantes, & etiam notam culpæ.* S. quoque Gregorius Abbatem Monaſterij Lirinenſis monet, ut ſolicite illos cuſtodiat, qui cuivis ſive gulæ, ſive ſuperbiæ, ſive cupiditatis, ſive loquacitatis, aut impuritatis eſſent contagio obnoxij; S. Gregor. l. 9. Indict. 4. Ep. 4. *ut tanto tibi major de commiſſa gubernatione merces accreſcat, quanto ſubjecti tui contra adverſarij nequitias te fuerint vigilante victores.*

3. Verum enimvero ſi documenta, quæ ſacri Doctores nobis in hac materia poſt ſe reliquerunt, attendamus, menteque præſentanea perſcrutemur, correctionis præceptum non ſolum Sacerdotibus & Prælatis, verum & perſonis privatis impoſitum eſſe deprehendemus; Et quidem præceptum divinum pariter & naturale; Divinum quidem quia in pluribus Sacræ Scripturæ locis, & ab ipſomet Chriſto Domino in Evangelio apertè nobis præcipitur: Naturale verò propter Regulam à S. Paulo inſinuatam, dum ait: 1. Cor. 12. v. 26. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra;* Quando enim proximum noſtrum non tam ad mortem corporalem, quam ſpiritualem languentem conſpicimus, ut ei ſublevando auxilium præbeamus, jus & æquitas à nobis omnino expoſcit; Epheſ. 4. v. 4. *Unum corpus & unus ſpiritus ſumus. Quoniam ſumus invicem membra.* Nam ut D. Chryſoſtomus notat: D. Chryſ. Hom. 13 in 1. ad Cor. *In corpore tametſi pes vulnus accipiat, humi declinamus, caput inclinantes. Caput inclinatur, quando pes infirmatur, ita dum unum membrum, id eſt, proximus labitur, ab alio membrorum corripiatur.*

4. Salvator noſter dilectionem reciprocam *per antonomaſiam* præceptum ſuum appellavit: Ioan. 13. v. 34. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem;* At verò ubinam hæc erga fratrem dilectio magis eluceſcit, quam in eo, quod ſaluti animæ ejus cooperemur, eumque à præcipitiis, ſi quæ inciderit, ſublevemus? Quis enim adeo rudis eſt, ut neſciat, quod correctio (ut ſuo loco videbimus) effectus & partus ſit charitatis? Sic enim Apoſtolus, dum in Epiſtola ſecunda ad Corinthios capite 2. impios illos, adverſum quos ſcribit, calamo ſuo ad emendationem & correctionem ipſorum perſtringit, ſimul etiam ex quanam radice zelus iſte derivetur, his verbis declarat: 2. Cor. 2. v. 4. *Ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Circa quæ verba interpres quidam ita ſcribit: Eſtius. *Eſt autem veræ & magnæ charitatis argumentum, ſi quis eorum, quos curare debet, peccata non diſſimulet, ſed apertè & oportunè corrigat, etiam adhibita, ſi opus ſit, duriori increpatione, quamvis noverit eos inde contriſtandos.*

5. Divus Chryſoſtomus in Homilia quadam, cui titulus eſt: De doctrina & correptione, diſcurſum ſuum ad eos, qui ſe ab hoc debito exonerare contendunt, dirigens, ita ſcribit: *Et ne mihi aliquis dicat:* D. Chryſoſt. T. 6. Hom. 6. *Nihil mihi cum fratre commercij eſt; Cum ſolo diabolo nihil commercij habemus, cum hominibus verò multa habemus communia, nam ejuſdem nobiſcum naturæ ſunt, eamdem terram incolunt, ijſdem alimentis nutriuntur, eumdem habent Dominum, eaſdem leges acceperant.* Unde fit, inquit, quod dum per forum, aut alibi ambulantes, duos inter ſe in pugnam venire conſpicimus, ad eos ab invicem ſequeſtrandos toto animi conatu moliamur: *Sed quid dico pugnam? ſi vel aſinum lapſum conſpiciamus, cuncti manum porrigimus, eumque elevare contendimus, fratrum verò pereuntium nullam rationem habere, quomodo id nefarium non eſt? Noli igitur deſiſtere, fratrem tuum, quem ad exitum ruere cernis, cohortari.* Idem quoque in eadem Homilia Deum olim populo ſuo præcepiſſe conſiderat, ne aſinum inimicorum à via aberrantem negligat, aut in terram collapſum erigere omittat, indeque ſequentem deducit conſequentiam: Idem ibid. *Ergone Judæis quidem præcipitur, ne inimicorum ſuorum jumenta negligant, nos verò fratrum noſtrorum animas quotidie ſupplantatas deſpiciemus? Et quomodo non extremæ crudelitatis & feritatis fuerit, ne tantam quidem curam nos impendere hominibus, quantam illi beſtijs?*

6. Nemo profectò eſt, qui Eleëmoſynæ in ſubſidium extremè indigentis proximi factam erogationem de *jure naturæ* eſſe dubitet, quod idem de correctione fraterna proximi noſtri dicere licet; Quis enim correctionem veram quamdam ſpiritualem Eleëmoſynam eſſe ignorat. Audiatur Sanctus Thomas de Villanova, qui in Sermone quodam de Sancto Martino hac de re ita ſcribit: S. Th. à Vill. ſerm. de S. Mart. *Nolo tamen putes Eleëmoſynam ſola pecunia, & exterioribus munuſculis æſtimari, quid enim eſt Eleemoſyna niſi ſubventio pauperis propter Deum? Anima plus eſt quam corpus, & animæ neceſſitas, quam corporis major eſt; Et ubi major indigentia, ibi potior Eleëmoſyna, Si ſubvenire corpori morituro Eleëmoſyna judicatur, quanto potius animo in æternum victuro, ne pereat?* Eleemoſyna in caſu extremæ neceſſitatis, in qua proximus de vita periclitatur propter penuriam, ſub peccato mortali unicuique præcipitur: *Si non paviſti, occidiſti.* Quis igitur Eleëmoſynam & ſubſidium ſpirituale pro ſalute æterna animæ neceſſarium urgentius prævalere negare audebit? Sanctus Gregorius illa Jobi verba: Job 30. v. 25. *Flebam ſuper eo, qui*

*aſſlictus*

*aſſlictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi*, ponderans, actum hunc quamdam Eleëmoſynæ ſpeciem eſſe dicit, quæ cum ex corde, non verò ex marſupio erogetur, Deoque longe acceptior ſit corporali; facilius erogari valet illa: *O, vir Sanctus*, inquit, *apud Omnipotentem Deum, aliquando majus datum noverat mentis eſſe, quam muneris, exteriora enim largiens, rem extra ſemetipſum præbuit, qui autem fletum & compaſſionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de ſemetipſo dedit.* Eodem prorſus modo myſticam hanc & ſpiritualem Eleëmoſynam, qua animæ ſaluti ſuccurritur nobiliorem, Deoque acceptiorem dicere poſſumus, quam ſit illa, qua corpori proximi ſubvenitur; à qua proinde, ubi opus fuerit, eroganda nemo ſe credere debet eſſe exemptum: Etenim, *Non poſſunt pauperes*, inquit Villanovanus, *Eleëmoſynas largiri corporales, quod bono Eleëmoſynæ privati ſint, poſſunt tamen & ipſi, ſi volunt, pretioſas & præclaras coram Deo Eleëmoſynas facere, opera enim miſericordiæ ſpiritualia coram Deo potiora ſunt.* Enimverò quot videmus quotidie Religioſos voto paupertatis obnoxios, qui in hanc ſe ſpiritualem Eleëmoſynam erogandam ingerunt, cum fructu eorum qui inde emendantur, cumque tanto ipſorum merito, qui illos in viam rectam perducunt? Sanctus Archiepiſcopus præfatus ſuo ſæculo myſticæ hujus Eleëmoſynæ raritatem deplorabat, dicens: Sed heu animarum nulla cura, nulla memoria eſt. *Si cæcum videremus in foveam irruentem, prohiberemus eum, invitumque etiam & renitentem à præcipitio removeremus; quotidie animarum præcipitia videmus, & nemo eſt qui moneat, nemo eſt qui timeat; Sic fratres perturbare timemus, ut perire potius permittamus.* Divus Chryſoſtomus in eadem Homilia conſiderat, quod dum ignis vicini noſtri domum corripere cœpit, confeſtim ad extinguendum omni cum ſolicitudine accurramus, tametſi etiam incola domus infeſtiſſimus hoſtis noſter ſit, quia ne incendium ſeſe magis dilatet, noſtraque domus pariter ex eodem incendio devaſtetur, formidamus: *Idem ergo tuis quoque fratribus miſerè à dæmonio exagitatis facito; rogus enim quidam eſt & immane incendium dæmonum vis.*

S.Th. à Villanova. ibid.

Idem ibid.

D.Chryſ. Hom. cit.

7. Verumtamen obligatio iſthæc Superiores arctius ligat, qui ſi in ea adimplenda deficiant, irreparabilium damnorum cauſa exiſtunt. *Qui abſcondit frumenta*, inquit Sapiens, *maledicetur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium*; quæ quidem verba quoad ſenſum literalem expoſitione non indigent; quoad ſenſum verò ſpiritualem Sanctus Gregorius eadem hunc in modum exponit: Frumenta abſcondere eſt prædicationis ſanctæ apud ſe verba retinere, in populis autem talis quiſque maledicetur, quia in ſolius culpa ſilentij, pro multorum, quos corrigere poterat, pœna damnabitur. Sanctus Bernardinus Prælatus illos acriter reprehendit, qui ſe huic debito in abſentia ſua per miniſtros ſuos ſatisfacere poſſe exiſtimant, quo ſine illam Sancti Eliſei adducit hiſtoriam, qui cum Giezi diſcipulum ſuum ad puerum mortuum ad vitam revocandum, cum baculo ſuo ablegaſſet, nec quidquam effeciſſet, in propria perſona ad eumdem mortuum accedere coactus fuit; *Nec legitur inſuper*, inquit, *Dominus niſi præſens aliquem ſuſcitaſſe.* Quod idem argumentum à B. Petro Damiano his verbis tangitur: *Sunamitis nempe filium, puer ab Eliſeo miſſus cum baculo non reſuſcitavit, per ſemetipſum verò Eliſeus veniens, ſeque ſuper mortuum ſternens, atque ad ejus membra ſe colligens, huc illucque deambulans, & in ore mortui ſepties aſpirans, hunc ad redivivam lucem protinus per myſterium compaſſionis animavit.*

Prov. 11. v. 26.

S.Greg. poſt p. 3. admonit. 26.

S.Bern. t. 2. ſerm. 28. a. 2. c. 3.

4. Reg. 4. v. 1.

B. Petr. Damian. opuſc. 12. c. 28.

8. S. Bernardinus de Prælato, qui mala eradicare ſemina ab agro ſuo non contendit, ita ſcribit: *Qui vitijs nutriendis parcit, & favet ne contriſtet peccantium voluntatem, tam non eſt miſericors, quam qui non vult cultellum rapere puero, ne audiat illum plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum.* Quod idem exemplo patris erga filium nimis benigni, & ideo ipſum corrigere negligentis, quod omnibus aliis adaptari poteſt, his verbis declarat: *Magna dementia patris, quando quadam falſa clementia filium delinquentem non corripit, minoremque pietatis affectum habere videtur erga filium, quam erga jumentum; nam ſi perſpexerit jumentum ſuum in puteum lapſum, ſtatim occurrit, coadjutores vocat, clamoribus inſtat, ſtimulis pungit, injectis funibus trahit, nec ab inceptis funes vel ſomnus retrahit, donec jumentum ſuum à puteo extraxerit. Hic idem vidit filium ſuum lapſum in profundiſſimum puteum peccatorum, nec tamen illum ullis adminiculis inde extrahere nititur.* Quod idem de quovis amico intimè nobis conjuncto, & de quovis alio homine in gravis alicujus culpæ lutoſam foveam collapſo, dicere poſſumus, licet enim illum inde per ſalutarem admonitionem noſtram eripere facili negotio valeamus, id tamen vel ex timore quodam, vel ex reſpectu aliquo humano, vel etiam ex negligentia noſtra facere negligimus. Idem quoque Sanctus Pater in Articulo tertio ejuſdem ſermonis capite primo hanc ſtatuit concluſionem: *Vade & corripe; præcipitur indiſtinctè, tam peccatori, quam etiam juſto; Unde peccatum non abſolvit hominem ab obſervatione præcepti, quia delinquens non debet eſſe melioris conditionis, quam non delinquens;* Ubi etiam rationem aſſignat, cur etiam peccator ad correctionem fraternam aliorum obligetur, dicit enim: *Correptio delinquentis pertinet ad aliquem, in quantum regnat in eo rectum judicium rationis: Peccatum autem non tollit totum bonum naturæ, quin in poteſtate maneat aliquod de recto judicio rationis humanæ, & ſecundùm hoc poteſt ſibi competere corrigere delinquentem.* Quia verò adverſus hanc doctrinam objici poſſet ſequens argumentum: Corrigere effectus quidam eſt charitatis, ſed in eo, qui eſt in ſtatu peccati mortalis, hic ignis charitatis & amoris Dei extinctus eſt, ergo ad illum non pertinet præceptum correctionis fraternæ; Ideo reſpondet, dicens: *Licet in peccatore non ſit charitatis amor reſpectu peccantis fratris, eſt tamen in eo amor naturalis, vel amicitiæ, quo quidem moveri poteſt, ut corrigendo ſubveniat illi, & ſic propter peccatum à correptione non excuſatur.*

S.Bern. Ibid.

S.Bernard. ubi ſupra A. 3. c. 1.

9. Dionyſius Carthuſianus opportunè ponderat, quod Chriſtus, dum in procinctu eſſet aſcendendi in cœlum, collegium Apoſtolicum reprehenderit: *Exprobravit incredulitatem eorum:* cum tamen poſt reſurrectionem ſuam idipſum faciendi per quadraginta dies tempus ſufficiens habuerit, quia erat *per quadraginta dies apparens eis.* Unde infert Extaticus hic Doctor Carthuſianus: *Ex Evangelio iſto inſtruimur, quam magnum beneficium ſit juſta correptio delinquentium, & gratanter ipſa ſit ſuſcipienda; Ecce enim Unigenitus Filius Dei, ſummus Magiſter, ardentiſſimus Amator, eo die quo à ſuis chariſſimus fuit receſſurus diſcipulis, eos redarguit.* Ex quo Chriſti Salvatoris noſtri exemplo diſcant Patresfamilias, Superiores, & Prælati, ut nonnumquam in extrema hora abitus ſui, ſalutarem quamdam ſuis, & ſi opus eſt, etiam acerbam proponant admonitionem, uti tanto illa tenacius eis imprimatur, vel etiam ad oſtendendam ſuam de illis ſolicitudinem; Ita enim Salvator cum diſcipulis ſuis facere voluiſſe videtur, ut illos doceret, quanta cum ſolicitudine exolvendum ſit debitum paternæ aut fraternæ correctionis, quam Apoſtolis, de quibus Eccleſia canit: *Vos ſæculorum judices, Eccleſiarum Principes*, ſpecialiſſimè commendatam eſſe voluit. Hoc eodem Chriſti exemplo Sanctus Bernardus animos eorum indulcorare nonnihil voluit, qui propter factam ipſorum reprehenſionem aliquantulum fuerunt exacerbati; Unde ait: *Audi Chriſtum diſcipulos increpantem, nec quandocumque, ſed ea hora, qua eis corporalem præſentiam ſubtracturus videri poterat, magis ab increpatione parcere debuiſſe. Noli ergo indignari de cætero, ſi te quoque aliquando Chriſti Vicarius increpaverit, id enim exhibet, quod aſcenſurus ab eis in cælum ſuis Chriſtus legitur exhibuiſſe diſcipulis.*

Dion. Cart. ſerm. 2. de Aſcenſ.

Marc. 16. v. 14.

Act. 1. v. 3.

S.Bern. ſerm. 5. de Aſcenſ.

10. Richardus à Sancto Laurentio obſervat, quod Beata Virgo Filio ſuo in templo poſt triduanam ejus amiſſionem reinvento dixerit: *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te, quid feciſti nobis ſic?* Et ſubdit: In hoc verbo inſtruimur delinquentes filios corripere, cum ipſa corripuerit etiam non delinquentem. Enimverò homines perfectiſſimi & zelo ardentiſſimo flagrantes in hoc adimplendo debito ſupra omnem modum ſunt oculati. Sic enim in Vita Sancti Caroli Borromæi refertur, quod cum quidam Provinciæ ſuæ Epiſcopus, vir magnæ authoritatis, valdeque opulentus, & à Sancta Sede Apoſtolica ad ardua miniſteria, curaſque adhibitus, aliquam à Reformatione à Sancto Archiepiſcopo introducta, & in Conciliis Diœceſanis & Provincialibus ſtipulata & confirmata haberet repugnantiam, ideoque perſonalem ſuam in Epiſcopatu reſidentiam non tanti faceret, dicere ſit ſolitus: Parum ſibi in Diœceſi ſua eſſe negotiorum, quæ non æquè commodè per Vicarium ſuum fieri poſſent, mox ut fama hæc in Sancti Caroli devenit notitiam, Prælatum quemdam domeſticum cum literis credentialibus ad eum miſerit, licet ſexaginta circiter milliaribus Mediolano diſtantem, eique omnes functiones & obligationes paſtorales ad vivum expoſuerit, ut quanta ſibi cura & labore ad ſatisfaciendum illis opus eſſet, ſignificaret. Similiter in alio quodam ejuſdem vitæ capite Giuſſanus, qui vitæ ejus hiſtoriam conſcripſit, refert, ſanctum Carolum duos in familia ſua deputaſſe, qui titulos & officium obirent Correctorum, eiſque præcepiſſe, ut ipſum omni cum libertate & ingenuitate Chriſtiana de ſuis & familiæ erroribus aut defectibus admonerent; idemque in Concilio ſexto Provinciali cuilibet Provinciæ ſuæ Epiſcopo exequendum præſcripſiſſe, eo quod per experientiam, illud ad emendandos defectus, magniſque greſſibus in perfectione & ſanctitate progrediendum, efficaciſſimum medium eſſe didiciſſet. In eodem quoque Concilio dum Prædicatores de materiis populo ſumma cum induſtria inculcandis inſtrueret, de correctione fraterna ita loquitur: *Correctionis fraternæ quæ ad Eleëmoſynæ ſpiritualis ſpeciem refertur, neceſſitatem demonſtrabit, corrigendi fraternè modum docebit, præcepta atque inſtituta utiliter prudenterque tradet.*

Rich. à S. Laur. l. 4. de laud. virgin.

Giuſſan. in vit. S. Caroli l. 1. c. 18.

l. 2. c. 15. ibi.

Act. Eccl. Mediolan. p. 4.



11. Sanctus Hieronymus ſuper illa S. Ezechielis verba: Speculatorem dedi te domus Iſraël, ita ſcribit: *Speculator Eccleſiæ, vel Epiſcopus, vel Presbyter electus, ut annuntiet populo, & corrigat delinquentem; Unde magnopere formidandam eſt, ne ad hoc officium accedamus indignè.* Sicut enim ſi is qui in arce aliqua hoſtibus undique expoſita vigilias agit, in vigiliæ ſuæ ſtatione dormit, vel negligens exiſtit, magno integram Rempublicam damno afficit: ita quoque Epiſcopus vel Prælatus, qui ſubditorum ſcandala &c. corrigere aut reprehendere negligit, magnorum eſt malorum cauſa. Unde quod S. Petrus Damianus de Religioſorum congregationibus ſcribit, de omnibus pariter communitatibus & Rebuſpublicis dicere poſſumus: *Si de ſacro Conventu correptionum cenſura ſubtrahitur, diſciplinæ rigor funditus enervatur, & Religio tota deſtruitur.*

S.Hieron. in cap. 33. Ezech.

B. Petr. Dam. l. 6. c. 18.

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Correctio neglecta fovet omne vitium & malum exemplum, prudenter autem adhibita multum fructum adfert. Eſt enim velut ferrum chirurgicum, quod feriendo medelam confert; ubi etiam oſtenditur, quod in culpa aliena participet, qui vitium, dum poteſt, non corrigit & emendat.

### THEMA.

*Propter iniquitatem corripuiſti hominem*, Pſalm. 38. ℣. 12.

1. QUo fine illa omnis erroris neſcia cœli Providèntia correctionem fraternam divino ſimul & naturali præcepto nobis impoſuerit, Pſalmiſta declarat, dum ait: *Propter iniquitatem corripuiſti hominem*; quaſi dicat: Correctio fraterna eſt velut gladius quidam acutus, qui iniquitatem velut herbam noxiam reſecat. S.Bernardinus ad verbi *corripere* etymologiam ſe reflectens dicit: *Si vim hujus termini Corripere voluerimus ponderare, nihil aliud indicare videtur, niſi cor peccatoris à malo ad bonum ſubito rapiendo mutare*; Rapere enim idem eſt, quod rem aliquam per violentiam quamdam ſubitaneam tollere vel removere; Sic exempli cauſa, dum carbo aliquis ignitus in noſtram vel proximi noſtri veſtem cadit, illam ſubito & ſine ulla mora inde rapimus aut dimovemus, ne combuſtionis periculum ſubeat. *Per correctionem enim*, inquit idem S.Pater, *cito cor fratris à malo ad bonum transfertur, cum ei turpitudo ſuæ culpæ, & pulchritudo divinæ gratiæ dulciter demonſtratur, quod in fraterna correctione evenire contingit.*

S.Bernard. t. 1, ſerm. 28.

2. Idem porro quod David de ſuo ſæculo ſcribit, nimirum quod Deus de cœlo in terram proſpexerit, ut videret, ſi quis ad eum cognoſcendum oculos ſuos aperiret, de omni hominum ætate dici poteſt: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum*; Omnes declinaverunt, unde & Oſeas ait: *Maledictum & mendacium ... Et furtum, & adulterium inundaverunt.* Ac proinde væ vobis, niſi Deus huic peccatorum inundationi ſolidum oppoſuiſſet aggerem, id eſt, reprehenſionem & correctionem. Idem S. Bernardinus ibidem ait: *Fraterna correctio ſic definiri ſolet: Eſt admonitio fratris de emendatione peccatorum ex charitate fraterna procedens.* De hac autem charitate veridicus Spiritus Sancti calamus ſcribit: *Charitas operit multitudinem peccatorum*; Quando enim proximus ex charitate corripitur, innumeri vitiorum exceſſus & peccata ſuccinduntur. Unde S.Ambroſius propoſita Pſalmi verba ita legit: *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus; ſuper iniquitatem erudiiſti hominem*; Et ſubdit: *Tabeſcit anima, quando peccatum minuitur; Vel cum anima tabeſcit, culpa deponitur.*

Pſalm. 13. v. 2.

Oſe. 4. v. 2.

S.Bern. ibid.

1. Petri 4. v. 8.

S.Ambr. in Pſal. 38. v. 12.

3. B.Humbertus virgam Moyſis, quæ in terram projecta, in ſerpentem converſa fuit conſiderans, dicit: Per virgam, ut omnibus notum eſt, reprehenſio vel correctio præfiguratur, quæ dum à ſuperioribus in terram abjicitur, id eſt, contemnitur & negligitur, inde ſubito multi vitiorum & ſcandalorum venenoſi ſerpentes naſcuntur: *Nam ubi deeſt correctio, abundat peccati corruptio; unde qui odit correctionem, amare videtur corruptionem, propter quod qui hic non corrigitur, in futuro damnabitur.* Et quidem quia ſerpentis mentionem facere cœpimus, in memoriam opportunè incidit, quod in principio mundi conditi communis rerum omnium Creator ſerpenti dixit: *Ipſa conteret caput tuum.* Per hanc autem mulierem, de qua ibi ſermo eſt, Hugo de S. Victore correctionem denotari exiſtimat, unde dicit: *Caput ſerpentis conteritur, quando peccatum ibi corrigitur, ubi naſcitur.* Et hinc eſt, quod quia ſerpens ille aſtutus correctionem martellum eſſe novit, quo caput ipſius ut plurimum conteritur, & in nihilum redigitur, ipſe, quoad poteſt, illum omni ſtudio per interjecta obſtacula impedire, & è medio tollere conatur.

Humbert.

Gen. 3. v. 15.

Hugo de S. Vict. in Reg. S.Aug. c. 9.

4. Quod ut magis perſpicuum fiat, memorandum eſt, quod ut in primo Regum libro legitur, Philiſtæi omni ſtudio in hoc allaborarint, ne in tota Palæſtina ullus faber ferrarius inveniretur, quod utique ab illis non ſine myſterio factum fuit, ſiquidem *Omnia in figura contingebant illis.* Myſterium verò iſtud nobis S. Petrus Damianus patefacit ſequentibus verbis: *Philiſtai de terra Iſraël fabros ferrarios tollunt, cum maligni ſpiritus falſæ pietatis obtentu, zelum correptionis de fratrum labiis auferunt.* Sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat, ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimit, & quaſi cudendo rigidæ mentis duritiem frangit. Sicut enim ærugo, quæ ferrum deſtruit & conſumit per limas tollitur: ita quoque ærugo vitiorum & peccatorum, quæ deſtruit & contaminat animam, abigitur per correctionem. Unde idem S. Pater alibi ad hujus auſteritatis limam libenter admittendam ſuos exhortans ait: *Correptiones autem quaſlibet duras, ſive multiplices noli abhorrere, ſed libenter complectere; Sicut enim aurum vel argentum ad claritatis ſpeciem lima poliente perducitur, ita & anima noſtra correptionibus eraſa à peccatorum ſuorum, velut à rubiginoſo quodam ſqualore purgatur.*

1. Reg. 23. v. 22.

S.Pet. Dam. l. 6. epiſt. 18.

S. Pet. Dam. l. 6. epiſt. 26.

5. S. Antonius de Padua de hac materia diſſerens cicadæ adducit ſimilitudinem ſive exemplum: Hæc enim, inquit, *uncta oleo moritur, ſed aſperſa aceto perviviſcit: Sic peccator, qui non vult eſſe niſi in æſtate præſentis gloriæ, linitus oleo adulationis moritur per culpam.* Quia uti quotidie experimur, hi qui de culpis & defectibus ſuis reprehendi & corripi nolunt, in quemvis exceſſum allidunt, imo præcipites ruunt: *Sed aſperſus pungitivo aceto increpationis & correctionis reviviſcit.*

S.Anton. de Pad. ſerm. in Fer. 3. poſt Dom. 3. Quadr.

6. Enimvero quando in aliqua familia vel communitate correctio locum non habet, mala exempla facili negotio ad alios tranſmittuntur: De quo nullum eſt periculum, quando circa delinquentes correctionis virga adhibetur, nam ut S. Gregorius ait: *Dum unus corripitur, plurimi emendantur, & melius eſt, ut pro multorum ſalvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur.* Unde D. Chryſoſtomus S. Paulum in Epiſt. ad Corinth, de fornicario lamentantem obſervans dicit: *Unus erat apud Corinthios fornicatus, & tamen tantum gemebat Paulus, tamquam de tota perdita civitate*; idque eam præcipuè ob cauſam, quia videlicet ne contagium hoc latius ſerpendo diffunderetur, anxiè metuebat. Unde idem S. Doctor ſubdit: *Et multam congruè, ſciebat enim, quod illo non correcto, vitium procedens & alios omnes invaderet.*

S.Greg. l. 12. Regiſt. Indict. 7. c. 31.

D. Chryſ. Hom. 13. ad pop.

7. Etenim quiſnam omne malum quod hactenus in genere

in genere humano inundavit, ſuam à neglectu correctionis originem habere credat? Et tamen profectò ita ſe res habet. Quia enim Adam conjugem ſuam contra prohibitionem divinam manum ſuam ad pomum vetitum decerpendum, fauceſque ad illud comedendum aperientem videns, eamdem nec reprehendit, nec coërcuit; & quia eamdem poſt manducationem pomi ad ſeriam pœnitentiam non induxit, neque invidi ſerpentis deceptionem, offenſæque Dei gravitatem ei ob oculos non poſuit, hic tam utilis officij neglectus, eidem Adamo cauſa fuit, ut & ipſe tanto majori cum facilitate in idem præcipitium corrueret. Nam ut Cajetanus ait: *In hoc inſinuatur facilior aditus mulieri datus ad perſuadendum viro, qui præſens neglexit illam cohibere.* Si enim Adamus Evam increpaſſet, eique aſperæ cujuſdam correctionis virgam adhibuiſſet, illa utique ipſum ad eamdem tranſgreſſionem inducere minimè præſumpſiſſet.

Cajet. in cap. 3. Gen.

Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 8.

8. Merito igitur Clemens Alexandrinus correctionem Chirurgiam ſpiritualem appellat, dicens: *Eſt reprehenſio quædam veluti Chirurgia affectionum animæ.* Nam ſicut Chirurgia ad ſanandum vulnera, corpuſque à malis humoribus purgandum ordinatur, ut hac ratione infirmo integritas & ſanitas reſtituatur membrorum, ita quoque *admonitio eſt veluti quædam diæta ægrotantis animæ.* Quod ſi hoſpitale aliquod ingrediamini, in eo ingentem quidem invenietis ægrorum & vulneratorum multitudinem, qui licet acerbiſſimos ex vulneribus ſuis ſuſtineant dolores, & juxta tritum illud axioma: *Non ſit addenda afflictio afflicto:* attamen eo videbitis ingredientes Chirurgos acutis novaculis & cultellis inſtructos, quos ſi interrogaveritis, quidnam hæ novaculæ ſibi velint, mox audietis dicentes: Novacula iſthæc aliaque ferra ad reſtituendam hiſce languentibus ſanitatem ordinantur. Sic igitur, inquit S. Auguſtinus: *Corripiamus verbis, & ſi opus eſt & verberibus, ſed delictum dimittamus, culpam de corde abjiciamus. Quid tam pium, quam Medicus ferens ferramentum? Plorat ſecandus & ſecatur, plorat urendus & uritur, non eſt illa crudelitas, abſit ut ſævitia Medici dicatur. Sævit in vulnus, ut homo ſanetur, quia ſi vulnus palpatur, homo perditur.* Pergitque idem Sanctus Auguſtinus ulterius oſtendere, quod tunc vere oſtendamus, nos proximis bene velle, quando ab illis emendandis & corrigendis minimè deſiſtimus. Idem S. Auguſtinus in Epiſtola quadam ad S. Hieronymum ab eo directa, quam grata ſibi fuerit ab eo ſibi, adhibita correctio, his verbis oſtendit: *Lædis me, ſi mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis vel dictis meis. Nam ſi ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non ſunt, te lædis magis quam me.* Et paulò poſt inquit: *Poteſt fieri ut tibi aliud videatur, quam veritas habet, nam & ego amiciſſimam reprehenſionem gratiſſimè accipiam, etiamſi reprehendi non meruit, quod rectè defendi poteſt; aut agnoſcam ſimul & benevolentiam tuam & culpam meam, & quantum Dominus donat, in alio gratus, in alio emendatus inveniar. Quid ergo fortaſſe? Sed certe ſalubria verba tua, tamquam cæſtus Æntholi pertimeſcam? Cædebatur ille, non curabatur, & ideo vincebatur, non ſanabatur. Ego autem ſi medicinalem correptionem tuam tranquillus accepero, non dolebo, ſi vero infirmitas velut humana mea etiam cum veraciter arguor, non poteſt niſi aliquantulum contriſtari, melius tumor capitis dolet dum curatur, quam cum ei parcitur, & non ſanatur, hoc eſt enim quod acutè vidit, qui dixit: Utiliores eſſe plerumque inimicos objurgantes, quam amicos objurgare metuentes; Illi enim dum rixantur, dicunt aliquando vera quæ corrigamus, iſti autem minorem, quam oportet, exhibent juſtitiæ libertatem, dum amicitiæ timent exaſperare dulcedinem.* Idem quoque glorioſus Eccleſiæ Doctor, verba illa S. Pauli ad Timotheum: *Inſta opportunè, importunè, argue, &c.* exponens, importunitatem oportunitati directè opponi notat: *Neque omnino ullum medicamentum ſanat, niſi quod opportunè adhibueris. Quanquam ergo & ſic poſſet diſtingui; Inſta oportunè, ut alius ſit ſenſus: Importune argue, deinde cætera contexantur: Hortare, increpa cum omni longanimitate & doctrina; Ut tunc importunus ſentiaris, cum inſtas ædificando: Cum autem deſtruis arguendo, non cures, etiamſi importunus videaris, ſi hoc eſt talibus importunum.* Paulò poſt verò ad eorumdem verborum explicationem proſequitur, dicens: *Inſta oportunè, quod ſi hoc modo non proficis, importunè, ita intelligendum eſt, ut tu opportunitatem omninò non deſeras, & ſic accipias, quod dictum eſt, importunè, ut illi videaris importunus, qui non libenter audit, quæ dicuntur in eum. Tu tamen ſcias, hoc illi eſſe opportunum, & dilectionem, curamque ſanitatis ejus animo teneas manſueto, & moleſto, & fraterno. Multi enim poſtea cogitantes quæ audierint, & quam juſtè audierint, ipſi ſe gravius & ſeverius arguerunt, & quamvis perturbatiores à Medico videntur abſcedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante ſanati ſunt.* Ubi igitur & quando correctio locum habet, via omnis innumeris malis amputatur, mali emendantur mores, ſcandala arcentur, lethiferaque animæ vulnera ſanantur. Unde Pſalmiſta ait: *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum;* David enim per linguam & correctionem multis malis obviavit & ſuccurrit, multaſque ſanavit plagas & vulnera, quæ omnem alias reſpuebant medelam, idque ſolo Dei verbo adhibito & inculcato: Nam ut S. Ambroſius ait: *Qui ſanari vult, argui non reformidat, ſed non vult argui in furore, ſed in verbo Dei; Verbum Dei ſanitas eſt, ſic enim legimus: Miſit verbum ſuum & ſanavit eos.*

S. Aug. ſer. 15. de verb. Dom.

S. Aug. ep. 15.

2. Tim. 4. v. 2.

S. Aug. T. 4. in exp. ad Gal.

Pſalm. 106. v. 20.

S. Ambr.

9. S. Auguſtinus proinde nonnullas monet Religioſas, ne improperia ex maligno corde eructata eſſe arbitrentur, quando aliæ ſorores ad ſpirituale ipſarum beneficium earum defectus ſuperioribus denuntiant, ut corrigantur: *Velut vulneratum ſanandum probat quæcumque inveniſſe potuit hoc, ne vos judicetis eſſe malevolas quando hoc judicatis, magis quippe innocentes non eſtis, ſi tacendo perire permittitis.* Paterfamilias apud S. Lucam arborem illam infructuoſam exſcindi præceperat, dicens: *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Cui tamen agricola ſeu vinitor reſpondit: *Domine dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, Et ſi quidem fecerit fructum, ſin autem, in futurum ſuccides eam. Qui videlicet*, ut S. Gregor. ait, *hic non vult ad fœcunditatem pingueſcere per increpationem, illic cadet, cum jam reſurgere per pœnitentiam non valet.* Thomas Cantipratenſis in capitulo quodam, cui titulus eſt: *Correptionis omiſſio damnoſa*, circa virgam Aaronis ingenioſam habet ponderationem; dicit enim: *Quæ prius verſa fuerat in colubrum, poſtea flores & amygdala protulit; Unde in Proverbio dicitur; Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit;* Nam ut Sapiens ait: *Virga atque correptio tribuit ſapientiam.*

S. Aug. Ep. 104.

Luc. 13. v. 7.

Ibid. v. 8.

Ibid. v. 9.

S. Greg. Hom. 30. in Evang.

Thom. Cantipr. l. 2. c. 16. n. 2.

Prov. 28. 23.

Prov. 29. v. 15.

10. Sacri Doctores de neglectu, vel etiam diſſimulatione correctionis fraternæ differentes, eos qui illam intermittunt, haud ſecus ac eorumdem peccatorum, quæ in impiis hominibus reprehendere debebant, reos & participes reprehendunt. Sic S. Bonaventura in libro qui Pharetra intitulatur, cap. 38. inter alias ſanctorum Patrum authoritates S. Bernardum citat, dicentem: *Nemo, fratres, vitia palpet, nemo diſſimulet, eſt enim conſentire, ſilere, cum arguere poſſis, & ſumus, quia ſimilis pœna facientes maneat, & conſentientes.* Sara ſterilem ſe eſſe videns, conſenſit, ut Abraham ad Ancillam ſuam ingrederetur, ex qua Iſmaelem habuit, demum vero ſe ab eadem ancilla deſpici & contemni animadvertens, acriter apud conjugem ſuum conqueſta eſt, dicens: *Iniquè agis contra me.* Sed heus bona mulier, ſi Agar non verò Abraham maritus tuus indignè te tractavit, tuque in ejus cum Ancilla matrimonium conſenſiſti, ut quid de marito conquereris? Divus Chryſoſtomus in perſona Saræ loquens, difficultatem hanc reſolvit, dicens: *Nam quamvis ego dederim, ſed videns tu ejus temeritatem, debebas cohibere mentem ejus tam petulantem.* Doctor Angelicus in quodam Articulo Sanctum Auguſtinum citat, qui *ſermone 16. de verbis Domini*, inquit: *Si neglexeris corrigere, pejor eo factus es, qui peccavit; Hoc autem non eſſet verum*, inquit Sanctus Thomas, *niſi per hujuſmodi negligentiam aliquis præceptum omitteret.* Peccato igitur mortali animam ſuam commaculat, qui dum poteſt & debet, maculas culpabiles & reprehenſibiles correctione mediante à proximis ſuis abſtergere renuit. Quod Sanctus Auguſtinus ſequenti ſimilitudine declarat, dicens: *Si frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cum timeret ſecari, nonne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? quanto ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde.* Divus Chryſoſtomus in Homilia, quæ *de doctrina & correptione* inſcribitur, ſequenti utitur argumento: *Quemadmodum enim non qui furantur ſolum, ſed etiam qui cum poſſint, non impediunt, eamdem pœnam dant, ita etiam non ſolum impij, ſed etiam, qui ab impietate eos abducere poſſunt, id tamen facere rennunt, idem cum ipſis ſupplicium luent.* Clarius autem cæteris omnibus hac de re Sanctus Gregorius ſcribit: *Nec enim*, inquit, *ſunt diſſimulanda quæ dicimus, quia qui emendare poteſt, & negligit, participem ſe procul dubio delicti conſtituit.*

S. Bonav. in Pharet. cap. 38.

S. Bern. in ſerm. in Nativ. S. Ioan.

Gen. 16. v. 5.

D. Chryſoſt. Hom. 37. in Geneſ.

S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2.

S. Aug. ſer. 16. de verb. Dom.

S. Aug. T. in Regula.

D. Chryſ. T. 6. Hom. 6.



S. Greg. in Regiſt. l. 9. Indict. 4. Epiſt. 64.

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Conſiderantur ſupplicia & pœnæ quæ illos manent qui correctionem adhibere negligunt, maximè Superiores, qui proinde depoſito omni timore & reſpectu humano, nihil curare debent, ſe ob factas correctiones ſibi conciliare perſecutiones & odia aliorum, ſed in hoc ſolum conniti debent, ut Deo obedientes ſalutem animarum proximis procurent.

## THEMA.

*Prædixi ei, quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos.* 1. Regum. 3. ℣. 13.

Negligentia Heli in caſtigandis filiis graviſſimè punitur.

1. Reg. 3. v. 11.

1. SPiritus Sanctus ſupplicij, quo Heli ſummum Sacerdotem ob neglectam filiorum ſuorum reprehenſionem caſtigare decreverat, ſeveritatem nobis delineare volens, ait: *Ecce ego facio verbum in Iſraël, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* Flagellum verò iſtud, quod non ſolum negligentem patrem, ſed & filios ejus, & totam ejus progeniem percuſſit, in hiſtoria ſacra fusè deſcribitur. Cauſa autem illius fuit, *eo quod noverat, indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos.* Et quidem tametſi Scriptura eum filios ſuos correxiſſe dicat, attamen ut Divus Chryſoſtomus obſervat, dicens: Certè corripuerat, ſed hanc Deus pro correptione non ſuſcepit, quod vehementia & invectione caruiſſet reprehendentis.

D. Chryſ. l. 3. cont. vituperat. vit. monaſt.

Proſecutio.

Num. 25. v. 4.

2. Poſtquam Hebræorum populus per ſenſualitates & laſcivias ſuas divinam exaſperaſſet juſtitiam, Deus Moyſi præcepit, dicens: *Tollet cunctos Principes populi, & ſuſpendet eos contra ſolem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Iſraël.* At verò dicat aliquis: Quod fex populi laſciviæ ſine ullo reſpectu fræna laxando, omnem Deo debitam reverentiam conculcavit pedibus, quid eſt quod capita tribuum, & ij qui gubernant, caſtigati fuere, maximè dum hi ab hiſce ſpurcitiebus omninò immunes permanſerant? Quam eamdem difficultatem Beatus Petrus Damianus movet, dicens: *Quid eſt quod populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum Præpoſitos judicatur? Subditi delinquunt, & Principes in patibulis ſuſpenduntur? Scilicet alius eſt qui peccat, alius ille qui vapulat? Cur hoc?* Moxque reſpondet, id factum eſſe, *Quia culpa ſubditorum in Præpoſitorum redundat opprobrium, & quod ab ovibus erratur, negligentiæ Paſtoris adſcribitur.* Sic enim, ut Divus Chryſoſtomus notat, Heli ſummus Sacerdos vitam duxit irreprehenſibilem, & præterquam quod ſumma cum integritate gubernarit, in omnibus quoque virtutibus eximius, valdeque exemplaris quidem fuit, *& tamen quia illi cura non fuerat & diligentiſſima & vehemens ſalutis liberorum, nihil excuſare cum potuit, quo minus & miſerè & infeliciter periret.* Sanctus Iſidorus quoque inter alias ſuas ſententias condemnationem eorum, qui in corrigendo remiſſi ſunt & negligentes, poſt ſe his verbis ſcriptam reliquit: *Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant, teſtante Domino per Prophetam: Speculatorem dedi te domui Iſraël; ſi non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua, ille in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram;* Profertque in medium illud jam adductum Heli exemplum, & ait: *Sic enim Heli Sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus eſt, & licet eos delinquentes admonuit, ſed tamen non ut oportebat, eos redarguit.*

S. Pet. Dam. l. 4. epiſt. 15.

D. Chryſoſt. ibid.

S. Iſid. l. 3. ſent. c. 46. Juxta Ezech. 3. v. 17.

Non ſufficit quod ſuperior ſit bonus in ſe

Rom. 13. v. 4.

S. Pet. Dam. l. 7. epiſt. 11.

3. Sanctus Petrus Damianus illos qui vitioſos reprehendere aut corrigere diſſimulant, Satanæ miniſtros eſſe cenſet; conſiderat enim quod Sanctus Paulus dicat: *Non enim ſine cauſa gladium portat* (is videlicet qui gubernat) *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit;* Et ſubdit: *Si Dei miniſter eſt, qui mala facientes in iram vindicat, diaboli procul dubio miniſter eſt qui criminoſos ac reprobos ſuaviter palpat: & ſicut Deo præbet obſequium, qui perverſos ulciſcitur, ſic miniſter eſt adverſarij, qui perpetrantibus iniqua blanditur.* Meritò igitur S. Iſidorus condemnationis ſententiam contra illos fulminat, eoſque in pœnis dœmonum conſortes eſſe aſſerit, utpote qui eorum coadjutores fuerunt in culpis. Ei igitur qui aliorum regimini invigilat, nequaquam ſufficit, quod quoad ſemetipſum irreprehenſibilis exiſtat, niſi etiam diſcolis correctionis & caſtigationis juſtæ ferulam audacter adhibeat. Unde Deus in Levitico turtures & pullos columbarum retorto ad collum capite ſacrificari præcepit, cujus myſterium S. Hieronymus his verbis declarat: *Multi bene agunt, ſed non bene corrigunt, ut fuit Heli; Et multi benè corrigunt, ſed non bene agunt, ut fuerunt Scribæ & Phariſæi, qui ſedebant ſuper cathedram Moyſis; Unde os turturis ad aſcellas retorqueri jubetur, ne ſeparetur os ab opere, & opus noſtrum non dividatur ab ore.* Sanctus Petrus Damianus in Epiſtola quadam, quam ad Nicolaum Papam ſcripſit, Superiores & Prælatos ſui temporis in hoc correctionis officio remiſſos & negligentes, ejuſdem Heli deterret exemplo, dicens: *Si Heli propter duos dumtaxat filios, quos non ea, qua digni erant, invectione corripuit, cum eis ſimul, & cum tot hominum multitudine perijt, qua arbitramur dignos eſſe ſententia, qui in aula Eccleſiaſtica, & ſoliis judicantium præſident, & ſuper non ignotis pravarum hominum criminibus tacent?* Sanctus Hieronymus ad illum Ezechielis textum: *Speculatorem dedi te domui Iſraël*, illos quibus perverſos & male viventes reprehendere & emendare ex officio incumbit, his verbis admonet: *Nec dicamus quid prodeſt docere, ſi nolit auditor facere quod docueris, unuſquiſque enim ex ſuo animo, vel ex officio judicatur, tu ſi locutus non fueris, ille ſe audire contempſerit.* Proinde expleamus nos debitum noſtrum, non deſimus conſcientiæ noſtræ, zelum honoris Dei opere ipſo in nobis eſſe conteſtemur, nec erit cur rationem animæ noſtræ reddere vereamur. Sanctus Gregorius de Heli ſcribens, omnes alios Eccleſiæ Prælatos in perſona propria his verbis alloquitur: *Magnus nobis timor incutitur, quia Heli filiorum culpa damnatur, cujus peccata propria nulla referuntur, nam bonis ſubditis bene vivere ad ſalutem ſufficit, Prælatis vero propria vita non ſufficit.* Sanctus Carolus Borromæus in magno illo volumine, quod *Acta Eccleſiæ Mediolanenſis* intitulatur, ad perpetuam poſterorum memoriam, omnibus Patribusfamilias & domuum capitibus hoc monitum graviter inculcat, ut videlicet ſtudioſè caveant, ne peccata ſubditorum ſuorum portare & luere cogantur, dum ab illis opportunè reprehendendis deſiſtunt. Simul tamen eos adhortatur, ne ad quidlibet credendum nimium ſe faciles præbeant, ſed priuſquam ad correctionem procedant, prius veritatem examinare & exquirere ſatagant.

Lev. 1. v. 15.

S. Hieron. in c. 1. Marci.

S. Pet. Dam. l. 1. epiſt. 6.

Ezech. 3. v. 17.

S. Hieron. in c. 33.

S. Greg. l. 2. c. 3.

Act. Eccl. Mediol. v. 7. pag. 1083.

4. Thomas Cantipratenſis in libro qui de *Apibus* inſcribitur, de hac materia differens inquit: *Apes quæ aculeum perdunt, mella de cætero facere non poſſunt.* Per aculeum autem reprehenſionis aſperitas intellitur, quæ ſi deficiat, omne bonum, omniſque virtus interit & amittitur: *Quid*, inquit, *melle dulcius, quid virtute jucundius? Hanc utique in proximo promovere non ſatagunt, qui peccantem proximum arguendo vel judicando non curant, juſta vindicta Dei à melle virtutis cadit, & qui fratri ſuo à fovea cavere noluit, & ipſemet labyrinthum iniquitatis incurrit. Quid mirum? Maledictus à Propheta dicitur Jerem. 48. qui prohibet gladium ſuum à ſanguine; Prohibere autem gladium à ſanguine, eſt proximum nolle verbo corrigere, quo mori poſſet, pænitendo à peccato, & correptus vivere Deo. Talis maledictus, id eſt, malo addictus eſt, quia in eo quod proximum curare noluit, cum in malum culpæ in præſenti, & malum pœnæ in futuro perpetuæ damnationis involvit.* Idem de Monacho raræ virtutis refertur, quod cum eſſet *naturali ingenio & ſcientia præditus, virtute caſtitatis & omni morum honeſtate præclarus, in illo tamen ſolus ille defectus fuerit, quod nullam contra peccata rigiditatem habebat;* Cum vero tandem ea ſpe in Abbatem electus fuiſſet, quod quoad hoc paulatim ſe emendaret, omnium nihilominus eligentium ſpem deluſit, unde ſub ejus regimine diſciplina regularis graviter periclitata fuit, adeo ut propter hoc ab officio ſuo fuerit amotus; *quod ille ſupra*

Tho. Cantipr. l. 2. Apum. c. 17. Hiſtoria.

Jer. 48. v. 10.





*modum*

*modum graviter ferens, ad tantam paulatim impatientiam venit, ut manus iniquitati totaliter daret, & ſe impudentiſſimè nequiſſimis in dilapidationem Eccleſiæ ſociaret.* Huic autem cum jam morti proximus eſſet nonnulli apparuerunt, qui ab eo non tam ſuorum peccatorum, quam alienorum, eorum videlicet, quos ille reprehendere & emendare neglexerat, rationem magno cum rigore depoſcebant, quos cum per varias capitis agitationes fugere niteretur, nec tamen poſſet, *clamans inter anguſtias expiravit.*

Qui peccantem non arguit, occidit.

5. Idem Thomas Cantipratenſis in capite ejusdem libri, cui titulus eſt: Correptionis omiſſio damnoſa, ex quodam Ezechielis textu, graviſſimum quoddam damnum deducit, quod in eos qui correctionem negligunt, infeliciter redundat; dicit enim apud Ezechielem Deus: Niſi annunciaveris impio impietatem ſuam, & ipſe in impietate ſua mortuus fuerit, portabis iniquitatem ejus; Ad quæ verba Cantipratenſis ſubjungit: Sed dicis cum Cain: *Num cuſtos fratris mei ſum ego?* Et quidem negando verum dixit, quia fratrem non cuſtodiendo impius interfecit. Cave ergo & tu, ne in eo quod non cuſtodis occidas; Utique & non cuſtodis, ſi peccantem non arguis.

*Gen. 4. v. 9.*

Reſpectus humanus ad infernum ducit.

6. Vir quidam illuminatiſſimus, vitæque ſpiritualis eximius magiſter dicere ſolebat, magnam humani generis partem per ſolos deſpectus & reſpectus humanos ad infernum condemnari. Ecce tibi igitur expreſſam hic veram cauſam ob quam multi à corripiendis transgreſſoribus inertes deſiſtant, quia ſcilicet reſpectus humanos ſuperare non valent. Odium & malevolentiam ejus, qui corripiendus eſt, incurrere nolunt, non intelligentes ex parte altera, quod divinum præceptum prævaricando, Dei ſuper ſe odium ingens provocent. Sanctus Thomas de correcto differens, ad noſtram eruditionem ita ſcribit: *Si autem ad odium provocetur, ex quo deberet ad dilectionem incitari, non eſt curandum, præcipue quando ejus peccatum in damnum aliorum vergit, vel etiam damnum ſequens, vel peccatum ipſum eſt gravius odio, quod in nos excitamus, vel quando ſperamus, quod odium paulatim tepeſcet, & tamen correctio ſequitur, quia ſicut dicit Chryſoſtomus, melius eſt odium propter Deum, quam amicitia, quæ eſt propter ipſum; cum enim propter ipſum amamur, debitores Dei ſumus, cum odio propter ipſum habemur, debitorem eum nobis facimus.* Eccleſiaſticus ſalubriter nos monet dicens: *Ne reverearis proximum tuum in caſu ſuo.* Vult enim, ut non ſinamus proximum noſtrum in ultimum uſque præcipitium labi, ſed poſtquam lapſus eſt, ei manus præbendo auxiliatrices erigamus & ſublevemus; Unde ſubdit: *Ne retineas verbum in tempore ſalutis, ne abſcondas ſapientiam in decore ſuo.* Notandum verò eſt, quod prius dicat: *Ne reverearis*, & poſtea ſubdat: *Ne retineas verbum*; quia increata illa Sapientia per altiſſimam præſcientiam ſuam multos à vitiis & ſcandalis corrigendis & reprehendendis per reſpectus humanos fortiter retrahendos eſſe prævidebat. Opportuna igitur in hac materia eſt illa Sancti Bernardini doctrina, dicentis: *Quando homo probabiliter ſperat, & credit, quod poſſet fratrem ſuum retrahere à peccato, & hoc omittit facere propter commodum aliquod temporale, ut puta quia timet judicium vulgi, & cruciatum carnis, vel peremptionem, dum tamen hæc in animo ita dominentur, quod præponantur charitati fraternæ, tunc ordinem charitatis pervertit, plus diligendo commodum temporale, quam animam proximi & honorem Dei* Similem quoque doctrinam in Sancto Thoma de Aquino legimus, cujus ſunt ſequentia verba: *Alio modo prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali, quando ſcilicet formidatur, ut ibi dicitur, judicium vulgi, & carnis excruciatio vel peremptio; dum tamen hæc ita dominentur in animo, quod fraternæ charitati præponantur, & hoc videtur contingere, quando aliquis præſumit de aliquo delinquente probabiliter, quod poſſet eum à peccato retrahere, & tamen propter timorem vel cupiditatem prætermittit.*

*S. Thom. in 4. diſt. 19. q. 1. ad 5.*

*D. Chryſ.*

*Eccli. 4. v. 27.*

*Ibid. v. 28.*

*S. Bern. t. 2. ſer. 18. a. 1. c. 3.*

*P. Virgilius Ceppari in vit. B. Aloyſij Gonzagæ, l. c. 9.*

Animoſe corrigant ſuperiores.

7. P. Virgilius Ceppari in vita Beati Aloyſij Gonzagæ, refert, quod dum ſanctus hic juvenis in adoleſcentia ſua Taurini in domo Divi Hieronymi de Rouvere cognati ſui, qui poſtea ad dignitatem evectus eſt Cardinalitiam, moraretur, Nobilem quemdem ſeptuagenarium, eo quod in ſocietate quadam diſcurſus minus honeſtos in medium adducere præſumſiſſet, ſalubriter corripuerit, qui facta correptione erubuit, & confuſus ſe emendavit. In Levitico ſcribitur, quod Aaron arietem Domino in ſacrificium offerens: *Tulit pectuſculum, elevans illud coram Domino.* Myſterium verò, propter quod hanc victimæ partem potius elegerit, hoc fuit, quia iis, qui ad corrigendos defectus alienos deſtinati ſunt, opus eſt forti, & conſtanti, ac imperterrito pectore, quia animoſi eſſe debent, omnemque timorem & reſpectum humanum deponere. Unde Demoſthenes dicere ſolebat: *Ad arguendum magno pectore indiget Orator.* Et ideo Divus Chryſoſtomus in Homilia *de doctrina & correptione*, tales his verbis ad animoſitatem excitat: *Noli igitur deſiſtere, fratrem tuum, quem ad exitium ruere cernis cohortari, etiamſi contumeliis te afficiat, etiamſi inimicum ſe fore tibi comminetur, etiamſi quidvis aliud intentet, omnia forti conſtantique animo perferas, quo ſalutem ipſius lucrifacias.* Simulque nobiliſſimum quoddam ad non deſiſtendum motivum ſuggerit, dicens: *Si hic tibi inimicus fiat, Deus amicus tuus erit.* Idem Sanctus Doctor in eadem Homilia de hoc eodem puncto diffuſe tractans, ut Dei gloriam & animarum ſalutem nullo quantumvis magno interveniente obſtaculo ardenter zelemus, hiſce nos verbis exhortatur: *Etiamſi injuriam ferre oporteat, etiamſi aliud quidlibet ſuſtinere neceſſum ſit, omnia tamen faciamus, ut recuperare tandem illos poſſimus*; Quod adducto infirmorum exemplo haud inepte declarat, qui tametſi à morbi nimia violentia adacti nonnumquam Medicis aut Chirurgis recalcitrent, eoſque injuria non levi afficiant, ob id tamen non prætermittitur, quin Medici aut Chirurgi omnia illis poſſibilia adhibeant remedia: *Unam dumtaxat in optatis habentes, ut nimirum hominis ita indecorè ſe gerentis ſanitatem videamus.* Unde idem Sanctus hanc *à minori ad majus*, deducit conſequentiam, dicens: *Quomodo igitur non abſurdum fuerit, eos qui incolumitati proſpiciunt, tantum adhibere ſtudium & diligentiam, tot vero animabus miſere pereuntibus ignavum eſſe, & nihil gravius vobis contingere exiſtimare, dum membra noſtra computreſcunt. Quid agis ô homo? Videſne, dic mihi, fratrem tuum ad præcipitium ferri, ſuæque curam abjeciſſe ſalutis, & quid faciendum ſit non intelligere, & tamen manum non porrigis? ſed mavis ipſum non offendere, aut moleſtus videri, quam ſalutem ejusdem procurare?*

*Lev. 8. v. 29.*

*Demoſthen.*

*D. Chryſ. T. 6. Hom. 6.*

*Idem ibid.*

8. S. Ambroſius diſcurſum ſuum ad eos dirigit, qui ob vitia ſua ſunt reprehendendi, ut eos ad correctionem libenter & ſine exacerbatione recipiendam inclinet; & dicit: *Sunt bonæ correctiones, & plerumque meliores, quam tacita amicitia; Etſi lædi ſe putat amicus, tu tamen corripe; etſi amaritudo correptionis animam ejus vulneret, tu tamen corripere non verearis; Utiliora ſunt enim amici vulnera, quam adulantium oſcula.* Sanctus Auguſtinus in Epiſtola quadam de hoc puncto differens, ita monet: *Si autem de illo numero eſt, de quo dictum eſt: Corripe ſtultum, & adjiciet, ut oderit te, non de charitate illius diſſenſio naſcitur, ſed tamen charitatem reprehenſionis ſui exercet & probat, quia non ei reprehenditur odium, ſed dilectio, quæ cogit reprehendere, imperturbata perdurat, etiam cum ille qui reprehenſus eſt, odit. Si autem ille qui corripit, reddere vult malum pro malo ei, qui corripienti indignatur, non fuit dignus qui corriperet, ſed dignus plane qui etiam corripi deberet.* Idem quoque ſanctus Doctor alibi nos ei qui corripitur, ingens beneficium impendere oſtendit, qui proinde beneficium ſibi præſtitum ſuo tempore agnoſcet, ſuamque pro illo obligationem profitebitur: Quia *multa bona præſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati, non voluntati.*

*S. Ambr. l. 3. de offic. c. 16.*

*S. Aug. Ep. 87.*

*S. Aug in Enchiridio. c. 72.*

## *DISCURSUS IV.*
## ARGUMENTUM.

Perditæ ſalutis homines ſunt, qui correctiones aſpernantur & rident, corrigentem verò calumniantur, & indigne tractant. Ubi etiam pœnæ conſiderantur, quas exinde communiter reportant.

### THEMA.

*Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit.* Prov. 15. ℣. 12.

Perverſi correctiones inimalitiæ dent.

1. SApiens peſtilentem appellat eum, qui non amat corripi, & à ſuis erroribus emendari, facilè enim



malitiæ ſuæ contagium tranſmittit ad alios, dum non caſtigatur, perque impunitatem morbus ejus non curatus in grave Reipublicæ damnum latiſſimè ſerpit. Porro Sanctus Patianus ad explicandum irreparabilia damna, quæ is, qui correptiones odit, ſibi conciliat; ſequentes ſimilitudines adducit dicens: *Ut cænum ſolet hinc maximè fætere, cum moveas, & incendium tunc maximè ardere, cum verſas, & rabies tunc maximè ſævire, ſi provoces; ita illi objurgationis neceſſariæ ſtimulos contrario calce fregerunt, non ſine ſuo quidem malo & vulnere repugnantes; nam à Domino dictum eſt: Argue ſtultum, & odio te habebit.* Porro in Hebræo, ut Cornelius à Lapide ait, *Peſtilens* idem eſt, quod *irriſor, illuſor, qui omnia monita irridet, & cachinando exibilat, quales ſuo contemptu, ſannis, jocis, & dicteriis peſtilentiſſimi & ſummè noxii ſunt.* Qui proinde, quod nemo prudens negare poterit, in profundiſſimum uſque ſuæ impietatis barathrum pervenerunt: *Impius cum in profundum venerit contemnit.* Hugo Cardinalis illa Sapientis verba hoc modo exponit: *Peſtilens, id eſt, peccator, qui jam ſedet in cathedra peſtilentiæ, & corruptus alios corrumpit verbo & exemplo.*

*S. Patianus in Paren. ad pœnit.*

*Cornel. à Lap.*

*Hugo Card. ibid.*

Proſecutio.

*Oſe. 5. v. 11.*

2. In Oſea ſequentia verba leguntur: *Calumniam patiens eſt Ephraim, fractus judicio, quoniam cæpit abire poſt ſordes*; Ubi & longum texit malorum catalogum, quæ idem incurrit. Sed undenam hæc omnia ſuam traxere originem? Septuaginta legunt: *Oppreſſit Ephraim adverſarium ſuum, conculcavit judicium; quoniam cæpit abire poſt ſordes.* Sed iterum nova hic exurgit quæſtio: Quiſnam ſit ille adverſarius, quem Ephraim à ſe repudiavit, quoque repudiato in quemvis malitiæ exceſſum præceps corruit? Iſaias Abbas in Oratione quadam per adverſarium hunc eum, qui ipſum corrigebat, intelligit; Impiis namque & vitioſis, qui in peccato ſuo decreverunt perſiſtere, ſolemne eſt quod recalcitrent, dum reprehenduntur: *Non amat peſtilens &c. Hæc Ephraim contingerunt, quia oppreſſit adverſarium ſuum.*

*Septuaginta.*

*Iſaias Abbas Orat. 4.*

3. Eccleſiaſticus inquit: *Qui odit correptionem veſtigium eſt peccatoris*; Quæ verba Lyranus: Hugo Cardinalis, & Rabanus unanimiter ſic interpretantur: *Indicium præbent inhabitantis in ſe diaboli, vel imago & imitator eſt diaboli.* Dionyſius verò, Janſenius, & Emanuel Saa ita exponunt: Qui odit correptionem eo ipſo oſtendit, ſe decreviſſe peccatis adhæreſcere. Simon de Caſſia illa Evangelii verba: *Sit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, exponens, ita ſcribit: *Eorum eſt deſperanda ſalus, quibus eſt odioſa correctio; & tibi & omnibus anathema fiant ab omni converſatione ſemoti, qui proximum unum, & deinceps authoritatem Eccleſiaſticam animo contumaci contempſerint, quoniam ſeipſum diabolum fecit, qui corrigi nequit, & propemodum homo delinquens, juſtæ correctioni non ſubditus, pejor eſt diabolo, cum corrigi nolit, & nequit; ac nolit quia nequit, aut nequit quia nolit.*

*Eccli. 21. v. 7.*
*Lyranus.*
*Hugo Card.*
*Rabanus.*
*Maurus ibid.*
*Dion. Cart.*
*Ianſen.*
*Eman. Saa.*
*Matth. 18. v. 17.*
*Simon de Caſſia l. 9. c. 44.*

Perverſi calumniantur Superiores.

4. Sanctus Iſidorus conſiderat multis perverſis & in peccato obduratis minimè ſufficere, quod illos à quibus corriguntur à ſe repellant, quin etiam multas contra eos falſas calumnias & impoſturas coacervare ſolitos eſſe: *Nonnullos tantæ eſſe pravitatis homines, qui dum ipſi à malo corrigi negligunt, correctorum vitam falſa criminatione detrectant, & ad ſui ſceleris ſolatium uſurpant, ſi vel falsò compererint, quod ad infamiam bonorum objiciant, ſicut eſt illud ex Salomone: Bona in malum convertit impius, & in electis imponit maculam.* His autem qui tales ſunt S. Iſidorus comminatur dicens: *Væ autem illi, qui & ſuam vitam renuit corrigere, & bonorum non deſinit detrectare.*

*S. Iſid. l. 3. ſent. c. 32.*

*Eccli. 11. v. 33.*

5. Beatus Petrus Damianus ſequentem ab infirmo deſumptam adducit ſimilitudinem, cujus eo ipſo deſperata eſt ſanitas, cum incipit nauſeare medicamenta: *Porro ſicut æger, qui non capit antidotum, moritur, ita qui non poteſt corripi, nequit ab animæ ſuæ languoribus revelari. Vis audire quid illis immineat, qui reſpuunt corripi, qui dedignantur à ſenioribus objurgari? Viro, inquit, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur.* Huic Sancti Petri Damiani doctrinæ ſimilis eſt illa Divi Chryſoſtomi, in Homilia quæ intitulatur: De ferendis reprehenſionibus, & converſione Pauli, ubi poſtquam illum Proverbiorum textum adduxiſſet. *Qui odit increpationes, inſipiens eſt*; Sanctus Doctor ſubjungit: *In peccatis id efficiunt reprehenſiones, quod in vulneribus remedia; Idcirco ſicut inſipiens eſt, qui pharmaca rejicit, ita & ſtultus eſt, qui non recipit grato animo reprehenſiones.* In libro Jobi dicitur: *Ipſi docebunt te, loquentur tibi, & de corde tuo proferent eloquia*; Quaſi diceret: Inſigni cum charitate malefacta tua redarguent; At verò ſtatim ſubjungit: *Numquid vivere poteſt ſcirpus abſque humore? aut creſcere carectum ſine aqua?* Quæ verba Sanctus Gregorius de illis exponit, qui illibenter reprehenſiones ſuſtinent. Carectum enim planta quædam eſt, quæ dum creſcit, in aculeos dilatatur acutos, quibus manus transfiguntur illos contrectantis: Ita ſimiliter perverſi & pertinaces peccatores non ſolum invito animo accipiunt admonitiones illos corripientium, verum etiam illos improperiis, contumeliis, & conviciis onerant, imo ſæpe vitia enormia, de quibus ipſi arguuntur, contra eoſdem excogitant, ut illos ſibi in malitia ſimiles eſſe oſtendant. *Acutis angulis ſurgens carectum, manu non carpitur, quia exaſperatis per arrogantiam ſenſibus de pravitate ſua hypocrita corripi dedignatur. In flore ſuo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita poſitus, ne hunc quiſquam corripere audeat, aſpernatione ſua protinus vitam corripientis ſecat. Et paulo poſt, eumdem poſtquam correctio erga ipſum adhibita fuit, deteriorem effici dicit: Redargutione deterior redditur, exaſperatus protinus in contumelias ſurgit, & quæ mala exaggeret contra vitam corripientis inquirit.*

*S. Petr. Dam. lib. 6. Ep. 18.*

*Prov. 29. v. 1.*

*Prov. 12. v. 1.*

*D. Chryſ. hom 9. de ferendis reprehenſ. T. 3.*

*Job 8. v. 10.*

*Ibid. v. 11.*

*S. Gregor. l. 8. mor. c. 24.*

Eryciis ſimiles.

6. Sanctus Petrus Damianus ejuſmodi malos & perverſos homines Erycio ſimiles eſſe dicit; Hic enim mox ut ſe ab aliquo contrectandum eſſe proſpicit, convolvitur, & ad inſtar rotundi cujuſdam globi conglomeratur, capiteque & pedibus ad intra retractis, inſtar alicujus fortalitii circumquaque acutiſſimis ſpinis cinctus remanet, adeo ut nulla eum manus tangere, aut contrectare poſſit, quin ab eo transfigatur & vulneretur: *Ut prius videas ſanguinem tuum, quam corpus ſuum; Impatientibus ſanè correptiones quaſi gladii ſunt, ſed ſi volunt, ut hi gladii vertantur in falces, hirſuta vitiorum ſuorum dumeta, quibus horrent, permutentur in meſſes.* Pergit porro idem Sanctus Pater declarare fructus, quos boni, qui ex correctione emendantur, inde percipiunt, ſed de his nobis in Diſcurſu ſequenti ſermo erit.

*S. Pet. Dam. Ibid.*

7. Sanctus Gregorius ſimiliter in alio quodam loco malorum hominum, qui poſt adhibitam illis correctionem recalcitrant, peſſimas proprietates delineat, dum ita ſcribit: *In laudem juſti per Salomonem dicit veritas Proverbiorum 9. Doce juſtum, & feſtinabit accipere; Pravorum contumaciam deſpicit, dicens: Qui erudit deriſorem, ipſe ſibi facit injuriam; Nam fit plerumque, ut dum correpta in ſe mala defendere nequeunt, ex verecundia pejores fiant, ac ſic in ſua defenſione ſuperbiant, aut quædam vitia contra vitam corripientis exquirant, ut eo ſe criminoſos non æſtiment, ſi crimina & aliis imponant, qui dum vera invenire nequeunt, fingant, ut ipſi quoque habeant, quod non impari juſtitia increpare videantur; Unde & Sophar quidam quaſi irrideri ſe per increpationem doluit, protinus mentiendo ſubjungit: Dixiſti enim: Purus eſt ſermo meus, & mundus ſum in conſpectu tuo*; Quæ verba Sanctus Pontifex calumniam & impoſturam in ſe continere oſtendit, ſiquidem Job proteſtatus fuerat, dicens: *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me*; Unde Sanctus Doctor concludit dicendo: *Sed habet hoc pravorum malitia, ut dum vera in ſe flere mala renuit, fingat aliena; nam quaſi ſolatio facinoris utitur, ſi falſis vocibus & vita corripientis inquinetur.*

*S. Greg. l. 10. mor. c. 1.*

Supplicia eorum.

8. Verum enimvero ſi oculos noſtros in pœnas & ſupplicia convertere velimus, quæ illos manent, qui eos, à quibus per charitatem & prudentiam Chriſtianam corriguntur, derident, contumeliiſque affectos à ſe repellunt, tam Scripturam ſacram, quam Sanctos Patres in comminandis illis ſuppliciis accuratè convenire deprehendemus. Lyranus ſuper illa verba Sapientis: *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, &c.* ita ſcribit: *Quia peccatum ejus eſt irremediabile, eſt enim quædam ſpecies peccati in Spiritum Sanctum, quod irremiſſibile, id eſt, de difficili remiſſibile dicitur.* Quiſquis enim in hac vita correctionem non recipit, in altera vita damnationem infallibiliter expectet. Ac proinde Sanctus Auguſtinus monet dicens: *Prudenter ergo accipiat unuſquiſque monita præceptoris, ut*

*Lyran. Ibid. Prov. 29. v. 1.*

*S. Aug. ſer. 5. de verbo Dom.*





*non*

*non perdat tempus miſericordiæ Salvatoris.* Plato Rempublicam de agendis inſtruens, poſtquam eorum delictorum feciſſet mentionem, quæ ad inſtar infirmitatum mortiferarum, medicina correctionis & cenſuræ opus habent, ſubjungit: *Quos vero inſanabiles Legiſlator eſſe ſenſerit, ultimo ſupplicio hos afficiet, non ignorans ſatius eſſe his, qui inſanabiles ſunt mori, quam vivere, ac ſi vita priventur, dupliciter prodeſſe cæteris, nam horum exemplo à peccato cæteri deterrentur, & improbis hominibus civitas ipſa mundatur.* Dionyſius Carthuſianus notat, quod Salomon correctionem fieri velit *charitative, diſcretè, juſtè, & piè*, & tunc ſi quis illam hoc modo factam rejecerit & contempſerit, *repentinus ei ſuperveniet interitus, id eſt, damnatio improviſa, imo eodem inſtanti, quo tam ſuperbè, ingrate, impatienter ſe habet, moritur in anima peccando mortaliter, & tales incorrigibiles ſolent ſubito mori, ſive interfici: & eum ſanitas animæ non ſequetur, quia manet in vitijs & vulneribus animæ ſuæ.* S. Ambroſius ad illam Jeremiæ viſionem, qua prima baculum, & poſtea ollam ſuccenſam viderat, ſe reflectens, dicit: Ideo Jeremias primo vidit baculum nuceum, deinde ollam ferventem; Cur prius baculum, poſtea ollam? quoniam qui baculo non corrigitur, in ollam mittitur, ut ardeat & tabeſcat. Dei longanimitas infamium illarum civitatum puteolentiam & fœtorem, per multos annos patienter ſuſtinuit: at verò quando Lothi correctionem ſpreverunt, mox Deus per rigidam & ſeveram juſtitiam ſuam in eos animadvertit, quia enim poſt adhibitam illi à Loth correctionem, reſponderunt ei: *Ingreſſus es ut advena, numquid ut judices? te ergo ipſum magis quam hos affligemus*; Immediatè poſt contemptum admonitionum, dicit ſacer textus: *Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Loth ... & eos, qui foris erant, percuſſerunt cæcitate*; Ecce tibi defenſionem juſti Loth, qui virgam correctionis iis applicuerat; ſed & vide ollam ignis ſupplicij illorum, qui virgam illam contempſerant: *Igitur Dominus pluit ignem & ſulphur &c. Tanta enim erat malitiæ proclivitas*, inquit Chryſoſtomus, *ut omnes omni malo replerentur, & nullam correctionem admitterent, totique aboleri digni eſſent, neque enim incurabiles illi morborum medicos ferebant.* Quando autem infirmus ad illam uſque inſaniam pertingit, ut non ſolum medicum à ſe repellat, ſed etiam illum derideat, & contumeliis ac probris afficiat, manifeſtum hoc eſt indicium, quod malum ſuum diligat, & ſalutem ſuam parum aut nil curet. Quemnam obſecro Achab finem habuit, qui correctiones Eliæ contempſerat, auresque ſuas veritati per Micheam ei annuntiatæ non ſolum occluſerat, verum etiam illum tanta cum ignominia & impietate indigne tractaverat? *repentinus ei ſupervenit interitus.*

[Margin: Plato Dial. 9. de legibus. — Dion. Cart. in cap. 29. Prov. — S. Ambr. in Pſ. 38. — Jer. 1. v. 13. — Gen. 19. v. 9. — Ibid. v. 10. — Ibid. v. 24. — D. Chryſ. Hom. 42. in Gen.]

9. Baronius de Sancto Elphego Epiſcopo narrat, quod cum pro ſolemni Eccleſiæ conſuetudine, nonnullis in die Cinerum annuntiaſſet pœnitentiam, eoſque ad abſtinentiam & continentiam pariter fuiſſet adhortatus, unus verò illorum paſtorales ejus admonitiones in deriſum vertiſſet, Sanctus hic Prælatus ei reſpondit: *Contriſtas me miſer, neſciens quid tibi pariat dies ventura*; contigit autem quod die ſequenti idem ille infelix homo mortuus inventus fuerit, utique à dæmone ſuffocatus. Thomas Cantipratenſis de duobus Scholaribus, qui cum ſupra omnem modum inſolentes eſſent, Magiſtrorum ſuorum correctiones minime admittebant, refert, quod uno illorum mortuo, tertia poſt ejus obitum die, dæmon in aſſumpta defuncti ſcholaris ſimilitudine virgam in manu ferream deferens in ſchola coram cunctis ſcholaribus apparuerit: *Nec mora, cum truci vultu in dictos adoleſcentes exurgens, & cum virga mortem illis intentans, repente diſparuit, moxque illi præ pavore in furiam verſi poſt dies aliquos obierunt.* Idem de Hugone de S. Victore, qui ut vir erat in ſpiritu & doctrina celeberrimus, ſecundus S. Auguſtinus appellari meruit, in eodem capite in hæc verba refert: *Qui etſi vitæ laudabilis fuit, in hoc tamen minus perfectè fecit, quod diſciplinas in ſecreto, vel in capitulo cum alijs, pro quotidianis exceſſibus non accepit, habebat enim ut mihi dictum eſt, carnem teneriimam, & nimis à pueritia delicatam.* Poſt mortem verò ejus, ſodalis ipſius cupidus ſciendi quiſnam ejus in altera vita ſtatus eſſet, enixè eum rogavit, ut quoad uſque id ei divina voluntas permitteret, ſtatum ſuum ei manifeſtaret. Quapropter eidem apparens dixit: Ecce ego, quære quod vis, morari non poſſum. Tunc ille, etſi cum timore, non tamen modice gratulatus, quomodo, inquit, dilectiſſime tibi eſt: Bene, ait, nunc mihi eſt; ſed quia dum viverem, accipere renui diſciplinam, vix ullus dæmonum in Inferno remanſit, qui non mihi ictum validum dederit ad purgatorium tranſeunti. Demum verò author numero ſequenti hæc verba ſubjungit: Ecce nunc Chariſſimi, quantò melius eſt, quanto gratius, quantò levius, in vita, quam poſt mortem vir ille doctiſſimus vapulaſſet? videant nunc, qui nec in Capitulis arguere volunt nec argui. Ceſſant accuſationes, & ideo creſcunt exceſſus. Defert unus alteri, ut ſibi ab altero deferatur; Veniet certe tempus, in quo cani muto non valenti latrare, ſilentium indicetur, ore per ignem flammæ vorantis obſtructo. Tunc ille qui latratus accuſantium vel corrigentium ſuſtinere contempſit, clamores, irriſiones, & cachinnos dæmonum ad pœnas inevitabiles compellentium ſuſtinere cogetur.

[Margin: Baron. An. 947. — Hiſtoriæ. — Tho Cantipr. l. 2. Apum. c. 16. n. 7. — Ibid. n. 5.]

10. In Annalibus Eccleſiaſticis legimus Ghiſam inter alias iniquitates ſuas hanc quoque exercuiſſe, quod Catholicos ad Baptiſmum reiterandum violenter urgeret; Cumque Romanos quoſdam ad id faciendum invitos captivos haberet, eoſdem ad duram quamdam ſervitutem obeundam condemnare decreverat; qua de re certior factus S. Severinus, miſit qui eam pro illorum dimiſſione rogarent. Cumque Regina Epiſcopi Legatis cum faſtu proterve reſpondiſſet, S. Severinus hæc ei verba inſinuari fecit: Confido in Deum, quod veniet tempus, in quo ob modicum mihi delatum reſpectum vehementer pœnitebit. Quod ut ei prædictum fuerat, reipſa evenit; Cum enim quidam filiorum ſuorum ad videndum aurifices, quos captivos habebat, abiiſſet, hic ab illis occiſus interiit; Cujus ipſa mortem intelligens exclamavit: O Severine vir nimium ſevere, itane tibi illatas injurias vindicas? Hoccine mihi à te illatum eſt ſupplicium, eo quod ſalutaria monita tua contempſerim? Verumtamen factorum ſuorum pœnitens, ſuamque vitam deinceps emendans, poſt poſtulatam à ſancto viro veniam, meruit, ut filius ejus defunctus à viro Dei ſancto denuo revocaretur ad vitam.

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

De differentia quæ eſt inter juſtos & impios, in recipiendis correctionibus & fructu ex iis ferendo: ubi & de virtute juſtorum agitur, qua ex correctione ſe emendare, fructumque referre ſatagunt.

### THEMA.

*Qui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam, qui autem odit increpationem, inſipiens eſt*, Prov. 12. ℣. 1.

1. Sapiens in aſſumpti thematis verbis differentiam nobis inſinuare voluit, quæ inter perverſos & bonos eluceſcit, dum corripiuntur; de his enim dicit: *Qui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam*; ut Arabicus legit: *Qui amat diſciplinam, amat bonitatem.* Quod etiam moralis Seneca, licet gentilis, non ignoravit; dicit enim: *Admoneri bonus gaudet, peſſimus quiſque correptorem aſperrime patitur*; Melius autem diverſitatem ſub ducatu & præeunte lumine Evangelij agnovit S. Gregorius, dum ait: *Sicut enim recti de quibuſdam, quæ ab eis non rectè geſta ſunt, correptionis vocem, miniſterium charitatis æſtimant, ſic perverſi contumeliam deriſionis putant. Illi ſe protinus ad obedientiam ſternunt, iſti ad inſaniam ſuæ defenſionis eriguntur. Illi correptionis adjutorium vitæ ſuæ patrocinium deputant, per quod dum præſentis vitij culpa corrigitur venturi judicis ira temperatur; iſti cum ſe impeti redargutione concipiunt, gladium percuſſionis credunt.* Unde licet tritum ſit proverbium: *veritas odium parit*; illud tamen cum hac eſt diſtinctione intelligendum, quod ſcilicet boni veritati aures ſuas patulas libenter porrigant, mali verò eamdem ſumma cum reluctantia auſcultent.

[Margin: Mali correctiones odiunt. — Arabicus. — Senec. de Ira l. 3. c. 37. — S. Greg. l. 10. mor. c. 1.]

2. S. Baſilius veritatem frumenti grano comparat, quod ſi bona terræ cultura prævia ſubtus terram ſepeliatur, progreſſu temporis progerminat, & fructum affert: *ſed tamen adde*, inquit hic S. Doctor, *frumenti granum, ſi in pinguem tellurem incidat, turgentem multis granis culmum & ſpicam proferre ſolet: ſi tamen in gracile & macrum ſolum fortè decidit, degeneri commutatione ſæpe in menthain abit, vel aliud ignobilius granum.* Quam ſimilitudinem veritati, quam correctio annexam habet, adaptat dicens: *Ad eumdem modum veritas & correptio, ſi procacem animum nacta, à ſua nobilitate deſciſcens odium parit: ſi tamen in generoſam & ſynceram mentem, tamquam in pinguem tellurem decidit, dilectionem profert.* Cui doctrinæ teſtimonium infallibile Sapiens perhibet, dicens: *Argue ſapientem, & diliget te: quia ei ſapit correctio*, inquit Hugo Cardinalis. Idem Sapiens paulò ante dixerat: *Qui erudit deriſorem, ipſe injuriam ſibi facit, & qui arguit impium, ſibi maculam generat, Noli arguere deriſorem, ne oderit te*, ac demum ſubjungit: *Argue ſapientem, & diliget te; Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia; Doce juſtum, & feſtinabit accipere.* Unde Dionyſius Carthuſ. ait: *Sapiens ſuam reprehenſionem reputat medicinam, & eleëmoſynam ſpiritualem, ac beneficium eſſe magnum, ideo gratias agit & diligit arguentem, quem etiam ex charitatis radice & zelo juſtitiæ confidit eſſe locutum.* De incorrigibilibus verò Hugo Cardinalis inquit: *Talibus medicina vertitur in venenum.* Pomum Perſicum, quod apud nos dulce, ſuave, & gratum eſt, in aliis locis noxium, amarum, & venenoſum eſſe experientia docet. Et ideo licet Plinius de hoc pomo dicat: *Pomum innocuum expetitur ægris*, ideoque alibi illud *ſalutare* appellet; in quibuſdam tamen locis, ob aëris inclementiam eſt pernitioſum; quod idem de correctione aſſerere poſſumus, ſiquidem illa tametſi in animabus perfectis ſummum profectum pariat, in malis tamen damnum potius cauſat.

[Margin: Correctio in malis damnoſa. — S. Baſil. in c. 6. Ioan. — Prov. 9. v. 8. — Hugo Card. Ibid. — Ibid. v. 7. — Ibid. v. 8. — Ibid. v. 9. — Dion. Cart. ibid. — Hug. Card. Ibid. — Plin. 15. c. 12.]

3. S. Gregor. reprehenſionem, qua S. Paulus S. Petrum redarguit, nec non virtutem, qua hic Apoſtolorum Princeps eamdem ſuſtinuit, optime conſiderat; quam enim æquanimiter hanc à Coapoſtolo ſuo Paulo acceperit correctionem, vel exinde colligere poſſumus quod correctorem ſuum poſt correctionem acceptam magnis laudibus extulerit, dum ait: *Sicut & Chariſſimus frater noſter Paulus.* Circa quæ verba præfatus ſanctiſſim. Pontifex ait: *Ecce Paulus in Epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem, & ecce Petrus in Epiſtolis ſuis aſſerit Paulum in his, quæ ſcripſit admirandum.* In hoc enim mali à bonis dignoſci poſſunt, quod hi non contriſtentur, dum corripiuntur, ſed potius gaudeant, non verò item illi. B. Petrus Damianus de eadem Petri reprehenſione à Paulo facta ita ſcribit. *Petrum plane in faciem reſiſtens Paulus objurgat, & coram omnibus reprehenſibilem judicat, quod ille non in accuſationis tulit injuria, ſed benigne & patienter excepit, quod non ex livore, ſed ex charitate procedere perſpicue recognovit.*

[Margin: Boni correctione lætantur. — 2. Petri 3. v. 15. — S. Greg. Hom. 18. in Ezech. — S. Pet. Dam. l. 1. Ep. 12.]

4. Margarita, quæ ſymbolum eſt veritatis, in acetum conjecta reſolvitur, mutatiſque qualitatibus ſuis in eumdem liquorem convertitur: at verò ſi melli immittatur, in ſubſtantiam mellis tranſmutatur. Eumdem quoque effectum veritas Chriſtiana in iis, qui corriguntur, operatur. Si enim hæc in acetum incidat, id eſt, in hominem vitioſum, obduratum & durum, nihil efficit, ſed potius malum hunc hominem in furorem adigit & exaſperat, adeo ut pro correctionis præmio rancorem illius & odium reportet; quos S. Jacob. Apoſtol. alloquens dicit: *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem, non eſt enim iſta ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica*; at verò ſi eadem correctio in animam bonam inciderit, amorem reportabit & benevolentiam; talis enim ob eam ſe profitebitur tibi obligatum, gratiæque tibi pro ea referens exinde proficiet: *Lucratus eris fratrem tuum*; De illo Eccleſiaſticus ait: *Vir prudens & diſciplinatus, non murmurabit correptus.* Verum dicat fortaſſe aliquis; Quod ſi vir ille prudens eſt & ſapiens, quid illi correptione opus erit? Hugo Cardinalis ſuper illa verba: *Argue ſapientem*, difficultatem hanc reſolvit, dum ait: *Sapientem hic vocat, non perfectæ ſapientiæ, quia talis non habet opus argui, ſed ſapientiæ amatorem; In hoc enim eſt quilibet ſapiens, quod cognoſcit ſuam inſipientiam.* Citatque dictum illud S. Bernardi: *Deus tu ſcis inſipientiam meam, quia in hoc ſapiens ſum, quod & ipſe ego ſcio.* Lyranus ſimiliter inquit: *Quia omnis homo quantumcumque ſapiens habeat aliquid arguendum.* 1. *Joan. 1. ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Unde Sapiens in Proverb. dicit: *Qui cuſtodit increpationes, aſtutior fiet, id eſt*, ut Cornelius à Lapide exponit, *prudentior & ſapientior.* De perverſo autem & obdurato homine paulo poſt idem Sapiens ait: *Qui increpationes odit, morietur.* In eodem loco v. 31. legimus: *Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientium commorabitur; Qui abiicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis.*

[Margin: Similitudine declaratur. — Jac. 3. v. 14. — Matth. 18. v. 15. — Eccli. 10. v. 28. — Hug. Card. in c. 9. Pro. — S. Bernard. — Lyran. — 1. Ioan. 1. v. 8. — Prov. 15. v. 5. — Ibid. v. 10. — Ibid. v. 31. — Ibid. v. 32.]

5. Mulier illa Samaritana correptionis virgam ſibi à Chriſto applicari ſentiens (ſiquidem Chriſtus ei omnia ejus delicta aperiebat) quia de electi gregis numero erat, de quo dicitur *Oves meæ vocem meam audiunt*, nec quidquam inde alterata fuit, neque Salvatori noſtro contentioſè contradixit, ſed dixit ei: *Domine, video quia Propheta es tu*: non verò ſic Scribæ & Phariſæi, qui dum eis à Chriſto illorum hypocryſis exprobraretur, correctionem hanc vivaciter ſentientes, illum calumniati ſunt, dicentes: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* David quoque, qui de electorum numero erat, innuit: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*; id quod clarius patebit ex modo quem in correctione à Nathan ei adhibita ſervavit. Prius verò D. Chryſoſtomum de Samaritana & Phariſæis loquentem audiamus: Ita enim hic ſcribit: *Judæi reprehenſi moleſte ferunt, & dicente Jeſu: Quid me quæritis interficere, non ſolum non admirantur, quemadmodum mulier, ſed maledicunt ei & convitiantur dicentes: Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Samaritana non modo nil maledicit, ſed admiratur & ſtupet, & Prophetam autumat.* S. Ambroſius verò in Apologia prima de Davide ait: *Ille Rex tantus & potens, ne exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam, ſed præmatura confeſſione atque immenſo dolore reddidit peccatum ſuum Domino, non verò illud defendit, vel excuſavit; quem mihi nunc facile reperias honoratum & divitem, qui ſi arguatur alicujus culpæ reus, non moleſte ferat? At ille regio clarus imperio, probatus oraculis, cum à privato homine corriperetur, quod graviter deliquiſſet, non indignatus intremuit, ſed confeſſus ingemuit*, imò S. Epiphanius honorem, quem David Nathan detulit, notans inquit: *Honorabat David Nathan & venerabatur hominem, tamquam numen aut ſanctum Dei.*

[Margin: Perverſi Correctores calumniantur. — Ioan. 10. v. 27. — Ioan. 4. v. 19. — Ioan. 8. v. 48. — Pſal. 22. v. 4. — D. Chryſ. H. 31. in Ioa. — Ioan. 7. v. 19. — Ioan. 7. v. 20. — S. Ambr. in Hom. 1. de David. — S. Epiph. l. de vit. Prophet.]

6. Legatur Exodi caput 18. in eo namque invenietis, qualiter Jethro Sacerdos Madian Moyſi modum numeroſiſſimum populum gubernandi præſcripſerit iſque eidem omni cum modeſtia ſubſcribendo libens acquieverit; Id quod D. Chryſoſtomus in Homilia, cujus titulus eſt: *De ferendis reprehenſionibus*, valde admirans, ita ad propoſitum noſtrum ſcribit: *Hoc eſt quod vitam noſtram confundit; Hoc eſt, quod omnem ordinem ſubvertit, quia neque boni conſulimus cum reprehendimur, neque alios reprehendere volumus. Ideo enim moleſti ſumus cum arguimus, quia & exaſperamur cum arguimur. Enimverò ſi ſciret frater, quod à te laudaretur te arguens, ipſe etiam vicariam eamdem operam tibi impenderet. Cæterum ſi diſcere vis, quod etiamſi ingenij acrimonia antecellas alios, ſiſque valde perfectus perveneriſque ad ſummum ipſum virtutis faſtigium, opus tibi eſt aliquo qui te corrigat & arguat.* Proſequitur id ipſum, eaque quæ dixit Moyſis & Jethro exemplo confirmat; dicit enim S. Doctor: Tu utique Moyſen in ſapientia numquam adæquabis, ſiquidem erat *eruditus in omni ſapientia Ægyptiorum omnium hominum mitiſſimus, amicus Deo, & in externa Philoſophia bene inſtitutus, & non minus ſpiritualium intelligentia inſignis, erat potens in verbo & opere, alijſque virtutibus.* Deus loquebatur cum ipſo facie ad faciem, ſicut familiariſſimo ſuo amico; mira quoque operatus fuerat prodigia; *Et nihilominus ſapiens ille, qui tam potens verbo & opere, qui amicus Dei, qui creaturæ imperavit, qui tanta miracula operatus eſt: non animadvertit rem, quam mortalium plerique facile conſiderant. Socer ejus homo barbarus & obſcurus, ſtatim animadvertit, & in medium attulit, quam ille non excogitavit.* Moxque ſuccinctè narrato eo quod accidit, ſubjungit: *Ille barbarus, ille inſipiens eum correxit, non curans quod ſapiens eſſet, & intelligens & Dei amicus, junxit conſilio increpationem, & neque ſic exaſperatus eſt ille ſapiens, ille intelligens, ille tot myriadum Dux. At non inflabatur vel principatus magnitudine, vel miraculis, quæ operatus erat, neque rubore ſuffundebatur, quot tot præſentibus, iiſque ſubditis corriperetur.* Paulo poſt demum ita concludit: *Reprehenſionem bene ferre non vulgaris, ſed ſummæ Philoſophiæ præconium & laus eſt.* Conſiderat inſuper idem S. Doctor, quod ipſemet Moyſes, utpote libri Exodi, & omnium aliorum, qui in Pentateucho continentur librorum author, rerumque hactenus geſtarum exactus Chronographus hæc omnia veridico calamo ſuo ad poſterorum memoriam poſt ſe ſcripta reliquerit: *Non adeo*, inquit, *laudamus & admiramur Jethro, qui Moyſen correxit, ſicut ſanctum illum, qui non erubuit tot præſentibus corrigi, & factum hoc memoriæ commendare, declarans in omnibus ſapientiam ſuam, quod gloriam in tanta eminentia, quæ ſibi à pluribus impenſa fuiſſet, contempſit & conculcavit.*

[Margin: Exod. 18. v. 18. — Moyſes non erubuit corrigi. — D. Chryſ. T. 5. ſer. 13. de ferendis reprehenſionibus.]

7. Porro ſapiens ut corrigentem ad officium tanto efficacius extimulet, eidem perſonæ correctæ benevolentiam tandem ſubſecuturam eſſe promittit, dicens: Qui

[Margin: Correcti dum emendantur gratias agunt.]

Prov. 28. v. 23. Septuagint.

*Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit*; ubi LXX. legunt: *Qui corripit hominis vias, gratias reportabit, magis illo, qui lingua gratificatur.* Nec mirum, quia adulator fovet vitium, correctio autem illud radicitus extirpat. Verum quidem eſt, quod ad hoc, ut corrector hanc à correcto benevolentiam & gratiam obtineat, neceſſum ſit, ut correctio in perſonam timoratam & ſapientem cadat, ſiquidem ſi ſecus contingat, odium potius quam benevolentiam ſibi ſit conciliaturus. Ivo Carnotenſis ſimilitudinem quamdam propoſito noſtro accommodatiſſimam ad hoc explicandum adducit; dum enim conſiderat, quod correctio in primis initiis ut plurimum ſupra modum quidem diſplicere ſoleat, mox tamen illius per experientiam ſuavis percipiatur fructus, ſubjungit ſequentia: *Qui cytharam pulſat, certe ſingulas chordas intendendo cum temperat, ingratum earum ſonum audire ſolet, & poſtea cum omnes tenſæ & modulatæ ſunt, ad harmoniam, ſuaviſſimum concentum eidem reddunt: Ita etiam Doctor ac Prælatus, cum ſubditos ſuos vel auditores coërcet, & quaſi laxas cytharæ chordas ad virtutis & honeſtatis obſervantiam intendit, abſurda ſolet probra & convitia ab eiſdem audire, ac poſteaquam omnes ad honeſtatem & charitatem modulati ſunt, eiſdem aures laude & gratiarum actione demulcent, quas prius vituperando violaverant.*

Ivo Carnot. ſerm. 26.

8. Enimverò bonum hoc correctionis ſemen, ſi in terram bonam & fœcundam ceciderit, centuplicatum fructum adfert: *Quod autem in terram bonam hi ſunt, qui corde bono & optimo audientes verbum, retinent & fructum afferunt in patientia.* Petrus Damianus de hoc corrigendi officio differens, illum Iſaiæ textum adducit, in quo Propheta Meſſiæ adventum prædicans ait: *Judicabit gentes, & arguet populos multos*, & demum ſubjungit: *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces; nimirum*, inquit S. hic Pater, *congruus ordo, dum primum quidem peccator arguitur, deinde & gladij in vomeres, & lanceæ conflantur in falces; nam dum impatiens quiſquam per diſciplinam mitior factus, tamquam planus ager increpationis cultro proſcinditur, deinde ſuavi ſemine ſanctæ prædicationis, & ſic demum fœcunda bonorum ſeminum fruge veſtitur, huic ſcilicet gladij facti ſunt vomeres, & lanceæ convertuntur in falces, quia qui reprehendi prius, tamquam gladio perfodi devitabat, nunc & vomerem ſacræ doctrinæ libenter ſuſtinet, ut fruges ferat, & falcem ſupernæ meſſis expectat ut horrei cæleſtis promptuarium repleat.* Hoc eſt lucrum, quod ſectabatur S. Auguſtin. qui tametſi in dignitate poſitus, S. Hieronymus autem in ſtatu privato conſtitutus eſſet, attamen in hæc verba ad eum ſcribit: *Identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus eſſe perſpexeris, quamquam enim ſecundùm honorum vocabula, Epiſcopatus Presbyterio major ſit, tamen multis in rebus Auguſtinus Hieronymo major eſt, licet etiam à minore non ſit refugienda vel dedignanda correctio.*

Luc. 8. v. 15. — Iſa. 2. v. 4. — S. Pet. Dam. l. 6. Ep. 18. — S. Aug. Ep. 91.

9. In religionibus ſacris, quæ perfectionis & ſpiritualis vitæ ſcholæ ſunt, frequens admodum & familiare eſt ſanctum correctionis exercitium. Unde S. Petrus Damianus in eadem Epiſt. 18. Heriprand. Monachum monens ita ſcribit: *Ad hoc enim homo de ſæculo magiſterio regularis diſciplinæ ſubmittitur, ut rubigo, quam de mundo lenocinante contraxerat, aſperæ correctionis lima detergatur. Unde eſt, quod Sapientia loquitur in Prov. Convertimini ad correptionem meam, & proferam vobis ſpiritum meum, non enim dixit, ad blanditias meas, ſed convertimini, inquit, ad correptionem meam.*

Religioſi ſæpe corriguntur. — S. Petr. Dam. l. 6. Ep. 18.

10. Thomas Cantipratenſis de juvene quodam optimæ indolis in Anglia commorante, eum ibidem in Monaſterio quodam receptum fuiſſe refert, cujus Seniores Patres, bonitate ejus & optimis moribus perſpectis, valde erga ipſum indulgentes omnem ei libertatem indulſerunt: *Prior autem diſcretiori mente & regimine, ipſius, licet peroptimæ naturæ, in tali ætate credendum non putabat, quia, ut dicit Philoſophus: Pueri non tantum monendi ſunt, ſed etiam tractandi. Aggreſſus itaq; eſt jam aliquantulum inſoleſcentem puerum verbis, interdum & verberibus ab illicitis refrænare, qui ad omnem informationem boni, ſtatim quaſi cera mollis, Prioris correctionem accipiens, in adoleſcentem ſanctum & perfectum crevit & circa annos 20. ætate finita, mortuus, Priori apparuit, dicens: Tuæ correctioni gratias ago Pater, qui mecum tua providentia id egiſti, ne inſolentia puerili paulatim defluerem, & tandem prolaberer in damnanda. Hæc ut dixit anima beata tanto fulgore reſplenduit, ut vix angulus in loco remaneret, qui ab illo lumine expers exiſteret.*

Thom. Cantipr. l. 2. Apum c. 17. n. 4. — Exemplum.

11. Marcus Marulus de una ſororum S. Bernardi Abbatis refert, quod cum fratrem ſuum viſitatura, pompoſe more ſolito veſtita ad Monaſterium acceſſiſſet, ſanctus Vir Dei ad eam accedere, eamque videre noluerit, donec ipſa tandem ſerio compuncta vanitatemque ſuam deteſtata, S. Abbatem ad ſui colloquium permovit, qui his eam verbis affatus fuit; Miror plurimum, ô chara ſoror, quod tanto cum faſtu carnem tuam veſtias, quæ paulo poſt in vermes convertenda eſt & cineres; quæ licet brevis correctio tantum apud illam efficaciæ habuit, ut in domum reverſa, poſt diuturnas importunaſque preces à marito ſuo monaſterium ingrediendi, ibique Domino in vita regulari perpetuo ſerviendi licentiam impetraverit.

M. Marul. l. 3. 6. 7.

12. In Promptuario Exemplorum Herolti ad idem propoſitum de nobiliſſima quadam fœmina legitur, quod tanta cum vehementia à cogitationibus immundis tentata fuerit, ut ſæpius in procinctu ſteterit ſeſe in turpiſſimæ immunditiæ lutum ſponte propria præcipitem agere; Cum enim arcis cujuſdam Domina eſſet, virum quemdam, qui juxta caſtri portas vigilias agebat, ad peccatum inſtigare cœpit, qui tamen timore Dei prohibitus, eam, utpote quam in communi hominum opinione honeſtiſſima audiebat, reprehendit, eique impudicitiæ turpitudinem, & gravitatem divinæ offenſæ, nec non honoris jacturam ob oculos poſuit; Obtinuitque correctio iſthæc hanc apud illam efficaciam, ut facti pœnitens, & emendare ſe ſatagens, in aquæ gelidæ ſtagnum ſe conjecerit, in qua omnis ignis, imo omnis ſcintilla concupiſcentiæ extincta fuerit.

Promp. Exempl. Herolt.

## *DISCURSUS VI.*
## ARGUMENTUM.

Cavendum eſt correcto, ne ex correctione nimium ſevera turbetur, ſiquidem illa ad majus illius bonum ordinatur, ſuamque in charitate radicem habet.

### THEMA.

*Quis filius, quem non corripit Pater?* Heb. 12. ℣. 7.

Correctio eſt proficua. — Ibid. v. 5.

1. S. Apoſtolus correctionis virgam benignam pariter & proficuam eſſe oſtendere volens, exemplum adducit Patrum erga filios, & ait: *Quis filius, quem non corripit pater?* Paulo ante monuerat dicens: *Fili mi noli negligere diſciplinam*, id eſt, noli averſionem & odium adverſus eum concipere, qui fraterne te reprehendit; Quod Apoſtoli monitum cum illo Sapientis effato omnino coincidit, in quo dicitur: *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi.* Reprobis autem laxat habenas, eoſque ſine fræno ad præcipitia properare permittit; *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Eo ipſo quo parentes filios ſuos de commiſſis erroribus non reprehendunt, eoſque ad bonam frugem reducere non ſatagunt, manifeſte ſe nullam filiorum ſuorum curam habere ſubindicant, ideoque injuſta & irrationabilis eſt eorum filiorum querela, qua de adhibita à parentibus diſciplinæ ferula lamentantur. Quidnam de infirmo illo diceres, qui de medico conquereretur, eo quod continua illum diæta divexet, aut potiones amaras exhauriendas ei ſæpe propinet? utique ejuſmodi querelas tamquam impertinentes abjiceres & condemnares; Idem quoque ſentiendum eſt, ſi correctus adverſus corrigentem inſurgat, eo quod correctionibus ſuis illum coërcere ſatagat, ſiquidem is, qui diſſolutos & diſcolos reprehendit & corrigit, nihil aliud intendit, quam ut ſaluti illorum proſpiciat, eoſque à præcipitiis & à morte æterna divertat.

Prov. 3. v. 11. — Pſal. 80. v. 13.

2. S. Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribit: *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum pacem habete cum eis.* Circa quæ verba meritò quærendum venit, quo fine Apoſtolus Theſſalonicenſes, & in illis nos omnes tam impenſe & enixè adhortetur, ut pacem habeant cum illis, qui eos monent, & in malefactis corrigunt, & reprehendunt? ſed clara & evidens eſt reſponſio, nimirum quia cum depravata natura noſtra arrogans ſit & ſuperba, ſufferre nequit, ſi moneatur & reprehendatur, ſiquidem ab ipſis primis natalibus noſtris, à primis parentibus noſtris, peccata & errores noſtros excuſare, defendere, & canonizare didicimus; Ideoque neceſſum erat, ut Apoſtolus nos moneret, ut caveamus ne odium vel animi averſionem concipiamus adverſus eos, qui nos corrigunt,

2. Theſſ. 5. v. 12. & 13.



& ſalutaria monita ſuggerunt. S. Anſelmus in Comment. horum verborum ſubjungit: *Sicut ſcriptum eſt: Argue ſapientem & diliget te; Et habete pacem cum eis, ut numquam diſcordetis ab illis, etiamſi graviter vos increpaverint, ac verberaverint.* Chirurgus cucurbitas applicat igneas, ſecat, urit, ſanguinem per venarum aperitionem extrahit, idque totum ad majus infirmi bonum efficit: Quod idem de fraterna correctione verum eſt; nam ubi noſtra vulgata legit: *Seniorem ne increpaveris*; Græcus textus verbum quoddam habet, quod idem ſignificat quod ſecare, vulnerare; quia ſicut pugio corpus transadigit, ita ſæpe reprehenſio, imò nonnumquam etiam admonitio, quamtumvis mitis illa ſit, animam perſonæ alicujus ſenſatæ pertranſit.

S. Anſel. ibid. — 1. Tim. 5. v. 1.

3. In Exodo inter alia præcepta hoc quoque præſcribitur; *Dijs non detrahes.* Circa quæ verba duæ occurrunt difficultates. Et prima quidem circa expreſſionem pluritatis Deorum, qui Gentilium error erat. Secunda eſt, quia hoc præcepto male de Deo loqui prohibemur; quis autem adeo temerarius eſſe poterit, ut vel minimam detractionem de Deo fingere, nedum ore exprimere auſit? verùmtamen omnis planè ceſſabit difficultas, ſi conſideremus, quod hoc loco Deorum nomine Sacerdotes intelligantur. Unde alio in loco Scriptura Sacra de iiſdem loquens, dicit: *Ego dixi Dij eſtis*; quia ergo errores aliorum reprehendere & emendare ad hos ſpecialiter pertinet, ideo Deus improborum malevolentiæ obviare volens, præcepit, ne ullus eorum, qui ab iis corriguntur, contra illos murmurare, aut iis detrahere auſit. Unde Dionyſius Carthuſianus ait: *Quoniam ratione officij ſui, quod eſt corrigere & corripere delinquentes, ſolent ſubditorum offenſam incurrere idcirco cavendum eſt ſubditis, ne ob ſuam aſſignationem indignentur adverſus illos, & ne ex indignatione aut ira ad detractionem, murmurationem, aut conſimilia mala labantur.* Ac proinde neceſſum eſt, ut quiſquis corrigitur, ſcandala recogitet, & malas noxiaſque herbas, quæ ex malè factis illorum progerminare poſſent, niſi hoc correctionis vomere extirparentur.

Contra Correctores non murmurandum. — Exod. 22. v. 28. — Pſal. 81. v. 6. — Dion. Cart. Ibid.

4. S. Auguſtinus in Epiſtola quadam renitentiam naturalem, quia homo hanc in ſe correctionis ferulam admittere recuſat, his verbis exponit: *Quis*, inquit, *facile reperitur, qui velit reprehendi? Et ubi eſt ille Sapiens, de quo dictum eſt: Corripe ſapientem, & amabit te? numquid tamen ideo non debemus reprehendere, & corripere fratrem, ne ſecurus tendat in mortem? Solet enim fieri, & frequenter accidit, ut ad horam contriſtetur, cum reprehenditur; & reſiſtat, & contendat, & tamen poſtea conſideret ſecum in ſilentio, ubi nemo eſt, niſi Deus & ipſe, nec timet diſplicere hominibus, quia corripitur, & deinceps non faciat illud, in quo juſte reprehenſus eſt, & quantum odit peccatum ſuum, tantum diligat fratrem, quem ſenſit hoſtem peccati.* Ubi ſpecialiter obſervanda ſunt hæc ultima verba: Tantùm diligat fratrem, &c. tametſi enim ſubinde ex inſtinctu ſuperbiæ noſtræ in principio impatienter feramus eum, qui corrigit, attamen poſtea dum intra noſmetipſos recolligimus, bonumque quod exinde in nos dimanat, conſideramus, *diligimus fratrem, quem ſentimus hoſtem peccati noſtri.* Hic tamen fructus minime percipitur ab hominibus perditæ ſalutis; Et ideo Sapiens ait: *Qui erudit deriſorem, ipſe injuriam ſibi facit, & qui arguit impium, ſibi maculam generat. Noli arguere deriſorem, ne oderit te.* Cajetanus legit: *Maculam ejus multiplicat*, non quidem corrigentis, ſed hominis iniqui, qui corrigitur, huic enim malitia accreſcit, dum reprehenſionem & emendationem contemnit; & qui correctorem ſuum amare ſequè erga illum gratum exhibere deberet, econtra ira & odio adverſus eumdem accenditur. De quo proinde Venerabilis Beda ait: *Fruſtra laborat, qui verbum ſapientiæ inculcare nititur ei, qui audire contemnit, ſapientiorem ſe Doctorem & majorem exiſtere credens.*

Nemo libenter reprehenditur. — S. Aug. Ep. 17. — Prov. 9. v. 7. — Ibid. v. 8. — Cajet. — Ven. Beda. Ibid.

5. Idem S. Auguſtinus correctionem adulationi præferendam & præeligendam eſſe docet his verbis: *Blanditur ſuperbia, ſævit amor, illa veſtit, iſta cædit, accipitur magis plaga charitatis, quam eleëmoſyna ſuperbiæ.* Tametſi enim non nemo efferveſcat, & in reprehendendo zelum ardentem & indiſcretum exhibeat, attamen S. Auguſtinus in Tract. ſeq. dicit: *Tenete dilectionem & ſecuri eſtote; Quid times ne male facias alicui? Quis male facit ei, quem diligit? Dilige, non poteſt fieri, niſi bene facias; ſed forte corripis, amor hoc facit, non ſævitia. Sed forte cædis, ad diſciplinam facis.* Tandem diſcurſum ad eum, qui peccatori adulatur, convertit dicens: *Adhibet illi unctionem dilectionis ſuæ; ecce adit, & laudat; alter vidit amicum ſuum, tale aliquid facere revocat. Si illum non audiat, profert verba etiam caſtigationis, objurgat, litigat. Aliquando venitur ad hanc neceſſitatem, ut litiget. Ecce odium blandientis, & quaſi ſævitiam objurgantis, veniam inſpice, radicem, unde procedat, quære. Ille blanditur ut decipiat, iſte litigat, ut corrigat.*

S. Aug. T. 9. ex Tr. 8. in Ep. Ioan. — S. Aug. Tr. 10. ibid.

6. In Deuter. hominis cujuſdam fit mentio, qui ad cædendum ligna ſylvam ingreſſus, hoc ſibi obvium habet infortunium, ut ferrum ſecuris è manubrio fortuitò elapſum, amicum ſuum ad mortem uſque vulneraverit: *Si in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit manu, ferrumque lapſum de manubrio amicum ejus percuſſerit & occiderit, hic ad unam ſupradictarum urbium confugiet, & vivet.* Etenim multis ſæpe contingit, quod ſubinde ex nimio zelo in reprehenſionem aliquam nimis ſeveram & indiſcretam prorumpant: at vero auſcultetis velim S. Gregorium, qui hunc Deuter. textum adducit, & exponit, dicens: *Ad ſylvam quippe cum amico imus, quoties cum quolibet proximo ad intuenda delicta noſtra convertimur; & ſimpliciter ligna ſuccidimus, cum delinquentium vitia pia intentione reſecamus; ſed ſecuris manu fugit, cum ſeſe increpatio pluſquam neceſſè ſit, in aſperitatem pertrahit, ferrumque de manubrio proſilit, cum de correctione ſermo durior excidit, & amicum percutiens occidit, quia auditorem ſuum prolata contumelia à ſpiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, ſi hanc immoderata increpatione plus quam debuit, addicit.* Ad hunc igitur ſcopulum declinandum, ne naufragemur, id eſt, ne amorem & dilectionem erga proximum noſtrum, eum videlicet, qui indiſcretè nos corrigit, amittamus, quodnam adhiberi poterit remedium? Jam illud ex S. Auguſtino audiſtis: *Veniam inſpice, radicem, unde procedat, quære.* Idem quoque hoc punctum à S. Gregorio tangitur, qui nimis ferventem ſervorum Dei zelum ſeqq. verbis excuſare nititur: *Sæpe*, inquit, *magnis hoc Doctoribus, mirandiſque contingit, ut quo alta charitate fervent, eo modum correptionis exaggerent, & lingua aliquid, quod non debet, dicat, quia mentem dilectio, quantum debet, inflammat, ſed verbum prolatæ contumeliæ tanto citius parcitur, quantum & ex qua radice producat, penſatur.* Per experientiam namque videmus, quod ſæpe aliqui ex eo, quod ab amico reprehenſi fuerint, exaſperati iracundos ſe exhibeant, qui tamen poſtea ad correctionis veritatem ſe reflectentes, & beneficium, quod exinde in illos dimanat, conſiderantes, tanto arctiori cum eis amicitiæ fœdere ſociantur. Fuit hæc quoque S. Iſidori in ſententiis ſuis conſideratio, dum ait: *Nonnumquam accidit, ut inter amicos aliqua redargutionis nutrita diſcordia majorem poſtea charitatem parturiat, utpote dum corriguntur ea, quæ diſplicere in amico videntur, & hoc quidem primum non ſine quadam æmulatione admonitus ſuſcepit, ſed correptus poſtmodum gratias agit.*

Deut. 19. v. 5. — S. Greg. l. 10. mor. c. 5. — S. Auguſtin. — S. Gregor. — S. Iſid. l. 3. ſent. c. 32.

7. De Jacob Patriarcha legitur, quod morti vicinus prius omnes filios ſuos benedicere voluerit, quam ex hac vita migraret; Et quidem dum ordo ad Ruben perveniſſet, ad eum ſe vertens, dixit ei: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* At vero quiſnam modus benedicendi fuit iſte? potius enim eum reprehendiſſe videtur; unde S. Ambroſius dicit: *Nonne redargui magis quam benedici videtur?* Et tamen hoc improperium, hic modus indignationis, inſtar benedictionis fuit. Sic quoque idem Jacob aliis duobus filiis ſuis dixit: *Simeon & Levi fratres: vaſa iniquitatis bellantia, In conſilium eorum non veniat anima,... Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* Quid vobis videtur? Num hic loquendi modus benedictio fuit, an vero maledictio? Audite ſacrum & veridicum Spiritus S. eloquium, quod mentiri non poteſt: *Benedixitque ſingulis benedictionibus propriis*; Reprehenſiones igitur, correctiones & improperia, quæ ex charitate & ardenti zelo ſalutis eorum, qui redarguuntur, dimanant, ſunt veluti benedictiones; ac proinde merito Cajetanus inquit: *Omnia dicit benedicendo, nam & arguere & punire aliena non ſunt à paternis benedictionibus.*

Reprehenſiones ſunt benedictiones. — Gen. 49. v. 4. — Ibid. v. 5. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 7. — Ibid. v. 28. — Cajet. ibid.

8. Regulus ille Evangelicus coram Salvatore noſtro cum hac ſupplicatione ſe ſtitit: *Deſcende priuſquam moriatur filius meus*: qui tamen in vicem ſperatæ gratiæ acrem à Chriſto reprehenſionem reportavit, qui dixit ei: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*; Hæc tamen eadem modicæ fidei ſuæ reprehenſio, ab eo cum æquanimitate & patientia ſuſcepta, eum ſalute corporali & ſpirituali filij, ſua, & omnium domeſticorum dignum effecit; ſiquidem *credidit ipſe & domus ejus tota*, nimirum *arguit eum, ut magis in fide confirmaret*, inquit Chryſoſtomus.

Ioan. 4. v. 49. — Ibid. v. 48. — D. Chryſ. Ho. 38. ibid.

9. Sponſus inter alia corporis ſponſæ ſuæ membra ſupra modum labia ejus extulit, dicens: *Sicut vitta coccinea*

Cant. 4. v. 3.

Reprehenſio fiat ex motivo charitatis.

*cinea labia tua, & eloquium tuum dulce:* quibus verbis os & linguam ſponſæ vittæ ſeu ligaculo coccineo ſive purpureo comparavit; unde quod S. Gregorius de Prædicatoribus Evangelicis ſcribit, nos quoque iis, qui alios fraternè corrigunt, adaptare poſſumus: *Labia ſponſæ ſicut vitta ſunt, quia exhortatione S. Eccleſiæ, cunctæ in auditorum mentibus diffuſæ cogitationes ligantur, ne remiſſæ defluant.*

S. Greg. l. 2. mor. c. 26.

Hi igitur, quibus ex debito officij incumbit alios corrigere & reprehendere, impiorum & diſſolutorum hominum paſſiones & affectus inordinatos ligare & reprimere debent, depoſito omni reſpectu humano & ſine ira, rancore, aut paſſione, & ex ſolo motivo gloriæ Dei, & ſalutis animarum. *Quam rectè & coccineam aſſerit*, inquit præfatus S. Gregorius *quia Sanctorum prædicatio* (nos quoque addere poſſumus, correctio) *ſolo charitatis ardore flammeſcit.* Quotieſcumque igitur in correctione hic amor relucet, quoties in zelo corrigentis ardet & ſplendet charitas, tametſi reprehenſione in principio quoad ſenſum carnis amara ſit, tamen ſponſus, id eſt, reprehenſus, monitus, vel correptus, ſi non in præſenti, ſaltem ſuo tempore lubens fatebitur & dicet: *Eloquium tuum dulce.* Sic David dicebat:

Pſal. 118. v. 10.

*Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo;* ſed quo fructu, quave utilitate dulcedinem hanc, perſenſit?

Ibid. v. 104. Ibid. v. 105.

*A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis; Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*, quia ſe emendavit, & immaculatam deinceps vitam egit, unde inquit:

Ibid. v. 106.

*Juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ.*

Correctio medicina eſt ſpiritualis.

10. In eiſdem ſacris Canticis ſponſus ſponſam gravi & non modicæ conſiderationis reprehenſione redarguiſſe legitur: Poſtquam enim ipſa ſponſum ſuum ex ardenti amore interrogaſſet dicendo:

Cant. 1. v. 6.

*Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum;* hoc à ſponſo ſuo prima facie aſperum & iracundum reſponſum accepit:

Ibid. v. 7.

*Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos juxta tabernacula paſtorum.* Obſervandum eſt autem, quod dum hæc diceret, amor ſponſi erga ſponſam, quam reprehendebat, ne vel unico gradu, imo ne vel minima drachma diminutus fuerit, ſiquidem eodem tempore, quo illam reprehendebat, pariter ab eo vocabatur *Pulcherrima inter mulieres.* Quia igitur ſponſa correctionem hanc quantumvis aſperam, ſuam in ferventiſſimo, quo erga eam ferebatur amore radicem poſitam habere ſcivit, ex illa nec quidquam exaſperata fuit, imo eidem in omnibus placere ſummo ſtudio conata fuit; unde & ſponſus eam immediate poſtea ad ſtellas uſque laudibus extulit, dicens:

Ibid. v. 8. Ibid. v. 9.

*Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea; Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia,*

Ibid. v. 10.

*Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

Hug. Card. Ibid.

Et tamen Hugo Cardinalis hæc verba: *Si ignoras te &c.* veram reprehenſionem fuiſſe dicit: *Vox ſponſi ad ſponſam arguentis eam.* Atque hinc eſt, quod

Simon de Caſſia l. 2. c. 44.

Simon de Caſſia omnes peccatores hortatur, ut ſe in corrigentium manus & directionem eo modo conſignent, quemadmodum ſe infirmus inter Medici brachia committit, ipſamque correctionem medicinam quamdam eſſe conſiderent ad ſpiritualem eorumdem ſalutem ordinatam. Dicit enim: *Eum, qui corripitur, oportet in amore fieri ad corripientem, ſicut in infirmitate corporis fatiſcens, totum in Medici & opportune curatoris manus ſe donat, & ſæpe laudat ejus urentes manus, & ſecantes carnem, cum igne atque raſorio fuerit opus ad curam, & benefactorem vocat, qui pro modica ſanitate corporis, acutiſſimos dolores infixit.* Is quoque qui adhibitas ſibi correctiones vivaciter nimis ſentit, inſuper conſideret, quod tametſi ea, quæ ſibi exhibetur medicina amara ſit & nauſeabunda, is tamen, qui eam ipſi præbet, ejus operetur ſalutem.

S. Bern. in t. 4. ſer. 22.

*Conſidera bene iſtud vocabulum, corripere*, inquit S. Bernardinus, *quod idem eſt, quod cor rapere; Quemadmodum ſi filius tuus, cadit in ignem, tu ſubito extrahis eum, quia officium charitatis eſt ſubito, ſublevare cadentem, & corde rapere eum de igne inferni.*

S. Gregorius aliam quamdam inſinuat amoris & charitatis ſervorum Dei ſubtilitatem, quæ ab iis ſpecialiter obſervari debet, qui dum cum nimio rigore reprehenduntur, per iram nimis efferveſcunt; dicit igitur: *Juſti cum ſevere corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittunt, nam ſæpe pro inquietudine refrænanda pravorum, duritiam diſtricti rigoris aſſumunt, ſed intus charitatis igne liqueſiunt, atque eorum amore ardent, in quos aſpera correptione ſæviunt ſeque etiam eis intrinſecus in ſecreto cordis humiliant, quos duris foris animadverſionum ſtimulis, quaſi deſpiciendo caſtigant.*

## DISCURSUS VII.

### ARGUMENTUM.

Correctio proximi ex motivo Charitatis procedere debet, ideo enim correctio fraterna nominatur; idque ex quibusdam Chriſti exemplis liquidè oſtenditur.

### THEMA.

*Ego quos amo arguo*, Apoc. c. 3. ℣. 19.

Correctio ex charitate fiat.

1. EX hoc veridico & infallibili Spiritus veritatis teſtimonio evidenter deducitur, quod amor & charitas correctionem, ſicut cauſa ſuum effectum neceſſario præcedere debeat. *Ego quos amo arguo.* Unde Angelicus Doct. hanc tractans materiam in Artic. 1. quærit: An correctio fraterna ſit actus charitatis? Reſpondetque affirmativè, quia ſpecies quædam eſt Eleëmoſynæ ſpiritualis:

S. Thom. 2. 2. Q. 33. A. 1.

*Correctio*, inquit, *qua fratris malum & peccatum repellimus, actus miſericordiæ & charitatis eſt, ut imperantis, & magis quam infirmitatis curatio, vel ſubventio;* Redditque rationem, cur ad hanc potius, quam ad aliam virtutem pertineat, dicens: *Actus charitatis eſt, quia per illam repellimus malum fratris, ſcil. peccatum, cujus remotio magis pertinet ad charitatem, quam etiam remotio exterioris damni.* Et ideo B. Laurentius Juſtinianus, qui eximius Magiſter fuit vitæ ſpiritualis, inquit:

B. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 16.

*Objurget amicus amicum, non jactantiæ ſtudio, ſed charitatis affectu, nec admonitio aſpera ſit, ſed dulcis, non contumelioſa, ſed pietate plena.* Quod monitum, ni fallor, à S. Thoma didicit, qui pariter in libro ſententiarum ita ſcribit:

S. Thom. in 4. diſt. 19. Q. 1. A. 3. ad 3. & 9.

*Fraterna correctio ſemper magis debet ad lenitatem accedere, quia non ex authoritate officij, ſed ex charitatis affectu exhibetur.* Unde S. Auguſtinus monet, ne quis hoc miniſterium aggrediatur, niſi prius ſuam examinaverit conſcientiam, ut in ea perſpiciat, an ex ſolo amoris & charitatis motivo moveatur ad monendum & corrigendum proximum:

S. Th. T. 4. in Ep. ad Gal.

*Numquam itaque*, inquit, *alieni peccati objurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi cum internis interrogationibus examinantes noſtram conſcientiam, liquido nobis coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere.* Et alibi in libro, qui intitulatur:

S. Aug. l. de gratia & lib. arbit. l. 17. T. 7.

*De gratia & libero arbitrio*, nos monet, ut dum fratrem noſtrum corrigere volumus, hanc nobis virtutem ob oculos & magis in corde noſtro propoſitam habeamus; Et quidem multas hinc inde allegans S. Pauli authoritates, ad hanc nobis charitatem commendandam directas, inquit S. Doctor: *Satis oſtendit etiam ipſas correptiones, quas aſperas & amaras ſentiunt, qui corriguntur, cum charitate eſſè faciendas.*

2. D. Chryſoſt. quoque docet, quam utile & proficuum ſit, ſi correctio cum demonſtratione charitatis & amoris conjungatur:

D. Chryſ. H. 3. ad pop. Antioch. Inſtructio.

*Vis fratrem corrigere?* inquit, *lachrymare, ora Deum, ſeorſim apprehenſum admone, conſule, exhortare, ſic & Paulus faciebat. Declara charitatem erga peccatorem, perſuade ipſi, quod conſulens & curans, non traducere volens, peccati ipſum commonefacis, comprehende pedes, oſculare, non erubeſcas, ſi modo vere mederi vis. Hæc & Medici faciunt ſæpius, difficiles ægrotos habentes, oſculantes, rogantes perſuadent ſalutarem ſumere medicinam.* Sic S. Paulus Corinthiis dicit:

2. Cor. 2. v. 4.

*Ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas;* Erant quippe Corinthij, ut ex duabus Paulinis Epiſtolis clare ſatis patet, in multis gravibus peccatis reprehenſibiles, ipſos autem admonere, reprehendere, corrigere ad ipſum ſpectabat, ſed obſervanda ſunt verba quæ ſequuntur:

Ibid.

*Non ut contriſtemini, ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Quem textum S. Ambroſius conſiderans ait:

S. Ambr. Ibid.

*Manifeſtum eſt, quia quando hoc affectu quis aliquem corripit, ut plus illo doleat de peccatis ejus, non utique ut illum contriſtet, corripit, ſed ut oſtendat illi, quo amore diligat eum. Qui enim non hoc affectu corripit fratrem, contriſtat, inſultat enim, qui non condolet fratri.* S. Gregor. ſimiliter modum docere volens, quem ſacri Doctores ſervare debent, dum tamquam Patres ſpirituales hac correctionis virga erga aliquem uti volunt, his verbis eos monet:

S. Greg. l. 26. mor. c. 5.

*Verba aſperæ increpationis movent, ut ſpinas mortiferæ cogitationis eradicent, & hæc cum agunt charitatis amore ſæviunt, non inflatione elationis intumeſcunt.* S. Anſelm. verba illa ad Corinth. exarata, videlicet.

1. Cor. c. 16. v. 14. S. Anſel. ibid.

*Omnia veſtra in charitate fiant*, exponens, hanc illorum aſſignat rationem, *nam quidquid ſine charitate agitur, nihil eſt, quamvis eſſè bonum valde videatur.* Proſequitur hanc doctrinam ulterius & dicit, quod etiam reprehenſiones, quæ ut plurimum



aſperæ videri ſolent, ab hac nihilominus charitate derivari debeant: *Cum dicit omnia, ſatis oſtendit, etiam ipſas correptiones, quas aſperas & amaras ſentiunt, qui corripiuntur, cum charitate eſſe faciendas.*

3. S. Anton. de Padua Evangelium quod de hac correptionis materia tractat, & præcipue illum à Salvatore præſcriptum ordinem: *Vade & corripe*: exponens, primo loco de correctione dicit:

S. Ant. de Pad. ſer. in Fer. 3. poſt Dom. 3. Quadr. D. Chryſoſt.

*Hæc ſupponit actum charitatis. Vade, quod dupliciter poteſt intelligi, uno modo ad literam, vade & corripe*, id eſt ut exponit D. Chryſoſtomus, *Vade ad eum, quia ad te venire verecundatur: alio modo dicit, Vade, ad deſignandam, quid debeat te movere, quia charitas iſta debet te portare, & utilitas proximi attrahere.* S. Bernardinus eadem verba, *vade & corripe* exponens, eum, cui officium corrigendi incumbit, monet dicens:

S. Bern. T. 2. ſer. 26. A. 2. c. 1.

*Debes ex charitate conſiderare, quantum illi & tibi neceſſarium eſt, eripere eum de ſtatu damnationis; Ideo Dominus ait; Et corripe eum, id eſt, cor ejus rape de ſtatu damnationis vel perditionis.* Alibi quoque

S. Bern. in T. 3. ſer. 3. de Chriſt. piet. A. 2. c. 1.

ſcilicet in Tom. 3. in ſerm. qui *de Chriſtiana pietate* intitulatur, idipſum monens ait: *Corripere eſt ſubito cor rapere de periculo, ut ſolertiam charitatis oſtendat;* Ignis enim divini amoris & veræ charitatis fervidus eſt atque ſolicitus. *Neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia.*

4. Reg. 4. v. 29.

4. S. Propheta Eliſæus ut filium Sunamitidis revocaret ad vitam, Eliſeum ſervum ſuum tanta cum ſolicitudine & anxietate ad domum ejus miſit, ut illi vel tantillum in via ſe ſiſtere aut morari, imo ſalutantes reſalutare prohibuerit, & baculum ſuum ſecum portare, mortuoque puero imponere juſſit, qui tamen nullum habuit effectum, cujus myſterium S. Petrus Damianus his verbis declarat:

S. Pet. Dam. Opuſc. 12. c. 28.

*Sunamitis nempe filium puer ab Eliſeo miſſus, cum baculo non reſuſcitavit, per ſemetipſum vero Eliſeus veniens, ad redivivam lucem protinus per myſterium compaſſionis animavit. Omnia in figura contingebant.* Charitas enim urgere debet mortuum ſuſcitare volentem, ut in propria perſona vadat: *vade & corripe.* Lingua quoque tenera & dulcis, non vero baculus dominij & rigoris adhibendus eſt;

1. Cor. 3. v. 2.

*Tamquam parvulis in Chriſto*, dicebat Apoſtolus, *lac vobis potum dedi*, nimirum ut doceret charitatem adaptandi ſeſe ad debilitatem & fragilitatem humanam.

S. Pet. Dam. ubi ſup.

*Super mortuum ſepties aſpirat*, inquit Damianus, *quia ad pernicionem divini muneris gratia ſeptiformis Spiritus in peccati morte jacentes inflammat, moxque vivens erigitur, quia is quem terroris virga ſuſcitare non potuit, per amoris Spiritum puer ad vitam redit*, nam *à divina charitate*, ut Simon de Caſſia inquit, *agi oportet alterius reprehenſorem:*

Simon. de Caſſia l. 9. c. 44.

In ſpiritu S. in charitate fiat correctio.

5. Quando incarnata ſapientia apud S. Joannem, mundum poſt ſuum in cœlos aſcenſum, correctorem ſuum habiturum eſſe prædixit, hunc correctorem pariter non alium quam Spiritum S. futurum eſſe declaravit, unde ait Apoſtolus:

Joan. 16. v. 7.

*Expedit vobis ut ego vadam, ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos;* at vero quodnam erit illud Spiritus S. miniſterium, cui ſe primo omnium loco applicabit:

Ibid. v. 8.

*Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio;* at vero cur ad hoc tam odioſum officium adimplendum, non potius Poteſtates, Thronos, Dominationes, vel Cherubicos Angelos cum gladio igneo atque verſatili in mundum miſit? Scitiſne cauſam? nimirum ut modum intelligamus, quo cum corrigendus & emendandus eſt mundus, ſcilicet in ſpiritu, in amore, in charitate: Spiritus S. enim merus amor & mera bonitas eſt.

Gal. 5. v. 22.

*Fructus autem Spiritus pax benignitas, bonitas &c.* Ac proinde Apoſtolus non quemlibet ad correctionis officium exercendum admittere volebat, ſed illos ſolum, qui ſpiritu pleni erant, qui cor amore Dei & vera ergo proximos charitate accenſum habebant.

Gal. 6. v. 1.

*Fratres*, inquit ad Galatas, *etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Deſcendit porro Spiritus S. in forma ignis, ſeque Apoſtolis in ſpecie linguarum inſinuavit, & cum impetu venit:

Act. 2. v. 2.

*Factus eſt repente de cœlo ſonus:* Verumtamen ut ſancta mater Eccleſia canit, hæc omnia ad illum finem fiebant: *Verbis ut eſſent proflui & charitate fervidi.*

Fratres tui ſunt quos corrigis.

6. Obſervandum eſt præterea, quod hic charitatis actus non ſine myſterio appelletur correctio fraterna, quia quando aliquid ex fraterno amore procedere dicitur, nihil amplius quoad dilectionem exprimendam dici poſſe videtur. Adhæc quando in Scriptura ſacra de correctione agitur, proximus ut plurimum nomine fratris exprimitur, ſicut & illi, qui hoc executurus eſt officium, dicitur:

S. Bernard. ſer. 28. cit.

*Si peccaverit frater tuus. Ponitur autem potius nomen fratris, quam hominis, aut peccatoris*, inquit S. Bernardin. *eo quod frater nomen eſt amoris & charitatis, quia ex uno Patre creati & regenerati ſumus, ideo correctio fratris ex radice debet procedere charitatis. Fratres*, inquit S. Paulus ad Galat. *etſi præoccupatus fuerit homo in delicto:* ubi fratrem nominat eum, qui correcturus eſt proximum; de quo nomine D. Chryſoſt. ita ſcribit:

D. Chryſ. h. de nom. Abr.

*Fratres, ſatis eximio nomine benevolum reddit auditorem, quaſi dicturus: Ejuſdem uteri partu & doloribus prognatus es, eumdem habuiſti Patrem, eiſdem alimentis educatus es, communicaſti in nativitate ſpirituali cognationem & fraternitatem, hanc etiam in corrigendis proximi erratis declara.* Idem S. Paulus ad Corinth. ſcribens, illoſque ob mutuas, quæ inter ipſos ſubortæ fuerant, diſcordias & contentiones redarguere volens, hunc in modum illos in epiſtola alloquitur:

1. Corint. 1. v. 11. Catharinus.

*Significatum eſt mihi de vobis, fratres mei, ab iis, qui ſunt Chloes, quia contentiones ſunt inter vos;* circa quæ verba Interpres quidam notat, quod Corinthios *Fratres vocat, ut dulciter & in Spiritus bonitate admoniti, facilius correctionis medelam ſumant.* Theſſalonicenſibus quoque ſcribens dicit quidem cum magno verborum rigore:

2. Theſſal. 3. v. 14.

*Quod ſi quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hanc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur:* verumtamen advertenda ſunt verba, quæ ſequuntur, dicit enim:

Ibid. v. 15.

*Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem*, id quod S. Aug. egregie obſervat, dum ait:

S. Aug in Pſalm. 192.

*Videte quid dicat Apoſtolus: Si quis autem non obedit verbo noſtro per Epiſtolam &c. ſed ne ſubrepat tibi ex hoc iracundia, & turbet oculum tuum, non inquit, ut inimicum exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem, ut erubeſcat; à quo indixit ſeparationem, non prædicit dilectionem.* Enimvero nemo eſt, qui neſciat nefandum illum exceſſum, quem infames Sodomiticarum civitatum incolæ circa duos illos Angelos, qui in aſſumpta pulcherrimorum juvenum ſpecie Sodomam ingreſſi fuerunt attentarunt. Loth quidem Dei contumeliati honorem, nec non honeſtatem pudicitiæ horum exiſtimatorum juvenum ardenter zelans, ut illos concives ſuos ab infami conatu ſuo proſequendo compeſceret, ſe interpoſuit; at vero audite & notate qualiter S. hic Vir Dei correctionis virgam illis adhibuerit, quando iræ & furoris fulmina in eos vibraturus eſſe videbatur:

Gen. 19. v. 7.

*Nolite quæſo*, inquit, *fratres mei, nolite malum hoc facere.*

Chriſtus docet ſuperiores.

7. Hunc tamen charitatis & amoris ſpiritum Salvator noſter longe ſpecialius & efficacius in Nov. Teſt. verbo nobis & exemplo commendavit; cum enim Samaritani portas urbis ante faciem Chriſti eas ingredi volentis ignominioſe clauſiſſent:

Luc. 9. v. 53.

*Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem*, duo illi zelo Præceptoris ſui ardentes germani fratres S. Jacobus & Joannes qui cum illo erant, licentiam ab eo poſtularunt, dicentes:

Luc. 9. v. 54. Ibid. v. 55. Ibid. v. 56.

*Vis dicimus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? Jeſus converſus increpavit eos dicens: Neſcitis cujus ſpiritus eſtis, Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Ubi S. Hier. ait:

S. Hieron. ex l. 11. Dial. adverſ. Pelag.

*Jacobus & Joannes vere filij tonitrui, & zeli ardore ferventes, Phinees & Eliæ ignem de cœlo deducere cupiunt, & corripiuntur à Domino, qui utique non corriperentur, ſi abſque errore talia voluiſſent.* Videtiſne modum, quo benigniſſimus Salvator noſter in reprehendendo uſus fuit? Sic quoque cum multos ſuorum circa ſublimiſſimum Euchariſtiæ myſterium vacillantes videret, eoſdem interrogavit dicens;

Joan. 6. v. 68. Ibid. v. 69.

*Numquid & vos vultis abire?* Petrus tamen omnium nomine reſpondit: *Domine quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Similiter de illo adoleſcente, qui ſe Chriſto ſponte offerebat ad ſequendum quocumque iret, dicens:

Luc. 9. v. 57.

*Magiſter ſequar te, quocumque ieris;* Sapientiſſimus Magiſter, qui ſcrutabatur renes & corda, probe nimis ſciebat finem, ob quem ſe ad Chriſti ſervitium adeo prompte offerebat temporalem & terrenum eſſe, utpote qui ſe per hanc Chriſti ſequelam res ſuas hic in terris mire augere poſſe ſperabat, adeoque de cœlo vel ſalute æterna acquirenda minime ſolicitus erat, quem proinde jure merito gravi reprehenſione objurgare potuiſſet; at vero audite charitatem Chriſti ingenioſam, per quam illum corrigere & ad ſaniorem mentem perducere conatus fuit:

Ibid v. 58.

*Vulpes*, inquit, *foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.*

Abulenſ. ibid.

Porro Abulenſis Chriſtum hunc adoleſcentem hoc loquendi modo ab errore ſuo, quo laborabat, eximere voluiſſe opinatur, ſiquidem is Chriſtum commodam, delicatam & voluptuoſam vitam agere crediderat, quem proinde graviter hallucinari Chriſtus oſtendere voluit, ſiquidem potius oppoſitum ejus, quod ſibi imaginabatur reipſa verum ſit; nam licet vulpes foveas habeant, & volucres cœli nidos, attamen filius hominis, id eſt, Chriſtus, non habet, ubi caput reclinet. Quibus verbis, ut Ethymius quoque

que ait: *Dupliciter illum juvit, & manifeſtando, quod animæ illius arcana noſſet, & illum non manifeſte arguendo, ſed ipſi ſoli reprehenſionem aperiendo, ut pudorem effugeret, & ſi vellet, corrigeretur.*

Luc. 22. v. 24.

8. Adhæc poſt illam nimis arrogantem duorum fratrum, eminentiores regni ſui ſedes ambientium petitionem, inquit ſacer textus: *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major;* Quæ manifeſta decem aliorum Apoſtolorum ambitio acerbam licet reprehenſionem promerita fuerit, ab hac tamen benigniſſimus eorum Magiſter abſtinuit; neque enim illis nimiam illorum ſuperbiam & ambitionem, qua ſe ſeduci permiſerant, exprobravit, nec modicum illis ſui reſpectum aut reverentiam objecit, nec exiguum fructum, quem ſibi in humilitatis ſchola ſub inſigni illo Magiſtro, qui ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde,* compararant, illis obtruſit, ſed hæc ſolũ verba illis propoſuit: *Reges Gentium dominantur &c. vos autem non ſic.* Unde S. Hieron. ait: *Humilis magiſter & mitis, nec cupiditatis immodicæ duos arguit poſtulantes, nec decem reliquos indignationis increpat, & livoris, ſed tale ponit exemplum, quo doceat eum majorem eſſe, qui minor fuerit, & illum Dominum fieri, qui omnium ſervus ſit.*

Matth. 11. v. 29.
Luc. 22. 25.
S. Hieron.

9. Judas ſimiliter de pretioſi unguenti, quod Magdalena in Salvatoris adhibuerat obſequium, effuſione præ cunctis aliis murmuravit; at verò notanda eſt charitas, qua Chriſtus in ejus reprehenſione uſus fuit; Dicit enim ſacer textus: *Sciens autem Jeſus ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri?* ubi notanda eſt dictio illa *ſciens;* Chriſtus namque totum detractionis venenum ſuam ab avaritia traditoris originem trahere ſciebat, & tamen, ut Gaudentius ſcribit: *in commune omnibus diſcipulis loquitur, ut adverſantis Judæ contumeliam temperet; neque acriter ut in fraudatorem invehitur, ſed diſſimulato ejus crimine, quem & Evangeliſta furem nominat, leni monitu univerſos pariter inſtruit.*

Matth. 26. v. 10.
S. Gaudent. ſer. 13.

Plus operatur charitas quam ſeveritas.
Marc. 16. v. 14.

10. Denique quia Chriſtus, dum in procinctu eſſet aſcendendi ad cœlos. Apoſtolos ſuos de ipſorum circa reſurrectionem ſuam incredulitate nondum reprehenderat, ideo tunc, ut S. Marcus ait: *Exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt:* at vero circa illam exprobrationem notabilis quædam circumſtantia notanda venit, quia Spiritus S. qui Evangeliſtæ calamum utique direxit, Chriſtum in cœlos aſcendentem Dominum nominat, dicens: *Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis aſſumptus eſt in cœlum,* at vero dum illum diſcipulorum incredulitatem increpaſſe refert, non vocat illum Dominum, ſed Jeſum, id eſt, benigniſſimum Salvatorem appellat, nam in Evangelio, quod Eccleſia in feſto Aſcenſionis nobis prælegi facit, dicitur: *apparuit illis Jeſus,* ut oſtendat illum pium, benignum, & affabilem fuiſſe, qui illos non ex authoritate, aut ſub titulo dominij, ſed ex ſolo amoris motivo reprehenderat, nam ut S. Leo, qui in cathedra Petri ſedens, hanc correctionis virgam uſurpandi authoritatem & obligationem habebat, in Epiſtola quadam optime monet, *Plus erga corrigendos agere debet benevolentia, quam ſeveritas, plus cohortatio, quam commotio, plus charitas quam poteſtas.*

Ibid. v. 19.
Ibid. v. 14.
S. Leo. Ep. 84. [illegible]

## *DISCURSUS VIII.*

## ARGUMENTUM.

Corrigens defectus alienos propriam ſuam conſiderare debet fragilitatem, & ut delinquentium ſibi conciliare valeat benevolentiam, illorum errores, quantum poteſt, excuſet; lachrymas potius quam verba corrigendo fundat, ſeque ex Chriſtiana compaſſione, non vero ex iracundiæ paſſione procedere oſtendat.

### THEMA.

*Inſtruite in Spiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris,* Galat. 6. ỳ. 1.

Omnes labi poſſumus.

1. EX hac inſtructione iis, quibus corrigendi munus incumbit, ab Apoſtolo tradita clare deducitur, quod priuſquam fratres noſtros reprehendamus, nos, viſceroſa erga illos compaſſione obarmare debeamus, ne & nos tentemur, in eoſdem aliquando errores incidamus. Unde S. Anſelmus verba illa: *Conſiderans teipſum,* exponens, dicit: *id eſt propriam fragilitatem tuam, ne forte & ipſe ex ea tenteris; videlicet cum diſplicet ex aliena infirmitate, quod conſpicis, penſa quod es, ut increpationis zelo ſe ſpiritus temperet, cum ſibi quoque quod increpat, timet.* Sicut enim nulla eſt in homine aliquo infirmitas, qua & alter homo affici non poſſit, cum omnes ex eadem maſſa plaſmati ſimus: ita quoque eſt anima, quæ non poſſit ſubjici infirmitatibus ſpiritualibus hominis cujuscumque totius mundi vitioſiſſimi & ſcandaloſiſſimi, niſi Deus illum clementer præſervet; ac proinde prudenter admodum S. Iſidorus monet dicens: *Atrociter arguuntur, qui peccantem non recipiunt, ſed deſpiciunt & ſpernunt, nec alterius delictum tamquam proprium ingemiſcunt; De talibus enim per Iſaiam Dominus comminans dicit; Qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es; iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Inde eſt, quod & Apoſtolus omnibus omnia factus eſt, non imitatione erroris, ſed compaſſionis miſeratione, ſcilicet ut ita vitia aliena fleret, quemadmodum ſi tali & ipſe implicaretur errore.* Ideo inſignis quidam Dei ſervus quotiescumque alicujus cæteroquin timorati viri lapſum audiebat, dicere ſolitus erat; Hodie hoc illi accidit, cras idem mihi continget, niſi Deus me ſpecialiter adjuvet.

S. Anſel. ibid.
S. Iſid. l. 3. ſent. c. 46.

2. Salutare proinde eſt illud Apoſtoli pronunciatum: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Quod Apoſtolicum monitum S. Auguſtinus ponderans in quodam ſermone ſuo ita ſcribit: *In ipſa correptione alienorum peccatorum, cavendum eſt, ne ſe extollat, qui alterum corripit, & Apoſtolica illa cogitanda ſententia eſt; Quapropter qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. Foris terribiliter ſonet increpatio, intus lenitatis tenetur dilectio.* Quamdiu enim hoc tam fragili luto amicti ſumus, nullam nobis ſecuritatem promittere poſſumus, inquit S. Anſelmus: *Cuncti quippe quouſque in hac mortali carne ſubſiſtimus, corruptionis noſtræ infirmitatibus ſubjacemus; Ex ſe ergo debet quisque colligere, qualiter alienæ imbecillitati oporteat miſereri, ne contra infirmitatem proximi, ſi ad increpationis vocem ferventius rapitur, oblitus ſui eſſe videatur.* Unde S. Auguſtinus ſuadet, ut priuſquam correptionis ferulam cum ſecuritate & rigoris aſperitate adhibeamus, primo intra noſmetipſos ingredientes conſcientiam noſtram examinemus. *Pie,* inquit, *cauteque vigilandum eſt, ut cum aliquem reprehendere vel objurgare nos neceſſitas coëgerit, primo cogitemus, utrum tale ſit vitium, quod numquam habuimus, vel quo jam caruimus; etſi numquam habuimus, cogitemus, & nos homines eſſe, & habere potuiſſe: ſi vero habuimus & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, ut illam reprehenſionem aut objurgationem, non odium, ſed miſericordia præcedat, ut ſive ad correctionem ejus, propter quem id facimus, ſive ad perverſionem valuerit, (nam incertus eſt exitus) nos tamen de ſimplicitate oculi noſtri ſecuri ſumus.* S. Bonaventura in libro, qui Pharetra intitulatur cap. 38. de hac materia differens, multas citat SS. Patrum authoritates, & inter alias illam S. Iſidori dicentis: *Qui veraciter fraternam vult corripere ac ſanare infirmitatem, talem ſe præſtare fraternæ utilitati ſtudeat, ut eum, quem corripere cupit, humili corde admoneat, hoc faciens ex compaſſione quaſi communis periculi, ne forte & ipſe ſubjiciatur tentationi.*

1. Cor. 10. v. 12.
Nemo ſecurus.
S. Aug. ſer. 18. de verb. Dom.
S. Anſel. ibid.
S. Aug. T. 4. l. 2. ſer. 19. de verb. Dom. in monte.
S. Bonav. Pharetra.
S. Iſid. l. 3. de ſummo bono l. 32. ſent. 1.

3. Multæ adducuntur à ſanctis Patribus circumſpectiones ad hanc correctionis virgam ex compaſſione, non vero ex ira, paſſione, vel alio quovis affectu inordinato ſuaviter applicandam corrigendo. Et quidem in primis conſiderabile eſt verbum illud, quod S. Paulus inſtructioni quoad correctionem præmittit; dicit enim: *Et ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* D. Chryſoſt. Ly. *præoccupatus,* hoc modo explicat, ut ſit ſenſus: *ſi præventus fuerit, hoc eſt, ſi abreptus &c.* quibus verbis violentia quædam, quæ valde modicum de voluntario annexum habet, innuitur, *quod contingit,* inquit Hugo Cardinalis, *quando non ex induſtria, vel malitia, ſed ex ſurreptione potius, vel ignorantia, vel infirmitate præoccupatus peccat.* Tunc enim in præſentia rei diminuendus eſt ejus exceſſus, ne in deſperationem forte adigatur, vel ne majorem ei cauſemus confuſionem, vel denique ad tanto facilius captivandum ejus amorem erga corrigentem. Sic enim quando Deus, ut in Apocalypſi legitur, Epiſcopum quemdam correcturus erat, præterquam quod laudes ejus præmittat, inſuper ſimul apertè indicat, nil ſibi mirum videri, quod in eum errorem inciderit, hanc illius aſſignans rationem: *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam,* quaſi dicere vellet: Tametſi prævaricatus fueris, hoc tamen minimè mirandum venit, ſiquidem longe deterius & periculoſius labi potuiſſes, cum

Gal. 6. v. 1.
D. Chryſ. ibid.
Hugo Card.
Apocal. 2. v. 13.



cum enim in centro filij perditionis habites, magnum quid eſt, quod nomen meum non abnegaveris.

4. D. Chryſoſtomus ſimilitudinem quamdam à Medicis deſumptam adducit, dicens: *Multa lenitate opus habet, qui corrigit, ut qui corripitur, æquanimiter toleret ſectionem. Non videtis Medicos, quando urunt, vel ſecant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? Multò amplius corripientes oportet hoc agere, etenim correctio & igne & ferro vehementius operatur, & reſilire facit eos, quibus offertur.* Sicut igitur Medici prius infirmi metiuntur vires, malique qualitatem conſiderant, an ſcilicet opus habeat medicamentis lenibus, an verò mordacibus; ita is, cui munus corrigendi incumbit, oculos ſuos dirigere debet in debilitatem & imperfectionem perſonæ corrigendæ, & cum ipſa compaſſione mediante procedere. Unde egregius ille animarum Medicus S. Proſper ait: *Eos quos probant increpationem poſſe pati, caſtigant, & impatientes objurgationes, ut languidos palpant, non eis adulando quod tales ſint, ſed infirmitatibus talium compatiendo, ſi forte aliter ſanari non poſſunt.* Idem quoque quibus nobis utendum ſit remediis lenitivis, ut nos alienæ fragilitati conformemus, hiſce verbis oſtendit: *Blanda pietate portandi ſunt, qui increpari pro ſua infirmitate non poſſunt, & revera ſi peccanti ſalubrem pudorem, dum pro eo erubeſcis, incutias, ac verecundiam, quam pro peccatis ejus aſſumis, in eum pia animi compaſſione transfundas, facilè in illo reprimis omnem peccandi licentiam, atque omnem impudentiam demis, licentioſæ turpitudinis hortatricem.* Ex quo enim per quotidianam experientiam unumquemque hominem ad excuſandum & defendendum errorem ſuum propendere videmus, ideo is qui corrigit alium, meritò quoad hoc officium corrigendum hac in re præoccupare, atque ad eum excuſandum primus eſſe deberet, dicendo: Non eſt mirum, neque ſcandalum id quod feciſti, quia ſi quilibet alius à proxima ſimili occaſione tentatus fuiſſet, in idem utique periculum prolapſus fuiſſet. Et ideo Sanctus Anſelmus verba illa: *Præoccupatus fuerit,* ita exponit, ut idem ſignificent, quod *ſubito lapſus. Præoccupatio autem eſt, in qua delinquitur, dum quid faciendum ſit, aut ad horam non videtur, aut & qui viderit, vincitur, ut ſcilicet fiat peccatum, cum vel latet veritas, vel compellit infirmitas, & cum non malitia, ſed ſola infirmitate delinquitur.* Unde corrector non ſolum in perſona corrigenda malum conſideret, verum inſuper quod in illo bonum eſſe novit, ſe ſcire ſignificet, ipſoque facto verum eſſe oſtendat, quod etiam Deus *in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Imo S. Petrus Damianus in quadam Epiſtola ſcribit: *Age igitur, noli frater, quod plerique faciunt, tantummodo ſi quid eſt in te virtutis attendere, ut vitia quaſi poſt tergum poſita negligas judicare.* Nimirum pro cautela & circumſpectione corrigentis ſuadet, ut corrigendo oculos quoque ſuos in proprios defectus conjiciat, hocque correctoris officium omni cum humilitate & charitate exerceat; Cui monito hoc quoque addi poſſe videtur, videlicet ut non ſolum corrigendi vitium reprehendat, verum etiam ut ejus ſibi benevolentiam captivare, ſuamque correctionem fructuoſam reddere valeat, operæ pretium futurum ſit, ſi aliquis emendandi virtutes laudandas in ſe ſuſceperit. Nam *debet amicus amico compati,* inquit S. Auguſtinus, *& condeſcendere, vitium ejus ſuum putare, corripere humiliter, compatienter. Corripiat cum vultus triſtior, & ſermo dejectior, intercipiant verba lachrymæ, ut non ſolum videat, ſed & ſentiat, correctionem ex amore, & non ex rancore procedere. Amicus amico ſe ita conformet, ut ejus congruat qualitati, & cui in exteriori adverſitate debet adeſſè, multò magis ſpiritui occurrere debet.*

D. Chryſoſt. Hom. 30. ad Hebr.
Similitudine inſtruitur Corrector.
S. Proſper lib. 1. de vit. contempl.
Idem ibid.
Gal. 6. v. 1.
S. Anſel. ibid.
Iob 4. v. 18.
S. Petr. Dam. l. 1. Ep. 11.
S. Aug. T. 4. l. de amicit. c. 27.

5. S. Hieronymus verba illa S. Pauli: *Scripſi vobis per multas lachrymas,* hac Gloſſa illuſtrat: *Intelligit primam epiſtolam, qua eos corripuit.* Tametſi enim Sanctus hic Apoſtolus authoritatem eos corripiendi haberet, attamen ad eos corrigendos charitate potius & compaſſione uti pluſque lachrymarum ab oculis, quam atramenti ex calamo fundere voluit. Deus olim Samuëli Saulis transgreſſionem manifeſtans, eidem quoque, ut ex parte ſua eum reprehenſurus abiret, præcepit; Quo accepto Dei mandato ſanctus vir Dei non ſe ſubito virga & ardenti zelo, inſtar Eliæ obarmavit, ſed ut ſacer textus aſſerit: *Contriſtatus eſt, & clamavit ad Dominum tota nocte:* prius tota nocte amarè flevit, præmiſſaque ferventi oratione, reprobum Regem ex parte Dei correcturus acceſſit. *De nocte ergo ſurgit,* inquit S. Gregorius, *cum ab afflictione ſe erigit, & mane ad eum venire diſponit, quia occultè per compaſſionem plangit, & aperta increpatione per zelum percutit.* D. Chryſoſtomus quoque in Homilia, quæ de doctrina & correptione intitulatur idem monet, dicens: *Fratrem corrigere deſideras? Lachrymas profunde, preces Deo offer, ſeorſim illum acceptum admone, conſilium da, obſecra, charitatem tuam erga lapſum oſtende, perſuadeas illi te non oſtentandi & inſultandi libidine, ſed cura quadam & ſollicitudine commotum de errore ipſum commonefacere, amplectere pedes illius, ne erubeſcas, ſiquidem revera ipſi medicinam afferre & ſanare velis.* Avertat igitur Deus à nobis ne corrigendo loco compaſſionis, animi noſtri paſſionem ei exhibeamus. Neſcio profecto an verum ſit, quod aliquando me legiſſe memini; ſcilicet quod vulnera, quæ humano corpori non ferro, ſed auro infliguntur, non intumeſcant, nec ullum poſt ſe livoris tumorem relinquant; Si tamen id cum veritate conſentiat, ad propoſitum noſtrum verè pariter dicere poſſumus, quod correctiones, quæ ab amore derivantur, & ex ſolo compaſſionis motivo fiunt, non exaſperent, nec exacerbent eorum animos, qui admonentur vel corriguntur; ſicut aliàs è contra facere ſolent; quæ derivantur ex paſſione, vel cum iracundia & rancore fiunt. S. Proſper illum Apoſtoli textum: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia,* exponens, dicit: *In omni patientia, quia leniter caſtigatus exhibet reverentiam caſtiganti: Aſperitate autem nimiæ increpationis offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem.* Cui conſonat, quod S. Auguſtinus diu ante ipſum ſcripſerat, dicens: *Quidquid lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod voles, nullo modo maledictum erit, quod ſpecie maledicti ſonuerit, ſi memineris, ſenſeriſque in gladio verbi Dei liberatorem hominis eſſe velle ab obſidione vitiorum.*

2. Cor. 2. v. 4.
S. Hieron.
Compatiatur Corrector.
1. Reg. 15. v. 11.
S. Greg. ibid.
D. Chryſoſt. T. 6. Hom. 6.
2. Tim. 4. v. 2.
S. Proſper ibid.
S. Aug. T. 4. in Expoſit. ad Galat.

6. S. Ambroſius quibuſdam, qui ſe in reprehendendis aliorum vitiis zeloſos exhibent, inordinatas quibus moventur paſſiones exprobrat, dicens: *Sunt multi, qui eos, à quibus aliquam injuriam pertulerunt, etiam pro minimis delictis impatienter inſectantur, eos verò quos diligunt, non ſolum non reprehendunt, quamvis graviter deliquerint, ſed etiam tota virtute defendunt. O infelix amicitia, quæ eum quem diligit, tacendo & defendendo diabolo tradit, illum verò cui iratus eſt reprehendendo à diabolo abſtrahit: Correptio ergo illa juſta eſt, quæ ex Dei zelo & amore fraterno deſcendit, quæ non propter iram vindicandam, ſed propter animam proximi ſalvandam profertur.* Idem quoque monitum S. Baſilius Superioribus præcipuè commendat, videlicet ut numquam ad correctionem faciendam ſe ingerant, quando ſe aliqua paſſione ad eam extimulari ſentiunt. *Verum enimverò,* inquit, *illud cavere magnoperè Antiſtes debet, ne ad caſtigandum verbis aliquem ex iis, qui deliquerint, affectu quovis vitioſo percitus accedat, quando cum indignatione & ira caſtigatione adverſus aliquem uti, hoc haudquaquam eſt à peccato illum liberare, ſed delictis ſeipſum adſtringere.* S. Auguſtinus non neminem qui in procinctu proximum ſuum corrigendi poſitus erat, quo fine, aut ex quo motivo idipſum facere velit, interrogat: *Quare,* inquit, *illum corripis? quia te dolet, quod peccaverit in te. Abſit: Si amore tuo id facis, nihil facis. Denique in ipſis verbis attende, cujus amore id facere debeas, utrum tui, an illius: Si te audierit, inquit, lucratus eris fratrem tuum, ergo propter illum fac, ut lucreris illum,*

S. Ambr. in c. 2.
Sine paſſione corrigat.
S. Baſil. in Reg. Diſp. 10.
S. Aug. ſer. 16. de verbo Dom.

7. Quemnam putas eſſe ſenſum verborum illorum Salvatoris: *Quid vides feſtucam in oculo fratris, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam feſtucam de oculo tuo? Ecce trabs eſt in oculo tuo? Ejice primum trabem de oculo tuo.* Utique trabs illa, quæ oculis noſtris infixa hæret, paſſio eſt invidiæ, iræ, odij, rancoris, qua erga proximum noſtrum extimulamur, & ex qua ad illum acriter reprehendendum movemur. S. Auguſtinus *ejus dixit avitum oculum ad ejiciendam feſtucam de oculo fratris ſui, qui trabem in oculo ſuo non habet, quid autem hoc ſit, breviter inſinuo Charitati veſtræ. Feſtuca in oculo ira eſt: Trabs in oculo odium eſt. Quando ergo qui odit, reprehendit iraſcentem, feſtucam vult de oculo fratris ſui tollere, ſed trabe impeditur, quam ipſe portat in oculo ſuo. Feſtuca initium trabis eſt, nam trabs quando naſcitur, prius feſtuca eſt, rigando feſtucam perducis ad trabem, alendo iram malis ſuſpicionibus perducis ad odium.* Optimè igitur Seneca in libro de ira monet: *Corrigendus eſt itaque qui peccat, & admonitione & vi, & molliter & aſpere, meliorque tam ſibi quam aliis faciendus*

Matth. 7. v. 2.
Correctio fiat ſine ira.
S. Aug. ibid.
Seneca l. 1. de ira.

*ciendus, non ſine caſtigatione, ſed ſine ira. Quis enim ei, cui medetur, iraſcitur?* Et paulò poſt ait: *Ergo ad correctionem errantium irato caſtigare opus non eſt, nam cum ira delictum animi ſit, non oportet peccata corrigere peccantem.*

8. S. Auguſtinus quærit, quid fieri debeat in caſu, quo aliquis, qui ex motivo charitatis corrigere cœpit, poſtea cum ſequiori ſuperveniente affectu, correctionem illam continuat? Et reſpondet: *Quod ſi forte, ut plerumque accidit, dilectione quidem talem ſuſcipis actionem, & ad eam corde dilectionis accedis, ſed inter agendum ſurrepſerit aliquid, dum tibi reſiſtitur, quod te auferat ab hominis vitio percutiendo, & ipſi homini faciat infeſtum, poſtea te lacbrymis lavantem hujuſmodi pulverem multo ſalubrius meminiſſe oportebit, quam non debeamus ſuper aliorum ſuperbire peccata, quando in ipſa eorum objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccantis iratos, quam miſericordia miſericordes facit.*

S. Aug. T. 4. in Exp. ad Galat.

Corrector errare poteſt.

9. Albertus Magnus modos enumerans, quibus aliquis hoc correctionis miniſterium exercitando errare poteſt, inter alios quoque indicat ſequentes, dicens: *Quartus modus, quando cum indignatione corripit, ſicut Maria corripuit Moyſen de uxore ſua Æthiopiſſa, quæ percuſſa eſt lepra, quia ex indignatione proceſſit correptio. Num. 12. Quintus modus, quando ex deriſione procedit, ſicut Cham verenda Patris deriſit, & ſervituti addictus eſt. Sextus modus eſt, ſi ex inordinatione procedit, ſcilicet ſi ſit cum accuſatione & delatione, hoc enim non eſt fraternæ charitatis.* S. Gregorius quoque hoc correctoribus documentum ſcriptum reliquit: *Dignum eſt*, inquit, *ut cum aliena corripimus, prius noſtra metiamur, ut prius mens à ſua accenſione deferveat, prius intra ſemetipſum zeli ſui impetum tranquilla æquitate componat, ne ſi ad animadvertenda vitia abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus, & qui culpam dijudicando inſequimur, immoderatè feriendo ſæviamus. Non autem jam correctio delinquentis, ſed magis oppreſſio ſequitur, ſi in ultione ira, ultra quam culpa meretur extenditur. In correptione quippe vitiorum ſubeſſe menti debet iracundia non præeſſe, ut executionem juſtitiæ non dominando præveniat, ſed famulando ſubſequatur.*

Alb. Mag. in c. 17. Lucæ.
Num. 12. v. 1.
Gen. 9. v. 22.
S. Greg. l. 26. mor. c. 28.

## DISCURSUS IX.

## ARGUMENTUM.

Correctio cum diſcretione & dexteritate inſtituenda eſt, diſtinguendo inter perſonas corrigendas, confuſionem illarum, quoad fieri poteſt, præcavendo, invehendo ſolum contra vitium, & ſi quid boni in corrigendo reperiatur, illum prius laudando, quam adhibeatur correctio.

## THEMA.

*Multa corrigantur per tuam providentiam.* Act. Apoſtol. c. 24. ℣. 2.

Correctio fiat cum prudentia.

1. OCcaſione horum verborum, quæ ex Actibus Apoſtolorum deprompta, & ad propoſitum noſtrum opportuna ſunt, extra orbitam me nequaquam abiturum eſſe arbitror, ſi varios tradidero modos, & dexteritatem docuero, qua mediante aliquis correctionem ad lucrum animarum convenientem, omnibuſque numeris abſolutam inſtituere poſſit; Correctio enim prudenter & rationabiliter fieri debet, ut profit; Et ideo ubi vulgata noſtra legit: *Per tuam providentiam*, alia quædam verſio apud Lorinum legit: *Per libramen tuæ rationis.* Porro quia hi quibus munus corrigendi alios ex officio aut charitate incumbit, nonnumquam nimio zelo abripiuntur, & parum cauti ſunt & diſcreti, ideo operæ pretium erit, ſi tales monitum illud utiliſſimum continuò ſibi ob oculos ponant, quod ad illos hac in re erudiendos in Concilio quodam his verbis traditur: *In pernitiem propriam accenditur, qui ſic ſævit in gratiæ ſuæ germina, ut plantas, abſcindat.* Etenim agricola cui vinea aliqua ad culturam concredita eſt, graviter utique puniri meretur, ſi dum luxuriantes vitis alicujus palmites amputandi tantum erant, ipſe vitem ſolotenus detruncaret; vites enim amputatæ majorem fructum edunt, cum econtra detruncatæ penitus ſterileſcant, & ad nihilum ultra valeant, quam ut in ignem conjectæ comburantur. Sic quoque fervor correctionis ad vitioſorum ordinatur emendationem, ut ſperatum in vinea Eccleſiæ Dei fructum edant: Correctio autem nimis ſevera, rigida, & indiſcreta impium hominem in deſperationem ſæpenumero adigit, ipſumque in erroribus ſuis magis efficit arrogantem, obſtinatum & inverecundum, quæ omnia ut evitentur, magna opus eſt circumſpectione. S. Thomas Doctor Angelicus ait: *Admonitio eſt actus charitatis principaliter quaſi imperantis, prudentiæ verò ſecundario quaſi exequentis & dirigentis actum*; Et ideo ad correctionem non ſolum ex motivo charitatis procedendum eſt, verum etiam per dirigentis prudentiæ magiſterium: *Multa corrigantur per tuam prudentiam, per libramen tuæ rationis*: Nimirum æqua trutina ponderandum eſt tempus, locus, qualitas perſonarum, occaſio, modus, aliæque ſimiles circumſtantiæ exacto libramine ſunt attendendæ. Sæpe enim contingit, quod peccatum reprehendendum ſit occultum, pro quo caſu idem Angelicus Doctor alio in loco monet dicens: *Si ſit omnino occultum, tunc conſiderandum eſt, utrum emendatio peccantis expectari probabiliter poſſit, aut non, quod quidem facilè adverti poterit, ſi conſideretur, utrum aliquis ex electione, vel paſſione peccavit, ſive ex malitia, vel ex infirmitate, quod idem eſt, quod quidem perpendi poteſt ex conditione peccantis, & ex iteratione actus, quia ſi aliquis frequenter, & ſine fræno in aliquod peccatum lapſus eſt, ſignum eſt, quod ex malitia vel electione peccat, & non facilè emendetur: Si autem occaſione peccandi oblata in peccatum ruit, & poſtea triſtitiam & verecundiam de peccato oſtenderit, ſignum eſt, quod ſit peccatum ex paſſione vel ex infirmitate, & quod de facili emendetur. Si emendatio ſperetur, debet admonitio præcedere.* Paulò poſt verò aliud nobis ſuggerit monitum ex S. Gregorio in Paſtorali parte 2. c. 10. deſumptum, cujus hæc ſunt verba: *Nonnulla peccata ſunt leviter corrigenda, nam cum non malitia, ſed ignorantia ſola, vel infirmitate delinquitur, neceſſè eſt, ut magno moderamine ipſa delicti correctio temperetur: Nonnulla autem ſunt vehementer increpanda, ut cum culpa ab actore non cognoſcitur quanti ſit ponderis ab increpantis ore ſentiatur, & cum quis ſibi malum, quod perpetravit, levigat, hoc contra ſe graviter ex corripientis aſperatione pertimeſcat.*

Lorin. ibid.
Tom. 2. Concil. Syn. Rom. IV. ſub Symmacho.
S. Thom. 2. 2. Q. 33. a. 1.
S. Thom. in diſt. 19. q. 1. a. 3. ad 2.
Ibid. ad 3. Quæſt.

2. Porro neceſſum eſt, ut hæc libræ trutina à talis perſonæ manibus tractetur, quæ illa legitimè uti, & pondera ad librandum perfectè diſcernere queat: Unde B. Petrus Damianus in quadam Epiſtola dicit: *Non dicit Dominus: Si peccaverit in te quis, patere & tace: Sed ſi peccaverit in te, inquit, frater tuus, vade & corripe eum, ut videlicet correptus ad cor redeat, & corrigens quod erravit, ad ejus, unde peſſumdatus fuerat, rurſum charitatis celſitudinem convaleſcat. Sunt ſiquidem duo, lapſus, & læſus; charitas ergo, quæ inter utrumque dijudicat, ſic debet juſtitiæ lance appendere, ſic inconcuſſo examine æquitatis inter eos jura ſervare, quatenus non modo enixius ſtudeat, ne læſus (quod abſit) per impatientiam corruat, quam ut per ſatisfactionis dignæ commercium, & is quoque, qui lapſus eſt, ſurgat.*

B. Pet. Dam. l. 6. Ep. 30.

3. S. Antonius de Padua idipſum apta quadam ſimilitudine explicat, deſumpta ab eo, qui zizania eradicare volens, culpa ſua ſimul eradicat triticum, qui utique eo ipſo inſignem meretur pœnam: *Eſt autem advertendum*, inquit Sanctus, *vel cavendum, ne dum corrigens vult evellere zizaniam, incauto zelo ſimul virtutes evellat, quia tunc non præmiabitur ut corrector, ſed punietur & condemnabitur ut deſtructor*; cujus figuram adducit ex illis Exodi verbis: *Si egreſſus ignis invenerit ſpicas, & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit. Ignis zelus eſt*, inquit Sanctus, *qui cum diſcretione quaſi ignis zizaniam ſuccendit diſcretè, cum corrigit vitia, ſed dum indiſcretè correptionis ignem ſuccendit, tunc granum virtutum ſpargit.* In Concilio quodam, in quo de cautela ad correctionem fructuosè faciendam neceſſaria agitur, ſequentia verba leguntur: *Infero ſecundo, cum diſcretione magna hujuſmodi correctio facienda eſt; ad quatuor ſiquidem inſpiciendum eſt, ut dicit Albertus Magnus in 4. ſententiarum, ſcilicet ad quantitatem culpæ delinquentis, ad ſpem emendationis, ad ſtatum perſonæ quæ admonetur, & ad zelum qui movet corripientem.*

Indiſcreta correctio nociva.
S. Ant. de Pad. Fer. 3. poſt Dom. 3. Quadr.
Exod. 22. v. 6.
Tom. 4. Concil. pag. mihi 311.

4. Super illa verba libri 1. Reg. 14. *Abſque retractatione &c.* S. Gregorius ita ſcribit: *Notandum quod non omnes culpæ acriter feriendæ ſunt, nam leves pulveris maculæ melius excutiendo, quam lavando, aut ignem apponendo terguntur: Graves etiam culpæ in omnibus æqua aſperitate inſequendæ non ſunt, quia vulnera corporum, pro ipſorum corporum natura & robore, vigorem exigunt medicinæ.* Expertus meſſor tametſi in prato aliquo omnes herbas æqualiter deſecet, attamen quando vepretum aut dumetum aliquod inter metendum

1. Reg. 14. 39.



ei occurrit, ne falcem ſuam in illud pertranſeundo offendat, dextrè eamdem elevans, illud pertranſeundo diſſimulat: Ita quoque faciendum eſt viro prudenti, ſi enim ſe per correctionem ſuam nihil proficere poſſe conſpiciat, imo ſi potius ſe per illam honori & exiſtimationi ſuæ magnopere præjudicaturum eſſe prævideat, potius vitium diſſimulet, ſeque illud minimè notaſſe ſignificet.

5. D. Chryſoſtomus modum quo Nathan in correctione Davidis uſus eſt conſiderans ait: Propheta ad Prophetam proficiſcitur; quamobrem? nam cum David Propheta eſſet, quin ſibi ipſi medetur? Mox verò motæ difficultati, ipſos quoque medicos, dum infirmantur, ſibimetipſis medicinam nequaquam præſcribere, ſed alios ejuſdem profeſſionis collegas ad ſe curandos accerſere reſpondet, quia infirmitas bono artis uſui nimium præjudicat. Unde ait: Verum quidem eſt ambos fuiſſe Prophetas, *verum ille ſanus erat, hic autem æger, non quidem in lectulo jacens, verum in peccato degens.* David certior factus, inquit Chryſoſtomus, Nathan Prophetam in penetralis regij regiam præſtolari audientiam, mox illum ad ſe admitti jubet; qui conclave regium ingreſſus, protinus ut Regem in ſublimi throno magno cum faſtu conſidentem conſpexit, litis cujuſdam ſimulatæ machinam ſequenti omnibus nota parabola expoſuit; quam Prophetæ prudentiam os illud aureum conſiderans exclamat, dicens: *O ſingularem medici ſapientiam! ſumpto ferro ingreſſus eſt, ut ulcus ſecet, verum illud minimè ægroto indicat, ne curationem faſtidiat; Occultat illud non ſub veſte, ſed ſub confictæ narrationis involucro; Statim enim ingreſſus non dixit: O flagitioſe, ô profane, ô adulter, ô carnifex, non apertam reprehenſionem adhibet, obtectum ferrum gerit.*

Occulta Correctio fiat.
D. Chryſoſt. Hom. in Pſal. 50.
D. Chryſ.

6. S. Gregor. Nazianzenus eidem chirurgi ferrum in manu portantis metaphoræ inſiſtens, ita monet: *Quocirca ne cito ac temere membrum ſeces ac projicias, cum incertum ſit, an hac ratione partes quoque ſanæ pernitiem aliquam contracturæ ſint.* S. Bernardinus Caſſiodorum citat, qui in Tomo 4. epiſtolarum ſuarum ita ſcribit: *Ægris non una cauſa ſalutis eſt, alter cibis reficitur, alter per abſtinentiæ beneficium extenuatur, hic lavacra mollia, ille ferrum quærit ad vulnera, & varium remedium poſcit diverſa qualitas paſſionum.* Multum enim refert, ſi quis complexionem dignoſcere poſſit curandarum perſonarum; Eadem quoque ratione permagni intereſt, ſi quis ad cavendum omnem errorem, diſcernere poſſit conditiones, ſtatus, & genios eorum, quibus amarum reprehenſionis propinandum eſt pharmacum.

Nazianz. orat. 6.
S. Bern. T. 2. ſer. 28. a. 2.

7. Apoſtolus ille, qui de ſemetipſo ſcribit: Omnibus omnia factus ſum, dum ad Titum ſcribit, modum ei ſuos corrigendi hunc præſcribebat: *Argue cum omni imperio*: Econtra verò dum idem Apoſtolus ad Timotheum ſcribit, ita eum inſtruit: *Argue, obſecra, increpa cum omni patientia*; At verò quomodo duo hi tam diverſi modi increpandi ad invicem conſentiunt? cur idem magiſter duobus diſcipulis ſuis in una eademque materia lectiones tradit adeo inter ſe contrarias? S. Gregorius dubium hoc reſolvendo dicit: Timotheum virum fuiſſe ſupra modum fervidum, & divinæ legis zeloſum: Titum verò fuiſſe placidum, affabilem & benignum, qui tamen ſubditos natura ſua aſperrimos habebat & obſtinatos, ac proinde neceſſum erat, ut hunc accenderet, & ad ſeriò ac ferventer corrigendum extimularet, ut emendarentur, qui corripiendi erant, unde de Cretenſium grege ait: *Increpa illos durè*: At verò Timotheo, qui fervidus ac ſupra modum zeloſus erat, opus fuit, ut fræno quodam à nimio zelo coërceretur. Rupertus Abbas Tuitienſis ait: *Ab hac fuiſſe ſuſpicione quidam illorum eximius ſemetipſum eximens, cum dixiſſet, in ipſa correptione prudenter agendum, & ne quid nimis dicens, ne dum nimis cupierit eradere æruginem, frangatur vas, ſuamque fragilitatem ſemper ſuſpectam habeat, memineriſque ſcriptum: calamum quaſſatum non conterendum, continuo ſubjunxit; in quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia, ſed prudenter & cum charitate amputet, prout viderit cuique expedire.* Conſiderare nimirum oportet, eſſe nonnullos, qui dum apertè corriguntur, magis inde pervertuntur, & deteriores evadunt, ut proinde Sanctus Gregorius dicat: *Magna prædicationis arte agendum eſt, ut qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam temperamento correptionis ad ſalutem redeant.* Sic faciebat Apoſtolus, qui 1. Corinth. 12. ait: *Quæ putamus ignobiliora eſſe membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent, honeſta autem noſtra nullius egent. Sicut enim inhoneſta membra in corpore, ita quidam ſunt intra S. Eccleſiam, potentes & protervi, qui dum aperta invectione feriri nequeunt, quaſi honore tegminis velantur.* Idem quoque Sanctus Doctor Homilia undecima, ſuper Ezechielem circumſpectionem quoque magnam adhibendam eſſe monet circa illos, qui nondum omnem à ſe verecundiam depoſuerunt. Dicit enim: *Verecundæ mentes ſi quas fortaſſè culpas admiſerint, leniter arguendæ ſunt, quia ſi aſperius increpentur, franguntur potius quam erudiuntur: At contra mentes aſperæ atque impudentes, ſi increpatæ leniter fuerint, ad majores culpas ipſa lenitate provocantur.*

Corrigentium diverſitas.
Tit. 2. v. 15.
2. Tim. 4. v. 2.
Greg.
Tit. 1. v. 13.
Rup. Abb. l. 9. de oper. Spir. Sancti c. 10.
S. Greg. l. 13. mor. c. 3.
1. Cor. 12. v. 23.
S. Gregor. Hom. 11. in Ezech.



8. Summæ charitatis & dexteritatis argumentum eſt, ſi quis caveat, ne ruborem & confuſionem pariat in illo qui reprehenditur. Sic Salvator noſter abſque eo quod fictionem & hypocriſim illius, cujus Matth. cap. 8. mentio fit, aperiret, eumdem abſque ullo in eodem cauſato verecundiæ rubore corripuit: *Dupliciter illum juvit*, inquit Euthymius, *& manifeſtando quod animæ illius arcana noſſet, & illum manifeſtè arguendo, ſed ipſi ſoli reprehenſionem aperiendo, ut & pudorem effugeret, & ſi vellet corrigeretur.* S. Hieronymus in Epiſtola quadam *de evitando ſuſpecto contubernio*, de virgine quadam diſſerens, quæ cum à matris conſortio ſeparata, & in quorumdam clericorum contubernio degens, aliis de ejus pudicitia dubitandi occaſionem daret, in hæc verba præfatis clericis ſcripſit: *Non idcirco ſcribo, quod ſiniſtrum aliquid ego ſuſpicer, ſed ne alij ſuſpicentur; Quod ſi mordacius quidpiam dixero, non tam meæ auſteritatis puteis eſſe, quam morbi.*

Superiores corrigant cum dexteritate.
Euthymius.
S. Hieron. Ep. 47.

9. Porro ad eamdem dexteritatem pertinet, ut arguens calamum acuat & ſtringat, & linguam exaſperet non tam contra perſonam arguendam, quam adverſus vitium reprehendendum. *In adhibendis verò curationibus*, inquit S. Baſilius, *iis qui vitioſo animi affectu aliquo laborant, conſuetudinem imitari medicorum debet, ut videlicet ægris non iraſcatur, ſed contra morbum ipſum pugnet, in eoque impugnando duriori victus ratione, ſi ita res poſtulat, animi vitia ſanet &c.* Unde cum puer ille à dæmone obſeſſus coram Chriſto adduceretur, ipſe acriter increpavit, *non puerum*, ut Anſelmus ait, *qui vim patiebatur, ſed dæmonem, qui inferebat, increpabat, quia qui peccantem emendare deſiderat, vitium utique arguendo & odiendo depellere, & hominem debet amando refovere.*

Primus modus.
S. Baſil. Interrog. 51.

10. Eſt quoque dexter modus fructuosè corrigendi, ſi corrector prius ungat, & poſtea pungat, id eſt, ſi correctioni præmittat corrigendi laudes ac virtutes, & quidquid in eo, qui cæteroquin alia irreprehenſibilis eſt, boni reperitur deprædicet, & poſtea reprehenſionem ſuaviter ac placidè in ſecreto ſubjungat. Legatur cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſſ. ibi namque invenietur error, cui hi obnoxij erant, quos tametſi Paulus reprehenderit, *parcens tamen eorum verecundiæ, vel teneritudini*, inquit S. Anſelmus, *nequaquam eos apertè reprehendit, quia commoti fuerant, ſed ne moveantur rogat, & prius etiam multum eos laudat. Plerumque enim puſillanimes utilius emendamus, ſi & eorum bene geſta memoramus, & ſi quæ ab eis inordinatè geſta ſunt, non jam tamquam perpetrata corrigimus, ſed quaſi adhuc ne perpetrari debeant, prohibemus, ut & illa quæ approbamus illatus favor augeat, & contra eos quæ reprehendimus, magis apud puſillanimes exhortatio verecunda convaleſcat.*

Secundus.
2. Theſſ. 2. v. 2.

11. In Apoc. 2. Epiſcopus quidam reprehendendus erat: *Habeo adverſum te quod charitatem primam reliquiſti*; Obſervandum verò eſt, quod prius dixerat: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces, Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti*; Quibus omnibus hoc modo præmiſſis tandem ſubjungit: *Sed habeo adverſum te &c.* Ubi Rupertus Abbas Tuitienſis ait: *Notanda diſpoſitio ſermonis, quam artificioſa ſit, & priuſquam emitteret auſteritatem reprehenſionis, quæ laudanda erant, collaudans: Scio &c. poſt ubi corripuit, atque minas intentavit, rurſus quod laudandum erat laudavit, ita reprehenſionis amaritudinem ne minus offenderet atque exterreret, collaudationis dulcedine circumlinivit.*

Apoc. 2. v. 4.
Ibid. v. 2.
Ibid. v. 3.
Ibid. v. 4.
Rup. Abbas ibid. l. 2.

12. Idem quoque V. Abbas idem corrigendi artificium incarnatam Sapientiam circa mulierem Samaritanam uſurpaſſe notat, dum ait: *Hoc modo & cum muliere Samaritana loquens, & antequam diceret: Quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt vir tuus,*

Rup. Abbas ibid.

*præmiſit collaudans: Bene dixiſti: Non habeo virum; & poſtquam illi, quod tot viros habuiſſet, expreſſit, iterum collaudans, hoc, inquit, verum dixiſti. Magnum hoc & dignum imitandum eſt magiſterium Spiritus Dei, corripere quidem ea, quæ emendatione indigent, ſed inter corripiendum & prius & poſterius collaudare, ſi quæ bene dicta ſunt, vel acta ab eodem, qui in aliis corripitur, quatenus, quoad fieri poteſt, tenetur benevolus, & non refugiat confuſus aut exteritus, audire non ſuſtinens peccatoris animus.*

13. Quando S. Paulus Corinthios de irreverentia erga ſacram communionem reprehendere volebat, inquit: *Numquid domos non habetis ad manducandum, aut Eccleſiam Dei contemnitis*, ſubjunxit protinus: *Quid dicam vobis? Laudo vos; In hoc non laudo*; Circa quæ verba multi ſacri Expoſitores exiſtimant, Apoſtolum illos cæteroquin laude dignos hiſce verbis pronuntiare voluiſſe, quamvis ex hoc unico capite reprehenſibiles eſſent. Prius igitur Apoſtolus illos laudavit, quia paulò poſt illos reprehenſurus erat. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Quod ſi quis eo maximè miretur, quod cum perterrere vehementius poſt tantorum peccatorum reprehenſionem, & tangere debuiſſet, contrarium ipſe faciat, remiſſius enim loquitur, & dat ut reſpirent, cum medicus ſit optimus, viciſſim vulneribus ſectionem inducit.*

1.Cor.11. v.22.

D.Chryſoſt. Hom.27. ad Corinthios.

## DISCURSUS X.

## ARGUMENTUM.

De ſumma cura & diligentia ad correctionem requiſita, utpote quæ ad conſulendum verecundiæ corrigendi, bonamque illius famam conſervandam in ſecreto fieri debet.

### THEMA.

*Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Matth.18. ℣.15.

Circumſpectio requiritur ut correctio ſit fructuoſa.

1. IN hoc corrigendi modo, ab incarnata Sapientia nobis præſcripto, cura & ſolicitudo corrigendi; nec non circumſpectio & cautela, ad correctionem fructuoſam requiſita, nobis pariter commendantur: *Vade, & corripe inter te & ipſum ſolum.* Porro verbum hoc *Vade* duobus modis poteſt explicari, ſcilicet vel *ad literam*, ut ſenſus ſit: *Vade ad eum, quia ille ad te venire verecundatur.* Sic enim illud per adductam D. Chryſoſtomi authoritatem explicat S. Antonius Paduanus; cui expoſitioni quoad literam, conſentit Lucas Burgenſis, dum ait: *Non expectes, ut prior ipſe ad te veniat, culpamque agnoſcat, ſed quæras ipſè opportunitatem.* Secundo Ly illud, *Vade*, denotare poteſt prudentiam & maturitatem ad correctionem neceſſariam, hæc enim nequaquam fieri debet præcipitanter, ſeu præproperè, ſed cautim, & paulatim procedere debet: *Alio modo dicit, vade, ad deſignandum, quid debeat te movere, quia charitas debet te portare, & utilitas proximi attrahere.* S. Bernardinus ait: *Vade, id eſt, ne pigriteris, id eſt, vade per ſolicitam diligentiam; Corripe; non dicit: Differas negligendo vel pigritando. Unde diſt. 86. c. Facientis. dicitur: Facientis procul dubio culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare*: citatque teſtimonium Caſſiodori l.1. epiſt. dicentis: *Succurrendum eſt, ne tracta temporis impunita mala convaleſcant, malum enim cum perſeverat, augetur, & remediabile bonum eſt peccato accelerata correptio.* Verum enimverò quanta cum ſolicitudine & zelo nobis ſancti Patres correctionem commendent, ex dic ndis non pigeat percipere.

Luc.Burg. ibid.
S.Anton.de Padua in ſer. 3.poſt Dom. 2.Quadr.

S.Bern.T.2. ſer.28.a.2. c.1.

Caſſiodor. l.1.Ep.

2. S. Auguſtinus ait: *Fratres, unuſquiſque Chriſtianus in membris Chriſti zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quæ fortè ibi videt perverſa ſatagit emendare, cupit corrigere, non quieſcit. Si emendare non poteſt, tolerat & gemit.* Idem in alio loco ſuper Pſal.50.ait: *Corrigite arguendo, conſolamini alloquendo, exemplum præbete bene vivendo, aderit ei qui affuit & vobis.* D.Gregorius Nazianzenus Orat.26. hac de re ita ſcribit; *Argue, increpa, obſecra. Habes medicinæ regulam; Chriſti Diſcipulus es mitis ac benigni, & qui noſtras infirmitates portavit. Si primum obluctetur, leniter expecta; Si ſecundo, ne ſpem abjicias, nondum enim curationis tempus effluxit; Si tertio, benignum illum & humanitate præditum agricolam imitare, cum Domino adhuc age, ne inutilem & infructuoſam ficum exſcindat, verum emendet & curet, ac ſtercus injiciat, hoc eſt, eum deſpicabilem reddat, quod per confuſionem ac publicam ignominiam, contemptioremque victus rationem efficitur. Quis ſcit an mutabitur, ac fructum feret, Jeſumque à Bethania redeuntem alet.* S. Thomas de Villanova ſimiliter quanta cum ſolicitudine & diligentia in correctione procedendum ſit, his verbis indicat: *Corrige fratrem, obſecra, increpa, argue, admone, adjuva, cohibe à peccato quantum potes, conſule, doce, carpe, ut à peccatis reſurgat, & optimam coram Deo eleëmoſynam tribuiſti.*

S.Aug.Tr. 10.in Joan.

S.Aug.in Pſal.50.

Nazianz. Orat.26.

S.Th.à Villanova. ſerm. de S. Matthæo.

3. Ad fores terreſtris Paradiſi cherubinus quidam cum gladio verſatili igneo collocatus fuit, qui homines à Paradiſi ingreſſu violenter arceret, nec tamen illum umquam os ſuum aperuiſſe ex ullo Scripturæ loco conſtat: Econtra verò in eodem libro alium quemdam reperimus Angelum, qui cum Agar amicabiliter converſatus fuit, ei inter cætera dicens: *Unde venis, & quò vadis?* cui etiam reſpondenti, quod ab indignatione Saræ Dominæ ſuæ fugeret, ſubjunxit, dicens: *Revertere ad Dominam tuam, & humiliare.* Quiſnam verò ex vobis miram hanc utriuſque Angeli differentiam; cur ſcilicet unus illorum piſcis inſtar mutus ſteterit, alter verò cum Agar familiariter converſatus fuerit, exponere valebit? Si neſcitis, id ego facili negotio vobis explicabo, eſt enim clara hujuſce dubii reſolutio. Etenim Cherubinus ille ante Paradiſum hærebat, ut temerarios transgreſſores illuc penetrare contendentes ſubito puniret; Econtra vero alius Angelus eo præcipuè fine miſſus fuerat, ut Agar ancillam corrigeret, eamque de modico ejus erga Dominam ſuam reſpectu & irreverentia moneret; Unde Lyranus ait: *Non quærit Angelus ex ignorantia, ſed ut ex reſponſione Agar efficacius corrigat eam*; Quiſquis verò munere corrigendi fructuosè fungi vult, huic neceſſum eſt, ut eum quem reprehenſurus eſt, interroget, examinet, eique familiariter occurrendo ſe inſinuet, familiaremque, ac alieni boni cupidum & zelantem ſe eſſe oſtendat: *Vade & corripe*, id eſt, ut Hugo Cardinalis ait: *Non ſolum per ſcriptum corripe, quia ut dicit Hieronymus, neſcio quid latentis energiæ vivæ vocis actus habet*; citatque dictum illud Ambroſii dicentis: *Qui timent te, videbunt te, & lætabuntur, pleriſque juſti aſpectus admonitio correctionis eſt, perfectioribus verò lætitia eſt.*

Gen.16. v.8. Ibid.v.9.

Lyran. Ibid.

Hugo Card. Ibid.
S.Hieron.
S.Ambr.

4. At verò hoc loco circa verba illa; *Vade & corripe*, dubium quoddam ſubnaſcitur; Quid ſi enim frater ille, qui admonendus eſt, nobis vicinus proximè adeſſet, quonam modo Ly illud *Vade* executioni mandari poterit? Eamdem hanc difficultatem Albertus Magnus movet pariter & reſolvit, Primo enim dicit: *Sed ſi prope me eſt, qualiter ibo?* Et protinus reſpondet: *Vade duobus pedibus compaſſionis & charitatis, tunc enim non indignabitur, corripe eum.* Aptiſſimam huic caſui habemus hiſtoriam lib. 4. Reg. 4. Ubi ſapiens illa mater filium ſuum extinctum videns, ſine mora, abſque eo, quod marito ſuo hac de re verbum diceret, ad Eliſeum accurrit, & tametſi Giezi Prophetæ inſeparabiliter aſſiſteret, illi tamen anguſtiam cordis ſui, qua ob filium ſuum mortuum anxiebatur, nec quidquam revelavit, ſed Prophetæ pedibus advoluta, chari unicique filii ſui mortem eidem manifeſtavit: Qua audita ſanctus vir Dei ad ejus domum ſine dilatione properans, ſuper modicum pueri cadaver ſe incurvavit, oculoſque ſuos oculis pueri, frontem fronti, brachia brachiis, pedeſque pedibus &c. ſuperimpoſuit; Et quia hæc *omnia in figura contingebant*, per hoc docere nos voluit, quod quando animæ extinctæ revocandæ à nobis ſunt ad vitam gratiæ, neceſſum ſit ut fragilitati & debilitati alterius ſuſcitandi per omnia conformemur, cordialemque ei compaſſionem exhibeamus; Commendata quoque nobis eſſe debeat ſolicitudo ſervandi ſecreti, & ardens erga reſuſcitandum charitas; Neque enim Eliſeus puerum hunc publicè ſuſcitavit, neque elatæ vocis ſtrepitu uſus eſt, ſed potius cadaver illius corpore ſuo contexit, quia defectus alieni occultandi & abſcondendi ſunt, non verò propalandi.

4.Reg.4. v.27.

5. *Corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Sed *quare* correptio hæc facienda inter corripientem & corrigendum ſolum? quærit Doctor Angelicus, & reſpondet: *Quia iſta correctio ſit ex charitate, ideo attendenda conſcientia & bona fama corrigendi; Si ante omnes corrigis, famam ejus tollis.* S.Hieronymus aliud quoddam notabile punctum tangit, dicens: *Corripiendus eſt frater ſeorſim, ne ſi ſemel pudorem & verecundiam amiſerit, remaneat in peccato.* S. Thomas authoritatem quamdam adducit S. Auguſtini, qui hæc verba exponens, ait: *Studens correctioni, parcens pudori; Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum, & quem vis facere meliorem, facis pejorem, ſed ad hoc tenemur per præceptum charitatis, ut caveamus ne frater deterior efficiatur.* S. Bernardinus eamdem doctrinam à S.Auguſtino didicit, ita enim ſcribit: *Peccator enim, quando ſtatim coram aliis increpatur excuſare ſe ſolet, aut indignari, ſeu ſua crimina defenſare; per talem autem ſecretam & charitativam correctionem parcitur illius confuſioni, & oſtenditur ſignum charitatis, & per conſequens talis modus magis eſt retractivus à malo, ac magis inductivus ad bonum.*

S.Thomas in Matth.

S.Hieron.

S.Thom. 2. 2.q.33.a.7.
S.Aug.ſer.16 de verb.Dom.



S.Bern.T.3. ſerm 3.de Chriſt.pietat. a.2.c.2.

6. Charitativus ille pater filium ſuum prodigum, ſordidis laceriſque veſtibus amictum à longè proſpiciens, ſubitò ſuis præcepit dicens: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum*; Verumtamen priusquam veſtes allatæ fuiſſent, in ejus amplexum corruit, cujus facti myſteria à D. Chryſologo velim auſcultetis, qui ait: *Ideo pater peccata filii clauſit amplexu, ne nudaret pater filii crimina, pater filium ne fœdaret. Suſtulit filii ſui crimina, qui non ſuſtulit nuditatem, hinc eſt, quod à ſervis ante veſtiri volat filium, quam videri, ut ſoli patri nota eſſet nuditas.* Obſervandum quoque eſt, quod pater iſte filium ſuum non reprehenderit, neque ei exprobraverit ſuperioris vitæ ejus diſſolutionem: *Non dixit: Unde venis? Ubi fuiſti? Ubi ſunt quæ tuliſti? Quare tantam gloriam tanta turpitudine commutaſti? Sed, cito proferte ſtolam primam, & induite illum: delicta qui diſcutit, prodit.* Similiter quando Salvator noſter laſcivam illam mulierem Samaritanam in viam virtutis & ſanctimoniæ reducere, eique ejus impudicitiam manifeſtare voluit, ad illum ſe locum recepit, ubi illa ſe reprehendendam eſſe minimè ſuſpicari poterat, dimiſiſque diſcipulis ſuis ſolus cum ſola adeo ſecretè de ejus defectibus eam allocutus fuit, ut diſcipuli ex urbe Samaria revertentes, qua de re cum illa diſſeruiſſet, minimè advertere potuerint; *Mirabantur quia cum muliere loquebatur*; Sed qua de re cum illa loqueretur ignorabant.

Luc.15.v.22.

D.Chryſol. ſerm.3.

Ioan.4.v.6.

Ibid.v.27.

7. Matthæi cap. 8. legitur, quod poſtquam idem Salvator noſter ingenti hominum turba circumdatus prædicationi aliquamdiu fuiſſet intentus, paulo poſt, acceptis ſolis in ſocietatem diſcipulis, & quovis alio excluſo, navim conſcenderit: *Aſcendente eo in naviculam ſecuti ſunt eum Diſcipuli ejus.* Jam verò certum eſt, quod navis illa plures alios præter diſcipulos ſuſtinere & capere potuiſſet, & tamen ſolos ſecum diſcipulos, neminem vero alium ſecum habere voluit, nimirum ut Abulenſis notat; Chriſtus diſcipulos ſuos per imminentem maris tempeſtatem in fide hæſitaturos, ſeque illos tamquam modicæ fidei homines increpaturum eſſe, altiſſima præſcientia ſua proſpiciebat, ideo ſolos illos eſſe voluit, ut reprehenſionem hanc in ſola ipſorum præſentia, non verò aliorum facere poſſet. *Quia Chriſtus noverat, quod diſcipuli ſui in hoc periculo futuri erant infirmi, & ipſe propter hoc eos increpaturus erat, vocans eos modicæ fidei, noluit quod turbæ viderent defectum diſcipulorum ſuorum.*

Matth.8. v.23.

Abulenſ. Ibid.

8. Nota eſt utique egregia illa Joſeph hiſtoria, & maximè quidnam, dum fratres ſuos in Ægypto agnoſcere cœpiſſet, præſtiterit: *Non ſe poterat ultra cohibere Joſeph*, inquit ſacer textus, *multis coram adſtantibus, unde præcepit, ut egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus cognitioni mutuæ*; Quod ſine dubio non ex eo motivo fecit, quod ſcilicet ovium paſtores fratres ſuos germanos eſſe erubeſceret, alias enim illos ad ſe in Ægyptum non accerſiviſſet, neque Regi, cunctiſque regiæ curiæ Primatibus fratrum ſuorum conditionem adeo ſpeciatim expoſuiſſet; Sed verior cauſa eſt, quam Rupertus Abbas his verbis aſſignat: *Bene præceperat, ut egrederentur cuncti foras, ut nullus intereſſet alienus cognitioni mutuæ, non enim alienis jam communicanda erat domeſtici notitia ſceleris, neque ſub eorum præſentia pius frater edicere voluit rem tantæ confuſionis, quam ferre non potuerunt fratres remotis etiam cunctis arbitris.*

Gen.45. v.1.

Rup. Abb. lib 9. in Gen. c.11. de Trinit. & oper.

9. In libro Numerorum cap. 12. in principio Mariæ & Aaronis contra Moyſen facta murmuratio deſcribitur; verbis namque ironicis & ſubſannatoriè de Moyſe dicebant: *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* Subditque ſacer textus: *Quod cum audiſſet Dominus... Statim locutus eſt ad eum, & ad Aaron & Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis*; Cumque omnes tres tabernaculum fuiſſent ingreſſi, præcepit Moyſi, ut inde recederet, ſoluſque cum Aarone & Maria remanſit: Sed quamnam hujuſce ſeparationis cauſam fuiſſe exiſtimatis? Nimirum corrigere & reprehendere eos volebat, ac proinde id ſeorſim coram ſolis iis, qui murmurationis rei erant facere voluit. *Si frater tuus peccaverit in te, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum*, ſcilicet ſtudens correctioni, & ſimul parcens pudori, idque cum charitate & dexteritate ſumma eſt faciendum. Incidit mihi hoc loco opportune factum quoddam, quod dudum de honeſtiſſima quadam virgine narrari audivi, quæ cum ulceroſo quodam apoſtemate affecta eſſet, cujus curatio non niſi per inciſionem fieri poterat, ipſa verò inciſionem hanc à chirurgo faciendam obſtinatè admittere nollet, idem ille chirurgus artis ſuæ dexterrimè exequendæ gnarus, affectam hanc virginem inſtanter rogarit, ut ad minus humorem illum putridum inde ſcaturientem per ſpongiam ſibi leniter abſtergi permitteret, cui illa tandem acquievit, ipſe vero ſub ſpongia ferrum reconditum habens, cum ad apoſtema pertigiſſet, ſubito inciſionem fecit, & infirmam confeſtim ſanavit. S. Gregorius id quod Apoſtolus circa Corinthios præſtitit, obſervat dicens: *Quorum prius ſalutem narraverat, poſtmodum vulnera patefecit. Peritus enim Medicus vulnus ſecandum videns, ſed ægrum timidum eſſe conſpiciens, diu palpavit, & ſubito percuſſit, prius blanda manus laudes poſuit, & poſtmodum ferrum increpationis fixit; niſi enim verecundæ mentes fuerint palpando reprehenſæ, ita ut ex aliis rebus audiant, quod conſolationem aſſumant, per increpationem protinus in deſperationem cadunt.*

Num.12. v.2. Ibid.v.4.

Matth.18. v.15.

S.Greg. Hom.11.in Ezech.

10. Deus Synagogam multis ſceleribus infectam, deformatam & contaminatam reprehendere & corrigere volens, eidem, ut ex textu Oſeæ apparet, dixit: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*; Etenim ut verecundiæ & confuſioni ejus conſuleret, eam ſeorſim ducere voluit; imo ne forte quiſpiam id quod illi in loco hoc ſolitario dicturus erat, audire poſſet, ſe illi non ad auriculam, ſed ad cor ejus locuturum eſſe ait. Dicit inſuper: *Lactabo eam*: ut per hoc inſinuet, correctionem miniſtrandam eſſe inſtar lactis, quod amabile eſt, & nutrit, quia correctio amicabiliter, blandè, & dulciter facienda eſt: *Tamquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam*, robuſtam ſcilicet.

Oſe.2.v.14.

1.Corinth.3. v.2.

11. Chriſtus dum ſurdo illi & muto, qui peccatoris obſtinati ſymbolum erat, medelam adhibere vellet, aures ejus reſeravit, unde dum quis peccatorem aliquem valde ſcandaloſum acriter reprehendit, per proverbium dici ſolet: Is ei aures evacuando reſeravit. Sed audite, quem Salvator noſter, hoc faciendo, modum ſervaverit: *Apprehendens eum de turba ſeorſim miſit digitos ſuos in auriculam ejus*: cujus actionis myſterium Dionyſius Carthuſianus declarat, dicens: Id factum eſt, *ad deſignandum, quod ſpiritualiter ſurdi & muti ſecretè admonendi ſunt atque accendi, ne ex humano rubore retrahantur ab advertentia & pænitentia.* S. Bernardinus de peccatore occulto diſſerens ait: *Nam peccatum quando eſt ſolum malum peccantis, & ejus in quem peccatur, vel quia læditur ab eo, vel ſaltem ex ſola notitia ejus, tunc debet homo, ſi poteſt, ſic emendare fratrem ſuum, ut fama ejus conſervetur.* Quod enim à charitate inſtitutum eſt, eamdem lædere & offendere nequaquam debet; Et ideo nomen bonum, integraque proximi fama cum omni poſſibili cura, ſolicitudine, & cautela à nobis eſt conſervanda. Vidit aliquando Pater filium ſuum ſibi unicè & tenerrimè charum, à ſerpente quodam, qui collum ejus circumplexus fuerat, miſere circumcinctum, cumque nullum ei filium ſuum ab intoxicationis & occiſionis periculo eximendi ſupereſſet aliud remedium, arcum ſuum tetendit, & impoſitam ei ſagittam in ſerpentem directam adeo dextrè evibravit, ut ſolus ab eo anguis ſagitta transfoſſus occideretur filio penitus illæſo permanente: Eamdem quoque dexteritatem adhibere debetis, qui alium corrigit, totoque conatu in id conniti, ut vitio mortem inferat, peccatum extinguat, remediumque ſcandalo adhibeat, ita tamen ut ejus, qui corrigitur nomen bonum & famæ integritatem intactam & illæſam conſervet. Ad hoc ſervit, quod à S. Bernardino adducitur Origenis teſtimonium dicentis: *Non vult te Dominus, ſi fortè videris peccatum fratris tui, continuò volare in publicum, & clamare paſſim, & divulgare aliena peccata, quod eſſet utique non corrigentis, ſed diffamantis potius officium. Si videris fratrem tuum non recta agentem; argue eum inter te & ipſum, ſolus vidiſti, ſolus inter te, & ipſum corripe, ubi enim ſibi miniſterium ſervari viderit, ſervabit ipſe emendationis pudorem: Si vero ipſum diffamari videat, illud ad neganda impudentia convertetur.*

Marc.7. v.33.

Dion. Cart. Ibid.

S.Bern. T.2 ſerm. 28.a.2.c.1.

S.Bernard. ibid.

*vertetur, & non ſolum non emendabis peccatum, ſed etiam duplicabis.*

Job. 38. v. 13.

12. Deus apud Jobum ait: *Numquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparavi in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli?* At verò quis umquam audivit, quod in tempore belli nivium & grandinis theſauri aperiantur? Aut quinam ſunt inimici, quos Deus per hoſce theſauros debellare & diſſipare contendit. Deus nullos alios habet inimicos, quam vitia & peccata noſtra; contra quæ ſeſe nive & grandine obarmat, id eſt, adverſus illa de congruis & opportunis correctionibus & reprehenſionibus proſpicit, quas tamen cum diſcretione magnaque prudentia fieri præcipit. Nix enim quæ cum ſilentio & ſine ſtrepitu in terram deſcendit, illamque dulciter humectando fœcundat, aptiſſimum eſt correctionis ſymbolum, hæc enim ſi cum charitate & ſolicita ſecreti cuſtodia fiat, magnum fructum adfert: Grando autem, quæ cum ſtrepitu deſcendens agros devaſtat, & ſegetes in iis diſperdit & deſtruit, correctionis ſeveræ divinæ juſtitiæ, nec non pœnarum, quibuſcum peccatores obſtinatos & reprobos in exemplum aliorum caſtigat, aptiſſimum quoque ſymbolum eſt. Adhæc illas præfigurat correctiones, quæ cum zelo Apoſtolico publicè fiunt, de quibus in Evangelio dicitur:
Matth. 18. 17 *Dic Eccleſiæ &c.* Quomodo S. Ambroſius apertè reprehendit Imperatorem Theodoſium, S. Carolus Borromæus miniſtros regios, D. Chryſoſtomus Eudoxiam, S. Joannes Baptiſta Herodem, Elias Achabum &c. Unde S. Gregorius ait: *Ipſa quoque libera Sanctorum increpatio, natura grandinis ſufficienter exprimitur, grando enim veniens percutit, liquata rigat; Sancti enim viri corda audientium & venientes feriunt, & blandientes infundant.* Nix igitur correctionem in ſecreto factam, grando verò eam quæ fit in publicò præfigurat.

S. Greg. ibid.

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

Is qui incorrigibilis eſt, cujusque peccatum non ſolum illi, ſed & toti Reipublicæ eſt pernitioſum, publicè eſt reprehendendus, & apud Superiores accuſandus. Ubi etiam oſtenditur, quod Superiores ſubditorum correctioni ſubjiciantur, qui tamen ſumma cum humilitate & reverentia cum illis procedere debent.

## THEMA.

*Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ,* Matth. 18. ℣. 17.

1. QUidnam nobis agendum ſit, quando nobis cum ejuſmodi peccatoribus correctionis negotium intercedit, qui aures ſemper obduratas & ſurdas habent, quique correctione vel maxime indigent, Angelicus Doctor nobis congrua alicujus Medici ſimilitudine declarat, dum ait: *Medicus corporalis hominem, ſi poteſt, ab infirmitate totaliter liberat, ſi autem non poteſt, eligit minus malum, ut occurrat magis malo, ſicut amputare unum membrum, ne totum corpus inficiatur;* Ac proinde dicit S. Doctor, quia correctio eſt vel ut medicina quædam ſpiritualis, quæ animæ in culpa languenti adhibetur, ideo cæleſtis ille Proto-Medicus, qui de ſemetipſo ait: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus;* ſapientiſſimè diſpoſuit, ut corrigendo idem ſtylus ſervetur, qui in medendis infirmitatibus obſervari à Medicis ſolet; Etenim *Peccator ex peccato duo mala incurrit, innocentiæ damnum, & famæ diſpendium; Et ideo primum tentandum eſt, ut totaliter innocentia reſtituatur, quod fama ejus conſervetur. Sin autem, ſic debet negligi fama, ut conſcientia reparetur; Famæ etiam diſpendio ſubveniri, ſi aliter non poteſt, debet quantum fieri poteſt, ut ſcilicet primo paucis, & poſtea multis crimen prodatur.* Et hæc eſt cauſa, inquit S. Doctor, cur ſcilicet Chriſtus hunc correctioni ordinem præſcripſerit, ut proximus prius in ſecreto moneatur, ut innocentiam recuperet, ſeque emendet, ſimulque nullum boni nominis & famæ diſpendium incurrat: Si tamen hoc nihil juvet, tunc crimen ejus paucis aliis patefaciendum eſt, ut hac ratione experiamur, an correctio hoc modo facta aliquatenus proficiat: *Quod ſi hæc medicina non fuerit efficax, debet paucis oſtendi, ut non totaliter fama perdatur; Et deinde ſi non corrigitur, debet omninò fama negligi, & in publicum prodi; Quod ſi publica correptio non profuerit, debet omninò abſcindi judicio Eccleſiæ, ut ſit ſicut Ethnicus & Publicanus.*

S. Thom. in 4. diſt. 19. q. 1. a. 3.

Matth. 9. v. 12.

S. Bernardinus ſimiliter de hoc puncto tractans, illaque in themate propoſita Chriſti verba: *Si te non audierit, dic Eccleſiæ,* exponens dicit, Chriſtum hunc ordinem ſtatuiſſe, *ut innuat manifeſtè, quia conſcientia famæ præferenda eſt. Unde Dominus maluit, quod potius cum diſpendio famæ ſuæ corrigeretur peccator per publicam denunciationem, quam quod fama ſervata anima ſpiritualiter moreretur;* adducitque authoritatem quamdam D. Chryſoſtomi dicentis, quod ſicut Medicus infirmitatem periculoſam eſſe videns, propter hoc ab infirmi cura non deſiſtit, ſed potius malo medendo vehementius, & cum majori induſtria incumbit: *Sic etiam, quanto peccator inverecundior & pertinacior fuerit, tanto minus ad iram & odium, ſed ad medicinam nos ſtudere oportet.*

S. Bern. T. 1. ſerm. 28. a. 2. c. 1.

D. Chryſoſt.

2. Sententia à S. Auguſtino dictata eſt, quod quanto quis eſt incorrigibilior, tanto ejus repreſſio & correctio debeat eſſe vehementior: *At quicumque corripi non vis, etiam proptèrea corripiendus es, quia corripi non vis.* S. Hieronymus ad hoc, ut peccatum transgreſſoris non ſtatim & immediate publicetur, & conſequenter fama ejus nullum patiatur præjudicium, hunc modum ſervandum eſſe docet: Quod ſi correctionem in ſecreto factam non auſcultaverit, accipe tibi ſocium, eoque præſente illum corripias; Si nec hoc profuerit, adhibe ad correctionem plures: *Porro ſi nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum eſt, ut deteſtationi eum habeant, ut qui non potuit pudore ſalvari, ſalvetur opprobrijs.* Ejusdem ſententiæ quoque eſt S. Thomas, qui illa Chriſti verba: *Dic Eccleſiæ,* exponens, dicit, *id eſt, toti multitudini, ut confundatur, ut qui noluit ſine confuſione corripi, cum confuſione corripiatur; Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gratiam & gloriam, ut dicitur Eccli. 4.* S. Iſidorus inquit: *Qui admonitus ſecretò de peccato corrigi negligit, publice arguendus eſt, ut vulnus, quod occulte ſanari neſcit, manifeſtè debeat emendari.*

S. Aug. de corr. rept. & gratia.

S. Hieron. in Matth.

S. Thom. in Matth.

S. Iſid. l. 3. ſent. c. 46.

3. S. Gregorius textum illum Ezech. 8. conſiderat, in quo dicitur: *Fili hominis, putasne vides tu quid iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſraël facit hic, ut procul recedam à Sanctuario meo? Et adhuc converſus videbis abominationes majores; Et introduxit me ad oſtium atrij & vidi, & ecce foramen unum in pariete, Et dixit ad me: Fili hominis fode parietem, & cum fodiſſem parietem apparuit oſtium unum, Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes peſſimas quas iſti faciunt hic.* Quo loquendi modo Deus demonſtrat, ad quod iniquitatis culmen ſacrilegia illa pertigerint. *Notandum itaque eſt,* inquit S. Gregorius, *quia prius foramen in pariete, ac deinde oſtium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonſtratur, quia nimirum uniuſcujusque peccati prius ſignum forinſecus, deinde janua aperta iniquitatis, & tunc demum omne malum, quod intus latet, aperitur.* Eodem quoque modo in caſu noſtro diſcurrere licet; quando enim culpa eouſque augetur, ut ſcandalum ſit manifeſtum, tunc culpa, quæ prius in ſuis primis principiis cum ſumma charitate & ſecretiſſimè, ſed ſine ullo fructu correcta fuit, cum acrimonia & acerbitate corrigi debet, at verò, ſi nec illa quidquam efficiat, imploranda eſt juſtitia publica; *Dic Eccleſiæ. Sunt enim duæ correptiones,* inquit Albertus Magnus *una quidem authoritatis, altera vero charitatis: illa quæ eſt authoritatis, ſemper eſt cum ſolemnitate & ſeveritate judicij, & hæc eſt ſolius Prælati,* ad quam tunc recurrendum eſt, dum quis incorrigibilis efficitur; Nec tamen ob hunc recurſum, ut S. Auguſtinus probat, amicitia ulla ratione offenditur, Unde ait: *Objurgandus eſt amicus, ſi veritatem aſpernatur, ſed monitio acerbitate, objurgatio contumelia careat;* citatque Sanctum Ambroſium dicentem: *Si quid vitij in animo deprehenderis, corripe occultè; Si te non audierit, corripe palam, ſunt enim bonæ correptiones, & plerumque meliores, quam tacita amicitia, & ſi lædi ſe putet amicus, tu tamen corripe: tolerabiliora enim ſunt amici vulnera, quam adulantium oſcula.*

Ezech. 8. v. 6.

Ibid. v. 7.

Ibid v. 8.

Ibid. v. 9.

S. Greg. l. 17. mor. c. 6.

Alb. Magn. in Luc. c. 17.

S. Aug. Tr. 4. l. de amicit. c. 17.

S. Ambr.

4. Scire tamen oportet, quod peccata quæ nota ſunt & manifeſta correctionem ſecretam & privatam non requirant; dicit enim S. Gregorius: *Manifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda, ſed palam ſunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione ſanantur ij, qui eos imitando deliquerant, corrigantur, dum enim unus corripitur, plurimi emendantur.* Idem quoque S. Iſidorus in ſententiis ſuis dicit, jam citata S. Pontificis verba in medium adferendo ad literam. S. Anſelmus ad illam à S. Paulo Apoſtolo Timotheo diſcipulo ſuo datam inſtructionem ſe reflectens, in qua ait: *Peccantes coram omnibus argue &c.* dicit: quomodo hæc Apoſtoli verba cum illo Chriſti præcepto concordant, in quo dicitur: *Corripe eum inter te & ipſum ſolum?* At verò *Nulla eſt contrarietas,* reſpondet S. Anſelmus, *quia aliquando corripiendus eſt inter te & ipſum ſolum, aliquando coram omnibus arguendus; Tunc enim ſecreto monendus eſt, quando peccavit in te, id eſt, quando tu ſcis quia peccavit, quia enim ſecretum fuit, quando in te peccavit, ſecretum quære, cum corrigis quod peccavit. Nam ſi ſolus noſti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus corrigere, non es corrector, ſed proditor. Ergo illa corripienda ſunt, ſecretius, quæ peccantur ſecretius, illa verò arguenda coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.*

S. Gregorius Regiſt. l. 12. Indict. 7. Epiſt. 325.

S. Iſid. ibid.





1. Tim. 5. v. 20. Matth. 18. v. 15. S. Anſelm. ibid.

5. S. Matthæus cap. 17. miraculum illud deſcribit, quod Chriſtus circa lunaticum illum patravit, quem Apoſtoli, quidquid facerent, ſanare numquam valebant; dicit autem ſacer textus, quod poſtquam Salvator noſter à turbis non nihil ſequeſtratus fuit: *Tunc acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum ſecreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?* Quibus cæleſtis ipſorum Magiſter reſpondit: *Propter incredulitatem veſtram:* ac demum modicam illorum fidem reprehendendo pluribus eſt proſecutus, oſtendendo quod illud ſpirituum malignorum genus ſolum per orationem & jejunium ejici potuerit. At verò ſcire percuperem, quodnam in eo lateat myſterium, quod Apoſtolus in privato, ſeu ſecreto, non vero in conſpectu totius populi reprehenderit, cum tamen turbas publicè increparit, dicendo: *O generatio incredula & perverſa, quouſque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos?* Hujus porro differentiæ ratio in eo conſiſtit, quod malignitas peccati turbarum illarum manifeſta fuerit, ac proinde etiam in conſpectu & præſentia omnium reprehenſa fuit: at vero diſcipulorum incredulitas & modica fides ipſi ſoli nota erat, ideoque illam privatim correxit.

Matth. 17. v. 18.

Ibid. v. 19.

Matth. 17. v. 16.

6. Quærit S. Thomas: *Utrum in correctione fraterna debeat ex neceſſitate præcepti admonitio ſecreta præcedere denunciationem?* Et reſpondet, quod prius admonitio ſecreta præmitti debeat, cum hac tamen limitatione, quod hoc neceſſum ſit, *ubi peccata occulta ſunt, & non contra commune bonum: Ubi verò publica peccata ſunt, vel occulta contra bonum commune commiſſa, non eſt neceſſe præcedere ſecretam admonitionem.* Celebris fuit illa prima quidem facie aſpera à S. Paulo Petro adhibita correctio, cujus ipſemet Apoſtolus meminit, dum ait: *Cum vidiſſem, quod non rectè ambularent ad veritatem Evangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaicè, quomodo cogis gentes judaizare?* Num forte S. Paulus traditum a Chriſto præceptum: *Corripe eum inter te & ipſum ſolum,* ignorabat? Utique illum hoc probè ſciviſſe, nec illius oblitum fuiſſe certum eſt, at vero, ut S. Petrus Damianus ait: *Volebat Petrus permaxime coram omnibus argui, gaudebat objurgantis invectione confundi, ut id quod invitus agebat, correptus omitteret, & in eo quod ſolus attentare timuerat, ſocium inveniret.* Vel etiam ut S. Auguſtinus ait: *Quod coram omnibus neceſſitas coëgit, ut omnes illius objurgatione ſanarentur, non enim utile erat, errorem, qui palam noceret, in ſecreto emendare.*

S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7.

Gal. 2. v. 14.

S. Pet. Dam. Opuſc. 48.

S. Auguſt.

7. At vero ſciendum, quod Cajetanus verba illa: *Dic Eccleſiæ,* de Prælatis & Superioribus exponat: *Appellatione Eccleſiæ,* inquit, *Prælatus intelligitur, qui ordinarius judex eſt fratris impœnitentis.* Verumtamen hic naſci poteſt dubium, an Prælati pariter correctioni ſubjecti exiſtant? Et in caſu, quo & ipſi correctionis medicinæ ſuſcipiendæ ſubjiciuntur, modum quoque ſcire convenit, quo cum ipſis eſt procedendum, ne erretur? S. Thomas correctionem ad eleëmoſynam ſpiritualem & opus miſericordiæ reducit: *Sed miſericordia,* inquit ipſe, *maximè Prælato debetur, qui in maximo periculo conſtitutus eſt,* citatque S. Auguſtini teſtimonium, cujus hæc verba allegat: *Non ſolum autem veſtri, ſed etiam ipſius, ſcilicet Prælati miſeremini, qui inter vos quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo majori verſatur.* Præterea juxta illud Eccleſiaſtici c. 17. *Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo; ſed Prælatus noſter proximus eſt, ergo eum corripere debemus, ſi delinquat.* Demum verò ad objectiones reſpondet, quæ ſunt duæ ſequentes: Primò, *Nemo debet ponere in cælum os ſuum.* Secundo, quia Superiores facile ſcandalizari poſſent, dum ſe à ſubditis corrigi vident. *Sed hoc nihil eſt,* inquit S. Thomas, *quia Prælati in quantum peccant, non ſunt cœlum, & ſecundùm hoc eis correptio debetur; Nec iterum qui eos charitative corripit, in eos os ponit, id eſt, contra eos, ſed pro eis, quia ad utilitatem eorum eos admonet: Nec iterum præſumere debet quis de Prælato, quod injuſte ſcandalizetur, niſi contrarium conſtet, quia ipſi ſunt in ſtatu perfectionis: Scandalum autem paſſivum non convenit perfectis, ſed puſillis; Et ideo dicendum eſt, quod Prælatus ex hoc quod eſt perſona publica, & vicem Dei ſuper ſubditos gerens, non amittit ea, quæ ſunt propria ſingularis perſonæ; & ideo omnia illa, quæ debentur alicui ex affectu fraterno, qui ad omnes homines habendus eſt, etiam Prælato debentur.* Unde S. Auguſtinus ad Sanctum Hieronymum ſcribens, rogat ipſum, ne ſibi quoad hoc ſubtrahat officium charitatis: *Quamquam enim,* inquit Sanctus Epiſcopus, *ſecundùm honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt, licet etiam à minore quolibet non ſit refugienda vel dedignanda correctio.* Sanctus Bernardinus quoque de hoc puncto tractans, quænam de eo ſua ſit opinio, his verbis declarat: *Si ſubditus Prælatum peccantem corrigit, non contra eum loquitur, ſed pro eo, atque tamquam frater adjutorium præſtat.*

Matth. 18. v. 17. Cajet.

S. Thom. in 4. diſt. 19. q. 2. a. 2.

S. Auguſt.

Eccli. 17. v. 12.

Ibid. ad 3.

S. Aug. Ep. 19.

S. Bern. ibid. a. 2. c. 2.

8. Quoad modum in Concilio quodam hæc verba leguntur: *Semper dicetur fraterna correctio, ſi debitis circumſtantiis ſuis induta ſit, nempe Prælatus eſt frater, & eſt Pater & Superior; & Superior dignitate vel officio, Pater beneficio, frater fide, religione aut naturæ conformitate.* Mox verò tres hujus correctionis conditiones aſſignat: *Primo debet habere diſcretionem & debitam diligentiam, ut ſemper ſperetur, & probabiliter credatur ejus emendatio; ſecundo debet habere ſubjectionem & debitam reverentiam, ut non fiat modo temerario, & tutti protervia; Tertio debet habere dilectionem & benevolentiam, ut non fiat cauſa diffamationis & detractionis.* Idem quoque paulo poſt aliud quoddam ſubjungit monitum dicens: *Si ſtatus altus eſt perſonæ, cum reverentia & excuſatione delicti debet potius monere, quam corripere, & rogare potius, quam increpare.* S. Thomas in ſua Summa reſpondet ad argumentum formatum, tum ex illo loco Exodi 19. *Beſtia quæ tetigerit montem, lapidabitur;* tum ex alio quodam textu cap. 6. lib. 2. Reg. in quo dicitur, quod Oza, eo quod manum ſuam extendiſſet in nutantem arcam, in pœnam temeritatis à Deo fuerit percuſſus: *Per montem verò & arcam ſignificantur Prælati. Ergo &c.* Reſpondet, inquam, S. Doctor dicendo, *quod tunc Prælatus inordinate videtur tangi, quando irreverenter objurgatur, vel etiam quando ei detrahitur, & hoc ſignificatur per contactum montis & arcæ damnatum à Deo.* Idem quoque Angelicus Doctor alibi ad idem propoſitum noſtrum ita ſcribit: *Sicut ea, quæ ſunt charitatis ad ſubditos, Prælatus taliter gerere debet, ut nullum authoritatis præjudicium generetur, ne dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas, ut Auguſtinus dicit, ita correptio ad Prælatos, taliter debet fieri, ne aliquid reverentiæ ſubtrahatur; & ideo dicitur 1. Tim. 5. Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem.* In eodem quoque loco admonitionem Prælati in ſecreto faciendam eſſe docet: *Non enim Prælati à ſubditis coram multitudine, ſed humiliter in privato corripiendi ſunt, niſi immineret periculum fidei, tunc enim Prælatus minor fieret, ſi in infidelitatem laberetur, & ſubditus fidelis major.*

T. 4. Concil. pag. mihi 311.

Exod. 19. v. 12.

2. Reg. 6. v. 6. & 7.

S. Th. 2. 2. Q. 33. A. 4.

S. Thom. in 4. diſt. 19. Q. 1. A. 2. ad 3. Quæſt.

S. Auguſt.

1. Tim. 5. v. 1.

9. Diximus ſuperius, qualiter S. Petrus Vicarius Chriſti & Eccleſiæ caput à S. Paulo reprehenſus fuerit, eò, quod circa Judaiſmi ritus & cæremonias antiquas diſſimulare videretur, ut hac ratione populum gentilem ad fidem amplectendam venientem tanto facilius lucrari poſſet; de qua reprehenſione S. Auguſtinus in litera quadam ad S. Hieronymum ita ſcribit: *Ipſe Petrus quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſancta ac benigna pietate humilitatis accepit, atque ita rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi forte recti tramitem reliquiſſent, etiam à poſterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, ſalva fraterna charitate, reſiſtere.* S. Thomas verò in quodam Articulo dicit: *In faciem reſiſtere coram omnibus, excedit modum fraternæ correctionis, & ideo ſic Paulus Petrum non reprehendiſſet, niſi aliquo modo par eſſet, quantum ad fidei defenſionem, ſed in occulto admonere & reverenter, hoc poteſt etiam, qui non eſt par.* Unde Apoſtolus ad Coloſſenſes ſcribit, ſubditis ut Prælatum ſuum admoneant, cum dicit: *Dicite Archippo* Epiſcopo, *Miniſterium tuum*

S. Aug. Ep. 19.

S. Th. 2. 2. Q. 33. A. 4. ad 2.

Col. 4. v. 17.

*tuam imple. Sciendum tamen eſt, quod ubi immineret periculum fidei, etiam publicè eſſent Prælati à ſubditis arguendi*; In cujus probationem, reprehenſionem, qua S. Paulus Petrum redarguit, in medium adducit.

10. S. Bernardinus poſtquam hanc ſtatuiſſet concluſionem, quod videlicet etiam Prælatus ſubditorum correctioni ſubjectus eſſe debeat, ſubjungit: *Tripliciter autem corrigi debet à ſubdito Prælatus aut Dominus: Primò humiliter abſque præſumptione; Secundo ſecrete absque diffamatione; Tertiò modeſte absque objurgatione.* In eodem Concilio, cujus paulo ante mentionem fecimus, hæc verba leguntur: *Ex parte increpantium diſtinguendum eſt; aut increpantes ſunt juvenes, aut ſenes; ſi juvenes, corripient humiliter: ſi ſenes, corripiant moderate & mature, alios ſenes reverenter, Prælatos humiliter.* S. Gregorius de edicto Saulis Jonathæ à privato quodam milite notificato differens, ita ſcribit: *Patrem quippe adjuraſſe populum, & male dictum protuliſſe retulit, quia cum minor errantem vult Prælatum dirigere, non debet aſperè objurgare, ſed dulciter atque humiliter ad majorum ſtatuta memoranda reducere. Unde dicit: Jurejurando conſtrinxit pater tuus populum, ut enim eum dulciter admoneret, eum qui jurejurando populum conſtrinxit, patrem ejus aſſeruit.*

S. Bernard. ibid.

Conſil. Baſil. 3. T. 4. pag. mihi 311.

S. Gregor. l. 5. in l. 1. Reg. c. 14.

1. Reg. 14. v. 28.

11. Verum enimvero ex quo Saulis mentionem facere cæpimus, memorandum eſt, quod Samuel poſt acceptum à Deo Saulem acriter reprehendendi præceptum, primò per totam noctem amare fleverit: *Contriſtatus eſt Samuel, & clamavit ad Dominum tota nocte:* Etenim non obſtante, quod Judex populi eſſet, penes populum in opinione ſanctitatis habitus, quod Sacerdos eſſet adeo venerabilis, & apud Regem, quem conſecraverat, unxerat & inthronizaverat in ſumma authoritate & æſtimatione poſitus, per hunc tamen adeo amarum, totaque nocte continuatum fletum, indicare voluit, quanta cum difficultate corrigantur & reprehendantur Principes & Magnates, imperij ſceptrum moderantes: *Contriſtatus eſt, & clamavit ad Dominum tota nocte*, per ferventiſſimam orationem.

1. Reg. 15. v. 11.

## DISCURSUS XII.

## ARGUMENTUM.

**De manſuetudine, quacum temperanda eſt correctio, quod ipſiusmet Dei, & nonnullorum Sanctorum exemplo oſtenditur.**

### THEMA.

*Corripiet me juſtus in miſericordia.* Pſal. 140. ℣. 5.

1. PORRO quanta cum miſericordia & compaſſione corrigendi ſint delinquentes, Deus ipſe à primis naſcentis mundi crepundiis inſinuare nobis voluit. Quod enim peccatum extenſive (ut cum ſcholaſticis loquar) majus eſſe poterat peccato primorum parentum, utpote quod omnium culparum & offenſarum Dei hactenus commiſſarum, & deinceps ad finem uſque ſeculi perpetrandarum barathrum aperuit? Et tamen benigniſſimus Creator in Paradiſo terreſtri ad illud reprehendendum, corrigendum & emendandum comparens, cum quanta benignitate & affabilitate correctionem hanc eſt executus? *cum audiſſet vocem Domini Dei deambulantis ad auram poſt meridiem.* Etenim quodnam in eo myſterium latere exiſtimatis, quod ſacer textus hanc pomeridiani temporis circumſtantiam ſignanter declaret? Pro reſolutione autem ſciendum, quod meridies, in qua ſolis radij ardentiores eſſe ſolent, zelum quemdam ſupra modum ardentem & ferventem inſinuant, ac proinde benigniſſimus Deus Protoparentes noſtros poſt transgreſſionem reprehenſurus, ut rigorem acerbioris correctionis declinaret *poſt meridiem* venit, id eſt, ſole jam à meridie ad veſperam declinante. S. Ambroſius proinde legit: *Deambulantis in Paradiſo ad veſperam*; illiusque circumſtantiæ hanc reddit rationem: *Cum culpa fervet in corpore, & anima exagitatur corporis paſſionibus, non cogitat Deus ſenſus errantis.* Etenim tam correcturus, quam corrigendus expectare debet, donec caloris fervor, qui eſt in paſſionibus humanis, aura leniori mitigetur; unde David dicit: *Corripiet me juſtus*, ſed *in miſericordia.* Abulenſis pariformiter notat, quod *non apparuit Deus immediatè iratus Adæ ad puniendum, ſed venit manſuetus, vocans, quaſi volens quod Adam procederet coram ipſo, pro delicto veniam petiturus.* Alius quidam Interpres ad manſuetudinem ſe reflectit, quacum cum Adamo tractavit: *Non adduntur exprobrationes, dicendo. Ubi es ingrate, ſuperbe, guloſe, tui nimium amator, Dei contemptor, voluntatis tuæ adimpletor, meæ transgreſſor? nullo addito, ſuavitas invitationis in textu denotatur, dum dicitur: Domini deambulantis ad auram poſt meridiem. Hoc enim modo loquendi ſuavitatem quamdam Dei in invitando voluit indicare Scriptura.* Etenim qui ſole declinante in hortum ſive deliciarum locum deſcendunt, animo tranquillo & ſereno, animi recreandi cauſa eo ſe recipere ſolent. Porro certum eſt, Deum eo tempore corpus nondum aſſumpſiſſe humanum, & tamen Spiritus S. Deum nobis deſcribit, ac ſi in aſſumpto corpore humano in Paradiſo deambulaſſet, quaſi dicere vellet: Jam ex tunc certo quodam modo *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei*; Revera enim ex tunc Deus Paradiſum obambulabat, ut S. Mater Eccleſia in hymno canit, quaſi in illo Paradiſi viridario arborem ſibi electurus, in qua pro culpæ à protoparentibus perpetratæ expiatione configi volebat: *De parentis protoplaſti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morſu in mortem corruit, ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret.* Subdit autem idem Author, Deum hoc modo ſe exhibuiſſe, *ut percipiat homo, quod invitatio illa, qua Deus invitat peccatores, ad ſui ipſorum converſionem, eſt invitatio dulcedine ſuavi valde conſperſa.*

Gen. 3. v. 8.

S. Ambr. l. de Parad. c. 14.

Pſal. 140. v. 5.

Porrecta.

Tit. 3. v. 4.

2. Quando vero Deus in progreſſu ſæculorum noſtra ſe humanitate veſtire dignatus fuit, longe clariora charitativæ correctionis ſpecimina edidit, nam teſte Apoſtolo: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia.* Et ideo S. Antonius de Padua miraculum in illuminatione cæci nati (qui peccatoris ſymbolum gerebat, ſiquidem *qui male agit, odit lucem*) à Chriſto patratum conſiderans, & ſpecialiter ad illa verba: *Linivit oculos ejus*, ſe reflectens dicit: *Quantum ad noſtram inſtructionem, datur nobis forma corrigendi proximum, qui de ſputo ſapientiæ quod procedit à capite, id eſt, mente, debemus facere lutum, id eſt, mentionem & memoriam de peccato, & oculos linire, id eſt, benigne facere proximum ſe recognoſcere, non pungere, vel vulnerare, ſed linire, & tunc ipſum mittere ad natatoria Siloë, id eſt, ad aquam pœnitentiæ.* S. David, qui ſuper omnes alias virtutes, quibus à Deo dotatus erat, in virtute manſuetudinis ſpecialiter ſupra modum eminebat, adeo ut dicere non dubitarit; *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*; die quadam hoc modo affatus eſt Deum: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* quibus verbis duo præcipue à Deo petebat, Primo, ut corrigeretur; ſecundo, ut hæc illius correctio animo ſuavi & tranquillo à Deo fieret; ſicut enim pluvia, quæ magno cum impetu in terram deſcendit, eamque inundat, terram ſecum rapiens ſementem vel eradicat, vel ſuffocat; non vero item cum ſuaviter labitur: *Deſcendit imber... & inebriat terram, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, ſic erit verbum meum.* Sic quoque correctio cum ſuavitate, & ex motivo amoris & compaſſionis facta, optatum in proximis fructum producit, *dat ſemen ſerenti*: quæ autem cum ira, paſſione, & rigore fit reprehenſio, illos potius exaſperat & exacerbat.

Heb. 4. v. 15.

Joan. 3. v. 20.
Joan. 9. v. 6.
S. Anton. de Pad. ſerm. in Fer. 4. poſt Dom. Quadr.

Pſal. 131. v. 1.

Pſalm. 6. v. 2.

Iſa. 55. v. 10.

3. Pſalmiſta de animæ renovatione differens, Aquilæ ſimilitudinem adducit: *Renovabitur ut aquilæ juventus tua*; & alibi: *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam.* Sed cur non potius utitur ſimilitudine ſerpentis antiquam pellem ſuam exuentis, vel rejuveneſcentis in igne Phœnicis? Pro reſolutione notanda eſt, quæ Aquilam inter & ſerpentem in eo quod eſt rejuveneſcere, intercedit differentia: Serpens enim pellem veterem deponere volens, per duarum petrarum anguſtam ſciſſuram tranſit, & inter illas veteres pellis ſuæ exuvias dimittit: Aquila autem fonti aquæ limpidiſſimæ immergitur, plumasque ſic madefacta Solis radiis ſe ardoribus exurendam exponit, ſicque ſenſim & paulatim plumas veteres excutit. Idem quoque in propoſito noſtro aſſerere poſſumus; Ad hoc ut quis impium aliquem malam & ſuſpectam ſocietatem deſerere, & inveteratam conſuetudinem pravam deponere faciat, nihil proderunt acutæ petrarum ſciſſuræ, id eſt, minarum & reprehenſionum aſperitates, nec exprobrationes, aut pœnarum intentæ moleſtiæ; ſed potius curandum eſt, & omni cum ſtudio & induſtria conandum, ut illum Soli veritatis exponat, aquæ lachrymarum noſtrarum & compaſſionis noſtræ immergat, & ferventis cujusdam charitatis ardore accendat & foveat, illumque miſerum ad miſeriarum ſuarum claram & ſeriam agnitionem inducat, ſic enim *renovabitur ut aquilæ juventus ejus. Plus enim proficit amica correptio*, inquit S. Ambr. *quam accuſatio turbulenta; illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Servetur potius, quod prodi metuat, qui monetur. Bonum quippe eſt, ut amicum magis te qui corripitur, credat, quam inimicum; facilius enim conſilijs acquieſcitur, quam injuriæ ſuccumbitur. Unde & Apoſtolus: Corripite, inquit, fratrem, ut erubeſcat, non ut inimicum eum exiſtimetis. Infirmus enim cuſtos diuturnæ bonitatis eſt timor, pudor autem bonus magiſter officij.*

Pſal. 102. v. 5.
Pſal. 118. v. 9.

S. Ambroſ. l. 8. in Luc. c. 17.



4. S. Gregorius verba illa Jobi: *Non te ergo ſuperet ira, ut aliquem opprimas*, illis adaptat, ad quos alios gubernare præcipue ſpectat: *Quia videlicet ſi is, qui corrigere nititur, ira ſuperatur, opprimit, antequam corrigat.* Non authoritas, ſed charitas, manſuetudo & humilitas corrigentis & admonitionis compungit fratrem, illumque errorem ſuum agnoſcere & emendare facit; ac proinde S. Iſidorus monet, dicens: *Qui veraciter fraternam vult corripere ac ſanare infirmitatem, talem ſe præſtare fraternæ utilitati ſtudeat, ut eum, quem corripere cupit, humili corde admoneat.* Unde S. Franciſcus ſuperioribus hoc monitum præſcripſit: *In ſingulos ſubditos miſericordiam operetur, quantam ſibi vellet, cum eſſet ſubditus, nec ex delicto fratris iraſcatur in fratrem, ſed omni patientia & humilitate ipſum benigne corrigat, moneat, & ſupportet.*

Job 36. v. 18.
S. Greg. l. 26. mor. c. 21.

S. Iſid. l. 3. ſent. c. 32.

T. 1. Opuſc. S. Franc. c. 9.

5. Celebre eſt illud S. Pauli monitum, in præcedentibus diſcurſibus à nobis memoratum: *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis*; ubi D. Chryſoſtomus verbum illud: *inſtruite* obſervat, *neque enim Apoſtolus dixit: punite, aut condemnate, ſed inſtruite, hoc eſt, corrigite.* Similem quoque obſervationem S. Bernardinus, ſuper illud præceptum à benigniſſimo Salvatore noſtro in hac materia nobis relictum, videlicet: *Si peccaverit in te, frater tuus vade & corripe eum.* adducit, obſervans quod Salvator dicat; *Corripe, non vero dicat exaſpera objurgando.* Pergit ubi ſupra D. Chryſoſtomus & ait: *Ut oſtenderet eos mites eſſe oportere, ſubjecit: In ſpiritu manſuetudinis. Non dixit: In manſuetudine, ſed in ſpiritu manſuetudinis, declarans, hæc etiam Spiritui placere, quippe cum hoc ipſum poſſe cum humanitate corrigere peccantes, doni ſit ſpiritualis.*

Gal. 6. v. 1.

D. Chryſ. Ibid.

Matth. 18. v. 15.
S. Bern. in T. ſer. 28. A. 2. c. 1.
D. Chryſ. ibid.

6. S. Iſaias Propheta de iis, qui ſuper ſynagoga invigilare, bonosque mores & divinæ legis obſervantiam zelare & urgere tenentur, differens, iisdem exprobrat dicens: *Speculatores ejus cæci*; & paulo poſt ſubjungit: *Canes muti, non valentes latrare*; Circa quæ verba Gilbertus Abbas in ſermone quodam ſuper Cantica ita ſcribit: *In canibus non dilaceratio, ſed latratus commendatur, Canes muti, dicit Iſaias, non valentes latrare, canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem. Ac ſi quibusdam exprobraret, quod in altero ſe canum officio exuant, in altero ſe canes exhibeant, latrare non valentes, & non deſinentes lacerare.* Eheu quot ſunt, qui cum aliorum vitia cum charitate & zelo corrigere & emendare ſint obligati, famam & exiſtimationem proximorum lacerant & diffamant, defectusque quos abſcondere & occultare debebant, veluti cum ſtrepitu tympani divulgant, & in publicam famam abire faciunt. Porro S. Dominicus, qui talem fundavit religionem, cujus principale inſtitutum eſt, improbos malorum Chriſtianorum mores per alumnorum ſuorum prædicationem corrigere, hic inquam ex utero matris pro inſigni & ſymbolo ſortitus eſt canem; ſciendum vero eſt, quod canis inter alias proprietates hanc habet valde ſalutarem, quod ſcilicet vulneratorum plagas ſanet, easdem lingua ſua ab omni ſanie & purulenta materia expurgando; ſic enim de Lazaro mendico legimus: *Sed & canes veniebant & lingebant ulcera ejus*; circa quæ verba Albertus Magnus ait: *converſum eſt hoc in medicinam lenitivam pauperis, lingua enim canum medicinalis eſt, & mundat vulnera à putredine.* Ecce tibi modum, qui ſervandus eſt ab eo, qui aliorum vitia lingua ſua corrigere & ſanare ſatagit, non enim tam aliorum vulnera animæ reprehendere, quàm eadem lingere debet, eadem à vitiorum, malorum habituum & ſcandalorum putredine expurgando, idque ſumma cum dexteritate & charitate. Unde D. Chryſoſtomus prædicta S. Pauli verba: *In ſpiritu lenitatis*, ponderans, ait: *Corrige fratrem, ſed cum manſuetudine, dæmonis incurſionem accuſans magis, quàm animi negligentiam.*

Iſaias 56. v. 10.

Gilb. Abb. ſer. 22. in Cant.

Luc. 16. v. 21.
Alb. Mag. Ibid.

D. Chryſoſt. Ibid.

7. In Apocal. hæc verba leguntur: *Quos amo, arguo & caſtigo; æmulare ergo, & pœnitentiam age.* Circa quæ verba pervetuſtus quidam author exclamat, dicens: *Papè! quanta Dei clementia, quanta ſuavitate & benignitate reprehenſionem temperat.* S. Thomas ſimiliter circa eadem verba inquit; *Hic ponit conſolationem, quia ex aſperatione argutionis & comminationis deſperare poſſet, & quia ipſa conſolatio debet allicere ad bonum, ideo primo ponit conſolationem, ſecundo hortatur ad pœnitentiæ ſatisfactionem.* Similiter alius quidam Thomas Epiſcopus Cantipratenſis de hac materia tractando, prædicta verba: *In ſpiritu lenitatis*, gloſſa ſua exponens inquit, *Aſperitas enim crudelitas appellata eſt; Etſi quandoque corda tumidorum frangat, fere tamen omnium ut frequenter exaſperat: moderata autem lenitas etſi quandoque peccantibus reprobis audaciam præbet, tamen in generoſis animis malefaciendi voluntatem annihilat.* Qui idem Senecæ moralis in Ep. 25. authoritatem allegat, dicentis: *Alterius vitia, ut dicit Philoſophus, emendanda ſunt, & alterius frangenda. Ne deſperaveris diutinos ægros poſſe ſanari ſi contra intemperantiam ſteteris, ſi multa invitos facere coëgeris & pati. Verecundus eſt enim pudor, qui quamdiu in animo duraverit, aliquis erit bonæ ſpei locus. Vitia alterius etſi non excidero, ſaltem inhibebo.*

Apocal. 3. v. 19.

Andr. Cæſarien.
S. Thom. ib.

Tho. Cantipr. l. 2. Apum c. 16. n. 3.

Senec. Epiſt. 25.

8. Conſideratione digna eſt illa à S. Hieronymo ex LXX. Interpp. recenſita verſio; ubi enim vulgata noſtra in Ezechiele legit: *Secundùm ſpeciem, quam videram, quando veni, ut diſperderem civitatem*; ipſi loco verbi *diſperderem*, legunt *ungerem*. Quis autem non videt, quantum inter ſe *diſperdere* & *ungere* differant? Interea verò certum eſt, quod Jeroſolyma ob iniquitates ſuas juſtè meruerat, ut redigeretur in perditionem, non verò ut ungendo foveretur: at verò S. Gregor. dubium hoc ad propoſitum noſtrum optimè reſolvit, dum ait: *Fortaſſè dicendum quod correptio Prophetæ ſit unctio civitatis.* Ex quo enim juſſu Dei ſcandala populi illius reprehendere & corrigere debeat, id utique magna cum manſuetudine & affabilitate faciendum erat, ſiquidem ut quis profunda vulnera curare poſſit, opus eſt unctionibus & emplaſtris lenitivis. Verum quidem eſt, quod propter unicam ab Achan factam transgreſſionem favorabilis fortunæ rota erga populum Hebræorum à principio in terra promiſſionis adeo victorioſum mirabiliter fuerit inverſa, prout ex hiſtoria ſatis nota liquido conſtat, & tamen Joſue non obſtante, quod delicti gravitatem in divinæ juſtitiæ trutina optime librare noſſet, damnaque irreparabilia, quæ exinde in Rempubl. Hebræorum, nec non propriam ſuam famam & exiſtimationem redundabant, clare ſatis ob oculos videret, magna illum cum benignitate reprehendit dicens: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël &c.* Opportunè igitur mellifluus Bernardus monet dicens: *Erudimini, qui judicatis terram; Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non Dominos, ſtudete magis amari, quam metui; & ſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica, matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis, manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera.* S. Stephanus perverſa illa Judæorum conciliabula acriter quidem reprehenderat, dicens: *Dura cervice & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis ... Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri*; & tamen, ut S. Fulgentius notat, manſuetudinem hujus correctionis individuam comitem fuiſſe clare ſatis probavit, dum tanta cum anxietate animi efficacem adeo orationem ad Deum pro ipſis effudit: *Ideo oratione audiri meruit lenitas, quia ſine charitate non fuit in correctione ſeveritas, judicio ſanctæ orationis oſtendit increpationem illam non fuiſſe odij, ſed amoris.* S. quoque Joannes Baptiſta, ut D. Chryſoſt. notat, de nimio zelo aut acrimonia, vel manſuetudinis defectu redargui non potuit, quando Herodem de inceſtu reprehendit; Non enim illum Tyrannum, vel inceſtuoſum ac ſacrilegum appellavit, quinimo minus dicere non poterat eo, quod dixit, ſiquidem ſolum hoc ei improperavit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui:* unde præcitatus S. Doctor ait: *In reprehenſione apparuit multa manſuetudo & viri mititas, dixit enim: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, erat enim magis verbum docentis, quam reprehendentis, erudientis magis, quàm punientis.*

S. Hieron. Ezech. 43. v. 3.

Joſ. 7. v. 19.

S. Bern. ſer. 23. in Cant.

Act. 7. v. 51.
Ibid. v. 52.

S. Fulg. ſer. de S. Steph.

Marc. 6. 18.
D. Chryſ. H. 28. in 2. ad Cor.

9. Advertendum quoque eſt, quod Apoſtolus Timotheo ſcripſit: *Servum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe docibilem ad omnes & patientem, cum modeſtia corripientem.* Narrat Caſſianus de juniore quodam Monacho, qui vehementes patiebatur tentationes omnino invitus; addit verò quod unus ex ſenioribus, eo quod neutiquam ei compatiebatur, quin potius nimio cum rigore eum reprehendebat, juſtiſſimo Dei judicio ita diſponente, eisdem infeſtatus fuerit tentationibus, pari & forte majori cum ardore eum divexantibus, ut deinceps junioribus compati, correctionisque miniſterium majori cum benignitate & affabilitate exercere diſceret. Huc quoque ſpectat, quod S. Dionyſius Areopagita in Epiſtola quadam Annalibus Eccleſiaſticis inſerta his fere verbis ſcribit: Cretam aliquando profectus hoſpitio exceptus ſum à S. Carpo, viro ob ſingularem munditiam, animique ſui puritatem divinæ contemplationi præ cunctis aliis aptiſſimo, qui divina myſteria numquam ordiebatur celebrando, niſi prius Deus illū

2. Tim. 2. v. 24. & 25.
Caſſian. Collat 2. c. 13.

S. Dion. Areop. ad Demophilum.
Baron. An. 59. n. 16.

 intra

intra preces, quas illis præmittere ſolebat, ſacra aliqua viſione illuſtraſſet. Accedit autem, ut ille referebat, quod certus quidam infidelis virum Chriſtianum ad paganiſmi impietatem ſeduceret, unde S. Carpus ſupra modum contriſtatus, eo tempore, quo inter gentiles feſta agebantur, quæ à vulgo familiari nomine Hilaria appellari ſolebant, ſtatuit pro utriſq; miſeris ardentiſſime orare, atq; Dei Salvatoris auxilio alterutrum ab errore convertere, alium verò bonitate ſuperare, nec deſiſtere; donec eos ad Dei cognitionem attraheret; ſed neſcio quo pacto (cum id antea intra ſemetipſum numquam paſſus fuiſſet) vehementi erga utrumque indignatione agitari cœpit; ſicque affectus obdormivit, erat enim veſpera. Circa verò mediam noctem, quo tempóre ipſe ſemper ad divinos evigilare hymnos conſueverat, expergiſcitur quidem & ſurgit, cum ſomnos parum quietos, & crebro interruptos, nec abſque perturbatione cepiſſet, ſeque ad orationem faciendam accingit, ſed non ſatis intentè & religioſè, triſtabatur enim & ferebat graviter, iniquum eſſe dicens, ſi impij homines, & qui vias Domini perverterent rectas, adhuc viverent, & hæc dicens, precabatur Deum, ut amborum vitam turbine aliquo & fulmine prorſus extingueret. His dictis repente ſe vidiſſe referebat, domum, in qua conſiſtebat, vehementer agitari, ac demum à ſummo culmine per medium dividi, & quemdam ante ſe ingentis luminis rogum, eumque (videbatur enim jam ſub dio eſſe locus) à cœlo ad ſe uſque deferri. Cælum verò patere conſpiciebat ejusque cardini Jeſum inſidere, innumeris illi humana ſpecie adſtantibus Angelis. Quæ omnia Carpus ſe vidiſſe & admiratum fuiſſe ajebat, cum ſuperne aſpiceret. Ubi verò ad inferiora deflexit obtutus Carpus, ipſum quoque ſolum inſtar vaſti ac tenebricoſi cujusdam lacus diſciſſum ſe vidiſſe ait, atque viros illos, quibus mala increpatus fuerat, ante ſe ad oſtium illius profundæ voraginis ſtare trementes ac miſerabiles, & qui ipſa pedum ſuorum labilitate jam jam mergendi viderentur. Porro ab inferiori parte voraginis ſerpentes cernebat emergere, qui circa illorum pedes inſtabiles ac nutantes, interdum quidem in globum colligi, & gravari una atque pertrahere, interdum verò dentibus & caudis, ore, gutture, linguis ac toto corporis motu, illos modis omnibus deorſum præcipitare molirentur. Vidit quoque viros quosdam in medio una cum ſerpentibus impetum in eos facientes ut præcipitarent. Videbantur autem illi lapſui proximi, partim vi, partim etiam ſponte, cum à malo ſenſim & cogerentur & inducerentur. Refert autem S. Dionyſius de B. Carpo, ipſum graviter & indignè tuliſſe, quod illi nondum cecidiſſent, cumque ſæpius in eo deſiderij ferretur impetu, eosque ipſe niteretur impellere, ſemperque fruſtra moliretur, moleſtiſſime tuliſſe, cum ecce elevatis ad ſuperna luminibus, vidit cœlum ſicut prius aſpexerat, Jeſumque miſeratum quod fiebat, de cœleſti illa ſede conſurgentem ad eos uſque deſcendere, manumque porrigere, ſimulq; Angelos illis opem ferentes, ac dixiſſe Jeſum Carpo ſtanti porrecta adhuc manu: Jam percute adverſum me; paratus ſum enim etiam iterum pro ſalvandis hominibus pati: Tu autem vide an tibi utile ſit, hanc cum ſerpentibus manſionem, Dei hominum & Angelorum præferre conſortio. Huc uſque Dionyſius Areopagita. Quis autem ex hoc facto non videt, quantum Deus noſter per zelum erga peccatorum perditionem nimis ferventem & indiſcretum offendatur: *Nolo mortem impij, ſed ut convertatur ... & vivat.* Saluberrimè igitur S. Anſelmus ſuper c. 5. Ep. ad Timoth. monet, dum ait: *Hoc age cum diſcretione, ut unumquemque doceas vel admoneas, prout congruum fuerit; aliter namque admonendi ſunt juvenes, aliter ſenes, quia illos plerumque ſeveritas correctionis ad profectum porrigit, iſtos verò ad meliora deprecatio blanda componit; Et ideo ſeniorem ne increpaveris, ſed pro pietatis honore, obſecra eum reverenter ut Patrem, quatenus per benignam obſecrationem facilius tuam ſuſcipiat admonitionem, indignatur enim & erubeſcit ſi fuerit aſpere correptus; juvenes verò admone cum affectis dilectionis, ut fratres; Senes & in Scriptura ſacra vocantur non qui ſola quantitate temporum, ſed qui morum grandævitate maturi ſunt: juvenes verò qui nulla conſilij gravitate deprimuntur.* Cajetanus in Epiſt. ad Gal. ſcribens, dum verba illa: *Inſtruite in ſpiritu lenitatis*, exponit, utiliſſimum quoddam punctum tangit, dicit enim: *Hæc eſt forma reparandi lapſos, ut actio correctiva procedat in ſpiritu manſuetudinis, ad differentiam eorum, qui impetuoſe ſæviunt in delinquentes;* Bene autem advertendum eſt, quod ſequitur: *Creditur Paulum hæc dixiſſe, quia Pſeudoapoſtoli contra delinquentes indignabundi procedebant; In hoc enim vult cognoſci vere ſpirituales paſtores, quod in ſpiritu manſuetudinis procedunt, ad reparandum, non puniendum.* S. Bernardus ad S. Paulum alludens, de hac concipiendi benignitate ita ſcribit; *O quam leni & dulciſſimo ſpiritu imbutus eſt ſpiritus illius, qui novit in ſpiritu lenitatis peccantem inſtruere, ſuſpendere vindictam, & affectuoſis viſceribus inviſcerare ſibi peccatorem, donec vitæ reddatur.*

Ezech. 33. v. 11.
S. Anſel ſuper 1. Tim. 5. v. 19.
Gal. 6. v. 1. Cajet.
S. Bern. ſer. de S. Maria Magdalen.

## DISCURSUS XIII.
## ARGUMENTUM.

In correctione affabilitas cum ſeveritate conjungenda eſt, ita ut una ab altera numquam ſeparetur; præſtat tamen, ut manſuetudo ſeveritati ſemper præponderet.

### THEMA.

*Vos eſtis ſal terræ.* Matth. 5. ℣. 13.

1. APoſtoli & omnes quotquot illis in regimine animarum ſuccedunt, ab incarnata ſapientia non ſine peculiari myſterio ſal appellantur: *Vos eſtis ſal terræ:* cujus quidem appellationis multæ analogiæ adduci poſſent, at verò quæ propoſito noſtro præciſe ſervit, hæc eſt, quod cum ſal valde ſit mordax, aptiſſimum ſit correctionis fraternæ ſymbolum, ad hanc enim animas à vitiis & peccatis præſervare pertinet, quemadmodum ſalis proprietas eſt, ut unicuique conſtat, quod carnes à corruptione cuſtodiat; unde S. Hieronym. inquit: *Quod ſale conditur, vermis putredinem arcet.* Verumtamen ut ſal bonum ſit cibi condimentum cum diſcretione adhibendum eſt, ſecus enim cibus non bene ſaperet, eſſetque ſaluti corporis pernitioſus: ita quoque is, cui officium corrigendi & reprehendendi alios ex officio incumbit, quoties ad hoc ex charitatis præcepto obligatur vel impellitur, idipſum cum certa æquitatis & benevolentiæ menſura circumſpectè facere debet. Et ideo Chriſtus ſal & pacem ſimul apud S. Marcum conjungit, dum ait: *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos*, id eſt, ut S. Hieronymus exponit, *ſalſitudinem correctionis amor proximi temperet, & dilectionem proximi ſal juſtitiæ condiat.* Sal ex materia ignea & aquea componitur, quia licet duo hæc elementa ſibi invicem contrarientur, propter bonum tamen commune ſibi invicem uniuntur & alligantur: ita quoque ſeveritas, rigor, aſperitas, benignitati & manſuetudini contrariantur, & tamen pro bono communi Reipublicæ neceſſum eſt, ut in correctione quæ ad vitiorum exterminium tanti valet, ſimul ad invicem ſocientur & uniantur, unde S. Paulus primo dicit: *Argue, obſecra, increpa*, & protinus ſubdit: *In omni patientia.* Ecce tibi ſalem Evangelicum, mordacem quidem, ſed pariter ſapidum. Ad hanc ſeveritatis & humanitatis mutuam unionem ipſi quoque Philoſophi morales Gentiles nos exhortati ſunt. Unde in Concilio quodam; ubi de hac materia agitur, ſequentia verba ſcripta leguntur: *In omni correctione aliquid miſcendum manſuetudinis, & charitas, ex qua ut ex radice correctio procedere dignoſcitur, ſemper fulgeat.* Ideo Seneca ait in proverbio: *Semper objurgationi aliquid blanditiæ admiſce:* quia ſale non niſi in pondere & menſura uti oportet.

S. Hieron. in c. 9. Marc.
Marc. 9. v. 49.
S. Hieron. Ibid.
2. Tim. 4. v. 2.
Tom. 4. Concil. pag. 311.
Senec. in Prov.

2. S. Gregorius ad Abbatem quemdam Sirinenſem ſcribens, his verbis eum monet: *In correctione hunc eſſe ordinem noveris obſervandum, ut perſonas diligas, & vitia perſequaris, ne ſi aliter agere fortaſſè volueris, tranſeat in crudelitatem correctio, & perdas, quos emendare deſideras: ſic enim vulnus debes abſcindere, ut non poſſis ulcerare, quod ſanum eſt, ne ſi plus quam res exigit, ferrum impreſſeris, noceas, cui prodeſſe feſtinas, ipſa enim in te dulcedo cauta, non remiſſa ſit, correctio verò diligens ſit, non ſevera.* S. Proſper pariter dicit: *Eccleſiæ Doctoribus & cenſura ineſſe debet, ut arguant, & patientia, ut emendari nolentes fortiter ferant, apoſtolico monito ſatisfacientes, qui Timotheo præcipit dicens: Argue, obſecra &c. quaſi diceret: Argue coæquales, obſecra ſeniores, increpa juniores, ſed proprerea addidit, in omni patientia & doctrina; quia leniter caſtigatus exhibet reverentiam caſtiganti, aſperitione autem nimiæ increpationis offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem.*

S. Greg. l. 9. Ep. 9. Ind. 9.
S. Proſper l. 2. de vit. Contempl. c. 5.
2. Tim. 4. v. 2.

3. Conſiderabilis valde eſt victoria illa, quam David per impactum fronti Goliathi lapillum de eodem glorioſe retulit. Stephan. autem Cantuarienſis, ex omnibus circumſtantiis illius, quas ſacer textus commemorat, moralitates quasdam deducit propoſito noſtro aptiſſimas:

1. Reg. 17. v. 50.



aptiſſimas: *Torrens*, inquit, *eſt fluxus ſæculi, aqua enim torrentis turbida eſt, & luti plena; ſic deliciæ mundi turbidæ & peccato plenæ ſunt; lapis eſt dura increpatio; De torrente eligit lapides, quia Prælatus debet ſumere de mundo materiam increpationis.* Notandum verò eſt, quod David quinque hos lapides, in quibus correctio myſtice deſignatur, *miſit in peram, id eſt, in vas, in quo lac mulgetur: lac ſuave eſt, pera ergo ſuavem exhortationem deſignat.* In Diſcurſu præcedenti ex Actis Apoſtolorum mentionem fecimus S. Stephani, qui obſtinatos ac malignos Hebræos acriter reprehendit, at verò notandum eſt, qualiter reprehenſionem illam charitate & benignitate temperarit; nam ut S. Fulgentius in Homilia, quam in dicti ſancti Protomartyris honorem conſcripſit, quæ eadem etiam in Alcunio legitur, ait: *Ipſa ſancta charitas firmam ſervavit in orando patientiam, quæ rigidam tenuit in correptione cenſuram.*

Stephan. Cantuar. apud Godefr.
Actor. 7. v. 51.
S. Fulgent. Hom. de S. Stephan.

4. Myſticæ prorſus ſunt ſimilitudines illæ, quas incarnata ſapientia apud S. Lucam c. 12. primo de corvis, & paulo poſt de liliis adducit; de quibus proinde S. Petrum Chryſol. audiamus, qui ait: *Dubium merito infidelem ad avem mittit, amicam belli, furoris ſociam, inſatiatam ſanguine, & in ipſos mortuos ferro gravius ſævientem. Itaque Dominus exemplo tali exaggerat dubitantis inſaniam, qui putat Deum hoc pijs filijs denegaturum, quod impijs avibus ſubminiſtrat.* Ut autem Salvator noſter hanc eamdem circa divinam ſuam providentiam conceptam diffidentiam redarguat, aliud quoddam de liliis agri plauſibilius exemplum ſubjungit, dicens: *Conſiderate lilia agri &c.* ubi D. Chryſologus ait: *Verum quia Deus ſic humanum diligit genus, ut ipſos, quos dominantis jure corripit, mox paterno ſoletur & mulceat blandimento, quos comparatione fædiſſimæ avis exaſperaſſè videbatur, ad floris odorati & ſpecioſi nimium hoc reducit exemplum.* Sic quoque licet labia ſponſæ liliis comparentur, attamen Spiritus S. eadem veluti myrrha, quæ magnam in ſe amaritudinem continet, aſperſa repræſentat; ut exinde intelligamus, quod correctionis ſeveritas per charitatis ſuavitatem debeat temperari.

S. Pet. Chryſol. ſer. 163.
Luce 12. v. 24. & 27.
Luc. 12. v. 27.
D. Chryſol. ibid.
Cant. 5. v. 13.

5. Merebatur quidem illa Joſephi à fratribus facta impia venditio ſeveriſſimum ſupplicium, verumtamen, ut S. Gregorius notat, Joſeph illos de hac impietate reprehenſurus, optime conjungere ſimul novit rigorem, hunc illis exceſſum tacitus improperando, cum ſumma benignitate & manſuetudine, quam circa illos exercuit, unde idem S. Doctor ait: *Tunc ſe ultra cohibere non valens, pietas clauſa prorupit ad medium, & excuſſit charitatis lachrymas, de vultu ſeveritatis deterſa eſt ira, quæ apparebat, & non erat, & oſtenſa miſericordia, quæ erat, & non apparebat. Sic in rigore clementiam tenuit, ut delinquentibus fratribus nec ſine ultione pius exiſteret, nec ſine pietate diſtrictus. Ecce hoc eſt magiſterium diſciplinæ, ut culpis & diſcrete noverit parcere, & pie eaſdem reſecare.*

S. Greg. H. 22. in Ezech.

6. S. Bern. illum Apoſtoli textum ex 1. ad Cor. c. 4. deſumptum adducit, in quo ita Corinthiis ſcribit: *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis;* *Et merito*, inquit Sanctus, *talis modus obſervandus eſt*, citatque locum illum Prov. 25. *Lingua mollis confringet duritiem.* Et iterum c. 15. *Lingua placabilis lignum vitæ: quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum. Unde Propheta ait: Supervenit manſuetudo & corripiemur.* Advertendum tamen eſt, quod non ideo manſuetudo iſthæc ſeveritati commixta virga eſſe deſinat; nam in Zacharia Propheta Deus dicit: *Aſſumpſi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & alteram vocavi funiculum, & pavi gregem.* Per quas virgas ſeveritas & benignitas deſignantur, quæ ad corrigendum & emendandum illos, qui gubernanti ſubjiciuntur, omnino neceſſariæ ſunt. Et quidem per virgam illam, quam decorem vocavit, benignitas intelligitur, quæ omnibus placet: per aliam vero, quam appellavit funiculum, rigor denotatur. Hæ autem junctæ eſſe, non vero à ſe invicem diſſociari debent: quarum prima per virgam Aaronis ſignificatur, quæ flores germinavit: ſecunda vero per virgam Moyſis innuitur, quæ præterquam quod in ſerpentem tranſmutata fuerit, tot fuit ſuppliciorum divinitus immiſſorum inſtrumentum.

1. Cor. 4. v. 2.
S. Bernardin. T. 2. ſer. 8. A. 1. c. 1.
Prov. 25. v. 15.
Prov. 15. v. 4.
Pſal. 89. v. 10.
Zachar. 11. v. 7.

7. Verum enimvero ex quo ambarum virgarum iſtarum mentionem fecimus, operæ pretium erit recordari illius, quod ad *aquas contradictionis* Hebræorum populo accidit; Quia enim Hebræi ſitibundi erant, Deus ineffabili providentia ſua, ut aquæ limpidæ è duro ſaxo copioſè emanarent, diſpoſuit, & ut illarum uſura ſine ulla corporalis ſalutis præjudicio fruerentur, utrique fratri Moyſi & Aaroni, ut populum ſanctificarent, præcepit, cætera, quæ acciderunt, in ſacro textu fuſius narrata legi poterunt. Porro certum eſt, quod ambo hi fratres Deum tantopere offenderint, ut in delicti pœnam æternam neutrum illorum terræ promiſſionis pedem inferre noluerit; at vero dicite ſodes, in quonam delicto ambo hi fratres Deum offenderant? nimirum quia nimio cum zelo & rigore populum de incredulitate & diffidentia reprehenderant, dicendo: *Audite rebelles, numquid &c.* Adhæc conſiderandum eſt, quod Deus illis præceperat dicendo: *Loquimini ad petram... & illa dabit aquas*, ipſi autem non voce, ſed virgâ uti, eaque petram percutere voluerunt; Quæ *omnia* utique *in figura contingebant*; Etenim contingat caſus, quod aliquis peccatorum obſtinatus & ſilicis inſtar durus ſit, ſi is virga percutiatur, id eſt, verbis duris arguatur & corripiatur, utique in verba iracundiæ prorumpet, ignem indignationis emittet, nullumque ex reprehenſione fructum faciet, atque ideo ne hoc contingat, Deus præcepit dicens: *Loquimini ad petram*, dulciter nimirum & manſuete, quia ſi volumus, ut talis durus & obſtinatus ſilex aquam fletus & compunctionis ſcaturiat; cum charitate & dexteritate lingua utendum eſt, non vero talis cum rigore & acerbitate virgæ exaſperandus.

Num. 20. v. 24.
Num. 20. v. 10.
Num. 20. v. 11.
Ibid. v. 8.

8. Deus olim ſe virum ſecundum cor ſuum inveniſſe, cumque in Regem populi ſui conſecraſſe gloriabatur: *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum*, mox vero ſubjungebat: *Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus*; at vero quiſnam eſt peregrinus hic loquendi modus: Ergone vult Deus ut David unam manuum ſuarum in mare, aliam vero in aquas fluminis extendat? Imo vero, inquit Deus, quia quisquis gubernio admotus eſt ſubditorum, quiſquis eſt, cui vitia extirpare, perverſos corrigere, malosque mores emendare, ex officio aut charitate incumbit, duas habere manus debet, unam quidem ad emendationem errorum illorum, quos corrigibiles eſſe exiſtimabit, & hæc dextera eſt, quia hæc munus ſuum magna cum dexteritate exequi debet; altera vero ſiniſtra eſt, qua caſtigandi ſunt illi, qui in vitiis & ſcandalis indurati perſiſtunt; atque ideo harum manuum una immergi debet cordi, in quo eſt aqua ſalſa, alia vero in fluminum dulcibus aquis, quia quiſquis vult corrigere, ſeveritatem debet cum benignitate conjungere, id quod in virga ſive ſceptro imperii, quod Jonathas in manu ſua habebat, clare & perſpicue declaratur: ſicut enim per virgam illuminati fuerunt ejus oculi, ita à correctione talia in corrigendum derivantur documenta, quæ adeò nos illuminant, & in viam dirigunt ut penitus à nobis *abjiciamus opera tenebrarum.* Sed notandum eſt, quod virga iſta melli intincta fuerit, ad denotandum, quod in correctione rigor virgæ conjunctus eſſe debet cum dulci melle lenitatis & ſuavitatis. Unde S. Gregor. ait: *Virga quidem, qua parvuli ſolent corripi, ſermo correptionis poteſt apte deſignari;* Et S. Iſidor. in ſententiis ait: *Ita erga delinquentem ſermo eſt proferendus, ſicut ejus, qui corripitur, expoſtulat ſalus. Quod ſi opus eſt aliquam ſalutem medicamenti verbo increpationis aſpergere, lenitatem tamen corde opus eſt retinere.*

Pſ. 88. v. 21.
Ibid. v. 26.
1. Reg. 14. v. 27.
Rom. 13. v. 12.
S. Greg. ibid.
S. Iſid. l. 3. ſent. c. 46.

9. S. Paulus in Ep. 2. ad Theſſ. primo malorum commercium & ſocietatem fugere præcipit, dicens: *Ne commiſceamini cum illo*, & tamen mox dicit: *Nolite exiſtimare quaſi inimicum; ſed corripite ut fratrem.* Quæ duo ſibi invicem adverſari videntur; quomodo enim ut fratrem corrigere poſſum, & non inimicum, cum quo prohibeor commiſceri? S. Anſelmus dubium iſtud reſolvit dicens: *Licet præcipiam non commiſceri, tamen nolite illum exiſtimare quaſi inimicum, id eſt, nolite illum odio habere, putantes quod ſit inimicus, ſed affectu dilectionis corripite illum ut fratrem, quia unum habet vobiſcum patrem, ac ſi dicat: pacem cum eo exteriorem ſolvite, ſed interiorem circa illum medullitus cuſtodite, ut mentem peccantis ſic veſtra diſcordia feriat, quatenus pax à veſtris cordibus nec abnegata diſcedat.* S. Gregor. notat, quod Deus illos, quos ad regimen elegit animarum, ad benignitatem & compaſſionem erga proximos his verbis adhortetur: *Quod fractum erat, non alligaſtis, & quod abjectum fuerat, non reduxiſtis. Abjectum enim reducitur*, inquit, *cum quiſque in culpam lapſus ad ſtatum juſtitiæ ex paſtoralis ſolicitudinis vigore revocatur: Fracturam vero ligamen adſtringit, cum culpam diſciplinæ deprimit, ne plaga uſque ad interitum defluat, ſi hanc diſtrictionis ſeveritas non coarctat. Sed ſæpe deterius frangitur, cum fractura incaute colligatur, ita ut gravius ſciſſuram ſentiat, ſi hanc immoderatis ligamentis conſtringant; unde neceſſe eſt, ut cum peccati vulnus in ſubditis corrigendo reſtringitur, magna ſe ſolicitudine etiam diſtrictos ipſe moderetur,*

2. Theſſ. 3. v. 14.
Ibid. v. 15.
S. Anſelm.
Ezech. 34. v. 4.

*tur, quatenus ſic jura diſciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viſcera non amittat. Curandum quippe eſt, ut rectorem ſubditis & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina. Atque inter hæc ſolicita circumſpectione providendum, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa.* B. Petrus Damianus eos, quorum munus eſt corrigere & reprehendere per adducta Phinees ſupra modum zelantis, & Heli nimium remiſſi exempla ad benignitatem cum aſperitate conjungendam his verbis hortatur:

B. Petr. Dam. l. 2. Ep. 11.

*Noli diſſimulare culpam*, inquit, *ſed mox, ut emerſerit, adhibe diſciplinam, ut cum Phinees te zelus ad æterni ſacerdotij jura promoveat, non te cum Heli ſub torpore inſidiæ ignobiliter oſcitantem ultio repentina percellat.* Unde per Salomonem dicitur:

Prov. 23. v. 14.

*Virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. Veramtamen cave nimius diſciplinæ rigor duritiam contrahat, & immoderatus zeli fervor vertatur in iram, ne videlicet dum culpæ rubigo detergitur, vas tenerum confringatur.*

Luc. 10. v. 34.

10. Dexter ille in medendo Samaritanus, ſanaturus miſeri illius vulnera, qui ab Jeroſolimis in Jericho deſcendebat, (qui animæ è ſtatu gratiæ in peccatum decidentis ſymbolum erat) iiſdem non oleum tantum, ſed & vinum infudit, de quo proinde S. Gregorius ita

S. Greg. ibid.

ſcribit: *Hinc eſt, quod dicente veritate per Samaritani ſtudium ſemivivus in ſtabulum ducitur, & vinum atque oleum ejus vulneribus adhibetur, ut per vinum ſcilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur; neceſſe quippe eſt, ut quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur ſananda. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeveritate, faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multa aſperitione exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſolvantur. Quod juxta Pauli vocem bene illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul & manna eſt, quia cum Scripturæ Sacræ ſcientia in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.* Hinc David ait:

Pſal. 22. v. 4.

*Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt virga enim percutimur, baculo ſuſtentamur, ſi ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet. Sit itaque amor, ſed non emolliens, ſit rigor, ſed non exaſperans, ſit zelus, ſed non immoderate ſæviens, ſit pietas, ſed non plus quam expediat parcens.*

11. Verum enimvero quærere hic non nemo poſſet, quonam corrigens magis inclinare debeat, an ad benignitatem, an vero ad rigorem. Vener. Beda ſuper illa S. Pauli ad Timoth. verba: *Cum modeſtia corripientem*, ita monet:

2. Tim. 2. v. 25. Ven. Beda.

*Modus autem ſermonis, ſive acrius, ſive blandius proferatur, ſicut ſalus ejus, quem corrigis, videtur poſtulare, moderandus eſt.* Interea vero, cæteris paribus, manſuetudo potius quam aſperitas commendanda eſſe videtur.

1. Cor. 4. v. 21.

*Quid vultis?* inquit Apoſtolus, *in virga veniam ad vos? an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Circa quæ verba advertendum, quod ſemel virgæ & diſciplinæ mentionem faciat, bis vero charitatem nominet & ſpiritum manſuetudinis; Unde S. Ambroſ. ait:

S. Ambroſ. ibid.

*Semel virgam dixit, bis mitiora ſubjecit, adjiciens manſuetudinem charitati.* S. Joannes in Apocal. Chriſtum vidit gladium in ore ſuo habentem, non ut necem alicui inferret, ſed ut Aſiæ Epiſcopos corrigeret; at verò inquies: Qui gladium ad vulnerandum vibrare intendit, eumdem non ore, ſed manu apprehendit. Caſſiodorus huic difficultati opportune ad propoſitum noſtrum ſatisfacit, dum ait:

Apocal. 1. v. 16.

Caſſiod. l. 7. variar. c. 1.

*Arma iſta juris ſunt, non furoris. Hæc oſtentatio nimirum eſt contra noxios inſtituta, nimirum ut plus terror corrigat, quam pœna conſumat, civilis eſt pavor iſte, non bellicus.* Advertendum vero eſt, quod tametſi gladium rigoris ſymbolum ore ſuo tenuerit, attamen ex altera parte ſeptem ſtellarum beneficos influxus in manibus ſuis geſtarit.

Cantic. 5. v. 1.

12. In ſacris Canticis Sponſus ait: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam, comedi favum cum melle.* Conſtat autem myrrham amaram, mel vero dulce eſſe, atque ideo his verbis myſtice ſimul inſinuatur acerbitas reprehenſionis, & ſuavitas benignitatis, per quam reprehenſionis temperanda eſt amaritudo. S. Ambroſius de hac re ita ſcribit:

S. Ambr. l. de bono mortis c. 5.

*Cognoſcamus quos fructus & cibos epuletur Deus, quibuſque delectetur. Delectatur eo, ſi quis mortificet peccatum ſuum, obliteret culpam ſuam, ſepeliat atque aboleat iniquitates ſuas, myrrha enim eſt ſepultura mortuorum, mortua autem peccata ſunt, quæ vitæ ſuavitatem habere non poſſunt; favi mellis ſermones boni; in illo ergo horto ſermones boni ſunt, aliuſque culpam coerceat, alius qui iniquitatem corripiat, alius qui non faciat inſolentiam, & velut ſepeliat eam, quando correptus aliquis erroribus ſuis renunciat.* Obſervandum eſt autem, quod de myrrha, quæ ſeveritatis figura eſt, ſolum dicat: *Meſſui*: at vero de melle, quod ſuavitatem correctionis repræſentat, ſe illud comediſſe, indeque nutritum eſſe dicit:

Cant. 5. v. 1.

*Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Porro in Concilio in principio citato hæc verba leguntur:

Concil. ubi ſupra.

*Correctio inferiorum à ſuperioribus debet aliquando eſſe levis, aliquando aſpera, numquam vero carere dulcedine.* Et ideo S. Proſper ait:

S. Proſp. ibid.

*Sciunt SS. Sacerdotes, atque diſcernunt, quos debeant temperata ſeveritate corripere, & quos ſacerdotali magnanimitate portare.*

## *DISCURSUS XIV.*

## ARGUMENTUM.

De lucro ſpirituali, quod per viam correctionis obtinetur, licet nonnumquam infructuoſa ſit; ubi etiam modus præſcribitur lucrandi eum, quem in communi, non vero in particulari corrigere & reprehendere nitimur.

### THEMA.

*Lucratus eris fratrem tuum*, Matth. 18. ℣. 15.

1. THeſaurus ille, quem is, qui proximum ſuum cum profectu ſperato corrigit, ſibi lucratur, omnino inæſtimabilis eſt:

S. Gregor. Hom. 26.

*Si enim magnæ mercedis eſt*, inquit S. Greg. *eripere carnem à morte, quamquam morituram, quanti eſt meriti à morte animam liberare in cœleſti patria ſine fine victuram?* Si ei, qui nos à morte liberavit, vitam noſtram debemus, quanto nobilius & pretioſius præmium debet correctus ei, qui ſalvavit animam ejus, eamque de cœli poſſeſſione ſecuram reddidit.

Jac. 5. v. 20.

*Qui converti fecerit peccatorem*, inquit S. Jacobus, *ab errore vitæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum;* Ubi Gloſſa interlinearis ait:

Interlin.

*Per alterius ſalutem ſalus ſibi acquiritur;* non tantum unum, ſed duos theſauros lucratur, ſiquidem tam animæ proximi, quam ſuæmetipſius animæ propriæ ſecuritati conſulit. Bonus latro a principio una cum ſodali ſuo Redemptori noſtro probroſis & ludibrioſis verbis pariter inſultaverat:

Matth. 27. v. 44.

*Idipſum & improperabant ei latrones &c.* & tamen paulo poſt à Chriſto particeps factus eſt incolatus Paradiſi:

Luc. 23. v. 43.

*Hodie mecum eris in Paradiſo;* ſed quo medio hanc ſibi gratiam comparavit? Per correctionem, qua dictum ſodalem ſuum in cruce poſitus redarguit; dicens:

Luc. 23. v. 40.

*Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?* Et quidem tametſi Chriſtus dixerit:

Matth. 18. v. 15.

*Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, ipſe vero hoc à complice ſodali obtinere non potuerit, ut videlicet patulas correctioni aures præbens inde proficeret; nihilominus Chriſtus illum propter hoc mercede & lucro proprio aſſecurandi animæ ſuæ ſalutem defraudare noluit. Et licet S. Auguſtin. dicat:

S. Aug. l. 2. de doctrin. Chriſtiana.

*Merces Doctoris eſt profectus auditoris*, hic vero hunc fructum in reprobo complice obtinere nequiverit, non tamen ideo *perdidit mercedem ſuam.* Simon de Caſſia pariter lucrum hoc infinitum obſervat, dum ait:

Simon de Caſſia l. 4. c. 44.

*Corripiens in magnis lucris efficitur, ſi obedienter auditur, ſiquidem dicitur: Si te audierit & pœnitentiam egerit, lucratus eris fratrem tuum; nulla majora lucra, quam animarum; pretioſior eſt iſta negotiatio, quam auri & argenti primi & puriſſimi.* Unde S. Paulus ait:

1. Cor. 6. v. 20.

*Empti eſtis pretio magno.*

D. Chryſoſt. H. 3. in Gen.

2. D. Chryſoſt. de hoc lucro diſſerens ait: *Ut anima corpore melior eſt, ita iis, qui indigentibus pecunias & facultates ſuppeditant, majoribus præmijs digni ſunt ii, qui admonendo in viam rectam deſides ducunt.* S. Bernardin. verba illa Salvatoris;

Matth. 18. v. 15. S. Bernardin. T. 4. ſer. 22.

*Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, in pondere ſanctuarij trutinans, ſubjungit: *& animam tuam, & tunc ſi dares omnia pro Deo, non tantum lucrareris, quantum corrigendo proximum.* Etſi integrum millionem auri erogares in eleëmoſynam, imo ſi dares quidquid in bonis terrenis vitæ hujus poſſides, aut quidquid te conſecuturum eſſe ſperare potes, etiamſi integrum ædæquaret Auguſti Cæſaris imperium, non tamen inde tantum lucraturus eſſes, quantum tibi comparas corrigendo & emendando proximum tuum, cujus idem Sanctus hanc aſſignat rationem, *quia Deus bene ponderat, quid ſit lucrari unam animam.* Imo ſi Alberto M. credimus, inter omnia opera bona, quantumvis illa Deo ſint accepta,

Alb. Mag. in Luc. c. 17.

ſive illa conſiſtant in eleëmoſynis, ſive in peregrinationibus ſacris, ſive in jejuniis, ſive in macerationibus cor-



poris, ſive orationibus, ſive in confeſſionibus & communionibus ſacris, nullum dari poteſt Deo gratius, majoriſque apud eum pretij & valoris, quam ſit opus fraternæ correctionis. *Nullum opus ita placet Deo, ſicut fraterna reductio, quæ ex charitate procedit*: Nam ut S. Dionyſius Areopagita in illo ſuo celeberrimo axiomate dicit.

S. Dion. Areopagita.

*Omnium divinarum diviniſſima extat perfectio, Dei cooperatorem eſſe in ſalute animarum ad ſuum creatorem.*

3. S. Bernardin. in alio quodam ſermone ſuper præcitata thematis verba, dicit:

S. Bernardin. T. 2. ſer. 28. A. 2. c. 1.

*Lucratus eris fratrem tuum ſcilicet Deo, ſibi, & tibi.* Unde addit: *Conſiderandus eſt fraternæ correctionis fructus, qui quidem triplex eſt, Primus eſt lucrum unius animæ. Secundus infuſio gratiæ. Tertius eſt adeptio gloriæ. Primus eſt lucrum unius animæ, ſcilicet proximi correpti, qui ſe emendat, quia Dominus ait: ſi te audierit lucratus es fratrem tuum. Secundus fructus eſt infuſio gratiæ*, juxta illud *Prov.* 28. ubi dicitur:

Prov. 28. v. 23. Prov. 24. v. 11.

*Qui corripit hominem gratiam poſtea inveniet.* Et c. 24. dicitur; *Erue eos, qui ducuntur ad mortem mortalis culpæ, voluntate conſentientes peccato, tales erue, ſcilicet conſulendo, docendo, monendo corripiendo. Tertius fructus eſt adeptio gloriæ*, ubi citat authoritatem S. Jacobi Apoſt. dicentis:

Jac. 5. v. 20.

*Si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, ſcire debet, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte.*

D. Chryſoſt. T. 6. Hom. 6.

4. D. Chryſoſt. in Homilia, cui titulus eſt: *De doctrina & correptione*, eamdem tradit doctrinam, dum ita ſcribit: *Magnum bonum eſt inopia preſſorum miſereri, ſed nihil tale tamen, quale eſt ab errore alios avocare, nihil enim cum anima conferendum, ne mundus quidem univerſus. Quamvis immenſam pecuniæ vim pauperibus elargiaris, nihil tamen tale præſtabis, quale ſi vel unam animam convertas.* Albertus Magnus illud in Vet. Teſtam. à Deo traditum præceptum conſiderat, videlicet:

Alb. Magn. ibid.

*Si videris bovem odientis te errantem in via, non præteribis, ſed reduces. Et aliam dat legem: Si videris aliquem jacentem ſub onere, vel aſinum ejus, non præteribis, ſed ſublevabis eum cum illo: cum enim majorem curam debeam habere de ſalute, quam de bove & aſino, magis debeo facere ut ſublevetur, & reducatur anima ipſius.*

5. Unde D. Chryſoſt. opportunè redarguit illos, qui ſe à proximorum defectibus corrigendis ſubducunt, dicentes: Quid mea intereſt de proximo cogitare? Num forte alij deſunt, qui id facere ex officio tenentur? Ego ſæcularis ſum, correctio hæc vero ad Sacerdotes & Religioſos pertinet: Quibus S. Doctor his verbis reſpondet:

D. Chryſ. ib.

*Dic mihi obſecro, ſi aurum alicubi poſitum invenias, diciſne apud teipſum: Quare iſte, aut iſte aurum non ſuſtulit? minime vero, ſed alijs omnibus illud præripere ſtudes. Idem igitur tibi animus ſit, ſi quando lapſos errore fratres videris, curamque eorum velut theſaurum inventum reputes;*

Jerem. 15. v. 19.

*Qui enim ſeparat pretioſum à vili, inquit Dominus, tamquam os meum erit.* Quæ verba in eadem Homilia his verbis magis declarat, dicens: *Qui ab errore ad veritatem proximum velut manu ducit, aut à peccato ad virtutem, quantum homo valet, vitam ei monſtrat, ille me imitatur: Si enim ipſe cum Deus eſſet, & ineffabilis illius eſſentiæ particeps, crucem ſibi amplexus, & alia omnia propter nos & ſalutem noſtram ſuſtinuit, quid nos teneremur præſtare iis, qui eamdem nobiſcum naturam habent, & membra noſtra ſunt, quos eoſdem è diaboli faucibus eripere, & ad virtutis iter traducere valeamus.* Pergit ulterius idem, quod ex correctione comparatur, lucrum demonſtrare hoc argumento: *Nam ſi pro pecuniarum ſumptibus & largitione tot coronæ, tanta merces, tanta ſiat retributio, quomodo non plurima bona pro allato animabus auxilio nobis reddentur? Nemo recte ſuum commodum quærere poteſt, abſque proximi ſui ſalute, ſiquidem Paulus inquit;*

1. Cor. 10. v. 24.

*Nemo quod ſuum eſt, quærit, ſed ſinguli, quæ ſunt alterius; probe ſciens, quod proprium cujuſque emolumentum in proximi utilitate contineatur.* Et quidem tametſi nonnumquam contingat, quod nullum ex correctione facta lucrum reportent, non tamen ideo ab hoc munere eſt deſiſtendum, nam *ipſi Apoſtoli etiamſi non omnibus perſuaſerint, quia tamen ad omnes ſermonem habuerunt, mercedem quoque pro omnibus receperunt.* Adhæc ſi nequeamus convertere centum, ad minus in decem faciemus aliquem fructum, aut vero ſi nec hos lucrari poſſimus, non illos contemnamus, inquit Chryſoſt. tametſi quinque illorum dumtaxat eſſent: *Ac ſi nec iſtos convertere valeas, unum negligere ne velis, non enim juxta eorum, qui emendantur ſummam, ſed juxta mentem corrigentium Deus coronas definire conſuevit.* Idem quoque Sanctus animum correctori ſuggerere nititur, ut libenter omnibus obviam procedat obſtaculis, quæ ei forte objicerentur, tametſi etiam manifeſtum ſubeundum eſſet periculum mortis: *Quamvis mortem ſubire pro correctione fratris neceſſe eſſet, nihil tamen reformides: Martyrium tibi hoc eſt, ſiquidem & Joannes Martyr erat, & quidem nec ſacrificare idolis, nec adorare juſſus eſt, ſed pro ſacris legibus, quas violare cernebat, caput ſuum depoſuit.*

Matth. 18. v. 15.

6. Non exiſtimo, quod extra orbitam abiturus ſim, ſi occaſione illorum verborum: *Lucratus eris fratrem tuum, ſi te audierit;* modum edoceam, qui ad lucrandos per correctionem proximos noſtros, neceſſario ſervandus eſt: Dum quidam amicus ab alio ſibi amiciſſime conjuncto notabilem quamdam pecuniæ ſummam ſibi mutuo dari poſtularet, hic ſe pecuniam illam prompto & libenti quidem animo mutuo daturum eſſe dixit, niſi vereretur, quod hoc faciendo pecuniam pariter ſuam & amicitiam ejus, gravi nimis jactura amiſſurus eſſet: Idem profecto multis ſæpenumero contingit, qui dum correctiones prudenter & diſcrete facere neſciunt, per imprudentiam ſuam amicum perdunt, & quod deterius eſt, ſalutem animæ ejus pernitioſe impediunt; eo quod correctio imprudenter facta, non ſolum nullum fructum adferat, ſed & correctum magis pervertat; & in peccato ſuo obſtinatum faciat. Optimus igitur valdeq; proficuus & fructuoſus proximum corrigendi modus eſt, ſi vitium partinaciter alicui adhæreſcens reprehendatur, non quidem in particulari & individuo homine, ſed admonitionem univerſaliter & in communi inſtituendo.

Ioan. 3. v. 2.

Nicodemus Princeps ſynagogæ erat, & tametſi Chriſti amicitiam & obſequium profiteri decreviſſet, venit tamen ad Jeſum ut plurimum ſub noctis crepuſculum, propter metum Judæorum; opus quidem habebat, ut corrigeretur, at vero S. Bonaventura modum obſervat, quo incarnata ſapientia in correctione ejus uſa fuit:

S. Bonav. ibid.

*Chriſtus*, inquit, *non direxit ſermonem ad eum ſed in tertia perſona loquitur, ut mitius gravem ſermonem ſufferret, non ad ipſum manifeſte direxit ſermonem, ſed dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto;* in tertia perſona loquendo.

7. B. Laurent. Juſtinian. Chriſtum ardentiſſimo deſiderio flagraſſe dicit, ut Judam in ſtatum ſalutis reduceret; unde de lupo infernali ait:

B. Laur. Juſtin. de triumph. Chriſti agone c. 5.

*Quoniam vero proditoris animum invaſerat, omnemque ſtatum priſtinæ gratiæ inverterat, merito turbabatur Dominus, ſuæque ſigna mæſtitiæ protendebat in facie, nec quod turbaretur latere voluit, quia perditi ſalutem ardentiſſime cupiebat;* Sed quiſnam modus fuit, quo illum, licet fruſtra, lucrari conatus fuit? *Quamobrem, tamquam verus paſtor ovem perditam recuperare ſatagens, tacite illam admonere curavit, ſi quo modo rediret ad ſe, reatum ſuum agnoſceret, cognoſcendo fleret, flendoque veniam ſalubriter impetraret. Propterea quod conceperat proditor, quod maligno corde geſtabat, ſibi tantum ſignificavit, nullum ſpecialiter nominando. Poterat hoc Judæ ad emendationem ſufficere, poterat bonitatis illius compungi dulcedine.*

Matth. 26. v. 40.

8. In horto Gethſemani Chriſtus Petrum de ſomnolentia reprehendere volens: *Dicit Petro: Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum?* Ratio autem, cur illum ſpecialiter de ſomnolentia increparit, hæc eſt, quia ipſe præ cunctis aliis in principio ſe eum ſecuturum eſſe promiſerat:

Matth. 26. v. 35.

*Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam; Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo;* unde Chriſtus potius illum particulatim reprehendere debuiſſet dicendo: *Sic non potuiſti una hora &c.* & tamen hoc reprehendendi modo intermiſſo, reprehenſionem univerſim ad omnes dirigit, dicendo: *Sic non potuiſtis &c.* quia docere nos voluit, quod quando aliquis in particulari reprehendendus & corrigendus eſt, ad ipſum tanto facilius lucrandum, curandum ſit, ut ejus defectus in communi inſinuetur, ut ſic rubori & confuſioni ipſius conſulatur.

Rodrig p. 3. tr. 8. c. 5.

9. S. Arſenius Abbas, qui in ſæculo Arcadij & Honorij filiorum Theodoſij Imperatoris Præceptor fuerat, à vita ſæculari ad Monachiſmum ſe tranſtulit, cumque paulatim in ſanctitate valde celebris factus fuiſſet, in converſatione tamen familiari nonnihil, licet in re levi deficiebat, dum enim in conſortio monachorum ſederet, unum pedem alteri ſuperponebat, quod licet modeſtiam videretur offendere, nullus tamen Monachorum eum de hoc defectu aperte audebat corrigere; Cum vero de modo eum hac in re corrigendi inter ſe deliberaſſent, tandem Paſtor Abbas, hoc conſilium aliis propoſuit; quamprimum, inquit, ſimul capitula-

rent

riter congregati erimus, ego unum pedem alteri ſuperinjiciam, voſque confeſtim me de eo defectu redarguetis, ut me emendem, hac enim ratione per reprehenſionem mihi adhibitam & ipſe officij ſui hac in re monebitur. Quod faciendo mox in Arſenio defectus ille ceſſavit, nec umquam deinceps notatus fuit.

10. Quando Maria Magdalena unguentum illud odoriferum valdeque pretioſum capiti Salvatoris in Apoſtolorum præſentia ſuperinfundebat, Judas acriter murmuravit, dicendo; ſatius futurum fuiſſe, ſi unguenti iſtius valor & pretium inter pauperes erogatum fuiſſet, quantumvis interius ex eo potius doleret, quod pretium ei in marſupij ſui conſignatum non fuiſſet depoſitum; Verumtamen diſcretiſſimus Salvator noſter, ne eum pertinaci reprehenſione manifeſtando exacerbaret, diſcurſum ſuum ad omnes univerſim direxit, dicens: *Sinite illam, ut in die ſepulturæ meæ ſervet illud*; vel, ut D. Chryſoſtomus ait: *Demonſtravit quod proditorem cognoſceret, non tamen manifeſte reprehendit, ut à propoſito revocaret.* Quiſnam reprehenſionem, qua Chriſtus Samaritanam redarguit, aſperiorem fuiſſe dicit illa, qua Scribas & Phariſæos increpavit, non obſtante, quod hæc extrinſecus acerbior eſſe videatur: Illi namque ſolum dixit: *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Hos vero ſepulchra dealbata, hypocritas, generationem peſſimam & adulteram appellavit. Verumtamen audiamus quid hac de re ſentiat D. Chryſoſt. *Gravius*, inquit, *hanc, quam illos, Dominus reprehendit, hoc enim unius peccatum erat, illud commune pluribus, neque ita communibus & proprijs objectis criminibus offendimur.* Quando peccata in communi & univerſaliter reprehenduntur & improperantur pluribus, ex reprehenſione facta non ita erubeſcimus, nec offendimur, ſicut dum uni ſoli applicatur. Samaritana correpta fuit directe *ad hominem*, non ſic Scribæ & Phariſæi, quos in communi redarguit.

*Ioan. 12. v. 7.*
D. *Chryſ. Ibid.*
*Ioan. 4. v. 18.*
D. *Chryſoſt. Hom. 31. in Ioan.*

11. Priuſquam Chriſtus Magiſter noſter cæleſtis ad cœlos aſcenderet, diſcipulos ſuos acriter increpavit, dicit enim S. Marcus: *Exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* At vero quis inter cunctos Apoſtolos circa Reſurrectionem Domini magis incredulus S. Thoma fuit? qui tanto tempore in hac ſua incredulitate obſtinatus permanſit, omnium condiſcipulorum ſuorum, aliorumque plurium atteſtatione nec quidquam obſtante; præterquam quod Chriſto legem quaſi præſcribere voluerit, quo illum ad veritatis notitiam reducere deberet; dum ait: *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum*, &c. & tamen Chriſtus illum tanta cum benignitate ſuſcepit, in omnia quæ ſibi quoad ſacratiſſimæ humanitatis contactum & aſpectum concedi deſiderabat, libens condeſcendit, tantaque cum ſuavitate ipſum admonuit dicens: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*: Quonam obſecro hæc ſpectat differentia? Nimirum Thomas in hoc peccato unicus & ſolus erat, ideoque correctio fraterna illi adhibenda cum magna dexteritate & benignitate fieri debebat: In alia vero reprehenſione, peccatum pro libitu exaggerari & aggravari poterat, quia per illam multi ſimul increpabantur. Enimvero duobus modis piſcatio inſtitui ſolet, ſcilicet vel per hamum, vel per retia; Hamum aquis injiciendo magnum obſervatur ſilentium, omniſque ſtrepitus ſtudioſe cavetur, ne piſces fugiant: at vero expanſis retibus ingens circumquaque fit ſtrepitus, ut fugiendo piſces intra rete inadvertenter ſe recipiant. In ſenſu myſtico retia prædicationem præſignificant, quæ cum energia & efficacia fieri debet: Hamus vero correctionem præfigurat, quæ ſuavitatem annexam requirit.

*Marc. 16. v. 14.*
*Ioan. 20. v. 25.*
*Ioan. 20. v. 27.*

12. Valde notabilis eſt textus ille apud S. Jobum: *Numquid qui contendit cum Deo, jam facile conquieſcit?* pergit demum ſacer textus culpas aliquas Jobi quantumvis leves corrigere, mox vero Eliphaz alloquitur dicens: *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job.* Circa quem locum merito quærendum occurrit; cur Deus Jobum in hiſce ultimis verbis laudet, quem paulo ante reprehendebat? Pro cujus reſolutione diſtinguere oportet tempora; quando enim illi dixit: *Numquid qui contendit cum Deo. &c.* ſolus cum ipſo ſolo loquebatur, at vero quando alij ſimul præſentes aderant, tunc laudavit. Oleaſter de Joſepho Ægyptios dimittente, quando ſe fratribus ſuis manifeſtare voluit, tractans ait: *Advertant etiam hic Prælati, qualiter arguere debeant ſubditos, ut ſcilicet prius ejiciant eos, qui ſcandalizati, aut de eis malam opinionem, quos corrigere volunt, habere poſſunt*: adducitque præcitatum Jobi locum dicens: *Sic cum Dominus voluit arguere Job, ſolum cum convenit, quem cum arguiſſet ſeorſum, in publico apud amicos commendavit.*

*Iob 39. v. 32.*
*Iob 42. v. 7.*
*Oleaſter. in c. 45. Gen.*

## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Ad hoc ut corrector corrigendum non exaſperet, diligenter obſervanda eſt temporis opportunitas, acceleranda tamen eſt, ne occaſio prætereat.

### THEMA.

*Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Pſal. 6. ℣. 2.

1. EX hac per regium Prophetam Divinæ Majeſtati porrecta ſupplicatione clare liquet, quod non ſemper tempus ſit reprehenſionis tractandi ferulam, ſiquidem petit, ne Deus illum puniat, dum iraſcitur & indignatur: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Aptior in hac materia adduci non poteſt ſimilitudo, quam ſit illa, quæ à medicina deſumitur; Etenim his, ad quos ſpectat alios corrigere, munus quoque incumbit ſanandi animarum vulnera & ſpirituales infirmitates; Medicinæ autem non quavis hora infirmo porriguntur, neque dum febris in maximo ſuo ardore flagrat, ſed ad illas miniſtrandas tempus congruum expectatur. *Advertendum*, inquit S. Antonius de Padua, quod ſervanda eſt cautela, ut non nimis exaſperes *illum quem corripis, maxime quando ſcis illum impatientem & furioſum eſſe, exemplum dicunt medici, quod quando materia furioſa prorumpit in aliquod membrum, non debet ipſi imponi repercuſſura, ne ſic materia ad interiora trahatur, & ſic interficiat hominem, lædendo cor & membra vitalia, nec ſit aſperrima, ſed potius lenitiva*; Quem aphoriſmum caſui noſtro adaptat, ut correctionis importunitatem explicet; Dicit enim; *Sic quando videmus hominem impatientem, non debemus exaſperare, & ipſum corripere, quia tunc peccatum ad interiora trahitur, dum ſcilicet ſic correctus pertinax efficiatur, & impatienter ſuum defendat peccatum.* S. Bernardinus eamdem facit obſervationem, dum inter alias circumſtantias, quas corrigens advertere debet, hanc quoque obſervandam eſſe dicit: *Tertium verò quod requiritur, eſt opportunitas temporis, id eſt, quod ſit ſpes, quod non habeat majorem opportunitatem temporis ad corripiendum fratrem*; citatque S. Auguſtinum l. 1. de Civ. Dei c. 9. dicentem: *Si quis præterea objurgandis corripiendiſque malè agentibus parcit, quia tempus opportunum quærit, non videtur occaſio cupiditatis, ſed conſilium charitatis.* Neque enim dum quis ex nimia iracundia ſtimulatus blaſphemat, tempus eſt opportunum, ut quamdiu ab hoc furore agitatur, quis illum reprehendat, hoc enim idem eſſet, ac ſi quis plura igni ligna adjiciendo, eumdem vehementius excreſcere faceret. Idem quoque S. Prædicator in alio quodam ſermone ità hac de re ſcribit: *Sed Richardus in 4. diſt. 19. diſtinguit, quod tribus modis ſive rationibus poteſt occurrere, quod quis non corrigit, & non corrigendo non peccet. Prima ratio, quia non videt tempus corrigendi, quia videt tunc proximum turbatum, & corrigendo in illo tempore faceret ipſum pejorem, unde in iſto modo mereris, ſi habes animum corrigendi ipſum, expectando tempus.*

S. Anton. de Pad. Fer. 3. poſt Dom. 3. Quadr.
S. Bern. T. 2. ſer. 28. a. 1. c. 2.
S. Aug. l. 1. de Civ. Dei. c. 9.
S. Bern. T. 4. ſerm. 22.

2. Nabal in procinctu erat, ut à Davide Rege interficeretur, eo quod exercitui ejus in gravi neceſſitate poſito victualia ſubminiſtrare detrectarat, idque cum intolerabili quadam impertinentia & arrogantia fecerat, dicendo: *Quis eſt David? & quis eſt filius Iſai? hodie increverunt ſervi, qui fugiunt Dominos ſuos, tollam ergo panes meos & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio unde ſint?* Abigail igitur uxor ejus, cui ſacer textus teſtimonium perhibet, quod *Erat mulier illa prudentiſſima*, ſe interponens, univerſo exercitui de alimonia, inſcio tunc marito ſuo, proſpexit, ipſumque Regem perſonaliter conveniens, factum viri excuſavit, magnamque hanc viro imminentem tempeſtatem ſedavit; at verò notandus eſt modus, quo in domum ſuam reverſa uſa fuit: *Venit autem Abigail ad Nabal*, inquit ſacer textus, *& ecce erat ei convivium in domo ejus, quaſi convivium Regis, & cor Nabal jucundum, erat enim ebrius nimis, & non indicavit ei verbum puſillum aut grande uſque mane: Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicavit ei uxor ſua verba hæc*; ubi Hugo Card. ait: *Sapienter fecit; nihil enim valeret tunc correctio ejus, quando ipſe Nabal ebrius erat: unde Eccli. 31. dicitur: In convivio vini non arguas proximum, & non deſpicias eum in jucunditate ipſius.* S. Gregorius à Gloſſa

1. Reg. 25. v. 10. & 11.
Ibid. v. 3.
1. Reg. 25. v. 36.
Ibid. v. 37.
Hugo Card. Ibid.
Eccli. 31. v. 41.



citatus ait: *Iracundos melius corrigimus, ſi in ipſa iræ commotione declinamus, perturbati enim, quid audiant, ignorant, ſed cum ad ſe redeunt, tanto libentius exhortationis verba recipiunt, quanto ſe tranquillius tolerari erubeſcunt; menti autem furore ebriæ, omne rectum, quod dicitur, perverſum videtur.*

S. Greg. in Gloſſ. ibid.

3. Moyſes ab Hebræorum miniſtris, qui quod illorum cauſam propugnaſſet, illi gratias agere debuiſſent; indignè habitus fuit; adeo ut veriti non fuerint ei objicere & exprobrare, dicentes: *Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos*; Nec tamen Moyſen vel minimum verbum in ſui defenſionem coram populo locutum fuiſſe legimus; Deum quidem his verbis affatus fuit: *Reverſus eſt Moyſes ad Dominum, & ait: Domine cur afflixiſti populum iſtum? quare miſit me?* At verò populo nihil penitus dixit; ex quo enim exaſperatus erat, tempus non erat illis alloquendis, vel reprehendendis opportunum. Unde Abulenſis ait: *Non correxit eos Moyſes, cum potuit, ſed patienter toleravit illam amaritudinem; & quia vidit eos paſſionatos, donec ſine paſſione eſſent, expectans, nam Pharao afflixerat eos verbis duris, provocans ad dolorem, ideo amaro & concitato animo egrediebantur ab eo, nec poterant quidquam pacificè loqui. Ex hoc Prælati & omnes majores debent obſervare tempora correctionis, quia quandoque corrigere non prodeſt, imo valde peſtiferum eſt, quia exacerbatur ipſe qui corrigi debet, & perditur authoritas caſtigantis, & hoc eſt, dum paſſio fortis in aliquo eſt.*

Exod. 5. v. 21.
Ibid. v. 22.
Abul. ibid.

4. Valde conſiderabilia ſunt verba illa, quæ apud Jobum leguntur: *Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis, quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur?* Quem textum S. Gregorius illis adaptat, qui ut corrigendo fructum faciant, occaſione & opportunitate temporis cum diſcretione uti norunt. Leones ad illas ſe cavernas recipere ſolent, quæ vicinæ ſunt locis illis, per quæ aliæ feræ frequenter tranſeunt, ut ſic ad faciendam prædam opportuno tempore inde prorumpere, eaſque in anguſtias redigere poſſint, ne fuga ſibi conſulere valeant: *Leænæ prædam Dominus capit, quia virtute ſuæ inſpirationis ab errore vitam delinquentium diripit; & animas catulorum illius replet, quia converſione multorum pijs Doctorum deſiderijs ſatisfacit, de quibus catulis bene ſubjungitur; Quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur; neque enim cuncta tempora doctrinæ ſunt congrua, nam plerumque doctorum virtus perditur, ſi intempeſtive proferatur; ſæpe verò & quod lenius dicitur, conventu temporis congruentius animat. Ille ergo ſcit rectè dicere, qui & ordinatè novit tacere; quid enim prodeſt eo tempore iraſcentem corripere, quo alienata mente non ſolum aliena verba percipere, ſed ſemetipſum vix valet tolerare?*

Job 38. v. 39.
Ibid. v. 40.
S. Greg. l. 3. mor. c. 7.

5. S. Hieronymus ſuper Iſaiam commentans de populo illo, qui ut delicijs divitijſque ſuis in pace frui poſſet, à Rabſaces contra Deum blaſphemante, quaſi illos in neceſſitatibus defendere non poſſet, ad rebellandum Regi ſuo invitatus fuerat; ita ſcribit: *Tacuit populus, ſiquidem Ezechias juſſit, blaſphemanti Regi non reſponderi, ne eum ad majores blaſphemias provocaret*; Sic dicitur Eccl. 8. *Non incendas carbones peccatorum.* Elias Commentator Nazianzeni ait: *Multo autem majus eſt, aliorum morbos curare poſſe, ac ſcitè & eruditè reſurgere, hoc eſt, nec acerbis ſemper, nec rurſum mollibus ſemper medicamentis uti, verum his aut illis, aut etiam ambobus tempeſtivè*; Quod equidem conſilium ſalutare eſt, ſi tamen remedia tempore opportuno ſubminiſtrentur: *Tempeſtivè*, inquam, *hoc enim utrique, tam medico quam ægroto conducit. Nam profectò aliter curare aggredi, atque aut molle ac remiſſum remedium diſſolvere, aut peracerbum in deſperationem adducere, utriuſque funeſtum & exitioſum eſt. Illud enim quod à Syrach dictum eſt: Ne accendas carbones peccatores corripiens, ne alioquin in flammæ ipſorum igne incendaris, nihil aliud mea quidem ſententia ſignificat, quam non ſcitè ac peritè medicinam adhibere, verum per exceſſum ac defectum peccati, aut etiam gehennæ carbones incendere, in quos ſcilicet ambo incident, nempe & qui imperitè curat, & qui ad hunc modum curatur.* Unde nequaquam admirari, ſeu potius ſcandalizari debemus, ſi dum exceſſus aliquos committi videmus, nonnumquam reprehenſionem non ſubito fieri, ſed aliquouſque ſuſpendi advertamus, quia ſæpe inſignis prudentiæ ſpecimen eſt, ſi is qui gubernat, corrigendi opportunam præſtoletur occaſionem, teſte Iſidoro, qui ait: *Plerumque Princeps juſtus etiam malorum errores diſſimulare novit; non quod iniquitati eorum conſentiat; ſed quod aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire.* S. Gregorius quoque quoad idem punctum expectandi congruum tempus correctionis, hoc nobis documentum ſcriptum reliquit: *At contra potens & protervus*, inquit, *cum aliquid perpetraſſè cognoſcitur, tempus quæritur ut de malo, quod fecit, increpetur. Niſi enim Prædicator ſuſtineat, quando proferre congruè correptionem poſſit, auget in eo malum, quod inſequitur, ſæpe enim contingit, ut talis ſit, qui nulla increpationis verba ſuſcipit. Quid itaque in hujus culpa Prædicatori agendum eſt, niſi ut in ſermone admonitionis, quem pro communi ſalute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetraſſè conſiderat, qui & præſto eſt, & de ſuo ſolo adhuc argui non poteſt, ne deterior fiat? Et cum generaliter contra culpam invectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens pravus ignorat, quod ſibi hoc ſpecialiter dicatur.*

S. Hieron. in c. 36. Iſa.
Eccli. 8. v. 13.
Elias Cret. Apol. orat. 1.
S. Iſid. lib. 3. ſent. c. 50.
S. Greg. l. 13. mor. c. 3.

6. Sapiens in Proverbijs de correctione ſæpius differens, multa nobis documenta ſubminiſtrat; quorum hinc inde in Diſcurſibus præcedentibus mentionem fecimus: quod verò præſenti propoſito noſtro quam maximè deſervit, illud eſt, in quo dicit: *Da Sapienti occaſionem, & addetur ei Sapientia: Doce juſtum & feſtinabit accipere*; Quibus verbis differentiam inter correctionem, quæ homini juſto, & aliam, quæ impio adhibetur, aſſignat; Si enim quis hunc reprehendere, & ſine ejus majori exacerbatione ad bonam frugem & vitæ emendationem perducere velit, tempus opportunum præſtoletur neceſſum eſt: non verò ſi hominem Deum timentem corrigere mediteris, hic enim ex ſemetipſo anxius & ſolicitus eſt, ut reprehendatur. Eccleſiaſticus ait: *Ne verearis proximum tuum in caſu ſuo, Nec retineas verbum in tempore ſalutis, non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo.* Ubi Tigurina legit: *Ne retineas verbum in tempore ſalutis, id eſt, ſalutiferam occaſionem nactus, ne comprimas ſermonem*; Quando enim pila, ut in communi proverbio dicitur, in altum miſſa eſt, luſor ad eam recipiendam & viciſſim agitandam ſe præparat.

Prov. 9. v. 9.
Eccli. 4. v. 27.
Ibid. v. 28.

7. D. Chryſoſtomus Davidem conſiderans, qui parabolæ à Nathan Propheta prolatæ patulas aures præbens, adverſus eum, qui pauperi oviculam ſuam eripere præſumpſerat iratus, hanc contra avarum illum & crudelem virum pronuntiavit ſententiam: *Ovem reddet in quadruplum, filius mortis eſt vir, qui fecit hoc; Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir &c. Tum*, inquit, *larvam abjicit Propheta, ferrumque detegit & ait: Tu es Rex qui hoc admiſiſti. O ſectionem non gladio, ſed brevi coargutione doloris ſenſum amputantem; Cum enim oportebat, fabulam agebat, cum autem coarguendus ille fuit, ſtatim ferit, atque ulcus abſcidit*: Refert Maſcardi in ſuis diſcurſibus de menſa Cebetis ſequentem hiſtoriam, ſeu potius fabulam facetam. Fuit namque homo quidam avarus nomine Pitheus, qui ut erat auro & argento accumulando totus intentus, omnes ſubditos & ſervos ſuos in perveſtigandis terræ viſceribus adeo ſemper occupatos tenebat, ut ad agros colendos, fodiendas vineas, & fructus demetendos nullum ijs tempus ſuppeteret. Hic cum aliquanto tempore extra domum degeret, jamque propediem ex itinere reverſurus expectaretur, conjux ejus, quæ prudens admodum mulier erat, varia ciborum genera, panem, fructus, carnes, herbas, piſces, aliaque ſimilia fercula ex auro vivaciſſimè effingi curavit; quæ cum ei reduci & ad menſam accumbenti propoſita fuiſſent, oculum ſuum quidem inde pro aliquo tempore exatiavit, at verò fame eum extimulante prandium verum ex cibis realibus inſtructum ſibi apparari juſſit. Tunc prudens hæc mulier opportunam nacta occaſionem ei exprobravit, agros ubique penitus ſylveſcere, nec eſſe qui piſcationi aut venationi operam daret, frumentum ſereret, vites excoleret, eo quod omnes in auro argentoque eruendo occupati eſſent; qua opportuna admonitione percepta reſipuit, ſeque ſerio hac in re emendavit. S. Antonius de Padua ſuadet, ut tametſi error nonnumquam non ſit adeo certus, correctio nihilominus velut medicina quædam præſervativa ei, cujus intereſt, adhiberi poſſit. *Sed ubi peccatum quis commiſit*, inquit, *correptor non habet aliud quam ſuſpicionem, ad quid corripiet? Reſpondeo*, inquit, *ſic facit medicus, qui non ſolum dat medicinam infirmitatibus imminentibus, ſed etiam dat purgationem præſervativam ab imminentibus: Ante languorem adhibe medicinam.* Unde ad

2. Reg. 12. v. 6. & 7.
D. Chryſoſt. ibid. Hom. in Pſalm. 50.
Maſcardi de menſa Cebetis.
S. Anton. de Padua.

ad eum admonendum allegare poteſt ſigna, indicia, motiva, & conjecturas quas habet.

8. Enimvero pro opportuni temporis delectu aliud quoddam præſto eſt monitum, ut ſcilicet talis præcipuè quæratur & expectetur occaſio, in qua correctionem tenaciſſimè menti infigere poſſit, ut ictus vivaciori ſenſu percipiatur & hæreat. S. Thomas de Villa nova ad illa verba ſe reflectens, quibus Salvator noſter priuſquam ad cœlos aſcenderet, Apoſtolos de eorum quoad Reſurrectionem ſuam incredulitate acriter increpavit, ſequentia verba ſubnectit: *Conſolandi magis quam increpandi tempus & opportunitas videbatur; Quis namque receſſurus à ſuis durius agit, & non potius benevolentiam monſtrat, ut ejus ab omnibus regreſſus optetur? Sed conſultò hoc factum eſt, tum ut ejus increpatio immobilius fixa permaneat, ea quæ recedentes ultimo dicimus, ipſo noſtro diſceſſu amplius commendamus; tum etiam ut oſtendat, utilis reprehenſionis, & fraternæ commonitionis ſemper opportunitatem adeſſe, ut cum magis importuna videatur, tunc maximè eſſe opportunam; quamquam etſi importuna videatur, omittenda idcirco non eſt, ſed ſicut Apoſtolus monet, argue, obſecra, increpa opportunè, importunè.*

*S. Thom. de Villa nova Conc. 1. de Aſcenſ.*

*2. Tim. 4. v. 2.*

9. Supereſt tandem hactenus dictis ut adjungamus, quod quando correctionis opportunitas apertè conſpicitur, illa ſolicitè facienda ſit, non verò expectandum, donec, ut in proverbio dici ſolet, lapis in puteum collapſus fuerit. Vix Adam ad pomum vetitum manum ſuam extenderat, cum ecce Deus in paradiſo terreſtri comparuit, ut præberet labenti auxilium. Mox ut Cain fratricidium commiſit, Deus eum interrogavit: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* Ubi Chryſoſtomus ait: *Igitur opus erat, ut delictum corrigeret is, qui ex his quæ egerat, cauſæ conſcius erat; nam Dominus noſter cum benignus ſit, quando delinquimus, non tam nos averſatur ob delictum, quam quando perſeveramus in delicto;* Unde, inquit S. Doctor, eamdem in eo admonendo benignitatem oſtendit, quam fuerat ea, quam Adamo patri ejus exhibuit: *Non deſpexit, ſed quam erga patrem illius benignitatem declaraverat, dando illi ſatisfaciendi occaſiones, & fiduciæ januam aperiens, & dicens: Ubi es?* Et paulò poſt ſubdit: *Expende, oro, dilecte, ineffabilem benignitatem, vide quomodo pro ſua benignitate congrua ipſi remedia apponit, ut ſtatim educatur.*

*Gen. 4. v. 6. D. Chryſoſt. Hom. 1. in Gen.*

10. Porro per virgam, ut ſæpius indicavimus, correctio ſignificatur. Unde Rupertus Abbas ſuper illa verba apud Jeremiam: *Quid tu vides, Jeremia? & dixi: Virgam vigilantem ego video: & dixit Dominus ad me: Bene vidiſti, quia &c.* ſcribens, inquit: *Vigilantem, inquam, id eſt, accelerantem*, quia virga hæc, ubi opus eſt, cum ſolicitudine & anxietate animi adhibenda eſt. S. Bernardinus ſuper illa verba Chriſti: *Vade & corripe*, dicit: *Vade, ſcilicet cito, & corripe eum: corripere, eſt ſubitò cor de periculo rapere.* Idem Sanctus Pater in alio ſermone D. Chryſoſtomi authoritatem adducit, qui correctorem partes boni medici adimplere debere dicit, medicus autem in cura infirmi alicujus non tardat: *Principijs obſta; oportet te, qui ſanus es, ad illum ire: ſicut medicus ad ægrotum.* Non enim medicus expectat, donec malum incurabile fiat, ſed à principio medetur; Ita qui charitate pollet correctionem & emendationem delinquentis ſolicitè procurare debet.

*Jerem. 1. v. 11. & 12. Rup. Abbas l. 1. in Jer. c. 1.*

*S. Bern. T. 3. de Chriſtian. piet. A. 2. c. 2.*

*S. Bern. T. 2. ſer. 28. A. 2. c. 1.*

## DISCURSUS XVI.

## ARGUMENTUM.

Irreprehenſibilis in ſe, ſummaque innocentia præditus eſſe debet, qui alios corrigendi & reprehendendi munus vult exercere.

### THEMA.

*Probata virtus corripit inſipientes*, Sap. 1. ℣. 3.

1. IMpios corrigere perfectæ & probatæ virtutis opus eſt, ipſomet Sapiente teſte, qui ait: *Probata virtus corripit*; ac proinde Sanctus & Regius Propheta David dicebat: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me.* Non enim reprehenſionem declinabat, ſed eam ſe à viro juſto & perfecto præſtolari dicebat, unde S. Auguſtinus ait: *Pertinet ad innocentis officium, non ſolum nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, ut aut ipſe, qui plectitur, corrigatur experimento, aut alij terreantur exemplo.* Porro toti mundo, imo & cœlo nota eſt Sancti Bernardi Sanctitas & Innocentia, & tamen ſe Sanctitate ad alios reprehendendos ſufficiente dotatum non eſſe, lamentabatur dicens: *Multitudinem iniquitatum mearum expaveſcens, aliorum tranſgreſſiones reprehendere timui, & ideò mortis author extiti, quia vivus, quod expellere potui, non expuli.* Verum quidem eſt, quod S. Paulus Timotheo corrigendi & reprehendendi munus impoſuerit dicens: *Argue, obſecra, increpa*; attamen poſtea virtutes Epiſcopales recenſens, inter alias hanc valde conſiderabilem primo omnium loco ſtatuit, dum ait: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Sic quoque Galathis in hujus miniſterij exercitio benignitatem quidem præcepit, dicens: *Inſtruite in ſpiritu lenitatis*; at verò quinam aut quales ij ex mente Apoſtoli eſſe debent: *Vos qui ſpirituales eſtis*; quibus verbis eos, qui alios corrigere volunt, ſpiritu plenos eſſe deſiderat: *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite*; ubi tranſgreſſorem *hominem* appellat, quia hoc nomen propter culpam ſecum adfert: *Omnis homo mendax*: corrigentem verò S. Paulus non ſine myſterio ſpiritualem vocat. Dionyſius Carthuſianus Ly *ſpirituales* ita exponit, *id eſt, virtutibus exercitati*, vel ut Lyranus ait: *Perfectiores ſcientia & vita.* Imo quamnam putatis eſſe rationem, quod correctores à S. Paulo ſpirituales, & non virtuoſi, perfecti, ſancti appellentur? Omnino ideo hoc factum eſſe credo, quia delinquentes corrigere, & in divina lege inſtruere proprium eſt Spiritus Sancti officium, ac proinde Chriſtus ait: *Cum venerit ille, arguet mundum*; quia ad reprehendendum, monendum & corrigendum alios ſpiritu opus eſt, & quadam ſuperhumana bonitate.

*Qui alios corrigere vult ſuperhumanæ vitæ eſſe debet.*

*Pſ. 140. v. 5. S. Aug. l. 19. de Civ. Dei, c. 16.*

*S. Bern. l. de anima c. 11.*

*2. Tim. 4. v. 2.*

*1. Tim. 3. v. 2.*

*Gal. 6. v. 1. Ibid.*

*Ibid.*

*Pſalm. 115. v. 11. Dion. Carth. ibid.*

*Joa. 16. v. 8.*

2. Neſcio an aliquando nomen illud obſervaveritis, quo olim Prophetæ, quos ad reformandum & corrigendum populum Deus mittere ſolebat, à Spiritu Sancto inſigniti fuere? *Olim in Iſraël vocabatur videns.* Sed quidnam hoc nomine myſterij indicatum fuiſſe exiſtimatis? Nimirum hoc nomine indicare Deus voluit, quod ij, quorum munus eſt aliorum dicta & facta obſervare, illaque corrigere, prius proprios defectus videre, & diligenter examinare debuerint. Unde S. Gregorius ait: *Videns autem qui interna etiam reſpicit, quæ mens carnalium non attendit; Unde & de ſanctis animalibus dicitur: In circuitu & intus plena erant oculis, qui in exterioribus circumſpecti, & intrinſecus providi ſunt. Quo contra carnalium Doctorum præſumptionem in Evangelio Dominus arguens, ait: Si cæcus cæco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt.* Dionyſius Carthuſianus ſuper propoſiti thematis verba ita ſcribit: *Bene exercitata & approbata virtus, puta diſcretio, juſtitia, ſeu alia quævis reddit hominem dignum ad increpandum imperitos, qui potius peccant ex ignorantia aut infirmitate, ſeu vehementia paſſionis, quam ex propoſito & habitu vitioſò. Virtus quanto perfectior, tanto plus inclinat ad charitativam & fraternam correptionem, etenim quanto virtus fuerit major, tanto amplius vitia abhorret.* Hoc ipſum S. Clemens Alexandrinus ſpeculi ſimilitudine aptiſſimè applicat, dicens: *Quemadmodum ſpeculum non eſt malum deformi, eo quod ipſum oſtendit, qualis ſit, ita neque is qui reprehendit ei malè vult, qui laborat animo.* Verumtamen notandum eſt, quod ad hoc ut quis alteri ſuos defectus naturales oſtendat, neceſſarium ſit, ut ſit ſpeculum terſum, nitidum, clarum: Eodem quoque modo is, qui aliorum imperfectiones corrigere habet, neceſſariò conſcientiam limpidam, nitidam, & immaculatam habere debet. S. Paulinus quiſnam modus ad emendandum vitia aliena ſecurior & facilior ſit, his verbis breviter declarat, dicit enim: *vivendo melius quam loquendo arguimus.*

*1. Reg. 9. v. 9.*

*S. Greg. l. 4. in l. 1. Reg. c. 9.*

*Apoc. 4. v. 8.*

*Matth. 15. v. 14.*

*Dion. Carth. in c. 1. Sap.*

*Clem. Alex. in Pædagog. l. 1. c. 9.*

*S. Paulin. Ep. 24.*

3. Videatur diſtributio, quam Deus circa civitates, quæ refugij dicebantur, fieri juſſit; Etenim licet videri potuiſſet, quod ex quo duodecim tribus Iſraëlis erant, unaquæque illarum ſuam ſpecialem habere debuiſſet, & tamen Deus non ſine myſterio diſpoſuit, ut omnes illæ civitates ab unica tantum tribu Levi dependerent: *De ipſis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, ſex erunt in fugitivorum auxilia ſeparata, ut fugiat ad ea, qui fuderit ſanguinem*; Circa quem textum Theodoretus interrogat? *Quid Levitæ cum rebellibus; quid ſæculares cum Sacerdotibus; quid ſpiritus cum carne? Et mox reſpondet: Deputantur Levitæ civitatibus refugij, ut ſi perverſa gens aliquod ſcelus patraret, illico libertate qua decet ſervi Dei correptionem adhiberent.* Levitæ enim ratione miniſterij ſui, præ cunctis alijs irreprehenſibilius vivere debebant, atque ideo illis hæ civitates, in quibus transfugæ reprehendi debebant, aſſignatæ fuerunt; Nam ut S. Auguſtinus ait: *Accuſare vitia, officium eſt bonorum virorum & benevolorum, quod cum mali faciunt, alienas partes agunt.*

*Num. 35. v. 6.*

*Theodoretus ibid.*



*S. Aug. l. 2. de ſerm. Dom. in monte, c. 30.*

4. Obſervaſtiſne aliquando differentiam, quæ Samaritanam inter & Phariſæum interceſſit? Etenim hic de Chriſto dixit: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum:* Illa ſubito dixit: *Ut video, Propheta es tu.* Et tamen videbatur, quod Phariſæus ex pluribus capitibus majorem Filij Dei agnitionem & notitiam habere debuerit, quam mulier illa impudica & malæ vitæ: At verò reſponderi ad hoc poteſt, quod hæc, dum ſe tanta cum charitate & dexteritate a Chriſto corrigi, ſuaque peccata reprehendi vidit, ſubitò judicaverit, nec erroneè, ipſum virum eſſe ſanctum, & Prophetico ſpiritu donatum, Unde David ob rationem contrariam lamentabatur, dicens: *Jam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius.*

*Luc. 7. v. 39.*

*Joa. 4. v. 19.*

*Pſ. 73. v. 9.*

5. Deus olim Hebræis in celebratione Paſchæ agnum manducaturis hoſce ritus præſcripſit: *Sic autem comedetis illum, renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis ... baculos in manibus tenentes.* Circa quæ verba Rupertus Abbas Tuitienſis ait: *Prius præcipimur renes accingere, poſtmodum baculos tenere, quia illi debent curam paſtoralem ſuſcipere, qui jam in ſuo corpore ſciunt fluxum luxuriæ domare, ut cum alijs fortia prædicant, ipſi deſiderijs mollibus enerviter non ſuccumbant.*

*Exod. 12. v. 11.*

*Rup. Abbas lib. 2. in Exod. c. 13.*

6. Salvator noſter in horto Apoſtolos ſuos primò ad vigilantiam hortatus fuerat, & tamen immediatè poſtea dixit eis: *Dormite jam & requieſcite.* In quibus verbis prima quidem facie contradictio aliqua involvi videtur; at verò Beatus Laurentius Juſtinianus ait: *Neminem tamen moveat, quod præmittitur Dominum dixiſſe diſcipulis: Dormite jam & requieſcite. Latent in his paucis profunda myſteria, veneratione atque inquiſitione digniſſima, non enim inconſultè tam ſeriatim ſibi invicem contraria verba contexit, an non oppoſita ſunt: Dormite, & ſurgite, quieſcite, & eamus?* Moxque dubium reſolvit dicens: *Quales eſſe debeant, qui regimini animarum incumbunt, his verbis indicavit.* Etenim hos, qui regimini admoti ſunt, prius vitæ contemplativæ intentos eſſe debere dicit: *Orationi intendat, quietem diligat, ſuas aſſueſcat calcare paſſiones, ſua vitia reſecare, domare carnem, mores corrigere, quatenus ex ſe diſcat, quid de alijs agere, quidve ſentire, atque cæterorum paſſiones impaſſibiliter coërcere. Ridiculum equidem ſe intuentibus facit, qui voluntariè delinquendo aliorum conatur errata corrigere, ignoranſque ſe qualis ſit, de proximorum occultis vult proferre ſententiam. Fit ex hoc ſæpiſſimè, ut in foveam cadens jacentes erigat, & damnando alios ipſe damnabilior exiſtat.* Demum vero incarnatam Sapientiam hoc nobis monitum, poſt ſe relinquere voluiſſe concludit: *Quando diſcipulis ſuis prius dormite & requieſcite, quam ſurgite & eamus inquit, ſuos brevi ſermone fideles admonuit, ut prius propria, quam aliorum debeant emendare delicta, atque ante in quietis ſe agnoſcere otio, quam ad exteriorum tumultus foras exire.*

*Matth. 26. v. 45.*

7. In ſacris Canticis Sponſus dentes Sponſæ ſuæ hoc ſymbolo deprædicat: *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro.* Porro dentes albi ſunt & ſolidi, tales quoque dentes ſponſæ eſſe convenit, id eſt, Prælatos Eccleſiæ, hi enim per vitæ innocentiam candidi & immaculati eſſe debent; item ſolidi ſint oportet, ne ullos reſpectus humanos ſibi prædominari permittant, unde Jeremiæ 1. dicitur: *Ego quippe dedi te hodie in columnam ferream &c.* Unde Gilbertus ait: *Vide quomodo lotos & irreprehenſibiles eſſe oportet eos, qui aliorum exceſſus debent remordere & corripere.* Hic autem exurgit dubium, cur ſcilicet Prælati ovium, non verò alterius cujuſpiam animalis eſſe debeant? Et ideo ſciendum eſt, quod ovibus proprium ſit, quod dum herbas depaſcunt, eaſdem per noxium oris ſui halitum non inficiant, nec exſiccent, imo prata, in quibus greges ovium pabulantur, ſubitò reviviſcunt, & in herbis producendis fertiliora efficiuntur, quam antea fuerant, id quod in alijs animalibus nequaquam contingit; tales igitur ſervorum & electorum Dei correctiones eſſe debent, impios enim & diſſolutos homines quos reprehendunt, nequaquam deſtruere, & in perditionem redigere debent, ſed potius illos reformare, & ita emendare debent, ut fructum afferant: *Ipſi Doctores Eccleſiæ & Præpoſiti*, inquit idem Author, *nonne tibi videntur dentes quidam, qui redargutionis benevolæ velut morſibus ſubjectos convincunt, dijudicant, manifeſtant, & ad meliorem emolliunt ſtatum?*

*Cant. 4. v. 2.*

*Jer. 1. v. 18.*

*Gilb. Abbas ſerm. 22. in Cant.*



8. Sanctus Joannes Apoſtolus in Apocalypſeos capite primo veluti in extaſi abſorptus repræſentatur: *Fui in ſpiritu in Dominica die, & audivi poſt me vocem magnam, tamquam tubæ dicentis: Quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſijs.* Nimirum volebat Deus, qui Eccleſiæ ſuæ, & ſpecialiter illis, quæ in Aſia noviter fundatæ fuerant, aſſiſtebat, ut dilectus Apoſtolus ſuus omnes illas ſeptem prædictas Eccleſias gubernantes Epiſcopos corrigeret, ubi opus eſſe videretur, prout in capite ſequenti ejuſdem libri fuſius videre licet; at verò cur illum prius in ſpiritu abſorberi voluit? Numquid Sanctum Paulum audiſtis ſcribentem ad Galatas: *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite in ſpiritu.* Hi enim qui Deo familiares exiſtunt, quique ejus donis, extaſibus, raptibus, revelationibus & viſionibus copioſè fruuntur, denique qui rara ſunt virtute & ſanctitate præditi, hi inquam ſunt, qui ad condignum in animabus fructum faciendum, ad reformandos & emendandos eorum pravos mores præ cæteris adhiberi debent. Sed quo fine Sanctus Joannes ab extaſibus & à ſinu divinæ contemplationis excitatur. Sanctus Anſelmus ait: *Poſt ſe dicit, quia cum ipſe jam edoctus de præſentibus ſola interiora intenderet, per contemplationem aliorum reſpicere correctionem admonetur.* Hoc enim miniſterium adeo eſt arduum, & in Eccleſia neceſſarium, ut ſi aliquando opus eſſet, expediret omninò, ut vel ex ipſomet cœlo evocarentur Præcurſores, v. g. Elias aliquis, vel Jeremias, ut hi correctione ſua mediante animas in ſtatum ſalutis reducerent, utpote quæ à Deo inter pretioſiſſimos theſauros ſuos recenſentur: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Et ideò dici non poteſt, quantum illa errare neſciens Divina Providentia, hoc miniſterium urgeat, quantique illos æſtimet, qui huic miniſterio dignè obeundo ſe applicant.

*Apocal. 1. v. 10.*

*Gal. 6. v. 1.*

*S. Anſelm.*

*Matth. 18. v. 15.*

9. De Azaria, qui Oziam Regem officio ſacerdotali temerè ſe ingerentem reprehendit, ſacra Scriptura ſequens perhibet teſtimonium: *Ipſe eſt qui ſacerdotio functus eſt in domo quam ædificavit Salomon in Jeruſalem.* Circa quæ verba quærendum venit, cur Spiritus Sanctus hoc laudis elogium potius ipſi, quam alijs adſcribat, cum tamen ex ejuſdem Scripturæ veridico teſtimonio hoc miniſterium à tot alijs in eodem templo Salomonis exercitatum fuiſſe nobis conſtet? *Ipſe eſt &c.* Ad hanc quæſtionem aliud reſponderi nequit, quam quod Deus per hoc de Azaria perhibitum teſtimonium nobis declarare voluerit, ipſum ſe verum probaſſe Sacerdotem, honoremque & gloriam divinam egregiè & ardenter zelaſſe, quando ſe huic Regi animoſè oppoſuit, eumque imperterrita fronte reprehendit & correxit: Sic de S. Ambroſio Theodoſius Imperator dixit: *Solum Ambroſium Epiſcopum novi eo nomine;* Hoc autem nomine ideo ipſum dignum eſſe cenſuit, quia ſe reſpectibus humanis minimè paſſus eſt ſeduci, quo minus ipſiſmet quoque Imperatoribus tempore & loco congruo, per debitas reprehenſiones & correctiones obviaret.

*1. Paral. 6. v. 10.*

10. In decreto Gratiani, ſequens S. Anacleti Papæ decretum legitur: *Tam Sacerdotes quam reliqui fideles omnes ſummam debent habere curam de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione corrigantur à peccatis.* Hoc enim officium bene exercitatum infallibile eſt ſummæ virtutis ſignum demonſtrativum, quod vel ex eo colligi poteſt, quod S. Gregorius Nyſſenus de hac materia diſſerens ait: *Inſtitutio virtutis admodum operoſa eſt*, quod cum aſſumpti thematis verbis, ſcilicet, *Probata virtus corripit inſipientes*, optimè conſentit. In lib. 1. Regum Samuël ex parte Dei ad rigoroſa quadam cenſura corripiendum populum ſe accinxiſſe legitur; ſed notandus eſt modus, quem correctioni præmiſit; Omnes enim ſimul congregavit, cumque aliquanto tempore eumdem populum tamquam judex gubernaſſet, ſingulos interrogavit dicens: *Loquimini de me coram Domino, utrum bovem cujuſpiam tulerim, aut aſinum; ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi?* Moxque omnes ejus conteſtati fuere integritatem, dicentes; *Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quidpiam.* Tunc facta publica hac ſui juſtificatione, ſeveræ correctionis virga apprehenſa, eorum erga tot beneficia divina ingratitudinem acriter eis exprobravit, multaque ab eis commiſſa ſcelera eis ob oculos poſuit &c. Porro Hugo Card. ad hujus Prophetæ humilitatem, modeſtiam, ſuique ipſius contemptum ſeſe reflectens, finem intelligere nequit, ob quem hoc & bonitatis & integritatis teſtimonio opus ei fuerit; verumtamen reſpondet: *Nota prudentiam*

*2. p. c. 24. q. 3. can. 14.*

Nemo redarguet delinquentes niſi fuerit juſtificatus ut Samuël.

*S. Greg. Nyſſ. ſerm. de caſtig.*

*1. Reg. 12. v. 3.*

*Ibid. v. 4.*

Hug. Card. ibid.

*Samuëlis, ipſe volebat peccata objicere Judæis, & ideo ſe purgavit coram Rege eorum teſtimonio, ne poſſent poſtea reconveniendo mentiri eum, & ita tutius potuit eos arguere.* S. Anſelmus ſuper illa verba Apoſtoli ad Timotheum: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, inquit: *Qua libertate alienos filios arguere poſſumus, & docere quæ recta ſunt, cum nobis ſtatim qui fuerit correctus ingerere poteſt: Ante doce filios tuos?*

1. Tim. 3. v. 1.
S. Anſelm.

Vel ut Valerianus.

11. Senatus Romanus Decij Imperatoris tempore cenſorem quemdam poteſtate extraordinaria in ſenatores, & gubernatores, alioſque officiales præfulgentem eligere juſſus, converſis in Valerianum virtuoſum principem oculis, uſitato ſtilo prætermiſſo eum elegerunt viva voce, clamantes: *Valeriano vitæ cenſura eſt, ille de omnibus judicet, qui eſt omnibus melior; ille de ſenatu judicet, qui nullam habet crimen, ille de vita noſtra ſententiam ferat, cui nihil poteſt objici. Valerianus à prima pueritia cenſus fuit, prudens ſenator, modeſtus ſenator, gravis ſenator, amicus bonorum, inimicus Tyrannorum, hoſtis criminum, hoſtis vitiorum, hunc cenſorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus.*

Trebell in vita Valer.

Aut Moyſes.

12. Moyſes è monte deſcendens vultum habebat adeo reſplendentem, ut nequaquam hominis eſſe videretur, utpote qui omni conditione humana, cenſebatur eſſe ſuperior; cujus myſterium à Lyrano his verbis explicatur: *Hoc factum eſt*, inquit, *ut quia populus per idololatriam peccaverat, magis eum timeret, & haberet in reverentia*, quia ſanctitas, ſolidæque & veracis integritatis conceptus, majorem ei qui reprehendit authoritatem, majoremque correcto reverentiam imprimit.

Lyran. ibid.

13. David hiſce Deum verbis affari non dubitavit: *Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci*; at vero quis eſt qui ipſum quoque contra homines graviter peccaſſe ignoret, utpote qui Uriam inique trucidari juſſerat, ejuſque conjugem adulteram faciendo, enormiter dehoneſtarat, ac denique populum graviter ſcandalizaverat; qua igitur fronte dicere audet? *Tibi ſoli peccavi?* Num forte hoc dixit, reſpiciendo ad ſupplicium quod meritus fuerat, eo quod nemo ipſum, qui Rex erat, judicare poterat? Movit idipſum S. Auguſt. ut diceret: *Quid eſt hoc? coram hominibus enim non erat adulterata uxor aliena & maritus occiſus? nonne omnes noverant, quod David fecerat? quid eſt: Tibi ſoli peccavi?* Mox tamen ipſum dicere voluiſſe reſpondet, A Deo ſolo reprehendi volo, utpote qui ſolus de peccato meo recte judicare valet, cum ſit irreprehenſibilis, nullique paſſioni ſubjectus, qui proinde ſolus quod rectum eſt, diſcernere poteſt: *Quia tu ſolus ſine peccato, ille juſtus punitor, qui non habet quod in illo puniatur, ille juſtus reprehenſor, qui non habet quod in illo reprehendatur*; Ac proinde Caſſianus vitæ ſpiritualis eximius Magiſter ait: *Delinquentem fratrem, ſi neceſſè ſit, ita curare feſtinet, ut dum medelam leviori forſitan febricula laboranti procurat inferre, non ſemetipſum iratus deteriori morbo cæcitatis involvat.* Ac paulo poſt eum qui alium curare contendit, prius ut ipſemet ſanus ſit, curare debere dicit: *Oportet namque illum, qui alterius vulneri mederi capit, omni languoris morbo alienum, ſanumque ſubſiſtere, ne illud Evangelicum dicatur: Medice prius cura te ipſum.*

Pſ. 50. v 6.
David à ſolo irreprehenſibili Deo judicari voluit.
S. Auguſt.
Caſſian. l. de ſpir. iræ c. 5.

## DISCURSUS XVII.

### ARGUMENTUM.

Qui in ijsdem defectibus qui corrigendi ſunt eſt reprehenſibilis, munus alios reprehendendi & corrigendi ſibi arrogare nequaquam debet.

### THEMA.

*Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Matth. 7. ℣. 3.

Aliorum vitia corrigere non debet his ipſemet ſcatens.

1. CHriſtus Dominus Magiſter noſter cœleſtis hiſce verbis inſinuare intendit, quod quantum is reprehenſibilis eſt, qui fratri levem feſtucam in oculis ſuis circumferenti inſultat, cum ipſe oculum ingenti trabe onuſtum habeat, tantumdem is tamquam inexcuſabilis reprehendi mereatur, qui aliorum vitia corrigere & emendare præſumit, quibus ipſemet contaminatus eſſe cernitur, imo longe enormioribus: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam feſtucam de oculo tuo, & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo,... Et tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.* Circa quæ verba S. Auguſt. ita ſcribit: *Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, id eſt, primo abs te expelle odium, deinde poteris jam eum, quem diligis, emendare; Et bene ait: Hypocrita; Accuſare enim vitia eſt bonorum virorum, quod cum mali faciunt, alienas partes agunt, ſicut hypocritæ qui tegunt ſub perſona quod ſunt, & oſtentant in perſona, quod non ſunt.* S. Thomas citat S. Iſidorum de ſummo bono dicentem: *Non debet vitia aliorum corrigere, qui eſt vitijs ſubjectus*; Et ideo idem Doctor Angelicus inquit: *Impedimentum quoddam huic correctioni offertur propter tria. Primo quidem quia ex peccato præcedenti indignus redditur, ut alium corrigat, præcipue ſi majus peccatum commiſit, non eſt dignus ut alium corrigat de minori peccato*; adducitque propoſiti thematis verba, ſuper quæ allegat S. Hieron. ita ſcribentem: *De his loquitur, qui cum mortali crimine detineantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt; ſecundo redditur indebita correctio, propter ſcandalum quod ſequitur ex correctione, ſi peccatum corripientis ſit manifeſtum, quia videtur quod ille qui corrigit, non corrigat ex charitate, ſed magis ad oſtentationem*, adducitque expoſitionem D. Chryſoſt. ſuper prædictum S. Matthæi textum, & dicit: *Quomodo dicis fratri tuo, ſine &c. exponit Chryſoſt. In quo propoſito? putas ex Charitate, ut ſalves proximum tuum? Non, quia teipſum ante ſalutares. Tertio modo propter ſuperbiam corripientis, in quantum ſcilicet aliquis propria peccata parvi pendens, ſeipſum proximo præfert in corde ſuo, peccata ejus auſtera ſeveritate dijudicans, ac ſi ipſe eſſet juſtus.*

Matth. 7. 3.
Ibid. v. 4.
Ibid. 5.
S. Aug. T. 2. de ſerm. Dom. in monte l. 4. c. 19.
S. Iſidorus.
S. Thom. 2. 2. Q. 33. A. 5.
S. Hieron.
D. Chryſoſt. in Matth.

Prius ſemet examinet vitiorũ corrector.

2. Regius Pſaltes de hoc puncto differens, ſe quamdam Dei vocem audiviſſe teſtatur, peccatori dicentem: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Quæ verba S. Ambroſ. ita exponit: *Uſurpas tibi ut de lege arguas, qui contra legem ipſe feciſti.* Et ideo ſalubriter S. Auguſt. hortatur, ut prius noſmetipſos examinemus, videamuſque an forte ijſdem ſimus vitijs contaminati, quæ alijs improperare aut in ijs emendare contendimus: *ſin cogitantes noſmetipſos invenerimus in eo eſſè vitio, in quo eſt ille quem reprehendere parabamus non reprehendamus, neque objurgemus, ſed tamen cum gemitu non illum ad obtemperandum nobis, ſed ad pariter cavendum invitemur.*

Pſ. 49. v. 16.
S. Ambr. ib.
S. Aug. ibid.

Proſecutio.

3. Scribæ & Phariſæi quondam mulierem quamdam in peccato deprehenſam, coram Salvatore adduxerunt tamquam adulteram, ſcire efflagitantes, an juxta ordinem legis divinæ lapidanda foret: quibus Dominus noſter annuit, cum hac tamen limitatione: *Qui ſine peccato eſt veſtrum primus in illam lapidem mittat.* Quid vero S. Greg. à S. Bernardino citatus de illis dicat, audiamus: *Ad aliena quippe peccata punienda ibant*, inquit, *& ſua reliquerant, revocentur itaque intus ad conſcientiam, ut prius propria corrigant, & tunc aliena reprehendant.* Seneca moralis in Epiſtola quadam inquit: *Id agamus, ut meliorem vitam ſequamur, quam vulgus, non contrariam, alioquin quos emendari volumus, fugamus, & à nobis avertimus, illud quoque efficimus, ut nihil imitari volent noſtri, dum timent; ne imitanda ſint omnia.* Muretus quoque de eodem Seneca in Annotatione ad quamdam ejus Epiſtolam, inquit: *Ferendum non videtur, qui ea vitia in alijs reprehendit, quibus & ipſe obnoxius eſt, ut Græci Proverbio dicunt: Alijs medetur, ulceribus ipſe ſcatens, ne igitur in hanc reprehenſionem incurrat Seneca, neve nimium ſibi ſumat, ſi ſe jam à vitijs liberum profiteatur, ait, ſe non ut medicum agere cum Lucilio, ſed cum eo de communibus morbis loqui, & remedia, ſi quæ habet, cum illo communicare.* In eadem quoque Epiſtola dicit: *Tu me, inquis mones, jam enim te ipſum monuiſti, jam correxiſti, ideo aliorum emendationi vacas. Non ſum tam improbus, ut curationes æger obeam, ſed tamquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum colloquor, remedia communico.*

Joan. 8. v. 7.
S. Greg. cit. à S. Bern. T. 2. ſer. 28. A. 3. c. 2.
Senec. ep. 5.
Muret. in Ep. 27.

Prius ſe curet corrector.

4. S. Auguſtinus eidem medicinæ & infirmitatis alluſioni inſiſtens, in Pſalmum 50. ita ſcribit: *Nec ut ſaucios & languidos negligatis, ſed ut facilius ſanetis, ſani permanere debetis.* Ideo Salvator noſter in Synagoga Nazarethana, ut S. Lucas ſcribit, compatriotis ſuis dixit: *Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura te ipſum.* Ex quibus verbis S. Ambroſius occaſionem ſumit dicendi ſeu potius improperandi: *Quomodo iraſceris alijs, tuæ ipſius reus conſcientiæ? quomodo commoveris, cum debeat eſſè miſerabilis qui arguitur? O quod eſt amplius à ſemetipſo curare debet vulnera ſua, non alium vulnerare, nemo alium vulnerando ſe ſanat, Medice cura te ipſum, ſi medicus, quanto magis reus prius curare ſe debet?*

S. Auguſt in Pſalm. 50.
Luc. 4. v. 23.

5. Quid-



5. Quidnam Jobum dicere voluiſſe exiſtimatis, dum ait: *Quare perſequimini me ſicut Deus?* S. Gregorius ita eum loqui dicit, quod à nonnullis ſuorum præter fas & æquitatem fuiſſet reprehenſus: *ac ſi aperte diceretur, ita me ex infirmitatibus meis aſſligitis, ac ſi ipſi more Dei nihil infirmitatis habeatis*: Qui idem ſanctiſſimus Pontifex paulo ante dixerat: *Tanto omnipotens Deus juſtius aliena vitia percutit, quanto in ſemetipſo nihil habet vitiorum.* Idem quoque patientiſſimus Propheta alio in loco proteſtatur dicens: *Quod ſi non eſt ita, quis me arguere poterit eſſè mentitum?* quaſi diceret, tametſi quidquid hactenus aſſerui, verum ſit, attamen quis veſtrum, etiamſi falſum eſſet, exprobrare id mihi poterit? Ita namque verba hæc S. Gregorius exponere videtur, dum ait: *Juſtus namque etſi quid numquam delinquendo loquitur, dignum non eſt, ut ab injuſtis & prave viventibus judicetur; Unde ſanctus vir amicorum ſuperbiam deprimens, non ſolum ſi ita eſt, verum etiam ſi ita non eſt, ut protulit, nequaquam ſe reprehendi poſſè confidit, quia nimirum illi recte redarguere falſa poſſunt, qui falſa agere neſciunt, nam correptionis auſum contra fallaciam perdunt, qui adhuc fallaciter vivunt.*

Job 19. v. 22.
S. Greg. l. 17. mor. c. 24.
Juſtus judicet aliorum peccata.
Job 24. 25.
S. Gregor. l. 17. mor. c. 7.

Apoſtoli ipſimet increduli nõ increparunt infidelem Thomam.

6. Tametſi S. Thomas Apoſtolus octo diebus in incredulitate ſua obſtinate perſiſtens Chriſti reſurrectionem credere noluerit; aliorum tamen Apoſtolorum nullus intra octidui illius ſpatium illum corripuiſſe legitur, licet illos omnes ſumma Charitate, prudentia, & dexteritate præditos fuiſſe nullus negare queat; Undenam id factum fuiſſe exiſtimatis? In promptu eſt clara ad hanc difficultatem reſponſio; nimirum ideo Thomam incredulum non increparunt, quia & ipſi in eodem articulo increduli fuerant, teſtante S. Luca qui ait: *Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta, & non crediderunt illis*, & ideo Thomæ incredulitatem corrigere formidarunt, quia ut Tertullianus ait: *Oportet conſtantiam commonendi, propriæ operationis authoritate dirigere.*

Luc. 24. 11.
Tertull. de Patient. c. 1.

1. Reg. 2. v. 13. & 14.
Irreprehenſibilis Heli à Deo punitus quia filios non ſevere correxit.

7. In Libri 1. Regum capite 2. leguntur extorſiones, ſacrilegia, & abominationes peſſimæ quæ à filijs Heli perpetratæ fuerunt, nec non comminata illis per divinam juſtitiam rigida ſupplicia; quos quidem Heli reprehendit, ſed nimis dulciter, unde & ipſe à Deo ſevere punitus fuit: Ex alia vero parte in libro 2. Reg. cap. 13. ſimiliter legitur inceſtus ab Amnon cum Thamar ſorore ſua commiſſus, qui tametſi tandem in ipſiuſmet Davidis notitiam devenerit, attamen enorme hoc crimen à Davide vel minimo verbo reprehenſum fuiſſe nuſquam legitur, ſed ſcriptura hoc ſolum dicit: *Contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui.* Nec tamen ex Sacra Scriptura uſpiam conſtat, quod hanc ob cauſam aliquod divinæ iræ flagellum Davidi immiſſum fuerit, ſcitiſne cauſam cur Heli filiorum ſuorum delicta diſſimulans à Deo punitus fuerit, non vero David, tametſi ejuſdem eſſet diſſimulatæ impietatis filij ſui reatui obnoxius? Nimirum hujus alia propoſito noſtro aptior cauſa dari nequit, quam quod Deus ſciverit Davidem ad filium ſuum reprehendendum & corrigendum prorſus ineptum fuiſſe, utpote qui & ipſe cum Betſabæa adulterium commiſerat, è contra vero Heli ad corrigendum filios maxime fuiſſe idoneum, cum enim omnino irreprehenſibilem vitam ageret, filij ejus nullum illi peccatum objicere poterant, & conſequenter acriter eos objurgare poterat. *Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis qui judicas*, inquit S. Paulus, *in quo enim judicas alterum, teipſum condemnas... Exiſtimas autem ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei.*

2. Reg. 13. v. 21.
Rom. 2. v. 1.
Ibid. v. 3.

Moyſes interponere ſe volens colluctantibus reprehenſus fuit ut homicida.

8. Moyſes zelo boni communis populi ſui correptus, Ægyptium illum qui Hebræo inſultabat, occidit: cumque die quadam reverſus, ut fratres ſuos à Pharaonis tyrannide vindicaturus eoſdem viſitaret, duos Judæos manibus inter ſe colluctantes vidiſſet, & pro ijſdem compeſcendis & reprehendendis ſe interponere conaretur, illorum unus arroganter ei reſpondit dicens: *Quis te conſtituit principem & judicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* ſubditque ſacer textus: *Timuit Moyſes*; ſed cur Moyſes ita trepidare cœpit? num forte ſe apud Pharaonem accuſandum eſſe timuit? ſed inanis hic timor erat, quia tamquam exiſtimatus illius nepos ſeu filius filiæ ejus, toti aulæ Ægyptiæ in veneratione erat: aut vero mala ſibi ab Hebraiſmo inferenda eſſe formidavit? Multo minus hoc timore percelli potuit, ſiquidem huic manus ligatæ, pedeſque arctis ac duris ſervitutis compedibus vincti erant; potius ergo timoris hujus hæc cauſa fuit, quia videlicet ſe alios in eo puncto corrigere aut emendare nec poſſe nec debere cenſebat, quod ſibimetipſi à corrigendo veraciter exprobrari poterat. Unde Dionyſius Carthuſianus dicit, quod quando Hebræus ille Moyſi dixit: *Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* ſenſus ſeu mens illius fuerit dicere: *Tu violentus es homicida, idcirco emenda teipſum.*

Exod. 2. v. 14.
Exod. 2. v. 14.
Dion. Carth. ibid.

9. In Apocalypſi Deus ait: *Hæc dicit: Amen, teſtis fidelis & verus.* Sed quonam myſterio is qui Epiſcopum illum Laodicenum reprehenſurus erat, hæc ſibi veracis & fidelis epitheta vendicat? Alibi quoque in eodem libro Deus ait: *Hæc dicit, qui habet ſeptem ſtellas; Qui habet romphæam ex utraque parte acutam.* Pro reſolutione ſciendum Epiſcopum iſtum de mendacio redarguendum fuiſſe, quia cum quoad bona ſpiritualia pauper eſſet & miſerabilis, ſe nihilominus divitem & opulentum eſſe jactitabat, *Nullius egeo.* Hoc igitur myſterio is qui illum reprehenſurus erat, nomen ſibi veracis & fidelis adoptat, quia qui alium nititur corrigere, quoad ſemetipſum juſtus & irreprehenſibilis eſſe debet, maxime quoad illum reatum, quem in alio emendare ſatagit. Unde Albertus Magnus ait: *Debebat reprehendi ab Angelo, qui gerebat perſonam Chriſti, qui eſt veritas, & ideo non arguit eum, niſi de veris.*

Apocal. 3. v. 14.
Apoc. 1. v. 16.
Apoc. 3. v. 1.
Ap. 2. v. 12.
Apocal. 3. v. 17.
Alb. Magn. ibid.

Judic. 19. v 25. & 26.
Prius purgari debent qui vitia corrigere volunt.

10. Judicum 19. enorme & execrabile illud crimen in perſonam conjugis Levitæ cujuſdam commiſſum fuſius deſcribitur, propter quod juſte caſtigandum & vindicandum omnes aliæ tribus commotæ fuerunt contra Benjamin, qui crimen illud defendere præſumens, reos manibus juſtitiæ publicæ plectendos conſignare renuebat; Et quidem tametſi hujuſce commotionis cauſa adeo eſſet rationabilis & æqua, nihilominus tribuum illarum Dei honorem & Juſtitiæ rectitudinem ſtrenue zelantium exercitus non ſolum, ſed binis vicibus in prælio devicti ceciderunt. Quamnam diſſipationis iſtius cauſam fuiſſe dicemus? Num forte Deus armis illorum non aſſiſtebat? Ita quidem haud ſine fundamento dici poteſt, verumtamen illis in tertio conflictu proſpere decertaſſe certo conſtat. S. Gregorius à S. Bernardino citatus difficultatem movet pariter, & ad propoſitum noſtrum aptiſſime diſſolvit, dicit enim primo: *Quid eſt quod in ultione ſceleris inflammatione zeli populus ardet, & tamen prius ipſe proſternitur, niſi quod prius purgandi ſunt, per quos aliorum culpæ feriuntur, ut ipſi jam mundi propter ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere feſtinant.* Unde quia incarnata ſapientia probe ſciebat, quod in Synagoga Scribæ, Phariſæi, legum Doctores & Sacerdotes, ad quos perverſos populi mores corrigere & emendare ex officio ſpectabat, ſceleratam agerent vitam, ideo turbas prius præmonere voluit: *Tunc Jeſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos ſuos dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite, ſecundum opera vero eorum, nolite facere; Dicunt enim & non faciunt*; nam ut D. Chryſoſtomus ait: *Criminandi omnes ſunt qui legem tranſgrediuntur, ſed maxime omnium, qui Doctoris fungitur authoritate, dupliciter atque tripliciter jure condemnatur. Primum quia tranſgreditur; Deinde cum in corrigendis alijs ipſe claudicat; propter dignitatem quam gerit, majori dignus ſupplicio eſt. Tertio cum ceu Doctor ipſe præſideat; nequitia ſua facile cæteros corrumpit.* Chriſtus quoque Redemptor noſter in eodem capite has ijſdem ſcribis comminationes intentat, dicens: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum.* Verum hi tales prima quidem facie laude potius digni videri nonnemini poſſent dum ſepulchra Prophetarum honorant, ſicut à Deo & Eccleſia remunerantur illi, qui ſanctorum reliquijs cultum & venerationem exhibent; In quo igitur hæc Scribarum & Phariſæorum malitia conſiſtit, quæ in ipſis à Chriſto tam acriter reprehenditur? Imo ſacer textus de ijſdem ſcribis ſubjungit, dicens: *Et dicitis, ſi fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſèmus ſocij eorum in ſanguine prophetarum*; Et tamen Salvator noſter qui *ſcrutabatur renes & corda eorum*, non ſine juſta cauſa eos adeo rigida increpatione redarguit; Eſt igitur prædictorum verborum Chriſti hic ſenſus: vos filij & nepotes eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt, non ſolum quia ex ipſorum progenie deſcenditis, verum etiam quia quoad Religionem ejuſdem cum ipſis ſententiæ eſtis; Quia vero Chriſtus illos ſibi machinari necem ſciebat, ideo illos increpat, quaſi diceret: Vos qui eadem cum occiſoribus Prophetarum pice inqui-

S. Greg. cit. à S. Bern.
Matth. 23. v. 2.
D. Chryſoſt. Hom. 73. in Matth.
Matth. 23. v. 29.
Væ contrarium facientibus.
Ibid. v. 30.

inquinati eſtis, illos nihilominus qui occiderunt Prophetas verbis & factis reprehenditis; factis quidem, quia in occiſorum Prophetarum honorem monumenta erigitis: Verbis autem, quia occiſionem jam dictam deteſtamini, hoc autem eſt quod ſeverum meretur pœnæ ſupplicium: Væ vobis, quia vos illa crimina in alijs condemnatis quibus ipſimet ad fauces uſque immerſi hæretis; Et revera ita erat; *Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam*; & tamen machinabantur ei inferre mortem. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Non quia ædificant, neque quia Patres ſuos accuſant; væ illis dixit, ſe quoniam ita facientes, & ita dicentes patres ſuos ſe condemnare ſimulabant, cum ipſi pejora committerent.*

*Luc. 7. v. 16.* — *D. Chryſoſt. ibid.*

Similitudo. — *Plutarch. apud Stobæũ.*

11. Ingenioſa profecto eſt illa à Plutarcho in hac materia correctionis adducta propoſitio, vel ſimilitudo; Dicit enim: *Pertinacem in delicto monere, perinde eſt ac ſpeculum cæco objicere.* Quod ſi enim cæco quis proponat ſpeculum, inutile prorſus opus faciet; quia cum in illud proſpicere non poſſit, maculas & ſordes vultus ſui exinde emendare non poterit; quin potius ſpeculum iſtud anhelitu & ſpiritu cæci prope illud conſiſtentis offuſcabitur; id quod cum illa Sapientis ſententia optime conſentit, in qua dicitur: *Qui erudit deriſorem, ipſe injuriam ſibi facit; & qui arguit impium ſibi maculam generat.*

*Prov. 9. v. 7.*

Culpabilis corrector ſeipſum maculat. — *Salazar.*

12. Ad hoc propoſitum noſtrum inſuper conſiderari poteſt, quod ſicut ſpeculum maculas & ſordes deformis & defectuoſi vultus illius; qui illud inſpicit, perfecte exprimit, eodem quoque modo inquit quidam interpres: *Qui ſceleratum & procacem hominem incuſat & carpit, eadem; quæ illi objicit, crimina ſibi accerſit, & in ſe quodammodo exprimit, ejuſmodi enim petulantes homines objecta ſibi crimina reciprocare, & in eoſdem rejicere ſolent, à quibus commoniti ſunt.* Unde Septuaginta loco illorum verborum quæ in Vulgata noſtra leguntur, *Et qui arguit impium maculam ſibi generat*; legunt: *Arguens maculabit ſeipſum.*

Septuaginta.

13. Rupertus Abbas Tuitienſis conſiderans qualiter univerſus Iſraël poſtquam tranſgreſſionem Achan ſecutus miſere cæſus & profligatus fuerit, inquit: *Non ergo*, inquit Dominus; *poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate. Ubi enim in ſacerdotibus vel eis qui præſunt, avaritia regnat; & principatum obtinet pecunia, hi qui ſunt Iſraël, arma virtutum contra vitia tenentes, & prout oportet, arguere & obſecrare volentes, ſtare non poſſunt contra hoſtes libere repugnantes, quippe quos pecunia tuetur, ut de vitijs ſuis aliquando non ſaltem impunè arguantur.*

*Rup. Abb. l. 1. in Joſue c. 7. v. 12.*

Seipſum cõdemnat. — *Prov. 11. v. 14.* — *S. Bernard. T. 3. ſerm. 3. de Chriſtian. pietate A. 2. c. 2.*

14. Sanct. Bernardinus illud Sapientis monitum: *Scriptum eſt: Erit ſalus ubi multa conſilia*, in medium adducens, ſubjungit: *Ut apertius innuatur; quod ubi multa conſilia ſunt, non tantum ex parte illa recipientis, verum etiam ex parte illa communicantis; ſalus æterna multiplicatur: Contra quod facere dignoſcuntur ipſi docti & ſapientes, qui errantes per devia corrigere aut dirigere non curant, aut animabus ſalutaria conſilia non impendunt:* At vero quando hi, qui, ut alij in via Dei irreprehenſibiliter ambulent; ducatum illis præſtare debent, ipſimet cæci ſunt, & errant, utique conſequens eſt quod & alios poſt ſe neceſſario in præcipitia trahant, dicente Domino: *Si cæcus cæcò ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* S. Antonius de Padua ita de his ſcribit: *Primum eſt diſcretio, quam habet ille qui corripit, de eo de quo ipſe non eſt vitioſus, ſecus de illo qui vel facit quod reprehendit, vel non docet quod facit, talis enim ſeipſum proprio ore condemnat, imo tales divinam indignationem incurrunt*, adducit Ozæ Exemplum 1. Paral. 13. & 2. Reg. 6. qui à Deo morte repentina percuſſus occubuit, eo quod arcam nutantem temere attigiſſet: *Arca Domini*, inquit, *lex divinorum præceptorum eſt, quam David manu fortis, id eſt, Deus, & univerſi principes, id eſt, Angeli imponunt plauſtro boum, id eſt, jugo legis collum ſubmittendo, ut hanc arcam deducat de domo Aminadab, id eſt, ſpontanea voluntate, quæ eſt in Gabaa, id eſt, in valle hujus mundi; & perducant eam in domum Regis æterni. Oza videns interpretatur & fortitudo, & ſignificat illos, quibus officium correctionis incumbit, in quibus debet eſſè diſcretio maturitatis, ut videant, perfectio etiam vitæ ut ſint fortes in perferendo quæ alijs imponunt. Sed quid? Interdum Arca declinavit plauſtrum pervertentibus bobus ad aream Nachor. Hic enim præparatio iracundiæ interpretatur, & tunc indiſcretus Oza dum non eſt mundus ſecundùm legem, dum arcam humeris ſuis non portat, extendit manum correctionis, ut ſublevaret arcam, quam alius portat, & hinc Dominus iratus contra eum, ibidem interficit eum, id eſt, imputat ipſi ad peccatum.*

*Matth. 15. v. 14.* — *S. Anton. de Pad. ſerm. in Fer. 3. poſt Dom. 3. Quadrag.* — *1. Paral. 13. v. 10.* — *2. Reg. 6. v. 7.*

## DISCURSUS XVIII.

### ARGUMENTUM.

Multi adducuntur caſus, in quibus videtur, quando quis ad faciendam correctionem obligetur, vel non obligetur.

### THEMA.

*Noli arguere deriſorem.* Proverb. 9. ℣. 8.

Correctio fieri debet ſi ſit ſpes emendationis. — *Hug. Card. ibid.* — *S. Bern. T. 2. ſer. 28. A. 1. c. 3.*

1. TAmetſi inviolabile ſit præceptum illud à Deo tam in veteri, quam in novo Teſtamento in ordine ad correctionem fraternam conditum, attamen ut ſapiens perſpicuis verbis dicit, corrigendus non eſt, qui correctionem, vel correctorem deridet & contemnit. *Noli arguere deriſorem, id eſt*, ut Hugo Cardinalis ait: *Contemptorem correctionis.* Porro multi ſunt Caſus, in quibus ab hoc correctionis onere exempti ſumus, qui paſſim à Doctoribus enumerantur. Sanctus Bernardinus ait: *Primum eſt ſpes veriſimilis. Secundum culpa mortalis. Tertium opportunitas temporis. Primum quod in delinquente requiritur eſt ſpes veriſimilis & probabilis, ſcilicet de futura correctione, quia cum correctio inſtituta ſit propter emendationem fratris, ſi hoc non ſperatur, ſed deterioratio timetur, tunc correctio non debet fieri, cum eſſet dare culpæ novæ occaſionem, & peccatum eſſet teſtante Domino* Proverb. 9. *Noli arguere deriſorem, ne oderit te, ſcilicet non propter te ſed propter ſe, ne deterior fiat.* Idem quoque ſanctus Pater in alio quodam ſermone dicit: *Sed quia hoc præceptum eſt affirmativum, obligat ſemper, ſed non ad ſemper, ſed pro loco & tempore, quando videlicet creditur, quod correctio ſit ad profectum; aliter ad illam nemo obligatur.*

*S. Bern. T. 3. ſerm. 3. de Chriſtiana pietate A. 2. c. 2.*

Obſtinati corrigi non debent. — *Geneſ. 21. v. 10.*

2. In Geneſi legitur quod Sara animadvertens quod Iſmaël filium ſuum Iſaac ſeduceret, neceſſarium eſſe duxerit huic malo opportuno remedio proſpicere, ac proinde Abrahæ marito ſuo dixerit: *Ejice ancillam & filium ejus*; at vero cur non dixit: *Et filium tuum?* ſiquidem Iſmaël vere Abrahæ filius fuit, licet ex ſerva & ancilla ei fuerit genitus. Aut vero cur non rogavit illum ut Iſmaëlem corrigeret & caſtigaret? Et quidem ut momentum difficultatis tanto magis appareat, obſervandum eſt neceſſum fuiſſe, ut ipſemet Deus Abrahæ voluntatem ſuam manifeſtaret, eique præciperet: *Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Cur igitur Sara maritum ſuum non requiſivit, ut Iſmaëlem aſpera quadam reprehenſione corriperet, eumque in caſu non ſubſecutæ emendationis è domo ſua eliminaret? Reſpondet author Catenæ, Deum clare prævidiſſe, quod ſi Sara id ab Abraha petitura eſſet, tam ipſe quam Agar Iſmaëlis mater, futuri eſſent obſtinati & incorrigibiles; Et ideo prudenter ait: *Ejice illam ſuperbam & præſumptuoſam cum filio irriſore, non tuo, ſed illius.*

*Ibid. v. 12.* — *Lipomanus ibid.*

Nec indurati. — *T. 4. Concil. pag. 31.* — *Dion. Carth. ibid.* — *S. Hieron.* — *S. P. Chryſ. a. ad Dion. Carth.* — *Prov. 18. v. 3.* — *cap. 9. v. 7.* — *Hug. Card. ibid.*

3. In Concilio quodam inter cauſas ob quas ab officio corrigendi fratrem ſuum exemptus eſſe cenſetur, hanc quoque invenio: *Item ſi probabiliter deſperatur de emendatione, non tenetur corrigere, quia nihil faceret niſi provocare ad pœnam.* Dionyſius Carthuſianus, ſuper adducti thematis verba: *Noli arguere deriſorem*, ne ſcilicet ad pejora invitetur, citat authoritatem S. Hieronymi dicentis: *Perverſum & induratum ad majorem inſaniam provocare, & non aliud quam odium quærere, extremæ dementiæ eſt. Dum igitur non eſt ſpes de alterius correctione, ceſſare aut differri debet correptio & exhiberi oratio.* Idem quoque Carthuſianus propoſitionem quamdam allegat S. Petri Chryſologi dicentis: *Perverſum corripere nil aliud eſt, quam ſtimulare inſanum, & camino oleum adhibere, & ventis incendia velle extinguere.* Sapientis ſententia eſt quod impius, ubi ad iniquitatum culmen pertigerit, contemnat & ſubſannet omnia, & maxime illa quæ in ejus profectum & commodum promovendum ei dicuntur: *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* In eodem capite Proverbiorum Salomon monet dicens: *Qui erudit deriſorem, ipſe injuriam ſibi facit*, idque *quia* ut Hugo Card. gloſſando adjungit, *laborem ſuum inutiliter expendit, quia provocat eum ad injuriandum ſibi; & qui arguit impium ſibi maculam generat*, ut in eodem loco dicitur: *Quia ipſum contra ſe provocat, vel maculam infamiæ ſibi generat, quia hujuſmodi indiſciplinabiles, correctores ſuos infamant. Tantum igitur abeſt* quod ſperari poſſit, quod multi perverſi & obſtinati peccatores ex adhibita illis correctionis virga proficiant, ut potius illos à quibus charitative admonentur, injuſte perſequantur & diffament, cum tamen ex correctione proximi ſequi debeat emendatio tamquam verus correctionis fructus, non vero malevolentia, odium, atque perverſio. *Noli igitur arguere deriſorem, ne oderit te, id eſt*, ut Hugo exponit, *ne odiendo te corrigentem pejus peccet.* S. Thomas quoque hoc idem punctum tangit, dum ait: *Si enim non ſperatur emendatio, ſed magis deterioratio propter impatientiam corrigendi, excuſaretur à præcepto.*



*Hug. Card.* — *S. Thom. in 4. diſt. 19. Qu. 1. A. 2.*

*Joan. 13. v. 34.* — *Ibid. v. 1.* — Chriſtus incorrigibilem Judam non admonuit. — *S. Thom. A. 3. ibid.*

4. Licet cœleſtis Magiſter noſter Chriſtus dixerit: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*; Imo licet tanta fuerit ejus erga diſcipulos ſuos dilectio, ut Evangeliſta dicat: *Cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos*; attamen non conſtat (ſaltem ex teſtimonio Evangeliſtarum) quod Judæ ſeorſim ab alijs abſtracto Charitativam Correctionis Eleemoſynam aliquando impenderit, cum tamen non ignoraverit, qui *fur erat*, & quod Eleëmoſynas pro communibus omnium neceſſitatibus erogatas ſibi ſoli uſurpabat; Cur igitur hunc Charitatis actum ei impendere omiſit: S. Thomas dubium hoc reſolvit dicens: *Quia Dominus ſciebat Judam non emendandum fore, ſi ipſum admoneret, ſed magis exaſperandum; quia non eſt probabile, quod verba moverent, quem tot miracula viſa non moverant, ideo ipſum non præmonuit, & quia etiam ſciebat ex hoc forte magis exaſperandum, & deteriorem fieri.* Demum vero idem Doctor Angelicus ne ex hoc Chriſti exemplo ab adimplenda correctione circa eum cui debetur retrahamur, magnam inter Chriſtum & nos aſſignat differentiam dicens: *Nec eſt ſimile de ipſo & nobis, quia ipſe ſecreta cordium ſciebat, & futuros eventus, non autem nos, & ideo niſi ex certiſſimis ſignis appareat incorrigibilitas & exaſperatio ipſius futura; non debet fraterna admonitio prætermitti.* Idem etiam S. Doctor in ſumma, ubi in hujus materiæ tractatione copioſus eſt, Articulum quemdam habet, in quo hunc ſapientis textum: *Noli arguere deriſorem* adducens, eumdem ſequenti gloſſa illuſtrat: *Non eſt timendum, ne tibi deriſor, cum arguitur, contumelias inferat, ſed hoc potius providendum, ne tractus ad odium inde fiat pejor; Ergo ceſſandum à correctione fraterna, quando timetur, ut fiat ille inde deterior.* Verumtamen notandum eſt, quod ſanctus Doctor illis verbis loqui intendat de hominibus privatis, non vero de ſuperioribus & Prælatis; De horum enim correctione pergit ulterius & dicit: *Hæc pertinet ad bonum commune, & habet vim coactivam; Et ideo talis correctio non eſt omittenda propter turbationem ejus qui corripitur: tum quia ſi propria ſponte emendari non velit, cogendus eſt per pœnas, ut peccata dimittat; tum etiam quia ſi incorrigibilis ſit, per hoc providetur bono communi, dum ſervatur ordo juſtitiæ, & unius exemplo alij deterrentur: Alia eſt correctio fraterna, cujus finis eſt emendatio delinquentis, non habens coactionem, ſed ſimplicem admonitionem; & ideo ubi probabiliter æſtimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, ſed ad pejora labatur, eſt ab hujuſmodi correctione deſiſtendum, quia quæ ſunt ad finem debent regulari, ſecundum quod exigit ratio finis.*

Quando correctio non prætermittenda. — *S. Thom. 2. 2. Qu. 33. A. 6.* — Superiores defectus corrigere debent.

Ubi ſpes emendationis facienda eſt correctio. — *Matth. 16. v. 22.* — *Ibid. v. 23.* — *Matth. 26. v. 50.* — *Baſil. Seleuc. orat. 31.*

5. Sed ut ad Judam denuo convertamur; merito conſiderandum eſt, quod quando S. Petrus Redemptorem noſtrum à Paſſione ſua divertere eamque illi diſſuadere conatus fuit, dicendo: *Abſit, non erit tibi hoc*, mox ab eodem Redemptore magna cum ſeveritate reprehenſus fuerit: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi:* E contra vero cum Judas in horto Gethſemani factus eſt dux ſatellitum atque lictorum, iiſque ſuum turpiter tradidiſſet magiſtrum, ſuaviter ipſum affatus, eſt dicens: *Amice, ad quid veniſti?* Certe ſi Judas umquam aſperrime corripi meritus fuit, id certe tunc vel maxime promeruerat, & tamen ſuavi eum ſermone aggreſſus eſt, ut emendaretur; quod notans Baſilius Seleucus ait: *Petrus amoris præmium fert contumeliam, feritur qui parcit, & ex ignoratione offendens verbis vapulat*; ac tandem in perſona Salvatoris loquens ita concludit: *Ubi ulcus eſt immedicabile, ibi pharmacum inutile, ubi autem curationis ſpes, ſectionem induco curationi.*

Proſecutio. — *Luc. 23. v. 9.* — *Salm. T. 10. Tr. 27.* — *Rabanus & Ven. Beda.* — *S. Ant. de Padua ſerm. in Fer. 3. poſt Dom. 1. Quadrag.* — Superiores ſemper corrigere debent. — *S. Thom. in 4. diſt. 19. Q. 1. A. 3.*

6. Chriſtus Dei Filius in nocte Paſſionis ſuæ à Pilato miſſus fuit ad Herodem, coram quo ne verbum quidem locutus eſt, ſed inſtar muti tacuit, & tamen ſacrilegus ille jam dudum illius videndi & audiendi cupidus fuerat. Dicet vero haud immerito aliquis: Chriſtus opportuniorem & meliorem occaſionem ad exprobrandum illi ſcelus, quod in decollatione præcurſoris ejus & in Herodiadis inceſtu commiſerat, nec non ſcandalum publicum quo univerſam Judæam affecerat, optare minime potuiſſet, quam hanc in qua coram ipſo judicandus ſiſti debebat, cur igitur tam conſtanter tacuit, qui in hunc mundum eo præcipue fine venerat, ut impios redargueret & reprehenderet. Salmeron ait: *Videbat Regem immedicabilem, correptioniſque minime capacem, & ſicut non audivit Joannem, nec Chriſtum audiſſet.* Rabanus & V. Beda ſuper illa Sapientis verba: *Noli arguere deriſorem*, dicunt: *Non eſt timendum ne tibi deriſor, cum arguitur, contumelias ingerat, ſed hoc potius providendum, ne tractus ad odium pejor fiat, ideoque tibi aliquoties ab ejus correctione, non tuæ timiditatis, ſed dilectionis ejus gratia ceſſandum.* S. Antonius de Padua idipſum per adductam Medicinæ ſimilitudinem explicat, dicens: *Si vides certitudinaliter nihil prodeſſe, ſed magis obeſſè, debes deſiſtere. Exemplum de Medico, qui non debet infirmo deſperato inducere gravedinem medicinæ, nec aliquid quod longiorem augeat, & acceleret mortem.* Idem quoque jam ſupra memoratam inter perſonas privatas & Prælatos aſſignat differentiam, dicens: *Eſt tamen advertendum quod Prælatus non debeat à publica correctione ceſſare, quantumcumque illa ſit nociva ei, quem corripit, quando eſt alijs proficua & ſalubris, & ſubtractio correctionis eſt occaſio ſcandali.* Unde ſi fortaſſe cauſam ſcire vultis, cur ſanctus Petrus apud Ananiam & Sapphyram non prius correctionem aliquam ſecretam præmiſerit, priuſquam divina in eos vindicta animadverterit? Reſpondebit protinus ſanctus Thomas: *Dicendum quod forte peccatum eorum erat publicum, vel ſtatim publicandum: vel forte ſciebat monitionem ipſis non valituram; vel etiam conſilio Spiritus Sancti fecit ad terrorem, quia hoc competebat ſtatui primitivæ Eccleſiæ, ne veniret ejus authoritas in contemptum.*

Culpam mortalem corrigere obligamur. — *S. Bernard. T. 4. ſer. 22.* — *Mart. Becanus Tom. 3. c. 21.*

7. Secunda conditio quæ ad hoc ut quis ad correctionem faciendam obligetur, requiritur, eſt ut ſicut ſuperius ex ſententia S. Bernardini diximus, defectus corrigendus malitiam in ſe habeat peccati mortalis, ob hanc ab eo aſſignatam efficacem rationem: *Nam correptio fit ad lucrandum fratrem amiſſum per peccatum, & anima fratris non amittitur, niſi per peccatum mortale: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Hanc quoque rationem idem ſanctus Pater in alio quodam ſermone adducit, nam ut probet, quod à correctione nemo ſe propter quamcumque jacturam & damnum proprium temporale ſubducere poſſit, quia ſalus æterna proximi & honor Dei anteponenda eſt cuilibet bono temporali; ubi etiam idem Sanctus omnes illos reſpectus humanos recenſet, qui nos à reprehenſione vel correctione debite impendenda nonnumquam retrahunt. Dicit enim: Quotieſcumque officium corrigendi omittis *ne diſpliceas, vel quia times perdere aliquod ſervitium; vel quia dubitas, ne forte faciat tibi ſcandalum, maxime in bonis temporalibus, vel quod te odiat &c. tunc peccas mortaliter, nõ corrigendo eum: quia tu debes præponere animam proximi tui, divitijs & bonis temporalibus.* Martinus Becanus addit obligationem corrigendi hominem conſtringere, non ſolum quando culpa corrigenda eſt mortalis, verum etiam quando eſt venialis periculoſa; *id eſt, tendens ad peccatum mortale.*

Correctionis tempus. — *S. Thom. in 4. diſt. 19. Qu. 1. A. 2.* — *1. Reg. 10. 27.* — *S. Greg. in 1. Reg. c. 10. l. 4. in ult.* — *P. Bolland. 16. Jan. n. 18 in vita S. Furſei.*

8. Tertia conditio à S. Bernardino adducta, eſt opportunitas temporis, *id eſt, quod ſit ſpes quod non habeat majorem opportunitatem temporis ad corripiendum fratrem.* S. Thomas pariter ait: *Tempus, ad quod obligatur, eſt, cum delinquens occurrit ipſi corripienti, & corripi poteſt commode & ſperatur emendatio.* Unde S. Gregorius ſuper illa verba lib. 1. Regum: *Ille vero diſſimulabat ſe audire*, ad noſtrum propoſitum ita ſcribit: *Subditorum quidem pravitatem audit, qui noſcit, ſed audit, & non reſpondet, imo ſe audire diſſimulat, quia plerumque cauſa exigente, nota ſubditorum ſuperbia incorrupta deſeritur, ut opportuniori tempore quaſi cognita feriatur; culpa ergo quæ feriri digna ſeveritate non poteſt, diſſimulanda, non exponenda eſt, quia audacius à ſubjectis delinquitur, ſi Prælatorum infirmitas agnoſcitur.* P. Bollandus in vita S. Furſei refert, quod inter alias calumnias & impoſturas, quibus illum ſpiritus maligni infeſtarunt, hæ quoque fuerint: *Scriptum eſt, niſi annunciaveris iniquo iniquitatem ſuam ſanguinem ejus requiram de manu tua, hic non annuntiavit digne pœnitentiam peccantibus. S. Angelus reſpondit: De hoc enim tempore ſcriptum eſt: Prudens* in

*in tempore illo tacebit, quia tempus peſſimum eſt, quando enim auditores deſpiciunt verbum, lingua etiam Doctoris loqui præpeditur, dum videt, quod audita prædicatio deſpicitur.*

S. Bernard. T. 2. ſerm. 28 A. 1. c. 1. Eccli. 11. 7.

9. Ab eodem S. Bernardino in jam citato ſerm. 28. Art. 1. cap. 1. alia quædam conditio inſinuatur, nimirum peccati commiſſi *certitudo, id eſt, quod ſciat certo proximi ſui culpam. Unde Eccleſiaſtici 11. priusquam interroges, ſcilicet de veritate rei, non vituperes quemquam & cum interrogaveris, corripe juſte.* Idem quoque in alio quodam ſerm. Tomi III. repetit dicens: *Secundo hoc præceptum cogit, quando de proximi culpa homini eſt notitia certa, quia Dominus ait: Si peccaverit in te, id eſt, te ſciente. Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto; poſuerunt ſigna ſua, ſigna, & non cognoverunt,* quia ſigna ſola & conjecturæ minime ſufficiunt; licet illis multi fallaciter nimis innitantur; de quibus Gillibertus Abbas ita ſcribit: *Malus quæ non videt, ſuſpicatur. Poſuerunt, inquit, ſigna ſua ſigna & non cognoverunt. Ponunt quod non inveniunt. Seipſos enim in ſignum ponunt cum ex ſuæ pravitatis regula alios metiuntur, ſigna, inquit, quaſi dicat: Tantum ſigna & non veritatem, ſigna non certitudinis, ſed ſuſpicionis.* Et ideo judicium humanum fallaciſſimum eſſe nemo mirari debet. Quod ſi quis Juditham ab exercitu. Aſſyriorum, imo ex cubili Holofernis, in quo cubare ſolebat, nocturno tempore egredientem conſpexiſſet, quid talis dicturus fuiſſet? Similiter ſi quis Paphnutio è domo Thaidis meretricis egredienti occurriſſet, quodnam talis non fuiſſet de eo formaturus judicium? Quanto correptionis zelo tam hic quam illa objurgata fuiſſet?

S. Bernard. T. 3. ſerm. 3. de Chriſtiana pietate A. 2. c. 2. Pſ. 73. v. 3. Ex ſuſpicione ſola non debet fieri correctio. Gillib. Abb. ſerm. 14. in Cant. Fallax enim humanum judicium.

S. Thom. ibid.

10. Adhæc correctionis obligatio tunc ſtringere incipit, inquit ſanctus Thomas: *Si non eſt alius cui ex officio incumbat corripere: vel ſi ille cui incumbit, negligens appareat in corrigiendo;* Cui conſonat quod in Concilio quodam his verbis legitur: *Tertium ut in alio non ſit tanta aptitudo ad corripiendum, quoniam ſi alij æque boni & meliores adſint, aut peccanti magis familiares, & probabiliter æſtimatur quod magis proficient, pro tunc non obligatur iſte, præſertim niſi veriſimiliter appareat, quod iſti omnes negligerent, ſic enim profecto obligaretur, nam tunc competit ſibi illud* 3. Reg. 20. *Cuſtodi mihi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Eamdem quoque inſtructionem ſanctus Bernardinus tradit, dum ait: *Tertium eſt aptitudo ad corrigendum, quæ ſcilicet in alio non ſit tanta ſicut in eo. Nam ſi ipſum peccatum videant, alij æque boni ſicut tu, vel forte meliores, & illi forte magis familiares, aut Prælatus tuus, probabiliter ſupponere ſic poſſit, quod aliquis iſtorum in quibus eſt debitum & aptitudo corrigendi illum, corripiet eum;* nam ut S. Paulus ait: *Quis enim filius, quem non corripit pater?* maxime quia illis vere dictum eſſe cenſetur, quod in libris Regum legitur: *Cuſtodi virum iſtum &c. Unde non debeo credere, quod Prælatus ſuus ſit immemor ſalutis ſuæ quod eſſet, ſi negligenter corriperet illum.*

Tom. 4 Concil. p. 311.

S. Bernard. T. 2. ſerm. 28 A. 1. c. 1.

Hebr. 12. 7.

3. Reg. 20. v. 39.

12. Advertendum quoque eſt quod Sanctus Thomas his verbis ait: *Patet quod ſi peccatum in aliorum detrimentum vergat, debet alijs dici, quantumcumque ſit occultum, & etiam ſi non vergat in detrimentum alterius, niſi in illius qui peccat, ut patet ſecundum Auguſtinum in Regula, ubi ſic dicit: Innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittatis, nec ex hoc aliquis efficitur proditor criminis, quia non manifeſtat crimen ad infamandum, ſed ad corripiendum.* Sanctus Bernardinus adhuc aliud quoddam punctum tangit dicens: *Tertio ad hoc quod obliget, debet concurrere amicitia vera, id eſt, quod fiat ex charitate fraternæ ſalutis, non quia corrigens ipſe offenſus ſit, aut quacumque alia cauſa injuſta & vana, ſed principaliter pro ſalute animæ; Propterea addit Dominus: Frater tuus, id eſt, ex charitate fraterna à te dilectus.*

S. Thom. in 4. diſt. 10. Q. 1. A. 3. ad 2. Quæſt.

S. Bernard. T. 3. ſerm. de Chriſtiana pietate A. 2. cap. 2.

12. Sanctus Thomas dubium quoddam movet & pariter ſolvit; ſcilicet an qui maculatam habentes conſcientiam, correctionis præceptum adimplent, peccent? Et reſpondet: *Dupliciter aliquis corripere poteſt; uno modo ex officio ſicut Prælati corripiunt;* hi enim, inquit Sanctus, in tali caſu ſe hoc miniſterio exequendo indignos efficiunt, *Quia quandocumque aliquis indigne utitur officio ſuo, peccat, ille autem qui eſt in mortali peccato etiam occulto, indigne utitur officio Prælationis, unde peccat corripiendo, vel quidquid aliud proprij officij exequatur: Alio modo aliquis corripit ex zelo charitatis, non ut Eccleſiæ miniſter, & tunc in correptione non poteſt eſſe peccatum, niſi ratione ſcandali, quod non conſurgit, niſi de peccato notorio.*

S. Thom. ibid. A. 2. ad Quæſt.

# TRACTATUS XIX.
# DE DÆMONIO EJUSQUE
## MALITIA, INSIDIIS, ET OPERATIONIBUS.
## CONTINENS
## DISCVRSVS XVIII.

DIscuſus I. De variorum nominum quibus inimicus infernalis appellatur, ſcilicet Draconis, Serpentis, Diaboli, Satanæ, Dæmonis, Leonis, Scorpionis & Luciferi etymologia.

II. De hujus implacabilis inimici adverſus hominem ingenti odio & crudelitate, nec non de malignitate ipſius.

III. Serpens aſtutus per inſidias nos aggreditur, nobiſque paſſim & ubique ac in omnibus rebus innumeros tendit laqueos; noſtrum quoque explorat genium, inclinationes & affectus diſquirit, & ſecundum hos nos tentat & in lapſum propellit.

IV. Dæmon fortis eſt contra nos per arma inordinatorum appetituum noſtrorum, quæ ipſi ſubminiſtramus, quibus ipſe in noſtram utitur pernitiem.

V. Varij conſiderantur laquei, quos Dæmon nobis capiendis tetendit, doli item & fraudes, quibus nos circumvenit & deludit, atque ad peccatum extimulat.

VI. Oſtenditur quod licet Dæmonis tentationes perſæpe vicerimus, numquam tamen de perpetua victoria ſecuri eſſe debeamus, quia Dæmon ab inſidiando numquam deſiſtit, tuncque nos vel maxime aggreditur, dum nos omnino ſecuros eſſe conſpicit.

VII. De fraudibus & illuſionibus Dæmonis, quibus malitiam ſuam ſub pallio virtutis & ſanctitatis contegendo in Angelum ſe lucis transfigurat.

VIII. Minimus ad animam noſtram aditus Dæmoni ſufficit, ut deinceps omnem ſuam malitiam in eam infundere poſſit, neque nos impedit quo minus multa opera bona faciamus, dummodo etiam mali aliquid à nobis committatur.

IX. Serpens infernalis ſpecialiter ad hoc omnem ſuam adhibet induſtriam & conatum, ut viros perfectiſſimos & ſanctiſſimos vincere poſſit.

X. Dæmon tunc nos vel maxime impugnat, quando Deo arctiſſime aſtringimur, virtutique & ſpiritualibus exercitijs dediti ſumus.

XI. Tunc nos ferociores Dæmonis tentationes invadunt, quando Dæmoni rebelles facti, Dei ſervitio nos mācipamus.

XII. Tota Diaboli potentia in ſolo peccato conſiſtit, ſine quo nihil adverſum nos facere prævalet.

XIII. Diabolum nulla in pernitiem noſtram potentia prævalere oſtenditur, niſi quantum illi Deus limitate, & in profectum noſtrum indulget.

XIV. Dæmon catenæ innexus eſt, & ideo à nobis minime eſt timendus, tametſi enim allicere & inſtigare, poſſit, cogere tamen non poteſt; nos ſoli ſumus, qui in proprium damnum noſtrum vires ei ſubminiſtramus, ac proinde nos, illum culpando, excuſare à peccatis noſtris non poſſumus.

XV. Solo diſſenſu Dæmonium vincitur, quia libertati voluntatis noſtræ nullam vim inferre prævalet; quantumque ei reſiſtendo vigoroſiores ſumus, tanto magis vires ejus imminuuntur, noſtræ vero augentur.

XVI. Per primæ Diabolicæ ſuggeſtionis repulſam, per gratiæ aliorumque bonorum interiorem diligentem cuſtodiam, per divinorum præceptorum illibatam obſervantiam, denique per ardentem charitatem & Dei amorem Diabolo ſuperiores & victores efficimur.

XVII. Alij



XVII. Alij Diabolum vincendi modi ſunt: Cordis noſtri à terrenis bonis perfecta diviſio, præmij cœleſtis & æternæ pœnæ ſeria conſideratio, conſilij boni ſequela, vigilantia, maceratio corporis, compunctio, periculorum fuga, Paſſionis Chriſti meditatio ſacræ ſcripturæ aſſidua lectio, & & malorum quæ ex noſtro in tentationes conſenſu reſultant, prudens advertentia.

XVIII Contra Dæmonem divinum implorandum eſt auxilium, ſolique Deo fidendum, dum autem vires noſtras adverſus ipſum exerimus, nos in præſentia & conſpectu Dei dimicare debemus.

## DISCURSUS I.
## ARGUMENTUM.

De etymologia & myſterij propter quæ inimicus noſter infernalis Draco, Serpens, Diabolus, Satan, Dæmon, Leo, Scorpio & Lucifer appellatur.

## THEMA.

*Et apprehendit Draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas.* Apoc. 20. ℣. 2.

Dæmon appellatur.

1. QUemadmodum Proteus ille infernalis, ut homini multiplicius pernitioſius noceat, in mille ſe transformat mendaces, confictas & deluſorias figuras, ita pariter à Spiritu Sancto in ſacris literis varijs deſcribitur & effigiatur epithetis. Unde in præcitato aſſumpti thematis loco S. Joannes Angelum quemdam vidit, qui in una manu clavem deferebat abyſſi, in altera catenam ad ligandum illum, quem varijs nominibus circumſcribit dicens: *Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum qui eſt Diabolus & Satanas.*

Apoc. 20. v. 2

Draco ob aſtutiam & invidiam.

2. Primo autem loco illum *Draconem* appellat, quo nomine in pluribus ſcripturæ locis exprimitur, præcipue in ejusdem Apocalypſeos libro cap. 12. quando videlicet ex pulcherrimo omnium Angelorum, qui in cœlo erant Empyreo in deterrimum & deformiſſimum monſtrum, Dæmonem videlicet tranſformatus fuit: *Michael & Angeli ejus prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat;... Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas;* Circa quæ verba Hugo de S. Victore ait: *Projectus eſt de cœlo ad terram ille draco magnus, draco propter malitiam;* quod optime cum illo conſonat, quod Doctor Seraphicus ait: *In dracone aſtutia:* Notanda quoque alia viſio S. Joannis eodem in loco dicentis: *Viſum eſt aliud ſignum in cœlo; & ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli;* rebellando enim adverſus Creatorem ſuum, tertiam Angelorum partem inſtigatione ſua in eamdem miſerabilem ruinam & abyſſum ſecum protraxit; & ſicut cauda, præcipue canum, ad blandum ſpeciale eſt inſtrumentum, ut proinde in libro Tobiæ dicatur: *Tunc præcucurrit canis, & blandimento ſuæ caudæ gaudebat,* ita pariter hic draco blanditijs & aſtutia ſua alios quoque Angelos ſecum in ruinam perduxit: *In dracone aſtutia.* Richardus de S. Victore illum draconem dici cenſet propter invidiam: *Draco per ardorem invidiæ, magnus per excellentiam ſuperbiæ;* Invidia autem quæ illum adverſus genus humanum, in progreſſu ſæculorum ad unionem cum verbo hypoſtaticam aſſumptum & evectum agitavit, eumdem deinceps ad ſuperbiam & rebellionem ſuam induxit; unde Sapiens ait: *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

Apoc. 12. v. 7 Ibid. v. 9.

Hug. de S. Vict. T. 3. ex Miſcel. 11 l. 3. c. 45.

S. Bonav. in Pſalm. 39.

Apoc. 12. v. 3.

Ibid. v. 4.

Tob. 11. v. 9.

Rich. de S. Vict. par. 2. l. 4. c. 2.

Sapient. 2. v. 24.

Serpens bilinguis ac gyrans.

3. *Serpentem antiquum.* Nemini porro ignotum eſſe poteſt, qualiter inimicus infernalis in Paradiſo terreſtri ſub perſonati ſerpentis larva Evam aggreſſus fuerit, neque enim ab infallibili Dei providentia ei, teſte S. Auguſtino, aliam ſibi formam aſſumere conceſſum fuit *Nec ſane debemus opinari,* inquit ſanctus hic Doctor, *quod ſerpentem ſibi per quem tentaret, perſuaderetque peccatum, Diabolus elegerit, ſed cum eſſet in illo propter perverſam & invidam voluntatem decipiendi cupiditas, non niſi per illud animal potuit, per quod poſſe permiſſus eſt.* Porro ſerpenti proprium eſt quod linguam bifidam ore vibret, & gyrando, & circumvolvendo ſe hominibus inſinuet, ita quoque ut S. Ambroſius ait: *Multiplicia tentamenta ſunt Diaboli & ideo bilinguis ſerpens habetur, atque lethalis, eo quod Diaboli miniſter aliud lingua loquatur, aliud vero corde meditetur:* Numquam ſerpentem recto tramite progredi deprehendetis, ſed diſtorto & tortuoſo greſſu procedit: Eodem modo Dæmon *circuit*, gyratur, volvitur & revolvitur, dum timetis ne vos ex uno latere inficiat, ipſe ex altera inſidias parat: *Serpens* proinde eſt *per aſtutiæ calliditatem, antiquus per peccandi veternam conſuetudinem,* inquit Richardus de S. Victore; & Hugo pariter à S. Victore ait: *Serpens propter occultas inſidias, antiquus propter diuturnitatem.*

S. Aug. T. 3. de Gen. ad lit. L. 11. c. 3.

S. Ambr. l. de Parad. c. 12.

Rich. de S. Vict. ibid.

Diabolus.

4. *Qui eſt Diabolus.* Varia hujus nominis, *Diabolus*, etymologia à varijs Doctoribus adducitur; Sanctus Bonaventura de horum rebellium ſpirituum proprietatibus diſſerens ita ſcribit: *Multipliciter vero diabolus nominatur, per quod & proprietates ſuæ cognoſcuntur; vocatur enim diabolus, quod interpretatur deſluens, quia deſluit & corruit ſpiritualiter, Græce interpretatur diabolus clauſus ergaſtulo, & hoc ſibi convenit, quia non permittitur tantum nocere quantum vellet.* Richardus de ſancto Victore ait: *Vocatur diabolus, id eſt, deorſum fluens, à bonis videlicet ad malos.* Hugo de ſancto Victore inquit: *Hic quotidie de cœlo in terram cadit, cum ab electorum cordibus expulſus deorſum fluens (quod ſonat diabolus) reprobos in terra ſapientes invadit.* Sanctus Iſidorus in eamdem etymologiam conſentit, dum ait: *Diabolus Hebraice dictus deorſum fluens:* at vero alium à prædictis differentem hujus etymologiæ ſubnectit rationem, nimirum: *Quia quietus in cœli culmine ſtare contempſit, ſed ſuperbiæ pondere deorſum corruens cecidit.* In lingua vero Græca aliam huic nomini attribuit Etymologiam, dum ait: *Græce diabolus criminator vocatur, vel quod crimina ad quæ ipſe inducit, ad Deum referat, vel quia electorum innocentiam criminibus accuſet fictis,* juxta illud quod in eodem Apocalypſeos capite vox Angelica proloquitur: *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri.* Rupertus Abbas ſimiliter dicit: *Diabolus, id eſt, deorſum fluens idcirco dicitur, quia de cœlo per ſuperbiam cadendo deorſum fluxit, perijtque peccator à facie Dei, Sicut fluit cera à facie ignis.* Verumtamen ſanctus Auguſtinus objicit dicens: *Si diabolus ipſe eſt Satanas, quid eſt ut inter cætera ad Judæos dicat Salvator: Vos de patre diabolo eſtis?* Joan. 8. v. 44. Et protinus ſanctus Doctor reſpondet: *Diabolus non ſpeciale nomen eſt, ſed commune cum cæteris; In quocumque enim opera diaboli fuerint inventa, ſine dubio diabolus appellandus eſt, operis enim nomen eſt, non naturæ.* Idemmet quoque ſanctus Doctor in alio loco ſcripſerat; *Creditur diabolus appellatus, tamquam accuſator. Latine dicendus ſit; non quia nemo poſſit etiam bene recteque accuſare, ſed quoniam diabolus amat accuſare, utique invidentiæ ſtimulis agitatus.*

S. Bonav. T. 7. l. 2. Comp. Theol. c. 26.

Rich. de S. Vict. ibid.

Hug. de S. Vict. ibid.

S. Iſid. l. 8. orig. c. 11.

Apoc. 12. v. 10.

Rup. Abb. l. 7 in Apoc. c. 12

Pſ. 67. v. 3.

S. Aug. Q. 90. N. Teſt. Joan. 8. v. 44.

S. Aug. T. 4. in Qu. in Num. Q. 49.

Satanas id eſt adverſarius.

5. *Et Satanas, id eſt, adverſarius,* Ut Richardus de ſancto Victore pariter inquit: *Satan dicitur, quia id nomen adverſarius interpretatur.* Sanctus Baſilius in Homilia quadam, cui titulus: *Quod Deus non eſt author malorum,* quærit: *Unde Satanas cognominatur?* Et reſpondet: *Satanas quod bono adverſetur, appellatur, diabolus dicitur, quoniam idem & in peccatis nobis cooperatur, & accuſator noſter eſt.* Rupertus Abbas ſimiliter nominis hujus rationem reddit dicens: *Satanas, id eſt, adverſarius idcirco dicitur, quia ſic quoque de cœlo lapſus Deo creatori adverſari non deſinit; adhuc enim tamquam parum ſit, aut fuerit, quod dixit: Similis ero altiſſimo, altius per tumorem extollitur, teſtante Apoſtolo, cum de illo perditionis filio, in quo iſte diabolus erit, ita loquitur: Homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Omne etenim ſtudium ipſius in eo poſitum habet, ut viam qua ad patriam noſtram, id eſt, ad cœlum perducit, pervertat & impediat, varia in illam immittendo offendicula, ad hoc ut homo cadat, vel illum in obſcuro ambulare facit, ut eum in perditionis barathrum præcipitem agat. Unde ſanctus Bernardus meditatur ita ſcribens: *Tortuoſus ille ſerpens, cui nullum aliud eſt deſiderium, nullum negotium, nullum ſtudium, niſi perdere animas noſtras. Hic eſt, qui jugiter malum machinatus, argute loquitur, artificioſe ſuggerit, callide decipit, illicitos motus inſufflat, & venenatas cogitationes inflammat, movet bella, nutrit odia, incitat gulam, movet libidinem, deſideria carnis inſtigat, & peccati occaſiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum pulſare non ceſſat.* Didacus Stella duo adfert motiva ob quæ hic adverſarius in noſtram pernitiem implacabilis eſſe perſeveret; ſcilicet primo *propter odium Dei, nam peccans induratus manſit in odio Dei; ſcit quod voluntas Dei eſt nos beatos efficere, & quod nos ſummo amore & charitate proſequatur, ne autem voluntas Dei in nobis adimpleatur, curat noſtram juſtificationem impedire, propter odium quod in Deum habet, ratione juſtitiæ punitivæ. Secundaria ratio eſt, ut differat diem judicij, ne ſua major pœna tam cito adveniat;*

Rich. de S. Vict. ibid.

Hug. de S. Vict. ibid.

S. Baſil. ho. 9.

Rup. Abb. ibid.

S. Bern. c. 15 Medit.

Did. Stella T. 2. in c. 10. Luc.

*veniat ; Dæmones namque , etiamſi à cœlo ceciderant, non omnes in infernum ſunt detruſi.*

Obſiſtit euntibus ad Deū. Matth. 8. v. 28. Joan. 14. v. 6.

6. In S. Matthæo duo leguntur à Dæmone fuiſſe obſeſſi , *ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* Sed quænam aut qualis hæc via erat ? Quantum ad myſterium via hæc alia eſſe non poterat, quam illa, de qua filius Dei Salvator noſter ait : *Ego ſum via, veritas & vita.* Dæmones enim viam hanc multifariam impediunt & difficilem ac arduam eſſe vel apparere faciunt. Unde D. Chryſol. ait : *Videtis quia Dæmones venientibus ad Chriſtum præcluſerant viam ; Eſt Dæmonum iſta cura, ne ad Deum poſſint homines reditum invenire, non enim aliter poſſunt homines poſſidere, niſi eos ab auctoris ſui ſocietate ſubducant. Hinc eſt quod Chriſtus factus eſt via , ut ad viam per viam, ad Deum per Deum venientibus obſiſtere vis dæmonum non valeret.* Quando in medio ſalutaris ſeminis deprehenſa ſunt zizania, ſubito illa non ab alio ſeminatore ſparſa fuiſſe didicerunt agricolæ, quam ab inimico & adverſario : *Inimicus homo hoc fecit :* Circa quam parabolam idem D. Chryſologus in alio quodam ſermone ait : *Superſeminavit zizania, ut quid ? ut periret Dominica meſſis , ſed hoc ad lucrum quid pertinebat inimici?* quodnam ex hiſce ſuperſeminatis zizaniis referebat emolumentum? num forte per ſuperſeminata hæc zizania agrum ad ſuam utilitatem fœcundandum eſſe credebat ? aut meſſem propterea ſuam futuram eſſe confidebat ? Reſpondet Sanctus, aliud nihil ad hoc illum promoviſſe, *niſi quod invidia ſpiritus hominum damnum, ſuum computat lucrum, & , quod perierit hominibus hoc ſe exiſtimat acquiſiviſſe.* Verum enimvero quod cunctis aliis malis deplorabilius eſt , inimicus homo zizania iſta ex omni parte agri ſuperſeminavit. In Iſaia hæc verba ſatis difficilia leguntur : *Super Leviathan ſerpentem vectem.* Quæ Vatablus ita vertit : *Oblongum inſtar vectis* , additque : *Vocat Leviathan ſerpentem oblongum, quod ditio Diaboli fere totum mundum occupet.* S. Bonaventura de rebellium ſpirituum proprietatibus tractans , dicit : *Dæmones ſunt ſpiritus impuri , humani generis inimici , mente rationales , in nequitia ſubtiles, cupidi nocendi, per ſuperbiam tumidi , ſemper in fraude novi , immutant ſenſus , inquinant affectus , vigilantes turbant , dormientes per ſomnia inquietant , morbos inferunt , tempeſtates concitant , in lucis Angelum ſe transformant , ſemper infernum ſecum portant , in idolis ſibi cultum divinum uſurpant , ſuper bonos dominari appetunt, bonis ad exercitium dantur , ſemper fini hominis inſidiantur.* S. Gregorius pariter varios alios modos deſcribit , quibus antiquus hic adverſarius nobis moleſtus & injurius eſſe non deſinit : *Aut enim* , inquit , *opprimendo rapit, aut inſidiando circumvolat , aut ſuadendo blanditur , aut minando terret, aut deſperando frangit , aut promittendo decipit.*

Matth. 13. v. 28. D. Chryſol. ſerm. 97. Hominum damnum ſuum reputat lucrum. Iſa. 27. v. 1. Vatablus. S. Bonav. l. 2. Comp. Theol. cap. 26. S. Greg. l. 32. moral. c. 8.

Vocatur Dæmon , id eſt expertus. S. Bonav. ibid. c. 27. Gen. 3. v. 1.

7. S. Bonaventura inſuper myſterium nobis pandit , propter quod inimicus infernalis Dæmon appelletur, dum ait : *Vocatur Dæmon , id eſt , ſanguineus , & hoc propter peccatum :* Verumtamen juxta ſignificationem nominis Græci , Dæmon idem eſt, quod ſapiens, expertus , quia licet rebellis hic ſpiritus gratiam amiſerit , nullam tamen paſſus eſt jacturam in donis naturalibus , ſcientiæ videlicet , quia ingenium ejus eſt acutiſſimum : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.*

S. Bernard. T. 3. de triplici animæ ſtatu A. 2. c 5. Tertull. de ſcorpione c. 1. & 2.

8. S. Bernardinus juratum hunc hoſtem noſtrum ſcorpionem vocari notat ; & inſuper addit : *Porro ſcorpion ſecundùm Catholicon ſic dictus eſt , quia à ſcorte, quod eſt dulce, componitur, cum pojo, quod eſt fingo , quaſi ſcorte pojo , quia ore lingit , brachio ſtringit , & demum cauda pungit.* Tertullianus de ſcorpionibus ita ſcribit : *Tot venena , quot ingenia, tot pernities , quot & ſpecies tot dolores , quot colores , unus omnium violentia geſtus de cauſa nocere, Dæmones tam dulce in amarum, quam lucem in tenebras reformant.*

Leo ſævus. 1. Petr. 5. v. 8. Bonav. in Pſalm. 93. D. Chryſoſt. hom. 33. ad pop. Antiochen.

9. Adhæc leonis titulus ipſi quoque attribuitur : *Adverſarius veſter Diabolus , tamquam leo rugiens. In leone autem eſt ſævitia*, inquit S. Bonaventura. Etenim nulla dari poteſt crudelitas, quæ cum crudelitate & ſævitia Dæmonis in hominem exercita comparari poſſit ; ſiquidem ſi à Deo ipſi permitteretur, omni ſtudio in hoc incumberet , ut non ſolum eorum vexaret corpora , ſed indefeſſe & ſine ulla intermiſſione eorum quoque animas perdere feſtinaret. D. Chryſoſtomus argutè obſervat, quod dum vix contra nos in primis parentibus à Deo fulminata eſſet mortis ſententia, mox impatiens fuerit , donec eamdem ſubito in nobis completam eſſe videret ; idem enim, *Ut Cain fieret fratricida perſuadebat , feſtinabat & cupiebat videre ſententiam in opus prodire , qui noſtris numquam malis exſatiatur , quemadmodum ſi quis captivum habens inimicum , & prolata videns damnatum ſententia , priuſquam urbe exeat , properet , & intus jugulatum videre, neque congruum tempus expectet , ita tum quoque diabolus , licet audiret, quod in terram homo reverſurus eſſet, optabat & aliquid majus cernere , coram patre filium morientem , & germanum interimentem germanum , & prematuram violentamque necem.* D. Chryſologus conſiderat , quod cum huic leoni infernali miſeros illos, quos in corporibus torquebat , devorare nondum à Deo permiſſum eſſet , eoſdem in feralia mortuorum feretra & ſepulchra raptare conatus fuerit : *Author mortis , mortis incubat manſiones , & humanæ necis avidus , quod crudelitate ſua occidere non poteſt , vivos geſtit feraliter funerare , ſævit , furit interitus noſtri avidus exactor , cui pœna eſt quod homo naſcitur, quod tardius moritur , cruciatur.* S. Gregorius ſuper illa verba Jobi : *Perditio & mors dixerunt* , per utrumque hoc malum Dæmonem intelligit, dicens: *Qui perditionis & mortis nomine , niſi maligni ſpiritus deſignantur ? qui inventores mortis & perditionis extiterunt.* Leonis porro proprietas hæc eſſe dicitur , quod illis parcere ſoleat , qui ſe cernuos coram & ſub ipſo ſe proſternunt ; unde Poëta dicit : *Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni ;* Idipſum verò in Leone Diabolico, majus eſt crudelitatis ſuæ ſignum , quia hi qui ipſi ſe voluntarie ſubjiciunt , ejuſque mancipia fiunt , non quidem ab ipſo diſcernuntur in hac vita , verumtamen hoc facit in majus damnum & perditionem ipſorum ; ſic enim & Holofernes Judithæ dicebat : *Numquam nocui viro, qui voluit ſervire Nabuchodonoſor Regi.* Rupertus Abbas rationem aſſignat , cur unus idemque ſpiritus primo ſerpentis , poſt vero Leonis nomine appelletur : *Quia* , inquit , *non impugnando cœgit , ſed blandiendo primum hominem ad peccandum illexit , exinde ſerpens antiquus , ſive ſerpens tortuoſus dicitur : quia vero ſemel admiſſus , deinceps crudeliter & furioſe ſuper genus humanum tyrannizavit , leo dictus eſt.*

D. Chryſol. ſerm. 17. Job. 28 v. 22. S. Greg. l. 19. moral. c. 2. Jud. 11. v. 1. Rup. Abb. l. 3. in Gen. c. 3.

Lucifer. Iſa. 14. v. 12. Ibid. v. 13. S. Bonav. ibid. cap. 28. Job. 40. v. 14. Ezech. 28. v. 13. Ezech. 31. v. 8. Pſ. 138. v. 12.

10. Denique in Iſaia de eodem inimico noſtro dicitur : *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer , qui mane oriebaris ? corruiſti in terram , qui vulnerabas gentes ? qui dicebas in corde tuo : In cœlum conſcendam , ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum , ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis.* Porro unde nam pulcherrimi hujus Angeli rebellio proceſſerit , S. Bonaventura his verbis exponit : *Peccatum Luciferi fuit, quod ſe & privatum bonum dilexit , excæcatus de altitudine habita præſumpſit , ac propriam excellentiam ambivit, quaſi habiturus fuerit à ſe, non ab alio, & ſine meritis habere voluit ; Dei ſimilitudinem concupivit , non cauſa imitationis, ſed poteſtatis, ſubditos habere voluit, & nulli ſubjectus eſſe concupivit.* Sicut enim ſtella quæ ſolis eſt prodroma, & in latino *Lucifer* nominatur, omnes alias ſtellas ſplendore & pulchritudine antecellit, ita ſpiritus hic rebellis inter reliquos Angelos erat ; unde in Jobo de illo dicitur : *Ipſe eſt principium viarum Dei ;* Et in Ezechiele legitur : *In deliciis Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum ;* Et alibi in eodem Propheta dicitur : *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei.* At vero quia propter ſuam ſuperbiam prævaricatus eſt , hinc de ipſo dici poteſt : *Sicut tenebræ ejus , ita & lumen ejus.*

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

De hujus implacabilis inimici adverſus hominem ingenti odio & crudelitate , nec non de malignitate ipſius.

### THEMA.

*Væ terræ & mari , quia deſcendit Diabolus ad vos , habens iram magnam , ſciens quod modicum tempus habet.* Apoc. 12. ℣. 12.

Dæmon tauro ſimilis. Apoc. 12. v. 12.

1. INimicus infernalis vitam hominis brevem eſſe ſciens , omnibus viribus illum diſperdere ſatagit : *Sciens quia modicum tempus habet. Habens iram magnam :* Nimirum dum hominem ex viliſſimo luto plaſmatum ad tantam gratiam favoreſque cœleſtes videt eſſe ſublimatum, ut Deus illum unione hypoſtatica dignari , & ad ſublimes Paradiſi ſedes, unde & ipſe infeliciter exciderat ſublevare decreverit , omnem ſuam rabiem in hominem evomere cœpit, qui contra Deum ſe prævalere non poſſe videt. Sicut enim taurus in ſui agitatione graviter ſe vulneratum eſſe animadvertens, videnſque quod furorem ſuum adverſus eum à quo percuſſus eſt , exerere non poſſit , confictum ex vetuſtis pannis lineis, vel ſtramine hominem , ad aves abigendas in agro poſitum aggreditur , illumque cornibus, dentibus , pedibuſque in millenas partes ferociter diſcerpit , ſuas ſe vindictas hoc modo aliqualiter exercere poſſe ſibi imaginans : Ita quoque princeps tenebrarum videns quod de Deo qui ipſum è cœlo in profundum abyſſi præcipitavit , vindicare nequeat, hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatum, Deoque unice charum plurimiſque favoribus adauctum aggreditur, ſuamque rabiem in eum in Dei ignominiam quantum poteſt eique permittitur furibundus exerit.

Dæmon pœnam adauctā non curat dummodo nos præcipitet. Amos 6. 15. S. Hier. ibid.

2. Deus quidem ad Paradiſi terreſtris cuſtodiam Cherubinum ſtatuit , qui gladio igneo verſatili protoparentes noſtros ab illius ingreſſu arceret, ſed non ille ſolus eſt, qui nos à Paradiſi aditu impedit ; quis enim non videt & in ſe experitur, quod & alius quidam Angelus pariter Cherubinus , ſed rebellis Deo & refractarius, odio & invidia armatus , ad fores paradiſi cœleſtis conſiſtat, ut nobis omnibus quoad poteſt aditum regni cœleſtis impediat ? Id quod Amos forſitan indicare voluit , dum ait : *Conteret vos ab introitu Emath.* Ubi ſanctus Hieronymus ait: *Septuaginta tranſtulerunt: Conterent vos, ut non introeatis in Emath, hoc eſt, muratam quæ cœleſtis eſt Jeruſalem , in modum flammeæ illius romphææ , quæ ad cuſtodiam Paradiſi vertitur ;* A primis namque natalium noſtrorum diebus , uſque ad finem, nulli rei adeo ſtuduit, nec aliud deinceps molietur , quam ut cœli aditum nobis includat. At vero ex quo trita eſt regula , quod beatus in gloria quot ſocios habebit, tot habiturus ſit gaudia ( illius nimirum gloriæ, quæ à Theologis *accidentalis* vocatur) hæc enim in unoquoque beato adaugetur , juxta incrementum numeri cujuſcumque beati : Et pari modo pœna accidentalis in ſpiritibus rebellibus augeatur ex reproborum majori multiplicitate, qui fit igitur quod Dæmon tormenta ſua per damna noſtra tam ſolicite adaugere ſtudeat , & non potius id ipſum pro viribus impediat ? Reſpondeo hinc unuſquiſque devenire poteſt in odii & malignitatis quam Dæmon contra nos machinatur, claram cognitionem. Quod ſi enim alicui daretur optio eligendi aut poſtulandi ſibi quidquid vellet, ad hoc ut inimico ſuo reconciliaretur, cum hoc tamen pacto, ut illius quod ſibi poſtulaturus eſſet, duplum daretur ejus adverſario , ille autem unum ſibi oculum erui poſtularet, in inimico ipſius uterque oculus erueretur; numquid magnam inde colligeretis odii, quo adverſarium ſuum proſequeretur, acerbitatē ? Utique; idem igitur de Dæmone quoque dicere poſſumus, qui ſuam ſibi adaugere pœnam nihil curat, dummodo perditionem noſtram procurare valeat.

Matth. 8. v. 29. Dæmones porcos ingredi, petierunt ob ſimilitudinem quem habent porci cum corpore humano. D. Chryſol. ſerm. 16.

3. Apud Matthæum duo dæmoniaci è ſepulchris egreſſi Salvatori noſtro occurrunt, vociferantes : *Veniſti huc ante tempus torquere nos ?* Spiritus autem maligni ſuam è corporibus illis ejectionem prævidentes, petierunt à Chriſto , ut ſibi porcorum corpora ingredi permitteret, quod & confeſtim obtinuerunt , qui proinde porcos in mare præcipiti curſu agentes ſubmerſerunt. Quod ſi ex me quæſieritis, cur Dæmones, cum ſint ſpiritus ſuperbiſſimi , utpote qui è cœlis ſuam deducunt originem, in hac ſpurciſſima ſordida & immunda animalia ingredi petierunt? Reſpondeo quod ut Anatomiſtæ referunt, inter omnia animalia nullum eſt homini, maximè quoad interiora ſimilius porco , ac proinde dæmonibus ex quo ipſis à duobus hiſce hominibus egrediendum eſſe noverant, hanc ſe ei unionem æquanimius ferre poſſe videbantur , ſi illis permitteretur intrare in porcos , ut illos ſubmergerent , ſic enim ſe aliquale ſolatium habituros eſſe arbitrabantur , ſubmergendo & ſuffocando illa animalia , quæ aliqua ſaltem ex parte ſimilia eſſe noſcuntur : In ſepulchris quoque habitabant , inquit D. Chryſologus, quia *Putredine ſatiantur , deliciantur fœtore , quibus tota voluptas eſt homines interire ; attendite quæ ſævitia, quis furor , quæ rabies dæmonum erga humanum genus , contenti non ſunt mori homines , ſed vivos homines geſtiunt ſepelire ; ſe ſepulchris mandant, ut homines redigant in ſepulchrum.*

Matth. 8. 29. Perditos ſe reputant ſi ab hominibus expellantur. Dion. Carth. ibid. D. Chryſol. ſerm. 96.

4. Lamentabantur item de Chriſto dicentes : *Quid nobis & tibi fili David ? Veniſti huc ante tempus torquere nos ?* Sed quænam illis erat hac de re lamentandi ratio ? Numquid Chriſtum eo fine in hunc mundum miſſum eſſe ſciebant , ut genus humanum redimeret , non vero ut torqueret ? Numquid ſe in pœnam rebellionis ſuæ in infernum condemnatos eſſe noverant ? Potius igitur Chriſtus ipſis improperare poterat , quid illis cum homine negotii intercederet , quem nec creaverant, nec redemerant ? Interrogare quoque illos potuiſſet in cujus virtute, aut qua facultate homines poſſiderent , quando Deus illos inferni incolas & habitatores eſſe juſtiſſimo judicio juſſerat ? ſed evidens ad hoc eſt & prompta reſponſio , nimirum impediri ſe à Chriſto , quo minus hominem torquerent , majus illis tormentum eſſe videbatur , quam quod illis in ipſo inferno infligendum erat : *Tanta enim eſt invidia , impietaſque diaboli* , ut Dionyſius Carthuſianus inquit , *ut perdi ſe reputet, ſi ab hominibus expellatur.* Audite quæſo quod D. Chryſologus de Dæmonis crudelitate ſcribat : *Diabolus non quærit hominem , ſed hominis interitum quærit. Ille malis noſtris gaudet , ſurgit ruinis noſtris , noſtris vulneribus convaleſcit , noſtrum ſanguinem ſitit , noſtra ſaturatur ex carne. Diabolus hominem non vult habere , ſed perdere. Quare ? Quia ad cœlum unde ille cecidit , non vult, non fert, non patitur, quantum in ſe eſt hominem pervenire.*

Proſecutio. Job. 10. v. 22. Matth. 12. v. 43. Abulenſ. ibid. Gloſſ. ibid. Marc. 1. v. 24. Theophyl. Joan. 4. v. 32. S. Aug. in Pſalm. 96.

5. In dubium utique revocari nequit , quin ſpiritus hic infernalis continuum in ſemetipſo bellum experiatur & luctam, ſiquidem in eo *Nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat* , & tamen ipſamet æterna veritas de Satana loquens dicit : Quod ſit *Quærens requiem* , qua autem ratione ipſe qui tanto tamque ſublimi pollet ingenio, adeoque eſt ſcientificus, ſuæ inquietudinis , quam in ſemetipſo patitur , optime conſcius, perſuadere ſibi poteſt , quod ullam umquam vel uſpiam invenire requiem poſſit ? Abulenſis reſpondet : *Quærit requiem ſuæ malæ voluntatis* ; hanc autem requiem ſuam tunc ſe inveniſſe arbitratur , quando ipſi contra nos ſævire conceditur : *Veniſti torquere nos ;* ubi Gloſſa ait : *Torquentur dæmones , dum de corporibus ejiciuntur , in quorum tortura delectabantur.* Similiter apud S. Marcum lamentabantur dicentes : *Veniſti perdere nos :* Quæ verba Theophylactus exponens ait : *Perditionem ſuam exiſtimat dæmon egredi ab homine , dæmones enim quia omnis miſericordiæ expertes ſunt, malum quiddam ſuſtinere ſe putant niſi permittatur eis affligere homines.* Sicut igitur Salvator noſter animarum ſalutem cibum ſuum eſſe dicebat : *Ego cibum habeo manducare*, ita animarum perditio Dæmonem nutrit. Unde S. Auguſtinus ait : *Eſt inſita malevolentia quædam , & pernities nocendi iſtis malis ſpiritibus ; gaudent de malo hominum , & de fallacia noſtra, ſi nos fefellerint , paſcuntur.*

Matth. 8. 31. D. Chryſol. ſerm. 16. Job. 40. v. 15. Ibid. v. 16. S. Greg. l. 33. Mor. c. 2. Job. 41. v. 9. S. Hieron.

6. Obſervat D. Chryſologus verba illa dæmonum, quæ nos paulo ante tetigimus , ſcilicet : *Mitte nos in gregem porcorum* , & dicit : *Cœnum petunt ruentes è cœlo.* Magnus profecto ſaltus eſt iſte *de cœlo ad cœnum.* Quænam major excogitari poteſt inſania , quam quod qui Principatus , Throni , Dominationes , poteſtates , Cherubini & Seraphini fuerunt deſcendere velint in ſpurciſſimos & fœtidiſſimos porcos : Reſpondet vero S. Doctor : *Traditur vile pecus non pro voluntate dæmonum , ſed ut tali facto innoteſcat , quomodo in homines ſæviunt , quomodo quærunt mortes hominum , qui ſic porcos ut perderent quæſierunt. Dæmones omne quod eſt, agitur, movetur , vivit , ardent perdere, non habere.* S. Propheta Job Satanam ſub nomine Behemoth deſcribens ait : *Omnes beſtiæ agri ludent ibi , ſub umbra dormit &c.* nimirum perditio noſtra malignorum illorum ſpirituum ludus, tripudium & ſummum gaudium eſt , hæc unica eſt ipſorum requies. Ideo S. Greg. ait : *Beſtiæ in herbis ludunt , cum reprobi ſpiritus humana corda in illicitas cogitationes pertrahunt. An non immundis ſpiritibus ludere eſt , mentes hominum ad imaginem Dei conditas , modo ficta promiſſione decipere, modo vacuis terroribus irridere , modo eis tranſitoria gaudia quaſi manſura imprimere , modo manſuras pœnas quaſi tranſitorias levigare. Harum proculdubio beſtiarum illuſionem pertimuerat, qui dicebat : Deus meus in te confido non erubeſcam , neque irrideant me inimici mei.* Idem quoque Job de ſternutatione Satanæ diſſerens ita ſcribit : *Sternutatio ejus ſplendor ignis* , ubi S. Hieronymus ait : *Alii tranſtulerunt : In ſternutamento ejus illuceſcit ſol. Sternutatio ſordes cerebri egerit, diabolus ergo qui totus ſordibus & fætidus eſt , malitiæ ſuæ ſordes in pernitiem hominum cum delectatione operatur , & effundit , transfigurans ſe in Angelum lucis , & de invidia , id eſt , de malorum omnium capite venena ſua commovet & producit.*

Chriſtus pertranſiit benefaciendo : ſecus dæmon.

7. Apud Jobum Spiritus Sanctus Dæmonem terram pedeſtri itinere circuire , non vero in equo eam obequitare aſſerit ; ita enim Satanam loquentem

*Job. 1. v. 7.*

tem introducit : *Circuivi terram & perambulavi eam* ; at vero ſcitiſne cauſam , cur Diabolus iter ſuum pedes non vero eques perficere dicatur ? Nimirum quia ſicut Chriſtus ideo ſemper pedes , rariſſime vero eques itinera ſua confecit , ut ad quemlibet greſſum beneficentiæ ſuæ veſtigia terris quas circuibat imprimeret : *Pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes* : Ita quoque implacabilis hic inimicus noſter quacumque gradiebatur in noſtram pernitiem odij malignitatis , fraudis, veneni omniumque malorum veſtigia poſt ſe impreſſa reliquit : *Ubique relinquamus ſigna lætitiæ*, dicebant mundani & diſſoluti juvenes illi,quod idem de Dæmone quoque dicere poſſumus , *ubique relinquit ſigna malignitatis ſuæ.*

*Act. Apoſt. 10 v. 38.*

*Sap. 2. v. 9.*

Dæmon origo omnis mali.

8. Unde D. Chryſoſtomus ultima Dominicæ orationis verba, ſcilicet : *Sed libera nos à malo* , exponens dicit : *Hoc eſt à Diabolo,qui totius mali & author eſt & origo ; Diabolus natura cæleſtis fuit , nunc eſt nequitia ſpiritualis , ætate major ſæculo,nocendi uſu tritus , lædendi arte peritiſſimus , unde non jam malus , ſed malum dicitur , à quo eſt omne quod malum eſt.* Ab alijs inimicis ſi non pax firma & ſolida , ſaltem belli induciæ ſperari poſſunt , non item ab hoc noſtro implacabili hoſte. Unde B. Petrus Damianus ait : *Adſunt inviſibiles inimici , qui adverſum te numquam deſinunt ferociter dimicare. Illi ſane poterant tecum ſopitis quærelis facili reconciliatione componi , iſti neſciunt quandoque homini pace compoſita ſæderari.* Alij hoſtes paulatim & cum tempore inimici eſſe deſinunt,quia voluntas eorum tandem aliquando ad pacem diſponitur & inclinatur , at verò Dæmon inflexibilis eſt , præterquam quod Job de illo dicat : *Oſſa ejus velut fiſtulæ æris , cartilago illius quaſi laminæ ferreæ* ; & ideo tametſi à nobis perſæpe vincatur , numquam tamen animo ſuo deſpondere videtur. Unde non ſine myſterio *Beelzebub* , id eſt, *Deus muſcarum* appellatur , quia hæ quanto frequentius abiguntur , tanto communiter importunius redeunt.

*B. Petr. Dam. l. 6. Ep. 8.*

Inflexibilis hoſtis.

*Job. 40. 13.*

9. De Salvatore noſtro ſanctus Paulus atteſtatur ipſum fuiſſe *tentatum per omnia* , abſque peccato, quamvis in quibus ſpecialiter tentatus fuerit minime exprimat ; interim credibile eſt Luciferum illum per continuum quadraginta dierum totidemque noctium ſpatium in deſerto traductum continuis ſe exercuiſſe tentationibus , ita enim Origenes ſibi perſuaſum habuit , dum ait : *Quadraginta diebus tentatur Jeſus , & quæ fuerint tentamenta neſcimus , quæ ideo forſan prætermiſſa ſunt , quia majora erant,quam ut literis crederentur ; & ſi ſic oportet dicere , ſicut mundus capere non poterat omnes libros , ſi ſcripta fuiſſent,quæ fecit & docuit Jeſus , ſic quadraginta dierum tentationes , quibus tentatus fuerat Dominus Jeſus à diabolo , mundus ferre non poterat , ſi ſcriptura docuiſſet. Sufficit nobis hoc tantum ſcire , quod quadraginta diebus in deſerto fuerit , & tentabatur à diabolo.* Et quidem veriſimile eſt, quod incarnata ſapientia ( quæ *omnia diſpoſuit in pondere , numero , & menſura* ) hos à Diabolo ſpeciatim intentatos Chriſto inſultus ignotos nobis eſſe voluerit ne tamquam hujus capitis membra exanimaremur, maxime cum Chriſtus dixerit : *Si me perſecuti ſunt,& vos perſequentur.*

*Heb. 4. v. 15.*
Chriſtus graviter tentatus fuit.

*Orig. Hom. 26. in Luc.*

*Juxta Sap. 11, v. 21.*

*Joan. 15. 20.*

10. Sacer Chroniſta de Pharaone dicit : *Dixit inimicus : Perſequar & comprehendam , dividam ſpolia , implebitur anima mea , evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Similes quoque cogitationes & conſilia Dæmon in mente ſua continuo verſat, utpote qui ſemper circa noſtram perditionem procurandam eſt ſolicitus. Incipiatis velim enumerare , ſemel innumeras miſerias & oppreſſiones quas crudelis Pharao electo populo intulit , ſic enim cum Ruperto Abbate utique dicetis : *Merito in ſcripturis,merito in ore totius Eccleſiæ pro Diabolo Pharao decantatur.* D. Chryſoſtomus credere nequit quod nuntij illi , quorum unus in hiſtoria Jobi alteri ſuccedebat , perpeſſamque nunc in gregibus , nunc in armentis, mox in ſervis , denique in filijs ſucceſſivè nuntiabant jacturam, dicentes: *Evaſi ego ſolus ut nuntiarem tibi*,quod inquam nuntij illi , ad familiam Jobi pertinentes ſervi aut miniſtri fuerint;ſed potius Dæmones fuiſſe cenſet , qui in corpore aſſumpto perſonatam ſervorum diverſorum figuram effingentes , magnopere exinde delectabantur quod tam funeſta nuntia adferentes ſanctum hunc virum redigere poſſent ad deſperationem : Cujus opinionis ſuæ ſequens adducit argumentum : *Qua ratione domus , quatuor ejus latera vento quaſſante , unum ſervare poterit ? quomodo tandem unum dumtaxat, ſingulis calamitatibus quaſi eodem caſu opprimi nequiverit , ſemper ſuperſtes fuerit ?* ac tandem concludit dicens : *Nimirum ipſe eorum quæ fiebant , auctor erat & nuntius , cum enim nemo reperiatur immanior ; earum rerum negotium dare alijs verebatur.*

*Exod. 15. 9.*
Dæmon ſemper ſolicitus ut nos perdat.

*Rup. Abb. ibid.*

*Job 1. v. 15.*

*D. Chryſ. in Cat. Græc. in Job. 1.*

11. Ex Evangelio S. Matthæi conſtat , quod poſtquam ſeminato in agrum tritico , zizania demum ſuperſeminata fuere , Dominus agri non ſine cauſa dixerit : *Inimicus homo hoc fecit* ; Quia vero per hunc perverſum agricolam qui zizania ſuperſeminavit tritico , Dæmon intelligitur , merito quærendum venit , cur Dæmon hominis nomine hoc loco exprimatur ? Albertus Magnus ait : *Dicitur inimicus homo hoc facere,quia diabolus non facit , niſi in homine & cum homine.* Hugo Card. dicit,quod ſicut Scipio ob devictam & ſubjugatam ſibi & Romano imperio Africam , *Africanus* appellatus fuit, ita quoque Dæmon hominis nomen uſurpare ſibi poſſit , eo quod hominem devicerit , ſibique ſubegerit : *Dicitur homo ab homine devicto , ſicut Scipio Africanus ab Africa devicta.* Quibus addi poteſt alius modus reſpondendi , ſcilicet quod Dæmon appelletur homo ob miram Dæmonis adverſus hominem barbariem & crudelitatem , quia *homo homini lupus* ; unde quando Davidi poſt commiſſa peccata ſua optio à Deo data fuit , unum ex tribus ſibi propoſitis flagellis, fame ſcilicet, bello,& peſte eligendi,ipſe peſtem elegit dicendo : *Melius eſt mihi ut incidam in manus Domini* ; Quia ſciebat quod cadere in manus inimici, maximæ crudelitatis ſit ſignum ; porro dæmonis in hominem ſævities ex ſequenti hiſtoria ſacra eluceſcit. Hic namque ſuperbiſſimus & inſolens ſpiritus non ſolum tamquam Deus in falſis ſimulachris adorari voluit , verum etiam prætendit, ut patres proprios filios ſuos ei offerrent , eoſdem igne in illorum conſpectu comburi & in cineres reſolvi viderent, imò ut illos ad moriendum animarent : *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs* ; Qua de re Lactantius Firmianus lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 21. ita ſcribit : *O dementiam inſanabilem ; quid illis iſti Dij amplius facere poſſent , ſi eſſent iratiſſimi,quam faciant propitij ? Iſti ſemper habent voluntatem nocendi* , inquit S. Auguſtinus : *Nec ſi placentur , nec ſi rogentur deſinunt nocere velle , hoc enim malevolentiæ ipſorum proprium eſt.* Quantuſcumque enim ſanguis humanus in honorem ipſorum prodige effunderetur,ipſi tamen ſemper æque erant ſitibundi. Enimvero quod nos ſupra de rabie vulnerati bovis reſpectu hominis aut ejus ſtatuæ vel figuræ diximus : S. Baſilius pariter de alio quodam animali perhibet , dum ait : *Pardalis animal eſt homini inimiciſſimum , adeo ut quandoque in ſtadijs hominis oculos invadat præ ira , qui autem feræ furorem deludere , quærunt , hominis imaginem ei ex charta oſtendunt , illa ſtatim furibunda eam diſcerpit , & dilacerat , hoc argumento ſatis oſtendens , quanta ſit ejus adverſus hominem inimicitia. Sic item Diabolus in imagine hominem apparentem inſectatur , quando Deum ipſum attingere nequit : hinc ipſi bellum tam acre contra nos.* Quamvis invidia,furor,& crudelitas ejus non pro eo tempore , quo illum manibus communis creatoris in agro Damaſceno plaſmari vidit , initium ſuum accepit, ſed potius ab eo momento quo hominem in incarnatione verbi divinæ naturæ participem futurum eſſe per revelationem cognovit : *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, D. Chryſol. ait : *Poſtquam eſt in Dæmonem converſus ex Angelo , ne qua creatura in ſuo ſtatu conſiſteret,arte,dolis, machinis , fraude contendit* , verumtamen longe deteriora machinatur adverſus hominem,qui ſecundum Gregorium quoddam eſt omnium creaturarum compendium.

Dæmon dicitur homo ob multa.

*Matth. 13. v. 28.*

*Alb. Magn.*

*Hug. Card.*

*2. Reg. 24. v. 14.*

*Pſ. 105. v. 37.*

*Lact. Firm. l. 1 Div. Inſt. c. 21.*

*S. Aug. in Pſalm. 26.*

*S. Baſil. hom. in aliquot ſcripturæ loca.*

*Hebr. 2. v. 16*

*D. Chryſol. ſerm. 66.*

*S. Gregor.*

12. Enimvero quia ut Poëta canit : *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*,ideo licet omnes dæmones inter ſe ad inferendum nobis exitium concordes ſint & conjurarint,attamen ut refert ex plurium S. Patrum ponderatione Caſſianus : *Hoc noſſe debemus non omnes dæmones univerſas hominibus inurere paſſiones , ſed unicuique vitio certos ſpiritus incubare , & alios quidem immunditijs , ac libidinum ſordibus oblectari , alios blaſphemijs , alios iræ , furorique peculiarius imminere , alios paſſi triſtitia,alios cenodoxia ſuperbiaque mulceri,& unumquemque illud vitium humanis cordibus , quo ipſe gaudet , inſerere.*

Diverſi dæmones diverſis præſunt vitijs.

*Caſſian. l. 7. cap. 17.*

13. Quodnam in eo latere exiſtimatis myſterium, quod S. Petrus dæmonem famelico comparaverit leoni , qui ad prædam capiendam quaquaverſum diſcurrit ; *tamquam leo rugiens circuit , quærens quem devoret.* Nimirum comparationis iſtius hæc eſt ratio, quia ſicut dum leo famelicus animal quoddam obvium habet,illud

Dæmonis rabida nocendi fames.

*1. Petr. 5. 8.*



illud protinus invadit, illudque tanta cum aviditate diſcerpit,dilaniat,& devorat, ut etiam oſſa , pellem , & omnia animalis iſtius interiora per fauces in ſtomachum ſuum trajiciat : Eodem quoque modo rabida illa fames , quæ dæmonem adverſum nos extimulat , adeo eſt ingens, ut non ſolum in animam noſtram ſerociat,verum etiam in corpus & bona fortunæ debacchetur, dummodo id illi Deus permittat : *Corpus & animam perdit.* Sic enim cum huic ferociſſimo ſpiritui vix etiamnum Jobum aggrediendi poteſtas cum hac tamen reſervatione:*Verumtamen animam illius ſerva*,indulta fuiſſet,mox in eodem momento omnibus illum facultatibus, filijs & ſanitate deſpolians in ſterquilinio poſitum vermium fecit eſſe ludibrium;quibus omnibus expletis, quo ad crudelitatis ſuæ ad deteriora mala propendentis deſiderium, ſe quaſi nihil mali Jobo intuliſſe credebat , ſiquidem ait : *Extende paululum manum tuam.* D. Chryſologus diſcurſum avari illius Evangelici,cujus animam Deus in eadem nocte,qua illa loquebatur è corpore raptabat, conſiderans,in ea eſt opinione,verba illa non ab avaro iſto,ſed à dæmone linguam ejus movente prolata fuiſſe, id quod vel ex hoc indicio colligit, quia ait : *Deſtruam horrea mea*,circa quæ verba præfatus Sanctus,ita loquitur : *Evidenter apparait , qui latebat ; quia à deſtructione incipit inimicus,agit, ut quæ habes deſtruas.*

*Matth. 10. v. 28.*

*Job 2. v. 6.*

*Luc. 12. v. 18*

*D. Chryſol. ſerm. 103.*

14. Quando domus beati Jobi corruit,inquit ſacra Scriptura : *Ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus* ; circa quæ verba difficultas quædam conſurgit,ſi enim ventus hic ex una ſolum parte domum hanc inſufflavit , qua ratione fieri potuit , ut ventus ille uno eodemque tempore omnes quatuor domus angulos demolitus fuerit ? Origenes ventum hunc turbinem quemdam à dæmonibus concitatum fuiſſe cenſet , quia quilibet illorum ad haſce ruinas pro viribus certatim cooperabantur , ut in ijſdem domus ruderibus ſive ruinis totam ſepelirent Jobi progeniem ; quæ quidem opinio ex eo quod Deus apud Iſaiam proteſtatur , non modicum roboris accipit ; dicit enim Deus ibi : *Ecce ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas. Hoc eſt* , inquit S. Hieronymus , *Diabolum omnium malorum artificem , non neceſſitate naturæ , ſed mentis arbitrio.* Qualiſnam vero eſt flatus ille quem ſpirat ? *Flamma*,inquit Job , *de ejus ore egreditur* ; ubi Rupert. Abbas ait : *Flatu ſuo perſecutionum excitat incendia , quia non deſinunt perditi perdere* , ut inquit S. Cyprianus, *& depravati errorem pravitatis infundere.* Quibus omnibus ſuppoſitis S. Aug. ſe capere non poſſe profitetur , qua ratione tam negligentes , otioſi , & ſocordes eſſe non vereamur , qui tam atrocem & implacabilem inimicum lateribus noſtris proxime admotum habemus : *Peſſima*,inquit, *inſania noſtra,qui cum continue videamus contra nos draconem ore aperto paratum ad devorandum, nihilominus dormimus & laſcivimus in pigritijs noſtris, tamquam ſecuri ante eum, qui nihil aliud deſiderat, quam ut nos perdat. Inimicus ut occidat , ſemper vigilat ſine ſomno, & nos ut cuſtodiamus nos , nolumus evigilare à ſomno.* Et quidem ſi eum invenire velimus, intra noſmetipſos ingrediamur , id eſt , in penetralia cordis noſtri, nam ut S. Petr. Damianus ait : *In ipſis mentis tuæ mœnibus impie ſæviunt , in ipſa tui pectoris urbe conſligunt,& ut iſta congreſſio periculoſior videatur , in ipſa carne tua quædam quaſi perfidos ſibi commilitones inveniunt, quos in augmentum partis adſciſcunt.*

*Job 1. v. 19.*
Implacabilē inimicum debellare ſine ſocordia debemus.

*Iſ. 54 v. 16.*

*S Hieron.*

*Job 41. 12.*

*Rup. Abb. l. 2. in c. 20. Iſa.*

*S. Cypr. de Idol. vanitate.*

*S. Aug. ſoliloq. c. 16.*

*S. Petr. Damian. l 6. Ep. 8.*

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

Serpens aſtutus per inſidias nos aggreditur, nobiſque paſſim & ubique & in omnibus rebus innumeros tendit laqueos ; noſtrum quoque explorat genium , inclinationes & affectus diſquirit, & ſecundùm hos nos tentat, & in lapſum propellit.

### THEMA.

*Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Gen. 3. ℣. 1.

1. CUm vita noſtra bellum quoddam ſit continuum : *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, hinc eſt quod non ſolum manifeſti inimici inſultus , verum etiam & multo magis inſidiæ & ſtratagemata nobis timenda ſint occulta;& ideo ſicut in lib. 1. Machab. 6. v. 40. *Diſtincta erat pars exercitus Regis per montes excelſos,& alia per loca humilia,& ibant caute & ordinate*,ità & nos ad pugnas manifeſtas,& technas militares ſemper parati eſſe debemus, cum certum ſit dæmonem,ut Richardus de S. Victore monet , *contra militem Chriſti nunc pugnare ex pharetra per inſidias,nunc ante faciem ejus arma vibrare , quia alia vitia ſub ſpecie virtutum contegit , & alia, ut ſunt aperta ejus oculis objicit.* Non immerito igitur dæmon Evam decepturus ſerpentis figuram induit , quod animal aſtutiſſimum eſt,quod umquam ſuper terram creatum fuit; imò *hoc ingenio eſt*,ut Nazianz. inquit , *ut nec umquam verſutiæ ſuæ finem ſtatuat, quamdiu nos ad cœlum properantes viderit,unde ipſe dejectus eſt.* Cui accedit , quod ut S. Cyprian. ait : *Adverſarius vetus eſt , & hoſtis antiquus , cum quo prælium gerimus : Sex millia annorum jam plene complentur* ( loquitur autem Sanctus de ſuo ſæculo quo vixit,quod fuit tertium poſt Chriſtum natum ) *ex quo hominem diabolus impugnat , omnia genera tentandi & artes,atque inſidias dejiciendi , uſu ipſo vetuſtatis addidicit.* Venator practicus & miles exercitatus & veteranus,inquit S. Bernard. *Habet nequiſſimus ille laqueos ; habet & jacula , utpote callidiſſimus venator hominum , ſolum ſitiens ſanguinem animarum.* B. Laur. Juſtin. ſcriptam quamdam habet ſententiam , quæ cunctis pavorem & horrorem incutere poſſet Chriſtianis, niſi hanc audiens in cœleſte pariter auxilium ſuum haberet defixum mentis oculum, dicit enim : *Quemadmodum ſi quis ſtellas cæli, aut pluviæ guttas, ſeu arenam maris dinumerare voluerit , caſſò conſumitur labore , ita & quicumque varias dæmonum fraudes ad plenum reſerare conatus fuerit , ſupervacue deſudabit.* Quæ B. Juſtiniani ſententia bene conſonat cum eo, quod ad idem propoſitum nos quoque monet S. Auguſt. dum ait : *Ecce tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos,& omnes vias noſtras varijs replevit decipulis ad capiendas animas noſtras,& quis effugiet ?* B. Petrus Damian. de hoc venatore tartareo ita quoque ſcribit : *Multa viſcaria ſtruit , plures laqueos atque tendiculas noſtris quotidie greſſibus anteponit.* Dicit autem notanter,*quotidie*,quia hic ſpiritus non dormit,neque manducat, nec aliud quidquam facit vel cogitat, quam ut animabus noſtris inſidietur ; ſicut enim quilibet Angelum ſuum habet cuſtodem , qui illum protegit,ita quoque Angelum habet malum, qui nulli alteri rei ſtudet, quam ut illum hoſtiliter invadat,continuas illi ſtruat inſidias,& ad æternum præcipitium paulatim inclinet & perducat.

*Job 7 v. 1.*
Dæmonis verſutia ac calliditas.

*1. Machab. 6. v. 40.*

*Rich. de S. Vict. p. 2. in Cant.*

*Nazianz. orat. 40.*

*S. Cypr. ad Fortun.*

*S. Bern. ſer. 5. de S. Andr.*

*B. Laur. Juſtin. l. de diſcipl. & perfect. monaſt. converſ. c. 12.*

*S. Aug. ſolil. c. 16.*

*B. Pet. Damian. l. 1. Ep. 10.*

2. Verum enimvero quia illum velut inimicum ſuſpectum habemus , ideoque illum fugimus , perſequimur,execramur & odio habemus , ideo aſtutus ille ſerpens talem ſe eſſe diſſimulat, & tamquam amicus noſter,cæterum ſagax & perverſus , exitium & pernitiem noſtram latenter & occulte machinatur : *Nec quiſquam tam ſolers eſt*, inquit S. Greg. Nazianz. *rerum variarum architectus , quam peritus vitijs artifex eſt noſter adverſarius.* Qui artis venandi periti ſunt , juxta ferarum,quas capere nituntur,conditionem & qualitatem, ubi , & quomodo tendendi ſint laquei & retia optimè norunt. Unde Theod. ſuper illa Pſalmiſtæ verba : *In via hac qua ambulabam , abſconderant ſuperbi laqueum mihi*,ita ſcribit : *Et venantes ferarum vias inveſtigant , & illis retia parant ; hos imitatus Saül, & ea quæ Davidi obfutura erant, inſtruebat, & ubi ipſum degere intelligebat ibi inſidias parabat ; hoc etiam diabolus facit, & incedenti temperantiæ via , luxuriæ laqueum parat, ei vero qui eleëmoſynis gaudet,inanis gloriæ rete ponit : ei autem qui opes pro nihilo ducit, avaritiæ occaſiones offert,& virginitati ſuperbiam , & ut uno verbo dicam cuilibet vivendi modo laqueum venationi accommodatum nectit.* S. Greg. ſuper Pſalmos Pœnitentiales , dum verba illa quæ ſunt Pſalmi ſequentis, ſcilicet : *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam* , exponit, quoad aſtutum hunc ſerpentem ita ſcribit : *Incautos decipit , & in via hujus vitæ gradientibus laqueos tendit ; ideo Propheta ait : In via hac qua ambulabam , abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Rurſus de eo ſcriptum eſt : Abſcondita eſt in terra pedica ejus,& decipula ejus ſuper ſemitas; dum enim humanæ ſaluti invidens perdere innocentem appetit, prius ei aliquid, quod libeat, oſtendit , quod dum appetere incautus nititur , occulto peccati mucrone transverberatur.* Nimirum eſcam vel hamo inſerit,vel laqueo,ut ſive tamquam aves,ſive veluti piſces ineſcati ſibi in prædam cedant; demum verò qualis hæc eſca ſit,his verbis declarat : *Quaſi eſcam in muſcipula, lucrum in culpa ponit , ad quod dum aviditatis amore viator inhiat , ex improviſo eum peccati laqueus ſuffocat.*

Simulatus amicus Dæmon.

*Nazianz. orat. 28.*

Aſtutus venator.

*Pſ. 141. v. 4.*

*Theodor. ibid.*

*Pſ. 142. v. 3.*

*S. Greg ibid.*

*Job 18. 10.*

3. In antiquis hiſtorijs de Carthaginenſi quodam belli duce legitur , quod de quibuſdam militibus Africanis , qui ei rebelles facti obedientiæ jugum,quo ei ob-

Hiſtoria.

obſtringebantur, excuſſerant, ſequenti ſtratagemate glorioſam reportarit victoriam: Etenim quia illos vini avidos eſſe probe noverat, multa vaſa vino adimpleri, eique herbæ cujuſdam quæ ſomni eſt conciliativa, ſuccum admiſceri, ac demum caſtris ſuis in magna quantitate inferri juſſit; cunctiſque rite diſpoſitis,in apertum campum egreſſus, ſe cum illis pugnam adoriri velle callide ſimulavit; cumque in primo congreſſu ſtudioſe fugientem per longum terræ ſpatium inſectati fuiſſent, tandem retrogreſſi hoſtilia caſtra occuparunt,& inventa ingenti vini annona,tamquam de obtenta victoria lætantes, vino liberaliſſime indulſerunt, ac demum profundiſſimo ſomno ſepulti, poſito omni metu feſſa membra refocillarunt; cum ecce dictus belli Dux, qui una cum exercitu ſuo fugam ſimularat,cum eodem reverſus,omneſque profunde dormientes reperiens, membratim ac minutim illos conſcidit. Simili quoque ſtratagemate juratus inimicus noſter utitur; ſciens namque quod *vinum lætificat cor hominis*, quodque bonorum temporalium, honorum, voluptatum, divitiarum, aliarumque rerum ſimilium avidiſſimi ſimus, in præſenti delectationis occaſione huic vino herbam venenoſam, id eſt, ſuggeſtionem ad peccatum vehementer ſolicitantem immiſcet, hacque ratione victoriam adverſum nos facillime obtinet. Legatur obſecro quid Sacra Scriptura populo Lais accidiſſe referat, eſt enim præſenti propoſito haud inopportuna hiſtoria; Dicit igitur ſacer textus: *Sexcenti viri venerunt in Lais, ad populum quieſcentem atque ſecurum,& percuſſerunt eos in ore gladij,urbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præſidium*; Et quidem hæc unica cauſa eſt,cur ſancta mater Eccleſia ordinarit,ut ante imminentem noctem,priuſquam nos nocturnæ committamus quieti, hæc verba publice à Clericis recitentur: *Sobrij eſtote & vigilate, quia adverſarius &c.* Porro quænam ſit hujus ſerpentis ſuggeſtio D. Chryſologus his verbis nobis inſinuat dicens: *Tentatio eſt ſpecies fallens, quæ proſpera in adverſis, adverſa occultat in proſperis, humanamque ignorantiam doloſos educit in lapſus.*

Hujuſcemodi ſtratagemata utitur Dæmon.

Judic. 18. v. 27.

D. Chryſol. ſerm. 71.

Doloſi laquei deteguntur.

S. Ambr. l. 4. in Lucam cap. 4.

4. Enimvero ſancti Patres qui magno Dei lumine fuêre illuſtrati, omnes hujus ſerpentis doloſos laqueos diſcernere,nobiſque detegere potuerunt. Et quidem S. Ambroſ. ait: *Multi laquei,quacumque progredimur,laquei in corpore, in lege, laquei in pannis templorum,crepidinibus parietum tenduntur à Diabolo, laqueus in Philoſophis,laquei in cupiditatibus, oculus enim meretricis laqueus eſt peccatoris,laqueus in pecunia, laqueus in religione,laqueus in ſtudio caſtitatis.* Salv. noſt. de hoc adverſario cum Apoſtolis ſuis differens,luctaſque quibus ab eo infeſtandi erant, prædicens,myſtico hoc uſus eſt loquendi modo: *Ecce Satanas expetivit ut cribraret vos.* Cujus phraſeos S.Bernard. hanc reddit rationem: *Sicut enim in cribro multa foramina ſunt,ita Diabolus cum multiformis ſit, ſe homini applicando, mille modos tentandi habet,quia quot ſunt vitia, tot utitur varijs modis ad tentandum. Unde ſecundùm* S. Aug. *Diabolus plenùs eſt incentivis vitiorum, ideo toto conamine ſe applicando, nititur animas ſuis incendijs inflammare.*

Luc. 22. v. 31.

S. Bern. T. 3. ſerm. 2. Art. 1. c. 4.

S. Auguſt.

5. In Jobo dicitur: *Tigris perijt, eo quod non haberet prædam*, quam propoſitionem S. Greg. Papa ad propoſitum noſtrum ſequentibus verbis diſcutit, & explicat; Dicit enim: *Satan & per crudelitatem Leo dicitur,& propter multiformis aſtutiæ varietatem, non incongrue tygris vocatur, modo enim ſe, ſicut eſt perditus humanis ſenſibus objicit, modo ſe Angelum lucis oſtendit, modo ſtultorum mentibus blandiendo perſuadet, modo ad culpam terrendo pertrahit, modo ſuadere vitia aperte nititur, modo ſuas in ſuggeſtionibus ſub virtutis ſpecie palliatur. Hæc bellua quæ tanta varietate reſpergitur, jure tygris vocatur,quæ apud ſeptuaginta Myrmicoleon dicitur, quod videlicet animal abſconſum pulvere formicas frumenta geſtantes interficit, quia nimirum apoſtata Angelus in terram de cœlis projectus juſtorum mentes, quæ bonorum ſibi operum refectionem præparant, in ipſo actionis itinere obſidet, cumque eas per inſidias ſuperat, quaſi formicas frumenta geſtantes improviſus necat.* Idem quoque S. Doctor alibi inſidiarum Dæmoniacarum varietatem his verbis manifeſtat: *Alijs*, inquit, *guſtum ſuæ dulcedinis per ſuperbiam,alijs per avaritiam, alijs per invidiam, alijs per fallaciam, alijs per luxuriam porrigit, & ad quanta vitiorum genera pertrahit, quaſi tot ſuæ dulcedinis potus propinat.*

Job 4. v. 11.

S Greg. l. 5. mor. cap. 17.

Dæmon ob nocendi varietates tigris nuncupatur.

S Greg. l. 15. moral. c. 28.

6. S. Ant. de Padua ad id ſe reflectens; quod Salvator noſter de Dæmone dicit, videlicet: *Ambulat per loca inaquoſa*, ait: Diaboli ambulatio nihil aliud eſt,quam ipſius tentatio, juxta illud,quod ipſemet Diabolus apud Jobum ait: *Circuivi terram & perambulavi eam:* Qua vero ratione idipſum in ſenſu ſpirituali intelligendum ſit; ſequentibus verbis declarat,dum ait: *Diabolus primo terram, id eſt mentem hominis circuivit, id eſt, ſubtiliter diſquirit, cui vitio magis ſit applicabilis, & poſtea eam perambulat, quia ſecundùm quod viderit vincibilem, quemlibet tentat.* B. Laurent. Juſtin. oculos animæ ſuæ valde à Deo illuminatos circumquaque circumvolvens; paſſim per omnia loca laqueos à Dæmone tenſos vidit; Dicit enim: *Ubique ad capiendas animas retiacula tendunt; in divitijs & paupertate, in ſublimitate honoris; & in mundi contemptu; in voluptatibus carnis,& auſteritate pænitentiæ, in crapula & ſobrietate; in rerum affluentia; & parcitatione victus; in loquacitate & ſilentio; in nitore & ſordibus; in lætitia & fletu; in adminiſtratione temporalium, & remotione quieta in libertate & ſubjectione; in labore & otio; in occulto & publico; In ſolitudinibus & civitate; in debilitate & corporis ſoſpitate;in vigilijs & torpore;in gloria & ignobilitate; in infamia & favoribus humanis; & ut paucis univerſa comprehendam,nullus eſt locus, nulla actio, nullaque perſona, quæ ab ipſorum deceptionibus libera exiſtat, quoniam nequeunt excludi parietibus, nec placari precibus,neque terroribus coërceri.*

Ubique tendit laqueos. Lucæ 11. 24.

Job. 1. 7.

S. Ant. de Padua ſer. 2. in Dom. 3. Quadr.

B. Laur. Juſtinian. de cont. mundi c. 18.

7. Trita admodum ſunt illa S.Aug. verba: *Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam; nuces puero demonſtrantur, & trahitur, amando trahitur;* Quem eumdem modum inſidioſus ſerpens obſervat, ſiquidem genium, inclinationes & affectus noſtros explorat, porrigitque unicuique id quod deſiderat,ut illum in retia ſua pelliceat & trahat. Catilina ſuam adverſus Romanam rempublicam conjurationem ordiri volens, ut ſectatores ſibi conciliaret, Civium Senatorumque hinc inde explorabat inclinationes, ac tum demum ſuperbis dignitates, theſauros avaris, carnalibus voluptates promittendo, uniuſcujuſque ſibi captivare nitebatur voluntatem; ſic quoque ait Author operis imperfecti: *Diabolus deſiderium uniuſcujuſque conſiderat, & ſecundùm quod viderit hominem deſiderantem aliquid ex eo accipit occaſionem tentandi.* Nautæ maritimi priuſquam à littore ſolvant, prius fundum aquarum explorare conantur, ſi forte loca arenoſa aut ſcopulos ad quos allidere poſſint, offendant: ſic quoque *Non ſimpliciter adoritur ille prædo*, inquit S.Iſidor. Peluſ. *eos qui hoc tempeſtatis plenum mare navigant, verum explorat prius, atque cognitis animæ propenſionibus & appetitionibus, ita demum aggreditur.* Idem quoque quæſtionem hanc excitat, cur ſcilicet Diabolus Judam de libidine non tentarit, ſed potius illum ad Magiſtri ſui infamem traditionem induxerit? Et reſpondet: *Nimirum quia partem illam præſidijs firmatam videbat, eam autem, quæ ad avaritiam pertinebat, infirmam & imbecillem, ex crumenæ enim furto in ſpem venit fore, ut ad proditionem quoque facile ſe conferret.* Similiter Salvatorem noſtrum ut è pinnaculo templi ſe demitteret ſuggeſtione ſua inſtigavit dicens: *Mitte te deorſum.* Cur autem non potius eum ut in cœlum ſe libraret, tentavit, quod utique multo futurum fuiſſet prodigioſius miraculum? Nimirum verſipellis Lucifer Chriſtum in humilitate ſuique ipſius contemptu fundatum eſſe ſciebat,utpote qui dixerat: *Diſcite à me quia humilis ſum*, ideoque facilius ſibi futurum eſſe prævidebat, ut ei deſcenſum, quam in ſublime elevationem ſui perſuaſurus eſſet. Celebris quoque eſt illa S. Macharij viſio, qui cum Dæmonem multis vaſis vitreis onuſtum ante cellam ſuam obvium, quidnam cum illa vaſorum multitudine facturus eſſet, interrogaret is in procinctu ſe eſſe reſpondit, ut vaſa illa Monachorum ſuorum congregationi adferret, *ut pro cujuſque guſtu ſingulis offerret ſingulas peccati illecebras*; Denique S.Bern. in ſerm. quodam *de modo bene vivendi*, inquit: *Diabolus quando decipere aliquem hominem quærit, prius naturam uniuſcujuſque hominis intendit, & inde ſe applicat,unde videt hominem aptum ad peccandum,*nam ut S.Iſidorus ait: *Amplius tentat Diabolus hominem ex parte illa, qua eum videt per exceſcentem humorem facile inclinari ad vitia, ut ſecundùm humoris conſperſionem adhibeat & tentationem, ſicut ille qui aquam deducit, non eam per aliam partem mittit niſi ubi eam melius currere cognoſcit.* Eadem quoque eſt doctr. S.Gr. M. in ſuis moralibus,ubi hoc idem Dæmonis ſtratagema ſequentibus verbis manifeſtat: *Intuetur*, inquit, *inimicus generis humani uniuſcujuſque mores, cui vitio ſint propinqui,& illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcit facilius inclinari mentem,*

S Aug. Tr. 8. in Jo. c. 6.

Cujuſque explorat genium ut alliciat ad culpam.

Auth. oper. imperf. Hom. 49.

S. Iſid. Pel. l. 3. Ep. 385.

Idem ibid.

Matth. 4. v. 6.

cap. 11. v. 29

In vit. Patrum. l. 3. n. 61.

S. Bern ſerm. 67. de modo bene vivendi.

S. Gr. Hom. 24. mor. c. 7.



*ut blandis ac lætis humoribus ſæpe luxuriam, nonnumquam vanam gloriam: aſperis vero mentibus iram, ſuperbiam vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, ubi eſſe ſemitam mentis conſpicit,quia illic periculum deceptionis inſerit, ubi viam eſſe invenit propinquæ cogitationis.* Sanct. Bonaventura in ſuis ſoliloquijs capite primo. Varia pariter Dæmoni uſitatas aſtutias exponit dicens: *Mira calliditate omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi ſemper quærit cauſas nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſius occupari,*citatque authoritatem Sancti Leonis ſerm. 7. de Nativitate dicentis: *Novit hic hoſtis antiquus,ab initio humani generis inimicus; cui illecebras gulæ ingerat,cui virus invidiæ infundat,cui blandimenta luxuriæ objiciat, cui vana ſuperbiæ incitamenta promittat: novit quem metu opprimat,quem gaudio fallat, quem admiratione ſeducat. Habet etiam aliquos ſibi obligatos, quorum ad alios decipiendos ingenijs utitur & linguis.*

S Bonav. T. 7. in ſoliloq. c. 1.

S Leo ſer. 7. de Nativ.

8. Adhæc dæmon non ſolum inclinationes noſtras ſagaciter explorando nobis inſidiatur, verum etiam ſub ficta amicitiæ ſpecie nos traditorie & fallaciter circumveniendo decipit. Joab Amaſam familiariter ſalutans dixit ei: *Salve mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum*, & tamen occulto pugione viſcera ejus transfodit: Ita quoque Hugo Cardinalis dæmonem hunc traditorem eſſe ait, *qui ſub ſpecie oſculi interficit animam.* Nec deſunt egregij Authores,qui ſerpentem in ſpecie venuſtiſſimæ virginis Evæ apparuiſſe aſſerant, ut hac eam illecebra tanto magis ineſcaret. *Amicitiæ identidem ſpecie*, inquit D.Chryſoſtomus,crudelitatis venenum ejaculatur. Hugo Card. circa illa Pſalmiſtæ verba: *Turris fortitudinis à facie inimici*, notat,quod Pſalmiſta turris hujus fortitudinem nequaquam in tormentorum vel baliſtarum bellicorum machinis conſiſtere dicat: *Non dicit à machinis, ſed à facie, quia Diabolus plures decipit blanditijs, quam terroribus.*Unde inter cætera S.Greg.Naz. poëmata, hi verſus leguntur:

Amicum ſe ſimulat ut Joab.

2. Reg. 20. v. 9.

Hugo Card. ibid.

Pſ. 60. v. 4.

D Chryſoſt. Hom. 10. ad Rom.

Nazianz. in Carmin. varijs.

*Porro forma duplex illi, verſutaque mens eſt*
*Nunc etenim hunc, illum nunc, laqueumque parat;*
*Caligo ipſe quidem eſt denſiſſima, ſi tamen illud*
*Agnoſcat, lucem protinus aſſimilat.*
*Leniter ac ridens demulcet corda; Cavebit*
*Qui ſapiat, tenebras lucis adire loco.*

9. Nicetas ejuſdem Nazianzeni perpetuus commentator illa Pſalmiſtæ verba: *Sicut novacula acuta feciſti dolum*,ad propoſitum noſtrum præſens explicat,dicens: *Hoc eſt callidum & fraudulentum conſilium animo concepiſti. Novacula comam facile demetit. Hoc autem Davidis dictum in diabolum quoque retorqueri poteſt. Ut enim novacula apprime exacuta ita comam abſcindit, ut qui raditur, nihil ſentiat, ſic etiam diabolus qua eſt calliditate atque verſutia, dolos ita machinatur, ut animæ gratiam, hoc eſt, virtutem & ſcientiam detondat, ut ea ſibi hæc ornamenta detrahi non ſentiat. Tantum* enim *abeſt*, ut multi ex jactura Dei & amiſſione gratiæ & amicitiæ ipſius affligantur & doleant, ut potius à dæmone faſcinati exinde rideant, majuſque gaudium concipiant.

Pſ. 51. v. 4.

Niceta in Orat. 40. Nazianz.

Gratiam Dei aufert ſine advertentia.

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Dæmon contra nos fortis efficitur per arma inordinatorum appetituum noſtrorum, quæ ipſi ſubminiſtramus, quibus ipſe in noſtram utitur pernitiem.

### THEMA.

*Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentijs veſtris quæ militant in membris veſtris?* Jacob 4. ℣. 1.

Concupiſcentia noſtra ac curioſitas dæmoni vires miniſtrat.

1. ECce tibi hic rationem quamdam irrefragabilem,ex qua prælium & certamen interius quod cum nobiſmetipſis & cum inimico infernali gerimus, nullum,quoaduſque vivimus, finem habere manifeſte convincitur, quia hæc bella procedunt ex concupiſcentijs noſtris; arma autem quæ continuam luctam hanc fovent,ſenſus ſunt,& appetitus noſtri: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Et ideo S.Bruno Carthuſianæ ſolitudinis Patriarcha ſecuros nos eſſe jubet, quod Dæmon nullam in nos partem nullumque jus habeat, niſi id ei à nobis ſponte propria concedatur: *Nullum jus habet diabolus in humana natura: Deus & non diabolus hominem fecit: Dei itaque juris eſt homo, ipſe debet regnare in nobis, ipſe debet poſſidere membra noſtra;* Verumtamen quænam eſt cauſa quod monſtrum illud infernale,hoc non obſtante, toties adverſum nos prævaleat? Audite ad hoc reſpondentem eumdem ſanctum; Dicit enim: *Apoſtolus ait: Nō ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus;* Dum enim nos propriæ concupiſcentiæ noſtræ ſubjicimus, dum appetituum noſtrorum mancipia efficimur, noſtriſque ſenſibus prompte obedimus, quid aliud facimus, quam quod dæmoni,ut adverſum nos prævalere poſſit, arma offenſiva validiſſima ſubminiſtremus? Et quidem notandum eſt quod ſanctus Paulus poſtquam dixiſſet: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs ejus*, ſtatim immediate ſubjungat: *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Circa quem textum S. Ambroſius ait: *Oſtendit diabolum noſtris nos jaculis impugnare, occaſio datur illi per peccata noſtra, ut deſerente nos Deo, accepta poteſtate illudat; & mortificet nos; Ideo membra noſtra ab omni opere iniquitatis continere debemus, ut inimicus noſter inermis inventus ſubjiciatur.* S.Gregorius Nazianzenus pariter nos monet, ne huic inimico noſtro arma quibus nos impugnet ſubminiſtremus, dicens: *At nobis circa occultum & internum hominem curatio omnis & ſtudium verſatur, atque cum eo hoſte dimicandum habemus; qui nos interne oppugnat & certamine laceſſit;* ſed quibuſnam armis adeo ſit vigoroſus & fortis? *Nobis ipſis (quo nihil miſerius eſt) tamquam armis in pernitiem noſtram utens*, adeoque diabolus nos ipſos adhibet, velut omnium malorum noſtrorum artifices; Quod S.Iſidorus conſiderans ait: *Diabolus non eſt immiſſor, ſed incenſor potius vitiorum; neque enim alibi concupiſcentiæ fomenta ſuccendit, niſi ubi prius pravæ cogitationis delectationes aſpexerit.* Verum quidem eſt; quod ſuum ſemper inferni ignem ſecum ferat, verumtamen illo vel minimum animas fideles uſtulare,aut fumo aliquo offuſcare nequaquam præſumeret, niſi prius aliquam hujus ignis præviam ſcintillam in eiſdem præſentem deprehenderet; noſtram quidem ſuccendit concupiſcentiam, ſed per hujus vel illius laſcivi & ſæpe à principio curioſi tantum obtutus favillam, noſtra enim curioſitate utitur ad accendendam in pectore noſtro ardentem quamdam ignis infernalis fornacem.

Gal. 5. v. 17.

S. Bruno de ornat. Eccl. c. 4.

Rom. 6. v. 12.

Ibid.

S. Ambr. ibid.

Naz. or. 1.

S. Iſidor. l. 3. ſent. c. 3.

2. Sanctus Gregorius Magnus ſuper illa verba Jobi: *Qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan*,inquit: *Leviathan interpretatus dicitur additamentum eorum; quorum niſi hominum?* At vero quonam modo fit per ſuſcitationem hujus beſtiæ hoc additamentum? Hoc idem ſanctus Doctor exponit, dum ſubjungit: *Recte autem additamentum eorum dicitur, quia poſtquam primam culpam mala ſuggeſtione intulit, hanc quotidie augere gravioribus perſuaſionibus non deſiſtit;* Id quod ſequenti ſimilitudine fiet manifeſtius: ſicut enim homo ſylvam exſcindere volens, ſi ſolum ſecuris ferrum ſine manubrio habeat, nihil efficere prævalet, quantumvis ſit ſagaciſſimus: at vero ſi vel modicum ſylvæ illius lignum ad faciendum ſecuri ſuæ manubrium obtineat, hoc unicum ei ſufficit & deſiderabatur ut totam ſylvam paulatim exſcindere poſſit: Eodem prorſus modo Dæmon quantumvis ſit ſpiritus ſagaciſſimus ſola tamen perverſæ nobiſque continuo inſidiantis voluntatis ſuæ malitia, quæ eſt veluti quoddam ſecuris ferrum ſine manubrio, virtutum noſtrarum ſylvam exſcindendo nobis nequidquam nocere poterit: at vero ſi aſtutus hic ſerpens ab anima vel corde noſtro vel minimum affectum inordinatum obtinuerit, ex hoc ſecuris ſuæ ferro manubrium fabricabit, quo deinceps utendo affectum hunc paulatim ſic adaugebit, ut animam noſtram ſui juris faciens, quidquid in illa virtutum gratiarum, donorumque cœleſtium repererit,facili negotio extirpare & totaliter ſuccindere poſſit.

Job 3. v. 8.

S. Greg. l. 4. c. 13.

Securis ferro addit manubrium malitioſa noſtra voluntas ad exſcindendas virtutes in anima.

3. Idem S. Gregorius verba illa Jobi: *Stringit caudam ſuam quaſi cedrum*, exponens, de hoc humani generis inimico ita ſcribit: *Primum quidem Serpentis ſuggeſtio mollis & tenera eſt, & facile virtutis pede conterenda, ſed ſi hæc invaleſcere negligenter permittitur, eique ad cor aditus licenter præbetur, tanta ſe virtute exaggerat, ut captam mentem deprimens, uſque ad intolerabile robur exceſcat. Caudam itaque quaſi cedrum ſtringere dicitur, quia ſemel ejus in corde recepta tentatio, in cunctis, quæ ſubſequenter intulerit, velut ex jure dominatur.* Idem ſerpens tametſi à Moyſe *callidior cunctis animantibus terræ* eſſe dicatur, numquam tamen Evam primam parentem noſtram in illam miſeriarum abyſſum proſternere potuiſſet, niſi in ipſa & in male ordinato oculi & guſtus ejus appetitu aliquam reperiſſet correſpondentiam; Dicit enim ſcrip-

Job 40. v. 12.

Infernali ſerpenti nec minimus concedendus in cor aditus.

*Gen. 3. v. 6.* ſcriptura : *Vidit igitùr mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile.* Rupertus Abbas ſuper Cantica ſcribens ita pariter inquit : *Serpens decepit me & comedi ; non ibi ſurrexit ut impugnaret , ſed ſerpendo ſibilavit , ut deciperet ; vires quippe non habebat , priuſquàm conſenſum voluntarium præberet ei mulier.* Sanctus Bernardus quoque teſtimonium adducens ſancti Auguſtini ita ſcribit : *Teſtatur Beat. Auguſtinus , quod nequaquam tentator hominem de Paradiſo ejeciſſet , niſi aliqua elatio in animam hominis præceſſiſſet.* Idem ſanctus Bernardus in alio quoque loco ſecuros non eſſe jubet, quod Diabolus in tantum in nobis aditum inveniat , in quantum noſmetipſi ei ſenſuum noſtrorum aperimus portam : *Intrat*, inquit, *ſagitta Satanæ per januas , oculorum uſque ad animam. Unde Propheta : Aſcendit* inquit *mors per feneſtras, ingreſſa eſt domos noſtras* ; Sed quo modo id obtinuit ? *Non intrat ſagitta Diaboli ad interiora mentis, niſi per ſenſus corporis.*

*Rup. Abb. l. 4. in Cant. 6. 5.*

*S. Bern. in l. ſent.*

*S. Bern. ſerm. 59. de modo bene vivendi.*

*Jer. 9. v. 21.*

Aditum in illo non habet qui paſſiones domat.

4. Quodnam obſecro in eo latet myſterium , quod Dæmon verſipellis ille omnigenarum fraudum artifex , Adamum , qui prima totius humani generis radix erat præcipitare volens , non ipſum directe & immediate aggreſſus fuerit , ſed prius tentaverit Evam ? Pro reſolutione ſciendum eſt , quod dum Adamus Evam juxta ſe poſitam primitus cerneret hoc eam nomine appellaverit : *Caro de carne mea , Erunt duo in carne una* ; Ecce igitur tibi nunc patefactum myſterium ; Nimirum ut exinde diſceremus , quod Dæmon ut per pravas ſuggeſtiones ſuas aliquem in animam noſtram aditum habere poſſit , carnis noſtræ ſubſidio ſemper uti ſoleat : *Nonne ex concupiſcentijs veſtris ?* Quamobrem Evam tentaturus , illam non eſt aggreſſus per ſuggeſtionem internam ; ſed per tentationem exteriorem , ſerpentis ſibi figuram aſſumendo , & familiares cum illa miſcendo ſermones cum tamen, ut unuſquiſque in ſeipſo quotidie experitur , nobis numquam exterius per ſpecies viſibiles appareat , ſed interiori ſemper tentatione utatur ? Facilis ad hoc eſt reſponſio , ſi conſideretur , quod Dæmon in illo innocentiæ & originalis juſtitiæ ſtatu, hominem interius tentare non poterat, quia ſenſus rationi perfectæ ſubjectus erat; neque appetitus pro illo tempore optime ordinatus motum aliquem rectitudini illi quæ huic imperturbabili ſtatui annexa erat, contrarium excitare poterat , ac proinde Albertus Magnus dicit : *Suggeſtio Dæmonis interior competit ſenſualitati corruptæ.* Unde Lucifer Chriſtum per ſuggeſtionem internam tentare noluit , quia cum illum filium Dei , vel certe raræ cujuſdam ſanctitatis virum eſſe ſuſpicaretur , ſe nullum in ipſum aditum habiturum eſſe ſciebat , ſicut nec ut plurimum aditum aliquem obtinere poteſt in animas illas, quæ proprias paſſiones aſſidue domant, perfectumque in ſenſus ſuos dominium obtinent.

*Geneſ. 2. 28.*

*1. Cor. 6. 16.*

*Jac. 4. 1.*

*Alb. Magn.*

Dæmon ſecreta corda non novit.

5. Sanctus Auguſtinus Dæmonem cogitationes & deſideria, quæ in corde noſtro volvimus , neutiquam videre , ſed ſolis conjecturis eas aſſequi poſſe dicit , per quas nos infeſtandi occaſionem venatur : *Internas animi cogitationes Diabolum non videri certi ſumus, ſed motibus eas corporis ab illo & affectionum indicijs colligi , experimento didicimus : ſecreta autem cordis ſolus ille novit, ad quem dicitur : Tu ſolus noſti corda filiorum hominum. Non omnes malæ cogitationes noſtræ ſemper Diaboli inſtinctu excitantur , ſed aliquoties ex noſtri arbitrij motu emergunt.* Dæmoni autem ad magnum quoddam in nobis excitandum incendium parvam quamdam ſcintillam in nobis accenſam videre ſufficit, quia *halitus ejus prunas ardere facit.* Idem quoque ſanctus Doctor de Chriſtiani hominis certamine diſſerens , inquit : *Multi dicunt : quomodo poſſumus vincere Diabolum , quem non videmus ? ſed habemus magiſtrum, qui nobis demonſtrare dignatus eſt , quomodo à nobis inviſibiles hoſtes vincantur* , qui à ſancto Paulo ad Coloſſenſes cap. 2. v. 15. dicitur *expolians principatus & poteſtates.* Demum vero modum nos docet idem ſanctus quo inſultus Dæmonis vincere , ejuſque inſidias & technas deridere valeamus , conſiſtitque hic modus in eo præcipue ut vincamus noſmetipſos : *Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis inviſibiles poteſtates, ubi vincuntur inviſibiles cupiditates , & ideo qui in nobis ipſis vincimus temporalium rerum cupiditates , neceſſe eſt ut in nobis ipſis vincamus , & illum qui per ipſas cupiditates regnat in homine.* Id quod D. Chryſoſtomus in generoſis illis militibus & victoribus exemplificat , qui in Eremis conſtituti contra Dæmonem & ſeipſos pugnantes ſemper vincunt : *In prælio quotidie ſunt, cum quotidie adverſarios ſuos , & inſidiantes nobis cupiditates mirabili victoria fundant, fugent, humique proſternant.*

*S. Aug. T. 3. l. de Eccle. dogmatib.*

*Job. 41. v. 12.*

*S. Aug. T. 3. de Agone Chriſt. c. 1.*

*Col. 2. v. 15.*

*D. Chryſoſt. Hom. 70. in Matth.*

Ubi Dæmon cupiditatē invenit, vincit.

6. Neſcio profecto an aliquando facilitatem illam conſideraveritis , qua Dæmon Adamum in Paradiſo terreſtri è ſtatu tam ſublimi , de quo David inquit : *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis , gloria & honore coronaſti eum &c.* in terram dejecit, cum tamen uti ſuperius in Diſcurſu ſecundo ex mente Origenis diximus , idem Lucifer cum ſecundo Adamo per quadraginta dies pugnaverit , nec quidquam contra eum obtinere potuerit. Scitiſne diſcriminis iſtius rationem ? Nimirum nullam in Chriſto machinis ſuis invenit correſpondentiam , aut ſubſidium : *Unde bella ... ? nonne ex concupiſcentijs veſtris ?* S. Ambroſius ait : *Videte rem miram in Paradiſo cum Adam diabolus decertat : in deſerto cum Chriſto Diabolus dimicat ubique inſidiatur homini , ubique congreditur , ſed ubi mulierem invenit, vincit* ; addi poteſt, ubi carnem & ſenſualitatem ejus invenit aditum ſibi & ſubſidia præbentem , ibi ſibi victoriam utplurimum promittit.

*Pſ. 8. v. 6.*

*Jac. 4. 1.*

*S. Ambroſ. ſerm. 39.*

Concupiſcentiæ noſtrę Dæmoni dant lucem.

7. S. Auguſtinus de tentatione Dæmonis diſſerens , in tantum illam contra nos prævalere poſſe dicit, in quantum effrænes concupiſcentiæ prævalent & prædominantur in nobis : *Cujus tamen*, inquit, *niſi ille qui tentatur dederit locum , inanis tentatio & irridenda repellitur* ; Unde Apoſtolus monet dicens: *Nolite locum dare Diabolo* ; quonam vero modo ei locus detur , aut recipiatur , mox explicat, dum ait : *Dant autem homines locum Diabolo ex concupiſcentijs ſuis. Non enim vident homines Diabolum cum quo pugnant , ſed facile habent remedium. Seipſos interius vincant , & de illo foris triumphant.* Ne quidem S. Paulus à tentationibus immunis fuit, ſiquidem ipſemet de ſe dixit : *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ , Angelus ſatanæ, qui me colaphizet* , at vero ut inviſibilem hunc inimicum glorioſe vinceret, hoc unice curavit, ne ullum illi præberet ex parte ſua ſubſidium , quin potius carnem ſuam ſpiritui perpetuo ſubjiciebat: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo.* Nec eſt quod ictus hoſce inanes aut in aëra vibratos fuiſſe quis ſibi forte perſuadeat ; nequaquam enim tales fuere , ſed ſinguli poteſtates infernales graviter feriebant : *ſic pugno non quaſi aërem verberans.*

*S. Aug. ſerm. 71. de temp.*

*Epheſ. 4. v. 27.*

*2. Corint. 12. v. 7.*

Vide pauli remedium.

*1. Corint. 9. v. 27.*

*Ibid. v. 26.*

8. His quæ hactenus dicta fuere ipſemet Salvator noſter, perſpicuum teſtimonium perhibet, dum Satanæ fulguris nomen attribuit, dicens : *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem* ; Etenim ipſamet experientia teſte videmus, quanto terrore fulgura etiam viros fortiſſimos percellere ſoleant, quantaque damna terræ inferant , dum etiam turres munitiſſimas ſæpe evertunt ; Et quidem tametſi etiam terra de maximis ruinis, quas à fulgure recipit, lamentari vellet , fulgur utique in ſui defenſionem, ipſammet terram unicam ſui cauſam eſſe, jure merito reſpondere poſſet, quia revera terra eſt quæ vapores & exhalationes ſuas in mediam aëris Regionem tranſmiſit, quæ ibidem à frigore condenſatæ, & intra nubes conſtrictæ , ac demum ex continuo motu accenſæ , nubes dirumpunt , iiſque ruptis natum inde fulgur cum ingenti fragore & ſtrepitu, in eamdem terram, unde natum eſt, violentiſſime recidit : Et profecto idem quoque Dæmon jure merito dicere poſſet animæ ſi contra ipſum lamentari vellet , quod ab ipſo concuſſa & ad ipſum uſque perditionis barathrum protracta fuiſſet. *Unde bella...? nonne ex concupiſcentijs veſtris ?* Hæ enim ei in cor ejus liberum patefecerunt aditum, hæ arma aliaque opportuna ſubſidia illi ſubminiſtrarunt, adhærendo voluptatibus, lucris , & gloriæ mundanæ quam is ei liberali manu offerebat , utpote quam omnium illorum avidam eſſe præcognoſcebat. Dæmon quidem arcte nos ligat , ſibique adſtringit, ſed ligaminibus & vinculis talibus, quæ mire nobis placent, quæque in nobiſmetipſis, invenit, aut vero à nobis accipit : *Nam funibus peccatorum ſuorum* unuſquiſque *conſtringitur.* Et ut S. Ephrem ait : *Ut cum vinculis proprijs oblectetur , perpetuo maneat in ſervitute, quamobrem jucunda cuique injicit vincula , ut in iis libentius conquieſcat.* Et ideo S. Auguſtinus ait : *Quis effugiet ? laqueos poſuit in divitijs , laqueos tetendit in cibo, in potu , in voluptate, in ſomno* ; Quæ omnia mire nobis placent, magnoque ſtudio à nobis procurantur.

*Luc. 10. v. 18.*

Proprios damus Dæmoni laqueos, ut terra ad fulmen vapores.

*Jac. 4. 1.*

*Prover. 5. v. 22.*

*S. Ephrem de ling. morbo.*

*S. Aug. ſoliloq. c. 16.*

Cōfirmatur.

9. S. Auguſtinus poſt feliciſſimam converſionem apertis animæ oculis hæc omnia veriſſima eſſe libenter agnoſcebat ; Unde ait : *ſuſpirabam ligatus non ferro alieno , ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus,*

*S. Aug l. 8. Confeſſ. c. 5.*



*inimicus , & inde mihi catenam fecerat , & conſtrinxerat me ; quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini , facta eſt conſuetudo , & dum conſuetudini non reſiſtitur , facta eſt neceſſitas.* Procopius de Serpente qui Evam tentavit, diſſerens , obſervat , quod quia Eva ante tentationem , peculiari quodam genio & inclinatione in hoc animal ferebatur, Diabolus eamdem aliquam ſecum ſympathiam habere animadvertens opportune eadem veluti fraudum ſuarum inſtrumento uſus fuit : *Diabolus haud nobis nolentibus peccatum ingerere poteſt , ſed ut aliquod promoveatur , utitur affectibus nobis inſitis , inſtar mali conſiliarij , & ſic nos in peccatum pertrahit.* Sicut enim in corpore noſtro ſemper humor aliquis præſto eſt , qui in illo quatuor elementorum mixto prędominans aliquam in eo cauſat indiſpoſitionem: ſic quoque in inferiori animæ portione ſemper eſt aliqua inclinatio vel appetitus incompoſitus , quo anguis ille inſidioſus familiariter uti novit. Unde S. Joannes Climacus de gradibus Paradiſi tractans ita loquitur : *Quales nos Dæmones deprehendunt, tales & ipſi erga nos ſe gerunt, & quales in nobis cogitationes reperiunt , tales ipſi nobis imagines & formas ſubjiciunt.*

*Procop. in c. 3. Gen.*

*S. Jon. Clim. gr. 15. ſchol. 16.*

Homines mortificati Victores ſunt.

10. Cauſa ob quam in hominibus mortificatis , perfectioniſque ſtudio deditis Dæmonum ſuggeſtiones prævalere nequeunt , hæc eſt , & quidem præcipua , quia perpetuum cum ſenſibus ſuis bellum gerunt. Unde S. Auguſtinus ait : *Grave bellum , & quod eſt moleſtius internum , in quo bello ſi ſit quiſque victor , illos, quos non videt, inimicos continuo ſuperabit ; non enim tentat Diabolus vel Angeli ejus , niſi quod in te carnaliter dominatur, Nam quomodo vincimus illos hoſtes, quos non videmus , niſi quia carnales interiores motus noſtros ſentimus ? His confligimus, illis percutimus , & illos percutimus.* Tartareus ille Tyrannus ſeptem Saræ Raguëlis filiæ maritos occiderat , Raphaël autem Archangelus Tobiam modum illum facile domandi docuerat , ne idipſum mortis ſubitaneæ malum ei quoque inferre poſſet : quis autem hic modus fuit ? certe nullus alius quam ſolius concupiſcentiæ carnalis ſuppreſſio : *Unde bella ? ... nonne ex concupiſcentijs veſtris ? Tunc Angelus Raphaël dixit ei* , inquit ſacer textus : *Audi me , & oſtendam tibi qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque qui conjugium ita ſuſcipiunt , ut Deum à ſe & à ſua mente excludant , & ſuæ libidini ita vacent , ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos : Tu autem cum acceperis eam, ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea , & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea , Ipſa autem nocte . . . fugabitur Dæmonium.* In capite 8. vero ejuſdem libri dicitur : *Tunc Raphaël Angelus apprehendit Dæmonium , & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.*

*S. Auguſt. in Pſalm. 143.*

*Jacob. 4. 1.*

*Tob. 6. v. 16.*

*Ibid. v. 17.*

*Ibid. v. 18.*

*Ibid. v. 19.*

*Tob. 8. v. 3.*

Dæmon ex Complexione noſtra novit inclinationes.

11. Hugo Cardinalis Dæmonem in ſingulis hominibus ſignum aliquod habere obſervat , unde ad quod vitium præcipue inclinemur ex complexione naturali explorare poſſit ; Dicit enim : *Ex complexione etiam hominis cognoſcit , ad quod peccatum vel vitium ſit proclivis.* Unde bene advertenda eſt doctrina quædam , quam Didacus Stella , magnus vitæ ſpiritualis magiſter tradit his verbis : *Obſerva Diabolum nihil penitus ab intellectu , aut voluntate noſtra eripere poſſe, quia operatio Dæmonis non poteſt pertingere directe uſque ad ſubſtantiam animæ noſtræ : ſolus Deus, qui animæ noſtræ illabitur , & in illa vere eſt , poteſt in ea operari. Et ideo etiamſi Deus permitteret Diabolo facere quod poſſet tollere aliquid de intellectu noſtro , aut voluntate noſtra , poteſt tamen operari circa phantaſmata indirecte & mediate mittens impias cogitationes* , ac proinde nihil facere poſſunt, niſi voluntas noſtra ipſis ſpontaneè adhæreat.

*Hug. Card. in cap. ult. Ezech.*

*Didac. Stella in c. 8. Luc.*

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Varij conſiderantur laquei , quos Dæmon nobis capiendis tendit , doli item & fraudes, quibus nos circumvenit & deludit, atque ad peccandum extimulat.

### THEMA.

*In medio laqueorum ingredieris.* Eccleſ. cap. 9. ℣. 20.

Inter Dæmonis laqueos Verſamur quamdiu vivimus.

1. Nihil mirum quod ſapiens nos in medio laqueorum poſitos cautelæ in ambulando admoneat , ſiquidem S. Antonio in viſione quadam aër plenis laqueis à malignis ſpiritibus protenſis, exhibitus fuit; hi enim à ſtruendis nobis inſidijs numquã ceſſant. D. Chryſoſtomus autem in homilia quadam ad populum Antiochenum habita optime advertit, quod ſapiens *non dixit aſpice, quod in medio laqueorum pertranſis , ſed agnoſce, quaſi diceret : Obumbratus eſt laqueus , agnoſce perſcrutans diligenter.* Nam inſidioſæ fraudes & ſtratagemata , quibus Dæmon ſibi animarum noſtrarum prædam comparare nititur , varia ſunt, & omnia in noſtram pernitiem directa. *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus* ; quocumque enim te verteris , peſſima illius zizania ubique ſeminata reperies. Ut proinde merito dicat S. Auguſtinus : *Quid gravius , quid malignius , quid noſtro adverſario nequius ? Qui poſuit in cœlo bellum, in paradiſo fraudem , odium inter primos fratres , & in omni noſtro opere zizaniam ſeminavit ?* In cibum guloſitatem immiſcuit, in generationem concupiſcentiam immoderatam ; Labori & fatigationi , ad quam natura humana condemnata fuit , deſidiam inſinuavit , converſationi civili malignitatem ingeſſit : Regimini cupiditatem, Dominium vero ſuperbiæ copulavit. In corde falſas ſeminavit cogitationes , verba fraudulenta & doloſa in ore, & in cunctis alijs corporis noſtri partibus iniquas operationes ; *Ut breviter loquar*, inquit ſanctus Doctor, *omnia mala mundi ſua ſunt pravitate commixta.* Terra ex qua corpus noſtrum fabricatum eſt , ad ſpinas & tribulos progerminandos condemnata fuit , ac proinde S. Bernardus ſancte nos monet dicens : *Vide quomodo caute ambules inter ſpinas ; plenus eſt mundus ſpinis, in terra ſunt, in aëre ſunt, in tua carne ſunt; donec ergo in carne eſt anima, inter ſpinas profecto verſatur, & neceſſe eſt, ut patiatur inquietudines tentationum.*



*D. Chryſoſt. Hom. 15. ad pop.*

*Pſ. 18. v. 7.*

*S. Aug. ſer. 4. de temp.*

Certare debemus ut veri milites.

2. In vita B. Henrici Suſonis legitur, quod cum ex præcepto Dei omnes jam intermiſiſſet auſteritates corporales , in eo ſe ſtatu poſitum eſſe crediderit, in quo ſecundùm ſenſum carnis omni gaviſurus eſſet quiete & tranquillitate, unde hilariter ſe canere poſſe credebat. *Jam hyems tranſijt , imber abijt & receſſit* ; Cum ecce in ſublimem raptus extaſin , ad illum Jobi textum ſe reflectebat, in quo dicitur : *Militia eſt vita hominis ſuper terram* ; In cujus textus conſideratione juvenis quidam ei apparuit , ingentem ſecum deferens variorum armorum apparatum , qui eum adinſtar equitis accingens dixit ei : Hactenus inter milites pedites ſufficienter decertaſti, nunc igitur Deus à te requirit , ut velut generoſus eques in equo forti & generoſo deinceps decertes. Cumque in hac extaſi arma illa videns militem ſe futurum eſſe ſumme obſtupeſceret, utpote qui animum à malitia omnino alienum, habens in bello numquam cum hoſte decertaſſet; prædictus ille juvenis dixit ei : Ne te affligas propter hoc, quia numquam tibi præliandi deerunt occaſiones, cum militibus longe aſperiora ſemper præparata ſint certamina, quam olim alicui Hectori , Achilli , Julio Cæſari , vel alijs penes antiquos famoſis eveniſſe legantur : Intelligebat igitur ex tunc ſervus Dei de certamine paſſionum internarum ſermonem eſſe , quibus cum ipſi deinceps poſt ſuperatam vitam extrinſecus rigidam & auſteram , ſemper viriliter eſſet decertandum.

*Vit. B. Henrici Suſonis c. 24.*

*Job. 7. v. 1.*

Dæmon 4. modis decipit.

3. S. Bonaventura modos aliquos quibus nobis Dæmon damnum inferre , & alios quibus nos deludere ac decipere poteſt, ordinate recenſet ; Et quidem in primis poteſt ex divina permiſſione corporibus noſtris gravia mala infligere, prout eum Jobo intuliſſe conſtat : Organa quoque corporea turbare poteſt & impedire, prout facit in obſeſſis : Imagines denique & phantaſmata nobis imprimere poteſt , vel etiam per ſanguinis commotionem ad peccatum ſtimulare. Quod vero deceptiones & ſtratagemata illius attinet , *decipit præcipue quatuor modis, primo ſuadendo bonum & hoc propter malum* ; ſic v. g. hominem quem inſtabilem eſſe cognoſcit ad Religionem ingrediendam extimulat , ſperans quod progreſſu temporis miſer futurus ſit apoſtata. *Secundo ſuadendo malum , ſed hoc ſub ſpecie boni*, v. g. dum urget ad committendum perjurium , ad retinendum bona aliorum. *Tertio diſſuadendo bonum tamquam nocivum , ut cum diſſuadet bono viro ingreſſum Religionis , ne de hoc pæniteat, & egrediens confundatur : vel quando diſſuadet alicui eleëmoſynam & orationem , ne per hoc incurrat vanam gloriam. Quarto diſſuadendo malum , ut ducat ad pejus , ut quando diſſuadet temperantiam in victu & ſomno, ut per hoc inducat ad indiſcretam abſtinentiam , quod pejus eſt.*

*S. Bonav. T. 7. l. 2. Comp. Theo. cap. 27.*

Diverſæ enumerantur Dæmonis fraudes.

4. S. Gregorius multas alias deceptionum & fraudum machinas enarrat , utpote qui in Jobum qui furiarum infernalium unicus fuit ſcopus & objectum in

in ſuis Moralibus ſcribens, præ cunctis alijs cognoſcere & diſcernere nobiſque illas detegere potuit : Sic igitur ſcribit : *Hoſtis callidus contra cæleſtem militem diverſa percuſſionum vulnera exquirens , modo ex pharetra per inſidias eum ſagitta vulnerat , modo ante ejus faciem haſtam vibrat , quia videlicet vitia & alia ſub virtutum ſpecie contegit , & alia ut ſunt, aperta ejus oculis opponit. Ubi enim infirmari Dei militem conſpicit , illic fraudis velamina non requirit ; ubi autem ſibi reſiſtere fortem conſiderat , illic contra vires proculdubio dolor parat.* Nec eſt quod quiſpiam ſe ab ejus laqueis exemptum eſſe credat, inquit B.Laurentius Juſtinianus; quia pro omni ſtatu, conditione , & profeſſione hominum laqueos paratos habet : *Univerſis venatorum parati ſunt laquei , non uniformiter, ſed juxta ſingulorum qualitatem & ſtatum. Aſſueti in prælio ſpirituales, ſpiritualibus, & carnales carnalibus oppugnant inſidijs , nullum eximunt, nemini parcunt, nulliuſque pertimeſcunt virtutem. Verum ſi minime veriti ſunt ipſum mundi Salvatorem appetere , in quo nihil eſſe ſuum ſciebant, cujusnam ſanctitatem formidare valebunt?*

*S.Greg. l.3. mor. c.17.*

*B.Laur. Juſtin. de cont. mundi c.18.*

Hiſtoria applicatur.

5. Neſcio an hiſtoriam , an vero fabulam exiſtimare debeam id , quod de duobus mortali inter ſe odio & inimicitia diſſidentibus refertur , quorum uni nomen erat Phrino , alter vero Pittacus vocabatur : Quibus cum in ſingulare certamen inter ſe habendum deſcendere , eoque fine cuilibet ſibi opportunum armorum genus eligere indultum fuiſſet. Pittacus cum in dexteram enſem , in ſiniſtram vero laqueum accepiſſet, ab inimico ſuo ob novi generis armorum inventionem deriſus fuit. At vero quid fit ? Pittaco ſe adverſarium in capite enſe vulnerare velle fingente, is ictum declinans, caputque verſus ſiniſtram dimittens, ex improviſo & inadvertenter in laqueum quem Pittacus , in ſiniſtra ad eum capiendum paratum habebat , incidit , quem Pittacus ſtringens , adverſarium protinus ſtrangulavit & occidit: ſimili prorſus aſtutia Dæmon circa animas quorumdam utitur: Non enim armis fulgentibus utitur , ne hoſtem deterreat & in fugam abigat, ſed laqueos adhibet, ut decipiat , Cujuſmodi ſunt ludi , converſationes, convivia, dominia, lucra, & alia id genus bona temporalia , quæ tanti æſtimantur & amantur à nobis. *Nec evadere Diabolum* , inquit S. Cyprianus, *ſervus Dei poterit, qui ſe Diaboli laqueis implicaverit.* Plus adverſarius ille ferrum timebat, quam laqueum , & tamen ab eo captus & ſtrangulatus eſt quem minime formidabat. Multæ ſunt animæ timoratæ, quas aſtutus ſerpens manifeſte ad gravia peccata allicere non audet, quia veretur repulſam ; Quid igitur facit ? in hac vel illa converſatione primo quidem honeſta, demum vero periculoſa , laqueum tendit &c. Unde S.Gregorius opportune monet : *Omnino metuenda & cavenda eſt hoſtis aſtutia , ne quos aperta nequit tentatione ſubvertere , latenti telo ſævius valeat trucidare.*

*S.Cypr. l.1. Epiſt.11.*

*S.Greg. l.7. Ep. 3.*

*Eph.6.v.13.*

Dæmon ſæpe ſe transformat ad decipiendum.

6. S. Apoſtolus Epheſios monet dicens : *Accipite armaturam Dei ut poſſitis reſiſtere in die malo* ; Textus vero Græcus habet : *Aſſumite omne genus armorum* ; Et ratio hujus eſt manifeſta, quia quibus nos armis aggreſſurus ſit , penitus ignoramus , ac proinde omnis generis armatura omni ex parte proviſi eſſe debemus : *Diabolus nunc agnum , nunc lupum , nunc tenebras , nunc lucem in ſe oſtendit* , inquit S.Auguſtinus , *& ſingulis quibusque qualitatibus , locis , & temporibus , ſecundum rerum mutationes , varias exhibet tentationes.* In vita B.Angelæ de Fulginio legitur , quod paſſiones & amaritudines animæ , quibus à dæmone infeſtabatur , longe acerbiores fuerint , infirmitatibus corporalibus , quibus continuo obnoxia erat ; unde ſtatum ſuum melius explicare ſe poſſe non putabat, quam per ſimilitudinem hominis alicujus ex pergula quadam in aëre ſuſpenſi , qui dum manus à tergo ligatas, oculos vero velo denſo obductos habeat , ſine ullo auxilio & conſolatione ſuſpenſus hæret ; ita quoque ſe omni virtute ſpoliatam eſſe putabat, eratque dolor animi adeo exceſſivus , ut præ furore & rabie plorare nequiret , nonnumquam etiam ex ſuperveniente deſperatione parum aberat , quin ſeipſam dentibus dilaniaret , omnia quoque vitiorum genera in ſe ſuſcitari credebat, unde dicere ſolebat , quod ſi libera ei optio daretur , potius viva in igne comburi & aſſari, quam ejuſmodi cruciatus in imaginativa ſuſtinere mallet. De hac ſancta virgine vere dicere poſſumus , quod dæmon ei ſub ſpecie lupi infeſtus apparuerit : at vero quot ſunt , quibus in forma apparet Chamæleontis? Nam ut quotidie in nobis & alijs experimur, ſi peccatis immerſi pœnitentiam pro peccatis agere deſideremus, in deſperationem nos inducere molitur: ſi actualibus pœnitentiæ operibus operam damus nos agitat ſcrupulis ; ſi conſcientiæ remorſum in nobis minime ſentiamus nos movet ad præſumptionem : ſi ad perfectionem contendamus , nos extimulat ad vanam gloriam : ſi inſultus tentationum ſuperemus , ejuſque fraudes clare agnoſcamus , ex induſtria nobis victoriam permittit, ut nos de victoria confiſos, jamque de bono animæ ſtatu ſecuros , novo certamine aggrediatur , dum id minime expectamus. Sæpe etiam tanta nos tentationum diverſitate & multiplicitate moleſtat & aggravat, ut vix nobis reſpirare concedat : *Tota die impugnans tribulavit me* , ſæpe nobis per illecebras lapſum procurat : *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula*, id eſt, ut Hugo Cardinalis exponit, *ſuggeſtione diaboli.* Unde Job ait : *Loquitur tibi mollia, & ipſi ſunt jacula* ; quia animam interficiunt, ſi eis conſentiatur.

*S.Auguſt. in ſoliloquijs. c.17.*

Vita B. Angelæ.

*Pſ.55.v.2.*

*Pſ.54.v.22.*

*Hug. Card.*

*Job 40.v.22.*

7. S. Bonaventura modum quo diabolus nobiſcum loquitur , his verbis declarat : *Primo modo ſenſum immutando , & hoc vel imaginationem alicujus rei imprimendo inſtrumento viſus , & objiciendo viſus ſimilitudinem alicujus rei : ſecundo modo loquitur diabolus homini , per impreſſionem rerum ſenſibilium in inſtrumento imaginationis.* Nos quoque frequenter decipit , dum errorem mentibus noſtris offundit ; Quando mare tempeſtatibus agitatur , ſordes & fæces ſuas, quæ communiter deformes & putcolentes ſunt ad littus projicit ; Et tamen Job de diabolo dicit : *Ferveſcere faciet quaſi ollam profundum mare , & ponet quaſi cum unguenta bulliunt* ; at vero ex quo ad oculum manifeſte ſordes è manu ejectas fœtidiſſimas eſſe conſtat , qua ratione diabolus facere poterit, ut fæces illæ velut unguenta odorifera ſuaviſſime fragrent ? Ecce tibi evidentem dæmonis aſtum, qui communiter ea quæ turpia & horrida ſunt , pulchra & honeſta eſſe fingit , ac proinde S.Paulus nos monet dicens : *Non circumveniamur à ſatana , non enim ignoramus cogitationes ejus.* Optime huc quadrant verba illa Gilliberti Abbatis, dicentis : *Sulphurei ſunt vapores , quos olla carnis tuæ ſuccenſa evomit, & tu in his balſami tibi videris odores ſentire : ſi per te neſcis balſamum verum à mixtura diſcernere, veni ad Prophetas , veni ad filios prophetarum Apoſtolos, qui te mixturarum differentias doceant , qua in olla mors ſit. Talis Paulus, qui dicere auſus eſt : Non ignoramus aſtutias ejus.*

*S.Bonav.l.7. in Comp. Theol. c.19.*

Turpia proponit tamquã honeſta.

*Job 41.22.*

*2.Cor.2.11.*

*Gillib. Abb. ſerm. 17.*

8. Porro multæ hujus ſerpentis aſtutiæ à ſanis Doctoribus hinc inde adducuntur. Richardus de S. Victore de illo ait : *Si quem aperta pugna non decipit, clypeum ei opponit, ut ſi reſiſtentis pectus feriendo non perforat ſaltem quibuſdam objectionibus iter perficientis intercludat , & alienis cogitationibus ſeu occupationibus impediat , ſuggerit enim aliquid quod hominem delectet, vel utilitatem habere videatur , ut ab utilitate, quod intendebat facere, avertat.*

A melioři abducit.

*Rich. à S. Vict. p.2. in Cant.*

9. Commentator Nazianzeni alium quemdam dæmonis aſtum detegit , quo fallaces illi ſpiritus innumeras animas ſeducunt & perdunt : *Ante peccatum*, inquit, *benignum & miſericordem Deum nobis proponunt , ut nos ad peccatum inducant , poſt admiſſum vero peccatum deſperationis plenas cogitationes ſubjiciunt , ut per eam per peccatum pereamus.*

*Elias in orat. 1. Nazianz.*

Ante peccatum miſericordiam, poſtea juſtitiam proponit.

10. Poſſumus ad hæc nos reflectere ad zizanias quas maligni ſpiritus inter animas bonas & Deum ſeminare contendunt , dum illis ſiniſtros proponunt eventus , quibus etiam tunc involvuntur , quando vel maxime cum ipſo conjuncti & per gratiam uniti ſunt, unde talibus perſuadere conantur , quod Deus ut plurimum ijs qui eum in hac vita maxime offendunt , majorem in hac vita proſperitatem & beneficia elargiri ſoleat; Et quidem tentatio iſthæc adeo vehemens eſſe ſolet , ut ipſemet David dicat : *Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.*

Aliæ Dæmonis fraudes.

*Pſ.72.v.2.3.*

11. S.Gregorius Papa , modum obſervat, quo ſerpens ille tortuoſus uſus fuit , quando Jobo (cui Deus ipſe, neminem in terra ſimilem ſuo tempore eſſe, teſtimonium perhibuit ) omnium, quæ ipſi acciderat, adverſitatum nuntios expedivit : *Intuendum quippe eſt* , inquit, *quam callide dicitur ignis Dei, ac ſi aperte diceretur : Illius animadverſionem ſuſtinet , quem tot hoſtijs placare voluiſti ; illius iram tolerat; cui quotidie ſerviens inſudabat. Dum enim Deum , cui ſervierat, adverſa intuliſſe indicat , quatenus anteacta obſequia ad mentem reduceret , & fruſtra ſe ſerviſſe æſtimans in authoris invidiam ſuperbiret.* Idem quoque ſanctiſſimus Pontifex alias fraudes alibi recenſet dum ait: *Quod in Paradiſo egit , hoc quotidie antiquus hoſtis agere non deſiſtit verba quippe Dei de cordibus hominum molitur evellere, atque in eis ficta promiſſionis ſuæ blandimenta radicare. Quotidie hoc quod Deus minatur , levigat, & ad hoc credendum, quod falſum promittit, invitat.*

*S.Greg. l.1. Mor. c.2.*



*S.Greg. l.24. Moral. c.5.*

12. In vita S. Philippi Nerij de duobus religioſis Dominicanis refertur , conveniſſe illos inter ſe , ut ſingulis quibusque noctibus , priusquam ad Matutinas accederent , ſibi mutuo peccata ſua confiterentur. At humani generis hoſtis , tanti boni invidus , nocte quadam duas circiter horas , antequam conſuetum daretur ſignum ; cellam unius illorum pulſat , ſocium ſe ejus eſſe fingens , inclamatque : Heus tu , ſurge , imminet hora, qui hac voce, experrectus , ſtatim lecto exſiliens ad Eccleſiam ſe confert, ibique dæmonem ſub ementito alterius habitu & figura , prope ſedem confeſſionalem deambulantem invenit ; cumque coram eo ſupplex flexiſſet genua, ut peccata more ſolito confiteretur , aſſedit Dæmon & confeſſionem excepit ; Ad ſingulas tamen culpas , quas pœnitens confitebatur , Nil iſtud, nil culpæ ; ajebat , imo cum peccatum quoddam ſubjunxiſſet , quod ſibi aliquanto gravius eſſe videbatur , Dæmon identidem, repetiit : Futilia ſunt iſta. Ex tunc bonus ille ſervus Dei , hunc ab exiſtimato Confeſſario loquendi modum audiens , Satanæ laqueos veritus , crucis ſigno ſe muniens, mendacij parentem ita compellavit: Num tu dæmon infernus ? ad quæ verba dæmon confuſus protinus diſparuit.

Hiſtoria. *Lib.1.c.1. n.15. vit. S. Philippi Nerij.*

13. Idem S. Gregorius Magnus in quadam Epiſtola ſua ita ſcribit : *Antiquus hoſtis , cum robuſti cor irrumpere non valet ſubjectas & infirmas perſonas quærit, & quaſi contra alta mœnia ſcalis appoſitis aſcendit, ſic Adam per ſubjectam mulierem decepit ; ſic B. Job cum filios occidit , infirmam mulierem reliquit.* In Epiſtola 56. ejusdem libri aliud inſuper ſtratagema his verbis nobis inſinuat : *Quia vero nonnumquam , dum aliud attenditur , aliud non cavetur , oportet , ut contra omnes hoſtis inſidias , quisque debeat eſſe ſolicitus , ne dum in uno vincit , ſuperetur in alio.* In cujus probationem ſequentem ſimilitudinem adducit : *Nam & terrenus hoſtis, qui munita loca cupit invadere , pugnandi arte ſic utitur , latenter quidem ponit inſidias, & ad unius loci ſe expugnationem totus oſtendit , ut dum ad defenſionem loci illius, ubi inſtat periculum , convenitur , loca alia , de quibus nulla eſt ſuſpicio , capiuntur.* Denique in Homilia quadam ſuper Ezechielem eidem ſimilitudini, ſive alluſioni ab experto belli duce deſumptæ inſiſtens, obſervat , quod ſicut hic ad eum præcipue locum caſtra ſua figit , quem debiliorem , & minus munitis mœnijs aut fortificationibus cinctum eſſe cernit : ita quoque ſtygius noſter inimicus in illa parte vel maxime in civitatem irrumpere ſolet, ubi minorem reſiſtentiam invenit quamque minus munitam, & conſequenter debiliorem eſſe deprehendit : *Et tu fili hominis*, inquit Deus apud Ezechielem , *ſume tibi laterem , & pones eum coram te , & deſcribes in eo civitatem Jeruſalem.* Per quam civitatem Jeruſalem ſanctus Pontifex animam uniuſcujusque noſtrum , huic corpori ex luto plaſmato unitam intelligit , hanc autem inimicus noſter obſidione cingit , & ex parte debiliori violentius aggreditur : *Rimatur Dæmon debiliora , ut illa parte hominem aggrediatur, qua illum videt infirmum* ; v.g. cernit quod homo ille timoratæ conſcientiæ quidem & virtuoſus ſit , ſed ex alia parte videt quod gloriæ humanæ ſit cupidus, ac proinde curat ut ab alijs laudetur , ut de ſe inaniter præſumens in ſuperbiam extollatur , videt denique in alio quod in oculis ſuis ſit curioſus, licet cæteros ſenſus diligenter ſatis cuſtodiat ; hunc itaque ut ad lapſum diſponat , objectum aliquod illecebroſum oculis ejus objiciet, in quo ſibi mire complaceat , illudque ardenter concupiſcat &c.

Dæmonis diverſa ſtratagemata.

*S.Greg. l.1. Reg. indict. 17. Ep.38.*

*Ibid Ep.56.*

*S. Gregor. Hom.12. in Ezech.*

*Ezech.4.v.1.*

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

Oſtenditur quod licet dæmonis tentationes perſæpe vicerimus, numquam tamen de perpetua victoria ſecuri eſſe debeamus , quia Dæmon ab inſidiando numquam deſiſtit, tuncque nos vel maxime aggreditur, cum nos omnino ſecuros eſſe conſpicit.

## THEMA.

*Et conſummata omni tentatione Diabolus receſſit ab illo usque ad tempus.* Luc. 4. ℣. 13.

Dæmonis tentationes quandoque intermittit ut nos ſecuros ſubito vincat.

1. SAlvator noſter omnibus ſibi ab inimico infernali illatis ictibus glorioſe declinatis omnem vicerat tentationem : *Conſummata omni tentatione.* Ecquis autem ſibi umquam perſuadere potuiſſet Dæmonem adeo temerarium futurum fuiſſe , ut in iteratum cum illo certamen deſcenderet : tamen S. Lucas Evangeliſta dicit : *Receſſit ab illo uſque ad tempus* , quia ut S.Ambroſius ait : *Poſtea non tentaturus, ſed aperte pugnaturus venit.* Gloſſa Interlinearis dicit : *Uſque ad tempus paſſionis , quando non tantum dolis , ſed aperte impugnavit , ſic etiam nos ille antiquus hoſtis aliquando tentare intermittit, ut quaſi ſecuros repente rediens, facilius irrumpat.*

*S.Ambr. in Cat.*

*Interlin.*

2. In Pſalmo 56. verba aliqua leguntur, quæ prima facie contradictionem quamdam involvere videntur : Sanctus enim Rex David ſe à poteſtatibus infernalibus impugnari ſubindicat ; ſiquidem hiſce verbis dictum Pſalmum orditur : *Miſerere mei Deus , miſerere mei , quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum ſperabo donec tranſeat iniquitas , clamabo ad Deum altiſſimum , Deum qui benefecit mihi ; Miſit de cælo & liberavit me, miſit miſericordiam ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum* ; Et porro quia per hos leonis filios Dæmones intelliguntur ; de quorum capite , Lucifero videlicet , S.Petrus ait : *Tamquam leo rugiens* , ideo quæ hucuſque ex prædicto Pſalmo recenſuimus , facile intelliguntur : Solum unica ſupereſt difficultas , quæ prædictam contradictionem videtur involvere ; Ex quo enim David ad evadendam hujus inimici implacabile odium & crudelitatem, cœleſti ſubſidio communitus fuerat, jam utique de victoria ſecurus profligato omni timore quieſcere potuiſſe videbatur, cur igitur immediate ſubjungit dicens : *Dormivi conturbatus* ? cur enim turbato & inquieto animo dormivit , qui cœlitus de victoria obtinenda ſecurus erat ? aut quomodo vere dicere potuit : *Miſit de cælo & liberavit me &c.* Si adhuc dormit conturbatus? vel enim timor hic inanis erat, vel de liberatione vane gloriatur : Verumtamen cum hiſce regij Prophetæ verbis , optime conſonat illud omnibus notum ejusdem S. Petri monitum , dicentis : *Sobrij eſtote , & vigilate , quia adverſarius veſter Diabolus tamquam leo rugiens circuit , quærens quem devoret* , quia qualiſcumque demum victoria illa ſit, quam de inferno reportavimus , numquam tamen talis eſſe poterit , ut ob illam ſecure in utramque aurem nobis dormire liceat. Et ideo obſervandum quod dum nobis S.Mater Eccleſia in S. Antonio magno ad evadendum Dæmonis inſidioſos inſultus ſalutaria proponit documenta , in ejus quoque lectionibus non ſine myſterio inter cætera dicit : *Nec vero frequens de Satana triumphus ſecurum reddebat Antonium , qui Diaboli innumerabiles artes nocendi noverat.* Et S. Athanaſius ait : *Sed neque Antonio ſecuritatem dedit hic triumphus, nec Diabolo ſemel fracto defecere vires , quia ut* S. Gregorius lib.5. Moral.cap.8. ait : *Antiquus hoſtis quo valentius vincitur , eo ad inſidias ardentius inſtigatur.* Et quidem notandum eſt , quod tam Eccleſia in Lectionibus de S.Antonio, quam S. Athanaſius in vita ejus, de triumpho ejus loquantur , non de victoria , quia hæc eſt inter hanc & illum differentia , quod triumphus inimicum adeo proſtratum & dejectum eſſe ſupponat , ut jam deinceps reſurgere amplius nequeat , ac proinde tametſi S. Antonius moraliter quaſi certus eſſet , quod per efficaciſſimum , quod ei ſemper præſto erat divinum auxilium Diabolo numquam tamen exinde ſibi ſecuritatem omnimodam promiſit , ſed in continuo timore vixit.

Victoria de Dæmone reportata nõ plane ſecuros nos facere debet.

*Pſ. 56. v. 1.*

*1.Pet.5.v.8.*

*1.Pet.5.v.8.*

*In Lectionib. S. Antonij.*

*S.Athanaſ. in vit. S. Anton.*

*S.Greg. l.5. Moral. c.8.*

3. Valde conſiderabilis eſt phraſis illa loquendi , qua S. Petrus de hoc Diabolico leone diſſerens utitur, dum ait : *Circuit.* Is namque qui in gyrum ambulat quanto magis ambulando procedit , tanto propinquius ad terminum illum revertitur unde recedit : Tale autem proprie eſt iter Dæmonis, dum enim ab anima recedit, quam tentationibus fatigavit , tametſi ſe illam relinquere fingat , nihilominus tunc ei vicinius quam ante iterum reappropinquat. Unde Venerabilis Beda ait : *Sæpe antiquus hoſtis, poſtquam menti noſtræ tentationum certamen infixerit , ab ipſo certamine ad tempus recedit non ut illatæ malitiæ finem præbeat , ſed ut corda, quæ per quietem ſecura reddidit , repente rediens inopinate irrumpat.* Quod idem etiam S. Gregorius l. 3. Moral. cap. 16. confirmat. Sic illi qui mare continuo navigando oberrant , ab experientia doctrice didicerunt, quod ingens placidi maris tranquillitas procelloſiſſimas ſemper ominetur ejusdem maris tempeſtates. Unde Seneca ait : *Noli huic tranquillitati confidere , momento mare vertitur , eodem loco , ubi luſerunt navigia ſorbentur* : Sic etiam , ut S. Joannes Climacus advertit

*1.Petr.5.8.*

Ut mari tranquillo fidendum non eſt ſic nec Dæmoni.

*V. Beda Luc. 11. v.26.*

*S.Greg. l.3. Mor. c.16.*

*Seneca.*

vertit ſi Diabolus nobis aliquamdiu quietem indulgeat, *hoc magnæ eſt ſecuturæ nequitiæ ſignum, numquam enim Dæmones nobiſcum belli faciunt inducias; quando enim relaxatio fuerit, remittunt, ſeu dimittunt (in ſpeciem) pugnam ut contempto periculo tamquam in ſecuro jam tranquillitatis portu conſtituti, idem quovis tempore audeamus.* Plinius quoque ſequentem refert maris proprietatem: *Mare*, inquit, *ſi tranquillum in portu à curſu ſtabit, & murmuraverit intra ſe ventum prædicit:* Eodem quoque modo tunc nobis vel maxime timendi ſunt venti aquilonares, id eſt, feroces Dæmonum inſultus, quando ille pacem & inducias nobiſcum ſe pepigiſſe fingit. Didacus Stella in ſolidiſſimis virtutum & perfectionis Regulis, ac dogmatibus Spiritus per longam experientiam excellenter eruditus, id quod diximus, ſequenti à navi petita ſimilitudine aptiſſime confirmat, dum ait: *Majus periculum patitur navis eo tempore quo mare eſt tranquillum, quam tempore tempeſtatis*, aſſignatque rationem quæ idipſum evidenter convincit: *Nam tempeſtatis tempore*, inquit, *multa ſunt remedia, nullum autem tempore tranquillitatis. Maxima omnium tentationum eſt, nullam pati tentationem.*

*S. Joan. Climac gr. 15. Scholio. 29.* — *Plin. l. 18. cap. 35.* — *Didac. Stella in cap. 4. Luc.*

Dæmon utitur Joſue ſtratagemate. *Joſue 8. v. 6.*

4. Inclytus ille Hebræi exercitus Dux Joſue civitatem Hai armis ſuis ſubjicere meditans, fugam ſimulavit, ſeque hoſtilis exercitus metu perculſum eſſe finxit; ſed merum ſtratagema erat: *Fugiemus, & terga vertemus donec perſequentes ab urbe longius protrahantur, putabunt nos fugere ſicut prius. Nobis ergo fugientibus & illis perſequentibus, conſurgetis & ex inſidijs, & vaſtabitis civitatem.* Quam hiſtoriam idem præfatus Stella ad propoſitum noſtrum his verbis adaptat: *Diabolus non recedit uſque in finem non reverſurus, ſed uſque ad certum tempus, fingit enim ſe fugere, ſicut Joſue cum cæpit civitatem Hai, ſed revertitur ad tempus, ut fortius & aptius vincat.* S. Fulgentius de hujus antiqui hoſtis noſtri militaribus machinis differens ait: *Tamquam diverſis machinis ſic innumeris utitur argumentis, & cum certamine manifeſto cedit, ad hoc ſe victum demonſtrat, ut vincat, ad hoc fugam ſimulat, ut perſequentem miſſis poſt tergum ſagittis occidat.* Optime igitur S. Hieronymus Heliodorum Monachum admonet, ut tunc ſe vel maxime à Dæmone impugnari credat, cum ab eodem minime impugnatur: *Tunc maxime impugnaris, ſi te impugnari neſcis, adverſarius noſter tamquam leo rugiens, aliquem devorare quærens, circuit, & tu pacem putas?*

*Did. Stella.* — *S. Fulg. Ep. 3. ad Prob.* — *S. Hieron. Epiſt. ad Heliod.*

Hiſtoria. *Sext. Julius l. 3. ſtrat. c. 1.*

5. Sextus Julius de Marco Catone refert, quod dum civitatem quamdam validiſſime munitam diuturna obſidione cinctam ob ſtrenuam obſeſſorum civium defenſionem, fruſtra machinis ſuis fatigaſſet, opportunum ſibi viſum fuerit ſi civitatem, quaſi de illius ſecutura ſubjugatione deſperans, defereret, at vero poſt quatriduum per vias incognitas minimeque tritas latenter reverſus, dum omnes ob exiſtimatam victoriam lætos feſtivoſque invenit, repente, & ex improviſo illos aggreſſus ſuæ ſubdidit poteſtati. Quot ſunt quibuſcum Dæmon ſimili cum ſtratagemate congreditur? qui poſtquam aliquanto tempore ſolicitam habuerunt ſenſuum & carnis ſuæ cuſtodiam ſeque adverſus Dæmonis inſidias egregie fuere tutati, tandem ſecuros ſe eſſe exiſtimantes, dum ſe occaſionibus & periculis occurrentibus temere exponunt, à Dæmone circumventi ignominioſe labuntur? aſtutus namque hoſtis vias habet latentes & occultas, per quas nos convenit, dum id minime opinamur. In vita S. Antonij ſcribitur, quod cum Dæmones ſanctum hunc virum ſub eminentia urſorum, Tygridum, Leonum, Draconumque ſpecie varie torquere conati, ſe in vanum ſub hiſce larvis laborare animadvertiſſent, tandem Dæmon quidam in forma Æthiopis adoleſcentis coram ipſo in terram proſtratus, elata voce clamarit dicens: Ego quidem hactenus multos miſere decepi, multoſque arte & Marte devici, ſed ex nunc me à te victum coram te ſiſto, tuis deinceps pariturus juſſis & nutibus, quibus doloſe confictis verbis duos illi pernitioſos ictus inferre meditabatur, quorum uno illum erigere conabatur in vanam gloriam; altero vero ſecuritatem illi perſuadere ſatagebat, ne deinceps ullos formidaret ab eo intentandos tentationum inſultus; Qui tentandi modus omnium eſt periculoſiſſimus, nam ut S. Cyprianus ait: *Plus cavendus eſt inimicus cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis acceſſibus ſerpit, unde & ſerpentis nomen accepit.* Unde S. Auguſtinus paucis verbis præclariſſime monet dicens: *Facit hoſtis ſecuros, quos capit eſſe captivos.*

*Vit. S. Ant.* — *S. Cypr. de unitate Eccleſ.* — *S. Aug. l. 50. Hom. 46.*

Securi hoſtes ſæpe ſunt victi.

6. Poſtquam Philiſtæi Dalila mediante Samſonem ſibi ſubjugaſſent, erutiſque illi oculis, omnique illi adempto corporis robore animique vigore, cum veluti jumentum quoddam molæ vertendæ applicuiſſent. Omni quoad ipſum depoſito metu, ocaſione feſti quod in honorem Dagon idoli ſui ſolemniter celebrabant eum ludibrio publico exponere volentes ad ſaltus & tripudia evocabant, cum ecce everſis ab ipſo columnis, domus in qua Philiſtæorum proceres jucundabantur, columnis illis innixa protinus ſubverſa, omnes ruinis illius involvit, & occiſos ſub illis ruderibus ſepelivit. Amalecitæ pariter civitatem Siceleg ingreſſi omnia in igne & gladio conſumpſerunt, reliquoſque ad ipſas uſque mulieres ſecum abduxerant captivos, iiſque peractis pergebant in itinere ſuo, nec quidquam timebant neminem ſupereſſe exiſtimantes, qui armis illos impugnando, eorum potentiæ reſiſtere poſſet. David autem de ſtrage Siceleg certior factus, præhabito cum Deo conſilio, cum ſexcentis viris armatis adverſus victorioſum hunc exercitum obviam proceſſit, & tametſi ducenti ex militibus ſuis nimia laſſitudine oppreſſi ab illo defeciſſent, cũ reliquis tamen quadringentis Amalecitas aggreſſus eſt, de quibus ſacer textus ait: *Diſcumbebant ſuper faciem univerſæ terræ comedentes & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem pro cuncta præda & ſpolijs,... & percuſſit eos David & non evaſit ex eis quiſquam.* Optimum igitur valdeque ſalutare eſt illud conſilium Didaci Stellæ, dicentis: *Quando viceris, tunc timidior debes eſſe & expergefactus, nam iterum redit Dæmon præliaturus tecum, multoties contingit (utpote ſagaciſſimus eſt) ut ſe ſinat vinci ut poſtea melius vincat, ut facere ſolent, qui alearum & taxillorum ludum exercent, qui fingunt ſe perdere, & parvam pecuniæ quantitatem amittunt, ut poſtea majori lucro adverſarium capiunt:* S. Iſidorus Peluſiota hoc quoque nobis documentum ſcripto reliquit: *Periculum eſt, ne ille qui victus & profligatus eſt ob diſſidia noſtra, collecto robore acceptam cladem ſarciat, victoriamque adipiſcatur. Etenim ille quidem jacet etiamſi ſtolide audax, efferatur) ac noſtra ignavia, mutuumque bellum, nervos jacenti & robur attulerunt.*

*Judic. 16. v. 25.* — *1. Reg. 30. v. 16. Ibid. v. 17.* — *Did. Stella ubi ſup.* — *S. Iſid. Peluſ. lib. 2. Ep. 139*

Dæmon non quieſcit donec revertatur unde expulſus.

7. Cœleſtis Magiſter noſter Chriſtus, quem Apoſtolus teſtatur fuiſſe *tentatum per omnia*, malignorum iſtorum ſpirituum naturam perſpicuis verbis declarat dum ait: *Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi.* Non enim quieſcit, donec in animam, unde pulſus fuit, denuo revertatur: *Et cum venerit invenit eam ſcopis mundatam & ornatam*, id eſt, invenit illam ob victoriam obtentam jucundantem, jamque ab omni inimici congreſſu & inſultu ſecuram & quietam nihilque mali ſuſpicantem: ſed Hugo Cardinalis inquit: *Nolite ſtare otioſi:* Et Didacus Stella ait: *Invenit eam vacantem, hoc otium audaciam tribuit dæmoni*; quando enim nos armis depoſitis ſecuros eſſe conſpicit, mox inde majores auſus induit: *Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Unde S. Ephrem in quodam ſermone ſuo ita ſcribit: *Acriter attendamus ad aſtutiam ejus, ne tamquam inſipientibus nobis illudat, caveamus ejus inſidias quoniam per eas adverſum nos decertat, ne dum nos velut ex omni parte ſecuros ducimus, ipſe ſibi ingrediendi locum inveniat. Si enim tamquam leonem, firma murorum communitate ipſum arceamus, tamquam canis efficitur, ut propter vilitatem eum minime vitemus: ſi ut canem excludamus, volucris inſtar per feneſtram ingreditur Metuimus eum, dum aquilam ſe exhibet, & mox paſſerculus apparet. Ejicimus ut corvum, & velut apis inſilit.* Et paulo poſt idem ſanctus Pater ſubjungit: *Talis eſt ſubtilitas inimici, inducens etiam ijs, qui ſibi videbantur ſecuri pernitiem; Patitur ſe draco in muſcam transformari ut impietatis ſanie miſeros oblectet; inter improbos verſatur ut draco, at inter luxum diſſluentes, ut muſca. Perſpicuum igitur eſt eum inter ſecuros culicem fieri ut noceat. Vaſa quidem communire, ne à muſcis illudantur, animam vero non munitam relinquere abſurdum eſt, ſicut & præter rationem exiſtit, de rebus quæ ſub ſenſus cadunt tuendis ſolicitos nos eſſe, at de mente munienda atque ſervanda non laborare.*

*Luc. 11. v. 24. Ibid. v. 25.* — *Hug. Card. ibid.* — *Did. Stella ibid.* — *Ibid. v. 26.* — *S. Ephrem. T. 2. ſerm. Aſcet. & exhort. ad fratres.*

Dæmonis aſtutia.

Cum Dæmone nulla pax ineunda.

8. Videmus per experientiam quod dum inter hoſtes viſibiles pax vel ſaltem belli induciæ conciliantur, fides utrimque per bonas ac juramento firmatas capitulationes & pacta mutua tuta ſecuraque efficiatur: at vero cum inimicis inviſibilibus fit omnino oppoſitum, unde optimum eſt illud B. Laurentij Juſtiniani conſilium, dicentis: *Nulla cum inimicis ſpiritualibus pax firmanda eſt, ſemper mentiuntur, & abſque rubore laqueos tendunt, ſui enim confuſiones parvi pendunt, dummodo ad peccati conſenſum animas trahere valeant.* Idem quoque S. Patriarcha alibi, ſcilicet in libro de interiori conflictu, de diabolo inquit: *Nonnumquam fugam ſimulat, & tamquam ſuperatus receſſiſſe videtur, quod pugnandi genus pauciſſimis notum eſt. Heu quoties miles Chriſti belli tempore luctatur utiliter, inimicos inſequitur, vitia reſecat, prævidet laqueos, atque virtutum reportat trophæum. Fit pro victoria lætus, efficitur de pace ſecurus, deponit arma, rigorem temperat, & à ſui languet cuſtodia: Deo autem præmittente ſæpe contingit, ut repente irruentes ſuper ſe ſentiat hoſtes, illiſque ſuccumbat, quoniam non ſicut decuit, ſuum honorificavit authorem, ſed de præſumendo refriguit.*

*B. Laur. Juſtin. de diſcipl. & perfect. monaſt. converſat. cap. 12.* — *Idem de inter. conflictu cap. 5.*



Præſumptio vitanda.

9. De talibus S. Propheta Job dicit: *Irruent in arcum æreum*, ubi S. Hieronymus ait: *Aerea inopinantibus tela jaciunt, & inſidias denotant diaboli; æs diutinum eſt; huic metallo diabolus comparatur, eo quod ad interimendum numquam deficiat.* Hunc eumdem obſtinatiſſimum diaboli conatum D. Chryſoſtomus quoque ſequentibus verbis inſinuat: Dicit enim: *Hic quippe mos deceptionis ejus eſt, ut quæ magis ad ſupplantandum idonea eſſe credit, hæc adhibeat extrema;* Ictus validiſſimos ad ultimum uſque tibi reſervat, ut vincat, ac proinde tametſi multos ejus declinaverimus ictus, non tamen ideo promittere nobis poſſumus victoriam, quia inſultus ejus multiplices ſunt & varij, & quando per eos nobiſcum congreſſurus ſit, ignoramus; Hoc ſaltem indubitanter credere nobis licet, quod eos tunc vel maxime nobis illaturus ſit, quando eoſdem minime expectamus. Cum Chriſto per 40. dies, ut *Origenes* opinatur, certavit in deſerto, nec tamen acquievit, quin potius humanam ſpeciem aſſumens trinam cum eo pugnam de novo fuit aggreſſus, omnia excogitabilia in eum tela evibrando, hoc enim, ut ſacri Interpretes advertunt, verba illa ſacri textus innuere videntur: *Conſummata omni tentatione.*

*Job. 20. 24.* — *S. Hieron.* — Dæmon numquam quieſcit. *D. Chryſoſt. Hom. 13. in Matth.* — *Origenes.*

10. S. Cyprianus ait: *Inſidiantem adverſarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipſo quod victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur.* Curat etiam magnopere, prouti S. Gregorius obſervat, ut opportuni temporis utatur occaſione: *Neque enim ſolummodo intuetur hoſtis, quid faciat, ſed etiam quando faciat, nam quamvis poteſtatem acceperit, aptum tamen ad ſubverſionem tempus exquiſivit:* Quem eumdem dæmonis aſtum B. Laurentius Juſtinianus quoque inſinuat dicens: *Nonnumquam ipſi callidi inſidiatores fugam ſe arripuiſſe ſimulant, & de cætero nullam bellatori Chriſti moleſtiam ſe illaturos fatentur. Diſcedunt quippe ad tempus; quatenus animus à ſui cuſtodia remiſſior factus, gravius ſua ſecuritate ſternatur. Prudens vero Chriſti ſervus, intelligens ſe in medio poſitum laqueorum, eo ſuſpectior erit, quo quietiores contra ſe ſentiet inimicos; ubi namque latenter pugnatur, ibi omnis vigilantia adhibenda eſt, nam manifeſtus adverſarius facile vincitur; occultus autem inſidiator vix à quoquam ſuperari poteſt.*

*S. Cypr. Ep. 6.* — Opportunam expectat occaſionem. *S. Greg. l. 2. moral c. 8.* — *B. Laur. Juſtin. ibid.*

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

De fraudibus & illuſionibus dæmonis, quibus malitiam ſub pallio virtutis & ſanctitatis contegendo in Angelum ſe lucis transformat.

### THEMA.

*Ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. ℣. 14.

Dæmon transfigurat ſe ſæpe in Angelum lucis ut decipiat.

1. TAmetſi Satan pulcherrimus & luminoſiſſimus totius paradiſi Angelus fuerit, unde & *Luciferi* nomen accepit, attamen in abyſſum condemnatus, totius inferni titio factus eſt deformiſſimus & obſcuriſſimus, & tamen nonnumquam ex permiſſione divina in Angelum ſe lucis transformat, Apoſtolo atteſtante, qui ait: *Ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*, id eſt, ut S. Anſelmus exponit: *Aſſumit præclarum habitum, & apparet hominibus, ut credatur S. Angelus, & ita decipiat.* Ac proinde S. Bernardus religioſis ſuis Claravallenſibus merito dicere ſolebat, ſe non tam dæmonis timere fortitudinem, quam aſtutiam, ſciebat enim omnem ejus fortitudinem & violentiam à vulneribus Redemptoris eſſe ſuppreſſam: *A verſutijs & aſtutijs vobis timeo*, inquit, *in quibus partim ſubtilitate naturæ, partim experientia temporum, ſub tot annorum millibus eruditus, fragilitates humanæ naturæ, quaquaverſum ſe verterit, non ignorat.*

*S. Anſel. ibid.* — *S. Bern. ſerm. de quadr. de bito.*

Sub ſpecie ſanctitatis decipit.

2. Regius Propheta David qui in detegendis verſipellis dæmonis fraudibus, magna experientia præditus fuit, ſpecialiter a Deo ſe à dæmonis meridiani fraudibus liberari poſtulavit: *Ab incurſu & dæmonio meridiano*; Verumtamen potius eum à dæmonio nocturno timere debuiſſe videbatur, quia *qui male agit odit lucem*, & peccata, quæ dæmonis partus ſunt *opera tenebrarum* appellantur; nec tamen veriſimile eſt Davidem hanc poſtulationem ſine myſterio Deo propoſuiſſe: Quapropter S. Bernardus in ſermone quodam ſuper Cantica ad verba hæc Pſalmiſtæ congrue intelligenda ſufficiens nobis lumen miniſtrat, dum ait: *Tunc meridies, id eſt, major claritas apparet, cum quaſi boni majoris imaginem præfert. Quoties, v.g. ſuggeſſit anticipare vigilias, quo ad ſomnia fratrum illuderit dormitanti? Quoties produci jejunia, ut divinis officijs eo inutilem redderet, quo imbecillem?* Richardus à S. Victore ſuper prædicta Pſalmiſtæ verba: *à dæmonio meridiano*; ad propoſitum noſtrum ita ſcribit: *Illud omnes in commune cognovimus, quod unum ſit omnium dæmonum aſſiduumque negotium, famulos Dei infeſtare, eorumque impugnationi inſiſtere, ſubverſionique continuo invigilare. Quis illud neſciat, quod in hora meridiana eſſe ſolet & claritas major & calor ferventior? quaſi ergo cum ſumma luce & fervore dæmones ad nos veniunt, quando fraudis ſuæ nequitiam diſſimulantes, ſub ſanctitatis ſpecie ad perverſitatem nos pertrahere ſtudent & ſatagunt. Lux ad diſcretionem, & calor pertinet ad devotionem. Cum luce ergo & claritate ad nos veniunt dæmones, quando in eo quod fraudulenter ſuggerunt, non modo diſcrete, verum etiam devote acturos nos eſſe promittunt, & perſuadere contendunt.*

*Pſ. 90. v. 6.* — *Joan. 3. 20.* — *Rom. 13. 12.* — *S. Bern. ſerm. 33. in Cant.* — *S. Thom. ibid.* — *Rich. à S. Vict. in Pſ. 90*

3. S. Thomas ſuper propoſiti thematis verba ex Apoſtolo mutuata, de dæmone ita ſcribit: *Aliquando transfigurat ſe inviſibiliter; & hoc quando ea quæ de ſe mala ſunt, facit apparere bona, pervertendo ſenſus hominis, & inflammando concupiſcentiam*, citatque illam ſapientis Prov. 14. ſententiam: *Eſt via quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem*; adducit quoque Monachi cujuſdam exemplum, qui firmum ſibi è cella non egrediendi propoſitum fecerat, cui paulatim aſtutus ille ſerpens ſuggeſſit, ut ſaltem ad minus ad communionem ſacram recipiendam illinc egrederetur, cui ſuggeſtioni Monachus acquieſcens, propoſitum antea factum rumpere cœpit. Cumque tandem dæmonis illud conſilium fuiſſe agnoviſſet, vanæ gloriæ motu in ſemetipſo agitari cœpit, eo quod per illum ad nihil mali patrandum inductus fuiſſet, quin potius ad bonum invitaſſet, ac proinde mire ſibi in eo complacuit: Quia vero fraudulentus inimicus videbat; quod hoc Monachi lucratus fuiſſet conſenſum, progreſſus eſt ulterius ſuggerendo illi quod propter mortem patris & relictas ab eo multas facultates inter pauperes diſpertiendas, neceſſum eſſet, ut hujus boni operis exequendi cauſa ad domum ſe paternam reciperet, cellæque ſuæ tantiſper valediceret, cui etiam conſilio protinus acquievit: ſubdit vero Angelicus Doctor: *Ad quam cum iret, numquam rediit ad cellam, & mortuus eſt in peccato.* Eſtque hic decipiendi modus dæmoni valde uſitatus; nam ut S. Bernardus inquit: *Quos perfectos boni amatores eſſe noverit, malum eis ſub ſpecie non mediocris, ſed perfecti boni ſuadere conatur, ut dum currit, incurrat.* In vitis Patrum de magno quodam Dei ſervo ſcribitur, quod licet per integrum triennium manu Angelica cibatus fuiſſet, attamen antiquus adverſarius nec cum illo certamen inire formidaverit ſuas enim dæmonum phalanges, veluti totidem Angelicos exercitus congregavit, interq; illas in varias cohortes diſtributas in curru igneo velut alter quidam Elias ei apparens ſe illum ad cœlum transferre velle ſimulavit, at verò quia ſuperbus hic ſpiritus ei dicebat: *Adores me*, ſanctus vir Dei detectam fraudem à ſe generoſe depulit, & in fugam ſe recipere coëgit, dicendo: *Quotidie Salvatorem, qui eſt Rex meus adoro, hic ſi eſſet ille, quomodo hoc à me hodie expoſceret?*

*S. Thom. ibid.* — *Prov. 14. v. 12.* — Confirmatur exemplis. — *S. Bern. cit. ab Hugone Card. in 2. Cor c. 11.* — Vit. Patrum.

Decipit ſub ſpecie diſcretionis. *Matt. 4. v. 3.* *Hugo Card.*

4. In S. Matthæo legitur, quod quia Chriſtus, poſtquam per quadraginta dies & totidem noctes jejunaſſet, *poſtea eſuriit*; Dæmon ſe magna erga eum compaſſione moveri ſimulans, dixerit ei: *Dic ut lapides iſti panes fiant.* Ubi Hugo Cardinalis ait: *Quaſi dicat: Diu laboraſti, multum jejunaſti, jam perfeciſti pœnitentiam, neceſſe eſt aliquando recreari, aliter deficeres, ſic nititur diabolus ſub aliqua ſpecie diſcretionis, vel neceſſitatis, ingerere vitium voluptatis.* At vero dicet fortaſſe aliquis, quomodo hæc inter ſe concordant, quod ſcilicet Lucifer filio Dei directe ſit contrarius, &

D. Chryſol. ſerm. 11. Cajetan. in Matth.

& tamen in hac occaſione tantam erga eum compaſſionem & humanitatem exhibuerit? Audite hac de re loquentem D. Chryſologum, qui ait: *Acceſſit tentantis dolo, non obſequentis affectu.* Et Cajetanus inquit: *Non eſt intelligendum, quod diabolus hæc ſola verba dixerit, quod ex abrupto proruperit; dicendo: ſi filius Dei es &c. ſed quod multis compoſitis verbis, neceſſitate panis ad utriusque ſuſtentationem allegata, ſuadendo protulerit hanc ſententiam, quæ explorationem continet, an filius Dei ſit.* Prius igitur ſe erga illum amicum, bonique ejus cupidum probare voluit, imo nonnulli dæmonem in ſpecie Eremitæ cujuſdam coram Filio Dei apparuiſſe exiſtimant. Lyranus ait: *Transfigurat ſe in Angelum lucis, inviſibiliter formando vocem audibilem, ſicut B. Franciſco volens eum trahere à pœnitentiæ rigore.*

Lyran. in 2. Cor. 11. 14.

Difficultates proponit ut deſiſtamus à bono. In Vit. S. Vincentij lib. 1. cap. 11.

5. In vita S. Vencentij Ferrerij ſcribitur, quod dum librum *de virginitate Matris Dei* legendo, magno accenſus doni illius deſiderio, illud à Deo inſtantiſſime ſibi concedi peteret, vocem quamdam audierit dicentem ſibi: *Non omnes poſſumus eſſe virgines, nec deinceps patiar, ut tam honorato nomine gaudeas.* Ad quorum verborum auditum, ſanctus vir Dei ob inexpectatam petitionis ſuæ repulſam graviter conturbatus & afflictus fuit, mox vero velociſſime à B. Virgine ſumma fuit conſolatione perfuſus quæ hiſce eum affata eſt verbis: *Verba illa paulo ante ad te facta diaboli fuerunt, qui tibi proponit bonorum operum difficultatem, ut territus, ab incepta virtute deſiſtas.*

Qualiter Dæmon, cognoſci poſſit. S. Tho. in 2. Cor. c. 11.

6. Etenim *in hoc poteſt cognoſci quod diabolus ſit*, inquit Doctor Angelicus, *quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona, & perſeverat in eis, ſed malus in principio quidem prætendit bona, ſed poſtmodum volens explere deſiderium ſuum, & quod intendit, ſcilicet decipere, inducit & inſtigat ad mala. Aliud etiam ſignum eſt, quod bonus Angelus etſi terreat in principio, tamen ſtatim conſolatur & confortat*, prout patet in Zacharia patre S. Joannis Baptiſtæ, cui S. Gabriel dixit: *Ne timeas Zacharia*; qui idem etiam ſanctiſſimæ Virgini dixit: *Ne timeas Maria: Malus autem Angelus ſtupefacit, & deſolatum dimittit.* Ac proinde S. Anſelmus monet ut circumſpecti ſimus *cum ſic ſe transfigurat, opus eſt nobis dijudicare & dignoſcere, ne fallendo ad aliqua pernitioſa deducat.* S. Caſſianus, de quodam cujus nomen ſubticet, eo quod illo tempore etiamnum ſuperſtes eſſet, refert, quod *longo tempore dæmonem in Angeli ſuſcepit claritate, revelationibus ejus innumeris ſæpe deceptus credidit; per omnes noctes in cella ejus lumen abſque ullius lucernæ præbebat officio*; Sed quis tandem harum viſitationum finis fuit? Nimirum præcepit ei ut ad imitationem Abrahæ Patriarchæ filium quem habebat ei in ſacrificium immolaret, *ut hoc ſacrificio Abrahæ Patriarchæ meritis in nullo inveniretur inferior.* Qui huic apparitioni fidem adhibens, ſine mora ad impoſitum ſibi præceptum exequendum ſe accinxit, cumque vincula funium ad ſtringendum ijs filium adaptaſſet, jamque cultrum jugulo filij admoveret ipſe, *præſagio ſceleris futuri perterritus è cella concitus aufugit.* Nequaquam vero pari facilitate alius quidam Eremita Abraham appellatus ſe ſeduci permiſit; Cum enim humani generis inimicus ei apparens diceret: *Ego ſum Gabiel Angelus, & miſſus ſum ad te:* reſpondit: *Vide ne ad alium miſſus ſis, ego enim non ſum dignus ut Angelus mittatur ad me.* Ad quæ verba, diabolus technas ſuas detectas eſſe cernens, confuſus & obmuteſcens diſparuit.

Luca 1. 13. Ibid. v. 30. S. Anſel. ibid. S. Caſſian. coll. 2. c. 7. Vita PP. l. 5. cap. 15.

Apparuit Dæmon ſub ſpecie Angeli. S. Petr. Dam. l. 6. Epiſt. 21.

7. B. Petrus Damianus de quodam Monacho refert, qui in cella ſua aſſiduus exiſtens, quantum exterius apparebat, vir magnæ ſimplicitatis erat, nomine *Marinus*; Hunc vix dies aliquis præteribat quin dæmon illi vel appareret viſibiliter, vel illum nocturno tempore in ſomno non audiret loquentem, qui una cum ipſo Pſalterium aliasque preces recitabat: *Aliquando vero*, inquit S. Pater, *tenebrarum author ſe transfiguravit in Angelum lucis, eique quaſi legem dictando mandavit; Cave, quia Angelum Dei & aſpicere & alloqui meruiſti, indignum eſt, ut de cætero cum hominibus loquaris. Protinus ille tamquam mandatum divinitus accepiſſet, à fratrum ſe funditus collocutione removit, ſeque ſub rigida ſilentij cenſura conſtrinxit.* Cumque tam Abbas Monaſterij quam alius quidam Monachus, nomine *Romanus* vehementer illum, ut loqueretur urgeret, ipſe vero Abbati reſpondere pertinaciter abnueret, Hic portas Cellæ ejus è cardinibus dejici imperans, obſtinatum hunc ſilentiarium virgis cædi juſſit, donec obſtinati & indiſcreti ſilentij ſui redderet rationem; Tandem vero cum nec hac via quidquam ab illo obtinere potuiſſet, his eum verbis Abbas eſt allocutus: *Idcirco antiquus adverſarius bonorum ſemper operum inimicus, ſilentium tibi tentavit imponere, ut & in fructum fraternæ ædificationis amitteres, & illi, qui à te ſublevandi erant, tuæ conſolationis auxilium non haberent. Sic itaque frater*, concludit S. Petrus Damianus; *quia non malitia, ſed ex ſimplicitate peccaverat, ad mentem quantocius redijt, & contempta ſuggeſtione diaboli, admonitionibus pij Patris acquievit.*

Apparitio alia.

8. Idem in eadem Epiſtola ſimilem quamdam refert apparitionem quæ fœminæ cuidam, quæ eximiæ bonitatis, & Leonis Papæ IX. ſoror fuerat, accidiſſe dicitur, quæ ſtatum religioſum amplexata, cum Matutinum cum ſodali ſua nocturno tempore dicere conſueviſſet, eamque hora ſolita ad idem pietatis officium excitaſſet quidem, ſed fruſtra, quia ſomno eam nimis gravatam excitare non potuit, *tandem in iram commota, quid diceret, non attendit: Diabole, inquit, ſurge. Ad quam vocem præſto diabolus, ejus quæ dormiebat effigiem repræſentans, acceſſit, & mutuos reddendo verſiculos pſallere ſimul cœpit, cumque ad illum Pſalterij locum modulatione continua perveniſſent, ubi dicitur: Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant à facie ejus qui oderunt eum, ſicut deficit fumus deficiant &c. hic illico malignus ſpiritus ſubſiſtit, & hos exprimere verſiculos non præſumpſit; hoc ſancta mulier cum apud ſe miraretur, expavit, & quod erat, non inaniter ſuſpicans, lignum ſibi ſanctæ Crucis impoſuit, ſtatimque malignus hoſtis evanuit, & quis eſſet, qui ſanctæ mulieri pſallendo comes extiterat, ſe fraudulenter occultando manifeſtavit.*

Rich. à S. Vict. p. 2. in Cant. c. 17.

9. De rebellibus hiſce ſpiritibus Richardus de S. Victore ita ſcribit: *Falſa devotione decipiunt, quia quasdam orationes & meditationes dulcem affectum etiam lachrymas in anima producunt, ut vel mentem in errorem vel elationem, vel corpus perducant ad debilitatem.* S. Gregorius in ſuis moralibus ſuper illa Jobi verba: *Quis revelabit faciem indumenti ejus?* ita ſcribit: *Leviathan iſte aliter religioſas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat, nam pravis mala, quæ deſiderant, aperto objicit, bonis autem latenter inſidians, ſub ſpecie ſanctitatis illudit. Illis velut familiaribus ſuis, iniquum ſe manifeſtius inſinuat, iſtis vero velut extraneis, cujusdam quaſi honeſtatis prætextu ſe palliat, ut mala quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine ſubintromittat.* Unde tot ſæculorum experientia compertum eſt, quod homines maxime timorati & virtuoſi hiſce deluſionibus, apparitionibus, & ſeductionibus, eis ſub ſpecie majoris boni evenientibus præ cunctis alijs vel maxime ſint obnoxij. Enimvero ut S. Gregorius ait: *Iniqui ſi aperte mali eſſent, à bonis recipi omnino non poſſent, ſed ſumant aliquid de viſione bonorum, ut dum boni recipiunt in eis ſpeciem, quam amant, permixtum ſumant virus quod vitant.* Et S. Dorotheus ait: *Diabolus ipſe non poteſt interdum fallere, niſi virtutem adumbret:* Et ideo cum Dæmoni impoſſibile ſit, ut hominem aliquem in ſpirituali vita bene fundatum & habituatum ad manifeſtam Dei offenſam directe & immediate inſtigare poſſit, venenum apparentis virtutis dulcedine permixtum ſolet porrigere.

Aliæ Dæmonis fraudes. Job. 41. v. 4. S. Greg. l. 33. moral. c. 22. S. Greg. cit. ab Hug. Card. ibid. S. Doroth. Doctr. 4. de mend.

10. Salmeron ſuper illa verba: *Transfigurat ſe in Angelum lucis*, inquit: *Se transfigurat, inviſibiliter ſuggerendo bona, ut inde eliciat mala, & viſibiliter mentiendo ſe eſſe Angelum Dei.* Hugo Cardinalis ſuper illa verba Jeremiæ cap. 41. *Egreſſus ergo Iſmael ... incedens & plorans ibat* ex S. Gregorio ita ſcribit: *Incedens & plorans ibat, quia ut devotas mentes interimere valeat, ſe ſub velamine virtutis occultat.* Idem quoque S. Gregorius alibi dicit: *Inſidiantia vitia virtutum faciem ſumunt, ſed hoſtili invectione nos feriunt; jam ſæpe immoderata ira, juſtitia, & ſæpe diſſoluta remiſſio miſericordia vult videri, ſæpe incautus timor humilitas, ſæpe effrænis ſuperbia appetit libertas apparere.* S. Propheta de hoc infernali monſtro dicit: *Cartilago illius quaſi laminæ ferreæ*, Ubi idem ſanctus Pontifex ait: *Quid per cartilaginem niſi ſimulatio oſſis accipitur? Cartilago namque oſſis oſtendit ſpeciem, ſed oſſis non habet firmitatem, & ſunt nonnulla vitia quæ oſtendunt in ſe rectitudinis formam, ſed ex pravitatis prodeunt infirmitate. Hoſtis enim noſtri malitia tanta ſe arte palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos, culpas virtutes fingat, & inde quisque quaſi expectet præmia, unde dignus eſt æterna invenire tormenta*; ſic namque vindicta ſe juſtitiæ pallio contegit; Ira ſub ſpecie zeli prodit, tenacitas parſimonia & pertinacia conſtantia eſſe exiſtimatur. *Superbia, libertas, laſcivia affabilitas; loquendi procacia, veritatis defenſio; pigritia, quietis amor.*

2. Cor. 11. 14. Salmer. 11. 14. diſ. 12. Jerem. 41. 6. Hug. Card. 2. Cor. 11. S. Greg. cit. ab Hugone Card. Job. 40. 13. S. Greg. l. 32. moral. c. 17.



Pſ. 141. v. 4. Hug. Card. ibid.

Dæmon decipit ſub ſpecie boni.

11. S. Propheta David olim lamentabatur dicens: *In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi:* Ubi Hugo Cardinalis ait: *Sub ſpecie boni diabolus abſcondit nobis laqueos; Abſcondita eſt via in pedica ejus, & decipula juxta ſemitam; hypocriſis in via continentiæ, inanis gloriæ in via macerationis carnis, ſeveritatis in via juſtitiæ; falſæ pietatis in via miſericordiæ; prodigalitatis in via largitatis, carnalis affectionis in via charitatis, præſumptionis in via ſpei; & deſperationis in via timoris, furoris in via zeli, præcipitationis in via audaciæ; aſtutiæ in via prudentiæ, pigritiæ in via conſilij; obſtinationis in via conſtantiæ, curioſæ perſcrutationis in via ſapientiæ.* Diabolus enim optime zizania inter triticum tam bono ordine ſeminare novit, ut unum ab alio vix diſcerni queat: unde S. Hieron. ait: *Inter triticum & zizaniam, quamdiu herba eſt, & nondum culmus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, ut in diſcernendo aut nulla aut perdifficilis ſit diſtantia.* Viri ſic quoque vitia ſpecie virtutis accurate palliare novit; unde B. Laurentius Juſtinianus ait: *Viros perfectos ad ſpiritualia aſſuetos inter certamina callide ſemper obſervat, illis namque in lucis Angelum transfigurat ſe, & vitia ſub virtutum ſpecie ſuadere continuo nititur. Nam ſub colore zeli furorem inſerit, ſub juſtitiæ imagine crudelitatem, ſub velamine charitatis carnalem affectionem, ſub prætextu honoris Dei privatam laudem, & ſub deſiderio ſalutis animarum, prælationis officium ſuadet ut quæratur.*

S. Hieron. B. Laur. Juſtin. de diſcip. & perfect. Monaſt. Converſ. cap. 12.

Notabile exemplum.

12. Notum eſt facinus illud, quod circa Heronem Monachum contigit, qui poſtquam annos quinquaginta vitam in deſerto auſteriſſimam traduxiſſet, tandem *poſt tantos labores ab inſidiatore deluſus, graviſſimo lapſu corruens, cunctos in eremo conſtitutos luctuoſo dolore percuſſit*; Dæmon vultum Angelicum præ ſe ferens eidem apparuit, atque ſemetipſum in puteum præcipitem agere juſſit, utpote *qui magnum*, ut ajebat, *virtutis ſuæ meritum probaturus eſſet, cum inde exiſſet illæſus:* Quem Monachi ſemivivum inde extraxerunt, & licet triduo poſt lapſum ſupervixerit, in ſua tamen obſtinatione mortuus eſt à dæmone deluſus.

Rich. à S. Vict. p. 2. in Cant. c. 17.

13. Alium quemdam Dæmonis aſtum obſervat Richardus à S. Victore, dicens: *Male quosdam de ſalute aliorum ſolicitant, quos incitant & accendunt ad converſionem, vel ædificationem aliorum longe poſitorum, quatenus à quiete mentis, & utilitate propria eos deficiant.* Cui accedit alia quædam tortuoſi ſerpentis aſtutia, quam S. Joannes Climacus his verbis innuit: *Impedire nos Dæmones à levioribus ſolent*; ſed quo putatis ſine id faciunt. *Ut ad graviora impellant.*

S. Joan. Climac. gr. 26. n. 25. ſcalæ.

## DISCURSUS VIII.

### ARGUMENTUM.

Minimus ad animam noſtram aditus dæmoni ſufficit, ut deinceps omnem ſuam malitiam in eam infundere poſſit, neque nos impedit, quo minus multa bona opera faciamus, dummodo etiam mali aliquid à nobis committatur.

### THEMA.

*Nolite locum dare diabolo.* Ad Epheſ. 4. ℣. 27.

Diabolo nec minimus concedendus eſt aditus.

1. Utiliſſimum profecto eſt hoc ſancti Apoſtoli monitum, quo humanam erudiri voluit ignorantiam, ne fraudulento angui tartareo, vel minimum homines aditum indulgeant, ſiquidem, prouti experientia teſte videmus, quocumque ſerpens capite ſuo penetrare poteſt, eo quoque toto reliquo corpore paulatim haud difficulter ingreditur: Qua eadem aſtutia Dæmon ſemper uti conſuevit, procurando nimirum ut mediante levi aliqua transgreſſione, vel affectu aut paſſione aliqua inordinata, vel minimam in corde & anima noſtra rimam aut aperturam obtinere queat, ſiquidem illa præhabita, haudquaquam ei difficile eſt, ut paulatim in eamdem cum omni malitia ſua ingredi valeat. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Veterator malorum diabolus cum ſit magna illius malitia, multa opera, ingenti ſtudio, condeſcenſioneque nonnulla ad perditionem hominum utitur: A minimis enim plerumque incipit.*

D. Chryſoſt. Hom. 87. in Matth.

Ne animæ noſtræ concham aperiat ac Deum auferat ut Judæ contigit.

2. De cancro, conchis, ſive cochleis inſidiante naturaliſtæ referunt, quod hac uti ſoleat aſtutia; ſubito enim ut illarum unam apertam eſſe conſpicit, lapillum quemdam in eam conjicit, vel modicum lignum, ut inde impedita claudi non poſſit; hæc enim modica apertura ſufficit ei, ut eam ingredi paulatim & devorare poſſit: pari quoque ſagacitate dæmon utitur, quia *ſerpens erat callidior cunctis*, mox enim ut cor hominis bonis hiſce temporalibus capiendis patere conſpicit; lapillum quemdam, id eſt, inordinatum erga certam quamdam perſonam ingerit amorem, idque ſub ſpecie boni, ut ſcilicet ejus procuret ſalutem, ubi vero per hunc affectum minimum aliquem in cor illud aditum ſibi patefecerit, ſenſim & paulatim ſpiritus immundus cum omni malitia ſua in illud ſe inſinuat. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Ubique illis ſolis dumtaxat initijs opus: ſi vero nactus fuerit initium nocendi, omnia ſibi ipſi ſuopte ingenio veſtigat, & amplificat. Unde de Juda traditore ſcriptura ait: Cum diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas*; Ubi Hugo Cardinalis ait: *Quidam dicunt, quod diabolus immittit mala, non proprie, ſed immittere dicitur imaginationes, imprimendo in vi imaginativa; Item loquendo ad ſpiritum ſuo modo, & ſic ſuggerendo mala. Tertio immittendo quædam fomenta corpori.* Et S. Auguſtinus inquit: *Si quæris quid miſſum ſit in cor Judæ? hoc utique ut traderet eum; miſſio iſta ſpiritualis ſuggeſtio eſt, non ſit per aurem, ſed per cogitationem, ac per hoc non corporaliter, ſed ſpiritualiter.* Dubitare quidem non licet, quia Judas una cum alijs Apoſtolis collegis ſuis, vitam duxerit apoſtolicam, Chriſtumque in jejunijs, in peregrinationibus, in actibus humilitatis & mortificationibus ſecutus fuerit; Itemque Evangelium ferventer prædicaverit, miracula patraverit, & orationi ſæpius incubuerit, & tamen dæmon in cor & animam ejus aliqualem aditum habebat, tenebatque concham hanc apertam; quod unicum ad inæſtimabilem animæ etiam Apoſtoli alicujus gemmam rapiendam & devorandam, Deumque ex eadem anima expellendum abunde ſufficit.

Gen. 3. v. 1. D. Chryſoſt. Hom. 14. ad Eph. Joan. 13. v. 2. Hug. Card. S. Aug. Tr. 55. in Joan.

Matth. 6. v. 24. Lyran. ibid. Dæmon à minimis tentare incipit.

3. Lyranus ſuper illa verba: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*, Ita ſcribit: *Cor hominum non poteſt ſimul capere Deum & diabolum, ſed ſuſcepto diabolo per peccatum exit Deus: ſuſcepto Deo per charitatem exit diabolus.* Dæmon autem ſenſim & paulatim noſtram machinatur ruinam: *à minimis enim incipiunt, qui in maxima proruunt.* S. Bernardinus de Senis ait: *Tantæ quippe aſtutiæ eſt ſerpens antiquus; ut hominem Deum timentem non mox invadat ſuggeſtione aperti ſceleris, ſed primum paululum reſtringit rigorem juſtæ diſcretionis; qui autem modica ſpernit, ut dicitur* Eccleſiaſtici cap. 29. *paulatim decidet:* Unde in Apocalypſi Epiſcopo illi dicitur: *Habeo adverſus te pauca; multa ſe adverſus eum habere diceret, ſi illum in manifeſtis ſceleribus inveniſſet; ſed pauca ſe habere aſſerit, quia in eo fervorem juſtitiæ, negligentiæ torpore remiſſum invenit.* Et ideo Richardus à S. Victore hoc nobis documentum poſt ſe ſcriptum reliquit: *Scipſum neceſſe eſt ut quisque proficiens vincere ſtudeat, & voluntates ſuas frangere, nec tantum majora peccata, ſed etiam minora oblectamenta cavere, quantum enim à voluntate propria vel delectatione vel conſolatione carnali etiam in minimis vincitur, tantum à robore deficit, & mente infirmius ſit.* Et paulo poſt ſubdit: *Item quantum parvis ſuggeſtionibus inimici ſuccumbit, tantum hunc contra ſe robuſtum facit, ſicut Job in perſona talis dicit: Irruit in me quaſi gigas, ut ei jam reſiſtere non valeat, cui cedendo ferventer contra eum vires dabat.*

S. Bern. T. 3. ſer. 3. in fer. 3. poſt Pent. Eccli. 29. v. 1. Apoc. 2. v. 14. Rich. à S. Vict. p. 2. in Cant. c. 21. Job. 16. v. 15.

Joan. 10. 10. Furi ſimilis qui puerum per feneſtellam immittit ut majores aperiat.

4. Dæmonem in pluribus ſcripturæ locis furi aſſimilari legimus, præcipue vero apud S. Joannem c. 10. *Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat.* Notandum vero eſt ſtratagema quo latrones communiter uti ſolent; ubi enim violenter ingredi nequeunt, ne fores domus dejiciendo; vel muros & parietes perfringendo ſtrepitum aliquem excitent, ex quo domeſtici à ſomno excitentur, ſi parvam quamdam feneſtram apertam inveniant; puerum aliquem ſagacem ab eis in furtis committendis eruditum per illam immittunt, qui caute fores domus, vel feneſtras majores aperiat, per quas ipſi ingredientes pro libitu ſuo quævis obvia rapiunt & furantur: Eſtque hæc eadem latronis infernalis in depredandis animabus vulgaris ſagacitas; ne enim in animas cum ſtrepitu, id eſt, per inſtigationem ad peccata enormia committenda irrepat, prius ſuggeſtionem vel imaginationem immundam eis immittit, vel ad aſpectus oculorum incautos, ad complacentiam ſenſualem, vel periculoſam aliquam familiaritatem extimulat &c. *Cum diabolus jam miſiſſet in cor &c. veniam ad te tamquam fur* in nocte. Somno illuſionem quamdam nocturnam, vel turpis rei viſæ vel auditæ reminiſcentiam, tamquam modicam

Joan. 13. 2. Apoc. 3. v. 4.

dicam quamdam ſcintillam in animam injicit, quæ demum eo paulatim excreſcit, ut ad accendendam in nobis magnam quamdam fornacem Babylonicam abunde ſufficiat.

Unicus dæmoni ſufficit aditus.

*S. Ephr. c. 1. de morbo lingua.*

5. Ingenioſa profecto nec minus utilis eſt illa ab avicula laqueo vel reti capta deſumpta ſimilitudo, quam S. Ephrem his verbis adducit: *Ex volucrum aucupio diſce*, inquit, *quæ parva videntur, non ideo contemnenda; contingit enim ut avis in laqueum incidens minima capiatur unguicula, & alarum vires franguntur & debilitantur ob unguem vilem, & cum totum corpus ſit extra laqueum, totum tamen retinetur.* Quot ſunt hodie viri apparenter exemplares, qui cum in novem Decalogi præceptis omnino ſint irreprehenſibiles, ſæpe tamen per unicam capiuntur unguiculum, id eſt, in uno tantum præcepto delinquant.

*Pſ. 118. v. 6.*

Hoc eſt quod David dicere voluit, dum ait: *Tunc non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Recogitetis velim, quam ſolicite Goliath ex omni corporis parte armatus fuerit, quantumque ſe de ſua fortitudine animique generoſitate jactaverit, & tamen quia pars quædam frontis nuda remanſit, in eadem per evibratum ex funda Davidis lapillum fortiter ictus, in terram proſtratus turpiter occubuit.

*S. Ephr. ibid.*

Quare *Exemplum à militibus, cape*, inquit idem S. Ephrem; *nonne totum corpus militis ferreo thorace munitur? accidit autem & illud ob laxiorem conſtitutionem lædi, nam ſi per tenuem aliquam rimulam telo aditus pateſiat, ſtrenuo militi mortem adfert.*

*3. Reg. 22. v. 34.*

Rex Achab prælium ingreſſus in omnibus corporis partibus ſolida armatura erat præcinctus, una ſolum excepta, in qua telo & haſtæ aditus patebat, & ideo in illa ferro vulneratus miſere interijt. Imaginemini vobis arcem quamdam vel civitatem omnino inexpugnabilem ſive ſitus conſideretur inacceſſibilitas, ſive annonæ victus & munitionis bellicæ abundans copia, ſive præſidiariorum militum invictus & intrepidus auſus ſive murorum vel mænium altitudo cum latitudine conjuncta, ſive vallorum fortificationes, ita tamen ut ſolum unica murorum pars obſoleta pateſcat, unius ille quantumvis modicus defectus inimico ad urbem invadendam ſufficit. Porro anima hominis juſti per civitatem bene munitam & cuſtoditam ſymbolice ſignificatur; quod ſi hæc ex omni prorſus parte bene munita præſidijsque debitis provide cuſtodita fuerit, nihil contra illam humani generis hoſtis obtinere poterit: quod ſi vero unica tantum ex parte, quacumque tandem defectuoſa fuerit, væ illi, quia metuendum illi ne vel ex hoc ſolum capite, dæmoni in prædam cedat:

*S. Cypr. l. de ſing. Cleric.*

*Omnes ergo ruinæ, ne dicam portæ*, inquit S. Cyprianus, *claudendæ ſunt, ne per unum foramen caſtra omnia penetrentur, & univerſa componenda ſunt munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas ruat.* Videt enim dæmon, v.g. quod vir ille timoratus quoad honeſtatis & pudicitiæ cuſtodiam vigilantiſſime ſe gerat, ſenſusque ſuos ſolicite cuſtodiat, eleemoſynis dandis & contemptui ſui-ipſius totaliter ſit deditus, ſobrius & parcus ſit in victu, corpus ſuum cilicijs mortificet & affligat, linguam ſuam refrænet, atque in operibus miſericordiæ tum ſpiritualis, tum corporalis ſe exerceat &c. Sed quid demum inde boni provenit? Nimirum quia dæmon perfecte cognoſcit, quod natura ejus ad bilem & iram ipſum extimulet, proinde huc caſtra ſua figit, tamque amplum animam ejus invadendi aditum deprehendit, ut illum paulatim averſionem imo & odium adverſus proximum ſuum concipere faciat, quod ipſum ſolum dæmoni abunde

*1. Joan. 3. 14*

ſufficit, quia *Qui non diligit manet in morte*; Nam ut S. Hieronymus ad Celantiam ſcribit:

*S. Hieron. l. 1. Ep. 20.*

*Quid prodeſt tenuare abſtinentia corpus; ſi animus intumeſcat ſuperbia? quam laudem merebitur de pallore jejunij, ſi invidia lividi ſumus? quid virtutis habet vinum non bibere, & ira atque odio inebriari?*

6. Herodes quidem S. Joannem Baptiſtam in ſumma veneratione habebat, conciones ejus perlibenter auſcultabat:

*Marc. 6. v. 20.*

*Libenter eum audiebat*, & quidem non ex curioſitate, ſed ex proficiendi deſiderio eum audiebat, nam juxta veridicum S. Marci Evangeliſtæ teſtimonium

*Ibid.*

*audito eo multa faciebat*, nec mirum, quia eximium de Baptiſta conceptum ſibi impreſſum habebat:

*ibid.*

*ſciens enim virum juſtum & ſanctum:* at vero hæc omnia nihil ei profuerunt, quia licet in multis rebus virtuoſe & in timore Dei proceſſerit: *multa faciebat*, attamen nondum omnia faciebat, quia ſpiritus fornicationis mediante inceſtu in cor ejus amplum aditum habebat, ideo ad Herodiadem dimittendam diſponi numquam potuit.

*1. Reg. 11. 2.*

Dextrum oculum devotionis Dæmon homini eruit ad damnationem.

7. In Cap. 11. Libri primi Regum legitur; quod cum Naas Ammonites adverſum Jabes Galaad bellum inſtituiſſet, hic vero populus ab eo in fœdus admitti ſuppliciter poſtularet; Naas ſuperbo elatoque animo ei reſponderit: *In hoc feriam vobiſcum fædus, ut eruam omnium veſtrum oculos dextros.* Ex qua hiſtoria S. Petrus Damianus aptiſſimum propoſito noſtro eruit myſterium. Etenim Naas utpote filius dæmonis qui creatori ſuo factus eſt rebellis, Galaaditis nequaquam ambos oculos erui poſtulat, ſed ut eſt ſagaciſſimus ſufficere ſibi dicit, ſi unius dumtaxat, iſque dexter eruatur ſingulis; at vero qua de cauſa id eum petiiſſe exiſtimatis? *Quia ſæpe malignus hoſtis, conſentienti ſibi cuilibet reprobo homini potiorem partem ſanctitatis ac lucidi operis adimit, minorem vero artificioſa quadam ſuæ calliditatis induſtria derelinquit, ut in eo quod tollitur, ſit occaſio damnationis, ut pereat, in eo vero quod remanet, de ſpe fiduciæ præſumatur, ut peccator ad pænitentiam non recurrat.* Oculum porro ſiniſtrum nobis relinquit, contentus, ſi dexter nobis oculus erutus fuerit, quia certas quasdam devotiones exteriores, orationes vocales, jejunia, peregrinationes ſacras, eleëmoſynas, ſanctorum advocatorum invocationes & alias ſimiles, quibus nos in conſpectu hujus mundi homines virtuoſos ſecundum exteriorem apparentiam probamus, & in quibus ſalutem noſtram in tuto poſitam eſſe confidimus, haud gravare nobis permittit, dummodo gratiam & amicitiam Dei veluti oculum dextrum in nobis interimat & extinguat, ſic enim fama in nobis ſalva manet, & tamen in abſcondito & in conſpectu Dei amor laſcivus, vel odium mortale aut lucrum injuſtum in ſuo vigore perſeverant, quæ ad hominem æternaliter damnandum abunde ſufficiunt.

*Exod. 8. 25.*

Ad bona inſtigat, ſed defectuoſa.

*Oleaſter.*

8. Pharao quoque qui tyranni infernalis verus typus erat, libenter quidem Hebræorum populo, ut Deo ſuo ſacrificaret, indulgebat, dummodo ſacrificia illa in Ægypto immolaret. Unde doctiſſimus Oleaſter ſequentem elicit moralitatem: *Diabolus facere bona opera permittit, imo ad ea inſtigat cum aliqua tamen mala conditione, quæ bonum opus malum faciat; ſinebat Pharao Judæos colere Deum ſuum, ſed in terra Ægypti.* Venerabilis Beda verba illa Luc. 15. *Pænitentiam agite &c.* exponens, ſimul etiam in quonam vera pœnitentia conſiſtat his verbis declarat:

*V. Beda in c. 15.*

*Pænitentiam agere*, inquit, *eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare, nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pænitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat.* Demum vero ad propoſitum noſtrum ſubjungit: *Quid enim prodeſt, ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelet? aut quid prodeſt ſi iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabeſcat?*

Verus Dei cultor omnia vitare debet peccata.

9. Spiritus Sanctus de Jehu intra tot annorum curricula quibus rexerat aliud peccatum vel transgreſſionem propalare non poterat præter unicam, quia poſtquam ejus in diſperdenda domo & progenie Achab, nec non in idolis Baaliticis evertendis egregium zelum mundo palam expoſuiſſet, ſubjungit:

*4. Reg. 10. 29*

*Ibid. v. 31.*

*Verumtamẽ à peccatis Jeroboam filij Nabat... non receſſit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, Nõ cuſtodivit, ut ambularet in lege Dñi Dei Iſrael in toto corde ſuo.* Ecce tibi manifeſtum ejus errorem, Nimirum in corde ſuo aliqua ſaltem ex parte diabolo locum dedit; Tametſi enim adoratores & cultores Baal penitus diſſiparit, attamen Jeroboami vitulos aureos in ſuo apud populum cultu & veneratione perſeverare permiſit; cum tamen verus Dei cultor, omnia idola neceſſariò evertere & annihilare debeat; nam ſi unicum ſolum reliquum maneat, hoc ipſum ad divinam juſtitiam exaſperandam abunde ſufficit.

*Jac. 2. v. 10.*

10. S. Jacobus ait: *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Et S. Paulus ad Corinthios ait:

*1. Cor. 10. 21*

Nec minimã Dæmoni partem dare cordis.

*Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*; Qui enim de cibis dijs gentilium oblatis deguſtabant, dæmonis ſequaces eſſe declarabantur, & ideo Apoſtolus impoſſibile eſſe dixit, ut quis de menſa Chriſti participet, & ſimul huic ſerpenti tartareo aditum quantumvis minimum indulgeat, nequaquam enim ſe mutuo compatiuntur Arca & Dagon.

*2. Cor. 6. 15.*

*Quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Et ideo Eccleſiaſticus comminatur dicens:

*Eccli. 2. v. 14*

*Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Quæ comminatio profecto multos Chriſtianorum perſtringit; Quot ſunt enim inter Chriſtianos qui ſibi perſuaſum habent, quod Deum in corde ſuo habeant, eo quod ſe in multis



tis devotionibus & exercitijs ſpiritualibus quotidie occupant, licet cæteroquin ſuum quoque minimum aditum vel locum diabolo indulgeant; ſed falluntur turpiter, quia ut apud Oſeam dicitur;

*Oſ. 10. v. 2.*

*Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Et idem S. Auguſtinus ait:

*S. Aug. tr. 7. in Joan.*

*Væ duplici corde, qui in corde ſuo partem faciunt Deo, & partem diabolo; iratus enim Deus, quia ſit ibi pars diabolo, diſcedit, & totum diabolus poſſidebit.*

11. Malum utique ſignum eſt, dum quis gradiendo claudicare cernitur, quia ſcriptum eſt:

*1. Reg. 5. v. 8.*

Deus enim totum cor petit

*3. Reg. 18. v. 21.*

*Matt. 6. v. 24*

*Claudus non intrabit in templum*; Per hos vero claudos, cultores Baal intelligebantur quibus Elias Propheta exprobrabat dicens: *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum*; Quod conſonat cum verbis Chriſti manifeſte dicentis: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Id quod Gloſſa hoc loco ſequenti argumento verum eſſe oſtendit dicens:

*Gloſſ. ord. ibid.*

*Cum regnum Dei & diaboli diſſideant inter ſe, in utroque nemo poteſt ſimul militare, unde qui baptizantur diabolo abrenuntiant, & ejus operibus.* Etenim Deus nimio zelo animam noſtram diligit, quam ut S. Auguſtinus ait, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creavit,

*S. Aug. l. de ſpiritu & anima.*

*ut factorem ſuum pro imagine cognoſcat, & pro ſimilitudine diligat*; Et ideo totum amorem, totum cor ejus expoſcit dicens:

*Prov. 23. v. 26.*

*Præbe fili mi cor tuum mihi*; Et iterum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis*; quia ipſam ſibi in ſponſam adoptavit:

*Oſ. 2. v. 20.*

*Sponſabo te mihi in fide.* Atque ideo ſicut ſponſa quæ alteri amatori vel minimum locum in camera vel cubili ſuo indulget, adultera reputatur: ita pariter Chriſtianus ille, qui peccato ſuo mediante, dæmoni vel minimum in cor ſuum aditum indulget, ſine ulla controverſia adulter vocari poterit; cui proinde improperari poſſit illud Iſaiæ:

*Iſ. 57. v. 8.*

*Ezech. 16. v. 32.*

*Suſcepiſti adulterum, dilataſti cubile tuum*, quia ut apud Ezechielem dicitur: *Quaſi mulier adultera quæ ſuper virum ſuum inducit alienos.* Non vero ſic anima fidelis facit, quia potius, dum inimicum ad cordis ſui fores pulſantem, & hoſpitiolum à ſe, id eſt, conſenſum in unicam dumtaxat culpam poſcentem audit, reſpondet, quod anima illa ſancta apud Iſaiam reſpondebat:

*Iſ. 28. v. 20.*

*Coanguſtatum eſt ſtratum, ita ut alter decidat, & pallium breve, utrumque operire non poteſt.*

Dæmon Erycio ſimilis de quo fabula.

12. Nota utique eſt illa de Erycio fabula, qui ſerotino tempore ad vulpis foveam accedens, minimum quemdam antri ſui angulum ſibi in noctis illius hoſpitium indulgeri popoſcit; Quo obtento, ingreſſus antrum paulatim membra ſua extendere & melioris quietis cauſa dilatare cœpit, adeo ut pungentes ſpinæ, quibus Erycius armorum loco toto corpore obſitus eſt, vulpem magis magisque ſtringentes eumdem antrum ſuum deſerere, & Erycio inhabitationem relinquere coëgerit. Eadem quoque eſt antiqui ſerpentis aſtutia, qui modicum in cor & animam noſtram aditum poſtulat, & paulatim uſque ad totius cordis poſſeſſionem ſeſe dilatat: ac proinde cauti eſtote:

*Epheſ. 4. 27.*

*Nolite locum dare diabolo*, ſecus enim comminatur nobis Deus per Iſaiam:

*Iſ 14. v. 23.*

Tentat ſub ſpecie boni.

*Ponam eam in poſſeſſionem Erycij.* Porro diabolus primitus ſub ſpecie boni, vel ſub pallio devotionis cor noſtrum ingreditur, idque adeo ſubtiliter, ut fraus & dolus ejus in principio etiam à viris ſpiritualis vitæ peritis notari vix poſſit: at vero poſtquam per cordis noſtri oſtium ingreſſus eſt, tandem per omnem malignitatem ſuam paulatim extenditur, adeo ut paulatim puncturæ & remorſus conſcientiam cruciantes in animæ ſinu non ſine dolore percipiantur. Sed dicet fortaſſe aliquis, quidnam damni animæ noſtræ conciliare poterit unicus curioſus obtutus? Cui proinde reſpondeo, niſi curioſitas oculorum animæ pernitioſa eſſet, non utique Job, qui patientiæ & ſanctitatis ſpeculum fuit, proteſtaretur dicendo:

Curioſus aſpectus pernitioſus.

*Job 31. v. 1.*

*Pepigi fædus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine*, cujus protinus hanc rationem ſubjungit:

*Ibid. v. 2.*

*Quam enim partem haberet in me Deus?* Quot ſunt qui per unicum curioſum obtutum ſpiritui fornicationis in imaginationem ſuam aditum dederunt, unde poſtea cum omni veneno & malitia ſua in voluntatem & animam eorum ſe adeo efficaciter inſinuat, ut Deus abinde recedere & exulare coactus fuerit? Pharao mox ut à Moyſe audivit: præceptum à Deo impoſitum eſſe Hebræis, ut omnes relicta Ægypto ad offerendum Deo ſacrificium in ſolitudinem per triduum concederent, ut aſtutus & verſipellis erat, ad id faciendum plenam quidem illis facultatem dedit, attamen cum hac conditione:

*Exod. 10. v. 24.*

*Oves tantum veſtræ & armenta remaneant, parvuli veſtri eant.* Cui Moyſes nequaquam id fieri poſſe reſpondit, ſed potius

*Ibid. v. 26.*

*cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis ungula, quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri.* Ita quoque tartareus Pharao ſolicitat, ut dum à nobis Deo offerendum eſt ſacrificium, ſemper aliquid rerum noſtrarum in Ægypto remaneat, cui per affectum adhæreamus, ut hac ratione aliquod in nos Dominium retinere poſſit: at vero diſcamus à Moyſe ſalutare reſponſum, quo ei occurramus: *Non remanebit nec ungula. Nolite locum dare diabolo.*

## DISCURSUS IX.

### ARGUMENTUM.

Serpens infernalis ſpecialiter ad hoc omnem ſuam adhibet induſtriam & conatum, ut viros ſanctiſſimos & perfectiſſimos vincere poſſit.

### THEMA.

*Superſeminavit zizania in medio tritici.* Matth. 13. ℣. 25.

Dæmon ut juſtos capiat laborat.

1. DEus quidem invidum ſerpentem in exordio mundi hac mulctavit ſententia, ut terra paſceretur:

*Gen. 3. v. 14.*

*Terram comedes:* Ipſe tamen hoc pabulo minime contentus nobiliorem ſibi cibum ſemper inquirit, nam ut in Prophetia Habacuc ſcribitur:

*Abacuc. 1. v. 16.*

*Cibus ejus electus.* Similiter quando peſſima ſua ſeminavit zizania, ut fructum ſibi congruum redderent, illa non ſuper hordeum, avenam, vel ſimile aliquod vile frugum genus diſperſit, ſed ſuper triticum: *Superſeminavit zizania in medio tritici.* Cujus ratio eſt, quia ut Cajetanus inquit:

*Cajet. ibid.*

*Non ſufficit diabolo ſuperapponere malum bono, ſed ſatagit ut optimis quibuſque miſceat illud.* Hanc etiam ob cauſam ſub latronis habitu figuratur, quia ut Didacus Stella bene obſervat:

*Didacus Stella in c. 4. Luc.*

*Numquam fur furaturus ingreditur loca, ubi paleæ ſunt, & ſtercora, nam ex eis nihil hauriet, niſi pulverem in calceis: at mercatorum domos ingreditur, & vaſis ſacris inſidiatur, atque æraria publica quærit.* Porro peccatores & homines mundani, qui bonis terrenis immerſi vivunt, quoſque proinde de facto proprietarie poſſidet, palea & ſtercore onuſti ſunt, quia S. Paulus de bonis hujus vitæ ait:

*Phil. 3. v. 8.*

*Omnia arbitror ut ſtercora*; Et idem his neglectis, illis inſidiatur theſauris, de quibus apud Matthæum dicitur:

*Matth. 6. v. 20.*

*Theſaurizate vobis theſauros in cælo.* Quod D. Chryſoſtomus per ſimilitudinem à privatis deſumptam exponit, dum ait:

*D. Chryſoſt. Hom. 4. de verb. Iſai.*

*Quemadmodum ſit in navigijs, qui vacuam habent navem, non metuunt pyratarum inſultum, non enim veniunt ut conterant navem nihil vehentem.* Et D. Chryſologus ait:

*D. Chryſol. ſerm. 96.*

Onuſtas invadit naves.

*Inter innocentes nequitiam gratis ſerere conſuevit, non ut acquirat zizania ſed ut triticum perdat. Hoſtis plus ducem quam militem petit, nec obſidet mortuos, ſed impugnat viventes: ſic diabolus non peccatores quærit capere, quos poſſidet ſubjugatos, ſed ut juſtos capiat, ſic laborat.* Præfatus D. Chryſoſtomus in alia quadam Homilia eamdem proſequitur pyratarum ſimilitudinem, dicit enim:

*D. Chryſoſt. Hom. 3. de verb. Iſai. T. 3.*

*Quemadmodum pyratæ, qui mare navigijs infeſtant, non tum, ubi conſpexerint naves è portu exeuntes, invadunt, quid enim hinc fructus caperent, ſi ſcapham inanem demergerent? ſed ubi redierit onuſta, tunc omnes expediunt artes: ita ſceleratus ille Dæmon, ſimulatque videt aliquos multa collegiſſe videlicet jejunia, preces, Eleëmoſynas, caſtitatem, reliquaſque virtutes omnes, ubi videt navigium noſtrum eſſe plenum pretioſis pietatis lapidibus, tum irrumpit, undique theſaurum perfodiens, ut in ipſis portus oſtijs ſcapham demergat.* Idem quoque ſanctus Doctor in Homilia prima ad populum Antiochenum latronum ſimilitudinem adducit:

*D. Chryſoſt. Hom. 1. ad pop.*

*Neque admiremur*, inquit, *quod ſpiritualibus inſtantes multa patiamur adverſa. Quemadmodum enim latrones non ubi fænum & paleæ, & calamus, ſed ubi aurum & argentum ibi fodiunt, & continuo vigilant; ſic & diabolus his maxime inſtat, qui ſpiritualia attingunt.* S. Nilus quoque exemplo utitur pyratarum, qui illis præcipue navibus inſidias parant, quas pretioſioribus mercibus noverunt eſſe onuſtas.

*S. Nilus de octo vitioſis cogit. c. de ſuperb.*

*Iſ. 14. v. 13.*

Invidens homini ſublimẽ ex quo corruit locum.

2. In eo præcipue peccatum Luciferi conſiſtit, quod Thronum Divino ſimilem & parem ambire præſumpſerit: *In cælum conſcendam*, quid mirum igitur ſi oculos ſuos ſemper ad ſublimia & pretioſa directos habeat, id eſt, in eos qui ad illas ſedes è quibus ille præcipitatus fuit, aſpirant. Filij Jacob Joſephum fratrem ſuum fatali ſemper odio proſequebantur, quia illum à Patre ſuo tenerrime amari videbant, utpote qui illum in peculiaris dilectionis ſignum pulcherrima illa veſte quæ Polymita vocabatur, induerat;

rat : Eodem prorſus modo invidus ille ſerpens tolerare nequit,quod communis creator majori nos dilectione quam ipſum proſequatur , ſiquidem ut nos ſanguine ſuo pretioſiſſimo redimeret , corpus ſibi mortale pro nobis aſſumpſit, quod in Angelorum obſequium numquam fecit. Præ nimia invidia in rabiem agi videntur,dum nos cœleſtibus virtutum , gratiarum, & donorum infuſorum theſauris locupletari vident , ac proinde omni conatu nos hiſce theſauris ſpoliare contendunt ; nam ut Caſſiodorus ait : *Graviores inſidias adverſarij tunc ſubimus , quando Dei dona ſuſcipimus.*

*Caſſiod. l. 11. Ep. 2.*

*Jer. 1. v. 14.*
Cœleſtibus donis opulentioribus Dæmon magis inſidiatur.
*Iſ. 14. v. 13.*
*Job 37. 22.*

3. Jeremias Propheta ſe vocem quamdam Dei audiviſſe ſcribit , dicentem ſibi : *Ab aquilone pandetur malum.* Circa quæ Dei verba merito quærendum venit , cur potius ex parte Aquilonari quodvis infortunij genus metuendum ſit , quam aliunde ? Pro cujus reſolutione memorandum eſt , quod inimicus humani generis omnium malorum author & inſtrumentum olim dixerit : *Sedebo . . . in lateribus aquilonis* , quid igitur mirum, ſi ab aquilone omne malum velut à fonte rivuli ſcaturiant ? Verumtamen notandum eſt quod ſanctus Propheta Job dicat : *Ab aquilone venit aurum,& ad Deum formidoloſa laudatio.* Quodnam obſecro eſt aurum illud,quod ab Aquilone procedere dicitur ? Nimirum homines perfecti & ſancti,atque ex mercibus cœleſtibus divites & opulenti, quibus proinde dæmon, latro ille tartareus , quaquaverſum ſtruit inſidias;unde ſanctus Hieronymus ait : *Nos aurum ſanctos intelligimus, ab aquilone, hoc eſt , à diabolo ereptos.* Sed quænam eſt inter aurum iſtud & verba illa : *Et formidoloſa apud Deum laudatio* , convenientiæ aut connectionis proportio ? Idem ſanctus Hieronymus ait : *Laudant cum formidine , incredibilia arbitrantes , quod potuerint de hoſte graviſſimo liberari* , quia ut ſanctus Anſelmus ait : *Diabolus inceſſanter pios perſequitur, & tanto periculoſius,quanto occultius.*

*S. Hieronymus.*
*S. Hieron.*
*S. Anſ. in 2. ad Timoth.*
*Luc. 18. 12.*
Bonis operibus intentos ſupplantat ut Phariſæum.
*Hug. Card. ibid.*
*S. Ambr. in Pſalm. 118. octon. 3.*

4. Negari haudquaquam poteſt , quin Phariſæus ille , cujus apud ſanctum Lucam capite decimo octavo fit mentio , priuſquam ad templum orationis cauſa adiret , multorum cœleſtium theſaurorum locuples fuerit,quia vir erat, qui ut ex Evangelio colligitur, aſſidue domum Dei frequentabat , pariterque orationibus, eleëmoſynis , & jejunijs apprime deditus erat , præterquam quod Hugo Cardinalis dicat , *Duæ ſunt partes juſtitiæ , declinare à malo & facere bonum , iſte Phariſæus ut perfecte juſtus appareat , de utraque gratias agit* : at vero pyrata infernalis omni conatu in id incubuit , ut na igium iſtud tot pretioſis mercibus liberaliter onuſtum ab excitato præſumptionis & vanæ gloriæ vento demergeretur, ut hac ratione , ſuæ illud poteſtati ſubjiceret. Unde ſanctus Ambroſius ait : *Studet ſupplantare diabolus bonis operibus intentos. Quantum laboravit Phariſæus ille , ne raperet aliena, ne injuſtus eſſet, ne adulteraretur ? quantum laborabat , ne peccaret, ſicut peccabat publicanus ? Quantum laboravit, ut bis in Sabbato jejunaret , & decimas daret omnium quæ acquireret ? Advertit hoc diabolus , & perfudit eum ulcere gravi , ut non teneret caput, mente carnis inflatus,& in eo in quo laudabilis fore crederetur, ibi reprehenſibiliter judicaretur.*

Vel vana aliqua gloria, vel confidentia.
*S. Proſper. Ep. 84.*
*Salmer. t. 3. tr. 32.*
*S. Baſil. Conſtit. Monaſt. c. 11.*

5. Nuſquam invenietis quod diabolus multum ſit anxius aut ſolicitus circa illos , qui domus Oenipolarum , cauponum , Comœdorum , proſtibulorum aliaque ſimilia indigna loca frequentant : ſicut anxiatur quoad eos , qui ſoliciti ſunt ut verbum Dei audiant , orationes ſuas ad Deum debita cum attentione dirigant , confeſſionibus animam ſuam expient,ſacra ſe communione reficiant , unde S.Proſper ait : *Vigilant tentatoris inſidiæ, ut ubi proficit devotio, ſubrepat elatio , & ut homo de bono opere in ſe potius quam in Domino glorietur* : Cavet nos tentare aut ſuadere nobis ut bona opera intermittamus , quia ſcit ſe hoc faciendo à nobis rejiciendum,tanquam manifeſtum inimicum: Omni tamen cum induſtria conatur efficere , ut bonorum operum perdamus meritum , inſinuando nobis de ijs complacentiam & vanam gloriam. Unde Salmeron ait : *Sæpe dæmon ſinit opera bona & multa homini perficere , quo magis poſtea de eis ſuperbiens confundatur* ; Et ideo ſanctus Baſilius Magnus , inquit : *Vanam gloriam ingenioſo titulo appellat dulcem ſpiritualium operum ſpoliatricem, jucundum animarum noſtrarum hoſtem.*

Chriſtus à Dæmone tentatus fuit poſt majora ſanctitatis indicia.

6. Neſcio an aliquando obſervaveritis , qualenam vel quod tempus Lucifer ex decurſu 33. annorum vitæ Salvatoris elegerit & expectarit , ad congrediendum cum illo : Eo præcipue tempore hoc prælium aggreſſus eſt , quando jam à S.Joanne Baptiſta baptizatus fuerat , quando ſuper illo aperti fuerant cœli , quando vox Patris æterni audita fuerat , clamantis : *Hic eſt filius meus dilectus , in quo mihi bene complacui* , quando Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ , ad conteſtandam mundo ejus divinitatem in ipſum deſcenderat , quando ſe ad agendam aſperimam pœnitentiam in horridum deſertum ſubduxerat: *Tunc acceſſit tentator.* S.Ambroſius idipſum ex peculiari divinæ providentiæ diſpoſitione factum fuiſſe cenſet , *ut oſtenderet nobis, diabolum ad meliora tendentibus invidere,& tunc magis eſſe cavendum , ne myſterij gratiam deſerat mentis infirmitas.*

*S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4.*
*Luc 11. 24.*
Devotiores in locis ſanctioribus magis tentat.
*S. Greg. l. 33. Mor. c. 3.*
*Job 7. v. 1.*
*S. Cypr. de ſingul. Cler.*
*1. Reg. 31. v. 3.*
*1. Reg. 9. v. 2.*
*Matth. 5. 14.*

7. S. Lucas ſpiritum nobis malignum velut per loca arida ambulantem repræſentat , dum ait : *ambulat per loca inaquoſa* : Quidnam hic ſubeſt myſterij in eo , quod cum dæmon purus ſit ſpiritus , ſpecialiter tamen in locis aridis & inaquoſis eum morari & obambulare delectet ? ſed facilis eſt reſponſio , loca enim ſterilia,arida, inaquoſa & inculta, ſolitudines & deſerta ſignificant , in quibus ſervi Dei latentes aſperrimam agunt pœnitentiam , qui proinde in hiſce locis magis quam in quovis alio à dæmone tentantur , ſic enim Chriſtum tentaturus non eſt aggreſſus eum in Nazareth, vel in Capharnaum , nec in Jeruſalem,ſed expectavit , donec ſe recepiſſet in deſertum : Præterquam quod S.Gregorius dicat : *Loca arentia & inaquoſa ſunt corda juſtorum , quæ per diſciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiſcentiæ humore ſiccantur.* In bello , prout per experientiam videmus, inimicus non tam in privatos & gregarios milites , quam in militiæ prima capita , & Generales exercitus oculos ſuos dirigit : *Militia eſt vita hominis ſuper terram* ; In hac autem militia Lucifer cum fæce peccatorum & impiorum hominum turba certamen inire contemnit, ſed oculum ſuum,omnemque conatum eo præcipue dirigit , ut illos ferire & proſternere poſſit,qui in virtute & ſanctitate eminentiores exiſtunt. Unde S. Cyprianus vel quiſquis libri illius author exiſtit , inquit : *Plus divites & principes , quam milites ab hoſtibus appetuntur in pugna , eo violentius propulſantur ventis & turbinibus culmina quæcumque ſunt altiora.* Unde in Lib. 1. Reg. cap. ult. de Saul dicitur : *Totum pondus prælij verſum eſt in Saul* , quia Rex & caput exercitus erat,ſtaturaque præ cunctis alijs eminebat : *Eminebat ab humero & ſurſum, non erat melior illo*; ita quoque dæmon omnes vires ſuas adhibet , ut eos qui in virtute & ſanctitate eminentiores ſunt , validius impugnet. Sicut enim ſtella eclipſeos deliquium patiens exiguum quidem damnum adfert : attamen dum ſol obſcuratur, omnes quoque alij planetæ obtenebrantur, & univerſa terra velut obſcura quadam nocte obducitur:ita quoque dum homo aliquis mediocris conditionis in peccata labitur , caſus illius tanti non æſtimatur : at vero ſi homo aliquis exemplaris v. g. Religioſus in peccata corruat : *Vos eſtis lux mundi* , ſcandalum inde publicum protinus conſurgit.

*Matt. 4. v. 8.*
*Ibid. v. 9.*
Quidquid habet Dæmon dat ut ſanctam lucretur animam.
*Eccli. 26. v. 20.*

8. Noſtis ex Evangelio quod dæmon Salvatorem noſtrum tentando omnia regna mundi hujus ei dare promiſerit : *Oſtendit ei omnia regna mundi. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Sed ſi diabolus quidquid in mundo pulchrum, pretioſum, aut æſtimatione dignum eſt Chriſto dare promittit , quid illi ad dandum alijs reliquum erit ? quidnam ad alios alliciendos dare valebit ? Scitiſne quidnam ad hoc reſponderi poſſit : nimirum diabolus Chriſtum ad lapſum inducere tanti æſtimabat , ut totius mundi pretium bene à ſe collocatum fuiſſe crediderit : *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ* ; Dæmon enim ad unicam dumtaxat animam ſibi comparandam dat quidquid in facultate ſua habet , maxime ſi talis anima magna fuerit ſanctitate & perfectione prædita , ſiquidem per illius caſum multas alias animas ad lapſum ingenti cum facilitate inducit.

Proficientibus Dæmon magis inſidiatur.
*2. Cor. 12. v. 7.*
*Judith. 1. 7.*
*Lyran in c. 1. Judith.*

9. S. Paulus Apoſtolus tunc vel maxime à dæmone in arenam certaminis provocatus fuit , quando poſt raptum ſuum è tertio cœlo velut ignitus quidam Seraphinus in hanc terram repoſitus fuit : Dicit enim : *Ne magnitudo revelationum extollat me , datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ , Angelus Satanæ qui me colaphizet* ; Cujus ratio eſt,*quia* ut Lyranus illa Lib. Judith capitis primi verba : *Tunc exaltatum eſt regnum &c.* exponens ſcribit : *Diabolus magis gloriatur de dejectione unius , qui multa fecerat bona , quam multorum mediocriter viventium , quia quando aliquem ex ſanctitatis excellentia dejicit , ſperat multos alios ſibi ſubjicere.* Quidnam Dæmonem permovit , ut ipſummet Aaronem ad vitulum aureum fundendum



dum inſtigaret ? num forte alij opifices deerant, qui ſtatuam hanc vituli fundere potuiſſent ? Imo in tota ſcriptura nullibi Aaronem hac arte metalla fundendi , aut ſtatuas fabricandi præditum fuiſſe conſtat ; Et tamen univerſus populus à dæmone utique inſtigatus concordibus vocibus Aaronem inclamabat dicens : *Fac nobis Deos qui nos præcedant* ; ſine dubio dæmon Aaronem in hac arte fundendi & fabricandi vitulum adjuvit , & erudivit, ne ullus ex Hebræorum gente , ab hujus vituli aurei ſuperſtitioſa & ſacrilego cultu & veneratione ſe ſubduceret, quando hic ipſiuſmet ſummi ſacerdotis,qui Moyſis ducis & principis eorum frater, Deique familiariſſimus amicus erat, manibus elaboratus fuerat. Quando Lucifer Salvatorem noſtrum ex deſerto Jeroſolymam tranſtulit , ut eum ad lapſum invitaret , ubinam illum depoſuit ? Scriptura dicit : *Statuit eum ſuper pinnaculum templi* ; at vero cur non potius illum ſupra Turrim Davidis , vel ſupra Herodis Regiam , vel in alterius cujuſdam eminentis loci verticem repoſuit ? *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem,& ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi* ; Non illum in Naim nec in Capharnaum , nec in Nazareth,aut in Bethaniam , ſed in civitatem ſanctam, & hic quidem ſupra pinnaculum templi ſacroſancti tranſportavit quia cura ejus eo ſemper tendit , ut ſanctos ex loco & ſtatu perfectiſſimo in præcipitium deturbare poſſit ; *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto ?* Etenim ab illo loco ipſum cadere voluit, ubi , ut S.Bonaventura ſcribit : *Doctores & ſacerdotes conſueverunt loqui ad plebem* ; Vel ut Gloſſa ait: *In eo loco Chriſtum tentat,in quo multos deceperat:* at vero nemo hac de re ad propoſitum noſtrum aptius loquitur, quam Paulus de Palatio, qui ait : *Hi dicuntur in pinna eſſe , qui exemplares ſunt,quales ſunt Prædicatores, & ij Religioſi & ſæculares , qui in vita ſpirituali publice profecerunt* ; His igitur dæmon quam maxime inſidiatur , eoſque dejicere ſatagit,quia *Hi ſi ſe præcipitent dæmonum aſtu perſuaſi, O quanta eſt calamitas.*

*Exod. 32. 1.*
*Matt. 4. v. 5.*
*Pſal. 73. v. 3.*
*S. Bonav. in Luc. Gloſſa.*
*Paul. de Palat.*

Animas Dei gratia viventes ut leo devorare conatur.
*Tertull. l. adv. Judæos.*

10. Leonem naturaliſtæ animalia mortua nequaquam manducare , ſed vivis tantum inſidiari aſſerunt ſic quoque diabolus, qui *tamquam Leo rugiens circuit,quærens quem devoret* , non animas in peccato jam mortuas, utpote quæ jam de facto ejus ſunt,ſed in gratia Dei viventes devorare conatur , quia ut vetuſtiſſimus Tertullianus ait : *Diabolus ad hoc ſe regnare putat,ut ſanctos de Religione Dei perturbet* ; Et ideo tametſi ingentem peccatorem ſibi adhærentem habeat parvi aut nihili idipſum facit,*quia ad hoc ſe regnare putat, ſi ſanctos &c.*

Magdalenam ut pœnitentē aggreſſus Dæmon.
*Luc. 7. v. 37.*
*Matth. 26. 7.*
*Luc 7. v. 39.*
*Matth. 26. v. 8.*
*Luc. 7. v. 37.*
*Luc. 10. 42.*
*Eccli. 2. v. 1.*

11. Magdalena ſuper Chriſtum duabus vicibus unguentum pretioſum effudiſſe legitur , nimirum ſemel in domo Simonis ut S.Lucas cap. 7. ſcribit,& ſemel in alia quadam occaſione ut refert S.Matth. c. 26. Et quidem prima vice Phariſæus inter convivas ſolum de Chriſto murmurat , ipſumque quod ſe ab hac muliere tangi permiſiſſet, redarguit dicens: *Hic ſi eſſet Propheta ſciret utique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum quia peccatrix eſt* : Secunda vero vice omnes Apoſtoli ei unguentum hoc pretioſum ſuper caput ejus effundenti detraxerunt : *Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt dicentes : Ut quid perditio hæc ?* Ac proinde merito quæri poteſt , quodnam in hac differentia lateat myſterium ? Pro cujus majori evidentia notandum , quod S.Lucas eam prima vice Chriſtum ungentem tamquam peccatricem repræſentet : *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix* ; ac proinde quia Dæmon illam tunc poſſidebat tamquam ſuam,illam detractionibus aut murmurationibus diffamare aut labefactare neglexit : at vero poſtquam jam ex divini ac cœleſtis Magiſtri ejus ore audire meruit: *Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum* : ſubito omnibus ejus operibus bonis oppoſuit,ut eam à ſervitio & obſequio Chriſti retraheret, idque maledicas adverſus eam etiam diſcipulorum Chriſti linguas laxando præſtitit ; ſiquidem veriſſimum eſt illud Eccleſiaſtici monitum,dicentis : *Fili accedens ad ſervitutem Dei . . . præpara animam tuam ad tentationem.*

*Gal. 5 v. 17.*
*S. Aug. ſerm. 43 de verb. Dom.*
Solos puros tentat non autem abſque hoc voluptatibus deditos.

12. S. Auguſtinus in quodam ſermone illa Apoſtoli verba : *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*,examinans dicit , quod in bonis qui vitæ ſpirituali & perfectioni Chriſtianæ acquirendæ vacant. *Caro adverſus ſpiritum concupiſcat* , indeque pernitioſiſſimum inter utramque hanc hominis ſubſtantiam prælium perpetuo exurgat : at vero in perverſis qui ſpiritum & vitæ perfectionem negligunt & flocci faciunt , caro neminem habeat contra quem pugnet ; quaſi dicere vellet, quoad homines carnales , qui voluptatibus carnis habenas laxant,dæmon otiatur, quia nullam quoad illos cauſam habet cur illos tentet, cum etiam ſine ullis adhibitis tentationibus , ultro & ſponte propria ei obſequantur & pareant. Dæmon enim ſuperbus & elatus ſpiritus illos ut ſenſualitatibus ſuis continuo immerguntur,impugnare dedignatur, utpote qui ratione peccati, ſervi & mancipia illius exiſtunt, ſeu ſolum animas puras & immaculatas continuis certaminibus tentationum laceſſit. *Cibus ejus electus , propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam.* Sed dicet fortaſſe non nemo ex quo S. Propheta Job diabolum ſub nomine Behemoth deſcribens de eo dicit: *Fœnum quaſi bos comedet* ; potius dicendum videbatur quod etiam homines carnales cibus ejus ſint,non vero ſoli homines perfecti & ſancti, quia *Omnis caro fœnum* ; ſed advertendum eſt quod ut S.Gregorius notat : *Boves fœno non niſi mundo veſcantur* , & ideo dæmon non niſi puris & ſanctis animabus paſcitur : *Fœnum ergo comedere ſicut bos appetit*, inquit idem S.Gregorius , *quia ſuggeſtionis ſuæ dente conterere mundam vitam ſpiritualem quærit.* Similiter S. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium virginem , diabolico ſerpenti nullam curam eſſe dicit, ut infideles tentet , quia non paſcitur carnibus,quas Rex Aſſyriorum in ollis ſuis impuris & fuliginoſis coquit : *De Eccleſia Dei rapere feſtinat ; Eſcæ ejus ſecundum Habacuc electæ ſunt; Job ſubvertere cupit,& devorato Juda,ad cribrandos Apoſtolos expetit poteſtatem.*

*Hab. 1. v. 16. & 17.*
*Job 40. 10.*
*Iſa. 40. v. 6.*
*S. Greg. l. 23. mor. c. 10.*
*S. Hieron. Ep. 22.*

13. *Catuli leonum rugientes,ut rapiant* , inquit Pſalmiſta , *quærant à Deo eſcam ſibi.* Sed quinam ſunt hi leones , qui hanc eſcam à Deo nocturno tempore expectare dicuntur ? Audite S.Auguſtinum , qui dicit : *In noctem quærunt eſcam catuli leonum. Qui ſunt catuli leonum ? Principum & poteſtatum aëris hujus Dæmones & Angeli Diaboli. Quomodo quærunt ſibi eſcam ? quomodo tentant ? Sed quia non accedant , niſi eis Deus dederit poteſtatem , ideo dictum eſt : Quærentes à Deo eſcam ſibi* ; Exemplum in terminis in perſona Jobi habemus , pro quo tentando Dæmon à Deo licentiam petijt : *Petijt Job tentandum , qualem eſcam ? opulentam , pinguem , juſtum Dei , cui ipſe Deus teſtimonium perhibuit & ait : Homo ſine querela , verus Dei cultor fuit ; petivit illum tentandum.* Et ideo ut hi qui æternam ſalutem ſuam ſolicite quærunt, vigilantes ad Dæmonis inſidias circumſpiciant , & attendant, dignum & juſtum eſt,ut ſequentem B.Laurentij Juſtiniani ſententiam continuo ob oculos habeant, & diligenter ruminent;Dicit enim S.hic Venetorum Patriarcha : *Ad tentationum pugnas animas præparemus,& intelligamus, quia quanto ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tanto vehementius ab adverſarijs impetemur.*

*Pſ. 103. v. 21.*
Tentat ſanctiores Dei permiſſa proinde hi vigilent.
*S. Aug. ibid.*
*B. Laur. Juſtin. de patientia c. 4.*

## DISCURSUS X.

### ARGUMENTUM.

Dæmon tunc nos vel maxime impugnat, quando Deo arctiſſime adſtringimur , virtutique & ſpiritualibus exercitijs dediti ſumus.

### THEMA.

*Habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Job 40. ℣. 18.

Dæmon viros perfectiſſimos ſe poſſe præcipitare confidit.

1. QUod ſi Princeps tenebrarum qui in perpetua ignis infernalis Ætna ſemper ardet,ullius eſſet refrigerij capax,illud certe tunc vel maxime aſſequeretur , ſi pro voto ſuo viros perfectiſſimos ſanctiſſimoſque in infernalis abyſſi perpetuum & inextinguibilem ignem ſecum rapere & præcipitare poſſet:Neque hanc ejus rei aſſequendæ fiduciam illius vanam & irritam ſemper eſſe nobis perſuadere debemus , ſiquidem S. Propheta Job, qui, utpote diuturno quod cum illo habuit, aſperrimoque certamine exercitatus , inſidias & vires ejus præ cunctis alijs nobis detegere poteſt,de illo dicit , *Habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Sed cur ſanctus hic Propheta fluminis Jordanis potius , quam aliarum aquarum mentionem facit? Pro reſolutione hujus notandum aquas Jordanis conſecratas fuiſſe non tam quia arca Dei eaſdem pertranſivit, quam quia ſacroſancti lavacri Chriſti à S. Joanne Baptiſta ei adminiſtrati inſtrumentum fuere : Unde S. Hieronymus verba illa Jobi ita explicat, ut ſenſus illorum ſit : *Fiduciam habet , ut etiam eos quos per aquam regenerationis , Chriſtus redemit , ſuos faciat. Jordanis enim Baptiſmi continet Sacramentum , ubi baptizatus eſt Chriſtus.*

*Hieron. ibid.*
*Habac. 1. v. 17.*

2. Habacuc Propheta poſtquam dixiſſet : *Cibus ejus electus*, mox ſubjungit : *Propter hoc ergo expandit ſage-*

Perfectioribus inſidiatur.

*ſagenam ſuam*; ſed minime credendum eſt quod ſibi in alimoniam piſces capturus ſit minutos & viles, ſed pro gula & voracitate ſua exatianda piſces magnos & delicatos piſcari conatur: nam ut S. Thomas de Villanova circa illa verba: *Eſca ejus electa*, ait: *Sicut piſcator avidus & peritus, grandiores piſces minoribus contemptis attentius ineſcat: ita Diabolus perfectis quibusque avidius inſidiatur, ut pereant.*

*S. Thom. de Villano. ſer. de SS. Coſma & Damiano.*

Huic quoque propoſito noſtro reſponſio illa, quam B. Felix Capucinus ſocio ſuo dediſſe legitur, opportune inſervit: Cum enim ab hoc, an multum à Dæmone infeſtaretur, interrogatus fuiſſet, ſanctus hic Dei ſervus: Dæmon ſanctum aliquem facile tentabit; me autem, qui canis mortuus ſum, quo fine, aut qua utilitate tentaret? Quo reſponſo, quoad primam ejus partem ipſiſſimam veritatem dixit, quia Dæmon animas tantum ſanctas ſagaciter tentat, in alia vero parte reſponſi ſui, per humilitatem & modeſtiam ſuam, propriam magnamque ſanctitatem ſuam abſcondere voluit, quia ipſum ſagittarum maligni hujus Spiritus ſcopum & metam fuiſſe certum eſt. Sic quoque mox ut ſerpens infernalis hominem in paradiſo terreſtri cœleſtibus theſauris locupletatum eſſe vidit, juxta illud: *Minuiſti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*, ſine mora ad eum impugnandum, & innocentiæ ac juſtitiæ originalis opulenta veſte ſpoliandum machinas ſuas præparavit, nam ut S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Animas virtute excultas maxime captant & venantur; ludus enim eſt illis, & deliciæ, peſſumdare eas; non minus profecto quam aucupes dignum & egregium putant paſſeres eximios capere; ſcriptumque eſt etiam de Satana: Eſcæ ejus ſelectiores.* Et S. Gregorius verba illa Pſalmi. *Perſecutus eſt inimicus animam meam*, exponens, ait: *Quis hujus hoſtis verſutias non metuat, qui tanto eſt pernitioſior, quanto occultior? Non enim, quæ extra nos ſunt auferre nititur ſed diripere theſauros interiores conatur: Nulla ſibi temporalium bonorum cupiditas; nulla divitiarum ambitio, nullum dignitatis deſiderium, ſola interiora appetit, ſolas virtutes diripit, ſolam animam occidit, quod ſi aliquando exteriora tetigit non ea aufert ut habeat, ſed ut ea auferendo animam evertat.* Chriſto Redemptori noſtro omnia quidem mundi hujus regna obtulit, ſed quo putatis fine? *ſi cadens adoraveris me*; nimirum pro hoc ei oblato dono, animæ ejus perditionem deſiderabat.

*Hebr. 2. v. 7.*

*S. Cyrill. Alex. l. 1. in Iſa. Orat. 3.*

*Pſalm. 142. v. 3.*

*S. Greg.*

*Matth. 4. v. 9.*

*In vitis Patrum.*

Hiſtoria.

3. In *vitis Patrum* de Monacho quodam, qui quondam idolorum ſacrificuli filius fuerat, ſcribitur, quod dum etiamnum juvenis eſſet, in quodam idolorum fano dormiens ſequentem habuerit viſionem: vidit enim luciferum velut in throno ſedentem, & ante eum Dæmonem quemdam ſtantem, qui unde veniret interrogatus, ſe ex tali certa provincia venire reſpondit, in quo varias ſeditiones, bella, revolutiones, & horrendos rebellionum motus excitaſſet; Qui cum quanto ad hæc mala procuranda tempore uſus fuiſſet, interrogaretur, ſe id intra triginta dierum ſpatium perfeciſſe reſpondit; quem proinde, quod nimium hac in re tardaſſet graviter vapulare præcepit. Mox vero alius Dæmon coram eodem Lucifero comparuit, qui ſe intra viginti dies gravem in mari tempeſtatem, in qua multæ naves ſubmerſæ perierant, excitaſſe gloriabatur, qui pariter multis ab eo plagis mulctatus fuit. Huic ſucceſſit tertius, qui ſe intra decem dierum decurſum in diverſis nuptijs varias rixas, diſcordias, & inimicitias excitaſſe, multorumque homicidiorum authorem fuiſſe glorianter affirmavit, quem pariter ſicut & alios diris verberibus caſtigari juſſit. Tandem vero alius quidam comparuit, qui ſe quadraginta annis continuis, Monachum quemdam ad impudicitiam ſolicitatum, tandem poſt tot annos evolutos viciſſe, & ut in fornicationis peccatum turpiter & ignominioſe laberetur procuraſſe jactavit. Cui è throno ſuo conſurgens Satan, poſt multos amplexus, acceptum è capite ſuo diadema capiti ejus impoſuit, atque ad dexteram ſuam conſidere juſſit, generoſitatemque ejus varijs encomijs deprædicavit.

*Rich. de S. Vict. p. 2. in Cant. c. 4.*

Suos nõ moleſtat Dæmon.

4. Richardus de S. Victore de hoc infernali tyranno ita ſcribit: *Abſorbebit fluvium & non mirabitur, malos videlicet & carnales, qui more aquæ defluunt, & de peccatis ad peccatum decurrunt, etiam heu habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ſuum, electi videlicet, in quos ſe prævalere poſſe confidit.* Euſebius Emiſſenus rationem aſſignat, cur Dæmon impijs hominibus nequaquam moleſtus ſit, ſed illos in pace continua vivere ſinat (quamvis hæc pax talis ſit, de qua dicitur: *Pax eſt, & non eſt pax*) *Quia circa miſerabilem & perditam vitam noſtram, non inveniebat, in quo ſuam exerceret invidiam, delectabant illum opera noſtra, ſufficiebant illi per ſe noſtra crimina, quis enim ſuſcipiat bellum cum milite ſuo?* ſicut enim lib. 2. Reg. cap. ult. dicitur: *Nolite timere ſervire Chaldæis, manete in terra & ſervite Regi Babylonis, & bene erit vobis*: ita quoque dum anima juxta Dæmonis voluntatem vivit, ejuſque jugo libenter ſubjacet, nullis ab eo tentationibus moleſtatur. Id quod optime cum eo conſonat, quod S. Auguſtinus in ſermone quodam ſcribit: *Hoc tamen*, inquit, *ſcitote fratres, quia Diabolus non perſequitur niſi bonos, malos enim luxurioſos, ſuperbos & avaros Diabolus perſequi non conſuevit, amici enim ſunt ſui, & voluntatem ejus ſemper faciunt*; imo non ſolum eos non perſequitur, aut ijs moleſtus eſt per inſultus & inſidias, verum etiam illos ad tentandum bonos adhibet. E contra vero qui ad cœleſtes ruinas reſtaurandas, nec non ad ſedendum in thronis è quibus infelices illi Spiritus miſere ceciderunt, aſpirant, ſpeciali ab illis odio proſequuntur. Unde Sanctus Gregorius ait: *Nec tamen dubito majores te inſidias hoſtis callidi perpeti, qui majora contra eum bella præparaſti. Tanto quippe ille deceptionis molimina ardentius exquirit, quanto te cœleſti patriæ ardentius inhiare cognoſcit.*

*Euſeb. Emiſſ. Hom. 8. ad Monach.*

*4. Reg. 25. v. 24.*

*S. Aug. ſerm. 85. de Temp.*

*S. Greg. l. 7. Regiſt. indict. 2. Ep. 54.*

5. Huc ſpectat illa patientiſſimi Jobi ſententia dicentis: *Per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram*; quaſi diceret: Eodem tempore quo Deus animas ſibi devotas per illuſtrationes cœleſtes illuminat, easque divinis theſauris ſuis locupletat, dæmon in earumdem pernitiem conſilia ſua agitat ut illas igne ſuo accendere poſſit. Unde ſanctus Gregorius ait: *Hoſtis namque callidus quos juſtitiæ luce eniteſcere conſpicit, eorum mentem illicitis deſiderijs inflammare contendit, ut plerumque plus ſe urgeri tentationibus ſentiant, quam tunc, cum lucis internæ radios non videbant. Unde & Iſraëlitæ poſtquam vocati ſunt, contra Moyſen & Aaron de excreſcente labore conquerantur dicentes: videat Dominus & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut interficeret nos.* Sic quoque poſtquam Dæmon eximia Jobi præconia ex ipſiuſmet Dei ore audiſſet, dicentis: *Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam?* tanto ardentius cum eo in certamine congredi deſideravit. Unde Scriptura dicit: *Cui reſpondit Satan: Pellem pro pelle &c.* Ipſe enim non ſitit aquas fluminis Stygij vel Acherontis, ſed Jordanis aquas bibere appetit; Unde Apoſtolos tentando aggreſſus eſt, imo & Chriſtũ ipſummet, qui exinde appellatur *tentatus per omnia.*

*Job 38. 24.*

Sed quos magis novit Deo gratos.

*S. Greg. l. 29. mor. c. 12.*

*Exod. 5. 21.*

*Job 2. v. 3.*

*Ibid. v. 4.*

6. S. Antonius de Padua ſuper illa verba Jobi: *Repente ventus vehemens trahit &c.* ita ſcribit: *Ventus vehemens à regione deſerti eſt repentina ſuggeſtio Diaboli, quæ aliquando ita fortiter ex improviſo irruit, quod quatuor angulos domus, id eſt; quatuor principales virtutes animi viri juſti à fundamentis excutit, & aliquando in mortale peccatum eum corruere facit, & ſic filij Job, id eſt, opera, vel affectus viri juſti moriuntur*; Quot enim ſunt qui antea velut ſtellæ fixæ in firmamento cœli reſplendentes, poſtea ſtellæ erraticæ facti, miſerum paſſi ſunt eclipſeos deliquium, nec mirum quia ut Joannes de ruinis ab hoc dracone procuratis inquit: *Cauda trahebat tertiam partem ſtellarum.* Salutaris proinde eſt conſideratio illa S. Auguſtini dicentis: *Videte fratres, poſtquam quis de petra biberit, id eſt, Chriſti Sacramenta ſuſceperit, neceſſe eſt illi ad pugnam procedere. Tamdiu enim aliquis Diabolum contra ſe pugnantem non ſentiet, quamdiu opera illius exercere voluerit. Quiſquis Chriſto conjungitur, non ad delicias, non ad voluptates, ſed ad prælium præparetur.* Et S. Leo ait: *Intelligamus quanto ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tanto nos vehementius ab adverſarijs impetendos.* Similiter S. Hieronymus ad Demetriadem, virginem hanc ut ſe deinceps ad ſuſtinendum Dæmonis odium & perſecutionem præparet his verbis hortatur: *Ab eo tempore, quo primum per virginitatis profeſſionem Domino es conſecrata, adverſarij in te crevit odium, & quæ aliena lucra pro ſuis damnis habet, ſe amiſiſſe ducit, quidquid te poſſeſſuram dolet.*

*Job 1. v. 19.*

*S. Anton. de Padua ſerm. in Dom. 2. Quadr.*

Ex improviſo hos tentationibus ſuperat quandoque.

*Apoc. 12. v. 4.*

*S. Aug. ſer. 93.*

Adhortatio.

*S. Leo ſer. 1. de Quadr.*

*S. Hieron. ad Demetriad.*

7. De Dæmoniaco illo S. Marcus dicit: *Et attulerunt eum, & cum vidiſſet eum, ſtatim Spiritus conturbavit illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumans.* Ubi Syriaca legit: *Cumque vidiſſet eum Spiritus, eo momento contrivit eum.* Ecce tibi quam verum ſit, quod quanto vicinius ad Salvatorem noſtrum appropinquamus, tanto ferocius adverſum nos Dæmon ſævire incipiat. Hugo Cardinalis ait: *Quia dum poſt peccatum ad Deum converti volumus, magis à Diabolo impugnamur, ut vel excutiat virtutem, vel vindicet ſuam expulſionem.* Unde & S. Hieronymus ait: *Appropinquantes ad ſalutem diſcerpit Diabolus, quos in ventrem ſuum, velut eſcam ſibi dilectam trahere deſiderat per terrores.*

*Marc. 9. 19.*

Eo magis tentat quo magis Deo appropinquamus.

*Syriaca Lect.*

*Hug. Card.*

*S. Hieron.*



8. Scriptura Sacra de Antiocho dicit: *Et convertit Antiochus poſtquam percuſſit Ægyptum, & aſcendit in Iſraël, & aſcendit Jeroſolymam in multitudine gravi, & intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis.* Ubi idem Hugo per Antiochum Diabolum intelligens, de eodem dicit: *Ecce poſt Ægyptum in Jeruſalem, poſt laicos & Clericos, poſt ſæculares & clauſtrales Diabolus tranſit; ſed facilius capit, & fortius tenet, & turpius coinquinat Iſraël quam Ægyptum*; Qui & ori Dæmonis verba illa Jeremiæ inſerit dicentis: *Ibo igitur ad optimates, ipſi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei ſui, & ecce magis hi confregerunt jugum.* Enimvero ex quo Ægypti & Iſraëlis mentionem fecimus, revocandum nobis eſt in memoriam, quod poſtquam populus ille inter omnes alias mundi nationes ad notitiam veri Dei electus: *Notus in Judæa Deus*, poſt tot ſæcula ex regno illo Idolorum cultui dedito ubi velut miſerum Pharaonis mancipium vixerat, ad terram promiſſionis acquirendam egreſſurus erat, manifeſtam circa ſe aſſiſtentiam Dei expertus fuit, Ægyptum decem horrendis plagis percutientis illo illæſo relicto, unde tandem celebrato in Ægypto Paſchate, auro & argento Ægyptiaco onuſtus, itineri ſe accinxit, pro quo expeditius conficiendo mare rubrum ſibi ad aridum uſque terræ fundum ad faciliorem ſibi faciendum tranſitum dividi, perſecutoribus vero ſuis in eo naufragaturis claudi vidit; per 40. annos Angelorum manibus ſuſtentatus, limpidiſſimam è petra mirabiliter manantem aquam bibit: Demum vero quando Moyſe in monte Sinai ad recipiendam à Deo Legem commorante populus ille vel maxime ſe ſanctificari, ſuamque erga Deum devotionem & cultum conteſtari debebat, tunc inimicus infernalis omnibus viribus ad hoc conatus fuit, ut per Aaron ſummum ſacerdotem vitulum aureum fabricari procuraret, qui ab omnibus velut divinum quoddam numen adoraretur, ut ſic in ejus perſona verificaretur, quod D. Chryſologus ait: nimirum *ut de ſacerdote fieret perſecutor, de Doctore depravator exiſteret, de defenſore legis redderetur inimicus.*

*1. Machab. 1. v. 21. 22. & 23.*

Tunc maxime tentat quando major obligatio Deo ſerviendi.

*Hug. Card. ibid.*

*Jer. 5. v. 5.*

*D. Chryſol. ſerm. 96.*

Quo magis Deo ſervire contendimus.

9. In capite 7. libri primi Regum ſcribitur, quod quando Hebræi ad Deum ſe toto corde convertere decreverant, eoque fine orationibus, jejunijs, multiſque alijs eis à Samuële impoſitis pœnitentijs completis, falſa Baalim & Aſtaroth numina dejecerant, tunc & non citius: *Aſcenderant ſatrapæ Philiſthinorum ad Iſraël*, magnoque Iſraëlitæ id intelligentes perculſi fuerunt timore: at vero quodnam in eo latere exiſtimatis myſterium, quod ſatrapæ Philiſthinorum eo præcipue tempore, quo Iſraëlitæ non expoliendis armis, ſed expurgandis æruginoſis conſcientiis occupati erant, quoque non tympanis pulſandis, aut inſonandis tubis, ſed ferventibus ad Deum orationibus fundendis dediti erant, ſuper illos ex improviſo irruerit? *Omnia in figura contingebant illis*; ac proinde S. Gregorius ait, *Ablatis Dijs alienis, peracto jejunio, exhibita à Prædicatore cenſura examinis ad Iſraël Philiſthinorum principes aſcendunt, quia cum altiori vita proficimus, maligni Spiritus, qui ſemper bene agentibus invident, nobis infeſtiores ſunt.* Notat quoque idem ſanctiſſimus Pontifex, quod non Philiſtheæ turbæ fæx promiſcua, ſeu plebei, ſed ſatrapæ & optimates Philiſthinorum ſeſe contra illos armarint; *quia etiam contra Chriſti milites non quorumlibet malorum Spirituum, ſed fortiorum Dæmonum prælia excitantur.*

*1. Reg. 7. v. 7.*

*S. Greg. ibid.*

10. In quotidiana oratione Dominica poſt omnes ſequentes petitiones: *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum; Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra; Panem noſtrum ſuperſtantialem da nobis hodie; Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, tandem in fine Deo hæc poſtulatio proponitur: *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Videri quidem non nemini poſſet, divinum adverſus Dæmonem ejuſque tentationes adjutorium in principio potius poſtulari debuiſſe, quam in fine; ſed valde errat quiſquis ita arguit, ſiquidem incarnata ſapientia hanc petitionem in fine prædictæ orationis provida cum ſapientia ſtatuit; quia eo ipſo quo nos Deo corde & voluntate arcte adſtrinximus, ipſumque per laudes & benedictiones devote adoramus, atque inſuper pane ejus Euchariſtico paſci peccatorumque remiſſionem ab eo accipere deſideramus, totus infernus quam maxime adverſum nos armatur, atque ideo ijs omnibus ſuppoſitis patrocinio cœleſti quam maxime indigemus; quia ut Origenes ait: *Illud eſt certaminis & pugnæ ſpiritualis initium, hinc tibi adverſus zabulum naſcitur pugnæ principium.*

*Matth. 6. v. 9. 10. 11. & 12.*

Corde & voluntate nos Deo conſtrinximus.

*Ibid. v. 13.*

*Origenes.*



11. Quando ſeptuaginta duo diſcipuli à prædicatione ſua ad Chriſtum redeuntes, eidem magno cum gaudio dixerunt: *Etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*: Chriſtus illis reſpondit: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Porro inter alias fulminis conditiones, una, ut noſtis, hæc eſt, quod majorem ſemper in ijs corporibus vim exerat, in quibus majorem invenit reſiſtentiam: Idem quoque eſt Dæmonis genius, nam adverſus eximios Dei ſervos, qui ſanctitate præfulgentes eidem omni virium ſuarum conatu reſiſtunt, magis & crudelius ſævire, majoreſque ac periculoſiores inſidiarum machinas ijſdem ſtruere conſuevit Præterea fulmina loca ſemper eminentiora ut plurimum feriunt: *Feriunt altos*, inquit Poëta, *fulmina montes*, Eumdem quoque ſtylum Dæmon obſervat, dum illos quam maxime impugnat, qui dignitate, exemplaritate & virtute ſublimiores exiſtunt. At vero obſervandum hoc loco eſt, Chriſtum ſapientiſſimum Magiſtrum noſtrum hæc verba non plebi dixiſſe aut turbis, ſed immediatis ſcholæ ſuæ diſcipulis, idque eo præcipue tempore quo Evangelio prædicando miraculiſque patrandis intenti erant; ut vel ſic cavendum ſibi eſſe intelligerent, ne dum Dæmones è corporibus aliorum poteſtative ejiciunt, iidem in ipſorum animas præſumptione & vana gloria mediantibus ingrederentur, hæc enim duo peccata ab operibus perfectis & virtuoſis communiter apud viros virtuoſos derivari ſolent: *Multi mihi dicent in illa die Domine, Domine: nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos: Diſcedite à me qui operamini iniquitatem*: Sed quænam iſthæc erat iniquitas, ſiquidem non conſtat quod aliud quid fecerint, præterquam quod in nomine ejus prophetarint, Dæmones in fugam egerint; Dona, virtutes, & gratias cœleſtes communicarint, multas à Deo devias & errantes animas converterint? Porro aliud ad hoc reſponderi nequit, quam hoc ipſum quod jam tetigimus, videlicet, quod Dæmoni ab obſeſſis corporibus pulſo, viam aperuerint patulam, qua per inanem in ijs operibus complacentiam, vanam gloriam, & præſumptionem in eorum animas libere & ſine ullo impedimento ingredi potuit.

*Luc. 10. v. 17. 18.*

Virtute ſublimiores magis tentat.

*Matth. 7. v. 22.*

*Ibid. v. 23.*

## DISCURSUS XI.

### ARGUMENTUM.

Tunc nos ferociores dæmonis tentationes invadunt, quando dæmoni rebelles facti, Dei nos ſervitio mancipamus.

### THEMA.

*Fili accedens ad ſervitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem.* Eccli. 2. ℣. 1.

1. PEr experientiam videmus, quod carcerum cuſtodes & præfecti, dum rei perfractis carceris foribus inde ſe proripuerunt, omnem artem & induſtriam adhibere ſoleant, ut captivos in jus & poteſtatem ſuam redigere poſſint, ijſque tandem deprehenſis, catenas & compedes reduplicare conſueverint. Idem quoque nobiſcum dæmon facere ſolet, mox enim ut ad fruendum ingenua filiorum Dei libertate, jugum ejus excuſſimus, omnem adhibet poſſibilem induſtriam, ut nos ſub ſuam denuo tyrannidem revocare queat: *Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*; ac proinde Eccleſiaſticus eos qui à dæmonis ſervitute, ad ſervitium Dei tranſierunt opportune monet; ut ad pugnam acrem ſubeundam ſolicite ſe præparent: *Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Quiſquis enim accingi in divino ſervitio properat*, inquit S. Gregorius, *quid aliud quam ſe contra antiqui adverſarij certamen parat, ut liber in certamine ictus ſuſcipiat, qui quietus ſub Tyranno in captivitate ſerviebat.* Similiter Rupertus Abbas Tuitienſis nos monet, ut dum in ſervitio Dei majori quiete fruimur, majus ab inimico prælium, & certamen crudelius præſtolemur: *Ubi ſerviendi Deo major quies, ibi major exhibeatur neceſſe eſt virium colluctatio, quia & ibi nuſquam deerit fraudulenta oblectamentorum perſuaſio.* Rabanus

Dæmon ad ſe revocare nititur pœnitentes.

*Luc. 11, 26.*

Subeunda eſt pugna.

*S. Greg. l. 4. mor. c. 21.*

*Rup Abb. l. 3. in Matth. c. 4.*

*Raban. ibid.*

nus Maurus hæc Eccleſiaſtici verba exponens, idipſum hoc documento confirmat, dicens : *Quanto enim quis ſe à mundi amore avertere certat , & ad ſervitium Dei coadunare feſtinat , tanto graviora bella & tentamenta ab hoſtibus tolerat ; quiſquis enim accingi in divino ſervitio properat , quid aliud quam ſe contra antiqui adverſarij certamen parat ?*

*Tertull. l. ſcorpiac c.8.* Deo ſervire qui cœpit ad pugnam ſe præparet. *Apoc.12.7.*

2. Perinſignis eſt illa Tertulliani obſervatio , qua dicit, quod *ſtatim ut Deus coli cœpit , invidiam Religio ſortita eſt* ; Quando enim ſpiritus Angelici in primo creationis ſuæ inſtanti divinum Deo creatori ſuo præſtiterunt cultum & obſequium , mox acerbum illud inter Angelos bonos ; & luciferum , ejuſque aſſeclas bellum ſuum in cœlis ſumpſit exordium : *Factum eſt prælium magnum in cælo.* Similiter quando protoparentibus noſtris in terreſtri Paradiſo in ſignum debitæ ſubjectionis & obedientiæ præceptum fuit, ut à pomi vetiti manducatione abſtinerent , ſubito antiquus ſerpens ſeſe prodidit, ut impugnaret illos, eiſque inſidias strueret ; Et quidem inimicitia hæc tunc quidem primitus ordiri cœpit , numquam tamen ad finem uſque ſæculorum ſuum accipiet finem ſeu terminum.

Certamen hoc ad finem uſque ſæculi. *Num. 21. v.14.*

3. In Numeris libri cujuſdam mentio fit , in quo bella Domini conſcripta fuiſſe ſcriptura teſtatur: unde dicitur *in libro bellorum Domini.* At vero tametſi univerſam pervolvatis Scripturam Sacram , nuſquam tamen illum extra hunc locum nominari reperietis ; Neque ullus umquam è ſcriptoribus antiquis fuit , qui ullam hujus libri notitiam habuerit , adeo ut cum Ruperto Abbate neceſſum ſit dicere : *Conſtat ante ipſam, in qua ſcriptum hoc eſt , legem Moyſi, nullos manuſcriptos libros fuiſſe bellorum Domini , ſed nec ulla novimus bella Domini alia, niſi illa , quibus ex tunc poſitis inimicitiis inter ſerpentem ac mulierem hactenus certatur , & certabitur uſque ad finem ſæculi.*

*Rup. Abb. ibid.*

*Apoc.12.v.1.* Quo magis Deo ſervire ſtatuimus, eo magis adverſarios irritamus. *Ibid. v. 3.*

4. S.Joannes in Apocalypſi pulchram hanc viſionem habuit , quam ſequentibus verbis deſcribit : *Et ſignum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole , & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Per hanc autem mulierem vel ſanctam Dei Eccleſiam, vel animam Deo dilectam & ſanctam intelligere poſſumus; at vero hanc immediate alia quædam viſio ſubſecuta fuit,quia mox ſubjungit: *Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo, & ecce draco magnus, rufus, & habens capita ſeptem, & cornua decem,* ubicumque enim virtus & ſanctitas reperitur, ibi ſemper prælia & certamina inferni præſto eſſe videntur. *Neque enim adverſum te diabolus irrueret ,* inquit B.Chryſoſtomus, *niſi in majori te poſitum honore conſpiceret.* Unde David olim lamentabatur dicens : *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum , ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua ,* mox enim ut ſe homo Dei ſervitio dedicare incipit , inimicorum infernalium multitudo adverſus eum fremere incipit. Unde S. Ambr. ait : *Quanto magis quis Deo ſervire deſiderat , tanto magis in ſe excitat adverſarios, & tamquam athleta fortis coronam juſtitiæ reportare deſiderans, irritat in ſe plurimos & laceſſit , qui invident noſtro profectui.* Quandonam filij Iſraël vel maxime à Pharaone , qui tyranni infernalis typum gerit,angariati & oppreſſi fuerunt? Tunc videlicet,quando vociferabantur dicentes : *Eamus & ſacrificemus Deo noſtro.* Quando enim divinæ Majeſtati per ſacrificia cultum divinum exhibere volebant, tunc Pharao præcepit: *Opprimantur operibus;* Tunc *diſperſus eſt populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas ;* Tunc *flagellati ſunt, &c.* Unde S.Bernardus ait : *Quotidianis experimentis diſcimus,eos qui converti ad Deum deſiderant, tentari acrius & concupiſcentia carnis, & urgeri gravius in operibus luti & laterum , qui Ægypto egredi moliuntur.* Quamdiu enim Iſraëlitæ ſuper ollas carnium quiete ſederunt, nec ullam ſui ex Ægypto diſceſſus fecerunt mentionem, in pace vivere permiſſi fuerunt. In quadam collatione Patrum apud Caſſianum ſanctos Eremi Patres hanc inter ſe circa eosdem Iſraëlitas conſiderationem habuiſſe legimus, quod ſcilicet Ægyptij tunc Hebræos dure tractare cœperint, quando ſuum ex Ægypto meditabantur diſceſſum , ut hinc diſceremus ( ſiquidem *omnia in figura contingebant*) quod quando de mundo deſerendo deliberamus , tunc dæmones in pernitiem noſtram vel maxime conjurent, ne ex Ægypto ſæculi hujus recedamus , *ne per amicam Deo quietem terram Ægyptiacam deſerentes, ad eremum virtutum ſalubriter tranſeamus.* S.Auguſtinus quoque ſimilem fere habet conſiderationem ; quando enim Iſraëlitæ ſuum cœperunt celebrare Paſcha,tunc potiſſimas ab Ægyptijs perpeſſi ſunt perſecutiones , *ita & hoc tempore* ( loquitur S. Doctor de tempore Paſchali ) *imminente Paſchali ſolemnitate,quia veros Iſraëlitas,qui baptizandi ſunt , dolet diabolus de ſuo exercitu , vel poſſeſſione diſcedere , graviores conſuevit tribulationes immittere, majora ſcandala excitare.*

*D.Chryſoſt. t.2. hom.13.* *Pſ 118.69.* *S.Ambr.ib.* *Exod. 5. v.3.* *Ibid.v.9.* *S.Bern. de Converſ. ad Cler.* *Caſſ. collat. 21. c.28.* *S.Aug ſerm. 35. de temp.*

Anima à Dæmone recedens perſecutiones experitur.

5. Quando Jacob à facie Laban fugit , animam quæ amicitiam cum mundo initam rumpit & diſſolvit , præfiguravit ; Tunc autem Jacob tranſvadato flumine in montem Galaad confeſtim aſcendit , per quem montem , qui *acervus teſtimonij* interpretatur , Hugo Cardinalis in ſenſu myſtico tentationes dæmonis intelligit ; ſed quo myſterio factum eſt, quod Jacob poſtquam haſce aquas trajeciſſet , hunc montem aſcenderit ? Nimirum ut per hoc denotaretur , quod unicuique qui aquas pœnitentiæ & planctus pertranſit,neceſſum ſit,ut ad montem aſcendendum , id eſt , ad ineundam cum tentationibus luctam ſe accingat : *Amne tranſmiſſo, id eſt Sacramento Baptiſmi vel Pœnitentiæ ſuſcepto, venit juſtus ad montem Galaad, id eſt , ad duras & fortes tentationes.* Per viginti annorum decurſum Jacob cum Laban in pace firma & ſolida ſtetit , at vero mox ut ab eo diſceſſit,ejus perſecutiones experiri cœpit. Spiritus Sanctus quoque in Libro Sapientiæ de eodem Patriarcha differens, ait : *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* Quodnam vero certamen iſtud fuit ? nimirum ad pugnandum adverſus inveteratum Eſau fratris ſui odium ſe accingere debuit , quod adeo forte & validum fuit, ut aliquot Angelicorum Spirituum turmis è cœleſti militia miſſis ei opus fuerit, de quibus dicitur : *Caſtra Dei ſunt hæc.* Valde etiam conſiderabilia ſunt illa ſacri textus verba : *Traditiſque omnibus quæ ad ſe pertinebant, manſit ſolus , & ecce vir luctabatur cum eo uſque mane.* Quæ verba S. Ambroſius in ſenſu morali exponens ait : *Quicumque enim ſæcularia negligit ad imaginem & ſimilitudinem Dei propius accedit,* ſed notandum eſt,quod *luctabatur;* ſed dic ſodes quandonam Jacob Patriarchæ nomen *Iſraëlis,* quod idem eſt,quod *videns Deum,* impoſitum fuit : tunc ſcilicet quando luctam cum Angelo initam terminavit.

*Hugo Card. ibid.* *Sap.10.12.* *Gen.32.v.2.* *Ibid. v.24.* *S.Ambr. l.2. de Jacob.*

*Exod. 17.8.* Quo magis proficimus eo magis tentamur.

6. Exodi cap. 17. de populo Iſraël ſcribitur : *Venit Amalec, & Regnabat contra Iſraël.* Notandum vero quod priuſquam hæc cum Amalec ineunda pugna ordiretur , Deus Moyſi præceperit dicens : *Elige viros & egreſſus pugna contra Amalec,* cum tamen econtra in eodem Exodi libro cap.14. legatur quod dum iidem Iſraëlitæ à Pharaone vel ad moriendum vel ad pugnandum urgerentur, Deus iiſdem per Moyſen indicari fecerit : *Nolite timere, ſtate & videte magnalia Domini , quæ facturus eſt hodie , Ægyptios enim quos nunc videtis nequaquam ultra videbitis uſque in ſempiternum : Dominus pugnabit pro vobis , & vos tacebitis.* Circa quæ duo Scripturæ loca merito quærendum eſt , cur dum Pharao Iſraëlitas perſequeretur ad necem Deus pro illis ſe pugnaturum eſſe promiſerit ; econtra vero dum illis cum Amalecitis pugnandum eſſet Deus Moyſi milites conſcribere, eoſque in aciem ordinare , atque ad pugnandum in arenam deſcendere præceperit ? ſcitiſne cauſam ? inquit Origenes : *Antequam manducaret panem de cælo , & biberet aquam de petra , non refertur populus pugnaſſe , ſed dicitur ad eum : Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis: Eſt ergo tempus quando Dominus pugnat pro nobis , nec permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus , nec impares viribus ſinit ad imparis venire congreſſum. Denique Job omne illud tentationis ſuæ famoſum certamen jam perfectus implevit.* Demum vero ſubjungit ; quod quanto nos magis in Spiritu proficimus , tanto vehementius quoque contra nos tentationes augeantur, verumtamen ſimul etiam Divino mediante auxilio vires noſtræ ad reſiſtentiam magis magiſque accreſcunt : *Et tu,* inquit Origenes, *cum cœperis manducare manna, panem cæleſtem verbi Dei, & bibere aquam de petra cumque ad interiora doctrinæ ſpiritualis acceſſeris, præpara te ad bellum.* Prima vice quando eos Pharao armata manu perſequebatur , nondum in deſerta penetraverant, nondum annona cœleſti cibati , & aquis de petra ſcaturientibus paſti & potati fuerant, atque ideo in prælium eos egredi noluit : at vero ſecunda vice facti fuerant milites veterani Dei , optime exercitati & ad bellandum eruditi ac diſpoſiti.

*Exod. 14. v.13.* *Orig. Hom. 3. in Exod.*

*Gen.31.23.* Anima Deo dedita tentatur magis. *Gen.32.30.*

7. In Geneſi de Laban dicitur : *Aſſumptis fratribus ſuis , perſecutus eſt eum diebus ſeptem :* ſic quoque Dæmon cum aſſeclis ſuis ſpiritibus infernalibus Jacobum, id eſt, animam Deo totaliter deditam (quæ dicere poteſt , *vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea* ) tentat & perſequitur diebus ſeptem, id eſt , per ſeptem vitia capitalia. Sic quando Deus ipſe Jobum coram Satana miris elogijs deprædicabat , quod ſcilicet vir eſſet ſimplex rectus & timens Deum, cui vix alius inveniretur ſimilis ei ; Satan reſpondit : *Numquid non gratis Job colit Deum ?* Ubi D.Auguſtinus ait : *Videte quid objicit inimicus,videbat hominem Deo ſervientem, in omnibus obſequentem , omnia bene operantem.* Sed quo fine hoc adverſus Jobum convitium & improperium effutiebat ? Nimirum ut plenam à Deo Jobum acriter tentandi & moleſtandi licentiam obtineret. Similiter ſicut mox ut populus Dei electus Zorobabele regnante à ſervitute Babylonica reverſus , templum Dei ſanctum Jeroſolymis ingenti cum fervore & devotione reædificare cœpit ; inimici vicini,ut reſtaurationem hanc templi impedirent, ſubito ſe armarunt , & quidem ut intentum ſuum tanto aſſequerentur facilius , calumnioſam adverſus Iſraëlem Regi Artaxerxi ſcripſerunt epiſtolam , cumque favorabile ab hoc Rege obtinuiſſent, reſponſum: *Abierunt feſtini in Jeruſalem ad Judæos , & prohibuerunt eos in brachio & robore :* ita quoque contingit illis qui ædificij ſpiritualis fundamenta jaciunt , ſubito enim antiqui adverſarij inſidioſos inſultus experiuntur , imo ex inſtigatione ipſorum ipſimet amici,parentes & omnes alij ijs ſe opponunt , & hoſtes ipſorum fieri incipiunt,quia ut D.Chryſologus ait : *Diabolus ſemper primordia boni pulſat, tentatus rudimenta virtutum.*



*S.Auguſt.in Pſ.55.in fin.* *1.Eſdræ 4. v.23.* *D. Chryſol. ſerm. 11.*

Figuratur in delineata Jeruſalem in latere. *Ezech.4.v.1.*

8. Deus olim Ezechieli ad ſe accerſito præcepit ; ut acceptum laterem ſibi ob oculos poneret, ſanctamque civitatem in eo delinearet : *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo civitatem Jeruſalem* ; neque hoc contentus inſuper ei , ut adverſus dictam civitatem obſidionem ordinaret , eamque munitionibus, aggeribus , vallis & propugnaculis muniret,caſtraque figeret, præcepit : *Et ordinabis adverſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones , & comportabis aggerem , & dabis contra eam caſtra, & pones arietes in gyro.* Circa quod Dei præceptum Hugo Cardinalis quærit , quidnam in hac obſidione & expugnatione Jeroſolymæ , quæ civitas eſt pacis : *Urbs Jeruſalem beata, dicta pacis viſio,* de qua etiam dicitur : *Poſuit fines ſuos pacem* ; myſterij lateat ? Et reſpondet civitatem illam animæ alicujus Deo acceptæ, bonæque & rectæ conſcientiæ pace fruentis eſſe ſymbolum , quam proinde per Ezechiëlem ſapientiſſime moneri præcipit, ut ſe ad ſui defenſionem,arctamque obſidionem & prælia ſuſtinenda ſolicite præparet : *Ordinate ei oſtendens callidi hoſtis multiplicem tentationum impugnationem, in qua enim pacis viſio deſcribitur, ei neceſſe eſt, ut tentationum bella nuntientur.*

*Ibid.v.2.* *Hug. Card. in Ezech.* *Pſ.147.v.14.*

*Zach.3. v.1.* Dum amici Dei ſumus Dæmon gravius tentat.

9. Zacharias Propheta cap. 3. Jeſum ſacerdotem magnum , velut in conſpectu Domini ſtantem ſibi in viſione oſtenſum fuiſſe refert: *Et oſtendit mihi Dominus Jeſum ſacerdotem magnum ; ſtantem coram Angelo Domini :* Et mox ſubdit : *Et Satan ſtabat à dextris ejus , ut adverſaretur ei.* At vero ſcire percuperem, quamobrem Satan huic ſacerdoti, qui tali inſignatus , erat nomine , ad cujus prolationem cœleſtium,terreſtrium,& infernorum genua curvari debebant,præſens adſtiterit ? *Satan ſtabat à dextris ejus* ; Nimirum ut per hoc ſalutare nobis daretur documentum , quod dum divino ſervitio aſſiſtimus, ſupremæque illi Majeſtati vel maxime familiares & domeſtici amici ſumus, tunc ad ſubeunda infernalis adverſarij prælia & certamina nos potiſſimum accingere debeamus.

Dæmon operibus bonis ſe opponit. *Iſa.6.v.3.*

10. Similiter Iſaiæ Prophetæ in viſione exhibitus fuit ſacroſanctæ Triados magnificus & ſublimis thronus , quem Seraphini circumdabant , acclamantes : *Sanctus, ſanctus , ſanctus , Dominus Deus exercituum , plena eſt omnis terra gloria ejus.* Ecquis non crediſſet futurum fuiſſe , ut ibi nil niſi merus ſcintillaret ignis Seraphicus , ſolaque ibi fragrantia angelica ſpiraretur ? Et tamen dicit ſacer textus : *Commota ſunt ſuperliminaria cardinum , domus impleta eſt fumo ,* Ipſemet quoque Iſaias ibi lamentabatur dicens : *Væ mihi . . . quia vir pollutus labijs ego ſum;* neque Satanas ſulphur & fumum ſuum ibi diffundere deſinit;ac proinde nec ipſimet Deo in ſublimi gloria ſeſe exhibenti parcit. Rupertus Abbas hunc Iſaiæ textum Apoſtolis applicat , qui dum Evangelium per mundum quaquaverſum diſſeminantes trium divinarum perſonarum notitiam mundo manifeſtare cœperunt , domus Eccleſiæ fumo à Dæmonibus excitato paſſim impleta fuit,quia Satanas Evangelij prædicationi ſe opponens, ſcribas, Pontifices , & Principes Synagogæ contra illos concitavit,ut inter ſe de modo illos ſupprimendi deliberarent, dicentes : *Comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum ; Et vocantes eos denuntiaverunt , ne omnino loquerentur ;* Circa quæ verba dictus Rupertus Abbas ita ſcribit : *Zelo concitati ſunt principes Sacerdotum , commota ſunt ſuperliminaria pro audita Trinitatis gloria, & manus injecerunt,ut concluderentur ora clamantium.*

*Ibid.v.4.* *Ibid. v.5.* *Rup.Abb.l.1. in Iſa.c.29.* *Act.Apoſt.4. v.17. & 18.* *Rup. Abb.*

Tentando omnes aggreditur.

11. Porro ad probandum quod Diabolus tunc vel maxime contra nos ſæviat , cum majoribus operibus bonis perficiendis incumbimus, nullum, adduci poteſt argumentum fortius, quam ſi conſideremus quod inimicus tartareus animum per tentationes lucrandi nequidem in Cœnaculo Sionitico , in Collegio Apoſtolico,ſeu in Schola ipſiuſmet filij Dei abjecerit , quia potius poſtquam ſanctiſſimum altaris Sacramentum inſtitutum fuit, poſtquam Apoſtoli à Chriſto conſecrati fuere ſacerdotes, poſt prolixum in Cœna habitum divinum ſermonem , poſt lotos Apoſtolorum pedes , quando dixit : *Qui lotus eſt,non indiget,niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus,* tunc inquam omnem lapidem movit , ut prius *fieret contentio inter eos,quis eorum videretur eſſe major* , adeo etiam eorum intepeſcerent corda tantoque percellerentur timore, *ut omnes eo relicto fugerint* , Judas in traditorem,imo deſperatum,Petrus in perjurum, & paulo poſt Thomas in incredulum degenerarint. Unde S. Bernardus merito ait : *Si lupus non timuit introire in gregem Domini, & unam de duodecim tam parvulo numero mactare & perdere,quid facturus eſt de grege commiſſo alteri paſtori?*

*Joan.13.10.* *Luc.22.24.* *S.Bern.ſer.1. in Cœna Dom.*

De tempore ſanctiori.

12. In decurſu totius anni , nullum eſt tempus,ut cuilibet manifeſte conſtat ; quo populus Chriſtianus operibus pietatis & devotionis magis ſit deditus, quam in Quadrageſima , cujus dies vere ſunt *tempus acceptabile* propter jejunia, ſtationes, verbi Dei prædicati aſſiduitatem; frequentiam Sacramentorum, multaque alia opera bona,quæ ijs diebus exercentur ; ac proinde perſuadere quis ſibi poſſet,quod tunc magis, quam in quovis alio anni tempore inducias pacis ab inimico infernali obtinendas ſperare liceret , & tamen nullo tempore magis ferociter ſævit, quam in illo. Unde idem S.Bernardus monet , ut illo præſertim tempore arma noſtra Spiritualia exacuamus , & depulſa ab ijs omni ærugine expoliamus : *His præſertim diebus ſanctis amplius ſe judicat veſtra devotione torqueri* ; quam ob cauſam Eccleſia provide diſpoſuit ; ut per totum decurſum quadrageſimalem fideles verba illa ſæpius repetant : *Angelis ſuis Deus mandavit de te ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis* ; nec non ut in qualibet Miſſa feriali adjungatur in fine *Oratio ſuper populum.* Unde interpres quidam ſuper illa verba Chriſti apud S.Lucam : *Ambulat per loca arida, quærens requiem & non inveniens,* ita ſcribit : *Bene dicitur, quod in deſertis pœnitentiæ locus,id eſt, pœnitudine tactis animis , ubi molliti ei nihil eſt, ſed aſpera prorſus vita , requiem Dæmon non invenit, quamdiu enim ſolitaria ut paſſer peccata ſua plangit anima, nulla illic ei mora eſſe poteſt.* Cum perfectiſſimis etenim ſemper luctatur quantum poteſt , quamvis in ijs ut plurimum opportunam reſiſtentiam inveniat &c.

*S. Bern. ſer. 3. de jejun. Quadr.* *Gagnæus in Luc.*

## DISCURSUS XII.

### ARGUMENTUM.

Tota Diaboli potentia in ſolo peccato conſiſtit,ſine quo nihil adverſum nos facere prævalet.

### THEMA.

*Venit princeps mundi hujus & in me non habet quidquam* , Joan.14. ℣.30.

Diaboli potentia in peccato.

1. TAmetſi Satanas univerſi mundi & totius generis humani ſibi uſurpet Dominium , attamen Salvator noſter illum in ſe nequidquam prævalere umquam potuiſſe proteſtatur dicens : *In me non habet quidquam* , idque ex eo capite quia omnis erat expers peccati: *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Unde S.Bernardus in ſermone quodam ait: *Venit Diabolus, non princeps creaturarum, ſed peccatorum, non lucis , ſed tenebrarum, & in me non habet quidquam, id eſt, nihil eſt in me quod ad eum pertineat.* Dæmon enim cum tota ſua poteſtate tartarea, adverſus animam quamcumque nihil facere prævalet,niſi in ipſum ratione peccati Dominiſi aliquod obtineat. Unde commentator Nazianzeni de rebellibus hiſce ſpiritibus ita ſcribit : *Bellum in nos gerunt, non quod voluntati noſtræ ſaltem poſt divinum baptiſmum vim ac tyrannidem inferre poſſint, abſit* ( *hoc enim magnus quoque Apoſtolus his verbis declaravit : Lex ſpiritus vitæ liberavit me à lege peccati & mortis* ) *ſed quod divinorum mandatorum curam abjiciamus,* atque

*Joa.8. v.46.* *S.Bern ſerm. 10. in Cœn. Dom.* *Elias in orat. Nazianz.*

*atque animi inductione voluptatibus nos ipſos addicamus ;* Et ideo D.Chryſoſtomus unicum, infallibile & omnipotens contra univerſum infernum remedium ſuggerit, dum ait : *Unum ſolum cuſtodi ne occurrat tibi peccatum,hoc enim eſt quod ſupplantat, præter hoc vero nec ipſe diabolus nos quidpiam lædere poterit.*

*D.Chryſ. Hom.21.ad pop.*

Serpens infern. terra peccatorum paſcitur.

*Gen.3.v.15. Alcuinus Ibid.*

2. Creator noſter dæmonem ſolius peccati ratione humano generi prævaliturum eſſe prævidens, hanc contra eum fulminavit decretoriam condemnationis ſententiam : *Inimicitias ponam inter te & mulierem,inter ſemen tuum & ſemen illius* : Circa quæ verba Alcuinus quærit : *Quid eſt ſemen ſerpentis , & quid mulieris ?* Et reſpondet : *Semen mulieris totum genus humanum : ſemen ſerpentis originalis peccati primordium , quæ duo ſemina ex præcepto divino continue inter ſe gerere odium debent.* Et S.Ambroſius in Hexameron lib.3.cap. 10. inquit : *Quod ſeminat diabolus peccatum eſt.* Utinam cum venenoſo ſerpentis illius ſemine,fatale & irreconciliabile nobis ſemper & inceſſanter intercederet,utique culpa numquam in nobis locum habitura eſſet,& conſequenter nullum ipſe contra nos jus prætendere valeret,Deus olim dæmoni ſub figura ſerpentis pœnam quamdam impoſuit,quæ prima facie cuilibet mira eſſe videbitur,dicit enim illi: *Terram comedes*;at vero ex quo ſerpens ille non eſt corporeus,ſed purus ſpiritus exiſtit, qua ratione ſe terra paſcere aut cibare poterit?aut vero quæ aut qualis eſt terra iſta ? *Maledicta terra in opere tuo... ſpinas & tribulos germinabit tibi*,inquit ſacra ſcriptura ; ubi per ſpinas in ſenſu myſtico paſſiones & inordinati appetitus noſtri intelliguntur ; Hiſce igitur ſpinis paſcitur , quia peccata , culpas , & transgreſſiones noſtras velut delicatiſſimum cibum manducat ; iiſque deficientibus , fame , ut ita dicam, interiturus eſſet. Unde S. Auguſtinus illa Apocalypſeos verba: *Et projectus eſt draco ille magnus &c.* exponens ait : *Diabolus & ſpiritus immundi omnes cum ſuo principe de ſanctorum cordibus expulſi ſunt in terram , id eſt, in homines, qui terram ſapiunt , & totam ſpem ſuam in terra conſtituunt.* Idem quoque ſanctus Doctor in alio quodam loco , prædicta verba : *Terram comedes* , Gloſſa ſua illuſtrans dicit : *Dictum eſt peccatori , Terra es,& in terram ibis. Datus eſt ergo in cibum diabolo peccator , non ſimus terra , ſi nolumus manducari à ſerpente. Sicut enim quod manducamus in noſtrum corpus convertimus, ut cibus ipſe ſecundùm corporis qualitatem hoc efficiatur,quod nos ſumus, ſic malis moribus , per nequitiam, ſuperbiam , & impietatem hoc efficitur quiſque , quod diabolus eſt ſimilis ejus, ut ſubjiciatur ei , ſicut ſubjectum eſt nobis corpus noſtrum , & hoc eſt , quod dicitur manducari à ſerpente.* Idem quoque alibi peccatores filios diaboli eſſe declarans dicit : *Omnes peccatores ex diabolo nati ſunt , in quantum peccatores , Adam à Deo factus eſt, ſed quando conſenſit diabolo,ex diabolo natus eſt.* Imo adeo verum eſt quod in quantum peccatores dæmoni tamquam mancipia & ſubditi ejus ſubjecti ſimus,ut deficiente in nobis peccato priſtinam veramque filiorum Dei libertatem ſubito recuperemus , *& egredietur diabolus ante pedes ejus* ; Id quod S. Bernardus conſiderans ait : *ubi nempe peccatum remittitur , ibi proculdubio diabolus de corde peccatoris expellitur ; hinc univerſaliter de cunctis pœnitentibus dicit : Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, quod ſcilicet humiliter confitenti remittat Deus peccatum,& diabolus eum , quem in hominis corde invaſerat, amittat principatum.*

*S.Ambr.in Hexam.l.3. cap.10.*

*Gen.3. 14.*

*Gen.3. 17.*

*Apoc.12.9. S.Aug.T.1. Hom.9. in Apoc.*

*S.Aug.T.3. de agone Chriſt. c.1.*

*S.Aug.Tr.4. in c. 3.Ep. S.Joan.*

Peccatores filij ſunt diaboli.

*Habac.3. 5.*

*S.Bernard.* In pœnitentibus amittit principatum.

3. In Iſaia dicitur : *Si abſtuleris de medio tui catenam &c.* id eſt, ut Gloſſa ait : *Catenam peccatorum* ; vel ut Hugo Cardinalis exponit , *colligationem peccatorum , quæ diabolus trahit te ad infernum de medio tui , id eſt,de corde*,ut S.Hieronymus inquit. Sed quo modo catena hæc diſſolvitur ? Per deteſtationem peccati , nec non per contritionem & confeſſionem ejusdem. Etenim tritum eſt quod in ſpeculo Exemplorum de licentioſo & diſſoluto quodam homine refertur exemplum , qui prædicationem verbi Dei , in qua peccatum in forma catenæ, quo diabolus eum ſibi adſtrictum tenebat , repreſentabatur , audiens , ſubito compunctus amarè plorabat , prima autem lachryma, quæ in illam catenam cecidit , camdem adeo contrivit & diſſipavit, ut deinceps à ferreis hiſce vinculis ſe liberum invenerit. Hugo Cardinalis ſuper illa Apocalypſeos verba : *Ubi ſedes eſt Satanæ*,dicit : *Bene ſedes dicitur , id eſt , manſio , non tranſitus ; in illis enim manſionem facit diabolus , qui peccata nolunt confiteri , ſed in illis tranſit, qui etſi peccant aliquando ex fragilitate, tamen ſtatim confitentur.* Job quoque de hoc inimico infernali dicit : *Super ipſum ſonabit pharetra* ; circa quæ verba S. Hieronymus peccata noſtra dæmonis haſtæ loco ſervire dicit : *Habet haſtam delicta trabalia , atque mortifera* ; ac proinde inermis & conſequenter debilis contra nos foret , niſi nos ei arma , quibus nos impugnat , ſubminiſtraremus. S. Bernardinus modum quo dæmon contra nos præliatur,ſuiſque adverſum nos viribus prævalet , exponit dicens : *Quomodo autem , & quibus modis prævaleat diabolus contra infelicem animam , myſtice* Exod.15. *ſcriptum eſt, ubi dicitur : Dixit inimicus : Perſequar , & comprehendam , dividam ſpolia , implebitur anima mea , evaginabo gladium meum,interficiet eos manus mea.* Demum vero omnem dæmonis potentiam ab eo dependere declarat , quod nos ei per peccatum ſubminiſtramus : *Septem gradibus anima à diabolo expugnatur. Primo inſultat in ſuggeſtione. Secundo luctatur in delectatione. Tertio percutit in conſenſu. Quarto ſpoliat in actu. Quinto præcipitat in conſuetudine. Sexto hilareſcit ſibi in gloriatione. Septimo prævalet in morte.*

*Iſa.58.v.9. Gloſſa. Hug.Card.*

*S.Hieron. Specul.Exemp.*

Exemplum.

*Apoc.2.13. Hug. Card. ibid.*

*Job.39.v.23*

*S. Hieron.*

*S.Bern. T.3. ſerm. 4. in Dom.4.poſt Pent. Exod.15.9.*

4. In Jeremia hæc verba leguntur : *Comedit me, devoravit me Nabuchodonoſor Rex Babylonis,... abſorbuit me quaſi draco.* Porro per hunc Regem,ſicut etiam per Pharaonem , Lucifer intelligitur. Unde Hugo Cardinalis ait : *Rex Babylonis eſt diabolus , qui comedit quaſi maſticando , dum tentat & ſuggerit , ſed devorat , quando peccator conſentit , abſorbet , quando peccatum opere complet.* Idem quoque purpuratus Doctor alibi modum explicat , quo anima ab inimico impugnata cadit ; dicit enim : *Traditio qua traditus eſt homo diabolo,duo importat , culpam & pœnam , ratione pœnæ traditus eſt à Deo , ratione culpæ non , ſed permiſit eum tentari à diabolo. Juſte tamen illo peccantem deſerente , peccati author invaſit , ergo Deus prius deſerit hominem, quam invadat eum diabolus , ſed ſtatim ut peccat invadit eum diabolus* ; ac proinde dæmon quidem quantum novit & poteſt,corpus infeſtare & vexare poteſt,animæ autem ne per umbram quidem nocere poteſt niſi ipſa velit. *Sanctum Jobum magis armavit , cum vulneravit*, inquit S.Ambroſius : *Quia totum corpus diris perfuſum ulceribus, diaboli quidem morſum pertulit , ſed venena non ſenſit ; Et ideo bene ei dictum eſt : Adduces draconem in hamo, ligabis eum ſicut paſſerem :* Quibus verbis venenum hujus draconis nobis nocere non poſſe oſtendit , niſi nos peccati venenum prius deglutiamus : in cujus probationem verba illa Iſaiæ adducit dicens : *Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis,& in caverna reguli qui ablactatus fuerit,manum ſuam mittet,* quaſi dicere vellet : Hi qui puerili innocentia gaudent, nullo hujuſce monſtri percellentur timore : *Vides quemadmodum à Paulo illudatur , ut in cavernam ejus ſicut puer ille propheticus manum mittat , & nihil ſerpens noceat ei,de lateribus eruat eum, de veneno ejus faciat ſpirituale antidotum. Venenum ad interitum carnis , medicamentum fit ad ſalutem ſpiritus. Quomodo poteſt quiſquam,* inquit apud Matthæum Salvator noſter , *intrare in domum fortis , ... niſi prius alligaverit fortem ? & tunc domum illius diripiet* ; Sed quomodo fortis hic inimicus debilitatur,aut qua ratione trifaucem hunc Cerberum ligare poterimus ? *Illudes ei quaſi avi ; Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Vultiſne ſcire qua ratione id fieri poſſit ? Nimirum ſi arma quibuſcum contra nos fortis evadit,ei ſubtrahantur , quæ non ſunt alia , præterquam noſtra peccata. S. Hieronymus ad aliud licet propoſitum, aliqua ſcribit , quæ ad præſens propoſitum adaptare facile poſſumus : *Noſtris* , inquit , *peccatis barbari fortes ſunt,noſtris vitijs Romanus ſuperatur exercitus.* Ac proinde Apoſtolus iiſdem Romanis in hæc verba ſcribit : *Sed neque exhibeatis membra veſtra,arma iniquitatis peccato.*

*Jer.15.v.34*

*Hug. Card. ibid.*

Peccata ſunt Dæmonis arma.

*Hug.Card.in c.5. ad Rom.*

*S.Ambr. l.2. de pœnit. cap.3.*

*Iſa.11. v.8.*

*Matt.12.29.*

*Job.40.24. Pſ.103.26.*

*S.Hieron.*

*Rom.6.13.*

5. Immundus ille Spiritus qui receſſiſſe dicebatur : *Cum immundus Spiritus exierit de homine* , ſubito cum ſeptem alijs ſpiritibus revertebatur: *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe , & ingreſſi habitant ibi & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Sed quærendum nobis eſt , qua ratione de novo aditum in hominem habere potuerit ? Reſponſio autem facilis eſt , quia relapſus hominis in peccatum habitationem priorem ampliavit, ornavit,& expolivit, quia *invenit eam ſcopis mundatam & ornatam.* Notat etiam circa eumdem textum Euſebius Emiſſenus, quod *non ſufficiat ei , ut ſolus talem domum poſſideat , ſocios quærit , ſpecioſus eſt locus , multis indiget habitatoribus.* Quanto enim magis malitia peccati creſcit , tanto amplior dæmoni patet aditus , tantoque magis in anima fortificatur. *Non enim aliquem vincit* , inquit S. Auguſtinus , *Aut ſubjugat , niſi ſocietate peccati* , neque enim dæmon alias catenas aut vincula habet,

*Luc.11.24. Ibid. v.26.*

Quæ quo magis creſcunt eo magis hoſtis victor qui his vinculis nos ſtringit.

*Ibid. v.25.*

*Euſeb. Emiſſ. Hom.3. in Dom. 3. Quadr.*

*S.Aug. l.10. de civ.c.22.*



habet,quam illa quæ à nobiſmetipſis illi ſubminiſtrantur : Nam *funibus peccatorum ſuorum* unusquiſque *conſtringitur.*

*Prov.5 22.*

6. Apoſtolus ad Corinthios ſcribens inquit : *ad ſimulachra muta ducebamini* ; ubi Hugo Cardinalis phraſim illam loquendi Apoſtoli notat , per quam innuitur , quod inſtar irrationabilium beſtiarum ligati ad falſorum numinum cultum perducti fuerint ; *Ducebamini à Diabolo, quia omnis qui eſt in mortali eſt jumentum diaboli , & per unum peccatum, quaſi per capiſtrum ducetur ad aliud* , juxta illud Prov. 7. ubi ſapiens de quodam peccatis carnalibus immerſo homine differens ait : *Irretivit eum multis ſermonibus , & blanditijs labiorum protraxit illum* ; ſtatim enim ſequitur *quaſi bos ductus ad victimam , ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur* ; ac proinde ſubjungit idem Hugo Pſalmiſtam in Pſal.31.ſaluberrime monere,dum ait : *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus , id eſt , non permittatis vos infrænari à diabolo, ſi enim ſciret equus quod infrenaretur , & duceretur in ſervitutem , non permitteret ſe infrænari , quid eſt ergo de miſero homine , qui ſcit illud ?* Porro quod genus humanum per peccatum in poteſtatem inimici tartarei à Deo traditum fuerit S. Auguſtinus his verbis oſtendit : *Quadam*, inquit , *juſtitia Dei in poteſtatem diaboli traditum eſt genus humanum peccato primi hominis , in omnes utriusque ſexus commixtione naſcentes originaliter tranſeunte , & parentum primorum debito univerſos poſteros obligante.* Enimvero Deus ſupremus Judex poſtquam circa delictum in paradiſo terreſtri commiſſum formaſſet proceſſum, Adamo & Eva,nec non & dæmone in ſerpente rite examinatis , ijsque convictis , & transgreſſionem ſuam confitentibus , eosdem in manus juſtitiæ punitivæ conſignavit : *Hæc autem traditio prius in Geneſi ſignificata eſt , ubi cum ſerpenti dictum eſſet , terram manducabis , homini dictum eſt : Terra es , & in terram ibis.* Qua autem ratione ſerpens terram manducet , ex quodam D. Chryſologi ſermone colligere poſſumus, ubi ait : *Jejunantibus nobis diabolus eſurit , qui noſtris ſemper ſaturatur ex culpis ; capit ille ſatietatem & voluptatem percipit , expletur epulis, quando nos luxus ſolvit, libido ſimulat , pompa rapit , implet ambitio.* Ecce qualiter diabolus epuletur, quando nos laxatis ſenſualitati habenis in vitia præcipites ruimus.

*1.Cor.12. 2.* Atque infrænatos ducit de peccato in peccatum. *Hug.Card. ibid.*

*Prov.7.21.*

*Pſalm.31.9. Hug.Card. ibid.*

*S.Aug.T.3. l.13.de Trin. cap.12.*

*D. Chryſol. ſerm. 12.*

7. In Jobo dicitur : *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila , & in arduis ponet nidum ſuum ? in Petris manet,& in præruptis ſilicibus commoratur,...inde contemplatur eſcam.* Ubi S. Hieronymus per hanc Aquilam dæmonem intelligit,dum ait : *Diabolus intelligitur ob ſuperbiam , in arduis poſuit nidum , hoc eſt in magnis quibusque & eminentibus ſæculi hujus: In Petris manet,hoc eſt in duris & malitia fortibus,& in præruptis ſilicibus commoratur , hoc eſt in blaſphemijs duris & indomitis cordibus,& velut præruptæ ſilices in ruinam peccatorum pondere dependentes* ; Cæterum quæ & qualis eſca ſit illa,quam hæc aquila è ſublimi proſpicit, jam paulo ante ex D. Chryſologo audiviſtis.

*Job.39.27.* In quibus Dæmon nidum habeat. *S.Hieron.*

8. S.Bernardinus oblationem illam dæmonis conſiderans , qua Chriſto Redemptori noſtro omnia regna mundi in momento oculi ejus conſpectui propoſita promiſit, dummodo genibus flexis ipſum adorando in idololatriam conſentiret , cui tunc totum quaſi genus humanum immerſum erat , inquit : *Tam charum diabolus theſaurum conſcientiæ malæ , ut omnia quæcumque in mundo ſunt, præter illud pro nihilo ſpernat*, ut proinde dicere videatur , quod Geneſeos cap. 14. Rex Sodomorum Abrahæ dixit : *Da mihi animas , cætera tolle tibi.* Tali quoque tantaque urgetur aviditate peccati,ut peccati nomine ſæpius à ſanctis Patribus appelletur. Unde S. Ambroſius de Chriſto loquens dicit : *Vicit peccatum de peccato , hoc eſt diabolum.* Idem quoque paulo poſt eodem in loco dæmonem cum peccato confundit , dicens : *Peccatum quod eſt diabolus.* Et ſuper illa verba : *Sine lege peccatum mortuum erat* , ita ſcribit : *Diabolum in peccato ſcias ſignificatum , & hoc ipſum quod vocatur peccatum.* Imo peccatum talem cum dæmone connectionem & relationem habet , ut neceſſario ubi peccatum mortale eſt , ibi pariter dæmon præſens exiſtat. S. Gregorius Nazianzenus coronæ ſpineæ Redemptori impoſitæ rationem reddens, dicit : *Spinea corona adverſus pravum imperium.* Elias autem Cretenſis hæc verba gloſſa ſua exponens ita ſcribit : *Per ſpineam coronam qua Dominicum caput ( cum eum ut Regem ludibrio haberent ) cinxerunt , ut hac ratione diaboli imperium , atque robur extingueret , hoc eſt, peccatum ; ſpina enim peccatum deſignat, in peccato porro omne dæmonis robur atque imperium eſt , neque enim alia ratione regnum in nos obtinere poteſt , quam ſi peccato conſtrictos nos teneri ſinamus.* S. Baſilius diſcurſum ſuum ad animam peccato mortali obnoxiam dirigens , camdem ut Chananæam imitetur exhortatur his verbis : *Stude Chananæam imitari ; At inquis : filiam male à dæmonio obſeſſam non habeo, habes tamen animam immundo ſpiritu occupatam. Quid ais Chananæa? Miſerere mei, filia mea male à dæmonio torquetur , magnus enim dæmon peccatum.* Idem quoque ſanctus Doctor dæmones præ gaudio exilire dicit, quando nos ad peccandum inducunt : *Dæmonia* , inquit , *geſticulari dicuntur, & multifariam ſaltitare , dum nobis cooperantur ad peccandum.*

*S.Bernard. T.2. ſerm.52. A.3.T.2.*

*Gen.14. 21.*

*S.Ambr. ad Rom. 7. Rom 7.v.8.* Ubi mortalis culpa ibi Dæmon.

*Nazianz. orat.1. Elias Cret. ibid.*

*S.Baſil. hom. 3. in exhort. ad Bapt.*

*S.Baſil. in c.14. Iſai.*

9. Nos quidem dæmoniacos deploramus , valdeque illis compatimur , nec tamen conſideramus, quod in peccato exiſtentes , in longe deteriori ſtatu conſtituti ſimus , nam ut Caſſianus inquit omnino melior eſt Energumenorum conditio : *Idcirco eos velut pædagogos traditos humilitati,ut diſcedentes ex hoc mundo , vel purgatiores ad vitam aliam transferantur , vel pœna leviori plectantur , qui ſecundùm Apoſtolum in præſenti traditi ſunt Satanæ in interitum carnis,ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini Jeſu Chriſti:* non vero idem eſt de eo qui peccato mortali eſt obnoxius, hic enim mancipium eſt diaboli , non ut ſpiritus ſalvus fiat,ſed in perpetuam animæ perditionem. De Magdalena S. Lucas ait : *De qua ſeptem dæmonia exierant* , nec tamen umquam à dæmone obſeſſa fuit , ſed ut S. Gregorius declarat : *Quid per ſeptem dæmonia, niſi univerſa vitia intelliguntur ?* Quando in ſtatu peccati mortalis hæremus , miſerabiliori modo diabolo ſubjicimur, quam qui ab eo obſidentur , quia illis hoc accidit , ut ſcriptura dicit : *Ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini :* at vero quoad culpam mortalem ex fide certo novimus, hanc infallibiliter annexam habere miſerrimam diaboli ſervitutem : *Qui facit peccatum ſervus eſt peccati*, de quo proinde certus eſt , quod *corpus & animam perdit in gehennam.*

Peccator eſt miſerabilior obſeſſo.

*Caſſ.Collat. 7. cap.28.*

*Luc.8. v.2.*

*S.Greg.*

*1.Cor.5. v.5.*

*Joan.8.v.34. Matth.10. v.28.*

10. Dæmon utique nullos ad mordendum dentes haberet , niſi hos à nobis acciperet , de quibus Job ait : *Per gyrum dentium ejus formido.* Albertus Magnus ſuper illa Chriſti verba apud S. Marcum: *Ut non intretis in intentationem* , quales hi venenoſi Leviathan dentes ſint his verbis declarat : *Dentes*, inquit, *diaboli ſunt gradus tentationum ſcilicet primus motus , cogitatio, delectatio moroſa,conſenſus, voluntas plena , impetus , operatio, iteratio, conſuetudo, defenſio peccati gloriatio in peccato,inverecundia, impœnitentia,deſperatio.* Hæc autem peccata ab arbitrio & libera voluntate noſtra pendere certum eſt ; numquam enim infernalis hic Cerberus ad mordendum nos dentes habiturus eſſet, niſi nos illi hos ſubminiſtraremus.

Tentationū gradus.

*Job 41.v 5. Marc. 14. v 38. Alb. Magn. Ibid.*

## DISCURSUS XIII.

### ARGUMENTUM.

Dæmon nulla in pernitiem noſtram potentia prævalere oſtenditur , niſi quantum illi Deus limitate & in profectum noſtrum indulget.

### THEMA.

*Numquid illudes ei quaſi avi ?* Job.40.℣.24.

1. SAnctus Job in propoſiti thematis verbis de tyranno ſtygio loquitur , qui facta cum univerſo inferno conjuratione in ejus pernitiem vario prolixoque certamine eum laceſſit,ac proinde quam indebilis ſit,per multiplicem experientiam probiſſimè ſcire potuit;unde Deum alloquens interrogavit illum : *Numquid illudes ei quaſi avi, aut ligabis eum ancillis tuis ?* De hoc pariter vaſto Dracone Pſalmiſta ait : *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Porro aviculæ ex tenui filo ligatæ tenentur,ut pueris in luſum & jocum deſerviant : ita quoque de Dæmone S.Hieron.inquit : *In tantum , ait Dominus humiliabitur draconis illius fortitudo , & omnino pro nihilo erit, ut illudendus habeatur.* Idem quoque Eccleſiæ Doctor , quænam hæ ancillæ ſint, de quibus Job loquitur , his verbis declarat : *Alligatur atque illuditur à ſanctis animabus Dei,quæ ſunt ancillæ Chriſti , dum ab eis ipſi & ejus ſocijs imperatur , & de corporibus ab eo obſeſſis abire compellitur.* S. Hieronymus quoque notat alios legere : *Alligabis eum ſicut paſſerem infantulo, quod eſt , ab infantulo tenebitur præcepto imperij mei, & velut ligatus in poteſtatem tradetur.* Dionyſius Carthuſianus autem per has ancillas ſexum fœmineum debilem intelligit , dum ait : *Ancillis ſuis*

A ſanctis Dæmon alligatur ut avis à puero.

*Pſ.103.v.26.*

*S.Hieron. ibid.*

*S.Hieron.*

*Dion. Carth. in Job.*

*ſuis Chriſtus illum ligavit, dum tot perſonis fæminei ſexus poteſtatem & gratiam prævalendi Dæmonibus contulit.* Ideo enim Draco iſte ſub S. Margaritæ, S. Marthæ, pluriumque aliarum tenellarum virginum ipſum conculcantium pedibus depictus paſſim videtur.

Impotens eſt Dæmon niſi Deus permittat.
*Exod.* 8. *v.* 19

2. Deus olim permiſit, ut Magi Pharaonis per illuſionem & faſcinationem Diabolicam multa quoque prodigia & ipſi operarentur; Verumtamen non ſine myſterio ſe victos eſſe profeſſi ſunt dicentes: *Digitus Dei eſt hic*; quando ab illis Ciniphes & alia minutiora animalia producenda erant, ut exinde magnam illorum etiam in rebus minimis impotentiam diſceremus, quodque in tantum Spiritus maligni aliqua nonnumquam facere prævalent, in quantum Deus illis permittit & non amplius.

3. Sancta Mater Eccleſia illis qui ordinibus minoribus initiati ſunt, quales ſunt Exorciſtæ facultatem dedit illis imperandi, eoſque vel per aquam benedictam, vel per agnos Dei, vel per Crucis ſignum in fugam agendi; Et licet Dæmonibus nonnumquam permiſſum ſit ut etiam homines ſanctitate inſignes tentare poſſint, hoc tamen illis ad majorem talium virorum gloriam permittitur, ut ſuo loco dicemus.

Perfectos tentat ad majorem gloriam.
*Apoc.* 12. 7.
S. *Aug.* T. 9. *Hom.* 9. *in Apocal.*
In quibus efficit nihil niſi ad humiliandum.
*Pſ.* 103. 26. *Auguſt. ibid.*
S. *Aug. in Pſal.* 103.
S. *Aug. l.* 11. *de Gen. ad litt. c.* 12.

4. S. Auguſtinus verba illa Apocal. 12. *Et Draco pugnabat & Angeli ejus*, exponens, dicit ſenſum horum verborum eſſe quod ſcilicet pugnaverit *diabolus, & homines voluntati ejus obtemperantes, & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in cœlo.* Sed quinam ſunt illi contra quos Dæmones nihil efficere valuerunt? Homines ſancti. *In hominibus ſanctis.* Idem S. Doctor illa verba Pſalmi: *Draco iſte quem formaſti*, ita legit: *Quem fixiſti*, & ſubdit, *Jam tu illude draconi, ad hoc enim hic factus eſt draco. Multi dicunt: quare tantam poteſtatem Diabolus accepit, ut dominaretur in hoc ſæculo, & tantum valeat, & tantum poſſit?* Sed reſpondet S. Auguſtinus: *Quantum valet? quantum poteſt? Niſi permiſſus nihil poteſt. Tu ſic age ne permittatur in te, aut ſi permiſſus fuerit ad tentandum, victus abſcedat & non poſſideat.* Idem quoque alibi de ejus potentia diſſerens ait: *Habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non niſi quæ datur, vel ad ſubvertenda ac perdenda vaſa iræ, vel ad humilianda ſive probanda vaſa miſericordiæ.* D. Chryſoſtomus quoque nos monet, ne Dæmonem formidemus, quia tametſi nomen habeat Leonis rugientis, attamen in ſcriptura ſacra dicitur: *Et conculcabis leonem & draconem. Eſt enim bellua multiplex, ſed ſi ſapuerimus, hic leo & draco, erit quovis luto vilior, & nec adverſum nos quidem dirigit aciem: ſin autem direxerit conculcabitur.*

*Pſ.* 90. *v.* 13.
D. *Chryſoſt.* T. 7. *in Pſ.* 7.
*Matt.* 24. 35
Deus non permittit tentari ſupra id quod poſſumus.
1. *Cor.* 10. *v.* 13.
Et in quantum inde ſpirituale eſt lucrum.

5. Deus noſter qui errare aut fallere, nec falli nequit, qui de ſeipſo dicit: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, hic inquam per veridicum Apoſtoli calamum nobis inſinuari fecit, quod numquam permiſſurus ſit ut tentationes, quibus infeſtandi ſumus, viribus noſtris majores exiſtant: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, Cum enim Deus noſter nihil æque ac ſalutem noſtram deſideret, hinc eſt quod priuſquam nobis tentationes per Dæmonem irrogari permittat; vires noſtras prius ponderet, efficiatque ne inimici inſultus viribus noſtris ſuperiores evadant, imo providentia paterna in tantum nos tentari permittat, in quantum, inde profectum & lucrum noſtrum ſpirituale augeri poſſe prævidet, quia *faciet etiam cum tentatione proventum.* Hujus veritatis omnibus notum in Scriptura ſacra habemus S. Jobi exemplum; quem diabolus nequaquam niſi petita à Deo licentia tentare præſumpſit, quam illi Deus non abſolutam & ad Dæmonis libitum, ſed cum hac limitatione conceſſit: *Ecce univerſa quæ habet, in manu tua ſunt, tantum in eum ne extendas manum.* Quia vero poſt ablatas ab eo omnes facultates, & interemptos filios, nihil ſe in eo lucratum fuiſſe vidit, ulterius ipſius quoque Jobi perſonam aggrediendi licentiam à Deo popoſcit, quam Deus quoque ei conceſſit, cum hac tamen limitatione: *Verumtamen animam illius ſerva*; neque enim ei poteſtatem vitam Jobo eripiendi, aut lumen rationis impediendi & offuſcandi indulgere voluit, ut ſe in patientia alijſque virtutibus heroicis exercere, atque ex perpeſſa tentatione fructum ſibi comparare poſſet, *ut faceret cum tentatione proventum, & poſſet ſuſtinere.* Unde S. Bonaventura ait: *Diabolus habet ſemper voluntatem nocendi, quia hanc habet à ſemetipſo, ſed poteſtatem nocendi non ſemper, niſi quantum & quando permittitur à Deo, juſto modo. Unde non eſt poteſtas, niſi à Deo*; Et ideo S. Petrus ait: *Et quis eſt qui vobis noceat; ſi boni æmulatores fueritis?*

1. *Cor.* 10. 13
*Job.* 1. *v.* 12.
*Job.* 2. *v.* 6.
S. *Bonav. in C.* 4. *Luc.*
1. *Petr.* 3. *v.* 13.

*Job.* 38. *v.* 39
*Ibid. v.* 40.
S. *Hier. ibid.*

6. Job cap. 38. inquit: *Numquid capies Leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis, quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur?* Sed audiamus qualiter S. Hieronymus hunc textum exponat: *De diabolo*, inquit, *& ejus ſocijs loquitur; ait autem: nemini nocere poſſe, niſi à Deo acceperint poteſtatem. Unde dicitur in Pſalmo: Catuli leonum rugientes ut rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi: antra vero ſive ſpeluncæ ſunt corda hominum impiorum, in quibus cubant.* S. Ambroſius quoque nos docet, quod tametſi Dæmones nos tentandi poteſtatem habeant, permiſſionem tamen & poteſtatem nos ſine voluntate & beneplacito noſtro vincendi minime habeant: *Accepit quidem tentandi licentiam, ſed non accepit copiam ſubruendi, niſi ſua ſponte labatur infirmus affectus, qui ſibi auxilium non novit accerſere.* Porro poteſtatem Dæmonis limitatam, atque ad noſtrum ſpiritualem profectum & lucrum ordinatam eſſe adeo verum eſt, ut Deus eodem tempore, quo nos à Dæmone tentari permittit, velit quoque ut dum animæ inſidiatur, eamdem etiam protegere & defendere debeat. Id quod in Jobo manifeſte patet, de quo Deus Dæmoni præcepit: *Verumtamen animam illius ſerva; ut faciat cum tentatione proventum.* Unde S. Ambroſius in Pſal. 37. ita ſcribit: *Etſi dederit tentandi tui Dominus poteſtatem, mandat tamen diabolo, ut animam tuam ipſe cuſtodiat, ſecundum quod ſcriptum eſt, ut deſtruas inimicum & defenſorem; tentat enim ut adverſarius, defendit ut ſervus. Væ nobis*, inquit Sanctus Bernardinus, *ſi Deus hunc moloſſum infernalem dimitteret liberum & à catenis ſolutum: Cum conſtet dæmonem velle quod pejus eſt, ſi ejus poteſtas eſſet quoad omnia libera & ſoluta, ineffabili modo ſine omni ordine, & menſura ſubverteret totum ſtatum inferiorum, cum dicatur* Job. 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, contra quod* 1. Cor. 10. *Apoſtolus ait: Fidelis autem &c.* S. Iſidorus in ſententijs hanc habet omnibus tentatis valde conſolatoriam ſententiam: *Non amplius tentat electos diabolus, quam Dei voluntas permittit, tentando autem ſanctorum profectibus ſervit. Etſi nolens, utilitati tamen ſanctorum ſervit diabolus, quando eos tentationibus ſuis non dejicit, ſed potius erudit, nam tentationes quas ille ad humanum interitum movet, interdum Spiritus Sanctus ad exercitium virtutum ſalubri utilitate convertit.*

Dæmon voluntate noſtra nos vincit.
S. *Ambr. l. de Paradiſo c.* 2.
Limitatam habet poteſtatem.
*Job* 2. *v.* 6.
S. *Ambr. in Pſalm.* 37.
S. *Bernardin.* T. 3. *ſerm.* 6. *A.* 2. *c.* 3.
*Job.* 41. 24.
1. *Cor.* 10. 13.
S. *Iſidor. l.* 3. *ſent. c.* 5.
Conſolatio pro tentatis.

*Rom.* 13. 1.
*Job.* 41. 24.
Tantum Dæmon permittitur tentare quantum prodeſt.
*Hugo Card. ibid.*
*Did. Stella in c.* 4. *Luca.*

7. S. Paulus ait: *Non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt*, Verum quidem eſt, quod ut Spiritus Sanctus ipſe teſtatur: *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei*, id eſt, non eſt poteſtas dæmonis poteſtati ſimilis, quantum ad perverſam ejus voluntatem, non tamen ſecundum executionem, ſic enim à voluntate Dei limitatur & refrænatur. Unde Hugo Cardinalis ait: *Etſi diabolus habeat poteſtatem nocendi hominibus tamen quodammodo ligata eſt, ut ſecundum actum nocere non poſſit, niſi prius eam Dominus ſolverit, quod eſt, quando Dominus aufert impedimenta, & permittit ut actu noceat, ſicut homo ligatus habet poteſtatem currendi, ſed non facilitatem, donec ſolvatur.* Similiter Didacus Stella hanc à Deo limitatam dæmonis poteſtatem ponderat, dum ait: *Non protendit vires dæmon, niſi tantum ad id quod divina providentia vult*, idque probare contendit per hiſtoriam leonis illius, qui Prophetam, illum Deo inobedientem à Joroboamo miſſum occidit; hic enim poſtquam hunc Prophetam mortali vulnere ſauciaſſet, illum tamen quantumvis famelicus erat, imo & jumentum ejus, nec quidquam tangere præſumpſit, *quod quidem factum paradigma eſt, quod limitatam potentiam habeat & vires leo ille rugiens, qui circuit quærens quem devoret.* S. Iſidorus quoque ſub alluſione hujus leonis tartarei inquit: *Inſidiæ diaboli atque aſtutiæ, quamvis huc atque illuc quærentes quem devorent, diffundantur, à poteſtate tamen divina non egrediuntur, ne tantum noceant, quantum malitioſè contendunt.* S. Auguſtinus in hoc utiliſſimo puncto egregio nos docet dum ait: *Diabolo poteſtas quædam eſt, plerumque tamen vult nocere, & non poteſt, quia poteſtas iſta ſub poteſtate eſt, nam ſi tantum poſſet nocere diabolus quantum vult, non aliquis juſtorum remaneret, aut aliquis fidelium eſſet in terra.* Et paulo poſt facultatem hanc quam Deus illi ad tentandum indulget, ad bonum & utilitatem noſtram ſpiritualem ordinatam eſſe oſtendit dum ait: *Tantum permittitur illi tentare, quantum tibi prodeſt, ut exercearis, ut proberis*, juxta illud Apoſtoli effatum. *Fidelis Deus eſt &c.* ac tandem ad inſtructionem & conſolationem noſtram ſubjungit: *Ergo poteſtas Dei eſt, non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, Noli dicere, & quare dat tantam poteſtatem & non de poteſtate habet æquitatem?*

S. *Iſidorus ibid.*
S. *Aug. in Pſalm.* 61.
S. *Aug. in Pſalm.* 29.

Qui



*Qui dat poteſtatem, habet æquitatem.* Idem quoque S. Doctor in Pſ. 29. ſcribens, doctrinam per Jobi hiſtoriam mirabiliter confirmat; cui poſtquam omnia bona temporalia, ut diximus, eripuiſſet, ac demum immediate perſonam ejus varijs ærumnis divexaſſet, quid inde utilitatis aut lucri reportavit? *Ille quid? Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Non triumphet inimicus, quia ipſe fecit.* Ecce qualiter inſigne illud patientiæ ſpeculum ſubſtantiæ ſuæ jacturam, & filiorum filiarumque ſuarum mortem non dæmoni, ſed Deo adſcripſerit; quia certo illum ſine permiſſione aut beneplacito divino nihil poſſe ſciebat: *Novi ego*, inquit, *à quo ſit permiſſus. Diabolo tribuatur nocendi voluntas, Domino meo probandi poteſtas.* S. Iſidorus etiam in ſententijs ſuis ait: *Ex ſe tentare quoslibet injuſte appetit, ſed eos qui tentandi ſunt, non niſi tentari Deus juſte permittit. Unde etiam in libro Regum de diabolo ſcriptum eſt, quia Spiritus Domini malus irruebat in Saul ubi juſte quæritur cur malus? ſi malus, cur Domini? ſed duobus verbis comprehenſa eſt, & Dei poteſtas juſta, & Diaboli voluntas injuſta, nam ſi Spiritus malus per nequiſſimam voluntatem, & idem Domini per acceptam juſtiſſimam poteſtatem.*

*Job.* 1. *v.* 21.
Job Deo cuncta adſcripſit.
S. *Iſidorus in ſent.*

8. In Opuſculis S. Franciſci de religioſo quodam ſui ordinis, cui nomen Angelus erat, legitur, eum magnopere Dæmonem formidaſſe eo quod aſperrime illum à longo tempore moleſtaſſet; Qui proinde à S. Patriarcha ſocium ſibi dari expetiit, qui ad ejus defenſionem in ejus cella dormiret: At vero ſanctus vir Dei acriter eum objurgans, ſine ulla juſta cauſa eum timere dixit, eo quod vires Dæmonis in manibus Dei ligatæ eſſent; ſimulque ut hujus rei ſequenti nocte experientiam caperet, in montis ibi vicini verticem conſcendendo, ſonoraque voce clamando: *ſuperbi Dæmones omnes venite ad me modo, & quidquid poteritis mihi facite, & in me veſtrum exercete furorem.* Cumque bonus ille religioſus prompte obediſſet, nullus malignorum Spirituum ſe quidquam movere auſus fuit, hacque ratione deinceps abſque ullo Dæmonis timore vixit & liber permanſit. Et merito, quia ut S. Auguſtinus ait: *Non poſſunt, quod non ſinuntur efficere, ſinuntur autem alto Dei ſummi juſtique judicio, pro merito eorum, quos ab eis vel affligi tantum, vel etiam ſubjici, ac decipi juſtum eſt.*

*Opuſc.* 8. *Franciſci Collat.* 30.
Hiſtoria quod Dæmon ex ſe nil poſſit.
S. *Aug. l.* 7. *de Civit. Dei c.* 35.

9. Dæmon poſt ablatas Jobo omnes ejus facultates, libenter quidem eumdem in propria perſona directe aggreſſus fuiſſet: at vero ne capillum quidem capitis ei convellere aut evellere potuit; ac proinde Deum ut vel minimum in eum digitum extenderet, ſive ut modicam ſibi in eum licentiam indulgeret rogavit: *Sed extende paululum manum tuam*, quia ut S. Gregorius ait: *ſcit quia quod libet agere ex ſemetipſo non ſufficit.* Ad hoc autem probandum, illam à Dæmonibus Luc. cap. 8. Chriſto propoſitam ſupplicationem allegat, in qua ſibi & Socijs ſuis ut in illa immunda animalia ingredi poſſent, licentiam concedi poſtulavit: *Qui per ſemetipſum*, inquit, *ire in porcos non poterat, quid mirum ſi ſine auctoris manu ſancti viri domum contingere non valebat*: Quam etiam conſiderationem Tertullianus adducit, dum ait: *Non in porcorum gregem diaboli Legio habuit poteſtatem, niſi eam à Deo impetraſſet, tantum abeſt, ut in oves Dei habeat. Poſſum dicere porcorum quoque ſetas tunc numeratas apud Deum fuiſſe, nedum capillos ſanctorum. Habere videtur diabolus propriam jam poteſtatem, ſi forte ad eos qui ad Deum non pertinent, ſemel in ſtillam ſitulæ, & in pulverem areæ, & in ſalivam nationibus deputatis à Deo, ac per hoc diabolo expoſitis in vacuam quodammodo poſſeſſionem.* D. Chryſoſtomus quoque ponderat, quod ex quo rebelles illi Spiritus, ſine Chriſti permiſſione, ne quidem animalia immunda invadendi & moleſtandi facultatem habebant, multo ſint futuri impotentiores ad divexandas animas pretioſiſſimo filij Dei ſanguine redemptas, niſi hic idipſum ad majus illarum animarum lucrum & ſpiritualem profectum permittat: *Omnes*, inquit, *hinc diſcimus, ne in ſuos quidem impetus facere dæmones non audere, niſi permittat.* D. Chryſologus ſimiliter ad hoc factum ſe reflectens, hanc inde elicit concluſionem: *Nos ergo ait vitijs noſtris facimus; ut illi accipiant poteſtatem nocendi, aut virtutibus ſubjecta nobis dæmonum colla, Chriſto triumphante calcamus.*

Nec ſues quidem invadere niſi Deus permittat.
*Job.* 1. *v.* 11.
S. *Greg. l.* 2. *Mor.* 6. 6.
*Luc.* 8. *v.* 33.
*Tertull. l. de fuga c.* 2.
D. *Chryſoſt. Hom.* 29. *in Matth.*
D. *Chryſol. ſerm.* 16.

10. Quapropter Dæmoni libera voce dicere poſſum, quod incarnata ſapientia Præſidi Judeæ Pilato dixit: *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*; Deus enim per infinitam providentiam ſuam Dæmonibus haud ſecus ac miniſtris juſtitiæ, ſive Lictoribus utitur, qui proinde ſicut in inferno torquent damnatos, ita pariter juxta diſpoſitionem & imperium Dei infeſti ſunt animabus & corporibus noſtris, cunctiſque alijs Creaturis; Quis autem eſt qui neſciat, miniſtros juſtitiæ nec plus nec minus facere poſſe, quam hoc tantum quod illis vel à Principe ſupremo imperatum fuit. *Quare formidare non debet*, inquit S. Gregorius, *qui nihil niſi permiſſus valet, ille autem eſt timendus & honorandus, eidemque ſerviendum cujus eſt poteſtas, & cui dæmon ipſe paret.*

Juſtitiæ Dei miniſtri ſunt Dæmones.
*Joan* 19. *v.* 11.
S. *Greg. l.* 2. *Mor. c.* 6.

11. S. Bonaventura de illa porcos ingrediendi poſtulata à dæmonibus licentia loquens dicit: *Poteſtas ſolius verbi Chriſti excedit virtutem infinitorum millium dæmonum; maximus eſt timor dæmonum reſpectu hominis Chriſtiani, nihil poſſunt etiam in bruta animalia niſi permiſſi.* Non eſt equidem dubitandum quin dæmon, cum ſe ad primos parentes noſtros tentandos accingeret, ſpeciem aliquam nobiliorem & illecebroſiorem, quam illa ſerpentis fuerit, ſuſcipere ambiverit, forte enim in columbam, vel phænicem, vel herminium, aut aliud quoddam animal pulchrius, oculiſque gratius tranſmutare ſe poſſe deſideravit, cur autem idipſum non eſt executus? Magiſter ſententiarum inquit: *In columbæ ſpecie venire maluiſſet, ſed non erat dignum ut ſpiritus malignus illam formam homini odioſam faceret, in qua Spiritus Sanctus appariturus erat.* Exhinc autem diſcere poſſumus dæmonem ne quidem viliſſimæ creaturæ Dominum eſſe, niſi id illi Deus permittat.

S. *Bonav. in c.* 8. S. *Luca.*
Nec minimæ creaturæ ſunt Domini.
*Magiſt. ſent. l.* 2. *diſt.* 21.

12. Caſſianus in collatione quadam S. Patres Eremitas poſt varia de dæmonis poteſtate hinc inde habita colloquia tandem concluſiſſe ſcribit: *Non habere eos poteſtatem, quemquam hominum lædendi, exemplum B. Job manifeſta ratione demonſtrat*; In cujus confirmationem illam ex Matth. 8. allegatam ponderarunt hiſtoriam maxime verba illa: *Si ejicis nos hinc mitte in gregem porcorum*; unde inferebant: *Qui multo magis credendi ſunt in nullum hominum qui ad imaginem Dei creati ſunt, introire pro arbitrio ſuo poſſe, cum in animalia immunda ac muta ingrediendi abſque Dei permiſſu non habuerint poteſtatem.* S. Auguſtinus quoque dicit: *Cum nec filios, nec pueros, nec camelos, nec aſinos B. Job, antequam Dominus permitteret, diabolus lædere potuiſſet, quare credimus quod Chriſtianis amplius faciet, quam quod deiſico ac ſecreto judicio ſuo divina potentia permiſerit.*

*Caſſ. coll.* 7. *cap.* 22.
*Matth.* 8. *v.* 31.
S. *Aug. ſerm.* 68. *in Append. de diverſis.*

## DISCURSUS XIV.

### ARGUMENTUM.

Dæmon catenæ innexus eſt, & ideo à nobis minime eſt timendus, tametſi enim allicere & inſtigare poſſit, cogere tamen non poteſt. Nos ſoli ſumus qui in proprium damnum noſtrum, vires ei ſubminiſtramus, ac proinde nos, illum culpando excuſare neutiquam poſſumus.

### THEMA.

*Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Pſal. 103. ℣. 26.

Dæmon ligatus catenis lædere non poteſt niſi volentem.

1. PRopheta regius cœleſti lumine, quo ejus intellectus à Deo pleniſſime illuſtratus fuit, draconem infernalem conſiderans, videnſque quam parum ſine permiſſione divina efficere poſſit, illum mortalibus in ludum & jocum conſignatum fuiſſe dicit: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Hic porro draco S. Joanni in Apocalypſi in terrifica forma in viſione exhibitus fuit, quam his verbis deſcribit: *Draco magnus, rufus, habens capita ſeptem & cornua decem, & in capitibus ejus diademata ſeptem; ... Draco ſtetit ante mulierẽ, quæ erat paritura, ut cum peperiſſet, filium ejus devoraret*; Et tamen draconem iſtum non ſolum hunc partum non devoraſſe, ſed ne minimam quidem veneni ſui ſtillam eidem infundere præſumpſiſſe legimus. Idem quoque Joannes aliam habuit viſionem, quam his verbis recenſet: *Et vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua.* Quodnam vero hunc Angelum cum hac catena facere voluiſſe exiſtimatis? *Et apprehendit draconem; ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & Satanas, & ligavit eum.* Unde ſi canem moloſſum rabidum libere circumcurſantem videris, magnopere, ne te forſitan venenoſo dente ſuo morderet, formidares: quem tamen forti catena alligatum ſine ullo prorſus metu aſpiceres, & de hoc ſolum ſolicite caveres, ne ſponte propria prope nimis approximares; ac proinde cum S. Auguſtinus de Cerbero infernali dicat: *Alligatus*

*Apoc.* 12. *v.* 3.
*Apoc.* 20. *v.* 1.
*Ibid. v.* 2.

*gatus*

*S. Aug. ſer. 197. de temp.*

*gatus eſt tamquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit*, non eſt quod ob ejus latratus terreamur, hi enim latratus ſimiles ſunt illis quibus canes lunam allatrant, quam lædere nequeunt. *Dæmon quidem*, ut S. Auguſtinus ait: *Latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere omnino non poteſt niſi volentem, non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* Quam propoſitionem D. Chryſoſtomus confirmat dum ait: *Hoc omnium maxime vos certum eſſe ſcire volo, quod fidelem & Chriſtianum in anima poteſt lædere nemo, nec ipſe diabolus.*

*S. Auguſt.* — *D. Chryſoſt. Hom. 21. ad pop.*

Et propius accedentem ut unguibus invadere poſſit. — *Pſ. 90. v. 13.* — *1. Pet. 5. v. 8*

2. Sed dices ſi talis eſt diaboli conditio, cur igitur leoni hominem dilanianti, aut draconi intoxicanti illum ſimilis eſſe dicitur? Reſpondeo igitur, verum quidem quod beſtijs hiſce hæ naturaliter competant proprietates; verumtamen etiam ex æternæ veritatis promiſſione certus es quod *conculcabis leonem & draconem.* De diabolo dicitur quod *velut leo rugiens circuit quærens quem devoret*; non dicitur quod *devoret*, ſed quod *quærat quem devoret.* Leo enim forti catenæ innexus non devorat ullum, niſi illum quem propius accedentem unguibus invadere poteſt. Hugo Cardinalis ait: *Circuit, id eſt, circum viam, & non intrat in viam*, ac proinde qui in via remanet, ab ejus invaſione ſecurus eſt. Ideo David qui viam mandatorum Dei ſemper cucurrit, de ſe fatetur dicens: *Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam*, quamvis ab hiſce feris ſæpe ſe circumdatum viderit, unde ait: *Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam.* Circa quæ verba Hugo Cardin. ita ſcribit: *Non dicit invenerunt me, ſic enim eſt de diabolo, ſicut de urſo, qui ligatur ad palum, & circuit ibi, quærens quem devoret: ſic diabolus quaſi urſus ligatus, nullum poteſt devorare, niſi accedentem ſpontanee ad ipſum.* Unde Eccleſiaſtici 21. dicitur: *Fuge peccata ſi ad illa acceſſeris, ſuſcipient te dentes leonis.*

*Hug. Card.* — *Pſ. 62. v. 10.* — *Pſ. 16. v. 12.* — *Hug. Card.* — *Eccli. 21. 2.*

Hinc non timendus ſed cavendus. — *Seneca.*

3. Crocodilus prout omnibus conſtat, truculenta beſtia eſt, & quoad poteſt ſanguine humano ſe nutrit: at vero Seneca de eodem ſcribit: *Fugax animal audaciſſimum timido.* Quiſquis à dæmone terreri non vult, caveat, ne illum aliqua ratione formidet, S. Hieronymus in vita S. Hilarionis refert, quod cum dæmon ad metum & horrorem illi incutiendum, in ſpecie horrendi cameli ei apparuiſſet, ſanctus vir Dei imperturbato animo eidem dixerit: *Non me terres diabole tanta mole corporis, & in vulpecula & in camelo, unus atque idem es.* Porro ut in diſcurſibus obſervavimus, multas ob cauſas cœleſtis Magiſter noſter dæmonem fulguri aſſimilavit, quibus hanc quoque adjungere poſſumus, quia ſicut fulgur, igneis fulgoribus & tonitruante ſpiritu nos perterrefacit, cum hoc tamen terrore etiam plane deſinit & in aera ſine ullo illato damno reſolvitur: ita quoque dæmon, licet horrendas ſæpe ſpecies induat, nobiſque magna cum vehementia inſultet, attamen ne vel minimum capillum capitis contorquere aut lædere poteſt, niſi id illi Deus permittat, omniſque tentationis ſuæ furor & ardor, dummodo voluerimus, in merum fumum degenerabit; atque ideo D. Chryſologus opportune dicit: cavendos eſſe dæmones, non timendos.

*S. Hier. in vit. S. Hilarionis.* — *D. Chryſol. ſerm. 16.*

*In vit. S. Norberti.* Hiſtoria.

4. In vita S. Norberti legitur, quod dæmon quemdam religioſorum ſuorum ob fidei ſuæ debilitatem adeo contempſerit, & flocci fecit, ut ad quemlibet fere greſſum in peregrinis admodum horrendiſque ſpeciebus ei apparere præſumpſerit. Cujus proinde religioſi puſillanimitatem S. Patriarcha reprehendit, eumque generoſo deinceps animo eſſe & nihil timere juſſit. Religioſus hic igitur optimis fundatoris ſui monitis obediens, cum aliquando pro nonnullis negotijs domeſticis expediendis è Monaſterio egrederetur. Dæmonemque in figura Gygantea ſibi obvium & expanſis brachijs quaſi conterere volentem conſpiceret, moniti S. Patris ſui memor imperterritoque animo perſeverans, dæmonem ſalutari crucis ſigno coram ipſo formato in fugam abegit, qui & deinceps numquam ei amplius apparuit. S. Athanaſius quoque de S. Antonio Magno ita ſcribit: *Rugiebat leo occidere volens, taurus rugitu & cornibus minabatur, ſerpens ſibilo perſonabat, luporum impetus ingerebantur, pardus diſcoloriter auctoris ſui calliditates varias indicabat, &c.* Sed quonam remedio ſanctus hic Abbas uſus dæmonum iſtorum ferociam evaſit? *Quaſi de inimicis luderet loquebatur: ſi virium aliquid haberetis, ſufficeret unus ad prælium.* S. Bernardus quoque illius contemnens debilitatem dicit: *Rugire poteſt, ferire non poteſt, rugiat quantum poteſt, rugiat quantum vult, quanta minatur, quanta exaggerat quanta intentat.*

*S. Athanaſ. in vita S. Antonij c. 8.* — *S. Bern. ſer. 13. ſuper Pſal. Qui habitat.*

*Apoc. 12. 4.* Blanditijs allicere poteſt non cogere.

5. Enimvero Draco ille eodem cui in viſione exhibitus fuit, teſte tertiam ſtellarum partem è cœleſti firmamento in terram protraxit. Sed quonam modo id ab eo factum fuiſſe exiſtimatis? Non forte unguibus? aut pedibus? vel dentibus? aut vero rugitu ſuo id effecit? Nequaquam ſed cauda ſua id facere prævaluit. At vero quidnam fera aliqua hac corporis parte, quæ cæteris debilior & mollior eſt, poteſt efficere? Nimirum cauda blanditiarum & adulationis, quæ nullam homini vim aut violentiam inferunt, proprium eſt ſymbolum. Optime igitur S. Bernardus ait: *Iſte eſt qui ſtantes in Paradiſo impulit invidus & evertit, ſed conſentientes, non reſiſtentes*; ac tandem in favorem noſtrum concludit, dum ait: *Ex quibus ſatis claret, quam ſit homo præcipuus impulſor ſui, qui ſuo, ſine alieno impulſu cadere poteſt, alieno, abſque ſuo cadere non poteſt.* Legatis licet totum vetus teſtamentum, nec tamen totius inferni certamen invenietis ferocius & truculentius illo, quo contra Jobum dimicaſſe legitur, & tamen quis illum eo ignominioſius deriſit, & in ludibrij ſcenam deduxit? Etenim ſcriptura ſacra de eo dicit: *Teſta ſaniem radebat.* Sed dicite ſodes, Ergone fieri potuit, quod in opulenta illa Jobi domo ne vel minimum lintei panni ſcrutum ad ſaniem hanc abſtergendam inveniretur? aut ſi nihil tale ibi dæmonis arte & furia ſupererat, cur parentes, vel amici, aut ſubditi illius, ad eum viſitandum & conſolandum convenientes, ejuſmodi linteum ei non ſubminiſtrarunt? fictilis enim hæc teſta potius ulceribus ejus magis exulcerandis & exaſperandis quam leniendis & purgandis ſerviebat. Omnino quidem ita ſe res habet. Sed auſcultate Origenem his ſanctum hunc virum verbis alloquentem: *Dic ô bone Job, atque Deo dilecte, ob quam rem hoc facis? cur hunc dolorem exaſperas? cur exaggeras teſta radiendo?* Qui tandem his eum verbis reſpondentem introducit: *Merito exaggero atque commoveo iſtos dolores, ut per cuncta oſtendam nequiſſimo diabolo, quia ejus malitiam irrideo, quia omnes ejus plagas atque vulnera ad nihilum reputo.*

*S. Bern. ſer. 25. in Cant.* — Cui Job illuſit. — *Job. 2. v. 1.* — *Orig. ibid.*

*Jer. 42. 11.* Nec à nobis timendus.

6. In Jeremiæ Prophetia inter cætera ſcribitur: *Nolite timere à facie Regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis*, & tamen nemo eſt qui neſciat quam fuerit exercitus ille numeroſus & formidabilis, utpote qui populum Dei electum continuis prælijs laceſſebat cruentiſque ſæpius cladibus & ſtragibus confecerat? Hugo Cardinalis igitur ad myſticum ſenſum confugiens dicit: *A facie Babylonis, id eſt, diaboli*, quem nos pavidi ſine cauſa formidamus, quia ut S. Hieronymus ait: *Non eſt timendus hoſtis, qui non poteſt vincere niſi volentem.* Ingenioſa eſt illa authoris cujuſdam ponderatio quam facit circa animal quoddam quod licet modicum ſit, ne dicam minimum, terrifico tamen nomine eſt inſignitum: *Chamæleonta*, inquit author ille, *cum audieris, haud ante gnarus, jam timebis aliquid amplius leone: at cum offenderis apud vineam ferme ſub pampino totum, ridebis illico audaciam & ineptiam nominis:* ſic quoque in diabolo ſolum draconis nomen terret, cum tamen æterna veritas de illo dicat: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*; Et Job de illo inquit: *Numquid illudes ei quaſi avi?* Id quod in lege gratiæ peculiare nobis eſt privilegium, poſtquam ſcilicet Salvator noſter ſuperbiam & arrogantiam dæmonis ſuppreſſit. Unde Rupertus Abbas ſubtiliter conſiderat, quod dum Satan arrogantia tumidus cœleſti ſe concilio ingeſſiſſet: *Adfuit inter eos etiam Satan*, Deus ipſum ſolummodo interrogarit dicens: *Unde venis?* at vero in teſtamento novo in eas fuit à Salvatore redactus anguſtias, ut Chriſto ſupplex factus dicere coactus fuerit: *Adjuro te per Deum ne me torqueas, amplius enim*, inquit præfatus Rupertus, *Satan in iſto urgebatur, magis in iſto quam in illo ad judicium diſceptationemque vocabatur. Illic enim interrogatus à Domino, dicente: Unde venis? reſpondebat ſemel & iterum: Circuivi terram & perambulavi eam, non exigebatur judicium, non erat qui diceret: Nunc judicium ſit mundi, nunc ejicieris foras, O circuitor mundi.*

*Hug. Card. ibid.* — *S. Hieron.* — *Pſ. 103. 26.* — *Job. 40. 24.* — *Rup. Abb. l. 2. in Sap. c. 4.* — *Job. 1. v. 7.* — *Marc. 5. v. 7.*

Perſuadere poteſt non cogere.

Eſt & alia quædam valde potens, & efficax ratio, cur nobis dæmon nequaquam formidandus ſit, nimirum quia dæmon, ut expertus valdeque ſcientificus Rhetor & Logicus, perſuadere quidem nobis poteſt præcipitium, ita tamen ut in noſtra ſit poteſtate patulas illi præbere aures, ſuiſque ſuggeſtionibus præbere aſſenſum, vel denegare. Tranſtulit quidem Chriſtum ex deſerto Jordanis ſuper pinnaculum templi, & tunc dixit ei: *Mitte te deorſum:* at vero non invenimus quod illum vel minimo digito tangere auſus fuerit, multo minus illum in præcipitium urgere vel cogere

*Matth. 4. v. 6*



cogere præſumpſerit: cum tamen ſcriptura divina de eo dicat: *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei.* Unde Doctor Seraphicus ait: *Nota ſuggerendi modum*, cum dicit, *mitte te*, adducitque authoritatem quamdam D. Chryſoſtomi dicentis: *Non impulit, non tetigit, non appropinquat, ſed tantum dixit: Mitte te hinc deorſum, ut ſciamus, quia omnis qui diabolo obaudit, ipſe ſe deponit deorſum*, ſcit enim diabolus quod nequeat facere ut cadamus, niſi ſolum ſuadendo, cæterum vero violentiam nobis inferre non poteſt, imo ne digito quidem nos audet tangere. Unde S. Hieronymus ait: *Perſuadere poteſt, præcipitare non poteſt.* S. Auguſtinus ſimiliter inquit: *Diabolus poteſt ad malum invitare, non poteſt trahere, delectationem inferre, non poteſtatem, conſilium ingerit, non conflictum.* Et S. Hieronymus ad Demetriadem ait: *De conſenſu noſtro vires ſumit, noſtroque nos jugulat gladio.*

*Job. 41. 24.* — *S. Bonav. in Luc.* — *D. Chryſoſt. à S. Bonav. cit.* — *S. Hieron. in Matth.* — *S. Aug. ſer. 7. de temp.* — *S. Hieron. ad Demetriadē.*

*Job 40. 18.* Niſi nos ipſos eidē ſubjiciamus quærendo divitias &c.

8. Circa illa verba Jobi: *Habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus*, advertendum eſt, quod Propheta de Leviathan non dicat quod ad intoxicandas aquas ad Jordanis fluvium properet, vel ut is ijſdem aquis procelloſas tempeſtates ſuſcitet, ſed tantum dicit, quod ſpem habeat futurum fore, ut ipſemet Jordanis propria ſponte in ejus ſit ingreſſurus fauces, ut plurimum enim contingit, quod animæ ſeipſas Satanæ ſervituti ultro citroque ſubjicere contendant, magiſque quærant diabolum, quam quærantur ab eo, utpote qui delectationes & voluptates, quas lubricum ſerpentem in ſua habere poteſtate credunt, avide ſectantur. Laqueos proinde quos ipſe inſidioſe nobis tendit, non fugiunt, ſed venantur & quærunt, ac anxie ſuſpirant, quales ſunt honores, divitiæ & voluptates? *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli*; Ac proinde merito S. Bernardus lamentatur dicens: *Heu quam paucos invenimus, qui ab hoc laqueo liberati exultent, quam multos qui dolent, quod parum ſibi videntur irretiti, & adhuc quantum poſſunt, ipſi ſe involvere & intricare laborant.*

*1. Tim. 6. 9.* — *S. Bern ſer. 3. in Pſal. 90.*

*Luc. 15. 15.* Ut ſæpe fit ex prava hominis voluntate.

9. Utique filij illius prodigi, eorum quæ ipſi acciderunt, meminiſtis. De hoc enim apud S. Lucam dicitur: *Abijt & adhæſit uni civium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos. Opportune ibi dicit*, inquit Hugo Cardinalis, *abijt & hoc ſponte, & adhæſit quaſi invitus, uni civium regionis illius, id eſt, Diabolo. Nota quod primo dicitur abijt, poſtea adhæſit. Homo enim ex propria voluntate primo Diabolo ſe ſubjicit, Diabolus enim non habet facultatem, ut hominem ſibi ſubjiciat, niſi homo de propria voluntate ejus laqueo ſe aſtringat. Unde Iſaiæ 51. dicitur ex perſona Diaboli: incurvare ut tranſeamus, ſed poſtquam laqueo Diaboli adſtringitur, quaſi invitus ab eo trahitur.* Matth. 13. Diabolus ſeu inimicus homo poſt ſuperſeminata in agrum tritico plenum zizania, diſceſſit, *& abijt*; Sed cur non expectavit, ut videret zizaniorum ſeminatorum productum effectum: Quænam eſt hæc tam intempeſtiva in abeundo feſtinatio? cur non potius ſemen hoc noxium excoluit, ut inde tanto magis ſterileſcat frumentum? D. Chryſologus ait: *Quia Diabolus impellit quidem viribus ad ruinam, ſed poſtea quam proſtraverit derelinquit.* Sufficit Diabolo ſe noxium impuri phantaſmatis, turpis cogitationis, vindictæ, aut ambitionis inordinatæ ſemen in agrum animæ ſeminaſſe, ideo illud poſtea relinquens abijt, ſcit enim quod nequaquam magno labore opus habeat, ut mala herba creſcat, ſiquidem ad hoc noſmetipſi cooperamur, utpote qui zizania hæc deſideramus. Sic vidit Evam ambitioſam, ſuæque conditionis ad majores honores promovendæ cupidam ideoque ad hoc ut pomum petitum manducaret, illud pulchrum, delectabile, & ad veſcendum ſuave ei oſtendiſſe ſufficere judicabat: *Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile.* Unde Eva Deo confeſſa eſt dicens: *Serpens decepit me & comedi*; circa quæ verba D. Chryſoſtomus notat, quod Eva non dixerit: *Serpens coëgit me*, ſed tantum, *decepit me; ut autem deciperetur vel non deciperetur in ipſius erat poteſtate.* Rupert. Abb. more ſuo ſagaciter conſiderat, quod Deus ſerpenti dixerit: *Tu inſidiaberis calcaneo ejus*; Non dixit, *tu mordebis*, vel *veneno intoxicabis calcaneum illius*, ſed tantum: *inſidiaberis*, quia inſidiari poteſt, nocere autem non poteſt: econtra vero mulieri in ordine ad Dæmonem majorem poteſtatem contulit, dum ait: *Ipſa conteret caput tuum*, quia anima in Dæmonem, non vero Dæmon in animam dominium obtinet, niſi ipſa volente & conſentiente; Unde B. Laurentius Juſtinianus ait: *Juſte diſpoſuit Deus, ut non niſi conſentientibus nobis laqueos pedibus noſtris injicere queant, nam ſpirituales pedes noſtræ animæ affectus ſunt, hos compedibus ſuis irretire contendunt; quamobrem rerum viſibilium amorem noſtris conantur innectere quatenus abdicata à nobis noſtro affectu, nullum gratum habitaculum, receptaculumque habitandi in nobis Deus noſter inveniat, qui per dilectionem & fidem in cordibus noſtris commorari dignatur.*

*Iſ. 51. v. 23.* — *Matth. 13. v. 25.* — *D. Chryſol. ſerm 90.* Quem proſtratum derelinquit. — *Gen. 3. v. 6.* — *Ibid. v. 13.* — *D. Chryſoſt. Hom. 18. in Gen.* — *Gen. 3. v. 15.* — *Rup. Abbas.* — *Ibid. v. 15.* — *B. Laur. Juſtin. opuſc. de mun. contemptu c. 18.*



Tentationibus omnibus reſiſtere poſſumus. — *Act. Ap. 5. v. 3.*

11. Nota utique eſt omnibus illa duorum conjugum Ananiæ & Sapphiræ hiſtoria, in qua illud præcipue ad præſens propoſitum deſervit, quod videlicet S. Petrus Ananiam percepta ejus fraude & dolo, interrogarit dicendo: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Potuiſſet equidem reſpondere, mendacium hoc abſque omni culpæ nævo ab ipſo commiſſum eſſe, utpote ad quod committendum tanta fuiſſet tentationis vehementia à Dæmone proritatus, ut eidem nequaquam potuerit reſiſtere; Verumtamen hæc excuſatio ſi bene examinetur, nulla poteſt ratione ſubſiſtere, quia quantacumque ſit tentationis vehementia, nulla tamen adeo eſt potens, quin anima illi facili negotio poſſit reſiſtere, nimirum cor & voluntatem ſuam eidem occludendo, nec ullum ei aditum indulgendo, unde Septuaginta ita legunt: *Cur permiſiſti tentari cor tuum*; adeoque Ananiæ culpa in eo præcipue conſiſtebat, quod ſcilicet Dæmoni interius tentanti locum & aditum præbuerit. Et ideo ex omnibus prædictis manifeſte colligitur, quod irrationabiles ſint multorum excuſationes & prætextus, per quos delinquentes plerique omnes culpas & tranſgreſſiones ſuas in dæmonem ejuſque tentationes conjiciunt; quos proinde S. Bernard. his verbis perſtringit, dicens: *Illius culpa tuam non excuſat; quidnam ille fecit? Numquid te rapuit? numquid vim intulit? rogavit, non ligavit, blandiendo attraxit, non violenter traxit; quis te cogebat credere blandienti, aſſentiri attrahenti?* S. Thomas ſuper illa verba S. Joannis: *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt*, ita ſcribit: *Hoc dicit, ut tollat excuſationem hominum, qui ſe de peccatis excuſant propter tentationem diaboli, quaſi dicat: Excuſari non poſſunt, quia expulſus eſt diabolus per gratiam, & fidem Chriſti & Spiritum Sanctum à cordibus fidelium, ita ut jam non tentet interius ſicut ante, ſed ſolum exterius per exercitationem permiſſus: De hoc ergo judicio mundus arguitur, quia à diabolo vincitur reſiſtere nolens, & à ſe expulſum per conſenſum peccati reducens.* S. Auguſtinus quoque hunc qui in majori Chriſtianorum parte plurimum invaluit, abuſum, quo ſe in peccatis ſuis excuſare ſolent, dicendo; Diabolus me ad hoc vel illud inſtigavit &c. graviter reprehendit, dum ait: *Ad manum Satanam habet, quem accuſet: Satanas fecit, dicit, ipſe mihi perſuaſit, quaſi Satanas habeat poteſtatem cogendi, aſtutiam ſuadendi habet, ſed ſi Satanas loqueretur, & taceret Deus, haberes unde te excuſares: Modo aures tuæ poſitæ ſunt inter monentem Deum, & ſuggerentem ſerpentem. Quare huc flectuntur, hic avertuntur? Non ceſſat Satanas ſuadere malum ſed nec Deus ceſſat admonere bonum: Satanas non cogit invitum, in tua poteſtate eſt conſentire, vel non conſentire.* Idem S. Doct. in Pſ. 31. ſcribens, hanc veritatem per adductum Jobi exemplum confirmat; Hic enim uti argute obſervat, non dixit: *Dominus dedit, Diabolus abſtulit, ſed Dominus dedit, Dominus abſtulit. Intendat charitas veſtra, ne forte dicatis, hæc mihi diabolus fecit.* Neque enim Dæmon tentat, aut tentare poteſt, niſi Deus permittat. D. Chryſoſtomus ſimiliter reprehendit illos, qui de commiſſis peccatis ſuis ſe excuſant dicendo, dæmon me tanta cum violentia eſt aggreſſus, ut ei reſiſtere nequaquam potuerim: *Verum multos ſupplantat, dicat aliquis; ob ipſorum imbecillitatem, non autem quia ille tanto robore præditus ſit, hoc fieri ſolet.* Denique S. Ambr. inquit: *Non eſt quod cuiquam noſtram adſcribamus ærumnam, niſi noſtræ voluntati, nemo tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit. Voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus, voluntarium ſervum ſibi diabolus auctionatur, neminem jugo ſervitutis adſtrictum poſſidet, niſi ſe prius peccatorum ære ei vendiderit.*

*Septuagintæ.* — *S. Bern. ad Falconem Ep. 2.* — *Joan. 16. 11.* — *S. Thom. in cap. 16. Joan.* Peccatores excuſationē non habent. — *S. Auguſt. in Pſalm. 91.* — *S. Auguſt. in Pſalm. 31.* — *D. Chryſoſt. T. 2. ſer. cont. ignaviam.* — *S. Ambr. l. 1. de Jacob. & vit. beata c. 3.*

## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Solo diſſenſu Dæmonium vincitur, quia libertati voluntatis noſtræ nullam vim inferre prævalet, quantoque ei reſiſtendo vigoroſiores ſumus, tanto magis vires ejus imminuuntur, noſtræ vero augentur.

## THEMA.

*Ait Jeſus: Non tentabis Dominum; ſcriptum eſt: Non in ſolo pane vivit homo.* Matth.4. ℣.4. & 7.

Dæmon vincitur nō conſentiendo eidem.

1. INgenioſa eſt illa quorumdam contemplativorum circa reſponſum à Salvatore noſtro Lucifero tentanti datum facta obſervatio; Notant enim Salvatorem noſtrum omnes ab inimico intentatos ictus declinaſſe & repuliſſe, ac tandem glorioſe viciſſe, non alijs armis, quam unica, imo pluribus reſponſionibus negativis, dicendo: *Non*, *Ait Jeſus: Non; ſcriptum eſt: Non &c.* Cum igitur omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio, præſtantiſſimum nobis per hanc Chriſti negativam reſolutionem ſuggeritur remedium, per cujus adhibitionem in omni cum Diabolo occurrenti certamine ſecuri eſſe poſſumus, nimirum ad omnes ejus nobis propoſitas ſuggeſtiones reſpondere: *Non*; ejuſque ſuggeſtionibus minime conſentire, ſed perpetuam & conſtantem dare repulſam. Sic enim incarnata ſapientia, tametſi ingenti urgeretur fame, & cibo magnopere ad corporis extenuati reſtaurationem indigeret, lapides tamen in panem, prout ei à Diabolo ſuggeſtum fuerat, tranſmutare noluit. Et quidem tametſi veriſſimum eſſet, quod Propheticum

Pſ.90.v.11.

prædixerat oraculum, ſcilicet: *Angelis ſuis Deus mandavit de te*, maligni tamen ſpiritus ſuggeſtioni & petitioni acquieſcere renuit. Unde S. Ambroſius ait:

S.Ambr. l.4. in Luc. c.4.

*Dominus nec ea quidem quæ de ſe fuerant Prophetata ad arbitrium Diaboli putavit eſſe facienda.* Tametſi enim ea quæ nobis ab eo ſuggeruntur, virtuoſa ſint & bona, eo ipſo tamen quo ab hoc ſerpente dictantur, tamquam ſuſpecta ſemper repellenda ſunt.

Tentationum antidotum.

2. Et ideo tametſi veriſſimum ſit, quod Dæmon veneno mortifero plenus, illud continuo in damnum & pernitiem animarum, quæ pretioſiſſimo agni immaculati ſanguine redemptæ ſunt, evomat, non minus tamen verum eſt, quod Deus unicuique noſtrum quoddam infallibilis efficaciæ Mithridaticum, ſive theriacam, aut antidotum præparaverit, quo mediante ab omni ejus veneno ſecuri eſſe poſſumus, ſi eo utamur. Vultiſne ſcire qualenam ſit illud antidotum? Audite Caſſianum magnum illum ſpiritualis vitæ magiſtrum:

Caſſ. lib.7. coll. c.8.

*Sicut eſt Dæmoni inſtigationis copia, ita eſt in nobis reſpuendi virtus.* Nam remedium iſtud in unico verbo, *Non*, conſiſtit, id eſt, in continuo diſſenſu & tentationū Diabolicarum perpetua repulſa: *Poteſt inimicus excitare tentationis motum*, inquit S.Bernardus, *ſed in te eſt, ſi volueris dare, aut negare conſenſum, in tua facultate eſt, ſi volueris, inimicum tuum facere ſervum tuum, ut omnia cooperentur tibi in bonum.* Dæmon quidem omnem movere lapidem non deſinet, ut locum in corde tuo habere queat, qui quantumvis modicus ſit, ei tamen abunde ſufficit, ſed numquam in illud habere aditum poterit, niſi tu ipſe hunc ei ultra citroque indulſeris, ac proinde S.Paulus monet dicens: *Nolite locum dare diabolo.*

Ephes. 4. v. 27.

S.Hieron.

Et S.Hieronymus ait: *Ille ſuperbus & temerarius vult aſcendere, ſed etiamſi te oppreſſum putaverit, & te extulerit, tu ne dederis locum; poteſtas namque diaboli, non in temeritate illius atque jactantia, ſed in tua eſt voluntate.*

S.Bonav. Tom.7. l.2. Comp. Theol. c.27.

3. Sanctus Bonaventura multos dæmoni reſiſtendi modos recenſet: *Impeditur diabolus in effectu ſuæ malitiæ multis modis*; quorum unus potentiſſimus eſt, nimirum *per arbitrium hominis non conſentientis.*

Reſiſtendi modus.

S.Ambr.ibid.

S. Ambroſius dæmonem ſolum Chriſtum inſtigaſſe conſiderat, ut ſe è templi pinnaculo deorſum mitteret, nullo vero modo eum tangere auſum fuiſſe, qua in re *infirmitatem ſuam diabolus deſignat, quia neminem poteſt mittere deorſum, niſi ipſe ſe miſerit.* Infernalis namque Cerberus ille catena vinctus & ligatus eſt, & ideo mordere numquam poterit, niſi nos illum ſolvamus à vinculis, id quod tum præcipue facimus, dum appetitibus & ſenſibus noſtris habenas laxamus. S. Bernardus de homine timoratæ conſcientiæ diſſerens, eum ad dæmonis inſidias caute & circumſpecte invigilare dicit: quia dæmon *cum ab exteriori ſenſualitate ſe videt excluſum, interiora collectis viribus aggreditur & ingreditur, ſed ſpiritualis homo qui omnia judicat, ejus aſtutias non ignorat, reprimit quod poteſt, quod non poteſt, tolerat*: ſed quodnam juſtus in hoc conflictu hærens habet ſolatium? nimirum etſi latratum canis ſuſtinet, morſum non timet. Simul etiam rationem aſſignat, cur hujus canis morſum neutiquam formidet, hoc enim metu caret, non quia canis edentulus ſit, & mordere non poſſit, ſed quia ipſe ei obſtaculum poſuit, ne mordere poſſit: *Mordet cum ad conſenſum pertrahit, latrat cum ſuggerit, & tunc non vulnerat, ſed coronat, quoniam etſi reſiſtentem fatigat, non obligat, niſi conſentientem.* Idem quoque mellifluus Doctor in alio quodam ſermone ſuper Cantica inquit: *Impellit diabolus, ſed non evertit, ſiquidem tuum illi negaveris aſſenſum, denique habet: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.*

S.Bern. de inter. dom. c.47.

S.Bern. ſer. 85. in Cant.

Apophthegma aliū modum docet.

4. De antiquo quodam Philoſopho Cynico, cui nomen erat Thraſillus, refertur, quod cum ab Antigono Rege quamdam exigui valoris monetam poſtulaſſet, hoc ab illo tulerit reſponſum: Tam exigua dare Regi decorum non eſt; Bonus igitur Philoſophus ex hoc Regis reſponſo animoſior factus, talentum ſibi ab eo dono dari petijt. Cui Antigonus illico reſpondit: Tibi, tuique ſimilibus, qui mundum contempſiſtis, tantam poſſidere pecuniam minimè convenit. Simili prorſus modo, quælibet anima dæmonis ſuggeſtiones repellere poſſe videtur. Si enim te ad voluptatem aliquam vel culpam levem ſeu venialem extimulaverit, reſpondere ei poteris: *Momentaneum, quod delectat, æternum quod cruciat*; Ingens nimis ſtultitia eſt *pro brevi voluptate torrentem perdere voluptatum.* Quod ſi vero magna tibi offerat, ſupremos ſcilicet honores, vel ingentes theſauros, aut vero ſi ad ſatisfaciendum totaliter guſtui & appetitui noſtro promptum ſe exhibeat, reſpondendum illi eſt; Nos ad Deum & cœlum poſſidendum creati ſumus: *Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Semper in lingua, & multo magis in corde unicum, *Non*, in promptu habere debemus, hoc enim ad illum repellendum abunde ſufficit. Nam ut S.Bernardus in ſermone quodam in Quadrageſima, qui eſt quintus in ordine, ſcribit: *Ecce enim inflammat inimicus deſiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, & excitat libidinis motum, tu ſolummodo ne conſenſeris, & quoties reſtiteris, toties coronaberis.*

Matth. 16. v.26.

S.Bern. ſerm. 5. in Quadr.

5. Habemus in Eccleſiaſtico doctrinam quamdam præſenti propoſito noſtro valde congruam; Dicit enim: *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris.* Etenim inimicus noſter ad hoc quidem toto conatu nititur, ut ſuggeſtione ſua mediante locum aliquem in corde noſtro ſibi vendicare poſſit, at vero noſtrarum tunc partium eſt, ut fortes ſimus, locumque cordis noſtri ei minime cedamus: *Nolite locum dare diabolo.* Porro Chaldæus legit: *Si ſpiritus concupiſcentiæ malæ dominatus in te fuerit, & adeo invaluerit, ut ſuper te conſcendat, locum tuum bonum, in quo conſueverat ſtare, ne dimittas.* Cave igitur ne tibi ab inimico infernali leges vivendi præſcribi permittas, ſed potius ſuſpectum habeas quidquid ab eo tibi ſuggeſtum fuerit; ſit tibi in exemplum dictum illud Alexandri Farneſij, qui cum in ſubſidium ligæ Catholicæ abiiſſet in Franciam, ut urbem defenderet Pariſienſem, jamque in prælium conceſſurus eſſet cum Henrico IV. qui tunc Navarræ Rex erat, eidem ſignificari fecit, numquam ſe permiſſurum ut ſibi leges ab inimico præſcriberentur, ſed potius, has ſe illi dare velle; Cui optime conſonat, quod S.Thomas tentationem Chriſti, ne quidem illud quod ei à Lucifero in ejus confortationem aut refocillamen ſuggeſtum fuerat, amplecti volentis, conſiderans ait: *Documentum eſt, ut nihil faciat homo, ad arbitrium diaboli*, citatque authoritatem Vegetij dicentis: *Nihil umquam ſapiens dux debet facere ad arbitrium ſui hoſtis, etiamſi bona videantur, & ideo Dominus cum poſſet ſine peccato lapides in panes commutare, noluit, quia ille ſuggerebat.*

Eccleſ. 10. v 4.

Dæmoni neq minimus dari debet locus.

Eph.4. v.27.

Chaldeus.

Nec quidquā præſcribi ab eodem debeŝ nobis.

S.Th. in c.4. Matth.

6. Magnum profecto cujuſlibet animæ ſolatium eſt, quod videlicet dæmon adverſus illam nihil facere prævaleat, dummodo ipſa ei per conſenſum & voluntatem ſuam vires non ſubminiſtret; Voluntatis enim noſtræ etiam per dominium deſpoticum domini ſumus, adeo ut ne quidem ipſe Deus ullam illi violentiam inferat, ſed potius, ut veridicus Spiritus Sancti calamus de Creatore noſtro teſtatur, *reliquit illum in manu conſilij ſui.* S. Thomas à Religioſa quadam ſorore rogatus, ut ei pro ſalute æterna aſſecuranda inſtructionem & modum præſcriberet, cum illi quoad hoc punctum varia monita tradidiſſet, illa vero breviorem & compendioſiorem doctrinam deſideraret, unicum illi verbum pro regula ſecurè aſſequendæ ſalutis tradidit, nimirum *volendo*, quaſi diceret, de ſalute tua ſecura eſſe poteris, dummodo ipſam ſerio velis. Idipſum quoque in præſenti propoſito noſtro dicere poſſumus. Etenim tametſi multa ſint ad ſuperandas inimici infernalis tentationes atque inſidias opportuna media, ea tamen omnia ad hoc unicum infallibile ſecurumque medium reſtringi & reduci poſſunt; ſiquidem hoc obtinere ſecure poteris, *volendo.*

Volendo ſalvari poſſumus.

Eccleſ. 15. v.14.

Oppor-



Et vincere.

Opportune hoc loco mihi incidit, quod de quodam mihi relatum fuit, qui cum vocem quamdam interius ſibi dicentem continuo audiret: ſuſpendij laqueo vitam tibi finito, graviter de inferenda ſibimetipſi violenta nece tentatus, ne deciperetur Deo ſe per preces enixe commendavit, qui tandem ei, ut de hac re cum probo quodam Religioſo conſilia ſua conferret, deliberaret inſpiravit; Qui diu perquiſitus ac tandem inventus, ut ipſum conſolaretur, dixit ei: Hæc tentatio ſine tuo conſenſu executioni mandari numquam poterit; ac proinde ſi te deinceps hæc tentatio inceſſerit, cum firma animi tui reſolutione dicas: *Nolo hoc facere*, nec omittas infra octiduum eventum hujus conſilij, & quid tibi acciderit, candide aperire. Quapropter bonis Religioſi hujus monitis obtemperans, dæmoni identidem ad laqueum ingerendum urgenti, audacter & generoſe reſpondit: *Nolo hoc facere, quantumvis mihi moleſtus fueris*, quem proinde dæmon numquam deinceps de ullo deſperationis actu tentare præſumpſit. Simile eſt quod de magno illo Dei ſervo Joanne Baptiſta de Fulginio refertur, qui dum nocte quadam per loca prærupta & inacceſſa iter faceret, vocem quamdam audivit, continuo ſibi dicentem: *Mitte te deorſum*; Qui improbi inſtigatoris inſidias ſubito agnoſcens, eidem reſpondit: Conſilium hoc tibi potius convenit, qui de cœlo cecidiſti, teque in præcipitia deturbare dudum es ſolitus.

Dęmon contra conſentientes fortis, & debilis cōtra reſiſtentes.

7. Sciendum quoque eſt, quod quanto in rejiciendis diabolicis ſuggeſtionibus conſtantiores audacioreſque fuerimus, tanto majorem ad repugnandum & reſiſtendum vigorem & fortitudinem nobis acquiramus, tantoque magis antiqui adverſarij vires enerventur; Nam ut Richardus de S.Victore ait: *Quoties vel motibus cordis carnalibus, vel inimici ſuggeſtionibus reſiſtit, toties contra vitia vel tentamenta ſibi robur adjicitur.* Valde ad hoc propoſitum conſiderari merentur verba illa Job dicentis: *Tigris perijt eo quod non haberet prædam*; Ubi Septuaginta legunt: *Myrmicoleon*; In Græco autem habetur: *Formica leo*; Certe nulla inveniri poſſe videtur major oppoſitio vel contradictio quàm ſit ea quæ eſt inter formicam & leonem; quonam igitur modo princeps tenebrarum formica pariter & leo appellari poterit? S.Gregorius Myrmicoleon tale quoddam animal eſſe dicit, quod in pulvere occultatum, formicis occidendis inſidiatur, quibus proprium eſt ſe frumento in hyemis annonam accumulando onerare; Eſtque hæc ſimilitudo dæmoni propriiſſima, hic enim ſe ſuaſque inſidias in pulvere, id eſt, in terrenorum bonorum affectu occultare, illaſque animas potiſſimum quæ frumento, id eſt meritis ad cœlorum regnum poſſidendum requiſitis (*triticum autem congregate in horreum meum*) onuſtæ ſunt, aggredi & necare nititur. Eidem vero inimico formicæ quoque nomen attribuitur, quia ſicut hæ ſenſim & paulatim integrū quemdam frumenti cumulum auferunt, & in cavernis ſuis abſcondunt: ita quoque diabolus multarum animarum merita per levia & venialia peccata evacuat, ſiquidem veriſſimum eſt quod Eccleſiaſticus ait: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*; cui conſonat axioma illud: *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* At vero S.Gregorius aliam aſſignat rationem, cur leo & formica pariter appelletur, leo quidem formicis, formica autem volatilibus, quia fortitudine ſua uti non poteſt, niſi cum ijs tantum, qui in via Dei pigri & tardi exiſtunt, pedemque ſuum à terra non levant, neque divinorum præceptorum ſuorum viam inambulant, his inquam utpote ſibi non reſiſtentibus leo eſt devorans & lanians: non vero illis qui volant, id eſt, qui à terra ſe ſubvehunt, mentemque & cor ſuum in Deo fixum habent; circa hos enim tamquam formica impotens eſt, nec quidquam facere prævalet: *Formicis*, inquit præfatus ſanctiſſimus Pontifex, *ut diximus, leo eſt, volatilibus formica, quia nimirum antiquus hoſtis, ſicut contra conſentientes fortis eſt, ita contra reſiſtentes debilis, ſi enim ejus ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur, quaſi leo tolerari nequaquam poteſt, ſi autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur.* B.Laur. Juſtin. quoque idem punctum ſpirituali vitæ deditis maxime neceſſarium, nimirum cavendum eſſe, ne vel minimus tentationibus conſenſus vel aditus præbeatur, inculcare, ſatagit, dum ait: *Tunc enim plene debellatur, tunc hujus tentationis, qui impugnatur, victor efficitur, cum ex adverſo ſuggeſtioni ſe opponens, vel in minimo nullo modo eidem obtemperat.* Idem quoque Hugo de S. Victore docet, ita ſcribens: *Quoties tentationibus inimici reſiſtimus, eumque confutamus, tam è ſcripturis edocti, quam à Deo adjuti, toties eum percutimus & vulneramus, & retorquetur in eum pœna quæ nobis infligeretur, ſi ab eo vinceremur.* S. Bonaventura dubium quoddam movens, nimirum utrum virtus tentandi minuatur in diabolo, quando vincitur? varias circa hanc quæſtionem dicit eſſe opiniones: *Dicunt quidam, quod ſuperatus in uno vitio, ipſum victorem non poſſit amplius tentare de eodem vitio, ſed alius diabolus poteſt: Alij dicunt, quod ſuperatus in uno vitio, nullum amplius de illo vitio poſſet tentare.* Ex quo quantum inimicus per noſtram reſiſtentiam debilitetur, & puſillanimis efficiatur, clare ſatis innoteſcit.

Rich. à S. Vict. p.2. in Cant. c.21.

Job 4. v.11.

Septuaginta.

Græca lectio.

S.Greg. l.5. mor. c.17.

Matth. 13. v.30.

Eccleſ. 19. v.1.

B.Laur. Juſtin. l. de diſcipl. & perfect. mon. Conv. c.12.

Hugo de S. Vict. ibid.

S.Bonav. ibid.

Reſiſtentes non facile tentat Dæmon.

8. Scriptor quidam modernus de Scorpione ait: *Cum alias corporis partes impugnat, volam tamen manus lædere non poteſt.* Idemque Petrus Berchorius in ſuo Reductorio morali confirmat, dum ait: *Vola manus percutere, & alapas dare ſolemus: Eos igitur qui dæmonem feriunt, eique animoſe reſiſtunt, non facile vulnerabit.* B. Laur. Juſtin. Regulam quamdam tradit, ex qua dignoſci, poteſt quibuſnam inimici infernalis inſultus minus ſit metuendus; ſi videlicet propoſitæ ab illo tentationes diſpliceant & nauſeentur: *Intuentes*, inquit, *ſervi Dei ex ſolo mentis conſenſu hominem poſſe cadere, & non ex impugnatione ſola adverſarij, interioris hominis muniunt ſenſus, & diaboli reſiſtunt tentationibus, quæ tanto minus formidandæ ſunt, quanto amplius diſplicent.* Etenim certiſſimum eſt quod hic inimicus per negligentiam & pigritiam noſtram ſemper magis fortiuſque armetur, quanto enim in repellendis ejus ſuggeſtionibus negligentiores & tardiores ſumus, tanto ipſi major animus, majoreſque vires accreſcunt. Caſſianus Antonium Magnum dicere ſolitum fuiſſe refert: *Cura Chriſtianorum ſit, ne per eorum inertiam vires dæmoni præbeantur, nam quales nos & noſtras cogitationes repererint, tales ſe nobis præſtare conſueverunt.*

Pet.Berch. Red. mor. l.2. c.25.

B.Laur. Juſtin. ibid.

Caſſ. Coll. 7. c.22.

Revelat. S. Birgit. l.6. c.3.

Hiſtoria.

9. S.Birgitta dæmonem quemdam, pedibus manibuſque fortiter ligatum, & cuidam orationi devotiſſime incumbentem, proxime vicinum, in viſione ſibi exhibitum vidit, qui idem dæmon poſt horam quam vir ille in oratione tranſegerat, horrenda & terribili voce emiſſa, in fugam ſe protinus recepit. Mox vero Angelus bonus S. Birgittæ viſionis hujus myſterium revelavit, dicens: *Iſte dæmon ad tempus virum iſtum turbaverat, & ideo vinctus eſt manibus, quia non poteſt prævalere in eum, ſicut habet voluntatem; primo quia ex quo homo iſte à dæmone fuerat impugnatus, viriliter reſtiterat; Dei judicium eſt, ut non poſſit ei dæmon facere ſicut vellet; Adhuc tamen dæmon habet ſpem, ut poſſit prævalere in eum, ſed in iſta hora victus eſt de facili, & numquam in eum amplius prævalebit.* S.Iſidorus quoque dæmonem uno eodemque tempore leonem & formicam, id eſt, vilem & formidabilem eſſe oſtendit: ſed quibus? *In oculis carnalium*, inquit, *diabolus terribilis eſt; in electorum oculis terror ejus vilis eſt; ab incredulis ut leo timetur, à fortibus in fide ut vermis contemnitur.* S. Ephrem valde opportune in favorem illorum loquitur, qui ut huic tyranno tartareo debite reſiſtant, viriliter adverſus eum decertant; Dicit enim: *Tunc periculum præclari capient certaminis, virtutis ſudores diſtillantes, quando non labijs dumtaxat, ſed & cordis affectu ad eum dicent: Notum ſit tibi diabole, nos voci tuæ aurem non præbituros, nec voluptatibus tuis amplius ſervituros.* S.Cyrillus Alexandrinus de hoc eodem ſpirituali prælio diſſerens, ſimilitudinem quamdam affert ab ijs deſumptam, qui ad præliandum cum barbaris ſe accingunt: *Ut enim qui barbarorum incurſionibus ſe opponunt, ijſque obſiſtere, quantum licet, egregie volunt, incitant quidem ſeſe viciſſim ad audendum, ſeque ſedulo hortantur, promant jam vires & artem, tempus belli adveniſſe affirmantes, itaque vehementes & invicti in adverſarios incurrunt, ac ſuperata quodammodo ſegnitie ac pavore, ſtrenuos ſe in gravioribus periculis, cum caſus tulerit, præbent: Eodem modo oportere aſſero, quicumque ſunt ſanctitatis amatores, diaboli fraudibus perquam impigre obviam ire, tantaque ſe illi contentione virium opponere, ut illud ipſum haud immerito uſurpare poſſint; Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? &c.* Rupertus Abbas ex verbis illis capitis 5. lib.1. Reg. *Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures*, propoſito noſtro congruam deducit moralitatem; Nam per mures illos adeo pernitioſos, venerabilis hic Abbas ſpiritus infernales intelligens dicit: *Qui ſunt iſti qui ebullierunt, & terram demoliti ſunt mures, niſi maligni ſpiritus juſtis quidem contemptibiles, ut mures, peccatoribus autem terribiles ut leones?*

S.Iſidor. l.3. ſent. T.5.

S.Ephrem. T.3. Hort.3.

S.Cyr. Alex. Tom.12. de feſt. Paſch. c.5. p.2.

Rom. 8. 35.

1.Reg. 5. 6.

Rup. Abb. l.1. c.24.





DIS-

## DISCURSUS XVI.

### ARGUMENTUM.

Per primæ diabolicæ ſuggeſtionis repulſam, per gratiæ aliorumque bonorum interiorum diligentem cuſtodiam, per divinorum præceptorum illibatam obſervantiam, denique per ardentem charitatem & Dei amorem diabolo ſuperiores & victores efficimur.

### THEMA.

*Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis.* Jacob 4. ℣.7.

Idonei ſumus ad reſiſtendũ Dæmoni.

1\. QUin nos ad reſiſtendum diabolo habiles & idonei ſimus, in dubium nequaquam revocari poteſt, ſecus enim inutile eſſet S. Jacobi Apoſtoli conſilium & exhortatio. Et ideo tametſi S. Petrus dæmonem in furibundi leonis figura deſcribat dicens: *Adverſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret;* attamen immediate poſt ad reſiſtendum ei animum nobis ſuggerit, dum ait: *Cui reſiſtite fortes.* (1. Pet. 5. v. 8.)

S. Iſidor. l. 3. ſent. c. 5. Si ab initio tentationis ſiat.

2\. S. Iſid. porro in ſententijs ſuis inquit: *Qui ſuggeſtiones diaboli non recipit, in ejus inſidias minime tranſit.* Moxque modum nobis tradit, quo efficere poſſimus, ne aſtutus hic ſerpens nos ſupplantare uſquequaque poſſit: *Facile*, inquit, *in conſequenti opere repellitur, ſi prima oblectamenta reſpuantur; Diabolus enim eſt ſerpens lubricus, cujus ſi capiti, id eſt, primæ ſuggeſtioni non reſiſtitur, totus in interna cordis, dum non ſentitur, illabitur.* Primi autem inſultus, quibus diabolus nobiſcum congreditur, ſunt ſuggeſtiones, imaginationes, cogitationes, quæ ab eo menti noſtræ fortiter imprimuntur, quibus proinde in principio reſiſtere debemus; nam ut S. Bernardus ait: *Dæmonum eſt malas cogitationes ſuggerere, noſtrum eſt illico eas repellere, nam in animo noſtro eas jacere, noſtræ attinet voluntati, & propriæ deputatur culpæ.* (S. Bern. de inter. domo c. 40.)

Pſ. 100. v. 8.

3\. David in Pſal. 100. dicebat: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* At vero dic ſodes, quidnam David per hanc ſtragem matutinam nobis innuere volebat? S. Athanaſius hoc dubium reſolvit, dicens: *Sicut matutinum tempus diei eſt initium, ſic omnis peccati initium eſt inimici fraudulenta ſuggeſtio, ideo, inquit, mane interficiebam, hoc eſt, reſpiciebam ad principia cogitationum, & inveſtigabam eorum intentiones, atque adeo peccatores omnes, utpote dæmones, qui faciunt in me peccatum ad perdendum omnes ex civitate Domini, hoc eſt ex anima (anima namque Domini civitas eſt) perſequebar enim, inquit, & abſcindebam illorum capita, tamquam principia, ne operarentur omnem iniquitatem, & peccatum.* (S. Athanaſ. Q. 80. ex parab. — Inveſtigatio & reſiſtentia.)

Naſcentes tentationes occidendo.

4\. Quando Perſæ & Medi ſub Cyro Babyloniam ſunt demoliti, tali in eam tyrannide ſunt debacchati, ut ne infantibus quidem pepercerint, ut hac ratione totam extirparent Babyloniorum progeniem; Porro idipſum nobis quoque idem Pſalmiſta conſulere voluiſſe videtur, dum ait: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos;* nam S. Auguſtinus ibidem in Gloſſa ait: *Beati qui naſcentes cupiditates, antequam robur accipiant, allidunt, ſic enim facilius vincuntur.* Sic quoque ad pernitioſum ſerpentis ſemen extinguendum Deus ait: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius;* ſemper enim primos motus, primaſque ad peccatum ſuggeſtiones necare & opprimere oportet, quia hæ ſemen & maledicta ſtirps ſunt hujus ſerpentis; Nam ut Chriſtiane ad propoſitum noſtrum Seneca inquit: *Non obtinebis ut deſinas, ſi incipere permiſeris. Imbecillis eſt primo omnis affectus, deinde ipſe concitat, & vires, dum procedit, parat.* Sed cur S. Gregorium prætereo, qui in tradendis in quavis materia morali ſalutaribus documentis præ cunctis alijs eſt præcipuus; Hic enim ita ſcribit: *Si tentationi in corde naſcenti feſtine non reſiſtitur, hæc eadem, qua nutritur, mora roboratur. Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, ſi intus, ubi naſcitur, extinguatur.* (Pſ. 136. v. 9. S. Aug. ibid. in Gloſſ. — Gen. 3. v. 15. — Sen. Ep. 116. — S. Gregor. l. 22. Mor. c. 7.)

Suggeſtionis caput necando.

5\. In libro Judicum mors Siſaræ per clavum tempora ejus penetrantem illata deſcribitur; Ubi inter cætera verba illa ſpeciatim notanda veniunt: *Quærens in capite vulneri locum;* ſed cur in capite lethaliter ſauciatur? cur non potius cordi vulnus infligitur? Rupertus Abbas ex præfatis verbis ſequentem deducit moralitatem: *Malleus*, inquit, *in dextera deſuper, timor Domini in intentione cordis eſt, ita factum eſt, ut capiti ejus infigeret clavum validè in cerebrum uſque ad terram. Quare in capite quæſivit vulneri locum? Videlicet, quia peccati caput eſt feriendum, ne poſteaquam ventre irrepſerit, difficilior pugna ſit. Caput prima peccati ſuggeſtio eſt, venter autem ſubſequens delectatio. Porro conſenſus cauda eſt, igitur in capite quæratur vulneri locus.* S. Auguſtinus quoque idipſum nobis commendat, nimirum, ut primis peccati principijs reſiſtendo obviam eamus; Dicit enim: *O Eccleſia, caput ſerpentis obſerva. Quod eſt caput ſerpentis? Prima peccati ſuggeſtio. Venit tibi in mentem neſcio quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli conſentire. Hoc quod venit in mentem caput ſerpentis eſt, caput calca & evades cæteros motus. Quid eſt caput calca? Ipſam ſuggeſtionem contemne.* (Jud. 5. v. 26. — Rup. Abb. l. 1. in Jud. c. 7. — S. Auguſt. in Pſalm. 105.)

Peccati initium confringendo.

6\. In Pſalmo 103. David ait: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei;* ſed quiſnam eſt proprius draconem hunc illudendi modus? Nimirum ſi ſuggeſtionem ejus in primis initijs rejicias. Similiter in Pſal. 73. dicitur: *Tu contriviſti capita draconis.* Circa quæ verba S. Auguſtinus ait: *Quem ergo draconem ſingularem, cujus caput confractum eſt, niſi ipſum diabolum intelligere debemus? Quid de illo fecit? Tu confregiſti capita draconis. Illud eſt initium peccati.* Deus olim in libro Numerorum gloriabatur in eo quod in magnum populi ſui beneficium primogenitos percuſſiſſet Ægyptiorum; Unde Hebræi ex motivo gratitudinis, & in perpetuam hujus beneficij memoriam primitias generis ſui Deo offerre debuerunt. *Meum eſt omne primogenitum &c.* At vero cauſam ſcire percuperem, cur potius Deus primogenitorum Ægyptiorum commemorationem fecerit, quam parentum, & aliorum qui in mari rubro in tanta fuerunt multitudine ſubmerſi? Audite Origenem cauſam hujus ſequentibus verbis inſinuantem: *Unde etiam intelligendum eſt*, inquit, *eſſe quoſdam primogenitos etiam in Ægyptijs, id eſt, contrarijs poteſtatibus, quaſi electos in malitia, & primos inter dæmones.* Quapropter gratiam illam æterna gratitudine dignam dicere poſſumus, per quam Deus in favorem noſtrum primogenitis Ægyptiorum necem infert, id eſt, per quam primi motus ſuggeſtionis & tentationis diaboli ab initio extinguuntur, vel ſaltem redduntur inutiles & inefficaces. (Pſ. 103. 26. — Pſ. 73. v. 14. S. Aug. ibid. — Num. 3. v. 13. — Orig. Hom. 2. in Num.)

Dæmon in principio ſuggeſtionis debilis.

7\. Inter alia lamenta quæ penes Jeremiam legimus, hoc quoque reperitur: *Urſus inſidians factus eſt mihi leo in abſcondito.* Ubi per hunc urſum Hugo Cardinalis diabolum intelligit, dicens: *Urſus enim debilis eſt in capite, ſed fortis in brachijs, fortior in lumbis: ſic diabolus debilis eſt in principio ſuggeſtionis, etiam quando conſenſit homo ſuggeſtioni, adhuc debilis eſt diabolus ante perpetrationem operis, ſed per opus ſit fortior, & per complacentiam fortiſſimus. Sicut ergo inimicus percutiendus eſt à parte debiliori, ſic diabolus in principio ſuggeſtionis reprimendus;* juxta illam ſerpenti à Deo factam comminationem: *Ipſa conteret caput tuum, quia ſi brachijs operis nos amplectitur, magnum periculum eſt, ſed maximum ſi nos recipit in lumbis complacentiæ peccati.* Job 40. *Fortitudo ejus in lumbis ejus.* (Thren. 3. v. 10. — Hug. Card. — Gen. 3. v. 15. — Job 40. 11.)

Cui in initio reſiſtendum.

8\. In Ezechiele ſcribitur: *Tu fili hominis pone tibi duas vias, ut veniat gladius Regis Babylonis*, id eſt, ut Hugo Cardinalis declarat: *Suppone quod diabolus habet duas vias, ad intrandum ad homines; una enim via, id eſt, una tentatione tendit ad Jeruſalem, id eſt, ad Clericos & Religioſos: alia tendit ad Rabbath, id eſt, ad Laicos, utroſque enim diabolus nititur ſubvertere.* Sed advertendum eſt, quod paulo poſt dicit: *Stetit in bivio, in capite duarum viarum, divinitatem quærens. In capite autem viæ civitatis conjiciet*, inquit præfatus Hugo: *Quia diabolus in initio tentationis, ad quam partem, vel ad quod vitium magis inclinetur animus hominis, videt. Caput enim viæ civitatis eſt dæmonis ſuggeſtio, vel mentis delectatio, quia niſi ipſi tentationi reſiſtatur, per hanc diabolus aditum ad civitatem animæ habet*, juxta illud Job cap. 20. *Caput aſpidis ſuget, & occidet eum lingua viperæ.* Deus in principio mundi ſerpenti dixit: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Quapropter, inquit S. Auguſtinus, ſicut ſerpens pedi tuo, id eſt, greſſibus tuis continuo inſidiatur, ſic quoque tu caput illius diligenter obſerva: *Caput illius eſt initium malæ ſuggeſtionis, quando incipit mala ſuggerere, tu repelle, antequam ſurgat delectatio, & ſequatur conſenſus;* Et quidem ſi hoc S. Auguſtini conſilium diligenter adimpleverimus, calcaneus noſter omnino ſecurus erit: *Non apprehendet ille calcaneum tuum.* In vitis Patrum legimus, quod cum S. Pachomius Dæmonem in ſpecie valde laſciva ei apparentem reprehendiſſet, quæſiviſſetque cur tot fraudibus & artibus ad procurandum infelicem animarum lapſum uteretur; Dæmon in ſui excuſationem reſponderit: Quamprimum vos aliquem ſuggeſtioni noſtræ aditum dare incipitis, ſubito nos majoribus vos incentivis provocamus: at vero dum vos in principio ſuggeſtioni noſtræ reſiſtere, & primos motus nequaquam admittere, ſed primas imaginationes animoſe repellere videmus, erubeſcentes & confuſi à vobis recedimus. (Ezech. 21. v. 19. — Hug. Card. — Ibid. v. 21. — Hug. Card. ibid. — Job 20. v. 16. — Gen. 3. v. 15. — S. Aug. in Pſal. 46. — In vitis Patrum. — Hiſtoria.)



Armare nos debemus Dei gratia & virtutibus.

9\. *Reſiſtite Diabolo, & fugiet.* Porro miles ille inimico ſuo in ludibrium vertitur, ceditque in prædam, qui ſe ab illo armis ſuis ſpoliari permittit: at vero quando illum bene armatum & animoſum ad pugnam eſſe conſpicit, non ita facile eum aggredi audet. Optime igitur S. Apoſtolus fideles monet dicens: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli;* In quonam vero hæc armatura Dei conſiſtat, paulo poſt declarat, dum ait: *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ.* Nomine juſtitiæ autem in multis ſcripturæ locis virtutum Chriſtianarum exercitium, perfectio & ſanctitas intelligitur. Hac lorica Job indutus erat, quando cum Dæmone præliabatur; tametſi enim omnia bona temporalia, liberos, & corporis ſanitatem ſibi eripi permiſerit, theſaurum tamen cordis ſui, id eſt, gratiam Dei, patientiam, charitatem, humilitatem omneſque alias virtutes diligenter ac ſolicite cuſtodivit, nec quidquam ex illo theſauro ſibi eripi permiſit. Unde S. Auguſtinus ait: *Ablatis omnibus ſolus remanſit Job, ſed in illo erant vota laudis quæ redderet Deo. Arcam ſancti pectoris ſui fur diabolus non invaſerat, plenus erat, unde ſacrificaret. Audi quæ habebat, audi quæ protulit: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. O divitiæ interiores quo fur non accedit.* Avila in Epiſtolis ſuis ſpiritualibus pulchram nobis doctrinam ſuggerit, nimirum præcipuos Dæmonis ictus ad cor hominis dirigi inquit, quia quod homo aliquis Deo ſerviat, oculos ſemper in terram demiſſos habendo, obſervando ſilentium, Pſalmos vel alias ſimiles devotiones recitando, parum ipſe curat, imò contemnit & flocci facit, quia totum ipſius ſtudium in eo poſitum eſt, ut venenum ſuum cordi inſtillare poſſit. Miſer ille homo qui è Jeruſalem in Jericho deſcendebat, *incidit in latrones*, qui priuſquam illum vulneribus ſauciarent (quod bene notandum eſt) *deſpoliaverunt eum*, & poſtea *plagis impoſitis, &c.* Primo ſerpens hoc ab Eva obtinere contendit, ut verbo Dei dicentis: *Nequaquam moriemini*, fidem non adhiberet, Creatori ſuo diffideret, inobedientem & ſuperbam efficeret, & poſtea eam in lapſum præcipitem egit. Unde S. Ambroſius ait: *Qui ſunt iſti latrones niſi Angeli noctis atque tenebrarum. Hi ante deſpoliant, quæ accepimus indumenta gratiæ ſpiritualis, & ſic vulnera inferre conſueverunt, nam ſi intemerata quæ ſumpſimus indumenta ſervemus, plagas latronum ſentire non poſſumus.* Quamdiu enim in ſtatu gratiæ ſumus, neque noſtra nos conſcientia remordet, certum eſt quod tamdiu magnum ad reſiſtendum vigorem habeamus. Unde S. Bernardinus ait: *Nota hic, quod ſi perſona eſt bene confeſſa, & ſine peccato mortali, & eſt in gratia, diabolus non habet poteſtatem ſuper eam*, idque exemplo S. Cypriani, qui antea Magus fuerat, confirmat, hic enim fruſtra ad S. Juſtinam virginem Diabolum tranſmiſit, ut ipſam perverteret, quia cum ipſa in gratia Dei eſſet, Diabolus adverſus eam nihil umquam efficere potuit: Et quia Diabolus dixit Cypriano, ſe nihil poſſe contra eam, quia erat in gratia, ideo ipſe converſus fuit ad fidem Chriſti. Caſſianus quemdam refert S. Antonij Magni egregiam deciſionem ſive ſententiam: *Probavit ac definivit B. Antonius, nullatenus dæmones poſſe mentem cujuſquam vel corpus invadere, nec habere facultatem in cujuſlibet animam penitus irruendi, niſi eam primo deſtituerint omnibus cogitationibus ſanctis ac ſpirituali contemplatione vacuam, nudamque reddiderint.* (Jac. 4. v. 7. — Eph. 6. v. 11. — Ibid. v. 14. — S. Auguſt. in Pſalm. 55. — Job. 1. 21. — Avila in litteris ſpiritualibus. — Luc. 10. v. 30. — Gen. 3. v. 4. — S. Ambr. l. 7. in Luc. c. 10. — S. Bernard. T. 4. ſerm. 8. 2. parte princip. — Caſſian. Collat. 8. c. 19.)

Dei præcepta obſervare.

10\. *Reſiſtite Diabolo.* S. Petrus firmiter nobis promiſit, quod ſi honorem & legem Dei zelaverimus, nihil omnino occurrere poſſit, quod formidare debeamus vel poſſimus. *Et quis eſt*, inquit, *qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Idem quoque Apoſtolorum vertex ait: *Cui reſiſtite fortes in fide, id eſt, in fideli mandatorum obſervatione in vita*, ut S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 13. A. 2. declarat. D. Chryſoſtomus ut militem Chriſtianum ad ſtrenuè pugnandum excitet, eumdem ad conſiderandum ſerio juramentum ac promiſſionem fidelitatis Deo factam his verbis monet: *Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta, conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce, pactum quod ſpopondiſti, conditionem qua acceſſiſti.* Quando enim in ſacroſancto Baptiſmatis lavacro ſub vexillum Chriſti conſcripti fuimus, nos adverſus antiquum humani generis hoſtem ſtrenue pugnaturos eſſe ſerio promiſimus. S. Ephrem eos qui à divinis præceptis peccando declinant, vires inimici infernalis plurimum corroborare aſſerit: *Vires ſemper ei addimus ſtulti, quando ſanctis mandatis aſpernandis longe à Deo recedimus. Nudatos nos gratia in ſuam ipſius viam deducit fraudulentius.* Sanctus Petrus de hoc infernali leone inquit: *Tamquam leo rugiens circuit, id eſt*, ut Hugo Cardinalis exponit, *circum viam vadit, & non intrat in viam, ſi ſumus in via, non poſſumus timere eum, quia ſicut ipſe viam circuit, ſic miſericordia Domini circumdabit nos;* dicit hic Gloſſa notabilis: *Circuit tamquam hoſtis clauſos obſidens muros, an ſit aliqua pars murorum minus ſtabilis, cujus adita ad interiora penetrent.* Ac proinde David ſe omni ex parte ſecurum reputabat, quia in curſu Divinorum præceptorum, numquam extra orbitam gradiebatur: *Viam mandatorum tuorum cucurri;* nec non quia omnes Jeroſolymæ, id eſt, animæ ſuæ muros bene ſemper munitos habebat. *Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* (S. Jac. 4. v. 7. — 1. Petr. 3. v. 13. — 1. Pet. 5. v. 8. — S. Bernard. T. 1. ſerm. 13. A. 2. — D. Chryſoſt. ſer. de Mart. T. 5. — S. Ephrem T. 3. ſerm. Heptaſyllabus. — 1. Pet. 5. v. 8. — Hug. Card. Gloſſa. — Pſalm. 118. v. 32. — Ibid. v. 6.)

Bona opera.

11\. *Reſiſtite Diabolo.* Didacus Stella aliam nobis in hac materia tentationum utilem doctrinam inſinuat, dicit enim: Dum percutis ſerpentem, mirum non eſt ſi accepta plaga adverſum te exurgat, imò potius mirandum eſſet, ſi accepto verbere acquieſceret: *Cum igitur ſerpens ille antiquus tantam adverſum nos conceperit invidiam noſtrorum bonorum operum, mirari non debes, ſi adverſus nos inſurgat, ſiquidem quocumque bono opere à nobis perfecto graviſſime illum percutimus.* Et S. Leo ait: *Non ignoramus quod hi hoſtes noſtri contra ſe geri omnia ſentiunt, quæcumque nos pro noſtra ſalute agere tentamus, & hoc ipſo quod boni aliquid appetimus, adverſarios provocamus;* Et paulo poſt ait: *Si nos corripimur illi corruunt, ſi nos convaleſcimus, illi infirmantur, remedia noſtra plagæ ipſorum ſunt, quia curatione noſtrorum vulnerum vulnerantur.* Unde S. Aug. ſpirituum malignorum contra Chriſtum lamenta: *Veniſti huc ante tempus torquere nos*, his verbis ponderat: *Sive quia ſubitum illis fuit, quod futurum quidem, ſed tardius opinabantur; ſive quod perditionem ſuam hanc ipſam dicebant qua fiebat ut cogniti ſpernerentur.* His autem addi poteſt: Quia Chriſtus Evangelium prædicans, animaſque ad ſui ipſius notitiam, ad pœnitentiam, & morum reformationem reducens, dæmones in fugam agebat, & mire cruciabat: *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* (Did. Stella in c. 4. Lucæ. — S. Leo ſer. 1. de Quadr. — Matth. 23. v. 29. — S. Aug. l. 8. de Civit. c. 23. — Joan. 12. v. 31.)

Charitatem conſervare.

12\. *Reſiſtite diabolo.* Charitatem dumtaxat in nobis firmiter & conſtanter conſervemus, ſic enim nihil nobis umquam metuendum erit, imo hominem ipſe potius diabolus magnopere horret & formidat. Unde S. Bernardus ait: *Dic mihi, ſi aliquid timet diabolus? Frater amabilis, nihil eſt quod tantum timeat, quantum concordiam & charitatem, nam ſi totum quod habemus damus propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ipſe nihil habet, ſi jejunamus, hoc diabolus non timet, quia ipſe numquam comedit; ſi vigilamus, hoc diabolus non timet, quia ipſe numquam dormit, ſed ſi charitatem & concordiam tenemus, hoc diabolus vehementer timet. Quare? quia hoc tenemus in terra, quod ipſe in cœlo tenere noluit.* Cui optime conſonat, quod idem mellifluus Doctor alibi ſcribit, dum rationem, cur Satan thronum ſuum in Aquilone erigere decreverit, indagat, dicit enim: *Quid eſt diabolum ad Aquilonem ſedem velle ponere, niſi ſuper ſuos ſimiles à charitatis calore alienos principatum appetere, vel adeptum tenere.* B. Laurentius Juſtinianus eamdem vel ſaltem ab illo S. Bernardi parum diſſimilem habet conſiderationem; Dicit enim: *Antiquus hoſtis caſtitatem in nobis, ſi ſine charitate fuerit, non timet, quia ipſe carne non premitur, ut luxuria diſſolvatur; nec abſtinentiam timet, quia cibo non utitur, ſed valde in nobis charitatem veram, & amorem humilem, quem nobis viciſſim propter Deum impendimus timet.* (S. Bern. ſer. 41. de modo bene vivendi. — Timet enim Dęmon concordiam ac charitatem. — S. Bern. ſerm. ad Cler. in Conc. Rhem. — B. Laur. Juſtin. l. de ligno vit. c. 5.)

## DISCURSUS XVII.

### ARGUMENTUM.

Alij Diabolum vincendi modi ſunt cordis noſtri à terrenis bonis perfecta diviſio, præmij cœleſtis, & æternæ pœnæ ſeria conſideratio, conſiliique boni facilis ſequela, vigilantia, maceratio corporis, compunctio, periculorum fuga, paſſionis Chriſti

Chriſti meditatio, ſacræ Scripturæ aſſidua lectio, & malorum quæ ex noſtro in tentationes conſenſu reſultant, prudens advertentia.

## THEMA.

*Adverſarius veſter Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes.*
1. Petr. 5. ℣. 8.

1. EUſebius Emiſſenus ſapienter ponderat, quod ex quo divina providentia majorem animalium partem armis tam offenſivis quam defenſivis providere non omiſit, ut inimicos ſibi infeſtos à ſe abigere, ſeque ab ijs defendere poſſent: majorem utique hominis ad imaginem & ſimilitudinem ejus creati habuerit curam, ideoque veriſimile non ſit, quod ipſum penitus inermem armiſque congenitis deſtitutum eſſe voluerit, quin potius ſolicite ipſum obarmarit, ut ab inimicis infernalibus ſe tueri & defendere poſſet. *Eſt ideo*, inquit Emiſſenus, *ordinatio Dei noſtri, cum cætera animantia ad periculum propulſandum foris ſufficienter inſtruxerit, vel velocitate pedum, vel armis dentium, vel violentia unguium, vel mole membrorum, hominem interiorem contra hoſtem intus magis armavit, intelligentiæ ſcilicet vigore, conſilio, ſapientia, virtute, juſtitia.* Unde operæ pretium eſſe duxi, ſi plures alios tangeremus modos, quibus homines tam viribus quam aſtutiæ antiqui hoſtis reſiſtere poſſunt, ſiquidem S. Petrus nos ad reſiſtendum adhortetur dicens: *Cui reſiſtite, &c.*

Deus interna dedit homini arma ad reſiſtendum Dæmoni.
*Euſeb. Emiſſ. Hom. de Epiph.*
*1. Petr. 5. 9.*

2. S. Antonius Magnus olim univerſum aërem laqueis plenum eſſe conſpexit, quos maligni ſpiritus, quos ſanctus Paulus *ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus* appellat, nobis ubique & indeſinenter tendere ſtudent: Quod & ſanctus Leo confirmat, dum ait: *Omnia plena periculis, plena laqueis; incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ; blandiuntur lucra, damna deterrent, inſidiæ ſunt in divitiarum amplitudine, inſidiæ in paupertatis anguſtijs; laqueus eſt in ſecuritate, laqueus in timore.* Quonam igitur ad tot laqueos declinandum uti remedio poterimus? *Fruſtra*, inquit Sapiens, *jacitur rete ante oculos pennatorum*; Ubi Gloſſa Interlinearis inquit: *Laqueum in terra facile evadit, qui oculos habet in cælis.* Verum dicet fortaſſe aliquis, experientia quotidiana ſatis evidenter oſtendit, quod qui oculos in ſublime defixos habet, facilius in laqueos incidat, quam qui oculos in terram demiſſos ſemper habet. Reſpondeo igitur hoc quidem de ijs laqueis verum eſſe, qui corpori tenduntur; Quoad illos vero quos Dæmon animæ parat, David dicebat: *Oculi mei ſemper ad Dominum*; ſed quo fructu idipſum faciebat? *quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Serpens à Deo per ſententiam decretoriam ad terram manducandam condemnatus fuit: *Terram comedes*; eidem quoque à Creatore noſtro dictum fuit: *Tu inſidiaberis calcaneo ejus:* Ecce igitur, cui potiſſimum parti corporis præ cunctis alijs laqueos tendat, calcaneo nimirum, id eſt illi parti corporis, quæ terram ſemper proximè tangit, & in ea quieſcit, ut exinde diſcamus, illas animas à Dæmone fortius impugnari, quæ per affectus ſuos bonis hiſce terrenis immerguntur. Quiſquis igitur laqueos hoſce fugere deſiderat, amorem ſuum à bonis hiſce temporalibus ſtudioſe divellat; Qua de re S. Ambroſius in *lib. de fuga ſæculi* ita ſcribit: *Denique ſervatum eſt ſerpenti, ut calcaneum mulieris & ſeminis ejus obſervet, quo noceat & venenum ſuum diffundat. Non ergo ambulemus in terrenis, & ſerpens nobis nocere non poterit.* Inſuper eidem ſerpenti ſupplicij loco impoſitum fuit à Deo: *Super pectus tuum gradieris*; in qua ſituatione corporis conſtitutus ſerpens venenum ſuum utique in eos tantum evomere poterit, qui per terram gradiuntur, non vero in illos qui libere per aëra volant. Venantius Fortunatus conſiderat, quod Chriſtus Redemptor noſter nos in oratione Dominica Regnum cœlorum à Deo petere docuerit: *Adveniat regnum tuum*; poſtea autem à nobis ſubjungi voluerit: *Et ne nos inducas in tentationem:* quaſi dicturi eſſemus: *Veniat in corde noſtro regni tui innocens deſiderium, ut poſſimus diaboli vincere blandimentum, tunc enim in nobis hoſtis non prævalet, quando reſpexerit nos conſtanter divini regni deſideria concepiſſe*; multoque magis ſi nos pœnam æternam recogitare adverterit. Enimvero dum belli Dux cum paucis ſuorum adverſus numeroſiſſimum quemdam exercitum præliaturus eſſet: ut ſuis quamdam animi invicti generoſitatem ſuggereret, his eos verbis affatus fuit, niſi adverſus hoſtem triumphaverimus, in inferno nobis hoc veſperi cœnandum erit, quæ verba adeo in illis efficacia fuêre, ut non ſolum exercitum hoſtilem generoſe fuerint aggreſſi, verum etiam adverſus illum victores facti, totaliter eum profligarint: *Reſiſtat ergo ne moriatur*, inquit S. Bernardus, *pugnet, ut coronetur, moleſta eſt lucta, ſed fructuoſa, quia ſi habet pænam habebit & coronam.* Sic quoque Craterus Alexandro frequenter dicere ſolebat: *Macte Alexander pro regno cum leone pugna.*

*In vita S. Antonij.*
*Eph. 6. v. 12.*
*S. Leo ſer. 5. de Quadr.*
Omnia plena ſunt laqueis.
*Prov. 1. v. 17.*
*Gloſſ. Interlin.*
*Pſ. 24. v. 15.*
*Ibid.*
*Gen. 3. v. 14.*
*Ibid. v. 15.*
Quibus facile capiuntur terrenis dediti.
*S. Ambr. l. de fug. ſæculi.*
*Gen. 3. v. 14.*
*Venant. Fortun. de orat. Dom.*
*Matth. 6. v. 10.*
*Ibid. v. 13.*
Evadendi modus cœli deſiderium & inferni recordatio.
*S. Bern. c. 19. de interiori domo.*

3. Alius modus reſiſtendi, & dolos ſerpentis illius declinandi eſt, ſi quis voluntati Patris ſui ſpiritualis perfecte ſe ſubjiciat, ejuſque conſilio & directioni ſemper & in omnibus acquieſcat. Ideo S. Jacobus primo ſuadet dicendo: *Subditi ergo eſtote Deo*, & poſtea ſubjungit: *Reſiſtite autem diabolo & fugiet à vobis.* Tunc autem nos Deo vere ſubjicimus, quando ei, qui illius hic in terris locum obtinet, obtemperando deferimus. Magnus ille ſpiritualis vitæ Magiſter Caſſianus ait: *Nullatenus decipi poterit, quiſquis ſi non ſuo judicio, ſed majorum vivat exemplo, nec valebit ignorationem ejus callidus hoſtis illudere, qui univerſas cogitationes in corde naſcentes pernitioſa verecundia neſcit obtegere; ſed eas maturo examine ſeniorum reprobat, vel admittit.* Richardus de S. Victore optimum quemdam dæmonis inſidias agnoſcendi & diſcernendi modum nobis tradit; & quia certum eſt, quod illæ facilius alieno detegantur conſilio, ideo ait: *Cum itaque aliquid nobis ſuggerit agendum; perpendere debemus, utrum aliqua ſui parte indiſcretio ſe miſceat, vel dolus inimici ſe ingerat & plene illud diſcutere, ſi cum debito timore & cautela fiat, ſi humana laus & oſtentatio ſubrepat, ſi vanitas vel levitas aliqua impellat, ſi à ſcriptura vel exemplis ſanctorum in nullo diſſentiat.* Inter alia documenta quæ Tobiæ juniori à patre ſuo tradita fuerunt, unum hoc fuit, ut ad bene in ſancto Dei timore ambulandum bonum ſibi ducem à Deo exquireret: *Benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.* In Eccleſiaſtico pariter legimus ſequentia: *In oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium ejus & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur.* Alibi quoque in eodem libro dicitur: *Sapiens non odit mandata & juſtitias*, ſed quemnam inde reportabit fructum? *Et non illidetur quaſi in procella navis*; ubi Hugo Cardinalis ait: *id eſt, illuſionibus dæmonum non obſtruetur, quaſi dicat: Navis quæ habet bonum rectorem, non obruitur in procella, ita juſtus non obruitur tentationum turbine.*

Conſilij ſequela.
*Jac. 4. v. 7.*
*Ibid.*
*Caſſ. collat. 2. c. 10.*
*Rich. à S. Vict. p. 2. in Cant. c. 17.*
*Tob 4. v. 20.*
*Eccli. 39. 9. & 10.*
*Eccli. 33. 2.*
*Ibid.*
*Hugo Card.*

4. *Reſiſtite*; arma ſemper ad manum habentes, vigilantes, experrecti. Notandum eſt enim, quod S. Petrus primo dicat: *Sobrij eſtote & vigilate*, & poſtea ſubjungat: *Cui reſiſtite fortes.* Et quidem D. Chryſoſtomus valde efficacem hujus aſſignat rationem dicens: *Si ſerpentem ad lectum noſtrum latitare ſciremus, hic magno admodum ſtudio ad illum perimendum ferremur; Diabolo autem in noſtris ipſorum animis latitante, nihil adverſi nos pati arbitramur, ſed ſupini ac deſides, animiſque concidentes malis noſtris indormimus.* Enimvero ſanctus Doctor nullam aliam hujus noſtræ negligentiæ rationem adduci poſſe exiſtimat, quam quia illum oculis noſtris viſibiliter non conſpicimus; ac proinde ut vivam in nobis fidem excitemus, neceſſum eſt: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis tela nequiſſimi ignea extinguere.* Subjungit proinde ulterius Chryſoſtomus & dicit: *Cujus rei cauſam hanc eſſe arbitror, quod illum corporeis oculis non contuemur, quamquam hoc potiſſimum nomine vigilantes nos ac ſobrios eſſe oportebat, nam ſenſibilem quidem hoſtem facile declines, at inviſibilem, niſi undique armati fuerimus, difficile evitare poſſumus.* Idem quoque ſanctus Pater in alia quadam Homilia ad illud S. Petri monitum: *Vigilate* ſe reflectens dicit: *Poſtquam experientia didicimus quam ſit grave & difficile diaboli miniſterium (fugit enim vigilantem & dormientem ſpoliat) ne des ſomnum oculis tuis, fuge diaboli aſtutias, & dic Domino: In te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum.* Et S. Cyprianus ait: *Si imparatum invenerit militem Chriſti, ſi rudem, ſi non ſolicitum, ac toto corde vigilantem, circumvenit neſcium, fallit incautum, decipit imperitum.* S. Auguſtinus ſerm. 197. de tempore ait: *Verum eſt quia multum prævalet, ſed tepidis & negligentibus.*

Vigilantia.
*1. Pet. 5. v. 8.*
*Ibid. v. 9.*
*D. Chryſoſt. Hom. 10. ad Rom.*
*Eph. 6. v. 16.*
*D. Chryſoſt. Hom. 23. ad pop. Antioch.*
Dæmonem vitare difficile.
*1. Pet. 5. v. 7.*
*D. Chryſoſt.*
*Pſ. 17. v. 30.*
*S. Cypr. ad Fortun.*
*S. Aug. ſerm. 197. de temp.*

3. Poteſt etiam per hæc verba: *Sobrij eſtote* corporis intelligi maceratio, id eſt, jejunia, diſciplinæ, cilicia, & aliæ ſimiles corporis auſteritates. S. Apoſtolus ad Epheſios ait: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Hanc autem armaturam, ni fallor, in ſequentibus verbis magis declarat,

*1. Pet. 5. v. 8.*
Dæmon vincitur corporis caſtigatione.
*Eph. 6. v. 11.*



rat, dum ait: *State ergo ſuccincti lumbos veſtros, lumbos autem præcingimus*, inquit S. Gregorius, *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Hinc David pariter dicebat: *Ego autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam.* De Judith quoque cum Holoferne, qui Luciferum præfigurabat, præliatura ſacer textus ait: *Quod erat habens ſuper lumbos ſuos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ*, Mardochæus pariter, cui cum Aman dimicandum erat, *indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti ſuo.*

*S. Greg.*
*Pſal. 34. v. 13*
*Judith. 8. v. 6.*
*Eſth. 4. v. 1.*

6. S. Antonius de Padua per congruentiſſimam ſimilitudinem dæmonem per excitatos in nobis compunctionis actus à nobis fugari declarat, dum ait: *Sicut fumus expellit apes, ſic amara & lachrymoſa compunctio expellit dæmones, qui circumdant animam, ſicut apes favum.*

Cordis compunctione.
*S. Ant. de Pad. ſerm. Dom. infr. oct. Nat.*

7. Eſt & aliud ad fugandum dæmonem utiliſſimum remedium, nimirum fuga periculorum, & occaſionum peccati. Matth. 4. de Salvatore noſtro dicitur: *Ductus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu, ut tentaretur à Diabolo*; enimvero tametſi Spiritus Sanctus filij Dei incarnati dux & director fuerit, juxta illud: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me*, attamen ſocietas & comitatus ſanctiſſimi hujus ſpiritus Chriſto exhibitus, nuſquam legitur, præterquam enim quod ab eo ductus eſt in deſertum, ut tentaretur à Diabolo, in nullis alijs occaſionibus hunc Spiritus Sancti ducatum & directionem Chriſto præſtitam fuiſſe legimus; quodnam in eo latere putatis myſterium? Utique cum omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio, voluit Dominus, ni fallor per hoc nos inſtruere, quod licet homo per ſemetipſum ſe ad quodvis opus bonum & virtuoſum applicare poſſit, attamen in tentationibus, in provocatione inimici ad prælium, id eſt, in occaſionibus peccatorum firmiter ſtare nequit ſine ſpeciali impulſu & auxilio Spiritus Sancti, ſecus enim magnopere periclitaretur. Quando Lucifer Chriſto ſupra pinnaculum templi ſubvecto dixit: *Mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim: Quoniã Angelis ſuis Deus mandavit de te; ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis:* Salvator noſter quidem reſpondit: *Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum*; verumtamen videtur quod aptius reſponſurus fuiſſet dicendo: Verum quidem eſt quod Angelorum nobis præſidium & tutela promiſſa ſit, in vijs, non vero in præruptis & inacceſſis ac periculoſis præcipitijs, in quæ tunc nos collocamus, quando nos in manifeſtas peccandi occaſiones ſine cauſa exponimus: attamen hoc reſponſum Salvator noſter dare noluit, ſed dixit: *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum*, dum enim quis ex proprio libitu ſine ulla neceſſitate periculis ſe exponit in ſolum Dei auxilium confiſus, profecto idem facit, ac ſi Dominum ejuſque omnipotentiam tentare vellet.

Periculorum cum Dei gratia fuga.
*Matth. 4. v. 1*
*Iſa. 61. v. 1.*
*Matt. 4. v. 6.*
*Pſalm. 90. 11*
*Matth. 4. 7.*
Qui manifeſto ſe periculo peccandi exponit Deũ tentat.
*Ibid. v. 7.*

8. *Reſiſtite fortes* per ſeriam conſiderationem Paſſionis Chriſti, unde S. Petrus nos hortatur dicens: *Chriſto igitur paſſò in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Idipſum figura quoque nobis præfiguratum fuit, quando Angelus Dei malus qui Ægyptiorum primogenita percuſſit, & occidit, nullam in ijs locis ſtragem facere præſumpſit, quæ in ſuis oſtiorum ſuperliminaribus Agni ſanguine tincta vel ſignata fuiſſe conſpexit: *Videbo ſanguinem & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens.*

Dæmon vincitur meditatione Dominicæ paſſionis.
*1. Pet. 4. v. 1.*
*Exod. 12. v. 13.*

9. *Reſiſtite fortes* per aſſiduam ſacræ ſcripturæ lectionem, nam ut Richardus de S. Victore ait: *Dominum ſacrum eloquium condidit, in quo argumenta dæmonum detegit, & remedia quibus ei obvietur opponit. Quot enim tentationum ejus poſſunt eſſe argumenta, tot in ſcriptura contra hæc reperiuntur documenta.* Idem quoque Doctor in alio capite ita ſcribit: *Scripturæ documenta ac teſtimonia, propugnacula ſunt, quibus miles ſe munit & tuetur.* Unde Chriſtus tribus ſacræ ſcripturæ locis uſus eſt ad expugnandum in deſerto ſuperbum & arrogantem Luciferum; *Scriptum eſt &c.* ac proinde Gloſſa ait: *David Goliam tribus lapidibus de torrente proſtravit, & Chriſtus Diabolum tribus teſtimonijs de lege.* Et ideo Cajetanus quoque dicit: *Diſcamus hic omnes, arma noſtra eſſe ſacras ſcripturas.*

Scripturæ lectione.
*Rich. à S. Vict. p. 2. in Cant. c. 17.*
*Ibid. c. 21.*
*Matth. 4. v. 4 v. 7. & 10.*
*Gloſſa in Matth.*
*Cajetan.*

10. *Reſiſtite fortes*, ad inevitabilia vos reflectentes damna, quæ nobis à Dæmonio proveniunt, nec non miſeriarum quibus in nos tamquam implacabilis inimicus noſter ſævit, ex ejus namque ſuggeſtionibus, & in præmium ſequelæ ipſius aliud nihil præterquam pœnas infernales expectare habemus. Quidquid enim nobis inſinuat, merum eſt mendacium, per quod protoparentes noſtros miſere cadere fecit, dum ait: *Nequaquam moriemini. Quid hac præſumptione nequiſſimi nebulonis ſceleratius?* inquit Rupertus Abbas, *Quaſi parvum fuerit, quod ſuperbiendo Dei ſimilitudinem perdidit adhuc detrahendo ſimilem ſibi Deum aſſerere præſumit; imo Deum mendacem, ſe autem habendum verum miſero perſuadet homini.* Nicetas D. Gregor. Nazianzeni commentator, de oblatione omnium Regnorum Chriſto Domino à Diabolo propoſita diſſerens ait: *Eum ut pauperem aſpernate, omnia enim Dei ſunt, nec quidquam Diaboli præter vitium*; adeo enim egenus & pauper eſt, ut non niſi fumum & ignem ſuis dare poſſit; exiguum quoque ipſemet locum occupat, quia magna eſt in inferno loci anguſtia, quantumvis porta ejus larga eſſe dicatur. Quod vero in illa Chriſti tentatione maxime annotandum eſt, in eo præcipue conſiſtit, quod videlicet, ut Oleaſter notat, adorationem latriæ ſibi à Chriſto jamjam ſine ulla dilatione aut mora præſtari petierit, regna vero pro tempore ſolum futuro promiſerit, dicit enim: *Hæc omnia tibi dabo*, quaſi diceret: *Monarchiam vero tibi inpoſterum dabo, aut potius mentiar.* Similiter protoparentibus noſtris in futurum promiſit: *Eritis ſicut Dij*, ſed quiſnam promiſſionis hujus fuit eventus? Nimirum tam ſibi, quam toti humanæ progeniei per tranſgreſſionem ſuam aperuerunt infernum, tametſi tandem per Dei miſericordiam ipſorum noſtriſque damnis reparandis opportunum inventum fuerit remedium. Quænam & quanta fuit Pharaonis in Ægypto in populum Dei electum exercita ſævities? *En famuli tui flagellis cædimur*, & tamen incomparabiliter deterior & major eſt erga nos Pharaonis infernalis ſæva crudelitas, utpote qui non ſolum in corpus, ſed & in animam noſtram crudeliſſime ſævit? Siquidem poſtquam nos peccando fefellit pungentes in nobis acerbiſſimoſque conſcientiæ remorſus experimur, qui ipſis flagellis longe ſunt majores & crudeliores: at vero, ut S. Bonaventura ait: *Pharao diabolum ſignificat, quia flagellis tribulationum multos ſibi ſervire cogit, dum propter inopiam alij furantur, vel pejus faciunt; alij propter anguſtias blaſphemant, alij propter acceptas injurias odiunt & occidunt.* Quod ſi nobis hujus vel illius delectationis roſam offerat, hæc mille circumdata eſt ſuſpicionum, periculorum, zelotypiarum, diſpendiorum, infamiæ, laborum, infirmitatum incurabilium, aliarumque ſimilium miſeriarum ſpinis; ſi nos ad ſublimem dignitatem aſſequendam extimulet, opus certe eſt, ut per prolixum annorum gyrum per incertam fallacemque ſpem laboribus & ſudoribus intolerabilibus ſubjiciamur: *O ambitio ambientium crux.* Intra ſexies mille & amplius annos poſtquam creatus fuit mundus, illis quos per omnem artem & induſtriam ſuam lucrari ſtuduit, id eſt, duobus Adamis, cœleſti videlicet & terreno, duo tantum convivia, prout ex ſcripturæ ſacræ contextu novimus, inſtauravit, quorum unum in Paradiſo terreſtri, alterum in deſerto præparavit. In Paradiſo terreſtri unicum tantum pomum, omnium ferculorum loco menſæ intulit, vel ut melius dicam, illud ipſum poſtquam creatum fuit, fallaci quadam & ficta pulchritudine & apparentia effinxit & veſtivit, ut eſſet *Pulchrum oculis, aſpectuque delectabile:* In deſerto vero ſaxa & lapides appoſuit, à Chriſto in panes demum tranſmutandos: *Dic ut lapides iſti panes fiant*; Ecce tibi lautiores menſæ ſuæ epulas, fercula & miſſus. Beelzebub princeps Dæmoniorum erat, qui ab Accaronitis adorabatur; hic autem à muſcis nomen ſuum mutuaverat, vel quia in ſacrificijs quæ ibi adorabantur, ingens quotidie effundebatur copia ſanguinis, qui putrefactus ingentem poſt ſe muſcarum multitudinem trahebat vel quia idolum ejus in formam muſcæ efformatum erat, cui proprium eſt morticinis, vel putrefactis inſidere corporibus, ac proinde vide, quam etiam ex ſequacium ſuorum teſtimonio, princeps illorum vilis ſit, qui vel ipſis muſcis moleſtior, atque in noſtram pernitiem importunior exiſtit. Et tamen inter omnia hæc irreparabilia & infinita damna, quæ ab ipſo recipimus, magna pars hominum ei non ſolum non reſiſtit, verum etiam ipſum colit, honorat, ſectatur & quærit, unde conſiderabilis eſt illa S. Baſilij Magni ponderatio dicentis: *Dæmon capitalis noſter hoſtis, ſolet noſtram Domino exprobrare negligentiam, & ſuper inobedientia noſtra ſuperbe gloriari, qui cum neque finxerit nos, nec mortem pro nobis oppetierit, habet nos tamen (pro dolor) & inobedientiæ ſuæ & negligentiæ, quæ in præceptis Dei tenendis*

Mendaciorum cognitione quæ à dæmone proponuntur.
*Rup. Abb. l. 3 in Gen. c. 6.*
*Nicetas orat. 40. Nazianz.*
*Matth. 4. v. 9*
*Oleaſter in c. 52. Iſa.*
*Gen. 3. v. 5.*
*Exod. 7. v. 16.*
*S. Bonav. ſerm. 2. in Quinquag.*
Dæmon duo tantum inſtruxit convivia fallacijs plena.
*Gen. 3. v. 6.*
*Matth. 4. v. 3*
*Luc. 11. v. 15.*
*S. Baſil. orat. 1. erga Deum &c.*

*ſumus, imitatores ſedulos. Hoc equidem opprobrium eſt contra Majeſtatem Domini, & hæc jactantia pœnis gehennæ longe mihi gravior eſſe videtur, quod nimirum inimicis Chriſti materiam, & anſam præbemus jactantiæ contra eum ipſum, qui pro nobis morti ſe objecit, atque ab inferis ſeſe revocavit.*

## DISCURSUS XVIII.

### ARGUMENTUM.

Contra Dæmonem, divinum implorandum eſt auxilium, ſolique Deo fidendum: dum autem vires noſtras adverſus ipſum exerimus, nos in præſentia & conſpectu Dei dimicare, conſiderare debemus.

### THEMA.

*Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Matth. 6. ℣. 13.

*B. Laur. Juſtin. de inter. conflictu c. 5.*

1. B. Laurentius Juſtinianus de prælio interno, quod anima noſtra quotidie experitur diſſerens, quam potens ſit inimicus, & quam illa ſe debilem experiatur, his verbis conſiderat: *Imbecillis per ſe*, inquit, *cognoſcitur homo, ut tam procacis adverſarij valeat ſuperare inſultus. Mortalis tunicæ, & putreſcentis carnis cum ſit cõfuſione veſtitus, quomodo in corporeum ſpiritũ debellare præſumeret? Nullo prorſus ipſe Diabolus molis corporeæ gravatur onere, nullis parietum carcerumque præpeditur obſtaculis, nulla ad tentandum fatigatione laſſãtur, ſed ſemper paratus ſemper accenſus, ſemperque nocendi aviditate proclivis eſt.* Merito igitur in oratione Dominica nobis per illa propoſiti thematis verba: *Ne nos inducas* de efficaciſſimo Divini auxilij implorandi remedio proviſum eſt.

Contra Dæmonem Divinum debet implorari auxilium.

2. Porro Cajetanus circa hæc verba notat, quod per illa nequaquam à tentationibus eximi poſtulemus, ſiquidem alias opulentiſſimorum theſaurorum nos in eo caſu gaza deficeret, cum ex tentationum victoria incomparabilia nobis lucra acquirere valeamus, ſed hanc tantum à Deo gratiam, inquit, nobis concedi petimus, *Ne tentationi ſuccumbamus, quod eſt induci in tentationem.* Porro Diabolus in ſcriptura ſacra *fur* ſæpe appellatur: *Fur non venit niſi ut furetur, & mactet & perdat*, ſic neque Diabolus ad aliud adeo anhelat, quam ut in nobis *corpus & animam perdat in gehennam.* Quod ſi furem aliquem in domo tua videns eumdem clamoribus & vociferationibus in fugam agere poſſes, & tamen idipſum facere negligeres, nonne tunc facultatum tuarum jactura tibi ipſi imputanda foret? Eodem modo, cum ad tentationem ſuperandam per orationem ardentem Deo te commendare poſſis, ſi id non facias, culpa tua eſt; Dicit enim Chriſtus: *Orate ut non intretis in tentationem.* Et S. Bernardus ſerm. 67. de modo bene vivendi ait: *Oratio ſuperat tela Diaboli; oratio eſt prima virtus adverſus tentationum incurſus.* At vero ea eſt hodie multorum inexcuſabilis malitia, quod tentationes diligant, & dum Dæmonis in ſe ſuggeſtiones ſentiunt, libenter inſtigationibus ejus obtemperant, carnali voluptati operam dando, vel quærendo hoc vel illud lucrum injuſtum aut illicitum.

*Cajetanus. Joan. 10. v. 10. Matth. 10. v. 28. Matth. 26. 41. S. Bern. de modo bene vivendi ſer. 67.*

3. Joſaphat Rex numeroſum quemdam adverſum ſe congregatum exercitum videns: *Timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum... congregatuſque eſt Judas ad deprecandum Dominum.* In hac autem, quam ad Deum fudit, oratione ita Deum eſt affatus: *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, ſed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui ut oculos noſtros dirigamus ad te.* In eodem vero libro de hoc cœleſti præſidio ſequentia verba leguntur: *Oculi Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.* B. Laurentius Juſtinianus innumera nobis è cœlo auxilia ſubmitti oſtendit, quæ quidem non videamus, in ipſo tamen effectu ſenſibiliter nimis experimur: *O quam multiplicia in nobis bella geruntur? neſcientes ô quantas inſidias patimur, quot de ſupernis ſedibus nobis ſuffragia diriguntur? Suffragatur Deus, ut ſalvet; Diabolus inſidiatur ut perdat.* Vehementes quidem ſunt tyranni infernalis aperti inſultus, ſed longe formidabiliores ſunt inſidiæ occultæ & abſconditæ, quas contra nos machinatur, adeo ut ſecurius nullum aliud quam ad Deum habeamus refugium. Et ideò S. Gregorius ait: *Sit mens vigilans, ſit undique circumſpecta, ſit ubique ſolicita, ut inſidiantis poſſit ſemper laqueos præcavere. Sed quia quanto hoſtis noſter cautum contra ſe unumquemque cognoſcit, tanto corda ſibi reſiſtentium ſubtiliori molitur arte ſubvertere, omnipotentem Dominum aſſiduis lachrymis & deprecatione poſcamus, ut nos veneni ejus non ſinat infectione corrumpi.* Neque nobis ulla ratione de ejus tutela & patrocinio dubitandum eſt, ſiquidem illud nobis in ſacra ſcriptura multipliciter, ſicut & per ſanctorum Patrum teſtimonia expreſſe promiſſum fuit.

*2. Par. 20. v 3.* Tanta enim reſiſtendi fortitudo in nobis non eſt. *2. Par. 16. v. 9. B. Laur. Juſtin. opuſc. de cont. mundi c. 18. S. Greg l. 6. Reg indict. 15. Epiſt. 33.*

4. Priusquam filij Iſrael quietam ſibi Paleſtinæ poſſeſſionem acquirerent ſeptem nationes, eæque omnes feroces ab illis ſubjugandæ erant, de quibus ijs Dominus præceperat dicens: *Percuties eas uſque ad internecionem.* Quia vero executio hujus præcepti ardua erat & difficilis, populus Hebræorum facile ſe excuſare potuiſſet dicendo: Nos pauci ſumus, & hi quidem omnis artis militaris expertes, ex continua quadraginta annorum peregrinatione per deſertum inter tot ærumnas conſummata laſſi prorſus & defatigati: Econtra vero Chananæi hanc præ nobis habent commoditatem, quod domi propriæ, & in defenſionem facultatum, filiorum, vitæ & honoris proprij adverſum nos pugnent, cum nos econtra nullum alium habeamus adverſus eos bellandi titulum, ſive prætextum, quam ut Divinæ Majeſtatis tuæ imperio pareamus. Sed Deus omnibus hiſce & alijs quæ circa hanc Paleſtinæ invaſionem moveri poterant difficultatibus reſpondet dicens: *Si dixeris in corde tuo, plures ſunt gentes iſtæ quam ego, quomodo potero delere eas, Noli metuere, ſed recordare quæ fecit Dominus Deus tuus Pharaoni*; Inſuper etiam eos fortiter protecturum ſe eſſe ſpopondit, dum ait: *Dominus Deus tuus in medio tui eſt, Deus magnus & terribilis.* Quia vero hæc *omnia in figura contingebant illis*, diſquiramus in figuratum: Septem igitur illæ nationes perverſæ & paganæ, ſeptem præfigurant vitia capitalia: priuſquam vero ad veræ terræ promiſſionis, id eſt, cœli poſſeſſionem pertingere valeamus, neceſſarium eſt, ut nationes illæ ſive vitia capitalia in nobis extirpentur funditus, bellum implacabile inimico infernali inſinuando, interea vero in auxilium Divinum nobis confidendum & dicendum eſt: *Non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſalvabit me, Nec in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſalvavit eos, ſed dextera tua & brachium tuum.*

Contra 7. vitia bellandum, ac Divino ſoli auxilio fidendum. *Deut. 7. v. 2. Deut. 7. v. 17. Ibid. v. 18. Ibid. v. 21. Pſ. 43. v. 7. Ibid. v. 4.*

5. Exodi 12. ſcribitur quod Deus Hebræorum domos ſanguine agni occiſi tingi & ſignari juſſerit: *Videbo ſanguinem & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens.* Septuaginta legunt: *Videbo ſanguinem & protegam vos.* Idem quoque Deus ad defendendum populum ſuum ab Angelo percutiente, ipſemet in propria perſona ad illum deſcendere dignatus fuit; unde in eodem capite dicitur: *Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere.* Sed quodnam in eo latet myſterium, quod Angelo primogenita percutiente Ægyptiorum, Deus ipſe quoque huic actioni perſonaliter præſens eſſe voluerit? Nimirum ad protegendum Iſraëlitas idipſum feciſſe exiſtimo, ne forte Angelus malus horum quoque primogenitos interficeret, ſed auſcultetis velim, quid S. Gaudentius hac de re ſcripſerit: *Hoc in textu*, inquit, *ſolicitus lector conſidera, quod ubi dicitur: Percutiam Ægyptios, non dicitur ab exterminatore: Ubi autem dicit Hebræos protegendos, non dicit ab ejus plaga protegendos, qui percuſſit Ægyptios, ſed ab exterminatoris; Exterminator autem non percutit Ægyptios, quorum amicus & princeps eſt, quoniam ſicut ait Dominus in Evangelio Marci: Si Satanas inſurrexit adverſus ſeipſum, diviſus eſt: ſed utique percutere vult exterminator Hebræos, Deo percutiente Ægyptios, nam retributionem molitur in ſervos Dei, ſatellites ſuos ab eo percuſſos indignans, quoniam diabolus tum maxime accenditur, cum extinguitur.* Opinatur igitur S. Gaudentius Dæmonem eo tempore ſimilem Hebræorum ſtragem inſtituere decreviſſe idque in vindictam internecionis quam Deus de Ægyptijs ſequacibus ejus olim in mari rubro inſtituerat: *Sed fruſtratur ejus minacitas, ſi præcepto Domini, quo nos tutos eſſe poſſe præmonui, gnaviter pareamus.* Demum vero idem ſanctus Pater concludit dicens: *Sit unuſquiſque noſtrum Iſraelita, Deum ſemper mente aſpiciens, ut protegatur à plaga exterminatoris.* Exinde igitur monemur omnes, ut in tempore tentationis nos Deo arctiſſime adſtringamus eique innitamur, ad eum modum quo parvulus pavore aut terrore correptus ad matris ſinum recurrit; Hæ-

Septuaginta Deus enim ſuos defendit. *Exod. 12. v. 13. Ibid. v. 23. S. Gaudentius Tr. 6. in Exod.* Quem mente aſpicere debemus. Cui ſoli innixi Victores evadimus.

dera



dera ſine fulcro cui innitatur erecta ſubſiſtere nequit, quod idem verum eſt de vite, quæ ulmo ipſam ſuſtentante opus habet: Quæ eadem neceſſitas animæ accidit, utpote quæ auxilio & aſſiſtentia divinæ gratiæ inevitabiliter eget: *Omnia poſſum*, dicebat Apoſtolus, *ſed in eo qui me confortat.* S. Gregorius ſuper illa verba Regum: *Pedes ſanctorum ſuorum ſervabit*, ita ſcribit: *Pedes ſanctorum ſuorum ſervare, eſt concuſſos in tentatione affectus electorum, ne corruant, per gratiam roborare; unde & qui ad caſum nutaverat, & tamen à Domino conſervatus erat, Propheta, dixit: Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei. Hinc rurſus: Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me, fortitudo mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem; Quoniam in me ſperavit liberabo eum, & protegam eum.* Circa quæ ultima verba advertendum, quod Deus ad protegendum nos ſe promptum exhibeat, dummodo integerrime confidamus in ipſum, cunctis viribus noſtris diffidentes: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Ubi S. Bernardus ait: *Si tamen cognoverit nomen meum, ne ſibi tribuat quod liberatus eſt, ſed nomini meo det gloriam.* Unde videtur Deus defenſoris partes aſſumens quoaduſque nomen ejus veneramur, & agnoſcimus, honorem ſuum velut vadem ſtatuere, ut ſecuri ſimus quod nos ab inimico offendi minime ſit permiſſurus.

*Philip. 4. 13. 1. Reg. 2. v. 9. S. Greg. Pſ. 72. v. 2. Pſalm. 117. v. 13. Pſ. 90. v. 14. Pſalm. 90. 14. S. Bern. ſerm. 13. ibid.*

6. Pſalmiſta regius ait: *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus in Domino Deo ipſius.* Sed cur non dixit: *Deus Abraham, Deus Iſaac*, ſed tantum *Deus Jacob?* Pro reſolutione hujus ſciendum eſt, quod Jacob ab Eſau, qui Dæmonis typus eſt, perſecutionem ſuſtinens, omnem ſuam fiduciam in Deum collocarit, & ideo ſi ſacram ſcripturam pervolveritis, Deum varijs modis ipſum defendiſſe invenietis. Et ideo S. Bernardus de Deo noſtro inquit: *Sic paratus eſt ſuſcipere cadentem, eripere fugientem, ut videri poſſit, relictis omnibus alijs, ei ſoli operam dare.* Regius Propheta David ut Deum ad ſibi in hoc prælio aſſiſtendum obligaret, efficaciſſimo uſus eſt motivo dicens: *Exurge Deus judica cauſam tuam*, quia niſi Deus in hac pugna non auxilietur nobis, nos inimico noſtro cedendo graviſſimam ejuſdem Dei offenſam incurrimus, ac proinde ad cauſam ipſius pertinet, ut nobis in tentationibus aſſiſtat.

*Pſalm. 145. v. 5.* Jacob fiduciam ſuam in Deum collocavit. *S. Bern. ibid. ſerm. 2. Pſ. 73. v. 22.*

7. S. Auguſtinus qui per triginta trium annorum ſpatium vitam laſcivam licentioſamque tranſegerat, tandem cognoſcens, quam interea divinum præſidium erga ipſum liberale fuiſſet, in ſoliloquijs ſuis hunc in modum Deum alloquebatur: *Tentator defuit, & ut deeſſet, tu feciſti; Locus & tempus defuit, & ut hæc deeſſent, tu feciſti. Adfuit tentator, & non defuit locus ſed defuit tempus, ſed ut non conſentirem, tu me tenuiſti. Venit tentator, tenebroſus ut eſt, & ut eum deſpicerem, tu me confortaſti. Venit tentator armatus & fortis, & ut me non vinceret, tu eum refrænaſti, & me roboraſti. Venit tentator transfiguratus in Angelum lucis, ut me non deciperet, tu eum increpaſti, & ut eum cognoſcerem tu me illuminaſti.* Etenim quando nos Deum à nobis procul poſitum eſſe credimus, tunc vel maxime nobis per ſubſidium vicinus exiſtit, *quia fingit ſe longius ire*, quia vires noſtras ab eo in nobis corroboratas experiri gaudet; interea nihil ei eſt gratius, quam ſi nos ipſi commendemus, noſtraſque orationes identidem repetamus & reiteremus. S. Antonius poſt diuturnum cum Dæmone continuatum, & feliciter terminatum certamen quærebat: *Ubi eras bone Jeſu, ubi eras? quare non à principio adfuiſti, ut ſanares vulnera mea?* Et ſtatim vocem quamdam audivit dicentem ſibi: *Hic eram, ſed expectabam videre certamen tuum. Impulſus everſus ſum ut caderem*, dicebat Pſalmiſta, *& Dominus ſuſcepit me.* Et alibi: *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet, cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſuppohit manum ſuam.* S. Petrus pariter ait: *Novit Dominus pios de tentatione eripere*; Id quod David ſe in ſemetipſo expertum fuiſſe, his verbis teſtatur: *Miſit de cælo & liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me; Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam & eripuit animam meam de medio catulorum leonum.*

Dei auxilium expertus enarrat. *S. Auguſt. in ſoliloq. c. 16.* Et S. Antonius. *Pſalm. 117. v. 13. Pſ. 36. v. 23. 2. Petr. 2. v. 9. Pſalm. 56. v. 4. v. 5.*

8. Enimvero ad devaſtandum univerſum mundum, unicus dumtaxat Dæmon abunde ſufficeret, niſi Deus rabiem & crudelitatem ejus ligaret & reprimeret. Porro Dæmoniacus ille in ignem pariter & aquam projectus fuerat, quod D. Chryſoſtomus conſiderans ait: *Jam diu mortuus homo fuiſſet, niſi divina providentia fuiſſet protectus, nam qui in ignem & aquam eum immittebat interfeciſſet profecto, niſi divinitus frænaretur*; Neque etiamnum hunc Cerberum ligare deſinit, ne mordere nos poſſit; unde S. Thomas de Villanova ait: *Noſtra eſt culpa, fratres, ſi perimus, quia defenſorem noſtrum invocare negligimus, ſicut cuidam apud Prophetam merito exprobratur. Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum.* Hanc quoque in Deum fiduciam B. Laurent. Juſtinianus nobis his verbis commendat: *In omnibus inſultibus ſpirituum immundorum, in cunctis tentationibus, quibus Chriſti ſervi impugnantur, abjicere conentur propriam confidentiam & divinum non ceſſent efflagitare auxilium.* David cum Gygante præliaturus aureis Saulis armis veſtiri noluit, quia confidit in Deum: *Ego venio ad te in nomine Domini.* In bello quidem corporali ſine armis ad præliandum abire temeritas eſt maxima, at in hoc Dæmonis bello, temeritas eſt armis ſeſe accingere, ut viribus ſuis confidere ſibi quis queat; ſed poſt omnes noſtros poſſibiles conatus adhibitos in ſolo Deo ſperare & confidere oportet: *Factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici; nihil proficiat inimicus in nobis, & filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* Deus quoque ipſemet in Pſal. 90. declarat ſe dicens: *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit juſtus, & exaltabitur.* David gygantem non haſta vel gladio ſed unica dumtaxat petra proſtravit: *Petra autem erat Chriſtus; Ego venio ad te in nomine Domini.* Naturalis gruum inſtinctus eſt, quod volando intra unius pedis ungues parvulum lapillum deferant, ne mare volando trajicientes à vento tranſportari queant, quod idem documentum nobis quoque imprimere deberemus, ut ſcilicet petram hanc firmiter apprehenſam teneamus, *Petra autem erat Chriſtus*, maxime dum à validis tentationum ventis rapimur: *In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis; In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.*

Hominis culpa ſi victus corruat. *Marc. 9. 21. D. Chryſ. Hom. 58. S. Thom. de Villanova ſerm de SS. Coſma & Dam. Pſ. 51. v. 9. B. Laur. Juſtin. de diſcipl. & perfect. mon. Converſ. cap. 12. 1. Reg. 17. v. 45.* Temeritas eſt viribus confidere proprijs. *Pſ. 60. v. 4. Pſ. 90. v. 14. Prov. 18. v. 10. 1. Cor. 10. v. 4. 1. Reg. 17. v. 45. Pſ. 59. v. 14.*

9. Reges Chanaan adverſus Gabaanitas, eo quod ſine ullo cum ipſis communicato conſilio cum Joſue fœdus iciſſent exaſperati, ad invicem copias ſuas conjunxerunt, ut de hac injuria vindictam ſumerent; Et quidem Adoniſedech omnibus alijs dixit: *Ad me aſcendite, & ferte præſidium, ut expugnemus Gabaon quare transfugerit ad Joſue & ad filios Iſrael.* Quapropter Gabaonitæ ſine mora legatos ſuos ad Joſue expedientes, ab eodem neceſſarium popoſcerunt ſubſidium, qui ſubitò tanto cum animi ardore in favorem Gabaonitarum adverſus Reges Chanaan pugnavit, ut ad proſequendam imminentem victoriam ſolem curſum ſuum ſiſtere juſſerit. *Sol contra Gabaon, ne movearis.* Quiſquis igitur in periculis conſtitutus ad verum Joſue Chriſtum Jeſum confugerit, multo majorem habendarum ſuppetiarum ſpem concipere poterit. Verum quidem eſt, quod, ut Gloſſa Interlinearis ait: *Qui Jeſu expetit amicitias, multorum patietur inimicitias*; propter hoc tamen nequaquam deſpondendum eſt animo, quia infallibiliter videbimus ſuper nos Jeſu Salvatoris & Redemptoris noſtri auxilium. Unde Origenes optime conſiderat, quod Joſue tunc præcipue à Moyſe hoc nomine inſignitus fuerit, quando illum contra Amalecitas animoſe pugnare conſpexit. *Uſque ad hunc locum*, inquit Origenes, *beati nominis Jeſu nunquam facta eſt mentio. Hic primum vocabuli illius ſplendor effulſit.*

In periculis ad verum Joſue confugiendum. *Joſ. 10. v. 4. Ibid. v. 12. Gloſſ. Interl. ibid. Orig. Hom. 1. in Exod.*

10. Advertendum tamen eſt, quod propter hoc nequaquam ex parte noſtra deſiſtere debeamus, quin pro virium noſtrarum poſſibilitate pugnare & vincere conemur. In collationibus Caſſiani ad noſtram eruditionem ſcribitur, quod ſicut Chriſtus per adducta ſcripturæ loca Luciferum fugavit, ita quoque nobis exemplum dederit, quo doceamur, ut in conflictu cum Dæmone ſcutum quoque verbi Dei amplectamur: *His teſtimonijs edocemur, ut fraudulentis ſuggeſtionibus inimici, nos quoque ſimiliter debeamus obſiſtere; & ideo juxta monitum Apoſtoli ad Epheſios: Galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*; nam ut S. Gregorius ait: *Reſiſtere tentationibus omnino non ſufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo poſtponit.*

Fortiterque pugnandum. *Caſſ Collat. 22. c. 2. Eph. 6. v. 17. S Greg. l. 19. mor. c. ult.*

11. Porro ut nos in tentationibus patrocinio & defenſione Dei dignos & capaces reddamus, neceſſum eſt ut ex parte noſtra vitijs & malis inclinationibus noſtris reſiſtamus, refrænemus ſenſus noſtros, & peccata execremur. In vitis Patrum de quodam legimus, qui cum à carnali concupiſcentia vehementer tentaretur, cuidam ſancto Eremitæ ſe commendavit,

Peccata execrando occaſioneſque fugiendo. *In vitis Patrum.*

davit, rogando eum ut ſuas ad Deum efficaces pro ſalute animæ ejus preces effunderet; id quod præfatus Eremita cum omni animi ardore ſæpius præſtitit, ſed abſque ullo viri tentati profectu; cumque hic Dei ſervus caſſum precum ſuarum eventum vehementer admiraretur, revelatum ei fuit, illum pro quo Deum rogaverat Divinam aſſiſtentiam minime mereri, eo quod tentationis occaſiones non ſubmoveret, ſed potius per continuas cogitationes malas foveret, magiſque ſolidaret. Quam revelationem tentato aperuit, qui ſublatis omnibus peccandi periculis, macerationi corporis & ſenſuum aſſiduæ cuſtodiæ totus deditus eſſe cœpit; hacque ratione oratio Eremitæ illius efficax

Roman. 6. v. 12.

fieri cœpit, & tentatio ceſſavit. *Non ergo regnet peccatum*, inquit Apoſtolus, *in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus, ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Circa quæ verba D. Chry-

D. Chryſol. ſerm. 113.

ſologus ait: *Non dixit: Non provocet, non titillet, ſed non regnet, non dominetur, confligat ad vincentis gloriam, dimicet & decidat ad triumphum victoris, & tandem ſe doleat impio-peccati dominatu à ſervis quondam ſuis tota ſecuritate calcari;* Quod vero hac in re vel maxime notandum venit, eſt ut toto ſtudio caveamus, ne per concupiſcentiarum noſtrarum fomentum vires inimico majores miniſtremus, noſtramque orationem debilitemus, & inutilem reddamus.

Quid agendum ſi vincere velimus.

12. Porro optimum ad animoſe pugnandum motivum eſt, ſi nobis Chriſtum prælio tentationis noſtræ præſentem eſſe, noſtroſque conatus in prælium iſtud ex noſtra parte adhibitos cum gaudio ſpectare nobis firmiter perſuadeamus. Etenim magnum certanti animum ſuggerere ſolet Principis alicujus ſupremi præſentia, dum is invictum animi ſui robur, & fidelitatem ſuam publico ſpecimine probat: Longe igitur magis certantis cum Dæmone generoſitatem adaugebit, ſi firmiter ſibi perſuadeat, quod tota cœleſtis curia velut certaminis ſui ſpectatrix & arbitra præſens aſſiſtat, & certantem conſideret. Hanc Dei, omniumque cœlitum præſentiam indubitatam eſſe teſtatur Apoſtolus dum ait: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* 1. Cor. 4. 9.

Quando S. Antonius interrogabat: *Ubi eras ô bone Jeſu?* ſibi confeſtim dici audivit: *Hic eram, & expectabam videre certamen tuum.* S. Auguſtinus quoque hac de re ita ſcribit: *Adjuvat certantem, qui certamen indixit. Non te ſic ſpectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam, clamare enim novit, adjuvare non novit; Coronæ veniam parare poteſt, vires ſubminiſtrare non poteſt, homo enim & non Deus & forte dum ſpectat, plus laborat ſedendo, quam ille luctando; Deus quando ſpectat certatores ſuos, adjuvat eos invocantes, nam vox athletæ illius eſt.* S. Aug. ſer. 115. de temp.

Pſam. 93. *Si dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adjuvabat me.* Pſ. 93. v. 18.

Idem quoque ſanctus Doctor in alio quodam loco militem quemlibet Chriſtianum, adverſus infernum dimicantem his verbis ad animoſitatem pugnandi excitat dicens: *Ad agonem perduceris; contra diabolum vitiorum principem dimicabis in arena hujus mundi; utræque partes, Chriſti ſcilicet & diaboli, infinita populi multitudo te expectat luctantem, & quiſnam vincat vide omnem turbam nimia intentione pendentem. Non de te triumphet pars diaboli. Si vis vincere, noli de te præſumere, ſed illi aſſigna victoriæ gloriam, qui tibi donat, ut victoriæ feras palmam. Vis vincere? Caput prius contere inimici, excludendo de corde tuo ſuggeſtiones diaboli. Vis vincere? manus tuæ fortes inveniantur in bono opere. Vis vincere? fige pedes, non nutent veſtigia tua.* S. Aug. Tom. 9. de Catech. Tr. 4.

De hac materia infra ſub litera T. fuſius tractabitur, verbo: Tentationes, ubi ſupplebitur, quidquid hic deſiderare poterit Lector.

# TRACTATUS XX.

# DE DOMO DEI, ECCLESIA, TEMPLO.

## CONTINENS DISCURSUS XIX.

DIſcursus I. Boni Chriſtiani ſignum eſt zelus venerationis locorum ſacrorum, quem etiam creaturæ irrationales & inſenſibiles, infideles quoque, barbari & ſcelerati homines ſæpe erga loca ſacra exhibuerunt.

II. Sanctitas Eccleſiæ reverentialem à nobis timorem expoſcit, idque exemplis Jacob, Moyſis & aliorum comprobatur, exterior namque ejus ſanctificatio, de interiori ſanctitate animæ noſtræ procurando nos admonet.

III. De ſpirituum Angelicorum in Eccleſiis præſentia & reverentia, utpote qui ad debitum Deo præſtandum obſequium, & ad benefaciendum nobis domui Dei continuo aſſiſtunt.

IV. Deus in Eccleſia, quæ domus orationis eſt, ſupplicationes noſtras facilius quam in alio loco exaudit; Quod ſi vero in illa orantes interdum à Deo non exaudiamur, id fit vel quia impertinentia petimus, vel quia debitam Eccleſiæ reverentiam non exhibemus.

V. In locis ſacris Deus nobis abundantius benefacit; ubi etiam multa examinantur beneficia, quibus in domo Dei cumulamur.

VI. Multa alia bona conſiderantur, quæ in domo Dei accipimus.

VII. Populum Chriſtianum Deo unice dilectum, multiſque ab eodem beneficiis auctum valde dedecet, quod Deum in domo ejus offendat, ubi vel maxime ab eo honorari debebat.

VIII. Sanctitas locis ſacris debita, culpam eadem profanantis irremiſſibilius aggravat,

IX. Noſtra erga loca ſacra irreverentia per reverentiam quæ olim tabernaculo & templo antiquæ legis deferebatur, & alia ſimilia exempla condemnatur; Simulque domus Dei profanatores homines perditæ ſalutis temerarios beſtiiſque irrationalibus ſimiles, & atheiſtas eſſe oſtenditur.

X. Sacrorum locorum, rerumque ſacrarum profanatores à Deo pœna puniuntur æterna, ſeque divina miſericordia indignos efficiunt.

XI. Alia in eoſdem profanatores immiſſa ſupplicia ex variis ſcripturæ ſacræ & hiſtoriarum exemplis adducuntur.

XII. Ex animadverſione qua Chriſtus cæteroquin adeo mitis, propriis manibus in domus Dei profanatores deſævijt, gravitas peccati irreverentiæ locis ſacris illatæ perſpicue oſtenditur.

XIII. Circa eamdem hiſtoriam Evangelicam de vendentibus & ementibus è templo ejectis, variæ, eæque omnes valde conſiderabiles circumſtantiæ ponderantur.

XIV. Ruinæ univerſales Provinciarum, aliæque calamitates & infortunia publica, pœnæ ſunt quibus irreverentia & ſacrorum locorum contemptus à Deo caſtigatur.

XV. Cauſæ & myſteria explicantur, cur domus Dei per irreverentiam noſtram profanata à Chriſto appelletur ſpelunca latronum.

XVI. Perſtringuntur illi præcipue, qui ad Eccleſias ſe recipiunt, ut cordis ſui carnalia deſideria foveant, quique per incautos obtutus alioſque actus impuros eaſdem profanant.

XVII. De inutilibus confabulationibus & nugis quæ in domo Dei fiunt, quam deteſtabiles ſint oſtenditur, deque attentione & applicatione animi nec non reverentia eidem debita.

XVIII. Ex ritibus antiquis quibus tabernaculum ingreſſuri prius ſe lavare debebant, facile eſt colligere puritatem & munditiem conſcientiæ, cum qua ſacra templa ingredi, & in ijs converſari debemus

XIX. Eccleſiarum ornatus Deo quidem debitus & gratus, nobiſque conveniens eſt, conjunctus tamen eſſe debet cum innocentia & probitate fidelium, qui templa Dei viva exiſtunt.

DISCUR-



### DISCURSUS I.

### ARGUMENTUM.

Boni Chriſtiani ſignum eſt zelus venerationis locorum ſacrorum, quem etiam creaturæ irrationales & inſenſibiles infideles quoque barbari, & ſcelerati homines ſæpe erga loca ſacra exhibuerunt.

### THEMA.

*Omnes ejecit de templo; Judæi dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?* Joan. 2. ℣. 15. 18.

Veri dignoſcimur filii Dei, ſi reverentiam templis debitam zelaverimus.

1. CHriſtus Redemptor noſter in nuptiis quidem Canæ in Galilæa habitis, dum aquam in vinum ad teſtificandam coram mundo Divinitatem ſuam convertit, initium fecerat patrandi miracula: *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam:* attamen ut idem S. Joannes notat hæc notitia, hæcque fides quod Chriſtus verus Dei filius & Meſſias in lege promiſſus eſſet, in ſolos ſcholæ Chriſti diſcipulos transfuſa fuerat: *Crediderunt in eum diſcipuli ejus:* at vero poſt triginta annorum decurſum quibus divinæ omnipotentiæ ſuæ lucem celarat, ſui notitiam Judaiſmo primo inſinuare volens, paulo poſt circa tempus Paſchæ Jeroſolymam contendit, ibique in conſpectu totius multitudinis hominum artium templi ingreſſus, æterni patris ſui zelavit honorem, omnes exturbando templi profanatores: *Omnes ejecit de templo:* quo tempore oculi aperti ſunt Judæorum, ut illos in eum defigerent, qui ait: *Ego ſum lux mundi,*

Joan. 8. 12.

cœperuntque illum ſuſpicere tamquam verum in lege promiſſum Meſſiam, ac proinde reſponderunt Judæi,

Joan. 2. 18.

*& dixerunt ei: quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?* Neque enim ex ordine Levitico & Sacerdotali genitus fuerat, ut ei ex officio proprio venerationem domui Dei debitam zelare competeret; neque in dignitate Magiſterii conſtitutus erat, ut ad eum criminis hujus plectendi & vindicandi officium ſpe-

Matth. 13. v. 15.

ctaret; Unde dicebant de eo: *Nonne hic eſt filius fabri, & mater ejus dicitur Maria?* ac proinde juſtum habebant motivum credendi, quod verus Dei filius

Joan. 2. v. 16

eſſet, maxime quia apertis verbis dixerat: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Vere enim ita eſt, nec in eo fuere decepti, quia in hoc Chriſtus ſpecialiſſimum & infallibile *ſignum oſtendit nobis quia hæc fecit,* & ex quo verus Dei filius agnoſci potuit, quia nimirum reverentiam templo Dei debitam reſarciit & reſtabilivit, ut exinde intelligeremus quod tunc vel maxime Filii Dei & veri Chriſtiani eſſe dignoſcemur, ſi ad ejus imitationem honorem & reverentiam Eccleſiæ & locis ſacris debitam zelaverimus. Antea eum calum-

Joan. 9. 16. Joan. 8. 48.

niati fuerant dicentes: *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit; Samaritanus es tu & dæmonium habes.* Publice igitur, inquit D. Chryſoſt. & in conſpectu totius mundi defendere ſe voluit, & ex hac profanatorum è templo ejectione tamquam infallibi ſigno demonſtrare, quod Chriſtus Meſſias eſſet, & verus Filius Dei:

D. Chryſoſt. Hom. 22. in Joan.

*Ne Dei contemptor & patri contrarius exiſtimaretur id fecit, ut eorum tolleret ſuſpicionem; non enim par erat, ut qui pro templi honore tantam oſtendiſſet indignationem ab ejus Domino alienum animum haberet;* Numquam enim de defectu pietatis aut timoris Dei redargui, aut culpari poteſtis, qui honorem & venerationem Eccleſiæ & domui Dei debitam, ut par eſt, zelat.

David vir ſecundùm cor Dei ob zelum quem habuit. Act. Ap. 13. v. 22.

2. David Rex ſupra omnes Veteris Teſtamenti ſanctos hoc encomio inſignitus & nobilitatus fuit, ut ab illo vocaretur *vir ſecundùm cor Dei: Inveni virum ſecundum cor meum;* ſed quonam merito hoc ſibi privilegium præ omnibus aliis comparavit? Certe non alio quam quia præ cæteris honorem & decorem domus Dei zelavit; quis enim alius per tot ſæculorum curricula de erigenda Dei domo, Eccleſia, vel templo aliquo adeo ſumptuoſo cogitavit aut ſolicitus fuit, quam ipſe qui pro hoc ædificio in honorem Dei erigendo tot auri & argenti milliones congregavit, cui operi adeo intentus erat, ut præ vehementia ſolicitudinis oculi

Pſ. 131. v. 2.

ejus ſomnum vix capere poſſent: *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob; ſi introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei; ſi dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Quis eſt qui cum nullam hac magis fixam cogitationem habuiſſe igno-

Pſ. 26. v. 4.

ret? *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini & viſitem templum ejus.* Idem quoque Rex arcam Domini magna cum ſolemnitate & magnificentia in regium ſuum tranſtulit palatium; Quia vero Oza in hac tranſlatione manum ſuam ad eam contingendam extenderet, *iratus indignatione Dominus contra Ozam percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi juxta arcam Dei, contriſtatus eſt autem David,* non quidem propter pœnam qua Deus in hunc virum temerarium animadvertit, ſiquidem homo juſte promeritus fuerat, ut ait Lyranus: 2. Reg. 6. v. 6. & 7.

*Contriſtatus de divina juſtitia, ſed magis de Ozæ offenſa, propter quam meruerat à Domino percuti;* Quiſquis enim verum Divini honoris contumeliati zelum habet, de ſuppliciis à divina juſtitia profanatoribus immiſſis minimè triſtatur, bene tamen de cauſa per quam talia ſibi accerſunt ſupplicia, ſcilicet de irreverentia locis & rebus ſacris irrogata, utpote quarum honorem etiam creaturæ inſenſibiles & irrationales, infideles quoque, barbari, aliique cæteroquin ſcelerati & perverſi homines ardenter zelant. Lyran. ibid.

Oza à Deo percuſſus ob temeritatem.

3. Unde advertendum eſt, quod cauſa ob quam Oza manum ſuam ad arcam Domini contingendam extendit, hæc fuerit: *Quoniam calcitrabant boves & declinaverunt eam.* Alias quoque hunc eumdem theſaurum plauſtro ſuperpoſitum fuiſſe invenimus: *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos junxerunt ad plauſtrum, vituloſque earum concluſerunt domi, & poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum... Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames; & itinere uno gradiebantur... & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Quibus duabus hiſtoriis præſuppoſitis, merito quærendum venit, cur hi boves quos Deus ad hunc eumdem theſaurum portandum deſtinare dignatus fuerat, tunc in præſentia Ozæ recalcitrarint? Scitiſne quid ad hoc reſponderi poſſit? Idem nimirum quod Iſaias Dei nomine populo ſuo improperavit, ſcilicet, *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, Iſrael autem me non cognovit;* boves enim illi; haud ſecus ac ſi anima rationali à Deo dotati fuiſſent, Ozæ temeritatem & irreverentiam ſuam exprobrare conati ſunt, utpote qui cum arcam Dei propriis humeris ſuis impoſitam debito cum honoris obſequio ſuſtinere & portare debuiſſet, eamdem veluti ſarcinam quamdam profanam & trivialem, quæ velut onus quoddam vulgare & vile jumentis indifferenter imponi ſolet, currui cuidam ſuperimpoſitam bobus portandam & trahendam commiſit. Verum quidem eſt quod Philiſthæi quoque eamdem arcam currui ſuperimpoſuerint; at vero hi tamquam infideles, lumine & agnitione Dei arcæ hujus orbati Dagon adorabant, quibus proinde irreverentia hæc facile condonari poterat; ac proinde Oza *peccavit in hoc*, ut Lyranus, *quod voluit aſſimilari Philiſthæis infidelibus in arcæ deportatione.* 2. Reg 6. v. 6. 1. Reg. 6. v. 10 Ibid. v. 12. Iſai. 1. v. 3. Lyran. ibid.

Creaturæ irrationales reverentiam exhibuere templis. S. Ambr. l. 3. de virg.

Ehem in quot occaſionibus bruta animantia nobis improperant, nobiſque fidelibus reverentiam ſacris locis debitam inculcant. S. Ambroſius illos qui in locis & functionibus ſacris ſtrepitum excitant, ranarum quarumdam exemplo convincit & perſtringit, dicens: *Frequens ſermo eſt, cum plurima ranarum murmura religioſæ auribus plebis obſtreperent, ſacerdotem Dei præcepiſſe ut conticerent, & reverentiam ſacræ deferrent orationi, tunc ſubito circumfuſos ſtrepitus quieviſſe. Silent igitur paludes, homines non ſilebunt? Et irrationabile animal per reverentiam recognoſcit, quod per naturam ignorat, hominum tantam eſſe immodeſtiam, ut pleri que deferre nequeant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati?* S. Bonaventura de S. Franciſco refert, quod oviculam quamdam in cultu divino modeſtam & reverentem eſſe docuerit: *Ut laudibus divinis intenderet, audiens fratres in choro, & ipſa Eccleſiam ingrediens, ſine alicujus informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare virginis, Matris agni, ac ſi eam ſalutare geſtiret; inſuper & cum elevaretur ſacratiſſimum Chriſti corpus, inter Miſſarum ſolemnia flexis curvabatur poplitibus, tamquam ſi reverens pecus de irreverentia argueret indevotos, Chriſtoque devotos ad reverentiam Sacramenti invitaret.* S. Bonav. c. 8 vita S. Franciſci.

4. Narrat Sigonius fluvium Atheſis An. 589. in urbe Veronenſi adeo inundaſſe, ut ad Eccleſiam S. Zenonis uſque pertigerit, ubi tametſi portæ templi paterent, ipſeque fluvius ad feneſtras uſque templi intumuiſſet, ipſum tamen templum ingredi minime præſumpſit. Sic quoque S. Gregorius Thaumaturgus montem quemdam qui Eccleſiæ cujuſdam, quam dictus Sanctus moliebatur erigere, fabricam impediebat, retroceſſit, ſufficientemque muris Eccleſiæ fabricandis ſpatium & ſitum indulſit. Verumtamen quod crea-

Carol. Sigon. de regn. Ital. l. 1. An 589. Item fluvius. S. Gregor. Thaumaturgus.

creaturæ irrationales ob potentiæ obedientialis, qua Deo perfecte ſubjiciuntur, reſpectum ſimiles erga loca ſacra obſequij demonſtrationes ſæpius exhibuerint, mirum non eſt, magis vero mirandum eſt, quod quovis tempore homines aliqui reperti fuerint, qui templorum fuere profanatores quantumvis alias impij & ſcelerati, imo & infideles & fidei lumine deſtituti, cultum templorum quæ vel in Deorum ſuorum, vel Dei noſtri, quem nos adoramus honorem erecta fuerant, ſummo zelo ſunt proſecuti. Sic enim Macrobius de ſacerdotibus Ægyptijs atque Cretenſibus refert, quod priuſquam ſua Dijs ſuis offerrent ſacrificia, univerſum populum quos ſecum ad Deorum ſuorum templa turmatim deducebat, verſo ad eumdem vultu interrogare conſueverint, dicentes: Noſtiſne quiſnam domum illam Fanum incolat? Populo autem reſpondente & elata voce clamante, Dijs noſtris hæc domus ſacra eſt, denuo eumdem interrogabat: Scitiſne quo fine ad hunc locum properemus? quibus populus reſpondebat: Huc venimus ut Deos noſtros adoremus, ijsque ſacrificia immolando debitas pro beneficijs nobis exhibitis gratias referamus; Hiſque proteſtationibus præmiſſis templum ingrediebantur, in eoque magna cum devotione ſacrificia ſua peragebant.

Idololatræ quanta cum reverentia Fanum ingreſſi.

5. S. Ambroſius nobis Chriſtianis ſtrepitum, quem maxime divinorum officiorum tempore in locis ſacris excitamus, per profanam quamdam hiſtoriam graviter exprobrat dicens: *An quidquam eſt indignius, quam oracula divina circumſtrepi ne audiantur, ne credantur, ne revelentur, circumſonare Sacramenta confuſis vocibus, ut impediatur oratio pro ſalute deprompta omnium, cum gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo deferant? unde illud exemplum proditur; Alexandro ſacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atque adusto corpore manifeſte immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu, nec tacito pœnam indicaſſe fletu: tanta in puero barbaro fuit diſciplina reverentiæ, ut naturam vinceret, atque ille non Deos, qui nulli erant, ſed Regem timebat. Quid enim timeret eos, qui ſi idem ignis eos contigiſſet aſſiſſent?*

Invectiva in profanatores.
*S. Ambr. l. 3. de virg.*

6. Moyſes ad rubum ardentem, è quo Deus illum alloquebatur, propius accedere ſatagens, vocem audivit dicentem ſibi: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Ubi Oleaſter ait: *Admonet locus iſte, quanta cum reverentia calcanda ſint loca ſacra*; adducit Philiſtæorum qui Dei veri inimici erant, inſigne, noſtramque irreverentiam condemnans exemplum. Ex quo enim Dagonis idolum quod adorabant, ob Arcæ in ejus templum illatæ præſentiam in pavimentum uſque templi collapſum fuerat, limen ſeu pavimentum illud ex contactu Dagonis ſacroſanctum factum deinceps ingredi non præſumpſerunt: *Si ergo Idololatræ tanti faciunt loca, quæ membra idoli tetigerant, quanti à Chriſtianis facienda ſunt ſacra?* D. Chryſoſtomus de eorumdem idololatrarum attentione & animi applicatione, qua ſacrificijs quæ falſis Deorum ſuorum numinibus offerebant, intenti erant, ita ſcribit: *In templis ſupernè ſilentium inſcriptum eſt, continebatque digito os & labia comprimebat, prætereuntes omnes ſilentij admonens. An vero illa honeſtiora quam noſtra ſunt, ut in illorum comparatione ridicula eſſe noſtra putentur?* Sic enim in loco ſacrificiorum Iſidis & Serapidis; Harpocrates, quem veteres veluti Silentij Deum venerabantur, depingi ſolebat. Seneca in quodam loco ſcribit ipſa quoque collapſorum templorum rudera, Lapides & Cæmenta à cæcis gentilibus in ſumma habita fuiſſe veneratione: *Non magis*, inquit, *contemnitur ſapiens cum jacuit, quam ſacrarum ædium ruinæ calcantur, quas religioſe æque ac ſtantes adorant.* S. Hieronymus Philoſophos Platonicos & Stoicos ut majorem in virtutibus moralibus facerent progreſſum in domibus quæ ſacris locis vicinæ erant, commorari ſolitos fuiſſe his verbis ſcribit: *Platonici & ſtoici in templorum locis & porticibus verſabantur, ut admoniti auguſtioris habitaculi ſanctitate, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent.* Concilium Epheſinum Catholicos ad exhibendam locis ſacris reverentiam inducere volens, reverentiam & cultum quo pagani loca ſacra venerari ſolebant, iisdem ob oculos ponit. En ipſiſſima ſacri hujus Concilij verba: *Etenim ſi falſa veterum Paganorum religio, quæ quidvis obvium pro Deo colebat, adeo ſuperſtitionis ſuæ ſervans fuit, ut altaria non quibuſvis, ſed ſacerdotibus dumtaxat ad hoc inſtitutis committeret, neque fana ſua rurſum ubilibet, ſed in arcibus, alijsque munitioribus locis tantum erigeret, ibique idola ſua magna cum veneratione adoraret, quanto magis par eſt, & nos religionem noſtram, omni cum obſervatione, pietate ac diligentia obſervare, tuerique nitamur, ad quos Deus ipſe cum vero religionis cultu, cælo interim non deſerto deſcendit?*

*Exod. 3. v. 5.*
Quanta cum reverentia ac ſilentio calcanda ſint loca ſacra.
*Oleaſt. ibid.*
*D. Chryſoſt. Hom. 1. in 1. ad Tim.*
*Seneca ad Alb. 31.*
*S. Hier. l. 2. cont. Jovin.*
*Conc. Oecumen Epheſ. p. 3. c. 21.*

7. Ponderatione digniſſimum eſt illud regij Prophetæ oraculum, in quo primo dicit: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*, & poſtea ſubjungit: *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum*; Quam enim hæc verba inter ſe connexionem habent, ſcilicet quod omnino deceat, ut domui Dei debita exhibeatur reverentia & ſanctitudo; eo quod veritas fidei noſtræ nimis ſit perſpicua & manifeſta? Enimvero ſi hiſtorijs fidem adhibere volumus, inveniemus 1.
utique quod ipſimet etiam infideles per Eccleſiarum noſtrarum venerationem Chriſtianæ religioni noſtræ perhibuerint teſtimonium. Etenim Novar. ſe litteram quamdam vidiſſe refert Anno 1583. ſcriptam, in qua inter cætera refertur, quod Turcæ Cœnaculum montis Syon, in quo ſanctiſſimum Altaris Sacramentum inſtitutum fuit, ingreſſuri, præ reverentia, qua locum illum venerantur, ſeſe diſcalceent, nudiſque illud pedibus ingredientes, interdictum ſibi eſſe perſuadeant, ne oris ſui ſalivam in illud expuant; habetque hæc veneratio ſuam ab antiqua quadam traditione originem, quæ inter Turcas circumfertur, quod nimirum Chriſtus eodem in loco olim ſolemnem quamdam inſtituerit Cæremoniam.

*Pſ. 92. v. 5.*
*Ibid.*
Pulchræ hiſtoriæ nos docent.
*Novarin. Agni Euchar. l. 5. Excur. 6. n. 82.*

8. De Demetrio legitur, quod licet in Deum verum, in cujus honorem templum Jeroſolymitanum erectum fuerat, minime crederet, circa idem tamen 2.
templum hunc ordinem ſanciverit: Statuit, *Ut quicumque confugerint in templum quod eſt Jeroſolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxij regis in omni negotio dimittantur.* Cyrus Rex templum Jeroſolymitanum denuo in honorem Dei fabricari & reſtaurari præcepit, eumque in finem plurima ſubſidia ſubminiſtravit: *Protulit vaſa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonoſor de Jeruſalem, & poſuerat ea in templo Dei ſui omnia vaſa aurea & argentea quinque millia quadringenta.* Darius pariter Cyri exemplum imitatus, licet & ipſe idololatra eſſet, idem Dei templum honoravit, illud ſuis ſumptibus perfici curando. S. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei c. 4. cui titulus eſt: *De Aſylo Junonis in Troja*, dicit: *quod neminem liberavit à Græcis, & Baſilicis Apoſtolorum, quæ omnes* 4.
*ad ſe confugientes à Barbaris defenderunt*; quibus verbis idem ſanctus Doctor oſtendit, quod etiam ipſimet Barbari templis noſtris omnem reſpectum detulerint, & quidem talem, qualem ne quidem Deorum ſuorum idolis exhibebant.

*1. Mach. 10. v. 43.*
*1. Eſdr. 5. v. 14.*
*S. Aug. l. 1. de Civ. Dei cap. 4.*

9. De Alarico Gothorum Rege in Annalibus Eccleſiaſticis refertur quod tametſi in cunctis alijs actionibus barbarus eſſet, attamen poſtquam poſt diutur- 5.
nam obſidionem urbem Romanam poteſtati ſuæ tandem ſubjeciſſet, vetuit per edictum publicum, ne ulla ijs inferretur moleſtia, qui ſecuritatis cauſa ad loca ſacra & præcipue in ſanctorum Petri & Pauli confugiſſent baſilicam. Accidit autem ut dum potens quidam Gothus per urbem oberrans in certa quadam domo virginem ſacram provectæ ætatis inveniſſet, omne aurum & argentum ab ea ſibi extradi poſtularit; Cui virgo conſtanti fide animoque magnam auri argentique ſibi quidem copiam eſſe reſpondit, eamdemque ei videndam ob oculos poſuit (erant enim vaſa ſacra penes ipſam majoris ſecuritatis cauſa in cuſtodiam depoſita, quæ haud ſine divina inſpiratione barbaris revelanda eſſe cenſuit) cumque barbarus hic Gothus ingentem hunc theſaurum ſummo cum ſtupore vidiſſet, virgo Chriſti; Eia, inquit, hæc ſunt vaſa ſacra S. Petri Apoſtoli, rape illa, ſi audes, & videbis quis inde tibi eventus ſit ſecuturus, ego interea quæ ad hunc theſaurum à raptoribus tuendum minime ſufficio, illa quoque mihi reſervare non præſumo; Barbarus autem hæc omnia ad Alaricum retulit, qui omnia prædicta vaſa ſacra ad Baſilicam Principis Apoſtolorum ſine mora deportari, præfatam quoque virginem & omnes Chriſtianos, qui prædicta vaſa ſacra ad Baſilicam uſque S. Petri comitarentur, cum omni ſecuritate ab omnibus injurijs immunem tutari mandavit. Magna igitur cum pompa omnia illa vaſa aurea & argentea à diverſis ſuper caput impoſita prolixo itinere cum domus præfata ab Eccleſia S. Petri procul poſita eſſet) deportata fuerunt, ſtipantibus utrumque portatorum latus plurimis militibus diſtrictum in manu ſua gladium tenentibus, decantatiſque publice tam à Romanis, quam à Barbaris in honorem Dei hymnis & canticis. In quo facto Cardinalis Baronius Dei obſtupeſcit ſapientiam & providentiam, aſſerens Deum non ob aliam cauſam permiſiſſe ut Alaricus Romæ compos factus eamdem intraret, quam, ut in Idololatrarum perpetuam ignominiam nobilem quemdam adverſus paganiſmum ſimul unitum Religionis Chriſtianæ appararet triumphum; Et porro ſicut quando Dominus primogenita percuſſit Ægyptiorum, per univerſum Regnum lamenta audiebantur paganorum, cum è converſo fideles in terra Geſſen læti morarentur atque ſecuri, audiebaturque inter illos, ſecundum illud ſcripturæ pronuntiatum: *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum*, id eſt, in ſacris templis: ita quoque Roma numquam nobiliorem vidit triumphum, quam in hac occaſione, quando in unico momento tot Romæ aperiebantur Chriſtianis Aſyla & loca refugij quot erant Eccleſiæ & oratoria in urbe Romana.

*Baron. An. 410. n. 23.*
*Pſ. 117. v. 15.*



10. Supereſt ad idem propoſitum noſtrum alia quædam conſideratio, nimirum quod tametſi Judæi ingenti erga Chriſtum rabie & furia perciti fuerint, cumque ſæpius in templo pro libitu ſuo capere potuerint, ut iniquitatem illam omnium, quæ ab humano genere commiſſæ fuerunt, aut in finem uſque ſæculorum committi poterunt, peſſimam, Crucifixionem videlicet filij Dei exequi poſſent, ab eo tamen abſtinuerunt, ne contra templi reverentiam peccarent, Unde & Chriſtus armatis militibus qui in hortum ad eum capiendum confluxerant dixit: *Quotidie apud vos eram docens in templo, & non me tenuiſtis.* Cujus Simon de Caſſia hanc reddit rationem dicens: *Altiori myſterio factum eſt, ne Chriſtus docens caperetur in templo, in quo nec potuit lapidari, libertas doctrinæ atque verborum Dei præfigitur, quod Chriſtus in templo docens non capitur*; Quamvis etiam dicere poſſimus, ideo illos in templo Chriſto non intuliſſe manus violentas, quia locum ſacrum profanare non fuere auſi; quin ut diximus Reges etiam Idololatræ licet Dei inimici eſſent, templo omnem exhibuerant reverentiam & reſpectum; ac proinde ſanguineis lachrymis deplorandum eſt, quod hodie multi degeneres & peſſimi Chriſtiani, per peccata graviſſima quæ in templis committere non dubitant *rurſum crucifigentes* ut Apoſtolus ait, *ſibimetipſis Filium Dei.*

Chriſtus ob templi reverentiam in eodem captus non fuit à Judæis.
*Matth. 26. v. 25.*
*Sim. de Caſſ. l. 13.*
*Hebr. 6. v. 6.*

## DISCURSUS II.

## ARGUMENTUM.

Sanctitas Eccleſiæ reverentialem à nobis timorem expoſcit, id quod exemplis Jacob, Moyſis & aliorum fuſius comprobatur; exterior namque ejus ſanctificatio de interiori animæ ſanctitate procuranda nos jugiter admonet.

### THEMA.

*Domum tuam decet ſanctitudo.* Pſalm. 92. ℣. 5.

1. IN Antiphona quadam, quam in officio Divino *de dedicatione Eccleſiæ* canere conſuevimus, ratio ſpecialis exprimitur, cur Eccleſia & domus Dei ſancta eſſe cenſeatur; In ea namque dicimus: *Templum Dei ſanctum eſt*, & immediate ſequitur: *Dei ſtructura eſt, Dei ædificatio eſt*; eſt enim in Dei honorem dedicata & conſecrata, atque ideo ſancta eſt & ab Epiſcopo per ritus & Cæremonias ſacras ſanctificata, non ſolum quia Deo in habitationem & Domum ſervire debet, ſed etiam quia in ea gratia & animarum fidelium ſanitas confertur. S. Bonaventura ſuper illum textum 3. libri Regum cap. 9. in quo Salomon de templo à ſe erecto loquens dicit: *Sanctificavi domum hanc*, ita ſcribit: *Dicitur Eccleſia ſanctificari, quia ſanctis operibus mancipatur, ſcilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis dedicationi, & veri ſacrificij oblationi.* Idem quoque Seraphicus Doctor paulo poſt ſermonem quemdam citat S. Bernardi, qui eſt quartus in ordine, de eadem ſolemnitate, in quo dicitur: *Quis Eccleſiæ parietes ſanctos dicere vereatur, quos manus ſacratæ Pontificum tantis ſanctificavere myſterijs? Ex tunc quoque & deinceps inibi lectionum reſultare frequentia, ſanctarum orationum devota murmurare ſuſurria ſanctarum reliquiarum honorari beata præſentia, ſanctorum ſpirituum indefeſſa noſcitur cuſtodia vigilare.*

Eccleſia Deo dicatur & conſecratur.
*3. Reg. 9. 3.*
*S. Bon. ſer. 1. de Dedic. Eccl.*
*S. Bern. à S. Bonav. cit. ſer. 4. de dedicat. Eccle.*

2. In primis Veſperis Feſti ejuſdem dedicationis, in *Antiphona ad Magnificat*, canimus: *Sanctificavit Dominus tabernaculum ſuum*, & tamen id quod ſub illo tabernaculo pretioſius conſervabatur, Arca erat, quæ licet extrinſecus pretioſis eſſet metallis veſtita, in ſubſtantia tamen ſua præter lignum nihil erat; ſimiliter in altaribus, quæ ſub illis tabernaculis in veneratione erant, non niſi animalium carnes, vel incenſum & aromata offerebantur, ac proinde tabernacula illa nullam cum ſacris Chriſtianiſſimi locis proportionem habere poterant, utpote in quibus certo ac veraciter *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Nihil quoque certius, quam quod Cœlum Empyreum ſanctum ſit, utpote in quo omnes Hierarchiæ cæleſtes certatim & perpetuo acclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; Verumtamen non minus ſanctum eſt templum vel Eccleſia, ſiquidem Iſaias pariter in ea Seraphinos audivit certatim proclamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; Et ne forte quiſpiam ſibi perſuadeat hanc viſionem ei in Paradiſo cæleſti obtigiſſe, ideo paulo poſt manifeſtius hanc viſionem declarat dicens: *Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Sanctus Auguſtinus in quadam Epiſtola ſua acute obſervat, Salvatorem noſtrum, dum orare nos docuit, non voluiſſe ut diceremus: *Pater noſter, qui es ubique, cum & hoc verum ſit*, ſed potius, *Qui es in Cœlis, ut templum ejus potius in oratione commemoremus*, adeoque juxta magni hujus Doctoris opinionem per Cœlum Eccleſia intelligitur, quia idemmet Deus, qui in tantæ Majeſtatis throno honoratur ab Angelis, idem quodque à nobis in ſacris templis honoratur; ac proinde Propheta regius dicit: *In templo ejus omnes dicent gloriam*; Unde cum ſanctitas domus correſpondere debeat cum ſanctitate illius qui domum inhabitat, merito Archipræſul Valentinus Villa nova dicit: *De Chriſtianis maxime dicitur per Prophetam: Sancti eritis, quia ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter, ac ſi diceret: Sanctus eſt Deus, ſanctum quoque ſit templum ejus, ſanctum cor, ſanctum corpus, ſancta lingua, ſancta vita, ſancta converſatio, omnia ſancta, nulla invida cogitatio, nullum deſiderium ſæculare, nullum verbum ſcurrile, nullus motus lubricus, nullus viſus impudicus, nullus actus inordinatus.*

Ibi adoratur ut in cœlo ab Angelis.
*Col. 2. v. 9.*
*Iſa. 6. v. 1.*
*S. Auguſt. Ep. 57.*
*Pſ. 28. v. 9.*
*S. Thom. de Villa nova ſerm. de Dedicat. Eccle.*
Qualis eſſe debeat Chriſtianus.

3. Porro inter alia motiva quæ S. Bernardinus ad inculcandam nobis Eccleſiarum venerationem adducit, illud valde eſt conſiderabile, ſcilicet quod illæ venerandæ ſint *propter præſentiam Dominici Sacramenti, quod quidem in hoc ſæculo eſt ſuper omnia Venerandum*; Nam ut S. Bonaventura ſuper illa Salomonis verba: *Dominus dixit, ut habitaret in nebula*, inquit: *Quid eſt enim gloriam Domini apparere vel habitare in nebula, niſi Domini corpus, Chriſti corpus latere ſub ſacramento.* Et ideo Eccleſia per locum gloriæ, vel cœlum Empyreum intelligitur, juxta illud regij Prophetæ oraculum: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*; Qui idem Propheta in alio quodam loco dicit, quod in templum haud ſecus ingreſſus fuerit, quam ſi æternam ingrederetur beatitudinem: *Sic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam*, quaſi nobis fidelibus ſanctiſſimum Chriſti corpus in Eccleſia adorantibus inſtructionis loco dicere vellet: In Eccleſijs vobis cum eadem prorſus devotione & obſequio, modeſtiâ ac reverentia ſtandum eſt, ac ſi degeretis in Paradiſo. Unde D. Chryſoſtomus ait: *Quid eſt ſic? Cum hoc inquit deſiderio, cum hac dilectione ut videam tuam gloriam.*

Templa veneranda ob Dominicum Sacramentũ.
*3 Reg. 8. 12.*
*S. Bern. T. 1. ſer. 20. A. 1. c. 2.*
*S. Bonav. ibid.*
*Pſ. 25. v. 8.*
*Pſ. 62. v. 2.*
*D. Chryſ. in Pſalm. 140.*

4. Nota utique vobis eſt illa in Geneſi cap. 28. Jacobo Patriarchæ exhibita viſio, quæ ad præſens propoſitum noſtrum ſeriam meretur ponderationem. Dicit igitur S. Patriarcha: *Vere Dominus eſt in loco iſto,... non eſt hic aliud, niſi Domus Dei & porta cœli.* Quam veraciter autem hæc propoſitio à Jacob prolata fuerit Rupertus Abbas, illius quoque rationem reddens his verbis declarat: *In omni loco in quo invocatur nomen Domini veraciter hoc proteſtatur Eccleſia; ubi enim ſanctum celebratur baptiſterium, ubi ſacroſanctum Corporis & Sanguinis Chriſti conficitur ſacramentum, ubi fideles animæ renaſcuntur, & Angelorum aſcendentium & deſcendentium manibus orationes feruntur in cælum, quid niſi porta cæli & infernalibus portis terribilis locus eſt?* Enimvero videbatur potius ex hac cœli aperti & Dei ſcalæ illi myſticæ per quam Angeli aſcendebant & deſcendebant, viſione, cor ſancti Patriarchæ exultatione & jubilo quodam inenarrabili replendum fuiſſe, & tamen ſacer Chroniſta illum exterritum & paveſactum fuiſſe dicit: *Pavenſque &c.* at vero S. Thomas inquit: *Hoc dicitur: tum quia Deus ita magnifice in illo loco ſe exhibuerat, eo quod ex hoc tempore locus, quaſi à Dei præſentia conſecratus*

In templis nõ dormiendũ, ubi Deus verus præſens.
*Geneſ. 28. v. 16.*
*Rup. Abb. ibid.*
*S. Th. ibid.*

*cratus ſibi occurrebat*, *tum quia in ſpiritu ſenſit locum illum ad cultum Dei in poſterum ordinari*; ea namque viſione locum illum divino cultui deinceps dedicandum eſſe didicerat; Unde dicebat: *Vere non eſt hic aliud, niſi domus Dei*, quaſi clarius diceret: Ideo contremiſco & in memetipſo confundor, quia nimirum in eo loco dormivi, qui vere domus eſt Dei, in Dei enim domo non eſt nobis dormiendum, ſed in oratione alijsque ſanctis exercitijs ſemper vigilandum. Unde S.Vincentius Ferrerius ait: *Jacob excitatus à ſomno timuit ac tremuit de illa viſione, quia divinitus fuit ei revelatum quod Chriſtus Salvator mundi ibi jejunaret & dormiret*; Quia igitur locum illum ex Chriſti corporali præſentia, ſomno, & jejunio ſanctificandum eſſe cognoverat (ut præfatus ſanctus opinatur) ideo ob non delatam huic loco debitam reverentiam affligebatur & contremiſcebat; & tamen hunc reverentiæ defectum non ex malitia, ſed ex ignorantia commiſerat, quia dicit: *Et ego neſciebam*; quanto igitur culpabilior illa irreverentia quæ Eccleſiæ à tot improbis hominibus irrogatur, quia licitum ſibi eſſe perſuadent Eccleſia haud ſecus abuti ac ſi profana & vulgaris domus quædam eſſet.

S. Vincent. Ferr. ſerm. 1. in Dom. 1. Quadr.

S. Martinus in templo numquam ſedit. Vit. S. Mart.

S.Martinus, ut in ejus vita legitur, numquam in Eccleſia ſedere viſus eſt, ſed ſemper in ea vel genuflexus, vel in pedes erectus degebat, cumque hac de re interrogaretur, reſpondit: *Non pavebo, non tremam, ſciens me hic ſtare coram Deo.* Profecto hodie dicere non valeamus, inquit S.Bernardus quod Jacob ajebat: *Et ego neſciebam*, neque enim ignorantiam prætexere poſſumus, qui tot quotidie prædicatores habemus, qui irreverentiam locis ſacris irrogatam continuo acriter in nobis reprehendunt, & improperant, quique ad eorum venerationem tot quotidie ſtimulos ſentimus. *Nemo jam neſciat*, inquit Sanctus Bernardus, *nemo veſtrum ignoret, ſiquidem non accipimus ſpiritum mundi hujus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo data ſunt nobis. Terribilis plane locus, & dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli ſancti frequentant, quem ſua quoque præſentia Dominus ipſe dignatur; quomodo enim tantus Patriarcha neſcire potuerat, quod non eſſet Deus? ſed forte aliud eſſe miratus eſt, ubi ait: Dominus eſt in loco iſto. Ibi vere Dominus eſt, ubi in ejus nomine Angeli ſimul & homines congregantur.* Paulo poſt vero idem mellifluus Doctor modum exponit, quo nobis Dei in Eccleſia præſentiam & aſſiſtentiam promittere valeamus; Dicit enim: *In hoc loco iſto, vere Dominus eſt ſi tamen ſerviamus ei in ſpiritu & veritate; non enim vere Dominus erat apud eos, quibus dicebat: Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico.*

Gen. 28. 16.

S. Bern ſer. 6. de Dedic. Eccle.

Luc. 6. v. 46.

5. Completa hac viſione Jacob Patriarcha lapidem, quo loco cervicalis uſus fuerat oleo conſperſit: *Erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper*; Ubi S.Eucherius ait: *Lapis hic Chriſtum ſignificat, caput enim viri Chriſtus eſt; quis enim neſciat Chriſtum ab unctione appellari? Domus autem Dei, quia ibi natus eſt Chriſtus in Bethlehem; porta vero cæli, quia ibi in terram deſcendit, inde iterum ad cælos aſcendit. Quod vero ait: Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam, & dixit: Quam terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi Domus Dei & porta cæli; hæc verba ad Prophetiam pertinent, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod conſtituit Deus in hominibus, in primo populo ſuo.* Concilium Aquiſgranenſe ſub Paſchali I. celebratum ad illa Jacobi verba; *Quam terribilis eſt locus iſte &c.* alludens ait: *Baſilicæ Deo dicatæ & conſecratæ, loca ſunt divina, ſunt etiam Dei habitacula, & omnibus in Religione Chriſtiana conſiſtentibus pavenda & veneranda.* In alio Concilio Epheſino Oecumenico pariter hæc verba leguntur: *Hinc & illud quoque accidet, ut omnium pene mentibus inſitum ſit, naturaliterque perſuaſum, quæ Deo ſemel dedicata ſunt, ea neque profanari, neque ulla hominum inſolentia divina vi obnitente poſſe attingi. Quo enim pacto fieri queat ut ea polluantur, quæ ſuapte natura ſemper ſunt munda, cæteraque emundant omnia?* Magnum profecto ſanctitatis Eccleſiæ debitæ argumentum eſt illud, quod ex verbis Chriſti ementes & vendentes è templo ejicientis deducitur, quibus idem Chriſtus mortem & reſurrectionem ſuam Hebræis prædicere volens, templum & humanitatem ſive ſacratiſſimum corpus pari loco & in eadem linea ſimul conjungit; *Solvite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud*; *Ille autem*, ait Evangeliſta, *loquebatur de templo corporis ſui*, ubi corpus ſuum templo aſſimilat, in *quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, quaſi dicere vellet, eadem veneratione qua corpus meum veneramini, veneranda etiam eſt Domus Dei, vel Eccleſia, in qua commoratur.

Gen. 28. 18.

S. Eucher. l. 3. in Gen.

Templa Dei eâdem veneratione digna quâ Chriſti corpus.

Conc. Aquiſg. c. 30.

Conc. Eph. l. 5. c. 21.

Joa. 2. v. 19. & 20.

Col. 2. v. 9.

Quanta cum reverentia Moyſes rubū ac montem acceſſerit.

6. In Exodo de Moyſe legitur, quod tametſi arcta cum Deo familiaritate conjunctus eſſet adeo ut cum illo facie ad faciem loqueretur, ſicut loqui ſolet amicus cum amico, attamen appropinquare volens ad rubum, in quo incertum eſt, an Deus, an vero Angelus loco Dei locutus fuerit, vocem audivit dicentem ſibi: *Ne appropies huc; ſolve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*, Ubi Lyranus ait: *Quia modus erat antiquorum, & ſpecialiter Hebræorum, non ingredi ſancta loca pedibus calceatis, & inde eſt, quod Saraceni non audent intrare locum orationis niſi diſcalceati.* Origenes ſuper hunc textum in quadam Homilia ſua dicit: *Moyſes cum veniſſet ad locum, quem oſtendit ei Deus, non permittitur aſcendere, ſed ante ei dicitur: Solve corrigiam calceamenti de pedibus tuis, in quo illa fortaſſis eſt ratio; quod Moyſes, quamvis eſſet magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus ejus annexa.* At vero inquies, numquid Moyſes idem ille erat, de quo S.Paulus ait: *Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem?* Reſpondet Origenes, id quidem verum eſſe, verumtamen difficulter fieri poterat, ut calceamenta ejus aliquem quantumvis exiguum Ægypti pulverem non contraxiſſent; Ex quo clare ſatis apparet, quod quando de loco aliquo ſacro etiam in figura valde remota ſermo eſt: *Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*, munditia ſemper opus ſit ſuperhumana: In cujus probationem ſervit, quod in Exodo paulo ſuperius legimus, videlicet quod quando Moyſes in montem Sinai aſcenſurus erat, ut Deum ſibi in eodem loco per Angelum alloquentem audiret, Deus ob ejuſdem loci reverentiam, juſſit, ne ulius dicto monti propinquius accederet aut prope illum greges paſcendos perduceret: *Nullus aſcendat tecum, nec videatur quiſpiam per totum montem, boves quoque & oves non paſcantur econtra*; Quæ verba ponderans Abulenſis hanc inde deducit conſequentiam: *Maxima reverentia exhiberi debebat in loco, ubi talis manifeſtatio Dei in ſigno fiebat, & ſic nos cum in omnibus locis deputatis ad cultum Dei, eum colamus, nullus tamen eſt locus in quo magis eum in reverentia magna habere debeamus, quam ſacratiſſimum corpus Redemptoris, cum nihil ſit, in quo manifeſtior Dei præſentia appareat.*

Exod. 3. v. 5.

Lyran. ibid.

Orig. H. 16. in Gen.

Hebr. 11. v. 24.

Exod. 34. v. 3.

Abul. ibid.

7. S. Bernardus ad Moyſis calceos ſeſe reflectit, quos ad rubum vicinius appropinquans exuere debebat, perque illos cogitationes carnales intelligendas eſſe dicit, quia calcei nihil ſunt aliud, quam animalium pelles, & ideo ſignificant *involucra carnalium cogitationum*; Sed eheu quot ſunt, qui ad Eccleſiam accedentes, cogitationes carnales non ſolum non deponunt, ſed potius ideo data opera Eccleſias frequentant, ut ejuſmodi turpes cogitationes copioſo mulierum aſpectu ſibi accerſere & fovere in ſeipſis poſſint? quot ſunt qui ad Eccleſiam vadunt potius ut ſe calceant, quam ut calceos exuant. Diſcant porro Chriſtiani exemplo Simeonis, quo modo Eccleſiam frequentare debeant; de hoc enim Sene S. Lucas dicit: *Venit in ſpiritu in templum*; ſed quo modo in ſpiritu in templum veniſſe dicitur? num forte verborum illorum ſenſus hic eſt, quod mentaliter & in ſpiritu, non vero corporaliter ad templum acceſſerit? Nequaquam, quia Evangeliſta ulterius dicit: *Accepit eum in ulnas ſuas*; Senſus igitur à Spiritu Sancto intentus potius hic eſt, in ſacroſanctum illum locum haud ſecus ingreſſus eſt, quam ſi relicto foris corpore, ſolo Spiritu Sancto comite ad illum acceſſiſſet; *involucra poſuit carnis*, utrumque pedem diſcalceavit. *Spiritus Sanctus eum duxit in templum* (verba ſunt Origenis) *Tu quoque ſi vis tenere Jeſum, & amplexari manibus, nitere ut ducem habeas ſpiritum, veniaſque ad templum Dei.*

S. Bern. ſer. 15. in Apoc.

Calcei carnalium cogitationum deponi debent ante ingreſſum templi.

Luc. 2. v. 27.

Ibid. v. 28.

Orig. H. 15. in Luc.

8. Eadem quoque die Anna Prophetiſſa Chriſto in templo offerendo feliciſſime occurrere meruit, idque quia, ut Evangeliſta dicit: *Non diſcedebat de templo obſecrationibus ſerviens die ac nocte. Ob hoc*, inquit Euthymius, *Prophetica etiam gratia dotata fuit.* Hæc quoque ſancta mulier in hoc ſacro loco pedes ſuos diſcalceavit, ſiquidem *vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua*; Circa quæ verba S. Bonav. ait: *Habuit continentiam virginalem, vidualem, & conjugalem pro loco & tempore.* Ecce tibi igitur quo charactere inſignitos Chriſtus deſideret illos, qui in Eccleſiam, vel domum Dei digne ingredi deſiderant. Gloſſa modum tradit, quo à nobis frequentanda & ſanctificanda eſt Eccleſia: *Anima*, inquit, *à templo*

Luc. 2. v. 37.

Euth. ibid.

S. Bon. ibid.

Quā mundi eſſe debeant qui Dei domum ingredi volunt.

Gloſſ. ibid.



*templo non recedit, cum ſemper ſtudet & caſtum immaculatum cuſtodire templum corporis ſui.* S.Bernardus quærit cauſam cur in dedicatione templi muri Eccleſiarum conſecrentur: *Quid lapides iſti potuerunt ſanctitatis habere, ut eorum ſolemnia celebremus? Habent utique ſanctitatem, ſed propter corpora veſtra. An vero corpora veſtra ſancta eſſe quis dubitet, quæ templum ſancti Spiritus ſunt, ut ſciat unuſquiſque poſſidere vas ſuum in ſanctificatione?* Idem quoque mellifluus Doctor ulterius docet, qua ratione in nobis adimplenda ſint omnia myſteria, ritus, & ceremoniæ quibuſcum conſecrantur Eccleſiæ: *In nobis ſpiritualiter impleri neceſſe eſt, quæ in parietibus viſibiliter præceſſerant: Aſperſio, inſcriptio, inunctio, illuminatio, benedictio.* Omneſque has ceremonias in ſenſu morali ad longum exponit, adaptando illas nobis, ut ſanctificati Eccleſiam honoremus. Hugo Card. ſimiliter notat, quod licet in templi dedicatione parietibus, per illas unctiones, Cruces, aliaſque benedictiones ſanctitas quædam imprimatur exterior, attamen vel maxime Deus à fidelibus Eccleſiam ingreſſuris interiorem quamdam animarū noſtrarum ſanctificationem requirit: *In materiali templo*, inquit, *eſt quædam materialis ſanctitas, prout templum divino cultui dedicatur, ſed in fidelibus Chriſti eſt ſanctitas gratiæ, quam conſecuti ſunt per baptiſmum, ſecundùm illud: Abluti eſtis, ſanctificati eſtis.* Et hanc Deus à nobis primo loco requirit. Unde S. Paulus monet dicens: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem cum timore Dei.* Hic autem timor devotionem & reverentiam ſpecialem ſecum affert S. Auguſtin. in quadam Epiſtola ait: *Deus qui ubique præſens eſt, & ubique totus, non in omnibus habitat, ſed in eis tantum, quos efficit beatiſſimum templum ſuum.* Tametſi David, qui *vir ſecundùm cor Dei* erat, optime ſciret, quod arca quæ in tabernaculo ſeu in templo aſſervabatur, nō niſi lignum quoddam eſſet, quodq; Deus in tabernaculo non corporaliter reſideret, ſicut in templis noſtris reſidet, attamen ingenti cum timore & reverentia eo ſemper ingrediebatur: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* In Levitico Deus quoque populo ſuo præcepit dicens: *Sanctuarium meum metuite, ego Dominus*; Et in cap. 26. pariter inquit: *Pavete ad ſanctuarium meum.* Et ideo S.Hieron. de ſe proteſtatur dicens: *Quando iratus fuero, & aliquid mali meo animo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit, Baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo contremiſco.*

S. Bern. ſer. 1. de Ded. Eccle.

Hug. Card.

2. Cor. 7. v. 1.

S. Aug Ep. 57.

Pſalm. 5. v. 8.

Levit. 19. v. 30. cap. 26. v. 2.

S. Hieron. cont. Vigilant. l. 3. c. 4.

## DISCURSUS III.

## ARGUMENTUM.

De ſpirituum Angelicorum in Eccleſijs præſentia & reverentia, utpote qui ad debitum Dei præſtandum obſequium, & ad benefaciendum nobis, domui Dei continuo aſſiſtunt.

### THEMA.

*In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum.* Pſal. 137. ℣. 1.

In Eccleſijs adſunt Angeli.

1. QUod ſi Propheta oculum habuit adeo perſpicacem, ut in templo à ſe in Dei honorem erigendo, laudes ſuas in conſpectu Angelorum ibidem futurorum præſentium Deo perſolvendas eſſe prævidere potuerit, dicens: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum*, quanto magis & firmius nobis Chriſtianis credere licebit beatos illos Angelos in Eccleſijs noſtris, in quibus Creator ipſorum & noſter in throno Euchariſtico realiter & vere reſidet, veriſſime adfuturos eſſe præſentes. Doctor Seraphicus in ſermone quodam de SS. Angelis ad verba illa Apocal. 7. *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum*, ſeſe reflectens dicit: *Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; Et ideo introducitur humilitas Angelorum, qui inſignant obſequio devotionis, ut pudeat præſumptio fragilitatis humanæ, ubi ſic ſe humiliat altitudo nobilitatis Angelicæ.*

Ap. 7. v. 11.

S. Bonav. de Angelis.

2. Deus apud Zachariam Prophetam ſe domum ſuam, id eſt, Eccleſiam circumquaque ingenti Angelorum multitudine circumdaturum fore promittit, dum ait: *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi*: id quod in prima omnium Eccleſiarum, quæ in terris per corporalem filij Dei præſentiam conſecrata fuit, ſcilicet in præſepio Bethlehemitico perſpicue videre licet: Apertis namque cœlis omnis Angelicæ

Zach. 9. v. 8.

Nato Chriſto deſcenderunt Angeli ad præſepe.



Hierarchiæ inſtar militum turmatim ſuper illud viſi ſunt deſcendere: *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum.*

In templis Angelos morari probatur.

3. S.Bonav. inter alias rationes ob quas devotio & reverentia exhibenda eſt locis ſacris, hanc quoque adducit, quia ſcilicet illis immortales Angelorum ſpiritus continuo aſſiſtunt: *Ratio*, inquit, *quare domus dicitur ſanctificari in dedicatione eſt, quia tunc ſanctorum cuſtodiæ deputatur*, ad quod probandum illum Zachariæ textum adducit, in quo dicitur: *Unde circumdabo domum meam ab his qui militant mihi, id eſt, ſanctis Angelis, qui ſunt milites mei; Iſti domum iſtam cuſtodiunt, quia adſtant orantibus*; Et quidem tametſi id quovis tempore faciant, ſpecialius tamen id præſtant, quando in templis incruentum offertur ſacrificium, tunc enim devotæ illæ cœleſtes legiones ſumma cum reverentia aſſiſtunt; nam ſi Angeli erga Chriſti ſepulchrum pro eo tempore ſeſe obſequioſiſſimos exhibuerunt, quando ſacratiſſimum Chriſti corpus mortuum & ab anima ſeparatum pro modico temporis ſpatio in eodem recludebatur, qualis erit Veneratio qua thronum illum inceſſanter circumdant, in quo idem corpus in Euchariſtia glorioſum, impaſſibile, & immortale reſidere conſpiciunt. Unde S.Chryſoſtomus ait: *Qui naturam noſtram excellentia ſua longe ſuperant, tanta reverentia & obſervantia ſepulchro aſſiſtunt, nos non ad ſepulchrum inane, ſed ad ipſam menſam, in qua agnus poſitus eſt, adituri, cum tumultu ac turbatione accedimus? & quæ nobis de reliquo venia ſperanda erit?* S. Nilus in Epiſtola quadam ad Anaſtaſ. de D. Chryſ. Miſſam celebrante ita ſcribit: *Cum cœpiſſet ſacrificium, plurimæ ſtatim ex illis virtutibus, è cœlo deſcendentes, ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum ſilentio & reverentia, quoad venerandum illud myſterium expletum fuerit, circumſteterunt.* Amphil. de S.Baſilio M. refert, quod vix umquam celebraverit, quin ſemper cœleſti aliqua viſione frueretur; ſemel tantum culpa Diaconi cujuſdam qui ei aſſiſtebat, illa privatus remanſit, eo quod Diaconus ille laſcivum in mulierem oculum defixiſſet, tunc enim ſubito Angelici ſpiritus diſparuerunt, quem tamen mox ut à ſe removit, priſtinos viciſſim favores experiri cœpit. De Abulenſi Leontio in Prato ſpirituali refertur, quod Angelum dextero altaris cornu aſſiſtentem conſpexerit, ſibi dicentem: *Ex quo ſanctificatum eſt altare iſtud, ego jugiter illi adſtare juſſus ſum.*

S. Bon. ſer. 1. de Dedicat. Eccle.

Zach. 9. v. 8.

D Chryſoſt. Hom. in Paraſc.

S. Nil. Epiſt. ad Anaſt.

Amphilochius in vit. S. Baſilij.

Prat. ſpirit.

Quanta cum reverentia adſtent Dei Throno.

4. In Iſaia, qui quod legis Evangelicæ eventus diſtincte prædixerit vulgari nomine *Propheta Evangelicus* appellari ſolet, aliqui viſi fuiſſe leguntur, thronum Dei circumſtantes Seraphini, quam quidem viſionem in cœlis ei obtigiſſe, dici nequaquam poteſt, quia Propheta expreſſe dicit: *Domus repleta eſt fumo, Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Hos autem Seraphinos ſe in pedes erecto corpore ſtantes vidiſſe teſtatur: *Seraphim ſtabant*; Erecto vero corpore ſtare actus eſt maxime reverentis & venerabundi obſequij. Ecce igitur, qualiter etiam ipſimet ſupremo Choro inſerti Angeli ſeſe erga Dei domum reverentes & obſequioſos exhibeant. Qua de re S.Bernardus ita ſcribit: *Seraphim nomen eſt ordinis Angelorum ſummi atque ſupremi, ut merito ſtare ſuper cæteros deſcribantur ab Iſaia dum ait: Seraphim ſtabant ſuper illud, & ipſi tamen quamlibet cæteris præſtent, adſtant nihilominus Domino præſidenti, devotum utique miniſterium, & plenum reverentia obſequium exhibentes.*

Iſa. 6. v. 4.

Ibid. v. 1.

S. Bern. ſer. 5. de verb. Iſa.

Eamdem nos docent reverentiam.

5. Verbum quoque, *ſtare*, devotum quemdam denotat actum orandi. Unde de Phariſæo in templo orante dicitur: *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat . . . Publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Seraphim igitur in devoto quodam orandi exercitio viſi dicuntur, non quod cœleſtem gratiæ ſignaturam aliquas dirigere ſupplicationes opus habeant, ſed ut nos reverentiam & devotionem edoceant, quacum nos in Eccleſia, quæ orationis propria eſt, ſtare conveniat. Imo ſi quis Seraphinos majorem erga Deum reverentiam & devotionem in templo, quam in cœlo empyreo exhibere audacter affirmaret, quidnam obſecro diceres? *Sex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant, Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus.*

Luc. 18. 11.

Iſa. 6. v. 2.

Ibid. v. 3.

Apocal. 6.

Seraphim in templis majori cum reverentia Deo aſſiſtunt quā in cœlo.

6. In Apocalypſi aliam quamdam viſionem S. Joanni exhibitam invenio, priori admodum conformem: *Quattuor animalia*, inquit ſacer Evangeliſta, *ſingula eorum habebant alas ſenas, & requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus*; ſub hoc autem animalium nomine, Seraphini ni fallor, ſubindicantur,

*Ap.4.v.9.*

cantur,ſiquidem de animalibus illis dicit : *Cum darent gloriam & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum* , quod proprium eſt creaturarum intellectualium munus : At vero dicite ſodes, ſi poteſtis quonam ſpectat hæc Seraphinorum viſa differentia? Illi enim quos Iſaias vidit vultum velabant , hi vero quos Joannes vidit,id minime faciebant , & tamen utroque in loco Seraphini clamabant: *Sanctus &c.* Vultiſne ut hanc vobis diverſitatis rationem declarem ? Ratio igitur diverſitatis hujus hæc eſt , quia Iſaias illos vidit in templo , Joannes vero in cœlo empyreo illos conſpexit ; Dicit enim : *Poſt hæc vidi,& ecce oſtium apertum in cœlo* : Iſaias vero ait : *Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum* , & ideo hic magis obſequioſi & cum majori reverentia aſſiſtunt, faciem ſuam velantes. Idipſum inſinuare vult D.Chryſoſtomus , dum ait : *Audi vocaliſſimum Iſaiam , dicentem de ſupernis Angelicis virtutibus : Vidi Cherubim ſtantes a dextris , & Seraphim,& obtegebant facies, pedeſque ſuos alis ; quod ideo factum eſſe liquet , quia fulgur majeſtatis divinæ inde egrediens ferre nequiverunt , ſteterantque cum timore & tremore* ; Unde & Pſalmiſta ait : *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Sancta quoque mater Eccleſia hunc uſum introduxit, ut quotidie in præfatione Miſſæ hæc verba dicantur : *Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates*, ut ſcilicet nos, qui ex luto plaſmati ſumus,hortetur, ut ad imitationem Angelorum, in hujus divinæ & ſupremæ Majeſtatis præſentia, quæ in domo ſua venerationem à nobis exigit , timorem reverentialem concipiamus.

*D.Chryſoſt. H.8. in Gen.* — *Pſ.2. v.11.*

Forcipe tulit de altari carbones Seraph. *Iſai.6. v.6.*

7. Et vero, ne ab hiſce Seraphinis longius abeamus , ſcire velim,an aliquando obſervaveritis id, quod Iſaias eodem in capite dicit, nimirum : *Volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus , quem forcipe tulerat de altari* ; Circa quam viſionem merito quærendum venit , cur Seraphinus ille carbonem illum ignitum non apprehenderit directe & immediate,ſed forcipe uſus fuerit ? *quem forcipe tulerat de altari*, maxime cum ipſimet Seraphim ignem divini amoris continuo ſcintillent , igneque ardentiſſimo exæſtuent. Reſpondet Procopius : *Qui carbone de altari forcipe accepto , honorem quem altari exhibet, aperte ſignificat , cum manu tangere non audet ; Verus enim non alienus ignis ille extitit, quo Nadab & Abiu conflagraſſe legimus.*

*Procopius ibid.*

Ad docendũ nos quali cũ reverentia Templi aulam ingredi debeamus.

8. D.Chryſoſtomus irreverentiam nobis Chriſtianis improperaturus ex ſimilitudine quadam tale adverſum nos format argumentum. Quod ſi tibi ob grave quoddam arduumque negotium coram Rege expediendum in palatium regium neceſſario penetrandum eſſet,utique veſte qua poſſes elegantiori te indueres, ut tamquam vir regia audientia dignus in veſtibulo conclavis regij vel antecamera comparere poſſes , & ne à famulitio inferiori tamquam vir plebeius & vilis ab ingreſſu arcereris, utique per gravitatem greſſus,verborum majeſtatem , morumque elegantiam & honeſtatem talem te effingeres, quibus te audientia regia dignum comprobares : *In aulam quidem regiam intraturus* , inquit os aureum Chryſoſtomi, *& habitu, & oculis,& inceſſu , & in cunctis alijs componis & ornas te,huc autem ingreſſurus,ubi eſt aula Regis, & talis, qualis eſt cœleſtis. Vides? & tu quidem ſuo quod non vides audi tamen quia Angeli præſentes ſunt ubique maxime in Domo Dei adſtant Regi , & omnia plena ſunt in corporeis illis virtutibus.* S.Baſilius verba illa Pſalmiſtæ : *In templo ejus omnes dicent gloriam*, ponderans , Angelos in templo aſſiſtere dicit,ut omnia verba,affectus, geſtus, motus , imo & omnes cogitationes noſtras minutim & accurate obſervent & deſcribant : *Aſſiſtunt verba ſcribentes Angeli* ; Unde Apoſtolus Corinthios curam ſingularem habere voluit, ut mulieres ipſorum velatæ ad Eccleſiam procedant, ne forte alias Angelis in Eccleſia ſcandalum præbeant : *Debet mulier poteſtatem ſupra caput habere propter Angelos* ; Alij legunt : *Velamen.* S. Bonav. ait : *Ideo dicit Apoſtolus , quod mulier orans debet velare caput propter Angelos* , non quaſi Angeli ſcandalis accipiendis ſubjecti ſint , ſiquidem in gratia confirmati,culpæ non amplius ſubjiciuntur , ſed ut ijs hoc venerationis & reverentiæ ſignum exhibeant: *Debet enim reverentia, ipſis adſtantibus exhiberi, & glorioſi Angelici ſpiritus nobis adeſſe credendi ſunt , cum divinis mancipamur obſequijs vel officijs.* In eodem ſermone ſubjungit dicens : *Non dubitare licet quod ubi Dominici corporis & ſanguinis myſteria geruntur, ſupernorum civium adeſſe conventus, qui monumentum,in quo venerabile corpus poſitum fuerat,& jam reſurgendo abſceſſerat, tam ſedulis excubijs ſervaverunt , debet igitur eis aſſiſtentibus reverentia exhiberi.*

*D.Chryſoſt. Hom.15. ad Hebr.* — *Pſ.28. v.9.* — *S.Baſil. ibid.*

Angelis in templis reverentia exhibenda.

*1.Cor.11. v.10.* — *S.Bon.ſer.1. de Dedicat.*

9. In lib.2. Mach. celebre illud impij & ſacrilegi Heliodori facinus pluribus deſcribit ; Dum enim pupillorum & viduarum aliarumque miſerabilium perſonarum depoſita , quæ tutelæ & cuſtodiæ templi Jeroſolymitani commendata fuerant , deprædari vellet , de Onia ſacerdote dicitur , quod *oſtenderit depoſita eſſe hæc & victualia viduarum & pupillorum* ; Cumque impius Heliodorus ſe irrevocabilem omnia iſthinc auferendi commiſſionem habere jactitaret , *non modica per univerſam civitatem erat trepidatio ; Sacerdotes ante altare cum ſtolis ſacerdotalibus jactaverunt ſe & invocabant de cœlo eum , qui de depoſitis legem poſuit,alij gregatim de domibus confluebant publica ſupplicatione obſecrantes; accinctæ mulieres cilicijs pectus per plateas confluebant*; Et tamen his cilicijs, lachrymis , orationibus atque lamentis non obſtantibus, *Eliodorus, quod decreverat perficiebat eodem loco ipſo cum ſatellitibus circa ærarium præſens* ; Quapropter Angeli debitum Domini Dei honorem & reverentiam ſummo zelo proſequentes , apprehenſo flagello impium hunc ſacrilegumque prædonem caſtigarunt acerrime : *Apparuit namque quidam equus , terribilem habens ſeſſorem, id eſt, Angelum* , ut Lyranus declarat : *loci defenſorem in ſpecie hominis , iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit , alij etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori , qui circumſteterant eum, & ex utraque parte flagellabant ſine intermiſſione multis plagis verberantes.* Ecce igitur qualiter *Duo illi juvenes , id eſt , Angeli* , ut inquit Lyranus , cum de cultu & reſpectu ſacris locis debito zelando res ageretur, flagello manus ſuas armare non dubitaverint, quando & ipſemet Dei filius *fecit flagellum de funiculis* , propriaque manu profanatores percuſſit & expulit.

Heliodorus Dei templũ profanans ab Angelis caſtigatus. *2.Mach.3. v.10.* — *Lyran. ibid.* — *Lyranus.* — *Joa.2.v.15.*

10. S.Bernard. poſtquam Eccleſias Angelicis ſpiritibus undique plenas eſſe dixiſſet , ſubjungit : *Ex his manifeſte clareſcit , quod omnes Angeli in Eccleſia exiſtentes cum viderint per mulieres coram Dominico Sacramento animas in cuſtodiam ſibi datas multipliciter auferri , contra eas acriter indignantur , ſimiliter contra quoſcumque quocumque modo in Eccleſia Dominum offendentes.* Paulo ſuperius diximus Seraphinos, quos vidit S.Joannes , tametſi & ipſi ſex alis inſtructi fuiſſent, & *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, jugiter cantaverint , ſuam tamen nequaquam velaſſe faciem, ſicut fecerant ij , quos Iſaias conſpexerat: *Duabus velabant faciem ejus* ; ſimulque hanc differentiam exinde ortam fuiſſe diximus , quia videlicet S.Joannes Seraphinos illos ante thronum Dei in cœlo Empyreo circumſtantes conſpexit : Iſaias vero illos vidit in templo Jeroſolymitano ; illi autem qui in Paradiſo erant nullam habebant faciem ſuam velandi cauſam; eo quod nihil ibi videatur quod offendere poſſit: *Nihil coinquinatum intrat in regnum cœlorum.* In templo autem plurima ejuſcemodi offendicula conſpiciuntur , & ideo puriſſimi illi ſpiritus ſuam obtegebant faciem: ne populi illius in Eccleſia irreverentiam, ſcandala,diſſolutiones videre cogerentur , de quo populo idem Iſaias ait : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Ad præſens propoſitum opportune quærendum venit myſterium vel cauſa ; cur potius & ſpecialius Seraphini qui ſupremæ Hierarchiæ, & celſiſſimi Chori eminentiſſimi Angeli ſunt,tam ab Evangeliſta, quam à Propheta Evangelico viſi fuerint , & non potius alij ſpiritus inferiores , maxime quando de obſequio & reverentia Deo in throno Majeſtatis conſidenti exhibenda agitur ? Sed facilis eſt reſponſio , ſi conſideremus, quod quanto majus lumen eſt , quod habent Angeli, tanto pariter magis in ipſis proportionaliter creſcat & augeatur eorum erga Deum reverentia; Et ideo obſervandum,quod de Angelis,qui Dominationibus comparati , minorem Dei habent cognitionem , dicatur , quod laudent Deum ; *quem laudant Angeli* ; Dominationes vero,quæ minus illuminatæ ſunt , quam Poteſtates adorare Deum dicantur : *adorant Dominationes* ; at vero Poteſtates, quæ in cognitione Angelis & Dominationibus ſuperiores ſunt , tremere dicantur : *Tremunt Poteſtates* ; ac proinde Seraphini,qui cunctis ſpiritibus Angelis in lumine ſeu cognitione infinitæ illius Majeſtatis præcellunt, merito Iſaiæ adeo venerabundi & obſequioſi ante thronum Dei in templo reſidentis , exhiberi fuerunt,ut nimirum ab ipſorum Angelico exemplo diſcamus , quam ſit immenſa & inexcuſabilis irreverentiæ noſtræ enormitas & gravitas,qui non ſolum Angelis , quibus loca divino cultui conſecrata plena ſunt,nullum reſpectum deferimus, verum etiam ne ipſum quidem Deum *quem adorant Dominationes, tremunt Poteſtates*,prout par eſt reveremur & coli-

*S.Bernardinus T.1. ſer. 20.A.1.c.3.* — Angeli velant facies propter inexcuſabiles irreverentias noſtras. — *Iſai.1. v.4.*



colimus ; & tamen Chriſtiani ſumus,magnoque fidei lumine illuminamur,ac proinde mirum non eſt,ſi ſuo quoque tempore rigidius puniamur ; Unde cuilibet illorum Chriſtianorum dici poterit *ſicut tenebræ ejus ita, & lumen ejus.*

*Pſalm.138. v.12.*

Preces noſtras Deo offerunt Angeli.

11. Deus olim populum ſuum pretioſo & inæſtimabili arcæ & tabernaculi ( quod veluti templum quoddam portatile erat ) theſauro locupletare volens , pro ijs debito cum honore & reverentia collocandis & cuſtodiendis locum quemdam ſumme conſpicuum à Moyſe præparari ſtatuit : *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi, Cherub unus ſit in latere uno , & alter in altero, Utrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas , & operientes oraculum,reſpiciantque ſe mutuo. Quæ omnia utique in figura contingebant illis* ; Per hoc namque præceptum Deus nobis indicare voluit , quod Angeli in Domo ſua primum & excellentiſſimum locum obtineant,funganturque officio & munere Deum in preces ſupplicationeſque noſtras inclinandi & propitiandi ; noſque ante tribunal altiſſimi protegendi & defendendi ; Unde David ait : *In conſpectu Angelorum pſallam tibi* , ut videlicet ab his ſupplicationes noſtræ Divinæ tuæ repræſententur Majeſtati.

*Exod.25.18.* — *Ibid. v.19.* — *Ibid. v.20.* — *1.Cor.10.11.* — *Pſ.137.v.1.*

12. In pervetuſto quodam Concilio hæc verba ſcripta reperio : *Quippe ſi orationis domus eſt id tibi oportet agere, quod vocatur,id eſt, orare, pſallere, peccata confiteri, amaris oculorum lachrymis , & mentis gemitibus peccata abluere & fiducialiter veniam de commiſſis culpis implorare, eſt quippe ibi ſpecialiter reſpectus divinus. Aſſiſtunt ibi Angelici ordines pro populo,deprecantes, qui preces noſtras ad aures præferunt Domini Sabaoth.* Et ideo eodem tempore quo Jacob in ſomno revelationem illam accepit , quod in progreſſu ſæculorum in eodem loco ad majorem Dei honorem templum quoddam erigendum eſſet , proindeque dixit : *Non eſt hic aliud,niſi Domus Dei* , eodem inquam momento pariter ſcalam illam vidit , in qua Angelos certatim aſcendentes & deſcendentes , ſumma cum mentis ſuæ conſolatione conſpexit: *Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam*;ut per hoc nobis inſinuaretur,quod ſpiritus Angelici in locis ſacris orationibus faciendis , porrigendiſque Divinæ Majeſtati ſupplicationibus noſtris ſpecialiter dedicatis in noſtrum auxilium & favorem prompti ſemper & parati exiſtant : *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.*

*Tom.2. Concil. in vita S. Stephani pag. 1018.* — In templis parati ſemper. — *Gen.28.17.* — *Ibid. v.12.* — *Pſ.137. v.1.*

## DISCURSUS IV.

## ARGUMENTUM.

Deus in Eccleſia, quæ domus orationis eſt, ſupplicationes noſtras facilius quam in alio loco exaudit; Quod ſi vero in illa orantes interdum à Deo non exaudiamur id fit , vel quia impertinentia petimus, vel quia debitam Eccleſiæ reverentiam non exhibemus.

### THEMA.

*Domus mea domus orationis vocabitur.* Matt.21.℣.13.

1. S. Joannes Apoſtolus in Apocalypſi ſe Jeruſalem civitatem ſanctam vidiſſe teſtatur , dum ait : *Ego Joannes vidi Civitatem ſanctam Jeruſalem*,& poſtquam in progreſſu diſcurſus viſionem ſuam diſtinctius declaraturus , inæſtimabiles murorum & fundamenti , platearumque Civitatis hujus expoſuiſſet divitias & elegantiam, tandem concludit : *Et templum non vidi in ea.* Unde merito exurgit quæſtio qua ratione factum ſit,quod hæc tam ſolemnis , magnifica , & inclyta Civitas omnis templi expers remanſerit? Num forte viſionem illam pro eo tempore habuit , quando templum Jeroſolymitanum deſtructum fuit? Minime ; non enim hæc illius eſt ratio; Et ideo ſciendum , quod Apoſtolus in illa viſione de ſuperna Jeruſalem loqui intendat , quia dicit : *vidi . . . Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo*; in cœlo autem nullum videtur aut reperitur templum ; Neque id mirum videri debet , quia templa in hunc potiſſimum finem erigi aut fabricari ſolent , ut in caſu neceſſitatis alicujus urgentis preces noſtras ad Deum fuſuri ad eadem recurramus,unde Salvator noſter ait : *Domus mea domus orationis vocabitur* , in illo autem æternæ beatitudinis feliciſſimo ſtatu , nullus umquam caſus occurrere poteſt, in quo ob noſtras neceſſitates Deo ſupplicemus quia in Beatitudine cœleſti nihil nobis deerit, cum illa *ſtatus quidam ſit omnium bonorum aggregatione perfectus* ; & tamen S.Nilus nos monet dicens: *Eccleſiam ut cœlum adi , nihil in ea aut loquere , aut age quod terram ſapiat.* Pro cujus ſalutaris moniti majori dilucidatione fines conſiderandi ſunt , ob quos divina providentia nobis ſummi beneficij loco de locis ſacris, templis videlicet & Eccleſijs providit,hoc enim puncto ſemel liquidato , neceſſaria inde conſequentia deducetur , quod ſi ex ijs magnum reportare fructum velimus, in ijſdem ſumma cum modeſtia, veneratione & reverentia commorari debeamus.

*Apocal.21. v.1.* — Templa ſunt conſtructa ut preces ad Deum fundamus. — *Apoc.21.2.* — *S.Nilus de diverſis.*



2. Iſaias Propheta igitur tempus Evangelicæ legis, in quo fideles in locis Deo conſecratis divino cultui frequentes & devoti intererunt,prædicere volens ait: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium . . . & fluent ad eum omnes gentes* , ſed cur Propheta dicit,quod *fluent ad eum*? potius enim dicendum videbatur : *fluent ad eam* , id eſt , ad domum. Verumtamen Oleaſter ad propoſitum noſtrum optime notat , Prophetam ad judicandum finem quem ad Eccleſias accedentes nobis propoſitum habere debemus , aptius aut melius loqui nequaquam potuiſſe : *Fluent ad eum*,inquit , *non ut picturas aut cælaturas ibi videant,aut ornatos aulæis parietes , ſed ad Dominum colendum , unde non dicit textus : Fluent ad eam,ſed ad eum omnes gentes*; Eccleſia enim adeunda eſt ad faciendam orationem ad Deum,ad auſcultandum verbum divinum; ad aſſiſtendum divinis officijs, ad offerendum ſacroſanctum corporis Domini ſacrificium, & ob alios ejuſdem generis fines , idque adeo eſt neceſſarium, ut quiſquis præter hos alius finis intenditur is non tantum inutilis, ſed & culpabilis & peccaminoſus exiſtat , quia *Domus mea domus orationis eſt.* Et vero valde conſiderabilis eſt dictio illa, *Fluent*, quæ aquam deorſum fluentem denotat ; Et tamen cum Propheta de monte loquatur , & quidem de tali monte , qui poſitus eſt in vertice montium qui Eccleſiam ſignificat,mirum eſt, quod hac voce utatur , potius enim verbo aliquo utendum videbatur, quo ſignificaretur aſcenſus in altum ; Porro hoc eſt prodigium quoddam, quod in locis ſacris quotidie videtur;multi enim ad ea ingrediuntur,qui paſſionum & inordinatorum appetituum ſuorum torrentem ſequentes,quibus deorſum trahuntur ad præcipitium; per orationem nihilominus, quæ eſt *elevatio ſeu aſcenſio mentis in Deum*,ad magnam aſcendunt perfectionem,ſuoſque mores reformantes, Sacramentis alijſque auxilijs ſpiritualibus mediantibus ſancti evadunt.

Ad aſſiſtendũ Divinis. *Iſai.2. v.2.* — *Oleaſter.*

3. Dionyſius Carthuſianus ad generandam in nobis erga templa eximiam reverentiam , nec non ad ingerendam nobis in orationibus noſtris ſpecialem attentionem , efficax quoddam motivum his verbis adducit : *Sicut enim Cælum Empyreum eſt locus contemplationis , ita Eccleſia materialis eſt locus orationis , non quod oratio & contemplatio de neceſſitate determinent vel exigant locum,ſed quia ſic decet ; ut in loco altiſſimo habitent, qui Deo fruuntur , & in locum conſecratum conveniant , qui Dominum deprecantur.* Hugo Cardinalis ad alia ſe reflectit ejuſdem Prophetæ verba , quibus dicit : *Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ , holocauſta eorum & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo,quia Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis* ; Etenim non eſt dubium, quin illi oblata à populo ſuo ſacrificia,& orationes multum placuerint, & verumtamen non placebant niſi ut oblata in loco ad ea offerenda à ſe præſcripto & determinato , id eſt , in locis divino cultui ſuo conſecratis, nam ut bene citatus Hugo notat, Dominus dicit : *Lætificabo eos in domo orationis meæ,id eſt, in templo exaudiam eos , in his pro quibus rogabunt me* , bene enim advertendum eſt,quod Deus dicat : *In templo exaudiam eos.* Salomon quoque ait : *Quicumque oraverit in loco iſto,exaudi de habitaculo tuo,id eſt,de cælis,& propitiare?* Quam Salomonis ſupplicationem Deus cum ijſdem clauſulis reſervantibus exaudivit, dum ait : *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus* , ſed cujus & in quo loco : *Qui in loco iſto oraverit , elegi enim , & ſanctificavi locum iſtum.* Sancta quoque mater Eccleſia in officio de dedicatione Eccleſiæ quibuſdam reſponſorijs, Hymnis , & Antiphonis utitur,in quibus eamdem prærogativam expreſſam videmus ; Dicit enim : *Venientium in loco iſto,exaudi preces in excelſo ſolio gloriæ tuæ.* Similiter in Hymno laudum hoc modo canit : *Hoc in loco ſumme Deus exoratus adveni , & clementi bonitate precum vota ſuſcipe , largam benedictionem hic infunde jugiter , hic promereantur omnes petita acquirere & adepta poſſidere.* At vero ſi illa Chriſti verba mihi objeceris,in quibus ait : *Intra in cubiculum tuum , & clauſo oſtio ora ad patrem* tuum.

In templis nos exaudit Deus. — *Dion. Cart. in cap.56. Iſai. v.7.* — *Iſ.56.v.7.* — *Hug. Card. ibid.* — *Hugo Card.* — *2.Paral.7. v.15.* — *Ibid. v.16.* — *Matth. 6. v.6.*

*tuum.* Per authoritatem S. Bernardini reſpondebo, dicendo: *Ille cubiculum ſuum intrat, qui omnes humanos ſenſus ad interiora revocat; ille quoque oſtium ſuum claudit, qui cordis cogitationes, ne extravagentur, frænat*; unde hiſce verbis Chriſtus uniuſcujuſque privatam cameram, quo ad faciendam orationem nequaquam domui Dei præferre voluit; abſit; ſiquidem in pluribus locis expreſſe Deus dicit: *Domus mea domus orationis vocabitur*; ſed potius animi recollectionem, ad orationem fructuoſe fundendam ſumme neceſſariam ſuadere & inculcare nobis voluit. Tametſi enim certum ſit, quod mentem noſtram in quovis loco ad Deum elevare, noſtraſque ad illum preces dirigere poſſimus, attamen ad illas Deo offerendas Eccleſia aptior, convenientior, Deoque gratior & acceptior eſt locus. In cujus confirmationem Hugo Cardinalis hunc in modum ſcribit: *Notandum, quod locus ſacratus Deo, & benedictus, aptior & utilior eſt ad orandum. Primo, quia ibi magis excitatur devotio, & ferventior fit oratio. Item benedictio Epiſcopalis, & oratio ejus, majorem efficaciam confert orationi ad impetrandum, quia aſſociatur orationibus Eccleſiæ generalis. Item quia Dominus domum ſibi dicatam, & habitantes & pſallentes in ea, quadam ſpeciali gratia cuſtodit & viſitat.* De illa loquitur apud Ezechielem c.43. dum ait: *Fili hominis locus ſolij mei, & locus veſtigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Iſraël. Item locum benedictum dæmones magis horrent, & Angeli fovent & habitantes, & pſallentes in eo.*

*S. Bernard. T.2. ſerm.10. A.3. c.1.*

*Hug. Card. in c.4. Joan.*

*Ezech.43. v.7.*

In templis facilior ad Deũ aditus.

*Optat. Milevit. l.6. cont. Parmen.*

4. Optatus Milevitanus contra Donatiſtas ſacra altaria funditus, & ſolotenus evertentes ſcribens, id quod hactenus diximus, phraſi quadam loquendi ad vivum exprimit, dum ait: *Cur concidiſtis precibus viam, & ne ad Deum ſupplicatio de more ſolito aſcenſum haberet, impia manu quodammodo ſcalas ſubducere laboraſtis?* Certum eſt enim, quod preces noſtræ majorem & faciliorem ad tribunal Dei aditum in Eccleſia inveniant, quam ſi alibi effunderentur; de Eccleſia enim Jacob Patriarcha ait: *Non eſt hic aliud, niſi ... porta cæli*, hic enim cœlum invenitur apertum, & ideo ibi majori cum facilitate preces noſtræ ad Deum aſcendunt.

*Gen.28.17.*

*S. Ignatius Mart. Ep. ad Magneſianos.*

Unanimem multorũ orationem Deus citius exaudit.

5. S. Ignatius Martyr, dum Antiochiæ Epiſcopus eſſet, Epiſtolam quamdam ſcripſit, in qua inter cætera ait: *Omnes ad orandum in idem loci convenite; ſit una communis precatio, una ſpes in charitate & fide inculpata in Chriſtum Jeſum, quo nihil præſtantius eſt; omnes velut unus quiſpiam ad templum Dei convenite, velut ad unum altare, ad unum Jeſum Chriſtum ſacerdotem.* Sanctiſſimum illud montis Sion cœnaculum, in quo inſtitutum ſanctiſſimum altaris Sacramentum, & in quo primi fideles congregati fuere ad orandum vere dici poteſt prima fuiſſe Chriſtianorum Eccleſia; in hoc autem, ut S. Lucas ait: *Omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione*; quando ſuper illos in die Pentecoſtes deſcendit Spiritus Sanctus. *Erant omnes pariter in eodem loco.* S. Vincentius ad idem propoſitum probandum ſimilitudine utitur corporis humani, dicens: *Sicut ſpiritus humanus ad hoc ut det vitam corpori, requirit conjunctionem membrorum, ita etiam eſt de Spiritu Sancto.* Etenim ſpiritus, devotio, & fervor orationis in unione plurium fidelium in una Eccleſia ſimul congregatorum plus laborat & præſtat, quam quando inter ſe ſeparati ſunt & diviſi. *Reveretur Deus*, inquit D. Chryſoſt. *multitudinem unanimem & conſentientem in precando.* Magnus ille Pariſienſium Cancellarius Joan. Gerſon inquit: *Sanctius & Deo placentius & fructuoſius eſt, regulariter orare Deum in templis, & locis ſibi dicatis, quam in alijs*, hujusque aſſerti ſui rationem his verbis aſſignat: *Valor quippe orationum ibi factarum cumulatur ex oratione generali, & loci majeſtate, ex qua fit devotionis major incitatio, propterea non abſque grandi ratione ſedula religio patrum noſtrorum particularia oratoria vetabat.*

*Act. Ap.1. v.14.*

*Act. Ap.2. v.1.*

*S. Vinc. Ferr. ſerm. in Pent.*

*D. Chryſoſt. Hom.2. in ad Cor.*

*Gerſon T.2. de vita Cler.*

Præcipue in templis fuſã.

*3. Reg.8. v.35.*

6. In lib.3. Reg. c.8. immenſa recenſentur beneficia, quæ in illos præcipuè reſultant; qui pro faciendis orationibus ſuis templa frequentant: *Si clauſum fuerit cælum*, inquit Deus, *& non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto pœnitentiam egerint*; ubi notandum, quod Deus dicat: *In loco iſto.* In ſequenti quoque c.9. dicit Deus Salomoni: *Sanctificavi domum hanc quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Hic enim in ordine ad favorabilem ſupplicationum noſtrarum expeditionem ſpecialius quam alibi ſtipulatas habemus æternæ veritatis promiſſiones. In primo quoque Regum lib. S. Annam Samuëlis matrem pro oratione ſua facienda ad tabernaculum acceſſiſſe legimus; cujus S. Auguſtinus lib.2. ad Simplicianum Q.4. hanc reddit rationem: *Quia ibi ſacratior & commendatior præſentia Domini erat.*

*3. Reg.9. v.3.*

*S. Aug. l.2. ad Simplic. Q.4.*

Ore & corde ſimul.

7. Verum enimvero undenam venit, quod ſæpenumero ad Eccleſias in noſtris neceſſitatibus recurrentes, pro voto tamen noſtro minime exaudiamur? Pro reſolutione quæſtionis hujus in memoriam revocandus eſt diſcurſus ille quem Samaritana cum Salvatore noſtro habuit: Etenim poſtquam illa dixiſſet: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet*, hoc à ſapientiſſimo Magiſtro noſtro retulit reſponſum: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate, nam & Pater tales quærit, qui adorent eum: Spiritus eſt Deus; & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Tametſi enim verum ſit; quod *domus mea domus orationis vocabitur*; Item quod *omnis qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur*; attamen inſuper quoque verum eſt; quod *veri adoratores adorabunt in ſpiritu & veritate.* Super quæ verba Hugo Card. ita ſcribit: *Veri fideles Chriſtiani, qui dicuntur veri reſpectu Judæorum ſimul & Samaritanorum, vel veri, quia illi pro temporalibus orabant, quæ falſa ſunt, iſti pro ſpiritualibus & æternis quæ vera ſunt*; ubi idem Cardinalis mox aliam ſubjungit interpretationem dicens: *In ſpiritu, id eſt, in corde, non in ore tantum, quia nil valet ſtrepitus labiorum, ubi mutum eſt cor.* Hic error à Concilio quodam inſinuatus fuit hiſce verbis: *Multi Eccleſiam ingreſſi, non ad Deum puram ſimplicemque orationem dirigunt, quoniam quod ore precantur, hoc etiam mente non meditantur.*

*Joan.4.20.*

*Ibid. v.23.*

*Matth.7.8.*

*Joan.4.23.*

*Hug. Card. ibid.*

*Concil. Patrum ſub Greg. IV. c.12.*

Debitaque cũ reverentia intentione ac timore filiali.

8. Eſt tamen & alia ratio, ob quam in locis ſacris in orationibus noſtris non exaudimur, licet hæc deſtinata ſint pro ſignatura cœleſtis gratiæ petitæ firmamque à Deo habeamus promiſſionem preces noſtras in ijs locis fore exaudiendas; eſtque hæc, quia videlicet per irreverentiam quam talibus locis exhibemus, indignos nos reddimus qui exaudiamur. Quis enim noſtrum benignam & gratam à Principe aliquo ſperare poterit audientiam, quem in propria ejus curia malè tractat, injuria & contumelia afficit, & mortaliter offendit? Iſraëlitæ cum Philiſthæis die quodam acriter præliantes, miſere ſuccubuerunt, ideoque expedire cenſuerunt, ſi arcam Domini ſecum in caſtra adverſus hoſtium potentiam & vires efferrent: *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, ut ſalvet nos de manu inimicorum noſtrorum.* At vero quis tandem conſilij hujus fuit eventus? Nimirum de novo cæſi & proſtrati fuere Iſraëlitæ, & arca Domini Philiſthæis in prædam ceſſit. Circa quam hiſtoriam Dionyſius Carthuſianus in ſenſu morali ita ſcribit: *Per Iſraëlitas de ſua ruina mirantes, atque pro ſua ſubventione arcam Domini afferentes, intelliguntur Chriſtiani qui inſtante tribulatione circumferunt Sacramentum, atque reliquias, non tamen emendant ſuam converſationem & mores, ideo propter ſua demerita non juvantur, imo interdum graviori peſte cæduntur, & hoc juſtiſſimo Dei judicio, qui cordium videns arcana ſcit illos pro evaſione & ceſſatione periculorum corporalium deprecari, non ex recta radice, hoc eſt, ex charitate & recta intentione, ſed ex amore carnali, quo diligunt vitam præſentem, ac proſpera ejus, ſicque oratio eorum fit in peccatum, & indignationem provocat Deitatis quoniam importune & indiſcrete orant de his rebus, de quibus ignorant, an ſaluti eorum expediat, & ea quæ Deus requirit ab eis, & de neceſſitate ſunt ſalutis, omittunt.* Quot ſunt, qui loca ſacra frequentant, & orationes ſuas pro rebus futilibus, ſæpe etiam vanis & inutilibus faciunt, neglecto fine principaliori, qui eſt animæ ſalus, & major Dei gloria? Quot ſunt qui ſperatis & diu concupitis defraudantur gratijs, quas alias conſecuturi fuiſſent, niſi ſacrum locum profanando, talibus ſe gratijs reddidiſſent indignos? Hebræi arcam in caſtra extulerunt, non ut illius honorem & cultum Dei defenderent, ſed ut vitam propriam ſalvarent, non conſiderantes magnam illam arcæ exhibitam irreverentiam, qua ſacrum illum theſaurum exponebant periculo direptionis idololatrarum. Pulchrum nobis hac in re documentum S. Eucherius tradit, dum in Homilia quadam, cui titulus eſt: *Oportet ſemper orare & numquam deficere*, ita ſcribit: *Non autem in hoc ſolum divini timoris officium eſt, ad domum Dei corporaliter convenire, & viſibiliter genu flectere, ſed animam ſupplicationis affectu, impetrationis fructu dignam facere, & ad exorandum fide & operibus præparare.* Hugo Cardinalis prædictum Iſaiæ textum: *Lætificabo eos in loco orationis*, ita exponit, *id eſt, in templo exaudiam eos, in his pro quibus rogabunt me, & ideo exaudiam eos, quia digne offerent mihi.* Ezechiel in fine capitis 8. in perſona Dei dicit: *Non parcet oculus meus, nec miſerebor; & cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Quæ verba cuivis etiam lapidei cordis homini timorem & tremorem incutere poſſent; ubi enim ſunt multiplices illæ à Deo factæ promiſſiones, quibus pollicitus eſt exauditurum ſe omnes illos, qui in domo ejus, id eſt, in templo nomen ejus invocaverint? Hugo Cardinalis, verba illa: *Non exaudiam eos*, ita exponit, *ſcilicet, eripiendo à tribulatione, pro qua clamabunt, quia non ſunt digni exauditione, juxta illud* Pſalmi 17. *Clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.* Imò ſi totum hoc caput 8. Ezechielis perlegeritis, invenietis utique, quantum Deus de abominationibus horrendis & deteſtandis lamentetur, quas in facie ipſius, id eſt, in templo & ſanctuario ejus committere non erubeſcebant; ac proinde merito eis proteſtatur dicens: *Non exaudiam eos.*

*1. Reg.4. v.3.*

*Dion. Cart. ibid.*

Non pro inutilibus fuſam.

*S. Eucherius Hom. oportet ſemper orare.*

*Hug. Card. in c.56. Iſa.*



*Ezech.8.18.*

*Jer.11.11.*

*Hug. Card. ibid.*

*Pſ.17. v.42.*

*T.3. Concil. vita Steph. VI. pag.1018*

Sed divino debet conformari beneplacito.

9. In concilio quodam ſequentia verba leguntur: *Felicitationem veſtram, chariſſimi, commonemus, ut convenientes ad ſacratiſſimum Dei templum, id diligenter pertractare ſtudeatis, ad quod veniſtis; ſi enim veraciter creditis templum Dei eſſè illud, ad quod convenitis, id procul dubio inibi operari debetis, quod ei placeat, cujus templum eſt, ad quod convenitis. Cum enim ubique Deus ſit, in ſuo tamen templo ſpecialiter debet requiri, & quantum ipſe inſpirare dignatus fuerit, inibi quod ei placet, debet expeti.* Examinemus igitur diligenter an ſupplicationes noſtræ quas ei in ſua domo præſentamus, divino ejus beneplacito conformes ſint, & bene regulatæ, aut vero an ſanctæ ejus legi potius repugnent, ſi enim hoc poſtremum verum eſſe deprehendatur, lamentari profecto non poſſumus, ſi non exaudiamur. *Veri adoratores*, inquit Hugo Cardinalis *adorant eum in ſpiritu, id eſt, ſpiritualiter, contra illos qui adorant Deum carnalia petentes, & carnaliter de Deo ſentientes, ut filij Zebedæi; vel in ſpiritu, id eſt, pro ſpiritualibus donis, id eſt, virtutibus*; ſequentia quoque verba: *Et in veritate*, exponit dicens: *Id eſt, pro veris & æternis bonis.* Quonam vero modo veri adoratores, qui adorent in ſpiritu & veritate, dici poterunt, qui tanta cum irreverentia ſanctam ejus domum profanant, domumque orationis in ſpeluncam latronum convertunt: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Quiſquis igitur in Eccleſiam quæ eſt domus orationis, ire contendit, ut Deum inibi offendat, & nihilominus Deo ſupplex in oratione fieri præſumit, *oratio ejus fiet in peccatum.* Sicut enim is qui eodem tempore quo Henrico III. memoriale præſentabat, cultrum quoque in eum ſtringens, ipſum contrucidavit, parricida erat, ita quoque ſi is qui ad Eccleſiam orandi cauſa accedit, eodem tempore per irreverentiam, diſſolutionem & ſcandala ſua, domum orationis profanat, Deum utique mortaliter offendit.

*Joan.4.23.*

*Hug. Card. ibid.*

Atque debita cum reverentia fundi.

*Luc.19.46.*

*Pſ.108. v.7.*

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

In locis ſacris Deus nobis abundantius benefacit, ubi etiam multa examinantur beneficia, quibus in domo Dei cumulamur.

### THEMA.

*Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum.* Pſal.64.ỽ.5.

In templis beneficia Dei recipimus.

1. NOn fine myſterio Propheta regius, poſtquam nos in domo Dei innumeris bonis locupletandos & cumulandos eſſe dixiſſet, eamdem domum ſanctam eſſe ſtatim ſubjunxit: *Sanctum eſt templum tuum*, quaſi unumquemque noſtrum monere voluiſſet, ut pro beneficijs, quæ quotidie in domo Dei unanimiter congregati recipimus, grati eſſe ſtudeamus, quod fiet ſi in eo, velut in loco ſanctitatis pleno reverentes nos & obſequioſos exhibeamus. Ut autem myſteria, quæ in his verbis latent, plenius intelligamus, prima illorum verba accuratius nonnihil ponderemus. Dicit igitur Pſalmiſta: *Replebimur in bonis*; Et ideo S. Bernardinus ait: *Sunt honoranda templa; propter diverſa beneficia nobis in eis data*, quæ profecto & multa ſunt, & valde conſiderabilia. In Iſaia Deus dicit: *Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ?* Sed cur obſecro domum ſuam, vel templum ſuum locum quietis ſuæ appellat? Noſtis quod Salvator noſter animarum ſalutem cibum ſuum appellaverit, ad ſignificandum infinitum gaudium, quod animas hominum ſalvando experitur, eadem igitur ratione dicere poſſumus quod templum locum quietis ſuæ, ſive centrum ſuum appellaverit, propter immenſam ſatisfactionem, quam ex eo percipit, quod nos ſuis gratijs & beneficijs locupletet & cumulet. Sex diebus continuis Deus omnipotenti & benefica manu ſua *omnia ſubjecit ſub pedibus noſtris*, poſtquam vero omnia hæc bona viſibilia & inviſibilia creaſſet, tunc & non ante Moyſes ait: *Requievit*, quia quando Deus nos ad recipiendas gratias, dona & bona ſua diſpoſitos invenit, tunc ſe velut in centro ſuo poſitum eſſe credit; & ideo etiam de templo dicit: *Eſt iſte locus quietis meæ*, quia fideles ad loca ſacra ſpecialiter recurrere ſolent, ut ab infinita ejus liberalitate beneficia accipiant.

*S. Bernard. T.1. ſer.20. A.1. c.4.*

*Iſa.66. v.1.*

*Pſ.8. v.8.*

*Gen.2. v.2.*

Maximi momenti negotia tractamus.

*Joan.2. v.16.*

2. Quando Salvator noſter de Judæorum erga domum Dei irreverentia lamentando dixit: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, de illis mercibus proprie loqui voluit, quæ in ipſius templi atrio vænum proſtare videbat, quas ad dictum locum in tanta copia congeſſerant, ac ſi domus Dei domus aliqua nundinatrix in publico foro poſita fuiſſet: cæterum vero in veritate dici poteſt, quod *domus Dei ſit domus negotiationis*; veriſſimum eſt enim quod domus Dei locus quidam ſit, in quo magna negotia tractantur; ſed audite velim quænam ſint illa negotia, quæ in illa domo tractanda occurrunt: *Verumtamen non carnalium rerum*, inquit Anonymus quidam, *& quæ in ventrem mittuntur, ſed pretioſiſſimarum atque pulcherrimarum margaritarum, quæ animæ faciem exornent, iſta autem ſunt pura, ſynceraque fides, cæteræque virtutes.* S. Carolus Borromæus in litera quadam Paſtorali ad gregem ſuum exarata ita ſcribit: Hæc ſacra loca elegit Deus, ut in ijs fidelium orationes exaudiat, ut medijs ſacramentis ſuam nobis largiatur gratiam, ut mediante ſacroſancto verbo ſuo prædicato donis nos ſpiritualibus locupletet. In ſacris hiſce locis per ſacerdotes, alioſque miniſtros Eccleſiaſticos cœleſtis beatorum Angelorum & ſanctorum Hierarchia repræſentatur; eo fideles concurrunt, ut in una fide, in uno ſpiritu, & quaſi uno eodemque ore, tamquam unius ejuſdemque Eccleſiæ membra orationes ſuas unanimiter perſolvant. Hæc & alia multa bona, quæ in hoc alijſque ſequentibus diſcurſibus adducemus, in Eccleſijs copioſè recipimus. Unde author imperfecti conſiderans quod Salvator noſter Jeroſolymam ingreſſus omnium primo ad templum contendens, inde omnes ejus profanatores ſtrenue eliminarit, ita ſcribit: *Ut tu imitator Chriſti factus, cum in aliquam ingreſſus fueris civitatem, primum ante omnem actum ad Eccleſiam curras. Hoc erat boni Medici, ut ingreſſus ad infirmam civitatem ſalvandam, primum ad originem paſſionis intenderet*; id vero quod vel maxime propoſito noſtro deſervit, eſt hoc quod mox ſubjungit dicens: *Nam ſicut de templo omne bonum egreditur, ſic & de templo omne malum procedit.* S. Bernardus ſuper illa Iſaiæ verba: *Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum*, inquit, *replebant omni benedictione ſpirituali, replebant conſolatione divina, replebant diviſionibus gratiarum, replebant denique fructu ſanctificationis, ſiquidem domum tuam Domine decet ſanctitudo, replebant diverſis Chariſmatum donis, ſpiritu ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & replebant illud ſpiritu timoris Domini.* Et quidem timorem reverentialem non ſine myſterio ultimo loco ponit, quia ſicut pro theſauri alicujus cuſtodia vigiles conſtituuntur, ita quoque timor Dei velut cuſtos adhibetur omnium theſaurorum ſpiritualium qui in ſacro Eccleſiæ, ſive templi ærario recluduntur; per reverentiam namque & timorem Dei in Eccleſijs exercitatum innumerabilia in nobis bona quibuſcum ibidem beatificamur, cuſtodiuntur & conſervantur. Petrus Cellenſis ſimiliter prædicta Iſaiæ verba: *Et requieſcit ſuper eum ſpiritus Domini*, exponens, pariterque donum timoris Dei ultimo loco à Propheta recenſeri conſiderans, ait: *Quaſi cuſtos ſuper innumerabiles gazas, ſic timor in ultimo chariſmatum ponitur, ad conſervandas innumerabiles gratias.*

*Anonymus in Cat. Græca.*

*Act. Eccli. Mediolan. p.7. pag.1040.*

Civitatem aliquam ingreſſus intra Eccleſiam.

*Auth. imperf. Hom.38.*

*Iſa.6. v.1.*

*S. Bern. ſer.5. de verb. Iſai.*

*Iſa.11. v.2.*

*Petr. Collen. l. de panibus c.14.*

3. Deus olim Jacob Patriarchæ liberaliſſimas fecit promiſſiones, utpote ex cujus femore dilectus populus ejus Iſrael propagandus erat, de quo Pſalmiſta ait: *Notus in Judæa Deus in Iſrael magnum nomen ejus:* Porro promiſſiones illæ fuerunt hæ ſequentes: *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo; Eritque ſemen tuum, quaſi pulvis terræ, dilataberis ad Occidentem & Orientem, & Septentrionem & Meridiem; & benedicentur in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ, Et ero cuſtos tuus, quocumque perrexeris, & reducam*

*Gen.28. v.14.*

*Pſ.75. v.2.*

*Gen.28. v.13.14.*

*Ibid. v.15.*

*te in terram hanc , nec dimittam , niſi complevero univerſa , quæ dixi.* At vero ſi noſtis , dicite mihi, quamobrem divina liberalitas bona adeo immenſa in hoc loco potius Patriarchæ promiſerit , quam in domo ejus paterna , vel in Meſopotania ? Reſponſio vere adæquata ad hanc difficultatem eſt , quia *replebimur in bonis domus tuæ.*

*Pſ.23. v.3. Ibid. v.4. Ibid. v.5. Gen.28. 18. Ibid. v.17.*

4. Regius Propheta David interrogat : *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* Et ſtatim reſpondet hanc ſortem obventuram eſſe illi qui eſt *innocens manibus & mundo corde* ; ſed quonam fructu hic ad ſacra loca aſcenſus inſtituetur : *Hic accipiet benedictionem à Domino , & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo* ; & ideo Jacob in loco illo *erexit lapidem in titulum , fundens oleum deſuper* , eo quod ſacroſanctum templum Jeroſolymitanum ibidem erigendum fore agnoverat ; unde & in ſpiritu Prophetico prædixit : Verè *non eſt hic aliud niſi domus Dei.*

*S. Bonav. ſer. 4. de Dedicat. Eccle.* Templum domus orationis dicitur. Propter 8. beneficia.

5. S. Bonaventura multas adducit cauſas ob quas Eccleſiæ communi nomine *domus orationis* appellantur , quæ præſenti propoſito noſtro omnes opportune deſerviunt ; dicit enim : *Domus orationis vocatur Eccleſia ex octo cauſis.* Prima eſt, *quia ibi peccator recte orans obtinet peccatorum remiſſionem.* Secunda , *quia tentatus ibi recte orans obtinet liberationem.* Tertia, *quia contra ſterilitatem obtinet ejusdem fœcunditatem.* Quarta , *quod infirmus impetrat ſalubritatem.* Quinta, *triſtis conſequitur jucunditatem.* Sexta , *alienigena impetrat proſperitatem.* Septima , *converſus ad Deum habebit victoriam.* Octava , *quod captivatus adipiſcetur incolumitatem* ; & quidem ut idem Doctor Seraphicus notat, omnes hæ utilitates , quas in domo Dei conſequimur à Salomone 3. Reg. c. 8. & 2. Paral. c. 7. ſpeciatim expreſſæ fuere ; Et *pro his octo beneficijs* inquit idem Seraphicus , *Quæ conferuntur in domo orationis , celebravit Judas Machabæus per octo dies ſolemnitatem dedicationis ſicut dicitur* 1. Mach. 4. *Nos quoque de ſingulis hiſce cauſis ſigillatim hoc loco & breviter diſcurremus.*

*3. Reg. 8. v. 35. 2. Paral. 7. v. 13. 1. Mach. 4. v. 56.*

1. Obtinetur peccatorum venia.

6. Et quidem ad primam cauſam dilucidandam, habemus ex ſacro textu , quod arca quæ velut quædam Eccleſia & ſanctuarium portatile erat, in ſuperiori ſui parte habebat propitiatorium, ut per hoc denotaretur nobis quod in locis ſacris , ſpecialiſſimè nobis propitia ſit divina pietas ; unde de Publicano habemus , quod poſtquam acceſſiſſet ad templum *Percutiebat pectus ſuum dicens : Deus propitius eſto mihi peccatori*, & ideò confeſtim conſecutus eſt veniam : *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam* ; Ubi Lyranus ait : *Deſcendit in domo Dei , quæ erat in monte* ; Ecce tibi igitur primum fructum , quem hic è domo Dei in domum ſuam reportavit.

*Luc. 18. v. 13. Ibid. v. 14. Lyran. ibid.*

2. Inimici ſpirituales vincuntur. *Hug. Card. in c. 4. Joan. D. Chryſoſt. T. 5. de SS. Martyribus. D. Chryſoſt.*

7. Secundo vehementiores inimici infernalis tentationes tunc vel maxime vires ſuas amittunt , dum pro defenſione & auxilio contra illas confugimus ad Eccleſiam. Unde Hugo Cardinalis ait : *Locum benedictum dæmones magis horrent , & Angeli fovent, & habitantes & pſallentes in eo*, citatque authoritatem D. Chryſoſtomi dicentis : *Domum ubi repoſitum fuerat thus , timet diabolus , nec audet accedere , multo magis ubi reponitur corpus Chriſti , & celebrantur divina myſteria.* Idem quoque ſanctus Doctor Dæmones Eccleſiam ingredi minime præſumere dicit : *Extra Eccleſiam*, inquit, *ſtat diabolus, quippe ſacrum iſtud in ovile non audet intrare , ubi enim Chriſti grex eſt, lupus non comparet ſed foris ſtat.* Porrò in Pontificali Romano hic ritus Eccleſiarum conſecrationi præſcribitur, quod videlicet dum primus lapis in fundamento collocandus multis cæremonijs ſacris benedicitur , verba ſequentia unanimiter ab omnibus Eccleſiæ miniſtris proferantur : *Signum ſalutis pone Domine Jeſu Chriſte in loco iſto, & non permittas introire Angelum percutientem.* In prima quoque ejusdem functionis oratione , in qua ad templum Salomonis alluditur, ſequentia verba recitantur : *Effugiant omnes hinc nequitiæ ſpirituales.*

Pontificale Romanum.

3. Terræ fœcunditas obtinetur. *3. Reg. 8. v. 35. S. Baſil.*

8. Tertio quando ad preces noſtras coram Deo fundendas ad Eccleſiam recurrimus , agrorum fertilitatem facile impetramus. Unde Salomon poſtquam Jeroſolymis ſumptuoſiſſimum illud templum erexerat, ſpecialiter pro populo ſuo hanc à Deo gratiam concedi poſtulavit : *Si clauſum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum , & orantes in loco iſto pœnitentiam egerint nomine tuo , & à peccatis ſuis converſi fuerint , ... exaudi eos in cœlo.* Et hic forte fuit verborum illorum , quæ S. Baſilius in Hom. 33. in cap. 10. Matth. de templo & loco divino cultui conſecrato loquens habet , ſenſus , dum ait : *Hic magnæ nobis ſunt poſſeſſiones , hic omnis ſpes noſtra ſita eſt.* Quid enim tibi amplæ poſſeſſiones , vaſtiſſimaque agrorum vinearum, & pratorum ſpatia prodeſſent , ſi ſterilitate prohiberentur à fructibus ferendis : fertilitatem vero & fœcunditatem denuo ſuam recuperabunt , ſi ad templa pro orationibus exolvendis recurreritis. Sic enim poſtquam Deus apud Aggæum cap. 1. v. 6. dixiſſet : *Seminaſtis multum & intuliſtis parum* , tandem c. 2. ejusdem Prophetiæ v. 19. dicit : *Ponite corda veſtra ex die iſta, & in futurum à die vigeſima & quarta noni menſis, qua fundamenta jacta ſunt templi, Domini ponite ſuper cor veſtrum, numquid jam ſemen in gravamine eſt &c. Hoc eſt* , inquit S. Hieronymus , *videte quod ex hac die qua fundamenta jeciſtis , cum in præterito vos ſterilitate & fame punierim , videte quod omnia vobis proſpero curſu fluunt* ; In eadem quoque Prophetia & capite paulo poſt prædicta verba Deus ſubjungit : *Prædico vobis, quia cœpiſti templum meum ad benedictionem meam, fore frugum omnium fœcunditatem.*

*Hom. 33. in c. 10. Matth. Agg. 1. v. 6. Agg. 2. v. 19. S. Hieron. in c. 2. ibid.*

4. Sanitas. *Luc. 6. v. 6. Alb. Magn. ibid.*

9. Quarta dum ad Eccleſiam recurrentes vota noſtra & ſacrificia ibidem Deo offerimus , corporalem nobis ſanitatem impetramus. S. Lucas de Salvatore noſtro dicit : *Factum eſt autem & in alio Sabbato , ut intraret in Synagogam & doceret , & erat ibi homo , & manus ejus dextera erat arida.* Sed quo fine Evangeliſta hoc miraculum recenſens hanc circumſtantiam adjungit , quod ſcilicet Chriſtus ingreſſus fuerit ſynagogam, ut doceret, quodque tunc præciſe miſer hic homo aridam habens manum præſens adfuerit? num forte hæc circumſtantia eo fine additur, ut per illam Divina Chriſti omnipotentia & beneficentia deprædicaretur ? Albertus Magnus dicit : *Primum commendabile eſt , quod in feria Sabbati ſe divinis exhibuit , alterum quod locorum ſacrorum frequentator erat , & hoc tangit per hoc , quod dicit : Ibi.* Ex eo namque quod in Synagoga frequens eſſe conſueverit, in eadem quoque integram corporis ſanitatem recipere meruit ; neque ſapientia incarnata in eodem loco ejus voluit operari ſalutem ; ſed per hoc nobis inſinuatur , quod Deus in locis ſacris ſpecialiter in diſpenſandis gratijs ſuis beneficus ſit & liberalis , maxime ſanctorum ſuorum meritis in eodem loco intervenientibus , cujus frequentiſſima ad Eccleſiæ parietes ſuſpenſa vota evidens perhibent teſtimonium. S. Auguſtinus in quodam ſermone hanc nobis ingerit confidentiam , dicens : *Qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit , & corporis ſanitatem recipere , & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.* Quando Salvator noſter Zachæi domum, quæ expreſſum Eccleſiæ ſymbolum fuit , ingredi dignatus eſt , mox quoque eodem tempore ſibi à Chriſto dici audivit : *Hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt.* S. Matthæus cap. 21. plura miracula refert in templo in ordine ad ſanitatem cæcis & claudis reſtituendam patrata : *Acceſſerunt ad eum cæci & claudi & ſanavit eos* , id tamen non fecit niſi poſtquam *intravit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes* ; per hoc vero quod Deus in domo ſua adeo ſe erga nos beneficum exhibet , ſimul quoque eodem tempore reverentiam & venerationem eidem domui ſuæ convenientem & debitam à nobis requirit. Idem quoque ſanctus Matthæus in cap. 4. dicit : *Circuibat Jeſus totam Galilæam , docens in Synagogis eorum , & prædicans Evangelium regni , & ſanans omnem languorem , & omnem infirmitatem in populo.* Ecce qualiter Chriſtus prædicationem & devotam in locis ſacris præſentiam , ſimul cum beneficentia ſua divina in ordine ad ſanandas infirmitates conjunxerit.

*S. Aug. ſer. 215. de temp. Luc. 19. v. 9. Matth. 21. v. 12. Matth. 4. v. 23.*

5. Jucunditas. *S. Bonav. Pſ. 42. v. 2. Ibid. v. 3. Text. Heb. Symmach. Septuaginta Lorinus.*

10. Quinto *triſtis conſequitur jucunditatem.* Et hoc eſt aliud quoddam & ſpeciale beneficium , quod ſecundùm ſanctum Bonaventuram in Eccleſijs recipimus ; in cujus probationem ſolum Prophetæ regij ſufficit teſtimonium. Hic enim aliquando in tantis erat cordis anguſtijs , ut ſemetipſum alloquens dixerit : *Quare triſtis es anima mea & quare conturbas me?* Sed quodnam habuit ad ſe exhilarandum refugium ? *Emitte lucem tuam & veritatem tuam , ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum , & in tabernacula tua* ; *& introibo ad altare Dei* ; ſed quonam fructu id facturum ſe credidit ? *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* In Hebræo legitur : *Ad Deum lætitiæ & exultationis meæ.* Symmachus vertit : *Ut veniam ad altare Dei , ad Deum lætitiam jucunditatis meæ.* Septuaginta ut Lorinus refert , legunt : *Lætitiam tantam , quæ quodammodo revocet in florentem alacremque ætatem.* Gerſon quodam ſermone dicit : *Inter ſævientes turbidosque aërearum poteſtatum,*

ad



*Gerſon T. 2. ſerm. de quatuor domibus in Domin. 19 poſt Pent. Joan. 2. v. 5.*

*ac ſpiritualium nequitiarum inſultus , inter crebra periclitantis mundi diſcrimina , ſummus architector Jeſus , domum ſtruxit æternis baſibus ſtabilitam , quæ euntibus in ipſam eſſet in domum refugij , in aſylum protectionis tutiſſimam.* In quo non miſeriarum pelago Jonas conſtitutus erat ? Neque enim ſolum procellarum maris præda , ſed etiam immenſæ Balenæ cibus , & iræ Dei adverſus ipſum indignantis ſcopus factus erat, & tamen mentem potius ſuam quam oculum verſus ſanctum templum Jeroſolymitanum dirigens confortabatur, unde ait : *Dixit , adjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum , veruntamen rurſus videbo templum ſanctum tuum.*

6. Proſperitatem. *Iſa. 56. v. 7. Hug. Card. ibid.*

11. Sexto , *imperat proſperitatem.* Etenim omnia ei feliciter ſuccedunt , qui in domo Dei frequens , devotus, & venerabundus exiſtit, cujus in Iſaia ſtipulatam à Deo habemus promiſſionem. *Lætificabo eos* , inquit Deus , *in loco orationis meæ* ; id eſt , ut Hugo Cardinalis inquit : *In Jeruſalem , qui eſt locus , quem elegi ad adorandum, dabo eis multa proſpera.* Atque hæc unica cauſa motivum fuit, cur David arcam Domini in palatium ſuum regium deportari fecerit , quia Obededom ex illius arcæ præſentia proſpere in omnibus agere, innumeriſque à Deo benedictionibus cumulari per experientiam viderat : *Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus & illuxit nobis.* Unde D. Chryſoſtomus exhortans nos ne theſauros perdamus , quibus in Eccleſijs locupletari poſſumus , ait : *Ne tantum lucri profundamus, hoc in loco præſentem eſſe omnia conciliat bona.*

*Pſalm. 117. v. 26. & 27. D. Chryſoſt. T. 5. ſerm. 7. in Paralyt. Joan. 5.*

7. Victoriam. *Pſ. 14. v. 1. Pſal. 23. v. 3. Pſ. 14. v. 4.*

12. Septimo *Converſus ad Deum habebit victoriam* ; In locis etenim ſacris inimicum infernalem facilius in terram proſternere poſſumus : *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* quærebat olim David , *aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Et poſtquam in eodem loco ſibimetipſi interroganti reſpondiſſet : *Innocens manibus , & mundo corde &c.* quæ ſequuntur , mox quoque de victoria adverſus inimicum reportanda ſecuros nos facit, unde ſubdit : *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus.* Et quidem ſi de inimicis viſibilibus ſermo nobis ſit, ad reportandam contra illos glorioſam victoriam ſecurius nuſquam, quam ad Eccleſiam recurrimus , quod ex tot egregijs facinoribus in ſacris litteris , & in Annalibus Eccleſiaſticis, omnibusque alijs hiſtorijs adeo clare liquet , ut probatione ulteriori minimè opus ſit.

8. Incolumitatem.

13. Octavo : *Captivatus adipiſcetur incolumitatem* ; Hi enim qui propriarum paſſionum ſuarum ſervi ſunt & mancipia , in locis ſacris per morum reformationem, perque veræ pœnitentiæ actus libertatem adipiſcuntur filiorum Dei, prouti in ſequentibus Diſcurſibus latius videbimus.

## DISCURSUS VI.

### ARGUMENTUM.

Multa alia bona conſiderantur , quæ in domo Dei accipimus.

### THEMA.

*Si deprecati te fuerint in loco iſto... dimitte peccata ſervis tuis , ... & doce eos viam bonam , per quam ingrediantur* , 2. Paral. 6. v. 26.

In templis ex brutis homines reddimur. *Orat. Eccle. D. Chryſoſt. T. 3. Hom. in Pſalm. 48.*

1. POſtquam Salomon ſumptuoſiſſimum illud templum in Dei honorem fabricandum abſolverat, inter alias Deo propoſitas ſupplicationes una, eaque valde notabilis hæc fuit : *Si deprecati te fuerint in loco iſto &c.* Enimvero probatione non indiget , quod in Eccleſijs omni die manifeſtè videmus : Ibi namque manus Sacerdotis quotidie extenſæ & elevatæ conſpiciuntur , ad diſſolvendas graves peccatorum catenas & compedes : *Quos delictorum catena conſtringit , miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.* D. Chryſoſtomus quemdam alloquens, qui in gravium peccatorum præruptis ſcopulis & præcipitijs hærens, modum ab eo ſcire avebat , quo ſe in viam rectam virtutis remittere poſſet , poſtquam eum hoc modo interrogantem induxiſſet : *Quo autem modo hominem me præſtabo?* inquies, mox ſubjungit : *Si cogitationes carnis , quæ alienæ ſunt à ratione, vincas, ſi ſtuprum abjeceris, ſi pecuniarum cupiditatem expuleris , ſi purum & mundum agrum tuum reddideris. Sed qui hominem te præſtabis? Si huc veneris*, inquit S. Doctor, *ubi homines ſunt ; ſi te equum accepero , hominem te reddo , ſi te accipiam ſerpentem , hominem reddo , ſi lupum te nactus fuero , hominem reddo, non natura quidem , ſed voluntatis mutatione.* S. Propheta David de domo Dei loquens , in qua laudum ſacrificia inceſſanter offeruntur, in perſona Dei inquit : *Sacrificium laudis honorificabit me , & illic iter , quo oſtendam illi ſalutare Dei* ; Ubi notanda eſt dicto *illic*, in templo enim, ubi Deus laudatur , via recta invenitur, quæ ad æternam nos ſalutem perducit : *Docet eos viam bonam &c.*

*Pſ. 49. v. 23.*

*Gen. 25. v. 11.* Via recta in templis invenitur docetur. *Oleaſt. ibid.*

2. Poſtquam ſacer Chroniſta S. Patriarchæ Abrahæ mortem enarraſſet , ſubjungit : *Poſt obitum illius benedixit Deus Iſaac filio ejus , qui habitabat juxta puteum nomine viventis & videntis* ; Nimirum locum nobis indicare voluit , qui adeo erat electus, ut eum plenum benedictionibus fuiſſe dicat ; *Multam vitæ confert* , inquit Oleaſter , *ſi eum ad vivendum locum deligas , ubi noveris Dei præſentiam peculiariter adeſſe.* Erat porro huic loco impoſitum nomen , *videntis & viventis* , quia ut idem Author ait : *Puteo nomen beneficij impoſuit.* Etenim ad hoc ut in via Dei rectè progredi , & in vera innocentia Chriſtiana vivere poſſis , multum domus Dei confert , utpote in qua Deum intimius quam in alijs locis habemus præſentem. Quod ſi Pſal. 22. attenta mente perlegeris , videbis quod Propheta omnia bona, quæ in locis ſacris accipimus , ſigillatim ad unguem recenſeat. Dicit enim in primis : *Dominus regit me* ; Ecce tibi ad bonam viam ingrediendum ducatum & directionem , quam in Eccleſia percipimus, quia ibi docet nos bonam viam , quam ingrediamur , id quod Prædicatoribus & Patribus ſpiritualibus mediantibus præſtat. Sequitur : *Et nihil mihi deerit* , quia in locis ſacris bonis ſpiritualibus pariter & temporalibus locupletamur : *Replebimur in bonis domus tuæ*, quia ibi eſt ille, de quo S. Auguſtinus dicit : *Deus meus & omnia.* Sequitur : *In loco paſcuæ ibi me collocavit* , Quot enim ſalutaria paſcua in locis Deo conſecratis nobis à Deo præparantur ? cujuſmodi ſunt verbum Dei, communiones Euchariſticæ, conferentiæ ſpirituales, exhortationes piæ & fructuoſæ. Subdit præterea : *Super aquam refectionis educavit me* ; Ubi per aquam intelligere poſſumus ſapientiam & intelligentiam myſteriorum ſacrorum & cæleſtium : *Aqua ſapientiæ ſalutaris potavit nos* ; *Animam meam convertit : Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ* ; Et paulò poſt ſubdit : *Paraſti in conſpectu meo menſam* , id eſt , ſanctiſſimum Altaris Sacramentum , ac tandem concludit : *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ* ; *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum*, Advertendum quoque eſt , Davidem in eodem loco aſſerere , ſe ab omni occurſu eventuum malorum in templo liberatum fuiſſe, nam in ſpiritu Prophetico ſe in templo Dei præſentem eſſe imaginans, inquit : *Nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis , non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Unde quando Jeſus duodennis à ſanctiſſima ejus matre & S. Joſepho per triduum amiſſus fuit , ipſique ſiniſtrum aliquem eventum accidiſſe formidantes, dolentes eum quærebant : *Dolentes quærebamus te.* Sapientiſſimus juvenis eis reſpondit. *Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt , oportet me eſſe?* Quaſi dicere voluiſſet : Ut quid timetis de me , qui in templo dego , & in domo æterni Patris mei honorem & gloriam ejus promovendo commoror & occupor ? *Non accedet ad te malum*, inquit Pſalmiſta ; ſed quare ? *Flagellum non appropinquabit tabernaculo ſuo.* At vero minimè convenit, ut verba illa : *Animam meam convertit*, ſine reflexione pertranſeamus ; Quot enim quotidie in Eccleſijs fiunt converſiones fidelium , qui cum diu zizania fuiſſent, tandem in frumentum convertuntur ? Zachæus princeps Publicanorum, & homo avarus erat , qui rapinis & extorſionibus iniquis operam dabat , & tamen ſubito dignus factus eſt , qui domum ſuam in Eccleſiam commutaret , tantamque in ſe Metamorphoſin accidiſſe ſenſit, ut aurum non alio in prætio , quam lutum haberet : *Si quid aliquem defraudavi , reddo quadruplum* ; *Excepit illum gaudens in domum ſuam* , non obſtante quod hunc hoſpitem ſuum ſeptemdecim annis paupertatem aſſiduè prædicaſſe probè noſſet.

*Pſ. 22. v. 2.* Multa enarrantur bona quæ in templis recipimus. *Pſ. 64. v. 5. S. Auguſt. Pſalm 22. v. 2. & 3. Eccli. 15. v. 3. Pſ. 22. v. 3. Ibid. Pſ. 22. v. 5. Ibid. v. 6. Ibid. v. 4. Luc. 2. v. 48. Ibid. v. 49. Pſalm. 90. 10. Luc. 19. v. 8. Ibid. v. 6.*

Exemplum. *Pſ. 47. v. 10.*

3. S. Maria Ægyptiaca vitam duxerat lubriciſſimam & libidinoſiſſimam , & tamen quando Jeroſolymis templum S. Crucis ingreſſa fuit, non tam ut adoraret, quam ut ab amaſijs ſuis adoraretur , Deus ibidem cor ejus tetigit, mox ut pedem ſuum ſacro templi illius limini intulit. Unde licet Pſalmiſta dicat : *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui* , attamen peccatrix illa, utipſamet Zoſimo ſanctiſſimo Monacho retulit , dum in preſſura ingentis cujusdam multitudinis hominum urgendo templum ingredi conaretur , & juxta templi portam poſita nulla ratione penetrare

poſſet,

poſſet, quin potius ſe inviſibili quadam virtute bis terve ab Eccleſiæ foribus retrahi & dimoveri experiretur, tandem in limine Eccleſiæ divinam erga ſe experta eſt pietatem, ſiquidem ad ſemetipſam converſa, ſuamque indignitatem conſiderans, atque ab inviſibili quodam divinæ miſericordiæ radio tacta: *Suſcepit miſericordiam ſuam, non in medio, ſed in ingreſſu templi ſui, docuit eam viam bonam, per quam ingrederetur*; nam intrinſecus in corde ſuo compuncta vitam ſuam pro viribus emendare decrevit, pectusque ſuum percutiens, & peccata ſua amarè deplorans, ingreſſa eſt, talemque in ſe mutationem experta fuit, ut ex tunc vitam pœnitentem, rigidam, & immaculatam, ut omnibus conſtat, exorſa fuerit.

*Iſa 60 v.18* Meliores eximus ex Eccleſijs.

4. Merito proinde Iſaias inquit: *Contritio in terminis tuis, & occupabit ſalus muros ſuos & portas*, quis etenim domum Dei umquam ingreſſus eſt, qui non inde melior exierit, quam fuerat ingreſſus, dummodo recta cum intentione ad eam acceſſerit. Gerſon ad noſtram inſtructionem ita ſcribit: *Quamquam vallis hæc miſeriæ locus ſit univerſaliter fletus & pœnitentiæ, ubi tantò magis flendum eſſe dicit* S. Auguſtinus, *quanto minus fletur, nihilominus templorum locus ſua quidem religione & qualitate commonere facit, ut pœniteamus. Quid itaque aliud videntur prædicare imagines omnes in Eccleſia, ante, quaquaverſum, ſupra, ſubtus, & in lateribus, ea quoque quæ leguntur & fiunt omnia, niſi ut levemus ſurſum corda, & non mentiamur reſpondentes: Habemus ad Dominum? Levare autem ſurſum corda nequeunt ſane ipſi peccatores ſine pœnitentia.* Paulò poſt vero aliqua adducit ab ipſamet Eccleſia deducta motiva, ad pœnitentiam efficaciter nos excitantia: *Crux*, inquit, *& Crucifixus nonne loquuntur, ut pœnitentiam agamus? cum talem ipſum Chriſtum ante oculos ſtatuant, quo nullus umquam acerbius doluit, non pro ſuorum, ſed pro noſtrorum ſatisfactione peccatorum. Sanctorum rurſus Sanctarumque imagines idem ſuadent, ingerentes memoriæ noſtræ, quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; Denique tumbarum ſculpturæ magnis nos vocibus & lamentis ad pœnitentiam provocare non ceſſant, ingerentes quid illæ ſunt, quid fuerunt, quid nobis meruerunt, quid exigunt ut ſuum, quorum corpora incinerata tegit tellus.*

*Gerſon. T. 2. de vit. Cler.*

Alia recenſentur bona. *D. Chryſoſt. T. 1. Hom. 69*

5. D. Chryſoſtomus in quadam Homilia, cui titulus eſt: *In S. Petrum Apoſtolum & Eliam*, ita ſcribit: *Habes Eccleſiam, ſacrificium quod perficitur, habes Patrum orationes, habes Spiritus Sancti domum, Martyrum memorias & Sanctorum congregationem, multaque alia, quæ ſunt hujuſmodi, quæque poſſunt te à peccatis ad juſtitiam revocare.* In alio quoque loco idem S. Doctor multa alia bona recenſet, quæ in ſacris templis recipimus: *Qui huc*, inquit, *cum fide ac ſtudio venitat, innumeris theſauris ditatus abſcedit, & ſi tantum os aperuerit, omni ſuavitate continuo, ac ſpiritualibus opibus complebit illos, qui congreſſu ejus fruuntur, & ſi ſexcentæ ingruerint calamitates, omnes æquo animo feret, utpote qui ex Scripturis divinis, patientiæ Philoſophiæque ſufficientem occaſionem hinc acceperit.* In alia demum Homilia aſſerit, quod ad vitam puram & immaculatam acquirendam, nullus inveniatur melior locus, quam Eccleſia: *Jam vitæ diligentiam & puritatem nihil ſic efficit & corrigit, ut continua in templis converſatio, & alacre ad audiendum verbum Dei ſtudium.*

*D. Chryſoſt. T. 1. ſerm. 1. in S. Lucianum Mart.*

*D. Chryſoſt. T. 1. hom. 59.*

Propter 4. cauſas templa intramus.

6. *Doce eos viam bonam.* Quænam uſpiam via reperiri poterit, quam nos quoadusque viatores ſumus, ſecurius & facilius terere valeamus, quam via Sacramentorum, quæ divinam nobis gratiam conferunt? Hæc autem citra omne dubium & teſte experientia in Eccleſijs reperiuntur. S. Bonaventura inquit: *Quatuor de cauſis intramus Eccleſiam, ut laudemus Deum; Unde hoc: Laudate ſervi Dominum; quandoque ut oremus: Domus mea domus orationis; quandoque ut inſtruamur: Venite ad me, & ego docebo vos; quandoque ut reficiamur ſuſceptione Sacramenti, quod in Eccleſia præſentatur*; Neque enim ſolum in Eccleſia Panis conſecratur Angelorum, verum etiam ibidem ad noſtram utilitatem incruentum offertur Sacrificium, & quotidie in ſacris communionibus Euchariſticis nutrimur. Pſalmiſta regius ait: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*; Ubi, ut videtis, Domus Dei habitatio gloriæ ejus appellatur; Profectò enim inter antiquum populi Hebræorum templum & Eccleſias noſtras nulla prorſus eſt proportio, eo quod in illo nulla conferebantur Sacramenta, neque animabus ulla communicabatur gratia ſanctificans, prout fit quotidie in Eccleſijs noſtris, ac proinde cum in his ſemper perſeveret continua communicatio divinæ gratiæ; quæ ſemen quoddam & indubitatum pignus eſt gloriæ, conſequens eſt, quod non immeritò dicatur & ſit locus habitationis gloriæ Dei. Habemus inſuper nos Chriſtiani hanc prærogativam valde conſiderabilem, quod videlicet Salvator noſter in templo Salomonis non erat ſtabilis ac permanens, ſed tantum ibi morabatur per modum tranſeuntis. In domo Zachæi autem, quæ Chriſtianiſmi Eccleſiam præfigurabat, Chriſtus proteſtatus eſt, dicens: *In domo tua oportet me manere.* In Jericho Chriſtus non firmavit greſſum ſtabiliter, ſed *Ingreſſus* Jeſus *perambulabat Jericho.* Moyſes quoque, ut habemus in Exodo, Deum quidem vidit, ſed tranſeuntem: *Quo tranſeunte coram eo*, ait: *Dominator, Domine Deus*; Non verò ſic illum Iſaias vidit ſedentem in throno; Et quonam putas ſpectare hanc differentiam? Ratio hujus differentiæ eſt, quia Moyſes illum vidit in monte, in aperto campo, Iſaias autem illum vidit in loco divino cultui deſtinato: *Et ea quæ ſub ipſo erant replebant templum*; In templo autem ſtabilis & fixus eſt ad benefaciendum: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; de Chriſto in templo Salomonis conſtituto dicitur: *Ambulabat Jeſus in templo in portica Salomonis.* Præterea etiam inter gratias & beneficia divina, quæ in Eccleſijs recipimus, & inter illas quas alibi conſequimur, nulla prorſus eſt proportio; In templo enim, *Replebimur in bonis domus tuæ*; *Ego autem ſicut oliva fructifera*; Sed ubi; *In domo Dei ſperavi in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi.* S. Hieronymus legit: *Sicut oliva virens.* In templo enim omnis ſpes noſtra revireſcit, hic omne noſtrum habemus refugium. Et ſicut in Paradiſo terreſtri Deus vitæ arborem plantavit, qua mediante homo in longiſſimum uſque tempus producturus fuiſſet vitam quamdam inalterabilem & felicem: Ita quoque divina & infallibilis Providentia in Paradiſo Eccleſiæ ſuæ ad ſpiritualem & immortalem animarum noſtrarum vitam promovendam & confirmandam, arborem veræ vitæ plantavit: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi; Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*; De qua arbore multi ſervi Dei participantes ad noſtram utilitatem quotidie multa operantur mirabilia. Unde Divus Chryſoſtomus ſuos ad reliquiarum Sancti Juliani venerationem exhortans ait: *Quam multi ex quo plantatum eſt corpus iſtud in terra, ſexcentas ſanationes ex hoc ſancto loculo decerpſerunt? Nec fructus deficit; meſſuerunt ſegetem, nec conſumptæ ſunt ſpicæ, ex fontibus hauſerunt, nec exinaniti ſunt latices.* Idem quoque Chryſoſtomus in alia quadam Oratione, exhortans ad ſacrorum locorum venerationem, eo quod ſanctificata ſint reliquijs Sanctorum Martyrum, in ijsdem quoque patrocinium & interceſſionem ipſorum efficaciorem eſſe demonſtrat: *Etenim*, inquit, *ſicut milites, vulnera quæ in prælijs ſibi inflicta, Regi monſtrantes, fidentes loquuntur, ita illi in manibus abſcecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæque voluerint apud Regem cælorum impetrare poſſunt, proinde magna fide promptitudineque huc veniamus, quo & viſis Sanctorum monumentis, & conſideratis eorum præmijs, inde varios theſauros undequaque colligamus.* Idem Sanctus ſimiliter diſcurſum ſuum ad illos dirigens, qui frequentes ſunt in adeundis Eccleſijs, multas illis utilitates, quas exinde reportant, his verbis proponit: *Neque verò tantum ex admonitione, ſed etiam ex precibus, ex paterna benedictione, ex communi conventu, fratrumque charitate, atque alijs ſexcentis ex rebus multa utilitate, atque omni oblectatione percepta ſolet diſcedere, atque innumera bona domum reportare.*

*S. Bonav. in Pſalm. 117.*

*Pſ. 25. v. 8.*

Differentia inter templa antiquæ & novæ legis.

*Luc. 19. v. 5.* *Ibid. v. 1.* *Exod. 34. v. 6.* *Iſa. 6. v. 1.* *Matth. 28. v. 20.* *Joan. 10. v. 23.* *Pſ. 64. v. 5.* *Pſ. 51. v. 10.* *S. Hieron. ibid.* *Joan. 6. v. 51 & 52.* *D. Chryſoſt. Hom. in S. Julianum.*

Patrocinium ſanctorum.

*D. Chryſoſt. in Juven. & Max.*

*D. Chryſoſt. T. 1. in S. Lucian. Mart.*

In templis defendimur.

7. Regius Propheta David in ſpiritu ſe in Domo Dei præſentem eſſe imaginans, præ gaudij magnitudine abſorptus hiſce verbis exclamat: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum? Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini; Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum; Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos; Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus; Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Legatur quoque Pſalmus 41. cujus exordium eſt: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus; Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei*; Legatur, inquam, hic Pſalmus, & invenietur, Sanctum Regem ſancta quadam impatientia motum fuiſſe, donec in ſanctuario Dei

*Pſ. 83. v. 2.* *Pſ. 41. v. 2.* *Ibid. v. 3.*



comparere ſibi liceret. Subjungit ulterius: *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.* Similiter in alio quodam Pſalmo proteſtatur, dicens: *Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; ut videam voluptatem Domini, & viſitem templum ejus; Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.* Jam ante idem Regius Propheta ſimilitudinem adduxit paſſerum, qui in nidis ſuis ab omnibus defenduntur & cuſtodiuntur aëris injurijs ut per hoc nobis inſinuet, quod quamdiu in locis divino cultui conſecratis aſſiſtimus, in locis conſtituti ſimus refugij & ſecuritatis, in quibus ab omnibus corporis & animæ infortunijs defendimur, ſcutumque & arma contra imminentia pericula invenimus; Nam *in die malorum protegit nos in abſcondito tabernaculi ſui.*

*Ibid. v. 5.* *Pſ. 26. v. 4.* *Ibid. v. 5.*

Apoſtolorũ aſylum cœnaculum erat Chriſtianorũ Eccleſia prima.

8. Quando Scribæ, Phariſæi, & Principes Synagogæ crucifixerunt Chriſtum, ſimulque adverſus Apoſtolos, eorumque ſequaces acerbiſſimè ſæviebant, ubinam putas, illos ſuum adverſus iram & indignationem quæſiiſſe aſylum & refugij locum, ut tuti eſſent? Certè non alibi, quam in prima totius Chriſtianiſmi Eccleſia, quæ à corpore non ſolum viſibili, ſed etiam Euchariſtico Salvatoris præſentia ſacrificata fuit, in qua Apoſtolos ordinavit Sacerdotes, ubi Sacramentum Altaris inſtituit, ſuiſque Apoſtolis ſumendum ſuis manibus præbuit, in qua verbum Dei multoties prædicavit, ubi Paſcha ſuum celebravit, & primum obtulit incruentum Sacrificium, in qua primi fideles ad orationem ſuam faciendam unanimiter fuere congregati, in quam Spiritus Sanctus viſibiliter deſcendit, ſcilicet in cœnaculo Syonis: *Ubi erant Diſcipuli congregati propter metum Judæorum*: In hoc enim loco Chriſtus à mortuis reſurgens, apparuit eis, annuntians pacem: *Et dixit eis: Pax vobis.* Quaſi diceret: Hic tuti eſtis, nec eſt quod ullum ſiniſtrum eventum vobis ſuperventurum formidetis.

*Joan. 20. v. 19.* *Ibid. v. 20.*

*Ezech. 9. v. 3.* Refugium noſtrum templa ſint. *Theodoretus ibidem.*

9. In Prophetia Ezechielis dicitur: *Et gloria Domini Iſrael aſſumpta eſt de Cherub*; Sed quis veſtrum cauſam mihi aſſignare poterit, cur gloria Domini ab hoc ſacroſancto loco eo tempore receſſerit? Theodoretus cauſam illam ad noſtrum propoſitum optimè exponit, dum ait: *Cum enim ſit contra civitatem ſententiam laturus, extra ſancta loca id facit.* Similiter tempore Samuelis Hebræi, ob plurimas ab inimico perpeſſas ſtrages, ad peſſimum erant ſtatum redacti, cum ecce omnes dolentes & lamentantes recurrerunt ad Samuelem Prophetam; hic autem mox ad Tabernaculum Domini confugium ſuum habuit; Dicitque ſacer textus: *Factum eſt autem cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſthijm inire prælium contra Iſrael; Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthijm, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael.* Tunc Sanctus Propheta: *Tulit lapidem unum, & poſuit eum inter Maſphat, & inter Sen, & vocavit nomen loci illius Lapis adjutorij, dixitque: Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus.* Joſephus Hebræus loco verborum illorum. *Lapis adjutorij*, legit *Fortitudo.* vultiſne verò victoriæ illius merita intelligere? Audite eumdem hiſtoricum dicentem: Cum populus votis & ſacrificijs operam daret, magnamque religionem, & cultus divini curam præ ſe ferret, Samuel jubet eos ſecuros eſſe animo. Sed quid hoc mirandum, ſiquidem Deus poſtquam in ejus honorem à Salomone erectum fuerat templum, jam ab eodem conſignatam acceperat ſupplicam, quæ inter cætera arduum hoc punctum in ſe continebat? quodnam illud? Audite: *Si ſuperatus fuerit populus tuus Iſrael ab inimicis (peccabunt enim tibi) & converſi egerint pœnitentiam, & obſecraverint nomen tuum, & fuerint deprecati in loco iſto, tu exaudies de cælo.*

*1. Reg. 7. v. 10.* *Ibid. v. 12.* *Joſeph. Heb.* *2. Paral. 6. v. 24.*

## DISCURSUS VII.

## ARGUMENTUM.

Populum Chriſtianum à Deo valde dilectum, multiſque ab eodem beneficijs auctum valde dedecet, quod Deum in domo ejus offendat, ubi vel maximè ab eo honorari debebat.

## THEMA.

*Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa*, Jerem. 11. ℣. 15.

Contra Templorum profanatores.

1. QUandoquidem in duobus immediatè præcedentibus Diſcurſibus multa bona enumeravimus, quibus divina beneficentia in ſacris templis nos cumulare non ceſſat, conſequens ſane eſt, ut credamus ſeveriora quoque & rigidiora contra omnes illos decreta eſſe ſupplicia, qui aliquam ijs irreverentiam exhibent, iiſque abutuntur, quia ut Chryſoſtomus ait: *Quo majora quis beneficia conſecutus eſt, eo majori ſubjacet culpæ, ſi nullo beneficiorum acervo victus in ingratitudine perſeverat.* Cui conſentit Author imperfecti, dum inquit: *Quo majora beneficia hominibus ſunt conſtituta, tanto majora peccantibus judicia ſunt præparata.* Unde ſciendum eſt, quod per hujuſmodi ſacrilegam irreverentiam Deus adeo exacerbetur, ut in ſimilis reatus occaſione Jeremiæ præceperit, dicens: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me in tempore afflictionis eorum*; Cujus immediate poſtea rationem aſſignat, dum ait: *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Quæ omnia verba ſigillatim ponderari merentur, ſed in pondere Sanctuarij.

*D. Chryſoſt. Hom. 53. in Matth.* *Auth. imperf. Hom. 1.* *Jer. 11. v. 14*

Juſta Dei expoſtulatio.

2. Dicit igitur primò: *Quid eſt?* quaſi dicere vellet: Quodnam populus meus motivum habet, ut domum meam profanet? Cur adeo ſe irreverentem & ingratum exhibet, ſpecialiter in loco ad me honorandum & colendum deſtinato? Verumtamen populum Judaicum tantiſper diſſimulando prætereamus, & diſcurſum noſtrum ad impios dirigamus Chriſtianos, locorum ſacrorum profanatores. *Quid eſt?* Quodnam eſt contemptus domus meæ motivum? Quamnam Chriſtianiſmo contemptus hujus cauſam dedi? Quænam in domo mea damna paſſus eſt? Imo quæ bona à me non recepit, tam ſpiritualia, quam corporalia, tam temporalia, quam æterna? *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam*, dicebat olim David de templo antiquo, quod in re ipſa aliud non fuit, quam quædam, licet remotiſſima Eccleſiarum noſtrarum figura & typus. Non eſt quidem ullum dubium, quin Hebraiſmus olim magnis fuerit à Deo beneficijs cumulatus, unde Pſalmiſta ait: *Notus in Judæa Deus, in Iſrael magnum nomẽ ejus.* Verumtamen verba illa: *Non fecit taliter omni nationi*, populo Chriſtiano magis propriè & majori cum merito convenire videntur, quam Hebræorum populo. Dionyſius Carthuſianus quidem verba illa de Hebraiſmo exponit, dicens: *Populus Judæorum, cui tam multa beneficia præſtiti, atque ad cultum meum elegi*; At vero quis umquam populus majoribus à Deo beneficijs auctus fuit, quam Chriſtianiſmus? Docet communiter experientia, quod dum alicui perſonæ ignominiam inferimus, aut alijs injurijs afficimus, hoc inde utplurimum naſci ſoleat, quia ab ea injuriam aliquam, vel grave damnum accepimus: Atque ideo Deus jure merito dicit: *Quid eſt, quod dilectus meus fecit ſcelera multa?* quaſi diceret: Quid mali à me umquam recepit? aut quam à me in domo mea paſſus eſt injuriam populus Chriſtianus, quod me in eadem domo mea offendat, & injurijs afficiat?

*Pſal. 5. v. 8.* *Pſ. 75. v. 2.* *Pſalm. 147. v. 20.* *Dion. Carth. in Jerem.*

Quo fine Eccleſia adeunda ſit.

3. Porro homines, dum operantur ut homines, in cunctis operibus ſuis per diſcurſum & prudentiam procedere, non verò caſualiter operari ſolent; At verò dum Eccleſiam meam profanant, & ſupremam ac infinitam illam Majeſtatem, quam *adorant dominationes, tremunt poteſtates*, offendunt, quem ſibi in eo finem propoſitum habere poſſunt? quod illis inde naſcitur emolumentum? quodnam exinde gaudium & recreatio in illos reſultat? *Quid eſt?* Audite quibus verbis S. Carolus Borromæus in litera quadam paſtorali populum alloquatur Mediolanenſem: Quod ſi, inquit, homines in actionibus & negotijs mundanis non caſualiter aut modo fortuito agunt, ſed per judicium & prudentiam ſe gubernantes, optimè id quod faciunt, conſiderant, ſicut & finem ob quem ita faciunt, ut eam operi faciendo adhibeant diligentiam & induſtriam, quam operis qualitas & momentum requirit, quanto eſt rationabilius, quod quando ad Eccleſias, ſtationes & indulgentias (tantæ nimirum conſiderationis negotia) contenditis, bene conſideretis, quid facturi ſitis, aut quo fine illud facere debeatis? Eccleſiæ eo præcipuè fine viſitantur, frequentanturque Domini noſtri & Sanctorum ſolemnitates, ut myſteria illarum ſolemnitatum colantur & venerentur reliquiæ, ad participandam earum virtutem & efficaciam, ut per illas ad Sanctorum excitemur exempla, ut dies illi ſanctificentur, ut Sanctis illis mediantibus peccatorum veniam, aliaſque à Deo gratias obtineamus. Item Eccleſiæ eo fine frequentantur, ut venerando & tremendo Altaris ſacrificio præſentes adſimus,

*Act. Eccleſ. Mediolan. part. 7. pag. 1038.*

adſimus, ut fructum mortis & paſſionis Chriſti participemus, ut Pſalmodiam & hymnos ad divinæ Majeſtatis laudem & gloriam decantatos auſcultemus: Ad Eccleſiam ideo accedetis, ut orationes veſtras ſimul cum precibus totius Eccleſiæ Catholicæ à Sacerdotibus oblatis conjunctas divino conſpectui præſenteris; Ideo eo contenditis, ut Sanctorum interceſſiones pro vobis procuretis, ut pro peccatis veſtris miſericordiam, à tribulationibus & ærumnis mundi hujus liberationem, in neceſſitatibus veſtris divini auxilij ſubſidium, contra tentationes victoriam, & pro virtutibus acquirendis gratiam poſtuletis. Qua igitur ratione poſſibile erit, quod ob fines hoſce prædictos Eccleſiam adeuntes, nullam prorſus detis operam, ut in ea reverenter, devotè, ſilenter, in vobiſmetipſis recollecti, & ad omnia, quæ in illis fiunt aut dicuntur, prompti & parati, divinis officijs aſſiſtatis, & ſequamini præceptum Sapientis, qui dicit:

*Eccle.4.17.*

*Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei?* Refrænando videlicet omnes tuos affectus, cavendoque ne quidquam loquaris aut committas, quod loci illius ſanctitati repugnet? Hactenus S. Carolus Borromæus. Ex quibus clarè ſatis liquet, quo fine Eccleſia nobis adeunda ſit; ac proinde. *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Cur igitur ob tam diverſos, imo finibus illis, quos ſancta intendit mater Eccleſia, omninò contrarios fines ad Eccleſiam concedis? *Quid eſt?* Salvianum Epiſcopum Maſſilienſem auſcultemus, qui poſtquam expoſuiſſet, quanta cum reverentia, veneratione & cautela in Principum curias ingrediamur, in quarum antecameras non omnes, nec quovis modo admittuntur, tandem progreditur ad oſtendendam differentiam, quæ eſt inter curiam Principis terreni & Regis cœleſtis: *In templa autem, vel potius in altaria ſeu ſacraria Dei paſſim omnes ſordidi & flagitioſi ſine ulla penitus differentia ſacri honoris irrumpunt;* Mox verò ad noſtrum propoſitum loquitur, dum ait: *Non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant, ſed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum, neque ejuſdem officij eſt indulgentiam poſcere & iracundiam provocare*, Eccleſia enim domus eſt orationis ad placandam divinam miſericordiam, atque ideo, *Quid eſt, quod in domo mea faciunt ſcelera multa? qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum;* alias enim Eccleſia vobis jam non *domus orationis* erit, ſed potius hoc illi epithetum attribui poterit: *Domus exaſperans eſt.*

*Jer.11.v.15.*

*Salvian. l.3. de provid.*

Ad placandū non ad exacerbandum Deum.

4. *Quid eſt, quod dilectus meus?* Porro hæc circumſtantia culpam noſtram vehementer aggravat; *Nam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem utique*, id eſt, ſi hæc vanitas, illa profanatio ab aliquo idololatra, à Mahumetano, ab Atheiſta committeretur, aliquo modo tolerari poſſet: *Tu verò homo unanimis, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum conſenſu.* Legatur cap. 8. Ezechielis, in quo dicitur: *Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in concinno capitis mei, & elevavit me ſpiritus inter terram & cælum, & adduxit me in Jeruſalem, in viſione Dei, juxta oſtium interius, quod reſpiciebat ad Aquilonem, ubi erat ſtatutum idolum zeli ad provocandum æmulationem.* S. Gregorius ſuper hæc ultima verba fuſius declarat, cur divina juſtitia adverſus nos irritetur: *Dum enim*, inquit, *intra ſanctam Eccleſiam à nonnullis ſpecie ſola fidelibus rapinas & vitia perpetrari conſiderant, quid aliud quam in Jeruſalem idolum vident, quod idolum zeli dicitur, quia per hoc contra nos æmulatio ſuperna provocatur, & tanto diſtrictius delinquentes ferit, quanto nos charius Redemptor amat.* Etenim offenſa quæ ab amico dilecto, eoque ſummis beneficijs affecto accipitur, vivacius ſentitur: *Si inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.* Creaturæ enim irrationales & inſenſibiles, ut in 1. Diſcurſu oſtendimus, ad multorum Chriſtianorum confuſionem magnam locis ſacris varijs temporibus exhibuerunt reverentiam. Quando ſol in ſigno leonis conſtitutus ardentiſſimus erat, tunc hic Romæ in Monte Eſquilino aqua in nivem congelata deſcendit, ad delineanda fundamenta, quibus ad honorem magnæ Matris Dei templum ſuperſtituendum erat. Sæpius idololatræ, gentes excæcatiſſimæ & barbaræ majorem erga Deos ſuos (ſive, quod idem eſt, in cultum & honorem Dæmonum) exhibuerunt obſervantiam & reverentiam, quam nos Chriſtiani in venerationem veri Dei exhibere ſolemus. Magaglianes ſuper Canticum Moyſis ſcribens, notat, quod in ſanctuario nullæ umquam oblatæ fuerint carnes, quæ malum ſpirarent odorem, nulla umquam in eo per circuitum viſa fuit muſca, nullus umquam ignis de cœlo deſcenderit, qui extingueret in altari ardentem ignis flammam, nō ſpiravit ventus, qui diſſiparet odorem & fumum ex thimiamate ſuſcitatum; in panibus propoſitionis nullus umquam notatus fuit defectus; Et tametſi ad illud ſanctuarium magna in dies hominum multitudo concurreret, in illis tamen loci illius anguſtijs nulla umquam viſa fuit inordinatio, ſed omnes ſumma cum modeſtia actui adorationis ſolicite intenti erant, & tamen certū eſt, quod licet hæc omnia Dei cultum reſpicerent, omnis tamen ille honor tendebat ad carnes animalium, pecorum, agnorum, taurorum, aliorumque ſimilium, ſcilicet ad panes, incenſum &c. adeoque ad hunc religionis actum, atque ad illa venerationis ſigna, creaturæ, diſcurſus, rationis & ſenſus expertes concurrebant. *Erubeſce Sydon, ait mare.* Confundere & erubeſce ò Chriſtiane, qui in templis, ubi Filius Dei præſens eſt quoad corpus, animam & Divinitatem, & per concomitantiam tres quoque adſunt perſonæ divinæ, licet adeo ſis dilectus, totque divinis beneficijs cumulatus, attamen non ſolum nullam illis exhibes reverentiam, verū etiam gravia inſuper ſcelera committis, ut proinde merito Deus de te lamentetur, dicens: *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea facit ſcelera multa.*

*Jer.11.v.15*

*Pſ.54.v.13.*

Confuſio Chriſtianorum profanantium templa.

*Ezech.8.v.3*

*S.Greg. l.31. mor. c.7.*

*Magag. l.1. in præfat. exeget. n.13.*

*Iſai.23.v.4.*

5. Hebræi tantam templo Jeroſolymitano exhibebant venerationem, ut illud etiam procul ab eo conſtituti impensè venerarentur; Nam Eſdras Jeroſolymis portam quamdam fuiſſe refert, quæ porta Equorum vulgari nomine appellabatur, cujus nomenclaturæ Hiſtorici hanc aſſignant rationem, quia qui de longinquo ad templum orationis cauſa veniebant, ut ad hanc portam perveniſſent, ex equis ſuis deſcendebant, & ob illius ſacroſancti loci reverentiam, reliquum itineris pedites conficiebant. Deus quoque magnam ſemper in honorando hoc templo adhibuit ſolicitudinem, cum enim corda potentatum in manu ſua haberet, ipſos quoque Reges idololatras, qui Dæmones adorabant, ad illud honorandum & magnificandum inclinavit, id quod Sanctus Bonaventura notat, dum ait: *Magnam curam videbatur Dominus habere de templo, qui præcepit Cyro, ut ædificaret ſibi domum in Jeruſalem, & intelligitur de templo materiali.* Obſervat inſuper, quod Hebræi etiam, poſtquam è Babylonia, ubi in cultu veri Dei intepuiſſe credi poterant, (juxta illud: *Cum perverſo perverteris*) reverſi, tamen tantam erga templum religionem & reverentiam exhibuerint, ut primo cœperint ædificare templum quam muros civitatis, licet vicinos haberent inimicos, de quibus die noctuque timebant. 1. Eſdræ 3.

*2.Eſdr.3.v.28.*

Maxima ab Hebræis templis eſt exhibita reverentia.

*S.Bonav. in Bibl.paup. c.20.*

*Pſ.17.v.27.*

*1.Eſdr.3.v.*

6. Sanctus Bernardinus verba illa Iſaiæ capite primo adducit, dicens: *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem*, id eſt, populus Chriſtianus, *me non cognovit, & populus meus non intellexit*; quæ verba dictus Sanctus Pater ad perſtringendum Eccleſiarum profanatores adducit; ad quod idem propoſitum admirabilem quamdam refert Hiſtoriam; Prius tamen præmittit dicens: *Diſcant homines inſenſati ab irrationabilibus creaturis, quanta veneratione ſit dignum Dominicum Sacramentum, ac cum quanta reverentia & tremore converſari debeant in Eccleſijs, ubi continue habetur hoſtia conſecrata.* Deinde de ruſtico quodam avaro, & accumulandis pecunijs avido refert: Quod is *maleficum conſuluerit, fiducialiter quærens, qua via ditari poſſet, cui maleficus conſilium dedit, quod cum in Paſchate ſuſciperet corpus Chriſti, illud ſecrete ex ore extractum, ſervaret in manu, atque in apum alveolo locaret, & ſic cunctæ vicinorum apes ad mellificandum ad ejus alveolum convenirent; Quo facto, audi mirabile dictu: Apes ruſtici cum apibus vicinorum Eccleſiunculam cum altari de ipſa cera ſanctiſſimo Sacramento mirando artificio conſtruxerunt; Conſummato jam tempore venit ruſticus mel quærens in alveolis, & vaſa reperit vacua, miranſque devenit ad alveolum, in quo poſuerat Dominicum corpus audit apes mirabilibus melodijs circumquaque in aëre reſonantes, cumque appropinquaret ad locum, ubi erat Dominicum Sacramentum, ſubito quodam impetu vindicandi, omnes illæ apes irruerunt in eum aculeis ſuis illum cunctis viribus ſuis affligentes.* Tunc ruſticus criminis ſui enormitatem agnoſcens & compunctus ad confeſſionem recurrit, delictumque ſuum pariter & miraculum manifeſtavit: Cumque populus ad honorandum ſanctiſſimum Sacramentum ad locum illum accurriſſet, & ad alveare, in quo repoſitum erat, acceſſiſſet, *elevabantur apes mi-*

*Iſa.1.v.3.*

*S.Bernardin. T.1.ſer.20. A.1.c.2.*

Quam Chriſtiani diſcant ab apibus de quibus

Hiſtoria mirabilis.



*rabilibus melodijs, & concinentibus choris in aëre jubilabant; Sacerdote itaque reverenter proſpiciente in alveolum, cernit in eo Eccleſiunculam ceream cum altari miro artificio ab apibus fabrefactam, & ſuper altare reſidere ſanctiſſimum Sacramentum; ſtupet Sacerdos, ſanctique admirati replentur devotione, extrahentes prædictam Eccleſiam cum Dominico Sacramento, & debita devotione ad Eccleſiam transferentes pro ſummis reliquiis ſervaverunt.* Tandem vero Sanctus Bernardinus narrato hoc miraculo his verbis concludit: *Ex his manifeſte apparet, qua reverentia & timoroſa devotione aſſiſtere habent omnes Eccleſijs, in quibus adeſt Dominicum Sacramentum.* Quantum autem populus Chriſtianus à Deo dilectus, ſummiſque beneficiis honoratus, præ cunctis aliis ad hanc venerationem exhibendam deberet eſſe ſolicitus.

Quam grave ſit ſcelera in Dei domo committere.

7. *Quid eſt, quod dilectus in domo mea?* Hæc ultima verba, ſcilicet, *in domo mea*, malitiam irreverentiæ, qua Deus in propria domo ſua, & velut in faciem contemnitur, mirè aggravant; Et ideo Deus hiſce verbis dicere velle videtur: Non hic conqueror de impudicitia & inhoneſtate, quam laſcivi committunt in proſtibulo, nec de injuſtitiis, quæ in tribunalibus fiunt, nec de invidorum murmurationibus & detractionibus, quæ fiunt in aulis, nec de extorſionibus & rapinis, quæ paſſim & ubique locum habent, ſed de illis iniquitatibus & ſceleribus, quæ locorum ſacrorum profanatores in domo mea impudenter attentare præſumunt. David proinde de illis, qui in locis ſacris irreverentes ſunt, loquens, divinam ſuper eos juſtitiam his verbis implorat: *Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem*; aſſignatque rationem valde conſiderabilem, ex qua clare agnoſci poteſt, quam ſint ſeveriſſimo ſupplicio digni, qui Deo in propria domo injurias irrogant; Dicit enim: *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto? & gloriati ſunt, qui oderunt te in medio ſolemnitatis tuæ.* Quænam enim eſt illa malignitas, quod Chriſtianus aliquis ad hoc ut dæmoni capitali locorum ſacrorum inimico (utpote à quibus ſe excluſum videt, quæque inſtructiſſimum adverſus ſuam tyrannidem novit eſſe armamentarium) complaceat, illos in Eccleſia criminum exceſſus committat, quæ alibi impunius committere poſſet? Numquid igitur in plateis, foris, & aliis locis publicis loca deſunt, in quibus laſcivos tuos obtutus lubricis objectis exſatiare, nundinas agitare, diſcurſus obſcœnos & illicitos miſcere poſſis, abſque eo quod ad illa perpetranda in Eccleſiam, quæ domus Dei eſt, venire neceſſum ſit? *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto?* Poterant quippe detractiones illæ, illa vindictæ machinamenta, nec non & omnia alia peccata alibi committi; at non vero malignus, qui domum Dei cane & angue pejus odit, in hoc unice connititur, ut Chriſtiani in ejuſcemodi ſacris locis reos ſe & culpabiles efficiant, quia illos non ſolum peccatores, ſed & ſacrilegos efficere amat. Parum nimis eſt, quod Salvianus dixit, dum ait: *Eccleſias vel potius templa, atque altaria Dei minoris reverentiæ quiddam habent, quam cujuſlibet minimi, ac municipalis judicis domum.* Parum nimis, inquam, dixit, quia ejusmodi ſacrilegi longè minorem reſpectum templo deferunt, quam proſtibulo; in hoc enim frequenter ob certos quoſdam reſpectus humanos, ne ſcilicet ſibi ex concurrentium zelotypia aliquam inimicitiam concilient, à propriorum appetituum proſecutione deſiſtunt, cum tamen nullum prorſus Eccleſiæ reſpectum deferant; adeoque dæmone ſe deteriores eſſe probant, Teſte namque Apoſtolo, dæmones infernales in ipſo quoque inferno ad prolationem nominis Jeſu genua ſua flectunt: *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum:* at vero hi, ut per experientiam videmus, in domo propria Dei, genua ſua non ſolum non flectunt, verum etiam ſacratiſſimo corpori Chriſti dorſum ſuum obvertunt, & ideo erga illum ipſis quoque ſpiritibus infernalibus irreverentiores exiſtunt. Optime proinde Divus Chryſoſtomus illos interrogat dicens: *An non habetis domos ad nugandum? An Dei Eccleſiam deſpicitis, & eos etiam corrumpitis, qui volunt eſſe modeſti & quieti?* Porro in Eccleſia primitiva ob continuas perſecutiones nullæ adhuc Eccleſiæ publicæ erectæ erant, prout poſtea Conſtantini Magni tempore factum fuit; ac proinde domibus vice templorum utebantur; Unde Divus Chryſoſtomus ita ſcribit: *Tunc etiam domus erant Eccleſiæ, nunc autem etiam Eccleſia eſt domus, vel potius quavis domo deterior; nam in domo quidem bene conſtitutum videris or-*

*Pſ.73.v.3.*

*Ibid.*

*Salvian.l.3. de gubernat.*

*Phil.2.v.10.*

*D.Chryſoſt. Hom.36.in 1.ad Cor.*

*D.Chryſoſt.*



*dinem; nam Domina quidem domus ſedet in ſede, cum omni honeſtate, modeſtia, & decore, & ancillæ texunt cum ſilentio, & ſinguli ex famulis in manibus habeat, id quod eſt eis mandatum; hic autem multus eſt tumultus; magna confuſio, & à caupone nihil noſtra differunt, tantus eſt riſus, tanta perturbatio?* Rabanus quoque ait: *Quid prodeſt audacter ingredi limen domus Dei, erecta cervice ſtare, & non ſolum cor, ſed & manus habere pollutas, furto, homicidio, adulterio, perjurio, ſacrilegio?*

*Raban. l.4. in Jerem.17.*

8. Atque hinc eſt, quod Deus lamentatur dicens: *In domo mea fecit ſcelera multa.* Etenim ſi in Eccleſijs defectus aliquis per ignorantiam vel per inadvertentiam committeretur, eſſet is adhuc excuſabilis: at vero ita ſe res non habet, & ideo culpas, quæ in ejus domo committuntur, tametſi alias culpæ ſint non adeo graves, *ſcelera*, vocat, quia ut in ſequenti diſcurſu dicemus, ſanctitas loci culpam in eo commiſſam maxime aggravat. Sanctus Ambroſius in quodam ſermone contra nonnullos in Eccleſia irreverentes, damnum & ſtultitiam illorum graviter perſtringit dicens: *Eos cum parvo peccato ad Eccleſiam venire, & cum peccatis multis de Eccleſia recedere.* Contra ſimiles Deus valde lamentatur, tamquam qui ipſum peccatis ſuis ſervire faciunt: *Verumtamen me ſervire feciſti in peccatis tuis.* Multi enim ſunt, qui in hanc vel illam domum, ut illicitis deſideriis ſuis frui poſſint, ingredi non audent, ut hujus vel illius mulieris pudicitiæ inſidientur, ac proinde Eccleſiis abutuntur, ut in illis per obtutus, geſtus & verba obſcœna illius ſibi nundinentur honeſtatem, hacque ratione Deum & domum ejus ſacroſanctam peccatis ſuis ſervire faciunt.

*Jer.11.v.15.*

Graviora ſunt ſcelera quæ in templis committuntur.

*S. Ambr. T.5.ſer.33.*

*Iſa.43.v.24.*

9. Merito igitur Sanctus Carolus Borromæus in ſupradicta Epiſtola Paſtorali contra ejuſmodi lamentatur, dicens: O nimium quantum amiſimus & retroceſſimus à bonis morum noſtrorum inſtitutis, ſanctiſque ipſorum moribus. Parum hodie diſcriminis facimus inter domum Dei, & quemlibet alium locum profanum, atque ideo in Eccleſia inter pleroſque ſermo tantum eſt de novellis, lucris, negotiis, litibus, mercimoniis, contractibus & ſimilibus ejuſdem generis profanis rebus; imo (quod tamen ſine graviſſimo cordis dolore exprimere non valemus) in iiſdem ſacris & Deo dicatis locis de modo honeſtarum mulierum pudicitiam expugnandi ſæpiſſime ſermones miſcemus, neque illas in eadem Eccleſia per oculorum laſcivos nutus & verba impudica moleſtare deſinimus; neque tandem quidquam eſt adeo profanum aut malum, de quo ab illis in Eccleſia non miſceantur colloquia, aut modus illud exequendi non excogitetur. Mox quoque in eodem loco rationem aſſignat valde conſiderabilem, ob quam ſimiles Chriſtiani adeo temere & arroganter Deum in domo ſua propria verbis his injurientur, & contumelia afficiant; Ad quæſitum namque à principio propoſitum: *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* reſpondet dicens: Ecquid mirum eſt, quod homo in Eccleſia materiali Deo dicata irreligioſum & indevotum ac irreverentem ſe exhibeat, quando corpus & animam ſuam, quam Sanctus Paulus templum Spiritus Sancti appellat, profanare non erubeſcit, illudque ſæpenumero dæmoni dedicat? Hæc igitur unica cauſa eſt tot malorum, hinc naſcitur, quod Deum in Eccleſiis ſuis inhonoremus, & injuria afficiamus, quia ſcilicet ipſum à ſpirituali animarum ſuarum templo penitus excluſerunt. Quomodo enim illi curant, ut ſint unus ex vivis lapidibus illis, quibuſcum in æterna gloria cæleſtis illa Jeruſalem, unum illud & æternum Dei templum fabricandum & erigendum erit: ſi hic in terris corpus & animam ſuam, quæ templa ſunt Dei vivi, dæmonum templa eſſe fecerunt? Hucuſque verba ſunt Sancti Caroli Borromæi ſanctiſſimi Archiepiſcopi Mediolanenſis; Ex quibus liquide deducitur, ideo devotionem in Eccleſiis nullum apud Chriſtianos locum habere, quia videlicet timor Dei apud illos locum non habet; vel quia corporum & animarum ſuarum templa myſtica omnis generis turpitudinibus dehoneſtant & profanant; ſiquidem ut ſuo loco videbimus, tales ſacrilegi homines impij & peſſimi ſunt, omnemque Dei timorem penitus amiſerunt.

*Act.Eccleſ. Mediol.p.7. pag.1040.*

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Sanctitas ſacris locis debita culpam eadem profanantis irremiſſibilius aggravat.

THEMA.

*Vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt hic,* Ezech. 8. ℣. 9.

Circumſtantia loci peccatum aggravat.

1. DEus non ſine myſterio Ezechielem Prophetam ſacrilegia abominanda, quæ in domo ſua committebantur, videre jubens, uſus eſt dictione illa. *Hic*, quia circumſtantia loci ſacri deteſtabiliorem efficit peccati reatum; Nec ſufficit illi, quod peccara *abominationes* vocaverit, ſed inſuper illas *abominationes peſſimas* appellat: *Vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt*; Paulo ante enim dixerat: *Fili hominis, putaſne vides tu, quid iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſraël facit hic, ut procul recedam à ſanctuario meo*; Nec mirum, quod peccata in templo commiſſa *abominationes magnæ* appellentur, quia Philo Hebræus dicit magnam eſſe differentiam inter peccata, quæ intra domos privatas committuntur, & alia, quæ fiunt in locis ſacris: *Quamdiu intra privatos parietes, locaque profana continentur, minus peccare mihi videntur: ubi vero turpitudo torrentis in morem populans omnia, vel ſacratiſſima templa irrumpit, quidquid in his ſanctum eſt, ſternit.*

Philo Hebr. lib. de Cherub.

Lev. 5. v. 15. Probatur.

2. Deus noſter in capite quinto Levitici hoc ſacrificium & oblationem ordinavit: *Anima ſi prævaricans cæremonias, per errorem in his, quæ Domino ſunt ſanctificata, peccaverit, offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis, juxta pondus Sanctuarij.* In capite autem ſexto ſequente Moyſes aliam quamdam oblationem à Deo præſcriptam refert, pro injuria proximo illata faciendam: *Pro peccato ſuo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti juxta æſtimationem menſuramque delicti.* Circa cujus utriuſque oblationis inſtitutionem quærendum venit, cur in primo tantum caſu, non vero in ſecundo ſicli ſanctuarij mentio fiat? quidnam enim hæc denotat differentia? Sed in promptu eſt reſponſio; quia in primo caſu error contra eum militat, qui res ſacras irreverenter tractat, licet etiam per errorem id fiat, non vero per malitiam, & ideo Origenes conveniens omnino fuiſſe dicit, ut illud peccatum majori quodam expiaretur ſacrificio, quam alterum, ejuſque hanc reddit rationem; *inter eſt enim peccare in ſanctis, & peccare extra ſancta.*

Ibid. c. 6. 16.

Origen. Ibid.

Per hæc peccata Divina irritatur juſtitia.

Ezech. 8. 17.

3. Poſtquam Deus Ezechieli ſcelera in templo & in ſanctuario commiſſa demonſtraſſet, accepta in manu bilance, cum pondere ſanctuarij offenſarum gravitatem exacta trutina ponderavit, & ad Prophetam converſus dixit: *Et dixit ad me: certe vidiſti fili hominis; Numquid leve eſt hoc domui Juda, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic? quia replentes terram iniquitate, converſi ſunt ad irritandum me*; Ubi notandum, quod Deus expreſſe proteſtetur, quod per hæc peccata, divina irritetur juſtitia, totuſque mundus malignitate & impietate repleatur.

1. Reg. 2. v. 17.

Quo ſanctior locus eo gravior offenſa.

Ibid. v. 34.

4. Filij Heli ab ipſomet Spiritu Sancto enormes fuiſſe peccatores declarantur: *Erat peccatum puerorum grande nimis*, atque ideo dum caput, in quo hoc refertur, nondum finitum eſſet; ecce ira Dei per ſeveriſſimorum ſuppliciorum fulmina ſuper ipſos cecidit: *In die uno morientur ambo*; Sed dicite ſodes, quodnam vel quale erat hoc peccatum? Quia nimirum oblationes, quæ ad tabernaculum portabantur, rapiebant, ac proinde non ſine myſterio ſacer textus ſubjungit: *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino*; Siquidem hanc extorſionem in facie tabernaculi committebant; & ſic *retrahebant homines à ſacrificio Domini.* Multa enim ſunt peccata, quæ alias diſſimularentur, quæ tamen ſi in Domo Dei committantur, ſeveriſſime à Deo puniuntur; nam ut Sanctus Thomas à Villanova in concione quadam in dedicatione Eccleſiæ dicit: *Quanto ſanctiora ſunt templa & ſacratiora, tanto deteriora & graviora ſunt ſacrilegia! audiat hoc omnis Chriſtianus.* Hinc eſt quod Sanctus Hieronymus calamum ſuum exacuerit in Epiſtola quadam contra Sabinianum conſcripta, eo quod Sanctimonialem quamdam monaſterij, præſepio Salvatoris Bethlehemitico vicini, ad illicita tentaſſet; Dicit enim inter cætera: *Paveo & perhorreſco ponens tibi ante oculos opus tuum: Inter oſtia præſepis Domini, amatorias literas ſolvebas, ſtabas in choro pſallentium, & impudicis nutibus loquebaris? Proh nefas, non poſſum ultra progredi.* Ideo etiam Sanctus Bernardinus monet, quod quanto ſanctior locus eſt, in quo Deus offenditur, tanto quoque gravior & inexcuſabilior culpa ſit: quæ inde contrahitur: *Quanto ſanctior locus eſt, tanto ibi commiſſa gravior eſt offenſa.*

Ibid. v. 17.

Ibid.

S. Th. à Vil. in ſerm. in Dedicatione Eccleſiæ.

S. Hieron. Ep. 48. cont. Sabinian.

5. Ponderatione digniſſima eſt illa de Chriſti in deſerto tentatione Hiſtoria Evangelica, Etenim ſuperbus Lucifer filium Dei humeris ſuis, ut ita loquar, impoſitum ſuper pinnaculum templi collocare præſumpſit: Sed dicite ſodes, quem ob finem id fecit? num forte ideo, ut ei dicere poſſet: *Mitte te deorſum?* at vero ſi ſolum ipſum inde præcipitare intendebat, numquid alias rupes & loca eminentiora magiſque inacceſſa hunc in finem ſeligere poterat: Scitiſne qualenam ergo hac in re cenſeam latere myſterium? *Omnia in ſapientia feciſti*: Etenim ſapientia incarnata idipſum ad noſtram eruditionem circa ſe fieri permiſit, ut nimirum inde intelligeremus, quod inimicus tartareus nulli rei tanto cum ſtudio & induſtria intendat, quam ut multis animabus præcipitium procurare poſſit; Sed ubi illud exequetur? In locis divino cultui conſecratis, quia ſcit, quod ſicut is, qui in planitie cadit, magnum aut periculoſum lapſum non facit, bene tamen alius, qui præcipitatur ab alto & ſublimi loco, ita quoque optime intelligit, quod is, qui fragilitatem aliquam in theatris, in proſtibulis, in foro aut plateis committit, tametſi Deum offendat, facilem tamen reatus ſui conſequetur veniam, non vero item is, qui Deo in faciem, id eſt, in Eccleſia & domo ſua propria injuriam infert.

Qui in templis peccant difficulter conſequuntur veniam.

6. Deus olim per Pſalmiſtam lamentabatur dicens: *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile*; ſed numquid abunde ſuffeciſſet, ſi dixiſſet, illos vitulum adoraſſe, vel altare vitulo erexiſſe? Cur igitur ulterius uno eodemque tempore locum, ubi hoc fecerant, tam accurate ſpecificat? Sciendum igitur eſt, quod *Mons Horeb* ex veri Dei in eodem præſentia ſanctificatus fuerit, ibidemque iis legem ſuam tradiderit, in qua inter cætera vetabatur: *Non facies tibi ſculptile*; Quod vero aliquis idola in foris, in theatris, vel in proſtibulis adoret, tolerabilius eſt, quam ſi in Eccleſia hoc faceret, ubi Deus quotidie tot diverſis modis beneficia nobis quotidiana confert, ubi quoque non deſunt miniſtri Evangelij, qui ex parte Dei profanatoribus ſimilium locorum pœnas & ſupplicia debita comminentur, quique fidelibus obſequium & reverentiam Eccleſiæ debitam zeloſe inculcent. Optime igitur Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis ait: *Affectiones perverſæ, quæ ſeparant à Deo damnabiliter, fiunt ubique, damnoſius in Eccleſia, negotiationes præterea ſæculares olim fiebant in templo Jeroſolymitano, diſplicibiliter Chriſto, hoc ex ſuo zelo ſubvertente cathedras nummulariorum apparuit, nunc diſplicibilius fiunt in templis ſuis, in quibus myſteria magis ſpiritualia convenit celebrari.* Deus porro in Ezechiele variis in occaſionibus delictorum populi ſui mentionem facit, verumtamen illa nuſquam abominationes appellat, tametſi etiam in nonnullis locis de ejus idololatria differat; Cur igitur ſolum in hac occaſione irreverentiæ locis ſacris irrogatæ peccato, deteſtabile hoc nomen attribuit? nimirum ut tanto vivacius nomen hoc obſervetur, & caveatur, & ponderetur peccati hujus enormitas & gravitas, credaturque ſacrilegia hæc eſſe *abominationes peſſimas, quas faciunt hic*, id eſt, in Sanctuario meo, & coram facie mea, cum ſumma dignitatis meæ injuria.

Pſal. 105. v. 19.

Hoc peccatum abominatio apud Deum.

Exod. 20. v. 4.

Gerſon T. 2. de vit. Cler.

7. Sanctus Auguſtinus ad laſcivos & licentioſos illos juvenes ſe reflectens, de quibus in libro Sapientiæ fit mentio, quique inter ſe dicebant: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*, ita ſcribit: *Illi cum de ſua luxuria cogitarent, delicioſorum agrorum ſolitudines meditabantur, dicentes: Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, quomodo ergo parceret Chriſto, ſi eum inveniſſet in terra, qui quidem non ſolitaria prata irritandis libidinibus ſuis, ſed frequentiſſimas Eccleſias elegit regnantis in cœlo?* David qui tot annis continuis vitam prorſus immaculatam tranſegerat? neſcio quomodo in illud cum Betſabæa commiſſum adulterium inciderit; at vero quod magis mirandum, hoc eſt, quod ſcilicet ob hoc peccatum tanta cum ſeveritate caſtigatus fuerit, non obſtante quod alias hoc de illo perhibuerit teſtimonium, quod ſcilicet vir eſſet ſecundum cor Dei. Legantur horrenda ſupplicia, quæ eidem ex parte divinæ juſtitiæ à Nathan annuntiata fuere, qui vix dum illum reprehendiſſet, ſtatim reſipiſcens auſteriſſimam cœpit agere pœnitentiam. Quænam vero tam ſeveræ punctionis ratio fuit? Scitis quid ad hoc quæſitum reſponderi poſſit? Nimirum idipſum, quod Nathan ei dixit: *Quare contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo?* Sed qua ratione David in conſpectu Domini adulterium commiſiſſe dici poteſt? Pro hujus intelligentia obſervandum

Sap. 2. v. 8.

S. Aug. ſerm. 246. de temp.

Peccatum Davidis aggravatum erat quia commiſſum in domo ubi Arca erat.

2. Reg. 12. v. 9.

quod



quod David arcam ſive tabernaculum in palatium ſuum regium deportari fecerit, hoc autem ei fræni loco eſſe debebat, ne locum illum profanaret, licet enim arca non in eodem conclavi cum David, ſed procul ab eo ſecluſa eſſet, ættamen intra ejuſdem palatij diſtrictum aſſervabatur recondita; Hinc eſt quod errorem ſuum deplorans, eumdem per hanc circumſtantiam aggravatum fateri ſolitus fuerit, dicendo: *Malum coram te feci.* Imo vero, ut Chriſtus apud Sanctum Matthæum dicit: *Qui jurat in altari, jurat in eo & in omnibus, quæ ſuper illud ſunt, & quicumque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipſo*: ita quoque aſſerere poſſumus, quod quiſquis in Eccleſiam peccat, peccat quoque immediate contra Deum, qui in ea præſens adeſt, juxta illud: *Dominus in templo ſancto ſuo*; ipſumque Deum in faciem ſuam offendit ideoque ſe cum impiis illis excuſare nequit, qui dicebant: *Circa cardines cœli perambulat, & noſtra non conſiderat*; Neque dicere poſſunt cum laſcivis illis ſenioribus Judicibus: *Quis nos videt?* Si enim Chriſtiani ſunt, Chriſtum in altaris Sacramento præſentem eſſe, aut Eccleſiam veram & propriam ejus domum eſſe diſſimulare, non poſſunt: utpote de qua Pſalmiſta ait: *Elegit eam in habitationem ſibi.* Et iterum: *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſraël.*

Pſal. 50. v. 6.

Matth. 23. v. 20.

Pſal. 10. v. 5.

Job 22. v. 14.

Pſal. 131. 13.

Pſal. 21. v. 4.

8. Aggravat præterea malitiam noſtram notitia, qua certi ſumus, quod Deus Eccleſiam, eo fine elegerit, ut inibi honoraretur, & glorificaretur à nobis. Unde Pſalmiſta dicebat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; ubi habitans glorificaris*, inquit Interlinearis, *ut non ſibi, ſed tibi detur gloria, & ideo non ſimpliciter habitationis, ſed ubi habitat gloria*; Ex quo enim in locis ſacris gratiam accipimus, conſequenter etiam gloriam nos ibidem accipere dici poteſt; quænam vero eſt temeritas, quod in iiſdem locis Regem gloriæ non ſolum non glorificemus, ſed & injuriemur & offendamus eumdem? Quid ſi aliquis, qui ob debitum unius integri millionis in carcere inter vincula & catenas emori debuerat, à Principe aliquo loco carceris multis afficeretur beneficiis, ſcilicet vel ſatisfaciendo pro debito illius, vel illud ei liberaliter condonando, & inſuper integro Regno augeretur: is autem poſtea adeo ſe erga benefactorem ſuum ingratum exhiberet, ut eum contumeliaretur, & in propria regia, in qua tot fuerat beneficiis cumulatus, mortaliter vulnerare non dubitaret, numquid talem non ſolum uno, ſed millenis infernis dignum eſſe diceres. Hic autem caſus in Chriſtianis *in terminis accidit*, utpote qui Deum quotidie in ſua Eccleſia graviter offendunt & contumeliantur, in qua Deus illis peccata ipſorum toties dimiſit, & in qua Regnum cœlorum, quod jure amiſerant, denuo recuperarunt.

Pſal. 25. v. 8.

Interlin.

Quanta ſit temeritas in templis peccare.

Hujuſmodi peccata Deus graviſſime punit.

Lev. 10. v. 2.

9. Licet Deus multa peccata graviſſima hactenus diſſimularit, adeo ut nullum iis immiſerit ſupplicium, ſed cum patientia & longanimitate in alteram uſque vitam vindictam illorum ſuſpenderit; attamen iræ ſuæ fulmina ſuper filios Aaron Nadab & Abiu repente immiſit. Sed in quanam re conſiſtebat illorum tranſgreſſio? nimirum ignem ſacrum thuribulo ſuo imponere negligentes, uſi ſunt igne profano, ac profano, ac proinde ſubito lapſus eſt ſuper eos ignis de cœlo, qui eos penitus excuſſit, fuitque inſuper ad exaggerandum ipſorum exceſſum & peccati commiſſi enormitatem, patri aliiſque omnibus prohibitum, ne ob hanc infelicem filiorum ſuorum mortem vel unicam effunderent lachrymæ ſtillulam. Ecce tibi qualiter peccata cæteroquin facile condonabilia, ex eo tamen, quod fuerint in loco ſacro commiſſa à Deo irremiſſibilia eſſe declarentur, caſtigenturque ſeveriſſime. De quibus D. Chryſologus ait: *Dum contaminare externo igne altaria præſumunt, ipſius altaris conſumuntur incendio, ut ſumerent de ſacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum.*

D. Chryſol. ſerm. 26.

Quanto locus ſanctior tanto offenſa gravior.

10. Dic ſodes, quænam ſit cauſa, quod Lucifero ſubito, ut peccavit, ſine ulla remiſſione apertus eſt infernus, unde numquam per totam æternitatem aditum habiturus eſt ad veniam, cum tamen mox ut protoparens noſter ceciderat, Deus in medio Paradiſi terreſtris coram ipſo comparuit, ut eum invitaret ad pœnitentiam, divinæque miſericordiæ brachia ad eum amplexandum panderet, unde ſancta Mater Eccleſia canit: *De Parentis protoplaſti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morſu in mortem corruit, ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret?* Scitiſne quid ad hoc dubium reſponderi poſſit: Quanto locus ſanctior eſt, tanto ibi commiſſa gravior eſt offenſa. Legatis diſcurſum, quem Ezechiel cum Lucifero miſcuit; Inter cætera enim invenietis, quod dixerit ei: *In multitudine negationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & ejeci te de monte Dei.* Peccavit ergo Lucifer, ſed in cœlo, in facie Altiſſimi; ac proinde hæc culpa pondere ſanctuarij librata, tantum viſa eſt in ſe pondus habere, ut nec cœlorum ſoliditas viſa fuerit ſufficiens, quæ tanti ſceleris gravitatem ſuſtinere poſſet, ac proinde in abyſſum uſque prolapſus eſt. Porro per montem Dei, ſive montem ſanctum Eccleſia intelligitur; Unde Sacerdos ad altare aſcendens hæc verba recitat: *Ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Et D. Chryſologus opportune ad propoſitum noſtrum dicit: *De cœlo cadit, in cæleſtibus qui deliquit, deſperatus incurrit, qui in ipſis dominantis oculis offendit, & excuſatione caret, qui facinus ipſo judice teſte committit; aut quam defenſionem ſperat, quem teſtimonium conditoris accuſat?* Sic diabolus cum eſſet Angelus, & in cœlo, & coram Deo ſemper chariſſimus verſaretur, dum in Dei ſuperbit aſpectu, lapſus ad terram, ad tartara dejectus in diabolum mutatur ex Angelo.

Hymn. Eccl.

Ezech. 28. v. 16.

Pſ. 42. v. 3.

D. Chryſol. ſer. 26.

11. Præter conſiderationes in diſcurſu præcedenti ſuper textum Jeremiæ ſuperius adductum factas, extra propoſitum me non abiturum cenſeo, ſi alias quoque à ſacris Expoſitoribus in medium productas, hoc loco expoſuero: *Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa. Quaſi dicat*, inquit Hugo Cardinalis, *Magnum eſt hoc ſcelus, etiam in domo mea me inhonorare, facit ſcelera multa, ibi colendo & venerando.* Etenim idola adorare abominatio quidem eſt valde deteſtabilis, longe tamen deteſtabilius quid eſt illa adorare, aut cultum religionis illis exhibere in altaribus Deo conſecratis. Illam laſciviam, quam in Eccleſia exerces, minori cum culpa in proſtibulo exercere poteras, ut quid ergo in Eccleſiam contendis, ut illam tot obtutibus, cogitationibus, geſtibus, nutibus, verbis, & ſæpe etiam actibus obſcœnis profanes atque contamines. Poſtquam Salmanaſar Rex populum Hebræum ad nihilum redegiſſet, illumque in Babyloniam ſecum captivum abduxiſſet, ne regio ipſorum ab habitatoribus vacua remaneret, multos eò miſit Babylonios, qui aliis negotiis, quam fabricandis idolis intenti non erant; *Et immiſit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos*, at vero obſecro vos, dicite, numquid hi genibus coram falſis ſimulachris flectendis in Babylonia aſſueverant, cur igitur ibi non caſtigabantur, hic vero tam horrendo ſupplicio in eos animadvertitur? Scitiſne quo myſterio id factum fuerit? nimirum quia in Babylonia idola adorare minus malum erat, quam idipſum in Paleſtina facere, ubi præ cunctis aliis mundi nationibus ſolus verus Deus adorabatur: *Notus in Judæa Deus*; Hinc igitur culpa & peccatum ipſorum aggravatur, licet alias alibi quoque Idololatræ fuiſſent: *In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini*; Et ideo circumſtantia aggravans exprimitur, quando Deus apud Jerem. dicit: *Dilectus meus in domo mea fecit ſcelera*; Et ideo Deus noluit, ut ad divinam ſuã clementiam implorandam Propheta pro illis oraret. Unde Gloſſa ait: *Præcipitur Prophetæ, ne pro eis oret, in quos eſt jam conſummata ſententia, ne videatur oratio ejus infirma; Et ne aſſumas pro eis laudem, quaſi dicat, ne replicando veteris hiſtoriæ clementiam, qua miſerere ſoleo, & laudando meam nitaris mutare ſententiam.* Et Lyranus pariter: *Tu ergo Jeremia noli orare pro populo hoc, quaſi dicat: Non eſt dignus, ut preces tuæ pro eis exaudiantur, ſpecialis ratio ad hoc ſubditur: Quid eſt, quod dilectus, id eſt, populus Iſraël à me ſpecialiter electus, in domo mea, id eſt, in templo meo nomini conſecrato fecit ſcelera multa?* Porrò dilectum nominat ipſum, ad majorem ejus confuſionem: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit. Sicut tenebræ ejus ita & lumen ejus.* nam juxta proportionem luminis, quod Deus illi communicavit, & beneficiorum, quibus à Deo eſt adauctus; rigoroſius & ſeverius ſuper ipſum deſcendet ſupplicium. Pagninus legit: *Quid eſt dilecto meo ultra in domo mea, cum fecerit abominationes multas.* Quaſi diceret: Qua fronte in domum meam pedem inferre audes, in qua tot execrandas commiſiſti abominationes? Quis audax adeo & temerarius erit, ut qui in antecamera magni alicujus Regis, ad inferendam Regi necem gladium ſtrinxerat, nihilominus adeo ſit effrons & impudens, ut in ejuſdem Regis conſpectum ſeſe iterato præſentare non erubeſcat. Chriſtiani Deum in domo ſua mortaliter offendunt, ipſumque in domo ſua contumeliantur,

In domo Dei ſcelera perpetrare aggravat peccata.

Jerem. 11. v. 15.

Hugo Card.

4. Reg. 17. v. 25.

Iſa. 26. v. 10.

Jer. 11. 15.

Gloſſa ord.

Lyran. ibid.

Deut. 32. v. 15.

Pſal. 138. v. 12.

Pagninus.

Chriſtianorum quorumdam inverecundia.

tur, contemnunt, vilipendunt, & tamen poſtea eo regredi præſumunt, non jam dico ad poſcendam, delicti ſui veniam, ſed ad nova ibidem ſcelera perpetranda. Alius quidam interpres ſuper hunc textum ita ſcribit: *Quid venit in mentem dilecto meo, ut faciat ipſa?* quaſi dicere vellet. Quid ex eo, quod me in domo propria offendat, utilitatis in ipſum redundare poterit? quem finem ſibi propoſitum habere poteſt, dum me in templo, non vero in loco profano injuria afficit? Num forte ipſi plateæ amplæ, fora, domus ad hunc effectum conſequendum deficiunt? *Quid venit in mentem, ut ipſa faciat?* Quodnam in eo poteſt habere motivum, quod ad locum, ubi potius ad ſe mecum reconciliandum conniti debebat, ad irritandam juſtitiam meam vindicativam potius accedat. Quidnam per hoc intendit, quod in loco, ad quem properare debebat, ad participandum gratias & bona mea, quæ ibi liberaliſſime diſpenſare ſoleo, per peccata ſua potius fulmina iræ meæ in magnam ſui pernitiem à me extorqueat? *Quid eſt? Quoniam doloſè egit*, inquit Pſalmiſta, *in conſpectu meo, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* Genebrardus & Janſenius legunt: *In conſpectu ejus*, id eſt, Dei, ut ſit ſenſus, ex quo Deum in ejus præſentia & conſpectu offendit, iniquitas ejus non meretur veniam, ſed potius odium ſibi conciliabit. *Ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.*

Andr. Capell. cit. à Ghi. ibid.

Pſal. 35. v. 3.

12. Salvator noſter in Evangelio de populo ſuo graviter lamentatur, dum ſequentia illi verba improperat: *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris.* Ecce tibi malitiam, quæ divinam ſuper illos provocat vindictam, quia hæc omnia fecerunt *in ſynagogis*, id eſt, in loco divino cultui perficiendo deſtinato; Moxque ſubjungit: *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* Ubi Origenes ait: *Non quaſi filios eorum, qui interfecerunt Prophetas etiam Zachariam, exprobrat Jeſus propter Zachariam, ſed quaſi qui ipſi occiderunt Zachariam inter templum & altare*; unde circumſtantia aggravans eſt, quod hoc fecerint *inter templum & altare.* Etenim quia alij in loco profano interierunt, horum mortem ex parte diſſimulavit, at vero quia hunc Prophetam in loco adeo ſancto occiderunt, ideo juſtitia ejus adeo magnopere provocata fuit, ut eis minata fuerit, quod *venturus ſit ſuper ipſos omnis ſanguis juſtus &c.*

Quia Zacharias occiſus fuit inter templum & altare. Matth. 23. v. 34. Ideo aggravatum peccatum. Ibid. v. 35.

Orig. Tr. 26. in Matth.

13. Similiter quando ipſis Jeroſolymæ deſolationem, & populi illius ſuper omnes totius mundi gentes dilecti exterminium prædixit, ſimul etiam eodem tempore cauſam illis declaravit, ob quam illam permiſſurus ſit Deus, dum ait: *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto.* Ecce tibi ſcopulum, ad quem allidens Jeroſolyma in profundum uſque miſeriarum demerſa fuit; utique enim divina patientia & longanimitas contumelias ſibi illatas diſſimulaſſet, ſi irrogatæ fuiſſent in domibus privatis, in tribunalibus, in theatris, in proſtibulis, at vero in loco ſacro irrogatas diſſimulare nequit; Quod enim idola erigantur in viis publicis, malum quidem eſt, at vero in templo Dei idola erigere malum eſt intolerabile, & ſcelus irremiſſibile; unde illud vocat *abominationem*, non ſimpliciter, ſed *deſolationis*, idque quia *ſtantem in loco ſancto*; Et ſubdit: *Qui legit, intelligat*, id eſt, qui hæc divinæ indignationis exempla viderit, ſe emendet, ac deinceps reſpectum & reverentiam debitam domui & Eccleſiæ Dei deferri diſcat.

Templi irrogatas irreverentias Deus diſſimulare nequit. Matth. 24. v. 15.

## *DISCURSUS IX.*

## ARGUMENTUM.

Noſtra erga loca ſacra irreverentia, per reverentiam, quæ olim tabernaculo, & templo antiquæ legis deferebatur, & alia ſimilia exempla condemnatur, ſimulque domus Dei profanatores, homines perditæ ſalutis, temerarios, beſtiisque irrationalibus ſimiles & atheiſtas eſſe oſtenditur.

### THEMA.

*Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis ... blaſphemaverunt Sanctum Iſraël*, Iſa. 1. ℣. 4.

S. Bernard. T. 1. ſer. 20. A. 1. c. 3.

1. S. Bernardinus de Senis haſce Dei apud Iſaiam intentatas comminationes ſacrorum locorum profanatoribus adaptat, prout ex quodam ejus ſermone colligitur, quem ſcripſit adverſus illos, qui erga cultum Dei irreverentes exiſtunt, vere enim tales ſentina quædam ſunt & fæx omnis iniquitatis; Qui enim Deo ad hoc ſcelus caſtigandum longas eſſe manus ſcientes, ipſum tamen coram oculis ſuis & in propria ejus domo offendere non curant, quem in injuriandis alijs iis præcipue, qui infimæ ſunt conditionis, reſpectum habebunt? Quod argumentum jam dudum à S. Ambroſio motum fuiſſe reperio, dum ait: *Impietas mater quædam eſt delictorum, & qui graviora peccaverit, in cætera facile prolabitur; quomodo enim poteſt ab humanis temperare, qui divina violavit, & hominibus bonus eſſe, qui Deum læſit? atrociorem igitur ſcelerum reatum vitia reliqua ſequuntur, quoniam quo flagitioſa propenderint, eo inclinant cætera.* Nullum ejuſmodi profanatores timorem Dei in ſe habent, ſuntque perditæ ſalutis, dum Deum in propria ejus domo offendere non erubeſcunt.

Qui Deum in templo offendunt perditæ ſunt ſalutis.

S. Ambroſ. l. 2. de Abel. c. 7.

2. S. Carolus Borromæus in quadam Epiſtola paſtorali ad populum ſuum clare oſtendit, quam ſint omnis divini luminis & notitiæ Dei expertes, qui ſine ulla reverentia in Eccleſijs divinis officijs aſſiſtunt. Sic igitur S. Archiepiſcopus & Cardinalis hac de re ſcribit: O quantum mores noſtri ab antiqua majorum noſtrorum pietate ac puritate diſcrepant, quam in nobis deſiderat S. Mater Eccleſia, quamque nos noſtri docuere majores, ac denique ad quam nos, ſi nihil eſſet aliud, obligat, quod gerimus ac profitemur Chriſtiani nomen. Numquam, ô chariſſimi, fuit aut erit tempus ad faciendum talia, qualia ſunt iſta, multo minus ea admittit, quod modo vivimus tempus, in quo tot vigent hæreſes, adverſum quas una cum ſancta Matre Eccleſia credimus & profitemur omni honore & reverentia digna eſſe ſacra templa & Eccleſias à Spiritu Sancto per ritus Eccleſiaſticos dedicatas, Paradiſumque cæleſtem ſolis comparari bonis operibus, non vero per vitam diſſolutam; ac proinde cum reverentia & devotione erga res ſacras fidem noſtram factis & operibus, non vero ſolo nomine profiteri, noſque hæreticis quoad mores aperte contrarios eſſe manifeſtare debemus, & cavere, ne malo exemplo noſtro majorem hæreticis occaſionem præbeamus in ſuis erroribus perſeverandi, ſanctamque Eccleſiam ejusque ſacros ritus, & Chriſtianæ pietatis exercitia blaſphemandi & contemnendi; Ex quibus S. Caroli verbis clare deducitur, quantum hæretici à nobis Chriſtianis per irreverentiam in ſacris exercitam ſcandalizentur. Unde S. Auguſtinus illos, qui prope Eccleſias tripudia & choreas permittunt, reprehendens ita ſcribit: *Iſti qui ballationes & ſaltationes ante ipſas Baſilicas exercere non metuunt, etſi Chriſtiani ad Eccleſiam venerint, Pagani de Eccleſia revertuntur.*

Act. Eccl. Mediol. p. 7. pag. 1040. Confirmatur.

Hæretici ſcandalizantur, à perverſis Catholicis.

S. Aug. T. 10. ex ſerm. poſt Pent.

3. Hac in re ipſimet Turcæ nos confundunt, de quibus author quidam fide dignus ſcribit, quod in ipſorum Moſcheas ſive templa, canes vel ſimilia animalia conducere nemini liceat, ne forte ſtrepitum aliquem excitent, aliisque in ſua devotione diſtractiones pariant. De S. Arſenio Abbate legitur, quod dum laſcivam quamdam fœminam elegantiſſime adornatam & comptam vidiſſet, ad ſeipſum ſe reflectens amarè fleverit, dicens: Hæc mulier tanta cum induſtria ſe exornavit, ut infernum lucraretur, animabusque deprædandis in laqueum deſerviret, ego autem ad lucrandum cœlum animam meam pari cum ſolicitudine exornare negligo; Idem quoque nos Chriſtiani nobis merito improperare poſſemus, qui libenter nos à Paganis in ſua erga falſos Deos ſuos, qui dæmones ſunt, devotione ſuperari permittimus, dum nullam curam adhibemus, ut ad minus parem erga verum Deum noſtrum reverentiam exhibeamus. Proſequitur S. Carolus Borromæus in præcitato loco diſcurſum ſuum & dicit: Certiſſimum & evidens ſignum, unde animam aliquam omnis erga res ſacras pij affectus expertem eſſe agnoſcere poſſumus, eſt, ſi timorem Dei ſibi ob oculos poſitum non habeat; nullamque propriæ ſalutis curam & ſolicitudinem gerat, modicamque vel nullam erga Eccleſias & ſacra templa reverentiam exhibeat, & multo magis, ſi in ijs ea, quæ contra ipſiusmet Dei honorem pugnant, committere non dubitet. Paulo poſt vero idem facit argumentum, quod paulo ante ex S. Ambroſio adduximus; Dicit enim, quidnam ille uſpiam venerabitur aut ſuſpiciet, qui ſacra loca violare & profanare nihil timet, quique verbum Dei, laudes divinas, ſacra myſteria, Sacramenta, ac demum ipſummet tremendum Miſſæ ſacrificium, velut rem inanem pro nihilo habet? Ubinam locorum

Chavaſſ. de prud. l. 1. c. 9. Turcæ nos confundunt.

Vit. S. Arſen. Abb.



rum ſancte converſabitur is, qui ne quidem in iis locis, ubi Sanctorum aſſervantur reliquiæ, ubi Angeli continuo aſſiſtunt, ubi corporaliter, vere, & realiter præſens eſt Chriſtus, ubi Deus magnificentiam & gloriam ſuam tot modis manifeſtat, ſe modeſtum, religioſum & devotum exhibet; Quem ſibi is ex aliis rebus fructum comparabit, qui divinis gratiis tam inſolenter abutitur, qui Eccleſiis, Stationibus, Indulgentiis, Proceſſionibus aliter non utitur, quam ut ipſi ſerviant in laſciviæ & diſſolutionis ſuæ commoditatem & inſtrumentum? Hucusque S. Carolus.

4. Enimvero, ut hac de re nonnihil profundius ac diſtinctius loquamur. Primo loco multorum fidelium irreverentiam & immodeſtiam conſideremus. Sanctus Bernardus verba Jacob Patriarchæ, quibus cogitans quod in illo loco, in quo poſt multa ſæcula templum erigendum erat, ſomno indulſiſſet, ſemetipſum veluti reprehendens ait: *Terribilis eſt locus iſte*, &c. Hæc, inquam, verba mellifluus Doctor conſiderans, ait: *Terribilis plane locus, & dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli ſancti frequentant, quem ſua quoque præſentia Dominus ipſe dignatur.* Iſaias Seraphinos non in cælo, ſed in templo coram throno Dei ſtantes, non vero ſedentes vidit; Circa quam viſionem Oleaſter ait: *Dicitur eos ſtetiſſe, non ſediſſe juxta Deum, ut ſcias ad irreverentiam Domini pertinere, ſi coram eo in templo irreverenter & ſine cauſa ſedeas.* Sic quoque in multis aliis ſacræ Scripturæ locis Angeli coram throno Altiſſimi ſtetiſſe leguntur: *Et omnes Angeli*, inquit Joannes in Apocalypſi, *ſtabant in circuitu throni.* Et Daniel ait: *Decies millies centena millia aſſiſtebant ei*; ac proinde B. Petrus Damianus Archiepiſcopum Biſuntinum reprehendit, eo quod ſæculares & Clericos in templo, in quo divina celebrabantur officia, ſedere permitteret, atque ad viſionem S. Joannis, qui Angelos ſtantes viderat, alludens ait: *Ubi Seraphim ſedere non audet, ſedet homo luteus*; Ex quibus omnibus ſic licet arguere: Si ſanctus hic Doctor ſedere actum irreverentiæ eſſe cenſuit, quam igitur illi reprehenſibiles erunt, qui templa ſacra tot modis adeo indignis profanant. Auguſtiſſimus Rex erat ille, qui dicebat: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Similiter tres illi Reges Gentiles, qui tanta cum pompa & faſtu ex Oriente egreſſi fuerant, tametſi in Bethlehem venientes ſtabulum ingrederentur, ibidemq, parvulum in fœno jacentem, totoque corpore præ frigore contremiſcentem conſpicerent, attamen prono corpore ſe coram eo in terram uſque proſtraverunt: *Procidentes adoraverunt eum*, ad confuſionem multorum Chriſtianorum, qui ſcientes Dei filium ibi vere præſentem eſſe, prout impaſſibilis & immortalis ad dexteram æterni Patris ſui regnat in cœlis, & *in cujus nomine omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, tanto tamen cum contemptu terga ipſi vertunt, aliisque ſimilibus indecentiis & inurbanitatibus illum vilipendunt.

Multorum fidelium ſumma irreverentia confunditur.

Gen. 28. v. 17.

S. Bern. ſer. 4. de Dedic. Eccle.

Iſaia. 6. v. 2. Oleaſter. Ibid.

Apoc. 7. v. 11.

Dan. 7. v. 10.

B. Pet. Dam. l. 3. Ep. 8.

Pſal. 5. v. 8.

Matth. 2. v. 11.

5. In Concilio Provinciali quarto à S. Carolo Borromæo conſcripto, inter cætera decretum fuit, ut Parochi omni cum ſolicitudine notarent nomina in Eccleſiis parum reverenter, ac non debita cum veneratione verſantium. In Synodo quadam Eccleſiæ Gallicanæ, cujus canones Conciliis reperiuntur inſerti, hæc verba leguntur: *Cum Eccleſiæ cultui divino celebrando, adminiſtrationi ſacrorum & ſacramentorum, & ad nominis & auxilij divini invocationem deputentur, hortamur & monemus omnes & ſingulos nobis ſubditos, ut quoties ad eas diverterint, ſit humilis & devotus ingreſſus.* In alia quadam Synodo pariter decretum fuit, ut tres eligerentur perſonæ maturitate, exemplaritate & prudentia graves, quibus cura per Eccleſiam circumeundi incumberet: *Circumſpiciant quid quiſque agat in Eccleſia, & quomodo ſe gerat à minimo uſque ad maximum, ſi caput aperiat, genua, cum opus eſt, flectat, officio divino animum & aures adhibeat, ſi orationi incumbat. Agentes contraria, cum aliqua reverentia & modeſtia objurgent, & ad officium cogant.*

Act. Eccl. Mediol. pag. 175. Decreta.

Synod. Senon. 1524. c. 2.

Synod. Ebroic. 1576. c. 14.

6. Propheta Ezechiel inquit: *Introduxit me in atrium domus Domini interius, & ecce in oſtio templi Domini, inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem ... Et dixit ad me: Certe vidiſti fili hominis; numquid leve eſt hoc domui Juda, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic.* Similiter Deus per Jeremiam lamentatur dicens: *Verterunt ad me tergum, & non faciem.* Sciendum quoque eſt, in lege antiqua præceptum fuiſſe; cujus mentio fit in Ezechiele, quo mandabatur, ut qui per portam Aquilonarem templum ingreſſi fuiſſent, per Meridionalem inde egrederentur, & vice verſa, idque ne tabernaculo vel Sanctuario terga vertere cogerentur, & tamen nihil aliud reverentia aut veneratione dignum in tabernaculo illo aſſervabatur, quam Arca Domini, Manna, Virga Aaronis, Tabulæ lapideæ legis, thymiama, panes propoſitionis, nec quidquam in eo peragebatur præter ſacrificia, eaque vel vitulorum, vel aliorum id genus animalium; ſed quam hæc omnia cum ſacratiſſimo corpore filij Dei proportionem habent; *in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

Ezech. 8. v. 16. & 17. In lege veteri præcepta circa templi reverentiam facta. Jerem. 2. v. 27. Ezech. 46. v. 9.

7. Ex eo quoque, quod in hiſtoriis de mundo novo ſcribitur, clare deducitur, quam verum ſit, quod *multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham... filij autem regni &c.* Etenim Cornelius à Lapide de Abyſſinis refert, quod in Eccleſiis adeo ſint venerabundi & modeſti, ut numquam ſe ad ſedendum componant, quantumvis etiam ſenes ſint & decrepiti. Salmeron circa antiquum templum Jeroſolymitanum obſervat, quod verſus Meridiem erat ſubſellium Iſraëlis Regi præparatum, cum ſede ad ſedendum commoda, nulli enim alteri licebat in templo ſedere, præterquam Regi & Pontifici. Seneca *de falſis Dijs*, qui præterquam dæmones nihil in ſubſtantia aliud erant, loquens ait: *Egregie Ariſtoteles ait; numquam nos verecundiores eſſe debere, quam cum de Dijs agitur, ſi intramus in templum compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum demittimus, togam adducimus, ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cum de Deorum natura diſputamus?* Certe ut frænum aliquod modeſtiæ nobis templum adituris injiciamus, opus erit cogitare, quod ad illud properemus, vel ad verbum divinum audiendum, vel ad faciendam orationem, vel ut ſacratiſſimum Chriſti corpus recipiamus.

Hiſtoriæ.

Matth. 8. v. 11.

Cornel. à Lap. in c. 3. Act. Apoſt.

Salmeron. T. 1. Prolog. 42.

Senec. l. 7. nat. Quaſt. c. 30.

8. Quoad antiquum veteris legis tabernaculum ſupremus Legiſlator ita præſcribit: *Cum proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum, cum caſtrametandum, erigent, quisquis externorum acceſſerit; occidetur.* Nolebat igitur, quod ullus aliorum propinquius accederet, præterquam ij ſoli, qui divino cultui conſecrati erant, idque ſub pœna mortis; Nulli quoque præterquam Levitis domus ſeu tentoria juxta tabernaculum erigere licebat; Imo, ut Cornelius à Lapide ex ſententia Hebræorum refert, habitacula juxta tabernaculum non niſi ad diſtantiam unius milliaris erigere poterant, vel pro majori reverentia tabernaculi non audebant; Nec eſt, quod hoc cuipiam mirum videatur, ſi fiat attenta reflectio ad illam ab Ezechiele deſcriptam Dei querimoniam, qua contra nonnullos lamentabatur, qui domum ſuam domui ſuæ contiguam ædificare præſumpſerant: *Qui fabricati ſunt limen ſuum juxta limen meum, & poſtes ſuos juxta poſtes meos, & murus erat inter me & eos.* Ubi notanda maxime ſunt poſtrema verba; ſiquidem inter utramque domum, ſacram ſcilicet & profanam murus interjiciebatur, nec conſtat, quod intra domeſticos parietes peccatum aliquod commiſſum fuerit, & tamen Deus de illorum temeritate conqueritur, eosque tamquam irreverentes & ſacrilegos reprehendit: *Polluerunt nomen ſanctum meum in abominationibus, quas fecerunt, propter quod conſumpſi eos in ira mea.* Quid igitur in comparatione illorum de illis diceres, qui ſacroſanctum Chriſti corpus diſcurſibus, aſpectibus & actibus obſcœnis & indignis tanta cum irreverentia aperte & in faciem injuria afficiunt & vilipendunt. Nullus utique erit adeo arrogans & inverecundus, qui aulam principis alicujus ingrediatur, ibique ſine ulla ſalutatione in circulum ſe immittat, ad detrahendum honori illius, aut malum quidvis de tali Principe loquendum, multo minus tali Principi manus injiciet violentas, contumeliabitur, aut machinabitur mortem, Et tamen veriſſimum, quod hæc omnia quotidiè à Chriſtianis exerceantur, qui in ſupremi Regis gloriæ veſtibulum ſeu antecameram ingrediuntur, ut illi per tot ſcandala & offenſas mortales impudenter & ſacrilegè inſultent. *O chariſſimi*, inquit S. Bernardinus, *quanta reverentia & modeſtia circumſpecta ingredimur, & moramur in aulis Dominorum, ac præſentia Magnatum, ne quidquam irriſione dignum agamus, ſeu loquamur: quanto magis in præſentia ejus, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium*; adducitque authoritatem quamdam S. Hieronymi in Epiſtola ad Palmachium & Oceanum dicentis: *Timeo, ne quando per riſum introimus Eccleſiam, ſic de nobis rideat Deus, ſicut ſcriptum eſt: Qui habitat in cælis, deridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Magno cum myſterio ſancta ordinavit

Num. 1. v. 51. Domos ædificare juxta tabernaculum prohibitum fuit. Corn. à Lap.

Ezech. 43. v. 8.

Ezech. 43. v. 8.

Impudentia Chriſtianorum.

S. Bern. T. 1. ſer. 20. A. 1. c. 2.

S. Hieron. in Ep. ad Palmach. Pſal. 2. v. 4.

ordinavit Eccleſia, ut quotidie fideles in Præfatione verba illa auſcultent: *Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates*; Et quidem, ut credo, Eccleſia idipſum hoc forſitan ea intentione facit, ut reprehendatur per illa verba temeritas & impudentia Chriſtianorum irreverentium; qui in conſpectu ejus non ſolum non adorant, aut contremiſcunt, ſed potius illum tot fœdis peccatis injuria afficere, & in ejus præſentia effuſe ridere præſumunt.

Templi profanatio enorme delictum.

9. Quod ſi miles aliquis præſidiarius fortalitij alicujus, Principis ſui traditor exiſtens eo tempore, quo alij pro defenſione talis arcis fortiter pugnant, cum inimico de fortalitij paciſceretur deditione, numquid talem infamem, omnique acerbiſſimo ſupplicio dignum eſſe aſſeverares? Eccleſiæ noſtræ aſyla ſunt & loca refugij, in quibus adverſus inimicum infernalem defendimur, in quibus proinde continuo nobis pugnandum eſt *contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus; ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*: at vero profanatores per ſcandala ſuá, quæ in iis exhibent, aliud nihil moliuntur, quam ut inimico in illas aditum patefaciant; Enorme autem proditionis delictum eſt, quod dum omnes alij orationibus Deum placare nituntur talis irreligioſus & indevotus traditor ex altera parte fulmina indignationis divinæ contra nos provocare ſtudeat, & ideo mille infernis digniſſimus eſt. *Unus orans, & alter maledicens; cujus vocem exaudiet Deus?* Tametſi enim multi ſint, qui in Eccleſiis Deum per tot reverentiæ & devotionis actus placare ſtudent; attamen ex quo alia quoque ex parte plurimi ſint, qui ſcandalis ſuis iram Dei provocant, quonam Deum ſe inclinaturum eſſe putas.

Eph. 6. v. 12.

Eccli. 3. v. 29.

10. In catena Patrum Græcorum ponderatio quædam adducitur, ad execrandum profanatorum exceſſum aptiſſima, Eſtque S. Cyrilli dicentis: *Merito Salvator Judæorum veſaniam execratur, nec nudis dumtaxat verbis juſtam animi commotionem prodidit, verum etiam verberibus; ſervorum in morem eos duriter, ſed juſte plagis operiendo ſacris aditibus exturbavit*; circa quæ verba in primis notandum, quod Chriſtus ad ſacrilegos illos è templo exturbandos, flagello, ſcutica, vel virga uſus fuerit, quibus ad canes expellendos, vel ad gentem vilem, ſervos videlicet & mancipia caſtiganda uti ſolemus. Vere enim tales ſunt; qui Eccleſijs exiguam reverentiam deferunt. Notandum eſt inſuper, quod illos S. Cyrillus væſanos, id eſt, ſtultos appellet: *Væſaniam execratur*, hi enim ſacrilegi non ſolum timorem Dei penitus amiſerunt, verum etiam omnis ſiunt judicij, diſcurſus & rationis expertes, qui Deum inhonorant, ipſiusque iram proritant, in loco, ubi eum tamquam ſummum benefactorem ſuum honorare debebant: *Comparatus eſt jumentis inſipientibus.* Unde S. Antonius M. prouti de ipſo refert S. Athanaſius Arrianorum verſus Catholicorum Eccleſias irreverentiam prævidens oculis præ lachrymis ſtagnantibus prædixit: *Magnum quoddam & inauditum univerſis ſæculis imminet nefas; magno fides Catholico turbine ſubvertetur, & homines jumentis ſimiles Chriſti ſancta diripient. Vidi altare Domini multorum circumdatum multitudine qui crebris calcium ictibus omnia diſſipabant*; nam de his, qui erga Eccleſias irreverentes ſunt, cum Davide dicere poſſumus: *Sicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*; Muli enim proprium ſunt ſymbolum laſcivorum, qui præ cunctis aliis in Eccleſia ſcandaloſi exiſtunt.

S. Cyrill. in Caten. Græc. in c. 2. Ioan.

Profanatores expelli debent ut canes.

Pſalm. 48. v. 13.

Pſal. 31. v. 9.

Templi profanatores athei ſunt.

11. Filij Heli ſummi Sacerdotis in altari tabernaculi continuo ſacrificia offerebant, cunctaſque cultus divini functiones ſacras adminiſtrabant, & tamen Spiritus S. illos idololatras & atheiſtas appellat: *Porro filij Heli, filij Belial neſcientes Dominum.* Scitiſne cauſam? *Retrahebant homines à ſacrificio*, quia in conſpectu Domini multa extorſionum & obſcænitatum ſcelera committebant, atque ideo velut Pagani, omnique lumine & Dei notitia orbati homines à Spiritu S. reputati fuere; tales quoque ſunt templorum profanatores; ſi enim credunt (nam *& dæmones credunt & contremiſcunt*) quod ſublimiſſimæ cœlorum poteſtates coram Deo contremiſcant, infernaleſque ſpiritus coram ſublimi illa Dei majeſtate ſe inclinent, qua fronte illum non ſolum non honorare, ſed & contemnere, vilipendere & mortaliter offendere præſumunt? D. Chryſoſt. ait: *Filij Heli peſtilentes, Dominum quoque neſciebant, non quod Dominum ore negarent, ſed quod turpia facerent in tabernaculo.* Verum ſicut vindicativa Dei juſtitia acerbiſſime in eos animadvertit, ita Iſaias contra ſacrilegos profanatores detonat dicens: *Væ genti peccatrici* &c. *Væ* enim æternæ damnationis graviſſimam comminationem ſubindicat, ac proinde prouti in ſequenti diſcurſu videbimus, irreverentia in Eccleſiis exercita certum & infallibile eſt hominis reprobati ſignum.

1. Reg. 2. v. 12.

Jac. 2. v. 19.

D. Chryſ. H. in Pſ. 13.

Iſa. 1. v. 4.

## *DISCURSUS X.*

### ARGUMENTUM.

Sacrorum locorum rerumque ſacrarum profanatores à Deo pœna afficiuntur æterna, ſeque divina miſericordia indignos efficiunt.

### THEMA.

*In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.* Iſai. 26. ℣. 10.

1. TErribilis eſt hæc contra ſacrorum templorum profanatores à divina juſtitia promulgata, & ab Evangelico Iſaiæ calamo conſcripta ſententia, nimirum: *In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei*; unde Gloſſa ait: *An pœnam ſufficit, quod non videbit me regnantem in cælo cum Sanctis meis.* LXX. Interp. ibidem allegati legunt: *Auferetur impius ut non videat claritatem Dei.* Lyranus circumſtantiam illam: *In terra Sanctorum*, ponderans ad propoſitum noſtrum inquit: *Non retractus ex loci ſanctitate, quia talis peccat ex contemptu, & ideo ſubditur; Et non videbit gloriam Dei, quia numquam admittetur ad gloriam Paradiſi.* Sicut enim S. Greg. virtutem Jobi, ex eo præſertim capite mirifice extollit, quod videl. in terra Hus ſceleratiſſimis habitatoribus plena ſanctiſſime vixerit, ideoq; dicit: *Dicatur ubi habitaverit, ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuerit*, Et de Tobia ſacer textus ait: *Cum irent omnes ad vitulos aureos ... hic ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël*: ita quoque ad augendam & aggravandam iniquitatem eorum, qui in locis ſacris irreverentes ſe exhibent. Scriptura dicit: *In terra Sanctorum iniqua geſſit*; Etenim in hoc loco innumera potius motiva habent, ad excitandam in ſemetipſis devotionem, ad Deum pro innumeris bonis eis conceſſis laudandum, ad exhibendum templo, qui locus eſt habitationis gloriæ ſuæ, obſequioſum cultum & reverentiam, ad uniendum ſe cum aliis devotis fidelibus ad agendas Redemptori & Salvatori noſtro, ibidem velut in ſignatura gratiæ realiter præſenti infinitis ex titulis debitas gratias, ac proinde ſi in illo loco homo, & quidem Chriſtianus, Deum offendat, & iniqua gerat, meritiſſimo jure ſeveriſſima pœna caſtigari meretur. Scil. *Non videbit gloriam Dei*, *Dicatur ubi iniqua geſſerit, ut hoc in pœnam ei cedat, quia malus in ſancto fuit.* Procopius legit: *auferatur impius, ut non videat gloriam Domini*, In quo legendi modo, dictio illa, *auferatur*, emphaſim ſpecialem habet, utpote quæ repulſam cum violentia factam ſubindicat. Sciendum verò eſt, Deum antequam hanc ſententiam fulminaret, prius per os Prophetæ dixiſſe: *Miſereamur impio, id eſt*, ut Haymo Halberſtadienſis exponit, *permanere deſiderans in peccato, me ſibi exiſtimet miſereri, dum quotidie in deteriora labitur, & bonitatis meæ flagella non ſentit, de quibus ſcriptum eſt: Nihil infelicius felicitate peccantium*; Et ideo ſi quando Deus talibus flagella immittere tardat, manifeſtum hoc eſt ſeverioris ſecuturæ juſtitiæ indicium.

Profanatores non conſequentur Dei gloriam.

Gloſſa. Ord. Ibid.

Septuaginta.

Lyranus. ibid.

S. Greg. l. 1. mor. c. 1.

Tob. 1. v. 5.

Procop. ibid.

Iſaiæ 26. 10.

Haymo ibid.

2. Cum eadem porro in themate adducta ex Iſaia Dei ſententia, optime conſonant verba illa S. Pauli in Ep. 1. ad Cor. ubi Apoſtolus ait: *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*; Quæ verba, licet de myſtico Dei corpore, quod nos ſumus, intelligi poſſint, quia paulo ante præmiſerat: *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Unde Hugo Cardinalis ſuper illum Apoſtoli textum præcitatum dicit: *Quod facit omnis peccans mortaliter*: attamen etiam literaliter de templo materiali, quod in Dei honorem conſecratum & dedicatum eſt, intelligi queunt. 4. *Reg.* 10. *legitur, quod Jehu violavit templum Baal, & fecit cloacas, numquam vero aliquis ſic fuit iniquus, ut id faceret templo Domini*, inquit præfatus Hugo, *ſed nos quotidie hoc facimus de templo Domini, id eſt, de cordibus noſtris, Joſephus narrat, quod Pompejus fecit de templo Domini ſtabulum equorum, ſed nos de nobis facimus præſepe dæmonum. Ælius Adrianus poſuit idolum Jovis in templo ſed nos omnia idola dæmonum ponimus in templo Domini, quod ſumus nos.* Nec hoc ſolum, quin etiam quotidiana nos docet experientia, quod hæc quoque falſa ſimulachra in domo Dei erigamus, illamque velut locum omni cloaca & ſtabulo viliorem contemnamus, dum illam impudicitiis & laſciviis noſtris dehoneſtamus; ac proinde merito nobis Apoſtolus comminatur dicens: *Diſperdet illum Deus*, &c. ubi idem Hugo ait: *Diſperdet eum, ſcilicet in corpore & anima quaſi ſacrilegum.* Hoc deplorat Jeremias Thren. 4. dum ait: *Quomodo diſperſi ſunt lapides Sanctuarij?* Similem quoque expoſitionem S. Thomas eiſdem verbis adhibet dicens: *Violat aliquis templum per peccatum mortale, per quod aliquis vel ſeipſum corrumpit, vel alium opere vel exemplo.* Quotquot enim Deum in templo materiali offendunt, primo quidem templum animæ propriæ profanant, ſecundariò verò etiam domum Dei per irreverentiam ſuam, & maxime per ſcandalum, & pravum, quod aliis in ea exhibent, exemplum dehoneſtant, *Sic autem dignum eſt*, inquit S. Thomas, *ut diſperdatur ille à Domino per damnationem æternam.*

1. Cor. 3. v. 17.

Ibid. v. 16.

Simulachra multa eriguntur in cordibus Chriſtianorum.

4. Reg. 10. v. 27.

Hugo Card. in 1. Cor. 3.

Et etiam in templis.

Hug. Card.

Thren. 4. v. 1.

S. Thom. ib.

S. Thom. ibid.

Cur Phariſæus reprobatus in templo.

Luc. 18. v. 11.

3. Phariſæus ille Evangelicus ad faciendam orationem in templum conceſſerat, ibidemque magna cum reverentia in pedes erectus ſtabat: *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat*; à communi aliorum perverſorum hominum conſortio ſequeſtratus vivebat, unde ait: *Non ſum ſicut cæteri hominum*, neque enim vir carnalis, aut adulter, aut iniquus raptor erat, quin potius bis qualibet ſeptimana jejunabat, & in decimis exolvendis exactiſſimus erat, & tamen poſt hæc omnia à Deo reprobatus fuit: *Diſperdidit illum Dominus, nec vidit gloriam Dei*; at vero ſcitiſne cauſam, cur infeliciſſima hæc ſors ei acciderit? Audite Salmeronem hanc claris verbis exprimentem: *Proprius*, inquit, *templi uſus eſt, ut in illud deprecationis gratia nos conferamus, non ad negotia, vel ad pompæ oſtentationem, ad aſpectus vel laſcivos, vel obſcænos, ut plerique faciunt, qui ſub prætextu Prædicationis vel Miſſæ ad illud ſolent confluere, nullum enim tam bonum opus eſt, nec locus tam ſacer, aut tempus tam ſanctum, quibus humanæ mentis malitia non poſſit abuti.* Etenim Phariſæus quidem templum ingreſſus fuerat, verumtamen non alio fine, quam ut de operibus ſuis bonis in eo ſe jactaret & extolleret, atque Publicanum in comparatione ſui arroganter contemneret, & temerè dijudicaret; unde ſic arguere poſſumus, quod ſi miſer ille Phariſæus ex eo ſolum reprobatus fuit, quia de eleëmoſynis, jejuniis, & orationibus ſuis in loco ſacro & in domo Dei vanè gloriatus fuit, quanto magis ad infernum condemnari merebitur, qui *in terra ſanctorum iniqua agit? Qui in domo Dei facit ſcelera multa?* Sanctus Iſidorus Peluſiota ait: *Si quis templum Domini diſperdiderit, diſperdat eum Deus, æquivocum eſt; hæc enim verba hanc ſententiam habent: Si quis templum Dei contaminarit, pœna ab eo afficietur.*

Salmer. T. 7. Tr. 32. n. 6.

S. Iſid. Peluſ. l. 5. Ep. 92.

4. Deus apud Sophoniam Prophetam comminatur dicens: *Viſitabo ſuper omnem qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa, qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate & dolo*; Verbum autem hoc, *viſitare*, in Scriptura Sacra expreſſum, ſeverum ſolet indicare ſupplicium. Dionyſius Carthuſianus proinde ea de illis explicat Eccleſiaſticis, qui obligationi ſuæ divinum officium convenienter recitandi negligenter ſatisfaciunt; Dicit enim: *Hi ſunt Sacerdotes & Clerici, qui in Eccleſia opus Dei faciunt fraudulenter, & horas imperfectè curioſeque perſolvunt, qui oculis vagi, & ſenſibus incuſtoditi, menteque vani ac garruli aliis malum præbent exemplum; Quod & de vulgo accipi poteſt, ſcilicet his, qui divino officio indevotè & irreverenter aſſiſtunt, & præſertim de his qui in templo Dei ſacriſve locis, ſæcularia atque illicita tractant, emunt, vendunt, vel mulieres aſpiciunt*; Ac tandem terribili hac propoſitione concludit: *Horum damnatio juſta eſt in die illa, id eſt, in die judicij.* S. Carolus Borromæus in quadam Epiſtola ſua Paſtorali, poſtquam de Reliquijs Sanctorum, quæ in iis requieſcunt Eccleſiis, ad quas illorum interceſſionem ſolicitaturi recurrimus, diſſeruiſſet, tandem quoque ſubjungit: Metuendum eſt nimis, ne inter omnes alias culpas hæc vel maxima & præcipua damnationis noſtræ cauſa futura ſit, quia videlicet locis illis, ubi Sanctorum corpora in pace quieſcunt, debitam non exhibuerimus reverentiam; Ob hanc etenim noxam Sancti in die judicij adverſum nos exurgent, Deoque de irreverentia & contemptu, quem ipſis pariter & Deo per peccata in ſacris illis locis commiſſa inverecunde intulimus, deque modico fructu, quem ex tot auxiliis per illorum interceſſionem, memoriam, & ſanctam imitationem proficiſci ſolitis, haurire potuiſſemus luculentum adverſum nos perhibebunt teſtimonium.

Sophon. 1. v. 9.

Dion. Cart. ibid.

Eccleſiaſtici notent ſeverum comminatum ſupplicium.

Act. Eccl. Mediol. p. 7. pag. 1045.

5. In vetuſto quodam Concilio Aquiſgranenſi hæc verba leguntur: *Quod autem Sanctuarium Domini non paventibus, ſed potius id contemnentibus, & dehonorantibus, & non facientibus quæ ab illo conſtituta ſunt, Dominus comminetur, ſequentia manifeſtant, quæ ita ſe habent*: Ubi citat textum illum Levitici cap. 26. *Quod ſi non audieritis me &c.* ad demum Diſcurſum ad Chriſtianiſſimum dirigens, hæc illis verba improperat; *Tu tamen ô Chriſtiane per Chriſti gratiam ſpiritualis effectus, cui non terrena & caduca, ſed cæleſtia & perpetuò manſura promittuntur, niſi ad ſanctuarium Dei pavidus fueris, & ſua auferre non omiſeris, ea quæ idem populus carnalis temporaliter perpeſſus eſt corpore, anima in æternis cruciatibus æternaliter te paſſurum nullo modo dubites.*

Concil. Aquiſgran. ſub Paſchali 1. Papa c. 31.

Lev. 26. v. 14.

6. Obſervaſtiſne aliquando, quonam tempore Sapientia incarnata, de qua dicitur: *Omnia in Sapientia feciſti*, primam gehennæ, ſive quod idem eſt, inferni mentionem fecerit? Si ad id vos numquam reflexiſtis, audite, id exponentem Sanctum Hieronimum, dum ait: *Quæramus quæ ſit ſermonis ejus occaſio. Idolum Baal fuiſſe juxta Jeruſalem ad radices montis Moria, in quibus Sila fluit, non ſemel legimus; Hæc vallis & parva campi planities irrigua erat & nemoroſa, plenaque delicijs, lucuſque in ea idolo conſecratus erat; in tantam autem dementiam populus Iſraël venerat, ut deſerta templi vicinia. ibi hoſtias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vinceret, filioſque ſuos dæmonijs incenderent, appellabatur locus iſte Gehennom, id eſt, vallis filij Hennom; comminatur Deus, ſe locum iſtum impleturum cadaveribus mortuorum.* Demum Sanctus Hieronymus ad propoſitum noſtrum concludit, dicens: *Futura ergo ſupplicia & pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi ſunt, hujus loci vocabulo denotantur.* Ecce tibi qualiter *Gehenna*, ſeu ut melius dicam, *Infernus*, nomen ſuum ab illo loco nactus fuerit, in quo cum ſumma veri Dei ignominia idola adorabantur, ſeu ab illo loco, qui cultui templi è diametro opponebatur: At verò utinam impietas hæc illis ſolummodo temporibus viguiſſet, & non quoque ad hæc uſque tempora in pleriſque Chriſtianiſmi regionibus prævaleret! Etenim quod ſanguineis eſt lachrymis deplorandum, nunc quoque in veritate dici poteſt: *In tantam dementiam populus Chriſtianus venit, ut profanata templi habitatione &c.* Quot enim hodie in Eccleſiis in veri Dei contemptum & vilipendium, idola eriguntur? Ac proinde & nobis ira Dei magnopere formidanda eſt, ſiquidem *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.*

Pſal. 103. 24.

Uſque hodie in templis multa eriguntur Idola.

S. Hieron.

7. Neſcio num aliquando ad hoc vos reflexeritis, quod ſcilicet Propheta regius, poſtquam reverentiam domui Dei debitam magno ſemper zelo à ſe promotam & adauctam fuiſſe proteſtatus fuiſſet, dicendo: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, ſtatim & immediate poſt firmam ſe æternæ ſalutis fiduciam habere, ſeque reprobis minimè annumerandum eſſe ſubjunxerit; Primo enim dicit: *Ne perdas cum impijs Deus animam meam*; quod ut efficaciter obtineat, firmiter & ſtipulata fide ei mox pollicetur, dicens: *In Eccleſijs benedicam te Domine.* Enimverò quamnam putatis eſſe cauſam, quod ſæpe tot moriantur impœnitentes, eo quod vel Sacerdotes, vel Sacramenta animabus eorum curandis tempeſtivè ſatis non adſint, vel orationes & ſacrificia, pro illis opportuno ſatis tempore non offerantur? Idipſum illis in pœnam irreverentiæ erga eadem Sacramenta exhibitæ ut plurimum evenire pro comperto habeo, dum enim integra fruerentur valetudine, frequentem communionem non ſolum abhorrebant, verum etiam alios eamdem ſæpius frequentantes, velut inſanos aut nimium puſillanimes homines communiter deridebant & ſubſannabant, illos quoque qui hac in re eos ſalubriter & benignè reprehendebant, contumaciter à ſe repudiabant, & ideo Deus juſto ſuo judicio illos in fine vitæ ſuæ ut talibus Sacramentis prorſus indignos, omnem illis Sacramenta talia percipiendi occaſionem adimit, adeo ut illis dicere velle videatur: *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit, Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit ... Tunc invocabunt me, & non exaudiam, manè conſurgent, & non invenient me, Eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint.* Sic quoque poſtquam Deus apud Jeremiam ſacrilegis domus Dei profanatoribus dixiſſet; *Projiciam vos à facie mea*, mox eidem Jeremiæ expreſſe præcepit, dicens; *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* Cur autem Deus populo ſuo adeo vehementer

Cur multi ſine Sacramentis moriantur & impœnitentes.

Pſal. 25. v. 8.

Ibid. v. 9.

Ibid. v. 12.

Prov. 1. v. 25.

Ibid. v. 26.

Ibid. v. 27.

Ibid. v. 28.

Ibid v. 29.

Jer. 7. v. 15.

Ibid. v. 16.

menter iraſcitur, ut non ſolum ſe illum à facie ſua eliminaturum eſſe comminetur, verum etiam Prophetæ, ne pro illis intercedat, ſeveriſſimè prohibeat? Cauſa hujus indignationis divinæ ex antecedentibus clarè & facile ſatis elici poteſt; paulo ante enim dixerat:

Ibid. v.11.

*Numquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris?* Eodem quoque capite Deus pariter lamentatur, dicens:

Ibid. v.30.

*Fecerunt malum in oculis meis … poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua invocatum eſt nomen meum, ut pollue-*

Ibid. v.31.

*rent eam, & ædificaverunt excelſa Topeth, quæ eſt in valle filij Ennom … Sed vallis interfectionis.*

Eſther 7. v.10.

Profanatores templi nullos habent interceſſores apud Deum offenſum.

8. In libro Eſther hiſtoria quædam legitur, quæ propoſito noſtro mirè deſervit; Etenim quando Rex Aſſuerus Aman ſuper lecto Reginæ prono corpore proſtratum vidit, tam vehementi mox ira ſuccenſus fuit, ut ſubito per condemnationis ſententiam ipſum patibulo affigendum eſſe pronuntiarit; At verò merito hic quæret aliquis, cur Rex in præcipitem adeo ſententiam ſe abripi permiſerit? cur non potius juridicum quemdam delicti ipſius proceſſum præmiſit? cur Regina ipſum ex deliquio animi in lectum ejus corruiſſe probè ſciens, ipſum coram Rege non excuſavit? cur in tam potentis Regis aula, multis per Aman Regi antea unicè delictum beneficiis aucta, nullus penitus, qui cauſam ejus defenderet, inventus fuit? Reſponderi poteſt, quod hæc *omnia in figura contingebant illis*; Etenim Eſther ſponſa Aſſueri Eccleſiam præfigurabat, cui Chriſtus per Prophetam

Oſe. 2. v.20. Pſalm. 44. v.10.

ait: *Sponſabo te mihi in fide*, de qua item Pſalmiſta ait: *Aſtitit Regina à dextris tuis &c.* Quiſquis igitur hanc Reginam violare vel dehoneſtare præſumpſerit, non eſt quod ſperet, quod ullus Sanctorum pro imploranda peccatis ejus venia & remiſſione ſe interpoſiturus ſit, pro ſacrilegis enim intercedere nemo præſumit, utpote quorum ſingulis propter inverecundiam

Eſther 7. v.8.

eorum dici poteſt: *Etiam Reginam me præſente vult opprimere in domo mea?* Quam enim in orationibus Sanctorum partem ſperare poteſtis, qui locum, in quo oſſa & imagines ipſorum venerationis cauſa depoſita ſunt, dehonorat? Quam ſpem in Beatiſſimam Virginem collocare poterit is, qui Virginis ejuſdem Sanctiſſimum Filium palam & in ejus reali præſentia injuria & contumelia afficit? Qua fronte Sacerdotum preces & Sacrificia requiret, qui illos non ſemel, ſed ſæpius per irreverentiam ſuam ad juſtas pœnas de ipſo ſumendas provocavit & ſcandalizavit? Videtur enim ſignaturam divinæ gratiæ omnibus patulam & favorabilem eſſe aliis peccatis, præterquam ſacrorum locorum profanatoribus, id quod ex eo, quod Antiocho accidiſſe Sacra Scriptura refert, manifeſtè

2. Machab. 9. v.13.

colligitur, ita enim ſacer textus ait: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Quis hanc in Deo erga pœnitentem Antiochum duritiem non obſtupeſcat? Numquid enim infinita illa divina pietas omnes amplexatur illos, qui compuncti & pœnitentes ad ipſam confugiunt? Imo verò hunc in Deo obturatum pœnitentiæ fontem longe magis admirabimini, ſi quas ſceleſtus hic Rex Deo fecit ingentes promiſſiones attenta aure exceperitis; Dicit enim idem ſacer textus:

Ibid. v.14.

*Civitatem* Jeroſolymitanam videlicet, *promittebat liberam red-*

Ibid. v.16.

*dere; Item templum ſanctum optimis donis ſe ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad*

Ibid. v.17.

*ſacrificia ſumptus de redditibus ſuis præſtiturum; ſuper hæc & Judæum ſe futurum, & omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei poteſtatem*, & tamen cunctæ hæ tam magnificæ promiſſiones nihil ei profuerunt, quia *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*; Et revera ita ei ac-

2. Machab. 9. v.5. & 9.

cidit, quia in hoc capite eodem ſubjungitur: *Percuſſit eum inſanabili & inviſibili plaga, Ita ut de corpore impij vermes ſcaturirent; Igitur homicida & blaſphemus*

Ibid. v.28.

*peſſimè percuſſus miſerabili obitu vita functus eſt*; Sciſtiſne cauſam? Templum ſanctum prius ſpoliaverat;

1. Machab. 1. v.23.

*Intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & univerſa vaſa ejus*, quia omnem pretioſiorem ſupellectilem ſurripuit, ſecumque tulit, & ſublatis omnibus abiit in terram ſuam. Ac proinde nequaquam mirandum eſt, quod tot divinæ juſtitiæ fulminibus impetitus, omniſque ad remiſſionem & veniam conſequendam aditus ei præcluſus fuerit.

SS. Trinitas ſine remiſſione punit profanatores.

9. Hic quoque in memoriam revocanda eſt funeſta illa tragædia, quæ in Babylonia accidit, quando Balthaſar Rex ſacrilegus poſt inſtauratum ſumptuoſum illud convivium, cui milleni Principes præter concubinas ejus accumbebant, dum omnes bibendo & crapulando, Deoſque ſuos ſinguli ſingulos laudando hilares & jucundi eſſent, omnia templi Jeroſolymitani vaſa ſacra, quæ Nabuchodonoſor pater ejus in Babyloniam ſecum advexerat, in menſam adduci impio præcepto juſſit; Optimè enim Spiritus Sanctus obſervat, quod tunc in eodem momento viſa fuerit ad parietem cælitus dilapſa manus, quæ æternæ contra ipſum condemnationis ſententiam digitis ſuis accurate exaravit: *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi ma-*

Dan. 5. v.5.

*nus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ*; Voluit nimirum Deus, ut imminens ei ſeveriſſimum ſupplicium, in conſpectu luminis, id eſt, patenter in conſpectu omnium deſcriberetur:

Ibid. v.6. & 30.

*Tunc facies Regis commutata eſt &c. In eadem nocte*, ſine ulla remiſſione aut cunctatione regno non ſolum temporali, ſed & æterno privatus remanſit.

Gloſſa. ibid.

Unde Gloſſa ſuper hæc verba ita ſcribit: *In eadem hora, ne ob aliud videantur illata ſupplicia; Dum vaſa fuerant in idolo Babylonis, non iratus eſt Dominus, quia videbantur ſecundùm opinionem ſuam cultui conſecraſſe divino, ſed poſtquam humanis uſibus divina contaminantur, mox ſacrilegium pœna conſequitur.* Lyranus

Lyran. Ibid.

in moralitate hujus loci ita ſcribit: *Hic fertur ſententia divina contra prædictos peccatores in ſcripturis, ut firmior oſtendatur; in qua conſcriptione ſcribens eſt Deus Pater, manus Filius, nam per filium omnia operatur: Omnia per ipſum facta ſunt, Joan. 1. Digiti Spiritus Sanctus. Unde dicitur Exodi 8. Digitus Dei eſt hic; Et de ipſo cantat Eccleſia: Tu ſeptiformis munere, dextræ Dei tu digitus.* Ecce tibi qualiter ad puniendos profanatores, ad caſtigandos ſacrilegos omnes tres divinæ perſonæ unanimiter conſentiant, & veluti conſpirent, ut per hoc quæ in eos, qui erga res ſacras irreverentes exiſtunt, irremiſſibilis ſeveritas & rigor demonſtretur.

Pſ. 73 v.3.

Optime igitur regius Pſalmiſta precando ait: *Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem*, quia licet Deus hujuſmodi profanationes in vita nonnumquam diſſimulet, in fine tamen vitæ, ſive in articulo mortis in ſacrilegia in locis ſacris commiſſa graviſſimo, & ut plurimum æterno ſupplicio acerbiſſimè animadvertit; Ideo ſequitur:

Ibid.

*Quanta malignatus eſt inimicus in Sancto?* Legatur caput octavum Ezechielis, ubi huic Prophetæ à Deo oſtenſæ fuerunt abominationes & ſacrilegia, quibuſcum multi impij Sanctuarium ejus horrendum in modum profanarant, de quibus Deus amariſſimè lamentans, tandem Ezechieli claris verbis proteſtatus eſt, dicens:

Ezech. 8. v.18.

*Ergo & ego faciam in furore meo, non parcet oculus meus, nec miſerebor, & cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

Pro his nec Mater miſericordiæ rogat.

10. Quando Salvator noſter manu flagello obarmata, non una, ſed binis vicibus ementes & vendentes è templo profligavit, neminem Apoſtolorum adeo audacem aut cordatum fuiſſe legimus, ut ad mitigandum ejus furorem ſeſe interponeret, cum tamen eos pro una canicula, id eſt, pro Chananæa preces ſuas interpoſuiſſe ſciamus; Imo veriſimile eſt, eidem indignantis Chriſti furori ſimul cum Chriſto ſanctiſſimam ejus matrem adſtitiſſe præſentem, & tamen licet unicum ſit peccatorum refugium, ipſam pro his, qui Filium ſuum in Eccleſia, in domo ſcilicet ejus propria dehonorant, & contumelioſè contemnunt, interceſſiſſe non conſtat, quin potius nec os ſuum aperuit, nec ſacrilegis hiſce compaſſa eſt, ſed filium ſuum in eos deſævire permiſit

His nulla ſpes.

11. Quando Heli ſummus Sacerdos perceptis filiorum ſuorum in templo ſcandaloſè perpetratis violentis extorſionibus & impudicitiis, eoſdem reprehendit, dixit eis:

1. Reg. 2. v.25.

*Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus, ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Ubi Chaldæus legit:

Chaldæus.

*Si peccaverit vir viro, an non ibunt ante judicem, & audiet loquelas eorum, & exquiret inter eos? Et ſi ante Dominum peccaverit vir, à quo orabit, & remittetur ei?* Quam veniæ ſpem habere poteſt, qui Deum immediate in ejus præſentia, coram facie ſua, & in domo propria, ubi ſe obſequiis & reverentia à nobis honorari velle, tot modis declaravit, contumelia & opprobrio afficere præſumit.

## *DISCURSUS XI.*

## ARGUMENTUM.

Alia in eoſdem profanatores immiſſa ſupplicia ex variis Scripturæ Sacræ, & hiſtoriarum exemplis adducuntur.

THEMA.



THEMA.

*Ergo & ego faciam in furore, non parcet oculus meus*, Ezech. 8. ℣.18.

Eccleſiarum profanatores Deo faciunt contumeliam & ſibi damnum.

1. POſtquam juſtiſſimus Deus Ezechieli Prophetæ multas abominationes & ſacrilegia, quibus varij homines laſcivi templum ſanctum Domini profanabant, oſtendiſſet & exceſſus, tandem ſe arrepto flagello irremiſſibiliter in eos animadverſurum eſſe prædicit dum ait: *Ergo & ego faciam in furore meo, non parcet oculus meus.* Unde S. Thomas de Villanova, præmiſſis illis ex Epiſtola ad Hebræos Apoſtoli verbis:

ad Hebr. 10. v.28.

*Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur, quanto putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, & in quo ſanctificatus eſt ſpiritus gratiæ, contumelias fecerit?* Præmiſſis, inquam, hiſce verbis, ita Sanctus hic Archiepiſcopus arguit:

S. Th. à Vill. nova Conc. de Dedic. Eccl. Probatur.

*Deo contumelia fit, ſed peccatorum eſt damnum; Ecce, inquit, relinquetur domus veſtra deſerta.*

2. Quis non crediſſet, quod quando Tabernaculum Domini, ſive Arca fœderis in Silo olim collocata erat, locus ille perpetua quadam gaviſurus fuiſſet tranquillitate & pace; Et tamen ut regius Pſalmiſta dicit:

Pſal. 77. v.59.

*Ad nihilum redegit valde Iſraël, & repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus, & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, & concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſprevit.* Quæ omnia atrociſſima illis cælitus immiſſa ſupplicia clarius & diſtinctius patebunt, ſi ſuis quæque in locis accuratius legeritis. Imo filij Heli ſummi Sacerdotis paulo poſt eamdem Arcam Dei ab hoc loco in humeris ſuis in aciem exercitus extulerunt, ut illi præſidio eſſet adverſus Philiſthæos; & tamen Deus non obſtante reali hac arcæ in exercitu præſentia, omnem Iſraëliticum exercitum ſterni & profligari, imo & ipſammet Arcam inimicis in prædam cedere permiſit: Unde Pſalmiſta ibidem ait: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, id eſt, Arcam*, ut exponit Theodoretus, qui addit dicens:

Theodoretus. Ibid.

*Hanc autem Ophni & Phinees in auxilium eorum educentes, propriæ iniquitatis pœnas luerunt*; quia ſe locum ſacrum abominabilibus exceſſibus profanaſſe minimè conſiderantes, ſtultè nihilominus in Arcam Domini confidebant. Contra quos & alios eis ſimiles Deus apud Jeremiam proteſtatur dicens:

Jer. 7. v.4.

*Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt*; Verum inquies fortaſſe, quidni in templum ſanctum Domini confidant, ſiquidem Deus ipſe poſt abſolutam à Salomone templi ſumptuoſiſſimam fabricam illos in quavis occurrente neceſſitate ad templum hoc omni cum fiducia confugere juſſit? Verumtamen obſerves velim quiſquis hoc dicis, quibus circumſtantiis Deus hanc fiduciam veſtitam eſſe voluerit:

Ibid. v.3.

*Si bene dixeritis vias veſtras*, inquit Deus, *habitabo vobiſcum in loco iſto*; quaſi diceret: Si ſecus feceritis, ſpes veſtra vana erit & inanis.

Ibid. v.12.

*Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël.* Ubi Rabanus Maurus ait:

Rabanus Maurus l.4. c.7. in Jer.

*Ex præteritis docet præſentia, & dicentibus Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, & pretioſæ domus Silo fulgore gaudentibus, ubi primum fuerat tabernaculum Dei, recordatur hiſtoriæ, de qua in Pſalmo ſcriptum eſt: Et repulit tabernaculum Silo; ut quomodo ille locus in ruinas cinereſque lapſus eſt, ita & templum corruat, cum ſimilium fuerit habitatio peccatorum.* In eodem quoque Jeremiæ capite verba illa magnoperè conſiderari merentur, quibus dicitur: *Nolite confidere in verbis mendacij*; circa quæ verba Galfridus

Galfrid. apud Titelmann.

apud Titelmannum ait: *Quæ ſunt iſta verba mendacij, in quibus nos Propheta confidere prohibet? Nonne templum Domini illud, quod Salomon ædificavit? An ideo verba mendacij erant, quia fecerant illud ſpeluncam latronum?* Omnino ita eſt, inquit Deus, rationem pariter aſſignat, quare in templo ei erecto minimè confidere debebant, utpote in quo orantes nequaquam eſſent exaudiendi, imo quod ad inſtar tabernaculi in Silo in extremam eſſet ruinam miſerè redigendum; Qua enim fronte vos in domo mea gratiis & favoribus cumulandos eſſe ſperare poteſtis, quando in ea ad nihil aliud æquè incumbitis, quam ut eam turpiter profanetis, eamque in ſpeluncam latronum impiè convertatis? *Veniſtis & ſtetiſtis coram me in domo hac, & dixiſtis: Liberati ſumus, eo quod fecerimus omnes abominationes, numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? Ego, Ego ſum, Ego vidi, dicit Dominus*; quaſi diceret: In facie mea, & coram oculis meis, à quibus vos abſcondere non valetis, me arroganter contempſiſtis & proculcaſtis. Unde idem Author ſubinfert, dicens: *Nonne templum Domini eſt Eccleſia Chriſti? Timeamus & nos, & cogitemus, quomodo nos oporteat converſari in Domo Dei. Pernitioſe confidit in verbis mendacij, qui ſic dicit: Templum Domini, Templum Domini, ac ſi ob ipſius gratiam templi ſua pravitas vel non appareat Deo, vel non diſpliceat, vel ab eo puniri non debeat.*

Exod. 16. v.10. Cajet.

3. In libro Exodi dicitur: *Gloria Domini apparuit in nube*; Circa quæ verba Cajetanus opinatur, quod priuſquam Arca Dei & Tabernaculum Domini fabricaretur, populus Iſraël nube hac, veluti portatili quodam templo uſus fuerit:

Templa virtuoſos defendunt irreverentes è contra &c.

*Quod iſte fuerit locus Domini*, inquit præfatus Cardinalis, *ex eo confirmari poteſt, quod poſtquam factum eſt tabernaculum, ſub columna fuit*, prouti ex eo quod in ultimo ejuſdem libri capite narratur, clarè ſatis liquet. Obſervat inſuper idem purpuratus Doctor, quod nubes quidem

Cajet.

Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte; Quodnam enim in eo latere putatis myſterium, quod Deus in die apparuerit in figura nubis, quæ populum Deum colentem ab ardoribus ſolis defendebat, nocturno verò tempore viſus ſit in ſpecie ignis, qui ardentiſſimum quoddam eſt elementum? *Omnia in figura contingebant*; Per noctem enim pecca-

Rom. 13. v.12. Ibid. v.13.

ta intelliguntur: *Abjiciamus opera tenebrarum*; per diem verò opera bona inſinuantur: *Sicut in die honeſtè ambulemus*; Unde per hoc Deus inſinuare nobis voluit, quod ſicut loca ſacra, in quibus Deus ſpecialiſſimè aſſiſtit, defendant & protegant illos, qui virtuoſè vivunt: Ita econtra ad inſtar ignis comburant & deſtituant eos, qui ſæculariter & laſcivè, ac irreverenter in iis converſantur; ac proinde Divus Chryſoſtomus ait:

D. Chryſ. hom. 74. in Matth.

*Si quis, ubi dormis, ubi cænas, cadaver obruiſſet, quid tu faceres? Tu verò mortuam obruis animam, non ubi prandes, neque ubi dormitas, ſed in ipſis Chriſti membris, nec formidas, ne mille in caput tuum fulmina jaciantur? Quomodo autem, cum tantis ſordibus refertus male intus oleas, in Eccleſiam & templa ſancta venire audes? Nam ſi quis mortuum in regia obruerit, is ultima ſupplicia luet, cogita tu quam acerba pœna vexaberis, qui atria hæc adire ſancta, & obſcæno fætore implere non erubeſcis.*

4. Hugo Cardinalis ſuper Ezechielem ſcribens, dum verba thematis in principio præſentis Diſcurſus adducta, nimirum: *Ergo & ego faciam in furore meo*, ponderat, ita ſcribit:

Hug. Card. in Ezech. Qui templa violant quali ſint digni pœnâ.

*Ex quo tot & tam gravia mala faciunt, & ego faciam pro his omnibus graviora tormenta in furore meo, non parcet oculus meus, nec miſerebor miſericordia liberante, vel relaxante.* Unde illum ipſummet Deum, qui ad erigendam hic in terris manſuetudinis cathedram de cœlo deſcenderat, ſæpius graviter excandeſcentem, & manu flagello obarmata eos qui in templo emebant & vendebant acriter percutientem videmur & audimus; Et quidem conſideres velim, quænam illa fuerint, quæ non in templo, ſed in atrio templi ab illis vendebantur & emebantur; Nam fortè merces profanæ erant? Minimè, ſed talia tantum erant, quæ ad augendum Dei & templi honorem & cultum omnino requirebantur, ea nimirum quæ in ſacrificijs offerri debebant; Unde Venerabilis Beda hanc merito deducit conſequentiam:

Ven. Beda. lib. 3. in c. 11. Marci.

*Si enim ea quæ alibi liberè geri poterant, Dominus in domo ſua temporalia negotia geri non patitur, quanto magis ea quæ nuſquam fieri licet, plus cæleſtis iræ merentur, ſi in ædibus Dei ſacratis aguntur?* Et tamen ſi veritatem dicere volumus, ex quo templum illud antiquum, inſtar macelli, vel carnificinæ cujuſpiam erat, in quo continuo vituli, agni, oves, & tauri mactabantur & decoriabantur, & in quo in gentes quotidie manabant ſanguinis rivi, quam illud cum Eccleſia noſtra proportionem habere poterat, in quo, ut Sanctus Andreas ait: *Omnipotenti Deo immolo non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in altari, ac proinde majorem à nobis venerationem expoſtulat?* Thomas Stapletonius ad oſtendendam enormem loca ſacra profanantium malitiam, ſequens hoc adducit efficax motivum; Dicit enim:

Stapletonius in Dom. 9. poſt Pent. in Prol. moral.

*Si acriter eſt puniendus, qui fontem, unde tota civitas aquam potandam haurit, veneno inficeret, non ſecus acerrima pœna dignus erit, qui templa Chriſtianorum violat, ex quibus tamquam ex perenni fonte omnium gratiarum aquas fideles hauriunt; in*

illis

*illis enim Sacramenta ſalutis, verbum prædicationis, orationes publicæ, ſacrificia, Chriſtus ipſe, fidelibus adminiſtrantur.* Hic enim omnium cæleſtium gratiarum fontes ſcaturiunt; hic in aquis baptiſmalibus ad vitam regeneramur beatam, hic Confirmationis, Pœnitentiæ, ſacrorum Ordinum, Euchariſtiæque Sacramenta recipimus; hic per Sacrificia incruenta Deus placuit; hic pſallendo honoratur, ſacriſque ritibus, cæremoniis, aliiſque ſanctionibus Eccleſiaſticis quotidie ad noſtrum potius beneficium & eximiam utilitatem, quàm ad ejus commodum magnificè laudatur & adoratur; ac proinde quantum is puniri meretur, qui medicamentis ad vitam ordinatis venenum intermiſcet, tantumdem caſtigari dignus eſt, qui *pœnam de pretio ſalutis mercatur æternam.*

2. Machab. 3. v. 13. Heliodori templi profanatoris ſupplicium.

5. Magnam meretur reflexionem mirabilis illa in S. Scriptura de Heliodoro relata hiſtoria, utpote qui injuriarum templo Jeroſolymitano irrogatarum finem neſciens, expreſſa hac à Rege ſibi impoſita commiſſione onuſtus Jeroſolymam venit, ut manibus ſuis in depoſita ſacra juxta templum majoris ſecuritatis cauſa delata involaret, eaque diriperet. Singulariter verò notandæ ſunt circumſtantiæ ſupplicij illius, quo Deus ad exemplum & terrorem omnium illorum qui vel loca ſacra ipſamet, vel ab ijs dependentia contemerare & dehoneſtare non erubeſcunt, in illum animadvertit; nam ut Hugo Cardinalis ait:

*Hugo Card. ibid.*

*Hæc hiſtoria ſecundùm tropologiam ſignificat, quod omnes qui ſuperbia aut avaritia inſtigati, ſanctificationem Domini indignè tractare præſumpſerint, cæleſti judicio ſunt puniendi, quia dicit Pſalm. 92. Domum tuam Domine decet ſanctitudo.*

*Pſ. 92. v. 5.*

In primis igitur conſideranda ſunt lamenta, planctus, pœnitentiæ rigidiſſimæ, & ferventiſſimæ orationes, quas afflictus Hebræorum populus ad Deum in illa templi per Heliodorum profanati occaſione direxit; quia *non tantum propter illa bona, nec propter corporalia dolebant detrimenta, quantum propter libertatem loci, quam illi infringebant.* Præterea conſiderandum eſt, quod poſtquam Heliodorus non obſtantibus graviſſimis à Deo illi intimatis comminationibus, in locum illum ſacrum irruere, eumdemque diripere attentaſſet:

*2. Machab. 3. v. 24.*

*Spiritus Omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis evidentiam, ita ut omnes, qui auſi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute in diſſolutionem & formidinem converterentur;* Quotieſcumque enim Deo res eſt cum ſacrilegis templum ſuum profanantibus, caſtigandis, ſuam, ut ita dicam, omnipotentiam exerere videtur, prout ex ijs quæ Joſeph Hebræus, ea quæ tunc acciderunt diſtinctius referens, ſcribit, manifeſtius liquet: Dicit enim hic Author: *Ingreſſus Heliodorus cum omnibus ſatellitibus ſuis, deambulanſque in medio ſanctuarij, & intrans in ſancta ſanctorum, Dominus fecit illum, & eos, quos ſecum habuit, audire vocem ſtrepitus, & vehementiſſimæ commotionis, quæ etiam montes frangebat, & diſſecabat petras, ut cuncti ſatellites fugere inciperent, abderenturque in quibus poſſent locis, & relinqueretur Heliodorus ſolus.* Mox verò, ut ex ſacro textu ſcitis, Angelus quidam terribili equo inſidens comparuit, qui calces ſuos in impium eliſit, duo vero alij Angeli, in ſpecie juvenum juxta ipſum ſtantes eum flagellarunt:

*2. Machab. 3. v. 26. Lyran. Ibid.*

*Duo juvenes, id eſt, Angeli,* inquit Lyranus, *in corpore humano aſſumpto.* Itane, inquies, ergone Angeli hujus caſtigationis miniſtri adhibentur, & non potius dæmones? Numquid Angelis proprium eſt hominibus benefacere, iiſdemque compati afflictis?

*Iſa. 33. v. 7.*

*Angeli pacis amarè flebunt?* quomodo igitur nunc Heliodorum iſtum flagellant? Sed reſpondeo, cuinam benignitas & manſuetudo magis eſt propria, quam Filio Dei? Et tamen hic ipſe manu ſua flagellum arripiens ſacrilegos templi profanatores inde ejecit; ut per hoc inſinuaret, quod tunc vera exhibeatur manſuetudo & compaſſio, quando ſacrorum locorum profanatores ſeveriſſimè caſtigantur, hoc enim omnis lex, tam humana, quam divina expoſcit. Subdit igitur ſacer textus:

*2. Machab. 3. v. 27. Lyranus ibid.*

*Subito Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfuſum rapuerunt, atque in ſella geſtatoria poſitum ejecerunt;* Ubi Lyranus ait: *Sacerdotes rapuerunt de loco ſancto, amoventes, eo quod videbatur mortuus.*

6. Audite, obſecro, quo nomine Deus apud Ezechielem cap. 8. Idolum quoddam, à ſacrilegis in loco ſacro adoratum appellet:

*Ezech. 8. v. 3.*

*Ubi erat,* inquit, *ſtatutum idolum zeli, ad provocandam æmulationem.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis ait:

*Hugo Card. ibid.*

*Ad augendam Dei offenſionem contra ipſos; idolum zeli dicitur Baal, id eſt, iræ & offenſionis, quia ſcilicet contra illud zelandum eſt & iraſcendum: Vel ſecundùm Hieronymum, pulchrè vocatur idolum zeli, quia ad æmulationem & zelum Deum provocat, unde Deuteron. 32. dicit: Ipſi me provocaverunt ad zelum in eo quod non erat Deus, & ego provocabo eos ad zelum in gentem, quæ non eſt.*

*Deut. 32. v. 22.*

Porro zeli hujus exemplum Sanctus Hieronymus in ſupplicio Oziæ irrogato notat, tametſi is erga Deum ſe non tam profanum aut irreverentem, quam religioſum exhibuiſſet, & in hoc ſolum culpari mereretur, quod indiſcretè & impertinenter in quoddam ſibi minime conveniens ſe ingeſſiſſet miniſterium: *Oziam,* inquit, *quia ſibi illicitum ſacerdotium vendicabat, lepra fuiſſè percuſſum, ſacra narrat hiſtoria; quo mortuo, Dominus videtur in templo, quod ille polluerat.*

*S. Hieron. in c. 6. Iſai.* Supplicium Oziæ.

Quia enim filius ejus ſuam denuò venerationem debitam templo reſtituit, ideo Deus in illo ſe denuò conſpiciendum præbuit, quod antea dereliquiſſe viſus fuerat. Sed dicite ſodes, quidnam Ozias hic aliud mali fecit, quam quod incenſo divino cultui offerendo ſe ingeſſerit? Hoccine tanto ſupplicio dignum nefas erat? Quid igitur dicemus de illis, qui impudicitiæ ſuæ turpitudine & fætore Eccleſias inficiunt? Utique longè atrociori, quam lepræ pœna in illos ſuo tempore animadvertetur;

Quale ſupplicium futurum iis qui impudicitiæ fœtore templa inficiunt?

Divus enim Chryſoſtomus Chriſtianis ſcandala in Eccleſia perpetrata his verbis improperat: *Sunt iſta fulmine digna. Adeſt Rex exercitum recenſet, tu ſub illius oculis ſtas videns, & riſum deſpicis?* Plurima alia habemus ſacrilegorum exempla, quos Divina Juſtitia ex eo ſolum capite atrociſſime punivit, quod hujus erga loca ſacra irreverentiæ rei eſſent.

*D. Chryſoſt. hom. 40. ad pop.*

*Judic. 3. v. 21.* Cur Rex Eglon interfectus. *Lyranus.*

7. Sic enim in libro Judicum de Aod legitur, quod poſtquam unà cum alijs quibuſdam Regi Eglon tributa annuè pendi ſolita detuliſſet, in reditu in Galgalis appellens, videnſque quod in loco illo ſacratiſſimo, ubi (ut Lyranus fidem facit) Iſraëlitæ poſtquam Jordanem ſiccis pedibus pertranſiiſſent, primitus ſubſtiterunt, ubi circumciſi fuerant, ubi ſuum ſolemni ritu celebraverant Paſcha, ubi Arca & tabernaculum Domini aliquanto tempore manſerat &c. Idola erecta eſſent, mox ut audiſſet, *quod idipſum fecerat Eglon in contemptum loci ſacri, ſicut Antiochus Epiphanes, poſuit idolum in templo Domini,* zelo accenſus reverſus eſt, ut condignam de impietate ejus vindictam ſumeret, & occidit eum: *Ex hoc fuit accenſus Aod ad revertendum, ut interficeret Regem Eglon.*

*Oroſius. S. Bernardin. T. 1. ſerm. 20. a. 1. c. 5.* Hiſtoriæ uſque ad finem diſcurſus.

8. Oroſius, & ex ipſo Sanctus Bernardinus de Pompejo Magno ſcribunt, quod poſtquam viginti duos in Oriente Reges debellaſſet, multoſque de omnibus inimicis ſuis, contra quos dimicaverat, retuliſſet glorioſos triumphos, tandem quoque Jeroſolymam arcta obſidione diu cinctam invaſerit, omneſque qui ad templum confugerant, occiderit, illudque in ſtabulum equorum convertens, ſuos in eo equos collocarit; Unde *divino judicio factum eſt,* inquit Sanctus Bernardinus, *ut qui ante in omnibus victor erat, poſt hoc infeliciter victus fuit.*

9. Idem quoque Paulus Oroſius de quodam belli Duce, cui nomen Maſcezel erat, refert, quod poſt inſignem quamdam de inimicis obtentam victoriam, in ſuperbiam elatus, auxilia Dei & Sanctorum, quæ prius anxiè invocaverat, contempſerit, poſtquam verò *etiam Eccleſiam temerare auſus fuit, atque ex ea quoſdam tentavit extrahere; ſecuta eſt pœna ſacrilegium, nam eiſdem ſuperſtitibus, atque inſultantibus, quos ab Eccleſia ad pœnam protraxerat, poſt aliquantum tempus ſolus ipſe punitus eſt, probat itque in ſe uno ad utrumque ſemper divinum vigilare judicium, quando & cum ſperavit adjutus, & cum contempſit occiſus eſt.*

*Oroſius l. 7. c. 15.*

*Rup. Abb. in vita S. Hereberti Epiſc. Colon.*

10. Rupertus Abbas Tuitienſis in vita ſancti Hereberti Epiſcopi Colonienſis refert, quod Epiſcopus Argentoratenſis eo quod ſub Miſſæ Sacrificio *Pax vobis* dicendo, immoderatè riſit, eodem die ſub tempore prandij ſplenis (unde riſus originem ſuam habet) dolore in latere ſeu femore correptus, ad lectum deportatus, & paulo poſt mortuus fuerit, nec tamen expreſſe ſatis, an actus ille ridendi voluntarius, an vero fortuitus fuerit, diſtinguit.

*S. Athanaſ. Epiſt. ad ſolitarios.*

11. Sanctus Athanaſius circa annum trecenteſimum quinquageſimum ſextum ſimiliter refert, quod Conſtantio Imperatore Ariano imperij habenas gubernante, multi diſſoluti juvenes Alexandrinam ingreſſi fuerint Eccleſiam, quorum unus ingenti cum petulantia in throno Epiſcopali ſe ad ſedendum collocavit, ac demum eumdem contemptibiliter à loco ſuo dimovere conatus fuit: *Omnes autem fornicarios ronchos, nulla majeſtatis loci ſacri ratione habita ducebant è naribus;*



*ſed non diu abfuit ultrix Dei manus, nam ut Azotij olim auſi Arcam tangere interibant, ſedium tormentis prius excruciati, ita quoque miſer iſte auſus ſedem convellere, fragmento ligni inde in ventrem ipſius reſiliente, & quaſi ab ipſa ultione impacto ſua inteſtina perforavit, & eadem vi qua ſolium diſrumpere conabatur, rupta alvo ſua inteſtina effudit.*

*S. Gregorius Tur. de glor. Mart. c. 105.*

12. Sanctus Gregorius Turonenſis alteri cuidam profanatoribus irrogato ſupplicio teſtimonium per ſequentem perhibet à ſe conſcriptam hiſtoriam; Cum enim Chilperici milites in homines paſſim deſævirent, multi ad eorumdem declinandam barbariem in Baſilicam Sancti Vincentij confugientes, in eadem ſecuros ſe futuros eſſe credebant. Milites autem in eamdem Baſilicam nuſquam invenientes aditum, primo quidem Baſilicæ foribus ligneis ignem admoverunt, qui dum omni ſua activitate deſtitutus, nihil eis commodi præſtaret, illas ſecuri confregerunt, direptiſque quæ in Baſilicam intulerant cunctis eorum bonis, gladio tandem omnes in Baſilica repertos trucidarunt: *Sed non diu hæc remanſerunt inulta, alij à dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumnæ necantur, multi etiam à frigore occupati, diverſis in partibus diverſorum morborum genere vexabantur.*

13. Aretas Archiepiſcopus circa annum 912. de Alexandro Imperatore ſcribit, quod ingentem die quadam ex naribus & ſecretioribus corporis ſui partibus ſanguinis copiam egeſſerit, indeque mortuus ſit, eo quod arroganter & ex mero contemptu contecto capite Eccleſiam fuerat ingreſſus; Et quia alias ſacram menſam in templo ſpoliaverat, in mentis incidit delirium, à quo vix umquam poſtea ſibi plene reſtitutus fuit.

14. Cum Divus Chryſoſtomus Eudoxiæ Imperatrici omnem in Eccleſiam interdixiſſet aditum, & ex aulicis ejus quidam ad portam aperiendam enſem diſtrictum in fores Eccleſiæ extenta manu impingere pararet, ſubitò tota ejus dextra obriguit, & exaruit; Quo viſo miraculo Imperatrix perterrefacta confeſtim ab Eccleſia retroceſſit.

15. De Gunderico Wandalorum Rege iidem Annales referunt, quod à dæmone miſerabiliter obſeſſus, dies ſuos ante tempus infelici morte clauſerit, eo quod capta Hiſpalenſi civitate ejus violaſſet Eccleſias.

16. Quia Federicus Febæ Rugorum Regis frater, non obſtante quod Sanctus Severinus apertè ei prædixiſſet, quod ſi aliquod monaſterio ſuo damnum inferre præſumeret, ob id tum in hac, tum in altera vita puniendus eſſet, poſt mortem tamen S. viri Dei illud non ſolum ſpoliavit, verum etiam in Eccleſiam violenter irrumpens ſacra altarium vaſa diripuit; ideo Deus juſto ſuo judicio permiſit, ut miniſter, cujus ad hoc opera uſus fuerat, à dæmone poſſideretur, ipſe verò paucis poſt diebus ab alio quodam Federico fratris ſui filio, crudeli morte interiret, hacque ratione prædam pariter & vitam uno eodemque temporis momento amitteret.

17. Anaſtaſius Sinaita, teſte Baronio, de Barbaris quibusdam refert, quod dum univerſam Soriam devaſtarent, templum quoque S. Theodori Martyris prope Damaſum poſitum immunditiebus ſuis turpiter profanarint, cumque unus illorum imaginem S. Theodori virga graviter percuteret, contigerit, quod ex humeris ſtatuæ illius in conſpectu omnium manaret ſanguis: Neque in eos divinæ indignationis ira diu tardavit, ſiquidem ex viginti familiis, quæ in templo illo commorabantur, intra paucos dies omnes infeliciter mortui fuere.

18. In ſæpe dictis quoque Annalibus de quodam Maurorum belli Duce, viro ſagaci & experto, cui nomen Cabaon erat, refertur, eum ſuorum nonnullis præcepiſſe, ut ſi Wandali exercitum moventes, aliquas Orthodoxorum Eccleſias profanarent, ipſi eaſdem ab hoſtibus dehoneſtatas, repararent, & ad cultum Deo in iis debitum exolvendum diſponerent, dicebat enim Deum Chriſtianorum, qui ab Orthodoxis colebatur, utique caſtigaturum iniquos, qui illum offendunt, & auxiliaturum iis, qui ipſi fideliter ſerviunt; Cum igitur Wandali Ariana labe reſperſi Eccleſias Catholicorum contaminaſſent. Cabaoni militantes exercitus iis recedentibus, eaſdem Eccleſias ſic profanatas, mundabant & expoliebant, gratiſque & odoratis ſuffitibus adimplebant, ipſos quoque Catholicos Sacerdotes ſuis denuò honoribus & Eccleſiis reſtitutos, in priſtinum dignitatis & authoritatis gradum reponebant; Qua executione per ſuos facta, Cabaon adverſus inimicos ſuos exercitum movit, magnamque de illis ſtragem inſtituit, adeo ut pauci ex iis ad domum propriam reverti poſſent.

## *DISCURSUS XII.*

## ARGUMENTUM.

Ex animadverſione qua Chriſtus, cæteroquin adeo mitis, propriis manibus in domus Dei profanatores deſæviit, gravitas peccati irreverentiæ locis ſacris illatæ perſpicuè oſtenditur.

## THEMA.

*Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo*, Joan. 2. ℣. 15.

1. DIvus Joannes Chryſoſtomus occaſione hujus à Salvatore noſtro ipſomet de profanatoribus templi ſumptæ vindictæ, dubium quoddam movet, dicens: *Quæſitu dignum eſt, qua gratia adeo Chriſtus hic indignatus eſt, & maximè cum alias injurijs contumelijſque eſſet affectus (dum audijt: Samaritanus es tu, & dæmonium habes) nihil tale fecerit.* Etenim Chriſtus Redemptor noſter, non ſolum ipſemet in propria perſona, ſed & æternus ipſius Pater ab incredulis & malignis Hebræis in plurimis occaſionibus graviſſimè offenſus fuit, & tamen omnia patienter toleravit, ſibique irrogatas libenter diſſimulavit injurias: *Nunc non contentus flagello, verbis etiam in eos invehitur.*

Mitis Chriſtus ſeverus fit dum templa profanantur. *D. Chryſoſt. Hom. 22. in Ioan.*

Reſpondet S. Bonaventura: *Templa Dei ſunt veneranda, & ea quæ ſunt negotiationis, voluptatis, cupiditatis, contentionis, ex eis ejicienda,* quaſi diceret: Non eſt tardanda vindicta, cum de injuriis agitur domui Dei inſolenter irrogatis.

*S. Bonav. Ibid.*

Idem quoque Seraphicus Doctor in alio quodam loco ſuper S. Lucam ita ſcribit: *Licet eſſet manſuetus in tolerando injuriam propriam, ſecundùm illud: Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: Tamen in ulciſcendo injuriam divinam, fuit ſeverus judex, & juſtus.*

*D. Bonav. in c. 20. Luc.*

His indignatur acerbius quam crucifixoribus. *S. Bern. T. 1. ſerm. 20. A. 1. c. 5.*

2. Imo S. Bernardinus Chriſtum acerbius illis indignatum fuiſſe aſſerit, qui locum ſacrum profanabant, quam propriis ſuis crucifixoribus, tametſi hi ſacratiſſimum corporis ſui templum: *Solvite templum hoc*, demoliri & deſtruere non erubuerint. Cur autem Chriſtum idipſum feciſſe exiſtimatis? Nimirum ut debitam loco, divino cultui conſecrato, reverentiam tanto firmius nobis inculcaret: *Ad omnium noſtrûm inflammanda corda, ad zelum divini cultus in templis Dei, majorem zelum oſtendit contra inhonorantes Dominicum templum, quam contra ſuos crucifixores, & quoſlibet alios ſceleratos.* In eadem etenim ſeptimana, qua Chriſtus in ſacrilegos hoſce ementes & vendentes tam atrociter animadvertit, quot non uſi ſunt mediis carnifices & lictores, ut ſacroſanctum ejus corpus tot vulneribus dilacerare & conficere poſſent? quot non adverſus ipſum calumnias, blaſphemias, maledictiones & opprobria evomuerunt? Dum templum Salomonis materiale fabricaretur, ad majorem loci illius, qui divino dedicabatur cultui, reverentiam, *malleus ... & omne ferramentum non ſunt audita;* At verò quot non ſunt auditi ſtrepitus & tumultus, quando in Paſſione Domini myſticum ſacratiſſimi ejus corporis templum conati ſunt demoliri, paſſim enim per totum Calvariæ montem malleorum audiebantur percuſſiones, quibus clavi manibus pedibuſque, & crucis ligno inſigebantur; Similiter in domo Pilati prætorio ubique flagellorum percuſſiones, & validi ictus percipiebantur, & tamen manſuetiſſimus Salvator, *quaſi agnus coram tondente ſe ... & non aperuit os ſuum,* adeo etiam *ut Pilatus* ſilentium ejus *admiraretur vehementer*, cur igitur manſuetiſſimus Salvator hic in ementes & vendentes inſtar furibundi leonis ſævire incipit? *Non nudis verbis dumtaxat,* inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *animi ſui commotionem prodit, ſed verberibus & flagro ſacris aditibus exturbat.* Quando ſacratiſſimum corporis ſui templum tanta cum rabie & barbarie demoliri & deſtruere nituntur, tacet prorſus & obmuteſcit, nec minimo indignationis verbo facti corripit aut reprehendit indignitatem; ſexies millenos, ſexcentos, & ſexaginta ſex humeris ſuis crudeliſſimè impactos flagellorum ictus patienter ſuſtinet, & tamen hic propriis manibus ſcuticam & flagellum ſibi conficit, ut illos, qui in templo ex lapidibus & ſaxis erecto, à debita reverentia deficiunt, aſperrimè percutiat, tactis ſimul & verbis animi ſui exhibens indignationem.

*3. Reg. 6. v. 7.* *Iſai. 53. v. 7.* *S. Cyrill. Alexand. in Ioan.*

3. Hoc

*Act. Eccl. Mediol. p.7. pag.1043.*

3. Hoc eodem motivo S. Carolus Borromæus in litera quadam paſtorali uſus eſt,ut populo ſuo Mediolanenſi pavorem incuteret, efficeretque, ut in locis ſacris reverenter , piè , & devotè ſe gerant ; Ecce tibi ipſiſſima Sanctiſſimi Archipræſulis verba : Cavete vobis ( per viſcera Jeſu Chriſti vos obſecro & obteſtor ) à tremendis Dei judiciis , quia ſi Chriſtus in principio & fine prædicationis ſuæ eos, qui in porticu templi res ad ſacrificia Deo offerenda ſpectantes vendebant & emebant , tamquam ſanctitatis templi ſui violatores tanto cum zelo & indignationis furore exturbavit, cum tamen crudeliſſimam flagellationem ſuam & ſpineæ coronæ doloriſſimam impreſſionem tanta cum patientia & æquanimitate tolerarit , ut ne quidem ad aliquod impatientiæ verbum proferendum os ſuum aperuerit ; quanto majori & ardentiori zelo & indignatione, juſtè, omnique cum ſeveritate caſtigabit illos , qui hodie Eccleſias ſuis immunditiis & peccatorum abominationibus , cum tanta Divinæ Majeſtatis rerumque ſuarum contumelia & injuria contaminare & profanare præſumunt ; Ex quo enim tanto zelo ad tuendum æterni Patris ſui honorem; exarſit,ut teſte Evangeliſta,Apoſtoli hanc Chriſti erga profanatores illos indignationem videntes , recordati fuerint illius , quod Propheta de ipſo prædixerat , nimirum *zelus domus tuæ comedit me*,adeo ut ne quidem ea, ut Sanctus Marcus ait, quæ ad divinum cultum peragendum neceſſaria , ſecum in templum conducere liceret,clarè ſatis colligitur, quantum Deo diſpliceant, ejusque infinitam Majeſtatem offendant illi, qui temporibus noſtris templa per diſſolutam converſationem, actusque mundanos petulanter profanant, cum templum illud antiquum mera dumtaxat Eccleſiarum noſtrarum figura extiterit. Hactenus ſanctus ille Archi-epiſcopus.

*Pſal.68.12.*

Dei proprium miſereri non punire.

4. Enimverò ut juſtam hanc Filij Dei erga templi profanatores. indignationem tanto profundius penetremus , velim vos omnes una mecum conſiderare ingentem illam reluctantiam,qua Deus ad vibrandum juſtitiæ enſem ſe ſemper ſumme invitum & involuntarium exhibuit. Iſaias de ira ejus quantumvis juſta & rationabili diſſerens , in hæc verba ſcribit : *Sicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur,ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus , ut operetur opus ſuum , peregrinum eſt opus ejus ab eo* ; Quibus verbis duo nobis innuit, primò ſcilicet quod juſtitia quoque aliis Dei attributis annumeretur,ideoque delinquentes punire ad Deum quoque ſpectet : Ex alia verò parte latere nos non vult,quod dum Deus juſtis nos ſuppliciis caſtigat, ita idipſum præſtet, ut non niſi ſumma cum reluctantia, ſummeque invitus in nos divinæ juſtitiæ flagellis animadvertat; unde de ſola miſericordia gloriatur, non verò de juſtitia. *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*, non vero ſic dicitur, cum de rigore juſtitiæ exercendo ſermo eſt. De pietate & compaſſione ejus dicitur: *Omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas.* At verò cum de pœnis ab eo infligendis agitur, Propheta ait : *Alienum opus ejus ab eo.* Idem Iſaias de ſupplicio, quo Deus populum ſuum contumacem, divinæque legi ſuæ rebellem per Aſſyrios caſtigare ſtatuerat, vaticinans, ita ſcribit : *In die illa radet Dominus in novacula conducta in his,qui trans flumen ſunt, in Rege Aſſyriorum.* Quodnam vero in eo latet myſterium, quod Deus in novacula conducta raſurus eſſe dicitur ? Eo ipſo quo aliquem, qui barbam aut caput alterius, raſurus eſt, ad opus hoc faciendum novaculam ab alio mutuare, aut ſub pretio conducere videmus, illum non ex officio aut profeſſione barbitonſorem eſſe confeſtim colligimus, qui enim hanc profeſſionem quotidie exercent,inſtrumenta artis ſuæ ſemper penes ſe in promptu habent: Ac proinde Spiritus Sanctus hac phraſi & modo loquendi uti voluit, dum de punitione à Deo exercenda loquitur, ut hinc punire ad proprium Dei officium minime pertinere intelligamus : *Deus cui proprium eſt miſereri.*

*Iſa.28.v.21.*

*Iſa.7.v.20.*

Deus propriis caſtigat manibus templi profanatores.

5. Imo vero obſervandum, quod Deus dum nonnumquam juſtitiam ſuam punitivam contra eos exercet, non ipſe directè & immediatè flagellet aut percutiat, ſed ad opus hoc exercendum cauſis utatur ſecundis,id eſt,aliis creaturis : At verò quando injuriæ domui vel Eccleſiæ ſuæ illatæ vindicandæ ſunt , Deus ipſemet in propria perſona,& manu propria directe & immediatè rigoroſus ſeverusque vindex eſſe, ſacrilegoſque & impios templorum profanatores flagellare & percutere gaudet. Unde S. Bernardinus ait : *Nec alicui ſceleri corrigendo legimus appoſuiſſe manum , niſi contra inhonorantes Deum in templo ſuo.* Eſtque ſeria & matura reflexione digniſſima hæc S. Bernardini tam conſtans propoſitio , ſcilicet quod nuſquam Deus ipſemet immediatè & directè delictum aliquod, quantumvis id etiam execrabile ſit & enorme , propriis umquam manibus caſtigaſſe legatur, præterquam ſacrilegam ſacrorum locorum profanationem , ſolos enim in templo irreverentes & impios propria manu punit. In libro Sapientiæ quidem dicitur : *Accipiet armaturam zelus illius* ; Sed quonam modo illa utetur? Num fortè immediatè & manu propria? Minimè, ſed *armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Poſtquam primi parentes noſtri protoplaſti divinum fuere præceptum prævaricati, ſententia quidem condemnationis ipſorum ab ipſomet Dei ore fulminata & pronuntiata fuit, ad illius vero executionem alij fuere deſtinati, ſcilicet Cherubim verſatilem & ignitum enſem manu ſua vibrans. Quando Pentapolim igne delere & incinerare decrevit, protinus Angelos miſit, quaſi divini furoris ſui miniſtros & executores. Quando *omnis caro corruperat viam ſuam*,Deus quidem vindicem gladium ſuum in univerſum genus humanum ſtrinxit, verumtamen catarractis cœli deſuper mandavit, ut aperirentur , univerſamque terram univerſalis diluvij undis ſubmergerent. Quando Pharaonis faſtum & ſuperbiam reprimere & confundere voluit, illum per Moyſen & Angelum decem illis horrendis plagis immiſſis caſtigavit. Neque ſolus eſt S. Bernardinus, qui Deum numquam propriis manibus, niſi ſolos ſacrorum locorum profanatores caſtigare obſervavit, quin etiam S. Vincentius Ferrerius hac de re ita ſcribit : *Non legiſtis quod Chriſtus umquam proprijs manibus peccata correxerit, niſi hic , quia fecit flagellum de funiculis; Hinc apparet, quantum diſplicet is, qui tangit Eccleſiam ſponſam ſuam.* Quod ſi Regem aliquem videres, qui omni decoro & Majeſtate regia depoſita ad furorem ſuum explendum ingrederetur carcerem, ut reum propriis manibus ſuis torqueret,utique hunc tibi conceptum formares : Delictum rei iſtius exceſſivè, enorme,& deteſtabile ſit neceſſum eſt. Ecce tibi igitur in præſenti caſu noſtro Deum illum, in cujus fœmore licet ſcriptum legatur: *Rex regum, & Dominus dominantium* ; *Quem tremunt poteſtates* ; *Qui reſpicit terram & facit eam tremere*,Deum,inquam; illum,qui *armat creaturam ad ultionem inimicorum* , nihilominus viſo hoc irreverentiæ locis ſacris exhibitæ crimine, adeo vehementer iraſci & irritari, ut propria manu partes miniſtri juſtitiæ exercere non ſolum non dedignetur, verum etiam ex propriæ voluntatis arbitrio ambiat, ſibique ex induſtria vindicet , ut tanto copioſius ſuam adverſus hoſce templi profanatores conceptam iram explere & exſatiare poſſit; Deus etenim licet per quinquies millenos & plures annos, ad innumera peccata caſtiganda creaturarum miniſterio uſus fuerit, per hoc tamen peccatum ad tantam provocatus eſt iracundiam, ut hoc potius quam cuncta alia in propria perſona propriiſque manibus omni cum ſeveritate immediatè punire decreverit.

*S. Bernard. Ibid.*

*Sap.5.v.18.*

*Gen.3.v.24.*

*Gen.19. v.1.*

*S.Vincent. Ferr.ſerm.3. in Dom. Quadr.*

Zelum Chriſti videntes diſcipuli recordati ſunt vaticinij Davidis.

6. Porro quia Chriſtus ex regia Davidis ſtirpe naſciturus erat , ideo quoque hunc Chriſti in profligandis templi profanatoribus zelum vaticinari voluit , quod fecit, dum velut ex ore Chriſti loquens, ita ait : *Extraneus factus ſum fratribus meis , & peregrinus filiis matris meæ* , ubi per fratres Hebræos , utpote Abrahæ poſteros intelligit, qui licet pater ſit omnium credentium , ſpecialiter tamen populi electi Judaici pater exiſtit , qui proinde Judæi dicere non dubitant: *Patrem habemus Abraham* ; Per matrem verò Synagogam intelligit, ex qua veluti ex matre prognati fuerant; Vel etiam per fratres Apoſtoli intelligi poſſunt : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* ; *Vade ad fratres meos.* De his itaque dicit : *Extraneus factus ſum fratribus meis , & peregrinus filijs matris meæ* ; quaſi dicere vellet : In hac actione tam furibunda videbar tum Judæis, tum Apoſtolis meis, non jam amplius is eſſe, qui eram, ſed alius, ſed extraneus,quia ad trigeſimum uſque ætatis ſuæ annum ingentem in cunctis verbis & operibus manſuetudinem & benignitatem oſtenderat , juxta id quod de ipſo Propheta Evangelicus prædixerat : *Nec audietur vox ejus foris, calamum quaſſatum non conteret , & linum fumigans non extinguet.* Idem verò David motivum iræ hujus protinus ſubjungit , dum ait : *Quoniam zelus domus tuæ comedit me* ; Cujus Davidici vaticinij recordati ſunt Apoſtoli , de quibus Evangeliſta ait , quod eum adeo iracundum videntes, turbati ne dicam, an verò ſcandalizati , *recordati ſunt diſcipuli ejus , quia ſcriptum eſt : Zelus domus tuæ comedit me.*

*Pſal.68. v.9.*

*Matth.3.9.*

*Pſal.21. v.23.*

*Ioan.20. v.17.*

*Iſa.42.v.2.*

*Ibid.v.3.*

*Pſal.68.12.*

7. Ad



Gravitas peccati ex gravitate pœnæ deducitur.

7. Ad oſtendendam hujus à Chriſto in profanatores factæ animadverſionis gravitatem , alia inſuper fieri poſſet conſideratio, ex eo videlicet,quod Chriſtus vindictam hanc proprijs manibus exequi voluerit , quas Spiritus Sanctus beneficentiſſimas fuiſſe teſtatur , ſiquidem *pertranſijt benefaciendo & ſanando omnes* , quot enim fuere,quibus per manuum ſuarum impoſitionem corporalem pariter & ſpiritualem impertitus eſt ſalutem ? Sponſa cæleſtis de manibus illius ait : *Manus illius tornatiles aureæ , plenæ hiacynthis* ; & tamen cum ijſdem flagellum hoc contexuit, quod exturbationis ementium & vendentium fuit inſtrumentum : *Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis* ; & quidem ad flagellum hoc plectendum, non unam dumtaxat manum, ſed ambas adhibuit ; Unde Cajetanus ſuper illa verba : *Cathedras vendentium columbas evertit*,inquit : *Non dedignatur manibus proprijs hæc evertere.* Porro David Sanctuarij profanatoribus atrociora , quæ à vindicativa Dei juſtitia implorare poterat , ſupplicia imprecari volens , ait : *Leva manus tuas in ſuperbias eorum in finem*, id eſt,in articulo mortis, *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto ?* Neque enim ulli peccato atrociores irrogari pœnæ poſſunt , quam ſint illæ , quæ ijs qui locis ſacris per irreverentiam abutuntur , infligi ſolent. Sigillatim velim ſeveriſſima illa examinetis ſupplicia ſeu potius fulmina , decem , inquam,plagas illas,quibus Deus Ægyptum afflixit , utique enim illas omnes velut unicum potentiſſimæ dexteræ Dei digitum fuiſſe agnoſcetis: *Digitus Dei eſt hic.* Quod ſi cap.5. Danielis pervolveritis , duos confeſtim Dei digitos characteres nonnullos in pariete triclinij depingentes reperietis : *Apparuerunt digiti quaſi manus ſcribentis*;Qualis autem per digitos hoſce ſententia conſcripta fuerit , nullus integriori fide recenſere poterit , quam ipſemet ſacrilegus , qui ſacra Jeroſolymitani templi vaſa profanaverat:*Facies regis commutata eſt ... compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.* Adhæc carnificinam illam conſiderate,qua cum univerſus , ut ſic loquar , infernus in Jobi pernitiem conjuratus , illum in ſterquilio poſitum cruciavit ; licet enim ibi *à planta pedis, uſque ad verticem ejus non erat in eo ſanitas* ; attamen ſe ibidem ab una dumtaxat Dei manu,non tam percuſſum,quam contactum eſſe dicit:*Manus Domini tetigit me*,quia adverſitas illa potius ad perficiendam ejus virtutem,quam ad caſtigandum culpæ ejus reatum ei immiſſa fuit ; At verò quid dicemus, quando Deus ipſemet ambabus manibus ſuis flagellum plectit , & utriſque manibus ſacrilegos flagellat & punit? Sufficiat audiſſe illud quod ait Apoſtolus : *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* Merito igitur S.Bernardinus exclamat dicens : *O inſanum humanum genus !* Contra vos 1.Cor.3. *Apoſtolus acerrimam proclamat condemnationem*, dicens : *Si quis templum Dei violaverit , diſperdet illum Deus.*

*Act.Ap.10. v.38.*

*Cant.5.14.*

*Joan.2.v.15.*

*Matth. 21. v.12.*

*Cajetan.ibid.*

*Pſal.73.v.3.*

*Exod.8.v.19*

*Dan.5.v.5.*

*Ibid. v.6.*

*Job 2. v.7.*

*Job.19.v.21.*

*Hebr.10.31.*

*S.Bern. T.1. ſerm.20.a.1. c.1.*

*1. Cor. 3. v.17.*

Quam grave crimen templorum profanatio.

8. Conſiderari etiam hoc loco meretur , quod Chriſtus priuſquam ementes & vendentes è templo eliminaret,jam ante ſuam in nuptijs demonſtraverit beneficentiam,vini defectui ſubveniendo , ne ſponſi coram invitatis ullam paterentur confuſionem , id quod Salmeron ponderans ait : *Chriſtus in nuptijs benignè indigentibus ſubvenit , hic autem ſevèrè peccantes corripuit*,adeoque in breviſſimo tempore tranſit à demonſtrationibus beneficentiæ & benignitatis ad demonſtrationes rigidæ vindictæ & ſeveræ punitionis : *Illis charitatem in proximum oſtendit , hic autem zelum in Deum Patrem ſuum prodidit.* Plurimos ſumma cum compaſſione ſanaverat languentes & infirmos : *Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo,& ſanavit eos*; Eodem quoque tempore priuſquam vendentes & ementes è templo ejiceret , urbis Jeroſolymæ, mox ut illam non procul à ſe poſitam conſpexit,deſtructionem amaris lachrymis ex intima compaſſione manantibus deflevit : *Videns civitatem flevit ſuper illam* ; & tamen paulò poſt,non in medio iræ, ſed in medio miſericordiæ iræ recordatus eſt. Porro quod ignis ardeat & calefaciat,nives infrigident, grave deorſum , leve ſurſum contendat,nihil in ſe mirum habet,at ſumma admiratione dignum foret,ſi nix vel gelu ardere videretur;ſed quidnam per hæc omnia dicere contendo ? Nimirum ex quo Chriſtus in hunc mundum veniens nihil adeo ſolicite & anxiè curavit, quam ut in eo per exemplum & imitationem ſuam manſuetudinis docendæ cathedram erigere & fundare poſſit, ideoque nullam virtutem majori cum ſolicitudine & induſtria hominibus inculcavit, quam illam manſuetudinis virtutem : *Diſcite à me quia mitis ſum* , ideo quod in cruce pro ſuis crucifixoribus æternum Patrem ſuum rogaverit,quodve inter , tot tormenta acerbiſſimosque dolores velut agnus manſuetus os ſuum non aperuerit, nihil mirandum eſt, ſiquidem neceſſum erat, ut Prophetiæ & oracula tot ante ſæcula per SS.Prophetas de ipſo pronuntiata,adimplerentur: at verò quod hodierno die,in quo præ cunctis alijs totius vitæ ſuæ diebus manſuetudinem ſuam toti mundo manifeſtare decreverat, & in quo S. Mater Eccleſia ei acclamat : *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus* ; denique in quo ab univerſo populo cum olivis,quæ pacem & miſericordiam ſymbolicè ſignificant,magno cum applauſu exceptus fuerat , & in quo ſummæ teneritudinis ſigna per fletum amarum ediderat, ſubito ex miti & manſueto agno in ferocem tranſmutetur leonem, quod propria manu flagella conficiat & præparet,eiſdemque omnes indifferenter aſperrimè percutiat , quos atrium templi profanantes deprehendit , quod ab oculis ſuis fulmina & fulgura furoris ſui evibret, quod ore ſuo in verba iræ & indignationis plena prorumpat , quod is qui mundo hoc unicè prædicabat : *Diſcite à me quia mitis ſum*, in illa die,quo ſe vel maximè toti mundo mitem exhibere decreverat: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus* , patientiæ & longanimitatis ſuæ quodammodo oblitus eſſe videatur, quid ex his omnibus aliud conjicere poſſumus , quam quod ſacrorum locorum profanatio crimen ſit adeo horrendum & deteſtabile , ut mirum non ſit , ſi omnia cæleſtis armamentarij fulmina ſuper ſe provocet.

*Matth. 21. v.14.*

*Salmer. T.6. Tr. 8.*

*Luc.19.v.41.*

*Matth. 11. v.29.*

*Matth. 21. v.5.*

*Matth. 11. v.29.*



Subito puniuntur.

9. Deus in alijs peccatorum quantumvis enormiſſimorum occaſionibus , priuſquam puniat, proceſſum circa illa fabricare , non vero adeo ſubito & præcipitanter punire conſuevit ; unde licet *clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſſet , & peccatum eorum aggravatum eſſet nimis* , attamen priuſquam ignem & ſulphur ſuper ipſos cælitus deplueret , dixit : *Deſcendam & videbo , utrum clamorem , qui venit ad me , opere compleverint.* Similiter quando *omnis caro corruperat viam ſuam* , centum & amplius annis patientiam habuit, priuſquam diluvium univerſale terræ immineret : At vero hic in flagranti crimine,ſubitò,ſine dilatione, ſine ullo formato proceſſu, ſacrilegi ſumma cum ſeveritate caſtigati fuere abſque eo, quod illis modus aliquis indulgeretur faciendæ appellationis,vel juſtificationis aut excuſationis , non concedendo illis tempus aliquod porrigendi alicujus libelli ſupplicis,aut interponendi media ad veniam obtinendam opportuna; nimirum ſicut Principes in caſibus atrocibus , ipſo facto,& in eodem criminis commiſſi loco, ad terrorem populorum , & ad oſtendendam delicti commiſſi gravitatem,exequi ſolent juſtitiam: ita quoque hoc loco judex ille inappellabilis , pœnam de illis ſine ulla mora ſumere voluit,tamquam de crimine, in primo capite læſæ majeſtatis commiſſo.

*Geneſ.18. v.20.*

*Ibid.v.21.*

*Gen.6.v.12.*

Defendere ſe non poſſunt.

10. Verum enimvero , id quod maximam admirationem meretur , eſt , quod cum Scribæ,Phariſæi,Sacerdotes , & Synagogæ Principes adeo immaniter adverſus Salvatorem deſævirent, ut ſæpius ipſum lapidare,& ex præcipitio montis deturbare,atque publice in conſpectu totius populi injurijs & verbis contumelioſis illum aggredi conati fuerint , attamen in hac occaſione , cum à Chriſto indigne tractarentur verbis & factis,& ſicut viliſſima mancipia flagris, & verberibus veluti canes pellerentur , verbis quoque afficerentur injurioſis,& quod caput eſt , dum omni deſtituerentur & fraudarentur lucro, quod ex illa negotiatione ſibi ſe comparaturos eſſe ſperabant, ne verbum quidem mutire aut vel minimum digitum in ſui defenſionem movere auſi fuerint,cum tamen Chriſtus ſolus eſſet,licet enim ſuos quoque Apoſtolos in ſocietate ſua haberet,illos tamen utpote Piſcatores , & armis tractandis ineptos , ignavos milites eſſe ſciebant, prout in horto liquide patuit. Unde Janſenius ait : *Nunc cum nondum cognitus eſſet , fautoreſque paucos aut nullos haberet,id egiſſe, fuit res omni admiratione major , mirabilis ejus authoritas & poteſtas declarata eſt , ut inter omnes vendentes , nemo uni homini adhuc ignoto obſiſtere auderet , nemo qui non imperanti mox obediret.* Quam difficultatem D. Chryſoſt diu ante his verbis movit : *Cur Judæi , qui in collatis beneficijs Chriſtum accuſabant & perſequebantur , cum credibile eſſet,tam acri caſtigatione gravius excandeſcere , non adeo iniquo animo tulerunt ? nulla enim in eum contumelia uſi ſunt , ſed quod ſignum, inquiunt, oſtendis nobis , quia hæc facis ?* Utique nihil ad hoc aliud reſponderi poteſt , quod ſacrorum locorum profanatio , delictum quoddam ſit adeo enorme,ut vel ipſimet profanatores , quantumvis impij ſint, ingenue fateri debeant , delictum hoc

*Janſen. in concord.c.19.*

*D.Chryſoſt. Hom.22. in Joan.*

Aaaa quavis

quavis etiam rigoroſiſſima pœna digniſſimum eſſe; remordebat igitur illos propria conſcientia,& ideo Chriſtô iraſci,aut ſe defendere non præſumpſerunt, quia, ut communiter dicitur : *Conſcientia mille teſtes.*

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

Circa eamdem hiſtoriam Evangelicam de vendentibus & ementibus è templo ejectis variæ,eæque omnes valde conſiderabiles circumſtantiæ ponderantur.

### THEMA.

*Intravit Jeſus in templum Dei , & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo.* Matth.21. ℣.12.

*S. Ambr. l. de Abel. c 4.*

Deus de templo recedit in quo reverentia nulla.

*2. Cor. 6. v. 15.*

1. S. Ambroſius circa hæc verba curioſius inquit , quamobrem Salvator noſter ementes & vendentes è templo ejecerit ? Et paucis verbis reſpondet dicens : *De templo ejiciebat nummularios , quia ipſe volebat intrare* ; ſicut enim Arca Domini & Dagonis idolum ſeſe mutuo in uno eodemque templo non compatiebantur , ita quoque quando ſublata à locis ſacris debita reverentia Diabolo potius quam Deo in ijſdem ſervimus,à Deo protinus deſeruntur ; quia *domum Dei decet ſanctitudo. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate ? aut quæ ſocietas luci ad tenebras ? quæ conventio Chriſti ad Belial ?* ut inquit Ambroſius. S.Matthæus refert , quod diſcipuli Chriſto Domino è templo diſcedenti , ſumptuoſiſſimam templi illius fabricam commonſtrarint. *Et egreſſus Jeſus de templo ibat, & acceſſerunt diſcipuli ejus , ut oſtenderent ei ædificationem templi* ; Quibus Salvator reſpondit dicens : *Videtis hæc omnia ? Amen dico vobis , non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Super quæ verba Author Operis Imperfecti ita ſcribit : *Superius ingreſſus eſt Dominus templum , quærens ſanctitatem templi , ſed cum in templo nihil inveniret proprium templi , egreſſus de templo ibat , quia ædificium quidem ſtabat,quod erexerunt homines : ſanctitas vero ceciderat, quam conſtituerat Deus ; nam templum hominum eſt ædificatio lapidum pulchre compoſita , templum autem Dei eſt congregatio electorum , Religioſè converſantium.* Unde quando fideles in domo Dei debita cum reverentia minime converſantur , juſtam habet Deus è tali domo recedendi,illique dorſum obvertendi rationem : *Hic in templo nullam eſcam humanæ ſanctitatis inveniens , egreſſus ibat ; Ideo & Apoſtolis quaſi dolore repletus reſpondit : Amen dico vobis,non ſtabit hic lapis ſuper lapidem , qui non deſtruatur.* Chriſtus enim nullam in locis ſacris penes homines reverentiam inveniens , illibenter in ijſdem commoratur , imo in juſtam talis irreverentiæ pœnam , totalem ejuſmodi locis prædicit & annuntiat ruinam : Pro majori hujus materiæ extenſione operæ pretium erit , varias easque valde notabiles hujus ejectionis vendentium & ementium è templo ponderare & examinare circumſtantias, ſiquidem hoſce profanatores non tantum ſemel , ſed bis è templo eliminavit.

*Matth. 24. v. 1.* — *Ibid. v. 2.* — *Auth. Imperf. Hom.*

Chriſtus profligando ementes habitus fuit pro Meſſia.

2. Chriſtus Redemptor noſter eo quidem fine in hunc mundum venerat , ut ſe Filium Dei oſtenderet, ut Evangelium prædicaret,ut ſe miraculis conſpicuum & glorioſum efficeret, ut impoſitas ſibi ab æterno Patre ſuo exequeretur commiſſiones : Verumtamen per ſolidum triginta annorum ſpatium ipſum ſuam omnibus ſapientiam & omnipotentiam adeo celaſſe novimus , ut univerſus Hebraiſmus illum non niſi ſimplicis cujuſdam fabri filium fuiſſe exiſtimarit : at vero quando tandem tempus illud aptiſſimum advenit , in quo aliquam Divinitatis ſuæ lucem prodere conſtituit , quonam præcipue miraculo aut prodigio ipſum ad hoc uſum fuiſſe exiſtimatis ? Dicetis utique primum inter omnia ab ipſo patrata miracula fuiſſe tranſmutationem aquæ in vinum in nuptijs Canæ in Galilæa factam : *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ,& manifeſtavit gloriam ſuam,& crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Verumtamen in hoc facto merito conſiderandum venit,quod ad hoc miraculum patrandum roganti ipſum matri ſuæ reſponderit : *Quid mihi & tibi eſt mulier* ; quiſnam vero horum verborum ſenſus fuerit. S.Auguſt. exponit,dum ait : *Miraculum quod facturus erat , ſecundùm Divinitatem facturus erat , non ſecundùm infirmitatem humanam , & ideo ait : Quid mihi & tibi eſt mulier ?* quaſi diceret : Quidquid à me naturæ vires exuperans poſtulas , idipſum non tamquam filius tuus patraturus ſum , ſed tamquam verus filius Dei, ad hunc vero præcipue ſpectat domus Dei honorem & reverentiam zeloſe perſequi & zelare, profanatores inde expellendo ( prouti paulo poſt fecit,quod proinde , ut in progreſſu diſcurſus videbimus, primis & præſtantioribus Chriſti miraculis annumeratur ) verumtamen ad ſecundam Mariæ inſtantiam , aquam quoque in vinum convertere voluit, ut aſſumptæ ab ipſa Humanitatis virtutem verbo conjunctam & unitam eſſe oſtenderet , ita tamen ut alterum profligatorum è templo vendentium & ementium miraculum , ſibimetipſi , tamquam à ſe immediatè patrandum reſervaverit , utpote quod cæteris excellentius erat, ipſumque verum Dei Filium eſſe expreſſius ſignificabat ; unde Hebræi velut cæcæ talpæ,oculos ſuos viſo hoc miraculo nonnihil aperientes , inque increatam illam Divinitatis Chriſti lucem fortius defigentes , ipſum interrogaverunt , dicentes : *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis ?* Nimirum ipſum verum in lege promiſſum Meſſiam eſſe ſuſpicabantur, maxime quia templum domum Patris ſui eſſe aſſeruerat.

*Joan. 2. v. 11.* — *Joan. 2. v. 4.* — *S. Aug. Tr. 8. in Joan.* — *Joan. 2. 18.*

Chriſtus prædicationem exorſus de templi reformatione.

*Cajetan. in Joan.* — *Salmer. T. 6. Tr. 49.* — *Alb. Magn. in Joan.*

3. Porro ab hoc templi honore zelando Evangelij ſui prædicationem exorſus eſt pariter , & terminavit , ſiquidem profligatio profanatorum , quæ ſecunda vice facta eſt, in noviſſima vitæ ſuæ hebdomade,ipſomet videlicet triumphi palmarum die contigit. Videtur porro , inquit Cajetanus , prædicationem ſuam Jeroſolymis hinc auſpicatus , ab hac inquam repurgatione, & reformatione templi Dei. Salmeron quoque dicit : *Incepit à ſanctuario,ut moneat , quæ propius concernunt gloriam Dei , ante omnia eſſè repurganda.* Similem quoque obſervationem Albertus Magnus indicat , dum ita ſcribit : *Attendendum quanti meriti ſit zelus , domus Dei cujus actum inter prima ſua opera Chriſtus oſtendit* , ut nimirum exemplo ejus diſceremus , quod unum ex primis ac præcipuis operibus,quibus nos erga Deum gratos exhibere poſſumus, tunc præcipue præſtamus , quando in domo Dei devoti & obſequioſi , Dei honorem & cultum in eo zelamus.

Divinitatis demonſtratio fuit quando Chriſtus profligavit vendentes è templo.

4. Immediatè poſt abſolutum palmarum triumphum , in quo verus Meſſias ab omnibus paſſim proclamatus fuerat , eodemmet die ſacrilegos è templo eliminando æterni Patris ſui honorem zelare voluit,ut per hoc nobis innueret , quod una ex præcipuis Divinitatis & poteſtatis , per quam ſe Filium Dei eſſe probare voluit, demonſtrationibus reverentia & veneratio domui Patris ſui debita exiſtimanda ſit ; Imo per 33. annorum decurſum, numquam ſe actu aliquo Majeſtatis clarificare actum voluit , eodem die,quo de templi profanatoribus juſtam ſumere vindictam decreverat, cum pompa & Majeſtate authoritatis regiæ, inſtar triumphatoris inter applauſus & acclamationes regias Jeroſolymam ſolemniſſime ingredi voluit , ut tanto majori tremore & metu eorum percelleret animos , qui domum injuria aut contumelia irreverenter afficere præſumebant.

Maximum Chriſti miraculum.

*Matth. 17. 5.* — *S. Hieron. in c. 21. Matth.* — *Matth. 17. v. 2.* — *Ibid. v. 1.*

5. S.Hieronymus , qui in propoſitionibus ſuis adeo fuit cautus & circumſpectus , hanc vendentium atque ementium ejectionem,unum ex prodigioſioribus, quæ Chriſtus umquam patravit miraculis fuiſſe aſſerere non dubitat. Sunt nonnulli , inquit S.Doctor , qui Lazari à mortuis reſuſcitationem pro maximo Chriſti miraculo habent , alij cæci nati illuminationem : alij cæteris miraculis præferendum eſſe putant, quod cœli ſuper ipſo aperti fuerint, voxque inſonuerit Patris dicentis : *Hic eſt Filius meus dilectus* , vel etiam quando in monte Thabor Solis inſtar radians luminoſus apparuit : *Mihi inter omnia ſigna,quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſè,quod unus homo , & illo tempore contemptibilis , & in tantum vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſævientibus, & videntibus lucra deſtrui ſua , potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem , menſasque ſubvertere , & cathedras confringere,& alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus* : Tandem vero Chriſtum in hac eadem occaſione tranſparentem aliquem divinæ eſſentiæ & omnipotentiæ ſuæ radium oſtendere voluiſſe aſſeveranter concludit : *Igneum quippe atque ſydereum quid radiabat ex oculis ejus , & divinitatis majeſtas lucebat in facie.* Verum quidem eſt quod in Transfiguratione *reſplenduit facies ejus ſicut ſol.* Verumtamen idipſum non palam & in loco publico , ſed in ſolitudine quadam factũ eſt: *Et ducit illos in montem excelſum ſeorſim Et transfiguratus eſt* : Hic autẽ in totius Jeroſolymæ cõſpectu Divinitatis ſuæ ſpecimen edere,in humilitate & abjectione ſua, quam cunctis annis vitæ ſuæ anterioribus ſtudioſiſſime conſervarat, diſpenſare , ſuamque in operan-



dis miraculis plenipotentiam,toto,ut ita dicam, conatu exerere voluit , ut tanto magis perterrefaceret profanatores : *Quoniam zelus domus tuæ comedit me.*

*Pſ. 68. v. 12.* — *Joa. 5. v. 22.* — *S. Bonav. in c. 20. Luc.* — *Orig. Tr. 11. in Joann.*

6. Apud Joannem de æterno Patre dicitur : *Omne judicium dedit filio*; Hic autem , ut S.Bonaventura bene obſervat,hac ſibi à Patre delegata poteſtate,in principio & in fine prædicationis ſuæ potiſſimum uti voluit:*In ulciſcendo injuriam divinam fuit ſeverus judex & juſtus,& quia maxima injuria eſt, cum dehoneſtatur, ubi debet honorari,ideo dicitur , quod ingreſſus eſt in templum, ut ibi faceret judicium,quod fecit & in ſuæ prædicationis exordio, ſecundùm quod narratur poſt miraculum de mutatione aquæ in vinum , & in termino poſt Lazari reſuſcitati miraculum.* Origenes miraculum in Cana factum , cum hoc miraculo in templo patrato inter ſe conferens & combinans , ita ſcribit : *Vis quædam Jeſu divinior , qua poterat, cum vellet inflammatum inimicorum animum extinguere , & multa hominum millia ſuperare ; majorem pronuntiare poſſumus , quam quod in Cana Galileæ ſit aqua in vinum mutata , nimirum quod illic inanimem materiam mutaverit , hoc vero in loco tot myriadum , ingenia , præſtantiſſimæque animæ partes ſubjugarit.* Idem quoque pervetuſtus Scriptor in Catena Græcorum allegatus idipſum , quod diu poſt ipſum Sanctus Hieronymus docuit, his verbis aſſerit : *Nemo exiſtimet hoc factum Jeſu mortuorum reſuſcitationi, vel cæcorum illuminationi poſtponendum, ſiquidem non niſi divinæ utique virtutis erat , virum unicum tantam multitudinem , eamque ſibi infenſiſſimam, eademque molientem exturbare* , atque ideo iidem ejecti vendentes & ementes , & qui hanc ejectionem ſpectarant ex viſo hoc miraculo in aliqualem devenerunt notitiam, qua ipſum promiſſum in lege verum Meſſiam eſſe conjecerunt , unde & interrogarunt eum dicentes : *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis* , quaſi dicerent , inquit Origenes : *Quanam virtute polles,qualiſve es, & quam religionem poſſis inſtituere , quia talia moliris , ut etiam ſolus gentem numeroſiſſimam audeas exturbare , quod nemo alius , neque Imperator , neque Rex , etiam cum validiſſima militum manu vix audeat attentare.* Cajetanus quoque in ſimilem raptus eſt admirationem,dum ait : *Hominem unum,plebeium, obſcurum,nulliusque hactenus authoritatis, poſſe ex templo vi , ignominioſeque flagello exigere multitudinem potentium negotiatorum , & quidem populi pietati ſervientium*, facinus eſt, quod omni anteriori caret exemplo: paulo poſt vero rationem aſſignat , cur facinus iſtud adeo feliciter Chriſto ceſſerit , & ab eo patratum fuerit,nimirum quia nemo ex omnibus ejectis aut ſpectatoribus verbo vel nutu hiſcere , aut ei contradicere auſus fuit,quin potius virgam & flagellum, quo in eos deſævierat , humiliter, ut ita dicam , fuere exoſculati ; *nimirum tanta fuit gravitas , majeſtaſque vultus Jeſu ad juſtam iracundiam compoſiti ( quo non erat alioquin manſuetior alius ) quanta terrorem omnibus incuteret , ita ut ne hiſcere quidem auderent , tamquam Deo iratum illis vultum monſtrante , minasque intentante quod vere erat* : Origenes ubi ſupra admirationem ex hoc facto notam in ſingulis ejectis , & ejectionem ſpectantibus tanto magis adauctam fuiſſe notat , quanto firmius ſibi antea , ipſum Carpentarij filium eſſe perſuaſum habeant : *Quorum expulſio,*inquit,*tranſcenderat dignitatem ejus, qui reputabatur filius Carpentarij.* Unde quando poſtea interrogatur : *Quod ſignum oſtendis nobis , quia hæc facis ?* ex mente Carthuſiani clarius dicere voluerunt : *Ejectio iſta non ſpectat ad te , nec tuum eſt corrigere nos, & facta Sacerdotum , cum non habeas authoritatem, nec ſis Sacerdos, neque Propheta ; ſed ſi dicis, quod imo tuum ſit,hoc oſtende ſignum , quo ſciamus tibi divinitus commiſſam poteſtatem.*

*Orig. in Catena Græcorum Patrum in c. 2. Joann.* — *Joa. 2. v. 18.* — *Origenes.* — *Cajetan. in Joan.* — *Orig. ibid.* — *Joan. 2. v. 18.* — *Dion. Cart. in Joan.*

Quando Chriſtus ſe manifeſtarit eſſe Dei filium.

*Matth. 3. 17.* — *S. Epiph. T. 2. l. 1. adv. hæreſes.* — *Luc. 2. v. 48.* — *Luc. 2. v. 49.*

7. Chriſtum Redemptorem noſtrum , qui increata æterni Patris eſt Sapientia,quique omnia ingenti cum myſterio peregit , in toto triginta annorum curriculo numquam ſe filium Dei aut Meſſiam in lege promiſſum declaraſſe novimus , niſi ubi de honore & cultu templo Dei debito zelando & procurando agebatur. Unde Sanctus Epiphanius opinatur , quod Chriſtus non tunc pridem Dei filius declaratus fuerit, quando Spiritus Sanctus ſuper eum deſcendit , & vox Patris audita eſt, dicentis : *Hic eſt filius meus dilectus*, ſed diu ante declaratio iſta contigerit , tunc ſcilicet , quando duodennis exiſtens , parentibus è templo recedentibus,in eodem remanſit, nihilque adeo ſtrenuè ac ſolicitè curavit , quam ut æterni Patris ſui promoveret honorem. Unde Mariæ & Joſeph dicentibus : *Fili quid feciſti nobis ſic ?* reſpondit : *Neſciebatis,quia in his,quæ Patris mei ſunt,oportet me eſſè ?* quo reſponſò ſignificabat, templum in Dei,hoc eſt,Patris ſui nomine fuiſſe conſtructum , quamobrem ſi ab ipſa propemodum infantia templum cognoverat, utique non merus homo natus ille Jeſus extitit , neque poſt annum denique trigeſimum , cum ſe in eum columbæ ſpecie Spiritus Sanctus inſinuaſſet, filius ac Chriſtus appellari cœpit. Unde ſe matri ſuæ & ſancto Joſepho tamquam verum Dei Filium manifeſtare voluit , quando ijs dixit : *In his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſè* ; In templo quoque magnam in Doctoribus excitavit admirationem , ſiquidem ſatis eſt credibile , quod cum ijſdem Doctoribus de reverentia & cultu templo debito fuſius egerit ; Quid enim verba illa : *Neſciebatis , quia in his,quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe ?* aliud quam honoris & cultus divini zelum ſignificabant , quem in hac occaſione clarè oſtendit , dum ait : *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis* ; Quamvis Doctores in templo ipſum de hoc zelo loquentem non intellexerint : *Et ipſi non intellexerunt verbum , quod locutus eſt ad eos,*inquit S.Lucas , quaſi diceret ; Neſcierunt quid diceret , quia multi adhuc anni præcurrere debebant , priuſquam zeli ſui circa cultum & venerationem domui Patris ſui debitam, ipſum urgentis , exteriores haſce proderet demonſtrationes. Unde Lucas Burgenſis ait : *Quia per multos conſequentes annos non erat Chriſtus obiturus amplius hujuſmodi Patris negotia.*

*Luc. 2. v. 49.* — *Luc. Burg. ibid.*

Fideles templa profanantes gravi pœna digni.

*Alb. Magn. in Joan.*

8. Enimvero hunc erga domum ſuam ardentiſſimum zelum manifeſtius cognoſcere poterimus, ſi varias indignationis Chriſti in hac occaſione excitatæ circumſtantias accuratius & magis propinque accedendo ponderaverimus. Albertus Magn. quatuor templi atria fuiſſe obſervat, videlicet : atrium interius,in quo altare holocauſtorum poſitum erat , in quod ſolis Sacerdotibus & Levitis ingredi licebat. Secundum erat , in quod ſæculares illi, qui mundi erant, ſolum ingrediebantur,ut ad prædicti atrij fores ſuas Deo oblationes immolarent. Tertium atrium illud erat , in quod etiam mulieribus,quæ mundæ erant, ad faciendas orationes ſuas , aditus liber patebat : *Quartum atrium immundorum , in quod etiam Gentiles aliquando intrabant , & in illo animalia vendebantur juſſu Sacerdotum* ; adeoque hic vendentium & ementium mercatus ex Sacerdotum non tam permiſſione,quam juſſu,non fiebat in ſanctuario,nec in atrio interiori, ſed in ultimo & infimo inſtituebatur. Et tamen idem Albertus ait : *Non erat licitum , quia Domino fuit dedicatum* ; unde facile arguere licet, quantum divina punitione juſtius corripiantur fideles Chriſtiani , qui Deum in ipſomet ſanctuario, in illo ſcil. loco, in quo jam non arca, ſed ſanctiſſimum corpus Chriſti à cæleſtium Spirituum Hierarchijs cum metu & tremore adoratur,aſpernantur,vilipendunt, varijſque irreverentiæ & ſcandali generibus contumeliantur.

Confirmatur.

*V. Beda in 2 Joan.*

9. Huic addi poteſt alia quædam à V. Beda, alijſque ſacris expoſitoribus adducta obſervatio, videlicet, quod venditores illi aliud nihil vendiderint , quam quæ ſpectabant ad oblationes & ſacrificia templi , adeoque omnes in eodem atrio congregatæ & vænum expoſitæ merces in apparentia ſaltem externa , ad augendum,non vero diminuendum Dei cultum ordinabantur; Et tamen inquit Beda : *Nolens aliquid in domo ſua terrenæ negotiationis, ne ejus quidem, quæ honeſta putaretur,exhiberi, diſpulit negotiatores ; Quid ergo fratres mei, quid putamus, faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes,ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos,vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos,qui hoſtias,quæ ſibi immolarentur,ementes, in templo vidit, & eliminare feſtinavit ?*

Chriſti zelus.

*Actor. 1. v. 1.* — *Pſ. 68. v. 12.*

10. At vero dicet fortaſſe aliquis , ex quo Chriſtus tantam ſacris locis reverentiam exhiberi voluit, cur ipſemet hac in re primus, ſuo nobis exemplo non præluxit,maxime cum S.Lucas de eo ſcribat : *Cœpit Jeſus facere & docere ?* Cur in ipſomet templo flagellum arripuit , eodemque in profanatores acerrimè animadvertit,haud ſecus ac ſi templum locus juſtitiæ exercendæ , puniendiſque malefactoribus deſtinatus eſſet? Cur non eouſque moratus eſt puniendo, donec è templo egreſſi fuiſſent ? In promptu eſt reſponſio ; Dicit enim Chriſtus : *Zelus domus tuæ comedit me* ; Zelus enim quo ad domum Dei expurgandam & emundandam urgebatur, adeo ardens & fervidus erat, ut illius executionem ne ad unum quidem momentum differre voluerit, maxime cum nullum Deo gratius ſacrificium immolari poſſit , quam quod in profanatorum caſtigatione conſiſtit ; Imo cultui divino in hoc maxima,quæ dari poteſt , reverentia & veneratio exhibe-

*Pſ.68. v.12.* *Cajetan. ibid.*

exhibetur, dum ſacrilegi profanatores in eodem loco, ubi ſuum commiſere delictum in flagranti crimine acriter puniuntur. Et ideo verba illa: *Zelus domus tuæ comedit me*, Cajetanus ita exponit, *amor impatiens conſortis in domo tua, ut ſcilicet domus tua communis ſit profanis.* Janſenius eadem verba hunc in modum exponit: *Ardentiſſimum ſtudium gloriæ domus tuæ, tamquam ignis quidam intra præcordia concluſus, urſit, torſit, & conſumpſit animum meum, ferentem moleſtiſſimè neglectam, & inhonorationem domus meæ.* S. Auguſtinus vero dicit: *Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia, quæ ibi videt, perverſa, ſatagit emendare, cupit corrigere, non quieſcit.*

*Janſen. c. 19. Concordia Evang.*

*S. Aug. T. 10. in Joan.*

*Pſ.47. v.10.*

11. Præterea conſiderandum Eccleſiam miſericordiæ, non vero juſtitiæ Dei experiundæ & recipiendæ, deſtinatam eſſe juxta illud: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, & tamen, ut ſupra probavimus, ex eo, quod Deus ibidem offenditur, juſtitia ejus adverſum nos validius irritatur, & in perniciem noſtram implacabilior efficitur; ſumma enim Dei miſericordia eſt, ſi adverſus profanatores implacabiliter exaſperetur.

*Joan. 2. 15.*
Omnes abſque reſpectu ejecit.

12. Notanda quoque ſunt illa D. Joannis verba, dicentis: *Omnes ejecit de templo*, Deus enim in hujus criminis condigna caſtigatione nullam admittit hominum vel perſonarum acceptionem vel reſpectum. Unde Albertus M. ait: *Severitas cenſuræ ex his debet attendi; Omnes ejecit, nullum excipiendo ſine perſonarum acceptione*, ut quotquot futuri ſunt in progreſſu ſæculorum fideles exinde intelligant, quod ubi de irreverentia & profanatione locis Deo conſecratis irrogata agitur, nullus veniam ſperare debeat, cujuſcumque demum conditionis, ſtatus, aut profeſſionis exiſtat, nam *ſine perſonarum acceptione omnes ejecit.*

*Alb. Magn. in Joan.*

Veluti canes.

13. Præterea conſiderandum eſt, quale fuerit inſtrumentum, quo in hac vendentium & ementium exturbatione uſus eſt; Non enim illud in templo caſualiter aut fortuito invenit, neque illi ab alijs ſubminiſtratum fuit, ſed ijſdem manibus, de quibus dicitur: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, flagellum aut ſcuticam ſibi de induſtria confecit, ut illos velut ſervos & mancipia viliſſima, & tamquam plebis abjectiſſimam fæcem eadem verberaret, & merito, quia ſacrilegi per irrogatam locis ſacris irreverentiam jus veræ libertatis filiorum Dei penitus amittunt. S. Joannes in Apocalypſi vocem quamdam audivit fortiter clamantem, & dicentem: *Foris canes*; Canes enim à locis ſacris flagris & virgis ſive baculis expelluntur, ne illa latratibus & ſordibus ſuis profanent, quanto igitur juſtius ſacrilegi fuſtibus & flagellis ab Eccleſijs eliminari merentur, qui Eccleſiam tot graviſſimis ſcandalis multifariam dehoneſtant; unde Janſenius dicit, quod Chriſtus illos è templo ejecerit, *veluti canes de domo Dei profligans, nam hi funiculis ejici ſolent.* Et Cajetanus ſimiliter ait: *Flagello adhibito tamquam canes nimirum, aut quod Cyrillus ait, iniquos ſervos fuſtuario dignos, ut oſtenderet dura hos manere flagella ob profanationem templi Dei.*

*Pſ.144. v.16.*

*Apoc. 22. v.15.*

*Janſen. ibid.*

*Cajetanus.* *Cyrillus.*

Profanatores templi beſtijs ſunt ſimiles.

14. Inſuper notandum, quod eodem flagello, quo Chriſtus oves, boves, vitulos, aliaque animalia ſimilia è loco ſacro expulit, ipſos quoque profanatores pariter dire percuſſerit, & ab inde profligarit, ut per hoc nobis innueret, quod homines, qui hujus ſunt ſacrilegij reatu obnoxij, beſtijs haud quaquam diſſimiles exiſtant; ut de illis dici poſſit illud Pſalmiſtæ: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Et ideo S. Antonius Arrianos Catholicorum invaſuros & demolituros eſſe Eccleſias prævidens, illos veluti totidem mulos altare circumcingentes conſpexit, ut refert de illo S. Athanaſius, ſunt enim *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, quia inter Eccleſiam, & inter domum privatam, vel forum, aut theatrum aliaque ſimilia loca profana diſcernere non poſſunt.

*Pſ.48. v.13.*

*Pſ.31. v.8.* *S. Athanaſ. in vit. S. Antonij.*

15. Latet quoque in hoc Chriſti facinore alia quædam valde conſiderabilis ponderatio, ſiquidem Salvator noſter, ut Cardinalis Toletus notat, *tanto periculo ſe expoſuit pro templi Dei reverentia.* Ipſe namque ſolus ingentem quamdam aggrediebatur multitudinem, in qua plerique homines in intereſſe lucri ſui, in honore, & in perſonis graviſſime ab ipſo læſi fuerant; atque inſuper hanc in illos exercitam vindictam & zelum ſuam crucifixionem accelerare poſſe ſciebat. Quam etiam conſiderationem Dionyſius Carthuſianus in medium affert, dum ſuper illa verba: *Zelus domus tuæ comedit me*, gloſſans ait: *Zelus ille non ſolum illum ſpiritualiter abſorbuit, ſed etiam zelus iſte fuit occaſio occiſionis Chriſti, & ita comedit, id eſt, conſumpſit ſeu interfecit eum; per hunc enim zelum ejecit his vendentes de templo, per quod maxime offendit, odiumque incurrit Sacerdotum, qui eum ex invidia occiderunt*; Et tamen licet iſte, utpote de quo ſcribitur, quod *alta à longe cognoſcat*, probe ſciret, quod per hanc vendentium & ementium ejectionem totam illam multitudinem adverſum ſe adeo irritaturus eſſet, quodque in eadem ſeptimana de hac per illum illata contumelia & damno, ab eadem multitudine acerbam paſſurus eſſet vindictam, adeo ut qui antea clamaverant: *Oſanna Filio David*, mox eadem ſeptimana tentorea voce vociferaturi eſſent: *Tolle, tolle, crucifige eum*, nihilominus ab hoc divini cultus zelo promovendo deſiſtere nequaquam voluit. Quod Sanctus Thomas Doctor Angelicus profundius conſiderans, jure merito verba illa ex libris Regum opportunè allegando: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo tuo*, merito ſubjungit; *Nos autem debemus diligere domum Domini, ſecundùm illud Pſalmi vigeſimi quinti: Domine dilexi decorem domus tuæ, & in tantum debemus diligere, quod zelus ejus nos comedat, dum ſi quid contrarium fieri videmus, ſtudeamus etiam quantumcumque chari noſtri ſint, qui hoc faciunt, removere, nec timeamus propter hoc aliqua mala perpeti.* Quia tametſi Salvator noſter probe ſciret, quod flagellum illud, quod propter zelandum & defendendum honorem & cultum domui Patris ſui debitum plectebat, humeris ſuis in eademmet ſeptimana ſuperinducturum eſſet ſexies millenos, ſexcentos, & ſexaginta ſex acerbiſſimos flagellorum ictus, non tamen ob id à vindicandis injurijs loco ſacro irrogatis abſtinere voluit. Unde Guerricus Abbas ait: *Flagello facto de funiculis vindicat injurias Patris, magis eligens furorem Sacerdotum in necem ſuam provocare, quam templi profanationem diſſimulare.*

*Toletus in Joannem.*
Templi profanatio à nullo diſſimulari debet, ſed corrigi.

*Pſ.68. v.12.*

*Pſ.137. v.6.*

*3. Reg. 19. 10* *S. Thom. in Joan.* *Pſ.25. v.8.*

*Guerricus Abb. ſerm. 3. in Ramis Palm.*

## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

Ruinæ univerſales provinciarum, aliæque calamitates & infortunia publica pœnæ ſunt, quibus irreverentia, & ſacrorum locorum contemptus à Deo caſtigantur.

### THEMA.

*Tranſite per civitatem... & percutite*, Ezech. 9. ℣. 5.

*Ezech. 8. v. 6.*

1. POſtquam Deus in capit. 8. Ezechielis de varijs abominationibus, quæ in Templo & Sanctuario ſuo committebantur, multifariam lamentatus fuiſſet, tandem in ſeq. cap. 9. Jeruſalem civitatem ſanctam in exterminium redigi protinus, jubet, dicens: *Appropinquaverunt viſitationes urbis, & unuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua.* Septuaginta legunt: *vas exterminationis*; Chaldæus vertit: *vas diſperſionis*; Sequitur: *Et ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aquilonem.* Ecquodnam vero in eo latet myſterium, quod ſex viri illi à parte Aquilonari advenire conſpiciuntur? nimirum *ab Aquilone pandetur omne malum.* Pergit Propheta ulterius dicens: *Et uniuſcujuſque vas interitus in manu ejus, vir quoque unus in medio eorum veſtitus erat lineis*; Per quem virum S. Gregorius Chriſtum Dominum noſtrum intelligendum eſſe his verbis aſſerit: *Quia Redemptor noſter etiam de ſacerdotali tribu juxta carnem parentes habere dignatus eſt, veſtitus lineis venire perhibetur*; At vero numquid Chriſtus de ſemetipſo ait: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant?* qua igitur ratione nunc necem & exterminium univerſæ civitati illaturus, miniſtris juſtitiæ ſtipatus in medium prodire conſpicitur? nam ut Sanctus Hieronymus ait: *Erat in medio ſex virorum unus in habitu Pontificis, indutus lineis indumentis, & habebat atramentarium ſcriptoris ad renes ſuos, quo omnium peccata deſcriberet*; nimirum ubi de injurijs domui æterni Patris ſui illatis vindicandis agitur, etiam ipſemet Dei filius propria manu flagellum arripere, ſeque miniſtrorum juſtitiæ caput & ducem conſtituere non renuit. At vero cur dum ſe in actu vindicantis & caſtigantis conſpiciendum præbet, in habitu Sacerdotis vel Pontificis videri voluit? ſi ſe in habitu ducis bellici, vel in figura leonis conſpiciendum præbuiſſet, id quidem mirandum non fuiſſet, ſed cur populum caſtigaturus habitum Sacerdotis vel Pontificis aſſumpſit, maxime cum Apoſtolus de eo dicat: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati?*

*Ezech. 9. v. 1.* *Septuaginta.* *Chaldæus.* *Ibid. v. 2.*

*Jer. 1. v. 14.*

*Ezech. 9. 2.*

*S. Gregor. l. 22. mor. c. 13.*

*Joan. 10. v. 10.*

*S. Hier ibid.*
Ob templorũ irreverentiam Deus mitis fit leo.

*Hebr. 4. v. 15.*

Eſt



Eſt enim habitus Pontificis compaſſionis & miſericordiæ ſignificativus, non vero iræ & vindictæ exprimendæ congruus; Et tamen in actu vindicandi & puniendi conſtitutus, indumento lineo ſacerdotali indui voluit, quia crimina profanantium loca ſacra eum in ſe exceſſum continent, ut mitiſſimum Agnum Chriſtum in ferociſſimum tranſmutent leonem; unde in habitu ſacerdotali comparere voluit, quia injurias locis ſacris irrogatas vindicare, ad Sacerdotes præcipue & ſpecialiter pertinet.

Templorum irreverentia caſtigata à Deo.
*Ezech. 9. v. 5. 6. & 7.*

2. *Tranſite per civitatem,...* (ſunt verba præcipientis Dei) *& percutite, non parcat oculus veſter, neque miſereamini. Senem, adoleſcentulum, & virginem, parvulum & mulieres interficite uſque ad internecionem, ... implete atria interfectis.* Ecce tibi abominationum & ſcandalorum, quæ in templis committuntur, acerbiſſimum fructum, nimirum deſolationem & deſtructionem civitatum & populorum; unde Salvator noſter eodem die flevit ſuper civitatem Jeroſolymitanam, prævidendo ejus ruinam, & exactiſſime prædicendo ejus à Romanis ſecuturam arctiſſimam obſidionem, pariter ad profanatores è templo ejiciendos, ingreſſus eſt templum. Qua de re S. Bonaventura ita ſcribit: *Attendendum quod Dominus ſtatim poſt annuntiationem excidij Jeruſalem, intravit ad templum purgandum, ut oſtenderet, quod maxima cauſa deſtructionis ejus fuit peccatum Sacerdotum*, qui ab avaritia extimulati, per vendentes & ementes illius profanabant atrium; ac proinde *cum ementes & vendentes percutit, oſtendit, unde radix perditionis proceſſit*; ubi idem Seraphicus Doctor illum quoque Micheæ textum adducit: *Audite hoc Principes domus Jacob, & Judices domus Iſraël, Qui ædificatis Syon in ſanguinibus... Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, & ſuper Dominum requieſcebant dicentes: Numquid non Dominus in medio noſtrûm? non venient ſuper nos mala, Propter hoc, cauſa veſtri Syon quaſi ager arabitur, & Jeruſalem quaſi acervus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſylvarum.* Sic quoque eodem tempore, quo Chriſtus Jeroſolymæ prædixit: *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*, Sacerdotes divitiarum cupiditate & avaritia extimulati, templi atrium in publicum redegerant forum.

*S. Bonav. in c. 20. Luc.*

*Mich. 3. v. 9.* *Ibid. 10.* *Ibid. 11.* *Ibid. v. 12.*

*Luc. 19. 44.*

Chriſtus prędicta deſolatione Jeroſol. ejecit, vendentes &c.
*S. Greg. H. 34. in Evang.*

3. Et ideo S. Gregorius in Homilia quadam, quam Conſtantinopoli ad populum publice pronuntiavit, Chriſtum poſt pronuntiatam Jeroſolymæ deſtructionem, ad profanatores è templo profligendos eo ſe recepiſſe dicit: *Qua deſcripta* (deſolatione videlicet) *quid Dominus fecerit, ſubditur, quia ingreſſus templum cæpit ejicere vendentes de illo & ementes, dicens illis; ſcriptum eſt: quia domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Qui enim narravit mala ventura, protinus templum ingreſſus eſt, ut de illo vendentes & ementes ejiceret, profecto innotuit, quia ruina populi maxime ex culpa Sacerdotum fuit; Everſionem quippe deſcribens, ſed ementes & vendentes in templo feriens, in ipſo effectu ſui operis oſtendit, unde radix prodijt perditionis.* Rupertus Abbas quoque ad hoc ſe reflectit, quod videlicet Chriſtus eodem die, quo diſperſionem populi illius prædixit, vendentes & ementes in juſtam irreverentiæ & profanationis pœnam è templo exturbarit; Dicit enim: *Cum jam paſſurus Jeroſolymam adveniret, & videns fleviſſet ſuper illam, ingreſſus templum cæpit ejicere vendentes & ementes, ut videlicet quod futurum prædixerat, idipſum facto ſuo illos ejiciendo præſignaret*, nimirum illos è Palæſtina eliminandos, & velut advenas & peregrinos in varias mundi partes diſpergendos eſſe oſtendere voluit: *Ejiciebat omnes.* Author Imperfecti verba illa: *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, ponderans ait: *Sicut ante mortem hominis inſanabilis præcedit infirmitas, ſic & ante ruinam aut hominis, aut loci alicujus, aut civitatis, inemendabilia præcedunt peccata.* Rupertus Abbas ad flagellum, quo Chriſtus ſacrilegos illos percuſſit, alludens ait: *Fecit quidem flagellum de funiculis, quid enim funiculus ille agit in manu potentis, in manu ſapientis? Quid niſi Romanum præſignat exercitum, durum ad cædendum, fortem ad ligandum & captivandum?* S. Cyrillus quoque flagellum hoc Chriſti ſervitutem populi illius in pœnam profanationis ab eo ſubeundam præominatum fuiſſe dicit: ſervitutis inter eos jure pœnam ſtatuens. Obſervandum quoque, quod S. Matthæus, poſtquam indignationem, quam Chriſtus erga ſacrilegos iſtos exeruit, narraſſet, de Chriſto mox ſubdat: *Et relictis illis abijt foras extra civitatem*, per hoc ſignificare volens, quod eos eſſet penitus derelicturus.

*Rup. Abb. l. 3. in Joan. c. 1.*

*Matth. c. 23. v. 38.* *Auth. Imp. hom. 46. ibid.*

*Rup. Abb.*

*S. Cyrill. Alex. in Joan.*

*Matth. 21. v. 17.*

*Mich. 1. v. 2.*

4. Apud Michæam hæc verba leguntur: *Audite populi omnes, & attendat terra & plenitudo ejus, & ſit Dominus Deus vobis in teſtem; Dominus de templo ſancto ſuo.* Sed quænam ſubnectitur comminatio? Audite: *Quia ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ; & conſumentur montes ſubtus eum, & valles ſcindentur, ſicut cera à facie ignis, & ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps*; Sed quænam tantæ ruinæ ſecuturæ cauſa extitit? Hæc verbis ſequentibus perſpicue innuitur; Dicit enim ſacer textus: *In ſcelere Jacob omne iſtud, & in peccatis domus Iſraël.* Interlinearis huic dictioni: *Egredietur* adjungit: *coactus.* Et Lyranus in moralitate dicit: *Non per localem motum, ſed per punitionis effectum, unde ſequitur: Et conſumentur &c.* Rupertus Abbas ait: *Recedet, omne auxilium auferet à populo quondam ſuo.* Eo ipſo enim, quo Deus in propria domo ſua irritatur, inde ſe recipit, noſque ſimul cum loco omni ſua protectione & tutela deſtituit, indeque veluti ex radice omnis ruina noſtra ſuam trahens originem derivatur.

Templorum profanatio Deum recedere cogit.

*Ibid. v. 5.*

*Interlin.* *Lyran. ibid.*

*Rup. Abb. in Gloſſ.*

Suppliciorũ cauſa, peccata in templis commiſſa.

5. Deus olim populum ſuum ab Ægyptiaca ſervitute liberatum in Palæſtinam deſtinavit, ut ibi loco harpaginum & ſcipionum, quibus hactenus in Ægypto inſudaverat, lauro coronatus ſceptra gubernaret; ut autem provincias illas & regna à populo Deo contumaciter rebelli & inobediente inhabitata pacifice poſſideret, quemnam illis à Deo modum præſcriptum fuiſſe exiſtimatis? num forte ut turres & arces erigeret, valla & fortalitia congereret, armamentaria inſtrueret, omnibuſque civitatibus ſufficienti victus annona & munitionibus bellicis abunde proſpiceret? Minimè; quin potius præcepit, ut primo omnium loco honoris ſui zelum ardenter proſequeretur & continuaret: *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingredieris, aras eorum ſubvertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite, & ſculptilia comburite, quia populus ſanctus es Domino Deo tuo.* Et hoc ipſum eſt, quod merito omnes Principes Chriſtiani, mox ut in thronum Dominiorum ſuorum evehuntur, omni ſtudio & ſolicitudine curare deberent, nimirum ut ſacrorum locorum cultum & Dei honorem omni cum induſtria zelent & promovere ſatagant, ſecus enim ſi fecerint, quemlibet reginimis ſui infauſtum funeſtumque ſucceſſum & eventum formidare debent. Sanctus Hieronymus ſuper illa verba Ezechielis: *Leva oculos tuos ad viam Aquilonis*, verba illa hunc ſenſum habere dicit, quaſi dicat: *Ne me putes immerito templum deſtruere, & civitatem meam derelinquere, aſpice, quæ faciunt hic*, ac ſi diceret: viſne ſcire cauſam, cur hiſce temporibus tot ruinæ & deſolationes populorum accidant? nulla certe omnium iſtorum malorum alia origo aſſignari poteſt, quam horrendæ illæ abominationes, quæ in domo Dei committuntur. Unde idem Sanctus Doctor in eodem loco ſubjungit, dicens: *Hoc quoque de noſtro templo poteſt intelligi, quando ſicut Ophni & Phinees idolorum operamur ſcelera in tabernaculo Dei.* Idem quoque ſanctus Doctor alio in loco ita ſcribit: *Athalia & filij ejus deſtruxerunt domum Domini; filios ejus Sacerdotes idolorum dicit; deſtruxerunt, ſive ſpoliando eam ornamentis, ſive, ut ferunt, terræ motu facto, ſicut tempore Oziæ, ut ſicut illo intrante cum thuribulo, ita etiam Athalia idola in domum Domini mittere nitente terræmotus factus eſt.* Quotieſcumque enim terræmotus accidere conſpicis vel audis, qui montes concutiunt, aperiunt valles, voragines in ſepulturam populorum efficiunt, firmiter tibi perſuaſum habeas, omnes haſce ærumnas in ſola ſacrilegia & ſacrorum locorum profanationes veluti præcipuam cauſam refundi; *armabit* enim Deus *creaturam ad ultionem.*

*Deut. 7. v. 1.*

*Ezech. 8. v. 5.* *S. Hieron.*

*S. Hier. ex tradit. l. 2. Paralip.*

*Sap. 5. v. 18.*

6. Poſtquam S. Thomas de Villa nova in Concione quadam de Dedicatione Eccleſiæ fuſe, quiſnam Eccleſijs debeatur reſpectus, demonſtraſſet, tandem ſubdit, quod ſi illas ſcandalis & diſſolutionibus noſtris dehoneſtaverimus, & velut in lupanar converterimus, in condignam ſimilium tranſgreſſionum caſtigationem, *relinquetur ... domus veſtra deſerta*; Et ut apud Iſaiam dicitur: *Relinquetur filia Syon, ſicut umbraculum in vinea, & tugurium in cucumerario, & ſicut Civitas, quæ vaſtatur*; abeunte enim vinitore, tugurium colubris & lacertis repletur, quod ſoli combuſtioni derelinquitur: ſic Spiritu Sancto à ſuo ſanctuario recedente, nequiſſimorum Dæmoniorum habitaculum fit. Et ideo quotieſcumque civitatem aliquam penitus deſtructam & deſolatam ſerpentum & lacertarum nidum factam eſſe videbis, haud quaquam temere

*Luc. 13. 35.* *S. Th. de Villa nova Conc. in Dedic. Eccle.*
Confirmatur 1.

temere judicabis, ſi illam ideo juſto Dei judicio armis inimicorum deſtructam & deſolatam eſſe dixeris, quia nimirum à civibus illius Domini Dei exigua reverentia delata fuit. Non ſine myſterio Sapientia increata dum civitati Jeroſolymitanæ extremam ruinam prædixit, abominationum & profanationum templi mentionem pariter fecit, dum ait :

*Matth. 24. v. 15.*

*Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto*; Scriptura etenim ſacra per abominationem ſacrilegia, & ſacris locis irrogatam irreverentiam communiter intelligit. Sic enim poſtquam Deus apud Ezechielem comminatus fuiſſet dicendo :

*Ezech. 8. v. 6.*

*Procul recedam à ſanctuario meo*, mox rationem illius ſubjunxit, dicens : *Vides tu, quid iſti faciunt, abominationes magnas, ingredere & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt.* Poſtquam Apoſtoli Matth. 24. Chriſto templum egredienti magnificam illius oſtendiſſent fabricam & ſtructuram, hoc ab illo retulerunt reſponſum :

*Matth. 24. v. 2.*

*Dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem*; Cumque diſcipuli ejus illum interrogaſſent, dicentes :

*Ibid. v. 3.*

*Quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui* (ſcilicet ad inferendum toti univerſo exterminium,)

*Ibid. v. 7.*

*& conſummationis ſæculi*; Chriſtus reſpondit : *Conſurget gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræ motus per loca, Hæc autem omnia initia ſunt dolorum*; eademque occaſione dixit :

*Ibid. v. 8.*

*Ibid. v. 15.*

*Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto*, quaſi clarioribus verbis dicere vellet : Tunc fulmina iræ Dei, ſeditiones videlicet, peſtilentiæ, fames, bella, terræ motus, cunctæque aliæ deplorabiles calamitates & ruinæ hominibus à Deo immittentur, quando abominationes in locis Deo conſecratis multiplicatæ fuerint.

*Act. Eccle. Mediol. p. 7. pag. 1038. 2.*

7. Sanctus Carolus Borromæus in littera quadam paſtorali ad populum ſuum Mediolanenſem, cui (ut deputatas à ſe Eccleſias debita cum devotione viſitaret) à ſummo Pontifice ſtationum Romanarum Indulgentiam impetraverat, ita ſcribit : Quia vero (de quo in intimo animæ noſtræ receſſu vehementer dolemus) aliquos ex vobis Eccleſias indevote viſitare, in eiſque cum exigua reverentia converſari, diviniſque officijs, præſertim in diebus ſacrarum ſtationum, indulgentiarum, feſtorum, aliarumque ſolemnitatum ſine ulla devotione aſſiſtere vidimus, adeo etiam ut quod nos in ſubſidium & ſalutem ſpiritualem animarum procuravimus, ipſi in perditionis ſuæ & aliorum occaſionem convertant, ideo pro debito curæ noſtræ paſtoralis de modo grave peccatum iſtud eradicandi, & efficaci quodam remedio præveniendi ſoliciti ſumus, timentes ne cæteroquin veniat dies, in qua eximijs hiſce Apoſtolicæ gratiæ beneficijs ſpoliemur, graviſſimaque Dei flagella ſuper nos beneficijs illis abutentes provocemus.

*Idem Pag. 1043.*

Idem quoque ſanctiſſimus Archiepiſcopus in eadem littera paulo poſt mulieres, quæ per ornatus ſui vanitatem & illecebras aliorum in Eccleſia irreverentiam cauſant & fovent, perſtringens ita ſcribit. Saltem timendæ vobis ſunt comminationes illæ, quas Deus Eccleſias ſacras profanantibus apud Ezechielem intentat, dicens :

*Ezech. 23. v. 38. Ibid. v. 47.*

*Polluerunt ſanctuarium meum, . . . & Sabbata mea Profanaverunt; Hæc dicit Dominus : Lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladijs eorum, filios & filias eorum interficient, & domus eorum igne ſuccendent.* Quid enim peſtem, famem, bellum, terræ motus, domorum ruinas, aliaſque, quas nonnumquam immittere ſolet ærumnas, aliud eſſe exiſtimatis, quam juſta profanitatis aliorumque, quæ in Eccleſijs fiunt, peccatorum ſupplicia. Hactenus Sanctus Carolus.

*Ezech. 43. v. 8.*

Deus apud Ezechielem conqueritur, dicens : *Fabricati ſunt limen ſuum juxta limen meum, & poſtes ſuos juxta poſtes meos, & murus erat inter me & eos, & polluerunt nomen ſanctum meum in abominationibus, quas fecerunt, propter quod conſumpſi eos in ira mea.* Sed quænam eſt hujus diſperſionis circa hos temerarios & ſacrilegos à Deo factæ cauſa ? quodnam in eo delicti genus inveniri poterit, quod videlicet fores & liminaria ſua cum ſacro ejus templo conjunxerint ?

*S. Hieron.*

Reſpondet ad hoc Sanctus Hieronymus, dicens : *Mentem ſanctam, non vicinitatem Eccleſiarum & habitationem proximam Dei procurare clementiam, quin potius indignationem Domini commoveri, quando in conſecratis Deo locis indignus habitator eſt, unde ſequitur : Propter hoc conſumpſi eos in ira mea.*

Deus inexorabilis ob ſcelera in templis facta.

*Joan. 16. 24.*

8. Quam exiſtimatis eſſe cauſam, quod non obſtante liberaliſſima promiſſione Chriſti dicentis : *Petite, & accipietis*, nihilominus in anguſtijs & calamitatibus publicis ad Eccleſiam ſæpius recurrentes non exaudiamur ? Audite Deum apud Ezechielem dicentem : *Procul recedam à ſanctuario meo*, id quod, ut ex textu colligitur, ab abominationibus, quibuſcum ſacroſanctum illum locum profanabant, irritatus dixit.

*Ezech. 8. v. 6.*

*Lyran.*

Circa quæ verba Lyranus ait : *Non per loci mutationem, cum Deus de neceſſitate ſit ubique, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſed per gratiæ & condeſcenſionis meæ ſubtractionem.* Dionyſius Carthuſianus in cap. 11. Jeremiæ, exponens verba illa :

*Jerem. 11. 15. Dion. Carth. in c. 11. Jerem.*

*Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa ?* inquit : *Cur autem pro eis non exaudiretur Propheta, Dominus pandit, dum ait : Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera, id eſt, populus Judæorum, cui tam multa beneficia præſtiti, atque ad cultum meum elegi.* Unde Hugo Cardinalis; Ideo Deum Jeremiæ prohibuiſſe dicit, ne ſuas pro populo Hebræorum, quem captivum in Babyloniam abducere, & inimicorum manibus tradere decreverat, orationes interponeret, quia *in domo mea fecit ſcelera multa*, & ideo

*Hug. Card.*

*tollit confidentiam orationum, ſicut ſi amicus dicat amico : Nolite me rogare ſuper hoc, quia nullo modo hoc facerem, aufert ab eis confidentiam templi, & ſacrificiorum, quia templum violabant.*

Quare populus Iſraël cæſus Arca præſente.

9. Obſervandum hic quoque eſt, quam miſerabiliter populus Iſraël per manus Philiſthæorum diſſipatus & profligatus ac cæſus fuerit, licet in exercitu ſuo Arcam Dei ſimul ſecum circumduxiſſet; Tametſi enim verum ſit, quod magnum in hac Dei veluti ſibi præſentis ſede habere potuiſſet adjutorium, attamen in illo cum Philiſthæis initio conflictu arca hæc Domini nihil illum juvit, eo quod filij Heli locum, in quo Arca Domini reſidebat, execrandis peccatorum exceſſibus profanare non deſiſtebant, unde omnis, quam in arca repoſitam habebant, fiducia penitus evanuit. Quid enim ad domum Domini in neceſſitatibus revertere proderit, ſi illam dehoneſtare & profanare non deſinamus, quin potius metuendum eſt, ne in locum ſperatæ divinæ propitiationis, inde nobis provenientia divinæ indignationis fulmina ſentiamus. Ægeſippus de jactura, quam populus Iſraël in Arcæ Domini amiſſione paſſus eſt, diſſerens, ſacrilegam filiorum Heli impietatem reprehendit, qui pro habendo adverſus Philiſthæos Dei adjutorio ad tabernaculum confugiebant, & in Arca Domini ſperabant :

*Ægeſippus l. 5. de excid. c. 16.*

*Temerarij nunccine demum vobis divinum auxilium affuturum ſperatis, quando altaria violaſtis ?* Et paulo poſt ſubdit : *Intermiſſa erat ſacræ cura religionis Heli Sacerdotis negligentia, victi Hebræi, Arca Dei capta eſt.*

Religio ſine armis vincit.

Verumtamen notabilem quamdam, quæ tunc accidit, circumſtantiam ponderat, videlicet quod tandem Arca ſine armis recuperata fuerit : *Et ſine armis reddita illis, quo indicio claruit, quod & ſine religione arma non vincant, & religionem ſine armis vincere.*

Victoria Ezechiæ à templorum reverentia.

10. Ezechias Rex Iſraël Jeroſolymam regni ſui metropolim optimè quidem quaquaverſum communierat, adeo ut quantumvis diuturnam obſidionem facile & ſine diſcrimine ſuſtinere potuiſſet, validos quoque habebat ejuſdem urbis præſidiarios defenſores, & tamen conſtat omnibus, quod ut inimici hoſtilem exercitum paulo minus quam ducenta pugnatorum millia numerantem à ſe repelleret & diſſiparet, non ad inſtructiſſima, quæ ſibi paraverat armamentaria, ſed ad templum Domini confugerit neque enim ipſum de ulla templi profanatione à ſe facta, conſcientia redarguebat, quin potius divinum in illo cultum adaugere ſummo zelo conatus fuerat; unde de illo dicitur :

*4. Reg. 18. v. 22.*

*Nonne iſte eſt, cujus abſtulit Ezechias excelſa & altaria, & præcepit Judæ & Jeruſalem : Ante altare hoc adorabitis in Jeruſalem*; Et ideo ſumma cum ſecuritate & fiducia ad templum Domini acceſſit :

*4. Reg. 19. v. 14.*

*Cum accepiſſet litteras de manu nuntiorum, & legiſſet eas, aſcendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino.* Et confeſtim ſine ulla mora Deus Iſaiæ Prophetæ ſuo præcepit, ut ei ſuo nomine diceret :

*4. Reg. 19. v. 20.*

*Quæ deprecatus es me ſuper Sennacherib Rege Aſſyriorum audivi*, miſitque Angelum ſuum de cœlis, qui in una eademque nocte cæcidit centum octoginta quinque millia bellatorum, qui paulo ante ſanctiſſimum Dei nomen blaſphemaverant, Hebræoſque in templum Domini ejuſque cultum & honorem confidentes ſubſannarant.

*Aggæi 1. v. 9.*

Suppliciorum cauſa manifeſta.

11. Deus quoque apud Aggæum Prophetam ait : *Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam, propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum, & vocavi ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum, & ſuper oleum, & quæcumque profert humus, & ſuper homines, & ſuper jumenta, & ſuper omnem laborem manuum.*



## DISCURSUS XV.

## ARGUMENTUM.

Cauſæ & myſteria explicantur, cur domus Dei per irreverentiam noſtram profanata à Chriſto appelletur ſpelunca latronum.

### THEMA.

*Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*, Matth. 21. ℣. 13.

Eccleſia profanata ſpelunca latronum fit.

1. SApientiſſimus Salvator noſter domum & Eccleſiam ſuam profanatam non ſine myſterio ſpeluncam latronum appellat, dicens : *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum*, quia, ut in præſenti diſcurſu fuſius demonſtrabimus, inter ſpeluncam latronum & Eccleſiam, quæ per irreverentiam & ſacrilegia indigne habetur, multæ intercedunt Analogiæ & ſimilitudines, quas ſigillatim hic recenſebimus.

Quando ſcelera in ea fiunt.

2. *Speluncam latronum.* Hæc Chriſti ſententia, ad illam ſe refert Dei querimoniam, quæ Jeremiæ cap. 7. adverſus populum Iſrael his verbis lamentatur :

*Jer. 7. v. 8. Ibid. v. 9.*

*Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, Furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt Deos alienos, quos ignoratis*;

*Ibid. v. 10.*

*Et veniſtis & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua invocatum eſt nomen meum, & dixiſtis : Liberati ſumus, eo quod fecerimus omnes abominationes iſtas.*

*Ibid. v. 11.*

*Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris.* Spelunca latronum latibulum quoddam eſt, in quo latrocinia, rapinæ, extorſiones iniquæ circa viatores à prædonibus in vijs publicis exercentur; Ac proinde, Ergone, inquit Deus, Eccleſia mea ſceleratorum & crimino ſorum hominum nidus & receptaculum fiet, in quo coram facie mea tot committuntur abominationes & ſcelerum horrendorum exceſſus ? Nam ut

*S. Hier. ibid.*

Sanctus Hieronymus ait : *Eccleſia Dei vertitur in ſpeluncam, quando furta, homicidia, perjuria, ſacrilegium, hæreſes & alia ſcelera verſantur in ea*; Hæc autem quotidie, prò dolor ! in ea fieri videmus. Quot enim ſunt, qui in locis ſacris haud ſecus ac in foro mercatus inſtituunt, per impudicos aſpectus & turpes imaginationes haud ſecus ac in proſtibulo libidini ſuæ indulgent, machinantur vindictas, aut illicitos inter ſe paciſcuntur contractus ? Quot inveniuntur, qui in Eccleſia murmurare, alienæ famæ detrahere, ejuſque ſanctitatem tot abuſibus, ſcandalis & ſacrilegijs contemerare & offendere non erubeſcunt ?

Quam indignum in templis peccare.

Quod quam indignum ſit, facile patebit ei, qui innumera, quæ nobis in Eccleſijs obtingunt, bona in pondere ſanctuarij trutinando penſitaverit. Hic enim ad cœleſtium Hierarchiarum imitationem Deus à religioſis utriusque ſexus, cunctiſque alijs Cleri ſæcularis Eccleſiaſticis inceſſanter in choro pſallendo & cantando, continuo laudatur, Hic quotidie ſacrificia incruenta offeruntur; Hic fideles devoti utroque poplite flexo ſuas ad Deum ardentes preces fundere cernuntur; Hic verbum Dei à Prædicatoribus miniſtratur, rudiores in doctrinâ & diſciplina Eccleſiaſtica erudiuntur, & catechizantur; Hic Sacramenta Bàptiſmi, Confirmationis, Ordinum ſacrorum, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ petentibus fidelibus adminiſtrantur, proque fidelium defunctorum animabus ſuffragia impenduntur, ut merito dicere poſſimus : *Replemur in bonis domus tuæ*, & tamen Sanctus Gregorius Magnus Pontifex Maximus, qui in propoſitionibus ſuis enunciandis, adeo ſemper fuit circumſpectus, dum ad mala, quæ in Eccleſijs committuntur, oculum ſuum

*S. Greg. l. 31. mor. c. 7.*

dirigit, dicere non dubitat : *Sancti viri dum per aditum internæ contemplationis aſpiciunt, prava intra Eccleſiam fieri, quam recta deprehendunt*; quibus verbis ſanctus hic Pontifex, ut reor, vult dicere, quod peccatum aliquod, quod in Eccleſia in conſpectu & coram oculis Dei, & in domus ſuæ gravem ignominiam committitur in Dei trutina libratum gravius in ſe pondus contineat, quam quodvis opus bonum devotorum Chriſtianorum.

*S. Ephrem. T. 3. de Paſſione.*

3. S. Ephrem de alapa Redemptori noſtro inflicta diſſerens ait : *Angeli & Archangeli omnes ſtupuerunt, Gabriel & Michael vultum ſuum alis contexerunt; Cherubim in Throno ſub rota ſe abſconderunt, Seraphim in ſe mutuo alas in illa hora concuſſerunt :*

Angeli facies ſuas velant ob ſcelera in templis facta.

At vero, dic ſodes; numquid tibi atrocius crimen eſſe videtur Chriſtum crucifigere, quam eidem alapam impingere ? Et tamen quot ſunt hodie in Eccleſijs, de quibus verificatur, quod ait Apoſtolus :

*Heb. 6. v. 6.*

*Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei & oſtentui habentes.* Porro Seraphini illi, quorum apud Iſaiam fit mentio; alis ſuis vultum velabant; abſcondebant pennis alarum oculos ſuos quaſi erubeſcentes de abominationibus, quæ committebantur in templo, de quibus abominationibus Ezech. c. 8. fuſe diſcurrit;

*Ezech. 8. 7.*

Et quidem viſionem hanc Iſaias non in cœlo Empyreo, ſed in templo conſpexit :

*Iſa. 6. v. 1.*

*Et ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum.*

*Pſ. 47. v. 10.*

4. Pſalmiſta ait : *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*; Et ideo ad Eccleſiam velut ad ſignaturam gratiæ nobis recurrendum eſt, non ad committendum peccata nova, ſed ad commiſſorum peccatorum impetrandam veniam, *Qua enim ſpe* (verba ſunt vetuſti cujuſdam Concilij)

*T. 3. Concil. in vit. & Epiſt. Steph. VI. p. 1018.*

*veniam conſequi de præteritis arbitratur delictis, qui nō ſolum peccata ſua negligit abluere, ſed potius contendit augere ? Revereatur illum, qui facto flagello de funiculis ejecit vendentes & ementes de templo, remiſſius ſcilicet & utiliter negotiari, quam inaniter & otioſe fabulari.* Quid igitur dicturi ſumus, cum Deus populo Chriſtiano exprobrare cœperit :

*Jerem. 11. 15.*

Duo ſimul profanantur templa.

*Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa ?* Etenim cum Chriſtiani Deum in Eccleſia offendunt non ſolum unum, ſed duo templa, eaque à Deo ſemper in magno honore & pretio habita, aſpernantur & profanant, ſcilicet in primis corpus & animam noſtram, quæ ſunt templa, in quibus Deus ſe habitare profitetur, & inſuper templum materiale ab ipſo ſanctificatum. Unde Sanctus Auguſtinus ait :

*S. Aug. ſerm. 210. de templo.*

*Quia templum Dei ſumus, & Spiritus Dei habitat in nobis, quoties aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum Dei deſtruimus, & ei qui in nobis habitat, injuriam irrogamus :* Quod vero inſuper Eccleſiæ injuriam faciamus, dum intra ejus arbitrium & ſepta peccatum aliquod committimus, clarum eſt & liquidum, ac proinde Deus lamentatur dicens : *Numquid ergo ſpelunca latronum &c.* S. Hilarius ſuper illa Pſalmiſtæ verba :

*Pſ. 128. 139. S. Hilar. ibid.*

*Tabeſcere me fecit zelus meus &c.* illum quoque textum : *Zelus domus tuæ comedit me*, adducit, & ait : *Efficimus enim nos interdum templum Dei aut domum negotiationis, aut ſpeluncam latronum; templum enim Dei, ſecundum Apoſtolum, corpora noſtra ſunt, quæ in Chriſto ſanctificata ſunt, & hæc eadem corpora dum cogitamus atque agimus ſtupra, cædes, furta, falſitates, rapinas, ſpeluncam latronum conſtituimus. Cum autem ſæculi negotijs, & negotiationum commercijs laboramus, tunc Domum Dei domum negotiationis efficimus, ut quæ orationis ſedes eſſe debebat, fiat vel latibulum latrocinantium, vel domus negotiationum.* Dæmon quippe in omni quidem loco, quoad poteſt, offendicula ſtruere nititur, ad quæ allidentes labamur, verumtamen id vel maxime in locis ſacris molitur, quia probe novit, quod lapſus, qui ex locis eminentioribus contingunt, irreparabiliores ſint, majoremque nobis perniciem adferant; Et ideo Eccleſiaſtes, qui & idem ipſe eſt, qui templum Jeroſolymitanum olim erexerat, ſapientiſſimè monet dicens :

*Eccle. 4. 17.*

*Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei.*

Quanta cum diſpoſitione ad templa eundum ne tentator nos vincat.

5. Erant proinde olim varij gradus, per quos in templum Domini aſcendebatur, & quidem ut homines templum hoc orationis cauſa frequentantes gradus hoſce tanto majori cum recollectione animi ac devotione aſcenderent, David in Spiritu Prophetico varios Pſalmos, qui *graduales* appellantur, compoſuit, ut per illorum recitationem animæ ad pietatem & devotionem in templis requiſitam diſponerentur. Unde Interpres quidam ſuper præfata Eccleſiaſtis verba, ita ſcribit :

*Joan. Ferus ibid.*

*Admonet Salomon, ut cautiſſimus, ne offendamus, nihil enim periculoſius eſt, quam in rebus divinis offendere & ſcandalizari; Exemplum ſumit à templo illo materiali, quaſi diceret : ſicut illud templum multos habet gradus, in quibus facile quis offendit pedes, niſi obſervet, & cautus ſit, ſic & in domo Dei facile quis impingere poteſt, ſi vel mala intentione intret, vel non debitè ſe gerat, ſi oculos non contineat, ſi mala cogitet.* David ait :

*Pſ. 25. v. 12. Ibid.*

*Pes meus ſtetit in directo*, quonam vero modo id obtinuerit, ſubjungit, dum ait : *In Eccleſijs benedicam te Domine.* In perſona Phariſæi illius, qui cæteroquin homo erat à peccato adeo alienus, ut dicere non dubitarit :

*Luc. 18. 11.*

*Non ſum ſicut cæteri hominum*, clare videtur, quod Dæmon tentator etiam homines

nes virtuoſiſſimos in Eccleſijs in peccata vanæ gloriæ & vanitatis cadere faciat. Sic quoque Dæmon ipſummet Salvatorem de peccato gulæ tentavit, ſed in denſiſſimæ ſylvæ abditis receſſibus; Eumdem quoque de honorum & dominiorum temporalium ambitione tentavit, ſed conſtitutum in vertice montis at vero de vana gloria eumdem tentare volens, ſupra templi pinnaculum illum tranſportavit, ut exinde diſceremus, quod & hic viros etiam ſanctiſſimos tentare non deſinat.

*Hugo Card. in Jerem.* Quot in Eccleſijs ſæpe fures. *Ezech. 18. 4.*

6. *Speluncam latronum.* Hugo Cardinalis ex Sancto Auguſtino (qui furtum definit, quod ſit *contrectatio rei alienæ invito Domino*) Eccleſiam ſæpe latrociniorum & furtorum officinam & receptaculum fieri conſiderat, quia ibi frequentiſſime, imo quotidie, animæ Deo eripiuntur: *Cum omnes animæ ſint Domini*, ut dicitur Ezechielis 18. *Ecce omnes animæ meæ ſunt, ut anima Patris, ita & anima filij mea eſt*; ac ſtatim ſubjungit: *Furtum ergo faciunt malo exemplo animas Domino auferentes.* Eheu quot animæ Deo per obtutus, geſtus, & actus impuros in locis ſacris auferuntur? Quot ſunt mulieres, quæ ceruſſæ & ſtybij vanitatibus, odorum pigmentis, gemmis & alijs laſciviæ irritamentis inſtructæ & exornatæ in Eccleſias ſe conferunt, ut animas Deo ſurripiant, & illicitis amoribus illaqueent? Sanctus Hieronymus ſuper illa verba Amos Prophetæ: *Væ qui opulenti eſtis in Syon, ingredientes pompaticè domum Iſrael*, notat quod Septuaginta addiderunt: *ſibi pompaticè*, ut ſcilicet tumorem animi corpus oſtendat, & pomparum ferculis ſimiles videantur; Pulchrè autem dicitur: *Ingreſſæ ſunt ſibi, non enim ingreſſi ſunt Deo, ſed ſibi.* Sanctus Carolus Borromæus in quadam Epiſtola ſua paſtorali ait: Vos ô mulieres veſtris pompis, ornamentis, & capitibus diſcoopertis, nec non vos ô juvenes actionibus, geſtibusque veſtris immodeſtis & diſſolutis, Eccleſias, quæ domus Dei, & domus orationis ſunt, in ſpeluncam, & quidem latronum ſpeluncam convertitis, quia per hæc media, & alia, quæ exinde naſcuntur, peccata in rapiendis animabus, eaſque vobiſcum in infernum uſque proturbandis, Dæmonis cooperatores eſtis.

*Amos 6. 1. S. Hier. ibid. Septuaginta.* *Acta Eccle. Mediolan. p. 7. p. 1043.*

Multi Eccleſiaſtici ut prædones templa frequentant. *Lyranus in Jerem.*

7. *Speluncam latronum.* Speluncæ latronibus eo potiſſimum fine deſerviunt, ut ſint quoddam furtorum & rapinarum ſuarum reconditorium. Unde Lyranus ait: *Spelunca latronum eſt eis ad repoſitionem ſuorum furtorum.* Quot ſunt hodie, maxime inter Eccleſiaſticos, qui divino cultui in Eccleſijs adſiſtunt, non ut aliquod per hoc Deo obſequium præſtent, ſed ut bona ſibi temporalia congregent & accumulent? Unde Sanctus Bonaventura ait: *Multis hodie poſſet dici illud, quod ſubditur in Matthæo: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum, illis videlicet, qui non veniunt ad Eccleſiam propter laudes decantandas, ſed potius propter burſas implendas, ſicut latro latet in ſpelunca, ut ſpoliet tranſeuntes, ideo dicitur: Numquid ſpelunca latronum facta eſt, &c.* Hi quoque Domum Dei in domum negotiationis convertunt; Nam ut Gerſon de vita Clericorum ait: *Domus orationis ſit domus negotiationis & ſpelunca latronum, quo pacto? Certe aut cogitando, aut garriendo ſæcularia, aut diſtributiones divinas tamquam nobis, qui non eas lucramur, indebitas, furtive rapiendo, furtive dixerim, judice Deo, & ſi non mundo, qui ſi eos ſolvit, non tamen abſolvit.*

*S. Bonav. ſer. 1. de Dedic. Eccle.* *Gerſon. T. 2. de vita Cleric.*

*Theophyl. in Matth.* In Templis latrocinia fiunt ſpiritualia.

8. *Speluncam latronum.* Theophylactus ait: *In ſpeluncis latronum fiunt mactationes & ſanguinis effuſiones.* Et quot eheu in Eccleſijs animarum cædes committuntur! Siquidem per cogitationum impuritatem, & concepta ibidem ex curioſitate & laſcivis obtutibus deſideria venenum quoddam imbibunt, dulce quidem, ſed mortiferum, quod ipſis ſæpenumerò non corporalem tantum, ſed & ſpiritualem cædem conciliat? Ut proinde Dionyſius Carthuſianus de Eccleſia dicat: *Facta eſt ſimilis latronum latibulo, in qua tot animæ ſpiritualiter occiduntur, atque tot ſcelera committuntur.*

*Dion. Carth. in Matth.*

Hypocritas cognoſcit Deus.

9. *Speluncam latronum.* Latrones ne eorum latrocinia & furta deprehendantur, alijsque manifeſta fiant, inter inacceſſas ſylvarum arborumque denſitates, reconditiſſima ſibi cavernarum & antrorum latibula exquirunt, ut abominationum propriarum ſoli ipſi conſcij ſint, & nemo alius. Porro Judæi idem olim faciebant, quod hodie multos Chriſtianos facere conſpicimus; Eo namque tempore, quo varia ſcelera aliorum hominum oculis occulta & abſcondita committebant, templa quoque frequentantes, pietatem & devotionem exterius ſimulabant, credentes ſe hac ratione ab ipſiuſmet quoque Dei oculis futuros eſſe abſconditos; ſed graviter in hoc hallucinabantur; ſiquidem Deus poſtquam dixiſſet: *Numquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta*, mox quoque proteſtatur, dicens: *Ego, Ego ſum, Ego vidi, dicit Dominus, quaſi dicat*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *Ego ſum judex veſter, Ego ſum ille, in cujus conſpectu talia facere non timetis, Ego quem tantum deſpicitis.* Vatablus quoque in Annotationibus ſuis ait: *Qui fit, ut judicio veſtro ædes hæc mea ſit veluti antrum latronum, neque pluris eam faciatis, quam antrum graſſatorum? Nam & in antra ſua ſe recipiunt, ſic vos poſt ſcelera etiam graviſſima non erubeſcitis venire in domum meam, quaſi exiſtimetis me peccatorum veſtrorum eſſe ignarum*, cum tamen econtra ut Sanctus Bernardinus ait; *reluceat in templo præſentia Domini, ſicut teſtatur Pſalmus: Dominus in templo ſancto ſuo, Deus in loco ſancto ſuo*; tametſi enim ejus præſentia ad omnem ſe locum extendat, ſpecialius tamen in Eccleſijs præſens eſſe credendus eſt, & maxime corporaliter in Euchariſtia; Unde majori cum jure dicere poſſumus, quod olim David dixerat: *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Unde inter alia Eccleſiæ Gallicanæ decreta legimus: *Quantus honor Eccleſijs Dei deferri debeat, ipſius Dei vox exprimit his verbis: Erunt oculi mei & cor meum in templo cunctis diebus.*

*Jerem. 7. 11.* *Dion. Carth.* *Vatablus in Annot.* *S. Bernard. in T. 1. ſerm. 20. a. 1. c. 1.* *Pſalm.* *Pſalm. 131. v. 7.* *Lib. 4. Tit. 1. c. 1. Decret. Eccle. Gallic.*

*Lyranus.* Templa non ſunt ſceleratorum refugia. *Sanctius in Jerem.*

10. *Speluncam latronum.* Lyranus ait: *Spelunca latronum eſt eis ad refugium*; Unde Deus prædictis verbis dicere velle videtur: Ergone domus mea impijs & ſceleratis hominibus in aſylum deſerviet & refugium? Sanctius ſuper præfata Dei verba apud Jeremiam, in paraphraſi ſua eadem verba ita exponit: *Numquid domus mea meo conſecrata nomini; quæ à peccando prohibere debuit, propter veniæ ſpem, quæ in templo exiſtimatur eſſe parata, occaſio peccandi vobis fuit? Quemadmodum ſpelunca, ubi ſe direptamque prædam latrones occultant, illorum alit vim & audaciam? Ego qui vivus ſum & verus Deus, Ego, inquam, vidi cogitationes & ſtudia veſtra, quibus quid debeatur ſupplicij non ignoro.* Supponendum igitur eſt, quod immunitas loci ſacri, non ad fovendum ſceleratos homines, vel facinoroſos defendendum introducta ſit, ſed potius ad proſpiciendum illis, qui *in calore iracundiæ* ſanguinem effundere humanum volunt, unde traditores & latrocinia committentes ab hoc refugij jure excluduntur. In Exodo hoc à Deo præceptum conditum fuiſſe legitur: *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tradidit in manus ejus, conſtituam tibi locum, in quem fugere debeat.* Ubi Lypomannus ait: *Intelligitur ergo tantummodo Deum feciſſe, cum quiſque occiditur à nolente.* Idem quoque Deus eodem in loco proſequitur dicendo: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Rabanus Maurus quoque in libro Joſuæ perſpicuis verbis dici notat, quod civitates refugij pro ijs tantum ordinatæ fuerint, qui proximum ſuum caſualiter occidunt: *Commemorat Joſue, Domino jubente ſex civitates refugij decernere homicidis, qui homicidium non ſponte fecerint.* Et Lypomannus ait: *Aſyla, id eſt, loca refugiorum à Domino conſtituuntur, ut illuc confugiat, qui præter propoſitum perpetravit homicidium, & hoc in defenſionem innocentiæ, non in protectionem latronum:* In hac igitur exceptionis lege obſervandum eſt, quod privilegia, quibus Eccleſiæ ad aſyla publicè deputantur, ſancta ſunt & bona, ac in divina ordinatione fundata, qua inſons ab injuſta & illegitima violentia defendatur.

*Exod. 21. v. 12.* *Ibid. v. 13.* *Lypomannus ibid.* *Ibid. v. 14.* *Raban. ibid.* *Lypom. ibid.*

Analogiæ inter templum profanatum & ſpeluncam latronum.

11. *Speluncam latronum.* Nemini ignotum eſſe poteſt, ſpeluncam ferarum potius quam hominum receptaculum eſſe; Tales autem ejuſmodi ſacrilegi, & Eccleſiarum profanatores eſſe communiter ſolent. Vere enim omnis humanitatis expertes feræ ſunt, quia tametſi non ſolum leges divinæ & Eccleſiaſticæ debitos ſacris locis honores, & latreuticum Deo cultum decernant, verum etiam leges humanæ & naturales, cum nulla ſit ſub ſole natio adeo barbara & inculta, quæ falſorum, licet numinum ſuorum deitati, nec non locis, in quibus adorantur debitum non deferat honorem & reverentiam, ſoli ex Chriſtianis ſacrilegi adeo ſunt inhumani, ut domum Dei ſui, cujus profitentur religionem & fidem, irreverenter aſpernentur, profanent, & vilipendant. Et ideo domum Orationis, quæ inſtrumentum eſt ſalutis (*Salus huic domui facta eſt*) in ſpeluncam latronum convertere ſignum eſt beſtialitatis, & conſequen-

*Luc. 19. v. 9.*





ter reatum ſubindicat damnationis; Et ideo in pervetuſto quodam Concilio, ad hoc ne Eccleſiæ ſacrilegijs profanentur, hoc unicum motivum adducitur: *Ne ubi peccatorum venia poſtulatur, ubi peccata committi deprehendantur.*

*Ex Synod. Senon. A. 1524. c. 2.*

12. *Speluncam latronum.* Porro in latronum antris, ad quæ omnes rapinæ & prædæ inferuntur, in quibus merus horror eſt & confuſio, ubi præter præciſa infeliciter occiſorum hominum capita aliud nihil cernitur, omnia ſuſque deque verſa eſſe conſpiciuntur. Quot eheu ſunt Chriſtianorum templa & Eccleſiæ, quæ vel propter negligentiam, vel ob impiam & ſcandaloſam Eccleſiaſticorum vitam irreligioſiſſimè cuſtodiuntur, adeo ut ſpeluncæ & ſpecus potius, quam loca Deo conſecrata eſſe videantur.

*Olympiod. in Catena Græc. in Jer.*

13. *Speluncam latronum.* Olympiodorus in catena Patrum Græcorum ait: *Spelunca eſt ſine foribus; omnibus in eam aditus patet, quæritur ergo de ipſis, quod nulla reverentia in ſancta ingrederentur.*

*Theophylactus.*

14. *Speluncam latronum.* Theophylactus per templum animam noſtram intelligens, ita ſcribit: *Vide autem & tu, ne forte templum Dei cogitatione tua facias ſpeluncam latronum dæmoniorum, Fit autem ſpelunca, ſi habuerimus cogitationes carnalibus rebus amicas, vendentes & ementes, & lucri cupidas.* Dionyſius Carthuſianus quoque dicit: *Qui in Eccleſia laſcivi circumſpiciunt, nonne de domo ſalutis locum ſibi faciunt damnationis?*

*Dion. Carth. in Jerem.*

Templa ſalutis multis damnationis cauſa.

15. Denique Domum orationis dicit factam eſſe *ſpeluncam latronum*, quia multi Deo honorem & reverentiam debitam furantur & eripiunt, dum in domo ejus ipſi per divini cultus contemptum ſacrilegè ſerviunt.

## DISCURSUS XVI.

### ARGUMENTUM.

Perſtringuntur illi præcipuè, qui ad Eccleſias eo præcipue motivo ſe conferunt, ut cordis ſui carnalia deſideria foveant, quique per incautos obtutus, alioſque actus impudicos eaſdem profanant.

### THEMA.

*Incenderunt igni ſanctuarium tuum, ... polluerunt tabernaculum nominis tui*, Pſalm. 73. ℣. 7.

Templum Dei eſt anima, hæc peccatis profanatur. *Pſ. 73 v. 5.*

1. REgius Phopheta David in hoc Pſalmo deſtructionem deplorat templi Jeroſolymitani: *Quaſi in ſylva lignorum ſecuribus exciderunt januas ejus idipſum*; id eſt, ut Gloſſa interlinearis exponit: *Sine ullo reſpectu & reverentia in ſecuri & aſcia dejecerunt.* Unde his verbis impietatem profanatorum templi exprimere voluit, utpote qui ſacroſancti illius loci portas, haud ſecus ac profana ſylvæ alicujus ligna confringebant. Unde Hugo Cardinalis ait: *Januas templi ita fortiter, & ita reverenter exciderunt, ſicut exciderent ligna in ſylva. Incenderunt igni ſanctuarium tuum, hoc eſt, in deſiderio & cogitatione, polluerunt templum ſanctum tuum in colloquio & operatione.* Idem quoque Cardinalis aliam huic loco adhibet expoſitionem propoſito noſtro præſenti accommodatiorem; Dicit enim: *Luxurioſi incendunt ſanctuarium Dei igne luxuriæ ſuæ, de quo* Job 31. *Ignis eſt uſque ad conſumptionem devorans: incendunt ſanctuarium, ſcilicet Eccleſiam, polluerunt tabernaculum nominis tui*, quia Eccleſia per luxuriam & fœdam libidinem ſpecialiſſimè contaminatur & profana efficitur. Etenim Pagani, qui lumine & notitia Dei deſtituti erant, templum Dei incenderunt igne, comburendo ligna, deſtruendo lapides, metalla, veſtes, & aliam ſupellectilem ſacram, in honorem Dei Iſrael, qui inibi adorabatur, conſecratam, atque fideles Chriſtiani, qui veri Dei profitentur fidem, Eccleſias & domum Dei, prout per experientiam videmus quotidie, profanare non verentur, libidinoſi amoris pernitioſo igne accendendo & conflagrando non parietes, non muros, non altaria, ſed templa illa, quæ ſe inhabitare profitetur Deus Spiritus Sanctus, id eſt, animas fideles. Sanctus Thomas de Villa nova in concione quadam de dedicatione Eccleſiæ dicit: *Grandis honor, ſed grandis timor; Etenim ingens quidem honor nobis eſt*, quod Deus animam noſtram in ſuum elegerit ſanctuarium, verumtamen honor iſte ad tanto majorem timorem concipiendum nos obſtringit: *Unde Apoſtolus cum dixiſſet: An neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus habitat in vobis? aperte adjecit: Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus, ſi quis enim in hoc ſancto Dei templo equos, & aſinos, & porcos immitteret, & ſanctuarium Dei jumentorum ſtabulum, & porcorum haram faceret, quam impius & ſacrilegus haberetur? Et ſi deſtructis ac raſis ſanctorum imaginibus, in eodem loco turpiſſimum Bacchi, Jovis, Martiſve ſimulachra, & aliorum Dæmoniorum idola audacter & impudenter ſtatueret, quo incendio, quo ſupplicio puniretur?* Qua ſimilitudine Sanctus Archipræſul gravitatem oſtendere nititur peccati illius, quo anima profanat ſemetipſam; Ubi ſubjungit, dicens: *Quid minus facis tu ô peccator, qui ſacram cordis & corporis tui templum vitijs imples, & immunditijs polluis, & ſacrum Dei habitaculum Dæmoniorum ſpurciſſimorum ſtabulum facis, & expulſo Spiritu Dei ſancto, turpiſſima carnalium imaginationum ſimulacbra idolaque depingis? Quo putas inferno, quo ſupplicio tantum facinus vindicabitur?* Cum igitur ſanctitas loci illius, in quo committitur delictum, maximopere culpam aggravet ſacrilegij, quis adeo effrons & temerarius eſſe præſumet, ut domum Dei eo fine data opera ingredi audeat, ut in eo loco, ubi Divinitas corporaliter inhabitat, in conſpectu Dei non ſolum animæ ſuæ ſanctuarium, ſed & aliorum profanare audeat? Utique talis ſeveriſſimi ſupplicij ſe reum conſtituet. *O quanta injuria*, inquit idem Villanovanus, *qualis impietas Spiritum Sanctum à ſuo pellere tabernaculo, & ſacraria ejus immundis deſiderijs & voluptatibus profanare.*

*Hugo Card. ibid.* *Hugo Card.* *Job. 31. v. 12* *S. Thom. de Villa nova Conc. de Dedicat. Eccle.* *1. Cor. 3. 16.* *Ibid. v. 17.* *S. Thom Villanovanus ubi ſupra.*

Hiſtoria. *S. Greg. l. 3. c. 30. Dial.*

2. Sanctus Gregorius hiſtoriam quamdam recenſet, quæ circa Eccleſiam Sanctæ Agathæ antea ab Arrianis profanatam, poſtea verò rebenedictam & reconciliatam, ac Catholico cultui integrè reſtitutam accidiſſe legitur; Dum enim Eccleſia hæc per conſuetas cæremonias ſacras reconciliaretur, videntibus omnibus, qui in Eccleſia præſentes aderant, porcus quidam egreſſus furibundus furore & rabie ſua ſe invitum abinde diſcedere clarè ſatis demonſtrans, hic autem fœdus porcus verè Dæmon erat; Verum inquies, cur potius immundi hujus animalis figuram ſibi aſſumpſit? cum Sanctus Petrus illum potius veluti leonem ob oculos ponat: *Adverſarius veſter Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Scitiſne hujuſce aſſumptæ porcinæ figuræ myſterium? Nimirum hanc aſſumpſit, ut per illam nobis innueret, quod loca ſacra ſpecialiſſimè per cogitationes, obtutus geſtus, alioſque actus immundos & inhoneſtos in abominationem redigere & profanare moliatur: *Incenderunt ſanctuarium Dei igne luxuriæ.* Sanctus Bernardinus in quodam ſermone ſuo peſſimam hanc conſuetudinem hoc tempore eheu! nimis inter mulieres uſitatam acriter perſtringit, qua vanitate ornatus corporis ſui humanam fragilitatem ad impudicitiam vehementer extimulant: *Inflammantur*, inquit, *per mulieres vanas templa Dei, quæ ſunt animæ & corpora Chriſtianorum, Paulo atteſtante, qui* 1. Corinth. 3. ait: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos; ubi* Gloſſa *dicit, quod quilibet fidelis templum eſt Spiritus Sancti in Baptiſmo dicatum, quod plus valet, quam omnia temporalia templa mundi; Pſalmiſta in ſpiritu contemplans præſens tempus, in quo carnales & vanæ mulieres cum meretricijs ornamentis accedunt ad ſacratiſſima loca, & incendunt ſpiritualia templa Dei, id eſt, animas, atque materialia templa profanant, clamore ſpirituali has apud Dominum accuſabat, dicens: Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, id eſt, animas juvenum illas in Eccleſijs inſpicientium, Polluerunt tabernaculum nominis tui, id eſt, Eccleſiam conſecratam, quod eſt tabernaculum nominis Dei, ubi invocatur divina ſalus, quod quidem tabernaculum polluerunt, cum tot fornicationes in tali conſecrata Eccleſia, coram Deo, Beata Virgine, & Sanctis ejus operantur, cum concupiſcendi ſe cauſas præbent juvenibus*, adducitque textum illum 2. Eſdræ cap. 4. *Templum incenderunt Idumæi, id eſt, ſanguinei, hoc eſt, mulieres, carnales & luxurioſi affectus in ſanguine deſignati.*

*1. Petr. 5. v. 8.* Invectiva in mulierum vanum ornatum. *S. Bernard. T. 2. ſerm. 47. a. 3. c. 1.* *1. Cor 3. v. 17.* *Gloſſa.*

Multis videtur templum eſſe.

3. Petrus Berchorius ad impudicitiam ſe reflectens, quam carnales homines in Eccleſijs mente concipiunt & proponunt alibi exequendam, dicit, Dæmonem ſua quoque altaria in Eccleſijs erigere, in quibus idola ſua, id eſt, objecta impura & obſcœna adorari ſatagit: *Ubi Diabolus cum ſuis idolis adoratur.* D. Chryſoſtomus quoque contra illos invehitur, qui aſpectibus, nutibus, aut cogitationibus impuris Eccleſias dehoneſtant: *Eccleſia ubi videtur lupanar vel forum?* quot ſunt, qui in vijs publicis, in foro, vel theatro cauti ſunt & circumſpecti, ne oculos ſuos in mulie-

*Petr. Berchorius v. Templum.* *D. Chryſoſt. T. 5. Orat. de Eccle.* Lupanar,

rem quamquam honoratam fixè dirigant, ne marito vel parentibus, qui illi præſentes adſunt, pravam affectus illiciti ſuſpicionem ingenerent, & tamen in Eccleſia effræni appetitui ſuo habenas laxare floccifaciunt, parum curantes, quod loco ſacro per hoc ſummam irreverentiam irrogent, vel quod ibi non tam maritus aut parentes, ſed Deus ipſe illi intimè præſens aſſiſtat, utpote qui inibi in ſanctiſſimo Altaris Sacramento corporaliter reſidet? Oleaſter obſervat, quod Adam conjugem ſuam in paradiſo terreſtri cognoſcere non præſumpſerit, eo quod locus ille per divinam præſentiam fuerit ſanctificatus, quando *ambulabat ad auram poſt meridiem*, *quo facto docemur, quanta in veneratione & reverentia à nobis habenda ſint loca ſacra, ut ſcilicet ibidem nullam turpitudinem operemur; ſi enim domum Dei, domum negotiationis facere prohibemur, multo magis domum turpitudinis.* Divus Chryſoſtomus alibi quoque ſacrilegis carnalibus improperat, quod per obſcœnos obtutus ſuos Eccleſiam vilipendant, & pari cum lupanari loco habeant? *Quid facis homo, mulieris ſpeciem curioſius in Eccleſia perſcrutaris, nec horreſcis tanta templum Dei afficiens contumelia? Proſtibulumne tibi videtur Eccleſia, & foro ignobilior? Nam in foro erubeſcis, etiam times, ne quis te videat mulierem ſectari, in Eccleſia vero Dei, cum ipſe Deus te alloquatur, & ab iſtis deterreat, eo ipſo tempore maxime fornicationi & adulterio vacas, quo tibi magna voce intonatur, ut ab his fugias, nec horreſcis, nec ſtupes.*

*Oleaſt. in c.4. Gen.*

*D. Chryſoſt. Hom. 74. in Matth.*

4. Deus in libro Judicum Gedeoni ſequens impoſuit præceptum: *Deſtrues aram Baal, quæ eſt patris tui, & nemus quod circa aram eſt, ſuccide.* At vero quid Deo intererat, quod circum altare ſuum arbores eſſent, vel non? Pro hujus reſolutione ſciendum, familiare fuiſſe gentilibus, circum templum denſa habere plantata nemora, quia poſtquam Dijs ſuis immolaverant, operi carnis turpiſſimo operam dabant, idque tantò licentioſius, quantò ſe per nemoris umbras ab aliorum oculis magis abſconditos eſſe credebant; quæ cauſa eſt, cur in pluribus ſcripturæ locis lucorum & nemorum circa templa Deorum frequens fiat mentio; Quod verò iram Dei vel maxime proritabat, erat, quod & Hebræi idipſum circum Altaria faciebant, ſuper quibus ſua ſacrificia obtulerant. Licet illa ex arietibus, ovibus, tauris, aut alijs id generis animalibus conſtarent: Quanto igitur magis exaſperabitur Deus, dum nos ſi non actualiter, eo quod hoc facere nequeamus, ſaltem ad minus deſiderio, voluntate, & malis propoſitis in conſpectu & præſentia non boum vel ovium, ſed ipſiuſmet ſacratiſſimi corporis ſui, impudicitiam exercere non veremur. Optimè Philo monet, dicens: *Verum Dei templum non amœnitates poſtulat, ſed ſeveram caſtimoniam*; Ac proinde Deus in Deuteronomio hanc prohibitionem ſtatuit: *Non plantabis lucum & omnem arborem juxta Altare Domini Dei tui.* Sanctus Hieronymus ſuper Oſeam inquit: *In lege præceptum eſt, ut non ſacrificetur Domino, niſi in loco, quem elegerit Dominus Deus, & juxta Altare lucus & arbores non plantentur, ne ſcilicet paſſiva & voluptuoſa religio, auſteritatem unius & veræ religionis evertat.* In quibus verbis maximè ponderandum eſt, quod voluptates in loco ſacro meditatas, & propoſito conceptas ad religionem noſtram evertendam abundè ſufficere dicat; Revera enim nihil eſt, quod infideles magis ſcandalizet, majoremque hæreticis contra nos audaciam ſuggerat, quam irreverentia, immodeſtia, impietas, & profanatio in Eccleſijs exercita.

*Jud. 6. v. 25.*
Quanta ſit irreverentia in templis libidinoſis indulgere cogitationibus.

*Philo l. 2. de Mon.*
*Deut. 16. v. 21.*
*S. Hieron. in cap. 4. Oſe.*

5. Divus Chryſoſtomus quidem dicit: *Eccleſia non eſt locus diſputationis & doctrinæ*, & tamen videmus, quod in ijs frequenter ſuſtineantur concluſiones ſcholaſticæ, tales tamen, quæ materias utplurimum ſacras concernunt; Verba autem quæ in eodem Chryſoſtomo ſequuntur, talia ſunt, ut meritò verecundiæ purpura noſtrum obnubere deberent vultum; Dicit enim: *Nunc autem nihil differt à foro, & ſi non ſit dictu audacius, forte nec à fornice aut proſtibulo, adeo ijs qui illic ſcortantur laſcivius, & impudicitias ornantur, quæ hic congregantur, quamobrem multos quoque impudicos huc attrahunt, & ſi quis tentet, aut velit corrumpere mulierem, nullus ei videtur locus aptior quam Eccleſia.* Sanctus Hieronymus ſuper illam Dei querimoniam, qua dicit: *Fabricati ſunt limen ſuum juxta limen meum*, ita ſcribit: *Audiant hæc juxta literam mulierculæ oneratæ peccatis, quid prodeſt habitationis vicinia, & medius inter cellulam noſtram & Altare Domini paries, cum in his quæ ſecreto facimus, & quæ turpe eſt etiam dicere, contaminetur & polluatur nomen Domini*; Quibus proinde Deus per Ezechielem comminando proteſtatur, quod adverſus ejuſmodi ſacrilegos & ſacrilegas iræ ſuæ horrenda miſſurus ſit fulmina: *Propter quod conſumpſi eos in ira mea.* Auſcultemus adhæc quales contra tales fulminet comminationes Sanctus Bernardinus, dum ait: *Quanta igitur indignatione turbatur Dominus contra illos, qui aſpectibus impudicis, & provocationibus effrænatis ſacra Dei templa & ædes, tamquam publica meretricum proſtibula profanant? Qua inſuper juſtitia contra matres & conſanguineas iraſcetur ſeveritas Dei, quæ tamquam meretriculas exornatas proſtituunt filias, & puellas coram oculis peccatorum in templis ſacris, imo in conſpectu Dominici Sacramenti, & dum divina myſteria celebrantur? Qua denique ſententia puniuntur; quicumque ibidem turpia & ſacrilega operantur.*

*D. Chryſoſt. Hom. 36. in 1. ad Cor.*
Gravis Divi Chryſoſtom. ſententia.

*Ezech. 43. 8.*
*S Hieron. in c. 43. Ezech.*

*Ezech. 43. v. 8.*

*S. Bernard. in T. 1. ſerm. 20. a. 1. c. 2.*

6. Sanctus Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Timotheum ſcribit: *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum.* Magna autem domus iſta, in qua varia vaſa aſſervantur, Eccleſia eſt; Et quidem in ea vas honorificum eſt, quisquis illam honorat, debitumque ei cultum exhibet & reverentiam, vas autem honoris & contumeliæ erit, quisquis illam contemnit & profanat; Ac proinde obſervandum eſt, quod idem Apoſtolus nos vaſa in honorem facta eſſe deſiderans, modum quoque ſubjungat, quo id obtinere valeamus, dum ait: *Juvenilia deſideria fuge*, quaſi dicere vellet, ſi quis in hac magna domo, id eſt, in Eccleſia juvenilia, & appetitus carnales ſectetur, eosque fovere ſatagat, per hoc ipſum clarè ſatis ſe æternaliter damnandum, & vas in contumeliam futurum eſſe indicet. Sanctus Auguſtinus ut mulieres in Eccleſijs modeſtiæ & honeſtatis commemores eſſe faciat, ſuum ad illas diſcurſum his verbis dirigit: *Ut filias meas chariſſimas moneo, juvenilia deſideria fugite; nuptæ Suſannam, viduæ Annam, virgines Mariam cogitate, nec in publicum propterea procedatis, ut florem fœni veſtri oculis hominum oſtentare cupientes, in domo vitæ mortem quæratis; ſtrictè iterum dico, atque conteſtor, juvenilia deſideria fugite.*

*2. Tim. 2. 20.*
*Ibid. v. 21.*
In Eccleſijs deſideria refrænanda.
*Ibid. v. 22.*
Inſtructio pro ſexu muliebri.
*S. Aug. ſerm. 146. de temp.*

7. Angeli, qui Creatori ſuo ſcabelli & ſedis loco ſervire debebant; *Qui ſedes ſuper Cherubim*, thronum ſuum pari in culmine, quo Dei thronus collocatus eſt, elevare ſtuduerunt: *Similis ero altiſſimo*, atque ideo in infernalis abyſſi profundum præcipitati fuerunt. Similis porro finis eſt multorum Chriſtianorum, qui cum obligati ſint, ut in Eccleſijs devotè genu flectant, iisque reverentem & profundum cultum exhibeant, honorem Deo debitum ſibi potius uſurpant, illecebroſisque & impuris objectis in Eccleſia præſentibus impendunt? Quot enim ſunt mulieres, quæ ad Eccleſiam accedunt, non tam ut Deum debitè honorent, quam ut in ijs honorentur, ne dicam adorentur? Origenes ait: *Væ vobis qui ridetis nunc quoniam plangetis & flebitis, inter templum & altare ab impijs memoria interficitur Dei, quando & templum Dei à laſcivis corrumpitur, & altare ipſius per negligentiam orationum ſordidatum coinquinatur, quando & oratio alicujus fit in peccatum ipſius.*

Lucifero multi ſimiles.
*4. Reg. 19. 15.*
*Iſaia 14. 14.*
*Origen. Tr. 26. in Matth.*

8. Divus Chryſoſtomus de interſtitijs ſuis quoque temporibus, mulieres à viris in Eccleſia ſeparantibus loquens, ait: *Oportebat quidem interiori pariete à mulieribus diſſeparari, verum quoniam non vultis, neceſſarium patres noſtri putaverunt, ſaltem his ligneis parietibus vos diſſeparare; Audivi autem ego à Senioribus, non fuiſſe hos parietes ab initio, in Chriſto enim Jeſu non eſt mas, neque fœmina.* Ubi & locum quemdam adducit Apoſtoli ad Galathas capite 3. ex quo viros & mulieres Apoſtolorum tempore ſine ulla diviſione aut interſtitiorum diſcrimine, orationes ſuas unitim & conjunctim ad Deum feciſſe deducitur, at verò malitia, ne dicam petulantia virorum factum eſſe, ut Prælati Eccleſiaſtici de ejuſmodi interſtitijs inter utrumque ſexum faciendis ſoliciti eſſent.

De ſeparando ſexu conſultabant quidam.
*D. Chryſoſt. Hom. 74. in Matth.*
*Gal. 3. v. 28.*

9. Inter decreta quæ Sanctus Carolus Borromæus de modo in Eccleſijs converſandi condidit, hæc quoque verba leguntur: Expreſſe vos monuimus, ne in Eccleſiaſticorum chorum ingredi præſumeretis, neque viri ad partem Eccleſiæ mulieribus deputatam ulla ratione accederent. Divus Chryſoſtomus quoque in eadem Homilia monet, dicens: *Audi quid te pſallere oporteat: Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum, in conſpectu tuo: Quod ſi non incenſum, ſed mordaciſſimus abs te, ac graviter olens fumus aſcendat, quibus ſupplicijs dignus eris. Quis autem iſte fumus eſt tam gravis, tam moleſtus? Multi ad formas mulierum aſpiciendas in Eccleſias veniunt; Deinde non mireris, quomodo undique fulmina non deferuntur, quomodo cuncta funditus non evertuntur, hæc enim non fulminibus ſolum, ſed etiam gehennæ ſupplicio digniſſima ſunt.*

*Act. Eccle. Mediol. p. 7. pag. 1081.*
*D. Chryſoſt. ibid.*



10. In Annalibus Eccleſiaſticis legitur, quod eo tempore, quo formidabilis quidam Sarracenorum exercitus ad Urbem Salernitanam obſidione cingendam ex Africa egreſſus fuiſſet, Addila Princeps eorum poſtquam Eccleſiam Sancti Fortunati, Gaij & Antes ſibi in habitationis domicilium elegiſſet, & prout audax ſeu potius temerarius erat, ſuper altari, in quo lectum ſuum collocari juſſerat, omnis generis ſpurcitias, cum ingenti glorioſorum Martyrum improperio committere ſolitus eſſet, dum virginem quamdam libidini ipſius valde reluctantem, violenter deflorare niteretur, à trabe quadam ponderoſiſſima deorſum labente occiſus fuerit, abſque eo quod virgo ex hoc eodem caſu vel minimum læderetur, Et quidem pro majori miraculi evidentia trabem illam procul ab Altari poſitam, non verò directè ſeu perpendiculariter Altari imminuiſſe obſervatum fuit. Ubi notandum eſt, Principem hunc Saracenum, nulloque fidei lumine illuminatum fuiſſe, ac proinde majori utique ſupplicio digni futuri ſunt Chriſtiani illi, qui ſimilium peccatorum exceſſus in domo Dei committere non erubeſcunt. Et quidem tametſi ſimilia peccata in Eccleſia actualiter non committantur, quod omnis ad ea committenda deſit occaſio, attamen Chriſtus in Evangelio dicit: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis; ...Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Et ideo quisquis in loco ſacro impudicitiæ ſuæ in corde conceptæ per laſcivos quæſitos obtutus, vel turpia deſideria conſentire præſumit, Eccleſiam contaminaſſe, & ſacrilegus eſſe cenſendus eſt.

*Baron. An. 874. n. 2.*
Hiſtoria & ſupplicium Addilæ.
*Matth. 5. 27.*
*Ibid. v. 28.*

11. In Levitico pœna quædam deſcribitur, quam divina Juſtitia Nadab & Abiu ſummi Sacerdotis Aaronis filijs immiſit; Dum enim hi in miniſterio ſuo ſe exercentes, ut Deum pro ſuis aliorumque peccatis placarent, ad incenſum Deo offerendum (quod ad Sacerdotum munus propriè pertinebat) ſeſe accingerent, accidit ut ab igne cœlitus deſcendente vivi combuſti & conſumpti fuerint: *Egreſſusque ignis à Domino devoravit eos*; Sed quodnam, obſecro, delictum eorum fuit, ob quod tanta cum ſeveritate à Deo caſtigati fuerunt? Nimirum pro adolendo incenſo igne profano & communi, non verò ſacro uſi fuerant; Et hoc proprie eſt delictum, quod hodie ſingulis diebus multi Chriſtiani parum timorati committunt; tametſi enim in Eccleſijs frequenter eſſe, inibique longam moram trahere videantur, attamen fulminum indignationis & iræ divinæ rei fiunt; Et cauſa eſt, quia qui cordium ſuorum thuribulis ignem ſacrum, id eſt, deſideria & affectus pietatis, religionis & devotionis immittere, eoque fine Eccleſias ingredi debebant, ut Divinæ Majeſtati cultum & obſequium debitum exhiberent, atque ex bonis, quæ ibi diſpenſantur, eximiè proficerent, corda ſua econtra laſcivo & impuro amore ſuccendunt, nec quidquam aliud cogitant, quam ut carnales appetitus ſuos nutrire & fovere poſſint, Deum interea ejusque Sacramenta parum aut nihil curantes, qui proinde ab ira Dei valde ſibi cavere debent: *Egreſſus ignis à Domino &c.*

Aaronis filij cur igne de cœlo conſumpti.
*Lev. 10. v. 2.*

9. Summus veteris legis Sacerdos in locum ſacrum ingreſſurus, lino veſtiri debebat; Sed cur eidem lana interdicta erat? Philo Hebræus ait: *Quia linea non conficiuntur à mortali materia, ſicuti veſtes laneæ*; Lana enim ab animalium carne deſumitur, linum verò non; Item, *Omnia in figura contingebant*; Per hoc enim denotatur, quod à locis Deo dicatis omnis umbra, imo & nomen carnis, ſi poſſibile eſſet, exulare debeat? Et ideo de Sancto Simeone ſene dicitur: *Venit in ſpiritu in templum*, quia ad hoc ut quis in templo dignè ſe præſentare poſſit, requiritur, ut quoad fieri poteſt, purus ſit ſpiritus.

*Exod. 28. v. 4*
*Philo Hebr. l. 2. de Mon.*
*Luc. 2. v. 27.*

## DISCURSUS XVII.

## ARGUMENTUM.

De inutilibus confabulationibus & nugis, quæ in domo Dei fiunt, quam deteſtabiles ſint, oſtenditur, de attentione & applicatione animi, nec non reverentia eidem debita.

THEMA.

*Dominus in templo ſancto ſuo, ſileat à facie ejus omnis terra*, Habacuc. 2. ℣. 20.

1. IN cœlo Deus Sancto Joanne id atteſtante, ſummo ſilentio honoratur: *Factum eſt ſilentium in cœlo.* In ſummo quoq; ſilentio Deus in terram deſcendit: *Dum quietum ſilentium teneret omnia, omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus venit.* Jeremias ſimiliter ait: *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*; quid mirum igitur ſi Habacuc Propheta pariter dicat: *Dominus in templo ſancto ſuo, ſileat à facie ejus omnis terra.* Porro Deus nullibi magis quam in domo ſua propria honoratur; Venerabundum autem ſilentium manifeſtum eſt reverentiæ indicium, ſicut econtra garrire vanosque in Eccleſia diſcurſus miſcere manifeſtus eſt irreverentiæ & impietatis reatus. Difficulter quidem credi poteſt, quod de antiquo Salomonis templo narratur, verumtamen quia id ſacra ſcriptura perhibente aſſeritur, in dubium revocari penitus nequit. In illa namque fabrica ter milleni & trecenti opificum Magiſtri, & octoginta tria millia artificum quos Rex Tyri miſerat, & totidem ab Ægypti Rege miſſi laborabant, & tamen in hac innumerabili muratorum, lapicidarum & fabrorum ferrariorum multitudine, in tam varia tot inſtrumentorum ex ferro & chalybe confectorum, limarum, martellorum, ſerrarum, trullarumque congerie unicus dumtaxat Regis nutus ſufficiebat, ut ne vel minimus uſpiam audiretur laborantium ſtrepitus: *Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* At vero dicite ſodes, numquid verum eſt quod *ecce plusquam Salomon hic*? Et tamen Redemptor noſter per tot decreta, tot Canones, Synodos, Concilia, & leges Eccleſiaſticas à fidelibus ſuis hactenus obtinere non potuit, ut in domo ſua linguas ſuas refrænarent, caverent garrulitatum ſtrepitus, & venerabundi inibi & reverentes morarentur. Qua in re Pagani nos utique confundunt, de quibus Seneca ſcribit, quod eo tempore quo divina Dijs ſuis obſequia perſolvebant, præconis officium fuerit, ut omnes divinis aſſiſtentes fanum circumeundo modeſtiæ & ſilentij his verbis commonefaceret: *Favete linguis, ſilentium obſervate.*

*Apoc. 8. v. 1.*
*Sap. 18. 14.*
Silentium ſit in Eccleſijs.
*Thren. 3. 26.*
*Habacuc. 2. v. 20.*
*3. Reg. 6. v. 7.*
*Seneca in lib. de vita beata.*

2. S. Baſilius ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *In templo ejus omnes dicent gloriam*, ſcribens ſermonem ſuum ad garrientes in Eccleſia dirigit his verbis: *Audiant hæc Pſalmi verba, & confuſi ſuppudeſcant ij qui in templo prolixiſſima intertexunt colloquia: Quid dicit Pſalmus? Qui in templo Dei eſt maledicentiam, nec vanitatem, ac ne obſcœnis rebus differtos ſermones pronuntiet, ſed in templo ejus quisque dicat gloriam.* Vultiſne ſcire, quænam voces in locis divino cultui conſecratis reſonare debeant? A Seraphinis id ipſum diſcamus, qui à Propheta Evangelico, in templo Salomonis circa thronum Dei viſi & auditi fuerunt: *Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Valde circa hoc punctum inculcandum ſolicita fuerunt ſacra Concilia, nam in vita & Epiſtola quadam Stephani VI. ſequentia verba leguntur: *Qua rogo fronte in ſacratiſſimo Dei templo aſſiſtit, qui inanibus fabulis, & otioſis verbis inſiſtit; nam ſi de omni verbo otioſo in die judicij ratio eſt reddenda de his maxime reddetur ratio, & exigetur vindicta, quæ in conſpectu tantorum ſanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato.* Eædem fabulæ & vana colloquia in alio quodam Concilio pariter his verbis graviter reprehenduntur: *Sunt plerique quibus potius cordi eſt, vanis & obſcœnis confabulationibus vacare, quam lectionibus divinis aurem accommodare, quibus etiam numquam tam delectabile videtur eſſe, ſuſurrationes aliorum auribus ingerere, cachinnis ora diſſolvere, quam in Eccleſia Dei, ubi eum humiliter devoteque debuerunt invocare, & peccata ſua deflere: ſed & hoc ejusdem hoſtis antiqui inſtinctu fieri dubium non eſt.*

*Pſ. 28. v. 9.*
*S. Baſil. ibid.*
In templo Deus eſt laudandus.
*Iſa. 6. v. 3.*
*T. 3. Concil. pag. 1018.*
De nugis magna reddenda ratio.
*Concil. Patrū ſub Greg. IV. c. 12.*

3. In litera quadam S. Caroli Borromæi mentio fit quarumdam ordinationum quas dictus ſanctus Archipræſul circa reverentiam & ſacrorum locorum cultum ſancivit, inter quas etiam ſequentia circa vanos diſcurſus in Eccleſia vitandos inſeruntur. Monuimus vos expreſſe ne in Eccleſia confabulatorum circuli inſtituantur, ne ad ſacra altaria vel vas aquæ benedictæ, aut fontem baptiſmalem vos reclinetis, aut procumbatis, ne ad Eccleſiæ fores hæreatis, aut ex oppoſito mulierum curioſius illas intuentes vos collocetis, ut ab omni ſtrepitu actibus, nutibus, verbis,

*Act. Eccl. Mediol. p. 7. p. 1045.*
Colloquia & alia vana in Eccleſia non fiant.

bis, aut ſignis inhoneſtis, diſcurſibus item obſcœnis, vel negotia ſæcularia concernentibus abſtineatis, ne denique intra altarium cancellos penetretis, ſed foris utroque poplite genuflexi, & qui viri eſtis diſcooperto capite orationi inſiſtamus. In alio quoque ejuſdem libri loco canonem quemdam refert pœnitentialem in hæc verba conceptum: *Si quis in Eccleſia confabuletur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane & aqua.* In Concilio quodam Turonenſi ſacerdotibus ſequentia præcipiuntur: *Sacerdotes debent fideles admonere, ut quando ad Eccleſiam conveniunt, ſine ſtrepitu & tumultu eam ingrediantur, in qua etiam, quamdiu orationis cauſa morantur, nequaquam inter ſe inanes conferant confabulationes, ſed & tempore quo Miſſarum ſolemnia celebrantur, non ſolum ab otioſis & inutilibus verbis, verum etiam à pernitioſis cogitationibus funditus abſtinendum eſt.* Inter Eccleſiæ Gallicanæ decreta, hanc habemus Synodi cujuſdam conſtitutionem: *In Eccleſia præſertim cum divina officia celebrantur, vel verbum Dei prædicatur, nemo hæc audeat, deambulare, nugari, circulos habere, negotijs operam dare, cum mulieribus immodeſte colloqui, altaribus adhærere, in limine, aut ante fores immorari, averſum ab Euchariſtiæ Sacramento irreverenter ſedere, aut irreverenter verſari.* S. Baſilius invectivis contra eos qui garriendi cauſa ad Eccleſiam conveniunt, faciendis minime fatigabatur; unde ait: *Domum orationis in locum vertunt effuſiſſimæ loquacitatis, minus obtemperantes Pſalmo huic conteſtanti ac dicenti: In templo ejus omnes dicent gloriam: Tu autem non ſolum non dicis, ſed alteri cuipiam impedimento es, eumque tibi uni reddis attentum, dum obſtrepero tuo clamore obtundis, & exuperas perſonantem Spiritus Sancti doctrinam.* B. Chryſoſtomus ſacroſanctum Dei templum Cœlo Empyreo minime inferius eſſe exiſtimat, ac proinde graviter illis improperat, qui illud officinæ aut tabernæ cuidam profanæ poſtponunt: *Non tonſtrina*, inquit, *neque unguentaria officina, neque ulla alia opificum qui ſunt in foro taberna eſt Eccleſia, ſed locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipſum cœlum.* Quid ſi cœlum videretis apertum, inquit idem ſanctus Doctor, cum quanta reverentia & ſilentio illud aſpicientes admiraremini? *Quomodo ergo ſi quis deductum cœlum illuc introduxiſſet, etiamſi Patrem videres, etiamſi fratrem, ne auderes quidem alloqui? Ita hic ne aliud quidem loqui oporteret, præter ſpiritualia, nam hic quoque eſt cœlum.*

*Ibid. p. 4. pag. 527.*

*Concil. Tur. 3 An. 813. c. 38.*

*Decret. Eccleſ. Gallic. l. 4. Tit. 1. c. 5 Synod. Aquen.*

*S. Baſilius ibid.*

*D. Chryſoſt. Hom. 36. in 1. ad Cor.*

Quid in Eccleſia agendum ſit.
*Concil. Pariſ. ibidem citatum.*

4. S. Auguſtinus à Concilio Pariſienſi ſupradicto citatus, in Homilia quadam ad populum ita ſcribit: *Quando convenitis ad Eccleſiam pro peccatis veſtris, orate, nolite ſcandala concitare, aut otioſas fabulas dicere. Qui in Eccleſia verba vana locutus fuerit, & pro ſe & pro alijs redditurus eſt rationem in die judicij, quia verbum Dei nec ipſe audit, nec alios audire permittit.* Sanctus Bonaventura illum Reginæ Candacis Eunuchum plurimum laudat, qui in itinere quo vehebatur ad templum, Iſaiam legebat: *Commendatur Eunuchus ille Reginæ Æthiopum, qui de Æthiopia venit adorare in Jeruſalem*; unde hoc adverſus garrientes in Eccleſia elicit improperium: *Sedens in curru legebat Iſaiam, quod eſt contra multos, qui euntes ad loca ſacra non legunt, vel referunt ſacra documenta, ſed multiplicant vana verba.* D. Chryſoſtomus nos cogit erubeſcere, dum nobis ob oculos ponit ſilentij illius exemplum, quo hiſtriones in theatris auſcultare conſuevimus: *Nunc*, inquit, *hiſtrionis quidem riſum moventis, & ſcortantis mulieris probrique ac dedecoris tantum ſedet ſpectaculum, ijs quæ dicunt magnum præbens ſilentium, idque cum nullus jubeat tacere, & neque eſt tumultus, neque clamor, nec ullus omnino ſtrepitus. Deo autem de cœlis loquente, de rebus adeo ſtupendis ac reverendis, Canibus ſumus impudentiores, ne Deo quidem tantam exhibentes reverentiam, quantam meretricibus.* In eadem quoque Homilia obſervat id, quod etiam, quæ ſumma noſtra miſeria eſt, hiſce noſtris temporibus uſurpatur, ſcilicet quod maledicentiæ plus & frequentius in Eccleſijs fiant & referantur quam in Principum atrijs, aut platearum compitis: *Si qui velint maledicere*, inquit, *aut maledicta audire, hoc quoque hic magis videbit contingere, quam in foro; & ſi voluerit audire res civiles, & quæ in ædibus fiunt, & quæ in caſtris, ne eas ad prætorium.*

*S. Bonav. in Bibl. paup. c. 20.*

Hiſtrio cum ſilentio auditur, ſecus Concionator.
*D. Chryſoſt. Hom. 36. cit.*

Relationes narrantur plures quam in foro.

Externa deponi debent ante templi ingreſſum.
*S. Iſid. Peluſ. b. l. Epiſt. 45.*

5. Sanctus Iſidorus Peluſiota per divinum quoddam refert præceptum Aaroni & ſucceſſoribus ejus impoſitum, ne ſcilicet ſacrificij offerendi cauſa templum ingredientes veſtimentis ſe laneis, ſed lineis induant: *Cum Aaron ejusque ſucceſſores in templum ſacrificij cauſa ingrediebantur laneis omnibus veſtimentis abjectis, veſtes ex lino contextas induebant, arcani aliquid continentes, atque illud ſignificantes, externos tumultus tum de memoria deponendos eſſe, nam qui rei ſacræ cauſa ad Deum accedit, nihil alienum, nec ullam rerum ex materia conſtantium ſarcinam ſecum afferre poteſt. Quamobrem ſi poſt hujuſmodi conjecturas audacia & temeritate ductus veritati vim afferre coneris, confuſiones ac nugas templis (quibus ſilentium omne debetur) colloquiaque turpia, hoc perſuaſum habe, quod in extremum condemnationis & exitij periculum teipſum impelles.*

*Sur. 11. Oct.*
Confabulantes in Eccleſijs Deus graviter punit.

6. in vita S. Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis Rutgerus Monachus Benedictinus refert, quod dum Henricus frater ejus & Cuno ejus Parens die quadam diu inter ſe in Eccleſia colloquerentur, S. Archi-Epiſcopus Spiritu Prophetico motus prædixerit. *O in quantam inimicitiarum amaritudinem, iſta in hoc tempore tremendo male parta contubernia reſolventur*, quod tandem, ut prædictum fuerat, reipſa evenit, nam paulo poſt Cuno cum Hungaris confederatus, inimicus factus eſt capitalis Henrici & Imperij. Sanctus Anſelmus Salvatorem noſtrum vendentes & ementes ab atrio templi vibrato quod manibus gerebat flagello expellentem conſiderans, maxime cum hi eo in loco aliud nihil venderent, quam ea, quæ in ſacrificijs offerebantur, quæque ad divinum cultum augendum ſpectabant, hanc inde deducit conſequentiam: *Si ergo nec ea voluit in templo vænumdari, quæ in templo volebat offerri, propter ſtudium videlicet avaritiæ vel fraudis, quantum puniret, ſi inveniret ibi aliquos riſui vel vaniloquio vacantes, aut alij vitio mancipatos.* S. Eucherius ait: *Cum ergo in Eccleſia poſiti ſumus, ita ſe unusquisque noſtrum admoneat, & arguat dicens: Quare in cultu Dei & in tempore orationis, quando aut lector aliquis, aut miniſter verba Dei diſpenſat, quare alius plus quam ego deditus ſilentio? plus defixus auditis? quare illi attentior lectioni? Cur majorem taciturnitatem exhibet & diſciplinam? Ego qui in actu ſæculi, in cupiditatis parte in ordine dignitatis nulli velim deterior inveniri, cur minor in ſpe ſalutis appareo?* Et paulo poſt exponit, quandonam ſit tempus laxandi frænum linguæ & rumpendi ſilentium, ſcilicet quando Deo perſolvendæ ſunt laudes, pro quibus templa conſecrata eſſe noſcuntur. *Grave autem in utroque temporis & infidelitatis eſt vitium, ſtantes in loco ſancto, & ante præſentiam Majeſtatis, aut non reſpondere cum Pſalmus canitur, aut cum lectio auribus ingeritur, non tacere, duplicem noverimus eſſe culpam, ſi convenientibus nobis ad famulatum divinæ Confeſſionis & laudis, unum idemque oris noſtri miniſterium, nunc gloriæ claudatur, nunc reſeretur injuriæ.* S. Baſilius ſeveriſſimum illis comminatur ſupplicium, qui tempore quo Deo debitas perſolvere laudes deberent, vanis confabulationibus ſuis ſanctam Dei profanant Eccleſiam: *vide*, inquit, *ne cum hinc emigratis, loco mercedis recipiendæ, pro divinis laudibus, una cum ijs, qui nomen Dei execrantur, & blaſpemis vocibus inceſſunt, condemneris.*

*S. Anſelm. in Matth. ibid.*

*S. Eucher. Hom. 3. in Dedic. Eccl.*

Laxanda eſt lingua in Dei laudem.

*S. Baſil. ibid.*

*Epheſ. 3. 21.*
Deus ibi eſt laudandus ut in cœlo.
*D. Chryſoſt. Hom. 7. ibid.*

7. Sanctus Apoſtolus ad Epheſios ſcribens, optime nos docet, quo fine à nobis ſit adeunda Eccleſia, dicit enim: *Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu, in omnes generationes ſæculi ſæculorum, Amen.* Ubi D. Chryſoſtomus ait: *Gloria ejus in Eccleſia recte dixit*, quia in Eccleſia hoc ſolum nobis faciendum incumbit, ut ſcilicet gloriam referamus Deo, ejusque laudes annuntiemus; Unde Pſalmiſta ait: *In templo ejus omnes dicent gloriam*, dum enim oratio vocalis fit in Eccleſia nemini tacere licet. Et ideo quia Sion locus erat, in quo ſituatum erat templum, David ait: *Te decet hymnus Deus in Sion.* S. Bernardinus ad deferendam Eccleſijs debitam reverentiam hoc præcipue motivum adducit, dicens: *Honoranda ſunt Dei templa, quia in eis omnia officia celebrantur, quæ quidem omnia officia ſunt Angelorum, ſicut cantare prædicare, legere, orare, & Dominum laudare, quaſi quælibet Eccleſia ſit parvulus Paradiſus*; Et quidem licet Sanctus Joannes de Paradiſo cœleſti dicat: *Factum eſt ſilentium in cœlo*, hoc tamen minime intelligendum eſt quoad laudem & gloriam, quæ in cœlis ſupremæ illi Majeſtati defertur, utpote quam cœleſtes Spiritus *inceſſabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus.* Inter Gallicanæ Eccleſiæ decreta Epiſtola quædam allegatur Theodulphi Epiſcopi, in qua dicitur: *Non debetis ad Eccleſiam ob aliam cauſam convenire, niſi ad laudem Domini, & ejus ſervitium faciendum. Diſceptationes vero & tumultus, & vaniloquia, & cæteræ actiones ab eodem ſancto loco penitus prohibenda ſunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, Deo ſacrificium offertur, Angelorum frequentia ineſſe non dubitatur; periculoſum eſt tale aliquid dicere vel agere, quod loco non convenit; ſi enim Dominus illos de templo ejecit, qui victimas quæ ſibi offerebantur, vendebant & emebant, quanto magis illos iratus inde abjiciet, qui mendacijs, vaniloquijs, riſibus, & hujuſcemodi nugis, locum divino cultui mancipatum fœdant?*

*Pſ. 28. v. 9.*

*S. Bernard. T. 1. ſer. 20. A. 1. c. 7.*

*Apoc. 8. v. 1.*

*In decret. Eccl. Gallic. cap. 50.*



*Act. Eccleſ. Mediol. p. 7. pag. 1040.*
Eccleſiæ nos monent finis noſtri.

8. Sanctus Carolus Borromæus in Epiſtola quadam Paſtorali, inter alia monita populo ſuo Mediolanenſi, quoad ſacrorum locorum cultum & devotionem tradita, inquit, Ipſæ quoque fidelium ſepulturæ & monumenta, quæ ſunt in Eccleſijs, noſtri nos finis memores eſſe, in timore Dei vivere & converſari, ac demum pro defunctis ibi ſepultis Deum orare continuo monent; Qua igitur fronte Chriſtianus ſe tot voces & monita non audiviſſe, ad ſui excuſationem afferre poterit? Quam partem in ſacerdotum ſacrificijs & orationibus merebitur is, qui miniſterij ſui ſanctitatem & dignitatem parum admodum agnovit? Quomodo orationum aliorum fidelium particeps fieri merebitur, qui & pro ſemetipſo orare negligit, aliorumque orationes interturbare contendit?

*Cont. Pariſ. ſub Greg. IV. c. 12.*
In templis ad Divina attendendum.

9. Concilium Pariſienſe ex Origenis authoritate ita ſcribit: *Origenes quoque ubi de velamine Moyſis ſcribit*, ita dicit: *Dicendum nobis eſt prius, quis ſit homo averſus à Domino, ut ſcire poſſimus quis ſit converſus. Omnis, qui cum recitantur verba legis, communibus fabulis occupatur averſus eſt: Omnis, qui cum legitur Moyſes, de negotijs ſæculi, de pecunia, de lucris ſolicitudinem gerit, averſus eſt: Omnis qui poſſeſſionum curis ſtringitur, & divitiarum cupiditate, diſtenditur, & mundi honoribus ſtudet averſus eſt. Quid ergo eſt converti? ſi his omnibus terga vertitis, & ſtudio & mentis ſolicitudine verbo Dei operam detis, & in lege ejus die ac nocte meditemini.*

Ante fores Eccleſiæ terrena relinquenda.
*Gen. 22. v. 5.*

10. Abraham montem, in quo ex juſſu Domini Iſaacum Deo ſacrificaturus erat, conſcenſurus, præcepit ſervis ſuis, ut in pede montis ſubſiſtentes ultra non progrederentur, hisque eos allocutus eſt verbis: *Expectate hic cum aſino*, in quo eodem monte poſtea in multorum progreſſu ſæculorum ædificatum eſt templum; Fuitque hoc ipſum cunctis fidelibus, quorum magnus hic Patriarcha pater futurus erat, egregium documentum, quo monentur, ut quotieſcumque ſacrificij offerendi cauſa Eccleſias adeunt, omnes à ſe cogitationes terrenas abigant, propriique corporis jumento illiusque miniſtris, id eſt ſenſibus ut foris maneant præcipiant, eo uſque expectent, donec oratione terminata domum redeant. Adverſus illos autem, qui contrarium faciunt, S. Baſilius ita ſcribit: *Homines miſerabiles relictis ædibus ſuis ad templum concurrant, quaſi emolumenti quidquam inde laturi, cum tamen nec accommodent aures verbis Dei, nec ſuæ intelligant conditionem naturæ, nec peccato quopiam præoccupati, mœrore afficiuntur, ac ne tum quidem contriſtantur, cum ad memoriam quæ admiſerunt, recurrunt.*

*S. Baſil. ibid.*

Modus quo nos in templis præſentare debemus.
*S. Aug. de Civ. Dei. l. 5. c. 18.*

*Exod. 28. v. 4. & ſeq.*

11. S. Auguſtinus de Idololatra quodam inſigne facinus refert, quod merito confundere debet omnes illos, qui ad Eccleſiam accedentes de nulla re minus cogitant, quam de fine propter quem ad eam ſe transferre debent: Dicit igitur: *Marcus Pulvillus dedicans ædem Jovis, Junonis, Minervæ, falſo ſibi ab invidis morte filij nunciata, ut illo nuntio perturbatus abſcederet, ita contempſit ut eum etiam projici inſepultum juberet.* In Exodo ornatus ſacerdotis diſtincte præſcribitur; ita tamen ut dum cuilibet parti corporis de veſte particulari proſpiceretur, ſolus ejus pes nudus remanſerit. Qua de re S. Gregorius Nyſſenus ita ſcribit: *Neque enim Moyſes cum juſſu divino liberaſſet pedes à mortuo pellium indumento, quando terram aſcendit ſanctam, narratur rurſus pedes induiſſe calceis, neque quando veſtem ſacerdotalem, congruenter figuræ quæ oſtenſa fuit in monte, affabre eſt fabricatus, auri, & purpuræ, & byſſi, & Hyacinthi & Cocci in textura contemperatis ſplendoribus, ut refulgeret pulchritudo commixta ex omnibus, nullum ornamentum fabricatus eſt pedibus.* Quam figuram demum ad noſtrum propoſitum declarat, quia per pedes, inquit, denotantur affectus, qui dum ſanctuarium ingredimur, mundi eſſe debent rebusque terrenis minime immerſi. *Sed ſacerdotalis pedis erat ornamentum eſſe nudum & liberum ab omni indumento, oportet ſacerdotem ſemper ingredi ſuper terram ſanctam, ſuper quam non eſt fas ingredi cum pellibus mortuis.* In Synodo quadam quæ Gallicanæ Eccleſiæ decretis inſerta habetur, legimus ſequentia. *Cum Eccleſiam, quæ domus Dei eſt, deceat ſanctitudo, nihil in ea niſi ſanctum, & cultui divino conveniens fiat, agatur, aut attentetur. Nullus in ea, maxime dum ſacra aguntur, deambulet, vagetur, aut diſcurrat.* Regius quoque Propheta David modum nos docet, quo nos in templo præſentare debemus: *Introibo*, inquit, *in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo; Introibo in domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea; introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* S. Carolus Borromæus, in capite, cujus hic eſt titulus: *Peccata ſtudio concionatoris tollenda*, inquit: *Immodeſtus ac parum pius quorumdam acceſſus ad Eccleſias, quo omni religioſæ pietatis concurſus eſſe debet ad uberiorem gratiam promerendam. Impura in illis, aut in earum atrijs & Cœmiterijs converſatio, ac nequaquam cum pietatis Chriſtianæ rationibus conveniens.* In decreto quodam, quod eſt 23. in ordine Concilij ſecundi Provincialis Mediolan. dicitur: *Quæ vero à Lugdunenſi Concilio olim à Gregorio X. & nuper à ſummo Pontifice Pio V. ad tollenda in ipſis Eccleſijs colloquia, congreſſus, deambulationes, & ad earum cultum ſancita ſunt, in ijs præſtandis Epiſcopus omnem vel maximam diligentiam adhibeat.*



*In Decret. Eccle. Gallic. ex ſyn. ſem. 1524. c. 4.*

*Pſalm. 5. v. 8.*

*Pſ. 65. v. 13.*

*Pſ. 131. v. 7.*

*Act. Eccle. Mediol. med. p. 7. pag. 484.*

*Conc. 2. Prov. Decreto 23.*

## DISCURSUS XVIII.

## ARGUMENTUM.

Ex ritibus antiquis, quibus tabernaculum ingreſſuri prius ſe lavare debebant, facile eſt colligere puritatem & munditiem conſcientiæ, cum qua ſacra templa ingredi, & in ijs converſari debemus.

## THEMA.

*Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum, pones que illud inter tabernaculum teſtimonij & altare.* Exod. 30. ℣. 18.

Templa ingredi poſſumus conſcientijs mundatis.

*Exod. 30. v. 18. 19. 20.*

*Ibid. 21.*

1. INter alios ritus quos Deus Moyſi in ordine ad tabernaculum præcepiſſe legitur, unus fuit, ut lavacrum æneum altari vicinum erigeret, quod aqua ſemper plenum, in quo Aaron & filij ejus, priuſquam locum Deo dedicatum ingrederentur, manus pedesque ſuos abluerent: *Miſſa aqua, Lavabunt in ea Aaron, & filij ejus, manus ſuas ac pedes, Quando ingreſſuri ſunt tabernaculū teſtimonij, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, Ne forte moriantur.* Oblatio autem quæ ibi fieri debebat; non erat alia, quam odorum, incenſi, & aromatum. *Omnia igitur in figura contingebant*, Nam ut Oleaſter ait: *Adumbrat locus iſte examen, quod quiſque facere teneatur, cum ingreditur domum Dei, ut non niſi lotus ingrediatur, ſed timendum valde eſt, ut Auguſtinus notavit, ne maculas à corpore extergas & laves, non autem à mente. Mirum valde eſt, quod non audeas illotis manibus, aut ore Eccleſiam intrare, audeat vero illota mente, & plenus perjurijs & adulterijs, & id genus alijs peccatis, Eccleſiam introire. Si macula in corpore aut in veſte apparet, non audes intrare, ſi vero ſordida mens & conſcientia, nihil times. Specula mandat Dominus poni juxta fontem aquæ; ſpecula vero tua, mandata ſunt Dei. Tunc, ait juſtus, Non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.*

*Oleaſt. ibid.*

*Auguſt.*

*Pſ. 118. v. 6.*

*Ann. Baron. Ann. 57. n. 106.*
Cur aqua benedicta ad fores Eccleſiæ ponatur.

*Paulinus Ep. 3.*

2. Cardinalis Baronius, in Annalibus Eccleſiaſticis bene notat, quod in Eccleſijs noſtris in locum hujus vaſis ænei, introductus mos ille fuerit ante Eccleſiam, aut in veſtibulo illius exponendi vas aliquod continens aquam ſanctam & benedictam, in qua Chriſtiani olim, priuſquam Eccleſiam ingrederentur faciem lavabant & manus. Hoc fine in porticu Eccleſiæ Vaticanæ fons ille eleganter exornatus ſerviebat, de quo S. Paulinus in Epiſtola 3. ſcribit, Qui ritus ſuam ab Hebræis Originem ſumpſit, qui priuſquam orarent, manus ſuas lavare conſueverant; Quæ cæremonia apud ipſos quoque gentiles uſitata erat, qui priuſquam in templa Deorum ſuorum pedem inferrent; ſæpius ſe lavabant, quippe ut Baronius ait, homo ex inſtinctu naturali, Deo nonniſi purus & mundus appropinquare audet. Antiquis quoque Chriſtianis in more poſitum erat, ut faciei, manuumque lotionem orationi faciendæ præmitterent, ad quem morem S. Paulus alludere videtur, dum ait: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* Clemens quoque Lib. 8. Conſtit. cap. 38. Chriſtianos non niſi lotos orare ſolitos fuiſſe tradit. Unde citatus ab eodem Baronio Tertull. De orat. cap. 11. dicit: *Quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente*

*1. Tim. 2. 8.*

*Clem. l. 8. Conſt. c. 38.*

*Tertull. De orat. c. 11.*

*dente orationem obire ?* Porro Sacerdotes antiqui manibus ſuis aliud nihil contrectabant , præterquam oves,agnos,vitulos,boves, aliaque animalia ſimilia , & tamen Deus lotionem iſtam tanta cum ſolicitudine ab ijs requirebat.

3. Optime igitur , valdeque ſalubriter Eccleſiaſtes nos monet dicens :

*Eccle.4.v.17.*
*Chaldæus.*
Magna cum reverentia ingredi debemus templa.

*Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei* ; Chaldæus legit : *Tu fili hominis cuſtodi pedes tuos , in tèmpore , quo ieris in domum ſanctuarij ad orandum , ne venias eo plenus ante Dominum quoad convertaris , & eſto admovens aurem tuam ad excipiendam doctrinam legis.* S.Gregorius Thaumaturgus & Olympiodorus inquiunt :

*S.Gregor. Thaumat. & Olympiodorus.*

*Quod ſi de corporali pede dictum intelligas , cuſtodi , inquit , totum corpus tuum ( à parte enim totum ſignificavit ) ne inſtrumentis eiſdem , quibus templum Dei frequentas, theatrales adito ludos & obſcæna ſpectacula* ; Dæmon enim nobis in Eccleſia exiſtentibus objecta in theatris viſa in memoriam revocat ut dum in ijs nobis complacemus,ab oratione,animique recollectione inde facile divertamur; Idem vero Thaumaturgus ſubjungit dicens : *Profecto quo impolluto pede ſubeunt Eccleſiam Dei , debent ab impijs locis & profanis ſe penitus ut Deo contrarijs continere.* S.

*S.Hieron. in Gloſſ.*

Hieronymus à Gloſſa ordinaria citatus ait : *Præcepta vitæ dat,& non vult offèndere euntes ad Eccleſiam , non enim ingredi in domum Dei , ſed ſine offènſione ingredi laudis eſt.* Dionyſius Carthuſianus præcitata Eccleſiaſtis verba,de reverentia & intentionis puritate , quacum frequentanda ſunt loca ſacra,intelligit ; unde dicit :

*Dion. Carthuſ.*

*Id eſt, cum reverentia & humilitate vade , & intra in templum ſive Eccleſiam , & recta intentione, vanum refrænando affectum, ne ſacra loca inhonores , & Deum in locis ſuæ honorificentiæ deputatis offèndas , ſicut multi ingrediuntur indevote , irreverenter, ſuperbe, vana & ſuperba affectione , cupientes hominibus complacere*, quibus

*Amos 6.v.1.*

Amos cap.6. ait : *Optimates, Capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſraël.* Et Sophonias ex ore

*Soph.1.v.9.*

Dei ait : *Viſitabo ſuper omnem,qui arroganter ingreditur ſuper limen.* Salonius & Veraneus hunc textum expo-

*Salonius & Veraneus in Biblioth.SS. PP.*

nentes ita ſcribunt : *Quid eſt,quod ait : Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei ? numquid ab offènſione lapidum monet cuſtodire pedem , quando ingredimur domum Dei, id eſt, Eccleſiam ? Quamvis ſemper honeſte & cum timore ac ſilentio debeamus ingredi domum Dei , tamen*

Mundas offerre preces.

*non pedem corporis docet cuſtodiendum , ſed pedem animæ, id eſt, greſſum mentis , ut in conſpectu Dei mundas preces effundamus ; Et eſt ſenſus : Quando ingrederis domum Dei,id eſt, Eccleſiam, cuſtodi pedem tuum, id eſt, greſſum mentis tuæ , ne offèndas in malis cogitationibus,ut oratio tua pura dirigatur ad Deum.* Interlinearis eamdem huic textui adhibet interpretationem : Dicit

*Gloſſ. interlin.*
*Hugo Card. Eccle.4.17.*

enim : *Magnum eſt Eccleſiam intrare , ſed ſine offènſione pedum, affectuum.* Similiter Hugo Cardinalis ait : *Cuſtodi pedem tuum,id eſt affèctum tuum* ; unde hæc verba : *Cuſtodi pedem tuum, qui in domum Dei ingrederis*, hunc ſenſum habent : Purifica & munda affectus,co-

*Pſ.92.v.5.*

gitationes & deſideria tua , quia *Domum tuam Domine decet ſanctitudo* ; atque ob hoc myſterium Sacerdotes priuſquam templum ingrederentur , ex præcepto Dei manus ſuas lavare debebant.

*Joſue 5.16.*
Vitioſa deponere.
*Abulenſ.ibid.*

4. In libro Joſue dicitur : *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim,in quo ſtas , ſanctus eſt* , quod idem antea Moyſi quoque dictum fuerat ; Qua de re Abulenſis ita ſcribit : *Eum fuiſſè antiquiorem morem , ut ſacra loca non intrarent calceatis pedibus , atque Judæos id obſervaſſè poſt illam admonitionem factam Moyſi.* Alij hæc verba Eccleſiaſtis ita explicant : *Ingreſſurus Domum Dei vide diligenter , quid faciendum ſit tibi, & ſcito illum proxime tibi adeſſè , & audire cuncta.* Unde Pſalmiſta , poſtquam Deum his verbis interrogaſſet , *Domine , quis habitabit in tabernaculo tuo , aut quis re-*

*Pſ.14.v.1.*
*Pſ.23.v.4.*

*quieſcet in monte ſancto tuo ?* Mox reſpondet : *Qui ingreditur ſine macula,Innocens manibus , & mundo corde.* S.Epiphanius quamdam refert ſerpentis proprietatem,

*S.Epiphan. Hær.37.*

quæ propoſito noſtro aptè & opportunè deſervit : *Serpens*, inquit, *cum venerit ad bibendum aquam, priuſquam bibat extra fontem, evomit venenum ſuum , & poſtea bibit,ita & nos, quando ad altare Dei communicaturi accedimus, ſeponamus venenum peſſimum* ; Imo non ſolum tunc omnes cogitationes & affectus profani deponendi ſunt,obliterandaque odia , ceſſandum à carnalitate & ludis,& ab omni eo,quod menti nævum, unde Deo diſplicere poſſit, valet aſpergere, quando communicare debemus, verum etiam quotieſcumque in Domo Dei cum Deo converſamur.

Ablutâ conſcientiâ ingredi.

5. Porro uti in diſcurſibus præcedentibus inſinuavimus,Cœnaculum Sioniticum , in quo Chriſtus ſanctiſſimum altaris Sacramentum inſtituit, in quo Apoſtolos Sacerdotes ordinavit , & in quo primi fideles orationis cauſa unanimiter congregari degebant,quodque in Pentecoſte unctione Spiritus Sancti fuit conſecratum , prima dici poteſt totius Chriſtianiſmi Eccleſia ; ac proinde ad propoſitum noſtrum obſervandum , cum qua conditione Salvator una cum diſcipulis & Apoſtolis ejus illuc egreſſi fuerint : *Occurret vobis homo , lagenam aquæ bajulans , ſequimini eum.*

*Marc. 14. v.13.*

Quodnam vero aliud in hac aqua latet myſterium, præterquam illud, de quo hactenus locuti ſumus,ſcilicet quod priuſquam loca ſacra ingredimur, lotionem , id eſt, puritatem, munditiem , & nitorem bonæ conſcientiæ præmittere debeamus, ſicut enim *ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus* , ita quoque nos priuſ-

*Pſ.45.v.5.*

quam illud ingrediamur ab omnibus nos animæ ſpurcitiebus abluere & emundare debemus , ſicque pretioſa virtutum veſte induti illuc ingredi ; unde Pſalmiſta dicit : *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum*,

*Pſ.83 v.2.*

ſcil.Domum Dei & ornatum virtutum ſimul inter ſe unit & conjungit; Et quidem ſi totum hunc Pſalmum legeritis,utique invenietis , cum quanta innocentia in templo coram Deo nos præſentare debeamus : *Beatus vir , cujus eſt auxilium abs te,aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit,In valle lachrymarum, in loco, quem poſuit* , Et ſubdit : *Etenim benedictionem dabit legislator , ibunt de virtute in virtutem , videbitur Deus Deorum in Sion.*

*Ibid.v.6.*
*Ibid.v.7.*
*Ibid.v.8.*

Ecce quam verum ſit , quod ad hoc ut quis in domo Dei cum fructu converſetur ex mente Davidis, virtutes requirantur , nec non ſtudium perfectionis, progreſſus,item in ſpiritu & devotione ; Audiamus quid S. Auguſtinus hac de re ad noſtram inſtructionem ſcribat : *Qui ad iſtud altare*,inquit,*caſto corde & mundo corpore cum munda & ſecura conſcientia venit, ad illud altare,quod in cœlis eſt , felici tranſmigratione perveniet.*

*S Aug. ſerm. 252.de temp.*

S.Eucherius in quadam Homilia , cujus titulus eſt : *Oportet ſemper orare, & numquam deficere*, ad ſuperius inſinuatam ſerpentis proprietatem alludere velle videtur ; Dicit enim : *Intraturus ædes ſacras, foris primum depone graves curarum catenas , & abſoluto corde, abſolvendus ingredere.*

*S. Eucher. Hom.oportet ſemper orare &c.*

Circumciſſa vitijs.

6. Enimvero quia omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio , ideo Chriſtus , qui incarnata eſt Patris Sapientia , in templo,niſi præmiſſa Circumciſione præſentari voluit;nam ut Beda ſuper illa verba: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ*,ait : *Decretum quidem legis erat , parvulum poſt trigeſimum tertium Circumciſionis ad templum Domini deferri, myſticè inſinuans, neminem niſi circumciſum vitijs , Dominicis dignum eſſè conſpectibus.*

*Luca 2.22.*
*V.Beda ibid.*

Myſterium declaratur.
*Clemens Alex. L.3. Pædag.c.11.*

Qualis autem hæc circumciſio myſtica , vel lotio eſſe debeat , Clemens Alex. his verbis nos docet,dum ait : *In Eccleſiam venire oportet viros & mulieres honeſtè indutos , non ſimulato inceſſu ſilentium amplectentes , charitatem non fictam habentes,caſtos corpore , caſtos corde, ad Deum rogandum aptos.* Infelicem illum hominum velim ut in memoriam vobis revocetis, qui ſine ullo prævio proceſſu aut examine irremiſſibiliter condemnatus fuit: *Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores , ibi erit fletus & ſtridor dentium* ; Quodnam obſecro vir ille commiſit delictum , ob quod tam rigoroſo ſubjacere debuit ſupplicio ? Nullum profecto ab ipſo ſcimus commiſſum eſſe delictum,præterquam quod ex objecto illi improperio nobis conſtat, ſcilicet : *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem ?* In quibus verbis D.Chryſoſtomus verbum illud, *intraſti* , ſpecialiter conſiderat ; *Non enim dixit : Quomodo hic diſcubuiſti , ſed cur intraſti* ; Neque enim in fideli aliqua anima mundities eum ſolum ob finem requiritur , ut menſæ panis Euchariſtici accumbat , verum etiam ut domum Dei, in qua Divina Majeſtas cultu latreutico excolitur , ingrediatur ; ac proinde David dicebat : *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore*, id eſt , ut Cajetanus inquit , *in multitudine gratiæ tuæ*, quaſi diceret vellet : Ad hoc ut quis in Eccleſiam digne ingrediatur, expedit , ut ad obtinendum in eam aditum convenientem,veſtem habeat nuptialem , vel ſaltem ut de illa habenda ſolicitus ſit ; ſecus enim ſi immundi & gratia ejus indigni in ejus conſpectu compareamus , Deus adverſum nos graviter exaſperabitur. Ipſemet quoque filius prodigus paternam domum ingreſſurus novis veſtibus & ſtola prima indui debuit : *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum* , quanto igitur magis cuilibet Chriſtiano homini neceſſarium erit,ut domum Dei ingreſſurus ſolicitus ſit de comparanda veſte non corporali & pretioſa,ſed eleganti animæ ve-

*Matth.22. v.13.*
*Ibid. v.12.*
*D.Chryſoſt. Hom.4. ad Epheſ.*
*Pſ.5.v.8.*
*Cajetanus.*
*Luc.15.22.*

ſte,



*S.Spiridion. Hiſtoria.*

ſte,id eſt, pura & munda conſcientia. Quando S.Spiridion viliter veſte quadam pellicea & paſtorali indutus in antecamera Imperatoris comparuit , validam ſibi impactam alapam accepit , eo quod tam miſerè & malè veſtitus eo ingredi præſumpſiſſet , licet in hoc graviter hallucinati fuerint , diſcernere aut agnoſcere non valentes pretioſiſſima ſanctarum virtutum indumenta , quibus magna illa & generoſa anima ſplendidè amicta erat. Sed eheu quot hodie ſunt Chriſtiani, qui hodie in Eccleſijs comparent , exterius quidem eleganter & ſuperbè veſtiti , cum tamen interius turpes, fœdi, immundi , & abominabiles ſint coram oculis Dei ? Alia quoque hiſce temporibus quotidie videtur indecentia,dum ſcilicet tum viri, tum vel maximè mulieres , velut aptiſſimum ad illaqueandas & in infernum deturbandas animas inſtrumentum in Eccleſijs comparent, pretioſiori auri, argenti,& gemmarum ornatu exculti , quam in miniſtrorum Eccleſiaſticorum ornamentis,altaribus, item vaſis ſacris, aut ſupellectile ſacra conſpici poſſit. Unde ingenioſum fuit illud Caroli V. Imperatoris pronuntiatum , qui Principem quemdam ſplendido & magnifico in comitatu ad ſe venientem conſpiciens dicebat : *Profecto hic non tam ut nos videat , quam ut à nobis videatur,videtur advenire* , Quod ipſum de multis quoque dicere poſſumus,qui ad Eccleſiam accedunt, ut vanitatis propriæ oſtentionem faciant , vel ut videantur & honorentur, quique non tam veniunt , ut Deum adorent , quam ut ab alijs adorentur.

In Eccleſijs medicina eſt ſpiritualis.
*Salvian.l.2. de provid.*

7. Verum quidem eſt quod Deus noſter in ſingulis Eccleſijs lavacra conſtituit , ut in ijs animæ mundentur , & tamen majori hominum parti admodum difficile eſt,ut in eas purificati ingrediantur , nam ut Salvianus inquit : *Etſi enim peccator non prohibetur ab ingreſſu templi, debet tamen is aliter non intrare, niſi ut mala antiqua defleat.* Divus Chryſoſtomus Homiliam ſeptimam ſuper Epiſtolam ad Epheſios, his verbis incipit :

*D.Chryſoſt. Hom.7. ad Epheſ.*

*Eis qui ad Medici veniant officinam , non temere & inconſideratè illuc eſt eundum, ſed ut diſcant curare & adhibere medicamenta ; & nos quoque cum huc acceſſerimus,non hoc oportet temerè facere & inconſideratè.* Cæterum ſi ſpirituales aliquas contraxerimus infirmitates , pro ijs in Eccleſijs congruam inveniemus medicinam & ſalutem : *Salus huic domui facta eſt.*

Comparendi in Eccleſia modus præſcribitur.
*S.Eucher. Hom. Oportet ſemper orare &c.*

8. Sanctus Eucherius in Homilia ſuperius citata , cui titulus eſt : *Oportet ſemper orare &c.* Salvatorem noſtrum optimum nobis modum in Evangelio præſcripſiſſe notat , juxta quem in Eccleſia nobis comparendum eſt; Dicit enim Sanctus hic Pater : *In Evangelio formam dedit qualiter , & quam attento animo in Eccleſia ſtare debeamus , Phariſæum & Publicanum in oratione deſcribens, nam cum Phariſæi vanitatem expoſuiſſet,adjecit: Publicanus à longè ſtans, non audebat oculos ad cœlum levare,ſed percutiebat pectus ſuum, dicens : Domine propitius eſto mihi peccatori ; Non audebat , inquit , per oris timorem , cordis reverentiam demonſtrabat , ceſſàbat loquendi muliebris levitas , ridendi puerilis vilitas, circumſpiciendi vulgaris & inverecunda libertas, ſolum timorem intus incluſerat , foras pulſa ſecuritate, non audebat oculos ad cœlum levare ; nec immerito, duo enim extra ſe pavenda reſpiciens , quæ duo ? id eſt , reatum ſuum , & judicem ſuum , dejectis oculis pectus tundebat. Percutiebat , inquit , pectus ſuum , dum pectus percutiebat , latentem intra ſe conſcientiam verberabat , dum à foris pectus percuteret , rixam intus cum peſſimis habitatoribus conſerebat , & tandem ipſe ſui cenſor contra amica diu vitia litigabat. Percutiebat pectus ſuum , indignos hoſpites de templo Dei, dextera, ut ſic dictum ſit, proturbante pellebat* ;

Adverſus vitia irati ingredi debemus Eccle.

Quibus verbis Sanctus hic Præſul innuit, quod ad Eccleſiam irati & indignabundi accedere debeamus, verumtamen tali iracundia ſuccenſi, quæ non adverſus alios proximos noſtros,ſed adverſus noſmetipſos,& peccata noſtra excandeſcat, utpote quæ à conſcientia noſtra à nobis eliminanda ſunt , ne per ea loci ſanctitatem profanemus , quia *Domum Dei decet ſanctitudo.* Verum enimverò

Et cum timore.
*Sap.7.26.*

quam pœnam merebitur is, qui Eccleſiam Dei ingreditur, non tam ut peccatorum ſuorum maculas eluat, & expiet, quam ut in conſpectu illius , qui *eſt candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula* , novas peccatorum labes ſibi contrahat ? Cajetanus verba illa Jacobi

*Gen.c.28.17*
*Cajetan.ib.*

Patriarchæ : *Terribilis eſt locus iſte, domus Dei eſt &c.* conſiderans, inquit : *Timuit divinum judicium , quemadmodum conſuevimus timere noviter præſentes Principi ſapienti,ne aliquid ſibi diſplicens appareat in nobis , ſic enim Jacob timuit, conſiderando ſeipſum relativè ad præſentiam Dei, & frequentiam Angelorum , ne imputaretur ſibi defectus ſui.* Idem quoque timor percellere merito deberet quemlibet Chriſtianum,quando coram Deo ejus ſancta domo comparet ; nimirum timere deberet, ne Deus in ipſo quodpiam ſibi diſplicens inveniat , ac proinde ad Eccleſiam deberet accedere animo & propoſito expreſſe emendandi quidquid illum valet offendere.



9. Deus apud Ezechielem Sacerdoti præcepit dicens : *Vinum non bibet omnis Sacerdos , quando ingreſſurus eſt atrium interius* ; Ubi S. Hieronymus ait :

*Ezech.44. v.21.*
*S.Hieron.*
Eccleſias ingrediendi modus præſcribitur.

*Non ſolum in potione vini , ſed in omnibus rebus oſtenditur ebrietas , ut in amore & odio , in quibus mens inebriatur , & ſtatum ſuum tenere non poteſt.* Ideoque ſi in Eccleſia Dei dignè converſari velimus,quando in Sanctuarium pedem noſtrum figere volumus , omnis nobis deponenda eſt paſſio & inordinatus affectus. S.Carolus Borromæus modum accedendi ad Eccleſias , & in ijs fructuoſe converſandi , populo ſuo Mediolanenſi his verbis præſcribit.

*Act. Eccle. Mediol. p.7. pag.1081.*

Ad locum orationis eundo Deum ibi præſentem conſidera , & attende quid facias,& an illud eo modo , quo id facere oportet, perficias ; dum ad Miſſam vel alia divina officia, ad quæ ei acceſſurus es , ſignum campanæ ſonare percipis , eleva mentem tuam conſiderando, quod eo fine illuc te recipias,ut tuam coram Deo orationem effundas , ut oblationi incruenti Sacrificij corporis & ſanguinis Chriſti Domini noſtri in remiſſionem peccatorum tuorum aſſiſtas, aut vero ut Deum debite laudes,ac proinde cum contritione peccatorum tuorum & devotione congrua illuc te recipias.Cum Eccleſiam ingrediendo aquam accipis benedictam , mentem tuam iterum eleva,fontiſque ſacri Baptiſmatis, ejuſque quod in illius ſuſceptione promiſiſti vivaciter memor, animam tuam per lachrymas & pœnitentiam,nec non firmum à peccatis futuris tibi cavendi propoſitum à peccatis abluere ſatage. Hactenus ſanctus hic Archiepiſcopus.

Deum offendunt multi in Eccleſijs.
*Matth. 14. v.28.*

10. Neſcio an aliquando obſervaveritis , quod S. Petrus aliquanto ſpatio à Salvatore ſuper mare ambulante remotus, poſtquam magna cum fiducia dixiſſet : *Jube me ad te venire ſuper aquas* , liquidum illud elementum generoſa fide calcare cœperit , cumque ad Chriſtum propinquius acceſſiſſet , impetuoſum quemdam validumque ventum ſentiens metu gravi perculſus fuerit , propter quod Chriſtus illum increpavit dicens : *Modicæ fidei quare dubitaſti ?* ubi D.Chryſoſt. ait :

*D.Chryſoſt. Hom.51. in Matth.*

*Magna cum fiducia in aquas deſcendit,ad ventorum autem impetum, animi magnitudinem retinere non potuit , præſertim cum jam prope Chriſtum eſſèt*;maxime autem propoſito noſtro deſerviunt ſequentia ejuſdem ſancti Doctoris verba : *Nihil certe prodeſt,loco juxta Chriſtum eſſè, ſi fide non ſis.* Quid enim prodeſt ſi domum Dei frequenter viſites, ubi Sacramenta Adminiſtrantur,ubi Cœlorum theſauri diſpenſantur, ubi ſignatura eſt gratiæ,ubi Deus ipſe corporaliter præſens aſſiſtit, ſi qui eo accedere debebas , ut bonis hiſce locupletareris , eo te cum intentione Deum per ſcandala & diſſolutiones injurijs afficiendi domumque ejus ſanctam profanandi conferas ? Apud Ezechiëlem templum appellatur

*Ezech.2.v.5.*

*domus exaſperans*; quod tamen huic loco minime convenire videtur, ſiquidem præterquam quod in eo gratiæ cæleſtes acquirantur , Deus potius inibi placatur : at vero Hugo Cardinalis inquit: *Domus exaſperans eſt, quia me,qui ſum mitis,in aſperitatem ſibi convertet, multi enim ibi Deum exaſperant multipliciter*; Et quidem omnibus illis modis,quos ibi enumerat; multi Chriſtiani illum in Eccleſijs vere exaſperant, ſcilicet *Aures à verbis ejus avertendo ; ſecundo auditis non obediendo; Tertio vocanti terga vertendo ; Quarto vicem non reddendo ; Quinto mala pro bonis retribuendo*, juxta illud Pſalm.34. *Retribuebant mihi mala pro bonis.*

*Hugo Card. ibid.*
*Pſ.34. v.12.*

## DISCURSUS XIX.

### ARGUMENTUM.

Eccleſiarum ornatus Deo quidem debitus & gratus exiſtit, nobiſque conveniens eſt,conjunctus tamen eſſe debet cum innocentia & probitate fidelium, qui templa viva ſunt Dei.

### THEMA.

*Domine dilexi decorem Domus tuæ.* Pſ.25. ỷ.8.

David magnam collegit ſummam pro templi fabrica.

1. DAvid Regum ſanctiſſimus poſtquam ad Thronum Iſraëliticum evectus fuit,majus gaudium aut conſolationem numquam habuit , quam quod in erigendo in Dei honorem templo Divini cultus pro-



movendi

movendi ampliandique nactus fuiſſet occaſionem, unde nullam ſibi quietem indulgens, in hujus operis executionem unice & continuo cogitationibus ſuis defixus permanſit, dicens: *Domine dilexi decorem domus tuæ; Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob; Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*, quibus verbis quaſi jurabat numquam ſe quietem aliquam capturum, quouſque Tabernaculum Deo ſuo erexiſſet. Porro apparatus quos in hanc à ſe quidem conceptam & effigiatam, à filio autem ſuo demum erectam & fabricatam congeſſit adeo copioſi ac prædivites fuere, ut niſi illos veridicus Spiritus ſancti calamus recenſeret, intellectus humanus illos difficulter credere potuiſſet; Etenim Spiritus Sanctus apparatum hunc ab eo congregatum ad ducenta & octo millia talenta auri aſcendiſſe manifeſte aſſerit, id eſt ad milleſies millia, nec non ad ſeptemdecim millia talenta argenti, quæ ſecundùm meliorem Arithmeticæ computum in pecunias redacta, quo ad auri talenta plus quam ſexcentos & tres milliones auri conſtituebant; argenti vero talenta ad ducentos & octo argenti excreſcebant milliones: Ad hæc lapides pretioſi, & inæſtimabiles gemmæ quæ in fundamentis ſepultæ remanſerunt, fuere innumeræ ut proinde divitiæ magnificentia, amplitudo, infinituſque hujus templi valor, multis voluminibus conſtantem mereretur hiſtoriam; Nec mirum, nam ut D. Chryſoſtomus merito ait: *Dic oro, ſi Rex tibi præcepiſſet Domum extruere, ut illic habitet, nonne omnia feciſſes? Nunc igitur regia eſt Eccleſiæ conſtructio; ne ſumptus ſpectes, ſed fructum computa.* Et quidem quanta cum elegantia & ornatu Deus totum hoc univerſum quod nobis in domicilium noſtrum aſſignavit, fabrefecit: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus*; quidquid univerſa natura venuſtatis, elegantiæ, aut pretioſitatis habet, hoc totum Deus in uſum & commodum noſtrum magnifice contulit; ac proinde cum Deus in exornanda & expolienda nobis habitatione noſtra, adeo ſe liberalem, imo prodigium exhibuerit, cur nos ex parte noſtra in exornanda domo divino ejus cultui ſpecialiter dedicata parci & tenaces ſimus. In magnam fidelium confuſionem experientia teſtatur, quod numquam ingentes theſauri in chari alicujus Principis vel Regis recondantur ſepulchrum, in quo aliud nihil quam putridum, & graveolens cadaver aliquod recluditur, quomodo igitur tabernaculum altaris ſanctiſſimi Eccleſiæ inops deſeri & relinqui poterit ac deforme. Thomas Bozius *de ſignis Eccleſiæ* ſcribens, ſacrorum templorum ſupellectilem ſacram, divitias & ornatus fuſe recenſet: unde quanti majores noſtri Eccleſiarum ornatum æſtimarint & quam cum ſolicite curarint perſpicue colligitur.

*Pſ.25.v.8.*
*Pſ.131.v.2.*
*Ibid. v.3.*
*Ibid. v.4.*
*Ibid. v.5.*
*2. Reg. 7.*
*1. Paral. c. ult.*
*3. Reg. 5.*
*D. Chryſoſt. Hom. 18. in Acta Ap.*
*Pſal. 8. v. 8.*
Deus ornavit nobis terram qualiter nos ejus templa.
*Thom. Bozius de ſign. Eccleſ. T. 2. l. 20. c. 6.*

Offertur in templis noſtris Corpus & ſanguis Chriſti: quam ergo ornanda.

2. Deus olim populum ſuum per directionem & magiſterium Moyſis quoad cultum divinum alijſque ad illum pertinentibus erudire volens, fabricam Arcæ, tabernaculi, veſtium ſummi ſacerdotis, nec non vaſorum ſacrorum ſupellectilem omni cum magnificentia & ſplendore perfici & fieri mandavit, adeo ut quidquid inter metalla, gemmas phrygij operis veſtes pretioſius ac præſtantius reperiri poterat in prædictorum facturam præſcripſerit, idque ore ſuo proprio & ex præcepto ſuo immediato. Similiter quando Filius Dei jam incarnatus dilecto diſcipulo ſuo vivam quamdam Eccleſiæ effigiem exhibere voluit, eamdem velut ſponſam quamdam eximie ornatam & ad nuptias properantem eidem ob oculos videndam ſtatuit: *Deſcendentem de cœlo à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*: Salmeron ad ſuadendum omnem poſſibilem Eccleſiæ ornatum, argumentum quoddam adducit adeo efficax, ut ad illud nihil reſponderi queat: Dicit enim: *Si templum olim, in quo oves & vituli offerebantur, quodque velut macellum aut laniena quædam erat, ditiſſimum fuit, & vaſis aureis plenum, quale quæſo debet eſſe noſtrum ubi corpus Chriſti, & ſanguis ejus verus offertur?*

*Ap. 21 v. 2.*
*Salm. T. 4. p. 4. Tr. 30.*

*Salmer. T. 8. Tr. 95.*
Templũ Jeroſol. à Regibus veneratũ.

3. Idem quoque Author locum illum (templum ſcilicet Jeroſolymitanum) cunctis mundi Regibus ſumme venerabilem fuiſſe oſtendit: Etenim Cyrus illud de novo ædificari, & opulentiſſimis donarijs locupletari præcepit. Alexander Magnus Jaddo ſummum ſacerdotem cum ingenti pompa magnifice recepit, ipſumque templum cum ingenti honore & reverentia ingreſſus fuit. Seleucus Rex omnes ſacrificiorum ſumptus ex proprijs regijs æditibus expediri præcepit, quod Darius Rex Perſarum ante ipſum quoque feciſſe legitur. Subjungit inſuper idem Author: *Auguſtus Cæſar teſte Philone in legatione ad Cajum, per literas juſſit undecumque illuc mitti primitias, inſtituto etiam ibi quotidiano ſacrificio, licet peregrinarum Cæremoniarum alioqui contemptor, teſte Suetonio in Auguſto.*

Salomonis thronus cur ſolium Domini dicatur.
*1. Paralip. cap. 29.*
*Dion. Carthuſ.*

4. In lib. 1. Paralipom. c. 29. nonnulla verba de Salomone leguntur, quæ ſua non carent difficultate: *Seditque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro David Patre ſuo.* Quæro etenim cur thronus iſte ſolium Dei appelletur? Dion. Carthuſ. ait: *id eſt, ſuper regalem thronum David patris ſui, qui thronus fuit ſolium Dei, quoniam fuit ſolium Regis fidelis, qui præſidendo & judicando fuit vicarius Dei, & cultor ipſius.* Ecce tibi rationem cur thronus in quo Salomon ſedit, ſolium Dei appellatus fuerit; quia ſcilicet per erectionem ſumptuoſiſſimi templi, perque tam abundantem ejuſdem ornatum & pretioſæ ſupellectilis ingentes divitias divinum cultum præ cunctis alijs promoverat.

Chriſtus in domo ornata Euchariſtiam inſtituit.
*Pſ. 49. v. 2.*
*Marc. 14. v. 15.*
Contra ornatum Eccleſiæ murmurantes Judæ ſunt ſimiles.
*Matth. 26. v. 13.*

5. Enimvero quanti Chriſtus hunc ſacrorum locorum ornatum fecerit, ex ingenti illa ſolicitudine colligi poteſt, quam circa cœnaculum Sioniticum (quod prima totius Chriſtianitatis Eccleſia fuit) opulenter adornantum habuit; Et ideo David prædixerat: *Ex Sion ſpecies decoris ejus*, ex quo enim in eodem cœnaculo primum Miſſæ ſacrificium celebrandum, Apoſtolique in eodem ſacerdotio initiandi, & corpore & ſanguine Domini paſcendi & communicandi erant, ijs quos ad Paſcha præparandum illuc miſerat, dixit: *demonſtrabit vobis cœnaculum grande, ſtratum, & illic parate*: E contra vero ſcire nos voluit, quod hi qui adverſus ſumptus in templorum ſuorum ornatum & decorem impendendos murmuraturi deinceps eſſent, Judæ futuri ſint imitatores, ſiquidem in ea occaſione, quando Judas de pretioſi illius unguenti effuſione murmuravit, dixit: *Opus bonum operata eſt in me... Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus*; Etenim ſacri ornatus nec non ſupellex pretioſa, qua templa exornantur ad devotionem, venerationem, majoremque frequentiam peculiares ſtimulos addunt, efficiuntque gratiorem quam in ſacris locis trahimus moram & converſationem. Rupertus Abbas Tuitienſis in quodam capite quod intitulatur *de ornatu altaris vel templi*, ita ſcribit: *Auro & argento, Lapidibus pretioſis, pro poſſè fidelium, ſingulis in locis ſplendet feſtiva devotio, quæ cum in ſecularibus ambitionis inſignia ſint, in Eccleſiaſticis, & divinis rebus pietatis officia ſunt, non quia Deum qui Spiritus eſt, plus aurea, quam lutea, plus gemmata, quam nuda delectent corpora, ſed quid homines quod diligunt, cum Deo libenter offerunt, dilectione Dei, qua illud à ſe ſeparant, quidquid illud ſit, Deo pretioſum efficiunt.*

*Rup. Abb. l. 2. de Div. offic. c. 23.*

Eccleſiæ ornatus ad devotionẽ ſtimulat.

6. Præterea cum Eccleſia, ut jam diximus, parvus quidam cœleſtis Paradiſus ſit, conſequens eſt, ut quanto magis adornatur, & opulentior ſit, tanto majorem præber talis Eccleſia occaſionem, ut viſa ejus pulchritudine mentem noſtram in ſupernæ Jeroſolymæ pulchritudinem & divitias defigere valeamus, Præterquam quod conſideratione dignum ſit, quod ad honorem & decorum functionum illarum, quæ in Eccleſijs celebrantur, nec non ad dignitatèm ſupremæ illius Majeſtatis quæ in ijſdem adoratur pro dignitate aliquatenus æſtimandam non parum conferat, quod in illis aliquis appareat ſplendor, & magnificentia. Quotquot igitur contra prædivites Eccleſiarum ornatus murmurant, conſiderent quanta cum promptitudine populus Iſraëliticus ad fabricam tabernaculi, in quo revera nihil aliud veneratione dignum, præter lignum quoddam ex quo arca fabricata erat, continebatur, quidquid rei pretioſioris poſſidebant obtulerint, adeo enim liberaliter pretioſa quæque in hanc fabricam contribuebant, ut opus fuerit præconis voce, qua vetabatur ne ullus in hanc rem quidquam amplius conferret, eo quod hactenus allata neceſſitatem longe ſuperarent.

Prompta oblatio Iſraëlit.
*Exod. 35. v. 24.*
*Exod. 36. v. 5.*

Eccleſiæ ornatus Deo gratus.
*Eccli. 44. 6.*

7. In Eccleſiaſtico multi viri virtute præſtantes miris extolluntur præconijs, & quidem inter alias ipſorum laudes una erat, quod ſcilicet eſſent *homines... pulchritudinis ſtudium habentes*; At vero dicat fortaſſe aliquis, hanc laudem viris virtute præcellentibus omnino indignam eſſe, utpote talem in qua mulieres vanitatis cauſa gloriari ſolent. Accedat igitur Rabanus, qui ad propoſitum noſtrum huic objectioni opportune reſpondet, dicens: *Pulchritudinis ſtudium habentes, ut Moyſès & Salomon, qui tabernaculum atque templum cum varijs vaſis & utenſilibus Domino ædificaverunt.*

*Raban. ibid.*



*Dion. Carthuſ.*

Dionyſius Carthuſianus ſimiliter dicit: *Id eſt diligenter intenti circa ornatum cultus divini, & templi decorem.* Legatur obſecro Exodi c. 40. ubi dicitur: quod cum Tabernaculum cum omnibus ſuis ornamentis abſolutum & perfectum fuiſſet, *operuit nubes tabernaculum, & gloria Domini implevit illud*, id eſt, ut Pagninus habet: *Tabernaculum Eccleſiæ.* Idem quoque in templo Salomonis contigit; unde Joſeph Hebræus merito dicit; *Oſtendit Deus ſe gavìſum in operibus Hebræorum, & non fruſtra laboraſſè eos in pulchritudine ædificij.* Ibidem quoque hæc Moyſis verba leguntur: *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem iſte Deus meus, & glorificabo eum*; Vatablus legit: *Decorabo eum*; Chaldæus vero vertit *ædificabo ei ſanctuarium.* Cajetanus autem circa illa verba: *Et glorificabo eum*, dicit: *ſubintelligi poſſe dicunt propoſitionem, & legi: & habitabo cum eo: ſenſus tamen unus eſt, quia idem eſt nos habitare cum Deo, & Deum nobiſcum, non enim aliter inhabitamus ipſum, quam exiſtentes cum ipſo, mente, votis, affectibus atque operibus.*

*Exod. 40. v. 32.*
*Pagninus.*
*Joſeph. Hebr. l. 3. antiquit. c. 12.*
*Exod. 15. v. 2.*
*Vatablus*
*Chaldæus*
*Pſ. 90. v. 15.*
*Cajetanus.*

Plus Deo placet Animæ ornatus.

8. Nemo tamen negare poteſt quin Deus pulchritudinem interiorem, Spiritus ſanctitatem primo loco à nobis requirat; Deus enim Eccleſiam ſuam ornatam eſſe plurimum quidem diligit, ita tamen ut cum hoc ornamento Chriſtianarum virtutum, ſpiritualis vitæ, devotioniſque ornatum ſimul à nobis requirat. S. Eucherius de templo antiquo ita ſcribit: *In templo illo quadratis lapidibus & politis compaginata, & unita erat junctura parietum, hic in nobis ædificium ſpirituale, concordiæ vinculum, fidei Sacramentum & charitas connectitur animorum.* S. Auguſtinus in ſermone quodam inquit: *Decorem Domus Dei & locum tabernaculi claritatis ejus diligimus, & nos ipſi ſumus, quid enim decor eſt Domus Dei, & locus tabernaculi claritatis ejus, niſi templum ejus, de quo Apoſtolus dicit: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos? ſicut ergo in fabricis manufactis, cum eleganter & magnifice conſtruuntur, corporalis noſter mulcetur aſpectus, ita cum lapides vivi, id eſt, corda fidelium, charitatis vinculo contimentur, decor eſt domus Dei, & locus tabernaculi claritatis ejus.* Profecto longe benigniori oculo reſpicit conſcientiam noſtram mundatam & purificatam quam expolitos in Eccleſia pavimenti lapides; plus ei placet; quod animæ fidelium decoræ ſint ornamento Chriſtianarum virtutum, quam quod ſacri Eccleſiæ parietes phrygiatis laquearibus reſplendeant.

*S. Eucher. Hom 3. de Dedic. Eccle.*
*S. Aug. ſermon. 254. de temp.*

*Pſ 92. v. 5.*
*Cajetan.*

9. Regius Propheta David ait: *Domum tuam Domine decet ſanctitudo.* Cajetanus ex Hebræo legit: *Domui tuæ congruit ſanctitas Domine longitudini dierum, ut intelligas omni tempore ſanctitatem eſſè pulchritudinem Eccleſiæ.* S. Aug. inquit: *Qui diligit decorem domus Dei non eſt dubium quia Eccleſiam diligit, non in fabrefactis parietibus & tectis, non in nitore marmorum & laquearibus aureis, ſed in hominibus fidelibus, ſanctis, Deum diligentibus ex toto corde ſuo, & ex tota anima ſua, & ex tota mente ſua, & proximum ſuum ſicut ſeipſum.* Author operis imperfecti ad propoſitum noſtrum appoſite dicit: *Ecce qui Eccleſias ornant, bonum opus facere videntur, ſed ſiquidem & alias juſtitias Dei cuſtodiant, ſi autem alias juſtitiam Dei non ſervant, ſi de bonis eorum pauperes numquam gaudent, ſi aliorum bona faciunt ſua aut per violentiam, aut per fraudem, quis tam inſenſatus eſt, ut non intelligat, quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, ſed propter æſtimationem humanam.*

*Aug. ſerm. cit.*
*Auth. oper. imperf. Hom. 45.*

Templa ornari debent non ob mundanos fines.

10. In atrio templi Jeroſolymitani ea ſolum vendebantur, quæ ad cultum & augmentum honoris divini ſpectabant, id eſt, quæ in ſacrificio offerenda erant, eſtque veriſimile, quod per hoc tanto magis excreverit ſacrificiorum numerus, quanto victimæ & oblationes immolandæ promptius aderant; Et tamen Chriſtus illos vendentes & ementes ſumma cum ſeveritate caſtigavit; Et ratio fuit, quia ſub divini cultus prætextu, ſuam abſcondebant avaritiam, neque enim tam Dei honorem reſpiciebant quam lucrum proprium; Multi ſunt quidem qui templa exornant & locupletant, ſed non niſi ob mundanos fines, ſcilicet ut poſteris ſuis per hoc memoriam ſui relinquant, vel propter magnificentiæ ſuæ faſtum & pompam, vel ut majorum ſuorum, vel etiam propria facinora heroica in fabricis vel ornamentis illis impreſſa relinquant; adeoque *quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.*

Sæcularia negotia in templis fieri non debent.

11. In eadem illa occaſione qua ementes & vendentes è templo eliminavit, ſimul etiam ficui maledixit, tametſi tempus fructibus producendis congruum præſto nondum eſſet. Venerabilis Beda autem facti hujus explicat myſterium, dum ait: *Per figuram hoc fecit Dominus, hoc idem vero mox apertius oſtendit, ejiciendo improbos è templo, neque enim aliquid peccavit arbor, quod eſuriente Domino poma non habuit, quorum nondum tempus advenerat, ſed peccavere ſacerdotes. Qui in domo Dei ſæcularia negotia gerebant, & fructum pietatis quem debuerant, quemque in eis Dominus eſuriebat, ferre ſuperſedebant.* Quot ſunt hiſce temporibus noſtris qui Eccleſias ſuperbiſſime exornant, ſolemniaque feſta inſtituunt, ſed non tam ut honorentur ſancti, quam ut populum ad Eleemoſynarum ſubſidia & contributiones promptiorem efficiant, ideòque gloriam Dei & ſanctorum ejus, aut ſalutem animarum minime attendunt. Idem Author operis imperfecti inquit: *Quomodo fugietis à judicio gehennæ? numquid ſepulchra ſanctorum ædificantes, an potius à malitia corda veſtra mundantes? Numquid ſic judicat Deus, quomodo judicat homo? Homo hominem judicat in opere, Deus autem in corde; quæ eſt autem iſta juſtitia ſanctos colere, & contemnere ſanctitatem? primus gradus pietatis eſt, ſanctitatem diligere, deinde ſanctos. Numquid liberabunt vos ſancti, quorum monumenta ornatis? non poſſunt ſancti amici eſſe illorum, quibus Deus eſt inimicus.*

*V. Beda l. 3. in cap. 11. Marc.*
*Auth. Imperf. ibid.*
N. B.

12. S. Auguſtinus in ſermone quodam *de Dedicatione Eccleſiæ*, inquit: *Templum ſanctum eſt quod eſtis, vos, neque enim occupata eſt fides inſpicere quam pulchra ſint membra hujus habitationis, ſed de quanta interioris hominis pulchritudine procedant hæc opera dilectionis*; Demum vero pergit oſtendere, quod ſolicitudo noſtra tam in exornandis ſacris Eccleſiæ parietibus, quam in exornandis animabus noſtris ſeſe exerere debeat: *Reſtituat ergo Dominus fidelibus tuis tam pie, tam hilariter, tam devote iſta operantibus ut eos quoque ipſos in ſuæ fabricæ conſtructione componat; quo currunt lapides vivi fide formati, ſpe ſolidati, Charitate compacti, ubi ſapiens ille Architectus Apoſtolus fundamentum poſuit Chriſtum Jeſum; Fundamento ergo in cordibus veſtris Apoſtolica & Prophetica monita jacite; humilitatem ſicut pavimentum ſine offenſione proſternite, ſalutarem in corde veſtro doctrinam orationibus ac ſermonibus tamquam firmis parietibus communite; divinis eos teſtimonijs tamquam luminaribus illuſtrate; infirmos ſicut columnæ ſufferte; inopes ſicut tecto protegite, & vos Dominus in æternum perfectos dedicatoſque poſſideat.*

*S. Aug. ſer. de Dedic. Eccleſ.*
Animæ fabrica delineatur.

13. S. Eucherius differentiam conſiderat quæ inter antiquum Salomonis templum & hæc noſtra intercedunt. De illo etenim dicitur: *Deambulabat in templo in porticu*; *Adverte* inquit, *quia in illius templi exterioribus adhuc de foris deambulabat Chriſtus, nec ſedem ponit, ſed deambulat, nec intus ingreditur, hujus autem interiora perpetuo habitaturus intravit.* Nos quidem interiorem Eccleſiarum ornatum oculis noſtris conſideramus: Deus autem de interiori animarum & corporum noſtrorum ornamento gaudet, hæc enim ſunt templa, quæ Deus ſe inhabitare profitetur: Unde S. Auguſtin. ait: *Quamvis ſancta ſint templa, quæ videmus de lignis & lapidibus fabricari, tamen plus apud Deum pretioſa ſunt templa cordis & corporis noſtri, quia illa ſiunt ab homine carnali, iſta ab artifice mundi.*

*S. Eucher. Hom. cit.*
Animæ templum plus à Deo æſtimatur quam Jeroſol.
*S. Aug ſer. 255. de temp.*

14. Conſiderabilia ſunt, noſtroque propoſito, optime conveniunt verba illa B. Laurentij Juſtiniani dicentis: *Præparate*, inquit, *Deus per Prophetam, mihi templum & habitabo in medio veſtri, templum utique non lapidum ſtructura compoſitum, non auro tectum, non gemmis ornatum, ſed virtutibus, ſed morum probitate, ſed ſpirituali exercitatione fabrefactum, de quo Apoſtolus: Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos.* S. Auguſtinus ſuper illa Pſalmiſtæ verba: *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in juſtitia*, ita ſcribit: *Iſta ſunt bona domus illius, non dixit: Templum ſanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, ſed mirabile in juſtitia. Habes foris oculos unde videas marmora & aurum, intus eſt oculus, unde videatur pulchritudo juſtitiæ.*

Sed juſtitia debet eſſe ornatum.
*B. Laur. Juſtin. de caſto connub. c. 13.*
*1. Cor. 3. 17.*
*Pſalm. 64. 5.*
*S. Aug. ibid.*

15. Venerab. Rupertus Tuitienſis Abbas circa populum Hebræum è Babylonia redeuntem obſervat, quod *Reverſus de Babylonia populus, altare tantum fecerat fortuitus (ut ait Hieronymus) & impolitis lapidibus, abſque templo, & putabant minorem eſſè cultu religionis, quia templi ornatus deerat, nec intelligebant omnipotentem Deum, non aurum, gemmaſque & boſtiarum multitudinem quærere, ſed offerentium voluntatem.* In Martyrologio Romano circa diem 29. Septembris ita legitur: *In monte Gargano venerabilis memoria B. Michaëlis Archangeli, quando ipſius nomine ibi conſecrata fuit Eccleſia, vili quidem facta ſchemate, ſed cœleſti prædita virtute.*

*Rup. Abb. l. 2. de Div. offic. c. 23.*
Cor Deus reſpicit non templi ornatum.
*Martyrol. Rom. 29. Septemb.*

Cordis munditia delectatur Deus magis quam parietibus deauratis.

16. Idem quoque Tuitienſis Abbas lib. 1. in Jeremiam cap. 2. prolixo quodam diſcurſu detonat adverſus templum Jeroſolymitanum, utpote quod cum omni ſua magnificentia, divitiarum amplitudine, & infinita quam penes univerſum mundum habebat veneratione, poſtquam tanto cum diſpendio, ingentiumque theſaurorum pluſquam regio ſumptu fabricatum fuiſſet, impedire nequivit, quin illud Deus per manum exercitus Babylonici accenderetur, & penitus conflagraret *Erudiendus namque erat mundus*, inquit Venerabilis hic Abbas, *eatenus juvenis & luxurioſus, ne putaret quod habitator Cælorum Deus, auro templi manufacti, vel civitatum opibus delectetur, & non potius hominum fide & bonis operibus, quibus intus in anima templum illi præparatur, qui ſolo delectetur, ubi adoretur, in quo videri, præſens agnoſci dignetur, ſine quo fruſtra foris lampadibus vel auro templi manufacti requiratur*; Idem quoque alibi iterum repetit, dum eadem facilitate qua tres pueros è fornace Babylonica ardentiſſima, ſine ulla vel minimi capilli læſione liberavit, templum quoque ſuum è flammis Babylonicis eximere potuiſſe conſiderat, *ſed*, inquit, *erudiendus erat mundus, ut ſciret, quod Deus excelſus non pulchris lapidibus aureisve parietibus templi manufacti delectatur, ſed fidei claritate, & mundis cordibus, & ille eſt ei optabilis locus. Nam & quia tabernaculum Moyſes cum authoritate Dei, templum Salomon tanto opere, auro, & gemmis extruxit, atque perornavit exiſtimare poterant homines cupidi, de Deo male ſentientes, quod eſſet eorum ſimilis, & de religione juſtitiæ nihil curantes, putarent ſe ſatis honorare Deum muneribus aureis, ſuamque cupiditatem corroborarent quaſi exemplo Dei. Hanc ſuſpicionem digne à ſe removere curavit opere, perficiendo illud*, quod ad Salomonem dixerat 3. Reg. 9. *cum perfeciſſet Salomon ædificiũ domus Domini: ſi*, inquit, *averſione averſi fueritis vos, & filij veſtri nõ ſequentur me, nec cuſtodientes mandata mea auferam Iſraël de ſuperficie terræ, quam dedi eis, & templum quod ſanctificavi nomini meo projiciam à conſpectu meo.* Unde Deum innocentiam & ſanctitatem magis, quam parietum ornamenta, & pretioſæ ſupellectilis ingentem ſumptum à nobis requirere perſpicue nimis deducitur.

Rup. Abb. l. 1. in Jer. c. 2.

Rup. Abb. de vict. Verbi l. 6. c. 25.

3. Reg. 9. 1.

---

# TRACTATUS XXI.
# DE DETRACTIONE MURMURATIONE ET MALEDICTIONE.
## CONTINENS
## DISCVRSVS XVI.

DISCURSUS I. Variæ docentur detractionis definitiones, frequentia & differentia, per quam diſcrepat à contumelia & ſuſurratione.

II. Multifariæ ad dextre detrahendum conſiderantur maledicorum inventiones.

III. Detractio etiam timoratis & pijs familiaris, innatum nobis vitium & univerſale, in ipſos etiam deſævit ſanctos.

IV. Detractio lædit conteritque charitatem, quæ culpas operit, non publicat.

V. Detractores oderunt Deum, ipſis pejores crucifixoribus Chriſti, cui pariter odio ſunt, omni exuti vivunt pietate, ipſis etiam abominabiles hominibus.

VI. Multiplex ſimilitudo inter ſerpentes & detractores.

VII. Maledicis multæ competunt proprietates animalium venenatorum, crudelium, deformium, immundorum.

VIII. Multipliciter os detractoris comparatur ſepulchro.

IX. Crimen detractionis aggravant diverſa mala & damna, quæ cauſat.

X. Detractio, diaboli farina eſt, à quo originem trahit; maledici ſunt intimi ſolicitatores & advocati dæmonis, appellandi ſunt diabolici, ſacerdotes & Apoſtoli dæmonis.

XI. Supplicia detractorum temporalia & æterna.

XII. Detractores furibus pejores ſunt, obligati ad reſtitutionem.

XIII. Detractores, nulli majus afferunt damnum, quam ſibiipſis.

XIV. Diverſa motiva contra detractionis horrorem.

XV. Qualiter verbis & ſignis externis detractores arguere oporteat, raraque ijs adhibenda eſt fides.

XVI. Novæ adducuntur rationes, cur detractoribus non modo non præbere aures, ſed & contra eos vociferari debeamus, proximique honorem & famam defendere.

### DISCURSUS I.
### ARGUMENTUM.

De varijs detractionis definitionibus, frequentia & differentia, per quam diſcrepat à contumelia & ſuſurratione.

### THEMA.

*Nolite detrahere alterutrum fratres*, Jac. 4. ℣. 11.

Chriſtiani perſecutoribus non detrahebant. Bar. ann. 75. n. 4.

1. PRimi fideles mutuo ſe fratrum titulo inſignire conſueverant, ideoque S. Jacobus Apoſtolus Chriſtianos à detractionis vitio avocaturus, *nolite*, inquit, *detrahere alterutrum fratres*; quam doctrinam prima illa ſæcula vivaciter adeo ſolideque imbiberunt, ut, atteſtantibus Eccleſiaſticis annalibus, nullus umquam primorum fidelium, medios inter tot perſecutionum & falſarum imputationum turbines, repertus fuerit murmuraſſe aut detraxiſſe Principibus maxime & Imperatoribus, quorum tunc temporis tanta deſæviebat impietas; qua de re dum alibi recurret ſermo, ad varias in præſenti ex ſacris Doctoribus delibandas propero detractionis definitiones & differentias.

Detract. definitio.

2. S. Bonaventura inquit: *ſic definitur detractio; eſt alienæ famæ denigratio.* Cui & illa conſonat S. Thomæ definitio: *Denigratio alienæ famæ per verba; ille detrahit, qui aliquid ſubtrahit vel diminuit de eo, quod eſt.* Et articulo ſequenti ait: *Ille, per ſe loquendo, detrahit, qui ad hoc de aliquo obloquitur eo abſente, ut ejus famam denigret.* Richardus à S. Victore ſcribit: *Detractio eſt bonæ opinionis attenuatio*, moxque ſubdit: *Detrahere eſt de apertis bonis velle aliquid diminuere, cum non poſſis penitus evacuare, detrahit enim, qui aliquid inde oblatrando retrahit, unde hominis famam glorioſiſſimam credit*; Poteſt autem varijs hoc vitium modis perpetrari, quemadmodum S. Bonaventura, illa ſapientiæ (*à detractione parcite linguæ*) explanans verba, docet dum inquit: *vel cum occultum bonum negatur, vel cum apertum diminuitur, vel cum occultum malum propalatur, vel quando apertum amplius divulgatur.* Vel prout idem Seraphicus Doctor alio in loco aſtruit: *Committitur ſex modis; ſcilicet cum modum negamus, quod novimus eſſe factum: vel cum tacemus, ne fiat alijs manifeſtum, vel cum pervertimus, dicendo, illud mala intentione eſſe factum; item malum occultum revelando in caſu non conceſſò; vel augmentando, dicendo, majus eſſe, quam ſit, vel adinveniendo mendaciter malum, quod factum non fuit.* S. Bernardinus poſtquam pluribus vitij hujus oſtendiſſet enormitatem, tandem ſequenti diſcurſum concludit epilogo: *Ex dictis patet, quod detractio eſt, ſecreta bona occultare, occulta bona denigrare, bona in mala invertere, bonis mala miſcere, occulta mala manifeſtare, audita mala augmentare atque crimina falſa imponere, quæ ſunt ſeptem draconis, id eſt, detractionis capita, de quibus Joan. ait: habens capita ſeptem.*

S. Bon. T. 6. cent. p. 1. ſec. 13.
S. Th. 2. 2. q. 73. art. 1. ibi art. 2.
Rich. Vict. p. 1. l. 3. de eru. int. hom. c. 8.
Sap. 1. v. 11.
S. Bon. ibid.
S. Bon in centiloq. ibid.
Committitur ſex modis.
S. Bern. t. 2. ſerm. 29. a. 2. c. 7.
Apoc. 12. 3.

3. *Nolite detrahere.* Cornelius à Lapide in horum commentario verborum varios & ipſe detractionis perhibet modos; proximum ſtatuit eſſe, quando quis proximo falſum imputat crimen: 2. dum exceſſus commiſſus nimirum aggravatur atque exaggeratur. 3. dum culpa ſecreta manifeſtatur. 4. dum opus bona intentione impletum, vel ſiniſtræ ſubjicimus interpretationi, vel obiter deprædicamus, vel diminuimus. 5. dum virtus ſubticetur proximi

Cornel. à Lap. in Jac. 4. v. 11.
Detractionis varij modi.





eo tempore, quo publicanda & divulganda eſſet; de quo ultimo modo S. Bonaventura tractans ait: *Ad detractionem proximi ſpectat, bonum proximi tacere, quod quidem mortale eſt, cum videt aliquis, injuſte famam alterius deperire.* Cujus hanc convincentem ſubdit rationem, ſicuti extremæ proximorum neceſſitati ſubvenire tenemur, ita, & à fortiori famam proximi, omni pretioſiorem vita, tutari obſtringimur. *Sicut enim in arcta neceſſitate tenemur proximo in rebus temporalibus providere*, verba ſunt Seraphici Doctoris, *ſic etiam & in neceſſitate famam ejus ſervare.* Quam §. 2. ex S. Bernardino de varietate detractionis à ſeptenis draconis capitibus deſumpta in medium adduximus doctrinam, eamdem multo ante tempore apud Belluacenſem reperio exaratam, dum ait; ſeptem ſunt detractionis ſpecies, *Prima occulta mala publicare. 2. Audita mala cum augmento proferre. 3. Eſt crimina falſa imponere. 4. Eſt bona occulta negare. 5. Manifeſta bona vituperare vel ex malitia reticere. 6. Bona in malum convertere. Septima bona immiſcere malis vel mala ſua alienis addere.* Simulque eodem in loco idem advertit auctor, omnem eum detrahere, qui de abſente loquitur cum intentione diminuendi famam ejus, ſiquidem actio à fine ſpecificatur; unde vera erat ſed injuſta illorum, qui Danielem coram rege accuſabant, aulicorum accuſatio; vera erat, quia Daniel contra leges & pœnas à rege ſtatutas, Deum ſuum adorabat: erat & injuſta, quia ex malo procedebat fine, quia ſcilicet impij Danielem exterminare & gratia regis exuere moliebantur; unde & juſtiſſima Dei vindicta eoſdem leonibus in prædam dedit. *Ex ramo invidiæ*, inquit S. Bonaventura, *procedit detractionis folium, quo proximi proſperitas impeditur, hoc autem folium principaliter in duo dividitur; quia qui detrahit, aut hoc eſt, ejus bonum diminuendo aut eidem malum imponendo. Primum folium quatuor folia ſecum habet, ſcilicet bonum proximi tacere, diminuere pervertere & negare. Ex ſecundo ramo hæc folia procedunt, malum libenter audire, diſſimulare confirmare, aggravare, addere revelare & imponere.* Sed inquis, veritatem dico de proximo, nihil ei falſi impono. Reſpondeo ego; culpam equidem incurriſti detractionis, quia teſte Doctore Angelico, *aliquis dicitur detrahere, non quia diminuat de veritate, ſed quia diminuat famam ejus*, ſive directe ſive indirecte; directe quidem, prout jam diximus: *Uno modo, quando falſum imponit alteri; ſecundo modo, quando peccatum adauget ſuis verbis, tertio, quando occultum revelat. 4. quando id, quod eſt bonum, dicit mala intentione factum.* Indirecte autem, *vel negando bonum alterius, vel malitioſe reticendo & diminuendo.*

S. Bon. t. 7. in ſpec. an. cap. 1.
Tueri proximi famam obligati ſumus.
Detract. 7. ſpecies.
In ſpec. mor. Vinc. Belv. t. 3. l. 3. d. 3.
Ille detrahit qui etiam vera narrat cum intentione nocendi.
S. Th. 2. 2. q. 73. a. 1. in reſp. ad ult.

4. S. Bonaventura eamdem anathematizans impietatem, qualiter bona proximi fama diminuatur, his oſtendit verbis *Diminuere bonum alterius eſt, cum aliquis commendationem alterius audire non poteſt, ſed eam diminuit, quod charitati opponitur, & ſi ex ramo invidiæ procedat, mortale eſt.* Ne autem, quando ſine culpa defectus & exceſſus proximorum propalare liceat, hæreamus ancipites, ſequentem ex eodem auctore deſumptam placet ſubjungere regulam: *Aut dicit neceſſitate compulſus aut inductus utilitate, aut exagitatus detrahendi libidine.* Tunc, inquit ſanctus, tenemur ad hoc, quando præceptum urget divinum vel humanum; humanum quidem, quando ſuperior imperat patefacere crimen proximi, divinum vero, dum conſcientia ad ſimilem extimulat propalationem faciendam, ut vel corrigatur vel emendetur exceſſus; ſervatis nihilominus ſemper fraternæ correctionis conditionibus. Propter utilitatem poſſet manifeſtari peccatum proximi, dum ipſum panditur ei, qui fructum, non damnum, ſit illaturus, prævaricatori: *ſicut quando narrat homini, qui diligit & qui compatitur & habet voluntatem corrigendi illum.* Deinde ſanctus ad noſtrum concludens intentum, ait: *Quando vero non conſideratur neceſſitas nec utilitas, etiamſi ſit veritas, non excuſatur detrahendi libidine, imo peccato detractionis peccat, etiamſi verum dicat*; qui loquendi modus ne quem audienti ſcrupulum injicere poſſit, ſanctus immediate ſubjungit: *Ne quis mihi dicat; tunc detraho, quando falſa dico, ſi autem vera dico, minime, nam licet vera loquens maledixeris, & hoc eſt crimen.* Ita Phariſæus detraxit Publicano, non quia falſa de eo effutierit, erat namque publicanus vere talis, erat fex populi de genere illorum, qui apud Hebræos exoſi atque abominabiles, uſque ad fauces ſorditiei peccatorum immerſi ſqualebant; in quo igitur Phariſæus detraxit publicano? detraxit, quia quæ dixit, cum intentione diffamandi protulit. *Quoniam ipſum Phariſæus vituperavit*, inquit S. Chryſoſtomus, *abiit omnibus amiſſis.*

S. Bon. ibid. in ſpec.
Quando proximi defectus ſint propalandi.
S. Bon in c. 10. Eccleſ.
Chryſoſt. t. 1. ho 3. ad pop.

5. *Nolite detrahere.* S. Anſelmus inquit: *Detractio itaque eſt, quotieſcumque quis ea intentione de alio dicit, unde ipſe vel minus amari, ſive minus appretiari poſſit.* Idem quoque auctor aliam his verbis exprimit detractionis ſpeciem: *Detractio eſt, quando quis bona alterius deorſum trahit, id eſt, loquendo humiliat ea & premit, vel de ipſis bonis aliqua trahit, ut pauciora ſeu minora, quam ſunt, oſtendat, ea eſſe.* In quo ultimo caſu, non modo vitij hujus reatum incurrimus, ſed & ſimilem auſcultantes detractionem, ad proximorum, qui in diſcrimine verſatur, honorem atque exiſtimationem reparandam obligamur, conformiter ad dicta; in cujus aſſerti confirmationem, ad illud oculos mentis noſtræ convertamus, quod in Calvariæ monte duos inter latrones legimus accidiſſe. Teſte S. Luca, reprobus dumtaxat latro maledixit Chriſto, quod ut ſocius ejus inaudijt, publice reprehendit errorem, Chriſtique propugnavit innocentiam, dicens: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus: Hic vero nihil mali geſſit.* Idem omnino in præſenti nobis aſſerere licet, nimirum *in eadem damnatione ſunt*, ſcilicet qui detractionibus famam & honorem alterius diminuit, quique diminuentem audiens, & ipſe malitioſe famam reſarcire negligit. Notate S. Lucæ verba, ait enim: *Reſpondens autem alter, increpabat eum, dicens &c.* Ly *reſpondens* relationem habet ad interrogationem à malo latrone ad bonum factam; & nihilominus evangelium non docet, latronem reprobum alteri, præterquam Chriſto, locutum fuiſſe; cur igitur S. Lucas ait: *Reſpondens?* Voluit ni fallor, hoc loquendi modo nos edocere Evangeliſta; quod quando fratres noſtros diffamari audimus, noſtram hanc infamiam reputare, quod ad ſimilia irritati & provocati, proximorum defenſionem atque excuſationem in nos ſuſcipere debeamus, proximi cauſam reputantes propriam, præſertim quia *Sumus invicem membra; ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, pro invicem ſolicita ſunt membra*, experientia teſte, ſi quando una pars corporis offenditur, reliquæ confeſtim ſubveniunt, defendunt, adjuvantque partes.

S. Anſelm. l. de ſimil. cap. 149.
In 2. Cor. 12.
Proximorum famam tueri obligati ſumus.
Luca 23. 40.
Ibid. v. 40.
Ibid. 40.
1. Cor. 12. v. 26.

6. S. Thomas de Villa nova die quodam in anticamera audientiam præſtolans Caroli V. dum plurimis cinctus aulicis, aliquorum inaudiret murmurationes, zelo zelatus modeſte ſurrexit, ita affatus circumſtantes: *Vos principes obſecro; ut alia confabulari velitis, aut per vos hinc mihi liceat abire.* Moxque magiſter equitum tam raro virtutis exemplo commotus, ſubjunxiſſe fertur: *Hic vere religioſus eſt, qui ſui ubique ſimilis, virtutem nullo hominum timore audeat profiteri.* Idem auctor de quodam Ordinis fratrum Minorum Religioſo, cui nomen, Paſchalis Babylonius, factum exponit verbis ſequentibus, ſumme notandum: *Ne peſtilens detractionis aura, vel abſentium famam vel audientium conſcientiam afflaret, præſenti illico laude, veluti alexipharmaco, utebatur, neminem vituperari audivit, quem non ipſe laudaret, dictitans, hominem omnino nullum adeo perditis moribus inveniri, in quo nihil laudabile ſit.* Tradit idem de Franciſco Suarez, quod dum hic ab Archiepiſcopo Lisbonenſi invitatus ad prandium, quemdam è convivis murmurantem audiret, ſeverum in principio auſterumque monſtraverit vultum; quo non obſtante dum perſiſteret in incepto detractor, ſurrexerit, elataque voce ſic fuerit allocutus præſentes: *Aut iſte præcidendus eſt ſermo, aut bona cum venia hinc ego abeo. Defixit alios in Principis convivio magnorumque virorum corona, liberi, privati hominis denuntiatio; verum Archiepiſcopus Chriſtiana candidiſſimi atque ſapientiſſimi ſenis captus libertate, hominemque complexus macte, inquit, Franciſce, non alium ego amicum pervelim, qui abſentis amici famam adeo libere tuearis.*

P. Joan. Rhò hiſt. var. vi. l. 4. c. 3. §. 2.
Exempla.
Ibid. §. 5.
ibid.

7. S. Thomas vitij hujus definitioni differentiam, quæ ipſum inter & contumeliam verſatur, aſſignans ait. *Verbo dupliciter aliquem lædit uno modo in manifeſto, & hoc fit per contumeliam; alio modo occulte, & hoc fit per detractionem. Ex hoc autem quod aliquis manifeſte contra alium verba profert, videtur eum parvipendere, unde ex hoc ipſo dehonoratur, & ideo contumelia detrimentum affert honori ejus in quem profertur: ſed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quam parvipendere, unde non directe infert detrimentum honori, ſed famæ; in quantum hujuſmodi verba occulte proferens, quantum in ipſo eſt,*

Detractionem inter & contumeliam differentia.

*eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur.*

Bellu. ibid. diſt. 4.
Eccli. 28. 11.
Modi quibus fama proximi diminuitur.

8. A contumelia ad ſuſurrationem digredi placet, quam inter & detractionem Belluacenſis hoc ſtatuit diſcrimen: *Suſurro talia verba profert de proximo quæ poſſint contra ipſum commovere animum audientis*, juxta illud Eccleſiaſtici effatum: *Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Suſurro mala de proximo ſeminat, ut inter audientes & infamatum, zizania diſſentionum, odiorum & inimicitiarum fœcundet: *Detractor non intendit dicere de proximo niſi malum, unde ſcilicet poſſit proximus infamari, ſuſurro vero non ſimpliciter intendit malum dicere, ſed quidquid ſit illud, quod poſſit animum unius contra alium perturbare.* S. Anſelmus de eodem duplici hoc diſceptans vitio, ſequentem ſtatuit reſolutionem: *Suſurrones ſunt, qui in auribus alicujus loquuntur malum de alio, detractores autem, qui virtutes ab aliquo ſuis verbis detrahunt vel minuunt: ſuſurro quippe à ſono locutionis dicitur, quia non in facie alicujus, ſed in aure loquitur ſecrete derogando; detractio autem eſt, aliorum bene geſta opera, vel in malum vitiosè mutare, vel invidendo fallaci fraude diminuere; cum aut mala dicuntur, quæ bona ſunt; aut parva bona, quæ magna ſunt. Detrahere enim eſt, bona alterius deorſum trahere, id eſt, inclinare & premere, vel de ipſis bonis aliqua trahere, ut pauciora ſeu minora, quam ſunt, oſtendantur eſſe. Non appelleris ſuſurro*, admonet Eccleſiaſticus, *& lingua tua ne capiaris & confundaris*, quibus in verbis ille videtur indigitari detractor, qui clam ſuſurrat, qui clandeſtinis aures conſpurcat maledictionibus & defectuum alienorum recenſitione; unde quidam ſcribit interpres: *Suſurrare eſt furtim & ſubmiſſa voce loqui.*

S. Anſelm. ad Rom. 1. 30.
Eccli. 5. 16.

9. S. Bernardinus diverſos alios breviter inſinuat modos, quibus hoc vitium famam contaminat proximi, ſcilicet *falſa crimina imponendo, & hoc quandoque verbis communibus, quandoque verbis apertis, quandoque deriſionibus, quandoque nocturnis ſibilis, quandoque ſimulatis atque mutatis vocibus, quandoque nutibus & ſignis, quandoque libellis famoſis, quandoque cantilenis, quandoque literis & epiſtolis.*

S. Bern. to. 2. ſer. 29. ar. 2. cap. 7.

## DISCURSUS II.

### ARGUMENTUM.

De varijs ad dextre detrahendum, maledicorum inventionibus.

### THEMA.

*Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Pſalm. 49. ℣. 19.

Detractores doloſe agunt.
Pſ. 100. v. 7.
Hug Card.
S. Remig.
S. Tho. ibid.
Pſ. 49. v. 20.
S. Remig.

1. PRopheta regius, qui omnibus ex aula regali proſcriptis maledicis, gloriabatur: *Non habitabit in medio domus meæ ... qui loquitur iniqua*; præſentibus verbis in quemdam invehitur detractorem: *Os tuum abundavit malitia.* Hugo Cardinalis & S. Remigius interpretantur: *Abundavit detractione populi.* Quia vero murmuratores plerumque renuunt apparere tales, ideo mox ſubditur: *Lingua tua concinnabat dolos, id eſt, ornatis verbis*, inquit idem ſanctus, protuliſti dolum erga proximum. S. Thomas ait: *Ordinabat dolos, ut verba ejus eſſent placentia*, ecce vobis doli concinnandi motivum; unde proſequitur Pſalmiſta: *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris.* Mature idem Angelicus perpendit, fieri quandoque, ut quis ira aut impatientia prævalente, in verbum aliquod injurioſum prorumpat, *& hoc utcumque tolerabile eſt*, inquit, *ſed quando aliquis quieto corde non provocatus dicit mala, hoc iniquum & deteſtabile eſt, & ideo dicit, ſedens, id eſt, quietus.* S. Remigius idem interpretans verbum *ſedens*, inquit: *Immoratus eſt in deliberatione illa.* Non rari inveniuntur, quorum in hoc unice deſudat induſtria, ut actiones cenſurent aliorum & proximo pro viribus ſuis detrahant, quorum proinde multiplices praxes in præſenti enucleatius pandemus.

Pſ. 51. v. 4.
Compaſſionem fingunt.

2. *Lingua tua concinnabat dolos.* Idem Pſalmiſta alio in loco ad præſens intentum ſimilitudinem adducit novaculæ, capillos dextre abradentis: *Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua, ſicut novacula acuta feciſti dolum.* Notate verbum *cogitavit.* Toto die inveſtigat ſedulus, qualiter famam proximi lædere queat, aſt ſubtiliter; offendere geſtit, ſed innoteſcere nollet, ſe ſimile quidpiam ex paſſione operari; compaſſionem fingit coram illo, in cujus præſentia murmurare intendit. Ecce vobis aquam tepidam & ſmegma, quod ad capillos dextre ſuccidendos adhibetur. *Sedens*, inquit ſanctus Auguſtinus, *adverſus fratrem tuum detrahebas; & ipſum ſedens ad hoc pertinet, quod ſuperius dixit, amplexa eſt, qui enim ſtans aut tranſiens facit, non cum voluptate facit, qui vero ad hoc ſedet, quantum otium quærit, ut faciat. Sedens adverſus fratrum tuum detrahebas, ipſam detractionem malum diligenter faciebas, volebas ibi occupari.* Et idem ſanctus alio in loco eadem quaſi repetens, ait: *Oſtendere voluit, quod non tranſitorie detraxerit, nec ei ſurreptum ſit, ut male de proximo loqueretur, ſedens, id eſt, ex otio, quaſi ad hoc vacans, ut derogaret proximo ſuo.* Sanctus Bernardus aliam quamdam ſubtiliſſimam detractorum methodum indigitare ſatagit, dum ait: *Alij quodam ſimulatæ verecundiæ fuco, conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas permitti alta ſuſpiria, ſicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mæſto, demiſſis ſupercilijs & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto perſuaſibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde invito & magis condolentis affectu, quam malitioſe proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum ſatis, & numquam potui de hac re corrigere eum &c.*

S. Aug. in Pſ.
In append. de div. ſer. 13.
S. Bern. ſer. 24. in cant.
Virtutes narrant.
Dan. 2. 31.

3. *Concinnabat dolos.* Novam detractionis ſpeciem noverunt fabricare illi, qui ut proximo detrahant ſolidius, integram prius narrando ſternere non dubitant virtutum bonorumque operum ejus ſeriem, eo verumtamen fine, ut tandem epilogum terminent cum uno maledicto, *ſed*, ut eructandum malum tanto profundiores in corde audientis agat radices. Gygantea ſtatua, quam in ſomnis conſpexit Nabuchodonoſor, caput habebat aureum, pectus argenteum, corpus æneum, crura ferrea, pedes porro fictiles, quos ut exile contigit ſaxum, attrivit ſubito, excelſamque molem iſtam cum univerſis pretioſis adeo ſolidiſque metallis reduxit in pulverem. Ecce vobis vivum detractoris typum, qui proximo detracturus, eum auro coronat charitatis ardentis, argento ſpecialis decorat integritatis, invictæ munit ære conſtantiæ, varias agglomerans virtutes & præcellentias ejus, cujus famam immolare geſtit; aſt finem noſtis? ut tandem exili lapide maledicæ linguæ ſuæ ex fragili fictilium pedum baſi aliquem eliciat defectum aut fragilitatem quampiam occultam; quo ſtante & obtento, in totam impius deſævit molem, bonum calumnijs atterit nomen, omnemque ſanum de proximo abolet conceptum. Exploratores terræ ſanctæ poſt ſuum à legatione reditum, cum quid egiſſent, quid vidiſſent, relaturi eſſent, primo omnium loco, terræ fertilitatem atque abundantiam deprædicare cœperunt; nihilominus ut Iſraelitas ab ulteriori, eam invadendi molimine abſtraherent, inque deſperationem adigerent, ſubjunxere; habitatores terræ iſtius giganteis eminere ſtaturis, civitates fore inexpugnabiles, tantumque effecere, ut populus uniſono ferme voto reditum in Ægyptum concluſiſſet. Abulenſis in præſenti illam ſingulariter anatomizat ſacræ Scripturæ phraſim, qua dicta deſcribitur hiſtoria, dum dicitur: *Detraxerunt terræ, quam inſpexerant apud filios Iſrael*; myſterium notate, inquit Abulenſis; *Detrahere eſt minuere, cum aliquis partem famæ alterius tollit, ut ſi quis non poſſet totaliter famam alterius elidere, & conetur diminuere eam, dicitur detractor.* Ita exploratores dicti, terræ equidem fœcunditatem & abundantiam negare non poterant, nihilominus alia ex parte eidem detrahere allaborarunt; eodem prorſus modo maledici, virtutes & publica cenſurandorum bona opera negare non præſumunt, hujuſmodi laudant atque extollunt; aſt ſine perverſiſſimo, ſiquidem id totum agunt, ut majorem ſibi apud audientes concilient fidem; unde Sanctus Bernardinus inquit: *Solent venena occulte prædulcia propinari, Sic detractor ut fides ſibi adhibeatur, primo in aliquo commendat eum, cui detrahere cupit.* Et alibi de eadem tractans materia, ſpinæ applicat ſimilitudinem hiſce verbis: *Mollitiem habere ſolet ſpina in ortu ſuo, tamen dum creſcit, induratur & quandoque etiam venenoſe pungit. Sic etiam detractor quandoque in principio ungit, ſed demum pungendo, venenum detractionis in audientium mentes infundit.*

Num. 13. v. 33.
Abul. ibid. q. 40.
S. Bern. t. 2. ſerm. 29. a. 2. cap. 4.
To. 1. ſer. 23. a. 2. c. 1.

4. Conſiderabile quoddam hoc loco ſeſe inſinuat Sapientis dictum, dum per os Dei ita fatur: *Per me reges regnant & legum conditores juſta decernunt, per me principes imperant:* quibus omnibus immediate præmiſerat: *Os bilingue deteſtor.* Quæ obſecro Principes inter & murmuratricem duplicemve

Bilingues mel & fel habent.
Prov. 8. v. 16
Ibid. v. 13.



cemve linguam eſt connexio? Facilis eſt reſponſio, inquit Hugo Cardinalis, aulæ namque & palatia detractionum nidus ſunt & centrum: *Deteſtatur os bilingue quaſi monſtrum, quid enim monſtruoſius, quam habere duo ora vel duas linguas? Tales ſunt duplices & loquaces, qui partim Judaice partim azotice loquuntur, ut dicitur* 2. Eſdræ 13. *id eſt, modo ſæculariter, modo ſpiritualiter; modo detrahunt, modo adulantur; venenum ſimul & mel habentes ſub lingua*, venenum melle contegunt.

Hug. Card. ibid.
2. Eſdræ 13. v. 24.
Detract. defectus manifeſtant.

5. *Concinnabat dolos.* Apelles regem Græcorum Antigonum depicturus, vultum ejus propter quaſdam in ipſo prædominantes deformitates legitur operuiſſe; contrarium operantur detractores, qui occultos produnt aliorum defectus & peccata, propalantque coram univerſo mundo crimen, quod perſona aliqua conſpicua admiſerit in ſecreto, de quorum genio hunc in modum diſcurrit Sanctus Bernardinus: *Manifeſtant defectum proprium, ut honeſtius & ſecurius contra alium obloqui poſſint, & ſic ex nocendi cupiditate ſeipſos diffamare non curant, ut alterius famam denigrent ac diſcolorare queant.* Si cacabus igni applicatus fuerit, nemo eum ex parte illa, quæ ardori expoſita eſt, apprehendere præſumit, ſed ex altera, quam necdum contingit flamma; hic equidem naturalis eſt curſus, ſed prô dolor, longe diverſa in moralibus viget ratio, dum flammas & ardores tractare gaudemus criminum defectuumve alienorum, quibus proximus in juvenilis forte ætatis ardore indulſit; quas imperfectiones adoleſcentiæ alienæ concoxit calor, inſuper & virilis ætatis in pœnitentiæ incendio incineravit fervor, eaſdem intrepide & temerarie contingere non dubitamus.

S. Bern. ſer. 39. ibid. c. 4.
Bona opera interpretantur ſiniſtre.

6. *Concinnabat dolos.* Sanctus Bernardinus D. Chryſoſtomi inſiſtens veſtigijs, eorum indagat detractorum conditiones, qui bona proximi opera in ſiniſtram partem interpretantur: *De talibus excæcatis Chryſoſtomus ait*, inquit ille, *ſunt quidam homines perverſi ſimiles Phariſæis, qui de omni quod vident, malum judicant. Si quis vacat humilitati, hypocrita eſt; Si recreationi, guloſus; ſi patientiæ, timidus eſt; ſi juſtitiæ, impatiens eſt; ſi ſimplicitati, fatuus eſt; ſi prudentiæ, malitioſus eſt; ſi maturitati, phlegmaticus eſt ſeu phantaſticus; ſi jucunditati, diſſolutus eſt, ſi ſocietati, ſæcularis &c.* De qua peſſima generatione Eccleſiaſticus tractans, ait: *Bona in mala convertens inſidiatur, & in electis imponet maculam.* Virtuoſiſſimos perſtringit & taxat, opera illa dictitans defectus eſſe, quæ laudem atque imitationem merentur. Verſio Tigurina legit: *Et vitio dat laudabilia*, quæ verba Lyranus de vitio detractionis interpretatur.

Eccli. 11. 33.
Tigur. Lyran. ibid.
Matt. 4. v. 2.
Filij ſunt Diaboli.
Chryſoſt.
Joan. 8. v. 44

7. Teſte Sancto Matthæo Salvator *cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuryt; & accedens tentator &c.* Chriſtum convenit Satan non jejunantem, ſed fame laborantem. *O cæcitas diaboli*, exclamat Chryſoſtomus ab Hugone Cardinali citatus, *Poſt 40. dies ſenſit eſurientem, & 40. diebus jejunantem non intellexit; nam ſicut eſurire hominis eſt, ſic per 40. dies jejunare & non eſurire, hominis non eſt.* Detractoribus merito exprobrare poſſumus: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Plurimos in hac illave perſona vident actus bonos, ſumma dignos laude; & nihilominus maledici eos non modo non confitentur, ſed & inſuper obſcurare conantur, dictitantes hujuſmodi oriri ex hypocriſi & fictione. Si proximus diverſis præemineat virtutibus, ſi in ſecreto orationes, jejunia & ſimilia frequentet, & inſuper vel unico laboret defectu, eoque perexili; detractor omnes hujuſmodi occulti reticetque auſteritates, leviſſimi dumtaxat memor vitij, in eodem ſolitario & pœnitente obſervati; aut ſi quomodolibet operum bonorum mentionem ingerit, eadem ex ſiniſtra & maligna intentione proceſſiſſe aſtruit: *Bona in mala convertentes inſidiantur.* Jure meritiſſimo filij nuncupantur diaboli, & huic etenim in prima ejus condemnatione, dum in ſerpentem ſe transmutarat, dictum fuit: *Inſidiaberis calcaneo ejus.* Quapropter etiam idem malignorum invidorumque hominum genus Propheta regius indigitaſſe videtur, dum ait: *Ipſi calcaneum meum obſervabant.* Cur obſecro impij hanc ſpecialiter corporis partem obſervaſſe deſcribuntur? rationem mihi aſſignaſſe videtur Job, dum ait: *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.* Indagant detractores quoſcumque paſſus & greſſus noſtros, ut cenſurent, arguant, obmurmurent. *Calcaneus eſt inferior pars corporis*, inquit Belluacenſis, *& quæ ſæpius eſt in luto; & detractores non digniora, non meritorum & operum ſanctorum laudes conſiderant, ſed inſormiora & quæ defectuoſa videntur in homine, ut mordeant ad modum ſerpentis, cui dictum eſt, tu inſidiaberis calcaneo ejus.*

Gen. 3. v. 15.
Pſ. 55. v. 7.
Job. 14. v. 16
Vincent. Bellu. in ſpec. mor. t. 3. l. 3. diſt. 3.

8. *Concinnabant dolos.* Sanctus Bernardinus novam pandens detractorum malitiam, inquit: *Secunda detractio venenoſa replicatoria nuncupatur, hæc illorum eſt, qui ne os in detractione effrænent, aliquo rubore vel rationabili cauſa detinentur; ſed mox ut alij detrahere cœperint, ipſi quoque diabolici &c.* Quorum factiones Sanctus Bernardus his adumbravit verbis: *Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum ſatis; mihi quidem bene compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me numquam innotuiſſet, at quoniam per alterum patefacta res eſt, veritatem negare non poſſum, dolens dico, revera ita eſt.* Quando vero virtutis tanta eſt evidentia, ut negari non poſſit, ad aliud confugiunt medium; dicente eodem ſancto: *Si pauper es, detractor ſtatim te vilem & abjectum prædicat; ſi dives, ambitioſum, avarum & cupidum. Si affabilis, diſſolutum, ſi prædicator vel doctor, humani honoris & favoris quæſitorem; ſi tacens, inutilem; ſi jejunus, hipocritam; ſi comedens, voracem.* Contra quos proinde merito debacchatur Sanctus Bernardinus, dum exclamat: *Hoc nequam hominum genus auget culpam, minuit gloriam, dubia in deteriorem partem convertit, nulli parcit, errat in profundum, peccat in Deum atque cuncta bona opera depravat.* O horrendam malitiam! *Dubia in deteriorem partem convertit.*

S. Bern. t. 1. ſer. 23. a. 2. cap. 2.
S. Bern. ſer. 24. in cant.
Detractorum aliæ inventiones.
cit. ab Incogn. Pſ. 100.
S. Bern. t. 2. ſerm. 24. a. 2. cap. 3.

9. Solicite ſanctus Spiritus contra hoc nos vitium præmunire geſtit, dum ait: *Cuſtodite vos à murmuratione... & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit.* Arabicus legit: *Non juſtificabitur.* Vatablus: *Sermo clandeſtinus non abibit impune.* Hugo Cardinalis vertit: *Obſcurus, id eſt, dubius vel æquivocus, quo ſæpe utuntur detractores.* Ecce novam maledicorum aſtutiam; geſtibus, deriſionibus, motibus, ſimilibuſque alijs ſignis (omnibus tamen ſignificativis) proximo detrahere. E. C. eſt, qui optima intentione, de bonæ vitæ optimarumque qualitatum perſona laudabiliter diſcurrit, maledicus ergo aut ridet, aut caput movet, aut aliud quodcumque edit ſignum, quo denotet, ſibi longe conſtare diverſa à narratis; præmittit quandoque etiam detractioni aliqua excuſationis verba, quibus perſona diffamanda purgetur, ſe eidem compati aſtruit; ſed hoc ipſum, ut optime advertit Belluacenſis, eſt venenum occulere in veneno: *Similis eſt Antigono, de quo dicit Ægeſyppus in primo de cladibus Judæorum, quod aures avunculi ſui Hircani, dentibus corroſit, ne ſacerdotio fungeretur; & medicum ei miſit ſub ſpecie pietatis, qui in ejus auribus vulneratis venenum pro medicamento proditioſe infudit. Sic detractor proditor dicit ſe compati eis, quibus in auribus venenum detractionis infundit, cujus lingua plena eſt veneno mortifero.*

Item aliæ.
Sap. 1. v. 11.
Hug. Card. ibid.
Belluacenſis.

10. *Concinnabat dolos.* Legatorum regis David veſtimenta novimus ab ingratis, probroſe atque ignominioſe ſucciſa fuiſſe, *medias uſque ad nates.* Hæc ipſa eſt plurimorum maledicorum proprietas, ſodalibus pannos amputant uſque ad medietatem; aliquas de ijs recenſent virtutes & merita, ſed & vitium inſuper enarrant, quod ſe ſolo ipſos diffamare poteſt, quemadmodum unica atramenti ſtilla in limpidæ aquæ cyathum immiſſa, totam deſtruit claritatem; ita vel unicum peccatum occultum, de exemplari quadam perſona relatum, ſufficiens eſt ad denigrandam illius nominis & famæ integritatem. *Tales perverſores per Ammon figurantur*, inquit Sanctus Bernardinus, *qui nuncijs David barbas dimidias raſit atque illorum veſtes detruncavit uſque ad nates, David enim nuncijs, id eſt, quibuslibet viris juſtis, dimidiam barbam radit detractor, vel potius eradicat, ut verius loquar, dum virilitatis medietatem, id eſt, intentionis rectitudinem, detrahendo pervertit, cum dicit, bonum mala intentione factum; veſtes quoque detruncat uſque ad nates, cum in eis detegit, ſi quid fuerit pudibundum.*

2 Reg. 10. v. 4.
Unicum ſufficit vitium ad denigrandam famam totam.
S. Bernard.

11. David equidem in ſpelunca Odolla inimico ſuo Sauli pepercit, limbum nihilominus veſtis ejus ſuccidit, de quo facto poſtmodum ingemiſcens, *percuſſit cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis.* Cur indoluit obſecro? *omnia in figura contingebant.* Deſignabat David detractorem, qui proximo furtive amputat veſtimenta; id eſt, murmuratione ſecat leviter, exilem narrando proximi defectum, quod ſufficit, ut proximus boni nominis denudetur honeſtate. *Quid per Saul niſi rectores*, inquit Sanctus Grego-

Exiguum narrant defectum ut famam minuant.
1 Reg. 24. 6.

Gregorius, *quid per David niſi ſubditi ſignificantur? O quam in hoc ſimiles David; qui ſi verentur mittere manum in Chriſtum Domini, nec volunt occidere, libenter tamen oram chlamydis præcidunt; hoc eſt, honoris veſtem ſi non lacerant, diminuunt.*

## DISCURSUS III.
## ARGUMENTUM.

De detractionis univerſalitate, familiaritate & contagione.

### THEMA.

*Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes; ut quid perditio hæc? potuit enim iſtud venumdari multo & dari pauperibus.* Matth. 26. ℣. 8. 9.

Detractio commune eſt vitium. Joan. 8. v. 46

1. TAnta Salvatoris erat ſanctitas, ut veraciter aſſeruerit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & nihilominus Apoſtoli ſuum quodammodo objurgaturi magiſtrum, in præſentem non erubuere prorumpere murmurationem: *Ut quid perditio hæc?* quod factum malignitatem detegit detractionis, à qua vix ullus vivit exemptus, quæ ſuum virus in ipſos etiam exerit ſanctiſſimos, & perfectiores inficit animas, idque indeſinenter nulla loci temporis aut conditionis perſonarum habita ratione. Prima illa atque infallibilis veritas ſuis quidem proteſtabatur diſcipulis: *Opus bonum operata eſt in me*; Magdalenæ factum & obſequium laudabat, nihilominus Apoſtoli, Evangelio teſte, *indignati ſunt, dicentes; ut quid perditio hæc?* Propoſitionem audite veriſſimam Sancti Chryſoſtomi: *Ad condemnandum cæteros omne vitæ noſtræ tempus abſumimus, à quo vitio neque ſæculi hominem, neque monachum ullum facile invenias liberum.* Sanctus Thomas illam ſapientis (*cum detractoribus ne commiſcearis*) ponderans admonitionem, inquit: *Hoc ſpecialiter vitio periclitatur totum genus humanum*, ſanctus quoque Auguſtinus, qui totum vitæ ſuæ curſum ab hacce peſte protexit immunem, eidem ſubſcribit ſententiæ, inquiens: *Maxima pars generis humani, indiſcreto judicio ad reprehendendum prompta & parata eſſe probatur, cum tamen non ita ſe velit ab alijs judicari, quomodo vult alios judicare; propter hoc ſcriptura divina admonet, dicens: priusquam interroges, ne vituperes quemquam.* B. Laurentius Juſtinianus eadem peſſima zizania eradicare ſolicitus, inquit: *Grande profecto malum eſt, proximorum oblocutio, pernitioſum atque commune.* Sanctus Hieronymus, qui in vita ſua, maledicorum maledictionum quaſi ſcopus fuit, ſcribere non dubitat: *Tanta hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut etiam, qui procul ab alijs vitijs receſſerunt, in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidant.* Pauloque ante docuerat, pauciſſimos ab hoc vitio vivere exemptos, inquiens: *Rarum invenies, qui irreprehenſibilem vitam ſuam exhibere velit, ut is non reprehendat alienam.* Hancque ob cauſam Sanctus Chryſoſtomus eos, qui corpus mortificationis & pœnitentiæ freno torquentes, liberas linguæ in murmurationem laxant habenas, acerbe peritringit, inquiens: *Quæ utilitas cum avibus quidem & piſcibus abſtineamus, fratres vero comedamus & mordeamus? Detrahens, fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit.* Jejunabant, pane hordeaceo veſcebantur, famebant Apoſtoli, & nihilominus *indignati ſunt, dicentes &c.* *Conſuevit ſane hoc vitium*, inquit Sanctus Juſtinianus, *Etiam vigere in bonis, atque ſub zeli ſpecie jugiter captivare improvidos.* Imo teſte Salmerone, *Adeo frequens eſt hoc vitium etiam apud pios & religioſos, ut nomen quinti elementi, ſine quo vivi non poteſt, apud quosdam obtinuerit.*

Chryſ. t. 5. de comp. cord. l. 1. an. med. — Prov. 24. 21. — S. Tho. 2. 2 q. 73. a. 2. — S. Aug. ſer. 202. de temp. — B. Laur. Juſt. de vit. ſol. c. 4 — S. Hier. ad Cel. ep. 14. — Chryſ t. 1. h. 3. ad pop. — N B. — B. Juſtin. ib. — Salm. t. 16. diſp. 5.

Detract. in conſuetudinem venit.

2. Ipſa experientia magiſtra, vitium hoc nullo conſtringitur repagulo, omnes perrumpit aggeres, libere vagatur loca per omnia, nullus ipſum erubeſcit; quia vel zeli vel alieni exempli defenditur prætextu; *naturale ſiquidem eſt*, inquit Sanctus Anſelmus: *Ut, ſicut id quod à nullis fieri audio, facere formido, ſic etiam quod à pluribus vel à paucis fieri percipio, facilius præſumo; & quo plures eamdem rem feciſſe cognovero, eo minus eam facere dubito.* Maledici latrantibus aſſimilantur canibus, de quibus accommode Seneca moralis ad noſtrum diſcurrit intentum, inquiens: *Quibusdam canibus ſic innatum eſt, ut non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent.* Idem de maxima murmuratorum parte aſtruere licet, habitum induerunt detractionum, ita ut quodammodo abſtinere nequeant, murmurantes quandoque potius ex conſuetudine, quam ex malitia.

S. Anſel. l. de ſim. c. 149. — Sen de rem. fort.

3. Pſalmiſta poſtquam detractores ſepulchro aſſimilaſſet, inquiens: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant quorum os amaritudine & maledictione plenum eſt*, immediate ſubdit: *Qui devorant plebem meam, ſicut eſcam panis.* Quæ obſecro ſimilitudo eſt inter eum, qui alijs maledicit & *panem comedit.* Detractores & murmuratores hoc ſe impinguant veneno, inſtar ciconiarum, quæ viperis nutriuntur: tamque ipſis commune & familiare eſt murmurare, quam cuicumque homini manducare panem; nullus eſt cibus quotidiano familiarior pane, ad omnes epulas adhiberi ſolito; ita nec quidquam communius detractione: quicumque alij cibi, etiam ſapidiſſimi ſecundum ſe, tandem aliquando nauſeam creant, numquam panis, quia juxta communem medicinæ aphoriſmum, *omnis nauſeatio mala, panis autem peſſima*, ita quocumque alio pauliſper deficiente vitio, ſolus murmurationis pruritus pertinax perſiſtit uſque ad tumulum, multi in ætate maturiori jocis, convivijs, ſenſualitatibus renunciant, ſed non murmurationibus: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*; murmuratio individua eſt uſque ad ſepulchrum comes: quam ob cauſam à Sancto Jacobo dictum eſſe arbitror: *Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus & inflammat rotam nativitatis noſtræ.* Reliqua vitia unam dumtaxat inflammant humanæ vitæ partem; v. gr. caro florentiores juventutis annos, mundus virilitatem, quæ honores, dignitates, aliaque temporalia bona aucupatur; avaritiam ſenilis plerumque ſectatur ætas, aſt murmuratio & detractio originem ducit ab unguiculis, ſemperque accreſcit per totum vitæ noſtræ curſum: *Inflammat rotam nativitatis noſtræ*, qui enim huic deditus eſt vitio, omni tempore, loco & ætate labitur. *Detrahendi libido terminum non habet, numquam ſaturatur*, inquit Salvianus; illis forſitan conformiter Eccleſiaſtici verbis: *A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis; Sagitta infixa femori, ſic verbum in corde ſtulti.* Quæ ſimilitudo immenſum exprimit multorum pruritum, qui identidem, quæ de proximo mala inaudierunt, referre geſtiunt. Mulier prægnans gravibus oppreſſa doloribus contorquetur, uſque dum pariat; carnis ſagittam circumferens in latere, inquietus volvitur, donec eam excutiat; maledici pariter inquietudini ſubjacent, donec coram hominibus ejusdem genij, ſuæ evomant detractionis virus; occaſionem & ſodalitium indagant, circumeunt, inquietantur, cruciantur, uſque dum in lucem ediderint peſſimum diffamationis partum.

Pſ. 13. v. 3. — Quotidianus eſt panis. — Ibid. v. 4. — Manet uſque ad mortem. — Jac. 3. v. 6. — Salv. l. 3. de gub. — Eccli. 19. v. 11 — Similitudo.

3. Poſt Sancti Spiritus adventum, audientes videntesque Scribæ Phariſæi & reliqui omnes nimia Apoſtolorum prodigia & miracula, aliqui eos ebrios eſſe affirmarunt: *Alij autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti.* Notate circumſtantias; non modo malevoli ſobrios & abſtinentes infamant Apoſtolos, ſed & inſuper eos ludunt & irrident, quos Oecumenius non idiotas, ſed intelligentes fuiſſe autumat, inquiens: *Erant autem & nonnulli eorum, qui intelligebant, abjectiores fortaſſis, quod irridentes ea, quæ fiebant, ebrietatis eſſe dicerent.* Si ignorantes fuiſſent, nulla ſubeſſet ratio hujuſmodi loquendi modum ut quis admiraretur; ſed intelligentes, ſed ſcientes Spiritum Sanctum loqui Apoſtolis & per Apoſtolos, detrahere, non verecundantur. Nihil tamen horum obſtupeſco ego, quoniam qua malignitate miraculis detraxerant Chriſti, dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia, potator vini &c.* Cum eadem & Chriſti vituperabant ſequaces: *Niſi enim intelligerent rem ipſam, nequaquam ad ebrietatem calumniantes referrent. Verum dices; ſi ipſos loquentes intelligebant, quomodo irridere audebant? Sed malitia, quæ ex nimia pravitate eſt, à nullo alio quam à pravitate procedit, ut quoquo modo inveniat quo bonum præſens obturbet ac repellat. Quale etiam erat, quod Chriſto miracula edente, non poterant quidem ambigere circa vim & efficaciam ſignorum, ſed inſanientes rem Beelzebub adſcribant.* Noverant utique, vindemiæ non eſſe tempus & conſequenter nec muſtum reperiri; nihilominus maledicentiæ pruritus tam profundas in malignorum cordibus gerebat radices, ut nullam veritatis aut veriſimilitudinis rationem haberent. *Improbitas id unum quærit*, inquit Oecumenius, *ut quoquo modo aliquid dicat, non ut rationabile quidpiam dicat.*

Detractores irrationabilia proferunt. — Act. 2. v. 13. — Oecum. ibid.

Draconibus ſimiles. — Apoc. 12. v. 3 & 4.

4. Sanctus Joannes in Apocalypſi draconem à ſe viſum atteſtatur, inquiens: *Et ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptem & cornua decem,*



*& in capitibus ejus diademata ſeptem; & cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.* Per hunc draconem, juxta primi diſcurſus noſtri & Sancti Bernardini ſenſum, detractio intelligitur. Draco ſolo perimit flatu, pariter & detractor ſola maledici oris apertione, ſpiritualem, quandoque & corporalem cauſat mortem. Rufus erat Draco, ita & maledicus ab iraſcibili & vindicativo ſuo abripitur appetitu. Septem capita varias denotant detractionum ſpecies, ſeptem diademata univerſale in omnes populos regnum & dominium; cauſa ſua ſtellas firmamenti in terram dejicit, dum perfectiſſimis etiam inſidiatur & infeſtat, prout in ipſo Dei filio veraciter novimus contigiſſe, dum ejus ſequacium *quidam dicebant, quia bonus eſt; alij dicebant: non.* Item in Davide, quando lamentabatur: *Poſuerunt in cælum os ſuum, iniquitatem in excelſo locuti ſunt.* Ubi per cœlos etiam Apoſtoli intelligi poſſunt, juxta illud ejusdem vatis aſſertum: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Apoſtoli itaque vitam ducebant irreprehenſibilem, quibus cum quid objicerent impij, non invenirent, audite in quam tandem devoluti ſunt calumniam: *Quare diſcipuli tui transgrediuntur traditiones ſeniorum? non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant:* Malitioſi iſti uno eodemque tempore duos moliebantur infligere ictus; *quoniam*, verba ſunt S. Paſchaſij, *quidquid in diſcipulis reprehenditur, in calumniam magiſtri inſidioſè ab ipſis, qui ab Jeroſolymis advenerant Scribæ & Phariſæi, refertur.*

Perfectiſſimis inſidiantur. — Joan. 7. v. 12 — Pſ. 72. v. 9. v. 8. — Pſ. 18. v. 2. Chriſto, Apoſtolis. — Matth. 15. 2.

Joan. Bapt. — Luc. 7. v. 33.

5. S. Lucas quoque peſſimam eorum detractorum, quibus eadem de veritate & falſitate eſt ratio, deſcribens indolem, ait: *Venit Joannes Baptiſta neque manducans panem neque bibens vinum, & dicitis: dæmonium habet. Venit filius hominis, manducans & bibens; & dicitis: Ecce homo devorator & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum.* De ſuis quondam perſecutoribus conquerens David, inquiebat: *tota die exprobrabant mihi inimici mei.* Quod creditis hujuſcemodi extitiſſe murmurationis motivum? forſitan adulterium cum Bethſabæa, homicidium Uriæ, numerationē populi? Nequaquam: *quia cinerem tamquam panem manducabam & potum meum cum fletu miſcebam.* Quia purpuram cum cilicio & ſceptrum cum diſciplina commutaram, ideo omnes mihi improperabant inſultabantque adverſarij mei. Hanc uxor propria, regina Michol in Davidem, dum in proceſſione ante arcam ſaltaret honoris intuitu, contorſit ſagittam: *Quaſi ſi nudetur unus de ſcurris.* Neque enim ipſis parcitur conſanguineis: *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris*; quæ verba S. Thomas ſequenti doctiſſima illuſtrans gloſſa, ait: *Ex perſona ejus, contra quem loquitur, aggravatur peccatum, quia ſi loqueretur contra iniquum, ſecus eſſet; ſed dicit, adverſus fratrem tuum & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.*

Pſ. 101. v. 9. — David quoque conqueritur. — Ibid. v. 10. — 2. Reg. 6. 20. — Pſ. 49. v. 20. — S. Tho. ibid.

Non cenſurabunt alienos defectus qui proprios intuentur. — Job. 19. 22.

6. Job de ſuis acerbe conqueritur maledictoribus, ſed loquentis obſecro phraſim auſcultetis: *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini.* Deus omnino irreprehenſibilis eſt; & ab omni remotiſſimus culpæ nævo, nullius capax defectus; tales ſeſe reputant, quicumque malum ſpargunt de proximo, qui ſuos penitius introſpicerent defectus, non cenſurarent alienos. Sed & addit Propheta, eos alienis ſatiari carnibus: detractori namque proprium eſt, mordacitatis dentibus virtutes lacerare bonorum, perfectiorum opera & merita devorare, ut ſola appareant oſſa & ſepulchrum alicujus defectus & vitij: Elephas, juxta naturalium traditionem, quantumvis omnia reliqua animalia terreſtria, corporis ſui magnitudine & mole vincat, nihilominus tanto cujuscumque muris percellitur horrore, ut quidquid etiam à mure contactum fuerit, abominetur. Mus detractorem figurat; ille ex putredine naſcitur, viliſſimusque eſt: hic aliorum gaudet defectibus & peccatis; ille noctes diesque rodit, hic corroſioni reputationis alienæ numquam ſuperſedet.

Soli beati immunes à detract. — S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 3. ad 3

7. Quemcumque virtus, ſanctitas aut dignitas ſublimavit diſcrimini ſubjacet detractionis, cujus objectum eſt alienæ proſperitatis invidia, imò quæ juxta S. Thomæ doctrinam, invidiæ filia, *Nititur qualitercumque minuere gloriam proximi.* Soli cœleſtis gloriæ poſſeſſores omnem ſibi ab hoc vitio ſpondere poſſunt immunitatem. Unde David reliquas inter æternæ beatitudinis felicitates hanc à maledicis linguis exemptionem annumerare non dubitavit, inquiens: *Beatus vir, qui timet Dominum*; quare beatus? *In memoria æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit.* Quid opinamini, Prophetam hoc loquendi modo inferre voluiſſe? Lyranus noſtro ſuffragaturus intento, Davidem de beato Paradiſi incola locutum fuiſſe ſtatuit, per ly *auditione mala*, detractionem intelligens. Voluit itaque concludere Pſaltes, dictam à detractione immunitatem & elongationem beatos ſumme oblectaturam. Quam felicem cœlicolarum ſortem alius forte etiam indigitabat Propheta, qui dicebat: *A flagello linguæ abſconderis & non timebis.* Flagellum linguæ, citra controverſiam detractio eſt; ſicut enim Flagellum & virga viliſſimum eſt inſtrumentum, quo mancipia cæduntur, ita & lingua maledica vileſcit, cædit, infamiam affert. Sed eheu merito ingemuerim cum D. Chryſoſtomo: *Haud leve eſt, imo vero magnum, eum poſſe juvante Deo, hominem effugere, qui nihil boni umquam loquatur.*

Pſ. 111. v. 1. Ibid. v. 7. — Lyran. ibid. — Job. 5. v. 21. — Chryſoſ. ibid. in cat.

8. Tradit Vincentius Belluacenſis, quod in Carthagine, die quodam tribus ſimul prandentibus Epiſcopis cum multis alijs clericis, nuncius ſupervenerit mortem referens S. Ambroſij. *Cum quidam Epiſcopus audiens de factis B. Ambroſij, ei detrahere inciperet, quidam retulit ibi de morte D. Presbyteri; dictus autem Epiſcopus hoc audiens, ſimili vulnere percuſſus & ad lectum deportatus, ipſa nocte diem clauſit extremum.* Ecce vobis ſacrilegam detractionem, quæ in ipſos etiam ſanctos, inque cœlis glorificatos debacchatur, ſed non abſque rigoroſa divinæ juſtitiæ vindicta, ut cœleſte adimpleretur oraculum: *Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.*

Bellu. in ſpec. mor. t. 3. l. 3. diſt. 3. — Supplicium detractoris. — Pſ. 72. v. 9.

## DISCURSUS IV.
## ARGUMENTUM.

Detractio lædit atteritque charitatem, quæ culpas operit, non publicat.

### THEMA.

*Ante omnia autem, mutuam in vobismetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Petri 4. ℣. 8.

Detractor charitatem lædit.

1. SAnctus Petrus à Salvatore in fidelium electus magiſtrum ſuo functurus officio, eos admonet, ut ante omnia, mutuæ ſeu reciprocæ ſtudeant charitatis virtuti: *Ante omnia autem mutuam in vobismetipſis &c.* Certum autem hujus amoris indicium erit, ſi proximorum peccata & defectus ſtuduerimus operire, neutiquam revelare, hæc etenim charitatis eſt proprietas: *Quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Una circumſtantiarum, quæ detractionis vitium aggravat in infinitum, in eo volvitur cardine, quod ſcilicet detractor alienos exceſſus & defectus propalando atque aggravando, evidenter convincatur vale charitati dixiſſe, omnium Chriſtianarum virtutum fundamento, quaque deficiente, gratia expirat & amicitia Dei; ſiquidem juxta Apoſtoli teſtimonium, *detractores Deo odibiles.* Circa quæ verba Doctor Angelicus ſequentem format diſcurſum: *Ne putentur iſta peccata eſſe levia, quia ſolo ore committuntur, ſubdit: Deo odibiles, impugnant enim id maxime, quod Deus in hominibus amat, ſcilicet mutuum amorem.* Joan. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.*

Rom. 1. v. 30 — S. Thom. ibid. — Joan. 15. 12.

2. Dionyſius Carthuſianus in illius ſcripturæ (*cum detractoribus ne commiſcearis*) textus interpretatione, teſtimonium adducit S. Bernardi, Deo humiliter ſupplicantis: *Non veniat anima mea in conſilio detractorum quoniam Deus odit eos; nec mirum, quoniam vitium illud charitatem, quæ Deus eſt, acrius perſequi & impugnare cognoſcitur.* Ingenioſe S. Joannes Climacus ait: *Detractio eſt odij partus, ſubtilis morbus; craſſa tamen, ſed latens & occulta hirudo, quæ charitatis ſanguinem exhaurit & abſumit.*

Prov. 24. v. 21. — Dio. Card. ib. — Deum perſequitur. — Clim. gr. 10.

3. S. Jacob. Apoſtolus in primorum Chriſtianorum cordibus charitatem radicare geſtiens ſequenti utitur medio: *Nolite detrahere alterutrum fratres*; quibus verbis, juxta Lyrani ſententiam, Apoſtolus *Inducit ad dilectionem proximi, removendo dilectionis impedimenta. Dicit nolite detrahere, per quod infertur famæ detrimentum, & per hoc innuit oppoſitum, ſcilicet conſervationem bonæ famæ & ejus augmentum, quod eſt opus dilectionis proximi.* Unde S. Hieronymus hanc quaſi infallibilem ſtatuit regulam, quod omnis, qui proximorum defectibus recenſendis delectatur, charitatem deſeruerit proximi. *Grande vitium eſt*, inquit, *detrahere fratri, grande ſcelus manifeſtare peccatum fratris. Ego peccator ſum, ille peccator eſt, lætaris tu, an triſtis es? ſi lætaris, ergo in alterius ruina lætus es, ergo in fratris ruina exultas; ruina fratris tui debet eſſe timor tuus, non exultatio tua.* Quid vero ſi aliorum defectibus non modo audiendis,

Charitatem proximi deſerit. — Jac. 4. v. 11. — Lyran. ibid. — S. Hier. in Pſalm. 119.

audiendis, ſed & ipſi enarrandis oblectemur? *Si triſtis es*, proſequitur S. Hieronymus, *Quid circuis, quid alijs narras? ſi triſtis es, triſtitiam tuam Deus videat, non fratrum aures audiant.*

Detractio contraria charitati. *B. Laur. Juſtin. l. de vit. ſol. c. 4. Jac. 4. v. 11. Dion. Carth. ibid.*

4. *Quia charitas operit multitudinem peccatorum. Aliena prorſus à charitate detractio eſt*, inquit B. Laurentius Juſtinianus, *qui proximum ſicut ſeipſum diligit, detrahere neſcit, neque detractoribus libenter præſtat auditum.* Merito, inquit Dionyſius Carthuſianus, nobis S. Jacobus præcepit: *Nolite detrahere, cum hoc ſit contra charitatem atque juſtitiam, & ex ſuo genere peccatum valde mortale, multoque gravius furto; peccata namque in proximum tanto ſunt graviora, quanto majus nocumentum inferunt*; cui doctrinæ ſententiam ſubnectit S. Gregorij, dicentis: *ſicut contumelia oritur ex ira, ſic detractio ex odio.* Neſcio ſi umquam rationem obſervaveritis, quam S. Jacobus, dum detractionem inhibet, aſſignat: *Qui detrahit fratri aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi & judicat legem.* Detractor unicum dumtaxat transgreditur præceptum, qualiter ergo totius legis evangelicæ aſtruitur prævaricator? Ne fallamini fratres, reſpondet Apoſtolus, quoniam *plenitudo legis eſt dilectio. Qui diligit proximum, legem implevit. Diliges Dominum Deum tuum,...diliges proximum tuum...In his duobus mandatis univerſa lex pendet.* Detractor itaque charitatem conterens, omnium incurrit præceptorum reatum, ſiquidem charitas & detractio maximam inter ſe dicunt oppoſitionem, atteſtante S. Bernardo in hæc verba: *Omnis qui detrahit, primum quidem ſeipſum prodit vacuum charitate; deinde quid aliud detrahendo intendit, niſi ut is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipſis, apud quos detrahit. Ferit ergo charitatem in omnibus, qui ſe audiunt, lingua maledica, & quantum in ſe eſt, necat funditus & extinguit, non ſolum autem, ſed & in abſentibus univerſis, ad quos volans verbum forte per eos, qui præſentes ſunt, pervenire contigerit.* Præterquam quod, prout multiplex edocet praxis, perſona diffamata, detractionem intelligens, mortale ſoleat concipere odium contra detractorem aut calumniatorem ſuum, injuriam ulciſci vindictas machinari, amicos, cognatos, ſervos, omneſque alios in ſuum accerſere ſubſidium. *Vides*, inquit S. Bernardus, *quam facile & in brevi, ingentem multitudinem animarum, velociter currens ſermo tabe malitiæ hujus inficere poſſit.* Inque alio ſermone, cui titulus *de triplici cuſtodia manus, linguæ & cordis*, aſſerit: *Lingua maledica & illius percutiens conſcientiam & iſtius vulnerans charitatem, ſecum pariter utrumque perimit.*

*Jac. 4. v. 11.* Totam transgreditur legem. *Rom. 13. v. 8. & 10. Matth. 22. v. 37. 39. & 40. S. Bern. ſerm. 24. in Cant. Bernard. Ser. de tripl. cuſt.*

Chriſtus docet occultare proximorum peccata. *Joan. 4. 27. Joan. 18. v. 8 Matth. 11. v. 3. Ibid. v. 4.*

5. Salvator noſter omnes operationes ſuas ad noſtram ordinans eruditionem, in hac ſingulariſſime materia nobis notabilium poſt ſe reliquit exemplorum veſtigia, ut diſcamus maxima cum cautela de proximis ſermocinari, & non niſi urgente neceſſitate, eorum peccata manifeſtare. Peccatricem converſurus Samaritanam, omnes ſimul Apoſtolos, licet unus eorum ſuffeciſſet, in urbem miſit ad victui neceſſaria comparanda, ne coram ijs manifeſtare compelleretur mulierculæ flagitia. In horto Gethſemani quid convenientius videri poterat, quam ut eoſdem Apoſtolos in ſua conſervaſſet ſocietate, non ut ab auxiliatoribus haberet opem, ſed ut imitatoribus patientiæ, benignitatis, fortitudinis, inque tyrannorum perſecutionibus, quibus poſt magiſtri in cœlos aſcenſionem exponendi erant, conſtantiæ præberet exemplum; & nihilominus ubi vix armata ingruerat cohors, nihil adeo ſibi cordi duxit, quam ut ei præciperet: *Si me quæritis, ſinite hos abire*; Sciens namque eorum puſillanimitatem, qui *omnes relicto eo fugerunt*, anticipate ipſorum reputationi & honori conſulere intendebat. Similem in Joannis Baptiſtæ diſcipulos exercuit charitatis actum, miſerat hos magiſter ſanctus ad Chriſtum, ut in fide Meſſiæ confirmarentur: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Sapientiſſimus magiſter licet omnia per Iſaiam prædicta, in divinitatis ſuæ teſtimonium operaretur prodigia, nihilominus hoc ſolummodo ijs dedit reſponſum: *Euntes renunciate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis.* Non quod Salvator de præcurſoris fide, qui eum vel in utero materno adorarat, vel minimum dubitaret, ſed ut coram turbis, exilem iſtorum diſcipulorum, de Meſſiæ fide titubantium fidem occultaret. Itidem S. Joſephus virginem ſponſam ſuam, gravidam conſpiciens, neque originem rei geſtæ dignoſcens, tam ab omni ſuſpicione ſiniſtra, quam quocumque diffidentiæ verbo in conjugem ſuam, quantum creditis Deo præſtiterit obſequium? adeo cœlum in heroico iſto actu ſibi complacuit, ut Angelum Joſepho deſtinarit, qui ei prægnationis panderet myſterium, unde S. Hieronymus inquit: *Blandientis affectu ei per ſomnium Angelus loquitur, ut juſtitiam ſilentij comprobaret.* Angelus amoroſis verbis hoc gratiſſimum Deo commendavit ſilentium *blandientis affectu*; incomprehenſibile namque amoris & benevolentiæ divinæ lucrum conciliat alienæ occultatio imperfectionis. Non S. Annæ, non S. Joachimo Mariæ genitoribus quidquam conqueſtus eſt, ne per umbram quidem ſuas ijs imaginationes cogitatuſque revelavit, quia Dei amore flagrabat, qui *operit &c.*

*S. Hier. ibid.*

Doctrinam hanc ſecuti ſunt primi Chriſtiani. *Act. 5. v. 10. Act. 4. 32. Theod. Stud. epiſt. 117.*

6. Ananias vendito agro ſuo, prout actus Apoſtolici atteſtantur, ad pedes Apoſtolorum pretium detulit ex eodem collectum, verumtamen non integrum, exili aliqua ejuſdem ſibi retenta parte, voti paupertatis prævaricator effectus; interrogatuſque à S. Petro ſcelus negavit, à quo proinde acriter, ut decebat, reprehenſus, confeſtim eodem in loco cecidit mortuus, ſublatumque cadaver ſepulturæ mandatum fuit. Poſt trium horarum ſpatium, vocata acceſſit & conjux ejus, nomine Saphira, quæ de rei geſtæ ſerie pariter interrogata, mendax & ipſa mendacium confirmavit mariti; ideoque ut in ſupplicio infelix ſocia *confeſtim cecidit ante pedes ejus & expiravit.* Omnes in præſenti ſacri interpretes quærunt, qualiter fieri potuerit, ut nullus de Ananiæ morte, mortiſque cauſa ad conjugem devenerit nuncius, maxime in tanta hominum multitudine, charitatis viſceribus plena? Aſt vel ex hoc ipſo deducitur reſponſio: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Mortuo flagrabant amore juxta præceptum Chriſti, ideoque nullus non proximi honorem & famam reciproce ſibi cordi ducebat, ita ut nullus miſerabilem infamis transgreſſoris caſum recenſere præſumeret. Theodorum Studitam hac ſuper re diſcurrentem audire ne pigeat, maximè cum noſtrum ſolide his verbis ſuffulciat propoſitum: *Quin habeo chariſſimi, quod accuſem vos quoque; quid ita? ſcriptum eſt in actis Apoſtolorum: factum eſt, quaſi horarum trium ſpatium, & Saphira uxor ejus neſciebat, quid factum fuerat*; cujus hanc aſſignat rationem: *ſed erat circumſpectio, modeſtia, Dei reverentia*; Ex his certam inferamus conſequentiam: ſi Chriſtiani illi Saphiram informare non præſumpſerunt de hujuſmodi culpa, quam ipſa imitando pœnam ſibi certo certius accerſitura erat mariti; quanto circumſpectiores fuiſſe credendi ſunt in occultandis quibuſcumque alijs proximorum transgreſſionibus & defectibus?

*Exod. 37. v. 23.* Proximi peccata occultari debent charitatis auro. *Exod. 25. v. 38. Luca 12. 35. 1. Petr. 4. 8.*

7. Alias inter leges in tabernaculi fabrica à Moyſe obſervandas, juſſit ei Dominus, ut faceret *lucernas ſeptem cum emunctorijs ſuis, & vaſa ubi ea, quæ emuncta ſunt, extinguantur, de auro mundiſſimo*; quod idem præceptum in duobus libri Exodi capitibus latum reperio. Cur obſecro, divina illa majeſtas, quam *adorant dominationes, tremunt poteſtates*, regulas & decreta ferre voluit in præſcribendis tantæ vilitatis rebus, quales lucernarum ſunt emunctoria? quo ad ſenſum literalem faciliter reſpondetur; id ordinatum fuiſſe, ne emuncta per tabernaculum diſperſa, ipſum ſorditie & fœtore inficerent. Aſt cur aurum præſcriptum fuit puriſſimum? Ad myſterium convolemus oportet. Apoſtolicus quidam ſæculi noſtri prædicator aſtruit, fideles Eccleſiæ, præſertim autem ſacerdotes & prælatos Eccleſiaſticos lucernas eſſe debere, continuo ardentes & reſplendentes charitate atque exemplaritate vitæ, juxta illud Chriſti effatum: *Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Aſt quia noſtra in nobis prædominante fragilitate, peccatorum multoties producimus mucos, qui lucernas noſtras extinguunt & offuſcant; non vult autem Deus ut emuncta per terram diſſipentur, templumque conſpurcent; id eſt, prohibet peccata proximorum publicari, ſcandaloſe diffundi, opprobroſe divulgari, quid igitur? purgari hujuſmodi præcipit & puriſſimo charitatis auro occultari: *quia charitas operit multitudinem peccatorum.*

Deus ipſe in diem Judicij reſervat. *1. Cor. 4. 5.*

8. Deus ipſemet, prout S. conſiderat Petrus Damianus, nobis offenſus, culpas quidem noſtras in ſeveriſſima ponderat trutina, aſt ignominiam ſeverumque, quale merito infligere poterat coram univerſo mundo, ſupplicium abſcondit, noſque tolerat, ut, quantum eſt ex parte ejus, omnia in occulto lateant uſque ad extremum diem judicij, quando *illuminabit abſcondita tenebrarum.* Imo dum ad indulgentiam conſequendam, ſpontaneam noſtrorum ſcelerum exigit confeſſionem, hanc inviolabili pœnitentiæ Sacramentalis ſigillo munivit. Quanta igitur hæc eſt viliſſimi terræ

vermis



*S. Petr. Dam. ſerm. de S. Marc. Iſa. 7. v. 20. Oleaſt. ibid.*

vermis temeritas, Deo rebellem fieri, Deum oppugnare, divina infringere præcepta, proximorum defectus revelando, quos Deus uſque ad finale judicium vult deliteſcere occultos? *Numquid alicui miniſtrorum ſuorum, qui vindices ſunt iræ ejus, in hoc ipſum conſtituti, revelavit ignominiam tuam?* interrogat S. Petr. Dam.; *Ecce videt & tacet, videt nec manifeſtat, videt nec judicat, videt nec vindicat, videt, & videre diſſimulat.* Oleaſter ad noſtrum docte propoſitum applicat illam Iſaiæ prophetiam: *In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen ſunt.* Quibus verbis Deus populo ſuo ſupplicium minatur, ſed cur ſodes novaculam ſe adhibiturum ſpondet, quæ crines leniter ſuccidit? cur non potius vindicem intentat juſtitiæ ſuæ enſem aut cœleſtium ſagittarum ſeu fulminum rabiem? Reſpondet Oleaſter: *Vide, quanta ſit ejus in puniendo miſeratio, qui pilos reſecat & relinquit radices eorum, quibus renaſcantur; ſimiliter quam latenter puniat, non ſecuri, non lancea, non enſe neque pugione; ſed acuta novacula, ut & nos puniat, & famam conſervet.*

*Luc. 16. v. 19. & 20.* Peccata narrari poſſunt non peccator nominari. *Did. Stell. in loc. cit.*

9. Chriſtus in divite Epulone omnes alios tenaces divites in timorem conjecturus, omnia diſtincte narrat præter divitis infamis nomen, quod uſque modo latet. Nomen pauperis exprimitur, in Paradiſum tranſlatus aſtruitur & laudatur mendicus; divitis equidem vitam accurate deſcribit incarnata ſapientia, aſt quod ei nomen qualiſve perſona fuerit, non edicit. Aſt quid ei damni afferre poterat jactura famæ, qui æternum animæ detrimentum incurrerat? Ut ſcilicet nos diſceremus, nullius quantumcumque ſcandaloſi, & impij hominis nomen cum peccatorum publicatione, ſi hæc occulta fuerint, exprimere, ne quidem ex motivo timoris & metus alijs incutiendi. Si Chriſtus famæ pepercit inimici ſui, ſecundùm animam & corpus in inferno ſepulti, quanto magis nos proximi noſtri, qui ſe emendare ſanctuſque evadere poteſt, reputationem defendere, illæſamque ſervare oportet? *In quo docet*, inquit Didacus Stella, *ne, quotieſcumque vitia alicujus narramus, auctorem nominemus, ne aliqua infamia inde illi ſequatur.*

*S. Bern. ſer. de tripl. cuſt. ibid.* Lingua levis graviter quandoque vulnerat.

10. S. Bernardus vitium hoc ex noſtra potiſſimum ignorantia, qui gravia reputare amamus peccata levia, oriri conſiderans, ut ab enormi hoc nos errore liberet, ita diſcurrit: *Et dicimus, levis res, ſermo, tenera, mollis & exigua caro lingua hominis, quis ſapiens magni pendat? levis quidem res, ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat, leviter tranſit, ſed graviter urit; leviter penetrat animum, ſed non leviter exit, profertur leviter, ſed non leviter revocatur; facile volat atque ideo facile violat charitatem.* Deinde docet in eodem ſermone, quod detractio charitatem & in audiente, & multoties in ipſa etiam perſona diffamata interimat: *Annon & ipſe moritur, qui venenum bibit, quod ei maleſuada detractoris lingua propinat? ſiquidem furtim ei dilectionis vita ſubtrahitur, & dum neſcit, paulatim in eo fraterna charitas refrigeſcit. Auditurus eſt forſitan etiam ipſe, cui detrahitur, undique enim verba volant & multorum prius ora ſermo pertranſiens, difficile fieri poteſt, quin ſingulorum creverit linguis, & quaſi jam provectus referatur ad eum, ad cujus ſpectat offenſam.*

## DISCURSUS V.

## ARGUMENTUM.

Detractores Deo odibiles, Deum oderunt, ipſis pejores crucifixoribus Chriſti; omni ſunt exuti pietate, ipſis etiam hominibus abominationi.

### THEMA.

*Detractores Deo odibiles*, Rom. 1. v. 30.

Detract. pejores ſunt Chriſti crucifixoribus. *Cajet. S. Cypr. ep. 68. Joan. 19. v. 14. Marc. 15. v. 25.*

1. PEſſimum hoc vitium deteſtaturus Apoſtolus, ſumme efficaci uſus eſt ratione, dum ait, maledicos Deo exoſos, Deumque ijs exoſum eſſe. Cajetanus inquit: *Aliqui vertunt, Dei oſores*, S. Cyprianus ad perpetuam eorum ignominiam ſcribit: *Deo abhorrentes.* Quid ſi vobis probavero, non clavos, ſed linguas detractorias filium Dei affixiſſe patibulo? Teſte S. Joanne Evangeliſta, Pilatus mortis ſententiam hora ſexta tulit in Redemptorem: *Erat autem Paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta, ... tunc ergo tradidit illum, ut crucifigeretur*; aſt juxta S. Marci relationem, *erat hora tertia, & crucifixerunt eum.* Quæ hæc inter Evangeliſtas contradictio, utriuſq; calamum dirigente Spiritu Sancto? Difficultatis nodum ſolvit S. Auguſtinus; dum ait, Chriſtum hora tertia, de qua S. Marcus loquitur, morti traditum fuiſſe, mediantibus maledicis & detractricibus linguis, quibus Hebræi crucifixionem ejus expoſtulabant. *Cum hora tertia crucifixum Dominum Marcus enunciet, veriſſime indicat maxime fuiſſe Domini necatricem linguam Judæorum, quam militum manus.* Cui ſententiæ alia conſonat ejuſdem Doctoris, quam in ſeptimana ſancta in lectionibus matutinalibus legimus; etenim ſanctus Paſſioni Chriſti illum adaptans pſalmi verſiculum: *Acuerunt ut gladium linguas ſuas*; ita malignos interrogat Hebræos: *Unde occidiſtis? gladio linguæ, acuiſtis enim linguas veſtras.* S. Bernardinus infinitis propemodum recenſitis hujus vitij malis; tandem ipſam ita alloquitur detractionem: *Demumque Dei filium tu ſola in crucis patibulo affixiſti.* Idem ſanctus alio in loco S. Bernardi citat authoritatem, dicentis: *Admirabile verbum protulit, dicens: gladius triceps lingua detractoris, nec hujuſmodi linguam mucrone illo quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis, ipſis clavis & ſpinis nocentior eſt, quos ei vides infixos.* Cujus hanc aſſignat rationem: *Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus & membrum de membro, nec jam exanime fodit, ſed facit exanime, fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit, ſex etiam clavis ferreis, quos ſanctiſſimis manibus illis & pedibus, conſummatio judaicæ iniquitatis infixit.* S. Auguſtinus autem in illius Pſalmi commentario (*pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi*) aliam format conſiderationem eidem peraccommodam propoſito, inquiens: *Nec parum aliquid putari, debet, quia non ait; ut diligerent me, interficiebant me; Sed detrahebant mihi: ideo quippe interfecerunt, quia detraxerunt, negantes Dei filium & dicentes, quod in principe dæmoniorum ejicit dæmonia, & dæmonium habet & inſanit, quid eum auditis? & cætera talia; qua detractione ab illo avertebant eos, quorum converſionem ille quærebat.* Lubentiori animo ſuam Chriſtus ſuſtinuit crucifixionem, quam detractionem, vituperium & calumniam ſuam; hæc namque ſeducebant animas, pro quarum ſalute ſuum volebat profundere ſanguinem & vitam. Concludit itaque S. Auguſtinus: *Ideo potius hoc dixit, ut oſtenderet, magis eos nocere, qui Chriſto detrahunt & per hoc animas interficiunt? quam qui ejus mortalem carnem, mox præſertim reſurrecturam, ſæviendo peremerunt.*

*S. Auguſt. de conſ. Evang. c. 13. Pſ. 139. v. 4. S. Aug. ibid. S. Bern. t. 1. ſer. 23. art. 3. c. 3. S. Bern. t. 2. ſer. 29. art. 1. c. 3. S. Bern. ſer. de tripl. cuſtod. Pſ. 108. 4. S. Aug. ib.*

2. *Odibiles Deo.* Theophylactus illo nuncupat *odio Dei obnoxios, quo illos Deus proſequitur.* S. Thomas illum adducit è proverbijs textum: *Sex ſunt, quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus, ſcilicet qui ſeminat inter fratres diſcordias addit autem contumelioſos*, inquit Angelicus, *quia ſcilicet mala in faciem ingerunt.* Suppliciorum ſeveritas, quibus, ut ſuo loco dicemus, divina eos juſtitia plectit, evidenter probat & convincit, in quanta apud Deum ſint abominatione; econtra autem quicumque vitium detractionis capitali odio perſequuntur, tam Deo grati acceptique vivunt, ut filiorum Dei titulo condecorentur ab Apoſtolo, dum ait: *Omnia autem facite ſine murmurationibus, ... Ut ſitis ſine quærela & ſimplices filij Dei* ſine reprehenſione; ubi S. Chryſoſtomus ſubdit: *Ut ſitis inacceſabiles atque integri, irreprehenſibiles & ſinceri, non enim exiguam maculam affert murmuratio.* S. Hieron. quoque prædicta interpretans verba *Deo odibiles*, detractores idololatris comparare non dubitat, inquiens: *Nihil eſt tam odibile Deo, quam idololatria, cui per ſimilitudinem eradicandi pœna detractioni inſcripta conjungitur. Deo odibilis & idololatra*, inquit hic ſanctus, eamdem portant maculam, paganis annumerandi ſunt detractores, ſi namque idololatria debitum Deo cultum & honorem aufert, maledicus quoque eumdem proximo tollit; qui Dei imago & ſimilitudo eſt: *Ego dixi, dij eſtis & filij excelſi omnes.*

*Theoph. ibid. Prov. 6. v. 16. S. Thom.* Detract. Odit Deus. Vitium hoc abhorrentes Dei ſunt filij. *Phil. 2. v. 14. Ibid. v. 15. S. Chryſ. ibid. S. Hieron. ad Rom.* Detract. idololatris comparantur. *Pſ. 81. v. 6.*

3. *Deo odibiles.* Cardinalis Toletus ſcribit: *Unica vox eſt apud Græcos, ſunt homines irreligioſi, qui rerum divinarum ſunt contemptores, & quæ Dei ſunt averſantes.* Veriſſimam auſcultate S. Bernardini ſententiam: *Nihil tantum nocuit Eccleſiæ ab initio ſæculi, ſicut peſtifera conditio detractorum*; hi namque Dei, Eccleſiæ & timoris divini ſunt hoſtes & inimici. Leviticum pervolvite inveſtigantes, quanta cum ſolicitudine Deus præceperit, tamquam immundos declinari eos, qui ſeminis aut ſanguinis fluxui ſubjiciebant. *Omnia in figura contingebant. Quid eſt fluxum ſeminis aut fluxum pati ſanguinis*, inquit Rupertus Abbas, *niſi detractoris fluere verbis?* Ex cujus loci veritate manifeſte deducitur, detractores in omnium peccatorum ſentina & cloaca

*Card. Tol.* Dei & Eccleſiæ inimici. *S. Bern. t. 2. ſer. 29. art. 1. Levit. 15. v. 1. Rup. Abb. l. 2. in Levit. c. 28.*

S. Ant. t. 7. Bib. nova H. 3.
Levit. 22. 2.

cloaca ſqualere; fluxus namque ſanguinis numeroſam cujuſcumque exceſſus denotat congeriem, juxta illud: *Viri ſanguinum*. S. Antiochus *talium vitam contaminatiſſimam* appellat *atque impuram maxime*. In eodem Levitico Aaronis poſteritati præcipitur, ne victimas, prædicto fluxu infecti, ullatenus contingant: *Loquere ad Aaron & ad filios ejus, ut caveant ab his quæ conſecrata ſunt filiorum Iſraël, & non contaminent nomen ſanctificatorum mihi, quæ ipſi offerunt. Ego Dominus, dic ad eos & ad poſteros eorum: Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra, ad ea quæ conſecrata ſunt, ... in quo eſt immunditia, peribit coram Domino, ... homo de ſemine Aaron ... patiens fluxum ſeminis, non veſcetur de his, quæ ſanctificata ſunt mihi.* Ecce vobis miſerrimam peſſimorum vitioſorumque detractorum, à Deo; diviniſque gratijs & donis proſcriptorum conditionem; ideoque & dictus probat Rupertus, nullum flagitium divinæ pietatis fontes magis occludit & exſiccat, quam detractio. Per Iſaiam quondam Dominus Deus magnam legitur plurimorum bonorum promiſiſſe liberalitatem: *Erumpet quaſi mane lumen tuum & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam juſtitia tua & gloria Domini colliget te; tunc invocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ecce adſum.* Aſt qualem tantorum donorum collatio exigit conditionem? *Si deſieris extendere digitum & loqui, quod non prodeſt.* Septuaginta legunt: *Si abſtuleris à te colligationem & verbum murmurationis*, Soli igitur murmurationum & detractionum inimico talia promittuntur dona.

Iſa. 58. v. 8.
Ibid. v. 9.

Quare Michael Lucifero non maledixit.
Tit. 3. v. 2.

4. *Deo odibiles.* Tanta Deus vel ſolam detractionis vocem & nomen in abominatione habet, ut ipſemet Archangelus Michaël, quantumvis juſtiſſime Luciferum, tamquam Deo cœloque rebellem, maledicto ferire potuiſſet, prout Sanctus Judas Apoſtolus atteſtatur, neutiquam tamen os ſuum in ſimile verbum reſolvere præſumpſerit: *Cum Michael Archangelus cum diabolo altercaretur de corpore Moyſi, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* S. Hieronymus in illius Apoſtolici præcepti *Neminem blaſphemare* commentario, ad præſens diſcurrit inſtitutum, dicens: *Si ut ait Judas Apoſtolus, Michael non fuit auſus diabolo, certe maledictione digniſſimo, judicium inferre blaſphemiæ, quanto magis nos ab omni maledicto puri eſſe debemus?* Aſt rationem, obſecro, auſcultetis, cur S. Michael nullum indignationis protulerit verbum: *Merebatur diabolus maledictionem, ſed per os Archangeli, maledictum exire non debuit.* Moyſen quondam murmurationibus impetierunt Maria & Aaron; ideoque graviter indignatus Deus *quare non timuiſtis*, ait, *detrahere ſervo meo Moyſi, iratuſque contra eos, abijt; nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum.* Ecce vobis murmuratores à Deo deſertos, divina protectione deſtitutos, ne vel exile retinentes gratiæ veſtigium. Auſcultate Origenem: *Prius iratus Deus abijt & receſſit nubes, quam Maria repleatur lepra; ut oſtendatur, quia ſi eſt in aliquo gratia Spiritus ſancti, & obtrectat & detrahit, recedit ab eo poſt obtrectationem & lepra repletur anima ejus. Timeamus & nos, ne forte fugemus à nobis hanc nubem, male loquendo.* Chryſoſtomus idem perſtringens maledictum flagitium, memoratam & ipſe de Maria, fratri ſuo, homini ſancto detrahente, tragœdiam in medium adducit his verbis: *Hæc* (detractio) *cum Mariam Moyſis quoque ſororem attigiſſet veneno ſuo, leproſam eam confeſtim reddidit, ac viciſſim Domini iracundiam & furorem adverſus eam indixit. Hæc & univerſas domos ſubvertit & pacatas urbes ad bellum excitat; hæc & pulchræ pacis vincula diſſolvit & magna charitatis nodum infringit; hæc & à divinis mandatis ablactum hominem, legem tranſgredi docet, & à Dei amicitia avulſum procul à veritate detorquet.* Quiſquis vero à murmuratione & detractione alienus vivit; patrocinio; gratijs, amicitia & regno fruitur Dei. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Audite reſponſum: *Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos.* Quibus verbis clare deſcribitur lingua à dicto aliena & remota vitio.

S. Hier. ibid. Juda. v. 9.
Detractores Deum amittunt.
Num. 12. v. 8.
Ibid. v. 9.
Ibid. v. 10.
Orig. in Nu. Hom. 7.
S. Chryſ. in Pſ. 100.
Detract. effectus mali.
Pſ. 14. v. 1.
Ibid. v. 3.

Detract. Deo & hominibus abominabiles.
S. Ambr. ibid.

5. *Detractores Deo odibiles.* S. Ambroſius hunc explicans textum, novæ meminit veritatis; ſcilicet quod detractores non modo divinum, ſed & humanum ſibi duplicent odium: *Deo odibiles, quia nec hominibus placent.* Unde vates regius inverecunda quorumdam detractorum diffamatione provocatus, peſſima, ijs imprecari non dubitavit, dicens: *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore & operiantur ſicut diploide, confuſione ſua.* Quo modo loquendi docetur, infamiam in ipſos quoque redundare detractores. *Diplois* pallium indicat duplex; ſupplicabat igitur David, ut interius exteriuſque confunderentur; quemadmodum in hæc verba explanat Hugo Cardinalis: *Ex omni parte confundantur, non tenuiter, ſed intenſe; hoc eſt quod ſequitur: Et operiantur ſicut diploide confuſione ſua; ut dupliciter confundantur, ſcilicet coram Deo & hominibus.* Paulo ante dixerat: *Factus ſum opprobrium illis*, moxque ſubdit: *Qui inſurgunt in me, confundantur. Plene confundantur*, inquit S. Remigius *intus & foris, vel ante Deum & ante homines; & operiantur ſicut diploide, confuſione ſua; diplois eſt veſtis duplex, nullam partem habens inverſam, ubi notatur plenaria confuſio.* Rex Salomon, cui notiſſimum erat, quam hujuſmodi homines, præſertim in aulis, abominabiles eſſent, paucis plurima complectens, ait: *Abominatio hominum, detractor*; cujus univerſalis execrationis hanc auctor quidam aſſignat rationem; *Nec mirum ſane, quo enim modo poſſet quiſpiam bene de eo loqui ac ſentire, qui de omnibus loquitur male.* Aliam his verbis ejuſdem cauſam reddit Hugo Cardinalis: *Abominatio hominum eſt, quia aliena ſtercora ſemper in ore ſuo portat & fœdat omnes, quibus loquitur.*

Pſ. 168. v. 29.
S. Rem. ibid.
Prov. 24. v. 29.
Hug. Card. ib.

6. *Detractores Deo odibiles.* Belluacenſis inquit: *Odibilis eſt detractor, quia videlicet eſt fæculentus, plenus ſpurcitia; fraudulentus, plenus verſutia; virulentus, plenus nequitia, truculentus, plenus ſævitia. Detractor eſt fæculentus, id eſt, fæcibus plenus & immundus, quia ſcilicet in immunditijs converſatur, de immunditijs loquitur, immunditijs paſcitur aliorum.* Deinde aſſimilat eum volucri, quæ cantare neſcit, niſi immerſo in lutum roſtro: *Detractor ſimilis eſt avi Honocrotolo, qui neſcit cantare, niſi cum roſtrum tenet in luto, & tunc dat ſtridorem pro cantu; ſic detractor cum tenet os in lutum vitij alieni*; teſte Eccleſiaſtico, dum ait: *Suſurro coinquinabit animam ſuam, & in omnibus odietur, & qui cum eo manſerit, odioſus erit.* Murmuratorem declinemus oportet, ne & nos ſimili infecti peſte, omnibus reddamur exoſi. Ubi vulgata noſtra habet: *Ne forte accidat nobis peſtis*, alij legunt; pro *peſtis*, *lingua*, cui ſubſcribere videtur S. Hieronymus, dum pro eo, quo dicitur: *In cathedra peſtilentiæ non ſedit*, ipſe legit: *In cathedra deriſorum*; multi namque murmuratores dicteria ſua jocis, inſultibus & dicacibus epigrammatibus amicire aſſolent. Cornelius à Lapide inquit: *Suſurro & detractor primo inquinat animam ſuam culpa & vitio detractionis. Secundo in omnibus locis æque ac actibus odietur. 3. Non tantum ipſe, ſed etiam qui ſe illi ſociaverat, exoſus erit.* Verſio Tigurina legit: *Obtrectatur polluit animam ſuam, & quocumque commearit, odioſus erit.* Dionyſius quoque Carthuſianus vitij hujus enormitatem conſiderans, ipſos etiam, qui cum detractore converſantur, alijs exoſos fieri proteſtatur, dum ait: *Qui contraxerit cum ſuſurrone communionem & ſocietatem in vitio tali, odioſus erit ſicut ſuſurro, juxta illud Proverbiorum; amicus ſtultorum, ſimilis efficietur.* S. Auguſtinus vitium hoc ignominioſo & ipſe mactat titulo peſtis, dum exclamat: *O quam peſtis miſera & mortalis eſt ipſa murmuratio? O quam venenoſa? hæc enim eſt, quæ conventus Clericorum & civitates multas deſtruxit; & quia grande periculum eſt, inter murmuratores habitare, ideo expellendi ſunt tales, ne cæteri corrumpantur per eos.* Neque doctrina nuda contentus, ad executionem progreditur, inquiens: *O hypocrita cave, ne ad menſam meam pervenias, nam ibi antequam aliquid ſumas, lectio tibi primo legitur, quid enim primo in menſa mea deſcripſi? quid primo in ea habere vel audire deſidero? quid primo in ea ſervari præcipio, niſi quod:*

Beluac. l. 3. t. 3. diſt. 3.
Deſcriptio detractorum.
Converſatio eorum fugienda.
Eccli. 21. v. 31.
Exod. 5. v. 3.
Pſ. 1. v. 1.
S. Hieron. ib.
Cornel. à Lapide in Eccli. 21.
Tigur.
D. Carth.
Prov. 13. v. 20.
S. Aug. ſer. ad frat.
Murmuratio eſt peſtis.
NB.

*Quiſquis amat dictis abſentum rodere famam,*
*Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi.*

*Quopropter fratres, ſi quis murmurare deſiderat, non ſolum ad noſtram apoſtolicam congregationem, ſed nec ad menſam noſtram accedere præſumat.*

7. *Detractores Deo odibiles.* Quis dubitat, inquit B. Laurentius Juſtinianus, ſumme eos execrabiles eſſe, quandoquidem *nil pernicioſius detractore in collegijs juſtorum, diſſipat namque charitatem, diſſolvit unitatem, humilitatem fugat, pacem turbat, rixas paſcit, nutrit diſcordias, lites movet, odia generat & omnem dirimit ſanctitatem?* Inſigne ad omnium noſtrum eruditionem, hoc loco vobis propinare geſtio S. Chryſoſtomi documentum, ſequenti in diſcurſu unumquemque noſtrum paterne exhortantis: *Ne ergo maledixeris, ne teipſum polluas, nec lutum contexueris cum luto & lateribus; ſed coronas ex roſis & violis, & reliquis floribus connexueris; nec ſtercus ore tuleris, quemadmodum ſcarabæi (id faciunt enim, qui maledicunt) ut qui ipſi fœtorem primi ſentiant; ſed flores ſicut apes, favoſque ut illæ compoſuerint, ſiſque omnibus comis & affabilis. Omnes averſantur maledicum, ut eum qui lutum redoleat, ut hirudinem, quæ ſanguine, & ſcarabæum qui ſtercore, alienis malis aluntur.* S. Bonaventura noſtrum confirmaturus propoſitum, illum Pſalmi verſum (*adverſum me loquebantur*) enucleat ingenioſius, dicens: *Adverſa locutio eſt murmurantium oblocutoria mordificatio; & nota, quod loquentes murmuroſe, loquantur male, aſpere & temere: Male quidem propter malignitatem materialem, quia loquuntur de malo, aſpere autem propter aſperitatem formalem, quia non ſolum loquuntur de malo, ſed etiam malo modo, temere vero propter temeritatem finalem, quia non ſolum loquuntur de malo & malo modo, ſed etiam ſine malo.*

B. Laur. Juſt. de diſc. & perf. mon. conv. c. 22.
Detractores pernicioſi.
D. Chryſ. in Pſ. 49.
Doctrina.





Pſ. 68. v. 13.
S. Bonav. ib.

8. Murmurantis adverſum Moyſen Mariæ inſolentiam Deus lepra punivit: *Et ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix.* Quare vindex Deus hanc ſpecialiter ei infirmitatem inflixit præ quacumque alia? Doctiſſimus reſpondet Abulenſis: *Erat lepra immundiſſima omnium plagarum; cum propter eam repellerentur homines de conſortio aliorum.* Voluit igitur Dominus hoc ſupplicij genere demonſtrare, murmuratores converſatione hominum aliorum indignos eſſe.

Num. 12. v. 10.
Abul. q. 60.
Detract. ſequeſtrari debent.

## DISCURSUS VI.

## ARGUMENTUM.

De varia ſerpentes inter & detractores ſimilitudine.

### THEMA.

*Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Eccli. 10. v. 11.

Detractio pejor eſt veneno ſerpentum.
S. Bonav. in c. 1. ſap.
S. Hier. in Alcuin. ib.
Ennod. l. 1. ep. 5.
Sap. 1. v. 11.
S. Bonav. ib.
S. Bonav. c. 8. vita S. Franc.

1. HAnc adhibet ſimilitudinem Salomon, ut mortale doceat detractionis venenum, vel juxta D. Bonaventuram, *ut oſtendat magnitudinem culpæ detractionis.* S. Hieronymus *ſi mordeat &c.* inquit: *Id eſt, ſerpens & detractor æquales ſunt*, id quod & Alcuinus aſſerens; ſubjungit: *Quomodo enim ille occulte mordens, venenum inſerit, ſic iſte clam detrahens, virus pectoris ſui infundit in fratrem; & nihil habet à ſerpente minus.* Verba detractionis toxicum ſunt mortiferum, quo ea epitheto afficit Ennodius, inquiens: *Venenatæ oblocutiones obloquentium toxica.* Linguæ maledicæ virus, omni ſerpentino; quantumvis peſſimo, pejus eſt veneno; ſiquidem ſerpentes non perimunt ſemetipſos, detractor autem primo omnium æternam animæ ſuæ conciliat mortem; unde Doctor Seraphicus illud ſapientiæ monitum (*à detractione parcite linguæ*) ad præſens ſubtiliter placitum accommodat, inquiens: *Non dicitur; parcite proximo; ſed, linguæ, ſcilicet veſtræ; quia detrahens alteri, primo ſeipſum lædit; unde pejor eſt detractio ſerpentino veneno*; Idque Senecæ confirmat teſtimonio; dicentis: *Illud venenum quod ſerpentes in aliorum perniciem ferunt, ſine ſua continent malitia; ipſa detractio partem ſui veneni bibit.* Quantum, quamque extraordinarium adverſus linguas maledicas rigorem exercuerit Seraphicus, Sanctus Franciſcus, paucis exprelit S. Bonaventura, ex quibus veluti ex ungue leonem majora dignoſcere licet ac conjecturari. *Detractionis vitium*, inquit, *inimicum fonti pietatis & gratiæ, tamquam ſerpentium abhorrebat morſum.*

Quare Hebræi ſerpentum morſibus puniti fuerint.
S. Iſidor. l. 3. Orig. c. 4.
Jacob 3. v. 5.
Ibid. v. 6.

2. Ingrati Hebræi fœtentia ora ſua multoties in murmurationes reſolverunt contra Deum & Moyſen, ſervum ejus in deſerto; nihilominus juſtitia Dei vindex numquam eos, aut fulminum horrore, aut ſylveſtrium ferarum tyrannide, aut cœleſtis alimenti, quotidie depluentis, penuria, ſed ignitorum dumtaxat ſerpentium morſibus punivit. Myſterium quæritis, inquit Abulenſis? Voluit Deus, pœnam æqualiter proportionari culpæ; Hebræi contra Deum, murmurationis evomuerant venenum: ideoque à ſerpentibus percuti debebant, qui virus portant ſub lingua, quam ita deſcribit S. Iſidorus: Serpentina lingua *tenuiſſima, & triſulca, vibrans, atri coloris, &, ſi extrahas, prælonga.* Ecce vobis vivum maledicæ linguæ prototypon. *Tenuiſſima; lingua modicum quidem membrum eſt*, inquit S. Jacobus, *& magna exaltat.* Ignita, ſicuti & ſerpentina: *Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit; & lingua ignis eſt.* Vel unicum detractionis verbulum ſufficit ad excitandum incendium integrum: *Maculat totum corpus & inflammat rotam nativitatis noſtræ; inflammata à gehenna.* Eſt triſulca, dicente Eccleſiaſtico: *Suſurro & bilinguis maledictus, multos turbavit pacem habentes; lingua tertia multos commovit & diſperſit illos de gente in gentem.* Tertia nuncupatur propter tres, quos lingua detractoris infligit mortales ictus; primo per culpam mortiferam, conſcientiæ propriæ mortem infert, proximum infamat; cui detrahit; inque auſcultante bonam ut plurimum extingit opinionem & conceptum de perſona, contra quam murmurat. *Verba bilinguis quaſi ſimplicia*, inquit de detractore Sapiens, *& ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris.* Venenum eſt, cordis penetralia contingens. Pagninus legit: *Verba Suſurratoris ſunt, ut vulnera.* Verſio Syriaca pro eo, quod in noſtra dicitur (*Suſurro & bilinguis maledictus &c.*) legit: *Lingua triplex maledicta erit, quia homicidia multa injicit.* S. Bernardus in ſermone jam ſæpius citato, & hocce inquit propoſitum: *Numquid non vipera eſt iſta lingua? ferociſſima plane, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea eſt iſta lingua? profecto & acutiſſima, quæ tres penetrat ictu uno. Atri coloris*: Nigra eſt detractoris lingua, utpote quæ ſemper ferire & impetere gaudet metam albam, id eſt, aliorum candorem & innocentiam, idque obſcure & in occulto; hæc etenim contumeliam inter & detractionem eſt differentia, quod illa in faciem debacchetur infamati, hæc vero in abſentem deſæviat. *Tandem & ſi extrahas prælonga. Unus eſt detractor, qui loquitur* inquit S. Bernardus, *& unum tantum verbum profert; & tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium aures inficit, animas interficit. Velociter currens ſermo tabe malitiæ ſuæ inficit ingentem multitudinem.* Id quod & Pſalmiſta expreſſit, dum ait: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt*; quid ultra? *veloces pedes eorum.* Poſtarum inſtar, detractionis transferunt novitates.

Eccli. 28. v. 15.
Detract. lingua triplex.
Prov. 18. v. 8.
Pagn.
Eccli. 28. v. 15.
Syriac.
S. Bern. ſer. de trip. cuſt.
S. Bern. ſer. 24. in Cant.
Pſ. 13. v. 3.

3. *Si mordeat ſerpens.* Quod ex Abulenſi in §. 2. attigimus myſterium, circa Hebræorum murmurantium & ſerpentinis morſibus peremptorum necem, idem & S. Bernardus contemplatur, inquiens: *Quare à ſerpentibus perierunt?* ſibique ipſi reſpondet: *Niſi quia ſerpens venenoſus eſt; & omnis qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua?* quam doctrinam, S. Jacobi confirmat authoritate, inquientis: *Lingua ... inquietum malum, plena veneno mortifero.* Ferientis virus ſerpentis maſſam inficiendo ſanguineam, totum contaminat corpus, ſeque per omnes diffundit partes; ſecus vero gladius unam dumtaxat ferit offenditque corporis partem. Serpentem æmulatur detractio, *inflammans rotam nativitatis noſtræ*; & licet maledicus quandoque famam offuſcet; proximi quo ad unam virtutem unicum dumtaxat publicando vitium; hoc tamen ipſum multoties ſufficiet ad bonum ejus nomen & famam totaliter abolendam; ut proinde non immerito dixerit S. Jac. Apoſt. *Offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Quid de inſanabili hujus veneni effectu S. Bernardin. cenſuerit, abunde inſinuat, dum ait: *Hæc eſt illa tertia maledicta lingua, de qua Eccleſiaſticus ait: Lingua tertia ſcilicet detractorum, quæ tertia nuncupatur multos commovet; ſcilicet ad credulitatem malorum auditorũ, & diſperſit illos de gente in gentem, civitates muratas divitũ deſtruxit & domos magnatorũ effodit, virtutes populorum ſcilicet ei credentium concidit, ſcilicet vinculum charitatis ſolvendo. Qui bene conſiderat omnia mundi ſcelera, omnes iniquitates ex tertia lingua originem habent.* Eidem accinit S. Chryſoſtomus, dum ait: *Quodnam mali genus eſt, quod non à detractione oriatur? ex ea odia pullulant; ex ea diſſidia ortum trahunt, ſuſpiciones malæ hinc procreantur, quæ innumeris malis cauſam præbent. Odium ab ea tamquam à fonte manat ac denique quæcumque mala quiſquam cogitatione complecti poſſit, omnia ea à detractione proficiſci reperiet; novit quippe detractio; poſtea quam hominem furore perfudit atque occidit, funeſtum etiam eum ac ſanguinarium, adverſus proximum reddere; novit etiam exacerbatum à fraterna communione avertere; atque eum, qui paulo ante amicus erat, ſine ulla cauſa hoſtem reddere.*

S. Bern. ſer. 47. de mod. bene viv.
Detract. venenum Diaboli habet in lingua.
Jacob. 3. v. 8.
Ibid. v. 6.
Jacob. 2. v. 10.
S. Bern. tom. 2. ſer. 29. à 3. cap. 3.
Eccli. 28. v. 16. 17. 18.
A detractione omnia ſcelera.

4. *Si mordeat ſerpens in ſilentio.* Serpenti proprium eſt, mordere ſilenter & abſque ſtrepitu. *Detractor ſimilis eſt ſerpenti*, inquit Belluacenſis, *qui inſidiatur in ſemita, corpus in herba vel arena occultans.* Dum quis minime præſumit, ictum infligit detractor; ideoque *bene merito aſſimilatur ſerpenti*, verba ſunt S. Bernardini, *ſerpens enim primo proditioſum animal eſt; ſecundo in ſilentio mordet.* Traditorem appellat, quia non in faciem,

Bell. in ſpec. mor. t. 3. l. 3. diſt. 3.
Detract. mordent ſilenter.
S. Bern. ib. art. 1. c. 1.

Traditoribus ſimiles.

ciem, non in præſentia illius murmurat, cui detrahit, ſed abſentem perſtringit, dum exiſtimat ſibique perſuadet, ſe à perſona diffamata minime audiendum, mediate aut immediate: *Proditor eſt, eo quod illos mordet retro, quos, dum ſunt præſentes, ſimulat ſe amare. Unde*

*Pſ. 108. v. 4.*

*Pſalm. pro eo, ut me diligerent, id eſt diligere, ſed demonſtrarent, detrahebant mihi. Silentio detrahit, quia tunc id agit, quando ſilentio & taciturnitate confidit.* Hugo

*Hug. Card. in Eccleſiaſticum.*

autem Cardinalis ait: *In ſilentio, non in occulto dixit; quia ſicut ſerpens tumultu & verbis hominum deterretur, ſic detractor ubi non credit ſe audiri; ubi de ſilentio ſuæ detractionis non confidit, omnino mordere non audet.* Inimicum quiſque devitat, aſt quæ prudentia vel cautela à traditoribus ſe poterit eximere? traditor autem eſt omnis maledicus; inimicorum oblocutionibus fidem diminuit vindictæ, odij aut alterius paſſionis ſuſpicio: Secus vero quando amicus ſuo detrahit ſodali, præſertim ſi detractor occultus eſt, ideoque lamenta-

*Pſ. 54. v. 13.*

batur David: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.*

Alia ſimilitudo Detract. inter & ſerpentes.

*S. Bern. ib.*

5. *Si mordeat &c.* Quemadmodum ſerpenti proprium eſt gradi reptando, ita & murmuratoribus occultis, dicente S. Bernardino: *Tortuoſe incedit, cum à laude illius exordium ſumit, cui detrahere cupit, tandemque ſubnectit, tamen quæ eſt conjunctio attenuativa; vel: Sed, quæ eſt conjunctio adverſativa; ac rectitudinem ſuæ intentionis imprimit, dicens: Non dico hoc, animo detrahendi Deus eſt mihi teſtis. Hi ſunt ſerpentes, de quibus dici-*

*Jerem. 8. v. 17.*

*tur: Ecce ego mittam vobis ſerpentes peſſimos, quibus non eſt incantatio, quia detractionibus aſſueti; difficile corriguntur per verbum Dei.* Idem quoque artificium diſcooperuit Belluacenſis, dum probat, detractores mirabilibus uti gyris, ne maligni & maledici eſſe dignoſcantur, primo perſonæ illius, cujus detractionem moliuntur, ſe ſimulant amicos, negant ſe quidquam de ea dicturos mali, ut ſcilicet majori cum vehementia & malitia, ſuum audientium cordibus infundant imprimant-

*Pſ. 139. v. 4.*

que virus. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis; ſub facie virginea venenum malæ ſuaſionis infudit,* inquit ille, *ſic detractor primo faciem virgineam bonæ intentionis oſtendit & pura dicere aſſerit; quod detrahendo dicit.*

*Pſ. 100. v. 4.*
*S. Chryſoſt. ibid.*

S. Chryſoſtomus illum Pſalmi verſiculum (*detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar*) eos indigitare autumat, qui quidem ſimulant ſe confidenter in ſecreto hæc illave dicere, ſed peſſimo ebrij veneno, dicta ſua propalari deſiderant. *Ut autem intelligas charisſime, quemadmodum detractio nihil veri operetur, attende etiam ad ipſam nominis appellationem, atque ex hoc dicto, quod ſequitur, rem diſtingue. Detractio enim accuſationis magiſtra eſt; vox autem hæc ſecreto, rei timiditatem atque mendacium indicat; nam ſi verum eſſet, quod objicitur in faciem objurgare operæ pretium eſſet, ac libera & aperta oratione pacem ſancire. Sin autem clam id facis, procul dubio falſum crimen intendis; ut qui improbam ſuſpicionem adverſus proximum confles, nec ea, quæ abs te objiciuntur; probare valeas.* Tandemque concludit ſanctus, latronum, furum & mendacium inſtar reputandos eſſe detractores. *Quocirca optimum factu eſt, detractorem tamquam mendacem & furem perſequi, ne alioqui pacatum animum perturbantes, bellacem eum adverſus proximum per detractionem efficiamus.* S. Antonius de Padua illum conſiderans Jeremiæ textum:

*Jerem. 9. v. 3.*
*S. Anton. de Pad. in Dom. 16. Trin.*

*Extenderunt linguam ſuam ſicut arcum mendacij, & non veritatis, nota,* inquit, *quod dicit; extenderunt. Dicitur in naturalibus, quod ſerpens ex aſtutia extendit linguam, in quo habet duo additamenta. Primo mordet dente, deinde vulnere facto, illa duo additamenta infigit, & tunc defluit quædam veneni humiditas in vulnus, & ſic invenenat hominem. Serpens dictus eſt eo, quod ſerpit, detractorem ſignificat, qui in occulto ſubmurmurat; in hujus lingua ſunt duo additamenta, aut enim de eo, quem non diligit, male prædicat, aut ſi timet, quod ei non credatur, ironice laudat. Bonus eſt, inquit, ſi tali vitio careat, dum mordet vitam lingua detractionis, venenum confundit per verſæ mentis.*

*Hug. Card. ibid.*
Detractor fugiendus.

6. *Si mordeat ſerpens.* Hugo Cardinalis hoc titulo ſerpentino, per Spiritum Sanctum detractores affectos fuiſſe autumat, ut ita eos, ſicuti à facie ſerpentis fugimus, declinandos eſſe noviſſemus. *Ideo autem vocat detractorem, ſerpentem Salomon, ut horrori ſit ejus convictus, & verba ejus quaſi ſerpentinus ſibilus horreantur.* Optimum proinde nobis conſilium dat S. Bernardus, inquiens: *Separa aures tuas à detrahentibus quaſi à ſerpentibus; fuge detrahentes quaſi ſerpentes, infundunt venenum mortiferum in auribus ſe audientium.*

*Pſ. 100. v. 23.*
Doctrina.

7. Gloriabatur quondam David: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ, non proponebam ante oculos meos rem injuſtam,* & nihilominus quis neſcit; aulas plerumque omnis malitiæ receptacula eſſe? qualiter igitur in tanta regia ſuam David tutatus eſt conſtanter innocentiam & bonitatem? audite

*Pſ. 100. v. 7.*

rationem: *Non habitabit in medio domus meæ, ... qui loquitur iniqua, detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar. Doctrinam pulchram hinc diſcamus,* in-

*S. Chryſ. ib.*
*Alb. Magn. ib.*

quit S. Chryſoſtomus, *nempe ut non modo nemini detrahamus, ſed ne detractioni quidem aurem præbeamus.* Albert. Magn. inquit: *Si talem perſequebatur, qui detrahit in ſecreto, multo fortius in aperto detrahentem. Hunc perſequebar tamquam venenoſum ſerpentem.* Serpens non modo in ſe continet venenum, ſed & ipſum in alios transfundit cum lethali effectu; ita & detractor.

*Rom. 1. 30.*
*S. Bonav. t. 7. in ſpec. an. cap. 1.*

Sanctus Bonaventura illa Apoſtoli conſiderans verba: *Detractores Deo odibiles;* dicit quod Apoſtolus, *dignos morte judicat non ſolum facientes; ſed & conſentientes.* Qui maledicis aures præbent & maledicentiæ venenum ultro imbibunt, eoſque fovent, imo quandoque & extimulant; eodem contaminantur ſcelere, juxta tritam illam regulam: *Agentes & conſentientes pari pœna puniuntur.* Limitat nihilominus doctrinam idem Seraphicus Doctor, inquiens: *Tamen circa hoc debemus dicere, quod ſi aliquis detractionem alterius audiat, & non ex invidia, ſed ex verecundia vel aliquo timore humano, ne offendat aliquem non eſt judicandum mortale niſi ſit talis perſona quæ ex officio corrigere debeat, cui poſſet cedere in mortale.* Tradit Caſſianus, ſanctum quemdam ſenem, iſtarum ſolitudinum incolam, nomine Macherem, *hanc à Domino gratiam diuturnis pre-*

*Caſſ. l. inſt. c. 29.*

*cibus impetraſſe; ut quotquot diebus ac noctibus agitaretur collatio ſpiritualis, numquam ſomni torpore penitus laxaretur, ſi quis vero detractionis verbum tentaſſet inferre, in ſomnum protinus concidebat, & ſic ne quidem uſque ad aurium ejus pollutionem, virus obloquij poterat pervenire.*

Detract. Ciconijs ſimiles.

8. Ciconijs proprium eſt nutriri ſerpentibus, hoc illis naturaliter competit, inquit Hugo Cardinalis, quod non pauci peſſimæ naturæ homines ſibi appropriant moraliter, dum proximorum paſcuntur detra-

*Hug. Card. in cap. 6. Prov.*

ctionibus & maledictis; *Detractor eſt ciconia, quæ ſolis ſerpentibus ſatiatur.* S. Antonius Patavinus illum

*Iſa. 34. v. 13.*
*S. Ant. Pat. ſer. 2. in Dom. 1. Quad.*
*Deut. 32. v. 33.*

Iſaiæ textum: *Et erit cubile draconum* ad ſuum pariter & noſtrum applicans propoſitum, ait: *In dracone notatur odij & detractionis venenoſa malitia. Deut. 23. Fel draconum vinum eorum, id eſt, odium & detractio peccatorum, quæ mentes inebriat & intoxicat audientium. Eſt fel draconum & eſt venenum aſpidum inſanabile, unde Eccl. 10. Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.*

9. *Si mordeat ſerpens &c.* Septuaginta legunt: *Si momorderit ſerpens in non ſuſurro, & non eſt amplius*

Famæ reſtitutio neceſſaria.

*incantans*: q. d. nullum eſt poſt morſum remedium, quantumcumque enim ſerpens poſt veneni impreſſionem incantetur, nihil prodeſt percuſſo, niſi alterius remedij fiat applicatio efficax; ita etiam poſt completam alienæ famæ diffamationem, clamate, vociferamini, corrigite detractorem, quantumcumque libuerit; actum agitis, niſi ipſe famam reſtituat, id quod, ut ſuo loco videbimus, admodum difficile eſt.

## DISCURSUS VII.

### ARGUMENTUM.

Maledicis multæ competunt proprietates animalium venenatorum, crudelium, deformium, immundorum.

### THEMA.

*Dentes beſtiarum immittam in eos.* Deut. 32. v. 24.

Detractores omnibus feris crudeliores.

1. Reliqua inter divinæ juſtitiæ ſupplicia, generi humano propter exceſſus intentata, maxime illud crudele recenſetur, quod eſt à mordacibus detractorum, tam per ſcripturam, quam Doctores ſacros, in varijs venenatis, feris & immanibus beſtijs figuratorum, dentibus lacerari & diſcerpi. Incognitus enim per

*Incog. in Pſ. 100.*

*dentes beſtiarum*, dentes intelligit *detrahentium*, cui ſententiæ dum commune ſubſcribit Doctorum placitum, ſupervacaneum duxerim, aliorum texere interpretum ſeriem S. Bernardinus Caſſiodori adducit te-

*S. Bern. t. 1. ſer. 23. à 2.*
*Caſſio. in Pſ. 3.*
*Pſ. 56. v. 5.*

ſtimonium aſſerentis: *Dentes dicti ſunt à demendo ideo pulchre linguæ detrahentium, dentes vocantur, quia ſicut illi ciborum partes demunt, ita & iſti opiniones hominum corrodunt. Pſal. 56. Dentes eorum & ſagittæ, lingua eorum gladius acutus detrahebant mihi.* Idem ſanctus ad ſimile propoſitum, illum adducit Jeremiæ textum:



*Jerem. 6. v. 23.*
*S. Bern. t. 2. ſer. 29. a. 1. c. 3.*

textum: *Crudelis eſt, & non miſerebitur,* quem locum de maledico, omnibus pejore beſtijs, intelligendum autumat inquiens: *Crudelior feris merito comprobatur; leo leoni parcit, lupus lupum non comedit, & quaſi omnes feræ crudeles alijs feris ſui generis parcunt, ſolus detractor ſibi ſimiles ſatagit devorare,* juxta illud S. Hieronymi teſtimonium: *Lingua detractoris beſtias ferocitate, volucres velocitate & ſerpentes virulentia præcellit.* Idem S. Bernardinus de præſenti tractans vitio in alio ſermone, illam inſerit Apocalypſeos viſionem, in hæc verba relatam: *Vidi equos in viſione, & qui ſedebant*

*Apoc. 9. v. 17.*

*ſuper eos, habebant loricas igneas & hyacinthinas & ſulphureas, & capita equorum, erant tamquam capita; & de ore eorum procedit ignis: Ex quibus ſacratiſſimis,* inquit ſanctus, *circa detractores triplex myſterium de-*

*T. 1. ſer. 23.*

*ſignatur; in primo oſtenduntur eorum venenoſa corda, in ſecundo eorum venenoſa verba, in tertio eorum venenoſa opera.* Non ſoli itaque ſerpenti, prout præcedens edocuit diſcurſus, ſed & alijs venenatis animantibus

*Pſ. 13. v. 3.*

aſſimilatur detractor, dicente Pſalmiſta: *Venenum aſpidum ſub labijs eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.*

Aſpidis morſus ſuavis electus à

Aſpides hujuſmodi detractionis ſuæ veneno varias cauſant inimicitias, homicidia,

*Ibid.*

ſtrages: *Contritio & infelicitas in vijs eorum,* proſequitur Pſalmiſta, *& viam pacis non cognoverunt,*

*Ibid. v. 4.*

*non eſt timor Dei ante oculos eorum, Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis?* Aſpidis morſus quaſi

Cleopatra.

punctura acus eſt, vix ſentitur; unde Cleopatra ſuavem electura mortem ab aſpide morderi voluit. Detractor ſimile ſub lingua & labijs portat virus, dum argutis quandoque & facetis inventionibus famam deſtruit proximi, eamque toxico inficit maledictionis ſuæ. Inſuper & ſcorpioni aſſimilatur detractor,

*S. Hieron. in proæ. in Joſ.*

ſi S. Hieronymo credimus, dicenti: *Unde ceſſet arcuato vulnere contra nos inſurgere ſcorpius & ſanctum opus venenata carpere lingua deſiſtat.* Ubi Lyranus

*Lyran.*

notat, tres attingi detractoris conditiones: *Sunt venenoſi in corde, doloſi in ore, pernicioſi in opere.* Primo concipit venenum invidiæ & odij in corde, quod ardenti flagrat internæ paſſionis malitia, deinde ad innocentium damna virus evomit detractionis: *Scorpius habet in cauda aculeum, & à poſteriori percutiens facit vulnus obliquum, quod valde difficile eſt ad ſanandum; & tamen in facie blanditur.* Ecce vobis accommodatiſſimam murmuratoris, maxime aulici, figuram, in proverbio hiſpanico argute dicitur, *multi manum oſculantur, quam ſucciſam cuperent,* quod cum eo coincidit latino: *Mel in ore, fel in corde.* Videbitis quandoque virum, qui proximum præſentem actibus demulceat reverentiæ, obſequijs proſequatur amoris, encomijs ſublevet in conſpectu omnium, aſt vix ubi dorſum ver-

*Jerem. 9. v. 8.*

terit, pannos ei diſſecat, peſſima effutiens; *in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur & occulte ponit ei inſidias.*

*S. Bern. ſer. 24. in Cant.*
Detract. ſcorpioni ſimiles.

2. S. Bernardus eos ſingulariter, qui in converſationibus, convivijs, alijſque cætibus, famam alienam lædere & taxare geſtiunt, perſtringens, ait: *Convenientibus ſic in unum, non eſt Dominicam cœnam manducare, ſed magis propinare & bibere calicem dæmoniorum.* Moxque ſub veneni alluſione nimiam docet detractionis perniciem: dicens: *Dum importantibus linguis, aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt;* id quod, proſequitur ſanctus, his verbis inſinuare voluit Jeremias: *Aſcendit mors per feneſtras noſtras; ſic quippe intrat mors per feneſtras, cum prurientibus auribus & oribus lethale poculum detractionis, invicem nobis miniſtrare contendimus.* S. Bernardinus Divi Hieronymi confirmat aſſertum, inquiens: *Detractores ſimiles ſunt ſcorpioni, qui antequam venena effundit, lingua lingit, ſed demum venenoſa cauda pungit; ſub ſpecie boni, verbis excogitatis, & ſub placido vultu venenum detractionis effundit.*

*Berc. verb. detract. in diction. mor.*
Viperæ.

3. Berchorius detractori invidiam ſemper aſſociatam aſtruit, ideoque eum viperæ aſſimilat, quæ ante ſe, quam alios ferit, ſiquidem priuſquam alium mordeat, viſcera rodit genitricis ſuæ; ita quoque detractio, inquit ille, prius ſe ſauciat, quam feriat alios, quoniam præter mortalem propriæ conſcientiæ plagam, inſuper ab interna conſumitur alienæ proſperitatis invidia. *Ideo de detractore,* inquit hic auctor *poteſt intelligi commune hoc proverbium; mus in vipera, ſerpens in ſinu, ignis in ſtuppa, male remunerant hoſpites ſuos.*



*S. Bern. ibid. a. 2. c. 7.*
Ranis.

4. *Sunt ſimiles ranis,* inquit S. Bernardinus, *quæ abſente homine vociferantur & valde clamant, eo vero præſente ſilent.* Ex alijs nihilominus capitibus eos ranis æquiparare licet. Cantant vel potius coaxant ranæ plerumque per noctem, de die autem, quando aër turbidus tempeſtatem minatur; ita & lingua murmuratrix nihil publicare, nihil eloqui amat, præter defectus & peccata aliena, quæ Apoſtolus nun-

*Rom. 13. v. 12.*
*Joan. 3. v. 20.*
*Gill. Ab. ſer. 46. in Cant.*

cupat *opera tenebrarum*, quoniam *qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Quid tu,* malæ cuidam linguæ improperat Gillibertus Abbas, *quid fratrum mavis vitia numerare, quam virtutes; damna quam dona, condemnare quam commendare?* deinde ranæ vocem edunt ex aquis putridis & ſtagnantibus, ita & detractores uſque ad fauces in luto hærent propriarum ſordium; unde S.

*S. Ant. t. 7. bib. nova h. 3.*

Antiochus de ijs loquens ait *Quæ res indicat, talium vitam eſſe longe contaminatiſſimam atque impuram maxime.* Iterum ranæ exangues vivunt, præterquam ſecundùm oculum, groſſos admodum habent oculos & quaſi è capite prominentes; ita pariter maledici atque invidi oculo livido, ſanguinolento & vindicativo alienam contemplantur & lacerant reputationem.

Draconibus.

5. Similes ſunt draconibus; ſcriptura ſacra plerumque detractores venenatis aſſociat animalibus, modo ſerpentibus aut aſpidibus, modo ſcorpionibus aut viperis; draconi pariter eos aſſimilat, dum ait:

*Apoc. 16. v. 13.*
*Apoc. 12. v. 3.*

*Et vidi de ore draconis & de ore beſtiæ . . . tres ſpiritus immundos in modum ranarum.* Et ſimiliter in 12. Apocalypſeos capite, juxta S. Bernardini ſententiam. eadem draconem inter & detractorem, prout in diſcurſu primo vidimus, exhibetur comparatio; id quod forte etiam ſcriptura inſinuare voluit in ijs verbis:

*Exod. 7. v. 9.*
*Ibid. v. 12.*

*Tolle virgam tuam & projice eam coram Pharaone, ac vertitur in colubrum;* idemque imitantes magi, *projecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Circa quod caput notanda occurrit chaldaicia verſio, quæ pro ly *incantationes*, traduxit *muſſitationes vel inſuſurrationes.*

*S. Bern. ibid. a. 2. c. 5.*
Scarabæis.

6. *Sunt ſimiles ſcarabæis,* inquit S. Bernardinus, *qui numquam flores vel roſas adeunt, vel theſauros aut lapides pretioſos, ſed tantum ad ſtercora in vijs publicis currunt, ſic detractores impij ſcarabæi, ſi in aliquo fuerint virtutum theſauri atque gratiarum flores & roſæ; illis prætermiſſis, ſolum ſi reperire poſſunt in homine ſtercus, id eſt, aliquem defectum; prædiligentes vitiorum fœtorem, quam virtutum, & gratiarum odorem, ad illos currunt, & eos rodunt & vorant.*

Veſpis.
*Ibid. a. 2. c. 2.*
*Pſ. 10. v. 4.*
*Pſ. 51. v. 6.*

7. *Sunt ſimiles veſpis,* idem proſequitur ſanctus, illum adducens Pſalmi verſiculum: *Quoniam quem perfeciſti, id eſt, perfecte feciſti, deſtruxerunt; ideo merito aſſimilantur veſpis, quæ mel, quod conficere neſciunt, ab apibus jam confectum devorant & diſcerpunt. Dilexiſti verba præcipitationis; dicuntur detractiones verba præcipitationis, quia præcipitant audientes & bonos, quibus detrahitur, & ipſum etiam detrahentem.* Apes magno cum labore ex varijs floribus mel colligunt, favum conficiunt, ipſumque poſtea à veſpis devorari vident; ita quoque non pauci, poſtquam multo tempore magnum ſibi per inſignes & heroicos actus nomen acquiſierunt & famam tandem à detractoribus; omni bono nomine conceptuque ſe deſtitutos & præcipitatos reperiunt. Aſſimilantur etiam avibus nocturnis, lucis omnis inimicis; maledici namque omnem in proximis odere virtutem & bonorum operum lu-

Noctuis.
S. Bern. *ibid. a. 1. c. 2.*

cem, ſolis oblectantur defectibus & peccatis manifeſtandis, propriæque malitiæ adimpletione. *Merito detractores noctuis ſimilantur, quorum oculos lux obtenebrat & nox tetra illuſtrat.*

(Vulpibus.)
*Cant. 2. v. 15.*

8. Non modo impura hæc & pernicioſa, animantia, verumtamen & alia quadrupedia ſunt hujus vitij figura. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Proprium eſt vulpium vites devorare, dum florent, ita & malarum proprium eſt linguarum detrahere ijs, qui in virtutum bonarumque operationum flore; nec non in optima apud mundum opinione ſupereminent, eos flore, id eſt, fama, æſtimatione & reputatione deſtituunt. *Demoliuntur vineas;* amicitiarum, conſortij humani, palatiorum, religionum, congregationum ſunt venenum, peſſima rixarum & diſcordiarum ſeminantes zizania. Peſſima vulpes,

*S. Bern. ſer. 63. in Cant.*

inquit, S. Bernardus, *occultus detractor.*

*S. Bern. loc. cit.*
*Pſ. 21. v. 17.*
Canibus.

9. *Per canes quoque detractores ſignantur,* ait S. Bernardinus, juxta illud Davidis in Chriſti perſona loquentis effatum: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me, id eſt, Judæi per detractionem*

*ctionem oblatrantes atque mordentes : & poſſunt detractores proprie rabidis canibus comparari, rabidus enim canis primo os geſtat apertum. 2. abſcondit linguam. 3. os habet ſanguinolentum. 4. os & dentes habet venenoſos.* Quas proprietates ſanctus huic perquam fuſiſſime accommodat vitio. Belluacenſis de murmuratorum

*Belluac. in ſpec. mor. t. 3. l. 3. diſt. 3.*

deteſtatione diſceptans, *ſunt fœdi*, inquit, *quia immunda habent ora ad modum canum.* Deinde duorum luſorum, vel potius ſcurrarum, qui in præſentia cujusdam regis ſimul comederant, factum in hæc refert verba : *Alter volens confundere ſocium ſuum, latenter remotis carnibus à ſcutella ſua, impoſuit ibi ſtruem oſſium, & dixit regi, Domine fac, quod juſtum eſt, iſte ſocius meus omnes iſtos ( demonſtratis oſſibus ſuis ) ſpoliavit veſtibus. Cui alter reſpondit ; Domine, & iſte contra naturam commiſit; poſtquam enim carnibus oſſa ſpoliavit; ipſa oſſa voravit & utriſque ſcutellam ſuam nudavit. Sic detractores aliqui non ſolum vitijs carnalium detrahunt quaſi canes comedendo, ſed oſſa devorant, dum virtuoſis eorum operibus & virtutibus detrahunt.* Sunt autem detractores, proſequitur S. Bernardinus, præcipue laniorum ſeu in lanianis degentes canes; licet enim inibi multæ bonæ aſſerventur carnes, nihil tamen earum audent contingere canes, ſed vel oſſibus, vel ſanguine, vel putrida aliqua paſcuntur carne :

*S. Bern. t. 1. ſer. 23. a. 2. cap. 2.*

*Hujuſmodi ſolent eſſe plurimi ſæculares, qui cum Religioſis vel ſacerdotibus vel alijs ſervis Dei amplius, quam diſcretio poſtulet, intrinſece & domeſtice converſantes, nihil exempli boni, licet multa videant, ex eis aſportant; ſed ſi quid fragilitatis conſpexerint aut otioſum verbum vel riſum, aut conſimile factum.* Imo, teſte Belluacenſi, detractores ſunt

*Belluac. ib.*
*Luc. 16. v. 2.*
*Tit. Boſt.*

*pejores canibus, non habentes ut canes, linguam medicinalem, ſed peſtiferam & lethalem*; unde Titus Boſtrenus de canibus, Lazari vulnera lingentibus, tractans, ait : *Vulnera ejus benevole medicorum more foventes.* Lingua namque præditi ſunt, tamquam ſcobina, qua ſaniem eluunt plagarum; detractores autem plagas & vulnera aliena non modo non ſanant, ſed & inſuper lethaliter deſtruunt :

*Pſ. 56. v. 5.*

*Lingua eorum gladius acutus.* S. Antonius de Padua, veritatem nobis clare elucidat, dum ait:

*S. Anton. de Pad. 5. in fer. 15. D. 1. Quad.*
*Pſ. 56. v. 5.*

*Nota, quod canis habet linguam medicinalem; ſed tales ſunt pejores canibus, qui habent linguam ſerpentinam Pſ. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo, ſcilicet malignitatis & detractionis vitio. Sunt deteriores canibus rabidis*, inquit Belluacenſis, *in hoc ſimiles eis, quod morſus venenoſos habent; ſed deteriores, quia canes fugiunt notos & maxime Dominos ſuos; ne furia commoti dentes in eos figant; econtra detractores non parcunt notis aut prælatis, licet dicatur. Dijs non detrahes.*

*Exod. 22. v. 28.*

10. S. Bernardinus porro leonibus eos comparat, inquiens :

*S. Bern. ib. art. 2.*
Leonibus.
*Ezech. 19. v. 6.*

*Leo cum fœteat ore atque ſit dente vorax, fœtentia detractorum atque vorantia ora deſignat.* Adducitque illum in confirmationem Ezechielis textum: *Leo factus eſt, didicit rapere prædam & comedere homines.* Ab hocce leone pſaltes regius eximi petebat; qui adoleſcentior urſos ſtrangulaverat, diſſecuerat leones, ad hujus beſtiæ conſpectum pavebat, tremebat :

*Pſ. 21. v. 14. Ibid. v. 21. & 22.*

*Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens*, quid conſilij, quid auxilij? O Deus meus, *erue... de manu canis unicam meam, Salva me ex ore leonis.* Quandoquidem canis reincidit mentio, Belluacenſis juvat ſubnectere ſententiam inquientis :

*Bell. ibid.*
Muſcæ caninæ.

*Similis eſt detractor muſcæ caninæ, quæ libenter tenet in membro ulceroſo aculeum; & paſcitur ſanie libentius, quam ſano membro.*

11. Quandoquidem igitur vitium hoc tot ſpecie differentibus comparatur animalibus, conſequens eſt, ipſum abominabile eſſe monſtrum, quam veritatem expreſſit ſtatuitque Belluacenſis, ubi detractores perſtringens, ait :

Monſtris.

*Sunt ſimiles quibuſdam monſtris, de quibus legitur in hiſtoria tranſmarina, & Anſelmus refert in libro de imagine mundi, quod in quibuſdam partibus Orientis ſunt homines, habentes corpora humana & ora canina.* Tales ſunt detractores, qui humanam naturam habentes, apparent ſerpentes, viperæ, aſpides, ſcorpiones, vulpes, leones, & omni deſtituti humanitate.

## DISCURSUS VIII.

## ARGUMENTUM.

Os detractoris multifariã comparatur ſepulchro.

## THEMA.

*Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant.* Pſalm. 13. v. 3.

Detractoris os fœtidum eſt ſepulchrum.

1. COmparatio, quam Pſalmiſta maledicam inter ſeu detractoriam linguam & ſepulchrum inſtituit, non poteſt non eſſe myſterioſa. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*, inquit Alb Magn. *fœtorem detractionis aperte emittens*, Id eſt: quidquid ex fœtentibus detractorum oribus egreditur, merus fœtor eſt, ſiquidem nihil præter peccata & vitia eructant aliena, vel occulta manifeſtando, vel manifeſta ampliando ſerio aut jocosè.

*Alb. Magn. ib.*
*Hug. Card. ib.*

*Detractores comparantur ſepulchro*, inquit Hugo Cardinalis ; *quia verba fœtida proferunt & denudant peccata aliorum.* Sepulchra aërem exhalant adeo peſtiferum, ut, quemadmodum experientia multiplex edocuit, ipſe ſolus ſufficiat ad immediate conficiendum eum, à quo attrahitur, ita pariter vel flatus dumtaxat, verbum aut vox unica maledici ſufficit ad interimendas animas; alios inter Doctores ſacros, ſancto in primis in hæc verba atteſtante Chryſoſtomo : Bene inquit Pſalmiſta :

*Pſ. 140. v. 3. Chryſ.*

*Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis, ut non declinet cor meum in verba malitiæ, quemadmodum enim eſt aër peſtilens, qui morbos procreat, ita etiam verba; quod autem facit ille in corpore, id verba in anima.* Sicut una contagioſa & peſtilens reſpiratio totum poteſt perimere corpus, ita multoties vel unicum detractionis verbum ſufficiens eſt, ut & animam & corpus maledicti, internecione dedat; ſiquidem præter culpam, quam contrahit, pœnam inſuper, juſto permittente judicio divino, temporalem incurrit detractor, cum vindices perſonæ à ſe diffamatæ, in ſe provocat manus.

Ut aer eſt peſtilens ita verba detract.

Cordibus veſtris inſculptum optarem, id quod S. Bonaventura de S. Franciſco in hæc verba ſcriptum reliquit :

*S. Bonav. c. 8. vitæ. S. Franc.*

*Detractionis vitium, inimicum fonti pietatis & gratiæ, tamquam ſerpentinum abhorrebat morſum & atrociſſimam peſtem, & piiſſimo Deo abominabile fere putabat.* S. quoque Bernardinus, dignus qui tanto ſuccederet patri filius, aſſerit liberrime :

*S. Bern. c. 1. ſer. 23. a. 2. c. 1.*

*Sicut ſepulchrum patens licet nihil recipiat, tamen aërem vicinum corrumpit, ſic fœtidi detractores, licet nullum malum exemplum verbo vel facto datum ſit eis; tamen eorum corda & ora corrupta, ſemper in detractoria verba prorumpunt.* Tantus eſt malæ linguæ fœtor, ut eam abominaturus Belluacenſis dicere non dubitarit :

Alia comparatio.

*Os detractoris ſimile eſt ori hydropici, leproſi & latrinæ ſpiraculo, & inferni puteo & ori draconis, à quibus exit fœtor & flatus contagioſus & venenoſus. Quidam dixit, non eſt curandum, utrum detractores ab inferiori vel ſuperiori foramine intonent, quia non minus, imo longe plus fœtent & inficiant à ſuperiori, quam ab inferiori.*

2. S. Eprhæm in tractatu de morbo linguæ, mentionem ingerit lepræ, quæ Mariam ſororem Moyſis murmurantem infecit.

*S. Ephr. t. 1 de morb. ling.*

*Ex illa carnis corruptione patefactum eſt*, inquit, *quomodo hominis maledici ac detractoris corrumpatur animus. Per hominem vero exteriorem; hominem ſuum interiorem intellexit, nam ſicut illa defecerat à fratre ſuo; ita & ab ipſa proprium corpus defecit, ut ex ſemetipſa charitatem addiſceret.* Lepræ ſpecialiter; & non cuicumque alteri infirmitati ſubjecta fuit Maria, lepra namque, ut novimus omnes, contagionis eſt ſpecies.

3. Inſigne admodum contra detractionem nobis antidotum propinat hiſtoria vitæ S. Franciſci, ubi hæc ſcripta reperio verba.

*Apoph. t. 3. S. Franc.*
Contra detract. antidot.

*Audiens* Franciſcus *quemdam famam fratris denigrantem, Vicario ſuo dixit; ſurge, ſurge, diſcute diligenter, & ſi accuſatum fratrem innocentem repereris, accuſantem dura correctione cunctis redde notabilem; inſtant enim religioni diſcrimina; niſi detractoribus obvietur, cito multorum ſuaviſſimus odor fœtebit, niſi fœtidorum ora claudantur. Summa volo cures providentia, ne peſtifer iſte morbus latius ſe diffundat.* S. Ignatius, juxta relationem Patris Rho, ſi quid ſiniſtri de ſuis inaudiret, id non niſi uni aut ad ſummum duobus communicabat, juxta quod boni univerſalis Religionis neceſſitas utilitaſque poſtulaſſet,

*P. Rho hiſt. var. l. 4. c. 3. §. 5.*

*quod adeo ab eo religioſe factum ſcribunt, ut graviſſime ſe aliquando incuſarit ac velati piaculi veniam in confeſſione arcana poſtularit, quod duobus ea enunciaſſet, quæ uni tantummodo commiſſa emendari poſſe videbantur.*

4. S. Bernardinus de ſerpente infernali, dum veneni ſui damna in protoparentem noſtram Evam transfudit, tractans peſtiferum eum nuncupat, maledici detractoris figuram :

*S. Bern. t. 2. ſer. 29. art. 2. c. 1.*
Item aſſimilatio alia.

*Nec ſuffecit peſtifero detractori detractionem diffundere contra Chriſtum in cœlo, in natura Angelica*; & paulo poſt de diſcurſu cum Eva habito agens, inquit : *Jamque in fide vacillans mulier detractori ait, ne forte moriamur, ad quam ſerpens peſtiferum virus ore in eam diffundens, ait : nequaquam moriemini, ſcit enim &c. cujus detractioni Eva conſentiens, ruit.* Beatus quoque Laurentius Juſtinianus multis ab hoc vitio promanantibus damnis conſideratis, ipſum



*B. Laur. Juſt. de int. conſt. c. 2.*
Ex detractione plurima damna.

tandem contagionis afficit titulo, dicens : *O quam multa ſcandala & quam pernicioſa detractioni aſſuetus concitat bella? rixas ubique movet, odia parit, pacem diſſipat, dirimit unitatem, charitatem extinguit, ſe ſuumque interimit fratrem. Peſtis hæc à ſervis Chriſti omnino debet eſſe aliena.* Ubi vulgata noſtra habet:

*Pſal. 90. v. 3.*

*Ipſe liberavit me de laqueo venantium & à verbo aſpero.* Hebraica legit : *A peſte celeriter necante* : Peſtis hæc, detractio eſt, ſubitaneam inferens mortem; ſicut igitur contagij remedium efficaciſſimum eſt fuga, ita & detractionis peſtiferæ, ideoque nobis ſapiens ſuadet :

*Prov. 4. v. 24.*
*Cajet.*

*Remove à te os pravum.* Circa quæ verba Cajetanus inquit : *Juxta Hebr. habetur, fac recedere à te tortionem oris, & perverſitatem labiorum fac elongare à te*

*Dion. Carth.*

Dionyſius Carthuſianus de S. Pachomio refert : *Cum audiret aliquem detrahentem, protinus fugit ab illo, tamquam à baſiliſco.*

Detractoris os plus devorat quam infernus.

5. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* Sepulchrum quaſi dentibus armatum foret, omnia in ſe recluſa conſumit devoratque corpora, quaſi ſtruthionis ſtomacho polleret, eadem quaſi in nihilum reducit : Ita & detractor *vorax eſt*, *teſte* S. Bernardino, *devorat amplius, quam infernus, infernus devorat ſolum malos, detractor autem bonos & malos*, juxta illud Eccleſiaſtici de detractore, ſub linguæ tertiæ titulo agentis effatum:

*Eccli. 28. v. 25.*
*Prov. 23. v. 20.*
*Bell. ibid.*

*Mors illius mors nequiſſima, & utilis infernus potius, quam illa.* Belluacenſis eidem ſuffragaturus intento, hunc adducit textum è Proverbijs : *Noli eſſe in convivijs peccatorum & qui carnes ad veſcendum conferunt.* Quis neſcit, lautiſſima convivia onerari carnibus? Quo igitur ſpectat hoc Salomonis conſilium?

*Gloſſ. ibid.*

Gloſſa reſpondet : *Carnes ad veſcendum proferre, eſt vitia proximorum in derogationem habere vel dicere.* David propter ſuam ad regnum promotionem, ob glorioſam à Gigante reportatam victoriam & contractam cum Saule conſanguinitatem, meta evaſerat invidiæ, conſequenter & detractionis, ideoque intime ſe Deo commendavit, in ejus unice confidens patrocinio :

*Pſ. 26. v. 2.*

*Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas.* Inimici iſti : inquit Hugo Cardinalis detractores ſunt :

*Hug. Card.*

*Detractores comedunt & corrodunt carnes, detrahendo.* Ad horum unum S. Chryſoſtomus converſus, ſuam ei impietatem exprobrat in hunc modum :

*S. Chryſoſt. h. 3. ad pop.*

*Detrahens, fraternas carnes comediſti, proximi carnem momordiſti, unde & Paulus terruit, dicens : Si autem vos invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini.* S. Bern. aliquot in favorem noſtrum allegat ſacræ ſcripturæ loca, & in primis quidem illum Proverbiorum :

*S. Bern. ibid. a. 2.*
*Prov. 30. v. 14.*
*Job. 19. v. 22.*
*S. Greg. l. 14. mor.*

*Eſt generatio, quæ pro dentibus gladios habet & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra & pauperes ex hominibus.* Et iſtum Jobi : *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?* Ubi S. Gregorium citat, dicentem : *Hi ſunt, qui alienæ vitæ detractione paſcuntur & alienis procul dubio carnibus ſaturantur.* S. Anſelmus vitij hujus damna edocturus, ita diſcurrit :

*S. Anſelm. l. de ſim. cap. 146.*
Homicidij tria genera.

*B. Clemens inter cætera, quæ ab ore B. Petri ſe didiciſſe fatetur, hoc modo ſcribit : Tria ſunt genera homicidij, quæ pari pœna plectuntur; interfectio fratrum, detractio, odium. De quo etiam Paulus dicit : Si comeditis & vos invicem mordetis; videte, ne ab invicem conſumamini. Comedit namque alter alterum, & quaſi morſum in eo facit, quotieſcumque aliquis aliquem, male loquendo, viliorem efficit : Unde neceſſe eſt, ut ab invicem conſumantur pœnis videlicet gehennalibus detruſi miſerrime puniantur. Sic igitur is, qui alterum detrahendo comedit, conſumitur ab eo, quem morſibus detractionis conſumere geſtit, nam cum ejus vitam per detractionem lacerat; ſemetipſum ante judicem Deum condemnat.*

Nemini parcunt.

6. *Sepulchrum patens &c.* Sepulchrum indifferenter deſtruit, devorat, inque cineres reducit cadavera omnia, divitum & pauperum, ſubditorum & Principum, juvenum & ſenum, omnes radit æqualiter, nulla ſexus, ætatis, conditionis aut perſonarum profeſſionis ratione habita. *Tantæ crudelitatis ſunt detractores*, inquit S. Bernardinus :

*S. Bern. ib. c. 2.*

*Ut nemini parcant, nec amico, nec conſanguineo, nec majoribus; nec minoribus, omnes devorent, nec tempori parcunt, nec gradui, in quadrageſima ſeu ſexta feria, aut in aliqua vigilia Apoſtolorum vel virginis. Comedunt unico morſello unicum Epiſcopum, ſive Archiepiſcopum vel Cardinalem, imo quandoque etiam unum Papam ſeu unum conventum Religioſorum, aut totam unam religionem vel civitatem.*

Contra unũquemque murmurant.

7. *Sepulchrum patens &c.* Tempore peſtis ſepulchra reſtant aperta, inque ea ſine ulla diſcrepantia certatim projiciuntur nobiles & plebæi, ſæculares & religioſi, domini & ſervi; ita & murmuratio ſepulchri inſtar aperti, omnia recipit indifferenter, contra unumquemque ſuam æqualiter exerit linguam peſtiferam.

Hyenæ comparantur.

8. *Sepulchrum patens.* Quemadmodum inciſa ſepulchris epitaphia, actiones & arma gentilitia exhibent inibi tumulatorum; ita & lingua maledica omnes exprimit defectus, vitia & malitias perſonæ illius, contra quam murmurat. Albert. Magn. detractorem beſtiæ cuidam; quæ oſſa mortuorum è ſepulchris eruere & devorare amat, comparat, inquiens :

*Alb. Magn. in Pſ. 13.*
*Hug. Card. in Pſ. 5.*

*Nota, quod detractor comparatur hyenæ, quæ de ſepulchris extrahens corpora mortua, illa devorat & diſcerpit.* Cui & Hugo Cardinalis aſſentitur, dum ait : *Sicut hyena extrahit corpora mortuorum de ſepulchris & comedit, ſic & iſti peccata hominum.* Qui Jeremiæ authoritatem adducit; inquientis :

*Jerem. 7. v. 11.*
*S. Chryſ. h. 13. in Marc.*

*Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta* : Vel ut alia verſio habet : *Numquid ergo ſpelunca hyenæ?* Ita Chryſoſtomus. Fera hæc vivum eſt detractoris prototypon; odit namque lucem, tenebras amat, cadavera eruit, vermibus nutritur, putredine gaudet; ita & detractor in ſepulchro oblivionis tumulatos eruit aliorum defectus & peccata, imò & ipſis quandoque inſidiatur mortuis, in aliorum malitia & vitijs ſibi complacet, detrahit in abſcondito, proximorum unicè oblectatur exceſſibus & flagitijs.

*S. Bern. ib.*

*Quod mirabilius eſt*, inquit S. Bernardinus, *nec quandoque parcunt detractores longo jam tempore ſepultis, quin etiam exhument & devorent illos, dum detrahunt eis.*

Famam denigrant.

9. *Sepulchrum patens.* Corpus adeo corrumpitur in ſepulchro, ut ulterius recognoſci aut diſtingui nequeat, ſi juvenis an ſenis, ſi viri aut mulieris ſi Principis fuerit an mancipij. Raræ objectum pulchritudinis, quod in admirationem oculos, inque amorem ſui, corda rapiebat omnium, paucas intra horas tantam in ſepulchro induet fœditatem & turpitudinem, ut nihil in eo præter ſaniem, vermes, putredinem & cineres reperiatur, ita pariter in caſu noſtro : plurimi optimam ſibi compararunt famam, nomen magnificum, inſignes & præclari audiunt apud univerſos; aſt ubi in maledicam inciderunt linguam, vel unico verbulo honor, nomen & reputatio ipſorum adeò denigratur & deturbatur, ut

*Thren. 4. v. 2.*

*tamquam ſtercus conculcentur, filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea?* S. Bernardinus detractionis exhorreſcens deformitatem, inquit :

Execrandæ detractiones.

*Inter omnia illa, quæ à corde exeunt & de ore procedunt, hominem, imò totum mundum inquinantia ſunt execrandæ detractiones. Quomodo obſcuratum eſt aurum*, ingemiſcebat Jeremias, *mutatus eſt color optimus?* Quomodo? aurea fama in deformes cineres, imo in ipſam transformata putredinem; quis non expaveſcat ad tantam abominabilis hujus ſepulchri detractorij fœditatem?

*S. Bern. ſer. 33. de modo ben. viv.*

*Hoc ſummæ turpitudinis eſt*, inquit S. Bernardus, *hoc nihil fœdius eſt.* O execrabilem detractionis turpitudinem, quæ ſibi ignominiam, àlijs conciliat vel invita quandoque magnificentiam, quæ lepræ horrore percuſſit Mariam & laudis honore ſublimavit Moyſen, contra quem obmurmurans ſoror

*Orig. h. 7. in Rom.*

*ſibi turpitudinem*, inquit Origenes, *illi ſplendorem, ſibi lepram, illi gloriam, ſibi opprobrium, illi magnificentiam quæſivit.* Protoparens noſter vix lucem hauſerat creatus, cum ecce propter ſingulariſſimas dotes, diabolicæ factus eſt invidiæ ſcopus :

*Pſ. 8. v. 6.*

*Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum?* Aſt detractio ſerpentis, quo eum præcipitavit? Audite Chryſoſtomum :

*S. Chryſ. in Pſ. 100.*

*Hæc & à divinis mandatis abductum hominem, legem transgredi docet; & à Dei amicitia avulſum procul à veritate detorquet. Hæc primum Adam quoque generis noſtri principis exitio cauſam præbuit, eumque & vita in Paradiſo & cæleſtibus divitijs orbavit; nam cum in os ſerpentis intraſſet atque adverſus Dei bonitatem mentiens, his verbis uſa eſſet; quare prohibuit Deus, ne ex omni ligno, quod eſt in Paradiſo, comederetis? mandati transgreſſionem invexit, eum, qui Deo ſubditus erat, à veritate avertens, atque eum, qui cum Domino familiares ſermones conferebat, ad ſe attracturas, hoſtem per fraudem & impoſturam ſuam reddidit atque ab omnibus bonis prorſus alienum.*

Detr. vitioſiſſimi corrodunt meliores.

10. *Sepulchrum &c.* Cæmeteria contemplantibus mera occurrit illuvies & putredo, ſcorpiones, rubetæ, ranæ ſeſe offerunt & vermes; conſcientiam ſi quis perluſtrarit detractoris, omnia inibi offendet

*Eccli.5.v.17.* *Jon. 4. v. 6.* *Hug. Card. in Luc. 6. v. 6.*

mala. *Denotatio peſſima ſuper bilinguem*; inquit Eccleſiaſticus, *id eſt*, ut quidam interpretatur, *oſtenſio confuſibilis cum digito hoc eſt, denotatio confuſione plena.* Tigurina vertit: *Peſſima vituperatio.* Detractor, ut ſuo loco dicetur, nidus eſt & centrum dæmonis. Hedera Jonam obumbrans vix creverat, moxque à corrodentis vermis livore devorata emarcuit; ita quo magis proximi creſcit virtus, eo ſtudioſius illam obſcurare conatur invidus, quaſi vermis medullam devorat arboris aut carnes meliores rodit, id eſt, melioribus majorique laude dignis detrahit operibus. *Per hederam*, inquit Hugo Cardinalis, *quæ viret in hyeme ſignificantur boni, qui gaudent in adverſitate, per vermem ſignificantur detractores, qui corrodunt radicem, id eſt, pervertunt intentionem; & ſic arere faciunt hederam, quia bonos quandoque ceſſare faciunt à bono.*

Inficiunt. *D. Carth. ib.*

11. *Sepulchrum patens.* Notate verba; ſepulchro equidem David comparat linguam maledicam; aſt non clauſo, ſed aperto. *Simile aperto ſepulchro*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *in quod homo facile labitur, & ex quo cito inficitur; ſic guttur impiorum ſe habet, quia mortua atque peſtifera verba ex ipſo procedunt, & ſermo ipſorum cadere facit ac inficit, innocentes ac ſimplices, niſi Deus provideat.*

## DISCURSUS IX.
## ARGUMENTUM.

De magnitudine detractionis, deſumpta à malis & damnis, quæ cauſat.

### THEMA.

*Lingua eorum gladius acutus.* Pſalm. 56. v. 5.

Linguæ gladius tres vulnerat. *S. Bern. t. 2. ſer. 29. a. 2. c. 3.* Grave peccatum. *S. Thom. 2. 2. q. 71. a. 2.* *S. Bonav. Tom. 6. l. 3.* Pharetra.

1. Agens Pſalmiſta de detractione, titulum ei acuti & vibrantis enſis imponit: *Lingua eorum, gladius acutus*; & meritò quidem, inquit S. Bernardinus, quoniam *tres vulnerat uno ictu maledicta lingua; primò ſeipſam, ſecundò audientes detractionem, tertiò illos, quibus detrahit.* Peccatum ſanè detractionis graviſſimum eſt; S. Thomas ipſum mortale appellat, conformiter ijs Apoſtoli verbis: *Detractores Deo odibiles, quod ideo additur, ut dicit Gloſſa, ne leve putetur propter hoc, quod conſiſtit in verbis.* S. Bonaventura de peſſimis hujus vitij zizanijs tractans D. Iſidorum citat, dicentem: *Detractio grave crimen eſt, detractio gravis damnatio eſt.* S. Bernardinus in ſeptem ijs a S. Joanne viſis, draconis capitibus detractorem deſignari autumat, inquiens: *Sunt ſeptem draconis capita, de quibus Joannes ait: Habens capita ſeptem. Per ſeptem detrahendi modos offendit omnia præcepta Dei, tam tria primæ tabulæ, quæ pertinent ad Deum; quam ſeptem ſecundæ tabulæ, quæ pertinent ad proximum; quia ex ſeptem detrahendi modis, ſequuntur prævaricationes decem præceptorum Dei; unde ſubditur: Et cornua decem.* Rex Salomon & ipſe ingentia hujus vitij damna conſiderans, ut à maledicis ſegregemur, ſolicitè ſuadet his verbis: *Cum detractoribus non commiſcearis, ſed time Dominum fili mi & regem*; & ne nos Deum timendi modi ignorantiam prætendere poſſemus, immediatè ſubdit quod aſſeruimus: *cum detractoribus ne commiſcearis*, quaſi dicat, tunc quis Deum timebit & homines, divinis & humanis obediens legibus, quando detractionem fugerit.

*Apoc. 12. v. 3.* *S. Bernard. ibid. a. 2. c. 7.* Draconi Apocalyptico ſimiles. *Prov. 24. v. 21.* Detract. fugiendi.

Peſſimæ hominum 4. generationes. *Matth. 7. v. 15.* *Prov. 30. 12.* *Ibid. v. 13.* *Ibid. v. 14.* *S. Ambr. ad Rom. 3.* *Iſa. 6. v. 5.* Aula ſedes Detract.

Idem auctor in eodem libro, peſſimas quatuor abominandas & deteſtandas eſſe aſtruit hominum generationes, ſcilicet ingratorum in beneficos: *Eſt generatio, quæ patri & matri maledicit.* Secunda generatio abominabilis eorum eſt, de quibus in lege Evangelica Salvator ait: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Eſt generatio quæ ſibi munda videtur*, inquit Sapiens, *nec eſt lota à ſordibus.* Tertia eſt ſublimium & arrogantium, qui aſpernantur omnes: *Generatio, cujus excelſi ſunt & oculi & palpebræ in altum erectæ.* Quarta eorum eſt, qui dentibus armati ſunt: *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet & commandit molaribus ſuis*; de quibus Sanctus Ambroſius in hæc verba ſcribit: *Jam malis mancipati, bonos, ſi fieri poſſet, devorare volebant; & ſicut ſepulchrum patet ad recipienda cadavera, ita & adverſus bonos guttur eorum.* Iſaias Propheta, longævus palatiorum incola, in quibus tamquam in centro degerat murmurationum, ingenuè profitebatur: *Vir pollutus labijs ego ſum & in medio populi, polluta labia habentis, ego habito*, quia ut probavimus in diſcurſu tertio, etiam virtuoſiores ſubinde & innocentiores hoc utcumque inficit vitium; hic igitur ſibi quadam vice dici audijt: *Peccatum tuum mundabitur*: vel ut verſio Hebraica legit: *Peccatum tuum ſine lege mundabitur.* Suppoſito igitur, quod per peccatum hoc detractio intelligatur, cur obſecro, *peccatum ſine lege* appellatur? Reſponſio in promptu eſt, quia detractio ad nullam attendit legem, nec divinam, nec naturalem, nec humanam, nec Eccleſiaſticam; violat omnes; non amicis aut inimicis aut cognatis, non principibus aut Eccleſiaſticis, non Sanctis, imò nec ipſi parcit Deo. Omnia alia peccata aliquam admittere poſſunt excuſationem, maximè illa, quæ à fragilitate humana derivantur, ſiquidem inimicus noſtra ſemper ſtipat latera: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Continua nobis cum mundo, carne & dæmone intercedit pugna, aſt maledictio & detractio totam ſuam malitiam & originem habet à voluntatis noſtræ malignitate; concupiſcentiam carnalem extimulant gula, oculi, diſcurſus laſcivi, malum aliorum exemplum; occaſio prompta, correſpondentia cum hoc illove objecto; vindictam ſuadet; imò & imperat punctus honoris & reputationis aut timor, quo quis horret ab inimico præveniri; ambitionem promovet ardor dominij & imperij &c. At detractorem quid extimulat ad murmurandum? Reſponſum accipite à Sancto Bernardino: *Tertium verò radicale peccatum*, inquit ille, *unde detractio generatur, eſt crudelis invidia, & hæc eſt, quæ in detractionem erumpit, cum tamen diabolus per invidiam in homine regnat, facile inde per Dei verbum ejici poſſet, niſi alijs criminibus armaretur & muniretur, unde pro tali munitione & armatura, qua diabolus armatur in multitudine detractorum, de Aquilone, à quo panditur omne malum, ſcriptum eſt: Super omnem congregationem aquarum requieſcit; & ſicut lorica induit ſe aquis. Congregatio quippe aquarum, ſuper quam requieſcit Aquilo infernalis, detractorum eſt multitudo, qui per detractionem, ſicut aquæ in terram dilabuntur, nec ultra rurſus ad Deum per pœnitentiam revertuntur.*

*Iſaia. 6. v. 7.* *Gal. 5. v. 17.* Invidia eſt cauſa Detract. *S. Bern. tom. 1. ſer. 23. a. 1. c. 3.* *Eccli. 43. v. 22.*

2. Sicuti nulla invido, ita nec ulla detractori ſuppetit malignandi ratio, dicente Sancto Chryſoſtomo: *Alia quidem peccata licet cauſas habeant à ratione alienas, habent tamen; utpote ſcortator libidinem explet, fur paupertatem, homicida iracundiam ſedat, maledicus nullam poteſt occaſionem afferre. Quam enim quæſo pecuniarum copiam acquirit? quam libidinem explet? nihil aliud eſt, quam invidiæ materia, cui nulla ſuppetit juſta cauſa nec injuſta; propterea nulla venia digna cenſetur.* Sanctus Bernardinus in murmuratorem quemdam hiſce invehitur verbis: *O detractor infelix, quæ te malitia excæcavit? Nonne animadvertis, quod per hoc invidiam tuam atque livorem prædicas, animi tui malignitatem denudas atque proximum tuum ſæve jugulas?* Adducitque illud Hebræis in Levitico datum præceptum: *Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum, ſed timebis Dominum Deum tuum.* Quod taliter in ſenſu explicat ſpirituali: *Surdo quidem maledicit, quia abſenti detrahit maligne; nec non coram cæco offendiculum ponit, qui ignoranti & prono ad credendum auditum, malum detractionis & oblocutionis dicit.* Addere licet, tunc cæco offendiculum poni, quando quis, ad hoc vitium cæteroquin proclivis, ad murmurationem extimulatur. *Tripliciter peccare poteſt audiens detractorem*, inquit Sanctus Bernardinus, *primo ſi taceat, ſecundo ſi delectetur, tertio ſi inducat.* Imò, ſuperaddit ſanctus, arbitror ego, detractiones audientem longè quandoque culpabiliorem eſſe ipſomet loquente: *Talis plerumque amplius quam detractor peccat vel offendit: quoniam ex majori iniquitate vel malignitate procedit, & talis omnium malorum quæ ex cauſa ab eo data procedunt, coram Deo habet reddere rationem.*

*S. Chryſ. t. 3. hom. 2. de Prophetarum obſcuritate.* *S. Bern. a. 2. c. 5. ibid.* *Levit. 19. v. 14.* *S. Bern. t. 1. ſer. 23. a. 3. c. 1.*

3. *Lingua eorum gladius acutus.* Propheta regius detractorum impietate appetitus, Deo ſupplicat: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.* Per canes, detractores intelligi probavimus in diſcurſu ſeptimo, quos inter plurimi ſunt traditores, ſuis accedentem blanditijs demulcentes, caudamque gyrantes doloſè, qui ubi ictus impingendi occaſionem nacti fuerint, illico mordent; ita quoque murmuratores amicos ſe perhibent & amicabiles, aſt in abſcondito reputationem lacerant. Non ſolum autem David à linguis murmuratricibus, tamquam à canibus, ſed etiam veluti à frameis liberari

*Pſ. 21. v. 21.* Detractores canibus ſimiles.



ſupplicat: *Erue à framea Deus animam meam*; imò ulterius progreſſus idem Rex linguam detractricem acuti gladij & ſagittæ afficit titulo: *Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Symmachus loco *arma* legit *lancea*; hæc autem inter gladium vel lanceam ex una parte, & arcum ſeu ſagittam ex altera, eſt differentia, quod illæ cominus, hæ feriant eminus, detractoris itaque lingua tam eminus quam cominus ictum impingit; unde Hugo Cardinalis inquit: *Horum dentes, id eſt, verba detractoria, quibus corrodunt alios, ſunt arma & ſagittæ; per arma impugnantur prope ſtantes, unde ubi habemus arma, alia litera habet: Lancea. Per ſagittas impugnantur longe ſtantes; & ipſi detrahunt tam propinquis, quam remotis, tam domeſticis quam extraneis.*

*Hug. Card. ib.* Abſentibus & præſentibus detrahunt.

Detractio eſt homicidium ſpirituale. *Sap. 1. v. 11.* *S. Bonav. in c. 1. Sap.* *B. Lau. Juſt. de diſcip. & perfect. mon. converſ. c. 13.* *Lib. de vit. ſol. c. 4.*

4. *Lingua eorum gladius acutus.* Infallibilis eſt propoſitio: *Os quod mentitur, occidit animam*; id quod de ſpirituali animæ, non materiali corporis homicidio intelligitur; cui ſi honoris & bonæ famæ, omni præſtantioris vita, rapina addatur, quantò creditis facinus deteſtabilius damnoſiuſque futurum? *Os quod mentitur*, inquit Sanctus Bonaventura, *occidit animam, ſcilicet detrahendo, occidit mucrone peccati animam mentientis.* B. Laurentius Juſtinianus de eodem maledicæ linguæ homicidio diſceptans, ait: *Quandocumque quis detractionibus vitam abſentium dilaniat, procul dubio diaboli miniſter eſt & fraternæ cædis reus; gladio namque detractionis ſuæ famam proximi, cui detrahit, occidit in corde audientium: Audientes quoque vulnerat detractionis ſagitta; eoſque plurimum provocat ad illius odium, de quo murmuratio fit; propriam verò perimit animam & à Dei gloria alienam ſe facit. Hæc peſtis, per quam charitatis vinculum diſſolvitur, à collegijs ſervorum Dei removenda eſt.* Et alio in loco idem Sanctus eamdem his verbis confirmat doctrinam: *Qui detractor exiſtit, mendax, perjurus ac ſtultiloquus eſt, in una ſiquidem malignitatis catena, confœderata ſunt vitia in animarum ruinam, ab immundis ſpiritibus fabricatam atque contextam:* Et paulo poſt eamdem culpam homicidium nuncupat ſpirituale, dicens: *Detractio homicidium ſpirituale eſt, quod enim in corpore materialis agit gladius, hoc in anima detrahentium perficit lingua.*

*Rayn. an. 1270.* Detract. vitandi, eradicandi. *Pſ. 100. v. 5.* *Agell.* *1. Reg. 23. v. 8.*

5. Sanctus Ludovicus morti vicinus, alia inter Philippo filio ſuo, in regno ſucceſſori, documenta, præſcripſit, ut ab omni ſemper adulatorum & detractorum conſortio viveret quàm alieniſſimus: *Noli pati, dici coram te verbum allectivum ad peccatum, nec verbum detractorium de alio, quin vindictam de eo fieri facias.* Sanctus verè Rex, qui regis Davidis fieret ſucceſſor, digniſſimus; qui Sanctus Monarcha ad perpetuam omnium Principum memoriam & eruditionem, proteſtatus fuerat: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar*; circa quæ verba Agellius ſequentem format diſcurſum: *Dixit, quæ ad privatam ſuam domeſticamque diſciplinam pertinebant; jam de moderatione & gubernatione regni verba facit, exponitque, quam rationem in regno gubernando, hominibuſque moderandis tenuerit, ac primum in vitijs ſeveritatem*; ut populos bonis imbueret moribus, quæ fuit maxima Davidis, qui dictus fuit *ſedens in cathedra ſapientiſſimus*; abolere detractores, publicæ perturbatores quietis: *Primo aures ſuas obtrectatoribus minimè pataiſſe dicit; ab hoc vitio alienum ſe fuiſſe teſtatur David; qui iſtud genus hominum, & innocentiæ & regno peſtiferum perdiderit & perſecutus fuerit, adeo ut eos in totum ſuſtulerit.*

*Prov. 26. v. 20.* Maxima mala ex Detract. *Olaus. M. l. 2. c. 13.*

6. *Cum defecerint ligna extinguetur ignis*, inquit Sapiens, *& ſuſurrone ſubtracto jurgia conquieſcent.* Ex quibus verbis evidenter deducitur, rixas, inimicitias, ſtrages, quæ univerſæ Reipublicæ pacem interturbant, oriri à detractionibus. Ecce vobis accommodam, quam Olaus Magnus in montibus Doffrinenſibus inchoatam narrat tragœdiam. Avis quædam arboris cujuſdam ſummitati inſidens, volubili motu ſuo tantillum è ramo excuſſit nivis, quæ prolapſa de ramo in ramum & tandem per rupes deorſum; ingentem paulatim effecit molem niveam, quæ in præcipitio ligna, ſaxa, terramque ſimul involvens, cum maximo impetu corruit deorſum, tandemque mobilis inſtar montis proruens, caſtellum ad montium radicem ſituatam offendit & oppreſſit. An non eodem omnino modo vel unicum ſubinde murmurationis verbum, adverſus potentem divitemque perſonam prolatum, privatas non modo inimicitias, ſed & bella publica; imò familiarum; flens dico, imò civitatum & provinciarum ſuſcitat, promovet, perennat exterminia? Unicus pro mille ſuffecerit teſtis Sanctus Bernardinus, inquiens: *Qui bene conſiderat omnia mundi ſcelera, omnes iniquitates & quaſi omnes hæreſes; ſchiſmata & impietates ex tertia lingua originem habent. O igitur lingua nequam, lingua tertia detractoris, ô crudelitas infernalis! ô impia odij & invidiæ proles? ô peſtifera lepra! tu es, quæ diſcordias ſeminas, tu ſola concalcas bonos, diffamas juſtos; paris ſcandala, teſtimonia falſa, perjuria, occaſiones iniquas multiplicare non ceſſas. Tu lingua ſæva punis inſontes; inter conjuges ſcandala ponis, infames viduas, defloras virgines, tu pias, tu ſacras Religioſas confundis. Tu rancores, tu jurgia, livores & iras, contentiones & contumelias, & rixas, & ſciſſuras ſuſcitare non ceſſas. Tu ſola perditiones generas, incendia foves, homicidia patras, tu fratricidia, patricidia, matricidia & cæteras crudelitates virulenta impietate committis. Tu ſola fœdera frangis; in conjurationibus occuparis, ſeparas amicos, multiplicas inimicos; tu ſola diſſipas civitates; deſtruis regna, confoves tyrannides: Tu charitatem extinguis, deprimis juſtos, magnificas impios, fidem deſtruis ſpem frangis, cæteraſque virtutes impia crudelitate perſequeris, tu omnia ſcelera vivificas & extollis. Quid plura? Tu Angelos in dæmones convertiſti atque de cæleſti regno in æterna ſupplicia dejeciſti & profundaſti, primoſque parentes noſtros ac cum eis totum genus humanum, de paradiſo deliciarum ad temporales & æternas miſerias deſtinaſti.*

*S. Bern. tom. 1. ſer. 23. a. 3. c. 3.*

*Pſ. 131. v. 1.* Supplicium ſeverum Ammonit. *2. Reg. 12. v. 31.* *2. Reg. 10. v. 2.* *Ibid. v. 3.* *Ibid. v. 4.* *Jac. 4. v. 11.* *Salm. t. 86. diſp. 5.*

7. Qui de virtute manſuetudinis ſanctè gloriabatur David: *Memento Domine David & omnis manſuetudinis ejus*; ſeverum adeo ab Ammonitis ſumpſit ſupplicium, ut nec ſcriptura ſacra, nec ipſæ forſan etiam hiſtoriæ profanæ ullum memorent eo crudelius. Subjugata enim & devaſtata metropoli, *populum ejus adducens ſerravit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diviſitque cultris & traduxit in typo laterum; ſic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon.* Tanti cauſam quæritis exterminij? unica ipſum cauſavit Ammonitarum regis auribus allapſa murmuratio: *Putaſne, quod propter honorem patris tui miſerit David ad te conſolatores, & non ideo ut inveſtigaret & exploraret civitatem, & everteret eam, miſit David ſervos ſuos ad te?* Quis ſucceſſus: Calumniam pedem fixit: *Tulit itaque Ammon ſervos David, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias uſque ad nares.* Tantam igitur injuriam David, licet mitis & benignus, tanto ultus eſt exterminio. Imò detractioni & invidiæ, temerarium quoque judicium ſuperaddiderunt aulici Ammonitæ. Sanctus Jacobus Apoſtolus poſtquam ſuaſiſſet: *Nolite detrahere alterutrum fratres*, ſubjungit: *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi*, quæ verba conſiderans Salmeron, ait: *Ecce aliud vitium adjunctum detractioni, nempe judicium temerarium.*

## DISCURSUS X.
## ARGUMENTUM.

Detractio eſt farina diaboli, qui auctor illius eſt; maledici diabolici ſunt appellandi, ſuntque intimi ſolicitatores, advocati, Sacerdotes & Apoſtoli dæmonis.

### THEMA.

*Venit inimicus ejus & ſuperſeminavit zizania.* Matth. 13. v. 25.

Detract. eſt Diaboli ſemen. *S. Bonav. ſer. 5. in Dom. 5. Epiph.* *Pſ. 40. v. 9.* *S. Hier. ibid.* *S. Aug. ep. 137.* *1. Petr. 5. v. 8.*

1. Inimicus infernalis, qui numquam dormit, in id unicè incumbit ſtudium, ut Eccleſiæ campum, id eſt, fideles peſſima ſua conſpergat ſemente. *Superſeminavit zizania, id eſt, vitia & peccata*, inquit Sanctus Bonaventura, *ex quibus naſcuntur filiæ iræ.* Quis non videt, inter omnia pernicioſa & mortifera vitiorum ſemina, maximè familiare & domeſticum eſſe, illud detractionis? Quo circa lamentabatur David: *Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me*, quaſi dicat, peſſima quæque adverſum me locuti ſunt apud Saulem; qui ſtylus quotidianus eſt in aulis. Sanctus Hieronymus pro *verbum iniquum*, legit *verbum diaboli.* Paterna cum providentia nos admonet Sanctus Auguſtinus: *Mementote, quod ait Apoſtolus Petrus, quoniam adverſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens*

*quærens quèm devoret. Quem non poteſt devorare ſeductum ad nequitiam, famam ipſius inquinare conatur, ut, ſi fieri poteſt, opprobrijs hominum & malarum linguarum detractione inficiat, & ſic in ejus fauces ruat; Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc ei perſuadere tentat, ut per malevolas ſuſpiciones de fratre ſuo judicet.* Sanctus Cyprianus pariter ad Antonianum ſcribens, maledicti zizania ſub diabolicæ farinæ exhibet ſchemate, dum ait: *Quod autem quædam de Cornelio inhoneſta & maligna jactantur, nolo mireris, cum ſcias hoc eſſe opus ſemper diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet.* B. Laurentius Juſtinianus poſtquam varia edocuiſſet damna, quæ cætus generant detractorum; tandem ita concludit: *Eſt quippe detractor mortifera ſagitta, emiſſa de pharètra Satanæ ad perdendas animas, à quo quicumque declinavit, Deo & hominibus amabilis erit.* Imò teſte D. Auguſtino: *Majora vulnera ſunt linguæ, quam gladij; gladius corpus interſicit, animam non interficit.* Dæmonium morti inhiat animarum ideoque hujuſmodi detractionis & murmurationis armis utitur & ſagittis, quibus dum ferit, tres vulnerat ictu unico, ſcilicet detrahentem, perſonam cui detrahitur, & auſcultantem.

2. Nequaquam hoc loco prætereundem eſt; quod Sanctus Chryſoſtomus viva voce ſua, populo Antiocheno in hæc verba dedit conſilium: *Fugiamus dilecti, fugiamus detractiones dilecti, quod eſt totum ſatanicum barathrum inſidiarum ejus; Ut enim noſtra negligamus, & graviores nobis reatus conſtituamus, in hanc nos conſuetudinem diabolus duxit.* Idem Sanctus alio in loco, ut nos contra detractionis vitium muniat, ejusque horrorem incutiat, illud infernali inimico noſtro præ omnibus alijs ſceleribus ſingulariſſimè placere, his aſtruit verbis: *Propellamus etiam à nobis eos, qui detrahendi ſtudio tenentur, ne alienis malis aſſentientes, nobis ipſis exitium accerſamus, nec libenter detractionem audiamus, ne diabolicis cogitationibus impleamur. Etenim ipſa detractio diabolica appellatur, naturalem ſcilicet à parentis ſui detractione appellationem nacta; quamobrem qui detractioni ſtudet, diabolo ſervit.* Notate verba: *Naturalem à parentis ſui detractione appellationem nacta*; quia nimirum primum hujus vitij principium & origo fuit diabolus. Unde Sanctus Bernardinus inquit: *Origo & cauſa detractionis fuit invidia diaboli quam habuit in cælo empyreo ad Dei filium incarnandum; nec ſufficit peſtifero detractori detractionem diffundere contra Chriſtum in cælo in natura Angelica, inſuper detractionis virus conatus eſt diffundere in terram in natura humana, ut dedignaretur Dominus de humano genere carnem aſſumere.* Poſt revelationem myſterij incarnationis verbi, indignatus Lucifer, quod verbum naturæ humanæ unionem appeteret (*nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*) Deum malignitatis & maledicentiæ ſuæ armis oppugnare cœpit & rebellare cum ſequacibus apoſtatis; neque eo contentus, in Paradiſum poſtmodum tranſijt terreſtrem, idemque venenum in ſerpentem transfudit; id quod incarnata ſapientia inferre voluiſſe videtur, cum diceret: *Ille homicida erat ab initio.* Vel ab ipſis primis natalibus ſuis homicida, id eſt, detractor fuit (ut enim probavimus in diſcurſu præcedenti, detractio ſpirituale eſt homicidium) cujus hæc aſſignatur ratio: *In veritate non ſtetit.* Mendacio noſtros ſeduxit protoparentes, primæ veritati Deo detrahendo, cumque invidiæ & mendacij reum inſimulando: *Nequaquam morte moriemini, Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Communi omnium creatori vitium imputavit livoris, utpote qui bono eorum invideret, ideoque pomi eſum ipſis inhibuiſſet. *Ad quam*, inquit S. Bernardinus *virulentus ſerpens, peſtiferum virus ore in eam diffundens, ait: nequaquam &c. Cujus detractioni Eva conſentiens, ruit conſortemque ſuum ac cum illo totum genus humanum profundavit in æternum interitum.* Hanc ſementem exinde ſemper humanæ ſtirpis agro inſperſit.

3. *Venit inimicus &c.* Dionyſius Carthuſianus inquit: *Porro detractio, ſuſurratio, ſeminatio diſcordiæ, contumelioſumque verbum, non aliud, quam diabolica ſemina reputentur à nobis, & ea tamquam venena tartarea ſemper vitemus.* Curioſum eſt S. Auguſtini dogma, dicentis: *Videte fratres, quanta mala habet lingua; in bono magna eſt, in malo mors eſt. Diabolus unde cecidit? numquid furtum fecit? numquid homicidium fecit? numquid adulterium fecit? Diabolus non*

Quo innocentes maculare nititur.
S. Cypr. ep. ad Ant.
B. Laur. Juſt. de diſc. & perf. mon. conv. c. 22.
S. Auguſt. ad frat. ſer. 43.
S. Chryſ. t. 1. h. 3. ad pop.
Hujus vitij author eſt Dæmon.
S. Bern. t. 2. ſer. 29. a. 1. c. 1.
Hebr. 2. v. 16.
Joan. 8. v. 44.
Ibid.
Gen. 3. v. 4.
Ibid. v. 5.
S. Bern. ibid. a. 1. c. 2.
Dion. Carth. ſer. 6. in feſt. S. Andr.
Linguæ mala.
S. Aug. ſer. 45. ad frat.

*propter hoc cecidit; ſed propter linguam, quia dixit: In cælum conſcendam, ſuper ſidera ponam thronum meum, ſimilis ero altiſſimo. Detractio grande vitium eſt; meipſum occido ſi alijs detraho, detractio, Diaboli laqueus eſt.* S. Bernardinus quamdam citat S. Bernardi ſententiam, tam detrahentes, quam detractionibus & murmurationibus auditum præſtantes, oppugnantem, ait enim: *Detractor & detractorum libens auditor, uterque diabolum habet, ille in lingua, iſte in aure;* *ex quo quodammodo poteſt ſequi*, ait S. Bernardinus, *quod, quot detractores audis, tot in auribus dæmones recipis.*

4. *Venit inimicus &c.* Interrogarit fortè quiſpiam, cur Dæmon, cæteroquin ſagaciſſimus volens ſupplantare Evam & ſeducere Adam, linguam non adhibuerit infernalem, ſed ſerpentis. Certum eſt, Adamum à Deo juſſum fuiſſe, ut omnibus animalibus nomina imponeret, id quod dominij ſignum erat: *Adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea*, conſequenter & ſerpens homini ſubjectus erat; utique reſpondet Baſilius Seleucus, *& ſerpens hominis ſubjectus erat arbitrio, ſic enim factum eſt, ut linguam diabolo commodarit.* Cur ergo Dæmon linguam adhibuit animalis, homini ſubditi; ut hominem ſeduceret & proſterneret? Vidimus in diſcurſu ſexto, quanta ſerpentem inter ac detractorem conformitas & ſimilitudo intercedat, merito itaque ſerpentem intravit Dæmon, quia hoc præcipuè detractionis veneno hominem interfecturus erat. Præterquam quod etiam aſſerere poſſumus, quod ſicut ſerpens homini ſubjectus, hominem præcipitavit; ita quoque ſubditi, ſcilicet ſervi & ſimiles, plerùmque primi ſint in detractionibus & murmurationibus, ita ut panis quaſi quotidianus ſit murmuratio, quo ſe ſubditi nutriunt contra principes. Aſt ſi ſerpens Diabolo tamquam inſtrumentum ſervivit ad caſum humanum, quibus porrò titulis Doctores ſacri detractores afficiant, auſcultemus. Hugo Cardinalis illum explanans Proverbiorum textum, *Cum detractoribus ne commiſcearis*, talem hujus moniti rationem aſſignat: *Quia fundibularij Diaboli ſunt & vicinos ſuos lapidibus convitiorum & opprobriorum ſæpe percutiunt.* Qui idem in illius Apocalypſeos (*vidi equos, & de eorum ore procedebat ignis*) commentario, ait: *Equi diaboli ſunt detractores, de ore eorum locutio mala procedit.* Sanctus Bernardinus eos falſos appellat Dæmonis teſtes: *Sunt diaboli falſi teſtes, qui nec rogati nec examinati, teſtimonium perhibent eo abſente, contra quem teſtimonium ferunt;* & idem alibi inquit: *Secundùm radicale peccatum, ex quo detractio generatur, eſt crudelis ſtultitia ſeu amentia, unde de tali corde ſcriptum eſt: Os fatui ebullit ſtultitiam; quia ſcilicet fatuitas cordis per detractionem ebullit in ſtultitiam oris. Nec mirum, ſi ſtultitia regnat in corde detractoris, cum à dæmone, qui ſtultitiæ caput eſt, prædominetur.* Belluacenſis ſcribit: *Sunt orcelli diaboli, pleni aqua benedicta diaboli, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt; lingua eorum eſt diaboli aſperſorium.* Deinde inter utroſque comparationem inſtituens, proſequitur: *Similes ſunt diabolo, qui crudelis eſt bonis, crudelior ſuis, crudeliſſimus ſibi ipſi. Crudelis eſt bonis, quia quorum vitam non poteſt mordere interius aut penetrare, fœdare nititur exterius diffamando, ſi poteſt, & falſum crimen imponendo.*

5. Detractores non modo inſtrumenta diaboli, ſed & diabolici nuncupantur, id quod ex diverſis locis probari & evinci poteſt. Et in primis quidem ubi noſtra vulgata legit: *Mulieres non detrahentes*, græca habet: *Non diabolicas.* Item quandonam Salvator noſter, cæteroquin patientiſſimus in ſufferendis injurijs omnibus, ſcribas nihilominus & Phariſæos diaboli filios nuncupavit? *Vos ex patre diabolo eſtis & deſideria patris veſtri vultis facere?* Tunc ſcilicet, quando maligna detractione calumniati ſunt miracula & doctrinam ejus. *Grave eſt malum detractio*, inquit S. Chryſoſtomus, *turbulentus dæmon*; deinde ſubjungit, vitium hoc diabolicum dici, *etenim ipſa detractio diabolica nominatur.* Maledicus nobis in Proverbijs ſub ſpecie apoſtatæ exhibetur, cum dicitur: *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo.* Hebræus Habet *Belial*, alij legunt: *Homo diabolus.* Vatablus inquit: *Homo Belial, id eſt, qui omni ratione, humanitate, religione, pietate & omni probitate deſtitutus eſt. Vel: Homo nihili, impius & inutilis.* Chaldæus pro *Belial*, legit calumniator, & Symmachus pro *graditur ore perverſio*, legit: *In perverſitatibus*

S. Bern. t. 1. ſer. 23. a. 3. c. 3.
Detractorum elogia.
Gen. 2. v. 19.
Baſil. Sel. or. 2.
Prov. 24. v. 32.
Hug. Card. ib.
Apoc. 9. v. 17.
S. Bern. t. 1. ſer. 23. a. 1. c. 3.
Prov. 15. v. 2.
Belluac. in ſpec. mor. t. 3. l. 3. diſt. 3.
Diabolici ſunt.
1. Tim. 3. v. 11.
Joan. 8. v. 44.
S. Chryſ. in Pſ. 100.
Prov. 6. v. 12.



*bus oris*, S. Chryſoſtomus ad aliud propoſitum inquit: *Diaboli linguam habet, qui ut diabolus loquitur.* Qui nil niſi mala effutire novit, lingua ei diabolica eſt.

6. Diabolus omnes ſuas in proſternendo Job adhibuit vires, quem ut dejiceret potentius, varios ad ipſum ablegavit curſores, damnorum gregibus, armentis, ſervis, filijs &c. illatorum nuncios; aſt phraſin notate, qua quidam eorum uſus fuit, dicens: *Ignis Dei de cælo cecidit, & tactas oves pueroſque conſumpſit.* Olympiodorus hunc autumat fuiſſe diabolum in ſpecie humana, qui Deum inter & Jobum zizania ſeminare moliebatur; quaſi dixiſſe voluiſſet: Ecce mercedem, qua Deus tua recompenſat ſervitia, ignem de cœlo miſit, qui tuos abſumeret greges. *Siquidem illi perſuadere nitebatur*, inquit S. Chryſoſtomus, *deſuper è cælis illud bellum eſſe commotum, & ſervum Domini collidebat, Dominumque cum ſervo*; Origenes nihilominus arbitratur, diabolum huic ſoli ex omnibus vitam donaſſe, ut ſuperſtes triſte hoc Jobo deferret nuncium: *Nuncius venit ad Job, qui conſervatus ab adverſario, miſſus eſt à diabolo.* Ne autem nos opinionum diverſitati implexi, pariter dubitemus, ſi homo fuerit an dæmon, reſolvere poſſumus: eum hominem fuiſſe diabolicum; quia *diaboli linguam habet, qui ut diabolus loquitur.* Audierat diabolus Jobum à Deo laudatum; *Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis?* ſubitoque ſerpentinam ſuam, ad ei detrahendum laxavit linguam: *Numquid Job fruſtra timet Deum? nonne tu vallaſti eum &c.*

7. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*, inquit Salvator, *in pace ſunt ea, quæ poſſidet.* Per hunc armatum Beda diabolum intelligit; ſed quænam eſt pax iſta? Hugo Cardinalis reſpondet: *Ea quæ poſſidet, id eſt, peccatores, eos non vult inquietare diabolus, quia ſibi favent.* Aſt maxime omnium illi favent detractores, qui veluti ſunt diaboli incarnati, ab eoque poſſeſſi juxta illud S. Bernardini teſtimonium: *Pleno jure talis conſcientia eſt illud atrium à diabolo cuſtoditum, de quo Dominus ait: Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace, utique mala, ſunt omnia, quæ poſſidet, & licet ſemper ſint in aliqua fatuitate, ac detrahendo loquantur ſtulta, ſemper tamen ſe palliant ac cooperiunt ſub clypeo ardentis zeli.* Quis mirabitur Judam à Chriſto diabolum appellatum fuiſſe? *Unus ex vobis diabolus eſt*; & alibi: *Cum diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas &c.* quia nimirum murmurator & detractor erat, prout in cap. 12. S. Joannes atteſtatur. S. Bernardinus aliam nobis conſiderationem exhibet, dum ait: *Cum cætera vitia unum dæmonem habeant in prælatum, ſola crudelitas detractoris à multis dæmonibus poſſidetur.* Id quod probat ex hiſtoria duorum dæmoniacorum, qui teſte S. Matthæo, deſæviebant in ſepulchris; ita namque & detractores à dæmonio poſſeſſi ſunt, inque ſepulchris degunt, quoniam *ſepulchrum patens eſt guttur eorum*, vid. diſc. 6. Crudeles ſunt ſupra modum, ſiquidem non ſubſtantiam, non vitam, ſed honorem & famam, omnibus opibus chariorem, ijs auferunt, quibus detrahunt. *In cujus myſterium dæmoniacus ille, qui morabatur in monumentis (quia ſepulchrum patens eſt guttur eorum) legionem dæmonum in ſe habuiſſe refertur.*

8. S. Antonius de Padua latius progreſſus, detractores, diaboli ſacerdotes nominat, inquiens: *Detractores ædificant de lapidibus tactis ferro altare diabolo, ut ibi ſacrificent ſanguinem, id eſt famam peccatoris.* Cui & Michael de Bononia (quondam *incognitus* dictus) aſſentitur, dum illum Pſalmi verſiculum: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar*, ſequenti illuſtrat commentario: *Detractor dæmonibus eſt conſecratus, quia omnes detractores vicarij ſunt diaboli, & ideo tamquam ejus vicarij & ſucceſſores ejus, hæredes erunt pœnæ infernalis.* Hugo Cardinalis in iſtius textus gloſſa: *Os bilingue deteſtor, iſti*, inquit (ſcilicet detractores) *proprie ſunt apoſtoli diaboli; unde poteſt dici de ipſis: Loquebantur varijs linguis pſeudo Apoſtoli magnalia diaboli.*

9. Mulier quædam à dæmone obſeſſa, quemadmodum acta teſtantur Apoſtolorum, S. Paulo & Silæ acclamabat: *Iſti homines, ſervi Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis.* Vos ego interrogare cogor; quandoquidem diabolo proprium eſt, de ſervis Dei ſemper male loqui, cur modo ſecus factitat, in eorum laudem effuſus? aſtutiam diſcite ſerpentis; eos dæmon in ſomnum inducere moliebatur; ut ijs dormientibus, per Apoſtolos ſuos, id eſt, per calumniatores & detractores, zizania diſſeminare poſſet;

Hom. 19. in Matth.
Linguam habent Diabolicam.
Job. 1. v. 16.
Olympiod. in cat.
S. Chryſ. ibid. in cat.
Job. 1. v. 8.
Ibid. v. 9.
A Dæmone poſſeſſi.
Luc. 11. 21.
Beda.
Hug. Card. ib.
S. Bern. ibid. c. 3.
Joan. 6. v. 71.
Cap. 13. v. 2.
Cap. 12. v. 2.
S. Bern. ibid. cap. 2.
Matth. 8. v. 28.
S. Ant. de Pad. ſer. in ſabb. D. 3. Qu.
Pſ. 100. v. 5.
Incogn. ibid.
Ejus ſunt ſacerdotes, Vicarij Apoſtoli.
Prov. 8. v. 13.
Hug. Card. ib.
Advocati.
Actor. 16. v. 17.

neque à ſcopo aberravit, ſiquidem *videntes Domini ejus, quia exivit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum & Silam, perduxerunt in forum ad Principes & offerentes eos magiſtratibus dixerunt, hi homines conturbant civitatem noſtram, & annunciant morem quem non licet nobis ſuſcipere, neque facere.* Tantumque effecerunt, ut Apoſtoli flagellis, carceribus & compedibus excruciati fuerint; non igitur ſui diabolo deficiunt ſolicitatores. Hugo Cardinalis dum illa explanat verba: *Detractores Deo odibiles, ipſi*, inquit, *proprie ſunt advocati diaboli.*

Rom. 1. v. 30.
Hug. Card. ib.

## DISCURSUS XI.

## ARGUMENTUM.

De ſupplicijs detractorum temporalibus & æternis.

### THEMA.

*Cum detractoribus non commiſcearis, quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam utriuſque quis novit?* Prov. 24. v. 21. 22.

1. OPportunum in primis hoc auribus noſtris inſonat Sapientis monitum ad reprimendum maledicorum pruritum, ſcilicet ſeveriſſimi intentatio ſupplicij; *quaſi dicat*, verba ſunt Lyrani, *valde magna erit, quia poſt ruinam culpæ, incurrent gehennæ.* Id quod & Hugo Cardinalis expreſſit, inquiens: *Repente conſurget perditio eorum, quia perdentur æternaliter.* Indigitat autem ſapiens non modo maledicos, ſed & omnes alios, murmuratorum fautores, inſtigatores aut ſpontaneos auſcultatores: *Subito ruunt in infernum, & qui favent eis; & ruinam utriuſque, id eſt, detractoris & faventis ei, quis novit?* vel ut Dionyſius Carthuſianus diſcurrit: *Quis novit? id eſt, quam diſtincte damnandi ſint, ignoramus. Ecce quam rigoroſe & ſerioſe, imo & ſæpe loquitur Salomon contra hoc vitium; & tamen multi valde incaute ſe habent circa facinus tantum, & igitur proni ſunt ad obloquendum, etiam ex ſola & levi ſuſpicione, quod eſt utique ineffabiliter periculum.* Notatu digna eſt S. Anſelmi ſententia, inquientis: *Summopere cavendum eſt peccatum detractionis, quia fomes eſt tantæ perditionis.* S. Joannes Damaſcenus D. Chryſoſtomi authoritatem citat, dicentis: *Non ij dumtaxat, qui alijs obtrectant, verum etiam illi, qui cauſas & occaſiones obtrectandi temere præbent, ſupplicio, quod maledicentiæ eſt, obnoxij ſunt.*

2. Obſervaſtiſne umquam, quando Chriſtus Scribas & Phariſæos præſentia ſua deſtituerit? tempore detractionis. Vix impij contra Apoſtolos coram divino magiſtro, malitioſas exeruerant linguas, dicentes: *Quare diſcipuli tui transgrediuntur traditionem &c.* moxque Salvator, præmiſſa Apoſtolicæ innocentiæ defenſione, dorſum obvertit malignis; *Et egreſſus inde Jeſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. Scribis & Phariſæis*, inquit S. Hieronymus, *calumniantibus relictis, tranſgreditur in partes Tyri.* Summum omnium ſuppliciorum eſt, derelictum eſſe à Deo. Alia quadam vice; poſtquam Salvator eoſdem maledicos & detractores Phariſæos per dilemma convicisſet & confudiſſet; *circumſpiciens eos cum ira contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum*, leonem induit & fulmina indignationis contra generationem illam peſſimam vibrare cœpit, qui cæteroquin ipſamet manſuetudo erat, merito glorians: *Diſcite à me, quia mitis ſum.* Sanctus Carolus Borromæus in concione quadam ſynodali ad Clerum habita, inquit: *Forte in ſacris literis non reperimus delictum ullum, adeo continuate & graviter punitum, ac iſtud.* Id quod Sanctus probat ex diverſis, populo Hebræo in deſerto, in murmurationum, contra divinam providentiam & Moyſen admiſſarum pœnam, inflictis ſupplicijs; noluit namque Dominus, ut vel unicus ex tam immenſo murmuratore & detractore cœtu, ſuum terræ promiſſionis, quæ beatitudinis æternæ figura erat, pedem inferret. Quot obſecro graviſſima illius populi flagitia diſſimulavit Dominus, aut ſaltem debitam ijs pœnam procraſtinavit? at murmurationis crimen manifeſtiſſimis ſupplicijs punivit: *Repente conſurget perditio eorum*; modo ignitos immittendo ſerpentes, modo terræ vorticibus reos, ut Daran Abiron vivos, abſorbendo; & prout notat Sanctus Carolus de Maria, duorum ſanctorum ſanctorum fratrum ſorore: *Hæc mulier alioquin innocens & ſancta ac Deo placens, quoniam tamen adverſus fratrem Moyſen*

Detract. repentina ſupplicia.
Lyranus. ib.
Hug. Card. ib.
Dion. Carth.
S. Anſelm. de ſimil. 109.
S. Joan. Dam. Paral. l. 2. c. 68.
Detract. Deus derelinquit.
Matth. 15. v. 2.
Ibid. v. 21.
S. Hieron. ib.
Marc. 3. v. 5.
Act. Eccleſ. Med. p. 7. conc. 41. cart. 1171.
Punit.
Loc. cit.

*ſen murmuraverat, lepra punita eſt, nec Moyſes aut Aaron illius fratres, quorum precibus toties iratus Deus populo pepercerat, ab eo obtinere potuerunt, quin per ſeptem dies leproſa exiſteret.* Aſt quid de Moyſe aſtruemus, tanto Dei amico, ut *per modum tranſeuntis*, quemadmodum ſcholæ loquuntur, æternam contemplatus fuerit beatitudinem ? hic ipſe in pœnam prohibitus fuit, terræ promiſſionis pedem inferre, quia nimirum nimio ſuccenſus zelo, cum Deum propter tantam populi ingratitudinem iratum videret, in aliquod prorupit diffidentiæ verbum ex ſuperabandanti nimis pietate. Audiamus S. Ephræmi ſententiam.

S. Ephrem de morb. ling.

*Si Moyſen*, inquit ille, *qui quaſi Deus extitit Pharaoni, una vox excluſit à terræ promiſſæ poſſeſſione; quanto magis petulantia linguæ, quam in Deum & in homines nos acuimus, à Paradiſo nos arcebit ?* Cui ſuffragaturus S. Chryſoſtomus, ait:

S. Chryſoſt. Rom. 16. 3.

*Cujus nobis ſalutis ſpes, dum nos quotidie principes infinitis convitijs abluimus ? nec Moyſes, qui tantum populum, poſt recentem illam impietatem, precibus obtinuerat, pro ſorore ſupplicans & veniam petens, placare eum potuit, ſed ab eo valde imprecatur, quo diſcamus & nos, quantum malum ſit, Principibus maledicere & aliorum judicare vitam.*

Exemplum in Juda.

3. Notatu digniſſimus in præſenti occurrit quidam Evangelij textus, tractans de Juda, quando ſe in traditionis barathrum præcipitavit. Dicitur namque:

Matth. 26. v. 14.

*Tunc abijt unus de duodecim*, id eſt, *tunc* ſeu in illa hora ſe reſolvit, Chriſtum tradere & divendere. Sed quando ? poſtquam contra divinum ſuum magiſtrum murmuraſſet ob profuſionem pretioſi unguenti: *Tunc abijt.* Tunc meruit derelinqui à Deo, ut in profundum adeo corrueret præcipitium. In libro Numerorum legitur:

Num. 11. v. 1.

*Interea ortum eſt murmur populi quaſi dolentium pro labore contra Dominum, quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt.* Sed quo ſucceſſu ?

Ibid.

*Et accenſus in eos ignis Domini, devoravit extremam caſtrorum partem.* Aſt cur eam potius conſumpſit partem ? quia inibi, reſpondet Oleaſter, vulgus & fæx populi degebat, cui proprium eſt murmurare.

Detract. ſubito puniuntur.

4. Divina juſtitia temporales quandoque etiam murmuratoribus infligit pœnas, eos in vita præſenti adverſis caſibus & miſerijs ſubjiciendo. Poſtquam David dixiſſet:

Pſ. 5. v. 11.

*Sepulcbrum patens eſt guttur eorum*, mox ſubdit: *Decidant à cogitationibus ſuis*, Cajetanus legit:

Cajet. ibid.

*Deſolare fac eos Domine*; quam maledictionem ſæpe ſæpius in ſe adimpletam experiuntur maledici. *Detrahentem ſecreto proximo ſuo*, rex quidam efferebat olim, *hunc perſequebar*:

Pſ. 100. v. 5.

Certum eſt, regum perſecutiones; familiarum eſſe deſolationes; quorſum igitur hæc infeſtatio ? Audite Cardinalis Bellarmini reſponſum. *Proprie autem ſignificat*, inquit ille, *excindam ſive excandebam, poteſt exponi varijs modis pro varietate criminis delatorum, ut ſit conſenſus: Excindam ab amicitia, vel ab aula, vel denique à vita.* Aureum cordibus veſtris impreſſum vellem S. Hieronymi monitum, inquientis:

S. Hier. ep. 14. ad Cel.

*Nulli omnino umquam detrahes, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis, magisque vitam tuam ordinare diſces, quam alienam carpere; ac ſemper ſcripturæ memor eſto, dicentis: Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* Quam ob rem maledici Ammonitæ ſeveriſſimum ſubiere exterminium, in quorum rege S. Bernardinus detractorem autumat deſignari, inquiens:

2. Reg. 10. v. 4.

S. Bern. t. 2. ſer. 29. a. 2. c. 4.

*Veſtes detruncat uſque ad nates, cum in eis detegit, ſi quid fuerit pudibundum.* Qui Sanctus in alio quoque ſermone ait; *Quam condignam & terribilem pœnam pſalmus talibus detractoribus annunciat, dicens: propterea Deus deſtruet te in finem, id eſt, irrevocabiliter, & in hoc denotatur deſtructio æternalis, quæ ſine fine erit. Atque de temporalibus exterminijs addit, dicens evellet te; ſcilicet de ſtatu, in quo ſtare videris radicatus & firmus.* Qui idem etiam Sanctus, illum textum: *Repente conſurget perditio eorum*, cum alia minatoria Pſaltis proteſtatione conjungit, inquientis: *Subitò ſagittabunt eum*; ubi tamen pro ly ſubito Sanctus Hieronymus legit: *Ex improviſo.* O juſtiſſima vindicta ! pœna culpæ correſpondeat oportet, ſed detractor ſubito & unico verbo famam tollit proximi, ſiquidem *acuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum, ſubito ſagittabunt eum*; ergo jure meritiſſimo: *Repente conſurget* etiam *perditio eorum.* Si vero divina quandoque vindictam juſtitia differat, in majus eorum damnum hæc cedit dilatio, finem vitæ eorum expectans. *Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa, propterea Deus deſtruet te in finem*; ad literam: in termino vitæ. *Verba præcipitationis*, quia vel unicum detractionis verbum ſufficiens eſt ad deturbandum quempiam ab altiſſimo etiam gradu; variæ autem hujus textus circumferuntur verſiones, alijs legentibus: *Verba perditionis*; alijs, *corruptionis*; alijs, *demerſionis*; alijs: *voraginis, deprecationis, oppreſſionis, diſſipationis.*

Ibid. v. 2. — Pſ. 51. v. 7. — Prov. 24. 22. — Pſ. 63. v. 6. — S. Hieron. ib. — Pſ. 63. v. 4. — Pſ. 51. v. 6. — Ibid. v. 7. — Lorin. ibid.

5. David etiam alio in Pſalmo ita cuidam exprobrat detractori:

Pſ. 49 v. 19. Severum habebunt judicium.

*Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos; ſedens, adverſus fratrem tuum loquebaris; hæc feciſti, & tacui*; quibus verbis edocetur facta ſupplicij dilatio & offenſæ ad tempus diſſimulatio; Unde S. Auguſtinus ait:

S. Aug. ibid.

*Vindictam ſuperſedi pœnitentiam diu expectavi.* Aſt ubi advertit, pœnitentiæ abuſum fieri, in indignationem converſus, ait: *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis ? arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* S. Thomas inquit:

S. Thom. ib.

*Hic ponitur divina ſeveritas, & primo in ejus reprehenſione; ſecundo in effectu. Dicit ergo: Arguam te, id eſt, condemnabo te ſtatuam contra faciem tuam; Deus qui punit, non ſolum punit per ſeipſum, ſed etiam per alias creaturas. Tacui*, inquit Deus in Iſaia, *ſilui patiens fui*; ſed veniet tempus furoris, quando *ſicut parturiens loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul.*

Iſ. 42. v. 14.

Maledicorum differtur pœna, ut poſtea non emendatis conduplicetur; ad quod forſan alludere voluit Salvator in ijs, contra malignos murmuratores Judæos prolatis verbis:

Matth. 12. v. 28.

*Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Quale regnum ? idem Evangeliſta in cap. 26. 28. & S. Lucas cap. 9. docent, per regnum iſtud, ſeveriſſimum intelligi judicium Dei; Unde Auctor operis imperfecti ait:

Auct. Imperf. n. 29.

*Quidam hoc interpretatur, ſi ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia ſicut & eſt verum, vos autem dicitis me in ſpiritu Beelzebub efficere rei eſtis judicij propter quod appropinquat in vos regnum Dei juſtum, ut ſecundum blaſphemias veſtras judicemini.* Ecce vobis aſſociatam calumnioſis detractionibus ſeveritatem judicij.

Bell. ſpec. mor. t. 3. l. 3. diſt. 3. Hiſtoriæ.

6. Belluacenſis de Religioſo quodam Anglo tradit, dum hic ad detractionis vitium per totam vitam proclivis, in mortis tandem incidit articulum, rogatus ut confiteretur, reſpondit: Non poſſum. Omnibus igitur eum animantibus & ad miſericordiam Dei ut recurreret, impellentibus, ſubjunxit: Actum agitis, impoſſibilia urgetis, moxque productam digito deſignans linguam, ait; *Iſta peſſima lingua me condemnavit.* Hocque dicto, adeo intumuit lingua, ut eam retrahere nequiret, quibus in anguſtijs reprobam horribiliter efflavit animam. Non abſimile alteri cuidam inflictum, ſcriptor quidam Franciſcanus in hæc verba recenſet ſupplicium.

Jo. Ædus in faſcic. virt. & vit.

*Hic morte præventus eſt ſine confeſſione; neque enim merebatur, ut ea lingua peccati venenum evomeret, qua tam frequenter aliorum innocentiam laceraret. Apparuit non longe poſt mortem cuidam, vitæ ſuæ præmia condigna oſtendens; habebat linguam quaſi ignem, ab ore uſque ad terram dependentem, qua crebris morſibus, mordebat corrodebat, expuebat; cumque particulatim eam conſcidiſſet, rurſus ad priorem quantitatem reformabatur, denuo corrodenda. Quæſivit is, cui apparebat; quidnam hoc deſignaret; reſpondit, quia cum vixi, per maledictum hoc membrum omnes ſum perſecutus, ab hoc tormento in perpetuum non liberabor.*

Reprobi ſunt.

7. Reprobos in die judicij condemnaturus judex, dicet:

Matth. 25. v. 41.

*Diſcedite à me maledicti.* Qui maledicti, niſi detractores Cham, quos maledictione replevit pater eorum, quia corporalem revelarant patris nuditatem; at ſcelus hoc nullam cum alienorum delictorum manifeſtatione proportionem habet; qua de re S. Chryſoſtomus in hæc verba diſcurrit:

Gen 9 v. 22. S. Chryſ. h. 29. in Gen.

*Qui ſenſibilem nuditatem evulgavit, maledicto ſe fecit obnoxium & excidit ab honore, quem parem habuit cum fratribus, condemnatus ut illis ſerviret; quid patientur, qui peccata fratrum evulgant, & non ſolum non contegunt & excuſant, ſed magis ea faciunt manifeſta, multaque ex hoc operantur peccata ? Suſurro & bilinguis maledictus, id eſt, maledictione dignus illa*, inquit Hugo Cardinalis, *ſcilicet ite maledicti in ignem æternum.*

Eccli. 28. v. 15. Hug. Card.

Thomas Cantipratenſis narrat, ſacerdotem quemdam, huic deditum vitio, ante mortem in furias incidiſſe, proprijsque dentibus ſuam ſibi linguam laceraſſe & diſcerpſiſſe, ut coram omnibus propheticum illud in ſe adimpletum demonſtraret oraculum:

Th. Cant. l. 2. c. 37. n. 2. Hiſtoria.

*Vir linguoſus non dirigetur in terra, virum injuſtum mala capient in interitu*; injuſtus autem dicitur detractor, quia contra omnem juſtitiam, ſua proximum ſpoliat fama.

Pſ. 139. v. 12.

8. Saluberrimum nobis conſilium dat Sapiens, dum ait:



Sap. 1. v. 11. Lyran. ibid. Abſtinendum à Detract.

*A detractione parcite linguæ*; cujus hanc nobis rationem aſſignat Lyranus: *Nam linguæ injuriatur, cum ad detractionem proferendam applicatur, quia per hoc pœnam meretur.* Adducitque Epulonis exemplum, cujus in inferno lingua præ omnibus alijs partibus ſpecialiſſime cruciabatur, *eo quod inter epulas poſitus, detrahebat pauperibus.* Dionyſius Carthuſianus in ejuſdem textus commentario ſequentem inſtituit diſcurſum: *Parcite, id eſt, linguas veſtras non polluatis, nec ad ſupplicia obligetis obloquendo per eas; per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur; unde hortatur Apoſtolus, ut non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato. Verumtamen à detractione præſertim parcendum eſt animæ, ne æternaliter condemnetur, eſt enim detractio valde enorme crimen.* Ideoque S. Antiochus in hom. cui titulus: *De ſuſurratione*, nos admonet ſolicite:

S. Ant. t. 7. bibl. novæ H. 30.

*Suſurrationem itaque fratres quam maxime fugiamus, ne nos amœnitate privet Paradiſi atque tranſmittat in gehennam ignis.*

S. Bern. de mod. ben. viv. c. 47. Detract. ſupplicia quædam.

9. *Grave peccatum eſt murmuratio*, inquit S. Bernardus, *unde Gregorius; regnum cœlorum nullus, qui murmurat; accipit, nullus, qui illud accipit, murmurare poteſt. Præcordia fatui ſicut rota currus, fœnum portans & murmurans.* S. Chryſoſtomus illi Pſaltis intentus ſupplicæ: *Pone Domine cuſtodiam ori meo*; inquit: *Quænam autem fuerit hæc cuſtodia, niſi ratio & cogitatio, quæ urget terribiliter, habens præ manibus ignem eos uſturum, qui ore ſuo temere uſi fuerint ?* Teſte S. Vincentio Ferrerio, ſumma divina pietas detractori cuidam delicta remiſerat, cujus proinde anima in maledictionum pœnam ad Purgatorium conducta fuit, ex quo poſt ſatisfactionem omnimodam exempta, dum cœlum ingredi pararet, ſupernas ſibi portas in faciem occludi vidit, vocemque inaudijt dicentem ſibi: *Non intrabis, quia primo habes reſtitutionem facere famæ illius.* In terram itaque deſcendere coactus fuit, ut ſuo ſatisfaceret debito, nec cuiquam id difficile videatur creditu, inquit idem ſanctus: *Ego ſcio, id eſſe verum, quia ego ipſe fui per ipſum diffamatus & à me veniam petivit.* Dum Mariam, ſororem Moyſis, murmurantem punivit Dominus, nubes pariter ſe ſubtrahit:

S. Vinc. Ferr. ſer. in D. in Alb. — Num. 12. v. 10.

*Nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum*; in quo receſſus Dei deſignabatur, Deus namque ſuam abſcondit faciem, ſua murmuratores deſtituit viſione. *Detrahentes proximo ſuo*, inquit S. Auguſt. *expellit eos Dominus de Paradiſo.*

S. Aug. ſer. 26. ad frat. — Pſ. 30. v. 17. — Ibid. v. 18.

David nimias inimicorum ſuorum adverſum ſe prolatas, conſiderans murmurationes, ad Deum confugit, ſupplicando: *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in tua miſericordia, Domine non confundar, quoniam invocavi te.* Sed imprecationes inſuper audite, quibus ſuos ipſe onerat maledicos: *Erubeſcant impij & deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem in ſuperbia & in abuſione.*

Detract. cum latrone pereunt.

10. Juxta S. Lucæ teſtimonium, ſolus malus latro detraxit Chriſto in cruce, imo bonus acriter reprehendit impium calumniatorem, propter quod etiam tanta cum facilitate Paradiſum obtinuit.

Luc. 23. v. 43.

*Hodie mecum eris in Paradiſo.* Juſte igitur cecinit David: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in tabernaculo tuo ? Quis ? qui opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos.* Vatablus inquit: *Nec ſuſtinet probro indigne affici vicinum ſuum*; dum è contrario impius in ſua perſiſtens obſtinatione, perijt. De detractoribus liberrime dici poteſt: *Non timent Deum, & in eadem damnatione ſunt.* Salvator noſter in ſuos quondam exacerbatus detractores, ſequentibus eos perſtrinxit verbis:

Matth. 12. v. 34.

*Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali ? ex abundantia enim cordis os loquitur*: Cor detractoris, invidia, odio & malignitate plenum eſt. *Bonus homo*, proſequitur Chriſtus, *de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines; reddent rationem de eo in die judicij, ex verbis enim tuis juſtificaberis; & ex verbis tuis condemnaberis.* Quanto igitur diſtrictius ſeveriusque examen ſubibunt verba detractionis ?

## DISCURSUS XII.

### ARGUMENTUM.

Detractores furibus pejores ſunt, obligati ad reſtitutionem.



### THEMA.

*Super furem eſt confuſio & pœnitentia, & denotatio peſſima ſuper bilinguem.* Eccli. 5. v. 17.

Quid ſit bilinguis.

1. HOc Eccleſiaſtici teſtimonium evidenter probat, majorem eſſe detractoris ignominiam, & damnum ab eo cauſatum, gravius exiſtere quocumque alio, quod fur infert, dum ſubſtantiam expilat.

Paul. de Pal. ib.

*Bilinguis eſt*, inquit Paulus de Palatio, *qui aliud dicit, cum eſt coram te; aliud, quando eſt ſine te.* Talis detractor eſt, qui nobis abſentibus famam noſtram imminuit & reputationem. Interlinearis pro *denotatio*, legit *damnatio.*

Interlin.

Verſio græca habet: *Super furem eſt confuſio & denotatio peſſima ſuper bilinguem*; cujus axiomatis diverſæ occurrunt rationes, in diſcurſu præſenti examinandæ.

Detractor majus infert damnum quam fur.

2. *Super furem eſt confuſio &c.* Propria viget detractorem inter & furem comparatio; uterque enim tollit & furatur in abſcondito, hic ſubſtantiam, ille famam; cum hac nihilominus differentia, quod maledicus majus inferat damnum, utpote majoris atque excellentioris prædator boni.

D. Carth. ib.

*Suſurrator pejor eſt fure*, inquit Dionyſius Carthuſ. *quoniam majus infert nocumentum proximo, quam fur, fur namque tollit bona exteriora, ſuſurrator autem famam, pacem & amicitiam*; quæ omnia bona ſunt inæſtimabilia. Hugo Cardinalis ſimilem inſtituit conſiderationem, dum ait:

Hug. Card. ib.

*Majorem pœnam & confuſionem meretur ſuſurro, quam fur, quia fur tantum res furatur, ſuſurro pacem amici & famam boni nominis aufert, quæ melior eſt omni temporali poſſeſſione.*

Baſil. Sel. Comparatur tempeſtati.

Baſilius Seleucus in illa per S. Matthæum cap. 8. & S. Marcum cap. 4. deſcripta maris tempeſtate, detractorem adumbratum correptumque fuiſſe autumat. Mari intumeſcente, timidi ad ſuum Apoſtoli recurrerunt præceptorem, qui periclitantibus compatiens, ad mare ſe convertit:

Marc. 4. 39.

*Exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari; tace, obmuteſce. In vos profecto convenit* ô detractores, *à Domino contra mare profecta increpatio*, inquit Baſilius, *tace, obmuteſce, cujus enim procellam linguis imitamini, ejuſdem increpationem admittite.* Aſt in quo fundatur detractoris & tempeſtatis comparatio ? experientia teſte, vel unica maris lingua, id eſt, unica unda furioſa agitata vento, ſufficit ad quamcumque navem, mercibus divitem, & onuſtam, in abyſſum uſque præcipitandam & annihilandam; idem damnum, imò & naufragium, lingua maledica cauſare poteſt, per invidiam & malignitatem commota, ab alto felicitatis culmine in miſeriarum barathrum quemcumque demergere poteſt; id quod David inſinuare voluit, dum ait:

Pſ. 51. v. 6. — Mari.

*Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa*; quia nimirum detractio quoſcumque etiam virtuoſiores, magisque ſpectabiles & dignos præcipitat. Ex alio nihilominus capite, lingua maledica aſſimilari poteſt turbato mari; mare fur eſt, innumerabiles continuo merces auferens, ſuoque abſorbens fundo; longe pejorem detractor agit prædonem, utpote qui in invido pectoris ſui ſinu recludit, tumulat, deprædatur, non rem, ſed famam, honorem & reputationem proximi; quocumque etiam Peruano pretioſiorem auro; juxta illud Eccleſiaſtici teſtimonium:

Eccli. 41. 15.

*Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi & magni.* Unde & Doctor Angelicus concludit:

S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2.

*Auferre alicui famam valde grave eſt, quia inter res temporales videtur fama eſſe pretioſior, per cujus defectum impeditur homo à multis bene agendis.* Quantumvis enim bonus conceptus ad exercitium & meritum virtutis neceſſarius non ſit; negari nihilominus nequit, eumdem virtuti promovendæ plurimum ſuffragari, ideoque nobis conſulitur: *Curam habe de bono nomine.* Id quod in fructuum cortice aſſimilari ſolet, inque putamine eorum; licet enim neque hic, neque ille manducetur, imo uterque projiciantur; nihilominus ſi illis fructum denudaveris, notabiliter patitur corrumpiturque fructus. Neceſſarium eſt itaque, inquit Apoſtolus, nos bonos eſſe in conſpectu Dei & hominum, aſt non propter fines humanos, ſed *ut glorificent patrem, qui in cœlis eſt.*

Rom. 12. v. 14.

Quot equidem boni nominis conſideratio in arcto continet freno, ne ſenſibus, alijsque ſcandalis & diſſolutionibus habenas laxent ?

Nihil fama nobilius.

3. *Super furem &c. Amittere famam ſuam*, inquit Belluacenſis, *eſt valde grave, quia inter res corporales fama videtur eſſe pretioſior, per cujus defectum homo à multis bonis agendis, obtinendis vel acquirendis impeditur.*

Belluac. in ſpec. mor. t. 3. l. 5. diſt. 3.

Dionyſius Carth. inquit: *Peccata in proximum tanto ſunt graviora, quanto majus nocumentum inferunt*

Dion. Carth. in ep. d. Jac. p.

*runt ei; cum ergo per detractionem unus auferat alteri bonum nomen & lædat eum in fama, faciatque eum alijs contemptibilem atque deſpectum; ideo magis peccat quam fur, qui exteriorem tollit ſubſtantiam, quia bona fama eſt præſtantior*; quam veritatem ut palpemus ſenſibilius, diſcutere placebit, quantum nomen pro nobis, quantumvis rebellibus & traditoribus ſuis, incarnata æſtimarit ſapientia. Noverat Salvator, quod fuerat traditionis facinus machinatus Judas, ſacrilegus negotiator; ſciebat, eum indignum eſſe, cui pedes abluerentur, & multo magis, qui reliquos inter diſcipulos degens, ſacratiſſimo cibaretur corpore; nihilominus quia peccatum occultum erat, quia illæſam penes reliquos famam poſſidebat, Redemptor ſui potius ſacratiſſimi corporis, quam impij Judæ elegit præjudicium, licet paucas intra horas ſuum ipſemet Judas flagitium proditurus eſſet. In alijs quoque occaſionibus, ſumma Chriſtus uſus eſt circa alienorum peccatorum manifeſtationem, in tantum etiam, ut ne ipſum quidem diabolum, ficto indutum habitu prodere voluerit, neque eum manifeſtaſſet, niſi ipſemet nequam ſpiritus, quis foret, primus indicaſſet. In prima deſerti & ſecunda ſuper pinnaculum tentatione, non eum prodidit Dominus, ſed tantum in tertia ſuper montem; cauſam porro cur in tertio potius, quam in duobus prioribus aſſultibus diabolum manifeſtarit Chriſtus, hanc aſſignat Cajetanus: *Quia diabolus manifeſtaverat ſe eſſe principem mundi, ideo Jeſus non reſpondit illi ſicut homini ut prius, ſed expellit eum, vade Satana.*

Detractor magis peccat quam fur.

*Matth.* 4. *v.* 10.

*Cajetan.*

4. *Super furem &c.* Omnes in unam congeriem coadunare divitias, quas induſtria, cupiditas & favorabilis fortuna congregare poteſt; certo certius ſi honoris ſtimulo ducimini, omnibus mundi theſauris bonum præferetis nomen: *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ. Eſt ſubtilius quoddam rapacitatis invidiæ genus*, inquit Gilbertus Abbas, *quid enim? rapacitatem non putas, ſi pecuniæ parcis, famam decerpis? non concupiſcis poſſeſſionem, & laceras opinionem?* Deinde notabile quoddam attingit punctum, quo demonſtrat, detractorem omni eſſe pejorem fure; ait namque: *Quid tibi emolumenti aliena diminutio confert?* fur ſublatis ſe ditat bonis, aſt detractor qualem ex alienæ famæ detractione ſibi comparat fructum? quod fur aufert, ſibi incorporat; aſt famam bonumque proximi nomen, quod murmurator adulterat, non ſibi acquirit, ſed alienum in proximo, & proprium in ſeipſo deſtruit conceptum bonum, omniumque in ſe coagmentat auditorum & perſonæ diffamatæ odium.

*Prov.* 22. 1.

*Gilb. Abb. ſer.* 19. *in Cant.*

Melius. nomen bonum quam divitiæ.

Detractorum emolumentum.

5. *Super furem eſt confuſio*; poſtquam hæc verba pronunciaſſet Eccleſiaſticus, immediate ſubjungit: *Suſurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Paulus de Palatio in hujus loci commentario advertit, quod fur deprehenſus in furto, ignominiam, probrum & ſceleris pœnam incurrebat, quia juxta antiquæ legis decretum, quadrupliciter reſtituere debebat furtum; unde & David dicebat ad Nathan: *Ovem reddet in quadruplum*; imo etiam ſexies quandoque & ſepties reſtituere obligabatur, juxta teſtimonium libri proverbiorum. *Quo ſolato fur liber abibat*, inquit idem auctor, *at bilinguis inuretur peſſima infamia, peſſime ille apud omnes audiet, peſſima nota notabitur; hæc eſt denotatio peſſima; ſuſurratorem vero ultra hanc infamiam, proſequimur odio interiore, inimicitijs apertis, imo & contumelijs; ſi enim video meam famam ab eo denigrari provocor ut contumelijs ipſum afficiam.* Fur quandoque excuſari poterit; dicente S. Chryſoſt. *Scortator voluptatis ſtimulos in excuſationem affert, fur paupertatem.* Aſt maledicus qualem detractionis ſuæ adducere poterit excuſationem? aliud certe reſpondere nequit, quam quod alienam virtutem detractionibus ſuis obſcurare ſatagat; quod motivum jam olim Sapiens inſinuavit; quando dixit: *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut eſurientem impleat animam, deprehenſus quoque reddet ſeptuplum & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet.* Detractor autem ſublatam à ſe famam proxima, difficulter reſtituere poteſt. S. Iſidorus Peluſiota inquit: *Bona exiſtimatione melius ac præſtantius nihil eſt, nec Creſi theſauros cum ea quiſquam comparaverit.* S Bernardinus Davidis conſiderans Legatos, quibus ad ſe miſſis rex Ammonitarum veſtimenta ſuccidit, *veſtes obtruncat uſque ad nates*, inquit, *cum in eis detegit, ſi quid fuerit pudibundum.* Juxta commune proverbium, quicumque murmurans dicitur furtive ſuccidere chlamydem proximi; quemadmodum autem experientia teſte, nemo, veſtem refecturus, eam ita priſtinæ reſtituat integritati, quin ruptura præcedens ſemper appareat, ita nec umquam ablata ſemel fama adeo perfecte reſtituitur, quin non aliqua ex parte ſemper appareat denigrata. Unde quidam Alexandri paraſitus, qui omnes maledicos, ut cuicumque, quantumvis etiam innocentiſſimo & maxime innocenti, detraherent, extimulare ſolebat, dicere conſueverat: *Ut maxime ſanet vulnus, qui delatus eſt, manet tamen cicatrix.* In hujus igitur veſtis reparatione aut aliqua intercurret diverſitas in conſuendo, vel in panno, vel in colore; adeoque ſine ulla difficultate dignoſci poterit refectura. Ita pariter ad famam reſtituendam obligati, quantumvis in re exili, accuratam vix umquam attingunt conjuncturam; vel enim dictitant; ſe hoc illudve dixiſſe, conſcientiæ exonerandæ intuitu, aut aliud quodpiam fingent incredibile effugium.

*Eccli.* 5. 17.

*Paul. de Pal. ibid.*

*Exod.* 22. *v.* 1.

2. *Reg.* 12. 6.

*Prov.* 6. *v.* 30.

Detractorum fructus.

*S. Chryſ. t.* 3. *hom.* 37. *in Joan.*

Se excuſare non poſſunt.

*Prov.* 6. 30.

Nec famam reſtituere.

*S. Iſid. Pel. l.* 3. *ep.* 124.

*S. Bern. t.* 2. *ſer.* 29. *a.* 2. *c.* 3.

Totam.

*Eraſm. l.* 1. *Apoph.*

6. *Super furem &c.* Quanto omne divitiarum furtum unica famæ rapina excedat, Jeremias pariter inſinuare voluiſſe videtur, dum ait: *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt.* Sagittæ potius quam quibuſcumque alijs armis maledica aſſimilatur lingua, quia jaculi vulnus ſanatu difficillimum eſt; Unde modernus quidam ſcriptor inquit: *Inter inſtrumenta vulnus infligentia, nullum habet adeo difficile remedium; ac ſagittæ vulnus; nam ferrum ſagittæ profunde penetrat & veneno infectum eſſe ſolet, unde cum vulnus facit; non poteſt curari, niſi ſcindendo partem offenſam, periculoſaſque inciſiones & novas aperturas requirit*; Quam deinde ſimilitudinem ad eas ingenioſe applicat, quæ in famæ reſtitutione inveniuntur difficultates, dicit ergo: *Si qui famam lingua læſam cupit reparare & vulnus ſanare, ſæpe novam inciſionem & læſuram facit, renovat & auget vulnus, nec poteſt ferrum latens extrahere, hoc eſt, impreſſionem nocivam, quam lingua ſua venenata aliorum animis inficit, non poteſt educere & vulnus ſanare, manetque ipſe cauſa efficax damni.* Quam veritatem Sanctus quoque Bernardinus multo ante tempore his nos edocuit verbis: *Valde deteſtabile eſt hoc ſcelus, quia non tantum remedium ſibi contrarium proficit, quantum ſua malitia officit; amplius enim lingua detrahentis poteſt nocere, quam excuſatoria ſeu laudatoria poſſit proficere, maxime cum homines proniores ſint ad credendum & ad memoriæ commendandum mala, quam bona. Sit quidem qui malum dicat, profecto in promptu eſt, quod illud credatur. Venenum ſemel habitum plus gravaret, quam theriaca pluries ſumpta remedium daret. Sagitta quoque humano corpori infixa vulnerat in momento, ſed medicamina illi non proſunt, niſi longo experimento.*

*Jerem.* 9. *v.* 8.

Detract. lingua Sagittæ comparatur.

NB.

*S. Bern. ib. a.* 2. *c.* 7.

9. Obſervaſtiſne quandoque illam Davidis ſupplicam: *Deus laudem meam ne tacueris*: Quid poſtulas ô David? vanæ nimium & præſumptuoſæ hæ mihi videntur preces tuæ, humanam expetere laudem vitium eſt vanæ gloriæ, aſt à Deo magnificari velle manifeſtam arguit temeritatem; & tu nihilominus, vir ſecundum cor Dei, tua tibi à Deo præconia pandi ſolicitas? ut ſupplicantis innocentiam dignoſcatis, ea conſiderare juvat, quæ ſubdit verba: *Quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt*; dictam igitur ſupplicam David Deo obtulit, neceſſitatis non vanitatis impulſu, ut ſcilicet contra maledicos ſuos divino ſuffultus præſidio perſiſteret intrepidus, neque ullam ſiniſtræ famæ contraheret maculam, ſiquidem ad hunc effectum multoties, ut ita dicam, miraculoſa opus eſt aſſiſtentia & tutela Dei. Memorant hiſtoriæ, matrem quamdam pauperem ſed nobilem, duas habentem filias, in devotione erga Deiparam ſingulariter erudijſſe; quodam autem die ad altare B. Virginis deduxit utramque, eique in hæc verba ambas commendavit. Ecce virgo virginum duas iſtas, quas tibi offero virgines, quas dum ego dotare nequeo, tu earum curam habe, apprehenſiſque filiarum manibus, eas dextræ Virginis copulavit & diſceſſit. Vix domum reduci ſplendidus obviam factus juvenis, ei centum libras auri dedit, quibus honeſtiſſima mulier utriuſque filiæ conſuluit neceſſitatibus, moxque maledicæ linguæ, peſſima quæque ſuſpicantes, contra earum honeſtatem diverſa effutire cœperunt. Quale arbitramini à prudentiſſima genetrice diſcrimini tanto adhibitum fuiſſe remedium? filiabus juſſit, ut ſacratiſſimam Virginem reinviſerent, ibique flerent, uſque dum eas ab hujuſmodi purgaret calumnia; obedierunt matri filiæ; virgoque ſacratiſſima ipſas

*Pſ.* 108. *v.* 2.

In reſtitutione famæ miraculis opus eſt.

*Henriq. in ſpec. exem. n.* 9. *ex.* 1179



à dicta exemit impoſtura, modo ſequenti. Dum vice quadam devotæ filiæ verbum divinum in ingentis multitudinis medio auſcultarent, Angelus Dei cælitus delapſus, duas coram univerſis attulit corbes, albis repletas roſis; eaſque nomine virginis duabus illis puellis immaculatæ virgini devotis dedit, inquiens has vobis virgo Deipara mittit in ſignum inviolatæ caſtitatis veſtræ; an non igitur miraculis opus erit ad confundendam humanam malignitatem, ſemper ad male credendum, ubi de famæ reſtitutione actio eſt, perquam inclinatiſſimam? *Deus laudem meam ne tacueris &c.*

*Pſ.* 108. *v.* 2.

8. *Super furem &c.* Hugo Cardinalis obligationem detractoris in ordine ad famam reſtituendam edocturus, inquit: *Si, fur tenetur ad reſtitutionem rei furatæ, quanto magis ſuſurro ad reſtitutionem famæ denigratæ?* Sanctus Bonaventura quoque ait: *Tenetur detractor ad reſtitutionem bonæ famæ, quam abſtulit; majus bonum aufert detractor, quam raptor, & non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Et alio in loco idem aſtruit ſanctus Doctor: *Sicut mortale eſt, rem invito Domino pertractare; & qui hoc facit, ad reſtitutionem tenetur; ſic etiam alterius famam auferre, mortale eſt, & qui hoc facit, ad reſtitutionem tenetur.* Et de Sancto Franciſco idem Seraphicus præceptor tradit: *Nonnumquam vero eum, qui fratrem ſuum famæ gloria ſpoliaret, judicabat habitu ſpoliandum, nec ad Dominum oculos poſſe levare, niſi prius, quod abſtulerat, reddere pro poſſe curaret. Tanto major eſt, ajebat, detractorum impietas, quam latronum; quanto lex Chriſti, quæ in obſervantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum nos obſtringit optare ſalutem.* Sanctus Gregorius de quadam narrat religioſa: *Carnis continentiam habuit, ſed linguæ procacitatem non declinavit; defuncta atque in Eccleſia ſepulta eſt. Eadem nocte cuſtos ejuſdem Eccleſiæ per revelationem vidit, quia deducta ante ſacrum altare per medium ſecabatur; & pars una illius igne cremabatur, & pars altera intacta remanebat; cumque hoc ſurgens mane fratribus narraſſet: Et locum oſtenderet, in quo fuerat igne conſumpta, ipſa flammæ combuſtio jam ante altare in marmoribus apparuit, ac ſi illic eadem fæmina igne corporeo fuiſſet concremata.* Quo Deus exemplo nos forte erudire voluit, quod non ſufficiat de peccatis præteritis, etiam detractionum dolere, niſi, quantum fieri poteſt & debet, fama reſtituatur ablata. Quapropter Sanctus Chryſoſtomus viperam conſiderans, quæ poſt morſum ad aquam currit, quam niſi repererit, expirat, hanc detractoribus prælegit doctrinam: *Ita prorſus ſi quis venenum detractionis aliorum auribus inſtillarit, ſi vox exciderit incauta famam alienam violatura, mox eadem hora ad aquam pœnitentiæ accurrat, detraxiſſe doleat, deinceps futurus cautior, atque ſi ullo modo poſſit, reſtituturus, quæ lingua clanculum ademit. Difficile hic quidem ſed neceſſarium, & melius eſt ablata reſtituere, quam cum ablatis perire.*

*Hug. Card. ib.*

Detract. ad reſtitutionem tenentur.

*S. Bonav. t.* 6. *centil. part.* 1. *ſect.* 13.

*T.* 7. *in ſpec. animæ c.* 1.

*C.* 8. *vitæ S. Franciſc.*

Detract eſt major culpa quam latrocinium.

*S Greg. l.* 4. *dial. c.* 51.

Hiſtoria.

*D. Chryſ. h.* 3. *in Matt*

## DISCURSUS XIII.

## ARGUMENTUM.

Detractores nulli majus afferunt damnum, quam ſibi ipſis.

## THEMA.

*Suſurro coinquinabit animam ſuam, & in omnibus odietur.* Eccli. 21. v. 31.

Detract. ſibi ipſis nocent.

*Hug. Card. ib.*

*Paul. de Pal. ib.*

*Dion. Carth.*

1. PEr hunc ſuſurratorem ab Eccleſiaſtico inſinuatum, ſacri interpretes detractorem intelligunt occultum, Hugo Cardinalis inquit: *Id eſt, occultus detractor*, Paulus de Palatio pariter aſſerit: *Suſurro, detrahens honori aliorum & culpans alios.* Dionyſius Carthuſianus ſcribit: *Id eſt, murmurator ſeu ſiteas detractor, ſuſurrans in aure alterius*, qui dum ſuis maledictis offuſcare nititur alienæ candorem famæ, ſuam ipſemet denigrat contaminatque animam; Unde Sanctus Antiochus de detractione agens, *facile indicat*, ait, *talium vitam eſſe contaminatiſſimam atque impuram maxime. Coinquinabit animam ſuam*, inquit Paulus de Palatio, *grandem ſibi maculam irrogat, quid enim vilius probrum, quam ſuſurro vocari? is etiam odioſus omnibus eſt*, tam Deo quem hominibus, atteſtante Eccleſiaſtico: *In omnibus odietur; & qui cum eo manſerit, odioſus erit.* Neque enim recolit miſer, ſe, dum alios vituperat, primo omnium infamari & vituperari.

*S. Ant. h.* 7. *Bibl. nov. h.* 3.

*Paulus de Pal. ibid.*

*Vid. diſc.* 5.

*Eccli.* 21. 31.

2. *Suſurro coinquinabit animam ſuam. Ex tenerriAlanſi Bibliothecæ Moralis tom I.*

*mæ Mariæ Prophetiſſæ lepra*, inquit S. Ephræm, *docemur, quam grave ac deteſtabile vitium ſit obtrectatio. Corpus quod lepra infectum cernebatur, velut ſpeculum quoddam fuit animæ, quæ non perſpiciebat, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum eſt, quomodo hominis detractoris corrumpatur anima.* Sanctus Auguſtinus ad eamdem murmurationis pœnam ſeſe reflectens, ait: *Sicut lepra corpus proprium devorat & ſibi adhærentes inficit, ſic & murmurator non ſolum ſeipſum deſtruit, ſed etiam cunctos audientes inficit & perimit.*

*S. Ephr. de morb. ling.*

*S. Aug.* 28. *ad frat.*

Etiam murmuratores.

3. *Suſurro coinquinabit &c. Occultus detractor eſt quaſi vermis terræ*, inquit Hugo Cardinalis, *coinquinabit animam ſuam cum ore ſuo, quod verbis malis polluit; animam maculabit & in dictis & in factis ſuis, & in omnibus odietur, hominibus & Angelis & Deo.* Opprobrium ſane maximum eſt, devitari ab omnibus, & paſſim detractorem atque maledicum indigitari; alios infamare nititur detractor, ſeque ipſum præ omnibus conſpurcat primus; ideoque idem auctor eum flumini comparans, ait: *Magis ſe commaculat, dum maculas aliorum carpit & accuſat; quomodo fluvius dum terram mundat & ſuis aquis colluctulat, ab eadem terra ſordes ad ſe trahit & turbidas evadit.* Salutare proinde cuicumque maledico hoc Sanctus Ambroſius conſilium dedit: *De malo alieno non coinquines os tuum; numquam detrahe peccanti, ſed condole, quod in alijs detrahis, in te potius pertimeſce.* Sanctus Franciſcus dicere aſſolebat: *Detractores ſunt de generatione Cham, qui verenda patris non operuit, ſed diſcooperuit, propter quod Dei maledictionem merebuntur.* Non conſiderat maledicus, quod, dum malitioſa lingua ſua defectus effutit alienos, propriam ipſemet eructet malignitatem, invidiam, odium, paſſionem contra proximum; quod ſervum & mancipium ſe probet diaboli, indignus omni gratia & amicitia Dei. Sanctus Bernardus iniquam contra ſe paſſus accuſationem, ſequenti vindicta retulit injuriam, ut talia imprimeret, quæ tuti ſequeremur veſtigia, *Si frater Joannes in nos ſcripſit vel dixit, quod non decuit vel quomodo non decuit, non tam nos læſit, quam ſeipſum; magis namque ita ſcribendo ſuam prodidit levitatem quam noſtrum deprehendit errorem.* Sanctus Anſelmus illa Sancti Pauli verba: *Quod ſi invicem mordetis*, interpretans ait: *Occaſione charitatis tangit hoc vitium eorum. Si vos invicem canino dente mordetis, clam detrahentes alter alteri &c. videte, ne, dum more canum vivitis, more canum alterius morſibus conſumamini; id eſt, ne omnia virtutum dona, quæ in nobis erant, devorentur ab invicem, qui enim virtutibus alterius detrahit, virtutes proprias minuit vel amittit, & quia bona alterius lacerat, ipſe ſua bona corrodit & annullat.*

*Hug. Card. ib.*

Detractores à Deo, Angelis & hominibus deſpiciuntur.

*S. Ambr. l.* 4. *Ep.* 29.

*Opuſc. S. Franc. t.* 3. *collat.* 18.

Proprios narrant defectus.

*S. Bern. ep.* 237.

*Gal.* 5. *v.* 15.

*S. Anſelm. ib.*

Canibus ſimiles.

4. *Suſurro coinquinabit &c.* Qui alijs detrahit cum intentione, eos bona exuendi fama, ſeipſum primitus, divina gratia & amicitia, virtutibus & donis, quibus ornatus erat, expoliat, ſeque præ omni alio vituperijs replet, dum paſſim maledicus, impoſtor, malignuſque audit, & ut talis indigitatur; ideoque Eccleſiaſticus unumquemque admonet: *Non appelleris ſuſurro, & lingua tua ne capiaris & confundaris.* Potius namque maledicus mendacij reus convincitur, aut quia ipſi falſa relata ſunt, aut quia peccatum occultum, quod prodidit, probare nequit, aut quia ipſemet mendacia excogitavit, præterquam quod plerumque auditores obloquijs reſiſtant, & maledictionem in ipſiuſmet murmuratoris faciem retorqueant. *Ne confundaris*, inquit Hugo Cardinalis, *in præſenti convictus & reprehenſus coram hominibus, & in futuro damnatus coram Angelis Dei.* Præmiſerat paulo ante Eccleſiaſticus: *Honor & gloria in ſermone ſenſati lingua vero imprudentis ſubverſio eſt ipſius.* In Originali dicitur *hominis*, Tigurina legit: *Nec raro lingua præcipitat hominem.*

Omnibus donis ſe privant.

*Eccli.* 5. 16.

*Eccli.* 4. *v.* 24.

*Hug. Card. ib.*

*Eccli.* 5. *v.* 15.

5. *Suſurro coinquinabit &c.* Quot equidem exprobrari poſſet: *Genimina viperarum?* Viperæ ſuos edituræ partus in lucem, ſua lacerari & rodi permittunt viſcera; quot ſimiliter ut detractionis evomant venenum, præſentiſſimum animæ, quandoque & corporis incurrunt diſcrimen? quot detractores publica caſtigavit juſtitia, perpetuo infames coram univerſo mundo? *Fœdat & necat in primis propriam animam detractor*, inquit Carthuſianus. Aſt quæ notatu digniſſima eſt circumſtantia (quamque detractor vel non advertit, vel non credit) in eo conſiſtit, quod *culpans alios*, verba ſunt Pauli de Palatio; *cum eadem frequen-*

*Matth.* 23. *v.* 33.

Viperis ſimiles.

*Dion. Carth.*

Se accuſans.

*frequenter in eo culpa inveniatur, plane ſui ſuſurro eſt, ſe accuſat & de ſe maledicit.* Infallibilem hanc S. Hieronymus quondam ſtatuit propoſitionem : *Omne quod non ædificat loquentes, in periculum vertitur loquentium*; quanto ergo damnabilior, damnoſiorque erit ſermo ille, qui & auſcultantes ſcandalizat, & proximi famam tollit? Sed & eumdem ſanctum alio loco diſcurrentem audiamus. *Nulli detrahes*, inquit, *nec in eo te ſanctum putes, ſi cæteros laceres; accuſamus ſæpe quod faciamus, & contra nos ipſos diſerti; in noſtra vitia invehimur.* Quam veritatem & Aretha Cappadocum Epiſcopus his exaratam reliquit verbis : *In temetipſum incurris ac tibi contrarius es; adverſus teipſum ferens ſententiam, cum enim eadem facias cum ipſo, cui detrahis; eo ipſo, quo eum condemnas, te ipſum longe antea condemnas.* Non abſimilem nobis doctrinam exhibet Nazianzenus, dum ait : *Nos quidem reprehenſionem meremur, ſi quid mali admiſerimus; at vos interea impij eſſe non deſinetis, etiamſi in peccatum incidamus; imo eo etiam major eſt impietas veſtra, quo ijs, quæ læduntur, acerbiores eſtis; debetur enim fratribus labentibus doctrina & compaſſio.* S. Chryſoſtomus in eos ſingulariter, qui murmurationibus oblectantur, invehi non dubitat, inquiens : *Sed jucundum detrahere, imo jucundum non detrahere, detrahens enim continenter anxius eſt, ſuſpicatur & timet, timens & tremiſcens, ne forte alijs enunciatum verbum, magnum ſibi periculum afferat*; quæ forte doctrina illud reſpicit Eccle. conſilium : *In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diviti.* Aſt quod pertimeſcere poterit diſcrimen ille, qui ſola cogitatione inque ſecreto propriæ cameræ ſeceſſu de magnatibus & divitibus ſuſurrat? Audite : *Quia & aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit ſententiam.* Eos etiam, qui vel in nudam dumtaxat inciderunt ſuſpicionem, ſevere puniunt Principes, ubi de maledictionibus & detractionibus negotium eſt; ſicque faciliter admodum quæ ſecretiſſima putabantur, coram meridiano ſole panduntur.

S. Hier. in c. 12. Matth. — S. Hieron. ad Ruſtic. — Aret. in Jac. 4. v. 11. — Sibi ſententiam ferunt. — Naz. ora. 2. in pace. — S. Chryſ. h. 3. ad pop. — Periculis ſe exponunt. — Eccle. 10. v. 20. — Eccle. 10, 20.

6. *Suſurro coinquinabit animam ſuam.* Eamdem indubie veritatem ſpectabat ille, qui conſulebat : *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ.* Ut enim S. Bonaventura animadvertit : *Non dicitur; parcite proximo, ſed linguæ, ſcilicet veſtræ, quia detrahens alteri, ſeipſum lædit.* Propriiſſima ſane ſimilitudo eſt; quam Oſæas his exprimit verbis : *Facti ſunt, quaſi arcus doloſus.* Quæ verba ita exponit Belluacenſis : *Quia in arcu doloſo ſagitta emiſſa ad oppoſitum tendit*, ipſum feriens ſagittarium. *Similiter verbum detractionum, quod tamquam ſagittam mittunt in alios percutere in detrahentes redit, & eos primo in anima occidit. Sagittæ parvulorum*, inquit David, *factæ ſunt plagæ eorum & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.* Hugo Cardinalis ait : *Parvulorum, ſcilicet invidorum, quia cum alios ſagittant & eis detrahunt ex invidia ſeipſos prius vulnerant, dolore pariter & peccato.* Chaldæus legit : *Offenderunt ſeipſos lingua ſua*; tales namque coram mundo univerſo ſe probant homines malæ conſcientiæ; omni in Deum & proximum charitate deſtitutos, nulla præditos compaſſione. *Converſi ſunt in arcum pravum*, alio in loco idem regius aſtruit vates; circa quæ verba S. Hieronymus ita diſcurrit : *Arcus pravus eſt, qui dum contra inimicos ſagittas putatur jacere, ſauciat jacientem.* Quod alijs damnum intentant, ſupra ſuas coacervant cervices maledici. Gratias Deo acturus David, eo quod per auxilium ejus, maledicorum evaſiſſet inſidias *protexiſti me* Deus, ait, *à conventu malignantium.* Deinde modum oſtendit, quem in detrahendo ſervarunt : *Quia exacuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum, Subito ſagittabunt eum & non timebunt, firmaverunt ſibi ſermonem nequam, narraverunt ut abſconderent laqueos, ... Scrutati ſunt iniquitates.* At quis tandem peſſimæ hujus detractionis fuit terminus? *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.* S. Hieronymus ſubdit : *Nullam capit ſtabilitatem elocutio eorum, ſed dolus coram reddet eos infirmos.* Sicut enim puer arcum directurus aut ejaculaturus, propter inexperientiam & virium ſuarum debilitatem; ſe facilius lædit quam alios, ita & in præſenti *ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum*; proximi odium in cordibus audientium ſuſcitare moliebantur, ſed hos potius contra ſemetipſos provocarunt atque exacerbarunt; ideoque ſubjungit Pſaltes : *Conturbati ſunt omnes, qui videbant eos.* Si ſagittam in ſcopum direxeris durum; qui reſiſtat, cum impetu repulſa fertur in ſagittarium. Ita multoties evenit linguis; laxantur contra perſonas, virtutibus & ſanctitate notiſſima præcellentes, dumque à virtuoſis auditoribus repudiantur, in vituperio ſqualeſcunt, certi ſe ab invidia & paſſione motos fuiſſe. *Adverſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, adverſum me cogitabant mala mihi, verbum iniquum conſtituerunt adverſum me.* Chaldæus legit : *Verbum perverſum & improbum effundet in ſeipſum.* S. Hieronymus ex Hebræo vertit : *Verbum impietatis infundebant ſibi.*

Lingua ſua ſe lædunt. — Sap. 1. v. 11. — S. Bonav. ib. — Oſ. 7. v. 16. — Belluac. in ſpec. mor. t. 3. l. 3. d. 3. — Pſ. 63. v. 5. — Ibid. v 9. — Hug. Card. ib. — Pſ. 77. v. 57. — S. Hier. ibid. — Pſ. 63. v. 3. — Ibid v. 4. 5. — Ibid. v. 6. — Ibid. v. 7. — Ibid. v. 8. & 9. — S. Hieron. ib. — Ibid. v. 8. — Ibid. v. 9. — Pſ. 40. v. 8.

7. *Suſurro coinquinabit &c.* S. Auguſtinus inquit: *Meipſum occido, ſi alijs detraho.* Priuſquam mea ego murmuratione proximum feriam, morte æterna meam ipſe conficio animam, meque violentæ mortis diſcrimini expono, dum perſonam infamatam ad mortalem provoco vindictam. *Eſt & alia loquela contraria morti*, inquit Eccleſiaſticus, *non inveniatur in hæreditate Jacob.* Quæ obſecro verba ab hæreditate Jacob, id eſt, à fidelibus & animabus Chriſtianis elongare jubentur? Iterum ſi morti contrariantur, cur abigendi? Græcus legit : *Induta & amicta morte.* Tigurina habet : *Eſt ſermo morte obvolutus.* Ecce vobis expreſſam detractionis delineationem, quæ ut ex D. Auguſtino probavimus, æternam peperit mortem. Quid Spiritum S. intendiſſe arbitramini, quando per os Sapientis ait : *Mors & vita in manu linguæ?* Vatablus legit : *Lingua poteſt interficere ſermone ſuo, poteſt & ſervare mors loquentis.* Poteſt lingua detractoria, inquit Hugo Cardinalis, detractori & animæ & corporis mortem cauſare, eumque, de quo male loquitur vivificare; dum enim innocens perſonæ detrahenti injuriam remittit, juxta indulgentiæ qualitatem, ſuorum obtinet peccatorum remiſſionem. *Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos, & impietatibus noſtris tu propitiaberis*, inquiebat quondam David, *gladius eorum intret in corda ipſorum*, ſcilicet murmuratorum, *& arcus eorum confringatur.* S. Ambroſius in illius verſiculi (*dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo*) commentario, ad hunc alium Proverbiorum textum alludens, *quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti ſic parabola in ore ſtultorum*, ſequentem format diſcurſum : *Sicut ſpinæ naſcuntur in manu ebrioſi, ita injuſti ſermone naſcuntur, quæ compungunt loquentem.*

S. Auguſt. ſer. 45. ad frat. — Sibi mortem cauſant. — Eccli. 23. v. 15. — Prov. 18. v. 21. — Pſ. 64. v. 4. — Pſ. 36. v. 15. — Pſ. 35. v. 2. — Prov. 26. 9. — S. Ambr. ib.

8. *Suſurro coinquinabit &c. Multi ceciderunt in ore gladij*, idemmet proteſtatur Eccleſ. *ſed non ſic, quaſi qui interierunt per linguam ſuam.* Gladius præſentem tollit vitam, mortemque infert corpori, aſt lingua detractoria nos ab æterna excludit vita: *Corpus & animam perdit in gehennam. Quaſi dicat*, inquit Hugo Cardinalis, *plus ſibi nocent quam alijs, quia cum alios vulnerant & ſagittant, ſeipſos gladio peccati occidunt; & hoc eſt lingua eorum gladius acutus ſibiipſis ſupple; quos per hoc ſpiritualiter interficiunt.* Ulterius nihilominus progreſſus S. Joannes Climacus, inquit : *Anima, quæ detractionibus eſt obnoxia, triſulcam habet linguam, nocet enim & ſibiipſi & auditori & illi quandoque, cui detrahitur.* Cui B. Laurent. Juſtin. ſubſcripturus, inquit : *Triplici ſceleris detractor efficitur reus, abſentis famam interimit, audientis ac propriam occidit animam.* Ideoque S. Auguſtinus pro vulgari illo textu (*ſedens adverſus fratrem tuum loquebaris*) legit, *detrahebas*, inquiens : *Sedendo faciebas, volebas ibi occupari, amplexabaris malum tuum, oſculabaris dolum tuum.* Saluberrimum proinde ſequamur, quod S. Antonius de Padua nobis in hæc verba exhibet monitum : *Omnem hominem abſentem, quem non vere & pure diligis, obſecro te frater mi, obliviſcere, ut dicere poſſis illud, quod dixit Joſeph, quando Manaſſes natus eſt ei: obliviſci fecit me Dominus omnium laborum meorum. Magnus eſt labor, vitam alterius lingua detractionis lædere; malum alienum, ſuum facere; pondus alterius ſibi ſuperponere : Sub lingua ejus*, inquit Pſalmiſta, *labor & dolor.* Acumen notate conceptus : *Malum alienum ſuum facere.* Aſt longe reparabilius eſt damnum, quod per noſtras detractiones proximis inferre poſſumus, ſiquidem eos ſubſtantia, fama & vita, non tamen anima aut æterna ſalute deſtituere & privare valemus; ſed proprium detractoris malum omnibus præponderat diſpendijs, ſiquidem animam ſuam ad pœnas condemnat æternas.

Eccli. 28. 22. — Animam à cœlo excludunt. — Hug. Card. — S. Joan. Clim. de ſcal. Par. gr. 10. ſch. 2. — Detract. Scelus triplex. — B. Laur. Juſt. de vit. ſol. c. 4. — Pſ. 49. 20. — S. Aug. ib. — S. Anton. de Pad. ſer. 16. D. Trin. — Gen. 41. 51. — Pſ. 9. v. 29.

6. *Suſurro coinquinabit &c.* Euſebius Gallianus inquit : *Qui detrahit, eradicabitur, id eſt, à radice ſua, qui Chriſtus eſt, evelletur. Peccatum quod alter incurrit operando, tuum facis obloquendo.* Poſtquam David dixiſſet : *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris*, ſubjungit : *Hæc feciſti, & tacui*; aſt mox proſequitur: *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam* : S. Thomas ſcribit : *Per ſeipſum arguit, & hoc eſt, quod dicit : Statuam te contra faciem tuam, id eſt, tu ipſe te condemnabis.* Nec mihi quiſquam reſponderit; clavum clavo repellere licet, de me peſſime locutus eſt ille, & ego ſubticebo? audi enim, quiſquis hæc objicis, D. Chryſoſtomi ſententiam, inquientis : *At aliquam tibi fecit injuriam; cur ergo teipſum quoque injuria afficis? qui enim ſe vindicat ſeipſum enſe petit.*

Euſ. Gall. h. ad pleb. obtrect. — Pſ. 49. v. 19. — S. Thom. ibid.



## DISCURSUS XIV.

## ARGUMENTUM.

### De varijs motivis contra detractionis horrorem.

### THEMA.

*Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.*
Sap. 1. v. 11.

Detractio nullum affert fructum.

1. SApiens nos à murmurationis vitio abalienare ſatagens, alia inter & hoc adducit motivum, ſcilicet quia nihil emolumenti affert : *Cuſtodite vos &c.* quæ ratio quoniam reliquas inter, quales occurrunt plurimæ, facile infima eſt in convincendo detractionis impietatem, ad diverſas alias rationes diſcutiendas præſens ſe converter diſcurſus.

2. *Cuſtodite vos à murmuratione.* B. Laurentius Juſtin. in quemdam invehens detractorem, *quamobrem ò detractor*, inquit; *quid fratris tui obloquendo ſcelera detegis? ad te nunc meus eſt ſermo. Quis te quæſo vitæ judicem conſtituit alienæ? quis te fratrum tuorum accuſatorem fecit? quid tua intereſt proximorum propalare facinora? verum ſi delinquat frater, numquid te offendit in aliquo? numquid honori derogat tuo? quale oro jus habes in proximum, ut tuis velis illum arguere vocibus atque obtrectationibus lacerare?* Æternus pater *omne judicium dedit filio*; hujus unius, & non aliorum, munus eſt occulta manifeſtare peccata; dum igitur nos illa abſcondita pandimus, falcem noſtram in Dei meſſem mittimus ſacrilegi, juſque nobis arrogamus divinum, præterquam quod lingua noſtra abutamur in univerſi offenſam Creatoris, cur namque linguam nobis conceſſam eſſe arbitramini? Alcuinum audite, illud Eccleſiaſtici dictum (*ſi mordeat ſerpens in ſilentio*) ad detractorem, his verbis applicantem : *Cum enim lingua hominis ad benedicendum & ædificationem proximi ſit creata; ille eam æqualem ſerpenti facit, dum virtutibus ejus in perverſum abutitur.* Hugo Cardinalis ait, nullus non ſibi dictum autumet; *à detractione parce linguæ*, ſiquidem *injuria & violentia fit ei, cum verba detractionis cogitur formare; facta eſt enim ad laudandum Deum & proximum conſolandum*; deinde S. Jacobi Apoſtoli authoritatem citat dicentis : *In ipſa benedicimus Deum & Patrem, & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit maledictio & benedictio; non oportet fratres mei hæc ita fieri; numquid fons de eodem foramine emanat & dulcem & amaram aquam? quaſi dicat, non*, ſubjungit Hugo; *ita non lingua quæ facta eſt ad benedicendum Deum debet unquam detrahere proximo.*

B. Laur. Juſt. de vit. ſol. c. 4. — Invectiva. — Joan. 5. v. 22. — Eccle. 10. v 11. — Alcuin ibid. — Lingua homini data ad benedicendum. — Hug. Card. in Sap. — Jacob. 3. v. 9. — Ibid. v. 10.

Pulchra conſideratio.

3. *Cuſtodite vos &c.* Imperterritum contra murmurationes nobis ſtimulum addet conſideratio illa, qua perpenderimus, proximum Dei imaginem & ſimilitudinem eſſe; Unde Pimenius Abbas, prout Rufinus refert, interrogatus, qualiter quis detractionis vitium declinare poſſet, reſpondet : *Ego & proximus meus duæ imagines ſumus, cum ergo meam perſpexero & reprehendero, invenitur imago fratris mei apud me venerabilis; quando autem meam laudavero, tunc fratris mei imaginem pravam reſpicio.*

Li. 3. S. Patrum n. 133.

Detractor quid auferat.

4. *Cuſtodite vos &c.* Neceſſum eſt, ut in pondere ſanctuarij, hujus diſpiciamus gravitatem peccati, ſi ſolidam ejus fugam affectamus. Belluac. belluam hanc impijſſimam cum reliquis, adverſus proximum committi ſolitis, offenſus ponderans, ait : *Sciendum, quod hujuſmodi peccata potiſſime ſunt penſanda ſecundum nocumenta, quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ; tanto autem majus eſt nocumentum, quanto majus bonum aufertur.* Deinde triplicem aſſignat bonorum ſortem : *Bonum animæ, bonum corporis, bonum exteriorum rerum.* Bona animæ non niſi volentibus auferri poſſunt : *Bonum animæ, quod eſt maximum, non poteſt ab aliquo tolli, niſi occaſionaliter*; evenire namque poteſt in caſu noſtro, ut perſona, cui detraximus, vindictæ avida, grave contra nos concipiat odium; & conſequenter nos cauſa ſumus, quod hujuſmodi ſalutem perdat æternam. *Bonum corporis & bonum exteriorum rerum poteſt violenter auferri.* Quod divitias & ſubſtantiam concernit probavimus in diſc. 12. detractoris majus in nos deſævire damnum, quam furis. Michael de Bononia inquit : *Quia melior eſt fama omni alia temporali ſubſtantia, graviſſimum vitium eſt detractio, quæ hanc furatur; Unde 6. q. 1. deteriores dicuntur. Deteriores ſunt detractores, qui noſtram vitam famamque, detrahendo, corrumpunt, quam qui ſubſtantias aliorum prædamque diripiunt, & ideo ſubditur; quia illa ea, quæ extra nos ſunt, licet noſtra ſint; auferant, detractores vero nos ipſos diripiunt.* Et S. Chryſoſtomus inquit : *Pejores ſunt illis, qui corpora mordent, illi, qui verbis id agunt; illi corpus dentibus mordent, hi animam verbis mordent, exiſtimationem vulnerant, immedicabile vulnus infligunt, quapropter tanto graviora ſupplicio plectentur, quanto graviori morſu invadunt.* Imo Sanctus Antonius de Padua Eccleſiaſticum citans, plagam à detractore inflictam, nuncupat inſanibilem, dum ait : *Plaga flagelli livorem facit, ſed plaga linguæ detractionis, intus oſſa virtutum comminuit.* Ut culpæ hujus enormitatem cognoſcamus penitius, S. Bernardum audire juverit, qui maledicum ſequenti exagitat deteſtatione : *Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit.*

Bell. l. 3. t. 3. d. 3. — Incogn. in Pſ. 100. v. 5. — S. Chryſ. t. 3. h. 2. de proph. obſc. — Eccli. 28. v. 21. — S. Anton. de Pad. ſer. 2. in D. 2 Qu. — S. Bern. ſer. de trip. cuſt.

5. *Cuſtodite vos à murmuratione.* Quiſquis detractionis agitatur pruritu, ſalutari obediat Eccleſiaſtici conſilio, ſuadentis : *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire.* Quot maledictionum verba proferre geſtimus, totidem meminerimus ſpinis ſanctiſſimum Salvatoris noſtri caput transfixum fuiſſe; quam etiam ob cauſam detractores inter maximos Dei rebelles annumerantur. Quid enim? nonne peſſima erat generatio illa, quæ adverſus Davidem murmurabat? *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi*, homines beneficiorum immemores, hominibus & Deo ingrati, imo contrarij Deo, peſſime loquebantur de David, quia in timore Dei ſuam traducebat vitam : *Detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.* Qui idem regius Pſaltes alio in loco ita in quemdam invehitur maledicum : *Sedens, adverſus fratrem tuum loquebaris.* Circa quæ verba Albertus Magnus ſequentem format diſcurſum : *Tanguntur tria, quæ conveniunt melius judicibus; primum judiciaria dignitas, cum dicit : Sedens; judicium enim eſt ſedere. Pſalm. illic ſederunt ſedes in judicio. Perverſitatis malignitas; adverſus fratrem tuum, ſi eum poſſis capere in ſermone, ut ei calumniam imponas. Tertiam, divina benignitas, quæ ſuſtinet: Hæc feciſti, & tacui, qui poteſtatem tibi tradidi. Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis? putando, quod talia mihi placerent : Sed non eſt ita.* Notate verba, poſtquam enim ijs ſupplicium intentaſſet graviſſimum, ipſos appellat atheos, Dei immemores, oculis ſemper in terram defixos : *Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum*; cui conſonat illud Apoſtoli effatum, dum per os Davidis loquens, ait : *Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum; Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Aſt quinam ſunt iſti inimici Dei? *Sepulchrum patens eſt guttur eorum linguis ſuis doloſe agebant, venenum &c.* Vid. diſc. VIII. Alij pro *declinaverunt*, legunt : *Contemptibiles & immundi.* Hebræus habet; *Putruerunt, fœtuerunt.*

Eccli. 28. 28. — Detract. inimici ſunt Dei. — Pſ. 37. v. 21. — Ibid. — Pſ. 49. v. 20. — Alb. Magn. ib. — Ibid. v. 22. — Rom. 3. 11. 12. — Pſ. 13. v. 3.

6. *Cuſtodite vos à murmuratione*, quoniam hoc vitium eſt maxime infame. David hanc quondam à Deo gratiam legitur petijſſe : *Da mihi intellectum, & ſcrutabor.* Quid inveſtigabis? vitia fortaſſe & defectus aliorum? abſit? *Legem tuam.* Imo tantum ab alienis peccatis inquirendis circumtulit horrorem, ut paulo poſt ſupplicarit, quatenus divina majeſtas dignaretur eum ita dirigere in omnibus, ut nullatenus intueretur errores aliorum, ſicque ab omni non modo dicterio malo, ſed etiam à quocumque ſiniſtro judicio immunis foret : *Averte oculos meos, ne videant vanitates; Statue ſervo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Deinde refrænata per gratiam divinam lingua, proſequitur, dicens : *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum, quia judicia tua jucunda.* Quibus verbis David ingens ſui vituperium & opprobrium futurum eſſe cenſet non ſolum ſiniſtrum de proximo conceptum judicium, ſed & quamvis levem de eo perperam conceptam ſuſpicionem; Unde colligi facile poteſt, quid judicaturus fuiſſet, ſi male de alijs judicando affirmativum aliquod formaſſet judicium; quantoque majus ſibi probrum judicaturus fuiſſet, ſi contra illum murmuraſſet, honoriſque ipſius

Pſ. 118. 34. — Gratiam tuam David petijt detract. petant. — Ibid. v. 37. — Ibid. v. 38. — Ibid. v. 39.

ipſius dilaceraſſet integritatem. Subdit : *Quia judicia tua jucunda* ; quaſi dicere vellet : ſolum Dei judicium rectum eſt, neminemque jure turbare aut contriſtare poteſt. Nos autem omnes deceptioni ſubjicimur ; id quod Beat. Laurentius Juſtinianus in lib. *de interiori conflictu cap. 2.* confirmat dum ait : *Nullus veram alicui cordis valet proferre ſententiam*, Huic porro Davidicorum verborum expoſitioni S. Auguſtinus ſubſcribit dicens ; *Suum opprobrium dicit, quod de alijs ſuſpicatus, quin facilius in alio putat, quod in ſe ſentit ; precatur ergo auferri Opprobrium, quod in ſe ſentit, & in alio ſuſpicatur.* Unde hoc modo *à minori ad majus* arguere licet, dicendo : Quod ſi David in ſuum opprobrium redundaturum eſſe cenſet, ſi male de alijs ſuſpicaretur, quanto igitur majus ſibi opprobrium futurum eſſe cenſeret, ſi ſiniſtrum affirmativum de alijs formaret judicium, quantumvis illud intra cordis ſui penetralia latens, nemini aliorum patefactum eſſet ? Imo quam incomparabiliter majus ſibi reputaturus fuiſſet opprobrium & ignominiam, ſi aliorum peccata maligne & calumnioſe detegendo, proximi ſui famam & æſtimationem prodige diſſipaſſet ? Merito igitur idem regius Pſalmiſta alibi dicit ? *Erubeſcant impij, & deducantur in Infernum, muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem, in ſuperbia & abuſione* : Vel ut alij legunt : *in contemptu.*

*B. Laur. Juſt. de inter. conſl. c. 2.*
*S. Aug. ibid. cit. à Gloſſ.*
*Pſ. 30. v. 18.*

7. Notandum quoque eſt, quod ubi vulgata noſtra legit : *Cuſtodite vos à murmuratione, & à detractione parcite linguæ*, in Hebræo loco hujus verbi, *parcite*, legatur : *Miſeremini in linguæ*; ſæpe enim Deus juſto judicio ſuo permittit, ut per quæ quis peccat, per hæc & torqueatur ; Et ideo Cornelius à Lapide legit : *Miſeratione tangimini linguæ* ; Et quidem Thomas Cantipratenſis terribile quod maledicæ linguæ accidit, his verbis refert exemplum : *Hujus rei vindictam horribilem valde & mirabilem vidi, novi enim ordine, non re, nomine non actibus ſacerdotem, qui in tantum vitio linguæ deditus erat, ut potius de ſe peſſime mentiretur, quam ut ſocios vel cohabitantes ſibi criminibus non infamaret, Hic ante mortem raptus in furiam, tanta in ſe debacchatus eſt cæde, ut proprijs dentibus linguam laniaret* : Et jure quidem id ei accidit, nam ut in eodem Sapientiæ libro dicitur : *Sermo obſcurus in vacuum ibit* ; Arabicus legit : *Non juſtificabitur* ; Vatablus autem vertit : *Sermo clandeſtinus non abibit impune* ; Nam ut Pſalmiſta ait : Maledici *comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant* ; Dum enim ipſi proximos ſuos diffamare nituntur, Deus illorum cauſam juſtificandam ſibi vendicans, illorum innocentiam in conſpectu totius mundi palam prodit, eoſque honorat, ut exinde calumniatores & maligni murmuratores manifeſti fiant, & dignoſci ab omnibus poſſint. Sic enim videmus quod Deus nullibi in tota Scriptura ſacra adeo prolixè laudes & præconia Moyſis deprædicarit, quam dum Maria & Aaron adverſus ipſum inique murmurarunt, ut proinde Origenes dicat : videte quid ſibi pœnæ contulerint obtrectatores, quid vero illi, cui obtrectaverant, quæſiverint laudis. Etenim in columna nubis deſcendit, & tabernaculum ingrediens detractoribus dixit : *An non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt, Ore enim ad os loquor ei &c. quare ergo non timuiſtis?... Iratusque contra eos abijt*; nimirum ut ſervum ſuum protegeret & defenderet, debitaſque de transgreſſoribus pœnas ſumeret, ipſemet in perſona deſcendere & videre voluit. Unde idem Origenes ait : *Numquam invenimus tantas laudes Deum dixiſſe de Moyſe famulo ſuo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum eſt.* Mox ut Phariſæus adverſus Magdalenam murmurare cœpit, Chriſtus partes ejus tuendas in ſe ſuſcepit, eamque magnifice deprædicando ab omni calumnia liberavit. Quando Phariſæi calumniabantur Chriſtum, quod Dæmoniacus eſſet : & in virtute Beelzebub, ſpiritus malignos ab energumenorum corporibus pelleret, æternus Pater devotam illam mulierem movit ; ut palam exclamaret dicens : *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Et ideo David inquit : *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis ait : *Proteges eos in contemplatione humanitatis & paſſionis tuæ à contradictione linguarum, ut detrahentes & contradicentes patienter feramus, exemplo illius, qui in factis habuit obſervatores, & contradictores in dictis.* Semper enim calumniarum patienter toleratarum præmium eſt patrocinium divinum.

*Sap. 1. v. 11.*
*Text. Hebr.*
*Cornel. à Lapide*
*Thom. Cantipr. l. 2. Apum. c. 37. n. 2.*
Detractoris ſupplicium.
*Sap. 1. v. 11.*
*Arabicus.*
*Vatablus.*
*Pſ. 10. v. 2.*
Diffamatos Deus honorat & defendit.
*Num. 12. 7.*
*Ibid. v. 8.*
*Ibid. v. 9.*
*Orig. h. 7. in Num.*
*Luc. 11. 27.*
*Pſ. 30. v. 21.*
*Hug. Card. ib.*

8. Cardinalis Baronius de quodam Donato Africano, Mediolanenſis Eccleſiæ Presbytero refert, quod dum in convivio cuidam cum quibuſdam convivantibus militibus accumberet, S. Ambroſium Epiſcopum ſuum paulo ante vita defunctum calumniari cœperit, quod illi audientes cum indignatione magna relicto convivio abierint, ipſe vero paulo poſt in lectum ſe recipiens animam exhalavit. Pari quoque modo quia maligni Phariſæi Chriſtum veluti divinæ legis tranſgreſſorem, Dæmoniacum, & Samaritanum calumniati fuerant, alij vero nobiliorem de ipſo opinionem habentes, ipſum vel Eliam, vel Jeremiam, aut unum ex Prophetis ſanctioribus eſſe credebant, Deus omnes illos mendacij arguere, filijque ſui unigeniti cauſam juſtificare & defendere volens, Moyſen & Eliam in transfiguratione ejusdem filij ſui in monte Thabor comparere juſſit. Quod D. Chryſoſtomus conſiderans ita ad propoſitum noſtrum ſcribit : *Deinde quoniam Phariſæi ipſum aſſidue quaſi transgreſſorem legis accuſabant, & blaſphemare putabant, quaſi gloriam Patris nihil ad eum pertinentem vindicaret ; dicebant enim : Hic non eſt à Deo, qui Sabbatum non ſervat. Et rurſum : De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia homo cum ſis Deum te facis, ut ipſa re monſtraretur, quod ex invidia hæc criminabatur, quodque neutri horum criminum ſubjiceretur, nec legis prævaricator eſſet, nec alienam gloriam ſibi acquireret æqualem ſe Patri faciendo, eos produxit in medium, quorum alteruter in alterutra iſtarum rerum præfulſit* ; Moyſi enim legem dedit, quare non fuiſſet paſſus conculcari legem, ut Judæi credebant, nec prævaricatorem ejus, & legumlatoris hoſtem, lator ipſe numquam coluiſſet. Elias autem pro gloriæ Dei zelo utique commotus fuiſſet, *quare non adſtitiſſet ei, qui æqualem ſe Patri dicebat, ſi non eſſet.* Refert Plutarchus quod dum quidam inimicum ſuum occidere volens, gladium apoſtemati, quo diu affectus fuerat, infixiſſet, indeque magna corrupti ſanguinis copia, una cum ſanguine emanaſſet, eumdem cui mortem parabat, priſtinæ reſtituerit ſanitati, omnemque deinceps ab eo fugaverit dolorem, abſque eo quod bonum & felicem hunc inimico cauſatum eventum intenderet : Idem quoque maledicis ſæpenumero accidit, dum enim inimicorum ſuorum honorem & famam miſere dilacerant, hi ut obtrectatores ſuos mendaces eſſe convincant, vitam & mores emendant, & reformant, eamque vitæ rationem inſtituunt, ut tandem virtuoſi, exemplares, & irreprehenſibiles evadant, unde deinceps major apud æmulos ſuos invidiæ ſtimulus ſubnaſcitur.

*Ann. 397. n. 34.*
Hiſtoria.
*D. Chryſ. Hom. 57. in Matth.*
*Plutarchus.*

9. *Cuſtodite vos à detractione &c.* qua ut Eccleſiaſticus ait : *Ab uno doloſo augetur ſanguis*, id eſt, ut Dionyſius Carthuſianus explicat, maledicus, ei cui detrahit, arma in propriam pernitiem miniſtrat. Præterquam quod ut B. Laurentius Juſtinianus ait : *Qui detrahit ; ſuam & audientis lædit conſcientiam, atque cui detrahit, percutit famam*, quam detractor, dummodo ſalvari velit, neceſſario reſtituere tenetur ; quia ut S. Auguſtinus inquit : *Sine reſtitutione pœnitentia non agitur, ſed fingitur* ; Qui idem S. Doctor alibi pariter dicit : *Tam diſtantia eſt inter fornicantem & detrahentem, ut ille qui fornicatur tantum ſe occidat, ille autem qui detrahit ; & ſe, & eum qui audit, perdat.* S. Anſelmus inquit : *Plerumque contingit ut is qui alteri derogat, niſi reſipiſcat coram Deo, in damnationem cadat, quamvis ille cui detrahitur, nihil læſionis ex ipſa detractione ſentiat.* D. Chryſoſtomus maledicum ex motivo vindictæ ad detrahendum extimulatum, utilem quemdam ipſique maledico honorificum id faciendi modum docet, dum ait : *Si vis & teipſum beneficio afficere ; & illum probe ulciſci, benedicas de eo qui tibi fecit injuriam, ita facies, ut multi ſint ejus pro te accuſatores, & ipſe magnam mercedem accipies ; ſin autem maledicas, ne fides quidem tibi habebitur, ut qui inimicitiarum ſuſpicione labores, quare tuum ſtudium tibi vertitur in contrarium : tu enim volebas bonam ejus famam evertere, contra autem accidit, per laudem enim non per accuſationem hoc evenit, ſed contra omnino, & teipſum quidem majori ignominia afficis, illum autem tua tela non tangunt.* Præterquam quod ut B. Laurentius Juſtinianus, *metuere debeat in audientium cordibus rancoris commovere certamen.*

*Eccli. 11. v. 34.*
*D. Carth. ib.*
*B. Laur. Juſt. de inter. conflictu c. 2.*
S. *Auguſt. Ep. 34.*
*S. Aug. ſer. 45. ad fratres.*
*S. Anſelm. de ſimul. c. 146.*
*S. Chryſ. in Pſ. 49. v. 19.*
Salubre documentum contra vitium detract.
*B. Laur. Juſt. de interiori conflictu c. 2.*

10. Aliud quoque à ſanctis Patribus aſſignatur non detrahendi non minus potens motivum ; ſuadent enim, ut detrahere alteri volens prius oculos ſuos in



defectus & peccata propria deflectat. Nam ut S. Bernardinus ait : *Optimum non detrahendi remedium eſt humiliatio, per quam homo recurrat ad arcana conſcientiæ ſuæ, atque reminiſcatur cogitando, quod multa commiſit, ex quibus ex gratia Dei infamiam non incurrit, ut ex conſideratione propriorum peccatorum, quæ tangunt eum, & pungunt conſcientiam ſuam, peccata non ponderet ac conſideret aliena.* Unde Iſidorus ait : *Numquam detrahes alijs ſi te bene perſpexeris. Quis inquam foret, qui ſi acutis ſpinis in auribus pungeretur, attenderet detrahenti ? Gravius enim debent mentem pungere patratæ culpæ, quam carnem pungentes ſpinæ* ; Ubi & mentionem facit moniti illius ab Eccleſiaſtico traditi, qui cap. 28. ait : *Sepi aures tuas ſpinis, id eſt, pungentibus conſcientiæ tuæ ſtimulis, noli audire linguam nequam.* S. Bernardus quoque detractorem hac reprehenſione redarguit dicens : *Si vis detrahere, tua in te peccata retorqueto non aliorum delicta, ſed propria carpe ; numquam enim alijs detrahes, ſi te bene inſpexeris ; De malo alienos os tuum non coinquines, non detrahes peccatis, ſed condole.* S. Ambroſius pariter ſuadet dicens : *Tantum cura corrigere vitam tuam quantum perſpicis alienam.* S. Thomas authoritatem citat S. Gregorij ad idem propoſitum dicentis : *Cogitare debemus quod forte in eiſdem peccatis fuimus, aut certe eſſe poteramus*, Citat inſuper S. Iſidorum dicentem ; *Non detrahas peccanti ſed condole. Quod in alio detrahis, in te potius pertimeſce*, inquit S. Bernard. *quando alteri detrahis, te diſcute ; quando alium mordes, tua peccata redargue ; ſi vis detrahere, tuis peccatis detrahe.*

*S. Bern. t. 1. ſer. 23. A. 3. c. 1.*
Alia documenta.
*S. Iſidorus.*
*Eccli. 28. v. 28.*
*S. Bern. de inter. domo c. 42.*
*S. Ambr. l. 4. Ep. 29.*
*S. Thom. in Jacob. c. 4.*
*S. Iſidorus.*
*S. Bern. ſer. 33. de modo bene viv.*

11. Huic quoque vitio forte frænum injicies, ſi conſideraveris : quod detractor odioſus & abominabilis reddatur omnibus ; cum tamen econtra ab omnibus diligatur, qui de omnibus bene & laudabiliter loquitur, nam ut Eccleſiaſticus ait : *Suſurro in omnibus odietur, tacitus & ſenſatus honorabitur, id eſt*, ut Cornelius à Lapide exponit ; *Quia vitia proximi quæ vidit, vel audivit, ſilentio premit, honorabitur, ob prudens, amicum, & juſtum ſilentium.* Aliena porro delicta accuſare, eſt viliſſimorum hominum officium. S. Hieronymus ſuper illa verba ad Titum : *Neminem blaſphemare*, ita ſcribit : *Relege veteres libros, & vide Deuteronomium, quæ tribus in monte Gariz conſtitutæ ſunt, ut benedicerent populum, & quæ in monte altero, ut maledicerent. Ruben qui maculaverat thorum parentis, & Zabulon ultimus filius Liæ, & ancillarum liberi in monte Ebor ponuntur ut maledicant* ; nimirum filij viliſſimi, ex abjectis ancillis progeniti ad maledicendum fuere deputati, quia detractio non niſi in abjectiſſimæ plebis ore reperitur, ſuntque maledici ut plurimum de genere viliſſimorum hominum. Ad hæc Eccleſiaſticus c. 5. ait : *Suſurratori odium, inimicitia & contumelia.* Interpres quidam ſolemnis ſuper illa verba Proverb. c. 4. *Detrahentia labia* ; ita ſcribit : *quaſi diceret : Infamiam labiorum longe fac à me ; vel enim ſignificat labia ad infamandum prona, vel illa quæ ipſamet infamiæ labe notata ſunt, detractorum labia prorſus infamia ſunt.* Hugo Card. ſimiliter de detractoribus ait : *Contumelioſi ſunt, qui dictis vel factis contumelias & turpia inſerunt.*

Detractor omnibus fit odioſus.
*Eccli. 21. v. 31.*
*Corn. à Lap. ibid.*
*Tit. c. 3. v. 2.*
*S. Hier. ib.*
*Eccli. 5. v. 17.*
*Prov. 4. v. 24.*
Salazar.
*Hug. Card. ib.*

## DISCURSUS XV.
## ARGUMENTUM.

Detractores verbis alijsque ſignis externis averſandi ſunt, tamquam diſplicentia loquentes, nec referendum eſt alijs, quod ab illis audivimus, raraque illis adhibenda eſt fides.

### THEMA.

*Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Prov. 25. v. 23.

1. ANgelicus Doctor in ſumma ſua de ijs, qui faciles præbent aures detractoribus, diſſerens, textum illum S. Pauli ad Romanos adducit, ubi dicitur : *Digni ſunt morte, non ſolum qui peccata faciunt, ſed etiam qui facientibus peccata conſentiunt.* Hanc autem in peccatis alienis participationem duobus modis fieri poſſe dicit : *Uno modo directe, quando ſcilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum : alio modo indirecte, ſcilicet quando non reſiſtit, cum reſiſtere poteſt* ; Et in hoc ſecundo modo caſus noſter continetur ; dum enim quis detractori non repugnat, ſe detractioni factæ conſentire, eamque gratam & acceptam habere oſtendit, ſicque ſe culpæ participem facit ; Ac proinde Sapiens modum nobis tradit, quem obſervare debemus, impediendo ne venenum iſtud latius & ulterius ſerpendo proficiat, nimirum ſimilitudinem à vento Aquilonari deſumptam adducit ; dicens : *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Porrò ventus Septentrionalis, qui idem eſt quod ventus Aquilonaris diſſipat & impedit pluvias, ut Dion. Carthuſianus ait, quia frigidus eſt & gelidus ; ſicut enim ventus ille abundantem & copioſam craſſorum vaporum in aëra elevationem impedire ſolet, ita, quoque cauſa eſt quod nubes in aquam minimè reſolvi poſſint. Quam ſimilitudinem idem Carthuſianus ei qui maledicum vultu aſpero & ad iracundiam compoſito coercet, his verbis applicat ; *Auditor detrahentis, mœſtum vultum monſtrando detractori, tacite admonet eum ut ſileat, dum enim detractor perpendit ſua verba invite audiri, repercutitur in ſemetipſo.* Gloſſa ab eodem Carthuſiano ſuper prædictum Proverbiorum textum citata, dicit : *Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi : Si autem triſti eum vultu audieris, diſcit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.* S. Bernardus de hac materia diſſerens, quando ad hoc punctum de remedijs adverſus detractorem adhibendis deſcendit, hæc nobis utiliſſima documenta tradit : *Debet homo*, inquit, *cum audit detrahentem triſtem oſtendere vultum*, idque per præcitatum Proverbiorum textum nec non per allegatam Gloſſæ authoritatem probat, citatque S. Hieronymum in Epiſtola quadam ad Ruſticum Monachum dicentem ; *Sicut ſagitta ſi mittatur contra duram materiam, nonnumquam in mittentem revertitur, & vulnerat mittentem ; ita detractor cum triſtem faciem viderit audientis, imo non audientis, ſed obturantis aures ſuas, ne audiat judicium ſanguinis, illico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliva ſiccatur, & per conſequens à detractione deſiſtit.*

*Rom. 1. v. 37.*
Verbis & ſignis coercendi Detractores.
*S. Thom. 2. 2. Q. 73. a. 4.*
*D. Carth. ibi.*
*Gloſſ. cit. à D. Carth.*
*S. Bern. t. 1. ſer. 23. A. 3. c. 1.*
*S. Hier. l. 2. Ep. 13. ad Ruſtic.*

2. Petrus Berchorius in ſuo Reductorio morali ſcribit, quod vas ex electro formatum hanc habeat proprietatem, quod dum venenum eidem immittitur, obſtrepat, varioſque colores induat, hacque ratione quod in eo latet toxicum detegat & manifeſtet ; unde qui alijs toxicum præparant, illud ejuſcemodi vaſi immittere cavent ; hancque proprietatem præſenti propoſito noſtro adaptat dicens : *Sic pro certo debent eſſe viri ſancti, quia ſi venenum detractionis infunditur in auribus alicujus electi, id eſt, alicujus ſancti viri, ſtatim procul dubio debet ſtridere per detractionis reprehenſionem, & vultum ſuum debet in colore mutare per diſplicentiæ oſtenſionem.* Sic P. Rho in ſua variarum virtutum hiſtoria de Joanne Avila magno hujus ſæculi vitæ ſpiritualis Magiſtro refert, quod *ab omni detractione quamplurimum abhorrebat, ſi, quod ſæpiuſcule domeſtica in fabulatione fieri videmus, aliena fama vellicaretur, ſtatim adducto ſupercilio, manu menſam, ſellamve pulſans ; Nos vero, aiebat, noſtra curemus, hominique huic triginta dies tribuamus, ut ſe ad defenſionem comparare poſſit, tum judicio licebit experiri.*

*Petr. Berchor. in V. Detractio.*
Detract. aures non ſunt præbendæ.
*Rho var. vir. Hiſt. l. 4. c. 3. §. 1.*
Hiſtoria.

3. Regius Propheta David ſimiliter de ſemetipſo ait ; *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar.* Ex qua hujus adeò illuminati viri proteſtatione Dionyſius Carthuſianus obligationem deducit, qua hi qui alijs gubernandis præſunt ad reprimendam & coercendam pro bono publico maledici linguam arctiſſime obſtringuntur : *Detractorem*, inquit, *perſequi debet verus diligensque Prælatus, & quilibet noſtrum eum arguere debet, ſi eſt ſpes de emendatione ipſius, ſi vero correctionem verborum non recipit, debet ei oſtendere vultum triſtem, vel omnino faciem ab eo avertere.* S. Hieronymus non ſolum Ruſtico, verum etiam Nepotiano ſalutarem modum præſcribit, quo ab illis tractandi ſunt murmuratores : *Nemo*, inquit, *invito auditori libenter refert, ſagitta in lapidem numquam figitur, interdum reſiliens percutit dirigentem ; diſcat detractor dum te videt non libenter audire, non facile detrahere.*

*Pſ. 100 v. 5.*
Perſequendi ſunt Detract.
*D. Cart. ibid.*
His ſeverus oſtendendus vultus.
*S. Hieron. l. 1. Ep. 2.*

4. Eſt & in Eccleſiaſtico monitum quoddam, quod huic propoſito noſtro facile poteſt adaptari, dicit enim ibi Sapiens : *Secundùm ligna Sylvæ ignis exardeſcit* ; Quando enim ignis nullam ſtraminis, vel lignorum invenit eſcam, augeri aut creſcere nequit, ſed ſubito extinguitur : Econtra verò mire augetur, dum magnum illi lignorum pabulum adjicitur : Ita quoque in hoc vitio contingit ; nemo enim murmurare aut maledicere alicui poteſt, ſi non habeat aliquem qui aures ei præbeat, & ideò detractor in tantum male de quopiam loqui præſumit, in quantum ſe ab alijs libenter,

*Eccli. 28. v. 12.*

libenter auſcultari perſuadet : *Si detractorem hilari vultu audis ligna admoves, quo detractionis ignis ardeſcat : ſi ſtatim inchoata diſtractione triſtem vultum avertis, ſcintillam extinguis, quaſi ſuper expueres, ut ſuffoces.*

Detractio comparatur ſemini.

5. Ipſamet nos quotidiana experientia docet ; quod quamdiu terra aliqua ſolida manet, nec aratro ſcinditur, nec ligone, aut quovis alio culturæ genere elaboratur, ſemen eidem ſuperinjectum nec radices mittat, nec germinet, multoque minus fructum producat : Eodem quoque modo maledicentiæ zizania non adhæreſcit, nec radices agit in illis, qui murmurationibus aures præbere firmiter & conſtanter renuunt, eaſdemque abominantur & exhorreſcunt ; Quoad nos enim eſt veluti ſemen quoddam, quod ſeminatum cecidit ſupra petram, de quo dicitur : *Natum aruit, quia non habebat humorem.* Et ideo S. Hieronymus Celantiam monet ut detractiones ſibi plurimum diſplicere palam ſemper oſtendat : *Si hæc in nobis eſſet diligentia,* inquit, *ne paſſim obtrectatoribus crederemus ; jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quam ſeipſos viles detrahendo faceret. Sed hoc ideo malum celebre eſt ; idcirco in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur.* Dionyſius Carthuſianus in quodam ſermone ſimiliter ita ſcribit : *Detractio, ſuſurratio, contumelioſumque verbum non aliud quam Diabolica ſemina reputentur à nobis, & ea tamquam venena tartarea ſemper vitemus, nec committentibus tanta facinora per audientiam vel complacentiam communicemus.* S. Hieronymus à S. Bernardino citatus ad dandam maledicis vehementem repulſam aliud quoddam potens motivum ſubminiſtrat dicens : *Non licet tibi vituperationem alterius patienter audire, quia nec ab alijs optas recipi tuam* ; quaſi diceret, cum eadem animi repugnantia, qua auſcultas tibi, tuæque reputationi & bono honeſtoque nomini detrahentem, removere à te debes illum qui proximi tui bonam dilacerat famam, hoc enim Chriſtianæ charitatis & amicitiæ lex à nobis expoſcit.

Luc. 8. v. 6.
S. Hier. l. 2. Ep. 19.
Dion. Carth. ſer. 6. de S. Andrea.
S. Hier. cit. à S. Bernardino ib. c. 3.

6. Regius Propheta David in Pſalmo 14. de illis qui in tabernaculo altiſſimi locum habituri ſunt tractans dicit : *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo ?* Et reſpondet quod ibi habitaturi ſint, qui linguam ſuam refrænant, ne male loquantur de alijs, nec non eos, qui à maledicis aures ſuas avertunt : *Qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos* ; at verò quod à nobis quam maxime conſiderandum eſt, ſunt verba quæ ſequuntur : *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus.* Circa quæ Hugo Cardinalis aptiſſimè ad propoſitum noſtrum ita ſcribit : *Opprobrium non accepit adverſus proximum ſuum, id eſt, non acceptavit illatum à ſe, vel ab alio, vel non accepit neque in corde ad cogitandum, neque in ore ad loquendum, neque in aure ad audiendum* ; hac enim diligentia & averſione ſuppoſita, nullum detractor locum habere poteſt, & ideò *ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus. Vel aliter poteſt exponi, ut jungatur ei quod immediatè præcedit, ſic : Opprobrium non accepit, id eſt, detractor deductus eſt ad nihilum, quia non audet detrahere coram ipſo, qui non recipit opprobrium dictum de proximo ſuo* ; quia ut S. Hieronymus ait : *Si deeſt auditor, deeſt & murmurator.* Quod ſi vero aliquis detractorem reprehendere, eique errorem ſuum improperare non audet, id ad minus, ut Carthuſianus ait, ſe ad audiendum ipſum invitum eſſe palam oſtendat : *Itaque dum detrahentem quis increpare, vel ab eo non audet recedere, ſaltem mæſtum & formidoloſum ei oſtendat vultum.* Cajetanus quoque hoc remedium ſeverum ac iracundum detractori exhibendi vultum his verbis inſinuat : *Iracundus vultus terret hujuſmodi homines, ut non audeant officia hæc mala coram ſe exercere.* D. Chryſoſtomus inſuper ponderat, quod dum nos coram detractoribus horrorem ex ipſius maledicentia conceptum oſtendimus, non ſolum vitio huic omnes ulterius progrediendi viam amputemus, verum inſuper multa bona operemur, quæ tum ei qui detrahit, tum illi qui detrahentem auſcultat, tum denique ei cui detrahitur pariter utilia eſſe comprobantur : *Qui autem detractorem minimè admittit,* inquit, *tum ſeipſum immani hujuſmodi peccato liberat, tum detractorem hac ratione ab iniqua proximi accuſatione dimovet, tum eum etiam qui accuſatur crimine liberat, ac denique pacis arbiter & amicitiæ dux exiſtit, dum obtrectatoris animum & voluntatem odit, ac deteſtatur.*

Pſ. 14. v. 3. Detractor non audiendus.
Ibid.
Ibid. v. 4.
Hug. Card. ib.
S. Hier. ibid. Ubi auditor non eſt nec Detract. adeſt.
D. Carth. in Prov. 25.
Cajet. ib. in Prov.
D. Chryſ. in Pſ. 100.

7. Eximium in hac materia eſt illud Sapientis monitum : dicentis : *Cum detractoribus non commiſcearis* ; Quibus verbis Sapiens non tam vult dicere fugiendam nobis eſſe detractorum familiaritatem & converſationem, quam nos monere contendit, ne detractionem eorumdem blando & amico vultu excipiamus, ſed potius rigida & auſtera facie eos coerceamus. Unde Dionyſius Carthuſianus, verba illa : *Ne commiſcearis,* ita exponit : *Approbando aut libenter audiendo detractoria verba eorum, aut etiam reſiſtendo eis aliquo modo, videlicet corripiendo eos de tanto peccato, vel pie hortando ut ceſſent.*

Prov. 24. v. 22. Diverſa monita & conſilia.
D. Carth. ib.

8. Saluberrimum hac in re eſt illud à Spiritu Sancto nobis in ſacris Canticis ſuggeſtum conſilium, dum ait : *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas.* Ad capiendum enim tam ſagax & aſtutum animal magna prorſus adhiberi debet induſtria, ſiquidem aſtuto & callido huic animalculo pari cum aſtutia ut occurramus neceſſum eſt. Sed cur Spiritus Sanctus ſpecialiter nos monet, ut vulpem capiamus & occidamus, dum etiamnum parvula exiſtit ? *Omnia in figura contingebant. Peſſima vulpes occultus detractor,* inquit S. Bernardus, ac proinde vulpem hanc capere & necare oportet, dum parvula eſt, id eſt, magna nobis diligentia & aſtutia opus eſt, ut murmurationem in primis ſuis initijs ſupprimamus, acriter eum increpando qui murmurat, nec permittendo ut detractio pedem figat, vel ulterius ſerpat, nimirum ignis extinguendus eſt in primis principijs, priuſquam in luculentam flammam prorumpat. Sunt porrò nonnulli, ut S. Thomas conſiderat, quibus tametſi murmuratio ſumme diſpliceat, attamen quia reſpectum ſive timorem aliquem humanum vincere non poſſunt, ſeſe directe & generoſe illi minime opponunt, & ideò arte hic opus eſt, magnaque ad reſiſtendum dexteritate. S. Joannes Climacus ait : *Ne verearis quemquam alteri apud te detrahentem, ſed obtrectatori dicito : Tace frater ; ego quotidie gravius delinquo, & quo pacto illum damnabo ?*

Cant. 2. v. 15.
S. Bern. ſer. 63. in Cant.
Principijs obſta.
S. Thom. 2. 2. Q. 73. A. 4.
S. Joan. Clim. de ſcala Parad. gr. 10. n. 3.

9. Verumtamen ad venenum iſtud impediendum alios inſuper, longeque ſuaviores modi adinveniri à nobis queunt. Cum taurus aliquis furibundus adverſus hominem ferocire incipit, is ut ejus ſævitiem evadat, pallium in cornua ejus protinus injicit, dumque bos ut à pallio quo caput obvolutum eſt, ſeſe eximat, totus intentus eſt, homo aſtutus tempore & occaſione bene utens ; per velociſſimam fugam ſibi & vitæ ſuæ conſulere parat : Pari quoque artificio homines Deum timentes uti debent ; quando enim linguam maledicam maligna ſua murmuratione proximum invadere audiunt, tunc indilate & dextere eamdem in alium diſparatum diſcurſum divertere & diſtorquere debent. Dionyſius Carthuſianus verba illa Pſalmi : *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar,* exponens alium quemdam maledicam linguam compeſcendi modum tradit ; Dicit enim, ſi Prælatus ad detractionem ſupprimendam aſperitate reprehenſionis aliquamdiu uſus nihil ſe hac via obtinere poſſe videat, *debet aliquid boni proponere, quatenus ſic erubeſcat & emendetur.* Alius quidam Author, ad hunc maledicentiæ pruritum, qui in convivijs frequentior eſſe ſolet, quam alibi, dextrè refrænandum, alios dextere id faciendi modos adducit : *Reſpice,* inquit, *poſt tergum, exſpue in terram, confrica caput, conquerere de cibis nimis ſalſis, aut de miniſtris non tibi, ut oportet, ſervientibus, lauda vinum, aut condimenta menſæ, conquerere de canibus ſub menſa tranſeuntibus, & fætorem aliquem relinquentibus.* Stapletonus in vita Thomæ Mori Regni Angliæ Magni Cancellarij, qui demum pro fide Chriſti Martyr occubuit, refert, virum hunc in more poſitum habuiſſe, quod detractiones coram ſe proferri audiens, magna cum dexteritate diſcurſum divertere, aliosque curioſos non minus quam jucundos ſermones in medium producere ſolitus fuerit.

Alium forma diſcurſum.
Pſ. 100. v. 5.
D. Carth. ib.
Stapletonus in vit. Thomæ Mori.

10. Verum enimvero poſito caſu, quod lingua maledica jam venenum ſuum effuderit, priuſquam id præcavere potuiſſemus, ſupereſt tamen adhuc opportunum illud mortificandi remedium, prout Eccleſiaſticus optimè advertit, dum ait : *Audiſti verbum adverſus proximum tuum ? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.* Circa quæ verba D. Chryſoſtomus Hom. 3. ad populum ait : *Quid eſt, moriatur in te ? extingue ipſum, defodito, nec exire, neque penitus moveri permittas ; ſi ſuſceperis, infodito, interime dictum, oblivioni trade, ut his, qui non audierint ſimilis fias.* Quod ſi malum quod audiſti, penes te retinueris, & idipſum quilibet alius charitate præditus fecerit, defectus

Audita obliviſcere.
Eccli. 19. v. 10.
S. Chryſ. Hom. 3. ad pop.



defectus ille, vel criminis exceſſus numquam publicabitur, non infamabitur proximus, & ignis à calumniatore accenſus ſubito extinguetur. Verum quidem eſt, quod ſæpe in nobis pruritum quemdam vehementem ſentiamus ea alijs communicandi, at & hic mortificandus eſt, certus enim eſto & fidens, ut Spiritus S. ait, quod non te dirumpet, neque enim verbum illud detractorium ignis eſt intra cuniculos reclusus, qui turres quaſque fortiſſimas in aëra evibret, neque aër eſt in terræ concavitatibus coarctatus, qui per terræ motus civitates, imò & Provincias integras concutere & evertere ſolet, ſed eſt quoddam proximi tui delictum, cui & tu fortaſſe ſubjectus es, aut ſubjici potes ; quod proinde jubente charitate alto ſub ſilentio ſepeliendum eſt, utpote quod manifeſtatum ingentia damna parturire natum eſt, *A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis.*

Eccli. 19. 11.

10. Prætereà quis ſcire poteſt, an verum ſit quod in ejuſmodi murmuratione dicitur ? Sæpe enim oculus judex eſt valde iniquus, quia quidquid ſit de exteriori opere, recta tamen eſt intentio qua illud perficitur. Quod ſi quis enim Paphnutium in urbe Alexandrina in domum Thaidis meretricis ingredi vidiſſet ; illumque propterea in urbe Alexandrina tamquam fornicarium diffamaſſet, quantum talis deceptus fuiſſet ? quanto probro innocentem Paphnutium commaculaſſet ? Quid ſi autem detractor idipſum à perſonis fide dignis audiſſet ? Etiam in hoc caſu conſiderandum eſt quod Salvator dixerit : *Attendite à falſis prophetis, quia &c.* ſed quid ſi vir timoratæ conſcientiæ fuiſſet ille, qui vitium primus detexiſſet ? Nihil id refert, ſi enim talis charitatem debite ordinatam habuiſſet, alienos defectus utique non propalaſſet. Audi S. Auguſtinum, qui quanta cautela opus ſit ne ſiniſtrum de alijs concipiatur aut formetur judicium, his verbis docet ; Dicit enim : *Propter hoc ſcriptura divina admonet dicens : Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam, & cum interrogaveris corripe juſte, omnis homo prius ſe vult interrogari ; & poſtea, ſi reus eſt, patienter tolerat reprehendi.* Probiſſime Deo noſtro perſpectum erat, quidquid in infamibus civitatibus Pentapolitanis ageretur, & tamen licet criminum inibi commiſſorum accuſatores plurimos habuiſſet, perſonaliter deſcendere voluit ad faciendum legitimum de illis proceſſum ; ubi Rup. Abbas notat, ideò Deum in propria perſona deſcendere voluiſſe, quia peccata incolarum caſtiganda & toti mundo manifeſtanda erant, quod facere noluit, niſi re prius legaliter & judicialiter cognita & perſpecta, ut per hoc ſalutare nobis relinqueret documentum, quod ſcilicet *temerarium hominum prohibeatur judicium, ne facile audita credant ; vel inexperta judicent.* Quot ſunt quos in cenſurandis aliorum, actionibus charitatis zelo motos fuiſſe credimus, quos tamen poſtea paſſionibus & proprij intereſſe promovendi ſtudio agitatos fuiſſe deprehendimus ?

Fallax conſiderata hominum judicium.
Matth. 7. v. 15. Alijs noli audita narrare.
S. Aug. ſer. 202. de temp.
Gen. 18. v. 21.
Rup. Abbas l. 6. de Trin. c. 4.

11. S. Propheta Job olim communes hominum miſerias à primis parentibus noſtris originem trahentes deplorans ait : *Pereat dies in qua natus ſum,* demum verò ad noctem in qua conceptus fuit, deſcendens, ait : *Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna, Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan* ; Et quidem in his & omnibus alijs imprecationibus, ipſomet Spiritu S. teſte. Job non erravit, qui totus ad myſterium intentus erat : *In omnibus his non peccavit Job labijs ſuis.* Porrò textum hunc difficilem multarumque interpretationum capacem eſſe optime novi ; in primis verò hæc occurrit difficultas, cur Job qui diei nativitatis ſuæ maledicere volebat, ad hoc etiam ſimul omnes invitarit illos qui luci maledicunt, & diei ? *Maledicant ei, qui maledicunt diei ?* Nam forte ideo hoc fecit, quia qui diei maledicunt, cum nocturnis tenebris optimè conveniunt, eo quod male agant & vivant : *Qui male agit ; odit lucem.* Difficultatis hujus declaratio deſumenda eſt ex verbis ſequentibus : *Qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan* ; ſcio quidem nonnullos eſſe qui per Leviathan iſtum Principem tenebrarum intelligant ; verumtamen ſecundùm literam, ut S. Thomas exponit, per hunc Leviathan, Balæna, vel cetus, vel alius quiſpiam immenſæ magnitudinis & molis piſcis intelligitur, juxta illud : *An extrahere poteris Leviathan hamo ?* Dicit igitur Doctor Angelicus : *Secundùm hoc intelligendum eſt, quod illi qui hujuſmodi magnos piſces piſcantur, de nocte eos invadunt, quia per hoc eorum opus & intentio impeditur.* At vero dicite ſodes, quidnam inter omnia viſibilia & creata toti univerſo utilius aut jucundius eſſe poteſt luce ? aut quænam creatura, imò & excogitari poteſt luce pulchrior & venuſtior, & conſequenter dignior, ut laudetur & deſideretur ? Et tamen multi inveniuntur, qui eidem maledicant : *Maledicunt diei,* multi ipſimet ſoli ſuos ſuper horizontem noſtrum radios explicanti male imprecamur. Neque tamen hoc vobis mirum videri debet, quia advertendum eſt, quod non ideo luci maledicant, quaſi ipſi male affecti ſint, vel quia ipſam abominentur, aut eamdem vituperio dignam eſſe agnoſcant ; nequaquam, ſed ſola maledictionis cauſa hæc eſt, quia eorum impedit & turbat piſcationem, vel quia ipſorum conſilia, intentiones, & lucra deſtruit & peſſumdat : Idem quoque multis accidit, qui de magnatibus, Principibus, Prælatis, alijſque perſonis conſpicuis atrociter murmurant ( quibus nec fides adhibenda eſt, nec præbendæ benignæ aures ) non quia illos calumniam promeritos eſſe credant, ſed quia per illos ſtat, quod deſideratam aſſequi non valeant dignitatem, vel quia per illos conſilijs & intentionibus eorum poſitum fuit obſtaculum ; *Circumveniamus* virum *juſtum,* dicebant illi apud Sapientem, ſed quamobrem ? *Quia contrarius eſt operibus noſtris.* Tantum abeſt, quod Elias innocentibus intulerit necem, ut etiam defunctos revocaverit ad vitæ uſuram ; Et tamen mulier illa Sareptana hanc ei notam impegit : *Ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortiſſimus, ita ut non remaneret in eo halitus ; Dixit ergo ad Eliam : Quid mihi & tibi vir Dei ? Ingreſſus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum ?* Quibus verbis ſanctiſſimum Prophetam homicidij arguebat, nam ut Abulenſis ait : *Putabat mulier quod ſi Elias non veniſſet, non mortuus fuiſſet filius ſuus.* Ecce tibi quantum paſſiones mentes humanas excæcent ; Ecce inquam quam ſimus faciles ad detrahendum viris etiam ſanctiſſimis, idque ſine ulla legitima cauſa data ; ac proinde æquum nullatenus eſt, ut nimis ad credendum faciles ſimus &c.

Job. 3. v. 2. Detractoribus fides non adhibenda.
Ibid. v. 7. 8.
Job. 1. v. 22.
Ibid. v. 8.
Job. 40. 20.
S. Thom. ib.
Job. 3. v. 7.
Sap. 2. v. 12.
3. Reg. 17. v. 18.
Abulenſis ib.

## DISCURSUS XVI.

### ARGUMENTUM.

Aliæ conſiderantur rationes, ob quas nequaquam audiendi, ſed potius reprehendi & repellendi ſint detractores, bonam aliorum defendendo famæ integritatem.

### THEMA.

*Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia & ſeras.* Eccli. 28. v. 28.

1. CONſiderat Rabanus quod ex quo Eccleſiaſticus decurſu hujus cap. 28. in linguarum maledicarum deteſtationem multa præclara monita & documenta tradiderat, ideo in fine pro complemento totius doctrinæ eos, qui in eaſdem linguas incidunt monere voluerit dicens : *Sepi aures tuas ſpinis &c. Poſtquam de malo linguæ ſuſurronis diſſeruit, ad doctrinam devoti auditoris ſe convertit, admonens illum, ut aures ſuas ſpinis ſepiat, hoc eſt, aculeis timoris Dei auditum ſuum coerceat, ne loquelam pravam & perverſam linguam audiat.* Quibus in verbis, præcipuè notanda ſunt verba illa : Aculeis timoris Dei &c. quia infallibile viri alicujus timorati ſignum eſt detractiones rejicere, & ab omni maledicentia averſionem animi oſtendere, ſicut econtra mali Chriſtiani indubitatum ſignum eſt, ſi ejuſmodi detractionibus faciles aures præbeat.

Raban. l. 6. in Eccli. c. 9. Signum boni Chriſtiani ſi Detract. averſatur.

2. Superius in diſcurſibus præcedentibus jam diximus, per Cham, qui à Noë patre ſuo maledictus fuit, præfigurari detractorem, utpote cui proprium eſt turpiores proximorum defectus detegere ; ſed obſervandum eſt, quot benedictionibus à patre cumulati fuerint, quamque ſe virtuoſos omnique laude dignos probaverint duo alij fratres ejus Sem & Japhet, qui *pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum operuerunt verenda patris ſui ; facieſque eorum averſæ erant, & patris virilia non viderant,* qui proinde in hac actione repræſentarunt illos, qui aliorum defectus & peccata audientes, ſuam à linguis maledicis averſionem oſtendunt, defectuſque auditos meliori quo poſſunt modo contegere & palliare conantur eadem cum charitate & compaſſione fraterna excuſando, & ſub rigidi ſilentij velamine ſtudioſiſſime abſcondendo.

Defectus palliandi ſunt.
Gen. 9. v. 23.

3. Quando

Devoti aliorum peccata ſcire nolunt.
Luc. 7. v. 39.

3. Quando Magdalena unctionis obſequium Chriſto Domino exhibitura in convivium Phariſæi irruit, ſubito Phariſæus de illa murmuratione cœpit, & dicere: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt*; circa quæ verba D. Chryſologus hunc in modum optime ſcribit : *Phariſæe erras, neſcire magis potuit, ſi fuiſſet Propheta; quia prophetia non eſt humani arbitrij, muneris eſt divini; unde Propheta ſcit, non quantum vult, ſed quantum dederit ille, qui tribuit prophetiam*; quod vero propoſito noſtro quam maxime deſervit, ſunt verba illa quæ ſequuntur, ſcilicet : *Neſcire magis potuit, ſi fuiſſet Propheta*: Quaſi diceret: Imò vero ex eo capite, quia Propheta erat, id eſt vir ſumma ſanctitate & perfectione conſpicuus, ejus diſſolutiones magis ignorare debebat, quia viri ſpirituales nequaquàm ſe ingerunt, ut peccata aliorum ſcire velint, imò qui charitatem habet, ejusmodi peccata intra ſecreta cordis ſui penetralia, quam poteſt diligentiſſime abſcondit : nam ut S. Hieronymus ad Celantiam ſcribit : *Eſt ſane tale hoc vitium, quod vel in primis extingui debeat, & ab eis qui ſe ſancte inſtituere volunt, prorſus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil eſt quod ita mobilem mentem & levem faciat, quam facile totum credere & obtrectatorum verba temerario mentis aſſenſu ſequi, beatusque eſt, qui ſe ita contra hoc vitium armavit, ut apud eum nemo detrahere audeat.*

S. Chryſol. ſer. 94.

S. Hier. ad Celant. Ep. 14.

4. David Propheta regius in Pſalm. 14. de ijs qui ad tabernaculi, & montis ſancti Dei quietem aliquando feliciſſime pertingent, differens, hanc felicitatem eis potiſſimum eventuram eſſe dicit: *Qui non egit dolum in lingua ſua, ... & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos*, quaſi diceret non ſolum ille beatus erit, qui linguam ſuam à murmuratione refrænaverit, verum etiam omnes illi qui murmurationes ab alijs ſuſcitatas repreſſerit, ijsque qui ad detractiones proni ſunt & proclives faciles aures minimè præbuerit: *Et opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos*, id eſt, ut S. Hieron. verba illa vertit : *Quia opprobrium non ſuſtinuit adverſus proximos ſuos.*

Pſ. 14. v. 3. Hujuſmodi ſalvi erunt.

S. Hieron. ib.

Cur Chriſtus non laverit manus Petro.

5. Non immerito à quibusdam interpretibus cauſa inquiritur, cur ſapientiſſimus Magiſter noſter Chriſtus, quando magnam illam Petri vidit renitentiam, qua Chriſtus pedes ejus lavare volenti reſtitit, ac tandem à Chriſto ſibi dici audiens : *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, protinus à Petro reſponderi audivit : *Domine non tantum pedes meos; ſed & manus & caput*, cur inquam tunc non ſolum Petri pedes, ſed & manus & caput pariter non laverit, petitionemque Petri auribus ſuis non admiſerit, cum tamen Redemptori proprium ſemper fuerit, quod *merita ſupplicum excedat & vota*? Verum quidem eſt in illa Chriſti actione non defuiſſe myſterium, ſiquidem pedes illos honorare voluit, quibus deinceps in progreſſu ſæculorum omnes Monarchæ Chriſtiani proſtrati devota debebant oſcula imprimere : At vero cur non etiam ob eamdem rationem non fuerunt lotæ manus ejus, utpote quæ ad conferenda dona Spiritus Sancti & ad portandas cœlorum claves mundæ ſemper eſſe debebant? Apta porrò & præſenti propoſito noſtro opportuna videtur eſſe reſponſio, quod videlicet ex quo Phariſæi Chriſti, & diſcipulorum ac Apoſtolorum ejus graviſſimi detractores & murmuratores, contra eoſdem diſcipulos in ſpecie murmuraverant dicentes : *Non lavant manus ſuas cum panem manducant, transgrediuntur traditiones ſeniorum &c.* ideo Chriſtus Petri aliorumque diſcipulorum manus lavare noluerit, quia ſi hoc feciſſet quando ad cænandum accubituri erant, viſus fuiſſet Chriſtus hanc eorum approbare maledicentiam, atque ideo nullam petitionis Petri rationem habuit; & quidem reſponſio hæc in authoritate quadam Origenis fundatur dicentis : *Manus autem lavare nolebat Jeſus, contemnens quæ dicebantur, quoniam diſcipuli tui non lavant manus cum panem manducant.*

Joan. 13. v. 8.

Ibid. v. 9.

Matth. 15. v. 2.

Orig. Tr. 32. in Joan.

6. Dionyſius Carthuſianus ſuper illa Pſalmiſtæ verba : *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar*; ita ſcribit : *Hic perſecutor detractoris, bonus ac pius eſt, non crudelis; & quicumque cupit vere proficere, debet in primis vitium detractionis penitus abhorrere, & funditus extirpare.* Hugo Cardinalis Davidem in hoc puncto valde rigidum fuiſſe ait: *Supra dixit de declinante, non cognoſcebam, hic amplius dicit ſcilicet, perſequebar, & infra : Cum hoc non edebam, quaſi dicat : Excommunicatus eſt, & merito, quia ipſi ſunt perſecutores omnium, ſimiles Iſmael, cujus manus contra omnes & manus omnium contra eum.* Sanct. Ephræm infallibile mali Chriſtiani indicium eſſe cenſet: ſi quis maledicos obtrectatores libenter auſcultet : *Blandum detractionis vitium dum libenter auditur, animæ odio laborantis certum eſt indicium*; & ideò ſupra quoque hoc ipſum impij hominis indicium eſſe dixi, quia amor & charitas legis Evangelicæ baſis eſt & fundamentum. Unde S. Thomas eamdem committere culpam, ac proinde eamdem quoque pœnam mereri cenſet eum qui detractioni facilem auditum indulget, quam is qui proximo ſuo detrahendo famam & bonum nomen aufert : *Audiens detrahentem*, inquit, *cui poſſet reſiſtere, ſed ei placet detractio, eodem detractionis vitio reus eſt.* S. Bernardus quoque ait : *Similiter culpabilis qui detrahit, & qui detrahentem audit.* Et alibi de interiori domo dicit : *Detrahentes & audientes pari reatu detinentur, ſicut iraſceris alteri, quando detrahit tibi, ſic iraſcaris tibi, quando detrahis alteri.* S. Bernardinus Senenſis authoritatem citat S. Auguſtini dicentis : *Non accommodes aures tuas ad perſpicienda verba detrahentis, ne accipias mortem in anima tua, detrahenti enim & audienti animæ, utrique eſca mortis eſt detractio.*

Pſ. 100. v. 5. D. Carth. ib. Vitium Detr. cavendum.

Hugo Card.

S. Ephr. T. 3. de vit. Rel.

S. Thom. 2. 2. Q. 73. a. 4.

S. Bern. ſer. 33. de modo bene viv.

S. Bern. de inter. domo c. 42.

S. Bern. t. 1. ſer. 23. a. 3. c. 3.

Coram Detract. auris amputari debet.

7. *Sepi tuas aures ſpinis.* Porrò ſpinæ ad agri, horti, vineæ, vel pomarij ſerviunt cuſtodiam, quia puncturis ſuis arcent & rejiciunt omnes, qui ad illa deprædenda appropinquant : Sic etiam, inquit Hugo Cardinalis, *Oſtenſio triſtis vultus ſpina eſt, qua pungitur lingua detractoris, ut taceat, averſio vultus altera ſpina eſt; ſed obtuſio & redargutio ejus, eſt amputatio linguæ ejus, ut omnino mutus fiat.* Idem quoque purpuratus Doctor factum illud S. Petri memorat, Malcho auriculam amputantis, indeque utiliſſimum noſtroque propoſito congruentiſſimum deducit documentum : Dicit enim *Joan. 18. legitur, quod Petrus Paſtor Eccleſiæ amputavit auriculam dexteram Malcho qui interpretatur Rex conſilij, quia qui conſulte ſe vult regere, oportet ut juxta conſilium Petri habeat aurem amputatam, ut omnino ſurdus ſit audire detractiones.*

Hug. Card. in Prov. 25. v. 23.

Idem in c. 18. Joan.

8. B. Petrus Damianus in Epiſtola quadam conſulit, ut non ſolum murmurationem odio habeamus & deteſtemur, verum etiam ut omnes ejusmodi obtrectatores à nobis pro viribus repellamus: *Noli cuiquam detrahere, ſed ne tu rem quidem dignam ducas detrahentibus applicare. Cum detractoribus, ait Salomon, ne commiſcearis, quoniam repente veniet perditio eorum; & ruinam utrorumque quis novit? Tum videlicet illius qui detrahit, quam ejus qui aurem accommodat detrahenti. Ipſe potius, ſi ratio poſtulat, peracti ſceleris argue, durus invehere, non verens præſentem aſperius increpare, abſentem autem non laceres, nec apud alios livido dente commordeas.* Videmus per experientiam quod qui pungi metuit per ſpinas ambulare aut tranſire caveat, & quoad poteſt, propius ad eaſdem non approximat : Eodem modo is qui metuit, ne dum murmurat, ab alijs reprehendatur, eliminetur, verbisque pungentibus minarum & furoris plenis transfigatur, linguam ſuam maledicam exercere non audebit, cavebitque ne detrahat.

B. Petr. Dami. l. 6. Ep. 26. Detract. ſunt reprehendendi.

9. S. Propheta Job ait : *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Per hunc autem iniquum maledicum intelligere poſſumus; quis enim detractore injuſtior & iniquior eſſe poteſt, ſiquidem contra omnes juſtitiæ leges alteri bonam famam ſurripit, quæ majoris eſt pretij, quam omnes facultates, imò quam ipſamet vita : Hanc autem homo virtuoſus è dentibus illius aufert, quando honorem ejus, cui detrahitur, defendit; ipſumque detractorem reprehendit, adeoque coram omnibus confundit, ne ei deinceps credatur, hacque ratione ipſum à murmuratione divertit. Allata à nobis eſt in diſcurſibus præcedentibus authoritas illa huic quoque loco opportuna Caſſiodori in Pſalmum 30. dicentis: *Dentes à demendo dicti ſunt, ideo linguæ detrahentium dentes vocantur, quia ſicut illi ciborum partes demunt, ita & iſti opiniones hominum corrodunt.* Unde Dionyſius Carthuſianus optime monet dicens : *Audiens detractionem increpet detrahentem, & vultum avertat, ſi congrue poteſt, quod ſi convenienter non poteſt, increpet eum aliquo ſigno.* Sapiens in Proverbijs hoc tradit præceptum : *Remove à te os pravum, & detrahentia labia procul ſint à te.* Super quæ verba S. Hieronymus ita ſcribit: *Duobus modis ſentiendum, ut & os tuum, ne pravum loquatur aliquid, & tua labia ne detractionibus aſſueſcant, cuſtodias, & alios quoque quos huic vitio ſubditos noſti, ne te corrumpant, fugias.* Septuaginta loco, *detrahentia*, legunt, *injuſta*, alij verò, ut Corn. à Lapide refert, legunt *infamia*.

Job. 29. v. 17 Aliorum fama defendenda.

Caſſiod. in Pſ. 30.

Dion. Carth. in c. 4. Jac.

Prov. 4. 24.

S. Hier. ibid.

Corn. à Lap.

10. Super



Detractores verbis mordacibus repelli debent.

10. Super aſſumpti thematis verba, ſcilicet : *Sepi aurem tuam ſpinis, linguam nequam &c.* alia quædam ſupereſt obſervatio. Etenim Sapiens in hoc textu non ſolum nobis linguæ cuſtodiam commendat & inculcat, verum etiam aures cuſtodiri præcipit, diverſo tamen modo utrumque facit, ſiquidem ori repagula immitti præcipit : *Ori tuo facito oſtia & ſeras*, auribus autem vult admoveri ſpinas : *Sepi aurem tuam ſpinis.* Repagula quidem fores ita claudunt, ut qui per illas ingredi volunt, non poſſint, at verò ſpinæ ſepibus innexæ non ſolum arcent & prohibent illos, qui per illas penetrare conantur, verum etiam eoſdem pungunt, veſtes lacerant, & ſi propius accedendo vim facere velint, manus eorumdem cruentant : Ita quoque in propoſito noſtro diſcurrere licet; qui enim linguam ſuam reprimit, hoc faciendo ſufficiens remedium quidem adhibet, ne in verba detractionis os ſuum prorumpat : At verò qui detractioni aurem præbet, ſi peccare non vult, non ſufficit, quod interius nullam in illa complacentiam habeat, verum etiam detractorem verbis mordacibus & iracundis pungere, ipſumque à ſe repellere, & nihilominus magis appropinquare & detractionem continuare volentem lacerare debet, ne ipſe aliorum bonam famam & exiſtimationem dilaceret. Unde S. Auguſtinus ait : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala; ſepi aures tuas ſpinis, ut ille, qui importune intrare auſus fuerit, non ſolum repellatur, ſed etiam compungatur, repelle illum à te.* Et ideò D. Chryſoſtomus Davidem commendat, qui non ſolum abominabatur, ſed etiam perſequebatur maledicos. *Quapropter B. David clamabat dicens : Detrahentem clam proximo ſuo hunc perſequebar. Vidiſti virtutis eminentiam? non ſolum receptabat, quæ dicebantur, ſed & abigebat volentem fratri ſuo maledicere; igitur & nos ſi peccata noſtra imminuere volumus, hoc maxime omnium ſervemus, ne detrahere cupientes admittamus, imo juxta Prophetam abigamus, & omnino averſemur.*

S. Auguſt. T. 9. l. de doctr. Chriſt. c. 9.

D. Chryſ. Hom. 42. in Gen.

11. Deus apud Ezechielem dicit : *Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.* Ecce tibi quantum Deus honoret illos, qui non ſolum refrænant linguam ſuam ne murmuret, verum etiam aures communiunt, & ſurdi fiunt; procul à ſe abigendo aliorum murmurationes; ita faciebat David qui ait : *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam.* S. Hieronymus dicit, quod Septuaginta loco dictionis illius, *circulos*, legant, *Rotulas*, *ſcilicet qui detractores non audit, hic circulos & rotulas habet in auribus*, ſeu potius inaures aureas in auribus habent, qui murmuratoribus aures ſuas obturant, quia vero imbuti ſunt charitate. S. Bernardinus ſimiliter maledicos reprehendendos eſſe dicit; *Remedium detractionis eſt diſcreta reprehenſio, vel ſi licet, objurgatio, exemplo Chriſti*, qui Judam ob unguenti pretioſi ſuper caput Chriſti factam effuſionem murmurantem reprehendit.

Ezech. 16. v. 12 Objurgari.

Pſ. 37. v. 14 S. Hier. ibid.

S. Bern. t. 1. ſer. 23. a. 3. c. 1.

Quantum ſit malum audire detract.

12. Aures quoque obturandæ ſunt, ne mortale vitij venenum per has ingrediatur in animum noſtrum; Nam ut S. Auguſtinus ait : *Detrahenti & audienti eſca mortis animæ eſt detractio; nam detractor & libens auditor, Diabolum portat in lingua, nam & libens auditor, quæ audit, libenter loquitur.* S. Bernardus quoque in ſermone ſæpius allegato *de triplici cuſtodia manus, linguæ & cordis*, ait : *Annon & ipſe moritur, qui venenum bibit, quod ei maleſuada detractionis lingua propinat? Siquidem furtim ei dilectionis vita ſubtrahitur, & dum neſcit, paulatim in eo fraterna charitas refrigeſcit.* Dionyſius Carthuſianus in cap. 4. S. Jacobi Apoſtoli hoc vitium ſumme deteſtantis, ita loquitur : *Detractor graviſſime peccat; quia non ſolum occidit propriam animam, ſed & animam audientis, quantum in ſe eſt, præbendo ei venenum mortiferum, & conſentiendi occaſionem; ſi enim audiens detractioni conſentiat, mortaliter peccat, cum dicat Apoſtolus : Non ſolum morte digni ſunt qui faciunt mala, ſed etiam qui conſentiunt facientibus ea. Imo detractor, quantum in ſe eſt, illum quoque cui detrahit ſpiritualiter perimit; quia ſi ille percipiat, qualiter ei detractum ſit, oritur ei occaſio odiendi detractorem.*

S. Aug. t. 4. l. de ſalut. docum. c. 1.

S. Bern. de triplici cuſtodia manus, linguæ & cordis.

Dion. Carth. in c. 4. Jacob.

13. D. Chryſoſtomus ad erudiendum populum ſuum Antiochenum in Homilia quadam prædicando dicit : *Eliminemus omnem ex ore noſtro detractionem, ſcientes quod etſi cinerem commendamus, nulla nobis aſperæ vitæ hujus utilitas proderit, niſi à detractione abſtineamus, non enim quæ intrant per os coinquinant hominem, ſed quæ exeunt ex ore, ſi quis te prætereunte ſtercus commoveat, nonne quæſo hoc facientem convitio & contumelia afficeres? Hoc fac & erga detractores, non enim ſic commotum ſtercus illum fœtorem, ſuſcipientem cerebri membranam percellit, ſicut aliena peccata excuſſa, & vita impura audientium animos prodita contriſtare, & conturbare ſolent.*

S. Chryſ. t. 1. Hom. 3. ad pop. Adhortatio.

14. *Sepi aures tuas ſpinis.* Enimverò ſpinæ ſepibus intexuntur, ut latrones ad rapiendum fructus, ad deſtruendum arbores, herbas, flores, vites, hortum vel pomarium intrare non poſſint : Similes quoque ſpinæ immittendæ ſunt auribus noſtris, id eſt, reprimenda & coercenda eſt linguæ maledicentia, ne detractor proximorum honorem & famam convellere & diripere præſumat, cum fama proximi ab unoquoque haud ſecus ac própria æſtimari debeat, lege charitatis Chriſtianæ & lege amicitiæ id ipſum præcipiente S. Auguſtinus ait : *Peccavit in te frater tuus : Si tu ſolus noſti, tunc vere in te ſolum peccavit, nam ſi multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit. Dico enim fratres chariſſimi, quod & vos ipſi in vobis ipſis poteſtis agnoſcere. Quod ſi me audiente fratri meo quisquam injuriam facit, abſit ut à me injuriam illam alienam putem; prorſus & mihi fecit, imo & mihi [illegible] fecit, cui putavit placere quod fecit; ergo ipſo corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* Quod ſi imperterriti ſumus in defendendis amicis à rapinis & latrocinijs, vel ad ſalvandam ipſorum vitam, quando huic inſidias parari videmus; quanto æquius eſt ut periclitantem ipſorum honorem & exiſtimationem defendamus & tueamur? Si Deus in antiqua lege præcepit; ut jumentum alterius in foveam collapſum inde eripiamus, quanto rationabilius erit, & honorem & famam alterius, quando inique & frivole convellitur & laceratur, reparemus & reſarciamus?

Proximi fama defendendi debet.

S. Aug. ſer. 16. de verb. Dom.

Deut. 22. v. 4.

# INDEX LOCORUM
## SACRÆ SCRIPTURÆ, QUÆ IN HOC TOMO EXPLANANTUR.

### Primus Numerus Tractatum, ſecundus Diſcurſum, tertius Numerum denotat uniuſcujuſque Diſcurſus.

LIBER GENESIS.

CAP. I.

VErſ. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, Tract. 8. Diſc. 12. num. 3. Item Tract. 10. Diſc. 2. n. 1. & 2. Diſc. 14. num. 1. D. 16. n. 2.
Verſ. 2. *Terra autem erat inanis & vacua*, Tract. 8. d. 31. n. 14.
Verſ. 3. *Fiat lux, & facta eſt lux*, Tract. 7. diſc. 2. n. 1.
Verſ. 5. *Appellavit lucem diem, & tenebras noctem; factumque eſt veſpere & mane dies unus.* Tract. 10. d. 4. n. 11. & d. 25. n. 3.
Verſ. 6. *Fiat Firmamentum &c.* Tr. 7. d. 2. n. 1. Item Tr. 10. d. 25. n. 9.
Verſ. 10. *Vidit Deus quod eſſet bonum*, Tr. 5. d. 6. n. 7.
Verſ. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, &c.* Tr. 3. d. 1. n. 3. Tr. 3. d. 7. n. 7. Tr. 4. d. 8. n. 15. Tr. 5. d. 6. n. 10. & Tr. 7. d. 7. per totum.

Verſ. 27.

Verſ. 27. Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, Tr. 7. d. 4. per totum.
Verſ. 28. Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, &c. Tr. 1. d. 5. n. 5. & Tr. 3. d. 1. n. 3.
Verſ. 29. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, Tr. 1. d. 5. n. 5.
Verſ. 31. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, Tr. 5. d. 6. n. 7. & Tr. 13. d. 4. n. 1.

CAP. II.

Verſ. 2. Requievit die ſeptimo, Tr. 7. d. 8. n. 7. & Tr. 5. d. 6. n. 8.
Verſ. 7. Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ &c. Tr. 4. d. 9. n. 14. Tr. 4. d. 10. n. 1. Tr. 7. d. 18. n. 6. Tr. 7. d. 2. per totum, & d. 3. Ibid. itidem per totum, Tr. 7. d. 2. n. 1.
Ibidem. Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, Tr. 13. d. 15. n. 3.
Verſ. 8. Plantaverat Dominus Deus paradiſum &c. in quo poſuit hominem, quem formaverat; Tr. 6. d. 6. n. 3. Tr. 7. d. 8. n. 4. & Tr. 8. d. 13. n. 10. Item Tr. 10. d. 2. n. 2. & d. 9. n. 3. & Tr. 13. d. 26. n. 20.
Verſ. 10. Lignum ſcientiæ boni & mali, Tr. 1. d. 13. n. 6. Tr. 1. d. 3. n. 13.
Verſ. 16. Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem &c. Tr. 1. d. 3. per totum, & Tr. 1. d. 7. n. 4.
Verſ. 17. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, Tr. 10. d. 25. n. 2.
Verſ. 18. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, Tr. 15. d. 21. n. 9. & d. 23. n. 9.
Verſ. 21. Tulit unam de coſtis ejus, Tr. 13. d. 23. n. 2.
Verſ. 24. Et erunt duo in carne una, Tr. 13. d. 15. n. 9.

CAP. III.

Verſ. 1. Serpens erat callidior &c. Cur præcepit vobis Deus &c. Tr. 1. d. 4. n. 9. Tr. 3. d. 1. n. 9. Tr. 3. d. 18. n. 2. Tr. 6. d. 8. n. 4. Tr. 7. d. 11. n. 15. Tr. 12. d. 2. n. 7. & Tr. 13. d. 33. n. 3.
Verſ. 3. Præcepit nobis Deus, ne comederemus & ne tangeremus illud, Tr. 13. d. 3. n. 15.
Verſ. 5. Scit Deus, quod in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, &c. Tr. 2. d. 1. n. 3. Tr. 3. d. 1. n. 3. Tr. 3. d. 18. n. 4. & Tr. 4. d. 10. n. 2. Item Tr. 10. d. 6. n. 2. Tr. 12. d. 2. n. 7.
Verſ. 6. Vidit Mulier &c. dedit viro ſuo qui comedit, Tract. 3. d. 1. n. 3. & 4. Tract. 13. d. 23. per totum. Et d. 25. n. 11.
Verſ. 7. Cognoverunt ſe eſſe nudos. Tr. 1. d. 7. n. 9.
Verſ. 8. Deambulantis ad auram poſt meridiem. Tr. 7. d. 8. n. 6.
Verſ. 12. Mulier, quam, dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi, Tr. 13. d. 23. n. 3.
Verſ. 14. Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ, ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus &c. Tr. 8. d. 4. n. 2. Tr. 9. d. 6. n. 14. & Tr. 11. d. 1. n. 6. & Tr. 13. d. 17. n. 13.
Verſ. 16. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, &c. Tr. 13. d. 25. n. 6.
Verſ. 17. Quia audiſti vocem uxoris tuæ, &c. Maledicta terra in opere tuo, Tr. 11. d. 1. n. 6. & Tr. 13. d. 23. n. 8. Et ibid. d. 25. n. 6. Item Tr. 5. d. 10. n. 10. & Tr. 8. d. 25. per totum.
Verſ. 18. Spinas & tribulos germinabit tibi, Tr. 8. loco citato per totum.
Verſ. 22. Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, Tr. 7. d. 10. n. 8.
Verſ. 24. Collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim & flammeum gladium atque verſatilem, Tr. 10. d. 25. n. 5. & d. 30. n. 9. & ibidem d. 24. per totum.

CAP. IV.

Verſ. 1. Adam cognovit uxorem ſuam Evam, Tr. 13. d. 23. n. 17.
Verſ. 5. Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, Tr. 8. d. 5. n. 8.
Verſ. 7. Si male egeris, ſtatim in foribus peccatum aderit, Tr. 15. d. 26. n. 9.
Verſ. 11. Maledictus eris ſuper terram; Tr. 5. d. 10. n. 10. & Tr. 8. d. 5. n. 8. Item Tr. 11. d. 1. n. 6.
Verſ. 13. Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam promerear. Tr. 11. d. 5. n. 13.

CAP. V.

Verſ. 1. Creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum, Tr. 7. d. 5. per totum.

CAP. VI.

Verſ. 2. Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi in uxores, Tr. 8. d. 15. n. 24. Item Tr. 13. d. 22. n. 16. & Tr. 14. d. 20. n. 7. & d. 30. per totum.
Verſ. 3. Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt, Tr. 13. d. 2. n. 1. & n. 3. & d. 4. per totum. Et d. 16. n. 13. 15. & 23. d. 19. n. 17.
Verſ. 5. Videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio hominum intenta ad malum omni tempore, Tr. 8. d. 2. n. 4. Tr. 13. d. 1. per totum. Et d. 16. n. 17. & d. 19. per totum. Et d. 35. n. 9. Item Tr. 14. d. 18. n. 13.
Verſ. 6. Pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra &c. Et tactus dolore cordis intrinſecus, Tr. 13. d. 1. per totum. Et d. 19. per totum, & d. 21. n. 13.
Verſ. 7. Delebo hominem, quem creavi &c. Tr. 13. d. 4. n. 1. & d. 17. n. 19.
Verſ. 8. Noë verò invenit gratiam coram Domino, Tr. 17. d. 4. n. 3. & Tr. 14. d. 8. n. 3.
Verſ. 9. Juſtus atque perfectus fuit, ambulavit cum Deo, T. 14. d. 8. n. 3.
Verſ. 11. Corrupta eſt terra coram Deo & repleta iniquitate, Tr. 13. d. 1. n. 10.
Verſ. 12. Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram, Tr. 1. d. 10. n. 15. T. 5. d. 7. n. 2. & Tr. 8. d. 17. n. 4. Item Tr. 13. d. 1. n. 2. & d. 3. n. 8. & d. 11. n. 12. Item Tr. 14. d. 8. n. 3. & d. 18. n. 13. & Tr. 17. d. 3. n. 5. & Tr. 14. d. 15. n. 5.
Verſ. 17. Adducam aquas diluvij, & interficiam omnem carnem, Tr. 13. d. 17. n. 19.
Verſ. 18. Ingredieris arcam tu & filij tui; uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum, Tr. 13. d. 11. n. 12. Item Tr. 17. d. 14. n. 6.

CAP. VII.

Verſ. 1. Ingrediens tu & omnis domus tua in arcam, te enim vidi juſtum coram me in generatione hac, Tr. 17. d. 4. n. 3.
Verſ. 7. Ingreſſus eſt Noë & filij ejus & uxores filiorum ejus, Tr. 13. d. 24. n. 2.
Verſ. 13. In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë, & Sem, & Cham, & Japhet filij ejus, uxor illius, & tres uxores filiorum ejus, Tr. 14. d. 35. n. 14.

CAP. VIII.

Verſ. 1. Recordatus autem Dominus Noë, cunctorumque animantium, & omnium jumentorum, Tr. 17. d. 14. n. 7.
Verſ. 2. Prohibitæ ſunt pluviæ de cælo, Tr. 5. d. 7. n. 5.
Verſ. 6. Cum pertranſiſſent quadraginta dies, aperuit Noe feneſtram arcæ, Tr. 1. d. 5. n. 11.
Verſ. 9. Cum non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt &c. Tr. 13. d. 16. n. 23.
Verſ. 11. Portans ramum virentis olivæ in ore ſuo, Tr. 5. d. 7. n. 5.
Verſ. 21. Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines, Tr. 14. d. 14. n. 9.

CAP. IX.

Verſ. 22. Cum vidiſſet Cham verenda patris ſui eſſe nudata, Tr. 13. d. 11. n. 16. Item Tr. 18. d. 8. n. 9. & Tr. 20. d. 11. n. 7.
Verſ. 23. At verò Sem & Japhet pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum operuerunt verenda patris ſui, Tr. 20. d. 16. n. 2.
Verſ. 25. Maledictus Chanaan, &c. Tr. 11. d. 1. n. 6.

CAP. XI.

Verſ. 1. Erat autem terra labij unius, Tr. 5. d. 10. n. 14.
Verſ. 3. Venite, faciamus lateres & coquamus eos igni &c. Tr. 3. d. 17. n. 2.

CAP. XII.

Verſ. 1. Dixit autem Dominus ad Abraham, egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c. Tr. 8. d. 10. n. 16. & d. 21. n. 3. Item Tr. 14. d. 34. n. 10.
Verſ. 3. In te benedicentur omnes cognationes terræ, Tr. 5. d. 7. n. 7.
Verſ. 5. Tulitque Sarai uxorem ſuam, & Loth filium fratris ſui, &c. Tr. 14. d. 34. n. 10.
Verſ. 13. Dic, quod ſoror mea ſis, Tr. 10. d. 10. n. 15.
Verſ. 14. Viderunt Ægyptij mulierem, quod eſſet pulchra nimis, & nunciaverunt Pharaoni, Tr. 2. d. 12. n. 10. & Tr. 3. d. 3. n. 3.

CAP. XIII.

Verſ. 2. Erat Abraham dives valde in poſſeſſione auri & argenti. Tr. 8. d. 17. n. 13. & d. 20. n. 10.
Verſ. 7. Facta eſt rixa inter paſtores gregum Abraham & Loth, Tr. 5. d. 8. n. 16. Tr. 8. d. 2. n. 8. & Tr. 8. d. 7. n. 2.
Verſ. 10. Irrigabatur ſicut paradiſus Domini; Tr. 6. d. 6. n. 6. Tr. 8. d. 6. n. 11. & d. 10. n. 10. & 11.
Verſ. 11. Elegitque ſibi Loth regionem circa Jordanem, & receſſit ab oriente, diviſique ſunt alterutrum à fratre ſuo, Tr. 17. d. 14. n. 10.
Verſ. 13. Homines Sodomitæ peſſimi erant, Tr. 8. d. 3. n. 5.

CAP. XIV.

Verſ. 1. Amraphel & Arioch inierunt bellum, Tr. 3. d. 8. n. 4.
Verſ. 12. Tulerant autem &c. nec non & Loth & ſubſtantiam ejus, Tr. 17. d. 14. n. 10.
Verſ. 14. Quod cum audiſſet Abraham, captum videlicet Loth fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos, decem & octo &c. Tr. 14. d. 16. n. 11.
Verſ. 15. Percuſſitque eos, & perſecutus eſt eos uſque Hiaba, Tr. 14. d. 16. n. 11.
Verſ. 16. Reduxitque omnem ſubſtantiam & Loth fratrem ſuum, Tr. 14. d. 16. n. 11.



Verſ. 21. Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi, tr. 17. d. 8. n. 5. & tr. 19. d. 13. n. 8.
Verſ. 23. A filo ſubtegminis uſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, tr. 13. d. 13. n. 14.

CAP. XV.

Verſ. 1. Noli timere Abraham, ego ero merces tua magna nimis, tr. 8. d. 9. n. 14.
Verſ. 5. Numera ſtellas ſi potes, tr. 10. d. 3. n. 2.
Verſ. 9. Sume mihi vaccam triennem & capram trimam &c. tr. 4. d. 15. n. 8.
Verſ. 10. Tollens univerſa hæc, diviſit ea, &c. ibid.

CAP. XVI.

Verſ. 2. Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios, tr. 14. d. 19. n. 3.
Verſ. 5. Dixitque Sarai ad Abram: Iniquè agis contra me, &c. tr. 18. d. 2. n. 10.
Verſ. 6. Affligente igitur eam Sarai, fugam inijt, tr. 14. d. 29. n. 9.
Verſ. 8. Dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis? & quo vadis? tr. 18. d. 10. n. 3.
Verſ. 9. Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius, tr. 18. d. 10. n. 3.
Verſ. 13. Vidi poſteriora videntis me, tr. 6. d. 15. n. 17.

CAP. XVII.

Verſ. 1. Ambula coram me eſto perfectus tr. 8. d. 12. n. 11. Item tr. 9. d. 19. n. 9. & tr. 10. d. 5. n. 13.
Verſ. 10. Hoc eſt pactum meum quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur &c. tr. 17. d. 12. n. 10.
Verſ. 17. Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius? tr. 16. d. 9. n. 5.

CAP. XVIII.

Verſ. 3. Ne tranſeas ſervum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ &c. tr. 6. d. 3. n. 6. & d. 14. n. 3.
Verſ. 6. Feſtinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera tria ſata ſimilæ commiſce, &c. tr. 14. d. 25. n. 7.
Verſ. 9. Ubi eſt Sara, uxor tua? Ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt, tr. 14. d. 34. n. 10.
Verſ. 11. Erant autem ambo ſenes, profectæque ætatis, tr. 14. d. 34. n. 10. & tr. 20. d. 13. n. 9.
Verſ. 12. Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? tr. 14. d. 5. n. 9. & tr. 16. d. 9. n. 3.
Verſ. 16. Abraham ſimul gradiebatur, deducens eos, tr. 6. d. 3. n. 7.
Verſ. 20. Et peccatum eorum aggravatum eſt nimis, tr. 15. d. 8. n. 12.
Verſ. 21. Deſcendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, tr. 20. d. 15. n. 10.
Verſ. 32. Non delebo propter decem, tr. 8. d. 10. n. 11.

CAP. XIX.

Verſ. 1. Venerunt duo Angeli Sodomam veſperi, tr. 6. d. 3. n. 8. Item tr. 20. d. 12. n. 5.
Ibidem. Et ſedente Loth in foribus civitatis &c. tr. 13. d. 22. n. 3.
Verſ. 7. Nolite quæſo fratres &c. tr. 18. d. 7. n. 6.
Verſ. 9. Ingreſſus es, inquiunt, ut advena, numquid ut judices? tr. 18. d. 4. n. 8.
Verſ. eod. Prope erat, ut effringerent fores, tr. 6. d. 15. n. 12.
Verſ. 10. Et ecce miſerunt manum viri & introduxerunt ad ſe Loth, tr. 18. d. 4. n. 8.
Verſ. 11. Et eos qui foris erant percuſſerunt cæcitate. tr. 18. d. 4. n. 8.
Verſ. 15. Cogebant eum Angeli, tr. 17. d. 7. n. 11. & tr. 8. d. 6. n. 11.
Verſ. eod. Ne & tu pereas in ſcelere civitatis, tr. 13. d. 33. n. 15
Verſ. 16. Diſſimulante illo apprehenderunt manum ejus, tr. 13. d. 20. n. 14. & tr. 17. d. 14. n. 10.
Verſ. 17. Eduxerunt eum, & poſuerunt extra civitatem &c. tr. 13. d. 30. n. 7. & d. 32. n. 10. & d. 33. n. 15.
Verſ. eod. Salva animam meam, tr. 6. d. 16. n. 5.
Verſ. 21. Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas &c. tr. 13. d. 33. n. 15.
Verſ. 22. Feſtina & ſalvare ibi &c. non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc, tr. 6. d. 16. n. 10. Item tr. 13. d. 22. n. 3.
Verſ. 24. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem, tr. 13. d. 11. n. 11. & tr. 18. d. 4. n. 8.
Verſ. 31. Pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum manſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos &c. tr. 14. d. 19. n. 2.

CAP. XX.

Verſ. 8. Statimque de nocte conſurgens vocavit omnes ſervos ſuos, &c. tr. 13. d. 34. n. 10.
Verſ. 9. Quid feciſti nobis? quid peccavimus in te, quia induxiſti ſuper regnum peccatum grande, tr. 13. d. 1. n. 15. & d. 12. n. 10.
Verſ. 11. Cogitavi mecum, dicens: forſitan non eſt timor Dei in loco iſto, tr. 3. d. 3. n. 10. & 11. Item tr. 13. d. 6. n. 11.
Verſ. 16. Ecce mille argenteos dedi fratri tuo &c. tr. 13. d. 34. n. 10.

CAP. XXI.

Verſ. 6. Riſum fecit mihi Dominus, &c. tr. 16. d. 15. n. 6.
Verſ. 8. Fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus, tr. 16. d. 15. n. 6.
Verſ. 10. Ejice ancillam hanc & filium ejus, tr. 14. d. 19. n. 2. & tr. 17. d. 12. n. 2.
Verſ. 12. Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua, omnia quæcumque dixerit tibi Sara, tr. 17. d. 12. n. 2.
Verſ. 14. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem ac utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque puerum & dimiſit eam, tr. 14. d. 22. n. 14. & d. 19. n. 9.
Verſ. 15. Abjecit puerum ſubter unam arborem, tr. 6. d. 4. n. 15.
Verſ. 16. Abijt ſeditque è regione procul &c. Dixit enim: non videbo morientem puerum, ibid. & d. 9. n. 9.
Verſ. 17. Vocavit Angelus Dei Agar, ibid. d. 4. n. 14. & 15.

CAP. XXII.

Verſ. 1. Tentavit Deus Abraham, tr. 4. d. 9. n. 5.
Verſ. 2. Peperit filium in ſenectute ſua, tr. 9. d. 15. n. 20.
Verſ. 5. Expectate hic cum aſino, tr. 20. d. 17. n. 10.
Verſ. 11. Angelus Domini de cælo clamabat, dicens: Abraham, Abraham.
Verſ. 12. Dixitque ei: Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam; nunc cognovi quod times Deum, tr. 4. d. 9. n. 14. & tr. 16. d. 18. n. 10.

CAP. XXIII.

Verſ. 8. Si placet animæ veſtræ, ut ſepeliam mortuum meum &c. tr. 13. d. 32. n. 11.
Verſ. 9. Det mihi ſpeluncam duplicem, ibid.

CAP. XXIV.

Verſ. 3. Ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito, tr. 16. d. 18. n. 2.
Verſ. 7. Ipſe mittet Angelum ſuum coram te, tr. 6. d. 1. n. 17.

CAP. XXV.

Verſ. 6. Et ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo, tr. 17. d. 13. n. 4.
Verſ. 11. Et poſt obitum illius benedixit Deus Iſaac filio ejus, qui habitabat juxta puteum viventis & videntis, tr. 20. d. 6. n. 2.
Verſ. 32. En morior, quid mihi proderunt primogenita mea, tr. 10. d. 19. n. 7.
Verſ. 34. Accepto pane & lentis edulio, abijt, parvipendens, quod primogenita vendidiſſet, tr. 3. d. 9. n. 4.

CAP. XXVI.

Verſ. 15. Omnes puteos obſtruxerunt, implentes humo, tr. 8. d. 5. n. 8.

CAP. XXVII.

Verſ. 11. Noſti, quod Eſau frater meus piloſus ſit &c. tr. 13. d. 15. n. 2.
Verſ. 34. Auditis Eſau ſermonibus patris irrugijt clamore magno, tr. 15. d. 13. n. 4.
Verſ. 37. Frumento & vino ſtabilivi eum &c. tr. 9. d. 20. n. 12.

CAP. XXVIII.

Verſ. 11. Tulit de lapidibus qui jacebant & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco, tr. 4. d. 18. n. 8. & tr. 17. d. 3. n. 8.
Verſ. 12. Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, tr. 20. d. 3. n. 12.
Verſ. 13. Terram in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo, tr. 20. d. 5. n. 3.
Verſ. 14. Eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ, dilataberis ad Occidentem & Orientem, tr. 2. d. 5. n. 3.
Verſ. 16. Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam, tr. 20. d. 2. n. 4.
Verſ. 17. Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta, tr. 20. d. 3. n. 12. & d. 5. n. 4.
Verſ. 18. Tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper, tr. 20. d. 2. n. 5. & d. 5. n. 4.
Verſ. 20. Votum vovit, dicens: ſi fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum &c. tr. 8. d. 12. n. 13.

CAP. XXIX.

Verſ. 9. Et ecce Rachel veniebat cum ovibus Patris ſui, tr. 14. d. 34. n. 11.
Verſ. 20. Servivit ergo Jacob pro Rachel ſeptem annis, tr. 4. d. 18. n. 8.
Verſ. 23. Accepit Laban Liam filiam ſuam, introduxitque eam ad Jacob &c. tr. 9. d. 13. n. 12.

CAP. XXXI.

Verſ. 14. Numquid habemus reſidui quidquam in facultatibus & hæreditate domus Patris noſtri? tr. 17. d. 6. n. 11.
Verſ. 15. Nonne quaſi alienos reputavit nos & vendidit, comeditque pretium noſtrum, tr. 17. d. 6. n. 11.
Verſ. 20. Noluit Jacob confiteri ſocero quod fugeret, tr. 13. d. 30. n. 12.
Verſ. 23. Qui aſſumptis fratribus ſuis perſecutus eſt eum diebus ſeptem, tr. 19. d. 11. n. 7.
Verſ. 27. Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, ut proſequerer tecum hymnis &c. tr. 16. d. 13. n. 10. & tr. 9. d. 13. n. 12.

*Verſ.40. Die noctuque æſtu urebar & gelu*, tr.10.d.21.n.18.

CAP. XXXII.

*Verſ.2. Caſtra Dei ſunt hæc*, tr.19.d.11.n.5. Item tr.6.d.1. n.4. & d.3.n.13.

*Verſ.10. In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum*, tr.10.d.21. n.8.

*Verſ.24. Ecce vir luctabatur cum eo uſque mane*, tr. 6.d. 9. n.7.

*Verſ.25. Tetigit nervum fœmoris ejus & ſtatim emarcuit*, tr.6. d.15.n.11. Item tr.14.d.7.n.5.

*Verſ.26. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*, tr.6.d.9.n.7.

*Verſ.28. Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël*, tr.14.d.7.n.5.

*Verſ.30. Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*, tr.6.d.9.n.7.& tr.4.d.1.n.5.

CAP. XXXIII.

*Verſ.13. Noſti Domine mi, quod parvulos habeam teneros, &c.* tr.17.d.12.n.7.

CAP. XXXIV.

*Verſ.1. Egreſſa eſt Dina, ut videret mulieres regionis illius*, tr. 9.d.16.n.6.

*Verſ.2. Adamavit eam & rapuit &c.* tr.13.d.6.n.10. & d.12. n.9.

*Verſ.3. Conglutinata eſt anima ejus cum ea*, tr.13.d.19.n.10.& d.20.n.13. & d.12.n.9.

*Verſ.15. Circumcidatur in vobis omne maſculini ſexus*, tr.13.d. 6.n.10.

*Verſ.18. Placuit oblatio eorum Hemor &c.* tr.13.d.6.n.10.

*Verſ.19. Amabat enim puellam valdè*, tr.8.d.14.n.9.

*Verſ.24. Aſſenſique ſunt omnes circumciſis cunctis maribus*, tr.2.d.3.n.8.

*Verſ.26. Hemor & Sichem pariter necaverunt*, tr.13.d.10.n.9.

CAP. XXXVI.

*Verſ.2. Accuſavit fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo*, tr.3.d.10.n.21.

*Verſ.3. Iſraël diligebat Joſeph ſuper omnes filios, eò quod in ſenectute genuiſſet eum*, tr.5.d.3.n.2.

*Verſ.20. Fera peſſima devoravit eum*, tr.8.d.2.n.10.& tr.13.d. 2.n.12.

*Verſ.25. Viderunt Iſmaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata in Ægyptum*, tract. 14.d. 32.n.8.

*Verſ.26. Quid nobis prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum*, tr.15.d.5.n.12.

*Verſ.28. Vendiderunt eum 30. argenteis*, tr.3.d.16.n.4.

*Verſ.32. Vide, utrum tunica filij tui ſit*, tr.8.d.2.n.10.

CAP. XXXVIII.

*Verſ.14. Mutato habitu, ſedit in bivio itineris*, tr.9.d.6.n.13.

*Verſ.27. Inſtante partu, apparuerunt gemini in utero*, tr.3.d.15. n.3.

CAP. XXXIX.

*Verſ.2. Dominus erat cum illo*, tr.12.d.3.n.10.

*Verſ.4. Invenit Joſeph gratiam coram Domino ſuo*, tr.14.d.8. n.2.

*Verſ.8 Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſua*, tr.13.d.18.n.3.

*Verſ.eod. Nec quidquam eſt, quod in mea non ſit poteſtate*, tr. 14.d.8.n.2.& d.26.n.2.

*Verſ.9. Quomodo poſſum hoc malum facere & peccare in Dominum meum*, tr.4.d.8.n.11.

*Verſ.10. Per ſingulos dies & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum*, tr.14.d.9.n.2.& d.26.n.7.& d.35.n.1. & d.25.n.11.

*Verſ.11. Accidit quadam die, ut intraret Joſeph domum, & operis quidquam faceret*, tr.14.d.26.n.7.& d.28.n.6.& d.34.n.3.

*Verſ.12. Qui relicto in manu ejus pallio fugit*, tr.14. d.35. per totum. Item tr.13.d.13.n. 14.

*Verſ.21. Dedit ei Dominus gratiam in conſpectu principis carceris, qui tradidit in manu ejus omnes vinctos*, tr.14.d.8.n.2.

CAP. XL.

*Verſ.3. Miſit eos in carcerem, &c.* tr. 8.d.15.n.8.

*Verſ.9. Videbam coram me vitem, &c.* tr.13.d.3.n.9.

*Verſ.16. Vidi ſomnium, quod tria caniſtra haberem ſuper caput meum*, tr.8.d.20.n.5. & tr.13. d.30.n.9.

*Verſ.23. Succedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui*, tr.8.d.10.n.9.

CAP. XLI.

*Verſ.1. & 2. Putabat ſe ſtare ſuper fluvium, de quo aſcendebant ſeptem boves*, tr. 8.d.24.n.9.

*Verſ.9. Confiteor peccatum meum, &c.* tr.2.d.12. n.10.

*Verſ.18. Septem pulchræ boves nimis & obeſis carnibus*, tr.15. d.2.n.6.

*Verſ.19. Has ſequebantur aliæ ſeptem, in tantum deformes, &c.* tr.13.d.2.n.6.

*Verſ.20. Quæ devoratis & conſumptis ſeptem prioribus, nullum ſaturitatis dederunt veſtigium*, tr.13.d.2.n.6.

*Verſ.39. Numquid ſapientiorem & conſimilem tui invenire potero?* tr.14.d.10.n.7.

*Verſ.40. Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, tr.3.d.16.n.4.

*Verſ.eod. Uno tantùm Regni ſolio te præcedam*, tract. 14.d. 8.n.2.

*Verſ.43. Fecit eum aſcendere ſuper currum ſuum*, tract.10. d.5.n.10.

*Verſ.44. Abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Ægypti*, tr.8.d.13.n.5.

*Verſ.45. Deditque illi uxorem Aſenech filiam Putipharis ſacerdotis Heliopoleos*, tr.14.d.4.n.10.

*Verſ.51. Oblivìſci fecit me Dominus omnium laborum meorum*, tr.20.d.13.n.8.

CAP. XLII.

*Verſ.21. Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum*, tr.17.d.14.n.11.

*Verſ.22. En ſanguis ejus exquiritur*, ibid.

CAP. XLIII.

*Verſ.11. Sumite de optimis terræ fructibus, &c.* tr.8.d.25.n.3.

*Verſ.32. Illicitum eſt Ægyptijs comedere cum Hebræis*, tr.2.d. 10.n.5.

*Verſ.34. Et mirabantur nimis ſumptis partibus, quas ab eo acceperant &c. Biberuntq; & inebriati ſunt cum eo*, tr.15.d.25.n.4

CAP. XLV.

*Verſ.1. Non ſe poterat ultrò cohibere Joſeph multis coram aſtantibus, unde præcepit, ut egrederentur cuncti foras &c.* tr.18.d.10.n.8

*Verſ.6. Biennium eſt, quod fames eſſe cœpit*, tr.13.d.27.n.3.

CAP. XLVI.

*Verſ.3. Ego ſum fortiſſimus Deus Patris tui; noli timere, deſcende in Ægyptum*, tr.3.d.18.n.9. Item tr.16. d.9.n.3. & tr. 17.d.22.n.7.

*Verſ.28. Miſit autem Judam ante ſe ad Joſeph, ut nuntiaret ei, & occurreret in Geſſen*, tr.15.d.5.n.12.

*Verſ.31. Aſcendam & nunciabo Pharaoni &c.* tr.8.d.13.n.5.

*Verſ.34. Hæc dicetis, ut habitare poſſitis in terra Geſſen*, tr.3. d.12.n.2.

CAP. XLVII.

*Verſ.9. Dies peregrinationis vitæ meæ centum viginti annorum*, tr.10.d.16.n.5.

*Verſ.24. Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis*, tr.8.d.28.n.8.

*Verſ.30. Sed dormiam cum Patribus meis*, tr.17.d.6.n.10.

CAP. XLVIII.

*Verſ.16. Angelus, qui eruit me de cunctis malis*, tr.6.d.6.n. 9.& d.16.n.3.

*Verſ.22. Do tibi partem unam extra fratres tuos*, tr.8.d.3.n.15.

CAP. XLIX.

*Verſ.4. Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, &c.* tr.7. d.11.n.13. Item tr.13.d.2.n.5.& tr.14.d.19.n.2.

*Verſ.7. Maledictus furor eorum*, tr.11.d.1.n.6.

*Verſ.8. Juda te laudabunt fratres tui*, tr.15.d.19.n.11.

*Verſ.14. Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos.* tr.10.d. 21.n.7.& tr.16.d.10.n.7.

*Verſ.15. Vidit requiem & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum*, tr.10.d.21.n.7.

*Verſ.24. Sedit in forti arcus ejus*, tr.12.d.3.n.9.

CAP. L.

*Verſ.3. Flevit eum Ægyptus ſeptuaginta diebus*, tr.2. d.10. n.5.

*Verſ.7. Ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis*, ibid.

*Verſ.24. Aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto*, tr. 17. d.6. n.10.

*Verſ.25. Mortuus eſt, & conditus aromatibus, repoſitus eſt in loculo, in Ægypto.*

LIBER EXODI.

CAP. I.

*Verſ.8. Surrexit interea Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph*, tr.3.d.12.n.12.& tr.2.d.10.n.5.

*Verſ.9. Populus filiorum Iſraël fortior nobis eſt*, tr.13.d.14. n.12.

*Verſ.11. Ædificaverunt urbes tabernaculorum Pharaoni Phitom & Rameſſes*, tr.13.d.14.n.13.

*Verſ.14. In operibus luti & lateris*, tr.13.d.14.n.12. & d. 31. n.15.

*Verſ.17. Timuerunt autem obſtetrices Deum*, tr. 17. d.14. n.2.

*Verſ.22. Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen projicite*, tr.3.d.2.n.6.

*Verſ.eod. Quidquid fœminei ſexus eſt, reſervate*, tr.13.d.8. n.13.

CAP. II.

*Verſ.5. Ecce deſcendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine &c.* tr.4.d.8.n.2.

*Verſ.14. Quis te conſtituit principem & judicem ſuper nos? Num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* tr. 18. d.17.n.8.

*Verſ.15. Pharao quærebat occidere Moyſen*, tr.16.d.1.n.1.

CAP. III.

*Verſ.1. Moyſes autem paſcebat oves Jethro ſoceri ſui*, tr.16.d. 1.n.1.

*Verſ.3. Vadam & videbo viſionem hanc magnam*, tr.10.d.15. n.5.

*Verſ.5. Ne appropies huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis*, tr.14.d.22.n.15.& tr.2.d.1.n.6.& d.2.n.6. Item tr.10. d.15.n.5. & d.17.n.11. & tr.12.d.7.n.8.

*Verſ.7. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto & clamorem ejus audivi*, tr.10.d.25.n.8.

*Verſ.10. Veni & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum*, tr.3.d.16.n.4.

*Verſ.18. Ibimus viam trium dierum*, tr.17.d.3.n.6.& 8.

*Verſ.21. Cum egrediemini, non exibitis vacui*, tract.13.d.22. n.17.

*Verſ.22. Poſtulabat mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua vaſa argentea, &c.* tr.8.d.5.n.6.& d.19.n.3. Item tr.13. d.22.n.17.

CAP. IV.

*Verſ.1. Non credent mihi*, tr.5.d.4.n.3.

*Verſ.2. Quid tenes in manu tua?* ibid.& tr.8. d.20.n.12.

*Verſ.3. Projice in terram*, tr.5.d.4.n.3.

*Verſ.6. Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis*, tr 17.d.3.n.6. & 8.

*Verſ.11. Quis fecit os hominis?* tr.3.d.12.n.13.

*Verſ.13. Iratus eſt Dominus in Moyſen*, tr.3.d.14.n.4.

CAP. V.

*Verſ.2. Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus*, tr.11.d. 9.n.5.

*Verſ.3. Ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro*, tr.19.d.11.n. 4.& tr.13. d.31.n.15.

*Verſ.12. Diſperſuſque eſt populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas*, tr.16.d.5.n.5.

*Verſ.16. En famuli tui flagellis cedimur, & injuſtè agitur contra populum tuum*, tr.19.d.17.n.10.

*Verſ.21. Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos*, tr.18.d.15.n.3.

CAP. VII.

*Verſ.1. Conſtitui te Deum Pharaonis*, tr.3.d.12.n.13.& d.14.n. 4. Item tr.10.d.17.n.12.

*Verſ.9. Tolle virgam tuam, & projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum*, tr.20 d.7.n.5.

CAP. VIII.

*Verſ.17. Et facti ſunt Sciniphes in hominibus & jumentis*, tr. 15.d.6.n.10.

*Verſ.19. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei eſt hic*, tr.19.d.13.n.2.& tr.20.d.12.n.7.

*Verſ.22. Faciamque mirabilem in die illa terram Geſſen, in qua populus meus eſt, ut non ſint ibi muſcæ, &c.* tr.15.d.6.n.11.

*Verſ.23. Ponamque diviſionem inter populum meum, & populum tuum*, tr.17.d.2.n.5.

*Verſ.25. Vocavitque Pharao Moyſen & Aaron, & ait eis: Ite & ſacrificate Deo veſtro in terra hac*, tr.19.d.8.n.8.

CAP. IX.

*Verſ.8. Tollite plenas manus cineris de camino &c.* tr.13.d.28. n.14.

*Verſ.9. Sitque pulvis ſuper omnem terram Ægypti*, tr.13. d.28. n.14.

*Verſ.25. Percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerant in agris*, tr. 13.d.16.n.14.

CAP. X.

*Verſ.22. Factæ ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti*, tr.13.d.17.n.4.

*Verſ.24. Oves tantum veſtræ & armenta remaneant, parvuli veſtri eant*, tr.19.d.8.n.12.

*Verſ.26. Cuncti greges pergant vobiſcum, non remanebit ex eis ungula*, tr.13.d.34.n.4.

*Verſ.28. Recedes à me, & cave, ne ultra videas faciem meam*, tr.2.d.11.n.5.

CAP. XI.

*Verſ.2. Dices ergo omni plebi, ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea*, tr.14.d.34.n.12.

*Verſ.5. Omne primogenitum jumentorum moriatur*, tr.6. d. 5. n.10.

CAP. XII.

*Verſ.11. Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus*, tr.18.d.16.n.5. Item tr.10.d.15.n.5.

*Verſ.13. Videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſpergens*, tr.19.d.17.n.8.& d.18.n.5.

*Verſ.15. Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus veſtris*, tr.17.d.9.n.6. & tr.13. d.30.n.14.

CAP. XIII.

*Verſ.13. Primogenitum aſini mutabis ove*, tr.5.d.7.n.11.

*Verſ.19. Tulit quoque Moyſes oſſa Joſephi ſecum*, tr.14.d.3.n.6. & tr.17.d. 6.n.10.

CAP. XIV.

*Verſ.5. Nuntiatum eſt Regi Ægyptiorum, quod fugiſſet populus, &c.* tr.13.d.32.n.5.

*Verſ.13. Nolite timere, ſtate, & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie, Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis uſque in ſempiternum, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, tr.19.d.11.n.6. Item tr.6.d.16.n.10.

CAP. XV.

*Verſ.1. Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt*, tr. 9.d.20.n.5.& tr.10.d.15.n.14.& tr.13.d.9.n.13.

*Verſ.2. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem*, tr.21.d.19.n.7.

*Verſ.9. Dixit inimicus, perſequar & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum*, tr.19.d.12.n.3.

*Verſ.10. Submerſi ſunt quaſi plumbum*, tr.8.d.5.n.4.

*Verſ.22. Tulit Moyſes Iſraël de mari rubro*, tr.8.d.10.n.15.

*Verſ.23. Venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quod eſſent amaræ*, tr. 4.d.18.n.9.& tr.10.d.25.n.9.

CAP. XVI.

*Verſ.3. Quando ſedebamus ſuper ollas carnium*, tr.8.d.9. n.4. Item tr.9.d.15.n.3.

*Verſ.4. Populus colligat, quæ ſufficiant per ſingulos dies*, tr.8. d.26. n.2.

*Verſ.10. Et ecce gloria Domini apparuit in nube*, tr.20.d.11. n.3.

*Verſ.13. Aſcendens coturnix cooperuit caſtra*, tr.8.d.6.n.9. Item tr.9. d.9.n.14.& d.15.n.3.

*Verſ.15. Manna quid eſt hoc*, tr.10.d.9.n.12.

CAP. XVII.

*Verſ.9. Elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec*, tr. 6.d. 16.n. 10. Item tr.19.d.11.n.6.

*Verſ.11. Cum levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalec*, tr.1.d.14.n.2.

CAP. XVIII.

*Verſ.18. Non bonam rem facis, ſtulto labore, conſumeris, & tu & populus iſte, qui tecum eſt, ſolus illud non poteris ſuſtinere*, tr.18.d.5.n.6.

*Verſ.22. Quidquid majus fuerit referent ad te*, tr.11.d. 11.n.2.

CAP. XIX.

*Verſ.5 Eritis mihi in peculium*, tr.7.d.4.n.9.

*Verſ.12. Cavete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur*, tr.18.d.11. n.8. Item tr.13.d.31.n.8.

*Verſ.14. Deſcenditque Moyſes ad populum, & ſanctificavit eum, &c. Et dixit eis: Eſtote parati tribus diebus, & ne acceſſeritis ad mulieres*, tr.14.d.6.n.2.

CAP. XX.

*Verſ.4. Non facies tibi ſculptile*, tr.20.d.8.n.6.

*Verſ.5. Ego ſum Dominus Deus tuus zelotes*, tr.4.d.14.n.7.

*Verſ.7. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, tr.21.d. 13.n.4.

*Verſ.14. Non mœchaberis, &c. non concupiſces uxorem proximi tui*, tr.14.d.14.n.3.

*Verſ.19. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, tr.14. d.1.n.11.& tr.15.d.3.n.18.

CAP. XXI.

*Verſ.12. Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur; qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus tradidit illum in manus ejus, conſtituam tibi locum in quem fugere debeat*, tr.20. d.15.n.10.

*Verſ.17. Qui maledixerit Patri aut Matri morte moriatur*, tr. 11.d.4.n.7.

CAP. XXII.

*Verſ.1. Si quis furatus fuerit, bovem aut ovem, & occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove reſtituet*, tr.20.d.12. n.5.

*Verſ.6. Si egreſſus ignis invenerit ſpicas & comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit*, tr.18.d.9.n.3.

*Verſ.28. Dijs non detrahes*, tr.18.d.6.n.3.& tr.20.d.7.n.9.

CAP. XXIII.

*Verſ.17. Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo*, tr.14.d.34.n.13.

*Verſ.20. Ecce ego mittam angelum, qui præcedat te, & cuſtodiat te in via*, tr.6.d 10.per totum.

*Verſ.21. Obſerva eum, & audi vocem ejus &c.* Loc.cit. per tot. *Item*, tr.6.d.13.n.15.& d.16.n.8. *rurſum* tr.6.d.16.per totum.

CAP. XXV.

*Verſ.4. Accipietis pilos caprarum, pelleſque arietum*, tr.10.d. 30.n.5.

*Verſ.18. Duos Cherubin aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi*, tr.5.d.2.n.10.& tr.6.d.2.n.17.

*Verſ.19. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero &c.* Locis citatis.

*Verſ.31. Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo &c. ac lilia ex ipſo procedentia*, tr.14.d.10.n.16.

*Verſ.38. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant de auro puriſſimo,* tr.20.d.4.n.7.

CAP. XXVI.

*Verſ.1.Cortinas de byſſo & hyacintho ac purpura,* tr.3.d.11.n.1.Item tr.10.d.28.n.16.

CAP. XXIX.

*Verſ.4.Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient : Rationale & Superhumerale,tunicam & lineam ſtrictam &c.* tr.20. d.16. n.12.& d.17.n.12.& tr.14.d.22.n.9.

*Verſ.10. Sex nomina in lapide uno, & ſex reliqua in altero,* tr.3.d.11.n.15.

*Verſ. 33. Deorum verò ad pedes ejuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies,* tr.8.d.20.n.4.

*Verſ.39. Stringeſque tunicam byſſo,* tr.14.d.25.n.6.

*Verſ.42. Facies & fœminalia linea &c.* tr.3.d.11.n.11.

CAP. XXX.

*Verſ. 18. Facies & labrum æneum, cum baſi ſua ad lavandum, poneſque illud inter tabernaculum teſtimonij & altare,* tr.10. d.18. per totum.

CAP. XXXI.

*Verſ.6. Surgenteſque manè obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas,* tr.9.d.10.n.11.

CAP. XXXII.

*Verſ. 1. Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant,* tract. 19. d.9.n.9.

*Verſ.2. Tollite inaures aureas, de uxorum & filiarum veſtrarum auribus &c.* tr.13.d.5.n.2.

*Verſ.4.Quas cum accepiſſet formavit opere fuſorio vitulum conflatilem,* tr.13.d.5.n.2.

*Verſ.eod.Hi ſunt Dij tui Iſraël,* tr.3.d.2.n.10.& d. 18. n.10.

*Verſ.6. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere,* tr.9.d.11.n.8.& d.14.n.15.& tr.13.d.6.n.1.

*Verſ.10. Dimitte me ut iraſcatur furor meus,* tr.4.d.17.n.11.

*Verſ.17. Ululatus pugnæ auditur in caſtris,*tr.9.d.10.n.11.

*Verſ.19. Projecit de manu tabulas, & confregit eas ,* tr.1.d.8. n.4.& tr.5.d.2.n.1.

*Verſ.20. Accipienſque vitulam, combuſſit & contrivit uſque ad pulverem,* tr.13.d.31.n.5.& d.34.n.7.

*Verſ.24. Quis veſtrûm habet aurum ? tulerunt & dederunt mihi,* tr.8.d.15.n.11.

*Verſ.26. Si quis eſt Domini jungatur mihi,* tr.9.d.14.n.5.

*Verſ.27. Occidat unuſquiſque fratrem & amicum ſuum,* tr. 9. d.14.n.5.

*Verſ.29. Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino,* tr.9. d. 14. n.5. & 6.

*Verſ.31. Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum,* tr.15.d.4.n.12.

CAP. XXXIII.

*Verſ.2. & 3. Mittam præcurſorem tui Angelum ; non enim aſcendam tecum , quia populus duræ cervicis ,* tract.6.d.3.per totum.

*Verſ.5. Jam nunc depone ornatum tuum , ut ſciam , quid faciam tibi,* tr.6.d.10.n.11.

*Verſ. 11. Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem,* tr.1.d.4.n.1. & tr.8.d.10.n.13.

*Verſ.13. Oſtende mihi faciem tuam,* tr.1.d.5.n.18.& tr.15. d. 10.n.10.

*Verſ.19.Oſtendam tibi omne bonum,* tr.10.d.10.n.10.

*Verſ.20. Non poteris videre faciem meam , non enim videbit me homo & vivet ,* tract.1.d.4.n.1.& d.5.n. 18. Item tr.10. d. 17.n.11.

*Verſ.22.Stabis ſupra petram, cumque tranſierit gloria mea ponam te in foramine petræ,* tr.10.d.10.n.10.& d.25.n.14.

*Verſ.23. Videbis poſteriora mea &c.* tr.10. d.6. n.4. & d. 25. n.14.

CAP. XXXIV.

*Verſ.3. Nullus aſcendat tecum, nec videatur quiſpiam per totum montem , boves quoque & oves non paſcantur econtra ,* tr.10.d.2.n.6.

*Verſ. 6. Quo tranſeunte coram eo ait : Dominator Domine Deus,* tr.20.d.6.n.6.

*Verſ.11. Ego ipſe ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum & Cananæum, & Hevæum, & Jebuſæum,* tr.17.d.2.n.2.

*Verſ.12. Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam,* tr.17.d.2.n.2.& d.5.n.5.

CAP. XXXV.

*Verſ.5. Separate apud vos primitias Domino , omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino, aurum & argentum & byſſum, & pilos caprarum,* tr.14.d.22.n.3.

*Verſ.21. Obtulerunt mente promptiſſima atque devota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi teſtimonij ,* tr.20.d. 19.n.6.

CAP. XXXVI.

*Verſ. 5. Plus offert populus quam neceſſarium eſt ,* tr.20.d.19. n.6.

CAP. XXXVII.

*Verſ.23. Fecit & lucernas ſeptem, cum emunctorijs ſuis,& vaſa ubi ea quæ emuncta ſunt extinguantur de auro mundiſſimo,* tr.21. d.4.n.7.

CAP. XXXVIII.

*Verſ.8. Fecit labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi,* tr.1.d.12.n.11.

CAP. XXXIX.

*Verſ.32. Deorſum ad pedes mala punica ex hyacintho, & purpura &c.* tr.5.d.7.n.14.

CAP. XL.

*Verſ.32. Operuit nubes tabernaculum teſtimonij & gloria Domini implevit illud,* tr.20.d.19.n.7.

## EX LIBRO LEVITICI.

CAP. I.

*Verſ. 15. Offeret eam ſacerdos ad altare & retorto ad collum capite, &c.* tr.18.d.3.n.3.

*Verſ.17.Non ſecabit neque ferro dividet eam,*tr.4.d.15.n.7.

CAP. II.

*Verſ.11.Non quidquam mellis adolebitur in Sacrificio Domino,* tr.16.d.15.n.6.& tr.2.d.2.n.4.Item tr.9.d.10.n.2.

*Verſ.13. Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies : nec auferes Sal fœderis Dei tui de Sacrificio tuo,* tr.4.d.3.n.2.& tr. 5. d.7. n.9. Item tr.2.d.2.n.9.

CAP. III.

*Verſ.16.& 17. Omnis adeps Domini erit jure perpetuo , in generationibus,* tr.4.d.15.n.11.

CAP. IV.

*Verſ.4. Si ſacerdos qui unctus eſt, peccaverit &c. offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino,* tr.15.d.2.n.4.

*Verſ.11. Pellem verò & omnes carnes cum capite* &c. tr.13.d. 30.n.8.

*Verſ.12. Et reliquo corpore efferet extra caſtra in locum mundum,* tr.13.d.30.n.8.

CAP. V.

*Verſ.1. Anima cum peccaverit, & audierit vocem juramenti, niſi judicaverit portabit iniquitatem ſuam, &c.* tr. 10.d.12.n.2.

*Verſ.2. Anima quæ tetigerit aliquid immundum , ſive quod occiſum à beſtia eſt, aut per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile &c.* tr.17.d.8.n.4.

*Verſ.15. Anima ſi prævaricans cæremonias, per errorem in his quæ Domino ſunt ſanctificata, peccaverit, offeret pro delicto ſuo arietem,* &c.tr.20.d.8.n.2.

CAP. VI.

*Verſ.15.Tollet ſacerdos pugillum ſimilæ,quæ conſperſa eſt oleo, & totum thus,* tr.4.d.15.n.10.

CAP. VII.

*Verſ.34. Pectuſculum enim elevationis, & armum ſeparationis tuli à filijs Iſraël de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti* &c. tr.17.d.12.n.10.

CAP. VIII.

*Verſ.29. Tulitque pectuſculum, elevans illud coram Domino* &c. tr.15.d.27.n.11.

CAP. X.

*Verſ.2. Egreſſuſque ignis à Domino devoravit eos , & mortui ſunt coram Domino ,* tr.4.d.1.n.3.Item tr.20.d.8.n.9. & tr. 20.d.16.n.11.

CAP. XI.

*Verſ.9. Omne quod habet pinnulas & ſquamas* &c. tr.10.d. 19.n.5.

*Verſ.10. Quidquid autem pinnulas & ſquamas non habet, abominabile vobis erit,* tr.10.d.19.n.5.

CAP. XIII.

*Verſ.2. Homo in cujus cute &c. adducetur ad Aaron Sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus ,* tr.15.d.27. n.13. & tr.17.d.4.n.6.

CAP. XV.

*Verſ. 2. Vir qui patitur fluxum ſeminis immundus erit ,* tr.21. d.5.n.3.

CAP. XVI.

*Verſ.16. Et expiet ſanctuarium ab immunditijs filiorum Iſraël, & à prævaricationibus eorum, cunctiſque peccatis,* tr.17.d.3.n.4.

CAP. XIX

*Verſ.13. Non facies calumniam proximo tuo , nec vi opprimes eum,* tr.12.d.2.n.11.

*Verſ.14. Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum, ſed timebis Dominum Deum tuum,* tr.21.d.9.n.2.

CAP. XX.

*Verſ.9. Qui maledixerit patri vel matri, extinguetur lumen ejus in medijs tenebris,* tr.12.d.5.n.11.

CAP. XXI.

*Verſ.6. Sancti erunt Deo , & non polluent nomen ejus, &c.* tr.18.d.1.n.21.

*Verſ. 11. Ad omnem mortuum non ingredietur omnino ,* tr.14. d.3.n.6.

CAP. XXII.

*Verſ.2. Loquere ad Aaron & filios ſuos, ut caveant ab his quæ conſecrata ſunt filiorum Iſraël, &c.* tr.21.d.5.n.3.





CAP. XXIV.

*Verſ.10. Ecce egreſſus filius mulieris Iſraëlitidis, quem peperat de filio Ægyptio,* tr.11.d.6.n.3.& d.8.n.6.& d.11.n.6.

*Verſ.11. Cum blaſphemaſſet nomen , & maledixiſſet ei , adductus eſt ad Moyſen,* tr.11.d.1.n.10.& d.4.n.10.

*Verſ.12. Miſerunt eam in carcerem, donec noſcent, quid juberet Dominus,* tr.11.d.1.n.13.

*Verſ.14. Educ blaſphemum extra caſtra ,* tr.11. d.1. n.10. & d.3.n.9. & d.3.n.14. & d.6.n.4. & d.10.n.14. & d.12.n.3.& d. 13.n.1.

*Verſ.15. Homo qui maledixerit Deo, peccatum accipiet,* tr.11. d.5.n.2.& 11.

*Verſ.16. Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur ,* tr.11.d.3.n.4.& 7.& d.8.n.6.& d.9.per totum.

CAP. XXVI.

*Verſ.1. Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec vitulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra,* tr.8.d.15.n.5.

*Verſ.2. Cuſtodite ſabbatha mea , & pavete ad ſanctuarium meum, ego Dominus,* tr.20.d.2.n.8.

*Verſ.11. Ponam tabernaculum meum in medio veſtri ,* tr.7.d. 8.n.11.

*Verſ. 14. Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea,* tr.20.d.10.n.5.

*Verſ.36. Terrebit eos ſonitus folij volantis,* tr.15.d.22.n.7.

*Verſ.39. Et propter peccata patrum ſuorum & ſua affligentur,* tr.15.d.9.n.10.

*Verſ.40. Donec conſiteantur iniquitates ſuas , & majorum ſuorum,* tr.15.d.9.n.10.

## LIBER NUMERORUM.

CAP. I.

*Verſ.51. Cum proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum, cum caſtrametandum erigent, quiſquis externorum acceſſerit, morietur,* tr.20.d.9.n.8.

CAP. II.

*Verſ.11. Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me,* tr.3.d.10.per totum.

*Verſ.14. Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum,* tr.3. d.14.n.4.

*Verſ.15. Obſecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis,* tr.3.d.8.n.2.

*Verſ.26. Super quos requievit Spiritus meus &c.* tr.3.d.14.n.6.

*Verſ.32. Surgens ergo populus toto die illo & nocte &c. congregavit coturnicum decem coros,* tr.8.d.6.n.9.

*Verſ.34. Vocatus eſt ille locus ſepulchra concupiſcentiæ,* tr.1.d.3. n.8.& d.15.n.16.

CAP. III.

*Verſ.13. Meum eſt enim omne primogenitum,* tr.19.d.16.n.6.

CAP. V.

*Verſ.2. Præcipe filijs Iſraël, ut ejiciant de caſtris omnem leproſum &c.* tr.17.d.4.n.6.

*Verſ.15. Offeret oblationem pro illa, decimam partem ſati farinæ hordeaceæ,* tr.13.d.17.n.12.

CAP. XI.

*Verſ.1. Interea ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore contra Dominum : quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt. Et accenſus in eos ignis Domini &c.* tr.21.d.11.n.3.

*Verſ.4. Vulgus promiſcuum quod aſcenderat cum eis , flagravit deſiderio, ſedens & flens &c.* tr.17.d.6.n.7.

*Verſ.9. Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & manna,* tr.16.d.14.n.4.

*Verſ.31. Fecit volare coturnices à mari,* tr.9.d.10.n.3.

*Verſ.33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum &c,* tr.9.d.9.per tot.

*Verſ.34. Vocatuſque eſt ille locus ſepulchra concupiſcentiæ ,* tr. 13.d.29.per totum.

CAP. XII.

*Verſ.1. Locutaque eſt Maria & Aaron contra Moyſen propter uxorem ejus Æthiopiſſam,* tr.18.d.8.n.9.

*Verſ.2. Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus ? Nonne & nobis ſimiliter eſt locutus ?* tr.18.d.10.n.9.

*Verſ.3. Quod cum audiſſet Dominus &c. ibidem &c. Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* tr.12.d.1.n.9.

*Verſ.4. Statim locutus eſt ad eum, & ad Aaron & Mariam : Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis,* tr.18.d.10. n.9.

*Verſ.8. Quare non timuiſtis detrahere ſervo meo Moyſi ? Iratuſque &c.* tr.21.d.5.n.4.

*Verſ.10. Et ecce Maria apparuit candens leprâ, quaſi nix.* tr.21. d.5.n.8. & d.11.n.9.

*Verſ.11. Obſecro Domine, ne imponas hoc peccatum,* tr.12.d.3. n.4.

CAP. XIII.

*Verſ.33. Detraxeruntque terræ, quam inſpexerant apud filios Iſraël,* tr.21.d.11.n.3.



CAP. XIV.

*Verſ.9. Sicut panem, ita poſſumus eos devorare.* tr.16. d.12.n.11

CAP. XVI.

*Verſ.15. Iratus Moyſes valde ait: Ne reſpicias ſacrificia eorum,* tr.12.d.1.n.9.

*Verſ.26. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum,* tr.12.d.5.n.12. Item tr.17.d.8.per totum.

*Verſ.31. Confeſtim diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & devoravit illos,* tr.12.d.7.n.5. Item tr.3.d.10.n.15.& d.12.n.6.

*Verſ.32. Et aperiens os ſuum, devoravit eos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia,* LL.cit.

*Verſ.33. Deſcenderuntque vivi in infernum,* tr.12.d.7.n.5.

*Verſ.37. Præcipe Eleazaro, filio Aaron Sacerdoti, ut tollat thuribula,* tr.3.d.10.n.15.

CAP. XVII.

*Verſ.8. Invenit germinaſſe virgam Aaron,* tr.3.d.7.n.12.

CAP. XX.

*Verſ.8. Tolle virgam , & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram,* tr.4.d.6.n.5.Item tr.18.d.13. n.7.

*Verſ.17. Obſecramus, ut nobis tranſire liceat per terram tuam , gradiemur via publica. Cui reſpondit Edom : Non tranſibis, alioquin armatus occurram tibi.* tr.8.d.20.n.14. Item tr.17.d.6.n.8.

*Verſ.24. Eo quod incredulus fueris ori meo ad aquas contradictionis,* Tr.18.d.13.n.7.

CAP. XXI.

*Verſ.5. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo ,* tr.8.d. 12.n.18.& tr.16.d.10.n.5.

*Verſ.8. Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno,* tr.9.d.18. n.17. Item tr.15.d.11.n.16.

*Verſ.9. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur,* tr.15.d.11.n.16.

CAP. XXII.

*Verſ.5. Miſit ergo nuncios ad Balaam &c.* tr.8.d.13.n.17.

*Verſ.12. Dixit Deus ad Balaam : Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus eſt,* tr.6.d.2.n.4.

*Verſ. 28. Aperuitque Dominus os aſinæ, & locuta eſt : Quid feci tibi ? &c.* tr.15.d.21.n.13.

*Verſ.30. Dixit aſina : Nonne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueviſti, &c.* tr.15.d.21.n.13.

*Verſ.32. Perverſa eſt via tua, mihique contraria ,* tr. 6. d. 7. n.13.

*Verſ.35. Ait Angelus : vade cum iſtis, & cave ne aliud, quam præcepero tibi, loquaris,* tr.6.d.8.n.9.

CAP. XXIII.

*Verſ.10. Moriatur anima mea morte juſtorum,* tr. 10. d.26.n.13.

CAP. XXV.

*Verſ.1. Morabatur autem eo tempore Iſraël in Settim, & fornicatus eſt populus cum filiabus Moab,* tr.14.d.23.n.11.

*Verſ.4. Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis, &c.* tr.8.d.3.n.2.

*Verſ.5. Et initiati ſunt Beelphegor,* tr.13.d.11.n.9.

CAP. XXVI.

*Verſ.10. Et factum eſt grande miraculum, ut Chore pereunte, filij ejus non perirent,* tr.16.d.4.n.13. & d.9.n.5.

*Verſ.14. Quarum omnis numerus fuit viginti duo millia ducenti,* tr.13.d.12.n.6.

CAP. XXVII

*Verſ.18. Tolle Joſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum,* tr.3.d.14.n.5.

CAP. XXXII.

*Verſ.5. Precamur, ſi invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis, eam in poſſeſſionem,* tr.8.d.12.n.2.

CAP. XXXIII.

*Verſ.52. Intrantes terram Canaan diſperdite cunctos habitatores ejus,* tr.17.d.2.n.2.& d.8.n. 3.

CAP. XXXV.

*Verſ.6. De ipſis oppidis quæ Levitis dabitis, ſex erunt, in fugitivorum auxilia ſeparata,* tr.17.d.14.n.2.& tr.18.d.16.n.3.

*Verſ.14. Tres erunt trans Jordanem, & tres in terra Canaan,* tr.15.d.4.n.15.

## EX LIBRO DEUTERONOMII.

CAP. I.

*Verſ. 1. Hæc ſunt verba quæ locutus eſt Moyſes trans Jordanem, &c. ubi auri eſt plurimum,* tr.8.d.13.n.18.& d.19.n.3.

*Verſ. 28. Quo aſcendemus ? nuncij terruerunt cor noſtrum dicentes : Maxima multitudo eſt , & nobis ſtatura procerior,* tract.16.d.12.n.11.

CAP. II.

*Verſ.26. Nequaquam ultra loquaris hac de re ad me ,* tr.8.d. 10.n.13.

CAP. IV.

*Verſ.24. Ignis conſumens eſt,* tr.10.d.17.n.12.

CAP. VII.

*Verſ. 1. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram , quam poſſeſſurus ingrederis, aras eorum ſubvertite, & confringite ſtatuas &c. quia populus ſanctus es Domino Deo tuo,* tr.20. d.14. n.5.

Verſ.2. Percuties eas uſque ad internecionem.tr.19.d.18.n.4.
Verſ.25.Sculptilia eorum igne combures, tr.13.d.1.n.4.

CAP. XI.

Verſ.10. Terra enim ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, de qua exiſti, tr.16.d.9.n.4.
Verſ.11. Sed montoſa eſt, de cælo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus ſemper inviſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni uſque in finem, tr.16.d.9.n.4.
Verſ.13. Si obedieris mandatis meis &c. tr.4.d.7.n.3.
Verſ.14. Dabo pluviam temporaneam & ſerotinam, ut colligatis fructum vini & olei, ibid.

CAP. XVI.

Verſ.16. Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui, &c. tr.14.d.34.n.13.
Verſ.21. Non plantabis lucum & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui, &c. tr.20.d.16.n.4.

CAP. XVII.

Verſ.5. Educes virum ac mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur, tr.17.d.7.n.3.

CAP. XIX.

Verſ.5. Si in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit manu, ferrumque lapſum de manubrio amicum ejus percuſſerit & occiderit, hic ad unam ſupradictarum urbium confugiet, & vivet, tr.17.d.6.n.6
Verſ.18. Cum diligentiſſime perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum teſtimonium, tr.12.d.6.n.2.
Verſ.19. Reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit, tr.12.d.6.n.2.& 10.

CAP. XXI.

Verſ.23. Maledictus omnis qui pendet in ligno, tr.11.d.3.n.10.

CAP. XXII.

Verſ.4. Si videris aſinam fratris tui aut bovem cecidiſſe in via, non deſpicies, ſed ſublevabis cum eo. Tr.21.d.17.n.14.
Verſ.5. Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœmineâ, tr.9.d.6.n.7.

CAP. XXIII.

Verſ.7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt nec Ægyptium, quia advena fuiſti in terra ejus, tr.15.d.27.n.7.
Verſ.15. Non trades ſervum Domino ſuo qui ad te confugerit, ibid.n.4.
Verſ.17. Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator, tr.13.d.13.n.17.
Verſ.18. Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini &c. tr.13.d.16.n.10.

CAP. XXV.

Verſ.8.& 9. Si reſponderit: Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, tr.14.d.22.n.5.

CAP. XXVII.

Verſ.26. Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec eos perficit, & dicet omnis populus: Amen, tr.16.d.10.n.4.

CAP. XXVIII.

Verſ.39. Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea, quia vaſtabitur vermibus, tract.2.d.10.n.6.

CAP. XXX.

Verſ.11. Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt, neque procul poſitum &c. tr.4.d.17.per totum. Item tr.5.d.10.n.2. & tr.16.d.10.n.4.

CAP. XXXII.

Verſ.1. Audite cæli quæ loquor, tr.15.d.13.n.8.
Verſ.6. Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? numquid non ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te, & fecit, & creavit te? tr.4.d.8.n.12. Item tr.15.d.13.n.8.
Verſ.8. Conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſraël, tr.6.d.2.n.2.
Verſ.15. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit, &c. tr.8.d.7.n.2.& n.8. & tr.8.d.13.per tot. Item tr.20.d.8.n.11.
Verſ.17. Immolaverunt dæmonijs & non Deo, dijs quos ignorabant, tr.4.d.17.n.2.
Verſ.21. Ipſi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & ego provocabo eos in eo qui non eſt populus &c. tr.20.d.11.n.6.
Verſ.24. Dentes beſtiarum immittam in eos, tr.21.d.7. per totum.
Verſ.31. Inimici noſtri ſunt judices, tr.2.d.2.n.9.
Verſ.32. De vinea Sodomorum uva fellis, tr.13.d.28.n.10.
Verſ.33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile, tr.21.d.6.n.7.
Verſ.35. Mea eſt ultio, & ego retribuam, tract.15.d.11.n.11.
Verſ.37. Ubi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? tr.3.d.17.n.13.
Verſ.38. De quorum victimis comedebant adipes &c. Ibid.
Verſ.39. Videte quod ego ſum ſolus, & non ſit alius Deus præter me. tr.4.d.15.n.4.
Verſ.42. Gladius meus devorabit carnes, tract.9.d.2.n.14.

CAP. XXXIII.

Verſ.2. Dominus de Sinai venit; & in dextera ejus ignea Lex, tr.5.d.7.n.6.
Verſ.12. Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, tr.16.diſc.2.n.10.

LIBER JOSUÆ.

CAP. I.

Verſ.5. Sicut fui cum Moyſe, ita erit tecum, tr.3.d.14.n.5.

CAP. II.

Verſ.1. Miſit Joſue duos viros exploratores, tr.5.d.4.n.15. Item tr.13.d.35.n.3.

CAP. V.

Verſ.12. Defecit manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ, tr.8.d,12.per tot. It.tr.9.d.15.n.17.& tr.16.d.15.n.3.
Verſ.16. Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt, tr.20.d.18. n.4.

CAP. VII

Verſ.5. Pertimuitque cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt. Joſue verò ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram Arca, tr.17.d.9.n.8.
Verſ.11. Peccavit Iſraël & prævaricatus eſt pactum meum, tuleruntque de anathemate, tr.17.d.9.n.8.
Verſ.12. Nec poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet, quia pollutus eſt anathemate, tr.18.d.17.n.13.
Verſ.19. Et ait Joſue ad Achan: Fili mi; da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, tract.15.d.18.n.12.& tr.18.d.12.n.8.& tr.15.d.18.n.9.
Verſ.20. Reſponditque Achan Joſuæ, & dixit ei: Verè ego peccavi Domino Deo Iſraël, & ſic, & ſic feci, tr.15.d.19.n.12.
Verſ.25. Lapidavitque eum omnis Iſraël, ibidem.

CAP. VIII.

Verſ.4. Præcepitque eis dicens: Ponite inſidias poſt civitatem, nec longius recedatis, & eritis omnes parati, tr.14.d.19.n.12.
Verſ.6. Fugiemus & terga vertemus, donec perſequentes ab urbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere prius, tr.19.d.6.n.4.
Verſ.15. Joſue verò & omnis Iſraël ceſſerunt loco, ſimulantes metum & fugientes, tr.6.d.16.n.9.

CAP. X.

Verſ.4. Ad me aſcendite & ferte præſidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Joſue &c. tr.19.d.18.n.9.
Verſ.12. Sol contra Gabaon ne movearis &c. tr.8.d.13.n.16.& tr.1.d.14.n.3. Item tr.19.d.18.n.9.
Verſ.13. Steteruntque Sol & Luna. donec ſe ulciſceretur gens de inimicis ſuis, tr.8.d.13.n.16.& tr.1.d.14.n.3.

CAP. XIV.

Verſ.2. Nec acceperunt Levitæ etiam in terra partem, niſi urbes ad habitandum, & ſuburbana eorum ad alenda jumenta & pecora ſua, tr.17.d.13.n.10.

CAP. XIX.

Verſ.1. Fuit hæreditas eorum in medio poſſeſſionis filiorum Juda, tr.13.d.12.n.6.

CAP. XXIV.

Verſ.2. Trans fluvium habitaverunt Patres veſtri ab initio, Thare Pater Abraham & Nachor ſervieruntque dijs alienis; Tulit ergo patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus, tr.17.d.4.n.2.

LIBER JUDICUM.

CAP. I.

Verſ.14. Quam per gentem in itinere monuit vir ſuus, ut peteret à patre ſuo agrum &c. tr.14.d.17.n.11.
Verſ.15. At illa reſpondit: Da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi, da & irriguam aquis, ibidem.

CAP. II.

Verſ.1. Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, tr.6.d.10.n.14.

CAP. III.

Verſ.6. Duxerunt uxores filias eorum, ipſique filias ſuas filijs eorum tradiderunt, tr.13.d.12.n.5.
Verſ.8. Iratus contra Iſraël Dominus, tradidit eos in manus Cuſan, tr.13.d.12.n.5.
Verſ.17. Erat autem Eglon craſſus nimis, tr.9.d.10.n.5. & d.20.n.10.
Verſ.21. Extenditque Aod ſiniſtram manum & tulit ſicam de dextero fæmore ſuo, infixitque eam in ventre ejus &c. tr.20.d.11.n.7. Item tr.9. d.20.n.10.
Verſ.22. Tam valide ut capulus ſequeretur ferrum in vulnere ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur, tr.9.d.20.n.10.

CAP. IV.

Verſ.4. Erat autem Debora Prophetis uxor Lapidoth quæ judicabat populum in illo tempore, tr.14.d.21.n.11.& d.8.n.6.
Verſ.5. Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur &c. aſcendebantque ad eam filij Iſraël in omne judicium, ibid.
Verſ.18. Domine mi, intra, ne timeas, tr.13.d.10.n.2.

CAP. V.

Verſ.23. Maledicite terræ Meros, dixit Angelus Domini &c. tr.13.d.4.n.12.
Verſ.25. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum, tr.13.d.10.n.2.



Verſ.26. Siniſtram manum miſit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, tr.13.d.10.n.2.
Verſ.eod. Quærens in capite vulneri locum, tr.19.d.16.n.5.

CAP. VI.

Verſ.12. Dominus tecum virorum fortiſſime, tr.5.d.8. n.14. & tr.14.d.23.n.11.
Verſ.13. Si vera ſunt omnia &c. cur apprehenderunt nos hæc omnia? tr.14.d.23.n.11.
Verſ.13. Si vera ſunt omnia &c. cur apprehenderunt nos hæc omnia? tr.14.d.23.n.11.
Verſ.14. Vade in hac fortitudine tua & liberabis Iſraël. ibid.
Verſ.17. Da mihi ſignum quod tu ſis qui loqueris, ibid.
Verſ.18. Ne recedas hinc donec revertar, ibid.
Verſ.19. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes &c. tr.6.d.15.n.18.
Verſ.20. Tolle carnes & azymos panes &c. tr.14.d.23.n.11.
Verſ.25. Deſtrues aram Baal, quæ eſt Patris tui, & nemus quod circa aram eſt, tr.13.d.5.n.11.& tr.2,d.16.n.4.

CAP. VII.

Verſ.5. Qui lingua lambuerint aquas ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum, tr.8.d.16.n.18.
Verſ.12. Madian autem & Amalec & omnes orientales populi fuſi jacebant in Valle, tr.1.d.9.n.8.
Verſ.20. Cum hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, tr.7.d.3.n.5.

CAP. IX.

Verſ.5. Venit in domum Patris ſui, & occidit fratres ſuos, tr.3.d.2.n.6.
Verſ.11. Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam &c. tr.16.d.15.n.10.
Verſ.14. Dixeruntque omnia ligna ad Rhamnum: Veni & impera ſuper nos, tr.3.d.8.per totum.
Verſ.48. Aſcendit in montem Selmon cum omni populo ſuo &c. tr.10.d.20.n.12.
Verſ.49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes ſequebantur Ducem, tr.20.d.20.n.12.
Verſ.52. Accedens Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter, tr.13.d.14.n.11.
Verſ.53. Et ecce una mulier fragmen molæ deſuper caput ejus jaciens, confregit caput ejus, tr.7.d.1.n.17.& tr.13.d.14.n.11.

CAP. XI.

Verſ.34. Occurrit ei unigenita filia ſua cum tympanis &c. tr.9.d.9.n.7.
Verſ.35. Qua viſa, ſcidit veſtimenta ſua, tr.9. d.9.n.7.

CAP. XIII.

Verſ.25. Cœpit Spiritus Domini eſſe cum eo, tr.13.d.4.n.10.

CAP. XIV.

Verſ.3. Hanc mihi accipite, quia placuit oculis meis, tr. 4. d.16.n.2. & tr.14.d.30.n.14.
Verſ.6. Irruit Spiritus Domini in Samſon, tr.13.d.4.n.10. & d.34.n.12.
Verſ.8. Ecce examen apum in ore leonis erat, tr.10. d.7.n.9.
Verſ.9. Quem cum ſumpſiſſet in manibus, comedebat in via, tr.16.d.15.n.10.
Verſ.13. Irruit in eum Spiritus Domini, deſcenditque Aſcalonem, tr.8.d.7.n.4.
Verſ.14. De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo, tr.13.d.26.n.3. Item tr.16.d.6.n.9.

CAP. XV.

Verſ.15. Inventamque maxillam arripiens interfecit in ea mille viros, tr.14.d.31.n.5.

CAP. XVI.

Verſ.16. Defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt, tr.13.d.14.n.8.
Verſ.19. Eum dormire fecit ſuper genua ſua &c. tr.13.d.4.n.10.
Verſ.20. Neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus, ibid.
Verſ.21. Statim erueruut oculos ejus, tr.13.d.17.n.11.
Verſ.23. Principes Philiſtinorum convenerunt in unum, ut immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, tr.9.d.9.n.8.
Verſ.25. Sumptis jam epulis præceperunt, ut vocaretur Samſon, & ante eos luderet, tr.9.d.9.n.8.& tr.19.d.6.n.6.

CAP. XVIII.

Verſ.9. Surgite aſcendamus ad eos, vidimus enim terram valdè opulentam & uberem, tr.10.d.26.n.13.
Verſ.19. Quid tibi melius eſt, ut ſis Sacerdos in domo unius viri, an in una tribu? tr.3.d.3.n.5.
Verſ.27. Sexcenti viri venerunt in Lais ad populum quieſcentem &c. tr.19.d.3.n.3.

CAP. XIX.

Verſ.25. Eduxit ad eos concubinam ſuam &c. tr.18.d.17.n.10.
Verſ.26. At mulier recedentibus tenebris venit ad oſtium, & ibi corruit, ibid.

CAP. XX.

Verſ.21. Egreſſi filij Benjamin de Gabaa, occiderunt de filijs Iſraël die illo viginti duo millia virorum, tr.1.d.14.n.4.
Verſ.32. Fugam arte ſimulantes, inierunt conſilium, tr.14.d.19.n.11.

EX LIBRO RUTH.

Verſ.14. Quando hora veſcendi fuerit, veni huc & comede panem &c. tr.1.d.9.n.12.
Verſ.17. Collegit in agro usque ad veſperam &c. tr.15.d.17.n.3.

EX LIBRO PRIMO REGUM.

CAP. I.

Verſ.16. Ne reputes ancillam tuam quaſi unam de filiabus Belial, tr.12.d.7.n.10.
Verſ.12. Vade in pace, & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam, ibid.

CAP. II.

Verſ.6. Dominus mortificat & vivificat, tr.16.d.17.n.8.
Verſ.8. Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem, tr.8.d.12.n.6.
Verſ.9. Pedes Sanctorum ſuorum ſervabit, tr.19.d.18.n.5.
Verſ.12. Porrò filij Heli Filij Belial, tr.20.d.9.n.11.
Verſ.13. Neque officium Sacerdotum ſcientes &c. tr.18.d.17.n.7.
Verſ.14. Omne quod levabat fuſcinula, tollebat ſacerdos ſibi, ibid.
Verſ.17. Erat peccatum puerorum grande nimis, tr.20.d.8.n.4.
Verſ.18. Puer accinctus Ephod lineo, tr.14.d.23.n.2.
Verſ.22. Dormiebat cum mulieribus quæ obſervabant ad oſtia tabernaculi, tr.13.d.10.n.14.
Verſ.25. Si peccaverit vir in virum placari ei poteſt Deus &c. tr.20.d.10.n.11.
Verſ.34. In die uno morientur ambo, tr.20.d.8.n.4.

CAP. III.

Verſ.7. Neque revelatus ei fuerat ſermo Domini, tr.4.d.18.n.8.
Verſ.13. Prædixi eis quod judicaturus eſſem &c. tr.18.d.3.per totum.

CAP. IV.

Verſ.3. Auferamus de Silo arcam fœderis Domini, &c. tr.30.d.4.n.8.

CAP. V.

Verſ.2. Statuerant eam juxta Dagon, tr.9.d.9.n.15.
Verſ.6. Ebullierunt villæ & agri, & nati ſunt mures, tr.19.d.15.n.9.
Verſ.10. Adduxerunt ad nos arcam Dei Iſraël, ut interficiat nos & populum noſtrum, tr.13.d.13.n.9.

CAP. VI.

Verſ.4. Quid eſt quod pro delicto reddere debemus? &c. tr.15.d.19.n.15.
Verſ.8. Ponetis in plauſtris vaſa aurea &c. ibid.
Verſ.10. Tollentes duas vaccas junxerunt ad plauſtrum &c. tr.20.d.1.n.3.
Verſ.12. Ibant in directum vaccæ per viam &c. ibid.

CAP. VII.

Verſ.3. Si in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos, tr.4.d.15.n.4. Item tr.13.d.9.n.1.
Verſ.6. Aquam effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt. tr.1.d.13.n.7.& d.14.n.5.
Verſ.7. Aſcenderunt Satrapæ Philiſtinorum ad Iſraël, tr.19.d.10.n.9.
Verſ.10. Factum eſt cum Samuel offerret holocauſtum Philiſthym inire prælium, tr.20.d.6.n.9.
Verſ.12. Tulit Samuel lapidem unum, & poſuit eum inter Maſphat, tr.20.d.6.n.9.
Verſ.16. Ibat per ſingulos annos circumiens, tr.14.d.21.n.11.

CAP. VIII.

Verſ.3. Non ambulaverunt filij illius in vijs ejus &c. tr.3.d.5.n.6

CAP. IX.

Verſ.2. Erat ei filius, vocabulo Saul, electus & bonus &c. tr. d.4.n.8.& d.14.n.7.& tr.8.d.8.n.4.
Verſ.eod. Eminebat ab humero ſuper omnem populum, tr. 15. d.9.n.7.
Verſ.3. Perierunt aſinæ Cis Patris Saul, tr.10. d.19.n.4.
Verſ. Venite & eamus ad videntem, tr.18.d.16.n.2.
Verſ.21. Numquid non filius Jemini ego ſum, de minima tribu Iſraël? tr.8. d.9.n.8.
Verſ.22. Dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant invitatis, tr.3.d.10.n.7,
Verſ.23. Da partem, quam dedi tibi & præcepi, ut reponeres ſeorſum, ibid.

CAP. X.

Verſ.1. Hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in principem, tr.3.d.10.n.5.
Verſ.2. Cum abieris à me, invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel &c. ibid.& tr.3.d.9.n.5.
Verſ.21. Quæſierunt eum, & non eſt inventus, tr.8.d.8.n.4.
Verſ.24. Clamavit omnis populus & ait: Vivat Rex, tr.3.d.7.n.10.
Verſ.25. Dimiſit Saul omnem populum in domum ſuam, ibid.
Verſ.27. Filij Belial dixerunt: num ſalvare nos poterit iſte? ibid.

CAP. XI.

Verſ.1. In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium veſtrum oculos dextros, tr.19.d.8.n.7.

CAP. XII.

Verſ. 3. Loquimini de me coram Domino &c. Utrum bovem cujusquam tulerim aut aſinum &c. tr.2.d.10.n.10. Item tr.18. d.16.n.6.
Verſ.4. Non es calumniatus nos, &c. ibid.

CAP. XIII.

Verſ. 1. Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet, tr.1. d. 4. n. 8.
Verſ.14. Quæſivit ſibi Dominus virum juxta cor ſuum &c. tr.3.d.14.n.8.& tr.1.d.5.n.12.
Verſ.22. Non eſt inventus enſis &c.tr.18.d.2.n.4.

CAP. XIV.

Verſ.26. Apparuit fluens mel &c, tr.16.d.12. n.5.
Verſ.27. Extenditque ſummitatem virgæ, & intinxit in favum mellis &c. tr.10.d.7.n.9. Item tr.16.d.12.n.5.
Verſ.28. Jurejurando conſtrinxit pater tuus populum, tr.14.d. 1.n.10.
Verſ.43. Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea, tr.13.d.10.n.9.
Verſ.45. Qui fecit ſalutem hanc magnam, tr.1.d.14.n.11.

CAP. XV.

Verſ. 2. Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraëli, tr.13.d.10. n.9.
Verſ. 3. Percute Amalec, & demolire univerſa ejus, tr.8.d.9. n.8.
Verſ.11. Contriſtatus eſt Samuel & clamavit ad Dominum, tr.18.d.11.n.10.& d.8 n.5.
Verſ.15. Pepercit populus melioribus ovibus, ut immolarentur Domino Deo tuo, tr.2.d.2.n.7.
Verſ.16. Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus ſit Dominus &c. tr.2.d.10.n.10. & loco ſuperius citato.
Verſ.23. Abjecit te Dominus ne ſis Rex, tr.16.d.15.n.10.
Verſ.30. Peccavi, ſed nunc honora me coram Senioribus populi, tr.3.d.3.n.2. Item tr.15.d.23.n.5.
Verſ.32. Oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus, tr.13. d.30.n.17.

CAP. XVI.

Verſ.1. Mittam te ad Iſai Bethlemitem, tr.13.d.12.n.3.
Verſ.5. Sanctificavit ergo Iſai & filios ejus ? ibid.
Verſ.6. Cum ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus ejus ? ibid.
Verſ.7. Ne reſpiciat vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus, ibid.
Verſ.13. Samuel unxit eum in medio fratrum ejus, tr.3.d.14. n.8.
Verſ.14. Spiritus Domini receſſit à Saul &c. tr.2.d.1. n. 10. n. 3. & d.2.n.6.
Verſ.18. Vidi filium Iſai ſcientem pſallere &c. tr.3.d.3.n.7.

CAP. XVII.

Verſ.25. Quid dabitur viro qui percuſſerit, tr.10.d.21.n.11.
Verſ.36. Leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus. tr.11. d. 5.n.3.
Verſ.43. Numquid ego canis ſum quod tu venis ad me cum baculo, tr.8.d.21.n.8.
Verſ.45. Ego venio ad te in nomine Domini, tr.19.d.18.n.18.
Verſ.50. Prævaluit David in funda & lapide, tr.18. d.13.& tr.3.d.14 n.8.
Verſ 51. Cucurrit & ſtetit ſuper Philiſtæum, tr.15.d.14.n.8.

CAP. XVIII.

Verſ.3. Diligebat eum quaſi animam ſuam, tr.4. d.18.n.4.

CAP. XIX.

Verſ. 4. Ne pecces in David, quia non peccavit tibi, tr.6.d.16. n.5.
Verſ.20. Miſit lictores ut raperent David, tr.17.d.11.n.3.
Verſ.23. Factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini. &c. tr. 8.d.13.n.7.

CAP. XXII.

Verſ.2. Convenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti & factus eſt eorum princeps, tr.10.d.23.n.5.
Verſ.5. Noli manere in præſidio &c. tr.17.d.3.n.2.
Verſ.8. Conjuraſtis omnes adverſum me, & non eſt qui renunciet mihi, tr.9.d.20.n.1.
Verſ.eod. Non eſt qui vicem meam doleat, tr.16.d.5.n.6.

CAP. XXIV.

Verſ.6. Percuſſit cor ſuum David, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul, tr.13.d.2.n.10.
Verſ.15. Canem mortuum perſequeris, tr.8.d.8.n.3.

CAP. XXV.

Verſ.3. Erat mulier illa prudentiſſima &c. tr.18.d.15.n.2.
Verſ.10. Quis eſt David ? & quis eſt filius Iſai ? ibid.
Verſ.36. Venit Abigail ad Nabal &c. ibid.
Verſ.44. Saul dedit Michol filiam ſuam &c. tr.14.d.15.n.12.

CAP. XXVI.

Verſ.11. Propitius ſit mihi Dominus, non extendam manum meam in Chriſtum Domini, tr.3.d.14.n.8.

CAP. XXVIII.

Verſ.8. Mutavit ergo habitum ſuum, veſtitusque eſt aliis veſtimentis, tr.9.d.6.n.13.

CAP. XXX.

Verſ.16. Diſcumbebant ſuper faciem univerſæ terræ &c. tr.19. d.6.n.6.
Verſ.17. Percuſſit eos David &c. ibid.
Verſ.22. Reſpondensque omnis vir peſſimus & iniquus, dixit: quia non venerunt nobiſcum, non dabimus eis quidquam de præda, tr.10.d.28.n.15.
Verſ.23. Dixit autem David non ſic facietis fratres mei &c. ibid.
Verſ. 24. Æqua enim pars erit, deſcendentis ad prælium, & remanentis ad Sarcinas, ibid.

CAP. XXXI.

Verſ.3. Totum pondus prælij verſum eſt in Saul, tract. 19. d.9.n.7.
Verſ.eod. Vulneratus eſt Saul vehementer à ſagittarijs, tr.2. d.12.n.14.
Verſ.4. Arripuit Saul gladium, & irruit ſuper eum, ibid.

Ex LIBRO II. REGUM.

CAP. I.

Verſ.20. Nolite annunciare in Geth, ne forte exultent Philiſthijm, tr.15.d.26.n.12.
Verſ.21. Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniat ſuper vos, tr.15.d.15.n.15. Item tr.13.d.24.n.9.

CAP. II.

Verſ. 14. Surgant pueri & ludant coram nobis, tr. 17. d. 8 n.10.

CAP. III.

Verſ.8. Numquid caput canis ego ſum ? tr.13.d.16.n.10.
Verſ.14. Miſit David nuncios ad Isboſeth dicens: Redde uxorem meam Michol, tr.14.d.15.n.12.
Verſ.15. Miſit ergo Isboſeth, & tulit eam, tr.14.d.15.n.12.

CAP. IV.

Verſ.7. Cum ingreſſi fuiſſent domum, ille dormiebat ſuper lectum, tr.15.d.17.n.6.
Verſ.eod. Abierunt per viam deſerti tota nocte, tr.3.d.17.n.4.
Verſ.8. Et attulerunt caput Isboſeth in Hebron, ibid.

CAP. V.

Verſ.8. Claudus non intrabit in templum, tr.19.d.8.n.11.

CAP. VI.

Verſ.14. Saltabat totis viribus ante arcam, tr.9.d.14.n.12.
Verſ.21. Ludam & vilior fiam, plusquam factus ſum, ibid.

CAP. VI.

Verſ.6. Extendit Oza manum ad arcam Dei &c. tr. 18. d. 11. n.8. & tr.20.d.1.n.2.& 3.
Verſ.7. Iratus indignatione Dominus percuſſit Ozam, loc. citatis & tr.18.d.17.n.19.
Verſ.11. Habitavit arca Domini in domo Obedom &c. tr.3.d. 13.n.9.
Verſ.14. Totis viribus ſaltabat ante Dominum, tr.16.d.2.n.7. & d.4.n.6.
Verſ.20. Quam glorioſus fuit hodie Rex Iſraël diſcooperiens ſe &c. tr.2.d.5.n.10.

CAP. VII.

Verſ.18. Quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea quia adduxiſti me huc usque? tr.3.d.14.n.8.

CAP. X.

Verſ.3. Putas quod propter honorem patris tui miſerit David ad te conſolatores ? tr.21.d.9.n.7.
Verſ.4. Præſcidit veſtes eorum medias usque ad nates, tr. 21.d. 2.n.10. & d.11.n.4.

CAP. XI.

Verſ.1. Eo tempore quo ſolent Reges ad bella procedere, remanſit in Jeruſalem, tr.13.d.31.n.12. Item tr.8.d 8.n.3.
Verſ.2. Viditque mulierem lavantem ſe &c. tr.13.d.30.n.2. Item.tr.14.d.20.n.3.& d.26.n.8.
Verſ.4. Miſſis itaque David nuncijs, tulit eam &c.tr.13.d.24. per totum.
Verſ.8. Secutusque eſt eum cibus regius, tr.14. d.24.n.2. Item tr.8.d.6.n.3.
Verſ. 11. Arca Dei & Iſraël & Juda habitant in papillionibus &c. tr.9.d.17.n.11.
Verſ.13. Vocavit eum David ut comederet coram ſe &c. tr.14. d.24.n.2.
Verſ 15. Ponite Uriam ex adverſo belli &c. tr.14.d.23.n.5.
Verſ.17. Egreſſi viri de civitate bellabant adverſum Joab &c. tr.2.d.9.n.3.
Verſ.21. Quin etiam ſervus tuus Urias etheus mortuus eſt. tr.2.d. 9.n.3.& tr.13.d.2.n.9.
Verſ.25. Hæc dices Joab: Non te frangat iſta res, varius enim eventus eſt belli, tr.13.d.2.n.9.

CAP. XII.

Verſ.5. Filius mortis eſt vir qui fecit hoc, tr.15.d.23.n.5.
Verſ.6. Ovem reddet in quadruplum, tr.21.d.12.n.5.& tr.18.d. 15.n.7.
Verſ.9. Quare contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo, tr.20.d.8.n.7.
Verſ.10. Non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum &c. tr.13.d.12.n.2.& tr.11.d.10.n.10.
Verſ.11. Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, tr.11. d.10.n.11.& tr.13.d.12.n.2.
Verſ.12. Tu feciſti abſcondite, ego autem &c.tr.15.d.15.n.10.
Verſ. 13. Peccavi, tr.15.d.16.n.15.& tr. 15.d.9.n.4.
Verſ. 14. Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini &c. tr.11.d.10.n.11.
Verſ.31. Populum ejus adducens ſervavit &c. tr.21.d.9.n.7.

CAP. XIII.

Verſ.2. Et deperiret eam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret, tr.13.d.14.n.14.
Verſ.4. Et cubavit cum ea, tr.13.d.34.n.2.
Verſ.15. Exoſam eam habuit odio magno nimis, tr.13.d.12.n.9.
Verſ.21. Contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpiritum Amnon, tr.13.d.7.n.7.

CAP. XIV.

Verſ.26. Ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis, tr.15.d. 13.n.3.
Verſ.33. Oſculatusque eſt Rex Abſalon, tr.15.d.9.n.6.

CAP. XV.

Verſ.3. Videntur mihi ſermones tui boni & juſti, tr. 21. d. 12. n.10.
Verſ.21. Vivit Dominus &c. quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus, tr.9.d.12.n.7.
Verſ. 28. Ego abſcondar in campeſtribus deſerti, tr.16.d.11. n.3.

CAP. XVI.

Verſ. 4. Pacificusne eſt ingreſſus tuus ? tr.15.d.1.n.12.
Verſ.6. Mittebat lapides contra David, tr.12.d.3.n.11.
Verſ. 7. Ita loquebatur Semei, cum malediceret Regi: Egredere, egredere vir ſanguinum, vir Belial, tr.12.d.3.n.11.
Verſ.8. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul, ibid.
Verſ.9. Quare maledicit hic canis mortuus Domino meo Regi ? tr.11.d.12.n.11.
Verſ.10. Dominus præcipit illi ut malediceret, tr.11.d.12.n.11.& tr.12.d.3.n.11.
Verſ.12. Si fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam &c. tr.12.d.3.n.11.

CAP. XVII.

Verſ. 23. Achitophel videns quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtravit aſinum ſuum, &c. tr.7.d.1.n.16.& tr.8.d. 11.n.14.

CAP. XVIII.

Verſ.5. Servate mihi puerum Abſalon, tr.4.d.12.n.4. Item tr.13.d.12.n.17.
Verſ.9. Adhæſit caput ejus quercui, tr.8.d.24.n.14.

CAP. XIX.

Verſ.29. Tu & Siba dividite poſſeſſiones ejus, tr.2.d.2.n.9.
Verſ.31. Traduxit Regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium proſequi eum, tr.9.d.12.n.4.
Verſ.32. Ipſe præbuit alimenta Regi, dum moraretur in caſtris, ibid.
Verſ.34. Quot ſunt dies annorum vitæ meæ, ut aſcendam cum Rege in Jeruſalem, tr.3.d.17.n.9.
Verſ.35. Numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave & amarum ? &c. tr.9.d.12.n.4.
Verſ.eod. Octogenarius ſum hodie, &c. tr.3.d.17.n.9.
Verſ.39. Oſculatus eſt Rex Bercellai, & benedixit ei, tr.9. d.12.n.4.

CAP. XX.

Verſ.9. Tenuit manu dextra mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum, tr.2.d.6.n.6. Item tr.5.d.4.n.14.& tr.19.d.3.n.8.
Verſ.10. Porro Amaſa non obſervavit gladium, &c. tr.2.d.6.n. 6.& tr.5.d.4.n.14.

CAP. XXI.

Verſ.17. Tunc juraverant viri David dicentes: Jam non egredieris nobiſcum in bellum, tr.13.d.31.n.12.

CAP. XXII.

Verſ.8. Sedens in cathedra ſapientiſſimus, tr.21.d.9.n.5.
Verſ.16. Sed libavit eam Domino, tr.1.d.14.n.8.
Verſ.20. Percuſſit leonem in media ciſterna in diebus nivis, tr.14.d.16.n.2.

CAP. XXIV.

Verſ.14. Melius eſt mihi ut incidam in manus Domini, tr.19. d.2.n.11.
Verſ.15. Cum vidiſſet Angelum, cædentem populum, dixit: Ego ſum qui peccavi, tr.3.d.10.n.15.
Verſ.17. Ego ſum qui peccavi, ego qui iniquè egi, tr.15.d.9.n. 8. & d.12.n.3.

EX LIBRO III. REGUM.

CAP. III.

Verſ.5. Apparuit Dominus Salomoni, &c. tr.8.d.9.n.1.
Verſ.12. Dedi tibi cor ſapiens & intelligens &c. tr.8. d.31.n. 4.& tr.8.d.9.n.1.
Verſ.14. Si ambulaveris in vijs meis, ſicut ambulavit Pater tuus. tr.8.d.12.n.11.
Verſ 16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem, &c. tr.4.d.15.n.13.
Verſ.26. Obſecro Domine, date illi infantem vivum, tr.11.d.8. n.9.

CAP. IV.

Verſ.22. Erat cibus Salomonis per dies ſingulos, triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, tr.8.d.31.n.5.
Verſ.23. Decem boves pingues, &c. ibid.
Verſ.26. Quadraginta millia præſepium equorum, &c.ibid.
Verſ.31. Diſputavit ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano, &c. ibid.
Verſ.34. Veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, ibid.

CAP. VI.

Verſ.7. Malleus & ſecuris & omne ferramentum, non ſunt audita in domo, &c. tr.5.d.7.n.7. Item tr.7.d.17. n.7. Rurſus tr. 20.d.17.n.1. Item tr.10.d.26.n.6.
Verſ.21. Domum quoque ante Oraculum operuit auro puriſſimo, tr.10.d.19.n.12.
Verſ.38. Ædificavit eam annis ſeptem, tr.8.d.13.n.11.

CAP. VII.

Verſ.19. Capitella quaſi opere lilij fabricata erant, tr.14.d.12. n.18.
Verſ.23. Fecit quoque Mare fuſile decem cubitorum, &c, tr.3. d.10.n.10.

CAP. VIII.

Verſ.35. Si clauſum fuerit cœlum, &c. & orantes in loco iſto, &c. tr.20.d.4.n.6. & d.5.n.5.& 8.

CAP. IX.

Verſ.3. Sanctificavit domum hanc, tr.20.d.2.n.1.& d.4.n.6.

CAP. X.

Verſ.1. Sed & Regina Saba, audita, fama Salomonis, &c. tr. 8.d.31.n.5.
Verſ.7. Non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni & vidi oculis meis, &c. tr.10.d.1.n.5.
Verſ.8. Beati viri & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, tr.10.d.9.n.8.
Verſ.23. Magnificatus eſt Rex Salomon ſuper omnes Reges &c. tr.8.d.31.n 5.
Verſ.27. Fecit, ut tanta eſſet abundantia argenti in Jeruſalem, quanta & lapidum, ibid.n.3.& tr.8.d.28.n.1.& d.9.n.1.

CAP. XI.

Verſ.2. Non ingrediemini ad eas, certiſſimè enim avertent corda veſtra, tr.13.d.6.n.9.
Verſ.3. Fuerunt ei uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ, tr.13.d.14.n.1.
Verſ.11. Quia hoc habuiſti apud te &c. dirumpens ſcindam regnum tuum, tr.15.d.7.n.5.

CAP. XIII.

Verſ.6. Oravit vir Dei faciem Domini, & reverſa eſt manus Regis ad eum, tr.1.d.7.n.18.
Verſ.8. Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, tr.17.d.3.n.7.
Verſ.9. Sic mandatum eſt mihi in ſermone Domini, ibid.
Verſ.18. Ego Propheta ſum ſimilis tui, ibid.
Verſ.21.& 22. Quia non cuſtodiſti mandatum Domini, & reverſus es, & comediſti panem, tr.1.d.7.n.18.
Verſ.24. Invenit eum leo in via & occidit, tr.17.d.3.n.5.

CAP. XIV.

Verſ.2. Commuta habitum ne cognoſcaris quod ſis uxor Jeroboam, tr.9.d.6.n.13.
Verſ.5. Cum illa ergo intraret, & diſſimularet ſe eſſe quæ erat, ibid.
Verſ.6. Quare aliam te eſſe ſimulas ? ibid.

CAP. XVII.

Verſ.6. Corvi deferebant ei panem & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſperi, tr.1.d.4.n.5.& tr.6.d.5.n.18.
Verſ.9. Surge & vade in Sarepta & mane ibi, tr.14. d.34.n.8.
Verſ.14. Nec lecythus olei minuetur, tr.16.d.8.n.5. & d.18.n.4.
Verſ.18. Ægrotavit filius mulieris &c. tr.21.d.15.n.11.
Verſ.22. Exaudivit Dominus vocem Eliæ &c. tr.1.d.7.n.14.

CAP. XVIII.

Verſ.21. Uſquequo claudicatis in duas partes, tr.19.d.8.n.11.
Verſ.23. Dentur nobis duo boves &c.tr.3.d.17.n.3.

CAP. XIX.

Verſ 3. Timuit ergo Elias & ſurgens abijt quocumque eum ferebat voluntas &c. tr.6.d.14.n.7.& tr.14.d.34.n.8.
Verſ.5. Projecitque ſe & obdormivit in umbra juniperi &c. ibid.& tr.1.d.12.n.8. Item tr. 16.d.9.n.1.& tr.13.d.29.n.17.
Verſ.6. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis & vas aquæ &c. tr.1.d.12.n.8.& tr.1.d.14.n.2. Item tr.1.d. 4.n.5. & d.5.n.20.
Verſ.7. Surge & comede, grandis enim tibi reſtat via, tr.6. d.13. n.11.
Verſ. 8. Ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus & qua-

& quadraginta noctibus &c. tr.1.d.5.n.12. Item tract.14.d.19.n.10.
Verſ.9. Manſit in ſpelunca, tr.13.d.29.n.17.
Verſ.11. Spiritus grandis & fortis, & poſt ſpiritum commotio, tr.10.d.10.n.10. & tr.13.d.29.n.17.
Verſ.12. Et poſt commotionem ignis, tr.13.d.29.n.17.
Verſ.18. Derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, &c. tr.9.d.13. per totum.
Verſ.20. Oſculer, oro Patrem, tr.13.d.34.n.5.

CAP. XX.

Verſ.11. Ne glorietur accinctus æque ut diſcinctus, quia varius eſt belli eventus, tr.9.d.10.n.6.
Verſ.22. Vade & confortare, & ſcito & vide quid facias, &c. tr.11.d.9.n.7.
Verſ.23. Dij montium ſunt dij eorum, &c. ibid.
Verſ.28. Accedens unus vir Dei dixit: Quia dixerunt Syri, Deus montium eſt Dominus, & non Deus vallium, ibid.
Verſ.31. Egrediamur ad Regem Iſraël, forſitan ſalvabit animas noſtras, tr.7.d.19.n.15.
Verſ.39. Cuſtodi virum iſtum, qui ſi elapſus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, tr.3.d.10.n.14.

CAP. XXI.

Verſ.4. Venit Achab in domum ſuam indignans, & frendens ſuper verbo Naboth, tr.16.d.5.n.6.
Verſ. eod. Projiciens ſe in lectulum ſuum, avertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit, tr.18.d.26.n.2.
Verſ.9. Prædicate jejunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi, tr.12.d.6.n.7.
Verſ.10. Et ſubmittite duos filios Belial contra eum, ibid. & tr.11.d.3.n.7. & d.4.n.2.
Verſ.19. Occidiſti inſuper & poſſediſti, &c. tr.12.d.6.n.7.
Verſ.21. Demetam poſteriora tua, ibid.
Verſ.23. Sed & de Jezabel locutus eſt Dominus: Canes comedent Jezabel, tr.12.d.6.n.7. & tr.13.d.15.n.10.
Verſ.29. Non inducam malum in diebus ejus, tr.1.d.13.n.7.

CAP. XXII.

Verſ.8. Remanſit vir unus, per quem poſſumus interrogare Dominum, ſed lege odi eum, tr.13.d.20.n.19.
Verſ.15. Aſcende & vade proſpere, tr.2.d.9.n.2.
Verſ.22. Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus, ibid. & d.11.n.3. Item tr.15. d.16.n.18.
Verſ.30. Porro Rex Iſraël mutavit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum, tr.9.d.6.n.13.
Verſ.34. Caſu percuſſit Regem Iſraël, tr.19.d.8.n.5.
Verſ.38. Linxerunt canes ſanguinem ejus, tr.2.d.10.n.7. & d.12.n.8.

## EX LIBRO IV. REGUM.

CAP. II.

Verſ.9. Obſecro, ut fiat in me duplex ſpiritus tuus, tr.1. d.5.n.21. & tr.8.d.9.n.6.
Verſ.12. Pater mi, Pater mi, currus Iſraël, & auriga ejus, tr.3.d.16.n.6.

CAP. III.

Verſ.27. Arripienſque filium ſuum primogenitum obtulit holocauſtum &c. tr.9.d.18.n.2.

CAP. IV.

Verſ.2. Non habeo ancilla tua in domo mea niſi parum olei &c. tr.4.d.5.n.2. & tr.16.d.8.n.5.
Verſ.8. Tranſibat Eliſæus per Sunam, erat autem ibi mulier magna, tr.14.d.34.n.9.
Verſ.12. Voca Sunamitidem hanc, ibid.
Verſ.15. Quæ cum vocata fuiſſet, ibid.
Verſ.29. Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum &c. tr.4.d.10.n.6. Item tr.18.d.7.n.4.
Verſ.31. Reverſuſque in occurſum ejus, nunciavit dicens: Non ſurrexit puer, tr.18.d.1.n.7.
Verſ.37. Adoravit ſuper terram, tulitque filium, & egreſſa eſt, tr.14.d.34.n.9.
Verſ.40. Mors in olla vir Dei, tr.4.d.18.n.9. & tr.1.d.18.n.22. Item tr.16.d.1.n.7.
Verſ.41. Afferte farinam &c. tr.4.d.18.n.9.

CAP. V.

Verſ.1. Naaman erat vir magnus apud Dominum ſuum &c. tr.8.d.3.n.12.
Verſ.11. Putabam ego quod egrederetur ad me &c. tr.15.d.2.n.10
Verſ.13. Quantò magis quia nunc dixi tibi: Lavare, & mundaberis, ibid.
Verſ.14. Lavit in Jordane ſepties, tr.15.d.8.n.10.

CAP. VI.

Verſ.6. Miſit illuc natavitque ferrum, tr.1.d.6.n.9.
Verſ.16. Plures nobiſcum ſunt quam cum illis, tr.16.d.10.n.9.
Verſ.17. Domine, aperi oculos hujus, ut videat, &c. tr.6. d.3.n.13. & d.8.n.13.
Verſ.23. Appoſita eſt eis ciborum magna præparatio &c. tr.4.d.10.n.14.

CAP. VIII.

Verſ.18. Ambulavit in viis Regum Iſraël, &c. tr.17.d.7.n.7.

CAP. IX.

Verſ.6. Surrexit, & ingreſſus eſt cubiculum, &c. tr.3.d.5.n.10.
Verſ.22. Adhuc fornicationes Jezabel & veneficia ejus multa vigent, tr.13.d.11.n.10.
Verſ.30. Depinxit oculos ſtybio, & ornavit caput ſuum, ibid. & d.29.n.2.
Verſ.30. Præcipitate eam deorſum, ibid.
Verſ.35. Cum iſſent ut ſepelirent eam, non invenerunt niſi calvariam & pedes, tr.13.d.29.n.2.
Verſ.37. In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel, ibid.

CAP. X.

Verſ.6. Si mei eſtis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum Domini veſtri, &c. tr.3.d.2.n.6.
Verſ.7. Tulerunt filios Regis, & occiderunt 70. viros, ibid.
Verſ.15. Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo? tr.15.d.14.n.4.
Verſ.27. Deſtruxerunt enim Baal, & fecerunt pro eo Latrinas, tr.20.d.10.n.2.
Verſ.30. Studioſè egiſti, quod rectum erat & placebat in oculis meis, &c. tr.3.d.5.n.10.

CAP. XI.

Verſ.1. Athalia interfecit omne ſemen regium, tr.3.d.2.n.6.
Verſ.3. Athalia regnavit ſuper terram, ibid.

CAP. XII.

Verſ.2. Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus eum docuit Joſias Sacerdos, tr.17.d.7.n.7.

CAP. XIV

Verſ.10. Contentus eſto gloria tua, & ſede in domo tua, tr.3.d.5.n.7.

CAP. XVII.

Verſ.25. Immiſit in eos Dominus leones, tr.20.d.8.n.11.

CAP. XVIII.

Verſ.22. Quod ſi dixeritis mihi: in Domino Deo habemus fiduciam; Nonne iſte eſt cujus abſtulit Ezechias excelſa? tr.11.d.9.n.6.
Verſ.31. Comedet unuſquiſque de vinea ſua, & de ficulnea, tr.13.d.18.n.10.

CAP. XIX.

Verſ.10. Nonne iſte eſt, cujus abſtulit Ezechias excelſa, tr.20.d.14.n.10.
Verſ.35. Venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, tr.6.d.30.n.12.
Verſ. eod. Cumque diluculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum, tr.11.d.9.n.6.

CAP. XX.

Verſ.9. Vis, ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? tr.8.d.3.n.12.
Verſ.10. Revertatur retrorſum decem gradibus, ibid.

CAP. XXV.

Verſ.24. Nolite timere ſervire Chaldæis, tr.19.d.10.n.4.

## EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

CAP. VI.

Verſ.10. Ipſe eſt qui Sacerdotio functus eſt in domo, quam ædificavit Salomon, tr.18.d.16.n.9.

CAP. XIII.

Verſ.10. Iratuſque eſt Dominus contra Ozam, tract.18.d.17.n.14.

CAP. XV.

Verſ.26. Cumque adjuviſſet Deus Levitas qui portabant arcam, tr.10.d.27.n.7.

CAP. XVI.

Verſ.8. Notas facite in populis adinventiones ejus, tr.4. d.10. n.12. & tr.14.d.12.n.14.

## EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

CAP. I.

Verſ.12. Divitias autem & ſubſtantiam, & gloriam tibi dabo, ita ut nullus in Regibus &c. tr.8.d.31.n.6.

CAP. III.

Verſ.9. Sed & clavos fecit aureos, tr.10.d.19.n.13.

CAP. VI.

Verſ.24. Si ſuperatus fuerit populus tuus Iſraël ab inimicis, tr.20.d.6.n.9.
Verſ.26. Si deprecati te fuerint in loco iſto...dimittit peccata ſervis tuis, tr.20.d.6. per totum.

CAP. IX.

Verſ.16. Poſuit ea in armamentario, quod erat conſitum nemore, tr.8.d.13.n.10.
Verſ.18. Duos leones ſtantes juxta brachiola, tr.3.d.8.n.6.
Verſ.20. Omnia quoque vaſa convivij Regis erant aurea, tr.8.d.31.n.1.

CAP. XV.

Verſ.16. Simulachrum Priapi omne contrivit, & in fruſta comminuens combuſſit, tr.9.d.20.n.15. & tr.13.d.28.n.15.

CAP. XVI.

Verſ. 9. Oculi Domini contemplantur univerſam terram, &c. tr.19.d.18.n.3.
Verſ. 14. Poſuerunt eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus & unguentis meretricijs, tr.13.d.26.n.1.

CAP. XIX.

Verſ.2. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, &c. tr.17.d.6.n.6.

CAP. XX.

Verſ.3. Joſaphat timore perterritus &c. tr.1.d.14. per totum. Item tr.19.d.18.n.3.
Verſ.37. Quia habuiſti fœdus cum Ochozia percuſſit Dominus opera tua, tr.17.d.6.n.6.

CAP. XXIV.

Verſ.23. Interfecit cunctos principes populi, tr.2.d.5.n.14.
Verſ.24. In Joas quoque ignominioſa exercuere judicia, ibid.

CAP. XXVI.

Verſ.4. Fecit quod rectum erat in oculis Domini juxta omnia &c. tr.8.d.8.n.13.
Verſ.16. Cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus, &c. ibid.

## EX LIBRO I ESDRÆ.

CAP. II.

Verſ.65. Et in ipſis cantores atque cantatrices ducenti, tr. 9. d.5.n.12.

CAP. III.

Verſ.2. Surrexit Joſue filius Joſedec &c. & ædificaverunt altare Dei Iſraël, tr.20.d.7.n.5.

CAP. V.

Verſ.14. Protulit vaſa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonoſor, tr.20.d.1.n.8.

CAP. IX.

Verſ.3. Scidi pallium meum & tunicam &c. tr.17.d.2.n.4.

CAP. X.

Verſ.1. Sic orante Eſdra &c. collectus eſt ad eum de Iſraël cœtus grandis nimis, &c. ibid.
Verſ.3. Projiciamus univerſas uxores, & eos qui de his nati ſunt, ibid.
Verſ.5. Surrexit ergo Eſdras & adjuravit Principes &c. ibid.

## EX LIBRO II. ESDRÆ.

CAP. III.

Verſ.28. A porta equorum ædificaverunt Sacerdotes, tr.20.d.7.n.5.

CAP. IX.

Verſ.8. Ipſe eſt Deus tuus qui eduxit te de Ægypto &c. tr.11. d.6.n.1.
Verſ.25. Poſſederunt domus plenas cunctis bonis, vineas & oliveta, & ligna pomifera multa &c. tr.8 d.9.n.2.

CAP. XIII.

Verſ.23. In diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, tr.14.d.19.n.12. & tr.17.d.2.n.4.
Verſ.24. Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, loc. cit. & tr.21.d.2.n.4.
Verſ.25. Objurgavi eos, & maledixi, &c. tr.17.d.2.n.4. & tr.14.d.19.n.12.
Verſ.26. Numquid in hujuſmodi re peccavit Salomon? &c. tr.17.d.2.n.4.

## EX LIBRO TOBIÆ.

CAP. I.

Verſ.2. In captivitate poſitus viam veritatis non deſeruit, tr.17.d.12.n.3.
Verſ.4. Cum eſſet junior omnibus in tribus Nephtali, nihil tamen puerile geſſit in opere, tr.9.d.12.n.8.
Verſ.5. Cum irent omnes ad vitulos aureos, hic ſolus fugiebat conſortia hominum, ibid. & tr.20.d.10.n.1.
Verſ.6. Sed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, tr.9.d.12.n.8.
Verſ.21. Cum reverſus eſſet Rex Senacharib fugiens &c. tr.11.d.10.n.13.

CAP. II.

Verſ.10. Contigit autem ut quadam die defatigatus à ſepultura &c. tr.8.d.16.n.7. Item tr.13.d.17.n.8.
Verſ.11. Ex nido hirundinum, dormienti illi, calida ſtercora inciderunt ſuper oculos ejus, ibid. & d.11.n.9. item tr.13.d.17.n.8. & tr.9.d.17.n.1.

CAP. III.

Verſ.8. Tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium occiderat eos &c. tr.12.d.1.n.7.
Verſ.10. Numquid & occidere me vis, ſicut jam occidiſti ſeptem viros, ibid. & tr.9.d.15.n.13.
Verſ.11. In oratione perſiſtens, cum lachrymis deprecabatur Deum, ibid.
Verſ.14. Ad te faciem meam converto &c. tr.9.d.15.n.13.
Verſ.16. Tu ſcis quia numquam concupivi virum, ibid. & tr.13.d.6.n.5.
Verſ.17. Numquid cum ludentibus miſcui me &c. tr.17. d.14.n.12.
Verſ.21. Hoc tamen pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus coronabitur, tr.10.d.25.n.6.

CAP. IV.

Verſ.16. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alijs facias, tr.5.d.9.n.6.
Verſ.20. Benedic Deum, & pete ut vias tuas dirigat, tr. 19.d.17.n.3.

CAP. V

Verſ. 5. Invenit juvenem ſplendidum, tr.6.d.15. n.16. & d.5.n.9.
Verſ. 6. Unde te habemus bone juvenis? tr.6.d.13.n.2.
Verſ.7. Ille reſpondit: Ex filijs Iſraël noſti viam &c. ib. & n.8
Verſ.8. Novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi, ibid. & n.3.
Verſ.12. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo. Et lumen cœli non video, tr.16.d.9. per totum.
Verſ.23. Cœpit mater ejus flere & dicere, &c. tr.6.d.6.n.12.
Verſ.26. Noli flere, ſalvus perveniet filius noſter, &c. ibid.
Verſ.27. Credo enim, quod Angelus Domini bonus comitetur eum, ibid.
Verſ.28. Ad hanc vocem ceſſavit mater ejus flere, ibid.

CAP. VI.

Verſ.1. Profectus eſt Tobias, & canis ſecutus eſt eum, tr.6.d.16.n.2.
Verſ.2. Ecce piſcis immanis exivit ad devorandum eum, tr.1.d.18.n.24.
Verſ.3. Domine invadit me, ibid. & tr.6.d.16.n.8.
Verſ.8. Fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, tr.1.d.18.n.24. & tr.6.d.8.n.8. Item tr.9.d.17.n.2.
Verſ.9. Fel valet ad ungendos oculos, tr.9.d.17. per totum.
Verſ.14. Tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt, tract.13.d.8.n.3.
Verſ.15. Sed & hoc audivi, quia dæmonium occidit eos, ibid.
Verſ.16. Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & oſtendam tibi, quibus prævalere poteſt dæmonium, ibid. & tr.9.d.4.n.10.
Verſ.17. Hi qui conjugium ita ſuſcipiant &c. tr.13.d.8.n.3.

CAP. VIII.

Verſ. 3. Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & relegavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti, tr.6.d.8.n.8. & tr.9.d.4.n.10.
Verſ.13. Cum paraſſent foſſam, reverſus Raguel &c. tr.13. d.29.n.14.
Verſ.14. Mitte unam ex ancillis tuis, & videat ſi mortuus eſt, tr.13.d.29.n.9.

CAP. IX.

Verſ.8. & 9. Flevit Gabelus benedixitque Deum & dixit: Benedicat te Deus Iſraël &c. tr.6.d.1.n.16.

CAP. XI.

Verſ.8. Lini ſuper oculos ejus ex felle iſto piſcis &c. tr. 16. d.18.n.5.
Verſ.9. Tunc præcurrit canis, & blandimento caudæ ſuæ gaudebat, tr.2.d.1.n.1. & tr.19.d.1.n.2.
Verſ.13. Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, linivit eo oculos patris ſui, tr.8.d.22.n.5.
Verſ.14. Et ſuſtinuit quaſi dimidiam fere horam &c. ibid.

CAP. XII.

Verſ.2. Quam mercedem dabimus ei &c. tr.6.d.16.n.2.
Verſ.3. Me duxit & reduxit ſanum &c. tr.6.d.1.n.13.
Verſ.5. Rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere, tr.6.d.16.n.8.
Verſ.7. Sacramentum Regis abſcondere bonum &c. tr.13.d.31.n.2.
Verſ.12. Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos &c. ego obtuli orationem tuam Domino, tr.6.d.12. per totum.
Verſ.13. Quia acceptus eras Deo &c. tr.9.d.12.n.8.
Verſ.15. Ego ſum Raphael Angelus, tr.6.d.13.n.2.
Verſ.16. Trementes ceciderunt in terram ſuper faciem ſuam, tr.6.d.16.n.8.
Verſ.19. Videbar vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inviſibili & potu &c. tr.1.d.4.n.4.

CAP. XIII.

Verſ.3. Tu flagellas & ſalvas, tr.4.d.6.n.9.
Verſ.16. Maledicti erunt qui contempſerint te, &c. tr.11.d.9.n.15.
Verſ.21. Portæ Jeruſalem ex Saphyro & Smaragdo ædificabuntur &c. tr.10.d.4.n.9.
Verſ.22. Per vicos ejus alleluia cantabitur, tr.10.d.8.n.11.

## EX LIBRO JUDITH.

CAP. I.

Verſ.7. Tunc exaltatum eſt regnum Nabuchodonoſor, tr.19.d.5.n.9.

CAP. III.

Verſ.9. Tantus metus provincijs illis incubuit, &c. tr.9.d.11.n.11.
Verſ.10. Excipientes eum cum coronis & lampadibus, &c. ibid. & d.9.n.7.

Verſ.13.

Verſ. 13. *Præceperat illi Nabuchodonoſor, ut omnes deos terræ exterminaret*, tr. 11. d. 6. n. 8.

CAP. V.

Verſ. 26. *Cum ceſſaſſet loqui Achior, irati ſunt omnes*, tr. 2. d. 12. n. 2.

CAP. VI.

Verſ. 2. *Ut oſtendam tibi quoniam non eſt Deus niſi Nabuchodonoſor*, tr. 11. d. 6. n. 8.

CAP. VIII.

Verſ. 5. *In ſuperioribus domûs ſuæ fecit ſibi ſecretam cubiculum*, tr. 14. d. 21. n. 11.

Verſ. 6. *Habens ſuper lumbos ſuos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ*, tr. 1. d. 14. n. 6. & d. 9. n. 9. Item tr. 14. d. 23. n. 12. & d. 24. per totum. Item tr. 19. d. 16. n. 5.

Verſ. 7. *Erat autem eleganti aſpectu nimis*, tr. 13. d. 34. n. 4.

Verſ. 8. *Nec erat qui loqueretur de illa verbum malum*, ibid. n. 8.

CAP. IX.

Verſ. 1. *Judith ingreſſa eſt Oratorium ſuum &c.* tr. 13. d. 35. n. 14. Item tr. 14. d. 25. n. 4.

Verſ. 11. *Erige brachium tuum, & alliде virtutem illorum &c.* tr. 11. d. 6. n. 8.

Verſ. 12. *Fac Domine, ut gladio proprio ejus ſuperbia amputetur*, ibid.

CAP. X.

Verſ. 3. *Lavit corpus ſuum, & unxit ſe myro optimo &c.* tr. 6. d. 15. n. 6. & tr. 13. d. 35. n. 9.

Verſ. eod. *Induitque Sandalia pedibus ſuis*, tr. 14. d. 15. n. 4.

Verſ. 4. *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem*, tr. 13. d. 35. n. 11.

Verſ. 5. *Impoſuit itaque Abræ*, tr. 13. d. 35. n. 13.

Verſ. 10. *Judith orans Dominum tranſivit per portas*, tr. 13. d. 35. n. 4.

Verſ. 16. *Duxerunt eam ad tabernaculum Holofernis &c.* tr. 2. d. 4. n. 8.

CAP. XI.

Verſ. 1. *Numquam nocui viro qui voluit ſervire Nabuchodonoſor Regi*, tr. 19. d. 1. n. 9.

Verſ. 14. *Ego ancilla tua Deum colo etiam nunc*, tr. 14. d. 21. n. 4.

CAP. XII.

Verſ. 1. *Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui*, tr. 1. d. 9. n. 9.

Verſ. 5. *Petijt ut daretur ei copia egrediendi foras ad orationem &c.* tr. 13. d. 35. n. 5.

CAP. XIII.

Verſ. 1. *Concluſit Vagao oſtia cubiculi*, tr. 13. d. 35. n. 19.

Verſ. 15. *Concurrerunt ad eam omnes à minimo usque ad maximum*, tr. 13. d. 35. n. 18.

Verſ. 19. *Ecce caput Holofernis & conopæum ejus &c.* tr. 13. d. 35. n. 18.

Verſ. 20. *Percuſſit illum Dominus, vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me angelus ejus &c. non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari*, tr. 6. d. 15. n. 6. & tr. 13. d. 35. n. 18. & 20. Item tr. 14. d. 24. n. 1.

CAP. XV.

Verſ. 11. *Viriliter egiſti, eo quod caſtitatem amaveris*, tr. 14. d. 3. n. 10. & d. 6. per totum. & d. 21. n. 11.

CAP. XVI.

Verſ. 23. *Porrò Judith omnia vaſa bellica &c. obtulit in anathema oblivionis* &c. tr. 13. d. 35. per totum.

EX LIBRO ESTHER.

CAP. I.

Verſ. 3. *Fecit grande convivium cunctis Principibus &c.* tr. 10. d. 11. n. 1.

Verſ. 4. *Ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui* &c. ibid. & d. 4. n. 2.

Verſ. 5. *Juſſit ſeptem diebus convivium præparari*, tr. 16. d. 6. n. 7.

Verſ. 7. *Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis*, ibid. n. 4.

CAP. III.

Verſ. 8. *Eſt populus per omnes provincias Regni tui diſperſus &c.* tr. 12. d. 6. n. 6.

Verſ. 9. *Si tibi placet, decerne ut pereat*, ibid.

CAP. IV.

Verſ. 1. *Indutus eſt ſacco ſpargens cinerem capiti*, tr. 19. d. 17. n. 5.

Verſ. 3. *Planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus & fletus*, tr. 3. d. 14. n. 9.

CAP. V.

Verſ. 5. *Vocate citò Aman ad convivium*, tr. 15. d. 25. n. 4.

Verſ. 11. *Expoſuit magnitudinem divitiarum ſuarum*, ibidem. &c.

Verſ. 12. *Regina quoque Eſther nullum advocavit alium ad convivium cum Rege præter me*, tr. 8. d. 6. n. 2.

Verſ. 13. *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum &c.* tr. 3. d. 8. n. 4. Item tr. 8. d. 26. n. 2. & d. 31. n. 14. & tr. 2. d. 5. n. 15.

Verſ. 14. *Jube parari excelſam trabem &c.* tr. 2. d. 5. n. 15. & tr. 3. d. 12. n. 7.

CAP. VII.

Verſ. 6. *Hoſtis & inimicus noſter peſſimus, iſte eſt Aman*, tr. 13. d. 10. n. 12.

Verſ. 8. *Etiam Reginam præſente me vult opprimere*, tr. 20. d. 10. n. 8.

Verſ. 10. *Suſpenſus itaq; eſt Aman in patibulo &c.* tr. 12. d. 6. n. 6.

CAP. IX.

Verſ. 25. *Ipſum & filios ejus affixerunt cruci*, tr. 12. d. 6. n. 6.

CAP. XIII.

Verſ. 14. *Timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem*, tr. 3. d. 12. n. 7.

CAP. XV.

Verſ. 4. *Circumdata erat gloria ſua*, tr. 8. d. 23. n. 6.

Verſ. 6. *Super unam quidem innitebatur quaſi præ delicijs & nimia teneritudine*, ibid.

Verſ. 9. *Ingreſſa igitur Eſther erat terribilis aſpectu &c.* tr. 15. d. 21. n. 6.

EX LIBRO JOB.

CAP. I.

Verſ. 1. *Vir erat in terra Hus*, tr. 17. d. 4. n. 2. & 5. & tr. 19. d. 14. n. 6.

Verſ. 3. *Erat vir ille magnus inter omnes orientales*, tr. 10. d. 14 n. 2.

Verſ. 4. *Ibant filij ejus & faciebant convivium*, tr. 14. d. 35. n. 13. & tr. 16. d. 6. n. 1.

Verſ. 5. *Cum in orbem tranſiſſent dies convivij, mittebat ad eos Job &c.* tr. 5. d. 1. n. 6. & d. 4. n. 9. Item tr. 9. d. 19. n. 11. & tr. 11. d. 11. n. 6. Item tr. 14. d. 35. n. 13.

Verſ. 6. *Cum veniſſent filij Dei, ut aſſiſterent coram Domino, adfuit etiam inter eos Sathan*, tr. 8. d. 9. n. 12.

Verſ. 7. *Unde venis? circuivi terram & perambulavi eam*, tr. 6. d. 8. n. 15. & tr. 19. d. 2. n. 7. & tr. 19. d. 14. n. 6.

Verſ. 8. *Numquid conſideraſti ſervum meum Job* &c. tr. 21. d. 10. n. 6.

Verſ. 11. *Extende paululum manum tuam, & niſi te benedixerit in faciem*, tr. 11. d. 1. n. 6. & d. 4. n. 2. & tr. 19. d. 13. n. 9.

Verſ. 12. *Ecce univerſa quæ habet in manu tua ſunt, &c.* ibid. n. 5.

Verſ. 16. *Ignis Dei de cœlo cecidit &c.* tr. 21. d. 10. n. 6.

Verſ. 19. *Ventus vehemens irruit è regione deſerti*, tr. 19. d. 2. n. 14.

Verſ. 21. *Dominus dedit, Dominus abſtulit &c.* tr. 19. d. 13. n. 7. Item tr. 6. d. 6. n. 5. & tr. 1. d. 11. n. 15.

CAP. II.

Verſ. 1. *Quadam die cum veniſſent filij Dei &c.* tr. 6. d. 8. n. 12.

Verſ. 3. *Numquid conſideraſti ſervum meum Job*, tr. 19. d. 10. n. 5.

Verſ. 4. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua*, tr. 7. d. 11. n. 17. & tr. 19. d. 10. n. 5.

Verſ. 6. *Veruntamen animam illius ſerva*, tr. 6. d. 8. n. 12. & tr. 1. d. 11. n. 14. & tr. 2. d. 2. n. 5. Item tr. 19. d. 13. n. 5

Verſ. 7. *A planta pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas*, tr. 11. d. 7. n. 4. & tr. 13. d. 23. n. 11. Item tr. 12. d. 1. n. 6. & tr. 20. d. 12. n. 7.

Verſ. 8. *In ſterquilinio ſedens teſta ſaniem radebat*, tr. 19. d. 14. n. 5. Item tr. 10. d. 22. n. 13.

Verſ. 9. *Benedic Deo & morere*, tract. 11. d. 7. n. 4. & d. 11. n. 6.

Verſ. 10. *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es*, tr. 17. d. 10. n. 5.

Verſ. 11. *Audientes tres amici Job omne malum &c.* tr. 5. d. 3. n. 13.

CAP. III.

Verſ. 2. *Pereat dies in qua natus ſum &c.* tr. 21. d. 15. n. 11.

Verſ. 8. *Maledicant ei qui maledicunt diei &c* tr. 19. d. 4. n. 2. & tr. 21. d. 15. n. 11.

Verſ. 12. *Cur lactatus uberibus*, tr. 17 d. 6. n. 15.

Verſ. 14. *Requieſcerem cum Regibus & conſulibus terræ*, tr. 6. d. 1. n. 9. Item tr. 9. d. 12. n. 2.

Verſ. 17. *Ibi requieverunt feſſi labore*, tr. 10. d. 11. n. 10.

Verſ. 21. & 22. *Effodientes theſaurum, gaudent vehementer &c.* tr. 8. d. 5. n. 10.

Verſ. 24. *Antequam comedam ſuſpiro*, tr. 1. d. 11. n. 14.

CAP. IV.

Verſ. 11. *Tigris perijt eò quod non haberet prædam*, tr. 13. d. 34. n 19. Item tr. 19. d. 3. n. 5. & tr. 19. d. 15. n. 7.

Verſ. 18. *In angelis ſuis reperit pravitatem*, tr. 18. d. 8. n. 4.

Verſ. 19. *Qui habitat domus luteas &c. conſumentur velut à tinea*, tr. 14. d. 23. n. 12. & tr. 13. d. 22. n. 12.

CAP. V.

Verſ. 1. *Voca ergo, ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*: Tr. 11. d. 5. n. 4.

Verſ. 5. *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum*, Tr. 10. d. 26. n. 10.

Verſ. 11. *Salvum faciet egenum de gladio oris eorum*, Tr. 10. d. 22. n. 8.

Verſ. 21. *A flagello linguæ abſconderis*, Tr. 21. d. 3. n. 7.

CAP. VI.

Verſ. 6. *Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum?* Tr. 16. d. 18. n. 6.

CAP. VII.

Verſ. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, Tr. 7. d. 13. n. 18. & Tr. 5. d. 6. n. 8. Item Tr. 14. d. 15. n. 1. & Tr. 19. d. 3. n. 1.

Verſ. 11. *Et ego non parcam ori meo, loquar &c.* Tr. 15. d. 13. n. 2.

Verſ. 17. *Quid apponis erga eum cor tuum?* Tr. 7. d. 8. n. 2.

CAP. VIII.

Verſ. 10. *Ipſi docebunt me loquentur tibi*, Tr. 18. d. 4. n. 5.

Verſ. 21. *Donec impleatur riſu os tuum, & labia tua jubilo*, Tr. 16. d. 9. n. 5. Item Tr. 10. d. 8. n. 1.

CAP. IX.

Verſ. 13. *Sub quo curvantur, qui portant orbem*, Tr. 6. d. 1. n. 8.

Verſ. 25. *Dies mei velociores fuerunt curſore*, Tr. 3. d. 7. n. 5.

CAP. X.

Verſ. 1. *Tædet animam meam vitæ meæ*, Tr. 15. d. 12. n. 2.

Verſ. 8. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu*, Tr. 7. d. 2. n. 11. & Tr. 8. d. 17. n. 8. Item Tr. 4. d. 8. n. 10. & Tr. 13. d. 15. n. 9.

Verſ. 22. *Ubi ... nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, Tr. 19. d. 2. n. 5.

CAP. XII.

Verſ. 6. *Abundant tabernacula prædonum &c.* Tr. 8. d. 4. n. 14.

CAP. XIII.

Verſ. 15. *Verumtamen vias meas in conſpectu ejus arguam*, Tr. 15. d. 17. n. 4.

Verſ. 16. *Et ipſe erit Salvator meus*, ibid.

CAP. XIV.

Verſ. 1. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore &c.* Tr. 10. d. 16. n. 13.

Verſ. 2. *Quaſi flos egreditur & conteritur*, ibid.

Verſ. 6. *Recede paululum ab eo, ut quieſcat &c.* Tr. 7. d. 13. n. 18.

Verſ. 16. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti*, Tr. 9. d. 13. n. 15. & Tr. 21. d. 2. n. 7.

CAP. XV.

Verſ. 6. *Condemnabit te os tuum &c.* Tr. 14. d. 19. n. 18. & Tr. 11. d. 2. n. 11. Item d. 5. n. 4. & d. 13. n. 19.

Verſ. 16. *Bibunt ſicut aquam iniquitatem*, Tr. 9. d. 10. n. 7. & d. 13. n. 15. Rurſus Tr. 15. d. 21. n. 12. & Tr. 17. d. 2. n. 6.

Verſ. 21. *Sonitus terroris ſemper in auribus illius*, Tr. 8. d. 26. n. 9.

Verſ. 24. *Tribulatio & anguſtia vallabit eum ſicut Regem, qui præparatur ad prælium*, Tr. 8. d. 23. n. 6.

Verſ. 25. *Contra omnipotentem roboratus eſt*, Tr. 8. d. 7. n. 2.

Verſ. 26. *Cucurrit adverſus eum erecto collo &c.* ibid. & d. 8. n. 12.

CAP XVI.

Verſ. 2. *Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis*, Tr. 16. d. 15. n. 4.

Verſ. 11. *Exprobrantes percuſſerunt maxillam meam*, Tr. 11. d. 8. n. 5.

Verſ. 15. *Irruit in me quaſi gigas &c.* Tr. 19. d. 8. n. 3.

CAP. XVII.

Verſ. 14. *Putredini dixi: Pater meus es &c.* Tr. 13. d. 23. n. 11.

CAP. XVIII.

Verſ. 8. *Immiſit in rete pedes ſuos &c.* Tr. 8. d. 30. n. 2.

Verſ. 10. *Abſcondita eſt in terra pedica ejus*, Tr. 19. d. 3. n. 2.

Verſ. 15. *Aſpergatur in tabernaculo ejus ſulphur*, Tr. 13. d. 3. n. 6.

CAP. XIX.

Verſ. 1. *Uſquequo affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus*, Tr 11. d. 8. n. 4.

Verſ. 20. *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*, Tr. 11. d. 8. n. 4.

Verſ. 21. *Manus Domini tetigit me*, Tr. 20. d. 12. n. 7.

Verſ. 22. *Quare perſequimini me ſicut Deus &c.* Tr. 18. d. 17. n. 5. & Tr. 21. d. 8. n. 5.

Verſ. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit &c.* Tr. 8. d. 21. n. 10.

Verſ. 26. *In carne mea videbo Salvatorem meum*, Tr. 10. d. 22. n. 12. & Tr. 16. d. 8. n. 9.

Verſ. 27. *Quem viſurus ſum ego &c. repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*, Tr. 16. d. 8. n. 9. & Tr. 10. d. 22. n. 12.

CAP. XX.

Verſ. 4. *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram*, Tr. 16. d. 9. n. 1.

Verſ. 5. *Quod laus impiorum brevis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*, Tr. 16. d. 9. n. 1. Item Tr. 13. d. 27. n. 10.

Verſ. 8. *Velut ſomnium avolans, non invenietur*, Tr. 8. d. 23 n. 13.

Verſ. 15. *Divitias, quas devoravit, evomet &c.* Tr. 8. d. 24. n. 3. & d. 28. n. 9.

Verſ. 16. *Caput aſpidum ſuget*, Tr. 19. d. 16. n. 8.

Verſ. 20. *Nec eſt ſatiatus venter ejus*, Tr. 8. d. 28. n. 2.

Verſ. 22. *Cum ſatiatus fuerit, arctabitur*, Tr. 8. d. 29. n. 3.

Verſ. 24. *Irruet in arcum æneum*, Tr. 19. d. 6. n. 9.

CAP. XXI.

Verſ. 7. *Quare ergo impij vivunt, ſublevati ſunt &c.* Tr. 8. d. 3. n. 1. & d. 6. n. 15.

Verſ. 12. *Tenent tympanum & cytharam &c.* Tr. 13. d. 9. n. 4.

Verſ. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt in infernum*, ibid. & Tr. 11. d. 2. n. 7.

CAP. XXII.

Verſ. 3. *Quid prodeſt Deo ſi juſtus fueris &c.* Tr. 4. d. 9. n. 3. Item Tr. 10. d. 19. n. 12.

Verſ. 14. *Circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat*, Tr. 10. d. 18. n. 13. Item Tr. 11. d. 2. n. 7. & Tr. 20. d. 8. n. 7.

CAP. XXIV.

Verſ. 13. *Ipſi fuerunt rebelles lumini*, Tr. 15. d. 24. n. 10.

Verſ. 19. *Uſque ad inferos peccatum illius*, Tr. 13. d. 28. n. 1.

Verſ. 20. *Dulcedo illius vermes*, Tr. 8. d. 23. n. 6. & Tr. 13. d. 28. n. 1. & Tr. 9. d. 10. n. 7. Item Tr. 13. d. 9. n. 10. & Tr. 15. d. 25. per totum, & Tr. 16. d. 13. n. 7.

Verſ. 25. *Quod ſi non eſt ita, quis me poteſt arguere mentitum*, Tr. 18. d. 17. n. 5.

CAP. XXV.

Verſ. 6. *Putredo & filius hominis, homo vermis*, Tr. 10. d. 6. n. 1. & Tr. 11. d. 1. n. 5. & Tr. 13. d. 29. n. 15. Item Tr. 14. d. 9. n. 1. & Tr. 15. d. 13. n. 11.

CAP. XXVI.

Verſ. 5. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis*, Tr. 3. d. 10. n. 2. & Tr. 5. d. 7. n. 2.

Verſ. 7. *Appendit terram ſuper nihilum*, Tr. 7. d. 19. n. 1. & Tr. 8. d. 31. n. 9.

Verſ. 13. *Obſtetricante manu ejus eductus eſt coluber*, Tr. 15. d. 27. n. 6.

CAP. XXVII.

Verſ. 19. *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet &c.* Tr. 8. d. 25. n. 1. & d. 31. n. 11.

CAP. XXVIII.

Verſ. 9. *Omne pretioſum vidit oculus meus*, Tr. 7. d. 14. n. 1.

Verſ. 12. *Nec invenitur in terra ſuaviter viventium*, Tr. 9. d. 10. n. 2.

Verſ. 22. *Perditio & mors dixerunt &c.* Tr. 19. d. 1. n. 9.

CAP. XXIX.

Verſ. 17. *Conterebam molas iniqui &c.* Tr. 21. d. 16. n. 9.

CAP. XXX.

Verſ. 4. *Radix juniperorum erat cibus eorum*, Tr. 13. d. 25. n. 7.

Verſ. 15. *Redactus ſum in nihilum, abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum*, Tr. 3. d. 6. n. 17.

Verſ. 29. *Frater fui Draconum &c.* Tr. 17. d. 4. n. 2. & d. 8. n. 8.

CAP. XXXI.

Verſ. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis &c.* Tr. 19. d. 8. n. 12.

Verſ. 9. *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere*, Tr. 13. d. 1. n. 14.

Verſ. 10. *Scortum alterius ſit uxor mea*, Tr. 13. d. 1. n. 14.

Verſ. 11. *Hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima*, ibid.

Verſ. 12. *Ignis eſt usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*, Tr. 13. d. 3. per totum. & d. 13. n. 9. & d. 29. n. 16. & d. 4. n. 1. Item Tr. 20. d. 16. n. 1.

Verſ. 23. *Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus Deum timui*, Tr. 16. d. 11. n. 6.

Verſ. 24. *Si putavi aurum robur meum*, Tr. 8. d. 16. n. 14. & d. 20. n. 9.

CAP. XXXIV.

Verſ. 18. *Non te ergo ſuperet ira, ut aliquem opprimas*, Tr. 16. d. 12. n. 4.

CAP. XXXV.

Verſ. 6. *Si peccaveris, quid ei nocebis &c.* Tr. 4. d. 9. n. 3.

CAP XXXVI.

Verſ. 5. *Deus potentes non abjicit, cum & ipſe ſit potens*, Tr. 8. d. 16. n. 10.

CAP. XXXVII.

Verſ. 1. *Super hoc expavit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo*, Tr. 10. d. 14. n. 2.

Verſ. 22. *Ab Aquilone aurum venit, & ad Deum formidoloſa laudatio*, Tr. 8. d. 1. n. 5. & d. 5. n. 13. Item Tr. 19. d. 9. n. 3.

CAP. XXXVIII.

Verſ. 7. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filij Dei*, Tr. 3. d. 1. n. 1.

Verſ. 22. *Numquid ingreſſus es theſauros nivis?* Tr. 10. d. 10. n. 8. & Tr. 14. d. 16. n. 11. & Tr. 18. d. 10. n. 12.

Verſ. 24. *Per quam viam ſpargitur lux &c.* Tr. 19. d. 10. n. 5.

Verſ. 37. *Quis enarrabit cœlorum rationem? &c.* Tr. 6. d. 1. n. 9.

Verſ. 39. *Numquid capies leænæ prædam?* tr.18. d.15. n.4. & tr.19.d.13.n.6.

CAP. XXXIX.

Verſ. 23. *Super ipſum ſonabit pharetra*, tr.19.d.12.n.3.
Verſ. 27. *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila*, ibid. n. 7.
Verſ. 32. *Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquieſcat?* tr.18.d.14.n.12.

CAP. XL.

Verſ. 10. *Tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, tr. 13.d.8.n.3.
Verſ. 11. *Fortitudo ejus in lumbis ejus &c.* tr.13.d.8.n.11.
Verſ. 16. *Sub umbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus*, tr.1.d.9.n.7. & tr.10.d.19.n.6. Item tr. 13. d.7. n.10. & d.8.n.5.
Verſ. 18. *Habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus*, tr.6.d.8.n.15.

CAP. XLI.

Verſ. 10. *De ore ejus lampades procedunt, ſicut thædæ ignis accenſæ*, tr.11.d.7.n.12.
Verſ. 12. *Flamma de ore ejus egreditur &c.* tr.11.d.7. n.12. & tr.13.d.8.n.16. Item d.33 per totum, & d.35.n.7.

CAP. XLII.

Verſ. 5. *Num oculus meus videt te*, tr.10.d.17.n.14.

EX LIBRO PSALMORUM.

PSALM. I.

Verſ. 1. *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, &c. & in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, tr.3.d.18.n.2. & 5. & tr.9. d.18.n.6. Item tr.13.d.13. per totum, & tr.17.d.4. per totum, & tr.21.d.5.n.6.
Verſ. 2. *In lege Domini voluntas ejus*, tr.4.d.18.n.6. & tr.10. d.27.n.2.
Verſ. 3. *Et erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, tr.14.d.18.n.13.
Verſ. 4. *Tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*, tr.7.d. 3.n.10.

PSALM. II.

Verſ. 3. *Projiciemus à nobis jugum ipſorum*, tr.16.d.10.n.8.
Verſ. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos*, tr.20.d.9.n.8.
Verſ. 6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo &c.* tr. 2. d. 8. n.11. & tr.3.d.9.n.1. & d.15.n.5.
Verſ. 10. *Et nunc Reges intelligite*, tr.10.d.15.n.15.
Verſ. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, tr.20.d.2.n.6.
Verſ. 12. *Apprehendite diſciplinam &c.* tr.14.d.9.n.4. & d. 22. n.15. & d.26.n.10. & tr.16.d.13.n.9.

PSALM. IV.

Verſ. 2. *In tribulatione dilataſti mihi*, tr.16.d.17.n.4.
Verſ. 3. *Filij hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis &c.* tr.8.d.30.n.7. & tr.4.d.13.n.1. Item tr.10.d.18.n.13.
Verſ. 5. *Iraſcimini & nolite peccare &c.* tr.15.d.4. n.16. & tr. 15.d.15.n.3. Item tr.16.d.3.n.5.
Verſ. 6. *Sacrificate Sacrificium juſtitiæ*, tr.10.d.18.n.13. & tr. 15.d.9. n.1. & n.13.
Verſ. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, tr. 15.d.24.n.7. & tr.16.d.5.n.5. & 6. & d.5. per totum, & d.8. n. 9. & d.7.n.6. & d.9.n.1. & d.12.n.7. & d.13.n.4.
Verſ. 9. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*, tr. 10. d. 6. n. 7.
Verſ. 10. *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*, tr.17.d.4.n.8.

PSALM. V.

Verſ. 2. *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum*, tr.6.d.12.n.7.
Verſ. 8. *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ &c.* tr. 20. d.2.n.8. & d.7.n.2. & d 9.n.4. & d.17.n.12.
Verſ. 10. *Non eſt in ore eorum veritas &c.* tr.2.d.3.n.8. & d. 6. n. 12.
Verſ. 11. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*, ibid. & tr. 21. d. 11. n.4.
Verſ. 12. *In æternum exultabunt & habitabis in eis*, tr.10.d.16. n.15. & d.13.n.15.

PSALM. VI.

Verſ. 2. *Domine ne in furore tuo arguas me*, tr.18. d.12. n.2. & d.15. per totum.
Verſ. 7. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum*, tr.15.d.13.n.1. & tr.13.d.20.n.15.
Verſ. 8. *Turbatus eſt à furore oculus meus*, tr.17.d.3.n.6.
Verſ. 9. *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem*, ibid.
Verſ. 11. *Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei*, tr.15.d.21.n.9.

PSALM. VII.

Verſ. 6. *Gloriam meam in pulverem deducam*, tr.3.d.17. n.11.
Verſ. 10. *Scrutans corda & renes*, tr.15.d.15.n.1.
Verſ. 16. *Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit*, tr.2.d.5.n.16.

PSALM. VIII.

Verſ. 3. *Ex ore infantium & lactentium &c.* tr.17.d.4.n.13.
Verſ. 5. *Quid eſt homo, quod memor es ejus?* tr.4.d.8.n.4.
Verſ. 6. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis &c.* ibid. n.2. & tr.3. d.1. n.3. & tr.8.d.9. n.11. & tr.7. d.7. n.19. Rurſus tr.7.d3.n.3. & d. 10.n.12. Item tr.13. d. 7. n. 11. & tr. 15. d. 13. n. 12. & tr. 19. d. 4. n.6. Item tr.19. d.10.n.2. & tr. 21. d.8. n. 9.
Verſ. 7. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*, tr. 7. d. 10. n. 19.
Verſ. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, ibid. & tr. 4. d. 7. n.8. & d.8.n.6. & tr.1.d.3.n.1. & tr.8.d.13.n.13. & tr.8.d.18. n.3. & tr.5.d.6.n.10. & tr.7.d.3.n.14. & tr.20. d.5. n.1. & tr. 21. d.19.n.1.

PSALM. IX.

Verſ. 2. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*, tr.4.d.15.n.1.
Verſ. 10. *Deus adjutor in tribulationibus*, tr.12.d.5. n.15.
Verſ. 11. *Sperent in te qui noverunt nomen tuum &c.* ibid.
Verſ. 17. *Cognoſcetur Dominus judicia faciens*, tr.12. d.6. n.8. Item tr.15.d.26.n.8.

PSALM. X. Secundum Hebræos.

Verſ. 2. *Comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant*, tr.3. d.2. n.9. & tr.21.d.14.n.7.
Verſ. 3. *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ*, tr. 2. d. 3. n.2 & tr.2.d.4. per totum, tr.2.d.1.n.4. & tr. 2. d. 6. n. 3. & 5. tr.2.d.8.n.1. & tr. 8.d.13.n.2.
Verſ. 4. *Exacerbavit Dominum peccator*, tr.2. d.6.n.5.
Verſ. 5. *Non eſt Deus in conſpectu ejus &c.* ibid.
Verſ. 7. *Sub lingua ejus labor & dolor*, tr.21.d.13.n.8.

PSALM. X.

Verſ. 2. *Quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem*, tr.8.d.8.n. 3.
Verſ. 4. *Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt*, tr.21.d.7.n.7.
Verſ. 5. *Dominus in templo ſancto ſuo &c.* tr. 7. d. 6. n. 7. & d. 8. n.8. Item tr.10.d.15.n.2. & tr 13.d.1. n.16. & tr.20. d.8. n.7.
Verſ. 6. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, tr.7.d.4.n.8.
Verſ. 8. *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit*, tr.15.d.3.n.19.

PSALM. XI.

Verſ. 2. *Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum*, tr.2.d.11.n.7. Item tr.12.d.6.n.3. Item tr.17.d.14.n.6.
Verſ. 3. *Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt*, tr.12.d.6. n.3.
Verſ. 4. *Diſperdat Dominus univerſa labia doloſa*, tr. 11. d.2. n. 9.
Verſ. 5. *Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus &c.* ibid.
Verſ. 7. *Eloquia Domini, eloquia caſta*, tr.13. d.32. n.13. & d. 35. Item tr.14.d.10.n.17. & d.11.n.4. & tr.14.d.23.n.11.
Verſ. 9. *In circuitu impij ambulant &c.* tr. 3.d.12.n.2. & tr.6. d.8.n.15. Item tr.9.d.5.n.7.

PSALM. XII.

Verſ. 4. *Illumina oculos meos, ne quando &c.* tr.6.d.10.n.13. & tr.14.d.21.n.11.
Verſ. 5. *Ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adverſus eum*, tr.6.d.10.n.13.

PSALM. XIII.

Verſ. 2. *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum*, tr.4. d.9.n.19. & tr.9.d.17.n.7. & tr.13.d.1.n.2.
Verſ. 3. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt &c.* tr.11. d.7.n.8. tr.14.d.26.n.9. & tr.15.d.26.n.6. & tr. 16. d. 12. n.7. & d. 13.n.3. & tr.21.d.6.n.2. & tr.21.d.7.n.1. & d. 8. per totum, & d.14.n.5. & tr.21.d.3.n.3.
Verſ. eod. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, tr.4.d.8.n.10.
Verſ. 5. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, tr. 1. d.2.n.11.

PSALM. XIV.

Verſ. 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c.* tr.10. d.20. n.10. & d.28. n. 16. Item tr.20.d.5.n.12. & tr.21.d.18.n.4. & d.5.n.4.
Verſ. 2. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam*, tr.10.d.20.n. 10. & d.28.n.16.
Verſ. 3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, locis cit.
Verſ. 4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus &c.* tr. 20. d.5. n.12.

PSALM. XV.

Verſ. 2. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, tr.4.d.9.n.2. & tr.7.d.14.n.4. & tr.10.d.19.n.12. & d.27.n.1.
Verſ. 4. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, tr. 14. d.9.n.2.
Verſ. 7. *Uſque ad noctem increpuerunt me renes mei*, tr. 14. d.15.n.2.
Verſ. 11. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu*, tr.10. d.7. n.8. & n.10. & d.10.n.3. & d.17.n.2. Item tr.16.d.8.n.4.

PSALM. XVI.

Verſ. 8. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, ut pupillam oculi*, tr.7.d.10.n.3. Item tr.17.d.14.n.9.
Verſ. 10. *Adipem ſuum concluſerunt*, tr.8.d.7.n.8.
Verſ. 11. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, ibid. & tr.2.d.4.n.5. & tr.7.d.18.n.2. & tr.8.d.5.n.8. & d.11.n.9.
Verſ. 12. *Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam*, tr. 19. d.14.n.1.
Verſ. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, tr.16.d.3. n.7.
Verſ. eod. *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis*, tr. 9. d. 13. n.16. & tr.10. d.2. n.10. & d.9.n. 11. & d.11. n. 11. & 12. & d. 14. n. 5.

PSALM. XVII.

Verſ. 2. *Diligam te Domine fortitudo mea*, tr.3.d.10.n.6. & tr.4.d.6.n.12.
Verſ. 3. *Dominus firmamentum meum &c.* ibid.
Verſ. 5. *Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me*, tr.9.d.1. per totum.
Verſ. 11. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volavit*, tr.10.d.1. n.6.
Verſ. 26. *Cum ſancto ſanctus eris, &c.* tr. 13. d. 22. n 3. Item tr.17.d.3.n.6. & d.5. per totum, & d.6.n.11.
Verſ. 27. *Et cum electo electus eris &c.* locis cit. & tr.17. d.3. n.2. & tr.17.d.11. per totum.
Verſ. 30. *Quoniam in te eripiar à tentatione*, tr.19.d.17. n.4.
Verſ. 33. *Deus qui præcinxit me virtute &c.* tr. 14. d.29. per totum.
Verſ. 38. *Perſequar inimicos meos, &c.* tr.15.d.14.n.11.
Verſ. 42. *Clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret*, tr. 20. d.4.n.8.
Verſ. 46. *Filij alieni mentiti ſunt mihi, & claudicaverunt*, tr.2.d.12.n.4.
Verſ. 48. *Liberator meus de inimicis meis iracundis*, tr. 4. d.12.n.4.

PSALM. XVIII.

Verſ. 2. *Cæli enarrant gloriam Dei*, tr.3.d.12.n.13. & d.11.n.4. Item tr.10.d.9.n.5. Item tr.21.d.3.n.4.
Verſ. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum &c. Exultavit ut gigas &c.* tr.8.d.12.n.11. & 18. & tr.4.d.16.n.2. Item tr.14. d.2. n. 2.
Verſ. 7. *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus*, tr 4.d.2. n.5. & d.7.n.4. & d.17.n.1. Item tr.13.d.3.n.6. & d.19.n.3. & tr. 10. d.28.n.4. & d.27. n.10. Item tr.19.d.5.n.1.
Verſ. 8. *Lex Domini immaculata, convertens animas*, tr. 10. d.27.n.1. Item tr. 14.d.6.n.2. & tr.17.d.11.n.5.
Verſ. 9. *Præceptum Domini lucidum*, tr.10.d.27.n.1.
Verſ. 10. *Timor Domini ſanctus &c.* tr.14.d.6.n.3.
Verſ. eod. *Judicia Domini vera, juſtificata &c.* tr.16.d.11.n.3.
Verſ. 11. *Deſiderabilia ſuper aurum*, tr.10.d.27.n.1.
Verſ. 12. *In cuſtodiendis illis retributio multa*, ibid.
Verſ. 13. *Delicta quis intelligit?* tr.11.d.1.n.10.

PSALM. XIX

Verſ. 5. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt*, tr. 10. d.2.n.11.
Verſ. 8. *Hi in curribus, & hi in equis*, tr.8.d.3. n.4.

PSALM. XX.

Verſ. 4. *Præveniſti eum in benedictionibus dulcedinis*, tr.16.d.3. n.7. & d. 8.n.7.
Verſ. eod. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*, tr.10.d.5.n.9.
Verſ. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis*, tr.11.d.10. n.1. & tr.13.d.9.n.6. & tr.15.d.26.n.8.
Verſ. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*, tr. 11.d.10.n.1. & tr.13.d.9.n.6.
Verſ. 11. *Fructum eorum de terra perdes*, tr.11.d.10. per totum.
Verſ. 12. *Quoniam declinaverunt in te mala*, ibid.

PSALM. XXI.

Verſ. 4. *Tu autem in ſancto habitas laus Iſraël*, tr.20.d.8. n.7.
Verſ. 7. *Ego autem ſum vermis, & non homo*, tr.8.d.8.n.3.
Verſ. 8. *Omnes videntes me deriſerunt me &c.* tr.11.d.8.n.1.
Verſ. 9. *Speravit in Domino eripiat eum*, ibid.
Verſ. 14. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo &c.* tr.21.d.7. n.10.
Verſ. 17. *Circumdederunt me canes multi*; tr.21.d.7.n.9.
Verſ. 21. *Erue à framea Deus animam meam*, tr. 7. d.19. n.9. Item tr.21.d. 9.n.3.
Verſ. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, tr. 20. d. 12. n. 6.

PSALM. XXII.

Verſ. 2. *In loco paſcuæ ibi me collocavit*, tr.14.d.12. n.3. & tr. 20.d.6.n.2.
Verſ. 3. *Super aquam refectionis educavit me*, tr.20. d.6. n.2.
Verſ. 4. *Nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis &c.* ibid. & tr.18.d.13.n.10. & tr.16.d.8.n.9. & tr.18.d.5.n.5.
Verſ. eod. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, tr. 4.d.12.n.4.
Verſ. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam*, tr. 16. d. 4. n. 9. & tr. 20. d. 6. n. 2. & tr. 16. d. 6. n. 6.
Verſ. eod. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt?* tr. 16. d.6.n.1.
Verſ. 6. *Miſericordia tua ſubſequetur me &c.* tr.20.d.6. n.2.

PSALM. XXIII.

Verſ. 1. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*, tr. 3. d. 1. n. 10. Item tr.10.d.11.n.1.
Verſ. 3. *Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* tr.7.d.18.n.14. & tr.5.d.1.n.11. Item tr.10. d.4. n.8. & d.20.n.10. & d.17.n.9. & d.30.n.7. Item tr.20.d.5.n.4. & 12.
Verſ. 4. *Innocens manibus & mundo corde*, tr.7.d.18.n.14. Item tr.10.d.20.n.10. & d.30.n.7. Item tr.20.d.5. n.4.
Verſ. 5. *Hic accipiet benedictionem à Domino*, ibid.
Verſ. 8. *Dominus fortis & potens &c.* tr.3.d.14.n.3.

PSALM. XXIV.

Verſ. 1. *Ad te Domine levavi animam meam*, tr.12. d.5.n.2.
Verſ. 2. *Deus meus in te confido, non erubeſcam*, ibid.
Verſ. 8. *Dulcis & rectus Dominus*, tr.16.d. 3.n.1. & d.11.n.7. & d.13.n.4.
Verſ. 15. *Oculi mei ſemper ad Dominum*, ibid.
Verſ. 17. *De neceſſitatibus meis erue me*, tr. 14. d.14. n.9. & tr.13.d.20.n.12.

PSALM. XXV.

Verſ. 1. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum*, tr.17.d.13.n.3.
Verſ. 3. *Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt*, tr. 17. d.12.n.5.
Verſ. 8. *Domine dilexi decorem domûs tuæ &c.* tr.20.d.2. n.3. & tr.20.d.6.n.6. & d.8.n.8. & d.10.n.7. & d. 13. n.15. & tr. 21. d.19. per totum & tr.16.d.7.n.5.
Verſ. 12. *In Eccleſijs benedicam te Domine*, tr.20.d.15.n.5.

PSALM. XXVI.

Verſ. 2. *Dominus protector vitæ meæ, &c.* tr.21.d.8.n.5.
Verſ. eod. *Appropiant ſuper me nocentes*, tr.2.d.6.n.12.
Verſ. 3. *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum*, tr.12.d.1.n.4. Item tr. 14.d.31.n.5.
Verſ. 4. *Unam petij à Domino, hanc requiram &c.* tr.10.d.2. n.13. Item tr.20.d.1.n.2. & d.6.n.7.
Verſ. 5. *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, &c.* tr.20. d.6.n.7.
Verſ. 6. *Immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis &c.* tr.15.d.27.n.5.
Verſ. 9. *Ne avertas faciem tuam à me*, tr.7.d.4. n.14.
Verſ. 12. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui*, tr.10.d.21.n.13.
Verſ. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium*, ibid. & d.26.n.9.
Verſ. 14. *Expecta Dominum, viriliter age*, tr.10.d.21.n.13.

PSALM. XXVIII.

Verſ. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, tr. 13. d.34.n.12.
Verſ. 9. *In templo ejus omnes dicent gloriam*, tr.10. d.26. n.6. Item tr.14.d.9.n.1. & tr.20.d.3.n.8. & d.2.n.2. & d.17.n.2.
Verſ. 10. *Dominus diluvium inhabitare facit &c.* tr. 10. d. 14. n.11.

PSALM. XXIX.

Verſ. 4. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam*, tr. 13. d 9. n.3. & tr.15.d.26.n.13.
Verſ. 6. *Ad veſperum demorabitur fletus*, tr.10.d.25.n.3. Item tr.16.d.8.n.3.
Verſ. 7. *Ego dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum*, tr.10.d.14.n.7. & d. 16. per totum. Item tr.16. d.8. n.3.
Verſ. 12. *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia*, tr.16.d.12.n.3. & d.16. per totum.
Verſ. 13. *Ut cantet tibi gloria mea, & non confundar*, tr.7.d.7. n. 16.

PSALM. XXX.

Verſ. 3. *Inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me*, tr.6. d.12.n.7.
Verſ. 4. *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu*, tr.16. d. 3.n.2.
Verſ. 9. *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*, tr.4.d.17. n.4. Item tr.10.d.27.n.8.
Verſ. 11. *Defecit in dolore vita mea*, tr.10.d.24.n.14.
Verſ. 18. *Domine non confundar, quoniam invocavi te*, tr. 21. d.14.n.6.
Verſ. 19. *Muta fiant labia doloſa, &c.* tr.21.d.21.n.9.
Verſ. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*, tr.7. d.1.n.14. Item tr.9.d.15.n.5. & tr.10.d.8.n.6. Item tr.16.d.3.n.7. & d.2.n.3. & 8. & d.5.n.1. & tr.16.d.12.n.5. & d. 14. per totum & d.16.n.5. & tr.17.d.4.n.8.
Verſ. 21. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ*, tr.21.d.14. n.7.

PSALM. XXXI.

Verſ. 1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, tr.4. d. 5. n.6. Item tr.15.d.15.n.12. & d.20.n.9. & d.21.n.11.
Verſ. eod. *Quorum tecta ſunt peccata*, tr.15.d.15 n.12.
Verſ. 3. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea*, tr. 15. d. 17. per totum, & tr.15.d.15.n.7.

Verſ. 4. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*, Tr.8.d.8.n.2. Item Tr.13.d.25.n.9. & Tr.15.d.24.n.9.
Verſ. 5. *Confitebor adverſum me injuſtitiam Domino*, Tr. 15. d.3.n.5. & d.8.n.10. & d. 3. n.2. & d. 12. per totum. Et d. 12. n.4. & d.15. per totum. Et d.23.n.2.
Verſ. 8. *Firmabo ſuper te oculos meos*, Tr.7.d.4.n.14.
Verſ. 9. *Sicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, Tr. 13.d.17.n.12. & Tr.20.d.13.n.14.
Verſ. 10. *Multa flagella peccatoris*, Tr.15.d.25.n.1.

PSALM. XXXII.
Verſ. 9. *Ipſe dixit & facta ſunt*, Tr.7.d.10.n.6.
Verſ. 14. *De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes*; Tr.7.d.13.n.11.

PSALM. XXXIII.
Verſ.2. *Benedicam Dominum in omni tempore*, Tr.11.d.4.n.4.
Verſ. 7. *Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*. Tr.6.d.6.n.13.
Verſ. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu &c.* Ibid. & Tr.6.d.8.n.14. & Tr.6.d.15.n.4. & 5.
Verſ. 13. *Quis eſt homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos?* Tr.10.d.30.n.1.
Verſ. 14. *Prohibe linguam tuam à malo*, ibid.
Verſ. 17. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala*, Tr.15. d. 20.n.9. & d.4.n.3.
Verſ. 19. *Juxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde*, Tr. 14.d.8.n.4.
Verſ. 20. *Multæ tribulationes juſtorum*, Tr.10.d.25. n.3.
Verſ. 21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum*, Tr.21. d.14.n.5.

PSALM. XXXIV.
Verſ. 6. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum*, Tr.11.d.9.n.15.
Verſ. 9. *Anima mea exultabit in Domino*, Tr.16. d.8. n.6. & d.13. n. 5.
Verſ. 12. *Retribuebant mihi mala pro bonis*, Tr.11.d.4. n.6. Item Tr.21.d.18.n.10.
Verſ. 13. *Ego autem, cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio*, Tr.1.d.6.n.19. Item Tr.14.d.22.n.1. & Tr.16.d.16.n.5. & Tr.19.d.17.n.5.
Verſ. 14. *Quaſi proximum & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam*, Tr.2.d.8.n.3.
Verſ. 15. *Congregata ſunt ſuper me flagella*, Tr.11.d.8.n.4.
Verſ. 16. *Tentaverunt me, ſubſannaverunt ſubſannatione*, ibid.

PSALM. XXXV.
Verſ. 2. *Dixit injuſtus ut delinquat in ſemetipſo*, Tr. 11. d.13. n.7.
Verſ. 3. *Doloſè egit in conſpectu ejus*, Tr.20.d.8.n.11.
Verſ. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ*, Tr.16.d.3.n.2. & n.6. & d.4.n.4. per totum, & d.6.n.4. & d.8.n.6.
Verſ. eod. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Tr.10.d.22. n.20. & d.23.n.5. & d.8. n.9. & d.11.n.11. & d. 14. n.9. Item d.16.n.9.
Verſ. 12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, Tr.3.d.6.n.12.

PSAM. XXXVI.
Verſ. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, Tr. 10. d. 8. n. 2.
Verſ. 5. *Revela Domino viam tuam*, Tr. 15. d. 5. n. 10.
Verſ. 15. *Gladius eorum intret in corda eorum*, Tr. 11. d. 2. n. 14. Item. Tr. 21. d. 13. n. 7.
Verſ. 20. *Quemadmodum fumus deficient*, Tr. 3. d. 6. n. 12.
Verſ. 23. *Apud Dominum greſſus hominis dirigetur*, Tr. 6. d.7.n.1. Item Tr.19.d.18.n.7.
Verſ. 27. *Declina à malo, & fac bonum*, Tr.5.d.1.n.5. Item Tr.9.d.13.n.2. & d.15.n.6. Item Tr.15.d.2.n.14. & d.8.n.3.
Verſ. 35. *Vidi impium ſuperexaltatum &c.* Tr.3. d.7. n.1. & Tr.8. d.24.n.11. & Tr.10.d.22.d.4.

PSALM. XXXVII.
Verſ. 3. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*, Tr.7.d.15.n.12.
Verſ. 5. *Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*, Tr. 1. d. 17. n.1. Item Tr.15.d.12.n.2.
Verſ. 7. *Miſer factus ſum & curvatus*, Tr.7. d.18. n.2. Item Tr.16.d.9.n.6.
Verſ. 8. *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, Tr.13. d.16.n.17. Item Tr.14.d.20.n.3. & d.22. per totum.
Verſ. 9. *Rugiebam à gemitu &c.* Tr.15.d.10.n.1.
Verſ. 11. *Cor meum conturbatum eſt in me, & dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum*, Tr.13.d.17.n.10. Item Tr.16.d.9.n.6.
Verſ. 12. *Qui juxta me erant, de longè ſteterunt*, Tr.6.d.8. n. 14.
Verſ. 13. *Vim faciebant, qui quærebant animam meam*, ibid. & Tr.7.d.15.n.14.
Verſ. 14. *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam*, Tr 21. d.17.n.11.
Verſ. 15. *Factus ſum ſicut homo non audiens*, Tr.2.d.5.n.10.
Verſ. 17. *Dixi, nequando ſupergaudeant mihi inimici mei*, Tr. 15.n.12. per totum.
Verſ. 19. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo*, ibid.
Verſ. 21. *Qui retribuunt mala pro bonis*, Tr.21. d.14.n.9.

PSALM. XXXVIII.
Verſ. 4. *Concaluit cor meum intra me*, Tr.4.d.13.n.1.
Verſ. 5. *Locutus ſum in lingua mea; notum fac mihi Domine finem meum*, Tr.10.d.3.n.11.
Verſ. 6. *Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens*, Tr.8.d.14.n.8. & Tr 10.d.3.n.11.
Verſ. 7. *In imagine pertranſit homo &c. theſaurizat & ignorat cui congregabit ea*, Tr.8.d.23.n.3. & d.24.n.1. & d. 27. n.2. Item Tr.10.d.3.n.11. & Tr.17.d.1.n.5.
Verſ. 12. *Propter iniquitatem corripuiſti hominem*, Tr.18.d.2. per totum.
Verſ. eod. *Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus &c.* Tr.7.d.1.n.13.
Verſ. 13. *Advena ego ſum & peregrinus*, Tr.8. d.21.n.7.

PSALM. XXXIX.
Verſ. 9. *In capite libri ſcriptum eſt de me &c.* Tr.8.d.6.n.5. Item Tr.10.d.23.n.5. & Tr.11.d.6.n.4.
Verſ. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem*, Tr.8.d.11.n.10. Item Tr.13.d.1.n.13.
Verſ. 16. *Ferant confeſtim confuſionem ſuam*, Tr.2.d.7.n.7.
Verſ.18. *Ego autem mendicus ſum & pauper*, Tr.4.d.5.n.2.

PSALM. XL.
Verſ. 5. *Domine miſerere mei, ſana animam meam*, Tr. 15. d. 12. n. 3.
Verſ. 8. *Adverſum me ſuſurrabant omnes*, Tr.21.d.13.n.6.
Verſ. 9. *Numquid qui cadit, non adjiciet ut reſurgat*, Tr.15. d.18. per totum, & Tr.21.d.10.n.1.

PSALM. XLI.
Verſ.2. *Quemadmodum deſiderat cervus &c.* Tr.20.d.6. n.7.
Verſ. eod. *Sitivit anima mea ad Deum &c.* Tr.20.d.6.n.7.
Verſ. 3. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Tr.7. d.3.n.7. Item Tr.10.d.18.n.5.
Verſ. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes &c.* Tr.7.d.3. n.7. Item Tr.10.d.18.n.5. & Tr.10.d.2.n.11.
Verſ. 5. *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam*, Tr.20.d.6.n.7.
Verſ. 8. *Abyſſus abyſſum invocat*, Tr.15.d.26.n.4. & n. 9.

PSALM. XLII.
Verſ. 1. *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam*, Tr.12. d.5.n.4.
Verſ. 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea.* ibid.
Verſ. 3. *Emitte lucem & veritatem tuam*, ibid.
Verſ. eod. *Ipſa me deduxerunt & adduxerunt*, Tr.20.d.8.n.10.

PSALM. XLIII.
Verſ. 4. *Non in arcu meo ſperabo &c. nec in gladio ſuo poſſèderunt terram*, Tr.19.d.18.n. 4.
Verſ. 5. *Tu es ipſe rex meus & Deus meus, qui mandas ſalutes Jacob*, Tr.6.d.11.n.1.
Verſ. 20. *Humiliaſti nos in loco afflictionis*, Tr.2. d. 6. n.9. Item Tr.13.d.10 n.8.
Verſ.25. *Quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra*, Tr. 7.d.18.n.2. & Tr.8.d.10.n.19. & Tr.8.d.16.n.5. & d.20.n.12.
Verſ. eod. *Conglutinatus eſt in terra venter noſter*, Tr.9. d. 14. n.3. & Tr.10.d.18.n.4.
Verſ. 26. *Exurge Domine, adjuva nos*, Tr.9. d.19.n 3.

PSALM. XLIV.
Verſ. 3. *Specioſus forma præ filiis hominum*, Tr.7.d.5.n.11. & d. 9.n.4. Item Tr.14.d.1.n.15. & Tr.15.d.5.n.2.
Verſ. 4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum*, Tr. 14. d. 16. n.6.
Verſ. 8. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, Tr.4.d.11.n.14. & Tr.16.d.1.n.5. Item d.7.n.6. & d.12.n.10. & d.18.n.3.
Verſ. 9. *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis &c.* Tr.14.d.22.n.8.
Verſ. 10. *Aſtitit Regina à dextris tuis*, Tr.14. d.18. n.16. & Tr.20.d.10.n.8.
Verſ. 12. *Et concupiſcet Rex decorem tuum &c.* Tr. 7. d. 9. per totum. Item Tr.10.d 6.n.3. Item Tr.14.d.1.n.12. & Tr.15. d.5.n.3.
Verſ. 14. *Omnis gloria ejus ab intus*, Tr.14. d.18. n.13. & Tr. 15.d.19.n.12. & Tr.16.d.7. per totum.
Verſ. 15. *Adducentur Regi virgines*, Tr.14.d.1.n.1. & d.4. n.2.
Verſ. 17. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, Tr. 3. d.12.n.13.

PSALM. XLV.
Verſ. 1. *Deus noſter refugium & virtus*, Tr.13.d.32.n.7.
Verſ. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, Tr.10.d.10. n.11. & d.22.n.10. & d.14.n.11. & d.16.n.9. Item Tr.16.d.3.n.2. & d.4.n.4. & Tr.20.d.18.n.5.
Verſ. 9. *Venite & videte opera Domini &c.* Tr.5. d. 4. n. 3. Item Tr.14.d.17.n.5.
Verſ. 11. *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus*, Tr. 7.d.1. n.13. & Tr.14.d.13.n.6.

PSALM. XLVI.
Verſ.6. *Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ*, Tr.5.d.4.n.4.





PSALM. XLVII.
Verſ. 8. *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*, tr. 15. d. 22. n. 3.
Verſ. 10. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*, tr.20.d.6.n.3. & d.15.n.4.

PSALM. XLVIII.
Verſ. 9. *Non dabit pretium redemptionis animæ ſuæ*, tr. 7. d. 19. n. 10.
Verſ. 11. *Relinquent alienis divitias ſuas*, tr.8.d.24.n.1.
Verſ. 13. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit &c.* tr. 2. d.11.n.4. Item tr.3.d.4. per totum. & tr.7.d.15.n.2. & d. 1. n.3. & d.5.n.8. Item tr.10.d.6.n.2. & tr.14.d.10.n.13. & tr. 20. d.9. n.10. & d.13.n.14.
Verſ. 15. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt*, tr.20.d.9.n.10.
Verſ. 21. *Comparatus eſt jumentis inſipientibus*, ibid. & tr.13. d.17.n.17.

PSALM. XLIX.
Verſ. 2. *Ex Sion ſpecies decoris ejus*, tr.20.d.19.n.5.
Verſ. 3. *Ignis in conſpectu ejus exardeſcet*, tr. 13.d.9.n. 8.
Verſ. 13. *Numquid manducabo carnes taurorum?* tr. 4. d. 3. n.2.
Verſ. 14. *Immola Deo ſacrificium laudis*, tr.15.d.9.n.4.
Verſ. 16. *Quare tu enarras juſtitias meas?* tr.18.d.17.d.2.
Verſ. 17. *Tu verò odiſti diſciplinam*, tr.17.d.7.n.7.
Verſ. 19. *Os tuum abundavit malitia*, tr.2.d.7.n.4. Item tr.21. d.2. per totum & d.11.n.5. & d.13.n.9. & d.14.n.5. & n.9.
Verſ. 20. *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris*, tr. 21. d. 3. n. 5.
Verſ. 21. *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis &c.* tr. 7. d. 4.n.13.
Verſ. 23. *Sacrificium honorificabit me*, tr.20.d.6.n.1.

PSALM. L.
Verſ. 3. *Miſerere mei Deus &c.* tr.15.d.5.n.7.
Verſ. 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea*, tr.4.d.5.n.9. Item tr.15.d.8.n.9. & 11.
Verſ. 3. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*, tr.13. d.16. n.17. & tr. 13. d. 20. n.15. & tr.14. d.20. n.3. & tr.15. d.17. n. 6. & tr. 15. d. 26. n. 5.
Verſ. 6. *Tibi ſoli peccavi &c.* tr.15.d.1. n.9. & d.2. n.5. & d. 7.n.6. & tr.18.d.16.n.13. & tr.20.d.8.n.7.
Verſ. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c.* tr. 10. d.29.n.16. Item tr.14.d.14.n.4.
Verſ. 9. *Aſperges me hyſſopo &c.* tr.15.d.5.n.7. & d.8.n.9.
Verſ. 16. *Libera me de ſanguinibus Deus &c.* tr.2. d.10. n.7. Item tr.9.d.20.n.16. Item tr.14.d.33.n.1.
Verſ. 19. *Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus &c.* tr. 1. d. 3.n.12. Item tr.9.d 10.n.2. & tr.15.d.2. n.2. & d. 9. per totum. & d.22. per totum & d.26.n.5.

PSALM. LI
Verſ. 3. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* tr.2.d.12.n.11. & tr.3.d.12.n.2. Item tr.15.d.21.n.1
Verſ. 4. *Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua, ſicut novacula acuta feciſti dolum*, tr.12.d.6.n.3. Item tr.19.d.3.n.9.
Verſ. 6. *Dilexiſti omnia verba præcipitationis*, tr.12.d 6. n.3. Item tr.21.d.7.n.7. & d.12.n.2.
Verſ. 7. *Propterea Deus deſtruet te in finem*, tr.12. d.6. n.3. Item tr.21.d.11.n.4.
Verſ. 9. *Ecce homo qui non poſuit Deum adjutorem ſuum*, tr. 8.d.15.n.9. & d.17.n.4. Item tr.19.d.18. n.8.
Verſ. 10. *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei*, tr.20. d.6.n.6.

PSALM. LII.
Verſ. 6. *Deum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore ubi non erat timor*, tr.2.d.5.n.17 & tr.4.d.14.n.16. & tr.2. d.12. per totum.

PSALM. LIII.
Verſ. 8. *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor*, tr. 9. d.2. n. 10. & tr.15.d.12.n.2.

PSALM. LIV.
Verſ.7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?* tr.14.d.2.n.2.
Verſ. 9. *Expectabam eum qui ſalvum me fecit*, tr.9. d.15. n.4.
Verſ. 10. *Præcipita Domine, divide linguas eorum: Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate*, tr.2. d.2. n. 24. & tr.9.d.12.n.2. & d.15.n.4.
Verſ. 11. *Labor in medio ejus*, tr.16.d.13.n.1.
Verſ. 13. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique*, tr.11.d.2.n.4. & d.4.n.9. Item tr.20.d.7.n.4. & tr.21. d.6. n. 4.
Verſ.14. *Tu verò homo unanimis &c.* tr.11.d.2.n.4. & d.7. n. 5. & tr.9.d.18.n.5.
Verſ. 16. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes*, tr.11.d.2.n.4. & d.7.n.5.
Verſ. 22. *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum*, tr.2. d.2. n.2. Item tr.19.d.5.n.6.

PSALM. LV.
Verſ. 2. *Tota die impugnans tribulavit me*, tr.19.d.5.n.6.
Verſ. 4. *Ab altitudine diei timebo*, tr. 3. d.18. n.8. & tr.8. d. 22. n.11.
Verſ.8. *Pro nihilo ſalvos facies illos*, tr.10.d.30. per totum.
Verſ. 9. *Deus vitam meam annunciavit tibi*, tr.13. d.32. n.5. & tr.15. d.15. n.14.
Verſ. 10. *Tunc convertentur inimici mei retrorſum*, tr.13.d.32. n. 5.
Verſ. 13. *Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu*, tr.13.d.32.n.8.

PSALM. LVI.
Verſ. 1. *Miſerere mei &c. quoniam in te confidit anima mea*; tr.19.d.6.n.2.
Verſ. 4. *Miſit de cælo & liberavit me*, tr.19.d.18.n.7.
Verſ. 5. *Eripuit animam meam de medio catulorum leonum*; ibid.
Verſ. eod. *Lingua eorum gladius acutus*, tr. 21. d. 9. per totum.

PSALM. LVII.
Verſ. 1. *Ne diſperdas tituli inſcriptionem*, tr.15.d.19.n.10.
Verſ. 8. *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens*, tr. 4. d.8.n.8.
Verſ. 9. *Supercecidit ignis & non viderunt Solem.* tr.13.d.17. n.16. Item tr.14.d.10.n.14.
Verſ. 11. *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam*, tr. 10. d. 15. n.13.

PSALM. LVIII.
Verſ. 7. *Famem patientur ut canes*, tr.1. d.17. n. 6. Item tr. 13. d.27.n.5. & tr. 16.d. 13.n.6.
Verſ. 8. *Gladius in labiis eorum*, tr.11.d.8.n.8.

PSALM. LIX.
Verſ. 5. *Potaſti nos vino compunctionis*, tr.16.d.18.n.7.
Verſ. 6. *Dediſti metuentibus te ſignificationem*, tr.13.d.32.n.4.
Verſ. 9. *Juda Rex meus*, tr.15.d.19.n.10.
Verſ. 11. *Quis deducet me in civitatem munitam?* tr. 10. d. 17. n. 15.
Verſ. 14. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum*, tr. 19. d. 18. n. 8.

PSALM. LX.
Verſ. 3. *Dum anxiaretur cor meum*, tr.15.d.26.n.13.
Verſ. 4. *Factus eſt ſpes mea &c.* tr.19. d.3. n.8. & tr. 19. d. 18. n.18.

PSALM. LXI.
Verſ. 5. *Pretium meum cogitaverunt repellere*, tr. 15. d. 14. n. 13.
Verſ. eod. *Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant*, tr.2.d.4.n.4.
Verſ. 9. *Effundite coram illo corda veſtra*, tr.15.d.22,n.10.
Verſ. 10. *Ut decipiant de vanitate in idipſum*, tr. 10. d. 15. n. 8.
Verſ. 11. *Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere*, tr.8.d.16. per totum. tr.8.d.12.n.11. & d.17.n.3.

PSALM. LXII.
Verſ. 2. *Sitivit in te anima mea &c.* tr.1. d.6. n.5. Item tr. 16. d.4. n.1.
Verſ. 3. *In terra deſerta, & invia, & inaquoſa*, ibid. Item tr.14.d.22.n.10. & tr.20.d.2.n.3.
Verſ. 6. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*, tr. 4.d.15.n.11.
Verſ. 9. *Adhæſit anima mea poſt te*, tr.17.d.7.n.8.
Verſ. 10. *Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam*, tr. 19. d.14. n.2.

PSALM. LXIII.
Verſ. 3. *Protexiſti me Deus à conventu malignantium*, tr. 21. d.13. n.6.
Verſ. 4. *Acuerunt ut gladium linguas ſuas*, tr.11.d.2.n.12. Item tr.21.d.11.n.4.
Verſ. 6. *Subitò ſagittabunt eum*, ibid.
Verſ. 7. *Scrutati ſunt iniquitates*, tr.13.d.19.n.2.
Verſ. 8. *Sagittæ parvulorum factæ, ſunt plagæ eorum*, tr. 11. d.2.n.11. & d.3.n.14. Item tr.21.d.13.n.6.
Verſ. 11. *Lætabitur Juſtus in Domino*, tr.13.d.27.n.10.

PSALM. LXIV.
Verſ. 2. *Te decet hymnus Deus in Sion*, tr.20.d.7. n.7.
Verſ. 4. *Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos &c.* tr. 21. d. 13. n. 7.
Verſ. 5. *Replebimur in bonis domus tuæ &c.* tr.20.d.5. per totum, & d.6.n.2. & n.6. & tr.20.d.19.n.14.

PSALM. LXV.
Verſ. 6. *In flumine pertranſibunt pede*, tr. 8.d.16.n.17.
Verſ. 12. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium*, tr.9. d.20. n.7. & tr.10. d.24. n.1. & d. 25. n. 17.
Verſ. 16. *Narrabo, quanta fecit animæ meæ*, tr. 7. d. 1. per totum.

PSALM. LXVII.
Verſ. 3. *Sicut fluit cera à facie ignis &c.* tr.19.d.1.n.4.
Verſ. 4. *Et juſti epulentur & exultent &c.* tr.10.d.16.n.1.

*Verſ.* 6. *Deus in loco ſancto ſuo, &c.* Tr.17.d.4.n.8.
*Verſ.* 11. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Tr.16.d.2.n.3. & Tr.16.d.15.n.7.
*Verſ.* 14. *Pennæ columbæ deargentatæ &c.* Tr.10.d.25.n.15.
*Verſ.* 18. *Currus Dei decem millibus multiplex.* Tr.16.d.8.n.3.
*Verſ.* 20. *Benedictus Dominus die quotidie,* Tr.10.d.29.n.7.
*Verſ.* 26. *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus,* Tr.9.d.5.n.12. & d.15.n.14.
*Verſ.* 31. *Diſſipa gentes, quæ bella volunt,* Tr.5.d.7.n.11.

PSALM. LXVIII.

*Verſ.* 2. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam,* Tr.10.d.25.n.9.
*Verſ.* 3. *Infixus ſum in limo profundi,* Tr.13.d.20.n.13. & Tr.9.d.17.n.4.
*Verſ. Eod. Veni in altitudinem maris,* Tr.4.d.16.n.3. Item Tr.15.d.1.n.13.
*Verſ.* 8. *Propter te ſuſtinui opprobrium &c.* Tr.7.d.12.n.2. & d.13.n.14.
*Verſ.* 9. *Extraneus factus ſum fratribus meis &c.* Tr.9.d.20.n.1. & Tr.20.d.12.n.6.
*Verſ.* 10. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me,* Tr.11.d.3.n.11.
*Verſ.* 11. *Operui in jejunio animam meam,* Tr.1.d.7.n.9. Item Tr.1.d.11.n.15. & d.12.n.15.
*Verſ.* 13. *Adverſum me loquebantur,* Tr.21.d.5.n.7.
*Verſ.* 16. *Non me demergat tempeſtas aquæ,* Tr.15.d.7.n.4.
*Verſ. Eod. Neque urgeat ſuper me puteus os ſuum,* Tr.7.d.13.n.16.
*Verſ.* 20. *Tu ſcis opprobrium meum &c.* Tr.10.d.22.n.4.
*Verſ.* 23. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum,* Tr.11.d.9.15.
*Verſ.* 24. *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Loco cit. & Tr.13.d.17.n.10.
*Verſ.* 25. *Effunde ſuper eos iram tuam.* Tr.11.d.9.n.15.
*Verſ.* 26. *Fiat habitatio eorum deſerta &c.* ibid.
*Verſ.* 27. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt,* Tr.11.d.8.n.1.
*Verſ.* 28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum,* Tr.11.d.9.n.15.
*Verſ.* 29. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur,* ibid.
*Verſ.* 36. *Quoniam Deus ſalvam faciet Sion, & ædificabuntur civitates Judæ,* Tr.15.d.4.n.16.

PSALM. LXIX.

*Verſ.* 3. *Confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam,* Tr.2.d.7.n.7.
*Verſ.* 4. *Avertantur retrorſum & erubeſcant &c.* ibid.

PSALM. LXX.

*Verſ.* 10. *Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum,* Tr.6.d.2.n.15.
*Verſ.* 11. *Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite. &c.* ibid.
*Verſ.* 12. *Deus ne elongeris à me &c.* ib. & Tr.8.d.4.n.11.
*Verſ.* 15. *Quoniam non cognovi litteraturam,* Tr.8.d.24.n.4.
*Verſ.* 16. *Introibo in potentia Domini,* ibid.
*Verſ.* 20. *Vivificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me,* Tr.4.d.12.n.10.
*Verſ.* 21. *Multiplicaſti magnificentiam tuam,* ib.

PSALM. LXXI.

*Verſ.* 4. *Salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem &c.* Tr.12.d.4.n.1. & d.5. per totum. Et d.6. per tot. & d.7.n.6.

PSALM. LXXII.

*Verſ.* 1. *Quam bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde.* Tr.10.d.4.n.3. & Tr.11.d.5.n.6. Item Tr.16.d.14.n.8.
*Verſ.* 2. *Mei autem penè moti ſunt pedes &c.* Tr.12.d.2.n.1. & d.6.n.4. Item Tr.15.d.25.n.1. & d.19.n.10. & d.18.n.5.
*Verſ.* 3. *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns,* Tr.12.d.2.n.1 & d.6.n.4. & Tr.10.d.4.n.3. Item Tr.15.d.25.n.1.
*Verſ.* 5. *In labore hominum non ſunt,* Tr.15.d.25.n.1.
*Verſ.* 6. *Tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate.* Tr.8.d.7.n.2. Item Tr.11.d.2.n.1.
*Verſ.* 7. *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Tr.14.d.26.n.9.
*Verſ.* 8. *Cogitaverunt & locuti ſunt nequitiam,* Ib. Tr.8.d.7.n.7.
*Verſ. Eod. Iniquitatem in excelſo locuti ſunt,* Tr.11.d.2.n.1. & d.5.n.13.
*Verſ.* 9. *Poſuerunt in cœlo os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra,* Tr.11.d.2. per totum, & d.5.n.13. Item Tr.21.d.3.n.4.
*Verſ.* 11. *Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo,* Tr.8.d.10.n.6.
*Verſ.* 12. *Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias,* ibid. n.3. & 6. & Tr.7.d.10.n.2. Item Tr.15.d.25.n.1.
*Verſ.* 14. *Caſtigatio mea in matutinis,* Tr.14.d.22.n.1.
*Verſ.* 18. *Dejeciſti eos dum allevarentur,* Tr.3.d.6.per totum.
*Verſ.* 19. *Quomodo facti ſunt in deſolationem &c.* Tr.3.d.6.n.3. Item Tr.12.d.6.n.4.
*Verſ.* 20. *Imaginem ipſorum ad nihilum rediges,* Tr.7.d.4.n.7. & d.4.n.15.
*Verſ* 24. *Tenuiſti manum dexteram meam,* Tr.4.d.12.n.4.
*Verſ.* 25. *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Tr.4.d.15.n.15. Item Tr.8.d.20.n.8. & Tr.7.d.2.n.14.
*Verſ.* 26. *Deus cordis mei &c.* Tr.8.d.20.n.8. & Tr.7. loco cit.
*Verſ.* 27. *Ecce, qui elongant ſe à te, peribunt,* Tr.7.d.15.n.2. Item tr.10.d.19.n.3.
*Verſ.* 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Tr.4.d.4.n.6. Item Tr.10.d.19.n.3.

PSALM. LXXIII.

*Verſ.* 3. *Leva manus tuas in ſuperbias eorum.* Tr.20.d.12.n.7. & Tr.18.d.18.n.9. & Tr.19.d.9.n.9. & Tr.20.d.7.n.7. & d.10.n.9.
*Verſ.* 7. *Incenderunt igni Sanctuarium tuum,* Tr.13.d.15.n.11. & Tr.14.d.35.n.1. & Tr.20.d.16. per totum.
*Verſ.* 9. *Jam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet ampliùs,* Tr.18.d.16.n.4.
*Verſ.* 14. *Tu confregiſti capita draconis: Dediſti eum eſcam populis Æthiopum;* Tr.2.d.11.n.5. Item Tr.19.d.16.n.6.
*Verſ.* 22. *Exurge Deus, judica cauſam tuam,* Tr.19.d.18.n.6.

PSALM. LXXV.

*Verſ.* 2. *Notus in Judæa Deus &c.* Tr.2.d.9.n.6. & Tr.4.d.10.n.3. Item Tr.5.d.4.n.2. & Tr.17.d.2.n.3. & Tr.20.d.5.n.3. & d.7.n.2.
*Verſ.* 3. *Factus eſt in pace locus ejus &c.* Tr.5.d.7.n.7. Item Tr.16.d.14.n.3.
*Verſ.* 4. *Ibi confregit potentias arcuum,* Tr.16.d.14.n.3.
*Verſ.* 6. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum &c.* Tr.8.d.31.n.11.

PSALM. LXXVI.

*Verſ.* 3. *Renuit conſolari anima mea &c.* Tr.16.d.15. per tot.
*Verſ.* 4. *Memor fui Dei, & delectatus ſum,* ibid. & Tr.16.d.17.n.5.
*Verſ.* 5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei.* Tr.15.d.13.n.1.
*Verſ.* 7. *Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar &c.* Tr.15.d.8.n.12. & d.17.n.2.

PSALM. LXXVII.

*Verſ.* 17. *In iram excitaverunt excelſum,* Tr.11.d.2.n.8.
*Verſ.* 19. *Malè locuti ſunt de Deo,* Ibid.
*Verſ.* 21. *Ignis accenſus eſt in Jacob, & ira Dei &c.* ibid. & Tr.13.d.4.n.1.
*Verſ.* 25. *Panem Angelorum manducavit homo,* Tr.1.d.4.n.4. & Tr.8.d.6.n.9. & tr.6.d.15.n.16.
*Verſ.* 30. *Non ſunt fraudati à deſiderio ſuo &c.* Tr.1.d.13.n.20. & d.16.n.16. & Tr.8.d.6.n.9.
*Verſ. eod. Adhuc eſcæ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper illos,* Tr.9.d.15.n.3. & d.9.n.1. Item Tr.17.d.6.n.7.
*Verſ.* 31. *Et occidit pingues eorum.* Tr.9.d.9.n.1.
*Verſ.* 46. *Dedit ærugini fructus eorum,* Tr.13.d.3.n.17.
*Verſ.* 57. *Converſi ſunt in arcum pravum.* Tr.21.d.13.n.6.
*Verſ.* 59. *Ad nihilum redegit valde Iſraël,* Tr.20.d.11.n.2.

PSALM. LXXVIII.

*Verſ.* 3. *Effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jeruſalem,* Tr.7.d.11.n.13.
*Verſ.* 12. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum,* Tr.15.d.26.n.5.

PSALM. LXXIX.

*Verſ.* 6. *Potum dabis nobis in lacrymis in menſura,* Tr.10.d.9.n.7.
*Verſ.* 9. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes & plantaſti eam,* Tr.6.d.2.n.7.
*Verſ.* 13. *Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus.* Tr.11.d.6.n.4.

PSALM. LXXX.

*Verſ.* 1. *Pro torcularibus,* Tr.10.d.26.n.10.
*Verſ.* 7. *Manus ejus in cophino ſervierunt,* Tr.14.d.10.n.7. & d.26.n.7. & Tr.16.d.17.n.6.
*Verſ.* 9. *Audi populus meus, & conteſtabor te,* Tr.9.d.11.n.1.
*Verſ.* 10. *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum,* Tr.9.d.11.n.1. & Tr.13.d.5.n.2.
*Verſ.* 11. *Ego ſum Dominus Deus tuus &c.* Tr.9.d.11.n.1.
*Verſ.* 12. *Et non audivit populus meus vocem meam* Ibid. & Tr.13.d.26.n.12.
*Verſ.* 13. *Dimiſit eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis,* Tr.4.d.5.n.11. & Tr.8.d.13.n.2. & d.29.n.11. Item Tr.9.d.11. per totum. & Tr.13.d.26.n.12. & Tr.9.d.15.n.5. Rurſus Tr.15.d.15.n.15. & Tr.18.d.6.n.1.
*Verſ.* 17. *Cibavit eos ex adipe frumenti,* Tr.9.d.15.n.5. & Tr.10.d.22.n.22.

PSALM. LXXXI.

*Verſ.* 2. *Uſquequo facies peccatorum ſumitis,* Tr.9.d.6. per totum. & d.16.n.3.
*Verſ.* 6. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes,* Tr.10.d.5.n.15. & d.8.n.14. & 15. Item Tr.18.d.6.n.3.

PSALM. LXXXII.

*Verſ.* 13. *Qui dixerunt, hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei,* Tr.10.d.23.n.13. & Tr.11.d.7.n.7.
*Verſ.* 14. *Deus meus, pone illos ut rotam &c.* Tr.3.d.7.n.8. Tr.10.d.23.n.13. &. Tr.11.d.7.n.7.
*Verſ.* 15. *Sicut ignis qui comburit ſylvam,* Tr.11.d.7.n.7.
*Verſ.* 17. *Imple facies eorum ignominia,* Tr.17.d.2.n.1. Item Tr.8.d.10.n.9.

PSALM. LXXXIII.

*Verſ.* 1. *Pro torcularibus &c.* Tr.10.d.26.n.4. Item Tr.16.d.18.n.3.
*Verſ.* 2. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum,* tr.10.d.26.n.4. &. d.10.n.14. & d.14.n.1. & d.2.n.12. Item tr.16.d.4.n.1. & tr.20.d.18.n.5. & d.6.n.7.
*Verſ.* 3. *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* tr.10.d.2.n.12. & d.10.n.14. Item tr.16.d.4. per totum.
*Verſ.* 4. *Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum,* tr.10.d.2.n.2. & d.10.n.14.
*Verſ.* 5. *Beati qui habitant in domo tuà Domine,* locis cit. & tr.11.d.7.n.8. & d.16.n.8.
*Verſ.* 6. *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te,* tr.10.d.2.n.11. & d.29.n.23. & d.18.n.5.
*Verſ.* 8. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion,* tr.10.d.24.n.5.
*Verſ.* 11. *Melior eſt dies una in atrijs tuis ſuper millia.* tr.10.d.3.n.11. & d.14. per totum. Item tr.16.d.1.n.4. & d.3.n.6. & tr.17.d.3.n.6.

PSALM. LXXXIV.

*Verſ.* 2. *Benedixiſti Domine terram tuam,* tr.16.d.7.n.6.
*Verſ.* 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus,* tr.6.d.12.n.6. Item tr.9.d.20.n.10.
*Verſ.* 11. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt,* tr.16.d.11.n.11.
*Verſ.* 13. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum,* tr.7.d.10.n.4.

PSALM. LXXXV

*Verſ.* 4. *Lætifica animam ſervi tui,* tr.16.d.13.n.3
*Verſ.* 5. *Tu Domine ſuavis & mitis,* tr.16.d.3.n.14.

PSALM. LXXXVI.

*Verſ.* 5. *Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei,* tr.7.d.4.n.11. Item tr.15.d.19.n.14.
*Verſ.* 4. *Memor ero Raab & Babylonis,* tr.15.d.19.n.14.
*Verſ.* 7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te,* tr.10.d.15.n.10.

PSALM. LXXXVII.

*Verſ.* 11. *Numquid mortuis facies mirabilia &c.* tr.13.d.22.n.10.
*Verſ.* 12. *Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam?* ibid.
*Verſ.* 16. *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea,* tr.4.d.10.n.10. & tr.7.d.11.n.10. Item tr.10.d.23 n.5.

PSALM. LXXXVIII.

*Verſ.* 9. *Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi?* tr.7.d.5.n.1.
*Verſ.* 20. *Exaltavi electum de plebe mea,* tr.3.d.14.n.8.
*Verſ.* 21. *Inveni David ſervum meum &c.* Ibid. Item tr.18.d.13.n.8.
*Verſ.* 38. *Thronus ejus ſicut ſol &c.* tr.14.d.23.n.9.
*Verſ.* 49. *Quis eſt homo, qui vivet & non videbit mortem* tr.14.d.14.n.1.

PSALM. LXXXIX.

*Verſ.* 4. *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies heſterna,* tr.8.d.24.n.10.
*Verſ.* 10. *Supervenit manſuetudo, & corripiemur,* tr.18.d.13.n.3.

PSALM. XC.

*Verſ.* 3. *Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium & à verbo aſpero,* tr.21.d.4.n.4.
*Verſ.* 6. *Ab incurſu & dæmonio meridiano,* tr.2.d.3.n.2. Item tr.19.d.7.n.2.
*Verſ.* 7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis,* tr.8.d.10 per totum, & d.30.n.13. & tr.6.d.6.n.2.
*Verſ.* 10. *Non accedet à te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo,* tr.4.d.11.n.13. & tr.6.d.6. per totum. Item tr.20.d.6.n.2.
*Verſ.* 11. *Angelis ſuis mandavit de te &c.* tr 4.d.7.n.12. & tr.6.d.7. per totum. & d.5.n.6. Item tr.10.d.3.n.8.
*Verſ.* 12. *In manibus portabunt te,* tr.6.d.5.n.16. Item tr.10.d.3.n.8.
*Verſ.* 13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem,* tr.6.d.8. per totum. Item tr.19.d.13.n.4. & d.14.n.2.
*Verſ.* 14. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum,* tr.11.d.4.n.10. & tr.19.d.18.n.5.
*Verſ.* 15. *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum,* tr.4.d.6.n.9.

PSALM. XCI.

*Verſ.* 13. *Juſtus ut palma florebit,* tr.4.d.15.n.20.

PSALM. XCII.

*Verſ.* 5. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, domum tuam decet ſanctitudo &c.* tr.20.d.1.n.7. & d.2. per totum & d.19.n.9.

PSALM. XCIII.

*Verſ.* 16. *Quis ſtabit mecum adverſus operantes iniquitatem?* tr.9.d.20.n.7.
*Verſ.* 17. *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea,* tr.4.d.12.n.4. & tr.9.d.20.n.7. & tr.10.d.16.n.13.
*Verſ.* 18. *Si dicebam motus eſt pes meus &c.* tr.19.d.18.n.12.
*Verſ.* 19. *Conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam* tr.16.d.1. per totum.
*Verſ. eod. Secundùm multitudinem dolorum in corde meo conſolationes tuæ &c.* tr.16.d.16.n.5. & d.18. per totum.
*Verſ.* 22. *Factus eſt mihi Deus in adjutorium ſpei meæ,* tr.7.d.10.n.8.

PSALM. XCIV.

*Verſ.* 2. *Præoccupemus faciem ejus in confeſſione,* tr.15.d.4.n.2. & 4. & d.11.n.10. & d.17.n.8.
*Verſ.* 3. *Quoniam Deus magnus Dominus,* tr.8.d.20.n.13.

PSALM. XCV.

*Verſ.* 6. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus,* tr.15.d.5.n.2. & 3. & d.8. per totum.
*Verſ.* 11. *Lætentur cæli & exultet terra &c.* tr.16.d.3.n.3.

PSALM. XCVI.

*Verſ.* 3. *Inflammavit in circuitu inimicos ejus,* tr.9.d.5.n.7.
*Verſ.* 10. *Qui diligitis Dominum, odite malum &c.* tr.4.d.6.n.12. & tr.7.d.11.n.10.

PSALM. XCVII.

*Verſ.* 4. *Jubilate Deo omnis terra, cantate & exultate &c.* tr.16.d.16.n.3.
*Verſ.* 5. *Pſallite Domino in cythara, in cythara & voce pſalmi &c.* ibid.

PSALM. XCIX.

*Verſ.* 2. *Servite Domino in lætitia,* tr.16.d.3.n.2. & tr.16.d.8.n.1. & d.11. per totum. & d.14.n.2. & d.17.n.3.
*Verſ.* 4. *Introite portas ejus in confeſſione,* tr.15.d.25.n.5.

PSALM. C.

*Verſ.* 2. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ,* tr.8.d.17.n.3. & tr.2.d.11.n.7. Item tr.13.d.30.n.2. & tr.15.d.11.n.8. & tr.16.d.7.n.6. & tr.21.d.6.n.7.
*Verſ.* 5. *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar,* tr.21.d.6.n.5. & d.9.n.5. & d.10.n.8. & d.11.n.4.
*Verſ.* 7. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam,* tr.3.d.12.n.6. Item tr.21.d.2.n.1. & tr.19.d.16.
*Verſ.* 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ,* tr.13.d.31.n.7. Item tr.15.d.10.n.9. & tr.19.d.16.n.3.

PSALM. CI.

*Verſ.* 9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei,* tr.21.d.5.n.5.
*Verſ.* 10. *Quia cinerem tamquam panem manducabam,* tr.15.d.14.n.1.
*Verſ.* 12. *Dies mei ſicut umbra declinaverunt,* tr.8.d.24.n.12.
*Verſ.* 21. *Ut audiret gemitus compeditorum,* tr.15.n.7.n.13.

PSALM. CII.

*Verſ.* 5. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua,* tr.7.d.15.n.19. & tr.18.d.12.n.3.
*Verſ.* 14. *Ipſe cognovit figmentum noſtrum,* tr.13.d.23.n.3.
*Verſ.* 20. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus &c.* tr.6.d.4.n.4.
*Verſ.* 21. *Miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus,* tr.6.d.15.n.9. & d.14.n.10.

PSALM. CIII.

*Verſ.* 1. *Confeſſionem & decorem induiſti &c.* tr.15.d.19.n.16.
*Verſ.* 4. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus &c.* tr.6.d.3.n.2. & tr.6.d.4. per totum. & d.16.n.10. Item tr.10.d.6.n.11.
*Verſ.* 15. *Exhilaret faciem in oleo,* tr.1.d.6.n.11.
*Verſ. eod. Vinum lætificat cor hominis,* tr.16.d.18.n.3.
*Verſ.* 24. *Omnia in ſapientia feciſti,* tr.14.d.33.n.13.
*Verſ.* 25. *Hoc mare magnum & ſpatioſum.* tr.10.d.15.n.7. & d.28.n.8. & d.18.n.7. & tr.15.d.1.n.10.
*Verſ.* 26. *Illic naves pertranſibunt: Draco iſte &c.* tr.19.d.12.n.4. & d.13.n.1. & d.14. per totum.
*Verſ.* 27. *Omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore,* tr.10.d.11.n.1.
*Verſ.* 28. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur &c.* tr.4.d.8.n.7.
*Verſ.* 29. *Auferes ſpiritum eorum & deficient,* tr.7.d.2.n.10.
*Verſ.* 32. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere,* tr.1.d.11.n.1. Item tr.11.d.6.n.14.

PSALM. CIV.

*Verſ.* 17. *In ſervum venumdatus eſt Joſeph,* tr.10.d.22.n.15.
*Verſ.* 18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus,* ibid.
*Verſ.* 19. *Eloquium Domini inflammavit eum.* Loco cit. & tr.12.d.3.n.10.
*Verſ.* 31. *Venit cœnomya & ciniphes,* tr.13.d.16.n.11.
*Verſ.* 37. *Non erat in tribubus eorum infirmus,* tr.1.d.15.n.16. & tr.16.d.4.n.11.

PSALM. CV.

*Verſ.* 1. *Confitemini Domino quoniam bonus &c.* Tr. 15. d. 18. n. 2.

*Verſ.* 19. *Fecerunt vitulum in Horeb &c.* Tr.20.d.8.n.6.

*Verſ.* 24. *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*, Tr. 10. d.30. n.1.

*Verſ.* 28. *Comederunt ſacrificia mortuorum*, Tr.13.d.11,n.9.

*Verſ.* 32. *Vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbaverunt Spiritum ejus*, Tr.12.d.1.n.9.

*Verſ.* 34. *Non diſperdiderunt gentes &c.* Tr.17.d.2.n.2.

*Verſ.* 35. *Commixti ſunt inter gentes*, Tr.17.d.1.n.2. & d. 2. per totum. & d.5.n.2. & 7. & Tr.19.d.2.n.11. & Tr.17.n.10.

*Verſ.* 37. *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs*, Tr. 13.d.7.n.15.

PSALM. CVI.

*Verſ.* 4. *Erraverunt in ſolitudine, in inaquoſo*, Tr.2.d.8. n.8.

*Verſ.*20. *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos*, Tr.18.d.2.n.8.

*Verſ.* 26. *Aſcendunt usque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos*, Tr.3.d.5.n.8.

PSALM. CVIII.

*Verſ.* 2. *Deus laudem meam ne tacueris*, Tr.21.d.12.n.7.

*Verſ.* 4. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi*, Tr.21.d. 6.n.4.

*Verſ.* 7. *Oratio ejus fiat in peccatum*, Tr.20.d.4.n.9.

*Verſ.* 24. *Genua mea infirmata ſunt à jejunio; caro mea immutata eſt &c.* Tr.1.d.5.n.12.

*Verſ.* 29. *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore &c.* Tr.21. d.5.n. 5.

PSALM. CIX.

*Verſ.* 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus*, Tr.5.d.4.n.3.

*Verſ.* 3. *In ſplendoribus Sanctorum*, Tr.14.d.4.n.13.

PSALM. CX.

*Verſ.* 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, Tr.15. d.12. n.10. & d.14.n.5.

PSAM. CXI.

*Verſ.* 3. *Gloria & divitiæ in domo ejus*, Tr.10.d.9.n.9. & d. 26. n. 14.

*Verſ.* 7. *In memoria æterna erit juſtus*, Tr.12.d.3.n.7.

PSALM. CXIII.

*Verſ.* 3. *Mare vidit & fugit*, Tr.14.d.1.n.20.

*Verſ.* 4. *Simulacra gentium, argentum & aurum*, Tr.8.d.15.n. 11. & 13.

*Verſ.* 9. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, Tr.9.d.20.n.17.

*Verſ.* 16. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, Tr.10.d.18. n.13.

*Verſ.* 17. *Non mortui laudabunt te Domine*, Tr.11.d.7.n.11.

PSALM. CXIV.

*Verſ.* 3. *Tribulationem & dolorem inveni*, Tr.10. d.25.n.11.

*Verſ.* 4. *Domine libera animam meam*, Tr.7.d.19.n.4.

*Verſ.* 9. *Placebo Domino in regione vivorum*, Tr. 10. d. 14. n. 5.

PSALM. CXV.

*Verſ.* 11. *Omnis homo mendax*, Tr.18.d.16.n.1.

*Verſ.* 16. *Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ*, Tr.6.d.5.n.4.

SPALM. CXVII.

*Verſ.* 1. *Confitemini Domino quoniam bonus &c.* Tr. 15.d.18. n. 5.

*Verſ.* 12. *Exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, circumdederunt me ſicut apes*, Tr.2.d.6. per totum. & Tr.8.d.26. n.5.

*Verſ.* 13. *Impulſus, everſus ſum, ut caderem &c.* Tr.19.d.18. n.5. & n.17.

*Verſ.* 26. *Benediximus vobis de domo Domini &c.* tr.20. d.5.

PSALM. CXVIII.

*Verſ.* 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, Tr.10.d.27.n.2. & d.29.n.15.

*Verſ.* 6. *Tunc non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*, Tr.15.d.7.n.2. & Tr.16.d.10.n.1. & Tr.19.d.8.n.5, & Tr.19.d.16.n.10. & Tr.20.d.18.n.1.

*Verſ.* 7. *Confitebor tibi in directione cordis mei*, Tr.15.d.5.n.10. & d.12. n.6.

*Verſ.* 9. *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam*; Tr. 18. d. 32. n. 3.

*Verſ.* 15. *Declinate à me maligni*, Tr. 17. d.6. n.9.

*Verſ.* 16. *In juſtificationibus tuis meditabor*, Tr.9. d.15. n.6.

*Verſ.* 17. *Retribue ſervo tuo, vivifica me*, Tr.17.d.5.n.11.

*Verſ.* 19. *Incola ego ſum in terra*, Tr.10.d.3.n.11.

*Verſ.* 29. *Viam iniquitatis amove à me*, Tr.13.d. 30.n.2. Item Tr.15.d.14.n.8.

*Verſ.* 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri &c.* Tr.4.d. 5. n. 11. & d. 17. n.4. Item Tr.9.d.13. n.16. & Tr.15. d.9. n.12. & Tr.16.d.1.n.3. & Tr.17.d.12.n.8. & Tr.19.d.16.n.10.

*Verſ.* 34. *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam & cuſtodiam illam in toto corde meo*, Tr.4.d.5. n.11. & Tr. 21. d. 14. n. 6.

*Verſ.* 45. *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi*, Tr.4.d.17.n.4. & Tr.10.d.27.n.5.

*Verſ.* 63. *Particeps ego ſum omnium timentium te*, Tr.16.d.4. n. 10.

*Verſ.* 69. *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum*, Tr. 19.d.11.n.4.

*Verſ.* 72. *Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti*, Tr.8.d.18.n.16.

*Verſ.* 73. *Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmaverunt me.* Tr.4.d.8.n.5.

*Verſ.* 80. *Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis*, Tr.15.d.5.n.6.

*Verſ.* 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*. Tr. 16. d. 4. n. 5.

*Verſ.* 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*, Tr.16.d.9. n.6.

*Verſ.* 92. *Niſi quod lex tua, meditatio mea eſt*, Tr.2.d.2.n.7.

*Verſ.* 96. *Latum mandatum tuum nimis*, Tr.10.d.27.n.5.

*Verſ.* 97. *Quomodo dilexi legem tuam Domine?* Tr.4.d.17.n.5.

*Verſ.* 101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos*, T.13.d.32. n. 8.

*Verſ.* 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua &c.* Tr.16. d.2.n.8. & Tr.18.d.9.n.9.

*Verſ.* 104. *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis*, Tr.20.d.27.n.1. & Tr.13.d.30.n.7. Item Tr. 18.d.6.n.9.

*Verſ.* 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ibid. & Tr.7. d.1. n. 5.

*Verſ.* 106. *Juravi, & ſtatui cuſtodire judicia*, Tr.18.d.6.n.9.

*Verſ.* 107. *Humiliatus ſum uſquequaque Domine*, Tr.10.d.17. n. 13.

*Verſ.* 108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine*. Tr.15. d. 12. n. 2.

*Verſ.* 109. *Anima mea in manibus meis ſemper*, Tr.7.d.1. n. 1. & 18. & d.2.n.10. & d.15.n.14.

*Verſ.* 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas &c.* Tr.10.d.21. n.4. & d.27.n.3.

*Verſ.* 113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*, Tr. 13. d.23.n.5. Item Tr.17.d.13. n.2.

*Verſ.* 115. *Scrutabor mandata Dei mei*, Tr.17.d.13.n.9.

*Verſ.* 116. *Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & vivam.* ibid.

*Verſ.* 120. *Confige timore tuo carnes meas*. Tr. 1. d. 10. n. 15. Item Tr.13.d.4.n.5. & Tr.16. d.6. n.6.

*Verſ.* 121. *Non tradas me calumniantibus me*, Tr.12. d.1 .n.4

*Verſ.* 122. *Suſcipe ſervum tuum in bonum, non calumnientur me ſuperbi*, Tr.12.d.1.n.4.

*Verſ.* 125. *Servus tuus ſum ego*, Tr.16.d.11 .n.4.

*Verſ.* 134. *Redime à me calumnijs hominum, & cuſtodiam mandata tua*, Ibid. & d. 1.n.8. & d.4.n.1. & d.7. per totum.

*Verſ.* 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, Tr. 15. d. 14. n. 15.

*Verſ.* 137. *Juſtus es Domine & rectum judicium tuum*, Tr.11. d. 9. n. 2.

*Verſ.* 139. *Tabeſcere me fecit zelus meus*, Tr.20.d.15. n.4.

*Verſ.* 165. *Pax multa diligentibus legem tuam*, Tr. 15. d. 15. n.11. & d.24.n.7. & Tr.16.d.5.n.7. & Tr.16.d.1.n.6. & d. 11. n.4. & 7. & 11. & d.12.n.7. & d.17. n.4.

PSALM. CXIX.

*Verſ.* 5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt &c.* Tr.7.d.3.n.2. & Tr.8.d.21.n.9. Item Tr.10.d.18.n.5. & 8. Item Tr. 16.d.3.n.6.

PSALM. LXX.

*Verſ.* 1. *Levavi oculos meos in montes &c.* Tr.6.d.9.n.11.

*Verſ.* 4. *Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël*, Tr.7.d.6.n.16.

*Verſ.* 5. *Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua*, tr.8.d.30.n.1.

PSALM. CXXI.

*Verſ.* 1. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*, Tr.10.d.13.n.1.

*Verſ.* 2. *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Jeruſalem*, ibid. & d.16.n.7.

*Verſ.* 3. *Jeruſalem quæ ædificatur ut civitas*, Tr.10. d.12. n. 12. & d. 13. per totum.

*Verſ.* 4. *Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini*, Tr. 10. d.15.n.10.

PSALM. CXXII.

*Verſ.* 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis*, tr.12. d.5. n.3.

PSALM. CXXVII.

*Verſ.* 5. *Torrentem pertranſivit anima noſtra*, Tr. 9. d.20. n.7. & Tr.10.d.15.n.11.

*Verſ.* 6. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*, loco cit. & Tr.2.d.7.n.11.

*Verſ.* 7. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*, Tr.10.d.15.n.11. & 13. & Tr.13.d.24.n.8. & d.18.n.6.

PSALM. CXXIV.

*Verſ.* 1. *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem*, Tr.6.d.2.n.10.

*Verſ.* 2. *Montes in circuitu ejus &c.* ibid.

PSALM. CXXV.

*Verſ.* 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, Tr. 16. d. 7.n.7.

*Verſ.* 5. *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent*, tr.9.d.2.n.1. Item tr.16.d.2.n.7. & d.8.n.8. & d.14.n.7.& d.17. n.5. & d.18.n.7.

*Verſ.* 6. *Euntes ibant & flebant &c.* tr.16.d.12.n.3.

PSALM. CXXVI.

*Verſ.* 2. *Surgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris*, tr.3.d.9. n.5.

PSALM. CXXVII.

*Verſ.* 1. *Beati omnes qui timent Dominum*, tr.10.d.27.n.2.

*Verſ.* 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis &c.* tr.10. d.28.n.14.

PSALM. CXXIX.

*Verſ.* 1. *De profundis clamavi ad te Domine*, tr.15.d.7.n.4.

*Verſ.* 2. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*, tr.6.d.12.n.7. & tr.6.d.5.n.16.

*Verſ.* 7. *Copioſa apud eum redemptio*, tr.7.d.11.n.1. & d. 12. n. 1.

PSALM. CXXXI.

*Verſ.* 1. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*, tr.13.d.2.n.10. Item tr.15.d.14.n.11. & tr.17.d.3 n.6. & tr. 18.d.12.n.2. & tr.21.d.9.n.7.

*Verſ.* 3. *Sicut juravit Domino &c.* tr.20.d.1.n.2.

*Verſ.* 7. *Introibimus in tabernaculum ejus &c.* tr.20.d.15.n.9. & d.17.n.12.

*Verſ.* 8. *Surge Domine in requiem tuam*, tr.7.d.10.n.7.

*Verſ.* 9. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam*, tr.7.d.9.n.7.

*Verſ.* 13. *Elegit Dominus Sion*, tr.20.d.8.n.7.

PSALM. CXXXII.

*Verſ.* 1. *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum*, tr.5.d.5.n.2. & d.10.n.2. Item tr.17.d.1.n.2.

PSALM. CXXXIV.

*Verſ.* 3. *Pſallite nomini ejus quoniam ſuave*, tr.16. d. 3. n.1. & 2.

*Verſ.* 6. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra*, tr.7.d.6.n.10. & tr.10.d.10.n.8.

*Verſ.* 7. *Qui producit ventos de theſauris ſuis*, tr.10.d.10.n.8.

*Verſ.* 12. *Dedit terram eorum hæreditatem*, tr.21.d.11.n.7.

PSALM. CXXXV.

*Verſ.* 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus &c.* tr.20.d.3. n.11.

*Verſ.* 3. *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones*, tr. 10. d.28.n.8.

PSALM. CXXXVI.

*Verſ.* 1. *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus*, tr.9.d.1.n.7. & tr.8.d.24.n.8. & tr.10. d.19. n. 1. & tr. 9. d.1.n.9.

*Verſ.* 2. *In ſalicibus in medio ejus &c.* tr.9.d.1.n.9.

*Verſ.* 3. *Illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos*, ibid. & tr.10.d.19.n.1.

*Verſ.* 4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* ibid.

*Verſ.* 5. *Si oblitus fuero tui Jeruſalem &c.* ibid.

*Verſ.* 6. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui*, ibid.

*Verſ.* 9. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos ſuos ad petram*, tr.14.d.18.n.5. & tr.19.d.16.n.4.

PSALM. CXXXVII.

*Verſ.* 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſpectu Angelorum pſallam tibi*, tr.6.d.11.n.14. & tr.15.d. 7. n.14. & tr. 20. d.3. per totum.

*Verſ.* 6. *Excelſus, Dominus, & humilia reſpicit*, tr.6.d.12. n.1. Item tr.14.d.33.n.3. & tr.20.d.3.n.15.

PSALM. CXXXVIII.

*Verſ.* 6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, tr.7.d.4.n.4. & d.7.n.2.

*Verſ.* 7. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* tr.6.d.9.n.11.

*Verſ.* 8. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es &c.* ibid.

*Verſ.* 12. *Tenebræ non obſcurabuntur à te &c.* tr.14.d.18. n.10. & tr.19.d.1.n.10. & tr.20.d.3.n.10.

*Verſ.* 15. *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto*, tr.13.d.23.n.3.

*Verſ.* 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, ibid.

PSALM. CXXXIX.

*Verſ.* 4. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis*, tr. 21. d. 5. & 6. n. 2.

PSALM. CXL.

*Verſ.* 3. *Pone Domine cuſtodiam ori meo*, tr.15. d.16. n.1. & tr.21.d.8.n.1.

*Verſ.* 4. *Non declines cor meum in verba malitiæ*, tr.15.d.16.n.1.

*Verſ.* 5. *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me; Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, tr.2.d.3. per totum, & tr.2. d.2.n.8. Item tr.18. d.12. per totum, & d.16.n.1.

PSALM. CXLI.

*Verſ.* 4. *In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*, tr.6.d.6.n.1. Item tr.19.d.7.n.11.

*Verſ.* 8. *Educ de carcere animam ad confitendum tibi*, tr. 10. d.2.n.7.

PSALM. CXLII.

*Verſ.* 3. *Quia perſecutus eſt inimicus animam meam*, tr. 19. d.3.n.2. & d.10.n.2.

PSALM. CXLIII.

*Verſ.* 4. *Homo vanitati ſimilis factus eſt*, tr.3.d.7.n.3.

*Verſ.* 11. *Erue me de manu filiorum alienorum &c.* tr. 8. d.3.n.7.

*Verſ.* 12. *Quorum filij ſicut novellæ plantationes*, ibid.

*Verſ.* 13. *Promptuaria eorum plena &c.* ibid.

*Verſ.* 14. *Boves eorum craſſæ*, ibid.

PSALM. CXLIV.

*Verſ.* 9. *Suavis Dominus univerſis*, tr.16.d.3.n.1.

*Verſ.* eod. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, tr.11. d. 12. n.3.

*Verſ.* 11. *Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur*, tr.10.d.11.n.4.

*Verſ.* 12. *Ut notam faciant filijs hominum potentiam tuam &c.* ibid.

*Verſ.* 13. *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum &c.* ibid. & d.16.n.14. & 15.

*Verſ.* 16. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, tr.10.d.11.n.2. Item tr.20.d.13. n.13.

*Verſ.* 19. *Voluntatem timentium ſe faciet &c.* tr.10.d.10. n.11.

*Verſ.* 20. *Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe*, tr.4. d.3. n.13.

PSALM. CXLV

*Verſ.* 2. *Nolite confidere in Principibus, in quibus non eſt ſalus*, tr.3.d.17.n.8. Item tr.10 d.15.n.8.

*Verſ.* 4. *Exibit Spiritus ejus, & revertetur in terram ſuam*, tr.3.d.6.n.9.& tr.7.d.18.n.4.

*Verſ.* 5. *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus*, tr.3. d.17. n. 14. Item tr.19.d.18.n.6.

PSALM. CXLVI.

*Verſ.* 3. *Qui ſanat contritos corde*, tr.15.d.22.n.11. & d. 8.

*Verſ.* 9. *Dat eſcam pullis corvorum*, tr.16. d.15.n.9.

PSALM. CXLVII.

*Verſ.* 12. *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*, tr.10.d.15.n.10.

*Verſ.* 13. *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum &c.* ibid.

*Verſ.* 14. *Poſuit fines tuos pacem*, tr.16.d.7.n.9.& tr.19.d.11.n.8.

*Verſ.* 20. *Non fecit taliter omni nationi*, tr.20. d.7.n.2.

PSALM. CXLVIII.

*Verſ.* 5. *Ipſe dixit, & facta ſunt*, tr.7.d.11.n.4.

PSALM. CXLIX.

*Verſ.* 5. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*, tr.10.d.8.n.7.& d.10.n.8. & d.29.n.23. Item tr.16.d.5.n.1. & d.7.n.9.

*Verſ.* 6. *Gladij ancipites in manibus eorum*, tr.10.d.5.n. 3.

*Verſ.* 7. *Ad faciendam vindictam in nationibus*, ibid.

*Verſ.* 8. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus*, ibid.

*Verſ.* 9. *Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus*, tr.10.d.29.n.23.

PSALM. CL.

*Verſ.* 4. *Laudate eum in tympano & choro*, tr.1.d.8.n.13.

EX LIBRO PROVERBIORUM.

CAP. I.

*Verſ.* 10. *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, non acquieſcas eis*, tr.2.d.4.n.3 & d.5.n.4. & d.8.n.1. & d.11.n.17. & d.1. n.10. Item tr.17.d.13.n 11.

*Verſ.* 15. *Fili ne ambules cum eis &c.* tr. 13. d. 33. n. 13. Item tr.17.d.2.n.7.

*Verſ.* 16. *Pedes eorum ad malum currunt*, tr.9.d.13.n.13.

*Verſ.* 17. *Fruſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum*, tr.10. d. 18.n.3. Item tr.19.d.17.n 2.

*Verſ.* 20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam*, tr.4.d.12.n.4.

*Verſ.* 21. *In capite turbarum clamitat &c.* ibidem.

*Verſ.* 22. *Et ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia, cupient*, tr.9.d.11. n.12.

*Verſ.* 25. *Deſpexiſtis omne conſilium meum*, tr.2.d.10. n.7.

*Verſ.* 26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo &c.* tr. 11. d. 5. n. 3.

*Verſ.* 27. *Cum irruerit repentina calamitas*, tr.2.d.10.n.7.

CAP. II.

*Verſ.* 13. *Qui relinquunt iter bonum*, tr.9.d.6.n.3.

*Verſ.* 14. *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, tr.7.d.15.n.7. Item tr.9.d.6.n.3. & tr.13. d.18. n.20. & tr.9.d.20.n.6. & n.3. Item tr.14.d.14.n.12. & tr.15. d.13. n.3. & tr. 21. n.1. & tr.15.d.24.n.10. & d.26.n.12.

*Verſ.* 28. *Inclinata eſt ad mortem domus ejus &c.* tr. 13. d. 14. per totum, & d.9.n.10.

CAP. III.

*Verſ.* 11. *Diſciplinam Domini ne abjicias*, tr.18.d.6.n.1.

*Verſ.* 15. *Omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari*, tr.4.d.1.n.8.

*Verſ.* 17. *Viæ ejus, viæ pulchræ*, tr.16.d.13.n.4.

*Verſ.* 35. *Gloriam ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exaltatio ignominia*, tr.3.d.12. per totum.


CAP. IV.

CAP. IV.

*Verſ.* 23. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum*, Tr.15.d.17.n.7.
*Verſ.* 24. *Amove à te os pravum*, Tr.21.d.8.n.4. & d.14.n.11. & d.16.n.9.

CAP. V.

*Verſ.* 2. *Ne attendas faciem mulieris*, Tr.13.d.26.n.1.
*Verſ.* 3. *Favus diſtillans labia meretricis*, Ibid.
*Verſ. eod. Nitidius oleo guttur ejus*, Tr.2.d.6.n.7.
*Verſ.* 4. *Noviſſima illius amara quaſi abſynthium*, ibid.
*Verſ.* 5. *Pedes ejus deſcendunt in mortem*, ibid. Item Tr.13.d.14.n.3. & Tr.14.d.21.n.16.
*Verſ.* 6. *Per ſemitam vitæ non ambulant*, Tr.13.d.14.n.3.
*Verſ.* 8. *Ne appropinques foribus domus ejus*, ibid.
*Verſ.* 9. *Ne des annulos tuos crudeli*, ibid.
*Verſ.* 10. *Ne fortè repleantur extranei viribus tuis &c.* ibid.
*Verſ.* 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur*, Tr.6.d.10.n.13. & Tr.7.d.15.n.13. & d.16.n.13. Tr.15.d.26.n.8. Tr.19.d.4.n.8. & d.12.n.5.

CAP. VI.

Verſ. 6. *Vade ad formicam ò piger*, Tr.10.d.19.n.10.
*Verſ.* 12. *Homo apoſtata vir inutilis*, Tr.21.d.10.n.5.
*Verſ.* 16. *Sex ſunt, quæ odit Deus &c.* Tr.21.d.5.n.2.
*Verſ.* 23. *Mandatum lucerna eſt, Lex lux*, Tr.15.d.18.n.10. & d.24.n.2.
*Verſ.* 25. *Non concupiſcat pulchritudinem cor tuum*, Tr.14.d.20.n.1.
*Verſ.* 27. *Numquid poteſt homo ignem abſcondere in ſinu ſuo*, Tr.13.d.13. per totum, & d.31. per totum, & d.3.n.7. & 9. & d.6.n.3.
*Verſ.* 29. *Qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus &c.* Tr.14.d.34.n.14.
*Verſ.* 30. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit*, Tr.21.d.12.n.5.
*Verſ.* 32. *Qui adulter eſt, ... turpitudinem & ignominiam congregat ſibi*, Tr.13.d.16. per totum.

CAP. VII.

*Verſ.* 10. *Mulier præparata ad capiendas animas*, Tr.13.d.21. per totum, & d.22. per totum, & d.6.n.12.
*Verſ.* 11. *Mulier quietis impatiens &c.* Tr.35.d.21.n.16.
*Verſ.* 13. *Apprehenſum deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur*, Tr.13.d.8.n.16.
*Verſ.* 16. *Intexui lectulum meum*, ibid.
*Verſ.* 17. *Aſperſi cubile meum myrrha & Aloe*, ibidem & d.26. per totum.
*Verſ.* 18. *Veni inebriemur uberibus &c.* Tr.13.d.8.n.16.
*Verſ.* 21. *Irretivit eum, ... & blanditiis labiorum traxit*, ibid. & d.18. per totum, Item Tr.19.d.12.n.6.
*Verſ.* 22. *Quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens*, Tr.13.d.8.n.18. & d.18. per totum, & d.8.n.16.
*Verſ.* 23. *Donec transfigat ſagitta jecur ejus*, Tr.13.d.8.n.16.
*Verſ.* 27. *Ignem in ſinu abſcondit, qui mulieri libenter loquitur*, Tr.13.d.8.n.16. & d.9. per totum.

CAP. VIII.

*Verſ.* 12. *Ego ſapientia habito in conſilio, &c.* Tr.7.d.2.n.1.
*Verſ.* 13. *Os bilingue deteſtor*, Tr.21.d.10.n.8.
*Verſ.* 15. *Per me Reges regnant*, Tr.21.d.2.n.4.
*Verſ.* 18. *Mecum ſunt divitiæ & gloria*, Tr.4.d.4.n.8. & Tr.8.d.7.n.2.
*Verſ.* 21. *Ut ditem omnes diligentes me, & theſauros eorum repleam*, Tr.4.d.4.n.8.
*Verſ.* 30. *Delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore*, Tr.4.d.11.n.12.
*Verſ.* 31. *Ludens in orbe terrarum &c.* ibid. & Tr.7.d.7.n.21. & Tr.4.d.1.n.11. & Tr.7.d.8. per totum, & Tr.3.d.7.n.8. & Tr.4.d.6.n.11.
*Verſ. eod. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, Tr.10.d.14.n.8. & Tr.14.d.9.n.1.

CAP. IX.

*Verſ.* 1. *Sapientia ædificavit ſibi domum.* Tr.5.d.6.n.3. Item Tr.10.d.11.n.6. & Tr.14.d.10.n.21.
*Verſ.* 3. *Miſit ancillas ſuas ut vocarent &c.* Tr.14.d.10.n.21.
*Verſ.* 7. *Qui erudit deriſorem, injuriam ſibi facit*, Tr.18.d.5.n.2. & Tr.18.d.7.n.11. & d.18.n.3.
*Verſ.* 8. *Argue ſapientem, & diliget te &c.* Tr.18.d.5.n.2. & n.18. per totum.
*Verſ.* 9. *Da ſapienti occaſionem &c.* Tr.18.d.5.n.2. & d.15.n.6.
*Verſ.* 17. *Aquæ furtivæ dulciores ſunt*, Tr.16.d.13.n.4.

CAP. X.

*Verſ.* 15. *Subſtantia divitis, urbs fortitudinis ejus*, Tr.8.d.19. per totum.
*Verſ.* 23. *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus*, Tr.9.d.11.n.15. & d.9.n.3.

CAP. XI.

*Verſ.* 14. *Erit ſalus, ubi multa conſilia*, Tr.18.d.17.n.14. & Tr.16.d.10.n.9.
*Verſ.* 18. *Seminanti bonam merces fidelis*, Tr.16.d.14.n.7.
*Verſ.* 24. *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt, alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt*, Tr.8.d.24.n.2.
*Verſ.* 26. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis*, Tr.8.d.1.n.8. Item Tr.18.d.1.n.7.

CAP. XII.

*Verſ.* 1. *Qui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam*, Tr.18.d.4.n.5. & d.5. per totum.
*Verſ.* 20. *Qui pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium*, Tr.16.d.5.n.7.
*Verſ.* 21. *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit*, Tr.15.d.6.n.10. & Tr.15.d.26.n.7. & d.5.n.8.

CAP. XIII.

*Verſ.* 4. *Vult & non vult piger*, Tr.10.d.26.n.14.
*Verſ. eod. Anima operantium impinguabitur*, Tr.10.d.26.d.10.
*Verſ.* 7. *Eſt quaſi dives, cum nihil habeat; & eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit*, Tr.8.d.29. per totum.
*Verſ.* 10. *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt*, Tr.3.d.2.n.5.
*Verſ.* 15. *In itinere contemptorum, vorago*, Tr.17.d.6.n.2.
*Verſ.* 20. *Qui cum Sapientibus graditur, ſapiens erit*, ibid. d.6. per totum, & d.9.n.2. & d.11.n.1.

CAP. XIV.

*Verſ.* 4. *Ubi non ſunt boves, præſepe vacuum eſt* Tr.3.d.3.n.6.
*Verſ.* 7. *Vade contra virum ſtultum*, Tr.17.d.12.n.4.
*Verſ.* 10. *Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcebitur extraneus*, Tr.16.d.18.n.7.
*Verſ.* 12. *Eſt via quæ videtur homini juſta; noviſſima autem &c.* Tr.9.d.9.n.3. & Tr.19.d.7.n.3.
*Verſ.* 13. *Riſus dolore miſcebitur &c.* tr.16.d.9.n.3. & d.14.n.9.
*Verſ. eod. Extrema gaudii luctus occupat*, ibid. Tr.9.d.9.n.7. & Tr.10.d.7.n.8. & 9. & Tr.13.d.24.n.2.
*Verſ.* 16. *Sapiens timet & declinat à malo*, Tr.13.d.34. per totum.
*Verſ.* 34. *Miſeros autem facit populos peccatum*, Tr.1.d.13.n.6.

CAP. XV.

*Verſ.* 4. *Lingua placabilis lignum vitæ*, Tr.18.d.13.n.6.
*Verſ.* 5. *Qui cuſtodit increpationes, aſtutior fiet*, Tr.18.d.5.n.4.
*Verſ.* 10. *Doctrina mala deſerenti viam vitæ, &c.* Tr.18.d.5.n.4.
*Verſ.* 12. *Non amat peſtilens eum qui ſe corripit*, Tr.8.d.4. per totum.
*Verſ.* 13. *Cor gaudens exhilarat faciem &c.* Tr.16.d.4.n.7. & 8.
*Verſ.* 15. *Secura mens quaſi juge convivium*, Tr.13.d.20.n.10. Item Tr.16.d.6. per totum.
*Verſ.* 31. *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientium commorabitur*, Tr.18.d.5.n.4.

CAP. XVI.

*Verſ.* 5. *Abominatio Domini eſt omnis arrogans*, Tr.3.d.5.n.4.
*Verſ. eod. Initium vitæ bonæ facere juſtitiam*, Tr.15.d.16.n.8.

CAP. XVII.

*Verſ.* 3. *Sicut igne probatur argentum, & aurum in camino; ita corda probat Dominus*, Tr.8.d.14.n.7.
*Verſ.* 17. *Omni tempore diligit qui amicus eſt*, Tr.4.d.6.n.8. & d.16.n.6.
*Verſ.* 18. *Stultus homo plaudit manibus, cum ſpoponderit pro amico ſuo*, Tr.3.d.10.n.13.

CAP. XVIII.

*Verſ.* 3. *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit*, Tr.11.d.5.n.5. Item Tr.15.d.7.n.4. & d.24.n.10.
*Verſ.* 10. *Turris fortiſſima nomen Domini*, Tr.19.d.18.n.8.
*Verſ.* 17. *Juſtus prior accuſator eſt ſui*, Tr.15.d.17.n.8.
*Verſ.* 19. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma*, Tr.1.d.6.n.20.
Verſ. 24. *Vir amabilis ad ſocietatem, magis amicus erit quam frater*, Tr.17.d.1.n.3.

CAP. XIX.

Verſ. 6. *Multi ſunt amici dona tribuentis*, Tr.4.d.7. per totum.
Verſ. 22. *Homo indigens miſericors eſt*, Tr.15.d.3.n.8.

CAP XX.

*Verſ.* 6. *Virum fidelem quis inveniet?* Tr.4.d.6.n.8.
*Verſ.* 17. *Suavis eſt homini panis mendacii*, Tr.9.d.10.n.11.

CAP. XXI.

Verſ. 1. *Cor Regis in manu Domini &c.* Tr.7.d.15.n.7.
Verſ. 6. *Qui congregat theſauros lingua mendacii, vanus & excors eſt*, Tr.8.d.4.n.13.
Verſ. 20. *Theſaurus deſiderabilis & oleum in habitaculo juſti*, Tr.11.d.4.n.7. & Tr.10.d.17.n.3.
Verſ. 30. *Non eſt conſilium contra Dominum*, Tr.2.d.9.n.6.

CAP. XXII.

Verſ. 6. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*, Tr.6.d.15.n.16.
*Verſ.* 11. *Qui diligit cordis munditiam &c. habebit amicum Regem*, Tr.15.d.5.n.13.
Verſ. 14. *Fovea profunda os alienæ*, Tr.13.d.9.n.10. & d.10.n.20.
Verſ. 15. *Stultitia colligata eſt in corde pueri &c.* Tr.14.d.23.n.10.
*Verſ.* 24. *Non ambules cum viro furioſo*, Tr.17.d.7.n.6. & d.11.n.6.

CAP. XXIII.

*Verſ.* 14. *Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*, Tr.18.d.13.n.9.
*Verſ.* 20. *Noli eſſe in conviviis potatorum*, Tr.21.d.8.n.21.
*Verſ.* 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi*, Tr.8.d.16.n.4. & Tr.4.d.6.n.6. & Tr.4.d.1.n.1. Tr.4.d.15.n.1. & d.17.n.11. Item Tr.19.d.8.n.11.
*Verſ.* 27. *Fovea profunda eſt meretrix.* Tr.14.d.15.n.9.
*Verſ.* 31. *Ne intuearis vinum quando flaveſcit &c.* Tr.13.d.10. per totum, & d.19.n.11. & Tr.9.d.10.n.12. & Tr.14.d.24.n.11.
*Verſ.* 32. *Sed in noviſſimo mordebit ut coluber*, Tr.9.d.10.n.12. & Tr.13.d.10. per totum.
*Verſ.* 33. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perverſa*, Tr.13.d.19.n.11.

CAP. XXIV.

*Verſ.* 6. *Cum diſpoſitione initur bellum*, Tr.15.d.11.n.7.
*Verſ.* 21. *Cum detractoribus ne commiſcearis*, Tr.21.d.9.n.1. & d.4.n.2.

CAP. XXV.

*Verſ.* 15. *Lingua mea confringit duritiam*, Tr.18.d.13.n.6.
*Verſ.* 16. *Mel inveniſti? comede quod ſufficit tibi*, Tr.8.d.18.n.2. & d.20.n.2.
*Verſ.* 18. *Jaculum & gladius &c. homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium*, Tr.12.d.2.n.11.
*Verſ.* 20. *Acetum in nitro qui cantat carmina corde peſſimo*, Tr.16.d.14.n.9.
*Verſ.* 23. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem*, Tr.21.d.15. per totum.

CAP. XXVI.

*Verſ.* 9. *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti*, Tr.21.d.13.n.7.
Verſ. 20. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis*, Tr.21.d.9.n.6.

CAP. XXVII.

*Verſ.* 6. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis*, Tr.2.d.7.n.6.
*Verſ.* 20. *Infernus & perditio numquam implentur; ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles*, Tr.8.d.18.n.9.
*Verſ.* 21. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, &c. ſic probatur homo ore laudantis*, Tr.2.d.4.n.7. & Tr.3.d.12.n.2. & Tr.8.d.14.n.7.

CAP. XXVIII.

*Verſ.* 1. *Fugit impius nemine perſequente*, Tr.15.d.26.n.7.
*Verſ.* 13. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur*, Tr.15.d.12.n.4. & d.15.n.8.
*Verſ.* 14. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus*, Tr.13.d.35.
*Verſ.* 20. *Qui feſtinat ditari, non erit innocens*, Tr.8.d.7.n.1.
*Verſ.* 23. *Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet*, Tr.18.d.5.n.7. & d.14.n.3.

CAP. XXIX.

*Verſ.* 1. *Viro, qui corripientem dura vice contemnit, repentinus ſuperveniet interitus*, Tr.18.d.4.n.5. & 8.
*Verſ.* 3. *Qui nutrit ſcorta, perdit ſubſtantiam*, Tr.13.d.2.n.5. & 6, & d.19.n.9.
*Verſ.* 5. *Homo, qui blanditiis fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus ejus*, Tr.2.d.4.n.6. & d.8.n.1.
*Verſ.* 12. *Princeps qui libenter audit verba mendacii omnes miniſtros habebit impios*, Tr.2.d.8.n.4.
*Verſ.* 15. Virga *atque correptio tribuit ſapientiam*, Tr.18.d.2.n.9.
*Verſ.* 21. *Qui delicate à pueritia nutrit ſervum, poſtea ſentiet eum contumacem*, Tr.13.d.10.n.13. Item Tr.14.d.35.n.5.

CAP. XXX.

*Verſ.* 8. & 9. *Divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus?* Tr.8.d.9. per totum.
*Verſ.* 11. *Eſt generatio quæ patri maledicit*, Tr.11.d.4.n.7.
*Verſ.* 15. *Sanguiſugæ duæ ſunt, filiæ dicentes: Affer, affer*, Tr.9.d.20.n.16. & Tr.13.d.27.n.4.
*Verſ.* 16. *Infernus & os vulvæ &c.* Tr.13.d.27.n.4.
*Verſ.* 28. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*, Tr.2.d.3.n.5. & d.11. per totum.
*Verſ.* 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum*, Tr.8.d.8.n.8.

CAP. XXXI.

*Verſ.* 6. *Date ſiceram mærentibus, & vinum his, qui amaro ſunt corde*, Tr.4.d.11.n.8. & Tr.8.d.6.n.7.
*Verſ.* 10. *Mulierem fortem quis inveniet &c.* Tr.14.d.8.n.5.
*Verſ.* 17. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos*, Tr.14.d.26. per totum.
*Verſ.* 18. *Guſtavit & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus*, Tr.16.d.12.n.2.
*Verſ.* 20. *Manum ſuam aperuit inopi, & brachium extendit ad pauperem*, Tr.3.d.11.n.12. Item Tr.8.d.26.n.4.
*Verſ.* 24. *Syndonem fecit & vendidit &c.* Tr.13.d.20.n.18.
*Verſ.* 25. *Ridebit in die noviſſimo*, Tr.10.d.8.n.1.

EX LIBRO ECCLESIASTES.

CAP. I.

*Verſ.* 8. *Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu repletur*, Tr.10.d.11.n.11.
*Verſ.* 15. *Stultorum infinitus eſt numerus*, Tr.9.d.2.n.2. & d.11.n.12. & d.13.n.16. & d.20.n.2.

CAP. II.

*Verſ.* 2. *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis?* Tr.9.d.10. per totum, Item Tr.16.d.9.n.3. & d.16.n.7.
*Verſ.* 4. & 5. *Plantavi vineas, hortos & pomaria*, Tr.8.d.31.n.5.
*Verſ.* 10. *Omnia quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis*, Tr.8.d.31.n.6. & Tr.7.d.9.n.8. & Tr.9.d.9.n.1.
*Verſ.* 11. *Vidi in omnibus vanitatem, & nihil*, Tr.8.d.31. per totum.
*Verſ.* 14. *Sapientis oculi in capite ejus &c.* Tr.8.d.22.n.9. & Tr.10.d.18.n.2.
*Verſ.* 23. *Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit*, Tr.8.d.27. per totum.

CAP. III.

*Verſ.* 1. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis &c.* tr.9.d.18.n.1.
*Verſ.* 4. *Tempus flendi, & tempus ridendi*, ibid. & d.2.n.1.

CAP. IV.

*Verſ.* 1. *Verti me ad alia, & vidi calumnias, &c.* Tr.12.d.1.n.8.
*Verſ.* 9. *Melius eſt duos eſſe ſimul quàm unum &c.* Tr.17.d.1.n.2.
*Verſ.* 17. *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, Tr.20.d.15.n.4. & d.18.n.3.

CAP. V.

*Verſ.* 5. *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam*, Tr.14.d.19.n.5.
*Verſ.* 9. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis*, Tr.8.d.24.n.5. & d.28. per totum.

CAP. VI.

*Verſ.* 2. *Vir, cui dedit Deus divitias, & ſubſtantiam, & honorem &c.* Tr.8.d.29.n.11.

CAP. VII.

*Verſ.* 6. *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi*, Tr.2.d.7. per totum.
Verſ. 8. *Calumnia conturbat ſapientem &c.* Tr.10.d.21.n.13. & Tr.11.d.7.n.11. & Tr.10.d.21.n.13. & Tr.13.d.1. per totum, & d.2.n.9.
Verſ. 9. *Melior eſt finis orationis quàm principium*, Tr.12.d.2.n.9.
Verſ. 26. *Luſtravi univerſa animo meo &c.* Tr.13.d.14.n.2.
*Verſ.* 27. *Inveni amariorem morte mulierem*, ibid. & d.10.n.19. & d.26.n.1. & Tr.13.d.34. & d.14.n.7. & d.18.n.1. & 9. & 15. d.22.n.16.
*Verſ. eod. Sagena cor ejus*, Tr.14.d.15.n.9.
*Verſ.* 29. *Virum de mille unum reperi, mulierem &c.* Tr.13.d.13.n.16.
*Verſ.* 30. *Inveni, quod fecerit Deus hominem rectum*, Tr.7.d.2.n.13.

CAP. IX.

*Verſ.* 7. *Comede in lætitia panem tuum*, Tr.8.d.20.n.15.
*Verſ.* 12. *Sicut piſces capiuntur hamo &c. ſic capiuntur homines in tempore malo*, Tr.8.d.6.n.5.

CAP. X.

Verſ. 2. *Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti &c.* tr.3.d.4.n.2. & tr.10.d.17. per totum.
Verſ. 11. *Si mordeat ſerpens in ſilentio &c.* Tr.10.d.15.n.16. & Tr.21.d.6. per totum.
Verſ. 19. *Pecuniæ obediunt omnia*, Tr.8.d.22.n.1.

CAP XI.

Verſ. 7. *Dulce lumen & delectabile eſt oculis videre ſolem*, Tr.16.d.2.n.8.
Verſ. 8. *Si annis multis vixerit homo &c. meminiſſe debet tenebroſi temporis*, Tr.13.d.2.n.6.
Verſ. 9. *Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua*, ibid.
*Verſ.* 10. *Amove malitiam à carne tua*, ibid.

CAP. XII.

Verſ. 11. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi &c.* Tr.10.d.19.n.13.

EX CANTICO CANTICORUM.

CAP. I.

*Verſ.* 3. *Trahe me poſt te &c.* Tr.10.d.26.n.13.
*Verſ.* 5. *Filiæ matris pugnaverunt contra me*, Tr.3.d.18.n.12. Item Tr.5.d.4.n.14. & Tr.6.d.6.n.11.
*Verſ.* 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea*, Tr.18.d.6.n.10.
*Verſ.* 7. *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere & abi poſt veſtigia gregum*, Tr.7.d.1.n.2. Item Tr.18.d.6.n.10. & Tr.16.d.5.n.8.
*Verſ.* 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te*, Tr.6.d.8.n.6. Item Tr.18.d.6.n.10.

Verſ.9. Pulchræ ſunt genæ tuæ, ibid. & tr.14.d.9. n.5. & d. 21.n.12.
Verſ.11. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo &c. tr.14.d.4.n.3.
Verſ. 12. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, tr.4.d.18.n.10. & tr.4. d.17.n.5. Item tr.16.d.11.n.5.
Verſ.13. Botrus Cypri dilectus meus mihi, tr.4.d.11.n.14.
Verſ.14. Ecce tu pulchra es amica mea, tr.14.d.3.n.1.
Verſ.15. Ecce tu pulcher es dilecte mi, ibid.
Verſ.16. Tigna domorum noſtrarum cedrina &c. tr. 10. d. 16. n.10.

CAP. II.

Verſ. 1 Ego flos campi & lilium convallium, tr.10. d.28. n.5. & d.28.n.7. Item tr.14.d.12.n.6. & d 17. per totum, & tr. 16. d.6.n. 3.
Verſ.2. Sicut lilium inter ſpinas &c. tr. 10. d. 23. n. 4. Item tr.14.d.12. per totum, & d.23. per totum.
Verſ. 3. Fructus ejus dulcis gutturi meo, tr.16.d.2.n.8.
Verſ.4. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem, tr.4.d.14.n.3. & d.16.n.9. Item tr.16.d.6.n.4. & 6. & d.18.n.7. & d.10.n.5.
Verſ. 6. Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, tr.10.d.17.n.5.
Verſ.8. Ecce, iſte venit ſaliens in montibus &c. tr.6.d.12. n.6.
Verſ.10. Veni formoſa mea, tr.7.d.9.n.6. & tr.4.d.15.n.7.
Verſ. 13. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, tr.6.d.8.n.10.
Verſ. 14. Columba mea in foraminibus petræ &c. tr. 9. d. 17. n.6. & tr.10.d.25.n.14.
Verſ. eod. Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis & facies tua decora, tr.6.d.12.n.7. Item tr.15. d.5. n.3. & tr.16.d.3.n.8. & 9.
Verſ.15. Capite nobis vulpes parvulas, tr.2.d.7.n.14.
Verſ. 16. Dilectus meus mihi & ego illi, tr.7.d.12. n.6. & tr. 14.d.2.n.5. & d.12.n.3.

CAP. III.

Verſ. 1. In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea, tr.4. d.14.n.9. & tr.16.d.7.n.9.
Verſ. 2. Surgam & circuibo civitatem &c. tr.16.d.4.n.4.
Verſ. 3. Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem &c. tr.4.d.18.n.11.
Verſ.4. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, tr.4.d.15.n.2. Item tr.10.d.16.n.8. & tr.16.d.4.n.4.
Verſ.6. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum &c. tr. 10. d. 17. n.7.
Verſ.7. Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, tr. 6. d.14.n.14. Item tr.10.d.11.n.10. & tr.14.d.22.n. 9.
Verſ. 9. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, tr.10.d.27.n.8.

CAP. IV.

Verſ.2. Dentes tui ſicut greges tonſarum &c. tr.18.d.16.n.7.
Verſ. 3. Sicut vitta coccinea labia tua &c. tr. 14. d.1.n.14. & tr.18.d.6.n.9.
Verſ.eod. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, tr.4.d.2. n. 13. Item tr.10.d.12.n.2.
Verſ.4. Sicut turris David, collum tuum &c. mille clypei pendent ex ea, tr.6.d.15.n.5.
Verſ.5. Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemellæ, tr. 5. d.5.n.9. Item tr.14.d.22.n.7.
Verſ. 7. Tota pulchra es amica mea &c. tr.7. d.9. n.6. & 17. Item tr.10.d.15.n.4. & tr.15.d.5.n. 6.
Verſ.8. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis, tr.3.d.15. per totum, Item tr.10. d.15. n.4. & d. 20. n.9.
Verſ.9. Vulneraſti cor meum ſoror mea, ſponſa, tr. 4.d.11 n .22 & d.15.n.17.
Verſ. 11. Mel & lac ſub lingua tua, tr.16.d.16.n.4.
Verſ.12. Hortus concluſus, fons ſignatus &c. tr.14.d.7. n.16. & d.21. per totum.
Verſ. 13. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, tr. 7. d.7.n.21. Item tr.10.d.12. per totum, & tr.14.d.12.n.22.

CAP. V.

Verſ.1. Veniat dilectus meus in hortum ſuum. tr.16.d.6.n.4.
Verſ.eod. Meſſui myrrham meam, Tr.4.d.11.n.11.
Verſ.2. Ego dormio, & cor meum vigilat, tr.14.d.9. n.13.
Verſ.eod. Aperi mihi ſoror mea ſponſa, tr.10.d.13.n.6. & tr.13. d.29.n.7.
Verſ.eod. Immaculata mea, tr.7.d. 9.n.17.
Verſ. 3. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa, tr.1. d.8.n.2. & Tr.13.d.29.n.7.
Verſ. 5. Surrexi ut aperirem dilecto meo, Tr.13.d.29.n.7. &c. Item Tr.15.d.23.n.8.
Verſ. 7. Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem, percuſſerunt me &c. Tr.6.d.6.n.11. & Tr.8.d.12.n.8.
Verſ.8. Adjuro vos filiæ Jeruſalem &c. Tr.4.d.18.n.11.
Verſ.10. Dilectus meus candidus & rubicundus, tr.10.d.11.n.1.
Verſ.11. Caput ejus aurum optimum &c. Tr.10. d.1. n.11.
Verſ.13. Genæ illius ſicut areolæ aromatum, Tr.16.d.16. n.4. & Tr.18.d.17.n.4.
Verſ. 14. Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis, tr.4. d.11.n.23. Item tr.14.d.1.n.12. & tr.20.d.12.n.7.
Verſ.16. Guttur illius ſuaviſſimum, & totus deſiderabilis, tr. 10.d.1 .n.11. Item tr.16.d.10.n.6.

CAP. VI.

Verſ. 2. Qui paſcitur inter lilia, tr.14.d.9.n.1.
Verſ.3. Terribilis ut caſtrorum acies ordinata, tr.14.d.12.n.21.
Verſ.8. Una eſt columba mea, tr.4.d.14.n.2.
Verſ. 10. Deſcendi in hortum meum, tr.16.d.16. n.4.

CAP. VII.

Verſ. 1. Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum? tr.6.d.8.n.6. & d.13.n.7.
Verſ.eod. Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis &c. tr.14.d.1.n.15.
Verſ. 2. Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis, tr. 6. d.15.n.8. Item tr. 14.d.12.n.21.
Verſ.7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ. tr.4.d.15.n.20.

CAP. VIII.

Verſ. 5. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto? tr.8. d.26. n.3. Sub arbore malo ſuſcitavi te, tr.5.d.7.n.15.
Verſ.6. Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, tr.4. d.13. n.2. & 8. tr.4.d.18.n.3. Fortis eſt ut mors dilectio, tr.4.d.18.n.11.
Verſ. 7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, tr.10.d.25.n.9.
Verſ. eod. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ, quaſi nihil deſpiciet eam, tr.4.d.7.n.6. & tr.4. d.11.n.3. & tr. 4. d. 18. n. 11.
Verſ. 8. Quid faciemus ſorori noſtræ &c. tr.14.d.11. n.4. & d. 21. n. 7.
Verſ. 9. Si murus eſt ædificemus ſuper eam propugnacula, tr.14. d.12.n.8.
Verſ. 12. Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt vias ejus, tr.7.d.5.n.6.
Verſ.13. Quæ habitas in hortis, ... fac me audire vocem, tr. 14. d.21.n.14. & tr.16.d.4.n.4.
Verſ. 14. Fuge dilecte mi &c. tr.14.d.30.n.13.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAP. I.

Verſ. 3. Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo &c. tr.18. d.16. per totum.
Verſ. 5. Spiritus Sanctus auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, tr.13.d.4.n.11.
Verſ.6. Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ, tr.11.d.5. n.6.
Verſ.11. Cuſtodite vos à murmuratione &c. tr.21. d. 2. n.9. & d.6.n.1. & d.11.n.8. & d.13.n.6. & d.14. per totum.

CAP. II.

Verſ. 1. Non eſt agnitus qui ſit reverſus ab inferis, tr.10.d.18. n.13. & tr.13.d.9.n.10.
Verſ.5. Umbræ tranſitus eſt vita noſtra, tr.16.d.5. n.10.
Verſ. 6. Fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter, tr.7.d.13.n.17. & tr. 13. d.1. n.12. & d.6.n.5. & d.27.n.7. & tr.16.d.13.n.1.
Verſ. 7. Vino pretioſo & unguentis nos impleamus, tr. 13. d. 1. n.12. & d.27.n.7. & tr.16.d.13.n.1.
Verſ.8. Coronemus nos roſis &c. ibid.
Verſ. eod. Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, tr.9.d.2.n.11. & tr.13. d.27. per totum, & d. 13. n. 1. & d.17.n.9.
Verſ.9. Ubique relinquamus ſigna lætitiæ, tr.16.d.13.n.1.
Verſ.10. Opprimamus pauperem &c. tr.17.d.6.n.14. & tr. 21. d.15.n.11.
Verſ. 12. Circumveniamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, tr. 3.d.18.n.6. & tr.15.d.26.n.12.
Verſ.24. Invidia diaboli mors introivit in orbem, tr.19.d.1.n.2.

CAP. III.

Verſ. 2. Æſtimata eſt afflictio exitus illorum, tr. 10. d. 26. n. 12.
Verſ. 4. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ibid.
Verſ. 5. Deus tentavit eos &c. ibid. & d.15.n.3.
Verſ.6. Tamquam aurum in fornace probavit illos, tr.2.d.7.n.7. & tr.10.d.26.n.12.
Verſ.7. Fulgebunt juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent tr.8.d.23.n.4. & tr.8.d.20.n.13. & tr.10.d.5.n.2.
Verſ.8. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, tr. 10. d.5.n.2.

CAP. IV.

Verſ.1. Quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate? tr .14. d.1.n.13. & d.6.n.7.
Verſ. 11. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, tr. 17.d.3.n.5.
Verſ. 12. Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, tr.8.d.22. n.5.

CAP V.

Verſ. 6. Erravimus à via veritatis &c. tr.14.d.10.n.14.
Verſ. 7. Laſſati ſumus in via iniquitatis, tr.9.d.10.n.7. & tr. 10.d.30.n.7. Item tr.16.d.13.n.1.
Verſ.8. Quid illis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia? tr.7.d.19.n.8. & tr.8.d.31.n.13.

Verſ.16. Juſti

Verſ.16. Juſti autem in perpetuum vivent, tr.10. d.9. n.11.
Verſ.18. Accipiet armaturam zelus illius, tr.14. d.24. n.7. & tr.12. n.5. & d.14. n.5.
Verſ. eod. Armabit creaturam ad ultionem inimicorum &c. tr.13. d.11. n.11.
Verſ.21. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos, tr.6. d.9. n.14.

CAP. VI.

Verſ.6. Duriſſimum judicium his, qui præſunt, tr.3.d.10.n.14.
Verſ.7. Potentes potenter tormenta patientur, tr.13.d.17.n.6.
Verſ.19. Cuſtodia legum conſumatio eſt incorruptionis, tr.10. d.27. n.2.
Verſ.20. Incorruptio facit eſſe proximum Deo, tr.14.d.3.n.5.

CAP. VII.

Verſ.8. Divitias nihil eſſe duxi, tr.8. d.31. n.11.
Verſ.11. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, tr.14. d.11. n.5.
Verſ.25. Vapor eſt virtutis Dei &c. tr.16. d.7. n.4.
Verſ.26. Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius, tr.7. d.4. n.4. & 13. & tr.7. d.8.n.17. Item tr.10. d.15.n.5. & tr.13. d.15. n.5. & d.17.n.19. & d.35. n.11. Rurſus tr.14. d.1.n.1. & tr.14. d.3. n.2. & n.4.

CAP. VIII.

Verſ.1. Diſponit omnia ſuaviter, tr.10. d.11.n.6.
Verſ.19. Sortitus ſum animam bonam, tr.14.d.17. n.1.
Verſ.21. Scivi, quoniam aliter non poſſum continens eſſe, ibid. 17. per totum. & d.5.n.18. & d.25. per totum. & d.26.n.15. & d.27.n.1. & d.32.n.4. & 24. n.15.

CAP. IX.

Verſ.10. Mitte illam de cælis ſanctis tuis &c. tr.16.d.11.n.6.
Verſ.14. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prudentiæ noſtræ, tr.6. d.6. n.7.
Verſ.15. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, tr.7.d.1. n.13. & tr.7.d.15.n.16. & tr.7.d.17.n.17. & d.16. per totum, item tr.10.d.6.n.6. & tr.13.d.10.n.12. & tr.14.d.5.n.18.

CAP. X.

Verſ.12. Cuſtodit illum ab inimicis &c. tr.19.d.11.n.5.
Verſ.13. Hæc venditum juſtum non dereliquit &c. tr.14. d.8. n.4.
Verſ.eod. Deſcenditque cum illo in foveam &c. tr.12.d.3.n.10.
Verſ.14. In vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi ſceptrum regni, tr.12.d.3. n.10.

CAP. XI.

Verſ.21. Omnia in menſura, numero & pondere diſpoſuit, tr.8. d.12.n.3. & tr.11.d.9. n.2.
Verſ.23. Tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, tr.8. d.16. n.13. & d.22.n.3. & tr.3.d.7. n.9. & tr.8.d.31. n.9. & tr.10. d.3. n.10.
Verſ.25. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, tr.4.d.14. n.1.

CAP. XII.

Verſ.1. Quam bonus & ſuavis eſt Dominus &c. tr.16.d.2.n.3. & d.3.n.1. & 2. & d.10.n.6.
Verſ.8. Miſit anteceſſores exercitus ſui veſpas, tr.15.d.26.n.11.

CAP. XIV.

Verſ.11. Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, tr.8.d.4. n.12. & d.20. n.6.

CAP. XV.

Verſ.1. Deus noſter ſuavis, tr.16.d.3.n.1.

CAP. XVI.

Verſ.20. Angelorum eſca nutriviſti populum tuum &c. tr.6.d.5. n.17. & tr.10. d.9.n.1. & tr.16. d.6.n.9. & d.14. n.5.
Verſ.21. Deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat convertebatur, tr.10.d.9. n.1. & n.9.

CAP. XVII.

Verſ.10. Semper præſumit ſæva, perturbata conſcientia, tr.15. d.26. per totum.

CAP. XVIII.

Verſ.14. Dum medium ſilentium tenerent omnia, tr.21.d.17.n.1.

CAP. XIX.

Verſ.7. In mari rubro via ſine impedimento, tr.10. d.28.n.5.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. II.

Verſ.1. Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam &c. tr.1.d.11.n.4. Item tr.19.d.9.n.11. & d.11. per totum.
Verſ.14. Væ terram ingredienti duabus viis, tr.4.d.14. n.14.

CAP. III.

Verſ.18. Quam malæ famæ eſt, qui dereliquit patrem, tr.11. d.4. n.7.
Verſ.20. Quanto major es, humilia te in omnibus, tr.13.d.16.n.12.
Verſ.27. Qui amat periculum peribit in illo, tr.13.d.30. n.10. & d.32. n.3. & d.35. n.3.
Verſ.28. Cor ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus, tr.4. d.14.n.12. & 14. Item tr.13. d.30. n.10.

CAP. IV.

Verſ.24. Pro anima tua ne confundaris dicere verum, tr.15. d.21. per totum.





Verſ.25. Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam, tr.15.d.19. per totum & d.21.n.1.
Verſ.27. Ne reverearis proximum in caſu ſuo, tr.18.d.3. n.4.
Verſ.28. Ne retineas verbum in tempore ſalutis, tr.15.d.7.n.28.
Verſ.31. Non confundaris confiteri peccata tua, tr.15. d.2. per totum.

CAP. V.

Verſ.16. Non appelleris ſuſurro &c. tr.21.d.1.n.8. & d.13.n.4. & d.14.n.11.
Verſ.17. Super furem eſt confuſio & pænitentia, tr.21. d.8. n.10. & d.12. per totum.

CAP. VI.

Verſ.5. Verbum dulce multiplicat amicos, tr.16. d.3.n.2.
Verſ.14. Amicus fidelis protectio firma, tr.17.d.1.n.3.
Verſ.15. Amico fideli nulla eſt comparatio, ibid. & tr.14. d.1. n. 19.

CAP. VII.

Verſ.2. Diſcede ab iniquo & deficient mala &c. tr.17. d.6. n.6. & tr.17. d.14. n.11.
Verſ.17. Non te repates in multitudine indiſciplinatorum, tr.17. d.7. n.6.
Verſ.19. Vindicta carnis ignis & vermis, tr.13. d.28. per totũ.

CAP. VIII.

Verſ.3. Multos perdidit aurum & argentum, & uſque ad cor Regis extendit & convertit, tr.8.d.15.n.7.
Verſ.13. Non ſuccendas carbones peccatorum, tr.18.d.15.n.5.
Verſ.18. Cum audace non eas in via, tr.17. d.11.n.6.

CAP. IX.

Verſ.3. Non reſpicias mulierem multivolam, tr.14.d.21.n.16.
Verſ.9. Propter ſpeciẽ mulieris multi perierunt, tr.13.d.10.n.20.
Verſ.10. Quaſi ſtercus in via conculcabitur, tr.9.d.17.n.10. & tr.13.d.11.n.10. & d.16.n.3. & d.26. n.1.
Verſ.11. Colloquium mulieris quaſi ignis exardeſcet, tr.13. d.3. n. 2.
Verſ.20. In medio laqueorum ingredieris, tr.8.d.4. n.1. & tr.19. d.5. per totum.

CAP. X.

Verſ.5. Initium omnis peccati eſt ſuperbia, tr.11.d 3. n.3.
Verſ.9. Avaro nihil eſt ſceleſtius, tr.8.d.11.n.10. & d.15.n.10. & d.17.n.3. & tr.8.d.3. per totum.
Verſ.eod. Quid ſuperbis terra & cinis? tr.11.d.1.n.5.
Verſ.11. Omnis potentatus, brevis vita, tr.3.d.7. per totum.
Verſ.28. Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus, tr.18. d.5. n.4.
Verſ.31. Serva animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum, tr.7. d.7. n.26.

CAP. XI.

Verſ.7. Priuſquam interroges ne vituperes quemquam, tr.18. d.18. n.9.
Verſ.10. Fili mi, ne in multis ſint actus tui; & ſi dives fueris, non eris immunis à delicto, tr.8. d 7. per totum.
Verſ.33. Bona in mala convertit impius, tr.18. d.4. n.4. & tr.21. d.2. n.6.
Verſ.34. A ſcintilla una augetur ignis, tr.17.d.9.n.1. & tr.21. d.14. n.9.
Verſ.35. Attende tibi à peſtifero, tr.2.d.8.n.4. & tr.2.d.3.n.6.

CAP. XII.

Verſ.13. Quis miſerebitur incantatori, tr.17.d.2.n.9. & d.7.n.12.
Verſ.15. In labiis ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur, tr.2.d.6. n.6.

CAP. XIII.

Verſ.1. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, tr.8.d.1.n.1. & tr.14.d.28.n.5. & d.24.n.14. & tr.17.d.7. per totum, & d.8.n.9.
Verſ.19. Omne animal diligit ſibi ſimile ſic & omnis homo proximum ſibi, tr.5.d.9.n.8. & tr.17.d.1. per totum.
Verſ.20. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, tr.17.d.1.n.4.
Verſ.21. Si communicabit lupus agno, ſic peccator juſto, tr.17. d.6. n.14.
Verſ.23. Venatio leonis, onager in Eremo; ſic paſcua divitum pauperes, tr.8.d.7. n.2.
Verſ.30. Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia, tr.8. d.20. per totum.

CAP. XIV.

Verſ.9. Inſatiabilis oculus cupidi, tr.8.d.28. n.2.

CAP. XV.

Verſ.3. Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, tr.20.d.6.n.2.
Verſ.14. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, tr.7.d.6.n.10. & tr.19.d.15.n.6.
Verſ.23. Qui minoratur corde, cogitat inania, tr.8.d.22.n.10.

CAP. XVII.

Verſ.12. Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo, tr.18. d.11. n.7.
Verſ.23. Avertere ab injuſtitia tua, tr.13.d.30. n.7.

CAP. XVIII.

Verſ.1. Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul, tr.7.d.10.n.6.
Verſ.30. Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere, tr.13. d.18. n.15.

CAP. XIX.

Verſ.1. *Qui ſpernit modica paulatim decidet*, tr.19.d.8.n.3. & d.15. n.7.

Verſ.2. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*, tr.9. d.16.n.9.& tr.13.d.6. per totum, & d.22. n.3.

Verſ.4. *Qui citò credit, levis eſt corde*, tr.12. d.7. n.3.

Verſ.7. *Mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*, tr.14. d.31. per totum.

Verſ.10. *Audiſti verbum adverſus proximum tuum? commoriatur in te*, tr.21.d.3. n.2.

Verſ.11. *Sagitta infixa femori canis, ſic verbum in corde ſtulti*, tr.21.d.3. n.2.

CAP. XX.

Verſ.32. *Sapientia abſconſa eſt theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque*, tr.4. d.16. n.5.

CAP. XXI.

Verſ.1. *Fili peccaſti, non adjicias iterum*, tr.13.d.33. n.6. item tr.15.d.14. per totum.

Verſ.2. *Quaſi à facie colubri fuge peccata*, tr.14. d.18. n.6. & d.29.n.3. & tr.19.d.14. n.2.

Verſ.3. *Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum*, tr.7.d.15. per totum.

Verſ.7. *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris*, tr.18. d.4. n.3.

Verſ.10. *Stuppa collecta Synagoga peccantium*, tr.14.d.28.n.5.

Verſ.11. *Via peccantium complanata lapidibus*, tr.16.d.13.n.1. & 4.

Verſ.18. *Verbum ſapiens audivit luxurioſus & diſplicebit illi*, tr.13.d.20. n.2. & 3.

Verſ.31. *Suſurro coinquinabit animam ſuam*, tr.21.d.5. n.6. & d.14. n.11. & d.13. per totum.

CAP. XXII.

Verſ.14. *Cum ſtulto ne multum loquaris*, tr.17. d.6.n.4.

CAP. XXIII.

Verſ.6. *Aufer à me ventris concupiſcentias*, tr.14.d.24.n.12.

Verſ.15. *Eſt & alia loquela contraria morti*, tr.11.d.5.n.14.& d.4.n.6.& 9.& d.9.n.5. & tr.21.d 13. n.7.

Verſ.22. *Anima calida quaſi ignis ardens*, tr.14.d.24.n.11.

Verſ.37. *Nihil dulcius quam reſpicere in mandatis Domini*, tr.16. d.2. n.8.

CAP. XXIV.

Verſ.5. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*, tr.7.d.2.n.5.

Verſ.21. *Quaſi Libanus non inciſus vaporavi*, tr.4.d.11.n 11.

Verſ.23. *Ego quaſi vitis fructificavi*, tr.14.d.7. n.18. & tr.16. d.4.n.6.

Verſ.24. *Ego mater pulchræ dilectionis*, tr.5. d.6. per totum.

Verſ.26. *Tranſite ad me omnes &c.* tr.16. d.2. n.7.

Verſ.27. *Spiritus meus ſuper mel dulcis*, tr.16.d.18.n.4.

Verſ.29. *Qui edunt me adhuc eſurient &c.* tr.10.d.11.n.13.

CAP. XXV.

Verſ.1. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ probata ſunt coram Deo & hominibus*, tr.5. d.3. n.6.

Verſ.23. *Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere*, tr.14.d.29.n.3.

CAP. XXVI.

Verſ.5. *A tribus timuit cor meum*, tr.12.d.1.n.3.

Verſ.6. *Delaturam civitatis & collectionem populi*, ibid.

Verſ.7. *Calumniam mendacem ſuper mortem*, ibid.

Verſ.9. *In muliere zelotypa flagellum linguæ*, tr.11.d.8.n.3.

Verſ.15. *Contra omnem ſagittam aperies pharetram*, tr.14. d.19.n.3.

Verſ.19. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta*, tr.14.d.8.n.3.& d.9.n.14.& d.17.n.7.

Verſ.20. *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ*, tr.7.d.18.n.8. & tr.7.d.11.n.15. Item tr.13.d.26.n.5. & tr.14.d.11.per totum, & d.18.n.12. & tr.19.d.9.n.8.

CAP. XXVII.

Verſ.6. *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio*, tr.8.d.14. n.7.

Verſ.12. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol*, tr.17.d.11.n.7

Verſ.eod. *Stultus ut luna mutatur*, tr.9. d.13. n.16.

Verſ.28. *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet*, tr.11.d.2.n.8. & d.13. per totum.

CAP. XXVIII.

Verſ.11. *Vir peccator conturbavit amicos*, tr.21.d.1.n.8.

Verſ.12. *Secundùm ligna, ſic ignis exardeſcit*, tr.21.d.15. n.4.

Verſ.15. *Suſurro & bilinguis maledictus*, tr.21. d.6. n.2. & d.11. n.7.

Verſ.16. *Lingua multos conturbavit pacem habentes*, tr.11. d.10.n.5. & tr.21.d.6.n.3.

Verſ.17. *Civitates deſtruxit & domos effodit*, tr.11.d.10.n.5.

Verſ.22. *Multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic, quæ interierunt*, tr.21. d.13. n.8.

Verſ.25. *Mors illius mors nequiſſima*, tr.21. d.8. n.5.

Verſ.28. *Sepi aures tuas ſpinis*, tr.21.d.14.n.5.& d.16.per tot.

CAP. XXXI.

Verſ.2. *Infirmitas gravis ſobriam facit animam*, tr.7.d 15.n.17.

Verſ.8. *Beatus vir qui inventus eſt ſine macula*, tr.8.d.1.n.1.& tr.10.d.29. n.16.

Verſ.10. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus*, tr.10. d.21. n.4.

Verſ.14. *In convivio vini non arguas proximum*, tr.18.d.15.n.2.

Verſ.17. *Intellige, quæ ſunt proximi tui, ex teipſo*, tr.5.d.5. per totum.

CAP. XXXII.

Verſ.14. *Ante grandinem præibit coruſcatio*, tr.15.d.21.n.5.

Verſ.21. *Peccator homo vitabit correptionem*, tr.9.d.8.n.7.

CAP. XXXIII.

Verſ.2. *Sapiens non odit mandata*, tr.19.d.17. n.3.

CAP. XXXIV.

Verſ.9. *Qui non eſt tentatus, quid ſcit*, tr.15.d.3.n.10.

Verſ.29. *Unus orans, & unus maledicens, &c.* tr.20.d.9.n.9.

CAP. XXXVII.

Verſ.15. *Cum viro ſancto aſſiduus eſto &c.* tr.17.d.13.per tot.

Verſ.34. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.*

CAP. XXXVIII.

Verſ.4. *Altiſſimus creavit de terra medicamenta &c.* tr.15. d.2. n.6.

CAP. XXXIX.

Verſ.9. *In oratione confitebitur Domino*, tr.19.d.17. n.3.

Verſ.19. *Florete flores quaſi lilium*, tr.14.d.12.n.7.

CAP. XL.

Verſ.20. *Vinum lætificat cor hominis*, tr.4.d.11.n.14.

CAP. XLI.

Verſ.1. *O mors, quam amara eſt memoria, homini pacem habenti in ſubſtantijs*, tr.8.d.7. n.9.

Verſ.8. *Filij abominationum fient filij peccatorum, & qui converſantur &c.* tr.17.d.7.n.6. & d.8.n.9. & tr.17.d.14. n.12.

Verſ.15. *Curam habe de bono nomine*, tr.21. d.12.n.2.

Verſ.27. *Ne reſpicias mulierem alieni viri*, tr.13.d.6.n.9.

CAP. XLII.

Verſ.12. *In medio mulierum noli commorari*, tr.13.d.3. n.10. & d.8.n.8. & d.22.n.12. Item tr.14.d.30. n.10.

Verſ.14. *Melior eſt iniquitas viri quam mulier bene faciens*, tr.13. d.22. n.13.

CAP. XLIII.

Verſ.22. *Frigidus ventus aquilo flavit*, tr.21.d.9.n.1.

CAP. XLIV.

Verſ.6. *Homines pulchritudinis ſtudium habentes*, tr. 20.d.19. n.7.

Verſ.17. *Noë inventus eſt perfectus*, tr.17.d.4.n.3.

CAP. XLV.

Verſ.1. *Dilectus Deo & hominibus*, tr.2.d.4. n.2.

Verſ.14. *Corona aurea ſupra mitram ejus*, tr.10.d.5.n.9.

CAP. XLVII.

Verſ.20. *Collegiſti quaſi aurichalcum, aurum*, tr.8.d.31. n.3.

Verſ.21. *Inclinaſti femora tua mulieribus*, tr.13. d.24. n.2.

Verſ.22. *Dediſti maculam in gloria ſua*, tr.14.d.10.n.13.

CAP. XLVIII.

Verſ.3. *Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter*, tr.1.d.7. n.14.

Verſ.4. *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis &c.* ibid.

CAP. XLIX.

Verſ.1. *Nomen Joſiæ in compoſitionem odoris &c.* tr.16.d.3.n.2.

Verſ.2. *In omni ore quaſi mel indulcabitur*, ibid.

CAP. LI.

Verſ.1. *Confitebor tibi Domine Rex &c.* tr.12.d.5.n.6.

Verſ.2. *Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor &c.* tr.9.d.20. n.1. & tr.12.d.5.n.6.

Verſ.3. *Liberaſti corpus meum à perditione*, locis cit.

Verſ.4. *Liberaſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui &c.* tr.9.d.20.n.7.

Verſ.6. *In medio ignis non ſum æſtuatus &c.* tr.9.d.20. n.1.

Verſ.15. *Laudabo nomen tuum aſſiduè*, tr.9.d.20. per totum.

Verſ.16. *Liberaſti me à perditione &c.* tr.9.d.20.per totum.

Verſ.35. *Modicum laboravi, & inveni multam requiem* tr.16. d.5. n.10.

EX PROPHETIA ISAIÆ.

CAP. I.

Verſ.2. *Audite cæli, & auribus percipe terra*, tr.8.d.4.n.3. & tr.10. d.19. n.8.

Verſ.eod. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me*, tr.4. d.7. n.2. & 10. & d.10.n.3.

Verſ.3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem &c.* tr.4.d.7.n.1. Item tr.10. d.19.n.8. & tr.20.d.7.n.6.

Verſ.4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate &c.* tr.11. d.4.n.3. & d.3.n.2. & d.6. per totum, & d.8. n.9. & d.9. n.9. Item tr.20. d.3. n.10. & d.9. n.11.

Verſ.6. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas in eo*, tr.2. d.3. n.8.

Verſ.16. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum*, tr.1.d.16.n.2.& tr.6.d.11.n.16.Item tr.15.d.5.n.4.

Verſ.18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, tr.3.d.11. n.3. item tr.15.d.5. n.7.

Verſ.21. *Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis*, tr.13. d.5. per totum.

CAP. II.

Verſ.2. *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini*, tr.10.d.29.n.6. item tr.20.d.4. n.2.

Verſ.7. *Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorum ejus*, tr.8.d.3.n.2.& 12.& tr.8.d.15. n.1. & d.28.n.1.

Verſ.8. *Repleta eſt terra ejus equis &c.* locis cit.

Verſ.17. *Elevabitur Dominus ſolus in die illa*, tr.8. d.15. n.18.

Verſ.18. *Et idola penitùs conterentur*, ibid.

CAP. III.

Verſ.7. *Non ſum Medicus, nolite me conſtituere principem*, tr.1.d.13.n.2. item tr.3.d.9.n.7. & d.10.n.3.

Verſ.10. *Dicite juſto quoniam bene &c.* tr.10.d.11.n.9.& tr.16. d.7. n.2.

Verſ.12. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt*, tr.2.d.4.n.6. & d.7.n.4. & d.12. n.3.

CAP. IV.

Verſ.2. *In die illa germen Domini in magnificentia*, tr.10.d.4. num.6.

Verſ.6. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu*, tr.10.d.15. n.1.

CAP. V.

Verſ.4. *Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* tr.6.d.9.n.14.& tr.7.d.30. per totum.

Verſ.5. *Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem*, tr.6.d.10. n.4. & tr.6.d.2.n.7.

Verſ.11. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam &c.* tr.9.d.7.n.14.

Verſ.12. *Cythara & Lyra &c. in convivijs veſtris*, ibid.

Verſ.14. *Propterea dilatavit infernus animam ſuam*, ibid.

Verſ.20. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum*, tr.2. d.5. per totum.

CAP. VI.

Verſ.1. *Vidi Dominum, ſedentem ſuper ſolium excelſum*, tr.3. d.12.n.7. Item tr.10. d.2.n.2. & d.6.n.6. & d.15.n.3.

Verſ.2. *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni & ſex alæ alteri*, tr.6.d.4.n.2. & 4. & d.5.n.9. Item tr.10. d.16. n.6. & tr.20. d.2.n.5. & d.9. n.4.

Verſ.3. *Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum &c.* tr.11. d.3.n.16. Item tr.19.d.11.n.10. & tr.20.d.17.n.2.

Verſ.4. *Domus repleta eſt fumo*, tr.20.d.2.n.4.

Verſ.5. *Væ mihi quia tacui &c.* tr.15.d.19.n.15. & tr.17.d.3. n.3. & d.5.n.11. & d.8.n.11. & tr.21.d.9.n.1.

Verſ.6. *Volavit ad me unus de Seraphim*, tr.6.d.13. n.9. Item tr.20.d.2.n.7.

CAP. VII.

Verſ.14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, tr.7.d.8.n.3. Item tr.14.d.4.n.13.

Verſ.15. *Butyrum & mel comedet*, tr.16. d.3. n.3.

Verſ.20. *In die illa radet Dominus in novacula*, tr.20.d.12. n.4. & tr.21.d.4.n.8.

CAP. VIII.

Verſ.6. *Pro eo quod abjecit populus iſte aquas Siloe &c.* tr.15. d.21. n. 12.

CAP. IX.

Verſ.6. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus*, tr.3. d.9. n.1. & d.10. n.9. & tr.5.d.8.n.5. Item tr.10.d.23.n.9. & 10.

Verſ.15. *Docens mendacium, ipſe eſt cauda*, tr.2.d.1. n.1.

Verſ.16. *Erunt, qui beatificant populum iſtum ſeducentes &c.* tr.2. d.5. n.13.

CAP. X.

Verſ.27. *In illa die auferetur onus ejus*, tr.16.d.10.n.3.& d.13.n.8

Verſ.eod. *Computreſcet jugum à facie olei*, tr.4.d.17.n.3. & tr. 10. d.27. n.5.

CAP. XI.

Verſ.2. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, tr.20.d.5.n.2.

Verſ.6. *Habitabit lupus cum agno &c.* tr.17.d.14. n.1.

Verſ.8. *Delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis*, tr.19.d.12. n.4.

CAP. XIII.

Verſ.22. *Syrenes in delubris voluptatis*, tr.2.d.5.n.10.& tr.2. d.11.n.2.Item tr.13.d.1.n.15.& d.7.n.7. & tr.15.d.25.n.2.

CAP. XIV.

Verſ.11. *Super te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*, tr.13.d.29.n.5.

Verſ.12. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris*, tr.11.d.7.n.3. Item tr.19.d.1.n.10.

Verſ. 13. *Qui dicebas in corde tuo; in cælum conſcendam &c.* tr.3.d.6.n.1.& 2.tr.3.d.12.n.7. tr.8.d.1.n.5. & tr.3.d.1. per totum, & tr.3.d.18.n.3. Item tr.17.d.9.n.2. & 3.

Verſ.14. *Similis ero Altiſſimo*, tr.3.d.3.n.1. Item tr.11.d.7.n.3. & tr.10.d.29.n.23.

Verſ.15. *Ad infernū detraheris in profundum loci*, tr.3.d.12.n.7.

Verſ.19. *Tu autem projectus es de ſepulchro tuo*, tr.11.d.3.n.9.

Verſ.23. *Ponam eum in poſſeſſionem ericij*, tr.19. d.8. n.12.

CAP. XVIII.

Verſ.2. *Ad populum terribilem*, tr.11.d.6. n.2.

CAP. XIX.

Verſ.1. *Ecce Dominus ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti*, tr.4.d.11. n.2.

CAP. XXII.

Verſ. 12. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum*, tr.9.d.1. n.9.

Verſ.13. *Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos*, ibid.& tr.13. d.10.n.4. & d.14.n.8.

Verſ.18. *Coronans coronabit tribulatione*, tr.10.d.24. n.18.

CAP. XXIII.

Verſ.4. *Erubeſce Sydon, ait mare &c.* tr.8. d.28. n.5. Item tr. 20.d.7. n.4.

CAP. XXIV.

Verſ.16. *Secretum meum mihi*, tr.13.d.31. n.2. & d.35.n.19.

CAP. XXV.

Verſ.6. *Et faciet Dominus omnibus populis in monte hoc convivium pinguium*, tr.16.d.6.n.8. & tr.10.d.11.n.1.

CAP. XXVI.

Verſ.10. *In terra ſanctorum iniqua geſſit*, tr.20.d.8.n.11.

CAP. XXVII.

Verſ.1. *Super Leviathan ſerpentem vectem*, tr.19.d.1.n.6.

CAP. XXVIII.

Verſ.2. *Sicut impetus aquarum multarum inundantium*, tr.13. d.9. n.14.

Verſ.9. *Quem docebit ſapientiam? ablactatos à lacte &c.* tr.14. d.11. n.20.

Verſ.12. *Hæc eſt requies mea, reficite laſſum &c.* tr.16.d.13.n.10

Verſ.20. *Coangustatum eſt ſtratum, ita ut alter decidat*, tr.19. d.8.n.11.

Verſ.21. *Sicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur &c.* tr.20. d.12.n.4.

CAP. XXX.

Verſ.15. *In ſilentio & ſpe eſt fortitudo eorum*, tr.12.d.5.n.3.

Verſ.18. *Expectat Deus, ut miſereatur veſtri*, tr.15.d.13.n.9.

Verſ.26. *Et erit lux lunæ, ſicut lux ſolis*, tr.12.d.6.n.5.

CAP. XXXII.

Verſ.11. *Accingite lumbos veſtros &c.* tr.14.d.18.n.2.

Verſ.17. *Opus juſtitiæ pax*, tr.16. d.11. n.11.

Verſ.18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*, tr.5. d.8. n.5.

CAP. XXXIII.

Verſ.7. *Angeli pacis amare flebunt*, tr.6.d.3.n.14.& tr.6.d.11. n.16.& tr.6.d.2.n.4. Item tr.20.d.11.n.5.

Verſ.12. *Spinæ congregatæ igni comburentur*, tr. 8. d.26. n.3.

Verſ.14. *Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante*, tr.15.d.13. n.15.

Verſ.15. *Qui ambulat in juſtitijs, & loquitur veritatem*, tr.13. d.1.n.6.

Verſ.16. *In excelſis munimenta ſaxorum ſublimitas ejus*, tr.10. d.22. n.7.

Verſ. 20. *Oculi tui videbunt Jeruſalem habitationem opulentam*, tr.10.d.10.n.2. & d.16.n.8.

CAP. XXXIV.

Verſ.13. *Orientur in domibus ejus urticæ & ſpinæ, & erit cubile draconum*, tr.7.d.9.n.23. Item tr.21.d.6.n.8.

CAP. XXXV.

Verſ.10. *Erit lætitia ſempiterna ſuper capita eorum*, tr.10.d.16.n.8

CAP. XXXVI.

Verſ.16. *Comedite unuſquiſque vineam ſuam & ficum ſuam, donec veniam & tollam vos ad terram, quæ eſt ut terra veſtra &c.* tr.8.d.9.n.3. item tr.13.d.7.n.14.

CAP. XXXVII.

Verſ.1. *Scidit veſtimenta ſua, & obvolutus eſt ſacco*, tr.11.d.12. num. 1.

Verſ.3. *Venerunt filij uſque ad partum, & non erat virtus pariendi*, tr.15.d.19.n.4.

Verſ.23. *Cui exprobraſti & quem blaſphemaſti, &c.* tr. 11. d.3. n.3.

CAP. XXXVIII.

Verſ.15. *Recogitabo tibi omnes annos meos &c.* tr.15. d.17. per totum.

CAP. XL.

Verſ.1. *Conſolamini, conſolamini &c.* tr.16.d.18.n.7.

Verſ.6. *Omnis caro fænum*, tr.13. d.11. n.7. & d.27. n.8. item tr.19.d.9. n.12.

Verſ.12. *Qui menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit*, tr.3.d.11.n.4. & tr.7.d.10.n.1.

Verſ.15. *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi &c.* tr.10.d.3. n.10. Item tr.3.d.7.n.9. & tr.8.d.31. n.13.

Verſ.31. *Aſſument pennas, ut aquilæ volabunt &c.* tr.10.d.6. n.9. & 10.

CAP. XLII.

Verſ.2. *Non audietur vox ejus foris*, tr.2.d.8.n.7. Item tr.20. d.12.n.11.

Verſ.3. Calamum quaſſatum non conteret, tr.11. d.12. n.4.
Verſ.eod. Lignum fumigans non extinguet, tr.2. d.8. n.7.
Verſ.14. Tacui, ſilui, patiens fui &c. tr.21. d.11.n.5.

CAP.XLIII.

Verſ.24. Servire me feciſti in peccatis tuis, tr.20.d.7.n.8.
Verſ. eod. Tribuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis, tr.11. d.2. n.7.
Verſ.26. Dic tu prior iniquitates tuas, tr.15. d.4.n.2.

CAP. XLV.

Verſ.5. Accinxi te, & cognoviſti me, tr.8.d.7.n.2.
Verſ.6. Ego Dominus, & non alter, tr.5.d.8. n.5.
Verſ.7. Formans lucem, & faciens pacem, ibid.
Verſ.8. Rorate cæli deſuper &c. tr.16. d.3.n.3.
Verſ.17. Iſraël ſalvatus eſt in Domino ſalute æterna, tr.10.d.9. n.9. & 11.

CAP.XLVI.

Verſ.13. Dabo in Sion Salutem, & in Jeruſalem gloriam meam, tr.7.d.14.n.2. Item tr.15.d.19.n.4.

CAP. XLVII.

Verſ.2. Denuda turpitudinem tuam, tr.14.d.19.n.1.

CAP. XLVIII.

Verſ.18. Utinam attendiſſes mandata mea; & facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, tr.16. d.11. n.11.
Verſ. 20. Egredimini de Babylone, fugite Chaldæos, tr.10. d.19. n.8.
Verſ.22. Non eſt pax impiis, tr.15.d.26.n.6. & tr.16.d.14.n.2.

CAP. XLIX.

Verſ.18. Omnibus his velut ornamento veſtieris, tr.15.d.5.n.1.

CAP. L.

Verſ.11. Ecce igitur vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, tr.13.d.28. n.4.

CAP. LI.

Verſ.3. Ponet deſertum ejus delicias, tr.16. d.6.n.7.
Verſ.23. Incurvare ut tranſeamus, tr.19.d.14. n.9.

CAP. LII.

Verſ.2. Solve vincula colli tui captiva filia Sion, tr.3.d.16.n.4.
Verſ.3. Venumdati eſtis in Ægyptum, tr.11. d.10.n.9.
Verſ.4. In Ægyptum deſcendit populus meus in principio, ibid.
Verſ.5. Numquid mihi eſt hic, dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratis? tr.7. d.10. n.5.
Verſ. eod. Dominatores ejus iniquè agunt, tr.11. d.3. n.5. & d.10. n.9.
Verſ.6. Propter hæc ſciet populus meus nomen meum, locis citat.
Verſ.11. Pollutum nolite tangere, tr.17. d.8.n.2.

CAP. LIII.

Verſ.2. Non eſt ſpecies ei neque decor, reputavimus eum quaſi leproſum, tr.7. d.9. n.7.
Verſ.5. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras &c. tr.15. d.13. n.13.
Verſ.7. Sicut ovis ad occiſionem ducetur, tr.10.d.26.n.8.
Verſ. eod. Quaſi agnus coram tondente &c. tr.20. d.12. n.2.
Verſ.8. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, tr.8. d.11. n.4. Item tr.9.d.18.n.5. & tr.17.d.12.n.8.
Verſ.12. Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, tr.7.d.11.n.13. Itē tr.10.d.14.n.9. & tr.17.d.11.n.5.

CAP. LIV.

Verſ.1. Lauda ſterilis, quæ non parturis, tr.14. d.8.n.10.
Verſ.11. Sternam per ordinem lapides tuos &c. tr.10.d.4.n.9.
Verſ.16. Ecce ego creavi fabrum ſufflantem &c. tr.19.d.2.n.14.

CAP. LV.

Verſ.1. Sitientes venite ad aquas, tr.10.d.29.n.5.
Verſ.9. Sicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt &c. tr.10.d.20.n.3. Item tr.15.d.1.n.13.
Verſ.10. Quo deſcendit imber & nix de cælo, tr.18.d.12. n.2.

CAP. LVI.

Verſ.2. Beatus vir qui facit hoc, tr.20.d.4. n.3.
Verſ.4. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, tr.14.d.7. n.19. & d.9.n.8. & d.13. n.3.
Verſ.5. Nomen ſempiternum dabo eis, locis citat.
Verſ.7. Adducam eos in montem ſanctū meum &c. tr.20.d.5.n.11.
Verſ.10. Speculatores ejus cæci, tr.8.d.12. n.6.

CAP. LVII.

Verſ.8. Suſcepiſti adulterum &c. tr.19.d.8.n.11.
Verſ.14. Præbete iter, auferte offendicula, tr.10.d.30.n.6.
Verſ.20. Impii quaſi mare fervens, tr.16.d.13. n.8.

CAP. LVIII.

Verſ.1. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, tr.1. d.16.n.1. item tr.9. d.1. n.2.
Verſ.3. Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? tr.11.d.2.n.8.
Verſ. eod. Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra &c. tr.1.d.16. per totum, & tr.1.d.2.n.6.
Verſ.4. Ad lites & contentiones jejunatis &c. tr.1.d.16.n.7.
Verſ.6. Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes &c. tr.1. d.17. per totum.
Verſ.7. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam, tr.1.d.2.n.9. & 11.
Verſ.9. Clamabis & dicet: Ecce adſum ſi tu abſtuleris de medio tui catenam, tr.19.d.12. n.3.
Verſ.10. Cum effuderis eſurienti animam ſuam &c. orietur in tenebris lux tua, tr.1.d.6.n.1. & d.16.n.11.
Verſ.11. Implebit ſplendoribus animam tuam, tr.10. d.7. n.5. & d.10. per totum.
Verſ.14. Delectaberis ſuper Domino, tr.9.d.20. n.12.

CAP. LIX.

Verſ.4. Confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, conceperunt laborem, tr. 8.d.31.n.12.
Verſ.5. Telas araneæ texuerunt, ibid.

CAP. LX.

Verſ.3. Ambulabunt Reges in ſplendore ortus tui, tr.10.d.5. per totum.
Verſ.5. Tunc videbis & afflues &c. tr.10. d.7. n.6.
Verſ.18. Contritio in terminis tuis, tr.20.d.6.n.4.
Verſ.19. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, tr. 10. d.4. n.10.

CAP. LXI.

Verſ.1. Spiritus Domini ſuper me &c. tr.15.d.17.n.7.
Verſ.3. Oleum gaudii pro luctu, tr.16.d.8.n.5. & d.17.n.2. & d.18. n.7.
Verſ.7. In terra ſua duplicia poſſidebunt, tr.10.d.7. n.5.

CAP. LXIII.

Verſ.1. Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus? tr.10. d.21.n.10. & d.23.n.7.
Verſ.2. Quare rubrum eſt veſtimentum tuum? tr.4.d.11.n.14.
Verſ.3. Torcular calcavi ſolus, tr.4.d.11.n.11. & 14.
Verſ.4. Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit, tr.4.d.11.n.17.

CAP. LXIV.

Verſ.1. Utinam diſrumperes cælos & deſcenderes, tr.10.d.2.n.5.
Verſ.4. A ſæculo non audierunt &c. quæ præparaſti expectantibus te, tr.10. d.1.n.8. & 12. & d.5.n.7.
Verſ.8. Pater noſter es tu, nos vero lutum, & fictor noſter tu &c. tr.4.d.8.n.12.

CAP. LXV.

Verſ.3. Populus qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam ſemper, tr.13.d.11.n.3.
Verſ.13. Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis, tr.16.d.6.n.6.
Verſ.14. Servi mei lætabuntur, & vos confundemini, ibid. & d.11.n.11.
Verſ.20. Non erit ibi amplius infans dierum & ſenex, tr.10. d.16. n. 3.

CAP. LXVI.

Verſ.1. Cælum mihi ſedes eſt, tr.7.d.7. n.15.
Verſ. eod. Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? tr. 20. d.5. n.1.
Verſ.10. Lætamini cum Jeruſalem &c. tr.16.d.1. n.9.
Verſ.12. Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis, tr.5.d.8.n.5. item tr.10.d.16.n.9. & tr.16.d. 2.n.1. & n.9. & d.4. n.4.
Verſ.19. Annunciabunt gloriam meam gentibus, tr.10.d.30.n.6.
Verſ.20. Et adducent omnes fratres veſtros &c. ibid.
Verſ.24. Egredientur & videbunt cadavera eorum, qui prævaricati ſunt in me, tr.10.d.15. n.13.
Verſ. eod. Vermis eorum non morietur, tr.15.d.24. n.8.

EX PROPHETIA JEREMIÆ.

CAP. I.

Verſ.10. Ecce dedi verba mea in ore tuo &c. tr.13.d.34.n.8.
Verſ.13. Ollam ſuccenſam ego video, & faciem ejus à facie aquilonis, tr.8.d.5.n.13. item tr.18. d.4. n.8.
Verſ.14. Ab Aquilone pandetur omne malum &c. tr.8.d.1. n.5. item tr.19.d.9.n.3. & tr.20.d.14.n.1.
Verſ.18. Ego dedi te hodie in columnam ferream, tr.18.d.16.n.7.

CAP. II.

Verſ.13. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, tr.10.d.19.n.4.
Verſ.eod. Foderunt ſibi ciſternas diſſipatas &c. tr.16.d.9.n.4.
Verſ.18. Quid tibi vis in via Ægypti &c. ibid.
Verſ.19. Arguet te malitia tua &c. tr.15. d.13. n.14. & tr.17. d. 2. n.7.
Verſ.25. Prohibe pedem tuum à nuditate, tr.16. d.13. n.9.
Verſ.27. Dicentes ligno, pater meus es tu &c. tr.11.d.6.n.1.
Verſ. eod. Verterunt ad me tergum, & non faciem, tr.20.d.9. num. 6.

CAP. IV.

Verſ.3. Novate vobis novale, tr.15.d.7. n.19.
Verſ.4. Circumcidimini Domino, ibid.
Verſ.22. Sapientes ſunt, ut faciant mala, tr.17.d.5.n.7.
Verſ.23. Aſpexi terram, & ecce vacua erat, tr.8. d.22. n.3. & d.31. n.7.

CAP. V.

Verſ.5. Ibo ad optimates, & ecce magis hi confregerunt jugum, tr.19.d.10. n.8.
Verſ.6. Percuſſit eos leo de ſylva, tr.15.d.7. n.7.
Verſ.7. Saturavi eos, & mœchati ſunt, tr.8.d.7. n.2.
Verſ.8. Equi amatores &c. unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat, tr.13.d.16.n.23.
Verſ.26. Inventi ſunt in populo meo impii, inſidiantes aucupes, tr.8. d.8. n.3.
Verſ.28. Impinguati ſunt & dilatati, & præterierunt ſermones meos, tr.8. d.7. n.2. & d.8. per totum.

CAP. VI.

Verſ.8. Erudire Jeruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, tr.7. d.13. n.2.
Verſ.11. Laboravi ſuſtinens, tr.15.d.12.n.2.
Verſ.13. A minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent; à Propheta uſque ad Sacerdotem &c. tr.8.d.30. n.9.
Verſ. 23. Crudelis eſt, & non miſerebitur, tr.21. d.7. n.1.

CAP.VII.

Verſ.4. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes templum Domini &c. tr.20. d.11. n.2.
Verſ.11. Numquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta? tr.20.d.10.n.7. & d.15.n.2. & tr.21.d.8.n.8.
Verſ.12. Ite ad locum meum in Silo, tr.20. d.11.n.2.
Verſ.15. Projiciam vos à facie mea, tr.20. d.10.n.7.
Verſ.16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, ne aſſumas pro eis laudem & orationem, tr.13.d.11.n.15. & tr.20.d.10.n.7.
Verſ.18. Mulieres conſpergunt adipem ut faciant placentas Reginæ cæli, tr.13.d.5.n.5.
Verſ.20. Ecce furor meus & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum, tr.13.d.11.n.15.
Verſ.30. Fecerunt malum in oculis meis &c. tr.20.d.10.n.7.

CAP. VIII.

Verſ.17. Ego mittam vobis ſerpentes peſſimos, tr.21.d.6.n.5.

CAP. IX.

Verſ.2. Quis dabit capiti meo aquam &c. tr.17.d.13.n.12.
Verſ.3. Extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacii, tr.11.d.2.n.14. item tr.21.d.6.n.5.
Verſ.4. Unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, tr.17.d.12.n.6.
Verſ.8. In ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias, tr.21.d.7.n.1. & d.12.n.6.
Verſ.21. Aſcendit mors per feneſtras, tr.14.d.19.n.6. & tr.19. d.4. n.3.

CAP. XI.

Verſ.14. Tu ergo noli orare pro populo hoc, tr.20.d.7.n.1.
Verſ.15. Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa, ibid.d.7. per totum, & d.8. n.1. & 12.
Verſ.16. Olivam uberem, pulchram, fructiferam vocavit Dominus nomen tuum, tr.2. d.7. n.12.
Verſ.20. Tu autem judicas juſtè, tr.11. d.1.n.10.

CAP. XII.

Verſ.11. Deſolatione deſolata eſt omnis terra, tr.7. d.1. n.8. item tr.10.d.18.n.8.

CAP. XIII.

Verſ.7. Tuli lumbare, &c. tr.14.d.22.n.12.
Verſ.20. Ubi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? tr. 3.d.10.n.14.
Verſ.21. Habitabunt ibi ſtruthiones & Syrenes, tr.13.d.25.n.8.

CAP. XV.

Verſ.17. Non ſedi cum concilio ludentium, tr.13.d.6.n.5.
Verſ.19. Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris, tr.7.d.14. per totum.
Verſ.eod. Convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos, tr.17.d.4.n.14. & d.11.n.9. & tr.18. d.14. n.5.

CAP. XVII.

Verſ.9. Cor hominis inſcrutabile &c. tr.12.d.2.n.6.
Verſ.16. Ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens, tr. 16. d.13. n.8.
Verſ.25. Ingredientur per portas civitatis hujus Reges & Principes &c. tr.10.d.5. n.1. & 14.

CAP. XVIII.

Verſ.18. Venite percutiamus eum lingua, tr.11. d.8. n.3.

CAP. XX.

Verſ.7. Factus ſum in deriſum tota die, tr.11.d.8.n.4. & tr. 12. d.1. n.10.
Verſ.9. Factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, tr. 11. d.8. n.4.
Verſ.10. Defeci ferre non ſuſtinens, ibid.

CAP. XXII.

Verſ.21. Locutus ſum ad te in abundantia tua; & dixiſti: Non audiam, tr.8. d.7.

CAP. XXVII.

Verſ.2. Fac tibi vincula & catenas: & pones eas in collo tuo, tr.9. d.20. n.2.

CAP. XXIX.

Verſ.23. Mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur, tr.13.d.9.n.13.

CAP. XXX.

Verſ.12. Inſatiabilis fractura tua, peſſima plaga tua, tr.13.d.3. n. 14.

CAP. XXXI.

Verſ.3. In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans, tr.5.d.3.n.10. & tr.4.d.8. per totum.
Verſ.4. Ornaberis tympanis tuis, &c. tr.9.d.15.n.14.
Verſ.14. Inebriato animas Sacerdotum in pinguedine, tr. 16. d. 6. n. 6.
Verſ.22. Fœmina circumdabit virum, tr. 5. d.8.n.3.
Verſ.30. Omnis homo qui comederit uvam acerbam, obſtupeſcent dentes ejus, tr.10.d.18.n.11. Item tr.16. d.15. n.12.
Verſ.37. Si menſurari potuerunt cæli ſurſum, tr.10.d.3.n.1.

CAP. XXXV.

Verſ.2. Vade in domum Rechabitarum &c. tr.1.d.18.n.18.
Verſ.5. Poſui coram illis ſcyphos plenos vino, & dixi ad eos: Bibite vinum &c. ibid.
Verſ.6. Qui reſponderunt: Non bibemus &c. ibid.

CAP. XXXVI.

Verſ.9. Prædicaverunt jejunium in conſpectu Domini omni populo, tr.1. d.14. n.9.

CAP. XLII.

Verſ.11. Nolite timere à facie Regis Babylonis, tr.19.d.14.n.6.

CAP. XLVIII.

Verſ.10. Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine, tr.18.d.3. n.4.

CAP. L.

Verſ.23. Quomodo confractus eſt malleus univerſæ terræ, tr.13. d.21.n.2.
Verſ.33. Calumniam ſuſtinent filii Iſraël, tr.12.d.4. per totum.

CAP. LI.

Verſ.6. Fugite de medio Babylonis, tr.3. d.3. n.3.
Verſ.9. Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam, tr.6.d.10.n.3. & d.16.n.10.
Verſ.45. Egredimini de medio ejus populus meus, tr.10.d.19. num. 8.
Verſ.57. Et inebriabo Principes ejus, & Sapientes ejus, & Duces ejus, tr.9.d.9. n.9.

EX LIBRO THRENORUM.

CAP. I.

Verſ.8. Peccatum peccavit Jeruſalem &c. tr.16.d.14.n.10.
Verſ.9. Sordes ejus in pedibus ejus, tr.16. d.15.n.2.

CAP. II.

Verſ.8. Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum &c. tr.6.d.3.n.14.
Verſ.13. Cui comparabo te &c. magna eſt velut mare contritio tua, tr.4.d.11. n.4. & d.16. n.3. Item tr.10. d.20. n.4. & tr.15.d.3. n.18. & d.10.n.2. & d.22. n.4.
Verſ.14. Prophetæ tui non aperiebant iniquitatem tuam, tr.15. d.3. n.8.
Verſ.19. Effunde ſicut aquam cor tuum, tr.15.d.12. n.10.

CAP. III.

Verſ.10. Urſus inſidians factus eſt mihi, tr.19.d.16.n.7.
Verſ.12. Poſuerunt me quaſi ſignum ad ſagittam, tr.9. d.18. n.12. & tr.11. d.8. n.8.
Verſ.19. Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, tr.9. d.17.n. 3.
Verſ.26. Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei, tr. 20. d.17. n.1.
Verſ.27. Bonum eſt viro cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua, tr.16.d.8.n.7. & tr.17.d.13.n.2.
Verſ.30. Saturabitur opprobriis, tr.2.d.8. n.7.

CAP IV.

Verſ.1. Quomodo mutatus eſt color optimus? tr.7. d.9. n.23.
Verſ. eod. Quomodo diſperſi ſunt lapides ſanctuarii? tr. 20. d.10.n.2.
Verſ.2. Filii Sion &c. reputati ſunt in vaſa teſtea, tr.21.d.8. num. 9.
Verſ.3. Lamiæ nudaverunt mammam &c. tr.17. d.8.n.7.
Verſ.7. Candidiores Nazaræi ejus nive nitidiores lacte, tr.7. d.5.n.8. Item tr.9.d.16.n.7. & tr.17. d.3.n.9.
Verſ.8. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, tr.14. d.21. n. 16.
Verſ. eod. Non ſunt cogniti in plateis &c. tr.9. d.16. n.7. & tr.12. d.6. n.15.

EX PROPHETIA BARUCH.

CAP. III.

Verſ.24. O Iſraël, quam magna eſt domus Domini &c. tr.3. d.2.n.4. & tr.8.d.22. n.7. item tr.10.d.3. per totum.
Verſ.26. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt &c. tr.5.d.7. n.2.

EX PROPHETIA EZECHIELIS.

CAP. I.

Verſ.1. Aperti ſunt cæli, & vidi viſiones Dei, tr.10.d.13. n.3. & d.18.n.3. & d.21. n.3.
Verſ.4. Nubes magna, & ignis involvens, tr.10.d.13.n.3.
Verſ.9. Unumquodque ante faciem ſuam gradiebatur, tr.10. d.13. n.3.
Verſ.12. Unumquodque eorum coram facie ſua ambulabat, tr.16.d.1. n.7.
Verſ.eod. Ubi erat impetus ſpiritus, gradiebantur, ibid. & d.8. n.3. & d.21. n.3.
Verſ.18. Totum corpus oculis plenum in circuitu, tr.10.d.13.n.3.

Verſ.20. Quocumque ibat ſpiritus, illuc & rotæ pariter elevabantur, tr.10. d.13.n.3.
Verſ.21. Cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant, ibid.
Verſ.26. Firmamentum erat imminens capiti eorum, tr.8.d.21. n.14. Item tr.10. d.18. n.3.

CAP. II.

Verſ.5. Domus exaſperans eſt, tr.20.d.18. n.10.
Verſ.9. Ecce manus miſſa ad me &c. tr.16. d.16.n.4.

CAP. III.

Verſ.3. Comedi, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce, ibid.
Verſ.7. Domus Iſraël attrita fronte eſt, tr.17.d.11. n.9.
Verſ.9. Ut adamantem & ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, tr.8. d.9. n.11.
Verſ.17. Speculatorem dedi te domui Iſraël, tr.3.d.10.n.13. & 14.& d.11.n.5. Item tr.18.d.3. n.3.
Verſ.20. Sed & ſi converſus juſtus à juſtitia ſua fuerit &c. ponam offendiculum coram eo, tr.8.d.6.n.10.
Verſ.26. Adhærere faciam linguam tuam palato, tr.15.d.11.n.1.

CAP. IV.

Verſ.1. Tu fili hominis ſumes tibi laterem &c. tr.19.d.5.n.13. & d.11. n.8.

CAP. V.

Verſ.1. Sume tibi gladium acutam, radentem pilos, tr.8. d.11. n.11. Item tr.9. d.20.n.2.
Verſ.5. Iſta eſt Jeruſalem in medio gentium, tr.17.d.5.n.2.
Verſ.17. Immittam in vos beſtias peſſimas, tr.15.d.26. n.10.

CAP. VII.

Verſ.19. Aurum eorum erit in ſterquilinium, tr.8. d.1. n.1. & d.11. per totum.
Verſ.20. Ornamentum monilium ſuorum in ſuperbiam poſuerunt, tr.8.d.23. n.9.

CAP. VIII.

Verſ.3. Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me &c. tr.20. d.7.n.4. & d.11.n.6.
Verſ.5. Leva oculos tuos ad viam aquilonis, tr.20.d.14.n.5.
Verſ.6. Putaſne vides tu abominationes magnas, quas domus Iſraël facit hic &c. tr.20.d.14. n.1.& d.14.n.8.
Verſ.7. Procul recedam à ſanctuario meo, locis citat.
Verſ.9. Vide abominationes peſſimas; quas iſti faciant hic, tr.20.d.8. per totum.
Verſ.14. Ecce mulieres ſedebant plangentes Adonidem, tr. 13. d.29. n.6.
Verſ. 16. Introduxit me in atrium domus Domini, tr. 20.d.9. n. 6.
Verſ. eod. Dorſa habentes contra templum Domini &c. tr.13. d.29.n.6. & tr.9. d.2. n.2.
Verſ.18. Et ego faciam in furore meo, non parcet oculus meus &c. tr.20.d.4.n.8. & d.10.n. 9. & n.11. per totum.

CAP. IX.

Verſ.1. Appropinquaverunt viſitationes urbis, tr.20.d.14. n.1.
Verſ.3. Gloria Domini Iſraël aſſumpta eſt de Cherub, tr.6.d.3. n.3. & tr.20.d.6. n.9.

CAP. X.

Verſ.2. Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherub, & imple manum tuam prunis ignis, tr.6.d.3.n.2.
Verſ.14. Facies una, facies Cherubim, tr.10.d.18. n.3.
Verſ.15. Ipſum eſt animal, quod videram juxta fluvium Chobar, ibid.

CAP. XIII.

Verſ.10. Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis, tr.2. d.5. n.5.
Verſ.18. Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus, ibid. n. 3.
Verſ.19. Violabant me ad populum meum propter pugillam hordei, tr.10.d.3.n.5. item tr.15.d.13.n.14.

CAP. XVI.

Verſ.3. Radix tua & generatio tua de terra Chanaan, tr.13. d.20. n.18.
Verſ.10. Calceavi te Janthino, tr.14.d.22.n.4.
Verſ.12. Dedi inaurem ſuper os tuum &c. tr.21.d.16.n.11.
Verſ.24. Feciſti tibi lupanar, tr.13.d.14. n.10. & d.11.n.14.
Verſ.25. Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, tr.13.d.11.n.14.
Verſ.32. Quaſi mulier adultera &c. tr.19.d.8. n.11.
Verſ.42. Requieſcet indignatio mea in te, tr.13. d.11. n.14.
Verſ.49. Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, & ſaturitas panis & abundantia, tr.1. d.10. n.15. & tr.8. d.3. n.5. item tr.14.d.12. n.7. & d.26.n.9.
Verſ.52. Et tu porta confuſionem tuam, tr.15. d.26.n.4.

CAP. XVIII.

Verſ.2. Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, tr.1. d.18. n.13.
Verſ.22. Omnium iniquitatum ejus non recordabor, tr.15. d.22. n.7.

CAP. XIX.

Verſ.2. Mater tua quaſi leæna, tr.13. d.34. n.12. Item tr.14. d.16.n.2.
Verſ.6. Leo factus eſt, didicit rapere prædam, tr.21.d.7.n.10.
Verſ.19. Fili hominis, pone tibi vias tuas, tr.19.d.16. n.8.
Verſ.21. Stetit in bivio, in capite duarum viarum, ibid.

CAP. XXII.

Verſ.26. Coinquinabor in medio eorum, tr.17.d.3. per totum.

CAP. XXVIII.

Verſ.13. In delicijs Paradiſi Dei fuiſti, tr.20.d.22.n.19. item tr.19.d.1. n.10.
Verſ.14. Tu Cherub, poſui te in monte ſancto Dei, tr.3.d.18. n. 3.
Verſ.16. In multitudine negotiationis tuæ peccaſti, & dejeci te de monte Dei, tr.20.d.8. n.10.

CAP. XXIX.

Verſ.3. Draco magne, dicis: ... Ego feci memetipſum &c. tr.2. d.1. n.2. & tr.13. d.7. n.14.

CAP. XXXI.

Verſ.4. Rivos ſuos emiſit ad omnia ligna regionis, tr.2.d.1.n.2.
Verſ.8. Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei, tr.3. d.1.n.1. item tr.19. d.1.n.10.
Verſ. eod. Omne lignum Paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi, tr.13.d.7. n.10.

CAP. XXXIII.

Verſ.11. Nolo mortem impij, tr.18.d.12.n.9.

CAP. XXXIV.

Verſ.4. Quod fractum erat, non alligaſtis, tr.18.d.13. n.9.

CAP. XXXVI.

Verſ.26. Auferam cor lapideum de carne veſtra, tr.10.d.27. n. 5.
Verſ.27. Et Spiritum meum ponam in medio veſtri, ibid.
Verſ.3. Secundùm ſpeciem quam videram, quando veni ut diſperderem civitatem, tr.18. d.12.n.8.
Verſ.7. Fili hominis, locus ſolij mei, & locus veſtigiorum pedum meorum, tr.20.d.4.n.3.
Verſ.8. Qui fabricati ſunt limen ſuum, juxta limen meum &c. tr.20. d.9.n.8.

CAP. XLIV.

Verſ.2. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur &c. tr.14.d.4. n. 13.
Verſ.21. Vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius, tr.20. d.18. n.9.

CAP. XLVI.

Verſ.9. Qui ingreditur per portam aquilonis, egrediatur per viam portæ meridianæ, tr.20.d.9.n.6.

EX PROPHETIA DANIELIS.

CAP. I.

Verſ. 15. Apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, tr.1. d.15. per totum.
Verſ.17. Pueris his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro, tr.1.d.6. n.13.

CAP. II.

Verſ.1. In anno ſecundo regni Nabuchodonoſor vidit ſomnium, tr.8.d.24. n.10.
Verſ.12. Præcepit Rex, ut perirent omnes ſapientes Babylonis, tr.1. d.6. n.6.
Verſ.19. Tunc Danieli myſterium per viſionem revelatum eſt, ibid.
Verſ.24. Introduc me in domum Regis, & ſolationem Regi narrabo, tr.2.d.12.n.6.
Verſ.25. Inveni hominem de filijs tranſmigrationis Juda &c. ibid.
Verſ.31. Tu Rex videbas, & ecce ſtatua una grandis &c. tr.8.d.23.n.9. & tr.3.d.6.n.9. item tr.21. d.2.n.3.
Verſ.32. Hujus ſtatuæ caput ex auro optimo erat &c. tr.2. d.9.n.10. item tr.14.d.11.n.5.
Verſ.34. Abſciſſus eſt lapis de monte &c. tr.15.d.22. n.9.
Verſ.35. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, &c. ibid.
Verſ.37. Deus cæli regnum & fortitudinem dedit tibi, &c. tr.2.d.9. n.10.
Verſ.38. Tu es caput aureum, ibid.
Verſ.47. Verè Deus veſter Deus deorum eſt, tr.3.d.5. n.9.

CAP. III.

Verſ.1. Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream &c. tr.2. d.9.n.10. & tr.8.d.14. n.4. & 5.
Verſ.3. Tunc congregati ſunt Satrapæ, Duces &c. ut convenirent ad dedicationem ſtatuæ, tr.3.d.5. n.5.
Verſ.15. Quis eſt Deus, qui vos eripiet de manu mea? tr.3. d.5. n.5.
Verſ.39. In animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur, tr.15.d.22.n.8.
Verſ.50. Non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtavit, tr.13. d. 3. n.1.
Verſ.56. Benedictus es Domine in firmamento cæli, tr.5.d.6.n.5.
Verſ.57. Benedicite omnia opera Domini Domino, tr.11. d.4. n. 3.
Verſ.58. Benedicite Deum omnes Angeli ejus, ibid.
Verſ.91. Nonne tres viros miſimus in medium ignis &c. tr.14. d. 3. n.3.

Verſ.94. Nihil poteſtatis habuit ignis in corporibus eorum, tr.14. d.27.n.10.

CAP. IV.

Verſ.2. Cogitationes meæ in ſtrato meo, tr.16.d.17.n.9.
Verſ.11. Succidite arborem, præcidite ramos, &c. tr. 3. d. 17. num.14.
Verſ.31. Poſt finem ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cælum levavi, tr.10.d.18.n.10.

CAP. V.

Verſ.3. Tunc allata ſunt vaſa aurea & argentea, &c. tr. 2.d.11. num. 14.
Verſ.5. In eadem hora apparuerunt digiti quaſi manûs hominis ſcribentis, tr.20.d.10.n.9.& d.12.n.7.
Verſ.6. Regis facies commutata eſt, &c. tr.15.d.25.n.3.
Verſ.9. Unde Rex Balthaſar ſatis conturbatus eſt, &c. tr.9. d.9.n.9.

CAP. VI.

Verſ.4. Principes quærebant occaſionem, ut invenirent Danieli ex latere Regis, &c. tr.2.d.5.n.16.& d.9.n.4. Item tr.10.d.22. n.5. item tr.14.d.15.n.10.
Verſ.18. Abiit Rex in domum ſuam, & dormivit incœnatus, &c. tr.1.d.13.n.8.
Verſ.22. Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, tr.1.d.4.n.4. Item tr.6.d.9.n.8.& tr.12.d.6.n.5.

CAP. VII.

Verſ.10. Millia millium miniſtrabant ei, &c. tr.6.d.1. per totum, & d.13.n.9. Item tr.15.d.17.n.15.& tr.20.d.9.n.4.
Verſ.14. Poteſtas ejus, poteſtas æterna, tr.10.d.16.n.1.

CAP. VIII.

Verſ.12. Juge Sacrificium, tr.4.d.10.n.12.

CAP. IX.

Verſ.3. Poſui faciem meam ad Deum rogare & deprecari jejunijs, tr.1.d.16.n.18.
Verſ.21. Adhuc me loquente, ecce vir Gabriel, &c. tract.6.d.4. num.3.

CAP. X.

Verſ.12. Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres, &c. tr.1.d.6.n.6.& tr. 6. d.14. n.12.
Verſ.13. Princeps regni Perſarum reſtitit mihi, tr.17.d.2.n.1.
Verſ. eod. Ego remanſi ibi juxta Regem Perſarum, tr. 6. d. 2. n.3. Et Ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, ibid.d.2. per totum.
Verſ.14. Miſſus ſum ut docerem te, tr.6.d.13.n.13.

CAP. XIII.

Verſ.3. Exarſerunt in concupiſcentiam ejus, tr.13.d.4.n.11.& d.17.n.20.
Verſ. 9. Et everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, tr.13.d.4. n.11. & d.19.n.6.
Verſ.10. Erant ambo vulnerati amore ejus, tr.13.d.26.n.19.
Verſ. 21. Si hoc egero, mors mihi erit, tr.15.d.26.n.1.
Verſ. 23. Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, tr.12.d.5.n.2.
Verſ.32. Juſſerunt ut diſcooperiretur, tr.14.d.20.n.5.
Verſ.35. Flens ſuſpexit ad cælum, &c. tr.12.d.5.n.2.
Verſ.37. Venit ad eam adoleſcens, &c. tr.14.d.19.n.2.
Verſ.42. Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, &c. tr.12. d. 5. n.3.
Verſ.43. Tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me, ibid.
Verſ.45. Suſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, &c. tr.14.d.8.n.7. & d.19.n.2.
Verſ.54. Dic ſub qua arbore videris eos, &c. tr.14.d.19.n.2.
Verſ.56. Species decepit te, & concupiſcentia ſubvertit &c. tr.13 d. 19. n.6.
Verſ.59. Manet angelus Domini gladium habens, ut interficiat vos, tr.6.d.15.n.14.

CAP. XIV.

Verſ.13. Præcepit Daniel pueris ſuis, & attulerunt cinerem, tr.9.d.20.n.14.
Verſ.33. Dixitque angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes, in Babylonem Danieli, &c. tr.6.d.9.n.8.

EX PROPHETIA OSEÆ.

CAP. I.

Verſ.2. Sume tibi uxorem fornicationum, tr.13.d.11.n.4.
Verſ.3. Accepit Gomer filiam de Belaim, tr.13.d.26.n.8.
Verſ.4. Voca nomen ejus Jezrahel, tr.13.d.11.n.4.
Verſ. eod. Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Jezrael ſuper domum Jehu, tr.3.d.5.n.10.
Verſ.6. Voca nomen ejus abſque miſericordia, tr.13.d.11.n.4.

CAP. II.

Verſ.4. Filij fornicationum ſunt, tr.9.d.7.n.6.& tr.13.d.5.n.2.
Verſ.5. Dixit: Vadam poſt amatores meos, tr.9.d.17.n.5.& d. 25. n. 9.
Verſ.6. Propter hoc ego ſepiam viam tuam ſpinis, tr.4.d.12.n.6. & tr.8.d.25.n.9. Item tr.9.d.17.n.6.
Verſ.10. Et nunc revelabo ſtultitiam ejus in oculis amatorum ejus, tr.9.d.11.n.6.& tr.13.d.25.n.13.
Verſ.11. Et ceſſare faciam omne gaudium ejus, ibid.
Verſ.14. Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor ejus, tr.9.d.15.n.4. Item tr.14.d.21.n.2. & tr.16.d.11.n.3. & tr. 18. d.10.n.10.
Verſ.19. & 20. Sponſabo te mihi in juſtitia & fide, tr.4.d.1. n.11.& tr.7.d.9.n.5 Itē tr.13.d.31.n.10.& tr.9.d.15.n.9.& tr.13 d.15.n.6. Rurſus tr.14.d.1.n.2.& tr.19.d.8.n.11.& tr.20.d.10.n.8.

CAP. III.

Verſ. 1. Adhuc vade & dilige mulierem dilectam amico & adulteram, tr.13.d.17.n.12.
Verſ.2. Fodi eam mihi quindecim argenteis, tr.12.d.17.n.12.

CAP. IV.

Verſ.2. Maledictum, & mendacium, & furtum, tract.18.d.2, num.2.
Verſ. eod. Sanguis ſanguinem tetigit, tr.2.d.10.n.7.
Verſ.8. Peccata populi mei comedent, tr.15.d.20.n.15.
Verſ.10. Comedent, & non ſaturabuntur, fornicati ſunt, & non ceſſaverunt, tr.13.d.27.n.2.
Verſ.11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas, auferunt cor, tr.13. d.17.n.12.& d.19.n.11.

CAP. V.

Verſ.4. Non dabunt cogitationes ſuas ut revertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationis in medio eorum, tr.13.d.20. per totum. Item tr.17.d.10.n.7.
Verſ.11. Calumniam patiens eſt Ephraim, tr.18.d.4.n.2.

CAP. VI.

Verſ.8. Galaad civitas operantium, ſupplantata ſanguine, tr.15. d.4.n.15.

CAP. VII.

Verſ.3. In malitia ſua lætificaverunt Regem, & in mendacijs ſuis principes, omnes adulterantes quaſi clibanus, tr.2.d.9. per totum, & d.10.n.2.
Verſ.4. Omnes fornicantes, velut ardens clibanus, tr.13.d.9.n.6. Et d.12.n.8. & d.27.n.3.
Verſ.9. Alieni comederunt robur ejus, tr.13.d.8.n.13.

CAP VIII.

Verſ.4. Ipſi regnaverunt, & non ex me, tr.3.d.14.n.5.& d.16. num.2.

CAP. IX.

Verſ.9. Profunde peccaverunt, tr.13.d.1.n.15.
Verſ.10. Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt, tr.4. d.3.n.8. Item tr.17.d.1.n.5.

CAP. X.

Verſ.2. Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt, tr.4.d.15. per totum, item tr.19.d.8.n.10.
Verſ.7. Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, ſicut ſpumam ſuper faciem terræ, tr.8.d.24.n.11. tr.3.d.7.n.2.
Verſ.8. Lappa & tribulus aſcendet ſuper aras eorum, tr.8.d.25. num.5.
Verſ.11. Arabit Judas, confringet ſibi ſulcos Jacob, tr.15.d.8.n.3
Verſ.13. Araſtis iniquitatem, tr.15.d.15.n.6.

CAP. XI.

Verſ.3. Ego quaſi nutritius portabam eos, tr.16.d.2.n.10.

CAP. XII.

Verſ. 8. Dixit Ephraim: Dives effectus ſum, inveni idolum mihi, tr.8.d.15.n.3.

CAP. XIII.

Verſ.6. Adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt, & levaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei, tr.8.d.7.n.2.
Verſ.9. Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum, tr.4.d.5.n.2.& d.12.n.4.& tr.15.d.23.n.11.
Verſ.12. Colligata eſt iniquitas Ephraim, tr.1.d.17.n.1.
Verſ.14. Ero mors tua, ô mors, tr. .d.10.n.19.
Verſ. eod. De manu mortis liberabo eos, tr.13.d.9.n.2.

CAP. XIV.

Verſ.3. Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum &c. tr.15.d.2. per totum, & d.9.n.4.
Verſ.5. Sanabo contritiones eorum, &c. tr.15.d.23. per totum.

EX PROPHETIA JOELIS.

CAP. I.

Verſ.17. Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo, tr.13.d.16.n.7. Item tr.15.d.8.n.7.

CAP. II.

Verſ.3. Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, tr.16.d.6.n.7.
Verſ.13. Scindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra, tr.15. d.13. n.7. & d.22.n.10.
Verſ. 15. Sanctificate jejunium, tr.1.d.7. per totum, & d.16 num.4.
Verſ.17. Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes, tr.15. d.9.n.8.
Verſ.20. In fletu & planctu ſcindite corda veſtra, tr.9.d.20. num.14.

CAP. III.

Verſ.18. Montes ſtillabunt dulcedinem, tr.16.d.3.n.3.

## EX PROPHETIA AMOS.

CAP. VI.

*Verſ.1.Væ,qui opulenti eſtis in Sion*, tr.8.d.5.n.9.Item,tr.20.d.15.n.6.& d.18.n.3.

*Verſ.3. Qui ſeparati eſtis in diem malum: qui dormitis in lectis eburneis*,tr.13.d.25.n.3.

*Verſ.4.Væ,qui laſcivitis in ſtratis veſtris*,tr.9.d.18.n.9.& tr.13.d.12.n.1.

*Verſ.5.Qui canitis ad vocem pſalterij*, locis citat.

*Verſ.6.Bibentes vinum in phialis*, tr.9.d.18.n.9.

*Verſ.8. Tradam civitatem cum habitatoribus ſuis*, tr.13.d.12.num.1.

*Verſ.9.Si reliqui fuerint decem viri,& ipſi morientur.*

*Verſ.15.Conteret vos ab introitu Emath*, tr.19.d.2.n.2.

CAP. VII.

Verſ.7. *Hæc oſtendit mihi Dominus , & ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu ejus trulla cementarij*, tr.13.d.24.n.6.& tr.14.d.32.n.4.

## EX PROPHETIA JONÆ.

CAP. I.

*Verſ.5.Miſerunt vaſa in mare*, tr.17.d.9.n.4.

CAP. II.

*Verſ.5.Abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum, rurſus videbo templum ſanctum tuum*, tr.20.d.5.n.10.

CAP. III.

*Verſ.4.Adhuc quadraginta dies,& Ninive ſubvertetur*, tr.9.d.20.n.15.

*Verſ.6. Pervenit verbum ad Regem Ninive , & ſurrexit de ſolio ſuo*,tr.2.d.11.n.13.

*Verſ.9. Homines & jumenta & boves & pecora non guſtent quidquam,nec paſcantur*,tr.1.d.13.per totum.

*Verſ.10.Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt*, tr.1.d.16. n.6.

CAP. IV.

*Verſ.1. Afflictus eſt Dominus afflictione magna, & iratus eſt*, tr.3.d.3.n.9.

*Verſ.2.Scio enim,quia tu Deus clemens es*,ibid.

*Verſ.6. Lætatus eſt ſuper hedera*, tr.16.d.13.n.7.& tr.21.d.8.num.10.

*Verſ.7.Paravit Deus vermem aſcenſu diluculi*,tr.13.d.27.n.10.

*Verſ.eod.Et percuſſit hederam*,tr.16.d.13.n.7.& tr.21.d.8.n.10

## EX PROPHETIA MICHÆÆ.

CAP. I.

*Verſ.2.Dominus de templo ſancto ſuo*, tr.20.d.14.n.4.

*Verſ.9.Deſperata eſt plaga ejus*, tr.13.d.3.n.14.

CAP. II.

*Verſ. 12. Tumultuabunt à multitudine hominum*, tr.10.d.20.num.11.

*Verſ.3.Aſcendit pandens iter ante eos*,tr.10.d.28.n.1.

CAP. IV.

*Verſ.10.Dole & ſatage filia Sion*, tr.15.d.6.n.7.

CAP. V.

*Verſ. 2. Ex te Bethlehem egredietur , qui ſit Dominator in Iſrael*, tr.2.d.9.n.6.&,d.11.n.15.

*Verſ.10.Adhuc ignis in domo impij , theſauri iniquitatis*,tr.8.d.3.n.8.& d.5.n.9.

CAP. VI.

*Verſ.6. Quid dignum offeram Domino?* tr.15.d.2.n.4.

CAP. VII.

*Verſ.19.Deponet iniquitates noſtras* , tr.15.d.2.n.4.

## EX PROPHETIA NAHUM.

CAP. III.

*Verſ.1.Væ civitati ſanguinum*, tr.13.d.12.n.12.

*Verſ.2.Vox flagelli, & vox impetus rotæ,&c.* ibid.

*Verſ.3.Et micantis gladij & fulgurantis haſtæ,&c.* ibid.

*Verſ.4.Corruent in corporibus ſuis propter multitudinem fornicationum*,ibid.

*Verſ.5. Revelabo pudenda tua in facie tua*, tr.15.d.15.n.15.

## EX PROPHETIA HABACUC.

CAP. I.

*Verſ.14.Facies homines quaſi piſces maris*,tr.8.d.2.n.15.

*Verſ.15.Totum in hamo ſuo ſublevavit*,tr.13.d.7.n.5.

*Verſ.16.Cibus ejus electus*, tr.19.d.9.n.1.& n.12.& d.10.n.2.

*Verſ.17.Propter hoc ergo expandit ſagenam ſuam*,tr.8.d.2.n.15 Item tr.19.d.9.n.12. & d.10.n.2.

CAP. II.

*Verſ. 6. Væ ei qui multiplicat non ſua , uſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum?* tr.8.d.1.per totum. Item,tr.8.d.5.n.9.& d.11.n.6. & d.29.n.13.

*Verſ.9.Væ,qui congregat avaritiam malam domus ſuæ*, tr.8.d.7.n.11.

*Verſ.20. Dominus in templo ſancto ſuo , ſileat à facie ejus omnis terra*,tr.20.d.17.per totum.

CAP. III.

*Verſ.5.Ante faciem ejus ibit mors &c.* tr.14.d.19.n.6.& tr.19.d.12.n.2.

*Verſ.8. Qui aſcendis ſuper equos tuos,& quadrigæ tuæ ſalvatio*, tr.6.d.8.n.6.

*Verſ.16.Ingrediatur putredo in oſſibus meis,&c.* tr.10.d.17.n.15. & d.24.n.14.

*Verſ.18. Ego autem in Domino gaudebo*, tr.16.d.4.n.6.& d.8.n.2.&.d.11.n.9.

*Verſ.19. Deus Dominus fortitudo mea,&c.* tr.13.d.32.n.7. & tr.14.d.28.per totum,Item tr.16.d.11.n.9.

## EX PROPHETIA SOPHONIÆ.

CAP. I.

*Verſ.4.Diſperdam de loco hoc reliquias Baal,& nomina æditorum cum ſacerdotibus*, tr.4.d.14.n.15.

*Verſ.5.Et eos qui adorant ſuper tecta,militiam cæli,&c.* ibid.

*Verſ.9.Viſitabo ſuper omnem , qui arroganter ingreditur ſuper limen*,tr.20.d.10.n.4. & d.18.n.3.

CAP. III.

*Verſ.14.Jubila, lætare, & exulta in omni corde,&c.* tr.16.d.8.per totum.

## EX PROPHETIA AGGÆI.

CAP. I.

*Verſ.6.Seminaſtis multum,& intuliſtis parum*, tr.20.d.5.n.8.

*Verſ.eod.Qui mercedes congregavit , miſit eas in ſacculum pertuſum*, tr.8.d.24.n.3.

*Verſ.9.Domus mea deſerta eſt*, tr.20.d.14.n.11.

CAP. II.

*Verſ. 12. & 13.Interroga ſacerdotes legem,dicens:Si tulerit homo carnem ſanctificatam,... & tetigerit*, tr.17.d.5.n.11.

*Verſ.19.Ponite corda veſtra... à die,qua fundamenta jacta ſunt templi Domini*, tr.20.d.5.n.8.

## EX PROPHETIA ZACHARIÆ.

CAP. II.

*Verſ.4.Curre,loquere*, tr.6.d.16.n.10.

*Verſ.5.Ego ero ei murus ignis*, tr.14.d.12.n.21.

*Verſ.10.Jucundare filia Sion*, tr.16.d.3.n.3.

CAP. III.

*Verſ.1.Oſtendit mihi Dominus Jeſum ſacerdotem magnum, & Satan ſtabat à dextris ejus*, tr.19.d.11.n.19.

*Verſ.2.Increpet Dominus in te Satan*, tr.11.d.3.n.16.

*Verſ.eod. ad 6.uſque. Oſtendit mihi Dominus Jeſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram Angelo Domini,&c.* tr.6.d.3.n.16.

*Verſ.9.Super lapidem unum, ſeptem oculi ſunt*, tr.6.d.4.n.6.

CAP. IV.

*Verſ.10.Septem iſti oculi ſunt Domini , qui diſcurrunt in univerſam terram*, tr.6.d.4.n.6.

CAP. V.

*Verſ.5.Leva oculos tuos, & vide, quid eſt hoc quod egreditur*, tr.15.d.20.n.7.

*Verſ.6.Hæc amphora egrediens*,ibid.

*Verſ.7.Ecce talentum plumbi portabatur,&c.* tr.13.d.1.n.5.& d.2.n.7.& d.7.n.11. Item tr.15.d.20.n.7.& tr.16.d.13.n.1.

*Verſ.8.Et dixit,hæc eſt impietas*,tr.13.d.1.n.5.

*Verſ.eod.Miſit maſſam plumbeam in os ejus*, tr.15.d.20.n.7.

*Verſ.9.Ecce duæ mulieres egredientes,&c. & levaverunt amphoram inter cælum & terram*, tr.8.d.3.n.9.

*Verſ.10.Quo iſtæ deferunt amphoram?* ibid.

*Verſ.11.Ut ædificetur ei domus in Sennaar*, ibid.

CAP. VII.

*Verſ.5.Cum jejunaretis,numquid jejunium jejunaſtis mihi? &c.* tr.1.d.17.n.12.& tr.1. d.2.n.8.

*Verſ.6.Numquid,cum comediſtis & bibiſtis,vobis comediſtis & bibiſtis?* locis citat.

CAP. IX.

*Verſ. 8. Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi*, tr.20.d.3.n.2.

*Verſ.9.Exulta ſatis filia Sion*,tr.16.d.3.n.3.

*Verſ.17.Quid pulchrum ejus niſi frumentum electorum , & vinum germinans virgines*,tr.6.d.15.n.16. & tr.7. d.10.n.4. Item tr.10.d.26.n.2.& tr.13.d.35.n.14.& tr.14.d.2.n.9.& d.7.n.6. & d.27.n.13.

CAP. XII.

*Verſ.10.Aſpicient ad me quem confixerunt*,tr.11.d.8.n.4.& 6.

CAP. XIII.

*Verſ.1.Erit fons patens domus David*, tr.15.d.1.n.8.

*Verſ.6.Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* tr.4.d.11.n.23.& tr.7.d.10.n.14.

*Verſ.eod.His plagatus ſum in domo eorum , qui diligebant me.* tr.9.d.18.n.5.

## EX PROPHETIA MALACHIÆ.

CAP. I.

*Verſ.6.Si ergo Pater ego ſum , ubi eſt honor meus?* tr.11.d.4.n.4. & 7.

CAP. II.

*Verſ. 10. Numquid non Pater unus omnium noſtrum? numquid non Deus unus creavit nos,&c.* tr.5.d.5.n.7.

*Verſ. 17. Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris*, tr.11.d.2.n.7.

## EX LIBRO I. MACHABÆORUM.

CAP. I.

*Verſ. 21. Convertit Antiochus poſtquam percuſſit Ægyptum, &c.* tr.19.d.10.n.8.

*Verſ.23.Intravit in ſanctificationem cum ſuperbia* , tr.20.d.10.num.8.

*Verſ.eod.Accepit altare aureum & candelabrum luminis*, tr.7.d.1.n.9.

CAP. II.

*Verſ.51.Mementote operum Patrum* , tr.16. d.20. n.9.

CAP. III.

*Verſ.47.Jejunaverunt illa die* , tr.1.d.14.n.9.

CAP. IV.

*Verſ.56.Fecerunt dedicationem altaris diebus octo* , tr.20.d.5.num.5.

CAP. VI.

*Verſ.40.Diſtincta eſt pars exercitûs Regis per montes* , tr.19.d.3.n.1.

CAP. VII.

*Verſ.36.Et intraverunt Sacerdotes &c. & flentes dixerunt*, tr.11.d.6.n.7.

*Verſ.37. Tu Domine elegiſti domum iſtam,&c.* ibid.

*Verſ.38.Fac vindictam in homine iſto,&c.* ibid.& d.2.n.10.

*Verſ. 42. Sic contere exercitum iſtum in conſpectu tuo hodiè* , tr.11.d.2.n.10.

*Verſ.43.Contrita ſunt caſtra Nicanoris,& cecidit ipſe primus*, ibid.

CAP. X.

*Verſ.43.Quicumque confugerint in templum,&c. dimittantur*, tr.20.d.1.n.8.

CAP. XIII.

*Verſ.27. Ædificavit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui ædificium altum viſu,lapide polito*, tr.3.d.7.n.10.

## EX LIBRO II. MACHABÆORUM.

CAP. III.

*Verſ.10. Oſtendit depoſita eſſè hæc , & victualia viduarum*, tr.20.d.3.n.9.

*Verſ.24. Spiritus Omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis evidentiam*, ibid.d.11.n.5.

*Verſ.26.Apparuerant duo juvenes*, ibid.

*Verſ.27.Subitò Heliodorus concidit in terram*, ibid.

CAP. IV.

*Verſ.9.Conſtituit Ephebiam ſibi conſtituere*, tr.13.d.6.n.19.

CAP. V.

*Verſ.26.Omnes qui ad ſpectaculum proceſſerant , trucidavit*, tr.9.d.3.n.1.

CAP. VI.

*Verſ.1.Miſit ſenem quemdam Antiochenum , qui compelleret Judæos*, tr.13.d.5.n.5.

*Verſ.4. Templum luxuria & commeſſationibus Gentium erat plenum*, ibid.

CAP. VII.

*Verſ.22. Neſcio,qualiter in utero meo apparuiſtis; neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis,&c.* tr.4.d.8.n.12. Item tr.15.d.13.n.8.

*Verſ.23. Sed mundi Creator*, tr.15.d.13.n.8,

*Verſ.28.Peto nate,ut aſpicias ad cælum*, tr.10.d.22.n.17.

CAP. IX.

*Verſ.5.Percuſſit eum inſanabili & inviſibili plaga*, tr.20.d.10.num.8.

*Verſ.8. Is , qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, nunc humiliatus in geſtatorio portabatur* , tr.3.d.17.n.10. Item tr.11.d.13.n.8.

*Verſ.9.Ita ut de corpore impij vermes ſcaturirent* , ibid. & d.5.num.7.

*Verſ.12.Juſtum eſt ſubditum eſſè Deo*,tr.11.d.13.n.8.

*Verſ.13.Orabat hic ſceleſtus Dominum,&c.* ibid.& d.5.n.7.

*Verſ.eod.A quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*,tr.20.d.10.num.8.

*Verſ.14.Civitatem promittebat liberam reddere*, ibid.

*Verſ.16.Templum ſe optimis donis ornaturum,&c.*ibid.

*Verſ.19.& ſeqq.Optimis civibus Judæis plurimam ſalutem,&c.* tr.11.d.5.n.7.

*Verſ.28. Igitur homicida & blaſphemus miſerabili obitu vita functus eſt*,tr.20.d.10.n.8.

CAP. X.

*Verſ.34.Hi qui intus erant,loci firmitate confiſi , ſupra modum maledicebant*,tr.11.d.11.n.13.

*Verſ.35. Viginti juvenes accenſi animo propter blaſphemiam , viriliter acceſſerant,&c.* ibid.

*Verſ.38. In hymnis & confeſſionibus benedicebant Dominum*, ibid.

CAP. XV.

*Verſ.2. Ne ita ferociter & barbarè feceris, ſed honorem tribue diei ſanctificationis*, tr.11.d.2.n.10.

*Verſ.3.Si eſt potens in cælo,qui imperavit,&c.* tr.11.d.2.n.10.& d.9.n.8.

*Verſ.4.Eſt Dominus vivus ipſe in cælo potens*, ibid.

*Verſ.5.Et ego potens ſum ſuper terram,qui impero ſumi arma*, ibid.

*Verſ. 22. Tu Domine,qui miſiſti Angelum tuum ſub Ezechia Rege,&c.* tr.11.d.9.n.8.

*Verſ.32.Oſtenſo capite Nicanoris & manu nefaria,&c.* tr.11.d.2.n.11.

*Verſ.33.Linguam etiam impij Nicanoris præciſam,&c.*ibid.

## EX EVANGELIO S. MATTHÆI.

CAP. I.

*Verſ.1. Liber Generationis Jeſu Chriſti, filij David* , tr.10. d.23. n.5.

*Verſ.6. David genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ* , tr.14.d.19.n.6.

*Verſ.24. Exurgens autem Joſeph fecit , ſicut ei præcepit Angelus Domini*, tr.6.d.14.n.15.

CAP. II.

*Verſ.2.Ubi eſt,qui natus eſt Rex Judæorum* , tr.2.d.9.n.6.& 8. n.11.& d.11.n.15.

*Verſ.3. Turbatus eſt Herodes , & omnis Jeroſolyma cum ipſo*, tr.2.d.12.n.5.

*Verſ.6. Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda,&c.* tr.2.d.12.n.15.

*Verſ.11.Procidentes adoraverunt eum*,tr.20.d.9.n.5.

*Verſ.eod.Apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera,&c.* tr.8.d.19.n.4.

*Verſ.14.Seceſſit in Ægyptum*, tr.4.d.11.n.2.

*Verſ.16.Mittens,occidit omnes pueros* , tr.3.d.2.n.6.

*Verſ.23.Nazaræus vocabitur*, tr.14.d.12.n.6.

CAP. III.

*Verſ.2.Pœnitentiam agite , appropinquavit enim regnum cælorum* , tr.10.d.2.n.6. & d.28.n.2. & d.21.n.2.& 5.& d.28.n.11. Item, tr.14.d.7.n.13.

*Verſ.3.Ego vox clamantis in deſerto*, tr.13.d.4.n.7.

*Verſ.5.Tunc exibat ad eum Jeroſolyma,& omnis Judæa*,tr.10.d.28.n.11.

*Verſ.12.Cujus ventilabrum in manu ſua*, tr.15.d.13.n.15.

*Verſ.16. Ecce cæli aperti ſunt ei,&c.* tr.1.d.4.n.9.& tr.6.d.5.num.18.

*Verſ.17.Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui*, tr.1.d.4.n.9.& tr.3.d.1.n.9.& tr.4.d.9.n.12.

CAP. IV.

*Verſ.1.Ductus eſt Jeſus in deſertum,ut tentaretur à Diabolo*, tr.1.d.11.per totum,& tr.1.d.7.n.8. item,tr.9.d.1.n.10.& tr.19.d.17.n.7.

*Verſ.2. Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit* , tr.3.d.1.n.9. & tr.1.d.11.per totum , & tr.1.d.18.per totum.

*Verſ.3.Si filius Dei es,dic ut lapides iſti panes fiant*, tr.3.d.1.n.9.tr.1.d.4.n.9.tr.1. d.11. n.2.tr.2.d.1.n.1.tr.8.d.4.n.12. Item tr.11.d.12.n.4.& tr.19.d.7.n.4.& d.17.n.10.

*Verſ.4. Scriptum eſt enim : Non in ſolo pane vivit homo,&c.* tr.7.d.10.n.18. Item tr.19.d.17.n.9.

*Verſ.4.Statuit eum ſuper pinnaculum templi*,tr.19.d.9.n.9.

*Verſ.6. Mitte te deorſum* , tr.19.d.3.n.7.& d.14.n.7.& d.17.num.7.

*Verſ.7.Non tentabis Dominum Deum tuum ,ſcriptum eſt:Non in ſolo pane vivit homo*,tr.19.d.15. per totum,& d.17.n.7.

*Verſ.8.Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde,&c.* tr.3.d.9.n.12.& d.3.per totum,& tr.7.d.11.n.15.

*Verſ. eod.Oſtendit ei omnia regna mundi*, tr.19.d.9.n.8.

*Verſ.9.Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*, tr.8.d.7.n.3.& tr.8.d.10.n.7.& d.15.n.16.& loc.citat.& tr.3.d.3. per totum, Item,tr.10.d.23.n.7.Item,tr.19.d.9.n.8.& d.17.n.10.

*Verſ.10.Vade Satana, ſcriptum eſt enim*, tr.11.d.12.n.4. Item tr.17.d.9.n.9. & tr.21.d.12.n.3.

*Verſ. 11. Angeli acceſſerunt,& miniſtrabant ei* , tr.1.d.4.n.6.& tr.6.d.8.n.15.

*Verſ.17.Exinde cœpit Jeſus prædicare,&c.* tr.10.d.2.n.6. & d.21.n.2.& 5.

*Verſ.18.Ambulans Jeſus ſupra mare Galilææ , vidit duos fratres.&c.* tr.5.d.7.n.8.

*Verſ.19.Venite poſt me,& faciam vos fieri piſcatores hominum*, ibid.& tr.10.d.17.n.2.

CAP. V.

*Verſ.1.Videns Jeſus turbam, aſcendit in montem*, tr.12.d.3.n.1.

*Verſ.3.Beati pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*,tr.8.d.7.n.14.tr.8.d.6.n.13.& tr.7.d.18.n.4.Item tr.10.d.5.n.14.& d.25.n.13.& d.29.n.18.& tr.14.d.7.n.2.

Verſ.5.Beati qui lugent,quoniam, &c. tr.10.d.5.n.14.& d.25. n.13.& d.29.n.18.& d.8 n.15.& d.25.n.3. & d.13.n 4. Item tr.16.d.5.n.6.& d.17.n.2.& n.7.
Verſ.8.Beati mundo corde, locis cit.& d.29.n.15.
Verſ.9.Beati pacifici,quoniam,&c. locis citat.& d.28.n.17.
Verſ.11.Beati eſtis cum maledixerint vobis &c. tr.11.d.5.n.19. & tr.12.d.3.per totum.
Verſ.12.Gaudete & exultate,quoniam,&c. tr.12.d.3.n.1.
Verſ.13.Vos eſtis ſal terræ,tr.18.d.13.per totum.
Verſ.14.Vos eſtis lux mundi, tr.14.d.10.n.4.& 16.
Verſ.17.Non veni ſolvere legem,ſed adimplere,tr.17.d.4.n.6.
Verſ.18.Scriptum eſt : Non adulterabis , tr.14.d.18.n.1.
Verſ.20. Niſi abundaverit juſtitia veſtra , &c. tr.9.d.6.n.7.& tr.10.d.21.n.5.
Verſ.25.Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via cum eo, &c. tr.6.d.6.n.14.Item,tr.15.d.25.n.7.
Verſ.26.Non exies,donec reddas,&c. ibid.
Verſ.27. Dictum eſt antiquis : Non Machaberis , tr.14.d.20. per totum.
Verſ.28.Ego autem dico vobis,&c. ibid.
Verſ.29. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te , erue eum, &c. tr.13.d.31.n.9.Item,tr.17.d.8.n.4.
Verſ.39.Noli reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit,&c. tr.12. d.2.n.6.
Verſ.44.Diligite inimicos veſtros,&c. tr.4.d.14.n.16.
Verſ. eod. Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, tr. 12. d.7. n.7.
Verſ.45. Ut ſitis filij Patris veſtri , qui in cœlis eſt,qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos , tr.2.d.8.n.7.

CAP. VI.

Verſ.6.Intra in cubiculum tuum,& clauſo oſtio ora,&c. tr.20. d. 4. n. 3.
Verſ.9.Pater noſter,qui es in cœlis : Sanctificetur nomen tuum, tr.10.d.23.n.11. & tr.11.d.4.n.4.& tr.10.d.1.n.15.& tr.11.d.13. n.3. Item tr.16.d.10.n.4.& tr.19.d.10.n.10.
Verſ.10.Adveniat regnum tuum.Fiat voluntas tua, tr.10.d.23. n.11.d.29.n.14.& d.29.n.3.& tr.10.d.2.n.9. & n.14. & d.7.n.8. & 10. Item tr.19.d.17.n.2.
Verſ.12.Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut,&c. tr.13.d.1.n.4 Item,tr.15.d.25.n.6.
Verſ.13. Et ne nos inducas in tentationem,&c.tr.19.d.17.n.2. & d.18. per totum,& tr.14.d.14.n.11.
Verſ.eod.Sed libera nos à malo , tr.13.d.1.n.4.
Verſ.17.Tu autem cum jejunas,unge caput tuum , tr.1.d.2.n.10. & 12.& tr.1.d.16.n.2.
Verſ.20.Theſaurizate vobis theſauros in cœlo ? &c. tr.7.d.1. n.14.& d.19.n.6.& tr.4.d.4.n.8. Item,tr.10.d.19.n.12.
Verſ.21.Ubi eſt theſaurus tuus,ibi eſt & cor tuum, tr.8.d.16.n.6. & tr.7.d.7.n.27.
Verſ.24. Nemo poteſt duobus Dominis ſervire,&c. tr.4.d.14. n.8.& 11.& 16.& tr.8.d.15.n.4. Item,tr.19.d.8.n.3.& 11.
Verſ.26. Reſpicite volatilia cœli , Pater veſter cœleſtis paſcit illa, tr.4.d.7.n.2.
Verſ.33.Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus,tr.10. d.1.n.13.& d.2.per tot. &.d.1.n.15.& d.2.n.5.

CAP. VII.

Verſ.3.Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui,&c.tr.18 d.17.per totum.
Verſ.7.Petite,& dabitur vobis ; quærite,& invenietis , tr.10. d.1. n.15.
Verſ.8.Omnis qui petit,accipit,tr.20.d.4.n.7.
Verſ.12.Quæcumque vultis ut faciant vobis homines , & vos facite illis,tr.5.d.3.n.6. & d.9.n.6.
Verſ.13.Intrate per anguſtam portam,tr.3.d.5.n.2.Item,tr.10. d.26.n.11.& tr.17.d.2.n.10.
Verſ.14. Quam anguſta porta,& arcta via eſt , tr.4.d.17.n.4. & tr.7.d.16.n.13.Item,tr.10.d.26.n.11.
Verſ. 15. Attendite à falſis Prophetis, tr.21.d.9.n.1.&.d.15. n.10. & tr.17.d.1.n.6.
Verſ.21.Non omnis qui dicit,Domine,Domine,&c. t.10.d.27.n.2
Verſ.22. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, &c. nonne in nomine tuo prophetavimus,&c. Et tunc confitebor illis, tr.9.d.6.n.12. & tr.19.d.20.n.11.

CAP. VIII.

Verſ.3.Extendens manum tetigit eum, tr.17.d.4.n.6.
Verſ.5.Acceſſit ad eum Centurio,rogans eum , tr.2.d.5.n.8.
Verſ.11.Multi ab Oriente & Occidente venient , & recumbent cum Abraham,tr.20.d.9.n.7.
Verſ.12.Ibi erit fletus & ſtridor dentium,tr.13.d.7.n.15.
Verſ.16.Ejiciebat ſpiritus verbo , tr.14.d.33.n.14.
Verſ.19.Accedens unus Scriba,ait : Magiſter ſequar te, tr.17. d.1.n.9.
Verſ.20. Vulpes foveas habent,& volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput ſuum , tr.10.d.23.n.10. Item,tr.17.d.1.n.9.
Verſ.21. Permitte me primum ire & ſepelire patrem meum, tr.2.d.6.n.4.
Verſ.22. Jeſus autem ait illi:Sequere me,& dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos, ibid.item,tr.17.d.14.n.9.
Verſ.23.Aſcendente eo in naviculam , ſecuti ſunt eum diſcipuli, tr.18.d.10.n.7.
Verſ.24.Motus magnus factus eſt in mari,tr.17.d.9.n.2.
Verſ.28.Duo habentes dæmonia ſævi nimis , tr.17.d.10.n.7.& tr.19.d.1.n.6.
Verſ.29.Quid nobis,& tibi, Jeſu fili David ? tr.9.d.12.n.13.
Verſ.eod.Veniſti huc ante tempus torquere nos. tr.19.d.2.n.3.& d. 6. n. 11.
Verſ.31.Si ejicis nos hinc,mitte nos in gregem porcorum , tr.13. d.7.per totum, & tr.19.d.13.n.12.
Verſ.eod.Et ait illis : Ite , tr.13.d.7.per totum.

CAP. IX.

Verſ.2.Confide fili,remittuntur tibi peccata tua, tr.7.d.17.n.4. Item,tr.13.d.14.n.4.
Verſ.5. Quid eſt facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, an,&c. tr.15.d.3.n.1.
Verſ.eod.Surge tolle lectum tuum, tr.13.d.14.n.4.
Verſ.6.Ut autem ſciatis,&c. tr.15.d.3.n.1.
Verſ.7.Surrexit & abiit, ibid.
Verſ.8.Glorificaverunt Deum,qui dedit poteſtatem talem hominibus, ibid. d.3.per totum.
Verſ.9.Vidit hominem ſedentem in telonio , Matthæum nomine, tr.8.d.9.n.13.Et ait illi : Sequere me,tr.8.d.30.n.14. Item,tr.16. d.12. n.4.
Verſ.11.Cum publicanis & peccatoribus manducat, tr.13.d.33. num.8.
Verſ.12.Non eſt opus valentibus medicus,tr 8.d.7.n.10. & tr.7. d.17.n.4.Item,tr.14.d.7.n.8.& tr.17.d.11.n.7.& tr.18.d.11.n.1.
Verſ.13.Miſericordiam volo & non ſacrificium , tr.17.d.1.n.9. & d.12.n.8.
Verſ.15.Numquid poſſunt filij ſponſi lugere quamdiu cum illis ſponſus eſt ? tr.16.d.8.n.2.
Verſ.20.Et Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur,tr.9. d.18.n.3.
Verſ.eod.Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti ejus,tr.15.d.20. num.2.
Verſ.23.Cum vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem,dixit : Recedite, tr.2.d.6.n.3.Item tr.14.d.23.n.5.
Verſ.25.Intravit,& ſurrexit puella, tr.2.d.6.n.4.
Verſ.31.Dicebant de exceſſu ejus,quem completurus erat in Jeruſalem, tr.10.d.8.n.8.

CAP. X.

Verſ.1.Dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, tr.10.d.17. n.8.& d.10.n.9.
Verſ.6.Ite potius ad oves, quæ perierunt domus Iſrael , tr.17. d.6.n.12.
Verſ.7. Euntes autem prædicate dicentes : Appropinquavit regnum cœlorum, tr.10.d.29.n.7.
Verſ.14.Quicumque non receperit vos , exeuntes, excutite pulverem de pedibus veſtris, tr.8.d.13.n.12.
Verſ.16.Mitto vos ſicut oves in medio luporum, tr.5.d.7.n.12.& tr.7.d.19.n.4.
Verſ.eod.Eſtote prudentes ſicut ſerpentes , tr.17.d.10.n.10.
Verſ.23. Cum perſequentur vos in civitate illa , fugite in aliam, tr.14.d.29.n.4.
Verſ.26.Nihil occultum quod non revelabitur, tr.15.d.15.n.15.
Verſ.28. Nolite timere eos , qui occidunt corpus , animam autem non poſſunt occidere,tr.7.d.15.n.12.
Verſ.eod. Timete eum, qui poteſt & corpus & animam perdere &c. tr.19.d.2.n.13.& d.18.n.2.
Verſ.30.Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt,tr.7.d.13. numer.20.
Verſ.36. Inimici hominis domeſtici ejus, tr.8.d.29.n.13. Item tr.17.d.12.n.6.
Verſ.37.Qui amat patrem & matrem plus quam me,non eſt me dignus , tr.4.d.14.n.3.
Verſ. 42. Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ,non perdet mercedem ſuam, tr.4.d.3.n.7. Item, tr.10.d.27.n.13.

CAP. XI.

Verſ.3.Tu es qui venturus es,an alium expectamus, tr.21.d.4. num.5.
Verſ.7. Quid exiſtis in deſertum videre,arundinem vento agitatam ? tr.2.d.2.n.7.
Verſ.8.Quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur,in domibus Regum ſunt, tr.2.d.10.n.1.& 2.
Verſ.11 Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta, tr.1.d.7.n 12.
Verſ.12 A diebus Joannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur,& violenti rapiunt illud,tr.1.d 5.n 7.& tr.8 d.20.n 11.item tr.10.d 20 per tot.& d 29.n.18 & tr.14 d 7.n 13.& d.23.n 7.
Verſ 18 Venit Joannes neque bibens,neque manducans,tr.1.d 4. n. 7. Item, tr. 14.d 24 n 12.& d 35 n 5
Verſ 28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,tr 10 d,27.n.5. Item, tr.17.d.1.n.9.& tr.16.d.5.n.9.& d.13.per tot.
Verſ.29.Tollite jugum meum ſuper vos,&c. tr.4.d.17.n.3. & tr.3.d.18.n.5.& tr.2.d.8.n.7. Item tr.11.d.7.n.6.& d.12.n.4.& tr.16.d.1.n.6.& d.5.n.7.& d.11.n.2.& tr.19.d.3.n.7. Denique tr.20.d.12. n.8.
Verſ.30.Jugum enim meum ſuave eſt,& onus meum leve, tr.4. d.17.n.3.Item tr.11.d.7.n.6.& d.12.n.4.& tr.10.d.22.n.7. Item tr.16.d.3.n.1.& d.10.per totum,& d.11.n.2.

CAP. XII.

Verſ. 9. Et cum inde tranſiſſet venit in Synagogam eorum, tr.12.d.7.n.7.
Verſ.28. Si in digito Dei ejicio dæmonia , pervenit in vos regnum Dei,tr.10.d.29.n.8.Item tr.21.d.11.n.9.
Verſ.29.Quomodo poteſt quisquam intrare in domum fortis &c. tr.19.d.12.n.4.
Verſ.31.Spiritus blaſphemiæ non remittetur, tr.11.d.5.n.11.
Verſ. 32. Qui peccat in Spiritum Sanctum non remittetur ei, tr.11.d.4 n.12.& d.5.n.5.
Verſ.34. Progenies viperarum,quomodo poteſtis bona loqui &c. tr.21.d.11 .n.10.
Verſ.35.Bonus homo de bono theſauro profert bona &c. tr.14. d.19.n.13.
Verſ.36. Omne verbum otioſum , quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem, ibid.
Verſ.37. Ex verbis tuis juſtificaberis, & condemnaberis,tr.14. d.19.n.13.
Verſ.38.Magiſter, volumus à te ſignum videre , tr.2.d.1.n.10. & d.7.n.14.
Verſ.39.Generatio mala & adultera,tr.2.d.7.n.14.
Verſ.42.Ecce plus quam Salomon hic,tr.7.d.17.n.7.Item tr.10 d.15.n.2.
Verſ.43.Cum autem immundus Spiritus exierit ab homine,tr.14 d.16.n.8.& d.26.n.4.& tr.19.d.2.n.5.
Verſ.44. Revertar in domum meam unde exivi , tr.14.d.26. num.4.
Verſ.45.Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe , tr.2.d.1.n.10.& tr.14.d.26.n.4.
Verſ.50.Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt,ipſe meus frater,& ſoror & mater eſt,tr.7.d.9.n.10.

CAP. XIII.

Verſ.1. Exiens Jeſus de domo , ſedebat ſecus mare , tr.11.d.5. num.12.
Verſ.4.Volucres cœli comederunt ea, tr.11.d.7.n.14.
Verſ. 8. Alia ceciderunt in terram bonam,&c. tr.14.d.8. per totum.
Verſ.24. Simile factum eſt regnum cœlorum homini qui ſeminavit bonum ſemen in agro, tr.10.d.28.n.12.
Verſ.25. Cum autem dormirent homines,venit inimicus ejus,& & ſuperſeminavit zizania , tr.15.d.17.n.6.& tr.19.d.9. per totum,& d.14.n.9.& tr.21.d.10.per totum.
Verſ.28. Inimicus homo hoc fecit , tr.17.d.1.n.7.& tr.19.d.1. num. 6.
Verſ.29. Et ait , ne forte colligentes zizania eradicetis & triticum,loc.cit.& tr.17.d.14.n.7.& d.7.n.9.& d.11.n.4.
Verſ.30. Sinite utraque creſcere &c.tr.19.d.15.n.7.
Verſ. eod. Triticum congregate in horreum meum , tr.7. d.10. num.4.
Verſ.31. Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis , tract.10. d.27.n.11.
Verſ.33. Abſcondit in farinæ ſatis tribus , donec fermentatum eſt totum,tr.17.d.4.n.13. & tr.10.d.28.n.12.
Verſ.43.Juſti fulgebunt ſicut Sol,ibid.tr.10.d.6.per totum.
Verſ. 44. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro,tr.7.d.3.n.15.& tr.14.d.11.n.1.& tr.16.d.7.n.6. Item tr.10. d.28.n.12. & d.10.n.8.
Verſ.45. Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori &c. tr.7.d.11.n.6.& tr.4.d.3.n.5. Item tr.10.d.30.n.1.d.5.n.9. & tr. 14. d.11. n.2.
Verſ.46. Inventa una pretioſa margarita , abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit eam , tr.7.d.11.n.6. & tr.4.d.3.n.5. & tr.10.d.14.n.9.Item tr.14.d.1.n.20.
Verſ.47. Simile eſt regnum cœlorum ſagenæ,&c. tract.10. d. 28. n. 9.
Verſ.52. Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum , ſimilis eſt homini Patrifamilias,tr. 10.d.17. n.3.
Verſ.55.Nonne hic eſt filius fabri, tr.20.d.1.n.1.

CAP. XIV.

Verſ.2.Joannes Baptiſta ipſe ſurrexit à mortuis,tr.15.d.26.n.7.
Verſ.28.Jube me ad te venire ſuper aquas, tr.20.d.18.n.10.
Verſ.30. Videns ventum validum,timuit, tr.8.d.10.n.12.

CAP. XV.

Verſ.2.Non lavant manus ſuas cum panem manducant,tract.2. d.16.n.5.
Verſ.14.Sinite illos,cæci ſunt & duces cæcorum, tr.15.d.27.per totum,& tr.18.d.16.n.2.& d.17.n.14.
Verſ.18.Quæ procedunt de ore,de corde exeunt, tr.15.d.13.n.6.
Verſ.19.De corde exeunt cogitationes malæ &c. tr.10.d.20. n. 12. Item tr.14.d.18.n.2.
Verſ.21.Egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri,&c. tr.21. d.11.n.2.
Verſ.22. Filia mea malè à dæmonio vexatur,tr.13.d.8.n.14.
Verſ.23.Dimitte eam,quia clamat poſt nos,tr. 6.d.12.n.7.
Verſ.24. Non ſum miſſus niſi ad oves , quæ perierunt domus Iſrael, tr.8.d.7.n.10.& tr.17.d.6.n.12.
Verſ.27.Catelli edunt de micis,quæ cadunt de menſis dominorum ſuorum , tr.7.d.19.n.13.

CAP. XVI.

Verſ.13. Quem dicunt homines eſſe filium hominis ? tr.17.d.3. num. 6.
Verſ.15.Vos autem quem me eſſe dicitis ? tr.2.d.12.n.16.
Verſ.16.Tu es Chriſtus Filius Dei vivi , tr.3.d.8.n.9.& tr.2. d.2.n.1.
Verſ.18.Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, tr.3.d.16.n.5.& tr.17.d.3.n.6.& tr.16.d.1.n.8.
Verſ.20. Tunc præcepit diſcipulis ſuis,ut nemini dicerent,quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus,tr.3.d.8.n.9.
Verſ.22. Abſit à te Domine,non erit tibi hoc, tr.17.d.10.n.9. & tr.18.d.2.n.5.
Verſ.23. Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi , tr.7.d.14. n.9. Item tr.18.d.2.n.5.
Verſ.24. Qui vult venire poſt me,tollat crucem ſuam, tr.10. d. 20.n.12.
Verſ.26. Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? tr.7.d.11.n.4. & tr.7.d.19. per totum, & tr.16.d.7.n.6.& tr.19.d.15.n.5.

CAP. XVII.

Verſ.1. Duxit illos in montem excelſum ſeorſum , tr.20.d.13. num.5.
Verſ.2.Reſplenduit facies ejus ſicut Sol, tr.10.d.6.n.5.
Verſ.3.Apparuerunt Moyſes & Elias,cum eo loquentes , tr.1. d.5.n.16.
Verſ.15. Obtuli eum diſcipulis tuis , & non potuerunt curare eum,tr.1.d.7.n.10.
Verſ.16. O generatio incredula & perverſa, tr.17.d.12.n.9.& tr.18.d.11.n.5.
Verſ.19.Quare nos non potuimus curare illum? tr.1.d.7.n.10.
Verſ.20.Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi in oratione & jejunio,ibid. & d.6.n.21.

CAP. XVIII.

Verſ.1. Acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum , dicentes : Quis putas major eſt in regno cœlorum ? tr.3.d.8.per totum,& tr.3.d.12.n.6. Item tr.10.d.20.n.6.
Verſ.2. Advocans Jeſus parvulum , ſtatuit in medio eorum, tr.3.d.12.n.6.
Verſ.3. Niſi converſi fueritis,& efficiamini ſicut parvuli , non intrabitis in regnum cœlorum, tr.3.d.12.n.6.& d.30.n.9.
Verſ.6. Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis , expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus,&c. tr.3.d.18.n.12.
Verſ.9. Si oculus tuus ſcandalizat te,erue eum , tr.10.d.17.n.6. & tr.14.d.35.n.3.& tr.17.d.12.per totum.
Verſ.10.Videte,ne contemnatis unum ex puſillis iſtis : quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei , tr.6.d.13. n.15.& d.14.n.8.& tr.6.d.13. per totum, & tr.6.d.5.n.8. & 11. & tr.6.d.11.n.18.& tr.10.d.11.n.14.
Verſ.14. Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum , ut pereat unus de puſillis iſtis,tr.7.d.12.n.7.
Verſ.15.Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum , tr.18.d.14. n.1.& 6.& d.14. per totum, & d.1.per totum, & d.10.per totum,& d.5.n.4.
Verſ.17. Si Eccleſiam non audierit , ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus,tr.18.d.11.per totum.
Verſ.20.Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum,tr.5.d.7.n.4. item tr.17.d.10.n.7.
Verſ.22.Domine quoties peccabit in me frater meus ? &c. tr. 15. d.4. n.14.
Verſ.25.Juſſit venumdari uxorem ejus & filios,tr.5.d.10.n.8.
Verſ.27. Miſertus Dominus ſervi illius , omne debitum dimiſit ei , ibid.
Verſ.33.Nonne ergò & te oportuit miſereri conſervi tui ? ibid.

CAP. XIX.

Verſ.12.Sunt eunuchi,qui de matris utero &c. tr.14.d.7.n. 8.
Verſ.13.Tunc oblati ſunt ei parvuli,ibid.
Verſ.14.Sinite parvulos venire ad me,&c. ibid.
Verſ.16. Quid boni faciam , ut habeam vitam æternam ? tr.8. d.8.n.11.
Verſ.17. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, tr.5.d.9.n.5. & loco citato,& tr.5.d.1.n.11. Item tr.10.d.27.per totum.
Verſ.20.Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea, tr.8.d.8.n.11.
Verſ.21.Si vis perfectus eſſe,vade,vende quæ habes,&c. ibid.
Verſ.22. Cum audiſſet adoleſcens verbum, abiit triſtis , ibid.& d.30.per totum.
Verſ.24. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire , quam divitem intrare in regnum cœlorum,tr.8.d.19.n.14.& tr.5.d.4.n 7
Verſ.27.Ecce nos reliquimus omnia,tr 4.d 15.n 16.& tr.8.d.10. n.12.Item tr.10.d.26.n.11.& d.24.n.19.& tr.16.d.3.n.9.

Verſ.28.

Verſ.28. Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, tr.1.d.16.n.6
Verſ.29. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, &c. centuplum accipiet, tr.16.d.3.n.9.

CAP. XX.

Verſ.1. Simile eſt regnum cælorum homini Patrifamilias &c. tr.10.d.26.n.10.
Verſ.8. Voca operarios & redde illis mercedem, ibid.&c.
Verſ.11. Murmurabant adverſum Patremfamilias, tr.8.d.9. n. 10.
Verſ.12. Hi noviſſimi fecerunt una hora, & pares nobis illos feciſti, ibid.&c. Et tr.16.d.10.n.7.
Verſ. Eod. Portavimus pondus diei & æſtus, tr.10.d.26.n.10.
Verſ.16. Multi ſunt vocati, pauci verò electi.
Verſ.18. Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur, tr.10.d.23.n.10.
Verſ.19. Tradetur gentibus ad illudendum, ibid.
Verſ.20. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi, ibid.
Verſ.21. Dic, ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dextram tuam, & alter ad ſiniſtram, tr.3.d.9.n.1. Et tr.3.d.3.n.2. Item tr.10. d.26.n.10.& d.7.n.10.& d.23.n.12.& tr.14.d.24.n.15.
Verſ.22. Neſcitis quid petatis, tr.10.d.7.n.10. & d.23.n.12. & d.22.n.10. & d.23.n.11.
Verſ.eod. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? tr.3. d.9.per totum. Dicunt ei: poſſumus, tr.3.d.17. per totum.
Verſ.23. Non eſt meum dare vobis, tr.10.d.23.n.12.
Verſ.26. Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, tr.3.d.16.per totum.
Verſ.26. Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus loc.cit.

CAP. XXI.

Verſ.3. Dicite, quia Dominus his opus habet, tr.7.d.14.n.4. Et tr.3.d.10.n.6.
Verſ.5. Ecce, Rex tuus venit tibi, tr.7.d.13.n.6.& tr.20.d. 12. n.8.
Verſ.8. Plurima turba ſtraverunt veſtimenta ſua, &c. tr.2. d.8.n.10.
Verſ.9. Turbæ quæ præcedebant & ſequebantur, clamabant, dicentes: O Sanna filio David, tr.3.d.7.n.15.
Verſ. 12. Ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, tr.8.d.7.n.12.& tr.8.d.15.n.18. Item tr.20.d.12.n.7.
Verſ.13. Domus mea domus orationis vocabitur, tr.20.d.4.per totum,& d.15.per totum.
Verſ.14. Acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, tr.20 d.13.n.8.
Verſ.16. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, tr.17.d.4.n.13.
Verſ.17. Et relictis illis abijt extra civitatem, tr.20. d.14.n.3
Verſ.19. Diſcite à me quia mitis ſum, tr.9.d.7.n.11. Et tr.10. d.26.n.10.
Verſ.33. Sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, tr.6. d.7.n.14.tr.7.d.10.n.1.& tr.10.d.26.n.10.
Verſ.37. Verebuntur filium meum, tr.15.d.21.n.4.
Verſ.38. Agricolæ dixerunt: hic eſt hæres, venite, occidamus eum, tr.6.d.1.n.16.

CAP. XXII.

Verſ.2. Simile factum eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, tr.7.d.12.n.4. Item tr.10.d.8.n.4.& d.28. num.12.
Verſ.5. Illi autem neglexerunt &c. tr.13.d.4.n.3.
Verſ.8. Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant non erant digni, tr.10.d.19.n.11.
Verſ.9. Ite ad exitus viarum &c. tr.10.d.28.n.10.
Verſ.12. Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? tr.4.d.7.n.4. At ille obmutuit, ibid.& tr.6.d.3.n.16.Item tr.15.d.7.n.9.& tr.17.d.9.n.7.
Verſ.13. Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, tr.6.d.3.n.16.& tr.7.d.9.n.20.& d.10.n.10.
Verſ.16. Magiſter, ſcimus quia verax es, tr.2.d.1.n.10. Item tr.2.d.7.n.13.& d.8.n.7.
Verſ.18. Cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? tr.2.d.1.n.10.& tr.2.d.12.n.4.& tr.2.d.8.per tot.
Verſ.30. Erunt ſicut angeli Dei in cælo, tr.14 d.5.per totum.
Verſ.37. Diliges Dominum Deum tuum &c. tr.10.d.27. numer. 8.
Verſ.38. Hoc eſt maximum & primum mandatum, tr.5.d.3. n.3.& tr.4.d.2.per totum.
Verſ.39. Secundum autem ſimile huic: diliges proximum tuum ſicut te ipſum, tr.5.d.3.n.3.& tr.5.d.1.n.12.Itē.tr.10.d.27.n.8.
Verſ.40. In his duobus mandatis, univerſa lex pendet &c. tr.5. d.2.n.3. Item tr.10.d.27.n.8.& tr.21.d.4.n.4.

CAP. XXIII.

Verſ.2. Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, tr.18.d.17.n.10.
Verſ.12. Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur, tr.11.d.2.n. 19.
Verſ.29. Væ vobis Scribæ & Phariſæi &c. tr.18.d.17.n.10.
Verſ.33. Genimina viperarum, tr.21.d.13.n.5.
Verſ.34. Ego mitto ad vos Prophetas & Sapiētes, tr.20.d.8.n.12
Verſ.35. Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, ibid.

CAP. XXIV.

Verſ.1. Egreſſus Jeſus de templo &c. tr.20.d.13.n.1.
Verſ.15. Cum videritis abominationem deſolationis &c. tr.20, d.8.n.13. & d.14.n.6.
Verſ.16. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes, tr. 13 d.33.n.7. Item tr.17.d.12.n.7.
Verſ.17. Et qui in tecto, non deſcendant, tr.13.d.33.n.7.
Verſ. 18. Et qui in agro, non revertatur, ibid.
Verſ.20. Orate, ut non fiat fuga veſtra in hyeme vel in Sabbato, tr.10.d.19.n.10. Item tr.15.d.24.n.11.
Verſ.29. Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, tr.10 d.6.n.15
Verſ.35. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea &c. tr.13.d.33.n.15

CAP. XXV.

Verſ.1. Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, tr.14.d.1 n.1.& d.7.n.17
Verſ.4. Acceperunt oleum in vaſis ſuis, tract.16.d.7.n.6
Verſ.9. Ite potius ad vendentes, & emite vobis, tr.2.d.3.n.3
Verſ.10. Dum irent emere, venit ſponſus, tr.14.d.1.n.1.& d.7. n.17.& d.21.n.16
Verſ.11. Domine, Domine aperi nobis, tr.10.d.1.n.15
Verſ.12. Neſcio vos, tr.9.d.6.n.11
Verſ.21. Intra in gaudium Domini tui, tr.13.d.21.n.13
Verſ.31. Cum autem venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo, tr.6.d.9.n.14
Verſ.33. Statuet oves à dextris ſuis, tr.10.d.26.n.8.& tr.13.d.9 num.12
Verſ.34. Venite benedicti Patris mei &c. tr.10.d.5.n.6. & d.2. n.5.&.n.2.& d.19.n.11.& d.23.n.14
Verſ.eod. Poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, tr.5.d.6.n.2.& tr.4.d.7.n.12.& d.8.n.2. & tr.7.d.7.n.21. & tr.8 d.12.n.3
Verſ.35. Eſurivi, & dediſtis mihi manducare &c. tr.4.d.17.n.11
Verſ.40. Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis, tr.5.d.1.n.11
Verſ.41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, tr.13.d.9 n.12. Item tr.21.d.11.n.7

CAP. XXVI.

Verſ.5. Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo, tr.13 d.34.n.11
Verſ.7. Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti, tr.19.d.9.n.11
Verſ.8. Ut quid perditio hæc? Ibid & tr.8.d.15.n.19.
Verſ.9. Potuit iſtud venumdari multò, & dari pauperibus, tr.8 d.15.n.19
Verſ.10. Quid moleſti eſtis huic mulieri? tr.18.d.7.n.9.& tr.20 d.19.n.5
Verſ.14. Tunc abijt unus de duodecim, tr.17.d.7.n.5.& tr.21 d.11.n.3
Verſ.15. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? tr.13 d.34.n.11
Verſ.30. Hymno dicto exierunt, tr.9.d.18.n.5
Verſ.35. Etiam ſi me oportuerit mori tecum, non te negabo, tr.4 d.6.n.8.Item tr.14.d.32.n.6.& tr.18.d.14.n.8.& tr.17.d.3.n.6
Verſ.38. Triſtis eſt anima mea, tr.6.d.8.n.16
Verſ.39. Procidit in faciem ſuam, ibid.
Verſ.40. Sic, non potuiſtis una hora vigilare mecum? tr.18.d.14 num.8
Verſ.41. Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem, tr.6 d.8.n.16
Verſ.45. Dormite jam & requieſcite, tr.18.d.16.n.6
Verſ.50. Amice, ad quid veniſti? tr.7.d.14.n.9. Item tr.18 d.2.n.5
Verſ.51. Exemit gladium ſuum, & percutiens ſervum Pontificis amputavit auriculam ejus, tr.6.d.9.n.12
Verſ.55. Quotidie apud vos eram docens in templo, tr.20.d.1 num.10
Verſ.56. Omnes relicto eo fugerunt, tr.4.d.6.n.8.Item tr.9.d.12 n.6.& tr.15.d 1.n.12
Verſ.58. Ingreſſus intro ſedebat cum miniſtris, tr.17.d.3.n.6
Verſ.65. Princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicens: Blaſphemavit, tr.11.d.12.per totum,& tr.12.d.4.n.27
Verſ.69. Petrus verò ſedebat foris in atrio, &c. tr.3.d.3.n.4
Verſ.eod. Et tu cum Jeſu Galilæo eras, tr.17.d.3.n.6
Verſ.70. Neſcio quid dicis, ibid.& d.7.n.4
Verſ.72. Iterum juravit cum juramento, tr.17.d.3.n.6
Verſ.73. Loquela tua manifeſtum te facit, tr.11.d.5.n.14.& d.7 num.8
Verſ.74. Cæpit deteſtari, & jurare, tr.17.d.3.n.6
Verſ.75. Egreſſus foras, flevit amare, tr.15.d.14.n.10

CAP. XXVII.

Verſ.3. Retulit triginta argenteos, tr.8.d.11.n.14. Item tr.15 d.23.n.10
Verſ.4. Peccavi, tradens ſanguinem juſtum, tr.8.d.15.n.21.& tr.8.d.21.n.6

Verſ.7.

Verſ. 7. Emerunt agrum figuli in ſepulturam peregrinorum, Tr.8.d.21.n.6.
Verſ. 18. Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum, Tr.12.d.4.n.27.
Verſ.19. Multa paſſa ſum per viſum hodie, Tr.17.d.10.n.9.
Verſ 29. Et plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt ſuper caput ejus.
Verſ. 37. Impoſuerunt cauſam ipſius ſcriptam, I. N. R. I. Tr.17.d.11.n.5.
Verſ. 39. Prætereuntes blaſphemabant, Tr.11.d.3.n.15. & d.8. per totum, & d.15. n.15. & d.6.n.4.
Verſ. 40. Vah qui deſtruis templum Dei: Tr. 11.d.3. n. 15. & d.8.n.1.
Verſ. eod. Deſcende de cruce, Tr.2.d.2.n.3.
Verſ.41. Similiter & principes ſacerdotum illudentes dicebant, Tr.11.d.3.n.15. & d.8.n.1.
Verſ.42. Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere, Tr.1.d.7.n.18.
Verſ.44. Idipſum & latrones improperabant ei, Tr. 15. d. 9. n.15. & Tr.18.d.14.n.1.

CAP. XXVIII.

Verſ.2. Terræ motus factus eſt magnus, Angelus enim Domini deſcendit de cælo &c. Tr.6.d.11.n.6.
Verſ.20. Ecce, ego vobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſæculi, Tr.4.d.10.n.12. & Tr.20.d.6.n.6.

EX EVANGELIO SECUNDUM MARCUM.

CAP. I.

Verſ.2. Ecce ego mitto Angelum meum, Tr.14.d.15.n.5.
Verſ.12. Angeli miniſtrabant ei, Tr.6.d.14.n.6.
Verſ.eod. Spiritus expulit enim in deſertum, Tr.13.d.35.n. 24.
Verſ. 24. Veniſti perdere nos, Tr.11. d.13. n.9. & Tr.19.d.2. n.5.
Verſ.eod. Scio, quia ſis ſanctus Dei, Tr.2.d.7.n.13.
Verſ. 25. Obmuteſce, ibid. &c.
Verſ. 44. Vade, oſtende te principi ſacerdotum, Tr. 15. d. 15. n.12.

CAP. III.

Verſ.5. Circumſpiciens eos cum ira &c. Tr.21 d.11.n.2.
Verſ.22. Scribæ qui à Jeroſolymis deſcenderant, dicebant, quia Beelzebub habet, Tr.12.d.4.n.27.

CAP. IV.

Verſ.39. Exurgens comminatus eſt vento, Tr.21.d.12. n.2.
Verſ.eod. Dixit mari: Tace, obmuteſce, Tr.2.d.7.n.13.

CAP. V.

Verſ.2. Homo in ſpiritu immundo, Tr.14.d.16. n.8.
Verſ.5. Die ac nocte in monumentis & in montibus erant, tr. 8.d.5.n.11.
Verſ.7. Adjuro te ne me torqueas, Tr.19.d.14.n.6.
Verſ.9. Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus, Tr.8.d.4. n.11.
Verſ.10. Deprecabantur eum multum, ne ſe expelleret, ibid.
Verſ.13. Conceſſit eis Jeſus, ibid.
Verſ. 17. Rogare eum cæperunt, ut diſcederet de finibus eorum, ibid.
Verſ.30. Quis tetigit veſtimenta mea? Tr.14. d.13. per totum.
Verſ.31. Quis me tetigit? ibid.
Verſ. 40. Ejectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, ibid. n.5.

CAP VI.

Verſ.11. Exeuntes excutite pulverem de pedibus veſtris, Tr.8 d.13.n.12.
Verſ.18. Non licet tibi habere uxorem fratris tui, Tr.13.d 20 n.2.
Verſ.19. Herodias inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, Tr.9.d.5.n.1.
Verſ.20. Herodes metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum &c. ibid.& Tr.13.d.2.n.10.& d.20.n.2. & Tr.9.d.16.n.9.
Verſ.eod. Audito eo multa faciebat &c. Tr.14.d.35. n.5. & tr 19.d.8.n.6.
Verſ.21. Cum dies opportunus accidiſſet Herodes natalis ſui cænam fecit, Tr.9.d.17.n.9.
Verſ.22. Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet &c. Tr.9.d.5. per totum, & d.16.n.9.
Verſ. 23. Juravit illi, quia quidquid petieris, dabo, tibi, Tr. 9. d.5. per totum, & Tr.13.d.2.n.9. & d. 12.per totum.
Verſ.25. Volo ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ, Tr.13.d.18.n.9 &. Tr.7.d.13.n.17.
Verſ.27. Præcepit afferri caput ejus in diſco, Tr.13.d.2. n.10.
Verſ. 45. Statim coegit diſcipulos ſuos aſcendere navim, Tr.2.d.8.n.11. Item Tr.14.d.33.n.13.

CAP. VII.

Verſ. 32. Adducunt ei ſurdum & mutum, Tract.15. d.11. n.1.
Verſ.33. Apprehendens eum de turba ſeorſum, Tr.17.d.13.n.12. & Tr.18.d.10.n.11.
Verſ. 37. Bene omnia fecit, Tr.14.d.33.n.13.



CAP. VIII.

Verſ.2. Jam triduo ſuſtinent me, Tr.1.d.3.n.9.
Verſ.9. Si dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via, ibid.
Verſ.8. Manducaverunt & ſaturati ſunt, ibid. n. 11.
Verſ. 23. Apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum Tr.17.d.13.n.9.

CAP. IX.

Verſ.3. Apparuit illis Elias cum Moyſe, Tr.1.d.5.n.16.
Verſ.19. Cum vidiſſet eum ſpiritus, conturbavit illum, Tr.19. d.10.n.7.
Verſ.21. Frequenter eum & in ignem & in aquas miſit, Tr.19. d.18.n.8.
Verſ. 33. In via inter ſe diſputaverant, quis eorum videretur eſſe major, Tr.3.d.7.n.6. & d.12. n.6.
Verſ. 40. Quiſquis potum dederit vobis calicem aquæ &c. tr. 9.d.27.n.13.
Verſ.42. In ignem inextinguibilem, Tr.15.d.26. n.13.
Verſ.43. Ubi vermis eorum non morietur &c. Tr.13.d.28.n.1. Item Tr.15.d.16.n.13.
Verſ.49. Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos, tr. 5. d.7.n.10. Item Tr.18.d.13.n.1.

CAP. X.

Verſ.29. Nemo eſt qui non reliquerit domum &c. Tr. 16. d. 3. n.8.
Verſ.30. Qui non accipiat centies &c. ibid.
Verſ.40. Sedere ad dextram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, Tr. 3.d.16.n.2.
Verſ. 48. Ipſe vero multò magis clamabat: Jeſu fili David, miſerere mei, Tr.9.d.7.n.14.

CAP XI.

Verſ.11. Circumſpectis omnibus, cum jam veſpera eſſet, exijt in Bethaniam cum duodecim, Tr.2.d.8.n.10. & Tr.3. d.7. n.15.
Verſ.13. Non enim erat tempus ficorum, Tr.9.d.7. n.10.

CAP. XIV.

Verſ.27. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves, Tr.6.d.2. n.9.
Verſ.30. Priuſquam gallus cantet, ter me negabit, Tr.13.d.33. n.11.
Verſ.31. At ille amplius loquebatur, ibid.
Verſ. 33. Cæpit tædere & pavere, Tr.6.d.11. n.5.
Verſ. 41. Dormite jam & requieſcite, Tr.6.d.8.n.16.
Verſ.51. Adoleſcens quidam ſequebatur eum, amictus ſyndone, & tenuerunt eum, Tr.4.d.15.n.14.
Verſ.52. At ille rejecta ſyndone, nudus profugit ab eis, ibid.
Verſ.64. Quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam, Tr.11.d.11.n.3.

CAP. XV.

Verſ.2. Tu es Rex Judæorum? Tu dicis, Tr.3.d.9.n.1.
Verſ.19. Percutiebant caput ejus arundine, ibid. n.10.
Verſ.25. Erat hora tertia, & crucifixerunt eum, Tr.28.d.5. n.1.
Verſ.26. Erat titulus cauſæ ejus inſcriptus, Tr.15.d.19.n.10.
Verſ.32. Si Rex Iſraël eſt deſcendat de cruce, Tr.10.d.23.n.7.
Verſ.39. Videns, quia ſic clamans expiraſſet, Tr.4.d.9. n.1.

CAP. XVI.

Verſ.5. Introeuntes in monumentum, viderunt juvenem ſedentem à dextris, Tr.6.d.15.n.16. Item Tr.10.d.16. n.4. & tr. 14.d.35.n.8.
Verſ.9. De qua ſeptem dæmonia ejecerat, Tr.13.d.8.n.14. & d. 20.n.20.
Verſ.14. Exprobravit incredulitatem eorum, Tr. 18.d.1.n.6. & d.7.n.10. & d.14.n.11.
Verſ.15. Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ, Tr.7.d.7. per totum.
Verſ.19. Dominus Jeſus aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei, Tr.10.d.16.n.6. Item Tr.18.d.7.n.10.

EX EVANGELIO SECUNDUM LUCAM.

CAP. I.

Verſ.15. Erit enim magnus coram Domino, Tr.10.d.5. n.11.
Verſ.eod. Vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu Sancto replebitur, ibid. d.6.
Verſ.16. Incedentes in omnibus mandatis Domini, Tr.16.d.10. n.1.
Verſ.26. Miſſus eſt Angelus Gabriel &c. Tr. 6. d.11. n.2. & Tr.5.d.8.n.3. Item Tr.14.d.15.n.7.
Verſ.28. Ingreſſus Angelus ad eam, Tr.14.d.5.n.11.
Verſ. 29. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, tr.2. d.1.n.6. & Tr.14.d.5.n.11.
Verſ.31. Et vocabis nomen ejus Jeſum, Tr.11.d.4. n.10.
Verſ. 32. Dabit ei Dominus Deus ſedem David Patris ejus, Tr.14.d.1.n.8.
Verſ. eod. Regnabit in domo Jacob, Tr.6.d.11. n.1. Item tr. 11.d.4.n.9. Item Tr.10.d.23.n.5.
Verſ. 34. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? tr.6.d.11.n.2. Item tr.14.d.11.n.3.

Hhhh Verſ.35.Spiri-

Verſ.35. Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, tr.16.d.3.n.3.

Verſ.37. Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, tr. 17. d.3.n.6.

Verſ.38. Fiat mihi ſecundùm verbum tuum, tr.6.d.11.n.1.

Verſ. 39. Abijt in montana cum feſtinatione, tr. 14. d. 21. n.8.

Verſ.51. Fecit potentiam in brachio ſuo, tr.4. d.7. n. 12. & tr. 10.d.4.n.1.

Verſ.53. Eſurientes implevit bonis, Tr.1.d.3.n.11. & tr.10.d.1. n.10. & d.2.n.10. & d.11.n.15. & d.25.n.13. & d.29. n.5.

CAP. II.

Verſ.7. Reclinavit eum in præſepio, tr.10.d.17.n.14.

Verſ.9. Angelus Domini ſtetit juxta illos, tr.3.d.5.n.3.

Verſ.10. Evangelizo vobis gaudium magnum, tr. 6. d. 13. n.12.

Verſ. 12. Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio, tr. 6.d.14.n.8.

Verſ.13. Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, tr. 6. d.4.n.16. & tr.6.d.8.n.7. & Tr.1.d.4.n.6.

Verſ. 14. Gloria in excelſis Deo, tr.6.d.5.n. 3. & tr. 2. d.12. n.16. & tr.10.d.17.n.14. & d.13.n.13.

Verſ.27. Venit in ſpiritu in templum, Tr.20.d.2.n.7.

Verſ.28. Accepit eum in ulnas ſuas, ibid.

Verſ.37. Hæc vidua non diſcedebat de templo, jejunijs ſerviens &c. tr.1.d.5.n.10. Item tr.20.d.2.n.8.

Verſ.48. Fili, quid feciſti nobis ſic? tr.4.d.9.n.1. & tr.5.d.3. n.1. & tr.20.d.13.n.7.

Verſ. 49. Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe, Ibid.

CAP. III.

Verſ.2. Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, tr.4.d.17. n.4.

Verſ. 7. Genimina viperarum, tr.13.d.20.n.2. Item tr.15. d.13. n.3.

Verſ. 8. Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, tr.1.d.11.n.3.

Verſ.14. Interrogabant eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? tr.10.d.28.n.11.

Verſ.17. Congregavit triticum in horreum ſuum, tr.8.d.23.n.13. Item tr. 10.d.4.n.2. & tr.14.d.7.n. 6.

CAP: IV.

Verſ.5. Oſtendit illi omnia regna in momento temporis, tr. 3. d.7.n.13.

Verſ.6. Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam &c. tr.3.d.1.n.10. & tr.8.d.10.n.7.

Verſ.13. Conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab eo uſque ad tempus, tr.2.d.2.n.2.

Verſ.14. Regreſſus Jeſus in virtute Spiritus, tr.1.d.7.n.8.

Verſ. 18. Spiritus Domini ſuper me propter, quod unxit me, tr. 16.d.1.n.8.

Verſ. 23. Dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum, Tr.18.d.17.n.4.

Verſ.29. Ejecerunt illum extra civitatem, tr.17.d.9.n.9.

Verſ.40. Singulis manus imponens, curabat eos, tr.14.d.33. n.14.

CAP. V.

Verſ. 5. Per totam noctem laborantes, nihil cepimus, tr.8.d.31. n.9. Item tr.16.d.13.n.2.

Verſ.8. Exi à me Domine, quia homo peccator ſum, tr. 10. d. 19.n.3.

Verſ. 10. Ex hoc jam eris homines capiens, tr.15.d.19.n.13.

Verſ. 12. Procidens in faciem ſuam, rogavit eum, tr.15. d.21. n.6.

Verſ.20. Remittuntur tibi peccata tua. tr.11.d.12.n.8.

Verſ.21. Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? ibid. & d. 1. per totum.

Verſ.24. Surge, tolle lectum tuum, tr.16.d.6.n.6.

Verſ. 29. Fecit ei convivium magnum, tr.16.d.6. n.6. & d. 12.n.4.

CAP. VI.

Verſ.6. Factum eſt ut intraret in Synagogam, & doceret, tr.20. d.5.n.9. & tr.21.d.8.n.10.

Verſ. 17. Multitudo copioſa plebis ab omni Judæa &c. tr. 7. d.17.n.5.

Verſ.18. Qui vexabantur à ſpiritibus immundis, Tr.13.d.16. n.8.

Verſ.eod. Ut ſanarentur à languoribus ſuis, tr.7.d.17.n.5.

Verſ.24. Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram, Tr.16.d.15.n.4. & 8.

Verſ.25. Væ vobis qui ſaturati eſtis, væ vobis qui ridetis nunc, Tr.16.d. 17.n.7.

Verſ.26. Væ vobis, cum benedixerint vobis homines, tr. 2. d.4. n.2. & tr.8. d.5. n.9. & d.6. n.13. Item tract. 12. d. 7. n.5.

Verſ. 34. Si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? tr. 8.d.11.n.3.

Verſ.46. Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico? tr.20.d.2.n.4.

CAP. VII.

Verſ.3. Centurio cum audiſſet de Jeſu, miſit ad eum ſeniores Judæorum, tr.2.d.5.n.8.

Verſ.12. Cum appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur &c. Tr.2.d.6.n.4.

Verſ.14. Adoleſcens, tibi dico, ſurge, tr.15.d.6.n.6.

Verſ.16. Propheta magnus ſurrexit in nobis, tr.18. d.17. n.10.

Verſ. 27. Ecce, ego mitto Angelum meum, tr.1.d.4.n.7.

Verſ.28. Qui minor eſt in regno cælorum, major eſt illo, tr. 10. d.5.n.11.

Verſ.33. Venit Joannes Baptiſta, neque manducans &c. Et dicitis: dæmonium habet, tr.21.d.3.n.5.

Verſ.37. Erat mulier in civitate peccatrix, tr.13.d.4.n.4.

Verſ.eod. Ut cognovit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi, tr.15.d.17.n.8. & tr.19.d.9.n.11.

Verſ. 38. Stans retrò, lacrymas cœpit rigare pedes ejus, tr.15. d.21.n.3.

Verſ. 39. Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique &c. tr.18. d.16. n.4. & tr.19.d.9.n.11. & tr.21.d.16.n.3.

Verſ.47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm, tr.4.d.5. per totum. Item tr 15.d.23.n.7. & d.21.n.10.

CAP. VIII.

Verſ. 2. De qua ſeptem dæmonia exierant, tr.4.d.5.n.1.

Verſ. 5. Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum &c. tr.9.d.20. n.9. & tr.11.d.7.n.14. & tr.13.d.8.n.13.

Verſ. 6. Aliud cecidit ſupra petram, tr.9.d.16. per totum.

Verſ.7. Aliud cecidit inter ſpinas, tr.13.d.19.n.8. & d.20. n.2.

Verſ.8. Ortum fecit fructum centuplum, tr.9.d.14.n.15.

Verſ.10. Clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat, tr. 9. d.11.n.2.

Verſ. 11. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, tr. 9. d.12.n.1.

Verſ. 12. Semen eſt verbum Dei, tr.13.d.19.n.8.

Verſ. 13. Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, tr. 9.d.11.n.2. & tr.13.d.4.n.4. & tr.9.d.14.n.8.

Verſ. 14. Radices non habent; ad tempus credunt, tr.9.d.14. n.8.

Verſ.15. Quæ autem in bonam terram &c. ibid. & tr. 9.d.2. n. 11. & d.15.n.20. & d.14.n.15. & d.16.n.5. & tr. 13. d.4. n.4. & d.14.n. 5. & d.19.n.8. & d.20.n.2.

Verſ.27. Habebat dæmonium jam temporibus multis, tr. 13. d.9.n.14.

Verſ.28. Quid mihi & tibi eſt Jeſu, Fili Dei altiſſimi? tr.2.d.2. per totum.

CAP. IX.

Verſ. 5. Exeuntes, pulverem pedum veſtrorum excutite, tr. 8. d.13.n.12.

Verſ. 12. Dies jam cœperat declinare, tr.14.d.33.n.13.

Verſ. 23. Qui vult poſt me venire, tollat crucem, tr.10.d.28. n.6.

Verſ. 30. Erant autem Moyſes & Elias, tr.1.d.5.n.16.

Verſ.31. Viſi in majeſtate, tr.10.d.5.n.11.

Verſ.eod. Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem, tr.4.d.10.n.1.

Verſ. 33. Faciamus hic tria tabernacula, tr.1.d.4. n.2. Item tr. 10.d.16.n.10. & d.18.n.6.

Verſ. 53. Et non receperunt eum &c. tr.18.d.7.n.7.

Verſ. 54. & 55. Vis, dicimus, ut ignis deſcendat de cælo &c. ibid.

Verſ.57. & 58. Magiſter, ſequar te quocumque ieris &c. Vulpes foveas habent. ibid. Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, tr.10.d.14.n.9.

CAP. X.

Verſ.9. Appropinquavit in vos regnum Dei, Tr.10. d.2. n.14.

Verſ.16. Qui vos audit, me audit, tr.7.d.14.n.1.

Verſ.17. Etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo, tr.3. d.1.n.6. Item tr.9.d.6.n.12. & tr.19.d.10.n.11.

Verſ. 18. Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem, tr.3. d.2.n.5. Item tr.19. d.10.n.11.& d.4.n.8.

Verſ. 23. Beati oculi qui vident quæ vos videtis, tr.9.d.14.n.10.

Verſ. 24. Dico vobis, quod multi Reges & Prophetæ voluerunt videre &c. tr.10.d.26.n.13.

Verſ.25. Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? tr. 10. d.27. n. 2.

Verſ. 27. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo &c. tr. 5. d.3.n.9. & Tr.4.d.1. per totum, & Tr.4.d.13. per totum, & d.16. per totum.

Verſ.28. Rectè reſpondiſti, hoc fac, & vives, tr.5.d.2. n.8.

Verſ.30. Homo quidam deſcendebat de Jeruſalem in Jericho, tr.3.d.6.n.5. Item Tr.19.d.16.n.9.

Verſ. 34. Appropians alligavit vulnera ejus &c. tr. 15. d.27. n.8. & tr.18.d.13.n.10.

Verſ. 42. Porrò unum eſt neceſſarium, tr.10.d.2.n.13.

Verſ. eod. Optimam partem elegit ſibi Maria, tr.4. d. 5. n.10. & tr.19.d.9.n.11.

CAP. XI.

Verſ.2. Adveniat regnum tuum, tr.10.d.2.n.5.

Verſ.3. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, Tr. 8. d.18.n.3.

Verſ. 14. Erat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum, Tr.15.d.20.n.6.

Verſ. 15. In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia, Tr.12. d.4.n.27.

Verſ.21. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, tr.14. d.18. n.13. & tr.15.d.10.n.7. & d.17.n.7. & tr.21.d.10.n.7.

Verſ. 53. Qui non eſt mecum, contra me eſt &c. Tr. 5. d. 4. n.8. & Tr.11.d.12.n.7.

Verſ.24. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, Tr.13.d.7.n.3. & n.10. & d. 9. per totum. It. Tr.19.d.6.n.7. & d.9.n.7. & d.12.n.5.

Verſ. 26. Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus, Tr.19. d.6.n.7. & d.11.n.1.

Verſ. 27. Beatus venter qui te portavit, Tr.10.d.1.n.10.

Verſ.32. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, Tr.9.d.20.n.13.

Verſ. 34. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus &c. Tr. 13.d.17.n.7.

Verſ.35. Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint, ibid.

CAP. XII.

Verſ. 14. Quis me conſtituit judicem aut diviſorem inter vos? Tr.5.d.8.n.10.

Verſ.16. Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit, Tr.8.d.27.n.1.

Verſ.17. Cogitabat inter ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo ubi congregem fructus meos? Tr.8.d.27.n.1. & Tr.8. d.29. n.3. & Tr.8.d.4.n.5. Item Tr.16.d.5.n.6.

Verſ. 18. Deſtruam horrea mea, & majora faciam, Tr.8. d.4. n.5. & d.24.n.3. Item Tr.19.d.2.n.13.

Verſ. 19. Habes multa bona repoſita in annos plurimos, Tr.13. d.1.n.12.

Verſ.eod. Requieſce, comede, bibe, epulare, Tr.8.d.7.n.4.

Verſ.20. Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te, Tr.7. d.18. per totum, & tr.8.d.24.n.1.& d.27.n.2. It. tr.13.d.10.n.12.

Verſ.24. Conſiderate corvos, qui non ſeminant &c. Tr.18.d.13. n. 4.

Verſ.27. Conſiderate lilia agri, tr.6.d.15.n.8.& tr.8. d.31. n.5.

Verſ.28. Fœnum quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Tr.13.d.27. n.8.

Verſ.32. Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum, Tr. 10. d.7.n.2. & d.22. n.16.

Verſ.35. Sint lumbi veſtri præcincti, Tr.14. d.22. n.4. & Tr. 14.d.19.n.12.

Verſ.eod. Et lucernæ ardentes in manibus veſtris, Tr.13.d.28. n.11.

Verſ. 37. Tranſiens miniſtrabit illis, Tr.10.d.5.n.7. & d. 10. n.10. & d.11.n.5.

Verſ. 43. Beatus ille ſervus, quem, cum venerit Dominus, invenerit ita facientem, Tr.5.d.6.n.4.

Verſ.49. Ignem veni mittere in terram, quid volo, niſi ut accendatur? Tr.4.d.10.n.6. & Tr.5.d.8.n.8. & Tr.4.d.18.n.2.

Verſ. 50. Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur? Tr.6.d.9.n.10.

CAP. XIII.

Verſ.7. Ecce anni tres ſunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac? Tr.6.d.9.n.13. & Tr.18.d.2.n.9.

Verſ.8. Domine, dimitte illam adhuc hoc anno, Tr.6. d.9. n.13.

Verſ.11. Erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere, Tr.10.d.17.n.13.

Verſ.19. Simile eſt regnum cælorum grano ſynapis, Tr.14.d.21. n.9.

Verſ.27. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis, Tr. 5. d.4. n.1.

CAP XIV.

Verſ.2. Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, Tr. 13. d.27.n.3.

Verſ.5. Cujus veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum? Tr.14.d.15.n.9.

Verſ. 15. Beatus qui manducabit panem in regno Dei, tr.4.d.3. n.7.& tr.10.d.2 n. 9.& d.9.n.2.& d.11.n.11. & tr.13.d.17.n.17.

Verſ.16. Homo quidam fecit cœnam magnam, Tr. 10. d. 25. n. 13.

Verſ.18. Rogo te, habe me excuſatum, Tr.13.d.20. n.10.

Verſ.20. Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire, loco cit.& d.18.n.11. & Tr.14. d.13.n.5.

Verſ.21. Exi citò in plateas & vicos civitatis, Tr.10.d.25 n.13.

Verſ.22. Domine, factum eſt ut imperaſti, ibid.

Verſ.23. Ait Dominus: Exi in vias & ſepes, & compelle intrare, ibid. & d.28.n.10. & d.16.n.10.

Verſ. 27. Qui non bajulat crucem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus, Tr.10.d.24.n.6.

Verſ.31. Quis Rex iturus committere bellum &c. non ſedens, prius cogitat? Tr.15.d.11.n.15.

CAP. XV.

Verſ.1. Erant appropinquantes ei publicani, tr.17. d.4.n.9.

Verſ. 2. Murmurabant Phariſæi &c. Tr.17.d.11.n.6.

Verſ.4. Quis ex vobis, qui habet centum oves, & perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto? &c. Tr.7.d.12.n.7. & Tr.7.d.10.n.13.

Verſ. 7. & 10. Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente, Tr. 6.d.3.n.13.& d.11. per totum, & Tr.15.d.9.n.12.

Verſ.8. Quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit unam &c. Tr.7.d.10.n.13. & Tr. 7.d.1.n.5. & d.18.n.7.

Verſ.8. Accendit lucernam, & evertit domum, Tr. 15. d. 18. n.10.

Verſ.9. Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram, Tr.15.d.6.n.6. & Tr.16.d.7.n.8.

Verſ. 12. Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit, Tr.1.d.8. n.14. Item Tr.13.d.20.n.6.

Verſ.13. Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè, Tr.13. d.2.n.7. & d.7.n.3. & d.14.n.12. & d.19. n.9.

Verſ.14. Facta eſt fames valida in regione illa, Tr.13.d.3.n.16. & d.27.n.6.

Verſ.15. Adhæſit uni civium regionis illius, Tr.13.d.7.n.3.

Verſ.eod. Miſit illum in villam ſuam ut paſceret porcos, Tr. 17. d.11.n.4. & Tr.19.d.14.n.9. & d.17.n.10.

Verſ.16. Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, Tr. 7. d.1.n.11. Item Tr. 14.d.24.n.10.

Verſ.17. In ſe reverſus dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, Tr.14.d. 24.n.10.& tr.15.d.6.n.6.

Verſ.eod. Ego autem hic fame pereo, Tr.13.d.11.n.18.

Verſ.18. Surgam, & ibo ad patrem meum, Tr.15.d.6. n.6. & d.17.n.8.

Verſ.eod. Peccavi in cælum & coram te, Tr.10.d.19.n.8.

Verſ.19. Fac me ſicut unum de mercenarijs tuis, Tr.15.d.6.n.6.

Verſ.20. Accurrens cecidit ſuper collum ejus, Tr.15.d.9. n.5. & d.18.n.9.

Verſ.21. Peccavi in cælum & coram te &c. Tr. 15.d.6.n.6.

Verſ.22. Citò proferte ſtolam primam &c. Tr.4.d.5. n.6. & Tr.15.d.6.n.6. & Tr.18.d.10.n.6. & Tr.20.d.18. n.6.

Verſ.23. & 25. Adducite vitulum ſaginatum &c. Tr.15. d.6. n.6.

Verſ.29. Numquam dediſti mihi hædum &c. Tr. 10. d. 12. n. 5.

Verſ.eod. Ecce tot annis ſervio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi &c. Tr.5.d. 10.n.12.

Verſ.31. Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt, Tr.10.d.12.n.5. & d.8.n.15.

Verſ.32. Frater tuus mortuus erat, & revixit, Tr. 15. d.6. n.6. & Tr.8.d.2.n.11.

CAP. XVI.

Verſ.8. Filij hujus ſæculi ſunt prudentiores filijs lucis, Tr. 13. d.19.n.12.

Verſ.19. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, Tr. 11. d.12.n.16.

Verſ.15. Quòd hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum, Tr.3.d.5.n.4.

Verſ.19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byſſo, Tr.21.d.4.n.9. Item Tr.10.d.24.n.19.

Verſ.eod. Epulabatur quotidiè ſplendidè, Tr.1.d.5.n.9.& d.8. n.15.

Verſ.20. Quidam mendicus nomine Lazarus, Tr.21. d.4. n.9

Verſ.21. Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus, Tr. 18.d.12.n.6.& Tr.21.d.7.n.9. It. Tr.2.d.5.n.6.& tr.6.d.11.n.11.

Verſ.22. Factum eſt, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno &c. Tr.1.d.5.n.9. & Tr. 6. d.3. n.13. & Tr. 6. d.11.n.10. & Tr.8.d.5.n.12. & Tr.7.d.18.n.5. Item Tr.10.d.24. n.19. & d.30.n.8.

Verſ. 24. Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, tr.10.d.14.n.11. & Tr.7.d.18.n.13.

Verſ.25. Recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala &c. tr.8.d.6. per totum. It. Tr.10.d.24.n.19.

Verſ.26. Magnum chaos firmatum eſt inter nos & vos, Tr. 10. d.15.n.13. & d.20.n.3.

CAP. XVII.

Verſ.10. Quod debuimus facere, fecimus &c. Tr.9.d.20.n.8.

Verſ.14. Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, Tr.15.d.15.n.9.

Verſ. 20. Quando venit regnum Dei? tr.10.d.20. n.5.

Verſ.21. Regnum Dei intra vos eſt, Tr.7.d.3. n.15. & d.7. n. 21. It. Tr.10.d.29.n.7. & Tr.16.d.5.n.8. & d.6.n.9.& d.16.n.1.

Verſ. eod. Neque dicent: Ecce hic aut ecce illic &c. Tr.10. d. 20.n.5. & d.29.n.7. & d.3.n.14. & d.5.n.6.& d.29. per totum, & d.27.n.11.

Verſ.26. Sicut factum eſt in diebus Noë, ita erit adventus filij hominis, tr.13.d.11.n.12.&tr.1.d.10.n.15.& d.13.n.15.&tr.8.d.3.n.6.

Verſ.27. Edebant & bibebant &c. & venit diluvium, Tr. 1. d.10.n.15. & d.13.n.15. & Tr.8.d.3.n.6. Item Tr.13. d.20. n.4.

CAP. XVIII.

Verſ.11. Deus, gratias ago tibi, quod non ſum ſicut cæteri hominum, tr.20.d.10.n.3. & d.15.n.5. & tr.15.d.8.n.3.& tr.20.d.2.n.5.

Verſ. 12. *Jejuno bis in Sabbato*, Tr. 19. d. 4. n. 4.
Verſ. 13. *Publicanus nolebat nec oculum in cœli levare*, tr. 8. d. 20. n. 6. Item tr. 12. d. 2. n. 4.
Verſ. eod. *Deus propitius eſto mihi peccatori*, tr. 15. d. 21. n. 3. & tr. 10. d. 5. n. 6.
Verſ. 14. *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam*, tr. 15. d. 21. n. 9. & tr. 20. d. 5. n. 6.
Verſ. 20. *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies &c.* tr. 13. d. 1. n. 16.
Verſ. 24. *Quàm difficile, qui divitias habent &c.* tr. 8. d. 17. n. 14.
Verſ. 31. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia*, tr. 9. d. 18. per totum.

CAP. XIX.

Verſ. 2. *Hic princeps erat publicanorum*, tr. 10. d. 17. n. 7. Item tr. 16. d. 12. n. 4.
Verſ. 4. *Præcurrens aſcendit in arborem Sycomorum*, tr. 10. d. 17. n. 7.
Verſ. 5. *Suſpiciens Jeſus vidit illum &c.* ibid.
Verſ. eod. *In domo tua oportet me manere*, tr. 20. d. 6. n. 6.
Verſ. 8. *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* tr. 20. d. 6. n. 2.
Verſ. 9. *Hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt*, tr. 20. d. 5. n. 9. & d. 15. n. 11.
Verſ. 41. *Videns civitatem, flevit ſuper illam*, tr. 7. d. 12. n. 9. & tr. 7. d. 10. n. 12. Item tr. 20. d. 12. n. 8.
Verſ. 44. *Circumdabunt te inimici tui vallo*, tr. 11. d. 9. n. 8.
Verſ. eod. *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*, tr. 20. d. 14. n. 2.
Verſ. 46. *Domus mea, domus orationis eſt*, tr. 20. d. 24. n. 9.

CAP. XX.

Verſ. 14. *Hic eſt hæres, occidamus illum*, tr. 8. d. 7. n. 9.
Verſ. 34. *Filij hujus ſæculi nubunt, & tradunt ad nuptias*, tr. 14. d. 5. n. 6.
Verſ. 35. *Neque nubent neque ducent uxores*, tr. 6. d. 15. n. 3.
Verſ. 36. *Æquales enim Angelis ſunt*, tr. 6. d. 15. n. 3. Item tr. 10. d. 6. n. 2. & d. 9. n. 9. & 11.

CAP. XXI.

Verſ. 33. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*, tr. 3. d. 17. n. 14.

CAP. XXII.

Verſ. 22. *Væ homini per quem tradetur*, tr. 3. d. 2. n. 3.
Verſ. 23. *Cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet*, ibid.
Verſ. 24. *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major*, tr. 3. d. 7. n. 6. & tr. 3. d. 18. n. 5. & tr. 3. d. 2. n. 5. & d. 1. n. 6. & d. 5. n. 2. Item tr. 18. d. 7. n. 8. & tr. 19. d. 11. n. 11.
Verſ. 26. *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor*, tr. 3. d. 16. n. 8.
Verſ. 28. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, tr. 10. d. 23. per totum, & tr. 9. d. 12. n. 3.
Verſ. 29. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum &c.* tr. 1. d. 5. n. 20. & tr. 3. d. 1. n. 6. Item tr. 10. d. 23. per totum, & tr. 9. d. 12. n. 3. & d. 11. per totum, & tr. 16. d. 6. n. 10.
Verſ. 30. *Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam, &c.* tr. 3. d. 1. n. 6. & tr. 9. d. 12. n. 3. & tr. 10. d. 11. per totum.
Verſ. 31. *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum*, tr. 3. d. 1. n. 6. & tr. 6. d. 8. n. 16. It. tr. 12. d. 4. n. 27. & tr. 19. d. 3. n. 4.
Verſ. 33. *Domine tecum paratus ſum, in carcerem & in mortem ire*, Tr. 13. d. 33. n. 11.
Verſ. 37. *Cum iniquis deputatus eſt*, tr. 17. d. 11. n. 5.
Verſ. 43. *Apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum &c.* tr. 6. d. 9. n. 10. & d. 11. n. 5. & tr. 1. d. 4. n. 6. & tr. 6. d. 8. n. 16.
Verſ. 44. *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis.* tr. 4. d. 11. n. 11.
Verſ. 53. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, tr. 6. d. 9. n. 10.
Verſ. 54. *Petrus ſequebatur eum à longe*, tr. 4. d. 6. n. 8.
Verſ. 57. *Ille negavit eum*, tr. 3. d. 3. n. 4.
Verſ. 61. *Converſus Dominus reſpexit Petrum*, tr. 4. d. 6. n. 8. Item tr. 13. d. 33. n. 10.
Verſ. 62. *Egreſſus foras flevit amarè*, ibid. n. 9.
Verſ. 63. *Viri illudebant ei cædentes*, tr. 11. d. 8. n. 5.
Verſ. 64. *Et percutiebant faciem ejus*, ibid.

CAP. XXIII.

Verſ. 2. *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram*, tr. 12. d. 4. n. 27.
Verſ. 9. *At ipſe nihil illi reſpondebat*, tr. 18. d. 2. n. 6.
Verſ. 29. *Venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles &c.* tr. 6. d. 9. n. 11.
Verſ. 30. *Tunc dicent montibus*: Cadite ſuper nos, ibid.
Verſ. 34. *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*, tr. 4. d. 11. n. 21.
Verſ. 39. *Unus autem ex latronibus blaſphemabat eum*, tr. 11. d. 5. n. 15. & d. 12. n. 14.
Verſ. 40. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es*, loc. cit. Item tr. 18. d. 14. n. 1.
Verſ. 41. *Nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus*, tr. 9. d. 12. n. 6. & tr. 11. d. 5. n. 15.
Verſ. 42. *Memento mei dum veneris in regnum tuum*, tr. 9. d. 12. n. 6. & tr. 10. d. 2. n. 7. & d. 23. n. 10.
Verſ. 43. *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo*, loc. cit. & d. 28. n. 14. & d. 23. n. 14. & d. 24. n. 2. Item tr. 15. d. 19. n. 13. & tr. 18. d. 14. n. 1. & tr. 21. d. 11. n. 10.
Verſ. 46. *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, tr. 7. d. 11. n. 14.

CAP. XXIV.

Verſ. 4. *Ecce duo viri ſteterunt ſecus illas*. tr. 14. d. 35. n. 8.
Verſ. 11. *Viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta*, tr. 18. d. 17. n. 6.
Verſ. 18. *Non cognoviſti, quæ facta ſunt in illa his diebus?* tr. 4. d. 11. n. 23.
Verſ. 19. *Quibus ille dixit? quæ?* tr. 4. d. 11. n. 23. & d. 18. n. 13. & tr. 7. d. 11. n. 11. & tr. 10. d. 15. n. 11.
Verſ. 21. *Nos autem ſperabamus, quia ipſe redempturus eſſet Iſraël*, tr. 3. d. 18. n. 5.
Verſ. 24. *Obtulerunt ei partem piſcis aſſi*, tr. 10. d. 25. n. 7.
Verſ. 26. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*, tr. 10. d. 14. n. 9. & d. 23. n. 7. & d. 23. n. 3. & d. 24. n. 5. & d. 28. n. 1.
Verſ. 30. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*, tr. 1. d. 3. n. 7.
Verſ. 41. *Habetis hic aliquid, quod manducetur?* tr. 1. d. 3. n. 7.
Verſ. 42. *Obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis*, ibid.

EX EVANGELIO SECUNDUM JOANNEM.

CAP. I.

Verſ. 3. *Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, tr. 7. d. 2. n. 1. & tr. 8. d. 31. n. 8. & tr. 7. d. 10. n. 8.
Verſ. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, tr. 9. d. 17. n. 14.
Verſ. 10. *Mundus per ipſum factus eſt*, tr. 4. d. 14. n. 1.
Verſ. 11. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*, tr. 2. d. 9. n. 6. & tr. 4. d. 9. n. 7.
Verſ. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. tr. 4. d. 8. n. 2.
Verſ. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, tr. 10. d. 27. n. 7. & d. 30. n. 3. Item tr. 16. d. 10. n. 2.
Verſ. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia per Jeſum Chriſtum facta eſt.* tr. 10. d. 27. n. 1.
Verſ. 13. *Ego vox clamantis in deſerto*, tr. 13. d. 12. n. 7.
Verſ. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, tr. 14. d. 4. n. 9.
Verſ. 38. *Rabbi ubi habitas?* tr. 10. d. 1. n. 7.
Verſ. 39. *Venite & videte*, ibid.
Verſ. 51. Videbitis *Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis*, tr. 6. d. 14. n. 6. & tr. 6. d. 4. n. 16.

CAP. II.

Verſ. 1. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Jeſu*, ibid. tr. 14. d. 2. n. 10.
Verſ. 3. *Deficiente vino, dicit Mater Jeſu*: V*inum non habent*, tr. 9. d. 19. n. 3. & tr. 16. d. 9. n. 8.
Verſ. 7. *Implete hydrias aqua*, tr. 16. d. 6. n. 9.
Verſ. 8. *Ferte architriclino*, tr. 16. d. 15. n. 13.
Verſ. 9. *Ut guſtavit aquam vinum factam*, tr. 16. d. 14. n. 2. & d. 17. n. 5.
Verſ. 10. *Tu autem ſervaſti bonum vinum usque adhuc.*
Verſ. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ*: tr. 20. d. 13. n. 2.
Verſ. 15. *Fecit flagellum de funiculis*, tr. 20. d. 3. n. 9. & d. 12. per totum.
Verſ. eod. *Omnes ejecit de templo, oves quoque & boves*, tr. 3. d. 3. n. 6.
Verſ. 16. *Auferte iſta hinc &c.* tr. 20. d. 5. n. 2. & tr. 20. d. 1. n. 1.
Verſ. 18. *Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis*, tr. 20. Ibid. per totum, & d. 13. n. 6.
Verſ. 20. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, tr. 20. d. 2. n. 5.
Verſ. eod. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc.* tr. 8. d. 13. n. 11.

CAP. III.

Verſ. 1. *Erat autem homo ex Phariſæis Nicodemus nomine*, tr. 17. d. 4. n. 5.
Verſ. 2. *Hic venit ad Jeſum nocte*, tr. 18. d. 14. n. 6.
Verſ. eod. *Scimus, quia à Deo veniſti, nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis &c.* tr. 1. d. 4. n. 9.
Verſ. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret &c.* tr. 4. d. 9. per totum, & tr. 7. d. 10. n. 4. & tr. 4. d. 11. n. 18.
Verſ. 19. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*, tr. 8. d. 7. n. 9.
Verſ. 20. *Omnis qui male agit, odit lucem*, tr. 9. d. 17. n. 1. & tr. 18. d. 12. n. 2. & tr. 19. d. 7. n. 2. & tr. 21. d. 7. n. 4.
Verſ. 22. *Venit Jeſus & diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic morabatur cum eis, & baptizabat*, Tr. 3. d. 10. n. 11.
Verſ. 31. *Qui eſt de terra, de terra eſt: & de terra loquitur*, tr. 8. d. 21. n. 9. Item tr. 11. d. 7. n. 8.

CAP. IV.

Verſ. 1. *Jeſus plures diſcipulos facit, & baptizat, quam Joannes*, tr. 3. d. 10. n. 11.
Verſ. 6. *Jeſus ſedebat ſic ſupra fontem*, tr. 4. d. 9. n. 1. & tr. 7. d. n. 7. Item tr. 18. d. 10. n. 6.
Verſ. 9. *Quomodo tu Judæus cum ſis, bibere à me poſcis?* tr. 10. d. 2. n. 10.
Verſ. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei &c.* tr. 10. d. 2. n. 10. & tr. 10. d. 19. n. 9.
Verſ. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, tr. 4. d. 1. n. 2. & tr. 8. d. 30. n. 14.
Verſ. 15. *Domine da mihi hanc aquam*, tr. 8. d. 30. n. 8. Item tr. 10. d. 2. n. 10. & tr. 10. d. 19. n. 9.
Verſ. 18. *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir*, tr. 13. d. 2. n. 6. Item tr. 18. d. 14. n. 10.
Verſ. 19. *Ut video Propheta es tu*, tr. 18. d. 16. n. 4. & d. 5. n. 5.
Verſ. 20. *Patres noſtri in hoc monte adoraverunt*, tr. 20. d. 4. n. 7.
Verſ. 23. V*enit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu*, ibid.
Verſ. 24. *Spiritus eſt Deus*, tr. 7. d. 2. n. 2. & d. 6. n. 5.
Verſ. 27. *Continuò venerunt diſcipuli ejus, & mirabantur quia cum muliere loquebatur*, tr. 13. d. 33. n. 8. & tr. 14. d. 23. n. 10. & tr. 18. d. 10. n. 6. & tr. 21. d. 4. n. 5.
Verſ. 28. *Reliquit hydriam*, tr. 13. d. 2. n. 6.
Verſ. 29. Videre *hominem, qui dixit mihi, quæcumque feci*, tr. 13. d. 1. n. 8.
Verſ. 32. *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*, tr. 7. d. 10. n. 17.
Verſ. 34. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me*, tr. 8. d. 6. n. 5.
Verſ. 35. *Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia jam albæ ſunt ad meſſem*, tr. 14. d. 7. n. 7.
Verſ. 48. & 49. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis; Domine deſcende*, tr. 18. d. 6. n. 8.

CAP. V.

Verſ. 2. *Erat autem Jeroſolymis probatica piſcina &c.* tr. 15. d. 2. n. 9.
Verſ. 4. *Angelus Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam &c.* tr. 6. d. 1. n. 14. *Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam, poſt motionem aquæ ſanus fiebat*, Tr. 3. d. 17 n. 8.
Verſ. 8. *Tolle grabatum tuum*, tr. 15. d. 17. n. 11.
Verſ. 17. *Pater meus usque modo operatur*, tr. 4. d. 8. n. 8.
Verſ. 22. *Omne judicium dedit filio*, tr. 15. d. 3. n. 7. & tr. 21. d. 14. n. 2.

CAP. VI.

Verſ. 2. *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna*, Tr. 3. d. 10. n. 4. & tr. 1. d. 3. n. 10.
Verſ. 5. *Cum ſublevaſſet ergo oculos Jeſus*, tr. 14. d. 33. n. 12.
Verſ. 9. *Eſt puer hic qui habet quinque panes*, tr. 14. d. 2. n. 9.
Verſ. 15. *Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent ut facerent eum Regem, fugit in montem*, tr. 3. d. 9. n. 1. & d. 14. per totum, & tr. 2. d. 8. n. 11.
Verſ. 41. *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi*, tr. 13. d. 8. n. 14.
Verſ. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, tr. 4. d. 12. n. 3.
Verſ. 51. & 52. *Ego ſum panis vivus &c.* tr. 20. d. 6. n. 6.
Verſ. 53. *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* tr. 5. d. 8. n. 12.
Verſ. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*, tr. 4. d. 4. n. 4. Item tr. 13. d. 15. n. 5.
Verſ. 64. *Spiritus eſt qui vivificat*, tr. 13. d. 4. n. 1. & tr. 16. d. 16. n. 3.
Verſ. 68. *Numquid & vos vultis abire*, tr. 18. d. 7. n. 7.
Verſ. 69. *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*, tr. 2. d. 8. n. 9.
Verſ. 71. *Nonne ego vos elegi, & ex vobis unus diabolus?* ibid. & tr. 8. d. 4. n. 6. & tr. 7. d. 11. n. 16. Item tr. 9. d. 6. n. 9. & tr. 15. d. 5. n. 11. & tr. 21. d. 10. n. 7.

CAP VII.

Verſ. 6. *Tempus meum nondum advenit*, tr. 9. d. 2. n. 2.
Verſ. 12. *Quidam dicebant: Quia bonus eſt, alij non*, tr. 21. d. 3. n. 4.
Verſ. 20. *Quid me quæritis interficere*, tr. 18. d. 5. n. 5.
Verſ. 37. *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat*, tr. 1. d. 4. n. 11. & tr. 7. d. 12. n. 16.
Verſ. 48. *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum aut ex Phariſæis?* tr. 2. d. 5. n. 8.

CAP. VIII.

Verſ. 6. *Inclinavit ſe deorſum, & digito ſcribebat in terra*, tr. 14. d. 23. n. 7.
Verſ. 7. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat*, tr. 13. d. 20. n. 17. It. tr. 15. d. 3. n. 9. & d. 27. n. 7. & tr. 18. d. 17. n. 3
Verſ. 34. *Omnis qui facit peccatū, ſervus eſt peccati*, tr. 15. d. 5. n. 6.
Verſ. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis &c.* tr. 2. d. 1. n. 10. Item tr. 11. d. 7. n. 6. Item tr. 15. d. 10. n. 12. & tr. 17. d. 10. n. 6. & tr. 19. d. 1. n. 4. & tr. 21. d. 11. n. 7. & d. 10. n. 2. & 5.
Verſ. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* tr. 19. d. 12. n. 1.
Verſ. 48. *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*, tr. 11 d. 9. n. 8. & tr. 12. d. 7. n. 12. Item tr. 17. d. 3. n. 8. & tr. 20. d. 1. n. 1.

CAP. IX.

Verſ. 6. *Expuit in terram & fecit lutum*, tr. 18. d. 12. n. 2.
Verſ. 15. *Lutum mihi poſuit ſuper oculos*, tr. 8. d. 11. n. 8.
Verſ. 16. *Non eſt hic à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit*, tr. 20. d. 1. n. 1.
Verſ. 27. *Numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?* tr. 2. d. 8. n. 9.
Verſ. 28. *Tu diſcipulus ejus ſis, nos autem Moyſis diſcipuli ſumus*, ibid.
Verſ. 35. *Ejecerunt eum foras &c.* tr. 17. d. 13. n. 5.

CAP. X.

Verſ. 9. *Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit, ſalvabitur*, tr. 8. d. 19. n. 14. Item tr. 10. d. 1. n. 13. & d. 23. n. 14. & d. 28. n. 14. Item tr. 14. d. 7. n. 1.
Verſ. 10. *Fur non venit niſi ut furetur*, tr. 19. d. 8. n. 4. & d. 18. n. 2. & tr. 20. d. 14. n. 1.
Verſ. eod. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*, tr. 4. d 10. n. 2.
Verſ. 14. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ*, tr. 3. d. 11. n. 4. & tr. 7 d. 14. n. 12. & tr. 7. d. 12. n. 11.
Verſ. 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*, tr. 7. d. 14. n. 12.
Verſ. 23. *Ambulabat Jeſus in porticu Salomonis*, tr. 20. d. 6. n. 6.
Verſ. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*, tr. 18. d. 5. n. 5.
Verſ. 29. *Nemo poteſt rapere de manu Patris mei*, tr. 13. d. 24. n. 6.

CAP. XI.

Verſ. 14. *Lazarus mortuus eſt, & gaudio*, tr. 7. d. 11. n. 5.
Verſ. 33. *Infremuit Spiritu, turbavit ſemetipſum, lacrymatus eſt &c.* ibid. & tr. 5. d. 5. n. 13.
Verſ. 36. *Ecce quomodo amabat eum*, loc. citat.
Verſ. 39. *Jam fætet, quatriduanus eſt*, tr. 7. d. 11. n. 5. & tr. 8. d. 11. n. 2. Item tr. 15. d. 7. n. 13.
Verſ. 43. *Lazare, veni foras*, tr. 2. d. 6. n. 4.
Verſ. 47. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* tr. 8. d. 7. n. 10. Item tr. 11. d. 8. n. 11.

CAP. XII.

Verſ. 5. *Quare hoc unguentum non venijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis?* tr. 21. d. 10. n. 7.
Verſ. 7. *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*, tr. 17. d. 3. n. 10.
Verſ. 24. *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*, tr. 7. d. 10. n. 4. & tr. 8. d. 11. n. 3.
Verſ. 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam &c.* tr. 7. d. 17. n. 1. & d. 19. n. 7.
Verſ. 42. *Ex Principibus multi crediderunt in eum*, tr. 3. d. 5. n. 1.
Verſ. 43. *Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei*, tr. 3. d. 5. per totum.

CAP. XIII.

Verſ. 1. *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*, tr. 4. d. 4. n. 4. Item tr. 4. d. 10. n. 13. & tr. 5. d. 8. n. 1. Item tr. 18. d. 18. n. 4.
Verſ. 2. *Cum diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas*, tr. 8. d. 4. n. 6. Item tr. 15. d. 10. n. 10. & tr. 19. d. 8. n. 2. & 4. & tr. 21. d. 10. n. 7.
Verſ. 3. *Sciens Jeſus, quia omnia dedit ei Pater in manus*, tr. 5. d. 8. n. 1. & tr. 8. d. 13. n. 13. Item tr. 14. d. 4. n. 14.
Verſ. 5. *Cœpit lavare pedes diſcipulorum*, tr. 8. d. 13. n. 13.
Verſ. 6. Venit *ergò ad Simonem Petrum*, tr. 4. d. 11. n. 6.
Verſ. 8. *Si non lavero te, non habebis partem mecū*, tr. 21. d. 16. n. 5.
Verſ. 10. *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*, tr. 19. d. 11. n. 11.
Verſ. 16. *Non eſt major ſervus Domino ſuo*, tr. 12. d. 5. n. 27.
Verſ. 26. *Ille, cui ego intinctum panem porrexero*, tr. 4. d. 11. n. 8. & tr. 8. d. 6. n. 6.
Verſ. 27. *Poſt buccellam introivit in eum ſatanas; Quod facis, fac citiùs*, tr. 4. d. 11. n. 7. & tr. 1. d. 11. n. 8. & tr. 8. d. 4. n. 6. Item tr. 9. d. 18. n. 5.
Verſ. 31. *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*, tr. 4. d. 11. n. 9. & tr. 7. d. 10. n. 7. Item tr. 17. d. 9. n. 3. & 6. & 9.
Verſ. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, tr. 5. d. 1. n. 11. & d. 3. n. 3. & d. 8. n. 8. Item tr. 18. d. 1. n. 4. & d. 18. n. 4.
Verſ. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quod mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*, tr. 5. d. 4. per totum, & tr. 3. d. 1. n. 6.

CAP. XIV.

Verſ. 1. *Non turbetur cor veſtrum*, tr 10. d. 28. n. 5. & d. 29. n. 5.
* Verſ. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, tr. 4. d. 3. n. 15. & tr. 8. d. 22. n. 6. Item tr. 10. d. 28. per totum.

*Verſ.3. Si abiero & præparavero vobis locum*, tr. 10. d. 28. n.2.

*Verſ.4. Quo ego vado, ſcitis, & viam ſcitis*, tr.10.d.29.n.14.

*Verſ.6. Ego ſum via, veritas, & vita*, tr.2.d.7.n.13. & d.8. n.7. Item tr.9.d.17.n.7.& tr.10.d.28.n.14.& tr.10.d.28. n.5. & tr.12.d.3.n.14. Rurſus tr.19.d.1.n.6.

*Verſ.7. Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis*, tr.7.d.4.n.1.

*Verſ.8. Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, tract.4. d.15. n.20.

*Verſ.15. Si diligitis me, mandata mea ſervate*, tr.5.d.1.n.9.& tr.4.d.13.n.13.

*Verſ.21. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*, tr.4.d.13.n.13.

*Verſ.23. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*, tr. 4. d. 17.n.5.

*Verſ.27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, tr.5.d. 8. per totum.

*Verſ.30. Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*, tr.12.d.3.n.15. Item tr.19.d.12.per totum.

CAP. XV.

*Verſ.1. Pater meus agricola eſt*, tr.7.d.8.n.5. & tr.9. d.14.n. 15. & d.20. n.9. & tr.10.d,28.n.14.

*Verſ.5. Ego ſum vitis, vos palmites*, tr.10.d.10.n.9. & d.29. n.4.

*Verſ.eod. Sine me nihil poteſtis facere*, tr.4.d.9.n.19.

*Verſ.9. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*, tr.5.d.1.n.10.

*Verſ.10. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea*, ibid.

*Verſ.12. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, tr.5.d. 3.n.2.& tr.5.d.1.n.9.& tr.5.d.3.n.10.& tr 5. d.7. n.12. & tr.5. d.8. Item tr.21.d.4.n.1.

*Verſ.20. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur*, tr.12.d.5.n.15

CAP. XVI.

*Verſ.7. Expedit vobis, ut ego vadam*, tr.4.d.14.n.6. & tr.16. d.15.n.5.& 7.& tr.18.d.7.n.5.

*Verſ.8. Cum venerit ille, arguet mundum de peccato &c.* tr. 18.d.7.n.5. & d.16.n.1.

*Verſ.20. Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini*, tr.9.d.18. n.11. & d.8.n.1. Item tr.16.d.18.n.1.

*Verſ.eod. Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, tr.16. d.5.n.4.

*Verſ.21. Non meminit preſſuræ propter gaudium &c.* tr.15.d. 6.n.7.

*Verſ.22. Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*, tr.10.d. 7.n.5. & 8. Item tr.16.d.5.n.4. & 7. & d.8.n.2.& 4.& d.9.n.8.

*Verſ.24. Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*, tr.10.d.7.n.8.

*Verſ.33. In mundo preſſuram habebitis*, tr.3.d.1.n.12.

CAP. XVII.

*Verſ.4. Opus conſummavi, quod dediſti mihi*, tr.4. d.10. n.12.

*Verſ.5. Et nunc clarifica me tu Pater*, tr.4.d.18.n.13.

*Verſ.17. Sanctifica eos in veritate*, tr. 5.d.4.n.2.

*Verſ.18. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos*, tr.5. d.4.n.2.

*Verſ.21. Sicut tu Pater in me, ita & ipſi in nobis unum ſint*, tr.10.d.8.n.15.

*Verſ.23. Ego in eis, & tu in me*, ibid.

CAP. XVIII.

*Verſ.8. Si me quæritis, ſinite hos abire*, tr.21.d.4. n.6.

*Verſ.10. Erat nomen ſervo Malchus*, tr.4.d.11.n.19.

*Verſ.11. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum*, tr.4.d.11.n.4.

*Verſ.16. Petrus ſtabat ad oſtium foris; exivit ergo diſcipulus alius, & introduxit Petrum*, tr.3.d.3.n.4.

*Verſ.33. Tu es Rex Judæorum?* tr.2.d.11.n.11.

*Verſ.36. Regnum meum non eſt de hoc mundo*, tr.3.d.4.n.2. & tr.12.d.4.n.26.

*Verſ.37. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni, ut teſtimonium perhibeam veritati*, tr.2.d.11.n.11.

*Verſ.38. Ego nullam invenio in eo cauſam*, tr.3.d.3. n.11. & tr. 17.d.11.n.5.

CAP. XIX.

*Verſ.5. Ecce homo*, tr.17.d.11.n.5.

*Verſ.11. Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi &c.* tr.11.d.13.n.10.

*Verſ.eod. Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, tr.8.d.28. n.10.

*Verſ.12. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*, tr.8.d.28. n. 10.& tr.3.d.20.n.11.& tr.3.d.2.n.11.& tr.2.d.9.n.6.

*Verſ.14. Erat hora ſexta*, tr.21.d.5.n.1.

*Verſ.15. Tolle, tolle, crucifige eum*, tr.11.d.11.n.3.

*Verſ.eod. Non habemus Regem, niſi Cæſarem*, tr.2.d.8.n.11.& d.9.n.6.

*Verſ.19. Rex Judæorum*, tr.15.d.19.n.10.

*Verſ.22. Quod ſcripſi, ſcripſi*, ibid.

*Verſ.24. Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit*, tr.4.d.15.n.3.

*Verſ.28. Dixit: Sitio*, tr.1.d.4.n.11.

*Verſ.29. Vas ergo erat poſitum aceto plenum &c.* tr.9.d. 17.n.8.

*Verſ.31. Erat magnus dies ille Sabbathi*, tr.11.d.8.n.11. & tr. 13.d.34.n.11.

*Verſ.34. Unus militum lancea latus ejus aperuit*, tr.15. d.2. n.9.

*Verſ.eod. Et continuo exivit ſanguis & aqua*, tr.1. d.4.n.11. Item tr.4.d.11.n.17.

*Verſ.37. Videbunt in quem transfixerunt*, tr.11.d.8.n.12.

CAP. XX.

*Verſ.13. Dicunt ei angeli: Mulier, quid ploras*, tract.6.d.16. n.4.

*Verſ.15. Suſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam?* tr.4.d.18.n.7.

*Verſ.17. Noli me tangere*, tr.14.d.33.n.6.& tract.20.d. 12.n.6.

*Verſ.eod. Nondum enim aſcendi ad Patrem meum & Patrem veſtrum*, tr.10.d.19.n.9. & d.29.n.1.

*Verſ.22.& 23. Inſufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, tr.7.d.14.n.2.& tr.5.d.2.n.5. Item tr.15.d.1.per totum.& d.19.n.9. It. tr.7.d.14. n.2.

*Verſ.24. Thomas non erat cum eis quando venit Jeſus*, tr. 17. d.1.n.7.

*Verſ.25. Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum*, tr.18. d.14.n.11.

*Verſ.26. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis*, tr.7.d.12.n.15.& tr.17.d.14.n.7.

*Verſ.eod. Venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis*, tr.5.d.8.n.15.

*Verſ.27. Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*, tr.18.d.14.n.11.

CAP. XXI.

*Verſ.6. Mittite in dexteram navigij rete, & invenietis*, tr.10. d.17.n.2.& d.28.n.9.

*Verſ.11. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram*, ibid.

*Verſ.13. Accepit panem, & dat eis, ac piſcem ſimiliter*, tr.1. d.3.n.17.

*Verſ.15. Simon Joannis, diligis me plus his?* tr.3.d.11.n.12. & tr.4.d.15.n.16. Item tr.17.d.7.n.4.

*Verſ.17. Simon Joannis, amas me?* tr.4.d.17. n.8. & tr.5 d.3. n.8.

*Verſ.22. Sic eum volo manere, quid ad te? Tu me ſequere*, tr. 10.d.24.n.1.

*Verſ.23. Exiit ergò ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur*, tr.14.d.3.n.9.

EX LIBRO ACTUUM APOSTOLORUM.

CAP. I.

*Verſ.3. Per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei*, tr.10.d.1.n.13.& d.2.n.8. Item tr.18.d.1.n.9.

*Verſ.6. Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël*, tr.3.d.18.n.5.

*Verſ.7. Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta*, tr.8.d.11. n.3.

*Verſ.10. Ecce, duo viri adſtiterunt in veſtibus albis*, tract.6.d. 11 n.7.

*Verſ.11. Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum*, tr. 10. d.1.n 13.

*Verſ.eod. Hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet*, ibid.

CAP. II.

*Verſ.1. Erant omnes pariter in eodem loco*, tr.10.d.12.n.5. Item tr.20.d.4.n.5

*Verſ.2. Tamquam advenientis ſpiritus*, tr.15.d.1.n.4.& tr.18.d. 7.n.5.

*Verſ.4. Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, tr.5.d.5.n.4.

*Verſ.13. Alij autem irridentes dicebant: quia muſto pleni ſunt iſti*, tr.9.d.19.n.15. & tr.12.d.4.n.27. Item tr.21.d.3.n.3.

*Verſ.15. Non ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt*, tr.1.d.3.n.11.& tr.16.d.2.n.7.

*Verſ.24. Habebant omnia communia*, tr.5.d.5.n.20. & tr.10.d. 12.n 5.

CAP. III.

*Verſ.6. Argentum & aurum non eſt mihi*, tr.8.d.10.n.11. & d. 12.n.10.

CAP. IV.

*Verſ.12. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus &c.* tr.11.d.5.n.3.

*Verſ.18. Denunciaverunt, ne omnino loqueretur in nomine Jeſu*, tr.19.d.11.n.10.

*Verſ.32. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*, tr.10.d.12.n.5. Item tr.5.d.5.n.20.& tr.8.d.2.n.9.

*Verſ.34. Quotquot poſſeſſores domorum aut agrorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant*, tr.8 d.13.n.13.

CAP. V.

*Verſ.3. Anania cur tentavit Satanas cor tuum; mentiri &c.* tr. 15.d.11.n.14.& d.12.n.10.& tr.19.d.14.n.10.

*Verſ. 4. Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem*, tract.15. d.16. n.19.

*Verſ.5. Audiens hæc Ananias, cecidit &c.* tr.15.d.11.n.14.

*Verſ.10. Confeſtim cecidit ante pedes ejus, & expiravit*, tr.21. d. 4.n.6.

*Verſ.12. Erant unanimiter omnes*, tr.8.d.2.n.9.

*Verſ.14. Magis augebatur credentium multitudo &c.* tr.7.d.17. n.5.

*Verſ.41. Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*, tr.16.d.1.n.5. & d.17.n.1.& 5. & 10.& d.18.n.8. Item tr.3.d. 5.n.1.

CAP. VI.

*Verſ.8. Faciebat prodigia, & ſigna magna*, tr.14. d. 8. n.8. Item tr.11.d.3.n.8.

*Verſ.15. Viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli*, tr.14. d.5.n.7. Item tr.13.d.35.n.12.& tr.11.d.3.n.8.

CAP. VII.

*Verſ.5. Non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis*, tr. 8.d.21.n.3.

*Verſ.15. Deſcendit Jacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe &c.* tr.17.d.6.n.10.

*Verſ.22. Eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum*, tr.2. d.11.n.5.

*Verſ.51. Dura cervice & incircumciſis cordibus*, tr.18.d.12. n.8. & d.13.n.3.

*Verſ.55. Video & Jeſum ſtantem à dextris Dei*, tr.10.d.16.n.6. & d.22.n.22.& d.29.n.2. Item tr.6.d.3.n.16.

*Verſ. 56. Continuerunt aures ſuas*, tr.11.d.12.n.2.

*Verſ.57. Ejicientes eum extra civitatem*, tr.11. d.3. n.9. & d. 10.n.14.

CAP. VIII.

*Verſ.22. Pecunia tua tecum ſit in perditionem*, tr.8.d.5.n.11.

*Verſ.39. Spiritus Domini rapuit Philippum*, tr.16.d. 2.n.6.

CAP. IX.

*Verſ.1. Saulus ſpirans minarum & cædis*, tr.16.d.12.n.7.

*Verſ.4. Saule, Saule quid me perſequeris*, tr. 16.d.18.n.5.

*Verſ.9. Erat ibi tribus diebus, & non manducavit, neque bibit*, tr.1.d.5.n.22.

*Verſ.16. Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, tr.10.d.24.n.12.

*Verſ.31. Eccleſia...ædificabatur ambulans in timore Domini*, tr. 16.d.1.n. 8.

CAP. X.

*Verſ.13. Occide & manduca*, tr.15. d.20.n.13.

*Verſ.31. Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleëmoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei*, tr.6.d.12.n.10.

*Verſ.34. In veritate comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus*, tr.10.d.27.n.2.& d.28.n.13.

*Verſ.35. Sed in omni gente qui timet Deum &c.* ibid.

*Verſ.38. Pertranſijt benefaciendo & ſanando omnes*, tr.4.d. 10.n.6. & tr.14.d.33.n.1. & 12. & tr.17. d.11. n. 5. & tract.19. d.2.n.7.

CAP. XI.

*Verſ.5. Ego eram in civitate Joppe orans*, tr.10.d.28.n.13.

*Verſ.6. Vidi quadrupedia terræ & beſtias*, ibid.

*Verſ.7. Audivi vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, & manduca*, ibid. &c.

*Verſ.10. Hoc autem factum eſt per ter*, ibid.

*Verſ.24. Erat vir bonus, & Spiritu Sancto plenus*, tr.16.d. 1. n.5.

CAP. XII.

*Verſ.4. Quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem*, tr.6.d. 10.n.13.

*Verſ.5. Oratio autem fiebat ab eccleſia ad Deum pro eo*, tr. 6.d. 2.n.9.

*Verſ.6. Cum producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens*, tr.16.d.17.n.9. Item tr.6.d.2.n.9.

*Verſ.7. Et ecce angelus Domini aſtitit, &c.* tr.6.d.2.n.9. *Dicens: Surge velociter*, tr.6.d.16.n.10.& d.10.n.17.& 18.

*Verſ.8. Calcea te caligas tuas*, tr.13.d.33.n.12. Item tr.6.d.7. n.12.

*Verſ.10. Tranſeuntes primam & ſecundam cuſtodiam venerunt ad portam ferream*. tr.13.d.33.n.12.

*Verſ.11. Nunc ſcio verè quia miſit Dominus angelum ſuum*, ibid. &c.

*Verſ.23. Percuſſit eum angelus Domini, & conſumptus à vermibus expiravit*, tr.2.d.12.n.15.

CAP. XIII.

*Verſ. 2. Miniſtrantibus autem illis & jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam*, tr.1. d.3. n.11.

*Verſ.17. In brachio excelſo eduxit eos ex ea*, tr.3.d.14.n.3.

*Verſ.22. Inveni David, virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, tr.15.d.8.n.10. & tr.16.d.11. n. 4. & tr.20. d.1.n.2. Item tr.9.d.16.n.3. & tr.10.d.2.n.12. & tr.2.d.11.n.7. & tr.4.d.15.n.1.

*Verſ.38. Ipſe eſt remiſſio peccatorum*, tr.15.d.14.n.2.

CAP. XIV.

*Verſ.10. Dij, ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos*, tr.3. d.7.n.14.

*Verſ.21. Per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum Dei*, tr.10.d.24.n.1.& d.25.n.2,

*Verſ. 22. Cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias, presbyteros, & oraſſent, cum jejunationibus commendaverunt eos Domino*, tr.1.d.3.n.11.

CAP. XV.

*Verſ.10. Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus*, tr.16.d. 10.n.1.& 4. Item tr.10.d.21.n.2.& d.27.n.4.& tr.4.d.17.n.4.

CAP. XVI.

*Verſ.17. Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis*, tr.2.d.2.n.9.& tr.21.d.10.n.9. & tr.17 d.10.n.13.

*Verſ.18. Dolens Paulus, & converſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab ea*, tr.2.d.2.n.9.

*Verſ.19. Videntes Domini ejus, quia exiſſet ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum & Silam, perduxerunt in forum ad Principes*, tr.8.d.4.n.10.

*Verſ. 24. Sciſſis tunicis juſſerunt eos virgis cædi*, tr.11. d.12. n.2.

*Verſ.30. Domine, quid me oportet facere, ut ſalvus fiam?* tr.6.d. 11.n.12.

CAP. XVII.

*Verſ.25. Nec indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, inſpirationem & omnia*, tr.4.d.9.n.2.

*Verſ.28. In quo vivimus, movemur & ſumus*, tr.15.d.24.n.3.

*Verſ.29. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimari auro*, tr.7.d.9.n.11.

CAP. XIX.

*Verſ.2. Neque ſi Spiritus Sanctus eſt audivimus*, tr.16.d.10.

*Verſ.20. Impleta eſt civitas confuſione, & impetum fecerunt, &c.* tr.9.d.4.per totum.

CAP. XX.

*Verſ.24. Neque facio animam meam pretioſiorem, quàm me*, tr. 7.d.17. per totum.

*Verſ.26. Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium*. tr.2.d.10.n.10.

*Verſ.27. Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis*, ibid.

CAP. XXI.

*Verſ.8.& 9. Intrantes domum Philippi Evangeliſtæ: huic erant quatuor filiæ virgines prophetantes*, tr.14.d.8.n.6.

CAP. XXIII.

*Verſ.1. Ego omni bona conſcientia converſatus ſum ante Deum*, tr.16.d.8.n.10.

*Verſ.3. Percutiet te Deus paries dealbate*, tr.12.d.2.n.6.

CAP. XXIV.

*Verſ.1. Multa corriguntur per tuam providentiam*, tr.18.d.9. per totum.

*Verſ.25. Diſputante autem illo de juſtitia & caſtitate*, tr.14.d. 6.n.12.

*Verſ.eod. Tremefactus Felix reſpondit*, tr.13.d.20.n.3.

CAP. XXVII.

*Verſ.23. Amiſſio nullius animæ erit ex vobis*, tr.17.d.14.n.6.

EX EPISTOLA B. PAULI AD ROMANOS.

CAP. I.

*Verſ.18. Revelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem &c.* tr.10.d.9.n.5.

*Verſ.19. Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*, ibid.

*Verſ.20. Inviſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, tr.4.d.14.n.1.

*Verſ.24. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*, tr.8.d.13.n.6. Item tr.13.d.26.n.12.

*Verſ.30. Detractores Deo odibiles*, tr.21.d.4.n.1.

CAP. II.

*Verſ.1. Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis qui judicas*, tr.18.d.17.n.7.

*Verſ.4. An divitias bonitatis ejus contemnis?* tr.7.d.14.n.3.

*Verſ.11. Non eſt acceptio perſonarum apud Deum*, ibid.n.17.

CAP. III.

*Verſ.12. Omnes declinaverunt &c.* tr.21.d.14.n.5.

*Verſ.23. Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*, tr.7.d.14.n. 3. Item tr.15.d.19.n.9

CAP. IV.

*Verſ.25. Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*, tr.15.d.1.n.1.

CAP. V.

*Verſ.3. Tribulatio patientiam operatur*, tr.10.d.25.n.11.& 12.

*Verſ. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*, tr. 4. d. 16. n. 10. & d. 17. n. 1. Item tr. 10. d. 27. n 5.

*Verſ. 8. Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum eſſemus peccatores &c.* tr.4.d.9.n.9. & d. 11. per totum.

*Verſ.9. Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, locis citat.

*Verſ.10. Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus*, tr.4.d.11.n.17.

*Verſ.20. Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*, tr.4.d.10.n.2.& d.12.n.4.Item tr.15.d.1.n.12.& d.5.n.8.

CAP. VI.

*Verſ.12. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, &c.* tr.9.d.2.n.7.& tr.13.d.15.n.9.& d.30.per totum, Item tr.19.d.12.n.4.

*Verſ.13. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*, tr.9.d.2.n.7.& tr.13.d.15.n.9.& d.30.per totum, Item tr.19.d.12.n.4.

*Verſ.21. Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* tr.13.d.16.n.23.

CAP. VII.

*Verſ.8. Sine lege peccatum mortuum erat*, tr.19.d.12.n.8.

*Verſ.15. Non quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, hoc facio*, tr.17.d.2.n.5.

*Verſ.18. Scio, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum &c.* tr.13.d.24.n.4.& tr.14.d.15. per totum.

*Verſ.19. Non enim quod volo bonum, hac facio, ſed quod nolo malum, hoc ago*, Ibid. item tr.15.d.7.n.19.

*Verſ.24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* tr.13.d.10.n.19.& d.18.n.17. Item tr.14.d.14. per totum.

CAP. VIII.

*Verſ.8. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*, tr.13. d.4.n.6.& d.17.n.19.

*Verſ.9. Vos autem non eſtis in carne*, tr.13.d.19.n.7.

*Verſ.12. Debitores non ſumus carni, ut ſecundùm carnem vivamus*, tr.13.d.9.n.15.

*Verſ.13. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini &c.* Ibid.

*Verſ.15. & 16. Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore &c.* tr.5.d.8.n.9. Item tr.16.d.10.n.4.

*Verſ.17. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, tr.4.d.8.n.2.Item tr.10.d.2.n.5.& d.29.n.1.

*Verſ.18. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam &c.* tr.10.d.14.n.9.& d.22. per totum, Item tr.14.d.11.n.14.& tr.16.d.10.n.9.

*Verſ.20. Omnis creatura vanitati ſubjecta eſt*, tr.7.d.18.n.14. Item tr.10.d.7.n.10.

*Verſ.26. Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*, tr.6.d.12.n.4.

*Verſ.28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, tr.4.d.5.n.9.

*Verſ.29. Quos prædeſtinavit conformes fieri &c.* tr.10.d.26.n.1.

*Verſ.32. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* tr.4.d.9.n.13.

*Verſ.35. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti &c.* tr.4.d.18.n.17. Item tr.19.d.15.n.9.

*Verſ.36. Propter te mortificamur tota die*, tr.16.d.17.n.6.

*Verſ.38. Certus ſum, quia neque mors, neque vita &c.* tr.7.d.17.n.7.& tr.3.d.6.n.4.

CAP. IX.

*Verſ.1. Veritatem dico, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea*, tr.15.d.24.n.2.

*Verſ.3. Optabam ipſe anathema eſſe pro fratribus meis*, tr.5.d.9.n.3.

*Verſ.13. Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, tr.3.d.15.n.2.& 3.

CAP. X.

*Verſ.6. Quis aſcendet in cælum &c.* tr.10.d.2.n.14.

*Verſ.eod. & 8. Ne dixeris quis aſcendet in cælum &c. propè eſt verbum in ore & in corde tuo*, tr.15.d.2.n.10.

*Verſ.10. Ore autem fit confeſſio ad ſalutem*, tr.15.d.1.n.8.& d.7.n.2.

*Verſ.12. Dives in omnes, qui invocant illum*, tr.11.d.5.n.6.

*Verſ.13. Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit*, ibid.

CAP. XI.

*Verſ.34. Quis cognovit ſenſum Domini*, tr.15.d.3.n.19.

CAP. XII.

*Verſ.1. Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem &c.* tr.9.d.14.per totum.& tr.10.d.25.n.16.

*Verſ.eod. Rationabile obſequium veſtrum*, tr.1.d.1.n.10.

*Verſ.3. Dico omnibus, non plus ſapere quàm oportet ſapere*, tr.10.d.28.n.14.

*Verſ.4. Sicut in uno corpore multa membra habemus &c.* tr.5.d.5.n.10.

*Verſ.5. Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto &c.* ibid.

*Verſ.10. Charitate fraternitatis invicem diligentes*, tr.5.d.5.n.17.

*Verſ.14. Benedicite perſequentibus vos, & nolite maledicere*, ibid.

*Verſ.15. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus*, tr.2.d.3.n.4. Item tr.10.d.8.n.15.& d.25.n.15.

CAP. XIII.

*Verſ.1. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, tr.10 d.5.n.7.

*Verſ.eod. Non eſt poteſtas niſi à Deo*, tr.3.d.1.n.10.& d.16.n.2. Item tr.19.d.13.n.7.

*Verſ.4. Non ſine cauſa gladium portat*, tr.2.d.1.n.7. Item tr.18.d.3.n.3.

*Verſ.7. Cui honorem, honorem &c.* tr.11.d.11.n.8.

*Verſ.8. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem implevit*, tr.5.d.4.n.11.& tr.5.d.10.n.1.& 5.& tr.5.d.1.per totum.

*Verſ.9. Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, tr.5.d.9.n.4.

*Verſ.10. Plenitudo legis eſt dilectio*, tr.4.d.17.n.1. Item tr.10.d.27.n.4.& 5. Item tr.21.d.4.n.4.

*Verſ.12. Abjiciamus ergo opera tenebrarum &c.* tr.13.d.1.n 17. Item tr.18.d.13.n.8.& tr.21.d.7.n.4.& tr.19.d.7.n.2.& tr.20.d.10.n.3.

*Verſ.18. Sicut in die honeſtè ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus*, tr.1.d.4.n.8.& d.9.per totum. Item tr.1.d.1.n.6.& tr.16.d.14.n.2.& tr.16.d.5.n.8.

*Verſ.14. Sed induimini Jeſum Chriſtum*, tr.1.d.4.n.8.& tr.7.d.17.n.14.Item tr.9.d.12.n.10.

CAP. XIV.

*Verſ.17. Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium*, tr.1.d.8 n.6.Item tr.9.d.12.n.1.& tr.10.d.29.n.12.& tr.13.d.10.n.12.Item tr.15.d.14.n.2.& tr.16.d.5.n.8.

CAP. XV.

*Verſ.4. Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, tr.13.d.35.n.1.

EX EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

CAP. I.

*Verſ.5. In omnibus divites facti eſtis, in omni verbo & ſcientia*, tr.8.d.17.n.3.

*Verſ.11. Significatum eſt mihi de vobis, fratres mei &c. quia contentiones ſunt inter vos*, tr.18.d.7.n.8.

*Verſ.27. Infirma mundi elegit Deus*, tr.16.d.16.n.18.

CAP. II.

*Verſ.8. Si cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, tr.4.d.10.n.12.Item tr.11.d.8.n.9.

*Verſ.9. Oculus non vidit, nec auris audivit &c. quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum*, tr.4.d.17.n.11.& tr.4.d.4.n.5.& tr.7.d.9.n.8.Item tr.10.d.1.per tot.& d.4.n.8.& d.5.n.7.& d.11 n.7.& d.13.n.15.& d.22.n.14.& d.27.n.9.Item tr.16.d.14.n.7.

CAP. III.

*Verſ.2. Tamquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam*, tr.6.d.7.n.1.It.tr.17.d.5.n.8.& tr.18.d.10.n.10.& d.7.n.4

*Verſ.7. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat*, tr.8.d.18.n.13.Item tr.9.d.20.n.8.

*Verſ.17. Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*, tr.7.d.8.n.16.Item tr.20.d.10.n.2.& d.12.n.7.& d.16.n.2.

*Verſ.eod. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, tr.13.d.15.n.11.

*Verſ.18. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat*, tr.9.d.13.n.13.

CAP. IV.

*Verſ.1. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Dei, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, tr.3 d.16.n.1. Item tr.15.d.27.n.11.

*Verſ.4. Nihil mihi conſcius ſum*, tr.16.d 10.n.3.

*Verſ.5. Nolite ante tempus judicare, quoaduſque veniat Dominus*, tr.12.d.7.n.3.

*Verſ.eod. Illuminabit abſcondita tenebrarum*, tr.15.d.18.n.10.& tr.21.d.4.n.8.

*Verſ.8. Utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus*, tr.18.d.5.n.15.

*Verſ.9. Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus*, tr.19.d.18.n.12.

*Verſ.12. & 13. Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus*, tr.16.d.1.n.4.& 8.ibid. *Blaſphemamur, & obſecramus*, loco citato, & tr.12.d.3.n.9.

*Verſ.21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate?* tr.18 d.13.n.6.& n 11.

CAP. V.

*Verſ.5. Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis*, tr.13.d.20.n.20. Item tr.19.d.13.n.8.

*Verſ.6. Non eſt bona gloriatio veſtra: neſcitis, quia modicum fermentum, &c* tr.17.d.6.n.3.& d.8.n.3.& d.9.per totum.

*Verſ.7. Expurgate vetus fermentum*, tr.17.d.6.n.3.& d.12.n.3.

*Verſ.10. Non fornicarijs hujus mundi &c.* ibid.

*Verſ.11. Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, &c. cum hujuſcemodi nec cibum ſumere*, tr.13.d.24.n.12.

CAP. VI.

*Verſ.6. Frater cum fratre judicio contendit*, tr.5.d.5.n.17.

*Verſ.10. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*, tr.16.d.16.n.1.







*Verſ.15. Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti* Tr.13.d.15.n.9.

*Verſ.eod. Tollens ergò membra Chriſti, faciam membra meretricis*, Tr.13.d.15.n.9.& 10. Tr.9.d.18.n.8.

*Verſ.16. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur?* Tr.13.d.15.n.9.

*Verſ.17. Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt cum eo*, Tr.1.d.5.n.12. Item Tr.14.d.28.n.3.& d.29.n.3.

*Verſ.18. Fugite fornicationem*, Tr.14.d.28.n.3.& d 29.

*Verſ.eod. Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*, Tr.3.d.16.n.13.& 15.& Tr.13.d.22. per totum.

*Verſ.20. Empti eſtis pretio magno*, Tr.7.d.11. per totum. Item Tr.13.d.15.n.3.& 9. Item Tr.18.d.14.n.1.& Tr.14.d.26.n.15.& Tr.16.d.11.n.6.

CAP. VII.

*Verſ.3. Uxori vir debitum reddat &c.* Tr.14.d.19.n.2.

*Verſ.4. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir*, Tr.13.d.15.n.6.

*Verſ.7. Volo omnes vos eſſe ſicut meipſum*, Tr.14.d.17.n.7.& d.22.n.1.

*Verſ.25. Præceptum Domini de virginibus non habeo*, Tr.14.d.2.n.7.& d.4. per totum.

*Verſ.30. Qui flent, tamquam non flentes*: Tr.14.d.13.n.7.

*Verſ.31. Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*, ibid.& Tr.16.d.9.n.8.

*Verſ.32. Volo vos omnes ſine ſolicitudine eſſe*, Tr.14.d.13.n.5.& 7.

*Verſ.34. Virgo cogitat quæ Domini ſunt*, Tr.14.d.12.n.18.& d.13. per totum, & d.22.n.11.

CAP. VIII.

*Verſ.8. Eſca nos non commendat Deo*, Tr.8.d.2. per totum.

*Verſ.12. Peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam*, Tr.3.d.18.n.12.

CAP. IX.

*Verſ.9. Numquid de bobus cura eſt Deo*, Tr.4.d.15.n.12. Item Tr.10.d.19.n.5.

*Verſ.19. Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci*, Tr.3.d.16.n.3.

*Verſ.22. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes ſalvos facerem*, Tr.7.d.5.n.15.

*Verſ.24. Neſcitis quod ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium*, Tr.3.d.17.n.14.& Tr.8.d.12.n.11. Item Tr.10.d.26.n.7.

*Verſ.25. Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*, Tr.1.d.1. per totum.

*Verſ.eod. Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant*, Tr.10.d.22.n.7.

*Verſ.27. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*, Tr.1.d.8.n.7.& d.9.n.6.& Tr.1.d.11.n.6.Item Tr.13.d.24.n.4.& Tr.16.d.17.n.3.& d.22.n.1.& d.23.n.9.& Tr.16.d.7.n.6.& Tr.17.d.4.n.8.& Tr.19.d.4.n.7.

CAP. X.

*Verſ.4. Omnes eumdem potum ſpiritualem biberunt conſequente eos petra &c.* Tr.14.d.23.n.11.& Tr.19.d.18.n.8.

*Verſ.eod Petra autem erat Chriſtus*, Tr.6.d.7.n.16. Item Tr.10.d.25.n.14.

*Verſ.7. Nolite idololatræ fieri*, Tr.9.d.11.n.8.

*Verſ.12. Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat*, tr.10.d.16.n.11. Item Tr.18.d.8.n.2.

*Verſ.13. Tentatio vos non apprehendat niſi humana &c.* Tr.12.d.1.n.8.

*Verſ.eod. Fidelis autem eſt Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, Tr.19.d.13.n.5.

*Verſ.17. Unus panis & unum corpus multi ſumus &c.* Tr.5.d.5.n.20.

*Verſ.21. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum*, Tr.19.d.18.n.10.

*Verſ.24. Nemo quod ſuum eſt, quærit &c.* Tr.18.d.14.n.5.

*Verſ.27. Si quis vocat vos infidelium & vultis ire, omne quod apponitur vobis manducate &c.* Tr.13.d.24.n.12.

*Verſ.31. Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite*, tr.4 d.13.n.15.Item Tr.9.d.19.n.9.

CAP. XI.

*Verſ.3. Caput viri Chriſtus, caput Chriſti Deus eſt*, tr.11.d.6.n.4.

*Verſ.19. Oportet hæreſes eſſe*, Tr.10.d.18.n.12.

*Verſ.21. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*, tr.11.d.2.n.7.

*Verſ.22. Numquid domos non habetis ad manducandum &c.* Tr.18.d.9.n.13.

*Verſ.23. In qua nocte tradebatur, accepit panem*, Tr.4.d.10.n.13.

*Verſ.28. Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, Tr.5.d.8.n.11.

*Verſ.31. Si nosmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*, Tr.15.d.4.n.4.& d.17.n.7.

CAP. XII.

*Verſ.4. Diviſiones gratiarum ſunt*, Tr.10.d.14.n.8.

*Verſ.8. Alij per ſpiritum datur ſermo ſcientiæ &c.* Tr.5.d.5. n.11.

*Verſ.21. Non poteſt oculus dicere manui: Opera tua non indigeo*, ibid.

*Verſ.23. Quæ putamus ignobiliora eſſe membra, his honorem abundantiorem circumdamus &c.* Tr.18.d.9.n.7.

*Verſ.25. Non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro invicem ſolicita ſint membra*, Tr.5.d.5.n.17.& d.8.n 13.

*Verſ.26. Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*, Tr.5.d.5.n.13. Item Tr.18.d.1.n.3.

*Verſ.27. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, Tr.13.d.15.n.3.

*Verſ.31. Æmulamini chariſmata meliora*, Tr.4.d.4.n.6.& Tr.4.d.4.n.10.

CAP. XIII.

*Verſ.1. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, &c.* Tr.4.d.2.n.10. Item Tr.10.d.13.n.11.& d.27.n.10.

*Verſ.3. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, Tr.4.d.3. per totum.

*Verſ.4. Charitas patiens eſt &c.* Tr.3.d.17.n.6.& Tr.4.d.2.n.13.& d.18.n.1.

*Verſ.8. Charitas numquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt*, Tr.4.d.2.n.15.

*Verſ.11. Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus*, Tr.6.d.7.n.1. Item Tr.10.d.5.n.12.

*Verſ.12. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, Tr.1.d.5.n.18.& Tr.4.d.2.n.15.& Tr.6.d.7.n.15.& Tr.7.d.5.n.12. Item Tr.10.d.7.n.3.

*Verſ.13. Nunc manent fides, ſpes, charitas: major autem horum eſt charitas*, Tr.4.d.2.n.10.& n.12.& n.15.& Tr.4.d.17.n.3. Item Tr.10.d.27.n.5.

CAP. XIV.

*Verſ.20. Nolite pueri effici ſenſibus*, Tr.8.d.22.n.8.

*Verſ.33. Deus pacis*, Tr.5.d.7.n.1.

*Verſ.34. & 35. Mulieres in Eccleſia taceant*, Tr.14.d.35.n.2.

CAP. XV.

*Verſ.10. Abundantius illis omnibus laboravi*, Tr.10.d.27.n.1.

*Verſ.eod. Non ego, ſed gratia Dei mecum*, Tr.14.d.32.n.4.& Tr.16.d.11.n.6.

*Verſ.22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto &c.* Tr.10.d.6.n.2.

*Verſ.33. Corrumpunt bonos mores colloquia mala*, Tr.17.d.5.n.11.& d.8.n.1.& n.6.

*Verſ.36. Inſipiens, tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi prius moriatur*, Tr.8.d.11.n.3.

*Verſ.41. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ*, Tr.10.d.12.n.3.

*Verſ.50. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*, Tr.13.d.10.n.18.

*Verſ.52. In momento, in ictu oculi &c. & mortui reſurgent incorrupti*, Tr.10.d.6.n.1.

*Verſ.53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem*, Tr.10.d.6.n.1.

*Verſ.56. Stimulus mortis peccatum eſt*, Tr.15.d.17.n.12.

CAP XVI.

*Verſ.22. Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema*, Tr.4.d.1.n.3.& d.6. per totum.

EX EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.

CAP. I.

*Verſ.3. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis &c.* Tr.9.d.15.n.1.& Tr.10.d.8.n.14.& Tr.13.d.21.n.13.Item. Tr.16.d.2.n.4.& d.3.n.3.& d.17.n.3.& 6. d.18.n.5.

*Verſ.4. Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*, Tr.16 d.2.n.4.& d.18.n.5.& d.18.n.9.

*Verſ.5. Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & conſolatio noſtra*, Tr.16.d.2.n.4.& d.18.n.8.

*Verſ.7 Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis*, Tr.16.d.17. per totum.

*Verſ.12. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*, Tr.15.d.6.n.2.& Tr.16.d.7.n.3.& 7.& Tr.15.d.24. per totum.

*Verſ.18. Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter non eſt in illo, eſt & non*, Tr.10.d.15.n.8.

CAP. II.

*Verſ.4. Ut ſciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis*, Tr.18.d.1.n.4.& d.7.n.2.

*Verſ.11. Non circumveniamur à Satana*, Tr.19.d.5.n.7.

*Verſ.15. Chriſti bonus odor ſumus*, Tr.6.d.15.n.8. Item Tr.14 d.12.n.7.

CAP. III.

*Verſ.5. Sufficientia noſtra ex Deo eſt*, Tract.15. diſc.23. n.11.

*Verſ.6. Idoneos nos fecit miniſtros*, Tr.3.d.12.n.13.

*Verſ.17. Dominus Spiritus eſt: Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, Tr.16.d.11.n.1.

Verſ. 18. *Nos verò revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur*, tr.7.d.5. n.12. Item tr. 10. d.6.n.2.

CAP. IV.

Verſ.7. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus &c.* tr.7. d.3.n.15. & 16. & d.17. n.1. ibid. Item tr.10.d.6.n.1. item tr.14. d.1.n.19. & d.5.n.18. & d.11.n.1. & d.16.n.12. & d.17. n.7. & d.24.n.7. & d.27.n.2. & d.31.n.4. & tr.15.d.24.n.7.

Verſ.5. & 10. *Mortificationem Jeſu in corpere noſtro circumferentes*, tr.14.d.26.n.15.

Verſ.16. *Licet, qui foris eſt noſter homo corrumpatur tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem*, tr. 1.d.6.n.10.

Verſ.17. *Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*, Tr.8.d.21. .10. & d. 22. n. 11. Item tr.10. d.14. n.6. & d.16. n.16. & d.21. per totum, & d.24.n.11. & 17. & d.30. n.2. & d.24.n.17.

Verſ. 18. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt*, tr.8. d.22. n.8.

CAP. V.

Verſ. 1. *Domum habemus à Deo non manu factam*, tr. 10. d. 28. n. 3.

Verſ. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*, tr.6. d.9.n.11.

Verſ.14. *Charitas Chriſti urget nos*, tr.5.d.8.n.9. & tr. 6. d.4. n.12.

Verſ.18. *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum*, tr.5.d.8.n.2.

CAP. VI.

Verſ.4. *Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia &c.* tr.10.d.24.n.8.

Verſ. 5. *In vigiliis, in jejuniis, in caſtitate &c.* tr. 1. d. 10. per totum. Item tr.14.d. 10.n.3.

Verſ. 10. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*, tr.8.d.23.n.10. Item tr.10.d.8.n.4. & d.8.n.9.

Verſ.eod. *Sicut egentes, multos autem locupletantes*, tr.8. d.12. n. 6.

Verſ.14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus &c.* tr.9.d.8. per totum, It. tr.16.d.14.n.9. & tr.17.d.6.n.3. & tr.20.d.13.n.1.

Verſ.eod. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate &c.* Tr.9.d.8.n.1.

Verſ.15. *Quæ conventio Chriſti ad Belial?* tr.16.d.14.n.9. & tr. 17.d.6. n.3. & tr.20.d.13.n.1. & tr.15.d.1.n.13. & tr.19. d.8. n.10.

Verſ.16. *Quis conſenſus templi cum idolis*, tr.4.d.14. n.5. *Vos eſtis templum Dei vivi*, tr.7.d.8.n.8.

CAP. VII.

Verſ.1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus*, Tr.1.d.16.n.9.

Verſ.4. *Superabundo gaudio in omni tribulatione*, tr.10.d.8.n.6. & d.9.n.7. & d.15.n.11. & tr.12.d. 2.n.6. & tr.16.d.18. n.9.

Verſ. 10. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pænitentiam in ſalutem operatur*, tr.15.d.22. n.7.

CAP. VIII.

Verſ. 14. *In præſenti tempore, veſtra abundantia eorum inopiam ſuppleat*, tr.8.d.18. n.8.

CAP. IX.

Verſ.7. *Non ex triſtitia aut neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus*, tr.1.d.2.n.10. It. tr.9.d.2.n.10. It. tr.16.d.11. n.10.

CAP. X.

Verſ.3. *In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus*, tr.14.d.15.n.2.

CAP. XI.

Verſ.2. *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, tr.14.d.1. per totum.

Verſ. 14. *Ipſe ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis*, tr. 19. d.7. per totum.

Verſ. 23. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius &c.* tr.10.d.21.n.1. Item tr.16.d.2.n.4.

Verſ.25. & 26. *Ter virgis cæſus ſum &c.* tr.16.d.2. n.4.

Verſ. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* tr. 6. d. 4. n. 12.

CAP. XII.

Verſ. 1. *Veniam ad viſiones & revelationes Dei &c.* tr. 10. d. 14.n.9.

Verſ.2. *Scio hominem in Chriſto, raptum usque ad tertium cælum &c.* ibid. & d.15.n.11. & d.1.n.1.

Verſ. 3. *Scio hujuſmodi hominem, ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio: Deus ſcit*, tr.4.d.16.n.9. & tr.10.d.14.n.9.

Verſ.4. *Raptus eſt in paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, tr.1.d.5.n.22. & d.6.n.8. Item tr.10. d.1.n.1. & d.14.n.9. & d.17.n.10.

Verſ.7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet*, tr.1.d 19.n.7. It. tr.13.d.28.n.10. Item tr. 14. d.14.n.1. & d.25.n.1. & d. 32. per totum, & tr.19.d.9.n.9.

Verſ.8. *Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me*, tr.13.d.28.n.10. Item tr.14.d.25.n.1.

Verſ.9. *Sufficit tibi gratia mea.* ibid.

Verſ.10. *Cum infirmor, tunc potens ſum*, Tr.14.d.26.n.10.

CAP. XIII.

Verſ.3. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?* tr.1.d.4.n.2.

Verſ.11. *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum*, tr. 5. d.7. per totum.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

CAP. I.

Verſ.10. *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*, tr.2.d.10.n.10.

Verſ.14. *Abundantius æmulator exiſtens paternarum traditionum*, tr.11.d.3.n.8.

CAP. II.

Verſ.16. *Non juſtificatur homo ex operibus legis*, tr. 16. d. 10. n.2.

Verſ. 20. *Vivo ego, jam non ego: Vivit verò in me Chriſtus*, tr. 4. d.4. n.3. *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, tr. 7. d. 12. per totum, & tr. 7. d.15. n.1.

CAP. III.

Verſ. 3. *Sic ſtulti eſtis, ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?* tr.9.d.14.n.9.

Verſ.10. *Quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt*, tr.16.d.10.n.4.

Verſ. 28. *Non eſt Judæus &c. omnes enim vos unum eſtis in Chriſto*, tr.20.d.16.n.8.

CAP. IV.

Verſ. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum &c.* tr.4.d.9.n.7.

Verſ. 8. *Tunc quidem ignorantes Deum, non iis, qui natura ſunt dii, ſerviebatis*, tr.8.d.28.n.12.

Verſ. 9. *Nunc autem, cum cognoveritis Deum, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa?* ibid.

Verſ. 29. *Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat &c.* tr.13.d.4 n.1.

Verſ. 31. *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ*, tr.16.d.10.n.4.

CAP. V.

Verſ. 14. *Omnis lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, tr.5.d.1.n.2. & d.9.n.6.

Verſ. 15. *Si invicem mordetis & comeditis, videte, ne ab invicem conſummamini*, tr.1.d.17.n.11.

Verſ.17. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem*, tr. 1.d.9.n.4. Item tr.13.d.4.n.1. & d.10. n. 13. Item tr.16.d.4.n. 1. & tr.19.d.9.n.12. & tr.21.d.9.n.1.

Verſ.19. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio &c.* tr.5.d.10.n.20. Item tr.9.d.12.n.3. & tr.13.d.1.n.10. & d.6. n.8. & 20. Item tr.14.d.6. n.7. & tr.15.d.22.n 5.

Verſ. 20. *Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ &c.* tr. 9. d.12.n.2. & tr.13.d.1.n.10.

Verſ.21. *Invidiæ, homicidia, ebrietates &c.* locis citat.

Verſ.22. *Fructus autem Spiritûs charitas, gaudium, &c.* tr.9. d.12.n.2. & d.19.n.8. Item tr. 16. d.2. n.1. & d.4. n.6. & d. 12. n.7. & d.18.n.5. & tr.18.d.7.n.5.

Verſ.23. *Fructus Spiritûs eſt continentia*, tr.14.d.12.n.2.

Verſ. 24. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis &c.* Tr.9.d.12.n.2. & d.16.n.5. & d.18.n.8.

CAP. VI.

Verſ.1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis*, tr.18. d.8. per tot. & d.12.n.5. & d.12.n.9. & d.16.n.1. & d.16.n.8. & d.7.n.5.

Verſ. 2. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*, tr.5.d.1.n.11.

Verſ.8. *Qui ſeminat in carne, de carne & metet*, tr.16.d.4.n.7.

Verſ.14. *Mihi mundus crucifixus eſt*, tr.8.d.22.n.2.

Verſ.17. *Ego ſtigmata Domini mei in corpore meo porto*, tr.14. d.17.n.3.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

CAP I.

Verſ.3. *In deſideriis carnis noſtræ facientes voluntates carnis & cogitationum*, tr.13.d.4.n.8.

Verſ.4. *Deus qui dives eſt in miſericordia*, tr.13.d.11.n.4.

Verſ. eod. *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos*, tr.4.d.9.n.2. & tr.4.d.10.n.2. & tr.5.d.7.n.15. & tr.7.d.14.n.2. & tr.4.d.10. per totum.

Verſ.5. *Cum eſſemus mortui, convivificavit nos in Chriſto.* locis citat.

Verſ. 14. *Ipſe eſt pax noſtra*, tr. 5. d. 4. n.8. *Qui fecit utraque unum*, tr.5.d.8.n.2.

Verſ.19. *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum &c.* tr.5.d.8.n.13. & tr.8.d.21.n.9. Item tr.14.d.5.n.4. & tr.17.d.11.n.2.

CAP. III.

Verſ.17. *In charitate radicati & fundati*, tr.4.d.2.n.14.

Verſ.18. *Ut poſſitis comprehendere quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas &c.* ibid.

Verſ.21. *Ipſi gloria in Eccleſia*, tr.20.d.17.n.7.

CAP. IV.

Verſ.1. *Dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis*, tr.5.d.5.n.6.

Verſ.2. *Cum omni humilitate & manſuetudine &c.* ibid.

Verſ.10. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit*, Tr.3.d. 4.n.9.

Verſ. 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum.* Tr.10. d.16.n.3.

Verſ. 23. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ*, Tr.7.d.15. n.19.

Verſ. 25. *Quoniam ſumus invicem membra*, Tr.5.d.5.n.3.

Verſ.27. *Nolite locum dare diabolo*, Tr.4.d.15.n.13. Item Tr.9. d.16.n.10. & Tr.13.d.30.n.12. & d.34.n.18. It. tr.14.d.19.n.18. & Tr.19.d.4.n.7. & d.8. per totum, & d.15.n.2.

Verſ.29. & 30. *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat*, Tr.14.d.19.n. 18.

Verſ. 31. *Blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia*, Tr.11. d.3.

CAP. V.

Verſ.3. *Fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis*, Tr.11.d.4.n.1. & tr.13.d.16.n.23. Item Tr.14.d.19. per tot.

Verſ.4. *Fornicatio, aut turpitudo &c.* Tr.13.d.17.n.23.

Verſ.5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti*, Tr.8.d.15. per totum, Item Tr.13.d.10.n.13. & d.11. n.2.

Verſ. 6. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis &c.* ibid. & tr.9. d.9.n.12.

Verſ.8. *Ut filii lucis ambulate*, Tr.17.d.1.n.11.

Verſ.15. *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis*, tr.9.d.16.n.10.

Verſ.18. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*, Tr. 1. d.9. n.1. Item Tr.14.d.24. n.2.

Verſ.25. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*, Tr.7.d.9.n.7.

Verſ.29. *Nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit*, tr.1. d.9. n.5. Item Tr.13.d.26.n.14.

CAP. VI.

Verſ.10. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus*, Tr.14.d.8.n.13.

Verſ.11. *Induite vos armaturam fidei*, ibid. & Tr.19. d.16.n.9. & d.17.n.5.

Verſ.12. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, ſed adverſus principes, & rectores tenebrarum harum*, Tr.19. d.17.n.2. & d.9.n.9.

Verſ. eod. *Contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*, Tr.8.d.4. n.1. *Et adverſus mundi rectores*, Tr.8.d.10.n.7.

Verſ.13. *Accipite armaturam Dei*, Tr.19.d.5.n.6.

Verſ.15. *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*, Tr. 5.d.8.n.8.

Verſ. 16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei &c.* Tr. 19. d. 17. n.4.

Verſ.17. *Galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritus quod eſt verbum Dei*, Tr.9.d.2.n.14. Item Tr.19.d.18.n.10.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

CAP. I.

Verſ.20. *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo*, Tr.14.d.26. n.5.

Verſ.21. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*, Tr. 4. d.4.n.3. & Tr.7.d.15. n.1.

Verſ.23. *Deſiderium habens diſſolvi*, Tr.7.d.3.n.3.

CAP. II.

Verſ.6. *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*, tr. 3.d.18.n.7.

Verſ.7. *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*, loco citat. & tr.4.d.7.n.12. & tr.6.d.4.n.18. & tr.7.d.10. n.8. & tr.4. d.10.n.12. & tr.7.d.11.n.2. It. tr.10.d. 30.n.3. It. tr.14.d.11. n.2.

Verſ.8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens &c.* Tr. 10. d. 23.n.3.

Verſ.9. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium &c.* Tr.11.d.4.n.10. Item Tr.20.d.7.n.7.

Verſ.12. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*, Tr.10.d. 16.n.11.

Verſ.14. *Omnia facite ſine murmurationibus*, Tr. 21. d. 5. n.2.

CAP. III.

Verſ.8. *Exiſtimo omnia detrimentum propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti &c.* Tr.4.d.15.n.18. & Tr.7. d. 18. n.11. & Tr.8.d.10.n.7. & d.11.n.5. & d.22.n.5.

Verſ.eod. *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*, Tr.9.d.17.n.1. It. Tr.19.d.9.n.1.

Verſ.18. *Multi ambulant, quos ſæpè dicebam vobis inimicos crucis Chriſti &c.* Tr.9.d.7.n.10. & d.16.n.5.

Verſ.19. *Quorum Deus venter eſt*, Tr.9.d.14.n.3. & d.16.n.5. & tr.13.d.5.n.9. & d.17.n.13. & d.20.n.8.

Verſ.20. *Noſtra converſatio in cælis eſt*, Tr.4.d.15.n.18. tr.6. d.14. per totum, & tr.8.d.21.n.9. Item Tr.14.d.5.n.8.

Verſ.eod. *Salvatorem expectamus &c. qui reformabit corpus &c.* Tr.10.d.6.n.7.

Verſ.4. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete*, Tr. 9.d.19.n.8. & Tr.9.d.12.n.1. Item Tr.16.d.9.n.4. & d.10. n.6. & d.15.n.4.

Verſ.5. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*, Tr. 9. d. 19.n.8. & Tr.9.d.12.n.1.

Verſ.6. *Petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*, Tr.6.d.12. n.2.

Verſ. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, Tr.16.d.10. n.3.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

CAP. I.

Verſ.18. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*, Tr.9.d.18.n.8.

Verſ.24. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti, in carne mea*, Tr.16.d.18.n.5.

CAP. II.

Verſ.3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, tr.7.d.11.n.2. & tr.4.d.9.n.13. It. Tr.10.d.1.n.6. & d.14. n.5.

Verſ.9. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, Tr.20.d.2.n.2. & 5.

Verſ.14. *Delens quod adverſum nos erat chyrographum decreti*, Tr.16.d.10.n.9.

Verſ. 15. *Expolians principatus & poteſtates*, Tr.19.d.4.n.5.

CAP. III.

Verſ.1. *Quæ ſurſum ſunt quærite*, Tr.10.d.13.n.7.

Verſ.2. *Quæ ſurſum ſunt, ſapite: Non quæ ſuper terram*, tr. 8. d.22.n.9. It. Tr.10.d.13.n.7. & d.18. per totum, & d.3.n.9.

Verſ.3. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*, Tr. 7. d.5.n.12.

Verſ.4. *Cum Chriſtus apparuerit, tunc & vos apparebitis*, ibid.

Verſ. 5. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*, Tr.1.d.1.n.6. Item Tr.9.d.14.n.5. & Tr.13.d.11.n.2. Item Tr. 14.d.19.n. 11.

Verſ.eod. *Et avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus*, tr.8.d.15. n.1.

Verſ. 8. *Deponite iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam &c.* Tr.1.d.8.n.2. Item Tr.11.d.3.n.1.

Verſ.9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis*, Tr.5.d. 8.n.9.

Verſ.12. *Induite vos ſicut electi Dei ſancti &c.* Tr.5.d.4.

Verſ.14. *Charitas, quod eſt vinculum perfectionis*, Tr. 5. d.5. n.6.

Verſ.16. *In gratia cantantes in cordibus veſtris Deo*, Tr. 16. d.17.n.8.

Verſ.17. *Miniſterium tuum imple*, Tr.18.d.11.n.9.

EX EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.

CAP II.

Verſ.4. *Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo*, Tr.2.d.11.n.10.

Verſ. 5. *Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis* ibid.

CAP. IV.

Verſ.3 *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, Tr.9. d.14. n.8. & tr.13.d.11.n.2. Item Tr.14.d.6. per totum.

Verſ.4. *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere*, Tr. 13.d.11.n.2.

Verſ.6. *Quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus*, ibid.

Verſ.7. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, &c.* Tr. 9.d.14.n.8.

CAP. V.

Verſ.12. & 13. *Rogamus, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum*, tr.18.d.6.n.2.

Verſ.19. *Spiritum nolite extinguere*, Tr.13.d.4.n.9. Item Tr. 14.d.9.n.9.

EX EPISTOLA II. AD THESSALONICENSES.

CAP. I.

Verſ.3. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, quoniam abundat charitas uniuſcujuſque veſtrum in invicem*, Tr.5.d.5.n.8.

CAP. II.

Verſ.2. *Non cito moveamini à veſtro ſenſu*, Tr.18.d.9.n.10.

Verſ.3. *Homo peccati, filius perditionis*, Tr.11.d.7.n.9.

CAP. III.

Verſ. 6. *Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*, Tr.17.d.6.n.3. & d.12.n.10.

Verſ.14. *Ne commiſceamini cum illo*, tr.18. d.7. n. 6. & d.13. n.9.

Verſ.15. *Nolite quaſi inimicum æſtimare, ſed corripite ut fratrem*, locis cit.

EX EPISTOLA I. AD TIMOTHEUM.

CAP. I.

Verſ.5. *Finis præcepti eſt charitas, de corde puro & conſcientia bona*, Tr.5.d.1.n.8.

Verſ.13. *Qui prius blaſphemus fui &c. ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum*, Tr.11.d.6.n.1.

Verſ. 15. *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ſum ego*, Tract. 3. d. 13. n.2.

Verſ.19. Habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, Ibid. & d.11.n.1.
Verſ.20. Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos &c. ut diſcant non blaſphemare, tr.11.d.6.n.1. & d.11. per totum.

CAP. II.

Verſ.2. Vitam agimus in omni pietate & caſtitate, Tr.14. d. 13. n.12.
Verſ.4. Deus omnes homines vult ſalvos fieri, tr. 5. d. 10. n. 2. Item tr.10.d.28. n.9.
Verſ. 8. Volo viros orare in omni loco, tr.20.d.18.n.2.
Verſ.eod. Levantes puras manus, ſine ira &c. tr.10.d.28.n.17.
Verſ. 14. Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta, tr. 17. d.10.n.8.

CAP. III.

Verſ.1. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, tr.3.d.13. per totum.
Verſ.2. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c. tr.3.d. 11. Item tr.18.d.16.n.9.
Verſ.11. Mulieres non detrahentes, tr.21.d.10.n.2.

CAP. IV.

Verſ.4. Omnis creatura Dei bona eſt, Tr.4.d.14.n.1.
Verſ. 9. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, tr.3. d.13. n.2.
Verſ.10. In hoc enim laboramus, & maledicimur, Tr. ibid.
Verſ. 12. Exemplum eſto fidelium, in verbo, in caſtitate, &c. tr.14.d.26.n.6.
Verſ.16. Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis &c. tr. 7. d.14.n.9.

CAP. V.

Ver.1. Seniorem ne increpaveris, tr.18.d.2.n.2. & d.11. n.8.
Verſ.6. Quæ in delicijs eſt, vivens mortua eſt, tr.13.d.10. n.11. & tr.14. d.23.n.2.
Verſ. 13. Otioſæ diſcunt circuire domus, Tr.14.d.21.n.16.
Verſ.19. Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, tr. 18.d.12.n.9.
Verſ.20. Peccantes coram omnibus argue, tr.18.d.11.n.4.
Verſ. 22. & 23. Teipſum caſtum cuſtodi: modico vino utere, tr.1.d.1.n.6. Item tr.14.d.24.n. 3.

CAP. VI.

Verſ.6. Eſt magnus quæſtus pietas cum ſufficientia, Tr.8.d.12. n.9.
Verſ.8. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus, ibid. n.13.
Verſ.9. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem &c. tr.8.d.20.n.3. & n.7. Item tr. 8. d.27. n.3. & tr.8. d.4. per tot. & d.17. per totum, & d.5. per totum.
Verſ. 10. Radix omnium malorum eſt cupiditas, tr.8. d.2. per totum, & d.5.n.3. & d.10.n.12. & d.11. n.9. & d. 14. per totum.
Verſ. 17. Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, Tr.8.d.18. per totum,

EX EPISTOLA II. AD TIMOTHEUM.

CAP. I.

Verſ. 3. Vocavit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, Tr.4.d.12.n.3.

CAP. II.

Verſ.4. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcularibus, tr.4.d.15.n.18. Item tr.14.d.13.n.2.
Verſ.5. Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit, tr. 7. d. 3. n.4. It. tr.10.d.20.n.9. Item tr.16.d. 14.n.5. & d.16. n.10.
Verſ.11. Fidelis ſermo; nam ſi commortui ſumus, & convivemus, tr.3.d.13.n.3. Item tr.10.d.23.n.3.
Verſ.12. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus, tr.8. d. 21. n.12. Item tr.10.d.23.n.3. & n.10. & d.25. per totum.
Verſ.16. Profana, & vaniloquia devita, tr.14.d.19. n.10.
Verſ.20. In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea, Tr.20. d.16.n.6.
Verſ.24. Servum Domini non oportet litigare &c. Tr.18.d.12. n.9.
Verſ.25. Cum modeſtia corripientem, loc. cit. & d.13.n.11.

CAP. III.

Verſ.1. Hoc ſcitote, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, Tr.13.d.11.n.12.
Verſ.2. Erunt homines ſeipſos amantes &c. ibid.
Verſ.3. In noviſſimis diebus erunt homines incontinentes, Tr. 1. d.10.n.16.
Verſ.12. Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſus, perſecutionem patientur, Tr.16.d.13.n.8.

CAP. IV.

Verſ.2. Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, &c. Tr.18.d.2.n.8. & d.9.n.7. & d.13.n.1. & 2. & d.15.n.8. & d.16. n.1.
Verſ.7. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi &c. Tr.1.d.1.n.1. & Tr.8.d.12.n.11. Item Tr. 9. d. 12. n. 6. Item Tr.16.d.10.n.3.
Verſ. 16. In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, Tr. 12. d.3.n.8.

EX EPISTOLA AD TITUM.

CAP. I.

Verſ. 7. Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, tr. 3. d. 11. n.1.
Verſ.13. Increpa illos durè, tr.18.d.9.n.7.

CAP. II.

Verſ.9. In omnibus teipſum præbe exemplum &c. tr. 14. d. 6. n.10.
Verſ.11. Apparuit gratia Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, tr.10.d.29.n.7. Item tr. 15.d.3.n.13.
Verſ.13. Expectantes beatam ſpem, & manifeſtationem gloriæ, tr.3.d.6.n.9.
Verſ.15. Argues cum omni imperio, tr.18.d.9.n.7.

CAP. III.

Verſ.2. Neminem blaſphemare, tr.21.d.5.n.4.
Verſ.4. Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei, tr.18.d.12.n.1.
Verſ. 5. Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, tr.4.d.9.n.16.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

CAP. I.

Verſ.3. Sedet ad dextram Majeſtatis in excelſis, tr. 10. d. 11. n.5.
Verſ.14. Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus? tr.6.d.14. n.13. & tr.7.n.19. & tr.6.d.5. per totum, & tr.6.d.1.n.7. & tr. 6.d.16.n.5.

CAP. II.

Verſ.16. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ, tr.4.d.10.n.9. & tr.6.d.11.n.9. & tr.7.d.7.n.19. & tr 19.d.2.n.11. & tr.21.d.10.n.2.

CAP. IV.

Verſ.12. Vivus eſt ſermo Dei & efficax, tr.9.d.2.n.14.
Verſ. 13. Omnia nuda ſunt & aperta oculis ejus, tr.15. d. 12. n. 4.
Verſ. 14. Teneamus confeſſionem, non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tr.15.d.4.n.19. & tr.15.d.27.n.4. & tr.18.d.12.n.2. & tr.20. d.14.n.1.
Verſ.16. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, tr. 15. d.4. n. 8.

CAP. V.

Verſ.4. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron, tr.3.d.13.n.1. & d.15. n.5.
Verſ. 7. Cum clamore valido & lacrymis, tr.9.d.18.n.8.
Verſ.6. Rurſus crucifigentes ſibimetipſis Deum, tr.9.d.17.n.4.& tr.11.d.8.n.8.& tr.9.d.12.n.6. It. tr.20.d.1. n.10.& d.15. n.3.
Verſ.19. Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem &c. tr.10. d.18.n.8.
Verſ.20. Ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus, ibid.

CAP. VII.

Verſ.19. Nihil ad perfectum adduxit, Tr.4.d.10.n.6.

CAP. VIII.

Verſ. 13. Quod antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt, tr.15.d.7.n.17.

CAP. X.

Verſ.7. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem &c. tr.10. d.23.n.5.
Verſ.28. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur, tr.20.d.11.n.1.
Verſ.31. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, tr.20. d.12.n.7.

CAP. XI.

Verſ.9. Fide demoratus eſt in terra promiſſionis, tr. 8. d. 21. n.3.
Verſ.13. Confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram, ibid. n.1.
Verſ.24. Fide grandis factus Moyſes, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis &c. Tr.8.d.22. per totum, & tr.3. d.2.n.1. & tr. 3.d.14.n.3. & tr.8.d.20.n.14. It. tr.10.d.22.n.3. & tr.20.d.2.n.6.
Verſ. 25. Magis eligens affligi cum populo Dei &c. Tr.10.d.22. n.3.
Verſ. 26. Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti, ibid.
Verſ.31. Rahab meretrix non perijt cum incredulis, Tr.13.d.9. n.16.
Verſ.32. Et quid adhuc dicam? tr.13.d.9.n.16.
Verſ. 33. Obturaverunt ora leonum, tr.10.d.26.n.2.
Verſ. 34. Extinxerunt impetum ignis, &c. ibid.
Verſ.37. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, tr.8. d.9. n. 10. Item tr.16.d.16.n.4.

CAP. XII.

Verſ.1. Curramus ad propoſitum nobis certamen, tr.8.d.10.n.11. & d.12.n.11.
Verſ.2. Aſpicientes in authorem fidei, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem. Tr.4.d.10.n.10. & tr.7.d.10.n.14. Item tr.16.d.1. n.4. & d.10.n.9.
Verſ.6. Quem diligit Dominus, caſtigat, Tr.4.d.6.n.5.
Verſ.eod. Flagellat autem omnem filium quem recipit, tr. 16. d.8.n.9.
Verſ.7. Quis filius quem non corripit Pater? tr.18.d.6. per totum, & d.18.n.10.
Verſ.11. Omnis diſciplina in præſenti videtur eſſe non gaudij ſed mœroris, poſtea autem fructum reddet &c. tr.16. d.16.n.1.
Verſ. 14. Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam, tr.14.d.6.n.8.
Verſ. 16. Ne quis fornicetur aut profanus ut Eſau, tr.14.d.24. n. 9.

CAP. XIII.

Verſ.14. Non habemus hic manentem civitatem &c. tr. 10. d.22.n.8.

EX EPISTOLA CANONICA B. JACOBI. APOSTOLI.

CAP I.

Verſ.15. Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, tr. 13. d.2. per totum, & d.23.n.14.
Verſ. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, tr.6.d.1.n.5. & tr.7.d.9.n.16.
Verſ.eod. Apud quem non eſt transmutatio; nec viciſſitudinis obumbratio, tr.10.d.14.n.7. & tr.11.d.4.n.7.
Verſ.22. Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, tr. 9. d.16.n.9.

CAP.II.

Verſ.6. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, tr. 11. d.11. n.8.
Verſ.7. Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen? ibid.
Verſ.10. Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, tr.19.d.8.n.10. & tr.21.d.6.n.3.
Verſ.15. Si frater & ſoror nudi ſunt, dicat autem aliquis; ite in pace &c. quid proderit? tr.5.d.9.n.5.

CAP. III.

Verſ.2. In multis offendimus omnes, tr.15.d.1.n.2.
Verſ.5. Lingua quidem modicum membrum eſt &c. tr.21.d.6. n. 2.
Verſ. 6. Lingua conſtituitur in membris noſtris quæ maculat totum corpus, tr.21.d.3.n.3.
Verſ.8. Lingua inquietum malum, tr.21.d.6.n.3.
Verſ.9. In ipſa benedicimus Deum & Patrem; & in ipſa maledicimus omnes, tr.21.d.14.n.2.
Verſ.14. Si zelum amarum habetis, nolite gloriari, tr.18. d.5. n.4.
Verſ.17. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, tr.10.d.18.n.1. Item tr.14.d.10. per totum.

CAP. IV.

Verſ.1. Unde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentijs veſtris? tr.10.d.20.n.7. Item tr.16.d.9.n.1. & tr. 19. d. 4. per totum.
Verſ. 4. Adulteri, neſcitis, quia amicitia hujus mundi inimica eſt Deo? tr. 4. d. 14. n. 7.
Verſ. 7. Subditi eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, tr. 14.d.28. n.2.& tr.19. d. 16. per totum, & d. 17. n. 3.
Verſ. 11. Nolite detrahere alterutrum fratres, tr.21. d. 1. per totum, & d.9.n.7.& d.4.n.3.& 4.

CAP V.

Verſ.16. Confitemini alterutrum peccata veſtra, tr.15.d.3 n.5.& 9.
Verſ. 17. Elias, homo erat ſimilis nobis paſſibilis, tr. 1. d. 4. per totum.
Verſ.20. Qui converti fecerit peccatorem &c. ſalvabit animam ejus à morte, tr.7.d.14.n.11. Item tr.18.d.14.n.1.& 3.

EX EPISTOLA I. B. PETRI. APOSTOLI.

CAP. I.

Verſ. 4. Hæreditatem incorruptibilem & immarceſſibilem, conſervatam in cælis, tr.10.d.16.n.2.
Verſ. 12. Vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunciata ſunt vobis per eos &c. Spiritu Sancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere, tr.6.d.4 n.18.& d.13.n.1.& tr.7.d.7.n.21.
Iterum In quem deſiderant Angeli proſpicere, tr.10.d.9.n.2. & d.11.n.14.& d.29.n.9. Item tr.16.d.3.n.2.
Verſ. 13. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ. tr. 14. d.18.n.1.& d.22.n.1.
Verſ. 18.& 19. Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine Jeſu Chriſti, tr.7.d.11.n.12.

CAP. II

Verſ. 3. Si tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus, tr.16. d.1.n.2. & d.1.n.4.& 8.& d.3.n.2. & d.11.n.8. & d.12.n.8.
Verſ. 11. Obſecro vos tamquam advenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs. tr.8.d.21.per tot.Item tr.14.d.15.n.2.
Verſ. 24. Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus, tr.15.d.1.n.13.

CAP. III.

Verſ. 13. Quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Tr.19.d.13.n.5. & d.16.n.10.
Verſ. 20. Cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt. Tr.5.d.6.n.12.

CAP. IV.

Verſ.1. Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, tr.19.d.17.n.8.
Verſ.4. Non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confuſionem, tr.14.d.8.n.8.
Verſ. 8. Ante omnia, mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum, tr.4. d.5. n.5. Item tr. 18. d.2. n.2. & tr.21.d.4. per totum.
Verſ. 10. Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei, tr. 15.d.17.n.11.
Verſ. 11. Si quis loquitur: quaſi ſermones Dei, tr.21.d.4.
Verſ. 13. Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, tr.16. d. 17.n.1.

CAP. V.

Verſ.3. Paſcite gregem Dei, non ut dominantes, ſed forma gregis facti ex animo, tr.3.d.16.n.1.
Verſ.4. Percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam, tr.10. d. 16.n.2.
Verſ. 8. Sobrij eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens &c. tr.1.d.12. per totum, & tr. 6.d.8.n.15. Item tr.14.d.22.n.9. & tr.19.d.17. n.4. & tr. 14. d. 28.n.3. & tr.19.d.1.n.9. & d.2.n.13. & d.6. n.2. & d. 16. n. 1. & 10. & d.17. per totum, & d.14.n.2. & tr.20. d.16. n.2. & d. 10.n.1.
Verſ.eod. Circuit quærens quem devoret, tr.9. d.4. n.2. & d. 20. n.7. & tr.13.d.8.n.3. & d.23.n.6.

EX EPISTOLA II. PETRI APOSTOLI.

CAP. I.

Verſ.5. Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, tr.1.d.1.n.4.

CAP. II.

Verſ. 1. Introducent ſectas perditionis, tr.13.d.14.n.14.
Verſ. 2. Multi ſequentur ipſorum luxurias, loco citat. & d.10. n.15.
Verſ. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere, tr.19. d. 18. n.7.
Verſ. 14. Oculos habentes plenos adulterij & inceſſabilis delicti, tr.13.d.20.n.16. & d.27.n.6.

CAP. III.

Verſ. 15. Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus, tr.18.d.5. n. 3.

EX EPISTOLA I. B. JOANNIS APOSTOLI.

CAP. I.

Verſ. 3. Ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, tr. 4. d.16. n.3.
Verſ. 5. Hæc eſt annunciatio, quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis, tr.5.d.1.n.1.
Verſ.7. Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos &c. tr. 10 d. 29. n.16.
Verſ. 8. Quoniam ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, ibid. & tr.15. d.1.n.7. & tr. 18. d. 5. n.4.
Verſ. 9. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, tr.15. d.8.n.9.

CAP. II.

Verſ. 6. Debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare, tr.9. d.18.n.8.
Verſ. 10. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet: qui odit, in tenebris eſt. tr 5.d.10. per totum.
Verſ. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt &c. tr.4.d.1.n.2. & tr.4.d.15.n. 11. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Dei in illo, tr.4.d.16.n.4. & tr.4.d.14.n.4.
Verſ. 16. Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, tr. 1. d.9.n.7. & tr.4.d.1.n.2. & tr.8.d.31.n.9. & tr.4.d.14. n.4. Item tr. 13. d. 1. n.13.
Verſ.17. Mundus tranſit & concupiſcentia ejus, tr. 10. d. 14. n.7. & tr.13.d.27.n.7.
Verſ. 18. Noviſſima hora eſt, tr.8.d.25.n.14.

CAP. III.

Verſ. 2. Chariſſimi nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus; cum autem apparuerit, ſimiles ei erimus, tr.7.d.5.n.12. Item tr.10.d.6.n.2. & 3. Item tr.14.d.7.n. 4. & d.10.n.11.
Verſ. 4. Qui facit peccatum, & iniquitatem facit, tr. 19. d. 13. n. 9.
Verſ.10. In hoc manifeſtati ſunt filij Dei, & filij Diaboli: Omnis qui non facit juſtitiam, & non diligit fratrem ſuum; non eſt ex Deo. Tr.5.d.4.n.10.
Verſ. 14. Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus, Tr.4. d.6. n.1. & Tr. 5. d. 10. n. 1.
Verſ. 18. Non diligamus verbo, neque linguâ; ſed opere & veritate; Tr.5.d.7.n.6.

CAP. IV.

Verſ.5. Ipſi de mundo ſunt, ideò de mundo loquuntur, tr. 11. d.7.n.8.

Verſ.7. Charitas ex Deo eſt; omnis qui diligit; ex Deo natus eſt, tr.4.d.4.n.3.

Verſ. 8. Deus charitas eſt &c. tr.13.d.21.n.14.

Verſ.9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, tr.4.d.11.n.18.

Verſ.11. Nos debemus alterutrum diligere, tr.5.d.2.n.16.

Verſ.12. Deum nemo vidit umquam, ibid.

Verſ.16. Deus charitas eſt, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, tr.4.d.4. per totum.

Verſ.18. Perfecta charitas foras mittit timorem, tract.4.d.18. n.7.

Verſ.20. Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt; Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? tr.5.d.2.n.15.

Verſ.21. Hoc mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum, tr.5.d.9.n.8. & tr.5.d.2.per totum.

CAP V.

Verſ.15. Eſt peccatum ad mortem, tr.11.d.5.n.14.& 11.

Verſ.17. Et malignus non tangit eum, tr.13.d.13.n.1.

Verſ.18. Totus mundus in maligno poſitus eſt, tr.13.d.3.n.2. & d.33.n.1. Item tr.14.d.15.n.5.

EX EPISTOLA II. S. JOANNIS APOSTOLI.

CAP. UNIC.

Verſ.6. Hæc eſt charitas, ut ambulemus ſecundùm mandata ejus, tr.4.d. 18.n.6.

EX EPISTOLA B. JUDÆ APOSTOLI.

CAP. UNIC.

Verſ.4. Subintroierunt enim quidam homines impij, tr.11. d.6. n.4.

Verſ.7. Sicut Sodoma & Gomorrha &c. Simili modo exfornicatæ &c. tr.9.d.8.n.10.

Verſ. 8. Similiter & hi quidem carnem maculant, dominationem autem ſpernunt, majeſtatem blaſphemant, ibid. & tr.11.d. 6.n.3. & d.7.n.5.

Verſ.9. Cum Michael Archangelus cum diabolo altercaretur de corpore Moyſi, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, tr.6.d.7. n.13. Item tr.11.d.1.n.5.& d.2.n.6.& d.3.n.16.It. tr.21.d.5.n.4.

Verſ.11. Væ illis, qui in viam Cain abierunt, tr.8.d.5.n.8.

Verſ.12. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore. tr.9.d.8.n.10.

Verſ.16. Os eorum loquitur ſuperba; mirantes perſonas, quæſtûs causâ. tr.2.d.10.per totum.

EX APOCALYPSI B. JOANNIS APOSTOLI.

CAP. I.

Verſ.6. Fecit nos regnum & Sacerdotes, tr.6.d.13.n.15.

Verſ.7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, tr.11.d.8.n.12.

Verſ.9. Particeps in tribulatione & regno, tr.10. d.23, n.3. & 10.& d.26.n 11.

Verſ. 10. Fui in Spiritu, & audivi poſt me vocem magnam dicentem: Quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis, tr.18.d.16.n.8.

Verſ.13. Vidi ... ſimilem filio hominis, veſtitum podère &c. tr. 14.d.18.n.3.

Verſ.16. Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat, tr.5.d.7.n.6.Item tr. 18. d. 13.n.11.& d.17.n.9.

CAP. II.

Verſ.1. Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe, tr.7.d.12.n.18. & tr.3. d.18.n.13.

Verſ.2. Scio opera tua & laborem, & patientiam tuam, & quia non poteſt ſuſtinere malos, tr.3.d.18.n.13. Item tr.18.d.9.n.11.

Verſ.4. Sed habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti, tr.3.d.18.n.13.Item tr.18.d.9.n.11.

Verſ.8. Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe, tr.7.d 12.n.18.

Verſ.9. Scio tribulationem tuam, blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judæos, tr.12.d.3.n.8.

Verſ.10. Eſto fidelis uſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ, ibid.& tr.10.d.5.n.8.

Verſ.12. Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe, tr.13. d.13.n.17.

Verſ.eod. Qui habet rhomphæam utraque parte acutam, tr.5.d. 20.n.10. & tr.18.d.17.n.9.

Verſ.13. Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ, tr.13.d.11.n.17. Item tr.15.d.10.n.10. & tr.18.d.17.n.9. & tr.17.d.10.n.7. & tr. 19.d.12.n.3.

Verſ.14 Habeo adverſum te pauca, tr.19.d.8.n.3.

Verſ.eod. Habes illic tenentes doctrinam Balaam, tr.13.d.11.n. 27. & tr.9.d.20.n.11. & tr.13.d.5.n.13.

Verſ.15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, tr. 9.d.20.n.11.& tr.13.d.11.n.17.

Verſ.17. Qui habet aurem audiendi, audiat, quid Spiritus dicat Eccleſijs: Vincenti dabo manna abſconditum, tr.9.d.15. per totum. & d.20.n.11.& tr.10.d.9. per totum, & tr.9. d.15. n.18. & tr.10.d.1.n.11, It.tr.16.d.2.n.4.& d.6.n.9.& d.12.n.9. & d.14. n.5. & 7.

Verſ.21. Et dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione, tr.13.d.20.n.1.

Verſ.26. Qui vicerit & cuſtodierit &c. dabo illi poteſtatem ſuper gentes, tr.10.d. 5.n.2.

Verſ.27. Et reget eas in virga ferrea, ibid.

CAP. III.

Verſ.1. Hæc dicit qui habet ſeptem ſtellas, tr.18.d.17.n.9.

Verſ.3. Veniam ad te tamquam fur, tr.19.d 8.n.4.

Verſ.4. Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, tr.14.d.1.n.17.

Verſ.5. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, ibid.

Verſ.12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, tr.3.d.16.n.5.

Verſ.eod. Foras non egredietur amplius, tr.10.d.7.n.5.

Verſ.14. Hæc dicit: Amen, teſtis fidelis & verus, tr.18.d.17. n.9.

Verſ.17. Dicis: quia dives ſum &c. Quia nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, tr.8.d.27.n.16.It.tr.18. d.17.n.9.

Verſ.18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, tr.4.d.3.n.9.

Verſ.19. Quos amo, arguo & caſtigo, tr.14.d.26.n.14.& tr.18.d. 7.per totum, & d.12.n.7.

Verſ.20. Ego ſto ad oſtium & pulſo, tr.4.d.12.n.4.Item tr.15. d.2.n.9.

CAP. IV.

Verſ.1. Ecce oſtium apertum in cælo, & vox prima &c. tr.10. d.29.n.2.

Verſ.2. Ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens, tr.10.d.20.n.4.

Verſ.3. Iris erat in circuitu ſedis &c. tr.14.d.6.n.11.

Verſ.5. Exibant fulgura, tonitrua & voces, tr.10.d.17.n.4.

Verſ.eod. Septem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, tr.6.d.15.n.16.

Verſ.6. Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum, ſimile cryſtallo, tr.10 d.20.n.4. Item tr.15.d.15.n.13.

Verſ.8. In circuitu & intus plena ſunt oculis, tr.18.d.16.n.2.& tr.20.d.2.n.6.

Verſ.eod. Requiem non habebant die ac nocte, tr.10.d.14.n.5.

Verſ.10. Procedebant viginti quatuor ſeniores &c. tr.3. d.15. n.4.

Verſ.11. Dignus es Domine Deus accipere gloriam & honorem, tr.10.d.29.n.5.

CAP. V.

Verſ.6. Oculos ſeptem, qui ſeptem Spiritus Dei, tr.6.d.4.n.6.

Verſ.8. Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli phialas aureas &c. tr.3.d.15.n.3.

Verſ.9. Redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, tr.5.d.8.n.13.Item tr.10.d.5.n.7.& d.13.n.7.

Verſ.10. Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, tr.5. d.8.n.13.& tr.3.d.15.n.3. Item tr.10.d.5.n.7. & 9. & d.14.n.5.& 8. & d.29.n.10.

Verſ. 11. Et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & erat numerus eorum millia millium &c. tr.6. d.1. n.1. & d.11.n.9.

Verſ.13. Et omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra &c. tr.11.d.4.n.4.

CAP. VI.

Verſ.15. & 16. Reges terræ & Principes &c. abſconderunt ſe in ſpeluncis & in petris montium; & dicunt montibus: Cadite ſuper nos, tr.6.d.9.n.11.

CAP. VII.

Verſ.1. Vidi quatuor Angelos, ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tr.6.d.1.n.11.

Verſ.9. Poſt hæc vidi turbam, quam dinumerare nemo poterat &c. tr.10.d. 3.n.4.

Verſ.11. Omnes Angeli ſtabant in circuitu throni & ſeniorum, tr.6.d.11.n.8.Item tr.20.d.3.n.1. & d.9.n.4.

Verſ.12. Dicentes: Benedictio & claritas, ſapientia &c. tr.6. d.11.n.8.

Verſ.17. Abſterget Deus omnem lachrymam &c. tr.10. d.4.n. 12.& d.5.per totum, & d.25 n.10.& d.26.n.6.& d.6.n.9.

CAP. VIII.

Verſ.1. Factum eſt ſilentium in cælo, tr.20.d.17.n.1.& 7.

Verſ.3. Data ſunt ei incenſa multa, tr.6.d.12.n.5.

Verſ.4. Aſcendit fumus aromatum de manu Angeli, ibid.n.11.

CAP. IX.

Verſ.17. Vidi equos in viſione, & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas aureas, hyacinthinas & ſulphureas, tr.21.d.7.n.1. & d.10.n.4.

Verſ.eod. De ore eorum procedit ignis, fumus & ſulphur, tr.11. d.7.n.12.

CAP. X.

Verſ.2. Poſuit pedem ſuum dexterum ſuper mare & ſiniſtrum ſuper terram. tr.15.d.23.n.1.





Verſ.9. Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, tr.16.d.16.n.4.

Verſ.10. Accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum, tr.13.d.10.n.6.

CAP. XII.

Verſ.1. Signum magnum apparuit in cælo, tr.14.d.23. n.9. & tr.19.d.11.n.4.

Verſ.eod. Luna ſub pedibus ejus, tr.9.d.13.n.16.& tr.10.d.7. n. 7.& d.16.n.9.

Verſ.3. Ecce draco magnus, rufus, habens cornua ſeptem, tr.19. d.1.n.2. & d.14.n.1.& tr.21.d.1.n.2.& d.3.n.4.& d.7.n.5.& d. 9.n.1.

Verſ.4. Cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum, tr.2. d. 1.per totum.& d.8.n.6.Item tr.19.d.10.n.6.& d.14.n.5.

Verſ.7. Factum eſt prælium magnum in cælo, tr.19.d.11.n.2.

Verſ.8. Draco pugnabat & angeli ejus &c. & non valuerunt, &c. tr.5.d.5.n.4.

Verſ.9. Projectus eſt draco, tr.5.d.6.n.3.

Verſ.10. Nunc facta eſt ſalus &c. quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, tr.17.d.9.n.3.& tr.19.d.1.n.4.

Verſ.12. Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, tr.6.d.9.n.1.Item tr.19.d.2.per totum.

Verſ.15. Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, aquam tamquam flumen, tr.13.d.10.n.20.

CAP. XIII.

Verſ.1. Et vidi de mari beſtiam aſcendentem &c. tr.11.d.5.n.3 & d.7.n.9.

Verſ.5. Et datum eſt ei os loquens blaſphemias, loc.cit.

Verſ.6. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, locis citat.

Verſ.8. Et adoraverunt eam omnes qui inhabitant terram, tr. 11.d.5.n.3.

CAP. XIV.

Verſ. 1. Ecce Agnus ſtabat ſuper montem Sion, tr.10.d.25.n 1.

Verſ.eod. Habentes nomen ejus, & nomen patris ejus, ſcriptum in frontibus ſuis, tr.14.d.4.n.5.

Verſ.2. Et audivi vocem ſicut Cytharædorum, tr.10.d.25.n.16.

Verſ.4. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit, ibid.& tr.13.d. 1.n.16.It. tr.14.d.1.n.11.& d.2.per tot.& d.3.n.4. & d.24.n.25.

Verſ.5. In ore eorum non eſt inventum mendacium, tr.15. d.16. n.20.

Verſ.11. Fumus tormentorum eorum aſcendit in ſæcula ſæculorum, tr.10.d.15.n.13.

Verſ.eod. Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, tr.16.d.13.n.8.

Verſ.13. A modò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, tr.10.d.10.n.10.& d.14.n.5.& d.15.n.3. & d.20.n.10.

CAP. XV.

Verſ.2. Et vidi tamquam mare vitreum miſtum igne & eum eos qui vicerunt beſtiam, & imaginem ejus, tr.15.d.10.n.2.

CAP. XVI.

Verſ.9. Æſtuaverunt homines æſtu magno, tr.11.d.7.n.12.

Verſ.10. Commanducaverunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemaverunt Deum cæli, tr.11.d.7.n.11.

Verſ.13. Vidi de ore Draconis, & de ore beſtiæ Spiritus tres immundos in modum ranarum, tr.14.d.16.n.7. & tr.21.d.7 n.5.

Verſ.21. Et blaſphemaverunt homines Deum propter blaſphemiam grandinis, tr.11.d.11 n.16.

CAP. XVII.

Verſ.1. Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, tr. 11.d.5.n.2.& tr.13.d.5.n.1 Item tr.14.d.35.n.6.

Verſ.3. Abſtulit me in Spiritu & abſtraxit in deſertum, ibid.

Verſ.eod. Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ, tr.11.d.5.n.2.& d.7.per tot.

Verſ.5. Babylon magna mater fornicationum, tr.13. d.5. n.1. & d.12.n.7.

CAP. XVIII.

Verſ.1. Poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam, tr.10.d.6.n.2.

Verſ.6. In poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum, tr.8.d.6.n.15.

Verſ.7. Quantum glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum &c. ibid.& tr.8.d.13.n.2.& tr.8.d.26. n.8. Item tr.13.d.7.n 9.Item tr.17.d.18.n.5 & tr.16.d.18.n.5.

CAP. XIX.

Verſ.3. Iterum dixerunt: Alleluia, tr.10.d.8.n.11.

Verſ.7. Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe, tr.10.d.8.n 4.

Verſ.8. Byſſinum juſtificationes ſunt Sanctorum, tr.11.d.26.n.5.

Verſ.16. Rex Regum, & Dominus Dominantium, tr. 11. d.3. n.16.

CAP. XX.

Verſ.1. Vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam, tr. 6. d.8. n.8. Item tr. 19. d. 14.n.4.

Verſ.2. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, tr.19.d.14.n.1.& tr.19.d.1.per totum.

CAP. XXI.

Verſ. 2. Et ego Joannes vidi ſanctam civitatem Jeruſalem, novam deſcendentem de cælo &c. tr.7.d.9.n.11. Item tr. 10. d. 2.n.14.& d.8.n.4.& d.16.n.2. & d.29.n.3 Item tr.20.d.19. n.2. & d.4.n.1.

Verſ.4. Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, t.10.d.5.n.12.& d.13.n.4.& d.15. per totum.

Verſ.5. Hæc verba fideliſſima ſunt & vera, tr.3.d.13.n.2.

Verſ.6. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis, tr.10.d.11. n.15.

Verſ.9. Venit unus de ſeptem Angelis & locutus eſt dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam, tr.10.d.4.n.1.

Verſ.10. Oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem &c. ibid.d.4.per totum.

Verſ.13. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone &c. tr.10.d.13. n.4.

Verſ.16. Et civitas in quadro poſita eſt, tr.10. d.16.n.1.

Verſ.18. Erat ſtructura muri ejus ex lapide Jaſpide, tr.14. d.7. n.19. & tr.15.d.16.n.10.

Verſ.19. Fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioſo ornata &c. tr.10.d.4.n.9.

Verſ.20. Quintum Sardonix, ſextum Sardius &c. ibid.

Verſ.21. Duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt, ibid.n.9.& d.13. n.4.

Verſ.22. Et templum non vidi in ea, &c. tr.10.d.15.n.2.

Verſ.23. Civitas non eget ſole, neque luna, ut luceant in ea, &c. tr.10.d.4.n.10.

Verſ.24. Reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam, tr.10.d.5.n.13.

Verſ.27. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, tr.10.d.13. n.5. & d.15.n.5.& 7. & d.10.n.7.

CAP. XXII.

Verſ.1. Oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ &c. tr.10.d.4. n.8. & d.16.n.9.

Verſ.2. Ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens &c. tr. 10.d.20.n.11.

Verſ.8. Cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli &c. tr.6. d.15 per totum, item tr.14.d.5.n.5.

Verſ.9. Et dixit mihi: vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum, tr.6.d.15.per totum.

Verſ.15. Foris canes, & venefici & impudici, tr.13.d.6. n.10. & d.10.n.13.Item tr.20.d.13.n.13.

F I N I S.

---

# INDEX RERUM MAGIS NOTABILIUM.

*Primus numerus Tractatum, ſecundus Diſcurſum, tertius Numerum denotat uniuſcujuſque Diſcurſus.*

A.

*Aaron.*

EJus & ornamentorum ipſius diverſa myſtica & moralis interpretatio, *tr.3.d.11.n.4.*

*Abraham.*

Quomodo Angelos carnibus refecerit cum merito, cum tamen ob eſum pomi & guſtum mellis puniti fuerint Adam & Jonathas? *tr.1.d.2.n.2.& 3.*

Agar ancillæ ſuæ ejectæ ſolum panem in viatici annonam dedit, *tr.14.d.23.n.14.*

*Abſtinentia ſecundùm ſe.*

Græcè idem eſt, quod ſumendi cibi neceſſitas, *tr.1.d.1.n.1.*

Varia ejus adducitur deſcriptio, tr.1.d.1.n.2.
Eſt ſpecialis virtus, tr.1.d.1.n.2.
Habet quatuor individuas comites, tr.1.d.1.n.2.
Conſiſtit in quantitate, qualitate & modo, ibid.
Conſideratur dupliciter, primo in Eſſe actûs indifferentis, ſecundo in Eſſe virtutis, tr.1.d.1.n.4.
Quid ſit: miniſtrare in ſcientia abſtinentiam? tr.1.d.1.n.4.
Conſiſtit in medio, tr.1.d.1.n.5.9.10.11.14.
Debet fieri diverſimodè conformiter ad diverſas vires, & complexiones, tr.1.d.1.n.6.
Optimum ſancti Brunonis monitum circa modum abſtinendi, tr.1.d.1.n.12.
Meliùs eſt, carnibus moderatè veſci, quam immoderatè leguminibus. tr.1.d.2.n.2.
Antiquiſſima omnium lex eſt abſtinentia, tr.1.d.3.n.3. utpote cum primum divinum præceptum homini datum fuerit de eâ, ibid.& n.6.
Debet fieri ex bono motivo, citra vanam gloriam, tr.1.d.2.n.10.
Eſt via arcta in Evangelio adducta, tr.1.d.9.n.2.
Comparatur tympano, tr.1.d.8.n.13.

*Abſtinentiæ finis & effectus.*

Finis ejus eſt elevatio mentis in Deum, tr.1.d.6.n.11.
Primarius ejus finis non eſt maceratio carnis, ſed extinctio vitiorum, tr.1.d.1.n.6.7.8.
Fovet orationis ſtudium, tr.1 d.1.n.7.
Vitia retundit & penitus exterminat, tr.1.d.3.n.6.& tr.1 d.1.n.6.7.& 8.& tr.1.d.6.n.3.& tr.1.d.3.n.6.& tr.1.d.8.n.1.&c.
Efficaciſſimum erat remedium protoparentibus ad conſervandam juſtitiam originalem, tr.1.d.3.n.3.
Sordes eluit animarum, tr.1.d.7.n.5.
Enarrantur plurima vitia, quæ extirpantur per abſtinentiam, tr.1.d.8.per totum.
Ædificat virtutes, tr.1.d.8.n.1.
Recenſentur diverſa ejus bona, tr.1.d.3.n.11.
Non debilitat, tr.1.d.3. n.9. & 10. ſed abundè ſatiat, ibid. n.11.
Eſt meritoria gloriæ tam pro ſe, quàm pro aliis virtutibus, tr.1.d.5.n.22.
Quas exigat conditiones, ut meritoria ſit & virtuoſa, tr.1.d.1.per totum.
Intuitu illius ingentes nobis Deus elargitur gratias, tr.1.d.3.n.12.& 13.
Quæ veritas ſtabilitur exemplis, ibid.n 15. & 16.
Efficax eſt medium ad aperiendum cœlum, & obtinendam gloriam æternam, tr.1.d.5.per totum.
In Babylonica fornace tres pueros à flammis præſervavit, tr.1.d.5.n.21. & tr.1.d.7.n 16. Et ſcientias divinas iis contulit, tr.1.d.6.n.13.
Babylonios item magos à morte eripuit, tr.1.d.6.n.6.
Innocentiam reparat, & gratiam impetrat, tr.1.d.6.n.3.
Legis Evangelicæ major eſt ſanctitas, quàm veteris; quia frequentior eſt abſtinentia in ea, quàm fuerit in hac, tr.1.d 7.n.3
Miraculorum operativa, tr.1.d 3.n.15.& 16. & alibi ſæpius.
Non ſegregatur à caſtitate, tr.1.d.10.per totum, & d.9.n.1.& 2
Eſt fortis armatura contra dæmonium, tr.1.d.11 per totum.
Id quod tum Chriſti, ibid. n. 1. &c. tum notabilibus aliorum probatur exemplis, ibid.à n.8.uſque ad finem.
Miras ſubminiſtrat vires contra diabolicos inſultus & tentationes, magis quàm ulla alia virtus, tr.1.d.12.per totum.
Anima non niſi per abſtinentiam fit corporis Domina, ancilla manens ſine hac, tr.1.d.9.n.6.
Obtinuit tabulas legis, tr.1.d.8.n.4.
Vide plura verb. Daniel. Jejunium. Adam.

*Motiva ad ejus praxin & amorem inducentia.*

1. Extrema ejus neceſſitas. tr.1.d.1.n.1.
2. Quia eſus carnium lethalis eſt, tr.1.d.3.n.8.
3. Quia Chriſtus cum diſcipulis ſuis eam rigoroſè obſervavit, tr.1.d.3.n.5.&c. Qui numquam legitur comediſſe carnes, niſi ſemel agni Paſchalis, ibid.n.8. Neque umquam carnes, ſæpius tamen panes & piſces multiplicaſſe, ibid.n.9.
4. Quia omnes Sancti eam coluere, tr.1.d.7.n.2.&c. qui in virtute illius varia operati ſunt miracula, ibid.à n.10.uſque ad finem. Varia adducuntur exempla Sanctorum, rigoroſè jejunantium, tr.1.d.18.& à n. 28.ad 36.
3. Quia plurimos bonos habet effectus, corpori & animæ ſalutares; de quibus ſuprà.
Vid.Verb. Jejunium.

*Abundantia.*

Bonorum temporalium, nidus eſt peccatorum, tr.8.d.7. per totum.
Qui eam ſectatur, more avium ſtrangulatur & capitur, tr.8.d.7.n.1.
Eſt origo maximæ iniquitatis & impietatis, ibid.n.2. Ubi varij ejus vitioſi enumerantur effectus.
Vix quiſquam eam ambire poteſt ſine præjudicio & injuria proximi, ibid.n.3.& 4.
Vid.Verb. Avaritia. Divitiæ. Proſperitas.

*Accuſator.*

Melior eſt quocumque adulatore, tr.2.d.7.n.1. & 2.

*Achab.*

In canibus ſanguinem ejus lingentibus, ſignantur adulatores, tr.2.d.10.n.7.& tr.2.d.12 n.8.

*Acham.*

Solus integro, & florentiſſimo exercitui timorem incuſſit, tr.17.d.9.n.8.

*Adam.*

Cum fuerit tentatus in pomo, tr.1.d.2.n.1.
Cur ob eſum pomi fuerit punitus, cum tamen Elias carnem citra peccatum comederit, item Abraham eâdem ſe & Angelos paverit? tr.1.d.2.n.2.
Cur Deus obedientiam illius in ſolo pomo probare voluerit, tr.1.d.3.n.1.&c.
Primum omnium præceptum accepit à Deo circa abſtinentiam, tr.1.d.3.n 3.
Cur in principio dictam ei legem dederit, tr.1.d.7 n.4.
Protoparentum intemperantia eſt cauſa hodierni jejunij noſtri, tr.1.d. 3.n.4.
Cur arbor iis inhibita, fuerit lignum ſcientiæ boni & mali denominata, tr.1.d.3.n.13. & tr.1.d.6 n.13.
Protoparentes è Paradiſo ejecit ſola violatio jejunij, quos temperantia eo uſque conſervârat, tr.1.d.5.n.3.4. 6.8. & tr. 1. d.7.n.9.
Deus iis dedit avium & piſcium, non eſum, ſed dominium tantùm, ſed herbarum iis conceſſit eſum, tr.1.d 5.n.5.
Avium & piſcium eſus iis indultus eſt, quando Paradiſo indigni erant, ibid.
Peccaverunt ambiendo, tr.3.d.1.n.4.
Cur dæmon ſerpentem adhibuerit ad tentandos protoparentes? tr.2.d.1.n.3. Vide verbo Serpens.
In jejunio Adam ſemper virgo, guloſus cognovit uxorem, tr.1.d.9.n.6.
Primum Adæ peccatum fuit negligentia, tr.3.d.1.n.3.
Vide Verb. Eva.
Malè ſociatus peccavit, tr.17.d.2.n.11.

*S. Adrianus Miles.*

Vel ſola æternæ mercedis nominatione permotus martyrium ſubit, tr.10.d.22.n.14.

*Adulatio.*

Primum Aulicorum elementum, tr.2.d.9.n.1.quibus eſt familiariſſima, tr.2.d.3.n.5. & tr.2.d.5.n.8.
Semper quærit ſuum intereſſe, tr.2.d.10.per totum.
Perpetuum malum Regum & Principum, tr.2.d. 10.n.6.
Directè opponitur virtuti, tr.2.d.8.n.7.
Quomodo Ægyptij depinxerint hominem, adulatione circumventum, tr.2.d.4.n.5.
Mira Æthiopum in Reges adulatio, tr.2.d.3.n.5.
Quid ſit? tr.2.d.1.n.2.
Sponſa in ſacro Cantico agnovit vocem loquentis, eſſe vocem dilecti ſui, quia ſcilicet pulſabat & corripiebat, non blandiebatur, tr.2.d.1.n.7.
Sanctus Hilarius Conſtantinum Imperatorem, ob adulationis vitium, Antichriſtum nuncupat, tr.2.d.1.n.8.
Ejus indoles fuſius explicatur, tr.2.d.5.n.6.& 7.
Subitò eſt repulſanda, tr.2.d.7.n.7.
Ejus permiſſio magnum Dei in nos irati ſupplicium, tr.2.d.7.n.9.
Eſt triplex, tr.2.d.5.n.2.& d.7.n.11.
Quomodo Fridericum Secundum dementârit, tr.2.d.4.n.11.
Fovet vitia, magiſque nutrit, tr.2.d.4.per totum.
Omnibus placet, quantumvis animam occidat, tr.2.d.6. per totum.
Dicitur ſpecialiter nequitia, tr.2.d.1.n.10.& d.8.n.1.&c.
Perditiſſimus omnis, qui adulationibus delectatur, tr.2.d.6.n.5.
Sichimitæ omnes circumciduntur, & perduntur ob adulationem Principis, tr.2.d.3.n.8.
Quando ſit culpa mortalis, tr.2.d.4.n.1.& 2.tr.2.d.5.n.2. & d.8.n.2.

*Plurimi Adulationis effectus.*

Eſt unica Græcorum ruina, tr.2 d.9.n.7. Item Hebræorum, uſque in præſens tempus, tr.2.d.11.n.15. Item Aſſyriorum, tr.2.d.4.n.8. Romanorum, tr.2.d.5.n.12. Neronis, tr.2.d.5.n.13. Achabi & totius ejus exercitus, tr. 2. d.9.n.2. Item plurimorum aliorum, tr.2.d.5.n.11 & 12.tr.2.d.9.n.3.4.5.tr.2.d.4.n.10.
Angelos in apoſtaſiam præcipitavit, tr.2.d.10.n.1.
Confortat impios in ſua malitia, tr.2.d.1.n 4.
Cauſat idololatriam, tr.2.d.9.n.8.9.10.
Nemo adulatur ſine nocumento, tr.2.d.1.n.7.
Efficit, ut plurima à Prælatis permittantur peccata, tr.2.d.2.n 1.
Qui illi favet, ruinæ eſt proximus, tr.2.d.2.n.1.
Illius efficacia, tr.2.d.2.n.6.7.8.
Beatus eſt, quem non ſuperat adulatio, tr.2.d.2.n.8.
Diverſa illius recenſentur mala, tr.2. d.3.n.7. & 8.tr.2.d.5.n.7.& 8.tr.2.d.6.n.5.tr.2.d.12.per totum.
Peccata laudat & confirmat, tr.2.d 4.n.1.2.&c.
Invertit rerum ordinem, tr.2.d.4.n.2.
Extremè pernitioſa, tr.2.d.4.n.2.& d.6.n. 1.
Plurimis ſtipata vitiis, tr.2.d.8.n.2.
Præcipitat homines in peccata luxuriæ, avaritiæ & ſuperbiæ, tr.2.d.5.n.13.
Cæcus fit quemcumque adulatio mulcet, tr.2.d.8.n.8.

*Motiva fugam ejus & odium ſuadentia.*

1. Quia eſt propriè vitium diabolicum, tract.2.d.1.n.7.
2. Quia plurimos per eam ſeducit etiam ſanctiſſimos, quos nullo alio vitio ſeducere poteſt, tr.2.d.2.n 1.& 5. & d.7.n.11.
3. Quia Chriſtus ſemper ei conſtantiſſimè reſtitit & inimiciſſimus fuit, tr.2.d.1.n.10.& tr.2.d.7.n.13.14. &c. & tr.2.d.8.n.9.10.11.& tr.2. d. 2. n.1.& 2.
4. Sicut & B.V.Maria, tr.2.d.1.n.6. Nec non Apoſtoli, tr.22.d.2.n.9. Unde S.Paulus variè probat, ſe ab omni adulatione ſemper alienum fuiſſe, tr.2.d.10.n.10. Item & Samuel, ibid.& S.Carolus Borromæus, tr.11.n.19.
5. Quia eſt abominabilis coram Chriſto, tr.2.d.8.n.9.& 10.
6. Quia in hæreſin præcipitat, tr.2.d.12.n.12. & innumeralia cauſat mala, vide ſupra, & hic infra.
Remedia adverſus illam, tr.2.d.12.n.16.
7. Quia magnæ adulatorum pœnæ, tr.2.d.5.n.15.16. &c. & tr.2.d.9.n.5.

*Variæ ejus deſcriptiones & comparationes.*

Nominatur intolerabilis ſuperbia, tr.2.d.3.n.
Apoſtatarum mater, tr.2.d.7.n.8. Laus falſa, tr.2.d.3.n.1.
Dæmonium meridianum, tr.2.d.3.n.2.
Peſtis maxima, tr.2.d.3.n.6.7.8. Beſtia peſtilentialis juxta Platonem, ibid.n.8. Oleum peccatoris, tr.2.d.2.n.8.& tr.2.d.4.n.2.& d.3.n.1.
Peccati nutrix, tr.2.d.4.n.2. Vitiorum maximum, ibid.& n.3.
Comparatur caudæ, tr.2.d.1.n.1. Echo, d.3.n.8. Falci, d.4.n.1. Hamo, tr.2.d.4.n.6. Hypocriſi, tr.2.d.8.n.8. Lacti, tr.2.d.5.n.4. Luto, ibid.n.5. Peſti, tr.2.d.8.n.4. Præcipitio, tr.2.d.7.n.3. Pulvillo, tr.2.d.5.n.3. Tempeſtati maritimæ, tr.2.d.7.n.13. Voci grandi, tr.2.d.7.n.12. Umbræ, tr.2.d.3.n.10. Oleo, tr.2.d.28. & d.3.n.13.&c.

*Adulator.*

Quæcumque perpetrat flagitia, tr.2.d.19.n. 2.&c.
Magis vitandus eſt, quàm ipſe diabolus, tr.2.d.8.n.3.
Definitur, quod ſit blandus inimicus, tr.2.d.7.n.11.
Alter diabolus, tr.2.d.8.n.5. Hoſtis peſſimus, tr.2. d.7. n.4. & d.8.n.7.
Proprium ejus munus & artificium, tr.2.d.1.n.3.
In facie virgo, in cauda ſerpens, tr.2.d.1.n.5.
Diaboli miniſter, tr.2.d.1.n.7. & d.2.n.1.
Nutrix diaboli, lamia infernalis, tr.2.d.1.n.10.
Quam perículoſus Principibus, tr.2.d.2.n.8.
Benedicit ſimul & maledicit, tr.2.d.4.n.4.
Incipit & inducit in retia, tr.2.d.4.n.6.
Differentia inter hunc & verum amicum, tr.2.d.4.n.7.
Rerum naturam invertit, tr.2.d.5.n.1.
Pulvillos ſupponit capitibus, tr.2.d.5.n.3.
Æternæ reus damnationis, & cur? tr.2.d.5.n.11.
Præcipitat maximè in ſuperbiæ, luxuriæ & avaritiæ vitia, tr.2.d.5.n.13.
Libenter ſolemus favere adulatoribus, tr.2.d.6.n.1.
Mortuum ſepeliri à mortuo, eſt peccatorem adulari peccatori, tr.2.d.6.n.4.& 12.

*Adulatores.*

Plus David fugit adulatores, quàm ſuos perſecutores, tr.2.d.7.n.7.
Qui paſtorem egerat quietum, Rex factus expavit propter adulatores, tr.2.d.11.n.7.
Omnia perpetrant flagitia adulatores, tr.2.d.12.n.9.&c.
Multi eorum mores pulchrè exprimuntur, tr.2.d.3.n.5.
Dicuntur tineæ & ſorices palatiorum, tr.2.d.10.n.2.
Item palatij canes, fabri laudis, figuli falſitatis, tract. 2. d.3.n.8.
Oſtenditur illorum proſperitas, tr. 2. d.3.per totum. Item vilis eorum & indigna qualitas, d.12.n.6.7.&c.
Vide verb. Dæmon.

*Adulatores varijs rebus aſſimilantur.*

Apibus, tr.2.d.6. n.1. Aquario, d.10. n. 9. Arundini, d. 11. n.6.
Aromatorio, pharmaca & aromata ſua intoxicanti, d.5. n.11.
Aucupi, tr.2.d.7.n.11. Canibus, d.5. n.6.& d.10.n.7. Chamæleonti, d.8.n.3.
Coquo, tr. 2. d. 12. n. 7. Corvo, d.11.n.5. Elephanti, d.18. n.8.
Heliotropio, tr. 2. d.10. n.4. Joabo, d.6.n.6. Laqueo, d. 4. n.6.
Latronibus, tr.2.d.7.n.6. Pardo, d.6.n.10. Pediculis, d.4. n.6.
Reti, tr.2.d.10.n.2. Scorpionibus, d.6.n.8.
Serpenti, tr.2.d.1.n.3. Simiis, d.3.n.5.d.11.n.1. Speculo, d.3. n.11. & d.4.n.7.
Spinarum radicibus, tr.2.d.6.n.2. Tibicinibus, n. 3. Veneficis Africanis, ibid.n.7. Vermibus. d.10.n.6. Umbræ, d.3. n.10.

*B. Ægydius ſocius S. Franciſci.*

Qualiter quibusdam Cardinalibus reſponderit, tr.10. d. 26.n.9.

*Ægyptij.*

Quomodo depingere ſoliti fuerint hominem adulatione circumventum, tr.2.d.4.n.5.

*Ægyptus.*

Typus eſt mundi, tr.10.d.28.n.5.

*Æthiopes.*

Stultiſſima eorum in Reges ſuos adulatio, tr.2.d.3.n.5.
Reorum catenas ex auro fabricant, tr.8.d.1.n.3.

*S. Agnes Virgo & Martyr.*

Cum tredecim annorum eſſet, & in ſacris literis numquam ſtuduiſſet, in iiſdem tamen ſe eximiè doctam eſſe probavit, tr.14.d.10.n.19. & 20.

*Alericus Rex Gothorum.*

Vetuit ſuis, ne iis qui in Eccleſia degebant, moleſti eſſent, tr.21.d.1.n.9.

*Alexander Farneſius.*

In bello nullam ſibi ab inimico legem præſcribi patiebatur, tr.19.d 15.n.5.

*Alphonſus Rex.*

Inſigne Alphonſi, Regis Arragoniæ aſſertum de divino amore, tr.4.d.6.n.15.

*Ambitio.*

Cœpit ab Angelis, tr.3.d.1.n.1. & 2.
Per eos derivata ad protoparentes noſtros, ibid.n.3.
Item & ad Apoſtolos, ibid.n.6.7.8. & tract.3.d.4.n.2.
Ejus fuga quàm ſit difficilis, tr.3.d.1.n.9.
Ambitio, non honorum poſſeſſio à diabolo exordium trahit, tr.3.d.1.n.10.
Incompatibilis cum fide, tr.3.d. 5. n.1.
Eſt omnis origo mali, omnique tam divinæ quâm naturali legi contraria, tr.3.d.2.per totum, præſertim verò n.6. & 7.
Diſſenſionum, bellorum, hæreſium, apoſtaſiarum cauſa, ibid.n.8.9.10.
Maxima humani generis peſtis, tr.3.d.1.n.1.&.5.
Intellectum excæcat, & rationem turbat, tr.3. d.4.n. 3.&c.
E paradiſo Angelos præcipitavit, tr.3.d.5.n.4.
Diabolo propria, tr.3. d.1. n.2. & d.2. n.3.
Motu ambitionis prima comedit Eva ex arbore, tr.3.d.1.n.4. quam excæcavit ambitio, tr. 3. d.4. n.3.
Primò uterque protoparens peccato ambitionis, tract. 3. d.1. n.4.
Dæmon Chriſtum omnium ultimò tentat in monte, ut eum dejiciat ambitione, tr.3.d.1.n.9.
Vitium pernitioſiſſimum omnibus agnatum hominibus, licet diverſimodè, tr.3.d.1.n.5.
Inficit etiam perfectiores, tr.3. d.18. per totum: quod probatur exemplis, ibid.n.2.3.&c.
Eſt venenum ſerpentis infernalis, tr.3.d.1.n.8. Rixarum nutrix, ibid.n.6. Omnis initium peccati, tr.3.d.2.per totum, Variam ejus deſcriptionem vide tr.3.d.2.n.1.
Eſt abominatio coram Deo, tr.3.d.5.n.4.

*Ambitioſi.*

Se prius dejiciunt, ut poſteà exaltentur, tr.3.d.3. per totum,
Proclives ſunt ad omne malum, tr.3.d 3.n.5.& 6.
Excluduntur à regno cœlorum, tr.3.d.5.n.1.
Severiſſimè puniuntur à Deo, tr.3.d.12.n.5.& 6.
Textus ille Apoſtoli (Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat) variè diſcutitur, tr.3. d.13.per totum.
Qui dignitates fugiunt, ipſos iiſdem digniſſimos eſſe, plurimis exemplis ſtabilitur, tr.3. d.14. per totum.
Aſſimilantur bobus, tr. 3. d. 3. n.6. Bucephalo, d.4.n.9.
Maxima eorum pars moritur impœnitens, tr.3 d.5.n.4.

*S. Ambroſius Epiſc.*

Facies mulierum ſtybio & ceruſsâ fucatas & depictas deteſtatur, tr.9.d.6.n.2.
Virginibus multa ſalutaria monita tradidit, tr.14.d.25.n.11.
Confeſſiones audiendo flebat, tr.15. d. 3.n.17.

*Amicus.*

Fidelis reprehendit, non adblanditur, tr.2.d 7. n. 1.&c.
Figuratur in aqua, tr. 2. d. 4. n.7.

*Amor Dei.*

Tam in ſacco cilicino, quam in Regis purpura ardeſcit. tr.10.d.28. n. 16.
Amor cœleſtis patriæ pro ratione notitiæ de illa habitæ magnus erit, tr.10.d.8. n. 3. & 4.

*Amor Dei activus.*

Quia cor noſtrum ſine amore eſſe nequit, Deus invitat illud ad ſui amorem, *tr.4.d.1.n.1. &c.*

Amor Dei in nos, plurimis viis & modis noſtram promovet ſalutem, *tr.4.d.6.n.8.9.10.11. &c.*

Ob nimium in nos amorem, ſui nobis præcepit amorem, *tr.4.d.6.n.5. & 6.*

Ex eodem motivo innumera nobis beneficia confert, *tr.4.d.7. & 8. per totum.*

Variæ adducuntur conſiderationes ſuper illa Chriſti verba: *Sic Deus dilexit mundum &c. tr.4.d.9. per totum.*

Majorem homini exhibuit amorem in redemptione, quam in creatione, & quare? *ibid.d.10. per totum.*

Amor Chriſti in nos tantus fuit, ut, quò nos eum indignius tractaremus, eò ipſe in nos extiterit liberalior, id quod variè probatur, *tr.4.d.11. per totum.*

*Amor Dei paſſivus ſecundùm ſe.*

Eſt maximum & primum præceptum, & quare? *tr.4.d.2. per totum.*

Veluti Regina omnibus aliis imperat virtutibus, *ibid.n.14. & 15.* Quid ſit, *d.2.n.14.*

Nullum eſt opus bonum ſine illo, *tr.4.d.3. per totum.*

Minimas res in maximas convertit, *ibid.5.6.7.9.*

A Deo trahit originem, *d.4.n.1.3. &c.*

Vita animæ unica. *tr.4.d.6.n.1.*

Continet in ſe omnia bona, *tr.4.d.1.n.4.5. &c.*

Quanta ſit dignitas objecti amoris divini, *tr.4.d.1.n.4.*

Semper cor noſtrum ardere debet amore Dei, ad exemplar altaris in lege veteri, *tr.4.d.1.n.3.*

Eſt individuus comes amoris proximi, *tr.4.d.1.n.13. & d.2. n.1.2.3.*

Nemo poteſt ſe excuſare, quod non amet, *d.17.n.11. &c.*

Signa amoris divini, *d.18. per totum.*

Contrariatur cuicumque vitio, *tr.4.d.5.n.8. & 9. & n.13.*

Varij explicantur modi Deum ex toto corde & animâ diligendi, *tr.4.d.13. per totum.*

Eſt incompatibilis cum amore mundi, *d.14.n.5. &c.*

Cur Deus ſui amorem nobis adeò ſolicitè præcepit, *d.17. n.9.*

Differentia inter amorem Dei activum & paſſivum, *d.16. n.10. & 11.*

*Effectus amoris divini.*

Quantus homini accedat honor per amorem Dei, *tr.4.d.1. n.11.*

Minima efficit maxima, *d.3.n.5.6. &c.*

Deo nos ſimiles efficit & unit, *d.4.n.3.4.5.*

Nos cœli poſſeſſores conſtituit, *ibid.n.6.7.8.*

Peccatorum debita remittit, *d.5.n.1.2. &c. uſque ad n.10.*

Ad perfectionem plurimum juvat, *ibid.n.10.11.12.*

Obſervantiam facilitat cujuſcumque præcepti, *tr.4. d.17.n. 1. &c.*

*Motiva pro Amore divino.*

1. Quia ille unicus eſt vita animæ, *tr.4.d.6.n.1.*
2. Quia Deus nos intenſiſſimè amat, *vide ſupra dicta.*
3. Quia Deus omnem à nobis exigit amorem ſui, *d.11.n.27.*
4. Quia plurimis ad eum titulis obligamur, *d.12. per totum.*
5. Quia Deus maximi æſtimat amorem noſtrum, *d.16.n.1.2.*
6. Quia totus ejus fructus eſt lucrum noſtrum, *ibid.n.3. &c.*
7. Quia per illum ſatisfacimus omni debito, *num.10. & 11.*
8. Diſcurre per alios ejuſdem egregios effectus, *vide ſuprà.*
9. Diverſa alia divini amoris motiva, *vide d.7. & 8. per tot.*

*Amor Mundi.*

Eſt incompatibilis cum amore Dei, *tr.4.d.14.n.5. &c.*

Condemnatur, quando anteponitur divino, *ibid.n.1.2.3.*

Imò ob nullam rationem mundus diligi poteſt, *ibid.n.4.*

Quid ſit amor mundi, *ibid.*

Vide *Avaritia. Divitiæ. Mundus. Bona.*

*Amor proximi.*

Eſt ſignum amoris divini, *tr.5.d.2. per totum.*

Quantâ curâ Deus iſtum in nobis urgeat & requirat, *d.3. per totum, & d.6. per totum, & d.7. per totum, & d. 8.*

Omnia præcepta ad proximi amorem tendunt, *tr.5.d.1.n.1. &c.*

Diverſitas operationum in membris corporum noſtrorum varios nobis tradit modos diligendi proximum, *ibid. d.5. per totum.*

Variæ explicationes illius præcepti: *Diliges proximum tuum &c. tr.5.d.9. per totum.*

*Ejuſdem Effectus.*

Eſt adimpletivus cujuſcumque alterius legis, *tr.5. d.1.n.1. & ſeqq.*

Medio illo, omnis alterius præcepti obſervantiam & meritum adipiſci poſſumus, *ibid.n.9.10. &c.*

Nos veros efficit & probat fideles, & Chriſti diſcipulos, *tr.5.d.4. per totum.* Econtrà ejus defectus nos probat eſſe diaboli ſequaces, *ibid.*

*Motiva amoris proximi.*

1. Quia maximè Deus illum inter nos fovere & augere ſatagit, *tr.5.d.3. per totum, & d.7. per totum, & d.8.*
2. Quia totum univerſum eumdem nobis in ſui conſtitutione exprimit, *tr.5.d.6. per totum.*
3. Quia radix eſt omnium virtutum, *tr.5.d.1.n.19.*
4. Quia maximâ cum facilitate, delectabilitate & lucro à nobis exerceri poteſt, *tr.5.d.10.n.1. &c.*
5. Quia defectus illius, indicium eſt reprobationis, *ibid.n.7.8. 11. &c.*
6. Quia ejus transgreſſores varia manent ſupplicia, *ib.n.8.9.10*
7. Alia deduc ab ejus excellentia & effectibus, *vide ſup.*

*Amphylochius.*

Quo ſtratagemate uſus fuerit, *tr.11.d.4.n.6.*

*Angeli.*

De illorum numero, diſtinctione & officiis, *tr.6.d.1. per tot.*

Expeditiſſimi ad divinum nutum, *ibid.n.1.*

Cur numerus Angelorum in numero definito aſſignetur, cum tamen pro infinito habeatur, *ibid.*

Diſtinguuntur in triplicem hierarchiam, *ibid.n.2. & 3.*

Suum eſſe cœperunt cum mundi creatione, *tr.6.d.5.n.1.*

Cur Moyſes illorum non meminerit in Geneſi, *ibid*

Dignitas eorum exprimitur, *ibid.*

Angelos apoſtatas pervertit adulatio, *tr.2.d.1.n.1. & 2.*

Primum eorum peccatum in cœlis & in terra fuit adulatio, *ibid n.4.*

Seraphim impreſſit S.Franciſco vulnera, *tract.6.d.14.n.16.*

Dicuntur cœlorum officinæ, *tr.6.d.1.n.4.*

Cenſentur nomine proximorum, *tr.6.d.10.n.2. & d.16.n.6.*

Cur in ſpecie juvenili ſemper depingi ſoleant, *tr.10.d.16.n.3*

Angelus ex inimicis Dei unâ nocte centum octoginta millia virorum ſtravit, *tr.10.d.5.n.2.*

Angelus cujuſdam ſervi Dei ſingulos quoque numeravit greſſus, *tr.9.d.13.n.15.*

Cur Angelus à S. Joanne linea veſte indutus viſus fuerit, *tr.10.d.26.n.5.*

Cum Deipara converſantes circumſpecti erant, *tr.14.d.35. n.7.*

Profanatores templorum caſtigant, *tr.21.d.11.n.5.*

In domo Dei ſe obſequioſos exhibent, *tr.21.d.3. per totum.*

Angelus S. Franciſcæ Romanæ colaphum impegit & cur? *tr.14.d.25.n.13.*

*Angeli cuſtodes.*

Omnes Angeli ſunt ad ſervitium deſtinati, *tr.6.d.1.n.4. &c.*

Dicuntur caſtra Dei, & quare? *ibid. & tr.6.d.3.n.13.*

Reges item & conſules terræ, *tr.6.d.1.n.9.*

Unaquæque mundi res viſibilis habet angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam, *ibid.n.10. & 11.*

Habent protectionem Regnorum, *tr.6.d.2.n.1. & ſeqq.*

Angeli infimi hominibus, ſuperiores regnis & provinciis deſtinati ſunt cuſtodes, *ibid.n.2.*

Dicuntur ſepes Synagogæ, & quare? *ibid.n.7.*

Semper fuere defenſores Eccleſiæ militantis, *ibid.n.9. Idque in ſeqq.* per varia exempla corroboratur.

Removent à nobis ſupplicia, *ibid.n.17.18.19.*

Inviti ſunt ad puniendum nos, maximè autem proclives ad benefaciendum nobis, *tr.6.d.3. per totum.*

Soliciti ſatagunt Deum nobis reddere propitium, *ibid. n. 13. & 14.*

Sunt velociſſimi in exequendis Dei juſſis, noſtram utilitatem concernentibus, *tr.6.d.4.n.1. & ſeqq.*

Majori nos amore poſt Chriſti adventum proſecuti ſunt, quàm ante, *ibid.n.16.17.18.*

Non obſtante maxima eorum dignitate, noſtrum miniſterium ambiunt, ſeque propter nos in varias mutant figuras & ſpecies, *tr.6.d.5.n.2. &c.*

Plurima quæ nobis conferunt, tam ſpiritualia quàm corporalia beneficia, *tr.6.d.6. per totum.*

Præſtant, ut in proſperitate innocenter vivamus, *ibid.n.2.*

Variæ expoſitiones illius verſus: *Angelis ſuis Deus mandavit de te &c. tr.6.d.7. per totum, & d.6. in diverſis locis.*

De tutela Angelorum multiplici contra dæmoniacas tentationes &c. *tr.6.d.8. per totum.*

Maximè nobis auxiliantur in hora mortis, *tr.6.d.9.n.1. &c.*

Chriſtus jubet in nocte Paſſionis ſuæ Apoſtolos dormire & quieſcere propter præſentiam angeli, *tr.6.d.8.n.16.*

In extremi die judicij teſtificabuntur adverſus negligentes, *tr.6.d.9.n.14. & 15.*

Solicitudo eorum circa moribundos multis ſtabilitur exemplis, *ibid n.5. &c.*

Nos non deſerunt, etiamſi noſtram prævideant reprobationem, *tr.6.d.10.n.1. &c.*

Quanta nobis præbeant auxilia, ut à peccato reſurgamus, *ibid.n.13. &c.*

Quomodo animas noſtras deſerere dicantur, *tr.6.d.10.n.5.*

Proniores ſunt ad auxiliandum, quam dæmones ad infeſtandum, *ibid.n.4.*

Quare nihilominus efficacibus ſæpè auxiliis nos privent, *ibid.n.12.*

Dicuntur lampades ob diverſas rationes, *ibid.n.16.*

Quantam capiant lætitiam ex ſalute & pœnitentia noſtra, *tr.6.d.11.n.1. &c. uſque ad 15.*

Varia hujus gaudij narrantur motiva, *ibid.n.15.16.17.*

Magnam ex ſalute noſtra hauriunt utilitatem, *ibid.n.17.*

Oratio nos Angelis ſimiles facit, *tr.6.d.12.n.1.2.3.*

Cujus rectè faciendæ methodum ipſi nos docent, *ibid.n.4.*

Illam ipſi apud Deum efficaciter adjuvant, *ibid.n.5.*

Sicut & meritum & valorem aliarum noſtrarum operationum, *ibid.n.8.*

Singulariter autem aſſiſtunt Sacrificio Miſſæ, *ibid.n.8. & 9.*

Etiam nobis aſſiſtentes, Deum intuentur, *tr.6.d.13.n.1. &c.*

Imò continuus eorum in Deum obtutus, magis ipſos de noſtra ſalute reddit ſolicitos, *ibid.n.6.7.8.*

Quanta nobis bona de cœleſti convivio ſubminiſtrent &c. *ibid. n.10.11.12.13.*

Quanta iis ſit exhibenda reverentia, *ibid n.15 & d.16. n.5. & n.8.*

Angelorum converſatione fruemur, cum eorum beneplacita adimpleverimus, *tr.6.d.14.n.1.*

Plurimæ enumerantur virtutes, quarum praxis eſt beneplacitum ipſorum, *ibid.d.14. per totum.*

Caſtitas præſertim & continentia nos Angelis aſſimilat, *tr.6.d.15.n.1.2.3.4.*

Ob hujus virtutis conſervationem, eorum multoties experimur tutelam, *ibid.n.5.6. &c. uſque ad n.13.*

Caſtitatis transgreſſores graviter puniunt, *ibid.n.13.14.15.*

Cur Angeli appareant & depingantur juvenes, *ibid.n.16.*

Quantum nobis beneficium & dignitatem conferat cuſtodia Angelica, *tr.6.d.16.n.1.*

Juſtitia noſtra eſt remuneratio eorum, quâ contentiſſimi ſunt, *ibid.n.3.4.5.*

Quantam debeamus ipſis gratitudinem, *tr.6.d.16.n.1. &c.*

Ex ſermonibus noſtris bonis magnam hauriunt lætitiam, & ex malis ac otioſis triſtitiam, *tr.6.d.16.n.6. & 7.*

Illorum auxiliis cooperari debemus, *ibid.9. & 10.*

Unde ſi damnemur, non eſt culpa ipſorum, ſed noſtra, *ibid.*

*S. Angelus Mart. Ord. Carmelit.*

A Berengario diffamatus, a Deo protectus fuit, *tr.12.d.4.n.7.*

*Anima.*

Modica ejus æſtimatio ex modica oritur ejus notitia, *tr.7. d.1.n.1. & d 14.n.14.*

Creata fuit non verbo Creatoris, ut alia opera, ſed conſilio & ſpiraculo Dei, *tr.7.d.2.n.1.2. &c. uſque ad n.11.*

Non eſt educta de potentia materiæ, *ibid.n.4.*

Cur Deus dicto modo animam creare voluerit, *ibid.n.11. & 12.*

Cur ejus corpus erectum plaſmarit, *ibid.n.13. & d.18.n.2. & tr.8.d.17 n.9.*

Anima in ſolo Deo ſatisfactionem invenit & quietem, *ibidem n.14. & tr.8.d.28. variè.*

Cur Deus animæ nobiliſſimæ corpus conjunxerit adeò vile, *tr.7.d.3 per totum.*

In quo conſiſtat, quod anima ad Dei imaginem creata ſit, *tr.7.d.4.n.1. &c. multipliciter explicatur.*

Deus animam cur ſimilem ſibi crearit, *tr.7.d.1.n.13.*

Varij adducuntur Deum inter & animam paralleli, *d.6.n. 1. &c.*

Omnium creaturarum naturam participat, *tr.7.d.7.n.2.*

Quantitas cujuſque animæ æſtimatur juxta menſuram charitatis, *tr.7.d.8. n.14.*

Debet eſſe munda, *ibid d.8.n.15. & 16.*

Deſcribitur multifariam, *tr.7.d.9.n.2. & d 16.n.1. & d.10.n.1.*

Quadruplicem continet virtutem, *ibid.n.3.*

Exceſſiva animæ pulchritudo ipſum Deum ad ejus rapit ſponſalitium, *tr.7.d.9.n.1. &c.*

Hic autem decor totus conſiſtit in virtutibus & innocentia, *tr.7.d.9.n.16. &c.*

Quantam Deus curam animæ habeat, *tr.7.d.10.n.1. &c.*

Deus illam, velut gemmam pretioſiſſimam portat, *ibid.n.2.*

Per bonorum temporalium jacturam, Deus animas noſtras lucrari intendit, *ibid.*

Deus præ nimio amore, jacturam unius animæ reputat, quaſi multæ perirent, *ibid.n.10.*

Pretij excellentia, quâ Deus animam redemit, animæ docet dignitatem, *tr.7.d.11.n.1. &c. uſque ad 14.*

Ipſe diabolus eam maximi facit, *ibid.n.15. &c.*

Motiva ad eam plurimi æſtimandam, *ibid.*

Quod Chriſtus præſtitit pro animabus omnibus, etiam pro una ſola facturus fuiſſet, *tr.7.d.12.n.1. &c.*

Demonſtratur Chriſti cura pro animabus, per parabolas ovis & drachmæ, *ibid.n.7. &c. uſque ad n.17.*

Nullus faſtidiendus eſt labor vel pro unius etiam animæ lucro, *ibid.n.17. & 18.*

Quilibet noſtrum Redemptori tantùm obligatur pro anima propria, quantum omnes, imò plus, *tr.7.d.13.n.1. &c. uſque ad 16.*

Contra illos, qui propriam negligunt ſalutem, *ibid. n. 16. &c. & d.15.n.7.*

De gloria & magno lucro eorum, qui animas convertunt, *tr.7.d.14.n.1.2. &c.*

Quantum Deus gaudeat de animarum ſalute & converſione, *ibid.n.7. &c.*

Animarum juſtificatio deſignatur per gloriam, *ibid.n.2. & 3*

Regimen animarum ars difficillima, *ibid.n.8.*

Qualiter animarum converſioni vacarint multi ſervi Dei, *ibid.n.14 15.16.*

Quæcumque anima pauperis & divitis eſt in eadem apud Deum conditione & pretio, *ibid.n.17.*

Animæ noſtræ anima Deus eſt, *tr.7.d.15.n.1.*

Quæ proinde moritur, dum Deum amittit per peccatum, *ibid.n.2.3. &c.*

In quo conſiſtat animæ ſanitas, *tr.7. d.15.n.13.* Item ejus immortalitas, *ibid.n 16.*

Infirmitates corporis ſæpe fovent ſanitatem animæ, *ibid.n. 17. & tr.9.d.25.n.13.*

Quomodo anima reviviſcere poſſit, *tr.7.d.15.n.19.*

Indecens eſt, corpus animæ anteponi, *tr.7.d.16.n.1. &c.*

De vilitate corporis in comparatione animæ, *ibid.*

Animæ jactura eſt irreparabile pariter corporis damnum, *ibid.n.12. & 13.*

Horrendus caſus cujuſdam, qui ſuam parvipendit animam, *ibid.n.10.*

Anima, prô dolor, in comparatione corporis & bonorum temporalium, quaſi flocciſit à nobis, *tr.7.d.17. & 18. per totum, & d.1.*

Homines potius vocantur animæ quàm corpora in Scriptura ſacra, & quare, *ibid.d.17.n.6.*

Salomon in ædificio templi ſancti & palatij ſui docet, majorem animæ quàm corpori curam impendendam eſſe, *ibid. n.7.*

Anima carnalia appetens, dicitur caro, *ibid.n.18.*

Animæ theſaurus, corporis eſt egeſtas, *tr.7.d.18.n.3.*

Quæ differentia inter animam & ſpiritum, *ibid.n.5.*

Anima in bonis terrenis perditur, dum æterna negliguntur, *diſc.cit. per totum.*

Major eſt quandoque cura de catellis, quam de anima, *ibid.n.13.*

Totus mundus nullius eſt valoris in comparatione animæ, *tr.7.d.19.n.1. &c.*

Semel perdita, nullo eſt redimibilis pretio, *ib.n.9.10.11. &c.*

Non debet incertæ committi aleæ, *ibid.n.16.*

Non ſatiatur bonis temporalibus, quantumvis opulentis, *tr.8.d 28. per totum.*

Decorem animæ deſtruit peccatum, *tr.7.d.5.n.8.*

Nuncupatur anima cœlum, *tr.7.d.7.n.15.* Gloria Dei, *ibid. n.21. & 22.* Trinitas, *ibid.n.12.* Paradiſus, & locus deliciarum Dei, *d 8.n.1. &c.* Templum Dei, *ibid.n.8.* Moneta, *tr.7.d.4.n. 3.* Inenarrabile opus, *d.9.n.4.*

Animæ dignitas excedit omnes corporales creaturas etiam ſimul ſumptas, *tr.7.d.7.n.19.*

Quæ ſit diſtinctio inter animam juſti & peccatoris, *tr.7.d. 8.n.17.*

Anima peccatoris comparatur palatio exterius eleganti, ab intra verò variè conſpurcato, *tr.7.d.9.n.23.*

Contra illos, qui propriam ſalutem negligunt & flocci pendunt, *tr.7.d.13.n.16.17. &c.*

Anima non niſi per abſtinentiam fit corporis domina, & ſine illa eſt ſerva, *tr.1.d.9.n.6.*

Maximi animarum hoſtes ſunt adulatores, *tr.2.d.7.n.3. & 4.* Econtra verò reprehenſores, maximi earum amici, *ibid. n.1.2.5.6. &c.*

*Animal.*

Animalia naturaliter ad nidum ſuum repetendum propendent, *tr.10.d.2.n.12.*

*Anglia.*

Corruit in hæreſin ex ambitione, *tr.3.d.2.n.9.*

*Anna Propbetiſſa.*

Propter jejunium meruit Chriſtum videre in templo, *tr.1. d.5.n.10. & d. 6.n.4.*

*S. Anna Phanuelis filia.*

Spiritum Propheticum habuit, *tr.14.d.10.n.12.*

*Anna Monialis.*

De rebus illicitis patratis ſuſpecta, in tormentis intrepida permanſit, *tr.12.d.6.n.8.*

*Antichriſtus.*

Primarium dæmonis inſtrumentum, *tr.2.d.1.n.8.*

Figuratur in cauda draconis infernalis, *ibid.*

Eſt primogenitus diaboli, *ibid.n.9.*

Ejus in pervertendis animabus ſucceſſus, *ibid.*

Quibus ſit natalibus in lucem edendus, *tr.12.d.4.n.10.*

Hic in terris nulla eſt dignitas aut poteſtas; quæ comparari mercatur cum beatorum gloriâ, *ibid.n.*11.& 12.

Magna felicitas eſt, in cœlo Empyreo Monarcham eſſe, *ibid.n.*14.& 15.

Lutum corporis noſtri luce & claritate immortali in cœlis veſtietur, *tr.*10.*d.*6.*per totum.*

Recenſentur quatuor beatorum dotes, *ibid.*

Quanta animarum & corporum glorificatorum claritas futura ſit, *ibid.n.*5.& 6.

Quoad agilitatem beati aquilæ aſſimilantur, *ibid.n.*10.

Motus beatorum ad proportionem animæ agilis erit, *ibid.* & *n.*11.

Corpus beatorum deinceps vegetativæ ſubjectum amplius non erit, *ibid.n.*12.

Quantum beati ex viſione divinæ eſſentiæ habituri ſint gaudium, *tr.*10.*d.*7.*per totum.*

Corda noſtra cœleſte gaudium capere nequeunt, *ibid.n.*1.

Eſſentia divina in nos velut fons quidam vera gaudia emanare facit, *ibid.n.*2.& *ſeqq.*

Doctores varia gaudiorum genera animæ beatæ aſſignant, *ibid.à n.*3.*uſque ad* 9.

In cœlo non eſt reperibilis amaritudinis ſiniſtra, ſed mera dextera gaudii & lætitiæ, *ibid.n* 10.

Superabundantes cœli deliciæ unde naſcuntur, *ibid.d.* 8 *per totum.*

Martyres ſancti inter tormenta ad unius tantum ſtillæ gloriæ perceptionem jubilabant, *ibid.n.*6. & *ſeqq.*

Conſortium Angelorum, beatorum gaudia adaugebit, *ibid. n.*11.

Tribulationes ad vera gaudia percipienda regiam, tritam & ſecuram viam ſternunt, *ibid.n.*15.

Vera beatitudo omnes in ſe delicias excogitabiles includit, *tr.*10 *d.*9. *per totum.*

Omnes terrenæ deliciæ cœleſtibus longè ſunt inferiores, *ibid.n.*1.& *ſeqq.*

Variæ Sanctorum ſententiæ & dicta quoad dulcedinis cœleſtium deguſtationem, *ibid.n.*7.& 8.

Anima quæ ad Dei viſionem pervenit, nihil ultra deſiderare valet, *tr.*10.*d.*10.*n.*8 & 9.

Varij beatitudinis effectus *tr.*10.*d.*10.*n.*1.& *ſeqq.*

Gloria eſſentialis ſtabilis eſt & permanens, *ibid. n* 10.& 11.

Gloria accidentalis beatorum continuò augetur, *ibid.n.*10.

Varij ſunt hujus augmenti gradus, *n.*10.11.& 12.

Beatitudo ſumptuoſum eſt convivium & menſa lautiſſima, *tr.*10.*d.*11.*per totum.*

Beatitudinis cœleſtis fercula, delicias in ſe habent intellectui noſtro imperceptibiles, *ibid.n.*6.& *ſeqq.*

Ex hiſce ferculis omnes iiſdem accumbentes convivæ appetitum ſuum perfectè ſatiant, *ibid.n.*7.

Ad illa famelici accedere debemus, *ibid.n.*9.

Una ſola cœleſtium cupediarum ſtilla ſeu mica, quodvis nos gaudium nauſeare facit, *ibid.n.*12. & 13.

Beatitudo in beatis quoad quantitatem diverſa eſt, non verò quoad qualitatem, *ibid.d.*12.*n.*3.

Tametſi gradus beatitudinis in beatis plus minusve diverſi ſint, attamen beatorum poſtremus tantùm de ſupremi beati gloriâ gaviſurus eſt, quantùm ſi ſibi propria eſſet, *tr.*10.*d.*12. *n.*4. & *ſeqq.*

A cœlo omnis invidia exulat, *ibid.n.*11.& 12.&c.

Beati unam tantùm voluntatem habent, divinæ voluntati omninò conformem, *ibid.d.*13.*n.*12.& 3.

Hinc beatorum concordia & animorum derivatur unio, *ibid.n.*9.& 10.&c.

Amor & charitas beatos efficit tales, *ibid.n.*14.& 15.

Juxta amoris proportionem & menſuram Deus ſe animæ & beatis communicat, *ibid,n.*15.

Ut gloria cœleſtis pro merito æſtimetur, oculi noſtri & vel maximè cor ad illam conſiderandam erigi debent, *tr.*10.*d.*14. *per totum.*

Tormenta & dolores hujus vitæ nihil æſtimandi ſunt reſpectu unius etiam ſtillæ torrentis cœleſtis beatitudinis, *tr.*10. *d.*14.*n.*9. & 10.

Chriſtus gloriam cœleſtem permagni æſtimat, *ibid.n.*9 & 10.

Unica torrentis cœleſtis ſtilla ipſum infernum in Paradiſum tranſmutare valet, *ibid.n.*10.

Beatitudo ab omni miſeria & pœna eximitur, *tr.*10.*d.*15.*per tot.*

Romani pacis tempore templum Jovi obſerabant, *tr.*10.*d.* 15.*n.*2.*in fine.*

In cœlo nil niſi laudes Dei & benedictiones, in terris verò præter blaſphemias & maledictiones nihil auditur, *ib.n.*6.& 7

A Dei oſtenſis procul abeſſe, majorem in beatis conſolationem adaugebit, *ibid.n.*11.

Quam ſtabilis futura ſit gloria cœleſtis, quàm verò econtra bona hujus vitæ continuò obnoxia ſint mutabilitati, *tr.*10. *d.*16.*per totum.*

Securitas, quam beati habent de non amittendo beatitudinis ſuæ ſtatu, illos efficit beatos, *ibid.n.*1.

In cœlo nihil inveteraſcit, *ibid.n.*2.& 3.

Beati ſedebunt, & cur? *ibid.n.*6.

Quisquis in cœlum defixos habet oculos, omnia aſpernatur terrena, *ibid.d.*17.*per totum.*

Quisquis bona cœleſtia conſiderat & ſperat, bonorum terrenorum vanitatem intimè cognoſcit, *ibid.d.*18.*per totum.*

Quisquis bona cœleſtia conſiderat, ad cœlum evolabit, quantumvis deſes ſit & piger, *ibid.n.*6.

Multæ animæ cœleſtium bonorum immemores, hic pereunt, *ibid.n.*6.& 7.

In iis qui plus terram quàm cœlum conſiderant, dæmonium prævalet, *tr.*10.*d.*19.*per totum.*

Beati ex ſuo dignoſcuntur idiomate & inclinatione, *ibid. n.*2.& 3.

Quâ ratione verba illa intelligenda ſint: *Regnum cœlorum vim patitur, &c. tr.*10.*d.*20. *per totum.*

Per violentiam alij pœnitentiam, alij bellum intelligunt, *ibid.n.*3.5.& 6.

Non per traditiones, ſed per pugnas & certamina acquiritur, *ibid.n.*8. & 9.

Qui cœlum libenter conſiderat, jugum legis ſuaviter portat, *tr.*10.*d.*21.*n.*1.& *ſeqq.*

Appetitus reprimit, *ibid.n.*3.& 4.

Ut Apoſtoli animarentur ad paſſiones, in monte Thabor illis quoddam gloriæ ſpecimen exhibitum fuit, *ibid.n.*9.

Mundum contemnit, qui oculos in cœlum defigit, *tr.*10. *d.*22.*per totum.*

Idem quoque tormentis gaudenter obviam procedit, *ibid. n.*8.9.& 10.

Quia in comparatione æternæ retributionis ſuavia eſſe videntur, *ibid.n.*11.& *ſeqq.*

Chriſtus nobis ſub eodem onere regnum cœlorum cedit, cum quo is illud à Patre accepit, *ibid.d.*23.*per totum.*

Cruce mediante Chriſtus regnum cœlorum nobis acquiſivit, *ibid.n.*4. & *ſeqq.*

Priusquam Chriſtus regnum cœlorum obtineret, paſſionum regno ſubjici debuit, *ibid.n.*13.14. & 15.

Cur Deus Angelum juxta Paradiſum collocarit? *tr.*10.*d.* 24.*n.*1. & *ſeqq.*

Quisnam primus omnium in ſocietate Chriſti Paradiſum ingreſſus fuerit, *ibid.n.*2.

Cur Deus tot hominem miſeriis ſubjecerit? *ibid.n.*4. & 6.

Quilibet ſuam quidem crucem, non verò Chriſti patibulum portare debet, *ibid.n.*6.

Varia exempla, quibus moveri poſſumus ad ingrediendam crucis viam, *ibid.n.*9.& *ſeqq.*

Ut ad cœli littora appellemus, ventis opus eſt impetuoſis, *ibid.n.*12.

Crux & adverſitates libenter toleratæ, planam nobis ad cœlum viam ſternunt, *tr.*10.*d.*25. *per totum.*

Amaritudines hujus vitæ prius deguſtandæ ſunt, quàm libemus dulcedines Paradiſi, *ibid.n.*7. & *ſeqq.*

Mundanorum coronæ ex floribus, beatorum verò coronæ ex auro conſiunt, *ibid.n.*3.& 4.

Juxta paſſionis & tribulationum menſuram Deus nobis gloriæ gradus diſpenſat, *ibid.n.*12. & *ſeqq.*

Cur Chriſtus Eccleſiæ corpus ſuum ſub panis ſpecie reliquerit? *ibid.d.*26.*n.*1.

Agnus cur à S. Joanne byſſino ſplendenti amictus viſus fuerit? *ibid.n.*5.

Populus Iſraëliticus terram lacte & melle manantem per labores & ſudores acquiſivit, *ibid.n.*9.

Hi qui adverſorum timore perterriti retrocedunt, graviter perſtringuntur, *ibid.n.*13.

Ingenioſa duarum clavium aureæ & ferreæ à P. Didaco Stella adducta ſimilitudo, beatitudini applicata, *ibid. n.*14.

Per divinorum præceptorum obſervantiam gloria cœleſtis acquiritur, *tr.*10.*d.*27. *per totum.*

Documentum à S. Thoma Aquinate, quoad gloriæ cœleſtis acquiſitionem, ſorori ſuæ traditum, *ibid. n.* 1.

Deus legem ſuam nobis tradendo, ſuam nobis voluntatem expreſſit, *ibid.n.*3.

Lex nova ſuavis eſt, utpote in charitate fundata, *ibid.n.*5.

Obſervantia divinæ legis gloriæ comparandæ pretium eſt, *ibid.n.*7.& 8.

Chriſtus digito nobis cœlum demonſtrat, *ibid.n.*9.& 10.

Minimus charitatis gradus ad capiendam beatitudinis poſſeſſionem ſufficit, *ibid.n.*12.& 13.

Salvator non vult, ut unusquisque noſtrum viam ingrediatur ab ipſo hic in terris calcatam, *tr* 10.*d.*28. *per totum.*

Ad cœlum petendum plures viæ inſerviunt, *ibid.n.*2.3. & 4.

Via Chriſti valde eſt aſpera atque difficilis, *ibid.n.*5. & 6.

Non omnes ſuum pro Chriſto ſanguinem fuderunt, *ibid. n.*8.

Cur cœlum reti aſſimiletur? *ibid.n.*9.

Nulli hominum generi aut conditioni clauſum eſt cœlum, ſed omnibus patet, *ibid,n.*9.& 10.

Contro-

Controverſia inter milites Davidis exorta, qualiter deciſa fuerit, *ibid.n.*5.

Quid milites Davidis litigantes ſignificent? *ibid.*

Quàm facilis ſit ad cœlum aditus, utpote quem Salvator nobis tantâ cum aviditate offert, *tr.*10.*d.*29. *per totum.*

Chriſtus ad cœlum conſcendens, non ſine ingenti myſterio fratres nos nuncupavit, *ibid.n.*7.& *n.*8.

Regnum cœlorum intra vos eſt, *ibid.n.*7.& *ſeqq.*

Gratia pretium eſt gloriæ, unde gloria nobis ad gratiæ menſuram confertur, *ibid.n.*9.10.& 11.

Animæ in cœlum facili negotio aſcendent, *ibid.n.*6.

Munditia ad beatitudinem nos vel maximè diſponit, *ibid. n.*15.& *ſeqq.*

Peccata quæ deteſtamur, ſcalæ loco nobis ad paradiſum conſcendendum deſerviunt, *ibid.n.*17.& 18.

Gloria cœleſtis faciliùs quàm terrenæ gloriæ ſublimitas acquiritur, *ibid.n.*18.

Deus pro conſecutione gloriæ nihil à nobis poſtulat, quod vires noſtras ſuperet, *ibid.n.*19.& 20.

Multi pro cœlo parum admodum expendunt, *ibid.d.*30.*per totum.*

Contentus eſt à nobis accipere id quod habemus, *ibid.n.*3. & 4.

Multis cœlum caro, alijs facili pretio divendidit, *ibid.n.*4.

Quod varijs exemplis oſtenditur, *ibid.*

Cur inter oblatum aurum & gemmas etiam pili caprarum interceſſerint, *ibid.n.*5.

Multa hac de re adferuntur exempla, *ibid.*

Rhedâ quaſi in cœlum ſubvehimur, *ibid.n.*6.

*Benedictio.*

Hominum duplex; alia bona, alia mala, *tr.*2.*d.*4.*n.*2.

Explicatur illud: *Væ, cum benedixerint vobis homines ibid.*

*S. Benedictus.*

Quidnam Armigero Totilæ reſponderit? *tr.*9.*d.*6.*n.*8.

*S. Bernardinus.*

Apologum patris duas filias habentis adducit, *tr.*10. *d.*29. *n.*19.

*S. Bernardus Abbas.*

Se tantâ ſanctitate præditum non eſſe, dicere ſolitus erat, ut vitiis aliorum reprehendendis par eſſet, *tr.*18.*d.*16.*n.*1.

Quid mulieri ad ejus lectum appropinquanti dixerit? *tr.* 14.*d.*14.*n.*13.

*Bertrandus Cornelij.*

Inopinatè & mirabiliter ad meliorem vitam converſus, *tr.*9.*d.*10.*n.*14.

*Beza.*

A S. Franciſco de Sales ad agnitionem veræ fidei perductus, ſolius mulierculæ retinaculo in errore ſuo permanſit, *tr.*13.*d.*6.*n.*17.

*Blanditiæ.*

Etiam contemptæ placent, *tr.*2.*d.*6.*n.*1.

Sæpè excluſæ, noviſſimè recipiuntur, *ibid.*

*Blaſphemia.*

Ejus definitiones & diſtinctiones adducuntur, *tr.*11. *d.*1.*per totum.*

Ex pluribus capitibus grave peccatum eſt, *ibid.n.*4.

Multæ blaſphemiæ hæreſin involvunt, *ibid.n.*3.4. & 5.

Magna eſt hominis temeritas, quâ ſupremam Dei Majeſtatem injuriâ afficere non veretur, *ibid.n.*5.

Deus creaturis directè non maledicit, *ibid.d.*2.*n.*1.& 2.

Ad blaſphemum caſtigandum Moyſes è cœlo ſententiam latam præſtolatur, *tr.*11.*d.*1.*n.*9.

Diverſa blaſphemis irrogata ſupplicia, *ibid.n.*9.& 10.

Quàm præſumptuoſi & temerarij ſint blaſphemi, *ibid.d.*2. *per totum.*

Omne grave peccatum blaſphemiæ comparatum, leve eſt, *ibid.n.*1.

Omne peccatum excuſationem in promptu habet, ſolâ exceptâ blaſphemia, *ibid.n.*5.& 6.

Qui per blaſphemias contra Deum pugnat, caput inde ſaucium reportat, *ibid.n.*8.& 10.

Blaſphemorum in lingua ſpecialiter punitorum varia exempla, *ibid.n.*14. & *ſeqq.*

Blaſphemia peccatum eſt quovis alio gravius & enormius, *tr.*11.*d.*3.*per totum.*

Jezabel Naboth omnibus exoſum reddidit, dum illum velut blaſphemiæ reum proclamari fecit, *ibid.n.*7.

Blaſphemiæ, venenoſæ quædam ſunt ſagittæ, *ibid.n.*11.

In ipſos blaſphemos blaſphemiæ recidunt, *ibid.*

Varia blaſphemorum ſupplicia, *ibid.n.*13.& *ſeqq.*

Blaſphemia in ſacris literis nomine ſuo non nuncupatur, ſed circumſcribitur, *tr.*11.*d.*4.*per totum.*

Spiritus Sanctus vereri videtur, ne calamum ſuum ſordibus deturpet, de hoc tam gravi delicto diſſerendo, *ibid.n.*1.

Animalia creatorem ſuum reverentur, ſolus homo ipſiusmet Dei ſanguine redemptus, eumdem blaſphemat, *ibid.n.*5. & 6.

Edictum contra Arrianos promulgatum adducitur, *ibid. n.*6.

Omnis blaſphemus infamis eſt, *ibid.n.*7.

S. Petrus Damianus horrendum adfert blaſphemi alicujus exemplum, *tr.*11.*d.*4.*n.*11.

Deus blaſphemis implacabilis erit, *ibid.d.*5.*per totum.*

Blaſphemi beſtiis ſimiles exiſtunt, *ibid.n.*3.

Nullus ſeſe pro illis intercedendo interponit, *ibid. n.* 5.& *ſeqq.*

Moriuntur ut plurimum impœnitentes, *ibid.n.*8.& *ſeqq.*

Blaſphemia certum eſt reprobationis indicium, *ibid. n.* 10. & *ſeqq.*

Varia hujus veritatis exempla, *ibid.n.* 16.17.18. & 19.

Blaſphemia modicæ in Deum fidei indicium eſt, *tr.*11 *d.*6. *per totum.*

Apoſtaſia, hæreſis, & infidelitas, blaſphemiæ filiæ ſunt, *ibid. n* 1.

Blaſphemia confeſſioni fidei opponitur, *ibid.n.*2.

Primum blaſphemiæ peccatum in deſerto Idumææ tempore Moyſis commiſſum fuit, *ibid.n.*3.

Blaſphemi Dei notitiam omittunt, *ibid.*

Multæ à ſacris Conciliis contra blaſphemos pœnæ decernuntur, *ibid.n.*5.& 6.

Cum de peccato blaſphemiæ agitur, ipſis etiam Sacerdotibus licita eſt vindicta, *ibid.n.*7.

Quod variis exemplis oſtenditur, *ibid.n.*8.& *ſeqq.*

Blaſphemia dæmonum & damnatorum vernaculum eſt idioma, *tr.*11.*d.*7.*per totum.*

Dæmon omni conatu hominem in blaſphemiam pellicere nititur, *ibid.n.*4. & 5.

Blaſphemi, dæmones ſunt incarnati, *ibid.n.*5.& 6.

Juſtum illorum ſupplicium, *ibid.*

Os blaſphemi ignivomo Æthnæ monti ſimile eſt, *ibid.n.*7.

Antichriſtus magnus futurus eſt divini nominis blaſphemator, *ibid.n.*9.

Remedium efficax, ne quis in blaſphemiam prorumpat, *ibid.n.*11.

Varia illius adducuntur exempla, *ibid.n.*14.& 15.

Blaſphemare idem eſt, quod Filium Dei flagellare & crucifigere, *tr.*11.*d.*8.*per totum.*

Blaſphemi veri ſunt Chriſti traditores, *ibid.n.*5.& 6.

Blaſphemia ipſamet Filij Dei crucifixione, gravius & enormius crimen eſt. *ibid.n.*9.& 10.

Quod pulchrè trium filiorum, qui cadaver patris mortui ſagittis impetere juſſi fuerant, hiſtoriâ declaratur, *ibid.n.*9.

Varia blaſphemis irrogata ſupplicia recenſentur, *tr.*11.*d.*9. *per totum.*

Maledictiones contra blaſphemos enunciatæ, *ibid.n.*1.

Blaſphemiæ multarum calamitatum publicarum ſunt cauſæ, *ibid.d.*10.*per totum.*

Variæ contra blaſphemos decretæ pœnæ, *ibid.n.*3. & *ſeqq.*

Blaſphemici diverſorum origo & cauſa ſunt infortuniorum, *ibid.n.*3.& 4.&c.

Variis id exemplis oſtenditur, *ibid.n.*7.& *ſeqq.*

Blaſphemando ſcilicet ad perpetuas in altera vita evomendas blaſphemias diſponuntur, *ibid.n.*16.

Concilia ſacra variis modis blaſphemias eradicare ſatagunt, *tr.*11.*d.*11.*per totum.*

Idem quoque patresfamilias, Epiſcopi, & Principes facere debent, *ibid. n.*2.& *ſeqq.*

Principes in caſtigandis blaſphemis rigoroſi eſſe debent, *ibid.n.*9.& 10.

Pœnæ in eos, qui blaſphemias patienter audiunt & diſſimulant, ſtatutæ, *ibid.n.*11.

Proprias diſſimulare injurias, actus eſt virtutis; gravis autem impietas eſt, ſi quis Dei injurias diſſimulet, *tr.* 11. *d.*12. *per totum.*

Quanto zelo Hebræi divini nominis honorem proſecuti ſint, *ibid.n.*1.

Hi enim ſe blaſphemos acriter punituros eſſe jurant, *ibid.* & *n.*2.

Supplicia à diverſis judicibus blaſphemis intentata, *ibid. n.*3. & *ſeqq.*

Chriſtus ad inſtar furibundi leonis blaſphemos aggreditur, *ibid,n.*4.

Diverſi divini nominis honorem zelantes adducuntur, *ibid.n.*5.6.& 7.

Varia illius exempla, *ibid.*& *n.*9.& 10.

Angeli de cœlis proſpiciunt, ut videant, quisnam adeò in blaſphemiis evomendis temerarius exiſtat, *ibid.n.*9.& 13.

Blaſphemi de Chriſti ſanguine nihil participant, *ibid.n.*14. & 15.

Lamenta, quæ Deus adverſus Prælatos qui blaſphemos caſtigare negligunt, edit, *ibid.* & *n.*16.

Blaſphemiæ in ipſos recidunt blaſphemos, *tr.*11.*d.*13 *per tot.*

Varia illorum adducuntur exempla, qui in adverſitatibus poſiti, Deo maledicunt, *ibid.*

Adverſita-

Adverſitates ut plurimum blaſphemiarum cauſæ exiſtunt, *ibid. n. 5.*
Blaſphemus in ſuis precibus minimè exaudietur, *ibid. n. 14.*
Id variis comprobatur exemplis *à n. 10. uſque ad finem.*
Varia adducuntur blaſphemorum ſupplicia, *ibid.*

*Bona, Dea Gentilium.*
In ejus templum nullus virorum ſine ſocio ingrediebatur, *tr. 14. d. 32. n. 9.*

*Bona Eccleſiaſtica.*
Sunt patrimonia pauperum, *tr. 8. d. 18. n. 17.*
Quidquid eorum impenditur ſuperfluè, ſacrilegè inſumitur, *ibid.*

*Bona temporalia.*
Indifferentia ſunt ad bonum & malum, *tr. 8. d. 19. n. 1. &c.*
Illorum utilitas à bono eorum uſu dependet, *ibid. 6. 7. &c.*
Bonis auxilio ſunt ad ſalutem, *ibid. n. 9. 10. &c.*
Nimius ad bona temporalia affectus reprobatur, *ibid. d. 20. n. 1.*
Ad bona opera & neceſſarium uſum noſtrum ſunt applicanda, *ibid. n. 14. & 15.*
Quo magis augentur, eò amplius amittuntur, *tr. 8. d. 14. n. 1. &c.* Inſidiis & periculis plena, *ibid.*
Semper annexam habent penſionem eleemoſynæ, *tr. 8. d. 16. n. 9.*
Ad ſufficientiam bona ſunt, ſuperflua condemnantur, *d. 10. n. 1. &c.*
Debent communicari pauperibus, quod ſi neglexerimus, fures ſumus, *ibid. n. 8. 9. &c.*
*V. Avaritia. Divitiæ.*

*Bonifacius Papa IX.*
Quid copulam carnalem ſibi ſuadenti reſponderit, *tr. 14. d. 11. n. 11.*

*Bos.*
Symbolum eſt ambitioſi, *tr. 3. d. 3. n. 6.*

*Booz.*
Ruth adoptavit in conjugem propter jejunium, ex qua ſtirps poſtea Davidica procreata fuit, *tr. 1. d. 9. n. 12.*

*Bucephalus.*
Regijs indutus ornamentis, nullum volebat ſeſſorem admittere præter Alexandrum, *tr. 3. d. 4. n. 9.*

*S. Cæcilia Virgo & Martyr.*
Divinum verbum prædicando, multum fructum attulit, *tr. 14. d. 10. n. 17.*
In rigoribus corporalibus magnum cordis ſui jubilum ſenſit, *tr. 16. d. 16. n. 1.*

*Calumniæ.*
Variæ calumniæ definitiones & diviſiones adducuntur, *tr. 12. d. 1. n. 1. & ſeqq.*
Ipſos quoque viros ſapientiſſimos & perfectiſſimos conturbant, *ibid. d. 1. per totum.*
Quod varijs eventibus comprobatur, *ibid.*
Ad calumnias ſolidè conſiſtere, & non moveri, difficile eſt & arduum: *ibid. n. 8. 9. 10. &c.*
Quod varijs exemplis comprobatur, *ib. uſque ad fin.*
Calumniæ non ſolum viros ſapientiſſimos conturbant, ſed & vulnerant eoſdem, *tr. 12. d. 2. per totum.*
Nec ſolùm corpus vulnerant, ſed & honorem calumniati dilacerant, *ibid. n. 10.*
Quâ ratione Spiritus Sanctus calumniam circumſcribat, *ibid. n. 11. & 12.*
Calumnias patienter ſuſtinere, non eſt datum omnibus, *tr. 12. d. 3. per totum.*
Quantum ſit eorum præmium, qui calumniam patienter ſufferunt, *ibid.*
Varia huius recenſentur exempla, *ibid. n. 7. & ſeqq.*
Calumniati exaltati, *ibid. n. 9. & ſeqq.*
Varii recenſentur Sancti, qui calumnias patienter devorarunt, *ibid. n. 9. & ſeqq.*
Salvatoris noſtri Deitas ex patienti calumniarum tolerantiâ convincitur, *ibid. n. 14. & 15.*
Exempla adducuntur Sanctorum, qui calumnijs divexati fuère, variarumque pœnarum, quibus calumniatores fuère caſtigati, *ibid. d. 4. per totum.*
Calumniæ Chriſto mortem intulerunt, *ibid. n. 27.*
Deus à calumnijs ſervos ſuos liberare conſuevit, *tr. 12. d. 5. per totum.*
Quod ex varijs Scripturæ locis oſtenditur, *ibid.*
Cur David & Suſanna calumnijs infeſtati, ad divinæ juſtitiæ tribunal appellârint; Naboth verò ijſdem oppreſſus ſubticuerit? *ibid. n. 2. & 3.*
Quod varijs exemplis illuſtratur, *ibid. n. 8. & ſeqq.*
Deus impoſturas acriter punit, *ibid. d. 6. per totum.*
Quod varijs confirmatur exemplis, *ibid.*
Sancti quidam recenſentur, qui ſub calumnijs patienter manſerunt, nec non alij, qui ab ijſdem fuerunt purgati, *tr. 12. d. 7. per totum.*
Calumniæ ſunt veluti calcaria, quibus calumniatus ad perfectionem ſubvehitur, *ibid. n. 1.*
Multi mediantibus calumnijs ad eminentes fuère dignitates ſubvecti, *ibid. n. 2. & ſeqq.*
Deus ſpeciali curâ ſervorum ſuorum perpeſſas injurias caſtigat, *ibid. n. 3.*
Calumniæ ab omni nos ſuperbiæ ſtimulo liberant, *ibid. n. 5.*
Optimum adverſus calumnias remedium eſt bonæ conſcientiæ teſtimonium, *ibid.*
Qui calumnijs impetitus virtuosè vivit, calumniatorem mendacem eſſe oſtendit, *ibid. n. 6. & ſeqq.*
Idque varijs exemplis dilucidatur, *ibid.*

*Canis.*
Adulatoris eſt ſymbolum, *tr. 2. d. 5. n. 6. & d. 10. n. 7.*
Cur ex providentia Dei comitatus fuerit Tobiam? *tr. 6. d. 16. n. 2.*

*Capilli.*
Albi quid denotent, *tr. 14. d. 18. n. 3.*

*Caput.*
Significat mentem interiorem, *tr. 1. d. 2. n. 11.*
Capitis unctio deſignat hilaritatem & promptitudinem animi, *tr. 1. d. 2. n. 10. & 11.* Intentionis ſinceritatem, *ibid. n. 12.* Et adulationem, *tr. 2. d. 3. n. 1. & 2.*

*Caro.*
Eſt hoſtis noſter infenſiſſimus, *tr. 1. d. 9. n. 4.*
Similis mancipio tyrannico, *ibid.*
Melius eſt carnibus moderatè veſci, quàm immoderatè leguminibus, *tr. 1. d. 2. n. 2.*
Cur Elias carnem ſine culpa comederit, & Abraham eamdem Angelis meritoriè appoſuerit, cum tamen in unico pomi eſu, & mellis guſtu, deliquerint Adam & Jonathas? *tr. 1. d. 2. n. 2. & 3.*
Carnes appetens populus Judaicus in deſerto, moritur, *tr. 1. d. 3. n. 8.*
De ſola carne agni Paſchalis legitur manducaſſe Chriſtus, *ibid.*
Chriſtus ſæpè piſces & panes, numquam carnes multiplicavit, *ibid. n. 9.*
Cur Chriſtus ſuos in deſertum ſequaces ſolo pane & piſce paverit? *ibid. n. 9.*
Vid. *Abſtinentia. Corpus. Jejunium. Mundus. Crapula. Cibus.*

*Carnis vitium.*
Generico malitiæ nomine appellatur, & quare? *tr. 13. d. 1. per totum.*
Cujusvis alterius iniquitatis origo exiſtit, *ibid.*
Homo carnalis ad quodvis peccatum committendum promptus eſt, *ibid. n. 11. & ſeqq.*
Varia quæ ex concupiſcentia carnali derivantur damna & mala conſiderantur, *ibid. d. 2. per totum.*
Carnis vitium ſive luxuria definitur, *ibid. n. 1.*
Deſcribitur homo luxurioſus, *ibid.*
Luxuriæ peccatum cujusvis legis rectitudini opponitur, *ibid. n. 2. & 3. &c.*
Multa ſecum damna affert, *ibid. n. 5. & ſeqq.*
Eſt ignis conſumens, *ibid. d. 3. per totum.*
Quod reali quodam caſu oſtenditur, *ibid. n. 4.*
Hujus ignis unica ſolum ſcintilla flammam quamdam inextinguibilem accendit, *ibid. n. 5. & ſeqq.*
Ab hoc igne totus mundus conflagrat, *ibid.*
Solus Chriſtus per naturam, & Maria per gratiam, ab hujus ignis uſtione fuerunt exempti, *ibid. n. 5.*
Ad hunc ignem extinguendum cœli cataractæ apertæ ſunt, *ibid. n. 6.*
Ne quis ab hoc igne ſuccendatur, procul ab eo recedere debet, *ibid. n. 9. & ſeqq.*
Hac de re variæ Sanctorum Patrum adducuntur ſententiæ, *ibid. & ſeqq.*
Ignis hic omnia devorat, *ibid. n. 15. 16. & 17.*
Homines carnales à Deo deſeruntur totaliter: Ubi & alij luxuriæ effectus recenſentur, *tr. 13. d. 4. per totum.*
Iidem omne notitiæ lumen amittunt, *ibid.*
Qui huic peccato vacat; animam ſuam ſterilem efficit, *ibid. n. 4*
Vitium carnis magnam cum idololatria conjunctionem habet, *tr. 13. d. 5. n. 6. & 7. &c.*
Varij qui hac in re contigerunt eventus, *ibid. n. 17. &c.*
Carnalium hominum Deus ſunt voluptates, *ibid. n. 8. 9. 10. & 11.*
Deliciæ carnales hominem à Deo alienum eſſe faciunt, *ibid. n. 12. & 13.*
Fidem in multis naufragari faciunt, *ibid. d. 6. per totum.*
Homines carnales nec Deum, nec Sanctos æſtimant, *ibid. n. 8. & ſeqq.*
Luxuria hæreſeos fomentum eſt, *ibid. n. 10. &c.*
Quod varijs hiſtorijs illuſtratur, *ibid.*
Superſtitiones magicæ ſuam a luxuria originem trahunt, *ibid. n. 20.*
Anima hominis carnalis, dæmonum nidus eſt, *tr. 13. d. 7. per totum.*
Magnam homo carnalis ad dæmonem relationem habet; *ibid. n. 2. &c.*
Per carnis illecebras dæmones animam incantant, ut illam devorent, *ibid. n. 7.*
Dæmon in hominibus carnalibus ſuaviter dormit, *ib. n. 11.*
Carnales illecebræ eſca ſunt, quâ dæmon animas capit & deprædatur, *ibid. n. 16.*
Magno dæmon hominem carnalem amore proſequitur; *tr. 13. d. 8. n. 3.*
Homines carnales mancipia ſunt dæmonis, *ib. n. 1. & ſeqq.*
Varij circa hoc eventus recenſentur, *ibid. n. 12. &c.*
Ut hoc vitium hominum animis inſerat, magnoperè curat; *ibid. n. 13. & 14.*
Hoc fine mulieribus tamquam aptiſſimis utitur inſtrumentis, *ibid. n. 18.*
Luxuria infernus quidam eſt, *tr. 13. d. 9. per totum.*
Qua de re horrendus adducitur caſus, *ibid. n. 7.*
Qui huic ſe vitio ſemel dedit, difficulter abindè eruitur; *ibid. n. 10. & ſeqq.*
Talis ſemper in præcipitij limine conſiſtit, *ib. n. 11. & 12.*
Per portas ad æternam mortem properat, *ibid. n. 15. & 16.*
Luxuria venenum ſuum ſub delectationis dulcedine abſcondit, *tr. 13. d. 10. per totum.*
Ingens eſt Dei offenſa, *ibid. n. 6.*
Pro unica delectatiuncula mors ſæpe homini conciliatur; *ibidem.*
Quod pulchrâ ſimilitudine declaratur, *ibid. n. 10.*
Libidinoſi ad ſolam vitam præſentem reſpiciunt, *ibid. n. 12.*
Animam ſuam minimè diligunt, *ibid.*
Cur vitium hoc fornicatio nuncupetur? *ibid. n. 11.*
Deus carnales homines ſeveriſſimè judicabit, *tr. 13. d. 11. per totum.*
Pulchræ adducuntur ad id ſimilitudines, *ibid. n. 5. & ſeqq.*
Supplicia hominibus carnalibus illata, *ibid. n. 11. & ſeqq.*
Quando Deus vitium iſtud non punit confeſtim peſſimum ſignum eſt, *ibid. n. 14.*
Etiam in hac vita ſæpè punitur, *ibid. n. 15. & 16.*
Quod varijs oſtenditur exemplis, *ibid. n. 16. & ſeqq.*
Cauſat totale populorum exterminium, *tr. 13. d. 12. per tot.*
Quod varijs Scripturæ locis probatur; *ibid. n. 2. & ſeqq.*
Varij de hoc eventus recenſentur, *ibid. n. 10. 11. 14. &c.*
Vitium carnis morbus eſt contagioſus; *tr. 13. d. 13. per totum.*
Felix eſt qui illud fugit, *ibid. n. 1.*
Varij caſus, in quibus luxuriæ contagio exprimitur, *ibid. n. 3. & ſeqq.*
Nemini parcit, *ibid. n. 11. & 17.*
Voluptates carnales vitam hominis abbreviant, *tr. 13. d. 14. per totum.*
Carnales pluribus quàm alij homines infirmitatibus ſubjiciuntur, *ibid. n. 4. & ſeqq.*
Aſſimilantur viperis, *ibid. n. 6.*
Eccleſia appetitus carnales per cinerum aſperſionem reprimere nititur, *ibid. n. 14.*
Infinitam Deo irrogant injuriam, *tr. 13. d. 15. per totum.*
Gravitas hujus peccati ex multis capitibus deducitur, *ibid. n. 5. & ſeqq.*
Vitium hoc infamiam ſecum adfert; *tr. 13. d. 16. per totum.*
Homines carnales abjecta ſunt animalia, *ibid. n. 3. & ſeqq.*
Vivunt quaſi nullam in ſe animam haberent, *ibid. n. 15.*
Deus vitium hoc præ cunctis alijs vitijs deteſtatur, *ibid. n. 19. &c.*
Vitium iſtud intellectum, judicium & rationem hominis excæcat, *tr. 13. d. 17. per totum.*
Homo carnalis ſemper eſt hilaris, *ibid. n. 16. & 17.*
De nullo alio quam de voluptate cogitat, *ibid. n. 20.*
Eſt appetituum ſuorum mancipium, *tr. 13. d. 18. per totum.*
Dæmon per voluptatem carnis prædam agit, *ib. n. 1. & ſeqq.*
Caſus hac de re adfertur, *ibid. n. 13. & 14.*
Carnalis homo nihil aliud operatur vel cogitat, quàm ut ſuos appetitus exatiare poſſit, *tr. 13. d. 19. per totum.*
Anima illius quaſi in carnem degeneravit, *ibid. n. 7.*
Nullum divinæ inſpirationes in illis fructum faciunt, *ib. n. 8.*
Voluptates carnales cor homini auferunt, *ibid. n. 10. & 11.*
Hoc vitium præ cæteris peccatis maximè Chriſti crucifixionem cauſavit, *ibid. n. 13. & 14.*
Impoſſibile ferè eſt, ut homo carnalis ad veram pœnitentiam perducatur, *tr. 13. d. 20. per totum.*
Unde omnis labor quoad illos adhibitus, irritus eſt & inanis, *ibid. n. 2.*
Varia hac de re exempla adducuntur, *ibid. n. 3. & ſeqq.*
Si quando ad pœnitentiam permoveantur, hæc inſtabilis erit, *ibid. n. 16.*
Confirmatur idipſum exemplis, *ibid. n. 20.*
Converſatio cum mulieribus homini lethifera eſt, *tr. 13. d. 21. per totum.*
Mulierum conſortium & converſatio varijs ex capitibus fugienda eſt, *ibid. n. 9. & ſeqq.*
Mulieres inſtrumenta ſunt, per quæ dæmon homines impugnat & vincit, *ibid. n. 9.*
Dæmon illis mediantibus conſolatur, *ibid. n. 10.*
Probatur exemplo, *ibid. n. 11.*
Sexus muliebris divinam juſtitiam fulminibus obarmat; *ibid. n. 12. 13. & 15.*
Mulier in cor hominis tyrannidem exercet, *ibid. n. 15. & 16.*
Magna corpori & animæ damna adfert, *tr. 13. d. 22. per tot.*
Caſus varij hac de re adducuntur, *ibid. n. 7. & ſeqq.*
Procul à mulieribus abeſſe debemus, *ibid. n. 9. 10. & 11. &c.*
Diverſæ hac de re ſimilitudines, *ibid.*
Mulieri vicinum eſſe, & tamen non labi, ingens miraculum eſt, *ibid. n. 14. & ſeqq. & d. 23. per totum.*
Hic ſexus ſolidiſſimas columnas demoliri & ſubvertere poteſt, *tr. 13. d. 23. per totum.*
Cauſa eſt omnium malorum, *ibid. n. 2. & ſeqq.*
Fugiendus eſt ille ſexus, *ibid. n. 11. & ſeqq.*
Caſus qui in hac re acciderunt, *ibid. n. 14. & ſeqq.*
Non ſufficit quod is qui cum mulieribus converſatur, bonam intentionem habeat, *ibid. n. 16. &c.*
Etiam ſanctiſſimi viri ceciderunt, quia hunc ſexum non declinaverunt, *tr. 13. & 14. per totum.*
Non eſt proprijs viribus fidendum illi, qui cum mulieribus converſatur, *ibid. n. 1. & 2.*
Quod ex varijs Scripturæ locis oſtenditur, *ibid. n. 4. 5. & 6.*
Exempla Sanctorum, qui etiam in decrepita ætate in hoc vitium inciderunt, *ibid. n. 6. & ſeqq.*
Phantaſmata & ſpecies objectorum, quæ vidimus, undarum inſtar mentes noſtras agitant, *ibid. n. 12.*
Varij de hoc caſus referuntur, *ibid. n. 13. & 14.*
Voluptates ſpinis ſunt ſimiles, *tr. 13. d. 24. per totum.*
Roſis aſſimilantur voluptates, *ibid. n. 4. & 5.*
Amores illiciti divinâ & humanâ lege caſtigati, *ib. n. 6. & 7.*
Priuſquam homo carnalis optatas aſſequatur voluptates, multas experitur miſerias, *ibid. n. 7.*
Carnales conſcientiæ puncturis & ſtimulis exagitantur, *ibid. n. 10. & d. 26. n. 14. & 11.*
S. Benedictus carnaliter tentatus, in ſpinis ſe volutavit, *ibid. d. 25. n. 14.*
Voluptates carnales amaritudinibus ſociatæ ſunt, *tr. 13. d. 26. per totum.*
Cum ſudore diſpendia & pericula inveſtigantur, *ib. n. 8. & 9*
Laſcivus eſt equus indomitus, *ibid. n. 12.*
Pulchra hujus rei ſimilitudo, *ibid. n. 15.*
In expletione appetituum carnalium laſcivus homo inſatiabilis eſt, *tr. 13. d. 27. per totum.*
Laſcivia etiam poſt mortem complacet, *ibid. n. 6.*
Laſciviæ gaudia momentanea ſunt & fugacia, *ibid. n. 8.*
Per breves voluptates ſemetipſos carnales ad pœnas inferni condemnant, *ibid. n. 10. & 11. &c.*
Remedia ad luxuriæ ignem extinguendum, *tr. 13. d. 28. per tot.*
Caſus varij referuntur, *ibid.*
Ignis ad hoc vitium extirpandum, optimum præbet remedium, *ibid.*
Ad reprimendam luxuriam utilis eſt ſepulchrorum inſpectio, *tr. 13. d. 19. per totum.*
Caſus hac de re cenſentur, *ibid. n. 5. & ſeqq.*
Vitium hoc per occaſionum fugam ſuperatur; *tr. 13. d. 30. per totum.*
Ex varijs Scripturæ locis idipſum oſtenditur, *ibid.*
Impoſſibile eſt, quod igni proximus non uratur, *tr. 13. d. 31. per totum.*
Quod per loca Scripturæ & exempla demonſtratur, *ibid.*
Qui à carne tentatur, & victor fieri deſiderat, occaſiones fugiat, *tr. 13. d. 32. per totum.*
Quod per varios caſus oſtenditur, *ibid.*
Procul abeundum eſt à locis, in quibus antea lapſi ſumus, *tr. 13. d. 23. per totum.*
Quod varijs Scripturæ locis convincitur, *ibid.*
Quamvis carnalitatis umbram & ſcopulum fugere debemus, *tr. 13. d. 14. per totum.*
Quod varijs Sanctorum exemplis probatur, *ibid.*
Cavendum ne nos impudicitiæ periculis exponamus, *tr. 13. d. 35. per totum.*
Quod ex varijs Sanctorum exemplis oſtenditur, *ibid.*
Vide V. *Mulier. Occaſio. Voluptas.*

*S. Carolus Borromæus.*
Quàm induſtriè ſuorum eliminaverit adulationem, *tr. 2. d. 11. n. 10.*
Nullos umquam in aula ſua pertulit præter bonæ conſcientiæ viros, *ibid. n. 10.*
Amabat reprehenſionem, *ibid.*
Quàm ſevere & rigidè jejunaverit, *tr. 1. d. 1. n. 13.*
Ejus dictum & ſententia circa pretium ſalutis animarum, *tr. 7. d. 12. n. 18.*
Amore lucrandi animas, congregationem inſtituit oblatorum, *tr. 7. d. 14. n. 8.*

Continuas Deo agebat gratias, quod in ſervitio divino in dies proficeret inter delicias & divitias, *tr* 8.*d*.30.*n*.13.

Quidnam circa blaſphemos obſervari præceperit, *tr*. 11 *d*.13. *n*.2.

Quanta cùm ſolicitudine Bacchanalia abolere conatus fuerit, *tr*.9. *d*.1.*n*.1.4. 8.9. & 10. & *d*.2.*n*.14. & *d*.6.*n*.9.

De ejus ad populum ſuum ſcriptâ Epiſtola Paſtorali, *tr*.21. *d*.17.*n*.12.

Introductam in cubile ſuum laſcivam mulierem in fugam conjecit, *tr*.14. *d*.29. *n*.6.

Quidnam fecerit, ut ſuis memoriam correctionis fraternæ inculcaret, *tr*.18. *d*.1. *n*.9.

*Carolus V. Imperator.*

Supplicatum ei fuit Norimbergæ, ut omnibus confitendi obligationem imponeret, *tr*.15. *d*.1. *n*.9.

*S. Caſimirus.*

Quo in pretio virginitatem habuerit, *tr*.14. *d*.11. *n*.13.

*Caſtitas, Caſtus.*

Nos Angelis facit æquales, *tr*.6. *d*.15. *n*.1. 2. &c.

In cœlo patria eſt caſtitatis, *ibid*. *n*.2.

Eam in nobis tuentur Angeli, *ibid*. *n*.5.6. *uſque ad* 17.

Remedia ad illam conſervandam, *ibid*.*n*.17. & 18.

Non poteſt ſubſiſtere ſine abſtinentia, *tr*.2. *d*.9. *n*.1. & 2.

Jejunium caſtitatis eſt fundamentum, *ibid*. *n*.2. Murus & propugnaculum pudicitiæ, *ibid*. *n*.3.

Phariſæus non eſt gloriatus de ſua caſtitate, propter jejunium, *tr*.1. *d*.9. *n*.11.

Per ſenſuum cuſtodiam adaugetur, *tr*.16. *d*.6. *n*.1.

Anima caſta & pura Chriſto deſponſatur, *tr*.14. *d*.1. *per totum*.

In hiſce nuptijs Virginitas adaugetur, *ibid*.

Variorum ſervorum Dei exempla, qui virginitatem illæſam conſervarunt, *ibid*.

In ſponſa Chriſti magna requiritur ſpeciei venuſtas, *ibid*. *n*.6. & *ſeqq*.

Pulchra inter capillos ſponſæ & ramos palmarum analogia exponitur, *ibid*. *n*.13.

Cœleſtis ſponſus gratam habet pudicitiam cum verecundia conjunctam, *ibid*. *n*.14.

Virgines gratiſſimæ ſunt Dei Sodales & comites, *tr*.14.*d*.2. *per totum*.

Virgines magnis à Deo favoribus honorantur, *ibid*. *n*.4. & *ſeqq*.

Virginitas fructus eſt Deo acceptiſſimus, *ibid*. *n*.13.

Inter hoſce ſponſos ſimillima intercedit conformitas, *tr*.14. *d*.3. *n*.1. & 2.

Virgines ſunt incorruptibiles, *tr*.14. *d*.3. *per totum*, *à n*.3. & *deinceps*.

Prærogativæ virginitatis, *ibid*. *n*.8.

Virginitas inſtrumentum eſt laudandi ſanctiſſimam Triadem, *ibid*. *n*.13.

Virginitatem ipſi quoque Gentiles venerantur, *ibid*.*n*.13.

Varij hujus venerationis eventus recenſentur, *ibid*. *n*.14. & *ſeqq*.

Virginitas ſuam è cœlo originem & progeniem trahit, *tr*. 14. *d*.4. *per totum*.

Virginum Pater Chriſtus eſt, *ibid*. *n*.6.

Virginalis pudicitiæ excellentiæ, *ibid*. *n*.8.9. & 10.

Virginitas Deum ad nos deſcendere fecit, *ibid*. *n*.11.

Virgines Angelis ſimiles exiſtunt, *tr*.14. *d*.5. *per totum*.

Virgines cives ſunt & domeſtici Dei, *tr*.14. *d*.5. *n*.4.

Virgines Angelorum amorem merentur & conſortium, *ibid*. *n*.5.

Varij illius veritatis recenſentur eventus, *ibid*. *n*.6. & *ſeqq*.

Virgines Angelis ſunt ſuperiores, *ibid*. *n*.15.

Caſtitas & virginitas baſis ſunt & fundamentum ſanctitatis, *tr*.14. *d*.6. *per totum*.

Varia epitheta virginitati attribuuntur, *ibid*. *n*.9. & *deinceps*.

Virginitas pignus eſt cœleſtis paradiſi, *tr*.14. *d*.7. *per totum*.

Continentes Dei viſionem merentur, *ibid*. *n* 1.

Epiſcopi cujuſdam hac in re Exemplum, *ibid*. *n*.3.

Nauſeandæ ſunt nuptiæ terrenæ, ut ad cœleſtes evehi mereamur; *ibid*. *n*.9.

Caſtitas vera ad cœlum via eſt, *ibid*.

Virgines in cœlo ſedes ex lapſu Luciferi vacuas adimplent, *ibid*. *n*.15.

Pudicitia virginalis viti comparatur, *ibid*. *n*.18.

Promiſſio continentibus à Deo facta, *ibid*. *n*.19.

Exemplum mulieris, quæ caſtitatis votum emiſerat, *ibid*. *n*.20.

Caſtitas animas velociter in cœlum tranſmittit, *ibid*.*n*.22. & *ſeqq*.

Virginitas ſemen eſt à cœleſti Agricola ſeminatum, *tr*.14. *d*.8. *n*.1.

Sapidiſſimos fructus producit, *ibid*.

Varia illius encomia, *ibid*.

Per hanc Dei & hominum benevolentia acquiritur, *ib*.*n*.2.

Virgines inſignia patrarunt miracula, *ibid*. *n*.8.

Latronis cujuſdam exemplum, *ibid*. *n*.9.

Virginum ſupplicationibus Deus facilè annuit, *ibid*.*n*.11.

Tentationes obvias facilè vincunt, *tr*.14. *d*.8. *n*.12.

Honeſtas virginalis Dei templum eſt, *tr*.14. *d*.9. *per totum*.

Caſtitas & verecundia virginalis Deo gratiſſimum eſt Sacrificium, *ibid*. *n*.5.

Virginitas cum interiori puritate conjuncta eſſe debet, *ibid*. *n*.7.

Templum virginale non profanatur per violentiam, *ib*.*n*.9.

Varia hujus veritatis exempla, *ibid*. *n*.11.

Caſtitas ad acquirendam divinorum myſteriorum cognitionem & notitiam plurimùm confert, *tr*.14. *d*.10. *per totum*.

Vita carnalis eidem notitiæ magnoperè obeſt, *ibid*.*n*.9. & 12. & *ſeqq*.

Virgines ſanctæ ſunt, *ibid*. *n*.16.

Virginibus titulus ſapientum attribuitur, *ibid*. *n*.18.

Variæ virgines ſine ulla prævia ſcientiarum diſciplinâ, in ijſdem tamen ſe eruditiſſimas fuiſſe probarunt, *ibid*. & *n*.19. & *ſeqq*.

Caſtitas quædam inæſtimabilis valoris gemma eſt, *tr*.14. *d*.11. *per totum*.

Caſtitas cum charitate conjuncta eſſe debet, *ibid*.

Chriſtus pro hac gemma comparanda dedit quidquid habuit, *ibid*. *n*.2.

Quanti Chriſtus candorem virginalem Matris ſuæ æſtimaverit, *ibid*.*n*.3.

Virginum Magnatum nuptias reſpuentium exempla, *ibid*. *n*.6. & *ſeqq*.

Virgines pro virginitate tuendâ flocci fecerunt tormenta, *ibid*. *n*.9. & *ſeqq*.

Caſtitas lilio aſſimilatur, *tr*.14. *d*.12. *per totum*.

Chriſtus in Nazareth concipi voluit, & cur? *ibid*.*n*.6.

Caſti & continentes aromatibus ſimiles ſunt, *ibid* *n*.8.

Varia Sanctorum corpora mirabilem ediderunt odoris fragrantiam, *ibid*. *n*.9. & *ſeqq*.

Duæ ſorores conciliato ſibi, ex induſtria fœtore ſuam conſervarunt virginitatem, *ibid*. *n*.14.

Ad Virginitatis cuſtodiam magnâ opus eſt diligentiâ & induſtria, *ibid*. *n*.12. & *ſeqq*.

Virginitas facillimè læditur & amittitur, *ibid*. *n*.19. & 20.

Virgines munimenta ſunt, quibus Eccleſia fortificatur, *ib*.*n*.21.

Status virginalis conjugali longè eſt ſuperior & præcellentior, *ibid*. & *d*.13. *per totum*.

Virgines ad ſerviendum Deo expeditiores ſunt & promptiores, *ibid*. *n*.5.

Utilitates ab hac virtute promanantes, *ibid*.

Virginitas quædam eſt beatitudinis arrha, *ibid*. & *n*.4.

Virgines in conſcientijs ſuis quietæ ſunt, *ibid*. *n*.6.

Exempla Virginum, quæ nuptias contempſerunt, *ibid*.

Sanctitas corporis & ſpiritûs inter ſe conjuncta eſſe debent, *ibid*. *n*.8.

Virgines apibus ſunt ſimiles, *ibid*. *n*.10.

Caſtitas à Spiritu Sancto recenſetur tamquam fructus duodecimus ſpiritûs, *ibid*. *n*.12.

Quàm ſit conſervatio caſtitatis difficilis, *tr*.14.*d*.14.*per totum*.

Omnibus connaturalis eſt concupiſcentia, *ibid*. *n*.1.

Increata Sapientia vitium carnis nobis binâ vice prohibuit, *ibid*. *n*.3.

Ad reſiſtendum tentationibus mulierum debiles ſumus, *Ibid*. & *n*.4. & *ſeqq*.

Vitium carnis inimicus eſt, qui mortem nobis machinatur, *Ibid*. *n*.10. & *ſeqq*.

Regis cujuſdam exemplum, *ibid*. *n*.18.

Caro continuum nobis bellum intentat, *tr*.14.*d*.15.*per totum*.

Vinci poteſt, ſed debellari non poteſt, *ibid*.*n*.2. & *ſeqq*.

Latera noſtra ſemper infeſtat, *Ibid*.*n*.4. & *ſeqq*.

Eſt contagium quod omnes inficit, *ibid*.*n*.5.

Venenum ſuum ſub delectationis dulcedine abſcondit, *ibid*.

Velut amicus blanditur nobis, *ibid*.

Concupiſcentia in omnem uſque perſonarum ſtatum ſe propagat; *ibid*. *n*.9.

Fortis eſt, magnamque meretur laudem qui concupiſcentiam vincit, *tr*.14. *d*.16. *per totum*.

Qui carnem ſuam vincunt, inter Martyres recenſeri merentur, *ibid*.

Sævus eſt belli conflictus, quem exindè patimur, *ibid*. *n*.2. & *ſeqq*.

Formidabiliora hujus prælij arma ſunt delectationes, *ib*.*n*.6.

Hic tyrannus hominem ex parte ſui debiliori aggreditur, *ibid*. *n*.8.

Dæmon ad victoriam obtinendam ſolis utitur blandimentis & lenocinijs, *ibid*. *n*.9.

Optima ad dæmonem vincendum armatura eſt continentia, *ibid*.*n*.10. & 11.

Continentia ſpeciale Dei donum eſt, *tr*.14.*d*.17.*per totum*.

Varij Sancti caſtitatem ſoli Deo in acceptis referebant, *ibid*.2. & *ſeqq*.

Admirabile opus eſt exercita in natura adeo fragili continentia, *ibid*. *n*.5.

Dicta Sanctorum Patrum de hac materia, *ibid*.*n*.7.8. & 9.

In infirmitate ſpirituali radix omnis mali tollenda eſt, *tr*.14.*d*.18. *per totum*.

Quilibet circa internam cogitationum cuſtodiam ſolicitus eſſe debet, *ibid*. *per totum*.

In antiqua lege non vetabantur malæ cogitationes, ſicut in nova, *ibid*.*n*.1.

Omne malum ab indiſciplinatis cogitationibus oritur, *ibid*. *n*.2.

Peccati venenum ſubitò ſentit, qui pravis cogitationibus locum cedit, *ibid*. *n*.3.

Malæ cogitationes ſerpenti ſunt ſimiles, *ibid*. *n*.4.

Malæ cogitationes pyratæ ſunt, theſauro pudicitiæ inſidiantes, *ibid*. *n*.12.

Adverſus laſcivas cogitationes remedium, *ibid*.*n*.14.

Qui caſtitatem zelant, in ſermone caſti & circumſpecti eſſe debent, *tr*.14. *d*.19. *per totum*.

Juvenes olim mulierum quantumvis ſanctarum hiſtorias audire prohibebantur, *ibid*. *n*.4.

Per verba obſcæna, mortalia conſcientijs noſtris vulnera infligimus, *ibid*. *n*.5.

Qui turpia verba loqui vel audire detrectat, in pudicitia ſtabilis eſt, *ibid*. *n*.6. & *ſeqq*.

Inhoneſti ſermones, Dei maledictiones poſt ſe trahunt, *ibid*. *n*.13.

Diverſa ad linguam refrænandam motiva, *ibid*.*n*.17. & 18.

Verum caſtitatis præſervativum eſt oculos coërcere, *tr*.14. *d*.20. *per totum*.

Difficile eſt objectum aliquod pulchrum intueri, nec tamen idem concupiſcere, *ibid*. *n*. 1.

Oculi laquei ſunt & retia, *ibid*. *n*.2.

Similitudo à cervo vulnerato deſumpta, *ibid*. *n*.2.

Ex unico oculorum incauto obtutu graviter periclitamur, *ibid*. *n*.3.

Mulieres dum vident & videntur, circumſpectæ eſſe debent, *ibid*. *n*.4.

Virgines Dei ab aliorum ſe oculis abſcondunt, *ibid*. *n*.7.

Documentum pro Virginibus, *ibid*.*n*.8. & 9.

Vera honeſtatis cuſtodia eſt ſolitudo, *tr*.14.*d*.21. *per totum*.

Sponſa Chriſti ſolitaria eſt veluti hortus quidam, *ibid*. *n*.2. & *ſeqq*.

Sapientum quarumdam mulierum exempla, *ibid*.*n*.7. 8. & 9.

Deus virginalem animam diligit, & quando, *ibid*.*n*.12.

Animæ caſtæ occaſiones, quibus earum candor obſcurari poteſt, fugere debent, *ibid*.

Greſſu teſtudineo incedere debent, *ibid*. *n*.16.

Virgines recluſæ magnum fructum afferunt, *ibid*. *n*.14.

Virginitas Mariæ in zelo Moyſis figuratur, *ibid*. *n*.15.

Maceratio corporis carnales refrænat appetitus, *tr*.14. *d*.22. *per totum*.

Caſtitas conjuncta eſſe debet cum vitæ auſteritate, *ibid*. & *d*.23.*n*.7. & *ſeqq*.

Argus ſis oportet, ſi caſtitatem conſervare cupis, *ibid*. *n*.4.

Virgo pudicitiam zelans, Deum aſſiduè in mente habere debet, *ibid*. *n*.11.

Caſtitas & ciborum lautitia ſe mutuò non compatiuntur, *ibid*. *n*.13.

Caſtitas inter delicias & ciborum affluentiam periclitatur, *tr*.23. *per totum*.

Sancti quid fecerint, ut appetitus carnales refrænarent, *ibid*. *n*.2. & *ſeqq*.

Per carnis macerationem cœlo vim facimus, *ibid*. *n*.7.

Appetitus carnales reprimendo, carnem ſpiritui ſubjicimus, *ibid*. *n*.9.

Exemplum illius adducitur, *ibid*. *n*.10.

Qui victoriam obtinere deſiderat, omnem à ſe affectum inordinatum excludat, *ibid*. *n*.11. & *ſeqq*.

Gula naufragium eſt caſtitatis, *tr*.14. *d*.24. *per totum*.

Invectiva adverſus vinum, quod pudicitiam periclitari facit, *ibid*.*n*.2. & *ſeqq*.

Exemplum illius, *ibid*.*n*.5.

Miraculum eſt, ſi quis inter continuata convivia caſtus permaneat, *ibid*.*n*.8. & *ſeqq*.

Gula mater eſt omnium vitiorum, *ibid*.*n*.9.

Gula & libido ad invicem connectuntur, *ibid*.

Documenta SS. Patrum in hac materia, *ibid*.*n*.11. & 12.

Ut caſtitatem cuſtodias ad orationem confugere debes, *tr*.14.*d*.25. *n*.1. & *per totum*.

Omnes motus & opera Virginum modeſtiam ſpirare debent, *ibid*.*n*.6. & *ſeqq*.

Virgines aſpernari munuſcula, & in verbis cautæ & circumſpectæ eſſe debent, *ibid*.*n*.9. & *ſeqq*.

Varia Scripturæ loca otij fugam ſuadent, *tr*.14.*d*.26. *per tot*.

Per carnis macerationem cultus caſtitati exhibetur, *ibid*. *num*. 10.

Exemplum illius adducitur, *ibid*. *n*.12.

Qui corpus ſuum flagellat, non odit, ſed diligit illud, *ib*.*n*.14.

Continentia & caſtitas cum humilitate & verecundia conjuncta eſſe debet, *tr*.14.*d*.27. *per totum*.

Omnis vanæ gloriæ & vanitatis ventus caſtitatem periclitari facit, *ibid*. *n*.4.

Turbatio Mariæ, humilitatis ipſius effectus fuit, *ibid*.*n*.6.

Verecundia certum eſt pudicitiæ indicium, *ibid*. *n*.7.

Mulierem pudicam in publico ſermones miſcere non decet, *ibid*. *n*.9.

Verecundia in Virginibus eſt velut torques aurea & monile pretioſum, *ibid*.

Varia illius recenſentur exempla, *ibid*.

Varia ſuggeruntur pro caſtitatis conſervatione remedia, *ibid*.*n*.10. & *ſeqq*.

Adverſus carnem pugnandum eſt ei, qui caſtitatem conſervare deſiderat, *tr*.14. *d*.28. *per totum*.

Idque non reſiſtendo, ſed fugiendo, *ibid*. *per totum*.

Varia illius exempla, *ibid*.

Varij Sancti mulieres fugientes, *ibid*.

Varia SS. Patrum hac de re effata, *ibid*.*n*.6.

Multa virginum corpora etiam poſt mortem ſuaviſſimum ſpiraverunt odorem, *ibid*.

Fuga glorioſam de carne victoriam reportat, *tr*. 14. *d*.29. *per totum*.

Caro inimicus noſter eſt, *ibid*. *n*.4.

Varij recenſentur Sancti, qui commercium cum mulieribus declinarunt, *ibid*. *n*.7.

Multis Scripturæ locis oſtenditur, quod fuga victoriam pariat, *ibid*.*n*.9. & *ſeqq*.

Etiam mater fugienda eſt caſto, *ibid*.*n*.13.

Qui occaſiones non fugit, pudicitiam interimit, *tr*.14. *d*.30. *per totum*.

Exempla diverſa, *ibid*. *n*.5.

Etiam fugienda eſt non neceſſaria cum mulieribus ſanctis converſatio, *ibid*.*n*.8. & *ſeqq*.

Sancti in cuſtodia caſtitatis ſudarunt, *ibid*.*n*.11. & 12.

Mulier ſcopulus quidam eſt, ad quem etiam viri Sancti allidentes corruunt, *tr*.14.*d*.31. *per totum*.

Etiam fortiſſimi in occaſionibus facilè labuntur, *ibid*.*n*.2. & *ſeqq*.

Quid multi Sancti fecerint, ne turpiter laberentur, *ibid*.*n*.6. *uſque ad finem*.

Sancti quantumvis Deo grati à carnis ſtimulo non eximuntur, *tr*.14.*d*.33. *per totum*.

Sancti ſecuritatem ſibi de carne non promittant, cum etiam adamantes ſanguine frangantur, *ibid*.*n*.4.

Unicus obtutus, vel unica littera amatoria viros etiam conſtantes præcipitat, *ibid*.*n*.4. & 5.

Quàm ſit potens ſexus fœmineus in dejiciendis viris quantumvis fortibus, *ibid*.*n*.9.10. & *ſeqq*.

Exemplis idem oſtenditur, *ibid*.

Eſt quaſi impoſſibile, ut homo mulieribus nimium familiaris non cadat, *ibid*.

Exempla adducuntur, *ibid*.

Valde circumſpectus eſſe debet qui cum mulieribus agit, aut ab ijs ſe tangi permittit, *tr*.14.*d*.33. *per totum*.

Quod Chriſtus hac in re egit, documento nobis eſſe debet, *ibid*. *per totum*.

Quàm cautè viri perfectiſſimi cum mulieribus converſati fuerint in V. Teſtamento, *tr*.14.*d*.34. *per totum*.

Varia Veteris Teſtamenti loca hunc in finem adducuntur, *ibid*. *per totum*.

Sancti N. Teſtamenti mulierum contubernium & ſocietatem ſolicitè declinarunt, *tr*.14.*d*.35. *per totum*.

Varia illorum exempla, *ibid*. *n*.7. & *ſeqq*.

*S. Catharina Virgo & Martyr Alexandrina.*

Quinquaginta Philoſophos confudit, *tr*.14. *d*.18. *n*.19.

*S. Catharina Senenſis.*

Calumnijs impetita, coram Chriſto Domino lamenta ſua expoſuit, *tr*.12.*d*.3. *n*.6.

Ex duabus ſibi à Chriſto oblatis coronis ſpineam elegit, *ib*.

Chriſtus eam in ſponſam ſibi elegit, *tr*.9.*d*.15.*n*.9.

In omnibus ſcientijs verſata fuit, *tr*.14.*d*.10.*n*.20.

Vulnus purulentum lambendo & ſugendo mundavit, *tr*.16. *d*.18. *n*.10.

*Cato.*

Quid reſponderit dicenti ſibi, quod alij perperam de ipſo loquerentur? *tr*.12.*d*.7.*n*.5.

*Cauda.*

Adulationis eſt ſymbolum, *tr*.2.*d*.1.*n*.1. & *d*.8. *n*.6.

*Charitas.*

Chriſtianorum convertit S. Pachomium, *tr*.5.*d*.4.*n*.17.

Signatur in vittâ coccineâ Raab, *ibid*.*n*.15.

V. *Amor. Chriſtiani*.

*Centurio.*

Evangelicus cur in principio diſtulerit perſonaliter venire ad Chriſtum,& poſteà tamen acceſſerit ? *tr.2.d.5.n.8.*

*Choreæ.*

Dæmones feſtivi tripudiant, *tr.9.d.5.n.11.*

Choreæ & tripudia honeſtatis ſcopuli & offendicula ſunt, *tr.9. d.5. per totum.*

Multorum ſunt malorum occaſiones, *ibid.*

Tripudia Herodiadis efficaciora fuerunt ad Herodem pervertendum,quàm amaroſa ejus lenocinia, *ibid.n.1.*

Varia ejuſmodi adducuntur exempla, *ibid. n.8.*

Chorearum author eſt diabolus, *ibid.n.10.*

Choreæ Deum offendunt, *ibid. n.10. & ſeqq.*

Modicæ ignis ſcintillæ eos, qui peregrinis induti veſtibus ſaltarunt,in cineres redegerunt combuſtos, *tr.9.d.6.n.11.*

Diabolus varios ſubingreſſurus eſt choreizantes,*ibid.d.7.n.7.*

Choreæ & tripudia in planctum ſæpè convertuntur, *ibid. d.9.n.3. & ſeqq.*

*Chriſma.*

Quare adhibeatur in Baptiſmo ? *tr.1.d.1.n.1.*

*Chriſtiani.*

Ut carnalibus voluptatibus potiri queant,ad diabolum confugiunt, *tr.13.d.6. n.6. & ſeqq.*

Dignoſcuntur per charitatem, *tr.5.d.4. n.15.*

Tantus quis eſt Chriſtianus, quanta ejus eſt charitas, *ibid.*

Antiquorum Chriſtianorum ſancti mores permoverunt Prætorem Siciliæ,ne occiderentur omnes, *ibid.n.16.*

Charitate ſua convertunt S.Pachomium, *ibid. n.17.*

V. *Amor.*

*S. Chriſtina.*

Ejus viſio, *tr.13.d.11.n.13.*

*Chriſtus.*

Cur poſt 40. dierum jejunium tentatus fuerit per nudum panem, & non per carnes, *tr.1. d.2. n.1.*

Præceſſit nos in jejunio velut medicus, *tr.1.d.3.n.5.*

Quare jejunaverit ? *ibid. n.6. & 13.*

Semel tantum legitur carnes manducaſſe, *ibid. n.7.*

Suo jejunio reparavit damna nobis illata per gulam protoparentum, *tr.1. d.3. n.13.*

Non niſi poſt jejunium, Angelorum obtinuit ſervitia, *tr.1. d.4. n.6.*

Propter ſtrictum ejus jejunium dæmon ſuſpicari cœpit, an eſſet Filius Dei, *tr.1.d.4. n.9.*

Per jejunium ſe probat eſſe Filium Dei, *ibid.*

Cur 40. tantum diebus jejunaverit ? *tr.1.d.4. n.10.*

Cur in cruce ſitierit, *tr.1.d.4.n.11.*

Quomodo in deſertum à Spiritu ductus, in virtute Spiritûs inde exiverit ? *tr.1.d 7. n.8.*

Cur non fuerit tentatus circa immunditiam? *tr.1.d.9.n.7.*

Quàm viriliter adulationi reſtiterit,*tr.2 d 1.n.10 & d.2 n.12*

Vocatur à diabolo Filius Dei,ut adulatione ineſcetur, *tr.2. d. 2. n. 1. & 5.*

Laudat Joannem, ſed non in faciem, *tr. 2. d. 2. n. 7.*

Detractoribus blandus, in adulatores ſeverus, *tr. 2. d. 7. n 13. & 14.*

Inter omnes virtutes maxima fuit ejus manſuetudo, *tr. 2. d. 8. n. 7.*

Cur Petrum acerrimè objurgarit immediatè poſt inſignem ejus de ſe confeſſionem ? *tr. 2. d 8. n. 9.*

Quantus fuerit adulationis hoſtis, *tr.2 d 8. n.9.& 10.*

Cur omnium ultimo tentetur in monte ? *tr.3.d 1.n.9.*

In quinque tantùm locis reperitur, ſed diverſimodè *ibid. num. 12.*

Quare diabolus redierit ad tentandum Chriſtum tempore Paſſionis, & non antè ? *tr.2. d.2. n. 3.*

Cur vendentes & ementes è templo ejecerit in ipſa Dominica Palmarum, *tr.2. d 8. n. 10.*

Cur Magos vocaverit ab Oriente ad ſui adorationem infans,cum tamen in virili ætate conſtitutus, Rex haberi recuſaverit ? *tr. 2. d 8. n. 11.*

V. *Dæmon.*

Cur in die Veneris mori elegerit ? *tr. 13. d. 19. n. 13.*

Per ſpinas præcipitiorum vias claudere conatur, *tr.9. d 17. num. 6.*

Chriſtus in Bacchanalibus à fidelibus ſuis crucifigitur, *tr. 9. d. 18. n. 5.*

Chriſti paſſionem meditando, ad voluptates fugiendas lumen acquiritur, *tr 9. d 17 per totum.*

Chriſtus Apoſtolos animaturus eiſdem aliquod gloriæ lumen in monte Thabor exhibuit, *tr.10. d 21 n 9.*

Chriſtus inter ſpinas, non verò inter flores reperitur, *tr. 10. d. 23. per totum.*

Chriſtus non niſi poſt Reſurrectionem ſuam mel guſtavit, *tr. 10. d. 25 n 7.*

Chriſtus flos eſt campi,non verò horti, *tr 10. d. 28. n. 7.*

Chriſtus in cœlum aſcendens, diſcipulos ſuos fratres appellavit, *tr. 10. d. 29. n. 1.*

Quantùm Virginitatem dilexerit, *tr.14.d.12.n.6.*

Duabus Virginibus ſubjectus eſſe voluit, *tr.14.d.7.n.14.*

Duobus animalibus in parabola uſus eſt ad convincendum Phariſæos, *tr.14. d.15. n.9.*

Chriſtus ex eo quod biduo in Samaria permanſerit, à Phariſæis hæreticus appellatus fuit, *tr.17.d.3.n.8.*

Tangendo leproſum,ſe lege ſuperiorem eſſe oſtendit, *tr.17. d.4. n.6.*

Agnitus eſt quod ſit Deus, & tamquam talis à pueris proclamatus fuit, *tr.17.d.1. n.13.*

In mundum venit, ut eos qui pro ipſo paterentur, conſolaretur, *tr.16.d.17. per totum.*

Eo ipſo inſtanti quo in cœlum aſcenſurus erat, collegium Apoſtolorum reprehendit, *tr.18. d.1.n.9.*

Famæ inimici ſui quoque conſuluit, *tr.20. d.4.n.9.*

Tradi potiùs quàm peccatum Judæ manifeſtare voluit, *tr.20.d.12.n.3.*

*S. Joannes Chryſoſtomus.*

Populum ſuum,ut à blaſphemia firmiter abſtineret, hortabatur, *tr.11.d.10. n.5.*

Numquam jurabat, *ibid. d.13. n.6.*

*Cibus.*

Ciborum delectationes abſtrahunt hominem ab uſu rationis propter duas cauſas, *tr.1.d.1.n.2.*

Ad cibos quaſi ad medicinas accedendum eſt, *ibid. n.3.*

Non cibus,ſed appetitus in vitio eſt, *tr.1.d.2. n.1. 2.3.*

V. *Caro. Crapula &c.*

*Cineas Orator.*

Interrogatus, quid ſibi de urbe Româ videretur, quid reſponderit ? *tr.10. d.5. n.20.*

*Codrus.*

Rex Athenarum,amore ſalutis ſuorum propriam ultrò proſtituit vitam, *tr.4.d.10.n.12.*

*Cæci.*

Deſignant eos, qui adulatione demulcentur, *tr.2.d.8.n.8.*

*Cœlum.*

Arcta ejus & anguſta via jejunium ſuadet, *tr.1.d.5.n.8.& 9.*

Ejus gloria ſignatur in monte Horeb, *tr.1.d.5. n.20.*

V. *Amor. Deus. Anima.*

Cœlum nullam amaritudinis ſiniſtram habet,ſed ſolam lætitiæ dexteram, *tr.10. d.7. n.10.*

Cœlum Empyreum omnium primo loco creatum fuit, *tr.10.d.1.n.16. & d.2. n.1.*

Homo mente ſemper in cœlo defixus eſſe debet, *d.2.n.8. & 9.*

Regnum Dei intra nos eſt, *ibid. n.14.*

Quàm amplum & immenſum ſit cœlum Empyreum, *tr.10. d.3. per totum.*

Terra in comparatione cœli Empyrei nonniſi punctum eſt, *ibid. d.4 n.5.*

Omnes cœli ſuam habent menſuram, excepto ſolo cœlo Empyreo, *ibid. n.1.2. & 3.*

Cur cœlum grano ſynapis aſſimiletur, *ibid. n.5.*

Ex terrenis bonis in cœleſtium bonorum notitiam devenitur, *tr.10. d.4. per totum.*

Cœlum omnium bonorum epilogus eſt, *ibid. n.1.*

Cœlum locus eſt deliciarum & amœnitatis, *ibid.n.5.6.& 7.*

Cœlum hortus & viridarium appellatur, *ibid.*

Deliciæ cœleſtes omnem noſtram imaginationem tranſcendunt, *ibid. n.17. & d.10. per totum.*

Muri & plateæ ejus ex auro pavimentatæ & fabricatæ ſunt, *ibid. d.4.n.10. & 11.*

Cœlum gemmæ aſſimilatur, *ibid. n.9. & 10.*

Cœli deliciæ exceſſivæ ſunt, & unde proveniant, *tr.10. d.8. per totum.*

Cœlum Empyreum malo punico aſſimilatur, *tr.10. d.12. num. 2.*

Cur Chriſtus cœlum negotiatori ſimile eſſe dixerit ? *tr.10. d. 14. n. 4.*

Aliud eſt idioma cœli,& aliud terræ hujus, *ibid.n.6.& ſeqq.*

In cœlo præter laudes & benedictiones nihil auditur, *tr.10. d.15.n.6. & ſeqq.*

Quam ſit ſtabilis cœli gloria, *tr.10.d 16. per totum.*

In cœlo nulla eſt ſenectus, *ibid. n.3.*

Terrena contemnit qui in cœlum oculos ſuos defigit, *tr.10. d.17. per totum.*

Quis ſit ſenſus verborum illorum : *Regnum cælorum vim patitur &c. tr.10. d.21. per totum.*

Legem Dei libenter ſuſtinet qui cœlum aſpicit, *tr.10.d.21. per totum.*

Chriſtus cœlum nobis ſub eodem onere donat, quo illud è cœleſti Patre accepit, *tr.10.d.23. per totum.*

Charitas cœlum nobis indicat, *tr.10.d.27. n.9. & ſeqq.*

Cur cœlum à Chriſto reti aſſimiletur? *tr.10. d.28.n.9.*

Nulli hominum conditioni cœlum clauditur, ſed omnibus pateſcit, *ibid. n.10. & ſeqq.*

Vid. V. *Beatitudo.*



*Cogitationes.* V. Verb. *Caſtitas.*

Cogitationes malæ mortem animæ adferunt, *tr.14.d.18. per totum.*

*Columba.*

A Davide deſcripta pallorem auri in dorſo refert, *tr. 10. d.25.n.14. & 15.*

*Comædia.* v. *Spectacula.*

*Communio Sacra.*

Cur prævium requirat jejunium Eccleſiaſticum & naturale, *tr.1.d.4.n 12.*

Cur potius ab Eccleſia præcipiatur, ut fiat in Paſchate, quàm alio anni tempore, *tr.1.d.7. n.6.& 7.*

*Concilia.*

Varias blaſphemantibus pœnas decernunt, *tr.11.d.6.n.5.*

*Confeſſio Sacramentalis.*

Ejus origo, *tr.15.d.1. per totum.*

Eſt neceſſaria eò quod innocentiam baptiſmalem minimè conſervemus, *ibid. n.2. & ſeqq.*

Cur de Chriſto hoc Sacramentum inſtituente dicatur : *Inſufflavit &c. ibid. n.4.*

Aſſimilatur mari, *ibid. n 10.*

Eſt locupletiſſimus Eccleſiæ theſaurus, *ibid. n. 7. & 8.*

Continet in ſe beneficium immenſum, *ibid. n.13.*

Eſt pons per quem itur ad cœlum, *ibid.*

In confeſſione magnum poſitum eſt lucrum, *tr.15. d.2. per totum.*

Videtur etiam in lege naturæ in uſu fuiſſe, *ibid.n. 3.*

Cur divina ſapientia modum confitendi mutârit, *ibid. n.5.*

Eſt ſalus animarum, *ibid. n.6.*

Eſt facilis nos à peccatis ſanandi modus, *ibid. n.8.*

Quovis loco & tempore nobis exhibetur, *ibid. n.9.*

Qui Deum offendit,duplex debitum contrahit, *ibid.n.11.*

Idipſum varijs ſimilitudinibus declaratur, *ibid. n.12.*

Hominibus delegata eſt abſolvendi poteſtas, *tr. 15. d. 3. per totum.*

Idque in magnum beneficium noſtrum, *ibid.n.5.*

Non eſt onus quod gravat, *ibid. n.7.*

Cur claves Petro conſignatæ fuerint, *ibid. n.10.*

In confeſſione benignè agendum eſt cum pœnitentibus, *ibid. n.15. & 16.*

Exemplum B.Ludovici Bertrandi, *ibid.*

Deus ſtatum Chaldæorum deflevit, *ibid. n.18.*

Cum timore ad hoc Sacramentum accedendum eſt, *ib.n.19.*

De differentia, quæ eſt inter hoc tribunal ſacrum & tribunalia ſæcularia, *tr.15.d.4. per totum.*

Confitendo inimicum noſtrum prævenire debemus, *ib.n.2.*

Per confeſſionem pœna & ſupplicium aboletur, *ibid. n.5.*

Peccatum huic judicio ſubjici debet, *ibid.n.8. & 9.*

Pœnitens confitendo majorem gratiam acquirit, *ibid. n.8.*

Ad hæc verba, *Abſolvo te*; Catenæ peccatorum dirumpuntur : Unde in noſtra eſt poteſtate ab illis catenis nos expedire, *ibid. n.10.*

Animæ confeſſione mediante candidæ & pulchræ fiunt, *tr.15. d.5. per totum.*

Pulchritudo animæ interior etiam in exteriori relucet, *ibid. n.4.*

Exemplum illius, *ibid.*

Animæ Deo dilectæ frequentes ſunt in confeſſione *ibid.*

Quid faciendum ſit animæ,ut Chriſto deſponſetur, *ibid.n.6.*

Similitudinibus declaratur, *ibid. n.8.*

Quàm ingens ſit pulchritudo, quæ in confeſſione acquiritur, *ibid.n.10. & 11.*

Pellit à corde omnem triſtitiam, *tr.15.d.6. per totum.*

Exemplis id oſtenditur, *ibid. n.1. & ſeqq.*

Effectus confeſſionis, *ibid. n.6.*

Qui confitendo conſcientiam exonerat,magnam in ſe quietem experitur, *ibid.n.7.*

Qui raró confitetur, in peccatis inveteraſcit, *ibid. tr.15.d.7. per totum.*

Qui in confeſſione loquitur, mortem timere non debet, *ibid. n.2.*

Nemo à confeſſione alienus eſſe debet, *ibid. n.3.*

Exemplis hoc declaratur, *ibid. n.9.*

Confeſſio ad tentationes ſuperandas vires miniſtrat, *ib.n.14.*

Varia in confeſſionis laudem epitheta, *tr.15.d.8. per totum.*

Varia bona à confeſſione derivantia recenſetur, *ib. per totum.*

Tempore Lutheri rariſſimus erat confeſſionis uſus, *ibid. n.4.*

Remedium contra hoc à Concilio Tridentino adhibitum, *ibid.*

A confeſſionis neglectu irreparabilia damna derivantur, *ibid.*

Confeſſio cœleſte quoddam eſt antidotum, *ibid.n.7.*

Confeſſio Sacrificium eſt, quod Deo nos reconciliat, *tr.15. d.9. per totum.*

Culpis mortem adfert, *ibid.n.1.*

Propitiam nobis reddit divinam clementiam, *ibid. n.5.*

Multa à nobis avertit ſupplicia, *ibid. n.6. 7. & 8.*

Meritum nobis conciliat & gratiam, *ibid. n.8. & 11.*



Damna per culpam nobis illata reſarcit, *ibid.n.10.& 11.*

Pœnitens ſæpè melior efficitur animâ innocente, *ibid.n.12.*

Per confeſſionem ſpes noſtra reviviſcit, *ibid. n.13.*

Eſt via regia ad cœlum, *ibid.n.15. & ſeqq.*

Confeſſio dæmonis vires debilitat, *tr.15.d.10. per totum.*

Per hanc de inimico triumphamus, *ibid.n.1.& 2.*

Quidnam energumena ſub Exorciſmo reſponderit, *ibid.n.4.*

Qui confeſſionem negligit,in dæmonis eſt poteſtate conſtitutus, *ibid.*

Exempla hujus, *ibid. & n.9.*

Deum offendens lumen rationis & intellectus amittit, *ib.n.9*

Confeſſio nos Dei filios efficit, *ibid. n.11.*

Dæmon nos omni conatu a confeſſione avertere nititur, *tr.15. d.11. per totum.*

Per confeſſionem omnes dæmonis incantationes deſtruuntur, *ibid. n.3.*

Exemplum illius, *ibid. n.4.*

Qualiter ab inſultibus diaboli nos defendere debeamus, *ibid. n.7.*

Quo fine inſtituta fuerit confeſſio, *ibid. n.9.*

Juventus ſæpè confiteri debet, *ibid. n.12.*

In confeſſione cavendum eſt, ne confuſionem faciamus, *ibid. n.13.*

Confeſſio animas vivificat, *ibid. n.16.*

Variæ ad bonam confeſſionem circumſtantiæ requiruntur, *tr.15.d.12. per totum.*

Debet eſſe ſpontanea & ſincera, *ibid. n.2.*

Exprimere debet conditiones aggravantes, *ibid. n.4.*

Pœnitentia appellatur victima, *ibid.*

Sperare debet veniam qui culpas ſuas clavibus ſubjicit, *ibid.n.6.*

Gradus confeſſionis, *ibid. n.7.*

Culpas noſtras accuſandi modus, *ibid. n.8.*

Integra eſſe debet, *ibid. n.10.*

Cum dolore debet eſſe conjuncta, *tr.15. per totum.*

Purgare volens conſcientiam, in aqua compunctionis eamdem lavare debet, *ibid.n.1. & 2.*

Compunctio linguam laxat ad confitendam culpam, *ib.n.2.*

Qui culparum ſuarum gravitatem non agnoſcit, dolorem concipere nequit, *ibid.n.3.*

Et exiguum ex confeſſione fructum percipit, *ibid.n.4.*

Varia monita ad confeſſionem ritè inſtituendam pertinentia, *ibid.n.6. & ſeqq.*

Conſiderationes quas pœnitens facere debet, *ibid. n. 10. & ſeqq.*

Firmum debet habere propoſitum pœnitens culpam confeſſam non reiterandi, *tr.15. d.14. per totum.*

Bonæ contritionis vera indicia, *ibid. n.4. & ſeqq.*

Qui omnem fugit occaſionem,ſecuram ſibi preparat victoriam, *ibid. n. 8.*

Certum firmi propoſiti indicium, *ibid. n.11.*

Manifeſtandus eſt Sacerdoti integer conſcientiæ ſtatus, *tr.15. per totum.*

Vulnera detegat,qui illa ſanari deſiderat, *ibid. n.5.*

Culpam ſuam detegens, magnas ſibi comparat utilitates, *ibid. n.10.*

Peccata manifeſta ſepeliuntur, *ibid. & ſeqq.*

Confeſſio mari aſſimilatur, *ibid. n.13.*

Ex reticentia culparum multa damna ſequuntur, *tr.15.d.16. per totum.*

Non eſt in confeſſione mentiendum, *ibid. n.1. & 2.*

Qui peccatum excuſat, mortem animæ conciliat, *ibid. n.4.*

Peccata excuſans valde reus efficitur, *ibid.n.5.& ſeqq.*

Peccata graviora excuſationem ſemper habuerunt annexam, *ibid. n.10.*

Impudentes ſunt qui peccata excuſant, *ibid. n.12.*

Optimum ſignum eſt,dum quis peccata non excuſat, *ib.n.14.*

Qui excuſationes adfert,dæmonem exhilarat, *ibid.n.16.*

Peccata excuſantes ſacrilegium committunt, *ibid. n.18.*

Quantæ ſit utilitatis ſincerum conſcientiæ examen, *tr.15. d.17. per totum.*

Quâ ratione illud inſtitui debeat, *ibid.n.1. 2. & 3.*

Qui examen hoc debito modo inſtituit, Chriſtum Salvatorem eſſe experietur, *ibid. n.4.*

Qui illud non præmittunt, ſunt vitioſi, *ibid. n.5.*

In his inimici inſidiæ pedem figunt, *ibid.n.6.*

Conſcientiæ rectum examen unum eſt ex arduiſſimis hominis negotijs, *ibid.n.10.*

Quam ſint homines in hoc examine negligentes, *ibid.n.11.*

Conſcientiæ liber eſt omni cum ſtudio à nobis legendus, *ibid. n.14.*

Qui confeſſionem nauſeant, reprehenſione digniſſimi ſunt, *ibid.n.11.& 12. & tr.15. d.18. per totum.*

Pœnitentia eſt quædam arca depoſiti, *ibid.n.3.*

Stultitia eſt,theſauris ſuis uti nolle, *ibid.n.5.*

Cur Chriſtus ad hoc lavacrum exquirendum nos extimulaverit ? *ibid. n.5.*

Exemplum, ibid.n.6.
Erubeſcentia linguam alligat, tr.15.d.19. per totum.
Quanta animæ damna adferat, ibid. n.3. & ſeqq.
Verecundia nobis fræni loco eſſe debet,ne peccemus,ib.n.8.
Erubeſcentia ex peccatis concepta Deo grata eſt, ibid.
Mediante confeſſione erubeſcentia gratiam parit & gloriam, ibid.n.9.
Pœnitens Regis titulo honoratur, ibid.n.11.
Varijs Scripturæ locis id confirmatur, ibid. & n.12.
Per confeſſionem honoratur & glorificatur Deus, ibid.n.14.
Pœnitentibus Angeli ſerviunt, ibid. n.15.
Peccata confeſſa ſplendidiſſimam Deo veſtem faciunt, ibid.n.16.
Erubeſcendum eſt dum peccata committimus, non verò dum illa confitemur, ibid. & tr.15.d.20. per totum.
Verecundia hæc aſtutiæ diabolicæ opus eſt,ibid.n.6.
Nullum dari poteſt neglectæ confeſſionis motivum, ib.n.9.
Laudabilis eſt erubeſcentia dum culpæ accuſantur, tr.15. d.21. per totum.
Rubori opponitur confeſſionis utilitas, ibid.n.5.
Magni à Deo æſtimatur, ibid.n.6.
Per verecundiam fit ſatisfactio pro peccatis, ibid. n.8.
Supplicia ijs qui præ verecundia peccata reticent, comminata, ibid.n.12.
Hodiè evanuit verecundia, dum mali homines de peccato gloriantur, ibid.n.14.
Sanctiſſima Trinitas contritionem præ cunctis alijs maximi facit, tr.15. d.22. per totum.
Hac mediante anima Deo approximat, ibid. n.2.
Unicus contritionis actus omnem pœnam abolere valet, ibid. n.3.
Contritio mare quoddam eſt, in quo omnes iniquitates noſtræ ſubmerguntur, ibid. n.4.
Exempla, ibid.
Contritio omnem in Deo abolet offenſæ memoriam,ib.n.7
Similitudo, ibid.
Per contritionem quodvis proſternitur idolum, ibid. n.9.
Contritionis Ethymologia & definitio, ibid. n.10.
Multæ requiruntur conditiones ad hoc ut dolor ejus ſit validus, tr.15.d.23. per totum.
Non enim a timore ſervili procedere debet, ibid.n.4.
Cum ſpe veniæ conjunctus eſſe debet, ibid. n.10.
Actus perfectæ contritionis facilis & difficilis eſt, ibid.n.11.
Eſt donum Dei, ibid.
Nullus à naturali conſcientiæ lumine eſt exemptus, tr.13. d.24. per totum.
Quantò conſcientia purior eſt, tantò magis ad lumen Dei recipiendum eſt diſpoſita, ibid.n.1.
Conſcientiæ remorſus director noſter eſt, ibid. n.3.
Diverſis ſervit ad ſupplicium, ibid.n.4. & ſeqq.
Similitudo, ibid.
Eſt tutor & cuſtos animæ, ibid.n.7.
Peſſimum ſignum eſt, ſi quis hoc remorſu careat, ibid.n.10.
Similitudo, ibid.
Mala conſcientia etiam in ſummis delicijs nos cruciare non deſinit, tr.15. d.25. per totum.
Eſt virga, quâ continuò percutimur, ibid. per totum.
Eſt infernus quidam portatilis, ibid.n.2.
Rea conſcientia continuam adfert perturbationem, tr 15. d.26. per totum.
Eſt vultur cor hominis continuò dilanians, ibid.
Exempla hujus veritatis, ibid. n.5. & ſeqq.
Eſt judex torquens animam, ibid. n.8. & 9.
Cauſat alia tormenta, ibid.
Infernus cenſeri poſſet tolerabilis, ſi hic vermis in eo non eſſet, ibid. n.13.
Pœnitentes bono duce indigent.
Confeſſarios doctos & prudentes eligere debent, ibid. n.1.
Confeſſarij ignorantes ſunt diaboli Medici, ibid. n.2.
Conditiones boni Confeſſarij, ibid.n.4. & ſeqq.
Confeſſarij irreprehenſibiles & docti eſſe debent, ibid. n.11. & ſeqq.

*Confeſſarius.*
Vide tr.13. d.27. per totum.

*Conſcientia.*
Bona ſignatur in oleo, tr.2.d.3. n.3.
Vide tr.15.d.24.& 25. per totum, & tr.16.d.5.n.7.& 14.

*Conſiliarij.*
Quales debeant adhiberi à Principibus, tr.2.d.4.n.7.

*Conſolationes ſpirituales.*
Deus pro ſe laborantibus conſolationes ſubminiſtrat, tr.16. d.1. per totum.
Varij varias à Deo conſolationes acceperunt,ibid. n.4.& 5.
Jugum Chriſti onus eſt,ſed ſuave, ibid. n.6.
Deliciæ quibus nos Deus demulcet, in multiplicitate conſolationum ſpiritualium conſiſtunt, tr.15.d.2.per totum.
Sunt ſimiles mannæ, ibid.n.2.
Explicari nequeunt, ibid. n.3.
Omnem voluptatem ſuperant, ibid.
Unica tantum ſtilla pelagus indulcorat tormentorum, ibid. n 4.
Deus gaudet affici titulo,ſuavis, tr.16. d.3. per totum.
Talem ſe in ſuo in mundum adventu exhibuit, ibid.n.1.
Conſolationes ſpirituales præludia ſunt gaudiorum beatorum, ibid. n. 7.
Incomparabiliter majora erunt gaudia animæ beatæ in cœlis, ibid.
In quo conſiſtat centuplicata retributio à Chriſto promiſſa, ibid. n.8. & ſeqq.
Nonnumquam caro & ſpiritus ſimul gaudia cœleſtia participant, tr.16. d.4. per totum.
Idque rationibus naturalibus oſtenditur, ibid. n.2.
Similitudine idem declaratur, ibid. n.4.
Exemplo idem oſtenditur, ibid.n.5.
Gaudium animæ in vultu nonnumquam relucet,ibid. n.6.
Conſolationes ſpirituales in minera cordis abſconduntur ab oculis noſtris, tr.16. d.5. per totum.
Qui illis fruitur, ſeveritatem in vultu exhibere, & tamen interius jucundus eſſe poteſt, ibid. n.4.
Deſolati illis magis perfunduntur quàm alij, ibid. n.6.
Qui bonam habet conſcientiam, intra ſe regnum Dei poſſidet, ibid. n.8.
Per modicos labores gaudia æterna deguſtantur, ibid.
Bona conſcientia lauto convivio aſſimilatur,tr.16.d.6.per tot.
Conſcientia bona mollis eſt lectus, quietis floribus reſperſus, ibid.n.2. & 3.
Eſt crater aureus, gemmis diſtinctus, ibid. n.4.
Servi Dei dulcedine ſpiritûs inebriantur, ibid.
Calix paſſionis crater eſt, è quo vinum conſolationum deguſtatur, ibid. n.6.
Vinum iſtud convivas lætificat, ibid.
Conſcientia bona eſt hortus deliciarum, ibid. n.7.
Convivium hoc lacte & melle abundat, ibid. n.8.
In hoc convivio fel & abſynthium in nectar convertuntur, ibid. n.9.
Juxta menſuram paſſionum conſolationes adaugentur, ibid.& tr.16.d.12. per totum.
Multa bonæ conſcientiæ encomia, & varij effectus, qui ab illa derivantur, exponuntur, tr.16.d 7. per totum.
Inter regnum cœlorum & bonam conſcientiam modica eſt differentia, ibid. n.1.
Ejus puritas animam beatam efficit, ibid.
Eſt anchora ſecuritatis, ibid. n.2.
Deum non timet ſerviliter,qui bonam habet conſcientiam, ibid. n.2. & 3.
Eſt portus navigationis noſtræ, ibid. n.3.
Eſt moralis ædificij fundamentum & tectum, ibid.n.3.
Varia epitheta quæ ei attribuuntur, ibid. n.4.
Eſt ager, in quo abſconditus latet theſaurus Evangelicus, ibid. n.6.
Idem ſimilitudinibus illuſtratur, ibid. n.6. & 7.
Eſt lectus dulcis quietis, ibid. n.9.
Veræ lætitiæ capax non eſt, qui Deum non habet, tr.16. d.8. per totum.
Omnis lætitia, quæ extra Deum habetur, labilis eſt,ib.n.2.
Gaudium ſpirituale deſcribitur, ibid.n.3.
Gaudium ſpirituale ſtabile eſt & firmum, ibid.
Differentia quæ eſt inter lætitiam ſpiritualem & mundanam, ibid.n.5. & ſeqq. & d.9.n.2.
In his mundi bonis non eſt vera conſolatio, d.8. n.6.
Anima juſta ex diverſis capitibus gaudere debet, ib.& n.7.
In ſatisfactione appetituum ſenſualium non eſt verum gaudium, tr.16.d.9. per totum.
Mundus verum gaudium dare nequit, ſed gaudium ejus fictum, apparens, & inſtabile eſt, ac triſtitia & remorſu permixtum, ibid. per totum.
Qui in mundi voluptatibus gaudium quærit,decipitur, ibid. n.1. 2. & ſeqq.
Cur Deus mundum hunc tot ſentibus & tribulis plenum creaverit, ibid.n.6.
Delectationes carnis apparentes ſunt, ibid.n.3. & 4.
Bona ſpiritualia temporalium nauſeam pariunt,ib.n.4.& 8.
Lex gratiæ longè ſuavior eſt Moſaicâ,tr.16.d.10. per totum.
Manna conſolationum cœleſtium ſuper Chriſtianos depluit, ibid. n.5.
In vinea Evangelica ſoli laborantes mercedem accipiunt, ibid. n.7.
Qui ultrò & voluntarie ſe jugo Dei ſubmittit,tamquam ſe jugi omnis expertem inveniet, ibid. n.8.
Chriſtiani in via Dei magnam habent prærogativam,ib.n.9
Qui Deo ſerviunt,& legem ejus, quæ eſt amoris, obſervant,lætitiam in ſeipſis experiuntur; ijsque ad jugum Evangelicum portandum, auxilia & conſolationes ſubminiſtrantur, tr.16. d.11. per totum.





Servitus quæ Deo exhibetur, libera eſt, ibid.n.1.
Amor quo Deo ſervimus, acceptus eſt illi, ibid.n.2.
Lex divina lex eſt amoris, ibid.n.3.
Jugum legis Dei non ſoli portamus, ibid.n.6.
Jugum hoc animam ab omni vitio liberam reddit,ibid.n.8.
Qui viam Dei ingreditur, ad conſolationes ſpirituales invitatur,& in praxi illius illam non aſperam, ſed ſuavem eſſe experitur, tr.16.d.12.per totum.
Per conſolationes ſpirituales magnum lumen acquiritur, ibid.n.5.
Exemplum illius, ibid.n.6.
Cur ſe tot homines à ſequela Chriſti ſubducant? ibid. n. 8.
In hoc mundo roſæ ſine ſpinis nõ colliguntur,tr.13.d.13.n.1
Conſolationes terrenæ à divinis multùm differunt, tr.16. d.13.per totum.
Gaudia mundi in præcipitio terminantur, ibid.n.4.
Exemplum illius, ibid.n.5.
Juxta menſuram bonorum & deliciarum, quibus renuntiavimus,gaudium magnum erit, ibid.n.6.
Gaudia mundana numquam ſatiant, ibid.
Magnum onus portat qui mundum ſequitur, ibid.n 8.
Deo placet qui in virtutibus aſſiduè ſe exercet, ibid.n.10.
In deſerto pœnitentiæ Deus Manna depluit conſolationum, ibid.
Palatum impiorum non eſt diſpoſitum ad guſtandum Manna cœleſtium conſolationum, tract.16.d.14. per totum.
Ad illas deguſtandas pura conſcientia requiritur, ibid.n.3.
Qui plenum habet ſtomachum, illis frui nequit,ibid.n.6.
Per fletum & lachrymas acquiruntur, ibid.n.7.
Verum gaudium ex bona conſcientia naſcitur,ibid.n.8.
Gaudia mundana cœleſtia impediunt, tr.16.d.15.per totum.
Sequaces mundi febricitant, ibid.n.2.
Meritò timendum eſt ei,qui in hoc mundo ſæculariter gaudet, ibid.n.4.
Unica mundani gaudij ſtilla gaudium ſpirituale conturbat, ibid.n.5. & 6.
Gaudiorum cœleſtium manna ne quidem extremis labris mundanis guſtatur, ibid.n.7.
Quàm ſint pernitioſæ conſolationes mundanæ, ibid.n.8.
Auſteritates & rigores gaudia parturiunt, tr.16.d.16.per totum.
Quantò magis quis à mundo ſpernitur, tantò abundantius à Deo conſolatur,ibid.n.1.
Fructus,qui ab auſteritate vitæ percipiuntur, ibid.& ſeqq.
Varia illius exempla, ibid.n.2.
Inter favos & flagella vera probantur gaudia, tr. 16.d.17. per totum.
Cum Chriſto pati,magnum eſt ſolatium, ibid.n.1.
Fletus & lachrymæ magnum adferunt ſolatium, ibid.n.3.7.
Exempla adferuntur, ibid.n.4. & ſeqq.
Quantò plùs patimur, tantò magis conſolamur, tr.16.d.18. per totum.
Inter proſperitates mundanas conſolationes divinæ deficiunt, ibid.n.4.& ſeqq.
Paſſiones voluntariè ſuſtineri debent,ibid.n. 6.& 7.
Juxta menſuram paſſionum conſolationes quoque abundabunt, ibid.n.8.& 9.
Exemplum illius, ibid.n.10.

*Conſortium bonum vel malum.*
Conſortium homini eſt connaturale, tr.17.d.1.per totum
Judicio opus eſt in ſelingendis ſodalibus, ibid.n.5.
Conſortium magnam vim habet ad imprimendos bonos vel malos mores, ibid.
Non debemus nimium faciles eſſe in contrahenda amicitia, ibid.& n. 6.
Magnam habet mala ſocietas efficaciam ad hominem pervertendum, tr.17.d.2. per totum.
Corrumpit bonos mores, ibid.n.1.
Prohibitum fuit Iſraelitis cum ſacrilegis converſari, ib.n.2.
Ex malo conſortio quinque mala naſcuntur, ibid.n.3.
Ad hoc ne quis in vitia incidat, bonam habere voluntatem non ſufficit, ibid.n.5.
Societas prava ad quævis peccata frænum laxat, ibid.n.6.
Eſt toxicum,quo ſemel imbuti pauci ſanantur,ibid.n.9.
Qui malam declinat ſocietatem,in cœlum graditur, ib.n.10.
Sæpe etiam virtuoſi & ſancti cum malis converſando pervertuntur, tr.17.d.3.per totum.
Prava ſocietas eſt malum contagioſum, ibid.n.3.& 4.
Diverſi ob malam ſocietatem ceciderunt, ibid.n.6.
Unicus tantùm magnum in collegio Apoſtolico damnum cauſavit,ibid.n.9.
Miraculum eſt,ſi quis inter malos bonus permaneat, tr.17. d.4. per totum.
Ad hoc opus eſt particulari Dei aſſiſtentia, ibid.n.2.& 3.
Si quis inter malos bonus perſeveret,magnum edit ſanctitatis indicium, ibid.n.4.
Quia ſpeciale opus eſt divinæ potentiæ, ibid.
Plus quam homo eſt, qui inter malos illæſus permanet, ibid.n.6.
Timenda eſt ſocietas malorum, ibid.n.7.
Solius divini ſolis eſt non recipere maculas, ibid.n.9.
Bonos à malis perverti facilius eſt, quàm quod mali per bonos reddamur meliores, tr.17.d.5.per totum.
Similitudinibus id declaratur,ibid.n.4.
Cum malis converſando homo virtutem & ſpiritum amittit, ibid.n.7.
Similitudo contra Fulgentium hæreticum adducta, ib.n.8.
Religioſis cavenda eſt cum ſæcularibus nimia converſatio, ibid.n.10.
Spinæ bonum ſemen ſuffocant, ibid.n.11.
Ex ſocietate bonorum cum malis multa & gravia mala ſequuntur, tr.7.d.6.per totum.
Varia SS.Patrum hac de re monita, ibid.n.2.& ſeqq.
Exemplum de filio quodam ſpirituali, ibid.n.5.
Qui cum malis commercium habet, iiſdem cum illis involvitur ſupplicijs, ibid.n.6.
Varia Scripturæ loca ad idem intentum, ibid.& n.ſeqq.
A pravis ſodalibus mali mores diſcuntur,tr.17.d.7.per totum.
Inde erga devotionis exercitia horror concipitur, ibid.n.7.
Bona fama exinde amittitur, ibid.n.9.
Per zizania homo perverſus intelligitur, ibid.
Exinde lumen Dei in nobis extinguitur, ibid.n.10.& ſeqq.
Compaſſionem non meretur qui cum malis converſando in præcipitium ruit, n.12.
Mala ſocietas venenoſum eſt contagium, tract.17.d.8.per totum.
Ad ſolos malorum mores aër inficitur, ibid.n.2.
Unicus qui peſte laborat,integrum populum inficere ſufficit, ibid.n.3.
Dæmon per hoc venenum perditionem machinatur animarum, ibid.n.7.
Hujus veneni antidotum eſt fugere converſationem,ibid.n.8 & 9.
Omnis cauſa removenda, ibid.n.11.
Malus unicus multos bonos contaminat, tr.17.d.9.per totū.
Unicus Judas in collegio Apoſtolico Chriſto timorem incuſſit, ibid.n.3. & ſeqq.
Unica ſcabioſa ovis totum gregem corrumpit,ibid.n.8.
Propter unum ſæpè multi caſtigantur, ibid.
Mali ſodales inſtrumentum ſunt diaboli, ibid. & tract.17. d.10.per totum.
Et filij ejus, ibid.n.6.
In quorum medio diabolus reſidet, ibid.n.7.
Amicus impius ad hominem pervertendum potentior eſt ipſomet diabolo,ibid.n.8.& 9.
Ex converſatione & ſocietate noſtra, quales ſimus, facilè conjicitur, tr.17.d.11.per totum
De eo, qui cum malis ſemper converſatur,malum ſuſpicari,non eſt temerarium judicium,ibid.n.1.
Varia Scripturæ loca, ibid.& n.2.
Magnâ virtute & perfectione præditus eſſe debet, qui malos convertere ſatagit,ibid.n.7.
Similitudo ad idem intentum, ibid.
Phariſæi Chriſtum cum publicanis converſari videntes,adverſus ipſum murmurabant,ibid.n.8.
Ad imitationem Sanctorum à perverſis nos ſequeſtrare debemus, tr.17.d.12.per totum.
Illi tamquam membra putrida à nobis præſcindenda ſunt, ibid.n.1.
Sic amittendo amicum lucramur Deum, ibid.n.2.
Quid nobis faciendum ſit, ut à contagio malorum liberemur, ibid.n.3 & 4.
Juvenes facilè pervertuntur, ibid.n.7.
Cogitationes bonæ à malorum ſocietate evaneſcunt,ib.n.8.
Peccata quæ ex mala ſocietate proveniunt, paſſionis Chriſti cauſa fuerunt, ibid.
Qui divino cultui dedicatus eſt,malos fugere debet, ib.n.10
Mali fugiendi ſunt, ut bonorum utilitatem experiantur, tr.17.d.13.per totum.
Malorum fuga nos Deo conjungit, ibid.n.4.
Exemplum, ibid.n.5.
Qui cum malis converſatur, pœnitentiam facere nequit, ibid.n.7.& 8.
Quum Deus animam vocat, à mala ſocietate ſequeſtrat, ibid.n.8.9.& 10.
Malis utilis eſt bonorum converſatio,tr.17.d.14.per totum.
Variæ ad hoc intentum ſimilitudines, n.1.
Exemplum, ibid.n.2.3.& 4.
Unicus homo bonus malis valdè utilis eſt, & ècontrà, ibid. n.5.& ſeqq.
Varia ad idem intentum Scripturæ loca, ibid.

*Conſtantinus Magnus, Imperator.*
Quem humilitatis actum exercuerit in honorem SS. Apoſtolorum, tr.7.d.2.n.12.

Huic ſuaſum eſt, ut ad curandam lepram in ſanguine humano ſe balnearet, *tr.15.d.8.& 9.*
In magna veneratione habebat & Virgines, *tr.14.d.9.n.4.*

*Conſtantinus Imperator.*

Quare à S.Hilario Antichriſtus fuerit nuncupatus? *tr.2.d.1. num.8.*
Ut ſuis & Arianorum partibus Catholicos adſciſceret, non minis,ſed honoribus & theatris utebatur, *tr.14.d.17.n.9.*

*Convitium.*

Punitur per ſterilitatem in Michol, *tr.2.d.5.n.10.*

*Cor.*

Acceptum eſt Deo, *tr.10.d.30.n.4.*
Cor hominis tuba eſt, quâ Deo laudes exolvuntur, *tr.17. d.16.n.3.*

*Corallus.*

In mari tener,extra maris undas obdureſcit, *tr.10.d.16.n.12.*

*Corpus glorioſum.*

S. Bonaventura glorioſi corporis dotes in Sole repræſentari docet, *tr.10.d.6.n.4.*

*Corpus humanum.*

Aſſimilatur cytharæ, *tr.1.d.1.n.5.& 6.*
Quàm ſit indecens,corpus præferri animæ,*tr.7.d.16.n.1.&c.*
Ubi & de utilitate corporis in comparatione animæ.
Animæ perditio irreparabile etiam corpori cauſat damnum, *ibid.n.12.& 13.*
Cur Spiritus Sanctus homines nominet animas, & non corpora? *ibid.d.17.n.6.*
Cur illud Deus erectum plaſmaverit? *tr.7.d.2.n.13.& d.18 n.2.& tr.8.d.17.n.9.*
Cur quantumvis vile, animæ conjunctum fuerit nobiliſſimæ? *tr.7.d.3.per totum.*
Putredinis eſt receptaculum, ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum,cibus vermium, *tr.7.d.16.n.8*
Propter ipſum omnia patrantur ſcelera, & innumeri exatlantur labores, *tr.7.d.16.n.14.*
Quàm illud flocci fecerit quidam Cardinalis,*d.16.n.2.*
Exornatur & fovetur, licet inimicum ſit animæ, *tr.7.d.17. per totum.*
Per aſinum Azæ figuratur, *tr.14.d.17.n.11.*
V. *Anima,Caro.*

*Correctio fraterna.*

Eſt juris divini, *tr.18.d.1.per totum.*
Ejus diſtinctio & definitio, *ibid.n.1.*
Corrigere proximum pertinet ad quemvis hominum ſtatum, *ibid.*
Specialiter tamen Eccleſiaſticis & Sacerdotibus incumbit, *ibid.n.2.& d.6.n.3.*
Correctio eſt velut quædam Eleëmoſyna ſpiritualis, *ib.n.6.*
Eſt longè gratior Eleëmoſynâ, *ibid.*
Hoc præceptum ſtrictius obligat Superiores, *ibid.n.7.*
Viri perfecti accuratè hoc præceptum adimplent,*ibid.n.9.*
Correctio eſt veluti ferrum quoddam, quo amputantur peccata, *tr.18.d.2.per totum.*
Correctio neglecta,cauſa eſt omnium vitiorum,*ibid.per tot.*
Correctio adhibita magnum fructum adfert, *ibid.n.8.*
Qui illam negligit,omnium peccatorum quæ committuntur,particeps efficitur, *ibid.n.10.*
Illam negligentes multipliciter caſtigantur, *tr.18.d.3.per totum.*
Tales ſunt ſatanæ adminiſtri,*ibid.n.3.*
Priusquam correctio adhibeatur, factum perſpicuum ſit oportet, *ibid.n.3.in fine.*
Ob nullum reſpectum humanum intermittenda eſt, *ib.n.6.*
Exemplum, *ibid.n.7.*
Corrigens omnem timorem deponere debet, *ibid.n.6.*
Qui correctionem recipit,exacerbari non debet, *ibid.n.8.*
Qui illam rejicit,irreparabilia ſibi damna conciliat,*tr.18.d.4 per totum.*
Correctores velut perverſi homines calumnijs impetuntur, *ibid.n.4.*
Qui illam contemnit,divinam juſtitiam experietur,*ibid.n.8*
Exempla, *ibid.& n.9.*
Boni illam libenter recipiunt, *tr.18.d.5.per totum.*
Bonis utilis eſt, malis damnoſa,*ibid.n.2.*
Vitia radicitus tollit, *ibid.n.6.& 7.*
Qui corripit,benevolentiam ſibi conciliat correcti, *ibid.n.7.*
Semen correctionis fructum centuplum adfert, *ibid.n.8.*
Exemplâ, *ibid.n.10.*
Corripiens non eſt odio habendus,*tr.18.d.6.per totum.*
Correctio præferenda eſt adulationi, *ibid.n.5.*
Cum amore fieri debet, *ibid.n.5.& 6.*
Sic enim fructuoſa erit, *ibid.n.9.*
Eſt medicina contra morbum peccati, *ibid.n.10.*
Ex motivo charitatis facienda eſt,*tr.18.d.7.per totum.*
Quo modo fieri debeat, *ibid.n.2.& ſeqq.*
Cur vocetur correctio fraterna, *ibid.n.6.*
In N. Teſtamento major adhibetur charitas, *ibid.n.7.*
Corrigens propriam fragilitatem conſideret, *tr.18.d.8.per totum.*
Corrigens prius conſcientiam ſuam examinet,*ibid.n.1.*
In uſu hujus ferulæ circumſpectus ſit, *ibid.n.3.*
Ex compaſſione,non verò ex paſſione moveri debet,*ib.n.5.*
Prudenter & diſcretè facienda eſt correctio, *tr.18.d.9. per totum.*
Unica ſevera correctio magnum poteſt malum parere, *ibid.n.1.*
Qualitates perſonarum & conjuncturam occaſionis reſpiciat,*ibid.*
Qui hac trutinâ utitur,pondus agnoſcat & diſcernat,*ibid.n.2.*
Similitudo ad idem intentum, *ibid.n.3.*
Contra vitium,non verò contra perſonam exaſperari debet, *ibid.n.9.*
Cum omni curâ & ſolicitudine facienda eſt, *tr.18.d.10.per totum.*
Familiariter ſe erga corrigendum gerat, ut illum ſibi benevolum reddat, *ibid.n.3.*
Privatim inſtituatur, *ibid.n.5.*
Exempla ad intentum, *ibid.n.9.& ſeqq.*
Illi, cui correctio ſecreta non prodeſt, publica adhibeatur, *tr.18.d.11.per totum.*
Peccata publica correctionem ſecretam non requirunt, *ibid.n.1.& 4.*
Prælati etiam à ſubditis corripi poſſunt, *ibid.n.7.& ſeqq.*
Cum manſuetudine corrigendi ſunt delinquentes, *tr.18.d. 12.per totum.*
Rigida enim correctio potius exaſperat, *ibid.n.2.& 3.*
Manſuetudo ſocia eſt correctionis, *ibid.n.4.*
Lingua corrigentis vulneribus medendis caninæ ſimilis eſſe debet, *ibid.n.6.*
Exempla ad hoc intentum, *ibid.*
In correctione faciendâ affabilitas cum ſeveritate conjungenda eſt, *tr.18.d.13.per totum.*
Corrigens duas manus habere debet, *ibid.n.8.*
An in correctionibus faciendis major benevolentiæ quàm rigori locus eſſe debeat, *ibid.n.11.*
Correctiones inæſtimabilem ſecum fructum afferunt,*tr.18. d.14. per totum.*
Correctio Deo acceptior eſt auro & Topacio,*ibid. n.2.*
Varias varij adducunt excuſationes, quò minus proximum corrigant, *ibid.n.5.*
Correctio intermittenda non eſt,licet fructum non faciat, *ibid.n.5.*
Multi correctionem intermittendo, amicum pariter & ſalutem amittunt, *ibid.n.6.*
Quodnam virgæ correctionis adhibendæ opportunius tempus ſit? *tr.18.d.15.per totum.*
Correctio proficua eſt,ſi tempore opportuno fiat,*ibid.n.4.*
Varia ad fructum correctionis obtinendum documenta, *ibid.n.6.*
Correcturus proximum, in ſemetipſo irreprehenſibilis eſſe debet, *tr.18.d.16. per totum*
Corrigens conſcientiam habere debet immaculatam,*ibid.n.1*
Prælati in correctionibus dentes ovium habeant,*ibid.n.7.*
Prælati correctionis officium exercentes, veros ſe exhibeant Sacerdotes, *ibid.n.9.*
Id faciendo,infallibile ſummæ virtutis indiciũ edunt,*ib.n.10*
Qui defectu virtutis laborant, à correctione aliorum abſtineant, *tr.18.d.17.per totum.*
Varia ad idem intentum Scripturæ loca adducuntur,*ibid. n. 3.& ſeqq.*
Cæci in veram viam alios reducere nequeunt,*ibid.*
Varij caſus, in quibus præceptum correctionis non obligat, *tr.18.d.18.per totum.*
Conditiones adducuntur,in quibus ad hoc præceptum obligamur exequendum,*ibid.n.6.& ſeqq.uſque ad finem.*

*Correptio.*

Acerba multò melior eſt dulci adulatione, *tract.2.d.7.per totum.*
Vitia emendat & abolet, *ibid.n.1.&c.*
Eſt vera amicitia, *ibid.n.3.*
V. *Adulatio.*

*Corvus.*

Symbolum eſt adulatoris,*tr.2.d. 11. n.5.*
E cadaveribus omnium primò oculos eruunt, *tr.13.d.17.n.3*
Proprios filios veluti adulterinos deſerunt, *tr.16.d.15.n.9.*
Omnium malorum cauſa, *tr.1.d.3.n.3.& 4.*
Primus illius author eſt dæmon, *ibid.n.6.& d.4.n.1.*
Nominatur character mundi, *tr.1.d.4.n.8.*
Cauſa apoſtaſiæ Iſraëliticæ, *tr.1.d.5.n.9.*
Damnavit divitem epulonem, *ibid.*
Comparatur ſpeculo ſordido, *tr.1.d.6.n.12.*
V. *Abſtinentia,Gula,Jejunium.*

*Cupiditas.*

Quantam exercuerint crudelitatem milites Romani in obſidione Jeroſolymitanâ, propter cupiditatem auri, *tr. 8. d.28.n.9.*
Vide Verb. *Avaritia,Darius.*

*Curia.*

Derivatur à Ly, *Cruor*, *tr.5.d.3.n.8.*
V. *Aula.*

*S.Cyrillus Alexandrinus.*

A Conciliabulo Neſtorianorum tamquam Apollinariſta depoſitus fuit, *tr.12.d.4.n.15.*
Voluptatem Idololatriæ principium eſſe aſſeverat, *tract.13. d.5.n.7.*

*Cyſena uxor Alvaradi.*

Propter blaſphemiam valdè punita eſt, *tr.11.d.5.n.8.*

*Cythara.*

Corpori aſſimilatur humano, *tr.1.d.1.n.5.& 6.*
Inepta eſt ad luſum,niſi explicatâ chordâ,*ibid.*

---

*Dæmon.*

Cur ſuſpicari cœperit,Chriſtum eſſe Filium Dei,*tr.1.d.4.n.9*
Non tamen de eodem potuerit certificari? *ibid.n.10.& 11.*
Aſſimilatur avi cantanti, *tr.2.d.1.n.4.*
Placidiſſimè quieſcit in linguâ & corde adulatoris, *tr.2. d.1.n.4.*
Ejus proprium eſt,adulari,non arguere,*tr.2.d.1.n.9.& 10.*
Propriè dicitur,Nequam,*ibid.n.10.*
Ejus in ſeducendis hominibus verſutia,*ibid.& d.2.n.5.*
Plurimos ſeducit adulatione, quos nullo alio vitio pervertere poteſt, *tr.2.d.2.n.1.& 5.& d.7.n.11.*
Ex motivo adulationis promittit Chriſto obſequium Angelicum,ſi ſe demittat ex pinnaculo templi,*tr.2.d.2.n.1.*
Cur petierit à Chriſto adorari? *ibid.n.2.*
Cur ad tempus à Chriſto tentando ceſſaverit? *ibid.*
Olim Gentiles illi mel offerebant, *tr.2.d.2.n.4.*
Quare ſolam Jobi mulierem permiſerit vivere? *tr.2.d.2.n.5.*
Omnium iniquorum caput eſt, *ibid.n.8.*
Quid ſit dæmonium meridianum, *tr.2.d.3.n.2.*
Diabolo proprium eſt tentare, *tr.2.d.8.n.7.*
Quomodo cadat de cœlo ſicut fulgur,*tr.3.d.2.n.5.*
V. *Chriſtus.*
Bacchanalia quædam ſunt dæmonis incantationes, *tr.9.d.2. num. 1.*
Dæmon in Bacchanalibus ſtomachum farinâ Ægyptiacâ adimplet, *tr.9.d.3.n.3.*
Dæmonis ludus in Bacchanalibus ſecurus eſt, *ibid.*
Theatra dæmonum loca ſunt, *tr.9.d.4.n.1.& ſeqq.*
Dæmon author eſt Chorearum,*tr.9.d.5.n.10.*
Dæmon feſtivè tripudiat, *ibid.n.12.*
Choreizantes dæmonis ſequaces ſunt,*tr.9.d.6.n.5.& 6.*
Exempla eorum, in quorum corpora dæmon ſub choreis ingreſſus eſt, *tr.9.d.7.n.8.*
Cur ſerpens & diabolus appelletur? *tr.10.d.1.per totum.*
Ethymologia horum nominum, *ibid. & per totum.*
Inimicus noſter eſt implacabilis, *tr.19.d.2.per totum.*
A via cœleſti nos divertit, *ibid.n.2.*
Ex perditione animarum noſtrarum nutritur, *ibid.n.5.*
Terram circumit,*ibid.n.7.*
Nullæ ab hoc inimico ſperari poſſunt induciæ,*ibid.n.8.*
Cur appelletur homo? *ibid.n.11.& ſequentibus.*
Quænam ſint ejus prætenſiones? *ibid.*
Quando ejus crudelitas inceperit? *ibid.*
Adverſus corpus & animam ferociri non deſinit, *ibid.n.3.*
De varijs hujus inimici infernalis aſtutijs,*tr.19.d.3.per totum.*
Semper damna noſtra adaugere non deſinit, *ibid.n.1.*
Ejus laquei & inſidiæ deteguntur, *ibid.n.4.*
Hominum inclinationes explorat, *ibid.n.7.*
Sub ſpecie amicitiæ traditor eſt, *ibid.n.8.*
Fortis eſt,ſed armis ipſi à nobiſmetipſis ſubminiſtratis,*tr.19. d.4.per totum.*
Nullum ipſi in nos jus competit, *ibid.n.3.*
Parum à nobis poſtulat,ut poſſideat totum, *ibid.n.4.*
Noſtras explorat cogitationes, *ibid.n.5.*
Optimus illum vincendi modus, *ibid.n.5.*
In eo,in quo aditum invenit,magnum damnum procurat, *ibid.n.7.*
Vinculis nobis valdè gratis nos ligat, *ibid.n.8.*
Quatuor modis nobis damnum infert, *tr.19.d.5.n.3.*
Diverſos contra nos laqueos tendit, *tr.19.d.5.per totum.*
Nemo ab ejus fraudibus immunis eſt, *ibid. n.4.*
Exemplum ad idem intentum, *ibid.n.5.& 9.*
Nos faſcinando decipit, *ibid.n.5.& 7.*
Religioſi à dæmone mirè tentati, *ibid.n.12.*
Ex parte debiliori nos ſemper aggreditur,*ibid.n.3.*
Illum etiam dum victores ſumus,timere debemus, *tract.19 d. 6. per totum.*
Varia hac de re SS.Patrum monita, *ibid. n.2.& 3.*
Numquam quieſcit, *ibid.n.6.*
Ictum validiſſimum in ultimum uſque reſervat,*ibid.n.9.*
In Angelum lucis ſe transformat, *tr.19.d.7.*
Exempla, quæ hac in re varijs religioſis contigerunt, *ibid. num. 3.*
Se malis noſtris compati ſimulat, *ibid.n.4.*
Varia hujus exempla, *ibid.n.5.& ſeqq.*
Sub ſpecie virtutis venenum ſuum abſcondit,*ibid.n. 9.& 10*
Per quemvis minimum aditum ei conceſſum in animam hominis cum omni malitia ingreditur, *tr.19.d.8.per totum.*
Cur latroni aſſimiletur? *ibid.n.4.*
Qui per omnia fortis non eſt, ejus inſultus timere debet, *ibid. n. 5.*
Varia ad hoc Scripturæ loca adducuntur, *ibid.*
Qui ei in corde ſuo aditum præbet,adulter eſt, *ibid.n.10.*
Omnem conatum adhibet, ut perfectiſſimos quoſque dejiciat, *tr.19.d.9.*
Cum gregarijs hominibus dimicare contemnit,*ibid.n.5.*
Tunc nos aggreditur,quando Deo fortiſſimè adſtringimur, *tr.19.d.14.n.10. per totum.*
Pro una anima acquirendâ totum mundum offert, *ibid. n.2.& 3.*
Viſio cujusdam juvenis, *ibid.n.3.*
Ferocius illum infeſtat,qui ei factus eſt rebellis, *tr.19.d.11. per totum.*
Unde hæc dæmonis contra nos inimicitia originem trahat? *ibid.n.11.*
Quisquis Deo familiariter adſtringitur, ad prælium ſe præparare neceſſum eſt, *ibid.n.9.*
In Quadrageſima majorem contra nos ferociam exercet, *ibid.n.10.*
Fortiſſima armatura, quâ contra nos utitur, peccatum eſt, *tr.19.d.12. per totum.*
Abſque hoc nihil contra nos efficere prævalet,*ibid.n.2.*
Si culpæ in hominibus ceſſarent,moreretur fame,*ibid.n.5.*
Facile eſt ejus catenas confringere, *ibid.n.3.*
Quomodo dæmonem ligare poſſimus,*ibid.n.4.*
Nobis peccantibus, ipſe epulatur, *ibid.n.7.*
Tunc enim magnâ lætitiâ perfunditur,*ibid.n.8.*
Qui in peccato eſt, in deteriori eſt ſtatu quam dæmoniaci, *ibid.n.9.*
Eſt enim mancipium diaboli, *ibid.*
Dæmon debilis eſt viribus, *tr.19.d.13.per totum.*
Nullam in nos poteſtatem habet, niſi quam Deus illi concedit, *ibid.n.4.*
Tentare poteſt,non item vincere, *ibid.n.5*
In voluntate parem non habet, non verò in executione, *ibid.n.7.*
Ejus poteſtas limitata eſt, *ibid.*
Exemplum, *ibid.& n.8.*
Dæmones ſunt miniſtri juſtitiæ, *ibid.n.10.*
Dæmon eſt canis moloſſus,ſed ligatus,ac proindè minimè timendus, *tr.19.d.14. per totum.*
Ejus latratus nequaquam timendi ſunt, *ibid.n.1.*
Eſt leo catenis vinctus, *ibid.n.2.*
Eſt timidus crocodilus, *ibid.n.3.*
Magno cum furore nos aggreditur, ſed ne pilum capitis evellere poteſt, *ibid.n.4.*
Exemplum, *ibid.*
In lege gratiæ faſtus illius ſuppreſſus eſt, *ibid.n.6.*
Tamquam peritus Rhetor ad malum nos incitare, non verò cogere poteſt, *ibid.n.7.*
Nullum in animam dominium habet,niſi ipſa velit,*ibid.n.9*
Et ideò irrationabilis querela noſtra, *ibid.n.10.*
Per unicum,Non,vincitur, *ibid.& tract.18.d.15.per totum.*
Ei, etiam in rebus bonis debemus dare repulſam, *ibid.n.1.*
Unicum, Non, adverſus ipſius venenum efficaciſſimum eſt Mythridaticum, *ibid.n.2.*
Variæ hujus rei hiſtoriæ, *ibid.n.4.5.& 6.*
Media ad ipſum ſuperandum, *ibid.n.7.*
Dum ei reſiſtimus,ignavus efficitur, *ibid n.8.*
Primis ejus inſultibus fortiter reſiſtendum eſt, *tr.10.d.16. per totum.*
Dæmon à Sancto quodam reprehenditur, *ibid.n.8.*
Animoſos non ita facilè impugnat, *ibid.n.9.*
Ejus ictus omnes ad cor tendunt, *ibid.n.9.*
Qui in gratia Dei vivit,ejus inſultus non formidat, *ibid.n.10*
A legibus divinis deviando,ejus vires adaugemus,*ibid.n.11.*
Per charitatem terretur, *ibid.n.12.*
Arma fortiſſima ad noſtram defenſionem habemus, eaque varia, *tr.19.d.17.*
Qui illum profligare contendit, cor ſuum à bonis terrenis avellat, *ibid.n.2.*
Suamque voluntatem Patribus Spiritualibus ſubjiciat, *ibid. num.3.*
Adverſus ipſum vigilare debemus, manu ſemper armatâ, *ibid. n.4.*

Occaſiones fugiendo,ipſum in fugam conjicimus, *ibid.n.7.*

Sequacibus ſuis nihil retribuere poteſt, niſi fumum vel ignem,*ibid.n.10.*

Duo convivia dæmon inſtituit, unum in Paradiſo, alterum in deſerto,*ibid.n.10.*

In hac cum dæmone ineundâ pugnâ ad Deum recurrendum eſt,*tr.19.d.18.per totum.*

Unicus dæmon ad mundum evertendum ſufficeret,*ib.n.8.*

In hoc prælio ſe armare,temeritas eſt,*ibid.n.8.*

Omnem tamen ex parte noſtrâ conatum adhibere debemus, *ibid.n.10.*

Chriſtus nos cum dæmone præliantes ſpectat,*ibid.12.*

Dæmon per quinque portas in nos ingreditur, per unam verò egreditur, *tr.15.d.11.*

Optimam culparum noſtrarum rationem inſtituit, *ibid.n.7.*

Mulieres adhibet ad nos proſternendos,*ibid.*

*Damnatio æterna.*

Significatur per particulam, *Væ*, *tr.2.d.5.n.11.*

*Dan.*

*Dan Coluber in via*, textus explicatur, *tr.2.d.1.n.9.*

*Daniel Propheta.*

Magos in Babylonia per jejunium ſuum eripuit à morte, *tr.1.d.6.n.6.*

Poſt trium ſeptimanarum jejunium,divinis meruit illuſtrari revelationibus, *tr.1.d.6.n.11.*

Vi abſtinentiæ ſuæ acceptiſſimus redditur Regi gentili, *tr. 1. d. 6. n. 13.* Et à diverſis ſtupendè periculis eripitur, *tr.1.d.7.n.16.*

Daniel in aula Regia conſtitutus, ter in die feneſtras templum reſpicientes aperuit, *tr.10.d.19.n.2.*

Juſſui Regis obedire renuit, *ibid.d.22.n.5.*

Darij potius quàm Dei gratiam amittere voluit,*ibid.*

Honeſtiſſimus fuit, *tr.14.d.15.n.10.*

*S. Daniel Stylites.*

Calumniator Danielem falsò accuſans, à Deo punitus fuit, *tr.12.d.4.n.14.*

*S. Daniel Abbas.*

Falsò accuſatus,ab infante quindecim dierum innocens declaratus fuit,*tr.12.d.5.n.12.*

*Darius.*

Ex nimio auri deſiderio ſepulchrum aperiri fecit Semiramidis,*tr.8.d.28.n.8.*

Quid in eodem repererit loco auri, *ibid.*

*Dathan & Abyron.*

Ob blaſphemiam à dehiſcente terra devorati fuerunt, *tr.11.d.7.n.5.*

*David Rex.*

Unicè per jejunium,Deo intimè uniri meruit,*tr.1.d.5.n.12.*

Adulatione ineſcatur, *tr.2.d.2.n.8.*

Appetitus ſuos,oculos in cœlum elevando, repreſſit, *tr.10.d.21.n.4.*

Quâ ratione litem inter ſuos milites obortam deciderit, *tr.10.d.28.n.15.*

David quo tempore Bethſabeæ amoribus fruebatur, multa mala commiſit, *tr.13.d.2.n.10.*

*Deliciæ.*

Et gaudia hujus mundi, tormentis compenſantur æternis, *tr.8.d.6.n.1.2.&c.*

Deliciæ hujus mundi plerumque ſcopuli ſunt, ad quos animarum naves allidentes, in abyſſum uſque inferni naufragantur, *ibid.*

Omninò prohibentur, dum mundi hujus bonis tantùm ad neceſſitatem utendum, non ad ſatietatem & ſuperfluitatem, *tr.8.d.8.n.1.2.3.&c.*

V. *Avaritia,Bona,Divitiæ.*

*Deſcriptio.*

Quâ frumentum deſcribitur, *tr.10.d.26.n.2.*

Quâ linum deſcribitur.

*Detractio,Detractores.*

Detractio eſt triplex, *tr.2.d.7.n.11.*

Detractores magis ſunt optandi, quam adulatores, *tr.2.d.7.n.10.11.12.13.& 14.*

V. *Adulatio.*

Detractionis definitiones,& differentiæ inter contumeliam & ſuſurrationem, *tr.20.d.1.per totum.*

Multis modis hoc vitium committitur, *ibid.per totum.*

Tametſi veritatem dicamus,non tamen ob id à detractione immunes ſumus, *ibid.n.3.*

Quando à detractione excuſemur, *ibid.n.4.*

Honorem fratris noſtri defendere tenemur, *ibid.n.5.*

Hujus rei exempla, *ibid.n.6.*

Suſurratio à detractione diſtinguitur, *ibid.n.8.*

Maledici varijs utuntur inventionibus, ne tales eſſe videantur, *tr.20.d.2.per totum.*

Lingua detractoris novaculæ ſimilis eſt, *ibid.n.2.*

Per unicum Ly,Sed,magnum inferunt damnum, *ibid.n.3.*

Peccata occulta manifeſtant, *ibid.n.5.*

Opera bona in ſiniſtram partem interpretantur, *ibid.n.6.*

Detractoris malignitas, *ibid.n.8.*

Veſtes ſodali ſuo præſcindunt, *ibid.n.10.*

Detractio facta eſt omnibus communis, *tr.20.d.3.per tot.*

Detractor venenum ſuum, etiam in viros ſanctiſſimos evomit, *ibid.n.1.*

Sub prætextu zeli nullus detractorum erubeſcit, *ibid.n.2.*

Canibus ſimiles ſunt, *ibid.*

Detractio cibus eſt illis adeò familiaris ſicuti panis, *ibid.*

Hoc vitium illos comitatur uſque ad ſepulchrum, *ibid.*

Neminem reſpiciunt,ne quidem ſanguine junctos, *ibid.n.5.*

Soli beati ſe à linguis maledicis liberos eſſe ſperare poſſunt, & vix quidem, *ibid.n.7.*

Hujus rei exemplum, *ibid.n.8.*

Detractio offendit & deſtruit charitatem, *tr.20.d.4.per totum.*

In detegendis alienis defectibus cautè procedendum eſt, *ibid.n.5.*

Varia ad id adducuntur Scripturæ loca, *ibid.n.7.*

Detractores Deum odio habent,*tr.20.d.5.per totum.*

Sunt pejores Chriſti crucifixoribus, *ibid.n.1.*

Sunt Deo abominabiles, *ibid.n.2.*

Dei & Eccleſiæ inimici declarantur,*ibid.n.3.*

Sunt ipſis quoque hominibus exoſi, *ibid.n.5.*

Similes ſunt ſerpentibus, *tr.20.d.6.per totum.*

Venenum ipſorum pernitioſius eſt veneno ſerpentum.*ib.n.1.*

Venenum ipſorum cor invadit, *ibid.n.2.*

Idem venenum per totum corpus diffunditur,*ibid.n.3.*

Eſt ſerpens traditor, *ibid.n.5.*

Mendaces ſunt latrones, *ibid.*

Fugiendi ſunt, *ibid.n.7.*

Paſcuntur maledicentijs, *ibid.n.8.*

Multis venenoſis animalibus aſſimilantur, *tr.20.d.7.per totum.*

Sunt perſimiles ranis, *ibid.n.4.*

Sunt inimici lucis, *ibid.*

Sunt pejores canibus, *ibid.n.9.*

Sunt ſimiles ſcarabæis, *ibid.n.6.*

Sunt ſepulchra fœtentia, *tr.20.d.8.per totum.*

Omnibus abominabilis eſt illorum fœtor, *ibid.n.1.*

Sunt devoratores bonorum, *ibid.n.2.& ſeqq.*

Neminem reſpiciunt, *ibid.n.6.*

Unico tantum verbo honorem deturpant, *ibid.n.9.*

Detractio eſt gladius anceps & acutus, *tr.20.d.9.per totum.*

Eſt peccatum graviſſimum, *ibid.*

Detractores ſunt ſine lege, *ibid.n.1.*

Tamquam amici honorem lacerant, *ibid.3.*

Exemplum, *ibid.n.5.*

Dæmon nihil adeò molitur, quàm ut ſemen hoc ſpargat, *tr.20.d.10.per totum.*

Lingua magis damnum infert,quàm ferrum, *ibid.n.1.*

Unde ſuam habeat originem, *ibid.n.2.*

Sunt dæmonis falſi teſtes, *ibid.n.4.*

Sunt dæmonis Sacerdotes, *ibid.n.8.*

Diverſa quæ illos manent ſupplicia,*tr.20.d.11.per totum.*

Chriſtus ad illos caſtigandos in leonem commutabitur, *ibid.n.2.*

Detractio peccatum eſt,quod Deus non diſſimulat, *ibid.*

Diverſi ob hoc peccatum caſtigati, *ibid. n.3.& 4.*

Deus pœnam illorum offert,nonnumquam, ut illos tantò ſeverius poſtea puniat, *ibid.n.5.*

Exempla hujus veritatis, *ibid.n.5.*

Major eſt ignominia detractoris, quàm latronis, *tr.20.d.12.per totum.*

Lingua per invidiam mota magnum damnum adfert,*ib.n.2.*

Quanti Chriſtus bonam famam æſtimet, *ibid.n.3.*

Detractor ſine ulla utilitate propriâ, & cum magno proximi damno famam aufert, *ibid.n.4.*

Detractor culpam ſuam excuſare nequit, *ibid.n.5.*

Reſtitutionem integrè facere non poteſt, *ibid.*

Lingua ejus ſimilis eſt ſagittæ, *ibid.n.6.*

Ut ſe quis ab illo defendat,ſpecialis Dei aſſiſtentia neceſſaria eſt, *ibid.n.7.*

Exemplum, *ibid.*

Obligatio reſtituendi famam, *ibid.n.8.*

Per detractionem contaminatur anima, *tr.1.d.13.per totum.*

Detractor alienos defectus manifeſtando, propriam malignitatem detegit, *ibid.n.1.*

Detractor gratiam Dei amittit, *ibid.n.4.*

Etiam mundus hoc vitium punit, *ibid.n.5.*

Damnum quod alijs inferre nituntur, in ipſosmet recidit, *ibid.n.5.& 6.*

Similitudo idipſum demonſtrans, *ibid.*

Detractio parturit mortem æternam, *ibid.n.7.*

Lingua ex multis capitibus refrenanda eſt, *tr.21.d.14. per totum.*

Detractores ſunt Atheiſtæ, *ibid.n.5.*



Deus famam tuetur manifeſtando innocentiam,*ibid.n.6.*

Exemplum,*ibid.n.7.*

Diverſa motiva refrænandi linguam,*ibid.n.9.10.& 11.*

Odio habendi ſunt detractores,*tr.21.d.15.per totum.*

Magiſtratus illos reprimere tenentur, *ibid.n.3.*

Illiſque errorem ipſorum ob oculos ponere, *ibid.n.6.*

Diverſa pro hoc malo remedia,*ibid.n.8.*

Quales ſint detractores,*ibid.n.9.& 10.*

Detractores non auſcultandi,ſed reprehendendi,& propulſandi ſunt,*tr.21.d.16.per totum.*

Qui illos libenter audit, ſe malum eſſe Chriſtianum ſignificat,*ibid.n.1.*

Certum verò charitatis ſignum eſt, ſi quis alienos cooperiat defectus,*ibid.n.2.*

Quod faciendo ingens ſibi meritum comparabit, *ibid.n.4.& ſeqq.*

*DEUS.*

Primus eſt jejunij & abſtinentiæ Legiſlator, *Tr.1. d.1. n.6.* Ejuſdemque ſuaſor & conciliarius, *tr.1.d.4.n.1.*

Cur noluerit ſibi offerri mel? *tr.2.d.2.n.4.*

Cur præceperit ſibi offerri ſalem in omni Sacrificio? *ib.n.9.*

Dum permittit adulationem, ingens in nos exercet ſupplicium, *tr.2.d.7.n.9.*

Invitat hominem ad ſui amorem,*tr.4.d.1.n.1.&c.*

Requirit cor noſtrum, *tract.4.d.13.n.1.&c. & d.15.n.1.2.&c.*

Eſt anima animæ noſtræ, *tr.4.d.15.n.3.*

Directè creaturis non maledicit, *tr.11.d.1.n.20.*

Cur mel in Sacrificijs adhiberi vetuerit? *tr.9.d.10.n.12.*

Frænum nobis laxat, eò quod vocem illius non auſcultemus,*tr.9.d.11.n.1.*

Vid.V.*Beatitudo.*

Deus populo ſuo converſationem cum impijs interdixit, *ibid.n.1.*

Deus ex parte ſua delicta noſtra abſcondita tenet, *tr.21.d.4.num.8.*

Deus populum ſuum per novaculam punivit, & cur? *tr.21.d.4.n.8.*

Antiqui Deos ſuos adorârunt, licet fuerint diverſis enormibus vitijs immerſi,*tr.14.d.32.n.5.*

*Dextra.*

Et ſiniſtra quid ſignificent,*tr.8.d.30.n.13.*

*Didacus Stella.*

Ejus ſimilitudines,*tr.10.d.26.n.14.*

*Dignitas & Dignitates.*

Periculoſæ ſunt etiam ijs,qui à Deo ad illas promoti ſunt, & quare? *tr.3.d.5.n.9.& 10.*

Fugaciſſimæ ſunt & omninò inſtabiles,*tr.3.d.7.n.8.9.& 10.*

V. *Honores,Fortuna.*

Dignitas magnum habet onus, *tr.10.d.16.n.14.& 15.*

*Dina.*

Filia Jacob ludos frequentando,pudicitiam temeravit, *tr.9.d.16.n.6.*

*Diſcretio.*

Exhibetur ejus laus & neceſſitas, *tr.1.d.1.n.14.& 15.*

*Diſſenſiones.*

Nos probant ſequaces eſſe diaboli, *tr.5.d.4.n.14.*

Probatur multifariam quàm ſint execrabiles & odioſæ Deo,*tr.5.d.7.per totum.*

*Divitiæ.*

Denotantur in ſtercore,quod Tobiam excæcavit, *tr.8.d.11.num.9.*

Quò magis ab ijs abſtrahimur, eò amplius à bonis recedimus cœleſtibus *tr.8.d.12.n.1.2.&c.*

Condemnatur inordinatus earum affectus, abuſus, æſtimatio & confidentia,*tr.8.d.16.per totum.*

Ex multis auri qualitatibus docetur, quàm divitiæ earumque cupiditas deteſtabiles ſint, *tr.8.d.1.per totum.*

Sunt inferiores virtutibus, honoribus & delicijs, & quare? *tr.8.d.17.n.11.*

Non perduntur,ſed aſſecurantur & accreſcunt,dum in pauperes diſtribuuntur, *tr.8.d.18.n.18.*

Condemnatur nimius cordis ad illas affectus, *tr.8.d.20.numero 1.&c.*

Sæpe quantò magis accreſcunt, tantò magis deperduntur, *tract.8.d.24.n.1.2.3.&c. & d.29.n.6.7.& 8.*

Sunt avarorum pondus, ipſos ad infernum detrahens, *tr.8.d.5.per totum.*

In affectu,aviditate & poſſeſſione illarum periclitatur cultus & cognitio Dei,ac fides,*tr.8.d.14.per totum.*

Aurum nil niſi terra & lutum,*tr.8.d.1.n.1.&c.*

In locis fovetur ſterilibus & infœcundis,*ibid.n.8.* Et cuſtoditur à feris rapacibus,*ibid.n.10.*

Aurum nemo tutum habet,niſi qui ſemper abſcondit,*ib.n.10*

Barbari aliqui reos ſuos aureis vinculis ligare ſolent,*ib.n.12.*

Aurum eſt opus tenebrarum, *tr.8.d.1.n.15.* Alias ejus deſcriptiones vide *ibid.d.1.n.7.*

Divitiæ nil niſi nidus omnis peccati, *tr.8.d.7.*

Laqueus Dæmonis,*ibid.n.1.&c.* Et meræ ſpinæ,*d.25.& 26 per totum.*

V. *Mundus.*

*Divites.*

Communiter ſunt in vitia proclives,*tr.8.d.7.n.1.&c.*

Abominabiles Deo & hominibus,*tr.8.d.11.n.1.&c.*

Millenis ſubjacent periculis & inſidijs, *tr.8.d.24.n.3.4.& 5.*

Multi fuere divites ſancti, aſt illi ſoli,qui divitias ſine amore poſſederunt,*tr.8.d.20.n.8.9.&c.*

Deum negant,ne opes ſuas perdant,*tr.8.d.14.n.5.& 6.*

Quot anguſtias & cruciatus ſuſtineant divites avari,*tr.8.d.25. per totum,& d.27. per totum.*

Quàm inſtabiles & inſidiabiles, *tr.8.d.28.n.1.2.3.4.*

Quò abundantiores, eo pauperiores, & quare? *tr.8.d.29.n.1.&c.*

Sunt mancipia ſuorum theſaurorum, *ibid.n.6.7.8.9.10.*

Aliud avarus,& aliud dives,& nullus avarus dives eſt, *ibid.n.9.*

Nullus habet aurum,qui uti neſcit auro, *ibid.n.11.*

V. *Avaritia,Bona.*

*Domus Dei, Eccleſia ſive Templum.*

Dum Eccleſia ab Arrianis profanata rebenediceretur, viſus eſt inde egredi porcus, *tr.21.d.16.n.2.*

Veri Chriſtiani ſignum eſt, domos Dei & locorum ſacrorum honorem zelare,*tr.21.d.1.per totum.*

Chriſtus domûs Dei profanatores exinde ejiciendo,ſe filium Dei eſſe probavit,*ibid.n.1.*

Animalia irrationabilia reverentiam locis ſacris debitam nos docent, *ibid.n.3.*

Ipſæ quoque creaturæ inſenſibiles, idololatræ infideles & barbari eamdem nos edocent,*ibid.& n.4.& ſeqq.*

Hebræi Chriſtum in templo capere non præſumpſerunt, *ibid.n.10.*

Eccleſia locus ſacer eſt,quia Deo eſt conſecrata & dedicata, *tr.21.d.2.n.1.*

Quantâ reverentiâ & veneratione domus Dei digna ſit, *ibid.n.2.& ſeqq.*

Concilia ad illam loci ſacri reverentiam debitam nos aſtringunt,*ibid.n.5.*

Chriſtus templum & humanitatem ſuam pari loco habuit, *ibid.n.5.*

Ut quis in locum ſacrum dignè ingrediatur, neceſſaria eſt puritas & munditia cordis,*ibid.n.8.*

Spiritus Angeli in Eccleſia præſentes aſſiſtunt, *tr.21.d.3.per totum.*

Et principaliter quando incruentum offertur Sacrificium, *ibid.n.1.*

Propter unicum laſcivum hominem obtutum inde recedunt,*ibid.n.8.*

Seraphini nos modum in Eccleſia orandi docent,*ibid.n.5.*

Angeli flagellis in illos animadvertunt, qui locis ſacris debitum honorem non exhibent,*ibid.n.9.*

Faciem ſuam cooperiunt, ne noſtras in Eccleſia videant diſſolutiones,*ibid.*

Templa facta ſunt, ut in ijs Deo noſtras porrigamus ſupplicationes, *ibid.per totum.*

Deo ſummoperè placent orationes à congregatis in Eccleſia fidelibus fideliter factæ,*ibid.n.5.*

Non eſt quod gratiam à Deo ſperet,qui irreverenter Eccleſias tractat,*ibid.n.7.*

Deus gratiâ cumulabit illos, qui in Eccleſia devoti ſunt & reverentes,*tr.21.d.5.per totum.*

Tentationes diabolicæ ſuum in Eccleſijs vigorem amittunt,*ibid.n.7.*

In Eccleſia agrorum impetratur fertilitas, ſanitas corporis, & peccatorum remiſſio,*ibid.& n.9. & ſeqq.*

Alia bona recenſentur,quæ in Eccleſia recipiuntur,*tr.21.d.6.per totum.*

In Eccleſia ſolvunt ſacerdotes peccatores à catenis delictorum, *ibid.n.1.*

Exemplum illius,*ibid.n.3.*

Qui in ſincero corde ingreditur Eccleſiam, inde melior egreditur,*ibid.n.4.*

Chriſtus in Eccleſia veræ vitæ arborem plantavit, *ibid.n.6.*

Homo ſine cauſâ domum Dei profanat, *tr.21.d.7. per tot.*

Quo ſine adeundæ ſint Eccleſiæ,*ibid.n.3.*

In Eccleſia placanda eſt miſericordia divina,non irritanda, *ibidem.*

Offenſas locis ſacris irrogatas Deus vivaciter ſentit,*ibid.*

Creaturæ irrationales,inſenſatæ,& dæmones,erubeſcere faciunt Chriſtianos fideles, *ibid.n.4.*

Exemplum illius,*ibid.n.6.*

Fideles ſolicitè curare debent reverentiam in domo Dei, *ibid.n.5.*

Magna eſt temeritas in Eccleſijs peccare, *ibid.n.7.*

A fidelibus hodie modicus reſpectus locis ſacris defertur.*ib.*

Fideles irreverentiores ſunt ipſis dæmonibus, *ibid.*
Eccleſiæ hodiè indignis finibus frequentantur, *ibid. n. 8. & 9.*
Circumſtantia loci ſacri culpam in eo commiſſam multum aggravat, *tr. 20. d. 8. per totum.*
Culpæ abominatio vocantur, *ibid. n. 6.*
Qui in Eccleſia peccat, Deum immediatè offendit, *ibid. n. 7.*
Sanctitas loci peccatum irremiſſibile reddit, *ibid. n. 9.*
Qui Deum in locis ſacris offendit, ſentina omnium iniquitatum vocari meretur, *tr. 20. d. 9. per totum.*
Quantùm hæretici ex Catholicorum irreverentia ſcandalizentur, *ibid. n. 2.*
Turcæ ad Eccleſiam non conducunt canes, *ibid. n. 3.*
Conſideratio quod domum Dei adeamus, frænum nobis ad non peccandum injicere deberet, *ibid. n. 7.*
Locorum ſacrorum profanatores æternis pœnis punientur, *tr. 20. d. 10. per totum.*
Diverſa ſupplicia profanatoribus immiſſa, *tr. 20. d. 11. per totum, & ibid. n. 7. & ſeqq.*
Deus in templo ſæpius manu flagello armatâ viſus eſt, *ibid. n. 4.*
Templa antiqua à noſtris diverſa fuerunt, *ibid. n. 4.*
Chriſtus proprijs manibus in templ[illegible] in profanatores animadvertit, *tr. 20. d. 12. per totum.*
Majorem in profanatores quàm in crucifixores rigorem exercuit, *ibid. per totum.*
Quàm grave ſit ſupplicium, quod ipſiſmet dæmonibus infertur, *ibid. n. 7.*
In ijs locis ſacris, in quibus ſanctitas non commoratur, *tr. 20 d. 13. per totum.*
Deus ab ijs locis ſubitò recedit, ubi debitâ cum reverentia non honoratur, *ibid. n. 1.*
Ex multis circumſtantijs, quantùm Deus ſacrorum locorum reverentiam zelet, deducitur, *ibid. n. 8.*
Nullus irreverentiæ locis ſacris irrogatæ veniam ſperet, *ibid. n. 11. & ſeqq.*
Chriſtus profanatores ſacrorum locorum velut mancipia tractat, *ibid. n. 13.*
Qui Eccleſiam invadunt, velut muli ſunt ſine intellectu, *ibid. n. 14.*
Ruinæ & calamitates publicæ ab irreverentia Eccleſijs irrogatâ proveniunt, *tr. 20. d. 14. per totum.*
Ad Sacerdotes præcipuè ſpectat vindicare injurias locis ſacris irrogatas, *ibid. n. 1.*
Terræ-motus, peſtilentiæ, &c. juſta ſunt profanatorum ſupplicia, *ibid. n. 5. & ſeqq.*
Profanatores à Deo non exaudiuntur, *ibid. n. 7. & 8.*
Propter irreverentiam Eccleſia à Chriſto vocata eſt ſpelunca latronum, *tr. 20. d. 15. per totum.*
Gravia ſunt quæ in domo Dei committuntur peccata, *ib. n. 2.*
Duo ſunt templa Dei, *ibid. n. 4.*
Dæmon in locis ſacris omnem adhibet aſtutiam, *ibid.*
In his animæ Deo auferuntur, *ibid. n. 6.*
In his Deo ob proprium intereſſe ſervitur, *ibid. n. 7.*
Multi Chriſtianorum idem faciunt quod faciebant Judæi, *ibid. n. 9.*
Domus Dei malis pro aſylo ſervire non debet, *ibid. n. 10.*
Inhumani ſunt qui in locis ſacris Deum offendunt, *ib. n. 11.*
Per carnalem laſciviam Eccleſiæ profanantur, *tr. 20. d. 16. per totum.*
Deus in Eccleſia pluribus actibus impuris offenditur, *ib. n. 3.*
Varia loca eò ſpectantia, *ibid. & ſeqq.*
Æternæ damnationis ſignum eſt, ſi quis in Eccleſia appetitibus carnalibus locum cedat, *ibid. n. 6.*
Supplicium, quod divina juſtitia de Eccleſiarum profanatoribus ſumpſit, *ibid. n. 10.*
Deus in templis per garrulitatē offenditur, *tr. 20. d. 17. per tot.*
Deus honorandus eſt per ſilentium, *ibid. per totum.*
Decreta & Canones ad coërcendas linguas non ſufficiunt, *ibid. n. 1. & ſeqq.*
Quænam voces in Eccleſia Dei audiri debeant, *ibid. n. 2.*
Templum ſanctum Dei cœlo Empyreo nequaquam inferius, *ibid. n. 3.*
Varia hac de re exempla, *ibid. n. 6.*
Quo fine frequentandæ ſint Eccleſiæ, *ibid. n. 7.*
Decreta & Synodi hac de re habitæ, *ibid. n. 7. & ſeqq.*
Ex actis antiquorum diſcendus eſt modus adeundi loca ſacra, *tr. 20. d. 18. per totum.*
Quantâ cum puritate & munditiâ ea ingredi debeamus, *ibid. per totum.*
Dæmon in illis in memoriam revocat objecta in theatris ſpectata, *ibid. n. 3.*
Priusquam loca ſacra ingrediamur, deponendæ ſunt omnes vanæ cogitationes & affectus, *ibid. n. 4.*
Chriſtus ante circumciſionem in templo præſentatus non fuit, *ibid. n. 6.*
Varijs hiſtorijs idem intentum probatur, *ibid. & n. 7. & ſeq.*
Eccleſiam ingredi debemus peccatis indignantes, *ibid. n. 10.*
Cur aquam benedictam Eccleſiam ingredientes ſumamus, *ibid. n. 9.*
Ornamenta Eccleſiarum Deo ſummè placent, quando inter alia non deeſt decus innocentiæ, *tr. 20. d. 19. per totum.*
Varijs hiſtorijs idem argumentum oſtenditur, *ibid. n. 2. & ſeqq.*

*Donatus.*
Ad ſuos in Africa diſſeminandos errores Lucillam adjutricem habuit, *tr. 13. d. 6. n. 12.*

---

*Ebba Abbatiſſa.*
Quid pro conſervanda virginitate Monialibus ſuis ſuaſerit, *tr. 14. d. 11. n. 17.*

*Ebrietas.*
Character eſt mundi, *tr. 1. d. 4. n. 8.*
Confregit tabulas legis, *tr. 1. d. 8. n. 4.*
V. *Abſtinentia, Sobrietas.*

*Eccleſia.*
Quàm convenienter velit præmitti communioni ſacræ jejunium Eccleſiaſticum & naturale, *tr. 1. d. 4. n. 12.*
Cur introduxerit Vigilias feſtorum ſolemnium? *tr. 1. d. 5. num. 15.*
Cur potius in Paſchate, quàm alio tempore fideles obliget ad Communionem? *tr. 1. d. 7. n. 6. & 7.*
Signatur in muliere parturiente, & ſponſâ Cantici Canticorum, *tr. 2. d. 1. n. 7. & 9.*
Cur Chriſtus ex Eccleſia ejecerit ementes & vendentes in ipſa Dominica Palmarum? *tr. 2. d. 8. n. 10.*
Vid. *Domus Dei, Et Mundus.*
Mulierem quamdam flagellando, libidinem ab ea fugavit.
Quandoque ſuperantur ab ambitione, *tr. 3. d. 1. n. 6. & 7. & d. 2. n. 7. & 9.*
Probatur exemplis, *d. 2. n. 7. 8. & 9.*
Eccleſiaſtica bona.
V. *Bona Eccleſiaſtica & Prælati.*

*Eclypſis.*
Solis & Lunæ quomodo fiat, *tr. 4. d. 5. n. 19.*
Deſignat ſtatum animæ, carnalibus & terrenis immerſæ, *ib.*

*Echo.*
Symbolum eſt adulationis, *tr. 2. d. 3. n. 9.*
Quid ſit? *ibid.*
Ejus exprimuntur proprietates, *ibid.*

*Eduardus Rex.*
In morte ſua concubinam deferere renuit, *tr. 13. d. 20. n. 9.*

*Eleëmoſyna.*
Facta pauperibus, abuſum tollit divitiarū, *tr. 8. d. 16. n. 2. &c.*
Facienda eſt de bonis ſuperfluis, *tr. 8. diſ. 18. n. 7. & 8.*
Suadetur multifariam, *tr. 8. d. 18. n. 9. & ſeqq.*
V. *Avaritia, Avaritiæ effectus.*

*Elephas.*
Quomodo capiatur, *tr. 2. d. 10. n. 8.*
Symbolum eſt adulatoris, *ibid.*
Eſt animal caſtiſſimum, *tr. 14. d. 1. n. 12.*
Mures formidat, *tr. 20. d. 4. n. 6.*

*Elias Propheta.*
Cur Elias carnes comedens non deliquerit, imò meruerit Eſau autem in ſolius lenticulæ guſtu peccaverit? *tr. 1. d. 2. n. 1. & 2.*
In virtute jejunij cœlos conſcendit, *tr. 1. d. 4. n. 1.*
A corvis quotidiè bis paſcitur, ab Angelo ſemel tantùm; quare & quomodo? *tr. 1. d. 4. n. 5.*
Cur ille ſolus cum Moyſe transfigurationi Chriſti adfuerit, *tr. 1. d. 5. n. 16. & 17.*
Nuncupatur Prophetarum Turris, *ibid. n. 16.*
Cur Deum videre meruerit? *tr. 1. d. 5. n. 19. & 20.*
Quid ſignificet Elias, in virtute panis & aquæ perveniens ad montem Horeb? *tr. 1. d. 5. n. 20.*
Vi jejunij rapitur in cœlum, *ibid. n. 21.* Et diverſa operatur miracula, *tr. 1. d. 7. n. 14. 15.*
Primus fuit, qui viam cœli monſtravit, *tr. 14. d. 7. n. 22.*
Plus timuit Jezabelis illecebras, quàm ejus comminationes, *tr. 14. d. 34. n. 8.*

*S. Eligius.*
Effecit ut in quoſdam choreas agentes dæmon ingrederetur, *tr. 9. d. 7. n. 7.*

*Eliſabetha Regina.*
Inter calumnias innocens declarata fuit, *tr. 12. d. 6. n. 10.*

*Eliſæus Propheta.*
Miraculosè ferrum educens de profundo aquæ, ſignificat ſanctificationem animæ fidelis, obtinendam medio jejunio, *tr. 1. d. 6 n. 9.*

*Elius.*
Pertinax ad Imperium aſſumitur quando minimè ſperabat, *tr. 4. d. 11. n. 18.*
Comparatur animæ peccatrici per Chriſtum redemptæ, *ibid.*

*Enchydrus.*
Eſt animal quod Crocodilo mortem infert, *tr. 14. d. 15. n. 8.*

*Epiſcopi.*
Eorum ornamenta denotant, quales ipſi debeant habere virtutes, *tr. 3. d. 11. n. 2.* De eorum veſtitu & conſecratione vide *ibid. fusè n. 5. &c.*
Diſcutitur multifariam ille Apoſtoli textus: *Si quis Epiſcopatum deſiderat &c. tr. 3. d. 13. per totum.*

*Epulo dives.*
Damnatur propter crapulam, *tr. 1. d. 5. n. 9.*
Cur Lazaro negaverit omnem micam panis, *tr. 1. d. 8. n. 15.*
In lingua paſſus fuit, *tr. 20. d. 11. n. 8.*

*Eſau.*
Ob jacturam lenticulæ conturbatus fuit, *tr. 15. d. 3. n. 14.*

*Eva.*
In abyſſum labitur propter gulam, *tr. 1. d. 3. n. 1.*
Tamdiu manſit virgo, quàm abſtinens, & non ultrà, *tr. 1. d. 9. n. 6.*
Cur prima ex pomo comederit? *tr. 3. d. 1. n. 4.*
Excæcatur ambitione, *tr. 3. d. 4. n. 3.*
V. *Adam Serpens.*

*Eucharistia.*
Cur Chriſtus nobis Corpus ſuum ſub panis ſpecie reliquerit, *tr. 10. d. 26. n. 4.*

*S. Eugenia.*
In habitu virili è domo paterna effugit, *tr. 12. d. 7. n. 15.*

*Exemplum.*
Quanti valeat, *tr. 10. d. 14. n. 2. & 3. & d. 18. n. 3.*
S. Joannis exempla deſertum multâ hominum multitudine impleverunt, *tr. 10. d. 21. n. 5.*

*Ezechiel.*
Capillos & barbam raſit ſibi, eosque in publica platea ponderavit, *tr. 9. d. 20. n. 2.*
Vide V. *Bos Ezechieliticus.*

---

*Fabula.*
Curioſa de Pluto & Mercurio circa divitias, *tr. 8. d. 10. n. 3.*
Fabula Ericij Muris in olla mellis ſubmerſi, *tr. 13. d. 10. n. 9.*
Fabula de Erycio, *tr. 19. d. 9. n. 12.*

*Facies.*
In ſui ablutione, intentionis ſignificat puritatē, *tr. 1. d. 2. n. 12.*

*Falx.*
Symbolum eſt adulationis, *tr. 2. d. 4. n. 2. & d. 6. n. 11.*
Herbas dum amplexatur, ſuccidit, & in fænum reducit, *d. 4. n. 2. & d. 6. loco cit.*

*Fames.*
Filium reduxit prodigum, *tr. 1. d. 8. n. 14.*
Expugnat fortiſſimos quoſque, *tr. 1. d. 9. n. 5.*
Lupum è ſylva, id eſt, dæmonem ex animo pellit luxurioſo, *tr. 1. d. 9. n. 7.*
V. *Abſtinentia & Jejunium.*

*Favor.*
Humanus omninò momentaneus, *tr. 2. d. 8. n. 10. & d. 10. n. 2.*
Aſſimilatur pediculorum proprietati, *tr. 2. d. 10. n. 2.* Umbræ *ibid. n. 3.* & Heliotropio, *ibid. n. 4.*
Sequitur ſtatum proſperum, fugit adverſum, *ibid. n. 4.*
V. *Adulatio.*

*Fauſtina Imperatrix.*
Gladiatoris cujuſdam amore capta fuit, *tr. 13. d. 17. n. 16.*

*Febris maligna.*
Eſt venenum quoddam adferens mortem, *tr. 15. d. 16. n. 4.*

*Fenenna Regina.*
Nermeto Regi pomum quoddam artificioſum porrexit, *tr. 13. d. 25. n. 11.*

*Filij.*
Principum vix quidquam addiſcunt, præterquam agitare equos, & quare? *tr. 2. d. 11. n. 8.*

*Filius prodigus.*
Cur ei porcorum cuſtodia aſſignata fuerit, *tr. 17. d. 11. n. 4.*

*Fortuna.*
Sublimia loca, præcipitia minantur vicina, *tr. 3. d. 6. per tot.*
Poteſtas temporalis non eſt appetenda, ſed timenda, *ibid. n. 2.*
Poteſtas culminis, tempeſtas eſt mentis, *ibid.*
Fortuna exaltat & humiliat juxta ſuum beneplacitum, *ibid. n. 3. & 4.*
Quò plus honoramur, eò plus periclitamur, *ibid. n. 4.*
Omnis locus ſublimis velut præcipitium timendus, *ibid. n. 6.*
V. *Dignitates & Honores.*

*S. Franciſca Romana.*
Viſibili fruitur aſſiſtentia Angelica, *tr. 6. d. 6. n. 12.*
Percutitur ab Angelo in faciem, & quare? *ibid.*

*S. Franciſcus de Aſſiſio.*
Cytharœdi cujuſdam auſcultandi cupidus fuit, *tr. 10. d. 9. n. 4.*
Libidinis ignem nive extinxit, *tr. 14. d. 23. n. 4.*
Ludos & jocos inſtitui cernens, in eodem loco prædicare cœpit, *tr. 9. d. 16. n. 15.*
Quid mulieri cuidam eum ad peccandum extimulanti reſponderit, *tr. 13. d. 28. n. 6.*

*S. Franciſcus de Paula.*
Diffamatus, carbones ardentes in manibus ſuis ſine læſione tulit, *tr. 12. d. 4. n. 12.*

*Franciſcus Patriarcha.*
Theatra & Comicos graviter perſtringit, *tr. 9. d. 3. n. 3.*

*S. Franciſcus Xaverius.*
Dicebat: Satis eſt Domine, *tr. 10. d. 9. n. 7.*
Ingentes conſolationes internas habuit, *tr. 16. d. 1. n. 7.*

*Franciſcus Suarez.*
In convivio quodam quoſdam murmurantes audiens, inde receſſurus ſurrexit, *tr. 20. d. 1. n. 6.*

*S. Fulgentius.*
Ex urbis Romanæ magnificentia, cœleſtis patriæ excellentiam deducit, *tr. 10. d. 4. n. 1.*

*Fulgura.*
Quomodo generentur, *tr. 19. d. 4. n. 8.*

---

*S. Galla.*
Ut ſtatum vidualem illibatè ſervaret, barbam nutrivit, *tr. 14. d. 27. n. 11.*

*Gaudium.*
Mundi hujus varijs mœroribus permiſcetur, *tr. 10. d. 7. n. 8.*
Admittendum eſt, ut tantò virtuoſius deinceps operemur, *tr. 9. d. 19. per totum.*
Mundana gaudia, dum in optimo ſui flore conſiſtunt, deficiunt, *tr. 9. d. 10. n. 10.*
Mundana gaudia in cineribus finem ſuum accipiunt, *tr. 9. d. 20. per totum.*
Gaudium mundanum breve eſt & inſtabile, *tr. 16. d. 8. n. 9.*
Quænam vera ſint gaudia & delectationes, *tr. 16. d. 9. per totum.*

*Gaudia.*
Hujus vitæ, pœnis compenſantur æternis, *tract. 8. d. 6. n. 1. 2. &c.*
Æterna prænunciant ſupplicia, ſicut fulgur tonitrua, *ib. n. 4.*
V. *Dignitates. Honores. Fortunas. Bona.*

*Gedeon.*
Milites ſuos ad tubarum ſonitum vaſa teſtea rumpere juſſit, *tr. 10. d. 6. n. 1.*

*Gemmæ.*
Solā margaritâ exceptâ, omnes ſcalpello indigent, *tr. 10. d. 13. n. 5.*

*Gentiles.*
In loco ubi crux Chriſti ſepulta jacebat, Veneris ſtatuam erexerunt, *tr. 9. d. 17. n. 5.*

*S. Getrudis.*
Qualia acceperit documenta à Chriſto ad reverentem Chriſti contemplationem, *tr. 7. d. 12. n. 12.*
Viſio illius, *tr. 9. d. 13. n. 14.*
A mundi voluptatibus ſeſe ſubduxit, *tr. 9. d. 15. n. 11.*

*Græci.*
Ruinam ſuam ſoli adſcribebant adulationi, *tr. 2. d. 9. n. 7.*

*S. Gregorius Agrigentinus.*
E captivitate liberatus fuit, *tr. 12. d. 6. n. 16.*

*S. Gregorius Magnus.*
In quodam Solis radio totum mundum compendiatum conſpexit, *tr. 10. d. 3. n. 6.*
Calumniam paſſus, propriam innocentiam demonſtravit, *tr. 12. d. 7. n. 13.*

*S. Gregorius Thaumaturgus.*
Quibuſdam peſtem multos ex ijs interempturam eſſe prædixit, *tr. 9. d. 7 n. 9.*

*Grues.*
Ne vento rapiantur, lapide ſeſe onerant, *tr. 19. d. 18. n. 8.*

*Gula.*
Noſtros nudavit Protoparentes, *tr. 1. d. 7. n. 9.*
Eſt animæ febris & phrænefis, *tr. 1. d. 8. n. 2.*
Quàm ſit reipublicæ pernitioſa, *tr. 1. d. 8. n. 15.*
Mirè fovet libidinem, *tr. 1. d. 9. n. 2.*
Eſt incompatibilis cum lege Dei, *tr. 1. d. 8. n. 4.*
Divinam irritat juſtitiam, *tr. 1. d. 13. n. 19. & 20.*
Mater eſt omnium vitiorum, *tr. 14. d. 24. per totum.*
V. *Abſtinentia. Adam. Crapula. Jejunium.*

---

*Hæreſis.*
Multifariam ortum traxit ex ambitione, *tr. 3. d. 2. n. 7. 8. 9.*
Probatur exemplis, *ibid.*

*Hæreticus.*
Wiclephus qualis fuerit, *tr. 13. d. 6. n. 16.*

*Hamus.*
Symbolum eſt adulationis, *tr. 2. d. 4. n. 6.*
Deſignat bona temporalia, *tr. 8. d. 6. n. 5.*

*Hannibal.*

Quâ fuerit uſus aſtutiâ in expilandis Cretenſium Theſauris, *tr.8. d.23. n.7.*

Per delicias Capuanus effæminatus fuit, *tr.14. d.23. n.3.*

*Hebræi.*

In virtute jejunij mare rubrum trajecerunt, *tr.1. d.7. n.17.*

Periêre, uſque modo miſeri propter ſolam adulationem, *tr.2.d.9.n.6. & d.1. n.15.*

Coturnices Hebræis de mari ſubmiſſæ ſunt, & quare? *tr.9. d.9. per totum.*

Hebræi legem ſuam obſervare jurarunt, *tr.11. d.11. n.13.*

Audientes blaſphemias, veſtimenta ſua ſcindere ſolebant; Quare & qualiter? *tr.11.d.12. n.1. & 2.*

His Paſcha celebrantibus, fermentum in domo ſua habere vetabatur, *tr.17. d.9. n.6.*

Chriſtum in templo capere non præſumpſerunt, *tr.21.d.1. n. 10.*

*Heliodorus.*

Ab Angelis graviter punitus fuit, *tr.21.d.3. n.9.*

*Heli.*

Filios ſuos reprehendit, eò quod impudica in facie tabernaculi committebant, *tr.21. d.10. n.11.*

*Heliotropium.*

Adulatoris eſt ſymbolum, *tr.2. d.10. n.14.*

*Henoch.*

Pro conſervandâ innocentiâ ab hominibus ſequeſtratus fuit, *tr.17. d.3.n.5.*

*B. Henricus Suſo, Ord. Præd.*

Divinæ Sapientiæ amore exarſit, *tr.14.d.10. n.6.*

Ejus viſio, *tr.19. d.5. n.2.*

*Herba.*

Sardonica venenoſa, ejuſque effectus, *tr.16.d.9. n.5.*

Herba Græcè, Nepentes, nuncupata, cor ſerenandi virtutem habet, *tr.16. d.6.n.3.*

*Herodes.*

Appetituum ſuorum mancipium fuit, *tr.12. d.18. n.9.*

*Heron Monachus.*

A diabolo tentatus, in puteum ſe præcipitem egit, *tr.19. d.7. n.12.*

*S. Hieronymus.*

Etiam in ſenectute tentationum turbine infeſtatus fuit, *tr.9.d.3.n.8. & tr.13. d.25. n.10.*

Salutaria Ruſtico Monacho monita tradidit, *tr.10.d.23.n.12.*

Ejus dictum ad S. Auguſtinum, *tr.10.d.1.n.2.*

Sanctum Hilarionem à dæmone in ſpecie Cameli eidem âpparente tentatum fuiſſe ſcribit, *tr.19. d.14. n.3.*

*S. Hilarius.*

Epiſcopus cur Conſtantium Imperatorem nominaverit AntiChriſtum, *tr.2.d.1.n.8.*

Saluberrimum omnibus Epiſcopis tradidit documentum circa ſalutem animarum, *tr.7. d.14. n.7.*

*Holofernes.*

Per ſolam cecidit crapulam, *tr.1. d.9.n.9.*

Propter carnalitatem Bacchanalium typus fuit, *tr.9.d.11.n.11.*

*Homo.*

Omnis homo duos habet Genios, *tr.6. d.8.n.4.*

Aſſimilatur avi & piſci, *tr. 8.d.6.n.5.*

Invitatur plurimis beneficijs ad amorem Dei, *tr.4. d.7. & 8. per totum.*

Omnes creaturas habet in ſuum ordinatas ſervitium, *tr.4. d.7. n.5.*

Non poteſt non amare Deum, *tr.4.d.11.n.24. 25. &c.*

Quidquid habet & poteſt, amori debet divino, *ibid. n.27.*

Diverſa Dei beneficia (quæ ſigillatim enucleantur) ipſum ad divinum obligant amorem, *tr.4.d.12. per totum.*

Hoc divini amoris tributum, quantumvis debitum, Deus tamen remunerat, *ibid.n.9. 10. & 11.*

Dicitur parvus Mundus, & quare? *tr.7.d.7. n.1.2. &c.*

Eſt Trinitas Sanctiſſimæ Trinitatis, *tr.7. d.7. n.12.* Et ſpeciale Opus Dei, *ibid. n.14.*

V. *Anima.*

*Homines.*

Cur Deus homines tot miſerijs ſubjectos eſſe voluerit? *tr.10. d 24. n.4.*

Quilibet homo crucem ſuam ferre debet, non tamen Chriſti crucem, *ibid. n.6.*

Quis hominum primus paradiſum ingreſſus fuerit? *ib.n.2.*

Homines per pœnitentiam merita ſibi acquirunt ad gloriam, *tr.10.d.6.n.1. & ſeqq.*

Vide verb. *Ingratitudo.*

Homines perfecti & virtuoſi majoribus tentationibus ſubjacent, *tr.14.d.15.*

*Honores.*

Mutant mores; ſi ſecus, miraculum erit, *tr.3.d.4.n.7.*

Auferunt judicium, *tr.2.d.11. n.4. & tr.3.d.4.n.1. &c.*

Non poſſeſſio, ſed ambitio honorum cœpit à diabolo. *tr.3. d.1. n.10.*

Excæcant mentem, *tr.3.d.4.n.10. & 11.*

Aſſimilantur rotæ, *tr.3.d.4.n.2.*

Cur & quàm ſint periculoſi, *tr.3.d.5.n.6. & tr.3.d.5.per tot.*

Præcipitant in vitia diverſa, *tr.3.d.5.n. 6.*

Minantur præcipitia, *tr.3.d.6. n.1.2.3. &c.*

Plurimas important ſecum ſolicitudines, anxietates &c. *tr.3. d.9. per totum.*

Qui illos fugiunt, maximè ijſdem ſunt digni; id quod varijs probatur exemplis, *tr.7. d.14. per totum.*

Faciunt periclitari etiã maximè perfectos, *tr.3.d.7.n.5. & 6.*

Quantum ſit eorum pondus & gravitas, *tr.3.d.10.per totum.*

Prærequirunt merita, *tr.3.d.12.n.1.2. &c.*

A Chriſto ad ſervitium, non ad dominium ordinati ſunt, *tr.3.d.16. n.1. 2. &c.*

Plurimi Sancti & ſervi Dei illos ſubterfugerunt ſolicitè, *tr.3.d.15. per totum.*

Eorum amore quodcumque attentatur periculum, *tr.3. d.17.n.1.2.3. &c.*

In honoribus conſtituti, Bucephalo & ſerpentibus aſſimilantur, *tr.3. d.4. n.9.*

V. *Dignitas. & Fortuna.*

*Horeb.*

Interpretatur menſa, *tr.1. d.5. n.20.*

Denotat menſam gloriæ cœleſtis, *ibid.*

*Humilitas.*

Aulica omninò perverſa eſt, *tr.3. d.3. n.2.*

Socia debet eſſe caſtitatis, *tr.14. d.27. per totum.*

Ejus effectus, *ibid.*

Ex contemptu nutritur, *tr.16. d.6. n.1.*

---

*S. Jacob Patriarcha.*

Cruentatâ filij ſui veſte conſpectâ, amarè flevit, *tr.9. d.18. n. 10.*

Viſo cœlo aperto, magnoperè confortatus eſt, *tr.10. d.24. n. 5.*

*S. Jacobus Eremita.*

Mulierem quamdam unâ manu ungens, alteram igni immiſit, *tr.14. d.31. n.6.*

*Jaſon.*

Ut homines ad ſuum ritum ſeduceret, carnalium illis voluptatum illecebras propoſuit, *tr.13.d.6. n.19.*

*Idola.*

Gentilium ſunt avara; id quod diverſis probatur exemplis, *tr.8. d.15. n.4. 5. &c.*

*Idololatria.*

Effectus eſt adulationis, *tr.2. d.9. n.8. 9. & 10.*

*Jejunium.*

Quatuor temporum unde ortum trahat, *tr.1.d.3.n.11.*

In quo conſiſtat verum vitæ jejunium, *tr.1. d.8. n.10.*

Quantæ circumſtantiæ ſint neceſſariæ ad bonum & ſalutare jejunium, *tr.1.d.1.n.3.*

Ejus explicatur ethymologia, *tr.1.d.1. n.9.*

Quid ſit, *ibid.*

Eſt duplex, ſcilicet quò ad corpus, & quò ad ſpiritum, hoc eſt, Sacrificium matutinum, illud veſpertinum, *tr.1.d.1. n. 10.*

Reprehenditur indiſcretum, *ibid. n.11.*

Modus acquirendi facilitatem in jejunijs etiam rigoroſis, *tr.1. d.1. n.13.*

Non tam in ciborum qualitate, quàm in appetitûs inordinati mortificatione conſiſtit, *tr.1. d.2. n.1. 2. & 3.*

Nihil jejunium prodeſt longiſſimum, cui ciborum lautities vel nimietas ſuccedit, *tr.1. d.2. n.5. 6. 7.*

Non jejunat, qui in meridie abſtinet, ut veſperi lautè comedat, *tr 1.d.2. n.6. & 7.*

Explicatur quid ſit: In die jejunij inveniri voluntatem noſtram, *tr.1.d.2. n.6.*

Eſt individua ejus comes charitas in proximum, *tr.1.d.2. n.4. 5. 8. 9.*

Siccatur miſericordiæ ſiccitate, *tr.1. d 2. n.9.*

Non placet Deo ſine Eleëmoſyna, *ibid n.8.*

Recenſentur diverſa jejunia vitioſa, *ibid.n 8 & 11.*

Jejunium ſine miſericordia eſt ager cultus ſine ſemine, & aula regia ſine Rege, *ibid n 9.*

Sit omninò voluntarium, *tr.1.d 2. n.10. & 11.*

Involuntarium comparatur jumento, *ibid. n.11.*

His neque æſtas neque hyems apta pro jejunio, *ibid.n.11.*

Nulla in eodem vana gloria admittenda, *ibid.n.12.*

Publicè exercitum, venenum eſt, *ibid.* Privatim autem ſalutiferum, *ibid.*

Ex vana gloria factum comparatur arcæ, *tr.1.d 2. n.13.*

Ob vanam gloriam reprobatur Phariſaicum, *ibid. n.12.*

Pulchra D. Chryſologi Apoſtrophe in jejunium Phariſei, *ibid. n 13.*

Jejunij lex antiquiſſima, *tr.1. d 3. n.3. 4. 6.* In Paradiſo lata, *tr.1. d.5. n.2. & 6. & tr.1. d.4. n.1.*

Quare nos hodie jejunemus, *tr.1. d.3.n.4.*

Cur Chriſtus in jejunijs nos præceſſerit, *tr.1.d.3.n.5.*

Tempore jejunij Spiritus Sanctus ſanctam Eccleſiam multoties inviſit, *tr.1.d.3. n.11.*

Angeli jejunantium nomina per ſingulas Eccleſias ſpecialiter annotant, *tr.1.d.3. n.12. &c.*

V. *Angeli.*

Etiam à piſcibus abſtinebatur in primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, *tr.1.d.5. n.5.*

Quò quis ingenioſior, eò plus eſt jejunio deditus, *tr.1. d.6. num. 10.*

Debet ſanctificari operibus bonis, ſpecialiter autem Eleëmoſynis, *tr.1.d.16.n.2.3. &c.*

Confirmatur hæc ultima veritas raro quodam exemplo, *ibid. n.12.*

Non placet corporale jejunium ſine ſpirituali, *tr. 1. d. 17. n.2. & 3.*

V. *Abſtinentia. Angeli. Chriſtus. Quadrageſima.*

*Jejunij diverſi effectus.*

Eſt ſingularis hominum medicina, *tr.1.d.1.n.3.*

Non nocet corpori, ſed prodeſt, *tr.1. d.2. n.11. & d.15. per totum.*

Omnium bonorum cauſa, *tr.1. d.3. n.3.*

Deo nos aſſimilat & Angelis, *tr.1.d.4. n.1. &c.*

Virtute jejunij Elias cœlos conſcendit, *ibid. n.1.*

Moyſes per jejunium in divinitatis gloriam tranſmutatus fuit, *ibid. n.1.* Soli innixus jejunio, faciem divinam videre petijt, *tr.1.d.5. n.18.* Legem à Deo accepit, cumque ipſo velut amicus cum amico locutus eſt, *ibid. n.19.* Ob ſolum jejunium promulgator legis antiquæ electus eſt, *tr.1.d.8.n.3.* Perque illud omnia implevit legis veteris præcepta, *ibid.*

Confert intimam cum Deo familiaritatem, *tr.1. d.4. n.1.*

Facit hominem Deo parem, Deumque homini contubernalem, *tr.1.d.4. n.1. & 8.*

V. *Chriſtus. Elias. Moyſes.*

Ex hominibus facit Angelos, *tr.1.d.4.n.4.*

S. Joannes Baptiſta à Chriſto nominatur Angelus non niſi quando jejunabat, *tr.1.d.4.n.7.*

Intimè Deo unit, *tr.1.d.4. n.12.* Quod probatur exemplo Davidis, *ibid.*

Paradiſi portas aperit, *tr 1.d.5. per totum.*

Protoparentes conſervavit in paradiſo, poſtea ejectos propter jejunij violationem, *tr.1. d.5. n.3. 4. & 6.*

V. *Adam.*

Jejunantes vim cœlo inferunt, *tr.1.d.5.n.7.*

Jejunium pauperem beatificavit Lazarum, *tr.1.d.5.n.9.*

Sublevat ſurſum, quos corpus grave premit deorſum, *tr.1. d.5.n.13.14. & 21.* Ideoque Vigiliæ ſolemniorum feſtorum ab Eccleſia ſunt inſtitutæ, *tr.1.d 15. n.15.*

Elias vi panis & aquæ attingens Horeb, ſignificat, jejunando cœleſtes obtineri epulas, *tr.1.d.5. n.20.*

Jejunium diverſa confert chariſmata cœleſtia, *tr.1. d.6. n.1. 3. 4. &c.*

Ad eaque recipienda mentes reddit aptiores, *ibid. n.2.* & quare. *ibid.*

Mentem elevat in cœlum, ſicut plumæ attollunt aves, *tr.1. d.6.n.8. & 16.*

Facilem præbet tranſitum ad inſtar navis mercibus vacuæ per mundi fluctus, *tr.1.d.6. n.7.*

Animas ſanctificat, *tr.1.d.6. n.9.* Probatur in ferro natante S. Eliſæa, *ibid.*

Prophetas ſuſcitat, & Legiſlatores ſcientiam docet, *tr.1. d.6. n.15.*

Contemplationem promovet, *tr.1. d.6. n.12. & 17.*

Orationis fovet puritatem & efficaciam, *ibid.n.17. & 18.*

V. *Oratio.*

Soli jejuni ſcientijs & ſtudijs ſunt apti, *tr.1. d.6. n.15.* Unde quò quis ingenioſior, eò jejunijs magis eſt addictus, *ibid. num. 10.*

Diſponit ad revelationes & myſteria cœleſtia, *tr. 1. d. 6. n.1. 2. &c.*

V. *Daniel.*

Eradicat vitia, *tr.1. d.8. n.1. &c.* Legis obſervantiæ cooperatur, *ibid.n.2. & 3.* Virtutes ſolidat, & bona confert plurima, nominatim verò pacem & tranquillitatem publicam, *ibid. n.6. 7. &c.*

Efficaciſſimum contra dæmonum inſultus, *tr.1.d.6.n.19. & 21*

In efficacia ipſos ſuperat Apoſtolos, *ibid. n.21.*

V. *Apoſtoli.*

Ad ſanctimoniam præminiſtrat iter, *tr.1.d.7.n.2.*

V. *Chriſtus.*

Sanctitas legis Evangelicæ debetur jejunio, *tr.1.d.7. n.3.*

Eccleſia fideles ad communionem obligat in Paſchate potius, quàm alio anni tempore, ob ſolam jejunij efficaciam, *tr.1. d.7.n.6. & 7.*

Chriſtus à Spiritu ductus in deſertum, in virtute Spiritus ex eo exivit per ſolum jejunium, *tr.1.d.7. n.8.*

Alter jejunat, & alteri prodeſt jejunantis utilitas, *ibid. n.10.*

Dum Sanctos efficit infirmos, eos reddit fortiſſimos, *n.11.*

Exaltavit S. Joannem Baptiſtam, ut maximus eſſet inter natos mulierum, *ibid.n.12.*

S. Paulum in tertium provexit cœlum, *n.13.*

Mortuos ſuſcitat, cœlumque claudit & aperit, *n.14.15.*

Diverſa inibi recenſentur miracula, quæ vi jejunij S. Elias patravit, *n. 15.*

Alij recenſentur ejuſdem effectus, *n.16.17. & 18.*

Qui jejunus miracula fecerat, pranſus ſubitò ſaturitatis pœnas luit, *ibid. n.18.*

Ager eò fertilior, quò plus exercetur; ita & major gratia, ubi corpus per jejunium maceratur, *tr.1.d.8.n.2.*

Jejunans ſerpenti aſſimilatur, pellem ſenectutis ſibi detrahenti in anguſtiſſimis locis, *tr.1.d.8.n.2.*

Jejunium in ſe continet juſtitiam, pacem & gaudium, *tr.1. d.8. n.6.*

Præfertur omnibus virtutibus, *ibid.* Et omnibus opitulatur, *ibid. n.7.8. & 9.*

Plurimi ejus recenſentur effectus, *tr.1.d.8.n.11.12. & 13.*

Caſtitatem fovet, & libidinem ſternit, &c. *tr.1.d.9.per totum.*

Adamum conſervavit Virginem, qui non niſi guloſus cognovit uxorem, *tr.1.d.9.n.6.*

V. *Phariſæus.*

Non fuit Chriſtus tentatus circa immunditiam propter rigoroſum jejunium ſuum, *ibid. n.7.*

Judith ſolo jejunio ſtravit Holofernem, *tr.1.d.9. n.9.*

Jejunium Ruth ipſam deſponſavit Booz, *tr.1.d.9.n.12.*

Conjuges à malo Zelotypiæ liberat, *tr.1.d.9.n.12.*

Carnem ſpiritui ſubjicit; probatur notabili exemplo, *ibid. n.10. & 11.*

Reprimit concupiſcentiam, *tr.1. d.10. per totum.*

Vires ſubminiſtrat & auget contra dæmones, *tr.1. d.12. per totum.*

Eſt medium ſpeciale ad abolenda & præcavenda peccata, & ad juſtitiam divinam placandam, *ibid. d.3. per totum.*

Tranſgreſſores jejunij varijs puniuntur ſupplicijs, *ibid.n.19. 20. &c.*

Jejunium varias ab hoſtibus reportavit victorias, *tr.1. d.14. per totum.*

Eſt ordinatum ad eradicanda vitia, *tr.1.d.14. n.1.2. &c.*

*Motiva ad jejunium inducentia.*

Quia eſt Deo præ omnibus Sacrificijs & holocauſtis acceptiſſimum, *tr.1.d.3. n.12.*

Quia cœleſtis porta arcta nimis & anguſta eſt &c. *tr.1. d.5. n.8. & 9.*

Alia motiva deducere licet à præclariſſimis effectibus (de quibus ſupra) & dignitate & naturâ jejunij, de quâ partim ſupra, partim jam acturi ſumus.

*Variæ jejunij deſcriptiones, epitheta & comparationes.*

Eſt ſanctitatis hoſtia, *tr.1. d. 3. n. 12.* Diſciplina animæ, *ibid. n.4.*

Fundamentum ſanctitatis, *tr.1. d.7. per totum.*

Vivens victima, ſanctum Sacrificium, *tr. 1. d.3. n.12.* Alij quindecim ejuſdem tituli, *ibid. n.14.*

Similitudo hominum cum Angelis, *tr.1. d.4. n.4.* Simulacrum Angelicæ vitæ, *ibid.n.7.* Imago vitæ cœleſtis, *ibid.*

Res ſancta, opus cœleſte, janua regni, *ibid. n.8.*

Splendidum immortalitatis viaticum, *tr.1.d.4.n.10.* Vehiculum ad cœlos, *tr.1.d.5.n.9.* Cœli clavis, *ibid.n.11.* Regni cœleſtis pignus, *ibid. n.22.*

Refectio animæ, *tr.1.d.5.n.21.* Radix gratiarum, *ibid.*

Inexpugnabile vitæ æternæ firmamentum, *ibid. n.22.*

Varias alias ejuſdem deſcriptiones vid. *tr.1.d.6.n.15.*

Orationis prodromus, *tr.1. d.6. n.17.* Perfectionis fundamentum, *d.7. n.1.*

Sanctitatis aratrum, parans innocentiæ meſſem, *tr. 1. d.7. num. 2.*

Innocentiæ & temperantiæ fons & radix, *tr.1. d.7. n.1. & d.9. n.9.*

Paradiſi ſanctificatio, *tr.1. d.3. n.2.*

Chriſti arx, caſtrum armorum Spiritus Sancti, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum, *tr.1.d.7.n.2.*

Aptiſſimum ſanctitatis & purificationis inſtrumentum, *tr.1.d.7.n.6.* Laſciviæ abolitio, *tr.1.d.9. n.9.*

Veſtimentum & ſtola juſtitiæ originalis, *tr.1.d.7. n.9.*

Caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas ſanctitatis, *ibid. & tr.1. d.8. n.6.* Caſtitatis fundamentum, *tr.1. d.9. n.2. & 3.*

Omnium virtutum cibus, *d.8. n.8. & 9.* Omnium virtutum mater & magiſtra, *ibid.n.10.*

Alumnus modeſtiæ, ſanctitatis parens, *ibid. n.9.*

Varias deſcriptiones alias, vid. *tr.1.d.8.n.10. & 16.*

Jejunium pro virginitate conſervandâ optimum eſt remedium, *tr.14. d.22. n.2. & ſeqq. & 13. & ſeqq.*

V. *Abſtinentia.*

*S. Jeremias Propheta.*

Catenis onuſtus civitatem oberrare juſſu Dei debuit, *tr.13. d.20. n.2.*

*S. Ignatius.*

Quanto arſerit amore proximi, *tr.5. d.4. n.12.*

Virgines Heroni commendans, quid dixerit, *tr.14. d.1. n.18.*

*Immunditia.*

Eſt via ſpatioſa, in Evangelio memorata, *tr.1. d.9. n.2.*

Summè fovetur per gulam, *ibid.*

Semper ſaturitati juncta, *tr.1. d.9. n.6.*

Elephas, id eſt, maximus & fortiſſimus quiſque capitur per puellas, *tr.2. d.10. n.8.*

V. *Abſtinentia.*

*Impius.*

Omnium impiorum caput eſt dæmon, *tr.2. d.2. n.8.*

*Infernus.*

Signatur in exercitu Syriæ, *tr.2. d.5. n.14.* Qui furit contra Joam, id eſt, adulatores, *ibid.*

*Ingratitudo.*

Quanta ſit hominis erga Deum ingratitudo, *tr.11. d.4. n.9.*

*Innocentius III.*

Sanctum Franciſcum Eccleſiam Lateranenſem S. Joannis ſuſtentantem in ſomno conſpexit, *tr.16. d.1. n.7.*

*Intellectus.*

Perſpicaces jejunio ſunt maximè dediti, & quare? *tract.1. d.6. n.10.*

*Joab.*

Symbolum eſt adulatoris, *tr.2. d.6. n.6.*

*S. Joannes Evangeliſta.*

Raptus in ſpiritu, cœleſtem gloriam velut ſponſam ornatam conſpexit, *tr.10. d.4. n.1.*

Nullum in cœlo templum conſpexit, & quare? *tr.10. d.15. num. 2.*

Cœlum apertum videns, eò ut aſcenderet invitatus fuit, *tr.10. d.29. n.2.*

Dum balneum ingrediens, in eo videret hæreticum, ſubitò inde egreſſus eſt, *tr.17. d.9. n.4.*

Angelum in Apocalypſi adorare volens, ab eo prohibitus fuit, *tr.14. d.5. n.5.*

*S. Joannes Baptiſta.*

A Chriſto nominatur Angelus, non niſi quando jejunabat, *tr.1. d.4. n.7.*

Ejus vita continuum fuit jejunium, ex S. Baſilio, *ibid. & d.7. n.12.*

Deo ſimilis evadit per jejunium, *tr.1. d.4. n.7.*

Propter jejunium putatur Deus, *ibid. n.9.*

Cur ab ejus diebus regnum cœlorum vim patiatur? *d.5. n.7.*

Per jejunium factus eſt maximus inter natos mulierum, *tr.1. d.7. n.12.*

Cur in deſerto, & non in Herodis aulâ habitaverit? *tr.2. d.10. n.2.*

Pudicitiæ zelantiſſimus fuit, *tr.13. d.12. n.7.*

Inter corporis rigores de cœlo poſſidendo ſecurus fuit, *tr.16. d.16. n.1.*

*S. Joannes Chryſoſtomus.*

Eudoxiam Imperatricem ab ingreſſu Eccleſiæ prohibuit, *tr.21. d.11. n.14.*

*B. Joannes de Capiſtramo.*

Quomodo fuderit Turcas in obſidione Belgradenſi, *tr.6. d.2. num. 16.*

*S. Joannes Damaſcenus.*

Huic ob calumniam manus dextra amputata fuit, *tr.12. d.5. num. 7.*

*S. Job Propheta.*

Cur ei dæmon omnia abſtulerit, præter mulierem? *tr.2. d.2. num. 5.*

Dives fuit, ſed ſine omni divitiarum amore, *tr.8. d.20. n.9.*

Dæmonem in divitijs vicit, & nobis vincendi reliquit modum, *ibid. n.10.*

Non ſibi, ſed pauperibus dives fuit, *ibid. n.10.*

V. *Jonathas & Elias.*

Non ſolum mulierem aſpicere, ſed ne cogitare quidem voluit, *tr.14. d.18. n.1.*

*Joſaphat.*

In conſortio poſitus eſt elegantium puellarum pervertendus, *tr.13. d.5. n.6. & d.21. n.11.*

Ejuſdem in fide Chriſtiana conſtantia, *tr.13. d.5. n.7.*

*Joſeph Patriarcha.*

A fratribus venditus, *tr.13. d.2. n.12.*

Cur à fera peſſima devoratus fuiſſe dicatur? *ibid.*

Pallium ſuum adulteræ ceſſit, *tr.14. d.27. n.6.*

*S. Iſaias Propheta.*

Babyloniæ exterminium prædixit, *tr.13. d.26. n.8.*

*Judas traditor.*

Ejus confeſſio valida non fuit, *tr.15. d.12. n.6.*

*Judæi.*

Eorum ſtratagemata in Chriſti crucifixione, *tr.17. d.11. n.5.*

*Judices.*

De Concilio Synedrio qualem contra blaſphemos ſententiam pronuntiarint, *tr.11. d.12. n.2.*

*Judicium extremum.*

Cur homines ſeſe in eo abſcondere velint, cum tamen ſciant inevitabile eſſe regnum Dei, *tr.6. d.9. n.11.*

Nec quoad corpus, nec quoad animam quiſpiam in eo latere poterit, *ibid.*

Quid ſit: Abſconderunt ſe in ſpeluncis & petris montium, *ibid.*

Quare Angeli nobiſcum in eo ſint comparituri? *ibid. n.14. & 15.*

*Judith.*

Solo jejunio ſtravit Holofernem, *tr.1. d.9. n.9.*

Juſtificatur à calumnijs, *tr.13. d.35. per totum.*

Pudicitiam ſuam nequaquam periculo expoſuit, *ibid.*

*Jumentum.*

Symbolum eſt eorum, qui jejunant involuntariè, *tr.1. d.2. num. 11.*

*S. Ivo.*

Legatus S. Ludovici Regis, *tr.4. d.18. n.15.*

*Juvenis.*

Unde dicatur, *tr.6. d.15. n.16.*

Cur in juvenili ſpecie Angeli apparere ſoleant? *ibid.*

---

*Larvæ, Larvati.*

Larvæ Chriſtianos dedecent, *tr.9. d.6. per totum.*

Dæmon larvarum inventor fuit, *ibid. n.14.*

Variè à Deo puniti ſunt larvati, *ibid. n. 13.*

Larvæ ut plurimùm ſcandaloſis ſociantur diſſolutionibus, *ibid. n.1.*

Larvati Chriſti imagini renuntiant, *ibid. n.5.*

Larvati Dæmonis ſe ſequaces eſſe profitentur, *ibid. n.8.*

Larvati in tripudijs ab igne correpti conflagrarunt, *ibid. n.11.*

Habitûs mutatio mortis ſæpè occaſio extitit, *ibid. n.13.*

*Vide Bacchanalia.*

*Latro malus.*

Cur ſanguine Chriſti conſpergi non meruerit? *tr.11. d.12. num. 14.*

*S. Laurentius Levita & Martyr.*

Carbonibus ſuperimpoſitus exultabat, *tr.10. d.22. n.20.*

*S. Lazarus.*

Per tribulationes ad paradiſum pervenit, *tr.10. d.24. n.19.*

*Leo Iſauricus Imperator.*

Imagines prohibuit, *tr.12. d.5. n.7.*

Ejus fraudes contra S. Joannem Damaſcenum excogitatæ, *ibid.*

*Leo.*

Ut prædam capiat in latibulis ſe abſcondit, *tr.16. d.15. n.6.*

Leo animalia mortua non comedit, *tr.19. d.9. n.10.*

*Lex.*

Divina gulam compati neſcit, *tr. 1. d.8. n.4.* Eſt facilis, *tr.4. d.17. n.4.*

Legis antiquæ tabulas temperantia obtinuit, ebrietas contrivit, *tr.1. d.8. n.4. & 5.*

Evangelicæ major eſt ſanctitas, quàm veteris; quia frequentior in ea eſt abſtinentia & jejunium, *tr.1. d.7. n.3.* Differentia inter utramque hanc legem, *tr.5. d.8. n.9.*

Lex ſcripta marmori inſculpta fuit, *tr.10. d.27. n.5.*

Lex Evangelica cordibus humanis eſt impreſſa, *ibid.*

Jugum legis ante Chriſti adventum valde grave fuit & arduum, *tr.10. d.21. n.2. Item tr.16. d.10. n.1.*

Jugum legis ab eo, qui cœlum reſpicit, faciliter portatur, *tr.10. d.21. per totum*, ſuavis eſt, *tr.16. d.10. per totum.*

In lege nova homines per adverſa plus proficiunt quàm in lege ſcripta, *ibid. n.7.*

Per legis obſervantiam cœlum acquiritur, *tr.10. d.27. per totum.*

Lex nova, utpote in charitate fundata, ſuavis eſt, *ibid. n.4. 5. & 6.*

Divinæ legis præcepta humanæ fragilitati ponderoſa videntur, *ibid. n.8.*

Legis obſervantia eſt pretium gloriæ, *ibid.*

*S. Liduvina Virgo.*

Coronam gloriæ ſuæ ex perpeſſis adverſis contexuit, *tr.10. d.24. n. 10.*

*Lilium.*

Suum in vino perdit odorem, *tr.14. d.12. n.17.*

Aliæ lilij proprietates, *ibid. n.18. & ſeqq.*

*S. Lucia Virgo & Martyr.*

Dupliciter conſideratur immobilis; quid ſignificet, & unde orta fuerit hæc immobilitas, *tr.8. d.22. n.12.*

*Lucifer.*

Angelos apoſtatas adulatione ſeduxit, *tr.2. d.1. n.2.*

In quo conſtiterit ejus ſuperbia, *tr.3. d.1. n.1.*

Semper in eo perſeverat, quod à principio appetiit, *tr.3. d.3. num. 1.*

Quæ ſit differentia inter ſuperbiam, quam in principio exercuit, & eam, quam hodie exercet, *ibid. n.1.*

V. *Dæmon.*

*S. Ludovicus Epiſc. Tholoſanus.*

Quid regnum Patris ſui reſpiciens dixerit, *tr.10. d.3. n.9.*

*S. Ludovicus Nonus Rex Franciæ.*

In pueritiâ ſuâ ad cœlos aſpirabat, *tr.10. d.30. n.16.*

Ejus emblema, *tr.10. d.16. n.14.*

Eſt apud Mahumetanos captivus, *tr.4. d.18. n.7.*

Quam conſtanti Deum dilexerit amore, *ibid.*

Quid Philippum filium ſuum monuerit, *tr.15. d.8. n.5.*

Populum ſuum Deo reconciliatum eſſe volebat, *ibid. d.9. num. 9.*

Filium ſuum Philippum monuit ut diſcretos confeſſarios eligeret, *ibid. d.27. n.10.*

*Luna.*

Sub pedibus conſpecta quid ſignificet, *tr.10. d.7. n.7.*

*S. Lupus.*

De ſuſpectis erga Veroſinam amoribus accuſatus fuit, *tr.12. d.4. n.20.*

*S. Ludgardis.*

Beatiſſimæ Virginis fruitur viſione, *tr.1. d.13. n.18.*

Jubetur ſeptem annis jejunare pro peccatis hæreticorum, *ib.*

Jejunio divinam placat juſtitiam, *ibid.*

*Luxuria.*

V. *Carnis Vitium.*

---

*S. Macarius.*

Ejus viſio, *tr.19. d.3. n.9.*

*Madianitæ.*

Sunt libidinis ſymbolum, *tr.1. d.9. n.8.*

Vincuntur pane hordeaceo Gedeonis, *ibid.*

*Magi.*

Perſarum primarij, ſemper fuerunt abſtinentiſſimi, *tr.1. d.6. num.14.*

Sancti tres Magi ab oriente vocati, ad Chriſtum adorandum, cum tamen ipſe in virili ætate conſtitutus, rex noluerit reputari, *tr.2. d.8. n.11.*

*Manna.*

Refert beatitudinem cœleſtem, *tr.10. d.9. per totum.*

*Marcion.*

Ut Romam falsâ ſuâ doctrinâ imbueret impudicam quamdam mulierem præmiſit, *tr.13. d.6. n.12.*

*Mardochæus.*

Cur ſibi crucem, & non aliud quodcumque tormentum expertus fuerit in vindictam? *tr.2. d.5. n.15.*

*S. Margarita Filia Regis Hungariæ.*

Ad nuptias tranſire tenuit, *tr.14. d.11. n.9.*

*Margarita.*

Primum inter gemmas locum obtinet, *tr.14. d.1. n.20.*

Naſcuntur in regionibus barbaris, *tr.16. d.16. n.8.*

In aceto reſolvuntur, *tr.18. d.5. n.4.*

*B. V. MARIA.*

Quam fuerit cauta in vitanda adulatione, *tr.2. d.1. n.6.*

Meritò dicitur Virgo prudentiſſima, & quare? *ibid.*

Cur fuerit turbata, *ibid.*

Cur S. Joſepho deſponſata, *tr.2. d.2. n.5.*

In die Purificationis ſuæ Chriſtum portavit Jeroſolymam: explicatur myſticè, *tr.3. d.1. n.12.*

Potius dignitati Matris Dei, quàm virginitati renuntiare voluit, *tr.14. d.5. n.4.*

Inter ipſam & Joſephum verum fuit matrimonium, *tr.14. d.1. n. 3.*

Quanti candorem virginalem æſtimaverit, *tr.14. d.11. n.4.*

Apparente Gabriële Archangelo conturbata fuit, *tr.14. d.20. num. 12.*

*S. Maria Ægyptiaca.*

Deus cor illius in templo Jeroſolymitano tetigit, & commovit, *tr.21. d.6. n.3.*

*S. Martinus Epiſcopus.*

Quid reſponderit cuidam aurigæ, circa virtutem diſcretionis, *tr.1. d.1. n.15.*

Ab infante quatuor ab ortu hebdomadas habente innocens à calumniâ ſibi illata declaratus eſt.

*Martyr.*

*Vide Cœlum & Beatitudo.*

*Matrimonium.*

Jejunij virtus conjuges liberat, à malo zelotypiæ, *tr.1. d.9. num. 12.*

*S. Matthæus Apoſtolus.*

Singularis virginitatis cultor, virginitatem docuit filiam Regis, *tr.1. d.10. n.18. & tr.14. d.11. n.6.*

Jejunio addictiſſimus, *ibid.*

*B. Matthæus de Baſcio.*

Quem notabilem caſum habuerit Venetijs cum Diabolo, *tr.6. d.8. n.17.*

*Medicina.*

Eadem uni proficua, & alteri nociva eſt, & quare? *tract.1. d.1. n.3.*

Quid ſit, mederi ad inſtar urſi, *tr.2. d.7. n.9.*

Medicinam ſumpturi, quinque puncta conſiderent, *tr.1. d.1. num. 3.*

*Meditatio.*

Sacra quantam afferat utilitatem, *tr.2. d.2. n.7. Vid. Oratio.*

*Mel.*

Cur ſibi noluerit offerri Deus, *tr.2. d.2. n.4.*

Significat adulationem, *ibid. n.4. & 9.*

Diabolo olim offerebatur.

*Methodius Epiſcopus.*

Æſtimabatur Idolorum cultor, quia ſacras imagines plurimùm venerabatur, *tr.12. d.4. n.26.*

*Methodius Patriarcha.*

Quâ ratione ſe à calumnijs defenderit? *tr.12. d.7. n.9.*

*Fr. Michaël de Barea.*

Quibus promiſſis Chriſtianos à Bacchanalium diſſolutionibus abſtraxerit, *tr.9. d.13. n.5.*

*Mineræ.*

Pretioſorum metallorum inter montium prærupta reperiuntur, *tr.16. d.16. n.8.*

*Minerva.*

Sicut & Muſæ velut virgines honoratæ fuerunt, *tract. 13. d.17. n.2.*

*Miniſter juſtitiæ.*

Gentilis viſa fortitudine Martyrum Chriſti fidem profeſſus eſt, *tr.10. d.22. n.21.*

*Moab.*

Proprium filium in conſpectu inimici jugulavit, *tr.9. d.18. num. 2.*

*Montanus.*

Priſcæ & maximillæ operam ad ſuum habendum intentum adhibuit, *tr.13. d.6. n.12.*

*Mors, Mori.*

Mortuorum trium à Chriſto ſuſcitatorum myſticus ſenſus, *tr.2. d.6. n.4.*

Cur tres tantum Chriſtus mortuos ſuſcitaverit, *ibid.*

Quid ſit, Mortuum ſepelire mortuum, *tr.2. d.6. n.4. & 12.*

Omnis Rex mortuus abominabilis eſt omnibus, *tr.3. d.6. n.3.*

*Mulier.*

Converſatio mulierum mortifera, *tr.13. d.21. per totum.*

Mulierum conſortium pluribus ex capitibus fugiendum eſt, *ibid. n.2. & ſeqq.*

Diabolus ad tentandum homines muliere velut inſtrumento utitur, *tr.13. d.21. n.5. & 6. & 10.*

Id quod exemplis oſtenditur, *ibid. n.11.*

Mulieres divinam juſtitiam fulmine obarmant, *tr.13. d.21. n.13. & 14.*

In cor hominis tyrannidem exercet, *ibid. n.17.*

Multa corpori & animæ damna adfert, *tr.13. d.22. per totum.*

Probatur exemplis, *ibid. n.7. &c.*

Procul ab eis recedendum eſt, *ibid. n.9.*

Diverſæ ad id ſimilitudines adducuntur, *ibid. n.10. & 11.*

Mulieri vicinum eſſe, & non labi ingens miraculum eſt, *ibid. n.14. &c. & d.23. per totum.*

Mulieres columnas firmiſſimas proſternere valent, *tr.13. d.23. per totum.*

Omnium malorum cauſæ ſunt, *ibid. n.3. & ſeqq.*

Fugiendæ ſunt, *ibid. n.10.*

Varij hac de re caſus recenſentur, *ibid. n.14. &c.*

Ad converſationem cum mulieribus ineundam bona intentio non ſufficit, *ibid. n.16.*

Viri etiam ſanctiſſimi turpiter lapſi ſunt, eò quod mulierum conſortium non fugerint, *tr.13. d.24. per totum.*

Non eſt in hac re proprijs fidendum viribus, *ib. n.1. & ſeqq.*

Probatur ex locis Scripturæ, *ibid. n.3. & ſeqq. vide Carnis vitium.*

Mulier Ægyptia ob crocodilum educatum felix æſtimata fuit, *tr.13. d.10. n.13.*

Mulier impudica familiam ſuam licet honoratam & nobilem per multa ſæcula infamem reddere poteſt, *tr. 13. d. 16. num. 5.*

Mulier ſpeciale quoddam dæmonis eſt inſtrumentum, *tr. 13. d.21. per totum.*

Mulierum converſatio pernitioſa eſt, *ibid. per totum.*

Mulier ex viſceribus viri creata fuit *tr.14. d.14. n.4.*

Mulieres ter ſolum in vitâ foris extra domum ſuam, videri ſe permittere debent, *tr.14. d.21. n.4.*

Mulier ad Eccleſiam velata accedere debet, *tr.14. d.35. n.1.*

In Eccleſijs pſallere ſeu cantare prohibentur, *tr.14. d.15. n.4.*

Illarum converſatio fugienda eſt, *tr.14. d.29. n.12. & 13.*

*Mundus.*

A S. Carolo aſſimilatur pomo, *tr.3. d.7. n.5.*

Mundus & omnia alia bona creata, in comparatione animæ nihil valent, *tr.7. d.19. n.1. 2. 3. &c.*

*Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur &c.* explicatur inibi, *d.19. per totum.*
Deus animam ſuam pro una dedit animâ, & non pro mundo toto, *ibid. n.1.*
Tota cruciatuum cauſa in divite epulone condemnato, fuit, quòd mundi hujus bona recepiſſet, *tr.8.d.6. n.1.2. &c.*
Sæculum nequam, quod ſolos ſuos ſic ſolet beare amicos, ut Dei faciat inimicos, *ibid. n.2.*
A Deo nos divertit & ſeducit, *tr.8.d.8. n.1.2. &c.*
Amor ejus incomparabilis eſt cum divino, *tr.8.d.13.n.1.&c.*
Bona tantùm apparentia habet, nulla vera, *tract.8. d.23. per totum*
*Præterit figura hujus mundi.* Elucidatur *loc. cit. per totum.*
Pluribus & notabilibus epithetis deſcribitur mundus, *ibid.n.1.*
Mundus non ridet, ſed riſum ſimulat, ut irrideat, *tr.8. d.23. num. 11.*
Nec ipſis fidem ſervare poteſt amatoribus ſuis, *ibid. n.15.*
Tantus quantus, nihil eſt, *tr.8. d.31. per totum.*
Mundus eſt magna quædam Roma, & Roma parvus quidam mundus, *tr.10.d.5.n.1.*
Mari aſſimilatur, *tr.10.d.18.n.7. & 8. Item tr.16. d.7. n.2.*
Mundum facile deſpicit, qui in cœlos oculum defigit, *tr.10. d.17. per totum, & d.22. per totum.*
Mundanorum coronæ ex floribus, beatorum verò coronæ ex auro ſunt factæ, *tr.10.d.25.n.3. & 4.*

*Moyſes.*
Per jejunium in divinitatis gloriam mutatus fuit, *tr.1.d.4. num. 1.*
Soli innixus jejunio, faciem videre cupit divinam, *tr.1.d.5. num. 8.*
Cur ipſe ſolus cum Eliâ transfigurationi interfuerit, *tr.1. d.5. n.16. & 17.*
Vi jejunij legem accepit, & cum Deo velut amicus cum amico locutus eſt, *tr.1.d.5.n.19.*
Nuncupatur Prophetarum turris, *tr.1.d.5.n.16.*
Ob ſolum jejunium electus eſt promulgator legis antiquæ, *tr.1.d.8. n.3.*
Sola ſobrietate omnia adimplevit veteris legis præcepta, *ib.*
Propter intemperantiam populi fregit tabulas, *ibid.n.4.*

*Navis.*
Vacua facile undas ſulcat, ita & jejunus facile mundi hujus fluctus percurrit, *tr.1.d.6.n.7.*

*Negligentia.*
Primum Adæ peccatum fuit negligentia, *tr.3.d.1.n.3.*

*Nequam, Nequitia.*
Nequitiæ ethymologia, *tr.2.d.1.n.10.*
Nequam, proprium eſt dæmonis nomen, *ibid.*
Competit & mundo, *tr.8.d.5.n.2.*

*Nero.*
Prima ejus ruinæ cauſa & radix, fuit adulatio, *tr.2.d.5.n.13.*
Sub Senecæ diſciplina conſtitutus, virtuoſus & mitis, poſtea verò crudelis factus fuit, *tr.17.d.11. n.2.*

*Ninivitæ.*
Nos docent, jejunium eſſe medium ad præcavenda & abolenda peccata, nec non ad divinam placandam juſtitiam, *tr.1. d.19. per totum.*
Diſcutitur ille textus: *Homines & jumenta &c. non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, ibid.*
Ninivitarum Rex appellatur medicus, & quare, *ibid.n.2.*
Paſtorem habuere Sardanapalum, *ibid. n.4.*

*Noë.*
Naturâ ſuâ Angelus exiſtimatus fuit, *tr.17.d.4.n.3.*

*Nomen JESU.*
Joſue victoriam contulit, *tr.19.d.18.n.9.*

*Numerus.*
Electorum exiguus eſt, *tr.10.d.18.n.8.*

*Oblatio.*
Cur olim apud Hebræos præter aurum & gemmas etiam caprarum pili oblati fuerint, *tr.10. d.1. n.5.*

*Occaſio & Occaſiones.*
Pravæ ſunt fugiendæ, probatur exemplo notabili cujuſdam Angeli, *tr.6.d.15.n.13.* Et S. Eliæ Prophetæ, *tr.6.d.14.n.7.*
Occaſio peccati quantùm fugienda, *tr.9.d.15. n.1&. & ſeqq. & tr.13.d.28. per totum. Item tr.19.d.17.n.7.*
Fuga occaſionum divinum quid in ſe habet, *tr.14.d.15.n.12. & d.28. per totum.*
Occaſiones peccandi etiam fortiſſimos periclitari faciunt, *tr.9. d.16. per totum.*
Varij juſti ob non declinatas occaſiones lapſi ſunt, *ibid.*
Cum ſerpentibus abſque veneni toxico contracto ludere difficile eſt, *tr.9.d.20. n.7. & tr.13.d.23. per totum.*
Carnalem concupiſcentiam fugere non ſufficit, niſi etiam occaſiones deſerantur, *tr.13.d.30. per totum.*
Vide V. *Mulier.*

*Oculus.*
Quantò purior tantò acutior eſt ad videndum, *tr.10. d.17. num. 14.*
Minimus pulviſculus illum offuſcat, *ibid.*

*Oleum.*
Eſt adulationis ſymbolum, *tr.2.d.2.n.8. & tr.2.d.3.n.1.&c.*
Exanimat apes & omnia inſecta, *ibid. d.3 n.2.*
Omnibus liquoribus ſupernatat, *tr.2.d.3. n.2.*
Quid ſit; oleum vendere peccatores, *ibid. n.3.*
Denotat teſtimonium bonæ conſcientiæ, *ibid.*
Juxta naturam rerum, quibus affunditur, ſuam ſemper naturam mutat, *tr.2.d.3.n.4.*
*Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Elucidatur. *loc. cit. d.3. per totum.*

*Opus bonum.*
Per hoc cœlum acquiritur, non verò per diſſolutiones, *tr.9. d.12. per totum.*
Vide V. *Bacchanalia.*

*Oratio.*
Et jejunium ſunt duæ alæ ad cœlum, *tr.1.d.6. n.16.*
Nihil oratione ſublimius, nihil potentius, *ibid.*
Fit efficax per jejunium, *ibid. & n.17. & 18.*
In ſua puritate mirè fovetur per jejunium, *ibid. n.17.*
Oratio ſine jejunio, eſt miles ſine armis, ſeu arma ſine milite, *tr.1.d.6.n.17.*
A jejunio devotionem aſſequimur & fiduciam, *ibid. n.20.*
Semper eſt ſocianda jejunio, *ibid. n.20. & 22.*
Oratio jejunium ſanctificat & roborat, *ibid. n.20.* Illudque Domino repræſentat, *ibid.*
Nos Angelis efficit familiares, *tr.6. d.12. n.1.2.3. &c.*
Singulariter oblectat Angelos, *tr.6.d.14.n.11.*
Explicatur textus: *Quando orabas cum lacrymis &c. tr. 6. d.12. per totum.* Ubi plurima alia invenies de orationis præſtantiâ & efficacia.
Caſtitati conſervandæ inſervit, *tr.14. d.25. per totum.*
Gratiſſimæ Deo ſunt orationes, *tr.21.d.4.n.3.*

*Ornamenta mulierum.*
Graviter reprehenduntur, *tr.14.d.21. n.13.*

*Otium.*
Cauſa omnis mali, *tr.14. d.26. per totum.*

*Palma.*
Cur in Dominica Palmarum Chriſtus è templo ejecerit ementes & vendentes, *tr.2.d.8.n.10.*
Cur ea die inſederit aſino, *tr.3.d.4.n.1.*

*Pallas.*
Ab antiquis tamquam Dea Sapientiæ in ſpecie Virginis pingebatur, *tr.14.d.10.n.18.*

*Papa, Papatus.*
Quantum ei ſit annexum onus, *tr.4. d.17. n.8.*
Sedes Pontificia ſpinis ſcatet, *tr.3 d.8. n.3. & 4.*
Punitur à Deo, papalem poteſtatem negans, *tr.2.d.5.n.17.*

*Parcitas.*
Vide V. *Abſtinentia.*

*Pardi.*
Symbola ſunt adulatorum, *tr.2.d.6.n.10.*

*Paſcha.*
Cur Eccleſia nobis communionem præſcribat, potius in tempore paſchali, quàm alio, *tr.1.d.7. n.6. & 7.*
Numquam comedit Chriſtus carnes, niſi de Agno paſchali, *tr.1.d.3. n.7.*

*S. Paula.*
Qualiter ſuam, ſuarumque caſtitatem foverit, *tr.1.d.9.n.10.*

*S. Paulus Apoſtolus.*
In tertium cœlum rapitur, propter trium dierum jejunium, *tr.1.d.5.n.22. & d.6.n.8. & d.7.n.13.*
An intuitu ſolius caſtitatis jejunaverit, *tr.1.d.8. n.7.*
Adulationem generosè vicit, *tr.2.d.2.n.9. vide inibi latius.*
Nos voluptates fugere docet, *tr.13. d.10. n.11.*
Luctam carnis ſummè formidat, *tr.13. d.24.n.4.*
Corpus caſtigabat ut ſpiritui obediret, *tr.14.d.10. n.18.*

*S. Paulus.*
Diſcipulus Antonij Magni, qualem habuerit viſionem circa peccatores converſum, *tr.6.d.11. n.16.*

*Paulus Epiſcopus Samoſatenus.*
In die Paſchatis concubinas ſuas hymnos à ſe laſcivè compoſitos canere jubebat, *tr.14.d.32.n.10.*

*Pauperes.*
Illis elargiri debemus, quæ ex patrimonio lucramur &c. *tr.1.d.2. n.5.6.7.8. & 9.*
V. *Abſtinentia. Jejunium. Eleëmoſyna.*

*Pax.*
Vera pax eſt bona conſcientia, *tr.16.d.11.n.4.*

*Peccatum.*
Semper habet annexam erubeſcentiam, *tr.2.d.4.n.2.3.*
Omnis peccati initium, ſuperbia, *tr.3.d.2. per totum.*
Peccans aſſimilatur extruenti parietem, *tr.d.5.n.5.*
Eſt armatura dæmonis, *tr.19.d.12. per totum.*
Peccatum ſerpenti aſſimilatur, *tr.14.d.18.n.5.*

*Pediculi.*
Deſignant adulatores, & quare, *tr.1.d.10.n.2.*

*Pelagia.*
Cum duab. ſororibus ex tecto ſe dejecit, *tr.14.d.11.n.20.*

*Peregrinatio, Peregrini.*
Tota vita noſtra nil niſi peregrinatio, *tr.8.d.21.per totum.*
Peregrini ex tribus potiſſimum dignoſcuntur, *ibid.n.9.*
Diverſæ aliæ adducuntur peregrinorum conditiones, *ibid. n.10.&c.*

*Perfecti.*
Præ alijs tentationibus infeſtantur, *tr.14.d.15.n.11.*

*Perfectio Chriſtiana.*
Triplici nititur fundamento, innocentiæ, jejunij & temperantiæ, *tr.1.d.7.n.1.*

*S. Perpetua.*
Scalam quamdam vidit gladijs acutiſſimis plenam, *tr.10. d.24.n.13.*

*S. Petrus Apoſtolus.*
Jejunio promeruit, ut in eo loqueretur Chriſtus, *tr.1.d.4.n.2.*
Cur poſt præclariſſimam de Chriſto confeſſionem, acriter fuerit à Chriſto reprehenſus, *tr.2.d.8.n.9.*
Lapſus eſt in aula, foris ſecurus, *tr.3.d.3.n.4.*
Incarceratio, duæ catenæ, ejusque per Angelum è carcere liberatio moraliter explanatur, *tr.6.d.10.n.13.*
Cur de ignorantia arguatur ab Evangeliſta, *tr.10.d.18.n.6.*

*Peſtis.*
Symbolum adulationis, *tr.2.d.3.n.6.7.8.& tr.2.d.8.n.4.*
Differentia inter peſtem & alios morbos, *tr.2.d.3.n.7.*
Rarius infeſtat magnates, *ibid.n.8.*

*Phariſæus.*
Evangelicus cur non ſuperbierit de ſua caſtitate, *tr.1.d.9. num.11.*

*S. Philippus Nerius.*
Hominem carnalem accedens nares obturabat, *tr.13.d.16. num.20.*
In medijs conſolationibus animi patiebatur deliquium, *tr.10.d.9.n.7.*
Eum qui ipſum pervertere moliebatur, convertit, *tr.17.d.11. num.11.*
Sæpè rapiebatur in extaſim, *tr.16.d.2.n.6.*
Numquam viſus eſt vultu melancholicus, *tr.16.d.4.n.3.*
Franciſcum Mariam Torigium Deo lucratus eſt, *tr.16.d.12. num.4.*
Corpus ejus etiamnum viventis ſuaviſſimum ſpirabat odorem, *tr.14.d.12.n.9.*

*Philippus II. Hiſpaniarum Rex.*
Fœminam circa pectora nudam faſtidivit, *tr.13.d.29.n.9.*

*Philoſophus.*
Quidam in faciem ſpuit cujusdam divitis, & quare, *tr.7. d.18.n.10.*

*Philoſophi.*
Quid pro illorum calumnia Ariſtippus reſponderit, *tr. 17. d.11.n.10.*
Veram felicitatem in virtuosè operando conſiſtere dicebant, *tr.16.d.5.n.3.*

*Pilatus.*
Quare dicto: *Quid eſt veritas:* mox exiverit, *tr.2.d.11.n.11.*

*Piſces.*
Non edebantur à fidelibus, in primis naſcentis Eccleſiæ temporibus, *tr.1.d.5.n.5.*
Aſſimilantur homini, *tr.8.d.6.n.5.*
Deus indulſit primitùs Adamo dominium, non eſum piſcium, *tr.1.d.5.n.5.*
Eſum piſcium illi permiſit, quando paradiſo indignus erat, *ibidem.*

*Pius V. Pontif. Max.*
Quàm præclarè ſenſerit de honoribus, *tr.3.d.4.n.11.*

*Planeta.*
Benignus maligno aſſociatus quid efficiat, *tr.17.d.3.n.2.*

*Plato Philoſophus.*
Divini nomen ſortitus eſt, *tr.11.d.10.n.8.*
Deum offendere vetuit, *ibid.*
Ejus dictum de republica, *tr.18.d.4.n.8.*

*Plinius.*
Prætor Siciliæ, quid Trajano Imperatori ſcripſerit, de antiquorum Chriſtianorum vitâ & moribus, *tr.5.d.4.n.16.*

*Plutarchus.*
Bonum amicum ab adulatore diſcernere docuit, *tr.17.d.1.n.4*

*Prædicatores.*
Quantam gloriam, & lucrum ſibi comparent, animas convertendo, *tr.7.d.14.per totum.*
Singulariter oblectant Redemptorem, *tr.7.d.14.n.16.*
Officio funguntur ſummè divino, *ibid.n.2.*
In reprehendendis vitijs; locorum, temporum & perſonarum curam habeant, *tr.1.d.2.n.1.*
Amandi ſunt, quia amant, *tr.2.d.8.n.5.*
Plura de illorum officio, obligatione & excellentia, Vide *tr.8.in dd.* varijs, præſertim autem *d.14.*
Prædicationis ſuæ rete in dexteram mittere debent, *tr.10. d.17.n.1.& ſeqq.*

*Pœnitentia.*
Contra illos qui pœnitentiam procraſtinant, *tr.7.d.19.n.16.*
Vide V. Confeſſio Sacramentalis, *per totum.*

*Policarpus.*
A Tyranno ad Deum negandum inſtigatus quid reſponderit, *tr.15.d.13.n.12.*

*Pompejus.*
In obſidione Jeroſolymitana victus fuit, *tr.21.d.11.n.9.*

*Pomum.*
Vide V. *Adam.*

*Populus Hebræus.*
Ex Ægypto egreſſus tres milliones hominum numerabat, *tr.16.d.4.n.11.*

*Præceptum.*
Legalia, Judicialia & Cæremonialia præcepta ad numerum ſexcentorum tredecim aſcendebant, *tr.16.d.10.n.1.*

*Prædeſtinati.*
In ovibus figurantur, *tr.17.d.2.n.7.*

*Prælati.*
Quantum fructum cauſent bono ſuo exemplo, *tr.1.d.3.n.10*
Propter adulationem diſſimulant peccata, *tr.2.d.2.n.1.* Vitia ſua multiplicant & aliena, ac virtutes negligunt, *tract.2. d.5. num.8.*
Omnes ſunt cæci, *tr.3.d.4.n.10.*
Mirabile, ſi ſalventur multi Prælatorum, *tr.3.d.5.n.4.*
Quas habeant obligationes, *tr.3.d.10.n.5.&c.*
Ad perfectionem ſunt obligati præ omnibus alijs, *tr.3.d.11. n.10. &c.*
Sunt in magno periculo ſalutis, *tr.3.d.13.n.4.& 5.*
V. *Ambitio, Anima, Honores, Principes.*

*Prælaturæ Eccleſiaſticæ.*
Ad ſubditorum non dominium, ſed famulitium ordinatæ, *tr.3.d.16.n.1.2.&c.*
Quam importent obligationem & pericula, *tr.3.d.18.n.12. & 13.& d.16.n.5.& 6.*
V. *Honores & Dignitates.*

*Princeps.*
Quidam in mancipatu conſtitutus, viſo curru riſit, & quare, *tr.3. d.7.n.17.*

*Principes.*
Nolunt videri erraſſe, *tr.2.d.2.n.6.*
Summa timeant diſcrimina ſibi ab adulatoribus, *tract.2.d.2. num.8.*
Quales debeant adhibere conſiliarios, *tr.2.d.4.n.7.*
Adulatio perpetuum eſt malum Regum & Principum, *tr.2.d.10.n.6.*
Veritas præferenda eſt omnibus Principibus, *tr.2.d.10.n.11.*
Eorum domus dicuntur templa ſeu delubra propter duas cauſas, *tr.2.d.11.n.2.*
Veritas exulat ab aulis Principum, *tr.2.d.11.n.12.*
Tribus maxime rebus indigent magnates, *tr.2.d.11.n.12.*
Principatum omnium nullus humiliter poteſt ferre, niſi Deus increatus, *tr.3.d.4.n.7.*
Filij Principum nihil addiſcunt præter equitare, & quare, *tr.2.d.11.n.8.*
Philippus II. Quamvis Monarcha potentiſſimus, ſemper tamen tribus ſe carere lamentabatur, *ibid.n.12.*
Magni faciunt adulatores ſuos, qui tamen eos excæcant, omnemque ipſis occultant veritatem, *tr.2.d.11.per totum.*
Vitâ & gloriâ fruuntur brevi, *tr.3.d.7.per totum.*
Plurimis ſubjiciuntur periculis & anxietatibus, *tr.3.d.8.per totum.*
Numquam ſunt contenti, *ibid.n.4.*
Innumeris expoſiti ſunt inſidijs, *ibid.n.8.*
Dominium eorum non eſt niſi ſervitus, *tr.3.d.16.n.3.4.& 5.*
Deus de illis lamentatur Principibus qui blaſphemos non puniunt, *tr.11.d.12.n.15.16.& d.11.per totum.*
In caſtigandis malis rigoroſi eſſe debent, & in Dei honore defendendo zeloſi, *tr.11.d.10.n.10.*
V. *Ambitio, Prælati.*

*Proſperitas temporalis*
Eſt cauſa damnationis æternæ, & perpetuis compenſatur tormentis, *tr.8.d.6.per totum.*
Procedit à Deo, *tr.8.d.8.n.1.2.&c.*
Difficulter compatitur virtutem & perfectionem, *ibid.n.8. 9.10.& d.9.per totum.*
Facilius in eâ quàm in alijs anguſtijs, cadit quis in peccata, & difficilius ſalvatur, *tr.8.d.10.per totum.*

In periculum adducit animas, quæ eâ florente aures ſuas occludunt Deo, *tr.8.d.13.n.1.2.3.&c.*

Non eſt indicium divini in nos amoris, *ibid.n.16.&c.*

A S. Severino & pluribus alijs contempta, *tr.8.d.20.n.16.*

Probatur variè ejus inſtabilitas, *tr.8.d.24.per totum.*

Tanta quanta vanitas eſt,& NIHIL, *tr.8.d.31.per totum.*

V. *Ambitio,Bona,Divitiæ,Mundus.*

*Ptolomæus.*

Terram in comparatione ad cœlum punctum quoddam eſſe probat, *tr.10.d.3.n.8.*

*Quadrageſima.*

Et quatuor tempora quomodo fuerint inſtituta, *tr.1.d.18.n.1.&c.*

Reprehenſibiles ſunt, qui Quadrageſimam ſub varijs prætextibus violant, *ibid.n.9.& 15.*

In Quadrageſima ſunt ciborum deliciæ vitandæ, *tr.1.d.2.n.4.5.6. & 7.*

Tempus jejunij quadrageſimalis dicitur caſtum & divinum, *tr.1.d.4.n.3.*

Significatur in apertione feneſtræ Noëticæ poſt quadraginta dies, *tr.1.d.5.n.11.*

Cur præmittatur paſchali? *tr.1.d.7.n.6.& 7.*

V. *Abſtinentia,Jejunium.*

*Reginaldus Polus.*

Cardinalis quàm vilem habuerit corporis ſui æſtimationem, *tr.7.d.16.n.2.*

*Religioſi,Religio.*

Non glorientur de ſimplici qualitate ciborum,*tr.1.d.2.n.2.*

Quomodo abſtinere debeant, *tr.1.d.1.n.12.*

Abſtinentes ſunt naturale centrum divinæ ſapientiæ, *tr.1.d.6.n.1.*

Quibus debeant frui cibis, *tr.1.d.8.n.6.*

Differentia, quam recenſet Pius V. inter ſtatum religioſum,Cardinalitium & Papalem, *tr.3.d.4.n.11.*

Religiones ſunt ſcholæ perfectionis, *tr.18.d.5.n.9.*

Religioſi ſemper ſuſtentârunt Eccleſiam, *tr.16.d.1.n.7.*

Per viam aſperam ad perfectionem progrediuntur,*ibid.&c.*

Religioſus proximi lapſum audiens quid dixerit,*tr.18.d.8.n.1*

*Rex Aſſuerus.*

Aman in lecto Eſther decumbentem videns indignatus eſt, *tr.21.d.10.n.8.*

*Rex Reges.*

Rex qui potiùs mori elegit,quàm ligari, *tr.4.d.11.n.20.*

In regnando conſortem non patitur, *tr.10.d.29.n.1.*

Rex Navarræ quemdam amicum ſuùm ob blaſphemiam in vincula conjecit, *tr.11.d.5.n.18.*

Caroli Magni contra blaſphemos edita decreta, *tr.11.d.13.num.2.*

Reges cur hodie pauci canonizentur, *tr.2.d.5.n.9.*

V. *Pricipes.*

*Rex Bohemiæ.*

In bello victus ad potentiam ſe recepit, *tr.16.d.13.n.6.*

*Reprobi.*

In hædis deſignantur, *tr.17.d.2.n.7.*

Sicut oves ad Infernum currunt, *ibid.*

*Riggardus Epiſcopus.*

Corpus ejus poſt mortem mirè reſplenduit, *tr.14.d.22.n.6.*

*Riſus.*

Corporalis in cœlo non reperitur, *tr.10.d.8.n.1.n.7.*

Sardonicus riſus unde derivetur? *tr.9.d.10.*

*Roma.*

Eſt parvus quidam mundus, *tr.10.d.5.n.1.*

Romæ propter theatrorum frequentiam ſcelera increbuerunt, *tr.9.d.3.n.4.*

*Romani.*

Ad nihilum redacti ſunt propter adulationem, *tr.2.d.5.n.12*

Qualem exercuerint tyrannidem in obſidione Jeroſolymitanâ propter auri cupiditatem, *tr.8.d.28.n.9.*

Laudabilis praxis, quam ſervarunt circa ſuos triumphatores, *tr.3.d.4.n.5.*

*Roſa.*

Roſæ ſubitò langueſcunt & deficiunt, *tr.13.d.25.n.4.*

*Rota.*

Symbolum eſt honoris & proſperitatis, *tr.3.d.4.n.2. & tr.3.d.7.n.17.*

*Rupertus Imperator.*

Blaſphemo gratiam præſtare renuit, *tr.11.d.5.n.18.*

*Ruth.*

Propter jejunium ſuum meruit conjux fieri Booz,& radix ſtirpis Davidicæ, *tr.1.d.9.n.12.*

*Sabinianus Hæreticus.*

Librum ſub nomine S. Hieronymi in lucem edidit, varijs hæreſibus reſperſum, *tr.12.d.5.n.9.*

*Sacramenta.*

Viæ ſecuræ ſunt,per quas itur ad cœlum, *tr.21.d.6.n.6.*

*Sacerdos.*

Locum Dei obtinet, *tr.15.d.3.per totum.*

Illi conſignatæ ſunt claves regni cœlorum,*ibid.*

In confeſſione mitis eſſe debet, *tr.15.d.27.n.8.& 9.*

Sacerdotes Hebræi in deſperationem agebant ad ſe recurrentes, *tr.15.d.3.n.17.*

Sacerdotes lucernæ ardentes eſſe debent, *tr.18.d.4.n.7.*

*Salomon.*

Variæ conſiderantur Salomonis deliciæ & voluptates, quibus licet copioſè fruitus fuerit, illas tamen vanitatem, & nihil appellavit,quæ proinde veritas fuſiùs elucidatur,*tr.8.d.31.per totum.*

*Samſon.*

In ſinu Dalilæ dormiens ſpiritum Dei amiſit, *tr.14.d.32.n.6. & tr.13.d.4.n.10.*

*Sancti.*

In hac vita ſub obſcuro ambulant, *tr.10.d.24.n.9.*

Non canonizantur, niſi præmiſſo de eorumdem paſſionibus toleratis proceſſu, *tr.10.d.24.n.15.*

Sancti etiam nonnumquam recreationibus indulgere, & lætari poſſunt, *tr.9.d.19.per totum.*

Qui ſimul Virgines & caſti fuerunt magnâ nituerunt ſapientiâ & ſcientiâ, *tr.14.d.10.per totum.*

*Satrapæ.*

Babyloniæ in Danielem oculos defixos habebant, *tr. 14.d.15.n.10.*

*Saul.*

Culpam in populum rejicit, quia Principes nolunt videri erraſſe, *tr.2.d.2.n.6.*

Samuelem vult adulatione ſupplantare, *ibid.*

Deo inobediens ab eodem punitus fuit, *tr.10.d.19.n.4.*

Aſinas inſecutus eſt,cum de ipſo coronando ageretur, *tract. eodem,ibid.*

*Scipio.*

Cur Africanus vocatus fuerit, *tr.19.d.2.n.11.*

*Scorpio.*

Symbolum adulatoris, *tr.2.d.6.n.8.*

*S. Sebaſtianus.*

Quibus motivis SS. Marcum & Marcellianum traduxerit ad fidem, *tr.8.d.23.n.15.*

*Semiramis.*

Concubina Nini Regis Babyloniæ unius diei domino potita Regem interfecit, *tr.13.d.18.n.14.*

*Seneca.*

Lucillum ad malam ſocietatem fugiendam adhortabatur, *tr.17.d.2.n.9.*

*Senſualitas.*

Impedit quo minus Sol divinus videatur, *tr.14.d.10.n.14.*

*Sententia.*

Diogenis pulchra & appoſita, *tr.10.d.11.n.15.*

*Sepulchrum.*

Eſt adulatoris ſymbolum, *tr.2.d.3.n.8.& d.61.n.12.*

*Sergius Papa.*

A puero novem dierum declaratus eſt innocens, *tr.12.d.5.num.13.*

*Sermones.*

Spirituales quantum fructum afferant notabili probatur exemplo, *tr.6.d.16.n.7.*

*Serpens.*

Detrahens pellem ſibi in anguſtiſſimis locis, jejunanti comparatur involuntario, *tr.1.d.8.n.2.*

Primitus ad humanam recreationem fuit creatus,*tr.2.d.1.n.3*

Summè recreativus Evæ, *ibid.*

Comparatur adulatori, *ibid.*

Cur à dæmone adhibitus ad tentandos protoparentes, *tr.2.d.1.n.3.*

Protoparentibus loquens,cujus fuerit formæ & figuræ, *ibid. num.5.*

Serpentina exprimitur natura, *tr.3.d.4.n.9.*

Typus eſt prudentiæ, *tr.17.d.10.n.10.*

Inter duarum petrarum anguſtias pellem veterem exuit, *tr.18.d.12.n.3.*

*S. Severinus.*

Epiſcopus Colonienſis, quomodo contempſerit proſperitatem ſæcularem, *tr.8.d.20.n.16.*

*Simachus.*

Societatem bonorum inter bona fortunæ enumerat, *tr.17.d.1.n.10.*

*S. Simeon Stylites.*

De ſtupro calumnioſè accuſatus fuit, *tr.12.d.6.n.13.*

*Simia.*

Symbolum adulatoris, *tr.2.d.3.n.5.& d.11.n.1.*

Omnia

Omnia imitatur,quæ videt, *tr.2.d.3.n.5.*

Sola inter beſtias Domino inutilis, *ibid.*

*Simon Tornacenſis.*

Doctor Pariſienſis propter blaſphemiam ſtultus effectus eſt, *tr.11.d.6.n.12.*

*Simon Curvai.*

In ſimilem amentiam eamdem ob cauſam incidit, *ibid.n.11.*

*Simon Magus.*

Ad zizania ſua diſſeminanda meretricis cujuſdam opera uſus eſt, *tr.13.d.6.n.11.*

*Simonia.*

Duos habet auctores, unum in veteri,alterum in novo Teſtamento, *tr.8.d.14.n.5.*

*Sobrietas.*

Exceſſum cohibet in potu, *tr.1.d.1.n.2.* & nimium ciborum appetitum, *ibid.n.9.*

Eſt character Chriſti, *tr.1.d.4.n.8.*

Sobrietas ſacris litteris intelligendis & ſcientijs acquirendis eſt apta, *tr.1.d.6.n.15.*

Eſt Sacrificium veſpertinum & matutinum, *tr.1.d.1.n.10.*

Nequit lex Dei ſubſiſtere ſine illa, *tr.1.d.8.n.4.*

Varij illius effectus, *ibid.n.12.*

V. *Abſtinentia,Jejunium.*

*Socrates.*

Quid Theodotæ meretrici reſponderit, *tr.17.d.5.n.4.*

*Sol.*

Illuminat quidem,ſed tamen oculos inſuper offendit, *tr.10.d.4.n.11.*

Aſtrologi aliquas in Sole maculas notant, *ibid.&c.*

*Sophronia Romana.*

Ferro ſibi pectus tranſegit, *tr.14.d.11.n.20.*

*Spectacula & Comœdiæ.*

Comici olim à communione arcebantur, *tr.9.d.8.n.7.*

V. *Bacchanalia & Choreæ.*

*Speculum.*

Halitu obſcuratur, *tr.17.d.8.n.9.*

*Spes.*

Humana quàm ſit fallax, *tr.10.d.15.n.8.*

V. *Mundus.*

*Spiritus Sanctus.*

Originarius verorum gaudiorum fons eſt, *tr.16.d.15.n.1.*

De ſpiritualibus gaudijs differens,metaphora fluminis utitur, *tr.16.d.4.n.1.*

*Spiritus infernales.*

Cur à Chriſto porcos ingrediendi facultatem petierint, *tr.10.d.19.n.3.*

*Stellæ.*

Terrâ longè majores ſunt, *tr.10.d.3.n.2.*

Sunt innumerabiles, *ibid.*

In continuo ſunt motu, *tr.10.d.16.n.1.*

*Struthio.*

Ferrum digerit, *tr.13.d.1.n.15.*

*Superiores.*

Suos exaltant adulatores, *tr.2.d.10.n.9.*

V. *Prælati,Principes.*

*Superbia,Superbus.*

Omnis ſuperbus eſt dæmone plenus, *tr.3.d.1.n.12.*

Superbia initium omnis peccati, *tr.3.d.2.per totum.*

Signatur per gigantes,*ibid.n.4.*

V. *Ambitio.*

*Suſanna.*

Deum offendere noluit, *tr.12.d.5.n.2.*

*Sylla.*

Fuit impius declaratus, quia dives erat, *tr.8.d.10.n.6.*

*Sylverius Papa.*

De Simonia calumniatus fuit,ſed falsò, *tr.12.d.4.n.22.*

*S. Sylveſter Papa.*

Comœdos & Mimos à Communione prohibuit,*tr.9.d.8.n.7*

*Syrenes.*

Sunt ſignum adulatoris, *tr.2.d.5.n.10.*

Exprimitur earum genius & virtus, *tr.2.d.5.n.14.*

Struthiones ſignificant, *tr.13.d.1.n.15.*

Differentia inter Syrenes & ſtruthiones, *tr.13.d.1.n.15.*

Fabula de Syrenibus, *tr.13.d.7.n.7.*

Voluptatis ſymbolum ſunt, *tr.13.d.10.n.5.*

Eſſentia & proprietates earum deſcribuntur, *ibid.*

*Syria.*

Syriæ exercitus ſymbolum Inferni, *tr.2.d.5.n.14.*

Furit contra Joam,id eſt,adulatores, *ibid.&c.*

*Taurus.*

In agitatione vulneratus in ſtatuam hominis obviam ferocire incipit, *tr.19.d.2.n.1.*

*Tarpeia.*

A Sabinis ad cedendum illis Capitolium Romanum ſollicitata,conſenſit, *tr.13.d.25.n.14*

*Taycutama Imperator.*

Religionem Catholicam amplexus fuiſſet, ſi hæc illi carnis voluptatibus illicitis perfrui permiſiſſet, *tr.13.d.6.n.17.*

*Temperantia.*

Eſt character Chriſti, ſicut intemperantia character mundi, *tr.1.d.4.n.8.*

V. *Abſtinentia,Crapula,Jejunium.*

Perfectionis Chriſtianæ fundamentum, *tr.1.d.7.n.1.*

*Templum.*

S.Joannes in cœlo templum non vidit,& quare? *tr. 10. d. 15. n. 2.*

Templum Jani à Romanis pacis tempore claudebatur,*ibid.*

*Templum Salomonicum.*

Quot homines in eo laboraverint, *tr.21.d.17.n.1.*

*Tentatio.*

V. *Dæmon.*

*Theatra.*

Theatra bonos mores corrumpunt, *tr.9.d.3.n.4.*

Theatra omnis impudicitiæ ſeminarium,& nidus obſcœnitatum ſunt, *tr.9.d.4.per totum.*

Theatra propria dæmonum loca ſunt, *ibid.n.1.*

Theatra diaboli Sacramenta ſunt,*ibid.n.6.*

Theatra privata impudicitiæ conſiſtoria ſunt, *ibid.n.7.*

Theatra loca ſunt in quibus virgines venatum juvenes conveniunt, *ibid.d.4.n.9.*

Qui theatris opera dabant, non niſi in fine vitæ baptizabantur, *tr.9.d.8.n.7.*

*Vide Bacchanalia,Choreæ,Spectacula.*

*Theodoricus Imperator.*

Quàm horrendè puniverit quemdam adulatorem diaconum, *tr.2.d.5.n.27.*

*Theophilus Iconomachus.*

Cum ſuis aſſeclis ſacras imagines idola vocabat, *tr.12.d.4.num.26.*

*Theorida.*

Gladium exacuens quid reſponderit, *tr.12.d.2.n.10.*

*S. Thereſia.*

Tria præcipuè ſuis ſequacibus inculcavit documenta, & meditationis puncta, *tr.7.d.1.n.10.*

*S. Thomas Aquinas.*

Vocatus ad videndum volantem aſinum quid reſponderit, & quam methodum ſorori ſuæ præſcripſerit ad ſalutem aſſecurandam, *tr.10.d.27.n.1.*

Intelligere nequibat,quâ ratione homo peccato mortali obnoxius ridere poſſet, *tr.9.d.19.n.7.*

Dictum ejus ſive ſententia, *tr.14.d.35.n.16.*

*S. Thomas Cantuarienſis.*

Occiditur propter adulatorum malitiam, *tr.2.d.12.n.9.*

Quomodo quemdam monachum correxerit, à quo credebatur guloſus, *tr.1.d.2.n.2.*

*S. Thomas à Villa nova.*

Murmuratores audiens quid dixerit, *tr.18.d.1.n.6.*

*Thomas Waldenſis Carmelitanus.*

Hiſtoriam cujuſdam SS. Sacramentum altaris obſtinatè blaſphemantis graviter puniti adducit, *tr.11.d.6.n.10.*

*Tiberius Imperator.*

Qualiter è manibus inſidiantium ſibi ſe proripuerit, *tract.9.d.12.n.11.*

*Tinea.*

Adulatoris eſt ſymbolum, *tr.2.d.10.n.2.*

*Titus.*

Modum corrigendi proximum præſcribit, *tr.18.d.9.n.7.*

Natura ſua benignus erat etiam erga ſubditos natura aſperrimos, *tr.18.d.9.n.17.*

*Tobias.*

Ab Angelo docetur felle piſcis patris cæcitatem depellere, *tr.9.d.17.n.1.*

*Totilas.*

Armigerum ſuum regis veſtibus indutum ad S. Benedictum ſubmiſit, *tr.9.d.6.n.8.*

*Tribulatio & Tribulationes.*

Eſt via regia ad vera gaudia perducens, *tr.10.d.8.n.15.*

*Vide V. Cælum,Beatitudo.*

Varia eorum, qui in tribulatione poſiti Deo maledicunt exempla, *tr.11.d.13.per totum.*

Tribulationes ad blaſphemiam plurimum excitant,*ibid.n.5*

Varia gaudia parturiunt, *tr.16.d.16.n.1.*

*SS. Trinitas.*

Prima Virgo fuit, *tr.14.d.4.n.4.*

*Troilus Epiſcopus.*

Factæ Eleëmoſynæ triginta librarum pœnitens, qualem viſionem habuerit, *tr.10.d.4.n.6.*

*Tullia.*

Rhedarium increpuit,quod rhedam ſuper mortui Patris ſui cadaver non urſerit, *tr.9.d.18.n.10.*

*Turdi.*

*Tardi.*
Ad conſpectum accipitris cantillant, *tr.9.d.10.n.14.*
*Turtur.*
Conſorte ſuo amiſſo cum alijs ſe non commiſcet, *tr.14.d.21. n. 12.*

*Væ.*
Æternam ſignificat damnationem, *tr.2.d.5.n.11.*
*Valentinianus.*
Quid circa theatrorum ſpectatores decreverit, *tr.9.d.8.n.7.*
*Vamba.*
Rex Hiſpaniæ quid fecerit circa milites ſuos, pudicitiæ transgreſſores, *tr.6.d.15.n.15.*
Angelos obtinet in auxilium contra hoſtes, *ibid.*
*Vana gloria.*
Vitanda eſt jejunio, *tr.1.d.2.n.12.*
Jejunium Phariſæi contaminavit, *ibid. & n.13.*
Evacuat meritum bonorum operum, *ibid. n.13. & tr.2.d.7. num.12.*
*Veneſici Africani.*
Symbolum ſunt adulatoris, *tr.2.d.6.n.7.*
Illorum proprietates, *ibid.*
*Venus.*
Idem ſignificat quod impudicitia, *tr.13.d.5.n.9.*
A Gentilibus veluti Dea adorabatur, *ibid.*
*Verbum.*
Obſcœnum lethalia conſcientiæ infert vulnera, *tr.14.d.14. per totum.*
Sunt primæ ſcintillæ quibus ignis concupiſcentiæ in nobis accenditur, *tr.14.d.25.n.9.*
*Verbum Dei.*
Nullum in luxurioſis obtinet fructum, *tr.13.d.20.per totum.*
*Veritas.*
Directè opponitur adulatiohi, *tr.2.d.8.n.7.*
Hanc docemur præferre Principibus & Regibus, *tr.2.d.10. num. 11.*
Cur odium pariat, *tr.2.d.11.n.1.*
Hæc ſola deficit ditiſſimis, *ibid. n.9.* Et ab aulis exulat, *ibid. n. 11. & 12.*
Cur Pilatus, dicto: *Quid eſt veritas:* mox abierit, *tr.2.d.11. num.10.*
*Vermis.*
Eſt ſymbolum adulatoris, *tr.2.d.10.n.6.*
*Veſtis.*
Aſſimilatur jejunio, *tr.1.d.7.n.9.*
*Veſtis nuptialis.*
Eſt charitas, *tr.10.d.13.n.15.*
Eſt teſſera ad intrandum regnum cœlorum, *tr.10.d.13.per totum.*
*Via.*
Paradiſi anguſta eſt, lata verò quæ ad infernum ducit, *tr.17 d.2.n.10.*
*Vigiliæ.*
Feſtorum ſolemnium cur fuerint ab Eccleſia introductæ, *tr.1.d.5.n.15.*
*S. Vincentius Ferrerius Ord. Præd.*
Renunciavit Cardinalatui, & Archiepiſcopatui, amore lucrandi animas, *tr.7.d.14.n.7. & tr.8.d.8.n.7.*
Quid illi donum virginitatis poſtulanti, dæmon reſponderit, *tr.19.d.7.n.5.*
*Vinum.*
Nuptiarum ſpiritualis gaudij ſymbolum eſt, *tr.16.d.15.n.13.*
*Virgo.*
*Vide v. Caſtitas.*
*Virgo Signum Zodiaci.*
Cur in medio Leonis & Libræ poſitum ſit, *tr.14.d.24.n.8.*
*Virtus.*
Omnis quæ modum excedit, vitium reputatur, *tr.1.d.1.n.14.*
Nullus actus proprio ſtatui improportionatus eſt virtuoſus, *tr.1.d.1.n.3.*
*V. Zelus.*
Methodus facilis acquirendi & conſervandi virtutes, *tr.1. d.1.n.15.*
In paſſione perficitur, *tr.17.d.2.n.1.*
*Vita humana.*
Curſui, ſeu agoni comparatur, *tr.1.d.1.n.1.*
Vita noſtra eſt peregrinatio, & ut talis etiam habita à Sanctis, *tr.8.d.21.per totum.*
Continua militia eſt, *tr.19.d.3.n.1.*
*Vitulus aureus.*
Bacchanalia ſymbolicè ſignificat, *tr.9.d.20.n.17.*
*Ulyſſes.*
Ad malum navis alligari ſe fecit, ne à Syrenibus ſeduceretur, *tr.9.d.17.n.13.*
*Umbra.*
Symbolum adulatoris, & quare, *tr.2.d.3.n.10. & d.10.n.3.*
*Unctio.*
*Vide V. Caput.*
*Voluptas.*
Voluptates mundi dolis refertæ ſunt, *tr.9.d.10.per totum.*
In voluptatibus mundi finis memoria deponenda eſt, *tr.9. d.10.n.9.*
Adhuc juvenis quidam reſpiciens vitam ſuam correxit, *ibid. n.14. & 15.*
Qui voluptatibus renunciat, Dei gratiam ſibi acquirit, *tr.9. d.12.per totum.*
Sacrificium perfectum Deo offert, qui à voluptatibus abſtinet, *tr.9.d.14. per totum.*
A voluptatibus abſtinere crudelius eſt martyrium, quàm quod à carnifice irrogatur, *ibid. n.3.*
A voluptatibus abſtinendo cœleſtis conſolationis manna acquiritur, *tr.9.d.14.n.15. & d.15. per totum.*
Chriſti paſſionem meditando ad fugiendas voluptates lumen acquiritur, *tr.9.d.17.per totum.*
Voluptatum aliæ ſunt ſanctæ, aliæ mundanæ, hæ malæ, illæ bonæ & licitæ ſunt, *tr.9.d.19.per totum.*
Voluptates mundi in cineribus terminantur, *tr.9.d.20. per totum.*
*Vide V. Bacchanalia, Choreæ, Gaudium, Spectacula.*
*Urſus.*
Quomodo capitis leniat dolores, *tr.2.d.7.n.9.*
Quid ſit: curari inſtar Urſi, *ibid.*

*Xerxes.*
Rex Perſarum ut Aſiam Europæ conjungeret, pontem fabricari fecit Helleſpontem cognominatum, *tr.10.d.20.n.3.*

*Zachæus.*
Cupiditas erat videndi Deum, *tr.10.d.17.n.7.*
Quem ut vidit, mundum dereliquit, *ibid. & n.8.*
*Zelotypia.*
Inter conjuges tollitur virtute jejunij, *tr.1.d.9.n 12.*
*Zelus.*
Inordinatus eſt maxima ruina animarum, *tr.1.d.1.n.14.*
Inordinatus eſt efficaciſſimum machinamentum dæmonis contra nos, *ibid.*
Zelo inordinato diſcretio opponitur; moderatrix & auriga virtutum, *tr.1.d.1.n.15.*
Virtus dum indiſcretè tenetur, amittitur; dum diſcretè intermittitur, plus tenetur. Ex S.Greg. *tr.1.d.1.n.15.*
*Zorobabel.*
Interpretatur fruitio poſtpoſita, *tr.2.d.10.n.11.*
Quid moraliter denotet, *ibidem.*



# INDEX CONCIONATORIUS IN BIBLIOTHECAM MORALEM R. P. JOSEPHI MANSI.

## Indicans unumquodque Evangelium variis conceptibus explicatum, prout ſuo ordine legitur in Eccleſia Romana:

*Primo.*
Per omnes anni Dominicas.
*Secundo.*
Per omnes Feſtivitates.

## Admonitio ad lectorem.

*EN tibi, benevole Lector, Opus hoc elaboratiſſimum, ac per ſe ſatis clarum & perſpicuum. Ut autem uſui tuo eo melius inſerviret, atque materiæ & moralia in eo comprehenſa faciliùs inveniri, ac ſecundùm lectionem Evangelij in Dominicas & Feſta uberius applicari poſſent, Indicem hunc Concionatorium eidem addere haud abs re fore ductum eſt. Labor enim tuus ut diminueretur, index hic ſingulari ſtudio ita formatus eſt, ut Thematis propoſiti explicatio tibi loco exordij deſerviret, quo habito reliquâ materiam ad longum, per integros ſcilicet diſcurſus paratam invenires. Cui quidem rei, ſedulam operam impendit* R. P. Joſephus à S. Thereſia, Ord. Carmelit. Francofurti Concionator, *qui labore ſuo ſtudium tuum ſublevare, atque ſe de te hac de re optimè demereri putans, idipſum exequi haud gravatus eſt.*

### DOMINICA I. ADVENTUS.

*ERunt ſigna in Sole & Luna & Stellis.* Luc. 21. ℣. 25. Hæc cauſa ſingularis eſt, cur aliquando erit dies judicij, ad hoc ut Deus convincat peccatores, demonſtrando ſe neutiquam defuiſſe illis, quo minus ſalvarentur, cum pro illis venerit in mundum, ut oſtenderet majorem ejus in nos amorem fuiſſe in redemptione quam in Creatione noſtra, quia ipſemet in propria perſona corpus aſſumendo paſſibile redimere nos voluit. *Tract. 4. Diſc. 10. per totum.*

*Erunt ſigna in Sole & Luna & Stellis*, quæ verba *D. Auguſtinus Epiſt. 80. ad Heſichium* & ex ipſo alij Patres ſic exponunt: Sol, Luna, id eſt, Eccleſia obſcurabitur, quia in illa tentatione ac tribulatione magna multi viri probi qui in vita tamquam ſtellæ fulgebant per honores, nunc obſcurabuntur præ nimia confuſione, eo quod per ambitionem honores acquiſiverunt; Ambitioſi enim quia terrena avide nimis concupiſcunt, à cœleſti gloria excluduntur. *Tract. 3. diſc. 5. per totum.*

*Nam virtutes cælorum movebuntur.* Viri ſane prudentis eſt in alterius ruina ſuam vereri. Ad hoc propoſitum celebris eſt antiquorum Patrum ſententia, præſertim Origenis & Auguſtini, quod in Adventu Judicis Angeli timebunt timore quodam reverentiali nec immerito id dicitur, quia Angeli cum inviti ſint ad inferendum nobis ſupplicia & pœnas, quando peccatores videbunt ad tartara raptari quodammodo timore concutientur. *Proba hic quomodo Angeli inviti ſint ad inferendum nobis ſupplicia, de quo vid. Tract. 6. de Angelis diſc. 3. per totum.*

*Nam virtutes cælorum movebuntur.* Cum juxta Origenem & Auguſtinum per virtutes cœlorum Angeli intelligantur, rectè quoque moveri dicuntur, nam Angeli pariter nobiſcum in Judicium ſunt venturi, & quidem adverſus illos, qui nullum ex illorum cuſtodia profectum retulêre, in extremo judicij die teſtes erunt. *Tract. 6. de Angelis, diſc. 9. per totum.*

*Sol obſcurabitur & Luna non dabit lumen ſuum.* Cur hoc? quia ſub Solis & Lunæ luce, dies & noctes delicijs luxuriæ pertraxerunt homines, inde merito nunc ijs lumen ſuum negant, ut tenebras æternas ſecuturas ijs denuncient; vitium enim carnis à Deo nos ſeparat ejuſque notitia & lumine privat. *Tract. 13. diſc. [illegible] per totum. Item ibidem diſc. 11. Ubi de ſeveritate judicij contra homines carnales per totum agitur.*

*Tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo.* Eleganter Hugo Cardinalis ex D. Chryſoſtomo, inquit: *Apparebit ſignum filij hominis*, id eſt, *Crux in aëre, crux apparebit Sole luculentior exiſtens: & non eſt neceſſitas accuſationis cum viderint crucem:* q. d. appareat crux in judicio, quæ verum amoris eſt ſignum, illa ſufficienter accuſabit, quando oſtendet amorem hunc tantum fuiſſe, & quanto nos indignius Redemptorem tractavimus, tanto ille erga nos magis beneficus extiterit &c. *Tract. 4. diſc. 11. per totum.*

*His autem fieri incipientibus reſpicite & levate capita veſtra, &c.* Oſtendit hic piiſſimus Salvator curam & providentiam de ſuis electis, ita quod nullus eorum peribit nec deſolabitur, in illa die, nam licet in præſenti Evangelio oſtendat diem Judicij terribilem futurum ipſis peccatoribus, juſtis tamen maximam afferet conſolationem ob conſcientiæ ſecuritatem. *Tract. 16. diſc. 8. per totum.*

*Videte ficulneam & omnes arbores:* Ab arbore fici ducit ſimilitudinem potius quam ab alia arbore, quia notiſſima erat ficus in tota regione Judææ. Deinde cum ſit valde ſuavis & dulcis ad orbis ſumitur exterminium in parabolam, nimia enim temporalium fœlicitas communis excidij quoddam eſt præſagium, ſimul & ficulnea ſub falſa proſperitatis ſpecie dolores introduxit in mundum, ſic mentita fœlicitas mundi dolores generat & parturit. *Tract. 8. de Avaritia, diſc. 6. per totum.* Item ficus cum ſit valde ſuavis & dulcis pro fecundo non inepte ad orbis ſumitur exterminium in parabolam, ſiquidem carnis vitium quod fallacem & pernitioſam quamdam habet ſibi adjunctam dulcedinem cauſa eſt exterminij populorum & calamitatum publicarum Origo, &c. *Tract. 13. de Carnis vitio diſc. 12. per totum.*

*Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ecce tanta eſt hominum iniquitas; ut vix credant futurum eſſe judicium. Quia ergo peccatores non credunt diem judicij futurum. Chriſtus ejus certitudinem affirmat, dicens: *Cælum & terra tranſibunt, &c.* Infallibilia enim ſunt quæ Deus ordinavit. *Tract. 3. diſc. 17. n. 14.*

### DOMINICA II. ADVENTUS.

*CUm audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti. Matth. 11.* Non ſine magni ratione myſterij Joannes tam accurate deſcribitur in vinculis, ſit enim hoc in argumentum ſingularis in ipſum divini amoris, adverſitates enim & erumnæ à Deo immiſſæ, ſunt ſigna ardentiſſimi in nos divini amoris. *Tract. 4. diſc. 6. n. 9.*

*Cum audiſſet Jo[illegible]nnes in vinculis.* Oſtendit hic ſacer textus, miram S. Joannis ſanctitatem & fortitudinem, qui nec carcerem nec mortem timuit in increpando Herodis inceſtu, ſciens correctionem ſub præcepto tam divino quam naturali obligare omnes &c. *Tract. 18. diſc. 1. per totum. Poterit & applicari diſc. 2.*

*Mittens duos de diſcipulis ſuis.* Nullatenus hic cum quibuſdam aſſerendum eſt, legationem hanc inſtitutam fuiſſe à J[illegible]anne, quia de Perſona Chriſti dubitaverit, ſed hoc feciſſe dicendum eſt, ut doceret, quod officium prædicatoris ſit mittere animas ad Chriſtum, tamquam ad Salvatorem, ad quem ſpectat ſalvare animas & conferre gratiam & gloriam. *Diſc. 10. tract. 7. per totum.*

*Tu es, qui venturus es an alium expectamus?* Joannes ob

magnam

magnam ſuam prudentiam & eximiam in diſcipulos ſuos charitatem, nomine ſuo quærit à Jeſu, an ipſe ſit Chriſtus, cum forte diſcipuli non auderent, ex ſe hanc interrogationem facere, novit enim vera charitas, ob bonum proximi aliquando ſimulare, quod ad noſtram tendit inſtructionem, quam ſollicite charitatem proximi conſervare, & bonum ejusdem procurare debeamus, *Tract.* 5. *diſc.* 3.

*Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis*: Notanter dicit, *quæ audiſtis & vidiſtis*, id eſt, non plus nec minus quam audiſtis & vidiſtis, potuiſſent enim Joannis diſcipuli ob nimium in magiſtrum ſuum affectum, ne ejus Authoritati præjudicare viderentur, aliqua reticere opera Chriſti, quæ ipſum verum probarent eſſe Meſſiam. Unde renunciate quæ audiſtis & vidiſtis ſine Adulationis fuco; Longe enim melius eſt à detractoribus corrigi, reprehendi & injurias pati &c. quam ab adulatoribus decipi. *Tract.* 2. *diſc.* 7. *per totum.*

*Cæci vident*: Non ex inani titulo ij profecto cæci dicendi ſunt, qui tum mundi, tum hominum adulatione euſque duci ſe ſinunt, ut in quævis etiam graviſſima peccata velut cæci præcipites ruant. *Tr.* 2. *diſc.* 4. *per totum.*

*Cæci vident.* Utinam hoc Chriſti miraculum hodie dum in multis ſpiritualiter cæcis vigeret, dum multi ſuperiorum peccata quidem ſua ſuorumque cognoſcunt, nihilominus quaſi cæci ea non viderent, emendare in ſe non curant, nec in alijs corripiunt. *Tract.* 2. *diſc.* 2. *n.* 1. & *Tract.* 3. *diſc.* 4. *n.* 10.

*Pauperes evangelizantur.* Nota, quanto apud Deum loco ſit paupertas, ut ad prædicationem Evangelij pauperibus uti voluerit, ſiquidem hiſce prædicatoribus magnum debebat ineſſe deſiderium erga bona cœleſtia, ad aliquando poſſidenda alios invitare debebant, bona autem terreſtria à deſiderio & lucro bonorum cœleſtium nos retrahunt. *Tract.* 8. *diſc.* 12. *per totum.*

*Illis autem abeuntibus, cœpit Jeſus dicere ad turbas de Joanne*: Joannes vir erat valde eminens in ſanctitate, erat quippe in utero ſanctificatus, inque gratia confirmatus, & nihilominus abſentem, abſentibusque diſcipulis, qui Joanni laudes à Chriſto prolatas referre poterant, laudavit, ne qua labe vanæ gloriæ inficeretur Joannes, *Tract.* 2. *diſc.* 2. *n.* 7. Item ideo illis abeuntibus Dominus laudavit Joannem, ne Adulatorem agere videretur; Inimicus enim infernalis primus eſt Adulationis author, ideo hoc vitium Diabolicum eſt Chriſto valde exoſum, *Tract.* 2. *diſc.* 1. *per totum.*

*Illis autem abeuntibus, cœpit Jeſus dicere ad turbas de Joanne.* Hoc ſuo exemplo nos informat Dominus, quod quando alicujus fama ac honor periclitatur, audenter debemus pro illa verba facere, illius virtutes narrare, ac multis detractores compeſcere, *Tract.* 21. *diſc.* 16. *per totum.*

*Quid exiſtis in deſertum videre?* Morabatur Joannes in deſerto; ibi Angelicam vitam ducebat, in carne quaſi ſine carne vivens, cum econtra Herodes in aula inceſtum commiſiſſet, ſic prorſus in certamine contra carnis vitium fugere debemus, ſi de victoria obtinenda ſecuri eſſe velimus, &c. *Tract.* 13. *de carnis vitio, diſc.* 32. *per totum.*

*Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Mollibus veſtiti ij dici poſſunt in ſenſu accommodatitio, quorum ſermones molliti ſunt ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula, & ſunt adulatores, qui quidem Regibus & Principibus familiariſſimi ſunt, perpetuum & maximum tamen malum cauſant, *Tract.* 2. *diſc.* 11. *per totum.*

*Ecce ego mitto Angelum meum.* Joannem Deus Angelum ſuum nominavit, quaſi Angelicam degentem vitam, eo quod ſupra terrena elevabatur, ac cœleſtia ſapiebat, aliasque rationes, cur Joannes à Chriſto dictus fuerit Angelus, vid. *Tract.* 1. *diſc.* 4. *n.* 7.

*Mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te.* Angelus hic nominatur Joannes ab officio, quaſi idem præſtaret Joannes circa Chriſtum, quod Angeli circa homines efficere ſolent, cum Deus ſæpe, ut bene ſit hominibus, in via Angelos eis præmittat, aut comites aſſignet. *Vide de Angelorum erga nos cura. Tract.* 6. *de Angelis per varios Diſcurſus.*

*Mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante te.* Angelus erat Joannes, dum nullo obſtante mortis timore, legis veritatem Herodi annunciat, eamque tuetur, ſic quoque Angelus eſt omnis Prædicator veritatis nobis deſtinatus. *Vide de Prædicatorum officio & obligatione in diſcurſibus varijs, Tract.* 7. *præſertim autem diſc.* 14.

DOMINICA III. ADVENTUS.

MIſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent, tu quis es? Naturalem plantavit Deus in homine appetitum cognoſcendi Deum, ita quod quamvis graviſſimis aliquis immerſus ſit peccatis, appetit tamen cognoſcere, quis ſit Deus; ſic quoque hi Judæi, quamvis eſſent involuti in multis peccatis, deſiderabant tamen ſcire, quiſnam eſſet illorum Deus & Meſſias, Joannes an Chriſtus. Et ideo miſerunt ab Jeroſolymis Sacerdotes ut interrogarent, *tu quis es.* Nec mirum, quia mundus & omnia bona non ſatiant hominis appetitum, niſi Deus & bona cœleſtia. *Vide tract.* 10. *de Beatitud. in varijs diſcurſibus. Item tr.* 7. *diſc.* 19. *per totum.*

*Miſerunt Judæi &c.* Multa erant indicia in Scriptura ſufficienter expreſſa, per quæ Judæi poterant cognoſcere Chriſtum eſſe verum Deum; tamen relicto Chriſto voluerunt Joannem facere Deum ipſorum. Ad eumdem prorſus modum faciunt peccatores, qui cum per creaturam deberent & poſſent venire in majorem Dei cognitionem, ſiſtunt tamen & delectantur in ea, ſicut qui videntes imaginem pulchram non laudant pictorem. Per creaturas enim & bona terrena in Dei & cœleſtium notitiam devenitur. *Tr.* 10. *diſc.* 4. *per totum.*

*Miſerunt Judæi &c.* Mittitur hæc legatio, ut Pontifices cognoſcant, an Joannes ſit Chriſtus. *Exiſtimante*, enim inquit D. Lucas cap. 3. ℣. 15. *Populo & cogitantibus omnibus in corde ſuo de Joanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus.* Quomodo populus potuerit venire in hanc cogitationem, eſt valde difficile, omnibus enim erat notum, Meſſiam oriturum eſſe ex tribu Juda, de Bethlehem exiturum, & multa miracula operaturum; Joannem vero ſciebant ex tribu Levitica, ac Patre Sacerdote eſſe genitum, in Montanis Judææ natum, ac nulla miracula intuebantur: cur ergo dubitant? ratio eſſe poteſt mira Joannis abſtinentia, maxime cum Jejunium quidpiam Angelicum & divinum in ſe contineat. *Tract.* 1. *diſc.* 4. *per totum.*

*Tu quis es?* Congrue ad mores duplex per hæc verba propria nobis innuitur cognitio; ſcilicet primo, quid ſimus ex parte Dei, ſecundo quid ſimus ex parte noſtra. Quam utramque cognitionem exemplo ſuo nos docuit divinus Baptiſta. Nam primo interrogatus quiſnam eſſet? Reſpondit: Non ſum, non ſum, non ſum, quia ex parte ſua nihil erat, ſed ſecundum corpus viliſſima maſſa & nihil, *tract.* 7. *diſc.* 3. & *diſc.* 16. *num.* 8. Sed iterum interrogatus reſpondit, *Ego vox clamantis in deſerto.* Nam ſicut vox quidquid habet recipit à proferente, ſic Joannes quidquid boni habebat ſecundùm animam à Deo accepit; erat quippe ſecundùm animam, Imago Dei, & in quo conſiſtat hæc excellentia, *tract.* 7. *diſc.* 4. 5. 6. 8. &c.

*Tu quis es?* Si umquam difficilis eſt hæc ſuiipſius cognitio, maxime difficilis eſt in ambitioſis, qui ſeipſos dignoſcere non poſſunt, intellectum eorum excæcante ambitione, *tract.* 3. *diſc.* 4. *n.* 3. & *paſſim per totum.*

*Quid dicis de teipſo?* Sciebant optime Judæi Baptiſtam minime eſſe Meſſiam, quod erat evidens, ortus enim erat ex Tribu Levi, & tamen petunt ab eo, ut de ſe proferat teſtimonium, ac dicat, quiſnam ſit; Cur hoc? niſi ut facinus quo affectabant Chriſtum verum Regem illa dignitate expoliare, non ipſis ſed Baptiſtæ adſcriberetur. Sic quandoque alios culpamus, & ipſi inſontes haberi volumus, licet vere ſimus rei, *tract.* 2. *diſc.* 2 *n* 6.

*Ego vox clamantis in deſerto.* Magnum certe munus hic ſeſe obire fatetur præcurſor Domini, ſed quomodo cum tali dignitate ſtare poteſt, quod ſe indignum reputet, ut ſolvat corrigiam calceamenti Chriſti? Divinus Baptiſta, quamvis ad tantam dignitatis apicem eſſet evectus, tamen propriæ vilitatis non eſt oblitus, cum alias honores intellectum excæcent, & eorum, qui ad honores evehuntur, naturam & mores in diverſa commutent, *tract.* 3. *diſc.* 4. *per totum.*

*Ego vox clamantis in deſerto.* Vere vox clamantis in deſerto, juxta normam quam regius vates quondam præſcripſerat. Pſalm. 149. ℣. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Ubi ſermo eſt de ſanctis Magiſtris & Prædicatoribus, ſed quomodo cum ſuavitate cantus adjungitur militaris ſtrepitus, gladius ex utraque parte acutus in manibus? Tunc enim vox concionatoris cedit in laudem Dei, quando in manibus adſunt opera ac media opportuna ad amputanda vitia & eradicanda peccata. Unde inceſſanter clamet Prædicator verbo & opere, donec exaudiat peccator. *tract.* 7. *diſc.* 12. 13. 14. Item redarguat vitia, aſt ſervatis ſervandis & diſcrete, *tract.* 1. *diſc.* 2. *n.* 1.

*Ego vox clamantis in deſerto.* Poterat Joannes ſe multis titulis cohoneſtare, ſed omnibus prætermiſſis, Joannes tantum de ſe ait, *ego ſum vox*, ita ut neque Sacerdotalis dignitas, neque Prophetalis authoritas, neque Angelica ſanctitas in eo attendenda eſſet, ſed hoc unum, quod eſſet Dei vox, in emendandis moribus & extirpandis vitijs, juxta omnem officij ſui exigentiam poſſibilem adhibens conatum utpote in negotio difficillimo & præſtantiſſimo, *tract.* 7 *diſc.* 14. *n* 5. 6. 7. 8. &c.

*Ego vox clamantis in deſerto.* Optime vox clamantis in deſerto, per quod deſertum myſtice intelligi poteſt anima, ob peccatum à gratia Dei deſerta, in quo deſerto maxime neceſſarius eſt clamor invitans ad reſipiſcentiam, *tract.* 7. *diſc.* 5. *n.* 8.

*Dirigite viam Domini.* Optime his verbis monentur ij, qui ſalutem æternam flocci faciunt, *tr.* 7. *diſc.* 13. *n.* 16. *uſque ad* 21.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

A*Nno quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris &c. factum eſt verbum Domini ad Joannem in deſerto.* Luc. 3. Volens Deus, ad manifeſtandum mundo Filium ſuum hominem factum, uti opera S. Joannis, ſeptimo ætatis anno tulit eum ad deſertum, ad hoc, ut in eo per conſiderationem gloriæ æternæ animum ſuum ad labores imo mortem ipſam; ob veritatis defenſionem futuris temporibus ſubeundam præpararet; multum enim ad tribulationum tolerantiam confert beatitudinis conſideratio, libenter enim quævis adverſitas toleratur, utpote quæ ſpe æternæ retributionis ſuavis eſſe videtur, *tr.* 10. *diſc.* 22. *per totum.*

*Factum eſt verbum Domini ad Joannem in deſerto.* Voluit Deus Joannem juventutis ſuæ annos transſigere in deſerto, ut ſic faciliori negotio liberaretur à tentationibus & laqueis malorum conſortiorum, quibus plenus eſt mundus, ad docendum nos, quanta ſit obligatio noſtra mala conſortia fugiendi ſi nolumus cadere & vinci, magna eſt enim malæ ſocietatis efficacia & violentia in ordine ad pervertendum nos, *tr.* 17. *diſc.* 2. *per totum.*

*Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptiſmum pænitentiæ.* ibid. ℣. 3. Erat mundus in maligno poſitus, Judæus perverſus, gens impia, omnis in peccatis ſubmerſus populus: Joannes vera Dei vox ſubintrat prædicans pœnitentiam, quæ tam efficax contra peccatum eſt Antidotum, ut quamvis innumerabilia ſint & maxima, tamen omnibus peccatis expulſiva quædam ſit medicina, *tr.* 15. *de Confeſſ. diſc.* 8. *per totum.*

*Prædicans Baptiſmum pænitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Circa hunc textum notandum eſt quod refert D. Matthæus cap. 3. 6. *Baptizantur ab eo in Jordane confitentes peccata ſua.* Dubium eſſe poteſt, qualis illa fuerit confeſſionum generalis quædam reatus agnitio, vel diſtincta, tum ſpecifica tum numerica peccatorum confeſſio? Reſpondetur, quod licet Abulenſis & Cajetanus in c. 3. Matth. primum tueantur, ſecundum tamen defendunt potiſſimum ſancti Patres: D. Baſil. lib. de Bapt. & de regul. Brev. interrog. 88. D. Cyrillus Catech. 3. D. Joannes Chryſoſt. in imperfect. Homil. 3. D. Thom. in cap. 11. ad Rom. Lect. 4. quæ quidem confeſſio licet facta ſit abſque abſolutione, nec tamen ſine utilitate, magnam tamen demonſtrat noſtræ Confeſſionis excellentiam & facilitatem, quales *vide tract.* 15. *diſc.* 2. *per totum.*

*Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.* Seduxerat hominem Dæmon per inordinatorum appetituum noſtrorum illecebras, quas & ipſimet eidem ſuppeditamus, à recta ad cœlum via. Vid. *tract.* 19. *diſc* 4. *per totum.* Nunc clamat divinus Præco, parate viam Domini, adhortans nos, ut præparemus iter quo Deus veniat ad nos, & nos eamus ad Deum, noverat enim fervens hic pœnitentiæ prædicator, proprium eſſe peccatorum, ob pœnitentiæ raritatem in conſuetudinibus ſuis manere obſtinatos & tandem perditos. Servit huc *tract.* 15. *diſc.* 7. *de damno raræ confeſſionis.*

*Parate viam Domini.* Regibus & Principibus terrenis iter aliquod ingredientibus per proprium territorium viæ, parantur omniaque removentur offendicula, ſic Deus ſanctum Joannem Filio ſuo Regi regum præcurſorem præmiſit, ut omnia in animabus hominum, ad quas tamquam ad proprium territorium iter ſuum inſtituerat, tolleret irarum offendicula: Satan autem maxime conatur illa ponere, dum ſerpens ille aſtutus per inſidias nos aggreditur, nobisque paſſim & ubique ac in omnibus rebus innumeros tendit laqueos, noſtrum quoque explorat genium, inclinationes & affectus diſquirit, & ſecundùm hos nos tentat & in lapſum propellit, *tr.* 19. *diſc* 3. *per totum.*

*Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Non abs re per valles intelligi poterunt hujus vitæ tribulationes, per montes & colles vero conſolationum amœnitas. Quod autem dicitur, *omnis vallis implebitur*; idem eſt ac ſi diceretur, inanitas & profunditas vallis tribulationum implebitur, conſolatione, & quidem ita, ut illa conſolationum altitudo ſe ad proportionem præhabitæ tribulationis dimittat, juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum menſuram, conſolationum ſpiritualium creſcit, imo & ſemper ſuper excedit abundantia, *tract.* 16. *diſc.* 18. *per totum.*

In Nativitate Domini N. Jeſu Chriſti.

Vide in Indice Feſtorum.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

E*Rant Pater ejus & Mater, mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo. Luc.* 2. Hoc rerum divinarum proprium eſt, ut quanto magis penetrantur, tanto mirabilius mentem ſuſpendunt; Hoc ſenſu admirabatur B. Virgo Maria, cui licet ea quæ de Chriſto dicebantur alias nota eſſent, ac proinde earum cauſa admirata fuiſſe dici congrue non poſſet, cum admiratio ſit quædam inopinata cognitio, quæ oritur ex viſione effectus & ignorantia cauſæ; tamen quia res illas magis penetrabat, hinc in novam quaſi rapiebatur admirationem. Hoc quoque nobis faciendum reſtat, qui licet ſciamus, quod Chriſtus de cœlo venerit & infans natus ſit, & in mundo paſſus ſit ut nos duceret ad gloriam, tamen ſi tantam Dei in nos dignationem admiremur, hocque altius mente repetamus quid nobis faciendum ſit, ut ad eam gloriam perveniamus, ſtudioſius inquiremus, *tract.* 10. *diſc.* 27. *per totum.*

*Erant mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo.* Admirabatur Virgo ea quæ audiebat & videbat in Chriſto, & conferebat in corde ſuo magna illa & ingentia myſteria; per quæ generis humani ſalutem operaturus eſſet Chriſtus, unde tanta lætitiæ ſpiritualis abundantia oriebatur, ut limites exuperans animæ, in ipſum etiam corpus redundaret, eique conſolationem & vigorem communicaret; ad ſeriam enim divinorum myſteriorum conſiderationem & collationem talis oritur lætitia, cujus effectus eſt animam confortare, *tr.* 16. *diſc.* 4. *per totum.*

*Benedixit illis Simeon.* Erant ſupra modum benedicti Parentes Jeſu, Maria quia concepit & peperit, Joſeph quia educavit, erant Benedicti, benedictione in cœleſtibus; ad quid igitur hæc Simeonis nova Benedictio? Reſpondetur, quod quia hæc fuit prima Chriſti in templo præſentatio; videtur mihi locum illum ſacrum novam quamdam extorſiſſe benedictionem. In locis enim ſacris Deus nobis abundantius benefacit, *tr.* 20 *diſc.* 5. *per totum.*

*Ecce poſitus eſt hic in ruinam; & in reſurrectionem multorum in Iſraël.* Verba hæc ſunt etiam juſtis timorem cauſantia, quia ut ea Cardinalis Hugo explicat; *In ruinam*, id eſt, *ſtantium, ſeu ſtare ſe reputantium, & in reſurrectionem cadentium, id eſt*, ſe cecidiſſe reputantium; quare nec juſti ſe ſtare præſumant, ſed caute omnia pericula peccatorum fugiant, ne de proprijs viribus nimium præſumentes medijs in occaſionibus miſere corruant, *tr.* 9. *diſc.* 16. *per totum.*

*Et in ſignum cui contradicetur.* Recte Iſidorus Clarus Orat. 12. explicat, quod hic Simeon accepit ſimilitudinem à ſagittarijs, quando ad ſcopum collimant, ponunt enim ad jaculationem pro meta vel ſigno aliquid quod ſupereminet ſeu albeſcit ſeu floreſcit. Cum ergo inter omnia quæ in hoc viſa ſunt, terrarum orbe, Chriſtus Dominus eſſet ſuperexcellens & candidus divinitatis coronâ, omnique virtute floridus appareret, ideo impij acuerunt linguas ſuas, ut ſagittarent in eum. Et hoc valde frequens eſt, juſti enim ſpecialiter à calumnijs infeſtantur, quia alijs vitæ perfectione ſupereminent, *tr.* 12. *diſc.* 4. *per totum.*

*Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Pulchre hic Caſſianus lib. 2. c. 21. ait: *Simeon lætis triſtia miſcet, ſupremus ima connectit, & duci bellum parat, & gloriam ignominiæ conjungit, & quæ ſunt Dei & hominis cantat, & ſimul virtutis & infirmitatis proſequitur actiones*, dum poſt tantam gloriam decantatam, ad paſſionis ignominiam paſſionem convertit. Nec ſine myſterio, valde enim cito voluit Deus temperare Virginis gaudium, & fœliciſſimo ejus partu provenient, triſtibus hiſce Simeon oraculis: etenim certum eſt, in mundo nullum purum eſſe gaudium nec perpetuum, *tract.* 16. *diſc.* 9. *per totum.*

*Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Solet Deus clarioribus ſibi amicis graviores quandoque immittere tribulationes, ſciens eos ſimiles ſubire amore ſui tantum, & non ob alios reſpectus, unde & Matrem ſuam ſanctiſſimam gravioribus opprimere voluit doloribus, & quidem tam intenſis, ut cor illius quaſi gladius acutiſſimus penetrare videretur; ad hoc ut & eidem majorum cœleſtium præmiorum ſpes accreſceret. Conſolationes enim ſpirituales relationem habent ad paſſiones, quas quis ſubit amore Dei, & non ob alios reſpectus, *tr.* 16. *diſc.* 17. *per totum.*

*Et erat Anna Propheteſſa filia Phanuel de Tribu Aſer.* ℣. 36. Quæſtio hic exurgit, quare Evangeliſta hic tam accurate meminerit Patris Annæ, nempe Phanuëlis, & nullo modo recordetur mariti ſui, ut ſit in alijs viduis, v.g. Judith, cujus vir dicebatur Manaſſes. Judith. 8. 2. Ratio eſſe poteſt, quod Judith ac aliæ viduæ in ſæculo habitabant, in urbe, ac virorum ſuorum domibus, ac idcirco non mirum quod illorum tam accuratam faciat ſacer textus mentionem: At Anna, cum eſſet mulier religioſiſſima templo inſerviens, Deoque tota dedita, hinc ſacer Hiſtoriographus non viri ſed Patris ſui Phanuëlis, id eſt, Dei viſionis, quod interpretatur *Phanuël*, meminit, Geneſ. 32. ℣. 30. ratione obſequij, in nomine Phanuëlis præmium deſcribens, quod nempe Deum in templo facie ad faciem eſſet viſura. In ſervitio & Eccleſia Dei deſudantes, ſpiritualibus Deus reſtaurare aſſolet conſolationibus, favoribus & gratijs, *tr.* 16. *diſc.* 1. *per totum.*

*Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo jejunijs & obſecrationibus ſerviens die ac nocte.* Pulchro ordine hic Spiritus Sanctus mirain Annæ continentiam deſcribit, non tantum à ſtatu, quo ante matrimonium Virgo, & poſtea per tam longum tempus in caſtitate permanſit; ſed etiam à medijs quo illam acquiſivit & illibatam conſervavit jejunijs, inquiens & obſecrationibus ſerviens die ac nocte. Ad acquirendam enim & conſervandam continentiam multum confert maceratio & caſtigatio carnis, *tr.14.diſc.22. per totum. Item diſc.25.*

*Et hac ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël.* Magnum certe beneficium, mulieri viduæ conceſſum de Chriſto loqui, eumque in carne agnoſcere, quod D.Fulgentius Epiſt.2. ad Galen 5. tribuit Annæ caſtitati, dicens: *Quia ſanctimoniam Virginalem vidualis continentia gradu inferiore ſubſequitur: idcirco poſtquam de Virgine natus eſt Dei Filius, vidualis linguæ dignatus eſt officio prædicari, non tamen de illo loquitur vidua delicijs delita*, ſed caſta; nec enim puritas infantis Jeſu, poterat capi ore alio niſi puro & caſto; continentes enim plus de divino lumine participant, ſuntque ad cœleſtes illuſtrationes & revelationes capiendas magis diſpoſiti, *tract. 14. diſc. 10. per totum.*

## Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

C*Um factus eſſet Jeſus annorum duodecim aſcendentibus illis Jeroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti.* Licet hic aliqui dubitare videantur, num parentes Jeſu ter annis ſingulis ad templum aſcenderint, tamen cum pluribus tenendum cenſeo ter aſcendiſſe; & ratio pro beatiſſima Virgine militat, quæ quamvis lege obſtricta non eſſet, ſemper tamen quæ religionis ac obſequij Dei erant, adimplebat multumque operibus ſupererogationis delectabatur; quod vero Joſeph per omnes annos ter aſcenderit cum beatiſſima Virgine, hoc videtur conformius ejus pietati & devotioni, zeloque quo loca ſacra pij hi parentes venerabantur. Ad horum parentum exemplum, boni Chriſtiani ſignum eſt, zelus venerationis locorum ſacrorum &c. *tract.20. diſc.1. per totum.*

*Conſummatiſque diebus, remanſit puer Jeſus in Jeruſalem & non cognoverunt parentes ejus:* Magnus profecto fuit ob abſentiam Jeſu Virginis dolor licet tantum abſens eſſet quoad corpus, optimeque Virgini conſtaret, quoad animam ſibi intime præſentem, præſentia dilectionis: aſt quid nobis faciendum quantoque dolore merito obruemur, ſi ob peccata noſtra recedit ab animabus noſtris? ſerviet hic, *tr.13. diſc. 4.*

*Et requirentes eum. Factum eſt poſt triduum, invenerunt illum in templo ſedentem.* Amiſſo per peccatum Deo cum dolore & lachrymis confeſtim requirendus eſt, ſic fiet ut poſt triduum, id eſt, habita contritione, facta confeſſione & digna ſatisfactione illum invenias iterum in templo, id eſt, in anima tua ſedentem, teque per gratiam ſuam inſtruentem. Anima enim quæ per confeſſionem eſt emundata admodum venuſta eſt, & decora comparet in conſpectu Dei, *tr.15.diſc.5.per totum.*

*Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus.* Omnes qui aderant videntes ſublimitatem rationum Chriſti, quibus eos convincebat, illud eſſe tempus adventus Meſſiæ, de quo tunc erat ſermo; admirabantur, ſed non convertebantur, placebat auditui ſermo divinus, quem pro ſalute animarum ſuarum non applicabant, de ea parum ſoliciti; ſic etiam de eo quod ad corpus ſpectat ſemper ſoliciti ſumus, anima vero in comparatione ejus parvi æſtimatur, *tr.4. diſc.13. & diſc.17. per totum.*

*Fili quid feciſti nobis ſic?* Quæ verba per modum increpantis dicta non fuere, ſed per modum affectuoſæ querelæ, ut vult Dionyſius Carthuſianus: *Non eſt, inquit, increpatio, ſed pia & amoroſa conqueſtio, ſeu avida inquiſitio.* Amor enim Dei admodum eſt operativus, Deumque ſuper omnia deſiderat & cogitat, *tr.4.diſc.18. paſſim per totum.*

*Dolentes quærebamus te.* Optimus certe modus quærendi Deum amiſſum, ut qui eum perdidit per culpam & malitiam ſuam, eum quærat cum dolore & lachrymis: qui dolor tamen ut validus ſit, non ex timore ſervili, ſed ex amore Dei procedat oportet, *tr.15.diſc.23. per totum.*

*Quid eſt quod me quærebatis?* Euſeb. Emiſſenus *Hom. in Dom. 1. poſt Epiph.* ait: Per Matrem Domini Synagogam ſignificari, de qua Dominus ſecundum carnem originem duxit; hæc autem in fine mundi ad Eccleſiam veniens, veritatem intelligens, ſui ignorantiam & Chriſti admiratur abſentiam, & admirando dicit: *Fili quid feciſti nobis ſic?* cur nos reliquiſti, & ad gentium Eccleſiam pertranſiſti? cui Dominus dicit: *Quid eſt quod me quærebatis?* inter opera carnis, inter carnales concupiſcentias veſtras, quibus uſque ad collum immerſi eſtis, derelinquentes me fontem aquæ vivæ & veritatis æternæ, & quærentes vobis Deos alienos? ſummam enim carnis vitium cum idololatria habet connectionem, quia potens eſt medium ad procurandam in nobis Apoſtaſiam à fide ſicuti ſæpiſſime ejus cauſa fuit in populo Iſraëlitico, *tr.13.diſc.5. per totum.*

*Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Magna hic clareſcit Chriſti Domini promptitudo, in ijs quæ Patris ſui æterni erant, negotijs expediendis; erant autem negotia ſalutis animarum noſtrarum, quæ docendo & inſtruendo homines procurabat, ijs etiam chariſſimæ Matris ſuæ ſicut & nutritij ſui poſtponens dilectionem, volens oſtendere quanta cura & dilectione Deus animas noſtras proſequatur, de quo vid. *tr.7. diſc.10. per totum.*

*Et ipſi non intellexerunt verbum.* Aliqui hæc verba intelligunt de doctoribus ibi præſentibus, quod licet Chriſtus ad ſummam ipſorum conſolationem tam clare loqueretur, tamen non intelligebant eum, quem ſi intellexiſſent, procul dubio mirum in modum Spiritus eorum recreatus fuiſſet, ſed non mirum quod non intellexerint, erant enim in malo obſtinati; deliciarum enim ſpiritualium manna Deus in animas depluit timoratas innocentes & perfectas, cujus minime participes efficiuntur perverſi, *tract.16.diſc.14.per totum.*

*Deſcenditque cum eis, & erat ſubditus illis.* Mirabile prorſus obedientiæ exemplum, quam quidem principaliter hic parentibus terrenis exhibuiſſe Chriſtus dicitur, ſed primario Patri ſuo cœleſti exhibuit, utrobique ejus adimplens præceptum, nunc autem inquit D.Ambroſius, cum iſte Pater divinus non habuerit laborem nec curam aliquam pœnalem circa illum, quid tibi faciendum fili Chriſtiane, Patri tuo cœleſti à quo non tantum habes naturam, ſed qui etiam multas curas & pœnas pro te paſſus eſt amore eum exceſſivo continuo ſtimulante, qui amor redemptoris erga nos tantus fuit, ut quanto nos illum indignius tractavimus, tanto ille erga nos magis beneficus extiterit &c. Diſcurſus certe utilis ad excitandam in nobis debitam erga Deum obedientiam & ſubjectionem, *tr. 4. diſc. 11. per totum*

## DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

N*Uptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Joan.2. Non vacat myſterio, quod ſacer Hiſtoricus tam accurate harum nuptiarum locum exprimat. Et ratio eſſe poteſt, quod Chriſtus Dominus ad id quod intendit aptum ſemper locum eligit; cum vero in his nuptijs ſingularis quidam zelus tranſmutationis non credentium in Chriſti fideles futurus eſſet, hinc Canam quæ zelus, & Galilæam quæ tranſmutationem ſignificat, eligit. Sic D.Thomas: *Cana interpretatur zelus: Galilæa vero tranſmigratio In zelo ergo tranſmigrationis hæ nuptiæ celebrantur, ut denunciet eos maxime Chriſti conjunctione dignos exiſtere, qui zelo piæ devotionis ferventes tranſmigrant de ſtatu culpæ ad gratiam Eccleſiæ & de morte ad vitam, tr. 15. diſc. 8. 9. & 10*

*Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Et erat mater Jeſu ibi. Pulchre in hunc locum D.Rupert. ait, lib. 2. in Joan. *Magnum, ait, & cunctis ſanctæ Eccleſiæ ſpectandum ordinibus humilitatis exemplum, quod Mater Jeſu, virgineum Domini templum, illibatum Sancti Spiritus ſacrarium, non aſpernata eſt carnalium intereſſe celebritati nuptiarum.* Ex quo loco hæc deduci poteſt pulchra moralitas, quod quamvis Deipara Virgo maximis Spiritus Sancti donis eſſet conſpicua, nihil tamen inde ſibi ſublime adſcripſit, nec alios longe minora dona habentes contempſit. Proinde qui caſtitate ac continentia reſplendet non inde glorietur nec alijs inſultet. Eſt enim continentia ſpeciale Dei donum, quod proinde non per induſtriam noſtram acquiritur, ſed à Deo liberaliter conceditur, & ideo propter illud alij eo carentes non ſunt contemnendi, *tr. 14. diſc 17. per totum.*

*Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Si à ſenſu litterali ad myſticum tranſire placet, nuptias celebrat Deus, dum exceſſiva animarum noſtrarum pulchritudo, ad ſui ſponſalitium ipſum Deum rapit; Hæc autem animæ venuſtas à virtutibus & innocentia Chriſtiana dependet, *tr 7. diſc. 9. per totum.*

*Vocatus eſt autem & Jeſus & diſcipuli ejus ad nuptias.* Miraris forte videns Jeſum, Matrem & Diſcipulos ejus in convivijs & nuptijs: ſed intelligendum convivia non ſemper eſſe mala; ſicque acceptavit ea Dominus, non ad delicias ſuas, ut impius dicebat Jovinianus Hæreticus, ſed quando conveniebat ad noſtram doctrinam & utilitatem *tr. 9. diſc. 19.* ubi de Eutrapelia, id eſt, honeſta recreatione, quæ ſervatis debitis conditionibus virtuti attribuitur.

*Vocatus eſt autem Jeſus & Diſcipuli ejus ad nuptias.* Licebit hic ſequi piam Petri Damiani doctrinam, qui lib.7. Ep.19. ad Blancam, ſic ſcribit: *Hæc autem omnia ſpiritualibus conferenda ſunt nuptijs & novæ ſponſæ diligenter aptanda. Et ſicut Evangeliſta teſtatur: Vocatus eſt Jeſus ad nuptias cum diſcipulis ſuis: ſed tanquam pronubus, non ut ſponſus, quaſi pranſurus, non nupturus: Spirituales vero nuptiæ tanto has privilegio ſuperant, ut hic Jeſus jure credatur non amicus eſſe, ſed ſponſus*; & talis quidem ſponſus, qui cor noſtrum totum habere deſiderat &c. *tr. 4. diſc. 15. per totum.*

*Vocatus eſt autem Jeſus ad nuptias:* Nec quidem, licet valde à convivijs & commeſſationibus eſſet alienus venire renuit, ut, quia per terrenæ converſationis illecebras diſcipuli ſui facile perverti potuiſſent, ipſe per præſentiam ſuam omne perverſionis tolleret periculum. Citra enim miraculum, & abſque ſpeciali Dei aſſiſtentia boni conſtantes non perſeverant inter perverſos, *tr. 17. diſc. 4. per totum.*

*Vocatus eſt autem Jeſus.* Omnibus occaſionibus ſeſe immiſcet Dæmon, præſertim convivijs, unde vocandus eſt etiam Jeſus, & contra Dæmonem divinum implorandum eſt auxilium, ſolique Deo fidendum, dum autem vires noſtras contra ipſum exerimus, nos in præſentia & conſpectu Dei dimicare conſiderare debemus, *tract. 19. diſc 18. per totum.*

*Et deficiente vino, dixit Mater Jeſu ad eum, vinum non habent.* Vinum non habent nuptiæ vel convivæ: quia non habent unde lætentur, vere enim, nihil eſt in hac vita, unde merito perfecte gaudere poſſimus, ſed potius unde mœſtitia ſatiemur. Omnis enim mundi conſolatio & lætitia eſt ficta, apparens inſtabilis, mœrore perfuſa & remorſu, *tract. 16. diſc. 9. per totum.*

*Fili vinum non habent.* Solicita Mater Jeſu ob vini defectum filio ſuo tantum dixit, vinum non habent. Imo hoc ei, ut notat D.Bonaventura, tantum inſinuavit neſcientibus alijs, quia eximia ejus charitas amicorum defectum occultare & non aperire deſiderabat præ nimio famam aliorum lædendi horrore, quod vitium etiam pijs & timoratis ſæpe eſt familiare, utpote innatum nobis vitium, & univerſale quod in ipſos etiam deſævit Sanctos, *tr. 21. diſc. 3. per totum.*

*Quodcumque dixerit vobis facite.* Verba ſunt hæc B.Virginis ad nuptiarum miniſtros; quibus præceptorum divinorum nos docuit obſervantiam, non vero hujus tantum vel illius, ſed omnium indiſcriminatim; brevis certe & pulchra hæc ad beatitudinem acquirendam doctrina, ſola enim divinorum præceptorum obſervantia ad beatitudinem acquirendam ſufficit; nec eſt, quod ideo, quia omnium indiſcriminatim mandatur obſervantia, horrorem concipias, cum illa in nova lege facilior ſit quam in antiqua, eo quod in ſola charitate fundata ſit, quæ ſola in cœlos aditum præbet, *tr. 18. diſc. 27. per totum.*

*Erant ibi ſex hydriæ lapideæ.* Conſiderat hic D.Gaudentius Tract. 2. quod in unoquoque homine ſex inveniuntur; ſcilicet viſus oculorum, auditus aurium, odoratus narium, loquela oris, attrectatio manuum, inceſſus pedum; qui ſenſus cum velut hydriæ voluptatis aqua repleti ſunt, per contemplationem in vinum gaudiorum cœleſtium aqua hæc converti debet: Mundus enim ejuſque voluptates facile ab eo contemnuntur, cujus oculi per conſiderationem in cœleſtem gloriam jugiter diriguntur, libenterque quævis adverſitas toleratur, utpote quæ ſpe æternæ retributionis ſuavis eſſe videtur, *tr. 10 diſc. 22. per totum.*

*Erant ſex hydriæ lapideæ; Lapideæ dicantur*, inquit D. Bernard. Serm.12. ex parvis, *propter fortitudinem, ne facile frangantur aut diſſolvantur:* Nam juſti in eis adumbrati, pondere rationis conſtantes, immobiles in Dei ſervitio eſſe debent, ſi vino conſolationum ſpiritualium repleri deſiderant. In ſervitio enim Dei fortiter deſudantes Deus reſtaurare aſſolet conſolationibus, *tr. 16. diſc. 1. per totum.*

*Erant ibi ſex hydriæ lapideæ.* Non in poculis, ſed in vaſis ampliſſimis creat Dominus hoc vinum, nam licet miniſtri parvam aliquam vini affectarent quantitatem, tamen nonniſi largiſſima amplitudo, quæ eſſet valde abundans, è Dei manibus venire potuit; pulchre D. Cyrillus Alexandrinus lib.4. in Iſai. Orat.2. inquit, *Multo magis optabile eſſe dicimus, languentibus amore pietatis, ut divinis & intelligibilibus madeſiant rivulis & ſpiritualibus conſolationibus* Si langues amore pietatis, minimoque Deum amandi ardes deſiderio, tam mox in te beneficus redditur, ut quocumque te vertas, per communicata tibi beneficia, amorem tuum erga ſe extimulet, & cum paucis contentus vivere poſſis, nihilominus cunctas creaturas ad bonum tuum ipſum ordinaſſe conſtat, *tr. 4. diſc. 7. per totum.*

*Dixit eis Jeſus, implete hydrias aqua.* D.Ambroſius in piam valdè conſiderationem raptus pulchre in hunc locum ſcribit, Serm.13. de Epiph. *Cum ex vili aqua optimi ſaporem vini voluit guſtare convivas, hoc ſigno totum utique reſurrectionis myſterium continetur. Aqua enim vilis, pallens & frigida in vinum verſa, ſcilicet pretioſum rubrum vel ignitum, hoc ſignificat hominis ſubſtantiam, conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte frigentem, in reſurrectionis gloriam commutandam, quæ eſt æternitate pretioſa, gloria colorata, Spiritu immortalitatis ignita.* Cœleſtis quippe Paradiſus pro nobis conditus fuit, utpote ad cœleſtem gloriam creatis &c. *tr. 10. diſc. 2. per totum.*

*Implete hydrias aqua, & impleverunt uſque ad ſummum.* Miniſtri ex juſſu Chriſti Domini hydrias ex abjecta vilique materia implent, & tamen pretioſam vini ſubſtantiam inveniunt: minima enim & parva in obſequium Dei data, ampliſſima remuneratione compenſantur: Sic quoque à multis parum pro cœlo datur, quia Deus contentus eſt accipere quod habemus &c. *tr. 10. diſc. 30. per totum.*

*Guſtavit Architriclinus aquam vinum factam.* Deus quidem impleri jubet hydrias aqua, id eſt, corda noſtra vario tribulationum genere, quæ non immerito aquæ dici poterunt, ſed ſi earumdem bonum recte penſare valemus, videbimus per eas nos, ſicut & alijs modis invitari ad guſtandum vinum ſpiritualium conſolationum, quæ re ipſa viæ divinæ dulcedinem perhibent & ſuavitatem, *tr. 16. diſc. 12. per totum. Item tr. 4. diſc. 6. n. 9.*

*Guſtavit Architriclinus aquam vinum factam.* Horret humanus animus aquas pœnitentiæ amaras, vitæ rigorem & auſteritatem, quæ tamen, liceat aliud quidpiam diverſum oculus videatur attingere externus, ineffabiles cauſant Spiritus dulcedines, *tr. 16. diſc. 16 per totum.*

*Guſtavit Architriclinus aquam vinum factam.* D.Auguſtin. *tract. 9.* per aquam inſipidam intelligit legem veterem, quam veniens Chriſtus in ſuaviſſimum ſoporiferumque vinum Evangelicum mutavit: Non incongrue hic ſacer Eccleſiaſtes docere poterit, legem gratiæ longe eſſe amabiliorem & ſuaviorem lege Moſaica &c. *tract. 16. diſc. 10. per totum.*

*Omnis homo primò bonum vinum ponit.* Frequens eſt conſuetudo, ut in convivijs meliora vina in exordio ponantur, quia tunc homo cum ſit jejunus vini guſtum melius percipit, eoque ita delectatur, ut etiam cum gravi ſanitatis ſuæ damno illud ad ebrietatem ſumat; ſic quoque Dæmon mundi fallacias ijs qui à ſpiritualibus delicijs plane ſunt jejuni, obtrudere allaborat, ut licet poſtea perpetuis tormentis & cruciatibus recompenſandæ ſint, tamen ab ijſdem perfruendis cum ſalutis diſpendio abſtinere nolint, *tr. 8. diſc. 6. per totum.*

*Omnis homo primò bonum vinum ponit, poſtea quod deterius eſt.* Sic prorſus ſe habent mundus & voluptas quæ roſæ ſunt initio, ſed poſtea ſpinis undequaque obſeptæ reperiuntur, quæ ſubito effloreſcunt, *tr. 9. diſc. 10.* Unde non ſequamur modo bona præſentia, ne poſtea deſtituamur æternis, *tr. 8. diſc 6. n.1. 2. & ſeqq. Item tr. 8. diſc. 23. per totum. & diſc. 31. per totum.*

*Omnis homo primò bonum vinum ponit.* Eſt vinum à Deo creatum in magnum hominis bonum, ſi eo prout par eſt homo utatur, magna etiam abuſus ejuſdem cauſat mala, ſic quoque ut fœlicitas mundana, nobis ad inſtar vini ad fructum, vel in damnum cedat, ſtat in noſtra poteſtate, fœlicitas enim hæc temporalis indifferens eſt ad bonum & ad malum; ejus vero utilitas, quæ inde ad nos redundare poteſt, à bono illius uſu dependet, & ideo bonis auxilio eſt ad ſalutem, ſi ad exequenda bona opera adhibeatur, *tr. 8. diſc. 19. per totum.*

*Poſtea cum inebriati fuerint id quod deterius eſt.* Sic prorſus ſe habent bona temporalia, quibus cum quaſi inebriatus fueris, ſeu quanto magis augentur deteriores fiunt, dum inſidias & pericula plurima poſt ſe trahunt, *tr. 8. diſc. 24. per totum.* Vide Avaritiæ effectus.

*Tu autem ſervaſti vinum bonum uſque adhuc.* Solet Deus animas ſibi dilectas aqua tribulationis ſæpe ad longum tempus potare, ſervans vinum bonum, id eſt, præmium gloriæ cœleſtis in alteram vitam, unde quiſquis paſſiones & tormenta libenti animo tolerârit, per eorumdem merita viam ſibi certam ad cœlum complanat, *tr. 10. diſc. 25. per totum.* Item licet hic etiam conſolationes ſuas nobis communicare differat, omnibus nihilominus vijs & modis noſtram indeſinenter promovet ſalutem, *tr. 4. diſc. 6. n. 8. 9. 10. 11. &c. tr. 4. diſc. 7. & 8. per totum.*

## DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

C*Um deſcendiſſet de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Matth. 8. ℣. 1.* Divus Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* per iſtum leproſum intelligit genus humanum. Nunc vero quamdiu Dominus erat in monte, turba non audet aſcendere, deſcendit ergo ipſe, ut iſte leproſus, ſeu genus humanum in eo adumbratum, ad illum accederet, ut ita mundaretur, ut aperte cognoſcamus, cum quanta cura & cuſtodia Deus animas noſtras proſequatur juſtus etiam & gaudium, quo ob ejus ſalutem perfunditur, quandoquidem ipſe dignatus eſt deſcendere, ut deſcenſus ejus noſter eſſet aſcenſus, *Tract. 7. diſc. 10. per totum*

*Cum deſcendiſſet Jeſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Deſcendit Dominus de monte, id eſt, de Majeſtatis, de legis rigore, de vindicta, de duro illo nomine, quod eſſet *Deus ultionum Pſ. 93. ℣. 1. Deus zelotes, vindicans peccata in quartam generationem Exod. 20. ℣. 5* deſcendit ergo Dominus in humilitatem ac manſuetudinem, & tunc turbæ accedunt, ac eum ſequuntur, & à ſuis malis mundantur, quos enim rigor ac vindicta legis Moſaicæ non curavit, hos benignitas ac humanitas Salvatoris Jeſu, prædicantis legem gratiæ, medicavit & ſanavit. Eſt enim lex gratiæ longe amabilior & ſuavior lege Moſaica, *Tract. 16 diſc. 10. per totum.*

*Cum deſcendiſſet Jeſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ.* Multi quidem Chriſtum ſequuntur, aliqui propter miracula,

alij propter doctrinam, aliqui etiam ex curioſitate, pauci vero pro ſalute animæ ſuæ, ubi diverſorum Chriſtum ſequentium, diverſus quoque aſſignatur finis & motivum. *Tract.* 7. *diſc.* 17. *n.* 5. *tract.* 1. *diſc.* 3. *n.* 10. *tract.* 3. *diſc.* 10. *n.* 4

*Et ecce leproſus veniens, adorabat eum v.* 2. Abulenſis *quæſt.* 4. *notat*, quod leproſus hic non aſcenderit in montem, ſed occurrerit Domino deſcendenti, rationem autem hujus hanc aſſignat, quia non licebat leproſis intra urbes habitare, nec ſe intromittere in hominum conventu ac multitudine. Imo Num. 5. v. 2. præcipiebantur expelli extra caſtra, idque ne alios inficerent. Quod ſi leproſi, qui ſolum inficiebant corpora, ab aliorum ſeparabantur conſortio, quomodo non magis cavendi ſunt leproſi, qui inficiunt animas ſcilicet mali Socij, cum vel unicus malus Socius ſufficiat ad corrumpendos multos bonos &c. *Tr.* 17. *diſc.* 9. *&* *diſc.* 2. *Item diſc.* 5. *&* 6. *per totum.*

*Domine, ſi vis, potes me mundare.* Agnoſcebat hic leproſus turpitudinem corporis ſui turpiſſima lepra infecti, & ecce quam ſolicite accurrit, quam demiſſe rogat Dominum ut mundetur, forte non ita ſolicitus pro curanda lepra animæ ſuæ; ſic quoque de corpore quod inimicum eſt animæ ſemper multum ſoliciti ſumus, & quando infirmum eſt, induſtrie curare ſtudemus, anima vero in comparatione ejus parvi æſtimatur, *Tract.* 7. *diſc.* 1. *&* 17. *per totum.*

*Domine, ſi vis, potes me mundare.* Hic leproſus ad Chriſtum tam pronus accurrit, quia miſeriam ſtatus ſui conſideravit, ita quoque, ſi tu peccato veluti ſpirituali quadam lepra infectus miſeriam ſtatus tui conſiderares, protinus ad Chriſtum curandus accurreres, teque ejus ſervitio totum dares, ſed quia Dæmon utilitatem iſtius conſiderationis videt, idcirco tunc te magis per tentationes aggredietur, ut bonum propoſitum impediat, quod fuſius demonſtratur, *Tract.* 18. *diſc.* 11. *per totum.*

*Domine, ſi vis, potes me mundare.* Hic leproſus quamprimum ſe lepra male valere conſpexit, & morbi turpitudinem cognovit, ſtatim ad medicum acceſſit cœleſtem, unde etiam ſanitatem confeſtim adeptus eſt; ſic quoque conſcientia noſtra turpitudinem peccati nobis repræſentans, ſi exaudiatur, bonos parit fœtus, aſt neglecta & contempta præſagium eſt peſſimum, *Tract.* 15. *diſc.* 24. ideoque quamprimum ac peccati lepram in nobis agnoſcimus, per confeſſionis remedium ad medicum cœleſtem accurrere debemus: Raritas enim confeſſionis peccatum inveterat &c. *Tract.* 15. *diſc.* 7. Confeſſio vires debilitat Dæmoniacas &c. *diſc.* 10. Anima per confeſſionem emundata decora comparet in conſpectu Dei *ibid. diſc.* 5. *per totum.*

*Domine, ſi vis, potes me mundare.* Acceſſit hic leproſus cum magna verecundia ac humilitate ad medicum genu flexus adorans, *Tract.* 15. *diſc.* 12. *per totum*, & cum in lepra illa peccata denotarentur, ob eorum verecundiam in faciem ſuam procidit, reputans ſe indignum, ut vultu ſuo agnoſceretur ac videretur, *ibid. diſc.* 21. ubi de utilitate verecundiæ in confeſſione &c. Et quamvis in eo tanta eſſet verecundia, tamen confeſſio inde non impeditur, ſed publica ac patenti voce ſanitatem poſtulans, infirmitatem ſuam ac vulnera ulceraque manifeſtat. Confundit hic leproſus eos, qui impudenter prævaricantes peccata confiteri verecundantur &c. *Tract.* 15. *diſc.* 20. *per totum.*

*Domine, ſi vis, potes me mundare.* Anima noſtra quidem de ſe pulcherrima eſt, maximamque cum Deo habet ſimilitudinem, *Tract.* 7. *diſc.* 5. *&* 9. quæ tamen, cum in virtutibus & innocentia Chriſtiana conſiſtat, (quod ibidem per totos citatos diſcurſus probatur) decorem ſuum adveniente peccato amittit, *diſc.* 5. *n.* 8. *&* *diſc.* 15. huncque decorem recuperat & conſervat medijs virtutibus, *diſc.* 5. 9. *&* 15.

*Domine, ſi vis, potes me mundare.* In hoc leproſus oſtendit, quod ſuum vehemens ſanitatis deſiderium cum magna reſignatione ſubmittat Chriſti Domini voluntati; & quod non obſtante petitione ſua, ipſe præſtet, quod voluerit, ut ſi velit eum ſanet; & ſi nolit à curatione abſtineat: agnoverat enim, quod ſæpe corporis infirmitas ſanitas ſit animæ, & maxime, ad ejus ſalutem conducat, *Tract.* 7. *diſc.* 15. ubi declaratur, in quo ſanitas animæ conſiſtat, cui perſæpe corporales infirmitates plurimum conferunt.

*Et extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare.* Mirum eſt, quam pronus fuerit piiſſimus Jeſus ad ſatisfaciendum petitioni hujus leproſi, ſed ſimul cum corpore animæ conferebat ſanitatem, ad oſtendendum, quanta cura & cuſtodia Deus animam proſequatur, & quidem unamquamque in particulari de ſalute omnium maxime ſolicitus. *Tract.* 7. *diſc.* 10. *per tot. &* *diſc.* 12. *n.* 2. *&* 3. *& ſeqq.*

*Et ait illi Jeſus: Vade nemini dixeris*; Licet plurimæ ſint rationes morales, quare Dominus poſt collatam leproſo ſanitatem, eidem ſilentij & illud non divulgandi impoſuerit præceptum, ea tamen maxime placet, quam D. Chryſoſt. Hom. 96. adfert, dicens: *Mundavit leproſum Dominus, & juſſit eum, nulli hoc fateri dicens, quam eſſet alienus ab aura gloriæ & jactantiæ pompa. Et certe noverat quod non eſſet ille taciturus, tamen quantum in ſe eſt, fugit oſtentare quod fecerat.* Vana enim gloria ſemper vitanda eſt, utpote quæ meritum omne bonorum operum evacuat, *Tract.* 1. *diſc.* 2. *n.* 13. *&* *Tr.* 2. *diſc.* 7. *n.* 12.

*Sed vade, oſtende te Sacerdoti.* Chriſtus hic docet Catholicam Doctrinam, quod licet mundaverit te à peſſima peccatorum tuorum lepra per contritionem, per quam juſtificatur, homo, tamen ſemper in ordine ad poteſtatem quam dedit Sacerdotibus, ad quorum pedes ire debes, ut tibi dicant, *Ego te abſolvo*, ideoque conceſſit pœnitentiæ Sacramentum ad ſummum noſtrum bonum, *Tr.* 15. *diſc.* 2. *per totum. &* *diſc.* 23. circa medium, uſque ad finem. Item *Tract.* 7. *diſc.* 14. *n.* 2.

*Et offer munus tuum.* Jubet Dominus munus offerre: quia cum leproſus mundatus eſſet, mandabatur ei munus offerre, *Lev.* 14. in gratiarum actionem; quod munus licet eſſet juxta ritum Veteris Teſtamenti, in eoque varia haberentur munerum genera, ad unicum tamen nunc Deus reſtrinxit, pro ingentibus beneficijs ſuis aliud nihil à nobis petens quam ſolum cor noſtrum, *Tract.* 4. *diſc.* 1. *&* 15. *per totum. Item diſc.* 13. *ubi varij adducuntur modi Deo cor noſtrum totaliter dedicandi.*

## DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

*Aſcendente Jeſu in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.* Matth. 8. ℣. 23. Notat hic Abulenſis, Chriſtum prius intraſſe in naviculam quam diſcipuli, quia Chriſtus erat Dominus, & quo vadit Dominus vadunt & famuli, ſicut corpore ita & exemplo, unde colligitur quantum fructum Prælati cauſent, ſi ſuos bono præcedant exemplo, *Tract.* 1. *diſc.* 3. *num.* 10.

*Aſcendente Jeſu in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.* Prius Jeſus aſcendit in naviculam; *Et ut ait Marcus c.* 4. *v.* 35. *Tranſeamus contra. Seu ut D. Lucas narrat c.* 8. *v.* 22. *Tranſeamus trans ſtagnum.* Quod optimum ſane Ducis ſeu Imperatoris eſt verbum pariter & exemplum, non enim ſuos jubet abire in mare, ac in periculum, & ipſe manet domi delicijs indulgens, ſed ſimul cum eis pergit, & dum præcipit ſimul ipſe vadit & prius vadit, ſuperiores enim tamquam viæ ac vitæ duces, præ omnibus alijs ad perfectionis culmen conſcendere ſunt obligati, *Tract.* 3. *diſc.* 11. *fere per totum.*

*Aſcendente Jeſu in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus.* Soli diſcipuli cum Domino aſcendunt & nullus de turba intromittitur. Cur hoc? Chriſtus agnovit, quod diſcipuli ſui in maris periculo erant infirmi futuri, & hac de cauſa erat ipſe increpaturus eos dicens: *Modicæ fidei.* Diſpoſuit ergo, ut turbæ ibi non adeſſent, ne diſcipulorum viderent defectum, neque Domini in eos reprehenſioni aſſiſterent: tum quia reprehenſio debet eſſe ſecreta ne crimina propalentur, tum quia non videbatur decens, ut eos quos Dominus antea ita laudaverat, dicens: *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*, in publicum argueret, eorumque defectum coram multis objiceret; *correctio enim cum diſcretione & dexteritate inſtituenda eſt*, *Tract.* 18. *diſc.* 9. *&* 10. *per totum.*

*Secuti ſunt eum diſcipuli ejus.* D. Thomas per *Naviculam* crucem intelligit, & aſcendentem Dominum in crucem ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus ad exemplum noſtrum, ut ſi Chriſtus pro nobis crucifixus eſt, & ex hoc mari mundi transfretavit in gloriam ſuam, debemus & nos omnia quæ ſunt mundi propter illum crucifigere, eum hic perfecte imitantes ut & ſequamur in gloria; quàm quidem gloriam Chriſtus nobis conſignat, ſed cum eodem onere quo cum ille ipſam acquiſivit, id eſt, ſub onere crucis & paſſionis, quæ regnum ipſius fuit, *Tract.* 10. *diſc.* 23. *per totum.*

*Et ecce motus magnus factus eſt in mari.* D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. habens reflectionem ad illam Dæmonum ejectionem è corporibus hominum in regione Gerazenorum, ad quam Dominus hac navigatione tendebat, ſic ſcribit: *Fortaſſe ergo iſti ex permiſſu concitaverunt ventos adverſus eum, & moverunt fluctus ne tranſmiſſo freto ad eos veniret judex.* Viderunt enim Dæmones, quod navicula illa, in qua Dominus ferebatur, in regionem in qua ipſi graſſabantur, dirigebatur; tunc Dæmones furibundi & metuentes Domini præſentiam & opera quæ in animabus hominum operaturus erat qualia ex præcedentibus conjectabant, magno conatu, ventorum impulſum ac maris commotionem excitarunt, an ita forte navicula illa in alteram partem deflecteretur, & Dominus, cujus tamen potentiæ reſiſtere non poterant ab illa profectione deſiſteret; Dæmones enim ad hoc omnem ſuam adhibent induſtriam & conatum, ut viros perfectiſſimos & ſanctiſſimos vincere poſſint, *Tract.* 19. *diſc.* 9. *per totum.*

*Et ecce motus magnus factus eſt in mari.* Erant diſcipuli in ſublimi illa ſanctiſſimaque navi, in qua Chriſtus ferebatur: & tamen hæc tempeſtas permittitur, ut ibi maxime timeant, quia eſto quis in eminenti ſit loco ſeu dignitate, ibi magnum timorem retineat: nam cum nullus immunis ſit à caſu; nullus etiam immunis ſit à metu. Sublimia enim loca, præcipitia vicina comminantur, fortuna quæ exaltat eumdem pariter deprimit &c. *Tract.* 3. *diſc.* 6. *per totum.*

*Et ecce motus magnus factus eſt in mari.* D. Ambroſius *Serm.* 62. *in Dom.* 5 *poſt Pentecoſten.* ſic ait: *Erat ibi Simon Petrus, ſed erat pariter & proditor Judas: quamvis illius fides fundaret naviculam; hujus tamen eam perfidia conturbabat: tranquillitas eſt, ubi ſolus Petrus navigat, tempeſtas ubi Judas adjungitur: licet eſſet Petrus firmus ſuis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris.* Sic maxime etiam virtuoſos, magiſque in divino ſervitio ſtabiles converſatio malorum pervertit, *Tract.* 17. *diſc.* 3. *per totum.*

*Et ecce motus magnus factus eſt in mari.* Non inepte per motum hunc magnum factum in mari per furentes ventos, interpretari poſſunt crimina, opprobria, calumniæ, quibus ab adverſario humanus animus degens in hoc ſæculo impetitur, & quibus etiam viri ſapientiſſimi & Apoſtolici perſæpe turbantur & totaliter ſubvertuntur, *Tract.* 12. *diſc.* 1. *per totum.*

*Et ecce motus magnus factus eſt in mari.* Poterant Apoſtoli ſibi aliquam ſecuritatem promittere ab exurgente tempeſtate, dum cum Jeſu navim aſcenderent; interim tamen ſæva tempeſtas exoritur, ſic quotquot naviculam conſcendunt proſperitatis & dignitatis temporalis, ſecuritatem ſibi à motu magno, id eſt, ab inſidijs & periculis non promittant, cum ijs maxime ſint obnoxij, *Tract.* 3. *diſc.* 8. *per totum &* *Tract.* 8. *diſc.* 24.

*Et ecce motus magnus factus eſt in mari.* Mare non incongrue mundum hunc nobis repræſentat, qui ſicuti mare fluctibus & tempeſtatibus, ſic ille inconſtantia & fallacijs agitatur, ſuntque mundanæ proſperitates plerumque ſcopuli ad quos allidentes animæ, in profundum uſque inferni naufragantur, *Tract.* 8 *diſc* 6.

*Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Animæ noſtræ navicula in mundi hujus Oceano fluctibus operitur, quando ita terrenorum bonorum amore abſorbetur ut æterna negligantur, *Tract.* 7. *diſc.* 18 *per totum.*

*Ipſe vero dormiebat.* Divus Cyrillus in catena Græca in hunc locum ait: Adeſt quidem electis ſuis Chriſtus, ſed quia ſæpenumerò permittit eos per diſpenſationem aliquid pati, videtur quodammodo dormientem fingere ac proinde tribulatio non eſt ſignum abſentiæ, ſed potius præſentiæ Dei, qui mediante illa animas noſtras lucrari geſtit, *Tract.* 7. *diſc.* 10. *n.* 2. *Tract* 7. *diſc.* 15 *n.* 17. *&* *Tract.* 8. *diſc.* 25. *n.* 13.

*Ipſe vero dormiebat.* Divus Marcus ſic habet; *Et erat ipſe in puppi dormiens ſuper cervical. Marc.* 4. ℣. 34. Volunt aliqui quod cervical hic poſitum ex radice Græca ſit pulvinar capiti ſupponi ſolitum. Et ſi myſterio res ſit explicanda, pulvinar illud molle & blandum bonam conſcientiam repræſentat, in quá dum juſti & probi requieſcunt, quantumvis pericula inſurgant, non turbantur, ſed placidi ſtant & quieti, *Tract.* 16. *diſc.* 7. *&* 8. *per totum.*

*Domine ſalva nos, perimus.* Maxime ponderanda eſt hic diſcipulorum charitas ad invicem, dum nullus pro ſe ſolo locutus eſt, ſed pro omnibus quilibet, nullus enim dixit ſalva me, ſed *ſalva nos, perimus.* Quilibet enim in ſuo periculo ac neceſſitate ſtudebat neceſſitati proximi ſui ſubvenire, quod eleganter ponderat D. Chryſologus Serm. 20. dicens: *Revera Fratres, ſi eſſemus, & humanum corpus, & eos qui pereunt noſtra eſſe viſcera crederemus afflictione jejunij, effuſione fletuum, jugiter clamaremus, Domine ſalva nos, perimus.* *Tract.* 5. *diſc.* 5. *ubi ex varietate operationum corporis noſtri, varij deducuntur modi charitatem erga proximos exercendi.*

*Imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Timentes naufragium clamaverunt diſcipuli ad Dominum, *Domine ſalva nos, perimus*, & ſubito imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna, ſic quoque ſalutem animæ noſtræ dubio non committamus eventui, ſed laboremus & clamemus uſque dum opem certam obtineamus, *Tract.* 7. *diſc.* 19. *n.* 14 15. 16.

*Venti & mare obediunt ei.* Moraliter elegantibus verbis hunc locum exaggerat D. Baſilius Seleucus orat. 22. dicens: *Modica voce Jeſu ingens elementum reſonabatur. Recognoſcebat enim veterem vocem, recordabatur antiqui præcepti: congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida Gen* 1. ℣. 9. Ponderanda ſunt ſingulariter hæc verba, *Recognoſcebat enim veterem vocem*; cum mare inſenſata creatura agnoverit vocem ſui creatoris, nec contra illius imperium audeat reluctare, ſed obedientiam exhibens ſe in tranquillitatem reducat; mirum eſt, quod ingratus homo, qui non obſtantibus innumeris beneficijs Dei in ſe collatis, ſurdus perſiſtat & contumax, *tr.* 4. *D.* 1. 2. *& ſeqq. Item D.* 17.

## DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

*Simile eſt regnum cælorum homini qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo.* Matth. 13. 24. Notandum hic diligenter, quid Deus, qui per hunc hominem ſignificatur, fecerit, & quid Dæmon faciat; à principio enim mundi Deus ſeminavit bonum ſemen in noſtra natura; Statim autem invidia excitatus dæmon ſuperſeminavit zizania malitiæ, odij &c. idque per arma noſtrorum appetituum, quæ ipſi ſubminiſtramus; quibus ipſe in noſtram utitur perniciem, *tr.* 19. *D.* 4.

*Seminavit bonum ſemen in agro ſuo.* Ager ille, ut ait Theophylactus, eſt anima hominis, ſemen autem ſunt virtutes, in quibus conſiſtit pulchritudo & fertilitas agri, id eſt animæ decor & fructus, in hunc agrum autem ſeminatur zizania, quando concupiſcentia noſtra parit peccatum, per quod velut per zizania hic ager deformatur, *tr* 7. *diſc* 5.

*Cum autem dormirent homines, venit inimicus homo.* Homines iſti multo honore fuerant ſublimati à Domino. Ad illius enim agrum vocantur; illius cuſtodes ac cultores ſunt conſtituti omniaque illorum curæ commiſſa. Cum ergo tanto apice eminerent, inde deſides evaſere, ac in multam incuriam abierunt, ut omnes ſomno indulgentes dormirent. Magna enim dignitas multam negligentiam, multamque vecordiam multoſque defectus parit, ut jam rarus ſit qui in ſublime feratur & inde non ruat. *tract.* 3. *diſc.* 4. *&* 6.

*Cum autem dormirent homines.* D. Bernard. lib. 2. de conſideratione, per homines dormientes intelligit illos Paſtores Eccleſiæ negligentes & dormientes, ex quorum injuria ac pigritia naſcuntur in agro ipſorum urticæ, ſpinæ, zizania, &c. negligentia enim ſuperiorum eſt cauſa plurimorum defectuum, *tract.* 2. *diſc.* 2. *n.* 1. *&* *diſc.* 5. *n.* 8.

*Cum autem dormirent homines, venit inimicus & ſuperſeminavit zizania.* Deo ſeminante bonum ſemen, accurrit dæmon inimicus ejus eo animo ut perdat, ne enaſcatur oppugnans quemvis in cujus anima videt Deum ſeminaſſe. Nulli enim Diabolus parcit labori in perdendis animabus noſtris, quia illas maximi facit & pretioſiſſimas eſſe judicat, *tract.* 7. *diſc.* 11. *n.* 15. *&* 16. *& ſeqq.*

*Cum autem dormirent homines, venit inimicus.* Inimicus ille nocte acceſſit, quia non aperte nobiſcum congreditur hoſtis hic infernalis, ſed aſtutus hic ſerpens per occultas inſidias nos aggreditur, nobiſque paſſim & ubique ac in omnibus rebus innumeros tendit laqueos, noſtrum quoque callide explorat genium, inclinationes & affectus diſcutit, & ſecundum hoc nos tentat, & in lapſum propellit, *tract.* 19. *diſc.* 3. *per totum.* Item nocte venit ob infirmitatem ſuam, non enim audet vigilantes, ſed dormientes invadere. Ita D. Chryſolog. ait: *Inſidiator vigilantes fugit, appetit dormientes, maximæ infirmitatis indicium eſt, dormientibus irruiſſe.* Eſt enim dæmon catenæ innexus, & ideo à nobis minime timendus, *tr.* 19. *d.* 14. *per totum.*

*Venit inimicus homo & ſuperſeminavit zizania.* D. Auguſtin. *l.* 2. *retract. c.* 28. *ex D. Cypriano* cum adhuc alijs Patribus, per zizania intelligi vult omnes malos & iniquos, quos Diabolus inter fideles ſeminat, ut illi ſua mala vita, vitijs ac turpiſſimis verbis & peſtifero conſortio multum damni probis inferant, ſicut zizania tritico illudque ſuffocat. Malis enim ſodalibus Diabolus utitur tamquam efficaciſſimis ad nos pervertendos inſtrumentis, *tr.* 17. *diſc* 10 *per totum.*

*Superſeminavit zizania in medio tritici.* Non accurrit ad avenam, hordeum, ad ea perdendum, ſed ad triticum, ſerpens enim infernalis, ſpecialiter ad hoc omnem ſuam adhibet induſtriam & conatum, ut viros perfectiſſimos & ſanctiſſimos vincere poſſit, *tr.* 19. *diſc.* 9. *per totum.*

*Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, unde ergo habet zizania.* Poſſemus hanc interrogationem Deo proponere, poſito namque tam bono ſemine in noſtra natura quando eam creabat, videmus eam adeo plenam Zizanijs, id eſt, vitijs: reſpondetque nobis, illud ſemen non fuiſſe à manu ſua, ſed dæmonis & noſtra; optimum enim ſemen in anima noſtra ſeminavit Dominus innocentiam, *tr.* 7. *diſc.* 5. At zizania ſuperſeminavit inimicus, id eſt, peccata &c. ibid. *n.* 8. 9. *&c. &* *diſc.* 15. *per totum.*

*Dixerunt ſervi, vis & colligimus ea.* Hi ſervi Angeli dici poſſunt, qui ita parati ſunt & prompti ad obediendum, ut ſemper quaſi ſigna & nutus Dei quibus pareant expectent. *tr.* 6. *diſc.* 4. *per totum.* Item jam ſervos illos dixi denotare Angelos; cur autem placuit illos ſervis hiſce aſſimilare? ſervos dixi Angelos, quia non obſtante illorum dignitate licentiam quaſi extorquent à Deo ſubveniendi tritico ne per admixta zizania corrumpatur, *tr.* 6. *diſc.* 5. *per totum.*

*Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.* D. Paſchaſ. *lib.* 7. *in Matth.* ait: *Pius Dominus, quem tempora non fatigant, qui quando vult ſuas abolere poteſt injurias, ſinite, inquit, uſque ad meſſem.* Pius certe Dominus longanimitatem ſuam, qua peccatores ipſum continuis injurijs appetentes expectat ad pœnitentiam, hic nobis indicat, multis enim modis ſalutem noſtram curat, ſive nos ad pœnitentiam expectando ſive à peccatis præſervando, *tr.* 4. *diſc.* 6. *n.* 10. *& paſſim per totum.*

*Dicam ego meſſoribus: Colligite primum zizania & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Viſis zizanijs maxime dolent ſervi; & utpote fideles ſtatim ad Dominum conveniunt,

totum rei eventum annunciantes, & ſe paratos oſtendunt ad ea colligenda : *Vis imus, & colligimus ea*, & tamen executionem ea amputandi ipſis non committit, ſed meſſoribus, ait enim, *dicam meſſoribus*, id eſt, non meis domeſticis, ſed veluti extraneis & alienis ; ſciens à domeſticis ſuis, ſcil. S. Angelis alienum eſſe punire & inferre etiam malis ſupplicia nam licet noſtram reprobationem prævideant, numquam tamen nos deſerere probatur, imo inviti ſunt ad inferendum nobis ſupplicia & pœnas, *tr. 6. de Angelis diſc. 3. 10. per totum.*

*Triticum autem congregate in horreum meum.* Optime cœlum hic ſub ſymbolo horrei adumbratur, ſicuti enim triticum in horreo congregatum jam ab omnibus aëris tempeſtatibus eſt liberum atque ſecurum, ſic quoque juſti, qui per triticum ſignificantur, in æterna beatitudine ab omnibus miſerijs, periculis, pœnis, culpis, alijsque hujus vitæ laboribus immunes erunt ; & ideo beati lætabuntur, quod portum ſecure tenentes, tempeſtates, quales ſunt ignis, grando, nix, glacies, evaſerint inferni, *tr. 10. de Beatitudine. D. 15. per totum.*

*Triticum autem congregate in horreum meum.* Certe qui nunc triticum bonorum operum congregare allaborat, habet paratum à Deo granarium, in quo illud ſibi ad æternam in gloria ſuſtentationem aſſervetur, eſt enim cœleſtis Paradiſus pro nobis conditus, utpote ad cœleſtem gloriam poſſidendam creatis, ideòque nos Deus ad hanc poſſidendam invitat, licet nos illam inertes negligamus, *tr. 10. de Beatitudine diſc. 2.*

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

S*Imile eſt Regnum Cœlorum grano ſinapis. Matth. 13. n. 31.* Licet hic per regnum cœlorum merito intelligatur Eccleſia militans, ſeu prędicatio Evangelica, attamen non incongrue per regnum cœlorum anima juſti ſignificari poteſt, quæ vere eſt Paradiſus & locus deliciarum Dei, in qua Deus regnat, cujus regni amplitudo maxime, quam charitate mediante habet, conſiderari debet, *tr. 7. de Anima diſc. 8 per tot.* Imo juſti & probi in ſeipſis includunt & geſtant regnum cœli in hac vita per teſtimonium bonæ conſcientiæ, quod ijs eſt quaſi juge convivium, *tr. 16. de conſolationibus ſpiritualibus diſc. 6. per tot.* Cum econtra mali geſtent in ſe regnum inferni, quod in mera perturbatione, inquietudine, cruciatu malæ conſcientiæ conſiſtit, quæ mala conſcientia eſt Judex contra ſe incorruptus centrum Diaboli tormentum ipſo inferno atrocius, *tr. 15. de Confeſſione & conſcientia diſc 16. per totum.*

*Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Paul. Palatius per granum ſinapis interpretatur fideles in Eccleſia ſeminatos, qui pœnitentijs & laboribus attriti in magnam arborem gloriæ cœleſtis excreſcunt, quiſquis enim Paradiſum ingredi deſiderat, per ærumnas & tribulationes attritus quaſi penetrare debet, de qua re ſub varijs argumentis habes copioſiſſimam materiam, *tr. 10. de Beat. d. 24. 25. 26.* Aſt hoc myſterioſum eſſe videtur, quod quandoquidem multi ſunt in regno cœlorum, id eſt, in Eccleſia fideles, cur non grana, ſed granum dicantur? Ratio eſt, quia omnes in unum coaleſcunt per amorem & charitatis unionem, *tr. 5. de charitate proximi diſc. 6. per totum.*

*Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Sicuti granum ſinapis colore rubrum in virtute ſua multum calorem continet, ciboſque ſua acrimonia ſaporat ut delectabiliter comedi valeant, nec incongrue per has proprietates juxta D. Auguſtinum Serm. 31. de Sanctis, ignem nobis denotet charitatis ; ſic quoque nullum opus bonum, ſine charitate & amore Dei ſapidum eſſe poteſt &c. *tr. 4. de Amore Dei diſc. 3. per totum.*

*Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Eſt quidem granum ſinapis, dum eſt adhuc integrum vile & abjectum, dum autem attritum eſt per illud quodam ſapore condiuntur, quæ alias videbantur inſipida & guſtui difficilia, ſic per pœnitentis vitæ rigorem & auſteritatem attriti, & humiliati ineffabiles & ſapidiſſimas experiuntur ſpiritus dulcedines, licet diverſum oculus videatur externus, *tr. 16. de Conſolationibus &c. diſc. 16. per totum.*

*Grano ſinapis.* Granum ſinapis quo magis premitur, quo magis virtus ejus accenditur, ſic quidem premimur & tribulamur, *tr. 4 diſc. 6. n. 9. tr. 7. diſc. 15. n. 17. & tr. 8. diſc. 25. n. 13.* Sed per paſſiones & tormenta virtus ſpei magis accenditur, dum illa viam ad cœlum complanant & facilem efficiunt, *tract. 10. diſc. 25.*

*Grano ſinapis, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus.* Non ſine gravi myſterij pondere granum ſinapis, cui regnum cœlorum comparatur *minimum* dicitur : & ratio pulchra eſt, quia regnum cœlorum non comparatur altiſſimis, & inviſibilibus rebus, ſed valde parvulis & minutis, utpote grano ſinapis, ut nullus à conatu ipſius regni adipiſcendi ſe excuſet, cum illius via cunctis ſit patens omnibus facilis, ſuavis & perjucunda, *tr 10 de Beatitudine diſc. 29. per totum.*

*Cum autem creverit majus eſt omnibus oleribus, & ſit arbor.* Accurate notandum, quod granum ſinapis prius ſit minimum omnibus ſeminibus, poſtmodum vero in maximam creſcat arborem, videtur enim mihi ſubtilis quidam dolus ambitioſorum hominum deregi, qui ſe prius dejiciunt & minimi eſſe volunt, ut poſtea exaltentur &c. *tr. 3. diſc. 3. per totum.*

*Cum autem creverit majus eſt omnibus oleribus, & ſit arbor.* Granum ſinapis dicitur minimum omnibus ſementibus, & tamen creſcit in arborem, quæ major eſt omnibus oleribus. Magnatibus pulchrum hic præbetur documentum, ne in elationem efferantur ; nam quamvis ſeipſos videant ſublimatos ac dilatatos tamquam ſinapis arborem ; ſecum tamen conſiderent, quod illud granum in aliud ſemen ſinapis deſinit, quod minus eſt omnibus ſementibus. In ſua altitudine comprimant cogitationes ſuas magnates ; ſciant enim quod toto ſuæ magnitudinis pondere ruere ac cadere poſſunt, ut minimi inveniantur, *tr. 3. de Ambitione diſc. 6. & 7. per totum.*

*Cum autem creverit majus eſt omnibus oleribus.* Non ſubito & de repente pertigit ad faſtigium, ſed gradatim proceſſit, ſic nec de repente ſummus fies in honorum adeptione, ſed per prærequiſita merita creſcere debes &c. *tract. 3. diſc. 12. paſſim per totum.*

*Cum autem creverit majus eſt omnibus oleribus, & ſit arbor.* Poteſt & per granum ſinapis humilitas intelligi ; ſicut enim granum ſinapis parvum eſt, vile & abjectum, tamen in altam & proceram excreſcit arborem, ita quoque humilitas, etſi ſit virtus quæ omnia reddit minima ſecundùm naturam ſuam, propter meritum ſuum tamen velut arbor ſemper ad altiora excreſcit, ita ut quo quis humilior eo dignitatibus quoque ſit aptior, *tract. 3. diſc. 14. per totum. Item tr. 3. de Ambitione diſc. 15. per totum.* Adhæc ſunt nonnulli, qui poſt obtentos gradus & principatus præ ſuperbia inſanire incipiunt, immemores ſe non tam ad dominium, quam ad ſubditorum obſequium vocatos eſſe, & ad meram & quidem ratione dignitatis ipſis debitam ſervitutem, *tract. 3. diſc. 16. per totum.*

*Simile eſt Regnum Cœlorum fermento.* Per regnum cœlorum Eccleſia & Prælati intelliguntur, per fermentum vero ſubditi ; jam ſicuti, ut fermentum maſſam fermentet, liquefieri debet & in maſſa imbibi, ita & Prælati ut ſubditis ſubveniant per amorem, quaſi in ipſos ſubditos converti, & ſeſe totos eviſcerare debent, *tr. 3. de Ambitione diſc. 10. n. 5. 6. Vid. tract. de Amore proximi*

*Simile eſt regnum cœlorum fermento.* D. Auguſtinus *lib. 1. quæſt. Evangel. quæſt. 12.* & Albertus Magnus fermentum charitatem interpretantur. Omnes fermenti effectus præſtat charitas, verba ſunt Alberti Magni. Hæc enim maturat hominis cor crudum, ut ſit affectuoſum, & ad ſpiritualitatem convertit, levat & allevat cor ad cœleſtia, & præparat nos ut facile Chriſto incorporemur ; *tract. 4 diſc. 4. per totum.* Omnem amaritudinem mutat in dulcedinem, ut hac cœleſti farina non ſit amplius quidquam amaritudinis in olla ; Amor enim Dei qui vere charitas eſt, tribulationes patitur & non ſentit, *tract. 4. diſc. 18. fere circa finem* ; Item fermentum hoc per charitatem fit Azyma, dum debita peccatorum noſtrorum remittit, ijsque totaliter opponitur &c. *tract. 4. diſc. 5. per totum.*

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

S*Imile eſt regnum cœlorum homini Patriſfamilias.* Multas Chriſtus Dominus propoſuit parabolas, ut illis nobis declararet regnum cœlorum, utque bene totius regni cœleſtis conſtitutio nobis declararetur, voluit tot tamque diverſas parabolas proponere, idque per ſe tamquam per illum per quem illud optime proponi & declarari poſſet, cœleſtis enim gloria nec verbis exprimi, nec intellectu humano capi poteſt, *tr. 10. diſc. 1. per totum.*

*Simile eſt regnum cœlorum homini Patriſfamilias.* Circa hunc textum hic principaliter notandum eſt, non ſolum hic exprimi hominem, ſed etiam dicitur Paterfamilias ; & ratio eſt, quia cum homo juxta Jobi ſententiam natus ſit ad laborem, ex proprio nomine laborem ſignificat ; Paterfamilias vero vigilantiam & curam ; ex quo prorſus habetur, quod cum homo laborem ſignificet, Paterfamilias vero vigilantiam : inſinuatur in præſenti, hunc hominem Patremfamilias optime deſignare Prælatos Eccleſiaſticos, qui non tam ad dominium quam ad laborem & curam ſubditorum vocati ſunt, *tract. 3. de Ambitione diſc. 16. per totum.*

*Simile eſt regnum cœlorum homini Patriſfamilias.* Homo dicitur ob humanitatem & clementiam, ut notat D. Hieronymus in cap. 22. Matth. Paterfamilias vero appellatur ob curam & ſolicitudinem erga totam ſuam familiam. Ita Deus ad amuſſim de omnibus habet curam & providentiam, uti ſolicitus Paterfamilias de ſua domo, ac de omnibus ad illam ſpectantibus, *tr. 4. de Amore Dei. diſc. 7.*

*Qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* Si ita eſt ſolicitus Paterfamilias, ut primo mane conſurgat Dominus ad vocandos homines ? profecto ijs magis incumbit ut diligentes ſint, nec non voci divinæ obedientes ſalutemque procurent, & non differant pœnitentiam & confeſſionem ad ultimam uſque vitæ horam, raritas enim confeſſionis peccatum inveterat in anima &c. *tract. 15. diſc. 7. per totum.*

*Conducere operarios in vineam ſuam.* Recte in hæc verba ſcribit D. Paſchaſ. lib. 9. in Matth. *Omnes in hac vinea operarij eſſè debent, quia nemo eſt, etſi non alios, qui ſeipſum exercere & excolere non debeat, ut fructum ferat in Chriſto, & in vite maneat.* Nullus in hac vinea, id eſt, Eccleſia ab operatione eximitur etiamſi ſit claudus, puſillus, fœmina ac ſenex, quilibet maxime debet eſſe operans in cultura ſui animi in expurgandisque illius vitijs, ac peccatorum vepribus eradicandis, ne ſi otio ſe tradiderit, de Patrisfamilias contubernio ejiciatur in tenebras exteriores. Regnum enim cœlorum vim patitur &c. *tr. 10. diſc. 20. per totum.*

*Conducere operarios in vineam ſuam.* Non abſque ſingulari myſterio miniſtros vineæ, qui ſunt Prælati operarios nominat, Paterfamilias ; talis enim quisque debet eſſe, qualem Sanctus Paulus requirit : *Cura teipſum operarium inconfuſibilem.* Nam ſi in vinea ſint malæ herbæ & palmites neglecti, culpa conjicitur in operarios, qui habent curam colendi eam : ita defectus & peccata ſubditorum attribuuntur ſuperioribus, ex quo patet gravitas oneris quod honores ſecum afferunt : *tract. 3. de Ambit. diſc. 10. per totum.* Et idcirco multi Sancti fugiebant ſincere dignitates. *Ibidem diſc. 15. per totum.*

*Conventione autem facta ex denario diurno.* Cum operarij vocati ad vineam ſignificent omnes fideles ad Eccleſiam Dei vocatos ad bene operandum ac merendum, ſub denario diurno & ſub eodem intelligatur vita æterna, quæri non abs re poteſt, cur æterna vita ſub ſimilitudine denarij diurni proponatur ? Allegorice reſponderi poteſt cum D. Irenæo libr. 4. capit. 70. dicente ; Æterna vita cum denario comparatur, quia denarius imaginem Regis habet, qui autem ſalvandi erunt, conformes fient imagini Filij Dei veri Regis : Beati enim omnes utpote veri Reges coronati in ſolio majeſtatis ſedentes potentes erunt in cœlis. *Tract. 10. de Beatitud. diſcurſ. 5. per totum.* Item : D. Thomas, per denarium iſtum ait ſignificatur vita æterna, quia denarius iſte valebat decem denarios uſuales, denotatur quod denarius æternæ vitæ promeretur obſervatione decem præceptorum Decalogi. Juxta illud, *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Matth. 19. tract. 10. diſc. 27. per totum.*

*Conventione autem facta ex denario diurno :* Iterato quæritur, quomodo beatitudo quæ æterna eſt & in perpetuum permanet, comparatur cum re diurna ? quod enim diuturnum eſt cras non erit, beatitudo autem ſi æterna non perſiſteret, à ratione beatitudinis omnino deficeret ; cur ergo ſub nomine denarij diurni explicatur ; Tam breviter volatica ac momentanea eſt denarij poſſeſſio, ut beatitudo quæ eſſentialiter æterna eſt, cum ſub nomine denarij ſignificatur, *Denarius diurnus* nuncupetur. Non quod ipſa beatitudo eſſentialiter æterna non ſit, ſed ut per exaggerationem denotetur, quam fugax ſit denariorum poſſeſſio, nam etiam dum perennem beatitudinem innuunt, non poſſunt à ſua fugaci natura exui nec aliter proponi, niſi ſub brevi poſſeſſione unius dieculæ : Sic inconſtantes ac volaticæ ſunt omnes pecuniæ poſſeſſioneſque terrenæ. *tract. 8. per varios Diſcurſus notanter autem diſc. 23. & 24. per totum.*

*Conventione autem facta ex denario diurno.* Chriſtus Dominus non incongrue beatitudinem confert cum denario diurno & ſub pecuniæ ſpecie ; ſciens enim adeo auri amorem hominum animos rapere ac attrahere, ſic denarij lenocinio ſummam beatitudinem ſignificare voluit, ut ad illam ardentius homines moverentur, qui autem cœleſtis hujus denarij pretium cogitat terræ denarios facilius contemnet. *tract. 8. diſc. 22. & tr. 10 diſc 17. per totos.*

*Conventione autem facta ex denario diurno miſit eos in vineam ſuam.* Omnibus dabitur idem præmium, nam licet ſicut alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, ſic quoque aliqui habituri ſint majorem gloriam ſecundùm gradus majus vel minus intenſum, Deus tamen omnibus ſe totum communicabit, non aliter ac ſi ſe ſol communicaſſet multis Adamantibus, poſuiſſetque ſe totum in quovis, omnes haberent totum in quovis, licet unus præ alio plus lucis haberet, prout unus præ alio eſſet major vel minor, purior & præſtantior ; teſte D. Auguſtino Serm. 19. de verbis Domini. *Quamvis meritorum diverſitate fulgebant alius magis alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet æqualis erit omnibus, tr. 10. diſc. 12 per totum.*

*Et egreſſus circa horam tertiam vidit alios ſtantes in foro otioſos.* Pulchre *D. Paſchaſius lib. 9. in Matth.* ait : *In foro quidem erant, ait, & ideo extra vineam*, id eſt, *quia lucra mundi ſectabantur. Idcirco dum in foro ſunt ; tales neque ad nuptias Sponſi, neque in vineam Chriſti, temporalia tantum ſectantes, venire & operari in ea poſſunt.* Erant homines iſti in foro temporalia lucra ſectantes, & humanis negotijs intenti, & ideo extra Domini vineam degebant otioſi & vacui ab omni opere bono, cum nihil cœleſte cogitarent. Certe & reprehenſione digni, ſicut & reprehenduntur. *tr. 10. de Beatitud. diſc. 19. per totum.*

*Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis.* Cum ijs quos primo ſummo mane vocârat Paterfamilias conventionem facit de denario diurno, cum his vero pactum nullum iniit, ſed dicit, *quod juſtum fuerit dabo vobis.* Cur hoc ? Sciebat enim Paterfamilias, quod dona ſua valde ſuperabundant omnem noſtrum laborem & votum, ſemper ſupra ſummum noſtra excedunt obſequia. *tract. 4. diſc. 7. 9. 10. & 11. paſſim per totos.*

*Circa undecimam vero exiit, & invenit alios ſtantes otioſos, & dicit illis, quid hic ſtatis tota die otioſi ?* Vidit Paterfamilias hos otioſos circa horam undecimam, cum jam dies multum profeciſſet, ſtantes otioſos, non potuit ſibi temperare quin eos non increparet, cum tamen alios qui vocati ſunt hora tertia, ſexta & nona, quamvis etiam inventi fuiſſent otioſi non increpârit ; Hi enim qui ad ſummum & perfectum diem in publico otioſi inveniebantur, velut incorrigibiles & in malo inveterati, perque malum otij exemplum ſcandaloſi notabantur, ac propterea ſtatim ac publice erant reprehendendi, *tr. 18. de correct. Frat. diſc. 11. fere per totum.*

*Quid hic ſtatis tota die otioſi ?* Valde mirandum eſt, multis infidelibus tam magnum reperiri otium, etiam per totius vitæ curſum, maxime cum ſciant magnitudinem illius præmij quod Deus ſtabilivit & convenit ſe daturum laborantibus, *tract. 10. diſc. 2. 7. 8. & 9. per totos.* tum etiam quod à multis parum pro cœlo pendatur, quia Deus illud à nobis pro illo acceptat, quod habemus, etiam ſolam bonam voluntatem, ſi plura dare nequeamus, & ideo velut in vehiculo ad cœlum proficiſcimur, *tract. 10. diſc. 30. per totum.*

*Ite & vos in vineam meam.* Ergone adeo ſibi Deus perplacet in conſtructione vineæ ſuæ, ut de ſummo cœlorum faſtigio deſcenderit, operariosque vocârit ad hanc vineam excolendam ? vinea hæc Symbolum eſt animæ juſtæ, quam Deus ſumma cura & cuſtodia ſemper proſecutus fuit, *tr. 7. de Anima diſc. 10. per totum.*

*Ite & vos in vineam meam.* Ad laborandum nos in vineam ſuam vocavit Dominus, ſed hac lege ut totus fructus inde redundans noſtrum ſit lucrum, noſque ex eo diteſcamus, *tr. 4. diſc. 16. per totum.*

*Ite & vos in vineam meam.* Videtur hic Dominus aliquo modo compuliſſe vocatos intrare in vineam ſuam etiam propoſito præmio, cum tamen ab hoc labore in vinea Domini per præceptorum obſervantiam, juſto titulo ſe nullus poſſit excuſare, ſiquidem præcepta Dei ſolo amore, qui omnia quantumvis aſpera facilitat, ſuavia redduntur, *tr. 4. de Amore Dei, diſc. 17. per totum, tr 16 diſc 10. & 11. per totos.*

*Cum autem ſero factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori, voca operarios & redde illis mercedem.* Variæ ſunt diverſorum Patrum ſententiæ, quiſnam hic ſit vineæ procurator, nos cum Origene Hom. 10. in Matth Symbolice Angelos eſſe intelligimus, nec immerito, hi enim ſunt procuratores animarum noſtrarum, eorumque miniſterio commiſſum eſt mercedes diſtribuere, *tr. 6. diſc 4. 5. 6. & 7 per totos.* Item bene dicitur *cum ſero factum eſſet*, quia hi Procuratores, Angeli videlicet, magnam hujus mercedis partem nobis ſolvunt, quando in fine vitæ noſtræ adverſus dæmonem auxilia præſtant &c. *ibid. diſc. 9. fere per totum.*

*Redde illis mercedem* ; bene dicit, *mercedem*, nam per mercedem, juxta S. Paulum, ſignificatur debitum quod ſolvitur ex juſtitia ; poterat enim gloriam dare gratis, ſed vult meritam eſſe & lucratam ; & Chriſtus quidem regnum cœlorum nobis conſignat, ſed cum eodem onere quod ille idipſum acquiſivit, id eſt, ſub onere multorum laborum, *tract. 10. diſc. 23. per totum.*

*Incipiens à noviſſimis ad primos.* Numquid ordo poſtulabat, ut à primis eſſet retributionis initium, quando primi plus laboris præſtiterunt ? Cur ergo bonus Paterfamilias ordinem immutat, & primo jubet remunerare eos qui vix una hora laboraverunt. Rationem pulchram aſſignat D. Gregor Nazianz. Orat. in S. Baptiſma : *Illi, ait, non prius crediderunt, nec ingreſſi ſunt, quam ipſis ex conventu merces conſtituta fuiſſet, hi nulla condicta mercede ad laborem acceſſerunt.* Qui autem ſine ſpe lucri ad labores advolant multum promerentur apud Deum ; ſimileſque in Dei ſeu Eccleſiæ ſervitio deſudantes ſpiritualibus Deus, præmij loco, reſtaurare ſolet conſolationibus, *tr. 16. diſc. 1. per totum.*

*Acceperunt autem & ipſi (ſcilicet primi) ſingulos denarios, & accipientes murmurabant adverſus Patremfamilias* Iſti primi operarij, qui dicuntur portaſſe pondus diei & æſtus, communiter cum D. Gregorio, D. Auguſtino, & alij exiſtimantur eſſe, qui in prima mundi juventute floruerunt, ut Adam, Sem, Enoch, & alij, ſed tunc vivebant iſti cum aurea ætas mundum occupaſſet, omnia ubique erant in abundantia, abſque ullius egeſtate, quomodo ergo in tanta rerum amœnitate dicuntur iſti portaſſe pondus diei & æſtus, magnam ſcilicet preſſuram ac laborem ? Merito quidem ; nam inter tantam proſperitatem ſervare virtutem valde difficile eſt, præſentis enim vitæ proſperitates à Deo nos ſeducunt, &

ideo magna eſt inter illas virtutem conſervandi difficultas, *tract. 8. de avarit. diſc. 8. per totum.*

*At ille reſpondens uni eorum dixit: Amice non facio tibi injuriam.* Ecce cum eum corripit & emendat amicum vocat, correctio enim veri amici nota eſt, utpote quæ ex motivo charitatis procedere debet, *tract. 18 diſc. 7. per totum.* Item amicum vocat murmuratorem, quia fructuoſa ut ſit correctio cum manſuetudine temperanda eſt, *ibid. diſc. 12 per totum.*

## DOMINICA SEXAGESIMÆ.

E*Xiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum Luc. 8. v. 5.* D. Chryſoſtomus *Homil.* de terræ motu, inquit: *Exiit qui ſeminat ad ſeminandum; & quædam ceciderunt ſecus viam, quædam ſuper petram, quædam ſuper ſpinas, quædam in bonam terram. Tres partes perierunt, & una ſervata eſt, nec ab agricultura deſtitit; ſed quia una ſervata eſt, agrum colere non ceſſavit.* O mira Chriſti charitas! ita diligit ac æſtimat animam juſti, ac ſi omnes comparaſſet: Ita ſeſe innumeris laboribus ſubjicit pro unius animæ ſalute, ac ſi omnes eſſet lucraturus: unde jure merito ſinguli Redemptori noſtro tantumdem obligantur pro anima propria, quantum obligantur in univerſali omnes, &c. *tract. 7. de Anima diſc. 13. per totum.*

*Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* D. Antonius Ulyſippo, Serm. in Sexageſ. ait: *Seminator eſt Chriſtus vel Prædicator ipſius; ſemen eſt verbum.* Nam ſicut ſator effundit ſemen ſuper terram, ſic & concionator doctrinam in Auditores, & ſicut bonus ſator terræ cœlique ingenium obſervat, ne importune ſemina ſua amittat, ſic & bonus prædicator temporis, loci & Auditorum opportunitatem præmeditari debet, ne ſuo labore fruſtretur; quas circumſtantias ſi hoc tempore hacque Dominica conſideret, videbit Miniſter Evangelij curandum ſibi eſſe ut Bacchanalia, tamquam ſeminarium omnis peccati abolere poſſit, &c. *tract. 9. diſc. 1. per totum.* Item exiit ſeminator Chriſtus non per ſolam prædicationem, ſed etiam per bonum exemplum & opus ipſum, *tract. 1 diſc. 3 n. 10.*

*Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam.* Semen Dei ſecus viam cadit, quando hoc quod per auditum quidem mente conceptum eſt, per ventum prætervolantium malarum cogitationum ex agro mentis expellitur, unde ſolicite incumbendum eſt cuſtodiæ internæ cogitationum; eæque maxime refrænandæ ſunt, *tract. 14 diſc. 18 per totum.*

*Et volucres cœli comederunt illud.* Volucres cœli, inquit Hugo; ſunt Dæmones, qui ideo bene volucres dicuntur, quia magna eorum pars verſatur in hoc ſæculo per aëra uſque ad diem judicij; unde etiam à D. Paulo ad Eph. 2. dicuntur poteſtates aëris, nunc autem ſicut volucri minimus ad nidificandum locus ſufficit ut ibidem pullos excubet, ſic quoque Dæmoni minimus ad animam noſtram aditus ſufficit ut deinceps omnem ſuam malitiam in eam infundere, & pullos novorum peccatorum procreare poſſit, *tr. 19 diſc. 8 per totum.*

*Et conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud.* Cœleſtis ſator optimum ſemen miſit in terram, quæ etiam alias optima erat; tamen hominum conculcatione ſterileſcit ad fructum, & nullius etiam proventus nobis ſpem facit. O quam ſæpe optima indoles ac bonum ingenium, quia à malis ſocijs conculcatur ac peſſumdatur, ſterileſcit ac aridum redditur ad fructum, nam maxime etiam virtuoſos converſatio malorum pervertit, *tract. 17 diſc. 3 per totum.*

*Et aliud cecidit inter ſpinas.* Significantur hic homines, qui Evangelicam fidei doctrinam audiunt & ſuſcipiunt, tamen à divitijs earumque inordinato amore oppreſſi fructum juſtitiæ non reddunt, fidem mortuam ſine operibus habentes. Per avidam enim divitiarum concupiſcentiam affectum & poſſeſſionem, fides cultus & notitia Dei multum labefactatur, *tract 8. de Avarit diſc. 14. per totum, & per alios plures ejuſdem Tractatus Diſcurſus.*

*Et ſimul exortæ ſunt ſpinæ.* Cur non poſtea, poſtquam jam ſemen ſe dilataſſet in culmos ſpicam produxiſſet ac protuliſſet fructus; ſed cum ſemen adhuc eſſet in ſua ſpecie, ſimul cum eo naſcuntur ſpinæ? ſic ſæpe contingit: acriores hoſtiles incurſus frequenter quidem armantur in virtutem adultam, ſed etiam Dæmones omnes ſuos conatus impellunt in virtutem teneram, & infantilem ad ipſam perimendam & eradicandam, Dæmon enim tunc nos maxime impugnat, quando Deo arctiſſime conjungi incipimus &c *tr. 19 diſc 10*

*Et ſuffocaverunt illud.* Spinæ ſemen ſuffocant & non ſemen ſpinas; ſpinæ enim ex contubernio boni ſeminis nullum habent damnum; at vero bonum ſemen ex vicinitate ac approximatione ſpinarum ſuffocationem ac interitum reportat. Sic boni cum malis converſando citius pervertuntur quàm convertant, &c. *tract. 17. diſc 5 per totum.*

*Nota quod ſequens in Evangelio parabolæ explicatio in allatis jam diſcurſibus tota continetur, unde novos ſuper eam formare ſuperfluum judicavi.*

## DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

E*Cce aſcendimus Jeroſolymam, &c. Luc. 18. num 31.* Non ſine ſingulari & magno myſterio S. Mater Eccleſia hoc tempore præſens de Paſſione Dominica nobis prælegi jubet ſacrum Evangelium; ſicuti enim mundus hos dies optime impenſos putat ſi gaudijs, ſi jocis, ſi choræis & larvis tranſigantur: Ita Eccleſia ſe maxime lætari his diebus putat, ſi de paſſione & dolore Chriſti agat, volens filijs ſuis perſuadere Deo acceptum eſſe ſacrificium à gaudijs & voluptatibus quas mundus hiſce diebus larga manu diſpenſat abſtinere, &c. *tr. 9. diſc. 14. per totum.*

*Si plus concionator voluerit hiſce diebus è ſuggeſtu agere contra Bacchanales diſſolutiones, contra Maſcaras, choræas ſpectacula &c. Copioſiſſimam per integrum hunc Tractatum nonum & viginti in eo contentos diſcurſus habere poterit materiam. Ut autem alias quoque pertractandi materias divini verbi præconibus anſa detur, Evangelium præſens ordine conſueto percurro.*

*Ecce aſcendimus Jeroſolymam.* Aſcendere dicitur in Jeruſalem; ut à labore aſcendendi dulcius ſapiat & glorioſius beet cœleſtis Jeruſalem; Mundus enim & labor omnis facile ab eo contemnitur, cujus oculi in cœleſtem gloriam jugiter diriguntur, libenterque quævis adverſitas ſuſtinetur, dum ſpe æternæ retributionis ſuavis eſſe videtur, *tr. 10. diſc 22. per totum.*

*Ecce aſcendimus Jeroſolymam.* Aſcendere dicitur Jeroſolymam, ſed ad quid? & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte, ſic quoque ad cœleſtem Patriam non itur, niſi per viam mortis & crucis, Paſſionum enim & tormentorum libenti animo toleratarum merita viam & cœlum complanant & facilem efficiunt, *tract. 10. diſc. 25. per totum.*

*Tradetur enim gentibus, & illudetur & flagellabitur.* Quis rogo tantum ſcelus auſit? filium nempe Dei tradere gentibus ad res tam ignominioſas, imo ad ipſam crucis mortem? certe quod nullus attentare umquam auſus fuiſſet, idipſum tamen auſu prorſus temerario fecit ambitioſus, ambitio enim omnium malorum eſt origo, omnique legi divinæ & naturali renunciat &c. *tr. 3. diſc 2.* fecit quoque idipſum avarus. *tract. 8. diſc. 2 3. 4. & 28.*

*Factum eſt autem cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, ℣. 35.* Cæcus hic ſecus viam, ut notat Hugo Cardinalis, fuit Bartimæus de quo Marcus c. 10. Bartimæus autem quod filius floridi ſeu divitis alicujus ſignificat; ſed ſi fuerit floridus & dives, quomodo in via mendicat, nil hoc vobis ſit miri, nam nullus pauperior divite eſt, *tr 8. diſc. 28. per tot.*

*Et cum audiſſet turbam prætereuntem, quæſivit quid hoc eſſet:* Quid turba hæc præteriens nobis melius deſignare poterit quàm mundum cum bonis ſuis, præterit enim figura hujus mundi, ſuntque bona hujus mundi tantum veluti ſcenæ quædam & imagines bonorum nec umquam ſubſiſtunt, *tr. 8. diſc 23. per totum.*

*Et dixerunt, quod Jeſus Nazarenus tranſiret.* Tranſibat Jeſus utpote viator, & utinam nos hanc vitam cum Jeſu tranſiremus, jugiter cogitantes nos eſſe viatores, & quod vita præſens peregrinationi ſimilis exiſtat. *tract 8 diſc 21 per totum.*

*Et qui præibant increpabant eum, ut taceret.* Venerabilis Beda per turbam, quæ Jeſum venientem præcedebat, dicit ſignificari tumultus carnalium voluptatum & deſideriorum, quæ diſſipant cogitationes hominis & perturbant vocem orationis, ne Jeſus veniat ad illuminandum cor hominis & ad exaudiendum noſtras preces. Vitium enim carnis à Deo nos ſeparat, nec non omni vero ſpiritu & devotione nos privat, *tr. 13. diſc 4 per totum.*

*Stans Jeſus, juſſit illum adduci ad ſe.* Oſtendit hic dum jubet hunc cæcum ad ſe adduci, in ipſo cæco, quod in dies in nobis adhuc operatur, ut ſicut hic cæcus ex hac juſſa & mandata adductione multam Jeſum amandi accipiebat cauſam, ſic quoque nobis per beneficia vocationis ad fidem, juſtificationis, præſervationis à multis peccatis & periculis, conſervationis creaturarum multa Deum amandi ſuppeditantur motiva, per illa enim nos velut cæcos ad ſe adduci jubet, ut lumen recipiamus immenſum ejus in nos amorem cognoſcendi *tract 4. diſc. 12. per totum.*

*Stans Jeſus, juſſit eum adduci ad ſe.* Recte quidem facis Domine mi, protegens hunc pauperem, cum totus enim mundus eum deſerat, tu eum non potes deſerere, oſtendens ingentem illam curam & ſolicitudinem quam habes pro ſalute uniuſcujuſque animæ in particulari. *tr. 7. diſc 12 per totum.*

*Dicens: quid faciam? At ille dixit, Domine ut videam.* Brevis oratio & multa vide plena, & quamvis pauper eſſet & multis indigeret, tamen hoc poſtulat quod ei magis neceſſarium erat. *Ut notavit D. Ephrem de Panopolia ſpirituali:* Numquid ait dixerunt, ſcilicet iſti cæci, da nobis veſtimentum, quoniam pauperes ſumus? Minime verò, ſed illud poſtulaverunt potius quod magis urgebat. Quapropter mi Frater, quod urget magis, quæque in omni tempore tibi magis neceſſaria ſunt, ea à Deo poſtula. Poſtulet ergo homo id à Deo quod magis ei eſt neceſſarium, ut videat turpitudinem peccati, mundi fallacias, *tract. 8. diſc 23. per totum*, & Paradiſi ſtabilitatem; & ab omnibus periculis immunitatem, *tr. 10. diſc. 15. per totum.*



*Et Jeſus dixit illi, reſpice fides tua te ſalvum fecit.* Non de omni fide hic loquitur Jeſus, ſed de fide formata, nullum enim opus bonum ſine charitate quidquam valet, *tr. 4. diſc. 3. per totum.*

*Et confeſtim vidit & ſequebatur eum magnificans Deum.* Receptus favor videbatur magnus, ſicque recognoſcebat eum, ſed eſt major, imo & plures ſunt quos tibi Deus contulit favores quos igitur occaſione cæci hujus grati pondera; ut cognitis diverſis Deum amandi motivis ſimiliter gratus eſſe poſſis, *tr. 4. diſc. 8. per totum. Item diſc. 9.*

## DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

D*Uctus eſt Jeſus in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo, Matth. 4. v. 5.* Videtur hic mihi apertiſſimè declaratum ænigma quoddam Salomonis, quod inter cætera apparebat ei difficile, nempe, via colubri ſuper petram, qui repens non relinquit ſignum vel ſciſſuram; Infernalis enim hic ſerpens arrepens Chriſto, qui vere eſt petra, *petra autem erat Chriſtus*, tentatione ſua prima, ſecunda & tertia, nil effecit quam pectus ſuum terere, nec plus efficere in nobis poteſt, quia libertati voluntatis noſtræ nullam vim inferre poteſt &c. *tract. 19. diſc 15 per totum.*

*Ductus eſt Jeſus in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo.* Maxime & cum fructu notandum eſt, quod, ut notat D. Hilarius *Cant. 3. in Matth.* poſt Baptiſmum tentatur, eo quod in Sanctificatis maxime Diaboli tentamenta graſſantur, quia victoria maxime exoptanda eſt de Sanctis, *tract. 19. diſc. 9. per totum.*

*Ductus eſt Jeſus in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo.* Quæſtio hic non inutilis moveri poteſt, quod cum omnes Chriſti actiones ſint à Spiritu Sancto, in hac actione tamen dicatur potius eſſe ductus quam in alijs? Reſpondet D. Chryſoſtomus *Hom. 13. in Matth.* quod Chriſtus hic ſpecialiter dicatur motus à Spiritu Sancto, ut intelligatur actus iſte laudabiliter & diſcrete factus, quia ſi non conſtaret Chriſtum eſſe Deum, non eſſet aliquis actus, inter omnes actus ejus de quo magis poſſet quis Chriſtum arguere, quam de hoc, quia ipſe voluit ire in deſertum ut tentaretur, & ſic exponebat ſe periculo: Prudentis autem potius eſt fugere quam ſe tradere periculo; quod licet hic quidem de omni genere tentationum intelligendum ſit, maxime tamen id locum habet in ijs quæ ſunt contra caſtitatem, hanc enim qui conſervare ſtudet dimicare debet non reſiſtendo ſed fugiendo, *tr. 10. diſc. 28. per totum.* Ut ergo nunc, ait Abulenſis *quæſt. 4. & 8.* nemo poſſet Chriſtum prima facie arguere, dicitur ductus à Spiritu Sancto, quia ut D. Hilarius *Cant. 3 in Matth.* ait: non aliter eum Diabolus tentare auderet niſi Spiritus Sancti facultate permiſſa; ſic quoque nec ulla in nos potentia prævalere poteſt, niſi quantum Deus limitate & in profectum noſtrum indulget, *tract. 19. diſc. 13 per totum.*

*Ut tentaretur à Diabolo.* Omnia Chriſtus Dominus alto conſilio operabatur, & ut ait D. Ambroſius. *Conſilio ductus eſt in deſertum*, & rationem quoque aſſignat citatus Doctor *in Luc. Ut oſtenderet, nobis Diabolum ad meliora tendentibus invidere, & tunc magis cavendum, ne myſterij gratiam deſerat mentis infirmitas.* Indicatur hoc facto quò magis operibus ſanctis intendimus, eo acriora tela in nos injiciuntur, *tract. 19. diſc 11. per totum.*

*Cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus poſtea eſuriit. Varia in commendationem jejunij varijs diſcurſibus & quidem octodecim, explicata habes argumenta è quibus ſuper hoc Themate præſenti Dominica quod placuerit ſeligere poteris. Viam tamen commodiorem ad aliquos ſternam pro majori tua facilitate & commodo.* Ac primo quidem bene obſervat Salmeron *Tom. 4. p. 1 tract. 10.* Ante hoc jejunium ſæpius Chriſtum Dominum jejunaſſe, nam in lege veteri, quam Chriſtus Dominus non venit ſolvere ſed adimplere, erant multa jejunia præſcripta. Tamen Evangeliſtæ de hoc ſolum jejunio quadragenario faciunt mentionem, quia alia jejunia pertinebant ad obſervationem legis veteris, hoc vero ad initium legis gratiæ; deinde illa jejunia erant veluti perſonalia, & veluti particulariter ſpectabant ad perſonam Chriſti, prout ſub lege voluit eſſe, hoc vero quadrageſimale ad exemplum totius populi Chriſtiani. *Agi hic commode & utiliter poteſt de myſterijs noſtrorum jejuniorum, prout explicatum habes, tract. 1. diſc. 18 per totum.*

*Cum jejunaſſet quadraginta diebus, &c.* Comparat D. Maximus *Homil 3. de Jejunio*, duorum legiſlatorum inter ſe jejunia, Chriſti vid. & Moyſis: ait enim, *jejunat Moyſes ut Deum videret, jejunat & Chriſtus ut unum eſſe cum Deo, dum de Diabolo triumphat oſtenderet:* Jejunium enim quidpiam Angelicum & divinum in ſe continet, noſque Deo ſimiles reddit, *tract 1. diſc. 4 per totum.*

*Et cum jejunaſſet, &c.* D. Baſilius *Hom. 1. de laudibus jejunij* ait: *Dominus noſter non prius in carne quam pro nobis aſſumpſerat, Diaboli inſultus excepit, quam eam jejunio communiſſet, ſimul & nos erudiens, ut noſipſos quoque adverſus tentatoris conflictus more paleſtritarum exerceamus.* Antequam Chriſtus ad pugnam Diaboli deſcendat, ſe jejunio armavit, non pro ſe, ſed pro nobis, ut nos ſuo exemplo inſtrueret, ut nulla ſanctitate ſecuri omittamus arma jejunij: Abſtinentiâ enim fortis eſt adverſus Dæmonem armatura, quod Chriſti exemplo oſtenditur, *Tract. 1. diſc. 11. per totum. Item diſc. 12. per totum.* Et poſtea Eſuriit, *tr. 1. diſc. 11. per totum. Item, diſc. 18. per totum.*

*Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Maximam inimici hujus infernalis malignitatem notat, D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth.* dum ait: *E lapidibus apte elegit panem poſcere, ut quam durus ſit qui loquitur tali ſignaretur exemplo.* Item V. Beda inquit: *Bene de lapidibus panem facere ſuaſit, ut qui durus eſt mente duritiam ſuaderet ſermone.* Eſt enim magna infernalis hujus ſerpentis crudelitas, & implacabile adverſus hominem odium, *tract 19. diſc. 2. per totum.* Si alias propoſiti Thematis adhuc deſideras explicationes, *vide tr. 1. diſc. 4 n. 9. tr. 1 diſc. 11. n. 2. tr. 2 diſc. 1. n. 1. tr. 3. diſc. 1. n. 9. tr. 8. diſc. 4 n. 12.*

*Si Filius Dei es, &c.* Non quærit hic Diabolus, num Chriſtus Filius Dei ſit adoptivus, omnes enim Chriſtiani ſunt Filij Dei adoptivi, ſed de filiatione naturali interrogabat, dubitabat enim an Chriſtus verus eſſet Meſſias, & in hoc dubio conabatur Diabolus extorquere miraculum in confirmationem quod eſſet Filius Dei. Deinde nequiorem hic notat Dæmonis aſtutiam D. Chryſoſtomus *Hom. 13* dicens: *Non dixit, ſi eſuris, ſi Filius Dei es, videlicet, exiſtimans, poſſe ſe aliquid per laudem blandimenti furari.* Ad oppugnandam Chriſti ſanctitatem non alias tentationum machinas adhibet niſi laudatorias voces, exiſtimans adulatione Chriſtum ſe ſupplantaturum. Dæmon enim per adulationem eos, qui perfectiores ſunt & ſanctiores, quantum poteſt ſeducere ſatagit, *tr. 2 diſc. 2. per totum.*

*Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* D. Ambroſius & alij per *Verbum* ſacram doctrinam intelligunt, quia ſicut cibo materiali corpus paſcitur, ita ſpirituali doctrina anima reficitur, ac proinde docet, quod non ſolum de corpore ſit habenda cura, ſed etiam de anima. Unde apte D. Hieronymus hic loquitur: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Si quis ergo non veſcitur verbo Dei, iſte non vivit.* Nec enim inter vivos numerandus eſt, qui ſpirituali doctrina caret, & ſolum ſe temporalibus committit, & de ſpiritualibus minime curat Anima enim in bonis hiſce terrenis perditur, dum æterna negliguntur, *tr. 7. diſc. 18. per totum.*

*Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Variæ variorum ſanctorum Patrum ſunt ſententiæ, determinantes quid ſit pinnaculum templi, & cur Chriſtus à Diabolo illuc ductus ſit Verior eſt Theophylacti, Abulenſis *quæſt. 33.* qui dicunt eſſe ſummam extremitatem tecti ſeu frontiſpicij. Cur autem ad locum tam altum Diabolus Chriſtum deduxerit, inter varias rationes hanc ſolam moralem affero: per aërem ſuper pinnaculum templi duxit, quia dum homo ad dignitates ultra merita non per gradus aſcendit, manifeſta eſt ruina certus lapſus. Honores enim merita prærequirunt, &c. *tract. 3 de Ambit. diſc. 12.* Item ſublimia loca præcipitia vicina comminantur. *Ibid. 6. per totum.*

*Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Super hoc Themate ſacer Eccleſiaſtes copioſiſſimam diſcurrendi habet materiam integro Tractatu ſeptimo per ſexdecim diſcurſus. Pro reliquis autem Evangelij hujus Thematibus per conciones elucidandis ſervient Tractatus 3. de Ambitione Tractatus octavus de Avaritia, quæ huc apponere nolui, tum quia Concionator proprio ſtudio facile hic progredi poterit, tum etiam ne index hic nimium excreſcat.*

## DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

A*Sſumit Jeſus Petrum, Jacobum & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Matth. 17. 1.* Benigniſſimus Dominus Jeſus ſingulariter benedicit ſibi in hac vita ſervientibus, dans eis in hac vita bona temporalia, & in alia æterna bona ſpiritualia. Utriuſque nobis exemplar quoddam reliquit in duobus montibus. In Hermon ubi ſe ſequentes cibavit. In Thabor verò ubi aliquos gloriæ oſtendit ſplendores, qui jam ita Petrum ſatiabant, ut jam amplius nihil deſiderari opinaretur. Deus enim merito titulo ſuavis gloriatur, qualem ſe ſuo in terras adventu exhibuit, præbens animabus noſtris copioſiſſimam ſuavitatem tamquam æternorum gaudiorum quoddam præludium; ſimulque in hac vita ſui ſequacibus centuplum promittens eſſe reddendum. *tr. 16. diſc 3 per totum.*

*Duxit illos in montem excelſum ſeorſum.* Dominus ac Redemptor noſter ducem ſemper ſe nobis exhibuit ad montem gloriæ

gloriæ; unde certo colligere poſſumus,non eſſe aliam viam ad illam,quam eam qua ipſe præceſſit; de quo jam olim nos docuerat dicens: *Non eſt ſervus major Domino ſuo:* Ipſe enim regnum cœlorum nobis conſignat,ſed cum eodem onere,quo ille idipſum acquiſivit, *tr.10.diſc.23.per totum.*

*Duxit illos in montem excelſum ſeorſum.* Paulo ante Chriſtus cum diſcipulis ſuis diſcurſum habuerat de cruce ferenda: quia vero nondum confirmati & conſolidati, erant à Spiritu Sancto, poterant deſpondere animo in tali labore, proponit eis præmium, ad hoc ut animos eis addat: unde quiſquis cœlum aſpicit jugum legis libenti animo portat &c. *tr.10.diſc.21.per totum.*

*Aſſumpſit Jeſus Petrum, Jacobum & Joannem fratrem ejus.* Cur hos tres tantum & non reliquos Apoſtolos? An non omnes diſcipuli & Apoſtoli? An non Dominus à perſonarum acceptione alienus eſt? Pulchram ad mores orationem dat D. Damaſcenus Orat.de Transfig. dicens: *Omnes Chriſti amore præditi; at unus pecuniæ ſtudio flagrans, Judas inquam Iſcariotes. Unus hic dumtaxat indignus erat, qui divinitatem ſpectaret.* Avarus enim per opum ſuarum ſtercus Deo abominabilis redditur, *tr.8.diſc.11.per totum.* At ulterius inquiro; ſi ergo ſolus Judas avaritiæ vitio infectus merito à Thaboris gloria excluditur, cur ergo cum eo & reliqui Apoſtoli innocentes relinquuntur? Reſpondet citatus Damaſcenus, *Si ſolus Judas eſſet omiſſus, tamquam invidus ad majorem malitiam eſſet provocatus. Proinde proditori tollit proditionis occaſionem, cum dimiſit inferius reliquam Apoſtolorum turbam.* Quod enim Proditori ſervire debuiſſet ad correctionem majorem in ipſo concitaſſet contra Dominum invidiam. Magna enim eſt inter juſtos & impios in recipiendis correctionibus differentia. *tr.18.diſc.5.per totum.*

*Duxit illos in montem excelſum.* At cur hæc transfiguratio facta eſt in monte. Reſpondet D. Remigius *in cap. 17. Matth. Quia neceſſè eſt omnibus, qui Deum contemplari deſiderant, ut non infimis voluptatibus jaceant*; Carnales enim voluptates à Deo ſeparant. *tract. 13. diſc.4.* Item *ut oſtendat diſcipulis ſuis quatenus gloriam divinæ charitatis non in hujus ſæculi profundo quærant, ſed in cæleſtis beatitudinis regno. Tract.10.diſc.15. & 18.* Item, *Ducuntur ſeorſum, quia ſancti viri toto animo ſeparati ſunt à malis, tract. 18. diſc.12. per totum.*

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

*ET transfiguratus eſt ante eos.* Transfigurari voluit Dominus ex hac cauſa, ut qui venerat docere abnegationem propriam, & tollendam crucem, animaret quoque homines ad dura & aſpera ſubeunda. Transfiguratur, ut ex viſa gloria certo ſciant majora bona eſſe recipienda, quam extiterint mala quæ pertulerint. Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum menſuram, conſolationum ſpiritualium creſcit imo & ſemper ſuperexcedit abundantia, *tract.16. diſc. 18 per totum.*

*Et transfiguratus eſt ante eos.* D. Antonius Ulyſippo: *Serm.2. in 2. Dom.quadr* ſic inquit: In hoc notatur humilitas Chriſti; Sed Angelus Satanæ per ſuperbiam transfiguratur in Angelum lucis. Scit enim aſtutus ſerpens hic infernalis, ut nos fraudibus ſuis circumveniat per ſuperbiam, malitiam ſuam ſub pallio virtutis & ſanctitatis contegere, ſeſeque in Angelum lucis transformare, *tr.19 diſc.7 per totum.*

*Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol.* Pollicitus aliquando fuerat Dominus, quod juſti in regno cœlorum fulgerent ſicut ſol. Oſtendit ergo ipſe gloriam ſuam in Thabor ad inſtar ſolis; tum ut diſcipuli firmiter crederent, quod cum Dominus illa majeſtate potiretur ipſi ad ſimilem eſſent elevandi: tum etiam ad ſpeciem ſolis oſtendit faciem ſuam, ut promiſſioni ſuæ de beatorum fulgore ad inſtar ſolis multam fidem reconciliaret. Unde noſter Cyrillus Alexandrinus *lib.12. in Joan.* ait: *Quod ut firmiter crederetur, prævenit & in monte hanc gloriam diſcipulis monſtravit. Agi hoc loco utiliter poterit de beatorum pulchritudine, & gaudio quo perfruentur ex divinæ faciei aſpectu, tract. 10.diſc.6 & 7. per totos*

*Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Quid eſt quod ad hoc mirabile transfigurationis myſterium ſingulariter inter tot ſanctos Patres Veteris Teſtamenti apparuerint tantum & convocati ſint Moyſes & Elias? D. Hieronymus *lib. 2. adverſus Jovinian.*: Pulchram ſuggerit rationem: Ob jejuniorum, inquit, conſortia Moyſen & Eliam transfiguratus in monte ſecum oſtendit in gloria. Hi enim eumdem jejuniorum numerum cum Jeſu obſervarunt, idcirco qui in obſervatione jejunij collegæ extiterunt, etiam merito ad conſortium & gloriæ ſuæ evocat participationem. Abſtinentia enim & jejunium media ſunt efficacia ad gloriæ poſſeſſionem,nec non divinorum myſteriorum percipiendam notitiam, *tr 1 diſc 5 & 6 per totum.*

*Loquebantur de exceſſu quem completurus erat in Jeruſalem.* Exceſſus hic idem importat, quod exitus, unde pro hoc verſu Pſalmi. *Ego dixi in exceſſu meo:* In Hebræo legitur: *Ego dixi in fuga ac exitu meo.* Ac proinde concluditur quod locuti fuerint de exceſſu Paſſionis, qui erat mors crudeliſſima, quam paſſurus erat in Jeruſalem. Si autem mors illa & redemptio tam fuerit copioſa & cum exceſſu pro peccatis noſtris, quid igitur pro illis à nobis petitur? Si dedit perfectiſſimam ſolutionem, quid nobis ſolvendum? Multum profecto pro noſtra parte; de ſua quod erat cum exceſſu implevit, reſtat ut faciamus quod eſt ex noſtra; & ſatisfaciemus ſi ſicut cum exceſſu ſe nobis totum dedit,demus & viciſſim eidem totum cor noſtrum quod omnino habere deſiderat, *tract 4.diſc.15.* & ut ſcias qualiter illud eidem tradere debeas vid. ibid *diſc.13. ubi varij explicantur modi Deum ex toto corde diligendi.*

*Reſpondens autem Petrus, dixit ad Jeſum; Domine, bonum eſt nos hic eſſè; ſi vis, faciamus hic tria Tabernacula.* Non vacat myſterio, quod Petrus hic non domos ſed tabernacula petiit ædificari. Inter tabernaculum autem & domum hoc ineſt diſcrimen, quod domus ædificatur ut fixum ac permanens domicilium? Tabernaculum autem ſeu tentorium ut more viatorum ad non diu, ſed breviter manendum conſtruitur. Nunc verò cum illa gloria corporis, illeque veſtium candor,ut ait D. Hieronymus, *hic quid corporale ſit & tactui ſubjaceat*, & licet eſſet quædam particula & prægustus quidam cœleſtis beatitudinis, cum tamen in terra appareret,eſſetque ſubjecta oculorum tactui licet minus caute tamen bene dixit Petrus, faciamus hic tria tabernacula, tum quia illa gloria apparebat in hoc ſeculo non diu permanſura, tum etiam quia in illa diuturna non diu perjucundarentur: Oblectationes enim in hac mortali vita multum deguſtatæ quantocius in faſtidium vertuntur, *tract.8. diſc.23.per totum, tr.10 diſc.16 per totum.*

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

*ERat Jeſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum, Luc.11.* Erat quidem hic mutus corporaliter poſſeſſus, ſed plures habet dæmon poſſeſſos in anima, quos quidem ita excæcat, ut etiam in maxima luce minus videant, tam ſurdos reddit, ut corde non percipiant verbum Dei; ſed mutos non reddit, ſed maxime loquaces, ut etiam maximis perceptis beneficijs horrendas evomant blaſphemias in Chriſtum Dominum; ideoque blaſphemis maxime minatur dicens, quod non invenient miſericordiam Dei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro; quia Deus blaſphemis ſe implacabilem reddit, *tract.11. diſc 5.per totum.*

*Erat Jeſus ejiciens dæmonium &c.* Salvator noſter ideo in mundum venit ut dæmonem ſubjugaret, qui hactenus mundum ſubjugarat: ideoque in noſtro conſpectu fortiter ſe illi oppoſuit eum è corpore humano ejiciens, ut ſic illum modo catenæ quaſi innexum crederemus, & minime timeremus, *tract.19.diſc.14. per totum.*

*Erat Jeſus ejiciens dæmonium.* Ejecit Jeſus dæmonium, ad hoc ut id quod maxime animæ infert damnum dæmonem eſſe oſtenderet, qui quando in anima dominatur, peccatum cauſat, tota enim Diaboli potentia in ſolo peccato conſiſtit &c. *tract.19 diſc.12. per totum.*

*Erat Jeſus ejiciens dæmonium.* Graviſſimi & quidem recentiores Authores notant, quod ly *Erat* in hoc miraculo perpetrando aliquam moram denotet; ſed quare cum aliquali morâ ſtabat Jeſus miraculum operans? Ratio eſt; reddebat enim homini linguam quam omnium malorum ſciebat eſſe radicem tum ex parte blaſphemiæ, tum etiam ex parte detractionis, murmurationis, maledictionis & calumniæ. *Vide tract. 11. de Blaſphemia per varios Diſcurſus. Itidem tract.12.de Calumnijs. Item tr.21.de Detractione per varios Diſcurſus.*

*Et illud erat mutum.* Dæmon non operatur in omnibus eumdem effectum, ſed contrarios, aliquos incitans ad læta, aliquos ad triſtia; ſerpens enim aſtutus per inſidias nos aggreditur, nobiſque paſſim & in omnibus rebus innumeros tendit laqueos,noſtrum quoque explorat genium, & affectus diſcutit, & ſecundùm hoc nos tentat, & in peccatum propellit. *tract.19.diſc.3.per totum.*

*Et illud erat mutum.* Crudeliſſime Dæmon hunc hominem torquebat, ſed maxima Diaboli crudelitas in hoc apparet, quod linguam hominis impediverit, ne ſua diceret ac confiteretur peccata. Molitur enim Diabolus quantum poteſt, ut nos mutos efficiat & à confeſſione abſtrahat,&c. *tract.15. diſc.11.* idque vel maxime hanc ob cauſam facit Dæmon,quia ex hac confeſſione tota animæ pulchritudo dimanat. *ibid. diſc. 5. per totum.*

*In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Confert Dominus muto beneficia & Phariſæi blaſphemant; jam enim paſſionem ſuam vere inchoat Chriſtus, ſicuti enim poſt collata beneficia Judæi Chriſtum crucifixerunt, blaſphemantes, ſic nec minus ab his Phariſæis patitur Chriſtus, cum blaſphemare ſit idem ac Filium Dei de novo flagellare & crucifigere,eſtque peccatum longe gravius illo quod commiſerunt Judæi, *tr.11.diſc.8 per totum*

*In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Mox ut Chriſtus Dominus ejecit dæmonium, locutus eſt mutus, & Phariſæi loquuntur blaſphemiam, apparet ſane quod dæmon ex homine iſto ejectus locum invenerit in Phariſæis; unde hoc conſtat? quia blaſphemabant,Blaſphemia enim eſt idioma dæmonis,&c. *tr.11.diſc 7 per totum.*

*Alij tentantes ſignum quærebant ab eo* Serviet ad hoc thema explicandum, *tr 4.diſc.15.per totum*, in explanatione illius textus: *Diviſum eſt cor eorum nunc interibunt.*

*Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Verum quoddam Dei regnum eſt fidelis anima, quæ ſi in amore diviſionem admiſerit, certo certius in extremum ſe diſcrimen præcipitat, *tr.4.diſc.15 per totum.*

*Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Ex ſuperioribus duabus rationibus ac argumentis poſitis tacite infert Dominus hanc concluſionem: Si ego non in Beelzebub ejicio dæmonia, conſequens eſt, quod in digito Dei ejiciam,hoc eſt,in Spiritu Sancto, ut habet D. Matthæus, ſeu virtute ac potentia Dei, utpote verus Meſſias promiſſus in lege. Profecto pervenit in vos regni Dei. Quaſi diceret, ex eo quod in Spiritu Dei ejeci dæmonem aditus ad cœlum facilis eſt, quia jam illud cum magna aviditate vobis offertur, *regnum enim Dei intra vos eſt*; quæ verba varijs conſiderationibus illuſtrantur, *tr.10.diſc.29.per totum.* Item *tract.7. diſc.3.n.15.& diſc.7.n.21.*

*Cum fortis armatus cuſtodit atrium, in pace ſunt ea quæ poſſidet.* Dæmon quidem fortis eſt contra nos per arma inordinatorum noſtrorum appetituum, *tract. 19. diſc. 4.* at vir fortior forti Chriſtus Dominus ſuperveniens Diabolum catenæ alligavit,ac propterea minime à nobis timendus, *tract.eod.diſc. 14. per totum.*

*Cum autem ſpiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem & non invenit.* Ex hoc textu pulchrum nobis datur documentum vid. quod ſcire nos oporteat, quod licet dæmonis tentationes perſæpe vicerimus, numquam tamen de perpetua victoria ſecuri eſſe debeamus, quia dæmon ab inſidiando numquam quieſcit, tunc nos vel maxime perſequitur, dum nos ſecuros eſſe conſpicit, *tr. 19. diſc.6.per totum.*

*Et fiunt noviſſima hominis iſtius pejora prioribus.* Reincidentia plus provocatur ira Dei & amplius minuuntur liberi arbitrij vires, quo dæmon nos plenius poſſidet, eſtque pejor ſtatus & majus periculum, unde bonum peccata non reiterandi propoſitum confitentibus eſt neceſſarium, *tract.15.diſc.14 per totum.*

*Cum immundus ſpiritus,&c.* Ita vocat dæmonem ob particularem poteſtatem, quam habet in homines immundos & carnales,ſunt enim hi nidus & centrum dæmonis,qui immunditia gaudet,&c. *tr.13.diſc.7 per totum.*

DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

*ABiit trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis. Joan. 6.* D.Cyrillus lib.3.in Joan. cap.11. ponderat,cur Dominus relictis Judæis abiit trans mare in deſertum; & cauſam dat, inquiens: *Propterea recedens ab Jeroſolymis, non ad finitima caſtella divertit, ſed trans mare Tyberiadis abiit, ut re ipſa Judæis intimaretur, tam longe pro impietate eorum ab eis migraturum,ut inacceſſibilis ad eum via futura ſit, mare enim pedibus humanis tranſiri non poteſt.* Pulchre id applicatur animæ cujus quidem cum Deus anima ſit, eique ſemper præſens, illum tamen per peccatum à ſe fugere facit, *tr 7.diſc.15 per totum.*

*Sequebatur eum multitudo magna.* Sed unde? Non abſque myſterio loca exprimunt ſacri Evangeliſtæ Matthæus & Marcus, dicunt enim è *Civitatibus.* Civitates enim plenæ ſunt occaſionibus malis, qui autem viam ſalutis aggreditur, non ſolum delicta, ſed etiam eorum occaſiones ac excitamenta debet fugere ac derelinquere. Hæc in hunc locum interpretatio eſt D Hieronymi in Matth 14. *Secutæ ſunt eum turbæ, ait relinquentes civitates ſuas, hoc eſt, priſtinas converſationes,* licet autem hæc fuga neceſſaria ſit in omni peccato, maxime tamen in vitio carnis, *tract 13. diſc.30 per totum.* Inſuper ſuper hoc themate. Vide *tract.3. diſc.10 n.4. Item tract.1.diſc.3. n 10.tr.7.diſc 17.n.5.*

*Quia videbant ſigna quæ faciebat Jeſus ſuper his qui infirmabantur.* Sicut ovis ramo, ſic homines attrahuntur beneficio; ſequebantur Chriſtum propter beneficia corporalia, nihil curantes de beneficijs animæ; contra quos *vide tr.7. diſc.16.& 17. per totos.*

*Subiit ergo in montem Jeſus.* Firmus perſtitit Dominus,donec ad perfectum beneficia contuliſſet,curatis ſiquidem infirmis montem conſcendit Chriſtus, poſt beneficia ſanitatis collata ſimul nos docens,infirmitates corporum plurimum deſervire ad ſalutem animarum,& ut mons cœleſtis attingatur, *tr.7. diſc 15 n.16 17.18.*

*Cum ſublevaſſet ergo oculos Jeſus,&c.* Quæritur cur non ad diſcipulos,ſed ad venientes turbas ſublevârit oculos Dominus? certe maxime ponderandum quod non ſublevavit oculos ut videret diſcipulos qui juxta ipſum ſedebant, ſed ut videret turbas quæ à longe ſtabant; diſcipulorum quippe magiſter erat, turbarum autem auxiliator. O quantum diſtant divini Chriſti oculi ab oculis modernorum Prælatorum. In mundo fertur ſolum intuitus in proximos, & hoc potius ad dominium quam ad obſequium, Prælaturæ autem Eccleſiaſticæ non ad dominium, ſed ad ſubditorum obſequium ordinatæ ſunt,&c. *tr.3 diſ.16 per totum.*

*Dixit ad Philippum, unde ememus panes ut manducent hi?* Nummi deerant ad panes emendos, quibus depelleretur fames; miraculoque opus fuit, ut miſeri haberent ſubſidium, quia pro illis alendis non erat aurum. O utinam, ut aliquibus deeſt aurum ad levandam miſerorum inopiam, ſic etiam deeſſet ad perpetrandam culpam! Divites enim & pecunioſi proclives ſunt in vitia,&c. *tract.8.diſc.7.per totum.*

*Dixit ad Philippum, unde ememus panes ut manducent hi?* Judas denarios aſportabat,& tamen hac in re conſiliarius non eſt adhibitus. Non dubitabat Dominus quin aliquando è marſupio Judæ ſatiandus eſſet totus mundus,non enim aliunde habet Chriſti panis majus augmentum quàm à Chriſti paſſione. Ille enim per paſſionis panem? à Juda emptum nos ſatiabit ſuperabundanter, cum ille tanto magis per redemptionem erga nos beneficus extiterit, quanto nos illum indignius tractavimus, *tr.4.diſc.11 per totum.*

*Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis,&c.* Non abs re Philippus recurrit ad ſummam denariorum ducentorum: reſpondit enim ad id quod magis ægre ferebat, eique durius videbatur, homini enim nil acrius ac difficilius quam è proprio marſupio in egenorum egeſtatem ſublevandam pecunias proferre, qui certe inordinatus erga bona temporalia amor & abuſus merito refutatur, *tr. 8. diſc.16. per totum.*

*Dicit ei unus ex diſcipulis ejus Andreas frater Simonis Petri; Eſt puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſces?* quid conferunt nobis doctrinæ moralis quinque panes hordeacei & duo piſces? D. Antoninus Ulyſſipponenſis. *Serm.in 4.Dominicam Quadrageſimæ.* Per hos panes conditiones veræ pœnitentiæ intelligit,dicens, *Quinque panes ſunt dolor de omiſſò; ſecundus pudor de commiſſo, tertius horror judicij, quartus timor ſupplicij,quintus ardor pænitudinis. Piſces duo ſunt propoſitum melioris vitæ & ſpes obtinendi veniam.* De conditionibus bonæ confeſſionis tam in generali quam in particulari vide *tr.15 diſc.12. per totum.*

*Ut autem impleti ſunt.* Non dubium eſt,quin Chriſtum ſequentes laſſati ſint. Ad laborem tamen ad alendam vitam, ſubſidia & ad recuperandam ſalutem etiam adepti ſunt miracula: Aliter verò acciderent eis, ſi voluptatem ſecuti eſſent; laborarent namque vera afflictione, & carerent voluptate. Gaudia enim præſentia quæ ſtudioſe inquirimus ficta tantum ſunt,ſunt namque roſæ multis ſpinis obſeſſæ, *tract.9.diſc.10. per totum.*

*Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta ne pereant.* D. Vincentius Ferrerius in Dom.4.Quadrageſ.exiſtimat, quod cum panes cœperint multiplicari ac diſtribui homines è turba maxime erant anxij an panes & piſces ſufficerent; ad propoſitum autem hoc pulchre Euſeb. Emiſſen.Serm.in Dom.4. ait: *Certamen fit inter panes & homines,homines manducant, panes creſcunt,vincunt panes, ſuperantur homines; Illi ſufficiunt, iſti deficiunt, niſi enim manducare homines ceſſaſſent, forte in infinitum panes creſcerent;* Hinc diſcamus miram Dei providentiam & bonitatem,ipſe enim ultra omnem ſpem noſtram in nos beneficus eſt &c. *tract.4 diſc.7 per totum.*

*Collegerunt & impleverunt duodecim cophinos.* Notandum eſt, quod quo plus de panibus & piſcibus elargiebatur Chriſtus, eo magis multiplicabantur; quia nimirum liberalitas in pauperes non minuit, ſed auget bona & divitias, *tract.8. diſc 18.n.18.*

*Jeſus ergo cum cognoviſſet,quia venturi eſſent, ut raperent eum & facerent eum regem, fugit in montem.* Ad hujus textus moralem explanationem viam ſternunt pulchra verba D. Gregorij 1. p. Paſtor.c.3. *Hæc breviter,* inquit, *diximus, ut quantum ſit pondus regiminis monſtraremus, ne tentare ſacra regimina, quiſque his impar eſt, audeat; & per concupiſcentiam culminis ducatum ſumat ambitionis. Hinc ipſe Dei hominumque mediator regnum præcipue vitavit in terra,&c.* ut nos diſceremus honores ac prælaturas fugere,ſicuti multi Sancti fecerunt, *tr 3.diſc. 15. per totum.* Maxime verò quando eoſdem non ſumus meriti, *ibid diſc 12.* Nunc verò certum eſt,quod qui dignitates fugiunt illis accipiendis digniores fiunt, *ibid diſc 14.per totum*, ex tribus hiſce elige benevole lector quod placet.

DOMINICA PASSIONIS.

*QUis ex vobis arguet me de peccato. Joan. 8.* Oſtendit ſe Chriſtus hic prorſus ab omni peccato liberum, qui peccata carpturus venerat,irreprehenſibilis quippe eſſe debet in ſe, qui alios corrigendi munus exercet, *tr.18. de correctione fraterna, diſc.16 per totum.*

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Venerat Chriſtus Dominus

Dominus, perditam Judæorum vitam ſaniori doctrina ſuoque exemplo corrigere, & hinc ſuis inimicis ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, quaſi diceret; quod ſi in me aliquem defectum agnoſcitis, illum proferte & dicite, cum autem non habeatis quod dicatis, manifeſtum eſt, quod ſi doctrinam meam monitaque ſalutis nolitis recipere, hoc ſolum provenire ex veſtra malitia. Sic ad inſtar horum Judæorum perditæ ſalutis homines ſunt, qui correctionem aſpernantur, &c. *tr.* 18. *diſc.* 4. *per totum.*

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Non ſine ingenti myſterio Dominus dixit, *Quis ex vobis*, ex vobis, inquam, cum ſitis Hypocritæ, Phariſæi, uſurarij ac legis transgreſſores, quis ergo ex vobis, cum tales ſitis, me cum innocens ſim poteſt redarguere, cum conſcientia mala judex ſit contrà ſe incorruptus, *tract.* 15. *diſc.* 26. *de perturbatione & cruciatu malæ conſcientiæ per totum.*

*Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.* Cur Chriſtus, qui ipſa eſt veritas, modo ſe talem profiteatur, cum tamen alias eumdem ſibi titulum oblatum & debitum cum indignatione fuerit aſpernatus. Cauſas hujus rei vide, *tract.* 2. *diſc.* 7. *n.* 13 *& diſc.* 8 *n.* 7.

*Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Si in ullo hominum genere periculum quoddam eſt, verbum Dei non audiendi nec obſervandi, ſunt profectò divites & avari, quibus unicuique in particulari per Prophetam minatur dicens: *Sepiam aures tuas ſpinis*, veræ enim ſpinæ ſunt divitiæ, quibus dum aures ſunt circumſeptæ verbi Dei auditum: & obſervationem impediunt, tam enim fortiter præſentis vitæ proſperitates à Deo nos ſeducunt, *tr.* 8 *diſc.* 8 *per totum.*

*Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu & dæmonium habes?* Ecce cum quanta ſuiipſorum confuſione Judæi interrogando dicunt blaſphemiam; dicentes nonne bene dicimus nos? dubitabant enim adhuc, quia in operibus Chriſti relucebat divinitas, cui pertinaces modicam, imo nullam aſtruebant fidem, & hinc eſt, quod facili negotio labantur in blaſphemiam. Blaſphemia enim modicæ in Deum fidei indicium exiſtit, utpote quæ fidei opponitur, *tr.* 11. *diſc.* 6. *per totum.*

*Et dæmonium habes:* Quæſtio non levis eſt, quare Judæi dixerint Chriſtum dæmonium habere? rationem pulchram dat Leontius: *Dæmonium habentem dicunt, tamquam Dei honorem in ſe derivantem.* Chriſtus prædicavit ſe Deum eſſe, Lucifer autem appetivit quod Deus eſſet Deique gloriam habere affectavit: ſic fundamentum hujus blaſphemiæ erat ambitio, à qua tamen Chriſtus immunis erat, quæ jure merito dæmoni adſcribitur, Lucifer enim primus ambitioſus fuit, &c. *tr* 3. *diſc* 1. *per totum.*

*Reſpondit Jeſus: Ego dæmonium non habeo* Mirabilis in tot auditis blaſphemijs, injurijs & calumnijs, eſt Chriſti manſuetudo; Volens indicare valde ſibi complacere magnumque eſſe meritum eorum virtutem & remunerationem apud Deum, qui calumnias fortiter & patienter ſufferunt, *tr* 11 *de Calumnijs diſc.* 3. *per totum.*

*Ego dæmonium non habeo:* Manſuetiſſimum hoc Salvatoris noſtri reſponſum miratur D. Chryſoſt. Hom. 54. in Joan. *Dicentibus illis*, ait, *Patrem Deum & Abraham habemus; in eos invectus eſt vehementius: cum verò dæmonium habere inſimulatur, leniſſimum ſe exhibet: ad nos erudiendum, ut quæ ad Deum pertinent majorem in modum defendamus, quæ ad nos contemnamus.* Proprias enim diſſimulare injurias virtutis opus eſt, eas verò quæ Deo inferuntur impietas eſt, &c. *tr.* 11. *diſc.* 12. *per totum.*

*Ego dæmonium non habeo.* Ecce injuriam ſuſcipiens Chriſtus correctionem diſſimulare non vult; correctio enim ſub præcepto tam divino quam naturali obligat omnes maxime ſuperiores, *tr.* 8. *diſc.* 1 *per totum.* Aſt cum manſuetudine hanc correctionem temperandam eſſe docet & docetur, *ibid. diſc.* 12. *per totum.*

*Ego non quæro gloriam meam.* Viden' Chriſtiane quantum jus habeat Chriſtus ad quærendam gloriam ſuam, id eſt, ut explicat Leontius, divinum honorem, tamquam Deus & Judex veſter vindicando injuriam mihi illatam? Non quæro, idque in confuſionem illorum qui ita propriæ ſunt cupidi gloriæ, ut gloriam hominum gloriæ præferant divinæ, *tr* 3. *diſc.* 5 *per tot.*

*Ego non quæro gloriam meam* Profectò minime quæſivit gloriam ſuam, qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. Materia certe tempori paſſionis non incongrua, de qua vide, *tr.* 3. *diſc* 18 *n* 7. *tr.* 4. *diſc.* 7. *n.* 12. *tr.* 6. *diſc* 4. *n* 18 *tr.* 7. *diſc.* 10. *n.* 8. *&* 12. *tr.* 7. *diſc* 11. *n.* 2.

*Eſt Pater meus qui glorificat me.* Antea dixerat Chriſtus, *Ego non quæro gloriam meam*; ſed gloriam ſuam nunc omnem refundit in Patrem, ſic veri Dei ſervi non quærunt gloriam cunctoſque ſolent aſpernari honores quantum poſſunt, divinæ tamen nequaquam obſtrepunt vocationi, *tr.* 3. *diſc.* 15. *per totum.*

*Vos non cognoviſtis eum, ego autem novi eum.* Verum dicit hic Chriſtus; Non enim cognoverunt eum, nam qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, hic mendax eſt, ideoque vide num & tu vere cognoſcas Deum, ad cujus rei probam veri cognitoris Dei vide & pondera indicia, *tr.* 4. *diſc.* 18 *per totum.*

*Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum.* Ipſo in templo Chriſtum intentant lapidare Judæi; ſed valde notandum eſt; quod Jeſus ſtatim ſe ſubduxit ex templo, ad indicandum quod in pœnam jam templum illud carebit Chriſti præſentia in perpetuum, quod graviſſimum ſupplicium eſt. Sacrorum enim locorum Profanatores à Deo pœna puniuntur æterna ſeque divina miſericordia indignos efficiunt, *tr.* 20. *diſc.* 10. *per totum.*

## DOMINICA PALMARUM.

*Cum appropinquaſſet Jeſus Jeroſolymis in montem Oliveti, &c. Matth* 21. Magna fuerunt ea quæ Chriſtus ſemper operatus eſt miracula, ſed maximum fuit illud hodiernum, tam efficaciter operando in cordibus hominum, eadem ad tam ferventem ſui excitando amorem, ut tanto cum triumpho prodeant illum recepturi; & ſi mirandum quod aliquando mortuos revocavit ad vitam, profectò minus mirandum non eſt, quod hunc in cordibus Judæorum excitavit amorem, quia amor eſt vita animæ, quæ valde ingrata eſt niſi Deum amet qui tot modis ſalutem ejus curat, &c. *tract.* 4. *diſc* 6. *per totum.*

*Et veniſſet Betphage.* Vere venit qui ſponte venit, non trahitur ad mortem, ſed ipſe venit motus amoris igne, quem amorem plus in redemptione, quam in creatione noſtra oſtendit, &c. *tr* 4. *diſc.* 10. *per totum.*

*Ad montem Oliveti.* Non abſque myſterio iter ſuum capit Dominus ad montem Oliveti, ſiquidem hic Symbolum eſt miſericordiæ, Dominus autem animas noſtras redempturus id non titulo juſtitiæ, ſed miſericordiæ fecit, nobis oſtendere volens quanti animas noſtras æſtimârit, quantumque ſit redemptionis pretium ex eo quod illas cum tanto ſui diſpendio ſalvet, *tr* 7. *diſc.* 11. *per totum.*

*Miſit duos de diſcipulis ſuis.* Cur binos miſerit diſcipulos D. Thomas cauſam aſſignat, dicens hos binos diſcipulos ſignificare nobis duo præcepta charitatis Dei & proximi. Non enim datur amor Dei ſine amore proximi, &c. *tract.* 5. *diſc.* 2 *per totum.*

*Et ſtatim invenietis aſinam alligatam & pullum cum ea, ſolvite & adducite mihi:* Aſina alligata & pullus cum ea ſolvendi erant ut ad Chriſtum adducerentur, quod denotat peccatorem funibus vitiorum conſtrictum, miniſterio autem diſcipulorum utitur, quia Salvator noſter conceſſam ſibi à Patre peccata remittendi poteſtatem hominibus delegavit, ut indulgentiam diſcerent & clementiam, *tr.* 15 *diſc* 3. *per totum.*

*Solvite & adducite mihi.* Duris vinculis conſtringebantur animalia præſepio alligata & fræno, hoc eſt, carnis vitio addicta, manus tamen Apoſtolica ſolvit; & licet nulla ſint vincula adeo dura, ut gratiæ ope nequeant diſſolvi imo etiam rumpi, multæ tamen & maximæ ſunt difficultates, quæ in hominibus carnalibus ad pœnitentiam inducendis occurrunt, &c *tr.* 13 *diſc.* 20. *per totum.*

*Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite; Dominus his opus habet.* Si Dominus eſt de quo David dicit, quoniam *bonorum meorum non indiges*, quid igitur his animalibus opus habet? per aſinam & pullum, ut ſupra dictum eſt, peccatores deſignantur, quibus videtur Deus indigere, ut expendat Theſaurum miſericordiæ ſuæ, quam oſtendit in ſummo gaudio quo perfunditur in ſalute animarum noſtrarum, *tr.* 7. *diſc.* 14 *per totum.*

*Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite Dominus his opus habet, & confeſtim dimittent eos.* Hæc mi Chriſtiane regula tibi ſit generalis, mandatorum obſervantiam carniſque mortificationem facilem & ſuavem tibi reddendi, ſi jugiter conſideres quia Dominus ita præcipit, Dominus inquam tam amabilis, tantoque amore dignus, quem ſi redamaveris hoc ſolo amore omnia aſpera & dura, ſuavia reddentur, *tr.* 4. *diſc.* 17. *per totum.*

*Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus.* Divus Evangeliſta Marcus ait, quod diſcipuli, *Abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio*, valde mirum eſt, quod Domini horum animalium tam duri ac crudeles eſſent in illa, ut ea non collocarint aut in diverſorio aut præſepi, ſed in bivio ſub dio, pluvijs, frigori ac injurijs temporum expoſita, unde illis tam iniqua crudelitas? Hæc animalia hominem præfigurabant: *Tamquam jumentum factus ſum apud te.* Domini autem dæmones denotant, cujus adverſus hominem implacabile eſt odium, *tr.* 19. *diſc.* 2. *per totum.*

*Plurima autem turba ſtraverant veſtimenta ſua in via.* Viam ſternebant ramiſque iter exornabant: exiguo profecto pretio ſibi magna præmia acquiſierunt, & Chriſto Domino obſequia detulerunt. Sed eheu quam paucos hodie dum hi habent ſequaces! miſeri namque mortales ingenti pretio imo & infinito quaſi emere ſolent mendacia, & pro laboris mercede nihil poſtmodum inveniunt. Conſideres enim Regis Salomonis delicias, quibus licet copioſe fruitus fuerit, illas tamen vanitatem vanitatum & nihilum appellavit, *tr.* 8. *diſc.* 31. *per totum.*

*Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua.* Extraordinarius plane modus hunc Regem excipiendi; ſolent quidem Reges ab urbium Præfectis ſub aureo baldachino excipi, ſed non eſt moris veſtimenta ſterni: cur ergo pro Chriſto excipiendo veſtimenta ſternuntur in via? En Chriſtiane, mirabile myſterium: Chriſtus Jeroſolymam quæ quidem typus eſt gloriæ cœleſtis tendebat; veſtes ergo, id eſt, terrena ſubſterni voluit, ut hominem, qui vult pertingere ad cœleſtem Jeruſalem terrena hæc pedibus calcanda doceret. Siquidem bona terrena à deſiderio & lucro bonorum cœleſtium nos retrahunt &c. *tr.* 8. *diſc.* 12. *per totum.*

*Turbæ autem quæ præibant & quæ ſequebantur clamabant, dicentes, Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Piam in hunc textum conſiderationem adfert mellifluus Doctor Bernardus Serm. 2. in Domin. Palmarum. *O quam diſſimile, ait: Eſt tolle, tolle, crucifige eum, & benedictus qui venit in nomine Domini. Quam diſſimile Rex Iſraël, & non habemus Regem niſi Cæſarem, quam diſſimiles rami virentes & crux: flores & ſpinæ, cui prius ſternebantur veſtimenta aliena, ecce ſuis exuitur.* Hoc facto propoſuit Dominus ridendam eſſe mundi gloriam; quæ quam brevis ſit & inſtabilis conſideratur, *tr.* 3. *d.* 7. *per totum.*

## Feſtum Gaudioſiſſimæ Reſurrectionis D. N. Jeſu Chriſti.

*Maria Magdalena, Maria Jacobi & Salome emerunt aromata. Marc.* 16. ℣. 1. Mortuo dulciſſimo Redemptore nec non in novo monumento recondito ſummo mane veniunt mulieres ad monumentum, habentes aromata ut ungerent Jeſum, vera habebant aromata meras redolentia virtutes, dulciſſimum ſpirantes amoris odorem, cujus evidentiſſima exhibebant ſigna, amor enim debet eſſe operativus ſicuti vere erat in devotis hiſce mulieribus, cujus quidem amoris conditiones ad longum deſcriptas devotus lector inveniet, *tr.* 4. *diſc.* 18. *per totum.*

*Et valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum.* Nullo prorſus modo mirandum quod piiſſimus Salvator ſummo mane his mulieribus apparuerit, Apoſtolis verò apparere diſtulerit uſque in veſperum, cum enim ferventiſſimæ fuerunt in charitate, voluit Chriſtus Dominus oſtendere, quantam de amore noſtro erga ſe æſtimationem haberet. De quo vide *tr.* 4. *diſc.* 16. *per totum.*

*Et valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum orto jam ſole.* D. Petrus Chryſologus more ſuo ſubtilem dat rationem, cur mulieres primæ ſint quæ vadant ad monumentum, dum ait, Serm. 99. *Non eſt ergo mirum ſi ad lachrymas, ad funus, ad ſepulchrum, ad obſequium Dominici corporis fœminæ ardentiores Apoſtolis ſic videntur, ubi mulier prima currit ad lachrymas quæ prima cucurrit ad lapſum.* Vult hic S. Pater docere, quod quanto quis pronior fuit ad lapſum, tanto quoque magis accelerare debere pœnitentiam, quia raritas confeſſionis peccatum inveterat in anima &c. *tr.* 15. *diſc.* 7. *per totum.*

*Et valde mane veniunt ad monumentum orto jam ſole.* Quid? An non periculoſus nimium erat hic exitus? An non ſuſpicionibus multis ſubjectus? An non ſecurius fuiſſet ſexui veſtro conveniens ſolitudo? exierunt tamen & mane exierunt, & quidem abſque periculo; quia verecundia armatæ erant, humilitas quoque nec non ſenſuum eas comitabatur cuſtodia. Muliebri enim ſexui maxime autem Virginitati & continentiæ conſervandæ conveniunt dictæ virtutes; *tr.* 14. *diſc.* 27. *per totum.*

*Et valde mane &c.* Miranda ſane harum mulierum fortitudo; has enim nec terrent tenebræ, nec militum vigilantium ſtatio repellit, nec mortui cadaveris contactus, omnes enim moleſtias & labores amor facilitat, ſicut dicit Auguſtinus: *Ama & fac quod vis*, ſic quoque præceptorum obſervantia amore, qui omnia quantumvis aſpera facilitat, ſuavis efficitur, *tr.* 4. *diſc.* 17. *per totum.*

*Angelus enim Domini deſcendit de cælo.* Angelum hunc fuiſſe Gabrielem, qui fortitudinis Dei eſt adminiſter, communis Doctorum eſt ſententia, varia enim variorum Angelorum ſunt officia & munia, *tr.* 6. *diſc.* 1. *per totum.*

*Angelus enim Domini deſcendit de cælo.* Deſcendit abſque dubio juſſu Dei, & velocitate omni deſcendit ad miniſterium Dei & hominis Jeſu Chriſti, ſi ad obſequium puri hominis veloces ſunt multo magis hic: *De Angelorum in exequendis Dei juſſis & mandatis ad noſtrum bonum cedentibus velocitate & promptitudine. Vid. tr.* 6. *diſc.* 4. *per totum.*

*Angelus enim Domini deſcendit de cælo.* Angelum hunc non in ſpecie ſenis, ſed juvenis apparuiſſe clare exprimit D. Marcus: *Viderunt juvenem ſedentem in dextris*, quod autem, juvenis fuerit denotat Angelorum vigorem, decorem ac perenne robur, imo robur validum ac bellicoſum ut contra hoſtes pugnent, unde non immerito dicitur, quod Angelis ſit aſſignata tutela regnorum &c. *tr.* 6. *diſc.* 2. *per totum.*

*Et ſedebat ſuper eum.* Sedebat Angelus ſuper lapidem, ad hoc ut qui veluti ſuſtinuit lapidis pondus in eo amovendo habeat & in eo requiem ſedendo. Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum menſuram conſolationum ſpiritualium creſcit abundantia. *Tract.* 16. *diſc.* 18. Item: *Sedebat ſuper eum*, ut mulieres cum aromatibus advenientes benigne exciperet, & contra cuſtodes tueretur, Angeli enim ut in proſperitate innocenter vivamus nos adjuvant, noſque à multis periculis ſpiritualibus & corporalibus eripiunt, *tr.* 6. *diſc.* 6. *per totum.* Item, *ſedebat ſuper eum*, ut reſurrectionis glorias fixas & permanentes indicaret, gaudia enim quæ poſt reſurrectionem nobis elargietur Deus præmij loco ſtabilia ſunt, quippe quæ numquam deficient, *tr.* 10. *diſc.* 16. *per totum.*

*Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur & veſtimentum ejus ſicut nix.* Non inepte hic veſtimentorum candor mundiſſimam caſtitatem ſignificat, cur enim non tam purpura quam candida veſte velut nive induitur; Frigiditas enim nivis & candor veſtis caſtitatis Angelicæ ſignum eſt, quibus proinde virgines ſimiles ſunt; eaſdemque ſuo dignantur obſequio &c. *tr.* 14. *diſc.* 5. *per totum.*

*Et veſtimentum ejus ſicut nix.* Valde advertendum eſt, quod Angelus hic amictu niveo veſtitus deſcribitur, tamquam puritatis ac caſtitatis Symbolum, & cur Angelus hic in externa ſpecie exhibet ſuæ puritatis ſignum? Niſi quia ideo ſedebat ſuper lapidem, ut mulieres dulci de reſurrectione Domini colloquio benigne exciperet, & quamvis Angelus naturam ſuam ſcuti loco habeat, tamen ne aliquis myſterij & naturæ ejus ignarus ſiniſtri quidpiam ſuſpicari poſſet; inde ipſe ut eximie cautus omnium oculis aperta ſigna ſuæ puritatis ac caſtitatis objicit, ut omne ſiniſtræ ſuſpicionis amoveat periculum. Tam periculoſum eſt cum muliere agere, tantaque cautela requiritur, *tr.* 13. *diſc.* 23. *per totum.*

*Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum.* Ad quid Angelus in hac triumphi gloria, nomen prædicat, crucem dicit, paſſionem loquitur, numquid inquit D. Cyrillus Jeroſol. Catech. 13. Non potuiſti dicere, O Angele, ſcio quem quæritis meum Dominum. Poterat ſane id dicere, ad quid addere voluit *crucifixum?* Ratio eſt, ut ſumptuoſius cumulet reſurrectionis gaudia, & nos diſcamus, quod quiſquis ad Paradiſum vult ingredi, prius per flammivomum ærumnarum enſem tranſire debet, *tr.* 10. *diſc.* 24, *per totum.*

*Ite dicite diſcipulis ejus & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Mira prorſus divinæ miſericordiæ ſignificatio, dum illi prius reſurrectionis ſuæ gloriam mandat nunciari, qui gravius deliquerat, peccato nempe, de quo Chryſoſtomus dicit, quod non habuerit æquale: Sed ſciendum eſt, Petrum jam pœnituiſſe vera & non ficta pœnitentia quæ ad ſublimiorem gradum peccatorem evehit &c. De valore contritionis &c. Vide *tr.* 15. *diſc.* 22. *per totum.*

## DOMINICA IN ALBIS.

*Cum ſero eſſet die illa una Sabbathorum. Joan.* 20. ℣. 19. Memorat ſacer Textus quod in hac apparitione Apoſtoli putarint ſe Spiritum videre. Mirum autem eſt, quomodo Apoſtoli potuerint in hanc cogitationem devenire, ut ſibi perſuaderent Spiritum oculis corporeis videre? facilius enim erat credere, ſuum magiſtrum à mortuis reſurrexiſſe, quam ſe corporeo aſpectu incorporeum Spiritum attingere poſſe? Sic cæcutit humana mens ad ſtatum gloriæ cœleſtis, ut potius ſibi perſuadeat id impoſſibile, obtutu nempe corporeo cernere Spiritum, quam tantam gloriam in alio eſſe exiſtimare, cœleſtis enim gloria nec verbis exprimi, nec humano ingenio comprehendi poteſt, *tract.* 10. *diſc.* 1. *per totum.*

*Stetit Jeſus in medio eorum.* Oſtendens ſe uni tam bene affectum quam alteri, & quia incredulitatem eorum corrigere venerat, poſuit ſe in medio, ut omnes de correctione participarent, quam etiam ultra differre ſed in tempore adhibere voluit, magna enim ſuperiores manent ſupplicia, qui correctionem adhibere negligunt, qui proinde ad exemplum Chriſti depoſito omni timore & reſpectu humano nihil curare debent, ſe ob factas curationes perſecutiones & odia aliorum ſibi conciliare, ſed in hoc ſolum conniti, ut Deo obedientes ſalutem animarum procurent, *tr.* 18. *diſc.* 3. *per totum.*

*Et dixit eis, pax vobis.* Ecce Regem pacificum, qui læſam hactenus pacem cœlo intulit orbi contulit, nihil ſpirat vox ejus niſi pacem, quam proinde inter ſuos etiam ſartam tectam mediante charitate & concordia vult conſervari, ſicuti hæc Dei ſolicitudo quam pro conſervanda pace ac concordia adhibuit, ex multis patet titulis, *tr.* 7. *diſc.* 6. *per totum.*

*Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus*; Jam Chriſtus incredulitatem Apoſtolis exprobrarat, dicens, quid turbati eſtis,& cogitationes aſcendunt in corda veſtra: Jam quoque Apoſtoli culpam ſuam agnoverant, jam fugam arripuiſſe doluerant; En ecce mox Chriſtus Dominus eos iterum ſolatur, oſtendens eis manus & latus, eſt enim correctio cum manſuetudine temperanda, *tr.18.diſc.12.& 13.*

*Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus.* Optima certe conſolatio, quæ ex verbis, operibus & corde procedit, verbis dicendo, *pax vobis*, operibus manus oſtendendo, corde, latus monſtrando, quo ſignificat omnia ejus verba, opera & cor nobis fuiſſe emolumento ad perficiendum opus manuum ſuarum, neque ad hoc tantum Chriſtus imo etiam tota Sanctiſſima Trinitas omnem ſuam induſtriam collocavit, *tract.7. diſc.7.*

*Dixit ergo eis iterum, pax vobis.* Poſtquam diſcipulorum animi jam ad fidem diſpoſiti crediidiſſent, quod ille qui apparebat, & loquebatur erat magiſter ſuus Jeſus,repetit piiſſimus Dominus ipſam pacis apprecationem; cujus cauſam repetitionis gloſſa interlinearis habet ſic: *Iteratio confirmatio eſt,dat eis pacem ſuper pacem*; ad hoc ut ſummam ſuam ſolicitudinem qua concordiam & unionem procuravit, & à nobis procurari deſiderat,oſtenderet, ſicuti ex multis Chriſti Domini operibus in novo Teſtamento factis fuſius deducitur, *tr.5. diſc.8.per totum.* Beda verò ait: *Repetit, quia gemina eſt virtus charitatis, ſcilicet ad Deum & ad proximum, ibid. diſc.2. per totum.*

*Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,quorum retinueritis, retenta ſunt.* In ipſa ſacratiſſima reſurrectionis die, qua Chriſtus à mortuis reſurrexit,Sacramentum reſurrectionis hominum Chriſtus inſtituit; quid enim aliud eſt Sacramentum pœnitentiæ ac peccatorum confeſſionis, quam Sacramentum quo homines ex peccati morte ad vitam gratiæ reſurgunt. *Poteſt hic tractari de Confeſſionis Sacramentalis tamquam ſummi nobis à Chriſto collati beneficij origine & neceſſitate in ordine ad ſalutem conſequendam, tr.15.diſc.1. per totum. Item de bonis quæ in nos confeſſionis transfundit frequentia, vi cujus faciliter à peccatorum lepra mundamur, & de peccatorum venia certificamur, tr. eod. diſc.8. per totum.*

*Quorum remiſeritis peccata &c.* Manifeſtis & apertis verbis Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis dat hanc maximam poteſtatem, & hominibus valde neceſſariam. *De quo vid. tr.15. diſc.3. per totum.*

*Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quidam hic legunt *Quorumcumque*, ad denotandum quod limites, non ponit nec in peccatoribus nec in peccatis, quilibet enim peccator remedium poteſt obtinere pro quolibet peccato, proinde perpende mi Chriſtiane, & annon pro tanto beneficio ingrati & deteſtabiles ſint, quotquot à confeſſione abhorrent, in eoque frequenter applicando ſibi remedio vivunt negligentes, *tr.15. diſc.18. per totum.*

*Dixerunt ergo Thomæ alij diſcipuli vidimus Dominum.* Dixerunt Apoſtoli Thomæ: *Vidimus Dominum*, ut ad fidem articuli de Reſurrectione Thomam invitarent: Ecce quam non clare prodit ſe initio Apoſtolicus zelus, dum omnes,ſicut ipſi myſterium reſurrectionis credebant,ita quoque Thomam ſocium habere volebant. De gloria & magno lucro eorum qui animas convertere ſatagunt, *tract. 7. diſc. 14. per totum.*

*Dixerunt ergo Thomæ alij diſcipuli,vidimus Dominum.* Quæſtio non inutilis hic moveri poſſet, quare Apoſtoli Thomam ob tantam ſuam pertinaciam non arguunt nec reprehendunt, maxime Petrus qui erat collegij Apoſtolici Princeps & caput? Reſpondetur; Apoſtoli enim circa reſurrectionis myſterium aliquando fuerunt increduli; Cum ergo ipſi aliquando non credidiſſent, Thomam incredulum non audent reprehendere & arguere,qui enim alicujus crimen carpit, maxime expedit, ut ejus inquinamento non ſit deturpatus ac fœdatus, *tr.18. diſc. 17. per totum.*

*Poſt dies octo erat Thomas cum eis, & venit Jeſus.* Statim ac Jeſus ingreſſus eſt ad diſcipulos januis clauſis ſtatim ſe ad Thomam convertit, cæteris relictis, ad hoc ut ejus ſe cauſa præcipue adveniſſe denotaret, & ne unius è ſuis ſalutem negligere videretur. Nam quidquid Deus pro omnibus animabus ſimul fecit, idem pro quolibet in particulari paratus eſt præſtare, *tr.7. diſc.12. per totum.*

*Infer digitum tuum huc, & noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Mira piiſſimi Redemptoris eſt condeſcendentia cum Thoma incredulo, culpam incredulitatemque carpſit, & ſimul etiam latus obtulit, ſuperiores edocens ſic armari in culpam ut erga peccatorem conſervent benevolentiam. Correctio enim cum diſcretione & dexteritate inſtituenda eſt, diſtinguendo inter perſonas, confuſionem illorum, quoad fieri poteſt præcavendo, invehendo ſolum contra vitium &c. *tr.18. diſc.9. per totum.*

*Infer digitum tuum huc &c.* Jubet Dominus Thomæ ut reſulcet vulnus lateris, & dum Magdalenæ apparuit, ab ea prorſus tangi noluit; dicens ei; *Noli me tangere*, variæ hujus rei variorum Scriptorum ſunt rationes, non inepte quis hanc aſſignârit cæteris non minus veram, quam pro utili morali documento ſervientem, voluiſſe nempe Dominum Jeſum oſtendere, periculoſum eſſe prorſus muliebrem ſexum, ſiquidem in ipſius conſortio etiam viri conſtantiſſimi & illuminatiſſimi periclitati ſunt, *tr.13.diſc.21.22. & 34.*

## DOMINICA II. POST PASCHA.

E*Go ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Joan.10.℣.11.* Vere bonus Paſtor fuit Dominus Jeſus, & ut in Græco habetur, *Ego ſum ille Paſtor bonus.* Ille ſcilicet per Antonomaſiam præſtantiſſimus & optimus, imo unicus & ſingularis ab omni ſæculo deſideratus, qui ita ſolus animam meam, id eſt, vitam meam pro ovibus, id eſt, fidelibus meis dabo, ut morte mea ab æterna morte ac damnatione redimam, eiſque non ſolum præſentem, ſed etiam æternam vitam cum omnibus donis gratiæ conferam. Bonus & fortiter amans Paſtor qui merito de hoc titulo gloriatur, dum majorem in nos amorem in redemptione,qua mortem ſubiit, oſtendit quam in creatione &c. *tr.4.diſc.10. per totum.*

*Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Ecce! Paſtoris officium, quod non eſt otio vacare, ſed pro ovibus laborare, etiam uſque ad vitæ expoſitionem, ideoque ſe Paſtorem dixit, ut Prælatos & ſuperiores eſſe doceret Paſtores,& quidem non ad dominium, ſed ad obſequium ſubditorum vocatos, *tr.3.diſc.16.* Item de officio boni Paſtoris vid. *tr.7.diſc.11.12.tr.3.diſc.11.4. tr.7. diſc.14.n.12.*

*Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Conſiderandum hic merito eſt graviſſimum onus quod ſecum trahit omne paſtorale officium; & ad quid teneatur; Ornamenta enim Aaroni quondam præſcripta, præcipue verò ea quibus Epiſcopi uti ſolent, ritus item & ceremoniæ ſacræ, in ipſorum honorem inſtitutæ eas ſubindicant virtutes quibus ipſos præditos eſſe oportet, ipſoſque ad majorem perfectionem obſtringunt, *tr.3. diſc.11. per totum.*

*Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem & dimittit oves & fugit*: Si pro paſtore Deus intelligatur, ſicuti vere intelligi debet,propria ejus ovis eſt quælibet humana anima, utpote quæ à Deo creata totum ſuum Eſſe ab illo habet, *tr.7. diſc. 2.4. & 5.* & dum jam lupus infernalis per peccatum originale illas rapuiſſet, non fugit paſtor ille bonus ſicut Mercenarius, ſed quamcumque infinito redemit pretio, *tr.7. diſc.11.*

*Mercenarius autem fugit &c.* D. Auguſtinus Serm. 49. de Verbis Domini. *Non fugit Mercenarius, ait,corpore non enim Eccleſiam deſerit, alioque abit, ſed fugit animo, quia cum præſens ſit corpore vitijs medicinam non adhibet, mores non corrigit vigilanter*; & certe vera & noxia fuga,correctio enim neglecta fovet omne vitium & malum exemplum: Prudenter autem adhibita multum fructum affert, *tract. 18. diſc. 2. per totum.*

*Et lupus rapit & diſpergit oves.* Sub hoc typo lupi ovem invadentis, intendit Dominus explicare ſummum malum, quod Diabolus in anima fideli patrat; lupus enim inter cætera animantia hoc habet, ut ovis guttur primum apprehendat,ne ei gemere aut ſignum ſuæ miſeriæ edere permittat, ſic & Diabolus cum maximum malum parat homini, guttur invadit, ut vocem adimat ne confiteatur peccata ſua; aut in confeſſione loquatur & gemat ut ſalutem aſſequatur & reviviſcat, *tr.15. diſc.11. per totum.*

*Ego ſum Paſtor bonus.* Repetit Dominus id,quod ſupra dixerat ſe eſſe bonum paſtorem, tamen ingratus eſt homo ad beneficia Dei in ſe collata memoria retinenda ut neceſſe ſit multoties repetere. Imo vere paſtor bonus, q. d. ad me enim pertinet de ovibus de illis curam ago, cum quanta vero cura hic paſtor bonus oves ſuas,id eſt, animam proſequatur. Vid. *tr.7.diſc.10. per totum.*

*Et cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Et quidem merito id ait, quod ipſe prius cognoſcat oves ſuas, quam quod illæ eum cognoſcant; Nam,ut bene inquit Theophylactus: *Vide quod primus ille nos cognoſcit: deinde nos illum, neque aliter poteſt cognoſci Deus niſi cogniti fuerimus ab illo.* Prius Chriſtus oves ſuas cognoſcit,quam oves illum cognoſcant; & cum Deum nemo cognoſcere poſſit, niſi prius ipſe à Deo cognoſcatur cognitione ſua practica & benefica, qua ſingulariter per communicata nobis beneficia amorem ſuum erga ſe extimulat, ſufficienter dignoſci poteſt quam beneficus in nos ſit piiſſimus Salvator, *tr.4. diſc.7. per totum.*

## DOMINICA III. POST PASCHA.

M*Odicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Joan. 16.* Conſolationis plena ſunt verba hæc pro ableganda diſcipulorum triſtitia, quam audita Chriſti morte ſecutura conceperant; volebat enim piiſſimus Redemptor, hoc ad vivum quaſi demonſtrare, quod aliquando re ipſa erant percepturi, vid. quod quidem magna perpeſſurus eſſet tormenta, ſed conſiderando quod tertia die reſurrecturus eſſet cum tanta gloria, modicum reputari quod paſſurus ſit. Ad eumdem modum mi Chriſtiane; in cœlum oculum tuum dirige, & omnia quæ hic in terris ſunt facile contemnes, *tr.10.diſc.14. per totum.*

*Modicum & videbitis me &c.* Paſſionem tam amaram Chriſtus vocat *Modicum.* Cur hoc? jam enim inter prævisa tormenta & dolores quos paſſurus erat, ſuperabundantes gloriæ cœleſtis quas & ſecundùm humanitatem percepturus erat, delicias ſufficienter deducebat; ex quo deinde paſſionem modicum reputabat; Magiſque conſultum hic flere, ut ibi gaudere poſſimus, *tr.10. diſc.8. per totum.* Item modicum hoc pulchre bonorum terrenorum reſpectu cœleſtium inſtabilitatem ſignificat, *tr.10.diſc.16.* Item *tr.8. diſc.30. & 31.* Item *tract.3. diſc.7. per totum.* Item *tract.16. diſc.9. per totum.*

*Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.* Non ſine myſterio ponit hic Chriſtus Dominus primo loco negationem, quod ipſum non videbunt, & ſecundo loco affirmationem quod ipſum videbunt. Nam prius dicuntur triſtia & quæ dolorem ingerunt, ut ex Chriſti abſentia proveniebat, *modicum non videbitis me.* Ut inde veniant præjucundiora, cum ejus præſentia, *& iterum videbitis me*, nam tranſacto mœrore quæ veniunt majoris lætitiæ ſunt. Morale hinc eruo documentum. Pœnitentis enim vitæ rigor & auſteritas quæ dolorem cauſat, ineffabiles poſtmodum etiam cauſat ſpiritus dulcedines, licet diverſum oculus videatur attingere externus, *tract. 16. diſc. 16. per totum.*

*Quia vado ad Patrem.* Pulchrè in hæc verba Chryſoſtomus; *Quod ſi quis, inquit, diligentius inveſtigaret hoc ipſum conſolatio eſt, quod dicit ad Patrem ire. Erat enim argumentum quod non periret, ſed mors ejus translatio eſſet ad Patrem.* Cum ait, vado ad Patrem, ut in ejus gloria ad dextram ejus ſedeam, magnam dat diſcipulis ſuis conſolationem, docet enim paſſionum & tormentorum libenti animo toleratorum merita viam ad cœlum complanare & facilem efficere, *tr.10. diſc.25. per totum.*

*Dicebant ergo quid eſt hoc quod dicit modicum.* Si præter ſuperius allatas, ſuper hoc modicum explicationes alia adhuc moralis deſideretur, dicerem, modicum quod tibi ſupereſt vitæ tempus Diabolum excitare ad diligentiam, ut te eo citius in peccatum præcipitem agat, hoc quoque tuam provocare merito deberet ſolicitudinem ne te forte in muſcipula comprehendat, varij enim ſunt laquei, quos dæmon nobis capiendis tetendit, doli item & fraudes, quibus nos circumvenit & deludit, atque ad peccatum extimulat, *tr.19. diſc.5. per totum.*

*Neſcimus quid loquitur?* Nec mirum quod Apoſtoli myſteria tam alta capere non potuerint, ex quorum intelligentia mirum in modum recreati & conſolati fuiſſent, erant ſiquidem adhuc valde imperfecti, in voluntatem Dei non bene reſignati,nec conſolationem bene promeriti, deliciarum enim ſpiritualium manna in animas depluit timoratas, innocentes & perfectas, cujus reliqui minime participes efficiuntur, *tr.16.diſc.14. per totum.*

*Quid eſt hoc modicum? Neſcimus quid loquitur.* Ea eſt perverſa mundi cæcitas, quod neſciant mundani homines omne hoc præſens æſtimare modicum, utpote quod perverſo judicio autumant maximum, cum tamen in ſe modicum imo nihil ſit, *tr.8. per omnes fere diſcurſus.*

*Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit*; Adverſum non ſpirat animum, quod Deus electos ſuos perſecutionibus premat & adverſitatibus. Hæc namque Dei methodus obtinuit, ut, medijs adverſitatibus traducat ad quietem & gaudia, *tr.7. diſc.15.n.17. tr.8.diſc.25.n.13. tr.7. diſc.10. n.2.*

*Mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* An non bene & conſequenter diceret quiſpiam, quod ſicut triſtitia diſcipulorum in gaudium, ſic & gaudium mundi in triſtitiam & pœnam ſit vertendum? Imo verò, prudenter & veriſſime concluderet,ſunt enim hujus vitæ proſperitates temporales plerumque ſcopuli ad quos allidentes animæ in profundum uſque inferni naufragantur, ubi ſemper pœna ingentis cruciatus erit, *tr.8. diſc.6. per totum.*

*Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum.* Quidem verum eſt quod Salvator noſter hic loquatur in certa temporis circumſtantia, nempe *videbo vos* poſt aliud modicum nempe poſt mortem meam ſeu breve tempus à morte mea; ſed quod dicat, *videbo vos*, ſenſum nonnihil torquet Anagogicum, quaſi intelligi poſſit de æterna beatitudine; unde non dicit videbitis me, ſed ait videbo vos, quia niſi ipſe ſe præſentem exhiberet adhuc eum videre non poſſent; ſed videbo vos in gloria mea ſicut ante vidi in vita mea, & tunc gaudebit cor veſtrum gaudio maximo, quo ex divinæ faciei meæ aſpectu perfundemini, utpote in qua omnigena pulchritudo videtur, *tr. 10. diſc.7. per totum.*

*Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Gaudium illud nemo tollet à vobis, ita ut gaudium illud nullum finem ſit habiturum; opponit enim in cœlo Apoſtolorum gaudium futurum gaudio mundi quod hac vita terminatur. Ac proinde non dixit ſimpliciter gaudium veſtrum perpetuum erit; *ſed gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*: ut ad gaudium alluderet hujus vitæ,quod multa tollunt, multa perturbant, *tr.10.diſc.15. & 16. per totos.*

## DOMINICA IV. POST PASCHA.

V*Ado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis? Joan.16. ℣.5.* Varij varie hunc textum explicant: Toletus ſic explicat,ut illud *Quo vadis*, non ſignificet terminum ad quem, ſed cauſam, nempe qua de cauſa ad Patrem ita certo ſe iturum dicat; dixit autem hæc verba Chriſtus ante ſuam mortem, qua mediante tranſitum accepit ad Patrem; Nunc autem volebat Chriſtus dicere, vos mei chari diſcipuli nolite credere mortem meam eſſe caſualem, & quaſi cæco modo ad illam proficiſcar, ut non præmediter quorſum tendam? imo hoc unum habeo præ oculis quia vado ad Patrem: hæc enim via eſt illuc perveniendi, & cum illa mihi ſit ſubeunda, ſtultum eſſet, ſi quis vellet ad gloriam Patris alia via pervenire, *tr. 10. diſc.23.*

*Vado ad eum qui miſit me, & nemo interrogat me quo vadis?* Non eſt quod quis interroget Dominum quo vadat ipſe enim omnia juxta exigentiam ſapientiæ & providentiæ ſuæ facit in pondere & menſura; ſcit quo vadat: An ergo Dominus eſt, qui vadat & ignoret quo? Eſt & quidem non alius quam peccator maxime carnalis; Hic enim neſcit quo vadat, carnis enim vitium excæcat intellectum, nobiſque judicium & diſcurſum eripiendo beſtijs nos ſimiles reddit, *tr.13. diſc.17. per totum.*

*Vado ad eum qui miſit me.* Mirabilis certe loquendi modus! Chriſtus Dominus loquebatur de rebus futuris ſcilicet,de morte ſua, de reſurrectione, de aſcenſione quæ omnino futura erant,cur ergo non dixit potius *vadam*, ſed dicit *vado*? Ideo hoc modo locutum fuiſſe Chriſtum Dominum mihi quidem videtur,ut ex hoc diſcamus, quod unuſquiſque apud ſe dicat, *vado* & non *vadam*,id eſt, jam nunc in hac peccati occaſione mortem recogito ad mortem me præparo,per ejuſdem mortis recogitationem hoc vel ſimile peccatum evitare conabor mortem mihi ſemper præſentem repræſentando, quod quidē contra omne peccatū univerſale quoddam remedium eſt,aſt,meditatio ſepulchri,quod carnem noſtram in putredinem, vermes & cinerem redigit, ad deteſtandam omnem carnalem delectationem omnipotens quoddam eſt remedium, *tr.13.diſc.29. per totum.*

*Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* Pulchrum in hoc textu qua ſpirituale qua morale latet ſecretum; Vin' ſcire? Ecce Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos arguit, dicens: *Nemo ex vobis interrogat me quo vadis*, ſed ſtatim ſubdit! *Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* Merito piiſſimus magiſter eos arguit de aliquo defectu, ſed cum charitate & prudentia procedit, nam commiſſum defectum non exaggerat, ſed potius minuit ac excuſat. *Triſtitia implevit cor veſtrum.* Sic enim triſtitia impleverat cor eorum; ut ne quidem eos aliquid loqui ſineret, inde tamen excuſationem invenit. Ah! Si hæc circumſpectio & diligentia adhiberetur, quorſum non exularet detractio? qualiter igitur verbis & ſignis externis detractores arguere oporteat raraque eis adhibenda ſit fides. *Vide tract.21. diſc.15. per totum.*

*Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* Quid eſt hoc quod Dominus locutus eſt,ex quo Apoſtoli tam vehementer contriſtati ſunt? *Quia vado ad Patrem*: ideone in tantum triſtantur Apoſtoli, quia Dominus abit ad Patrem, & quidem pro gratia ipſorum ad parandum ipſis gloriæ locum? Ah quam igitur non juſtam mœroris cauſam habet peccator, à quo Deus propter peccatum abſceſſit, quando per peccatum perdidit vitam animæ ſuæ quæ vita Deus erat, *tr.7. diſc.15. per totum.*

*Sed ego veritatem dico vobis.* Nullum dubium eſt, quod qui erat veritas & vita veritatem locuturus eſſet; ſed quid cauſæ eſt, cur commemoratâ diſcipulorum triſtitiâ ſtatim Dominus ſe verum dicere aſſeverat? Ecce! Volebat dicere: Vos jam de meo diſceſſu contriſtati eſtis, tamen nunc verum percipite & audite. Expedit vobis, ut ego vadam parare vobis locum, locum inquam, talis gloriæ, quæ nec verbis exprimi nec intellectu humano capi poteſt, *tr.10. diſc.10. per totum.*

*Expedit vobis ut ego vadam.* Et certe! cur plus expediret nobis mi Jeſu! quam tibi? Annon poſt tam largam paſſionum tolerantiam promeruiſti ut ſic intrares in gloriam tuam? & tamen vi ſententiæ tuæ expedit nobis plus ut eas ad Patrem? Imo verò; nobis ſolum expedit, ut eas ad Patrem, quia piiſſimus Salvator de gloria ſua ſecurus, nō tam ſuæ quā noſtræ

aſtilitati totius intentus apparere voluit. Ut & non tam ſuæ majeſtatis quam noſtri commodi ſtudio, omnia diſpoſuiſſe appareat. *De qua materia pio Lectori offero totum tract. 7. ubi facili ſtudio inveniet copioſiſſimam materiam hunc conceptum proſequendi.*

*Sed ego veritatem dico vobis : Expedit vobis ut ego vadam :* O magnum amoris indicium! Magno quidem diſcipulos dolore moveri ſentiebat Jeſus, quia jam abire conſtituerat, nec id ſine cauſà, quia magnas ipſis tentationes ſuperventuras timebant; Sed quia verus amator dilecti potius utilitatem quam jucunditatem attendere debet, hinc dicit, *Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam*, non meam ſed veſtram quæſiturus ſalutem, O Amor! O cura ingens qua animarum noſtrarum ſalutem ſemper proſecutus eſt, *tr. 7. diſc. 10.*

*Si enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos.* Videtur mihi non incongruè ad hunc textum applicari poſſe hæc verba Joannis cap. 7. ℣. 39. *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant :* Sed cur ad hunc adventum Spiritus Sancti procurandum tam neceſſarius Chriſti Domini abitus? Ad hoc placet mihi Janſenij ratio in præfatum textum Joannis cap. 7. ℣. 39. ſic ſcribentis, diſcipuli ante aſcenſionem Chriſti non erant capaces tam ſpiritualis doni, nimis enim carnaliter ſentiebant de Chriſto; conveniens igitur fuit, ut cum abſens eſſet Chriſtus ex deſiderio ejus, exque deſiderio divini doni accipiendi, quod quotidie exoptabant vehementer, ad ipſum condigne recipiendum præpararentur ac diſponerentur, maxima enim ad divina dona recipienda requiritur præparatio animarum, ſerviet huc *tr. 16. diſc. 14. per totum.*

*Et cum venerit ille arguet mundum de peccato.* Nec immerito dicitur, quod adveniens Spiritus Sanctus reprehendet mundum, ipſe enim factus eſt omnino & irreprehenſibilis, adeoque alios merito arguere & reprehendere poteſt. Nam irreprehenſibilis in ſe eſſe debet, qui alios corrigendi munus exercet, *tract. 18. diſc. 16.*

*Arguet mundum de peccato & de juſtitia.* Cur arguet mundum de juſtitia? Mundus ſe pro juſto reputabat, Chriſtum verò Salvatorem ut injuſtum ac populi ſeductorem condemnabat, non attento quod Chriſtus ut verus Dei filius ſolus eſſet juſtus ac juſtitiæ auctor, ipſi autem homines iniqui injuſti ac perverſi: merito igitur arguet mundum de juſtitia quando ipſe pandet tandem Chriſto Domino magnam factam eſſe injuriam, Deus enim ſimiles injuſtitias, quæ merito pro calumnijs reputandæ ſunt; earumque falſitatem detegere ſolet &c. *tr. 12. diſc. 5. per totum.* Neque hæc injuſtitia Chriſti tempore ſtitit, cum etiam modo adhuc frequenter contingat quod malignus ac depravatus ſe erigat & opponat contra juſtum, adverſuſque eum multa loquatur; *Juſti enim ſpecialiter à calumnijs infeſtantur, tr. 12. diſc. 4. per totum.*

*Arguet mundum de judicio.* Confundet mundum in judicio, quia nulli hominum proderit excuſatio hæc quaſi à Diabolo ad peccatum coactus ſit; Imo nec umquam in ulla lege hanc Deus admiſit excuſationem ut legitimam, quia numquam poteſt Diabolus inferre vim liberæ voluntati, *tr. 19. diſc. 15. per totum.* Et nunc quidem multo minus, cum vires ejus contractæ ſint, *ibid. diſc. 14. per totum.*

## DOMINICA V. POST PASCHA.

A*Men, Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Joan. 16. ℣. 23.* Poterant Apoſtoli in gravem quamdam diffidentiæ incidere teſtificationem, ex eo, quod qui Chriſtum ſecuti fuerant eique ſervierant, ab illo tandem deſerendi eſſent; ſed huic malo tamquam providus occurrit medicus, piiſſimus Salvator, hac facta promiſſione, quod quidquid petituri eſſent Patrem in nomine ſuo ijs eſſet daturus. Unde dicit *Amen, Amen*, id eſt, certiſſime ac in veritate vobis promitto, quod Amen D. Auguſtinus ait, idem valere ac juramentum. *Dico vobis* Apoſtolis ac diſcipulis meis intimo ac veraciter mihi adhærentibus; Secundario verò omnibus fidelibus cujuſcumque gradus ac conditionis meorum Apoſtolorum vere imitatoribus, qui in Eccleſia & ſervitio Dei pro gloria mea deſudabunt, quod ſpiritualibus illis omnia reſtaurabo donis ac conſolationibus, *tr. 16. diſc. 1. per totum.*

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Chriſtus Dominus potens apud Patrem advocatus eſſe volebat, teſte D. Joanne qui ait, *Advocatum habemus apud Patrem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum juſtum*; ille nunc ad Patrem rediturus, ut quid petamus invitat, ſignificans ſe non minorem in cœlis curam habiturum noſtri quam geſſerat vivus in terris. Quia ſive in terris, ſive in cœlis, ſive quocumque nos vertimus ſemper in nos beneficus exiſtit, *tr. 4. diſc. 7. per totum. Item diſc. 11. per totum.*

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo &c.* Singulariter hic notanda ſunt quatuor, videlicet; quales debeant petere, quid, quomodo & à quo debeant petere : quod in præſenti verò examinandum eſt, quid ſit petendum. *Si quid petieritis*, id eſt, ſi aliquid, ut explicant, Beda, Haymon. Interlin. & alij, q. d. *Si quid petieritis*, id eſt, quod ſit verum ac ſolidum, ac proinde conducens ad vitam æternam, ac ad bonum ſpirituale animæ; nam temporalia tamquam nihil ſunt ac pro nihilo reputanda. Unde nemo miretur ſi tranſitoria petens ea non impetret; hæc enim non ſunt aliquid, ſed omnino nihil, *tr. 8. diſc. 31. per totum.*

*Si quid petieritis Patrem.* Juſtam conquerendi cauſam habet Deus de nobis, cum nos admiſerit in filios & tamen minus ipſi fidamus quovis filio; Anima enim noſtra creata fuit, non nudo verbo creatoris, ſicut alia opera, ſed cum ejuſdem conſilio, quia ſpiraculo oris ſui illi eſſe tribuit, eique corpus ad cœlum erectum plaſmavit; unde merito homo omnem in ſolo Deo fiduciam ſuam collocare deberet, in quo ſolam, & extra quem nullam ſatisfactionem invenit nec quietem, *tr. 7. diſc. 2. per totum.*

*In nomine meo.* Petere in nomine Chriſti, eſt petere aliquid ſpectans ad Dei gloriam ac noſtram ſalutem conducens, unde Theophylactus ait: Nullus ex ijs qui mundana petunt, ac animabus damnoſa in nomine Chriſti petit; unde licet Deus in Eccleſia, quæ domus orationis eſt, ſupplicationes noſtras facilius exaudiat quam alio in loco, quod ſi tamen in illa orantes interdum non exaudiamur, id fit, quia impertinentia petimus, *tr. 20. diſc. 4. per totum.*

*Uſque modo non petiiſtis quidquam.* Quid ais Domine? Numquid Apoſtoli tui jam multa petierant, & adhuc dicis illos nihil petiviſſe. Numquid filij Zebedæi petierant, unus ſedere ad dextram tuam, & alius ad ſiniſtram, & adhuc ais, uſque modo non petiiſtis quidquam? certe pro nihilo petitionem hanc reputabat Dominus, quia ex ambitione ortum trahebat, ideoque illis non conceſſit, ſciens etiam, ad noſtram tamen inſtructionem ſublimia loca præcipitia comminari, *tr. 3. diſc. 6. per totum.*

*Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Sæpiſſime juxta Apoſtolum ignoramus quid petamus, ſed ſæpe ardentibus votis id poſtulamus quod minus nobis expedit. Sin vero ſcire deſideres. O Chriſtiane, quid abſolute liceat petere, audi Dominum : *Ut gaudium veſtrum ſit plenum*, quo vult dicere, divinam hic petite gratiam puram conſervandi conſcientiam, cujus conſcientiæ gaudium eſt utile, continuum & ſtabile &c. *tr. 16. diſc. 8. per totum.* Item petite, ut poſtmodum ejus gloriam aſſequamini, in qua tantum datur plenum gaudium, ſiquidem beatitudo immunis eſt ab omnibus miſerijs, periculis, pœnis, culpis, alijſque hujus vitæ laboribus &c. *tr. 10. diſc. 15. per totum.*

*Ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Effectus hic eſt divinæ gratiæ in ipſis tribulationibus gaudium excitare ita plenum, ut in medio illarum dixerit Apoſtolus, plenus ſum gaudio, repletus ſum conſolatione. Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum menſuram, conſolationum ſpiritualium creſcit, imo & ſemper ſuperexcedit abundantia, *tr. 16. diſc. 18. per totum.*

*Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Dubitat hic D. Auguſtinus, & putat verba hæc ſibi aliquo modo repugnare cum his quæ dicuntur Joan. 4. *Ipſe prior dilexit nos.* Nam ſi hic dicitur, *amat vos, quia vos me amaſtis*, ſupponitur quod noſter amor ſit prior : Reſpondetur juxta mentem D. Auguſtini Tract. 102. quod amor in Deo erga nos eſt conſiderandus, unus antecedens, alter concomitans ſeu conſequens : Deus amore antecedenti nos prævenit & prior amat nos, cum nos peccatores ad pœnitentiam ac ſui amorem vocat & excitat; & Deus tunc nos amat amore concomitanti nobiſque gratiam juſtificantem ac charitatem infundit, qua nos facit filios & amicos ſuos : Amor enim Dei debita peccatorum noſtrorum remittit, *tr. 4. diſc. 5. per totum, deque hac materia habes totum tract. 4.*

*Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Relinquendus profecto mundus, ſi quis in æterna beatitudine ad Patrem ire cogitet, unde ut facilius mundum relinquere poſſis, oculi in cœlum dirigendi ſunt, quiſquis enim in cœlum oculum ſuum dirigit, omnia quibus hic in terris frui poteſt facile contemnit, quia in cœlis omne bonum reperitur; unde quanti valoris unica tantum cœleſtis torrentis ſtilla ſit ponderatur, *tract. 10. diſc. 14.*

## DOMINICA VI. POST PASCHA.
### Quæ eſt infra octavam Aſcenſionis Domini.

C*Um venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. Joan. 15. ℣. 26.* Paraclitus idem eſt ac Advocatus & Orator. Secundo idem valet ac exhortator & incitator. Tertio idem eſt ac Conſolator : Et optime quidem dicitur Conſolator; ille enim eſt effectus Spiritus Sancti proprius conſolari : ita ut illo dotati nedum quaslibet vincant adverſitates aut illis terreantur, ſed potius in illis & per illas maximas præbet conſolationes; maxima eſt enim divinarum dulcedinum abundantia, quibus Deus dilectas ſibi animas demulcere ſolet, *tr. 16. diſc. 2. per totum.*

*Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis.* Mittebat Dominus diſcipulos ſuos ad prædicandum Evangelium per totum mundum, dicebatque eis, *ut fructum plurimum afferatis.* Ex quo maxime turbari poterant diſcipuli, & dicere, Domine ſi te non audierunt, qui feciſti tot & tanta ſigna, quæ nemo alius fecit, quomodo nos audient, qui multò te ſumus inferiores? Conceptus hic eſt D. Chryſoſtomi Hom. 74. in Joannem. Unde inquit, ne igitur hæc cogitantes turbentur, conſolationem inducit, dicens : *Cum venerit Paraclitus.* Quia adverſitatibus pulſandi erant, hinc conſolationem promittit. Conſolationes enim ſpirituales, quæ ſe ad voluntariam omnium aliarum contradictionum extendunt tolerantiam, relationem habent ad paſſiones quas quis ſubit amore Dei & non ob alios reſpectus, *tr. 16. diſc. 17. per totum.*

*Quem ego mittam vobis Spiritum veritatis.* Optima certe conſequentia Chriſtus Dominus Spiritum Sanctum hic nominat Spiritum veritatis, nam poſtquam ad conſolandum eos, & ut in perferendis perſecutionibus confortaret, promiſiſſet eis Paraclitum & Conſolatorem; Voluit innuere hunc talibus eos præventurum conſolationibus, veris & divinis, quæ ſi comparentur ad mundanas, eas fraude dolove & mendacio, utpote à Spiritu mendacii profectas, plenas eſſe oſtendent, *tr. 16. diſc. 13.*

*Quem ego mittam vobis Spiritum veritatis.* Spiritum dicit veritatis, quia eſt quoque Spiritus ſanctitatis, quam ſanctitatem non inani fuco palliatam, ſed in veritate Apoſtolos docebit, cum econtra diabolus merito dicatur Spiritus mendacij, qui mille fraudes illuſioneſve cudere novit, quibus malitiam ſuam ſub pallio virtutis & ſanctitatis contegendo Angelum lucis mentitur. De quo vid. *tr. 20. diſc. 7. per totum.*

*Ille teſtimonium perhibebit de me.* Multis Chriſtus & in vita & in morte infeſtatus erat calumnijs; & jam Pater Chriſto dederat teſtimonium, dum in Jordane & Thabore Matth. 3. Patris vox ſuper eum intonuit. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Filius de ſeipſo dedit teſtimonium, dum dixit : *Ego teſtimonium perhibeo de meipſo.* Joan. 8. Ergo conſentaneum erat, ut Spiritus Sanctus quoque ſuo teſtimonio adeſſet, juxta illud Joan. 1. 5. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; ſed cur hi tres dant teſtimonium? ad hoc ut juxta debitum juris ordinem falſiſſimæ iſtæ calumniæ Chriſti humanitati & divinitati impoſitæ detegerentur; Deus enim calumnias earumque falſitatem detegere ſolet, *tract. 12. diſc. 5. per totum.*

*Hæc autem dixi vobis, ut non ſcandalizemini.* Singularem Chriſtus Dominus ſemper curam geſſit, ne puſillis aut inferioribus ſcandalum quoddam præberet. De amovendo ſcandalo vide ſuper hunc textum. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis.* Vid. *tract. 3. diſc. 18. n. 12.* Item in hunc textum : *Peccantes in fratres &c.* ibid. *Quis infirmatur, & ego non infirmor, tract. 6. diſc. 4. n. 12. Vade poſt me, ſcandalum es mihi tract. 7. diſc. 14. n. 9.*

*Hoc facient, quia non noverunt Patrem neque me.* Nulla ratione certe mirandum eſt, quod Judæi tam fuerint crudeles in diſcipulos Domini, quia ſcire noluerunt. Patrem Chriſti eſſe Deum, neque Chriſtum eſſe Filium Dei quod tamen tantis miraculis, ac Prophetarum vaticinijs ac rationibus ipſis probatum fuit. Ita quoque mirandum prorſus non eſt, quod plerique homines tam ſint in animas ſuas crudeles, ut illas pro levi voluptacula æternis mancipare non vereantur incendijs; ſiquidem non ſciunt, aut cum poſſent nolunt ſcire, quantum ſit animæ etiam unius pretium, modica enim æſtimatio qua animam appretiamur ex modica oritur notitia, quam ex defectu applicationis noſtræ de ipſa habemus &c. *tr. 7. diſc. 10.*

## FESTUM PENTECOSTES.

S*I quis diligit me, ſermonem meum ſervabit. Joan. 14. 23.* De fide Catholica certum eſt, quod Deus prius nos amet, quam nos ipſum amemus, nam Deus per ſuum eximium amorem nos prævenit, intellectum illuminando, voluntati piam affectionem inſpirando, &c. Sed quo motivo hoc facit Deus? Scit enim quod cor humanum ſine amore exiſtere nequeat hinc Deus illud ad amorem ſuum excitat & invitat &c. *tract. 4. diſc. 1. per totum.* Sed ſi ipſe prior dilexit nos, quare hic prius de noſtro amore facit mentionem? Ad hoc pulchra morali ratione reſpondetur. Ille enim primus Dei amor eſt donum mere gratuitum, ex ſumma ejus liberalitate ac pietate in nos deſcendens, *Ipſe gratis dilexit nos.* At noſter amor erga ipſum obſequij ac famulatus rationem habet, & certe, cum hic amor vita ſit animæ noſtræ, valde ingratus eſt homo qui hunc ei famulatum non exhibet, Deumque amet qui tot modis ex infinito quodam amore ſalutem ejus curat &c. *tr. 4. diſc. 6. & diſc. 16. per totum.*

*Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit.* Sicuti ex fumo dignoſcitur adeſſe ignem, ſic ex obſervantia mandatorum dignoſcitur quod quis Deum vere amet; præter quod veri Dei amoris indicium alia adhuc habes, *tr. 4. diſc. 18. per totum.*

*Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Præclare in hæc verba commentatur D. Gregorius Magnus apud Caten. D. Thom. *Probatio, ait, dilectionis exhibitio eſt operis. Numquam amor Dei eſt otioſus; operatur enim magna ſi eſt; Si vero operari renuerit amor non eſt.* Amor enim Dei eſt operativus, *tract. 4. diſc. 18.* Sed quid hoc importat quod cum loquitur de amore, dicit ſi quis diligit me ſermonem meum ſervabit, in ſingulari, cum autem de contrario, id eſt, non diligente loquitur, dicit : Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat, in plurali? ratio eſt, quod diligenti Deum quæcumque a Deo præcipiuntur parva & minima videntur, præceptorum enim obſervantia amore, qui omnia quantumvis aſpera facilitat, ſuavis efficitur &c. *tr. 4. diſc. 17. per totum.*

*Et Pater meus diligit eum.* Chriſtus Dominus largum ſermonem quondam habuit de beatitudinibus, & unicuique aſſignavit ſuum præmium, regnum nempe cœlorum pauperibus. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matth. 5. 3.* Terra poſſidenda mitibus datur. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* At verò charitati, quæ omnium virtutum major eſt, non aliud præmium aſſignatur, niſi ipſe amor. *Et Pater meus diliget eum.* Cur Domine non aliud præmium charitati eſt? Paupertas remuneratur regno; & manſuetudo, totius terræ dominio; at verò amor non alio niſi ipſo amore remuneratur; cujus divini amoris varias habes ponderationes circa illa verba : *Sic Deus dilexit mundum &c. tr. 4. diſc. 9. per totum.*

*Et ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* In omni loco, juxta Theologorum communem doctrinam, tribus modis Deus reperitur : Per eſſentiam, præſentiam & potentiam. Per eſſentiam omnem locum ipſe implet & occupat; per præſentiam omnibus rebus aſſiſtit cuncta videns & intuens, per potentiam omnia ſuſtentans, danſque illis eſſe, eaque conſervans; cum jam omnes viæ viderentur interclusæ, quibus mediantibus ulterius homini adeſſe poſſet; divinus amor hodie novam invenit, qua per gratiam ac flatum divini Spiritus inviſibilem, ad animam venit, eamque gratia ac conſolatione ſua ditat ac replet; Eſt enim hic Spiritus Sancti acceſſus internum illud animæ gaudium, noſtris ſæpe incognitum oculis, quod non delectabilibus hujus vitæ bonis, ſed divinæ gratiæ, virtuti bonæque innititur conſcientiæ, *tr. 16. diſc. 5. per totum.*

*Et manſionem apud eum faciemus.* De Spiritus Sancti Adventu hic agitur, ideo manſio commemoratur, quia cum ipſe ſit Paraclitus, id eſt, Conſolator, in homine quem diligit manſionem facit, tanta eum replens conſolatione, ut jam quis principio gloriæ frui videatur, ipſe enim ſingulariter titulo ſuavis gloriatur, qualem ſe exhibuit ſuo in terras adventu, *tr. 16. diſc. 3. ubi quoque de copioſa animæ ſuavitate tamquam æternorum gaudiorum præludio &c.*

*Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ita libenter manet Deus in ijs qui diligunt illum, eique ſerviunt, ut timere non debeas illum ex parte ſua diſceſſurum, niſi contra voluntatem ſuam: Anima enim juſti eſt locus deliciarum Dei, ejuſque Paradiſus & templum. *tr. 4. diſc. 8. per totum.* Delectatur item Deus incolatu animæ juſtæ, utpote quæ pulcherrima eſt, ipſumque Deum ad ſui ſponſalitium rapit &c. *ibid. diſc. 9. per totum.*

*Manſionem apud eum faciemus.* Illi Sanctiſſima Trinitas conſtantem ſui pollicetur converſationem & familiaritatem, qui ſermonem ſeu præceptum ſervaverit Chriſti; hoc eſt autem præceptum ejus, ut diligamus invicem; in amore itaque proximi tota conſiſtit ratio beatitudinis noſtræ. *Vid. totum Tr. 5. ſpecialiter autem diſc. 3. n. 2. diſc. 1. n. 9. diſc. 3. n. 10. diſc. 7. n. 12. diſc. 8. n. 8.*

*Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* O quam paucos Deus in mundo amicos habebit, ſi ex hoc indicio judicandi ſint, quod Deum dicantur non diligere, quia mandata ejus non ſervant! quam enim multi ſunt qui Deum pecunijs poſtponunt, ita ut pro modica ſumma Dei mandata tranſgrediantur; Hoc enim proprium eſt avidæ divitiarum concupiſcentiæ, ut fides, cultus & juſtitia Dei plurimum labefactetur! *tr. 8. diſc. 14. per totum.*

*Paraclitus autem Spiritus Sanctus; quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Si verum ſit quod legitur, Spiritum Sanctum nonniſi tempore jejunij Eccleſiam & Apoſtolos viſitaſſe, *vid. tract. 1. diſc. 3. n. 11. & tr. 1. diſc. 6. n. 2.* non parum inde certe commendabitur ſobrietas & abſtinentia, quæ tunc quaſi quædam ad Spiritum Sanctum ejuſque chariſmata recipienda diſpoſitio fuit, ſiquidem ſobrietas & abſtinentia ſeu temperantia victus, ad divinorum myſteriorum cœleſtiumque revelationum notitiam nos diſponit; mentem ad Deum elevat, atque ad acquirendam ſapientiam, beneque faciendam orationem auxilia præſtat, *tr. 1. diſc. 6. per totum. Item de Adventu Spiritus Sancti habes multa, tr. 5. diſc. 5. n. 4. tract. 1. diſc. 3. n. 11. tr. 7. diſc. 14. n. 2. tract. 5. diſc. 2. n. 5. tract. 4. diſc. 16. n. 10. & diſc. 17. n. 8. tr. 6. diſc. 12. n. 4. tract. 7. diſc. 8. n. 8. tract. 5. diſc. 5. n. 11.*

*Pacem relinquo vobis , pacem meam do vobis.* Verba omni conſolatione plena hucuſque locutus erat Dominus ; Nunc idem conſolationis argumentum proſequitur, dicens , *pacem relinquo vobis , pacem meam do vobis.* Quid eſt hoc pacem relinquo vobis ? Relinquo hæreditatem indicat, ut videtur exponere D. Cyprianus de unit. Eccleſ. legens *pacem dimitto.* Diſcedens igitur Dominus ex hoc mundo ſuis pacem tamquam propriam hæreditatem delegavit. Pulchre D. Auguſtinus Serm.166. de tempor. ait : *Proficiſcens voluit dare quæ deſiderabat rediens in omnibus invenire. Hanc ſuis hæreditatem dedit : dona omnia ſuæ pollicitationis, & præmia in pacis converſatione promiſit, atque ideo fratres, ſi hæredes Chriſti eſſe volumus in ejus pace eſſe & manere debemus.* Hanc igitur pacem in ultimo vale ſuis dedit tamquam rem maxime pretioſam & valde commendabilem. *De pacis excellentia & neceſſitate vid. tr.5. diſc.8. per totum.*

*Pacem relinquo vobis , pacem meam do vobis.* Quæreret hic forte aliquis , quid nomine pacis intelligatur ? communiter recentiores tenent, quod nomine pacis Hebræi olim ſignificabant omne bonum, ſalutem, tranquillum hominis ſtatum, & proſperitatem. Chriſtus Jeſus auctor gratiæ , ac totius vitæ ſpiritualis , cum à ſuis diſcipulis diſcedit, eis etiam Judæorum more dat pacem, non tamen eo ſenſu quo homines terreni dabant , ſed valde ſupernaturali ac ſublimi modo , de quo loquitur Apoſtolus ad Phil.4. *Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras.* Et hæc pax includit ſummam animi ſerenitatem & tranquillitatem in bona conſcientia fundatam. *Vid. tr.16. diſc.7. De varijs bonæ conſcientiæ præconijs & effectibus.*

*Non quomodo mundus dat ego do vobis.* Mundus ſignis exterioribus pacem præbet , ſed vere nihil aliud clamat quam illud Prophetæ *pax pax & non eſt pax*, cum ea quæ ſub ſpecie pacis exhibet, veluti ſunt divitiæ , honores , voluptates, plena ſint anxietatibus , curis , cruciatibus , perſecutionibus , *tr.8.diſc.24.25.26. 27. &c.*

*Non quomodo mundus dat ego do vobis.* Fidem quidem pollicetur mundus, nulli tamen eam , ne ipſis quidem amatoribus ſuis ſervat, *tr.8.diſc.23. n.15.* Chriſtus pacem dat ſtabilem & æternam, mundus vix temporalem, & hanc ipſam æternis recompenſandam tumultibus, *tr.8. diſc.6. n. 1. 2. &c.* Pacem offert & ſimulat mundus quomodo Joab ſimulabat Amaſæ, ut expugnet & perimat, *tr.8. diſc.23. n.11.*

*Non turbetur cor veſtrum neque formidet , quia vado ad Patrem.* Ut affectus noſter facili negotio ſeparetur à terrenis , & in adverſis non deficiamus cum Chriſto aſcendente cordis noſtri oculum in cœleſtia defigamus oportet , *tr. 8. diſc. 22. per totum. Item tr.10.diſc.17. per totum.*

*Venit enim Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* D. Ambroſ. legit : *& in me invenit nihil.* Quomodo fieri potuit , ut in omnium bonorum infinito quaſi theſauro nihil inveniatur ? In Jeſu omnium divitiarum plenitudo inhabitat corporaliter , & tamen Princeps hujus mundi nihil invenit ? pulchre & moraliter in hunc locum commentatur D. Ambroſ. *Avaritia damno dives urgetur , pater diſpendio filiorum , homo doloribus, corpus ulceribus ? Unde Dominus noluit habere quod perderet , & ideo pauper hic venit , ne haberet Diabolus quod auferret. Ipſum Dominum dicentem audi. Venit princeps hujus mundi, & in me invenit nihil.* Sciens divitiarum poſſeſſionem ſpecialem dæmonis laqueum eſſe, cumque ſpecialiſſime in hoc veluti in ſuo centro reſidere, *tract.8. diſc.4. per totum.*

## Dominica & Feſtum ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis.

D*Ata eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Matth. 28. ℣. 18.* Illuſtris admodum fuit hæc apparitio Chriſti Domini ; & ideo juxta hiſtoriam Evangelij, deſignavit ad eam diem & locum quo cum conveniſſent, inquit textus , *Et accedens Jeſus* , propius & familiarius loquens cum ſuis Apoſtolis. O quantum diſtat piiſſimus Jeſus ab aliorum hominum conditione, cum de ſe publicat ſupremam poteſtatem, amice ac familiariter accedit ; homines verò cum in ſe agnoſcant aliquod dominationis veſtigium, ita inflantur ac elevantur, ut cum alijs loqui ac ſermonem habere dedignentur. Ambitio enim & effræne dominandi deſiderium intellectum excæcat , eorumque qui ad honores evehuntur, naturam & mores in diverſa commutat, *tr.3.diſc.4. per totum.*

*Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Ergone Domine Jeſu illa poteſtas aliquando à te abfuit ? Minime. Cum enim ſis Deus verus de Deo vero, cum à Deo Patre majeſtatem hæreditariam, per æternam generationem habeas, verum eſt, quod ut filius Dei ab æterno habes ſupremam poteſtatem. Cur ergo dicit datam ſibi eſſe quaſi in tempore? Ad quæſtionem reſpondet D. Anaſtaſ. Sinaita lib.4. de rectis fid. dogmat. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra; ac ſi manifeſte diceret ; Authorem gloriæ iſtius eſſe crucem & per crucem irrogatam mortem :* In quem ſenſum devote ſic Drogo Serm. de ſacram. Dominic. Paſſionis locutus eſt : *Data eſt mihi Domine Jeſu omnis poteſtas in cælo & in terra ; Magne Rex virtutum quia factus es obediens Patri uſque ad mortem , mortem autem crucis ; Ecce elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos, & omnia ſubjecta ſunt ſub pedibus ſuis.* Quiſquis igitur ad gloriam vult ingredi, prius per flammi-vomum ærumnarum & tribulationum hujus vitæ enſem tranſire debet, *tr.10. diſc.24.*

*Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Eleganter ait Tertullian. lib. de coron. militis c. 14. *Illam Chriſti coronam æmuleris , quæ poſtea ei obvenit , quia favos poſt fella guſtavit , nec ante Rex gloriæ à cæleſtibus ſalutatus eſt , quam Rex Judæorum proſcriptus in cruce.* Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam comedit favum mellis, prius tamen guſtato felle ; Chriſto aſcendenti in cœlum cœleſtes genij acclamarunt , *Rex gloriæ* , tamen prius in cruce per ludibrium affixus eſt titulus Rex Judæorum ; ac ſi cœleſtibus ſpiritibus perſuaſum eſſet , ad Regem cœleſtémque ſedem , nonniſi per laborum merita, veniendum , ut non antea regem gloriæ ſalutaverint , quam ipſum in cruce ut regem fictum ludibrio habitum vidiſſent , ſic quoque Chriſtus quidem regnum cœlorum nobis conſignat , ſed cum eodem onere quo ille ipſum acquiſivit , &c. *tr.10.diſc.23.*

*Euntes ergo docete omnes gentes.* Ait Chriſtus Dominus, *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes.* Accepta ſibi poteſtate in homines ſtatim de eorum ſalute pertractat ac agit. Bonus enim Princeps curam captat de ſalute gentis ſuæ, ut in hoc nullum interponat otium, nullamque requiem unde dum de Chriſto Domino Sap.7. ℣.26. dicitur *ſpeculum majeſtatis*, text. Græcus legit , *ſpeculum operationis* ; ac ſi idem ſit majeſtas & operatio erga ſubditos & inferiores. Unde ſapienter ait Philo lib.1. Allegoriarum. *Mortem in Deum cadere ſi cadit otium*, id eſt Deus non eſſet Deus, ſi ad extra non ageret rerum curam ſuis providendo ac miniſtrando. Vid. *tr.7. diſc.10.* ubi oſtenditur quanta cura & cuſtodia Deus animam proſequatur &c. Item qui honorem ſuſcipit, laborem ſuſcipit, & idcirco mox ut de accepta poteſtate locutus eſt, ſtatim ſuorum curam habet dicens, *Euntes ergo &c.* Honos enim onus ſecum affert, *tract.3.diſc.16.*

*Euntes ergo docete omnes gentes.* Ut Apoſtoli lucrarentur animas , ut ſibi acquirerent gloriam , nullam Apoſtoli recuſavere moleſtiam imo nihil illis pro æterna vita erat arduum, nec pro ſalvandis animabus moleſtum ; Scientes magnum inde ſe reportare lucrum, intuitu cujus & nos merito in convertendis animabus ſolertes ac diligentes eſſe deberemus, *tr.7. diſc.14. per totum.*

*Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Baptizare idem eſt , quod aqua abluere. Præclara ſemper myſteria Chriſtus in aquis operatus eſt , in illis primum fecit miraculum, quo fidem in diſcipulis ſuis confirmavit, illis modo finem impoſuit , aquarum præcipiens baptiſma. Quod ſi percuncteris quare hanc virtutem aquis indiderit, & non igni, nec aëri , cum tamen in igne & aëre Spiritum Sanctum miſerit ? Reſpondeo ; Lavacrum peccatorum fit per lachrymas , quarum figuram aquæ præferunt , quas idcirco Deus maxime facit & æſtimat. *Vid. tr.15. diſc. 22. de valore contritionis qua mediante aboletur peccatum.*

*Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Poſt fidem & Baptiſmum adjungit Dominus mandatorum obſervantiam. Pulchre id notavit D. Hieronym. ordo, inquit , pulcherrimus, juſſit Apoſtolos , ut primum docerent univerſas gentes , deinde ut fidei intingerent Sacramento , & poſt fidem ac Baptiſma , quæ eſſent obſervanda præciperent. Indicans neque fidem neque Baptiſmum ſatis eſſe , ad ſalutem ac gloriam beatitudinis conſequendam , ad quam præter fidem ſola divinorum præceptorum obſervantia ſufficit, *tr.10.diſc.27. per totum.*

Hoc ſacratiſſimo ſummæ Trinitatis Feſto diſcurſus inſtitui poterit de animæ noſtræ excellentia , quæ eſt Trinitas creata, *tr.7.diſc.7. n.12. 13. &c.* Item imago ſanctiſſimæ Trinitatis &c. *tract.7. diſc.4. & 9.* Item opus ſanctiſſimæ Trinitatis, *tr.7. diſc.7.*

## DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

H*Omo quidam fecit cænam magnam. Luc.14. ℣.15.* Occaſio propoſitæ hujus parabolæ fuit hæc , erat Dominus Jeſus à Phariſæo quodam invitatus ad convivium , unus autem è convivis colloquij Jeſu dulcedine illectus , ſic ait : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hinc Dominus anſam arripuit , huic reſpondendi & omnes hac parabola docendi , declarans , omnes poſſe ſi voluerint hoc gaudere convivio, illo autem non gaudere, inde proventurum , quia illud noluerint accipere : Nam ut omnes gaudere poſſent , noluit Salvator noſter obligare omnes ut per eamdem paſſionis viam ad cœlum tranſeant, per quam ipſe illud obtinuit, ſed multas aperuit vias faciles per quas cujuſvis ſtatus & profeſſionis homines tranſire ad ſalutem æternam poſſint , *tr.10. diſc.28. per totum.*

*Homo quidam fecit cænam magnam & vocavit multos.* Juxta plurimorum ſanctorum Patrum mentem vocatur hæc cœna cœleſtis gloriæ convivium. Et rectè cœna vocatur ; quia confertur veſpere, id eſt , in fine vitæ poſt hujus ſæculi labores, poſtquam nulla alia communicabitur refectio. Hoc inter cæteros docuit Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 31. *Cæna , ait , paratura vitæ æternæ ſaturitatem figurat.* Et ſicut cœna ſine lumine non celebratur ; & ſi lumen abſit fercula non intuentur : ſic cœleſte convivium ſine cœleſti lumine, quod Theologi lumen gloriæ vocant ; non exhibetur. *Vide tract.10.diſc.11. ubi de Paradiſi gloria ſub ſumptuoſi cujusdam convivij metaphora diſcurritur per totum.*

*Et miſit ſervum ſuum hora cænæ dicere invitatis ut venirent.* Non miſit armatos, qui vi adducerent ; ſed miſit ſervum , qui illos quaſi reinvitaret , nec enim ad ea quæ commodum noſtrum ſpectant ullam nobis Deus vult vim inferre ; quia regit nos ſuaviter ; ſed potius vult conſervare naturæ humanæ leges , nempe libertatem ; ſic quoque non cogimur , ſed invitamur ad ſpiritualium experientiam conſolationum quæ reipſa vitæ divinæ dulcedinem perhibent & ſuavitatem, *tr.16. diſc.12. per totum.*

*Quia jam parata ſunt omnia.* Nobis hæc verba multam ingerere deberent conſolationem , dum , quantum eſt ex parte Dei omnia quæ ad cœleſtis gloriæ convivium ſpectant fercula parata ſint , *tract.10.diſc.10.per totum.* Neque aliud quidquam deſideretur quam id quod tibi faciendum incumbit, ut nempe huic convivio intereſſe merearis , quod tamen tantæ difficultatis tantæque molis opus non eſt : Aditus enim ad cœlum facilis eſt, &c. *ibid.diſc.29.per totum.*

*Et cæperunt ſimul omnes excuſare ſe.* Valde mirandum eſt hoc , quod cum mundi bona viliſſima ſint , neque ulla ratione appetitum ſatient , ad illa tamen advolemus quaſi ; Et cum Dei bona ſint adeo magna gratisque oblata , mille aliquando proferamus excuſationes ad illa non acceptanda, *tract.10.diſc.19.per totum ; ubi acriter reprehenduntur qui pluris terram quam cælum faciunt.*

*Primus dixit villam emi , & neceſſè habeo exire & videre illam.* Per villam terrenam ſubſtantiam intelligunt S. Patres D. Gregorius hom.13. in Evang. Beda, Haymon D. Bonaventura ; ex quorum affectu homines maxime inhabiles ad cœleſtia redduntur , *tr.8.diſc.8.9.10.12.&c.* Sed quid eſt , quod hic primus invitatus à Dei vocatione ac cœleſti menſa ſe excuſat ob villam emptam, quaſi eſſe in villa & cum Deo ſimul eſſe non poſſit , cum tamen ſponſa ſuum dilectum ad villam invitet , ait illa : Cant.7. *Veni dilecte mi , egrediamur in agrum, commoremur in villis ?* Reſpondetur ex ſententia D. Auguſtini Serm. 33. de verbis Domini ; quod hic homo vadit ad villam ex ſuperbia ut multos ſubditos ſibi comparet ; ſponſa verò divertit in agrum ex multa charitate erga Deum , ut homines agreſtes ad Deum adducat , fidemque convertat. Ita varij interpretantur hunc locum. Ex quo patet , quam graviter arguendus ſit iſte homo , qui propter villam à Deo ſe ſeparat, quem ſibi per villam poterat comparare ; ali certe magna ſtultitia, per illas res à Deo diſcedere quarum ope magis licet ad Deum appropinquare : Unde D. Auguſt. ait Serm. 12. de verb. Dom. *Aurum vel argentum malis malum eſt, bonis bonum. Non quia eos bonos aurum vel argentum facit , ſed quia bonos invenit , in uſum bonumque convertitur. De hac materia habes exquiſitiſſimum Diſcurſum tract.8.diſc.9.per totum.*

*Primus dixit villam emi , & neceſſè habeo exire & videre illam.* Villa hæc , ut expoſitione præcedenti jam inſinuavi, denotat ex D. Auguſtino ambitionem & dominandi deſiderium. Hic autem homo emerat villam antequam vidiſſet ; ſic multi emunt villam, id eſt , honorem prælationis & dominationem poteſtatis quaſi obtenebrato oculo , non videntes ingentia onera & pericula quibus ſe exponunt , *tract.3. diſc.6.8.9.10.*

*Villam emi.* Non erant tria hæc trium horum excuſationis motiva , non erant , inquam , in ſe peccata , tamen erant propter amorem inordinatum , quo illis afficiebantur , pluris faciendo illa bona temporalia quam æterna , *tr.8.diſc.20.per totum.*

*Alius dixit juga boum emi quinque , & eo probare illa.* In primo illo villam emente notatur hominum ambitio & ſuperbia ; in hoc vero ſecundo ſugillatur eorum avaritia qui ob boves, animalia, ac terram excolendam Chriſti regnum deſpiciunt. Certum autem eſt tales non ituros ad cœnam Domini. Nam ſicuti jugum animalia ligat & conſtringit , ita avaritia ligat & illaqueat animas, *tr.8.diſc. 4 5.6 &c.*

*Et alius dixit uxorem duxi , & ideo non poſſum venire.* Erant primus & ſecundus adhuc nonnihil urbani , rogabant enim ut haberentur excuſati ; aſt hic tertius non rogat ut excuſatus habeatur , ſed abſolute reſpondet , *non poſſum venire.* Quid hic aliud cauſæ ſubeſſe poterit , niſi quam D. Gregor. Hom. 36. inſinuat ; *Quid per uxorem , ait , niſi voluptas carnis accipitur.* Cum ergo homo eſſet deditus luxuriæ ac carnis voluptati , neſcit habere modum , ſed plane in carnis voluptate abſorptus , ita ruſtice nec non inurbane reſpondit. Nec mirum ! Vitium enim carnis, intellectum , mentem, & animam noſtram ita abſorbet, ut illum de nulla re alia quam de voluptate & libidine ſua explenda cogitare permittat , *tr.13. diſc.19. per totum.*

*Exi cito per vicos & plateas civitatis : & pauperes ac debiles & cæcos introduc huc.* Ait Dominus ſervo, exi in plateas & vicos ; non mandat vocari homines domi abſconditos, ſed in plateis ac vicis commorantes ; quod D. Ambroſius ponderans in præſenti ait : *Miſit ad plateas, quia miſit ad peccatores , ut de latioribus vijs ad anguſtam viam venirent quæ ducit ad vitam* Latior via eſt vita hujus ſæculi , qua fere contra omnem legem vivitur , & tamen multis eſt plena periculis & æternis præcipitijs. Anguſtior via eſt vita qua Deo vivitur eidemque ſervitur juxta normam legis ejus ; Misericorditer ergo invitat peccatores Dominus ad hanc viam anguſtiorem ut ſe tot eximant periculis & in dulcedine legis ejus ſecuri delectentur. Dei enim ſervitium , & legis ejus , quæ amor eſt , obſervantia , ingentem affert lætitiam , auxilium & conſolationem ad portandum jugum Evangelicum, *tr.16.diſc 11.per totum.*

*Compelle intrare , ut impleatur domus mea* Non hoc dicit quaſi vocatione minuatur libertas , ſolus enim hæreticus hoc aſtruet , ſed hoc loquendi methodo utitur, ut parabolæ metaphora retineatur , ſermo enim erat ad homines tamquam belluinos & ſylveſtres, & ideo ait, quod more bellŭarum compellere debeat intrare in ovile Chriſti illæſa eorum libertate, varijs tamen medijs quidem compellit Deus maxime tamen tribulationibus , quæ nos anguſtent & mala cogant mutare itinera, *tr.7.diſc.15.n.17 tr.8.diſc 25.n.13.*

## DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

E*Rant appropinquantes ad Jeſum publicani & peccatores. Luc.15.v.1.* Quanti Deus animas noſtras etiam peccatis immerſas fecerit ex hoc patet textu, quando tam amice ac familiariter agit cum ipſis peccatoribus , patet hinc quanta cura & cuſtodia Deus animam proſequatur , quantoque gaudio ob ſalutem ejus perfundatur, *tr.7.diſc.10 per totum.*

*Erant appropinquantes ad Jeſum publicani & peccatores.* Articulus hic eſt fidei noſtræ Orthodoxæ , plenus omni conſolatione noſtra, remiſſionem nempe eſſe peccatorum, Deumque illa remittere, conatusque eſt Dominus hoc probare parabolis & operibus, quæ omnia præſens declarat Evangelium occaſione cujus utilem hic formare diſcurſum poteris. De confeſſionis Sacramentalis tamquam ſummi nobis à Chriſto collati beneficij origine & neceſſitate in ordine ad ſalutem conſequendam. Qualis eſt *tract 15.diſc.1.*

*Erant appropinquantes ad Jeſum publicani & peccatores.* Optime ſciebat Dominus Jeſus , quod Scribæ & Phariſæi de ipſo murmurabant , obſervantes eum , eo quod publicanis & peccatoribus ſe ita amicabilem præberet ; tamen ob hanc calumniam ab opere charitatis non deſiſtebat Dominus , tales peccatores recipiens & admittens in ſui ſocietatem & colloquium, ut eos ad pœnitentiam invitaret, attendens magis hominum ſaluti quam ſui nominis charitati ad noſtrum exemplum ut calumnias fortiter & patienter feramus , magnum ſiquidem eorum eſt meritum, *tr.12.diſc.3.*

*Et murmurabant Phariſæi dicentes , quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.* Nullum alium ob finem Phariſæi hoc dicebant , niſi ut Chriſto detraherent , eumque vituperarent, illumque ex hoc motivo verum Meſſiam non eſſe oſtendere volebant , ſed & contra ſe argumentabantur & Chriſti gloriam augebant , nam Scriptura pluribus in locis hanc veram Meſſiæ notam futuram indicat, quod peccatores recipiat ; ſic contingit , ut detractores nulli amplius inferant damnum quam ſibiipſis, *tr.21.diſc.13 per totum.*

*Et murmurabant Phariſæi.* O ſtulti & tardi corde ad credendum ! cur murmuratis quia Chriſtus peccatores recipit, niſi quia impotes judicij eſtis, neſcientes pœnitentiæ & lachrymarum virtutem, *qualem vide tract.15.diſc 13.*

*Et ait ad illos parabolam iſtam , quis ex vobis homo qui habet centum oves, &c.* Murmurationi Phariſæorum occurrit Dominus , tribusque parabolis , de ove , drachma ac prodigo oſtendens , gratiſſimam Deo eſſe peccatorum converſionem ac pœnitentiam. *Quis ex vobis homo.* Hæc eſt prima parabola de ove perdita, qua Phariſæorum obtrectationem efficaci refutat argumento ut ait Hugo : ac ſi dicat , quis veſtrum quamvis multas habeat oves , ſi tamen errantem reducere laborat ad ovile non reprehenditur : multo magis nec ego debeo reprehendi qui hominem errantem reduco multo meliorem ove. Ex quo , inquam , argumento gratiſſimam Deo oſtendere voluit eſſe pœnitentiam , cujus quidem una ex partibus eſſentialibus à Chriſto Domino inſtituta confeſſio, per quam veluti ad Chriſtum appropinquamus , tam eſt Deo grata ut ſit ſpecies quædam ſacrificij , Deum placet , nos à temporalibus eripiat quandoque ſupplicijs , novis ditat gratijs , ſecura ad cœlum velut ovile Chriſti ſit ſemita, *tr.15.diſc.9.per totum.*

*Quis ex vobis homo , qui habet centum oves , & perdide-*



tis

*rit unam ex illis ; nonne dimittit nonaginta novem in deſerto &c.* Pulchre Tertullianus lib de Pœnitent. capit. 8. *Errat*, ait, *& una paſtoris ovicula, ſed grex una charior non erat, una illa requiritur pro omnibus deſideratur.* Nonaginta novem oves habebat ſub cuſtodia paſtor, cum una eſſet deperdita, ſic pro ea comparanda inſudat ac laborat, veluti ſi totum gregem amiſiſſet: Quidquid enim Deus pro omnibus animabus fecit etiam pro una ſola facturus fuiſſet, *tract. 7. diſc. 12. ubi etiam cura quam de unaquaque in particulari habet, per parabolas ovis & drachmæ deperditæ docetur per totum.* Plura ſi deſideres de ove vid. Dom. 2. poſt Paſcha.

*Ita gaudium erit in cælo coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pænitentiam agente.* Gaudent Angeli de pœnitentia ac converſione peccatoris, quia per pœnitentiam ab immunditia & nequitia peccator tranſit ad puritatem & ſanctitatem, &c. *Tract. 6 diſc. 11 de cura & lætitia Angelorum, quia per ſalutem & pænitentiam noſtram perfunduntur, variæque illius lætitiæ cauſæ aſſignantur, &c.*

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

C*Um turbæ irruerent in Jeſum ut audirent verbum Dei.* Luc. 5. ℣. 1. Turba irruit importuna ut audiret verbum Dei, primarijs & ditioribus domi reſidentibus, aut temporalibus ſuis lucris inhiantibus, quia ſcilicet fœlicitas corporalis impedit ne vocem Dei audiamus, *tr. 8 diſc 13 per totum.*

*Cum turbæ irruerent in Jeſum.* Vide quomodo hæc turba quæ ex plebeijs conſtabat, non tantum accedat, ſed etiam fortiter irruat in Jeſum: ſic quandoque etiam inferiores in zelo & fervore ſuperant præpoſitos, qui tamen obligati ſunt, ſuis numquam non bono prælucere exemplo, *tr. 3. diſc. 11. n. 10. &c. tr. 1. diſc. 3. n. 10.*

*Et ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth* Haymon pulchra moralitate hunc locum illuſtrat. Mare, inquit, mortalem ac caducam iſtam vitam deſignat, quia ſicut mare in fluctuatione eſt, ſic præſens hæc vita ſemper eſt in alternatione. Littus autem ſeu ſtatio ſignificat immortalitatis gloriæ permanentiam; quia Dominus poſt ſuam reſurrectionem habuit fixam ſuæ æternæ quietis permanentiam, *tract. 10. diſc 16. per totum.*

*Et ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth* Cardinalis Hugo, alludens ad proprietatem illius ſtagni, quod fluentibus aquis auram quamdam generabat, ſic ait: *Stagnum Geneſareth ſignificat divitiarum terrenarum abundantiam, quæ auras inanis gloriæ; ſuperbiæ, & rixæ atque diſcordiæ ex ſe generat.* Avaritiæ enim & divitiarum cupiditas omnis mali maximeque odiorum & rixarum inter proximos eſt origo, *tract 8 diſc. 2. per totum.*

*Vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum.* Per duas haſce naves apte intelliges amorem Dei & proximi, in virtute cujus, ſine naufragio per hujus mundi pelagus ad portum navigamus beatitudinis æternæ, *tr. 4. & 5.*

*Piſcatores autem deſcenderant & lavabant retia ſua.* Retia à retinendo dicta ſunt, quæ piſcatores abluebant à limo ac ſordibus, quas in miniſterio nocturno contraxerant, ut emundata complicarent ad aliud opportunius tempus, quia tunc capiendi piſces ſpes nulla ſupererat. D. Anton Ulyſſipon. in Dom. 5. Trinit. moraliter hoc explicat *Notandum*, ait, *ab utraque nave pænitentium ſcilicet & carnalium piſcatores deſcendere. Pænitentes autem deſcendunt ab eo quod ſunt per gratiam; ad illud quod ſunt per naturam, de gradu ſcilicet exceiſioris vitæ ad conſiderationem fragilitatis propriæ. Carnales à tumore ſuperbiæ deſcendant ad cinerem pænitentiæ.* Et bene poſt deſcenſum ſequitur lotio, qui enim deſcendit ex ſua ſuperbia, ac inani gloria ad propriæ vilitatis conſiderationem mundat ac lavat peccatum. Sic quoque tu deſcendens per propriæ vilitatis conſiderationem; quod ex limo terrenorum affectuum retinuiſti munda ac lava peccatum per confeſſionem quæ vires debilitat dæmoniacas; quales mire prævalent adverſum nos, ubi à confeſſionis frequentia recedimus, *tr. 15. diſc. 10. per totum.*

*Rogabat à terra deducere puſillum.* Miræ hic eſt actus prudentiæ, nam Chriſtus venerat mundum corrigere in vitijs & peccatis ſuis; inde navem rogat deduci à terra, ut doceat, quod qui alios vult corrigere ſi fructum referre velit, ſic à vitijs quæ corrigere vult alienus eſſe debet, quaſi in diverſo habitaret elemento; Irreprehenſibilis enim in ſe eſſe debet, qui alios corrigendi munus exercet, *tr 18 diſc 16. per totum.*

*Ut ceſſavit autem loqui dixit ad Simonem; Duc in altum.* Tota nocte laborantes nihil ceperant, venit autem Chriſtus & jubet in altum ducere rete, & copioſam accipiunt piſcium multitudinem; quid non niſi Synagogam ſignificat, in qua per difficillimas leges earumdemque obſervationes continuo laborare cogebantur homines & cum exiguo fructu, venit Chriſtus imponens legem gratiæ ſuaviorem, & facilior & copioſior ſit animarum piſcatio, *tr. 16. diſc. 10. ubi docetur legem gratiæ longe eſſe amabiliorem & ſuaviorem lege Moſaica, &c.*

*Laxate retia veſtra in capturam.* Hic merito deberet eſſe finis Prædicatorum, piſces Deo capere, cum nullus faſtidiendus ſit labor, licet etiam ille pro una tantum anima fuerit impenſus, *tr. 7. diſc. 12. circa medium uſque ad finem. Item diſc. 14. per totum.*

*Præceptor per totam noctem laborantes nihil, cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Ah quam multi cum Petro ingeminare poſſunt, per totam noctem, id eſt, per totam vitam laborantes, nihil cepimus, quia non laborarunt in verbo Dei, id eſt, in charitate ſine qua nullum opus bonum quidquam valet, hæc autem res, etiam minimas pretioſas facit, *tr 4 diſc. 3. per totum.*

*Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Dicant id merito omnes coſmophili qui poſt exantlatas innumeras curas & ærumnas, nihil capiunt, quandoquidem totus mundus eſt purum nihil, *tr. 8. diſc. 31 per totum.*

*Ex hoc jam eris homines capiens.* De gloria & magno lucro eorum qui animas convertere ſatagunt, *tr. 7 diſc. 14. per totum, tr. 5. diſc. 7. n. 8.*

*Relictis omnibus ſecuti ſunt eum* Qui ſola reliquerunt retia eaque lacera, non retia, ſed omnia reliquiſſe dicuntur, quia non poſſeſſionis aut deſertionis, ſed affectus habetur ratio, ſolo enim divitiarum deſiderio & cupiditate non verò earum poſſeſſione vitioſi efficimur, *tr 8 diſc 17. per totum.*

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

N*Iſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum &c. Matth* 5. Cum Apoſtoli fuerint in juſtitia & ſanctitate Prophetis multo illuſtriores. Annon igitur in majorem eorum gloriam laudemque cederet, ſi Dominus diceret: *Abundet juſtitia veſtra plusquam* Prophetarum? Pulchra & morali ratione ad hoc reſpondetur; Verum quidem eſt, quod Apoſtoli virtute Prophetis fuerint eminentiores, tamen Prophetæ laboraverunt & Apoſtoli in eorum labores introierunt. *Joan.* 4. ℣. 38. Et qui pro nobis laboraverunt, quamvis nobis ſint inferiores, non ſunt devenuſtandi, ſed omni honore ac gloria ſublimandi. Ad hoc propoſitum non immerito quis dubitaverit, quid nos magis adſtrictos teneat, Creatoris an Redemptoris memoria? Merito D Bernardus ſtat pro memoria Redemptoris *Serm.* 11. *in Cant.* nam licet in Creatore appareat majeſtas omnipotentis Dei Redemptore verò infirmitas noſtræ humanitatis; tamen Creator ſine labore condidit quos Redemptor morte, ſanguine ac cruce reſtauravit. Ac proinde magis nos obligatione vincit magis ad amorem movet hujus quam illius recordatio, *tr. 4. diſc. 10. & 11*

*Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum.* Non ſine magni ratione myſterij, expreſſe dixit Chriſtus Dominus diſcipulis ſuis: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra.* Maxime enim in hoc pungit Scribas & Phariſæos, qui in multis nequitijs ac peccatis viventes maxime de Patre ſuo Abraham gloriabantur & confidebant dicentes: *Patrem habemus Abraham. Matth.* 3. *Semen Abrahæ ſumus. Joan.* 8. *Pater noſter Abraham eſt.* Ait ergo Chriſtus ſuis diſcipulis: *Juſtitia veſtra* quaſi diceret: Non enim innitendum eſt alienis meritis, atque Majorum ut faciunt Scribæ & Phariſæi, ut intretis in regnum cœlorum, ſed veſtris operibus ac virtutibus operante Dei gratia hujuſmodi regnum acquirendum eſt ac comparandum; ad quod ſolum juvat præceptorum obſervantia; quæ ad beatitudinem acquirendam ſufficit, *tract. 10. diſc 27. per totum.*

*Audiſtis quia dictum eſt antiquis &c.* Lyranus & Abulenſis hoc loco in ea ſunt ſententia, ut dicant, quod Scribæ & Phariſæi exiſtimabant præcepta decalogi ſolas externas actiones prohibere non autem actus internos. Tamen communior eſt doctrina quantum conjicimus ex hoc Chriſti ſermone; quod hanc ſuam doctrinam ſolum tradiderint in quinto & ſexto præcepto. Unde totam legem falſiſſimis interpretationibus prævaricabantur: Nam lex expreſſe clamabat: *Non concupiſces uxorem proximi tui*; tunc ipſi prævaricatores exiſtimabant impleri legem, dummodo alienam uxorem non raperent. Catholicorum omnium autem doctrina veriſſima eſt, quinto & ſexto præcepto prohiberi non ſolum actus externos, ſed etiam internos, ac proinde ſolicite cuſtodiendæ ſunt cogitationes internæ maximeque refrænandæ, *tract 14 diſc. 18 per totum.*

*Audiſtis quia dictum eſt antiquis. Non occides; Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, &c.* Non abſque cauſa & fundamento Dominus tam rigide hic procedit, ut non tantum novæ ſuæ legis profeſſoribus manifeſtum prohibeat homicidium, ſed etiam occultiſſimam cordis iram, quia major eſt ſanctitas & perfectio legis Evangelicæ, *tr. 1. diſc. 7. n 3.* Item quia lex gratiæ longe eſt amabilior & ſuavior lege Moſaica, *tr. 16. diſc 10.* Differentiam verò utriuſque legis vid. *tr. 5. diſc 8. n. 9.*

*Ego autem dico vobis, omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Iterum dico, ut ſuperiori explicatione dictum eſt; Non prohibet tantum Dominus homicidium formale & externum, ſed etiam vult cor noſtrum ab omni odio liberum, & os verbis ſuaviſſimis refertum. Item totos nos vult charitate proximi ornatos, idque non immerito; magna enim cum facilitate, delectabilitate & lucro debito fraternæ dilectionis ſatisfacere poſſumus, *tract. 5. diſc. 10.*

*Si ergo offers munus tuum ad altare, &c.* Mira hæc lex eſt; Si offerens munus ante altare recordetur injuriæ proximi, jubet ſanctiſſimus magiſter, prius abire & reconciliari fratri offenſo. Quid, annon, amor Dei primo loco ſtatuendus eſſet, quomodo ergo præcipit, ut prius pergat fratri ſuo ſatisfacturus? Voluit ibi Chriſtus oſtendere, primo quidem loco ſtatuendum eſſe amorem Dei; ſed neque illum ſubſiſtere poſſe ſine amore proximi, *tr 5 diſc 2 per totum.*

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

C*Um turba multa eſſet cum Jeſu, nec haberent quod manducarent. Marc.* 8. Coincidit hoc miraculum omnino cum eo, quod nobis Evangeliſta Joannes cap. 6. deſcribit, ubi Chriſtus Dominus quinque millia hominum quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus pavit. Unde cum conveniant hæc duo Evangelia in myſterijs, ad Dom. 4. Quadrageſimæ benevolum Lectorem remitto, ubi id ad longum pertractatum eſt.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

A*Ttendite à falſis Prophetis. Matth.* 7. Hoc unicuique fidelium eſſe dictum conſtans eſt Patrum ſententia, Chryſoſtomi, Hilarij, Anſelmi, & aliorum. Palatius tamen vult, hanc Domini admonitionem ad Epiſcopos & Prælatos ſpectare, ut videant ac conſiderent, onus quod ſibi incumbit attendere gregi ſuo, *Tract. 3 diſc. 10 per totum.*

*Attendite à falſis Prophetis.* Hæc verba, ut jam ſuperiori expoſitione dixi, cum communi Patrum ſententia dicta ſunt unicuique fidelium, Voluit enim Dominus hoc quod ipſe bene prænoverat Satanæ ſtudium omnes præmonendo, omnibus indicare, videlicet, quod quamprimum ex auditu verbi Dei multa didicimus bona, ſtatim Diabolus allaboret, ea in nobis per ſuggeſtiones ſuas perdere, quo circa vult ut ſimus attenti, maximè verò illo tempore quo Dei ſervitio nos applicare intendimus, quia quamdiu vitijs & peccatis vacando, ipſi ſervimus bellum nullum movet; ſed quamprimum Deo famularis ejuſque doctrinam ſequeris illico omnes ſuas vires contra te impendet, *tr 19. diſc. 10. & 11. per totum.*

*Attendite à falſis Prophetis.* Sementi bonæ doctrinæ aut virtutum quam Chriſtus ſeminavit in animabus noſtris, illico Diabolus ſe opponit, potiſſimum autem per falſos Prophetas, id eſt, malos ſocios, quibus Diabolus utitur, tamquam efficaciſſimis ad nos pervertendos inſtrumentis, *tract. 17. diſc. 10. per totum.*

*Veniunt ad vos in veſtimentis ovium intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Matth.* 7. ℣. 6. Mandat Dominus, ne demus ſancta, id eſt, Sacramenta, res divinas ac arcana ſacræ Scripturæ canibus & porcis, hoc eſt, obſtinatis & perverſis hominibus. *Et converſi dirumpant vos*, hoc eſt inſurgentes contra vos ſuis iniquis factis vos lacerent, ac membratim decerpant. Et tamen ab iſtis crudelibus perſecutionibus, non mandat Dominus nos præcavere, ſicut hic præcipit à lupis, ſeu falſis Prophetis. Rationem dat D. Ambroſius lib. 6. in Hexameron cap. 6. *Attendite vobis à falſis Prophetis, Illi enim*, ait Ambroſius, *animam debilitant.* Iſti falſi Prophetæ ſeu lupi rapaces, inferunt nocumentum animæ, ſeducendo à veritate; at canes & porci *dirumpent vos*; hoc eſt veſtrum corpus lacerabunt, & in fruſtra cædent: ideo non ab iſtis, ſed ab illis jubet nos præcavere. Quia bona ſpiritualia animæ ſuper omnia temporalia corporis bona ſunt omni animi conatu affectanda & procuranda à nobis qui Chriſti ſequimur veſtigia. Indecens enim eſt quod corpus animæ præponatur. *tr. 7. diſc. 16. per totum.*

*Veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Etiam dæmones per ſimiles falſos Prophetas intelligi poſſunt, qui ſæpiſſime nobis loquuntur ut decipiant, & ſæpe veniunt induti pelle ovina, dum malitiam ſuam ſub pallio virtutis & ſanctitatis contegendo, in Angelum ſe lucis transformant, *tr. 19. diſc. 7. per totum.*

*A fructibus eorum cognoſcetis eos.* D. Paſchaſius lib. 4. in Matth ſcribit; quod iſti falſi Prophetæ quamvis veniant in veſtimentis ovium, ſuum venenum tamen produnt per mala opera; Hugo Cardinalis hæc verba ad ambitioſos trahit, dicens: *Principatus virum oſtendit: A fructibus eorum cognoſcetis eos, quando ſcilicet ſunt in dignitatibus, tunc ex fructu apparent, quales prius extiterint.* Nam multi antequam obtineant dignitatem, ſe præbent in veſtimentis ovium nequiter ſe humiliando, ut cani valeant comparare, at poſt obtentam malitia, quæ intus latebat, prodit & ſe exhibent, tamquam lupi rapaces, ut omnia devorent, omneſque mordeant, atque dilacerent, *tr. 3. diſc 3. per totum.*

*Numquid colligunt de ſpinis uvas.* Quare Dominus hic in exemplum potius adducat uvas & ficus quam alios fructus facile colligi poteſt ex D. Chryſoſtomo Hom. 19. qui ibidem per uvas & ficus unionem & charitatem adumbrari inſinuat; *Sicut enim*, inquit, *botrus multa in ſe grana ligno mediante ſuſpendet, ſic Chriſtus multos ſibi fideles per lignum crucis tenet adjunctos. Similiter & ſicut ficus multa grana uno tegmine tenet incluſa, ſic & multos fideles quodam dulci charitatis amplexu una tenet Eccleſia.* Optime ergo ad agnoſcendum fructus veri vel falſi Prophetæ ponuntur in exemplum uvæ vel ficus, quæ unionem & charitatem adumbrant. Charitas enim in proximos nos veros fideles & Chriſti diſcipulos eſſe oſtendit; hujus autem dilectionis defectus convincit nos dæmonis eſſe ſequaces, *tr. 5. diſc. 4. per totum.*

*Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Myſterium eſt, quod Dominus arbori malæ hic duplex aſſignet ſupplicium, *excidetur & in ignem mittetur*; neque tamen arbori bonæ ullum aſſignet præmium; ratio autem eſt, quia arbori bonæ ſuamet bonitas ac excellentia ſatis ſufficiens eſt præmium. Arbori autem peſſimæ duplex infligitur pœna, & merito, planta enim quæ, aut appoſito ac viſo exemplo bonæ radicis aut adhibita opera & inciſione, incurvatione, erectione, transplantatione, &c. boni ac diligentis hortulani, id eſt, ſolicita correctione prudentis ac diligentis ſuperioris non proficit, nec in optimos fructus prorumpit in ſui condemnationem omne ſupplicium parvum reputatur, unde non una, ſed duplici pœna mulctatur, Similes arbores malæ, ſunt perditæ ſalutis homines, qui correctiones aſpernantur, & nullum ex ijs fructum referunt. De quo vide *tr. 18. diſc 4. & 5 per totos.*

*Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, introibit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Jam proteſtati fuerunt diſcipuli dicentes, *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus*, id eſt, futura prædiximus: Sed mox replicat Dominus in hoc plenum ac perfectum jus ad regnum cœlorum non conſiſtere, ſed potius in vera ac perfecta charitate; unde ajebat Divus Gregorius lib. 20. Mor. cap. 8. *Probatio ſanctitatis non eſt ſigna facere, ſed proximum ut ſe diligere; de Deo vera, de proximo meliora, quam de ſe ſentire*; Hæc eſt enim voluntas Patris, *ut diligamus invicem*, omniaque Dei præcepta ad proximi dilectionem tendunt, &c. *tr. 5. diſc. 1. per totum.*

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

H*Omo quidam erat dives. Luc.* 16. ℣. 1. Homo iſte ſingulariter dives ponitur in exemplum, & recte intelligitur per hunc divitem, Deus; juxta illud Rom. 10. ℣. 12. *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Ipſe enim ſolus eſt dives, qui omnia habet & omnibus abundat, vel ut ait D. Chryſologus Serm. 125. Quis erat homo iſte, niſi Chriſtus? Quis dives niſi ipſe, qui in paupertate noſtra, totas creaturæ divitias poſſidebat, quas ille omnes ex puro amore noſtro deputavit ſervitio, ex quo varia Deum amandi perpenduntur motiva, *tr. 4. diſc 8 per totum.*

*Homo quidam erat dives.* Hanc parabolam Chriſtus avaris divitibus propoſuit, eorum optans hoc modo procurare ſalutem, volens ijs ad nimium erga divitias tollendum affectum, oſtendere quantis curis, ærumnis & anxietatibus ſubjecti ſint, *tr. 8. diſc 25. per totum.*

*Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Varij varie hoc nomen Villicus interpretantur; & quidam D. Gaudentius lib. ad Germinum Diabolum interpretatur, ſed non ſatis apte ad parabolam. Tertullianus lib. de fuga & perſecut. Villicum populum Judaicum debitores verò Gentiles eſſe autumat. Alij Epiſcopos & Prælatos qui domus Dei curam gerunt & adminiſtratores ſunt, intelligunt, maxime placet, ea, quam adferunt, Ambroſius, Chryſoſtomus, D Auguſtinus, &c ſententia, qua dicunt denotari in villico homines divites, quibus Deus divitias in pauperum uſus diſpenſandas tradidit; Bonorum enim temporalium ſufficientia homini bene congruit, ſuperfluitas autem condemnatur, niſi inter egenos ea quæ ſuperfluunt diſtribuantur, ad hoc enim divites obligantur, &c. *tr. 8 diſc. 18. per totum.*

*Et hic diffamatus eſt apud illum quaſi diſſipaſſet bona illius.* Simon Caſſianus lib. 6. c 13. in hunc locum ſic ſcribit: *Divitiæ non ſolum, ait, poſſidenti, ſed etiam diſpenſatori factæ ſunt cauſa peccati, ut raro & difficulter ſit poſſidere divitias, quin inducant in animarum pericula contrectatores*; Divitiæ ſunt pondus quo animæ in æternæ proditionis barathrum detrahuntur, *tract. 8. diſc. 5 per totum.*

*Et hic diffamatus eſt apud illum.* Quæſtio eſſe poteſt, à quibus villicus hic ſit diffamatus? reſpondet Dionyſius Carthuſianus hanc diffamationem ſeu accuſationem apud Deum ſeu ipſum Chriſtum fieri per ipſam infallibilem & omnia intuentem Dei ſapientiam. Sic etiam diffamatur peccator per propriæ conſcientiæ remorſum; Nam licet ille villicus eſſet per bona Domini ſui in aliqua proſperitate conſtitutus, tamen etiam inter proſperitates maximas, mala cruciat conſcientia, *tr. 15. diſc. 25. & 26. per totos.*

*Redde rationem villicationis tuæ.* Cuilibet homini reddenda erit

erit ratio villicationis ſuæ bonorum ſcilicet naturæ & gratiæ. De quo vide *tr.8.diſc.13.*

*Quantum debes Domino meo.* Merito ſeipſum & animam ſuam quilibet alloquatur, quantum debes gratitudinis, ſervitij & fidelitatis Domino Deo, qui te infinite amavit, ad ſuam ſimilitudinem & imaginem efformavit, innumeris alijs beneficijs tam corporalibus quam ſpiritualibus ditavit & ditat, etiam poſt tot reiteratas tuas prævaricationes, &c. *tr.4. diſc.6.& 7.*

*Quantum debes Domino meo?* Plurimum utique & infinitum Domino debemus, ipſe nihilominus adeo bonus eſt, ut nil à nobis niſi cor noſtrum & amorem ſui depoſcat, *tract.7. diſc.13.tr.4.diſc.1.& 15.& 17.*

*Jam enim non poteris villicare.* Rigida valde & auſtera hæc ſententia Jam non poteris villicare. Siccine igitur ò Domine tuum intimum familiarem ac familiæ tuæ adminiſtratorem à te rejicies? Sed cauſa eſt, quia qui fidelis reputabatur deprehenſus eſt iniquus ſervus & malus diſpenſator. Non ergo mirum quod Dominus tam ſevere eum à ſe dimittat, omnes enim reſpectus amputandi ſunt, omniaque prætermittenda; ut homo malum ſervum malum ſocium à ſe dimittat atque excludat; Malos enim utpote animæ pernitioſos, ad Chriſti multorumque Dei ſervorum exemplum devitare oportet etiam repugnante ſenſu, *tr.17.diſc.12.per totum.*

*Ait autem villicus intra ſe, quid faciam.* D. Bonaventura ait: Timor judicij ſolicitat mentem ad procurationem ſubterfugij, ideo videns villicus ſe eſſe judicandum, requirit remedium. *Ait autem intra ſe.* Non ſe excuſat ne crimen negat, ſed culpa convictus ſe reum agnoſcens cogitat de remedio. Servit hoc contra eos, qui in confeſſione ſtatum nituntur occultare conſcientiæ propriæ, & abſcondere vel negare peccata ſua, *tr.15.diſc.15.per totum.*

*Fodere non valeo, mendicare erubeſco.* In hæc ultima verba pulchre ſcribit D. Petrus Chryſologus Serm.125. *Confuſionem,* ait, *futuri judicij pertimeſcit, in quo jam non pœnitendi tempus eſt, ſed pœnarum, & ubi reus plus de conſcientia, quam de Gehennæ erubeſcit incendio.* Quis ò miſer homo te in tantas anguſtias redigit, ut jam de præſenti dicas: Mendicare erubeſco? ſolum ad reddendam rationem vocaris, nondum aliqua pœna impoſita affligeris. Cur ergo tanto rubore mendicandi conturbaris? plus ſane torquebatur ipſa conſcientia criminum quam omni gehennali incendio, intolerabilior ſane conſcientiæ cruciatus, quam omne inferni ſupplicium, *tract.15. diſc.26. per totum.*

*Quantum debes Domino meo? At ille dixit centum cados olei; deinde alij dixit; Tu verò quantum debes? qui ait centum coros tritici.* Tam oleum quam triticum charitatis eſt Symbolum; cum igitur ſervi iſti Domino ſuo nihil debuerint præter oleum & triticum, ſignum eſt, nos quoque nihil ei debere præter charitatem, *tr.4.diſc.1.2.& 17.* Solve tributum amoris & Domino noveris eſſe ſatisfactum, *tr.4.diſc.2.n.2.*

*Accipe cautionem tuam, & ſede cito: ſcribe quinquaginta.* Convocatis debitoribus Domini ſui non omne debitum dimiſit villicus, ſed aliquam partem; nam ei qui centum olei cados debebat, dixit, *ſcribe quinquaginta*, & ei qui centum coros tritici debebat, dixit, *ſcribe octoginta.* Allegoricè. Dæmon villicus iſte erat, qui hanc machinatur artem, ut non ſtatim ad omnia præcepta transgredienda perſuadeat; nam ſi in exordio ſuæ tentationis in omne ſcelus præcipitaret, illum homines exhorruiſſent: Sinit ille aliqua virtutum opera exercere ac ſolvere, & ad violanda tantummodo quædam præcepta provocat, quia minimus ad animam noſtram aditus dæmoni ſufficit, ut deinceps omnem ſuam malitiam in ipſam infundere poſſit, &c. *tr.19.diſc.8.per totum.*

*Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudentiores ſunt filij hujus ſæculi quam filij lucis in generatione ſua.* Dolendum eſt, videre prudentiam, diligentiam & anxietates miras, quibus filij hujus ſæculi terrenis hiſce lucrandis incumbunt, quæ tamen Salomone teſte ventus ſunt & aura, *tr.8. diſc.31.per totum.*

*Prudentiores ſunt filij hujus ſæculi filijs lucis.* Craſſiſſimæ ſunt tenebræ quibus ſæculum hoc immergitur; cum enim tam facilia ſint, maximique pretij Dei dona bonaque cœleſtia, non tamen ſtudent illa lucrari & omne ſtudium in terrenis acquirendis collocant quæ maximas involvunt difficultates, unde merito reprehenduntur, *tr.10.diſc.19.per totum.*

*Ego dico vobis facite vobis amicos de Mammona iniquitatis.* Dicuntur divitiæ Mammona iniquitatis ex multiplici ratione. Primo divitiæ dicuntur iniquæ, quia ſunt cauſa, occaſio, ac irritamenta multorum malorum ac peccatorum, *tr.8.diſc.2. per totum.* Secundo divitiæ faciunt homines inſolentes iniquos ac pravos; nam illi qui alias erant mites ac boni, divitijs fiunt ſuperbi ac feroces, ſunt itaque divitiæ ſpecialis quidem laqueus dæmonis, *tr. 8. diſc. 4. per totum.* De hoc autem Mammona iniquitatis tunc nobis, amicos facimus quando bona temporalia alijs ultro ceſſerimus, *tr. 8. in diverſis diſcurſibus præſertim, diſc.16.17.& 18.*

*Ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Jubet Dominus de Mammona iniquitatis facere amicos, ad hoc ut cum defecerimus, id eſt, vita hac defuncti fuerimus ob eleëmoſynas datas præſtent nobis auxilium in receptione ad æternam vitam; ſed non jubet per quantum hos nobis facere debeamus amicos, ad docendum nos, à multis parum pro cœlo expendi, quia Deus illud à nobis pro illo acceptat quod habemus, etiam ſolam bonam voluntatem, ſi plura dare nequeamus &c. *tract.10.diſc.30.per totum.*

## DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

*Videns Jeſus civitatem flevit ſuper illam.* Contigit hoc quando jam triumphabundus ſedens ſuper aſinam ducebatur in Jeruſalem; videns autem civitatem, deſcendentibus enim è monte Oliveti occidentem verſus proxima Jeroſolyma tota erat in proſpectu, viditque illam, ut inquiunt D. Bonavent. & Cardin. Hugo, non tantum oculis corporis, ſed etiam pietatis affectu. Et quidni ex pietatis affectu fleret propter innumerabilium animarum interitum, quem prævidebat; qui propter unicum Lazarum adhuc ſalvandum, infremuit Spiritu, turbavit ſemetipſum & lachrymatus eſt, *tract.7. diſc.12.n.9. Item diſc.10.n.12.*

*Videns Jeſus civitatem flevit ſuper illam.* Cardinalis Cajetanus & fletum & triumphum ponderans, ait, *Vide quam charam habeat Jeſus hujuſmodi gloriam, inter tot honores ſedens ſuper aſinum flet; non extollitur, non magni facit honores qui fletum non continet.* Inter lætas Regem illum acclamantium gratulationes, flens ac mœrens ibat; ſic honoribus cruciabatur, ut triſtia & amara in illis meditaretur, quæ fletum moverent ac excitarent. Volens oſtendere quo cum affectu & nos honores ambire debeamus, eos non magnifaciendo cum omnia moleſtiarum ac periculorum genera in ijs occurrant, *tr.3. diſc.17.per totum.*

*Videns Jeſus civitatem flevit ſuper illam.* Fuerat illud excidium ac devaſtatio per Romanos facta, non ſolum civitatis Jeroſolymitanæ, ſed totius regni, cur ergo piiſſimus Jeſus ſolum civitatem deplorat? Rationem hujus nobis offert Origenes, Hom.38.in Levit. *Nemo Gentilis*, inquit, *fletur; ſed ille qui fuit de Jeruſalem: quod poſt peccata circumdent eam inimici, & lapidem ſuper lapidem non relinquant; maxime ſi poſt multam continentiam, poſt annos virtutis victus quis fuerit vitiorum blandimentis.* Non deflet Dominus ſuper gentium civitates, ſed ſuper Jeruſalem. Nemo enim Gentilis fuerat in virtute, à qua receſſerat; & ſi aliæ Judæorum civitates ſub lege fuerint, nulla tamen in juſtitia ac ſanctitate ita reſplenduit, ut Jeruſalem, unde maxime deplorandum, quod poſt tot virtutes ſe tradiderit turpitudini vitiorum quæ maxima certe miſeria, unde virtuoſis & perfectis pericula fugienda ſunt, neque de proprijs viribus nimium præſumendum, alias enim in medijs occaſionibus miſere corruent, *tr.9. diſc.16.per totum paucis mutandis.*

*Quia ſi cognoviſſes & tu &c.* Non objicit Dominus Jeroſolymæ ſcelera & peccata, ſed ſolum ignorantiam, eo quod non cognoverit, quæ illi ſunt ad pacem & ſalutem. Ignorantia enim ſalutis & exilis nimium æſtimatio qua animam appretiamur, ex modica animæ oritur notitia, & hæc ignorantia omnium malorum cauſa eſt & origo, *tr.7.diſc.1. per totum.*

*Quia ſi cognoviſſes & tu, &c.* Flet Chriſtus non ruinam civitatis materialis, ſed ſpiritualis, qui non dolet toto etiam pereunte mundo; ut doceret animam quamcumque univerſo præferendam mundo, dans animam ſuam pro anima unica, & non pro mundo toto, *tr.7.diſc.19.n.1.*

*Et quidem quæ ad pacem tibi.* O utinam cognoviſſes eum, qui tibi nunc venit, & ſe tuis tradit manibus ad pacem tibi; ille enim eſt qui miſericordias tibi adducit, & beneficia quæ quidem Deus magis in redemptione nobis oſtendit quam in creatione, *tr.4.diſc.10.*

*Et quidem quæ ad pacem tibi.* Merito teipſum lugeas ò Chriſtiane, quod cum tanta fecerit ad pacem tibi ad juſtificationem & ad præſervationem à multis peccatis & periculis ea tamen non conſideres; cum multis titulis te ad Dei amorem obligent, *tr.4.diſc.12.per totum.*

*Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Hæc Sanctorum eſt fœlicitas, quod oculos habeant quæ cuncta manifeſtent, nec res ſuperficie tenus tantum contemplentur, ſed ut in ſe ſunt, ſub labore ſcilicet quietem, ſub cruce gloriam; ipſi enim in cœlum oculos fidei dirigentes, omnia quibus hic in terris frui poſſunt, facile contemnunt, *tr.10.diſc.14. per totum.*

*Et ingreſſus in templum cœpit ejicere vendentes in illo; & ementes.* Fuſis lachrymis ſuper civitatem Jeruſalem, ea ipſa die Palmarum ut vult D. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſ. Evangel. licet neget Janſenius; Ingreſſus eſt Jeſus in templum, neque tamen ſine ratione, ſine myſterio: quia ut inquit Galfridus apud Tilmannum in Allegorijs: *Si advertimus, ait, quomodo cœpit Jeſus ejicere ementes & vendentes de templo, mirum ſi non lugemus; qui tam multos etiam nunc in Eccleſia vendentes & ementes videmus. Liquet enim quod ob Avaritiam maxime eorum qui in templo negotiabantur, imminere ei civitati excidia videbantur, quando poſt lachrymas & quærelas illi potiſſimum ſunt ejecti.* Hoc verò fecit Jeſus ut denotaret, quod populorum ruina, animarumque jactura ac perditio à templo profanato atque Sacerdotum avaritia naſcitur, *tr.20.diſc.14.per totum. Item diſc.12.& 13.per totos.*

*Cœpit ejicere vendentes & ementes.* Pulcherrimum venerabilis Beda ad cap. 21. hic præbet documentum: *Si Dominus*, ait, *nec ea volebat venundari in templo, quæ in templo volebat offerri, quanta putas animadverſione puniret; ſi inveniſſet ibi aliquos riſui vel vaniloquio vacantes aut alij cuilibet vitio mancipatos? ſi enim ea quæ alibi libere geri poterant, Dominus in domo ſua geri non patitur, quanto magis ea quæ nuſquam fieri licet?* Chriſtus Dominus verbo & flagello è templo propulſavit, vendentes & ementes. Quid autem de impudice loquentibus ſentiendum? de quibus teſtatur D. Chryſoſtomus Hom.24.in acta dicens: impudicè loquentes ſeu irridentes in templo digni ſunt, ut non verbere, ſed fulmine de cœlo feriantur, *tr.20.diſc.17.per totum.*

*Domus enim mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Templa Deo ad orationem & ſervitium ſunt conſecrata, & ideo in ijs Deus ſupplicationes noſtras facilius exaudit: quod ſi verò in illa orantes interdum à Deo non exaudiamur id fit, vel quia impertinentia petimus, vel quia domum Dei latronum facimus ſpeluncam, *tr.20.diſc.4.per totum.*

## DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

*Duo homines aſcenderunt in templum ut orarent, unus Phariſæus & alter Publicanus. Luc.* 18. Duo homines aſcenderunt, ambo pietatis ſtudium præ ſe ferentes, longe tamen mente diſpares erant, & ideo unus publicanus exauditus, alter vero non exauditus fuit, quia charitas deficiebat, ſine qua nullum opus Deo placere poteſt, *tr.4.diſc.3.& tr.5.diſc.2.*

*Aſcendunt in templum ut orarent.* Non erat aliud amborum horum negotium, quam ut orarent; debemus enim intrare in Eccleſiam ad orandum, ut notant D. Bonavent. Carthuſianus, & alij. Ipſe enim Salvator, ait, *domus mea domus orationis eſt*, Non enim eſt intrandum ad Eccleſiam ad fabulandum ac aſpiciendum. Merito ergo perſtringuntur ij qui ad Eccleſias ſe recipiunt, ut cordis ſui carnalia deſideria foveant, quique per incautos obtutus, alioſque actus impuros eaſdem profanant, *tr.20.diſc.16.per totum.*

*Aſcenderunt in templum ut orarent.* Voluit Deus nobis eſſe vicinus, domumque ſuam inter noſtras collocare, ut neceſſitatibus oppreſſi domum illius noſceremus & quo nobis eſſet recurrendum: unde proprie templum dicitur eſſe domus, ubi Deus habitat; quo circa locus omni reverentia dignus, *tr.20. diſc.2.* Atque ex præſentia Angelorum terribilis: ubi etenim rex eſt, ibi eſt & curia, *tr.20.diſc.3.per totum.*

*Deus gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri hominum; raptores, adulteri, &c.* Non poterat Deo hæc placere oratio; quia ut recte notavit Theophylactus: *Gratias habeo tibi, quia feciſti me abſtinere ab injuſtitia, & ab adulterio. Sed quomodo? Non ſum; ſibi ipſi attribuit bonum.* Quod præſertim in materia carnis periculoſum eſt, continentia enim ſpeciale Dei donum eſt, quod proinde non per induſtriam noſtram acquiritur, ſed à Deo liberaliter nobis conceditur; Et ideo propter illud alij eo carentes minime à nobis ſunt contemnendi, velut hic Phariſæus contemnebat publicanum, *tract.14.diſc.17. per totum.*

*Non ſum ſicut cæteri hominum injuſti, raptores, adulteri.* Valde ſuperbus ſtat Phariſæus ille & maledicta in omnes evomit. Dicebat enim, *non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, adulteri.* Lingua, inquit, D. Zeno in Pſalm. 130. *Lingua intonat, caretque numquam veneno ſerpentis.* Lingua loquitur Phariſæus, ac proinde neſcit ipſa nemini parcere, ſed omnes injuriare ac offendere, in omneſque ſerpentis venenum effundere. Omnino cum cæteris maledicis jure merito cum animalibus venenatis, crudelibus, deformibus ac immundis comparandus, utpote quibus variæ illorum competunt proprietates, *tr.21.diſc.7.per totum.*

*Jejuno bis in Sabbatho.* In Sabbatho, id eſt, in hebdomade, cum ergo Phariſæus ſe jejunatorem dicit, caſtum etiam ſe oſtendit, carnis etiam concupiſcentia prævalere non poteſt ubi jejunium regnat. Jejunium enim luxuriam deſtruit ac caſtitatem induit, *tr.1.diſc.9.10. per totos.*

*Jejuno bis in Sabbatho.* Optime præmiſſum eſt, explicatione præcedenti de jejunij effectu quoad corpus & animam; bene ſubjungitur nunc quod de hujus Phariſæi jejunio D. Chryſologus Serm. 7. cum Phariſæo loquens, ait; *Enataſti jejunij pelagus, & in ipſo portu jejunij naufragaſti, quia non comparaſti lucrum, ſed mercatus es vanitatem.* Jejunaverat homo, & tamen reprobatur, de jejunio enim non utilitatem animæ, ſed oſtenſionem captare ſatagebat, Jejunium enim non ob vanam gloriam, ſed libenti animo fieri debet, *tr.1.diſc.2 quidem per totum, ſed magis circa finem.*

*Et publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Contrarium hic publicanus ſe præbet Phariſæo, qui quid ſuperbus erat publicano ſupereminere volebat, quod proprium eſt ſuperborum, prout videre poteris, *tr.3.diſc.1.2.&c.* Aſt humiles & veri Dei ſervi, qualis erat publicanus, ſeſe omnino indignos reputant, atque ex hoc motivo ſe maxime dignos reddunt, juſtificati enim cum publicano deſcendunt, *tr.3. diſc.14.& 15.* Item ſuper illud Thema: *Nolebat nec oculos in cœlum levare. Vid.tr.8.diſc.20.n.6.*

*Et publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Ecce verus pœnitentis habitus deſcribitur in publicano, trepidus, timidus cunctatur, non audet accedere, & decurvata cervice verecundia plenus non audet oculos in cœlum levare. Sic ante illum Eſdras 1.c.9.℣.6. Deum precaturus dicebat: *Deus meus, confundor & erubeſco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt.* Bene hic per publicanum confunduntur illi, qui ſine ea quæ Deo ſumme placita eſt & pœnitenti maxime utilis, & non minima ſatisfactionis pars eſt, verecundia confitentur, *tract.15.diſc.21.per totum.*

*Sed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* D. Auguſtinus Serm.8.de verb. Domini, in hæc verba ſcribit: *Publicanus à longe ſtans*, ait, *percutiebat pectus ſuum; Tundere autem pectus, quid eſt, niſi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulſu caſtigare peccatum?* Stat publicanus à longe, non excuſans ſua peccata, ſed omnia confitens, non ſolum patentia, ſed etiam occulta & abdita. Ingenua enim confeſſio ſine excuſationis ambitu, patentia ac occulta fatetur flagitia, ut pro omnibus aſſequatur ſanitatis medicamentum, *tr.15.diſc.16.15.12.per totos.*

*Amen dico vobis deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam.* Cur hic publicanus potius quam ille Phariſæus? Reſpondet D. Zeno Veronenſis Serm. 1. in Pſalm. 13. *Publicanus enim*, ait, *non membratim, ſed totus exorat: quia timore totus eſt humilis, ſua peccata conteſtans, ſecundùm Domini dictum, à quo procedunt univerſa genera peccatorum, pectus crebro percutiens, quodammodo cor ſuum manu verecunde caſtigat.* Opponitur publicanus Phariſæo; nam Phariſæus membratim oculis, manibus ac voce ſeſe Deo offerebat, cor tamen ſibi retinebat. At publicanus non membratim, ſed ipſum cor Deo, à quo dimanat quidquid in noſtra vita eſt totum Deo dabat. Deus enim totum cor noſtrum habere deſiderat, *tract.4.diſc.14.per totum.*

*Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Bene dicitur, qui ſeipſum exaltat humiliabitur; non verò qui exaltatur; aliud enim eſt honores & gradus quærere, & aliud non quæſitos imo contemptos admittere: ubi enim non honor, ſed honoris & prælaturæ reprobatur ambitio, *tr.3.diſc.15.per totum.*

*Qui ſe humiliat exaltabitur.* Illi qui dignitates fugiunt & accipere detrectant, illis accipiendis digniores & aptiores fiunt, *tr.3. diſc.14.per totum.*

## DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

*Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galileæ, &c.* Duo hic objicit Janſenius, quæ nobis ad utiles materias pertractandas viam ſternunt. Primo quomodo Chriſtus venerit per Sidonem, qui prohibuerat Apoſtolis gentium civitates ingredi? Ideo autem Chriſtus prohibuerat Apoſtolis has ingredi civitates, quia licet Apoſtolorum eſſet officium gentes convertere, quia tamen boni cum malis converſando citius pervertuntur quam convertant, hinc ad gentes eos divertere noluit, *tr.17.diſc.5.* Ad objectionem tamen reſpondetur quod Dominus ſolum tranſierit, vel per Sidonem vel tantum loca propinqua Sidoni. Sic quoque tranſire, id eſt, fugere debemus mala conſortia, *tr. 17. diſc. 12.* Secundo objicit Janſenius: Quomodo egreſſus de finibus Tyri per Sidonem iter inſtituit ad mare Galileæ, à quo tamen Sidonem longius multo abeſſe conſtat quam Tyrum? Reſpondetur quod divinus magiſter non parcebat ſuo labori ac itineri, ut noſtro commodo conſuleret & ſaluti, & ideo forte per Sidonem inflexit iter, ut per viam aliquos lucrifaceret. Ad animandum nos quoque in ſtudio lucri animarum, *tract.7.diſc.14.*

*Venit per Sidonem ad mare Galileæ inter medios fines Decapoleos.* Euſebius Emiſſenus Homan Dom.12.poſt Pentecoſten ait: quod ſicut Pentapolis à quinque ſic Decapoleos à decem civitatibus nominatur. Nam ut obſervant omnes & recte notavit D. Anton. Ulyſſipon. Decapolis dicitur à decas, quod Græce eſt decem; Polis quod Græce eſt civitas ac proinde decapolis eſt regio decem urbium. Et conſtituto ibidem Domino: Adducunt ei ſurdum & mutum. O quam bene, inquit, D. Petrus, *qui pertranſiit omnes benefaciendo!* nam confinia Tyri & Sidonis ingreſſus præſtitit miſericordiam, & ingrediendo & egrediendo Galileæ provincias ſimiliter facit; nam quocumque ſe vertat Dominus, & quocumque nos vertimus per communicata nobis beneficia amorem noſtrum erga ſe extimulat, *tr.4.diſc.7.per totum.*

*Adducunt ei ſurdum & mutum.* Venerabilis Beda hoſce adducentes deſcribens, amicos & conſanguineos hujus hominis fuiſſe affirmat; Alij verò de turba fuiſſe dicunt, & inde maxime laudandi, quia charitatis affectum huic miſero non denegarunt; & certe laudabilis hic populus, qui ſaluti proximi ſic proſpicit: nam ſicuti diſcipuli dæmonis proprijs tantum ſtudent commodis, ita Dei diſcipuli ſalutem promovent etiam alienam, idque ex veræ charitatis motivo quæ nos veros fideles eſſe oſtendit, illius autem defectus convincit nos dæmonis eſſe ſequaces, *tr.5.diſc.4.per totum.*

*Adducunt ei ſurdum & mutum.* Non conſtat fuiſſe dæmoniacum, licet id exiſtimet Theophylactus. At ſi hoc ita eſſet Evangeliſta expreſſiſſet, ut in alijs miraculis id fieri ſolet à ſacris Scriptoribus, cum dæmonis ejectio maxime ſpectaret ad miraculi commendationem. Magnæ tamen hæ ſunt corporis infirmitates, ſed majores animæ; inſigne malum eſt ſurditas animæ, ſed nec minus linguæ privatio, ejus etenim ſalus in loquendo conſiſtit per confeſſionem. *Vide quæ diximus de Muto in Dom. 3. Quadrageſimæ.* Inſuper Surdaſtros ad audiendum verbum Dei nos efficit proſperitas temporalis, *tr.8. diſc.13.per totum, unde autem hic dicatur ſurdus. Vid. tract.8.diſc. 13. n. 15.*

*Et deprecabantur eum ut imponat illi manum.* Pulchre nec minus pie in hunc locum ſcribit Simon Caſſianus, lib.5.cap.25 *Habet autem*, ait, *quid occulti myſterij, & moralis, quod manus experitur imponenda, & eadem manus ſit plaſmans & liberans.* Bene enim conſcij erant viri iſti, quod Deus in primo molimine rerum ſuis manibus è pulvere terræ, hominem in elegantem Dei imaginem formaverit: petunt ergo, ut ipſasmet manus admoveat, ut hominem à tanta infirmitatis oppreſſione liberet, ſciebant enim quod Deus illius quod creavit magnam ſolet gerere curam, illud amare, in illo quaſi thronum & Paradiſum collocare, nec non multis donis cumulare, *tr.7.per varios Diſcurſus. Maxime vero, diſc. 2. 7. 10. 11.*

*Apprehendit eum de turba ſeorſum.* Carthuſianus. *De turba ſeorſum*, ait, *vel quia digna non erat videre myſterium hujus miraculi, vel ad deſignandum quod ſpiritualiter ſurdi & muti ſecrete admonendi ſunt & docendi, ne ex humano rubore retrahantur ab advertentia & pœnitentia.* Publica enim reprehenſione homo aliquando fit impudentior & obſtinatior; ſeorſim admonendus eſt, ne verecundia afficiatur, qua hebes & tardus fiat ad pœnitentiam, *tr.81.diſc.10.per totum.*

*Apprehendit eum de turba ſeorſum.* Ceremoniæ quibus Dominus utitur omnes ſua continent myſteria. Prima quod illum à turba ſeorſum ducat, intellige ſi Domini quæras gratiam ad animæ tuæ ſalutem conſequendam, neceſſe eſſe vel parum te à turba, id eſt, à bonis terrenis & voluptatibus ſequeſtrandum, ſiquidem anima in bonis hiſce terrenis perditur, &c. *tr.7.diſc.18.per totum.*

*Miſit digitos ſuos in auriculas ejus.* Prudentem ſane medicum hic ſe exhibet miraculi patrator Dominus Jeſus, qui digitos ponit, ubi malum regnat, quaſi aut mali naturam amplius inquirens, aut malum ipſum infirmo manifeſtans; ad exemplum ſpiritualium medicorum ſeu confeſſariorum, qui ſimiliter facere tenentur in cura animarum. Talis igitur ſemper tibi eligendus erit, qui compaſſione, prudentia, dexteritate, vitæ integritate, ſcientia, multiſque alijs qualitatibus præditus ſit, *tr.15.diſc.27.per totum.*

*Expuens tetigit linguam ejus.* Lingua particularem requirebat medicinam; expuit enim, ob horrorem malorum quæ lingua ſuſcitare ſolet, digito utitur ut refrænet, maxime dum ad blaſphemias aliquando excitanda eſſet, tunc enim illam digito juſtitiæ ſuæ comprimendam eſſe docere voluit: Blaſphemi enim linguam ſuam in cœlum ponere, & contra Deum ſe erigere non dubitant, &c. *tr.11.diſc.2.per totum.*

*Suſpiciens in cœlum ingemuit.* Merito cœlum contemplans hoc miraculum operatus eſt Dominus, nempe ad Patrem ſuum reſpiciens regnantem in cœlo, à quo ut à fonte omnia noſtra bona, omniaque malorum fluunt medicamenta; Ingemuit autem Salvator, conſiderando, quod cum tanta bona in cœlo nobis reſerventur; temporalia nihilominus pluris à nobis fiant quam æterna, *tr.7.diſc.1.& 16.17.18. Item tr.10. diſc.19.per totum.*

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

B*Eati oculi qui vident quæ vos videtis. Luc.*10. Non hic loquitur Chriſtus de viſu ſpirituali fidei, de quo quondam locutus eſt Thomæ Apoſtolo, dicens: *Quia vidiſti me Thoma credidiſti; Beati qui non viderunt & crediderunt*, Joan.20.℣.29. Sed loquitur de ſingulari privilegio ac inſigni beneficio per reſpectum ſimpliciter ad Chriſti præſentiam, qua illum ut verū Meſſiam & Dei filium non viderant, ſed divina fidei revelatione crediderunt, & ideo valde beati dicuntur; quia oculo corporis ac mentis eum intuiti ſunt: Si igitur in mortali corpore Chriſtum videntes beati dicuntur, quam non magis Beati ſunt nunc cum illum in eſſentia Deitatis contemplantur, in qua omnigena pulchritudo videtur, *tr.10.diſc.7.*

*Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Videbant Chriſtum æque Judæi quam Apoſtoli, & tamen hi præ illis beati dicuntur; aſt videbant Apoſtoli ſub illa carnis larva animarum noſtrarum ſalutem, videbant mirabiles inventiones quibus Chriſtus uſus eſt, ut magis pro nobis pateretur, videbant quomodo corpus aſſumendo paſſibile redimere nos voluit; Quod Judæis quidem ſcandalum gentibus autem ſtultitia reputabatur. Et idcirco Apoſtoli præ illis beati dicendi ſunt, *tr.4.diſc.10.*

*Et ecce quidam legiſperitus ſurrexit tentans eum.* Quamquam hic D. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſ. Evangeliſt. cap. 73. exiſtimet fieri potuiſſe, quod bono animo acceſſerit iſte legiſperitus, tenendum tamen eſt cum D. Baſilio Hom. in divites avaros & alijs, quod ficto & doloſo animo acceſſerit, non ut diſceret, ſed ut tentaret in quo Dæmonis vices ſubiit, qui per inſidias nos aggreditur, cuique proprium eſt tentare, *tr.19.diſc.3.per totum.*

*Et dicens: Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo.* Pulchra quæſtio; niſi per malam quærentis intentionem vitiata eſſet; illa enim deberet eſſe prima noſtra ſolicitudo quomodo vitam æternam poſſidere poſſimus, ut ex hoc facilius vitam hanc miſeram conſolationesque terrenas contemnere diſceremus; conſideratio enim & ſpes bonorum cœleſtium vanitatem nobis indicat bonorum terrenorum, &c. *tr.10.diſc.18.per totum.*

*Et ille reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum ſicut teipſum.* Ecce quam brevis lectio, quam breve compendium totius legis; ſcilicet amare Deum ſuper omnia & ſine modo, & proximum ſicut teipſum, hoc eſt, cum modo; In hoc enim tota lex eſt, & Prophetæ, unde præceptum charitatis primum & maximum nominatur, quia omnes leges & præcepta ad charitatem diriguntur, &c. *tr.4.diſc.2.per totum.*

*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.* Per multa hic legisperitus extendit amorem Dei; ſenſus autem in omnibus illis eſt, ut ſcilicet Deum diligas ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, ut omnia ejus præcepta adimpleas. Sicut enim Deus in ſe eſt unus, & in plures non diviſus, ita & amor noſter in plures Deos non ſit partiendus, ſed unico & integro affectu in ſolum Deum ordinandus, *tr.4.diſc.14.per totum.*

*Dixit illi recte reſpondiſti, hoc fac & vives.* Quæſierat legisperitus, *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Præpoſitæ interrogationi ſatisfacit Dominus. Et non ait, hoc cogita, dic, vel ſcribe, ſed *fac*: Non enim ſufficit ſcire vel dicere, ſed facere, nec tantum ſcire quid mandaverit Dominus, ſed obſervare quod hic idem importat ac facere. *Et tunc vives*, non quacumque vita, ſed vita æternum beata. Sola enim præceptorum obſervantia ad beatitudinem acquirendam ſufficit, &c. *tr.10.diſc.27.per totum.*

*Ille autem volens juſtificare ſeipſum; dixit ad Jeſum: Quis eſt meus proximus?* Poſtquam divinus Magiſter primæ quæſtioni, propriam legisperiti reſponſionem approbando, eidem ſatisfeciſſet, hic aliam ſubinfert petendo, quiſnam igitur eſſet ſuus proximus, ad quod quidem abſolute Dominus Jeſus non reſpondet, ſed longam ſubinfert parabolam per quam hoc eidem demonſtret, nulli parcens doctrinæ ad hoc ut unionem & charitatem in proximos procuret, pro qua tamen unione procuranda multa alia opera fecit Jeſus, *tr. 5. diſc. 8. per totum.*

*Suſpiciens autem Jeſus dixit: Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones.* Allegorice, homo iſte adumbrat Adamum ſeu genus humanum in eo, qui incidit in latrones, hoc eſt, dæmones, qui ſpoliaverunt eum divina gratia, virtutibus ac excellentijs & peccatorum affecerunt vulneribus: Hoc enim eſt ſolum opus Dæmonis, cujus tota potentia in ſolo peccato conſiſtit, ſine quo nihil adverſum nos facere prævalet, *tr.19.diſc.12.per totum.*

*Qui etiam deſpoliaverunt eum & plagis impoſitis abierunt, ſemivivo relicto.* Poſtquam Diabolus genus humanum veſte gratiæ deſpoliaſſet, multiſque pœnis & ſupplicijs è peccato provenientibus ſubjeciſſet, reliquit ſemivivum ſeu ſemimortuum, quia corpus non occiderunt, ſed animam, nam mortaliter delinquens ſemivivus eſt, ſecundùm corpus vivit, ſecundùm animam mortuus eſt, *tr.7.diſc.15.ab initio uſque ad medium.*

*Accidit autem ut Sacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præterivit ſimiliter & Levita.* Magna certe crudelitas! Sacerdos erat, ſuperior erat, cui ex officio ac dignitate incumbebat facere miſericordiam, cum ideo, ut Hugo inquit, inunguntur manus Sacerdotum ut fluant miſericordiam. Væ talibus Sacerdotibus, cum ornamenta ritus & ceremoniæ in ipſorum reverentiam inſtitutæ eas ſubindicent virtutes, quibus illos præditos eſſe oporteat, *tr.3. diſc.11. per totum.*

*Samaritanus autem quidam iter faciens venit ſecus eum, & miſericordia motus eſt.* Allegorice, præterierunt Sacerdos & Levita ex ſemine Aaron cum ſuis pervetuſtis ſacrificijs ac ritibus, minime homini graviſſime cæſo medicamen attulerunt; acceſſit verò Samaritanus, id eſt, cuſtos, hoc eſt, Chriſtus Dominus hominum cuſtos, & miſericordia motus, homini jacenti ac mortifere vulnerato præſtitit medicinam oleo & vino ſacratiſſimi ſui ſanguinis, *tr.4. diſc. 8. 9. 10. & 11. per totos.*

*Et appropians alligavit vulnera ejus.* Quod iſte homo aſportaverit ſecum vinum & oleum facile intelligitur, vinum pro potu oleum pro cibo, ſed unde in deſerto habuerit alligaturas quæritur: Reſpondet pulchro morali documento Chryſoſtomus Hom. ſuper hoc Evangelium. *Teguntur vulnera quæ fuerant ante denudata: Jam cœleſti medico confoſſa loca ligantur, ut intra ſemetipſa retinentia medicinam, operante medicamine, priſtinæ ſanitati reddantur.* Ut ſemimortuo medicamen ac ſanitatem conferret divinus Medicus, ejus vulnera linteamentis tegit; nam ſi vulnerum ac peccatorum cicatrices diſcooperiuntur ac propalantur, magis obdureſcunt & deteriora ſiunt; Criminum enim divulgatione ſæpe impudentiores redduntur homines cum jam proprium honorem ac reputationem parvi pendant, unde correctio quæ eſt medicina ſpiritualis debet eſſe ſecreta, *Tract.* 18. *diſc.* 10. *per totum.*

*Et altera die protulit duos denarios & dedit ſtabulario & ait; Curam illius habe.* Tam abſens quam præſens providet egenti, & non relinquit eum hoſpitis expenſis, curandum, ſed de ſuo profert, ut ei miniſtretur. Recte ad propoſitum mellifluus Doctor lib. 4. de conſid. *Curam habere exigeris; non curationem audiſti, curam illius habe, & non cura vel ſana illum. Verum dixit quidam: Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger. Fac tu quod tuum eſt;* Scripſerat hæc Bernardus Eugenio Pontifici adhortans eum officij ſui paſtoralis, ut ſpiritualiter infirmis; etiam non proficiens, medicinam adhibere non omitteret correctionis; correctio enim neglecta fovet omne vitium &c. *tr.18. diſc.2. per totum.*

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

E*T factum eſt, dum iret Jeſus in Jeruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam Luc. 17. v.11.* Iter hoc erat inſtitutum ad Feſtum Tabernaculorum fuitque ultimus Domini deſcenſus in Jeruſalem ad mortem nimirum & paſſionem ſuam; ſed viam direxit, neque ſine myſterio, per mediam Samariam & Galilæam. Cujus rei rationem quamdam moralem aſſignat Titus Boſtrenſis. *Erat enim*, inquit, *diſcordia inter Samaritanos & Judæos, quam ipſe quaſi componens per utrosque tranſit, ut utrosque in unum novum hominem compingat.* Samaritani ac Galilæi enim, magno odio ac inimicitia inter ſe diſſidebant per eos tranſit pacis auctor Jeſus, ut utrumque populum in ſe charitate ac fide coadunaret, ac pacificaret, eoſque maxime unitos ac concordes redderet. Hoc enim unicum Chriſti fuit ſtudium, *tr.5.diſc.8. per totum.*

*Et cum ingrederetur quoddam caſtellum occurrerunt ei decem leproſi.* Cum lepra morbus ſit incurabilis & contagioſus melius mihi in ſenſu morali & myſtico nihil adumbrat quam vitium carnis, *tr.* 13. *diſc.* 13. quo poſito nunc quæſtio eſſe poteſt, cur præcisè decem notentur leproſi; Reſpondet Simon Caſſianus lib. 5. cap. 31. quod decem viri leproſi univerſitatem delictorum ac peccatorum ſignificent: Nam numerus denarius Catalogum dicit, cujus morbus ac lepra omnem transgreſſionem importat, ut in nullo præcepto deſit prævaricatio: Recte igitur lepræ comparo vitium carnis, carnis enim vitium generico nomine malitia vocatur, eo quod origo & cauſa ſit omnium malorum, ſuoſque ſectatores in quemvis enormem exceſſum præcipitet, *tr.13. diſc.1. per totum.*

*Et cum ingrederetur quoddam caſtellum occurrerunt ei decem leproſi.* Decreverat olim Deus ne leproſi habitarent in locis populoſis, ob morbi contagionem, magna enim eſt lepræ efficacia ad ſeſe inter homines diffundendum, ſimilis lepra eſt mala ſocietas cujus efficacia maxima eſt ad pervertendum nos, *tr.17 diſc.2. per totum.*

*Qui ſteterunt à longe & levaverunt vocem ſuam.* Loco, inquit Theophylactus, quidem procul aſtant; oratione autem appropinquant; prope eſt enim Dominus omnibus invocantibus ſe in veritate. Statio humilis auxilium reſpicit, & denotat pro quo ſupplicant, *tr. 6. diſc.3. n.14.*

*Steterunt à longe &c.* Peccator ex ſua quidem malitia Deum deſerit, ad quem tamen redire nequit, ſine Dei gratia; atque ideo ſubſtiterunt procul, qui multum à Deo defecerant; donec gratiæ ac miſericordiæ beneficium conſequerentur: *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum, tr.4. diſc.5. n.2. & tr.4. diſc.12. n.4.*

*Et levaverunt vocem ſuam dicentes: Jeſu Præceptor miſerere noſtri.* Una nempe voce clamabant, non unuſquisque pro ſe, ſed omnes pro omnibus idque de cordis intimo, non tantum ore, ſed corde, quia afflicti & à terrenis cupiditatibus erant denudati. Tales non ſunt orationes tuæ, quæ ore tantum ſiunt & non corde, quod terrenis lucris tuis geris occupatum quæ à deſiderio & lucro bonorum cœleſtium te retrahunt; & ideo quanto magis ab hujuſmodi bonis nudus & alienus extiteris, tantò magis cœleſtibus abundabis, *tr.8.diſc.12. per totum.*

*Ite oſtendite vos Sacerdotibus.* Olim, ut patet ex Levit. 15. ad Sacerdotes ſpectabat judicare an Hebræi eſſent lepra infecti vel ab illa immunes. Cum ergo hi eſſent ſanandi ad Sacerdotes mittuntur ut eos ſanos judicent, ad declarandum id quod inſtituendum erat in Eccleſia Chriſti, nempe quod formale quoddam tribunal erigendum erat in Eccleſia per inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ in judices eligendo Sacerdotes plena inſtructos poteſtate ſanandi lepram peccati, id eſt, peccata remittendi. Hanc enim poteſtatem Salvator noſter à Patre ſibi conceſſam hominibus delegavit; *tr. 15. diſc.3. per totum & diſc.4.*

*Ite oſtendite vos Sacerdotibus.* Præclare ſcribit D. Auguſtinus lib. de vera & falſa pœnit. *Præcepit*, ait, *Dominus mundatis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata. Dixit enim ora monſtrate, & omnes non unus pro omnibus, ut qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis, erubeſcentia enim partem habet remiſſionis.* Mandat Dominus ut omnes ſe oſtendant Sacerdotibus, non unus pro omnibus; per hos autem myſticos Sacerdotes voluit Dominus ſignificare, peccatores in lege nova debere adire Sacerdotes, ut per declarationem ſpiritualis lepræ peccati erubeſcentes aliquo modo cooperentur ad ſatisfactionem, *tr.15.diſc.21. per totum.*

*Ite oſtendite vos Sacerdotibus.* Quaſi dixiſſet; abſque horrore manifeſta lepram tuam Sacerdoti hoc etenim tuum eſt remedium, ne tectus accedas; cum etenim te non puduerit committere nec pudeat illud confiteri, deteſtabiles enim ſunt, quotquot à confeſſione abhorrent, in coque frequenter applicando ſibi remedio vivunt negligentes, *tr.15.diſc.18. per totum.*

*Dum irent mundati ſunt.* Jam lepram ſuam manifeſtarant Chriſto Domino, qui erat ſummus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui in ſpirituali lepra ſcilicet peccato per Sacramentum pœnitentiæ purificandæ; ejuſdem Sacramenti aliquando à ſe inſtituendi volens oſtendere efficaciam; jam per ſe antequam ad Sacerdotes venirent ſanatos eſſe oſtendit; ad Sacerdotes tamen mittit, declarans, quod licet quidem per veram contritionem peccatorum commiſſorum à Deo impetremus veniam, tamen etiam neceſſariam eſſe eorumdem peccatorum coram Sacerdote expreſſam & diſtinctam confeſſionem, *tr.15. diſc.1. per totum.*

*Unus ex illis ut vidit, quia mundatus eſt.* Regreſſus eſt, magna voce magnificans Deum. Hoc merito ſemper in ore habere deberemus & in corde, *gratias agamus Domino Deo noſtro.* Quia ſicuti continuata ſunt erga nos Dei beneficia, ſic quoque continua ſit gratiarum actio vid. *tr.4. diſc.78. &c.*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

N*Emo poteſt duobus Dominis ſervire. Matth. 6. v. 24.* In ſermone illo quem Dominus in monte habuit, ad reformandum hominem ejuſque affectus & appetitus, jam dixerat Dominus; *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, v. 19.* cujus doctrinæ veritatem triplici ratione comprobat & confirmat. Primo, *nam ubi eſt theſaurus tuus; ibi eſt & cor tuum v. 21.* Secundo: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*: Præſenti autem Evangelio adhibet tertiam. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*; Ut autem clarius inferat quidnam per duos hoſce Dominus intelligat ſubjungit: *Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ*, id eſt, divitijs; ſed ad quid divinus Præceptor ad divitiarum ſuadendum contemptum tot rationibus, tamque longinquo utitur ſermone? Noverat quippe benigniſſimus Jeſus divitias: fœlicitatemque corporalem animæ periculoſam, per quam ſurdi efficimur, ne vocem Dei audire valeamus, *tr.8.d.13.per totum.*

*Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Quod intelligendum eſt; ſi illi Domini ſibi invicem ſint contrarij, aliter enim res ſe habet inter uxorem & maritum; parentem & filium, quibus ſæpe unus ſervit famulus, & ratio eſt, quia Deus vult ſemper eſſe ſolus & abſolutus Dominus, nec ullam aliorum Deorum admittit ſocietatem maxime in poſſeſſione cordis humani quod totum ſibi dari vult, *tr.4. diſc.15. per totum.*

*Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Summopere mirandum, quod homo eo ſe duci ſinat, ut alium præter Deum agnoſcat Dominum; ſeque tradat Diabolo tamquam Domino, qui tamen ſibi ſervientes adeo crudeliter tractat, ut nihil aliud machinetur, quam quod in hominis cedit perniciem; *tr.19. diſc.2. per totum.*

*Aut enim unum odio habebit & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit & alterum contemnet.* Loquitur hic Dominus de dura ſervitute & tyrannide quam homo ſerviens mundo & peccatis ſuſtinebit, maxime tamen ſecundùm præcedentia in Evangelio recitata, alludit Dominus ad duram ſervitutem quam patiuntur divites & avari, de qua ſervitute vid. *tr.*8. *diſc.* 25. 26. & 27.

*Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.* Scholiaſtes Tertulliani lib. 4. in Marcionem; optime hanc compoſitionem Mammonæ cum Deo factam eſſe judicat, dicens: *Bene Dominus mammonam veluti Dominum quemdam cum Deo componit, ut oſtendat eos, qui ſtudio pecuniarum occupantur, rei mortuæ ſervire, cui maxime deberent imperare.* Sub pedibus hominum ſubjicit Deus omnia, hujus ſæculi divitias ac bona temporalia: Valde ergo durum eſt, ut ipſe pecuniæ ſerviat; nulla enim major miſeria, quam ſervire ei cui debebas imperare; & illius jugum ſufferre cujus tenebas imperium. Talis autem eſt natura divitiarum, quibus quo quis ditior, tantò eſt pauperior, quia avarus numquam dicit, ſufficit; nec gaudet aut fruitur ſuis divitijs; cum ſit ſervus & mancipium illarum, & ab illis velut Domino poſſidetur, *tr.*8. *diſc.*29.

*Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.* Provenit hæc difficultas ex parte divitiarum quia mammona ac divitiæ, ita ad ſe cor ac curas avari attrahunt, ut non ſinant illa Deo impendi, perfectèque in ipſum dirigi, nam divitiæ dictæ ſunt eo quod dividant mentem & ad ſe rapiant. De quo vide, *tr.*8. *diſc.* 5. 7. 8. 9. & 14.

*Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.* Hæc impoſſibilitas non provenit ex ſola occupatione in ſervitio utriuſque, ſed ex repugnantia circumſtantiarum; quia Deus & divitiæ in contrarium tradunt. Nam Deus ſibi ſervientem movet ad ſuperiora; hoc eſt, qui ſervit Deo cogitat de cœleſtibus, & terrena omnia in oculis ejus vileſcunt, *tr.*10. *diſc.*14. & 17. Divitiæ verò ad inferiora inclinant, & qui eis ſervit ſemper cogitat de terrenis, & hæc ſunt ei pretioſa nimis, pro ijſque acquirendis omnia contemnit: *tr.*8. *diſc.*12. *per totum.*

*Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.* Notandum eſt hic ſingulariter cum D. Gregorio verbum ſervire. Non enim prohibet Deus habere pecuniam, ſed illam habere ut dominum, cui ſerviatur; quamvis enim difficile ſit eſſe divitem ſine peccato, multi tamen fuerunt, ut Abraham, Job, qui pecunijs non ſervierunt, ſed illis pecuniæ, *tr.* 8. *diſc.* 20. *per totum.* Item pecuniæ habendæ ſunt ut nobis ſint obſequio in ſuccurrendo Chriſti pauperibus per opera miſericordiæ & pietatis, *tr. eod. diſc.*18.

*Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis; neque corpori veſtro quid induamini.* Noverat optimè Chriſtus Dominus familiarem hanc maxime eſſe Dæmonis tentationem, qua nimiam erga corpus nobis ingerit ſolicitudinem, contra quam ut nos armet, dicit, *Nolite ſoliciti eſſe &c.* De corpore enim quod inimicum eſt animæ ſemper ſoliciti ſumus &c. *tr.*8. *diſc.*17. *per totum.*

*Nonne anima plus eſt quam eſca.* De præſtantia animæ totus videatur *tr.*7. De vilitate itidem eſcæ in laudem ſobrietatis & abſtinentiæ. *Tractatus primus*, & de vilitate corporis comparative quoad animam, *tr.*7. *diſc.*3. 16. & 17.

*Nonne anima plus eſt quam eſca.* Septem Dominus in præſenti Evangelio rationes apponit ut temporalium ſolicitudinem à noſtris cordibus amputet; cur autem Dominus tot adhibet rationes, cum ea quæ ab ipſo dicta ſunt, majoris ſint auctoritatis, quam quælibet humana ratio? Reſpondet Albertus Magnus, quod Dominus ponit rationes non propter ſe, ſed propter nos. Quia cupiditas divitiarum ita menti uniuſcujuſque affixa eſt, ut etiam timoratæ conſcientiæ hominibus tenaciter adhæreſcat, nec cum ætate ſenili conſeneſcit, ſed adoleſcit potius, quia adeo difficulter eradicatur, ut ſpeciali ad id auxilio Dei opus ſit, *tr.*8. *diſc.* 30. *per totum.*

*Conſiderate lilia agri.* Lilia maximis encomijs hic ſublimantur à Chriſto, ita ut eorum comparatione omnis Salomonis apparatus vileſcat. Sed ex quo tantam gloriam potuerunt lilia comparare? D. Paſchaſius lib. 1. in Pſalm. 44. rationem pulchram adducit: *Virginitas, inquit, quæ Angelis comparatur, per lilia quam ſæpe in ſacris Litteris præfiguratur. Et ideo dixerit Dominus, quod nec Salomon in omni gloria ſua coopertus ſit, ſicut unum ex illis. In quibus nimirum floribus renitentibus floris veri incorruptio & pulchritudo per charitatem integræ reſidet caſtitatis. Propter quod velim vos conſiderare virginitas quam præclara ſit, quæ tantis & talibus attollitur præconijs.* In lilijs virginitatis candor denotatur, cujus ſplendor ita nitet ac fulget, ut omnis aliorum ornatus vileſcat, vilis ac minor appareat etiam qualibet virginitatis umbra, *tr* 14. *diſc.* 12. *ubi ſub Symbolo lilij variæ continentium exponuntur conditiones & elogia, per totum.*

*Conſiderate lilia agri.* Ait divinus Sponſus: *Ego flos campi & lilium convallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cant. 2. v. 1. 2. Hic illud maxime eſt ponderandum, quod cum ſumma charitate ac amore ſe diligant ſponſus & ſponſa; cur ergo ipſe Rex ſe appellat florem & lilium, dilectam verò ſuam lilium tantum dicit? Author eſt Auguſtinus lib. de ſalutaribus documentis c. 34. tom. 4. Quod Chriſtus dicitur flos campi ob decorem ſanctitatis & donorum, lilium verò ob virginitatem ex quo optime inferri poteſt, ſanctitatem & virginitatem ſibi quodammodo deſponſari nec immerito: Virginitas enim in multis ſacræ Scripturæ locis, nec non à S. Patribus frequenter ſanctitatis titulo condecoratur, *tr.*14. *diſc.* 6. *per totum.* Item divinus ſponſus qui Chriſtus eſt ſe & caſtam dilectam ſibi animam lilium vocat, ut eam ſibi perſimilem oſtendat: Virginitas enim Chriſto deſponſatur &c. *tr.*14. *diſc.*1. *per totum.*

*Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus &c. Hæc enim gentes inquirunt.* Cur Dominus hic gentes in exemplum adducat, reſolvit Abulenſis q. 184. Quia gentiles cum non haberent cognitionem de futuro ſæculo, nihil ſperabant: Sed plurimi eorum credebant poſt hanc vitam nihil eſſe, & conſequenter nullum bonum manere homini niſi comedere & bibere, & frui delectationibus in hac vita. Et ideo Gentiles tam ſoliciti erant de cibo, potu ac veſtitu. *Et gentes inquirunt.* At fideles & Chriſti diſcipuli, qui non tantum Deum, ſed etiam futurum ſæculum agnoſcunt expectantes beatam ſpem & gloriam magni Dei, maxime debent à ſuperflua cura & amore terrenorum abſtinere. Conſideratio enim & ſpes bonorum cœleſtium vanitatem nobis indicat bonorum terrenorum, ubi etiam agitur contra eos qui de præſentibus tantum gaudijs cogitant, de futuris nihil curantes, *tr.*10. *diſc.*28. *per totum.*

*Quærite ergo primo regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Hæc merito finis noſter eſſe deberet, & expediret illuc ſemper mentis oculos dirigere regnumque hoc ſerio contemplari, ut inſpectis ejus bonis diligentes redderemur in illo nobis comparando, maxime cum ad illud poſſidendum creati ſimus, *tr.* 10. *diſc.* 2. *per totum.*

## DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

IBat *Jeſus in civitatem quæ vocatur Naim.* Naim ut docent Haymon & Hugo interpretatur motus vel motio. Accommodatius tamen dicemus cum Barrada & Cornelio à Lapide, quod Naim Hebraice idem ſit, quod pulchra, decora, jucunda, delectabilis. Nunc verò in civitate hac tam jucunda tam amœna adoleſcentis hujus mors accidit, qui etiam in flore ſuæ ætatis cecidit, quando fertilitate loci frui incipiebat, in manifeſtum argumentum quod hujus ſæculi voluptates & deliciæ vix capiuntur ac deguſtantur. Omnis enim mundi conſolatio eſt ficta, apparens, inſtabilis, mœrore perfuſa & remorſu, *tr.*16. *diſc.*9. *per totum.*

*Ibat Jeſus in civitatem quæ vocatur Naim.* Civitas hæc non incongrue animam noſtram præfigurare poteſt, cujus nomen eſt Naim, id eſt, pulchra ſeu formoſa, *tr.*7. *diſc.*4. & 5. quæ civitas tunc vere in ſe defunctum quemdam habet, quando illa pulchritudo & ſimilitudo quam habet cum Deo per peccatum perditur, *ibidem.* Ille verò defunctus tunc effertur, quando per confeſſionem emundata rurſum pulchra & decora apparet in conſpectu Dei, *tr.*15. *diſc.*5. *per totum.*

*Cum autem appropinquaret portæ civitatis, defunctus efferebatur.* Bene accedente Chriſto defunctus effertur, non permanet in civitate, quia anima animæ noſtræ Deus eſt, quæ proinde ſicut moritur dum Deum amittit, ſic reviviſcit dum Deum recipit, *tr.*7. *diſc.*15. *n.*1. 2. *&c.*

*Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* Sacer Evangeliſta non explicat, à quibus adoleſcens iſte aſportabatur ad ſepulchrum. Sine dubio ab alijs adoleſcentibus ſocijs & amicis. Moraliter hos portatores Ven. Beda deſcribit. *Qui verò ad ſepeliendum portant vel immunda deſideria, quæ hominem rapiunt in interitum, vel lenocinia blandientium ſunt venenata ſociorum, quæ peccata nimirum dum favoribus tollunt, accumulant, peccanteſque contemptu, quaſi aggere terræ obruunt.* Quia autem per hunc defunctum peccator publicus denotatur, uti docent Beda, Haymon, Hericus & alij, bene inquit Beda per immunda & carnalia deſideria hunc deportari: Vitium enim carnis in Scriptura ſacra inferni nomine appellatur, quia ſectatores ſuos ad æternam perditionem perducit, *Tr.* 13. *diſc.* 9. Item ſimiles portatores ſunt mali ſocij *de quibus vide toto Tractatu* 17.

*Et ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* Pulchrum certe recipe ſalutis lubricæ juventuti his verbis præſcribit S. Lucas medicus, quibus petit, ut lubrica juventus hunc juvenem in flore ætatis ſuæ ad ſepulchrum deportatum inſpiciant ſedulo; & in eo videant ut in ſpeculo, quid ſint, & licet juvenes, quam facile tamen vitam cum morte commutare poſſint; tali enim conſideratione liberabuntur ab aquis diluvij peccatorum, maxime carnalium. Meditatio enim ſepulchri, quod carnem noſtram in putredinem, vermes & cinerem redigit ad deteſtandam omnem delectationem carnalem optimum eſt remedium, *tr* 13. *diſc.*29. *per totum.*

*Et hæc vidua erat; quam cum vidiſſet Dominus miſericordia motus, dixit; noli flere.* perpendenda hic ſunt verba præcedentia, *ecce defunctus efferebatur*, & combinanda cum his: *Quam cum vidiſſet Dominus.* Et in hac vidua agnoſces, eadem via qua ad tribulationem duceris, eadem quoque verſis, paſſibus & greſſibus tibi auxilium & conſolationem maximam à Deo occurrere: Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum menſuram, conſolationum ſpiritualium creſcit imo & ſemper ſuperexcedit abundantia, *tr.*16. *diſc.*18. *per totum.*

*Noli flere.* Quam male impenduntur lachrymæ ob mortem filij, quem tamen non poſſunt reſuſcitare, neque ſunt alicujus utilitatis. Unde bene dixit Simon Caſſianus lib 5. c. 13. *Nil plangendum ab hominibus quam peccatum. Solum enim peccatum juſtam habet deplorandi materiam. Vult Deus fletum fieri pro ſpiritualibus malis, non autem pro corporalibus damnis.* Hincque patet quanto pluris faciamus aliquando ea quæ corpus ſpectant, quam quæ animam concernunt, quod indecens eſſe oſtenditur, *tr.* 7. *diſc.* 16. *per totum, & diſc.*17. *Item tr.*8. *in diverſis diſcurſibus.*

*Hi autem qui portabant, ſteterunt.* S. Ambroſius ait: Portitores hunc adoleſcentem tuliſſe eo non vidente, quo ferebatur, quia erat mortuus; ſed quo ferebant? ad ſepulchrum; commune hoc noſtrum eſt infortunium, & communi naturæ lege ferendum. Majus autem eſt hominum carnalium & impudicorum, quos etiam vivos ad ſepulchrum deferunt carnales affectus ipſis non videntibus; voluptates enim carnales homines debilitant eiſque vitam abbreviant, ſæpeque cauſant, ut in infirmitates & pericula mortalia incidant, *tr.*13. *diſc.*14. *per totum. Item diſc.* 15.

*Et ait adoleſcens tibi dico ſurge.* Adoleſcentem in quo peccatoris figura exprimebatur, nominatim voce alta vocat; ſunt enim multi peccatores adeo abſorpti & ſopiti in delictis ſuis, ut niſi ſpecialiter excitentur, alios vocantes non curent: Et ideo ut ipſi veniant, & à peccatis deſiſtant, exigitur, ut ſigillatim ad eos dirigatur ſermo, ac ſpeciali voce compellantur. Sunt autem ex omni peccatorum genere præcipue avari, *tr.*8. *diſc.*30. *circa finem.* Et carnales, *tr.*13 *diſc.*20. *per totum.*

*Et reſedit qui erat mortuus & cœpit loqui, & redditur matri ſuæ.* D. Bonaventura conſiderat has tres actiones. *Reſedit, loquitur, redditur matri ſuæ. Reſedit*, ait, *per contritionem, quæ elevat caput à terra. Cœpit loqui, per confeſſionem, redditus eſt matri Eccleſiæ per ſatisfactionem; quia ſatisfacere eſt, debitum reddere non tantum Deo Patri, ſed etiam matri Eccleſiæ.* Quoad primam actionem vide *tr.* 15. *diſc.* 13. & 22. *per totos.* Quoad ſecundam Vid. ibid. *diſc.* 8. 9. 10. 11. 12. *de excellentia bonæ confeſſionis.* Quoad tertiam *licet hoc in tractatu abſolute nihil tractetur, quomodo peccator reſtituatur Eccleſiæ per ſatisfactiones, habes tamen Diſcurſu* 21. *quænam ſit optima pars ſatisfactionis*, quod facile erit applicare.

*Accepit autem omnes timor: Et magnificabant Deum, dicentes, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis &c.* Viſis magnis operibus ad reverentiam & recognitionem majeſtatis divinæ excitamur, quod & in hoc miraculo patuit, dicit enim ſacer textus; *Accepit autem omnes* timor reverentialis, ſcil. *& magnificabant Deum*, quod tamen valde mirum eſt, cum in cæteris Chriſti miraculis ſemper adfuerint calumniatores; ſed in hac tanta multitudine nullus eſt contradicere auſus, & cuncti laudaverunt Deum ex hac cauſa præcipue, quia non aderant hic forſitan Phariſæi; & tantum proficit ſocietas bonorum ſejuncta à malorum conventu, *tr.*17. *diſc.*13. *per totum.*

## DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

CUm *intraret Jeſus in domum Principis Phariſæorum Sabbatho manducare panem. Luc.* 14. Non incongrue nec cum injuria Chriſtus Dominus Phariſæos filios nominavit Diaboli, dum dixit, vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria ejus vultis facere: Quia & in hac ad convivium invitatione, ex mala intentione facta, perſpicuum eſt, ſe aliter erga Chriſtum Dominum non geſſiſſe, quam ipſiuſmet Diaboli officiatores & miniſtros, referente textu: *Et ipſi obſervabant eum*; ad hoc ut ex dictis & factis Chriſti Domini calumniandi & nocendi anſam haberent, laqueoſque innumeros tenderent, quibus ipſum in verbis ſuis caperent; ſic quoque erga nos ſe gerit dæmon, qui innumeros tendit laqueos quibus nos circumveniat &c. *tr.* 19. *diſc.*5. *per totum.*

*Et ecce hydropicus erat ante illum*: quæri hic poteſt, cur Hydropicus hic conſtitutus ſit ante Jeſum, & non ante alios convivas: Et reſpondetur, quod cum eſſet die Sabbathi, hydropicus ante Chriſtum conſtituitur à Phariſæis, ſciebant enim genium, quod cum oppreſſum miſeria hominem videret, ſtatim ei ſubveniret, ut ex hoc eum arguerent, tamquam Sabbathi violatorem, ut ipſi falſo exiſtimabant. Ecce quomodo confringitur malignantium conſilium; Hydropico impenditur ſanitatis beneficium; gloria Chriſti facto miraculo divulgatur, & ipſi Phariſæi abſque eo quod Domini dictis reſpondere valeant confuſi remanſerunt. Sic calumniatores maledici & detractores nulli majus damnum, quam ſibimetipſis inferunt, *tr.*21. *diſc.*13. *per totum.*

*Et ecce hydropicus erat ante illum.* Aptiſſime domum divitis intranti Chriſto occurrit hydropicus omnia namque mundi bona & deliciæ velut aqua diffluunt &c. *tr.* 8. *per varios diſcurſus.*

*Et ecce hydropicus erat ante illum.* Aderat hydropcius in domo Phariſæi, vel quia ejus notus & familiaris erat, vel quia introductus erat ab alijs Phariſæis ut Chriſtum obſervarent. Rationem tamen moralem aſſignat D. Gregorius *lib.* 4. *moral. c.* 6. *Quid eſt ergo*, ait, *quod ante Phariſæum hydropicus curatur, niſi quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis.* Hydropicus ſuo modo corporis denotabat morbum animi ipſius Phariſæi, in cujus domo erat, per eum enim quem quiſquis habet in domo, vel cum quo aſſociatur, ejus animus pateſit ac declaratur. Noſtrorum enim qualitas morum, ex qualitate dignoſcitur ſociorum quibuſcum converſari gaudemus, *tr.*17. *diſc.*12. *per totum.*

*Et ecce hydropicus erat ante illum.* Hydropicus ab nomine Græco Hydor, id eſt, aqua dicitur, quem humor aqueus ſive aqua intercus, cum inſatiabili quadam ſiti vexat. Unde Hugo: *Per hunc ſcilicet hydropicum, ſignificantur*, ait, *luxurioſi, quia ſicut hydropicus quanto plus bibit tanto plus ſitit, ita qui ſe luxuriæ immergit, amplius eam appetit.* Merito luxurioſi cum hydropicis comparantur; nam ſicut in hydropico appetitus aquâ non mitigatur, ita etiam qui ſe luxuriæ tradit, libidine non quieſcit, ſed illa magis inflammatur. Occaſione cujus conſidera multa mala & damna quæ à carnali concupiſcentia derivantur, *tr.*13. *diſc.*2. & *diſc.*18. *per totos.*

*Et ecce hydropicus erat ante illum.* Varios malos in ſe hydropicus patitur effectus, & proprietates, quas omnes Sancti Patres communiter avaro adaptant. Primo quia ejus cupiditas veluti aqua eſt fluxa, *tr.* 8. *diſc.* 23. & 24. Secundo in hydropico aqua ſitim accendit. Cupiditas & avaritia, ait D. Auguſtinus lib. 2. q. Evang. q. 29. indulgendo accenditur, reſiſtendo extinguitur, *tract. eod. diſc.* 17. Tertio hydropicus inducit tumorem, ſed aqueum, ſic divitiarum copia facit divitem omnis generis vitijs inflatum, *ibid. diſc.* 7. Quarto ſicut ex hydropiſi naſcitur compreſſio ſpirituum, ſic avarus omnia ad ſe trahit, congregat, comprimit & claudit, *ibid. diſc.* 16. Quinto in hydropiſi eſt indigeſtio humorum, ſic avarus opes habet indigeſtas, neſcitque eas diſtribuere in pauperes & egenos, *ibid. diſc.*18. Sexto ut ait Gloſſa. Ex putrida aqua fœtorem emittit hydropicus, ut hominibus aliquando ſit inſupportabilis; ſic avarus ex ſua cupiditate ore loquela ac toto corpore talem fœtorem exhalat, ut veluti ſtercus coram Deo & hominibus abominabilis fiat, *ibid. diſc.* 11. Septimo inquit D. Gregorius: *Hydropicus quo amplius biberit, amplius ſitit, & omnis avarus ex potu ſitim multiplicat, quia cum ea quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius & amplius anhelat.* Quia hic numquam dicit, ſufficit, *ibid. diſc.*29.

*Et ipſi obſervabant eum.* Præclara Chriſti virtus etiam à minima ſugillationis umbra immunis erat; Phariſæi tamen omni ſpurcitia pleni, & facta Chriſti audent obſervare ut detrahant ac arguant eum, ſic ſane frequenter evenit; ut qui multis defectibus abundant, in viros ſanctitate ac probitate illuſtres aperiant os ſuum, & eos omni conatu corrodere ac calumniari non ceſſent, *tr.*12. *diſc.*4. *per totum.*

*Si licet Sabbatho curare.* Hanc illis propoſuit quæſtionem ut inſtruerentur & in ignorantia ſua illuminarentur, & ait Evangeliſta: *At illi tacuerunt*: Quod illis erat valde familiare, nam in conſpectu ejus non audebant illi reſpondere, quando interrogabat illos de operibus ſuis, eo abſente tamen detrahebant, peſſimi certe hi detractores, qualis & adhuc multorum eſt conditio, qui præſentibus alijs non audent mutire ijſque adulantur, in abſentia vero defectus eorum divulgant, homines certe perverſi ac præpoſteri, Diaboli farina, ejuſdem intimi ſolicitatores & advocati &c. *tr.*21 *diſc.*10. *per totum.*

*Et reſpondens dixit ad illos, cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbathi?* Hunc aſinum, bovem & foveam myſtice explicat Hugo Cardinalis: Per aſinum, inquiens, ſtultum, per bovem ſapientem, per foveam vero luxuriam deſignari. *Fovea enim profunda meretrix Prov.* 23. *v.* 27. *Aſinus*

*ergo & bos in puteum cadunt, quia tam ſapiens quam ſtultus aliquando in luxuriam ruunt. Tr.* 13. *diſc.* 24. *Inveni ait Eccleſiaſtes* 7. *v.* 27. *amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus.* Utrobique magna exaggeratio: *Amariorem morte mulierem, & ſagena cor ejus.* Quia quantum eſt ex voluntate ſua, ait Hugo, veluti ſagena omnes piſces & magnos & parvos capit; ſic mulier impudica omnes ad ſe trahere conatur, *tr.* 13. *d.* 21. 22. 23. *per totos.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

QUia præterquam, quod omnes fere textus Evangelici præſentis Dominicæ coincidant cum Evangelio Dominicæ duodecimæ poſt Pentecoſten, ibidemque ad longum explicati ſint; ſimul etiam ipſo in opere *tr.* 4. & 5. habeantur duo integri Tractatus unus de amore Dei, alter de amore proximi: Hinc ne fruſtra fiat per plura quod fieri poteſt, & quidem ſine ullo concionatoris incommodo per pauciora; Verbi Dei Præconem tum ad dictam Dominicam, tum ad eoſdem locupletiſſimos tractatus remitto.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

E*T aſcendens in naviculam transfretavit. Matth.* 9. Hujus textus triplicem explicationem *vid. Dom.* 4. *poſt Epiphaniam. Matth.* 8.

*Et venit in civitatem ſuam.* Quænam iſta ſit civitas, quæ ſua dicatur controverſum eſt inter Scriptores. Sedulius Bethleem exiſtimat, in qua natus fuerat! D. Hieronymus cum adhuc alijs Nazareth intelligit, in qua educatus fuerat. D. Auguſtinus verò *lib.* 2. *de conſenſu Evangeliſtarum, cap.* 25. Galilæam provinciam interpretatur, in qua erat civitas Nazareth. Melius tamen D. Chryſoſtomus *Hom.* 30. Euthymius, Theophylactus &c. Capharnaum accipiunt, in qua frequenter habitabat, ut notat *D. Matth.* 4. *v.* 13. *Relicta Nazareth venit & habitavit in Capharnaum maritima.* Et hoc miraculum factum fuiſſe in Capharnaum aperte patet ex D. Marco, & ita Chriſtus Dominus non unam civitatem, ſed plures condecoravit, Bethlehem nativitate, Nazareth educatione, Ægyptum fuga, Canam Galilææ ſuo convivio, Jeruſalem paſſione, Capharnaum inſignivit ſua habitatione; prædicatione ac miraculorum operatione; ſed omnes rationes cur Capharnaum dicatur civitas ſua; indicant mihi in ſenſu myſtico civitatem ſuam eſſe animam noſtram; ac primo quidem Capharnaum ideo dicitur civitas ſua quia eam elegit in ſui habitationem; ut ex ſupracitato Matthæi loco patet, ſic quoque merito anima noſtra dicitur civitas ſua quia anima noſtra eſt Paradiſus & locus deliciarum Dei ejuſque templum. *tract.* 7. *diſc.* 8. Secundo Zacharias Epiſcopus *Comment. in Evangeliſt. lib.* 2. *c.* 53. ſic ait: *Nunc ergo quis dubitat, Capharnaum fuiſſe civitatem Domini, quam non naſcendo, ſed miraculis illuſtrando ſuam fecerat.* In nulla civitate tot miracula & mirabilia operatus eſt Dominus, ut in Capharnaum: Et ideo peculiariter hæc dicitur ſua civitas, quia tantis donis ac beneficijs eam ſibi comparavit ac coëmit. Merito igitur quoque anima noſtra dicitur civitas ſua, quia magnum pro ejus redemptione perſolvit pretium. *ibid. diſc.* 11. & quia Capharnaum ideo magnifaciebat quia longa prædicatione ac magnis ſignis & miraculis eam ſibi comparavit, merito & ideo animam noſtram ob ingens pretium pro ea perſolutum magnifacit & æſtimat, *ibid.*

*Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lectulo.* Paralyſis eſt diſſolutio membrorum ac nervorum, per quam ita homo fit impotens ad ambulandum ac ad ſe movendum, ut animatum cadaver ſolum ad pœnam vivens. Ah quot non eſt invenire ſimiles ſpiritualiter paralyticos in anima per peccatum quod tollit omnem operationem meritoriam, animaque ſolum ad pœnam vivit quamdiu in illo ſtatu permanet; O utinam eſſent qui per exhortationes vivaque exempla ſimiles Chriſto offerre ſatagerent: cum maximum ſit eorumdem lucrum, *tr.* 7. *diſc.* 14. *per totum.*

*Et videns Jeſus fidem illorum; dixit paralytico: confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Quæſtionem hic movent Sancti Patres, cur Dominus hunc paralyticum filium nominarit, cujus quæſtionis cauſam ſacri ponunt Evangeliſtæ Matthæus, Marcus & Lucas; cum hi hiſtoriam referentes ſcribant, quod Dominus dixerit paralytico, *fili*, ille verò *homo*. Hæc verò facile in concordiam reducit D. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſ. Evangel. c. 25. Ad quæſtionem reſpondet D. Hieronymus, hic; Cur filium nominavit? *O mira humilitas, inquit, deſpectum & debilem totiſque membrorum compagibus diſſolutum, filium vocat, quem Sacerdotes non dignabantur attingere. Aut certe ideo filium quia dimittuntur ei peccata ſua.* Binas rationes præbet S. Doctor. Primo propter humilitatem ſuam; nam deſpectum & debilem hominem ita ad ſe benigne recipit, ut filium vocet. Secundo quia ei remittebantur peccata. Ut ex eo appareat, ad qualem dignitatem nos erigat remiſſio ac juſtificatio à peccatis, nempe ad Eſſe Filij Dei qui antea eramus ſub captivitate Diaboli, *tr.* 15. *diſc.* 5. 9. & 10.

*Confide fili.* Victor Antiochenus ad propoſitam quæſtionem hanc dat rationem; *quod autem paralyticum hunc filium vocat, eſt, quod ad creationis cauſam reſpicit.* Cui etiam reſponſo ſubſcribit D. Hilarius *Can.* 8. *in Matth.* quia homo Dei opus eſt, ac proinde quamvis homo ob ſuam miſeriam deſpiciendus eſſet, quia tamen Dei opus eſt; ac imago illius, ideo pie tractandus ac benigne fovendus, ſi non propter ſe ſaltem propter auctorem & creatorem. *Applicari huc poteſt, tr.* 7. *diſc.* 2.

*Remittuntur tibi peccata tua.* D. Leo Serm. 11. de paſſione, inquit; *Remittuntur ei peccata ſua, ut per omnia opera ſua oſtenderet in illo adventu ſuo Salvatorem mundi ſe veniſſe, non Judicem.* Valde mirum quod Paralytico totis viribus in Chriſto converſum, ei à Domino remittuntur peccata; & tamen calumniantibus Scribis ſupplicium pro ſua temeritate eis à Domino non infligitur. Volebat enim Dominus in ſuo adventu ſe declarare non Judicem, ſed Salvatorem, & ideo quæ miſericordiæ ac pietatis ſunt, indilate profert, *tr.* 16. *diſc.* 3. *per totum.*

*Et ecce quidam de Scribis dixerunt inter ſe: Hic blaſphemat.* Viderant iſti ſanctiſſimam Chriſti vitam ac doctrinam, viderant miracula, & dum audiunt à Domino tantum beneficium paralytico collatum: Remittuntur tibi peccata tua; ſtatim dicunt: Hic blaſphemat. Iniquorum ingenium opera ſanctiſſimorum virorum calumniando, in blaſphemias ac contumelias convertit: Juſti enim ſpecialiter à calumnijs infeſtantur, *tr.* 12. *diſc.* 4.

*Et cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Vide quam in vanum laborant invidioſi detractores & inimici; nam dum Chriſti virtuti detrahunt, majores occaſiones parant Chriſto ſuos radios emittendi, ac declarandi triplici ſigno, ut notat Cajetanus, remittendo peccata, revelando humanas cogitationes, dando ſalutem corpori paralytico; ſic communiter blaſphemiæ in ipſos blaſphemos recidunt, *tr.* 11. *diſc.* 13. & detractores nulli adferunt majus damnum quam ſibiipſis, *tr.* 21. *diſc.* 13. *per totum.*

*Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Hoc eſt me blaſphemias eructare cum dico paralytico: *Remittuntur peccata tua.* Non attentis tot ſignis Chriſti divinitatem declarantibus, obdurata remanent Phariſæorum ac Scribarum corda. Divinus tamen Magiſter ulterius nequit diſſimulare, ſed iniquas cogitationes audacter reprehendit: Nam quamvis Scribæ & Phariſæi eſſent valde inflati ac primas in populo haberent; tamen eorum crimen non diſſimulat Dominus, ſed arguit, nam qui crimina diſſimulat, aliquando fovet, *tr.* 18. *diſc.* 2. *per totum.*

*Dixit paralytico: Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Mandat Chriſtus paralytico ut ſurgat, & tollat lectum ſuum, ad hoc ut certam ſuam curationem fuiſſe demonſtret; O utinam & noſtra curatio à ſpirituali paralyſi talis cenſenda ſit aliquando; ſæpe namque anima videtur curata & non eſt; cum vires non habeat, quibus ſe ex animo & ſerio erigat, idque defectu boni propoſiti vere pœnitentibus ſemper neceſſarij, *tr.* 15. *diſc.* 14. *per totum.*

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

S*Imile eſt regnum cælorum homini Regi qui fecit nuptias filio ſuo. Matth.* 22. *v.* 1. Diverſa hæc eſt parabola ab ea, quam ſcribit Lucas cap. 14. de cœna magna, quia illa exponi poteſt tam de cœna gloriæ, quam de myſterijs Chriſti ejuſque fidei: Hæc autem tantum locum habet, de vitæ Chriſti myſterijs, ſc. incarnationis in qua factæ ſunt nuptiæ Filij Dei cum humana natura. Valde tamen & hæc illis ſimilis eſt, & omnia quæ ibi dicta ſunt facile hic applicari poſſunt, proinde vide *Dom.* 2. *poſt Pentecoſten.*

*Simile eſt regnum cælorum homini Regi qui fecit nuptias filio ſuo.* Homo Rex Deus Pater, filius regis & ſponſus Chriſtus Jeſus: *Fecit nuptias.* Hæ nuptiæ factæ ſunt, quando divinum Verbum aſſumpſit naturam humanam eamque ſibi hypoſtatice univit. Ita D. Gregorius *Hom.* 38. *in Evangelia. Tunc, ait, Pater filio nuptias fecit, quando hunc in utero virginis humanæ naturæ conjunxit.* Et D. Auguſtinus ait *orat. Contra Judæos Pagan. & Arrian. t.* 6. *c.* 9. *Chriſtus proceſſit ex utero virginis, tamquam ſponſus de thalamo ſuo. In quo utero ſpirituales nuptiæ celebratæ ſunt, Deus conjunctus eſt carni & caro adhæſit Deo.* In qua admirabili copulatione Deus majorem in nos amorem oſtendit, quam in creatione, de quo vid. *tr.* 4. *diſc.* 10.

*Simile eſt regnum cælorum homini Regi.* Non abs re hic inquiri poſſet, quare prius hic ponatur homini quam regi. Dubium hoc movet Origenes *Hom.* 20. *in Matth.* & reſpondet: *Neceſſe eſt, ait, ut ſimile ſit regnum Dei homini regi, & hominibus quaſi homo apud homines loquatur.* Optime fit illa in parabola hominis cum Rege connexio, ut licet reges alijque magnates & prælati ſuper homines



homines ſint, homines tamen ſe eſſe cognoſcant, nec Deos ſe exiſtiment, qua fatuitate & ſtultitia jam aliqui laborarunt ut ſe Deos nuncuparent; ac in ſeipſis idololatriæ cauſæ exiſterent. Talis enim naturæ eſt ambitio, quæ præter alia mala etiam idololatriæ cauſa fuit, *tract.* 3. *diſc.* 2. *per totum.*

*Miſit ſervos ſuos.* De hoc Textu vid. quæ diximus Domin. 2. poſt Pentecoſten.

*Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt.* In hæc verba pulchre notat Haymon: *Tauri mei & altilia occiſa ſunt, quaſi diceret: Patrum præcedentium mortes aſpicite, & media vitæ veſtræ cogitate.* Ad quid putas tendit, quod de occiſione taurorum & altilium fit mentio? Erat menſa iſta parata à rege illo non convivij temporalis, ſed æterni, quod non reſpiciebat ad carnalem, ſed ſpiritualem vitam, ideo illa mortuorum memoria componitur, de qua humanus maxime ſolet ſaginari ſpiritus. Si autem ad mortuos hoſce patres antiquos per hæc animalia occiſa reſpexiſſe videtur Dominus, jure merito tu inter terrenarum voluptatum convivia ad mortuum reſpicies Chriſtum Jeſum crucifixum: Per Chriſti enim patientis & morientis conſiderationem, lumen acquiritur ad contemnendas voluptates quæ crucifixionis ejus cauſa fuerunt, *tr.* 9. *diſc.* 17. *per totum.*

*Tauri mei & altilia occiſa ſunt.* Dicuntur tauri & altilia occiſa & tamen eorum nil apponitur, aliter ille ajebat, qui ſe excuſabat à cœna magna, Luc. 14. Juga boum emi quinque, eo probare illa. Cur in his numerus non vero in illis aſſignatur? Dapes in regali menſa cœleſtia dona adumbrant, empti verò boves terrena bona ut docet D. Auguſtinus, ut dictum eſt ſup. Dom. 2. prout ergo boves terrenis inſerviunt, numerus brevis in eis apponitur, juga boum emi quinque, cum autem cœleſtibus ac regijs menſis inſerviunt omni numero carent, cœleſtia enim dona & bona reſpectu terrenorum innumera ſunt & infinita, *tr.* 10. *d.* 9. 10. 16. 18. *per totos.*

*Ite ergo ad exitus viarum & quoſcumque inveneritis vocate ad nuptias.* Viæ juxta Remigium ſunt varij errores ac ſectæ gentium. Juxta Chryſoſtomum Hom. 41. Viæ ſunt omnes profeſſiones hujus mundi, puta *Philoſophiæ, militiæ, & hujuſmodi, dicit ergo: Ite ad exitus viarum, ut cujuſlibet conditionis homines vocent ad fidem.* Divo Hilario via eſt tempus hujus ſæculi, *Jubentur ergo*, ait, *ire ad exitus quia omnibus retroacta donantur*, q. d. Vocentur omnes ad fidem, ut per bona opera illius valeant recuperare ac redimere tempus præteritæ vitæ. Sed optime D. Gregorius *Hom.* 38. *in Evang. In Scriptura Sacra*, ait, *vias actiones accipimus, exitus viarum intelligimus defectus actionum: quia illi plerumque facile ad Deum veniunt, quos in terrenis actibus proſpera nulla comitantur.* Viæ actiones ſunt, exitus viarum defectus & infortunia in actionibus intelliguntur; ſeu ut clarius dicam, per exitus viarum ſignificantur moleſtiæ, fatigationes ac afflictiones, quas experitur, qui ad exitum ſeu finem viæ pervenit, merito ergo jubentur ire ad exitum viarum, quia ad Deum facile convertuntur, quos fortunæ adverſitas perſequitur premitque afflictio. Quanto enim quis magis homo à bonis & fœlicitate terrena nudus & alienus exiſtit, tanto magis cœleſtibus abundat; præſentis enim vitæ proſperitates nos à Deo ſeducunt, *tr.* 8. *diſc.* 8. *per totum, & diſc.* 12. *à medio uſque ad finem.*

*Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali; & ait illi amice quomodo huc intraſti.* Mirum eſt quod huic homini ſuccenſeat Dominus, quia non erat veſtitus veſte nuptiali, quid an non omnes pauperes cæcos & claudos curaverat vocari? quo igitur jure ſtomachatur? Non iniqua fuit hæc reprehenſio, ſed juſta, quia ut digne huic intereſſet convivio non deſiderabat Dominus veſtem excellentiorem, quæ eſſet ultra ſuum ſtatum, ſed eam quam habebat magis nitidam, comptam & expolitam, nec non juxta ſtatum ſuum accommodatam. Hoc quoque à nobis exigit Deus, qui ut ad convivium æternorum gaudiorum admittatur, non petit veſtem extraordinariam, id eſt, non voluit omnes obligare, ut per excellentem paſſionis viam ad cœlum tranſeant, per quam ille cœlum obtinuit, ſed ut in tuo ſtatu in Dei famulatu mundus & fidelis vivas, id eſt, multas aperuit vias faciles, per quas cujuſlibet ſtatus & profeſſionis homines tranſire ad ſalutem æternam poſſint, *tr.* 10. *diſc.* 17. *per totum.*

*Et vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali.* D. Hilarius ad hunc locum pulchre hanc veſtem nuptialem deſcribit: *Veſtitus*, ait, *nuptialis eſt gratia Spiritus Sancti & candor habitus cæleſtis, qui bonæ interrogationis confeſſione ſuſceptus, uſque in cætum regni cælorum immaculatus & integer perſeverat.* Singulariter ponderanda ſunt verba. *Veſtitus autem nuptialis eſt, candor habitus cæleſtis.* Ille enim erat veſtitus ille quo homo iſte carebat, candor ſeu puritas vitæ, ſpeciem quamdam ac odorem cœleſtis patriæ referens, ut exinde jam oſtendatur, quod homo ad cœleſte regnum pertineat qui candorem Angelicæ puritatis in ſe exhibet. Virtus enim puræ virginitatis ſuos in cœlo natales habet &c. *Tract.* 14. *diſc.* 4. *per totum.*

*At ille obmutuit.* Interrogatur homo, quare ingreſſus ſit ſine veſte nuptiali, & ille nullo reſponſo dato mox obmuteſcit. Tunc autem ait Rex miniſtris, *ligatis manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores. Tunc videlicet*, ait Galfridus apud Tilman: *Non ubi ille veſte nuptiali introivit, ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, noluit confiteri.* Ingreditur Rex convivium, & intuitus pannoſum præter morem nuptiarum, non ſtatim eum damnat, ſed benigne ab eo quærit, *amice quomodo huc intraſti non habes veſtem nuptialem?* at ille obmutuit, non perditur miſer, qui male intraverat, & inique ſedebat, ſed quando obmutuit & peccatum ſuum palam confiteri recuſat. Damnatur ergo non tam ob veſtis defectum quam ob negatam oris confeſſionem. Deteſtabiles enim ſunt, quotquot à confeſſione abhorrent, in eoque frequenter applicando remedio vivunt negligentes, *tract.* 15. *diſc.* 18. *per totum.*

*Tunc ait Rex miniſtris; ligatis manibus ac pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* Tota hujus hominis culpa in hoc conſiſtebat, quod ingreſſus eſſet ſine veſte nuptiali. Et ſtatim ingreſſus Rex mandat miniſtris, *ligatis manibus ac pedibus &c.* Aliter tamen factum fuiſſe legimus apud Zachariam 3. ℣. 3. Ubi ſic Scriptura refert; *Eſt Jeſus*, nempe Joſedech filius, *erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli. Qui reſpondit & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe dicens: Auferte veſtimenta ſordida ab eo, & dixit ad eum. Ecce abſtuli à te iniquitates tuas & indui te mutatorijs.* Ecce in utraque hiſtoria à D. Matthæo & Zacharia deſcripta repreſentatur aliquis veſtibus ſordidis indutus. Illum Rex acerrime percutit, hunc Angelus verò ad meliorem frugem trahit, ſordida aufert, & candida reſumi facit. Cur Rex & Angelus tam diverſimode ſe habeant? Ad quæſtionem ſic reſpondet Theodoretus apud Zachariam: *Angelus*, ait, *populi tutor alijs aſtantibus Angelis præcepit, ut ex illis veſtibus eum exuerent.* Rex ut ſupremus Dominus jus dicebat, quapropter in reum iratus, eum tortoribus tradit. Angelus verò ut populi tutor ſordidum non ſpernit, ſed omnibus modis ejus ſalutem negotiatur eumque ad candorem vitæ tradit ut mortem evadat. Hæc angelorum natura, *tract.* 6. *diſc.* 3. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. *per totos.*

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

E*Rat quidam Regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum. Joan.* 4. ℣. 46. Pro intelligentia hiſtoriæ ordinem miraculi hic inquirere neceſſarium videtur. Hæ ſecundæ vices erant quando Jeſus venit in Galilæam, docente textu, *venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum.* Quæritur ergo quid moverit Dominum, ut relicta ſua patria Nazareth iterum venerit in Galilæam, in qua ſita erat urbs Capharnaum? rationem pono, quam aſſignat D. Anthon. Ulyſſipon. *Dom.* 21. *poſt Trinit.* Venit Dominus à Judæa in Galilæam, in quo maxime ſignificabatur, quomodo è cœleſti patria ad nos venit. *Judæa enim*, ait D. Anton. *Confeſſio, Galilæa rota, vel volubilitas interpretatur. Jeſus ergo à Judæa in Galilæam venit, cum de vita æterna, in qua eſt confeſſio angelicæ laudis, ad noſtræ volubilitatis rotam deſcendit.* Commentatur citatus Sanctus ſuper hoc Ezechielis 10. ℣. 2. *Quod ille qui ſedebat, dixit ad virum, qui indutus erat lineis: Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis.* In hoc autem viro ſignificatur Chriſtus Dominus, qui mira puritate ad nos venit, habens manus plenas prunis ignei amoris. *De quo vid. tr.* 4. *diſc.* 9. *per totum.*

*Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Pro elucidatione hiſtoriæ & ordine miraculi quæri poteſt cur piiſſimus Dominus cum prima vice iter ſumpſit in Cana Galilææ ad nuptias vocatus iverit, nunc autem cum ad patrandum miraculum in Capharnaum venit, propria ſponte illuc conceſſerit? Verum eſt, ad nuptias, ubi feſtivitatis ac lætitiæ ſigna dabantur, Dominus Jeſus non niſi vocatus venit. At verò quia in hoc ſecundo Adventu pergebat in Cana, ut prædicaret, & doceret, ac cum hominibus imperfectam fidem habentibus, utpote Regulo & aliis ſimilibus diſputaret, quod erat opus magni laboris, ſibique à Patre commiſſum *Joan.* 4. ℣. 34. ideo non vocatus deſcendit in Cana. More ſuo, qui erat, non libenter ire ad loca ubi ſigna levaminis ac quietis ſe exhibent, maxime verò propenſus erat ubi labores ac moleſtiæ pro noſtra ſalute apparent, *tract.* 4. *diſc.* 10. & 11.

*Cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Capharnaum ager interpretatur pinguedinis, in Capharnaum igitur infirmatur

firmatur, id eſt, inter proſperitatem & abundantiam anima periclitatur de morte, *tr.8.d.6. per totum.*

*Rogabat eum ut deſcenderet incipiebat enim mori.* Miro certe modo Deus hunc regulum ad ſe trahit & allicit, per flagellum ſcilicet infirmitatis filij ejus, hic eſt enim Dei mos, affligere ut conſoletur & beneficia conferat, aut infirmitatibus affligere corpus ut animæ adferat ſanitatem, *tr.7. d. 15. circa medium usque ad finem.*

*Dixit ergo Jeſus ad eum, niſi ſigna & prodigia videritis non creditis.* Conveniunt omnes Patres, quod hæc: *Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis*; dixerit Chriſtus regulo per modum objurgationis, propter fidem ejus imperfectam, quam ex multis indiciis probant ſancti Patres & expoſitores. Singulari tamen ex cauſa arguit eum Dominus, quam aſſignat D. Chryſoſtomus Hom. 34. *Arguit eum ut magis in fide confirmaret.* Multi de Domini divinitate dubitarunt, & tamen à Domino particulariter non ſunt reprehenſi, quemadmodum hic regulus arguitur. Intendebat autem Salvator ut iſte proficeret ac melior fieret ideo objurgatur: nam debet reprehenſio ordinarie ex amore procedere, & tunc eſt valde utilis; ea enim homo ſe colligit, ſtatum ac conditionem ſuam conſiderat, & in vita ac moribus reformatur, *tr. 18. d.7. per totum.*

*Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis.* D. Auguſtinus *lib.4. de Conſenſ. Evang. c.10.* Dixit Dominus regulo, ait: *Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis*: uſque adeo ſuper omnia mutabilia volens mentem credentis attollere, ut nec ipſa miracula, quæ quamvis divinitus de mutabilitate corporum fiunt, à fidelibus quæri velit. Congruum videri poterat, quod Dominus deſideraret homines ad divina ſigna currere, tamen aliquo modo indignatur, quod hujuſmodi mirabilia appetantur; nam quamvis ſint opera Dei ejus potentia edita, cum tamen de mutabilitate corporum fiant, ac hujusmodi mutationem importent, ab eis Dominus noſtram vult avertere mentem, & elevare ad ea quæ æterna ſunt & permanentia; non patitur enim, ut noſter animus ad inconſtantia, labentiaque temporalia feratur, ſed ut tendat ad ea quæ fixa ſunt, atque perpetua. Ex quo conclude quam indecens ſit quod corpus præponatur animæ, *tract. 7. diſc. 16.* quodque de corpore magis ſoliciti ſimus quam de anima, *ibid. diſc. 17.* Maxime dum anima in hiſce bonis terrenis perditur dum æterna negliguntur, *ibid. diſc. 18. per totum.*

*Dicit ad eum Regulus: Domine deſcende priusquam moriatur filius meus. Dicit illi Jeſus, vade filius tuus vivit.* Valdè inſipienter dixerat Regulus quod Dominus deſcenderet antequam filius ejus obiret, ut vidimus ſuperiori verſu; tamen Dominus hujusmodi inſipientiæ non attendens miſeretur & puero dat ſanitatem. Quod ponderans D. Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 119. *Non imperitiam,* ait, *in omnibus noſtram Chriſtus reſpicit, ſed ut Deus etiam peccatoribus auxilium affert.* Et de hac inſipientia hic eum Dominus non reprehendit, ſicut antea fecerat ad primam Reguli petitionem: *Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis*, ℣. 48. Exemplum dans prælatis quia non ſemper reprehenſionibus inſtandum eſt. Correctio enim cum diſcretione inſtituenda eſt, *tr.18. diſc.9.* Item diligenter obſervanda eſt temporis opportunitas, *ibidem diſc.15.*

*Vade filius tuus vivit, credidit homo ſermoni quem dixit ei Jeſus, & ibat.* Dominus rogatur à Regulo ut tendat in domum ſuam, ad eam tamen accedere noluit: à Centurione autem rogatus ut det ſanitatem ſervo, & in domum ſuam non deſcendat, Matth. 8. ℣. 8. & 9. tamen ad ejus domum ſe confert. Mira profecto res, cujus rationem aſſignat D. Gregorius Magnus *Hom. 28. in Evang. Reguli filio,* ait, *per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe: Centurionis ſervo non dedignatur occurrere. Quid eſt hoc niſi quod ſuperbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti ſunt, ſed honores & divitias veneramur.* Et ita nos docet Redemptor noſter, quod homini ſit benefaciendum & ipſe æſtimandus non propter terrenam dignitatem, ſed ob imaginem ſui Creatoris quam portat. De quo vid. *tr.7. diſc. 2.3.4.5. per totos.*

## DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

*SImile eſt regnum cælorum homini Regi qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis: Matth. 18. ℣. 23.* Chriſtus Dominus per hanc parabolam principaliter indicare voluit duo; Primo articulum fidei noſtræ, remiſſionem nempe peccatorum, & teneri nos illatas à proximo injurias remittere. Quantum verò ad primum certum eſt quod dolor contritionis excellentiſſimus ſit, qui tamen ut validus ſit non ex timore ſervili, ſed ex amore Dei procedat oportet fundatus in ſpe remiſſionis peccatorum, *tr.15. diſc.23. paſſim per totum.*

*Et cum cæpiſſet rationem ponere oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.* In decem millibus talentorum denotatur hic magna & ingens auri ſumma. Talentum Atticum, ut refert Budæus lib. de Aſſe, valebat ſexcentos aureos. Ex quo patet centum talenta eſſe ſexaginta millia aureorum. Mille talenta continere ſexcenta millia aureorum, ſi autem Hebræorum ſupputationem ſequamur ultro plus excreſcit ſumma, Hebraicum enim talentum continebat duodecim millia aureorum. Indeque decem millia talenta auri ſunt centum viginti milliones aureorum; quod ſingulari ſtudio apponere volui, ut quia in ſacro Evangelio aliquoties de talentis ſit mentio ſacer Eccleſiaſtes maxime is cui librorum copia ſeu inſtructior Bibliotheca non ſuppetit, & in quorum favorem hæc Bibliotheca moralis, ſicut & hic Index Concionatorius compilatus eſt facili ſtudio id ſcire auditoribusque ſuis explicare poſſit. Nunc autem ad explicationem thematis redeamus. Voluit Dominus per hanc parabolam, ſicut indicare peccatorum remiſſionem, ſic quoque oſtendere eorumdem gravitatem contra Dei majeſtatem infinitam; Optime autem ad dictam gravitatem exprimendam congruit tanta auri ſumma. Plus enim exiget Deus ab eo, qui unum peccatum mortale commiſit, quam ſi à ſervo paupere Dominus exegiſſet centum viginti milliones aureorum. Unum enim peccatum mortale cum ſit contra Deum commiſſum, Deoque injurioſum, imo quantum in ſuo affectu, Deum ſpoliare conatur ſua divinitate, longe autem multo major eſt injuria Dei, indeque reſultans debitum, quam ſint omnia cunctorum hominum debita quæ ab aliis hominibus debentur. Quod jam vel inde patet, quod unum peccatum mortale commiſſum animam Deo gratiſſimum pignus ejusque ſingulare ac pulcherrimum opus deformet, deſtruat & perdat; utilis certe materia. *De qua vid. tract.7. diſc.5. & 15.* patet etiam ex eo quod Deus ipſe pretium pro anima exolvere debuerit, quod nulla hominum potentia adæquare poterat, *ibid. diſc.11.*

*Oblatus eſt ei unus qui debebat ei decem millia talenta.* Quæſtionem hic movet Euſebius Emiſſenus. *Dom. 22. poſt Pentecoſten*; dicens: *Quare cum hoc prius Dominus rationem ponere voluit?* Reſpondet conſiderando in hoc denario numero omnium peccatorum gravitatem contineri. *Omnes enim*, inquit, *numeri in hoc numero continentur, cum enim uſque ad decem numeramus, niſi iterum ab uno incipiamus, nihil habemus quod dicamus.* Hoc igitur debito majus debitum non eſt. Ad quid ergo ſummus debitor ſeu peccator introducitur? ſubdit ipſe Euſebius; *at hujus exemplo cæteri intelligerent quantam ſpem habere potuiſſent.* Ex divina ordinatione hic tantorum debitor talentorum ſtatim in principio coram Domino ſiſtitur, ut cum alij peccatores viderint huic tanto debitori indulgentiam ac remiſſionem conceſſam, nullus deſperet, ſed omnes animum ſumant quod etiam in ſuis magnis delictis veniam impetrabunt, ac proinde media ad peccatorum remiſſionem conducentia ſine dilatione ſibi applicent, qualia ſunt contritio, de qua vide *tract.15. diſc.22.23.* Confeſſio de cujus excellentia, effectibus, modoque eam inſtituendi vide ibid. *diſc. 8. 9. 10. 12.* Item pro conſolatione confitentium peccatorum hic examinari poſſunt conditiones, quibus illud, quod circa delicta noſtra in confeſſionis tribunali inſtituitur, eminet judicium, præ alio in Judicum ſæcularium tribunalibus circa reos formari ſolito, *ibid. diſc.4. per totum.*

*Procidens ſervus ille rogabat eum &c. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Hoc legitimum eſt peccatorum remedium ſi ſe pedibus Dei proſternant peccatorum ſuorum veniam deprecaturi, divinæ ſe committentes miſericordiæ, cujus exemplum præbet hic ſervus debitor, qui in magno multorum talentorum debito deprehenſus tamen audax rogat *patientiam habe in me* &c. Unde iniquo ſervo tanta præſidentia, ut herum ſibi iratum precibus aggrediatur, & bona ſpe credat flecti poſſe ad pietatem? Agnoſcebat enim ſervus herum ſuum eſſe Deum, natura bonum & pium, flectique facilem, magnum & excelſum in miſericordia ſtimulante eum ingenti quem erga hominem gerit amore. Amor enim Dei ſive ut Dei erga nos, ſive ut noſter erga Deum debita peccatorum remittit, *tr.4. diſc.5.*

*Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Hæc ordinaria eſt peccatoris cantilena ante pedes confeſſarij omnia reddam, omnia emendabo firmiter propono, & tamen tam parum propoſitum ſervatur, quod ad remiſſionem peccatorum confitentibus neceſſarium eſt, *tract. 15. diſc. 14.* Et præter hoc ea eſt multorum impudentia, ut Dei patientiam cognoſcentes nimium concedant verecundiæ, quæ eos à graviorum peccatorum confeſſione abſtrahit, contra quos vide ibid. *diſc.19. per totum.*

*Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Hæc ingens eſt Dei miſericordia, quæ ad unicum verbum omnia dimittit peccata: Talis etenim eſt efficacia veræ pœnitentiæ, & ſemel vere contuſi pectoris, ex corde vere contrito, ut ingreſſus ille ante gravatus debito liber egrediatur, *tr. 15. diſc. 22. de valore contritionis.*

*Egreſſus autem ſervus ille invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios & tenens ſuffocabat eum dicens, redde quod debes.* O impudens ſocie! An tam facile oblitus es beneficij à Domino tuo tibi præſtiti, maxime ex hac cauſa, ut addiſcas qualiter & tu te cum conſervo tuo habere debeas. Ex quo tu judica, quod ſi Deus tanta facilitate remittit decem talenta, annon & tu tenearis illi remittere; qui modicum tibi ventum debet, nempe unicum verbum inſipidum aut aliquo etiam modo injurioſum, & hoc non ſemel, ſed etiam ſeptuagies ſepties. *Vid. De remittendis injurijs, & conſervando pacis & dilectionis bono; Item de damnis inimicitiæ & odij, tr.5. diſc.10. per totum.*

*Videntes autem conſervi ejus, quæ fiebant, contriſtati ſunt valde, & venerunt & narraverunt Domino ſuo omnia quæ facta fuerant.* Boni ſervi à Domino addiſcunt miſericordiam & pietatem quam miſeris impertiuntur. Secus malus ſervus Domini Clementia nil proficit; ſed à ſua malitia in ſævitiam & impietatem impellitur. Per hos autem ſervos Theophyl. D. Remigius, Carthuſianus & alij intelligunt noſtros Angelos cuſtodes, qui ſicut de noſtro profectu vere lætantur, ita de noſtris peccatis & delictis metaphoricè contriſtari dicuntur, quia per modum dolentis ſe habent, dum diſplicet eis quod impie agimus vel quod ſiniſtre nobis contingit. Hi autem narrant Chriſto, non ut ignoranti, ſed ut judicanti opera noſtra & verba; & ut etiam pro nobis loquantur & exorent, *tr.6. diſc.6. 10.*

*Tunc vocavit illum Dominus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me; Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum.* Tota hujus textus doctrina in hoc conſiſtit naturali principio: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Quod ſi igitur ſervus ille ſibi congratulari poterat, quod ex tanta Domini ſui benignitate & miſericordia debiti ſui conſecutus eſſet remiſſionem, revera quoque ex debito aliquo morali & decentia debebat miſereri conſervi ſui, ac proinde dignus conſequenti pœna, quia proximum ſuum non dilexerat ſicut ſeipſum, circa quod præceptum variæ inſtituuntur conſiderationes; *tr.5. diſc.9. per totum.*

*Et iratus Dominus ejus, tradidit eum tortoribus quoadusque redderet univerſum debitum.* Tradidit eum tortoribus, repræſentans enim iſti ſervo nequam ſummam ingratitudinem erga Deum, & crudelitatem erga conſervum ſuum tradidit illum crudeliſſimo tortori, nempè ſuæ propriæ conſcientiæ, quæ præterquam quod naturaliter nobis ſit impreſſa, maximus tamen conſcientiæ malæ eſt cruciatus, ut merito tortor & carnifex dici poſſit. Quoniam nec torquere ceſſat donec depoſita ſit omnis culpa, per ſolutum omne debitum, *tr.15. diſc. 24. & 26.*

*Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Formidoloſa certe ſententia, ſed juſta, quia cum facillimum ſit & delectabile fraternam ſervare charitatem, merito ijdem cum ſervo iſto nequam tortoribus traduntur temporalibus & æternis, qui nec in tantum divino voluerint obedire præcepto, neque tantillum malignæ ſuæ contraire voluntati. Unde defectus hujus dilectionis reprobationis judicium eſt, & varia hujus præcepti transgreſſoribus ſunt irrogata ſupplicia. De quo vide *Tract. 5. diſc. 10. per totum.*

## DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

*TUnc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt. Matth. 22. v. 15.* Poſtquam Chriſtus Dominus per longam prædicationem Phariſæos hoſce à vitijs & peccatis revocare fere per triennium allaboraſſet, eoſdemque ſæpe reprehendiſſet, imo & morte & urbis ſuæ excidio terruiſſet, illi tamen nequaquam emendati; *Tunc*, id eſt, eodem die Martis poſt Dominicam Palmarum, ut notant Carthuſianus, Hugo, Lucas Burgenſis & alij, abeuntes conſilium inierunt, nova & iniqua adverſus eum molientes. O perditæ ſalutis homines! Similes ſunt hiſce Phariſæis ijs, qui correctiones aſpernantur & rident, corrigentem vero calumniantur & indigne tractant, *tr. 18. diſc. 4. per totum.*

*Ut Jeſum caperent in ſermone.* Inſigne profecto ſtratagema, quo, quia lingua nihil incautius, quo majorem ſibi promittebant certitudinem de Chriſto triumphandi. Linguæ enim laqueus periculoſiſſimus, ut vix illum evadere poſſimus. Utitur & eadem ſæpiſſime Dæmon, alios capiens in blaſphemijs tamquam lingua ſibi propria, *tr. 11. diſc. 7.* alios in calumnijs, *tr. 12. diſc. 2.* alios in detractione murmuratione & maledictione, *tr.21. diſc.10.* alios in rerum turpium enarratione, cui ultimo malo quomodo obviandum ſit & medendum vide, *tr.14. diſc.19.*

*Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis.* D. Chryſoſtomus *in Imperfect. Hom. 42.* ſic ait: *Phariſæi quò abierunt? Ad Herodianos qui in Diaboli iniquitatibus ambulabant, Diaboli adjutorium neceſſarium habent. Sic & iſti convenienter, non ad ſervos Dei, viros religioſos, ſed ad Gentiles, id eſt, Herodianos ſe contulerunt, quis enim poterat dare conſilium contra Chriſtum, niſi Diabolus.* Et hoc quod Diabolus hic in propria perſona efficere non poterat, per malos hoſce Phariſæos & Herodianos ad invicem congregatos efficere conatur. Malis enim ſodalibus ad pervertendos bonos Diabolus utitur tamquam inſtrumentis, *tr.17. diſc.10. per totum.*

*Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Ecce molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum & ipſi tamen ſunt jacula: Accedentes enim diſcipuli Phariſæorum ad Chriſtum cum Herodianis, blandis & adulatorijs vocibus dicunt, *magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Magiſtrum dicunt, quem ſeductorem publicabant. Unde D. Chryſoſt. in Imperf. Hom. 42. *Hæc eſt*, ait, *adulatorum prima ſimulatio, quia laudant quos perdere volunt.* Et idcirco præſtat à detractoribus corrigi quam ab adulatoribus decipi, *tr.2. diſc.7. per totum.*

*Magiſter ſcimus quia verax es &c.* Dæmonis vicem hic agunt Phariſæi, & tentant Chriſtum ut eum capiant in ſermone, & utuntur Dæmonis ſolertia, qui dum aliquem aggreditur, ſe illius genio accommodat. Sic quoque ſciebant Phariſæi Chriſtum de ſua veracitate gloriari. Joannis 5. v. 3. *Scio quia verum eſt teſtimonium meum.* Ideo accedentes diſcipuli Phariſæorum dicunt, *ſcimus, quia verax es.* Ut adulantes ei de veritate, de qua gloriabatur, extorqueant ab eo optatum verbum, tributum dare Cæſari non licere. Sic quoque, inquit, *Gregorius lib. 14. Moral. c. 7. Intuetur inimicus generis humani uniuſcujuſque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcit facilius inclinari mentem, tr.19. diſc.3. per totum.*

*Licetne cenſum dare Cæſari? Cognita autem Jeſus nequitia eorum ait, quid me tentatis hypocritæ?* Blande quæſtionem proponunt Phariſæi, ſed Jeſus detecta nequitia eorum aſpere reſpondet; Obſerva igitur, ait D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Iſai: *Obſerva igitur*, ait, *quo pacto redarguat palpantes, & blandientes repellat, non enim adhærebit his*: Ut inde inſtruantur Principes quod hujuſmodi adulatores eis maxime debeant eſſe ſuſpecti. Qui tamen è contrario à Principibus hodiernis magni æſtimantur, *tr. 3. diſc.11. per totum.*

*Oſtendite mihi numiſma cenſus, at illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jeſus, cujus eſt hæc imago & ſuperſcriptio?* Imago hæc myſtice explicata noſtra eſt, noſtra autem imago Dei eſt, Deo conſequenter totaliter conſecranda eſt juxta illud: *Reddite ergo quæ ſunt Dei Deo, tract. 7. diſc. 4. 5.* Item imago noſtra & animæ noſtræ ſumma pulchritudine depicta eſt, quia in ea relucet divinæ operationis effigies, ibid. *diſc. 4. n. 6.* Item in quo differat ſimilitudo ab imagine, *tract. 7. diſc. 5. n. 2. 5. 6. 7.* Non abs re hoc ponitur, quia potuit creatura rationalis perdere id quod eſt ſimilitudinis, non quod eſt imaginis divinæ, *tr. 7. diſc.5. n.3.*

*Date ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Plurima imo totum debemus Deo amatori noſtro, *tract.4. diſc. 5. 6. 7. &c.* Nihilominus ſolo contentus eſt amore, *ibidem diſc. 17.* & corde noſtro, *ibidem diſc. 1. 13. 14. 15.*

## DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

*LOquente Jeſu ad turbas, ecce Princeps unus acceſſit.* Matth. 9. v. 20. Acceſſit Princeps hic ad Chriſtum ſicut alij accedebant. Sorores autem Lazari non adierunt, ſed miſerunt, viris etenim convenit exire foras, mulieribus autem non item. Ad caſtitatem enim conſervandam ſolitudo plurimum conducit, cui vel maxime ſexus fœmineus deditus eſſe debet, *tract. 14. diſc. 21. per totum.*

*Et adorabat eum dicens: Filia mea modo defuncta eſt, ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* Non acceſſiſſet niſi temporali filiæ ſuæ preſſus fuiſſet infirmitate; bonæ igitur ſunt corporales infirmitates & adverſitates. Mala enim quæ nos premunt ad Deum ire compellunt, *tract. 4. diſc. 6. n. 9. 10. tr. 7. diſc. 15. n.17. tr.8. diſc. 25. n. 13.*

*Surgens Jeſus ſequebatur eum.* Ubi primum Jairus acceſſit ad Chriſtum ſine ulla dilatione cum eo Dominus pergit in domum ſuam. Rupertus lib. 10. in Joannem componit cum hac celeritate quam Dominus hic præſtitit ad ſuſcitandam puellam, moram illam, quam traxit

xit poſt annuntiatam Lazari infirmitatem. *Quare*, inquit Rupertus, *manſit in eodem loco duobus diebus, utique idcirco ut eo retardante moreretur. Non enim volebat languidum illum ſanare, ſicut Archiſynagogi filiam, reſuſcitare.* Audita morte adoleſcentulæ feſtinat Dominus eam reſuſcitare; Cognita infirmitate Lazari duobus diebus tardat. Sed cur hoc? expende textum, inquit Rupertus: *Jeſus Lazarum diligebat, ut ergo audivit quod infirmabatur, tunc manſit duobus diebus.* Tardatur in illo loco ut fieret manifeſtum, quam ægre ac difficulter vitam iſtam ac temporalia bona dilecto amico ſuo ac juſto præſtabat, cum illa à Deo nos ſeducant, *tr. 8. diſc. 8. per totum.*

*Et ecce mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur &c.* Hæc mulier miraculorum fama excitata ſtatim ad Chriſtum ſe contulit, nec in aliam vicem fortuiti aliquaudo tranſitus Chriſto appropinquare diſtulit, ſed tempus obſervavit, & Chriſtum acceſſit, ut diſcat peccator quod eo ipſo quo à Deo vocatur per inſpirationes ut pœnitentiam agat & confiteatur, voci ejus pareat, ne dum ex raritate & dilatione confeſſionis peccatum inveteretur in anima, illaque debilis efficiatur in virtutum exercitio & impotens ad Dæmoni reſiſtendum, tandemque ſe in æternam damnationem præcipitem agat, *tract. 15. diſc. 7. per totum.*

*Acceſſit retro & tetigit fimbriam veſtimenti.* Non clamat mulier, vel rogat pro ſua ſalute ut Archiſynagogus vel cæcus; ſed tacens retro venit ad Chriſtum. Cujus rei cauſam dat D. Ambroſ. *lib. de Salomone c. 5.* quia turpi & fœtido morbo laborabat. Et tamen, ut notat D. Paſchaſius *lib. 5. in Matth.* accedit: *Maluit enim fidei trepidante conſilio exfiducia judicari quam de tam fœtido vulnere ſic perire.* Audiant hoc ſceleſti & immundi, abrumpent pudorem noxium, & aſſumant conſilium fidei & viam ſalutis inveniant. Depoſita verecundia ſarcinam deponant peccatorum, *tr. 15. diſc. 20.*

*Acceſſit retro & tetigit fimbriam veſtimenti.* Hæc mulier retro accedens peccatorem denotabat, qui dum vult converti ad viam anteactam reſpicere debet, per exactiſſimum conſcientiæ examen, *tract. 15. diſc. 17. per totum.*

*Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.* Prius accedit vir; & poſtea mulier, prius tamen intentum obtinet mulier, quam vir; quia ardentius amant mulieres quam viri: omnia igitur mala tollit & bona confert indilate ardens & ſincerus amor, *tr. 4. diſc. 4. & 5. &c.*

*Et cum veniſſet Jeſus in domum Principis, & vidiſſet tubicines & turbam tumultuantem, dicebat recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit.* Ecce tertium miraculum. Pro quo ponderandum illud quod ingenioſe notavit Origenes *lib. 2. Contr. celſum. Quod mortuos excitaverit Chriſtus per paucos; id expreſſerunt Evangeliſtæ: Archi-Synagogi ſcil. filiam, de qua neſcio quomodo dixerit Jeſus, non eſt mortua puella, ſed dormit, & unicum viduæ filium, & Lazarum illum quatriduanum, & id dixerim, ut enim in Eliſæi Prophetæ diebus etſi erant multi leproſi, ex his tamen nemo mundatus eſt, niſi Naaman Syrus, ſic & mortui erant in tempore Jeſu multi ſed illi ſunt à mortuis excitati, quos Deus verbum ad reſurgendum aptiores cognovit.* Sed quinam iſti? Profecto non alij quam caſti & innupti, ſicuti hi tres fuerunt, hi enim caſto & virgineo corpore viventes aptiores inveniebantur ut mortem fugarent & vita viverent, *tr. 14. diſc. 3. per totum.*

*Cum ejecta eſſet turba intravit.* Non intravit niſi poſt ejectam turbam, quia Deus in cordis noſtri poſſeſſionem nullum vult admittere conſortem, *tr. 4. diſc. 15.*

*Intravit & ſurrexit puella.* Sicut ad introitum animæ in corpus vivificatur corpus, ita ad introitum Dei in animam peccatoris vivificatur anima, Deus eſt enim anima animæ noſtræ, *tr. 7. diſc. 15. n. 1. 2. &c.*

*Cum ejecta eſſet turba intravit.* Cor ſedes eſt amoris, non igitur illud ingreditur Chriſtus niſi prius exterminata turba, quia ſcilicet nequeunt ſimul ſtare amor Dei & mundi, *tr. 8. diſc. 13. &c.*

DOMINICA ULT. POST PENTECOSTEN.

*CUm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.* Magnitudo ac terribilitas abominationis Antichriſti ex multis deſcribitur in præſenti. *Qui in tecto eſt non deſcendat tollere tunicam ſuam.* Et iterum, *væ prægnantibus & nutrientibus &c. Tandem erit tribulatio magna.* Tamen in capite omnium abominationum ponit Dominus, abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto. Omnium peſſima ac horrendiſſima abominatio ex loco ſancto profanato oſtenditur; Et ſi lex Moyſis, templi Judaici cultus & ſacrificia, jam eſſent abrogata; tempore illius deſolationis & tamen templum illud Judaicum in quo futura erit hæc abominatio, adhuc vocat locum ſanctum, abominationemque futuram in eo horribiliſſimam judicat; quanta putas, O Chriſtiane, Deum non offendet in templis veris, ubi ille vere habitat in ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento abominationes peſſimas exercere? *tr. 20. diſc. 7. 8. 9. &c.*

Alia hic Dominus proſequitur enarrare ſigna, quæ coincidunt cum ijs quæ diximus Dominica prima Adventus,

# INDEX CONCIONATORIUS FESTORUM.

## Feſtum S. Andreæ Apoſtoli.

*AMbulans Jeſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus & Andream fratrem ejus.* Matth. 4. Magna ſane Andreæ gloria, quod ex Baptiſtæ ſchola ad Apoſtolicum munus à Chriſto vocatus ſit. Major tamen Sancti Petri fratris ejus eſſe videtur, quod ſupra Andream, ad Apoſtolici muneris apicem evectus fuerit. Sed in hoc tamen non minor Andreæ patet ſanctitas, quæ æquali gloria ac beatitudine muneratur dum æquali & magiſtri & fratris morte condecoratur. Sine dubio crucis mors excellentior ac ſacratior magiſque pretioſa in oculis divinæ majeſtatis apparet, ut teſtatur Petrus Damian. Serm. 57. *Inter cuncta ſane*, ait, *Martyrij genera illud nobilius, illud non immerito judicatur eſſe præcipuum, quod in ipſo Redemptore noſtro, capite; videlicet Martyrum cognoſcitur dedicatum.* Et tamen ſi recte conſideres, invenies quod inter omnes Apoſtolos Petrus & Andreas hac gloria ſublimati ſunt: *in illam enim*, pergit citatus Pater, *beatitudinem ſempiternam eos crux parturivit æquales, qui enim hic ſunt filij Joannis, illic ſunt filij crucis. Crux enim quæ omnes morientes huic vitæ ſubtraxit, cæleſti Jeruſalem renaſcentes, cum triumphali gloria novos cives invexit.* Sic enim Chriſtus ambobus fratribus cœlorum regnum conſignarat: Sed cum eodem onere quo ille idipſum acquiſivit, id eſt, ſub onere crucis; quod non parum Andreæ auget gloriam, qui eodem mortis genere meruit honorari, *tr. 10. diſc. 13. per totum.*

*Ambulans Jeſus juxta mare Galilææ.* Andreas piſcator erat, homo rudis ac ſimplex, ſicut & alij Apoſtoli. Ex quo impijſſimi idololatræ Porphyrius & Julianus Imperator, ut refert Salmeron *tom. 4. p. 1. tract. 25.* objiciebant Chriſto, quod aſciverit ad ſuum Apoſtolatum, ac conſortium homines ſimplices, & ignorantes, quibus poſſet facile verba dare abſque eo, quod valerent ejus vivendi modum apprehendere. Sed iſti falſiſſimi impoſtores ac blaſphemi inde putant, aliquid de Chriſti magnitudine detrahere, unde magis ejus divinitas ac majeſtas patefit ac declaratur. Deus enim calumniarum falſitatem detegit &c. *tr. 12. diſc. 5. per totum.*

*Ambulans juxta mare Galilææ.* Apoſtolus elegit rudes & pauperes, ſupremo omnium operi quod in mundo agendum erat, applicandos. Pecunia enim cum à deſiderio & lucro bonorum cœleſtium retrahat; conveniebat ut Apoſtoli, qui illo deſiderio maxime ardere debebant, ab hujuſmodi bonis nudi exiſterent, ut eo magis cœleſtibus abundarent, *tr. 8. diſc. 12.*

*Vidit duos fratres mittentes rete in mare, & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* D. Paſchaſius *lib. 3. in Matth. In iſtis*, ait, *quippe duobus quos primum Chriſtus ad fidem vocat, figura omnium eorum eſt, qui de profunditate rerum carnalium retia mittentes quotidie revocantur. Retia igitur ſua mittentes in mare, ſimul omnes ſuis occupantur negotijs, dum unuſquiſque ſagenam concupiſcentiarum, poſt vana ſæculi lucra avidus piſcator laxat.* Retia concupiſcentiam carnis denotant, quibus homo illaqueatus implicatur. Apoſtoli vocantur, non dum retia extrahunt, ſed dum in mare projiciunt & laxant: Nemo enim ad magna & præclara dignus eſt qui carnalis concupiſcentiæ retia à ſe non abjicit. Econtra verò caſtitas ad ſcientiam & ſapientiam comparandam plurimum confert &c. *tr. 14. diſc. 10. per totum.*

*Mittentes rete in mare.* Cupiditas mittebat retia, maris enavigabat ſpatia, varijs fluctibus impetita, & verticibus agitata. Nequit enim cupiditas quieſcere, ſed circumvolvitur



volvitur vorticibus agitata & naufragij periculo ſemper expoſita eſt, *tr. 8. diſc. 27. per totum.*

*Mittentes rete in mare.* Laboribus refertur Andreas fatigatus, non tamen piſcium copia recreatus. Imo inſomnem fortaſſis totam traxerat noctem, ne unico quidem capto piſciculo. Hæc ratio mundi, qui falſis deludit ſpebus, fatigat laboribus, *tr. 8. diſc. 23.*

*Vidit duos fratres.* Chriſtus oculos ſuos ita modeſte componebat, ut ſcribere licuerit, quoties illos elevarit, & ita notarunt Evangeliſtæ, ut & nos illos componeremus, *tr. 14. diſc. 20. ubi de periculis oculi vagi.*

*Et ait illis, venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Non ait: Faciam vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, non ait nunc; Ecce dabo vobis claves regni cœlorum; ſed faciam vos piſcatores hominum: *Captores piſcium fiunt hominum piſcatores*, inquit D. Chryſoſtomus Serm. 28. ut manifeſtum ſit, quod qui ad Prælationes Eccleſiaſticas vocantur, non tantum ad dignitates, ſed ad labores & ad preſſuras trahuntur, *tr. 3. diſc. 10. & 16. per totum.*

*At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Ponderoſum non erat Divo Andreæ retia relinquere, cui erat exoptatum gaudium crucem aſcendere. Amabat Andreas tenerrime Chriſtum; ex quo crucis dolores illi dulces facti ſunt. Amori namque nihil invenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum, *tr. 4. diſc. 17. per totum.*

*Domine ne me permittas de cruce deponi.* Verba ſunt Sancti Andreæ Apoſtoli: Accurrit catervatim populus illum de cruce liberaturus, ſed conſtantiſſimus in paſſione Apoſtolus Deum rogavit, *Domine ne me permittas de cruce deponi.* Oſtendens hoc eſſe ſummum Sanctorum gaudium, quod pro Deo patiantur. Conſiderant enim quod juxta tribulationum pro Deo toleratarum menſuram conſolationum quoque creſcat abundantia, *tract. 16. diſc. 18. per totum.*

## Feſtum S. Thomæ Apoſtoli.

Circa hoc feſtum vide Dominica in Albis.

## Feſtum Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

*IN principio erat Verbum.* Verbum divinum, licet in cœlo reſidens ſumma frueretur gloria, ad amoris tamen ſui in homines teſtimonium humana ſubivit incommoda, *tr. 4. diſc. 8. 9. 10. & 11.*

*Et verbum caro factum eſt.* Eas vires peccator contra ſe Dæmoni addiderat, ut opus fuerit divino verbo, carne obarmatum prodire in campum, & cum hoſte congredi, ut illum catenæ alligatum detineret captivum. O ſi tenebras excuterent peccatores, noſcerentque non tam proſterni à virulentiſſimo hoſte quam à perpetrato ſcelere, in quo tota ejus potentia conſiſtit, *tr. 19. diſc. 12.* Certe peccator ſuis culpis adverſario vires refundit, quibus proſtratus miſerabiliter perit, *tr. 19. diſc. 14. per totum.*

*Et habitavit in nobis.* Certe in nobis habitavit divinum verbum divitias ſpernens & paupertatem aſſumens, ut omiſſam recuperaret hominibus libertatem, doceretque, ut qui libertatem acquirere deſiderat, idem & divitias mundique voluptates generoſe ſpernat, *tr. 8. diſc. 6. 10. 24. 25. 26. & 27.*

*Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit & reclinavit in præſepio.* Venit Chriſtus in mundum, ut viſitaret nos oriens ex alto per miſericordiam & redemptionem; & ad deſtruendum peccatum. Sicque venit cum paupertate in panniculis, humilitate in parvo corpuſculo & ſtabulo, mortificatione in præſepis & fœni duritia, & optime quidem ac convenientiſſime cum his tribus venit, ad exturbandum, ut dixi, mundo peccatum quod regnabat per divitias, *tract. 8. diſc. 2. 4.* ſuperbiam ſeu ambitionem, *tract. 3. diſc. 2.* & carnis delicias ſeu luxuriam, quæ maximam cum idololatria habet connexionem, *tr. 13. diſc. 4. 5. & 6.*

*Et pannis eum involvit & reclinavit in præſepio.* Si puer natus extreme dilexit paupertatem, quare non extremam amplectitur (ut eſſet vel omnino nudus vel in ſordidis panniculis involutus? Ad quod reſpondeo. Adamus non eſt damnatus ad tantam inopiam, ſed pellibus induitur & bona terræ ei conceduntur: Chriſtus ergo ſecundus Adam, qui ut pro eo ſatisfaceret advenerat, ſtatim in primo ingreſſu graviorem pœnam ſubire noluit, ad crucem enim hos ſibi exceſſus reſervavit, ubi nudus & ſub aëre in ligno pendens mortuus. Mirabiles ſunt hæ inventiones quibus Dei Filius uſus eſt ut magis pateretur, *tr. 4. diſc. 10. in fine.*

*Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.* Chriſti nativitas aliquibus fuit manifeſtanda; ut illius eſſent teſtes fideliſſimi. Hi ex divina providentia eliguntur paſtores, & quidem non ſine myſterio. Paſtores enim ſoliti erant divertere ad ſtabulum illud ac ſpeluncam, ne ergo de more ac ſine reverentia intrarent, & ad illum accederent locum, ideo eis Chriſti nativitas denuntiatur. *Et cauſa eſſe videtur*, inquit D. Eucherius *Hom. de Nativ. ut prius paſtoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quaſi incauti ſtabulum intrarent, & in præſepe adire tentarent, in quo puer poſitus erat.* Locus enim, in quo Deus adeſt, ac ejus præſentia honoratus eſt, maxime reverenter attingi debet, *tr. 20. diſc. 7. per totum.*

## Feſtum Sancti Stephani Proto-Martyris.

*ECce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas. Matth. 23. v. 34.* Ecce mira & mirabilis Chriſti pietas etiam poſt mortem ſuam mittentis ad Judæos, Apoſtolos & Diſcipulos invitantes eos ad fidem & pœnitentiam ut miſericordiam inveniant. Ex quo Deus maximopere beneficus conſideratur &c. *tr. 4. diſc. 7. per totum.*

*Et ex illis occidetis.* Miſerat Dominus ad Judæos Prophetas & Sapientes ad hoc ut illos de vitijs ſuis arguerent, & de mutanda vita adhortarentur, illi verò ingrati & rebelles facti correctionem illorum aſpernantes, illos etiam occiderunt. Enorme certe ſcelus! perditæ ſalutis homines! qui ſine pœna manus Dei certe numquam effugient, *tr. 18. diſc. 4.*

*Jeruſalem, Jeruſalem! quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti?* Vox Græca, gallina, communis eſt ad avem in genere, & ad gallinam in ſpecie, aptiſſime tamen verſio noſtra trahitur ad gallinam in ſpecie: Nam ut D. Auguſtinus ait: *lib. 1. q. Evang. q. 36. Mirus eſt amor omnibus fere avibus ad conſervandos & protegendos pullos, ſed præcipue Gallinis, quæ pullos colligunt ſub alas, id eſt, cum deſiderio & ſolicitudine eos fovent.* Sic quoque Chriſtus animas noſtras ſua gratia ac auxilijs fovet ac protegit, cum eas per-magni faciat, *tr. 7. diſc. 11.* Unde & ipſi multum obligamur, *ibid. tr. 13.*

*Et noluiſti*: Vid. Dom. 2. poſt Pentecoſten, ad illud: *Cœperunt omnes ſe excuſare.*

*Videbant vultum ejus tamquam vultum Angeli ſtantis inter illos.* Mirabilis certe laus Stephani, quod inter homines apparuerit ut Angelus; nec immerito caſtitas enim & continentia Angelis nos ſimiles facit, qua tamen virtute præcipue floruiſſe D. Stephanus cenſendus eſt, *tr. 6. diſc. 15.*

*Ecce video cœlos apertos & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Profecto non mirandum eſt Stephanum tanta fortitudine plenum, ut etiam ad mortem legem defendat Evangelicam, dum cœlos vidit apertos; quiſquis enim cœlum aſpicit jugum legis libenti animo portat; Et ideo Evangelij ſectatores plus patiuntur quam qui in antiquo Teſtamento vixerunt, cum jam paradiſus ſit apertus, cujus conſideratione omnia facili negotio ſuſtinentur, *tr. 10. diſc. 22.*

*Et video cœlos apertos.* Iterum dico, non eſſe hoc tam mirandum quod Sanctus Stephanus plenus ſit fortitudine, dum videt cœlos apertos; tanta enim ex hac conſolatione repletus eſt, ut nulli lapides nullæ eum vincere potuerint adverſitates; quod idem tibi contingeret mi Chriſtiane, ſi cœlos apertos videres; ſuperabundantes enim gloriæ cœleſtis deliciæ; ex conſolationibus quas Deus ſervis ſuis, etiam inter tormenta & dolores communicare ſolet deduci poſſunt. Et ideo hic flendum eſt, ut ibi gaudere poſſimus, *tr. 10. diſc. 8. per totum.*

## Feſtum S, Joannis Evangeliſtæ.

*DIxit Jeſus Petro, ſequere me.* Converſus autem Petrus vidit illum diſcipulum quem diligebat Jeſus ſequentem. Joannis 21. v. 20. Poterit hic aliquis Petrum de quadam inurbanitate ſugillare, quod cum ei dictum eſſet à Chriſto: *Sequere me*: Ipſe vultum ad poſteriora verterit: Converſus Petrus vidit illum diſcipulum &c. tamen nil inurbanum commiſit Petrus, ſed valde Politice omnia egit; optime enim ipſe noverat, quod anima magis eſt ubi amat quam ubi animat; ac proinde cum ipſe bene ſciret, quod amor Chriſti valde peculiariter in Joanne reſidebat, *diſcipulus quem diligebat Jeſus.* Inde *converſus Petrus* vultum retro inclinat & reſpicit Joannem tamquam bene ſciens, quod Chriſti anima magis erat, (metaphorice loquendo) in Joanne quem amabat quam in proprio corpore quod animabat; Sed ex quo motivo tantus amor? propter virginitatem, acceptiſſima enim agno immaculato eſt virginitas, maximamque cum Deo habet ſimilitudinem &c. *tract. 14. diſc. 2. & 3.*

*Dixit Jeſus Petro ſequere me.* Certè valde decipitur, qui ſibi perſuadet, eos qui ad Prælaturas vocantur, ſedere poſſe & requieſcere; nam non ea intentione eas Chriſtus inſtituit & ordinavit, ſed ut perpetuo ad ejus obſequium diſcurrant;

diſcurrant animarum ſalutem procurantes, *tr.* 3. *diſc.* 16. atque idcirco viri Sancti, tantopere oblatas Prælaturas fugerint, *ibid. diſc.* 15.

*Hic eſt diſcipulus ille quem diligebat Jeſus.* Maxime amor Jeſu in Joannem ex eo relucet, quod Jeſus in cruce ei dederit ſacratiſſimam Virginem in Matrem. Amor enim cum totus feratur in bonum dilecti ſic magnum bonum ex hac Virginis Matris aſſociatione intendebat Jeſus in Joanne, nam ex miniſterio ac cuſtodia Virginis, excellentiſſimas hauſit virtutes & dona, & inde ſemel & iterum ſcribit Joannes de ſe, quod cum vidiſſet Angelum: *Cecidi ante pedes ejus, ut eum adorarem, & dixit mihi: Vide ne feceris: conſervus tuus ſuum. Apoc.* 19. *v.* 10. *& cap.* 22. *v.* 8. Cur Angelus tam ſtricte prohibet à Joanne adorari cum adorari à Joſue non recuſaverit? *Joſ.* 5. *v.* 15. qui etiam Virgo erat, ut ſcribit D. Ignat. ad Philipp. D. Hieron. lib. 1. contra Jovin. Cur ergo non patitur Angelus ſe adorari, quàm excellentiam vidit in Joanne. Cauſam dat Petrus Damianus *ſerm.* 63. *Noluit adoratorem quem decernebat æqualem fratrem, quamvis enim in omnibus ſanctis, ſemper ſit Angelicæ munditiæ contubernalis & cognata Virginitas, beatus tamen Joannes tanto reliquas virgines ſuperat, quanto virginitatem B. Mariæ per ſedulitatis ac perpetuæ cuſtodiæ meritum appropinquat à qua ſola videlicet præceditur.* Sic quidem Virgines Angelis ſunt ſimiles; ſed aliquando etiam multis in rebus ſuperiores ſicut hic in Joanne viſum eſt, *tr.* 14. *diſc.* 5.

*Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.* O mira Joannis excellentia! O mira Domini dignatio! *Non audet,* inquit B. Thomas de Villa Nova, *Baptiſta ſacrum Domini contingere verticem: Magdalena cum timore & tremore pedes tangit, Thomas niſi juſſus manum non mittit ad latus; Joannes autem dilectus non juſſus, nulla petita venia confidenter recumbit ſupra pectus Domini;* idque ſingulari privilegio caſtitatis. Homines enim caſti multos à Deo favores & dona ſpecialia recipiunt, *tr.* 14. *diſc.* 8. Item magna ex hoc accubitu & altiſſima Joannes percepit myſteria; ſic enim D. Bernardus ſerm. 8. in Cant. ait, *Hauſit Joannes de ſinu unigeniti, quod de Paterno hauſerat ille.* Nec mirum virgo erat Joannes, caſtitas enim ad ſcientiam comparandam plurimum juvat &c. *ibid. diſc.* 10.

## Circumciſio Domini noſtri Jeſu Chriſti.

P*Oſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer. Luc.* 1. *v.* 21. Certum eſt & quidem de fide, Chriſtum Dominum ſub circumciſionis præcepto non comprehendi, ſed voluntarie illi ſubjectum fuiſſe, circumciſio enim inſtituta erat in ſignum peccati, & in illius remedium parvulis applicabatur: Chriſtus Dominus vero conceptus non de viro, ſed de Spiritu S. peccatum habuit nullum: illa igitur non indigebat, voluit tamen circumcidi; & quidem hanc ob cauſam quàm elegantiſſime Dionyſius Carthuſianus deſcribit, dicens: *Circumciditur, ut virtute ac, & merito ſuæ circumciſionis fideles ſuos à duritia præcepti illius exoneraret, & ipſam circumciſionem in Baptiſmum dulciter commutaret.* Et ut inquit Origenes in Lucam, *Caput pro membris acciperet curationem*, oſtendens ſummam curam quàm gerit erga animarum ſalutem, *tr.* 7. *diſc.* 10.

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer.* Singulariter hic obſervo tempus circumciſionis: Quamvis enim Dominus Legem voluerit obſervare, quæ præcipiebat ut infans octavo circumcideretur die; poterat tamen divina providentia ordinare, ut ante illud tempus Magi advenirent, ut myſterium tantum, ac tam admirabile nomen eorum præſentia celebraretur. Sed cur igitur ante illorum adventum circumcidi voluit? Reſponderi poteſt, quod Chriſtus in Magorum adoratione, ut totius univerſi ſupremus eſt recognitus Dominus, & tamquam vero Salvatori munera ac primitiæ gentium erant offerendæ; bene ergo prius circumciditur, ut fiat manifeſtum, quod ad dignitatis percipiendos fructus atque ſuavitates prius ſint moleſtiæ ac labores perferendi. Honores enim merita prærequirunt, *tr.* 3. *diſc.* 12.

*Ut circumcideretur puer.* Si circumcidat ſuam carnem, qui illam omnino habet mundam & ab omni concupiſcentia liberam, quantò plus non qui pleni ſumus carnalium voluptatum ſtimulis, nihil enim eſt, quod ad eos refrænandos tam conducit quam maceratio & caſtigatio carnis, *tr.* 14. *diſc.* 12.

*Ut circumcideretur puer.* Circumcidendo carnem diſponit ſe ad recipiendum ſuum nomen Jeſus quod venit è cœlo, & tuam circumcidendo à ſuis affectibus carnalibus, maximè libidinoſis, diſpones te ad recipiendam beatitudinis arrham quam caſtitas nobis confert, *tr.* 14. *diſc.* 7.

*Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* In prima pretioſi ſanguinis ſui effuſione, datur ei nomen Salvatoris, quod eſt nomen Jeſus, quia ad nos ſalvandos ſanguinem ſuum erat effuſurus & crucem paſſurus; Si autem ad dandam nobis ſalutem ſic tractabat carnem ſuam egitque vitam adeo pœnoſam, quid nos facere juſtum erit ut nos ſimus ſalvi. Certè quiſquis ad paradiſum vult ingredi prius perflammit vomum ærumnarum & tribulationum hujus vitæ enſem tranſire debet, *tr.* 10. *diſc.* 14.

*Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Statim poſt nativitatem vult ad nos pervenire notitiam nominis ſui, ut ſimul noverimus quid ipſe tamquam Salvator in animabus noſtris operaturus eſſet; in quibus tam in omnibus quàm in ſingulis nihil aliud operabatur quàm ſalutem, *tr.* 7. *diſc.* 12. Sic quoque voluit etiam nos ſcire proprium nomen Dæmonis cujus tamen varia ſunt nomina, ut ſub eorum typo & figura declarentur damna quæ in animabus noſtris cauſat, *tr.* 19. *diſc.* 1.

*Vocatum eſt nomen ejus Jeſus.* Non ſine myſterio hoc voluit accipere nomen, in quo quaſi in compendio nobis inſinuarentur beneficia quæ nobis conferre intendebat; adhoc ut nobis eadem recognoſcendi & magnæ ipſum amandi obligationis refricaretur memoria; ea autem ſunt beneficia vocationis, juſtificationis, præſervationis &c quæ jugiter nos ad amorem Dei obligant, *tr.* 4. *diſc.* 12.

## Feſtum Epiphaniæ Domini.

C*Um natus eſſet Jeſus in Bethlehem in diebus Herodis Regis. Matth.* 2. *v.* 1. Valdè accurate rem deſcripſiſſe videtur Evangeliſta, dum non tantum Herodis ſed etiam Regni facit mentionem, *Herodis Regis.* Theophylactus hujus rationem aſſignat, dicens hoc factum eſſe ad diſtinctionem alterius Herodis Tetrachæ. Alia autem ratio dari poteſt: Dicitur enim Herodes Rex, ad illius Regni majorem certitudinem, quod ipſe adveniente Chriſto amittere timebat; Chriſtus Dominus autem non ut auferret ſed donaret regnum non quidem terrenum ſed cœleſte; auferret quidem regnum temporale ſed ut daret regnum æternum, *tr.* 10. *diſc.* 2.

*Ecce Magi ab Oriente venerunt,* Magos fuiſſe Reges indubitatum eſt ex communi Patrum ſententia. Cur vero Evangeliſta hoc eis non dederit nomen, multæ ſunt rationes. Prima eſt Caſſiani dicentis non fuiſſe Reges ſimpliciter, ſed parvos Reges. Secundò reſpondet Palatius. Quia ſicut coram ſole ſtellæ non micant, ita coram Chriſto Principe ſummo nullus fidelis Rex debet vocari. Poſſet & reſponderi tertio, quod quia regna hujus mundi fluxa ſunt & inſtabilia, Reges non appellantur, ſed ſapientes, utpote illa contemnentes & per virtutes plus ſibi & animo ſuo imperantes, quam alijs ſubditis, pro cujus præmio nunc veluti coronati Reges in ſolio Majeſtatis ſedentes potentes ſunt in cœlis, *tr.* 10. *diſc.* 5.

*Dicentes ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Mira profecto res! Magi hunc puerum Regem vocitant, ut regem adorant, nec tamen ulla regalis majeſtatis aut pompæ nitet apparentia: Ubi enim ejus aula, ubi comitatus, ubi Palatini? ubi palatium, ubi ſceptrum, ubi thronus, & ubi regna? an ergo Rex ſit in ſtabulo, jacens in præſepio inter bruta? Imo vero. Merito Regem eum eſſe dicunt, cum in amplis palatijs inter divitias & honores anguſtiam, in tugurijs & paupertate quietem amplam eſſe ſciant, *tr.* 3. *diſc.* 78. *&* 9.

*Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente.* Hic quæſtioni non inutili occaſionem præbet viſio illa Apocalyptica. *C.* 12. *v.* 1. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, Luna ſub pedibus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Quare ad virtutem mulieris indicandam duodecim ſtellæ radiant; at vero ad Chriſtum dominum demonſtrandum una tantum micat? Reſpondetur: Deus in præmio parat multo majora quàm nos in obſequio habemus. Una ſtella ad noſtrum erga Deum ſufficit famulatum, ut nos vero in beatitudine coroneinur duodecim in diademate componuntur. Beatitudo enim omnia in ſe deliciarum genera continet, *tr.* 10. *diſc.* 7. 8. 9. *&c.*

*Et venimus adorare eum.* Exprimunt adorationem munera tacent, Ad quod primo reſpondet Hugo. *Magi plus habuerunt in opere, quam ſermone dixerunt, quia veniebant adorare, & non ſolum adorant ſed munera offerunt.* Quæ quidem in textu non exprimuntur ad denotandum, quod Chriſtus Dominus noſtrum vult potius cultum ac intimam cordis reverentiam quam munera noſtra. Optimum autem munus eſt cor noſtrum quod unice petit, *tr.* 4. *diſc.* 15.

*Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo.* Hic Herodis timor ex multiplici cauſa proceſſit; omiſſis tamen illis hæc unica mihi ſufficiet. Timet Herodes quia regnum injuſte poſſidebat, & Hircanum ſummum Sacerdotem Regem populi interfecerat, Rempublicam oneribus vexabat; & ideo timet licet in



proſperitate regia exiſtat, nam etiam inter proſperitates maximas mala cruciat conſcientia, &c. *tract.* 15. *diſc.* 25.

*Ut & ego veniens adorem eum.* Alterum ſe dæmonem hic exhibet Herodes, cujus una ſupremarum malitiarum eſt, veſtire malitiam Chlamyde virtutis, & facere actus religionis tectos ſacrilegio, quod, affabre, malum exprimit Herodes, prætextu enim adorandi Deum tentat eum occidere, *tract.* 19. *diſc.* 7. *de fraudibus dæmonis quæ hic facili negotio Herodi poterunt applicari.*

## Feſtum Purificationis B. Virg. Mariæ.

P*Oſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm Legem Moyſi* Luc. 2. Duplex eſt hoc præceptum in lege Moſaica, primum enim tangebat mulierem patientem quæ ſive maſculum ſive fœminam peperiſſet immunda habebatur, aliud ſpectabat Filium primogenitum ſive hominis ſive animalis: omnes enim Deo erant offerendi, quod primum mandatum in ordine ad mulierem parientem attinet, inſinuabat, ut tamquam immunda ad locum ſacrum non ingrederetur, nec ſanctum tangeret: & videtur optime convenire, ut oſtendat Deus quanta munditia requiratur, ut quis accedat locum ubi Deus cum ſuis Angelis moratur; ut inde videas qua tenearis munditia Dei templum accedere, *tr.* 20. *diſc.* 2. Ubi etiam aſſiſtunt ejus Angeli, *ibid. diſc.* 3. Hinc collige quantum crimen ſit templum hoc adire ut cordis tui carnalia deſideria foveas, *ibid diſc.* 16.

*Tulerunt Jeſum in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino.* Ad ſui purificationem ſanctiſſima Virgo conſideravit legem ut Moyſis; ad filij vero ſui præſentationem, ut Dei mandatum; quamvis enim ipſa eſſet exempta, tamen ut pura creatura legi alicujus hominis ſubjici poterat; at ejus natus cum eſſet filius Dei, legi, prout erat à Moyſe, non ſubmittitur à Virgine in reverentiam tantæ majeſtatis; ſubmittitur tamen legi ut à Deo conditæ; nec non Dominus voluntarie ſe eidem ſubjecit, nos inſtructurus qui ſub lege vivimus, quantum nos illi teneamur eſſe ſubjecti quave diligentia illam obſervare, cujus obſervantia via eſt ad cœlum, *tract.* 10. *diſc.* 27.

*Et ut darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.* Præcipiebat lex Lev. 12. 8. *quod ſi manus mulieris non potuerit offerre agnum ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccato.* Cujus legis morales expoſitiones varias aſſignant ſancti Patres, Anſbertus Abbas ſerm. de purif. Utraque oblata, turtur qui ſervat fidem uni viro, fidem ſignificat: Columba vero quæ aliarum cohabitantium unitatem non deſerit, charitatem exprimit, quia, ut omnis noſtra oblatio ſit Deo accepta, debet eſſe non tantum ex fide, ſed etiam ex charitate; Nullum enim opus bonum ſine amore Dei quidquam valet, *tract.* 4. *diſc.* 3.

*Et ut darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.* D. Chryſoſtomus Hom. de Turture. Euſebius Gallicanus, inquiunt, quod per turturem ſignificatur caſtitas; nam hæc avicula adeo eſt continens, ut ſi ſemel ſuum perdiderit ſocium, numquam alteri ſe jungat, ſed ſemper ſolitaria perſeveret. Columba vero felle & amaritudine caret. Innocentiam ſignificat caſtitatis comitem. Unde concludit Gallicanus: *Qui igitur corporis & animæ caſtitatem ac innocentiam cuſtodiunt, illi quidem par turturum, aut duos pullos columbarum domino offerunt.* Sicuti enim hæc oblata acceptiſſima erant, ſic quoque acceptiſſimæ agni immaculati ſodales ſunt virgines, &c. *tract.* 14. *diſc.* 2.

*Ut darent hoſtiam ſecundùm legem.* Suavis fuit hæc legis diſpoſitio, ut mulier juxta vires ſuas offerret, hæc etenim eſt Dei benignitas, quia etiam pro maximo & æterno præmio non petit à te, niſi quod illi facile potes dare, *tr.* 10. *diſc.* 30.

*Par turturum aut duos pullos columbarum.* Peculiariter columba offertur, avis enim lachrymoſa eſt, & in cantu tota ſe fundit in lachrymas, ut notant D. Nazianzenus orat. 40. D. Ildephonſus ſerm. de Purific. Et bene hæc avis datur dum Chriſtus præſentatur in templo, ac ut primogenitus redimitur; Solis enim lachrymis contritionis & compunctionis peccatorum Chriſtus amiſſus comparari & acquiri poteſt, *tract.* 15. *diſc.* 13.

*Et ecce homo erat in Jeruſalem, & homo iſte juſtus & timoratus.* Communis quidem Patrum expoſitio eſt, quod timoratus hic idem ſit ac colens ac venerans Deum. Ven. tamen Galfridus in Allegoriis Tiretmanni ad illa verba Proverb. 28. 14. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus:* eadem ſingulariter exponit, dicens: *Ne mireris quod timuerit juſtus, in quo Spiritus Sanctus erat, non enim erat vacuus coram latrone viator, & quomodo non timeret?* maxime cum non ignoraret quod contra ſanctiorem diabolus acrius accendatur, *tract.* 19. *diſc.* 9. 10. *&* 11.

*Et Spiritus Sanctus erat in eo.* Vide quæ diximus in feſto Pentecoſtes ad illa. *Et ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus*, per quatuor paragraphos.

*Et venit in Spiritu in templum.* Bene recurrit ad templum Deum inventurus, qui in eo non tantum modo quodam eſt ſingulari, ſed etiam nobis abundantius benefacit, &c. *tract.* 20. *diſc.* 5.

## Feſtum Sancti Matthiæ Apoſtoli.

C*Onfiteor tibi Pater Domine Rex cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Matth. 11. Chriſtus Dominus una perſona, nempe Dei filius, ex duplici natura; ſcilicet divina & humana conſtans, ut ſe utramque naturam habere oſtendat, in hac unica eademque ſententia, quoddam verbum ut Deus, quoddam ut homo profert, ut ſicut una perſona Deus, & homo erat, ita unica ſententia verbum Dei & verbum hominis habeat: Patrem appellat ut Deus; gratias agit ſeu confiteri dicit ut homo. Hujus autem gratiarum actionis ex cæteris hanc cauſam aſſigno. Chriſtus gratias agit pro abſconſione myſteriorum prudentibus ac ſapientibus, utpote ſuperbis, ac pro illorum revelatione parvulis, ac humilibus facta. Tam etenim gratificandum, lætandum ac exultandum eſt, pro dignitate, honore ac excellentia indignis ac immeritis denegata, ac pro illius collatione, convenientibus, aptis & proportionatis delata. Honores enim merita prærequirunt, *tract.* 3. *diſc.* 12.

*Et revelaſti ea parvulis.* Quod Judæ laqueus fuit ad mortem, Matthiæ revelavit fugiendum. Avaritia enim ſpecialis eſt laqueus dæmonis, eumque in hoc velut in ſuo centro reſidere oſtenditur, *tract.* 8. *diſc.* 4. Item Matthias in Judæ locum ſuffectus eſt, quem diabolus cupiditate excæcatum ex Apoſtolico collegio traxit in ruinam, gaudet namque dæmon excellentiores ſibi vendicare, *tract.* 19. *diſc.* 9.

*Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus à prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Myſteria hæc à ſapientibus & prudentibus, qui Phariſæi & Scribæ erant, abſcondiſſe, pœna erat graviſſima, ij enim ita ſe prudentes, ſapienteſque jactabant, ut nullius conſilio, nullius admonitione indigere omnino ſibi perſuaderent. Unde ſacratiſſimam & admirabilem Chriſti doctrinam ſaluberrimaque ejus monita omnino rejiciebant. Ideo juſtiſſime ob ſuam ſuperbiam, malitiam atque nequitiam permiſſi ſunt in ſua cæcitate permanere, *tract.* 18. *diſc.* 4.

*Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Omnia, inquit, D. Hieronymus, mihi tradita ſunt: non cœli & terra, & elementa intelligenda ſunt, ſed hi qui per filium acceſſum habent ad Patrem. Hoc eſt, juſti homines omnia ſunt Chriſto. In tantum enim homines appretiantur à Chriſto, tantumque præ vi amoris in eis complacet, ut ſi homines habeat, omnia ſibi eſſe tradita dicat, cum quibus maximè deliciatur: Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Anima quippe noſtra eſt paradiſus & locus deliciarum Dei, *tract.* 7. *diſc.* 8. *per totum.*

*Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Sicut Pater omnia tradidit filio, ſic filius omnia ſua tradidit nobis, omnium nobis faciens conſignationem, nullo excepto, nec quidem carne ſua, nec ſanguine, nec anima, nec divinitate, unde tantopere in nos beneficus conſideratur, ut quocumque nos vertimus, obligatio ſemper recurrat amoris, *tract.* 4. *diſc.* 7.

*Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Vos ſcilicet qui laboratis pro gloria Dei, ego reficiam per conſolationem ſpiritualem. In ſervitio enim & Eccleſia Dei deſudantes ſpiritualibus Deus reſtaurare ſolet conſolationibus, *tract.* 16. *diſc.* 1.

*Tollite jugum meum ſuper vos, jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Pulchre in hunc locum ſcribit D. Paſchaſius *lib.* 6. *in Matth. Graviter, ait, laboribus fatigatos vel oneribus antiquæ legis depreſſos benigniſſimus Salvator ad ſe vocat, ea omnia ablaturus, tantum ut jugum ejus ſuave & onus leve ſuſcipiat.* Onuſtos graviſſima ſarcina Præceptorum ac cæremoniarum antiquæ legis, Dominus ad ſe alliciebat, ut impoſito eis jugo ſuo Evangelico reficiat, quod minime gravat, ſed magna ſui ſuavitate ac facilitate animum recreat; lex enim Evangelica longe ſuavior eſt lege Moſaica, *tract.* 16. *diſc.* 10.

## Feſtum Annuntiationis Deiparæ.

M*Iſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, Luc.* 1. ℣. 16. Poterat Deus hoc myſterium per ſeipſum immediate Virgini manifeſtare, noluit tamen niſi per Angelum. Diverſas diverſi ſancti Patres aſſignant rationes. Chryſologus ſerm. 2. de Annunt. *Audiſtis, ait, agit, ut homo curſibus eiſdem, quibus dilapſus fuerat ad mortem, rediret ad vitam: agit cum Maria Angelus de ſalute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina.* Secundo ut natura Angelica miniſterio tanti operis efferatur honore, quæ injuria erat depreſſa, cum ex ea prodiiſſet

diſſet Lucifer, qui primos parentes à ſuo ſtatu dejecerat; Et quia Angeli hominem de paradiſo ejecerant, Angeli Sodomam caſtigarant, Angeli in exercitu Sennacherib magnam ſtragem ediderant; idcirco quoque Angeli hic humanæ non dedignantur miniſtrare naturæ, Regis enim famuli pro conditione Domini facies induunt; ſi Rex iraſcitur, excandeſcunt omnes; ſi erga aliquem benignus eſt & affabilis eumdem omnes diligunt ac venerantur. Sic quoque hic dum Dominus inclinatus fuit ad miſericordiam, Angelus paratus fuit ad illam denunciandam, ex quo magna Angelorum dignitas oſtenditur, nec non, quod hac non obſtante, in variis miniſteriis nobis ſervire non fuerint dedignati, varias in noſtrum obſequium ſpecies aſſumendo, *tract.6.diſc.5.*

*Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Mariam Virginem.* Non per hominem, ſed per Angelum hæc expeditur legatio; *Quia*, ut inquit D. Chryſologus ſerm. 143. *ſemper Angelis eſt cognata Virginitas, in carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis.* Quia ergo ſanctiſſima virgo adhuc vivens, cœleſtem vitam eamque puriſſimam agebat, ideo cœleſtis nuntius ad eam venit. Virgines etenim Angelis ſunt ſimiles, qui proinde eaſdem ſuo dignantur amore, obſequio & conſortio, *tr.6.diſc.15.& tract.14.diſc.5.*

*Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Mariam Virginem.* Divi Ambroſij ſolicitum hic notandum occurrit Acumen lib.2. in Lucam; ita loquentis: *Sola in penetralibus quam nemo virorum videret, ſolam Angelus reperiret, ne quo degenere depravaretur affectu, ab Angelo ſalutatur.* Non aliquis ex Patriarchis antiquis ac parentibus Virginis ut Abraham, Iſaac, non aliquis Propheta eximius, ut Jeremias vel Elias ad Virginem mittitur; nam quilibet ex his quamvis alto ſanctitatis apice emineret, tamen homo erat. *Ne quo degenere depravaretur affectu.* Angelus ad Mariam venit, nam adeo tenera & delicata res eſt virginitas, ut ex ſuo genere ac natura depravetur affectu, ſi interveniat ſolitarium colloquium puellæ Virginis cum viro etiam ſanctiſſimo, de re etiam ſanctiſſima qualis erat incarnatio, *tract.14.diſc. 30.*

*Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Mariam Virginem* Merito ad Virginem ſalutandam mittitur Angelus, quia non in publico foro, ſed in conclavi delireſcebat: Nam mulieres quæ domi latent ab Angelo, illæ vero quæ foris vagantur, à dæmonibus ſalutari merentur. Ad caſtitatem enim conſervandam ſolitudo plurimum conducit, cui vel maxime fœmineus ſexus deditus eſſe debet, *tr.14.diſc.21.*

*Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Mariam Virginem.* Cur ad Virginem? Ex virgine Matre concipitur Deus, ut ſpem omnium bonorum nobis ingereret. D. Ambroſius lib. 10. Ep.89. ſic ait: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus judicavit, homines magis beneficijs alligari poſſe, quam metu, plusque charitate proficere, quam formidine ad correctionem, itaque promiſit gratiam veniens per virginis partum.* Sicut enim ubi ſunt inquinamenta luxuriæ omne malum timeri & formidari poteſt, *tr.13. diſc.2.4.5. 6. &c.* Ita ubi adeſt virginitatis puritas omne bonum ſperari, *tr.14.diſc.8.*

*Et ingreſſus Angelus ad eam &c.* Apparuit quidem Angelus in humana forma, ſed ingreſſus ad eam dicitur quæ erat in abſcondito, ut ſignificetur quantum placet Deo anima quæ humanas fugit converſationes, & in Deum tota mente transfixa eſt. Non eligitur Virgo in matrem quæ in publico, ſed quæ in ſecreto domus meditationibus vacabat, per ſolitudinem omnes malas fugiens occaſiones, *tr.14.diſc.28.*

*Quæ cum audiſſet turbata eſt.* Eccur Deipara turbatur? Eccur Angelum non reſalutat, an forſan dum ſe gratia plenam audit eum tanto honore non dignatur? minime; ſed ob ſolam verecundiam Angelum reſalutare non fuit auſa, quæ verecundia maxime virginitatem conſervat, *tract. 14.diſc.27.*

## In die Paraſceves ſeu Veneris Sancto.

### *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Hodierna die Paraſceves, puto quemvis Concionatorem dicere poſſe cum Sancto Auguſtino: *Qui Deum non amat, quia ab eo creatus eſt, meretur infernum: qui vero non amat, ob tormenta quæ pro homine paſſus eſt, meretur ut novus creetur infernus.* Dictum hoc ſancti Auguſtini fundatum eſt in ſacris Literis. *Anima quæ in die hac afflicta non fuerit peribit de populis ſuis.* Lev. 23. 29. Sed quare? ob maximum quem hodie Deus nobis in filio ſuo oſtendit amorem. De quo vide, *tract.4.diſc.8.9.10.& 11. Item tract.7.diſc.* 10.11.12. & 13.

Principaliter hac ipſa die affectuum tuorum commotio excitari debet contra peccata quæ mortis hujus cauſa fuerunt. Quod ut eo facilius exequi valeas, unicuique myſterio ſpeciale peccatum ſeu vitium quod in eo à Chriſti interfectoribus perpetratum eſt, aſſignabitur.

Sumpſit paſſio Domini initium ab Agonia in horto, dum, *Factus eſt ſudor ejus ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram. Luc. 22. ℣. 44. Et factus eſt* præ nimia Agoniæ vehementia, anxietatis & orationis ardore ac inſtantia. *Sudor ejus* è toto corpore, capite, manibus ac pedibus emanans: *Sicut guttæ ſanguinis.* Syriacus habet, *ſicut Grumi.* Grumi ſunt guttæ ampliores ſeu craſſiores. Sed unde tam copioſa ſanguinis effuſio? Eſt quidem germana ſanguinei hujus ſudoris cauſa, clariſſima prævìſio, qua omnium totius mundi peccatorum, qua, altera die illorum cauſa excipiendorum tormentorum tam in genere quam in ſpecie. Sed placet quoque illa quam aſſignat Hildebertus Turonen. in verſib. de Miſſa ſic inquiens: *Sanguineus ſudor crux fuit ante crucem.* Et ut Simon Caſſianus ait: *Sudat Chriſtus morte vicina, quia ventura in craſtinum.* Quamvis enim mors Chriſto Domino ſemper eſſet ante oculos, tamen modo cum in proximo eſt ex ejus vehementi conſideratione, ſudorem ſanguineum emittit, tam enim vehementi patiendi deſiderio tenebatur Jeſus, ut ex parvula morula interjecta, *ventura in craſtinum*, ob dilationem tam vehementem pateretur agoniam ut ſanguis undique profluat in terram, ſanguinem fundens ex paſſionis deſiderio, antequam flagellationis ſpinarum & clavorum accederet crudelis violentia. Ecce quot inventionibus Dei filius uſus eſt, ut magis pro nobis pateretur? *tr.4.diſc.10.* Ecce quantus amor Redemptoris &c. *ibid.tr.4.diſc.11.*

*Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & turba multa cum gladijs & fuſtibus miſſi à Principibus Sacerdotum & Senioribus populi. Qui autem tradidit eum dedit illis ſignum dicens: Quemcumque oſculatus fuero ipſe eſt, tenete eum.* Matth.26. ℣. 47. & 48. Adducta eſt à proditore Juda turba multa, quo Jeſus certius apprehenderetur, & detentus, Principibus ac Magiſtratibus præſentaretur, eo fine ut ipſe pactæ pecuniæ compos fieret. Semper enim avaritia omnem lapidem movet, nihil non mali audet ut ſuam libidinem expleat. Unde quod mundus totus quod nulla creatura facinus audebat, avaritia auſu prorſus temerario attentare aggreſſa eſt. Sacer Eccleſiaſtes materiam hic habet ampliſſimam contra hoc vitium invehendi, *tract. 8. diſcurſibus varijs.*

Ad capiendum innocentiſſimum agnum Chriſtum Jeſum veniunt milites armati cum gladiis & fuſtibus, veniebant armati ne eis eriperetur, qui tamen ultro ſe eis offerebat ad mortem, timentes ubi non erat timor: Sicut de impio quodam Job loquitur cap.15. ℣.21. *Sonitus terroris ſemper in auribus ejus, & cum pax ſit ſemper inſidias ſuſpicatur.* Omnibus eſt pax & ſumma quies tamen in auribus impij ſemper reſonant ſonitus terroris, ſemperque inſidias ac mala ſibi vaticinatur, *tr.15.diſc.25. & 26.*

*Judas autem oſculo filium hominis tradit. Quem oſculatus fuero ipſe eſt, tenete eum.* Noluit Judas armatus primus irruere, ac manus armatas injicere in Jeſum, ſed ſimulate ipſum aggredi & ita latenter prodere, ut prodere non crederetur, perfectam in ſe adulatorum exprimens idæam, meliora enim ſunt vulnera diligentis quàm fraudulenta oſcula odientis; præſtat enim à publico inimico & detractore corrigi & reprehendi quam ab adulatore decipi, *tr.2. diſc. 7.* Item hoc ſignum, inquit D. Paſchaſius. *Juda tu dediſti, hoc pactum in animo tuo poſuiſti, ut cum quo faceres pacem ipſe raperetur ad crudeliſſimam paſſionem.* Cur ad inferendam Chriſto mortem pro ſigno datur oſculum? In oſculo oſtenditur conſortium oſculati & oſculantis, & in nullo apertius potuit Chriſti mors deſignari, quàm ubi per oſculum ac pacem ſaltem externam Jeſus Judæ approximatur. Qualecumque impij conſortium pro ſequela habet mortem & externam ruinam, *tr.17.diſc.2.6.& 10.*

*Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* Matth. 26. ℣. 56. *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſyndone ſuper nudo & tenuerunt eum, at ille rejecta ſyndone nudus profugit ab eis. Marc.14.℣.50.51. &* 52. Non quæro hic num Apoſtoli fugiendo à Chriſto peccarint, ſed fugam hujus adoleſcentis ſolum tango, quam commendatam & pro rata habitam à Chriſto Domino, D. Gregorius Nazianzenus Orat. 25. inſinuat, dicens: *Si zelo inflammatus Malchi aurem gladio præcideris indigne dominus fert, eamque loco ſuo reſtituet; Si quis ſyndone amictus profugiat, eum conteget.* Petrus ſtricto gladio percutit Pontificis ſervum, & à domino reprehenditur, *converte gladium tuum in locum ſuum.* Compone ergo Petrum cum iſto adoleſcente. Petrus armatus aggrediens, iſte vero nudus fugiens, Petrus armatus reprehenſionem incurrit, adoleſcens fugiens per medios hoſtes ab omni reprehenſione immunis habetur; Sic enim prorſus & bene eſt; In Spirituali ſiquidem certamine non qui aggreditur pericula ſed qui fugit protectionem divinam comparat, *tract.9. diſc.16. tract.13.diſc.30. tract.14. diſc. 18. quæ omnia huc apte referri poſſunt.*

*Hæc cum dixiſſet unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici?* Adducto Jeſu, ad Annam qui erat ſocer Caiphæ & Pontifex anni illius. Hic Chriſtum interrogavit de diſcipulis & doctrina ejus, cui cum juſtum, æque ac manſuetum reſponſum dediſſet manſuetiſſimus Jeſus, unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Jeſu non minus probroſam quam immenſo plenam dolore. Hic cauſam inflictæ hujus ignominioſiſſimæ alapæ tantum inquiro, quarum unam è præcipuis aſſignat Rupertus lib. 13. in Joannem: *Ecce*, ait, *iſte fortis percuſſor & mollis adulator*; Et poſtea ſubdit: *Vere inſanus, & pro Domino ſuo Pontifice ut ſuam illi caſtodiam commendaret, non fortiter ſed ſtulte zelatus eſt.* Unde ortum habuit tam crudelis audacia in hoc miniſtro? Sciebat ille, quod Principes Jeroſolymitani in magno odio Chriſtum habebant, inde credidit quod tanta injuria illa in Dominum, maximè Pontifici ac Principibus placeret, & ideo ut eorum voluntati adularetur tam immane ſcelus non recuſat, ſed audenter illud perpetrat. Vide quorſum hominem non ducat adulatio? *Quapropter hic ſacer Eccleſiaſtes optimam habet occaſionem contra hoc vitium invehendi ejuſque mala recenſendi. Materiam ſuppeditabit copioſiſſimam totus tract. ſecundus.*

*Principes autem Sacerdotum, & omne Conſilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent.* Matth. 26. v. 59. Falſum quidem teſtimonium quærebant, ſed ſub falſo teſtimonio etiam famæ denigrationem & diffamationem, & hanc quidem ſubtiliſſime quærunt, *inſidias ſuas*, ut inquit Victor Antiochenus, in c.14. Marci *Tribunalis ſchemate Palliantes.* Totus Judæorum ſcopus erat, tot Chriſto imponere flagitia ut mortis reus judicaretur, tamen ut ipſi perfidi Judæi famæ ſuæ conſulerent, ne viderentur latrones ac homicidæ, ſed æqui judices judicialem quamdam formam intentant, cum teſtibus ac tribunalis apparatu, hoc eſt enim facinoroſorum hominum & detractorum ingenium, quod ſub virtutis prætextu ac pietatis ſeu juſtitiæ larva ſua gaudeant perpetrare facinora; *tr. 21. diſc. 2. Occaſionem autem allati textus contra hoc vitium ejuſque naturam, malitiam, turpitudinem pœnas excurrere poteris in citato Tractatu per diſc.* 16.

*Et velaverunt eum*, Luc. 22. v. 64. *& alia multa blaſphemantes dicebant in eum*, v. 65. Velaverunt autem eum, ait, Lucas, ad hoc ut illudentes ac irridentes præberent illi occaſionem Prophetæ munus agendi, cooperiunt etiam ex malitia ſua ne ipſi ad miſericordiam moverentur, ut inde cum majori Licentia illuderent, & ut audacius & inverecundius omnes injuriarum ſpecies in ipſum congererent; maxime autem velaverunt faciem coram ipſo erubeſcentes, erant enim homines peſſimi & carnales multa indigna dictu horribilia, quod probabile eſt tractantes, velaverunt faciem ejus, ne coram illo qui puriſſimus erat in corpore & anima erubeſcerent. De turpitudine cujus vitij *vide Tract.* 13. Imo divino conſilio velaverunt faciem ejus, ad deſignandum quod à ſimilibus Carnalibus divinus vultus facile avertitur, & idcirco difficulter ad pœnitentiam induci poſſunt. *ibid. diſc.* 20. Sed injuria omnium graviſſima cumulus erat Blaſphemiarum & Calumniarum, quibus tota hac nocte aures Chriſti Domini ſupra modum fuerunt afflictæ. De horum vitiorum Turpitudine malitia damnis ac pœnis *vid. Tract.* 11. *& tract.* 12. *per totos.*

*Petrus autem ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum una Ancilla dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras, Matth.* 26. *v.* 69. *At ille negavit coram omnibus dicens: Neſcio quid dicis.* Magna eſt divini altitudo conſilij, quod ita permiſerit firmiſſimum Eccleſiæ fundamentum labefactari. Unde eleganter D. Ambroſius hic in C. 22. Luc. *Error Petri doctrina juſtorum eſt, & titubatio Petri omnium Petra eſt & noſtra firmitas.* Lapſus Petri Sanctorum eſt documentum, ut illo diſcant multa evitare & fugere, quo in Juſtitia firmentur ac corroborentur. Tam magnus Petrus ut etiam errando doceat. Quod nunc aliquot documentis illuſtrabimus. Ac primo permiſit Dominus Petrum labi, ut innuunt D. Chryſoſt. D. Greg. Hom. 21. quia ſciens ſe fragilem ac pavidum temere ſocietati impiorum miniſtrorum, qui Jeſum ceperant ſe miſcuit. Vide talis erat Petrus quales erant illi cum quibus jungebatur. Frequenter quilibet ſequitur mores eorum, cum quibus jungitur, & ſi hoc in firmiſſima Eccleſiæ Petra cernitur, in quo alio idipſum non videbitur fieri? quis alius ſecurus erit! Citra enim miraculum & abſque ſpeciali Dei aſſiſtentia boni inter perverſos non perſeverant conſtantes, *tract.* 17. *diſc.* 3. 4. 5. 6. 7. *&c.* Secundo aliam hujus lapſus cauſam aſſignat S. Cæſarius. Dial. 4. *Putabat Petrus*, ait, *alios numquam per pœnitentiam dignos habendos benigniter: permittit ipſum cadere Dominus propter percuſſum Pontificis ſervum & amputatam auriculam.* Quia vid. tam immiſericorditer egerat cum Malcho peccatore permiſit Petrum Deus cadere, ut ſuo caſu cum proximis benigne agere diſceret. In quo adhuc ulterius perpende altitudinem divinæ miſericordiæ, quod ab ipſis peccatorum morbis ſciat ſalutarem præparare medicinam. Decreverat Deus Petrum ſublevare ad ſupremum Eccleſiæ apicem; ut peccata dimitteret, portas cæli aperiret, ac etiam ipſiusmet Dei eſſet in terris Vicarius, ut igitur indulgentiam diſceret & clementiam; cadere permittitur, ad hoc ut in propria perſona recognoſcat miſericordiæ neceſſitatem, *tr.* 15. *diſc.* 3. Item reſipiſcentia Petri formam præſcribit tum quoad contritionem, tum etiam quoad confeſſionem & ſatisfactionem de quibus multa *in tract.* 15. *per totum.* Aſt non levis adhuc nec infructuoſa exurgit quæſtio: Negat Petrus Magiſtrum ſuum, ſed quis ad negationem primo eum urget? ut notat D. Chryſoſtomus: *Non unus aliquis ex gravioribus, ſed fœmina eaque oſtiaria abjecta & captiva quædam Puella nullius pretij mulier.* Res profecto miranda! Ancillula humilis; vilis, captiva & ſine pretio. Tamen ubi verbum Puellæ proceſſit, columna illa concutiebatur, illa locuta eſt & propugnaculum fluctuavit; ut nullus ſibi in mulierum fidat conſortio, & licet Petrus in carne lapſus non ſit, lapſus tamen eſt per mulieris in interrogando Audaciam in negationem Magiſtri ſui, & quod illi contigit contra fidem tibi contingere poteſt contra caſtitatem; *tr.13. diſc.21. 22.23. Item tr.15. diſc.* 30. 31. 32. 33. 34. 35.

*Tunc ergo apprehendit Pilatus Jeſum & flagellavit. Et plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus.* Dira acerba & ignominioſa fuit Domini flagellatio, ſicut & coronatio; voluit piiſſimus Jeſus hiſce doloribus vanas carnis & corporis noſtri voluptates capitis noſtri ſuperbam ambitionem delere. Vide igitur quàm gravis Chriſto Deo & homini per fornicationem irrogetur injuria; dum tot ad delendas Carnalium voluptatum culpas, exantlatis pœnis, hic laſcivæ alicui fœminæ poſthabetur; cui membra Chriſti, id eſt corpora noſtra, in prædam miſere cedunt. *tract.* 13. *diſc.* 15. & quia tu laſcive Spinarum exantlatos à Salvatore dolores carnalis vitæ continuatione contemnis, hinc quod tibi ut roſam imaginaris, juſto Dei judicio multis anxietatum, periculorum, aliorumque faſtidiorum ſpinis te replet; tum quod luxuriam attinet; de qua *tract.* 13. *diſc.* 15. tum quod Ambitionem de qua vid. *tract.* 2. *per totum.*

*Et bajulans ſibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum* Joannis 19. v. 17. *Et poſtquam venerunt ad locum, qui vocatur Calvaria, ibi crucifixerunt eum: Et latrones unum à dextris & alium à ſiniſtris.* Habuit tunc innocentiſſimus Jeſus crucifixores ſuos Judæos: Habet nunc ijs multo pejores; ſcilicet Detractores, *tr.* 21. *diſc.* 5. *& Blaſphemos tr.11. diſc.* 8.

## Feria ſecunda Paſchæ.

Pro hac feria conſule Tractatum quartum. De amore Dei. Et Tractatum quintum de amore Proximi.

## Feria tertia Paſchæ.

Pro hac Feria vide Dominica in Albis.

## Feſtum Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi.

Multa habes huic Evangelio convenientia, quæ coincidunt cum ijs quæ diximus in Evangelio Dominicæ Quintæ poſt Paſcha. Si autem quæ ſuperſunt particularia huc appono.

*In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Continuatio eſt Sermonis quem Dominus habuit ad diſcipulos ſuos in ultima cœna. Multas protulit ibidem rationes quare ipſis non eſſet timendum, inter alias etiam hanc adducit: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Quaſi diceret: Oculos veſtros in regnum meum, & facile omnia difficilia contemnetis & labores Evangelij mei libenter ſupportabitis, *tr.10. diſc.* 21.

*In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Nullum tam efficax noxij timoris expulſivum, nihil ita ad adverſorum animat tolerantiam, quàm Spes præmij & regni unius acquirenda poſſeſſio; Quanto magis nos excitabit æterni præmij conſideratio; Unde mundus favorabilis ab eo facile contemnitur, cujus oculi in cœleſtem gloriam jugiter diriguntur, libenterque quævis adverſitas ſuſtinetur, dum Spe æternæ retributionis ſuavis eſſe videtur, *tr.* 10. *diſc.*22. *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Et recte quidem ſupernæ ſedes ac gaudia manſiones appellantur, ut aſtruatur quod cœleſtia gaudia permanentia ac perpetua ſint. Iſidor. Peluſiota l. 1. Epiſt. 65. Illic enim, ait, vere manſio eſt; nam præſens vitæ tentorium vile eſt, quod ſimul atque compactum & fixum eſt, omne eodem temporis puncto ſolvitur. Sic æterna permanentia ſunt, ſæcularia vero minime durant; ſed concitato fluxu labuntur, *tr.10. diſc.*16.

*Et quo vado ſcitis & viam ſcitis.* Volebat hic Chriſtus conſolari diſcipulos ſuos à propria perſona, oſtendens illis

lis iter per quod ingrederetur ad cœlum dicens : Quo vado ſcitis & viam ſcitis. Jam ſcitis quo tendam & qua via , & hoc vos roborare debet , cum non oporteat ut ſervus meliori gaudeat fortuna quàm dominus : Chriſtus enim nobis regnum cœlorum conſignat, ſed cum eodem onere quo ille idipſum acquiſivit; id eſt, crucis , *tr.10.diſc.23.*

*Notandum quod præcipui textus Evangelij, Feſti Aſcenſionis Domini coincidant cum nonnullis Dominicis poſt Paſcha maxime quarta & quinta ſicut & præcipue cum Dominica ſanctiſſimæ Trinitatis , ne igitur eadem bis repetere cogar, benevolum Concionatorem ad illas remitto. Idem eſt quoad Feriam ſecundam poſt Pentecoſten , pro qua vid. tr. 4. diſc. 9. ſub hoc Themate, ſic Deus dilexit mundum &c.*

## Feſtum Aſcenſionis Domini.

R*Ecumbentibus undecim diſcipulis apparuit illis Jeſus.* Marc. 16. Dionyſius Carthuſianus ait , per hoc quod Chriſtus dominus Apoſtolis manducantibus viſibiliter apparere dignatus eſt , edocemur , quod etiam corporalia exercitia , imo corporis noſtri refectio atque proviſio Deo placeant ; dum ea ad ſpiritualem profectum referimus. Sublimis & alta virtus ut id quod mundanis eſt ad deliciarum oblectamentum , juſtis inſerviat ad magnum ſpiritus fervorem. Facit hoc Eutrapelia ; quæ eſt honeſta recreatio & ſervatis notis conditionibus virtuti adſcribitur : *tr.9. diſc.10.*

*Increpavit incredulitatem eorum & duritiam cordis.* Increpavit Dominus incredulitatem diſcipulorum & duritiam cordis eorum ; non exprobravit ac damnavit Dominus ipſos homines ſed eorum duritiem ac incredulitatem, ut attigit Cajetanus dicens : Incredulitas & duritia cordis ad credendum increpata eſt. Non homo ſed ejus peccatum damnandum eſt , *tr.18. diſc. 9.*

*Exprobravit incredulitatem eorum.* Nunc autem ſtatim adjungit : Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium , cum magna poteſtate edendi miracula : In nomine meo Dæmonia ejicient , linguis loquentur novis &c. Et ita commiſcet rigorem reprehenſionis cum favore tam ampliſſimæ poteſtatis , ut hac alternatione temperet eorum animos ; ut nec cum rigore reprehenſionis cadat eorum animus , ſed cum tantis favoribus animetur ac corroboretur, *tr. 18. diſc 12. 13.*

*Exprobravit incredulitatem eorum.* A die Reſurrectionis usque ad præſentem diem Aſcenſionis multoties ſuis diſcipulis Chriſtus Dominus apparuit. Cur tamen objurgationis ſeveritas ad hanc ultimam Aſcenſionis diem reſervatur ? Reſpondetur : Diſcipuli in die reſurrectionis duri ac increduli extiterunt ; & tamen Chriſtus Dominus diſtulit reprehenſionem usque ad diem Aſcenſionis , quadraginta dierum ſpatium interponens ; ad hoc ut livor vulneris decoqueretur & animus capacior fieret ad medicinæ remedium. Ad hoc enim ut corrector corrigendum non exaſperet diligenter attendenda eſt temporis opportunitas. *tr.18. diſc. 15.*

*Et dixit eis euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Vide ſuper hoc Themate *Dominicam SS. Trinitatis.*

*Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Cajetanus omnem hominem apellat creaturam , ad explicandum , quare eſt illis prædicandum : Ratione ſcilicet illius quod habent à Creatore. Omnes moleſtiæ ac labores ſubeundi ſunt , ut Evangelium homini prædicetur ; eſt enim Dei opus , & ab ipſo manibus ejus creatum. *tract. 7. diſc. 2.* Magnum proinde lucrum eorum qui animarum ſtudent ſaluti; *ibid. diſc. 14.*

*Qui crediderit & Baptizatus fuerit ſalvus erit.* Quare nos jubet Dominus baptizari , cum ad aquarum ingreſſum nudandus ſit homo ? Cum omnes rei maxime ament tegi ; cur ergo Dominus ad ſalutem vult , ut nuditatem amemus : Recte reſpondet Hieronymus : De vera circumci: *omnig, in procinctu baptiſmatis indumento nudati ſola ſanctorum oculis confeſſione veſtimur* : Licet ad Baptiſmum temporales veſtes abjiciamus , tamen valde pretioſa ac illuſtri induimur veſte , ut appareamus coram Deo ac Angelis ejus , nimirum cum nos reos ac peccatores confiteamur. De bono confeſſionis vid. *tr.5. diſc. 8. 9. 10.*

## Feſtum S. Joannis Baptiſtæ.

PRo hoc feſto vide Dominicas ſecundam & tertiam Adventus , in quibus ejus laudes per varia Themata dictarum Dominicarum late & fuſe aſſignatis copioſis materijs deſcribuntur. Per occaſionem tamen cauſam mortis ejus inquirens , excurrere poterit ſacer Eccleſiaſtes in Execrationem Choræarum ſpectaculorum Comœdiarum & Commeſſationum , de quibus habes integrum Tractatum nonum per viginti diſcurſus.

## Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

V*Enit Jeſus in partes Cæſareæ Philippi. Matth.* 16. Sancta Mater Eccleſia hodie duorum Apoſtolorum recolit natalitiam ſolemnitatem Petri & Pauli , exhibens ſe iiſdem veluti Lilijs , quæ ſunt ſymbolum Spei, exornatum, quam ſpem quoque in nobis cum ipſis aliquando, capiendi hæreditatem ſalutis , excitant , non quidem tam crudeli morte media , quam ipſi paſſi ſunt , ſed ſi quilibet vivat juxta exigentiam ſui ſtatus & vocationis. Nam Salvator noſter noluit obligare omnes ut per eamdem paſſionis viam ad cœlum tranſeant , ſed multas etiam aperuit vias faciles, per quas cujuſlibet ſtatus & profeſſionis homines tranſire ad ſalutem æternam poſſunt, *tr. 10. diſc. 28.*

*Venit in partes Cæſareæ Philippi.* Ad fundandam Eccleſiam ſuam , educit Jeſus diſcipulos ſuos de Judæa in regionem ſeparatam quam tamen non ingreditur ; educit illos de populi tumultu ad communicandum eis altiſſima Myſteria : Etenim ad debitam eorumdem intelligentiam expedit ut egrediaris ſemper ab ordinarijs quos in mundo pateris tumultibus ; quales ordinarie in te cauſant bona terrena , fœlicitas quoque corporalis quæ te ad Myſteria divina capienda ſurdum reddit , *tr. 8. diſc. 13.*

*Interrogabat Diſcipulos ſuos , quem dicunt Homines eſſe filium hominis ?* Ad quid interrogat hic Chriſtus diſcipulos ſuos , cum tamen omnia ipſi clara ſint atque perſpecta ? Aderat jam tempus , ut Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ de bono Paſtore proſpiceret , ejuſque Principatum ac Pontificatum in concurſu , ac veluti oppoſitione meritorum proponere decernit; ideo nunc quærit quid de ipſo homines dicant. Et iterum , *vos autem quem me eſſe dicitis ?* Ut ille qui cæteris præcelleret , illuſtrioremque ſe exhiberet , in veræ fidei confeſſione , in veræque deitatis Chriſti cognitione , ab ipſo ad Eccleſiæ apicem promoveretur. Ut inde nos inſtrueremur , quod ad præbendas Eccleſiaſticas non ex conſanguinitatis & amicitiæ nexu , ſed ex meritorum decore quilibet ſit admittendus. Dignitates enim merita prærequirunt , *tr.3.diſc.12.*

*Quem dicunt homines eſſe filium hominis ?* D. Hieronymus inquit ; *Non dixit , quem me dicunt eſſe homines : Ne jactanter de ſe quærere videretur.* Non dixit quem me dicunt eſſe filium hominis. Occultat magnitudinem ſuæ divinitatis , humilitatem noſtræ humanitatis manifeſtat , ne aliquam jactantiam vel etiam adulationem captare videatur , valde enim frequenter Adulatio in hominibus pullulat , maxime ſi ipſi in aliquo magnitudinem videant , ab eoque in ipſis ineſſe dependentiam. Ex quo patet quantum Adulatio Chriſto fuit abominabilis , qui illam tam ſolicite vitavit , *tr. 2. diſc.8.*

*Beatus es Simon Bar-Jona : Quia caro & ſanguis non revelavit tibi.* Fœlix Petrus dum carnis vocem non audivit, & cœleſtem lucem percepit. Profectò ſi audiret carnem non excuſſiſſet errorem protulit tamen inter cœteros ſingulariſſimus veritatem. Ergo carnis fuge audire conſilia quia luci prudentiæque opponunt impedimenta. Caſtitas vero & continentia ad ſcientiam & ſapientiam comparandam plurimum confert, *tr.14. diſc.10.*

*Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Petrus ad dignitatem electus Eccleſiaſticam ſuffulſit & omnibus profuit : Nil ſibi ſuxit inſtar bibulæ arenæ: ſed Petra ædificium ſuſtentavit ; E contra vero accidere videas aliquando pròh dolor ! Prælaturæ autem Eccleſiaſticæ non ad dominium ſed ad obſequium ſubditorum ordinatæ ſunt, *tr. 3. diſc.16.*

*Tibi dabo claves regni Cælorum.* Per claves hic peccata remittendi poteſtas intelligitur. O inſignem Dei miſericordiam : non enim nobis Angelos reliquit , qui nobis peccata laxarent , ſed Sacerdotes *infirmitatem habentes* : Ut nobis compaterentur : & propter hoc ſingulariter Petri lapſum permiſit : Ut zelum ejus temperaret , alioſque metiretur. Salvator enim noſter conceſſam ſibi à Patre peccata remittendi poteſtatem hominibus delegavit , ut indulgentiam diſcerent & clementiam, *tr.15.diſc.3.*

## Feſtum S. Jacobi Apoſtoli.

T*Um acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi.* Matth. 20. Acceſſit ad Jeſum in eo nempe itinere, quando Chriſtus loquebatur de ſua morte , paſſione ac reſurrectione. *Acceſſit* quia etſi multæ mulieres Dominum ſequerentur Luc. 8. v. 2. tamen ut explicat D. Chryſ. *in imperfecto Hom.* 35. *longo intervallo de longe mulieres erant ſequentes , & longo intervallo ſeparatim inter ſe ambulabant , Chriſtus enim & diſcipuli ſui primi , ſequentes autem de longe mulieres.* Puritatis & caſtitatis Magiſter *longo intervallo* ; habebat mulieres ſeparatas à ſe , ac ſuis diſcipulis , ut nos doceret mulierum fugere conſortium, *tr. 14. diſc.31.32.33.*

*Petens aliquid ab eo.* Albertus Magnus; Rogat, inquit, mulier

mulier affectu propinquitatis & familiaritatis. In quo mulier erravit , non enim ſanguinis affectu , ſed meritorum impulſu homo aſſumendus eſt ad dignitates & officia, *tr.13.diſc.12.*

*Dic ut hi duo filij mei , unus ſedeat ad dextram tuam alter ad ſiniſtram.* S. Petr. Damian. Ser. 2. de Joan. Evangel. more ſuo ſingulari acumine hanc exagitat petitionem : *Matre interveniente,* ait ; *rogabat* ( ſcil. diſcipulus) *ut ipſe cum fratre Dominus alterum à dextris alterum concederet ſedere à ſiniſtris.* Nam quantum ad verba hoc petere viſus eſt , ut unum ex eis Dominus cum dextris eligeret, alterum à ſiniſtris cum peccatoribus reprobaret. Cur non dextra pro ambobus petitur , ſed etiam pro uno ſiniſtra , quæ eſt reproborum locus ? Sic quilibet ex fratribus tanto dominandi deſiderio tenebatur , ut nec ſecum fratrem admitteret ; ſed potius vellet ipſum perditioni dare. Neuter in primo loco obtinendo parcebat fratri , ſed quilibet ſibi dominationem volebat , quamvis alter perderetur. Sic patet ambitionis malitia quæ eſt omnium malorum cauſa. *tr. 3. diſc.* 2. Ambitionis etiam contagio ad viros perfectiſſimos transfunditur, *ibid. diſc.18.*

*Neſcitis quid petatis.* Valde inconvenienter abſolute petuntur bona temporalia , cum ſæpe id quod nobis videtur eſſe commodo ſit damno. Unde Apoſtolus dixit , *quid oremus neſcimus.* Et hinc contingit aliquando , quod licet Deus in Eccleſia , quæ domus orationis eſt , ſupplicationes noſtras facilius , quam in alio loco exaudiat; quod ſi vero orantes in illa interdum à Deo non exaudiamur , id ſit, quia impertinentia petimus, &c. *tr.20. diſc.4.*

*Neſcitis quid petatis.* Rabanus , inquit ; *Neſciebant quid peterent , qui ſedem gloriæ à Domino , quam nondum merebantur inquirunt.* Neſcij dicuntur cum ſine cruce ac morte vellent obtinere ſedes cœleſtis gloriæ. Quisquis enim ad Paradiſum vult ingredi, prius per flammivomum ærumnarum & tribulationum enſem tranſire debet. *tr.10. d.24.*

*Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum : Dicunt ei : Poſſumus.* Petierunt hi diſcipuli per matrem unus ſedere ad dextram alter vero ad ſiniſtram. Sed antequam Chriſtus petita negaret , interrogavit an poſſent bibere calicem; & mox reſpondent *poſſumus.* Vide dum thronos & honores ambiunt , quam ardenter calicem ſitiunt , quam veloces ad Domini inveniuntur obſequium ; ſic obſequia frequenter exhibet ambitio , nec non ambitioſi ſe prius dejiciunt ut poſtea exaltentur, *tr.3.diſc 3.*

*Dicunt ei poſſumus.* Jacobus calicem ſitit , ſanguinem fundere pro Chriſto ardet & maximos labores hauſtum calicis eſſe, cenſet Amori namque nil invertitur arduum nil moleſtum, *tr.4. diſc.17.*

## Feſtum Sancti Laurentij Martyris.

PRæclaræ fuerunt *D. Laurentij* prærogativæ : Docet enim virtutem eleemoſynæ,declarans & docens divites, bonorum temporalium abundantiam homini non congruere niſi inter egenos & pauperes diſtribuantur, *tr.8.diſc.18.*

Exurebat ignis materialis. Carnem innocentem ſacratiſſimi Martyris, utinam ejus meritis efficeretur ut ignis alter concupiſcentiæ carnalis non exureret virtutes & bonorum operum merita, *tr.13.diſc.3.*

Ut inſigne Dei beneficium propoſuit Sixtus Pontifex D. Laurentio quod acerbiora toleraturus eſſet tormenta quam ipſe , quia cum Sancti noverint ſecundùm eorum amaritudinem ſervari præmium : Quanto igitur ſunt hi cruciatus atrociores , tanto ſe ſentiunt à Deo beneficio cumulari ampliori , quia cruciatibus proportionatam expectant conſolationem, *tr. 16.diſc.18. Vide Feſtum S. Steph.*

## Feſtum aſſumptionis Deiparæ.

I*Ntravit Jeſus in quoddam caſtellum* Luc. 10. Multa quidem celebrantur Deiparæ Feſta , ſed hoc eſt præcipuum , ad quod reliqua ordinantur, atque hic coronam accipit omnium , quæ in alijs digna promeruit. Totum hodiernum feſtum gloriam ſpirat quæ nec verbis exprimi, nec humano ingenio valet comprehendi. *tr. 10. diſc.* 1. *Poteſt etiam hic tractari de animarum Beatarum ac corporum ipſorum pulchritudine & de dotibus claritatis , impaſſibilitatis, agilitatis & ſubtilitatis, ibid. diſc.6.*

*Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam.* In præſenti Evangelico textu ſacer Evangeliſta Martham mulierem appellat , Mariam non item. Quod ſingulare aliquod innuere videtur myſterium. Moraliter ad hoc reſpondeo : Recte in præſenti Martha dicitur mulier , non vero Maria : Nam cum Martha repræſentaret corpus Dei Genitricis , quæ Deum utero ſuo excepit benedicitur mulier , ut omnibus ſit apertum, quod hæc ſuprema Regina in ſua perſona ac corpore , quid humanum & non divinum extitit , ſicque præſcinderetur error aliquorum hæreticorum qui perfide autumarunt B. Virginem eſſe perſonam divinam. At Maria quæ præexcelſas Dei Genitricis virtutes præfigurabat , non ſcribitur mulier , ut cunctis ſit notum ; quod hæc Angelorum Regina in ſuis virtutibus ac dotibus maximè verò virginitate quid cœleſte & ſupra naturam humanam extitit. Virtus enim virginitatis in cœlo natales ſuos habet, *tr.14. diſc.4.*

*Et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam.* Valde ſolemne erat apud antiquos , viros glorioſos multa cum ſalutatione ac gaudio in domum ſuam excipere ſic etiam veriſimile eſt , quod hæ ſorores magna reverentia ac ſalutatione Chriſtum exceperint. Cur autem hæc ab Evangeliſta non commemorantur ? Reſpondetur : Ingreſſus Chriſti Domini in hoc caſtellum ſanctiſſimam Virginem Mariam introeuntem in gloriam adumbrabat. Quanta autem fuerit hodie exultatio ac feſtivitas à ſanctis Angelis , exhibita glorioſiſſimæ matri , quanta ejus gloria verbis exprimi non poteſt, *tr.10. diſc.1.*

*Huic erat ſoror nomine Maria.* Erant hæ fœminæ primariæ , & quamvis ferventer Chriſtum diligerent, illum tamen domi ſuæ præſtolabantur : Decet enim mulieres maxime ſolitudo & receſſus, *tr.14.diſc.21.*

*Quæ ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.* Chriſtus intravit ut à mulieribus exciperet hoſpitalitatem. Magdalena verò ad ejus pedes ſedebat , ut ab illo multa hauriret cœleſtia dona : Et ſplendidum ac glorioſum Domini nomen non tam bene aptatur ubi dona excipiuntur quam potius ubi largiuntur diffuſa ; Magna enim, eſt donorum ſpiritualium abundantia quibus Dominus dilectas ſibi animas demulcet , ditat , *tr.16.diſc.2.*

*Domine non eſt tibi curæ , quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare ?* Mirum quod Martha hic ſe ſolam dicat cum ſua familia multis ancillis eſſet plena ? Prudenter ſane , quia ancillis ut imperfectis minime ſe credebat & ab earum conſortio , ut tali , ſe abdicabat , & unius ſororis quam apprime perfectam agnoſcebat , conſortium exoptabat. *De damnis mali conſortij : tr.17.diſc.6.*

## Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli.

E*Xijt Jeſus in montem orare.* Luc. 6. v. 12. Ubi Chriſtus Dominus bellum per Apoſtolos Dæmonibus inferre decrevit , ut nos ſuis actionibus informaret; ad orationem recurrit , docuitque bellum contra Dæmonem ab imploratione divini auxilij eſſe incipiendum, *tr. 19. diſc. 18.*

*Elegit Bartholomæum.* Bartholomæum elegit ut Dæmonem ligaret , & vitia depelleret , ut homines erudiret. Paruit Bartholomæus & egregijs factis munus adimplevit , ſed pro mercede excoriationem tulit. O quam eſt opus contra duros muniri aſſultus , ſi alienos corrigere moliaris defectus! *tr.18.diſc.3.*

*Elegit Bartholomæum.* Bartholomæum elegit , mirum pudicitiæ propugnatorem patronumque. Adverſarios plures tulit pudicitia , ſed Bartholomæi ope vicit armata. Conſideravit enim abſque dubio Bartholomæus virginitatis & caſtitatis pretium pro qua Bartholomæus multæque animæ fideles aſperrima libenter ſubierunt ſupplicia. *tr.14.diſc.11.*

*Elegit Bartholomæum.* Elegit hunc Apoſtolum ad inferendum peccatis bellum , Bartholomæum, inquam, omni ſanctitate excultum ; neque enim libera fronte in vitia armatur corrigens , niſi ab illis omnino extiterit liber, *tr.18. diſc.16. 17.*

*Elegit Bartholomæum.* Bartholomæus ob caſtitatis virtutem merito duplici Martyrij gloriatur corona , ob caſtitatis enim in aliena perſona tutelam pelle exuitur , qui tamen jam ob caſtitatis prælium in proprio corpore longum ſubierat Martyrium. Caſtitas enim ſpecies quædam Martyrij eſt &c. *tr.14.diſc.16.*

*Elegit Bartholomæum.* Bartholomæus ad faſtigium dignitatis evectus , nulli pepercit labori dignitatem nobilitans, & exornans ſciens , Eccleſiaſticam Prælaturam non ad dominium , ſed ad obſequium inſtitutam. *tr.7.diſc.16.*

*Elegit Bartholomæum.* Bartholomæus à Chriſto pro animarum ſalute delegatus ignotas adivit terras , & innumeras tulit anguſtias ; ſuo exemplo nos edocens proximorum ſaluti adſcriptos nulli labori parcere debere ob magnam quam inde habent gloriam, & lucrum, *tr.17. diſc.14.*

## Feſtum S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.

V*Idit Jeſus hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine.* Quid eſt quod cæteri Evangeliſtæ Matthæum vocent Levi , nomen verum tacentes ; ipſe autem proprio ſe nomine compellet ? D. Hieronymus reſpondet : Juxta illud Prov. 18. Juſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis. Matthæum ſe & publicanum nominat ; ut oſtendat ſequentibus , nullum debere ſalutem deſperare , ſi ad meliora converſus ſit , cum ipſe de publicano in Apoſtolum repente ſit mutatus : Voluit S. Matthæus per hoc dare peccantibus fiduciam : Ne aliquis deſperet de venia , ſi pœnitentia deleverit culpas , cum ipſe de publicano mutatus

ſit

ſit in Apoſtolum; ſic quoque de horrido inferni titione, venuſtiſſima redditur anima pœnitens, *tr.15.diſc.5.*

*Præteriens Jeſus vidit hominem ſedentem in telonio.* Ad gloriam non exiguam cedit S. Matthæi Apoſtoli, quod tam cito converſus ſit, imo adeo clariorem gloriam quantâ inter peccata avaritia difficilius ſuperatur. Eſt enim laqueus Sathanæ intricatiſſimus, *tr.18.diſc.4.*

*Sedentem in telonio.* In telonio ſedebat lucri ſpebus inefcatus. Sed non quiete ſedebat, ſed continuis cupiditatis æſtibus agitabatur. Habet enim avaritia meras anxietates, curas & ærumnas, *tr.8.diſc.17.*

*Sedentem in telonio.* Animæ deſpiciens periculum; ad divitiarum inhiabat augmentum. Publicanus amplectebatur pericula ne amitteret vectigalia: Profecto præ ſeipſis videntur homines æſtimare divitias & anteferre ipſi ſaluti pecunias, *tr.8.diſc.5.6.7.8.9. &c.*

*Sedentem in telonio.* Dives erat Matthæus, ſed divitiarum copia ardentem divitiarum ſitim pariebat, & hydropem cauſabat: De ipſa copia fœlicitateque ſitis ardentior gignitur, & anxietas vividior naſcitur, *tr.8.diſc.29.*

*Et ait illi ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum.* Omnia reliquit ut ſequeretur Chriſtum & ad veram perveniret Spiritus libertatem veraſque inveniret delicias; Eſt namque opus, ſeculi divitias & honores mundique voluptates contemnere ſi vis veras delicias invenire; deliciæ enim mundanæ contrariantur obſtantque divinis, *tr.16.diſc.15.*

*Surgens ſecutus eſt eum.* Sequutus eſt Chriſtum D. Matthæus virginitatis & doctor & propugnator. Pro qua & mortem ſubiit: Ex quo excellens conſiderare licebit virginitatis pretium, *tr.14.diſc.11.*

## Feſtum S. Michaelis Archangeli.

PRo hoc feſto habes integrum Tractatum ſextum de Angelis copioſiſſimam certe materiam, quam conſule.

## Feſtum SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.

HOc eſt præceptum meum ut diligatis invicem. Joan. 15. v. 12. quæſtio hic non levis exurgit; quare cum Chriſtus in hoc Joan. cap. 15. v. 10. tamquam de multis præceptis eſſet locutus, ſi præcepta mea ſervaveritis: Hic verò ac ſi tantum eſſet unum illius præceptum ait: *Hoc eſt præceptum meum.* Si præcepta, cur unum tantum dicit: Ad quæſt.: reſpondet D. Gregor. Hom. 27. in Evang. unum præceptum dicit, non ob aliam cauſam niſi quia de dilectione eſt, & omnia unum præceptum ſunt, quia quidquid præcipitur in ſola charitate ſolidatur, *tr.5.diſc.1.*

*Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Chriſtus Dominus ſecundum aliquos, hic loquitur de dilectione inter homines, inter quos nulla eſt major dilectio quam mori pro amico, hanc autem noſtram charitatem Chriſtus ſuperavit dum etiam pro inimicis mortuus eſt; non tantum in genere, ſed etiam in particulari; quidquid enim pro omnibus etiam pro una ſola anima fecit, *tr.7.diſc.12.*

*Si mundus vos odit.* Simon Judaſque mundi odium tolerarunt, & nihilominus erga hominum ſalutem ardentiſſimum fovebant ſtudium, delegati namque à Deo ad animarum ſalutem nullum debent recuſare laborem, *tr.5.diſc.16.*

*Si mundus vos odit.* Apoſtoli ſaluti proximorum vacabant, vitia corrigebant; ſed ex hac cauſa homines odij ac vitiorum cauſas fovebant; ſuſtinuerunt tamen mortes pro ſpirituali ſalute ad exemplum noſtrum, ut depoſito omni timore vitia corrigamus proximorum, *tr.18.diſc.3.*

*Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Notandum quod quia hoc Evangelium maxime tractat de Amore Dei & proximi, ideo quoque conſulendi ſunt Tract. 4. de Amore Dei, & tr. 5. de amore proximi.*

## Feſtum omnium Sanctorum.

VIdens Jeſus turbas aſcendit in montem. Matth. 5. Habemus hodie ex una parte Evangelium univerſale quod multas complectitur ad cœlum vias: Atque ex altera omnes celebramus Sanctos, velut exemplaria qui vias illas perambularunt; Hi per illas illi per alias ingreſſi ſunt, ita ut plenam habeamus doctrinam; quod Salvator noſter non voluerit omnes obligare; ut per eamdem paſſionis viam ad cœlum tranſeant per quam ille ipſum obtinuit, ſed multas aperuit vias faciles, *tr.10.diſc.28.*

*Item commode & utiliter hodie tractari poterit de magnitudine præmij cœleſtis; de quo habes integrum tr.10. per triginta diſcurſus.*

*Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Puritati cordis & corporis vino proponitur præmium; nam caſtitas oculos illuminat, luxuria excæcat. Qui carnis gerit negotium luci & prudentiæ ingens opponit impedimentum, *tr.13. diſc.17. & 19.*

*Beati qui perſecutionem patiuntur.* Quare Beati? ob conſolationem inde ſequi ſolitam: Juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum menſuram conſolationum ſpiritualium creſcit, imo & ſemper ſuperexcedit abundantia, *tr.16.diſc.18.*

*Beati qui lugent.* D. Auguſt. lib. 1. de Serm. Dom. in monte, *conſolabuntur*, ait, *ergo Spiritu S. qui maxime propterea Paraclitus nominatur, id eſt, Conſolator, ut temporalia amittentes æterna lætitia perfruantur.* Tertio & eſt ſententia Auguſtini conſolabuntur æterna Dei fruitione. Ita Chromantius *Sancte*, inquit, *lugentibus conſolatio æternæ exultationis promittitur.* Ita ait Iſa. 61. v. 3. *Date his qui lugent Sion gloriam pro cinere unctionem lætitiæ lugentibus pro ſpiritu mæſtitiæ amictum gloriæ*, *tr.10.diſc.7.9. &c.*

*Beati Pauperes Spiritu.* Eximiæ virtutis probantur pauperes ſponte contemnentes divitias, quæ eos à beatitudine excludere poſſunt, per quarum tamen contemptum Beati ſunt futuri, *tr.8.diſc.5.*

FINIS.